SC.SUP.4.Pl.1.

Digitized by Google

37
40 D
12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D. O. M.

POLITICA IMPERIALIA,

SIVE

DISCVRSVS POLITICI, ACTA PVBLICA, ET TRACTATVS GENERALES,

DE D.D. N.N. IMPERATORIS ET REGIS ROMANORVM, PONTIFICIS ROMANI, ELECTORVM, PRINCIPVM, ET Communium Sacri Romano-Germani Imperij Ordinum, iuribus, priuilegiis, regalibus, dignitatibus, præeminentiis, aliiſque rebus generalibus ad ſtatum publicum Sacri Imperij pertinentibus, tam religioſis quam profanis, &c.

QVOTQVOT IVDICIO ET HORTATV AMPLISSIMORVM Virorum colligi & publicari Reipubl. Germanæ vtile, commodum ac licitum exiſtimabantur, nec in Germanico Tomo ſimul nunc edito continentur; iuxta ordinem rerum ac materiarum congeſti, & in certas partes digeſti atque editi.

Ex Bibliotheca Viri Nobilis & Clariſſimi

D. MELCHIORIS GOLDASTI HAIMINSFELDII

CONSIL. SAXON.

Cum S. Rom. Imperij Interregis conceſſu, gratia & priuilegio Imperiali ad vicennium.



FRANCOFVRTI

Ex Officina Typographica IOHANNIS BRINGERI.

Anno M. DC. XIV.

PRÆMONITIO

AD LECTOREM BENIVOLVM.

COnſtitutionum Jmperialium collectionem ordine nunc ſubſequuntur Politica Imperialia. alteræ enim alterorum ope auxilio egent. Eorum hoſce iam tractatus generales, petentibus atque vrgentibus multis Jlluſtriſſimis, Illuſtribus, Generoſis, Nobiliſſimis & Clariſsimis Viris, in commune confero, vt habeant in poſterum, qui Reipublicæ negotia gerunt, vnde flagrantiſſimis ſuis deſiderijs tandem aliquando ſatisfaciant, & in vno hoc faſce commodius ſecum circumferant, quorum vſu ac ſuggeſtu in Comitiis (vt cum vulgo loquar) Imperialibus, deputationum, viſitationum, electoriis, Septemuirûm collegialibus, circularibus, Principum, comitum, ciuitatum, & equeſtribus conuentibus: commiſsionibus item & legationibus opportune vtantur, fruantur. Huic enim vtilitati publicæ deſtinata hæc vnice collectio eſt: quam non modo à me enixis hortationibus ſæpe contenderunt ac flagitarunt complures Ampliſſimi S. Cæſar. Maieſtatis, Regum, Electorum, Principum, Comitum, Baronum, & ciuitatum conſiliarij, ſed participatis etiam ſcriptis atque operibus ſuis, quæ bibliotheca mea deſiderabat, non parum largiter adiuuerunt & promouerunt.

Te vero, Lector, quiſquis es, vehementer etiam atque etiam oro, ac per Genium Reipubl. obteſtor, ne temere in iudicando te præcipites, ſed cum animo tuo primum conſideres, me non tam priuato quodam ductu, quam autoritate publica eorum, quos modo memoraui, conſiliariorum, tum inſuper ſingulari conceſſu, gratia & priuilegio Jmperiali à Sereniſſimo Jnterrege de plenitudine poteſtatis Interimperialis clementiſſime conceſſo, ad hanc collectionem inſtituendam & abſoluendam acceſsiſſe.

Deinde, nihil à me huic collectioni inſertum eſt, quod non fuerit publicatum, & in S. Jmperii Germani nundinis ſollennibus ac frequentibus, Francofordiæ, Argentorati, Lipſiæ &c. propalam, ſine interdicto, ab annis centum præter propter, venundatum: exceptis vno atque altero tractatibus, qui ex archiuis ordinum Imperii, aut ab ipſis Auctoribus communicati nihil complectuntur, quo quis merito ſe læſum vel offenſum debeat conqueri.

Tertio, quos heic cumque vides tractatus, ea religione à me appoſiti ſunt, vt nihil quidquam fuerit demptum, (quod quidem ego ſciens ſim) nihil quidquam additum, non ſyllabula, non literula immutata. adeo ſtudioſe caui, ne occaſionem cuiuis vllam præberem ſiniſtræ de mea fide ſuſpicionis. Hinc ergo eſt, quod alios tractatus tibi repræſento, prolixis notis marginalibus cumulatos: alios contra ea nudos ac

vacuos, quia ſic eos in exemplis comperi, quorum inſtitutum Auctoribus intactum: iudicium Lectori liberum relinquere, cum voluntas mea ſuopte prona ad obſecundandum bono publico, tum aliorum peritorum ac intellegentium virorum animus prudenter dictauit.

Quarto, quanquam multo plures tam partes integras, quam tractatus inſertos exhibere apud me conſtituerim, eoſque haut paullo præſtabiliores quam ij ſint, quos iam præſentamus; tamen & anguſtia temporis, & ipſius voluminis magnitudo, coegit non tantum integras illas partes radicitus exſtirpare, ſed & ſelectiſſimos quoſdam libellos vberius tractatos truncare ac decerpere, in aliumque Tomum, vita comite, & Deo bene aſpirante, olim edendum reponere atque conſeruare.

Poſtremo, quos tractatus tempore belli Smalkaldici ſcriptos, aut ab Ordinibus publicatos, prudentes noſtri quum maxime exoptabant, eos ego (ne quis à me in hac collectione deſideret) ceſſi Viro Clariſſimo & Juris noſtri Imperialis conſultiſſimo, Domino Friderico Hortledero, Electorali, in Ducali Aula Saxonica Vinarienſi, Principum iuuentutis Moderatori, amico meo familiari, qui eos cunctos ſumma ope atque induſtriis omnibus vndique conquiſiuit, in vnum diligentiſſime congeſſit, atque in duos ingentiſſimos Tomos ſtudioſe ac fideliter digeſſit: quorum vterque in certos libros ordine quodam apte diuiditur: libri denique in ſuos tractatus iuxta ſeriem temporis connexos ſubdiſtinguuntur.

Et primus quidem Tomus octo libros complectitur. quorum I. continet tractatus & diſcurſus de Conciliis & Colloquiis. II. De motu Pacciano. III. De Ducatu Wirtembergico, eiuſque recuperatione. IV. De bello Brunſuicenſi. V. De bonis Eccleſiaſticis, & reformatione Epiſcopatuum atque Monaſteriorum. VI. De patrocinio ſubditorum alienorum. VII. De iuriſdictione Camerali. Atque VIII. De fœdere Smalkaldico.

Secundus Tomus ſex libros comprœhendit. quorum I. habet tractatus & diſcurſus de rationibus dubitandi de iuſtitia belli Germanici, ſiue conſiliis defenſionem negantibus. II. De rationibus decidendi, ſiue conſiliis defenſionem admittentibus. III. De initio & progreſſu belli Germanici, atque infelici fortuna ſummorum Ducum fœderis Smalkaldici. IV. De obſidione Magdeburgenſi. V. De felici belli Germanici exitu, mediante Mauritij Saxonis atque ſociorum in Cæſarem Carolum Quintum expeditione. VI. De reliquiis belli Germanici, in Marchione Alberto Brandeburgico extinctis.

Hæc erant, Beniuole Lector, quorum te voluiſſe præmonitum. Bene vale. Scripſi raptiſſime, Francofordiæ ad Mœnum, Kalen. Apr. Anno Chriſtinati ∞IↃC XIV.

MELCHIOR GOLDASTVS HAIMINSFELDIVS Conſ. Sax.

ELEN-

ELENCHVS GENERALIS TRACTATVVM.

PARS I.

De electione Imperatoris. fol. 1.

1. De Comitijs Imperatorijs liber Onuphrij Panuinij Monachi Auguſtiniani,&c. cum notis Friderici Hortlederi IC. Saxonici. 2
2. De Principum, quibus electio Imperatoris in Germania commendata eſt, origine ſeu inſtitutione, auctore Simone Schardio I C. & Aſſeſſore Cameræ Imperialis. 39
3. Γερμανοβασιλικῆς [illegible], id eſt, Summarium, in quo præcipua iura, ritus, aliaque circa electionem & inaugurationem noui Romanorum Regis adhiberi ſolita; auctore Caſp. Ens Colonienſi. 62
4. Deſcriptio electionis Maximiliani Regis Romanorum: itemq; coronationis eiuſdem continuo ſubſecutæ apud Aquiſgranum, anno 1486. 86
5. Leonis X. Pontif. Rom. Epiſtolæ ſuper electione noui Cæſaris facienda, anno 1519. 100
6. Acta Comitiorum Electoralium, in quibus competitores erant Carolus Hiſpanus & Franciſcus Gallus, anno 1519. 102
7. De electione & coronatione Caroli V. Imp. Aug. hiſtoria, auctore Georgio Sabino P.C. anno 1519. 121
8. Principum Electorum Legatio ad Carolum Regem Hiſpaniarum, decretum electionis Rom. Imperium ei inſinuans, anno 1519. 137
9. Narratio, quomodo Maximilianus II. electus fuerit in Regem Roman. auctore Simone Schardio IC. anno 1562. 141
10. De electione & inauguratione Maximiliani II. Roman. Regis, auctoribus Heidenis fratribus, anno 1562. 147
11. Epigrammata D. Maximiliani II. Rom. Regis, de honore nouo gratulantia, auctore Iohanne Poſthio P.C. & Archiatro Electorali Palatino, anno 1562. 151
12. Carmina de coronatione Maximil. II. Imp. auctoribus Ioh. Lauterbachio P.C. & And. Rapicio I C. anno 1562. 154
13. Acta & ſolennia, quæ tempore electionis & coronationis contigerunt, &c. interprete Nicolao Heideno, anno 1562. 155
14. Actus electionis & coronationis, hoc eſt, hiſtorica & vera deſcriptio omnium, quæ circa electionem Matthiæ Imp. Aug. memoratu digna acciderunt, interprete M. Gothardo Artus Dantiſcano, anno 1612. 170

PARS II.

De electione Regis Romanorum, viuente Imperatore. fol. 207.

1. De electione Regis Romanorum tractatus Heningi Gœden IC. & Conſil. Saxonici, anno 1530. 208
2. De electione Regis Romanorum diſcurſus, incerto auctore, anno 1531. 220
3. Coadiutor quando detur, anno 1531. 226
4. De electione Regis Romanorum, viuente & regnante Imperatore, anno 1531. 230
5. Iterum ſuper eadem re, anno 1531. 232
6. Materia electionis impugnandæ Regis moderni Ferdinandi, per Electorem Saxoniæ, anno 1532. 233

PARS III.

De coronatione Imperatoris Francica ſeu Germanica. fol.235.

1. De corona Imperiali, commentatiuncula Caroli Paſchalii Conſil. Regij. 236
2. De coronatione ad Carolum V. Imp. liber Hieronymi Balbi Epiſcopi & Principis Gurcenſis. 244
3. Relatio coronationis in Regem Roman. Caroli V. Imperat. Auguſt. auctore Hartmanno Mauro Conſiliario Electorali Colonienſi, Anno 1519. 264
4. De inaugurationibus Imperatorum Rom. excerpta Franciſci Modij IC. 277

PARS IV.

De coronatione Imperatoris Italica ſeu Romana. fol.290.

1. Diadema imperatorium, ſiue de coronatione Imperatoris, deque boni Imperatoris officio, oratio habita ſub perſona Papæ, quando Cæſarem coronat, auctore Cornelio Aurelio, anno 1500. 291
2. De Pontificia electi Roman. Imperatoris coronatione, oratio Ioannis Garſenij IC. 296
3. Ἀνάμνησις iuris, quod olim in approbandis Pontificibus Imperatores habuerant, & quomodo vice verſa imperatoriæ Maieſtatis confirmatio à Pontificibus introducta & confirmata ſit, auctore Simone Schardio IC. & Aſſeſſore Cameræ imperialis, anno 1552. 309
4. Legati Cæſarei oratio, pro coronatione Friderici Tertij Regis Roman. ad Nicolaum V. Papam, anno 1452. 321
5. De inauguratione & coronatione Romana Friderici Tertij Imperatoris, anno 1468. 325
6. De inauguratione & coronatione Caroli V. Imp. Aug. per Clementem Septimum facta, deſcriptio G. C. anno 1530. 327
7. De duplici coronatione Caroli V. Cæſaris apud Bononiam facta, liber Henrici Cornelij Agrippæ conſiliarij Cæſarei, anno 1530. 331
8. Epigrammata in triumphalem Caroli Cæſaris coronationem, eodem auctore, anno 1530. 342

PARS V.

De gratulationibus & paraneſibus ſeu admonitionibus electo Imperatori factis ab Ordinibus. fol.343.

1. Ad Fridericum Tertium Imp. oratio nomine Regis Arragonum habita Romæ in coronatione imperiali per Anton. Panormitanum, anno 1452. 344
2. Ad eundem oratio nomine Reipubl. Florentinæ habita per Iannotium Manettum, anno 1452. 346
3. Ad Carolum V. electum Imperatorem exhortatio Nobilium Germaniæ, facta per Iacobum Sobinum IC. anno 1519. 355
4. Ad eundem adhortatio nomine Studioſorum Germaniæ facta per Comitem de Nuenar Canonicum Colonienſem, anno 1519. 357

PARS VI.

De modis & cæremoniis conferendi Regalia & feuda Imperialia poſt electionem & coronationem. fol.359.

1. Inueſtitura in regalibus Archiepiſcopo Moguntino conceſſa à Gunthero Rege Romanorum, anno 1349. 360
2. Inueſtitura Ducis Ferrarienſis per Fridericum Tertium Imperatorem, anno 1452. 360
3. Inueſtitura in regalibus & feudis Ducum Pomeraniæ, per Carolum V. Imp. anno 1530. 361
4. Inueſtitura in regalibus & feudis Magno Magiſtro Boruſſiæ collata per Carolum V. Imp. anno 1530. 363
5. Inueſtitura in regalibus & feudis Electoris Saxoniæ Mauritij per Carolum V. Imp. deſcripta à Nicolao Mamerano, anno 1548. 365

PARS

PARS VII.

De abdicatione Imperii. fol. 378.

1. De abdicatione ſeu renunciatione Imperii & Regnorum à Carolo V. Imperatore facta, auctore Wilhelmo Godeleuæo, anno 1555. 378

PARS VIII.

De quatuor ſummis Imperiis ſeu Monarchiis. fol. 395.

1. De quatuor ſummis imperiis libri III. auctore Iohanne Sleid. anno 1540. 396
2. De quatuor Monarchiis tractatus Gabrielis de Barlieti, anno 1609. 438
3. De quatuor ſummis imperiis ſeu Monarchiis diſputatio Chriſtophori Heluuici Theologi Gieſſeni, anno 1609. 474

PARS IX.

De translatione Imperii Romani ad Germanos. fol. 487.

1. De translatione imperii Romani à Græcis ad Francos, an & quatenus à pontifice Romano facta ſit, auctore quodam ICto Germano, anno 1606. 488

PARS X.

De magnitudine, antiquitate, & libertate Imperii Germani. fol. 539.

1. De imperii Germanici diuiſione & amplitudine, excerptum Trithemii Abbatis Spanhamenſis, anno 1514. 540
2. De amplitudine ac potentia imperii Germanici, tractatus Æneæ Syluii, anno 1459. 541
3. De laude, antiquitate, imperio, victoriis, rebuſque geſtis veterum Germanorum, auctore Henrico Bebelio, anno 1508. 552
4. Ad Maximilianum I. Rom. Regem oratio de eius atq; Germaniæ laudibus, eodem auctore, anno 1508. 573
5. Demonſtratio, quod Germani ſunt indigenæ, eodem auctore, anno 1508. 582

PARS XI.

De præcellentia Imperatoris & Imperii Germani. fol. 585.

1. Pro ſuperioritate & præcellentia Imperatoris & imperii Germanorum, Apologia Henrici Bebelii, anno 1508. 586
2. Quod Imperator Romanorum iure ſit Chriſtianiſſimus dicendus, eodem auctore, anno 1508. 594
3. Sereniſſimus Rex Romanorum & Chriſtianiſſimus Rex Francorum vter alterum præcedat, auctore Anton. Quetta. IC. anno 1536. 596

PARS XII.

De Lege Regia Imperii Romano-Germani. fol. 607.

1. Capitulatio ſeu compactatio Rudolphi II. Imperat. Auguſt. cum Electoribus, anno 1575. 608
2. De Lege Regia Germanorum Commentatio Friderici Hortlederi I Cti. anno 1608. 612
3. De Lege Regia imperii Germani oratio habita ab Illuſtriſsimo quodam Saxoniæ Duce, anno 1609. 614

PARS XIII.

De Maieſtate & poteſtate Monarchæ Romano-Germani. fol. 617.

1. De Maieſtate imperii Romani diſputatio politica M. Reinhardi Konig, anno 1608. 618
2. De poteſtate Imperatoris legibus ſoluta, & hodierno imperii ſtatu, diſputatio Gothofredi Antonii IC. anno 1608. 621
3. De poteſtate Imperatoris diſputatio Georgii Martini Boruſsi, anno 1609. 630

PARS XIV.

De ſtatu Imperii Romano-Germani. fol. 637.

1. Formula imperii Romani, auctore Andrea Alciato IC. anno 1530. 638

(1) 4 2. De

2. De ſtatu Imperii Romani, & de origine Electorum, diſputatio Reinhardi Konig, anno 1608. 645
3. An electio, an vero ſucceſſio in Imperio ſit præferenda: & an peregrini ad Imperium euehendi, diſputatio eiuſdem, anno 1609. 653

PARS XV.

De reformatione Imperii Germani. fol. 657.

1. De ordinanda Republica Germaniæ, oratio Iulii Pflugii Epiſcopi & Principis Naumburgenſis, anno 1566 658
2. Pro ſacra imperii Romani Maieſtate, pro libertate, ſalute, ac gloria Germaniæ, Diſcurſus Attalarii Egenolphi IC. anno 1602. 682

PARS XVI.

De reunione Imperii Germani. fol. 721.

1. Trinubium Europæum, hoc eſt, de ſocietate imperii Chriſtiani inter Germanos, Hungaros & Bohemos in Matthia Imper. Auguſto: compoſitum ab Elia Bergero Hiſtorico Cæſareo, anno 1612. 722

PARS XVII.

De vnitate Imperii vniuerſalis. fol. 741.

1. De circulo operum atq; iudiciorum Dei, &c. de ratione ineundæ pacis inter omnes Chriſtianos, qui verum illum Deum Triunum inuocant, &c. auctore Stephano Pannonio Belogradenſi, anno 1608. 742
2. Argumentatio de ſancto & ſummo imperio Monarchico duplici, &c. auctore Guilhelmo Eo Neuheuſer, anno 1610. 746
3. Vera tam illius ſancti & ſummi imperii, quam omnium Regnorum conditio, & poteſtatis originalis diſtinctio: eodem auctore, anno 1612. 750
4. Iudicium ſiue iudicii generalis ſecretum, maxime ad hodiernum ſancti & ſummi imperii ſtatum inceptum ſpectans, & de eodem declaratio neceſſaria; eodem auctore, anno 1612. 751

PARS XVIII.

De mutatione Imperii Romani. fol. 753.

1. De ortu & fine Romani imperii liber Engelberti Abbatis Admontenſis, anno 1310. 754
2. De Europæ euerſione Prognoſticon M. Antonii Torquati ad Matthiam Regem Hungariæ, &c. anno 1480. 773
3. In Aſophum Pſeudoprophetam de interitu imperii Germanici vaticinantem, carmen Henrici Bebelii, anno 1510. 778
4. Inuectiua in Prognoſticon de orbis cladibus & conuerſione Saracenorum, ſub nomine Lucæ Regis Perſarum Medici tranſmiſſum D. Maximiliano I. Imp. & Ordinibus imperii apud Treueros congregatis, auctore Iohanne Virdungo Hasfurdenſi, &c. anno 1512. 779
5. Fragmentum de migrationibus & mutationibus gentium in occidentis Imperio: ſiue oratio de gentibus, quæ imperium Romanum in occidente lacerarunt: auctore Iohanne Bugenhagio Pomerano, anno 1526. 783
6. De migrationibus populorum Septentrionalium, & ruina imperii Romani, liber Nicolai Machiauelli, anno 1560. 787
7. Vaticinium de imminente Eccleſiaſtici & Politici ſtatus mutatione multarum in Europa prouinciarum: auctore Sybaldo Brandino, anno 1604. 810

PARS XIX.

De Comitiis Imperii generalibus. fol. 813.

1. De Comitiis Imperii Ratisbonæ celebratis, commentariolus Auguſtini Patritii: cum epiſtolis Iohan. Antonii Campani Epiſcopi & Legati Pontificii: anno 1471. 814

PARS

PARS XX.

De actis Imperialibus cum Rege & Ordinibus Regni Gallorum. fol, 823.

1. Sermones conuiuales pro imperio Germanico contra Gallorum obtrectationes, auctore Conrado Peutingero IC. anno 1504. 824
2. Libertas Germaniæ contra Gallos ſcripta ab Hieronymo Gebuuilero, anno 1519. 839
3. Fœdus inter Carolum IV. Imperatorem & Primogenitum Regis Franciæ, anno 1346. 847
4. Liga inter Carolum IV. Imp. & Iohannem Regem Franciæ, anno 1355. 848
5. Legatio Henrici VII. Angliæ Regis ad Regem Romanorum & Principes imperii confluentiæ ad Rhenum propter negotia Gallica congregatis, anno 1492. 850
6. Legatio Gallicana de expeditione Italica Regis Franciæ Caroli Octaui, anno 1495. 853
7. Acta inter Maximilianum I. Imperatorem & Regem Franciæ Ludouicum XII. anno 1507. 860
8. Pro D. Carolo V. Imp. Epiſtolæ Regis Franciæ ad Principes imperii tranſmiſſæ, ac Apolog. Madritiæ conuentionis diſſuaſoriæ Refutatio, an. 1526. 863
9. Legati Regis Franciæ Oratio ad Principes Germaniæ in conuentu Ratisponenſi, anno 1527. 898
10. Franciſci Regis Gallorum Actitata per Legatos & literas cum Imperii Principibus ac ordinibus, atq; etiam ſeparatim cum Fœderatis Smalkaldius, in diuerſis comitiis & aliter, anno 1534. vſq. ad annum 1543. 903
11. Belli inter Franciſcum Galliæ Regem & Carolum V. Imp. geſti Apologus, auctore Ioanne Fraxineo, anno 1542. 963
12. Reſponſum Gallicis Legatis datum in Comitiis Auguſtanis, anno 1559. 968

PARS XXI.

De actis Imperialibus cum Duce & Republica Venetorum. fol 971.

1. Reipublicæ Venetæ ad Fridericum III. Imperat. oratio gratulatoria, habita à Thadeo Quirino Patricio Veneto, anno 1452. 972
2. Eiuſdem Reipublicæ ad Fridericum Imperatorem & Maximilianum I. Electum Regem Rom. oratio gratulatoria, habita ab Hermolao Barbaro Patricio Veneto, anno 1486. 978
3. Eiuſdem Reipublicæ oratio, qua ſeſe ſuaq; omnia in ditionem ac poteſtatem Maximiliani I. Imp. ſubiicit ac commendat, fidelitatemq; perpetuam Romano Imperio promittit, per Antonium Iuſtinianum Patricium Venetum, anno 1509. 977
4. Oratio in Venetos inuectiua habita ad Proceres Imperii Auguſtæ congregatos à Ludouico Heliano Legato Regis Gallorum, anno 1510. 978

PARS XXII.

De actis Imperialibus cum Pontifice Romano. fol. 983.

1. Pro D. Carolo V. Impe. Apologetica contra Clementem. VII. Papam, anno 1526. 984
2. De capta & direpta vrbe Roma per Carolum V. Imperatorem, oratio P. M. anno 1527 1016
3. De cauſis excidii vrbis Romæ oratio habita ad Auditores Rotæ à Ioanne Staphyleo Epiſcopo, anno 1527. 1020
4. Admonitio paterna Pauli III. Papæ ad Carolum V. Imp. cum Scholiis, anno 1544. 1022

PARS XXIII.

De Grauaminibus Ordinum Imperii aduerſus Pontificias oppreſſiones fol. 1037.

1. Grauamina Germanicæ Nationis decem, anno 1442. 1038
2. Cancellarii Moguntini Martini Meyeri Epiſtola ſuper Germaniæ grauaminibus, ad Æneam Cardinalem Senenſem, anno 1457. 1039

3. Re-

3. Remedium contra grauamina Nationis Germanicæ, cum Auiſamentis ad Cæſ. Maieſtatem, & ipſius Imperatoris deſuper emiſſo edicto, anno 1510. 1040
4. Pro Germaniæ & imperii Romani libertate, reſponſa & replicæ Iacobi Winphelingi Theologi ad Æneæ Syluii Germaniam, anno 1515 1045
5. Orationes duæ, vna Legatorum Pontificiorum ad Imperatorem & ordines imperii pro colligendis decimis cum marginalibus Ortuuini Gratii: altera diſſuaſoria decimarum, anno 1519 1052

PARS XXIV.

De rebus Pontificiis ſimul & Lutheranis. fol. 1057.

1. Iulius, ſiue Dialogus de Iulii II. P.M. rebus geſtis & facultate Pontificia, anno 1515 1058
2. De facultatibus Romanenſium nuper publicatis Dialogus Philalethis Vtopienſis, anno 1519 1069
3. De exuſtione librorum Lutheri & Monachorum Dominicanæ factionis nequitia, ad Germaniæ Proceres & ciues Epiſtola Vdelonis Cymbri Cuſani, anno 1520 1081
4. Cauſæ, quare Lutherana opuſcula à Colonienſibus & Louanienſib. ſint combuſta, auctore Simone Heſſo, anno 1521 1085
5. Acta Lutheri coram Cæſare Carolo V. &c. in Comitiis VVormatienſibus, anno 1521 1095
6. De motibus in Germania per Dominicanos & horum complices excitatis, & de occaſione Lutheraniſmi, Epiſtola Biliboldi Pirckheimeri Conſiliarii Cæſarei ad Papam Hadrianum, anno 1522. 1100
7. Bulla Gregorii XIII. Papæ iuxta exemplaria, mandato Electoris Treuirenſis publice edita, anno 1584 1102

PARS XXV.

De Conſiliis & Machinationibus Pontificiis ad exſtirpationem Proteſtantium in Imperio. fol. 1107.

1. Suggeſtio ad principes imperii, deliberandi ſuper propoſitione Hadriani Papæ Romani, Nerobergæ facta, auctore Huldricho Zuinglio, anno 1522. 1108
2. De perſecutoribus Euangelicæ veritatis, eorumq; conſiliis & machinationibus, commentatiuncula Bilibaldi Pirckheimeri Conſil. Cæſarei, anno 1523. 1110
3. Incendia ſeu Pyrgopolinices tragœdia recens nata, nephanda quorundam Papiſtici gregis exponens facinora, auctore Thoma Naogeorgo Straubingenſi Bauaro, anno 1544. 1112
4. Vide quid Papatus ſentiat de Illuſtriſſimis Germaniæ principibus, ac de Liberis ciuitatibus, quæ Euangelio nomen dederunt, auctore Athanaſio, anno 1555. 1130
5. Indulgentia plenaria Pii IV. Papæ pro pace conſeruanda, hæreſibus extirpandis ac S. Generali concilio perſequendo, anno 1564. 1137
6. Cardinalis Lotharingi Practicationes Romanæ de hæreticis extirpandis, anno 1573. 1139
7. De ſtatu religionis in Germania, conſilium Romæ ſcriptum, anno 1598. 1140

PARS XXVI.

De Conſiliis & machinationibus Hiſpanicis pro noua Monarchia. fol. 1143.

1. Commentarius parallelos, ſiue libellus aſſertorius, quo Principum duorum monarchiſantium, ſcilicet Hiſpani & Turci, opes, prouinciæ, atq; forma eas bene adminiſtrandi & regendi, tempore pacis belliq;, explicantur, armaq; & arcana deteguntur infinita: ex Ioannis Boteri libris tranſſumptus & illuſtratus per Carolum Vtenhouium, anno 1598. 1144
2. Conſilium pro Republica ad Cæſar. Maieſtatem ſcriptum contra Hiſpanicam tyrannidem, ex occaſione exercitus Auriaci, auctoribus Chriſtoph. Carleuuitzio & Ioach. Camerario, anno 1569. 1161

3. Li-

3. Libertatis Germaniæ Querela ad Illuſtriſſimos Rom. Imperii Principes, ſimulq; ad omnes eos, quibus Germana fides cordi eſt: de patriæ ſalute, ac de communi omnium incolumitate conſeruanda, auctore Euſebio Philadelpho, anno 1586. 1168
4. De nouæ apud Europæos Monarchiæ pro tempore, & ad infringendam Turcicæ dominationis impotentiam, & ad ſtabiliendum Chriſtianæ ſtatum, vtilitate, Oratio Andreæ Hoii Profeſſoris Duacenſis, anno 1599. 1172
5. Quæſtio politica, an Pontificis ſediſq; Romanæ magis, quam Hiſpaniæ aut alius cuiuſque in orbe Chriſtiano Dominatoris, ad monarchiam vniuerſalem, propoſitum extimeſcendum ſit: & quo conſilio Pontifex Romanus Euangelicos, Hiſpaniæ, quam alterius Monarchiæ, terrore magis percellere ſtudeat, auctore Philopatro, anno 1607. 1186

PARS XXVII.

De Conciliis & Colloquiis in negotio religionis. fol. 1193.

1. Conuocatio generalis Concilii apud Piſam celebrandi, ex parte Cardinalium anno 1511. 1194
2. Epiſtola Cardinalium ad Electorem Saxoniæ, pro aſſiſtentia in Concilio, anno 1511. 1196
3. Pauli III. Papæ Bulla indictionis, &c. generalis Concilii Mantuani, anno 1536. 1197
4. Proteſtantium imperii ſtatuum rationes, cur Synodus Mantuam indicta, neque æqua videri poſſit neq; vtilis Eccleſiæ, anno 1537. 1200
5. Compendioſa explicatio Actorum Auguſtæ Vindelicæ in ſeptenorũ tractatu & colloquio, Hagenoiæ Regi Rom. tradita à Ioh. Cochleo, an. 1540. 1204
6. Septem viæ præparatoriæ ad ineundam per Colloquium concordiam, &c. VVormatiæ ad Præſidentes Colloquii ſcripta, anno 1540. 1211
7. An ſtatui & dignitati Eccleſiaſticorum magis conducat, admittere Synodum, nationalem piam & liberam, quam decernere bello, Epiſtolæ duæ Decani & Canonici cuiuſdam, anno 1540. 1224
8. Actiones duæ Petri Pauli Vergerii Secretarii Pontificii & Epiſcopi Iuſtinopolitani: quarum altera diſputat, an Paulus Papa IV. debeat cogitare de inſtaurando Concilio Tridentino: altera, an vi & armis poſſit deinde imperare Proteſtantibus ipſius Concilii decreta, anno 1556. 1232
9. Compendioſa & diſerta reſponſio ad annotationes Papiſtæ cuiuſdam Anonymi, quibus Pontificios in VVormatienſi Colloquio collectos excuſare, & contra Auguſtanæ confeſſionis Theologos abrupti Colloquii accuſare conatur, auctore Petro Dathæno, anno 1558. 1261
10. Breuis expoſitio cauſarum, ob quas Ordines Imperii Concilium Tridentinum haud agnoſcant, eiuſq; diffinitionibus ſtare recuſent, anno. 1562. 1266
11. Pii IV. Papæ Oratio de Concilii Tridentini decretis, morumq; reformatione confirmandis, anno 1564. 1272

PARS XXVIII.

De pace Eccleſiæ Catholicæ reparanda. fol. 1275.

1. Sententiæ clariſſimorum in Germania Theologorum de pace Eccleſiæ, ad V. N. Guilhelmum Bellaium à Rege Galliæ ad eos miſſum, an. 1534. 1276
2. De officio Pii ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri in hoc religionis diſſidio, auctore Georg. Caſſandro S. Cæſ. Maieſt. Conſiliario, an. 1561. 1291
3. Recenſio Auctorum & Tractatuum, qui ad pacem Eccleſiæ reparandam vtiles eſſe poſſunt, anno 1608. 1300

PARS XXIX.

De actis Proteſtantium inter ſeipſos. fol. 1305.

1. Confeſſio Eccleſiæ Gallicanæ & Helueticæ, à Legatis Geneuenſibus Farello & Beza in Colloquio VVormatienſi exhibita. anno 1557. 1307
2. Acta Legationis Henrici Nauarræ Regis & Ordinum Proteſtantium in Gallia, ad S. Cæſ. Maieſt. Reges, Electores & cæteros Imperii Ordines Proteſtantes, pro pace publica Eccleſiæ & vnione cõcilianda, &c. an. 1584. 1307

3. De

3. De Colloquio Mompelgartenſi inter Theodorum Bezam & Iacobum Andreæ habito, Epiſtola Euſebii Schonbergii ad Belgicas Eccleſias, anno 1586. 1336
4. De Auguſtana confeſſione, quo ſenſu à multis iam pridem intellecta & accepta fuerit, Diſcurſus notabilis, anno 1587. 1337

PARS XXX.

De pace religionis in Imperio. fol. 1343.

1. Propoſitiones de pace publica, profana & religioſa, auctore Chriſtoph. Leibfrido VVirceburgenſi, anno 1599. 1344.
2. De religione à D. Luthero in ſtatum veterem feliciter reſtituta: paceq; religioſa in Romano Germanico imperio multis miraculis ſancita, & prouidentiſſime conſeruata, diſſertationes duæ, auctore Samuele à Remchingen Equite Sueuo, anno 1611. 1346

PARS XXXI.

De defenſione patriæ libertatis & pacis publicæ, contra oppreſſiones & machinationes violentas. fol. 1371.

1. Excerptarum ex Sleidano quæſtionum, pro Fœderatorum bello, auſpiciis Saxonicis contra Carolum V. geſto, Decades quatuor, auctore Friderico Hortledero, anno 1609. 1372
2. De iuſtitia belli Germanici contra Carolum V. Imperatorem ab Ordinibus Germaniæ Proteſtantibus geſti, diſputatio eodem auctore, anno 1609. 1378

PARS

PARS I.

Continens

ACTA PVBLICA ET SOLLENNIA, CVM TRACTATIBVS ET DISCVRSIBVS POLITICIS

DE ELECTIONE IMPERATORIS ROMANORVM SEMPER-AVGVSTI, IN PRINCIPEM & Caput orbis Christiani,

I.

ONVPHRII PANVINII, VERONENSIS, FRATRIS EREMITÆ, AVGVSTINIANI,

De Comitiis Imperatoriis Liber.

IN QVO PRÆTER CÆTERA, SEPTEMVIROrum origo accurate demonſtrata, atque communis, quæ adhuc obtinuit, fama, confutata eſt.

Olim Baſileæ, anno LVIII. editus. Nunc recuſus cura & annotamentis *FRIDERICI HORTLEDERI, Ducum Saxoniæ, &c. in alana, Informatoris.*

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FRATRIS EREMITÆ AVGVSTINIANI,

In librum de Comitiis Imperatoriis, Præfatio

AD INVICTISSIMVM HISPANIARVM, ANGLIÆQVE REgem, Philippum Auſtrium, Imperat. Cæſaris Caroli V. Auguſti, filium.

DIV multumque mecum cogitaui, potentiſſime Regum, an omnium Romanorum Imperatorum vitas, quos his libris (a) breui ſermone complexus ſum, huic operi adiungerem: quod non parum vtilitatis & commodi lectoribus allaturæ mihi viderentur. Verum quum intelligerem, eas à multis noſtræ vel patrum memoriæ, tum late, vt à Ioanne Cuſpiniano, tum breuiter, vt ab Egnatio & Münſtero fuiſſe deſcriptas, propoſitum omiſi, ne iisdem rebus repetendis lectorum aures obtunderem. Quum autem multa in iis exarauerim, à cæteris noſtræ ætatis, & fortaſſe etiam antiquis ſcriptoribus, vel conſulto omiſſa vel ignorata: tantum aliquot Imperatorum inſigniora facta decerpere ſtudui, quæ in eorum vitis explicandis à cæteris prætetita eſſent, eaq; in hunc ipſum librum conijcere, quem de ratione, qua Imperatores tam antiquo, quam voſtro ſeculo creari ſolent, ſcriptum, huic volumini tanquam appendicem adiunxi. In quo omitto, quod præclariſſima aliquot Imperatorum facta ab aliis adhuc non expoſita docentur: eam cognitu digniſſimam eſſe diſputationem duxi, vt cauſas, ob quas Romanum Imperium conciderit, quærerem: de origine Imperij Francici, atque de ſeptem Electorum Imperij inſtitutione, quæ obſcuriſsima antea, & forte à nemine, vel paucißimis hactenus cognita aperte ſcriberem. Qui liber tanquam commentarius eſt, in vniuerſam Romanorum Principum hiſtoriam, tanta breuitate concinnatus, vt breuius rem tantam perſtringi poſſe non putem. Nullus enim fere ex antiquis Imperatoribus non explicatus, vel ſaltim leuiter tactus, præteritur. Qua ratione me omnibus ſatisfacere poſſe arbitratus ſum, vt & quæ mihi propoſueram, enarrarem, & toties repetitæ rei faſtidium euitarem. Quem, Rex maxime, ſi, quando à

a. IV. de principibus Roman

Libri huius commendatio

do à grauiſſimis tanti Imperij curis animus pauliſper auocatur, Maieſtas tua legerit, ea ſibi in memoriam vno intuitu reuocabit, quæ ſparſim multis in locis confuſe & indiſtincte legit. Quam Deum Optim. Max. precor, vt ad gloriam Chriſtiani nominis, & fidei catholicæ propagationem, diu incolumem felicemq; orbi terrarum conſeruet. Venetijs, Calend. Maij, anno à partu Virginis M. D. LVIII.

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FRATRIS EREMITÆ AVGVSTINIANI, DE COMITIIS IMPERATORIIS.

CAPVT I.

Varia creandi Romanos Imperatores ratio demonſtratur, ab Auguſto Cæſare, vſque ad veteris Romani Imperij declinationem.

IMPERIVM populi Romani, à Iulio Cæſare Dictatore fundatum, atque ab eius *I.*
adoptiuo filio & hærede Auguſto, ijs artibus, quas ſuperius explicaui, ſtabilitum, *Imperium Ro-*
hæreditarium principio fuit. Diuus enim Auguſtus Tiberium Cæſarem: Tibe- *manum, initio*
rius C. Caligulam: hæredes potentiæ reliquerunt. Caio cæſo, ius electionis prin- *hæreditarium.* *II.*
cipium habuit, quæ, tribus aut quatuor Imperatoribus exceptis, Nerua, Maximo *Quando fa-*
& Balbino, ac Tacito, (quos ex S.C. renunciatos fuiſſe conſtat) penes milites ſem- *ctum, electi-*
per fuit. duplexq; deinde facta eſt ſuccedendi ratio: aut ex militum electione, aut ex Imperatorum *onum.*
voluntate. Omnes enim deinceps Romani principes, præter illos quatuor vel priuati ad imperium *Et penes quos*
euecti ſunt, & tunc exercituum populi Romani ſuffragijs præfecti fuerunt: vel ex Imperatorum ſu- *fuerit electio.*
periorum voluntate deſignati ſunt, quorum filij vel adoptiui vel naturales fuerunt, & tunc hæredi- *III.*
tario quaſi iure, imperium ſunt adepti. Quæ omnia qua ratione facta fuerint, explicaturus primo *De Imper. qui*
loquar de eis Imperatoribus, qui vel iure hæreditario, vel ex prædeceſſorum voluntate rerum potiti *ex voluntate*
ſunt. Quorum primus fuit Tiberius Cæſar. Quum enim Lepidi Antonijque arma, quibus nefanda *prædeceſſorum*
illa ciuium proſcriptione patriæ libertas omnino ſublata fuerat, atque in trium virorum poteſta- *hæreditario*
tem Reſpublica deducta erat, in ſolum Auguſtum demum ceſſiſſent, ipſe cunctis, diſcordijs ciuili- *quaſi iure, im-*
bus feſſis, ſub *principis* nomine Imperium populi Romani primus accepit. Quod quum iam mul- *perium adepti ſunt.*
tis artibus ſtabiliſſet, ſubſidia dominationi quærens, Claudium Marcellum ſororis Octauiæ filium, *Velut i Tiber.*
admodum adoleſcentem, pontificatu & curuli ædilitate: mox M. Agrippam ignobilem loco, militiæ tamen idoneum, victoriarum ſuarum ſocium, tribunicia poteſtate, & geminatis conſularibus extulit: quem etiam Marcello defuncto generum ſibi ſumpſit, Tiberium Neronem, & Claudium Druſum, priuignos, Imperatorijs nominibus auxit. Agrippa genitos Caium & Lucium, in Cæſarem familiam induxit nec dum poſita puerili prætexta, *Principes iuuentutis* appellare, deſtinare quoque conſules, ſpecie recuſantis flagrantiſſime concupierat. Vt Agrippa vita conceſſit, L. Cæſarem euntem ad Hiſpanienſes exercitus, Caium remeantem Armenia, & vulnere inualidum, mors præpropera, vel nouercæ Liuiæ dolus abſtulit: Druſoque pridem extincto, Nero ſolus è priuignis erat. Illuc autem cuncta Auguſtus vergere: filius, collega imperij, conſors Tribuniciæ poteſtatis aſſumitur, omneſque per exercitus oſtentatur, non obſcuris (vt antea) matris artibus, ſed palam. Nam ſenem Auguſtum deuinxerat adeo, vt nepotem vnicum Agrippam Poſtumum in inſulam planaſiam projiceret, nullius flagitij compertum, ſed corporis viribus ſtolide ferocem. Germanicum vero Druſo ortum, octo apud Rhenum legionibus impoſuit, adſcirique per adoptionem à Tiberio iuſſit, quanquam domi eſſet, Tiberij filius iuuenis, ſed quo pluribus firmamentis rem ſuam ſtabiliret. Sub Auguſti autem exitu Tiberius in Illyricum profectus, vix dum prouinciam ingreſſus fuerat, quum properis matris literis accitur. Neq; ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud vrbem Nolam, an exanimem repererit, acribus namque cuſtodijs domum & vias ſepſerat Liuia, lætique interdum nuncij vulgabantur, donec prouiſis, quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Tiberium fama tulit. Quo Romæ audito, ruere in ſeruitium conſules patres, equites: quanto quis illuſtrior, tanto magis falſi ac feſtinantes, vultuq; compoſito, ne læti exceſſu principis, neu triſtior primordio, lachrymas, gaudium, queſtus, adulatione miſcebant. Sex. Pompeius, & Sex. Appuleius conſules, primi in verba Tib. Cæſaris iurauere: apudq; eos Seius Strabo, & C. Turannius, ille Prætorianarum cohortium præfectus, hic annonæ, mox ſenatus militeſque ac populus Romanus, &c. Hac itaque ratione Tiber. Cæſar iure hæreditario Imperium adeptus eſt. Huius quoque rei Velleius Paterculus libro ſecundo meminit: *Mortuis* (inquit) *C. & L. Cæſaribus, Tib. Nero reuerſus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleuerat. Non eſt diu cunctatus Cæſar Auguſtus: neq; enim quærendus erat, quem legeret, ſed legendus, qui eminebat. Itaq; quod poſt Lucij mortem adhuc Caio viuo facere voluerat, atq; vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, poſt v-*

triuſq; adoleſcentium obitum facere perſeuerauit, vt & Tribunicia poteſtatis conſortionem Neroni conſtitueret, multum quidem eo tum domi, tum in ſenatu recuſante: & eum Aelio Cato, & C. Sentio, Coſſ. V. Cal. Iulij, poſt vrbem conditam, annis DCCLIV. *adoptaret. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem poſt mortem Agrippæ, Iulia enixa erat. Sed in Neronis adoptione adiectum his ipſis Cæſaris verbis: Hoc* (inquit) *Reipublicæ cauſa facio, &c.* Et paulo poſt: *Poſt obitum Auguſti vna tamen veluti luctatio ciuitatis fuit, pugnantis cum Cæſare S. P. Q. R. vt stationi paternæ ſuccederet: illius, vt potius æqualem ciuem, quam eminentem liceret agere principem; tandem magis ratione, quam honore victus eſt. Quum quicquid tuendum non ſuſcepiſſet, periturum videretur, &c.* Tacitus quoque libro XVII. vbi de Galba Imperatore, Piſonem adoptante, agit: *Igitur* (inquit) *Galba apprehenſa Piſonis manu, in hunc modum loquutus fertur: Si te priuatus, lege curiata apud Pontifices, vt moris eſt, adoptarem, & mihi egregium erat tunc Pompey & M. Craſſi ſobolem in penates meos adſciſcere, & tibi inſignia Sulpitiæ ac Lutatiæ domus decora nobilitati tuæ adieciſſe: nunc me deorum hominumque conſenſu ad imperium vocatum, præclara indoles tua, [illegible] amor patriæ impulit, vt principatum, de quo maiores noſtri armis certabant, bello adeptus quieſcenti offeram, exemplo Diui Auguſti, qui ſororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes ſuos, poſtremo Tiber. Neronem priuignum, in proximo ſibi faſtigio collocauit. Sed Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſiuit, ego in Republica, non quia propinquos aut ſocios belli non habeam, ſed neque ipſe Imperium ambitione accepi, vt iudicij mei documentum ſit, non mea tantum neceſſitudines, quas tibi poſtpoſui, ſed tuæ, &c.* Tranquillus quoque in vita Diui Auguſti, capite CI. ait: *Teſtamentum L. Planco C. Silio Coſſ. tertio nonas Aprilis ante annum & quatuor menſes quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus partim ipſius, partim libertorum Polybii & Hilarionis manu ſcriptum, depoſitumq; apud ſex virgines veſtales, cum tribus ſignatis æque voluminibus protulerunt, quæ omnia in ſenatu aperta & recitata ſunt. Hæredes inſtituit primos, Tiberium ex parte dimidia & ſextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen ſuum iuſſit. Secundos Druſum Tib. filium ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum, liberoſq; eius tres ſexus virilis. Hoc igitur modo Tib. Cæſar poſt exceſſum D. Auguſti populi Romani imperium tanquam eius hæres*

IV. Caligula. *ſuſcepit.* Qua ratione C. quoq; Cæſar Caligula, Germanici Cæſaris filius, Tiberio mortuo imperium obtinuerit, Tacitus declarat in fine lib. V. hiſtoriarum his verbis: *Mortuo Tib. Cæſare, multo gratantium concurſu ad capienda imperii primordia C. Cæſar egrediebatur: quin repente adfertur, redire Tiberio vocem, ac miſſus, vocatique, qui recreandæ defectioni cibum adferrent, &c.* Et Tranquillus in Tiberio cap. LXXVI. ita ſcribit: *Teſtamentum duplex ante biennium fecerat, alterum ſua, alterum liberti manu, ſed eodem exemplo, obſignaueratque etiam humillimorum ſignis: eo teſtamento hæredes æquis partibus reliquit Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druſo nepotes, ſubſtituitq; inuicem, &c.* Idem in Caligula cap. XIV. *Ingreſſo* (inquit) *Caio vrbem, ſtatim conſenſu ſenatus, & irrumpentis in curiam turbæ, irrita Tiberij voluntate, qui teſtamento alterum nepotem ſuum prætextatum adhuc cohæredem ei dederat, ius*

V. Nero. *arbitriumque omnium rerum illi permiſſum eſt, &c.* Hoc etiam modo Nero Imperator in Claudij defuncti locum, imperium populi Romani obtinuit, quippe quod Agrippinæ matris artibus à Claudio adoptatus fuerat, Britannicoque filio naturali prælatus. De qua adoptione ita Tacitus Hiſtoriæ Auguſtæ libro XII. loquitur: *C. Antiſtio, M. Suillio Coſſ. adoptio in Domitium auctoritate Pallantis feſtinatur, qui obſtrictus Agrippinæ, vt conciliator nuptiarum, & mox ſtupro eius illigatus, ſtimulabat Claudium, vt conſuleret Reipublicæ, Britannici pueritiam robore circundaret, ſic apud Diuum Auguſtum, quanquam nepotibus ſubnixum viguiſſe priuignos à Tiberio ſuper propriam ſtirpem, Germanicum aſſumptum, ſe quoque accingeret iuuene partem curarum capeſſituro. His euictus, biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud ſenatum oratione in eundem, quem à liberto acceperat, modum. Annotabant periti, nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eoſque ab Ap. Clauſo continuos durauiſſe. Cæterum actæ principi grates, exquiſitiore in Domitium adulatione, rogataque lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis tranſiret. Augetur & Agrippina cognomento Auguſtæ.* Item in fine libri duodecimi: *Mortuo Claudio, tunc* (inquit) *medio diei* III. *ante Idus Octob. foribus palatij repente diductis, comitante Burrho, Nero egreditur ad cohortem, quo more militiæ excubiis adeſt: ibi monente præfecto feſtis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Illatuſq; caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donatiuo ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur: ſententiam militum ſequuta patrum conſulta. Nec dubitatum eſt apud prouincias.* Tranquillus quoque in Claudio cap. XXXIX. *Adſciturus* (inquit) *in nomen familiæ Neronem, quaſi parum reprehenderetur, quod adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuulgauit, neminem vnquam per adoptionem familiæ Claudiæ inſertum.* Idem cap. XLV. *Mors eius celata eſt, donec circa ſucceſſorem omnia ordinarentur. Itaque & quaſi pro ægro adhuc vota ſuſcepta ſunt, & inducti per ſimulationem comœdi, qui velut deſiderantem oblectarent.* Idem in Nerone cap. VII. *vndecimo Nero ætatis anno, à Claudio adoptatus eſt:* & paulo poſt: *Septendecim natus annos, vt de Claudio palam factum, inter horam ſextam ſeptimamque proceſſit ad excubitores, quum ob totius diei diritatem non aliud auſpicandi tempus accommodatius videretur: proque palatij gradibus Imp. conſalutatus, lectica in caſtra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus eſt. Diſceſſit iam veſperi ex immenſis, quibus cumulabatur honoribus, tantum patris patriæ nomine recuſato, propter ætatem.*

VI. alii plures. Eadem quoque ratione Titus & Domitianus patri ſuo naturali, Veſpaſiano ſucceſſores fuerunt. Itemque Neruæ Traianus, Traiano Hadrianus, Hadriano L. Ælius Cæſar primo: mox eo mortuo, Antoninus Pius, Pio M. Aurelius & L. Verus: prædeceſſorum omnes filij adoptiui, Marcoque Commodus filius naturalis ſucceſſerunt. Similiter Seuero, filij, Geta & Caracallus; Antonino Alagabalo, Alexander filius adoptiuus; Valeriano ſeniori Gallienus

& Valerianus iunior filij; Caro, Carinus & Numerianus liberi; Diocletiano & Maximiano, Conſtantius & Galerius adoptiui filij: Galerio Maximinus & Licinius ſimiliter adoptiui; Conſtantio, filius Conſtantinus Magnus; Conſtantino, tres filij, Conſtantinus & Conſtantius, iuniores, ac Cõſtans: Conſtantio iuniori, conſobrinus Iulianus: Valentiniano, Valens frater, & filij Gratianus, iuniorque Valentinianus: Thedoſio, filij, Arcadius & Honorius; Arcadio, Theodoſius iunior filius, Honorio vero tertius Valentinianus, ſororis demum ſuæ filius ſucceſſerunt. Eadem etiam ferme ratione Diadumenus à patre Macrino, Maximus à Maximino, Gordianus iunior, à patre Gordiano ſeniore, Philippus iunior, à patre Philippo, Decius iunior, & Hoſtilius Valens à Decio patre: Voluſianus à patre Gallo, Valerianus tertius, & Gallienus iunior, à patre Gallieno; Herculius Maximianus à Diocletiano; Seuerus à Galerio; Gallus à Conſtantio; Theodoſius ſenior à Gratiano; Imperatores, partim Cæſares, partim Auguſti appellati ſunt. Hos autem à ſuperioribus ideo ſeparaui, quod ſuperiores ſuperſtites prædeceſſoribus ſuis fuerint: hi autem, Herculio, & Theodoſio ſeniore exceptis, omnes vel cum ijs, qui eos Imperatores appellauerant, vel ante eorum obitum mortui ſunt. Hæc autem prima fuit imperij ſucceſſionis ratio, cuius forma ex ijs, quæ ex Tranquillo & Tacito decerpſi, ſatis manifeſta eſſe poteſt. Altera vero fuit, qua cæſo, vel morte naturali ſublato Imperat. nouus Princeps ex S. C. abſque, vel ante militum ſuffragia creatus fuit: quæ raro admodum vſu venit. Ex quibus Nerua primus fuit, qui occiſo Domitiano, ex S. C. accedentibus etiam militum prætorianorum ſuffragijs, Auguſtus renunciatus eſt, vt in eius vita prodit Dio Caſſius. Longo quoque poſt Neruam interuallo, contra Maximinum Thracem (qui necato Alexandro optimo Imperatore, imperium in Germania, nondum ſenator primus ex corpore militari arripuerat; occiſiſque duobus Gordianis, qui Imperatores contra eum in Africa creati fuerant) Romæ ex S. C. ex concione Vettij Sabini patres imperium duobus ſenatoribus decreuere, & populus Romanus ſciuit. Hi fuere, D. Celius, Balbinus, & M. Clodius Maximus Pupienus. Hic enim, etſi homo nouus, per gradus dignitatis ſatis illuſtris erat, & grauitate ac ſeueritate venerabilis. Balbinus vero nobilitate familiæ (ſummo namque loco natus erat) fortuniſque & clementia ſatis cognitus fuit: hic Cæſaris, ille Catonis moribus comparatus: hic vrbis gubernationem ſuſcepit, illius auſpicijs cæſi Maximini, huius bonitate tumultus in vrbe inter ciues & prætorianos exortus eſt. Tandem neque illi ſeueritas, neque huic clementia profuerunt: ambos milites tanquam non à ſe electos, ſed à ſenatu datos, occiderunt, ſenatoris Imperatores tollendos clamitantes. Intereſt autem ſcire, quo modo ex S. C. creati fuerunt, quod ex Iulio Capitolino in eorum vita colligitur. Ait enim: *Interemptis in Africa, Gordiano ſeniore cum filio, quum Maximinus ad vrbem furens veniret, vt, quod Gordiani Auguſti appellati fuerant, vendicaret: Senatus pertrepidus in ædem Concordiæ* VII. *Cal. Iunij concurrit, ludis Apollinaribus remedium contra furorem hominis improbiſſimi requirens. Quum igitur duo Conſulares & eminentes quidem viri, Maximus Pupienus, & Balbinus, quorum bonitate & virtute alter etiam ſeueritate clari habebantur, ingreſſi eſſent Curiam, ac præcipue timorem aduentu Maximini ferrent, oſtenderentque, referente Conſule de alijs rebus, qui primam ſententiam erat dicturus, ſic orſus eſt, Minora nos ſolicitant, & prope aniles res feruentiſſimo tempore tractamus in curia. Quid enim opus eſt de reſtitutione templorum, de baſilicæ ornatu, de thermis Titianis, de ædificatione amphitheatri agere, quum immineat Maximinus, quem hoſtem mecum antea dixiſtis? Gordiani duo, in quibus præſidium fuerat, interempti ſunt: neque in præſenti vllum ſit auxilium, quo reſpirare poſſimus. Agite igitur P. C. Principes dicite. Quid moramini, ne dum ſingillatim pertimeſcitis, in timore potius, quam in virtute operiamini? Poſthac tacentibus cunctis, quum Maximus, qui & natu grandior erat, & meritis ac virtute & ſeueritate clarior, dicere ſententiam cœpiſſet, qua oſtenderet, duos principes eſſe faciendos: Vettius Sabinus ex familia Vlpiorum, rogato conſule, vt ſibi dicere, atque interfari liceret, ſic orſus eſt: Scio P. C. hanc rebus nouis ineſſe oportere conſtantiam, vt rapienda ſint conſilia, non quærenda: verbis quinetiam plurimis abſtinendum ſit, atq; ſententijs, vbi res perurgent: ceruicem ſuam quiſque reſpiciat, vxorem ac liberos cogitet: auitas patriaſque fortunas, quibus omnibus imminet Maximinus, natura furioſus, truculentus, immanis. Cauſa vero (vt ſibi videtur) ſatis iuſta, truculentior ille quadrato agmine caſtris vtique poſitis, ad vrbem tendit: vos ſedendo, atque conſultando diem teritis, longa oratione opus non eſt, faciendus eſt Imperator. Immo faciendi ſunt principes: vnus qui res domeſticas, alter qui bellicas curet, vnus qui in vrbe reſideat, alter qui obuiam cum exercitu latronibus pergat. Ego principes dico, vos firmate, ſi placet: ſin minus, meliores oſtendite. Maximum igitur atque Balbinum, quorum vnus in re militari tantus eſt, vt nobilitatem generis ſplendore virtutis allexerit, alter ita clarus nobilitate eſt, vt & morum lenitate Reipubl. ſit neceſſarius, & vitæ ſanctimonia, quam à prima ætate in ſtudijs ſemper, & in literis tenuit. Habetis ſententiam P. C. mihi fortaſſe periculoſiorem, quam vobis, ſed nec vobis ſatis tutam, ſi non aut alios, aut hos principes feceritis. Poſt hæc acclamatum eſt vno conſenſu. Æquum eſt, iuſtum eſt, ſententiæ Sabini omnes conſentimus. Maxime & Balbine, Auguſti, Dij vos ſeruent, Dij vos principes fecerunt, Dij vos conſeruent. Vos Senatum a latronibus vendicate, vobis bellum contra latrones mandamus. Hoſtis publicus Maximinus cum filio pereat. Hoſtem publicum vos perſequimini. Felices vos iudicio ſenatus. Felicem Rempublicam veſtro imperio: quod vobis Senatus detulit, fortiter agite. Quod vobis Senatus detulit, & benter accipite.* His itaque atque alijs acclamationibus Imperatores ſunt facti Maximus & Balbinus. Egreſſi igitur à Senatu primum Capitolium aſcenderunt, ac rem diuinam fecerunt. Hæc quoque omnia breuiter explicat libro VII. hiſtoriæ temporum ſuorum Herodianus, Græcus ſcriptor, his verbis: *Poſtea vero quam Romæ audita eſt mors ſenioris Gordiani, ingens perturbatio S. P. Q. R. in-*

VII. De Impp. qui ex Senatuſconſulto imperium adepti ſunt.

VIII. Vt Nerua.

IX. Vt Balbinus & Max. Pupienus.

X. Quomodo creari ſoliti ſint Impp. ex Senatuſconſulto.

genſque terror inuaſit, extincto in quem vnum ſpes ſuas conlocauerat. Neque enim illos præteribat, neminẽ iam parſurum Maximinum, cum ſponte alienum ab ipſis, atque hoſtili animo, tum iuſtis etiam cauſis, & profeſſo quaſi odio ſuccenſentem. Itaque frequentes in vnum conuenere, ac de toto negocio deliberantes, quando ſemel in periculum venerant, bellum comparare decreuerunt: duobus electis Imperatoribus, qui Rempubl. pari poteſtate adminiſtrarent, ne rurſus principatus auctoritas in tyrannidem proueheretur. Conuenerunt igitur non quidem in curiam, quo ante conſueuerant: Sed in templum Capitolini Iouis, quod in arce ſumma præcipua venerationis Romani habent; ibi clauſis foribus, ſoli quaſi teſte & conſeſſore atque adeo inſpectore rerum omnium Deo, ſelectis, qui ætate & dignitate cæteros anteirent, de quibus ſuffragia ferrentur, duo ex omni numero Maximus atq; Balbinus plurimis ſuffragatoribus Imperatores creati. Horum Maximus, quum ſæpe exercitibus præfuerat, tum præfectura vrbi egregia geſta, maximam ingenij prouidentiæque præterea vitæ continentis opinionem, vulgo de ſe præbuerat. Balbinus autem Patricij generis homo, conſulatu iterum geſto, multiſque prouinciis ſine vlla querela adminiſtratis, morum ſimplicior habebatur. Ita creati principes, Auguſtique appellati, ac S. C. omnibus Imperatoriis honoribus affecti ſunt.

XI. Quomodo creatus ſit ex Senatuſc. Imp. Tacitus.

Qua ratione vero à Senatu creatus fuerit Imp. Tacitus docet Il. Vopiſcus Syracuſius, eius vitæ ſcriptor, his verbis: Interfecto, ſerui nequiſſimi calliditate, Imperatore Aureliano, cœptum eſt quæri, quis fieri deberet ex omnibus princeps? Tunc odio præſentium exercitus, qui creare Imperatores raptim ſolebat, ad Senatum literas miſit, vt ex ordine ſuo principem legerent. Verum Senatus ſciens, lectos à ſe principes militibus non placere, rem ad milites retulit. Dum id ſæpius fit, ſextus peractus eſt menſis. Demum VII. Calen. Octobr. die, quum in curiam Pompilianam ordo ampliſſimus conſediſſet, Vetius Cornificius Gordianus, Conſul dixit: Referimus ad vos P. C. quod ſæpe retulimus: Imperator eſt deligendus, exercitus ſine principe recte diutius ſtare non poteſt, ſimul quia cogit neceſſitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupiſſe dicuntur, occupaſſe vrbes validas, nobiles, diuites, & potentes. Iam ſi nihil de Perſicis motibus nunciatur; cogitate tamen leues eſſe Syrorum mentes, vt regnare vel fœminas cupiant, potius quam noſtram perpeti ſanctimoniam. Quid Africam? quid Illyricum? quid Ægyptum? earumque omnium partium exercitum, quouſque ſine principe credimus poſſe conſiſtere. Quare agite P. C. & principem dicite, aut accipiet eum exercitus, quem delegeritis: aut ſi refutauerit alterum faciet. Poſt hæc quum Tacitus, qui erat primæ ſententiæ conſularis, ſententiam incertam, quam vellet, diceret, omnis Senatus adclamauit: Tacite Auguſte Dij te ſeruent: Te deligimus, te principem facimus, tibi curam Reipub. orbiſque mandamus. Suſcipe imperium ex Senatus auctoritate, tui loci, tua vita, tua mentis eſt, quod mereris. Princeps Senatus, recte Auguſtus creatur, primæ ſententiæ vir, recte Imperator creatur. Et quis melius quam grauis imperat? Et quis melius quam literatus imperat? Quod bonum fauſtum ſalutareque ſit. Diu priuatus fuiſti, ſcis, quemadmodum debeas imperare, qui alios principes pertuliſti, ſcis, quemadmodum debeas imperare, qui de aliis principibus iudicaſti. Acclamatum quoque eſt à populo: Feliciſſime Tacite Auguſte Dij te ſeruent, & reliqua, quæ ſolent dici. Inde ad exercitus profectus; ibi quoque quum primum tribunal aſcendit Mæcius Gallicanus Præfectus prætorio, in hæc verba diſſeruit: Dedit ſanctiſſimi commilitones ſenatus principem, quem petiſtis, paruit præceptis & voluntati caſtrenſium, ordo ille nobiliſſimus; plura mihi apud vos præſente Imperatore non licet loqui. Ipſum igitur, qui tueri vos debet, loquentem dignanter audite. Poſt hæc Tacitus Auguſtus dixit: Traianus ad imperium ſenex venit, ſed ille ab vno deductus eſt. At me ſanctiſſimi commilitones primum vos, qui ſcitis principes approbare, deinde ampliſſimus Senatus dignum hoc nomine iudicauit. Curabo, enitar, efficiam, ne vobis deſint, ſi non fortia facta, at ſaltem nobis atque Imperatore digna conſilia. Poſt hæc ſtipendium & donatiuum de more promiſit. Hi igitur ſunt omnes Imperatores, qui ex S. C. ad imperium euecti ſunt.

XII. De Impp. exercituum ſuffragio creatis. Cuius non contemnendam rationem reddit Hadrianus Imp. apud Cabot. 1. diſp. 8. Gloſſ. ad artic. 52. lib. 3. ſpec. Saxon. Weichbild art. 8. n. 3.

Qua ratione autem reliqui deinceps omnes Romani principes ab exercitibus creati fuerint, nunc eſt diſſerendum. Quum imperium populi Romani longe lateque per Europam, Aſiam & Africam extenderetur, multi per diuerſas orbis partes exercitus Romani erant, per legiones à Diuo Auguſto diſtincti, qui fluuiorum ripis rem Romanam à barbaris defendentibus, vel extremis imperij finibus inſidentes, ditionis Romanæ milites tuebantur, ne ex ſolo barbarico, in proximiores prouincias, barbari excurſiones & prædas agerent. Ex ijs præcipuum robur, commune in Germanos Galloſque ſubſidium, legiones VIII. ſuper Rhenum à Diuo Auguſto conlocatæ ſunt, in duos exercitus diſtinctæ; quorum vnus, qui erat quatuor legionum, in Germania inferiore, alter vero totidem legionum, in Germania ſuperiore manebant, qui Germanorum in Gallias excurſiones prohiberent. Tres in Hiſpania recens perdomita, vna in Africa, quæ Garamantum, duæ in Ægypto, quæ Arabum, quatuor per omnem Suriam, & ſuper Euphratem, quæ Parthorum: tres in Pannonia, duæ in Mœſia, & totidem in Dalmatia, Danubij ripis inſidebant, quæ eorundem Germanorum, Getarum, Dacorum, Sarmatarumque impetus coercerent. Quæ omnes ſuos quum duces, tum præfectos habebant: qui, ſi vni legioni præerant, legati legionis; ſi pluribus, legati conſulares appellabantur. Vrbis vero præſidio vrbanæ cohortes III. vigilumque totidem, quibus præfectus vrbis, & prætoriæ VIII. quibus præfectus prætorio præerant, adſcriptæ. Italiam vero vtroque mari duæ claſſes tuebantur, quarum altera in ſinu Baiano, altera prope Rauennam locatæ erant. Proximo vero Gallicæ littori, roſtratæ naues præſidebant, quas Actiaca victoria captas Auguſtus, in oppidum Forojulienſe miſerat valido cum remige. Hæc erant Romani imperij præſidia, quum Auguſtus exceſſit.

XIV. Quomodo auctæ legiones Auguſti.

Quibus ſequentes principes noua ſupplementa, prout temporum ratio exigere videbatur, in dies addidere. Superius enim relatis legionibus, quas Diuum Auguſtum conſcripſiſſe dixi, Nero vnam, Galba duas, Domitianus duas, Traianus & Marcus ſinguli totidem, Seuerus tres, & ſequentes

ſequentes Imperatores pleraſque alias legiones adiunxere. Quæ omnia accurate docet Herodianus lib. II. hiſtoriæ Auguſtæ: *Hæc* (inquit) *dum agitaret, leui incertaq; ſpe ſubnixus, fama iam per Pannonios Illyricoſq; increbuerat, perq; exercitus omnes, qui pro ripis Danubii Rheniq; excubantes, cohercendis barbaris Romanum tuentur imperium.* Item paulo poſt, de Seueri aduentu ad vrbem loquens, ait: *Homines in Italia pridem ab armis belloq; remotiſſimi, agros paceniq; colebant. Etenim quamdiu libera ciuitas egit, atque à Senatu belli duces eligebantur, fuere in armis Italiæ nationes: Græciſq; & barbaris ſubactis, terra ſibi mariſq; imperium pepererunt. Poſtea vero quã Auguſtus rerum potitus eſt, & laborem Italis ademit, & arma detraxit, milites tantum quoſdam certis autoramentis habuit mercenarios, qui Romanum tuerentur imperium, tam fluuiorum magnitudine, quam foſſarum, montibuſq; aſperrimis, deſertiſq; locis circumſeptos, imperii limites communiuit.* Hæc autem haud temere à me relata ſunt. Ab iis enim exercitibus, Imperatores reliqui, variis deinceps temporibus creati fuerunt. Nam Claudius, Otho, Pertinax, Iulianus, tertius Gordianus, Maxentius, & alii quidam, Romæ à Prætorianis: Galba autem à Hiſpanicis, Vitellius & Maximinus à Germanicis, Albinus & Carauſius à Britannicis: Veſpaſianus, Niger, Macrinus, Alagabalus, Philippus, Probus, Diocletianus, Iouianus, & Valentinianus à Syriacis, vel Orientalibus: Seuerus, Decius, Galluſq; à Pannoniacis & Mœſiacis: duo Gordiani ab Africanis: Valerianus, Claudius ſecundus, Aurelianus, & Carus ab Illyricanis legionib. & alii per diuerſas orbis Romani partes, Imperatores creati fuerunt.

XV. Qui Impp. ſint à legionibus creati.

Quod qua ratione ſinguli exercitus fecerint, reponamus. Quoties Imperatorem Romanum abſq; filiis vel legitimo herede decedere contigiſſet, ſæpiſſime vſu venire ſolebat, vt vel Romæ ſtatim Prætoriani principem darent, vel duo aut tres, & aliquando quatuor, aut Senatores, aut legati cõſulares, Imperatores renunciarentur, & Romæ à Prætorianis, & extra ab eis potiſſimum, quibus præerant, exercitibus: quibus poſtea inter ſe bello ciuili digladiantib. adhoc demum deuenire neceſſe erat, vt vel mutuo ſe cõficerent, vel à validiore minus fortes perderentur: vnuſq; tantum reliquus eſſet, qui rerum potiretur.

XVI. De ratione creandi Cæſares, legionum ſuffragio.

Primæ ſucceſſionis exemplũ peti poteſt à Claudio Imperatore, qui Caio cæſo, à Prætorianis Auguſtus appellatus eſt. Cuius rei Tranquillus c. x. in Claudio meminit his verbis: *Per hæc ac talia, maxima ætatis parte tranſacta, quinquageſimo anno imperiũ cepit, quantumuis mirabili caſu, excluſus inter cæteros ab inſidiatorib. Caii, quum quaſi ſecretum eo deſiderante turbam ſubmouerint, in diætã cui nomen eſt: Hermæum, receſſerat: neq; multo poſt rumore cædis exterritus, prorepſit ad ſolarium proximum, interq; prætenta forib. vela ſe abdidit: latentẽ, diſcurrens forte gregarius miles animaduerſis pedibus, è ſtudio ſciſcitandi, quiſnam eſſet? agnouit: extractumq; & præ metu ad genua ſibi accidentem Imperatorem ſalutauit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes perduxit, ab his lecticæ impoſitus, & quia ſerui diffugerant viciſſim ſuccollantibus in caſtra delatus eſt: triſtis ac trepidus, miſerante obuia turba, quaſi ad pœnam raperetur inſons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctauit, aliquanto minore ſpe, quam fiducia. Nam conſules cum Senatu & cohortibus vrbanis forum Capitoliumq; occupauerant, aſſerturi communem libertatem: accitumq; & ipſe per tribunos plebis in curia, ad ſuadenda quæ viderentur, vi ſe & neceſſitate teneri reſpondit. Poſtero vero die, ſenatu ſegniore, in exequendis conatibus, per tædium ac diſſenſionem diuerſa ſentientium, & multitudine, quæ circumſtabat, vnum rectorem iam & nominatim expoſcente, armatos pro concione iurare in nomen ſuum paſſus eſt: promiſitq; ſingulis quina dena, primus Cæſarum fidem militis, etiam præmio pigneratus.*

XVII. De Cæſaribus per prætorianos, Romæ creatis.

Hæc ipſa accuratiſſime enarrantur à Ioſepho Antiquitatum libro XIX. capitibus I. II. III. & IV. Eadem fere ratione à prætorianis, cæſo Cõmodo, Pertinax; occiſiſq; Maximo & Balbino, tertius Gordianus, Imperatores appellati ſunt. De vtriſque, multa Herodianus lib. II. & VIII. Hiſtoriæ temporum ſuorum, & in ipſorum vitis Iulius Capitolinus, qui de Pertinace loquens: Cõmodo (inquit) *interempto, Lætus præfectus prætorio, & Electus cubicularius ad eum venerunt, vt eum confirmarent, atq; in caſtra ducerent. Illinc Pertinax milites allocutus eſt, donatiuum promiſit, ingeri ſibi imperium à Læto & Electo dixit. Fictum eſt autem, quod morbo eſſet Commodus extinctus, quia & milites ne tentarentur, pertimeſcebant, deniq; à paucis primum eſt Pertinax Imp. appellatus.* In Gordiano vero ait: *Poſt mortem duorum Gordianorum Senatus trepidus, & Maximinum vehementius timens, ex XX. viris, quos ad Remp. tuendam delegerat, Pupienum ſiue Maximum, & Clodium Balbinum, Auguſtos appellauit, ambos ex conſulib. Tunc populus & milites Gordianum paruulum, annos agentem XI. alias XIII. vel vt alii XVI. petierunt, vt Cæſar appellaretur: raptuſq; ad Senatum, atq; inde in concione poſitus, indumento Imperatorio tectus Cæſar appellatus eſt. Qui Cæſar factus, apud matrem educatus fuit. Quum autem extincti Maximini, Maximus & Balbinus interempti eſſent, Gordianus adoleſcens, qui Cæſar creatus fuerat à militibus, & populo, & Senatu, & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti gaudio & gratia Auguſtus eſt appellatus.* Herodianus vero libro II. de Pertinacis imperio loquens: *Occiſo Commodo Lætus* (inquit) *& Electus, Marciaque, quid agendum foret, diu deliberato, tandem decernunt, ita de eius morte rumores ſerere, quaſi repente in apoplexiam incidiſſet, quod facile de illo creditum iri exiſtimabant, quem conſtabat identidem ſolitum immoderatis epulis ſaginari. Sed ante omnia tamen viſum eſt, aliquem prouectum ætate, ac modeſtum hominem deligere ad imperium, per quem & ipſi incolumes forent, & omnes à ſæua immoderataque tyrannide reſpirarent. Igitur diu conſultato, neminem ſic idoneum inuenerunt, vt Pertinacem. Erat autem Pertinax genere Italus, domi bellique rebus geſtis clarus, multiſque inſignis trophæis, quæ aduerſus Germanos atque Orientales Barbaros erexerat. Hunc igitur nocte intempeſta ſopitis omnibus, Lætus atq; Electus cum paucis eiuſdem factionis adeunt: & quum ianuam occluſam offendiſſent, ianitorem excitauerunt, qui vbi adaperuit, militeſque & Electum adeſſe vidit, perterritus atque expaue-*

ſactus Pertinaci renunciat: is admitti eos ilico iubet. Qui omni re intellecta, totum ſe illorum poteſtati permiſit. Placuit igitur primo exercitum adiri, & militum tentari animos, quos tamen Laetus in ſententiam ſuam facile ſe adducturum pollicetur: quippe cuius aliqua, vtpote Praefecti, futura eſſet apud illos auctoritas. Quocirca omnes quotquot aderant, ad exercitum feſtinant, quum multum noctis proceſſiſſet, inſtante Cal. Ian. die. Ad caſtra autem cum veniſſent, ingreſſi Laetus & Electus vna cum Pertinace ſunt. Ibi conuocatis militib. orationeq; à Laeto habita, minime iam ſe cohibuit populus, qui frequens conuenerat, quin ceſſante adhuc & dubitabundo milite, Auguſtum illum declararet, patremq; appellaret, & fauſtis omnib. adclamationib. proſequeretur. Idem etiam milites factitabant, quanquam non pari alacritate, ſed circumfuſa vndiq; inermibus feſtumq; agitantibus diem populi turba, facile illos adclamare, atq; Pertinacem vocare Auguſtum coegit. Mox iurati de morte in illius nomen, factaq; re diuina laureati omnes, populus atq; exercitus proſequebantur. Item lib. VIII. de Maximo atque Balbino loquens: *Maximo* (inquit) *vrbem poſt caeſos Maximinos ingredienti, etiam Balbinus occurrit, Gordianum Caeſarem ſecum adducens. Senatus autem populuſque vniuerſus laetis acclamationibus veluti triumphantes exceperunt. Poſt id autem quum publice priuatimq; magna modeſtia & grauitate imperium gubernaretur, omneſque omnia bona dicerent, laetareturq; populus, & gloriaretur Patricius imperioq; dignis principibus, militum tamen vlceroſi animi populares illas acclamationes haud aequis auribus accipiebant: ipſam illam nobilitatem grauabantur, indigne ferentes datos ſibi à Senatu Principes. Quum itaq; ludi Capitolini celebrarentur, deditis feſto ac ſpectaculis omnium mentibus, repente diſſimulatum diu ſenſum milites indicarunt. Namque ita inſtincti, ac veſano quodam motu vnanimiter ad regiam concurrentes, ſenes Principes ad necem poſcebant: impetuq; in aulam facto, turbatis ianuarum cuſtodibus, ſenem corripiunt vtrumq;: laceratiſq; veſtibus, quas gerebant, nudos ipſos ex aula abſtrahunt, ac per omnem ignominiam, contumeliamq; caedentes, irridenteſq; ſenatorios Imperatores, barbamq; & ſupercilia vellentes, neq; vlli parcentes corporis totius ludibrio, per mediam vrbem ad caſtra deducebant, ne occidere quidem illos in regia decreti, ſed lento mortis genere prius, excarnificare, quo dolorem diutius perpeterentur: Sed vbi Germanos, re cognita, raptis armis, in auxilium concurrere nunciatum Praetorianis eſt, ſtatim illos, nullo non ludibrio prius affectos contrucidant: relictiſq; in via cadaueribus, tollentes in altum manibus, Gordianum Caeſarem, quando aliud nihil occurrit, Imperatorem conſalutabant, identidem ad populum vociferantes, iacere ipſorum manu quos populus ab initio recuſauerat, electumq; Gordianum Gordiani nepotem, quem ipſe Romanus populus ad imperium compuliſſet. Hunc igitur ſecum deducentes coiere in caſtra, clauſiſq; portis quietem agitabant, at Germani, vbi occiſos, proiectoſq; audierunt, quorum cauſa properauerant, quum nollent irritum bellum pro viris vita functis ſuſcipere, in ſua diuerſoria reuertuntur. Hunc finē vitae habuerūt, indignū videl. ac nefarium ſancti & venerabiles ſenes, claritudine generis atq; egregiis meritis ad Imperii faſtigium prouecti. Caeterum Gordianus quum annorū eſſet ferme XIII princeps ab vniuerſis declaratus, Romanum ſuſcepit Imperium.* Ex Imperatorib. autem, qui à variis exercitib. per diuerſas populi Romani prouincias eodem tempore creati ſunt, exemplum haberi poteſt de Galba, qui in Hiſpania; Vitellio, qui in Germania; Othone qui Romae à praetorianis; & Veſpaſiano qui in Iudaea, Syria, à legionib. quib. praeerant, Nerone occiſo, intra vnius anni ſpaciū Imperatores renunciati ſunt. Ex quib. Galbam Otho; Othonem Vitellius; Vitellium Veſpaſianus; acerrimis ciuilib. bellis confecerunt, ſoluſq; rerum Veſpaſianus potitus eſt: quae omnia accuratiſſime explicantur à Tacito, hiſtoriae Auguſtae quinque poſterioribus (qui extant) libris. Tranquillus quoq; breuiſſime principio vitae Veſpaſiani his verbis comprehendit: *Rebellione trium principum & caede, incertum diu, & quaſi vagum Imperium ſuſcepit firmauitq; tandem gens Flauia.* Idem fere accidit caeſo Pertinace Imperatore, quando Iulius Romae à praetorianis; Peſcennius Niger in Oriente, à legionibus Syriacis; Seuerus, in Pannonia ab Illyricianis; & Albinus in Britanniis, ab iis, quibus praeerant, exercitibus, Auguſti, eodem fere tempore appellati ſunt: quum tres ex iis eſſent conſulares earum prouinciarum, & exercituum legati. Quos omnes Seuerus bello ciuili victos, interfecit, ſoluſq; rerum annos XVIII. potitus eſt. Quae diligentiſſime enarrantur ab Herodiano libro III. hiſtoriae Auguſtae, Aelio Spartiano, & Iulio Capitolino in horum quatuor principum vitis. Eadem ratione militum ſuffragiis, Alagabalus contra Macrinum in Suria. Maximinus contra Alexandrum in Germania; duo Gordiani contra Maximinum in Africa; Philippus contra Gordianum in Oriente; Decius cōtra Philippum in Moeſia; Aemilianus contra Gallum & Voluſianum in Illyrico; Valerianus contra Aemilianū in Alpib. ab exercitibus Illyricianis: triginta tyranni per varias orbis Romani prouincias, à diuerſis legionib. cōtra Gallienum: Aurelianus contra Quintillum in Illyrico, cōtra Florianum Probus in oriente; contra Carinū Diocletianus in Syria; poſtremo contra Conſtantinum Maxentius Romae à Praetorianis, Imperatores renunciati ſunt; qui vel bellis ciuilibus, ſuſceptis, vel tumultu militari concitato, eos principes, contra quos imperiū arripuerant, occiderunt. Diuerſa autem ratio fuit, in eorum Principum creatione, qui ab iis exercitibus, Auguſti renunciati fuerunt. Nam ante Conſtantini tempora, quum per omnē Romanum orbē diuerſae eſſent Romanę legiones, quum Imperator à militibus legendus eſſet, dux ſiue legatus cōſularis eius exercitus, qui Imperatorem facere decreuerat, caeteris praeferebatur: vt fuere Galba, Vitellius, Veſpaſianus, Seuerus Niger, Albinus, & pleriq; alii, qui ex legatis conſularib. earum legionū à quib. Auguſti ſalutati fuerant, ad Imperium euecti ſunt. Porro autem, quum Imperator Romae à Praetorianis creandus eſſet (quod quinquies vel ſexies tantum, quod ſciā, accidit) certa ratio tradi non poteſt, cur vnus caeteris praelatus fuerit. Sed alii aliis cauſis praepoſiti. Etſi ea militum colluuies hoc vnū prae caeteris ſemper intendiſſet, vt eum potiſſimum Imperatorē renunciarent, qui maius eis donatiuum elargiri poſſet,

XVII. *De Impp. à variis exercitibus, vno tempore per diuerſas prouincias, creatis.*

XVIII. *Praetorianorum & aliorum exercituum, in Imperatoribus legendis diuerſa ratio, & cauſa.*

nulla

nulla nec dignitatum, nec ætatum ratione habita. Claudius enim, qui primus à Prætorianis ad imperium euectus eſt, cæteris ideo prælatus, quod tum cum legendus eſſet Imperator, ipſe vnus potiſſimum occurrit, qui ex gente & familia Imperatoria eſſet. Nefas.n.milites tunc exiſtimarũt, alienum ab ea gente Auguſtum creare, quæ imperium ipſum orbi Romano intulerat: tum etiam, quod rigidam & ſeueram timebant Senatus poteſtatem, ad quem ius imperii, niſi nouum principem facere maturaſſent, deuenire facile poterat. Qui occiſo Caio, adeo conſtans in aſſerenda libertate fuit, vt non amplius in baſilicam Iuliam, vt moris erat, ſed in Capitolium congregatus ſit. Militibus .n. vniuerſis gratior ſemper fuit vnius principis arbitrio, quam ex Senatus auctoritate regi. Otho vero cæteris ſenatoribus, occiſo Galba à prætorianis, potiſſimum præpoſitus eſt, quod eius conſpiratione, Galba ipſe cæſus eſſet, cuius intempeſtiua ſeueritate, & immani auaritia quam maxime offenſi fuerant, ſimulque, quod maximum eis pollicebatur donatiuum. Poſtremo quod, quum Imperator creandus eſſet, ne Germaniciniano exercitu, qui Vitellium paulo ante principem legerat, inferiores eſſe viderentur, nemo eius eſſet competitor, qui ſibi Imperium procuret: præſertim quum eum exercitum, qui primus Imperatorem appellaſſet, maiore donatiuo honorari mos eſſet. Cæſo autem Commodo, Pertinax præfecti prætorio potius aſtu, quam prætorianorum militum votis, Auguſtus renunciatus eſt: quem etiam non longe poſt, quum eius mores, & ſanctimoniam non probarent, impie interfecerunt. Quo neci dato, Didius Iulianus ſuo competitori Sulpiciano præpoſitus eſt, tum quod maiorem pecuniæ ſummam ipſis polliceretur, tum etiam quod Sulpicianum ſuſpectum haberent, tanquam Pertinacis occiſi generum, ne ſi Imperium adeptus eſſet, ſoceri necem vlciſceretur. Gordianum quoque puerum, in odium Balbini & Pupieni principum à Senatu creatorum, quos etiam ipſi ob eam potiſſimum cauſam occiderant, Imperatorem acclamauerunt, quum & nepos eſſet Imperatorum, & diu ante ex S.C. Cæſar appellatus eſſet: nulluſq; eo aptior eo tumultu occurriſſet, in quo matura & propera electione opus erat. Maxentius Herbulli filius nouiſſimus omnium Romæ à prætorianis, contra Conſtantinum Magnum, Auguſtus acclamatus fuit: quum quod eos ingenti ſibi donatiui ſpe conciliaſſet, tum etiam vt haberent nobiliſſimum principem, & fortiſſimi Imperatoris filium, quem Conſtantino opponerent in Galliis, & non ab ſe tam Auguſtm vocitatum, bella enim ciuilia eorum commodis ſemper cedere videbantur: quod ſecus atq; interpretabantur euenit. Ea namq; præcipua cauſa fuit, vt victo & occiſo Maxentio, vrbeq; ipſa in Conſtantini poteſtatem redacta, caſtrum ipſum prætorium, omnibus prætorianis cohortibus, quæ tot ante Imperatoribus negocium fecerant, in perpetuum exauctoratis atq; dimiſſis, penitus excinderetur. Quæ ab Auguſto ad principum tutelam in vrbe inſtitutæ, mox vagantes per vrbem, & ſine certa ſede palantes, à Tiberio Cæſare Seiani præfecti prætorio conſilio, caſtro in extremis vrbis partibus inter portas, Tiburtinam & Nomentanam prope viuarium, extructo, in vnum congregatæ fuerant. Hicq; fuit tam Caſtri prætorii, quam prætorianorũ militum exitus. Alia quoq; ratione milites, ſiue exercitus, Imperatorem aliquando crearunt, à ſuperiorib. diuerſa, quæ tam ante quam poſt Conſtãtini imperium in vſu fuit. Ea autem erat, *Si* quum plurimum Romani imperii limitum legiones, Imperatorum iuſſu, vel ad bellum, vel ob alias cauſas in vnum coiiſſent, atq; ex variis legionibus exercitus vnus congregatus, vel de nouo conſcriptus eſſet, Imperatorem, eo potiſſimũ tempore, vel occidi, vel ſine herede legitimo mori contigiſſet: vt eo tempore, quo Caracallus, Decius, Gallienus, Iulianus, Iouianus, & pleriq; alii cecidere: quo caſu, in noua principis lectione hoc ſeruari ſolitum fuit vt is, in quẽ plurium ducum, præfectorum vel legatorum conſularium, legionum, tribunorũ & centurionum ſuffragia conueniſſent, Imperator deſignaretur. Perinde, ac occiſo Caracallo accidit Macrino, qui ex præfecto prætorio Auguſtus in eius locum, ab iis potiſſimũ, quos ſupra nominaui prouectus eſt. *Ita* cæſo Alexandro Maximinus ex tribuno, Imperio abrogato Gordiano tertio: Philippus ex præfecto prætorio, mortuo Decio; Voluſianus ex duce limitis Mœſiaci, occiſo Gallieno; Claudius, trucidato Quintillo, Aurelianus, necato Floriano; Probus ex legato Cõſulari occiſo Probo; Carus ex præfecto prætorio, occiſo Numeriano; Diocletianus ex præpoſito domeſticorũ, ſublato Iuliano; Iouianus ex tribuno militũ; & eo breui mortuo Valentinianus agens Scholam ſecundã Scutariorum, ſucceſſere. Quæ electionis forma, tam Romæ in Occidente, quã Conſtantinopoli in Oriente, obſeruata fuit. Omnes enim deinceps Imperatores vel militum ſuffragiis vel ex ſucceſſione ſiue hæreditario iure, ſiue ex Imperatorũ prędeceſſorũ voluntate renunciati fuerunt. In occidente quidem vſq; ad Auguſtulum, in oriente vero vſq; ad Conſtantinum Eirenes. Poſt cuius tempora Conſtantinopoli aliquando variata eſt ſuccedendi ratio. mulieres .n. quatuor diuerſis temporibus rerum in oriente potitæ ſunt: ex quarum auctoritate, Imperatores quoq; aliquot conſtituti, qui ſuis locis enumerati ſunt libro ſecundo. Antiquitus vero nullum Imperatorem fieri mos erat, qui Senator non fuiſſet. Primus autem ex corpore militari, nondũ Senator, Auguſtulus in Germania appellatus fuit, Maximinus Thrax: quod an ante Conſtantinũ iterum acciderit, nunquã memini me legiſſet. Qualis autem fuerit ea militum electio, quibuſq; artibus & conditionibus, duces populi Romani ad imperium prouehebantur, elegantiſſime explicatur ab Eraſmo, in præfatione, quam in Tranquillum editam, ad duces Saxoniæ Fridericum & Georgium miſit: cuius partem quod ad hoc opus maxime illuſtrandum commoda ſit, ſubiicere placuit. *Sed multo magis* (inquit) *ad rem pertinet, in his contemplari nomen illud Imperii, quod & olim ſacroſanctum Auguſtumq; fuit, & nunc etiamnum multorum affectibus religioſum ac venerabile eſt: quum nihil fere ſuperſit præter inanẽ magni nominis vmbram, quam fœdis initiis in mundum irrepſerit: primum in Iulio ſcelerate, mox in Octauio, Antonioq; &*

Lepida

XIX. *Alia forma creandi Cæſaris, per plurimorum militũ ſuffragia.*

XX. *Quamdiu hæc forma in vtroque imperio obſeruata.*

XXI. *Quando neglecta, & inſtituta alia.*

XXII. *Quam vitioſa ac turbulenta fuerit, ea militum electio.*

Lepido ſceleratius. Quid non poteſt fortunæ libido in rebus humanis? poteſtas ea, quam poſtea Diis æquauit hominum conſenſus, impietate, cædibus, parricidiis, inceſtis, tyrannide condita conſecrataq; fuit. His felicib. auſpiciis cœpit illa regibus adorata maieſtas; ac ſceleratius fere propagata fuit, quam nata. Fœda barbarorum militum colluuies, non ſuffragiis, ſed inſanis tumultibus dominum orbi dabat. Non alia ſuccedendi lex, niſi mactato ſuperiore. His autem auſpicabatur Imperium: quod nihilo ſecius tamen interim emendum erat, quantacunq; inexplebili militum auaritiæ libuiſſet. Nec ſatis erat in vnum ſæuire caput: ad liberos, ad affines, ad amicos omnes crudeliſſima laniena proferebatur, ac ſæpenumero reciprocantibus (vt fit) vindictæ vicibus. Quos viros, quas matronas effera immanitas indigne laniabat? Sæpe pluribus hinc & hinc, Imperium ad ſe trahentibus, miſcebantur omnia. Ita ſemper ad nouum Imperii ſucceſſorem totus terrarum orbis concutiebatur, ſumma rerum in manibus erat, non Senatus, non populi Romani, ſed mercenarii, facinoroſiq; militis: nec aliter, neque diutius imperare licuit, quam illis belluis collibuiſſet: qui nec bonos nec malos principes diu ferre poterant; alius parcior erat, alius profuſior, alius eruditior quam vellent, alius mitis obſequentior, alius militaris diſciplinæ tenacior, alius imbellis, alius immodice bellator, alius in Senatum propenſior, alii cognomen obſtabat, militi parum gratioſum, alii affinitas. Quælibet leuis cauſa ſatis erat ad iugulandum orbis Principem, denique vt nihil erat cauſæ, expediebat illis, ſubinde mutare Principem. Inſatiabilis habendi fames, ad res nouandas incitabat. Trucidabatur vt inutilis, quem iam exſuxerant: accerſebatur alius, qui exhauriretur, mox & ipſe trucidandus. Atq; hiſce rebus factum eſt, vt nonnullorum imperium paucis modo menſibus, nonnullorum etiam pauciſſimis diebus finiretur. Vt me quidem inter legendum crebro iubeat admiratio, fuiſſe vllos qui vellent imperii vices capeſcere: quum tot exemplis didiciſſent, quibus legibus eſſet ſuſcipiendum. Et hoc honoris ſic venditum, immo locatum, imperium vocabant. O miſerum ac deplorandum illorum temporum ſtatum. Oppreſſa Senatus auctoritate, oppreſſis legibus, oppreſſa populi Romani libertate, ſic creato principi ſeruiebat orbis, princeps ipſe ſeruiebat iis, qualem nemo vir bonus domi vellet habere ſeruum. Imperatorem timebat Senatus, Imperator ſceleſtam illam militum turbam formidabat. Imperator leges dabat regibus: at huic leges dabant conductitii milites. Summa rerum orbis ab armata paucorum temeritate pendebat. O magnificam & adoptandam omnibus monarchiam: & tamen neſcio quo pacto, velut ex compoſito conueniebat inter Cæſares, & milites Cæſarum dominos, quos legimus aliquoties ſe decimari paſſos, ab iis quos mox erant ſuo arbitratu iugulaturi, quaſi vices alternas inter ſe paci dominandi ac ſeruiendi.

CAPVT II.

Veterum Imperatorum inſignia.

Adde infr. c. 8. IMperatorum autem inſignia erant ſella eburnea, XXIV. lictores cum faſcibus & ſecuribus, corona radiata vel laurea, ſceptrum eburneum, veſtis purpurea, & quod ſupremum erat, ignis prælatio. Poſterioribus vero temporibus, Conſtantinopoli, ocreæ ſiue talaria purpurea addita ſunt. Hæc autem ſunt, quæ breuiter de antiquis imperii Romani comitiis à Iulio Cæſare vſq; ad Auguſtulum in occidente, & vſq; ad Conſtantinum XIV. Palæologum in oriente, dicenda propoſui. Conſtantinopoli autem, vel ſub Iuſtiniano, vel poſt eius ſtatim obitum electioni Imperatoris additum, vt quum primum Im. renunciatus eſſet, à Patriarcha Conſtantinopolitano in magna Byzantii baſilica, oleo vnctus, diademate aureo redimiretur, quem ritum, *coronationem* appellarunt, exemplo ab antiquis Hebræorum regibus, Hen. Goden conſil. 1. tit. de coron. Cæſ. in pr. ex ſacris bibliis petito, qui à prophetis primo, mox à ſummis ſacerdotibus vngebantur: vnde etiam in ſacris literis *reges Chriſti*, hoc eſt, *vncti* appellari ſolent.

I. Mos vngendi & coronandi Imp. quando inoleuerit.

CAPVT III.

De diſcrimine, inter Cæſaris Auguſtique appellationes.

I. Auguſti, qui? POſt Auguſtum, omnes Romani principes, quum ad ſupremum imperii faſtigium euecti eſſent, *Auguſti* appellati ſunt: quo nomine, ſummum eis rerum arbitrium permiſſum eſſe deſignabatur, ab Auguſto primo, tanquam hæreditarium, acceptum. Quoniam vero Diui Auguſti filii adoptiui (naturales enim non habuit) & cæterorum ſequentium Imperatorum, quod familiæ Cæſarum eſſent inſiti, *Cæſares* omnes appellabantur, vt Caius, Lucius, Tiberius, Germanicus, Nero, Druſus, Caligula & alii plerique, qui omnes *Cæſares* dicti ſunt: hoc eſt, è Cæſarum gente, in quam adoptati fuerant: ex quib. poſtea, Auguſtis fato functis, vnus vel teſtamento vel electione cæteris Cæſaribus prælatus, Imperator & Auguſtus in defuncti principis locum ſubrogabatur. Hinc ortum eſt, vt poſterioribus temporibus, ſi qui ad imperii faſtigium, atq; Auguſti nomen eſſent promouendi, primo Cæſares appellarentur, hoc eſt imperii heredes vel ſucceſſores: quo nomine, à priuatis, gradus erat ad Auguſti ſupremam poteſtatem, quum duos ſimul Auguſtos eſſe, ante M. Aurelii Imperatoris tempora, nunquam auditum fuerit. Quare factum eſt, vt & Imperatorum ſequentium filii, quamuis ex Cæſarum gente non eſſent, *Cæſares* tamen ſtatim appellarentur; hoc eſt, imperii ſucceſſores. Perinde ac in Auguſti gente *Cæſares*, eius filii vel nepotes dicebantur, qui poſtea ei in imperio ſuccedentes *Auguſti* appellati ſunt. Nam ſicut Diuus Auguſtus viuens *Auguſtus* dicebatur, & eius filii, & hæredes *Cæſares*: ita & ſequentes poſt Neronem, vltimum, ex gente Cæſarũ, Imperatorem, Romani principes, quũ *Auguſti* appellati fuerunt, filios quoq; ſuos vel naturales vel adoptiuos *Cæſares* appellarunt: id eſt imperii ſucceſſores, & qui eũ locũ apud ipſos obtinerent, quẽ apud Diuũ Auguſtũ, C. & L. Cæſares primo, mox eis defunctis, Tib. Cæſar, eius filii adoptiui, & apud ipſum Tiberium, Germanicus adoptiuus, & Druſus naturalis, filii Cæſares, Tiberiusq; & Caius Cæſares, eius nepotes

II. Qui, Cæſares, dicti?

poſtre-

poſtremo apud Claudium Auguſtum Britannicus naturalis & Nero adoptiuus filii Cæſares obti-
nuerunt. Ex quibus Diuo Auguſto Tiberius, Tiberio Caius, Claudio Nero ſucceſſerunt: qui o-
mnes ex Cæſarum gente, ratione adoptionis, fuerunt. Nam & Diuus Auguſtus, *Cæſar* quoq; appel-
latus fuit, quod à D. Iulio Cæſare maiore auunculo in Iuliam familiam adoptatus fuiſſet, cuius *Cæ-
ſar* cognomen erat: ex qua adoptione, ipſe, & omnes eius hæredes, & ſucceſſores vſq; ad Neronem,
Cæſares dicti ſunt, quod omnes Iuliæ genti inſiti per varias adoptiones fuiſſent. Porro autem, etſi
reliqui deinceps Imperatores, *Cæſares* quoque ſuos haberent, tamen ad familiam Cæſarum quæ in
Nerone defecit, nulla ratione pertinebant. Tiberii autem Cæſaris fuerunt (vt dixi) duo filii, alter
naturalis, Druſus Cæſar: alter adoptiuus, Druſiq; fratris ſui filius, Germanicus Cæſar: quorum alter,
vel ſi vterique Tiberio ſuperſtites fuiſſent, *Auguſti* appellati fuiſſent, perinde ac Tib. Cæſar qui ab
Auguſto adoptatus, pro Tib. Claudio Nerone, Tib. Iulius Cæſar, eo viuente, nominatus eſt, mox
eodem mortuo, in eius locum Imper. factus, *Auguſtus* vocitatus eſt. Germanico autem & Druſo,
ante Tiberium mortuis, Nerone quoq; & Druſo Cæſaribus, Germanici filiis, occiſis, vtrorumque
Tib. filiorum liberi ſuperfuerunt *Cæſares* dicti, videlicet Tiberius ex Druſo, vt Caius ex Germanico,
ipſius Tib. nepotes. Ex quibus mortuo auo Tiberio Auguſto, Caius Cæſar, *Auguſti* nomen ac pote-
ſtatem accipiens, conſobrinum Tiberium adoleſcentulum, eique ab auo cohæredem inſtitutum
interemit. Mortuo Caio, Tib. Claudius Cæſar, Cæſarum genti ratione matris Iuliæ inſitus, *Augu-
ſtus & Imperator* appellatus, duos Cæſares filios reliquit, alterum naturalem Britannicum Cæſarem,
alterum adoptiuum vxoris ſuæ Agrippinæ filium Neronem, Cæſarem, qui mox Claudio mortuo
Auguſtus appellatus, fratrem Britannicum veneno necauit. Nerone vero, in quo Cæſarum gens de-
fecit è medio ſublato, quum Galba Imp. creatus, Cæſaris & Auguſti cognomen accepiſſet, liberoſ-
que non haberet, exemplo Diui Auguſti filium ſibi adoptauit, ex familia Calpurnia L. Piſonem,
quem, & *Cæſarem* appellauit, hoc eſt imperii ſucceſſorem, ſicut ipſe imperium adeptus *Cæſar & Au-
guſtus* nominatus fuerat, licet nullo gradu Auguſti gentem attingeret: qui eum locum apud ſe Piſo-
nem habere voluit, quem Tiberius apud patrem Auguſtum habuerat, cui mortuo poſtea in imperi-
um ſucceſſit. Galbæ exemplum imitatus eſt Veſpaſianus, qui Imperator Auguſtus appellatus, duos
filios ſuos, Titum & Domitianum *Cæſares* ſtatim nominauit, videlicet imperii ſucceſſores: quod et-
iam factum eſt. Idem fecit Neruа, qui occiſo Domitiano, Auguſtus creatus, adoptiuum filium Tra-
ianum *Cæſarem* creauit. Neruæ exemplo, Traianus Hadrianum; Hadrianus L. Commodum pri-
mo; mox Antoninum Pium; Pius Marcum & L. Verum adoptarunt, *Cæſareſque* nominauerunt. III.
Mortuo autem Imperatore Pio, Marcus maior eius adoptiuus filius, ex Cæſare Auguſtus factus, fra- *Duo ſimul*
trem adoptiuum quoq; natu minorem, L. Verum, ex Cæſare, ſecum *Auguſtum* nominauit. Tuncq; *Auguſti, quando exorti.*
primum duo Auguſti eodem tempore eſſe cœperunt: quod antea nunquam factum fuerat. Non
longe poſt, Imperatore L. Vero mortuo, idem Marcus filio Commodo, quem *Cæſarem* antea ap-
pellauerat, eundem contulit honorem, ſecumq; *Auguſtum* dixit, qui pari poteſtate cum patre erat:
erantq; ſimul duo Auguſti, hoc eſt duo æqualis auctoritatis Imperatores. Nam Cæſares Auguſtis
minores erant, iiſque tanquam pater filio ſubiecti. M. Antoninum imitatus eſt Imp. Seuerus, qui an-
te obitum duos filios ſuos, Caracallum & Getam, *Cæſares* primo; mox vtrumque *Auguſtum* appel-
lauit. Quo tempore primum tres Auguſti ſimul fuerunt. Marci & Seueri exempla, omnes deinceps
fere ſequentes Imperatores ſequuti ſunt, qui filios ſuos vel naturales vel adoptiuos *Cæſares* primo; IV.
deinde *Auguſtos* dixerunt. Idq; fieri ſolebat, non ſine militum & Senatus conſenſu atq; approba- *Quando tres.*
tione: quibus tamen nunquam refragatum fuiſſe legi. Cæſaris igitur nomen & dignitas, imperii V.
tantum certam ſucceſſionem ſignificat; ſicut Auguſti certam rerum poſſeſſionem, ſimilitudine ab *Diſcrimen inter Cæſarum*
antiquis Imperatoribus ex Cæſarum genere ortis accepta qui ante imperium *Cæſares*, mox eo ade- *Auguſtiq; ap-*
pto *Auguſti* appellabantur. Principes autem Romani, Imperatores & Auguſti, non Reges vel Di- *pellationem.*
ctatores dicebantur, & ſi omnia regia vel dictatoria iura haberent, (nominibus enim odioſis abſti- VI.
nuere) quod *regis* poſt exactos Tarquinios lege Iunia, *Dictatoris* vero, Caio Cæſare occiſo, lege *Cur principes nec reges, nec*
Antonia, ex S. C. populiq; iuſſu, nomina abolita & ſublata fuerant. *Imperatoris* autem nomen, erat *dictatores.*
veteris Reipublicæ Ducum, Conſulum, Proconſulum, Prætorum & Dictatorum: qui quum res VII.
triumpho dignas contra populi Romani hoſtes geſſiſſent, eo nomine à militibus honorabantur, *Sed Imperato-*
dicebanturq; *Imperatores exercitus. Cæſaris* nomen habent à primo Cæſare Dictatore, qui ſingulare *res appellati;* VIII.
imperium fundauit, tanquam hæreditarium, quo Cæſar Auguſtus eius adoptiuus filius primo, mox *Et Cæſares.*
ſequentes Imperatores nominati fuerunt. Ab Auguſto quoque, iidem Imperatores, *Auguſti* etiam IX.
dicti ſunt, quod Auguſtus ipſe primus omnium imperium ſingulare populi Romani, additis certiſ- *Et Auguſti.*
ſimis quibuſdam firmamentis, ſtabiliuit, & tanquam hæreditarium fecit.

CAPVT IV.

Orientalis imperii origo, & Occidentalis excidium, cum eius reſtitutione edocentur.

AVITO autem imperandi more, CCCXXV. interregni anno reſtituto, poſteaquam abdicante
Auguſtulo imperium occidentale eſſe deſierat, Caroloque Magno Francorum Rege, Romæ
S. P. Q. R. ſuffragiis Imperatore appellato, atq; à Leone III. pontifice Maximo, more Imperatoris
Conſtantinopolitani inuncto, & aureo diademate redimito, nouæ quædam paulatim ſucceſſe-
runt in hoc imperio conſuetudines, de quibus in præſenti ſum verba facturus. Sed quo omnia accu-
ra-

curatius intelligantur, non abs re erit exponere, quanam ducti occaſione Romani, Carolum Magnum, tunc, Imperatorem occidentis appellauerint, quum non longe ante imperii Orientalis pars fuerint. Res autem eſt paulo altius repetenda.

Quamobrem antiqua ſedes Imperatoria, Conſtantinopolin tranſlata ſit.

Conſtantinus Magnus Imperator, Maximiano Galerio mortuo, Maxentio, Licinio, Maximino, cæteriſq; aduerſarum factionum tyrannis è medio ſublatis, quum ſolus iam orbis terrarum imperio potiretur, id ſibi in animum induxit agere, quod Cæſar dictator primo, mox Seueri Imp. filii, Caracallus & Geta aliquando cogitarunt, vt nouam & maximam in Oriente vrbem conderet, in qua parte opum imperii translata, eam in omnibus Romæ parem faceret, qua orientis imperium firmaretur, atq; Perſarum opes toto Orienti imminentes, & formidabiles facilius contunderentur. Germanos enim Dacos, Getas, Sarmataſq; & cæteras barbaras nationes, quæ inter Rhenum, Danubium, mare Oceanum & Scytharum ſolitudines continentur, adeo grauibus & atrocibus bellis repreſſerat cohercueratq; in ſolo etiam barbarico, vt nullæ incurſiones, nullaq; vis amplius ex Septentrione, nullus quoque metus ab iis gentibus oriri poſſe, facile arbitratus ſit, tutiſſimaſque exiſtimauit eſſe eas imperii, quod poſtea Occidentale dictum eſt, prouincias, quæ antea earum gentium excurſionibus infeſtatæ fuerant. Quare ad Perſarum opes, longe lateque per Orientem omnem ſe extendentes, vel euertendas, vel ſaltim debilitandas, hanc nouam vrbem in iis partibus extruendam curauit, qua facillime Perſæ adoriri poſſent, atq; etiam ea nouæ vrbis à ſe conditæ exædificatione; ſibi gloriam quæſiiſſe viſus eſt. Commodiſſimum enim tunc videbatur, & ad imperii conſeruationem quam maxime profuturum, ſi altera vrbs, Romæ par, in Oriente eſſet, cuius robore ita Orientis imperium firmaretur, ſicut vrbis Romæ fortitudine, occidentale ſubſtentabatur. Quumque Orientalium omnium, & Syrorum præcipue, animos leuiſſimos eſſe conſtaret, & ad quamlibet rebellionem pronos, eos in officio teneri poſſe exiſtimauit, hac nouæ vrbis in iis partib. conditione. Tandem quum multos, per diuerſas orientis partes, ſitus tentaſſet, & quæſiiſſet, neq; omnino ſibi ſatisfaceret, ad hoc tandem deuentum eſt, vt antiqua Bizantium, quam in Auguſtiſſimo Europæ Aſiæq; Euripo, Lacedæmonii, Pauſania duce, olim Coloniam condiderant, & bello ciuili Peſcenniano, quod Nigro conſtantiſſime adhæſiſſet, Seuerus Imperator penitus exciſam in vici formam redegerat, reſtitueretur. Tuncque Conſtantinus vrbem ampliore mœnium circuitu conſtruxit, Romæ operibus etiam & nomine, æmulam futuram, quam cum variis ſignis, ac monimentis vndiq; conquiſitis ornaſſet, eam ex ante diem v. Idus Maii, Mariæ virgini dedicauit, anno Salutis ∞ ccxxxi. Anno Baſſo & Ablabio Ægyptio conſulibus. Anno vero, ex quo Auguſtus appellatus fuerat xxv. Tuncq; populi Romani imperium diuiſit, in orientale, cuius caput fuit vrbs à ſe condita, tunc *noua Roma* dicta: & occidentale, cuius ſedes fuit *antiqua Roma*. Duos quoq; in futurum Imperatores fieri procurauit, alterum qui occidenti, alterum qui orienti præeſſet. Prouinciæ omnes tranſmarinæ orientales, ab Auguſto Propontidis freto, ad Nili vſq; oſtia & Ægyptum, qua Africæ contermina eſt: Illyricus quoq;, Epirus, Achaia, Græcia, Theſſalia, Macedonia, Thracia, Creta, Dacia omnis, & Mœſia, ceteræq; eius tractus prouinciæ, imperio Orientali adiudicatæ. Hiſpania vero, Britannia, Galliæ, Noricum, Pannoniæ, & cæteræ Germaniæ prouinciæ, Dalmatia, Africa, omnis & Italia, Occidentalis imperii fuerunt. Et quum orbi Romano diu ante ciuitas data fuiſſet ab Antonio Caracallo, ſenatores omnes lecti ex Occidentalis imperii prouinciis, Romæ manſerunt; ex orientalis vero, Conſtantinopolin tranſlati. Eadem & de Coſ. ratio fuit. Quum enim duo Conſules more vetuſto eſſent, quo vrbem à ſe conditam in omnibus Romæ parem faceret, alterum ex Conſulibus Conſtantinopoli, alterum Romæ manere inſtituit. Tuncq; imperium omne Romanum tutiſſimum factum eſſe exiſtimauit, duabus vrbibus, tanquam firmiſſimis propugnaculis, hinc à Germanis, illinc à Perſis defenſum. Eadem quoq; priuilegia, immunitates, dignitates, & honores, quibus vrbs ipſa, ab antiquis Imperatoribus exornata fuerat atq; illuſtrata, Conſtantinopoli conceſſit. Quam etiam in xiv. regiones diuiſit, eius Præfectum inſtituit, iiſdem priuilegiis donatum quibus Præfectus vrbis Romæ. Pleraſq; nouas dignitates, & magiſtratus excogitauit. Quum enim Prætorianos, quod pro Maxentio contra ſe ſtetiſſent, exauctoraſſet, quatuor Præfectos prætorio inſtituit, quibus poſt principem ſuprema auctoritas eſſet, quorum munus longe diuerſum ab antiquis præfectis prætorio eſſet. Orbem enim vniuerſum Romanæ ditionis, in quatuor præcipuas partes, ſiue diœceſes diuidens, ſingulis vnum ex iis Præfectis præpoſuit, qui in prouinciis ſibi creditis Imperatorum vices gererent. Vnum enim Africæ & Italiæ, alterum Hiſpaniæ, Galliis, Britanniæ & Germaniæ præpoſuit: quorum prior præfectus prætorio *Italiæ*, alter *Galliarum* dicebantur: eoſq; Imperatori occidentis ſubiecit. Prouinciis autem reliquis Ciſmarinis, qui Orientis Imperatoris ditioni ſuberant, quas omnes vno *Illyrici* nomine comprehendit, Præfectum tertium præpoſuit, dictum *Præfectum prætorio Illyrici*. Quartum vero Præfectum prætorio Orientis ordinauit, qui omnibus trans mare Romanis prouinciis præerat. Hos vero duos Præfectos Orientis Auguſto parere voluit.

II. *Temeritas Conſtantini ex qua, orta occidentalis imperii ruina.*

Hoc autem vnum, neſcio, quam bene fecerit, quod præcipua imperii ſubſtentacula, limites videlicet Romani orbis, qui ab Auguſto ſuper Rhenum, & Danubium xv. legionum præſidio addito, prouidentiſſime firmati fuerant, tranſlatis in orientem exercitibus, ſubſtulit: quorum loco caſtella, munitiones quaſdam condens, debilibus admodum præſidiis eas ripas munitaſq; reliquit, quæ per tot annos egregia Romanorum militum virtute, ab immaniſſimis barbaris defenſæ fuerant. Ex qua re, Occidentalis imperii primo, mox etiam Orientalis ruina manauit. Orientale enim imperium, quia fortioribus præſidiis munitum, & à minoris roboris barbaris, inuaſum fuit, diutius man-

tius manſit, quamuis paulatim Imperatorum Græculorum incredibili ignauia ad nihilum fere redactum, demum à Turcis, auorum memoria omnino abſumptum fuerit. Imperium vero occidentis Rom. xv. ad minus, fortiſſimis legionibus ſpoliatum, quibus ad ea vſq; tempora conſeruatum fuerat, atq; à valentiſſimis barbarorum, Gothorum, Alanorum, Burgundionum, & Francor. copijs inuaſum, cum qui coercerent eorum impreſſiones, nullus amplius eſſet exercitus, quamprimum corruit, & in barbarorum poteſtatem deuenit. Vandali.n. Africam, Franci & Burgundiones Gallias, Saxones, Angli, Picti & Scoti Britanniam, Hunni, Gepidæ & Longobardi Germaniam, Oſtrogothi & Alani Hiſpanias, Heruli & Viſegothi Italiam, cum vrbe ipſa olim rerum domina, breuiſſimo temporis interuallo, pulſis ijs, qui remanſerant Romani Occidentalis imperij debilibus præſidijs occuparunt, qui omnes barbari Septentrionales fuerunt, ijs potiſſimum ripis egreſſi, quas tanto ſtudio, ac xv. fortiſs. legionibus, ad imperii tutelam, contra eorundem barbarorum incurſiones, diu ante D. Auguſtus prudentiſſimus princeps, & ad æternitatem Romani nominis natus, munitas, Conſtantin. demum, abductis, quo res ſuas in Oriente firmaret, legionibus, ſpoliauit. Barbari.n. quos omnino ſtrauiſſe Conſtantinus exiſtimauerat, haud diu poſt eius obitum, fluuiorum ripis traiectis, nullo negocio oppida & caſtella, tenuioribus præſidijs munita, quæ vtriuſque ripis Conſtantin. extruxerat, expugnantes, Romanas prouincias & imperium ipſum primo miſere deuaſtarunt, & poſtremo Italia capta, & Imperatorib. exactis, breui præclariſſima omnium vrbs, Roma, imperij paulo ante domicilium, fœdiſſimorum barbarorum mancipium facta fuit. Vix enim c. & xl. anni à Conſtantini morte elapſi erant, cum Odouacer Herulus rex Gothorum, Auguſtulum nouiſſimũ Occidentis Imperatorem, Oreſte patre ſuo, qui filio imperium parauerat, occiſo, imperio Italię, quę vna tantum prouinciarum omnium occidentaliũ ſupererat, exegit: Italiaq; & vrbe Roma, nobiliſſima imperij Occidentalis parte potitus eſt. Poſt quem octo alij Gothorum reges, rebus Italicis LXXVII. annorum interuallo præfuerunt. Ii fuere: Theodericus, Athalaricus, Theodahatus, Vitiges, Ildoualdus, Araricus, Totilas & Teias. Quorum incredibili virtute, quum longo temporis ſpacio, quo in Italia fuerũt, iam mores Italicos imbibiſſent, & ſapientia; vrbs ipſa priſtinum imperij decus recuperare poſſe videbatur, ſi per Iuſtinianum Imperat. licuiſſet, qui adeo egregie, prudenter & perhumane res Italicas moderati ſunt, vt eorum imperium non barbarorum, ſed nobiliſſimorum ciuium videretur. Romanas enim literas, mores & conſuetudines adeo hauſerunt, vt nihil inter eos & Romanos ipſos diſcriminis eſſe appareret. Belli quoq; & pacis artibus clariſſimi euaſerant, vt cũ antiquis bonis Imperatoribus conferri poſſent: quæ tamen omnia ipſis parum valuerunt. A Iuſtiniano.n. Imperat. iniuſte admodum bello petiti, tanquam imperij inuaſores, XVIII. anno tandem non ſine maximis totius orbis, & præſertim miſeræ Italiæ cladibus, per Iuſtiniani duces, Beliſarum & Narſim, Italia omni penitus exacti ſunt. Quæ ſtatim orientis imperio acceſſit. Quæ res omnium malorum, diſſenſionum, diſcordiarum ciuilium, inteſtinorumque bellorum, quibus poſtea infelix Italia toties, & per tot annos vexata fuit, maximam attulit occaſionem, ita vt præclare admodũ nobiſcum actum fuiſſet, ſi id Iuſtinianus ipſe nunquam attentaſſet. Gothis exactis, & Italia imperio Orientis adiuncta proprium Imperat. vel Regem habere deſijt, quæ olim imperium ipſum pepererat: atq; ad eas prouincias tranſijt, quæ à Romanis ipſis victæ fuerant: adeo vana, fluxa, mutationibuſq; & interitui obnoxia ſunt, ea quæ tantopere, vt æterna, miramur: Quo interim tempore cum Narſes, qui pro Imperat. ducis titulo Italiam obtinebat, iniurijs Sophię Imperatricis laceſſitus, Longobardos, ad Italiam poſſidendam euocaſſet, quorum præcipue opera bello Gothico vſus fuerat: rurſum, vix XVI. anno finito, ex quo Gothi Italia exacti fuerant, ſæuiſſimis bellorum procellis infelix prouincia expoſita fuit. Longobardi enim eam ingreſſi, omnia reliſtentia ferro flammiſq; immanium barbarorum more conſumpſerunt. Nam per ea tempora, mortuo Narſe, in eius locum Imperat. Iuſtinus iunior contra Longobardos, Longinum patricium, præfectum ſuum, ducem miſit: qui Exarchi titulo eam Italiæ partem obtinuit, quam Longobardi primo illo impetu inuadere non potuere. hinc variæ cędes, crebra prælia, vrbium expugnationes, direptiones, incendiaque fieri cœperunt, dum illi aliena appetunt, is ſua defendere nititur; atq; per ducentos fere annos ijs cladibus laboratum eſt. Quorum deniq; interuallo Longobardi poſt multas cædes, rapinas, incendia, prælia, & alia id genus, quæ in bellis contingere ſolent, Imperatoris Orientis & Græcorum omnibus præſidijs, qui eorum primo impetu ſuperfuerant, pulſis atq; cæſis, libere Italia fere omni potiti ſunt, vrbe ipſa excepta. Ad quam obtinendam Rauenna Exarchorum ſede, paulo ante poſt multos labores capta, aſpirare cœperunt. Quo interim tempore eorum furori à Romano Pontifice, cuius tum auctoritas maxima eſſe cœperat, partim precibus, partim pollicitationibus (bello enim decertare impar erat) obuiam itum eſt. Durum namq; & aſperum Romanis videbatur, barbarorum tum iugum ſubire, libertati iam per [illegible] c. fere annos aſſuetis. Romanus quoq; Pontifex, qui ſanctitate & doctrina, & vitæ integritate præfulgebat, *Romanorumque caput*, *Princeps & Conſeruator* appellabatur, non æquo animo, populum ſibi creditum, Longobardorum ſæuitiam & duritatem ſubire ferebat. Quare quum ab Imperatoribus Orientalibus ſæpius auxilia à Romanis contra Longobardorum immanitatem implorata eſſent, eaq; ab eis negarentur: tum quod imbecille factum imperium, ad vicina loca à Sarracenis, Auaribus, Bulgaris, Hunnis, & cæteris circumvicinis barbaris tuenda, vix ſibi vires ſuppeditarent: tum etiam quod Conſtantinopolitani Imperatores in fœdam Iconomachię hæreſim lapſi, maximas & pluſquam hoſtiles, cum Romano Pontifice acriter ipſorum inſaniæ aduerſan-

III. Quando & à quo occupatum primum occidentale imperium.

IV. Quam prudenter ab inuaſoribus adminiſtratum.

V. Quam imprudenter recuperatum à Iuſtiniano.

VI. Mox vero iterum ereptum a Longobardis

VII. Sed non ſtatim totum.

VIII. Tutante ſuam ſedem, quoquo modo, Pontifice.

IX. Quoad confugiendum ad Francos, putaret.

Ob cauſas, quas inſtat Lupold. de Babenberg de translat. Imp. c. 4. Sleid. in orat.

19. Radulphus de Columna de translat. Imp. §. hoc itaq; pont. Alb. Gent. 1. de iure belli. Iniuſtas ac veteratorias, pronuncias,

uerſan-

ad princip. Imp.

verſanti, ſimultates gerebant: tunc primo ad Francorum potentiſſimos Reges, à Romana ſede, reſpici cœptum, eorumq; præſidium contra Longobardos imploratum. Non poſſum autem vehe-

X. *Præcipua cauſa abdicandi orientalis imperij impietas Lud. iunior Imp. in apol. ad Baſ. Imp Conſt. ap. Heminiſ. Conſt. Imp tom. 1. ad annum 871.*

menter non mirari horum temporum conditionem, Orientalium principum maximam ſine fructu impietatem, qua præcipue factum eſt, vt occidentalia iura omnino amiſerint, nouuſq; Imperator Romæ in Occidente creatus ſit Carolus Magnus. Quum enim Diuorum imagines, Conſtantinopoli, & in Oriente vndiq; impie admodum abradi iuſſiſſent, id quoque Romanum Pontificem interminato mortis metu, facere perſuaſerunt: Sed inuicta aduerſus eorum amentiam Conſtantini & Gregorij II. Romanorum Pontificum pectora, ipſorum nefaria iuſſa non ſolum contempſere, ſed eos etiam varijs notis & ignominiis affecerunt. Nam Conſtantinus Papa Philippici, hæretici Imperatoris nomen in miſſarum ſolennijs reticuit, eius imaginem Romæ in nummis cudi vetuit, atq; eam in eccleſiam introduci non permiſit, epiſtolas omnes & decreta reſpuit: primuſq; omniũ Romanorum Pont. fuit, qui aperte & palam Imperatorum furori reſiſtere poſſe docuit. In Leonis

XI. *Imperatori reſiſtere, quis Pontificum primus docuerit? Ac negare ei, tributa?*

quoq; Iſauri Imperatoris, Iconomachorum omnium perditiſſimi, contumeliam, Gregorius Papa II. paulo maiora auſus, tributa omnia & vectigalia, tam Italiæ, quam Vrbis Romæ, ei impendi ab vllo acri ſub anathemate prohibuit. Quare factum eſt, vt ipſorum impietate, quicquid eorum ditionis reliquum fuerat in Occidente, paucorum annorum interuallo amiſerint. Quam ob cauſam Romanus populus, ipſeq; Pontifex Gregorius II. cum à Longobardis premerentur, ad Francorum regum opes, longe lateq; per Occidentem florentes, primum confugere, quas contra Longobardos in ſui auxilium ſæpius euocarunt. Carolus enim Martellus, Francorum dux potentiſſimus, primo pro Gregorio ipſo, apud Luitprandum Longobardorum regem precibus egit, mox eius filius Pipinus, contra Aiſtulphum Stephanum II. [c. 10. cauſ. 23. q. 8.] armis defendit. Deinde paternæ atque auitæ pietatis hæres, Carolus Magnus, Romanam ſedem vrbemq; ipſam, pro Hadriano primo, cõtra Deſiderium Longobardum * bello egregie tutatus eſt, donec, quum quieſcere nollent, poſtre-

** d. c. 10. & c. 22. diſtinct. 63.*

mo ab eodem Carolo prælio victi, Papiaq; eorum regni ſede, cum rege Deſiderio in ſuam poteſta-

XII. *Mutua Caroli Magni ac Pontificis beneficia*

tem redacta, à Francis in deditionem omnes accepti ſunt. Quum autem his factis, Romanam præterea ſedem magnis opibus & temporali ditione extuliſſet (quippe Rauennam cum Exarchatu, Flaminiam & Picenum prouincias, de Longobardis captas, ſedi Romanæ liberaliſſime largitus eſt) & ipſe viciſſim ab eadem ſancta ſede magnis honoribus & dignitatibus auctus fuit. Francorum enim primo, mox Longobardorum rex inunctus, Patricius Romanorum poſtea creatus eſt: quæ tum ſu-

XIII. *Cauſa & occaſio ornandi Carolum Magnũ dignitate Imperatoria. Adde n. 9. h. c.*

prema in vrbe dignitas erat. Hæc a. dum in Occidente gererentur, Conſtantinopoli, Eirene mulier, filio Conſtantino, Imperio priuato, oculiſq; (familiari Græcorum pœna) erutis imperij habenas ſola ſuſceperat tractandas, quod nouum omnino, & ad eam vſque diem Conſtantinopoli inauditum fuerat. Quare cum Rom. imperij maieſtas omnia ſibi barbaris vendicantibus aboleſceret, neq: in ea fœmina, quamuis altæ indolis, multum præſidij ineſſe videretur, eius rei occaſione Romani adducti, & præcipue Leo Papa III. qui tum viuebat, eiuſdem populi ſcito, clerîq; rogatu, Carolum Magnum Francorum regem & patricium Romanorum, qui per eos dies in vrbem venerat ob egregia, in Chriſtianum nomen, & Romanam ſedem merita, Romanorum Occidentis Imperat. primus appellauit, inunctumq; ac diademate aureo redimitum, *Auguſtum* appellauit VIII. Calend. Ian. die, pcelebertrimo Chriſtiani natalis, ineunte an. à partu Virginis DCCCI. poſteaquam vero in Italia imperari deſitum fuerat, CCC. & XXV. Regni vero eius, ex quo Francis præerat XXXIII. Subſecutaq; mox populi Rom. acclamatio eſt: CAROLO AVGVSTO, MAGNO, & PACIFICO, VITA & VICTORIA. Hac igitur ratione Carolus Francor. rex primus ex Francis, Romæ veteris, & Occidentis Imperator creatus eſt, auito imperandi more poſt longiſſimum interregnum, Occidenti tandem reſtituto.

CAPVT V.

Qua ratione Imperatores Francos, Occidentales, in eius Imperij Primordiis creari mos fuerit.

I. *Imperium Romanum, Francis imperantibus, initio hereditarium fuiſſe, ait & Sbhard. de orig. el. c. 1. Andr. Knich de Sax. non prat. priu. verb. Elector. c. 1. n. 11. Hyg. p. 1. q. 3 n. 12. Cabot. 1 diſt. 10. & 13. M. Fischer. orig. Pal. c. 15. Negat Fr. Hotoman. Francogal. c. 7. 15.*

IMperium autem Francicum Romanum, hereditarium in ſui primordio fuit. Carolus enim Magnus Ludouicum Pium filium; Ludouicus Pius Lotharium; Lotharius Ludouicum II. filios, heredes imperij reliquerunt. Mox Ludouico ſine liberis mortuo, eius patruus, Carolus iunior, Pij Ludouici filius, rex Francorum Occidentalium, tanquam ei, cui ex hereditate imperij iura rite deuenirẽt, Romam veniens, Imperatoris nomen à Romanis proceribus, & Ioanne VIII. Papa magna pecuniarum ſumma mercatus eſt. Cui filius Ludouicus Balbus ſucceſſit. Quo vita functo, Carolus III. Ludouici regis Germaniæ filius, Ludouici Pij Imper. nepos, imperium à Romano populo, & eodem Ioanne Papa VIII. obtinuit, quod Ludouico Balbæ affinitate cæteris coniunctior erat, cui ſine liberis decedenti, eius fratris Carolomanni filius Arnulphus ſuffectus eſt, poſt quem eius filius, Ludouicus IV. imperium obtinuit, ijq; omnes ſunt Imperatores ex Caroli Magni gente, qui iure potius hereditario, quam aliqua principum lectione ad imperium euecti ſunt. Quorum temporibus nulli ritus, nullæ ceremoniæ in imperij comitijs erant, præterquam, quod cum primum Imperator & Auguſtus renunciatus fuiſſet, à Romano Pontifice vngebatur, aureoque diademate coronabatur, tanquam Romani imperij, imo totius orbis primario ſacerdote: more accepto ab Imperatoribus Orientalibus, qui à patriarchis Conſtantinopolitanis, primatus imperii Græcanici pontificibus conſecrati, aurea corona redimibantur. Cuius conſuetudinis (quamuis nihil certi, quod afferam;

II. *Mos vngendi & coronandi Imperat. Francicum à pontifice. Vnde acceptus? Sbhardus de pontific. mutat. conſtit. c. 2.*

ram, habeam) Iuſtinum iuniorem auctorem facile mihi perſuaſerim: neque enim ante ipſum aliquem Imperatorem Conſtantinopoli coronatum fuiſſe, vel vnctum initio Imperij, iis cum ceremonijs ab aliquo patriarcha, vnquam (quod ſciam) me legiſſe memini. Hunc vero coronandi Imperat. Occidentis morem primi inſtituiſſe videntur Leo Papa III. & Carolus Magnus. Eratque coronatio ipſa, perinde ac præcipuum ſignum legitimi imperij, ſicut antiquis Imperatoribus erat: ignis prælatio. Qua coronatione demonſtrabatur, eum hominem vel regem, aut ex priuato ad imperium euectum, aut id iure hæreditario conſequutum, ius habere in omnes imperij partes, tanquam veros & legitimos Romanos principes. Porro autem, etſi ſatis conſtet, aliquos Imperatores bis inunctos & conſecratos à Roman. pontif. vel ex eius auctoritate, ab alijs epiſcopis, id variorum regnorum ratione factum fuit. Nam Carolus Magnus primo à Stephano II. Papa, rex Franc. inunctus eſt: mox ab Hadriano Pont. Max. Longobardorum: poſtremo à Leone Papa III. Imper. Roman. coronatus fuit. Simili ratione Ludouicus Pius, eius filius, ab Hadriano primum coronatus fuit rex Francorum, mox à Stephano III. Auguſtus appellatus. Item Ludouicus iunior, à Sergio Papa II. Longobardorum primo, deinde ab Hadriano II. pontif. Max. Imp. Auguſtus inunctus fuit. Reges enim vngi, pauloante in Occidente vſurpari cœptum fuerat. Idque in Gallijs primo factum, quod in Conſtantinopolitanis Imperatoribus mutuatum eſt, qui id ab Hebræis didicere. Primus enim (quod ſciam) regum in Occidente vnctus eſt, Pipinus rex Francorum à S. Bonifacio Moguntino Archiepiſc. ex auctoritate Zachariæ Papæ fortaſſis, quia primus eſſet, qui ex priuato & non ex regio ſtemmate Francis præpoſitus fuerit, Merouingorum ſtirpe regia, regno mulctata, quem deinceps cæteri reges Francorum primo, mox Imperatores imitati ſunt. Iccirco igitur Imperatores, primo reges Francorum vel Longobardorum vngebantur. Quum enim nunquam in hoc imperio vſuvenerit, vt non niſi reges ad imperij faſtigium proueherentur, regeſque & Imperatores vngi mos inualuiſſet, ideo iterum Auguſtos vngi & coronari contingebat. Illud autem non ignorandum, à quatuor primis Francis Imperatoribus minime obſeruatum fuiſſe, quos ſequentes principes religioſe admodum coluere. Ipſi enim cum ex ſola hæreditate, nullo electionis iure, ſibi inuicem ſucceſſiſſent, Auguſti vel Imper. nomen non die ſuæ coronationis, à Rom. Pontif. aſſumpſere, ſed eo potiſſimum die, quo à patre appellabantur Imperatores: à quo etiam die eorum imperii annos numerare ſolebant, nulla habita conſecrationis Pontificiæ ratione. Id autem ſatis ex eorum priuilegijs & diplomatibus liquet, in quibus tam ante, quam poſt Romani pontificis coronationem, ſeipſos *Imperatores Cæſares & Auguſtos* appellant. Quod nullus ſequentium deinceps Imperatorum fecit: qui ante Pontificiam coronationem ſe *reges* tantum, vel *electos Imperatores* appellare conſueuerunt: poſt ſupremam vero, quæ Romani Pont. erat, vnctionem omnes antiquorum

A quo inuectus? Schard. d. c. 2. cur vſurpatus?

II. Cur quidam Impp. bis inuncti?

III. Qui regum in occidente primus vnctus, & quamobrem.

IV. Cur quidam nomen Imperatorum ante coronationem pontificiam aſſumſerint? Sed pauci.

V. A quibus deinceps omnes receſſerunt. Etiam Maximilianus I. Qui ad Brunſuigam ſcribens Wir *(inquit) &c.* Röm. König/künfftiger Keyſer. *Anno 506. Act. civ. Brunſuic. p. 2. f. 49. Etiam Carolus, Sleid. libr. 2. Etiam Ferdinand. Maximilianus 3. ac Rudolph. noſter: docentibus imperii receſſibus, & reſcriptis, collectis eximio ſtudio Melch. Haiminsfeldij. Omnes enim ſe non imperatores: ſed electos Impp. vel reges: in ſolennibus titulis, ante coronationem vocarunt. Niſi quod Carol. V. eodem electi Imp. tituli, etiam poſt coronationem vſus, in receſſ. Imp. legitur. Atque ſecundum illud accipiendus, ne falſus ſit, Knichenius de Sax. non prov. c. 1. n. 41. verb. electorum.*

Auguſtorum titulos aſſumere ſolebant. Idque primus omnium obſeruauit Carolus II. cognomine Craſſus, Ludouici pij Imperatoris natu minor filius: qui, quum poſt mortem Ludouici II. Imperatoris, fratris ſui, Lotharij Auguſti, filij, ſtatim *Imperator* appellatus fuiſſet, non tamen ſe imperatorem vel Auguſtum nominauit, ſed tantum *regem Francorum*, [extat Caroli Craſſi conſtitutio de feudis, cum notis præclariſſimi Freheri, hoc ipſum teſtificans. Principio tractatus de feudis Guil. Fornerij. Et conſtit. Haiminſf. tom. 1.] vſque ad VIII. Calend. Ianuarias proximas, ineuntis anni Chriſti DCCLXVI. Quo die à Ioanne Papa VIII. Romæ inunctus, & Imperator coronatus fuit. A quo tempore deinceps ſe & *Imperatorem*, & *Auguſtum* dixit, atque hoc modo in diplomatibus ſcribebat *Datum anno regni noſtri* XLII. & *imperij* I. Quod omnes poſtea eius ſucceſſores, vſque ad noſtra tempora religioſe admodum obſeruarunt. Eius autem rei cauſa fuit, quod ipſe primus omniũ imperium, nec ſola hæreditate, nec ſola electione habuit. Nam neque heres à Ludouico II. Imp. ſine liberis decedente, inſtitutus fuerat. neque ab vllo electus, ſed per ſeipſum, imperij titulum accipiens (tanquam is, ad quem hæreditario iure pertineret, quod ipſe Imperatoris filius, & defuncti Auguſti patruus fuiſſet) Pontificiam imperij coronam, Romanique P. conſenſum magna pecunia emit. Multi enim prætereà tunc erant, Ludouici Imper. mortui propinqui, qui ad imperium aſpirabant: vt Ludouicus, ipſiuſmet Caroli natu grandior frater, & eius filij Germaniæ reges, quumque mortuo Ludouico II. incertum eſſet, an ipſe Carolus, vel frater eius atque ipſius filij, *Auguſti* eſſent appellandi, ideo ab eo potiſſimum coronationis Pontificiæ die imperij nomina & titulos ſuſcepit, qua tum ei vni ſtabilitum imperium fuit, tam ex Papæ, quam ex Rom. Pont. conſenſu. Quod poſtea à ſucceſſoribus Imperatoribus obſeruatum eſt. Ei autem vita functo, in regno Francorum & imperio ſucceſſit filius Ludouicus III. Balbus, & ipſe bis conſecratus, primo rex Franc. ab Archiepiſcopo Remenſe, & Imperator à Ioanne VIII. Papa: quo breui ſine legitima prole mortuo, regnũ quidam Francorum Occidentalium, ad eius filios ſpurios deuenit: imperij vero iura & titulos, nulla electione expectata, tanquam in eagente hæreditaria arripuit, eadem qua Carolus II. ratione ductus, Carolus III. cognomine Caluus, defuncti Imp. Balbi patruelis, filius Ludouici regis Germaniæ, nepoſque Imp. Ludouici Pij, qui tum Germaniæ regnum iure hæreditario obtinebat. Carolus enim Magnus, rex Francorum & Imperator, eiuſque ſucceſſores, prouincias & imperij regna filijs partiti ſunt, vt nunc in rebus priuatis fieri ſolet. Mortuo vero Carolo III. ſine filijs, regnum Ger-

VI. Primus autem Carolus Craſſ. Schard. de pontif. mut. conſ. c. 2. f. 141.

VII. Pontifici vendens regnum abblandiens.

6

maniæ, & imperij titulos, tam iure hæreditario, quam ex principum lectione, deuenit ad Arnulphum, eius fratris Carolomanni regis Bauariæ filium, qui à Metropolitano Germaniæ, Moguntino Archiepiſc. Luitberto coronatus, *Rex* tantum *Germaniæ* primo appellabatur. Deinde IX. anno poſt à Formoſo Papa Rom. conſecratus, *Imp. & Auguſti* titulos aſſumpſit. Omnes autem ſuperiores principes *Auguſti* appellati ſunt, & in Imperatorum numero ideo à poſterioribus cenſentur, quod imperij diadema omnes à Romanis Pont. habuerint. Ex quibus primus Carolus Magnus, ex Romanorum lectione tres ſequentes ſola hæreditate: quatuor vero poſteriores ex hæreditate quidē, verum accedentibus Romani pontificis, Romanorum, Italiæ & Francorum conſenſu atque approbatione. Ludouicus vero Arnulphi filius iure hæreditario Germaniæ regnum, poſt patris mortem obtinuit. Coronatus autem ab Archiepiſcopo Moguntino Hattone, *rex Germaniæ* tantum dictus eſt. *Imperatoris* autem vel *Auguſti* nomina nunquam aſſumpſit, quod Pontificia coronatione caruerit, qui ſi à Romano pontifice more maiorum ſuorum conſecratus fuiſſet, inter Imperatores

VIII. *Pura puta electio, quando inualuerit.*

enumerari deberet, ſeque ipſum Imperatorem appellaſſet. Quo demum ſine filijs vita functo in Germaniæ regno, tunc primum pura puta electio eſſe cœpit, quæ ex ſola procerum regni arbitrio & voluntate dependebat, quum nullum iam hęreditarium ius amplius eſſet. Verum *Auguſti & Imperatoris* ſpecioſa nomina, atque imperij dignitas, tranſalpes, multis annis omnino eſſe deſijt. Arnulphi enim, & eius filij Ludouici ignauia incredibilique ſocordia, cum Italici aliquot principes ab imperio Francico defeciſſent, Italiæ ſibi regnum vendicantes, imperij quoque inſignia & titulos à Romanis Pontificibus, permultos annos obtinuerunt. Quorum primus fuit Vuido quidam, Dux Spoletanus, Longobardici ſanguinis vir, qui contra Arnulphum, competitore Berengario fugato, imperium ſibi Italiæ vendicans, anno Domini D. CCCXCVIII. *Imperatoris* quoque & *Auguſti* nomina à Romano Pontifice coronatus aſſumpſit. Poſt quem etiam eius filius Lambertus Italiæ regnum ſub *Auguſti* nomine à Romano & ipſe Pontifice inunctus obtinuit. Quo mortuo Berengarius ex duce Foroiulienſi, ſub Auguſti & Imperatoris titulis, & poſt eum Rudolphus Burgundionum rex, Hugo comes Arelatenſis, Lotharius eius filius, Berengarius II. primi ex filia nepos, & eius filius Adelbertus, regnum nomine Italiam tenuerunt. Germaniæ vero reges poſt Arnulphum imperij nomina & titulos omnino amiſere: quum iam vſu confirmatum eſſet, id regnū *Imperium* vocari non debere, vbi Rom. Pontificis deeſſet conſecratio. Quod ita eſſe manifeſte liquet ex Imperatoribus ipſis, vel Germaniæ regibus à Carolo II. deinceps, qui ante Rom. Pontif. coronationem non *Imperatores*, ſed *reges* tantum ſeipſos nominarunt. Poſt Papæ vero inaugurationē non *reges* amplius, ſed *Imperatores & Auguſti* vocitantur. Non poſſum autem hic non vehementer mirari, & reprehendere aliquot recentiorum Germanicarum rerum ſcriptorum audaciam, ne dicam temeritatem, qui vndique clamant: Italos omnes, & præſertim Romanos, male agere, rem indignam facere, quod non omnes Germaniæ reges *Imperatores* appellant, neque omnium ipſorum ratio habeatur in eius numerorum notis, quibus diſtinguuntur inter ſe ij principes, qui idem nomen habent. Nam volūt omnes Germaniæ reges, quamuis à Romanis pontificibus inaugurati non fuerint, Imperatores & Auguſtos appellari: omniumq; habendam eſſe rationem in ijs ipſis, quibus inter ſe diſtinguuntur numerorum notis, quamuis à Pontif. Maximo non fuerint coronati: vt in Henricis, Chunradis, & Ludouicis. Quod an rectum factum ſit, iudicent ij, qui veterum diplomatum perquirendorum ſtudio vacant. Neque enim arbitror, nos debere eos principes ijs nominibus appellare, quibus ipſimet conſulto abſtinuere: & ijs notis inſignire, quas ab eis approbatas non † fuiſſe conſtat. Quum præſertim nulla ratione * prohibiti vnquam fuerint, quin ſe quibusuis appellationibus nominarent. Neſcio enim, cur Ludouicum IV. Chunradum primum, Henricum Aucupem, Chunradum Sueuum, Rodulphum, Adolphum, Albertum, Rupertum, & cæteros Germaniæ reges, qui imperiali benedictione caruerunt, Imperatores, Cæſares, & Auguſtos appellari velint: quum ipſimet principes in ſuis diplomatibus, priuilegijs, elogijs & cæteris publicis actionibus, his nominibus abſtinuerint: quod etiam ab eorundem ætatum ſcriptoribus, etiam Germanis ipſis, diligentiſſime obſeruatum eſt, qui eos nunquam *Imperatores* vel *Auguſtos*, ſed tantum *reges*, ante Pontificiam coronationem vocant. Item cur Henricum Chunradi filium III. & eius filium IV. eiuſq; nepotem V. Itemque Chunradum Sueuum, III. vocent; neſcio: quum Henricus ipſe auus, II. alter, III. & eius filius IV. ſeipſos vbique nominent, & ita etiam vocentur à maiore parte illorum temporum ſcriptorum. Simili ratione Chunradus Sueuus, Friderici Ahenobarbi patruus, ſeipſum ſecundum vocat. Extant adhuc Spirę, Chunradi & trium Henricorum ſepulchra, cum elogijs, in quibus Chunradus ipſe, non ſecundus, neq; cæteri tres Henrici, III. IV. V. vt ab aliquo veterum, & à recentioribus dicti ſunt Germanis ſcriptoribus, ſed II. III. & IV. ibidem appellantur. Quod etiam accuratiſſime obſeruatū eſt in eorum diplomatibus & priuilegijs, quorum apud me ſunt multa exemplaria, ab archetypis ipſis à meipſo exſcripta. Ego igitur hos & pleroſque alios Imperatores, ita cenſeo nominandos eſſe, perinde ac ſeipſos nominari voluerunt, & à maiore ſuorum temporum ſcriptorum parte nuncupati ſunt: neque horum noſtri temporis Germanorum auctorum, rationem habendam, qui quod minus intelligunt, multoties reprehendere ſolent. Neque quis mihi obijciat, non inauguratos à Romano Pontifice ita fuiſſe Imperatores deſignatos, vt cæteros, qui pontificia coronatione potiti ſunt: vel Romani Pontificis diadema, nihil ad imperium pertinere, & alias ſimiles nugas, quæ à recentioribus Germanis ſcriptoribus afferri ſolent. Nam etſi hoc ita reipſa eſſe fateremur, hoc non eſt noſtri ſtudij, ſpeculari: ſed hiſtorici munus eſt, res geſtas eadem ratione narrare, qua factæ ſunt,

IX. *Auguſti & Imperatoris nomen, Arnulpho mortuo, à Germanis aliquandiu in Italiam translatum, Iul. Pflug. de reb. Germ. conſt. n. 36.*

X. *Tranſlationis cauſa.*

XI. *Germanicæ vũ ſcriptorum reprehenſio, ij ſunt: Crantz. 3. Sax. c. 4. Cuſpin. in Otton. 3. Iac. Spigel. in com. ad lib. 1. Ligurin. Gunth. in fin. & complures alij.*

XII. *Reprehenſionis ratio*

† Non vſquequaque… *… eſt. Paul. Langchron. C… apud Piſtor. … 110.*

** Hæc verba … ad ſibi … contraria … de … nominandis, monet Tob. … de … Imp. Rom. lib. 2. c. 4. num. 5.*

XIII. *Germanorum obiectio.*

XIV. *Refutatio.*

ſunt, & non, vt fieri debuiſſe ſibi videatur: eoſq; ita nominare debent legitimi hiſtoriarum ſcriptores, perinde ac ſeipſos vocitari voluere. Temerarij enim mihi hominis eſſe videtur, ea velle priuata auctoritate innouare, quæ longiſſimo ipſorum temporum vſu, Romanorum Pontificum, & ipſorummet Imperatorum voluntate, publicoque omnium ſcriptorum conſenſu diu ante confirmata ſunt. Magna certe eſt mortalium mentibus rerum nouandarum ambitio fixa, quæ quantum præ XV.
cæteris gentibus in Germanis ſit (bonos ſemper excipio, quos infinitos etiam in Germania eſſe arbitror) teſtimonio eſſe poteſt eius religionis mutatio, quam ipſi, nouiſſimi omnium noſtri orbis Chriſtianorum, acceptam, primi etiam dimiſerunt. Ita vt mirari non deberem, ſi in hiſce quoq; nullius, vel parui momenti rebus, mutationis cauſas ſine vlla ratione quærant. Quod non ob aliam cauſam XVI.
eos facere crediderim, quam vt Pontificiæ conſecrationi, tanquam nullius valoris, detraherent: cũ tamen hæ conſuetudines non à Romanis Pontificibus, ſed ab ipſis potiſſimum Francis, & Germanis Imperatoribus manarint. Quis enim Pontificum Romanorum vnquam iuſſit, Cæſaribus deſignatis, vt ſe ante inaugurationem ſuam, non Reges vel Imperatores appellarent? Quis Pontifex iuſſit Henricis & Chunradis, vt eas numerorum notas vſurparent? Nullus profecto; ſed has ſibi ipſis leges ipſimet Imperatores longo temporis interuallo paulatim præſcripſere. Ita vt non opus eſſe mihi videatur, etſi Romano Pontifici detrahere in animo haberent, has nugas in hiſtorijs, vbi veritas facti requiritur, inſerere, quæ ſine Romanorum Pontificum ſcitu & auctoritate, ſed ſenſim ab ipſis Imperatoribus exortæ, per manus poſteris traditæ ſunt, quo in eorum imperijs aliqua diſtinctio eſſet, ad eorum maieſtatem augendam. Sic apud veteres obſeruari videmus: non enim omnes *Augusti*, ſed multi tantum *Cæſares* fuerunt. Quæ diſcrimina ab ipſiſmet (vt dixi) ad ipſius imperij decus augendum excogitata ſunt. Eos itaq; ea ratione, & ijs numerorum notis appellabimus, quibus ipſi ſeipſos, & à ſuorum temporum grauiſſimis ſcriptoribus nominatos comperimus. Quan- XVII.
quam non abnuerim, regnum Germaniæ, poſt trium tamen Othonum & quatuor Henricorũ tempora, *imperium* hac ratione dici poſſe, quod iam vſu confirmatum eſſet, Imperatorem non niſi ex Germanorum rege eligi, quem etiam per ea potiſſimum tempora, ante coronationẽ Romani Pontificis, Imperatorem etiam aliquando, à ſcriptoribus tamen, appellatum fuiſſe legi: quod cum Germaniæ rex renunciatus ſit, ad eum ſolum ſpectant imperij iura, neque alium præter eum à Romano Pontifice conſecrari mos ſit: eaque iura habent in Germania, ac ſi Romani Pontif. conſecrationem adepti eſſent. Prima enim Germaniæ principum electio eſt, quæ Imperatorem reipſa facit. Pontificis vero inauguratio, quæ cum Imperatorem rite renunciatum fuiſſe, imperioque dignum decla- XVIII.
rat, atque ei ſpecioſa Imperatoris & Auguſti nomina indidit. Sed me à priore propoſito ſatis digreſſum, rex Germaniæ Chunradus, quem primum dicunt, monet, vt ad rem reuertar, atq; de eo verba faciam, qui primus regum Germaniæ fuit (ex quibus poſtea Imperatores prodiere) qui puræ electionis iure, regnum Germanicum adeptus ſit, quum nihil ad mortuum regem Ludouicum IV. cognationis ratione attineret. Prima igitur ſola & pura electio in regno Germaniæ fuit, Chunradi ipſius, alieni omnino ab Imperatorio Caroli Magni ſtemmate: qui Ludouico IV. ſine liberis vita functo, conſenſu & lectione regni optimatum Francorum, Saxonum, Bauarorum, Thuringorum, XIX.
Alemannorum, & cæterorum Germaniæ principum ſuffectus fuit, quum tamen nullum præ cæteris principibus ius, ante in imperio habuiſſet. Nam etſi principum voluntas in ſuperiorum Impp. comitijs acceſſerit, ea tamen conſenſus quidem potius, quam electio dici debuit: cum ex Caroli Magni & Ludouici Pij Impp. hæreditate, à quibus imperium partum fuerat, impetrarint. Verum eo ſtemmate deficiente, quod vnum ius in imperio hæreditatis ratione habebat, quum à gente imperatoria alieni in regnum ſucceſſiſſent, tum primum ea imperij comitia, ſola principum electione XX.
fieri cœpta ſunt: qualia fuerunt, in Chunrado I. ſucceſſore Ludouici IV. Eadem quoque ratione, mortuo Chunrado, iterum mera principum electione, Henricus cognomine Auceps, Saxoniæ XXI.
dux, rex Germanorum ſalutatus eſt: quem etſi regni proceres præcipue ob Chunradi defuncti cõmendationem regem creaſſent, nihilominus libera comitia dici debent, cum nullius vi (vt id ægerent) coacti ſint, & cum ipſe quoque ob Chunradi commendationem, ſupra cæteros multum haberet in imperio iuris. Poſt Henricum ipſum, omnes deinceps Germaniæ reges, qui etiam Imperatores vel deſignati, vel coronati fuerunt, non amplius per ſucceſſionem, ſed ex principum ſuffragijs, ad imperij faſtigium euecti ſunt. Quæ electio deinceps duplex fuit: aut omnino libera, XXII.
aut coacta. Libera fuit electio, quæ habebatur, cum Impp. ſine legitimo hærede morientes, nullum imperij ſucceſſorem ante obitum deſignaſſent, vti fuerunt comitia Henrici I. Saxonis & Chunradi I. Franci, Lotharij II. Saxonis, Chunradi II. Sueui, Friderici I. Ænobarbi, Philippi Sueui, Othonis IV. Saxonis, Henrici Lantgrauij Thuringiæ, Guilielmi comitis Holandiæ, Rodulphi, Adolphi, Albertorum I. & II. Henrici VI. dicti VII. Ludouici IV. Bauari, Caroli IV. Boemi, Ruperti Bauari, Sigiſmundi, Friderici III. & *nouiſſime Caroli V. Imperatorum*, qui abſque prædeceſſorum ſuorum voluntate, Imperatores libere ab ijs, qui ius eligendi habebant, renunciati ſunt. Ele- XXIII.
ctio verò non adeo libera, ſed quaſi coacta eſt, quum Imperator ſe viuo, more veterum principum Romanorum, imperij ſucceſſorem deſignare facit. Conuocatis enim imperij Romani Electoribus, quempiam vel filium vel fratrem ſuos, eligere, ſe præſente, procurat, in Romanorum & Germaniæ regem, qui gradus proximus eſt ad ſupremum imperij faſtigium: quæ ſuffragia non adeo libera ſunt, quum multa, imo fere omnia in gratiam Imperatoris fiant. Atque hac ratione tres Othones priores, quatuor Henrici, II. III. IV. & VI. Fridericus II. Vvenceslaus, Maximilianus, & *nouiſſime Fer-*

Marginalia:

XV. *Auctor Germanus.* *Vid. Schard. de orig. el. c. 10.*

XVI. *Mos conſecrandi & vſurpandi poſt conſecrationem Imperatoris, reges vt nomina ab ipſis Germanis Impp. introductus. Non à Pontificibus. Schar. de mut. Pont. conſ. c. 21.*

XVII. *Cur poſt Ottonum & Henricorum tempora quadam ante coronationem pontificiam Imperatoris & quo mere dicti?*

XVIII. *Electio Imperatorem facit. Inauguratio pontificia factum renunciat.* *Sigeb. ad lib. 1. lig. Gunth.*

XIX. *Quo pura electionis iure imperium Germanicum primus adeptus ſit?*

XX. *Obiectio. Reſponſio.*

XXI. *Et qua deinceps.*

XXII. *Electio duplex: libera & coacta. Qua libera. Tob. Pauermeiſt. lib. 1. de iuriſd. c. 2. n. 48. & ſeqq.*

XXIII. *Qua quaſi coacta.*

 me Fer-

tus Ferdinandus Cæſar [Hoc illud eſt, quo de conquerebantur Saxo & alij. *Sleidan. in fin. com. libr. 7. & lib. 8. ad an. 1532. P. Heig. pap. 1. q. 6. n. 42. & ſeqq. Tob. Paurmeiſt. lib. 2. de iuriſd. c. 2. n. 45. Adde infr. c. 10. n. 6.*] creati ſunt. Qui viuentibus prædeceſſoribus ſuis, imperij ſucceſſores deſignati fuerunt, & in Germaniæ reges inuncti.

CAPVT VI.

Ea, quæ de Septem Imperij electorum origine fama hactenus obtinuit, exagitata, & qui principes ante eorundem inſtitutionem Imperatores creare conſueuerint, demonſtratur.

QVi autem fuerint principes, ad quos Imperatoris electio ſpectarit, nunc enarrare operæ precium eſt. Quinam autem fuerint ante Henricum primum Imp. Saxonem, vel Othonem III. non explicatur, quod ſciam, à recentiorbus ſcriptoribus. Poſt Othonem vero III. omnes fere, quos vidi, tam Germanicos, quam Italicos ſcriptores hoc vnum ſentiunt, quod fuerint VII. illi Germaniæ principes, quos nunc *Electores* vocant; tres ſcilicet archiepiſcopi, Moguntinus, Treuerenſis, & Colonienſis; ac quatuor profani principes, Rex Bohemiæ, dux Saxoniæ, marchio Brandenburgenſis, & comes palatinus Rheni, quos ſub Othone III. à Gregorio V. Pont. Max. Saxone, in gentis ſuæ gratiam, inſtitutos fuiſſe ſcribunt. QVOD QVAM FALSVM & ABSVRDVM SIT, ac à veritate omnino alienum, nunc eſt explicandum: præſertim quum huius rei deſcribendæ cauſa, vtque huius commenti veritatem eruerem, hoc vniuerſum opus, mihi deſumpſerim explicandum. Atque ante omnia non inficias eo, me aliquando etiam huius fuiſſe ſententiæ, quæ tot eruditiſſimorum ſcriptorum auctoritate iam confirmata eſt; adeo, vt ſi quis contra nunc reclamare audeat, piaculum facere videatur. Verum quum ad veterum Germanicarum rerum ſcriptorum monumenta euoluenda, diligentius animum intendiſſem, & hiſtorias à fontibus ipſis haurire, mihi iam diu propoſuiſſem, recentioribus quamuis grauiſſimis auctoribus neglectis, diligenter & paulo accuratius cœpi antiquis Germanicis hiſtoricis operam nauare, vt Reginoni, Sigeberto, Annonio, Lamberto, Vuitichindo, Luitprando, Othoni, Radeuuico, Abbati, Helmoldo, & cæteris id genus vetuſtis Germanis ſcriptoribus: ex quibus quum pleraque vel cæteris incognita, aut non obſeruata, multarumque rerum veritatem eruiſſem, quæ à recentioribus ſcriptoribus vel ſilentio prætermiſſæ ſunt vel falſatæ, hoc vnum præ cæteris percepi, quam maxime recentiores hiſtoricos errare in tradenda origine horum VII. virorum Imperij Electorum; ex quo errore infinita propemodum in cæteris Germanicis hiſtorijs, à recentioribus conſcriptis, mendacia manarunt, quæ quantum ab hiſtoria abeſſe debeant, omnes exiſtimare poſſunt. Quum autem hæc VII. Imperij Electorum inſtitutio ita peruerſe intellecta, & ab omnibus perperam deſcripta, mihi digna viſa ſit diligenti examinatione: cæteris omnibus, quæ ad hoc opus non multum faciunt, omiſſis, hoc vnum mihi aſſumpſi explicandum, huiuſq; obſcuriſſimæ cæteris, mihi vero clariſſimæ rei veritatem eruendam, *res digna, quæ ab omnibus hiſtoriarum ſtudioſis & intelligatur, & cognoſcatur: quum infiniti propemodum errores ex eius rei cognitione tolli poſſint.*

I. Veterum Germaniæ hiſtoricorum lectio quam vtilis.

Hic autem non poſſum non vehementer mirari recentiorum quorundam rerum Germanicarum, ſcriptorum parum accuratam in rebus proprijs conquirendis diligentiam, & præſertim omnium eorum, qui hiſtorias Germanicas intra ducenteſimum annum conſcripſere, vno tantum Ioanne Auentino, viro accuratiſſimo & doctiſſimo, excepto, quem honoris ergo hic nominare volui. Qui huius & multarum præterea rerum veritatem attigiſſe, viſus eſt, à cæteris omnibus, tanquam ſibi vno agmine incognitam, præteritam. Omnes enim, vbi ſeſe † occaſio offert, non ceſſant hiſtoricos Italos carpere & lacerare, tamquam ineptos, negligentes, & mendaces, præſertim quum in rebus Germanicis tradendis laborant. Quaſi hoc vnum ſibi ipſis propoſuerint, proprijs domeſticiſque actionibus relictis, rebus tantum Germanorum tradendis vacare: ipſi vero adeo diligentes & accurati rerum ſuarum ſcriptores, tam fœde omnes lapſi ſint, in re Germanica, & omnium quidem nobiliſſima tradenda, quæ apud omnes veteres hiſtoricos apertiſſima eſſe vel cæco videri poſſit. Omitto errores innumeros, dictorum inconſtantiam, contradictiones, quas in genealogijs ſuorum principum deſcribendis habent, in enarrationibus actionum, eorundem principum, ciuitatum & prouinciarum. Hæc omnia autem miſſa faciam, quod forte illis obſcura eſſe potuerunt, quamuis vllam excuſationem admittere non deberem, in hac re tam nobili, grauis cognitu non ſolum digna, ſed plane neceſſaria, cui tot hiſtoriarum actiones nituntur, ex cuius ignoratione infiniti errores indies oriuntur, qua cognita multæ hiſtoriæ explicantur & illuſtrantur, quæ ex vetuſtis ipſis Germanicis hiſtorijs apertiſſime colligitur, ab eis vero neglecta & ignorata, atque abſq; aliqua diligenti examinatione, præterita: & quidem à Crantzio, Cuſpiniano & Munſtero, viris alioqui doctiſſimis & diligentiſſimis, qui ex inſtituto Imperatorum vitas deſcripſerunt: ab Irenico, qui rerum præcipue Germanicarum, magnum centonem edidit: & ab omnibus demum, qui hiſtorias Germanicas noſtris vel auorum temporibus conſcripſerunt. Hæc autem non, vt clariſſimis viris, & tanquam literarum ſideribus, & de omni diſciplinarum genere benemeritis, ac iam diu vita functis conuiciarer, dixi: Sed vt omnes homines ſciant ignoſcere lis, qui cum, quod potuerunt, præſtiterunt, pro laudibus maledicta, & debitis honoribus, ſæpe iniurias referunt. Sed ijs iam querelis omiſſis, inſtitutum nobis propoſitum aggrediamur. Omnes igitur hoc vnum ſentiunt, VII. Imperij Electores, à Gregorio V. inſtitutos fuiſſe ſub tertij Othonis principatu. Quod falſiſſimum eſſe, eoſque treceenteſimo anno poſt in ordinem hunc redactos fuiſſe poſt Friderici II. Imperatoris obitum, nunc demonſtrabo, atque inter tempora Henrici I. & Friderici II Imperato-

II. Recentiorum negligentia, ignorantia, maledicentia.

III. Vno Auentino excepto. Vid. Schar. de orig. el. c. 10.

IV. Loca Crantzij, Cuſpiniani, Munſteri, Irenici.

V. De origine electorum communis opinio. Et Onuphrij ſingularis.

ſum, eundem obſeruatum fuiſſe morem, in Romanorum principum comitijs, quem antè Othonem III. nullamque ſub tertio Othone nouam factam fuiſſe eligendi Imperatoris inſtitutionem: ſed eandem omnino fuiſſe in ijs, qui poſt eum fuerunt, Auguſtis, quæ ante eius creationem fuerit ab obitu vſque Ludouici IV. filij Imp. Arnulphi. Quo temporum interuallo hoc ſemper obſeruatum fuit, vt rex Germaniæ, vel Imperator, ab omnibus ſaltem regni Germanici principibus, tàm eccleſiaſticis quam ſæcularibus, qui ideo *imperij principes* appellabantur, eligeretur. Ad quam rem demonſtrandam, nõ niſi grauiſſimos & accuratiſſimos Germanicarum rerum Germanos hiſtoricos citabo: rationesque addûcam, quibus meum inſtitutum aperte probari poterit. Quæ omnia vt accuratius explicari poſſint, commodiſſimum erit, primo enarrare, qui fuerint ij principes, quorum ſuffragijs, ante tertij Othonis tempora, Imperatores creari ſolebant: quum ſine controuerſia, ab omnibus affirmetur, non hos VII. fuiſſe Electores. Hi igitur erant, Rom.* pontifex qui id per legatos ſuos, Cardinales, facere ſolebat: Italiæ aliquot ſæculares principes, vt comes Taurini, Marchio Montisferrati, & alij quidam: omnes Germaniæ principes, tam laici quam eccleſiaſtici, videlicet Abbates aliquot, Epiſcopi & Archiepiſcopi, quotquot ex ijs, comitijs adeſſe volebant, & cæteri omnes Germani comites, marchiones, & duces. Quæ ita fuiſſe, teſtimonio eſtante omnes, vetuſtiſſimus ſcriptor rerum Germanicarum, Vitichindus monachus, homo Germanus, qui libro 1. de geſtis Othonis primi Imperatoris, ſub quo vixit, quum de Cunradi primi electione, qui regio genere Caroli Magni Imp. in Ludouico IV. Arnulphi filio extincto, rex Germaniæ in eius locum factus eſt, loquitur, ita ait: *Regi autem Ludouico mortuo non erat filius, omnisq; populus, Francorum atq; Saxonum quærebat Othoni diadema imponere regni: ipſe vero quaſi iam grauior, recuſabat imperij onus: eius tamen conſultu Chunradus quondam dux Francorum vngitur in regem, penes Othonem tamen ſummum ſemper & vbiq; vigebat imperium, &c.*

VI. *Ante inſtitutionem electorum, eligendi ius fuiſſe omnibus imperij principibus.*

VII. *Quinam fuerint iſti principes imperij?*

* *Vide Simon. Schard. Hiſtor. de orig. elect. c. 6. Nic. Cuſan. in or. de Ott. 3. f. 59. 74. Haug. p. 1. q. 3. n. 25.*

Luitprandus quoq; Ticinenſis lib. II. rerum ſuo tempore per Europam geſtarum, cap. VII. *Hac autem* (inquit) *tempeſtate Ludouicus rex moritur. Chunradus ergo, Francorum ex genere oriundus, vir ſtrenuus, bellorumq; exercitio doctus, rex cunctis à populis ordinatur. Sub quo potentiſſimi principes, Arnoldus in Baioaria, Burcardus in Suevia, Everhardus comes potentiſſimus in Francia, Giſilbertus dux in Lotharingia erant: quos inter Henricus Saxonum & Thuringorum dux præpotens clarebat, &c.*

Otho Epiſcopus Friſingenſis lib. VI. cap. XVI. hiſtoriarum ſuarum. *Anno* (inquit) *ab incarnatione Domini DCCCCXIII. Chunradus, Chunradi, quem Albertus occiderat filius, conſilio præfati ducis Othonis, conſenſu omnium Orientalis Franciæ rex creatur. Hunc quidam Ludouici fratris filium fuiſſe dicunt, & ob hoc noviſſimum eum Carolum ponunt, &c.*

Abbas vero Vrſpergenſis ſic ait: *Regi autem Ludouico quum non eſſet filius, poſt mortem eius omnis populus Francorum atq; Saxonum quærebat Othoni diadema imponere regni: ſed ipſe quaſi iam grauior, recuſabat onus imperij: eius tamen conſultu Chunradus quondam dux Francorum, filius illius Chunradi quem Adelbertus occidit, vngitur in regem, &c,* vt Vitichindus.

De electione autem Henrici primi, ad regnum Germaniæ, Luitprandus libro II. capite VII. loquens, ait: *Septimo regni Chunradi anno, vocationis ſuæ ad Dominum tempus cognouit, quumq; memoratos principes ſe adire feciſſet, ſolummodo, Henrico abſente, ita conuenit: Ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnoſco, & vt cernitis, præſto eſt. Proinde pacem atq; concordiam vos ſectari, etiam atq; etiam rogo. Me hominem exuente, nulla vos regnandi cupiditas eiulet, nulla præſidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum & Thuringorum ducem prudentiſſimum Regem eligite, Dominum conſtituite. Is enim eſt & ſapientia pollens, & iuſtæ ſeueritatis cenſura abundans. His itaq; prælatis, propriam coronam, non auro, quo cuiuſcunq; ordinis pene principes pollent, verum gemmis precioſiſſimis non ſolum ornatam, ſed granatam, ſceptrum & cuncta quæ regalia ſunt indumenta, in medium venire præcepit & prout valuit huiuſmodi verba effudit: Hæredem regiæq; dignitatis vicarium, regalibus meis ornamentis Henricum conſtituo: cui vt obediatis, non ſolum conſulo, ſed etiam oro. Quam iuſſionem mox ſequitur interitus, & interitum eſt obedientia proſequuta. Ipſo namq; mortem obeunte, memorati principes coronam cunctaq; regalia indumenta Henrico duci contulerunt, atq; vt rex Chunradus dixerat, cuncta per ordinem narrauerunt. Qui regiæ dignitatis culmen prius humiliter declinauit, ac paulo poſt non ambitioſe ſuſcepit, &c.*

Vitichindus quoque libro de geſtis Imper. Othonis Magni. *Rex* (inquit) *Chunradus profectus in Baioariam, dimicauit cum Arnulpho, & ibi* (vt quidam tradunt) *vulneratus, reuertitur in patriam ſuam. Quumque ſe morbo ſenſiſſet laborare, pariter cum defectione primæ fortunæ vocat fratrem, qui eum viſitandi gratia aderat. Quem ita alloquitur: Sentio* (inquit) *frater diutius iſtam vitam me tenere non poſſe, Deo qui ordinauit ita imperante, grauique morbo id cogente; quapropter conſiderationem tui habeto, & quod ad te maxime reſpicit, Francorum toti regno conſulito, attendendo fratris tui conſilio. Sunt nobis frater copiæ exercitus congregandi atque ducendi. Sunt vrbes & arma cum regalibus inſignijs, & omne quod decus regium depoſcit, præter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobiliſſimis moribus, Henrico cedit: rerum publicarum, ſecus Saxones ſumma eſt. Sumptis igitur his inſignijs, lancea ſacra, armillis aureis, cum chlamyde, & veterum gladio regum, ac diademate, ito ad Henricum, facito pacem cum eo, vt eum fœderatum poſſis habere in perpetuum. Quid enim neceſſe eſt, vt cadat populus Francorum tecum coram eo? Ipſe enim vere rex erit, & Imperator multorum populorum. His dictis frater lachrymans, ſe conſentire reſpondit. Poſt hæc autem ipſe rex moritur, vir fortis & potens, domi militiaque optimus, largitate ſerenus, & omnium virtutum*

inſignis clarus, ſepeliturq́; in ciuitate ſua Quidelingaburg, cum mœrore ac lacrimis omnium Francorum. Vt ergo rex imperauit, Euerbardus adſit Henricum, ſeq́; cum omnibus theſauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter familiariterq́; vſq́; ad finem obtinuit. Deniq́; congregatis principibus & natu maioribus, exercitus Francorum, in loco qui dicitur Fridislere, deſignauit eum regem, coram omni populo Francorum, atq́; Saxonum. Cumq́; ei offerretur vnctio cum diademate, a ſummo Moguntinæ ſedis pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non ſpreuit, nec tamen ſuſcepit: Satis (inquiens) mihi eſt, vt præ maioribus meis rex dicar & deſigner, diuina annuente gratia, ac veſtra pietate: penes meliores vero nobis vnctio & diadema ſit, tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit itaq́; ſermo iſte coram vniuerſa multitudine: & dextris in cœlum leuatis, nomen regis cum clamore valido ſalutantes frequentabant. Hoc autem ordine rex factus fuit Henricus dux Saxonum, &c.

Regino autem Monachus, & Abbas Prumienſis, vel is, qui eum ſuppleuit antiquus ſcriptor chronici illius vniuerſalis, libro II. *Anno (inquit) Dominicæ incarnationis* DCCCCXX. *Henricus dux, conſenſu Francorum, Alemannorum, Bauarorum, Thuringorum & Saxonum, rex eligitur, qui initium ſui regni diſciplina ſeruandæ pacis inchoauit, &c.*

Eadem referunt Abbas Vſpergenſis, & Sigebertus, Monachus Gemblacenſis in chronicis, quæ ab orbe condito ad tempora ſua perduxit. Vixit autem ante annos quadringentos & quinquaginta. Ait vero: *Chunradus rex moriens, coram Principibus regni regem deſignat Henricum, filium Othonis Saxonum ducis, &c.*

Ea quoq; imperij comitia, quibus Otho Magnus Henrici filius, rex creatus eſt, ſubijcere placuit, quod etſi adeo libera non fuerint, quod patre viuente deſignatus ſit, tamen poſt Henrici mortem habita fuerunt, vt qua ratione facta fuerint, cognoſcatur, & qui mos, per ea tempora, in regum coronatione ſiue inauguratione vſurpari ſolebat, intelligatur.

Luitprandus libro IV. capite VII. *Eo tempore* (inquit) *rex Henricus, in caſtello quod eſt inter Thuringorum & Saxonum confinia, & dicitur Gimeleuna, grauiſſima valitudine correptus, migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Saxonia deportatum, in Quintelingaburch monaſterio repoſitum eſt. Cuius filij Othonis potentia, mundi partes Aquilonaris & occidua reguntur, ſapientia pacificantur, religione lætantur, iuſtiq́; iudicij ſeueritate terrentur, &c.*

VIII.

Antiqui moris inaugurandi Cæſaris, elegans admodũ deſcriptio. Et conferenda cum ea re recentiore, deſcripto à Sleidano com. li. 2. Lau. Fuchſ. Joan. Haiminsfeld. conſt. to. 2. p. 2. in fine Sim. Schardio. hiſt. tom. 3. fol. 2063. Steph. Iunio vind. cont. tyr. qu. 3.

Vitichindus quoq; in principio libri II. de geſtis Othonis Imp. ait: *Defuncto itaq́; patre patriæ, & regum optimo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum, iam olim deſignatum regem à patre, filium eius, Othonem elegit ſibi in principem, vniuerſalisque electionis notantes locum, iuſſerunt ad Aquiſgrani palatium. Cumque illo ventum eſſet, Duces ac Præfectorum principes, cum cætera principum militum manu congregati, in ſiſtorio baſilicæ Magni Caroli cohærenti, collocarunt nouum ducem in ſolio ibidem conſtructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque ſuam contra omnes inimicos ſpondentes, more ſuo fecerunt eum regem. Dum ea geruntur à ducibus & cætero magiſtratu, Pontifex Maximus, cum vniuerſo ſacerdotali ordine, & omni plebe infra in baſilica, præſtolabatur proceſſionem noui regis: ſuaq́; dextra lituum geſtans, linea indutus ſtola, planetaque infulatus, progreſſusque in medium vſque fani ſubſiſtit, & reuerſus ad populum qui circumſtabat (nam erant deambulatoria, infra, ſupraque, in baſilica illa, in rotundum facta, quo ab omni populo cerni poſſet) En (inquit) adduco vobis à Deo electum, & à Domino rerum, Henrico, olim deſignatum, nunc vero à cunctis principibus regem factum Othonem. Si vobis iſta electio placeat, dextris in cœlum leuatis ſignificate. Ad hæc omnis populus dextras in excelſum leuans, cum clamore valido imprecati ſunt proſpera nouo duci. Proinde procedit Pontifex cum rege, tunica ſtricta, more Francorum, induto, pone altare, ſuper quod inſignia regalia poſita erant, gladius cum balteo, chlamys cum armillis, baculus cum ſceptro ac diademate: eo quippe tempore erat ſummus Pontifex Hildebertus nomine, Francus genere, Monachus profeſſione, nutritus vel doctus in Fulda monaſterio, & ad id honoris merito progrediens, vt pater eiuſdem loci conſtitueretur, deinde ſummi pontificatus Moguntiacæ ſedis faſtigium promeruerat. Et quum quæſtio eſſet Pontificum, in conſecrando rege, Treuerenſis videlicet & Coloniæ Agrippinæ illius, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam a B. Petro apoſtolo fundata: iſtius vero, quia eius ad diœceſim pertineret locus, & ob id ſibi conuenire arbitrati ſunt huius conſecrationis honorem. Ceſſit tamen vterque eorum, Hildeberti cunctis notæ ſanctitati. Ipſe autem accedens ad altare, & ſumpto inde gladio cum balteo, conuerſus ad regem ait: Accipe hunc gladium, quo eijcias omnes Chriſti aduerſarios, auctoritate diuina tibi tradita omni poteſtate, totius imperij Francorum, ad firmiſſimã pacem omnium Chriſtianorum. Deinde ſumptis armillis ac chlamyde induit eum. His cornibus humeroténus demiſſis (inquit) monearis, quo zelo fidei ferueas, & in pace tuenda, perducere vſq́; in finem debere. Exinde ſumpto ſceptro, baculoque: His ſignis (inquit) meritos, paterna caſtigatione ſubiectos corripias, primumq́; Dei miniſtris, viduis ac pupillis manum miſericordiæ porrigas, nunquam de capite tuo oleum miſerationis deficiat, vt in præſenti, & in futuro ſeculo ſempiterno præmio coroneris. Perfuſus itaque oleo ſancto, & coronatus diademate aureo ab ipſis Pontificibus, Hildeberto, & VVichfrido, ac omni legitima conſecratione completa, ab ijſdem Pontificibus ducitur ad ſolium, ad quod per cocleas aſcendebatur, & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas conſtructum, vnde ipſe omnes videre & ab omnibus ipſe videri poſſet: diuina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat rex ad palatium, & accedens ad menſam marmoream regio apparatu ornatam, reſedit cum Pontificibus & omni populo. Duces vero adminiſtrabant: Lothariorum dux Giſelbertus, ad cuius poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Euerbardus menſæ præerat: Herimannus Francus pincernis; Arnulphus equeſtri ordini, & eligendis locandisq́; caſtris præerat: Sifridus vero Saxonum optimus, & à rege ſecundus, gener quondam regis, tunc affinis, eo*

tempo-

tempore procurabat Saxoniam. Rex autem poſt hac vnumquemq; principum iuxta munificentiam regalem congruenti ſibi munere honorans, multitudinem dimiſit, &c.

Regino vero Prumienſis abbas, vel qui eum ſuppleuit antiquus auctor: *Anno Dominicæ incarnationis* (inquit) CCCXXXVI. *Henricus rex præcipuus pacis ſectator, ſtrenuusq; paganorum inſequutor, poſt plures fortiter & viriliter actas victorias, dilatatis vndiq; regni ſui terminis* VI. *nonas Iulij diem clauſit extremum. cui filius ſuus* Otho, *conſenſu primorum regni, ſucceſſor eligitur.*

Otho autem Epiſcopus Friſingenſis lib. VI. cap. XIX. hiſtoriæ ſuæ ſic ait: *Anno ab incarnatione Domini* DCCCCXXXVI. *Otho Henrici filius patri nobilis hæres in regno ſuccedens, in palatio Aquis à Moguntino Archiepiſcopo Hildeberto coronatur. Idem Abbas Vrſpergenſis & Sigebertus Gemblacenſis.*

Comitiorum vero, quibus ſecundus Otho, à patre Othone primo Imperatore renunciatus fuit, meminit antiquus auctor, qui Reginonem ſuppleuit, his verbis: *Anno Dominicæ incarnationis* DCCCCLXI. *Rex in Italiam ire diſponens, maximam ſuorum fidelium multitudinem Vormaciæ coadunauit: vbi conſenſu & vnanimitate regni procerum, totiusq; populi, filius eius Otho rex eligitur. Indeq; progrediens, conniuentia quoque & electione omnium Lotharienſium Aquis rex ordinatur. Ordinato vero filio, pater in Saxoniam rediens, diſpoſitis regni negotiis, filium Vilhelmo Archiepiſcopo tuendum & nutriendum commiſit.*

De electione vero tertij Othonis, qui patre ſecundo Othone Imperatore mortuo, rex renunciatus eſt, mentionem facit Sigebertus Gemblacenſis, his verbis: *Anno Domini* DCCCCXXCIII. *Otho tædio & angore animi deficiens Romæ moritur & de Imperatore ſubſtituendo inter primates diſſentitur, aliis filio ipſius, Othoni III. imperium deberi certantibus, aliis alio, Imperatoris à filio, eius imperium transferre volentibus, ad Henricum ducem. filium Henrici, qui fuit frater primi Othonis. Hic Henricus ipſum Othonem puerum factioſe raptum, in cuſtodiam tenet: ſed principes puerum de manu Henrici extorquentes, in regno ſublimant, &c.*

Clare & manifeſte ex tot veterum & grauiſſimorum auctorum locis videri poteſt, quomodo ab omnibus Germaniæ proceribus, tam reges Germani, quam Imperatores renunciati fuerint, inter Ludouici IV. regis obitum & Henrici Imp. creationem. Quam certe conſuetudinem, adhuc poſt Othonis III. Imp. mortem, multis annis in Germania perduraſſe, nunc demonſtrabo: qua ratione fiet, vt VII. Imperij Electorum inſtitutio, nullo modo, ſub Othone III. Imp. à Gregorio Papa V. inuenta eſſe poſſit. Quod antequam multis veterum rerum Germanicarum accuratiſſimorum ſcriptorum teſtimonijs demonſtrem id primo rationibus in medium adductis, conuellendum eſſe exiſtimo. Nam ante Friderici II. fortiſſimi Imp. obitum, qui anno Chriſti ∞ CCL. exceſſit, nullus eorum ſcriptorum, quorum teſtimonia mox citabo, de hac *electionis* vel *electoris* voce, ſiue officio, vnquam mentionem facit, nec cum conuentus Imperiales, quos *Dietas* vocant, nec etiam cum comitia ipſa Imperij deſcribit. Quod ſi tunc hoc munus, vel etiam vocabulum fuiſſet, illud profecto non reticuiſſent veteres ſcriptores, Saltem vbi occaſio ſeſe offert loquendi de eis VII. Germaniæ principibus, qui poſtea his titulis inſigniti ſunt. Omnia enim Imperatorum comitia ab omnibus Imperij ſiue regni principibus, ſiue ſacris ſiue profanis, fieri ſolita eſſe deſcribunt: inter quos non tantum referunt VII. illos principes, ſed & omnes alios Germaniæ proceres. Illud etiam multum refert, quod cum in Imperatorum comitijs multorum principum mentio fit; nunquam tamen marchionis Brandenburgenſis, vel comitis Palatini Rheni mentionem fieri inueni: quum cæteri epiſcopi, duces & principes nominentur. Quod ſi hi duo ex VII. præcipuis fuiſſent, negligentes profecto fuerunt tot hiſtorici, qui eos ita ſilentio præterierint. Qui adeo diligentes eſſe ſolent, vt quum aliquando nimij ſint, faſtidium lectoribus faciant: dum vbi Imperator ſingulis noctibus pernoctauerit, vbi Paſcha, Pentecoſten, Natalem & Quadrageſimã, ſingulis annis tranſegerit, ſcribunt, rem vero tanti momenti tacuerunt. Itaque cum nullus nec Germanus nec Italicus, nec cuiuſuis gentis auctor, qui tamen ante Friderici II. obitum vixerit, vel verbum quidem de hac re faciat: profecto neceſſe eſt, vt longó tempore poſt Othonis tempora, hoc inſtitutum fuerit, nempe poſt Friderici II. obitum, vt me demonſtraturum arbitror. Illud etiam adde, quod huius inſtitutionis nullus vnquam auctor meminit, qui vitas vel Gregorij V. vel ipſius Othonis III. ſcripſerit, qui tamen ante Friderici II. Imp. tempora vixerit: quod indignum profecto fuiſſet rem tanti ponderis omiſſam eſſe ab his præſertim auctoribus, qui vitas eorum accuratiſſime ſcripſerunt: à quibus Gregorium V. Papam, Othonem III. coronaſſe tantum inſcribitur. Adhæc eius pontificis adhuc extat in baſilica principis Apoſtolorum, ſepulchri elogium, in quo omnia ipſius præclare geſta breuiſſime enumerantur. de hac vero inſtitutione nulla mentio eſt: digna alioqui, quæ non omitteretur ab auctore eius epitaphij, quod eſt:

IX. *Argumentã; communem de electorum origine ſententiã; conuellentia.*

I. *Vide Schard. de origine elect. cap. 6.*

II. *Vid. Schard. de orig. el. c. 7.*

Veterum Germaniæ ſcriptorum miſera & anxia diligentia.

III. *Vid. Schard. de orig. el. cap. 8.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hic quem tegit humus, oculis vultuq; decorum,
Papa fuit quintus, nomine: Gregorius.
Ante tamen Bruno, Francorum regia proles
Filius Othonis, de genetrice Iudith.
Lingua Teutonicus, Vuangia doctus in vrbe,
Sed iuuenis cathedram ſedit Apoſtolicam,
Ad binos annos, & menſes circiter octo,
Ter ſenos, Februo connumerante dies.

Epitaphium Gregorij V.

paupe-

Pauperibus, diues, per ſingula Sabbata, veſtes
Diuiſit, numero cantus Apoſtolico.
Vſus Franciſca, vulgari, & voce latina,
Inſtituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho ſibi Petro commiſit ouile
Cognatis manibus vnctus in Imperium.
Exuit & poſtquam terrena vincula carnis,
Æquiuoci dextro ſubſtituit lateri.

DECESSIT XII. CAL. MARTII.

IV. Vid. Schardi-num de orig. el. ca. 8.

V. Vid. Schardi-num d. c. 8.

Illud deinde conſiderandum, quod rex Bohemiæ quem propter regiam dignitatem, VII. Electorem factum ſcribunt, (tanquam, ſi aliqua inter æquales Electorum partes controuerſia orta eſſet, in legendo Imperatore compoſitorem) tunc dux erat: nec niſi longo tempore poſt, regiam adeptus eſt dignitatem, de quo mirum, quod in nullis imperialibus comitiis ante Fridericum II. vnquam mentio eſt, apud quenquam ſcriptorem, quum cæteri fere omnes principes nominentur. Poſtremo in Schiſmate Imperii, quod inter Philippum Sueuum, Friderici Ahenobarbi Imp. filium, & Othonem IV. exortum eſt, omnes principes referuntur, qui vtrorumq; comitiis interfuerunt quo tempore Archiepiſcopus Moguntinus Chunradus in Syria erat, nulluſque omnino eorum Sæcularium principum recenſetur qui nunc Electores dicuntur, nec quenquam illorum quid pro poteſtate egiſſe ſcribitur: Sed vtrorumq; comitia, ab iis potiſſimum Germaniæ principibus, habita fuiſſe narratur, quorum nullus noſtra ætate electionis ius, vel electoris titulum habet. Hæc autem vix ante CCCL. abhinc annum facta ſunt, trecenteſimo videlicet, poſt Othonis III. Imperatoris obitum, anno. Quibus rationibus adductus mihi perſuaſi, hanc VII. Imperii Electorum inſtitutionem longe poſt Gregorii Papæ V. & Othonis III. Imperatoris tempora exortam fuiſſe.

VI. Vid. Schardinum de or. el. c. 11. Knith. de Sax. non prou. prin. verb. elect. c. 1. n. 237. & ſeq.

X. Henricum I. ſiue II. quis elegerit?

Sed age examinemus ſingulas deinceps Imperatorum electiones, quæ poſt Othonis III. Imp. obitum fuere: videamusq; à quibuſnam, & qua ratione Imperatores ipſi renunciati fuerint, ac primo recenſeamus, quid veteres auctores de Henrici II. regis & primi Imperatoris (quem primum, VII. Electorum tantum, ſuffragiis renunciatum fuiſſe hiſtorici recentiores ſcribunt) comitiis referunt.

Otho epiſcopus Friſingenſis, qui ante annos quadringentos vixit, libro hiſtoriarum ſuarum VII. capite XXVII. *Anno* (inquit) *ab incarnatione Domini M. primo, mortuo ſine herede Othone III. Henricus patre Hezilone, natione Noricus, eiuſdemque gentis dux, ab omnibus regni primoribus electus LXXXVII. ab Auguſto rex creatur. Hic multis in Germania, Boemia, Italia, Apulia, fortiter ac proſpere geſtis bellis, poſtremo epiſcopatum Bambergenſem fundauit, &c.*

Abbas Vrſpergenſis: *Anno Domini M I. Henricus II. primum dux Baioariæ, deinde Othone III. abſque filiis defuncto, in regni prouectus culmine, LXXXIV. loco ab Auguſto, regnum accepit: & annis XXIII. ac menſibus V. regnauit XII. annis ſub nomine regis, XI. dignitate & nomine Imperatoris. Hic in regni ſede ſublimatus, quum Henricum marchionem, alioſque in initio regni ſui, ſibi reſiſtentes ſuperaſſet, Italiam, ac Boemiam, & Bolizlaum cum omni gente Sclauorum, ſubiugaſſet, data ſibi requie a Domino epiſcopatum Babimbergenſem fundauit, &c.*

Sigebertus vero Gemblacenſis: *Otho Imperator,* (inquit) *degens Romæ, dum cum Romanis ſe remiſſius agit, tractans qualiter iura regni & eccleſiæ ad antiquum Statum reformaret: Romani per hoc ad contemptum eius adducti, ſubito contra eum conſpirant: & aliquot militum eius peremptis, eum in palatio obſident, vnde per induſtriam Henrici ducis Baioariæ, & Hugonis marchionis Italiæ, ſimulato pacto vix extractus, Roma decedit cum Silueſtro Papa: & quia vxor creſcentii, Imperatorem ſpe regnandi ad amorem ſui pellexerat, dolens pro eius diſceſſu venenum ei miſit: quo ille conſumptus, inter remeandum in Italia moritur. Milites autem Tranſalpini, corpus Imperatoris defuncti cum inſignibus Imperii ad Galliam referentes, crebris Italorum incurſibus laceſſiti, armis ſibi viam parant: Sed quum iam res in tuto eſſe putaretur, dux Baioariæ Henricus iniurato Herberto Colonienſium archiepiſcopo, a cuius ore omnes pendebant, inſignia regni ab eo violenter extorſit, quaſi iure hereditario ſibi competentia. Erat quippe filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre primi Othonis Imperatoris. Henricus ergo dux, conciliatis ſibi animis quorundam principum regni, vngitur in regem à Villigiſo Moguntino Archiepiſcopo, & imperauit annos XXII. &c.*

Lambertus quoque Schafnaburgenſis, Monachus Hirſueldenſis, homo Germanus, qui ante annos quingentos hiſtoriam rerum ab Imperatoribus Henricis II. & III. geſtarum ſcripſit, cum de Henrico Imperatore primo loquitur, ait: *Anno Domini M II Otho III. Imp. obiit, cui Henricus Baioarius ſucceſſit. Egginhartus marchio, regni vſurpator Palodi occiſus eſt. Pleriq; principes à rege deficiunt: Sed poſt modicum correpti, in gratiam recipiuntur, &c.*

XI. Quis Conradum I.?

Credi igitur, vel coniici poteſt, ex ſuperiorum ſcriptorum teſtimoniis. Imp. Henricum I. VII. Electorum ſuffragiis renunciatum fuiſſe? Minime omnium. Sed videamus, quid de Imperatore quoque Chunrado I. ſcribant, qui ſtatim mortuo Henrico primo, in eius locum Imperator vel rex Germaniæ creatus fuit.

Otho Friſingenſis libro VI. capite XXVIII. *Anno* (inquit) *ab incarnatione Domini MXXV. defuncto ſine filiis Henrico, Chunradus natione Francus, conſilio anteceſſoris ſui, cuius tamen, dum adhuc viueret gratia carebat, ob omnibus electis, LXXXVIII. ab Auguſto regnum ſortitur.*

Abbas

Abbas vero Vrſpergenſis ait: *Anno dominicæ incarnationis* MXXV. *Chunradus ex regni primoribus vnus, ſed regno antea per rebellionem aduerſus, principibus pro eius electione diſſidentibus: Aribone autem Moguntino Archiepiſcopo & Eberhardo Babembergenſi præſule, ſibi fauentibus,* LXXXV. *loco ab Auguſto regnum ſuſcepit, &c.*

Sigebertus autem *Anno* (inquit) *Dom.* MXXIV. *Henricus Imp. conſulentibus ſibi principibus ſuper ſubſtitutione regni, Chunradum virum egregij generis, & egregiæ libertatis, quippe qui nunquam ſe ſubmiſerat alicuius ſeruituti, moritur. Cono vero dux præpotens, quum ad imperium aſpirare vellet, repudiatur inſtinctu Abbonis Moguntini Archiepiſcopi, & aliquot regni primatum, & Chunradus ad imperium ſublimatus, imperauit annis* XV. *Nec plura Lambertus dicit, &c.*

Eſtne in his quoque comitijs aliqua Electorum mentio? poteſtne ex his dictis, eos ſaltem fuiſſe, conijci? Quid Epiſcopo Babimbergenſi cum noſtræ ætatis Electoribus, cuius ab Aribbonis Moguntini archiepiſcopi ſtudijs, Chunradum hunc potiſſimum Imperatorem vel regem creatum fuiſſe, ſcribit abbas Vrſpergenſis?

In comitijs quoq; imperij, quibus Henricus II. Imp. Chunradi huius filius rex renunciatus eſt, quæ patre viuente, & procurante ſunt habita, nulla vnquam Electorum VII. mentio eſt apud hos ſcriptores, quibus diligentiores adhuc nullos inueni, qui tantum regni principũ meminerunt, quo tẽpore dux Boemiæ rebellio erat: tantũ abeſt, vt electionis iure imperij ardua hęc negotia tractaſſet.

XII. Quis Henricum II. ſiue III.

De electione quoq; Henrici III. Imp. qui patre Henrico II. viuente rex appellatus fuerat, ſic ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis qui eo tempore viuebat. *Anno Domini* MLII. *Imperator Henricus ſecundus* natalem Domini Polethæ celebrauit, vbi filio ſuo Henrico adhuc catechumeno principes regni ſub iuramento fidem promittere fecit. Quod ſi quis clarius & apertius hæc videre vellet, legat eiuſdem Lamberti hiſtoriam vbi electionem Rudolphi ducis Sueuorum deſcribit, qui rex Germaniæ in Schiſmate contra Henricum III. à principum imperij parte renunciatus fuit: quibus comitijs præter multos Germaniç principes cum ſacros tum profanos, interfuerũt quoq; duo Gregorij VII. legati cardinales. Inquit autem: *Interea Moguntinus, VVirceburgenſis & Metenſis Epiſcopi. Rudolphus VVelf, Berdolphus duces; & alij plerique ex principibus Teuthonicis conuenientes. tractare de vtilitatibus Reipubl. ſtatuerunt: vt principes Saxoniæ, & omnes, quibuſcunque Reipubl. curæ foret,* III. *Idus Martij in Forcheim occurrerent, & communi conſilio, quid facto opus eſſet, decernerent: præſertim cum per abſentiam regis tranquillis rebus, tempus oportunum deliberationibus ac conſultationibus nacti fuiſſent. Romano quoq; pontifici ſcripſerunt, vt quoniam in purificatione ſanctæ Mariæ Auguſtam, iuxta condictum, dolo regis præuentus, occurrere non potuerat, ſaltim in Forcheim ſtatutâ die præſto eſſe ſatageret, & ſedandis bellorum ciuilium tempeſtatibus. quibus iam diu periclitaretur Reſp. Apoſtolici moderaminis gubernaculum adhiberet. Qui vnum ex Cardinalibus Epiſcopũ Romanæ eccleſiæ, Gregorium nomine, & alios, quos ei negocio idoneos arbitrabatur, ad regem Henricum miſit, qui ei dicerent: tempus eſſe, vt promiſſa compleret. Conuenturos in Forcheim* III. *Idus Martij principes Teuthonici regni ad componendum ſtatum Reip. Veniret ergo, vt pollicitus fuerat, & ipſe ad conuentum. Legatis autem mandata perferentibus, ille diſſimulatũ mediocriter his, quæ animo agitabat, reſpondit ſe poſt acceptum regnum, hac primum vice, Italiam intraſſe, & ideo multis nunc & magnis Reip. negotijs implicitum, non poſſe tam cito infectis rebus prouincia excedere: quia ſi id faceret, Italos, quos longo tempore anxia aduentus ſui expectatione ſuſpendiſſet, grauiſſime offenderet. In hæc, & alia præterea multa verba, legatos dimiſit. Papa autem certior iam factus de immutatione animi eius, & cæteris rebus, quas ad eum iampridem fama detulerat, miſit protinus Bernardum abbatem de Maſſilia, item alium Bernardum S. R. E. diaconum cardinalem, vt principibus Theutonici regni qui vt ſupra dictum eſt,* 3. *idus Martij in Forcheim conuenturi erant, occurrerent, eoſq; per ordinem, ea quæ geſta erant, edocerent. Se iuxta placitum, dedicata opera enixum fuiſſe, vt die & loco ſtatuto, communibus ſanctæ eccleſiæ vtilitatibus tractandis præſto eſſet. Sed Henrici diligentia ita circumuentum, & omnes per quas tranſitus eſſe potuiſſet itinerum anguſtias præoccupatas, vt nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romã regredi valeat. Proinde monere eos, vt ſuis interim rebus, & regno Francorum, quod diu iam vnius hominis puerili leuitate vexetur. quaqua poſſint ratione, moderentur: donec ſi Deus velit, adempta itineris difficultate, ipſe venire & collatis in medium conſilijs, quid vtilitati, quid honeſtati omnium, quid paci eccleſiaſticæ expediat, ſecundum eccleſiaſticas leges, decernere poſſit.* Et hic hiſtoriæ finis eſt quam Lambertus ipſe, vſq; ad electionem Rodolphi in regem, ſe perduxiſſe ſcribit. Quia ſuperius relatis principibus in Forcheim rex creatus fuit, in ſchiſmate contra Henricum regem.

XIII. Quis III. ſiue IV?

XIV. Quis Rudolphum Sueuum.

Porro autem hanc hiſtoriam ſequitur abbas Vrſpergenſis, his verbis: *Anno Domini* MLXXVI. *Rodulphus indigena Sueuiæ, quæ regalibus omnino ſtemmatibus eſt aliena, mediantibus Sigefrido Metropolitano, & Adolberone VVirciburgenſi Epiſcopo, Bertholdo quoq; duce Carinthiæ, ac prædicto Othone, aliiſq; nonnullis principibus, in præſentia quorundam Romanæ ſedis legatorum, non voluntarie annuentium, apud Forcheim in regem eleuatur, à quibus etiam deductus Moguntiam, in media quadrageſima* XII. *Cal. Apr. à Sigefrido Epiſcopo in regem vngitur, &c.* Si igitur tantum fuerunt VII. Electores Imperij, quod ius hoc tempore habebant in Imperatore deligendo, Wirciburgenſis, & Metenſis Epiſcopi? quod Bertholdus dux Carinthiæ? Quid Ottho olim dux Bajoariæ, quum nondum (ex Munſterij ſententia) dux Bauariæ, Palatinus Rheni eſſet? quod cæteri principes? Alia igitur hoc tempore fuit eligendi Imperatoris ratio. diuerſa ab ea, quam poſteriores ſcriptores ſomniarunt. Quod etiam confirmatur in electione Henrici IV. Imperatoris & abrogatione Henrici III. pro qua Moguntiæ LII. Imperij principes congregatos fuiſſe, nullumque defuiſſe, excepto duce Saxoniæ

XV. Quis, Henricum IV. ſiue V.

Magno,

Magno, ſcribitur. Quo loco aperte liquet, an VII. Electores, vel omnes Imperii proceres, abrogato Henrico III. ſuffecerint eius filium Henricum IV.

Videamus itaq; quid de hac re ſcribat Otho Friſingenſis, libro VII. hiſtoriæ ſuæ, capite XL. Sic ait: *Anno ab incarnatione Domini* MCVI. *in natali Domini, maximus conuentus principum Moguntiæ factus eſt: vbi ſuperuenientes Apoſtolicæ ſedis legati, anathema à Romanis pontificibus in Imperatorem factum, manifeſte omnib. qui aderant promulgabant. Ea propter dum ipſe in caſtro quodam poſitus, ac cuſtodiæ mancipatus audientiam peteret, principes Seditionem vulgi timentes, ei apud Ingelheim occurrunt, ibiq; multis modis commonitum, vel iuxta alios circumuentum ac coactum, inſignia regni reſignare, ac filio mittere,* XLIX. *regni ſui, poſt mortem patris, Imperii V anno perſuadent. Reuerſi ad filium optimates, Imperialia deferunt: eumq; primo à patre electum, per impoſitionem manus Apoſtolicæ ſedis legatorum, cunctorumq; electione,* LXXXV. *ab Auguſto regem creant: Anno vt dixi,* MCVI.

Abbas Vrſpergenſis rem latius declarat, his verbis: *Anno Domini* MVI. *mediante Henrico iuniore, tantus apud Moguntiam factus eſt in natali Dominico totius regni Theutonici conuentus, quantus per multa annorum curricula nunquam eſt viſus. Referunt enim qui aderant,* LII. *ibi tunc optimates, vel eo amplius affuiſſe: adeo vt ſolus dux Saxoniæ Magnus nomine, quem iam grauior ætas impediebat, notaretur defuiſſe. Ibi ſuperuenientes Apoſtolicæ ſedis legati, Epiſcopus ſcilicet Albanus, cum Conſtantienſi, ſententiam anathematis in Henricum ſeniorem dictum, Imperatorem, à tot ſibi ſuccedentibus Apoſtolicis ſæpiusq; promulgatam, ſcriptis ſimul & dictis teſtificantes, vniuerſam multitudinem, immo totam toto orbe diffuſam eccleſiam ab eius communione ſepoſitam confirmabant. Qua de cauſa quum ipſe de caſtello quo manebat, Moguntiam ſe exhibere tentaret, principes propter cauendum tumultum vulgi, ſua potius quam filii partes fauere ſolentis, ipſi Ingelheym occurrerunt: tandemq; generali illum circumuenientes conſilio: vſque ad reatus confeſſionem ſatisfactionisq; profeſſionem perducunt. Cui quum legati communionem ſeu pœnitentiæ modum, abſq; generalis Synodi & Apoſtolicæ diſcuſſionis cenſura, reddere ad præſens non poſſent, ipſe partis vtriuſque conſiliis annuens, regalia vel Imperialia inſignia, crucem ſcilicet & lanceam, ſceptrum, globum atque coronam, filio poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, & ex tunc iuxta ſummi ſacerdotis, totiuſque eccleſiæ decreta, ſuæ conſulturum animæ promiſit. Hoc ordine Henricus illius nominis Rex V. primum a patre, deinde ab vniuerſis Germaniæ principibus, in regem, iam ſecundo electus, ab Apoſtolicis quoque legatis per manus impoſitionem catholice confirmatus, acceptis tam ab Epiſcopis quam laicis iuxta morem patriæ ſacramentis, regnare cœpit,* LXXXVIII. *loco ab Auguſto: Domini vero, vt dictum eſt,* MCVI. Idem refertur à Sigeberto, & reliquis Germanis ſcriptoribus.

Hic autem animaduertendum, Henricum hunc electum fuiſſe regem, non à VII. Electoribus: ſed (vt abbas Vrſpergenſis, vel is auctor à quo ipſe hæc deſcripſit, quem per ea tempora vixiſſe conſtat) ab vniuerſis Germaniæ principibus.

XVI. Videamus etiam quid de electione Lotharii II. Imp. afferant, num VII. Electorum meminerint?
Quis Lotharium II? Robertus abbas Montis, qui Sigebertum ſuppleuit, huiuſq; Lotharii tempore vixit, de eius electione verba faciens, ita ſcribit: *Anno Domini* MCXXV. *mortuo Imp. Henrico, corporeque eius, Spiræ ſepulto, proximo menſe Auguſto legati Apoſtolicæ ſedis, & Archiepiſcopi, cum Epiſcopis & optimatibus imperii, ex condicto conuenientes Moguntiæ, conſultant ſibi & toti Romanorum imperio, de ſubſtituendo rege. Lotharius dux Saxonum, vir ſapiens & induſtrius, eccleſiaſtico iuri deuotus, præpotens diuitiis & victoriis, omnium aſſenſu eligitur. Hic menſe Septemb. cum eiſdem legatis, duobus Archiepiſcopis, octo Epiſcopis, multis abbatibus & cum eminentioribus aulæ regalis primatibus, Aquiſgranum veniens, Dominica die Idib. Septemb. à Friderico Archipræſule Colonienſi, in regem benedicitur & vngitur, omni clero & populo feſtiuum Epinicium acclamantibus, &c.*

Hoc autem loco ſcribitur, Lotharium regem declaratum fuiſſe ſuffragiis legatorum Romani pontif. duorum Archiepiſcoporum, octo Epiſcoporum, ac cæterorum aulæ Palatinæ procerum: & non VII. Electorum. Ita vt liquido pateat, an per hæc tempora fuerit eorundem magiſtratus? Hoc idem iis verbis, libro VII. cap. XVII. confirmat Otho epiſcopus Friſingenſis. Ait enim: *Anno dominicæ incarnationis* MCXXV. *defuncto abſque herede Henrico rege V. principes Moguntiæ conueniunt: ibique habito de ſucceſſore conſilio, quatuor regni optimates, Lotharius dux Saxonum, Fridericus dux Sueuorum, Leopoldus marchio Orientalis, Carolus comes Flandriæ, ad regnum deſignantur. Tamen Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium renitens valde, ac reclamans ad regnum tractatus ſub præſentia ſedis Apoſtolicæ legati,* XXCIII. *ab Auguſto regnauit.* Libro vero primo cap. XVI. de geſtis Friderici Ahenobarbi Imp. idem refert his verbis: *Igitur Albertus (nam id iuris, dum regnum vacat, Moguntini Archiepiſcopi ab antiquioribus eſſe traditur) principes regni in ipſa ciuitate Moguntia tempore autumnali conuocat: malorumque ſibi à duce Friderico illatorum haud immemor, cum prædictus dux ad regnum à multis expoſceretur, ipſe Lotharium ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis induſtria omni honore dignum (plus familiari rei, quantum in ipſo erat, quam communi commodo conſulens) in regem à cunctis qui aderant principibus eligi perſuaſit. quæ res laudabiliter facta, grauiſſimæ tamen ſciſſuræ ſeminarium deinde fuit.*

XVII. Eadem refert Abbas Vrſpergenſis. Comitia vero quibus Chunradus rex III. Imp.
Quis Conradum II. ſiue II. appellatus eſt, diligenter admodum explicantur ab eodem Othone, qui per ea tempora vixit.
III. Is enim libro I. cap. XXII. de geſtis Friderici Ahenobarbi Imperatoris: *Defuncto (inquit) Imp. Lothario, ac in monaſterio Lutre, quod in eius proprio fundo ſitum eſt, humato, principes regni apud Galliæ oppidum Confluentiam, vbi Moſella Rhenum influit, conueniunt: & de eligendo principe conſilium ineunt.*

Igitur

Igitur Chunradus Friderici ducis frater, ab omnibus, qui aderant, expoſcitur: ad regnumque leuatus, in palatio Aquis coronatur, quod eo facilius fieri potuit, quod Imperat. Henrici odium in mentibus plurimum iam deferbuerat, Albertuſque Moguntinus Archiepiſcopus iam recenter viuendi finem fecerat. Acceſſit etiam ad huius negocij promotionem, quod Henricus Noricorum dux, pro nota ſuperbia pene omnium, qui in expeditione Italica cum Lothario Imper. fuerunt, odium contraxerat, &c. Idem lib. VII. historiarum capite XXII. hæc propemodum his verbis refert: *Anno Dom. MCXXVIII, defuncto in autumno ſine filiis Imp. Lothario, conuentus generalis principum Moguntiæ, in proximo pentecoſte indicitur. Quidam autem ex principibus timentes, ne forte in generali curia Henricus dux, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam præualeret, circa mediam Quadrageſimam, conſilio habito in oppido Galliæ Confluentia, conuentum celebrant, ibique Chunradum Impér. Henrici ſororium, præſente Theodewino epiſcopo Cardinali, ac S. R. E. legato, ſummi Pontific. ac totius Roman. pop. vrbiumque Italiæ aſſenſu promittente, XXCIV. ab Auguſto regem creant. qui mox ad palatium Aquis veniens, à prædicto cardinale (nam Colonienſis, qui id facere iure debuerat, nouiter inthronizatus pallio carebat) cooperantibus Colonienſi & Treuirenſi Archiepiſc. in regem vngitur. Proximum dehinc Paſcha Coloniæ celebrans, Moguntiam poſteà venit. At Saxones, & dux Henricus, alijque, qui electioni non interfuerant, Regem non legitime, ſed per ſubreptionem electum calumniabantur, quibus omnibus in proximo pentecoſte generalis curia Bambergæ indicitur. Itaque Chunradus R. Pentecoſten & curiam in præfata ciuitate, vt condictum erat, cum maximo regni faſtigio, & maximo conuentu principum habuit, vbi omnes Saxones ſimul cum vidua imperatrice Richinza venientes, vltro ſe ſuæ ditioni ſubdidere. Solus ex principibus dux Henricus regalia ſeruans aberat, ad quæ reddenda in feſtiuitate Apoſt. Petri & Pauli dies ei præfigitur Ratiſponæ quo veniens, regalia quidem multis illectus promiſſis reddidit, ſed tamen ea minime conſequutus, infecto pacis negocio, ſine gratia eius receſſit.*

Abbas vero Vrſpergenſis, *Anno Domini MCXXXVIII.* (inquit) *Lotharius rex obijt ſine filiis, in autumno: dux vero Henricus, in cuius finibus obierat, regalia reſeruauit, vt in generali conuentu principum, qui in proxima Pentecoſte Moguntiæ indictus fuerat, præſentaret. Quidam vero ex principibus timentes, ne forte in generali curia Henricus dux, qui tunc præcipuus & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam præualeret, circa mediam Quadrageſimam conſilio habito in oppido Rheni Confluentia conuentum celebrant: ibique Chunradum fratrem Friderici, præſente Theodewino Epiſcopo cardinali, regem creant. Cui primum Saxones, & dux Henricus, aliique, qui eius electioni non interfuerunt, reſiſtunt, calumniantes eum non legitime, ſed per ſubreptionem electum fuiſſe. Quibus omnibus in proxima Pentecoſte generalis curia Bamberg. indicitur: quo Saxones omnes, ſimul cum vidua Imperatrice Richinza venientes, vltro ſe Chunrado regi ſubdidere. Henricus dux regalia ſeruans aberat: ad quæ reddenda, in feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli Ratiſponæ dies ei præfigitur. Quo veniens, regalia quidem multis illectus promiſſis reddidit: Sed ad ea, quæ vlterius inter eos tractanda erant, dies ei breui poſt Auguſtæ præſcribitur, &c.* Non aliena ab his dictis, refert quoque Robertus, Abbas Montis, qui Sigeberti chronicon ſuppleuit.

Omnium vero clariſſima ſunt ea comitia Imperij, quibus Fridericus primus Ænobarbus rex creatus fuit, ab Othone Epiſcopo Friſingenſi, qui ijs interfuit, libro ſecundo, capite primo, de geſtis eiuſdem Friderici Imperat. deſcripta. Ait enim: *Anno ab incarnatione Domini MCLII. decedente ab hac luce vernali tempore Bambergæ piiſſimo rege Chunrado, III. nonas Martij, in oppido Francofurt, de tam immenſa Tranſalpini regni latitudine vniuerſum (mirum dictu) principum robur, non ſine quibuſdam ex Italia Baronibus, tanquam in vnum corpus coadunari potuit: vbi quum de eligendo principes primates conſultarent (nam id iuris Romani imperij apex, videlicet non per ſanguinis propaginem deſcendere, ſed per principum electionem reges creare, ſibi tanquam ex ſingulari vendicat prærogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum dux, Friderici ducis filius, petitur, cunctorumque fauore in regem ſublimatur.* Et cap. III. *Aſtrictis igitur omnibus, qui illo confluxerant, fidelitate & hominio, principibus: cum paucis, quos ad hoc idoneos iudicauit, cæteris in pace dimiſſis, rex cum multa iocunditate naues ingreditur: ac per Mogum & Rhenum nauigans, in villa regali Sinciche applicuit, ibi equos aſcendens Aquiſgranum venit, vbi ſequenti die, id eſt, Dominica quarta Quadrageſimæ, ab Epiſcopis, à palatio in eccleſiam Beatæ Mariæ ſemper virginis deductus, cum omnium, qui aderant, applauſu ab Arnoldo Colonienſi Archiepiſcopo, alijs cooperantibus, coronatus, in ſede regni Francorum, quæ in eadem Eccleſia à Carolo Magno poſita eſt, collocatur, non ſine multorum ſtupore, quod in tam paruo temporis ſpatio, non ſolum tanta principum ſeu de regno nobilium confluxerat multitudo, ſed & quod de Occidentali Gallia, ad quam nondum huius facti rumor perueniſſe putabatur, nonnulli aduenerant, &c.* Et capite IV. *Peractis omnibus, quæ ad coronæ decorem ſpectabant, rex vocatis prudentioribus ſeu maioribus de numero principum, de ſtatu Reip. conſultans, legatos ad Romanum Pontificem Eugenium, vrbem ac totam Italiam deſtinandos diſpoſuit, de promotione ſua in regnum ſignificaturos. Mittuntur itaque Hellinus Treuirenſis electus, & Eberhardus Babembergenſis Epiſcopus, viri prudentes & literarij.*

XVIII. Qui, Fridericum Ænobarbum?

Abbas vero Vrſpergenſis: *Anno Domini* (inquit) *MCLII. Fridericus huius nominis primus regnum accepit, magis ex delegatione patrui ſui, quam ex electione Principum. Huic autem imperium ceſſit, quod Vuelpho auunculus eius, & alii principes Alemanniæ proxima linea cõſanguinitatis eum attingerent,* &c. Eadem Robertus Abbas Montis ſcribit. Abbas item Vrſpergenſis, vbi de electione Henrici V. Imperatoris, cuius tempore vixit, loquitur, ſic ait: *Anno Domini MCXCI. Henricus huius nominis VI. (vel ſecundum Chronica Romanorum V. qui Henricum patrem primi Othonis, in numero Imperatorum*

XIX. Quum, Henricum V. ſine VI.

non ponunt) Friderici I. Imp. filius regnum accepit. Qui prius à patre Friderico rex deſignatus fuerat, & de conſenſu principum coronam Aquisgrani acceperat, &c.

XX. Quis Philippum & Ottonem IV.

Verum nulla Imperatorum comitia clarius & diligentius explicantur, quam ea, quibus in ſchiſmate, duo ſimul Imperatores vel reges creati ſunt, nempe Philippus Sueuorum dux, Henrici V. frater, Otho IV. Ex his enim manifeſte colligere poterimus, an ad illud vſque tempus VII. Electorum nomina, & munus inuenta fuerint, cum iam ab Othonis III. Imp. obitu cc. anni fuiſſent elapſi. Enarrantur autem accuratiſſime ab Abbate Vrſpergenſe, qui per ea tempora in Germania vixit. *Ait enim, mortuo Henrico rege VI. Imp. V. Friderici primi filio, Philippus Sueuorum dux, frater eius, eo tempore exierat de Alemannia, vt veniret ad ipſum in Siciliam: proceſſeratque vſque ad montem Flaſconem prope Viterbium, vbi de morte Imp. nunciatum eſt ei. Quare ipſe ſtatim ab Italia receſſit, &c. & laborioſe peruenit in Alemanniam, vbi iam principes iuramenta ſua poſtponentes (nam procurante Henrico Imp. principes Alemanniæ pene omnes filium paruulum ipſius, Fridericum, adhuc in cunis vagientem, ſibi aſſumpſerant in regem fidelitatemque ei iurauerant, & literas de hoc facto cum ſigillis ſuis tranſmiſerant Imperatori) de electione noui Imperatoris tractare cœperunt, cupientes diripere hæreditates, quæ ad præfatam Imperatorũ generationem pertinebant. Sed Deus conterens omnem impietatem, & perfidiam ipſorum hoc fieri non permiſit: inſpirans cordibus hominum, vt ſuos natiuos dominos non derelinquãt, & alienis adhæreant. Ideoq; præfatus Philippus ad partes Rhenẽſe contulit in continenti, & natalem Domini in caſtro Hagenou celebrauit: vbi venerunt ad eum & officiales & miniſteriales, & quidam de principibus & baronibus terræ, cum quibus habuit myſterium conſilij ſui. Vbi etiam aderat Chunradus Argentinenſis epiſcopus, qui etiam promiſit fauorem & auxilium ſuum duci, de obtinendo imperio. Volebat enim tenere imperium, cum in ſua poteſtate haberet inſignia imperialia, vtpote Coronam & crucem, & alia quæ attinebant. Non enim cautum eſſet ſibi, vt ad alium tranſiret imperium: & ſic tam ipſe, quam fratruelis ſuus, licet tunc paruulus, omni hæreditate priuarentur ſua: quod etiam non placuit altiſſimo, quamuis multa cœperint interuenire impedimenta, & Innocentius ſiquidem Papa III. tunc de nouo in ſede Apoſtolica ſublimatus, omni ſtudio cœpit aduerſari eidem, * hoc agens vt ipſum impediret, ne ad ſublimitatem culminis imperialis poſſet aſcendere; improperans ei, quæ frater ſuus & pater crudeliter peregerant contra Eccleſiam, &c. His interpoſitis de oppoſitione ſedis Apoſtolicæ, vt regium genus deperiret, redeamus ad deſcribendum labores, quos iniquiſſimorum principum machinatione ſuſtinuit in Alemannia. Primum quidem de prudenti conſilio, quum videret ſibi imminere aduerſitates & bella, acquiſiuit ſibi fauorem principum & magnatum. De Saxonia quidem habuit ducem Bernhardum marchionem Moeſiæ, & alios principes ſeculares potentiſſimos; inſuper archiepiſcopos Magdeburgenſem & Bremenſem, & ſuffraganeos eorundem. Sed genetrix & nutrix omnium malorum, diſcordia, noluit quieſcere: quin potius Alemannos, qui omnem iuſtitiam deteſtantur, & odio habent, ad hoc commouit, vt in præiudicium dominationis antiquæ, & generationis in regno diuturnæ, condicerent curiam apud Andirnach oppidum Rheni, quatenus ibidem eligerent Imperatorem. Quo audito, Philippus tranſmiſſis illuc legatis effecit, vt nulla ibidem celebraretur electio: tum propter ſui & quorundam principum abſentiam, tum propter regiæ generationis non deſtituendam proſapiam, quum propter iuramenta principum eidem generationi exhibita; Ideoq; plus confidentes in diuitiis & potentia Colonienſium, illuc conuenticulum ſuum indicunt. vbi rurſus Philippus nuncios ſuos tranſmiſit, impediens, ne in præiudicium ſuum qualibet fieret electio. Aſſerunt enim quidam, quod propter hoc promiſſa fuerint archiepiſcopo Treuerenſi, duo millia Marcarum. Attamen Bertoldus dux Zaringiæ, tunc denominatus fuit in regem, non propter hoc, quod iuſtus eſſe videri poſſet: Sed quia pecunioſus videbatur, cum eſſet auariſſimus, & omni iniquitate plenus. Videns autem Philippus, quod a tali inſolentia nollent Alemanni ceſſare, ipſe cum principibus ſibi fauentibus, conuentum adunauit, in oppido Milhuſen, vbi a Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Boemis, & principibus quam pluribus regni, eligitur in regem. Tunc cœperunt multiplicari mala in terris, &c.* Item paulo poſt: *Iam tunc Colonienſes & Argentinenſes, cum epiſcopis ſuis, & alij quidam cogitauerunt, & machinati ſunt nequitiam, miſerantq; nuncios ſuos, Albertum videlicet de Tagibarck & à Liningen, comites in Angliam, vt inde aduocarent & adducerent Othonem, pro eo quod Superbus & Stultus, ſed fortis videbatur viribus, & ſtatura procerus, præſumentes nihilominus auxilio Richardi Angliæ regis, eiuſdem auunculi. Hunc igitur apud Coloniam elegerunt in regem. Factaq; eſt hæc abuſio, vt fieret quaſi portentum multarũ abuſionum, quæ ſubſequuta ſunt in terris, &c.* Item paulo poſt: *Properant electi reges, vterq; vt occuparet ſedem regni Aquiſgrani. Sane Philippus prior oppidum obtinuit, & ibidẽ viros ſtrenuos & nobiles in præſidio conſtituit. Superuenit autem Otho cum Colonienſibus, & aliis fautoribus ſuis, & obſederunt ciuitatem: quumq; interiores concluſi reſiſtere non potuiſſent, accepta pace & ſecuritate perſonarum, dederunt ciuitatem. Tunc Adulphus Colonienſ. in regem coronauit archiep. ipſum Othonẽ. Tota vero curia imperialis & officialis imperij adhæſerunt Philippo, cum principibus quam plurimis. Interim redierat de vltramarinis partibus Chunradus Herbipolenſis epiſcop. qui fuit Cancellarius. Hic declinauit in partem Philippi. Hermannus vero Landgrauius de Thuringia, cœpit aduerſari Philippo, ſperans ad ſe poſſe deuolui ius imperij. Philippus itaq; prudenti vſus conſilio cenſuit primum eos, qui viciniores erant, bellis euertere, & ſuo dominio ſubiugare. Anno ſequenti Argentinam obſedit, vbi ſuburbia prius incendit, & terras ciuium vaſtare cœpit. Tunc videntes ciues ſe non poſſe reſiſtere, Philippum tanquam dominum ſuum, in ciuitatem receperunt, & ei fidelitatem iurauerunt. epiſcopus quoq; in gratiam ipſius rediit. Principes vero imperij nec curabant iuramenta infringere, nec fidem violare, & ius omne confundere, nunc recedentes à Philippo, & Othoni adhærentes, & è conuerſo. Verum multis bellis feliciter geſtis, decreuit agere bellum contra Colonienſes. Cum magno igitur exercitu venit in fines illorum ſinitq; incendia & vaſtationes terrarum,*

* Hinc c. venerabilem, extra, de elect. in hunc Philippum ſcriptum.

terrarum, capiuntur oppida quædam in partibus illorum: multi, ſiue compulſi, ſiue muneribus aut promiſſionibus illecti, recedunt ab Othone, & adhærent Philippo, inter quos præfatus Adolphus Colonienſis archiepiſcopus, cum rege reconciliatus, ſecum venit Aquiſgranum, & ipſum coronauit in regem. Interim quoque redierat de vltra marinis partibus Chunradus archiepiſcop. Moguntinus, qui callide propter timorem Papæ ſe geſſit, in hoc facto: latenter tamen aduerſatus Philippo potius quam fauens, timebat enim eum. Sed hic in breui vitam finiuit, &c.

Item, vbi Philippo rege occiſo, loquitur de Othonis confirmatione, ſic ait: *Anno Domini* MCCIX. *Otho III. ex patre de Suevia & Saxonia, ex matre de Anglia, vbique nobiliſſima ſtirpe progenitus, regnum ſolus, occiſo Philippo, accepit, & quum quatuor annis regnaſſet, regno pulſus eſt: quod propter illius ſuperbiam præcipue contigiſſe creditur. Primum ſiquidem in Francfurt adueniens, conſenſu principum accepit, veneruntque ad eum Papæ duo legati, &c.* Qui vero, imperio Othoni abrogato, Fridericum II. iuuenem regem renunciauerint, referuntur ab eodem Abbate Vrſpergenſe, ex quo grauiſſimi auctoris teſtimonio colligi licet, num à VII. Electoribus creatus fuerit, an ab aliis, qui moderno tempore nullum in electione Imperatoris ius habent. Inquit enim: *Anno Dom.* MCCX. *Otho excommunicatus denunciatur. Tunc Principes Alemaniæ, rex videlicet Boemiæ (qui paulo ante ex duce aſſumptus fuerat, ab Henrico V. Imp. ad regnum) dux Auſtriæ, dux Bauariæ, Landgrauius Thuringiæ, & alij quamplures conuenientes, Fridericum regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem coronandum, cui etiam olim, quum adhuc in cunis eſſet, iurauerant fidelitatem, &c.*

XXI. *Qui Fridericum II.*

His igitur tot grauiſſimorum auctorum teſtimonijs ſatis liquere exiſtimo, an ante Friderici II. tempora VII. hi fuerint Electores, qui noſtra ætate ſunt: vel longe plures, omnes videlicet Germaniæ, tam eccleſiaſtici, quam ſæculares principes. Inter quos hi etiam, qui noſtro ſeculo principes electores ſunt, numerandos eſſe exiſtima, etſi nulla vnquam de marchione Brandenburgenſi, vel Comite Palatino Rheni; in tot comitijs Imperatorum mentio habita ſit. Sed quum inter Germaniæ principes numerentur, eos proculdubio hiſce lectionibus interfuiſſe credendum, verum non ſupra cæterorum principum æqualitatem. Porro autem ex ſuperius citatis auctoritatibus, ante Friderici II. Imp. tempora, colligitur, imperij electores fuiſſe, omnes Germaniæ principes, tum ſacros tum profanos, qui in eius (vt opinor) rei memoriam hodie dicuntur *principes Imperij*, quorum numerum ad LIII. vel LIV. fuiſſe, liquet ex Abbate ipſo Vrſpergenſe, vbi de Henrici IV. Imp. comitijs verba facit. Antiqui autem imperij principes, Eccleſiaſtici, quos omnes Imperatorum comitijs intereſſe potuiſſe exiſtimo, hi fuerunt:

XXII. *Ante Friderici II. tempora omnes imperii principes, electorum officio functos.*

XXIII. *Indeque vocatos principes imperii. Eorumque fuiſſe 53. vel 54.*

XXIV. *Quinam ex eo numero fuerint eccleſiaſtici.*

Archiepiſcopi VIII. videlicet:

Moguntinus, cuius vrbs Germaniæ Metropolis eſt.

Colonienſis }
Treuirenſis } *qui nunc tantum ſunt Imperii Electores, èx eccleſiaſticis.*

Magdeburgenſis, in Saxonia, qui dicitur Germaniæ primus.

Salzburgenſis, alias Iuuanienſis in Bauaria. Bremenſis & Hamburgenſis, in Saxonia.

Biſuntinus, in Burgundia. Rigenſis in Liuonia.

Epiſcopi XXXVII. In his epiſcopi ſuffraganei, archiepiſcopi Moguntini XII. videlicet:

Argentinenſis. Auguſtanus. Curienſis. Conſtantienſis. Eichſtatenſis.

Herpipolenſis. alias Vircemburgenſis. Halberſtatenſis. Hildesheimenſis. Paderburnenſis.

Spiranſis. Verdenſis, &c. Vormacenſis.

Epiſcopi ſuffraganei, archiepiſcopi Colonienſis V. videlicet:

Mimigardenordenſis, alias Monaſterienſis. Traiectenſis.

Tungrenſis, alias Leodienſis. Mindenſis. Oſnaburgenſis.

Epiſcopi ſuffraganei, archiepiſcopi Treuerenſis III. videlicet:

Metenſis. Tullenſis. Virdunenſis.

Epiſcopi ſuffraganei, Archiepiſcopi Magdeburgenſis IV. videlicet:

Merſeburgenſis in Thuringia. Citicenſis in Miſnia. Brandeburgenſis in veteri Marchia.

Hauelburgenſis in Saxonia.

Epiſcopi ſuffraganei, Archiepiſcopi Saltzburgenſis VI. videlicet:

Tridentinus. Pataurienſis. Viennenſis. Gorcenſis. Brixinenſis. Friſingenſis.

Epiſcopi exempti ſeptem.

Babinbergenſis. Ratiſponenſis. Baſileenſis. Ratcemburgenſis.

Lubecenſis. Suerinenſis. Miſnenſis.

Abbates V.

Fuldenſis. Hirſueldenſis. Campidunenſis. Viſſemburgenſis. Murbacenſis.

Magiſter militum ordinis Theuthonicorum, poſteaquam inſtitutus fuit.

LAICI vero imperii principes erant:

Dux primo, poſtea rex, Boemiæ. Dux Saxoniæ. Dux Bauariæ. Dux Sueuiæ. Brunſuicenſis. Marchio primo, poſtea dux Auſtriæ. Dux Carinthiæ. Comes Palatinus Rheni. Marchio Brandenburgenſis, & alij multi, quorum nomina incerta & obſcura ſunt.

XXV. *Qui laici hoc tempore, 18. ſunt familia eorum, qui comitiis interfuiſſe*

Horum autem principum nomina collegi ex Lamberto Schafnaburgenſi, Abbate Vrſpergenſi,

Schonborn. pol. lib. 5. c. 6.

& cæteris Germanis hiſtoricis. Hi igitur principes, vel omnes, vel quotquot adeſſe poterant ante Friderici II. Imp. obitum comitijs Imperij adeſſe ſolebant. Interregni enim tempore vocati ad præſcriptum ſibi locum veniebant: perinde ac noſtra ætate fieri ſolet in eis Germanorum principum conuentibus, quos *Dictas* vocant. Qui autem ex competitoribus, quos plures fuiſſe aliquando legimus, plura ſuffragia ab his, qui aderant, ferebat, is *rex Romanorum* demum appellabatur. Hanc autem conſuetudinem ſeruatam fuiſſe vſque ad Frideric. II. Imperat. obitum, ſatis ex tot auctorum ſuperius citatis teſtimonijs liquere arbitror.

XXVI. *Moguntinenſis, Colonienſis, Treuirenſis imperii, ab antiquo, Cancellarii. Inf. n. 29*

XXVII. *Cur potiſſimum illi?*

XXVIII. *Abbas Faldenſis, imperii archicapellanus.*

XXIX. *Cancellariorum imperii inſtitutio quando exorta. v. A. Knich. de Sax. non prou. priu. verb. electora. 1. n. 47. Haiz. 5. 1. q. 3. n. 47. & ſeqq. Facit autem cum Onuphr. Freherus orig. Pal. c. 15.*

XXX. *Regnum Arelatenſe & aliquot prouinciæ Galliæ, imperio, ab Ottone I. adiecta. Adde inf. c. 12. n. 11*

Porro autem ex his omnibus principibus Imperij antiquitus inſtitutum fuit, vt tres priores archiepiſcopi, videlicet: Moguntinus, Colonienſis, & Treuerenſis, imperij cancellarij eſſent: Moguntinus ſiquidem, in Germania: Colonienſis, in Italia: Treuerenſis per Burgundiam, Lotharingiam, regnum Arelatenſe, & cæteras Galliarum prouincias, quæ imperio ſuberant. Per has enim potiſſimum prouincias Imperij Romani ditio tum extendebatur; regno Arelatenſi, & cæteris per Gallias Imperialibus prouincijs, nondum à Francis Occidentalibus occupatis. Hos autem tres archiepiſcopos ideo præcipue electos fuiſſe præ cæteris, qui cancellarij Imperij eſſent, exiſtimo, quod vetuſtiſſimi & nobiliſſimi omnium Germanicorum epiſcoporum eſſent. Moguntinus enim Metro-politanus eſt totius Germaniæ, à S. Bonifacio primo archiepiſcopo inſtitutus. Colonienſis vero archiepiſcopus, ideo cancellarij dignitatem obtinuit, tum propter antiquitatem, tum etiam quod in eius diœceſi, Aquisgrani, regis inauguratio celebretur, porro omnium vetuſtiſſimus eſt Treuirenſis epiſcopatus, à S. Petro Apoſt. inſtitutus in Gallijs. Ex Abbatibus vero Fuldenſis archicapellanus erat Imperij. Hinc poſtea manaſſe crediderim, vt cum VII. Electores inſtituti fuerunt, potiſſimum hi tres archiepiſcopi cæteris prælati ſint, ſoliq; electionis dignitate inſigniti, tamquam Imperij Romani digniores principes, & eiuſdem cancellarij, vel (vt poſtea vſurparunt) archicancellarij; ob quod munus alijs archiepiſcopis eminentiores erant: Horum autem trium cancellariorum imperij inſtitutionem, paulo ante, vel potius, circa primi Othonis Imperat. tempora, exortam fuiſſe, ex ipſorum Imperatorum priuilegijs, vel diplomatibus publicis obſeruaui. Quando victo Italiæ tyranno, Berengario II. Germaniæ regnum, quod diu ante ab Italico ſegregatum fuerat, Otho, ipſe rex primus, ex Germanis, accepto à Ioanne XII. Papa Imperij Romani diademate coniunxit. Quo etiam tempore Otho ipſe regnum Arelatenſe & aliquot prætera Galliarum prouincias ſuo imperio adiunxit. Tunc enim negociorum prouinciarumque adminiſtrationem, his tribus potiſſimum partitus eſt Archiepiſcopis, quod tunc principaliores & digniores in Germania & Imperio trans Alpes eſſent. Sicque ſcribebant: N. *Archiepiſcopus, &c. S. Romani Imperii, per Italiam, vel Gallias, vel Germaniam archicancellarius, &c.* Quoties enim Imperator eſſet in Italia, archiepiſcopus Colonienſis priuilegia vel diplomata Imperialia ſignabat, & eius interuentu, & nomine edebantur. Quoties Imp. eſſet in Gallijs, id munus obtinebat Treuerenſis. In Germania vero Moguntinus. Quæ conſuetudo vſque ad Frider. II. tempora in vſu fuit: poſtque Romano Imperio ad nihilum fere redacto, id munus paulatim deficiens, ſolo nomine, vel potius eius quædam vmbra, remanſit. Hæc etiam omnia (vt dixi) obſeruaui ex Imperatorum priuilegijs, à Carolo Magno ad noſtra vſque tempora, quorum multa ſunt apud me exemplaria, ex ipſis archetypis, per varias terræ Italiæ vrbes, conquiſitis, exſcripta. Atque hactenus de antiquis electoribus Imperatoris Franci, ante Friderici II. obitum, & VII. virorum inſtitutione, dicta ſufficiant.

XXXI. *Quam hodie, ea ... Cancellariorum imperii, officium. A. Knich. de Sax. non prou. priu. verb. electorum, c. 1. nu. 52. & 69.* XXXII. *Quam inanis dignitas.* XXXIII. *Sagacitas Onuphrii, in perſcrutandis antiquis Cæſarum priuilegiis.*

CAPVT VII.

Varia explicantur ad Imperium pertinentia, ante VII. Electorum inſtitutionem.

I. *Locus comitiorum, Cæſarum creandi cauſa habitorum, antiquitus incertus.*

II. *Poſt Francofurti ſtabilitus. Inf. c. 11. nu. 8.*

III. *Ius conuocandi principes ad comitia, cuius fuerit. Adde inf. c. ...*

IV. *... primum ... Idem praeſul ...*

LOcus comitiorum Imperij, ante Fridericum II. Imp. incertus fuit: pro eius ſcilicet arbitrio, cuius munus erat principes ad nouam Imperatoris creationem conuocare. Legimus enim, Arnulphum apud Triburias: Ludouicum IV. in Forcheim: Henricum primum, regem, Fritslarij; Othonem primum Aquisgrani: ſecundum Vormatiæ; tertium Romæ; Henricum primum Imperatorem Moguntiæ; Chunradum I. Imp. & Henricum II. Imp. Aquisgrani; Henricum III. Imp. Polethæ; IV. Henricum Moguntiæ; Lotharium item Moguntiæ: Chunradum II. Confluentiæ; Fridericum Ænobarbum Francofordiæ, & alios alibi renunciatos fuiſſe; qui locus poſtea ſtabilitus fuit Francofordiæ, vt non longe poſt oſtendam. Ius conuocandi principes ad noua comitia, ſi habebantur, vel viuente vel mortuo Imperatore, erat archiepiſcopi Moguntini: qui loco vel ſibi, vel principibus commodiore, eos ad nouam Imperatoris creationem, ſtato die, per literas conuocabat, quod poſtea munus ei continuatum, adhuc etiam retinet. Huius rei auctor eſt Otho Friſingenſis epiſcopus. Congregatis principibus ad imperij comitia, prima ſuffragia ferebat archiepiſcopus Moguntinus: quod videre licet in epiſtola Epiſcoporum Germaniæ ad Papam Hadrianum IV. de Imp. Friderico primo. Aiunt enim: *Duo ſunt, quibus noſtrum* (Friderici ipſius Imp. verba ſunt ab eis Epiſcopis Papæ ſcripta) *regi oportet imperium: leges ſanctæ Imperatorum: & vſus bonus prædeceſſorum & patrum noſtrorum. Iſtos limites eccleſiæ nec volumus præterire, nec poſſumus. Debitam patri noſtro reuerentiam libenter exhibemus, liberam imperij noſtri coronam, diuino tantum beneficio adſcribimus: electionis primam vocem*

obſeruauit Iacobus Spigel. in annot. ad illos verſiculos Gunther. lib. 6. Ligurini: Ad proceres illos pertinet, in qua Præcipuam de iure vetuſto Moguntinus habet. Sed hodie ſecus eſt, propter locum bullæ Carol. citatum, inf. c. 10. n. 9.

vocem Moguntino archiepiſcopo, deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem principibus recognoſcimus: regalem vnctionem Colonienſi, ſupremam vero, quæ imperialis eſt, ſummo Pontifici; quicquid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, à malo eſt. &c. A maiori autem eligentium parte rex appellatus, Aquiſgranum ſtatim proficiſcitur (quod ſemper à primi Othonis tempore obſeruatum fuiſſe conſtat) vbi olim Caroli Magni Imp. regia fuit, & nunc extat ſepulchrũ, ibiq; eius diadema ſeruatur, quo ipſius ſucceſſores coronari conſueuerunt. Ibi autem rex electus, in Caroli Magni ſede locatur, quæ eſt in baſilica Beatæ Virginis, ab eo condita, eiuſque diademate redimitus, inauguratur in Germaniæ & Franciæ regem. Munus autem eius Epiſcopi, qui eũm conſecrabat & vngebat, varium fuit. Primo enim (vt memoria extat) Arnulphus, eius filius Ludouicus IV. & Chunradus primus, reges coronati ſunt, & conſecrati ab Archiepiſcopo Moguntino, à quo etiam Pipinus rex Francorum, & pater Caroli Magni primo; deinde Ludouici Pij Imperatoris filij, Ludouicus & Carolus III. reges Germaniæ, vel Francorum Orientalium, coronati fuerant. Nam reges Galliæ, vel Francorum Occidentalium vnctionem ſumere cœperunt, ab archiepiſcopis Remenſe vel Senonenſe; quod regni eorum primates, vel Metropolitani eſſent. Henricus vero rex primus vnctionem & conſecrationem ab archiepiſcopo Moguntino, Hildeberto, ſibi oblatam, renuit. Hos autem reges ideo hoc tempore à Moguntino Archiepiſcopo coronatos fuiſſe crediderim; quod ipſe totius regni Germaniæ Metropolitanus eſſet; ideoque à quibuſdam horum temporum ſcriptoribus, etiam *ſummus* vel *maximus Pontifex* appellatur, neq; coronationem ipſam in aliena diœceſi fieri, tum conſuetum erat. Eo vero tempore, quo Otho primus electus fuit, quum Aquiſgrani comitia haberi contigiſſet, tum primum controuerſiam natam fuiſſe legi, inter duos archiepiſcopos, videlicet Treuerenſem & Colonienſem, de eius conſecratione, vt libr. etiam II. de geſtis primi Othonis Imp. refert Vitichindus, qui ita ſcribit: *Et quum quæſtio eſſet; Pontificum in conſecrando rege, Treuerenſis videlicet, & Coloniæ Agrippinæ; illius, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam à B. Petro Apoſtolo fundata: huius vero, quia ad eius diœceſim pertineret locus, & ob id ſibi conuenire arbitrati ſunt huius conſecrationis honorem: ceſſit tamẽ vterq; eorum Adelberti Moguntini Archiepiſcopi, cunctis nota ſanctitati, &c. Atque Moguntinus ipſe, more maiorum ipſum Othonem conſecrauit & coronauit.* Qua ratione autem duo illi archiepiſcopi tum primum quæſtionem illam excitauerint, incertum: Forte, quia tum Aquiſgrani libera comitia habita fuerant, videlicet extra Moguntini diœceſim. Hincq; forte orta eſt illa controuerſia, quod Colonienſis ad ſe ſpectare conſecrationem diceret, quæ in eius diœceſi celebranda eſſet. Satis illud conſtat, omnes Francorum reges à Pipino ad Othonem vſq;, qui in Germania regnarunt, & à Papa eos primo coronari non contigiſſet, ab archiepiſcopo Moguntino conſecratos fuiſſe: Quis autem Othonem II. primo coronauerit, incertum; ſed quantum coniectura conſequi poſſum, conſecratus fuit, à fratre ſuo Guilelmo, qui eo tempore erat archiepiſcopus Moguntinus. Porro tertium Othonem, primo inaugurauit Ioannes, archiepiſcopus Rauennas, Aquiſgrani, cæteris forte archiepiſcopis prælatus, quod ibi eſſet Apoſtolicæ ſedis legatus. Henricum & Chunradum primos Imperatores inunxerunt Archiepiſcopi Moguntini. Henricum vero IV. regem, tertiumque Imperatorem, primo conſecrauit Archiepiſcopus Colonienſis: fuitque primus rex Germaniæ vel Imperator, qui à Colonienſi Archiepiſcopo conſecratus fuiſſet. Quod cur factum fuerit, explicat Lambertus Schafnaburgenſis his verbis: *Imperatoris filius, Henricus, conſecratus eſt in regem Aquiſgrani, ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo, vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu, Luipoldi archiepiſcopi, ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis, conſecratio regis, & cætera negociorum regni diſpoſitiones potiſſimum pertinebant. Sed Henricus Imperator Hermanno archiepiſcopo hoc priuilegium vendicabat, propter claritatem generis eius, & quia intra diœceſim ipſius conſecratio hæc celebranda contigiſſet, &c.* Ex quo loco liquet, antiquitus conſuetum fuiſſe, Moguntinum archiepiſcopum primo ſacrare regem Romanorum: eamque controuerſiam, quæ ſub Othone primo inter duos archiepiſcopos exorta fuerat de eius coronatione, propterea natam, quod locus, in quo ea inauguratio habita fuit, videlicet Aquiſgranum, in diœceſi eſſet archiepiſcopi Colonienſis. Quapropter etiam ab hoc tempore deinceps prima regum conſecratio pertinuit ad archiepiſcopos Colonienſes; cuius inſtituti primus auctor fuit Heremannus hic archiepiſcopus Colonienſis. quo etiam munere noſtra ætate potiuntur. Rudolphus autem, qui in ſchiſmate contra Henricum III. rex creatus fuit, vnctionem ſuſcepit à Moguntino archiepiſcopo Sigefrido. Henricus vero IV. Lotharius II. & ſequentes deinceps legitimi Imperatores, vſque ad noſtra tempora, ab archiepiſcopis Colonienſibus coronati fuerunt. Quod concedente Moguntino factum fuiſſe crediderim, quod Aquiſgrani in diœceſi Colonienſi ea inauguratio fieri iam ſoleret. Quod etiam referunt epiſcopi Germaniæ in epiſtola, nomine Friderici Ænobarbi Imperatoris, ad Hadrianum Papam IV. conſcripta. Sic enim ſcribunt: *Liberam Imperii noſtri coronam diuino tantum beneficio adſcribimus, electionis primam vocem Moguntino archiepiſcopo: deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem principibus recognoſcimus. Regalem vnctionem Colonienſi, ſupremam vero, quæ imperialis eſt, ſummo pontifici.* Auctor Radeuicus Friſingenſis canonicus, qui Othonis Friſingenſis libros ſuppleuit, de vita Friderici I. Imperatoris libro III. cap. XVI.

V. *Plura vota potioribus præualuiſſe.*

VI. *Electum inaugurandi gratia, Aquiſgranum proficiſci ſolitum eſſe.*

VII. *De munere archiepiſcopi, Cæſarem conſecrantis & vngentis.*

Nic. Ciſner. in orat. de Ott. 3. f. 74.

VIII. *Cur id munus delatum Moguntino?*

IX. *Cui tamen, in electione Ottonis I. mota à cæteris quæſtio.*

X. *Incertum, qua de cauſa.*

XI. *Cur Moguntino, in conſecrando Ottone III. prælatus archiepiſcopus Rauennas.*

XII. *Cur Henricus III. ſiue IV. conſecratus à Colonienſi.*

Nic. Ciſner. in orat. de Otten. 3. f. 54.

XIII. *Qua ratione conſecrandi ius ſpectet ad Colonienſem.*

Nic. Ciſner. in orat. de Ott. 3. f. 74.

Otho quoque Friſingenſis lib. VII. hiſtoriarum, capit. XXII. de Chunrado ſecundo in regem electo ita inquit: *Qui mox ad palatium Aquis veniens, à Theodenino epiſcopo cardinale Papæ legato (nam Colonienſis, qui id facere iure debuerat, nouiter inthronizatus pallio carebat.) cooperantibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis in regem vngitur,* &c. Poſt quæ tempora (vt dixi) cæteri omnes Impp. legitime creati,

XIV. *Forma conſe-*

*[…]cration*is *noua & antiqua, vnde petenda* creati, à Colonienſi archièpiſcopo coronati ſunt. Cuius conſecrationis, eius videlicet, quæ hodiè fit, formam, quia vulgo nota eſt, atque ex libris ritualibus, quos *ceremoniales* vocant, peti poteſt, conſulto prætermitto. Antiquæ vero formam ſuperius in Othone primo adpoſui, vti à Vitichindo de-

XV. *De coronatione pontificia, à qua Rom. Imper. vel Cæſares Auguſti vocati. Infr. n. 22 h. c. Sicid. lib. 2.*

ſcribitur. Prima autem conſecratione & coronatione celebrata, qua *reges Germaniæ & Romanorum, Cæſaresque* appellati, Imperatores quoque deſignantur, ad vrbem ſtatim legatos mitti conſuetum eſt ad Romanum pontificem, pro imperij diademate ex eius manibus ſuſcipiendo. quo impetrato, ad vrbem properant, vbi in baſilica S. Petri à Romano pontifice, vel eius legatis cardinalibus, ex ipſius auctoritate imperiali, corona iterum exornati, vnguntur, & *Romani Imperatores*, ac *Cæſares Auguſti* appellantur.

XVI. *Qui Impp. Romæ in baſilica Petri à pontif. coronati ſint.*

Porro autem omnes poſt Othonem primum Imperatores, qui imperij diadema obtinuerunt, coronati ſunt Romæ in baſilica S. Petri à Romano pontifice, vbi Imperatores conſecrari mos fuit, quod Carolus Magnus primo ibidem inauguratus eſſet: exceptis Friderico II. Henrico VI Italias VI. & Carolo IV. qui ex Romani pontificis auctoritate à legatis cardinalibus, Apoſtolicæ ſedis, (quod Papæ tunc abſentes ab Vrbe eſſent) conſecrati fuerunt.

XVII. *Qui à legatis pontificiis.*

Soli vero Lotharius II, qui à Papa Innocentio II. & Henricus VII. qui à legatis Papæ Clementis V. coronati ſunt, in Baſilica S. Petri, conſecrati non fuerunt, quod ab eorundem hoſtibus forte tum occupata eſſet: ſed Laterani in baſilica S. Saluatoris imperialia inſignia aſſumpſerunt.

XVIII. *Qui alibi quàm in baſilica S. Petri?*

Nouiſſime Carolus V. Imp. Bononiæ coronatus fuit, à Clemente VII. primus & ſolus omnium Imperatorum poſt Othonem, qui imperij coronam extra vrbem ſuſceperit.

XIX. *Extra vrbem poſt Otton. I. ſolum coronatum Carol. V. Inf. c. 11. n. 10.*

Pro qua obtinenda vetus mos fuit, vt Imperatores aliquod munus eccleſiæ Romanæ largirentur, vel prouincias, vel oppida, aut vrbes aliquas, vel eccleſiæ hoſtes domarent, Papam pulſum reſtituerent, vrbes ab eccleſia vi extortas, prælio & armata manu, ſi opus eſſet, reſtituerent, vel ſimilium aliquod agerent: omnia item prædeceſſorum ſuorum priuilegia, vel donationes, aut conceſſiones eccleſiæ R. factas, ſanctiſſimo iuramento confirmarent, quæ à Carolo Magno, & ſequentibus Imperatoribus facta fuerunt.

XX. *Pretia, pro corona pontificia Schard. de pont. ſuſt. conſ. c. 2. f. 142. 149. & ſeqq.*

Imperatorem autem deſignatum ad Vrbem, pro imperij diademate venientem, Pont. Max. in gradibus baſilicæ S. Petri expectare ſolet, miſſis interim ei obuijs omnibus, tam eccleſiæ, quam vrbis magiſtratibus & inſignijs, vexillis, clericis, & cantoribus: mox venientem, pedeſque ſibi oſculantem, ad oriſque oſculum poſtea ſuſceptum, comitatur in eccleſiam Apoſtolorum principis; vbi ſimul oratione facta, vterque poſtea ad ſibi parata hoſpitia proficiſcitur. Qui mos iam inde à Carolo Magno manauit, quem ad vrbem venientem Hadrianus Papa primus hac ratione ſuſcepit.

XXI. *Mos excipiendi deſignatum Imperatorem, Romam venientem.*

Nam antiquis Imperatoribus ad vrbem venientibus, Romanus pontifex ad VI. vel VII. lapidem obuiam ire ſolebat. Cæterum Hadriani Papæ inſtitutum ſequentes pontifices & Imperatores, Franci Occidentales ſeruarunt. Coronationis rationem ideo, vt ſuperius dixi, omitto, quod à libris ritualibus, quos *ceremoniales* vocant, peti poſſit. Coronatus autem, quum ad eam diem tantum *rex* dictus fuiſſet, *Imperator* poſtea & *Auguſtus* appellatur. Hæc autem fuit conſuetudo ante ſeptem Electorum inſtitutionem, & Friderici ſecundi Imperatoris obitum, &c.

XXII. *Imperatoris & Auguſti nomen quando aſſumatur. Vide inf. c. 11. n. 10. & ſup. h. c. n. 15. In primis vero c. 5. n. 4. 5 & 9.*

CAPVT VIII.

De rege Romanorum, & ornamentis Imperialibus.

I. *Rex Romanorum quis vocatur.*

IMperator vero & Auguſtus poſt Romani pontificis vnctionem appellatus, ſi filios, vel nepotes, aut fratres habet, procurare ſolet, vt vnus ex ijs Cæſar, & rex Germaniæ ac Romanorum, more antiquorum Cæſarum, à Germaniæ principibus vel Electoribus renuncietur, qui ſit tanquam imperij hæres & ſucceſſor, ne ſe decedente, ſucceſſoreque, ex eius ſententia non deſignato, imperij iura ad alienas familias tranſirent. Qui Imperator deſignatus conſecratur prima vnctione Aquiſgrani, ab archiepiſcopo Colonienſi: Romani vero pontificis vnctionem non niſi poſt prædeceſſoris ſui obitum aſſumere ſolet, ne duo ſimul eſſent pari poteſtate Imperatores, quod vſque ad noſtra tem-

II. *Duo ſimul Impp. quando fuerint.*

pora obſeruatum eſt. Duos enim Auguſtos ſimul eſſe, nefas eſſe creditur. Solus enim poſt liberam Imperatorum electionem Otho primus Imperator filium ſuum Othonem iuniorem, à principibus in Cæſarem electum, primoque Aquiſgrani conſecratum, ſe viuente, à Romano pontifice Ioanne Papa XIII. iterum inungi & ſacrari in Auguſtum & Imperatorem fecit; quo tempore, quod nunquam poſtea fuit, duo ſimul viuentes fuerunt Imperatores Auguſti.

III. *Imperatorum veterum inſignia.*

Poſtea enim ex duobus vnus Imperator, alter Rex vel deſignatus Imperator appellari conſueuit. Imperatorum autem Occidentalium, poſt Carolum Magnum, ornamenta & inſignia erant, chlamys aurea, vel purpurea, torques aurea, crux cum labaro purpureo, ſceptrum aureum, enſis, lancea, globus rotundus, in orbis formam ſphæricus, clypeus aureus, cum aquila bicipiti nigra, corona aurea, ſiue diadema: quorum omnium picturam in Carolo Magno adpoſui.

IV. *Hodiernorum inſignia. Hen. Goden. con. 1. tit. ſequitur proceſſ. in vnctione. Harim. Maur. de coron. Caroli V.*

His ornamentis à quibuſdam additur vexillum cum aquila bicipiti, ſed eius rei mentionem fieri non inueni. Noſtri temporis Imperatores multa ex his retinuerunt; gladium videlicet, coronam, globum, & chlamydem cum clypeo. Crux vero, lancea, labarum, & vexillum, (ni fallor) in vſu eſſe deſierunt. Hæc autem ſunt, quæ de Imperatorum electione, ante Friderici II. obitum, & VII. virorum inſtitutionem dicenda hinc inde collegi.

CAPVT

CAPVT IX.

Verior VII. Imperij Electorum inſtitutio edocetur.

MOrtuo vero Friderico II. ſub quo multis cauſis, quas modo enarrare alienum eſt à noſtro inſtituto Romani Imperii maieſtas ad nihilum fere redacta fuit: eo enim vſque eius ſtetit magnitudo & potentia. Quo inter tot diſſenſiones & bellorum tumultus mortuo, quum diu Imperium Rom. ſine certo & potenti principe fuiſſet, variisq; bellorum procellis & ſeditionibus, inteſtiniſq; diſcordiis miſera Germania & Italia, vndique quaterentur (quod tempus poſteriores ſcriptores Imperii *interregnum* appellarunt) multa exorta ſunt paulatim inſtituta, quæ in imperio antea non fuerant. Dum enim mortuis, Friderico II. Chunrado IV. eius filio, Henrico Lantgrauio Thuringiæ & Guillielmo comite Hollandiæ, qui in imperii ſciſſura reges renunciati fuerant, hinc Richardus Anglus, hinc Alphonſus Hiſpanus, inanem magni nominis vmbram retinent, imperii interregnum, ab obitu Friderici II. Imperatoris, in annos plus minus XXIII. protractum eſt, quibus ſine certo principe imperium Romanum fuit: quo interim temporis interuallo, quum alia multa, tum VII. Electorum inſtitutio exorta ſunt. Si quidem per hæc tempora, tam muneris Electorum, quam etiam particularium eorundem actionum, apud horum, vel poſteriorum temporum ſcriptores, ſpeciatim mentio haberi cœpit: ſingulorumque nomina, cum dignitatis appellatione, recenſentur. Imperatorum quoque deinceps habentur comitia omnia, quæ tantum ab his VII. viris, quos *Electores* vocant, habita fuiſſe manifeſte liquet cæteris Germaniæ principibus excluſis. Rodulphus enim Habſpurgenſis, Adolphus, Albertus, Henricus VII. & cæteri Imperatores ſequentes, tantum VII. virorum electorum ſuffragiis renunciati fuerunt. Quo fit, vt vehementer mirari non deſinam, incredibilem huius ſeculi ignauiam, atque in primis Romani * Pontif. poſt Italiæ, deinde cæterorum Germaniæ principum inertiam, quos omnes comitiis imperii intereſſe ſolitos fuiſſe, tot ſuperius citatis teſtimoniis ſatis demonſtratum eſt: quod ius tantæ electionis ſibi è manibus eripere permiſerint, atque in VII. tantum hominum poteſtate, tantæ molis rem collocatam fuiſſe. Nam pontifex max. ea potiſſimum ratione excuſari poteſt, quod in compenſationem, amiſſæ poteſtatis, maior ei auctoritas data ſit. Nam etſi Apoſtolicæ ſedis legati, comitiis imperii non interſint, hoc tamen ei conceſſum eſt, ne Imperator quicquam pro imperio agere poſſit, antequam Rom. Pontificis confirmationem electionis de ſe factæ, atque approbationem obtineat. Cæteri vero principes (his VII. exceptis) omnino excluſi ſunt. Porro autem, etſi certe conſtet hanc VII. Electorum inſtitutionem, inter annũ Chriſti MCCL. & MCCXXC. exortam fuiſſe: tamen quo potiſſimum anno, vel quibus de cauſis, aut à quo Pontifice, vel in quo Germanorum principum conuentu, aut generali vel prouinciali concilio, id factum fuerit, mihi adhuc incompertum eſt. quod etiam diu multumq; me torſit, quod tanta res, ita ab illorum temporum ſcriptoribus ſilentio prætermiſſa ſit, ex qua re factum eſt, vt eius primordia modo obliterata ſint & obſcuriſſima. Quare vel inuitus aliquando queri cogor, de tanta eorum hominum, qui ſuperioribus ſeculis vixerunt, negligentia. Vt autem nonnullis coniecturis conſequi potui (nihil enim certi habeo, quod affirmem) hæc inſtitutio exorta fuit, ſub Gregorio X. Placentino, circa tempora comitiorum, quibus poſt longum imperii interregnum, Rodulphus Habſpurgenſis rex appellatus fuit: & in magno concilio Lugdunenſi ſecundo, quod ex auctoritate Gregorii papæ X. anno poſt Rodulphi electionem celebratum fuit, recepta & confirmata. Cuius rei non paruum eſt argumentum, quod ab eo deinceps tempore multa Electorum mentio haberi incipiat, atque ſingulorum Imperatorum comitiorum, quæ ab his VII. Electoribus habita fuiſſe illorum temporum auctores ſcribunt: præſertim quum ante hæc tempora nulla omnino huius vocis mentio ſit: vt ſuperius viſum eſt. Hinc etiam ortam crediderim opinionem illam, hos ſeptem Electores inſtitutos fuiſſe, à Gregorio papa V. Erroremque ex ſimilitudine nominum ſub ortum, nimirum V. pro X. ponentium. Cuius rei maximum eſt argumentum, quod hic Gregorius X. Papa, in eodem concilio, electionem Romani pontificis nouam quandam inſtituerit, vt: conclauis ingreſſionem, Nouendialia, ſubtractionem ciborum, cõclauis cuſtodiam, rationem ſcrutinij, & ſimilia, quæ ante inaudita fuerant. Quare facile fieri potuit, Papæ electione ordinata, idem vt de Imperialibus comitijs faceret, cum Epiſcoporum Germaniæ, qui concilio illi interfuerunt, conſenſu: præſertim, quod eo potiſſimum procurante, interregnum imperij, Rodolpho Habſpurgenſe in Regem creato, ſublatum ſit, XXIII. anno interregni. Quo temporis interuallo imperij maieſtas adeo obſoluerat, vt nihil præter inane imperij nomen reliquum eſſet. Verum, ex Gregorij Papæ auctoritate, creato Rodulpho, imperium quod omnino deſtitutum erat, reſtitui & reſtaurari paulatim cœpit: ad priſtinumque ſplendorem reduci potuiſſet, ſi bonos principes, & publicæ commoditatis ſtudioſos, nactum fuiſſet: & non eius, quod ſupererat, dilapidatores, vt plerique ſequentium Imperatorum fuerunt, qui id parum imperij, quod tot calamitatibus ſupererat, quo ſuis priuatis commodis conſulerent, omnino diſſiparunt, & extinxerunt. Meliores enim & opulentiores imperij prouincias & vrbes, priuatis concedendo, illud tanquam caput ſine membris fecerunt, ita vt nihil amplius, præter inanem imperij vmbram, ſupereſſe videamus. Quare facile fuit, vt eo potiſſimum tempore, quo res imperij ciuilibus diſcordiis afflictiſſimæ erant, ius eligendi Imperatorem, à cæteris principibus, ad VII. hos Electores tantum transferretur, hæcque inſtitutio exorta ſit. Quam poſtea, cum adhuc noua & nutans eſſet, Carolus IV. Imper. reformauit, ſtabiliuit, atque in auream bullam redegit. Porro autem,

I. *Imperij maieſtas, quando diminuta ſit.* *Iul. ſing. de reg. Ger. conſt. n. 87.*

II. *Electorum inſtitutio, tempore Interregni poſt Fridericum II. facta.*

Vid. Schard. de orig. el. c. 10. Nic. Cisner. in orat. de Ott. 3. f. 69.

III. *Primordia inſtitutionis electorũ, & cauſa qua obſcura.* *Sunt ta[illegible] ba, atm lucu[illegible] lenter ex[illegible] ta, à Sim. Piſt. conſil. 1. n. 16. Ezra Reuſn. in qu[illegible] 7. & aliis.*

IV. *Auctoris coniectura.* *Vid. Schard. de orig. elect. c. 10. Marq. Freher. orig. Pal. c. 13.*

V. *Coniectura præcipuum argumentum.*

VI. *Erronea opinio, quaſi Papa Gregorius V. inſtitutionis electorum, auctor ſit, vnde nata?* *Vid. Schard. de or. el. c. 10.*

VII. *Imperium, ab Imp. poſt Rudolphi I. tempora, penitus dilapidatum.* *Intr. c. 12. n. 5. & ſeqq.*

VIII. *Electorum noua ſpecies, confirmata à Carolo IV.*

IX. *Cur VII. tantummodo electores instituti? I. ratio. Ad Knich. de Sax. non prou. prin verb. electer. c.1.n.305.*

X. *II. Ratio. P.Heig p.1 q. 4.n.52.*

XI. *Cur tres illi, & cur tantummodo, ex eccleſiaſticis, aſciti in electorum numerum? Knich. de Sax. non prou. prin. verb. Electorū c.1.n.319. Heig d.q.4.n.52. & ſeqq. M.Frehe. orig. Pala. c.15. Iul. Pflug. de rep. German. conſt. n.80.*

XII. *Cur quatuor ex laicis. Vid. Nic. Ciſn in orat. de Ott. 3. f.75. M.Freh. or.Pal.c.15.*

XIII. *Auentinum vnum, VII virorum inſtitutionem veram vidiſſe. Eiuſq. laus. Vid. Schard. de orig. el. c.5.*

VII. tantum inſtituti Electores, quod is numerus ſufficere viſus eſt, vt ſeditionum, ſchiſmatum, & diuiſionum tollerentur occaſiones, quæ in hiſce imperij comitijs, ob eligentium multitudinem, aliquando ſubortæ erant. Maxime enim ad electionem, is numerus accommodatus videtur. Tribus enim Electoribus, ab alijs tribus diſſidentibus, quartus omnem diſſenſionem & diſcordiam tollere poteſt, cuius vnius ſuffragio Imperator vel Rex eligitur. Quatuor enim, & non pauciora ſuffragia, ex VII. Imperatorem vel Regem creant. Hic quoque numerus tum etiam, ob aliam rationem, ſufficiens viſus fuit. Nam quum Germani principes, ex eccleſiaſticis & laicis conſtent, ex vtroque ordine Electores aſſumere placuit. Et primo ex eccleſiaſticis tres tantum Archiepiſcopi, & non plures ideo cooptati, quod hi tres ſolum eſſent Archicancellarij imperij, eſſentque præterea cæterorum Germaniæ Epiſcopatuum antiquiores & nobiliores, propter eas cauſas quas non ſemel ſuperius reddidi: ideoque hi tres potiſſimum cæteris Archiepiſcopis & Epiſcopis prælati qui omnes eis & antiquitate inferiores erant. Vetuſtis enim temporibus ſemper horum præcipue trium Archiepiſcoporum in omnibus imperij negocijs ratio quam maxime habita eſt. Plures quoque non addit, quod is numerus ſufficere viſus eſt, non vnus vel duo Archiepiſcopi vel Epiſcopi, ne cæteris præiudicium fieret, qui Moguntino, Colonienſi, & Treuerenſi Archiepiſcopis multa æquo animo propter eorum nobilitatem conceſſiſſent, quæ reliquis collegis Archiepiſcopis vel Epiſcopis negaſſent: quum nulla deinceps eſſet ratio, cur vnus Archiepiſcopus alteri, vel Epiſcopus Epiſcopo præferendus eſſet. Ex principibus vero laicis, quatuor Electores aſſumpti, quod totidem gradus veterum nobilium in Germanico imperio tantum eſſent. Rex enim vnus, Dux vnus, Marchio vnus, & Comes vnus adſcripti, quod vnum ex ſingulo ordine ſufficere viſum fuit: tum etiam, ne ſacris principibus, qui tres tantum erant, præiudicium eſſet: vel ſi plures ex ſingulis ordinibus aſſumpti eſſent, confuſio, quam maxime tollendam decreuerant, exoriretur. Hæc autem omnia ex coniectura potius, vel ex ingenio dixi, quam ex lectione aliqua. Si quis melius rei veritatem inuenire poterit, boni viri munus erit, eam huic noſtro commentariolo addere. Hæc autem ſeptemuirorum Electorum inſtitutio, & ſi omnes, (vt dixi) tam Germanicos quam Italicos ſcriptores latuerit, vnus tamen omnium (quod ſciam) rem cognouiſſe, vel potius attigiſſe viſus eſt, Ioannes Auentinus, Germanicarum rerum ſcriptor diligentiſſimus, quem honoris cauſa hic nominare volui. Is enim libro quinto hiſtoriæ ſuæ, quam de geſtis Boiorum inſcripſit, rem hanc cognouiſſe procul dubio viſus eſt. Sed tanquam rem difficilem forte & perarduam quæque proprium requireret commentarium, leuiter perſtrinxit, intactamque præterijt. Quod quum ipſe legi, incredibili quodam gaudio affectus fui, quod vnum ſaltem hominem inuenerim, & eum quidem grauiſſimum & doctiſſimum, cuius teſtimonio hanc rem confirmare poſſem, ne ſolus contra tot doctiſſimorum ſcriptorum aciem, in campum deſcenderem, potiusque declamaſſe hic, quam verum ſcripſiſſe viderer. Is ergo (vt dixi) rem acu tetigit: verum neſcio, quas ob cauſas, indiſcuſſam præterijt.

CAPVT X.

Varij ritus, poſt VII. Imperij Electorum inſtitutionem, in Imperio exorti, enumerantur.

Tob. Paurmeiſt. 2. de iuriſd. c.2.n.47.

POſt Friderici vero tempora, huius nouæ inſtitutionis occaſione, multa imperij comitijs addita ſunt, præter antiqua inſtituta, & pleraq; ex antiquis adempta. Cuius ratio & forma, quam in bulla ſua aurea Carolus IV. Imp. fecit, in hunc modum eſt:

I. *Electores, vnde dicti, & qui ſint, VII. illi.*

II. *Eccleſiaſticis ad vitam: laicis, hereditarie ius eligendi datum eſſe. Iul. Pflug. de reg. Ger. conſt. n.74. & ſeqq.*

III. *Imperatoris eſſe, in locum deficientis electoralis familiæ, alium ſubſtituere.*

IV. *Electores, ob crimina, eligendi iure priuari. vt Saxoniam, lib. Fridericum.*

Primo, inſtituti ſunt VII. Germaniæ Principes, tres videlicet eccleſiaſtici, & quatuor laici, qui ab officio eligendi Romanorum Regem, principes Electores appellati ſunt. Sunt autem: Archiepiſcopus Moguntinus, Germaniæ; Metropolitanus, per Germaniam: Archiepiſcopus Colonienſis, in cuius diœceſi conſecratio celebratur, per Italiam: & Archiepiſcopus Treuerenſis, vetuſtiſſimus omnium Gallorum & Germaniæ Epiſcoporum, per Gallias & regnum Arelatenſe Romani imperij Archicancellarius. Laici vero: Rex Boemiæ Romani imperij creatus Archipincerna: Dux Saxoniæ, Archimareſcallus: Marchio Brandenburgenſis, Archicamerarius: & Comes Palatinus Rheni, qui olim erat dux Bauariæ, Archidapifer. Hi igitur ſunt VII. Germaniæ principes Electores, ad quos ſolos, & non alios, Imperatoris vel Regis Romanorum eligendi ius, tranſlatum eſt. Porro autem electoribus Archiepiſcopis, ius electionis, ea ratione datum eſt, vt is eam habeat, dum viuat, qui legitime ad vnam ex tribus Metropolitanis ſedem, aſſumptus fuerit, laicis autem ius eligendi hæreditarium conceſſum eſt. Sicut enim regnum Boemiæ, hæreditarium eſt, ita & omnis, qui eo regno legitime potitur, vbi primum Rex deſignatus eſt, ſtatim ius electionis obtinet, qui primo genitus regis defuncti, vel maior filiorum viuentium, vel ſi is mortuus ſine liberis fuerit, eius propinquior eſſe ſolet. Idem vſu venit cæteris tribus Electoribus laicis, quorum primogeniti, vel grandiores natu filij, ſicut in paternis ditionibus ſuccedunt, ſic & in Electoris dignitate. Verum, aliqua ex eis familijs deficiente, munus eſt Imperatoris, cuius illorum ditiones feuda ſunt, alium & honore electoratus, & prouincia domino orbata, donare. Solent quoque tres Electores laici, diuerſorum criminum damnati, hac dignitate ab Imperatore mulctari, eaque dignitas pro Imperatoris arbitrio ad alios transfertur: ſicut noſtro ſæculo fecit Imp. Cæſar Carolus Quintus, Auguſtus, qui Ioannem Fridericum Saxoniæ Ducem, & principem Electorem, crimine læſæ maieſtatis damnatum, dignitate electionis priuauit: cui ex

tur ex eadem tamen familia alium ſubſtituit, Mauricium nomine, Saxoniæ etiam ipſum ducem. Quæ omnia & cæteris electoribus contingere poſſunt. Hi itaque ſunt VII. principes electores, qui noſtra ætate ſoli, Romanum creant Imperatorem: à qua electione Romanus pontifex primo, mox Italiæ, deinde Germaniæ reliqui, tam ſæculares, quam eccleſiaſtici principes, penitus excluſi ſunt. Pontifex vero maximus, in eius locum obtinuit, (vt etiam ſuperius dixi) ne Imperator imperij negocia tractare poſſit, antequam confirmationem & conſenſum Romani pontificis obtineat, idoneuſque ad tantum imperij faſtigium gubernandum iudicetur. Nam antiquitus ſtatim ab electione, nulla Romani pontificis expectata auctoritate ſiue approbatione, imperij negocia tranſigebat in cuius rei locum tum obtinebat ius, quod in electione cum cæteris Italiæ & Germaniæ principibus habebat. Cum igitur noua regis Romani, vel Imperatoris deſignandi noua comitia habenda ſunt, vel ſi ſint libera, vt ea quibus Carolus V. Rex creatus fuit: vel procurante viuo Imperatore [adhibeatur Tob. Paurmeiſt. lib. 2. de iuriſd. Imp. Rom. n. 45. Et nu. fin. ſupr. c. 5.] congreganda, qualia fuerunt Ferdinandi Cæſaris comitia: Archiepiſcopi Moguntini munus eſt, datis ad ſingulos alios Electores literis, eis diem & locum comitiorum imperij præſcribere, hoc ei ex vetuſto iure relicto. Qui, die ſibi ſtatuto, ad locum præſcriptum conuenientes, imperij comitia habent. Huius rei hoc eſt decretum in bulla aurea Caroli IV. Imp. confirmatum. Ait enim:

V. Pontificis iuſ confirmandi Cæſares, & approbandi, ereptum eſſe. Vid. Nic. Ciſ. in orat. de Ott. 3. f. 70. & ſeqq. Slei. com. li. 2. & in orat. ad Carolum V.

VI. Pro iure eligendi, quod antiquitus habuerat. Vid. ſupr. c. 6. n. 7.

Præterea ſtatuimus & ordinamus, vt Archiepiſcopus Moguntinenſis, qui fuerit pro tempore, ſingulis principibus coelectoribus ſuis eccleſiaſticis & ſecularibus, electionem eandem, per ſuos nuncios, patentibus debeat literis intimare: in quibus quidem literis, talis dies & terminus exprimatur, infra quam eædem literæ ad ſingulos eoſdem principes veriſimiliter poſſint peruenire. Huiuſmodi vero literæ continebunt, vt à die in litteris ipſis expreſſa, intra tres menſes continuos, omnes & ſinguli principes electores, Francfort ſuper Mogunum ſe conferant vel ſuos legales ad eundem terminum atq; locum nuncios deſtinent, cum plena & omnimoda poteſtate, ſuiſq; patentibus literis, maiori cuiuslibet eorum ſigillo ſignatis, ad eligendum Romanorum regem, in Imperatorem promouendum. Qualiter autem, & ſub qua forma tales literæ confici debeant, &c.

VII. Conuocandi ius, et iuramentum ad Moguntinum ſpectare. A. Kirch. de Sax. non prom. prim. veri ele. ctor. c. 1. n. 55. et Renju. ill. quæſt. 7.

Locus autem electionis ſtabilitus eſt, vt ſit Francofurdia, Germaniæ celebris vrbs, ad quam omnes Electores conuenire debent quando noua regis Romanorum habēda ſunt comitia. Sic enim in ipſa bulla ſcriptum eſt: *Debet autem vnuſquiſq; princeps elector, vel ſui nuncij, ciuitatem Francfort, cum ducentis equitibus, tantummodo præfata electionis tempore, introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores ſecum introducere poterit, ſed non plures, &c.* Item:

Fuiſſe tamen tempus, quo potuerit ad Palatinum no tas Cuſpin. in Ruperto Pag. 20.

Decernimus, vt quandocunque futuris temporibus neceſſitas ſiue caſus electionis, regis Romanorum in Imperatorem promouendi, emerſerit, & principes electores, ad electionem huiuſmodi, iuxta antiquam laudabilem conſuetudinem habuerint proficiſci, vnuſquiſque princeps elector, ſi & quando ſuper hoc fuerit requiſitus, quoslibet principes coelectores ſuos, vel ipſorum nuncios, quos ad electionem ipſam tranſmiſerint, per terras, territoria, & loca ſua & etiam vltra, ſicut longius poterit, conducere teneatur, & eis abſque dolo præſtare conductum verſus ciuitatem, in qua talis electio fuerit celebranda, ac ab illa etiam redeundo ſub pœna periurij ac perditionis (pro illa duntaxat vice) ſuæ vocis, quam in electione huiuſmodi, fuerit habiturus.

VIII. Locus ſtatutus electionis. ſupr. c. 7. nu. 2. A quo non temere: ſed tamen vrgente grauj aliqua cauſa, receder e licet. Hart. Maurus haud procul à præſtit. de cæ ron. Caroli V. apud Aquiſgr. Adde Kirch. præſt. diſp. 4. th. 2.

Quum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu, in diœceſi Moguntina conſtiterit, ex tunc infra vnum menſem, a die notitiæ obitus huiuſmodi, continue numerandum, ſingulis principibus electoribus, obitum ipſum & intimationem per Archiepiſcopum Moguntinum fieri decernimus: congregati autem electores omnes, vel abſentium electorum principum legati, Francfordia, in baſilica S. Bartholomæi, quæ vrbis primaria eſt, ea omnia rite ſeruent, quæ hac in bulla continentur.

Poſtquam autem Electores, ſeu eorum nuncij, ciuitatem Francfordienſem ingreſſi fuerint, ſtatim ſubſequenti diluculo in Eccleſia S. Bartholomæi Apoſtoli ibidem in omnium ipſorum præſentia, miſſam ſpiritus ſancti faciant decantari. Qua finita, omnes illi Electores, ſiue eorum nuncij, accedant ad altare, in quo Miſſa fuerit celebrata, vbi principes Electores eccleſiaſtici, coram Euangelio beati Ioannis: In principio erat verbum: quia illic, ante ipſos, poni debebit, manus ſuas pectori cum reuerentia ſupponant. Sæculares vero principes, dictum Euangelium, corporaliter manibus ſuis tangant: qui omnes ibi debebunt, cum omni eorum familia in armis aſſiſtere: Archiepiſcopus vero Moguntinus formam iuramenti eis dabit, & vna cum ipſis, & ipſi vel abſentium nuncij, vna cum eo, iuramentū præſtabunt. Quo ab omnibus facto, ad electionem hac ratione procedant. Archiepiſcopus Moguntinus, ſingulorum coelectorum vota inquiret, ordine ſubſequenti. Primo quidem interrogat Treuerenſem, cui primam vocem competere declaramus, ſicut inuenimus hactenus competiuſſe: ſecundo Colonienſem Archiepiſcopum, cui competit dignitas, Romanorum regi, primum diadema regium imponendi, tertio regem Boemiæ, qui inter Electores laicos ex regiæ dignitatis faſtigio iure & merito obtinet primatum: quarto comitem Palatinum Rheni: quinto ducem Saxoniæ: ſexto Marchionem Brandeburgenſem. Horum itaq; omnium vota hoc ordine Archiepiſcopus Moguntinus perquiret: quo facto, dicti electores principes ipſum verſa vice interrogabunt, vt & ipſe intentionem ſuam exprimat, & ipſis aperiat votum ſuum.

IX. Quomodo ad electionē Francofurdiæ procedi debeat? & qua, in deliberando, forma ſeruari? H. Goden. tract. ſil. i. tit. de ſeſſ. ina qua prod. ced. ſit.

Nulla autem ratione ex dicta vrbe Francfurt ſeparentur, niſi prius maior pars ipſorum, temporale caput mundo elegerit, ſeu populo Chriſtiano, regem videlicet Romanorum in Imperatorem promouendum. Quod ſi facere diſtulerint intra XXX. dies, à die iuramenti continue numerandos, ex tunc tranſactis eiſdem XXX. diebus, amodo panem tantum manducent, & aquam bibant, nec, niſi Imperatore deſignato, exeant ciuitatem.

X. Ante factam electionē Francofurto non diſcedendum.

Poſtquam

XI. *Maiorem electorum partē concludere.*

Poſtquam autem in eodem loco, ipſi, vel pars eorum numero maior, elegerit regem, talis electio legitima haberi & reputari debebit, ac ſi foret ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, celebrata, &c.

In caſu deniq;, quo tres principes electores præſentes, ſeu abſentium nuntij, quantum ex ſe, ſeu eorum conſortio; videlicet principem electorem præſentem, vel abſentem, in regem Rom. eligerent, vocem illius electi, ſi præſens fuerit, aut nuntiorum illius, ſi eum abeſſe contigerit, plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemq; maiorem decernimus conſtituere ad inſtar cæterorum principum electorum, &c.

Multa præterea hac aurea Caroli IV. bulla continentur, cognitu digna, & huic labori quam maxime apta, quæ nunc hic recenſere ſuperfluum eſſe iudico, præſertim quum in huius opuſculi fine eius exemplum, ad verbum exſcriptum ſubijcere propoſuerim. Hac igitur ratione rex Romanorum, Francfordiæ electus, ſi præſens eſt, ſtatim, ſi abſens, poſt ſuum aduentum, Aquiſgranum proficiſcitur: vbi in eccleſia, S. Mariæ virginis, quam Carolus Magnus fundauit, in eiuſdem Caroli ſede collocatur: cuius quoq; diademate, quod ibi ſeruatur, redimitus, ab archiepiſcopo Colonienſe inungitur & conſecratur qui adhuc hoc munus ſibi antiquitus conceſſum retinet. Conſecratione finita, electio, Romano pontifici ſtatim inſinuatur, à quo etiam electi Imperatoris confirmatio poſtulatur, quod à Romanis pontificibus humaniter fieri ſolet. His finitis, ab Imperatore deſignato, electoribus ipſis, omnia priuilegia, quæ habent ampliſſima confirmantur: de quorum iure, auctoritate & excellentia; multa videri poterunt; in fine huius opuſculi, in bulla aurea Imperatoris Caroli IV.

XII. *De conſecratione Aquiſgranenſi.*

XIII. *De confirmatione pōtificia Sup. n. 5. butim c. Goden. conſ. 1. tit. de coron. Caſ n. 1.*

CAPVT XI.

De ea corona Imperiali, quæ ferrea dicitur, & de ſuprema Romani Pontificis coronatione.

POſtquam vero rex Romanorum, primo Aquiſgrani, ab archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt, diademate regni Germanici, quod *corona argentea* † dicitur: poſtea ſe præparat, ad ſuſcipiendam Imperialem vnctionem, à Romano pontifice. Nam coronam ſecundam, quam *ferream* vocant, Mediolani à poſterioribus Imperatoribus aſſumi ſolitam ante Friderici II. tempora in vſu nequaquam fuiſſe crediderim. Poſt cuius obitum, vſus hic (vt exiſtimo) inoleuit, vt Imperator deſignatus, antequam Imperij Romani diadema à Pontifice maximo ſuſcipiat, Mediolanum primo proficiſcatur: vbi in baſilica S. Ambroſij, vel Modæcia in baſilica S. Ioannis Baptiſtæ, iterum conſecretur & coronetur alia corona, quam *ferream* vocant, ab archiepiſcopo Mediolanenſi, in regem Longobardorum, vel Italiæ: quod ante Henrici VII. Lucemburgenſis tempora, nunquam (quod ſciam) factum fuiſſe legi. Ipſum enim Henricum VII. primum fuiſſe exiſtimo, qui Mediolani ea ratione coronatus ſit: quæ conſuetudo, cum cæteris quoq; eiuſmodi nouis ritibus, inuenta eſt, poſt Fridericum II. Imperatorem Rodulphum enim, Adulphum & Albertum, qui proxime ante Henricum, Imperatores deſignati fuerunt, hanc coronam non ſuſcepiſſe, ſatis liquet, qui nunquam in Italiam venerunt, nec etiam Romæ pontificiam vnctionem habuerunt. Idem dici poteſt de Chunrado IV. filio Friderici II. Henrico Lantgrauio Thuringiæ, Guilhelmo comite Hollandiæ, Ricardo & Alphonſo; qui poſt Friderici II. mortem in ſchiſmate, reges creati fuerunt. Neminem præterea ſuperiorum Imperatorum, ab Othone primo, ad Fridericum II. hoc diademate coronatos fuiſſe, vnquam memini, apud veteres auctores, me legiſſe. Quamobrem hoc inſtitutum nouum eſſe exiſtimaui, & ex aliqua obſcura maiorum relatione acceptum. Siquidem legimus, Pipinum Imper. Caroli Magni, filium ab Hadriano Papa I. & Ludouicum II. Imperatorem, Lotharij Auguſti filium, à Sergio Papa II. coronas Italici regni vel Longobardorum; Romæ tamen, ad S. Petrum, & non Mediolani ſuſcepiſſe.

† Cum tamen aurea ſit. Haruro. Maurus de coron. Caroli V.

I. *Corona ferrea ab obitu Friderici II. Mediolani accipi ſolita.*

II. *Exq; primum, in Italiæ & Longobardorū regem coronatum Henricum VII.*

III. *Antiquiores Cæſares vbi coronam eam acceperint.*

IV. *Sigeberti loco reſpondetur.*

In Sigeberto vero Gemblacenſi, hæc verba de Chunrado I. Imp. leguntur: *Anno Domini* MXXXIX. *Chunradus Imp. Italiam adijt, vt rebellionem meditantes, debellaret. Et quia omnes Longobardi coniurauerant, vt non paterentur quemlibet dominum, qui aliud, quam ipſi vellent, contra ſe ageret, quoſdam epiſcopos in vincula coniecit: & quia epiſcopus Mediolanenſis fuga lapſus eſt, Imp. ſuburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecoſtes, quum Imperator in parua Eccleſia ſecus vrbem coronaretur, ad Miſſam tam grauia fuerunt tonitrua & fulgura, vt aliqui mente exciderent, aliqui exhalarent. Bruno vero epiſcopus, qui Miſſam canebat, & Secretarius Imperatoris, cum alijs tribus, dixerunt, ſe inter miſſarum ſolennia vidiſſe S. Ambroſium, Imperatori indignando comminantem.*

Tunc Imperator Italia diſceſſit. Quæ ideo addidi, vt lectori diligentia mea ſpectata ſit: nihil enim prætermiſi, quod ad huius operis editionem, mihi opus eſſe exiſtimarem. Ex hoc autem Sigeberti loco, coronationem illam ſecundam intelligi non poſſe, exiſtimo tum quod archiepiſcopus Mediolanenſis fugatus eſſet, tum, quod non in S. Ambroſij baſilica celebrata ſit, nec Modœciæ: tum etiam, quod eo tempore Chunradus iam diu ante coronatus fuerat à Romano pontifice, Romanus Imperator: ante cuius benedictionem, quæ nouiſſima eſt, ſuſcipi debet coronatio Mediolanenſis. Illud vero verbum: *coronari*: ita intelligi debere exiſtimo, quod Miſſam, Imperatorijs veſtibus indutus audierit, vt mos erat fieri his temporibus, in magnis ſolennitatibus; perinde, ac eſt dies feſtus Pentecoſtes.

V. *Et loco Ottonis Friſingenſis.*

Legitur etiam libro VII. hiſtoriæ Othonis, epiſcopi Friſingenſis, capite XVII. *Chunradum Sueuum poſtea regem Romanorum, qui poſt mortem Henrici IV. Imperatoris, in ſchiſmate contra I. Lotharium II. Saxonem, a maiore eligentium parte creatum, rex Germaniæ factus fuerat, in Italiam veniſſe, Imperiumq;*

ſibi

ſibi contra Lotharium Auguſtum, Longobardorum auxilio paraſſe: atque quum Mediolanum veniſſet à Mediolanenſibus honorifice ſuſceptum ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo Modœcia, Italici regni regem vnctum & conſecratum eſſe, ob quam rem, ipſum etiam Archiepiſcopum à Papa exauctoratum fuiſſe. Quo tamen teſtimonio (quod ſolum de hac re quamuis curioſe inueſtigauerim inuenire potui) coronationem ipſam Imperatorum, quæ Mediolani fit antiquam fuiſſe, minime affirmari poſſe crediderim: præſertim, quum ex cæteris auctoribus non ſolum non habeatur, veteres Imperatores hoc diademate coronatos fuiſſe, ſed ne id quidem ex eorum ſcriptis elici poteſt. Immo contrarium dicere videntur, qui itinera ſigillatim deſcribentes, quæ inter primam & nouiſſimam coronationem fieri contigerant, ipſos nunquam nec Mediolanum, modo diuertiſſe ſcribunt: quæ res nulla ratione ſilentio prætereunda, tam conſtanti omnium conſenſu fuiſſet, ab eis præſertim hiſtoricis, qui rebus geſtis interfuerunt, omniaque adeo accurate perſcribunt vt faſtidium aliquando lectoribus, nimia eorum diligentia parturiat. Bernardinus autem Corius ſcriptor hiſtoriæ Mediolanenſis, neſcio cuius hiſtorici auctoritate ductus, (nullum enim huius rei teſtimonium citat) affirmare videtur, Chunradum Imperatorem primum (quem inepte tertio Othoni, tranſmiſſo primo Henrico, ſubijcit) primum hac corona Mediolani redimitum fuiſſe, in templo S. Ambroſij. Henricum quoq; tertium, quem ſecundum appellat, item Lotharium II. Saxonem, ac Othonem IV. Mediolani, in baſilica S. Ambroſij, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, coronatos fuiſſe ſcribit: verum vnde id acceperit, non ponit.

VI. Inſcitia Bernardini Corij.

Hoc autem ego non ſolum nunquam memini me legiſſe, ſed multos ſcriptores legi, qui etſi aperte non contradicant, ex eorum tamen (vt dixi) ſcriptis clare elici poteſt, hos Imperatores nunquam Mediolani vel Modœcis coronatos fuiſſe. Item confirmare poteſt, quod Corius ipſe in his enarrandis, ſibi ipſi repugnare videtur, neque multum ſibi conſtat. Scribit enim, Chunradum II. Othoni III. ſtatim ſucceſſiſſe. Henricum vero præterijt, quem longo tempore poſt fuiſſe tradit, eundem cum Henrico II. Franco, confundens. Lotharium quoq; Saxonem, ab Anſelmo Archiepiſcopo coronatum fuiſſe refert, qui per ea tempora à Romano pontifice epiſcopatu mulctatus fuerat ſuffecto alio, quod Chunradum III. Sueuum, Lotharij ipſius acerrimum hoſtem, in eius odium & contemptum coronaſſet regem Italiæ: vt eorum temporum ſcriptor Otho Friſingenſis memoriæ mandauit, cui magis, quam Corio credendum eſſe opinor. De Othonis IV. coronatione, Mediolani, nihil vnquam apud illorum temporum hiſtoricos ſcriptum inueni.

VII. Secunda corona, cur appelletur ferrea.

VIII. Quinā, præter Henricum VII. Mediolani corona ferrea coronati ſint.

Cur autem hæc ſecunda corona, quæ noſtris temporibus Mediolani ab Impp. electis aſſumi ſolet ferrea appelletur, adhuc mihi incognitum eſt. Corius quaſdam prorſus ineptas refert rationes, quæ ab illo peti poſſunt. Multi multa dicunt, quæ mihi non quadrant. Porro autem, primus, quod ſciam, hoc diademate coronatus fuit, Mediolani; Henricus VII. Lutcemburgenſis, in baſilica S. Ambroſij à Caſſono Turriono, Archiepiſcopo Mediolanenſi, anno Domini MCCCXI. Iterum in eodem loco Ludouicus IV. Bauarus à Guidone de Petra mala, Epiſcopo Arretino, quod Mediolanenſis Archiepiſcopus, ei, anathemate grauiſſimo à Romano pontifice Ioanne XXII. notato, communicare noluiſſet, ferrea hac corona redimitus fuit. Tertius, Carolus IV. coronatus fuit hoc diademate, verum non Mediolani, in baſilica S. Ambroſij, ſed Modœciæ in templo S. Ioannis Baptiſtæ, à Roberto vicecomite, Mediolanenſi Archiepiſcopo.

IX. Cur Fridericus III & Carolus V. non coronati ſint Mediolani.

X. De coronatione tertia, quæ Romæ fit, corona aurea. H. Geden. conſ. 1. tit. de coronat. Caſ.

Nouiſſimus omnium Mediolani, corona ferrea coronatus fuit ad S. Ambroſium, Sigiſmundus Imperator Caroli IV. filius, à Bartholomæo Capra Archiepiſcopo Mediolanenſi. Nam Fridericus III. & Carolus V. Imperatores Auguſti, bis eodem tempore coronati ſunt, ille Romæ, hic Bononiæ, ex pontificis Maximi diſpenſatione: Primo enim vterque eorum diademate regni Longobardici Cardinali legato, ob eam cauſam creato, coronati fuerunt: mox aliquot diebus interiectis in eodem loco benedictione imperiali donati ſunt, Romanis pontificib. Nicolao V. & Clemente VII. Ceremoniæ autem quæ in hac conſecratione, vel ſecunda coronatione fieri ſolent, conſulto omittuntur: quod hæ ex libris ritualibus abunde haberi poſſunt.

Secunda hac coronatione celebrata, poſtea Rex Romanorum ad vrbem venire ſolet, vbi in baſilica S. Petri à Romano pontifice tertia corona quæ *Imperialis & aurea* dicitur redimitur, his conditionibus, & ea ratione quas ſuperius expoſui: poſteaque * *Imperator & Auguſtus* appellatur, atq; ab eo die annos Imperij ſui numerare incipit. Primus autem & ſolus omnium Imperatorum, poſt Othonem, Carolus V. extra vrbem coronatus eſt, ad eam tamen formam, omnibus Bononiæ compoſitis, ac ſi Romæ ad S. Petrum coronatus fuiſſet: cuius coronationis rationem, quum ea propria ſit, quæ in libris ritualibus Romanæ eccleſiæ habetur, à multiſque præterea noſtræ ætatis ſcriptoribus deſcripta fuerit, conſulto prætermittendam cenſui. Is autem optimus Princeps, raro admodum exemplo, poſt omnia regna filio Philippo reſignata, primus quoque, poſt conditum Germanicum imperium, tanta maieſtate, qualis Imperialis eſt, ſponte abdicauit, ad vitam priuatam feliciſſime colendam conuerſus, veramq; philoſophiam non verbis, ſed actionibus conſequendam. Sed de eius laudibus hic locus non eſt diſſerendi: inſtitutum nobis opus perſequamur.

** Vt A. Knich. de Saxon. non prou. priu. ver. electoris c. 1. n. 25. & ſeqq. Item ſupr. c. 7. nu 22. & c. 5. n. 9.*

XII. Carolum V. primū maieſtate Imperij Germanici ſponte ſe abdicaſſe falſum eſt. Idem enim feciſſe leguntur Lotharius, Lud. Pij filius Cuſpin. in hoſtiario. Melch. Haidminſ. in rational. ad aur. bull. Carol. c. 1. tom. 1. conſt. Imp. p. 1.

Hic autem multa eſſent dicenda, videlicet quibus conditionibus aliquot Imperatores à Romanis pontificibus coronati fuerint: quæ fuerit olim in Germania, & Italia, & quæ nunc ſit, eorum auctoritas, & conditio: Imperij varij caſus & mutationes: quibus rationibus Imperium in Germania exortum, auctum, & confirmatum fuerit, quibus deinde caſibus ſenſim labefactari & debilitari cœperit: quomodo demum conſumptū, & penitus conuulſum fuerit ita vt nihil amplius præter inanis

magnu

magni nominis vmbra, remanſerit: à quibus potiſſimum diſciſſum & diſſipatum ſit: & alia eiuſmodi pleraque. Sed quoniam hæc omnia proprium volumen requirerent, atque ad propoſiti, nobis, operis cognitionem multum præterea non adferrent, hæc omnia ad aliud tempus remittere decreui. Harum enim rerum propriam hiſtoriam conſcribere animus eſt: modo vires ſuppetant.

CAPVT XII.

Quibus Imperatoribus, imperium abrogatum fuerit, & de ſciſſuris vel ſchiſmatibus, quæ in eo fuerunt.

I. *Schiſmata maxima in Imperio, quot fuerint. Et quæ.*

IN Imperio autem, poſt Othonis primi tempora VIII. potiſſimum maxima ſchiſmata fuere: quorum tria in comitijs ipſis, quinque extra comitiorum tempus exorta. Priora autem fuere his comitijs, quibus Philippus Sueuus, & Otho IV. Ricardus Anglus, & Alphonſus Hiſpanus: Fridericus Auſtrius, & Ludouicus Bauarus: reges Romanorum renuntiati fuerunt. Quinque vero ſequentia fuere, Rudulphi Sueui, contra Henricum III. Imperatorem: Chunradi III. Sueui, contra Lotharium II. Saxonem: Henrici Lantgrauij Thuringiæ, & Guillelmi comitis Hollandiæ, contra Fridericum II. Caroli IV. contra Ludouicum Bauarum: Guntheri contra Carolum IV. Quæ quibus de cauſis exorta, & qua ratione ſublata fuerint, ſatis ſupra demonſtratum eſt.

II. *Quot Impp. & à quib. regno mulctati ſint? Tob. Paurmeiſ. de iuriſd. Imp. Rom. lib. 2. c. 3. n. 3.*

Imperatores vero, vel reges Romanorum VI. Imperio mulctati ſunt. In quibus quatuor à Romano pontifice: ex his vero duo à Papa tantum: vt Fridericus II. & Ludouicus III. Bauarus: & totidem à Papa & omnibus electoribus ſimul, vt Henricus IV. & Otho IV. duo vero ab electoribus tantum, vt Adolphus de Naſſau, & Wenceslaus Caroli IV. filius. Quum autem priuationis forma, quæ à pontifice Maximo & Electoribus ſimul fit, alibi multis in locis demonſtrata ſit: nunc operæ precium me facturum exiſtimo, ſi rationem quoque demonſtrauero, qua Electores ſoli, Imperium alicui abrogarint, Wenceslaique abrogationem, quæ memoratu admodum digna eſt, ſubijciam.

III. *Quibus de cauſis depoſitus ſit Wenceslaus.*

Quum Wenceslaus Imperator deſignatus, Caroli IV. Imperatoris filius, cuius ſtudio & profuſiſſima largitione eo viuente & procurante, ab electoribus, Rex renunciatus fuerat, grauiſſima damna Imperio attuliſſe, & in dies adferre videretur, inter quæ illa præcipua fuerunt, quod eius incredibili ignauia & inertia, quæ Imperio nocentiſſimæ erant, multæ & præclariſſimæ Imperij vrbes, in Italia amiſſæ, à diuerſis principibus occupatæ eſſent: ipſe quoque accepta ingenti pecuniæ ſumma à tyranno Mediolanenſium, Ioanne Galeacio vicecomite, qui Imperij Romani vicarius Mediolani & per omnem Lombardiam erat, eum ducem creauerat Mediolani, quod præcipuum Imperij membrum in Italia erat, in Imperij dedecus maximum, & ruinam: tum ob has, tum etiam ob alias cauſas, principes Imperij Electores in vnum congregati, Imperium ei abrogarunt. Quum nihilominus prius eum ſæpiſſime per literas impenſiſſime rogaſſent, & admonuiſſent, vt & à vitijs & libidinibus abſtineret, & vitam Imperatore non indignam ageret: qui quum omnia eorum monita, addicto mirum in modum libidini & laſciuiæ animo, paruifaceret: ideo anno Domini M. C. D. ab archiepiſcopo Moguntino, reliqui V. electores per literas congregati ſunt, (nam VII. erat rex ipſe, tanquam rex Boemiæ) qui omnes quum Moguntini archiepiſcopi literis paruiſſent, ſtatim ſupra Rhenum, loco, qui eſt è regione Burbacenſis arcis, in diœceſi Treuerenſi, eodem anno conuenerunt, vbi XIII. Cal. Septembris tribunali erecto, cum conſenſu & voluntate Romani pontificis, omnium ducum, marchionum, comitum, & cæterorum Imperij, per omnem Germaniam procerum, Wenceslaum ipſum regia Romanorum regis dignitate, priuarunt: publicisq; literis omnium ſignis obſignatis, per totum Imperium Rom. eiuſmodi abrogationem euulgarunt, vtq; ipſe Wenceslaus, à nullo deinceps, pro Romanorum rege agnoſceretur vel diceretur. Eiuſmodi vero ſententiæ exemplum hoc fuit:

IV. *Exemplũ depoſitionis. Aliud ac plenius exemplum, conſtit. ſuar. Imp. tom. 1. p. 1. nobiliſſ. Haimiſfeldius in lucem dedit ad ann. 1400. Quæ & in notis ibidẽ conſulendus.*

Nos Ioannes Archiepiſcopus Moguntinus, ſacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius, nomine dictorum Principum Electorum, ſacri Romani Imperij, modo propter multas prægnantes cauſas, nos vrgentes, & intolerabiles exorbitationes, amouemus ac deponimus hac noſtra ſententia, dictum Dominum VVenceslaum, vt inutilem, ignauum, & penitus ineptum ad Romanum Imperium, ab ipſo Romano Imperio, atque ab omni ſibi debita gloria, honore & maieſtate: denunciantes omnibus principibus, proceribus, dominis & ſeruis, ciuitatibus, & regionibus, ac populis ſacro Imperio ſubiectis, quod deinceps penitus abſoluentur, & abſolutos pronunciamus, ab omni homagio & iuramento, memorato VVenceslao, nomine ſacri Romani Imperij, præſtito: monemusq; & requirimus eos per iuramentum, quo aſtricti ſunt ſacro Imperio, ne poſthac ſæpe dicto VVenceslao, vllo pacto obediant, aut obſequantur, neque illi vllum obſequium, cenſum, redditum, aut vllam ſubiectionem quocunque nomine tandem appelletur, tanquam Romanorum regi, præbeant, aut exhibeant, vel permittant exhiberi: ſed omnia hæc reſeruent pro illo, quem Dei gratia, ceu vtilem & idoneum in Romanorum regem eligi continget.

V. *Non vnũ tantum, ſed plures imperium habuiſſe Wenceslaos. ſup. c. 9. n. 7.*
** Iul. Pflug. de rep. German. conſt. n. 87.*

Hac itaq; ratione ab electoribus Wenceslao ipſi Imperium abrogatum eſt, ſuffecto ipſi, Roberto comite Palatino Rheni. Neq; enim hic Wenceslaus primus fuit, qui tot laboribus & virtutibus Imperium, à tribus Othonibus, ſex Henricis, quatuor Chunradis, Lothario Saxone, & duobus Fridericis, ſtrenuiſſimis Imperatoribus partum & auctum, euerterit ac diſſipauerit. Statim enim poſt Friderici II. mortem, * quem nouiſſimum omnium Imperatorum, iure appellandum cenſeo: (eo enim vſq; Imperij Romani occidentalis maieſtas, tam in Italia quam in Germania floruit, præſertim, quum aliquot ſequentes Imperatores vel Reges Romanorum, diſſipatores potius & euer-

ſores imperij fuerint, quam Imperatores) Guilelmus rex Rom. ex comite Holandiæ creatus, in ſchiſmate contra Fridericum I I. initia imperij auſpicatus eſt ab impignoratione Nouiomagi Imperialis vrbis, quam Geldrenſi comiti pro viginti argenti puri marchatum millibus vectigalem fecit. Rodulphus quoque Habſpurgenſis, quum ex paupere & tenuioris fortunæ comite, ſtudio Gregorij X. pontificis Maximi, rex Romanorum hac conditione creatus eſſet, vt ſtatim in Italiam, pro obtinendo imperij diademate veniret, duxq; eſſet ſacræ militiæ, pro recuperandis Hieroſolymis, congregandæ, ipſe regnum adeptus, nihil minus cogitauit. Omne enim ſtudium ſuũ, vires, animumq; intendit, relictis interim imperij negocijs grauioribus, ad augendum & ampliandum familiæ ſuæ ſplendorem, cui Auſtriam & Sueuiam primus intulit, pecunias quoq; per fas & nefas congregandas, in maximum Rom. imperij detrimentum. Omnibus enim viribus, quæ iuris imperij in Tuſcia erant, libertatem multis aureorum millibus vendidit: quo mercatu eis paulatim ab imperio deſciſcendi occaſionem dedit. Comitatum quoque Romandiolæ, qui à tempore primi Othonis ſub imperij fuerat ditione, ſponte amiſit. eius exemplum optime imitati ſunt, ſequentes Imperatores, & præſertim hi, qui in Italiam venerunt, vt Henricus V I I. Lucemburgenſis, qui multas Lombardiæ, imo fere omnes vrbes tyrannis vendidit. Carolus vero I V. quum Wenceslaum filium ſuum, ignauiſſimæ inertiæ hominem, in regem eo viuente eligi procuraret, principeſque electores ei aſſentiri minime viderentur, quod virtute obtinere non potuit, precio comparauit ſingulis electoribus, multis aureorum millibus promiſſis: quos quum poſtea pendere non poſſet, publica illis imperii vectigalia conceſſit, in perpetuum imperii dedecus & malorum omnium ſeminarium, quibus toties miſera vexata fuit Germania. Aliquot præterea imperij oppida eiſdem aſſignauit, & præſertim Ludouico comiti Palatino Rheni, cui Oppenheym, Ingelheym, Keyſerslautern, oppida in perpetuam poſſeſſionem donauit, ſicque viſcera per Germaniam hauſit, quo ignauiſſimam pecudem, filium ſuum, malo imperij natum, ad regnum proueheret. Deinceps vero Romana poteſtas ad nihilum fere redacta eſt, neq; poſtea extollere caput potuit, quum principes omnia ſibi iura imperij retineant, nouoſque Imperatores iureiurando adigant, ne pignora reuocent, vel antiqua eorum priuilegia aliquando abrogent. Maximam igitur Carolus I V. Romano imperio iacturam fecit. Ex cuius ſpolijs tanquam in bello captis Boemiæ regnum genti ſuæ hæreditarium locupletauit. Quicquid præterea iuris Romanum imperium in regno Arelatenſi habuerat, penitus amiſſum eſt, quo tempore Francorum Occidentalium regno ceſſit. Lotharingia quoque & Sabaudia, imperij nobiliſſimæ prouinciæ amiſſæ ſunt, ita vt Romani huius imperij aquila adeo deplumata ſit, vt nunc pene nuda remaneat. Cæterum querelæ, ne tum quidem gratæ futuræ, quum neceſſariæ eſſent, abſint. Ad noſtra reuertamur.

V I. Vt Guilelmũ.
V I I. Vt Rudolph. I. quo de videatur tamẽ Schar. de pontif. mut. con. c. 2. f. 150. Knich. de Sax. non prou. priuil. verb. Elect. c. 2 num. 28. lud. Pfing. de rep. Germ. conſt. n. 8y. Auctor in Rudolphum I.
V I I I. Vt Henr. XII.
I X. Omnium vero perniciosiſsimum, Carol. I V. vid. Pfing. de rep. Ger. conſt. n. 90. VVaren. d. Erenb. in verſiculo. 5. n. 42. Elias Reuſner. diſſ. quaſt. hiſt. 7. ſ. 92. & 1944
X. Regnum Bohemiæ ditatum ſpolijs Rom. Imperii.

XI. Euiſdem imperii ius in regno Arelatenſi amiſſum. P. Heig. p. 1. q. 3. n. 48. XII. Inque Lotharingia & Sabaudia. De illa tamen videndus VVarem. de Erenb. med. pro fœd. lib. 2. c. 2. f. 369.

C A P V T X I I I.

De Imperij cæteris principibus, & ciuitatibus liberis Imperialibus.

POST VII. Electorum ordinationem, poſterioribus temporibus præterea multæ in Romano occidentali imperio, factæ ſunt inſtitutiones, variaq; pro imperii maieſt. officia excogitata. Nempe poſt VII. Electores ex veterib. imperij principibus, quo commodorum ius amiſſum, æquiore animo (vt exiſtimo) ferrẽt, in cæteris imperii negotijs tranſigendis admiſſi ſunt, atq; in hanc formã & diſtinctos gradus redacti. Ad augẽdam itaq; imperij maieſtatẽ ſic, per gradus diſtincti ſunt, vt ſicut ſunt I V. laici imperij Electores, ſic eſſent I V. Duces, I V. Marchiones, I V. Lantgrauij, I V. Burgrauij, I V. Comites, I V. deinceps Barones, Nobiles, Milites, ciuitates, villæ & ruſtici, & alia eiuſmodi officia. Nec his contenti Imperatores, aliquot Duces ex Marchionibus, ex Ducibus Archiduces, ex comitibus Marchiones, & pleroſque ſimiles dignitatum ordines excogitarunt. Qui autem ex omnibus ordinibus ſingulari quadã dignitate & excellentia, ad imperii Romani augendam maieſtatem, eiuſq; dignitatem tuendã, quaternario numero, poſt Electores laicos, potiſſimũ adſcripti fuerunt, hi* ſunt:

I. Reliqui imperii principes in quos gradus diſtincti? A quo ita diſtincti ſint, diſputando inquirit Elias Reuſn. diſſ. quaſt. hiſt. 7.
** Hen. Coccei. conſ. 1. c. Quomodo & qualiter, n. 10.*

Quatuor duces:
Dux Brunſuicenſis.
Dux Bauariæ.
Dux Sueuiæ.
Dux Lotharingiæ.

Quatuor Lantgrauij: [l]
Thuringia.
Haſſiæ.
Lüchtenberg. [m]
Alſatia.

Quatuor Marchiones:
Miſniæ.
Brandeburgenſis.
Moraniæ.
Inferioris Baldenſis.

Quatuor Burgrauij:
Meideburgenſis.
Noremburgenſis.
Renech. [n]
Stromburg.

Quatuor [o] militares comites:
Flandria.
Tyrolis.
Aldemburgi.
Ferraria.

Quatuor præcipui Mareſchalli:
Bappenheim.
Iuliaci.
Miſnia.
Vinſtingun.

Quatuor barones:
Limpurgs in Franconia.
Thuſis & Rorantæ in Thochenburg.
Veſterburg.
Aldenvalden.

Quatuor milites:
Andlaun.
Meldingen. [p]
Strondeck.
Fronberg. [q]

Quatuor metropoles:
Auguſta Vindelicorum.
Aquiſgranum.
Metis.
Lubecum.

Quatuor villæ:
Bamberga.
Vlma.
Hagenoia.
Seleſtadium.

Quatuor ruſtici:
Colonia Agrippina. [r]
Ratisbona.

l Omiſit vicarios, de quibus Goden. d. loc.
m Lutzenburgia. Goden. d. loc. Depravate, vt opinor.
n Reineck.
o Omiſit comites, de quibus Goden.
p Hodie VVeiſſenbach. H. Goden.
q Franuburg.

D Con-

r Dignum, qui hic legatur Hart. Maurus de coron. Caroli V. apud Schard. hiſt. tom. 2. f. 865.

Confluentia.
Salzburg.
Quatuor viculi Imperij:
Ingelheim.
Aldorff.
Liechtenau.
Denchendorff.
Quatuor Domini terratum:
Mediolani, Vicecomites.
Verona, Scaligeri.

Padua, Carrarienſes.
Mirandula, Pici.
Quatuor Abbates principales:
Fuldenſis.
Campidonenſis.
Viſſemburgenſis.
Murbacenſis.
Quatuor montes Imperij:
Munſterberg.
Fridberg.
Heidelberg.

Nürimberg.
Quatuor Burgæ Imperij:
Aldenburg.
Meidenburg.
Rotenburg.
Mechelburg.
Quatuor venatores:
Vru.
Vrnach.
Schonburg.
Meſtz, prope Curiam.

Quatuor officia hæreditaria ducatus Sueuiæ,
Dapifer à Vualtpurg.
Pincerna a Redach.
Mareſcallus à Marchdorff.
Camerarius à Chemat.
Quatuor Serui:
Vualdech.
Hirten à Fulchen.
Hornſperg.
Rabnauu.

II. *Qui principes eccleſiaſtici, comitiis imperii interſint.*

Multæ vero ex his dignitatibus vel mutatæ ſunt, vel omnino interciderunt. Spirituales autem, vel Eccleſiaſtici Imperij principes, qui omnes conuentibus imperij, quos *Diætas* vocant, intereſſe poſſunt, ſunt hi:

Archiepiſcopi VII.
Moguntinus.
Colonienſis.
Treuirenſis.
Salzburgenſis.
Bremenſis.
Biſuntinus.
Rigenſis.

Epiſcopi XX. *
Bambergenſis.
Herbipolenſis.
Leodienſis.
Vormacienſis.
Spirenſis.
Curienſis.
Tridentinus.
Ebiſtatenſis.
Hildesheimenſis.
Friſingenſis.
Monaſterienſis.
Pataninus.
Argentinenſis.
Auguſtanus.
Brixinenſis.
Conſtantienſis.
Ratcemburgenſis.
Oſnaburgenſis.
Ratiſponenſis.
Baſilienſis.

Abbates:
Fuldenſis.
Hirſfeldenſis.

Et quidam alij:
Magiſter ordinis Teuthonicorum, &c.

** 27. Schönborn. 5. polit. 6.*

III. *Quæ vrbes ſint Imperiales? magna quæſtio, de qua hodie in cauſa Brunſuicenſi ſcriptis publicis acerrime contenditur. Ad quæ lectorem remiſſum cupio. Præterea, ad Tob. Paurmeiſt. lib. 2. de iur. imp. Rom. c. ult. Mameran. de inueſtitura Maur. electoris Sax.*

Vrbes autem, quæ hodie vocantur Imperiales, ſunt hæ:

Aquiſgranum.
Alen.
Antuerpia.
Argentina.
Auguſta.
Baſilea.
Berna.
Bernheim.
Biberach.
Biſuntium.
Bopatrum.
Buchorn.
Boffingen.
Campenſis.
Curia.
Colonia.
Colmaria.
Confluentia.
Dauentria.
Dortmund in Vveſtphalia.
Dunchelſpuel.
Durcheim.
Duera in Braband.
Eggra.

Erdfordia.
Eslingen.
Francfordia ad Moganum.
Francfordia ad Oderã.
Fridberg in Verderoia.
Friburgum in Briſgoia.
Gelnhauſen.
Gengen.
Göttingen.
Gruningum in Friſia.
Gamund in Sueuia.
Goslar in Saxonia.
Hala in Sueuia.
Hala in Thuringia.
Helprun.
Hagenoia.
Hamperga.
Heidesfelt.
Iſſnem.
Ingelheim.
Kaufbuern.
Keiſersberg.
Keiſerslautren.
Kempten.

Landauu.
Lindauu.
Leukirch.
Lubecum.
Lucerna.
Luneburgium.
Magdeburgum.
Memmingen.
Metis.
Moguntia.
Mulnhuſen in Thuringia.
Mulnhuſen in Saxonia.
Nordhuſen in Thuringia.
Noriberga.
Neumagen.
Norlingen.
Odernheim.
Obernheim.
Offenburgum.
Oppenheim.
Pfulendorff.
Rauenſpurg.
Ratisbona.

Rotenburgum.
Roſſeim.
Rotuilla.
Reutlingen.
Sangallus.
Schafuſia.
Seleſtadium.
Soloturum.
Strasburg, alias Argentina.
Spira.
Schvvinfurt.
Treueris.
Tigurum.
Vberlingen.
Vlma.
Vvangen.
Veid iuxta Drauum.
Veſel ſuperior.
Veſel inferior.
Verzlar in Haſſia.
Vvil in Sueuia.
Vveiſſemburg.
Vviminia.
Vormacia.
Vvinsheim.

IV. *Quid hodie ex eo vrbium numero ſuperſit.*

V. *Clementis V. inſtitutio, de vicariatu Papæ, vacante imperio. At poteſtate nondum confirmati Imp. à pontif. Cap. Paſtor. de ſent. & re iud. Clement. lib. 2 Ioh. 22. in extrauag. c. vn. ne ſed. vac. aliquid inno.*

Ex his vero vrbibus quædam noſtro tempore Imperatorem tamquam dominum venerantur; quædam minime; tamen in imperij neceſſitatibus faciunt, quod ſibi præſcriptum eſt, & hæ potiſſimum ſunt confœderatæ Heluetiorum. Sunt etiam inter has vrbes nonnullæ ab Imperatoribus ipſis venditæ, quædam aliæ pignoratæ, aut alio quouis modo ab imperij ditione ſubtractæ: vt ſatis ſupra demonſtratum eſt. Verum antequam ad huius laboris finem perueniam, hoc non omittendum duxi, quod Clemens Papa V. inſtituit, vt vacante imperio, Papa ſit vicarius imperij, in eius ditione, quã in Italia potiſſimum habet. Item quod Imperator deſignatus, ius adminiſtrandi Imperij nõ habeat, antequam à Rom. pontific. fuerit confirmatus. Quam conſtitutionem reuocare niſus eſt in conuentu Francfordienſi Ludouicus Bauarus Imperator, in quo decretum eſt, vt Imperator à maiori & ſaniori parte electorum deſignatus, ſtatim ratione electionis, auctoritatem habeat adminiſtrandi Rom. imperium, nulla Romani pontificis confirmatione expetita. Electus tamen creationem ſuam debet pontifici nunciare, tanquam Princeps catholicus, & qui dignus ſit faſtigio Imperiali, ac deinde pro diademate imperiali pontificẽ maximum rogare. Quod ſi deſignato Imperatori negetur, abſque

VI. *Oppugnata.*

abſque iuſta & legitima cauſa, quod queat imperij coronam ſuſcipere à quolibet catholico Epiſcopo. Quod decretum, tanquam inſolens, non longe poſt antiquatum eſt. Quum vero ad propoſiti mihi operis iam finem deuenerim, commodiſſimum viſum fuit, auream Caroli IV. Imperatoris bullam ſubijcere de modo & ratione habendorum imperij comitiorum, quam ſæpe ſuperius pollicitus ſum, cuius exemplum hoc eſt.

ab Imp. Ludouico IV. Cuſp. & Huld. Mutio in Ludou. 4. Itemq; iis, qui pro Ludou. Imp. contra Papam, acerrime pugnarunt. Guil. Occa. Lupold. de Babenberg. Marſilio Ficino, &c. Adde auctorem deß Bienen Korbs/ *p. 2. capit. 10. Marq. Freh. orig. Palat. c. 15. Sim. Schard. de pontif. mut. confirm. in fin.* VII. *Sed non expugnat a iudicio Onuphrij. Cui bulla Carolina, titul. 5. Imperii anno 1519. obſeruantia, Sleid. com. lib. 1. Haiminsf. in* Reichsſatzungen *ann. 600. publ. ad ann. 1526 f. 241. Tob. Paurmeiſt. de iurisd. Imp. Rom. libr. 2. num. 4. ac præter alios Nicol. Ciſner in epiſt. dedicat. comm. Cyni. Icti in Codicem ad Vuilhelm. Haſſiæ Landgrau. fortiſſimè contradicunt.*

I I.

DE PRINCIPVM, QVIBVS ELECTIO IMPERATORIS IN GERMANIA COMMENDATA EST; ORIGINE; ſeu inſtitutione; Liber vnus:

SIMONIS SCHARDII LEGVM DOCTORIS:

In quo recentiorum quorundam ſententia refutata, communis opinionis veritas defenditur.

REVERENDISSIMIS AC ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, AC DOMINIS: D. DANIELI MOGVNTINO, FRIDERICO Colonienſi, IOHANNI Treuirenſi, Archiepiſcopis, &c. FRIDERICO Comiti Palatino Rheni, &c. AVGVSTO *Duci Saxoniæ, &c. IOACHIMO Marchioni Brandenburgenſi, &c. Sacri Rom. Imperij Electoribus, &c. Dominis ſuis clementiſſimis, S. P. D.*

MIRVM quibuſdam haud dubie videbitur, Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes, Domini clementiſſimi, quæ me confidentia inuaſerit, quod Celſitudines veſtras in maximis ac grauiſſimis Reipub. curis hac mea quaſi allocutione interpellare non erubeſcam: nec cogitem, in neminem perinde atque in me dici poſſe, nihil referre, ſiſne plane inimicus, an importune beneuolus. Sed ſi cui iuſtæ cauſæ vnquam fuerunt, veſtras reuerendiſſimas ac illuſtriſ. Celſitudines compellandi, iiſq; ſuas lucubratiunculas offerendi, eas mihi hoc tempore præ cæteris eſſe cenſeo. Nam ne commemorem, quantopere vel publice interſit, vt cum alia ſcripta, tum vero Rempub. concernentia, ab his qui ad gubernacula ſedent, cognoſcantur: vel etiam priuatim expediat, monumenta ingeniorum, autoritate ac patrocinio Principum muniri; ſane quantulacunque ſit hæc lucubratiuncula, quæ à me in lucem profertur, ob id præcipue illuſtriſſimis nominibus veſtris inſcribenda eſt viſa, quod pro aſſertione antiquæ originis, ac inſtitutionis dignitatis veſtræ ampliſſimæ, ſingulari quadam eius obſeruantia ſuſcepta fuerit. Facile vero video, dum hæc dico, reuerendiſſimis ac illuſtriſſimis Celſitudinibus veſtris occaſionem eius ſcriptionis nouam ac ſingularem videri poſſe, quare humilime ſubiectiſſimeq; oro, vt Celſitudines veſtræ ex me eam expoſituro, benigne atque clementer cognoſcere dignentur. De ampliſſimi collegij veſtri Electoralis origine, iam multis ſeculis, communem autorum, præſertim Hiſtoricorum ac Chronographorum ſententiam, reuerendiſſimę ac illuſtriſſimæ Celſitudines veſtræ obtinuiſſe, benigne nouerunt, eam authore Othone tertio Saxone Imperat. laudatiſſimo, annis abhinc quingentis ſexaginta quinq; cœpiſſe, ita vt omnis Imperatoris creandi poteſtas penes ipſas, earumq; anteceſſores fœliciſſimæ memoriæ fuerit. Qua quidē ſententia, reuerendiſſimi ac illuſtriſſimi Principes, non ſolum collegij veſtri ampliſſimi dignitas ex antiquitate eius augetur & cõfirmatur; ſed & diuinæ voluntatis clementia erga id oſtenditur. Quis etenim alijs imperiorum ac rerumpub. fatalib. periodis conſideratis, diuinitus Ariſtocratici collegij veſtri formam conſeruatam eſſe non videt? Ampla Perſarum monarchia fuit: at ea ducentos annos vix attigit. Macedonum imperium magnis viribus Alexandri incipiens, poſt eius mortem intra trecentos annos penitus concidit. Et Romanorum longe potentiſſima monarchia, poſt quadringenteſimumquartum annum à Gotthis miſerrime deuaſtata eſt. alia quoque quamplurima

regna florentiſſima, cum vix trecenteſimum annum conſcendiſſent, penitus collapſa fuere. Tantò itaq; diuinæ Maieſtatis clementia erga imperij Germanici formam maior conſpicitur, quanto ea cæteris imperijs diuturnior ſtabiliorque fuit.

Ac quidem omnes patriæ amantes, vt par eſt, hanc Dei miſericordiam piis ac gratis animis agnoſcunt, & antiquitatem ampliſſ. collegii Celſitudinum veſtrarũ, debito honore proſequuntur. At vt nulla fere res tam certa ac indubitata eſt: quæ huius ſeculi ingeniorum vel ſubtilitate, vel petulantia in dubium non ſit reuocata; ſic & collegii veſtri ampliſſimi antiqua inſtitutio, paucis abhinc annis à quibuſdam noſtræ gentis hominibus in dubium trahi: deinde vero ab *Onuphrio Panuinio* fratre Auguſtiniano Italo, cognitione antiquitatis præ cæteris celebri, ita impeti & oppugnari cœpit, vt is non tantum eius inſtitutionem ad tempora Rodulphi Habſpurgici redactam, ducentis ſeptuaginta annis recentiorem efficere conatus ſit; ſed & eos, qui tantam dignitatem Imperatoris eligendi in manibus reuerendiſſimarum ac illuſtriſſimarum Celſitudinum veſtrarum collocatam permittant, neſcio cuius inſimularit. qui hominis conatus quo ſpectarit, non meum eſt iudicare. Sed cum multis, ſpe optima iam diu fui, fore, vt nonnulli gentis noſtræ, qui hiſtoriæ ſtudium profitentur, rerum patriarũ amore ac ſtudio inducti, nouæ huic opinioni, ſub qua plura ſententia plerorumque latere videntur, ſeſe opponerent, nec eam vlterius graſſari vel inualeſcere paterentur. Nam ſi Plato *in ſuo de Repub. Dialogo octauo* ſanxit, tutores ciuitatis diligenter curare debere, ne quid præter ordinem a ſe datum, circa modos canendi à Muſicis ſtudio nouitatis immutetur: quod ex ſententia Damonis exiſtimarit, nuſquam Muſicæ modos immutari abſque maxima legum ciuilium mutatione: quanto magis reſiſti oporteret opinionibus, quibus non ſaltem nouitatis ſtudium, ſed & labefactatio dignitatis Magiſtratus ampliſſimi, ac diſſipatio ordinis in Republica quæri videtur?

Cæterum dum hi, qui id præ cæteris poſſent, alijs occupantur, ac opinio Panuiniana, non citra Germanorum reprehenſionem hinc inde ſerpens diffunditur, vireſq; eundo acquirit; fuere qui magis amore, quam iudicio inducti, me hortarentur, ad redarguendam Onuphrianam ſententiam. Etſi vero tantam hiſtoriarum ac antiquitatis cognitionem mihi minime arrogarem, vt quid eximii in ea re me poſſe præſtare confiderem; & neutiquam ignorarem, quam graue in plerorumq; cenſuram ſubiturus eſſem, ſuſcipiendo defenſionem cauſæ, quæ ipſis deplorata videtur; tamen cum hiſtoriarum patriarum ſtudium, ſcientiæ Iuris ſemper iungendum eſſe duxerim, id & memoriæ præſtantiſſimi Imperatoris Othonis tertii, & obſeruantiæ erga ampliſſimum collegium Celſitudinum veſtrarum, & amori patriæ, à me deberi putaui, ne laborem refellendæ nouæ ſententiæ Panuinianæ, veteres patriæ conſtitutiones labefactantis, veteri Athenienſium exemplo vel ſolus ſuſcipere horreſcerem: quod non minus vnumquemq; noſtrum natura, quæ ſanctum patriæ amorem omnibus indidit, ad defenſionem legum eius obliget, quam ipſos iuſiurandum, quo adoleſcentiam egreſſi aſtringebantur, ſe non minus ſolos, quam cum plurimis pro legibus patriæ dimicaturos, nec permiſſuros, vt à quoquam reſcinderentur.

Perſpicere iam reuerendiſſimas ac illuſtriſſimas Celſitudines veſtras ex hac qualicunq; narratiuncula credo, me non vel otii abundantia, vel ſtudio rei cuiuſpiam nouæ adinueniẽdæ, ſed amore patriæ, ac obſeruantiæ dignitatis Celſitudinum veſtrarum, ad hanc lucubratiunculam adornandam inductum. Ac licet in ſpem optimam veniam, hanc ſubmiſſæ obſeruantiæ meæ qualemcunq; ſignificationem reuerendiſſimis ac illuſtriſſimis Celſitudinibus veſtris minime diſplicituram eſſe: tamen etiam atque etiam oro, vt munuſculum oblatum non tam tenuitate, quam animo offerentis æſtiment, cum recordatione dicti veteris, Mola ſalſa litari ab his, qui thura non habent: tum exempli regis Perſarum Artaxerxis, qui à ruſtico pomũ oblatum his verbis accepiſſe dicitur, Videri eum talem eſſe, qui ex parua etiam vrbe magnam poſſet efficere: animum videlicet, à quo dabatur, magis ſpectandum ratus, quam quod offerebatur munus. Id quod ſi mihi in reuerendiſſimis ac illuſtriſſimis Celſitudinibus veſtris acciderit, tanto ſum gratius habiturus, quanto magis hanc meam opellam veſtrarum Celſitudinum fauore ac patrocinio indigere video: quas vt Deus æternus pater liberatoris noſtri Ieſu Chriſti ita regat, vt ipſarum gubernatio pia, fauſta ac fœlix ſit cum patriæ, tum Eccleſiæ Chriſti, ex animo ardentibus votis precor & opto. Datæ Kal. Martij, anno 1566.

Reuerendiſſimarum ac illuſtriſſimarum
Celſitudinum veſtrarum

obſeruantiſſ.
Simon Schardius D.

PROOEMIVM.

IN rebus ad decus Imperij Germanici pertinentibus, cum aliæ complures ſunt dignæ liberalium ingeniorum cognitione: tum vero meo iudicio digniſſima eſt inueſtigatio hiſtoriæ de origine & inſtitutione Principum, quibus electio Imperatoris in Germania eſt commendata. Si enim vel genealogiæ illuſtris alicuis familiæ, vel originis præclaræ ciuitatis cognitio, homini in rerum liberalium ſtudiis verſanti conuenire putatur; quanto cognitio ordinationis Principum, quos dixi, rerum patriarum ſtudioſo conuenientior, honeſtiorq; erit? Ea ſiquidem inueſtigatio præterquam quod pars eſt liberalis eruditionis, & amorem erga patriam cum aliqua virtutis laude coniunctũ arguit, & debitam reuerentiam erga principes ipſos alit, fouet & auget. Quis.n. non omni reuerentiæ cultu eos honoret, quos multis iam ſeculis amplitudine dignitatis & meritorũ in remp. cæteris precelluiſſe cognoſcit? Nam etſi nec alio

rum

rum principum autoritas,atq; in remp.ſtudia contemnenda vel eleuanda putentur:hi tamen & dignitate & meritis, multis partib.alios ſuperant.Nam quę maior vel ſublimior dignitatis amplitudo, hiſce principib.deferri vel tribui potuiſſet,q̃ quod prę cęteris digni ſunt habiti,quorum humeris,*tanquam firmiſſimis columnis* (vt verbis legis Carolinæ vtar)Germanici,imo Occidētalis imperii celſitudo cōmitteretur:& vt ex ipſis tanq̃ ex generoſiſſimo germine,Imperat. decedente Aquila,quæ vmbra alarum ſuarū Occidentem tegeret, produceretur? Sit ſane aliorum principū ac regum dignitas magna;hęc.v.ea tanto maior auguſtiorq; eſt, quanto Imperiali faſtigio propior,eiuſq;quaſi legitima & ordinata creatrix eſſe videtur. Vt.v.hic principum ordo dignitate,ſic quoq; meritis in patriā cæteros antecellit.Nam poſtq̃ hi principes inſtituti fuere,eorum prudentia atq; conſilio factum eſt,vt & grauiſſimis diſſenſionib.quę ante de electione Imperat.ſæpius inter potentiores nobilioreſq; gentes æmulatione imperii exarſerant,conquieſcentib.atq; ſopitis,pax & tranquillitas qualiſcunq; in Germania ſit cōſeruata:&inſidioſis atq; clandeſtinis conſpirationib.exterorum,imperij maieſtati inhiantium repreſſis, Germani in poſſeſſione maieſtatis Imperij iam multis ſeculis permanſerint, & in poſterū quoq; permanſuros ſperandum ſit, ſi vt hactenus fecere, vera ſeſe beneuolentia complexi conſentient:ac quem imperii faſtigio dignū duxerint,vt par eſt,pro virili iuuerint.Quid q̧ cum apud alias quamplurimas gentes,monarchia facilius in tyrannidē tranſiiſſe,imperiaq;euertiſſe legatur,q̧, vt Hippodamus Pythagor.inquit,Stobæo referente, [illegible] hi reipu.Germanicæ forma ita cōtemperata,vt & regium principatū,& optimatium gubernationem contineat, eo conſilia ſua plerunq;direxerint,vt boni,honeſti,ſapientes,iuſti,patrię ac religionis amantes imperio pręficerentur.Quæ quanta bona ſint,quilibet ſanę mentis ita perſpicit,vt id copioſiore oratione explicari magis oſtentationis q̃ neceſſitatis eſſe videatur. Ac etſi pontifices pro ſua tyrannide ac ambitione nihil nō iuris ac autoritatis in imperium ſibi vendicantes,diſſenſionib.in hoc ordine ſparſis id effecerint, vt interdū vel de electione vel remotione Impp. bella ciuilia nata ſint, quemadmodū hiſtoriæ Heinr.V.Frider.vtriuſq;Philippi Sueui.& Ludou.Bauari teſtantur:tamen tam accuratā circumſpectionem & conſideratione rebus adhibuere, vt bellorum ac diſſenſionū incendijs extinctis, Imperij maieſtas ſarta tectaq; maneret,nec qua vel fraude,vel conſpiratione,vel rabie pontif.Rom. ad aliam gentē transferretur. Cum ergo principum horum,qui Electores dicuntur,dignitatē merita in Remp.æquent,digna eſt liberalib.ingenijs inueſtigatio ordinationis eorum.Nam etſi cōmunis opinio atq; ſententia ſcriptorū hucvſq; fuerit,eam ab Oth.III.Saxon.Imperat.factam fuiſſe:extitere tn̄ hoc tempore viri cum aliarum artium multifaria cognitione,tum vetuſtatis ac hiſtoriarū indagatione celebratiſſimi, qui q. cornicum oculis confixis, cōmunem hiſtoricorum opinionem non tm̄ in dubium reuocauere,ſed & tam ſpecioſis ac eruditis argumentis & rationib.impugnauere,vt ordinatio hęc,q̃ vetuſtiſſima habita fuit,recentior opinione multorū pleriſq; eſſe videatur:non obſcuro ſermone interdum agitantib.ea,quibus ordinis ampliſs. autoritas eleuetur, qui cū ſe vetuſtate venditet,ignorantiā originis vel inſtitutionis ſuæ prodat. Cæterum cum(q̧ pace tantorum virorum dictum eſſe volo)hæc noua opinio, quantūuis argutis argumentis colorata,à veritate aliena,eiuſq; autores, q̧ ſæpe alias etiam doctiſſimis accidere conſueuit, humani quid paſſi eſſe deprehendantur,operæ precium facturum eum exiſtimo, qui communem hiſtoricorum ſententiam ab impugnationibus doctiſſimorum virorum vindicatam, priſtinæ authoritati reſtituat. Etſi vero dum vires ingenij mei pondero, non tantum eas perquam debiles & exiguas eſſe agnoſco: ſed & ego iam diu horum amœniſſimorum ſtudiorum cultu intermiſſo, alijs multo ſeuerioribus,negocijſque à literis remotiſſimis vacarim, vt vere de me dicere poſſim, quod alicubi de ſe poeta:

Scilicet ingenium longa rubigine læſum Torpet,& eſt multo quam fuit ante minus.

Tamen cum prædicta opinio doctiſs.virorum à veritate rei diſſona.& cū imminutione aliqua nō tantum dignitatis principū, ſed & laudis præſtantiſs.Imper.Othonis coniuncta ſit, amore veritatis & reuerentia erga ampliſs. ordinem Electorum, deniq; propenſione erga præſtantiſs.Imper.Othonem adductus,cōmunis ſententiæ patrocinium ſuſcipere,ac in arenam cum viris eruditiſs.&omnis antiquitatis indagatorib.ſagaciſſimis,de diſceptatione huius rei deſcendere nō ſum veritus.Nō quidem,vt quenquā gladiatorio animo impetam, ſeu cū ipſo pugnaciter contendā, vel eius ſtudia eleuem atq; inſecter: ſed vt placide,tranquille ac moderate ſententijs collatis,veritas rei eruta in lucem proferatur. Nihil etenim veritatis inueſtigationi magis contrarium ducō,q̃ ad eam odium,iram,æmulationē,vel alias vitioſas cupiditates afferre, q̃ menti lucem eripiunt,quaſiq; nebulas offundūt, vt veriſſime ille dixit: [illegible].Id,vt cōtrariæ ſententiæ defenſores perpētuos ſpero:ſic & me facturum polliceor. Vt.v.rei huius veritas tanto facilius pateſiat,initio q̃ de electione principum Electorum ſententia hactenus fuerit,obiter explicabo;deinceps aliorū opiniones cōtrarias recenſebo: ac in quib.eæ cæſpitent ac hallucinentur, oſtendā. Poſtremo ex fide dignis monumentis rei veritatem ſubiungam.

CAPVT I.

De origine & inſtitutione Principum Electorum in Germania.

OTHONE III.Imperat.Romę defuncto, variæ ac multiplices de electione Imperat.diſceptationes exortæ fuere.Nam Itali æſtuantes cupiditate Imperialis dignitatis à Germanis ad ſe trāſferendæ,Creſcent. Nomentanum, conſulem Rom.perquam potentem ac factioſum Imperat.declarari volebant.Quidam.v.odio Imperatricis Theophaniæ,matris Oth.III.mulieris callidæ,& populis Occidentalib.parum ꝓpenſæ, Henr.Bauariæ ducem,Henrici fratris Oth.I.filium, Cæſarem proclamauere:qui etiam Othon.III.puero factioſe rapto,atq; firmiſſimæ cuſtodię tradito,imperij poſſeſſio-

ſeſſionem vſurpauit. At principes Germaniæ fidem Germanis dignam domino ſuo præſtantes, puerum Othon. ex manibus Heinr. ducis extortum, tamquam legitimum patris ſui & regnorum ſuorũ hæredem, in ſolio regio collocarunt. Id quod Benedictus VII. pontif. Rom. qui ſummopere inſtiterat, vt in creando Imperat. Reip. ſolerti atq; perito gubernatore admodum indigenti conſuleretur, ſuo conſenſu ratum firmumq; habuit. Cum.a. poſtea Otho adoleſcentiæ annis completis, in Germaniam conceſſiſſet, reſq; eius 11. fere annis cõpoſuiſſet, in Italiam tandem pro recipienda imperiali corona redijt: & mortuo Iohan. XVII. vigore priuilegij auo ſuo Othoni Magno de inueſtituris epiſcoporum conceſſi, Brunonẽ Saxon. cognatum ſuum, pontificem creauit, qui Gregor. V. poſt adeptum pontificatum dictus, Othoni benedictionẽ imperialem contulit, qua ille accepta in Germaniá reuerſus eſt. Romani v. indigne ferentes ſibi pontif. Saxon. & Imperatori cognatum, datum fuiſſe: vix Imperatore Italiam egreſſo, Gregor. vrbe eijciunt, qui cum aliquádiu in Hetruria ſubſtitiſſet, nec illum populus reuocaret, Othon. in Germaniã adijt. Interea Creſcent. denuo conſul confirmatus, remp. arripit, muros vrbis inſtaurat, molem Hadriani munit, ac Iohañ. quendã natione Græcum, epiſcop. Placentinum, non minus pecunioſum quã doctum, pontificem creat. Otho hiſce cognitis, ira concitus, copijs coactis vrbem petit, eamq; obſidione cinctam ad tantã neceſſitatem redigit, vt pop. Rom. fame compulſus, patentib. portis Imperatorẽ acciperet. Intromiſſus in vrbem Imperator, pontificẽ atq; Creſcent. ignominioſiſſ. morte afficit, atq; Gregor. in ſedem Barioneam reſtituit. Cũ vero Otho pro ingenij ſui perſpicacia atq; prudentia, q̃ tanta fuiſſe ſcribitur, vt *Mirabilia mundi* diceretur, animaduerteret, non tm̃ Italos æſtuare cupiditate imperialis dignitatis, à Germanis ad ſe trãsferẽdæ: ſed & inter ipſos Germanos, cum alias, tum. v. patre defuncto, inter Heinr. Bauar. alioſq; principes diſſenſiones exortas fuiſſe recordaretur: ipſe, qui prole maſcula careret, atq; Imperij maieſtatẽ apud Germanos perpetuo durare cuperet, ſuffragante ſummo pontif. Gregor. vtpote principe Saxonici ſanguinis, ex conſilio principũ Germaniæ ſanctionẽ tulit de Imperat. à Germanis procerib. deligendo: videlic. vt in futurum non per ſanguinis ſucceſſionẽ Imperij dignitas duceretur, ſed per Imperij officiales, vt vocãt, Imperat. deligeretur. Quo. v. concordia in electione ſeruaretur, nominati ſunt tres Germaniæ antiſtites, Eccleſiaſt. principes Imperij archicancellarij, Moguntin. vt rebus Germaniæ, Colonienſ. vt Italiæ, Treuirenſis, vt Galliæ præeſſent, inq; ijs officia ſua exercerẽt. His additi ſunt IV. ſeculares, q & ipſi munia ſua Cæſari exhibent: Saxon. Dux, vt archimarſchallus: Marchio Brandenb. vt camerarius: Palatinus Rheni, vt dapifer: Dux Bohem. vt pincerna Imperij eſſent. Penes hos ius & arbitriũ eligendi Regẽ eſſe voluit, ne quis (vt dixi) imperatoriã maieſt. ſibi veluti hæreditariam vendicaret. Et tempore Othon. hac ratione inſtitutionẽ electorum factã, autores tradidere pleriq;: vt Martin. Polonus archiepiſc. Conſentinus *in ſuis Chronic.* Leopold. de Babenberg *de iurib. regni & imperij, c. 2.* Rodolph. de Columna, *c. penul.* Alberic. de Roſate *in ſuo lexico*, in verbo *Electores.* Marſil. Patauin. *de translat. imperij, c. 11.* Cuſanus de Cõcordantia Cathol. *lib. 3. c. 4.* Antonin. *hiſtoria ſua par. 2. tit. 16. c. 4.* Blondus *Decad. 2. li. 3.* Platina *in vita Gregor. V.* Iacob. Bergomas *in ſupplemento Chron. li. 12.* Albert. Crantz *in Metropoli*, Naucler. *gener. 34.* Abbas Tritem. *in chron. Hirſaug. de Chunr. X. abbate*, Cuſpinian. *in vita Oth. III.* Hug. Mutius *de Germanor. prima origine, li. 15.* cum alijs recentiorib. compluribus. Nec quenquã, qui ante tempora noſtra de Electorum inſtitutione quicquã ſcripſerit, legere me memini, qui aliud prodiderit, quã temporib. Oth. inſtitutos fuiſſe, præter M. Iordan. & Theodor. Nyemum: quorum ille inſtitutionẽ eorum ad tempora Caroli Magni refert, vt videre eſt in eius Chron. hic. v. *in Nemoris ſui*, antehac nõ editi, ſed per me publicati, *c. 31.* ad tempora Cunr. Salici, dicens: *q̃ poſt obitum Heinr. ſancti principes Germaniæ ordinarint, vt in poſterum Roman. princeps eligeretur per tres Eccleſiaſticos, & tres laicos nationis Germanicæ: & in diſcordantib. per adiunctum ducem Bohemiæ.*

Otho III. Mirabilia mundi dictus.

Officiales Imperii Electores constituti.

Nyemi ſententia de inſtitutione Electorum.

In parte, quâ Labyrinthus ducitur.

Verum vt Iordanis ſententia, tanquã falſiſſima, refutatione minime eget. q̃ conſtet tempore Caroli imperium ꝑ ſucceſſionem, non electionem delatum fuiſſe: ſic Theodorici ſententia, cũ cæteris (meo iudicio) facile ad concordiam reducitur. Nam cum Henr. ſanctus deceſſurus, principibus atque proceribus imperij conſulentib. quem nam ſucceſſorum dignum imperio iudicaret: Cunradũ Salicum cæteris prætuliſſet, & Cuno dux Francor. vehementiſſime imperium ambiret, ita vt inter ſe electores diſſiderent; haud dubie quibuſdam viſum eſt, ſi Cunradus eligeretur, eam electionem magis ex voluntate & diſpoſitione Heinrici, quam liberis principum ſuffragijs fieri; ne itaq; cõtrario actu recens lata Othonis cõſtitutio aboleretur, & principib. præiudicium crearetur, decreuere Imperatorem non aliter niſi per imperij officiales eligendum, non q̃ noui quid ſtatuerent, ſed autoritate ſanctionis ſub Othone latæ cõfirmarent, & ſic vere prima electio Imperatoris per proceres imperij poſt deceſſum Heinr. II. accidit tempore Cunradi Salici. Nam etſi Heinricus ſanctus ab aliis ante citatis autorib. primus fuiſſe ſcribatur, qui per principes vigore ſanctionis ſub Othone factæ Imperator delectus fuerit; eius tamen electio non vſquequaq; ſecundum cõſtitutionem Othonianã, Nyemo facta fuiſſe viſa eſt, quod (vt ipſe ait) collateralis Othonis III. fuerit, & ſic magis ex ſucceſſione, quam electione exiſſe videatur. Id quod inde etiam apparet: quod Heriberto Colonienſi archiepiſcopo, inſignia regni tenente, Heinricus cæterorum votis in ſe inclinantibus, ea violenter ab ipſo extorſerit, quaſi ad ſe iure hæreditario pertinerent. His itaq; conſideratis, non vſquequaq; Nyemus à cęteris diſſentire videtur: imo in eadem ſententia cum alijs eſſe. Sed de his ſatis. Vnicum ſaltem adiicio annum, quo hoc decretum ab Othone factum ſit, ab autoribus certo non tradi. Blondus loco præallegato, factum eſſe ſcribit biennio ante mortem Othonis. Obijt autem, ſecundum Vrſpergenſis ſupputationem, anno milleſimo primo, v. Cal. Febr. qua ratione incideret hæc conſtitutio in annum 999. At Iacobus Bergomas eam factam ſcribit anno 994. Platina vero *in vita Gregorii V.* anno Chriſti M. ac I. promulgatam refert.

CAPVT

C A P V T II.

De Errore eorum, qui inſtitutionem Electorum ſoli Gregorio V. tribuunt.

COmmunis ſcriptorum ſententia de inſtitutione Electorum, vt præcedenti Capitulo oſtenſum eſt, in hoc reſidet: eam ſub Othone factam. Hæc vero accuratius perpenſa, in duas contrarias diuidi videtur. Alii ſiquidem authores, eam ab ipſo Othone Imperatore, pontifice ſuffragante: alii autem à Gregorio pontifice (nulla Imperatoris vel procerum Germaniæ mentione facta) factam ſcribunt. Etſi vero hæ ſententiæ diuiſæ, authoritate & numero ſcriptorum fere pares videri poſſint, ſeparatim tamen iis diligenter perpenſis, prior poſteriori veritate ac rationum firmitudine præualebit. Nam ne attingam ea quæ Nicol. Cuſanus *li. 3. c. 4. de Concordantia Cathol.* contra ſententiam exiſtimantium hanc inſtitutionem pontifice autore inſtitutam, erudite & vere diſputat: oſtendens eam communi conſenſu Alemannorum & aliorum, qui Imperio ſubiecti erant, non ſolius pontificis authoritate factam, licet ea acceſſerit: quomodo, ea quæ Blondus *li. 3. Decade 2.* ſcribit, cum aliorum ſcriptis conſentiunt? Ille namq; Gregorium quintum reſtitutum, acerrimam de accepta à Romanis iniuria vltionem ſumpſiſſe refert, facta de electione Imperatoris ſanctione: *Solis German. qui inde Electores dicantur, licere Imperatorem deligere.* At alii, qui eandem ſanctionem ſoli Gregorio tribuunt, eam conſentientibus Romanis ac vniuerſo clero factam tradunt: Iacobus Bergomas, & Abbas Tritemius. Sane ſi vindictæ animo ſanctio eſt lata, perexiguus Romanorum conſenſus fuit.

Deinde, qua ratione Blondus ſcribere potuit, hac ſanctione Gregorii quid iuris Romanis fuiſſe ademptum: cũ iam inde à tẽporib. Caroli Mag. nihil iuris in Imperiũ habuiſſent, eo in Carolũ eiuſq; ſucceſſores pleno iure translato? Idq; ita fuiſſe, non opus eſt longiore probatione. Refert ipſe Blõdus paulo ante hiſtoriã inſtitutionis Electorũ, Othone II. defuncto, atq; puero Othone III. relicto, non defuiſſe Romanos, atq; inter hos maxime Creſcentiũ Nomentanũ, qui contenderint, à Romanis, Italiſue reſumendum Imperium: ſed Germanos qui ſententiis aliquantulũ variabant, hac re cognita, Othoni III. Imperiũ detuliſſe. Quod ſi hæc diligentius ponderaſſet, vana iſta ſomnia de vindicta Gregorii, hiſtoriæ ſuæ non attexuiſſet. Nam dum Romanos imperium reſumere voluiſſe, idq; à Germanis Othoni delatum fuiſſe fatetur, nihil iuris penes Romanos fuiſſe oſtendit. Minime itaque veriſimilia à Blondo, eiuſq; ſequacibus, de autore inſtitutionis Electorum ſcribi apparet.

Adhæc, eius opinionis autores pleriq; tradidere: ſanctionẽ iſtam à Gregorio, ſynodo congregata factam. quod itaq; decretum de hac re nobis profertur? De aliis reb. minimis, nullaq; memoria dignis, decreta pontificum ſuo Decreto infarſit Gratianus: cur hoc ſuppreſſiſſet? Aut itaq; nulla de re tanta à Gregorio ſanctio eſt facta, aut ſcelerate eam Gratianus prætermiſit. Verum prius altero veriſimilius videtur, cum qui in minimis vſq; adeo diligens eſt, nec maiora neglecturum fuiſſe, merito præſumi debeat.

Sed quid hiſce leuiorib. immoror? Refellitur ſententia hæc, clara & irrefutabili authoritate Innocentii III *c. venerabilẽ. ext. de elect. & electi poteſt.* vbi ſcribens ad Bertholdũ Zaringiæ ducẽ, de poteſtate electorib. cõceſſa, ſic inter cætera ait: *verũ illis principib. ius & poteſtatẽ eligendi regem in Imperatorẽ poſtmodũ promouendũ, recognoſcimus (vt debemus) ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere, præſertim cũ ad eos & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, quæ Romanũ Imperium in perſonã magnifici Caroli, à Græcis tranſtulit in Germanos.* Hic pontifex autoritatẽ eligendi Imperatoris in Electores, nõ vi vel autoritate ſanctionis Gregorianæ translatam, ſed vigore translationis Imperii in Carolum factæ, ſcribit. Quod ſi Gregorius huius inſtitutionis autor fuiſſet, haud dubie tantam rem pontifex, qui alioqui ex muſca elephantẽ gignere cõſueuit, minime diſſimulaturus fuiſſet.

Vera itaq; ac firma eſt ſententia, volentium hanc inſtitutionẽ conſilio principum Germaniæ ab Othone factã, ſuffragante pontifice. quod & ipſe Tritemius *in ſuo Hirſaugenſi chronico* aliqua ex parte velle videtur, dum inquit: *Gregoriũ ſanxiſſe ſynodo congregata, Romanis conſentientib. & clero, Romanum imperium debere permanere apud Germanos, perpetuis futuris temporib. ita vt principes per Othonem deputati, habeant ius & poteſtatem eligendi Imperatorem.* Vides itaq; & Tritemium, quantumuis hanc ſanctionem pontifici tribuat, fateri tamen, principes ad tantam dignitatem ab Othone, non à pontifice deputatos.

Nec Platinam, quantumuis inſtitutionem ſeu ſanctionem hanc Gregorio pontifici tribuat, admodum à noſtra ſententia abeſſe videtur, dum de Gregorio ſcribit: Is (inquiens) *cognita Imperii imbecillitate, varietateq; fortunæ, quo diutius apud Germanos ſumma poteſtas remaneret, illeq; cæteris præeſſet qui virtute & dignitate cæteris præſtaret, ſanctionem retulit, haud abnuente Othone, de Imperatore deligendo, &c.*

C A P V T III.

De authoribus quibuſdam recentioribus, qui inſtitutionem Electorum minime temporibus Othonis, ſed longe poſt inductam eſſe arbitrantur.

QVæ præcedentibus Capitulis de ordinatione Electorũ dicta ſunt, ea ad ſummã propoſiti noſtri parũ facere videntur. Siue etenim à Greg. ſiue ab Othone ordinatio ea inducta fuerit, Electoribus in vtraq; partem originis ſuæ antiquitas conſtabit. Nos tamen cum alteram ſententiã alia veriorem iudicaremus, breuib. quam earũ probaremus, indicandum duximus. Nunc vero propius ad rẽ ipſam, ob quã hic labor ſuſceptus eſt, accedemus: ac recenſebimus eos authores, qui cõmuni ſententia tanquã falſa relicta, electorũ dignitatem longo tẽpore poſt Othonem cœpiſſe arbitrantur. Inter eos, primos fuiſſe inuenio: Iohannem Stabium, D. Maximiliani Cæſaris mathematicum & hiſtoricum, virum longe eruditiſſimum, & Comitem Nuenarium, vna cum Iacobo Spiegelio Seleſtadienſi; *Ioannes Stabius, Comes Nuenarius.*

enſi;

enſi: quorum hic in *Annotationibus ſuis ad Guntheri Ligurinum li.1.* enarrans locum, vbi deſcribitur conuentus principum, ad eligendum nouum regem defuncto Cunrado, ad verſiculos hoſce:

—orbaq; regni Teutonici ſedes, Cunradi morte vacabat:
Acturi ſacræ de ſucceſſore corona,
Conueniunt proceres, totius viſcera regni, &c.

Vides, inquit, *neque hic obſeruatam ſanctionis Gregorianæ formulam, de eligendo Imperatore latam à paucis principib. cuius Itali & plerique alii exteri ſcriptores meminere, more interim noſtrorum annalib. ſilentib. proinde vel cōmentum fuit Italorum, vt pleraq; alia: Ioan.* **Sabellicus.** *Stabius animaduertit, Nuenaris Comes recipit. vel, vt ego puto, non probata tunc à cæteris principib. Germaniæ, aut ſaltē non perpetua. Sed & Sabellicus, prudens & diligens ſcriptor, fatetur ſe parum compertum habere, fuerint ne tunc primū creati, qui Imperatorem eligerent: an poſtea res inducta ſit. diſſentit à nobis Munſterus.* Ex quib. verbis Spiegelii liquido apparet, cum alios citatos, tum vero ipſum, ideo à communi opinione receſſiſſe, quod non ſeptē Electores ad diligendum nouum Imperatorem, ſed plures conueniſſe, apud authores inuenerint.

Ioannes Auentinus. Horum ſententiæ proxime acceſſit Ioannes Auentinus, vir ſolidæ eruditionis, & rerum antiquarum indagator ſagaciſſimus: qui *li.5. Annaliū Boiorum. fo.505.* morte Othonis tertii cōmemorata, de ſeptē virorū inſtitutione ſcribit in hæc verba: *De ſeptemuiris & primariis Heptarchis, qui ſibi deligendi Imperatoris Romani, Germaniciq; partes nunc ſumunt, nihil penitus, ne verbo quidē vno, neq; Hermannus, neq; Romerius, neq; Sigebertus, neq; Otho noſter, Guntherusue poeta, & cæteri quiq; proximi horū temporum grauiſſimi diligentiſſimiq; ſcriptores vllā mētionem faciunt: profecto non omiſſuri tantam rem, ſi, vti noſtro ſeculo ſunt, illa tēpeſtate principes illi, conſtituendi Cæſaris legem ac prærogatiuā accepiſſent. Res aliter eſt, nempe longo poſt tēpore inſtituta. filios ſemper parentib. proximos ſanguine & affinitate in demortuorum locum ſucceſſiſſe, ab omnib. communiter ducib. dynaſtis, ſatrapis, epiſcopis, præſulib, ciuib. populo Italiæ, Galliæ, Germaniæ, deſignatum eſſe rectorem: vſus tum rerum magiſter indicat. Ego illos demum poſt fata Friderici ſecundi inſtitutos, & à Gregorio X. pontifice max. confirmatos eſſe, compertum habeo.*

Onuphrius Panuinius. Poſt Auentini annales editos, Onuphrius Panuinius, Auguſtinianæ ſectæ frater, citra cōtrouerſiā monachorū qui longo tēpore vixere, antiquitatis peritiſſimus, vt huius rei veritatē erueret, propriū librum *de Comitiis Imperatoriis* ſcribendū ſuſcepit. In quo primū, rationib. in medium adductis, receptā de inſtitutione Electorū ſententiam cōuellere: deinde veterū grauiſſimorū authorū teſtimoniis hinc inde accumulatis, oſtendere nititur, eandē à temporib. Othonis III. vſq; ad tempora Frider. II. fuiſſe creandi Cæſaris formā, quæ ante ipſum ab obitu vſq; Ludouici IV. filii Imperatoris Arnulphi, ſeruata fuiſſet: nimirū, vt rex German. vel Imperator, ab omnib. ſaltem regni Germanici principib. tam Eccleſiaſticis quā ſecularib. qui ideo *Imperii Principes* appellabantur, eligeretur: in eam tandem concedens ſententiā, vt cū Auentino ſtatuat, hanc inſtitutionem exortam fuiſſe ſub Greg. X. Placentino, circa tempora comitiorū, quib. poſt longum Imperii interregnum Rodolphus Habſpurgicus rex appellatus fuit, à cuius rationib. & argumentis recēſendis ideo abſtineo, quod ſingula ſeparatim excutere, & ad ea ſimili ratione reſpondere cōſtituerim. Nec plures eius ſententiæ ſectatores nomino, quod nullius ſcripta, præterquam vnius viri doctrina & antiquitatis cognitione ſuſcipiendi, me legere contigerit, qui nouam hanc ſententiam amplexus fuerit, eiq; quid, non viſum vel cogitatum à Panuinio, addiderit. Tanto hic in huius rei inueſtigatione ſtudio atq; labore verſatus eſt. Quare eius rationibus refutatis, aliis quoq; ſatis factum fore ſpero.

CAPVT IV.

Rationes & Argumenta, quibus contra autorum, qui præcedenti Capitè memorati fuere, ſententiam oſtenditur, certos Electores non tantum ante tempora Rodulphi, ſed & ante tempora Friderici fuiſſe.

CVm ergo communis authorum ſententia de inſtitutione Electorū non tantum in dubiū reuocetur, ſed & argumētis & rationib. vndiq; cōquiſitis & coaceruatis impugnetur, ordo ac rei neceſſitas exigere videtur, vt antequā ad contrarias ſentētias & rationes deſcendamus, ſentētiā noſtrā certis quibuſdā rationib, ac argumentis muniamus, deinceps ad aduerſariorū ſententiam impugnādam refutandāq; procedamus. Id itaq; facturi, aduerſariorū ſententiā, exiſtimantiū vſq; poſt tēpora Friderici reges vel Imperatores ab vniuerſis German. proceribus eligi ſolitos, & Electores principib. poſt tempora Friderici ſecundi, idq; quidem tempore Rudolphi Habſpurgici inſtitutos, falſam, ac à veritate hiſtorica penitus alienam eſſe cenſemus: quin imo multo ante tempora Friderici (Deo dante) fuiſſe Electores, oſtendemus.

Quia vero præcipuas atq; grauiſſimas ſentētiæ noſtræ rationes, ex memorabili atq; decantata illa epiſtola decretali Innocentii tertii, incipiente, *Venerabilē, ext. de Elect. & electi poteſt.* deſumemus, quæ à Canoniſtis (vt vocantur) materiæ Electorū tanquā propria ſedes eſt deſtinata, vt aliis materiis aliæ ſedes. Ideo operæ preciū cenſemus illā decretalē hic præmittere, vt quilibet lector ea ob oculos poſita, videat quā verbis ipſius atq; ſentētiæ cōſona ſint ea, quæ inde tanquā ex pharetra quadā munimina ſententiæ noſtræ, depromemus. Cum autem Magiſt. Pet. Beneuentanus, ſubdiaconus Innocentii, decretalē iſtā famoſiſſimā (vt canoniſtæ loquuntur) *in compilatione Decretal.* v. vt & alias pleraſq; mutilarit, & eam nobis vir eruditione ac pietate clariſſimus Amandus Porgielſerus I. V. Doct. olim in Italia ſtudiorum noſtrorū conſors ſuauiſſimus, nunc celebratiſſimi iudicii Cameræ Imperialis aſſeſſor, ante triennium integrā cōmunicarit, eam ita hic ſubiungemus, non tantum hac de cauſa quā diximus, ſed & quo cum inter illas decretales referatur (teſte Alberico de Roſate *in ſuo Dictionario,* in verbis *Electio imperatoris*) in quibus pontifices falcem in alienam meſſem miſerunt, hi qui eam ſua explicatione aliquando pro Imperii maieſtate ornandam duxerint, ea integra in ſuis meditationibus iuuari queant, verba eius hæc ſunt.

Inno-

Innocentius III. Pontifex, Bertholdo Zaringiæ duci.

VEntrabilem fratrem noſtrum Salzburgenſem archiepiſcopum, & dilectum fratrem abbatem de Salamona, & notabilem virum marchionem Orientalem, quorundam principum nuncios ad ſedem Apoſtolicam deſtinatos benigne recepimus, & eis beneuolam duximus audientiam indulgendam: literas quoque quas per eos quidam nobis principes deſtinarunt, diligenter perlegi fecimus, & quæ continebantur in eis notauimus vniuerſa. Inter cætera vero quæ dicti principes per eaſdem nobis literas intimarunt, hac præcipue obiectione vſi ſunt, dicentes: quod venerabilis frater noſter Præneſtinus epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, aut Electoris geſſit, aut cognitoris perſonam. Si electoris, in meſſem alienam miſerit falcem ſuam: & electioni ſe ingerens, principum derogauerit dignitati. Si cognitoris, abſente altera partium videtur perperam proceſſiſſe, cum ea citata non fuerit, & ideo non debuit contumax iudicari.

Verum nos, qui ſecundum Apoſtolicum ſollicitudinis officium ſumus ſingulis in iuſticia debitores: ſicut iuſticiam noſtram nolumus ab aliis vſurpari, ſic ius principum nobis nolumus vendicare. Verum illis principibus ius & poteſtatem eligendi Regem & Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus (vt debemus) Ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere. præſertim cum ad eos & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, quæ Romanum Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & principes recognoſcere debent, & vtiq; recognoſcunt, ſicut idē in noſtra recognouere præſentia, quod ius & authoritas examinandi perſonam electam in regem, & promouendam ad Imperium, ad nos ſpectat, qui eam inungimus, conſecramus & coronamus. Eſt enim regulariter & generaliter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim ſi principes non ſolum in diſcordia, ſed etiam in concordia, ſacrilegum quemcunq;, vel excommunicatum, tyrannum vel fatuum, hæreticumue in regem eligerent, aut paganum, nos inungere, conſecrare, ac coronare hominem huiuſmodi deberemus? Abſit omnino.

Obiectioni ergo principum reſpondentes, aſſerimus: quod legatus noſter epiſcopus Præneſtinus, approbando in Chriſto filium noſtrum regem Othonem, & reprobando Philippū ducem Sueuiæ, nec Electoris geſſit perſonam, iuxta quod nobis per literas ſuas quidā principū exponebant: vtpote qui nec fecit aliquē eligi, nec elegit: & ſic electioni ſe nunquā ingeſſit, nec cognitoris perſonā exhibuit, cum neutrius electionem (quo ad factū eligentiū) confirmandā duxerit, aut infirmandam: & ſic ius principū nullatenus vſurpauit, aut venit contra illud. exercuit autem denunciatoris officiū, quia perſonā ducis eiuſdem denunciauit indignā, & perſonā ipſius regis denunciauit idoneā, quo ad imperiū obtinendū, non tam propter ſtudia eligentium, quam propter merita Electorum: quamuis plures ex illis qui eligendi regem in Imperatorē promouendū, de iure ac conſuetudine obtinent poteſtatem, conſenſiſſe perhibeantur in ipſum regē Othonem. & ex eo quod fautores Philippi, abſentib. aliis & contēptis, ipſum eligere præſumpſerunt, pateat eos perperā proceſſiſſe: cū exploratiſit iuris, quod electioni plus contemptus vnius, quam contradictio multorū obſiſtat. Vnde priuilegiū meruerunt amittere, qui permiſſa ſibi abuſi ſunt poteſtate: quia huiuſmodi iniuria non obſtante, cæteri vti poterant iure ſuo. Et quoniā dux prædictus, nec vbi debuit, nec à quo debuit coronatus vnctionē accepit. memoratus vero rex & vbi debuit, videlicet Aquiſgrani: & à quo debuit, ſcil. à venerabili fratre noſtro Colonienſi epiſcopo, recepit vtrūq;. Nos ergo nō Philippū, ſed Othonē, reputamus & nominamus regem, iuſticia exigente. In reprobatione priuata, Philippi ducis Sueuiæ, propter manifeſta impedimenta perſonæ, nō accuſatione, ſed condemnatione potius fuit opus: quia non accuſatione, ſed condemnatione indigent manifeſta. Quando autē vota principū in electione diuiduntur poſt admonitionē & expectationē, alteri partium fauere poſſumus, & maxime poſtquā à nobis vnctio & cōſecratio & coronatio poſtulatur, ſicut vtraq; pars a nobis multoties poſtulauit, ex iure patet pariter & exemplo. Nunquid enim, cum principes admoniti & expectati, vel non potuerunt, vel noluerunt in vnum propoſitum conſentire: ſedes Apoſtolica aduocato & defenſore carebit? eorumq; culpa ipſi redundabit in pœnam? Sciunt autem principes & tua nobilitas non ignorat, quod cum Lotharius & Conradus in diſcordia fuiſſent electi, Romanus pontifex Lotharium coronauit, & imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tum demum ad eius gratiam redeunte. Nos ergo per nuncios principum memoratos, eos duximus cōmonendos: vt quemadmodum nos à iuribus ipſorum ceſſamus, ſic ipſi contra ius noſtrum ſe nequaquam iniurioſos oſtendant: ſed a præfato duce, iuſto quidem iudicio reprobato, recedant, & præfato regi Othoni non abnuant adhærere: niſi tum demū, cum contra perſonam eius, vel factum, legitimum aliquid obiectum fuerit, & oſtenſum. Sunt n. notoria impedimenta ducis Sueuiæ, ſcil. excommunicatio publica, periurium manifeſtum, & perſecutio diuulgata, quā progenitores eius & ipſe præſumpſerunt in Apoſtolicā ſedem & alias Eccleſias exercere. fuit .n. à bonæ memoriæ Celeſtino papa prædeceſſore noſtro, propter inuaſionem & deuaſtationē patrimonii beati Petri, cōmonitione ſæpius præmiſſa, publice & ſolenniter vinculo excōmunicationis innodatus, cum in Tuſcia moraretur, quod ipſe poſtmodum recognouit, dum per nuncium ſuum ab ipſo prædeceſſore noſtro abſolutionis beneficiū poſtulauit: & poſtquam à Sutrino epiſcopo, quem cum abbate ſancti Anaſtaſii pro liberatione venerabilis fratris noſtri, Salernitani archiepiſcopi nos in Teutoniā miſeramus, contra formam mandati noſtri, de facto ſolummodo, quia de iure non potuit, poſt ſuam electionem apud Vuormatiā occulte ſe fecit abſolui. Vnde patet, quod excommunicatus, fuit electus: & videtur nō immerito, quod adhuc excommunicationis ſententia ſit innodatus, cū prædictus epiſcopus eum authoritate ſua non poſſet abſoluere, authoritate vero noſtræ legationis nec plus nec aliter hoc licuit ipſi, quam quādo ei fuerat ab Apoſtolicā ſede conceſſum. Ex eo .n. excōmunicationis ſententiæ ſubiacere creditur manifeſte, quod cum perfidus Marquardus Dei & Eccleſiæ inimicus, cū vniuerſis fautorib. tā de Teutonicis, quā de Latinis excōmunicationis vulgatæ vinculis, ſuæ iniquitatis meritis aſtrictus, ſicut etiā nobis per literas noſtras, directas per Petrū iudicē Placētinū, ipſius Philippi nunciū, intimaſſe meminimus, quas ad ipſius Philippi audientiā credimus perueniſſe, ipſe nihilominus, quamuis id non tantū ex relatione ipſius iudicis, ſed & per publicā famā ad notitiā eius deue-

I. Impedimentum, Excommunicatio. Epiſcopus Sutrinus natione Teutonicus Philippum abſoluit, vnde à Papa deponitur. Vſperg. & Nauclerus gen. 40

Hic Marquardus cognominato Annuyler, ab Henrico Dux Rauennæ & Marchio Anconitanus conſtitutus, eo defuncto tutorem quidem Friderici ſe profeſſus, re autem ipſa viam ad regnum occupandū affectans:

hoſtis regni ab Innocentio tertio, & Conſtātia matre Friderici eſt indicatus. De quo Collenutius in hiſtoria Neapol. in vita Friderici, ſtatim ſub initium.

deuenerit, eidem excommunicato non ſolum communicat, ſed eum in malitia ſua fouet, & per nuncios & literas ſuas exacuit furorem ipſius, vt chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Federicum Regem Siciliæ, illuſtrem nepotem eius, quem iam hæreditate paterna priuauit, adhuc priuet poſſeſſione materna. Idem etiam contra proprium iuramentum, ſuper quo nec conſilium à ſede Apoſtolica requiſiuit, ambitionis vitio, regnum ſibi vſurpare præſumpſit, non alium cauſa neceſſitatis in regem eligere, quod vtrumque tolerabilius videtur, cum ſuper illo iuramento ſedes Apoſtolica prius conſuli debuiſſet, ſicut & eam quidam conſuluere prudenter, apud quam ex inſtitutione diuina plenitudo reſidet poteſtatis.

II. Periurium manifeſtum.

III. Impedimentum. Perſecutio Eccleſiæ.

Nec valet ad plenam excuſationem ipſius, ſi iuramentum illud dicatur illicitum: cum nihilominus ſuper eo nos conſulere debuiſſet, quam contra ipſum propria temeritate venire, illo præſertim exemplo: quod cum Gabaonitæ à filiis Iſrael per fraudem ſurripuerunt iuramentum, cognita fraude, noluerunt contra illud ſua temeritate venire. Vtrum vero dictum iuramentum licitum ſit, an illicitum, & ideo ſeruandum an non ſeruandum extiterit, nemo ſanæ mentis ignorat, ad noſtrum iudicium pertinere. Quod autem Philippus de genere perſecutorum extitit, principes non credimus dubitare: cum Henricus, qui primo de genere hoc Imperium accepit, bonæ memoriæ Paſchalem Papam prædeceſſorem noſtrum, cum Epiſcopis & Cardinalibus multis Romanorum præſumpſit captiuare. Fridericus vero pater ipſius Philippi, contra felicis recordationis Alexandrum Papam, prædeceſſorem noſtrum, longo tempore ſchiſma fouit: Heinricus frater ipſius Philippi, qualiter ſe habuerit circa interfectores ſanctæ memoriæ Leodienſis epiſcopi, quem ipſe prius coegerat exulare, Cunradum, qui Hoſtienſem Epiſcopum ceperat, ſatis noſtis, qui & qualiter venerabilem fratrem noſtrum Auximonenſem alapis cædi fecerit, & pilos de barba eius auelli, & tractari eum in pluribus inhoneſte. qualiter quoq; quoſdam Romanæ eccleſiæ familiares naſo fecerit mutilari, qualiter prædictum Salernitanum Archiepiſcopum captiuauit, & quoſdam viros Eccleſiaſticos flammis torreri fecit, quoſdam vero in mari ſubmergi, ad tuam & aliorum Principum audientiam credimus perueniſſe. Inſuper ſi prædictus Dux (quod abſit) Imperium obtineret, libertas in electione periret, & Imperij obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur. Nam ſi, prout olim Fridericus Cunrado, vel Heinricus poſtmodum Friderico, ſic nunc Fridericus Philippo, vel Philippus Heinrico ſuccederet: videretur imperium non electione, ſed ſucceſſione deberi, præſertim cum multi principum ex Imperio æque ſint nobiles & potentes, in eorum præiudicium redundaret, etſi non niſi de domo ducum Sueuiæ videretur aliquis ad Imperium aſſumendus. Cum ergo nos flecti à noſtro propoſito nulla penitus occaſione poſſimus, ſed in eo potius firmiſſime perſiſtamus, & tu nobis ſæpe per literas tuas duxeris ſuggerendum, vt eidem duci nullatenus fauceremus: nos te monemus & exhortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſicut de gratia noſtra confidis, & nos de tua deuotione ſperamus, de cætero à præfato duce recedas: omnino non obſtante iuramento, ſi quod ei ratione regni feciſti, cum (eo quantum ad obtinendum Imperium reprobato) iuramentum huiuſmodi non debeat obſeruari. Prædicto vero regi Othoni, quem nos (diſponente Domino) ad coronam imperij diſponimus euocare, patenter adhæreas, & potenter, vt cum ei ad monitionem noſtram adhæſeris, inter primos gratiam & beneuolentiam eius obtinere præcipue merearis, ad quod pro tua nobilitatis amore operam dabimus efficacem.

Imperium electione, non ſucceſſione cōſtat.

Sic itaque hac Decretali præmiſſa, nihil vel de occaſione vel authore eius, vel principe ad quem ſcripta eſt, dicendum nobis arbitramur: quod qui hæc ſcire velit, ea ab hiſtoricis, maxime vero Vrſpergenſe petere poſſit. hoc ſaltem monemus, eam ſcriptam eſſe circiter annum Domini milleſimum ducenteſimum, decem annis ante quam Fridericus iunior ad Imperium peruenit, ſecundum ſupputationem Vrſpergenſis: quo recte notato, quilibet facillime perſpiciet, ante tempora Friderici ius eligendi non penes vniuerſos, ſed certos quoſdam principes Germaniæ fuiſſe. Ita ſiquidem pontifex dicit: *verum illis principibus ius & poteſtatem eligendi regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum, recognoſcimus, vt debemus, ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere.*

Recte ſingula hæc verba ponderentur, & ea firmamenta immobilia noſtræ ſententiæ eſſe perſpicientur. Initio ſiquidem, dum dicit, *illis principibus*: non vult omnes vel vniuerſos intelligi. & dum adiicit, *ad quos*. orationem ad certos quoſdam, & ſpeciales reſtringit. Id quod communis dicendi conſuetudo docet, & Iureconſulti de relatiui natura reſtrictiua tradidere, in *l. ea tamē adiectio. de legat. 3. l. à filio. §. teſtator. §. ſeq. de alim. leg. l. nam quod liquido. §. fin. de penu leg. c. fin. de cler. non reſid.* Bart. & Dd. in *l. omnes populi. de iuſtitia & iure.* Bald. in *l. præcipimus. in prin. C. de appellat.* Aretinus in *§. ius autem ciuile. Inſtit. de iur. nat. gen.* Iaſon. *§. omnium. num. 24. Inſtit. de act.* Cardin. *Clem. 2. in princi. de ſtatu monachorum. & Clem. 1. quæſt. 9. col. 4. de foro compet.* Abbas *c. ego de iureiur.* Alexan. *conſil. 46. col. 2. vol. 1. & conſil. 207. col. 2. vol. 3.* Socinus *conſil. 188. viſa bulla Pauli, col. 3. verſic. ex quibus videtur inferri,* Aretinus *l. ſi quis duobus. C. de impub. ſubſtit.* Dd. & Iaſon in *l. cunctos populos. C. de ſumma trinit.* Ac vt in hoc §. numerum Electorum ad certos coarctat, ſic quoque paulo poſt in *§. obiectioni, verſic. exercuit,* vbi dicit, *Quamuis plures ex illis qui eligendi regem, in Imperatorem promouendum, de iure ac conſuetudine obtinent poteſtatem.*

Relatiuum quam reſtrictiuum.

Geminata verba.

Nec exiſtimandum, quod ſine cauſa Innocentius hanc reſtrictionem geminarit: ſed ſingulari emphaſi bis eam inſeruit, vt oſtenderet non vniuerſis, ſed certis eligendi ius competere. Verba ſiquidem geminata ſemper quid energiæ maioris, quam ſimpliciter & ſemel prolata, habent, & augmentum operari conſueuere. Iureconſulti dixerunt in *l. baliſta. ff. ad Trebel. l. ſi mulier. C. ad Velleian. l. generali. §. non ſolum. ff. de vſufruct. leg.* notatur per Gloſſ. magnam ad fin. in *l. 4. §. quæſitum. ff. ſi quis cautionibus.* De quo latius per Romanum in *l. ſi vero. §. de viro. in 12. charta. ff. ſolut. mat.* Similibus quoq; reſtrictius ac pene iiſdem Innocentius quartus, in ſua decretali, qua Fridericum ſecundum, anno poſt decretalem Innocentii tertii editam, plus quam quadrageſimo, anathemate notat, circa

finem

finem vtitur dicens: *illi autem, ad quos in eodem imperio, Imperatoris ſpectat electio, eligant libere ſucceſſorem.*

Ex quibus denuo quilibet conijcere poteſt, pontifices tam ſollicite verbis limitatiuis vel reſtrictiuis (vt vocant) vſuros minime fuiſſe, ſi (quod Onuphrius exiſtimat) ius eligendi Imperatorem ęquè ad omnes ſpectaſſet; nec certi quidã fuiſſent, qui præ cæteris hanc præeminentiã habuiſſent. Quare etiam gloſſa ibidē rectè hos principes qui nunc Electores ſunt, eorum nominib. expreſſis ibi intelligi tradidit. Quinetiã ad confirmationē præcedentium, videl. quod hæc verba (*Ad quos de iure & antiqua conſuetudine.*) ſint reſtrictiua, ac intelligenda de ſeptem Electorib. facit conſtitutio celebratiſſimi acerrimiq; iuriũ Imperii propugnatoris Ludouici Bauari, relata, & de verbo ad verbum poſita apud Albericũ de Roſate *l. bene a Zenone. C. de quadriennii praſcript.* vbi iiſdem verbis vtitur. cum tamen certo certius ſit, eo tempore Electores fuiſſe. Verba conſtitutionis antea cum *Anapriden* mea impreſſæ ſic habent.

Licet iura vtriuſq; Teſtamenti manifeſte declarent, Imperialē dignitatē & poteſtatem immediate in filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, & Deũ per Imperatorem & reges mundi iura humano generi aperte tribuiſſe, & quod Imperator ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione. & in Decreto edito aduerſus papæ Ioh. 22. bullam: quod extat apud Naucleũ *generatione 45. in ſecunda obiectione*, ſimiliter inquit: *per ſuos proceſſus caſſauit ac annullauit electionem de nobis factam, & nos poſtea non potuiſſe adminiſtrare iura Imperii, ſed q; adminiſtratio pertinebat ad ipſum, quia omnia ſunt contra iura Imperii, & contra iura ac libertates eorum, ad quos vacāte Imperio pertinet electio, & contra iura & libertates principum Alemanniæ, & ſubditorũ Imperii, &c.* An non iiſdem verbis, quib. Innocentius III. & IV. vſi fuere, & Imperator Ludou. IV. eo tempore vtitur, cũ iam certũ fuit Electores eſſe? Cum ergo hæc verba in Conſtitutione Ludou. ad certos referantur, quare & in Decretalibus pontificum referri non debebunt? Non eſt ſiquidem nouum, vt priores leges ad poſteriores trahantur, & econtra. *l. non eſt nouum, cum legibus ſequentibus. ff. de legib. & Senatuſcon.*

Secundo & hoc notetur, quod pontifex ad Bertholdum Zaringiæ ſcribat, qui & ipſe princeps Imperii fuit, iſq; non minimus: ſed tantæ authoritatis atq; potentiæ, vt rex Romanorum electus fuerit, licet poſtea Philippo ceſſerit. Si itaq; penes omnes ac vniuerſos ius eligendi fuiſſet, ratio loquendi ac proprietas ſermonis poſtulaſſet, eum æque numero eorũ includi, ac alios, per hæc vel ſimilia verba: *verum vobis principibus, &c. recognoſcimus.* nunc autem per hæc verba, *illis principib. ad quos*: magis excludi quam includi videtur. Nec ſolum id ex iſtis verbis quæ allegauimus, ſed & aliis omnibus quæ agunt de Principib. iure eligendi inſignitis apparet. ita namq; concepta ſunt, vt neutiquam Bertholdum Ducem comprehendant. Vulgaris vero Iureconſultorum regula eſt: vnius incluſionem eſſe alterius excluſionem, & econtra. *l. cum prætor. ff. de iudiciis. l. cum ita. ff. de condit. & dem. l. Pomponius. §. ſed etſi is. ff. de procurat. l. maritus. C. de procur. l. quod Labeo. ff. de compenſ. l. cum de lanionis. §. cui fundum. ff. de fundo inſtruct. & c. qualis. 25. diſt.*

Tertio, hiſce accedit authoritas Friderici Ænobarbi, qui apud Radeuicũ li. 3. c. 16. German. epiſc. eũ cōmonentibus, vt debitam reuerentiã pontifici exhiberet, ita reſpondit: *Debitã patri noſtro reuerentiã libenter exhibemus, liberã Imperii noſtri coronã diuino tantũ beneficio aſcribimus: electionis primam vocē Mogunt. archiepiſ. deinde q; ſupereſt cæteris ſecundũ ordinem principib. recognoſcimus: regalē vnctionē Colon. ſupremã vero, quæ Imperialis eſt, ſummo pontifici. quidquid præter hæc eſt, ex abũdanti eſt, à malo eſt.* Hic expreſſe etiã apparet, ius eligendi nō vniuerſis, ſed certis quibuſdã deferri: Moguntino ſcil. & cæteris ſecundũ ordinē. Quæ vero vis particulæ *Cæteri*, ſit, non eſt obſcurũ. nam Grammatici quidē, teſte Linacro *li. 1. de ſtructura Latini ſermonis*, tradidere, eã, vt & vocem *Alter, Alius & Reliquus*, eſſe è numero dictionũ partitiuarũ, quæ aliquos ex multis ſignificet. Iuris vero interpretes tradidere, eã eſſe repetitiuã ſimilium: id eſt appellatione Cæterorũ venire ea quæ ſunt ſimilia expreſſis. Gloſſa in *l. non ſolum. §. cæterum.* in verbo *Cæteros*, & ibi Bart. *ff. de procurat.* Gloſſ. in *l. ſi fugitiui. C. de ſeruis fugitiuis. & in c. deinde. 26. diſtinction.* Bartholomæus Socinus in *l. 1. ff. quis & a quo appelletur*, Iaſon in *l. quæcunq;. n. 27. de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio.* Cæteri dictio

Quarto adiungo præcedentib. teſtimonium Iacobi de Aridizone, vetuſtiſſimi feudiſtæ, ac Iurecōſulti clariſſimi, qui ſe Azonis diſcipulũ fuiſſe ipſemet fatetur: & vt ex ipſius tepris apparet, Frider. ſecundi tempora attigit. Hic in ſua *Summa feudali, ſub finem tituli de Succeſſione feudali. quæſt. 30. An Imperator poſſit tranſmittere Imperium ad heredes*, etiam expreſſe ac clare dicit: quod *quidam principes* (non vniuerſi, vel omnes) *Imperatorem eligant.* Quia autem tota quæſtio iſta à noſtro propoſito non eſt vſq; adeo aliena, totum locum aſcribere libet. Iacobus de Aridizone Azonis diſcipulus.

Item Imperator non tranſmittit Imperiũ ad heredes per ſucceſſionem: quia defertur electione, & non ſucceſſione. vt in tit. ext. de electione & elect. poteſt. c. venerabilē. §. inſuper ſi prædictus. & in tit. ext. de pact. c. accepimus. Et à Deo hominib. mittitur, vt C. de veteri iur. enucle. l. 2. quia vero imperialē. & in l. 1. in princ. in auth. de fide inſtr. §. 2. in auth. conſtit. quæ de digni. §. penult. in fi. in auth. In medio litis nō fieri ſac. inſ. §. 1. in auth. de conſulib. in fi. Et ab ipſo imperialis corona imponitur. Vt in auth. de moderatione Helleſponti. §. hāc. Et dicitur Imperialis fortuna, in auth. de conſulib. in fi. C. de iur. veter. enu. l. 2. §. quia vero imperialē. Imperiũ tamē ſemper dicitur eſſe: vt in auth. quomodo opor. epiſc. §. q; igitur. Et in numero ſenatorũ cōnumeratur, vt C. de digni. l. ſtis ſenatorũ: quia ſenatores ſunt pars corporis principis, vt C. ad l. Iul. maieſt. l. quiſquis. in pr. Et iure Imper. nō vtitur, niſi ſuſceperit infulã Imperialē. C. de quadrien. præſ. l. vlt. in fi. in auth. de cōſulib. in fi. quæ à Deo imponitur, vt in auth. de moderatione Helleſponti. §. hanc. Vnde videtur, q; ad poſteros heredes nō tranſmittat. argum. C. de aduo. diuer. iud. l. petitionem. Nam & epiſcopus eligitur: in authen. de ſanctiſ

epiſco.

epiſcopis.§.1.2.& 3.& omnis dignitas & officium, vt ff. de decre. ab ordi.fac.l.1.& vt notatis in ſumma,C. de decurio.§.ſexto. Nam & præſes creatur ab ordine,& in ordine eorum remanet, vt ff.quando ap.ſit.l.1. §.ſolent.in fin. Et ita poteſt dici de principe,vt eligatur à ſenatu,& arg.C.de offi.præfec.l.2,vt hodie à principibus eliguntur vel ſuffragio populi,vt in Inſtitu.de iur. nat. §.ſed quod princip. argumen. ff. de offi. quæſto.l.1 Sed videtur quod ipſe princeps potuerit olim ſibi eligere ſucceſſorem,vt in Decretis diſtin. 63.c. in ſynodo congregata. & in decret. 23. diſtin. in nomine Domini, in medio. Sed hodie quidem principes eligunt Imperatorem, qui poteſt.item eligendi ab Apoſtolica ſede acceperunt: ſed examinatio,promotio, vnctio, conſecratio.coronatio,& manus impoſitio,ad dominum Papam ſpectant: vt in tit. ext.de elect. & elect.poteſt.c. venerabilem.§.1.& 2. Vnde & dominus Papa ex cauſa poterit ipſum deponere: vt in authen. de defen. ciui.§. non habente.vt in tit,de ſac. & for. fide. c. fidelitatis. & c. alius item Romanus. & argu.ff.de reg.iur.l. eius eſt nolle.argum. C.de off.præfect.præt.l.ſi quos.in authen.de mand.prin.§.feſtinabis,in Lombard.de off. iud. l.fin. Quod ſucceſſione deferatur, eſt argu. C.de ſun.patri l.hi quibus. in Inſtitu. de dona.§ ſed primus quidem.in auth.vt defun.ſeu fune.§.ſi vero etiam quodam. Nam & Imperator Carolus fuit pater Pipini Imperatoris: Pipinus Imperator fuit pater alterius Caroli Imperatoris, & iſte Carolus fuit pater Ludouici Imperatoris,& Ludouicus fuit pater Lotharii Imperatoris, vt in Lombar.de fur. l.ſi cuiuslibet.& tit.de epiſcopis & cler. l. & hoc. & l. vt ibi tempore. & de capitulis pro lege tenendis, l. prima. Nam & Imperator Fridericus videtur innuere in titulo, de pace Conſtantia. in §.in ciuitate illa,in fin.§.quod poteſt concedere regnum eius filio Henrico,& quod eius filia in regno eidem ſuccedat, ſicut & de facto: & iſte nunc Fridericus Rogerius Imperator, fuit filius Henrici. Sed tu dicas, quod hoc contingit potius electione principum, quam ſucceſſione.

Quid clarius dici potuiſſet pro ſententia noſtra, quam certis principibus, non vniuerſis, ius eligendi etiam ante tempora Friderici ſecundi competiiſſe, quam hic ab Ardizonio dictum eſt? Ne vero quis hunc locum corruptum à quoquam putet, hic idem, iiſdem verbis relatus extat apud Baldum de Vbaldis, *de pace Conſtantia*, in verbis, *Quis autem eliget.n.* 46. quem, qui volet, cum hoc Iacobi de Ardizone conferre poterit. & rurſus apud eundem *in commentario de pace Conſtantia, in §. in ciuitate*, in verbo *conceſſerimus*, per tot.

Quinto, quod ius eligendi Imperatoris non ſaltem penes certos ac peculiares principes, ſed & hoſce qui hodierno die eo vtuntur, ante tempora Friderici II. fuerit: autor eſt omni exceptione maior Hoſtienſis Cardinalis, qui tempore Innocentii IV. pontificis (à quo Fridericus ſecundus excommunicatus & Imperio priuatus eſt) non tantum vixit: ſed & ei, vt & Alexandro IV. eius ſucceſſori, ob eximiam eruditionem perquam gratus & familiaris fuit. Hic namq; in commentariis ſuis, quæ, teſte Matheſilano, *in tracta, de ſucceſſion. ab inteſtato*, permagnæ ſunt authoritatis inter Iureconſultos. expoſiturus præallegatæ decretalis *Venerabiles.* §. qui incipit, *Verum*, in verbo *Illis*, ſeptem Electores enumerat his verbis: *illis* (inquiens) *ſcilicet Moguntino, Colonienſi, Treuerenſi archiepiſcopis, Comiti Rheni, duci Saxoniæ, Marchioni Brandenburgenſi, & ſeptimus eſt dux Bohemiæ, qui modo eſt rex. Sed iſte ſecundum quoſdam non eſt neceſſarius, niſi quando alii diſcordant: nec iſtud ius habuit ab antiquo, ſed de facto hodie tenet.* Quid his verbis clarius dici poſſet? quæ ſola oſtendunt Onuphrii ſententiam falſam eſſe. An vero Hoſtienſis, qui ſub Friderico II. vixit, diuinare potuit futura ſub Rodulpho? Minime gentium. neque etenim quiſquam futura diuinare poteſt, vt noſtri loquuntur. *l.ſi fideiuſſ. §.ſi cum debitor.l.ſi putator. in fine.ff.ad l. Aquil.ca.* 1. *vt eccleſ.benef.* vbi textus, & Gloſſa ibidem inquit: quod *Paulus, licet eſſet ſpiritu Dei plenus, non tamen potuit ſecreta diui concilii cognoſcere. 22.q. 2.c. beatus*, & notatur per Iohannem Andreæ *ext.de reſcript.c. gratia.* Ac philoſophus præclare dixit, quod *de futuris contingentibus non ſit determinata veritas*, vt & poeta:

—— Præſentia ſcire Fas homini, ſoliq; Deo præſcire futura.

Ac ne quis exiſtimet hoc gloſſema recentioribus temporibus, à quodam alio, textui Hoſtienſis adiectum: hæc eadem ab Alberico de Roſate *in ſuo Dictionario*, in verbo *Electores imperii*, de verbo ad verbum ex authoritate Hoſtienſis referri ſciat. Qui quidem Albericus, æqualis Bartoli fuit, & temporibus Ludouici Bauari & Caroli IV. vixit. Ex quibus authoribus ac teſtimoniis virorum, qui tempore ipſius Friderici II. vixere, & ea quoq; quodammodo anteceſſere, luce meridiana clarius apparet, ſeptem Electores non tantum ipſius temporibus, ſed & ante ea fuiſſe. Id quod etiam ex ipſa Innocentii decretali liquido probari poteſt. Sic namq; inquit: *Se illis principibus ius & poteſtatem eligendi regem in Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcere, ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcatur pertinere.* Non itaq; primum temporibus Innocentii tertii, vel Philippi Sueui, [illegible] Electoratus principes conſecuti fuere, ſed & ante ea id habuere. Nec ignotum eſt his, qui in iure mediocriter verſati ſunt, quæ *antiqua conſuetudo*, vel quod *antiquum tempus* dicatur. Nam etſi ſint qui tempori antiquo ſolum ſpacium quadraginta annorum tribuant, vt Antoninus *c. veniens. de teſtib. & in c. quod per nouale, de verbor. ſignif.* Geminianus in *cap. 1. de reſcriptis in 6.* Alexander *conſil. 4. in 2. vol.* Tamen alii centum annorum ſpacium ad hoc requiri ſentiunt, vt res dicatur de antiquis. Ita Panormitanus & Innocentius in d. *d. c. veniens.* Imola in *l.2.§. idem Labeo, ff. de aq. plu. arc.* Archidiaconus 16. *q.7.c.ſi plures. & c.* 1. & ibi Iohannes Andreæ & Doctores, *de iure patronatus.* Et hanc communem eſſe ſententiam, cui etiam aſſentiatur Innocentius, ſcribit Iaſon in *l. cum aliquis.n.7.C.de iure delib.* &c.

Hoſtienſis Cardinalis Henricus de Seguſia dictus.

Septem Electoris Friderici ſecundi tépore.

Antiquum tempus.

Video equidem quibuſdam mirum videri poſſe, quamobrem in ſententia communi firmanda, rationibus ac teſtimoniis potius à Iuriſperitis, quam hiſtoricis ſumptis, vti maluerim. Sed nulla alia

huius

huius rei cauſa eſt; quam quod exiſtimem iuris noſtri interpretes, & maxime hoſce, quos in hoc capite allegaui, cum non ſaltem vixerint temporibus Friderici, ſed & in republica verſati fuerint, maiorem harum rerum notitiam habuiſſe, quam Chronographos eius temporis, qui in monaſteriorum latibulis reconditi, ἀπαίδευτοι plerumque fuiſſe, & minus conſona ſcripſiſſe deprehenduntur. ſed me hic reprimo.

Sexto: Electores iam temporibus Friderici Ænobarbi fuiſſe, indicio eſt id quod traditur, Heinricum Superbum cognomento Leonem, ducem Saxoniæ, in gratiam pontificis Alexandri à Friderico in obſeſſione Mediolani deſciſcentem, Electoratu Saxoniæ priuatum, eumque Bernhardo Anhaldino collatum fuiſſe. Si itaq; Heinricus Electoratu priuatus fuit, id quod & duorum gladiorum à familia Heinrici Superbi ad Anhaldinos translatio, & hiſtoriæ veteres tam manuſcriptæ, quam editæ teſtantur: Electoratum iam tum temporis fuiſſe neceſſe eſt. Vbi ſiquidem non eſt, vel eſſe non poteſt habitus, ibi non cadit priuatio, *l. decem.* & ibi Bartolus, *ff. de verbor. obligat. l. manumiſſiones. ff. de iuſt. & iur. & Inſtitut. de libertinis, in princ. & in §. ſeruus.* & ibi not. Angel. *Inſtit. de capit. diminut.* cum multis alijs ſimilibus. Et ſi quis recte conſideret mutationem, quæ in Electoratu Saxonico ſub Sigiſmundo Imperatore accidit, Anhaldinos magis dignitatem Electoralem, quam totum Saxoniæ Ducatum à Friderico Ænobarbo accepiſſe videbit. Sed de hoc (Deo volente) alibi copioſior dicendi occaſio erit.

Heinricus Leo Superbus Elector Saxoniæ.

Septimo ad confirmationem ſententiæ noſtræ, nimirum quod Electores temporibus Rodolphi Habſpurgici minime inſtituti ſint, ſed ante ea fuerint: facit non parum, quod cum à Iohanne Tritemio *in ſuo chronico*, coronatio Guilhelmi Comitis Hollandiæ in regem Romanorum deſcribitur, ita expreſſe Electorum munia & nomina commemorantur, vt id clarius vel melius fieri non potuerit: cum tamen electio Guilhelmi Hollandi Aquiſgrani facta, electioné Rodolphi Habſpurgici ad minus omnium ſupputatione octodecim annis antiquior fuerit. Locum vero Tritemij, qui extat ſub *Abbate Volpoldo fol.* 244. qui valde illuſtris eſt, integrum adſcribere libet. *Cum eligeretur* (inquit de Vilhelmo) *adhuc iuuenis erat annorum viginti, & ferme ſeptem annis regnauit: qui etſi coronam Imperij non obtinuit, tamen ſatis magnam obedientiam habuit. Vltima vero die menſis Octob. regiam ciuitatem Aquiſgranum cum magna procerum multitudine intrauit, & ſequenti die, hoc eſt, in feſto omnium ſanctorum, per duos epiſcopos Mindenſem & Monaſterienſem, benedicendum archiepiſcopo Colonienſi, in templo præſentatum, duo alij epiſcopi Traiectenſis & Leodienſis in modum diaconi Dalmatica induerunt: quem præfatus archiepiſc. Conradus cum magna ſolennitate in regem Romanorum vnxit, & coronauit. Conſecratione autem peracta, idem archiepiſcopus locauit eum in ſedem regni, dicens: Super thronum ſedis glorioſæ ſedeas, & iudicium & iuſtitiam in terra facias. Chriſtianus archiepiſcopus Moguntin. cum oleo ſanctificato dexteram eius fortis inunxit, dicens: Conſecrare te dignetur omnipotens Deus in regem Romanorum, qui Dauid per manum Samuelis Prophetæ inungi iuſſit ſuper populum Hebræorum. Arnoldus archiepiſcopus Treuerorum, manus ſuper caput eius impoſuit, dicens: Deſcendat ſuper te ſpiritus ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ, pietatis, fortitudinis & conſilij, replearis ſpiritu timoris Domini. Ludouicus comes Palatinus Rheni, archidapifer regni, globum aureum in manus eius poſuit, dicens: Accipe globum ſphæricum, vt omnes terræ nationes Romano imperio ſubiicias, & Auguſtus glorioſus appellari valeas. Marchio Brandenburgenſis Camerarius, regis annulum in manum tradidit, dicens: Accipe ſignaculum monarchiæ, vt Romanum imperium in ſuo vigore conſerues, & inuicta virtute ab omni barbarorum incurſu defendas. Dux Saxoniæ, regis enſifer, gladium ei dedit dicens: Accipe ſceptrum regium, vt rebelles ſeuera correptione potenter affligas, omneſque beneuolos in tranquilla pace gubernes. Rex autem Bohemiæ, pincerna imperij, de conſenſu archiepiſcopi Colonienſis, coronam argenteam capiti regis impoſuit, dicens: Accipe diadema ſplendidum, vt ſis virtuoſis actionibus adeo chorruſcus in terris, quatenus merearis coronam æternæ fœlicitatis habere in cœlis: Amen.*

Vilhelmi Hollandiæ Comitis coronatio. Aquiſgrani coronatur Vilhelmus rex Rom. Archiepiſcopus Colonienſ. Archiepiſcopus Moguntin. Archiepiſcopus Treuerenſ. Comes Palatinus. Marchio Brandenburgenſis. Dux Saxoniæ. Rex Bohemiæ.

Octauo omnes fere Hiſtorici ſcribunt, vacante imperio poſt interfectum Guilhelmum, à Friſiis, pontificem Gregorium monuiſſe Electores, vt infra certum tempus iuxta facultatem ſibi traditam, regem imperio idoneum eligerent, alioquin ſe imperio de rege idoneo prouiſurum ab Electoribus: Itaque Rodolphum Habſpurgicum, hac conditione creatum, vt ſequenti anno Romam peteret coronæ accipiendæ cauſa: eaque conditione imperium à Rodolpho ſuſceptum, licet poſtea quantumuis crebro admoneretur, Romam ire noluerit: teſtes ſunt Platina *in vita Gregorii decimi*: Tritemius *ſub vita Iohannis abbatis Hirſaugienſis* XXVI. M. Albertus *in ſuo chronico*: Paralipomena Vrſpergenſis: Cuſpinianus *in vita Rodolphi*: Nauclerus *generat.* 43. & alij plures. Si itaque pontifex Electoribus mandauit, vt Imperatorem eligerent, & hi Rodolphum creauerunt; quomodo ſub ipſo potuerunt inſtitui, qui antea fuere?

Rodolphus Habſpurgicus per Electores electus.

His ergo rationibus ac teſtimoniis aliiſq; compluribus, quibus recenſendis in præſentia ſuperſedeo, adductus principes Electores, non tantum non Rodulphi Habſpurgici temporibus inſtitutos, ſed & eos tamdiu ante ea fuiſſe cenſeo, vt vere eorum inſtitutio Othoni III. tribuatur. Nitantur contrariæ opinionis authores ſuis argumentis, vel potius coniecturis veriſimiliter excogitatis: me ſolius Innocent. ac Hoſtienſis autoritati ſtare, minime pœnitet. Non quidem quod more canoniſtarum exiſtimem, papam omniſcium ac plenum ſapientiæ in tantum, vt omnia humana negocia & iura non ſecus ac Deus in ſcrinio pectoris ſui habeat, & quod quicquid ille vel approbat vel reprobat, id omnes approbare vel reprobare debeant, vt multis autoritatib. docet Quintil. Mendoſ. *in regulis cancellariæ*, eiq; abſolute credendum ſit, ne iſtud os mentiri aſſeramus, vnde veritas oriri debet,

Papa autoritas.

vt Bonifacius *in Clement. Si Romani 22. de præbendis*, conſtituit. Sed quod eius ſententiam cum hiſtorijs, ac aliorum præſtantium autorum teſtimonijs congruere videam, & eo tempore vixerit, quo ipſe Reipub. præſidens non potuit formæ eius in Germania ignarus eſſe. Videant igitur, qui contrarium ſentiunt, ne os in cœlum ponere putentur: & dum cedere nolunt, in puluerem ſufflent, inque oculos ſuos terram excitent.

CAPVT V.

Auentinum ſentientem, vſque ad Fridericum II. in Imperio magis ſucceſſionem, quam electionem obſeruatam, lapſum fuiſſe, ac contrarium verum eſſe, teſtimoniis autorum probatur.

COMMVNI ſententia de inſtitutione Electorum rationibus & argumentis firmata, reſtat, vt contrarias ſententias ventilemus, earumque infirmitatem oſtendamus. Inter quas prima fuit Stabij, ac Comitis Nouenarij. Earum vero diſcuſſionem ſuſcipi minime neceſſe duco; quod, quibus rationibus moti communem ſententiam de Electorum ordinatione improbarint, à Spiegelio non referatur. Nec de ratione, qua hic impulſus fuit, vt falſa ea putaret, quæ communiter de ordinatione iſta referuntur, prolixius diſputo, quod de ea copioſe *capit. 6.* dicturus ſim. Ad Auentinum autem quod attinet, etſi eius authoritas cum ob ſingularem eruditionem, & amorem veræ religionis, tum antiquitatis cognitionem eximiam tanta apud me ſit, quanta pauciſſimorum, eiuſque nomini vt quiuis alius impenſe faueam, quemadmodum (Deo volente) id re ipſa breui comprobabo: tamen in hac re rationes ipſius non tanti momenti apud me ſunt, vt diuerſum ab ipſis ſentire piaculum exiſtimem, vel ſtudio nominis ipſius veriorem ſententiam proijciendam cenſeam. Veritatem ſiquidem, quæ cœli ciuis eſt, huius terræ ciuibus præferri conuenit; & quantumuis vel amicorum, vel præceptorum autoritas nobis grata ſit, tamen ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, ſecundum Ariſtotelem. Ac in huius rei conſideratione veriſſimum eſſe conſpicio, quod Horat. in arte poetica dixit:

Quandoque bonus dormitat Homerus,
Verum opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

Id quod non tam erroris in Auentino, ac lapſus exagitandi animo dictum volo, quam vt fatear tanto viro ignoſcendum; qui Herculeo labore fere exantlato, longitudine itineris tandem defeſſus ceſpitet, vt recte veteres Græci dixerint: [illegible]. Porro vero, vt hoc Auentino largiendum fateor, ne verbo quidem vno ab illis autoribus, quos nominat, ſanctionis Gregorianæ mentionem factam; ſic non ſtatim inde inferri poſſe, ex dialecticorum præceptis iudico, hoc quod ab illis ſcriptum non fuit, minime factum eſſe, ac ob trium vel quatuor autoritatem reliquis omnibus fidem derogandam. Cumq; opinionem multorum hiſtoricorum autoritate ac teſtimoniis ſuffultam, reijciendam cenſuerit: quis ita facile in eius concedet, qui omnium ſcriptorum autoritate caret? Nam quod compertum habere ſe ſcribit, Imperium vſq; ad tempora Friderici II. ſucceſſione, non electione delatum fuiſſe, id vero ſatis mirari non poſſum. Initio ſiquidem autoritas Innocentij III. in *capit. venerabilem*, huic ſententiæ expreſſe aduerſatur, cuius verba ita habent: *Inſuper ſi prædictus dux Imperium obtineret, libertas principum in electione periret, & imperium obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur. Nam ſi, prout olim frater dicti ducis primo eorum, ſic dux ipſe fratri ſuo ſuccederet: videtur imperium non ex electione, ſed ex ſucceſſione deberi, & in præiudicium principum redundaret, ſi non niſi de domo ducis prædicti videretur aliquis ad imperium aſſumendus.*

Ac etſi hæc ſola autoritas ad lapſum doctiſſimi viri demonſtrandum ſufficere poſſet, adiungam tamen & teſtimonium Othonis Friſingenſis, ex *lib. 2. cap. 1.* quod omnino cum authoritate Innocentij III. conuenit: *Anno* (inquit) *ab vrbe condita* M. DCCC. *ab incarnatione vero Domini* M. CLII. *decedente ab hac luce vernali tempore, id eſt, ſexta feria proxima, vt dictum eſt, poſt caput ieiunij, in ciuitate Babenbergenſi, piiſſimo rege Conrado III. nonas Martij, id eſt, tertia feria poſt Oculi mei, in oppido Franconefurt, de tam immenſa tranſalpini regni latitudine, vniuerſum (mirum dictu) principum robur, non ſine quibuſdam ex Italia Baronibus, tanquam in vnum corpus coadunari potuit. Vbi cum de eligendo principe primates conſultarent (nam id iuris Romani Imperij apex, videlicet non per ſanguinis propaginem deſcendere, ſed per principum electionem reges creare, ſibi tanquam ex ſingulari vendicat prærogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum dux, Friderici ducis filius, petitur, cunctorumq; fauore in regem ſublimatur.* Sic & Fridericus II. *in epiſtola ſecunda*, iam cura noſtra ſub titulo *Epiſtolarum* Petri de Vineis edita, Imperium ſe non ex ſucceſſione, ſed electione principum ad vniuerſos reges & principes mundi ſcribit his verbis: *Quid etenim vobis & ſingulis regibus ſingularum regionum a facie tanti principis ſacerdotum timendum? Non ſupereſt, ſi nos ex Principum electione ſolenni, & adprobatione totius Eccleſiæ, ac in Chriſtiana fidei religione vigentium, imperiali diademate diuinitus inſignitos, & alia regna nobilia magnifice gubernantes, deponendos aggreditur: & cuius quo ad imperiale diadema, non intereſt, aliquid in nos exercere rigoris, etiamſi cauſa legitima probarentur: verum quod ſacerdotalis ſic manifeſtat abuſio poteſtatis, à ſummo nos conatur præcipitare deorſum. nec primi ſumus, nec vltimi.* hæc Fridericus II. Quid? quod & exempla Rodolphi ducis Sueuiæ, Lotharij Saxonis, & Othonis IV. contrarium oſtendunt? Lapſum itaque doctiſſimum virum in hac re eſſe, fateri neceſſe eſt. nec quenquam fore credo, qui non malit autoritati Innocentij, & teſtimonio Friſingenſis, quam coniecturis Auentini, licet alias doctiſſimi viri, ſtare & acquieſcere. Et tantum de ratione Auentini.

Petrus de Vineis.

CAPVT

CAPVT VI.

Principes Electores, etſi generali principum nomine ab authoribus plerunq; vocentur, aeque tamen fuiſſe, quam cum nomen Electorum vſurpare cœperint.

NVNC vero ad Onuphrij Panuinii rationes deſcendemus, quibus in libro ſuo *de comitiis Imperatoris* euincere atque aſtruere nititur, Electores ante tempora Friderici II. minime fuiſſe: ſed temporibus Rodolphi Habſpurgici primum cœpiſſe. Neque etenim alia, quæ in iſto libro tractat, de varia creandi Imperatores ratione, à temporibus Augusti vſque ad veteris Romani imperij declinationem obſeruata, ac orientalis Imperij origine, & Occidentalis excidio, vel ratione, qua Imperatores Franci Occidentales creari conſueuerint, hic latius diſcutere conſtitui, quod in iſtis omnibus mihi cum illo conueniat, vt & in hoc à temporibus Ludouici IV. filij Arnolphi, vſque ad Othonem III. regem Germaniæ, vel Imperatorem, ab omnibus regni Germanici principibus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus eligi conſueuiſſe. Quod vero huic annectit, Romani pontificis cardinales, Comitem Taurini, Marchionem Montisferrati, & alios quoſdam, electioni Imperatoris, quæ per vniuerſos principes Germaniæ facta fuerit, intereſſe conſueuiſſe: id ni clariora hiſtoricorum teſtimonia adduxerit, non facile ei conceſſerim. Neque etenim authorum eorum, quos ipſe citat, quiſquam vel verbulo eius mentionem facit. Vt autem Imperator præclare dicit, ſe erubeſcere loqui ſine lege, *in Authent. de triente & ſemiſſ. §. conſideramus.* Et Æſchines ſentit, δεῖ τὸ αὐτὸ φθέγγεσθαι τὸν ῥήτορα καὶ τὸν νόμον. Sic quoque exiſtimo hiſtorici ſcripta, cum aliorum teſtimonijs ac rei veritate conſentire oportere. Hoc quidem ei facile concedi poterit, veniſſe ipſos ad comitia, in quibus de Imperatoribus eligendis actum fuit: quod vero habuerint vocem vel ſuffragia, non item. Quemadmodum & in proximis comitiis, quibus optimus & glorioſiſſimus princeps ac DD. MAXIMILIANVS rex Romanorum, &c. declarabatur, multos Italorum principum legatos Francofurti fuiſſe conſtat, qui tamen nullo in Imperio ſuffragii iure vtuntur. Quod autem communi ſententia de ordinatione ſeu origine Electorum reiecta, eandem eligendi Imperatoris ſeu regis formam à temporibus Othonis III. vſque ad tempora Friderici II. ſeruatam contendit, quæ à temporibus Ludouici IV. vſque ad Othonem III. in vſu fuerit, de eo controuerſia exiſtit.

Etſi vero antequam ad diſcutiendas rationes ipſius accederem, mihi nonnulla merito pro Germanis dicenda eſſent, in quibus ſuggillandis in ingreſſu tractationis huius præter cauſam prolixior eſſe videtur: ne tamen in quo ipſum accuſandum puto, ipſemet peccem, & ante victoriam, quod aiunt, mihi encomium ceciniſſe videar, ab eo mihi temperabo; & rationes, quibus ſententiam ſuam confirmat, breuiter atque ſimpliciter, Deo volente, ita infringere atque conuellere conabor, vt Germanis iniuriam factam eſſe quilibet ſit conſpecturus. Quod itaque ad rationes eius attinet. Prima earum eſt. Ideo Electores non fuiſſe tempore Othonis III. inſtitutos, quod authorum nullus de electionis vel Electoris voce ſiue officio ante Friderici tempora mentionem faciat: ſi vero hoc munus vel etiam vocabulum fuiſſet, veteres ſcriptores, vt putat, id non reticuiſſent, ſaltem vbi occaſio ſeſe offert loquendi de ſeptem principibus, qui poſtea his titulis ſunt inſigniti. Quæ ratio ad tantam rem euincendam mihi perquam debilis atque infirma, quanta hæc eſt, eſſe videtur.

Nam etſi conſtet, imo ipſe quoque concedat, temporibus Rodolphi, item Caroli IV. Electores fuiſſe: tamen *Principes* tantum Electorum voce non expreſſa, nominari liquet. Videatur enim *Appendix ad Chronica* Martini Poloni, *in vita Rudolphi, Adolphi, Alberti, Henrici VI.* poſt eos Albertus Argentinenſis, *in ſuis Chronicis*, de electione Adolphi Naſſauienſis, Alberti Auſtriaci, Heinrici Lucelburgenſis, Ludouici Bauari, itidem Nauclerus *generat.* 44. de electione & depoſitione Adolphi Naſſauienſis: & rurſus in eadem *generatione*, de electione Alberti Auſtriaci; item *generat.* 45. de electione Caroli IV. nouiſſime *generat.* 49. de electione Friderici III. Auſtriaci: & ita ſe rem, vt dixi, habere perſpicietur.

Nec hiſtorici tantum eos *Principes* nominant, ſed & iuris interpretes; qui tamen, vtpote in repub. verſantes, maiorem huius conſtitutionis notitiam, quam monachi hiſtorici, in latibulis monaſteriorum plerunque ſecluſi habuere. Nam initio Gloſſa *in c. ad Apoſtolicæ. de ſenten. & re iud. in 6.* quamuis ſeptem Electores nominarit, tamen poſtea eos ſimpliciter *Principes* vocat. Bartolus quoq;, quem Carolo IV. ob excellentem doctrinam, vitæque ac iudicii integritatem pergratum fuiſſe conſtat, vbi in *l. fin. C. de legibus*, Electorum meminit, eos ſimpliciter *Principes Germaniæ* nominat. Sic & Baldus, qui Bartoli contemporaneus fuit, *in c. venerabilem, extra de electione*, &c. eos *Principes* vocat, licet interdum voce *Electionariorum* vtatur, vt in *l. bene à Zenone. C. de quad. præſcr.* Itidem *Principum* vocabulo tantum eos nominat Franciſcus Zabarella in *c. 1. in fine principii, de iureiur. in Clem.* ibi, *Quæro, ſi principes, ad quos ſpectat eligere Imperatorem, ſint negligentes, an ad papam poteſtas eligendi deuoluatur?* Et Bartolomæus Salicetus in *l. bene à Zenone. C. de quad. præſc. num.* 8. vbi inquit: *Eiuſdem virtutis atque poteſtatis eſſe debere electionem factam à principibus Germaniæ, cuius virtutis fuerit electio facta à populo Romano*, &c. Vixit vero vterque horum temporibus Sigiſmundi Imperatoris, & ſimilia teſtimonia quamplurima quis inueniet, ſi iis opus erit.

Quinetiam ſi quis ipſorum principum literas atq; diplomata ab anno Chriſti 1274. quo tempore Rudolphus iam electus erat, vſque ad annum Domini 1420. quo rexit Sigiſmundus, inſpiciet

(id quod me diligenter feciſſe, dicere poſſum) raro inueniet, quod ipſi Electores titulum Electorum vſurpent, contenti officio cui dignitas Electoratus cohæret atq; annexa eſt: vtpote Moguntinus titulo archicancellarij Imperij, Saxo titulo archimarſchalli, & ſic de reliquis. Quod ſi itaq; ratio Panuinij ſubſiſtere atque valere deberet, æque inde conſequeretur, à temporibus Friderici II. Electores non fuiſſe atque ante tempora eius. Ipſe eos fuiſſe negat, cum nomen id non vſque adeo frequenter apud authores, qui intra Rodolphi & Sigiſmundi Cæſarum tempora ſcripſerunt, inueniatur. Et quidem, qui aliquas ſaltem principum, qui ante Caroli IV. tempora vixerunt, literas vel diplomata viderit, rem ita ſe habere, vt dixi, fatebitur. neque enim olim veteres Germaniæ principes de prolixis titulis, vt nunc fit, ſoliciti fuere: contenti nominum ſuorum expreſſione, vt Imperatorum vetuſtæ literæ teſtantur, in quibus terræ hæreditariæ, vel ditiones, quibus imperarunt, plerunque omiſſæ inueniuntur. Ita vt laudatiſſimæ ac fœliciſſimæ memoriæ Imperator Maximilianus, eo aliquando in diplomate antiquo, quod præſente Friderico Electore Saxoniæ, principe nunquam ſatis laudato, legerat, animaduerſo, cum admiratione dixiſſe feratur: *Haha, præſtantes illos Heroes de titulis minime laboraſſe apparet, Friderice. perpetuo etenim ſeſe victuros exiſtimarunt.* Quod itaque principes raro Electorum titulo ante tempora Sigiſmundi Imperatoris vſi legantur, nemini mirum videatur.

Maximiliani Imperatoris de antiquis Germanorum principum titulis iudicium

Porro quoque conſtat, *Papæ* vocabulum à nullo epiſcoporum Roman. vſurpatum fuiſſe vſq; ad annum Chriſti ſexcenteſimum. A tempore ſiquidem Petri vſq; ad Syluestrum, *Epiſcopi.* Inde, ſcilicet ab anno Domini 320, vſq; ad annum 520. *Archiepiſcopi:* poſtea vero ſub Iuſtino Cæſare, & Hormiſda pontifice, *Patriarchæ* dicti fuerunt, donec quod nomen *Papale* aſſumpſere. Neque tamen ob id, vt exiſtimo, quod nomen Papæ non fuerit, dignitatem fuiſſe negabit; inq; eo cum ipſo ſentio. ſiue etenim *Papa* à nomine *Pappos*, quod auum ſignificat: ſiue à *Pappo*, carduorum flore: ſiue à Scythico Ioue *Pappæo* deriuetur, ratio etymologiæ dignitati pontificiali quadrat. Si vero *Papa* à papillis, nobiliſſima & delicatiſſima corporis parte dicatur, vt Gomeſius *in regulis cancellariæ* ſentit & loquitur: dubitarem quodammodo, an papalis dignitas ante Iohannem octauum fuiſſet, vtpote qui ſolus officio papa, ſed ſexu fœmina, papillas delicatiſſimas habuit. Quod ergo pontificiæ dignitati nihil adimit: nec (vt ſpero) Electorum antiquitati obſtabit.

Papa vnde dicatur.

Licet vero hæc, vt commemoraui, ſe ita habeant, ac ad redarguendam Panuinij rationem ſint ſufficientia, hoc tamen colophonis vice adiungam: quod quantumuis principes Electores à pleriſque ad tempora vſque Sigiſmundi, communi principum nomine vocentur, nec ipſi titulo Electorum niſi rariſſime ſint vſi, inueniri tamen eos ab hiſce, qui Imperij Germanici rationis peritiores fuere, & ipſis temporibus Friderici II. vixerunt, etiam Electores dici. Magnum verbum hoc eſſe quibuſdam videbitur. Sed verum eſſe, duobus locis ſeu teſtimoniis Hoſtienſis, in ſæpius allegato *capit. venerabilem*, §. *obiectiont*, probo, vbi primo inquit: *Hoc ipſo quod Electores ducis elegerunt notorie excommunicatum, ideo ad Electores regis* (ſcilicet Othonis) *fuit ad eos deuoluta eligendi poteſtas.* Et rurſus circa finem eius §. *Electoribus igitur negligentibus, Imperatorem eligere, Papa eliget: & ſi plures electi ſunt, de vtriuſque iure cognoſcet & definiet.*

Electorum nomen temporibus ipſius Friderici II.

Adde his, quod ipſe Innocentius III. nomine *Electoris* vtatur. Sic etenim inquit: *Inter cætera vero quidam principes hac præcipue obiectione ſunt vſi, dicentes quod Apoſtolicæ ſedis legatus aut Electoris geſſit, aut cognitoris perſonam: ſi Electoris, in meſſam alienam miſerat falcem ſuam, & electioni ſe ingerens, Principum derogauerat dignitati, &c.* Ex quibus verbis (vt hoc obiter admoneam) non ſaltem hoc notandum eſt, *Electoris* nomen tempore Innocentij tertii & Philippi Sueui fuiſſe, licet non vſque adeo vſitatum: ſed & legatum pontificium Electionibus Imperatorijs minime ſolitum fuiſſe adhiberi. id quod toties Onuphrius inculcat. ſi etenim id moris fuiſſet, quare Principes hac obiectione vſi fuiſſent? & cur pontifex ſcribendo ad Bertholdum Zaringiæ ducem, de iure ſuo ceſſiſſet, vt hæc verba iam allegata clare teſtantur? Quare ſi legati pontificii interdum Electionibus Imperatoris interfuiſſe ab hiſtoricis referuntur, id non lege, iure, vel conſuetudine eſt factum: ſed quod faces iſtæ diſſenſionum tyrannide pontificia armatæ, ſeſe ingererent, quo contentionum, certaminum, ac bellorum ciuilium ſemina inter Principes ſpargerent. Idque ita eſſe, diligentius hiſtorias intuenti apparet.

Papæ legatus non ſolitus adhiberi in electionibus Imperatoriis.

CAPVT VII.

Principum quorundam, qui iam Electores dicuntur, cur nulla mentio expreſſa in Comitiis Imperatorum fiat, cum cæteri Principes nominentur.

SECVNDA ratio, qua Onuphrius Panuinius oſtendere nititur, hos qui iam Electores dicuntur, minime in ea dignitate ante tempora Friderici II. fuiſſe conſtitutos: quod cum in Imperatorum comitiis multorum Principum mentio fit, nunquam tamen Marchionis Brandenburgenſis vel comitis Palatini Rheni mentio facta inueniatur, quum tamen cæteri Epiſcopi & Principes nominentur. Si vero hi duo ex præcipuis fuiſſent, negligentes fuiſſe hiſtoricos, qui eos ita ſilentio prætererint. Hæc ratio minus quam prior eſt contemnenda, ac meo iudicio ad id, quod Panuinius intendit, probandum, multo accommodatior priore: ſed apud me tamen non tanti momenti eſt, vt patrocinium communis ſententiæ propterea deſerere velim. Nam ea ipſa ratio non vnico modo refelli poterit. Initio ſiquidem loca hiſtoricorum inſpecta oſtendunt, eos tam generalibus verbis vti, vt ſpeciatim ſingulos Principes, qui electioni interfuere, exprimi neceſſe

neceſſe non fuerit: ſed ipſi hos ſubiecerint, qui ipſis præ cæteris placuere. Iam etenim vel *regni primates*, vel *regni*, vel *aulæ palatinæ proceres* nominantur: quibus nominibus hi æque includebantur, ac alij. interdum vero *Officiales*, quod nemini, niſi ipſis ſolis competebat, vt apud Vrſpergenſem, vbi deſcribit comitia Philippi Sueui.

Officiales qui.

Mortuo Henrico VI. Imperatore, Friderici primi filio, Philippus Sueuorum dux, frater eius, eo tempore exierat de Alemannia, vt veniret ad ipſum in Siciliam, proceſſeratq́; vſq; ad montem Flaſconem prope Viterbium, vbi de morte Imperatoris nunciatum eſt ei. Quare ipſe ſtatim ab Italia receſſit, & laborioſe peruenit in Alemanniam, vbi iam Principes iuramenta ſua poſtponentes (nam procurante Henrico Imper. principes Alemanniæ fere omnes, filium paruulum ipſius Fridericum, adhuc in cunis vagientem, ſibi aſſumpſerant in regem, fidelitatemq́; ei iurauerant, & literas de hoc facto cum ſigillis ſuis tranſmiſerant Imperatori) de electione noui Imperatoris tractare cœperunt, cupientes diripere hæreditates, quæ ad præfatam Imperatoris generationem pertinebant. Sed Deus conterens omnem impietatem & perfidiam ipſorum, hoc fieri non permiſit, inſpirans cordibus hominum vt ſuos natiuos dominos non derelinquant, & alienis adhæreant. Ideoque præfatus Philippus ad partes Rheni ſe contulit in continenti, & natalem Domini in caſtro Hagenou celebrauit. Vbi venerunt ad eum & officiales & miniſteriales, & quidam de Principibus & Baronibus terræ, cum quibus habuit myſterium conſilij ſui. Vbi etiam aderat Chunradus Argentinenſis epiſcopus, qui etiam promiſit fauorem & auxilium ſuum duci, de obtinendo imperio. Volebat enim tenere imperium, cum in poteſtate ſua haberet inſignia imperialia, vtpote coronam & crucem, & alia quæ attinebant. non enim tantum eſſet ſibi, vt ad alium tranſiret imperium: & ſic tam ipſe, quam fratruelis ſuus, licet tunc paruulus, omni hæreditate ſua priuarentur, quod etiam non placuit altiſſimo, quamuis multa cœperint interuenire impedimenta, &c. Innocentius ſiquidem Papa III. tunc de nouo in ſede Apoſtolica ſublimatus, omni ſtudio cœpit aduerſari eidem, hoc agens vt ipſum impediret, ne ad ſublimitatem culminis imperialis poſſet aſcendere, improperans ei, quæ frater ſuus & pater crudeliter egerant contra Eccleſiam, &c. His interpoſitis, de oppoſitione ſedis Apoſtolicæ, vt regium genus deperiret: redeamus ad deſcribendum labores, quos iniquiſſimorum Principum machinatione ſuſtinuit in Alemannia. Primum equidem de prudenti conſilio, quum videret ſibi imminere aduerſitates & bella, acquiſiuit ſibi fauorem Principum & magnatum. De Saxonia quidem habuit ducem Bernhar. marchionem Miſniæ, & alios Principes ſeculares potentiſſimos, inſuper archiepiſcopos, Magdeburgenſem & Bremenſem, & ſuffraganeos eorundem. Viden' hic *Officiales* imperij nominati, eoſq; electioni Philippi interfuiſſe? Porro quod palatinus Rheni rarius hiſtoricis ſeu chronographis vetuſtioribus nominetur, ratione non caret. Siquidem olim Palatinorum nomen, non familiæ, vt nunc, ſed officij fuit; Saxonia, Franconia, Bauaria, & Sueuia ſuos palatinos habente, eoſq; non perpetuos ſeu hæreditarios, ſed ſaltem ad tempus vitæ, vt & alios Ducatus & Comitatus fuiſſe conſtat, donec quod temporib. Lotharij & Chunradi ad nepotes tranſire cœperunt. Cum ergo Palatinatus tunc non conſtiterit in certa familia, ſed nunc in hanc, nunc in aliam familiam pro voluntate Imperatorum transferretur: fit vt qui ante Friderici Ænobarbi tempora palatini fuere, magis ex nomine familiæ ſuæ appellentur, quam palatinorum; id quod obſeruatum ad plurimarum mutationum, quæ tam in alijs ducatibus, quam palatinatu acciderunt, explicationem proderit. Huiuſmodi vero Ducatus, Marchionatus, aliaq; eius generis minime ad hæredes tranſiiſſe, ſed poſſeſſoribus eorum defunctis reuocari conſueuiſſe, non tantum hiſtoriæ, ſed & iura feudalia teſtantur, *c. 1. de his qui feud. dare poſſunt. in vſib. feud.*

Quatuor Palatini olim.

Ad Brandenburgenſem marchionem quod attinet, & alia peculiaris ratio videtur, quo minus ſpecifice nomen eius poſt tempora Lotharij, quo Ducatus & Marchionatus hæreditarij eſſe cœpere, exprimatur. Nam cum authores nomine Saxonum in genere plerumque vtantur, nulla certa gente expreſſa: & Brandenburgenſes, tamquam Saxonicæ gentis pars, haud dubie appellatione Saxonum olim, vt & nunc vulgo, comprehenſi fuere, maxime cum antequam Electoratus Brandenburgicus ad inclytos Burggrauios Norimbergenſes, & Saxonicus ad marchiones Miſnenſes peruenit: nobiliſſima familia Anhaldina Saxonica, Electoratum vtrumque & Saxonicum & Brandenburgicum, illum quidem à Friderici Ænobarbi, hunc vero à Lotharij Saxonis tempore obtinuerit.

Saxones qui.

Authores autem in deſcriptione harum rerum, vti generali Saxonum nomine, varia loca teſtantur. Sed vno atq; altero contenti erimus. Primus ergo extat *in hiſtoria* Lamberti Schafnaburgenſis, vbi deſcribit electionem Rudolphi ducis Sueuorum, tempore Heinrici IV. & ita inquit: *Interea Moguntinus, Vuirtzburgenſis & Metenſis epiſcopi, Rodolphus Vuelff, Berdolphus, duces, & alij plerique ex Principibus Teutonicis conuenientes tractare de vtilitatibus Reipub. ſtatuerunt: vt Principes Saxoniæ & quibuſcunque reſpublicæ cura foret, III. Idus Martij, in Forcheim occurrerent, & communi conſilio quid facto opus eſſet, decernerent, præſertim cum per abſentiam regis tranquillis rebus tempus opportunum deliberationibus & conſultationibus nacti fuiſſent.*

Alter locus apud Friſingenſem *lib. 7. hiſtoriarum cap. 22.* extat, vbi Chunradi comitia deſcribit his verbis: *Anno Domini M.C.XXVIII. defuncto in autumno ſine filijs Imp. Lothario, conuentus generalis Principum Moguntiæ in proximo Pentecoſte indicitur. Quidam autem ex Principibus timentes, ne forte ex generali curia Heinricus Dux, qui tunc præcipuus nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam præualeret, circa mediam Quadrageſimam, conſilio habito in oppido Galliæ Confluentia conuentum celebrant, ibiq́; Cunradum Imperator. Heinrici ſororium, præſente Theodeuuino epiſcopo cardinali ac S.R.E. legato ſummi pontificis ac totius Rom. populi vrbiumq́; Italiæ aſſenſum promittente, XXCIV. ab Auguſto*

 regem

regem creant, qui mox ad palatium Aquis veniens à prædicto cardinale (nam Colonienſis qui id facere iure debuerat, nouiter intronizatus pallio carebat) cooperantibus Colonienſi & Treuirenſi archiepiſcopis, in regem inungitur. Proximum dehinc Paſcha Coloniæ celebrans, Moguntiam poſtea venit. At Saxones & dux Heinricus, aliique qui electioni non interfuerant, regem non legitime, ſed per ſubreptionem electum calumniabantur: quibus omnibus in proximo Pentecoſte generalis curia Bamberg indicitur. Itaq; Cunradus R. Pentecoſten & curiam in præfata ciuitate, vt condictum erat, cum maximo regni faſtigio, & maximo conuentu principum habuit: vbi omnes Saxones ſimul cum vidua Imperatrice Richinza venientes, vltro ſe ſuæ ditioni ſubdidere: ſolus ex principibus, dux Heinricus regalia ſeruans aberat, ad quæ reddenda in feſtiuitate Apoſtolorum Petri & Pauli dies ei præfigitur Ratiſpona.

Præter hos, locus Vrſpergenſis in deſcriptione comitiorum Philippi Sueui cum primis illuſtris eſt. Oſtendit namque tum temporis, cum Miſniæ marchionatus, Electoratui Saxonico nondum adiunctus eſſet, Saxonum tamen nomine comprehenſos. quem locum videre eſt ſup. poſt principium huius capitis. Sed quid multis teſtimonijs opus eſt in re clara? cum præter Albertum Crantzium rerum Saxonicarum diligentiſſimum ſcriptorem, & Franciſcus Irenicus Germaniæ præco, omni laude dignus, Saxonicum nomen multos populos claudere, & vſque ad Oceanum & vtrumq; mare extendi obſeruatit.

Maximiliani Imperatoris de Hiſtoricis Germanicis querela.

Tertio, etſi labores defunctorum, quos in rebus patriæ ab obliuionis iniuria vindicandis ſuſtinuere, laudare, quam reprehendere malim: tamen veriſſimum eſt, à noſtræ gentis hominibus, vt & alijs, pleraque ita conſcripta fuiſſe, vt melius iudicium, maiorq; reipub. ſcientia in ipſis deſideretur. Neque vero tantum mihi de ipſorum laboribus iudicij ſumerem, niſi ex doctiſſimi Melanchthonis, vnicique Germaniæ ornamenti ſcriptis, prudentiſſimum Imperatorem Maximilian. de eo conqueri ſolitum fuiſſe conſtaret, ita vt conſtituerit certis hominibus doctis mandata dare, vt collectis vndique Germanicis Chronicis, quia alius alia annotaſſet, ex fragmentis illis Germanica hiſtoria integra, quantum fieri poſſet, componeretur. Ac vtinam, ne alijs occupationibus impeditus, rem tantam abſoluiſſet: non inter minima laudum ſuarum decora hoc referendum fuiſſet. Quare cum certum ſit, pleraque non ea vel diligentia, vel ratione ab ipſis ſcripta fuiſſe, qua optandum eſſet: non ita Panuinius ipſorum diligentiam hoc in loco prædicabit, vt rem quam vel ignorantia, vel negligentia, vel alia de cauſa prætermiſere, minime in rerum natura fuiſſe conceſſuri ſimus. Quid enim? ſi vnius atque alterius hiſtorici ſcriptis acquieſcere vellemus, non conſultis aliis, vel locis authorum inter ſe collatis, mira diſcrepantia atque contrarietas in hiſtoriis futura eſſet. Non id aliis, quam exemplis ad materiam propoſiti noſtri ſpectantibus demonſtro. Abbas Vrſpergenſis, præclarus hiſtoricus, electionem Friderici Ænobarbi referens: *Anno* (inquit) *Domini* M. C. L I I. *ab vrbe condita* M. D C C C C, V. *Fridericus huius nominis primus*, X C I. *ab Auguſto, regnum accepit, magis ex delegatione patrui ſui, quam ex electione principum.* Hæc quidem ille. At illum magis Imperium ex electione, quam delegatione obtinuiſſe, non tantum memorabilis decretalis *Venerabilem* ſupra *capite quarto* allegata, demonſtrat: ſed & Othonis Frinſingenſis locus, ſupra *cap.* 5. citatus, oſtendit. Quin & ipſe Fridericus apud Radeuicum *lib. 3. c. 16.* inquit: *Debitam patri noſtro reuerentiam exhibemus, liberam imperii noſtri coronam diuino tantum adſcribimus beneficio: Electionis primam vocem archiepiſcopo Moguntino, deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem principibus.* Conuenientia his, vt & alias, Guntherus in Ligurino lib. 6. ſcribit his verbis:

Debita Pontifici faueat reuerentia: regnum
Legibus antiquis & priſco more regatur.
Cuius ab æterno tantum collatio rege
Prouenit, ad proceres electio pertinet: in qua
Præcipuam vocem præſul de iure vetuſto
Moguntinus habet, paſtori prima recentis
Agrippina ſuo conceditur vnctio regis.

An non hi loci recte conſiderati, Fridericum electione, non delegatione patrui ad Imperium peruenisse, & Vrſpergenſem lapſum fuiſſe demonſtrant? Exiguus error nonnullis videri poterit, ſed is non contemnendam inſcitiam reipublicæ tunc temporis in optimo authore demonſtrat. Nec vero ſolummodo apud authores vetuſtiores, qui ante Rodolphi tempora vixere, tales lapſus inueniuntur: ſed & (vt intra materiam propoſiti noſtri nos contineamus) ſi temporibus Rodolphi inſtitutio Electorum, vt Panuinius exiſtimat, introducta fuiſſet, incuria plerorumque authorum æque incerta & dubia foret, quam ſi temporibus Othonis factam dixerimus. Id quod ſi in hanc orationem delatus, locis ex hiſtoriis productis comprobem, quis mihi vitio vertet?

Extat *Chronicon* ſatis magnum Iacobi Philippi Bergomatis, Fratris Heremitæ, in quo multa vtilia continentur, deductum ab exordio mundi vſque ad annum 1510. Si vero quis minus inſtitutionis Electorum ex aliorum lectione gnarus eſſet, næ ipſe legendo chronica iſta, nullos Electores à temporibus Rodolphi vſque ad tempora Maximiliani fuiſſe diceret, quantumuis Electores à Gregorio V. inſtitutos ſcripſerit. Nam ita de electione Imperatorum ſcribit, vt aut à ſummo pontifice, aut ab vniuerſis Germanis eos creatos fuiſſe videri poſſit. Percurramus enim breuiter, quæ de ſingulorum Imperatorum electione à Rodolpho vſque ad Maximilianum ſcribit:

Rodol-

I. Rodolphus Cornubiæ comes, 27. Germanorum Imperator, hoc anno omnium conſenſu in Lugdunenſi Lib. 25. *ſynodo Cæſar creatus, imperauit annis 19.*

II. Adolphus Anaxone Comarchus, 18. Germanorum Imperator hoc anno omnium ſuffragiis Rex & Cæſar creatus & factus.

III. Albertus eius nominis primus, Rodolphi olim Imperatoris filius, Auſtriæ dux, Adolpho Imperatore oppreſſo & interfecto, decimus nonus Germanorum Imperator declaratus, imperauit annis 10.

IV. Heinricus eius nominis ſeptimus Lutzelburgenſis Comarchus; vigeſimus Germanorum Imperator, hoc anno a ſuis Germanis electus, imperauit annis 5. & menſibus 8.

V. Ludouicus cognomento Bauarus, 21. Germanorum Imperator, hoc anno à quibuſdam per contentionem electus, imperauit annis 32.

VI. Carolus eius nominis quartus, Iohannis regis Bohemiæ filius, 22. Germanorum Imperator, hoc anno, iubente Clemente pontifice, ab Electoribus Imperator creatus.

VII. Vuenceslaus Caroli Imperatoris prædicti filius, 23. Germanorum Imperator, hoc anno patre defun- Lib. 24. *cto, cum iam vna cum patre annis octo imperaſſet, poſt patrem confirmatus, imperauit annis 22.*

VIII. Rupertus Bauariæ dux, Rhenique comes palatinus, hoc anno Vuenceslao prædicto Imperatore (propter eius ignauiam & ſocordiam) Imperii dignitate priuato. 24. Germanorum Auguſtus delectus, imperauit annis nouem: homo ſane Chriſtianus, iuſticiæq; cultor. quas ob res & à Bonifacio pontifice quam libentiſſime Imperii corona donatus.

IX. Sigiſmundus Lutzelburgenſis, Caroli Bohemorumq; regis olim filius, Hungariæ & Bohemiæ rex, hoc anno Iohanne pontifice prædicto, nuper creato papa procurante, 25. Germanorum Imperator creatus imperauit annis 27.

X. Albertus Auſtriæ dux, & Sigiſmundi Cæſaris gener, hoc anno ſocero Sigiſmundo in Snoymia Mora- Lib. 23. *uiæ oppido, vita functo: cum mox in regna Hungariæ & Bohemiæ ſucceſſiſſet, & apud Albam regalem vrbem primum cum Heliſabeth dilectiſſima coniuge eorum regnorum diademata maximo cum triumpho ſuſcepiſſet, etiam à Teutonicis ſuis Romanum Imperium ſuſcepit.*

XI. Fridericus eius nominis tertius, Auſtriæ dux, hoc anno Alberto defuncto, 27. Germanorum Imperator creatus, imperauit annis 55.

An non hic apparet, etiam eo tempore, quo lippis atq; tonſoribus notum erat, Imperatores à Septemuiris eligi: tamen eorum electionem ab hoc hiſtorico vel incuria vel alia de cauſa, ita obnubilari, quaſi nulli fuiſſent? Nam ne de hoc dicam, quod *Rodulphum Cornubiæ comitem* appellat, eumq; in concilio Lugdunenſi electum ſcribit: item quod Rupertum à Bonifacio Imperii corona donatum commemorat: quæ omnia falſiſſima eſſe, ex aliis hiſtoricis conſtat. Quis vllum fere Imperatorum ab Electoribus, teſtimonio eius hiſtorici electum fuiſſe credet, à temporibus Rodolphi vſq; ad Maximilianum, niſi id aliunde didicerit? Qui etiam hic idem, poſt Matthæum Palmerium, qui tempore concilii Baſilienſis vixit, ſcriptum reliquit, temporibus Othonis conſtitutum, vt Imperator per ſolos Germanos proceres, vna cum quibuſdam Pannoniæ & Vngariæ principibus eligeretur, quis vero id vnquam ſcripſit, Hungaros electioni Imperatoris Germanici adhibitos? Id quod non tam obtrectandi bonis viris animo dictum volo, quam vt oſtendam, non mirum videri debere, ſi vetuſtiores hiſtorici paulo negligentiores, in rebus compluribus narrandis fuerint: cum id vitii cum multo recentioribus commune habeant. quibus tamen multis de cauſis ratio ac forma reipublicæ notior eſſe debuiſſet, quam antiquioribus: qui ſeculo tali vixere, quo res tales vel non curabantur, vel minus recte intelligebantur.

CAPVT VIII.

Non regem (vt Onuphrius ſcribit) ſed ducem Bohemiæ fuiſſe tradi, qui primus Elector factus ſit temporibus Othonis III.

TErtiam Onuphrii rationem, quod nullus autorum qui ante tempora Friderici ſecundi, vitam Othonis aut Gregorii V. ſcripſerit, huius inſtitutionis mentionem faciat, ſilentio prætereire conſtitueram, quod non tanti momenti videatur, vt accuratiore reſponſione opus habeat: hoc tamen quin ſciſciter, prætermittere non poſſum, quomodo Romaniſtæ, ratione argumentandi ab authoritate negatiue procedente, donationem Conſtantini, cui omnis ipſorum potentia, tanquam fundamento innititur, probare velint? Minus etenim de ea in antiquis hiſtoriis aut chronicis inuenitur, quam de inſtitutione Electorum ab Othone facta, in tantum vt Antoninus archiepiſcopus Florentinus, autor grauis, & inter ſanctos relatus *in ſuis chronicis parte prima ante finem* tradat: nihil olim de ea in antiquis decretis habitum fuiſſe, vt & Iohannes de Imola *in rubrica, ff. de verborum obligation. col. 2.* Quin imo, quomodo papa ſe Petri ſucceſſorem probabit, cum nec Paulus nec Lucas, nec alii qui tunc temporis vixere, eum Romæ præſediſſe, vel paſſum fuiſſe vel verbulo ſcribant? Sed quia argumentum ab authoritate etiam Præpoſitus in *c. Conſtantinus, 96. diſtin.* affirmatiue tantum tenere docet.

Hæc vlterius non proſequor, & ad rationem quartam accedo, quæ in hoc ſubſiſtit. Regem Bohemiæ, qui propter regiam dignitatem Elector factus ſcribitur temporibus Othonis, minime regem fuiſſe, ſed ducem. Falſum itaque eſſe, quod de iure Electionis, ei ratione regiæ dignitatis collato ſcribatur. Hæc illatio non mala eſſet, ſi authores qui hæc ſcripſerint allegarentur. Sane qui inter communis ſententiæ autores præcipuus eſt Martinus Conſentinus non ratione

regiæ dignitatis, ſed quia officialis Imperii fuerit, Bohemum Electorem factum refert: licet eum regem nominet, quod tunc temporis eſſet. Cui etiam conſentit Marſilius Patauinus *de Translatione Imperii, ca.* 10. Leopoldus de Babenberg *de iuribus regni & Imperii li.*2. Et Cardinalis Hoſtienſis in *c. Venerabilem. extra de electione & electi poteſt.* expreſſe ait: quod tunc temporis cum Bohemus Elector factus ſit, dux, non rex fuerit: eumq; ſequitur Albericus de Roſate in ſuo *Dictionario*, in verbo, *Electio Imperatoris*: & Cardinalis Zabarella in *c.*1. *in prin. ext. de iureiur.* vna cum aliis Canoniſtis in *d. c. venerabilem.* Ac meo iudicio, ſi qui ſunt authores qui inſtitutionis Electorum, mentionem facientes, Bohemum regem appellant, vt Nauclerus *generat.*34. Cuſpinianus *in vita Othonis tertii*, aliique nonnulli, hi non id ſentiunt, quod Othonis tempore rex fuerit: ſed quod tunc cum ſcripſerint, rex eſſet: vtpote, qui ipſi tradiderint ducem Bohemiæ Vladislaum, anno Salutis 1158. à Friderico primo regio diademate inſignitum. Cuſpinianus quidem *in vita Friderici Barbaroſſæ*, Nauclerus vero *generat.* 39. duobus in locis. Cum itaq; præcipui autores ſententiæ communis de inſtitutione Electorum, quantum ad Bohemum ſpectat, non reſpiciant regiam dignitatem, ſed officium pincernæ: videt Onuphrius ſe ex hac ratione nihil, vel parum admodum extruere poſſe.

Eiuſdem quoq; momenti eſt ratio, quam huic accumulat, nimirum quod cum ſchiſmate Imperii, quod inter Philippum Sueuum & Othonem quartum fuit, ab Vrſpergenſe referantur principes, qui vtrumq; elegerint: nullus tamen eorum principum ſecularium recenſeatur, qui nunc Electores dicuntur: ſed vtrorumq; comitia ab iis potiſſimum Germaniæ principibus habita fuiſſe narrentur, quorum nullus noſtra ætate electionis ius, vel Electoris titulum habeat. Hic vero non incommode vel intempeſtiue, malorum quæ fraudibus, ſcelere & tyrannide pontificum Romanorum in Germania excitata fuere, meminiſſe, ac iis deploratis, reſpondere poſſem: id quod Græco prouerbio fertur, [illegible]: ac veritatem veteris verſiculi, experientia tunc temporis comprobatam, quo fertur:

[illegible]

id eſt: *Peſſimus vt quiſq; eſt, ſic creſcere honoribus, orta*

Seditione ſolet, premitur contra optimus omnis.

Sed ne ea refricem, quorum recordatio nemini bono grata eſſe poteſt: hanc rationem ex ipſo Vrſpergenſe, vnde Onuphrius eam ſumpſit, rectiſſime quoq; ſolui poſſe exiſtimo. Nec enim quod Onuphrius vult, Vrſpergenſis quenquam iſtorum qui nunc Electores dicuntur, interfuiſſe comitiis iſtis ſchiſmaticis, negat: quin imo eos adfuiſſe oſtendit. ſic etenim ſcribit: *natalem Domini in caſtro Hagenau celebrauit, vbi venerunt ad eum officiales & miniſteriales, & quidam de principibus & Baronibus terræ, cum quibus habuit myſterium conſilii ſui.* Quid enim ſibi volunt verba: *Venerunt ad eum Officiales?* An alii officialium appellatione, quam Electores intelliguntur? Sane Martinus, Leopoldus, Marſilius Patauinus, Albericus & alii *officialium* nomine Electores comprehendi, iamdiu tradiderunt: & eorum interpretationem veram eſſe, ipſe Imperator Carolus IV. *in aurea ſua Bulla* ſub titulo, *De Iuribus officialium, dum principes feuda ab Imperatore vel rege Romanorum recipiunt*, dum inquit:

Officiales qui

Decernimus hoc Imperiali edicto, vt principes Electores, Eccleſiaſtici, vel etiam ſeculares, dum feuda ſua regalia ab Imperatore vel rege recipiunt, ad dandum vel ſoluendum aliquid, nulli penitus ſint adſtricti: nam pecunia quæ tali prætextu perſoluitur, officiatis debetur. Cum ergo ipſi principes electores cunctis imperialis curiæ præſint officiis, ſuos etiam habentes in officiis huiuſmodi ſubſtitutos, datos ad hoc à Romanorum principibus, & dotatos: videtur abſurdum, quod ſubſtituti officiales, à ſuis ſuperioribus quocunq; quæſito colore, encænia poſtularent, niſi forte ipſi principes Electores ſponte & liberaliter his aliquid largirentur. Quis hic non videt, ipſum Imperatorem officialium nomine ipſos Electores intelligere? Teſtimonio itaque tantorum autorum ſtamus, donec meliora allata fuerint.

Poſtremo, ad præcedentes rationes quod attinet, etſi probabilibus coniecturis nitantur, & ab hiſtoriarum petito ingenioſe ſint excogitatæ: non tamen vſq; adeo firmæ ac validæ ſunt, vt id quod ſibi pollicetur Panuinius, euincere queant, quinimo recte rem totam ac diligentius conſideranti, communem ſententiam ſcriptorum contra ipſas immotam ſubſiſtere apparet. Sed de rationibus Onuphrii ſatis.

CAPVT IX.

Qua ratione comitiis imperatoriis alii quoq; principes, quam Electores, apud Chronographos interueniſſe legantur.

IAm excuſſis Onuphrii rationibus, earumq; infirmitate demonſtrata, ordo exigit, vt ad teſtimonia ex variis authoribus hinc inde pro confirmatione ſententiæ ſuæ agglomerata, reſpondeam. Ac cum ſtatuam ex communi authorum ſententia, Septemuiros ante tempora Friderici II. fuiſſe inſtitutos: exponam, qua ratione præter ſeptem principes Electores, alii quoq; complures Electoria dignitate minime inſigniti, comitiis Imperatoriis interfuiſſe, & crebro ſuis ſuffragiis Imperatores elegiſſe, apud hiſtoricos in variis locis memorentur. Id etenim ni factum fuerit, fruſtra omnis labor in præcedentibus explicandis exhauſtus erit. Maior ſiquidem in vera locorum accumulatorum conciliatione, quam præcedentium rationum refutatione victoriæ ſpes ſita eſſe videtur. Idq; [illegible] animaduerterem, diligenter accurateq; mihi cogitandum duxi, quomodo tot autorum [illegible] inſtar aciei haſtatorum condenſata, vno impetu perrumpi poſſent. At quo [illegible]

cogitaui, tanto inextricabilior difficiliorq; eſt facta, ità vt ſæpius in Panuinii ſententiam concedendum, & haſta abiecta ex arena ſecedendum arbitrarer. Verum dum pertinacius inſto, ac nihil quod ad tam difficilis nodi diſſolutionem pertinere poſſet, inquirere atque rimari deſiſto, fit vt mihi forte fortuna quaſi Deus ex improuiſo apparens, liber peruetuſtus *de iure Cæſareo, regio, feudali ac nationali* inſcriptus ad manus veniat: quem cum auide percurro, inuenio in eo cum alia multa vtilia circa feudales ſucceſſiones, tum vero ritus ac iura olim in Imperio obſeruari ſolita. Inter quæ & locum ad expediendum nodum ex variis autorum teſtimoniis, ab Onuphrio contra Septemuirorum veterem in eligendo Imperatore prærogatiuam conuolutum, perquam appoſitum. Eo ergo lecto, quin gaudio exultarem, continere me non potui. Etſi enim libri paucis hucuſque cogniti, non eam fidem fore cernerem, vt eius autoritate contra quoslibet irrefragabiliter niti poſſem: tamen cum in eo alia quam plurima tradantur, quæ hodie abrogata, olim autem in vſu fuiſſe, ex hiſtoriis conſtat: nec ad horum locorum diſſolutionem, eius autoritatem ſequi atque amplecti dubitaui. Vt etenim aliis omnibus Iuribus antiquis, tam publicis quam priuatis, quæ in eo commemorantur omiſſis, eorum ſaltem vnum atque alterum exemplum proferam, quæ autor libri iſtius circa iura Electorum in vſu fuiſſe tradit, iam autem abrogata vel immutata eſſe cernuntur. Inter alia tradit, *Moguntinum primam vocem in electione habere: & Palatino Rheni, Imperatore defuncto, ius conuocandi Electores cum archiepiſcopo Moguntino commune eſſe. Illi quidem ſub pœna proſcriptionis, huic vero ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ. Deinde Bohemum, quantumuis inter Electores numeretur, ius eligendi non habere.* Quis hæc immutata non nouit? Hodie ſiquidem ex conſtitutione Carolina, Moguntinus coelectorum ſuorum ſuffragia perquirit: quo facto, ipſi viceuerſa eius intentationem requirunt: itidem ſolus Moguntinus, cæteris Electoribus patentibus literis, diem, locum & tempus electionis indicat: & Bohemus tanquam primatum inter laicos Electores obtinens, tertium ſuffragium habet. At olim ſecus fuiſſe, vt author libri refert, hiſtorici literis proditum reliquere. Nam Moguntinum olim primam vocem habuiſſe, teſtatur Radeuicus *libro tertio, capitulo* 16. & Palatino ius conuocandi Electores fuiſſe, Cuſpinianus *in vita Caroli IV.* non longe à principio, & rurſus *in vita regis Ruperti* tradit. Bohemum vero in electione minime neceſſarium fuiſſe, autor grauis eſt Cardinalis Hoſtienſis in ſæpius allegato *capit. venerabilem. §. vero.* cum aliis quam plurimis autoribus. Cum ergo non tantum in his, ſed & in aliis, tradita ab autore libri memorati, cum hiſtoriis conſentiant, quis eius autoritatem in hac re quoq; non diſcrepantem ab hiſtoriis, aſpernandam arbitrabitur? Acceſſit poſtea ad confirmandam apud me autoritatem libri eius, quod doctiſſimum virum ac rerum Germanicarum illuſtratorem eximium, Sebaſtianum Munſterum ex eo *Coſmographia ſua Germanica libro* 3. non tantum peculiare caput (neſcio qua de cauſa in Latino exemplari omiſſum) de Iuribus nationalibus conditis poſt tranſlationem Imperii ad Germanos, intexuiſſe: ſed & eundem, tanquam vetera Germaniæ iura continentem laudaſſe comperierim, ea commemoratione adiuncta ſibi primum anno Domini 1543. à conſule Baſilienſi Adelbergo Meiero, omnis antiquitatis ſtudioſo communicatum fuiſſe. His ergo rationibus perſuaſus, autoritatem memorati libri, ad nodi ab Onuphrio variorum teſtimoniorum coacervatione connexi, diſſolutionem allegare atque proferre non vereor, omni dubitatione ſepoſita, viros candidos atque ſinceros, reipſa perpenſa, conceſſuros huius loci ſubſidio, nodum inexplicabilem alias, aptiſſime atque facillime tanquam Tenedia bipenni incidi poſſe. His itaque præmiſſis integrum caput, in quo de Electoribus agitur, numero triceſimum, de verbo ad verbum fideliter redditum ſubiiciam, cuius titulus hic eſt:

Liber de iure Cæſareo & regio. &c. qui tū Francofurti impreſſus eſt.

Sebaſtianus Munſterus.

Adelbergus Meierus.

Qui Regem Romanum eligere debeant.

Regem Romanorum tres principes ſeculares, & quatuor laici, creanto: epiſcopus Moguntinus cancellarius per Germaniam, primam vocem in Electione habeto: epiſcopus Treuirenſis ſecundam, Coloinenſis tertiam. Laicorum principum duo eliguntor: duo ſuffragantor. Primus in electione comes Palatinus Rheni, Imperii dapifer, primam ſcutellam ponito in menſa ante regem: Secundus in [illegible] dux Saxoniæ, Imperii marſchallus, regi enſem praferto: Treuirenſis cancellarius regni Arelatenſis eſto. & hæc tria officia Electorum connexa ſunto. Tertius, marchio Brandenburgenſis, camerarius Imperii [illegible] abluendis manibus prabeto.

Quartus, rex Bohemiæ, Imperii pincerna, regi Romanorum primum ſcyphum ad bibendum porrigito. Veruntamen ſciatur, regi Bohemiæ nullum ius electionis eſſe. nam Germanus non eſt. [illegible] tem quatuor & à patre & matre: vel ab altero tantum Germani ſunto. & cum Electores [illegible] conuentum Francofurtum indicunto: Moguntinus, ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ. [illegible] na proſcriptionis. Conſortes electionis, qui cum ipſis eligent, deinde alios principes [illegible] bere poterunt, conuocanto. Numer[illegible] ideo inæqualis eſt [illegible] tibus, & quatuor alium, treſtar[illegible] ſequantur [illegible] pator.

Ex hoc ergo C[illegible] [illegible] & hæc facile videre poteſt, olim [illegible] Electores [illegible] tam, quam q[illegible] in eligendo Ro[illegible] [illegible] principes non potuer[illegible]

ab electione excludebantur: ſed ab Electoribus tanquam Imperii primoribus vocati, regis futuri electioni adhibebantur. Hodie vero, vt notum eſt, aliis principibus remotis, omnis eligendi poteſtas ad ſolos Septemuiros tranſlata eſt. Huius rationis cum hiſtorici non meminerint, vel quod vſque adeo tunc temporis nota fuerit, vt eam literis tradi minime opus fuerit, vel quod ipſos ea latuerit, nec Onuphrius (etſi alias in hiſtoriis exercitatiſſimus) eius probabiliter gnarus eſſe potuerit: factum eſt, vt dum tot authorum loca à ſe ſummo ſtudio obſeruata cum ratione eligendi regis iam longiſſimo tempore obſeruata, conciliare ac conformare nequiuerit: Electores tum temporis fuiſſe neget, ac communi authorum opinione de Electorum inſtitutione reiecta, regem Romanorum, vel Imperatorem ab omnibus regni Germanici principibus tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus poſt tempora Othonis III. æque atq; ante ea creatum fuiſſe ſtatuat.

Verum conſiderato eo quod iam diximus, nimirum vetuſtis temporibus Principes non penitus à conuentibus vel deliberationibus in quibus de electione Imperatoris vel regis tractaretur, excluſos: imo ad eos per principes Electores vocatos fuiſſe, loca ab Onuphrio collecta, neutiquam opinioni communi de Electorum inſtitutione aduerſantur: ſed omni difficultate ſublata, cum ea ad optimam facillimamq; concordiam reducuntur. Nam tam Eccleſiaſtici quam ſeculares à Moguntino ac Palatino vocati, Electionibus intereſſe ſunt ſoliti: ita tamen, vt Electores tanquam præcipui voce ac electione cæteris anteirent, ac quæ ex commodo & vſu reipub. eſſe arbitrarentur, proponerent, reliquis ea approbantibus: vel ſalute publica ac neceſſitate exigente, ea emendantibus. Atq; hinc eſt, quod aliquoties apud chronographos legitur, Imperatorem ab vniuerſis Germaniæ principibus electum: non quod poteſtas eligendi æque apud omnes fuerit, ſed quod Electorum votis atq; ſuffragiis aliorum Principum approbatio acceſſerit.

Etſi autem hi qui prærogatiua eligendi caruere, Electorum autoritate ſuppreſſa, Imperatores interdum conſtituiſſe legantur, vt à Vuirtzburgenſi & Metenſi epiſcopis, Bauariæ & Carinthiæ ducibus Rodolphum Sueuiæ ducem tempore Heinrici IV. regem Forchemii electum eſſe, Vrſpergenſis & Lambertus Schafnaburgenſis referunt, tamen id noſtræ ſententiæ parum obſtat. Nam etſi tales numero interdum ſuperiores fuerint: ſemper tamen in eorum factione fuerunt, quibus ius eligendi competiit, vt non tam ipſorum authoritate quam horum res geſta videatur. Sic namq; in electione Rodulphi, prædicti epiſcopi & duces, Sigefridum Moguntinum, fautores Othonis IV. contra Philippum Sueuum Colonienſem & Treuirenſem, capita factionis ſuæ habuerunt.

Et ſi quis iuſto dolore excandeſcens talia non tam iure & conſuetudine, quam ſcelere pontificum Romanorum facta eſſe dicat, næ ille veritatis ſcopum attigerit. Quoties etenim pontifices Romani vel odio noſtrorum Imperatorum; vel veſana dominandi cupiditate incenſi, plus quam ciuilia bella diabolico furore in Germania excitarunt, vt imperii maieſtate euerſa, ac Electorum ſuffragiis ſublatis, ipſi ſoli tyrannidem ſuam libere exercerent? Non tota Ilias harum rerum hiſtoriam caperet. Et quam horribiliter adhuc, vix centum ab hinc annis, peſſimus Germaniæ deprædator & expilator inſignis Æneas Syluius, Dietherum Iſenburgicum archiepiſcopum Moguntinum, non tantum fulmine pontificio, ſed & armis eſt proſecutus, quod ad pontificis placitum ſe annatas ſoluturum & Electores conuocaturum renuiſſet? Verum quia querelæ, ne tunc quidem gratæ futuræ, quum neceſſariæ eſſent, huius propoſiti non ſunt: ideo me hic reprimo, & hæc molli tenuiq; brachio attigiſſe ſatis eſſe exiſtimo.

Porro vero, quia ex hac Principum conuocatione & vſurpatione autoritatis, quam ſibi elatiores ac potentiores maxime Guelphi, aliquoties in electione præter ius arrogabant, & factionibus vel eorum ambitione, vel pontificis Romani inſtinctu excitatis magna ſæpius incommoda (quorum Polyarchia nunquam expers fuit, nec erit) exorta fuere, vt cum alia, tum vero horribilium bellorum ciuilium incendia contra Heinricum quartum, & Sueuos Imperatores commota, luculenter oſtendunt. Ideo ſubſequentibus temporibus ratio eſt inita, vt penes ſolos Imperii officiales, iure ac priuilegio eligendi Imperatoris, tempore Othonis III. donatos, electio Imperatoris vel regis Romanorum eſſet. Etſi autem quo tempore id fieri cœperit, nihil certi affirmare auſim: tamen Electores poſt tempora Rodolphi Habſpurgici non penitus à conuocatione aliorum Principum abſtinuiſſe, ſed hos adhibuiſſe interdum, donec quod temporibus Caroli IV. penitus excluſi fuerint, hiſtoriæ innuunt. Siquidem electioni Rodolphi, cum alios Principes Francofurti congregatos, tum Burggrauium Norinbergenſem interfuiſſe, M. Albertus Argentinenſis *in ſuo chronico* refert. Et ad Comitia celebrata poſt obitum Heinrici VII. tres Auſtriæ duces ac fratres Fridericus, Lupoldus & Albertus, cum Ludouico Bauaro, poſtea rege electo, venere: Nauclero teſte, *generat.* 44. Adhæc Guntheri Schuuartzburgici, contra Carolum quartum deſignati, electioni, non tantum Electores, ſed & alios proceres Francofurti interfuiſſe, ita tamen vt prærogatiua eligendi Electoribus concederetur, idem Nauclerus *generat.* 46. his verbis autor eſt:

Eodem anno Guntherus Comes de Schuuartzenburg ex Thuringia, vir ſtrennuus & bellicoſus, qui plures conflictus proſpere abſoluit, à Principibus Carolo contrariis, vt ſe intromittat de regno, rogatus, renuit: tandem eo pacto annuit, ſi in Francofordia daretur ſententia à Principibus, regnum vacare. Conuenientibus igitur Francofordiæ quatuor ex Electoribus & multis proceribus: datur ſententia ab his, regnum vacare. & eiſdem quatuor ius eligendi competere, vnde in die purificationis Mariæ, eodem anno, per Heinricum archiepiſcopum Moguntinenſem, Ludouicum marchionem in Brandenburg, Rodulphum comitem Palatinum Rheni, & Heinricum iuniorem ducem Saxoniæ, electus eſt prædictus Guntherus in regem Germanorum.

Cui

Cui etiam aſtipulatur M. Albertus Argentinenſis *in ſuis chronicis*, de Electione eiuſdem Guntheri Schuuartzburgici, ſtrenuiſſimi ac animoſiſſimi Comitis, ſic ſcribens: *Guntherus Comes de Schuuartzenburg Turingen, circa quadraginta quinq; annos, vir robuſtus & ſtrenuus & prudens in bellis, qui in ſeruitio Heinrici Moguntini, & quondam Ludouici Principis plurimum laborauit: quique in pluribus conflictibus feliciter praeualens propriis, capiendo & vaſtando plurimum eſt ditatus à Principibus* * *Carolo contrariis ſe intromiſit, de regno rogatur: qui primo & renuens tandem Principes ex pacto aiunt: Si in Franckfurt per principes & nobiles ſententiatum fuerit, vacare regnum & Imperium: maiorq; pars principum qui ſimiliter per ſententiam declarati fuerint, ius habere ipſum, abſq; omni Symonia elegerint, propter Deum dicens, ſe expoſiturum periculis pro Deo Imperio corpus ſuum. Hoc facto, cum exercitu ſuo in campo ſe poſuit iuxta Franckfurt, feria ſexta poſt Hilarii anno* M. CCC. XLIX. *conuenientibuſque inibi principibus 4. & multis aliis Baronibus, & per ſententiam detectam Imperium vacare, & eiſdem quatuor competere ius eligendi, electus eſt in Purificatione per Heinricum archiepiſcopum Moguntinum, Ludouicum marchionem de Brandenburg, Rudolphum de Bauaria, Palatinum Rheni, annuente Ruperto ſuo fratre, capto cum Ruperto fratruele eorum, & Ericum ducem Saxoniae, &c.*

* Locus hic apud Albertũ corruptus eſt.

Quae quidem teſtimonia Chronographorum (meo iudicio) ſatis clare oſtendunt, vſq; ad tempora Caroli IV. alios principes ad comitia Imperatoria, in quibus de Electione Imperatoris vel Regis tractaretur, aſſumptos.

Verum conſtitutione Carolina poſtea eſt introductum, ne ciues Francofurdenſes defuncto Imperatore per omne tempus illud, quo ſuper electione Imperatoris tractari & agi contigerit, neminem, ciuitatem Francofordenſem, cuiuſcunque dignitatis, conditionis vel ſtatus extiterit, intromittant, vel intrare quouis modo permittant, principibus electoribus, eorumque nunciis & procuratoribus duntaxat exceptis, prout id in ea continetur ſub titulo, *Qualis debeat eſſe conductus Electorum, & à quibus*, circa finem. Et ex eo tempore Electores in ſuis ſuffragiis aliorum principum praeſentia ac aduerſatione oneroſa liberati, priuilegiiſque Caeſareae amplitudini paribus donati, titulum Electoratus, antea non vſque adeo frequentem, officiis quae gerunt addere, authoritate creſcere, & bonis ſibi per Imperatores collatis ditari, caeperunt. Ita vt nec luminaribus ipſorum, quibus antea multitudo aliorum principum offecerat, quicquam hodie illuſtrius, nec autoritate amplius ſit.

CAPUT X. & Vltimum.

Argumenta Onuphrii conicientis, Electorum inſtitutionem ſub Gregorio X. ac temporibus Rodolphi exortam, infirma eſſe: aliis contrariis coniecturis probatur.

EXplicata ratione quae olim in comitiis Imperatoriis obſeruata fuit, ita vt loca ab Onuphrio congeſta minime cum opinione communi de inſtitutione Electorum pugnare poſſint: minime neceſſarium eſſet, eius coniecturas de inſtitutione Electorum à communi opinione alienas vlterius refellere: quod ex ſuperius *Capit.* 4 per rationes adductas à me pro communis ſententiae confirmatione abunde & vere ſint refutatae: iuxta id Euripideum, ἀλλ' οἱ λόγοι ϗ παλαίουσι λόγους, Ratio rationem euertit. Veruntamen non tam neceſſitatis, quam ſuperfluitatis gratia, quaſdam his prioribus addere, & eius coniecturis opponere adhuc libet. quarum prima eſt, quod authores grauiſſimi, qui vel ipſis temporibus Rodolphi, vel paulo poſt ea vixere, hanc inſtitutionem Electorum Othoni tribuant: minime id facturi, ſi tale quid ſub temporibus Rodolphi accidiſſet. Nam vt taceam, toties iam memoratos authores Leopoldum de Badenberg, Marſilium Patauinum, alioſque, qui nondum quadraginta annis exactis à tempore Rudolphi, maximis grauiſſimiſque reipub. negociis, ſub Ludouico Bauaro adhibiti fuere, & Othoni hanc inſtitutionem tribuere, non autem Rudolpho: quin & Ptolemaeus Lucenſis, hiſtoricus celebris, qui (vt Blondus *lib.* 8. *Decade ſecunda* teſtatur) temporibus Rudolphi & Adolphi Naſſauienſis vixit, & hiſtoriam pontificum Romanorum, vſque ad Celeſtinum V. deduxit, referente Volaterrano: non Rudolpho, ſed Othoni III. hanc inſtitutionem tribuit. Etſi enim eius hiſtoria hactenus nondum edita, ſed (Deo volente) breui in lucem proditura ſit, tamen quid de Electorum inſtitutione ſcripſerit, ex Platina cognoſci poteſt, qui cum *in vita Gregorii V.* de inſtitutione Electorum citans, in haec verba ſcribit:

Ptolemaeus Lucenſis.

Hos autem Imperatoris eligendi autoritatem primo habuiſſe Ptolomaeus refert: archiepiſcopum Moguntinum, Germaniae: archiepiſcopum Treuirenſem, Galliae: archiepiſcopum Colonienſem, Italiae nomine. His additi quatuor principes, Marchio Brandenburgenſis, Imperatoris poſt electionem camerarius: Comes Palatinus, qui dapes: Dux Saxoniae, qui enſem fert. Sunt qui ſcribant Bohemiae regem ſeptimum Electorem, Imperatoris pincernam eſſe: huic; in eligendo additum eſſe ad tollendam diſcordiam partium. ad viros enim inclinaſſet, ea pars certe potior habebatur. Tuliſſe hoc inique animo Francos aiunt.

Quis ex hoc loco non videt Ptolemaeum, qui tempore Rudolphi vixit, non huic, ſed Othoni III. inſtitutionem Electorum tribuere: & quantumuis Onuphrius vir doctus ſit, quis authoritatem Ptolemaei, quam eius coniecturas, ſequi non mallet? Antiquior ſiquidem, maxime in talib. rebus, melius praeſumitur ſcire veritatem. 20. *diſtinct. c. de quib.* facit 16. *q.* 1. *c. ſic viue*, & ibi notatur, & in *c. ieiunium*, 66. *diſt.* cum aliis multis ſimilibus.

Secundo, cum Onuphrius hanc inſtitutionem Electorum, in magno concilio Lugdunenſi receptam & confirmatam arbitretur, certe valde ineptos ac negligentes ſcriptores eius ſeculi fuiſſe neceſſe

Decreta concilii Lugdunenſis.

neceſſe eſſet, qui cum res minimas ac futiliſſimas in eo concilio decretas deſcripſerint, & ad poſteritatem tranſmiſerint (vt in templis eſſe abſtinendum à confabulationibus: genua in miſſificatione flectenda: negociationes in cœmiteriis non eſſe faciendas: domus alienigenis vſurariis, ad exercendum fœnus, non eſſe locandas: cum aliis eius generis infinitis, quæ ab Antonio *tertia parte hiſtoriarum, tit. 20. cap. 2.* referuntur) rem tanti momenti ſilentio prætermiſerint. Id quod mihi tamen veriſimile non eſt: maxime cum pontifices de hac inſtitutione Electorum, æque atq; de Translatione Imperii, in omne æuum gloriari potuiſſent.

Tertio, quis Rudolphum permiſſurum fuiſſe putabit, vt Othocarus rex Bohemiæ, qui eius electionem ſummis viribus impedire annixus erat, Electoratus dignitate inſigniretur? (taceo bellum ab Othocaro contra Rodulphum motum, quod id poſt inſtitutionem Electorum accidiſſe neceſſe ſit.) Hoſtis honoribus priuari, non augeri vel condecorari conſueuit, argumento *l. naturalem. §. de acquir. rer. dom.* & facit *l. libertas. ff. de ſtat. hom. & Inſtit. de his qui ſunt ſui vel al. iur. §. 2. & Lex hoc iure. ff. de iuſticia & iure.*

Quarto, cum tempore concilii Lugdunenſis, in quo hanc inſtitutionem Onuphrius confirmatam putat, Rodulphus iam Imperator fuerit: & tantam rem eius conſilio adhibito, haud dubie geri & confici oportuerit: cui veriſimile erit, eum extraneos filiis propriis prępoſiturum fuiſſe in dignitate longe ampliſſima? Certe vt ducatum Auſtriæ vacantem filio Alberto, non magno temporis ſpacio poſt interiecto, contulit: ſic eum haud dubie ad dignitatem Electoratus euecturus fuiſſet. Vnuſquiſque etenim filios magis quam alienos diligere præſumitur. *l. ſi quidem. ff. quod metus cauſa. l. ſi pupillorum. §. ſi pater. ff. de reb. eorum. l. nec ei. ff. de adopt. §. fin. Inſtit. de noxal.* Et pater ſemper præſumitur capere ſalubrius conſilium in fauorem filiorum. *l. nec in ea. ff. de adult.* Et dilectio dicitur eſſe inter patrem & filium. *3. quæſt. 5. cap. non omnis.* & not. per Iohan. Andr. *de reg. iur. c. non eſt ſine culpa. lib. 6.*

Auſtria cor & clypeus Imperii.

Non addo hiſce, quod cum Auſtria iam inde à temporibus Friderici ſecundi, qui eam *cor ac clypeum Romani Imperii* appellauit, eius potentiæ ac autoritatis, vſq; ad tempora Rodolphi fuiſſet, vt nulli alii ducatui cederet, Rodolphus non minorem eius, quam alterius ducatus, rationem in diſtributione electoratuum veriſimiliter habiturus fuiſſet.

Cui deniq; perſuadebitur, Gallos, qui iam inde ab Hugone Capeto quam grauiſſime tulerant, maieſtatem Imperii apud Germanos manſiſſe omnemq; lapidem quam ſæpiſſime mouerant, de ea per quoddam Senatuſconſultum in Gallias reducenda, eo tempore quo pontificem tali præſidio circumſeptum, iisq; locis incluſum tenebant, vt neutiquam ipſorum manibus elabi poſſet, permiſſuros fuiſſe, Lugduni talem conſtitutionem condi ac promulgari, qua omnis aditus Imperii recuperandi, ipſis quodammodo in perpetuum præſcinderetur? Ita Gallorum animos Imperii cupidos eſſe conſtat, vt quis citius concilium hoc nunquam Lugduni celebratum, quam tale quid præſentibus Gallis decretum fuiſſe, crediturus ſit.

Vltimo, Onuphrius hac Electorum inſtitutione, pontifici Romano ius electionis, quod in Imperatoribus eligendis habuerit, è manu ereptum, atq; in ſeptem tantum hominum poteſtatem collatum eſſe conqueritur: cum admiratione incredibilis, huius ſeculi, ignauiæ, quæ id tam patienter ferat. At pontifici Romano, vel eius legato, iam temporib. Philippi Sueui & Innocentii tertii, nullum ius in electione competebat, nec etiam id pontifex ſibi arrogabat: vt clare liquet in toties iam allegata decretali, *Venerabilem*, ſtatim poſt principium: quomodo ergo iure eligendi Imperatoris, temporibus Philippi Sueui, pontifici non competente, id temporibus Rodolphi ei adimi potuit? vel eius ademptio ad ea tempora referri? Priuatio ſiquidem præſupponit habitum. *l. decem.* & ibi Bartolus & doctores notant. *ff. de verbor. oblig.* cum aliis ſimilib.

Verum quid plures coniecturationes, ad euertendas Onuphrii, conquiri neceſſe eſt, cum eæ ſua infirmitate vix conſiſtentes facili momento corruant? Nam quale hoc ſit argumentum, quod poſt tempora Rodolphi multa Electorum mentio, nulla vero antea fiat: ſupra cap. 6. eſt declaratum.

Alterum vt debilius, ſic ridiculum quoq; nonnihil eſt, quo coniicit, errorem eorum qui hos ſeptem Electores à Gregorio V. inſtitutos fuiſſe exiſtimant, ex ſimilitudine nominum ſubortum, V. pro X. ponentium. Si enim contra manifeſtam Chronographorum atq; aliorum ſcriptorum autoritatem ita coniicere licet, quis mihi vitio vertet, ſi Electores tempore Gregorii II. inſtitutos eſſe dixerim: quod is Germanos è tenebris opera Bonifacii Angli monachi erutos, recepta veritatis luce ornare voluerit, apoſtolo Germanorum Bonifacio præ cæteris primatum inter Electores conceſſo: aliis per errorem pro II. quæ linea recta ſcribenda ſunt, V. flexu incuruato ſcribentibus? Vel ſi dixero, Electores à Gregorio nono inſtitutos, quo Fridericum ſecundum ab eo excommunicatum deponerent, aliumq; Imperatorem crearent, an male coniectuaſſe videbor? Nec tertiũ quod adfert maioris momenti eſt, arbitrans, cum in eo concilio noua pontificis Romani electio inſtituta fuerit, fieri potuiſſe, vt de epiſcoporum Germaniæ conſenſu, idem de Imperatoriis comitiis factum fuerit. Nam initio, vt prætermittam omnes rationes contrarias ſuperius poſitas, itidem coniecturas præcedentes, cum pontifices Imperii formam cum papatus ordinatione conformare voluerint, quare non totidem Electores, quot cardinales, conſtituerunt: maxime cum quæ dignitas eſt cardinalium, eadem quoque Electorum eſſe feratur? & tanta ne principes Germaniæ pontificis Romani mancipia fuiſſe exiſtimabuntur, vt quicquid ipſe ſtatuerit, paucis epiſcopis conſentientibus, id, ipſis abſentibus & non conſentientibus, ratum habendum fuerit? Id vero minime mihi

proba

probabile videtur. nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *cap. quod omnes, de regul. iur. in 6.* cum multis ſimilibus. Nec præſumitur princeps vel papa velle auferre ius alterius contra iuſtitiam, *l. 2. §. merito. & §. ſi quis à principe. ff. ne quid in loco publico*: & eſt text. *in cap. ex tuarum. de vſu & authoritate pallij.* Felinus *in c. cauſam quæ,* in verbo *Interpretatio, de reſcriptis.* Iaſon *in l. 1. & in l. fin. in 4. col. ff. de conſtit. princip.*

Quandoquidem itaque ex præcedentibus ſatis manifeſte apparet, nouam Onuphrij ſententiam de electorum inſtitutione, rationibus perquam infirmis ſuffultam, ita vt contra eas communis opinio hiſtoricorum, inſtitutionem Electorum Ottoni tribuentium, inconcuſſa ſubſiſtat: ego inſtituto meo ad exitum (Dei fauore) perducto, finem huic opellæ impono. Cætera, quæ de Electorum numero & priuilegijs, aliiſque ad hos pertinentibus dici poſſent, in alium locum reſeruans: ac hæc qualiacunque ſint, iudicio æqui lectoris permittens. Neque etenim adeo mihi mea arrident, vt ea potius inſtar Suffeni ipſemet mirari atque extollere, quam aliorum cenſuræ ſubijcere malim: memor dicti Platonici, quod *libr. 5. de Legibus* extat: τὸ γὰρ ἀληθείᾳ γε πάντων ἁμαρτημάτων διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν αἴτιον ἑκάστῳ γίγνεται ἑκάστοτε. τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν: ὥστε τὰ δίκαια καὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ καλὰ κακῶς κρίνει, τὸ αὑτοῦ πρὸ τοῦ ἀληθοῦς ἀεὶ τιμᾶν δεῖν ἡγούμενος. οὔτε γὰρ ἑαυτόν, οὔτε τὰ ἑαυτοῦ χρὴ τόν γε μέγαν ἄνδρα ἐσόμενον στέργειν, ἀλλὰ τὰ δίκαια ἐάν τε παρ' αὑτῷ ἐάν τε παρ' ἄλλῳ μᾶλλον τυγχάνῃ πραττόμενα. Ac vt à viris bonis omnia æqua mihi polliceor, ſic vt Onuphrius ſtatuat, velim, hoc qualecunque ſit, non eo animo à me ſuſceptum, vt laudibus eius, quæ ei ob multarum rerum vtiliſſimarum inueſtigationem debentur, detraherem: ſed vt veritas rei tam nobilis, ac non ſolum dignæ, ſed & neceſſariæ cognitu, erueretur. Cognita eſt Germanis pleriſque eius, in antiquitatibus indagandis induſtria, & probata eruditio. At ſi quis eius ſententiæ in rebus patriis, quarum forte æque ac ille ſtudioſus eſt, minime ſubſcribat, ac vt ex tripode profectam veneretur: id non tam ex inuidia vel obtrectatione laudum eius, quam amore veritatis fieri exiſtimet: nec vſque adeo grauiter atque moleſte ferat, pluſculum diligentiæ ac veritatis in Italis ſcriptoribus à Germanis interdum requiri, videntibus æque ac alijs exteris, quam frequenter ipſi falſa & à fide hiſtorica penitus aliena ſcribant. Ac etſi Onuphrius Italos hoc excuſatos putet, quod rebus Germanicis tradendis minime vacent: quam tamen hoc dictum indignum hiſtorico ſit, non dubito, quin ipſe videat. Nam cum prima lex hiſtoriæ ſit (teſte Cicerone) ne quid falſi dicere audeat: deinde, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio ſit gratiæ in ſcribendo, nec qua ſimultatis: an ne hi hiſtorias vel fabulas ſcribere videbuntur, qui falſa pro veris, incomperta pro compertis referre non erubeſcunt? Imo dum ſe hiſtorias ſcripturos pollicentur, hoc ipſo ſe ad veritatis indagationem, & mendaciorum fugam, ſiue res ſint patriæ, ſiue exoticæ, aſtringunt. In quo latius oratio excurrere geſtiret: ſed eam intra metas hoc tempore contineo, quo id quod in initio pollicitus ſum, præſtem, & ad finem exoptatum eo maturius perueniam. Hoc tamen præterire non poſſum, cum Onuphrius Germanis allegata religionis mutatione, magnam rerum nouandarum ambitionem exprobrarit; cupere me, vt quod in his reprehendit, ipſemet vitare ſtuduiſſet: neutiquam tunc eum ſcripturum fuiſſe, ſe vehementer mirari incredibilem huius ſeculi ignauiam, atque in primis Romani pontificis: poſt Italiæ, deinde cæterorum principum inertiam, qui omnes comitijs Imperij intereſſe ſoliti, ius tantæ electionis ſibi è manibus eripi, atque in ſeptem tantum hominum poteſtatem collocari permiſerint. Vt etenim Germanis iniuriam inſignem facit, qui neutiquam religionem mutarunt: ſed vitia, quæ pontificum Romanorum ignauia & impietate in Eccleſiam irrepſerant, mandato Dei, ſuam vocem omnibus rebus humanis anteferre iubentis, correxerunt; ſic ipſe, qui præſentem Reipubl. formam mutatam cupit, non ſolum in reprehenſionem innouationis, ſed & ſuſpicionem ſeditionis incidit. De quo plura dici poſſent, nec immerito: ſed hæc admonuiſſe, non exaggeraſſe volui; ſperans Onuphrium hæc non tantum amice accepturum, ſed & de Germanis in poſterum æquius ſenſurum eſſe.

III.

ΡΩΜΑΙΟ-ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

Id eſt:

SVMMARIVM, IN QVO PRÆCIPVA IVRA, RITVS, ALIAQVE CIRCA ELECTIONEM ET INAVGVRATIONEM NOVI ROMANORVM REGIS ADHIBERI

atque obſeruari ſolita, quum ex aurea Bulla breuiter recenſentur, tum additis quibuſdam Electionum hiſtorijs illuſtrantur.

GENERE, DOCTRINA, RERVMQVE VSV PRÆSTANTISSIMO VIRO, D. ADRIANO

von der Mylen/ꝛc. fautori & amico ſumme colendo.

REm omnium difficilimam in Germania noſtra iam tractari, vir præſtantiſſime, non ignoras. Agitur enim de ſummo conſtituendo Imperatore, cuius nutu quum cætera regiones, tum inprimis tota Germania dirigatur. In euentum huius deliberationis ſcio omnium fere quum Principum, tum priuatorum oculos atque animas intentas eſſe; & vt varia ſunt vota, ita varias quoque circumferri paſſim opiniones & ſententias: ſed futura quis poſſit prænoſcere? quæ vt ſoli Deo nota, ita in eius vnius ſunt manu. Quum igitur hac in re quidquam augurari vel diuinare nec libeat nec liceat: operæ precium putaui ex præteritis hiſtoriis quædam colligere, e quibus non imprudens animus non omnino nihil de futuris conijcere poſſit. Animus quidem initio fuerat latius vagari, & multa ex antiquitate illa repetere: verum vrgente Typographo, vela contraxi, & pauca quædam ſuperioris aui hunc in libellum collegi: quem Tuo nomini inſcribo, dico ac nuncupo, maiorem in modum rogans, meum vt hunc conatum bonam in partem accipias, meque de meliore nota commendatum habeas. Vale, Coloniæ Agrippinæ XIX. *Maij*, M.DCXII.

T. Amplitudini

addictiſſimus

Caſpar Ens L.

CAPVT I.

MODVS PRINCIPES IMPERII SEPTEMVIROS, AD ELIGENDVM NOVVM ROMANORVM REGEM CONuocandi, ac cætera, quæ eo pertinent, peragendi.

CAROLVS Bohemiæ Rex, Cæſar eius nominis Quartus, anno ſalutis M.CCCVI, legem quum de alijs rebus, tum de modo ac ratione Imperatorem eligendi tulit, quam *Bullam auream* vulgo appellant: cuius inter alia hæc ſnut capita: Vt mortuo Cæſare, Archiepiſcopus Moguntinus, quamprimum reſciuerit, cæteris Electoribus illico denunciet, & certum diem conſtituat, vt intra tertium menſem Francofurti præſto ſint ipſi vel ipſorum legati, cum plenis mandatis, noui Regis Romanorum aut Cæſaris eligendi cauſa. Quod ſi facere Moguntinus negligat, cæteri Collegæ nihilo ſecius intra tempus illud conueniant, & comitatum habeant ſinguli non ſupra CC. equites, quum oppidum ingrediuntur, & in his armatos ad L. qui nec ipſe venerit, nec legatum miſerit, aut ante confectum negotium diſceſſerit, ius Electionis ea quidẽ vice amittat. Senatus populuſq; Francofurtenſis omnem fidem & tutelam Electorib. & eorum legatis præſtet, ac durante comitio, neminem præter Electores eorumq; familiam intromittat. Vbi conuenerint Electores omnes, in æde D. Bartholomæ ſacrum fiat, & Miſſa de Spiritu S. decantetur: quibus peractis, ſinguli iurent, verbis Moguntino præeunte, nihil ſe facturos ea in re, vllius vel pacti, vel largitionis, vel pollicitationis cauſa: poſtea ad tractationem ipſam veniant, nec prius inde diſcedant; quam creato Cæſare: quod ſi res vltra triceſimum diem differatur, omnibus alijs detractis cibarijs, præter panem & aquam nihil eis detur. Quem maior pars elegerit, hic eodem loco ſit, ac ſi communibus omnium ſuffragijs, nemine repugnante, electus eſſet. Ad hunc modum deſignatus Cæſar omnium primo confirmet Electoribus omnia priuilegia, & quidquid ad ipſorum dignitatem, decus, libertatem ac immunitatem pertinet. Præter hæc cauetur etiam atque ſtatuitur,

ſtituitur, quemadmodum alter alteri per ſuos fines tutum iter præſtare, quem quiſque locum in conſeſſibus obtinere debeant, quomodo exquirenda ſint ſuffragia, quod cuique obeundum ſit munus. Cæſare publice quid agente aut prandente. Adhæc, vt interregni tempore penes palatinum ſit ſumma rerum per Sueuiam, Franconiam & oram Rhenanam; penes Saxonem vero iis locis, quæ iure vtuntur Saxonico. Vt Electori mortuo ſuccedat natu maior filius, aut frater conſanguineus. Vt Electoris locum, qui eſt infra decimumoctauum ætatis annum, expleat agnatus proximus, donec ille adoleuerit. Vt Electores quotannis conueniant, deq; republica deliberent. Vt Francofurti fiat electio, Aquiſgrani vero prima coronatio. Vt Electorum filii primis ab annis Italicam, Latinam & Illyricam linguas condiſcant, &c. Ceterum pro ſtatu præſenti etiam aliæ conditiones & leges ab Electoribus nouo deſignato Romanorum Regi præſcribi ſolent, quemadmodum in ſequenti Caroli V. exemplo videre eſt.

CAPVT II.

Leges ſeu conditiones Carolo V. Romanorum Imperatori deſignato ab Electoribus præſcriptæ, & ab eodem acceptæ.

TVeatur Rempublicam Chriſtianam, Pontificem & Eccleſiam Romanam, cuius ſit aduocatus. Ius æquabiliter adminiſtret, & paci conſulat. Leges omnes Imperij, præcipue quam Auream vocant Bullam, non modo confirmet, ſed de ipſorum conſilio, quum res ita feret, amplificet etiam, Senatum in imperio conſtituat ex Germanis delectum, qui rempublicam adminiſtret. Iura, priuilegia, dignitatem, immunitatem Principum minime conuellat aut imminuat, ſed potius augeat. Electoribus liceat, quum opus erit, conuenire, deque republica deliberare: nullum autem ipſe, quo minus id faciant, impedimentum ipſis inferat, nec in malam partem accipiat. Plebis & Nobilitatis fœdera vel ſocietates aduerſus principes initas, aboleat, & ne tales in poſterum fiant, lege prohibeat. De rebus Imperii nullum fœdus aut pactũ faciat cum exteris quibuſcumque, niſi de Septemvirorum aſſenſu. Facultates imperij neq; diſtrahat, neque oppignoret, nec alio quouis modo deteriores faciat, & quæ ſunt ab alijs Nationibus occupata, vel ab Imperio diuulſa, primoquoque tempore recuperet; ſic tamen ne quid fraudi ſit illis, qui vel iure vel priuilegio aliquo nituntur. Si quid etiam vel ipſe, vel ipſius familiæ quiſpiam poſſideat, quod ſit Imperij, non acquiſitum legitime, reddat, interpellatus à Septemuiris. Cum vicinis aliiſque Regibus pacem & amicitiam colat; neque pro rebus Imperij, niſi de ordinum omnium, præcipue Septemuirorum conſenſu, bellum ſuſcipiat vllum intra vel extra fines Imperij. Peregrinum militem in Germaniam non adducat, niſi conſentientibus illis: quod ſi autem bello petatur vel ipſe vel Imperium, liceat vti quibuſcumque præſidijs. Conuentum Imperij nullum indicat, neque vectigal aut tributum imperet, niſi de conſenſu Electorum. Conuentus non agat extra fines Imperij. Negociis & muneribus publicis præficiat non exteros, ſed Germanos. Literæ omnes Germanico aut Latino ſermone conficiantur. Extra fines Imperij nullum ordinem in ius vocet. Quia Romæ multa fiunt aduerſus pacta quondam inita cum Pontificibus; det operam apud Pontificem, ne qua fraus priuilegijs fiat, & Imperij libertati. Quomodo mercatorum monopolia valde perniciosa Germaniæ coerceri debeant, cum Electoribus rationem ineat, ac rem ſæpe hactenus deliberatam ad exitum perducat. Portorium aut vectigal nullum imponat, niſi aſſentiantur Electores: neq; literis quibuſcumq; Electorum, qui ſunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat. Si quam habet actionem contra aliquem ordinem, legibus experiatur, vim autem nullam adhibeat ijs, qui ſe cognitioni legitimæ ſiſtunt. Neminem indicta cauſa proſcribat, ſed iuris ordinem in eo ſequatur. Imperij bona quæ forte vacabunt, nemini conferat, ſed ad publicum patrimonium referat. Si quam alienam prouinciam auxilijs ordinum acquiret, Imperio coniungat; ſi publicum quid ſuis copijs atque armis recuperabit, Reipublicæ reſtituat. Quod interregni tempore Palatinus & Saxo publice egerint, ratum habeat. Conſilium nullum ineat, quo dignitatem Imperij familiæ ſuæ peculiarem & hæreditariam faciat, ſed liberam atque integram permittat Septemuiris eligendi facultatem, iuxta Caroli Quarti legem, & iuris Pontificij præſcriptum (Innocentij III. Epiſtolam Decretalem intelligunt, qua is fatetur Electoribus liberam eſſe Cæſaris eligendi facultatem, neque eam hæreditariam eſſe) quod ſecus factum erit, irritum habeatur. Vbi primum licebit, in Germaniam ſe conferat, Imperiumque ſuſcipiat.

CAPVT III.

Summa conſultationis ſiue diſceptationis inter Moguntinum & Treuirenſem Archiepiſcopos, &c. in comitiis Electoralibus, Anno M. D X I X.

MAximiliano I. Cæſare optimo rebus humanis exempto, duo in primis Imperium ambiebant, Franciſcus Galliæ, & Carolus Hiſpaniæ rex, è ſtirpe Auſtriaca originem ducens. Magno tum res erat in diſcrimine, præſertim ob belli inter Gallos, & Hiſpanos ac Belgas metum: quod Franciſcus occupato Mediolano, & profligatis magno prælio Heluetijs, Burgundica fœdera diſſoluerat, & noua cum ijs fecerat, quorum ſibi profuturam amicitiam exiſtimabat; inprimis vero Leonis X. Pontificis ſtudium ſibi adiunxerat, vt ab eo in Imperio impetrando adiuuaretur. Inter Electores etiam Treuirenſis Archiepiſcopus Richardus, ex Greiffenclauiorum familia, Gallorum rebus eximie ſtudebat. Quum ergo Electores de more à Moguntino vocati, ad diem Iunij XVII. in æde

regiæ dignitatis; ſed quia officialis Imperii fuerit, Bohemum Electorem factum refert: licet eum regem nominet, quod tunc temporis eſſet. Cui etiam conſentit Marſilius Patauinus *de Translatione Imperii, ca.* 10. Leopoldus de Babenberg *de iuribus regni & Imperii li.* 2. Et Cardinalis Hoſtienſis in *c. Venerabilem. extra de electione & electi poteſt.* expreſſe ait: quod tunc temporis cum Bohemus Elector factus ſit, dux, non rex fuerit: eumq; ſequitur Albericus de Roſate in ſuo *Dictionario*, in verbo, *Electio Imperatoris*: & Cardinalis Zabarella in *c. 1. in prin. ext. de iureiur.* vna cum aliis Canoniſtis in *d. c. venerabilem.* Ac meo iudicio, ſi qui ſunt authores qui inſtitutionis Electorum, mentionem facientes, Bohemum regem appellant, vt Nauclerus *generat.* 34. Cuſpinianus *in vita Othonis tertii*, aliique nonnulli, hi non id ſentiunt, quod Othonis tempore rex fuerit: ſed quod tunc cum ſcripſerint, rex eſſet: vtpote, qui ipſi tradiderint ducem Bohemiæ Vladislaum, anno Salutis 1158. à Friderico primo regio diademate inſignitum. Cuſpinianus quidem *in vita Friderici Barbaroſſa*, Nauclerus vero *generat.* 39. duobus in locis. Cum itaq; præcipui autores ſententiæ communis de inſtitutione Electorum, quantum ad Bohemum ſpectat, non reſpiciant regiam dignitatem, ſed officium pincernæ: videt Onuphrius ſe ex hac ratione nihil, vel parum admodum extruere poſſe.

Eiuſdem quoq; momenti eſt ratio, quam huic accumulat, nimirum quod cum ſchiſmate Imperii, quod inter Philippum Sueuum & Othonem quartum fuit, ab Vrſpergenſe referantur principes, qui vtrumq; elegerint: nullus tamen eorum principum ſecularium recenſeatur, qui nunc Electores dicuntur: ſed vtrorumq; comitia ab iis potiſſimum Germaniæ principibus habita fuiſſe narrentur, quorum nullus noſtra ætate electionis ius, vel Electoris titulum habeat. Hic vero non incommode vel intempeſtiue, malorum quæ fraudibus, ſcelere & tyrannide pontificum Romanorum in Germania excitata fuere, meminiſſe, ac iis deploratis, reſpondere poſſem: id quod Græco prouerbio fertur, τὸν πόλεμον ἀπείλητον εἶναι πονηρῶν: ac veritatem veteris verſiculi, experientia tunc temporis comprobatam, quo fertur:

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

id eſt: *Peſſimus vt quiſq; eſt, ſic creſcere honoribus, orta*
Seditione ſolet, premitur contra optimus omnis.

Sed ne ea refricem, quorum recordatio nemini bono grata eſſe poteſt: hanc rationem ex ipſo Vrſpergenſe, vnde Onuphrius eam ſumpſit, rectiſſime quoq; ſolui poſſe exiſtimo. Nec enim quod Onuphrius vult, Vrſpergenſis quenquam iſtorum qui nunc Electores dicuntur, interfuiſſe comitiis iſtis ſchiſmaticis, negat: quin imo eos adfuiſſe oſtendit. ſic etenim ſcribit: *natalem Domini in caſtro Hagenau celebrauit, vbi venerunt ad eum officiales & miniſteriales, & quidam de principibus & Baronibus terra, cum quibus habuit myſterium conſilii ſui.* Quid enim ſibi volunt verba: *Venerunt ad eum Officiales?* An alii officialium appellatione, quam Electores intelliguntur? Sane Martinus, Leopoldus, Marſilius Patauinus, Albericus & alii *officialium* nomine Electores comprehendi, iamdiu tradiderunt: & eorum interpretationem veram eſſe, ipſe Imperator Carolus IV. *in aurea ſua Bulla ſub titulo, De Iuribus officialium, dum principes feuda ab Imperatore vel rege Romanorum recipiunt*, dum inquit:

Officiales qui

Decernimus hoc Imperiali edicto, vt principes Electores, Eccleſiaſtici, vel etiam ſeculares, dum feuda ſua regalia ab Imperatore vel rege recipiunt, ad dandum vel ſoluendum aliquid, nulli penitus ſint adſtricti: nam pecunia qua talis prætextu perſoluitur, officiatis debetur. Cum ergo ipſi principes electores cunctis imperialis curiæ præſint officiis, ſuos etiam habentes in officiis huiuſmodi ſubſtitutos, datos ad hoc à Romanorum principibus, & dotatos: videtur abſurdum, quod ſubſtituti officiales, à ſuis ſuperioribus quocunq; quæſito colore, encænia poſtularent, niſi forte ipſi principes Electores ſponte & liberaliter his aliquid largirentur. Quis hic non videt, ipſum Imperatorem officialium nomine ipſos Electores intelligere? Teſtimonio itaque tantorum autorum ſtamus, donec meliora allata fuerint.

Poſtremo, ad præcedentes rationes quod attinet, etſi probabilibus coniecturis nitantur, & ab hiſtoriarum perito ingenioſe ſint excogitatæ: non tamen vſq; adeo firmæ ac validæ ſunt, vt id quod ſibi pollicetur Panuinius, euincere queant, quinimo recte rem totam ac diligentius conſideranti, communem ſententiam ſcriptorum contra ipſas immotam ſubſiſtere apparet. Sed de rationibus Onuphrii ſatis.

CAPVT IX.

Qua ratione comitiis imperatoriis alii quoq; principes, quam Electores, apud Chronographos interueniſſe legantur.

IAm excuſſis Onuphrii rationibus, earumq; infirmitate demonſtrata, ordo exigit, vt ad teſtimonia ex variis authoribus hinc inde pro confirmatione ſententiæ ſuæ agglomerata, reſpondeam. Ac cum ſtatuam ex communi authorum ſententia, Septemuiros ante tempora Friderici II. fuiſſe inſtitutos: exponam, qua ratione præter ſeptem principes Electores, alii quoq; complures Electoria dignitate minime inſigniti, comitiis Imperatoriis interfuiſſe, & crebro ſuis ſuffragiis Imperatores elegiſſe, apud hiſtoricos in variis locis memorentur. Id etenim ni factum fuerit, fruſtra omnis labor in præcedentibus explicandis exhauſtus erit. Maior ſiquidem in vera locorum accumulatorum conciliatione, quam præcedentium rationum refutatione victoriæ ſpes ſita eſſe videtur. Idq; cum animaduerterem, diligenter accurateq; mihi cogitandum duxi, quomodo tot autorum teſtimonia inſtar aciei haſtatorum condenſata, vno impetu perrumpi poſſent. At quo magis magiſq; de ea re cogita-

cogitaui, tanto inextricabilior difficiliorq; eſt facta, ita vt ſæpius in Panuinii ſententiam concedendum, & haſta abiecta ex arena ſecedendum arbitrarer. Verum dum pertinacius inſto, ac nihil quod ad tam difficilis nodi diſſolutionem pertinere poſſet, inquirere atque rimari deſiſto, fit vt mihi forte fortuna quaſi Deus ex improuiſo apparens, liber peruetuſtus *de iure Cæſareo, regio, feudali ac nationali* inſcriptus ad manus veniat: quem cum auide percurro, inuenio in eo cum alia multa vtilia circa feudales ſucceſſiones, tum vero ritus ac iura olim in Imperio obſeruari ſolita. Inter quæ & locum ad expediendum nodum ex variis autorum teſtimoniis, ab Onuphrio contra Septemuirorum veterem in eligendo Imperatore prærogatiuam conuolutum, perquam appoſitum. Eo ergo lecto, quin gaudio exultarem, continere me non potui. Etſi enim libri paucis hucuſque cogniti, non eam fidem fore cernerem, vt eius autoritate contra quoslibet irrefragabiliter niti poſſem: tamen cum in eo alia quam plurima tradantur, quæ hodie abrogata, olim autem in vſu fuiſſe, ex hiſtoriis conſtat: nec ad horum locorum diſſolutionem, eius autoritatem ſequi atque amplecti dubitaui. Vt etenim aliis omnibus Iuribus antiquis, tam publicis quam priuatis, quæ in eo commemorantur omiſſis, eorum ſaltem vnum atque alterum exemplum proferam, quæ autor libri iſtius circa iura Electorum in vſu fuiſſe tradit, iam autem abrogata vel immutata eſſe cernuntur. Inter alia tradit, *Moguntinum primam vocem in electione habere: & Palatino Rheni, Imperatore defuncto, ius conuocandi Electores cum archiepiſcopo Moguntino commune eſſe. Illi quidem ſub pœna proſcriptionis, huic vero ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ. Deinde Bohemum, quantumuis inter Electores numeretur, ius eligendi non habere.* Quis hæc immutata non nouit? Hodie ſiquidem ex conſtitutione Carolina, Moguntinus coelectorum ſuorum ſuffragia perquirit: quo facto, ipſi viceuerſa eius intentationem requirunt: itidem ſolus Moguntinus, cæteris Electoribus patentibus literis, diem, locum & tempus electionis indicat: & Bohemus tanquam primatum inter laicos Electores obtinens, tertium ſuffragium habet. At olim ſecus fuiſſe, vt author libri refert, hiſtorici literis proditum reliquere. Nam Moguntinum olim primam vocem habuiſſe, teſtatur Radeuicus *libro tertio, capitulo* 16. & Palatino ius conuocandi Electores fuiſſe, Cuſpinianus *in vita Caroli IV.* non longe à principio, & rurſus *in vita regis Ruperti* tradit. Bohemum vero in electione minime neceſſarium fuiſſe, autor grauis eſt Cardinalis Hoſtienſis in ſæpius allegato *capit. venerabilem.* §. *vero,* cum aliis quam plurimis autoribus. Cum ergo non tantum in his, ſed & in aliis, tradita ab autore libri memorati, cum hiſtoriis conſentiant, quis eius autoritatem in hac re quoq; non diſcrepantem ab hiſtoriis, aſpernandam arbitrabitur? Acceſſit poſtea ad confirmandam apud me autoritatem libri eius, quod doctiſſimum virum ac rerum Germanicarum illuſtratorem eximium, Sebaſtianum Munſterum ex eo *Coſmographia ſua Germanica libro* 3. non tantum peculiare caput (neſcio qua de cauſa in Latino exemplari omiſſum) de Iuribus nationalibus conditis poſt translationem Imperii ad Germanos, interuiſſe: ſed & eundem, tanquam vetera Germaniæ iura continentem laudaſſe competerim, ea commemoratione adiuncta ſibi primum anno Domini 1543. à conſule Baſilienſi Adelbergo Meiero, omnis antiquitatis ſtudioſo communicatum fuiſſe. His ergo rationibus perſuaſus, autoritatem memorati libri, ad nodi ab Onuphrio variorum teſtimoniorum coacernatione connexi, diſſolutionem allegare atque proferre non vereor, omni dubitatione ſepoſita, viros candidos atque ſinceros, reipſa perpenſa, conceſſuros huius loci ſubſidio, nodum inexplicabilem alias, aptiſſime atque facillime tanquam Tenedia bipenni incidi poſſe. His itaque præmiſſis integrum caput, in quo de Electoribus agitur, numero triceſimum, de verbo ad verbum fideliter redditum ſubiiciam, cuius titulus hic eſt:

Liber de iure Cæſareo & regio. &c. qui Francofurti impreſſus eſt.

Sebaſtianus Munſterus.

Adelbergus Meierus.

Qui Regem Romanum eligere debeant.

R*Egem Romanorum tres principes ſeculares, & quatuor laici, creanto: epiſcopus Moguntinus cancellarius per Germaniam, primam vocem in Electione habeto: epiſcopus Treuirenſis ſecundam. Colonienſis tertiam. Laicorum principum duo eliguntо: duo ſuffragantor. Primus in electione comes Palatinus Rheni, Imperii dapifer, primam ſcutellam ponito in menſa ante regem: Secundus in electione, dux Saxoniæ, Imperii marſchallus, regi enſem praferto: Treuirenſis cancellarius regni Arelatenſis eſto: & hæc tria officia Electorum connexa ſunto. Tertius, marchio Brandenburgenſis, camerarius Imperii, regi aquam abluendis manibus prabeto.*

Quartus, rex Bohemiæ, Imperii pincerna, regi Romanorum primum ſcyphum ad bibendum porrigito. Veruntamen ſciatur, regi Bohemiæ nullum ius electionis eſſe. nam Germanus non eſt. reliqui autem quatuor & à patre & matre: vel ab altero tantum Germani ſunto, & cum Electionem facere volent, conuentum Francofurtum indicunto: Moguntinus, ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ: Palatinus, ſub pœna proſcriptionis. Conſortes electionis, qui cum ipſis eligent, deinde alios principes, quotquot eorum habere poterunt, conuocanto. Numerus principum ideo inæqualis eſt conſtitutus, vt tribus vnum eligentibus, & quatuor alium, tres tanquam pauciores, ſequantur quatuor: idque ita in omni electione ſeruator.

Ex hoc ergo Capite quilibet mediocriter prudens, etiam me tacente, præter alia & hoc facile videre poteſt, olim aliam in eligendo Imperatore vel rege, formam ac rationem per Electores ſeruatam, quam quæ hodie recepta eſt. Nam etſi tunc Electores æque ac nunc eſſent, & in eligendo Romanorum rege vel Imperatore prærogatiuam haberent: tamen reliqui principes non penitus ab ele-

ab electione excludebantur: ſed ab Electoribus tanquam Imperii primoribus vocati, regis futuri electioni adhibebantur. Hodie vero, vt notum eſt, aliis principibus remotis, omnis eligendi poteſtas ad ſolos Septemuiros translata eſt. Huius rationis cum hiſtorici non meminerint, vel quod vſque adeo tunc temporis nota fuerit, vt eam literis tradi minime opus fuerit, vel quod ipſos ea latuerit, nec Onuphrius (etſi alias in hiſtoriis exercitatiſſimus) eius probabiliter gnarus eſſe potuerit: factum eſt, vt dum tot authorum loca à ſe ſummo ſtudio obſeruata cum ratione eligendi regis iam longiſſimo tempore obſeruata, conciliare ac conformare nequiuerit: Electores tum temporis fuiſſe neget, ac communi authorum opinione de Electorum inſtitutione reiecta, regem Romanorum, vel Imperatorem ab omnibus regni Germanici principibus tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus poſt tempora Othonis III. æque atq; ante ea creatum fuiſſe ſtatuat.

Verum conſiderato eo quod iam diximus, nimirum vetuſtis temporibus Principes non penitus à conuentibus vel deliberationibus in quibus de electione Imperatoris vel regis tractaretur, excluſos: imo ad eos per principes Electores vocatos fuiſſe, loca ab Onuphrio collecta, neutiquam opinioni communi de Electorum inſtitutione aduerſantur: ſed omni difficultate ſublata, cum ea ad optimam facillimamq; concordiam reducuntur. Nam tam Eccleſiaſtici quam ſeculares à Moguntino ac Palatino vocati, Electionibus intereſſe ſunt ſoliti: ita tamen, vt Electores tanquam præcipui voce ac electione cæteris anteirent, ac quæ ex commodo & vſu reipub. eſſe arbitrarentur, proponerent, reliquis ea approbantibus: vel ſalute publica ac neceſſitate exigente, ea emendantibus. Atq; hinc eſt, quod aliquoties apud chronographos legitur, Imperatorem ab vniuerſis Germaniæ principibus electum: non quod poteſtas eligendi æque apud omnes fuerit, ſed quod Electorum votis atq; ſuffragiis aliorum Principum approbatio acceſſerit.

Etſi autem hi qui prærogatiua eligendi caruere, Electorum autoritate ſuppreſſa, Imperatores interdum conſtituiſſe legantur, vt à Vuirtzburgenſi & Metenſi epiſcopis, Bauariæ & Carinthiæ ducibus Rodolphum Sueuiæ ducem tempore Heinrici IV. regem Forchemii electum eſſe, Vrſpergenſis & Lambertus Schafnaburgenſis referunt, tamen id noſtræ ſententiæ parum obſtat. Nam etſi tales numero interdum ſuperiores fuerint: ſemper tamen in eorum factione fuerunt, quibus ius eligendi competiit, vt non tam ipſorum authoritate quam horum res geſta videatur. Sic namq; in electione Rodulphi, prædicti epiſcopi & duces, Sigefridum Moguntinum, fautores Othonis IV. contra Philippum Sueuum Colonienſem & Treuirenſem, capita factionis ſuæ habuerunt.

Et ſi quis iuſto dolore excandeſcens talia non tam iure & conſuetudine, quam ſcelere pontificum Romanorum facta eſſe dicat, næ ille veritatis ſcopum attigerit. Quoties etenim pontifices Romani vel odio noſtrorum Imperatorum; vel veſana dominandi cupiditate incenſi, plus quam ciuilia bella diabolico furore in Germania excitarunt, vt imperii maieſtate euerſa, ac Electorum ſuffragiis ſublatis, ipſi ſoli tyrannidem ſuam libere exercerent? Non tota Ilias harum rerum hiſtoriam caperet. Et quam horribiliter adhuc, vix centum ab hinc annis, peſſimus Germaniæ deprædator & expilator inſignis Æneas Syluius, Dietherum Iſenburgicum archiepiſcopum Moguntinum, non tantum fulmine pontificio, ſed & armis eſt proſecutus, quod ad pontificis placitum ſe annatas ſoluturum & Electores conuocaturum renuiſſet? Verum quia querelæ, ne tunc quidem gratæ futuræ, quum neceſſariæ eſſent, huius propoſiti non ſunt: ideo me hic reprimo, & hæc molli tenuiq; brachio attigiſſe ſatis eſſe exiſtimo.

Porro vero, quia ex hac Principum conuocatione & vſurpatione autoritatis, quam ſibi elatiores ac potentiores maxime Guelphi, aliquoties in electione præter ius arrogabant, & factionibus vel eorum ambitione, vel pontificis Romani inſtinctu excitatis magna ſæpius incommoda (quorum Polyarchia nunquam expers fuit, nec erit) exorta fuere, vt cum alia, tum vero horribilium bellorum ciuilium incendia contra Heinricum quartum, & Sueuos Imperatores commota, luculenter oſtendunt. Ideò ſubſequentibus temporibus ratio eſt inita, vt penes ſolos Imperii officiales, iure ac priuilegio eligendi Imperatoris, tempore Othonis III. donatos, electio Imperatoris vel regis Romanorum eſſet. Etſi autem quo tempore id fieri cœperit, nihil certi affirmare auſim: tamen Electores poſt tempora Rodolphi Habſpurgici non penitus à conuocatione aliorum Principum abſtinuiſſe, ſed hos adhibuiſſe interdum, donec quod temporibus Caroli IV. penitus excluſi fuerint, hiſtoriæ innuunt. Siquidem electioni Rodolphi, cum alios Principes Francofurti congregatos, tum Burggrauium Norinbergenſem interfuiſſe, M. Albertus Argentinenſis *in ſuo chronico* refert. Et ad Comitia celebrata poſt obitum Heinrici VII. tres Auſtriæ duces ac fratres Fridericus, Lupoldus & Albertus, cum Ludouico Bauaro, poſtea rege electo, venere: Nauclero teſte, *generat.* 44. Adhæc Guntheri Schuuartzburgici, contra Carolum quartum deſignati, electioni, non tantum Electores, ſed & alios proceres Francofurti interfuiſſe, ita tamen vt prærogatiua eligendi Electoribus concederetur, idem Naucletus *generat.* 46. his verbis autor eſt:

Eodem anno Guntherus Comes de Schuuartzenburg ex Thuringia, vir ſtrenuus & bellicoſus, qui plures conflictus proſpere abſoluit, a Principibus Carolo contrariis, vt ſe intromittat de regno, rogatus, renuit: tandem eo pacto annuit, ſi in Francofordia daretur ſententia à Principibus, regnum vacare. Conuenientibus igitur Francofordiæ quatuor ex Electoribus & multis proceribus: datur ſententia ab his, regnum vacare & eiſdem quatuor ius eligendi competere, unde in die purificationis Mariæ, eodem anno, per Heinricum archiepiſcopum Moguntinenſem, Ludouicum marchionem in Brandenburg, Rodulphum comitem Palatinum Rheni, & Heinricum iuniorem ducem Saxoniæ, electus eſt prædictus Guntherus in regem Germanorum.

Cui

Cui etiam aſtipulatur M. Albertus Argentinenſis *in ſuis chronicis*, de Electione eiuſdem Guntheri Schuuartzburgici, ſtrenuiſſimi ac animoſiſſimi Comitis, ſic ſcribens: *Guntherus Comes de Schuuartzenburg Turingen, circa quadraginta quinq; annos, vir robuſtus & ſtrenuus & prudens in bellis, qui in ſeruitio Heinrici Moguntini, & quondam Ludouici Principis plurimum laborauit: quique in pluribus conflictibus feliciter præualens propriis, capiendo & vaſtando plurimum eſt ditatus à Principibus* * *Carolo contrariis ſe intromiſit, de regno rogatur: qui primo & renuens tandem Principes ex pacto aiunt: Si in Franckfurt per principes & nobiles ſententiatum fuerit, vacare regnum & Imperium: maiorq; pars principum qui ſimiliter per ſententiam declarati fuerint, ius habere ipſum, abſq; omni Symonia elegerint, propter Deum dicens, ſe expoſiturum periculis pro Deo Imperio corpus ſuum. Hoc facto, cum exercitu ſuo in campo ſe poſuit iuxta Franckfurt, feria ſexta poſt Hilarii anno M. CCC. XLIX. conuenientibuſque inibi principibus 4. & multis aliis Baronibus, & per ſententiam detectam Imperium vacare, & eiſdem quatuor competere ius eligendi, electus eſt in Purificatione per Heinricum archiepiſcopum Moguntinum, Ludouicum marchionem de Brandenburg, Rudolphum de Bauaria, Palatinum Rheni, annuente Ruperto ſuo fratre, capto cum Ruperto fratrueli eorum, & Ericum ducem Saxoniæ, &c.* * *Locus hic apud Albertū corruptus eſt.*

Quæ quidem teſtimonia Chronographorum (meo iudicio) ſatis clare oſtendunt, vſq; ad tempora Caroli IV. alios principes ad comitia Imperatoria, in quibus de Electione Imperatoris vel Regis tractaretur, aſſumptos.

Verum conſtitutione Carolina poſtea eſt introductum, ne ciues Francofurdenſes defuncto Imperatore per omne tempus illud, quo ſuper electione Imperatoris tractari & agi contigerit, neminem, ciuitatem Francofordenſem, cuiuſcunque dignitatis, conditionis vel ſtatus extiterit, intromittant, vel intrare quouis modo permittant, principibus electoribus, eorumque nunciis & procuratoribus duntaxat exceptis, prout id in ea continetur ſub titulo, *Qualis debeat eſſe conductus Electorum, & a quibus*, circa finem. Et ex eo tempore Electores in ſuis ſuffragiis aliorum principum præſentia ac aduerſatione onerosa liberati, priuilegiiſque Cæſareæ amplitudini paribus donati, titulum Electoratus, antea non vſque adeo frequentem, officiis quæ gerunt addere, authoritate creſcere, & bonis ſibi per Imperatores collatis ditari, cæperunt. Ita vt nec luminaribus ipſorum, quibus antea multitudo aliorum principum offecerat, quicquam hodie illuſtrius, nec autoritate amplius ſit.

CAPVT X. & Vltimum.

Argumenta Onuphrii conicientis, Electorum inſtitutionem ſub Gregorio X. ac temporibus Rodolphi exortam, infirma eſſe: aliis contrariis coniecturis probatur.

EXplicata ratione quæ olim in comitiis Imperatoriis obſeruata fuit, ita vt loca ab Onuphrio congeſta minime cum opinione communi de inſtitutione Electorum pugnare poſſint: minime neceſſarium eſſet, eius coniecturas de inſtitutione Electorum à communi opinione alienas vlterius refellere: quod eæ ſuperius *Capit.* 4 per rationes adductas à me pro communis ſententiæ confirmatione abunde & vere ſint refutatæ: iuxta id Euripideum, ἀλλ' οἱ λόγοι σῷ πολαίουσι λόγους. Ratio rationem euertit. Veruntamen non tam neceſſitatis, quam ſuperfluitatis gratia, quaſdam his prioribus addere, & eius coniecturis opponere adhuc libet. quarum prima eſt, quod authores grauiſſimi, qui vel ipſis temporibus Rodolphi, vel paulo poſt ea vixere, hanc inſtitutionem Electorum Othoni tribuant: minime id facturi, ſi tale quid ſub temporibus Rodolphi accidiſſet. Nam vt taceam, toties iam memoratos authores Leopoldum de Badenberg, Marſilium Patauinum, aliosque, qui nondum quadraginta annis exactis à tempore Rudolphi, maximis grauiſſimiſque reipub. negociis, ſub Ludouico Bauaro adhibiti fuere, & Othoni hanc inſtitutionem tribuere, non autem Rudolpho: quin & Ptolemæus Lucenſis, hiſtoricus celebris, qui (vt Blondus *lib.* 8. *Decade ſecunda* teſtatur) temporibus Rudolphi & Adolphi Naſſauienſis vixit, & hiſtoriam pontificum Romanorum, vſque ad Celeſtinum V. deduxit, referente Volaterrano: non Rudolpho, ſed Othoni III. hanc inſtitutionem tribuit. Etſi enim eius hiſtoria hactenus nondum edita, ſed (Deo volente) breui in lucem proditura ſit, tamen quid de Electorum inſtitutione ſcripſerit, ex Platina cognoſci poteſt, qui cum *in vita Gregorii V.* de inſtitutione Electorum citans, in hæc verba ſcribit: *Ptolemæus Lucenſis.*

Hos autem Imperatoris eligendi autoritatem primo habuiſſe Ptolemæus refert: archiepiſcopum Moguntinum, Germaniæ: archiepiſcopum Treuirenſem, Galliæ: archiepiſcopum Colonienſem, Italiæ nomine. His additi quatuor principes, Marchio Brandenburgenſis, Imperatoris poſt electionem camerarius: Comes Palatinus, qui dapes: Dux Saxoniæ, qui enſem fert. Sunt qui ſcribant Bohemiæ regem ſeptimum Electorem, Imperatoris pincernam eſſe: huncq; in eligendo additum eſſe ad tollendam diſcordiam partium. ad vtros enim inclinaſſet, ea pars certe potior habebatur. Tuliſſe hoc iniquo animo Francos aiunt.

Quis ex hoc loco non videt Ptolemæum, qui tempore Rudolphi vixit, non huic, ſed Othoni III. inſtitutionem Electorum tribuere: & quantumuis Onuphrius vir doctus ſit, quis authoritatem Ptolemæi, quam eius coniecturas, ſequi non mallet? Antiquior ſiquidem, maxime in talib. rebus, melius præſumitur ſcire veritatem. 20. *diſtinct. c. de quib.* facit 16. q. 1. *c. ſic viue*, & ibi notatur, & in *c. ieiunium, 66. diſt.* cum aliis multis ſimilibus.

Secundo, cum Onuphrius hanc inſtitutionem Electorum, in magno concilio Lugdunenſi receptam & confirmatam arbitretur, certe valde ineptos ac negligentes ſcriptores eius ſeculi fuiſſe neceſſe

Decreta concilii Lugdunenſis. neceſſe eſſet, qui cum res minimas ac futiliſſimas in eo concilio decretas deſcripſerint, & ad poſteritatem tranſmiſerint (vt in templis eſſe abſtinendum à confabulationibus: genua in miſſificatione flectenda: negociationes in cœmiteriis non eſſe faciendas: domus alienigenis vſurariis, ad exercendum fœnus, non eſſe locandas: cum aliis eius generis infinitis, quæ ab Antonio *tertia parte hiſtoriarum, tit. 20. cap. 2.* referuntur) rem tanti momenti ſilentio prætermiſerint. Id, quod mihi tamen veriſimile non eſt: maxime cum pontifices de hac inſtitutione Electorum, æque atq; de Translatione Imperii, in omne æuum gloriari potuiſſent.

Tertio, quis Rudolphum permiſſurum fuiſſe putabit, vt Othocarus rex Bohemiæ, qui eius electionem ſummis viribus impedire annixus erat, Electoratus dignitate inſigniretur? (taceo bellum ab Othocaro contra Rodulphum motum, quod id poſt inſtitutionem Electorum accidiſſe neceſſe ſit.) Hoſtis honoribus priuari, non augeri vel condecorari conſueuit, argumento *l. naturalem. §. de acquir. rer. dom.* & facit *l. libertas. ff. de ſtat. hom. & Inſtit. de his qui ſunt ſui vel al. iur. §. 2. & l. ex hoc iure. ff. de iuſticia & iure.*

Quarto, cum tempore concilii Lugdunenſis, in quo hanc inſtitutionem Onuphrius confirmatam putat, Rodulphus iam Imperator fuerit: & tantam rem eius conſilio adhibito, haud dubie geri & confici oportuerit: cui veriſimile erit, eum extraneos filiis propriis prępoſiturum fuiſſe in dignitate longe ampliſſima? Certe vt ducatum Auſtriæ vacantem filio Alberto, non magno temporis ſpacio poſt interiecto, contulit: ſic eum haud dubie ad dignitatem Electoratus euecturus fuiſſet. Vnuſquiſque etenim filios magis quam alienos diligere præſumitur. *l. iſti quidem. ff. quod metus cauſa. l. ſi pupillorum. §. ſi pater. ff. de reb. eorum. l. nec ei. ff. de adopt. §. fin. Inſtit. de noxal.* Et pater ſemper præſumitur capere ſalubrius conſilium in fauorem filiorum. *l. nec in ea. ff. de adult.* Et dilectio dicitur eſſe inter patrem & filium. *3. quæſt. 5. cap. non omnis.* & not. per Iohan. Andr. *de reg. iur. c. non eſt ſine culpa. lib. 6.*

Auſtria cor & clypeus Imperii. Non addo hiſce, quod cum Auſtria iam inde à temporibus Friderici ſecundi, qui eam *cor ac clypeum Romani Imperii* appellauit, eius potentiæ ac autoritatis, vſq; ad tempora Rodolphi fuiſſet, vt nulli alii ducatui cederet, Rodolphus non minorem eius, quam alterius ducatus, rationem in diſtributione electoratuum veriſimiliter habiturus fuiſſet.

Cui deniq; perſuadebitur, Gallos, qui iam inde ab Hugone Capeto quam grauiſſime tulerant, maieſtatem Imperii apud Germanos manſiſſe omnemq; lapidem quam ſæpiſſime mouerant, de ea per quoddam Senatuſconſultum in Gallias reducenda, eo tempore quo pontificem tali præſidio circumſeptum, iisq; locis incluſum tenebant, vt neutiquam ipſorum manibus elabi poſſet, permiſſuros fuiſſe, Lugduni talem conſtitutionem condi ac promulgari, qua omnis aditus Imperii recuperandi, ipſis quodammodo in perpetuum præſcinderetur? Ita Gallorum animos Imperii cupidos eſſe conſtat, vt quis citius concilium hoc nunquam Lugduni celebratum, quam tale quid præſentibus Gallis decretum fuiſſe, crediturus ſit.

Vltimo, Onuphrius hac Electorum inſtitutione, pontifici Romano ius electionis, quod in Imperatoribus eligendis habuerit, è manu ereptum, atq; in ſeptem tantum hominum poteſtatem collatum eſſe conqueritur: cum admiratione incredibilis, huius ſeculi, ignauiæ, quæ id tam patienter ferat. At pontifici Romano, vel eius legato, iam temporib. Philippi Sueui & Innocentii tertii, nullum ius in electione competebat, nec etiam id pontifex ſibi arrogabat: vt clare liquet in toties iam allegata decretali, *Venerabilem*, ſtatim poſt principium: quomodo ergo iure eligendi Imperatoris, temporibus Philippi Sueui, pontifici non competente, id temporibus Rodolphi ei adimi potuit? vel eius ademptio ad ea tempora referri? Priuatio ſiquidem præſupponit habitum. *l. decem.* & ibi Bartolus & doctores notant, *ff. de verbor. oblig.* cum aliis ſimilib.

Verum quid plures coniecturationes, ad euertendas Onuphrii, conquiri neceſſe eſt, cum ex ſua infirmitate vix conſiſtentes facili momento corruant? Nam quale hoc ſit argumentum, quod poſt tempora Rodolphi multa Electorum mentio, nulla vero antea fiat: ſupra cap. 6. eſt declaratum.

Alterum vt debilius, ſic ridiculum quoq; nonnihil eſt, quo coniicit, errorem eorum qui hos ſeptem Electores à Gregorio V. inſtitutos fuiſſe exiſtimant, ex ſimilitudine nominum ſubortum, V. pro X. ponentium. Si enim contra manifeſtam Chronographorum atq; aliorum ſcriptorum autoritatem ita coniicere licet, quis mihi vitio verterit, ſi Electores tempore Gregorii II. inſtitutos eſſe dixerim: quod is Germanos è tenebris opera Bonifacii Angli monachi erutos, recepta veritatis luce ornare voluerit, apoſtolo Germanorum Bonifacio præ cæteris primatum inter Electores conceſſo: aliis per errorem pro II. quæ linea recta ſcribenda ſunt, V. flexu incuruato ſcribentibus? Vel ſi dixero, Electores à Gregorio nono inſtitutos, quo Fridericum ſecundum ab eo excommunicatum deponerent, aliumq; Imperatorem crearent, an male coniectuaſſe videbor? Nec tertiũ quod adfert maioris momenti eſt, arbitrans, cum in eo concilio noua pontificis Romani electio inſtituta fuerit, fieri potuiſſe, vt de epiſcoporum Germaniæ conſenſu, idem de Imperatoriis comitiis factum fuerit. Nam initio, vt prætermittam omnes rationes contrarias ſuperius poſitas, itidem coniecturas præcedentes, cum pontifices Imperii formam cum papatus ordinatione conformare voluerint, quare non totidem Electores, quot cardinales, conſtituerunt: maxime cum quæ dignitas eſt cardinalium, eadem quoque Electorum eſſe feratur? & tanta ne principes Germaniæ pontificis Romani mancipia fuiſſe exiſtimabuntur, vt quicquid ipſe ſtatuerit, paucis epiſcopis conſentientibus, id, ipſis abſentibus & non conſentientibus, ratum habendum fuerit? Id vero minime mihi

probabile videtur. nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *cap. quod omnes, de regul. iur. in 6.* cum multis ſimilibus. Nec præſumitur princeps vel papa velle auferre ius alterius contra iuſtitiam, *l. 2. §. merito. & §. ſi quis à principe. ff. ne quid in loco publico*: & eſt text. *in cap. ex tuarum. de vſu & authoritate pallij.* Felinus *in c. cauſam quæ,* in verbo *Interpretatio, de reſcriptis.* Iaſon *in l. 1. & in l. fin. in 4. col. ff. de conſtit. princip.*

Quandoquidem itaque ex præcedentibus ſatis manifeſte apparet, nouam Onuphrij ſententiam de electorum inſtitutione, rationibus perquam infirmis ſuffultam, ita vt contra eas communis opinio hiſtoricorum, inſtitutionem Electorum Ottoni tribuentium, inconcuſſa ſubſiſtat: ego inſtituto meo ad exitum (Dei fauore) perducto, finem huic opellæ impono. Cætera, quæ de Electorum numero & priuilegijs, aliiſque ad hos pertinentibus dici poſſent, in alium locum reſeruans: ac hæc qualiacunque ſint, iudicio æqui lectoris permittens. Neque etenim adeo mihi mea arrident, vt ea potius inſtar Suffeni ipſemet mirari atque extollere, quam aliorum cenſuræ ſubijcere malim: memor dicti Platonici, quod *libr. 5. de Legibus* extat: τὸ γὰρ ἀληθείᾳ γε πάντων ἁμαρτημάτων διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν αἴτιον ἑκάστῳ γίγνεται ἑκάστοτε. τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν: ὥστε τὰ δίκαια καὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ καλὰ κακῶς κρίνει, τὸ αὑτοῦ πρὸ τοῦ ἀληθοῦς ἀεὶ τιμᾶν δεῖν ἡγούμενος. οὔτε γὰρ ἑαυτὸν, οὔτε τὰ ἑαυτοῦ χρὴ τόν γε μέγαν ἄνδρα ἐσόμενον στέργειν. ἀλλὰ τὰ δίκαια ἐάν τε παρ' αὑτῷ ἐάν τε καὶ παρ' ἄλλῳ μᾶλλον τυγχάνῃ πραττόμενα. Ac vt à viris bonis omnia æqua mihi polliceor, ſic vt Onuphrius ſtatuat, velim, hoc qualecunque ſit, non eo animo à me ſuſceptum, vt laudibus eius, quæ ei ob multarum rerum vtiliſſimarum inueſtigationem debentur, detraherem: ſed vt veritas rei tam nobilis, ac non ſolum dignæ, ſed & neceſſariæ cognitu, erueretur. Cognita eſt Germanis pleriſque eius, in antiquitatibus indagandis induſtria, & probata eruditio. At ſi quis eius ſententiæ in rebus patriis, quarum forte æque ac ille ſtudioſus eſt, minime ſubſcribat, ac vt ex tripode profectam veneretur: id non tam ex inuidia vel obtrectatione laudum eius, quam amore veritatis fieri exiſtimet: nec vſque adeo grauiter atque moleſte ferat, pluſculum diligentiæ ac veritatis in Italis ſcriptoribus à Germanis interdum requiri, videntibus æque ac alijs exteris, quam frequenter ipſi falſa & à fide hiſtorica penitus aliena ſcribant. Ac etſi Onuphrius Italos hoc excuſatos putet, quod rebus Germanicis tradendis minime vacent: quam tamen hoc dictum indignum hiſtorico ſit, non dubito, quin ipſe videat. Nam cum prima lex hiſtoriæ ſit (teſte Cicerone) ne quid falſi dicere audeat: deinde, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio ſit gratiæ in ſcribendo, nec qua ſimultatis: an ne hi hiſtorias vel fabulas ſcribere videbuntur, qui falſa pro veris, incomperta pro compertis referre non erubeſcunt? Imo dum ſe hiſtorias ſcripturos pollicentur, hoc ipſo ſe ad veritatis indagationem, & mendaciorum fugam, ſiue res ſint patriæ, ſiue exoticæ, aſtringunt. In quo latius oratio excurrere geſtiret: ſed eam intra metas hoc tempore contineo, quo id quod in initio pollicitus ſum, præſtem, & ad finem exoptatum eo maturius perueniam. Hoc tamen præterire non poſſum, cum Onuphrius Germanis allegata religionis mutatione, magnam rerum nouandarum ambitionem exprobrarit; cupere me, vt quod in his reprehendit, ipſemet vitare ſtuduiſſet: neutiquam tunc eum ſcripturum fuiſſe, ſe vehementer mirari incredibilem huius ſeculi ignauiam, atque in primis Romani pontificis: poſt Italiæ, deinde cæterorum principum inertiam, qui omnes comitijs Imperij intereſſe ſoliti, ius tantæ electionis ſibi è manibus eripi, atque in ſeptem tantum hominum poteſtatem collocari permiſerint. Vt etenim Germanis iniuriam inſignem facit, qui neutiquam religionem mutarunt: ſed vitia, quæ pontificum Romanorum ignauia & impietate in Eccleſiam irrepſerant, mandato Dei, ſuam vocem omnibus rebus humanis anteferre iubentis, correxerunt: ſic ipſe, qui præſentem Reipubl. formam mutatam cupit, non ſolum in reprehenſionem innouationis, ſed & ſuſpicionem ſeditionis incidit. De quo plura dici poſſent, nec immerito: ſed hæc admonuiſſe, non exaggeraſſe volui; ſperans Onuphrium hæc non tantum amice accepturum, ſed & de Germanis in poſterum æquius ſenſurum eſſe.

III.

ΡΩΜΑΙΟ-ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

Id eſt:

SVMMARIVM, IN QVO PRÆCIPVA IVRA, RITVS, ALIAQVE CIRCA ELECTIONEM ET INAVGVRATIONEM NOVI ROMANORVM REGIS ADHIBERI

atque obſeruari ſolita, quum ex aurea Bulla breuiter recenſentur, tum additis quibuſdam Electionum hiſtorijs illuſtrantur.

GENERE, DOCTRINA, RERVMQVE VSV PRÆSTANTISSIMO VIRO, D. ADRIANO von der Mylen/ꝛc. fautori & amico ſumme colendo.

REm omnium difficilimam in Germania noſtra iam tractari, vir præſtantiſſime, non ignoras. Agitur enim de ſummo conſtituendo Imperatore, cuius nutu quum cæteræ regiones, tum inprimis tota Germania dirigatur. In euentum huius deliberationis ſcio omnium fere quum Principum, tum priuatorum oculos atque animas intentas eſſe; & vt variæ ſunt vota, ita varias quoque circumferri paſſim opiniones & ſententias: ſed futura quis poſſit prænoſcere? quæ vt ſoli Deo nota, ita in eius vnius ſunt manu. Quum igitur hac in re quidquam augurari vel diuinare nec libeat nec liceat: operæ precium putaui ex præteritis hiſtoriis quædam colligere, è quibus non imprudens animus non omnino nihil de futuris conijcere poſſit. Animus quidem initio fuerat latius vagari, & multa ex antiquitate illa repetere: verum vrgente Typographo, vela contraxi, & pauca quædam ſuperioris æui hunc in libellum collegi: quem Tuo nomini inſcribo, dico ac nuncupo, maiorem in modum rogans, meum vt hunc conatum bonam in partem accipias, meque de meliore nota commendatum habeas. Vale. Coloniæ Agrippinæ XIX. *Maij,* M.DCXII.

T. Amplitudini

addictiſſimus

Caſpar Ens L.

CAPVT I.

MODVS PRINCIPES IMPERII SEPTEMVIROS, AD ELIGENDVM NOVVM ROMANORVM REGEM CONuocandi, ac cætera, quæ eo pertinent, peragendi.

CAROLVS Bohemiæ Rex, Cæſar eius nominis Quartus, anno ſalutis M.CCCVI. legem quum de alijs rebus, tum de modo ac ratione Imperatorem eligendi tulit, quam *Bullam auream* vulgo appellant: cuius inter alia hæc ſunt capita: Vt mortuo Cæſare, Archiepiſcopus Moguntinus, quamprimum reſciuerit, cæteris Electoribus illico denunciet, & certum diem conſtituat, vt intra tertium menſem Francofurti præſto ſint ipſi vel ipſorum legati, cum plenis mandatis, noui Regis Romanorum aut Cæſaris eligendi cauſa. Quod ſi facere Moguntinus negligat, cæteri Collegæ nihilo ſecius intra tempus illud conueniant, & comitatum habeant ſinguli non ſupra CC. equites, quum oppidum ingrediuntur, & in his armatos ad L. qui nec ipſe venerit, nec legatum miſerit, aut ante confectum negotium diſceſſerit, ius Electionis ea quidē vice amittat. Senatus populuſq; Francofurtenſis omnem fidem & tutelam Electorib. & eorum legatis præſtet, ac durante comitio, neminem præter Electores eorumq; familiam intromittat. Vbi conuenerint Electores omnes, in æde D. Bartholomæ ſacrum fiat, & Miſſa de Spiritu S. decantetur: quibus peractis, ſinguli iurent, verbis Moguntino præeunte, nihil ſe facturos ea in re, vllius vel pacti, vel largitionis, vel pollicitationis cauſa: poſtea ad tractationem ipſam veniant, nec prius inde diſcedant, quam creato Cæſare: quod ſi res vltra triceſimum diem differatur, omnibus alijs detractis cibarijs, præter panem & aquam nihil eis detur. Quem maior pars elegerit, hic eodem loco ſit, ac ſi communibus omnium ſuffragijs, nemine repugnante, electus eſſet. Ad hunc modum deſignatus Cæſar omnium primo confirmet Electoribus omnia priuilegia, & quidquid ad ipſorum dignitatem, decus, libertatem ac immunitatem pertinet. Præter hæc cauetur etiam atque ſtatuitur,

buitur, quemadmodum alter alteri per ſuos fines tutum iter præſtare, quem quiſque locum in conſeſſibus obtinere debeant, quomodo exquirenda ſint ſuffragia, quod cuique obeundum ſit munus. Cæſare publice quid agente aut prandente. Adhæc, vt interregni tempore penes palatinum ſit ſumma rerum per Sueuiam, Franconiam & oram Rhenanam; penes Saxonem vero iis locis, quæ iure vtuntur Saxonico. Vt Electori mortuo ſuccedat natu maior filius, aut frater conſanguineus. Vt Electoris locum, qui eſt infra decimumoctauum ætatis annum, expleat agnatus proximus, donec ille adoleuerit. Vt Electores quotannis conueniant, deq; republica deliberent. Vt Francofurti fiat electio, Aquiſgrani vero prima coronatio. Vt Electorum filii primis ab annis Italicam, Latinam & Illyricam linguas condiſcant, &c. Ceterum pro ſtatu præſenti etiam aliæ conditiones & leges ab Electoribus nouo deſignato Romanorum Regi præſcribi ſolent, quemadmodum in ſequenti Caroli V. exemplo videre eſt.

CAPVT II.

Leges ſeu conditiones Carolo V. Romanorum Imperatori deſignato ab Electoribus præſcriptæ, & ab eodem acceptæ.

TVeatur Rempublicam Chriſtianam, Pontificem & Eccleſiam Romanam, cuius ſit aduocatus. Ius æquabiliter adminiſtret, & paci conſulat. Leges omnes Imperij, præcipue quam Auream vocant Bullam, non modo confirmet, ſed de ipſorum conſilio, quum res ita feret, amplificet etiam. Senatum in imperio conſtituat ex Germanis delectum, qui rempublicam adminiſtret. Iura, priuilegia, dignitatem, immunitatem Principum minime conuellat aut imminuat, ſed potius augeat. Electoribus liceat, quum opus erit, conuenire, deque republica deliberare: nullum autem ipſe, quo minus id faciant, impedimentum ipſis inferat, nec in malam partem accipiat. Plebis & Nobilitatis fœdera vel ſocietates aduerſus principes initas, aboleat, & ne tales in poſterum fiant, lege prohibeat. De rebus Imperii nullum fœdus aut pactū faciat cum exteris quibuſcumque, niſi de Septemvirorum aſſenſu. Facultates imperij neq; diſtrahat, neque oppignoret, nec alio quouis modo deteriores faciat, & quæ ſunt ab alijs Nationibus occupata, vel ab Imperio diuulſa, primo quoque tempore recuperet; ſic tamen ne quid fraudi ſit illis, qui vel iure vel priuilegio aliquo nituntur. Si quid etiam vel ipſe, vel ipſius familiæ quiſpiam poſſideat, quod ſit Imperij, non acquiſitum legitime, reddat, interpellatus à Septemuiris. Cum vicinis aliiſque Regibus pacem & amicitiam colat; neque pro rebus Imperij, niſi de ordinum omnium, præcipue Septemuirorum conſenſu, bellum ſuſcipiat vllum intra vel extra fines Imperij. Peregrinum militem in Germaniam non adducat, niſi conſentientibus illis: quod ſi autem bello petatur vel ipſe vel Imperium, liceat vti quibuſcumque præſidijs. Conuentum Imperij nullum indicat, neque vectigal aut tributum imperet, niſi de conſenſu Electorum. Conuentus non agat extra fines Imperij. Negociis & muneribus publicis præficiat non exteros, ſed Germanos. Literæ omnes Germanico aut Latino ſermone conficiantur. Extra fines Imperij nullum ordinem in ius vocet. Quia Romæ multa fiunt aduerſus pacta quondam inita cum Pontificibus; det operam apud Pontificem, ne qua fraus priuilegijs fiat, & Imperij libertati. Quomodo mercatorum monopolia valde pernicioſa Germaniæ coerceri debeant, cum Electoribus rationem ineat, ac rem ſæpe hactenus deliberatam ad exitum perducat. Portorium aut vectigal nullum imponat, niſi aſſentiantur Electores: neq; literis quibuſcumq; Electorum, qui ſunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat. Si quam habet actionem contra aliquem ordinem, legibus experiatur, vim autem nullam adhibeat ijs, qui ſe cognitioni legitimæ ſiſtunt. Neminem indicta cauſa proſcribat, ſed iuris ordinem in eo ſequatur. Imperij bona quæ forte vacabunt, nemini conferat, ſed ad publicum patrimonium referat. Si quam alienam prouinciam auxilijs ordinum acquiret, Imperio coniungat; ſi publicum quid ſuis copijs atque armis recuperabit, Reipublicæ reſtituat. Quod interregni tempore Palatinus & Saxo publice egerint, ratum habeat. Conſilium nullum ineat, quo dignitatem Imperij familiæ ſuæ peculiarem & hæreditariam faciat, ſed liberam atque integram permittat Septemuiris eligendi facultatem, iuxta Caroli Quarti legem, & iuris Pontificij præſcriptum (Innocentij III. Epiſtolam Decretalem intelligunt, qua is fatetur Electoribus liberam eſſe Cæſaris eligendi facultatem, neque eam hæreditariam eſſe) quod ſecus factum erit, irritum habeatur. Vbi primum licebit, in Germaniam ſe conferat, Imperiumque ſuſcipiat.

CAPVT III.

Summa conſultationis ſiue diſceptationis inter Moguntinum & Treuirenſem Archiepiſcopos, &c. in comitiis Electoralibus, Anno M. D X I X.

MAximiliano I. Cæſare optimo rebus humanis exempto, duo in primis Imperium ambiebant, Franciſcus Galliæ, & Carolus Hiſpaniæ rex, è ſtirpe Auſtriaca originem ducens. Magno tum res erat in diſcrimine, præſertim ob belli inter Gallos, & Hiſpanos ac Belgas metum: quod Franciſcus occupato Mediolano, & profligatis magno prælio Heluetijs, Burgundica fœdera diſſoluerat, & noua cum ijs fecerat, quorum ſibi profuturam amicitiam exiſtimabat; inprimis vero Leonis X. Pontificis ſtudium ſibi adiunxerat, vt ab eo in Imperio impetrando adiuuaretur. Inter Electores etiam Treuirenſis Archiepiſcopus Richardus, ex Greiffenclauiorum familia, Gallorum rebus eximie ſtudebat. Quum ergo Electores de more à Moguntino vocati, ad diem Iunij X V I I. in æde

D. Bartholomæi Francofurti conueniſſent, & præſtito iuramento ac peractis ſacris in ſacrarium eius templi interius ingreſſi eſſent, Moguntinus (Albertus Brandenburgicus) Caroli Auſtriaci partibus fauens, ſatis longam ad collegas orationem habuit, eiſque Caroli in Imperatorem eligendi auctor fuit, his fere argumẽtis vſus: Difficilimam omnium iam tractari deliberationem, ſiquidem de ſummo capite conſtituendo agatur. Deinde multis enarratis inteſtinis bellis & calamitatibus olim ex Electorum diſſenſione natis, aiebat quæſtionem omnem tribus his contineri, An ſcilicet Rex Galliæ, an Carolus Hiſpaniæ Rex, an vero Princeps aliquis Germaniæ in Imperatorem ſit eligendus. Ad primum quod attinet, Gallò id potiſſimum obſtare, quod ſine dubio peregrinus ſit ſiue exterus. Sed & periculum eſſe, ſi rerum ſummæ admoueatur, ne vniuerſam Germaniam periculoſiſſimo bello contra Carolum inuoluat, & imperij viribus ad regni ſui amplificandum potentiam abutatur. Quam ſæpe enim, inquit, maiores ipſius imperium noſtrum ad ſe reuocare conati ſunt? nec ſine acerrimis dimicationibus Carolus Craſſus & Othones poſſeſſionem eius in Germania retinuerũt. Quod aliqui referunt vetuſtam originem Gallorum ad Germanos, leuius eſt quam vt principes tanta ſapientia & grauitate præditos mouere debeat. Conſtitutio poſtulat talem eligi, qui vere ſit hæres alicuius ditionis, quæ huic noſtro paret Imperio. Quum igitur conſtet excludi Gallorum regem conſtitutione publica, quam iurati in electione ſequimur, nihil opus eſt longa diſputatione. Quanquam etiamſi natio non impediret, hanc tamen diſſuaderem electionem. Primum enim in Germaniam adducendus erit Gallus. Quantum ea in re erit periculi, ſi exercitus peregrinus per Imperij vrbes diſtribuatur? An ſuperbiam & libidines Gallicorum equitum, ciuitates ferent? Sed aliud impendet grauius malum. Veniet inimicus Carolo, quod ne cui dubium ſit, iam bellum denunciatum eſt, iam antiqua fœdera Burgundorum & Gallorum reſciſſa ſunt. Bellum etiam Neapoli inferre decreuit. Itaque quum Gallorum imperium detrectabunt Auſtriaci & Belgæ, & alij aliorum principum ſtudia & auxilia ſequentur, videbitis breui arſuram ciuili bello vniuerſam Germaniam. Porro quum alia nobis proſpicienda ſunt, tum hoc in primis, ne noſtra electio ciuile in Germania bellum accendat. Iam ſi Gallum elegerimus, oportebit nos ſuffragia noſtra tueri: vbi ſi incidet diſcordia cum Auſtriacis, num arma expediemus, ad Auſtriæ domum opprimendam? nec nos vetus neceſſitudo, nec ſanguinis coniunctio, nec merita & nobilitas domus Auſtriacæ, denique non Maximiliani manes à tanto ſcelere deterrebunt? Deinde oppreſſis Auſtriacis, an putatis libertatem cæteris Principibus in tuto fore? Nihil me illa magnifica promiſſa mouent, quæ legati eius præ ſe ferunt. Non pacta, non leges plus valent, quam iracundia, ſuperbia, ambitio victoris. Scimus Gallum in patria, quam natura amare debebat, quoſdam Principatus iam ad ſe rapuiſſe, breuique orbatam videbitis Principibus vniuerſam Galliam. Eſt omnino Gallus excelſo animo præditus, ſed nimis cupidus Monarchiæ. Nos autem niſi Ariſtocratiam principum in Germania omni conſilio, omnibus neruis ac viribus tuebimur, male conſulemus vniuerſæ poſteritati. Minus etiam mouent me ſplendida illa de bello Turcis inferendo promiſſa. Gallus enim aduerſus Turcas nihil gerere volet aut poterit, niſi prius domitis in Germania Belgis, in Italia vero recuperata Neapoli. Has ad res armare Gallum, id eſt, ad ciuile in Germania excitandum bellum, noſtra non debet auctoritas, &c. Reſtant duæ deliberationis partes: An Carolus ſit eligendus, an alius quiſpiam Germanicus princeps: quæ deliberatio multo eſt difficilior. Nam de Carolo credo pleroſque veſtrum propter multas graues cauſas dubitare, quæ etiam animum meum non leuiter mouent. Primum Hiſpania longe diſſita eſt à Germania: quod vt libertati noſtræ tutius videtur, ita ſi Carolum detinebunt Hiſpaniæ, interea ſine præſidio & ſine publicæ pacis cuſtode erit Germania. At vel Turcici belli cauſa, vel propter domeſticos Principum tumultus, publica neceſſitas flagitat, vt velut in ſtatione adſit Imperator.

Aliud leuius eſt, ſed tamen non contemnendum. Si enim iratus aliquando in Hiſpaniam veniret, & Hiſpanos adduceret, libertas noſtra magno in diſcrimine verſatura eſſet. Fortaſſis & Hiſpani non tam facile Imperij decus nobis reſtituent, poſtquam ſemel in hanc poſſeſſionem venerint, præſertim quum aditum eis in Italiam patefaciat. Et ſi ſuo ſanguine Mediolanum recuperabunt, non ſine certamine inde nobis ceſſuri ſunt.

Videretur igitur tutius à noſtris Principibus eligere aliquem, fide, prudentia, fortitudine, iuſtitia & auctoritate præſtantem, vt ſæpe maiores noſtri fecerunt, qui plerumque in electione virtutem magis quam potentiam ſpectaſſe videntur. Agnoſco id quidem, ſed tum, populi Germaniæ minus erant contumaces: & facile erat, vt eſt in prouerbio, imperium in bonos. At iam ſi bellum inter duos reges, Gallicum & Hiſpanũ in Belgio aut Italia oriatur: an Imperator, velut ociolus ſpectator ſinet duas exteras nationes bonam Imperij partem diripere? Quid quod ipſi principes, ſpreto Imperatore, alij ſe Gallis, alij ſe Auſtriacis coniungent. Et quam multæ cauſæ incidere poſſunt vel principibus vel ciuitatibus detrectandæ obedientiæ. Videntur etiam de religione horribiles impẽdere tumultus. Nullum n. doctrinæ genus maiori applauſu exceptum eſt quam hoc: & quotidie plura dogmata mouentur, nec poterit ſine ſynodo Eccleſiæ tranquillitas reſtitui. Quæ autem erit infirmi Imperatoris autoritas vel in petẽda ſynodo, vel in defendenda? præſertim ſi cæteri Reges aduerſabuntur. Nihil de Turcico bello dicam, ad quod opus eſt multarum Nationũ copijs & virib. quas contrahere Imperator, ſi parum habeat auctoritatis, non poterit. Hæc atq; alia multa meum animũ adducunt, vt in hac electione potentiæ rationem ducendam eſſe putem; niſi Imperatorem habere velimus, qui titulum & vmbrã imperij ſine auctoritate, ſine viribus gerat, &c. Ingreſſus inde de Carolo

ſole dicere, demonſtrat eum verum Germanum eſſe Principem, præclara indole, & quæ iam multarum principe digniſſimarum virtutum ſpecimen dederit: iuuenili quidem adhuc ætate, ſed matura & idonea rebus gerendis, tum incredibili continentia & benignitate. Si quis ſcrupulus ſit, ne imperium ad exteros, id eſt, Hiſpanos transferatur, eſſe ſollennem iuriſiurandi formulam, iuxta quam fidem daturus ſit Carolus, ſe non labefacturum aut mutaturum electionis iura & imperij ſtatum. Potentiam eius ſatis ſuperq; notam eſſe, vt qui tot tantaq; regna poſſideat: quorum cum Germania coniunctis viribus, nihil ei difficile ſit futurum. Certas ei leges dici poſſe, ne diu è Germania ſit abſens. Quin quum ampliſſimos in Belgio & Germania principatus teneat, vltro ſæpe in Germaniam venturum; præſertim quum intelligat non ad ocioſa ſpectacula ſe acceſſi, ſed ad depellendos Gallos ex Italia, ad Turcas ab Auſtria arcendos, ad liberandas vicinas regiones, &c.

Quum hanc in ſententiam perorasſet Moguntinus, reliquos collegas cohortatus eſt, vt ſuam quiſque exponeret ſententiam; qui congreſſi ac pauca colloquuti, Treuirenſem ingenio, doctrina, & rerum vſu pollentem, primum dicere iubent; qui ſumpto à neſcio quo vaticinio exordio, quod habeat, Maximilianum vltimum è Germanis fore Imperatorem, addidit: Iam mihi prædictioni illi reſpondere euentus videtur. Audiui enim attentiſſime eloquentiſſimum principem Moguntinum, qui quum diligentiſſime collegerit omnia, quæ nobis in hac deliberatione proſpicienda ſunt, tamen ad extremum hoc cenſet eſſe vtiliſſimum, vt peregrinum acceriamus Imperatorem. Id ſi fatale eſt, fruſtra repugnamus. Sed illud miror, cur ipſe Hiſpanum anteferat Gallo. Qua in re mihi primum deploranda eſt Germaniæ conditio. Nihil nobis exteris præſidijs, nihil peregrinis ducibus opus eſſet, ſi maiorum ſuorum virtutes noſtræ ætatis principes imitari vellent. Ocium & ſeruitutem quærimus, dum exterum principem adducimus. An putatis aut auos veſtros, Albert. Marchionem, aut Fridericum Palatinum, aut Albertum Saxonem fuiſſe vmquam exterum dominum adducturos? Ipſi militabant, ipſi res gerebant. Nec vmquam exercitus, pecunia, arma noſtris defuerunt; quandocumque vel mediocres duces habuerunt. Verum omitto querelam. Si omnino peregrinus Imperator habendus eſt, cauſæ ſunt plurimæ, quare Gallorum rex anteponendus ſit omnibus. Ac priuſquam dicam huius mei iudicij rationes, primum de lege & iureiurando diſputabo. Opinor maiores noſtros hac lege cauere voluiſſe; ne Germania amitteret Imperij decus, eoque peregrinos Reges eligi noluerunt, hoc eſt, tales qui non haberent in Germania domicilium: Hæc ſi eſt voluntas legis, nihilo magis licebit Hiſpanum eligere, quam Gallum. Hiſpaniæ Rex longius à nobis abeſt; & natio ipſa dominationis cupida & bellicoſa, poſtea ſibi Imperium extorqueri non ſinet. Et ſi hoc ſatis cauſæ eſt, cur Carolum eligimus, quia tenet quaſdam ditiones ad Imperium pertinentes; valeat idem in Gallo, qui Mediolanum & regnum Arelatenſe in poteſtate ſua habet. Denique prorſus ita ſentio, quod ad electionem attinet, non minus acceſſi peregrinum Imperatorem, electo Hiſpanico, quam Gallico Rege. Nam & Gallica gens multis rebus noſtræ nationi ſimilima eſt: adeo vt eius coniunctio non multum difficultatis, plurimum vero vtilitatis, immo quantum vix cogitari poteſt, habitura videatur: Vicinia vero quam eſt opportuna ad defenſionem vtriuſque regionis, ſi quis ſubitus tumultus inciderit? Nec ad Italiæ pacem tuendam reperiri vtilius cõſilium poteſt, coniunctione harum duarum gentium, quarum vtraque exercitus ingentes equitum ac peditum conficere, & Gallia ſuppeditare belli neruos, videlicet ingentem vim pecuniæ poteſt. Et quia non ſolum Germaniæ, ſed toti nomini Chriſtiano in hac electione conſulere debemus, quærendum eſt præſidium aduerſus Turcica arma. Cum enim teneant iam pacatam Aſiam, nihil dubium eſt rurſus in Europa bellum molituros eſſe. Inuadent Pannoniam & Italiam. Itali diſcrimine, quid erit optatius, quam Imperatorem habere inſtructum copijs ac virib. Germaniæ & Galliæ? At contra, vt de ingeniis ac natura gentis Hiſpanicæ nihil dicã, quæ etiamſi eſt bellicoſa, tamen non tam virib. pũgnat, quam arte. Itaq; nulla magna res ab eis in Italia ſine auxiliis Germanicis geſta eſt. Sed cogitate, quam procul diſſita ſit, certe in ſubitis tumultibus non poterit nobis, vel Italiæ, vel Pannoniæ, opitulari. Patria eſt Caroli Auſtria: ne hanc quidem Hiſpani tuebuntur: Et vt volent, non poterunt. Nõ enim niſi exiguas copias domo mittunt; eiuſq; rei cauſa eſt, quod nauigationib. Hiſpania exhauriatur, nec cœli noſtri grauitatem ſatis ferre poſſunt. Eſt & illud commodi, ſi cum Gallis militemus, veſtro ductu omnia gerentur; vos in gloriæ ſocietatem admittent Galli, etiamſi ſunt glorioſi. At vbi cũ Hiſpanis militabitis, illi vos tanquam mancipia regent: ipſi laboribus ac victorijs veſtris fruentur, præripient honores, præerunt prouincijs. Vos tum ſero deplorabitis ſeruitutem veſtram. Sed gentiũ collationem omitto, de ipſa electione dicã. Tenet hoc tempore Gallus Mediolanum, qui ſi erit Imperator, ne cauſa quidem belli in Italia futura eſt. Nam quod Gallus exiſtimatur Neapolim petiturus, veſtra eum autoritas facile ad alias res vtiliores auertet, ſi habebitis obligatum beneficio veſtro. A Belgis etiam abſtinebit, ſi quieſcant ipſi, vt facient certe, conterriti Germaniæ conſenſu; præſertim ſi non fuerint irritati. Nec ego velim illos irritari. Vicinos. n. habuimus Belgas longo tempore, non ſocios Imperij. Noſtra edicta nihil morantur, noſtris periculis nihil afficiuntur. Suum quoddam regnũ ibi habent, nihilo magis coniunctũ cum Imperio, quam ſunt Angli & Scoti. Quare quod verentur aliqui futurum, vt Germania bello implicetur, ſi Belgæ non obtemperent, qui imperia noſtra multis iam ſeculis contemnunt, nihil periculi eſt. nullum ſine veſtro conſilio bellũ Gallus mouebit. Et quia Inſubriam tenet pacatam, & hoc tempore optime inſtructus eſt omnibus rebus ad bellum neceſſariis: vnam hanc laudẽ, vnum hoc decus petet, vt à noſtris ceruicib. depellat Turcas: vt Selymum ingentibus ſucceſſibus elatum, ac minitantem Italiæ exitium adoriatur omnibus viribus. Quare nihil

dubito polliceri electionem Galli allaturam eſſe Germaniæ tranquillitatem, Pannoniæ atque Italiꝗ ſalutem. At contra ſi elegerimus Hiſpanum, quam atrox bellum accendetis in Italia, ad recuperandum Mediolanum? Etſi autem incerti ſunt exitus bellorum: tamen vt tandem ſit fortuna Imperij ſuperior, diu trahet bellum Hiſpanus, vt ſolet aſſidue vincere, non Achillæo more properans, vt totis viribus dimicet. Interea Italia vaſtabitur crudeliter. Nos occupati rebus Italicis, Turcam non poterimus arcere. Hæc pericula neſcio cur extenuentur, quod ad totum orbem terrarum pertinent, cum è regione tam diligenter colligantur, & amplificentur pericula, quæ Galli electionem comitari videntur, quæ tamen & leuiora & incerta ſunt. Illud certum eſt, Italiæ horribilem vaſtitatem denũciari electione Hiſpani: futurũ etiam, vt Turci interea opprimant Pannonias. Nihil dicam de exitu belli Italici, in quo ſi Gallus vincet, tum vero appetet Neapolim, & fortaſſe Romæ coget Pontificẽ, vt noſtram electionem improbet. Qualem tragœdiam ea res paritura eſſet? Sed vincat Imperij fortuna, quid accidet? Hiſpani tenent Italiam, nunquam nobis redditurі. Noui eam gentem cupidam dominationis: Polypi ſunt, quod ſemel præhenderunt, extorqueri ſibi non ſinunt. Et cum Italiæ poſſeſſione retinere Imperium haud dubie volent. Non diuino quidem, ſed de rebus futuris coniecturas colligo probabiles. Nulla eſt tã ignaua natio, quæ ſi Italia potiretur, vltro ceſſura eſſet. Tantum abeſt, vt genus hominũ bellicoſum, gloriæ atq; imperij auidum; ceſſurum nobis exiſtimetis. Omnibus temporib. creuit hoc modo regum & populorũ potentia. Carthaginenſes ſemel accerſiti in Siciliam, poſtea multis ſeculis depelli non potuerunt. Sed vetera omitto. Illi ipſi Turcæ, quos ita tantopere formidamus, poſtquam ſemel in Europam traiecerunt, accerſiti à Conſtantinop. Imperatore: progredi, non regredi poſtea ſtatim conati ſunt. Ipſi Hiſpani infinitas ærumnas perferre maluerunt, quam deſerere Neapolim, quam accerſiti ſpecie ſocietatis, & Italorum ope adiuti, redegerũt in ſuam poteſtatem. Ita nunc inuitati, adiuti à Germanis, potientur Mediolano. Quare cenſeo, nõ eſſe in Italiam adducẽdos Hiſpanos. De ipſorum regum ingenijs pauca dicam. Etſi.n. exiſtimo indolem in Carolo ad iuſtitiam & bonitatem eſſe dignam iſto genere, & audio, modeſtum ingenium eſſe: tamen ſi quis exiſtimet in adoleſcente conſpici poſſe eas virtutes, quę in ſummo principe orbis terrarũ ac duce pręſtantiſſimo requiruntur, errat. Opus eſt orbi terrarum primũ tali principe, qui ſapiẽtia & moderatione ſua emendet Eccleſiam. Sapienter ergo Moguntinus de religione & de impendentibus Eccleſiæ tumultibus locutus eſt, quorum ſparſa ſunt ſemina. Scio autem regem Franciſcum nõ modo ſingulari dexteritate ingenij, & prudentia in iudicando præditum eſſe: ſed etiã de religione cum doctiſs. hominibus multa ſolere diſputare, multa ipſum legere. Et intelliget hanc eſſe ſummã laudem magni principis, vt non deſit recte cõſtituendæ Eccleſię. Deinde hęc tempora requirunt ducem peritum, acrẽ & felicem in armis. Hac in re non indolem in Franciſco, ſed ſpectatam iam induſtriam prędicare poſſumus. Nemo.n. Regum Gallicorum, aliquot ſeculis res geſſit maiores: & quidẽ exiguo tempore. Cumq; vulgo tribuatur Gallis quædam animi mollities, ꝙ inchoata negotia cito abijcere dicuntur, ſi initio non reſponderit eorum ſpei euentus: hic rex conſtantiã ſuam in rebus gerendis declarauit, cumq; diuturnum & varium bellum in Inſubria geſſerit, res tantas præcipue ſuis conſilijs gubernauit. Nec defuit ei fortuna: Nemo.n. profligauit vlla memoria, inde vſq; à Iulio, maiores aut firmiores Heluetiorum exercitus. In his negotijs cum fortuna pene indulgens in eũ fuerit, ſperandum eſt, & in poſterum eius conſilijs Deum affuturum in imperij pace tuenda, & in defenſione totius Reipub. Chriſtianæ. Quid igitur anteferemus adoleſcentem, cuius indoles nondum ſatis explorata eſt, huic regi: cuius ſapientia, virtus & felicitas in toga & in armis cognita eſt. Poſtremo addam & hoc vnum argumentum, quo etſi fatetur ſe moueri Moguntinus, tamẽ nos bene ſperare iubet. Nullis verbis dici poteſt, quantum periculi ſit Imperatorẽ abeſſe extra Germaniam, & ita abeſſe, vt non ſtatim cum opus eſt, accurrere poſſit. Quid fiet, ſi vel Turcæ ſubito irruptionem fecerint in Germaniam, vel ſeditiones aliquæ orientur inter principes? Vt in ſæuis tempeſtatib. nauis ſine gubernatore, ita Reſp. ſine Imperatore, tali tempore ſeruari non poteſt. Accedit aliud perpetuum incommodum: non aſpiciet res Germanicas ex propinquo. Itaq; multa neſciet, multas falſas fabulas credet: leuius afficietur noſtris rebus. Nullos habebit ſecum principes Germaniæ, qui cum eo libere de Rep. loqui poſſint. Sedebit circumfuſus ab Hiſpanis, quorum de multis rebus iudicia & voluntates à Germanis diſcrepant. Mittet edicta in Germaniã, nec cauſis, nec temporibus congruentia, quæ tranquillitatem perturbatura ſunt. num hæc incõmoda leuia ducitis? Quid? ſi ipſe etiam incenſus artificijs aliquorum, veniet iratus in Germaniam, & adducet Hiſpanos? qui vt Campaniã, vt Apuliam inter ſe partiti ſunt, ita veſtras ditiones prædam ſuam eſſe arbitrabuntur. Prouidẽdum eſt autem, ne talis aliquis error Germaniæ vaſtitatem, & huic imperio interitum afferat. An illas maiorum veſtrorum ſedes vultis Hiſpanorum Colonias fieri? veſtros poſteros à ſummis ortos Heroibus, venire in ſeruitutem: & aboleri ornamenta Reipub. à vobis ſapienter & ſancte inſtituta iura, iudicia, diſciplinam? Hæc enim omnia in ſeruitute mutantur. Sed de hac re plura dicere ominis cauſa nolo. Si igitur eſt habenda potentiæ ratio in electione, vt ego quoq; arbitror, & fatale eſt horum regum alterũ eligi, ego Gallum antefero: & nequaquam cenſeo Hiſpanum eligendum eſſe. Sed ſi lex impedit, ne Gallus accerſatur, magis etiam impedit, ne Hiſpanus eligatur, cum eius electio, quantum proſpici humanitus poteſt, minime ſalutaris futura Germaniæ videatur. Ac decurramus ad maiorũ noſtrorum exempla, & vere, non callida interpretatione, legem ſeruemus. Ac vere Germanicum Principẽ, qui non aliud domiciliũ, niſi in Germania habet, qui origine, ingenio, lingua, morib. Germanus eſt, eligamus. Nec me vſq; adeo mouet, ꝙ ait Mogunt. leporem leonib. im peraturum eſſe: magis illud viden-

videndum, ne ciconiam ramis, ſeu coruis vulturem præficiamus. Potentia Germaniæ ſatis magna eſt, ſi quem eligemus, qui virtute autoritatem ſibi comparare poterit. Accepit hoc Imperium pene funditus dilapſum, Rodolphus mediocris Princeps, tantum propter virtutem electus: ac breui ita erexit, vt regibus vicinis omnibus formidabilis eſſet. Audio Ludouicum regem Franciæ proximum, cũ eſſent de imperio Germanico ſermones: & quidam Maximilianum per iocum vocaſſet conſulem Auguſtanum, ſignificans eum paucis ciuitatibus imperare, duriter increpuiſſe illum, & reſpondiſſe: Imo vero nequaquam Germanici Imperatoris potentia contemnenda eſt. cum ille Conſul tympanum pulſat, tota Francia tremit, Honeſte Ludouicus. Noluit enim in regum Maieſtatem iocos, aut conuicia dici: ſed tamen illud etiam oſtendit ſe Maximilianum propter virtutem, cuilibet potentiſſimorum regum parem ducere. Nec adeo videtur extincta eſſe virtus in familiis veſtris, nemo vt reperiri poſſit, hoc faſtigio dignus. Tres ſunt familiæ, Bauarica, Saxonica, & Marchica, quę quadam mediocritate potentiæ autoritatem in Germania tueri poſſunt. Et ſunt in his aliquot Principes, qui ingeniis & virtute ſuſtinere magnitudinem huius adminiſtrationis queunt. Ex his ſi quem elegerimus conſentientib. ſuffragiis, eumq; nos defenſuros eſſe oſtendemus, vt æquum eſt, omnes Principes & populi erunt in officio. Vt igitur habeat autoritatem, virtute opus eſt: vt accedant vires formidabiles exteris omnib. vna re opus eſt, videl. Electorum conſenſu: quem inter nos quidem perpetuum ſpero futurum eſſe. Nemo eſt enim inter nos, qui ſibi potentiam aliquam quærat: quę ambitio, aut vlla cupiditas incitatura videatur aduerſus cõmunem imperii tranquillitatem. Tali ſapientia & grauitate præditos eſſe Electores, cum ſalutare eſt Reipub. tum vero ad omnem poſteritatem Germaniæ glorioſum. Itaq; mirifice delector recordatione huius veſtræ virtutis. Omittamus igitur Hiſpanum, & virtute cum exteris certemus. Non quæramus alios qui nobis imperent ocioſis. Nihil enim indignius eſt natis Heroico genere, quam inertia fugitantes laborem, aliis concedere Imperii gloriam, & ſeruitutem accerſere. Quoties in Germania mediocres Principes contraxerunt Regios exercitus, & res præclaras geſſerunt? fuit recens Dux Saxoniæ, Albertus, qui ſuis ſumptibus magna ex parte bellum in Belgico geſſit. Quid? ante hunc quatuor exercitus ſæpe contraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, Duci Erneſto, bellum denunciarat rex Pannoniæ Matthias: quantas copias, quantum robur ex vicinis regionibus ſubito contraxerunt, pater & patruus tuus? Itaq; ceſſit vobis Pannonius ſine dimicatione, quod non feciſſet, ſi duorum fratrum ingenia & vires contempſiſſet. Quare nõ dubito poſſe iniri rationem electo Germanico Principe. ne ei vires, copiæ, arma deſint ad tuendã autoritatẽ domi & apud exteros. Expoſui meæ opinionis cauſas, nõ vt poſtulat magnitudo negotii: ſed vt in præſentia potui, maximeq; cupio audire, quid iudicẽt ceteri Electores, qui diu Imperii cõſiliis interfuerunt. Qui Germaniæ ſtatum & vires, qui omniũ Principum ingenia & facultates norunt, qui Maximiliani conſilia de rebus his meminerũt. Deniq; qui longũ in adminiſtratione Imperii vſum habent, quorum cum audiero orationes, de tota re diligentius diſputare potero.

Cum dicere deſiiſſet Treuir. taciti aliquandiu ſederunt Principes, tanquam defixis animis in cogitatione vtriuſq; orationis. Exaggerata enim magnitudine periculorum in vtraq; parte, quorundam animos nonnihil impulerat Treuir, vt ad illud decurrerent, vt omiſſis Regibus quærerent aliquem alium ex Germanicis Principibus. Sed hunc quærentes, animis mágis etiam dubitabant. Iubent igitur tandem Fridericum Saxoniæ Ducem, natu maximum, ſuam ſententiam exponere: qui pauca præfatus de lege, dixit: Interpretationem Treuiri ſubtiliorem eſſe quam ipſos deceat. Additq; non dubitandum eſſe, quin lex impediat Galli electionem. planum & illud eſſe, Carolum vere Germanicum Principem eſſe; & in Germania domicilium habere. Et opus eſſe his turbulentis temporibus Principe, qui autoritatem virtute & potentia tueri poſſit. Ideo ſe non dubitare, quin omnibus anteferendus ſit Carolus Archidux Auſtriæ: ſed tamen prius conditiones quaſdam ei ferendas eſſe, vt in tuto ſit Germaniæ libertas, & vt pericula, de quibus diſputatum eſt, quantum prouideri poteſt, caueantur. Eadem ſententia dicta eſt à ceteris Electorib. Treuir cum videret omnium animos ad Carolum inclinare, agnoſcere ſe, inquit Germaniæ fatum, & impendentem Imperii mutationem. Quanquam igitur non deſinit hortari, vt diligentius hæc res deliberaretur, tamen affirmat ſe publicæ concordiæ cauſa, ſuum ſuffragium cum illis coniuncturum eſſe. Hac acerrima contentione eius diei in multam noctem producta, tandem ita diſcedunt, vt poſtridie conueniãt de cõditionib. deliberaturi, quas Caroli legatis propoſituri erant, qui Moguntiæ euentum expectabant. Fuit igitur de conditionibus illis poſtea per aliquot dies non minus contentionis: quæ præſcriptæ & Moguntiam ad Legatos miſſæ, cum eſſent receptæ, dies conſtituitur, eundi in ſuffragium ſolenni more. Itaq; rurſus ſacro publice facto, ingreſſi in ſacrarium interius templi diui Bartholomæi, ſuffragia ferunt hoc ordine. Cœtus Electorum reliquus interrogat Moguntinum, quem eligat regem Romanorum & futurum Imperatorem; is reſpondet, ſe eligere Carolum Archiducem Auſtriæ. Deinde & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium conſentientibus ſuffragiis Carolus electus eſt Imperator. Deinde ſuffragia relata ſunt in literas, & confirmata ſingulorum ſigillis. Poſtea accerſita Nobilitate ac multitudine vniuerſa publice facta eſt renunciatio, tum in hanc ſententiam habuit Moguntinus orationem.

Quod fœlix, fauſtumq; ſit Eccleſiæ Chriſtianæ, Imperio noſtro, & patriæ, renuncio vobis electũ eſſe regem Romanorum, & deſignatum Imperatorem Carol. Archiducem Auſtriæ & Burgundiæ, regem Hiſpaniæ. Qua in re primum agendæ ſunt Deo gratiæ, quod ſumma concordia & cõſentientib. Electorum Principum ſuffragiis res tanta perfecta eſt. Sæpe enim antea cum diſſentientib. Ele-

ctorum ſtudiis & voluntatibus diuerſi eligerentur orta ſunt inter Germanos bella ciuilia, plena im-pii furoris & crudelitatis, in quibus domi mutua cæde flos Nobilitatis extinctus eſt, abſumptæ Imperii vires ac pene vniuerſa Germania in ſolitudinem, vaſtitatemq; redacta eſt. Foris autem nomen Imperii noſtri contemni cœpit, Italia deficere, & alios reges accerſere, Turcæ impune graſſari, dum nos impliciti domeſticis bellis, reprimere eos non potuimus. Porro quantum mali hoc tempore diſcordia Electorum paritura erat? Cum non ſolum Germaniæ Principes, ſed fortaſſis etiam exteri reges in media Germania de Imperii poſſeſſione dimicaturi fuiſſent. Nec leuiter tentata res eſt, vt conſenſus noſter diſſolueretur. Quare ego quidem non minus propter concordiam noſtram, quã propter electionẽ ipſam, lætor: Deoq; gratias ago, qui mentes omnium ad concordiam retinendã flexit & gubernauit. Qua incolumi ſperamus huic nationi non defuturum conſilium ad defendendã patriam & Imperii dignitatẽ. Etſi diuinitus potius, quam humana prudentia perfectum eſt, vt voluntates noſtræ congruerent, tamen hac in re etiã veſtra virtus ac ſapientia, Electores, maximam gloriã vobis apud exteros reges pariter conciliabit & beneuolentiam noſtrorum Principũ, qui vobis tantę rei arbitrium ſolis commiſerunt, vt Dominum ipſis, vt cuſtodem publicæ ſalutis, vt Eccleſiæ orbis terrarum propugnatorem eligeretis. Apud hos eo plus admirationis hæc veſtra diligentia grauitas que habet quod ipſi norunt quoſdam non modo variis artificiis, ſed etiam propoſitis minis ac terroribus, conſcripto exercitu hoc ipſum conatos eſſe, vt noſtras mentes diſtraherent & diſſociarẽt. Vtinam noſtrum exemplum & poſteris proſit, qui quantis laudib. veſtram celebrabunt ſapientiam & virtutem? quod cauiſtis ne diſcordia inter vos orta bellum æternũ & exitiale patriæ excitaretur. Sed vt ante dixi, Deum agnoſcamus autorem eſſe huius conſenſus: eumq; ardentib. votis precemur, vt ſit perpetuus. Deinde poſtquã electus eſt Carolus, nõ dubitemus quin Dei conſilio & voluntate ad hoc tantũ faſtigiũ euectus ſit. Nam haud dubie fato & voluntate Dei imperia dantur. Agamus igitur Deo gratias, quod Principem nobis optimæ atq; ampliſſimæ ſpei dedit: ac petamus, vt auſpicia Imperii ſint fauſta ac felicia, & vt Deus gubernet regis Caroli animũ, conſilia, actiones, ad gloriam Chriſti illuſtrandam, ad Eccleſiæ tranquillitatem conſtituendam, ad patriæ atq; Imperii pacem defendendã, ad religionis, legum, iuſtitiæ, diſciplinæ, conſeruationem. Hæc ingentia bona cogitemus vere eſſe cœleſtia beneficia quæ generi humano per bonos Principes Deus impertit. Quare à Deo piis & aſſiduis precib. petenda. Quemadmodum ille, cum inquit de Deo, *Qui dat ſalutem regibus*: admonet ita eſſe felicia Imperia, ſi Deus det ſalutem, ſi gubernet atq; adiuuet eos, qui Reſpublicas adminiſtrant. Omnes igitur inuocate Deum & Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, & hanc Pſalmi vocem pio pectore ingeminate, quæ precationẽ pro rege continet: *Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te.* Publico etiã nomine poſtulamus, vt Carolo regi Romanorũ, & electo Imperatori ac Domino veſtro obediatis. Quod quidẽ vos pro fide, virtute, ac ſapientia veſtra, facturos eſſe, non dubitamus: præſertim cum ille tanta modeſtia iudicium noſtrum ac ſuffragia expectauerit. Et quẽadmodum nos in electione præſtitimus, ne qua inter nos diſcordia oriretur: ita vos propter publicã Imperii tranquillitatem imitamini noſtrum exemplum & communi animo electo Imperatori obtemperate: quem iure ac legibus ſcitis iam eſſe noſtrum Dominum. Nam electio iure ac legib. facta eſt. Nullius noui exempli autores ſumus contra leges. Eſt autem officium neceſſarium, & præſertim ſapientib. ac magnis viris dignum, iuri ac legibus obtemperare, parere Dominis, cauere omni ſtudio, ne contumacia diſſipentur Imperia. Ac tamen vt libentius huic Domino pareatis, eædẽ vos rationes hortentur, quæ animos noſtros in electione mouerunt. Etenim non ſolum nihil contra leges fecimus, ſed etiam quantum proſpici à nobis potuit, Deo gubernante noſtras mentes, in deſignando Principe, communi ſaluti orbis terrarum conſulere conati ſumus. Quare vt ſancitum eſt, Germanicũ Principem, & quidem in familia Imperatoria natum elegimus, quem indole ad virtutẽ egregia præditum eſſe cognouimus. Eminent autem in eo duæ virtutes, quæ in ſummo Principe maxime neceſſariæ, ſalubres, & gratæ ſunt, videl. amor religionis, & bonitas eximia. Quarum altera eũ ad fugiendas libidines, ad vitandas temerarias mutationes, in Eccleſia & Repub. ad fidem ſeruandã conſtantiamq; in promiſſis, ad defenſionem religionis & Imperii exuſcitat. Vtraq; vero prohibet ſæuitiam, crudelitatem, iniuſtam cupiditatem vindictæ. Etſi enim iudicauimus opus eſſe potente Principe, qui autoritatem etiam viribus tueri poſſet: tamen prius ingenium, & mores conſiderauimus. Potentia .n. non ſalutaris, ſed pernicioſa eſſet orbi, ſi ingenium leue aut malum eſſet. Eſt autẽ ea iam ætas pene, quæ fuit Alexandri Magni capeſſentis Imperium: in qua vires corporis propemodum maturuerunt, & ingenii vigor, induſtria, ſagacitas, & mores ſe proferunt, vt iudicari qualis ſit natura poſſit. Itaq; cum ſciremus, regem Carolum ſuo iudicio multa honeſte & grauiter reſpõdere, & non ſolum non hebetem, ſed etiam ſingulari induſtria & diligentia in obeundis negotiis, aut prouidendis, aut iudicandis, præditum eſſe: & cæteras virtutes habere, bono & magno Principe dignas, ſtatueremuſq; tali præditum natura, opes & potentiam ſuam collocaturum eſſe, nõ ad nocendum, ſed ad ſalutem humani generis: potius duximus tantis inſtructum viribus eligendũ eſſe, quam aliũ his neceſſariis præſidiis deſtitutum. Hoc conſilio cenſuimus boni Principis potẽtiam autoritate armandam eſſe. Et quoniam nos non tantum Germaniæ, ſed vniuerſo orbi terrarum conſulere debemus, vires cõparandæ ſunt aduerſus valentiſſimos hoſtes, nõ modo Germaniæ, ſed totius Chriſtiani nominis. Tantis incrementis, & tam ſubitis, annos iam ferme centum auctæ ſunt res Turcarũ, vt nemini dubium eſſe poſſit, eos Imperium orbis terrarum ſibi polliceri, non modo propter virium magnitudinem, ſed multo magis propter inuſitatos atq; admirabiles ſucceſſus. Et vt omittamus priora, Se-

ta, Selymus nuper non minori virtute, quam fœlicitate Perſas, antea inuictos, ingenti prœlio ſuperauit, & ex Armenia eiecit. Deinde duobus ampliſſimis regnis Syria & Ægypto potitus eſt. Et in oriente Imperii Turcici limitem eum conſtituit, qui quondam Romani Imperii fuerat. Ac tantam gloriam conſecutus eſt, vt maiores ſuos non ſolum regni amplitudine, ſed etiam fœlicitate ſuperare videatur. Nam & pater & auus Machometes, cum quidẽ dux eſſet vnus omnium ætatis acerrimus; & fœliciſſimus cum tentaſſent Syriam, acceptis magnis detrimentis inde ſunt repulſi. At Selymus, velut in eodem curſu, profligato Perſico exercitu, Syriam atq; Ægyptum non ſine acerrima dimicatione in poteſtatem ſuã redegit. Hunc, cum natura gloriæ & potentiæ cupidus ſit, non acceſſio virium, non magnitudo ſucceſſuum incitaret ad res maiores ſuſcipiendas? Ille vero iam claſſicum cecinit, & exercitus in Pannoniam miſit. Videmus autem fato quodã hoc tempore duas bellicoſiſſimas nationes coniunctas eſſe, Germanicã & Hiſpanicam: ac tenet Carolus magnam Italiæ partem. Itaq; ſi omnium gentium conſiliis dux aduerſus Turcas legendus eſſet, haud dubie omnium votis expeteretur, & omnium ſuffragiis deſignaretur Imperator Carolus. Quare & vos pleraſq; alias gentes, quæ cum Imperio noſtro ſocietate, aut fœderib. coniunctæ ſunt, ſperamus iudicium noſtrũ ſummo ſtudio probaturos eſſe: præſertim cum omnes norint Carolum ſingulari moderatione naturæ præditum eſſe, maximeq; à ſuperbia, ſæuitia & cupiditate iniuſtæ dominationis, abhorrere. Eſſet enim formidanda liberis tanta potentia, eſſent metuendæ Imperii & orbis terrarum graues mutationes, niſi naturæ bonitate & timore Dei potentiam moderaturus videretur: quod vt ſperemus, grauiſſimis argumentis adducimur. Indoles .n. ipſius penitus nobis perſpecta eſt, cognouimuſq; eum habere infixam animo mirificam reuerentiã erga religionem, fidem pactorum conſtantiſſime præſtare, & à crudelitate quam maxime abhorrere. Sunt autem omnium reliquarum virtutum nutrices, religio, veritas, & manſuetudo. Deinde familiæ natura mouentur, quæ Imperiũ iam annos plus octoginta ita tenuit, vt nondum pœnitere nos Auſtriacorum Principum debeat. Inprimis enim enituit in vtroq;, in auo & proauo, eximia moderatio & lenitas, quæ quidem in Maximiliano Cæſare non poterat ſegnities videri. Nemo enim erat illo in armis acrior. Quoties armis dimicauit ipſe? Quoties paruis copiis ingentes fudit exercitus? Nunquam fortunę ſuccumbebat eius animus. Rurſus in victoria, in toga mitiſſimus erat. Et quod ſingularis erat prudentiæ, præcipuo ſtudio cauebat ne iracundia incitatus, præberet occaſionem mutationibus Eccleſiæ aut Imperii. Ab hoc prognatũ Carolum, referre auitam moderationem animaduertimus: & ea eſſe grauitate præditum ſcimus, vt intuens in maiorum exempla non ſit commiſſurus, vt ab illis degeneraſſe dicatur: vt alienos mores, indignos maiorib. accerſiuiſſe, vt primus laudatiſſimæ familiæ notam ſuperbiæ, & crudelitatis inuſſiſſe feratur. Meminit etiam aui præcepta, de timore Dei, de cura tuendæ religionis, de clementia: quæ vt decet, velut oracula obſeruat. Quamquam quid opus eſt longa oratione? Iam ſpecimen induſtriæ & virtutum aliarum dedit in Hiſpania. Auo eius materno extincto, magni motus in regno, & ciuiles diſcordiæ erant exortæ. Has aduentu ſuo repreſſit: cumq; eius nationis ingenia bellicoſiſſima ſint, & exteros dominos non facile patiantur, tamen ipſe non tam armis, quam virtutis ac præcipue bonitatis admiratione, totam Hiſpaniam nunc ita retinet in officio, vt nemo regum vnquam tam pacatam tenuerit. Quare quantum humanitus prouideri potuit, eligimus Imperatorem, in quo cũ virtute potentia coniuncta eſt, vt eius vires præſidio eſſent religioni, Imperio, & vniuerſo nomini Chriſtiano. Proinde vos auſpiciis Imperatoris ipſius læta & fauſta precamini: eiq; libenter obedite, vt decet Principes & populos amantes publicæ tranquillitatis. Poſtremo cũ ingentẽ luctum & mœrorem, interitus Maximiliani attulerit, decet vos vim fati æquiore animo ferre: poſtquam nepos, quem ille chariſſimum habuit, & nobis aliquando cõmendauit, ipſi ſucceſſit, vt non omnino extinctus videri poſſit. Deinde ipſius manibus hoc officium tribuite, vt maiori ſtudio nepoti pareatis, & conſiliis veſtris & copiis, ſuſcipientem grauiſſimam Imperii molem, ſumma concordia adiuuetis: Quod eo etiam vobis faciendũ eſt maiore cura vt Imperii poſſeſſionem retineatis, quam ſine concordia tueri nequaquam poſſumus. Cogitate autem quantum decus ſit, vnam hanc nationem delectam eſſe, quæ non tantum ſuos fines defenderet, ſed cuſtos eſſet etiam cæterarum gentium: & pro communi ſalute Chriſtiani nominis præcipuam ſtationem teneret. Hoc decus magna virtute partum à maioribus, & annos fere iam octingentos in hac natione conſeruatum, ſapientia & concordia Principum, nolite nunc per diſcordiam amittere, eaq; in re cum veſtræ gloriæ & tranquillitati, tum vero ſaluti orbis terrarum conſulite. Idque officium Principes & eos qui præſunt Reipublicæ, maxime debere Deo ſtatuite, vt communi ſaluti omnibus viribus conſulant. Hæc renuncianti, populus cum plauſu acclamabat. Nihil enim omnibus ordinibus erat optatius, quam eludi expectationem Gallorum, qui Imperium ſibi deſponderant. Itaq; audito Caroli nomine, omnes vna voce & conſenſu electionem approbabant. Agunt gratias Deo Opt. Max. primum quod metus Ciuilium bellorum ſublatus erat conſenſu ſuffragiorum: Deinde, quod omnes iudicabant diuinitus orbi terrarum ſalutarem Principem datum eſſe. Omnes iam tum ominabantur huius Caroli virtutem & fœlicitatem præſidio futuram toti Europæ: omnes vota faciebant, vt auſpicia eſſent fauſta & fœlicia: Secundum hæc, Legati ipſius Caroli Moguntia euocantur: qui magno honore excepti, atq; in comitium introducti, certius ex ipſi Legatos agebant: cunctis ſuffragiis rite electum & renunciatũ eſſe Romanorum Imperatorem. Deinde adhibiti in conſilium ab iiſdem Principibus conſuluntur de gubernanda Imperii adminiſtratione, donec rebus in Hiſpania conſtitutis, Carolus in Germaniam veniret. Nam ipſo procul abſente efficiendum erat, vt Germania tranquilla eſſet, ne Gallicæ factiones motus in Germania excitarent. Delectus eſt igitur Caſimir. Marchio Brande-

burgen-

burgenſis, qui legiones certis in locis collocatas haberet in præſidiis, & duceret exercitum, ſi quã belli gerendi neceſſitas incideret. Adiuncti ſunt Electores certi, quorum conſilio vteretur. His rebus conſtitutis, legati dimittuntur: quos diſcedentes proſecuti ſunt Principes Electores vſq; Moguntiam. Inde Francofordiam reuerſi, ſuos & ipſi Legatos cum litteris ad Carolum mittunt: cuius legationis, Fridericus Palatinus Rheni, principem locum obtinebat. Interea electionis nuncii magnis, diurnis, nocturnisque itineribus in Hiſpaniam contendunt, è quib. vnus eximia celeritate cæteros antevertens, nono die Barcinum (vulgo Barſellonam vocant) peruenit, ex eo quo Francofordia profectus eſt: cumq; lætum, exoptatumq; nuncium illuc attuliſſet, à rege, quem in cubiculo mane adhuc quieſcentem inuenit, magno auri pondere donatus eſt. Nec Fridericus Palatinus longam in itinere moram fecit. Nam prid. Calen. Decembr. eodem peruenit, cumque ad vrbem accederet Barſellonam, rex cognito eius aduentu, ad tria ferme milliaria obuiam ei proceſſit. Legatis benigne & comiter exceptis, inq; oppidum introductis, litteræ Regi ab Electoribus ſcriptæ redduntur. In literis primum inerat commemoratio beneuolentiæ Principum erga Carolum, & officii. Cum a. Imperia fato regantur, narrabant diuinitus hanc electionem gubernandam eſſe, vt ſuffragiorũ concordiam, & vniuerſæ Germaniæ vota conſentientia oſtenderent, etſi ipſi etiam iudicio ſuo de familia, deq; ipſius virtute, neminem putarint ipſi anteferendum fuiſſe. Huic orationi grauiter ſcriptæ, adiecta erat petitio, vt Imperium ſine recuſatione acciperet, & conſtitutis rebus in Hiſpania, maturet iter in Germaniam. Carolus, acceptis & lectis literis, cum exiſtimaret ſe quaſi diuina voce, tanto conſenſu totius patriæ vocari, etſi videbat quanta rerum moles ſibi imponebatur: tamen & Deo obtemperandum, & patriam non deſtituendam eſſe cenſebat. Reſpondit autem Legatis per Mercurinum Oratorem: Huic enim ſumma laus eloquentiæ tribuebatur. Vſus eſt igitur Mercurinus luculenta Oratione, atq; huiuſmodi verba fecit. Iure lætatur rex Carolus, cum beneuolentia, tum vero etiam grauiſſimo iudicio ſummi Senatus, Germaniæ Principum, qui tam dubio tempore Imperii gubernationem ipſi vni, tuto commendari cenſuerunt. Quid enim aut gratius ei accidere poteſt, quam quod ab vniuerſa patria ſe vere amari intelligit? aut honorificentius? quam quod ſapientiſſimi Principes tantam ipſi virtutem tribuunt, & quaſi diuinantes, eam ſpem de ipſius fide & fœlicitate conceperunt, neminem vt ad hoc Imperii faſtigium, quam ipſum, euehere maluerint. Viciſſim igitur & patriæ pietatem, & cognatis Principibus beneuolentiam perpetuam pollicetur. Deliberantem autem de Imperio accipiendo diuerſæ curæ diu exercuerunt. Etſi .n. magni animi eſt, non deterreri mole rerum & magnitudine periculorum, quæ videntur impendere intuenti nunc Italiam quæ à Gallis tenetur, nunc Turcas denunciantes bellum Pannoniis, tamen cũ vere ſit diuina res gubernatio, nec niſi aſpirante Deo, fœlix eſſe poſſit, cõſtanter & religioſe Imperia accipienda ſunt. Hęc etiam Hiſpania, etſi vires ſuas, quæ non ſunt exiguæ, ad ſocietatẽ rerum gerendarum offert, tamen ipſum regẽ domi, velut in ſpecula regni, aſſiduũ eſſe mallet. Sed e regione durum videbatur, patriæ opem ab ipſo imploranti deeſſe. Mouit etiam animum gentilium decus atq; honeſtum eſſe iudicat, aui & proaui exempla ſequi. Et cũ auus collapſas res rurſus erexerit, cumq; huic familiæ potitæ hoc faſtigio, tantæ acceſſerint opes, arbitramur diuinitus hanc familiam ad Imperii defenſionem vocari. Poſtremo etiam principũ Electorum votis & iudicio permouetur, vt rem omniũ difficillimam, Imperii gubernationẽ, ſuſcipere minus recuſet. Tam multæ graues cauſæ cũ concurrerent: cumq; diuinitus ſe vocari ad Imperium, patriæ cõſenſu, ſtatueret: tandem, quod fœlix fauſtumq; ſit, Imperium accipere rex Carolus decreuit: & hanc voluntatẽ ſuam Dux Friderice à te exponi Electoribus & perferri in totã Germaniam poſtulat. Principio vero ꝙ Regũ ſapientiſſimus Salomon vnũ optabat, id ipſe quoq; optat, cũ humana ſapientia non ſit par tantæ gubernationi, vt Deus pectus & conſilia ipſius in toga, & in armis regat, ac perficiat, vt Eccleſiæ & toti generi humano hæc ipſius gubernatio ſalutaris ſit. Meminit rex Carolus, ex hac ipſa Hiſpania duos Principes ad Imperium vocatos eſſe, Traianũ & Theodoſium: quorum alter optimus appellatus eſt: alter non ſolũ bonitate & armis Traiano par fuit, ſed etiam hac laude excelluit, quod vere Deum coluit: ac perfecit, vt Euangelium latius propagaretur, & concordiam Eccleſiæ, pie, diremptis diſſidiis, conſtituit. Hi duo Principes ex Hiſpania euocati, cum fuerint ſalutares orbi terrarum, lætatur omine. Horum exempla ſibi proponet, & annumerari laudatiſſimis Imperatorib. volet. Summa virtus maiorũ fuit in vtraq; familia, Auſtriaca & Hiſpanica: Horũ ſimilitudo in regis Caroli natura & indole iam præclare lucet. Comitatur autẽ fœlicitas cũ cæteras virtutes, tum vero præcipue pietatem erga Deum, quæ in rege Carolo eminet. Quare ſpes eſt eius gubernationẽ fauſtam, fœlicem & ſalutarẽ fore orbi terrarũ, & vt ſit, omnes boni toto pectore vota facere debent. Tu vero dux Friderice ito, & Principib. Electorib. gratias agito, quorum cognouit eximiam beneuolentiã eſſe, ac voluntates eorum confirmato, & Imperatorẽ Carolum petere dicito, vt ipſi tanquã cuſtodes publicæ pacis, ſua fide, concordia, virtute, Germaniæ tranquillitatem tueantur, donec Imperator in Germaniam veniet, qui quidẽ aduẽtum maturare quamprimum decreuit. Hæc cum Mercurinus dixiſſet, tota curia lætitiæ plena, regi Carolo & Imperatori omnia fauſta precabatur. Poſtea ſcriptæ ſunt literæ ad Electores, in quib. rex ſe imperium accepiſſe profitetur, & de conſtituendo ſtatu Imperii nihil ſine conſilio Electorũ facturum eſſe profitetur. Cõmemorat ſibi beneuolentiã ipſorum iucundiſſimã eſſe: & voluntates eorum confirmat. Poſtremo pollicetur etiã breui ſe in Germaniam venturum eſſe. Vt igitur ſolicitis Electorib. quamprimum voluntas Caroli Imperatoris ſignificaretur, Fridericus Palatinus ampliſſimis muneribus ornatus, ſtatim dimiſſus eſt. Cæſar autem initio veris ex Hiſpania ſoluens, traiecit in Angliam,

vbi à

vbi à rege Henrico VIII. non ſolum comiter, pro ipſorum neceſſitudine & hoſpitii iure, ſed etiam ſplendidiſſimo apparatu, exceptus eſt. Cumq; fœdera inter duos reges cõfirmata eſſent, Anglus pollicitus eſt ſe Caroli coronationi interfuturum eſſe, honoris ipſius cauſa. Poſt paucos dies inde venit in Belgicum, vbi magna frequentia omnium ordinum, fauſtis eum ominibus excepit. Gratulantur reditum eo maiore veneratione: quia iam virum cernebant Principem, qui in Hiſpaniam ante annos aliquot admodum adoleſcens profectus fuerat. Optant læta & fœlicia Imperii auſpicia. Commoratur autem rex Carolus aliquantiſper in Belgico, tum vt ciuitatum ſuarum ſtatum cognoſcat: tum vt Angli aduentum expectet. Sed hunc facile rex Franciſcus perpulit, ne Carolum comitaretur, ac ſibi Anglum nouis pactionibus adiunxit, quæ deinde magnas rerum conuerſiones attulerunt. Tandem igitur Aquiſgranum venit rex Carolus, florem ſecum Burgundicæ & Belgicæ nobilitatis ducens. Et quanquam in oppido & vicinia graſſabatur lues peſtilens, tamen ne noui exempli autor eſſet, mutare locum coronationis noluit. Aduenienti obuiam proceſſerunt Electores, & fere omnes reliqui Germaniæ principes. Aderat & cœtus ſacerdotum Caroli Magni monimenta gerens. Poſtero die, qui fuit dies duodecimus menſis Octobris, coronatus eſt in æde maiori Aquiſgrani, veteri ritu. Moguntinus & Colonienſis indutum tabea ad aram adduxerunt. Dux Palatinus orbis figuram præferebat: Dux Saxoniæ enſem, Marchio Brandenburgenſis ſceptrum: Treuirenſis vero, more à maioribus accepto, regem vnxit. Hic ad aram iuſiurandum prælectum eſt. Deinde corona à Moguntino & Colonienſi impoſita. Poſtea tradita, ſceptrum & enſis. His cæremoniis peractis, regium conuiuium apparatur: in quo Electorum diſtributa ſunt miniſteria. Aſtat Moguntinus codicillos & ſigillum manu geſtans: Marchio Brandeburgenſis ſceptrum, regis Bohemici legatus, Pincernæ munere fungitur, Palatinus, Dapiferi. Interim in foro dux Saxoniæ auenam equitibus diſtribuit. Aſſatur & taurus integer, refertus altilibus omnis generis, vnde primum coronato regi Romanorum apponitur ferculum. Poſt coronationem Cæſar cum Principibus Coloniam venit, vt de futuro conuentu colloquerentur, in quo de veteri more poſt coronationem lex de pace communi renouatur, & de ſumma Reipublicæ deliberatur. Decretum eſt igitur, vt ad Calendas Ianuarias indiceretur conuentus Vuormatiæ. His actis, & Carolus in Belgium rediit, & cæteri Principes in ſuas ditiones diſceſſerunt.

CAPVT IV.

Inaugurandi Cæſaris modus, & ceremoniæ.

ANno ſalutis humanæ 1520. Carolus Quintus hoc ordine ac proceſſu ſecundum Imperii conſtitutionem deſignatus eſt Imperator. Octobris diem ſextum Carolus deſignat Electoribus, vt inaugurationis cauſa ſibi præſto ſint Aquiſgrani: ſed per id tempus admodum ſæuiebat ibi peſtis. Itaq; Principes, vbi Coloniam veniſſent, decem ab Aquiſgrano miliaribus, & graſſantis morbi fama quotidie creſceret, miſſis literis atq; legatis, Cæſarem, qui tum erat Louanii, rogant propter eam cauſam alio ſe conferat. Oppidani vero, qui maximos iam ſumptus feciſſent in adornandis domiciliis & alimonia comparanda, per idoneum interpretem, morbi vim extenuantes, animum eius confirmant ne dubitet venire. Perſtitit igitur in ſententia Cæſar, neq; Caroli Quarti legem, qui ſic ſtatuiſſet, temere ſe poſſe mutare dicit. Octobris ergo die 21. veniunt eo Moguntinus, Colonienſis, Treuericus, Saxoniæ ducis, & Brandenburgenſis Marchionis legati, nam Saxo per cauſam valetudinis Coloniæ ſubſtitit. Poſtridie obuiam Cæſari contendunt, & appropinquantem honorifice, cum ex equis deſcendiſſent, excipiunt, verba faciente Moguntino: ipſe per Salisburgenſem Cardinalem beneuole reſpondet. Coniunctis igitur agminibus vrbem petunt. ante portam occurrit Palatinus. Equitatus erat omnis Electorum, circiter mille ſexcenti, partim haſtati, partim ſagittarii. Cæſaris autem ad duo millia, ſplendidiſſime omnes veſtiti. Dux Cliuenſis Ioannes, plane finitimus, equites adduxerat quadringentos, inſigniter armatos. Iis contentio multa fuit cum Saxonicis, vtri præcederent, ita quidem vt pompam iſtam, qua vix vllam Germania viderat illuſtriorem, nox interpellaret. Latus vtrunq; Cæſaris claudebant Colonienſis & Moguntinus: pone ſequebatur Bohemiæ Regis Legatus, item Sedunenſis & Salisburgens & Croius, Cardinales, regum atq; principum oratores: Pontificius tamen aberat & Anglicus, quod eo feciſſe putantur, ne poſtpoſiti Principibus Germanis, eorum à quibus erant miſſi, viderentur imminuere dignitatem.

Cæſar in ædem diuæ Virginis introductus, ibiq. precatus, ac deinde cum Electoribus collocutus, in domicilium ſuum diuertit. Alterá die rurſus in templo conuenitur: tantus tamen erat hominum concurſus, vt à ſtipatoribus armatis ægre coerceri poſſent. In medio templi dependet corona quædam perampla: ſubtus erant ſtragulæ veſtes permultæ: hic aliquamdiu Cæſar pronus decumbit: interea dum Colonienſis quaſdam precationes abſoluit. Poſtea ſublatum Moguntinus atq; Treuericus ad aram diuæ Virginis adducunt. Hic iterum procumbit, & peractis precibus in ſolium auratum deducitur. Incipit ſacrificare Colonienſis, & aliquouſq; progreſſus, Latinis verbis rogat, an fidem Catholicam ſeruare, defendere Eccleſiam, adminiſtrare iuſtitiam, reſtaurare Imperium, tueri viduas, pupillos & id genus calamitoſos homines, an honorem debitum Romano Pontifici velit exhibere. Vbi annuit, ductus ad aram, conceptis verbis iurat: poſt ad ſolium regreditur.

Principes deinde Colonienſis interrogat, an fidem & obſequium ei præſtare velint. Eo promiſſo, & rurſus aliquot dictis precibus, in pectus & caput & brachiorum flexus, & manuum palmas illũ inungit: vnctum Moguntinus & Treuirenſis in ſacrarium abducunt, atq; ibi Diaconi more veſtitum, rurſum in cathedram collocant, & poſt certas iterum preces, archiepiſcopis collegis adhibitis, enſem

enſem euaginatum ei Colonienſis tradit, ac Rempublicam commendat: & gladio in vaginam recondito, annulum inſerit eius digito, poſtea pallium induit regale, ſceptrum quoq; porrigit atque pomum, quod Orbis terrarum figuram repræſentat: diadema vero ſimul Archiepiſcopi tres eius capiti ſuperimponunt, inde ad aram adductus, iterum iurat ſe facturum boni principis officium: poſt in ſublimiorem locum comitantibus Archiepiſcopis aſcendit, & in ſaxea ſede collocatur. Ibi Moguntinus lingua populari verba facit, & multam ei ſalutem precatus, ſe ſuosq; collegas & omnes Imperii ordines diligenter commendat. Idem deinde faciunt primarii templi ſodales, quorum in collegium etiam allectus fuit, veteri conſuetudine: poſthæc publicam lætitiam ſymphoniaci & tubicines excitabant. Harum rerum omnium ſpectatrix erat Margarita, Cæſaris amita, quæ Belgio toti præerat. Peracto ſacro, cum Cœnam Domini Cæſar percepiſſet, in equeſtrem ordinem recipit volentes. Hic honos cõmunicari ſolebat antiquitus iis tantum, qui ſtrenue pugnaſſent in hoſtem, eratq; præmium fortitudinis: nunc autem recepta conſuetudine, reges gladio ſtricto leniter feriũt humeros eorum qui hunc ordinem affectant. Et hac ſola ceremonia promiſcue multi hodie fiunt equites, non ex nobilitate tantum, ſed mercatores etiã & quicunque præ cæteris in honore eſſe volunt. E templo ventum eſt in palatium magnificentiſſime comparatum. Ibi demum Cæſar prandium ſumit, & electores etiam ſinguli ſeparatim in eadem aula, diſpoſitis menſis ad vtrunq; latus mẽſæ Cæſaris, Treuirenſe locum obtinente contra Cæſarem, iuxta formulã legis Carolinæ. Veteri conſuetudine bos eo die torretur, farctus aliis animalibus. Ex eo pars reliqua defertur ad Cæſarem, reliquum eſt multitudinis. vinum etiam duabus fiſtulis ad eam rem comparatis toto die publice profunditur. A prandio reuerſus in diuerſorium Cæſar Imperii ſigilla Moguntino tradit: poſtridie cœnam dat Electoribus. Eo qui ſecutus eſt die, templum ingreſſus, finita Miſſa, Diuorum reliquias, vti vocant, veneratur; & in his linteolum, quo Seruatorem noſtrum in cunis vagientem inuolutum fuiſſe confirmant. Ab eo Moguntinus profitetur, Pontificem Romanum, approbata creatione, iubere vt electi Cæſaris nomen in poſterum Carolus vſurpet. Digreſſis Electoribus, ne diutius hæreant in loco peſtilenti, Cæſar etiam iter ſuſcipit: & cũ ſub Cal. Nouemb. Colon. Agrippinam veniſſet, dimiſſis per Germaniam literis, Imperii conuentum indicit, & vt Ianuarii menſis die ſexta, Vuormatiæ ſibi præſto ſint omnes iubet. Porro quod Moguntinus de Pontificis approbatione dixit, morib. ita receptum eſt & inoleuit. Nam etſi, vt quidam volunt olim Epiſcopi Romani ſolebant ab Imperatorib. approbari, cum eſſent tenuiores: amplificati tamen non ſolum arbitratu ſuo regere cœperunt, verum etiam eo rem adduxerunt tandem, poſt acerrimas contentiones, vt eligendi quidem ius, Germaniæ ſeptemuiris permittant, confirmandi vero poteſtatem ſibi propriam eſſe dicant. In Gregorii .n. Noni decretalibus epiſtolis, Innocentius tertius affirmat, ius eligendi Cæſaris beneficio Pontificum & Eccleſiæ Romanæ delatum eſſe à Græcis ad Germanos, & ad Carolum Cæſarem cognomento Magnum, & ipſorum eſſe cognoſcere ac iudicare nũ idonea ſit perſona. Iuſiurandum inſuper à ſummo totius orbis Monarcha exigunt, vt Eccleſiam Romanam defendat, vt hæreticos exterminet, vt Pontificum dignitatem modis omnibus tueatur, vt priuilegia quondam Eccleſiæ Romanæ conceſſa, quocunq; tempore conſeruet, in primis ea quæ profecta ſunt à Conſtantino, Caro. Magno, Henrico, Ottone quarto, Friderico ſecundo, Rudolpho: ne quid iuris in vllas Eccleſiæ Romanæ facultates atq; poſſeſſiones, quocunq; titulo ſibi vendicet: vt reliquas etiam vbiuis Eccleſias, earumq; libertatem atq; iura protegat. His rebus deuinctum ſibi Cæſarem aſſerit.

CAPVT V.

Maximiliani I. Electio ex antiquo libro Germanico ſtrictim excerpta.

ANNO MCCCC LXXXVI. Fridericus III. Imperator cum Electoribus Francofurti comitia celebrauit: in quibus filius eius Maximilianus I. in Romanorum Regem eſt electus, his fere ritibus.

Primo magna Equitum, Nobilium, Conſiliariorum multitudo præceſſit: quos Comites & Barones magno itidem numero ſequuti ſunt. Poſt hos Feciales ſiue Heraldi in ſolenni habitu.

Inde Principes tam Eccleſiaſtici quam ſæculares: Epiſcopi Vuormatienſis, Spirenſis, Teutonicæ familiæ magiſter, Duces Saxoniæ, Bauariæ, Geldriæ, &c.

Albertus Elector Brandeburgicus, ſella ad templum ferebatur: poſt hunc Comes Palatinus Philippus, cui læuum Maximilianus Imperatoris filius, &c. claudebat. Inde Archiepiſcopus Treuirenſis: inter hunc & Imperatorem Dux Saxoniæ, enſem portans. Sequebatur Imperator, à dextra Moguntinum, à ſiniſtra Colonienſem habens. Pone hos Epiſcopi Bambergenſis, Auguſtanus Eiſtetenſis, Comes Verdenbergenſis, & alii.

Imperator & Electores in ſacrarium ingreſſi, ſolemnes habitus ſumſerunt: vt & Maximilianus Archiducali veſtitu pileo inprimis ornatus. Egreſſi inde, ad altare conſtiterunt hoc ordine. Imperator loco vno gradu editiori, in latere quo Epiſtola legi ſolet. A dextra Moguntinus, Palatinus pomum Imperii tenens, Maximilianus Auſtricus. A ſiniſtro Colonienſis, Saxo, Brandenburgicus, ante Mareſcallum ſtabat Baro Vnsbergius, ſceptrum tenens. E regione Imperatoris, circiter quinque paſſus medio in choro ante altare, Treuirenſis. Et in eodem latere reliqui Epiſcopi & Prælati. Latus vero in quo Euangelium decantari ſolet, Duces ſæculares occupabant. Librum Euangelii & Pacem Treuirenſis Imperatori ad oſculum porrexit. Eundem medium Moguntinus & Colonienſis, præeunte Treuirenſi, ad altare deduxerunt; ſequentib. Palatino, Saxone, Brandenburgico, & Maximiliano Auſtriaco, Imperatoris filio.

Ad al-

Ad altare primus Imperator, inde Treuirenſis, poſtea Moguntinus, & deinceps cæteri munera ſua obtulerunt.

Vbi cantus ad verba illa, *Sanctus*, &c. proceſſiſſet, Limpurgius pincerna coronam ab Imperatoris capite ſuſtulit: Soldeckius vero interim Imperij pomum, Pappenhemius enſem, Vntersbergius ſceptrum tenebat: quæ inſignia ſumpta á ſacerdote Euchariſtia, Electores ruſum ipſi ad ſe receperunt.

Peracto ſacro, Electores ad altare accedentes, iureiurando ſeſe obſtrinxerunt. Inde cum Imperatore ſacrarium regreſſi, circiter vnius horæ conſultatione habita, tandem Treuirenſis, Palatinus, & Saxo ad Maximilianum, qui ſolus foris ſolio inſidens remanſerat, venerunt, quomodo in Romanorum Regem electus ſit renunciantes. Is in genua coram ipſis procidens, capite reuerenter aperto, & complicatis manibus, gratias illis egit, quaſi tantum honorem deprecans. Mox ſurgens, cum eis ſacrarium ingreſſus, ibi iuſiurandum ſolito more præſtitit, quod *Secretum Electionis* vocant. Poſt hæc cæteri Principes, Comites & Barones tamquam teſtes, itemque duo Notarij aduocati ſunt, & quomodo eo die Maximilianus Auſtriacus in Regem Romanorum, aſſentiente Imperatore, electus eſſet, in ſcriptum refertur.

Educitur deinde ad altare, præeunte Treuirenſi ſolo, deinde Palatino & Saxone, inſignia Imperij ferentibus, nouus Rex ad ſiniſtram Imperatoris: vtrinque vero Colonienſis læuam, Moguntinus dextram claudebat.

Recitatis aliquot precibus & Collectis, Rex regio habitu induitur, & ab Electoribus altari imponitur. Tum campanæ omnes pulſari, & organa, tubæ, aliaque varia Muſica inſtrumenta perſonare cœperunt, eiuſmodi reperto concentu, Cancellarius Moguntini populo Electionem Regis denunciat, vtque eum omni honore & obedientia proſequantur omnes, monet.

His omnibus peractis, & choro aperto, pompa ruſus templo egreſſa eſt hoc ordine. Imperator & Rex medij inter Moguntinum a dextris, & Colonienſem a ſiniſtris. Ante ipſum Saxo medius inter Palatinum & Brandeburgicum, Imperij portantes inſignia. Tres hos præcedebat Elector Treuirenſis; hunc Albertus Saxo & Henricus Brunſuicenſis: Ioannes Bauarus & Fridericus Saxo: Gaſpar Bauarus & Ioannes Saxo: ac ante hos alij Principes, Comites, Barones, & Nobiles. Facta eſt hæc Electio die Iouis ante Dominicam Inuocauit, Anno M. C C C C L X X X V I.

Iam quomodo ciuitas Francofordienſis eidem Regi homagium præſtiterit, paucis indicabimus. Die 25. Martij, ipſa Paſchatis vigilia, hora tertia pomeridiana, portis omnibus clauſis, & ciuibus aliquot armatis per vrbem diſpoſitis, multitudo ad lattoniæ tribus domum conuenire iuſſa eſt. Rex in domum, cui Paradiſi inſigne fuit, ducitur. Ibi duo conſules, & quidam Senatores ad eum venerunt, præſtitoque homagio bullam, qua priuilegia ipſorum confirmantur, ab eodem acceperunt. Quo facto, Cancellarius populo monſtrata bulla, verba præit, quibus ſinguli, erectis digitis, obedientiam Regi promiſerunt.

CAPVT VI.

Regij epuli in electione Maximiliani II. Auſtriaci, Anno M. D L X II. Francofurti celebrati deſcriptio.

Peractis in fano ceremonijs omnibus, in Curiam inde ad prandium pro Cæſare, Rege, ac reliquis Imperij ordinibus ſumptuoſiſſime apparatum proceditur. Pone tres Regij ſtipatores ſequebantur, qui equis inſidentes, in vulgus miſſilia iactabant, nummos ſcilicet aureos & argenteos vtrinque ſignatos, vt in altera parte, *Maximilianus D. G. Bohemiæ Rex*, in altera, *coronatus eſt in Regem Romanorum, Anno L X II.* legeretur. In Curiam vt ventum eſt, vbi Cæſar & Rex ſua menſa, omnibus alijs ſeptem gradus editiori, conſidere cœperunt, Electores ſinguli ſua ex Aureæ Bullæ præſcripto munia obierunt. Et quidem omnium primo Brandenburgicus, qui Camerarij munere fungitur, curia deſcendens, in equum generoſum aſcendit, & ad menſam in medio foro ſtratam properans, auream inde peluim & mappam accipit, & in Curiam rediens Cæſari & Regi, vt manus lauent & abſtergant, adminiſtrat; poſt peluí, mappa & equo Comiti Zollerano ex iure antiquo cedentibus. Deinde Saxo, qui Eutiterum & Mareſcallum agit, in equum agiliſſime inſiliens, commoditatem acetuum prope Curiam effuſum incitato celerrime fertur, indeque modium implet argenteum, poſtea modio & equo Mareſcallo inferiori de Pappenheim tributo, auena autem pro deteriori habita, vulgique direptioni conceſſa. Poſtea Palatinus Archidapifer ad coquinam extra Curiam prope Franciſcanorum ædem conſtructam expeditus in equo aſpicat, indeque aſſumpto ferculo Curiam verſus reditum maturat: ibi equo relicto, fercula ad menſam Cæſaris, Saxone nigrum bacillum præferente apportat. Eius aquam vna cum argenteis, quibus fercula geſtabantur, patinis, iure quodam peculiari Dominus Soldeckius adeptus fuit. Conſecrauit menſam Archiepiſcopo Treuiro verbis præeunte, cui reliqui duo reſpondent. A conſecrationis Moguntinus, comitantibus Treuiro & Colonienſi, codicillos imperijque ſigilla ex oblongo argenteo baculo plus minus duodecim marcarum pretij, dependentia Regi offert. Rex ſigilla allata Moguntini collo accommodat, recipiens, Se quum ipſos Archicancellarios Electoreſque reliquos ac vniuerſos Imperij ordines ſibi quam commendatiſſimos habiturum, tum iura atque priuilegia ipſorum non modo ab omni detentiorum iniuria & violatione, ſed & quum res ita ferret, etiam amplificaturum eſſe.

His ce officijs poſteaquam Electores ſolenniter ſunt defuncti, ſinguli ſeparatim menſis in eadem

aula

aula ſplendidiſſime inſtructis diſpoſitiſque, ad vtrumq; Cæſaris & Regis menſæ latus accumbunt. A latere dextro primam occupat Moguntinus, alteram Palatinus. Ad ſiniſtram primam tenet Colonienſis, ſecundam Saxo, tertiam Brandenburgicus. Contra Cæſarem & Regem menſa erat poſita, cui Treuirenſis, iuxta legis Carolinæ formulam accumbit. Hæ autem menſæ omnes tam Cæſarum, quam Electorum, aureis adornatæ ſtragulis, magnificentiſſime nitebant, ſupra etiam & à tergo aureis aulęis affabre ſumptuoſiſſimoq; opere confertis, dependentibus. Præter iam dictas menſas aliæ duæ oblongæ in eodem ſtabant cœnaculo, ad quas collocati ſunt Teutonicæ familiæ Magiſter, Virceburgicus & Spirenſis Epiſcopi: item Bauarus, Iuliacenſis, & plures alij Duces ac Principes viri. In contiguo aulæ hypocauſto etiam aliæ quatuor menſæ inſtructæ erant, quarum primæ legati Colonienſes, ſecundæ Aquiſgranenſes, tertiæ Norici, quartæ Francofurtenſes accumbebant. Menſis ſingulis ſinguli abaci, omnis generis aureis atque argenteis vaſis in tricliniis expoſitis opulentiſſimi, adſtabant. Menſam Cæſaream procurabant præter cæteros, duodecim præcipui Imperij Comites, Electorum vicem obeuntes. Habebant quoq; Electores & Principes ſuos ſinguli Comites & Nobiles, qui illis à dapibus & poculis erant. Legatis quatuor ciuitatum certi etiam attributi erant miniſtri. Cęterum licet conuiuium inſigni magnificentia ingentiq; epularum apparatu inſtructiſſimum, ſenis ſic præberetur ferculis, vt dena ſimul edulia apponerentur; interea tamen complura eſui non apta, digna ſolum erant, quæ cum admiratione oculos paſcerent. Bellariis etiam ſecundæ præſertim menſæ exquiſitiſſimis, viniſque precioſiſſimis fuerunt inſtructæ. Interim dum ſic

Regifice exſtructis, celebrant conuiuia menſis,

ante Curiam album & rubens merum duabus fiſtulis per ſpeciem bicipitis Aquilæ, editæ columellæ impoſitæ, ſubterranea deriuatione profundebatur (ſic Neapoli quoq; in Friderici Cæſaris aduentu pluribus diebus nobiliſſima vina, in ſpeciem aquæ ex temporarijs fontibus vbertim fluxiſſe, teſtatur Sabell. libr. 8. c. 7.) Veteri etiam conſuetudine Bos integer multis aliis animalibus fartus, ligneo veru in foro torrebatur, ex quo parte aliqua ad inauguratum Regem Romanorum delata, reliquum multitudinis direptioni ceſſit. Menſis remotis, Treuirenſis gratias Deo egit: poſtea Cæſar & Rex ſuis ornati inſignibus, ab Electoribus cæteriſque Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus & anteambulonibus domum deducuntur, ex Bullæ Carolinæ præſcripto Electoribus ſuum quoque munus obeuntibus: quibus deductis, ſinguli in ſua ſe receperunt palatia.

CAPVT VII.

Deſcriptio epuli regij, in coronatione Caroli V. Cæſaris, Aquiſgrani exhibiti.

SImile Imperatorium ſiue Cæſareum Epulum in Caroli V. Cæſaris coronatione Aquisgrani magnificentiſſime celebratum, plenius Hartmannus Maurus teſtis oculatus, hunc in modum deſcripſit.

Regia Maieſtas Imperiali habitu atque ornatu induta, delatis ante ſe Imperij inſignibus, maximo Electorum cæterorumque Principum comitatu in palatium tota Germania celeberrimum, cuius latus forum ſpectans, marmoreis Imperatorum ſtatuis mirifice exornatum aſcendit, vbi omnia ad ſplendorem & pompam magnificentiſſime aureis periſtromatis, ſtragulis & aulæis ſic adornata fuere, vt maximam rationem publicæ dignitatis habitam fuiſſe dicere potuiſſes: ſolemniq; conuiuio, præter Principes Germaniæ ſtatuſque Romani Imperij nemo adhibebatur.

Statim atque Rex aſcendiſſet, minor Imperii Mareſcallus Vlricus à Pappenheim, equo cui inſidebat, in cumulum auenæ vſque ad pectus adacto, argenteum modium duodecim marcarum publice in foro, ex more, vice Ducis Saxoniæ, auena impleuit. Aurea deinde pelui aqua regijs manibus à Ioanne Marchione Brandenburgico, & Comite Zollerenſi minore Imperii Camerario dabatur: tenuitque Comes Palatinus & alij Principes adſtantes mappam, qua regiæ manus abſterſæ ſunt. Comes deinde Palatinus Archidapifer, præcedente ſubmareſcallo, geſtante eleuatum bacillum, cum Domino de Croy magno, & aliis minoribus Curiæ magiſtris, ad regiam coquinam deſcenderunt.

Antequam reuerterentur Electores, Archiepiſcopi menſam conſecrarunt. Quamuis autem antiquæ Annotationes Archiepiſcopo Colonienſi coronatori, hoc ſaltim illa die tribuunt, Treuirenſis tamen hoc ſibi competere contendebat, ob cauſam, quod ſenior in conſecratione, id eſt, prior ſacris initiatus eſſet. Archiepiſcopus igitur Colonienſis ob ea, quæ in Aurea Bulla continentur, cuius auctoritas in dubiis merito ſequenda, æquo animo ceſſit.

Poſt Benedictionem Archiepiſcopus Moguntinus aſſociatis duobus Archicancellariis, Colonienſi à dextra, Treuirenſi à ſiniſtra, ſigilla regia à baculo argenteo duodecim marcarum dependentia, regiæ menſæ obtulit: ſed mox reddita collo aptauit, totaque die publice inde pendentia geſtauit; quamuis Treuirenſis contenderet, Aquiſgranum ad Galliæ pertinere Archicancellariatum.

Ante dapes inceſſerunt tubicines atque æneatores Regis: nec non Heraldi, vt vocant, inſigniter ornati: inter quos Anglicus quoque cum Regis ſui inſignibus, honoris cauſa conſpiciebatur.

Tubicines præcinentes vbi ad medium atrii peruenere, ſubſtiterunt, tubis omnia perſonantibus, quouſq; Dominus Palatinus per deuexum aſcendendo ſeptem gradus, primum ferculum coopertum Regiæ Maieſtati reuerendiſſime appoſuiſſet. Controuerſum erat inter Legatum regis Bohemiæ, & ſubpincernam Imperii de Limburg, vter eorum Regi vinum aqua dilutum ex more porrigeret. Sed excuſſum pridie fuit pro Friderico Limpurgo, agnomine & officio Pincernę de Limpurg dicto, quum

cto, quum ille ſemel & primo propinaſſet. Poſt durante prandio, Palatinus Fridericus pocillator Regis fuit.

Omnibus principum Electorum officijs peractis, ad menſas ipſis præparatas Principes ſeſe repoſuere, Singuli ſuos Comites & Nobiles habuerunt, quibus inter epulas miniſtris vtebantur.

Hic opportunum videtur, de menſarum ordine aliquid dicere. Regia menſa poſita latere dextro quod forum reſpicit, inter columnas in meditullio aulæ, & parietem ſubſtructas, eleuata fuit faſtigio ſeptem pedum. Electorum vero menſæ modicis interuallis poſitæ, pedalis altitudinis faſtigium habuere, & tam Regis, quam Electorum menſæ aureis ſtragulis inſtratæ. Aulæa quoque aurea ſupra & à tergo propendebant magnificentiſſimi operis. Licet prandium prælautum omnibusq; cupedijs ciborum inſtructiſſimum abundantiſſime quinquaginta ſcilicet ſic præberetur, vt dena ſemper edulia apponerentur, inter ea tamen multa ad oculos tantum cum admiratione oblectandos comparata erant. Licebat enim videre ſpecies caſtellorum, arborum, leonum, aquilarum, vnde Romani Imperij regnorumque Hiſpaniæ vexilla dependebant, menſis ſingulis ſinguli abaci ordinatim diſpoſiti, primis primi quoque miniſtri fuere.

Marchio Caſimirus ſtructor ſiue prægultator Regiæ Maieſt. fuit. Regem ſedentem in aurea ſella circumſtabant dexteriore latere, D. Marchio Areſcotanus, & Epiſcopus Leodienſis, ſiniſtro latere, Comes de Zollern ſceptriger, pluresque alij Principes & Comites Germaniæ atque Hiſpaniæ. A ſiniſtro erat abacus regius, ornatus ſpectabiliſſimis vaſis veteris cælaturæ, omnis vſus duo præſertim vnicornia, admirandæ prodigioſæque magnitudinis. Vas itidem aureum ingentis capacitatis, Regiæ Maieſt. dono à Rege Anglorum gratulandi cauſa miſſum. Latere dextro, duobus paſſibus infra regem, primæ menſæ aſſedit Archiepiſcopus Colonienſis. Qui ſecus contenderunt, ob Annotationes imperiorum ſcilicet, quod primus diſcubitus Regi Bohemiæ deberetur, illi Auream Bullam, normam ceremoniarum, non viderunt, quæ his rebus ſtatum modum præfinit, moriſque Imperij non ſatis gnari, coecutiunt. Et tametſi ſecundo loco menſa Regi Bohemiæ ſtrata præparataque fuerit, vacua tamen edulio manſit. Tertia menſa pro Duce Saxoniæ, ob eius abſentiam itidem vacua. In quarta prandium ſumſere Epiſcopi, Vormatienſis, Ratiſponenſis, Dux Otho Henricus Bauariæ. Quinta ad tempus fuit vacua: poſtea occupata à Regijs Conſiliarijs. Sextæ aſſidebat magiſtratus Aquiſgranenſis. Norimbergenſes legati, qui Imperialia ornamenta aduexerant, ad ſeptimam menſem collocati fuerunt. Reliquæ duæ menſæ conuiuarum vacuæ manſere.

Latere ſiniſtro prope columnam, prima menſa Moguntini Archipræſulis. Secunda, Comitis Palatini. Marchionis Brandenburgici tertia, ſed eſculentorum vacua, ob eius abſentiam. Quarto loco Duces Brunſuicenſes & Iuliacenſis accubuerunt. Quintam occuparunt miſſi à ciuitate Colonienſi.

E regione Regis directe poſita fuit menſa Treuirenſis Archiepiſcopi, paululum infra menſas Colonienſis atque Moguntini Archiepiſcoporum. Conuiuium Regium opiparum lautiſſimumque quatuor fere horis miro & quaſi regali cum ſilentio agebatur. Expleto prandio, gratiis à Treuirenſi dictis, omnia tubis tympaniſque perſonabant, ſtrictoque D. Caroli Magni gladio, iterum Regia Maieſtas equites aliquot creauit.

Omnibus abſolutis, Rex Imperialibus ornamentis indutus cum Electoribus ſuo quoque habitu peculiari veſtitis, ingentique Principum frequentia atque comitatu, præcedentibus æneatoribus hoſpitium intrauit: Regeque deducto, Principes ad ſua quiſque diuerſoria contenderunt. Archiepiſcopus Moguntinus ſtatim REGI ſigilla cum argenteo baculo, inſuper candidum eximiumque equum dono miſit: quæ omnia mox à Cæſare remiſſa ſunt, Rege ſubiungente, ſe fidem Moguntini adeo exploratam perſpectamque habere, vt ſigilla Regia nulli potius, quam ipſi credi poſſe exiſtimet: Regem inſuper futurum ipſi Dominum clementiſſimum, Epiſcopatumque Moguntinum potenter atque efficaciter defenſurum. Moguntinus fidei quidem ſuæ commiſſa ſigilla retinuit, argenteum autem baculum equumque D. Nicolao Zieglero, homini ſolerti, Vicecancellario pro honorario liberaliter dedit.

CAPVT VIII.

Deſcriptio coronationis Caroli V. Bononiæ celebratæ, &c.

HIs porro addere lubet aliud eiuſmodi ſolemnitatis exemplum, quod in eiuſdem Imperatoris Caroli V. coronatione apud Bononiam celeberrimam Flaminiæ vrbem, præſente Clemente VII. Roman. Pontific. magnifico apparatu agitatum fuit, & à Cornelio Agrippa eleganter admodum literis proditum.

Magnificentiſſima pompa, inclinante ſe iam die, reuerſus ad palatium Imperator, deſiliens equo, primum eos, qui ſigna & vexilla præferebant tum vmbraculum geſtauerunt, & alios pleroſque cum nobiles, tum ciues & Scholaſticos equeſtris ordinis auratos milites creauit. Deinde baſilicam ampliſſimam aulam, auratis laquearijs & Babylonicis peripetaſmatibus ſuſpenſam, tapetiſque inſtratam, Principibus comitantibus, aſcendit. Cernebantur ibi appenſi laquearibus aureis argentei polymixi, penſiliaque candelabra, quæ luminoſis cereis, redolentibuſque lychnis referta, lumina late profundebant. Conſpiciebatur ibi etiam ampliſſimus abacus, varij generis aureis eicarijs & poculis puta lancibus & lebetibus, œnophoris, amphoris, phialis, ſcyphis, cyathis, pateris, tragematarijs miro artificio cælatis gemmatiſq; calicibus, & id genus epitrapexis confertus

 Ad.

Ad caput autem Baſilicæ ſub aureo conopæo Imperatoris menſa ſita erat, & iuxta non longè altera menſa, qua Sabaudiæ Dux cæterique Principes, qui coronationis inſignia portarunt, recubituri eſſent. Erant etiam cæteris Principibus ac Prælatis ſuſpenſa periſtromatis & illuſtrata aulæis ſuiſque abacis & menſis magnificè apparata cœnacula. Iam hora aderat conuiuii, & inſtructis menſis accumbebat ſummo throno Imperator, ac deinde per ordinem cæteri Principes ad ſuas menſas accumbunt. Dantur aquæ manibus, & ſolenni oratione menſæ benedicitur. Tunc primores Satrapæ, præeuntibus cum Scipionibus ſuis architriclinis, argenteis caniſtris panem, & auratis patinis varia, tuceta, leucophaga, fritellas, tortas, & quidquid præclarum ars Apitia excogitare potuit, infertur.

Deinde ſecundis menſis, grandioribus lancibus exquiſitiſſimas per ordinem epulas copioſe apponunt, aſſa, elixa iuſculenta, frixa, paſtilia, promulſidaria, pultana, &c. aliaque lautiſſimorum eduliorum genera, ſapidiſſimis ſuccorum multiiugis condimentis ſuffuſa, &c.

Pro tertiis menſis quæ cœnam clauderent, variegata coquinariis artificiis multarum figurarum tragemata bellariaque miniſtrabantur: nec deerant toto conuiuio variigeneris generoſiſſima vina, ſtabantque præſto pincernæ pocula ſingulis pro lubitu ingerentes, propinatoreſque ad omnes epulas & pocula prægustabant. Illud quoque magnificæ liberalitatis ſpectaculum multis admirationi fuit, quod poſt ſingulas dapes leuatæ mappæ & mantilia, vna cum aureis argenteiſque patinis & lancibus, cumque cibarijs è feneſtris in forum è præda plebi proiiciebantur: ſtructoribus interea alia ſupra alia imponentibus. Cumque iam abſoluta eſſet cœna, dilutis pro more odoratiſſima aqua manibus, remotis menſis, iterum ſolemnibus precibus redditæ ſunt Deo gratiæ. Tunc Imperator accepto in manus gladio ſacro, plurimos rurſus quum nobiles tum conſulares viros, ad equeſtris ordinis dignitatem prouexit. Magna denique noctis parte tranſacta, Principes ſinguli, conſalutato Imperatore, ad diuerſoria ſua conceſſerunt, populo Bononienſi adhuc pluribus florulentis diebus ignitiſque noctibus, feſtiuitatis celebritatem iugiter continuante, &c.

CAPVT IX.

De electione Romanorum Regis Aurea Bulla ſic habet.

POſtquam Electores ſeu Nuncii ciuitatem Franckenfordi ingreſſi fuerint, ſtatim ſequenti die diluculo in Eccleſia Sancti Bartholomæi Apoſtoli, ibidem in omnium ipſorum præſentia, Miſſam de Sancto Spiritu faciant decantari ad finè, vt ipſe Sanctus Spiritus corda ipſorum illuſtret, & eorum ſenſibus lumen ſuæ virtutis infundat, quatenus ipſi ſuo ſuffulti præſidio hominem iuſtum, bonum & vtilem eligere valeant in Regem Romanorum, futurumque Cæſarem, ac pro ſalute populi Chriſtiani. Peracta quoque Miſſa huiuſmodi, omnes illi Electores ſeu Nuncii accedant ad Altare, in quo Miſſa eadem extitit celebrata, vbi Principes Electores Eccleſiaſtici, coram Euangelio beati Ioannis, In principio erat verbum, quod illic ante ipſos poni debebit, manus ſuas pectori cum reuerentia ſupponant. Seculares vero Principes Electores dictum Euangelium corporaliter manibus ſuis tangant, qui omnes cum tota ſua familia tunc ibi debebunt inermes aſſiſtere. Et Archiepiſcopus Moguntinenſis formam Iuramenti eis dabit, & vna cum ipſis, & ipſi, vel abſentium Nuntii vna cum eo Iuramentum præſtabunt vulgariter in hunc modum:

Ego N. Archiepiſcopus Moguntinenſis, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, iuro ad Sancta Dei Euangelia hic præſentialiter coram me poſita, quod ego per fidem, qua Deo & Sacro Roman. Imperio ſum aſtrictus, ſecundum omnem diſcretionem & intellectum meum cum Dei adiutorio eligere volo temporale Caput populo Chriſtiano; id eſt, Regem Roman. in Cæſarem promouendum, qui ad hoc exſtat idoneus, in quantum diſcretio & ſenſus mei me dirigunt, & ſecundum fidem prædictam, vocemque meam & votum, ſeu Electionem præfatam dabo abſque omni pacto, ſtipendio, precio ſeu promiſſo, vel quocunque modo talia valeant appellari, ſic me Deus adiuuet, & omnes Sancti.

Præſtito denique per Electores ſeu Nuntios, in forma & modo prædictis huiuſmodi iuramento, ad electionem procedant, nec amodo de iam dicta ciuitate Franckenford ſeparentur: niſi prius maior pars ipſorum temporale Caput mundo elegerit, ſeu populo Chriſtiano, Regem videlicet Romanorum, in Cæſarem promouendum. Quod ſi facere diſtulerint infra triginta dies, à die præſtiti iuramenti præfati continuo numerandos, ex tunc tranſactis eiſdem triginta diebus amodo panem manducent, & aquam, & nullatenus Ciuitatem exeant antedictam, niſi prius per ipſos vel maiorem partem ipſorum Rector, ſeu temporale Caput fidelium electum fuerit, vt præfertur.

Poſtquam autem in eodem loco ipſi vel pars eorum maior numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac ſi foret ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, concorditer celebrata. Siqui per tempus aliquod morari, abeſſe & tardare contingeret aliquem de Electoribus ſeu Nuntiis antedictis, dum tamen veniret, antequam prædicta eſſet electio celebrata, hunc ad electionem ipſam in eo ſtatu admitti decernimus, in quo ipſa aduentus ſui tempore conſiſtebat.

Et quia de antiqua approbata, & laudabili conſuetudine inconuulſe, quod ſubſcribitur ſemper extitit hactenus obſeruatum. Ideoque & nos conſtituimus, & de Imperiali decernimus plenitudine poteſtatis, Quod is, qui modo præmiſſo in Regẽ Romanorum electus fuerit, peracta ſtatim electione huiuſmodi, priuſquam in aliquibus cauſis aliis, ſiue negotiis, virtute Sacri Imperii adminiſtret,

ſiſtret, vniuerſis & ſingulis principibus Electoribus Eccleſiaſticis, & Secularibus, qui propinquiora Sacri Imperij membra eſſe noſcuntur, omnia ipſorum Priuilegia, Literas, Iura, Libertates, Conceſſiones, antiquas conſuetudines, & etiam dignitates, & quidquid ipſi ab Imperio vſque in diem electionis ſuæ obtinuerunt & poſſederunt, abſq; dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per ſuas literas & ſigilla, ipſiſque præmiſſa omnia innouare, poſtquam Imperialibus Inſulis fuerit coronatus.

Confirmationem autem huiuſmodi electus ipſe cuilibet Principi Electori, in ſpecie primo ſuo Regali nomine faciet, & deinde ſub Imperiali titulo innouabit. Et in hijs ipſos Principes omnes in genere, & quemlibet eorum in ſpecie nullatenus impedire. Sed potius abſque dolo gratioſe tenebitur promouere. In caſu deniq;, quo tres Principes electores præſentes, ſeu abſentium Nuntij, quum ex ſe ſeu ipſorum conſortio, videlicet Principum Electorum, præſentem vel abſentem in Regem Romanorum elegerint vocem illius electi, ſi præſens affuerit, aut Nuntiorum ipſius, ſi eum abeſſe contingeret plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemque maiorem decernimus conſtituere, ad inſtar cæterorum Principum Electorum.

CAPVT X.

De Seſſione Treuirenſis, Colonienſis, & Moguntinenſis Archiepiſcoporum, III.

VT inter Venerabiles Moguntinenſis, Colonienſis, nec non Treuirenſis Archiepiſcopos. Sacri Imperij Principes Electores, omnium litium & ſuſpectuum, quæ, & qui de prioritate, ſeu dignitate Seſſionum ſuarum in Curijs Imperialibus & Regalibus ſuboriri valerent impoſterum, perpetua in antea temporibus amputentur. Et ipſi in cordis & animorum quieta conditione manentes, & de opportunitatibus Sacri Imperij concordi fauore, & virtuoſæ dilectionis ſtudio conuenientius meditari valeant, pro conſolatione populi Chriſtiani habita deliberatione, cum omnibus Principibus Electoribus, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, & de Imperatoriæ poteſtatis plenitudine, de edictali lege perpetuò valitura ſancimus, Quod ſupradicti venerabiles Archiepiſcopi, Treuirenſis videlicet ex oppoſito lineari directione, verſus Imperatoris faciem. Moguntinenſis vero in ſuis Diœceſi & prouincia, & extra prouinciam ſuam in toto Archicancellariatu ſuo Germanico, prouincia Colonienſi duntaxat excepta, & demum Colonienſis in ſuis Diœceſi & prouincia, & extra prouinciam ſuam in tota Italia & Gallia, in dextero latere Romanorum Cæſaris, ſedere poſſint, valeant & debeant, in omnibus publicis actibus Imperialibus, puta iudicijs, Collationibus feudorum, & in refectionibus Menſarum, ac etiam in Conſilijs, & omnibus alijs agendis, propter quæ continget, eos pro honore ſeu vtilitate Imperiali tractandis, mutuo conuenire. Et hunc modum Seſſionis ſub omni eo ordine, ſicut expreſſatur ſuperius, ad prędictorum Colonienſis, Treuerenſis, & Moguntinenſis Archiepiſcoporum ſucceſſores perpetuo extendi volumus, vt nullo vnquam tempore ſuper hijs quæuis dubietas generetur.

CAPVT XI.

De electione Imperatoris Matthiæ ſemper Auguſti.

DEfuncto 10. Februarij, ſtylo veteri, Imperatore Rudolpho Secundo, Moguntinus Archiepiſcopus, cuius id munus eſt ex Aureæ Bullæ præſcripto, cæteros collegas Electores certiores de obitu Imperatoris fecit, & quo Francofurti ad eligendum nouum Romanorum Regem ſiue Imperatorem, 10. Maij præſto eſſent, diem eis condixit.

Eodem die Reuerendiſſimus Elector Moguntinus Ioannes Sueicardus, itemq; Reuerendiſſimus & Sereniſſimus Elector Colonienſis Ferdinandus Bauariæ Dux: nec non Sereniſſimus Ioannes Comes Palatinus, Bipontinus, Electoratus Adminiſtrator; vt & ſereniſſimus Ioannes Georgius Saxoniæ Dux, &c. Elector, quorum vterque interregni tempore per Imperium vicariatum geſſerat. Francofortum mediocri comitatu ſinguli ingreſſi ſunt. Poſtridie eodem venerunt Reuerendiſſimus Lotharius Treuirenſis Elector: & ſub eius diei veſperam Sereniſſimi Ioannis Sigiſmundi Electoris Brandenburgici legatus, Adamus Gans Baro à Podlitz, &c. Triduo poſt tandem, nempe die Mercurij, Sereniſſimus, Matthias Hungariæ & Bohemiæ Rex, Elector, ſplendido admodum & ſatis magno comitatu, vna cum Regina coniuge, eodem venit.

Die Sabbathi 26. Maij Senatus Francofurtenſis Electoribus pro more, iuramento, de ſecuritate præſtanda ſeſe obſtrinxit; vt & ciues poſtea, & conducti ad vrbis cuſtodiam milites.

Per ſequentes deinde dies Electores quotidie ferè conuenerunt, de futura deliberantes electione, cui dies primus in 31. Iunij præfixus fuit.

Die Martis 2. Iunij magiſtratus Francofurtenſis præconis voce edixit, vt omnes quicumque non ciues, aut in Electorum comitatu non eſſent, aut magiſtratui Francofurtenſi iuramento obſtricti non eſſent, vrbe quamprimum excederent: ac poſt meridiem portas occludi iuſſit.

Die Mercurij 14. Iunij Anno 1612. Electio finem ſortita, cum maior campana ad ſeptimam vſque pulſata eſt. Poſt ſeptimam Electores ad Curiam adequitarunt, & eandem ingreſſi, Electorali ſeſe habitu induerunt. Octauo ijdem è curia egreſſi, conſcenſis equis, templum verſus proceſſerunt. Primò quidem Electorales aliquot Conſiliarij & Nobiles aulici præceſſerunt. Hos ſequuti ſunt, equo inſidentes Electorum Moguntini & Treuirenſis Mareſcalli aulici & hæreditarij, vterque

que gladium, aurata vagina incluſum præferens; ac deinde ipſi iam dicti Electores. Poſt hos Colonienſis Archiepiſcopatus & Bohemici regni Mareſcalli equitarunt, quorum vterque gladium inauratum itidem prægeſtabat, ſed ille inaurata, hic rubra holoſerica vagina incluſum. Pone hos ipſi Sereniſſimi Principes Ferdinandus Colonienſis Archiepiſcopus, à dextra, & Matthias Hungariæ & Bohemiæ Rex à ſiniſtra, hic regia etiam corona inſignis. Inde Palatinatus & Saxoniæ Mareſcalli, atque poſt hos ipſi Principes Ioannes Comes Palatinus, & Ioannes Georgius, hic in medio, ille ad dextram, & ad ſiniſtram Legatus Brandenburgicus, quorum hic poſtremus Electorali habitu non fuit indutus, nec enſiferum præcedentem habuit. Omnium Electorum idem fere fuit habitus, niſi quod Eccleſiaſticorum togæ è rubro panno laneo murice tincto, ſecularium vero è ſerico eiuſdem coloris conſtabant, intus pellibus hermelinis ſubductæ.

Hoc modo per ciuium ab vtroque latere diſpoſitorum armatos progreſſi ordines, ad fores templi ex equis deſcenderunt: quumque in templum vix pedem intuliſſent, Electorum tubicines in alto pegmate ſtantes, ingentem clangorem ediderunt, rotundis tympanis veluti claſſicum adſtrepentibus. In chorum vbi Electores peruenerunt, quiſque in ſedem ſuam ſe recepit: ad dextram ſcilicet Moguntinus, Rex Bohemiæ & Comes Palatinus, ad ſiniſtram Colonienſis, Saxo, & Legatus Brandenburgicus; Treuirenſis vero in medio. Sedilia Electorum nigro holoſerico erant conſtrata, ſed Bohemiæ regis auro textili radiabat. In chorum nonnullis ex ordine Eccleſiaſtico, & Conſiliariorum præcipuis intromiſſis, Pappenhemius Imperij ſubMareſcallus ianuam occluſit: tumque ſtatim organa ſonuerunt, & Miſſæ officium à ſuffraganeo Moguntino cœptum eſt: quo progrediente, Palatinus, Saxo, & Brandenburgicus Legatus è choro in conclaue aliquod interius (quod ſcilicet diuerſæ religionis eſſent) ſeſe receperunt. Finito Miſſæ officio, & iiſdem ad ſtationes ſuas reuerſis, hymnus, *Veni creator Spiritus*, decantatus fuit. Mox Electores & Legatus Brandeburgicus (cui nullus vt cæteris, enſis prælatus fuit) ad ſummum altare progreſſi, vbi in ſupremo gradu conuerſo ad præſentes vultu, conſtiterunt, Moguntinus cauſam huius conuentus explicuit: deinde Treuirenſi præeunte verbis, iuramentum ex Aureæ Bullæ præſcripto præſtitit: mox cæteri Electores præeunte Moguntino idem præſtiterunt. A Moguntino quoque duo Notarij ſunt accerſiti, & iuſſi, vt præſentem Actum ſolemni ſcriptura (Inſtrumenta vocant) conſignarent: qui facturos ſe id promiſerunt, accitis in teſtes præſentibus ſpectatoribus Nobilibus & Conſiliarijs.

Iuramento præſtito, Electores in ſua ſe receperunt ſedilia, dum interim Antiphona *Veni ſancte Spiritus*, vna cum alijs collectis decantatur: quibus finitis in Electionis conclaue ingreſſi ſunt. Dum hæc fiunt, pro Comite Palatino iuniore Electore in chori pegmate ſedile auro textili inſtratum & paratum fuit: vt & in alio pro Bohemiæ Regina, vnde quæ in choro fiebant, commode ſpectari poterant.

Poſtquam fere per vnius horæ ſpacium Electores in conclaui fuerunt, duabus interim vicibus accerſitis præcipuis ab vnoquoque ipſorum Conſiliarijs: tandem hoc ordine egreſſi ſunt. Præibat Moguntinus, ſequebantur Colonienſis & Treuirenſis, medium ducentes Matthiam electum Regem: quibus tergum claudebant Palatinus, Saxo, & Legatus Brandenburgicus. Mox tubicines & tympanotribæ mirabili clangore & ſtrepitu omnia impleuerunt, atque omnes campanæ lætum ſonuerunt, tormenta vero vndique diſploſa horrendum intonuerunt.

Rege ad ſummum altare perducto, Cantica aliquot, & inprimis Ambroſianum illud, *Te Deum laudamus*, mirifico Organorum, variorum inſtrumentorum tam muſicorum, quam militarium concentu decantatum fuit: quo finito, altera chori ianua rurſus aperta, & nouus Rex per eam in amplum pegma ante chorum extructum, ab Electoribus deductus eſt, & in ſellam aureo panno circumamictam, cæteris paulo altiorem collocatus, populoque oſtenſus eſt, ſedentibus ad dextram Moguntino & Palatino: ad ſiniſtram, Colonienſi, Saxone, & Legato Brandeburgico, Treuirenſi vero in medio ſiue ante Regis conſpectum. Ceſſante tubarum clangore & tympanorum ſtrepitu, Georgius Fridericus Greiffenclauius Moguntinæ & Vormatienſis eccleſiarum Præpoſitus, ad præſentes & ſpectatores breui habita oratione, Matthiam Hungariæ & Bohemiæ Regem, in Rudolphi II. demortui Imperatoris locum ab Electoribus in Romanorum Regem & futurum Imperatorem electum eſſe declarauit, omnibus & ſingulis eundem pro tali habere, obſeruare & honorare iuſſis. Oratiunculam hanc iterum tubarum clangor, & tympanorum ſtrepitus excepit. Deinde nouus Rex & Electores è pegmate rurſus hoc ordine deſcenderunt; præibat Treuirenſis, ſequebatur Palatinus ad dextram orbiculum aureum, Saxo intermedius gladium nudum, ad ſiniſtram Brandeburgicus Legatus ſceptrum geſtans: hos proxime Electus Rex, inter Moguntinum ad dextram, & Colonienſem ad ſiniſtram intermedius: hocque ordine è templo egreſſi, Electores, Principes, & alii nouum Romanorum Regem ad hoſpitium ipſius, ſiue palatium deduxerant.

Peracta electione, & ſequentibus aliquot diebus per lætitiam & publicas feſtiuitates traductis, inaugurationi ſiue coronationi dictus eſt dies 24. Iunij, qui Dominicus erat. Primum igitur Norimbergenſes & Aquiſgranenſes, in quorum ciuitatibus Regalia inſignia, quibus noui Imperatores inaugurari ſolent, aſſeruantur, de electione certiores facti ſunt, eum in finem vt illa ad dictum diem eo adferrent: interim vero res ad talem actum neceſſariæ præparatæ fuerunt. Ac primum ante Curiam ampla admodum coquina ex aſſeribus, integro aſſando boui, extructa, deinde ab eadem Curia ad templum vſque via tignis & aſſeribus conſtrata; fons etiam ad inſtar muſcoſæ & vindis

Viridis rupis miro artificio paratus fuit, in quo biceps aquila inaurata corona redimita, & globo inaurato expanſis alis inſiſtebat, binis ab vtroque latere leonibus aſtantibus. Similiter Curiæ cœnaculum futuro Regio epulo magna diligentia præparatum, menſæque ex ordine collocatæ ſunt. Primum Regia, in loco editiori; inde paulo inferius, Electorum menſæ, ad dextram ſcilicet regiæ, Moguntini, Regis Bohemiæ & Comitis Palatini; ad ſiniſtram Colonienſis, Saxonis, & Brandenburgici; in medio autem, ex aduerſo regiæ, Treuirenſis, ſingulæ cum ſuis abacis. Superius cœnaculi pauimentum aureis ac ſericis pannis obductum, inferius vero rubro panno inſtratum erat: in angulo etiam pegma rubro panno exſtructum erat, ad Muſicorum vſum.

Die vigeſimo quarto Iunii, qui inaugurationi deſtinatus erat, portæ ciuitatis occluſæ manſerunt, ciues vero armati per vrbem diſpoſiti ſunt, inprimis vero in platea quæ à Curia ad templum ducit.

Primi ergo Colonienſis & Treuirenſis Archiepiſcopi Electorali habitu templum ingreſſi ſunt: quos mox Moguntinus nigra toga ad talos vſque demiſſa indutus eſt, & ii à Norimbergenſium & Aquiſgranenſium delegatis, Imperii inſignia acceperunt. Quo peracto, Colonienſis & Treuirenſis depoſito ſæculari habitu Pontificalia induerunt. Mox Moguntinus Pontificalibus ſplendidiſſimis amictus, proceſſit, duobus miniſtrantibus comitatus. Moguntinus coronam, miniſtrantium alter orbiculum ſeu pomum Imperii, Treuirenſis enſem, & Colonienſis ſceptrum aræ impoſuerunt, & ad coronationem ſeſe accinxerunt. Præter conſuetum vero illum enſem, etiam alius Perſico acinaci forma non multum abſimilis, vagina incluſus, eidem altari fuit impoſitus. Interea dum Regis ſiue Imperatoris aduentus exſpectatur, Moguntinus & alii Eccleſiaſtici ordinis in ſellis ſuis conſederunt: ſæculares vero Electores ac Principes ad Regium palatium ſeſe contulerunt, nouumque Regem deduxerunt hoc ordine. Primo ſatellites aliquot Saxoniæ Electoris, poſt hos Dominus de Pappenheim hæreditarius Imperii Mareſcallus, baculum manu geſtans, inde Mareſcallus aulicus cum miniſtris ſuis, poſt hos Conſiliarii Electorũ & Nobiles aulici, tum Francofurtenſis ciuitatis & aliarum deputati, minus tamen ſtricte, ob pluuias quæ inciderant, ſeruato ordine. Pedites itidem inceſſerunt multi Comites & Barones: quos ſequuti ſunt Principes aliquam multi, viginti vt putatur, equis inſidentes. Inde tres Heraldi ſeu Feciales, albis equis vecti, oblongum baculum ſinguli ferentes, vnus Hungariæ, alter Bohemiæ, tertius aliarum regionum inſignibus conſpicuus. Pone hos Heroldus Imperialis ſolus, veſtitu Aquilam Imperii inſigne oſtentans, candido item equo vectus, & baculum manibus geſtans. Tandem ipſi Electores ſequuti ſunt, Electorali habitu amicti. Ac primum Comes Palatinus orbem Imperii, ad dextram; Legatus Brandenburgicus ad ſiniſtram, ſceptrum ferens: poſt hos ſolus equitans Saxoniæ Elector, nudum geſtans enſem: ac tandem ipſa Regia Maieſtas, ſub vmbella, quam ſex Francofurtenſes Senatores geſtabant. Antequam vero Rex ad templum ire cœpit, iam Regina cum gynæceo eo venerat, in editiorem quendam locum ſiue pegma recepta, vnde cæremonias omnes commodiſſime ſpectare poterat.

Regi templum ingredienti, tres Electores Eccleſiaſtici, inter quos Moguntinus tanquam Conſecrator, pontificaliter indutus erat, vna cum miniſtrantibus obuiam ad fores vſque proceſſerunt, duobus ſuffraganeis vno librum Euangelii, altero thuribulum præferentibus. Ibi Moguntinus oratione ſuper Rege habita, eundem in chorum deduxit, ſæcularibus inſignia Imperii præferentibus, & à tergo Colonienſi & Treuiren. ſequentibus. Interea Antiphon. *Ecce mitto Angelum meum* decantabatur; ſæculares vero Regem ad aram ſtiterunt, tum mox inſignia Imperii ſubſtitutis tradidere. Seſſionum hic fuit ordo. Ante ipſam aram ſcabellum ad preces ibi faciendas, non longe inde ſella regia, vtraque panno ex auro textili inſtrata, collocata fuerat. Pone regiam ſedem, duo alia ſedilia rubro holoſerico inſtrata conſpiciebantur, vnum ad dextram pro Treuirenſi, alterum ad ſiniſtram pro Colonienſi Archiepiſcopis. Infra Treuirenſem Occidentem verſus ſæculares Electores, ex oppoſito vero Colonienſis ſedis, exterorum Legati conſederunt. Decantata Antiphona, Rex ad aram à ſuffraganeis fuit deductus, ibique à Moguntino fuſis precibus, in Regio ſolio rurſum collocatus. Poſt hæc Moguntinus ad peragendum Miſſæ ſacrificium ſeſe accinxit: cum vero ad Euangelii lectionem peruentum fuiſſet, Rex Electoralem habitum quem hactenus geſtauerat, depoſuit. Eo dein ad altare deducto, omnibuſque in genua prouolutis, Litania cani cœpta eſt: in qua cum ad illa verba peruentum eſſet, vt nos exaudire digneris, Conſecrator ſubiecit, vt hunc famulum tuum Matthiam in regem eligere digneris. Cui chorus reſpondit; Te rogamus, &c. Tum Conſecrator rurſus: Vt eum benedicere, ſublimare & conſecrare digneris, &c. Ac tandem: Vt eum ad Regni & Imperii faſtigium perducere digneris, &c. ſicque deinceps Litania à ſacellanis abſoluta fuit. His peractis, Conſecratam infulam impoſitamque capiti, & pedum Epiſcopale manu geſtans, Latinis verbis Regem interrogauit, An vniuerſalem Chriſtianam fidem conſeruare, Chatholicam Eccleſiam defendere, Iuſtitiam adminiſtrare, Imperium augere, & viduis atque orphanis contra vim præſidio eſſe, & Pontifici Maximo obedientiam præſtare vellet? Annuente ad ſingula Rege, Moguntinus ad aram propius adductum, certis verbis concepto iuramento adigit & ad plenam eorum omnium quæ promiſerat obſeruationem obſtringit. Inde ad præſentes Electores, Principes, Comites, Barones ac totam circumſtantium coronam conuerſus, rogauit, An ſeſe Regiæ Maieſtati ſubiicere, imperium eius confirmare, eiuſque mandatis obedire vellent? Omnibus magna voce acclamantibus, Fiat, Fiat,

Fiat, Rex ad ſcabellum ſuum oratorium in genua procidit; quem Moguntinus primum certis quibuſdam precationibus conſecrauit, deinde nudatas corporis partes oleo inunxit, primum verticem in crucis formam, deinde inter humeros, ac demum in dextro brachio, inter manum & cubitum, additis ad ſingulas vnctiones his verbis: Vngo te in Regem de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Interim dum idem manus quoq; Regis inungit, Muſici ſuauiſſimum melos incinuerunt. Poſt hæc Rex à ſuffraganeis & Aſſiſtentibus per chorum in adytum interius deductus, & abſterſo oleo, allatis Norimberga veteribus illis paramentis, à clericali habitu non multum recedentibus indutus, & in Regium ſolium quod interim propius altari admotum fuerat, rurſus collocatus, atq; rurſus aliis precibus à Moguntino conſecratus fuit. Hac finita benedictione, Treuirenſis & Colonienſis enſem acinaci non valde abſimilem, quem Caroli Magni fuiſſe aiunt, de altari ſumſerunt, & Regi nudum in manus tradidere, præeunte verbis Moguntino: Accipe gladium per manus Epiſcoporum &c. quem in vaginam reconditum ſæculares adſtantes Regi ad latus accinxerunt. Poſtea Conſecrator annulum itidem de altari ſumtum, digito Regis inſeruit, mox regium ſceptrum & pomum Imperii, certis conceptis verbis, in manus tradidit, pomum ſcilicet in ſiniſtram, & ſceptrum in dextram, his verbis, Accipe virgam æquitatis, &c. Tandem Moguntinus, Treuirenſis & Colonienſis coronam itidem de altari ſumtam, Regis capiti impoſuerunt, Moguntino verbis præeunte: Accipe coronam Regni, &c. Rex è ſolio conſurgens pomum Palatino, ſceptrum vero legato Brandenburgico reddidit. Ad aram deniq; à Treuirenſi & Colonienſi reductus Rex, iuramento ſeſe obſtrinxit, Boni Imperatoris officio in omnibus ſeſe perfuncturum.

Finito hoc Coronationis actu, multiplex concentus tam vocum quam inſtrumentorum auditus fuit. Inde Rex oblatione prius facta, S. Euchariſtiæ communionem ſub vna ſpecie à Moguntino recepit: poſt hæc à Treuirenſi & Colonienſi in pegma excelſum, magnifice exornatum deducitur, & in ſolium ibi paratum collocatur, dum hymnus ille *Te Deum laudamus &c.* Muſico concentu abſoluitur. Ibi Moguntinus tam ſuo quam Electorum reliquorum nomine Regi gratulatus, & omnia fauſta precatus eſt, ac ſe ac totius Imperii res ei commendauit.

His peractis, Moguntinus cum Aſſiſtentibus rurſus ad altare acceſſit, Rex vero in ſolio ſedens permanſit, ac comites aliquot & Barones, Caroli Mag. gladio leuiter ſtrictis humeris, Equites creauit; gladio deinde Saxoniæ Electori reddito.

Toto deniq; ſacro peracto, Moguntinus & Eccleſiaſtici Electores, in ſacrario depoſitis ſacris veſtibus & ornamentis, Electorali habitu ſeſe induerunt: ac rurſus ad aram, cui Rex ac cæteri Electores adſtabant, egreſſi, illis ſeſe adiunxerunt. Tum duo Aquisgranenſis Eccleſiæ Capitulares, vterque librum manibus ferentes, ad Regem acceſſerunt, & humilima facta reuerentia, neſcio quid ei prælegerunt: quos Rex librum oſculatus, & in Canonicorum illorum collegium receptus, dimiſit.

Finitis omnibus in templo cæremoniis, fores templi apertæ ſunt: interim vero dum iſta in templo fierent, pons ille ſiue podium ligneum, per quod Regi eundum erat, panno rubro conſtratum erat. Hoc ergo ordine pompa hæc Regia proceſſit. Præcedebat Regis & Electorum familia aulica. Nobiles & Conſiliarii, inde tubicinum aliquot, alternatim canentium ordines; dein multi Barones, Comites & Principes: hos ſequebantur regii Heroldi ſiue Feciales: hos excipiebant Electores; primo Treuirenſis ſolitarius, poſt hunc Palatinus & Legatus Brandenburgicus, ille pomum, hic ſceptrum geſtans; hos ſequebatur Saxo ſolitarius, nudum gladium præferens: ac tandem Rex ipſe corona redimitus, ac ceteris ornamentis quæ Norimberga & Aquiſgrano allata fuerant, indutus, ſub vmbella ſplendidiſſima, quam Senatores aliquot Francofurtenſes geſtabant: tergũ Regis claudebant Moguntinus & Colonienſis, tum Eccleſiaſtici & ſæcularis ordinis multi proceres & magnates, aliæq; perſonæ magno numero. Agmen clauſerunt equites aliquot ſclopetarii, quos præceſſere vnus & alter qui auream & argenteam monetam in vulgus ſpargebant. Quamprimum proceſſio prætererat, pannus ille ſubſtratus à vulgo direptus, diſciſſus, laceratus & ablatus fuit; tanta vtrobiq; irruentis multitudinis contentione, vt quidam conculcati, vitam amiſerint, aliis membris fractis, ægre mutili domum ſint reportati.

Dum ſacræ in templo cæremoniæ peraguntur in Curia, Regium epulum magno ſplendore apparabatur. Ferculis in menſas illatis, quum Rex menſæ iam aſſidere vellet, Saxoniæ Elector ſatellitibus ſtipatus, & Electorali habitu equo inſidens, in ingentem auenæ cumulum ante Curiam effuſum, equum adegit, & impléto inde argenteo modio, ac tandem Pappenheimenſi Mareſcallo tradito, in Curiam rediit, nec mora, vix digreſſo Electore auenæ ille cumulus vno veluti momento ab irruente multitudine, inſpectantibus è Curia Rege & Electoribus, direptus & aſportatus, & magnam partem per plateas diſperſus fuit. Poſt Saxonem Brandenburgicus Legatus itidem è Curia progreſſus, argenteum pollubrum, quod menſæ prope templum impoſitum fuerat, in Curiam ad Regis menſam apportauit. Ad extremum Palatinus equo itidem è Curia in forum prouectus, fercula aliquot argenteis patinis impoſita, in Curiam retulit. Ibi vidiſſes rerum miram faciem. Dici non poteſt quanto numero & contentione vulgus ad coquinam accurrens, non bouem tantum, qui omnis generis animantibus, ac piſcibus etiam ſuffartus & refertus, integer ligneo veru miræ magnitudinis, duabus vtrimq; rotis circumacto aſſatus fuerat, ſed ipſam coquinam etiam, & quidquid ibi repertum, diripuerit, lacerarit, atq; aſportarit. interim concinentium tubarum clangore prandii ſignum datum fuit: ac Rex, perfungentibus ſuo munere Electoribus, conſedit, deinde ceteri Ele-

ſeri Electores, Principes, ac Status Imperii & delegati. Conuiuii huius ſiue regalis epuli ſplendorem ac magnificentiam nemo facile deſcripſerit, immo ne crediderit quidem niſi qui præſens ſpectauit.

Poſtquam Rex & Electores diſcubuerunt, è fonte ante Curiam, vti diximus, erecto, vinum duplex, album & rubrum, è bicipitis aquilæ roſtris & leonum naribus profundi cœpit. Hic quoque non minus mira rerum erat facies. Cernere erat vnum pileo, alium canthara, ſitula, & quocumque vaſe obuio excipientes, ac non incruenta etiam contentione de præda paſſim concertantes. Quid multa? in ipſum fontem impetu facto petulans multitudo breui tam pulchrum & affabre factum opus confregit, & vel minima etiam fragmenta aſportauit: ſicq; ſeipſos & alios vino, quod multum adhuc reliquum erat, defraudarunt.

Ad quintam vſq; horam perducto regali epulo, tandem ſublatis menſis ſecundis, Regia Maieſtas, comitantib. Electoribus & Principibus, palatium ſuum repetiit; ac ſimiliter Electores ac Principes ad ſua quiſq; hoſpitia diſceſſerunt.

Die Martis 25. Iunii Regia coniux itidem in Romanorum Reginam inaugurata eſt, verum cæremoniis minus operoſis. Mane eius diei campana maiori dato ſigno, Moguntinus primum, deinde Treuirenſis & Colonienſis in templum ſeſe contulerunt, & exuto Electorali habitu, Pontificalibus ſeſe induerunt. Inde pomum, ſceptrum & corona altari fuere impoſita: dum interim Electores ſæculares, Principes ac ſtatus Imperii ad palatium regium conueniunt, Reginam officii & honoris cauſſa ad templum comitaturi ac deducturi. Proceſſio hoc ordine fuit inſtituta. Primum agmen ducebant Conſiliarii & Nobiles aulici aliique Officiarii, vna cum multis Baronibus & Comitibus; inde Principes equitabant; poſt hos quatuor Heroldi; tum Electores ſæculares, nempe Palatinus pomum, & Legatus Brandenburgicus ſceptrum ferens. Pone hos pedes incedebat Mareſcallus Pappenheimenſis, vacuam vaginam manu ferens, & poſt eum Saxoniæ Elector habitu Electorali indutus, nudum enſem geſtans. Sequebatur Rex ſiue Imperator, corona redimitus, & Cæſaris veſtimentis conſpicuus. Inde Regina ſola eſſedo vecta, comitante toto gynæceo, viginti circiter eſſedis vecto.

Vbi in Chorum templi peruentum fuit, Rex pomum ſiniſtra, & ſceptrum dextra tenens, Cæſareo habitu & corona redimitus ad aram acceſſit, & in genua prouolutus, à Moguntino vt coniux ſua in Romanorum Reginam coronaretur, petiit. Deductam ad altare à Treuirenſi & Colonienſi Moguntinus, factis prius precibus, rogauit, an in Reginam Romanorum coronari vellet? Annuentem ſuffraganei in adytum interius deduxerunt, mox vero aurea veſte longo ſyrmate conſpicua circumamictam, reduxerunt. Tum Moguntinus coronam ei impoſuit, & pomum & ſceptrum in manus tradidit. Sic illa dicta ferens inſignia ad ſolium redit: quæ tamen Treuirenſis & Colonienſis altari rurſus impoſuerunt.

Peracto ſacro, corona Reginæ itidem fuit impoſita; ſicq; illa è templo cum Rege, Electoribus & Principibus egreſſa, currum rurſus conſcendit, & ad Curiam vecta fuit, vbi Regium Epulum non minus quam alterum illud magnifice apparatum fuit & celebratum.

In foro præterea equario ſtadium ſeu curriculum paratum fuit, in quo Comites, Principes, & Electores haſtiludia inſtituerunt, ac toto coronationis tempore decurrerunt. Die Mercurii qui fuit 25. Iunii, magnificum & frequens in primis eiuſmodi habitum fuit certamen, cui Rex, cum omnibus fere Electoribus & Principibus ipſe interfuit, amplis & opulentis victori propoſitis præmiis: quorum præcipuum vnus è iunioribus Ducibus Virtembergicis reportaſſe dicitur. Eiuſdem diei nocte regiæ choreæ in Curia celebratæ (quibus itidem Rex ipſe cum Regina, ac multis Principibus ac Comitibus vtriuſque ſexus interfuerunt) & vſq; ad crepuſculum fere matutinum continuatæ ſunt. Sabbatho 20. Iunii, remittente aliquantum pluuia, ignes artificioſi circa nonam veſpertinam, ſupra Mœnum in ædificio quodam eum in vſum extructo, parati, accenſi ſunt, magna cum ſpectantium voluptate. Deinde totam per vrbem tormenta in vallis & turribus diſpoſita, exploſa ſunt, quorum fragor longe lateque fuit exauditus.

Atq; hæc præcipua fere ſunt, quæ in hoc inaugurationis feſto contigerunt.

Deus Optimus Maximus, Rex regum & Dominus dominantium, Cæſaream Maieſtatem, ad nominis ſui gloriam, Romani Imperii augmentum, ac multorum hominum ſalutem, integris corporis & animi viribus in multos annos longæuam conſeruet, & eidem feliciſſimas contra hoſtes ſuos victorias largiatur!

CAPVT XII.

De variis ritibus, circa Imperatoris electionem & coronationem.

EXpoſita re geſta, non ingratum, præſertim exteris, fore ſpero, quędam circa Imperatoris electionem ac coronationem obſeruari ſolita ex Onuphrio explicare.

Ac primo inſtituti ſunt VII. Germaniæ Principes, tres videl. eccleſiaſtici, & quatuor laici, qui ab officio eligendi Romanorũ regem, principes Electores appellati ſunt. Sunt autem: archiepiſc. Mogunt. Germ. Metropolitan. per Germaniam: archiepiſc. Colon. in cuius diœceſi conſecratio celebratur, per Italiam: archiepiſc. Treuerenſis, vetuſtiſſimus omnium Gallorum & Germaniæ epiſcoporũ, per Gallias & regnũ Arelatenſe Romani imperii archicancellarius: Laici vero: Rex Boemiæ Romani im-

ni Imperii creatus archipincerna: dux Saxoniæ, archimareſcallus: marchio Brandenburgenſis, archicamerarius: & comes Palatinus Rheni, qui olim erat dux Bauariæ, archidapifer. Hi igitur ſunt VII. Germaniæ principes Electores, ad quos ſolos, & non alios, Imperatoris vel regis Romanorum eligendi ius tranſlatum eſt. Porro autem electoribus Archiepiſcopis, ius electionis, ea ratione datum eſt, vt is eam habeat, dum viuat, qui legitime ad vnam ex tribus Metropolitanis ſedem aſſumptus fuerit, laicis autem ius eligendi hæreditarium conceſſum eſt. Sicut enim regnum Bohemiæ, hæreditarium eſt, ita & omnis, qui eo regno legitime potitur, vbi primum rex deſignatus eſt, ſtatim ius electionis obtinet, qui primo genitus regis defuncti, vel maior filiorum viuentium, vel ſi is mortuus ſine liberis fuerit, eius propinquior eſſe ſolet. Idem vſu venit cæteris tribus Electoribus laicis, quorum primogeniti, vel grandiores natu filii, ſicut in paternis ditionibus ſuccedunt, ſic & in Electoris dignitate. Verum, aliqua ex eis familiis deficiente, munus eſt Imperatoris, cuius illorum ditiones feuda ſunt, alium & honore electoratus & prouincia Domino orbata, donare. Solent quoque tres Electores laici, diuerſorum criminum damnati, hac dignitate ab Imperatore mulctari, eaque dignitas pro Imperatoris arbitrio ad alios transfertur: ſicut noſtro ſæculo fecit Imper. Cæſar Carolus V. Auguſtus, qui Ioannem Fridericum Saxoniæ ducem, & principem electorem, crimine læſæ maieſtatis damnatum, dignitate electionis priuauit: cui ex eadem tamen familia alium ſubſtituit Mauricium nomine, Saxoniæ etiam ipſum ducem. Quæ omnia & cæteris electoribus contingere poſſunt. Hi itaque ſunt VII. principes electores, qui noſtra ætate ſoli, Romanum creant Imperatorem: à qua electione Romanus pontifex primo, mox Italiæ, deinde Germaniæ reliqui, tam ſæculares, quam eccleſiaſtici principes, penitus excluſi ſunt, Pontifex vero maximus, in eius locum obtinuit (vt etiam ſuperius dixi) ne Imperator Imperii negocia tractare poſſit, antequam confirmationem & conſenſum Romani Pontificis obtineat, idoneuſque ad tantum Imperii faſtigium gubernandum, iudicetur. Nam antiquitus ſtatim ab electione, nulla Romani Pontificis exſpectata auctoritate, ſine approbatione Imperii negocia tranſigebat: in cuius rei locum tum obtinebat ius, quod in electione cum cæteris Italiæ & Germaniæ principibus habebat. Cum igitur noua regis Romani, vel Imperatoris deſignandi noua comitia habenda ſunt, vel ſi ſint libera, vt ea quibus Carolus V. Rex creatus fuit: vel procurante viuo Imperatore (adhibeatur Tobias Paurmeiſt. libro 2. de iuriſdict. Imper. Roman. num. 45. & num. fin. ſupr. cap. 5.) congreganda, qualia fuerunt Ferdinandi Cæſaris comitia: Archiepiſcopi Moguntini munus eſt, datis ad ſingulos alios Electores literis, eis diem & locum comitiorum Imperii præſcribere, hoc ei ex vetuſto iure relicto. Qui die ſibi ſtatuto, ad locum præſcriptum conuenientes, Imperii comitia habent. Huius rei hoc eſt decretum, in bulla aurea Caroli IV. Imp. confirmatum. Ait:

Præterea ſtatuimus & ordinamus, vt archiepiſcopus Moguntinenſis, qui fuerit pro tempore, ſingulis principib. coelectoribus ſuis eccleſiaſticis & ſæcularibus, electionem eandem per ſuos nuncios patentibus debeat literis intimare: in quibus quidem literis, talis dies & terminus exprimatur, infra quam eædem literæ ad ſingulos eoſdem principes veriſimiliter poſſint peruenire. Huiuſmodi vero literæ continebunt, vt à die in literis ipſis expreſſà, intra tres menſes, continuos, omnes & ſinguli principes electores, Francoforti ſuper Moganum conferant vel ſuos ad eundem terminum atque locum nuncios deſtinent, cum plena & omnimoda poteſtate, ſuiſq; patentibus litteris, maiori cuiuslibet eorum ſigillo ſignatis ad eligendum Romanorum regẽ, in Imperatorem promouendum. Qualiter autem, & ſub qua forma tales literæ confici debeant, &c.

Locus autem electionis ſtabilitus eſt, vt ſit Francofordia, Germaniæ celebris vrbs, ad quam omnes Electores conuenire debent quando noua regis Romanorum habenda ſunt comitia. Sic enim in ipſa bulla ſcriptum eſt: Debet autem vnuſquiſque Princeps elector, vel ſui nuncii, ciuitatem Francfort, cum ducentis equitibus tantummodo præfatæ electionis tempore, introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores introducere poterit, ſed non plures &c. Item:

Decernimus, vt quandocunque futuris temporibus neceſſitas ſiue caſus electionis regis Romanorum in Imperatorem promouendi emerſerit, & Principes electores, ad electionem huiuſmodi, iuxta antiquam laudabilem conſuetudinem habuerint proficiſci, vnuſquiſque princeps elector, ſi & quando ſuper hoc fuerit requiſitus, quoslibet principes coelectores ſuos, vel ipſorum nuncios, quos ad electionem ipſam tranſmiſerint, per terras, territoria & loca ſua, & etiam vltra, ſicut longius poterit, conducere teneatur, & eis abſque dolo præſtare conductum verſus ciuitatem, in qua talis electio fuerit celebranda, ac ab illa etiam redeundo, ſub pœna periurii ac perditionis (pro illa duntaxat vice) ſuæ vocis, quam in electione huiuſmodi, fuerit habiturus.

Quum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris vel regis Romanorum obitu, in diœceſi Moguntinâ conſtiterit, ex tunc infra vnum menſem, à die notitiæ obitus huiuſmodi, continue numerandum, ſingulis principibus electoribus, obitum ipſum & intimationem per archiepiſcopum Moguntinum fieri decernimus: congregati autem electores omnes, vel abſentium electorum principum legati, Francofordiæ, in baſilica S. Bartholomæi, quæ vrbis primaria eſt, ea omnia rite ſeruent, quæ hac bulla continentur.

Poſtquam autem Electores, ſeu eorum nuncii, ciuitatem Francfordienſem ingreſſi fuerint,

ſtatim ſubſequenti diluculo in Eccleſia Sanct. Bartholomæi Apoſtoli ibidem in omnium ipſorum præſentia, miſſam ſpiritus ſancti faciant decantari. Qua finita, omnes illi Electores ſiue eorum nuntii, accedant ad altare, in qua miſſa fuerit celebrata, vbi principes Electores eccleſiaſtici, coram Euangelio beati Ioannis: In principio erat verbum: quod illic, ante ipſos, poni debebit, manus ſuas pectori cum reuerentia ſupponant: Sæculares vero principes, dictum Euangelium corporaliter manibus ſuis tangant: qui omnes ibi debebunt, cum omni eorum familia in armis aſſiſtere: Archiepiſcopus vero Moguntinus formam iuramenti eis dabit, & vna cum ipſis, & ipſi, vel abſentium nuncii, vna cum eo, iuramentum præſtabunt. Quo ab omnibus facto ad electionem hac ratione procedant. Archiepiſcopus Moguntinus, ſingulorum coelectorum vota inquiret, ordine ſubſequenti. Primo quidem interrogat Treuerenſem, cui primam vocem competere declaramus, ſicut inuenimus hactenus competiiſſe: ſecundo Colonienſem archiepiſcopum, cui competit dignitas, Romanorum regi primum diadema regium imponendi: tertio regem Boemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis faſtigio iure & merito obtinet primatum: quarto comitem Palatinum Rheni: quinto ducem Saxoniæ: Sexto Marchionem Brandenburgenſem. Horum itaque omnium vota hoc ordine archiepiſcopus Moguntinus perquiret: quo facto, dicti electores principes ipſum verſa vice interrogabunt, vt & ipſe intentionem ſuam exprimat, & ipſis aperiat votum ſuum.

Nulla autem ratione ex dicta vrbe Francofort ſeparentur, niſi prius maior pars ipſorum, temporale caput mundo elegerit, ſeu populo Chriſtiano, regem videlicet Romanorum in Imperatorem promouendum. Quod ſi facere diſtulerint intra XXX. dies, à die iuramenti continue numerandos, ex tunc tranſactis eiſdem XXX. diebus, amodo panem tantum manducent, & aquam bibant, nec, niſi Imperatore deſignato, exeant ciuitatem.

Poſtquam autem in eodem loco, ipſi, vel pars eorum numero maior, elegerit regem, talis electio legitima haberi & reputari debebit, ac ſi foret ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, celebrata, &c.

In caſu deniq; quo tres principes electores præſentes, ſeu abſentium nuntii, quendam ex ſe, ſeu eorum conſortio, videlicet principem electorem præſentem, vel abſentem in regem Rom. elegerint, Vocem illius electi, ſi præſens fuerit, aut nunciorum illius, ſi eum abeſſe contigerit, plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemq; maiorem decernimus conſtituere ad inſtar cæterorum principum electorum, &c.

Multa præterea hac aurea Caroli IV. bulla continentur, cognitu digna & huic labori quam maxime apta, quæ nunc hic recenſere ſuperfluum eſſe iudico, præſertim quum in huius opuſculi fine eius exemplum, ad verbum & ſcriptum ſubiicere propoſuerim. Hac igitur ratione rex Romanorum Francofordiæ electus, ſi præſens eſt, ſtatim, abſens poſt ſuum aduentum, Aquiſgranum proficiſcitur: vbi in eccleſia Sanct. Mariæ virginis, quam Carolus magnus fundauit, in eiuſdem Caroli ſede collocatur: cuius quoque diademate, quod ipſi ſeruatur, redimitus, ab archiepiſcopo Colonienſi inungitur & conſecratur, qui adhuc hoc munus ſibi antiquitus conceſſum retinet. Conſecratione finita, electio Romano pontifici ſtatim inſinuatur, quo etiam electi Imperatoris confirmatio poſtulatur, quod à Romanis pontificibus humaniter fieri ſolet. His finitis, ab Imperatore deſignato, electoribus ipſis, omnia priuilegia, quæ habent ampliſſima confirmantur: de quorum iure, auctoritate & excellentia, multa videri poterunt, apud Onuphrium, in bulla aurea Imperator. Caroli IV.

CAPVT XIII.

De ea corona Imperiali, quæ ferrea dicitur, & de ſuprema Romani Pontificis coronatione.

POſtquam vero rex Romanorum, primo Aquiſgrani, ab archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt, diademate regni Germanici, quod corona argentea dicitur: poſtea ſe præparat ad ſuſcipiendam Imperialem vnctionem à Romano pontifice. Nam coronam ſecundam, quam ferream vocant, Mediolani à poſterioribus aſſumi ſolitam ante Friderici II. tempora in vſu nequaquam fuiſſe crediderim. Poſt cuius obitum, vſus hic (vt exiſtimo) inoleuit, vt Imperator deſignatus, antequam Imperii Romani diadema à Pontifice maximo ſuſcipiat, Mediolanum primo proficiſcatur: vbi in baſilica S. Ambroſii, vel Modœciæ in baſilica S. Ioannis Baptiſtæ iterum conſecretur & coronetur alia corona, quam ferream vocant, ab archiepiſcopo Mediolanenſi, in regem Longobardorum, vel Italiæ: quod ante Henrici VII. Lucemburgenſis tempora, nunquam (quod ſciam) factum fuiſſe legi. Ipſum enim Henricum VII. primum fuiſſe exiſtimo, qui Mediolani ea ratione coronatus ſit: quæ conſuetudo, cum cæteris quoque eiuſmodi nouis ritibus, inuenta eſt, poſt Fridericum II. Imperatorem. Rodulphum enim, Adolphum & Albertum, qui proxime ante Henricum, Imperatores deſignati fuerunt, hanc coronam non ſuſcepiſſe, ſatis liquet, qui nunquam in Italiam venerunt, nec etiam Romæ pontificiam vnctionem habuerunt. Idem dici poteſt de Chunrado IV. filio Friderici II. Henrico Lantgrauio Thuringiæ, Guilhelmo comite Hollandiæ, Ricardo &

do & Alphonſo, qui poſt Friderici II. mortem in ſchiſmate, reges creati fuerunt. Neminem præterea ſuperiorum Imperatorum, ab Othone primo, ad Fridericum II. hoc diademate coronatos fuiſſe, vnquam memini, apud veteres auctores, me legiſſe. Quamobrem hoc inſtitutum nouum eſſe exiſtimaui, & ex aliqua obſcura maiorum relatione acceptum. Siquidem legimus Pipinum Imp. Caroli Magni filium ab Hadriano Papa I. & Ludouicum II. Imperatorem, Lotharii Auguſti filium, à Sergio Papa II. coronas Italici regni vel Longobardorum, Romæ tamen, ad S. Petrum, & non Mediolani ſuſcepiſſe.

In Sigeberto vero Gemblacenſi, hæc verba de Chunrado I. Imperat. leguntur, *Anno Domini MXXXXI. Chunradus Imperat. Italiam adiit, vt rebellionem meditantes, debellaret. Et quia omnes Longobardi coniurauerant, vt non paterentur quemlibet Dominum, qui aliud, quam ipſi vellent, contra ſe ageret: quoſdam epiſcopos in vincula coniecit: & quia epiſcopus Mediolanenſis fuga elapſus eſt, Imperat. ſuburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecoſtes, quum imperator in parua Eccleſia ſecus vrbem coronaretur, ad miſſam, tam grauia fuerunt tonitrua, & fulgura, vt aliqui mente exciderent, aliqui exhalarent. Bruno vero epiſcopus, qui Miſſam canebat, & Secretarius Imperatoris cum aliis tribus, dixerunt, ſe inter miſſarum ſolennia vidiſſe Sanctum Ambroſium, Imperatori indignando comminantem.*

Tunc Imperator Italia diſceſſit. Quæ ideo addidi, vt lectori diligentia mea perſpecta ſit: nihil enim prætermiſi, quo, ad huius operis editionem, mihi opus eſſe exiſtimarem. Ex hoc autem Sigeberti loco, coronationem illam ſecundam intelligi non poſſe, exiſtimo, tum quod archiepiſcopus Mediolanenſis fugatus eſſet, tum quod non in Sanct. Ambroſii baſilica celebrata ſit, nec Modœciæ, tum etiam, quod eo tempore Chunradus iam diu ante coronatus fuerat à Romano pontifice Romanus Imperator, ante cuius benedictionem, quæ nouiſſima eſt, ſuſcipi debet coronatio Mediolanenſis. Illud vero verbum, *coronari*, ita intelligi debere exiſtimo, quod Miſſam, Imperatoriis veſtibus indutus audierit, vt mos erat fieri his temporibus, in magnis ſolennitatibus, perinde, ac eſt dies feſtus Pentecoſtes.

Legitur etiam libro VII. hiſtoriæ Othonis, epiſcopi Friſingenſis, capite XVII. Chunradum Suenum poſtea regem Romanorum, qui poſt mortem Henrici IV. Imperatoris, in ſchiſmate contra Lotharium II. Saxonem, à maiore eligentium parte creatus, rex Germaniæ factus fuerat, in Italiam veniſſe, Imperiumque ſibi contra Lotharium Auguſtum, Longobardorum auxilio paraſſe: atque quum Mediolanum veniſſet à Mediolanenſibus honorifice ſuſceptum, ab eorum archiepiſcopo Anſelmo Modœciæ, Italici regni regem vnctum & conſecratum eſſe, ob quam rem, ipſum etiam archiepiſcopum à Papa exauctoratum fuiſſe. Quo tamen teſtimonio (quod ſolum de hac re quamuis curioſe inueſtigauerim, inuenire potui) coronationem ipſam Imperatorum, quæ Mediolani fit, antiquam fuiſſe, minime affirmari poſſe crediderim: præſertim, quum ex cæteris auctoribus non ſolum non habeatur, veteres Imperatores hoc diademate coronatos fuiſſe: ſed ne id quidem ex eorum ſcriptis elici poteſt. Immo contrarium dicere videntur, qui itinera ſigillatim deſcribentes, quæ inter primam & nouiſſimam coronationem fieri contigerant, ipſos nunquam nec Mediolanum, modo diuertiſſe ſcribunt: quæ res nulla ratione ſilentio prætereunda, tam conſtanti omnium conſenſu fuiſſet, ab eis præſertim hiſtoricis, qui rebus geſtis interfuerunt, omniaque adeo accurate perſcribunt, vt faſtidium aliquando lectoribus, nimia eorum diligentia parturiat. Bernardinus autem Corius ſcriptor hiſtoriæ Mediolanenſis, neſcio cuius hiſtorici auctoritate ductus, (nullum enim huius rei teſtimonium citat) affirmare videtur, Chunradum Imperatorem primum (quem inepte tertio Othoni, tranſmiſſo primo Henrico, ſubiicit) primum hac corona Mediolani redimitum fuiſſe, in templo Sanct. Ambroſii. Henricum quoq; tertium quem ſecundum appellat, item Lotharium II. Saxonem, ac Othonem IV. Mediolani, in baſilica S. Ambroſii, à b archiepiſcopo Mediolanenſi coronatos fuiſſe ſcribit, verum vnde id acceperit, non ponit.

Hoc autem ego non ſolum nunquam memini me legiſſe, ſed multos ſcriptores legi, qui etſi aperte non contradicant, ex eorum tamen (vt dixi) ſcriptis clare elici poteſt, hos Imperatores nunquam Mediolani vel Modœciis coronatos fuiſſe. Item confirmari poteſt, quod Corius ipſe in his enarrandis, ſibi ipſi repugnare videtur, neq; multum ſibi conſtat. Scribit enim, Chunradum II. Othoni III. ſtatim ſucceſſiſſe. Henricum vero prætetiit, quem longo tempore poſt fuiſſe tradit, eundem cum Henrico II. Franco confundens. Lotharium quoque Saxonem, ab Anſelmo archiepiſcopo coronatum fuiſſe refert, qui per ea tempora à Romano pontifice epiſcopatu mulctatus fuerat, ſuffecto alio, quod Chunradum III. Suenum, Lotharii ipſius acerrimum hoſtem, in eius odium & contemptum coronaſſet regem Italiæ, vt eorum temporum ſcriptor Otho Friſingenſis memoriæ mandauit, cui magis, quam Corio credendum eſſe opinor. De Othonis IV. coronatione, Mediolani, nihil vnquam apud illorum temporum hiſtoricos ſcriptum inueni.

Cur autem hæc ſecunda corona, quæ noſtris temporibus Mediolani ab Impp. electis aſſumi ſolet, ferrea appelletur, adhuc mihi incognitum eſt. Corius quaſdam prorſus ineptas refert rationes, quæ ab illo peti poſſunt. Multi multa dicunt, quæ mihi non placent. Porro autem primus, quod ſciam, hoc diademate coronatus fuit, Mediolani, Henricus VII. Lutzemburgenſis in baſilica Sanct. Ambroſii à Caſſono Turriono, archiepiſcopo Mediolanenſi, anno Domini

MCCC.

M C C C X I. Iterum in eodem loco Ludouicus I V. Bauarus à Guidone de Petra mala epiſcopo Arretino, quod Mediolanenſis Archiepiſcopus ei, anathemate grauiſſimo à Romano pontifice Ioanne X X I I. notato, communicare noluiſſet, ferrea hac corona redimitus fuit. Tertius. Carol. I V. coronatus fuit hoc diademate, verum non Mediolani, in baſilica S. Ambroſii, ſed Modæciæ in templo S. Ioannis Baptiſtæ, à Roberto Vicecomite Mediolanenſi archiepiſcopo.

Nouiſſimus omnium Mediolani corona ferrea coronatus fuit ad S. Ambroſium Sigiſmundus Imperator Caroli I V. filius, à Bartholomæo Capra archiepiſcopo Mediolanenſi. Nam Fridericus I I I. & Carolus V. Imperatores Auguſti bis eodem tempore coronati ſunt, ille Romæ; hic Bononiæ, ex pontificis Maximi diſpenſatione. Primo enim vterque eorum, diademate regni Longobardici à Cardinali legato, ob eam cauſam creato, coronati fuerunt: mox aliquot diebus interiectis in eodem loco benedictione imperiali donati ſunt, à Romanis pontificibus, Nicolao V. & Clemente V I I. Cæremoniæ autem, quæ in hac conſecratione, vel ſecunda coronatione fieri ſolent, conſulto omittuntur: quod hæ ex libris ritualibus abunde haberi poſſunt,

Secunda hac coronatione celebrata, poſtea Rex Romanorum ad vrbem venire ſolet; vbi in baſilica S. Petri à Romano pontifice tertia corona, quæ imperialis aurea dicitur, redimitur his conditionibus, & ea ratione, quas ſuperius expoſui: poſteaque Imperator & Auguſtus appellatur, atque ab eo die annos imperii ſui numerare incipit. Primus autem & ſolus omnium Imperatorum poſt Othonem, Carolus V. extra vrbem coronatus eſt, ad eam tamen formam, omnibus Bononiæ compoſitis, ac ſi Romæ ad S. Petrum coronatus fuiſſet, cuius coronationis rationem quum ea propria ſit, quæ in libris ritualibus Romanæ Eccleſiæ habetur, à multiſque præterea noſtræ ætatis ſcriptoribus deſcripta fuerit, conſulto prætermittendam cenſui. Is autem optimus Princeps raro admodum exemplo, poſt omnia regna filio Philippo reſignata primus quoque poſt conditum Germanicum imperium ſponte abdicauit, ad vitam priuatam fœliciſſime colendam conuerſus, veramque philoſophiam non verbis, ſed actionibus conſequendam. Sed de eius laudibus hic locus non eſt differendi: inſtitutum nobis opus perſequamur.

Hic autem multa eſſent dicenda, videlicet quibus conditionibus aliquot Imperatores à Romanis pontificibus coronati fuerint: quæ fuerit olim in Germania & Italia, & quæ nunc ſit, eorum auctoritas & conditio, imperii varii caſus & mutationes: quibus rationibus imperium in Germania exortum, auctum & confirmatum fuerit, quibus deinde caſibus ſenſim labefactari & debilitari cœperit: quomodo demum conſumptum, & penitus conuulſum fuerit, ita vt nihil amplius præter inanes magni nominis vmbras remanſerit: à quibus potiſſimum diſciſſum & diſſipatum ſit, & alia eiuſmodi pleraque. Sed quoniam hæc omnia proprium volumen requirerent, atque ad propoſiti nobis operis cognitionem multum præterea non adferrent; hæc omnia ad illud tempus remittere decreui. Illarum enim rerum propriam hiſtoriam conſcribere animus eſt, modo vires ſuppetant.

C A P V T X I V.

Quibus Imperatoribus imperium abrogatum fuerit, & de ſciſſuris vel ſchiſmatibus, quæ in eo fuerunt.

IN Imperio autem, poſt Othonis primi tempora V I I I. potiſſimum maxima ſchiſmata fuere, quorum tria in comitijs ipſis, quinque extra comitiorum tempus exorta. Priora autem fuere his comitiis, quibus Philippus Sueuus & Otho I V. Ricardus Anglus, & Alphonſus Hiſpanus, Fridericus Auſtrius, & Ludouicus Bauarus, Reges Romanorum renunciati fuerunt. Quinque vero ſequentia fuere, Rudulphi Sueui, contra Henricum I I I. Imperatorem, Chunradi I I I. Sueui, contra Lotharium I I. Saxonem, Henrici Lantgrauii Thuringiæ, & Guilhelmi Comitis Hollandiæ, contra Fridericum I I. Caroli I V. contra Ludouicum Bauarum, Guntheri contra Carolum I V. Quæ quibus de cauſis exorta, & qua ratione ſublata fuerint, ſatis ſupra demonſtratum eſt.

Imperatores vero, vel reges Romanorum V I. Imperio mulctati ſunt. In quibus quatuor à Romano Pontifice: ex his vero duo à Papa tantum: vt Fridericus I I. & Ludouicus I I I. Bauarus; & totidem à Papa & omnibus Electoribus ſimul, vt Henricus I V. & Otho I V. duo vero ab Electoribus tantum, vt Adolphus de Naſſau, & Wenceslaus Caroli I V. filius. Quum autem priuationis forma, quæ à Pontifice Maximo & Electoribus ſimul fit, alibi multis in locis demonſtrata ſit: nunc operæ precium me facturum exiſtimo, ſi rationem quoque demonſtrauero, qua Electores ſoli Imperium alicui abrogarint, Wenceslaique abrogationem, quæ memoratu admodum digna eſt, ſubijciam.

Quum Wenceslaus Imperator deſignatus, Caroli I V. Imperatoris filius, cuius ſtudio & profuſiſſima largitione, eo viuente & procurante, ab Electoribus Rex renunciatus fuerat, grauiſſima damna Imperio attuliſſe, & indies adferre videretur: inter quæ illa præcipua fuerunt, quod eius incredibili ignauia & inertia, quæ Imperio nocentiſſimæ erant, multæ & præclariſſimæ Imperii vrbes, in Italia amiſſæ, à diuerſis principibus occupatæ eſſent: ipſe quoque accepta ingenti pecuniæ ſumma à tyranno Mediolanenſium, Ioanne Galeacio Vicecomite, qui Imperii Romani vicarius Mediolani, & per omnem Lombardiam erat, eum ducem creauerat Mediolani, quod præcipuum Imperii membrum in Italia erat: in Imperii dedecus maximum, & ruinam: tum ob has, tum etiam ob alias cauſas, principes Imperii Electores in vnum congregati, Imperium ei abrogarunt,

quum nihilominus prius eum ſæpiſſime per literas impenſiſſimè rogaſſent, & admonuiſſent, vt & libidinibus abſtineret, & vitam Imperatore non indignam ageret: qui quum omnia eorum monita addicto mirum in modum libidini & laſciuiæ animo, parui faceret: ideo anno Domini M. CD. ab archiepiſcopo Moguntino reliqui Electores per literas congregati ſunt, & Imperium ei abrogarunt, vt latius videre eſt apud hiſtoricos.

IV.

ELECTIO

SERENISSIMI ET ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS, D. MAXIMILIANI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, DVCISQVE Burgundiæ, &c. in Regem Romanorum, facta per Principes Electores in oppido Franckenford, Anno M. CCCCLXXXVI.

CODICILLVS PRÆSENS INDICAT NOMINA PRINCIPVM, COMITVM ET BARONVM, QVI AD ILLVSTRISSIMI Principis & Domini, D. MAXIMILIANI Archiducis Auſtriæ, Ducisque Burgundiæ electionem in Romanorum Regem in oppido Francfordenſi conuenere.

Anno Chriſti 1486. ANNO à natiuitate Saluatoris MCCCCLXXXVI. die Veneris, XX. menſis Ianuarii, Glorioſiſſimus ac Inuictiſſimus Princeps & Dominus, Dominus Fridericus Tertius Romanorum Imperator, ſuæque Maieſtatis vnicus filius Maximilianus Archidux Auſtriæ, Burgundiæ Dux, Francfordiam ingreſſi ſunt.

Affluxerant alii Principes, quorum nunc recenſebo nomina.

Archiepiſcopus Moguntinenſis.
Archiepiſcopus Treuirenſis.
Archiepiſcopus Colonienſis.
Philippus Dux Bauariæ, Comes Palatinus Rheni.
Erneſtus Dux Saxoniæ.
Albertus Marchio in Brandenburg.
Albertus Dux Saxoniæ.
Fridericus Dux Saxoniæ.
Ioannes Dux Saxoniæ.
Henricus Dux Crunſwigenſis.
Ioannes Dux Bauariæ, Comes in Spanheim.
Rupertus Dux Bauariæ.
Caſpar Dux Bauariæ, Comes in Feldentz.
Carolus Dux Gelriæ.
Wilhelmus Lantgrauius Haſſiæ, Comes in Katzenelnbogen & Dietz, & Comes in Zigenhayn.
Chriſtophorus Marchio de Baden.
Albertus Marchio de Baden.
Fridericus Marchio de Baden.
Abbas de Fulda Princeps.
Epiſcopus Bambergenſis.
Epiſcopus Auguſtenſis.
Epiſcopus Cameracenſis.
Epiſcopus Sibinicenſis.
Epiſcopus Wormatienſis.
Epiſcopus Spirenſis.
Epiſcopus Eyſtetenſis.
Epiſcopus Tergeſtinus.
Epiſcopus Miſſenenſis.

Nunc quot & quos Principes quilibet, Comites Baroneſque Franckfordiæ ſecum habuerit, ex ordine referemus. Ordiamurque à Cæſarea Maieſtate, quæ infra deſcriptos habuit.

Albertum Marchionem de Baden.
Hugonem Comitem de VVerdenberg.

Abba-

Abbatem de Milck.
Abbatem de Admunde.
Sigiſmundum Broſchenck.
Sigiſmundum de Bappenheim.
Bertolinum de Starenberg.
Fridericum de Stubenberg.
Caſparem de Rogendorff.
Martinum de Eytzingen.
Iohannem de Wolffſtein.
Domicellum de Wolkenſtein.
Dominum de Vtzendorff.
Iohannem de Zeltingen.
Chriſtophorum de Hohenfelde.
Sigiſmundum Midderthorer.
Dominum de Berneck.
Dominum de Merſperg.

Inclyti Maximiliani Romanorum Regis, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, curiales Principes, Comites & Barones enumeremus.

Chriſtophorus Marchio de Baden.
Epiſcopus Cameracenſis.
Epiſcopus Sibinicenſis.
Carolus Dux Gelriæ.
Adolphus Comes de Naſſaw, Marſchalcus.
Fridericus Comes de Hohenzollern.
Fridericus Comes de Birſche.
Walrab Comes de Birſche.
Comes de Bentheim.
Carolus Comes in Croy & Schymay.
Ludouicus de Emerey.
Martinus de Polheim.
VVolffgangus de Polheim.
Bernhardus de Polheim.
Vitus de VVolckenſtein.
Georgius de VVolckenſtein.
Cornelius de Bergen.
Fridericus de Egkmundet Iſelſtein.
Hugo de Melo, Dominus in Anthon.
Dominus de Lanney.
Carolus de Lalayn.
Iohannes de Leuan.
Philippus Baſtardus de Burgundia.
Gerhardus de Buſy.
Gerlacus de Iſenberg.
Dominus de Barbenzon.
Arnoldus de Trazenis, Dominus in Army.
Dominus de Geth.
Dominus de Battenburg.
VValrab de Breyderade.
Ludouicus de Baenſt.
Ditherus de Foſſe.
Florentius de Iſelſtein.
Dun Ladron de Portigal.
Dominus de Erckentiel.
Dominus de Trap.
Dominus de Lichtenſtein.
Philippus de Areſſes, Dominus curiæ.
Daniel de Herzele.

Progrediamur ad illuſtriſſimos ſacri Romani Imperii Electores.

Reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Bertoldus Archiepiſcopus Moguntinenſis, ſacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, ac Princeps Elector, hos ſecum habuit Comites atque Barones.

Iohannem Abbatem Fuldenſem ex familia Comitum de Henneberg natum.

Georgium commendatorem ordinis ſancti Iohannis, ex familia Comitum de Henneberg natum.

Ottonem Comitem in Henneberg.
Iohannem Comitem in VVertheim.
Eraſmum Comitem in VVertheim.
Sigiſmundum Comitem in Glichen.
Philippum Comitem in Naſſaw.
Ludowicum Comitem de Iſenberg, Dominum in Budingen, eiuſque duo filij.
Iohannem Comitem de Iſenberg, Dominum in Budingen.
Philippum Comitem in Ryneck.
Reinhardum Comitem in Ryneck.
Philippum alium Comitem in Ryneck.

Ad Reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Iohannem Archiepiſcopum Treuirenſ. ſacri Romani Imperii per Galliam & regnum Arelatenſe Archicancellarium, ac Principem Electorem ſe calamus dirigat: Principeſque, Comites, Barones, qui ſuæ reuerendiſſimæ paternitati aderant, deſcribat. Fridericus Marchio in Baden.

Bernhardus Comes in Solms, dominus in Mintzenberg in Appermont: cum duobus filiis.
Emich Comes in Litingen & Dagſpurg.
Dominus Iohannes Comes in Naſſaw & in Dietz.
Symon VVecker Comes in Zweinbrucken, Dominus in Bitſch, & in Lichtenberg.
Iohannes de Seyne, Comes in VVitgenſtein, & Dominus in Homburg.
Ditherus Comes in Manderſcheyt, Dominus in Sleiden.
Fridericus Comes in VViede, Dominus in Iſenburg.
Iohannes Comes in Manderſcheyt & Blanchenheim.
Bernhardus Comes in Liningen.
Iacobus Comes in Dune & Kirpurg, Dominus in Salm.
Philippus Dominus in Berſtein & Falckenſtein.
VVinrich de Dune, Dominus in Falckenſtein & Oberſtein.
VVilhelmus Dominus in Runckel & Iſenburg.
Iohannes Comes in VViede, Dominus in Iſenburg.
Ditherus Burggrauius in Ryneck, Dominus in Bruch & Tonnenberg.
Cuno Dominus in VVinnenberg & Bilſtein.

Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, ſacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius & Elector infra nominatos ſecum habuit Comites & Barones. VVilhelmum Lantgrauium Haſſiæ, Comitem in Katzenelenbogen, Dietz & Zigenhain.

Gerhardum Comitem Rheni.
VVilhelmum & Hupertum Comites in Nuwenar.
Henricum Comitem in Naſſaw, & Dominum in Bilſtein.
Philippum Comitem in Firnberg.
Philippum Comitem in Solms.
Henricum Comitem in VValdeck.
Comitem in Salm, Dominum in Rifferſchit.
Vincentium Comitem in Morſſe. Fridericum Dominum in Zomeruff.
VVilhelmum Dominum in Rennenberg.

Pergamus ad Illuſtriſſimum Principem & Dominum, Dominum Philippum Bauariæ Ducem, Comitem Palatinum Rheni, ſacri Romani Imperii Archidapiferum, ſuæque curiæ Comites atque Barones, quos ſecum habuerat, deſignemus.

Caſpar dux Bauariæ, Comes in Feldentz.
Epiſcopus Spirenſis.
Epiſcopus VVormatienſis.
Magiſter ordinis Teutonicorum.
Ludwicus de Bauaria.
Iohannes Rheni Comes.
Ottho Comes in Solms. Bernhardusque eius filius.
Michael Comes in VVertheym.
Henricus Comes in Bitſch.
Philippus Comes in Hanaw.
Gerhardus Comes in Seyne.
Hammo Comes in Liningen.
VVicker Comes in Liningen.
Hugo Comes in Montfort.
Iohannes Comes in Montfort.
Craffto Comes in Hoenloch.
Conradus Comes in Thubingen.
Comes de Naſſaw, Dominus in Bilſtein.

Wolfgangus Comes in Furſtenberg.
Cuno Comes in Weſterburg.
Bernhardus Comes in Weſterburg.
Bernhardus Comes in Eberſtein.
Bernhardus alius Comes in Eberſtein.
Henricus Comes in Lupff.
Dominus Iohannes Ruwegraue.
Melchior de Oberſtein.
Emich de Oberſtein.
Iohannes de Hohenfels, Dominus in Ripelſskirchen.
Schenck Chriſtophorus de Limpurg.
Schenck Fridericus de Limpurg.
Schenck Eraſmus de Erpach.
Dominus Iohannes de Schwartzenburg.
Dominus de Sonnenberg.

Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Dominus Erneſtus Dux Saxoniæ, Lantgrauius Thuringiæ, Marchio Miſſenæ, Sacri Romani Imperij Archimarſchalcus, ſubſcriptos curiales habuit Principes, Comites aque Barones.

Fridericum Ducem Saxoniæ.
Iohannem Ducem Saxoniæ.
Karulum Comitem in Glichen.
Iohannem Comitem in Hohenſtein.
Iohannem Comitem in Werdenberg.
Comitem de Warnburg.
Brunonem Dominum in Querfort.
Duos Barones dictos Ruſſen de Plawen, Dominus in Gretz & Cranchfelt.

Procedant demum Illuſtriſſimi Principis & Domini, Domini Alberti Marchionis in Brandenburg, Sacri Romani Imperij Archicamerarij curiales Comites atque Barones.

Iodocus comes in Hohenzollern.
Fridericus Comes in Zorn.
Ytelfricz Comes in Zorn.
Fridericus Comes in Caſtel.
Georgius Comes de Caſtel.
Michael Dominus in in Schwartzburg.
Sigiſmundus de Schwartzburg.
Philippus de Winſperg ſacri Romani Imperij camerarius.

Chriſtoferus de Limperg, ſacri Romani Imperij pincerna. Nunc ad cæterorum Principum curiales Comites atque Barones noſtra procedat deſcriptio.

Reuerendiſſimus in Chriſto pater & Dominus, Dominus Ioannes Archiepiſcopus Strigonienſis, adminiſtrator Archiepiſcopatus Saltzburgenſis, hos ſecum habuit Comites & Dominos.

Iacobum de Hauwelperg.
Wolfgangum Ahaym.
Marcum de Hohenfelt.
Erneſtum de Braben.
Georgium de Ram.
Theobaldum de Steming.
Abbatem de Agram.

Reuerendus Princeps & Dominus, Dominus Epiſcopus Bambergenſis ſecum habuit Beroldum Comitem de Hennenberg, & Erneſtum de Hohenſtein.

Illuſtris Princeps & Dominus, Dominus Albertus, Dux Saxoniæ, Lantgrauius Turingiæ, Marchio Miſſenæ, ſecum habuit Epiſcopum Miſſenenſem.

Henricum Comitem de Stalburg.
Adam Comitem in Bichlingen.
Brunonem Dominum in Querfort.

Illuſtris Princeps Dominus Henricus, Dux Brunſwicenſis ſecum habuit Philippum Comitem in Waldeg.

Comitem in Gonſtorff.
Oratores aliorum Principum & Comitum.
Epiſcopus Verdunenſis, Orator Regis Franciæ.
Oratores Sigiſmundi Ducis Auſtriæ.

Epiſcopus Auguſtenſis, qui Franckfordiæ obijt, Dominus Vlricus Frenberg, Dominus Georgius Abeſsberg.

Oratores Ducis Lotharingiæ, Philippus Comes in Liningen, itemque Nicolaus Comes in Sarwerden.

Oratores Georgii Ducis Bauariæ, videlicet Dominus Sigiſmundus Leyminger, & quidam Doctor.

Oratores Alberti Ducis Bauariæ, videlicet Doctor Birckheymer, & Sifridus Pauelſdorfer.

Oratores Ducis Mediolani, ſcilicet Doctor Andreas Schenck cum aliis ſibi adiunctis.

Oratores Comitis de VVirtenberg, Præpoſitus Stockhardenſis vtriuſque iuris Doctor, Dominus Hermannus de Saſſenheim miles: Doctor Iohannes Reuchlin.

Prætetea & Senatus ciuitatum & oppidorum infra nominatorum ſuos ad tam celebrem conuentum miſere conſiliarios ſiue Nuncios, Noriberga, Colonia, Argentina, Vlma, Hal in Sweuia, Nurlingen, Metis, Hagenaw, Aquiſgranum, Magdeburg, Mechlin, Andorpia, Confluentia, Lucenburg.

Die Martis quarta decima menſis Februarij diuus Fridericus Romanorum Imperator ſedens in maieſtate in alto cunctiſque patenti ædificio, omnium Principum, Comitum atque Baronum, præterea innumerabili procerum ſtipatus caterua, magna interueniente ſolennitate, feuda regalia gratioſe conceſſit, primum Archiepiſcopo Moguntino, deinde Philippo Duci Bauariæ, Comiti Palatino Rheni: tum Henrico Duci Brunſwicenſi: & poſtremum Epiſcopo VVormacienſi.

II. *Ordo incedendi inter eundum ad Eccleſiam Sancti Bartholomæi, inter Principes, Comites, Barones, milites quoque & militares ſeruatus.*

Inter eundum ad Eccleſiam S. Bartholomæi hunc ordinem ſeruatum vidimus. Primum ingens nobilium, militum, oratorumque Principum ibat caterua. Subſequebantur ſtatim magno numero Barones & Comites. Tunc complures Heraldi, deinde Principes non Electores, nonnulli Eccleſiaſtici, Seculares quoque, ſcilicet Marchiones Badenſis, Brunſwicenſis, Gellerenſis, itemque Saxoniæ & Bauariæ Duces. Continuo Imperator & Principes Electores hoc ſucceſſerunt ordine: Primum ibat Philippus Bauariæ Dux Comes Palatinus Rheni, à dexteraque ſociatum habuit Maximilianum Auſtriæ Archiducem & Burgundiæ. Comitatur Epiſcopus Treuirenſis, inſequitur Erneſtus Saxoniæ Dux nudatum extenſumque gladium ante imperialem Maieſtatem ſuis geſtans manibus. Eueſtigio diuus Imperator incedit, à dextraque per Moguntinum, à læua vero per Colonienſem Archiepiſcopos conducitur. Nouiſſimo loco Epiſcoporum, Comitum atque Baronum multus ſequebatur numerus. Marchio vero Brandenburgenſis Princeps grandæuus, preſſuram veritus, ante alios in Eccleſiam ſeſe recepit.

Veſtium, collariorum, & quorumcunque monilium, quibus pene omnes amicti ornatique erant, miram precioſitatem ſi verbis enarrare velim, dies vix ſufficeret.

III. *Sub officio Miſſæ ſolemnis in Eccleſia Sancti Bartholomæi, pro innocatione gratiæ Spiritus Sancti, Imp. Friderico III. in maieſtate ſedente, quo quiſq; Principum, Comitum & Baronum ſteterit, ſederitue loco.*

Miſſam de Spiritu ſancto ſolemnem in ſummo altari celebrauit Epiſcopus Pauadenſis, vicarius in pontificalibus Archiepiſcopi Moguntinenſis.

Ad altaris latus meridionale, quo epiſtola legi ſolet, ſedilia pro Imperiali Maieſtate, Principibuſq; Electoribus erant conſtructa. Verum reliquis eminentior Cæſarea ſedes, in qua Imperator regali diademate, ac aliis imperialibus decoratus inſigniis in Maieſtate ſedebat. A cuius dextera primum Archiepiſcopus Moguntinenſis: deinde Philippus Bauariæ Dux, Comes Palatinus Rheni: poſtremum Maximilianus Archidux Auſtriæ, Burgundiæque Dux. A læua vero Archiepiſcopus Colonienſis primum. Deinde Erneſtus Dux Saxoniæ, poſtremumque Albertus Marchio in Brandenburg ſeſſiones ſuas habuere. Archiepiſcopus vero Treuirenſis nec ad dexteram, nec ad læuam Imperatoris declinans, ante altare recta contra faciem Imperialem propria ſede locatus erat. Principeſque Electores quilibet veſte patricia indutus ſederat.

Item ad idem latus chori ſteterant hoc ordine, Bambergenſis, VVormatienſis, Eiſtatenſis, Spirenſis, & Miſſenenſis Epiſcopi: item magiſter ordinis Teutonicorum, Abbas Fuldenſis.

Latere vero chori ſeptentrionali, contra faciem Epiſcopi Bambergenſis ſtabat Epiſcopus Verdunenſis. Deinde Epiſcopus Cameracenſis. Ad idem altaris latus, Albertus Saxoniæ, Caſpar Bauariæ, Henricus in Brunſwigk, & Fridericus Saxoniæ Duces. Deinde Albertus & Chriſtophorus Marchiones Badenſes. Et item Iohannes Bauariæ, Iohannes Saxoniæ Duces. Et ſequenter VVilhelmi Haſſiæ Lantgrauii, poſtremum Principum oratores. Item Dux Gelriæ ad Maximiliani, itemque Fridericus Marchio de Baden ad Archiepiſcopi Treuerenſis dorſa ſteterant. In tranſitu ad offerendum primum ibat Archiepiſcopus Treuirenſis, è veſtigio incedit Imperator à Moguntino & Colonienſi Archiepiſcopis conductus, deinde Philippus Bauariæ Dux Comes Palat. Rheni. Tum Erneſtus Saxoniæ Dux. Poſtea Albertus Marchio de Brandenburg, demumque Maximilianus Auſtriæ Archidux, vſque ad altare ſucceſſerant. Verum Imperator primum, deinde Archiepiſcopus Treuerenſis, poſteaque reliqui Principes Electores quiſque ſuo ordine Deo munus obtulit.

Item dum inciperetur canticum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Schenck Chriſtoferus de Limpurg Cæſareo capiti imperiale diadema excepit. Item pomum Philippus de Selmick imperii dapifer, Gladium vero & quidem verſus terram defixum Sigiſmundus de Pappenheim marſchalcus, Sceptrum vero Schenck Philippus de VVinſpurg camerarius tenuit.

Item ſumpto per celebrantem ſacrificio, Cæſareo capiti imperialis reddebatur corona: eueſtigioq; Erneſtus Dux Saxoniæ gladium extenſum: Philippus Dux Bauariæ Comes Palatinus Rheni pomum, itemque Albertus Marchio in Brandenburg ſceptrum Cæſarea inſignia, in ſuas recepere manus.

Quo ſplendore, qua denique feſtiuitate, inclitus Rex electus in ſummo altari promoueri meruit atq; exaltari. IV.

Exacto Miſſæ officio Principes Electores ſecundum tenorem aureæ bullæ iuraturi altare acceſſerant: quo facto Imperator Principeſque Electores conclaue ad eligendum Romanorum Regem ingrediuntur. Deinde facta omnium vnanimi conſenſu electione, eius rei teſtes vocantur quamplures Principes Comiteſq;: eo peracto ex conclaui ad Maximilianum electum mittuntur Archiepiſcopus Colonienſis, Philippus Dux Bauariæ Comes Palatinus Rheni & Erneſtus Saxoniæ Dux: qui mutuo habito ſermone, demum præcedente Archiepiſcopo Colonienſi, Maximilianus medius inter Comitem Palatinum & Saxoniæ Ducem in conclaue introducitur, factaq; aliqua in conclaui mora, demum per Moguntinum & Colonienſem Archiepiſcopos educitur aliis comitantibus Principibus, in altari exaltatur, canticum, *Te Deum Laudamus*, in organis à canonicis viciſſim magno decantatur tripudio, circa altare ad exaltati Regis latera Moguntinenſis & Colonienſis contraq; eius faciem Treuerenſis Archiepiſcopi ſtabant.

Imperialis maieſtas circa altare in ſede, iuxtaque eandem ſæculares Principes Electores locum tennerant, finito cantico Georgius de Hell alias Peffer legum Doctor, Archiepiſcopi Moguntinenſis Cancellarius, ex Imperatoris Principumque Electorum ſpeciali commiſſione, electionem factam coram omnibus publicauit, mandans & præcipiens Regi electo ab omnibus obediendum eſſe. *Electionis publicatio.*

Poſtremum quoque dum rediretur ab Eccleſia, quo ordine Principes, Comites, Barones, milites & militares inceſſerint. V.

His omnibus rite peractis, itur ab Eccleſia eo fere ordine quo ingreſſum factum ſupra recenſuimus: ſolum quod Imperator, Maximilianus Rex electus Principeſq; Electores partim mutato inceſſerant ordine. Nam poſt tranſitum ingentis cateruæ procerum, militum, oratorum, Baronum, Comitum atq; Principum ſucceſſerat Archiepiſcopus Treuirenſis. Inſequuntur tres Principes Electores ſæculares, inſignia quiſq; ſuum deferentes imperialia. E veſtigio Imperator in Maieſtate, Maximilianuſq; Rex electus à Moguntinenſi & Colonienſi Archiepiſcopis conducti inceſſerant, demum ſuccedentibus pluribus Epiſcopis, Comitibus & Baronibus.

Facta fuit hæc electio die Iouis, XVI. Menſis Februarii.

Die Sabbati XI. Menſis Martii, Illuſtriſſimus olim Princeps & dominus, dominus Albertus Marchio Brandenburgenſis Princeps Elector, in Francofordia ex humanis deceſſit. In eccleſia fratrum Prædicatorum, quo corpus defuncti erat delatum, Imperatore & Rege Romanorum, Principibus, Comitibus, Baronibus, nobilibuſq; præſentibus, exequiæ ſolemnes celebrabantur. Quibus peractis effertur per Comites & milites funus extra Francofordiam. Procedunt fratres religioſi Ordinum mendicantium plures numero. Sequuntur funus Imperator, Romanor. Rex, Principes, Comites, Barones, & alii proceres. Committitur naui volante flumine Mogoni tranſuehendum in Marchionatus territorium. Cuius anima feliciter quieſcat in Domino.

Coronatio illuſtriſſimi & sereniſſimi Principis Maximiliani, Archiducis Auſtriæ, Duciſq; Burgundiæ, &c. in Regem Romanorum, celebrata per Principes Electores S. Romani Imperii, in Aquiſgrano.

ANno Domini Milleſimo CCCCLXXXVI. XXVIII. die Martii Inuictiſſimus & glorioſiſſimus Fridericus tertius Imperator Romanorum ſemper Auguſtus, Maximilianus eiuſdem Friderici filius Rex Romanorum electus, ac Principes Electores, cum inſigni Principum, Comitum, Baronum, multorumque nobilium comitiua poſt memorati Romanor. Regis electionem adhuc in Franckfordia perdurantium, nauigio Coloniam & Aquiſgranum verſus pro electi Regis coronatione iter arripientes, eo die Pinguiam attigerunt: vbi Romanorum Regi à dominis maioris Eccleſiæ Moguntinæ notabilis in vino & hauena propina eſt oblata. *Bingium.*

Viceſima nona die Martii de mane Imperialis Maieſtas vna cum Romanorum Rege, Duce Alberto Saxoniæ comitante, viſitauerunt Eccleſiam collegiatam Pinguenſem, audientes ibidem miſſam: qua finita intrauerunt naues ad deſcendendum: nautarum tamen conſilio ob venti mirabilem impetum ac multum periculoſum in loco perſiſtentes eodem die prandium in nauibus celebrarunt. Dominus vero Archiepiſcopus Moguntinenſis receſſit in naui ſua cum ſuis. Et prandio facto Albertus Dux Saxoniæ etiam iter arripuit: ſed parum longe proceſſit propter ventum: cæteris in Pinguia tota die relinquentibus.

XXX. Die Martii de mane miſſa finita in Eccleſia Pinguenſi, Imperialis Maieſtas cum filio ſuo Rom. Rege Maximiliano intrauerunt naues, deſcendentes aquam. Ipſis venientibus in ciuitatem Remis, * erat ibi dominus Archiepiſcopus Moguntinus, qui præceſſit. Ibidem Rom. Rege exeunte nauem, dominus Archiepiſcopus Moguntinus & Albertus Dux Saxoniæ eum duxerunt ſupra cathedram lapideam eleuatam, quæ vocatur ſedes Regis * ſituata in campis extra muros ciuitatis Remenſis prope Rhenum, ſupra quam ſedebat Rex Romano Imperio præſtans iuramentum. Quendam de domo Ducis Sigiſmundi creauit militem: facta quoq; per Archiepiſcopum Moguntinum relatione iterum ſe in naues receperunt, venientes illo ſero Andernacum. ** Reinſſe.* ** Königſtul.*

XXXI. Die & vltima Martii Rex Romanor. acceſſit Imperialem M. & ſimul viſitauerunt ibi Eccleſiam fratrum minorum, audientes ibidem miſſam: qua finita iterum intrauerunt naues, & venerunt Coloniam circa horam quartam. Ipſis venientibus ad litus aderat dominus Archiepiſcopus

Colonienſis Princeps Elector in ſuperpellicio, cum omnibus Eccleſiis collegiatis & Monaſteriis proceſſionaliter. Dominus Achiepiſcopus Treuirenſis Princeps Elector, & Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector, recipientes Imperialem M. & Rom. Regem filium ſuum Maximilianum cum maximo honore & reuerentia, qua decuit, habentes duos pannos ſericos eleuatos in aere ad cooperiendum Imperialem Maieſtatem, & Regem Romanorum, ducentes eos proceſſionaliter, ad maiorem Eccleſiam ante tres Reges, oratione ac deuotione eorum ibidem facta & habita, intrauerunt chorum ad ſummum altare. Quibuſdam ceremoniis ibidem peractis, duxerunt Imperialem maieſtatem ad locum palatii & hoſpitii ſui. Et Rege tranſeunte ad hoſpitium ſuum aſſociauerunt excellentiæ ſuæ cæteri Principes.

Poſt hoc venit Dominus Archiepiſcopus Moguntinus in nauigio ſuo.

Prima die Aprilis de mane Imperialis Maieſtas, Romanorum Rex cum cæteris principibus viſitauerunt maiorem Eccleſiam Colonienſem, audientes miſſam in ſummo altari. Qua finita duxerunt Imperialem maieſtatem domum: & mox vnuſquiſque principum ad ſuum ſe tranſtulit hoſpitium. Et tunc venit Dominus Philippus Comes Palatinus Princeps elector in nauigio ſuo: quem prandio facto Romanotum Rex viſitauit.

Item Ciuitas Colonienſis fecit Romanorum Regi propinam de vino & hauena & bobus, etiam clinodio argenteo cum certis aureis florenis.

Secunda die Aprilis Dominus Colonienſis & Treuirenſis venerunt ad Regem Romanorum: & poſt receſſum Domini Colonienſis Romanorum Rex vna cum Archiepiſcopo Treuirenſi intrauerunt Eccleſiam, audientes ibidem miſſam per cantores ſuos cantatam. Venit etiam ibidem Epiſcopus Verdunenſis orator Regis Franciæ, finita miſſa redierunt cum eorum nobilibus ad hoſpitia. Et Dominus Archiepiſcopus Treuerenſis manſit cum Rege in prandio: quo completo poſt receſſum Domini Treuerenſis, venerunt Conſules Electorum Principum ad Regem, habentes conſilium inuicem.

Tertia die Aprilis de mane Rex viſitauit Imperialem Maieſtatem, & ipſa recedente aſcendit Imperator currum ſuum, & cæteri Principes Electores cum eo in optimo ordine verſus oppidum Duren & Aquiſgranum.

De poſt facto prandio Rex Romanorum cum aliquibus de ſuis ſecutus eſt.

Item ante introitum Imperialis Maieſtatis in Duren, venit Dux Guliacenſis in optimo ordine in armis, cum ducentis equis in nigro veſtitis, recipiens Imperialem Maieſtatem cum Principibus Electoribus, introducendo eos faciens eis propinas debitas. Aliqui tamen Principes Electores tranſiuerunt vltra, ad euacuandum hoſpitia propter multitudinem aduenientium.

De poſt Dux Guliacenſis exiuit iterato obuiam Regi Romanorum, recipiens eundem cum honore & reuerentia introducendo ſuam celſitudinem, faciendo ibi propinas.

* Ache. Quarta die miſſa finita aſcenderunt currum & equos eorum, veneruntq; Aquiſgranum *: ibi applicuerunt circa horam quartam de ſero. Ipſis venientibus circa ciuitatem erant ibi domini Ciuitatis recipientes Imperialem Maieſtatem & Romanorum Regem filium ſuum cum cæteris Principibus Electoribus multum gaudenter.

Item erat etiam ibi Dux Cleuenſis in optimo ordine eos Principes recipiens. Imperialis Maieſtas cum appropinquaret ciuitatem, exiuit currum, & aſcendit equum ſuum. Et Rege veniente cum aliis Principibus ad portam, erat ibi totus Clerus ciuitatis Aquenſis cum quatuor Ordinibus proceſſionaliter, cum crucibus, & capite ſancti Karoli Regis, quod per Canonicos ſeniores ferebatur, in quo erat corona ſua quam habuit in vita. Illis ſic viſis deſcendit Rex de equo, faciens reuerentiam ſancto Karolo, dando oſculum cruci. Credentia facta per vicedecanum Aquenſem, qui eandem portauit. Item Rege de equo deſcendente, erant ibi cuſtodes ante portarium ciuitatis, pro eorum iure equum Regis recipientes.

Item erat talis ordinatio per Regem & alios Principes de introitu ciuitatis, & per Albertum Saxoniæ Ducem diſpoſita, quatenus equites communes & nobiles præcederent. De poſt venit Clerus cum reliquiis ſancti Karoli Regis.

Deindè Duces & Principes Electores. Primo Dux Cliuenſis in veſte aurea. penes eum Dux Guliacenſis cum Chriſtofero Marchione de Baden. Secundo Albertus Dux Saxoniæ cum Epiſcopo Strigònienſi, adminiſtratore Saltzburgenſi. Tertio Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector & Archimarſchalcus Imperii, deferens in manu ſua enſem nudum ſeu euaginatum ante Imperialem Maieſtatem. Penes eum Archiepiſcopus Treuerenſis, & Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector.

Item Imperialis Maieſtas ſola in ordine. Quarto Rex Romanorum in veſte aurea, & equo albo. Penes eum Archiepiſcopus Colonienſis in latere dextro, Dominus Archiepiſcopus Moguntinenſis in latere ſiniſtro: tranſeuntes iſto modo vſq; ad Eccleſiam beatæ Mariæ Virginis.

Item poſt Romanorum Regem venit exercitus ſuus in rubeo veſtitus, in quo erat Epiſcopus Cameracenſis, Epiſcopus Sibinicenſis, Dux Gellerenſis. Poſt illos exercitus Archiepiſcopi Colonienſis ſimiliter in rubeo veſtitus cum lanceis & baliſtis bene armatis, in quo erat Wilhelmus Lantgrauius Haſſiæ. Poſt hos ambaſiatores Ducis Sigiſmundi, & aliorum Principum, cum multis nobilibus magno numero qui miſſi fuerant, &c. Atq; in illo introitu fuerunt trini, hoc eſt tres & tres ſimul, & durauerat iſte introitus bene ad horam cum dimidia.

Item ab introitu ciuitatis vſq; ad Eccleſiam Beatæ Mariæ virginis,& per totam ciuitatem tres viri in equis proiecerunt pecunias cum manibus ad populum. *Miſſilia.*

Item in porta Eccleſiæ deſcendit Rex Romanorum de equo ſuo & Marſchalcus Guliacenſis accepit de ſure equum ſuum, tanquam præfectus regni.

Item Vicedecanus cum ſeniori Canonico fecerunt ſuæ Excellentiæ interpretationem illorum duorum ſignorum ſtantium ante oſtium Eccleſiæ ſuper duo pilaria lapidea, quorum vnum eſt lupa,aliud linguæ multæ. Ad interpretationem ſiue ſignificationem,quatenus Rex debet eſſe defenſor regni, quemadmodum lupa defendit ſuos iuuenes præ aliis animalibus. Etiam Rex debet præeſſe omnibus linguis. Qua finita intrauerunt Eccleſiam: ibi erat vnum paruum ſcamnum in medio,ſupra quod erat tenſus vnus pannus de veluto cum ſimilibus cuſſinis, in quibus Rex poſuit ſe ad genua,Imperator cum cæteris Electoribus & Principibus ſteterunt fundentes orationes eorum ante imaginem beatæ Virginis & Regis ſancti Caroli. Tempore medio cantabatur *Te Deum laudamus*, in organis. Quo finito Rex obtulit ad altare Beatæ Virginis Mariæ certas ſpecies auri.

Quibus ceremoniis completis aſſociauerunt Imperialem Maieſtatem ad hoſpitium. De poſt veniunt omnes Principes Electores cum Rege ad ſuam curiam: & ibi primum portabatur gladius nudus ante Regem per Erneſtum Ducem Saxoniæ Principem Electorem & Archimarſchalcum Imperii. Deinde vnuſquiſq; ad ſuum ſe tranſtulit hoſpitium.

Quinta die Aprilis Romanorum Rex & cæteri Electores Principes viſitauerunt Imperialem Maieſtatem. Et prandio facto venit Rex ad domum Ciuitatis,ibi erant omnes Electores congregati habentes conſilium. Quo peracto fuerunt miſſi Archiepiſcopus Moguntinenſis, & Archiepiſcopus Colonienſis ad Eccleſiam,ad ordinandum & diſponendum requiſita pro coronatione Regis Romanorum, quæ nondum erant parata. Quare prolongata fuerat pro tunc coronatio vſq; ad diem nonam Aprilis, tunc ſexta hora omnia erant parata pro coronatione Regis.

Item de domo ciuitatis Rex viſitauit Imperialem Maieſtatem. Ipſo ibidem exiſtente venit Magiſter curiæ Domini Colonienſis ſignificans Imperatori & Romanorum Regi prolongationem coronationis propter nullam diſpoſitionem factam. Et de poſt Rex rediit ſignificando ſuis eandem prolongationem.

Item ciuitas Aquenſis propinauit Regi ſex boues,ſex plauſtra vini, & totidem Imperatori.

Sexta die Aprilis de mane venit Dux Guliacenſis ad Regem, & de poſt ſimul viſitauerunt Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis, in qua erat Imperator cum cæteris electoribus, ibidem miſſam audientes. Qua finita redierunt cum Imperiali Maieſtate ad ſuum hoſpitium, & vnuſquiſque ad ſuum locum.

Poſt prandium Rex iuit ad domum Ciuitatis: ibi erant omnes Electores habentes conſilium inſimul cum Rege Romanorum: & de poſt ad ſua ſe tranſtulerunt loca.

Septima die Aprilis de mane Rex acceſſit iterum ad domum ciuitatis: ibi iterum venerunt cæteri Electores habentes ſimul conſilia.

Item finita miſſa per cantores Regis in Eccleſia cantata, acceſſit & Imperialis M. ad domum ciuitatis conſilium eorundem ineundo. Quo peracto Electores iuerunt pranſum. Cum Domino Colonienſi pranſus eſt Dominus Moguntinus, Comes Palatinus Rheni & Albertus Dux Saxoniæ.

Item poſt prandium Philippus Comes Palatinus viſitauit Regem: cæteri Electores iterato inierunt conſilium in domo ciuitatis.

Et Dominus Palatinus poſt receſſum à Rege ſimiliter acceſſit eos. Item Rex Romanorum habuit publicum conſiſtorium in ſua Curia cum Conſulibus Electorum & aliorum Principum. Ibi iudicialiter agebatur quædam cauſa ardua.

Octauo die Aprilis venerunt certi Electores ad Eccleſiam audientes miſſam ante Beat. Virginem: qua finita iuerunt in ſacriſtiam habentes conſilium. Venit ſimiliter Imperator etiam audiens miſſam cantatam de Domina noſtra. Qua finita exiuerunt Electores Principes ſimul ad Imperialem Maieſtatem & de poſt ſimul cum Cæſarea Maieſtate habuerunt conſilium. Rex interim manſit in ſua Curia.

Nona die Aprilis de mane hora tertia ponebatur vnus integer bos in valore ſeptem florenorum Rhenenſium ad aſſandum, ante hoſpitium domini Reges, in quo erat vnus porcus,in porco vna auca & gallina ſimul aſſati, vt in coronatione Romanor. Regis moris & conſuetudinis eſt. Poſtea hora debita & determinata venit vnus nomine Regis ſcindens vnam peciam illius bouis aſſati pro Regę. Quo facto omnes vtriuſq; ſexus homines acceſſerunt, & dilacerabant illum bouem aſſatum cum gladiis & fuſtibus,tantum quantum poſſibile fuit ſumente vnoquoq;. Tempore medio applicuit Dominus Iohannes de Horn,Epiſcopus Leodienſis,cum ducentis equis & vltra in ordine bene armatis,& omnes in habitu curialium Regis.

Item ante palatium Regis Romanorum erat vnus fons in aere factus, in quo erat vna Aquila nigra habens arma Regis Romani, ex cuius pectore exiuit vinum Rhenenſe. In latere aquilæ dextro erat factus Leo aureus tenens banerium cum armis Brabantiæ, ex quo Leone ſimiliter exiuit vinum Rhenenſe. In latere vero ſiniſtro Aquilæ erat Leo niger cum armis Flandriæ, ſimili modo emittens vinum Rhenenſe. Ibi erat maxima preſſura pauperum & aliorum hominum,

Item

Item circa horam ſextam de mane venerunt Imperialis Maieſtas, Comes Palatinus Rheni Princeps Elector, Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector, Dux Cleuenſis, Albertus Dux Saxoniæ, Dux Guliacenſis ad Romano. Regem. Ipſis ibidem exiſtentibus induebant ſe illi duo Electores, quemadmodum ipſis tanquam Electoribus conuenit & eos decuit, tranſeuntes ad Eccleſiam iſto ordine. Nobiles præceſſerunt, de poſt Epiſcopi, poſt ipſos Albertus Dux Saxoniæ, Dux Guliacenſis, Dominus Cleuenſis, qui habuit vnam manicam cum perulis precioſiſſimam, in pileo ſuo vnum clinodium etiam cum perulis gemmis precioſis ornatum. Demum Imperialis Maieſtas in veſte aurea, cum torque precioſiſſima, habente eleuationes vndiq; cum vna Cruce precioſiſſima. Penes Imperatorem in latere dextro Rex Romanorum filius ſuus Maximilianus, cum mantello aureo foderato cum hermelinis pendens, ſuper humeros ſuæ celſitudinis vſq; ad medium brachiorum ſuorum, cuius clauſura ante erat de perulis & gemmis precioſis. In capite eius habuit biretum aureum ſimili foderatura foderatum, verſum more Italico. Apud Imperialem Maieſtatem in latere ſiniſtro Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector in ſimili cappa & veſte de veluto rubeo, & magno birreto alto de ſcarlaca rubea ſubducta ſimili foderatura de hermelinis, Philippus Comes Palatinus Princeps Elector in latere dextro Regis ſimili modo veſtitus cum birreto de veluto rubeo: ſic ſimul intrantes Eccleſiam. In ambitu Eccleſiæ venerunt eis obuiam Principes Electores ſpirituales, ſcilicet Archiepiſcopus Colonienſis, Archiepiſcopus Moguntinenſis & Treuerenſis in pontificalibus, cum mitris, & croceis ſeu Epiſcopalibus baculis eorum. Etiam clerus cum crucibus, thuribulo, & textu Euangelii. Etiam quam plures alii Prælati, Epiſcopi, & Abbates in Pontificalibus eorum recipientes eoſdem Principes. In quorum receptione Archiepiſcopus Colonienſis tanquam celebraturus officium dixit: *Adiutorium noſtrum in nomine domini, &c. Sit nomen Domini benedictum*, cum ſequenti collecta: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum Maximilianum regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quæſumus, vt ita in præſentis ſeculi curſu cunctorum communem ſalutem diſponat, quatenus à tua veritatis tramite non recedat. Per Dominum.* Qua collecta dicta Archiepiſcopus Moguntinenſis & Treuirenſis ſuſceperunt Regem Romanorum, vnus ex vno latere, alter eorum ex altero latere ducentes eum ad Eccleſiam. Et Archiepiſcopus Colonienſis præceſſit, & cum eo prædicta proceſſio cantantes vnam Antiphonam, ſcilicet: *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat ſemper. Obſerua & audi vocem meam & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam. Et præcedat te Angelus meus verſus Iſrael, ſi me audieris. Non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum. Ego enim Dominus. Obſerua & audi vocem meam.*

Qua finita Rex proſtrauit ſe ſuper tapetum ad gradus altaris totus in longum, & Archiepiſcopus Colonienſis ſuper ipſum ſic proſtratum legit. *Domine ſaluum fac Regem*, Aſſiſtentes reſpondebant: *Exaudi nos in die in qua inuocauerimus te*, cum ſequenti collecta: *Deus qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe propria ſubſiſtere, concede propitius vt famulus tuus Maximilianus, quem populo tuo voluiſti præferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuerit præeſſe, valeat & prodeſſe. Per Dominum noſtrum.*

Alia Collecta.

Omnipotens ſempiterne Deus, cœleſtium terreſtriumq; moderator, qui famulum tuum Maximilianum ad regni faſtigium dignatus es prouehere, concede quæſumus vt à cunctis aduerſitatibus liberatus, & Eccleſiaſticæ pacis dono muniatur & ad æterna pacis gaudia peruenire te donante mereatur. Per dominum.

Poſt hoc Rex Romanorum poſuit ſe in vna regia ſede ante altare Mariæ Virginis bene ornata. Et modicum retro in vno paruo ſcamno. In latere dextro Regis ſedebat Archiepiſcopus Moguntinenſis, in ſiniſtro latere Archiepiſcopus Treuerenſis. Et retro illos ſtabant Epiſcopus Strigonienſis, Dux Guliacenſis Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cleuenſis, & Caſparus Dux Bauariæ Comes in Feldentz.

Item in latere dextro altaris erat Imperialis Maieſtas in vna ſede alta trium graduum honorifice ornata. Penes eum in latere ſiniſtro erat Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector. & Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector. Et incontinenti incipiebatur miſſa ſolennis de die Epiphaniæ Domini, ſcilicet: *Ecce aduenit Dominator, Dominus, & regnum in manu eius, & poteſtas & imperium*: quæ cantabatur in cantu Gregoriano.

Item ſequentia cantata, ſurrexerunt Moguntinenſis & Treuerenſis, & ſuperiorem veſtem Regi depoſuerunt: & ab infra in veſtitu deaurato inceſſit in medio illorum, & ante altare proſtratus in modum crucis. Et cantabatur letania à duobus Clericis. De poſt Dominus Archiepiſcopus Colonienſis erexit ſe tenens baculum ſuum in manu ſua dixit: *Vt hunc famulum tuum Maximilianum in Regem eligere digneris.* Reſponderunt Clerici: *Te rogamus, audi nos.*

Item Dominus Colonienſis dixit; *vt eum benedicere, ſublimare, & conſecrare digneris.* Reſponderunt Clerici: *Te rogamus, audi nos.* Item Archiepiſcopus Colonienſis dixit: *Vt eum ad regni & imperii faſtigium feliciter producere digneris*, Reſponderunt Clerici: *Te rogamus, audi nos.* Deinde duo Clerici compleuerunt letaniam: *Vt Pontificem noſtrum.* Item letania finita erexit ſe Rex, & Dominus Archiepiſcopus Colonienſis ſtans ante altare, habens baculum paſtoralem in manu ſua, interrogauit à Rege ſex puncta ſequentia: *Vis ſanctam fidem Catholicis viris traditam tenere, & opibus iuſtis ſeruare?* Reſpondit Rex: *Volo.* Colonienſis: *Vis ſanctis Eccleſiis Eccleſiarumq; miniſtris fidelis eſſe tutor & defenſor?* Reſpondit Rex, *Volo.* Dominus Colonienſis: *Vis regnum tibi à Deo conceſſum ſecundum iuſtitiam prædeceſſorum tuorum regere & efficaciter defendere?* Reſpondet Rex: *Volo.* Epiſcop. Colo-

Colonienſis: *Vis iura regni & imperii conſeruare, bonaq; eiuſdem iniuſte diſperſa recuperare, & fideliter in vſus regni & imperii diſpenſare?* Reſpondet Rex: *Volo.* Epiſcopus Colonienſis: *Vis pauperum & diuitum, viduarum & orphanorum æquus eſſe iudex, & pius defenſor?* Reſpondet Rex: *Volo.* Epiſcop. Colonienſis: *Vis ſanctiſſimo in Chriſto patri & domino Romano Pontifici, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectionem debitam & fidem reuerenter exhibere?* Quibus dictis Rex per Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuerenſem ductus eſt ad altare, & poſitis duobus digitis manus ſuæ dextræ ſuper altare dixit: *Volo. Et in quantum diuino fultus fuero adiutorio, & precibus fidelium Chriſtianorum adiutus valuero, omnia præmiſſa fideliter adimplebo. Sic me Deus adiuuet & omnes ſancti eius.* Hoc facto per Archiepiſcopos prædictos reducebatur iterum ante altare, & Dominus Archiepiſcopus Colon. ſtans ante altare cum baculo paſtorali, quæſiuit à Principibus Alemaniæ, & Clero & populo circumſtantibus: *Vultis tali Principi ac rectori vos ſubiicere, ipſiuſq; regnum firmare, fide ſtabilire atq; iuſſionibus illius obtemperare: iuxta Apoſtolum, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſiue Regi tanquam præcellenti, &c.* Ad quam quæſtionem dominus Moguntinenſis & Treuerenſis Principes Almaniæ, clerus & populus aſſiſtentes reſponderunt, dicentes: *Fiat, fiat, fiat.*

Deinde adducunt Regem ad altare, qui proſtrauit ſe ad terram in longum, & dominus Archiepiſcopus Colonienſis dixit ſuper eum benedictionem iſtam. *Benedic Domine hunc Regem noſtrum Maximilianum, qui regna omnia moderaris à ſeculo: & tali eum benedictione clarifica, vt Dauidica teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus vt in eius protinus reperiatur merito. Da ei tuo inſpiramine cum manſuetudine ita regere populum, ſicut Salomonem feciſti regnũ obtinere pacificum, Tibi ſemper ſit cum honore ſubditus, tibiq; militet cum quiete, ſit tuo clypeo protectus cum proceribus, & vbiq; tua gratia victor exiſtat: honorifica eum præ cunctis Regibus gentium: felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent, viuat inter gentium cateruas magnanimus, ſit in iudiciis æquitatis ſingularis, locupletet eum tua prædiues dextera: frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profutura, & præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus eius oriatur iuſtitia, à te robuſtum teneat regiminis ſolium, & cum iuſtitia & iocunditate æterno glorietur in regno.*

Item dominus Archiepiſcopus Colonienſis adhuc ſuper eum dixit: *Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui patriarchæ noſtri Abrahæ prælegiſti Reges ſeculi profuturos, Tu præſentem Regem hunc Maximilianum cum exercitu ſuo per interceſſionem Sanctorum vbere benedictione locupleta, & in ſolium regni firma ſtabilitate connecte. viſita eum ſicut Moyſem in mari rubro, Ioſue in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, & illa benedictione eum conſidera, ac ſapientiæ rore perfunde, quam beatus Dauid in Pſalterio, Salomon filius eius te remunerante percepit de cœlo, ſis ei contra acies inimicorum lorica, in aduerſis galea, in proſperis patientia, in protectione clypeus ſempiternus: & præſta vt gentes illi teneant fidem, proceres ſui habeant pacem, diligat caritatem abſtineat ſe à cupiditate, loquatur iuſtitiam, cuſtodiat veritatem, & ita populus iſte ſub eius imperio pullulet, ita alitus benedictione æternitatis, vt ſemper maneant tripudiantes & in pace victores. Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuis & regnas Deus in ſecula ſeculorum, Amen.*

Benedictione finita erexerunt Regem ad genua, & denudauerunt ſcapulas ſuas, & pectus & iuncturas brachiorum ſuorum: ſedit cum deuotione iunctis manibus. acceſſit Archiepiſcopus Colonienſis, vnxit eum in capite, in pectore, inter ſcapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa ſcapulas, de oleo catechumenorum, ita dicens: *Pax tibi*, Clerus reſpondit: *Et cum Spiritu tuo.* Dominus Colonienſis iterum dixit: *Vngo te in Regem oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Interim cantauerunt in choro: *Vnxerunt Salomonem Sadoch ſacerdos* & Nathan propheta *Regem in Geon, & procidentes læti dixerunt: Viuat Rex in æternum.* Poſtea Dominus Colonienſis vnxit palmas manuum Regis dicens: *Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetæ, & ſicut vnxit Samuel Dauid in Regem; vt ſis benedictus & conſtitutus Rex in regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum, Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen*

Interea clerus iterum cantauit: *Vnxit te Deus, &c. Factis vnctionibus iſtis* ſtatim ab Archiepiſcopis ducitur Rex ad ſacriſtiam, & ſeniores capituli detergentes cum lana mundiſſima loca inuncta vbi Dominus Colonienſis oleum ſacrum appoſuit.

Item hoc facto domini de capitulo induebant eum ſandaliis, ſtola alba & in modum crucis in pectore. rediens ante altare, proſternens ſe in modum crucis. Tunc dominus Colonienſis dixit: *Proſpice omnipotens Deus ſerenis obtutibus hunc glorioſum Regem Maximilianum, & ſicut benedixiſti Regem Abraham, Iſaac, & Iacob, ſic illum largis benedictionibus ſpiritualis gratiæ cum omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, Tribue ei de rore cœli & de pinguedine terræ habundantiam frumenti, vini, olei, & omnium frugum opulentiam ex largitate diuini muneris longa per tempora, vt illo regnante ſit ſanitas corporis in patria, pax inuiolata regno, dignitas glorioſa regalis palatii maximo ſplendore regiæ poteſtatis oculis omnium fulgeat, luce clariſſima clareſcat,* quaſi ſplendidiſſima fulgura maximo *perfuſus lumine videatur: tribue ei omnipotens Deus, vt ſit fortiſſimus protector patriæ & conſolator Eccleſiarum atque cœnobiorum ſanctorum maxima cum pietate regalis munificentia, atq; vt ſit fortiſſimus Regum, triumphator hoſtium, ad opprimendas rebelles paganaſq; nationes, ſitq; inimicis ſuis ſatis terribilis præmaxima fortitudine regalis potentiæ: optimatibus quoq; atque præcelſis proceribus atq; fidelibus ſui regni, ſit magnificus & amabilis & pius, vt ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per ſucceſſiones temporum futurorum egrediantur, regnumque hoc valeant regere totum & poſt glorioſa atque*

felicia

felicia tempora præſentis vitæ gaudia æterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit, &c.

Adhuc alia collecta ſiue benedictio.

Spiritus ſancti gratia humilitatis noſtræ officio in te copioſa deſcendat, vt ſicut manibus noſtris indignis oleo materiali delibutus pingueſcis exterius, ita eius inuiſibili vnguento delibutus impinguari merearis interius, eiuſq; ſpirituali vnctione perfectiſſime imbutus & illicita declinare, ac tota mente ſpernere diſcas, ſi valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare atq; operari queas, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo Patre & eodem Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula.

Adhuc alia benedictio Regis.

Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, qui miſiſti filium tuum precioſiſſimo ſanguine ſuo genus humanum redimere, qui conteris bella & propugnator es in te ſperantium, & ſub cuius arbitrio omnium regnorum continetur poteſtas, te humiliter deprecamur, vt præſentem famulum tuum Maximilianum in tua miſericordia confidentem benedicas, eiq; propicius adeſſe digneris, vt qui tua expetit benedictione defendi, omnib. ſit hoſtibus fortior. Fac eum Domine beatum eſſe & victorem de inimicis ſuis: corona eum corona iuſtitiæ & pietatis, vt ex toto corde & tota mente in te credens tibi deſeruiat, ſanctamq; tuam Eccleſiam defendat & ſublimet, populumq; a te ſibi commiſſum iuſte regat, nullis inſidiantibus malis eum in iniuſtitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ per hoc vnctionis oleum, vnde vnxiſti ſacerdotes, Reges & Prophetas: quatenus iuſtitiam diligens per tramitem iuſtitiæ populum ſimiliter ducens, poſt peracta à te diſpoſita in regali excellentia annorum curricula peruenire ad gaudia æterna mereatur. Per eundem, &c.

Quibus collectis ſiue benedictionib. dictis, cantabatur vna præfatio pulchra per dominum Archiepiſcopum Colonienſem, quæ ſequitur: *Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Vere dignum iuſtumq; eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbiq; gratias agere domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, Creator omnium, imperator angelorum, regnantium Rex, dominusq; dominantium qui Abraham famulum tuũ de hoſtib. triumphare feciſti, Moyſi & Ioſuæ populo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti, humilemq; Dauid puerum tuum regni faſtigio ſublimaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſq; munere ditaſti. Reſpice quæſo ad preces humilitatis noſtræ, & ſuper hunc famulum tuum Maximilianum, quem ſupplici deuotione in Regem elegimus, benedictionum dona in eo multiplica, eumq; dextra tuæ potentiæ ſemper & vbiq; circunda, quatenus prædicti Abrahæ fide fideliter firmatus, Moyſe manſuetudine fretus, Ioſuæ fortitudine munitus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus, tibiq; in omnibus placeat, & per tramitem iuſtitiæ ſemper incedat, Eccleſiam tuam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat & inſtruat, contraq; omnes viſibiles & inuiſibiles hoſtes eandem potenter regaliterq; tuæ virtutis regimine adminiſtret, & ad veræ fidei pacis concordiam eorum animos te opitulante reformet, vt horum populorum debita ſubiectione fultus, cum digno amore glorificatus ad paternum decenter ſolium tua miſeratione conſcendere mereatur, tuaq; protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili iugiter protectus, armiſq; cæleſtibus circumdatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremq; ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet, per dominum noſtrum qui virtute ſanctæ crucis tartarum deſtruxit, regnoq; Diaboli ſuperato victor ad cælos aſcendit; in quo poteſtas omnis Regum conſiſtit & victoria: qui eſt gloria humilium & vita ſaluſque populorum, Qui tecum viuit, &c.*

Adhuc alia Præfatio:

Deus Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui a patre oleo exultationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacræ vnctionis infuſionem Spiritus *paracleti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemq; vſq; ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili ac tractabili dona inuiſibilia percipere, & temporali regno iuſtis moderaminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis, qui ſolus ſine principio Regum Rex viuit, regnat, & gloriatur cum Deo patre in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum.*

Quibus præfationibus finitis, Dominus Rex Romanorum induebatur vna cappa per Archiepiſcopos Moguntinenſem, Treuirenſem, & Colonienſem, tradentes ſimul gladium nudum Sancti Caroli, Archiepiſcopo Colonienſi dicente: *Accipe gladium per manus Epiſcoporum, licet indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratas, tibi regaliter impoſitum, noſtræq; benedictionis officio in defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ diuinitus ordinatum. Et eſto memor de quo Pſalmiſta prophetauit, dicens. Accingere gladio tuo ſuper femur tuũ potentiſſime, vt in hoc per eundẽ vim æquitatis exerceas, iniquitatis violentiam potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam eiuſq; fideles propugnes ac protegas, nec minus ſub fide falſos quam Chriſtiani nominis hoſtes execres ac deſtruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata ſerues, vlciſcaris iniuſta, firmes bene diſpoſita: Quatenus hæc in agendo virtutum triumpho glorioſus iuſtitiæq; cultu egregius, cum mundi ſaluatore (cuius typum geris) in nomine eius ſine fine merearis regnare. Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, &c.*

Quibus dictis poſuerunt gladium nudum in vaginam & cinxerunt Regem eodem gladio. Et Archiepiſcopus Colonienſis tradidit ſibi armillas, pallium & annulum dicens: *Accipe regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ fidei cognoſce ſignaculum, & vt hodie ordinaris caput & princeps regni & populi, ita perſeuerabilis auctor ac ſtabilitor Chriſtianitatis & Chriſtianæ fidei ſias, vt felix in opere cum Rege Regum glorieris per eum, cuius eſt honor & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen.*

Quibus dictis Dominus Colonienſis tradidit ſibi ſceptrum & pomum regale, dicens: *Accipe virgam Vir-*

gam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapſiſq; manum porrigere, diſperdaſq; ſuperbos, & releues humiles: & aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſeipſo ait: Ego ſum oſtiū, per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Et ipſe eſt, qui eſt clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Sitq; tuus ductor, qui educit vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris & vmbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Propheta Dauid cecinit: Sedes tua in ſeculum ſeculi, virga æquitatis, virga regni tui, & imitando ipſum diligas iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem. Quod propterea vnxit te Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſecula vnxerat oleo exultationis præ participibus ſuis. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

His finitis Colonienſis, Moguntinenſis & Treuirenſis Archiepiſcopi, omnes tres ſimul impoſuerunt Regi coronam Sancti Caroli ſuper caput eius, pariter dicentes: *Accipe coronam Regiam ac regni, quæ licet ab indignis Epiſcoporum manibus capiti tuo imponitur, quamque ſanctitatis gloriam & opus fortitudinis expreſſe ſignare intelligas, & per hanc te principem miniſterii noſtri non ignoras. Ita vt ſicut nos in interioribus paſtores & animarum rectores intelligimur, ita & tu in exterioribus verus Dei cultor ſtrenuuſq; contra omnes aduerſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor regniq; tibi a Deo dati exiſtas, & per officium noſtræ benedictionis vice Apoſtolorum omniumq; Sanctorum ſuffragio, tuo regimini commiſſi vtilis executor, regnatorq; proficuus ſemper appareas, vt inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore ac ſaluatore Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius nomen vicemq; geſtare crederis, ſine fine glorieris. Qui viuit & imperat Deus cum Deo patre in vnitate Spiritus S. Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.* Omnibus his dictis ductus eſt Rex ad altare per Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuirenſem. Ibi ponens ambas manus ſuper altare, faciens hanc profeſſionem in vulgari: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius amodo, & deinceps legem & iuſtitiam, pacemq; ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeruare, populoq; mihi ſubiecto prodeſſe & iuſtitiam facere, & conſeruare iura regni, ſaluo condigno diuinæ miſericordiæ reſpectu, ſicut cum conſilio principum & fidelium regni atq; meorum melius inuenire potero. Sanctiſſimo Romano Pontifici & Eccleſiæ Romanæ, cæteriſque Pontificib. & Eccleſiis Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus Eccleſiis ſeu Eccleſiaſticis perſonis collata ſunt & erogata, inuiolabiliter ipſis conſeruabo, & faciam conſeruari, Abbatibus & ordinibus vaſallis regni, honorem congruum volo portare & exhibere, Domino noſtro Ieſu Chriſto mihi præſtante auxilium, fortitudinem & decorem.*

Qua profeſſione facta ductus eſt Rex per Dominos Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuirenſem ad ſolium ſuum ſeu ſedem regiam, quæ eſt ſuperius ſuper altum monaſterium ante altare Apoſtolorum Simonis & Iudæ, Clero cantante Reſponſorium illud:

Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Verſus. *Quoniam præueniſti eum in benedictionib. dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.* Et voluntate, & Dominus Archiepiſcopus Colonienſis ſequebatur cum ſuis miniſtris Regem cum cæteris Principibus, ponentes eum ad eandem ſedem regiam S. Caroli lapideam, Ibi Dominus Colonienſis dixit: *Ita retine amodo locum regium, quem non iure hæreditario neq; paterna ſucceſſione, ſed Principum ſeu electorum in regno Almaniæ tibi noſcas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis, & traditionem noſtram præſentem, & omnium Epiſcoporum cæterorumque ſeruorum Dei. Et quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri & plebis in hoc regni ſolio confirmet, & in regno æterno ſecum regnare faciat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Rex regum, & Dominus dominantium. Qui cum Deo patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus. &c.*

Rege ſic in ſede regia ſedente, mox acceſſerunt, qui ad militiam creari deſiderauerant, quando gladium S. Caroli extraxit rex tenens in manu ſua: Et acceſſit primo Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector Imperij: Deinde Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector imperii. De poſt Dux Guliacenſis: Caſparus Dux Bauariæ Comes in Feldentz, Carolus Dux Gelriæ, Marchio de Baden, Wilhelmus Lantgrauius Haſſiæ in Caſſel, Wilhelmus de Egmund cum quampluimis aliis in numero ducentorum & vltra, facti milites, Et factus eſt ſonus tubarum. Deinde deſcenderunt inferius in locum priſtinum chori: ibi cantauerunt, *Te Deum laudamus.* Quo finito legebatur Euangelium, *Cum natus eſſet.* &c. De poſt, *Credo in Deum* Offert. *Reges Tharſis.* &c. Deinde Rex Romanorum ſceptrum in manu ſua portans ibat ad offertorium offerens quamplures petias auri. *Equitum auratorum creatio.*

Deinde ibant Archiepiſc. Moguntinenſis & Treuirenſis, & poſtea alii principes electores. Sic proceſſus fuit in miſſa vſque ad pacem: ibi Dominus Archiepiſcopus Colonienſis vertit ſe verſus populum, dando Regi & cæteris Principibus benedictionem dicens: *Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te, & ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in præſenti ſeculo felicem & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem.* Reſponderunt, *Amen.* Item miſſa finita vocatus fuit Comes de Chymay, & factus eſt per Imperatorem Princeps de Chymay. *Chymay Princeps.*

Item venerunt capitulares Eccleſiæ Aquenſis recipientes Regem Romanorum in Canonicum, qui ipſis præſtitit iuramentum, quoad præbendam hanc in eadem Eccleſia. Et dederunt ſibi locum in choro. Ipſe etiam dedit ſtatuta, & vinum admiſſionis, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, Et habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præbendam, & ſupplent locum ſuum in Eccleſia. Sic coronatio Regis finem habet.

Proceſſus ex Eccleſia ad domum ciuitatis.

Iſtis ſic peractis, exiuerunt Eccleſia ad locum prandii, ſcilicet domum ciuitatis, paratum iſto

 ordine.

felicia tempora præſentis vitæ gaudia æterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit, &c.

Adhuc alia collecta ſiue benedictio.

Spiritus ſancti gratia humilitatis noſtræ officio in te copioſa deſcendat, vt ſicut manibus noſtris indignis oleo materiali delibutus pingueſcis exterius, ita eius inuiſibili vnguento delibutus impinguari merearis interius, eiuſq; ſpiritualis vnctione perfectiſſime imbutus & illicita declinare, ac tota mente ſpernere diſcas, ſi valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare atq; operari queas, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo Patre & eodem Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula.

Adhuc alia benedictio Regis.

Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, qui miſiſti filium tuum precioſiſſimo ſanguine ſuo genus humanum redimere, qui conteris bella & propugnator es in te ſperantium, & ſub cuius arbitrio omnium regnorum continetur poteſtas, te humiliter deprecamur, vt præſentem famulum tuum Maximilianum in tua miſericordia confidentem benedicas, eiq; propicius adeſſe digneris, vt qui tua expetit benedictione defendi, omnib. ſit hoſtibus fortior. Fac eum Domine beatum eſſe & victorem de inimicis ſuis: corona eum corona iuſtitiæ & pietatis, vt ex toto corde & tota mente in te credens tibi deſeruiat, ſanctamq; tuam Eccleſiam defendat & ſublimet, populumq; a te ſibi commiſſum iuſte regat, nullis inſidiantibus malis eum in iniuſtitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ per hoc vnctionis oleum, vnde vnxiſti ſacerdotes, Reges & Prophetas: quatenus iuſtitiam diligens per tramitem iuſtitiæ populum ſimiliter ducens, poſt peracta a te diſpoſita in regali excellentia annorum curricula peruenire ad gaudia æterna mereatur. Per eundem, &c.

Quibus collectis ſiue benedictionib. dictis, cantabatur vna præfatio pulchra per dominum Archiepiſcopum Colonienſem, quæ ſequitur: *Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Vere dignum iuſtumq; eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbiq; gratias agere domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, Creator omnium, imperator angelorum, regnantium Rex, dominusq; dominantium: qui Abraham famulum tuũ de hoſtib. triumphare feciſti, Moyſi & Ioſuæ populo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti, humilemq; Dauid puerum tuum regni faſtigio ſublimaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſq; munere ditaſti. Reſpice quæſo ad preces humilitatis noſtræ, & ſuper hunc famulum tuum Maximilianum, quem ſupplici deuotione in Regem elegimus, benedictionum dona in eo multiplica, eumq; dextra tua potentiæ ſemper & vbiq; circunda, quatenus prædicti Abrahæ fide fideliter firmatus, Moyſe manſuetudine fretus, Ioſuæ fortitudine munitus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus, tibiq; in omnibus placeat, & per tramitem iuſtitiæ ſemper incedat, Eccleſiam tuam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat & inſtruat, contraq; omnes viſibiles & inuiſibiles hoſtes eandem potenter regaliterq; tuæ virtutis regimine adminiſtret, & ad veræ fidei pacis concordiam eorum animos te opitulante reformet, vt horum populorum debita ſubiectione fultus, cum digno amore glorificatus ad paternum decenter ſolium tua miſeratione conſcendere mereatur, tuaq; protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili iugiter protectus, armiſq; cæleſtibus circumdatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremq; ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet, per dominum noſtrum qui virtute ſanctæ crucis tartarum deſtruxit, regnoq; Diaboli ſuperato victor ad cœlos aſcendit; in quo poteſtas omnis Regum conſiſtit & victoria: qui eſt gloria humilium & vita ſaluſque populorum. Qui tecum viuit, &c.*

Adhuc alia Præfatio:

Deus Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui à patre oleo exultationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacræ vnctionis infuſionem Spiritus *paracleti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemq; vſq; ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili ac tractabili dona inuiſibilia percipere, & temporali regno iuſtis moderaminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis, qui ſolus ſine principio Regum Rex viuit, regnat, & gloriatur cum Deo patre in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum.*

Quibus præfationibus finitis, Dominus Rex Romanorum induebatur vna cappa per Archiepiſcopos Moguntinenſem, Treuirenſem, & Colonienſem, tradentes ſimul gladium nudum Sancti Caroli, Archiepiſcopo Colonienſi dicente: *Accipe gladium per manus Epiſcoporum, licet indignas, vice tamen & authoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratas, tibi regaliter impoſitum, noſtræq; benedictionis officio in defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ diuinitus ordinatum. Et eſto memor de quo Pſalmiſta prophetauit, dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuũ potentiſſime, vt in hoc per eundẽ vim æquitatis exerceas, iniquitatis violentiam potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam eiuſq; fideles propugnes ac protegas, nec minus ſub fide falſos quam Chriſtiani nominis hoſtes execres ac deſtruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata ſerues, vlciſcaris iniuſta, firmes bene diſpoſita: Quatenus hæc in agendo virtutum triumpho glorioſus iuſtitiæq; cultu egregius, cum mundi ſaluatore (cuius typum geris) in nomine eius ſine fine merearis regnare. Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, &c.*

Quibus dictis poſuerunt gladium nudum in vaginam & cinxerunt Regem eodem gladio. Et Archiepiſcopus Colonienſis tradidit ſibi armillas, pallium & annulum dicens: *Accipe regiæ dignitatis annulum, & per hunc Catholicæ fidei cognoſce ſignaculum, & vt hodie ordinaris caput & princeps regni & populi, ita perſeuerabilis author ac ſtabilitor Chriſtianitatis & Chriſtianæ fidei ſias, vt felix in opere cum Rege Regum glorieris per eum, cuius eſt honor & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen.*

Quibus dictis Dominus Colonienſis tradidit ſibi ſceptrum & pomum regale, dicens: *Accipe virgam Vir-*

gam Vir-

gem virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapſiſq; manum porrigere, diſperdaſq; ſuperbos, & releues humiles: & aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſeipſo ait: Ego ſum oſtiũ, per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Et ipſe eſt, qui eſt clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Sitq; tuus ductor, qui educit vinctum de domo carceris ſedẽtem in tenebris & vmbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Propheta Dauid cecinit: Sedes tua in ſeculum ſeculi, virga æquitatis, virga regni tui, & imitando ipſum diligas iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem. Quod propterea vnxit te Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſecula vnxerat oleo exultationis præ participibus ſuis. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

His finitis Colonienſis, Moguntinenſis & Treuirenſis Archiepiſcopi, omnes tres ſimul impoſuerunt Regi coronam Sancti Caroli ſuper caput eius, pariter dicentes: *Accipe coronam Regiam ac regni, quæ licet ab indignis Epiſcoporum manibus capiti tuo imponitur, quamque ſanctitatis gloriam & opus fortitudinis expreſſe ſignare intelligas, & per hanc te principem miniſterii noſtri non ignoras. Ita vt ſicut nos in interioribus paſtores & animarum rectores intelligimur, ita & tu in exterioribus verus Dei cultor ſtrenuuſq; contra omnes aduerſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor regniq; tibi à Deo dati exiſtas, & per officium noſtræ benedictionis vice Apoſtolorum omniumq; Sanctorum ſuffragio, tuo regimini commiſſi vtilis executor, regnatorq; proficuus ſemper appareas, vt inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore ac ſaluatore Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius nomen vicemq; geſtare crederis, ſine fine glorieris. Qui viuit & imperat Deus cum Deo patre in vnitate Spiritus S. Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.* Omnibus his dictis ductus eſt Rex ad altare per Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuirenſem. Ibi ponens ambas manus ſuper altare, faciens hanc profeſſionem in vulgari: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius amodo, & deinceps legem & iuſtitiam, pacemq; ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeruare, populoq; mihi ſubiecto prodeſſe & iuſtitiam facere, & conſeruare iura regni, ſaluo condigno diuinæ miſericordiæ reſpectu, ſicut cum conſilio principum & fidelium regni atq; meorum melius inuenire potero. Sanctiſſimo Romano Pontifici & Eccleſiæ Romanæ, cæteriſque Pontificib. & Eccleſiis Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus Eccleſiis ſeu Eccleſiaſticis perſonis collata ſunt & erogata, inuiolabiliter ipſis conſeruabo, & faciam conſeruari, Abbatibus & ordinibus vaſallis regni, honorem congruum volo portare & exhibere, Domino noſtro Ieſu Chriſto mihi præſtante auxilium, fortitudinem & decorem.*

Qua profeſſione facta ductus eſt Rex per Dominos Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuirenſem ad ſolium ſuum ſeu ſedem regiam, quæ eſt ſuperius ſuper altum monaſterium ante altare Apoſtolorum Simonis & Iudæ, Clero cantante Reſponſorium illud:

Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Verſus. *Quoniam præueniſti eum in benedictionib. dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.* Et voluntate, & Dominus Archiepiſcopus Colonienſis ſequebatur cum ſuis miniſtris Regem cum cæteris Principibus, ponentes eum ad eandem ſedem regiam S. Caroli lapideam, Ibi Dominus Colonienſis dixit: *Ita retine amodo locum regium, quem non iure hæreditario neq; paterna ſucceſſione, ſed Principum ſeu electorum in regno Almaniæ tibi noſcas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis, & traditionem noſtram præſentem, & omnium Epiſcoporum cæterorumque ſeruorum Dei. Et quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri & plebis in hoc regni ſolio conſeruet, & in regno æterno ſecum regnare faciat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Rex regum, & Dominus dominantium. Qui cum Deo patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus. &c.*

Rege ſic in ſede regia ſedente, mox acceſſerunt, qui ad militiam creari deſiderauerant, quando gladium S. Caroli extraxit rex tenens in manu ſua: Et acceſſit primo Philippus Comes Palatinus *Equitum auratorum creatio.* Rheni Princeps Elector Imperij: Deinde Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector imperii. De poſt Dux Gulıacenſis: Caſparus Dux Bauariæ Comes in Feldentz, Carolus Dux Gelriæ, Marchio de Baden, Wilhelmus Lantgrauius Haſſiæ in Caſſel, Wilhelmus de Egmund cum quamplurimis aliis in numero ducentorum & vltra, facti milites, Et factus eſt ſonus tubarum. Deinde deſcenderunt inferius in locum priſtinum chori: ibi cantauerunt, *Te Deum laudamus.* Quo finito legebatur Euangelium, *Cum natus eſſet.* &c. De poſt, *Credo in Deum* Offert. *Reges Tharſis*, &c. Deinde Rex Romanorum ſceptrum in manu ſua portans ibat ad offertorium offerens quamplures petias auri.

Deinde ibant Archiepiſc. Moguntinenſis & Treuirenſis, & poſtea alii principes electores. Sic proceſſus fuit in miſſa vſque ad pacem: ibi Dominus Archiepiſcopus Colonienſis vertit ſe verſus populum, dando Regi & cæteris Principibus benedictionem dicens: *Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te, & ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in præſenti ſeculo felicem & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem.* Reſponderunt, *Amen.* Item miſſa finita vocatus fuit Comes de Chymay, *Chymay Princeps.*
& factus eſt per Imperatorem Princeps de Chymay.

Item venerunt capitulares Eccleſiæ Aquenſis recipientes Regem Romanorum in Canonicum, qui ipſis præſtitit iuramentum, quoad præbendam hanc in eadem Eccleſia. Et dederunt ſibi locum in choro. Ipſe etiam dedit ſtatuta, & vinum admiſſionis, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, Et habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præbendam, & ſupplent locum ſuum in Eccleſia. Sic coronatio Regis finem habet.

Proceſſus ex Eccleſia ad domum ciuitatis.

Iſtis ſic peractis, exiuerunt Eccleſia ad locum prandii, ſcilicet domum ciuitatis, paratum iſto

I [illegible] ordine.

ordine. Nobiles præceſſerunt. Poſtea Comites & Barones in magna multitudine. Deinde tubicinatores & heraldi. Poſtea Prælati, Epiſcopi & Principes. Deinde Electores Imperij. Primo Dominus Archiepiſcopus Treuirenſis, ſecundo Erneſtus Dux Saxoniæ cum gladio nudo ante Regem, in latere eius dextro Philippus Comes Palatinus cum pomo aureo, in ſiniſtro latere electus Auguſtenſis habens penes ſe vnum deferens ſceptrum loco Marchionis de Brandenburg, qui obiit. Tunc Rom. Rex cum corona regia & cappa, habens gladium in femore, & coronam in capite, in cuius latere dextro Dominus Archiepiſcopus Colonienſis, in ſiniſtro Archiepiſcopus Moguntinenſis, cum eorum veſtimentis ac ornamentis, prout eis tanquam Electoribus conuenit, & decens erat, Imperialis Maieſtas cum ſua corona & cappa imperiali, & ſuo heraldo.

Item in itinere tranſeundo vſque ad domum ciuitatis nomine Regis ſeminabatur vel proiiciebatur ad populum pecunia, floreni ſcilicet Rhenenſes, & moneta argentea, in valore trecentorum florenorum. Et populus magis ſequebatur pecuniam, quam Regem.

Ipſis ſic exiſtentibus ſuper domum ciuitatis, in qua Rex fecit parari magnum conuiuium omnibus Principibus. Et deſcendit Erneſtus Dux Saxoniæ, princeps Elector, & ſacri Rom. Imperij Archimarſchalcus, aſcendens equum, veniens ad magnum cumulum auenæ poſitum in foro, ante domum ciuitatis Aquenſis. Intrans auenam cum equo ſuo vſq; ad pectus equi, habens vnum modium & hoſtorium ſiue baculum argenteum in manu ſua, ad menſurandum auenam. Recipiens ſuum modium menſurandi argenteum impleuit auena, menſurauit, tradidit vni ex ſuis, & ſic compleuit officium ſuum, & poſt receſſum ſuum in continenti erat ibi tanta preſſura hominum reſiduum auenæ recipientium, quatenus ſeminabatur & proiiciebatur quaſi per totum forum.

Item aſcendit Imperialis Maieſtas domum ciuitatis, abſtraxit ſe in vna Camera exuens pontificalia ſua, rediens ad menſam in capite aulæ tranſuerſaliter factam & ornatam, ſex gradibus altam & eleuatam, in qua ſedebat Maieſtas, & Rex Romanorum filius ſuus Maximilianus.

Item menſa erat cooperta de panno aureo, cum armis Burgundiæ precioſiſſime ornata.

In ſiniſtro latere erat vna credentia ſeptem ſtadiis alta, ornata vaſellis precioſiſſimis, non paruas, ſed magnas vltra ducentas petias aureas & argenteas numeratas, demptis ſcutellis argenteis ac ſcyphis. Imperator vero volens locum dare filio ſuo honoris, tanquam ſponſo Dei, nullam parare fecit credentiam: licet inter omnes Principes habeat precioſiſſimam.

Et cum Imperator, & Rex Rom. ad prandium irent, venit electus Epiſcopus Auguſtenſis de Hohenzorn dictus, locum Marchionis Brandenburgenſis ſuppleuit cum cæteris Comitibus, Erneſto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, aquam porrexit & manutergium: aqua in peluibus argenteis erat.

Item tres Archiepiſcopi benedictionem & Benedicite dixerunt. Et ſigillum ſimul de cancellaria Imperatoris ceperunt, ante Regem poſuerunt cum vno baculo.

Ipſis ſic ſedentib & Electoribus Rom. Imperii menſæ aſtantibus, Erneſtus Dux Saxoniæ princeps elector tanquam Archimarſchalcus cum baculo nigro in manu, & Comes Palatinus princeps elector ac dapifer Rom. Imperij, poſt ipſum acceſſerunt ad coquinam Regis. Ibi Comes Palatinus equitando de coquina Regis quatuor ſcutellas argenteas in manibus produxit, deſcendens ante domum ciuitatis de equo, aſcendit domum ciuitatis, Erneſto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, portauit ſcutellas argenteas cum ferculis in manibus, & ad menſam Regis collocauit. Et poſtquam principes electores ſua officia exercuerunt, quilibet Princeps Elector ſolus ſedebat ad menſam ſibi paratam cum ſua propria credentia.

Ordo ſedentium in prandio.

In capite & in medio aulæ vel palatii ſedebat Imperialis Maieſtas, & Rex Rom. filius ſuus Maximilianus, in menſa ipſis parata & ornata, ſex graduum alta: quibus miniſtrando aſtabant Principes, Comites & Barones, inter quos Princeps de Chymay & Dux Gelriæ erant primi, vnicuiq; vero principi electori de ſui ipſius familia miniſtrabant Comites, Barones & Nobiles.

Item in latere dextro & loco procliuiori palatij, primo Dominus Archiepiſcopus Colonienſis princeps elector imperii, ſecundo parata erat vna menſa pro Rege Bohemiæ, quæ erat vacua propter eius abſentiam. Tertio Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector etiam ſolus in menſa ſibi parata. Quarto ſedebant Oratores Ducis Auſtriæ. Quinto loco Epiſcopi Leodienſis, Wormatienſis, Cameracenſis, Sibinicenſis, & Miſſenſis. Sexto ordine vel loco ciuitas Aquenſis. Septimo loco ciuitas Colonienſis. Item Archiepiſcopus Treuirenſis princeps elector in propria menſa ſibi parata in medio aulæ in faciem Imperatoris & Regis cum ſua credentia ſedebat.

In ſiniſtro latere Dominus Archiepiſcopus Moguntinenſis primo loco in ſua propria menſa cum ſua credentia ſedebat. Secundo loco Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector ſolus etiam ſedebat in ſua menſa. Poſt hos pro Marchione de Brandenburg erat menſa parata, quæ erat vacua propter abſentiam ſuam. Deinde Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cleuenſis, Caſparus Dux Bauariæ, Dux Guliacenſis, & quidam orator Comitis de Wittenberg, ſedebant. Quinto loco conſules ciuitatis Franckfordenſis. Sexto loco conſules ciuitatis Nurenbergenſis. Hic diſſenſio facta eſt. Norinbergenſes Marſchalcum Regis acceſſerunt, cur Franckfordenſes ſuper eos locum haberent. Qui reſpondit, ſic fore ordinatum in ſuo regiſtro. Sed non contenti Regem acceſſerunt, qui pie reſpondit: *Quoniam in Franckfordia electi ſumus in Regem, ideo modo locum eorum ſic habere debent:*

debent: alio tempore de ſeſſionibus & locis cogitemus. Durabat autem prandium iſtud vſque fere ad horam tertiam. Quid vltra dicam? Fuerunt fercula citra quinquaginta, & ſemper ſcutellæ fuerunt repletiſſimę. Integer lepus, agnus, pauo, & de omnibus generibus auium, & piſcium, & ferarum: & vina optima ac precioſiſſima. In ferculis ſigna Principum pendebant: quis omnia enarrare poteſt?

Item in foro pauperes & famelici ſtabant, quibus per feneſtras carnes, panes, integri lepores & agni aſſati proiecti ſunt: & factus eſt clamor magnus in foro. Sed in aula ſeu palatio iſto fuit ſilentium, non clamor, niſi in quantum vnus cum alio ſubmiſſa voce loquebatur. Et prandio facto iterum aqua in peluibus argenteis adducta eſt cum manutergio ad menſam Imperialis M. & Regis Romanorum, deinde Archiepiſcopi tres grates Deo referebant. Poſt hoc quidam de numero heraldorum clamauit voce magna dicens: *Si qui ſunt, qui deſiderant creari in milites, accedant Regem hic vel in domo, paratus eſt. Et ſi qui acceſſerunt hodie, qui non ſunt habiles, pro non creatis ſunt habendi, & prohibendi ab aliis, ne ſigna militum deferant, & qui de numero illorum velint permanere, debent Regem de hoc certificare.* Quibus dictis omnes ſurrexerunt, Imperatorem & Regem ad hoſpitia ſua perduxerunt, circa horam quartam, & in pace omnia requieſcebant.

Item pauperibus omnibus datæ ſunt eleemoſynæ in habundantia. Sic à fine omnia ſunt denominanda, pauperes Chriſti non ſunt neglecti.

Decima die Aprilis, quæ fuit ſecunda poſt dominicam Miſericordiæ Domini, de mane miſſa audita oſtendebantur reliquiæ Eccleſiæ Aquenſis in publico in præſentia omnium Principum præſcriptorum, ac omnium Chriſti fidelium ibidem exiſtentium.

Quo facto, conſules ac tota communitas ciuitatis Aquenſis fecerunt iuramentum vel homagium Roman. Regi ante domum ciuitatis in præſentia Imperatoris, Principum, Electorum, ac aliorum Principum, & Rex firmauit priuilegia ipſorum. Illo facto immediate receſſerunt principes verſus Coloniam, ſcilicet Rom. Rex, Archiepiſcopus Colonienſis, Comes Palatinus Rheni, Archiepiſcopus Treuirenſis, Imperialis autem M. & Archiepiſcopus Moguntinenſis manſerunt ibidem illa nocte.

Vndecima die Aprilis, quæ fuit quinta Miſericordiæ Domini, applicuerunt omnes Principes ſimul cum Imperatore & Rom. Rege ante ciuitatem Colonienſem, introeundo in optimo ordine. Conuenerunt enim omnes Principes ante ciuitatem cum ſuis, conſulatus obuiam venit in veſtitu nigro, citra centum equos, & armigeri citra mille manſerunt prope portam, quam Rex conſueuit intrare poſt ſuam coronationem, & anteceſſerunt Regem à longe per ciuitatem. Nam propriam habet plateam, per quam intrat vſque ad Eccleſiam maiorem.

Item præmiſit multos de familia Ducis Guliacenſis, Ducum Saxoniæ Erneſti Electoris & Alberti, & Philippi Ducis Bauariæ Comitis Palatini. Deinde tubicinatores, fiſtulatores, & iterum aliqui de familia Archiepiſcopi Colonienſis. Deinde tres armati, ſcilicet Dominus de Yſelſtein, & Dominus Wilhelmus frater eius de Egmund, & Dominus Vitus de Wolckenſtein, qui armati erant, cum equis armatis, à vertice capitis vſque ad plantam pedis, qui anteceſſerunt Regem. Deinde Electores Imperii, Philippus Comes Palatinus Princeps Elector, & Dux Cleuenſis. Poſt eos Dux Saxoniæ Erneſtus Princeps Elector, cum gladio nudo, & Archiepiſcopus Treuiren. iuxta ordinem ſuum. Deinde Rex Romanorum etiam armatus à planta pedis vſque ad verticem capitis, in medio Archiepiſcoporum Colonienſis & Moguntinenſis. Imperator ſtatim ſequebatur in curru ſuo, & poſt ipſum multitudo magna. Sic intrauerunt ciuitatem in ſono tubarum vſque ad portam curiæ maioris Eccleſiæ, vbi Rex de equo & Principes Electores, & cæteri Principes deſcenderunt, Regem ad portas Eccleſię perduxerunt, Imperator in curru permanſit. Acceſſit autem ſuffraganeus Colonienſis in pontificalibus habens crucem, oſculum dedit Regi, & cæteri cum crucibus, candelis, vexillis: & prælati omnium Eccleſiarum Regem Roman. ad tres Reges perduxerunt, vbi locus paratus erat pro oratione. Qua completa inceperunt cantare, *Te Deum laudamus*, & intrauerunt chorum. Illo finito ſuffraganeus benedictionem dedit, & Canonici Regem in canonicum receperunt iuxta conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ. Poſt hæc Regem ad hoſpitium perduxerunt. Item poſtquam Rex deſcendit de equo ſuo tranſeundo ad Eccleſiam, Dominus de Nuwenar iure ſuo recepit equum Regis cum ornamentis ſuis aureis.

Duodecima Aprilis Principes ad conſilium venerunt, & de receſſu Principum concluſum erat. Sed superuenerunt ambaſiatores Regis Poloniæ magnifice, & retardati ſunt Principes.

Sabbato mane ſequenti facto conſilio Erneſtus Dux Saxoniæ per Haſſiam viam aliam reuerſus eſt ad terram ſuam. Albertus frater eius ibi cum aliis Principibus remanſit. Sic per dies quatuordecim magna conſilia habuerunt: quod concluſum eſt, expectemus cum patientia. Etiam Principes haſtiludia fecerunt inter ſe, & poſt multa conſilia Principes ſeparati ſunt, quilibet ad terram ſuam.

V.

TRES EPISTOLÆ *Ad* LVDOVICVM COMITEM PALATINVM SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPEM ELECTOREM.

SVPER OBITV MAXIMILIANI IMPERATORIS, & noui Cæſaris electione, MDXVIIII.

LEO PAPA X.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum poſt eum animi dolorem, quem ex obitu claræ memoriæ Maximiliani electi Imperatoris non mediocrem acceperamus, propter & noſtram ſingularem in illum beneuolentiam, & commune incommodum, quod tanti Principis optimique Ducis morte Chriſtiana paſſa erat reſpublica, illa cogitatio nos ad animi æquitatem reuocauiſſet, quod illius eximias Chriſtianiſſimaſque virtutes, mitem imprimis clementemq; naturam, animum Deo ac Dei religioni deditum, per Dei miſericordiam donatum immortalitate, multoq; maiora & beatiora præmia cœleſtis vitæ illi comparata eſſe confidebamus: etjam iudicauimus hanc rationem eandem apud Nobilitatem tuam eſſe valituram, de cuius prudentia eam ſemper, quam decuit, habuimus opinionem. Cum autem & boni nos paſtoris cura ſolicitum haberet, & hoc non minus ad Nobilitatis tuæ officium pertineret, has ad te ſummo animi ſtudio ſcribendas duximus, te impenſius hortantes, vt poſt pietatis officia in mortuum, te nobiſcum vna ad eam curam ac diligentiam velis conuertere, in qua omnis maxime ſalus Chriſtianæ Reipublicæ conſiſtit, vt illi defuncto par aut etiam ſuperior, ſi fieri poteſt, eligatur Imperator. Communis hæc nobis tecum cogitatio, ſed opera & ſententia tua huic facto coniunctior eſt. Non arbitramur Nobilitatem tuam præſtantem prudentia, egere conſilio, ſed tamen noſtra dignitas ac perſona requirit, vt quod optimum factu videatur eſſe in medium conſulamus. Etenim ſi vllum vnquam tempus poſt Romani Imperii nomen extitit, quod tuam poſtularet, & Collegarum tuorum fidem, vigilantiam, religionem, ſapientiam, hoc illud eſt, in quo omnis induſtria adhibenda, vt in Imperatore deligendo, Dei redemptoris honori, Imperatoriæ auctoritati, Chriſtianæ Reipubl. quieti, veſtræ quoq; ipſorum, qui electuri eſtis, ſaluti conſulatur. Nunquam (quod tibi in oculis eſſe certo ſcimus) habuit fides Chriſti potentiores hoſtes, nunquam aduerſus eam animo infeſtiores, crudelitate efferatiores. Horum igitur faucibus atq; immanitati tota expoſita ſit neceſſe eſt Dei reſpubl. niſi is deligatur Imperator, qui pari potentia illorum retundere inſolentiam, & auctoritatis nominiſq; ſui magnitudine ſalutem tegere Chriſtianitatis queat. Hoc igitur imprimis Nobilitas tua, poſitis ante oculos & penſitatis hoſtium viribus, vt prouideat, rogamus, per quem maxime illorum nefariæ crudelitati reſiſti poſſit. Atq; hæc neceſſaria eſt cogitatio, illa vero ad dignitatem Imperii atque decus ſpectans, quod ſine eximia potentia nec auctoritatem habere poteſt, nec maieſtatem Imperator. Capite autem labefactato & debili, quid ex cæteris ſperandum in bono publico ſit, tuam profecto non latet prudentiam. Ergo quod petimus à te, Nobilitati tuæ vt curæ & cordi ſit, in Domino noſtro Ieſu Chriſto obteſtamur, id eſt, vt cum Nobilitas tua ad ſuam dicendam ſententiam, ſuumque dandum ſuffragium acceſſerit, ponat ſibi ante oculos & ſalutem & dignitatem Chriſtianæ fidei. Salutem, vt quoniam graue ab impiis hoſtibus diſcrimen & prope ſuprema imminet pernicies, in eam partem ſtudium ſuum conuertat, vt par tantis rebus ac negotiis & nomine, & genere, & animo, & potentia eligatur Imperator. Dignitatem, vt cum poſt hanc ſanctam ſedem, quæ ex Deo eſt, ſummum ſit in ſeculo Imperii culmen, qui tuo & Collegarum tuorum iudicio in id aſcenſurus eſt, ea habeat ornamenta, quæ in tanto principe requiruntur potiſſima. Sit grauis auctoritate, prudens conſilio, maximarum rerum peritus, animo excellens ſit, qui diuinam erga ſe liberalitatem agnoſcat, fidei ſanctæ faueat, ſanctam ſedem Apoſtolicam, vt filius matrem, vereatur: qui pacem inter Chriſtianos populos teneat, bella & minas & terrores transferat contra impios: ſub quo ſperare & confidere poſſit Chriſtiana reſpublica, ſe in maiorum ſuorum decus & poſſeſſionem veteris Imperii eſſe perueneturam. Hæc nos, dilecte fili, à Nobilitate tua poſtulamus, tuo quidem honori & officio debita, præclaroq; generi, & tuæ maiorumq; tuorum virtuti conuenientia: ſed vt præterea Nobilitas tua aliquid nobis bene conſulentibus, atque hoc in magni beneficii loco pro communi ſalute

abs te

abs te expectantibus, * tribuere debeat. Quod ſi effeceris, quod te non dubitamus facturum, cum Deo ac nobis rem gratiſſimam, tum vero publicæ ſaluti, in qua & tua continetur, admodum vtilem feceris: ſicut de omnibus latius Tecum dilecti filij noſtri, Thomas tituli Sixti Presbyter Cardinalis, noſter & Apoſtolicæ ſedis de latere Legatus, & Marinus Carraciolus Notarius & Nuncius referent, quibus Nobilitas tua fidem amplam adhibebit. Datum Pali Portuenſis diœceſeos, ſub annulo piſcatoris, die x. Februarij, M D X I X. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Dilecto filio, nobili viro, Ludouico Comiti
Palatino, Sacri Romani Imperii
Principi Electori.

Iac. Sadoletus.

Hæ literæ proximo menſe poſtea totidem verbis repetitæ fuerunt & iteratæ, hac tantum ſub finem addita clauſula.

* tribuere debeat. Quod ſi forte aliqua ratione vel cauſa, qualem nos cupimus, & reſpublica poſtulat, Imperatorem omnino habere non licitum fuerit; at illud ſaltem pro tua in communem pacem vtilitatemque Chriſtianæ fidei egregia voluntate, cogitandum atque agendum tibi eſt, vt is eligatur, in quo nulla ſit vel cauſa, vel voluntas, aut vniuerſalis Chriſtianæ Reipublicæ quietis, aut ſanctæ huius ſedis Apoſtolicæ perturbandæ. In quo Nobilitatem tuam non dubitamus ſuum ſingulare ingenium adhibituram. Quod Deo nobiſque gratiſſimum, tuæ Nobilitati inprimis honorificum, ac publicæ vtilitati, in qua & tua & omnium ſalus continetur, perquam erit oportunum. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die I I. Martii, M D X I X. Pontificatus noſtri anno ſexto. II.

Iac. Sadoletus.

LEO PAPA X.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Perfertur ad nos, Nobilitatem tuam optimo animo & præſtanti in Rempublicam Chriſtianam ſtudio bene promptam eſſe in hac proxima creatione futuri Imperatoris id conſilij capere, quod eam nos totiens iam hortati ſumus, cum iudicaremus, ſanctæ Chriſtianæ fidei & huic ſedi Apoſtolicæ maxime expedire hoc tempore, vt is in tantum gradum vocaretur, qui pacem firmare inter Chriſtianos, bellum transferre in impios hoſtes Dei noſtri, & virtute & prudentia, & opum ſuarum potentia imprimis poſſet: quique eſſet in maximis rebus cum laude verſatus, ætate integer, animo excellens, in gratificando largus, in bonos liberalis. Sic enim ſalus communis poſtulat, quo immanium Turcarum furori & crudelitati obſiſtatur, vt ſimilis princeps & par illis potentia, ſuperior virtute eligatur Imperator. Nos vero hoc de Nobilitate tua audientes, quanquam eſſemus certi te pro religione & ſapientia tua non ſolum præclara omnia cogitaſſe, ſed etiam quæ præclare à te eſſent cogitata, ea ad effectum perducturum eſſe: tamen has ad te ſcribere voluimus, quæ & gratiam tibi afferrent de præterito, & hortarentur in futurum, vt priſtinas admonitiones, ſuaſioneſque noſtras, quibus te ad reſpectum vniuerſæ rei Chriſtianæ & huius S. Sedis, pro honore, & gradu, & præſtanti virtute tua vocauimus; & quibus te multum tribuiſſe cognouimus, haberes ſemper ante oculos, agereſque id, quod agis, vt ex tua ſententia, tuoque ſuffragio in creatione noui Cæſaris, & nos & fides Chriſtiana, & ſancta ſedes Apoſtolica maxime lætaremur. Diceremus, quantum hoc conueniat generi, nominique tuo, & ei, quæ de tua prudentia ac bonitate eſt, opinioni: niſi & alias dixiſſemus, & Teipſum intelligere conſideremus. Illud quod ad nos pertinet, debemus ſæpe & ſæpius commemorare, ſi tua Nobilitas in hoc munere fungendo eam ſe nobis præbuerit, quam ſperamus, rationemque noſtri voti ac deſiderij, quod cum vtilitate publica coniunctum eſt, te habuiſſe oſtenderit, præter conſcientiam & gloriam clariſſimi facti, nos etiam curaturos, vt te nobis morem geſſiſſe nullo tempore pœniteat. Sicut latius tecum dilectus filius noſter, Thomas tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, Legatus noſter & R. Archiepiſcopus Rhegienſis, & Marinus Caraciolus, nuncii noſtri agent: quibus & eorum cuique fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die X I I I. Maii, M D X I X. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. III.

Dilecto filio, nobili viro, Ludouico Comiti
Palatino, Sacri Romani Imperij
Principi Electori.

Iac. Sadoletus.

VI.

ACTA EX PROTOCOLLO GERMANICO ELECTIONIS INVICTISSIMI DOMINI CAROLI QVINTI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, REGIS HISPANIÆ ET NEAPOLIS, &c. in Romanorum Regem electi.

Anno Chriſti 1519.

ACTVS LEGATIONIS REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS AC DOMINI, DOMINI N. SACRAE ROM. ECCLESIAE Cardinalis titulo S. Sixti, ſuæ ſanctitatis Legati, in conuentu Principum Electorum Veſaliæ apud Rhenum celebrato, Anno M. DXIX

LEGATVS aſſiſtente ſibi Archiepiſcopo Reginenſi, &c. nomine ſanctiſſimi Domini noſtri, poſt imprecatam principibus Electoribus ſalutem, & oblatam Apoſtolicam benedictionem propoſuit tria, vt ſequitur.

Primo principes hortando & animando, vt in ſtatu iam fluctuantis Reipubl. Chriſtianæ de optimo Principe Rege Romanorum in Imperatorem eligendo cogitare vellent. Qui authoritate, potentia, rerum gerendarum peritia calleret, & in omnibus optimum Ducem, optimum Senatorem præ ſe ferat.

Secundo, vt Regem Neapolitanum, cuius regni proprietas ad Eccleſiam Romanor. ſpectat, nullo pacto in Romanorum regem eligant, obſtante ſibi defectu inhabilitatis & ineligibilitatis ex conſtitutione Clementis IV. id quod plurimis fortiſſimis argumentis, & efficaciſſimis rationibus, clariſſimis exemplis comprobant, quæ omnia repetere longum eſſet.

Tertio, quia ſpecialiter, imo iudicialiter ſententia ſanctiſſimi Domini noſtri principibus eſt enodata, petit legatus, vt ſpecialiter, clare, expreſſe & indiuidualiter reſponſum certum, clarum, non inuolucrum, aut ambiguum per affirmationem vel denegationem, & per Principes etiam non collegialiter congregantes detur, vt ſanctiſſimum Dominum noſtrum certiorare de eorum voluntate poſſit.

Ad quæ omnia vno colirio reſpondendum venit.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi Principes hic congregati ob cauſas vrgentiſſimas, & hoſtiles motus reprimendos, qui in territoriis & dominiis poſt iam vacans Imperium emerſerunt, & vt peiora emergant indies verentes huc Weſaliam conuenerunt: de futuro autem Roman. Rege eligendo in nullo ſoliciti. Quare ad petita reuerendiſſimę dominationis ſuę reſponſum dare non poſſunt, ſed ſibi reuerendiſſima dominatio ſua & omnium proximus ſanctiſſimi Domini noſtri Leo pontifex Maximus perſuadeant indubitatiſſime. Quod vbi ad Romanorum regis electionem per reuerendiſſimas & illuſtriſſimas dominationes noſtras, proceſſum fuerit, eas eum in regem electuras, qui ſit gloriæ & honori ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, vtilitate & emolumento Reipublicæ Chriſtianæ, incremento ſacro Romanorum Imperio, hoſtibus Chriſtiani nominis formidini, & omni poſteritati futurus admirabilis.

Mirantur non minus principes Electores, ſanctiſſimi Domini noſtri inſtitutum, id quod æuo noſtro electionum temporibus ab aliquo Romanorum Pontificum auditum eſt nunquam, maxime hoc modo propoſitum, vt Electoribus legem præſcribat, iubeat, veret, ſperat beatitudinem ſuam, alias clementiſſimam futuram illam Romanorum regis electionem boni æquique conſulturam.

Audito reſponſo poſt aliqualem cum Archiepiſcopo deliberationem Cardinalis Legatus replicauit.

Inopinatum reſponſum ſe recipere & proculdubio ſanctiſſimo Domino noſtro moleſtiſſimum, tamen principum vota immutare non poſſit, cum dicant, ſe non poſſe ad petita dare reſponſum, relaturus. Sanctiſſimi Domini Leonis in hoc inſtitutum, qui vere ipſis legem præſcribere non intendit, neque legem eſt præſcribere velle ius ſuum ac Eccleſiæ Romanorum conſeruare. Quare hoc potiſſimum tempore, vbi iam de iure Romanæ Eccleſiæ conſeruando agitur, quod nullo alio tempore noſtro æuo factum eſſe dinoſcitur, Romanorum pontificis fuit, principes commonefacere, vt illæſum ius Romanorum Eccleſiæ conſeruarer, adiungendo vrgentes cauſas Romanum pontificem ſolicitaſſe, vt principes Romanorum contingerent, cum glorioſiſſimi nominis quondam Cæſar Maximilianus pro Rege Neapolitano, quinque Electorum vota poſſe viuens adhuc habere iactitauerit.

Princi

Principes Electores perſtiterunt in Reſponſo dato rogando vt Legatus ex cauſis vrgentiſſimis prænarratis ſimiliter iſtud boni conſulere velit, & apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum ipſos habere excuſatos atq; commendatos.

ACTVS PROCVRATORIVS REGNI BOHEMIÆ ad electionem faciendam.

Ex commiſſione propria Regiæ Maieſtatis mandatum procuratorium Regis Bohemiæ ad Electionem.

NOs Ludouicus Dei gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serniæ, Galliciæ Lodomiræ, Cumaniæ, Bulgariæ, Marchio Morauiæ Dux Lutzenburg, & Sleſiæ ac Marchio Luſatiæ notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod cum electio Romanorum Regis ex rationalibus cauſis imminet facienda.

Nos de honore & ſtatu Imperii ſollicitudine debita intendere cupientes, ne tam grauibus diſpendiis ſubiaceat habito reſpectu de fidelitate animi induſtria & circumſpectione magnificorum Baronum Conſiliariorum & fidelium noſtrorum dilectorum Ladiſlai de Sternberg regni noſtri Bohemiæ ſupremi cancellarii, & Chriſtophori de Schvvaneberg, nec non ſtrenuiorum Equitum auratorum Ratiſlai Berzkommen de Szebienzevv ſupremi pronotarii eiuſdem regni Bohemiæ, & Iacobi de Wirtzeſenith, obtinentes iurique præſumptionem indubie fiduciam ſingularem, ipſos & quemlibet illorum inſolidum, ita quod non ſit melior códitio occupantis, ſed quod per vnum inceptum fuerit per alium finiri valeat, & licite terminari omni iure modo & forma, quibus melius & efficacius poſſumus ſeu valeamus noſtros veros & legitimos procuratores & nuncios ſpeciales facimus & conſtituimus, & tanquam Rex Bohemiæ & Elector, ordinamus ad tractandum vbilibet, vna cum aliis principibus Coelectoribus noſtris tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus cum ipſis concordandum, conueniendum & concludendum de perſona quacunque habili & idonea in Regem Romanorum eligenda, & in ipſis tractatibus ſuper electione talis perſonæ habenda pro nobis & nomine noſtro intereſſendum tractandum & deliberandum nec non vice & nomine noſtro eandem perſonam nominandam & in ipſam conſentiendum, ac etiam in Regem Romanorum præmouendum ad ſacrum Imperium eligendum, ac in animam noſtram præſtandum, quodcunque iuramentum licitum & neceſſarium debitum & conſuetum fuerit circa præmiſſa, & quilibet præmiſſorum alium vel alios procuratores in ſolidum ſubſtituendam & reuocandam, & omnia & ſingula faciendum. Quæ in præmiſſis & circa præmiſſa etiam vſque, ad conſummationem, tractatuum nominationis, deliberationis, & electionis huiuſmodi de præſenti faciendi neceſſaria aut vtilia fuerint ſeu etiam quomodolibet oportuna etſi præmiſſa vel eorum quodlibet mandatum exigant ſpeciale, &c. & ſi maiora vel magis ſingularia fuerint ſupra dictis, quæ noſmetipſi facere poſſemus, ſi huiuſmodi tractatuum, deliberationis, nominationis, & Electionis futuræ præſentibus negotiis præſentes & perſonaliter adeſſemus gratum & ratum habentes, & habere volentes, & nos perpetuo habituros: firmiter promittentes, quicquid per ante dictos procuratores ſeu nuncios noſtros, nec non ſubſtitutos, vel ſubſtituendos, ab ipſis ſeu eorum altero in præmiſſis ſeu præmiſſorum quomodolibet actum, geſtum ſeu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum. In cuius rei ac ſingulorum teſtimonium has præſentes appenſione maioris ſigilli, quo vt Rex Bohemiæ vtimur, fecimus communiri. Datum in ciuitate noſtra Buda, decima menſis Maii, anno Domini M.DXIX. Regnorum noſtrórum Hungariæ & Bohemiæ anno quarto.

Ex commiſſione propria Regiæ Maieſt.

Mandatum Procuratorium ſtatuum Regni Bohemiæ.

NOs Barones, proceres, milites & Clientes ciuitatisque regni Bohemiæ notum facimus tenore præſentium vniuerſis. Quum electio Romanorum Regis ex rationalibus cauſis imminet facienda, nos de honore & ſtatu Imperii impendere cupientes, ne tam grauibus diſpendiis periculoſe ſubiaceat habito reſpectu de animi induſtria & circumſpectione magnificorum dominorum, Domini Ladiſlai de Sternberg in Begma ſupremi cancellarii regni Bohemiæ & Domini Chriſtophori de Schvvanenberg nec non nobilium & ſtrenuorum equitum auratorum, Domini Ratiſlai Bertzkomen de Szebirtzan ſupremi protonotarii eiuſdem regni Bohemiæ, & Domini Iacobi de Vurtzeſenitz amicorum noſtrorum dilectorum, dignum duximus in eo negocio tam excellenti eoſdem prænominatos fautores & amicos noſtros tradita illis plenaria poteſtate noſtra, Quicquid nobis ac Coronæ & Regno Bohemiæ in hoc caſu iuſto iure cópetit, faciendum ac tractandú deſuper electione Regis Romanorú ad terminum aſſignatú Franckfordiæ, eoſq; noſtros vero & legitimos procuratores & nunctios ſpeciales facimus & cóſtituimus atq; ordinamus ad tractandú vbilibet vna cum aliis principib. & Electorib. ſacri Romani Imperii tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, cú iſtis concordandum, conueniendú & concludendú de perſona quacunq; habili & idonea in Regé Romanorú eligenda, & ipſis tractatib. ſuper electione talis perſonæ habédis, & nomine Regni Regni

 Bohemiæ

Bohemiæ intereſſendum, tractandum & deliberandum nec non iure & nomine dicti Regni Bohemiæ eandem perſonam nominandam, & in ipſam conſentiendum, ac etiam in Regem Romanorum promouendum ad ſacrum Imperium eligendum, ac cætera neceſſaria debita & conſueta fieri circa promiſſa, & omnia & ſingula faciendum, quæ in præmiſſis & circa præmiſſa etiam vſq; ad conſummationem tractatuum, nominationis, deliberationis & electionis huiuſmodi de præſenti faciendi, neceſſaria aut vtilia fuerint, ſeu etiam quomodolibet oportuna. Et ſi præmiſſa vel eorum quodlibet mandatum exigant ſpeciale, etiam etſi maiora vel magis ſingularia fuerint ſupradicta, & quæ nosmetipſi facere poſſemus, ſi huiuſmodi tractatuum, deliberationis, nominationis & electionis futuræ præſentibus negociis præſentes & perſonaliter adeſſemus gratum & ratum habentes, & habere volentes & nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per ante dictorum prænominatos ſeu nunctios noſtros in præmiſſis ſeu præmiſſorum quomodolibet actum, geſtum ſeu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum. In cuius rei ac ſingulorum teſtimonium has præſentes impreſſione maioris ſigilli Regni Bohemiæ fecimus communiri. Datum in arce Pragenſi, feria quarta ante Marcelli Papæ, anno Domini M.DXIX.

Actus Procuratorius Regis Poloniæ, tanquam Tutoris & Adminiſtratoris Regis Bohemiæ pupilli & ex fratre ſuo defuncto nepotis.

SIgiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c, Dominus & Heres Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Principibus, ſacri Romani Imperii ſtatus vtriuſq; Electoribus, amicis noſtris chariſſimis ac honorandis, ſalutem & felicitatem. Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principes, & Domini amici chariſſimi ac honorandi, conuenientibus ſimul Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Dominationibus veſtris ad nouum Imperatorem (quod Dominus Deus fauſtum & fortunatum faciat.) eligendum, miſimus ad illas, præſentes oratores & conſiliarios noſtros, Reuerendum Dominum Matthiam Epiſcopum Waldislauienſem, & Magnificum Raphaelem de Leſchno Caſtellanum Laudenſem & Capitaneum Slohouienſem, vt quod noſtra ad eandem electionem loco ſereniſſimi Domini nepotis noſtri intereſſe videretur, ipſi nomine noſtro cum earum conſenſu & voluntate obirent, agerentq; ea omnia, quæ ad bonum ſtatum totius rei Chriſtianæ, cui grauiſſima pericula incumbere videmus, pertinerent. Itaq; rogamus Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimas dominationes veſtras, vt eiſdem oratoribus noſtris plenam fidem adhibere, & in curam communis ſalutis Chriſtianæ feliciter incumbere, dignentur. Valeant feliciſſime, & nos diligant habeantque commendatos. Datum Cracouiæ die XXI. Menſis Maii, anno Domini M.DXIX. Regni noſtri XIII.

Sigiſmundus Rex Maieſt.

Reuerendiſſimis ac Illuſtriſſimis Principibus ſacri Romani Imperii ſtatus vtriuſq; Electoribus, amicis noſtris chariſſimis & honorandis.

NOs Sigiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæq;, &c. Dominus & Heres, nomine tutorio ſereniſſimi Principis & Domini, Ludouici eadem gratia Hungariæ & Bohemiæ, &c. Regis, Marchionis Marouiæ, & ſacri Romani Imperii Principis Electoris, nepotis noſtri chariſſimi: notum facimus tenore præſentium vniuerſis. Quod cum electio Romanorum Regis ex rationalibus cauſis imminet facienda, nos de honore ſacri Imperii ſolicitudine debita intendere cupientes, ne tam grauibus diſpendiis periculoſe ſubiaceat, de fide, & circumſpectione, induſtria, Reuerendi in Chriſto Patris Domini Matthiæ Epiſcopi Wadislauienſis, & Magnifici Raphaelis de Leſchno Caſtellani Laudenſis & Capitanei Schlochouienſis, Conſiliariorum noſtrorum ſincere nobis dilectorum, obtinentes, vtiq; præſumptionis indubiæ ſingularem fiduciam, ipſos & quemlibet ipſorum in ſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod per vnum eorum inceptum fuerit, per alium finiri debeat & licite terminari iure, modo & forma, quibus melius & efficacius poſſumus ſeu valemus, noſtros veros & legitimos procuratores & nunctios ſpeciales facimus, conſtituimus & ordinamus, ad tractandum vbilibet vna cum aliis Principibus Electoribus tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus, & cum ipſis concordandum, conueniendum & concludendum de perſona quacunq; habili & idonea in Regem Romanorum eligenda, ac de ipſis tractatibus ſuper electione talis perſonæ habendis pro nobis, loco & nomine noſtro intereſſendum, perſonam nominandum & in ipſam conſentiendum, ac etiam in Romanorum Regem promouendum, ad ſacrum Imperium eligendum: & in animam noſtram præſtandum quodcunq; iuramentum neceſſarium, debitum ſeu conſuetum fieri: circa præmiſſa & quodlibet præmiſſorum alium vel alios Procuratores in ſolidum ſubſtituendum & reuocandum, omnia alia & ſingula faciendum, quæ in præmiſſis & circa præmiſſa etiam vſq; ad conſummationem tractatuum, nominationis, deliberationis & electionis huiuſmodi de præſenti faciendi, neceſſaria aut vtilia fuerint, ſeu etiam quomodolibet oportuna, etiamſi præmiſſa vel eorum quodlibet mandatum exigatur ſpeciale, etiamſi maiora vel magis ſingularia fuerint ſupradictis, & quæ nosmetipſi facere poſſemus, ſi huiuſmodi tractatuum, deliberationis & electionis futuræ negotiis præſentes perſonaliter adeſſemus: gratum & ratum habentes & habere volentes, & nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos Procuratores & nunctios noſtros, nec non ſubſtitutos vel ſubſtituendos ab

ctos ab ipſis ſeu eorum altero in præmiſſis ſeu ipſorum quolibet etiam geſtum ſeu factũ fuerit, quomodolibet ordinatum. In cuius rei teſtimonium, firmiſſimumque robur præſentes literas noſtras manu noſtra propria ſubſcripſimus, ſigilloque noſtro obſignari iuſſimus. Datæ Cracouiæ die XX. menſis Maii, anno Domini M D. XIX. Regni noſtri XIII.

Sigiſmundus Rex Mt.

SIgiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque, &c. Dominus & Heres, tenore præſentium profitemur, & notum facimus vniuerſis. Cum ex rationabilibus cauſis electionem Romanorum Regis nunc fieri contingat, votumque in huiuſmodi electionem præſtandum ad nos iuxta diſpoſitionem Aureæ Bullæ Caroli Quarti Romanorum Regis, tanquam fratrem patris sereniſſimi nepotis noſtri Hungariæ & Bohemiæ Regis in ætate imperfecta conſtituti, & nondum decimum octauum annum ætatis adepti, de præſenti pleno iure ſpectare dignoſcitur. Nos quoque honori ſacri Romani Imperii conſuli & proſpici cupiamus; ne grauiori aut maiori periculo ſubiaceat: idcirco confiſi de ingenio, fide, prudentia ac dexteritate Reuerendi in Chriſto Patris Domini Matthiæ Epiſcopi Wladislauienſis & Magnifici Raphaelis de Leſchno Caſtellani Laudenſis & Capitanei Schlochouienſis, conſiliariorum & Oratorum noſtrorum, eoſdem omnes & quemlibet eorum in ſolidum tenore præſentium facimus, conſtituimus, deputamus, & ordinamus noſtros veros, certos, legitimos atque indubitatos mandatarios ſeu procuratores ac nunctios ſpeciales, omni meliori modo, via, iure, forma & ordine, quibus melius validius ſiue efficacius de iure poſſumus aut debemus; ita tamen, quod conditio vnius non ſit melior conditione alterius, & quod per vnum illorum incipitur, per alterum poſſit proſequi & perfici, ad tractandum vbique vel quibuſcunque in locis cum Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis ſacri Romani Imperii Principibus Electoribus tam ſpiritualibus quam ſecularibus, & ad concordandum & concludendum cum eiſdem circa perſonam aliquam idoneam in Romanorum Regem eligendam.

Et quod prædicti procuratores noſtri poſſint & valeant, intereſſe tractatibus, actionibus & deliberationibus habendis ſuper electione huiuſmodi perſonæ: nec non ad nominandam prædictam perſonam atque in eam conſentiendum, & ad Romanorum Regem vocandum & eligendum; atque ad iurandum in animam noſtram quodcumq; iuramentum ad ſupradicta neceſſarium, aut in his fieri ſolitum & conſuetum: Cum poteſtate ſubſtituendi vnum vel plures alios procuratores cum ampliſſima poteſtate, & reuocandi eoſdem, & ad agendum omnia & ſingula, quæ in ſupradictis & ad ea erunt neceſſaria, vtilia & opportuna. Similiter ad agendum & intereſſendum vſq; ad perfectam & plenam ſidem, & concluſionem, determinationem, huiuſmodi electionis, etiamſi prædicta aut aliquod ex eis mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum: ac demum ad agendum omnia & ſingula, quæ noſmet, ſi in perſona huic electioni fiendæ adeſſemus, circa omnia prædicta agere, facere & diſponere poſſemus: promittentes tenore præſentium, & in fide ac verbo legalis Principis, nos perpetuo habituros rata grata & firma, quicquid per ſupradictos noſtros Procuratores aut eorum ſubſtitutos, ſiue vnum vel plures ex eis in ſupra dictis, ſicut præmittitur, actum, geſtum, tractatum ſiue concluſum, aut quocunq; modo ordinatum fuerit.

Harum teſtimonio litterarum, manibus noſtris ſubſcriptarum, & ſigillo noſtro maiori appenſo roboratarum. Datæ Crauouiæ XIII. die menſis Iunii anno Domini M. D XIX. Regni noſtri anno tredecimo.

Sigiſmundus Rex Maieſt.

Actus Mandatorius Principum & Prælatorum Hiſpaniæ pro legatis ad conuentum Electoralem miſſis ad petendum Imperium ſuo Regi.

REuerendiſſimis in Chriſto patribus & Illuſtriſſimis Dominis ſacri Romani Imperii principibus Electoribus, &c. Nos inferius nominati & ſubſcripti Cardinalibus Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, ac Duces, Marchiones, Comites & Magnates regnorum Hiſpaniæ, nunc in curia sereniſſimi & Catholici regis Domini noſtri clementiſſimi perſonaliter exiſtentis, noſtris & aliorum abſentium nominibus, quos hæc rata habituros non ambigimus, prout per oratores noſtros propediem deſtinandos audire licebit, ſalutem & debitam commendationem. Etſi non nihil nouum & inſolitum Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Dominationibus veſtris futurum putamus, quod nos qui tanto iſthinc locorum interuallo diſtamus, ad eaſdem literas dandas duximus, cum tamen Deo optimo Maximo; à quo cuncta procedere certum eſt, placuerit, eundem sereniſſimum ac potentiſſimum Principem Dominum Carolum, Dominum noſtrum clementiſſimum regem nobis dare, qui & ſanguine & natione Germanus eſſet, videmus hoc quaſi firmiſſimo vinculo neceſſitudinis & voluntatis. Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis dominationibus veſtris perpetuo adſtrictus; & in animis noſtris ita ſtatuimus, vt quicquid vni nationi gloriæ ſiue detrimenti acceſſerit, id vno eodemq; tempore alteri quoque euenire putemus. Sed cum intelligamus regem Dominum noſtrum, non ambitione, ſeu quouis priuato commodo ductum, verum pro communi bono Reipub: Chriſtianæ, & ſacri Rom. Imperii, & Germanicæ & noſtræ Hiſpanicæ nationis exaltatione & laude perpetua, cupere electionem Regis Romanorum de ſe fieri, de ea re mirifice gauiſi & læti ſumus.

Nam

Nam quid nationi Hiſpaniæ iocundius & glorioſius eſſe debet, quam Regem ſuum fortuna & a ætate florentem, ac magnitudine animi, iuſtitia, æquitate, clementia & liberalitate inſignem, & tot opibus tantiſque Regnis præpotentem, Imperiali quoq; diademate & Romanorum Imperio, quo nil vnquam maius aut excellentius fuit, decoratum, & ad ſummum Regale ſolium euectum conſpicere. Et quamuis non dubitemus, Reuerendiſſimas & Illuſtriſſimas dominationes veſtras pro ſumma ſua prudentia facile animaduerſuras, quam Reipublicæ & ſacro Romano Imperio vtile & decorum futurum ſit, eum Romanorum Regem eligere, qui & natione Germanus ſit, & cuius maiores tam diu hoc Imperium ſumma cum æquitate adminiſtrauerint, & qui Regnis & Dominiis ſuis ab occidente orientem ipſum contingere videatur, volumus tamen eaſdem pro noſtra obſeruantia & amore, quo ſacrum Rom. Imperium & nationem Germanicam complectimur, etiam atq; etiam rogare, & hortari, vt in re electionis Catholici Regis Domini noſtri rationem habere dignentur. Nam ſi Reuerendiſſimæ & Illuſtriſſimæ Dominationes veſtræ Regem noſtrum & ſui ſanguinis florentiſſimum & optimum Principem elegerint, continuo illum nos magnifico & ſplendido procerum noſtrorum comitatu in Germaniam aſſociabimus, & omnes vires atq; opes noſtras pro dignitate ſacri Romani Imperii & Germanicæ nationis impendere non dubitabimus: ſperamusque, aliquando ea tempora futura, vt victrices Aquilas & Hiſpanica ſigna concordibus animis & auſpiciis, fidei noſtræ hoſtibus inferamus, Chriſtianum orbem propagemus, & optima ſpolia reportemus. Quæ quidem Reuerendiſſimis ac Illuſtriſſimis dominationibus veſtris ſignificare voluimus, vt exploratum haberent, ſi hoc honore & Romana Corona Regem noſtrum donauerint, cunctam Hiſpanicam nationem, & nos adeo coniunctos fore, vt nulla vnquam temporis vetuſtate diſſolui aut dirimi poterimus, quibus nos maxime offerimus & commendamus. Datum in ciuitate Barchinona, die quindecimo menſis Martii, anno Domini M.D.XIX.

A. Cardinalis Epiſcopus Dertuſienſis.
Petrus Antonius Princeps Biſiniani.
Henricus de Cardona Archiepiſc. Montis Regis.
I. P. Epiſcopus Petenſis. Epiſcopus Seguntinenſis.
Helenenſis Epiſcopus. Epiſcopus Tudenſis, & plures alii, &c.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PAtribus & Illuſtriſſimis Dominis, Sacri Romani Imperii Principibus Electoribus, amicis noſtris Colendiſſimis.

RESPONSVM PRINCIPVM ELECTORVM.

QVIA dubium eſſe Reuerendiſſimis ac Illuſtriſſimis dominationibus veſtris, qua animorum gratitudine complecti ſoleant Germani eos, qui ſibi bene aut fecerint aut voluerint, nullum ſcimus, ſolemni aut aliqua aut curioſe adhibita noſtræ erga Reuerendiſſimas ac Illuſtriſſimas dominationes veſtras voluntatis teſtificationem ob eam, quam nobis optatis fortunam, quamq; pollicemini opem veſtram, & quod offertis conſilium, opus eſſe minime putamus. At ſi ſe occaſio dederit, vt animorum viciſſim noſtrorum beneuolentiam oſtendere liceat, non obſcure noſtri ſpecimen dabimus. Nam vel idcirco bene de vobis opinamur, ſperamuſq; optime, quod Moderatorem optatis Imperio huic, qui cum animi virtutibus fortunæ ſplendorem coniunctum habeat, qui non ambitioſe dignitatem hanc affectet, ſed quo de ſpes ſit, quod feliciter tenere poſſit: Cui eæ ſint opes, vt vnus hæc ſuſtineat, ea animi magnitudo, vt fortunam hanc ferat; ea prudentia, vt tanti conſilii capax ſit, deinde talis vt non aliunde accerſitus, ſed à nationis huius corpore delectus videatur. Quo poſſet enim argumento dilucidius aliquis oſtendere beneuolentiam erga nos ſuam? Noſtra igitur cura erit, vt quod velle Reuerendiſſimas ac Illuſtriſſimas Dominationes veſtras, videmus, vt in re ſumma, & quæ publicam Chriſtiani orbis dignitatem pariter ac ſalutem concernit, ſuggerente nobis diuina prouidentia, nihil temere, nihil præter morem geramus; rationemq; & noſtræ famæ, & publicæ in nos expectationis habeamus. Nam illud quod optatis, vt Victrices aliquando Germanorum Aquilæ cum adiunctis Hiſpanorum ſignis optimo terrarum orbem ſucceſſu peruagentur, vtq; ita coniunctis ſint duæ hæ nationes conſiliis pariter ac viribus, & quod vtriq; aut acceſſerit aut decreuerit, id vtriuſq; lucro aut damno æſtimetur, ſicut momenti putamus haud parui, ita ſolatii loco & præſidii ponimus ingentis: Reuerendiſſimiſque ac Illuſtriſſimis dominationibus veſtris gratias agimus, quantum licet maximas, quod ſic erga nos adfectæ ſint, ſicq; nobis precentur non ſegniter interim, cum occaſio emerſerit, aut ſi qua fortuna poſtulauerit, factum, ne quem pœniteat, benignitate cum Germanis certaſſe priorem. Reuerendiſſimis vero & Illuſtriſſimis Dominationibus veſtris in præſentia optamus felicitatem omnem. Quæ bene valeant, & diu ſuperſint. Datum.

Sacri Romani Imperii Principes Electores, &c.

Reuerendiſſimis ac Illuſtriſſimis prælatis & Principibus Hiſpaniarum, &c.

ACTVS

ACTVS LEGATORIVS AMBASIATORVM Regis Franciæ ad Conuentum Electorum Francofordiæ congregatorum, pro petendo Imperio, ſuo Regi.

Clariſſimis ac Dilectiſſimis amicis noſtris, Gubernatori, Conſiliariis, Nobilibus, Ciuibus ac Mercatoribus Francofordiæ Sacri Imperii Ciuitatis.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum Rex, Dux Mediolani, & Genuæ Dominus, Chariſſimis & dilectiſſimis amicis noſtris, Gubernatori, Conſiliariis, Nobilibus & Mercatoribus Francofordiæ Sacri Imperii Ciuitatis, ſalutem & proſperitatem. Chariſſimi & dilectiſſimi Amici: Compertiſſimum vobis eſſe arbitramur, quali ſemper amicitia, liga, confœderatione inclyta Franciæ Corona ſacro Imperio conciliata fuerit arctiſſimeque deuincta, quantoque maiores noſtri atque progenitores ſtudio, fauore, beneuolentia Imperiales quondam Ciuitates, earumque ciues atque indigenas obſeruarint fuerintque complexi. Nos quoque priſcorum noſtrorum virtutes non tantum cumulare, verum etiam certatim vincere contendentes, nihil prorſus eorum omittere decreuimus, quæ ad illas honeſtandas condecorandasque & in ſolita beneuolentia retinendas pertinent. Sed præter cæteras nobiliſſima atq; præclariſſima ciuitas Francofordenſis, celeberrimum non modo Germaniæ, ſed vniuerſi pene orbis terrarum emporium, tanto nobis charior gratiorque eſſe debet, quanto auita vetuſtaque origine memoratur nobis eſſe coniunctior; quod vel ſola nominis appellatione, quæ à Francis ſeu Franconibus profecta eſt, ſatis cuique manifeſtum eſſe poteſt, ſiue olim Franci à Germanis, ſeu Germani à Francis originem traxerint, vtriuſque ſiquidem populi vnam quandoque fuiſſe Rempublicam, Germanorum Annales monumentaque perhibent. Cum igitur Chariſſimis conſanguineis noſtris Ianni Dalbret Comiti Drocarum, Domino Aureæ vallis; Gulielmo Gouſſier Franciæ Admiraldo, Auratis Equitibus Ordinis noſtri; & Carolo Guillart Præſidi Senatus Pariſienſis noſtriſque in Germania oratoribus prouinciam expreſſumque mandatum dederimus conferendi ſe in veſtram Ciuitatem Francofort, vt ante Romanorum Regis electionem quædam ex parte noſtra communicent, oreque proprio referant Principibus Electoribus: eo circa ſummopere rogamus impenſeque obteſtamur vos per veterem amicitiam, nouo etiam vobiſcum, imo vero perpetuo atque indiſſolubili fœdere, ſi operæ precium duxeritis, ſtabiliendam atque firmandam, vt eoſdem præfatos Oratores noſtros cum eorum famulitio atque comitatu, vſque ad numerum 300. vel circiter equitum dignemini in Ciuitatem veſtram officioſe hoſpitaliterque admittere, aut ſaltem fauore & contemplatione noſtri in vnum opidorum veſtrorum ciuitati veſtræ proximum, in quo tute & ſecure diuerſari poſſint atque commorari, eoſdemque ibi pro ſumma veſtra in amicos humanitate, beneuole atque indulgenter tractare, ac demum in veſtra fideli protectione atque ſaluo conductu fouere, tueri, conſeruare. Tantopere equidem de veſtra in nos beneuolentia, fauore, amicitia confidimus, vt nobis ſit omnino perſuaſum, vos nequaquam toleraturos conditionem noſtram apud vos abiectiorem deterioremue fore, Regis Catholici & cæterorum Principum conditionibus: quorum ſi Legati atque aſſeclæ vel magno vel paruo hominum numero, ſeu ante tempus electionis, ſeu electione durante perſiſtere à vobis in dicta Ciuitate veſtra commorarique ſinunt, noſtros quoque ſinatur. Quod vbi effeceritis, rem vtique nobis facietis & iucundiſſimam & gratiſſimam, quæ nunquam apud nos paruo cenſebitur eſſe beneficio. Chariſſimi atque dilectiſſimi Amici, Deum Opt. Max. precamur, vt vos quam diutiſſime ſoſpites conſeruet, proſpereque ciuitatem atque optimæ Reip. veſtræ incrementa feliciter adaugeat. Ex arce noſtra S, Germani in Layt, 27. Maii.

FRANCOYS.

Toblet Maieſt.

INVICTISSIMO CHRISTIANISSIMOQVE Domino, Domino Franciſco Francorum Regi, Duci Mediolani, Genuæque Domino, Domino noſtro gratioſiſſimo.

INuictiſſime Chriſtianiſſimeque Domine Rex, Maieſtati veſtræ ſalutem felicitatemque precamur. Maieſtatis veſtræ humaniſſimæ literæ quinta die menſis Iunii redditæ ſunt, quib. poſt commemorationem quanta ſemper amicitia & confœderatione inclytum Franciæ Regnum ſac. Rom. Imperio arctiſſime copulatum deuinctumque, quanto ſtudio, fauore & beneuolentia Imperiales Ciuitates cum earum ciuibus & incolis à Maieſt. V. complexæ proſecutæq; fuerint, petitum eſt, Oratores Maieſt. V. mandata ante Romanorum Regis electionem Principibus Electoribus eorum coram expoſituros, in ciuitatem noſtram aut ſaltem vnum opidulorum noſtrorum vbi tuto diuerſari poſſent, cum 300. vel circiter equitibus recipiamus. Chriſtianiſſime Domine Rex, Maieſtatem veſtram obteſtamur, hanc noſtram excuſationem pro ingenita Maieſtatis veſtræ manſuetudine & clementia benigniter acceptare dignetur. Aureæ Bullæ, quam Maieſtati veſtræ non incognitam

gnitam ducimus, perpetuo duratura ſanctione cautum eſt, ne quoſpiam cuiuſcunque dignitatis, conditionis ſtatuſq; fuerit, præter Principes Electores, cum certo & præfinito equitum numero, tempore, quo Rex Romanorum eligendus ſit, in ciuitatem noſtram admittamus, & hoc ſub formidabilib. & grauiſſimis pœnis, quæ ipſo facto, ſi memoratæ ſanctioni contrauenerimus, incurrentur. Hinc Maieſtas veſtra Regia facile intelligit, quod legis neceſſitate, Maieſtati veſtræ, cui alioqui (Imperii dignitate ſemper ſalua) ad obſequium parati eſſemus, impræſentiarum pro Maieſtatis veſtræ oratoribus recipiendis, morem gerere minime poſſimus. Præterea opidula pagique noſtri non ſunt ea munitione, vbi Maieſtatis ſuæ oratores commode tutoque commorari poſſint, maxime iſtis temporibus. Quapropter Regiam Maieſtatem veſtram iterum atq; iterum rogamus atq; obſecramus, hanc noſtram excuſationem ineuitabili neceſſitati potius quam inciuilitati aſcribere, atque nos commendatos accipere dignetur. Ex Franckfort, 4. die Menſis Iunii, Anno à natali Chriſti, 1519.

Conſules Senatuſq; Francofordenſis.

Super hac litera Senatus Francofordenſis, Ambaſiatores ſcripſerunt ad Principes Electores in hunc modum, qui ſequitur.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi ac Magnificentiſſimi Domini Principes Domini noſtri colendiſſimi, deditiſſimis paratiſſimiſq; obſequiis præmiſſis, Illuſtriſſimis Dominationibus veſtris humiliter exponimus, & harum tenore ſignificamus. Etſi præteritis diebus, cũ intelligeremus, Illuſtriſſimas excellentias veſtras Franckfordiæ pro electione noui Romanorũ Regis conuenire, ſcripſimus honorabilibus proconſuli & conſulibus prædicti opidi Franckfordenſis, omni ſtudio rogantes, vt nobis, ſicuti ſereniſſimi, potentiſſimi & Chriſtianiſſimi Domini, Domini Franciſci, Francorum Regis, Mediolani Ducis, & Ianuæ Domini, Ambaſiatoribus, oratoribus & Nunciis velint dare ſufficientem debitum ſaluum conductum, quo Illuſtriſſimis dominationibus veſtris poſſemus referre ea, quæ à Chriſtianiſſimo Rege noſtro in mandatis accepimus, & ſuper eiſdem reſponſum debitum accipere, quod hactenus à præfatis proconſule & conſulibus fuit nobis, & (quantum nobis videtur) ſatis inciuiliter & indebite denegatum: quoniam nunquam meminimus huiuſmodi petitiones oratorum Chriſtianorum Regum & Principum, & maxime Chriſtianiſſimi Regis nomine, fuiſſe ita reiectos. Quare Illuſtriſſimas dominationes veſtras diligentiſſime rogamus & obteſtamur, quatenus dignentur nobis quam primum clementem in referendis noſtris nomine Chriſtianiſſimi Regis præbere audientiam: & vt tute ac ſecure per Ducatus, Principatus, Dominia & terras Illuſtriſſimarum Dominationum veſtrarum ac aliorum Principum, Comitum & Dominorum in perſonis noſtris, ac etiam in familia, rebus & equis noſtris ire poteritnus, & etiam per eaſdem ſecure redire, ſufficientem ſaluum conductum per patentes litteras Excellentiarum veſtrarum nobis impartiri & præbere, atque ſæpe dictis proconſuli & conſulibus Franckfordianis iniungere, vt illi etiam ſaluum conductum eorum nobis præbeant, illiſq; & omnibus aliis ſerioſius committere, vt nos & noſtros ad hoſpitia acceptent, & aſſignent, Et pro parata ſolutione noſtra omnia neceſſaria nobis amice & fauoroſe adminiſtrare velint. In hoc facient Illuſtriſſimæ dominationes veſtræ rem Regiæ Celſitudini admodum gratam, omni amicabili ſtudio compenſandam; quod & nos omni officio atque diligentia demereri curabimus. Datæ ex Confluentia, decima octaua die Menſis Iunii, M.DXIX.

Chriſtianiſſimi & potentiſſimi Regis Francorum Ambaſitores & oratores.

D. Albret

Boniuet.

C. Guillart.

Reuerendiſſimis Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis Dominis, Dominis Principibus Electorib. ſacri Romani Imperii nunc Franckfordiæ congregatis, Dominis noſtris colendiſſimis.

RESPONSVM PRINCIPVM ELECTORVM.

Magnifici Domini Oratores, ſalutem & complacendi affectum. Ex litteris veſtris, quas iſthinc ad nos XVIII. præſentis dediſtis, cognouimus Magnificentias veſtras, haud æquo animo accepiſſe, eiſdem tanquam Chriſtianiſſimi Regis ſui oratoribus & Ambaſiatoribus, expetitum ab huius orbis proconſule & Magiſtratu ſaluum conductum nunc vtque fuiſſe denegatum: rogantes ex animo, cum ſint vobis ex mandatis eiuſdem Regis Veſtri nonnulla nobis communicanda, vt & nos tum per ditiones noſtras peculiares, tum per aliorum Dominia & loca, pro vobis veſtriſque familiaribus atque rebus tam adeundo quam redeundo eiuſmodi liberum & expeditum à quouis onere ſaluum præſtemus conductum; idemque à præfatis proconſule atque Magiſtratu fieri demandemus. Nobis quidem, Magnifici oratores, certo perſuaſum eſt, vobis hanc, vt dicitis, repulſam eſſe admodum moleſtam, vt qui Regis mandatis magnopere parere cupiatis. At ſi eaſdem Magnificentiæ

ſcentiæ veſtræ ad huius temporis arctam nimis legem reſpexerint, quam ſacro ſancto maiorum noſtrorum inſtituto non ſolum Magiſtratus prædictus, ſed & nos ipſi, penes quos eſt poteſtas Romanorum Regem deligendi, in nos tranſmiſſam, iureiurando ad aram præſtito conſtringimur vltro citroque conſeruare, profecto (vt veſtro vtamur verbo) hanc repulſam æquiori poſthac feretis animo. Hortamur igitur Excellentias veſtras, vt id faciant, bonique conſulant, quod neceſſitate accidit. Ita eis omnem abdicauit dictus Magiſtratus ſub hoc tempus poteſtatem dandi copiam cuiuis externo, hanc ingrediendi vrbem, donec electorio perfuncti munere ſimus, palam eſt eos non eſſe nobis integrum impulſare poſſe in diuerſis noſtris nobis obſtantibus ſacramentis. Nec minus apud ſe Excellentiæ veſtræ pro ſua ſingulari prudentia expendere poſſunt, etiamſi nos in abnegatum hoc vobis officium inclinaremus, illud longe plus eis periculi afferre, quam pro explendo vtcunque voto ſuo accidere poſſe: cũ paſſim receptum ſit, nos hoc tempore nõ habere vllam facultatem etiam noſtros proprios ſubditos aſtringendi ad eiuſmodi ſaluum conductum. Placuit ergo nobis potius nunc erga vos optimorum monitorum agere partes, quam quicquam perperam ſtatuere, illiberaliq; officio vos veſtroſq; dedere exponereq; periculis. Meminimus, quantum ſereniſſimo Regi veſtro tribuendum eſt, rurſus ad hunc temporis ſtatum reſpicientes, quo nobis Electorum munus peragendum incumbit, admonemus nihil licere nobis iure innouandũ, quod à legibus, conceptis verbis iuratis Deo immortali, alienum cognoſcitur. Cętera quæq; in noſtra manu ſita officioſe atq; amice à nobis Magnificentiæ veſtræ expectare debent: quas bene valere cupimus. Ex Franckfordia xxv. Iun. MDXIX.

Sacri Romani Imperij vtriuſque ſtatus
Principes Electores, &c.

Magnificis Dominis Oratoribus & Legatis
Chriſtianiſſimi Regis Francorum, &c.

RESCRIPTVM AMBASIATORVM, ORATORVM ET LEGAtorum Regis Franciæ ad Principes Electores ex Confluentia miſſum.

Reuerendiſſimi Illuſtriſſimique Domini, ac potentiſſimi Principes, ſacri Romani Imperij oculatiſſimi ac ſapientiſſimi electores, poſt ſummiſſam humilemque commendationem ac Salutem, Ioannes Dalbret Drocorum Comes, Dominus Aureæ vallis, Guilhelmus Gouffier, Dominus de Boneper, Aurati Equites, Chriſtianiſſimi Francorum Regis ordinis, & Carolus Guillart, Præſes Senatus Pariſienſis, ipſius Chriſtianiſſimi Regis Oratores, ab eodem prouinciam expreſſumque mandatum ſuperioribus diebus acceperunt, commonefaciendarum cum omni reuerentia ac debita veneratione Reuerendiſſimarum ac Illuſtriſſimarum Dominationum veſtrarum, earundemque ſuppliciter obſecrandarum atque obteſtandarum, ſuper quibuſdam rebus, quæ ad communem Chriſtianæ Reip. vtilitatem, honorem, gloriam, ac libertatem ſacri Rom. Imperii videntur imprimis pertinere. Cum itaque exploratum habeant ſibi facultatem ſuppetere non poſſe conueniendi Reuerendiſſimas excellentiſſimaſque dominationes veſtras, & cum iiſdem in publico ac celebri omnium veſtrum conſeſſu (quemadmodum & ſperauerunt, & vehementer optarunt) publica oratione congrediendi. Idcirco rogant, ſupplicant, obteſtantur, vt tam ob reuerentiam atque honorem ipſius Chriſtianiſſimi Regis, quam ſuſcepti muneris, ac demandatæ ſibi prouinciæ executionem ſinere velitis, imo ſi opus fuerit iubere in auſpicatiſſimo atque feliciſſimo veſtro conuentu ita perlegi haſce admonitiunculas breui oratione contentas, vt omnibus audire liceat, ac liquido intelligere, quæcunque in ipſis comprehenduntur. Eas nimirum præfati oratores ad Reuerendiſſimas excellentiſſimaſque Dominationes veſtras mittendas eſſe operæ pretium duxerunt, & cum omni humilitate, impenſaque vobis debita reuerentia, legendas offerre. Quas ſi liberali atque ingenuo vultu, pro inſita vobis incredibili, ac prope diuina bonitate atque * facultate admittatis, rem plane feceritis, & omnium ſententia iudicioque probandam, & tam grauium tamque excellentium Principum gloriæ & decori inprimis conſentaneam. Reuerendiſſimi excellentiſſimique Principes ac Domini, Deus optimus maximus vobis, ac ſecundis rebus veſtris benigniſſime feliciſſimeque fauere dignetur, eaſdemque ſemper tueri. Ex Confluentia quinta Iunij.

* al. felicitate.

Reuerendiſſimarum excellentiſſimarumq; ac potentiſſimarum Dominationum veſtrarum obſequentiſſimi atque humiles obſeruatores, Chriſtianiſſimi Francorum Regis Oratores ac Legati.

Reuerendiſſimis Ampliſſimiſque Dominis,
Excellentiſſimis Illuſtriſſimiſque ac potentiſſimis Principibus, S. Romani Imperij Electoribus, &c.

ORATIO.

QVanto maiores noſtri conſilio, quanta in rebus gerendis prouidentia excelluerint, quantam ſubſequentium longo tractu ſeculorum, naſcituræq; poſteritatis rationem habuerint, vel hoc vno liquidiſſime vobis compertum eſſe reor, Reuerendiſs. Illuſtriſſimique Domini, Excellentiſſimi ac potentiſſimi Principes, quod ſublata omni diſcordiarum ſeditionumq; occaſione, pacatum ac tranquillum, pro viribus ſuis, Chriſtianæ Reip. ſtatum relinquere curauerunt. Nunquam ſane auſpicatius, nunquam fortunatius, nunquam melius feliciusue conſultum, proſpectumq; fuiſſe Auguſtiſſimæ Imperatoriæ Maieſtatis Culmini animaduertimus, quam vbi deligendi creandiq; Romani Regis, ac ſubinde Imperatoris, poteſtas atque auctoritas omnium Principum Chriſtianorum conſenſu, vobis ſeptemuiris Principibus credita eſt. Nunquam enim cædes immenſæ, nunquam atrociſſimæ ſtrages orbi vniuerſo defuerunt, quamdiu inter procellas militares, turbineſq; bellicos, exercitui licuit Imperatorem deſignare, qui ſæpenumero, quem nuper, vt ſibi iucundiſſimum atq; gratiſſimum, concordi ſuffragio delegerat, mox facto impetu irruens, maximo fauore, in acerbiſſima odia, leuiſſimis plerumque ex cauſis repente commutato, trucidare non verebatur. Sic Sergius Galba, ſic Otto, ſic Aulus Vitellius, ſic Alexander, ſic pleriq; alii Rom. Principes atq; Imperatores, partim à ſuis, partim ab aduerſariorum militibus truculentiſſime cæſi, non ſine magno totius Imperij dedecore atq; iactura occubuerunt. Cum itaq; non ſit conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia, ſapientiſſime cautum fuit ſuperioribus ſeculis, vt Septemuiratu creato, res ad paucos integritate, ſapientia, omni deniq; virtute inſignes deuolueretur, qui meritis ac virtutibus, iuſtiſſimo ac rectiſſimo prudentiæ ſuæ examine, accuratiſſime circumſpectiſſimeq; appenſis, & pace, & bello, idoneum ex omnibus Principem deſignarent. Vos, inquam, ſeptem Principes, qui veluti ſeptentriones in cœlo, reliquas ſplendore atq; ordine ſtellas antecedunt, ita vos in terris auctoritate, potentia, viribus, conſilio, generoſitate, ſapientia, non modo Germaniæ, ſed aliarum quoque gentium proceribus ac principibus præluceris. Nec in hoc munere deſignandi Imperatoris vobis propediem obeundo, ex animorum veſtrorum candore ac generoſitate, vos quicquam admiſſuros plane intueor, quo maxima de vobis apud omnes populos, ac cæteros orbis terrarum Principes, integritas æſtimatioq; minuatur. Grandem ſane prouinciam, ac prope viribus imparem mihi ſuſcepiſſe videor, qui in tantum conſeſſum magnis de rebus verba facturus prodii. Cæterum quia veritatis oratio ſoluta eſſe debet ac libera, perpauca de huiuſmodi rebus eloquar, quæ nec à veritate abhorrere, nec forſitan iniucunda vobis fore perſpexero.

Septem Electoribus credita eſt electio.

De vulgo, in quo non eſt ratio.

Non ſolum Reuerendiſſimi Domini, Illuſtriſſimi Excellentiſſimiq; Principes, Chriſtianitas, quæ Europæ ſinu ambituq; clauditur, ſed Aphrica & Aſia tota, vniuerſuſq; terrarum orbis, ac penitiſſimæ illius nationes, gentes, populi in vos conuerſi, tanquam in ſublimi quadam arce atque ſpecula conſtitutos, intentis oculis, arrectiſq; auribus adſtant, circumluſtrantes ac explorantes, cui tantam rerum molem, cui totius orbis habenas ſitis credituri, quem tantæ dignitati, tantiſque adminiſtrationibus præfecturi. Tantopereque de veſtra omnes integritate, virtute, conſtantia ſingulari confidunt, vt illum haud dubie vos augurentur Romanum Regem deſignaturos, qui inter idoneos ſit maxime idoneus, quiq; virtute ac fortuna cæteros omnes antecellat. Quæ ſane duo ad res ſplendide fortiterque gerendas, non tam commoda, quam neceſſaria eſſe videntur. Virtus ſuis ipſa viribus contenta, ex ſe quidem ſola quamplurimum, fortuna ſine virtute imbecilla, parum admodum ac propemodum nihil poteſt. Altera vero alterius ope ſic adiuuatur, vt coniunctæ, arduiſſima quæq; non modo aggredi, ſed & facile perficere queant. Porro ſi recti animi ſynceriq; iudicij perpendiculo rem ipſam demetimur, & rationis, non affectionis examine ſtateraque vti volumus, nemo tam ſocors, tamque à communi (vt aiunt) ſenſu alienus, qui non plane videat Chriſtianiſſimum Regem Franciſcum, cæteris tam fortuna, quam virtute eximia præſtare, nullumque eſſe penitus, qui tam expedite, tam efficaciter, quam ipſe poſſit, vel nutabundum ac ruinæ proximum Imperium ſuis * viribus fulcire, vel ſocordia incuriaq; maiorũ iam lapſum erigere, vel ipſius maieſtatem ſublimitatemq; depreſſam, in priſtinam auctoritatem gloriamque reſtituere. De cuius regis fortuna, viribus, potentia, quid nunc attinet dicere? quum vos ipſi ſatis ſuperq; exploratum habeatis, quantas militum copias, quantos exercitus ſuis ipſe ſumptibus alere conſueuerit, veſtire, amare, ac plerunq; ſocios viribus hoſtium laceſſitos, armis, viris, equis, commeatibus iuuare, eiſdemq; quam celerrime opitulari. Iam vero virtuti ipſius quæ poteſt facundia, quæ oratio, par inueniri? Quem hac obſecro tempeſtate inter Principes orbis terrarum reperias, qui ſit ætate, viribus, ingenio, potentia, opibus, ſtrenuitate, diligentia, cum eo conferendus? Aut in quo tot eximiæ dotes, atque ornamenta Imperatoriæ dignitati excellentiæque conſentanea inueniantur? Nullas profecto res ei deeſſe conſtat, quas ille Oratorum Princeps Tullius optimo cuiq; Imperatori neceſſarias eſſe profitetur, *Scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem*. Quanta enim eſt illius in tolerandis ſudoribus, algoribuſque tam diurnis, quam nocturnis patiẽtia? Quanta in aggrediendis periculis, quantaq; intrepida virtus? Huius nimirum fortitudinem, robur, potentiam, ferocientes Heluetii, ab hinc paulo plus trienniũ apud Inſubres, collatis ex improuiſo ſignis, non tam cognouere, quã admirati ſunt. Qui incautum adoriri, & cũ exercitu per inſidias opprimere ſtudentes, ab eodem paucis admodũ captis ac diffugiẽtibus, magna vi atq; incredibili virtute oppreſſi fuere. Nec tamen in ſtragis reliquias (quod perfacile poterat) deſæuire, graſſariq; pertexit. Sed ea humanitate atq; clementia vſus eſt, vt difficile dictu ſit,

Applicatio ro..n Franciæ.

** al. humeris.*

Laus Regis Franciæ.

vtrum

vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Nec facile diſcernas, belli an pacis artibus melior. Quis eſt enim mortalium vel in compenſandis præmiandiſque militum laboribus, amicorumque obſequiis, munificentior ac largior? Quis in concilianda externorum Principum beneuolentia felicior? in eaq; retinenda conſtantior, magiſq; perſeuerans? Perpauci admodum Principes ſunt, qui cum eo vel iamdudum amicitiã non inierint, vel inire cupidiſſime non expetierint. Neminem planè veſtrum ignorare arbitror, quanto ipſum honore, quanta magnificentia Leo P. M. annis ſuperioribus in Bononiam, alterni colloquii gratia admiſerit, & quantis muneribus, obſequiis, gratificationibus, cũ eodem tunc Veneti certauerint. Cui ſeſe ſuaque ita deuouerunt, vt nihil ſit tam arduum, tamq; difficile, quod non eius cauſa parati ſint aggredi, atque efficere. Qua demum fati benignitate, quã felicitate factum fuiſſe putatis, vt Rex Angliæ ſuperiore autumno, ex hoſte pernicioſiſſimo, ſocius officioſiſſimus, ex inimico infeſtiſſimo, ſuauiſſimus amicus, hoc animo, hac lege effectus ſit, vt patriam, opes, liberos, ſalutem denique propriam, regiis obſequiis perpetuo addixerit? Singulis ſingula horum ſuppetere, & partim adeſſe videas, in hoc vno affatim cumulateq; cuncta coire manifeſtiſſime iudices. Quiſnã igitur dubitare poſſet huiuſmodi principem maxime, ac præter cæteros idoneum ad ſuſcipienda Imperatoriæ dignitatis moderamina, quæ tametſi vltro non poſceret, quin potius reſpueret ac refugeret oblata, ob tam præclaras tamen eius dotes ad ea ſuſcipienda, pleriſq; aliis eadem ſibi committe efflagitantibus, à vobis, reuerendiſſimi excellentiſſimi Principes, exhortandus compellenduſq; veniret, ac demum reluctans obnitenſque ad Imperatorium faſtigium protrahendus. Ad quod efficiendum & quamocyſſime præſtandum, ſi non ſua ipſius varia vos, multiplexq; virtus allicit ac permouet, inuitent ſaltem, imo vero id faciendum eſſe vobis perſuadeant grauiſſima diſcrimina, religioni Chriſtianę impendentia, quibus (niſi mature occurritur) omnia peſſum itura ſunt.

Propter diſtantiam religionis.

Animaduertite quæſo penſiculatius, & ante oculos veſtros paulo accuratius proponite velociſſimam truculentiſſimamq; Turcarum rabiem atq; inſaniam, qui non contenti Aſiam quam maximam, eandemq; & florentiſſimam & opulentiſſimã orbis terrarum partem, nefariis atq; ſpurciſſimis legibus ſuis iampridem ſubdidiſſe: nihil hactenus à ſe actum arbitrantur, niſi Europam (cuius iam ſuperioribus annis bonam partem occuparunt) & totius Chriſtianiſmi regna, prouincias, agros, ciuitates, oppida, non modo ſpoliare ac diuexare, ſed etiam ferro ac flammis paſſim vaſtare, fœdiſſimeque depopulari pergant. Et quod eſt longe omnium miſerrimum atque calamitoſiſſimum, Chriſtianam religionem funditus euertere, ſuamque ac Belluinam introducere moliuntur. Quis à vera religione? quis à pietate & diuino cultu tam auerſus? quis tam clementiæ? quis tam humanitatis expers? cui cum hæc tam atrocia in mentem venerint, non ſolum non commoueatur animo, ſed etiam non toto corpore perhorreſcat. Non eſt opus rei atrocitatem, quam fœdiſſime in pleraque Chriſtianorum oppida atque vrbes, effrænata Mahumetem licentia, inſanaque cupiditas exercet, pluribus explicare, aut oculis veſtris ſubiicere, cum vos ipſi & à ſummo nonnunquam Pontifice, & à pleriſque aliis frequenter ſuper his fueritis commonefacti. Quibus ſane periculis quis vel celerius obuiam ire, vel tanti furoris incurſus potentius efficaciuſue, quam rex ipſe Francus, repellere coercereque poteſt? Nemo, reuerendiſſimi ampliſſimique principes, in mediis fluctibus atque procellis (niſi mentis inops) tam imminente naufragii periculo, gubernatorem nauigationis ignarum eligendum, & gubernandæ naui præficiendum cenſet. Nemo quum pleno Marte dimicandum eſt, & iam inſtructa acie congrediendum, quempiam ſcientiæ militaris imperitum (ni modo deſipiat) in ducem exercitus optandum, aſſumendumue arbitratur. Viderint cæteri, quid in quaque re diligenter cogitandum faciendumque ſit. Ego (ſic me Deus * iuuet) nunquam mihi perſuadere potui, vt vos magna prudentia, magno conſilio, maxima experientia Principes, quandoque ſummam rerum cogitaueritis eius manibus venire tradendam, qui non fortunæ ac naturæ commodis, atque animi dotibus omnes antecellens, optimi ſemper Imperatoris munia feliciſſime præſtare poſſit.

Propter Turcarum rabiem

* *al. amet.*

Nec vobis præterea, reuerendiſſimi, illuſtriſſimi Principes, cæteriſque Germaniæ proceribus, nouum, atque cuiquam inauditum eſſe debet, aliquot olim reges Francos non minore populi Germanici, quam ſua ipſorum & fœlicitate, & gloria adminiſtrando ſacro Imperio præfuiſſe, qui Germaniam templis, cœnobiis, & tam publicis, quam priuatis ædificiis decorare, variiſque ac pretioſis muneribus locupletare ſtuduerunt. Quæ cum vulgo protrita ſint, ac prope omnibus peruia, ea conſulto præterire volui, ne illorum inculcatione moleſtiam vobis afferre viderer. Hoc vnum tamen nequaquam præterierim, Franciſcum Regem, ſi Dei optimi maximi, ac veſtro munere Imperii dignitatem adipiſcitur, à maiorum ſuorum præſtantia virtuteque minime degeneraturum. Qui non modo illam æmulari, verum etiam (ſi qua fata ſinunt) vincere contendet, dabitque enixiſſime operam, vt neque in eo (ſuperis adiuuantibus) Auguſti felicitas, neque Titi humanitas, neq; bonitas Neruæ, Traiani probitas atq; iuſtitia, Conſtantini religio, Theodoſii pietas, Caroli cognomento Magni rerum fortiter magnificeq; geſtarum gloria, incredibiliſq; liberalitas atque magnificentia ab aliquo deſideretur. Non vtiq; ignorat mores, naturamq; Germanici populi, qui eſt libertatis ſuæ appetentiſſimus, eiuſq; tuendæ ac retinendæ ſtudioſiſſimus atq; acerrimus vindex. Tam profecto aberit, vt eam minuat, profliget, eripiat, vt vel eandem ſemper augere ampliorem q; reddere conetur. Eocirca non ſolum Germanicę libertatis aſſertor erit ac propagator, verũ etiam ſubditos omnes regia ſemper benignitate fouebit, & paterna quadã indulgentia ita complectetur, vt omnes aliquando

Germani feliciſſimum illum ſibi diem iudicent illuxiſſe, quo non tam humanis ſuffragiis, quam diuina quadam ſorte tantum Imperatorem, ac patrem patriæ nacti fuerint. Nec ſane quicquam eſt, quod Germani Francorum amicitiam cõiunctionemq; vel reſpuere debeant, vel auerſari, qui & natura & conſuetudine, & diſciplina ſunt omnium mortalium leniſſimi atq; mitiſſimi, qui ſe quoque Germanis & hoſpitaliſſimos ſemper exhibuerunt, & amiciſſimos, ſi quando vel negotiationis, vel commertii cauſa peregrinantes ad illos diuerterunt. Quinetiam Germanorum Francorumq; vnam olim fuiſſe Rempub. alteroſq; ab alteris mutuam traxiſſe originem, & antiquitates veſtræ teſtantur, & nomina quondam veſtris vrbibus indita, quæ in hodiernum vſque diem ſuperſunt, manifeſtiſſime indicant. Hinc Franconia antiquiſſima florentiſsimaq; patria. Hinc Franckfordia de Francorum nomine appellata, celeberrimum totius Germaniæ emporium, oppidumq; & nobiliſſimum & auguſtiſſimum. Multoq; iam & nobilius, & auguſtius ex tantorum principum, & procerum glorioſiſſimo feliciſſimoque conuentu, deſignandi eligendique Romani Regis gratia facto.

Proinde Reuerendiſſimi ampliſſimique Domini, illuſtriſsimi ac potentiſsimi Principes, ſi humanis rebus. ſi communi omnium ſaluti conſultum eſſe vultis, ſi imminentia Chriſtianæ pietati diſcrimina penitus amoliri, ſi honorem veſtrum, decus, amplitudinem, famam, gloriam tueri, conſeruare cumulareq; expetitis, & in poſteritatem tranſmittere. Si Imperij fines atq; ditionem propagari, ſi optimo cuiq; morem gerere, atq; gratificari percupitis. quod auſpicatum, beatum, bonum fauſtum, felixq; ſit & vobis, & vniuerſæ Reip. Chriſtianæ, Chriſtianiſs. regem Franciſcum, Regem Roman. deſignate, conſalutandumq; Imperatorem cõmuni ſuffragio decernite. Veſtra porro laus, neque tenuis, neq; obſcura erit. Hoc à vobis pene totus orbis terrarum expectat: hoc ciuitates, hoc populi, hoc principes (paucis forſitan exceptis) non loquuntur modo, verum etiam perſonant, Franciſcum regem dignum eſſe Imperio, & ita dignum, vt nullus eo dignior hac tempeſtate reperiatur. Nihil vtiq; ab eo immaturum, nihil perperum, nihil aſperum formidandum eſt. Omnia ſeria, cuncta grauia, & quaſi ipſa Reſp. iubeat, auguranda ſunt. Curabit, enitetur, efficiet, ne vobis deſint & fortia facta, & ſaltem vobis atq; Imperatori digna conſilia. Bonam partem rerum geret ex conſilio & ſententia veſtra. Nec cum aliqua immutatura eſt fortunæ amplitudo, niſi vt prodeſſe tantum poſſit, ac vult vobis ac populo Germanico proſpicere, & veluti præſens ac tutelare quoddam numen, ab omni periculo tueri liberareque conabitur. Sua perficiet opera, viribus, conſilio, diligentia, vt nihil vnquam à vobis geſtum fuiſſe auſpicatius, glorioſius, felicius, mox intelligatis, quam cum regem Romanum deſignaſſe, qui omni cura, ſtudio, induſtria elaboraturus eſt, vt tutam omni ex parte, ac tranquillam fortunam cum populis atque ciuitatibus veſtris feliciſſime trahatis. Vt veſtram deniq; ac veſtrorum ſalutem ſuoipſius ac proprii capitis diſcrimine liberam ab omni aſſultu perniciequo hoſtili proſpere & feliciter tueatur. Nonis Iunij, MDXIX.

AD HANC ORATORVM FRANCIÆ PETITIONEM
Principes Electores reſcripſerunt in hunc modum.

Literas veſtras vna cum mandatis & petitione, quam ad nos referendam hoc tempore dignum duxiſtis, accepimus, fuitq; nobis non gratum modo, verum longe etiam ſuauiſſimum: quod intelleximus, ſic erga ſingulos nos, ſic erga hanc nationem & Imperium hoc, adfectos eſſe animos veſtros. Iam illud autem quantæ & quam non vulgaris beneuolentiæ loco habendum à nobis eſt, quod intelligimus optima omnia precari vos eidem huic Imperio, operamque veſtram, ſtudium & opes, polliceri abunde. Probamuſq; conſilium inibi veſtrum, quod nos in electione futuri Romani Regis, dignitatis noſtræ, & publicæ religionis huius, & Chriſtiani orbis commodi rationem habere cupitis. Quare etiam dabimus operam, ne qua noſtra ibi diligentia, ne quod ſtudium deſiderari poſſit primum: deinde vt tale hoc in negotio conſilium ineamus, cuius nos haud vllo in poſterum tempore pœnitere poſſit. Quod ſi (vt eſt humanum genus erroribus obnoxium) prudentia nobis deerit, fides tamen & integritas ne defuiſſe putari poſſit, adnitemur. Nam quod vos velle videmus, vt Imperatorem eligamus, qui fortunæ dotibus pariter & animi virtutibus talis ſit, vt eum optime obiturum Imperii munia ſperare liceat, ſic de nobis opinari vos iubemus, vt ſi talis non eſſet etiam Imperij hoc tempore ſtatus, vt moderatore ei opus ſit, quanto vix ante fortiſſimo, vigilantiſſimo, & per omnia optimo, tamen haud aliter in medium conſulturos fuiſſe, quam Chriſtianos oportuerit, & quam Germanos eoſque Principes oportuerit. Quamquam & noſtra vos interim gratia, quam in hoc meremini, quam nationis finitimæ, quam Germaniæ nominis, quam communis Imperii etiam habere vos intellectum eſt, fraudabimus, debemuſq; eo nomine vobis, & libenter debemus: aliquando relaturo, ſi animorum votis fortunę ſuffragabitur nutus. Quod vero opem nobis & operam pollicemini veſtram, licet haud nouum ſit hoc, Gallorum nationem propinquis ſuis Germanis fauere beneq; afficı, tamen pręcipue hac tempeſtate magni inſtar ſolatij, ac cuiuſdam etiam præſidij ponimus, vobiſq; habemus gratiam, vt debemus iterum plurimam: rogantes, vt in ea ſententia, eoq; propoſito Chriſtianiſs. Regem, veſtrum Dominum, & amicum noſtrum colendiſs. ſeruare & continere velitis, eiq; Imperium hoc, & fortunas noſtras commendetis, vt ſicut curam ad hoc ſuam propenſamq; voluntatẽ adiecerit, ita perpetuo & immutabiliter retineat, quam inuicem, ſi quid nos quoq; poterimus, non ſolum prompte

& ala.

& alacriter præſtabimus, ſed debere nos etiam vel hoc nomine fatebimur. Bene valete. Datum, &c.

Sacri Romani Imperij vtriuſque ſtatus Principes.

Oratoribus Gallorum.

ORATIO AD REVERENDISSIMOS ET ILLVSTRISSImos Principes Electores, edita per Generoſum Comitem Hermannum Nuenarium in ipſis comitiis Regis Romanorum, pro Inuictiſſ. & Chriſtianiſſ. Carolo Roman. Rege eligendo, oppoſita orationi Ambaſiatorum Regis Franciæ.

SI de Imperii Maieſtate, de gloria, de honore concertantibus, aliena laudatione vehementer opus eſſe perſpicerem, O Illuſtriſſimi atque potentiſſimi Germaniæ Principes, ac Roman. Imperij electores, profecto omnem meam induſtriam, omnes ingenii vires ad hoc iamdudum contuliſſem, vt accumulatis & congeſtis vndiquaque laudibus Carolum inuictiſſimum Hiſpaniarum regem, à me diligenter vobis commendatum ſciretis. Non enim adeo omnem prorſus dicendi rationem à nobis alienam eſſe putamus, vt ſi de Carolo rege dicendum ſit, aut defuturas nobis res, aut verba metuere poſſimus. Quocirca vos obnixe rogo principes illuſtriſſ. vt adoleſcentiæ noſtræ aliquid concedatis, ſimulque illud, quidquid eſt à me commiſſum apud vos audacius forte, quam iſta ætas, & conditio mea tulerit, idipſum meo in patriam ſummo adfectui, & ſingulari erga Carolum regem, illiuſque diuinas virtutes amori condonetis. Quis enim non optimo iure ſuccenſeat, laudari cernens apud vos ſummo cum artificio, ac præferri eos, qui nihil vnquam in vos beneficii contulerunt? Illum vero, cuius extant in vos pulcherrima, atque præclariſſima ſtudia, paſſim contortis, obliquiſq; dictis traduci? Cum hunc potiſſimum vobis commendari ac à vobis vnice & coli, & obſeruari oportuit. Nam quem hoc tempore in tota Aſia, aut Europa regnare creditis, tanto populariũ conſenſu, tanto complauſu omnium nationum, tanta cum imperii & dignitate & amplitudine? Aut quem in toto orbe terrarum regem eſſe exiſtimatis, de quo vel materia amplior, vel hiſtoria ad immortalem gloriam excitandam copioſior ſuppetat? quamq; nec æmulus extenuare, nec orator ſua eloquentia magnificare poſſit? Nos autem longe diuerſum ab his ſentimus, qui decorem principis in laudatione conſtituunt. Imo maxime indecorum reputamus, ſi quis exquiſitis rhetorum floſculis, ſe id conſequuturum ſperet, quod non niſi excellentiſſimis virtutibus, & clariſſimis ingenijs, peruium ſemper patuit. Namque illos maxima laude, veraque gloria excellere ducimus, quos non eloquentia rhetorum, non conflata ab oratoribus præconia commendarunt, verum quos egregia facinora, & eximiæ res geſtæ apud mortales extollunt, atque illuſtrant. Hæc eſt veriſſima (vt ille ſummus orator putat) qua ad ſuperos itur via. Hac priſci illi viri fortiſſimi certatim contenderunt, atque in tantum profecerunt, vt illis tum ſeculis immortales honores, diuinoſq; cultus meruerint. Eſt & altera via multum etiam ad imperium acquirendum, & retinendum neceſſaria, gratia videlicet, ac fauor Pop. Rom. qui in deligendo principe per ſe ſæpe plurimum valuit. Ipſe enim virtutes, & ſi ſolę ſatis munitum ad petendum principatum iter oſtendant, tamen ſi gratia fulciantur, vix vnquam repulſam habituras exiſtimo.

Hæc quoties ipſe mecum memoria repeto, non poſſum non vehementer admiratione duci, ita vt perbeatum iudicem Carolum regem, in quo nihil natura neglexerit, quod ad corporis ac animi felicitatem pertineat. In hoc enim adeo conferta, & cumulata ſunt omnia cum corporis, tum animi bona, vt neque priorem agnoſcat, neq; admittat parem. Quibus de rebus, ſi ante conſpectum veſtrum plenum & auctoritatis, & grauitatis, ipſe verba facturus eſſem, pertimeſcerem ſane, ne me in ipſo orationis medio curſu, copia rerum obrueret. Atque ita obrueret, vt omnem prorſus recte dicendi modum, confundere neceſſarium fuerit. Mihi vero animus nunquam fuit Illuſtriſſ. principes, vt Carolum Regem (cuius vobis exploratæ ſunt, & compertæ virtutes) apud vos laudare vellem. Neque enim tam ſum exſors, vt non intelligam hunc locum, & hæc tempora, aliud longe maius, ac dignius quiddam expoſtulare, id quod à principio & dixi, atque profeſſus ſum. Ac etiam nunc libere & ingenue fateor, non licere cuiquam habere comitiorum eiuſmodi rationem, vt in laudatione cuiuſquam verſari patrum voluntates, ac ſententiam Senatus ab oratoris deliberatione pendere credat, quaſi non magis ad fortia facta, quam egregia, & bona verba ſpectare oporteat.

Vnde poſtquam veſtrum iſtud ampliſſimum, ac illuſtriſſimum collegium, ſeptenaria perfectione abſolutum, diuina prouidentia ad futuri Romani Regis habenda comitia, Franckefurdium conuocatum eſt, vt vniuerſo orbi Chriſtiano, ſuo capite iamdudum orbato, veluti quendam ſolem terris, adſignare debeat principem, profecto non eſt, vt dubitare quiſpiam poſſit, quin vobis abunde omnia ſuperfluant, quæ ad abſolutiſſimam ſapientiam, animorum conſtantiam, æquitatemque requiruntur. Ita vt nullo monitore, quantumuis etiam ingenii, aut eloquentiæ facultate præſtanti, ſed ſola veſtra prudentia freti, cum ſitis Regem Rom. veſtris ſuffragiis declaraturi, quem ad id muneris obeundum, ſufficere cognoueritis. Nec ego ſum vſque adeo perfrictæ frontis, aut proculcati pudoris, vt præſcribere vobis, quem vos eligere debeatis, temere præſu-

mam, aut quenquam ita vobis proponere audeam, vt in eo deligendo, non multo plus veſtris acerrimis iudiciis, quam meæ opinioni concedendum putem. Tametſi multis ſane argumentis, haud obſcure probare poſſum, Carolum Regem omnibus, qui in hunc vſq; diem à vobis imperium petierunt, non modo venire præferendum, verum etiam competitorum à vobis nullam omnino rationem eſſe habendam. Quidquid enim iſti ſibi vtcunque vſurpant, hoc ille ſumma cum æquitate poſſidet. Et vt paucis multa concludam: Solus hic, omnium ante ſe regum felicitatem ex æquo ſuperare videtur. Non modo quæ ei à natura inſunt, vel ex induſtria & exercitatione prouenerunt, verum etiam hæ quoque res, quæ tantum ex arbitrio fortunæ, vt vulgus putat, ſeu fatorum, vt philoſophi opinantur, dependent, hæc omnia tam peculiaria habet, vt non ei collata, ſed cum eo nata fuiſſe videantur. Cum hoc ſi optimos quoſque conferre libet, comperietis magnam obſcuritatem clariſſimos alioqui viros, huius ſplendore obiecto, contracturos. Cedat opib. & diuitiis Chrœſus, cedat prudentia Philip. Alexan. proſperitate, potẽtia Xerxes, magnanimitate Leonidas, liberalitate Ageſilaus, gratia Alcibiades. Ea propter neminem exiſtimo fore, qui huius auguſtiſſimi imperii molem, tam facile extollere, collapſum vero, ac iam fœdari cœptum, tam potenter reſtaurare, in angulos Germaniæ coarctatum, tam longe lateque propagare poſſit. Quis enim neſciat quantas militum copias, tam pacis, quam belli temporibus paratas ſemper habere conſueuerit? Quantam etiam, & quam numeroſam claſſem, tum in Mediterraneo mari, tum in occidentali Oceano conſtituerit? quibus non magis ſua ac ſociorum regna, quam totam ipſam Chriſtianam Rempub. ab incurſu barbarorum & hoſtium ſtrenuiſſime tutatur. Atque hoc ſolo nomine vel maxime commendandus, quod publicam ſalutem ſuo periculo ſemper anteponendam duxerit. Qua in re quanta modeſtia ac temperantia ſemper vſus ſit, ex hoc conſiderare poteſtis, quod in tanto ſumptu circa curam præſidiorum & copiarum, nemini incolarum importune moleſtus eſt. Neq; ita agit, vt illi, qui paganorum ac villanorum ſuorum ſudoribus, & ſanguine, militum rapacitatem, libidinem, ingluuiemq; quotannis explent, & heu dictu miſerabile, plus ipſi calamitatis & nocumẽti ſuis ſubditis inferunt, quam vel infenſiſſimi hoſtes excogitare, nedum inferre poſſent. Sed noſter hic, ſine ſuorũ iactura, ſine priuatorum magno incommodo, è regiis vectigalibus ſtipendia militibus copioſe ſuppeditat. Satis locupletem ſeſe exiſtimans, ſi ſui penuria & calamitate non opprimantur, ſatis felicem, ſi ſuos ab infeliciſſima tyrannide defendat. Nolo ego hoc loco recenſere egregiam illam corporis habitudinem, ac illa pulcherrima naturæ lineamenta, quæ hunc plane coarguunt vere Germanicum illum ſplendorem referre. Nolo, inquam, recenſere illa tam vulgata, & ferme protrita, ne veſtris auribus plus iuſto moleſtus fiam, ea inculcans atque in medium proferens, quæ etiam gladiatoribus & athletis communia ſunt. Tamen hoc vnum breuiter admonere operæ pretium eſſe duxi, hanc ſcilicet ætatem, & has vires, quæ huic natura largita eſt, tolerandis ſudoribus, algoribus, vigiliis, aliiſque incommodis accommodatiſſimam eſſe. Partim etiam vt vos commonerem impudentiſſimi cuiuſdam hominis, nuper gallica legatione functi ad Eburonum ciuitatem prouinciamque, qui ſiue èx mandato ita dixerit, ſiue gallicam leuitatem, impudentiamque coercere non potuerit, in huius noſtri Illuſtriſ. & Inuictiſ. regis contumeliam, nihil aliud cum adferre potuiſſet homo ſceleratus, auſus eſt ſatis contumelioſe regulum appellare, ſtatura forte puſillum ſugillans, quaſi vel id vitium cenſeri poſſit, ſi vere obiiciatur, aut mox puſillus ſit, qui non æquauerit corpore cyclopem. Sed faceſſat temerarius homo cum ſua gallica leuitate, nos ſat magnum eum iudicamus, quem maximi quique maiorem ſeſe fateri coguntur, & ſi idipſum forte inuitiſſimi faciant. Non debet etiam vos commouere, quod toties per cuniculos oppugnatur Carolus rex, quaſi qui nondum fortunæ vices expertus ſit. Illi enim conſtanter adfirmant, imperium decernendum non fore ei, qui belli diſcrimina, & euentus iniquiſſimos, dubioſque lubricæ ſortis nondum ſubierit. Ad quod cum dici permulta & grauiter, & ornate poſſint, ego paucis agere malo, propterea quod eiuſmodi ſit iſta cauſa, vt nequaquam indigeat accurata defenſione. Quippe, quando eandem poſſumus longe fortius retorquere in eum, cuius gratia iſta dicuntur. At nos aliena oppugnare non decreuimus, verum noſtra defendere. Idque tam licere cuiuis opinamur, vt nemo ob id læſum ſe iure queri poſſit.

Belli ergo fortunam qui ſæpius experti ſunt, eos ad Remp. adminiſtrandam aptos eſſe adfirmabimus? Abſit hoc illuſtriſ. principes. Qui etiam tum aptiores cẽſendi forent, quam vulgus iſtud perditiſſimorum hominum, quos Germania ad publicam calamitatẽ heu nimis diu aluit. Nam hoc & calonibus atq; lixis, ac etiam proſtitutis illis mulierib. quæ caſtra ſequũtur, prope peculiare eſt, ita vt aſſidue à fortuna verſentur. Modo victores, modo victi circumambulent. Iam triumphantes, mox in triumphum ducti, Aliquando direptis opibus, exuſtis ciuitatibus, occiſis, aut deſpoliatis habitatoribus opulentiſſimi, mox profligatis prioribus fortunis infeliciſſimi, ac omnium maxime miſerrimi. Hæc iccirco dicere volui, vt ſciatis, huius cauſæ caput longe nimis imbecillum eſſe, vt etiamſi aduerſarius verum diceret, propterea ab imperio ſecludi is debeat, in quẽ illud ſophiſma torquetur. Quis enim vnquam Alexandro magno in rebus gerendis fortunatior? Quis P. Scipione Africano & fortior, & melior? Quis Octauiano felicior, aut potentior? At hi omnes pueri prope ad imperium admiſſi ſunt, ita vt nullis antea bellis propter ætatem intereſſe potuerint. Cum imperio etiam exercitantur imperatores, non ſecus quam nos cum noſtris ſtudiis. Quanquam omnino credere nõ debetis militaris diſciplinæ expertem eſſe eum regem, cum quo, quicumq; ſunt in orbe Chriſtiano egregii ac famoſi bellatores familiariſſime cõuerſantur. His artib. à puero imbutus eſt, ad eas perdiſcendas non

das non tam ſponte acceſſit, quam vi quadam naturæ pertractus fuit. Hæc auita ſunt inſignia, quæ hæreditaria quadam ſucceſſione, in hunc propagata fuerunt. Ita vt audaciam, & robur, ex ipſis maternis vberibus ſuxiſſe videatur. Solent huiuſmodi confugia quærere oratores perplexi, dum non habent vel quod aduerſario obiiciant, vel quod pro ſe dicant. Quemadmodum ſi quis cum ſanitatem reprehendere non poſſit, laudaret febrem quartanam. Ita qui paci inuident, belli gloriam extollunt. Quibus nos reſpondebimus, duo eſſe bellorum genera. Quoddam enim ſola imperatorum libidine, ac petulantia quadam ferocientium animorum leuib. ex cauſis concitari, ac ſæpe cum maximo diſcrimine Reip. in fortunæ arbitrio dubiũ. & anceps verſari. Alterũ vero pro patriæ tuitione, pro liberis, pro fortunis, neceſſario geri oportere. Idq; tale eſſe, vt ſiue bene, ſiue male cedat, ipſo nihilominus duci gloriam ſemper, ac laudem cõferat. Ad hæc perpaucos comperiri, qui in bellis gerendis non multo magis ſuis affectionibus ducantur, & obtemperent, quam publicę vtilitati conſulant, Vtpote qui pro nihilo pendant iuſtitiam, pietatem, cæteraſque virtutes. Verum contemptis religionibus, ac iure gentium ſpreto, aliena quidem per maximas iniurias deuaſtando, contra ſocios ac vicinos crudeliſſime graſſando, ſe bellica virtute, ac militari diſciplina, cæteris mortalibus præpollere gloriantur. Sed nos omni præconio efferendos, omnique laude proſequendos arbitramur, qui ſic regnum inſtituerunt, vt malint ſuos fines tueri, quam aliena diripere, pacem fouere, quam excitare bella, optare potius opulentam patriam vt habeant ſuis terminis coarctatam, quam expilatam ac miſeram, etiam ſi vſque ad Indos protendatur. Quid autem refert, ſi bella omnino faceſſant, dummodo patria prudenter. & ordinate gubernetur. Imo omnibus votis exoptare principem debemus, cuius conſilio, & auctoritate, bellica rabies, in pacis lenitatem, & manſuetudinem vertatur. Hoc ſancta eccleſia quotidie piis precibus efflagitat. Hoc Euangelia Chriſti, quæ fidei noſtræ indiſſolubile fundamentum exiſtunt, toties nobis inculcant. Memineritis ſanctum regem Dauid ad extruendum Deo templum, indignum fuiſſe reputatum, eo quod vir ſanguinum eſſet, Moſen proinde legis diuinæ promulgatorem, à promiſſionis patria Deo iubente ſecluſum, regem vero noſtrum Chriſtum, quem Iehoſue nobis deſignabat, in ciuitatem ſanctam veniſſe pacificum. Quapropter de Chriſtianorum cæde non debet gloriari Chriſtianus princeps. Inanis eſt enim gloria, quæ in Reipubl. perniciem vertitur. Omnes quippe vnius ciuitatis municipes ſumus, præſidem habentes Opt. Max. Deum. In hac qui ſeditioſi deprehenduntur, expedit Reipubl. vt à regimine præcipites deturbentur, ne labefactetur ſtatus immaculatæ, & incorruptæ matris eccleſiæ. Videte Ethnicum illum M. Catonem, quanta grauitate ciuilem diſcordiam execratus fuerit. Fuiſſe enim traditur vir ille ſummæ integritatis, & egregium Ro. probitatis exemplar. Is poſt illam memorabilem cladem Po. Ro. in Pharſalia confectam, cum interfectorum ciuium cadauera circumluſtraſſet, manibus obtexiſſe oculos fertur, ne Reipubl. calamitatem diutius contuerentur. Nemo certe tam eſt mentis, aut rationis expers, qui non longe præferat ſanguinolentis bellorum tumultibus, florentiſſima tempora pacis, Cum in iſtis omnia & diuina, & humana, optime ac tranquilliſſime regantur, in illis autem, interrumpantur non modo hominum voluptates, verum etiam deorum immortalium cultus, religionesque peſſum eant, ac turpiſſime polluantur. Et ſi diligenter introſpicitis, repetietis hic multum relinqui ſolidæ & non fucatæ laudis, illic vero mendaciis omnia fere obnoxia circumferri. Quis enim iactabundo, ac gloriæ iam ſpe inflato, de ſua vtcunque ſeſe victoria extollenti, credat? Quis non vel pro media parte confictum putet, egregium illud bellicum poema, vbi omnia ad laudem victoris cantantur? quodque (ſi rem aliunde perconteris) obſcurum ſubito fieri videas, ac tale, vt iam huiuſmodi ſchematis pudere te vehementer poſſit. Conſtat ergo belli imperitiam nemini merito imputandam, qui ſua dexteritate, atque prudentia, ſic depoſuit regni ſtatum, vt ei bellum inferre non auſit quiſpiam, niſi fuerit ille extrema dementia, aut ingenti temeritate correptus. Quod ſi quis omnino quietis impatiens, ac belli plus iuſto adpetens, inuitum ac reluctantem temere armis laceſſierit, in hunc demum, ac turbatorem publicæ commoditatis, omnes neruos, omnemque potentiam expendat, vt tandem optimi imperatoris officium, non ſegniter exercuiſſe comperiatur.

Iam dicendum videtur de his rebus, quæ ad imperii amplitudinem ſummopere deſyderari conſueuerunt. Inter quas ſummo fere loco conſtitui ſolet, mutuus adfectus, atq; beneuolentia, non ſolum principis erga Rempubl. verum etiam erga vicinas gentes, ſocioſque, & neceſſarios. Qua in re ſi adhuc aliquid eſt quod à Carolo rege exigendum, aut etiam extorquendum putetis, idipſum ſponte ſua lubens ipſe vobis præſtabit. Nam cum tam ſit præclara, ac vere regia indole præditus, vt etiam hoſtibus ſuis vltro parcere, nedum chariſſimis, ac amiciſſimis benefacere glorioſum eſſe iudicet, qua occaſione induci illum, aut certe permoueri poſſe exiſtimatis, vt chariſſimam patriam ſuam, non proſequatur maxima cum pietate, & ſumma gratitudine. Neque veſtrum eſſe quenquam credo, qui neſciat qua religiõne, quibus officiis, qua neceſſitudine, potentiſſimi prope omnes Europæ reges, cum illo pacta firmauerint, Societatem inierint, affinitatemque contraxerint, Angliæ videlicet, Vngariæ. Poloniæ, Daciæ, ac Portugalliæ. Ferox inſuper bellicoſaque Heluetiorum gens, ac populoſa Sueuorum coniuratio, nec non Eburonum præpotens ille, ac inter prudentiſſimos merito connumerandus princeps Erhardus, vna cum tota Marcenſium familia. Omnes profecto Carolum regem ſanctiſſime colunt, nec eſt quiſquam ſociorum, aut neceſſariorum, qui non præſtitæ fidei reum illum facere auſit. Iuſiurandum nullis conditionibus vt violaret impelli

pelli vnquam potuit, fidem etiam hoſtibus conſtantiſſime ſemper ſeruauit. Culpam autem quam in aliis damnare ſæpius potuerat, ipſe nunquam admiſit, honorem ſuum integrum, & illæſum ſeruare malens, quam alienam perfidiam, vel vindicando detegere, vel compenſando adæquare. Quo vero clarius dilucidiuſq; ipſius Caroli regis erga ſacrum hoc imperium, fidem perſpicere, & diiudicare poſſitis, conſyderate quæſo, ac animo diligenter perpendite, an aliquando aut palam, aut clanculo aduerſus imperii maieſtatem machinatus ſit, an pecuniis, fauore, potentia, contumaces fouerit, rebelles ſuſceperit, diffidentes rebus ſuis imperii hoſtes ingentibus ſpebus erexerit. Quam demum ob cauſam contemnere illum Venetorum amicitiam creditis, niſi quia perpetuos hoſtes Ro. imperii, veſtræq; nationi infenſiſſimos eſſe cognouit? Quocirca ſi penes me horum comitiorum ſumma ſtaret, fidem meam ac honorem mehercle grauiter acerrimeq; læſum putarem, ſi contra meam conſcientiam, contra publicam omnium expectationem, alium quenquam iſti præferendum ſtatuerem. Vos ipſi illuſtriſſimi principes, iamdudum conſpexiſtis, quam ſancte, quam ſyncere, quam pure ad imperium aſpiret. Non ambitione rapitur, neq; tumet arrogantia. Non popularis auræ tempeſtatibus iactatur. Sed id tantum à vobis officioſiſſime petit quod ſui parentes ſanctiſſime poſſederunt, quodq;, ſi ipſe non peteret, vos illi ſponte fueritis oblaturi, cum eis rebus habundare illum cerneretis, quæ vos à rege Romanorum expetenda iudicatis. Prudentiſſime quidem à maioribus noſtris conſtitutum eſt, vt ambitus è Repu. tolleretur, ne his qui boni in ciuitate verſantur, cum perditis nonnunquam, flagitioſiſq;, in competendo communis, ac par eſſet conditio. At viris fortibus hac lege nequaquam honoris aditum præcludi voluerunt, ita, vt coercendos illos cenſuerint, qui ſua vel dexteritate, vel prudentia, reipub. periculis, neceſſitatibusq; conſulere poſſent. Iſtis etiam qualibet in vrbe præmia debentur virtutis. Ad quam incitare, ac etiam inflammare mortalium animos ſolet inſitus ille (neſcio quis) gloriæ igniculus, quem vix etiam ſapientiſſimi reſtinguere potuerunt. Vnde nec veſtræ voluntati Carolus rex reluctabitur, ſi veſtro candidiſſimo iudicio huic imperium decernendum duxeritis. Plus nempe veſtræ pietati, prudentiæ, liberalitati, quam ſuæ modeſtiæ dandum intelliget. Nam ſi ſapientem mutare ſententiam quandoq; expedit, minimeq; indecorum habetur, etiam in his, quæ ſub controuerſia, & diſputatione relinquuntur, quanto magis vbi de Reipubl. dignitate, ſalute omnium agitur, ibi pertinacem eſſe non licebit? Qui etiam ad id quod ei gratuito affertur, moroſum ſe præſtat, non caret certe turpiſſimo ingratitudinis, aut ſimulationis crimine. Quare etiam vt candidatus petit, ſi ſponte oblatum, non alacriter amplectitur? Hæc iccirco dixi, ne quis Carolum regem ex illorum numero eſſe credat, qui aliud in fronte, aliud in pectore gerunt. Ille ſeſe aperte imperatorium candidatum profitetur, eaq; in re veſtros calculos, ac veſtrum æquiſsimum iudicium expectat.

Quid autem attinet exhortari vos, vt eum vobis imperatorem deligatis, qui à Chriſtianorum ceruicibus, ab aris, ac templis Dei opt. max. ſine veſtro incommodo, truculentiſsimos ac nepharios hoſtes depellere tam facile poſsit, quam lubens velit? Sciunt omnes immanitatem, rabiem, ferocitatemq; Turcarum. Obtenta Aſia, in Africam moliuntur exercitum, breui quod eis adhuc in Aſia deeſſe videbatur, ferro, ac flamma ſubegerunt. Syriam videlicet omnem, Arabiam denique totam, vniuerſamque Ægyptum. Nolo exaggerare verbis Turcarum potentiam, quandoquidem hanc ipſam rem accurate ſatis proximo Auguſtenſi principum conuentu. Legati Ro. pontificis effinxerunt. Quibus ſi fidem adhibendam cenſetis, mea induſtria nihil addi, nihil excogitari poteſt, quod his tam ornatis, ac magnificis buccinatoribus reſpondeat. Sed per Deum immortalem ò illuſtriſſ. principes, nolite credere quenquam mortalium timeri hoc tempore à Turcis, niſi Carolum regem. Nolite opinari præter hunc ſupereſſe quenquam, qui huius tam periculoſi, & ancipitis belli pondus ſuſtinere queat. Hunc miſsis epiſtolis, de pace atque induciis ſollicitant. Hunc totius Europæ potentiſsimum eſſe palam fatentur. Huius iam vires in Africa magna ſuorum clade experti ſunt. Huius claſſem in mediterraneo mari obuiam ſemper habent. Cum hoc ſibi rem eſſe conficiendam vident. Siciliam, Sardiniam, Corſicam, Calabriam, Apuliamque ex Epyro, ac tota proinde Græcia procul deſpiciunt, ſuoque furori obiectas eſſe vehementiſsime dolent. Peruiis autem Pannoniis, quantum itineris ſpatium interiacere putatis, ſi ex Mæſia aut Macedonia in Germaniam Thurca expeditionem paret? Verum ibi quoque Croaciam, Auſtriam, Charintiamque, velut quendam Germaniæ clypeum obtrudi ſibi conſpicit. Nemo igitur perſuadeat vobis ò principes illuſt. quenquam mortalium eſſe, qui maiore deſyderio ad hoc bellum teneatur, aut qui idipſum pro ſua gloria, & fidei honore, celerius ad rectum finem perducere poſsit. Si ſunt qui de ſe magnifice pollicentur, & fidem ſuam ingentibus promiſsis onerant, cũ nihil adhuc admiratione dignum nauauerint, hi (vt fieri ſolet) tranquillo flumine nauim ducentes, bonos ac peritos ſe naucleros putant. Quantoq; abſunt remotius ab hoſtium conſpectu, tanto audaciores apparere geſtiunt. Qui vero manum admouerit, illum obſeruare vos oportet. Hic ille eſt Carolus rex, quem iam ſæpius honoris cauſa nominandum putauimus. Ille inquam, qui ad iſta fata, deorum immortalium nutu, reſeruatur. Huic, qui fortunam tacite obiiciunt, ipſi ſuam fortunam nondum à tergo inſpexerunt. Nunquam deerit fortuna, ſi ſapientia vtamur. Multoq; præſtat, fortunæ non ſubiacuiſſe, quam ſapientia caruiſſe. Sapientia vero ad principem ſpectat, à quo hæc fere deſyderantur, vt regno ſuo optime præſit, vt ſeniorum & prudentium conſilio Rempubl. adminiſtret, vt à regimine pueros, mulierculas, & effœminatos homines excludat, vt in corrigendo, ſeueritatem iuſtitiæ, cum humanitate coniungat, vt erga bene meritos munificus, & liberalis exiſtat, vt regni opes non facile profundat,

vt patriam

vt patriam immoderatis quæſtubus non expilet, vt iura libertatemq; patriæ, nulla ſpe lucri, aut gratia cuiuſquam flexus diuendat, imminuiue permittat, vt ſeſe omnibus exemplum continentiæ & integritatis exhibeat. Hæc ſunt, quæ bonum imperatorem, ſtrenuumque ducem reddunt, non ea, quæ vulgo magna, & præclara putantur, corporis robur, audacia (quæ & temeritas dicitur) vſus belli, impatientia quietis, tolerantia laborum, & ſiqua alia ſunt quæ hominibus admiranda videntur. Cum ad alias virtutes comparata, ſtatim euaneſcant, atq; obſcura fiant.

Reſtat iam vt de priuilegio Germanicæ nationis in deſignando imperatore, pauca diſſeramus. Et licet iſta pars apud vos multum ponderis, atque exiſtimationis habere merito debeat, à nobis tamen multis verbis pertractanda non videtur. Quantum etiam ad Carolum regem attinet, omnibus credo habunde ſatisfactum eſſe. Interim tamen quid ego de hac re ſentiam, & quid vos ſentire ac ſtatuere velim, breuiter explicabo. Requiritur eligendus à vobis imperator, qui ex Germanica natione ſit oriundus, neque hoc ſolum, verum etiam qui ipſam linguam, moreſq;, ac illum magnanimum & generoſum ſpiritum ex incunabulis exhauſerit. Id ego non ſolum prudenter, & caute, à veſtris maioribus conſtitutum fuiſſe, verum etiam à vobis diligenter obſeruandum eſſe pronuntio. Si enim veſtri honoris, ac publicæ libertatis memores eſſe vultis, nunquam admittetis, vt Germanica natio per vos ſeſe diſpoliatam ſuis priuilegiis lamentari merito poſſit. Ea profecto longo iam vſu apud nos conſenuerunt, & in hunc vſque diem inuiolata perdurant. Nam DCCCC. fere exacti ſunt anni, ex quo Ro. Imperium, maxima gloria noſtra occupamus. Ab illo videlicet die, quo, inclinante Græcorum fortuna, ad Francos Germanos rerum ſumma translata fuit. Non libet hoc loco veterem illam controuerſiam mouere, quæ ſæpius eſt ab eruditiſſimis retractata, quinam priſci illi extiterint Franci. Sed hoc vnum dico, longe à veritate alienos eſſe, qui hos ad Galliam trahere conantur. Quippe cum ante Chlodouei regis tempora, in Galliis habitaſſe Francos nullis hiſtoriis comprobari poſſe certum ſit, at tum Germaniam illos inhabitaſſe conſtat. Et licet Galliis dominarentur, Germaniam tamen aliquando deſeruiſſe, qui affirmat imprudentiſſimus eſt. Id namque & *Francorum Annales* teſtantur, & innumera in ipſorum legibus prodita memoriæ vocabula, quæ Germanicam redolent originem. Huiuſmodi permulta comperiet, ſi quis mihi credere noluerit, in *lege ſalica*, & *Ripuariorum*, deinde in *conſtitutionibus* Caroli Magni, Ludouici, Clotarii, ac Caroli iunioris. Teſtatur præterea frequens, & prope continua illorum apud Germanos conuerſatio, conſeſſuſque. Belgicam enim à Germania non ſeiungimus, moti præter alias cum fortiſſimas, tum efficaciſſimas rationes, auctoritate præclariſſimorum, & ampliſſimorum virorum, P. Cornelii Taciti, Clau. Ptolomei, Strabonis, Eutropii ac aliorum, qui etiam Neruios, Eburones, ac Atrabatas Germaniæ adſcribunt. Quod ſi nulla alia prorſus ratio ſuppeteret, ſatis (vt opinor) fuerit, Germanorum in Gallos mutuum, & inextinguibile odium. Cuius inter priſcos rerum geſtarum ſcriptores, non ſemel C. Cæſar, Tacitus, atque Suetonius meminerunt. Vnde quum & lingua, & moribus, tum etiam conuerſatione à Germanis nihil diſſimiles, ſed arctiſſime copulati fuerint, ſatis probatum puto, hos non modo præiudicium vobis nullum facere verum etiam magnum ſplendorem, atque ornamentum noſtræ nationi adferre. Quare ceſſent Galli de iſtis ſeſe iactitare, tam claris & inuictis principibus, ſola hæc gloria Germanicæ nationi, ac veſtris dignitatibus debetur. Nolite ergo veſtram libertatem, veſtra priuilegia, extranei regis libidini exponere. Cauete quæſo, ne alium Imperatorem pronuntietis, quam è veſtra natione, & Germano ſanguine propagatum. Quando enim vos liberos eſſe ſinent, qui ſuis ſubditis inſolentiſſime & ſuperbiſſime dominantur? Quod ſi vobis in animum venerit (id quod nos vnice à Deo optimo maximo poſtulamus) Carolum regem, vt ſacro Romano imperio regem comitiis Franckefurdenſibus decernere velitis, non dubitamus quin id toti Chriſtianæ Reipublicæ, bene fœliciterque ceſſurum ſit. Veſtris denique dignitatibus, cunctis Germaniæ prouinciis, ciuitatibus, oppidis, gratiſſimum aliquando fructum ſit allaturum. Quandoquidem regem habituri ſitis, quem natura ad id effinxiſſe videtur, vt mortalibus imperio dominetur, conſilio præſit, manſuetudine, ac æquitate adiumento ſit. De quo vere prædicari poteſt, id quod Cyrus Perſarum rex dicere ſolitus fertur, *Imperium ei deberi, qui quibus imperet melior ſit.* Nam præter eas virtutes, quæ egregium imperatorem efficiunt, omnibus fortunæ dotibus, omnibus naturæ ornamentis, præditus eſt. Paternam enim originem, trium Imperatorum ſanguine decoratam; Maternam vero ex illuſtriſſimis & potentiſſimis Hiſpaniarum regibus deriuatam, ſuo ingenito fulgore, velut quoddam luculentiſſimum ſydus illuſtrat. A quibus hæreditario iure ſuperioris, atque inferioris Germaniæ angulos regendos accepit, ita vt intra illos non tam incluſa, quam munitiſſimo quodam vallo ſepta Germania videri poſſit. Qui triplici etiam Hiſpaniæ, latiſſimæ & opulentiſſimæ prouinciæ, iuſtiſſime dominatur, atque auguſtiſſime præeſt. Qui mediterraneum mare, ex Hiſpaniis vſque ad Creten Aſiæ inſulam, ſuis claſſibus nauigat. Qui Sardiniam, Corſicam, Siciliam, Neapolim, Calabriam, Apuliam, Mauris Turciſque oppoſitas, ſumma virtute tuetur. Qui maximam Africæ partem, iuxta Atlantem montem, à columnis Herculis, & initio Gadium vſque ad Tripolim atque Carthaginem, tributariam poſſidet. Qui tanta eſt fœlicitate, vt huic plus vno die terrarum fortuna contulerit, quam potentiſſimi aliquando reges, & expertiſſimi duces, bello ſubiugare longo tempore, ac diuturno labore potuerint. Qui in ea eſt ætate conſtitutus, quæ & vires, & animum cum tempore ipſo ſolet augere. Qui gratia tantum apud Germanos valet, quantum ante hunc nemo alius. Hunc itaque ſi delegeritis regem Romanorum, vobis, totiq;

totiq; Chriſtianæ Reipub. optime conſultum eſſe ſentietis. Imperii fines ampliari, veſtros perpetuos hoſtes profligari, poſtremo infideles, ac barbaros ad fidei profeſſionem venire ſupplices conſpicietis. Quod ita vobis inſpirare dignetur Opt. Max. Deus. Amen. Dixi. Edita Franckefurdiæ, Anno Domini M.D.XIX. IX. Kalendas Iulii.

ACTVS LEGATORIVS REVERENDISSIMI *Cardinalis S. Sixti, Legati à latere, cum Principibus Electoribus.*

REuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes: Leo decimus Pontifex Maximus nuperrime nobis impoſuit, vt ſignificaremus Dominationib. veſtris Reuerendiſſimis ac Illuſtriſſimis, Sanctitatem ſuam nolle occaſionem præbere ſcandalis aut bellis, ſed quietem pacemq; omnium cupere ac procurare. Ea propter & ſpe ſimul componendi negocium Romanæ Eccleſiæ cum Rege Catholico motus; ſperans quoq; Catholicum Regem futurum Apoſtolicæ ſedis optimum & filium & defenſorem, Dominationes veſtras Reuerendiſſimas ac Illuſtriſſimas certiores reddit: quod ſi placuerit illis eligere ſereniſſimum Carolum Catholicum Regem, in Regem Romanorum, non deſiſtant de illius electione propter Romanæ Eccleſiæ iura circa Regni Neapolitani feudum, non obſtantibus hiis, quæ per nos in hac cauſa propoſita alias ſunt. Itaq; nos obedientes (vt par eſt) ſanctiſſimi Domini noſtri præceptis, ſtatim hæc Dominationibus veſtris Reuerendiſſimis ac Illuſtriſſimis ſignificanda duximus. Bene valete. Mocunciæ, die XXIV. Iunii, hora veſpertina, M.DXIX.

Seruitores

Thomas Cardinalis S. Sixti Legatus ad Germaniam M. Protonotarius Caracholus Nunctius.

Illuſtriſſimis ac Reuerendiſſimis Principibus Electoribus S. Romani Imperii congregatis Franckfordiæ, &c.

RESPONSVM PRINCIPVM ELECTORVM AD LEGATum, & Nuncium Summi Pontificis.

REuerendiſſime & Reuerende in Chriſto patres, Domini & amici chariſſimi, ſalutem & obſequendi ſtudium & affectum. Litteras veſtras accepimus, quibus ſcribitis Sanctiſſimum Dominum noſtrum, Dominum Leonem Pontificem Maximum vobis impoſuiſſe, vt nobis ſignificaretis, Sanctitatem ſuam nolle occaſionem præbere ſcandalis aut bellis, ſed pacem quietemque cupere & procurare. Ea propter & ſpe ſimul componendi negocium Romanæ Eccleſiæ cum Rege Catholico motus; ſperans quoque Catholicum Regem futurum Apoſtolicæ ſedis optimum & filium & defenſorem, ſanctitas ſua nos certiores reddit: quod ſi nobis placuerit Sereniſſimum Catholicum Regem Carolum eligere in Romanorum Regem, non deſiſtere debemus, ab illius electione propter Romanæ Eccleſiæ iura circa Regni Neapolitani feudum; non obſtantibus omnibus hiis, quæ per Dilectiones veſtras in hac cauſa alias nobis propoſita ſint, & nos quidem Sereniſſimi Domini noſtri propoſitum in eo laudamus & gaudemus vehementer, quod ſanctitas ſua paci & quieti ſtudet, ſcandaliſq; & bello viam præcludere deſiderat. Nos viciſſim omni vigilantia & ſtudio procuramus cupimuſq;, vt Imperio Romano is præficiatur, qui ſanctitati ſuæ, Eccleſiæ Romanæ, & toti Reipublicæ Chriſtianæ vtilis & fidelis defenſor ſimul & protector futurus ſit. Et idcirco hactenus operam impendimus omnem, impendemuſque in futurum. ſed quia omnia per dilectiones veſtras nobis antea propoſita per breuia Apoſtolica oculatim oſtenſa fuerunt, rogamus vt Dilectiones veſtræ hac in re vel per breues litteras, aut alias quouis modo veſtris Dilectionibus à ſanctiſſimo Domino noſtro transmiſſa & ſignificata; & ſi id vobis graue foret, ſaltem per copias fide dignas quantum huic rei attinet, nos quanto eius certiores reddere non dedignentur. Erit id nobis pergratum omni ſtudio & vigilantia compenſandum. Datum Franckfordiæ ſub Dominationum noſtrarum ſigillis, die XXV. Iunii, Anno M.DXIX.

Sacri Romani Imperii Principes Electores.

N. Cardinali tituli S. Sixti Legato & M. Carattiolo Nunctio Apoſtolico.

IVRAMENTVM PROCVRATORVM BOHEMIÆ PRO *iuſta electione facienda.*

IVramentum præſtitum per dominum de Sternberg procuratorem Bohemorum 27. Iunii, Anno XIX. in libraria Eccleſiæ Sancti Bartholomæi, præſentibus Dominis, Ieronymo Epiſcopo Brandenburgenſi, Laurentio Truckſas Decano Moguntino, Florentino de Venningen Doctore Cancellario Palatino; Friderico Iſone Capitaneo in Wimar, teſtibus vocatis deſuper in eodem concilia ut proteſtatur Principes Electores, quod continuaret diem Electionis vſq; in craſtinum, & deinceps ſi opus fuerit vſq; in finem triginta dierum ipſis in Bulla Aurea conceſſarum.

MANDA-

MANDATVM PROCVRATORIVM COMMISSARIORVM *Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, &c. ad Principes Electores.*

CArolus Dei gratia Rex Caſtellæ, Aragonum, Liguriæ, vtriuſq; Siciliæ, Ieruſalem, Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Galliciæ, Maioricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennæ, Algarbii, Algezire, Gibraltaris ac Inſularum Canariæ, nec non Inſularum Indiarum, & terræ firmæ maris Oceani, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ. Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Luzenburgiæ, Geldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ: Comes Flandriæ, Habſpurgiæ, Tyrolis, Barchinonæ, Atheſii, Burgundiæ; Palatinus Hannouiæ, Holandiæ. Seelandiæ, Ferretis, Niburgii, Namurci, Roſſilioris, Ceritaniæ & Zutphaniæ; Landgrauius Alſatiæ; Marchio, Burgauiæ, Oriſtani & Goceani, ac ſacri Rom. Imperii: Princeps Cathaloniæ. Aſturiæ. &c.

Notum facimus tenore præſentium vniuerſis & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ literæ peruenerint, qui cum nunc poſt mæſtiſſimum obitum Cæſar. Maieſtatis, Domini atq; aui noſtri Colendiſſimi, alius Romanorum Rex ſiue Imperator ſit eligendus, & ſacri Romani Imperii Electores pro huiuſmodi Electione facienda, fide dignorum teſtimonio conuenire intelligimus, poſſetq; contingere, cum nos è Germano ſanguine orti ſimus, ac tot tantaq; denique nunc in Germania tanquam Archidux Auſtriæ poſſideamus, & prædeceſſores noſtri, Romanorum Imperatores hoc ipſum Romanum Imperium iam multis annis bene & feliciter adminiſtrauerint, atque etiam quod nos, ſi hanc Imperialem dignitatem regnis atque opibus noſtris coniunctam haberemus, non ſolum ſacrum Romanum Imperium augere & ſuſtentare, ſed vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ, cui nunc Solimus Turcarum Rex Aſia Africaq; deuictis, hoſtis imminet, ſaluti proſpicere, & conſulere poſſimus, vt iidem ſacro Romani Imperii Principes de nobis electionem in Regem Romanorum facerent, & ex antiqua conſuetudine quilibet Rex, princeps ſiue Dominus, qui per eoſdem Electores Romanorum Rex electus fuerit, in futurum Romanorum Imperatorem coronandus, quod primum poſt electionem factam, abſq; omni properatione & mora immediate debeat in electionem huiuſmodi conſentire, ac decretum ſuper ea ab eligentibus petere, & acceptare, iuramentum debitum & conſuetum præſtare, nec non ipſis principib. Electoribus, priuſquam ſe ingerat adminiſtrationi regni ſiue Imperii omnia eorum priuilegia confirmare & approbare, nec non alia quædam obire, facere, & adimplere, quæ approbata ſunt frequenti & ſolito vſu, circa huiuſmodi tempus electionis fieri debere. Nos vero admoniti diuino oraculo, *Honorem tuum alteri ne dederis*, ſi & in quantum electio præfata de nobis facta fuerit, diuina aſpirante gratia, à qua omnis emanat dignitas & poteſtas, pro beneficio huius Chriſtianæ Reip. pace & tranquillitate ac decore nationi Germanicæ huiuſmodi honorem & faſtigium ſolii Romanorum Regis acceptare omniaq; & ſingula præmiſſa & alia facere & præſtare, quæ fieri debent, vt conſueuerunt ratione Electionis, deliberauimus, & in id propria perſona nequeamus, de probitate fidei, conſtantia atq; rerum experientia Reuerendiſſimi in Chriſto patris Domini Matthæi S. Angeli ſac. Rom. Eccleſiæ Diaconi Cardin. Gurcenſis, Coadiutorem Saltzburgenſ. Illuſtris Principis Friderici Comitis Palatini & Ducis Bauariæ, & Caſimiri Marchionis de Brandenburg, ac Reuerendorum in Chriſto patrum, Principum Erhardi Epiſcopi Leodienſis Ducis de Bullon ac Comitis de Los, & Bernhardi Epiſcopi Tridentini, & Ill. Henrici Comitis de Naſſavv, conſanguineorum noſtrorum, ac etiam Magnificorum, Nobilium, Spectabilium, fidelium nobis dilectorum Maximiliani de Berges, Domini de Stuernberg, militis ordinis noſtri, aurei velleris, Burcardi de Plana, Domini de Larocha; Cypriani de Seretin Cancellarii noſtri Tirolenſis, Pauli de Arnſtorff Commendatoris ordinis Sancti Iacobi de Spata, Iacobi Villiner, Nicol. Zigler, & Ioannis Rennen Cammerariorum, Conſiliariorum, & Oratorum noſtrorum, plenam habentes, & indubitatam confidentiam, ex certa noſtra ſcientia omnibus melioribus, modo, via, iure, omine atque fortuna, quibus melius & efficacius poſſumus & valemus, fecimus & conſtituimus, & ordinauimus; ac facimus & conſtituimus tenore præſentium, eos & quoslibet tres eorum in ſolidum noſtros veros, rectos & legitimos ac indubitatos Mandatarios, procuratores, actores, factores, præmiſſorum ac infra ſcriptorum negociorum geſtores ac nuncios generales & ſpeciales cum plena facultate ſubſtituendi totiens, quotiens nobis opportunum viſum fuerit, & quicquid magis & melius dici & eſſe poteſt, ita quod ipſi omnes aut maior pars vel tres ſaltem ipſorum, vel alii ab eis ſubſtituti noſtro nomine, loco & vice (ſicut eis vel ſaltem tribus eorum noſtram omnimodam & plenam poteſtatem, facultatem, auctoritatem, tenore præſentium damus, concedimus, eligimus, ac datam, conceſſam & elargitam eſſe dicimus & volumus, in præfatorum ſacri Romani Imperii Principum Electorum omnium vel eligentium, ſiue maioris eorum partis de noſtra perſona factam electionem & creationem in Romanorum Regem liberè & aperte conſentiant, & voluntatem noſtram præſtent, decretumque ſuper huiuſmodi electionem petant & exigant, petitumque, & obtentum acceptent, & ſuper accepto in animam noſtram corporale iuramentum in Romanorum Regem Electo in omnibus & ſingulis clauſulis, articulis & verborum expreſſionibus in tali iuramento comprænenſis debitis & conſuetis, ac etiam quæcunque alia neceſſaria iuramenta præſtent & faciant, circa adminiſtrationem & Regni gubernationem tempore abſentiæ noſtræ cum eiſdem Electoribus proloquantur & conueniant, quodque omnium principum Electorum tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium omnia eorum priuilegia, literas, iura, libertates, gratias, immunitates & conſuetudines, dignitates & prærogatiuas, & omnia quæ ipſi & quilibet eorum pro ſe vſque

ad diem Electionis de ſacro Romano Imperio obtinuit, conſecutus eſt, poſſedit, & in vſu habuit, obtinent, poſſident & vtuntur, per literas ſub nomine & ſigillo noſtro, quod eorum fidei conſcius, confirment, approbent, & roborent, noſq; obligent & denuncient, quod nos poſtquam Imperiali diademate coronati fuerimus, iterumq; huiuſmodi confirmationem ſub titulo Imperialis Maieſtatis noſtræ renouare ac etiam cumq; Romanorum Rex & futurus Imperator prænominatos Principes Electores, Eccleſiaſticos & ſæculares, in communi & quemlibet eorum in ſpeciali in eorum priuilegiis, iuribus, iuriſdictionib. minime impedire aut ea diminuere, ſed potius omnia & ſingula clementer adaugere iuxta continentiam Aureæ Bullæ & obligationum deſuper factarum; & quod hæc omnia præmiſſa, quamprimum ad ſacri Imperii loca in Germania peruenerimus, denuo confirmare, renouare & ratificare per manus ſubſcriptionem debeamus & velimus; & generaliter omnia alia & ſingula, quæ ad augmentum Sacri imperii & Germanicæ Nationis, ac conſeruationem ac ſecuritatem liberæ electionis præfatorum Electorum ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus concernunt, ſpectant & attinent, faciant, promittant, obligent, gerant, adimpleant, in præmiſſis omnibus & ſingulis & eorum quolibet, nec non connexis eorundem & emergentibus, quæ veri & legitimi & indubitati mandatorii, procuratores, negociorum geſtores & nuncii tam generales quam ſpeciales, & amplam poteſtatem habentes facere & gerere poſſunt, & quæ nos ipſi, ſi perſonaliter adeſſemus, pro vt negotiorum merita, ſtatus, & conditiones, aut obligationum quarumcunq; tenor requirunt, facere & gerere poſſemus, & ſi mandatum exigant magis ſpeciale, quod eiſdem vel tribus eorum in ſolidum, ac ſi de verbo ad verbum in debitis & requiſitis clauſulis, præſentibus inſertum foret, traditum & conceſſum eſſe volumus, promittentes in verbo Regio & ſub bona fide noſtra ratum & gratum habituros, quicquid per præfatos noſtros mandatorios, procuratores & nunctios, vel ab eiſdem ſubſtitutos, in præmiſſis vel circa actum, factum, præmiſſum & conuentum, obligatum & geſtum fuerit, fideliter obſeruatuos, nec vllo tempore directe vel indirecte clam vel palam contrauenturos, harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri appenſione roboratarum. Datum in ciuitate noſtra Borchinone, die octaua menſis Maii, Anno Domini 1519. regnorum noſtrorum quarto.

Carles.

per Regem.

Hannart. &c.

HERMANNI NVENARII COMITIS INclyti epigramma in defectionem ſolis, & electionem Caroli Regis Romanorum.

DElituit nuper cœli ſub vertice Phœbus,
Occuluitq; ſuum Dælius ipſe iubar.
Emerſit ſubito diuinum Cæſaris aſtrum,
Cumq; nouo rediit Cæſare Phœbus ouans.
Ergo hoc iam conſtat, quo pacto regnet vterq;,
Phœbus apud ſuperos, Cæſar in orbe regit.

Eiuſdem epigramma in Cæſarem & Atlantem.

Magnus Atlas humeris geſtare putatur Olympum,
Quamuis Herculea ſit releuatus ope,
Magnus item Cæſar terrarum ſuſtinet orbem,
Solus, & ex alto pectore cuncta gerit.
Fortior eſt igitur robuſto Cæſar Atlante,
Ille capit ſocium, rennuit iſte parem.

Eiuſdem ad Carolum Regem Romanorum diſtichon.

Dent ſuperi ſanum te vincere Neſtoris annos
Carole, iam nequeunt hi dare plura tibi.

Germania Ambienti Imperium Gallo.

Cum ſis Franciſcus Gallus, Rex Gallice, quum ſis,
Imperium poſcis qua ratione tibi?
Franciſcus nemo eſt hoc Cæſar nomine factus,
Nec Gallus me quis ſoſpite Cæſar erit.
Cæſar Germanus mihi Rex & Carolus eſto,
Quare Franciſce & Galle repulſe vale.

DE ELE-

VII.

DE ELECTIONE ET CORONATIONE CAROLI V. CÆSARIS HISTORIA,

Anno Christi 1519.

EX QVA PATET, QVI RITVS SIVE SOLENNITATES, item quæ conſultationes in Imperatore eligendo & creando obſeruari debeant.

AVTHORE GEORGIO SABINO BRANDENBVRGENSI.

AD CLARISSIMVM VIRVM, DOMINVM DOCTOREM PHILIPPVM BVCHEMERVM, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ALBERTI Cardinal. & Archiepiſcopi Moguntini Medicum,

GEORGII SABINI PRAEFATIO.

CVm mihi ſe præſtent faciles in carmine Muſæ,
Quæ noua ſit forſan cauſa Philippe rogas:
Cur magis hiſtoriæ, quam carminis author haberi,
Poſthabito tandem nunc Helicone, velim.
An, quia nulla manent hoc tempore præmia vates:
Me ſacri titulum vatis habere pudet?
Non ita: Nam dulces amplector, vt ante, Camœnas:
Et plus Aonia me nihil arte iuuat.
At modo plana dedi numeris quod ſcripta ſolutis,
Non leuis authoris iuſſa verenda ſequor.
Scilicet armipotens hoc me Germania vatem,
Hiſtorico filo texere iuſſit opus.
Eſt gelidas inter valles, lucumque ſilentem,
Herbidus ad Viadri rauca fluenta locus.
Hic ego dum ſedeo nemoralibus abditus vmbris,
Blandaque conſueto carmina more cano:
Ecce gerens frameam dextra, parmamque ſiniſtra,
Fœmina caſtrenſi venit amicta ſago:
Atque ita, pone metum: neq; enim, licet arma feramus,
Martia nos tecum bella geremus: ait.
Illa ego ſum genitrix magnorum clara virorum,
Vrbs quibus imperium nunc Tyberina dedit.
Inclyta Teutonicis quæ gentibus indidit heros
Nomina, me natus matre Tuiſto fuit.
Multa quidem geſſi diuerſum bella per orbem:
Multaque ſunt armis parta trophæa meis:
Ipſa meos illuc deduxi inuicta colonos,
Qua rapido ſpumans amne Garumna fluit.
Ipſa Calidoniis incuſſi bella Britannis,
Anglorumque recens nomen habere dedi.
Quid loquar Hunnorum duriſſima regna? quid vrbes
Heſperias? noſtra quas domuere manus.
Hei ſed iniqua mihi ſors hunc inuidit honorem,
Clara voluminibus ne mea geſta forent.
Ecquibus Æneadum non viuit gloria chartis?
Græcia præcones eſt quod adepta ſuos?
At mea laude caret virtus: quia nemo notauit
Res, niſi ſcriptorum barbara turba, meas.

Haud tamen indignor, meritis fraudata quod olim
Laudibus, & nullo nomine clara fui:
Tum populus noſtri de ſtirpe Tuiſtonis ortus,
Nil minus eloquij, quam ſtudioſus, erat.
Non ſacra Muſarum, ſed Martis caſtra, colebat:
Tempora non doctis artibus vlla dabat.
Culta ſed hæc poſtquam ſtudiis effloruit ætas,
Quod merita careo laudis honore, queror.
Nanque meos quamuis multi nunc inter alumnos
Facunda docta Palladis arte valent:
Quamuis eloquij præſtantem dotibus æquant
Cecropium Latio cum Cicerone ſenem:
Nullus in his peragit noſtra præconia famæ:
Nec patriæ curat facta referre ſuæ:
Tu niſi quod tenero cecinisti carmine nuper
Prælia Cæſaribus facta Sabine meis.
Ergo per Aonii te fontis amabile nomen:
Te per Apollineas, quas colis, oro Deas.
Vt patriæ dignas ad ſidera tollere laudes
Primus, & hiſtorici munus obire velis.
Quamuis impariter iunctos deducere verſus
Aptius, inque pedes cogere verba, queas.
Aſpice Pontanum, Sebetida cuius ad vndam
Nobilis hiſtoricum Muſa recepit onus:
Nonne ſenis calamo Patauini bellica ſcripſit
Geſta? licet melior carminis author erat.
Nec tamen immenſa rerum te mole grauabo:
Tantum clara tui temporis acta refer.
Quantas ediderit me Carolus auſpice ſtrages,
Gallica dum regnis expulit arma ſuis:
Egerit & capto quantum de Rege triumphum,
Aurea qui clypeo lilia trina gerit:
Vtque rebellantem Tyberim ſuperarit & Arnum:
Depulerit Libyca victor vt vrbe Scytham:
Duxerit Algera quantas ad littora claſſes,
Maurus vbi rapido ſolis peruſtus agit:
Denique quam celeri virtute ſubegerit hoſtem,
Freta Sicambrorum quo duce terra fuit.
Hæc precor intexas victuris geſta libellis:
Teque ſinas patriæ, quæſo, mouere preces.
Si tamen aut precibus minus, aut pietate, moueris:
Acre tibi calcar fama perennis erit.
Nam bene ſi longa de poſteritate merentur,
Condere quos patriæ non piget acta ſuæ:
Hæc, quibus hiſtoriam referes patriæque triumphos:
Scripta tibi quantum ſunt paritura decus?
Deſierat. Cœpi: faciam matrona quod optas,
Et præſtabo libens omne quod ipſe iubes.
Illud enim quanquam noſtris eſt viribus impar,
Haud tamen impoſitum ferre grauabor onus.
Nec meus egregia conatus laude carebit:
Nam pius eſt patriæ facta referre labor.
Vix ea fatus eram: per opaca deuia ſylua,
In ſua bellatrix illico caſtra redit.
Ergo opus aggrediens: primis exordia cœpi
Regis ab extincto Cæſaris huius auo.
Gallus vt ipſe ſibi deſponderit orbis habenas,
Mortuus Imperii cum moderator erat:
Carolus eximia virtutis & indole princeps,
Vt ſit in auguſta ſede locatus aui.
Hæc modo complexi paruo ſumus acta libello:
Cætera quo referam, grande volumen erit.
Vnica nunc rerum tutela Philippe mearum,
Hoc opus auſpicio nominis edo tui:

Qui

Qui mihi cum tali ſis fœdere iunctus amoris,
Taurica vix noſtram ſoluat vt ara fidem:
Inter honoratos merito tu primus amicos,
Ingenij debes munus habere mei.
Hoc igitur læto, quo conuenit, accipe vultu:
Hoc tibi ſynceri pignus amoris habe.
Quin & contigerint vbi mollia tempora fandi,
Fac tuus vt Princeps hæc monumenta legat.
Eius in hoc ſiunt etiam præconia ſcripto,
Laudatique frequens nominis extat honos.
Nempe quod is fueris ſuffragatoribus author,
Liligero Regi ne ſua ſceptra darent:
Tradere ſed mallent vt Cæſaris illa nepoti:
Teutona ne patrium perderet ora decus.
Quod niſi tam conſtans ac prouidus ipſe fuiſſet:
Publica res quantis nunc foret aucta malis?
Legibus orba ſuis Germania, turpiter eſſet
Iuſſa ſub externi principis ire iugum:
Quique feris Scytha cum gentibus impia iunxit
Fœdera, Cæſareas Gallus haberet opes.
Ipſius æternas igitur teſtantia laudes,
Exhibeas illi ſcripta legenda velim.
Sic triplices ducant tibi ſtamina longa ſorores:
Sic tua ſit felix ſoſpite prole domus.
Sic, alter velut Podalyrius, arte medendi
Languida mortifera corpora tabe leues.

MAMERANVS LECTORI.

HVius te hic admonitum volo, Lector, vt cum in Sabino legis Moguntinum ſimul & Colonienſem Cæſari impoſuiſſe coronam, intelligas parum explorate Sabinum retuliſſe: magiſq; Mauro credendum, qui ipſimet ſui Domini Electoris Conſiliarius interfuit, quam qui relata vel abſens, vel non Officiarius in ea accepit. Nam vere ſcribit Maurus, tres Archiepiſcopos Electores ſimul præſtitiſſe hoc officij. Quanquam ad ſolum Colonienſem ratione prærogatiuæ ſuæ ditionis, in qua Aquiſgranum eſt, ſpectare perhibeant. Cuius tamen officij mirum eſt nullam prorſus in Aurea Bulla Caroli IV. expreſſam fieri mentionem, ſicuti nec de nonnullis aliis quoque non minus neceſſariis, vt opus reformatione aliqua habere videri poſſit.

DE ELECTIONE ET CORONATIONE CAROLI V. IMP. AVG. HISTORIA.

CVm Maximilianus exemptus eſſet rebus humanis, & magno in luctu eſſet Germania: exteri Reges, quaſi cuſtode publicæ pacis à ſtatione remoto, in tanta occaſione rei bene gerendæ non ceſſandum ſibi eſſe ducebant. Alibi Selymus Turcarum Imperator, pacato Regno in Syria & Ægypto, magna felicitate adiecit animum ad Pannonias occupandas, eamque in rem omni cura & ſtudio incumbebat. Alibi Gallus Mediolanum nemine iam aduerſante tenens, & elatus clariſſima victoria, cum triennio ante ingentes copias Heluetiorum profligaſſet, habere ſe occaſionem optatam arbitrabatur, decus ac nomen Imperii ad Gallos transferendi, & recuperandi regni Neapolitani, quod aditum in Italiam, & eam partem teneret, quæ quaſi domicilium fuiſſet Imperatorum. Itaque repente nouas res moliri cœpit: conſcribit exercitus: fœdera cum Burgundis diſſoluit, facit noua cum iis, quorum ſibi profuturam amicitiam exiſtimabat: Et inprimis Pontificem Leonem X. ſibi adiungere ſtudet, vt petitionem Imperii adiuuet. Flagitat etiam ſibi titulum Imperatoris Conſtantinopolitani decerni. Nam vt perſuaderet, ex Republica eſſe, vt Imperium ſibi committeretur, pollicetur ſe moturum eſſe Turcicum bellum, ad quod gerendum maxime profutura eſſet coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ. Neque hæc Romæ tantum aguntur: inuitantur & Veneti ad ſocietatem conſilii: mittuntur Legati in Germaniam, petituri Imperium apud Electores. Interea ſolicitantur & Ciuitates aliquæ in Germania, vt Gallicis exercitibus receptum præbeant, quæ videbantur arces belli futuræ, ſi armis poſſeſſio Imperij tuenda eſſet.

Tali tempore maxime conſpici potuit, quantum ad tranquillitatem & ſalutem orbis terrarum conducat Electorum in Germania conſilium. Cum enim impenderet ingens rerum mutatio, ſapientia, conſtantia, concordia, & fide Electorum, dignitas Imperij, & forma Reipublicæ conſeruata eſt. Statim enim Archiepiſcopus Moguntinus Albertus, Marchio Brandenburgenſis, Cardina-

dinalis titulo diui Chryſogoni, intellecta morte Maximiliani, cum ipſius munus ſit conuocare Electores, ſignificat eis interitum Imperatoris, & Francofordiam eos ad deliberationem de Succeſſore, & ad Electionem vocat. Quos etſi per ſeſe monebat officii ratio, vt electionem maturare ſtuderent: Tamen cum in tantis periculis, quæ videbant impendere, magis etiam properandum eſſe intelligerent: ad dictum diem omnes Francofordiam ad Mœnum conueniunt, videlicet Albertus Cardinalis, Archiepiſcopus Moguntinus, Hermannus Comes de Weda, Archiepiſcopus Colonienſis; Richardus Archiepiſcopus Treuirenſis; Laſſa Dominus de Sternberga, Ludouici Regis Bohemiæ Legatus, Ludouicus Comes Palatinus, Dux Bauariæ; Fridericus Dux Saxoniæ: Ioachimus primus, Marchio Brandenburgenſis. Velut omen fuit fauſtæ electionis, quod nemo Electorum aberat: Sed conuenerant omnes, vt communi conſilio atque animo rem tantam agerent, quæ ad ſalutem totius orbis terrarum, & ad vniuerſam poſteritatem pertineret.

Ac die Iunij XVII. Anni M. D. XIX. in æde diui Bartholomæi Francofordiæ, vt auſpicia horum conſiliorum eſſent felicia, ſacrum de Spiritu Sancto celebratum eſt, in quo ad aram ſtantes Electores ſinguli trabeati, inſpectante Eccleſia, publice iuſiurandum religioſe dederunt, ſe bona fide ſeruaturos decreta de electione, quæ in Aurea Bulla (ſic enim Imperij Conſtitutionem vocant) ſancita ſunt: Et articuli ea de re in Aurea Bulla publice lecti ſunt. Mox ab ara in Sacrarium interius eius templi, vbi veteri more ſolet electio fieri, Principes Electores ingreſſi ſunt: Ibi Moguntinus, vt deliberationem auſpicaretur, hanc ad Collegas orationem habuit: *Vt in publico ſacro vota fecimus, vt Deus gubernet conſilia noſtra de re omnium maxima, videlicet de eligendo Imperatore; Ita nunc poſtquam auſpicato ad hanc difficilimam deliberationem inchoandam inter ipſas aras congreſſi ſumus, iterum precor Deum Optimum Maximum, vt mentes noſtras regat, ad retinendam inter nos concordiam, & flectat, ad eligendum Principem ſalutarem vniuerſo Imperio Romano, ac præcipue vtilem Eccleſiæ Chriſtianæ. Nec dubito, quin vos omnes magna ſolicitudine & pietate, aſſiduis votis idem a Deo petatis. Nulla enim difficilior deliberatio de vlla re humana incidere poteſt, quam de Imperatore eligendo. Nam cæteri Reges non ſuſtinent hoc ingens onus externa regna propugnandi. Noſter Imperator eligitur, vt ſit Dux publici conſilij inter omnes Reges: vt propugnet Italiam, vt tranquillitatem Eccleſiæ præcipuè cuſtodiat. Itaque cum tantarum rerum cura Imperatori commiſſa ſit, non vt in cæteris regnis, naſcuntur ſucceſſores, ſed grauiſſimo conſilio conſtitutum eſt, vt iudicio atque authoritate noſtri collegij quæratur ſucceſſor, qui molem tantarum rerum ſuſtinere poſſit. Equidem agnoſco, huic tam difficili deliberationi nullam humanam ſapientiam parem eſſe: ſed me in his curis præcipue hæc conſolatio erigit, quod cum Imperia diuinitus conſtituta ſint, non dubito, & noſtrum collegium à Deo gubernari; qui, ſi nos legibus noſtris obtemperabimus, ſi pietatem, fidem, & diligentiam, quantum proſpici hominum mentibus poteſt, præſtiterimus, aſpiraturus eſt conſiliis noſtris, vt electio ſit fauſta ac fœlix patriæ, ac vniuerſo nomini Chriſtiano. Deinde ea, quæ in tali ſenatu, & ſummo conſilio orbis terrarum requiri poſſunt, video in vobis eſſe: rerum vſum, ſapientiam, pietatem erga Deum, fidem erga Rempublicam, ſtudium tranquillitatis communis. Cumque præcipue nobis concordia opus ſit, declaraſtis ea in re aliqua ex parte voluntatem veſtram, quod ſine contumacia omnes in tempore conueniſtis. Quamobrem vobis publico nomine gratias ago. Et modo iuſiurandum dediſtis, cum in cæteris articulis obtemperaturos vos eſſe legibus; tum vero in eo, qui ad retinendam communem tranquillitatem præcipue pertinet, vt illi, qui plurium ſuffragiis Rex creatus & renunciatus fuerit, omnes obediant. Quare ſatis promiſſum eſt iureiurando, ne qua publica in Imperio diſcordia oriatur. Hic aditus ad cauſam noſtram, bonam mihi ſpem facit, de cæteris, quæ reſtant, agenda. Sed tamen, vt magis muniatur concordia, duxi initio vos cohortandos eſſe, vt priuſquam in ſuffragium itur, inter nos re diſputata, demus operam, vt omnium ſuffragia conſentiant.*

Multa in hac natione bella ciuilia, plena crudelitatis, & pernicioſa toti orbi terrarum, & antequam concilium Electorum conſtitutum eſt, & poſtea, propter ſucceſſionem, aut ſuffragiorum diſſimilitudinem, in electione exarſerunt. Ludouico Pio filius Lotharius conatus eſt regnum eripere. Capto patre, poſtea Lotharius conflixit cum fratribus, tam atrociter, vt in eo prælio Francorum vires adeo afflictæ ſint, vt poſtea decus Imperij tueri non potuerint. Saxones deinde rerum potiti ſunt, quos exercuerunt aſperrimæ ſeditiones. Aduerſus Henricum primum, Dux Bauariæ Arnoldus bellum mouit, quod tamen moderatione Henrici cito ſedatum eſt. Sequens bellum, quod Lotharingus mouit aduerſus Othonem, vt Francico nomini Imperium reſtitueret, annos durauit ſex, eſtque Germania fœde igni ac ferro vaſtata, donec ad extremum in acie interfectus Lotharingus pertinaciæ ſuæ pœnas dedit. Othonis ſecundi tempore, Galli armis conati ſunt ad ſe transferre Imperium. Othoni Tertio eripere conati ſunt Imperium Henricus Bauarus, & quidam Romæ Creſcentius. Hæc certamina vt caueret ad poſteritatem Otho Tertius, grauiſſimo conſilio & comprobante Romano Pontifice, collegium Electorum inſtituit: cuius collegij ſapientia & fide, iam annos quingentos Imperii poſſeſſio in hac natione retinetur. Quod non modo Germanico nomini glorioſum eſt, ſed etiam toti Europæ multis modis ſalutare fuit. Sæpe enim noſtri Imperatores ex Italia barbaros depulerunt, & pernicioſas mutationes magna virtute prohibuerunt.

Sed tamen aliquoties contentio de regno grauiſſime afflixit Germaniam atque Italiam, præſertim cum aduerſus Henricum IV. virum fortem & impigrum, multi Principes in Germania atque Italia conſpirarunt, qui Rudolpho, duci Saxonum & Sueuorum, tribuerunt nomen Regium. In hoc bello cum eſſent duæ fortiſſimæ nationes coniunctæ, Saxonica & Sueuica, nec poſſet Henricus ſine acerrimis dimicationibus dignitatem ſuam propugnare: ita ab vtriſque dilacerata eſt patria, nunquam vt poſtea priſtinam

nam

tam maieſtatem recuperauerit Imperium noſtrum. Dum enim ciuilibus bellis domi conflictamur, interea Galli bonam Belgici partem & Sequanos inuaſerunt. Denique multis vbique præſidiis atque ornamentis amiſſis, poſtea exteris nationibus opem ferre non potuimus, vt antea, nec Regibus aliis formidabiles fuimus, vt olim. Poteſt & inde æſtimari, quam funeſtum & luctuoſum bellum patriæ fuerit, quod in eo non ſolum multi prophani Principes interfecti ſunt, Rudolphus Dux Sueuiæ, Otho Dux Saxoniæ, & Gerardus Lotharij pater, Egbertus Marchio Miſnenſis: ſed etiam trucidati ſunt aliquot Epiſcopi, quos religio aduerſus bellorum iniurias defendere debebat. Sunt enim occiſi Epiſcopi, Magdeburgenſis & VVormatienſis. Ad hæc mala acceſſit & perturbatio religionum, & Schiſma.

Secutum eſt aliud bellum, ortum ex diſſimilitudine ſuffragiorum in electione, inter Conradum Sueuum, & Lotharium Saxonem: quod, poſtquam multæ vrbes in Imperio vi captæ ſunt, authoritate diui Bernhardi ſedatum eſt. Exarſit multo crudelius bellum inter Philippum & Othonem IV. propter Electorum diſcordiam, Aliquot prœliis victus Otho fugit ex Germania in Angliam. Poſtea aduerſus Fridericum II. à quibuſdam electus eſt Henricus Landgrauius Thuringiæ, qui in obſidione Vlmæ ex vulnere periit. Secutum eſt interregnum, quod durauit annos ferme octodecim: in quo nonnulli Electores accerſiuerunt in Germaniam ad Imperium Richardum fratrem Regis Britanniæ. Interea cum ſine Rege eſſet Reſpublica, non ſolum defecerunt in Italia ciuitates, ſed etiam in contemptum venit apud omnes Germanica natio. Aliquanto poſt, diſſenſio in electione Ludouici Bauari, & Friderici Auſtriaci, bellum ingens excitauit, quorum alter Bohemos, alter Hungarica auxilia in Germaniam adduxit. Ita vtrinq; à Barbaris Germania crudeliter vaſtata eſt. Deinde aduerſus Ludouicum electus eſt Carolus Lucemburgenſis. Neque hæc electio habuit omnium ſuffragia, & ſtatim nonnulli ex Electoribus expetiuerunt Eduardum Angliæ Regem: Alii deinde Comitem Schvvarceburgenſem. Toties inciderunt certamina in hac natione de ſucceſſione, quibus & domi maieſtas Imperii grauiter concuſſa, & interea foris neglecta eſt Reſpublica. Dum enim occupati ſumus ciuilibus bellis, aut fracti domeſticis cladibus, non potuimus reprimere Turcas: quorum potentia nemine obſiſtente, quantum creuerit, videtis. Tot igitur exemplis triſtiſſimis moniti, pertinaciſſime tueri concordiam debemus: præſertim hoc tempore, cum Turcæ nobis bellum denunciant: comminantur ſe non modo Imperium, ſed libertatem & religionem erepturos eſſe.

Etſi autem iureiurando veſtro proſpectum eſt, ne qua ſeditio oriatur, etiamſi ſuffragia non conſentirent: tamen vos ipſi intelligitis, plurimum referre, vt prorſus conſentiant ſuffragia. Nam quamlibet leuis diſſenſio, tamen multas in Rebuspublicis deliberationes impedit, & ſæpe horribiles motus parit. Nec deſunt, qui captant omnes occaſiones diſtrahendæ Germaniæ in diuerſas partes. Multum autem ad illos deterrendos, profuturus eſt conſenſus noſter. Plurimum etiam afferet momenti, ad voluntates Principum ac populi Germaniæ, ad noſtram ſententiam adiungendas. Cogitate omnium Regum ac Principum oculos in nos eſſe coniectos: qui non modo de eo, quiſquis electus fuerit: ſed de nobis etiam iudicium facient: an grauitatem tantam præſtiterimus, quanta in hoc ſummo conſilio orbis terrarum requiritur, an ſaluti orbis terrarum conſulere voluerimus, aut priuatis cupiditatibus morem geſſerimus. Et nos quidem non modo hominum iudicia, ſed multo magis Deum teſtem atque arbitrum harum noſtrarum cogitationum vereri decet, qui cum Imperia conſtituerit ad defenſionem pacis, iuris & religionum, nequaquam vult ea diſcordiis non neceſſariis labefactari, aut diſſipari. Nec dubium eſt cultum Deo gratiſſimum eſſe, ſtudium concordiæ publicæ, præſertim quæ ad Imperiorum conſeruationem pertinet. Quam opinionem, etſi omnibus hominibus oportuit infixam eſſe, tamen viros Principes ita amplecti decet, vt in publicis conſiliis nunquam ab ea deflectant, vt omnes deliberationes atque actiones referant ad communem concordiam retinendam. Ego quidem mori malim, quam author eſſe publicæ inter Electores diſcordiæ. Quare ſententiam meam re diſputata libenter cum veſtra coniungam, vt conſentientibus ſuffragiis, id quod optimum erit, Deo adiuuante, ſtatuamus.

Velim igitur prius nos de vniuerſa Republica colloqui, quam in ſuffragia eatur. Eſt enim diſputandum etiam, quarum rerum curam Imperatorem maxime ſuſcipere velimus: quas Imperij partes ſanare initio neceſſe ſit: quomodo conſtituenda iudicia in Imperio, & pax munienda ſit. Et ſunt alia multa, de quibus expedit noſtras opiniones conferre. Locus impoſuit mihi neceſſitatem dicendi, & inchoandæ huius deliberationis. Cæterum meum iudicium non antefero, voſque pro excellenti ſapientia & grauitate veſtra ſcio venire huc paratos & meditatos. Quare ſententias veſtras audire maxime cupio, voſque rogo, vt orationem meam profectam ab animo & amante Reipublicæ, & de vobis amanter & honorifice ſentiente, boni conſulatis. Etſi autem fortaſſe non neceſſaria fuit hæc cohortatio: Noui enim voluntates veſtras, ac ſæpe comperi, vos concordiæ publicæ cupidiſſimos eſſe, & multa nos fœdera coniungunt, cognatio, ſocietas religionis, & huius noſtri ampliſſimi Collegij, tamen huic tempori videbatur apta hæc oratio. Nunc enim toti orbi terrarum maxime opus eſt noſtro conſenſu.

Hæc cum dixiſſet Moguntinus, congreſſi reliqui Electores, breuiter colloquuntur, & cum adhortationem de retinenda concordia in tanto publico periculo gratiſſimam ſibi fuiſſe, oſtendunt: tum vero ſapientiam Moguntini laudant, quod & dux publici conſenſus eſſet, & monſtraret viam, qua diſſenſio caueretur, ſeque omnes profitentur aſſentiri dictæ à Moguntino ſententiæ, & ſummo ſtudio daturos operam, ne ſuffragia diſcrepent. Hæc iubent communi nomine omnium dici à Ioachimo I. Marchione, cui libenter has dicendi partes tribuebant cæteri Principes, propter excellentem eloquentiam. Erat enim tum quidem ea virtus & grauitas Principum, vt ſine inuidia ſingulis concederentur ſuæ laudes, nec parum ad communem ſalutem tum quidem profuit, quod adhuc priuatim magna inter ſe beneuolentia deuincti erant, quam & Reipublicæ

cauſa diligenter tuebantur: Et quia veteri Germanorum more ſentiebant, bona fide amicitias colendas eſſe. Et erat ea magnitudo animi, non ſolum vt priuatas ſimultates nullas afferendas eſſe ad publica conſilia ducerent: ſed etiam vt nullas admitterent in animos aduerſus cognatos, præſertim in Republica coniunctos. Sed ab hac virtute quantum degenerauerit ſequens ætas, non libet hoc loco commemorare. Videmus enim in multis magnis Rebuſpublicis conſilia priuatis odiis impediri. Sed redeo ad hiſtoriam.

Cum Ioachimus Marchio, Moguntini frater, dixiſſet communi omnium nomine, aſſentiri omnes dictæ ſententiæ, vt prorogato die ſuffragationis, poſtridie ad deliberationem conueniant. Interea venerant Moguntiam Legati Caroli Archiducis Auſtriæ & Burgundiæ, & Regis Hiſpaniæ: Matthæus Epiſcopus Gurcenſis Cardinalis, Fridericus Comes Palatinus, Dux Bauariæ, Caſimirus Marchio Brandenburgenſis, Henricus Comes Naſſauienſis, & his adiuncti Conſiliarij aliquot. Hi nomine Regis Caroli modeſte petebant, vt eius in electione ratio haberetur: *quoniam & indole ad virtutem egregia eſſet, & religionem ac iuſtitiam ſummo ſtudio coleret: Natura vero à crudelitate, & ab obſcœnis libidinibus abhorreret: & iam ſpecimen dediſſet induſtriæ, fortitudinis, & felicitatis ſuæ in occupandis Hiſpaniæ regnis.* Cumque de eius ingenio ſpes eſſet optima, pollicebantur potentiam, qua cæteris Principibus antecelleret, futuram eſſe præſidio Germaniæ, & vniuerſo nomini Chriſtiano. Admonebant etiam Electores, à Maximiliano Imperatore, nepotem ipſis commendatum eſſe, cuius memoria ipſis, propter excellentem eius virtutem & ſapientiam gratiſſima eſſet. Tanta autem in Maximiliano grauitas fuit, tantus amor patriæ & communis ſalutis, vt niſi probaſſet ingenium nepotis, & iudicaſſet profuturam orbi terrarum electionem ipſius, non fuerit eum commendaturus Electoribus.

Hæc cum Legati Auſtriaci Electoribus ſignificaſſent, poſtea Moguntiæ cum ſumma modeſtia euentum electionis expectabant: nulla præſidia comparabant, ne quid contra Electorum libertatem in interregno moliri videretur. Erant & Confluentiæ Gallici Legati, qui priuatim ingentibus promiſſis, animos non Electorum tantum, ſed etiam aliorum Principum & Ciuitatum, conciliare Regi Franciſco conabantur: diſputabantque, *nihil contra leges facturos Electores, ſi Francorum Regem deſignarent Imperatorem, quod Francorum Reges à Germanica ſtirpe orti ſunt. Addebant olim tantam fuiſſe coniunctionem vtriuſque gentis Gallicæ & Germanicæ, non vt diſtracta in duo regna fuerint, ſed velut vnum regnum ſub iiſdem ſignis, ſub eodem Rege Francorum, ſocia arma geſſerint: domi iiſdem legibus, eodem iure, gubernata ſint, eamque coniunctionem primum glorioſam fuiſſe Germanico nomini. Deinde etiam ſalutarem vniuerſæ Europæ ac præcipue Eccleſiæ. Nam Imperij decus initio partum vtriuſque nationis virtute, poſtea Germanos, quaſi vſucapione retentum poſſediſſe. Quantum vero profuerit coniunctio Galliæ & Germaniæ initio, inde æſtimari poſſe, quod cum Italiam alibi Saraceni popularentur, alibi vero Longobardi, non contenti finibus ſuis, Romam ipſam, arcem & caput Chriſtiani nominis in Europa, in barbaricam ſeruitutem redigere conarentur: diu quaſſatæ Italiæ, hæc vna res, videlicet coniunctio Galliæ & Germaniæ, optatam pacem attulerit: quæ durauit annos fere centum, quoad familia Pipini & Caroli Imperium tenuit. Defenſas eſſe, aut pacatas a nobis communiter, & alias regiones in Europa: Saracenos ex Hiſpania effuſos in Galliam, fuiſſe repreſſos, liberatam Germaniam terrore Hunnorum. Sed ſi vnquam, nunc maxime optandam eſſe coniunctionem Galliæ & Germaniæ, ad reprimendam barbariem Turcicam. Tenere autem Regem Franciſcum etiam bonam Italiæ partem, & habere ſtudia reliquorum Italorum. Semper Gallicos Reges Romanam ſedem ſingulari pietate veneratos eſſe. Quare & erga Regem Franciſcum & Gallicum nomen, optimam eſſe hoc tempore Romani Pontificis voluntatem, nec vero aliam vllam oſtendi poſſe expeditam rationem belli aduerſus Turcicam nationem gerendi, quam ſi communibus opibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ res ſuſcipiatur. Has regiones propter opportunitatem locorum, propter copias & exercitus, etiam antea viſas eſſe inprimis idoneas ad hoc bellum gerendum. Nam & Sigiſmundi Imperatoris tempore exercitum contractum fuiſſe ex Italis, Gallis & Germanis. Ad hæc quod claſſem ita inſtructam habeat Gallia, vt ſi Veneta claſſis adiuncta fuerit, non dubium ſit, mari toto, quæ velint littora, quas oras, inſulas, portus, tuto petere & oppugnare poſſent.*

Porro ſi tanto bello Dux quærendus eſſet, Rempublicam ipſam flagitaturam eſſe regem Franciſcum: Quia non ſolum authoritate reliquos Principes anteiret, ſed etiam vſu & peritia rei militaris. Nec deeſſe eius virtuti felicitatem. Quantas enim res geſſiſſet, dum recuperaret Inſubriam, omnibus notum eſſe: quanta felicitate maximas hoſtium copias profligaſſet, quoties toto triennio dimicaſſet acie. In his rebus cum felicitas eius conſpici potuerit: tum vero virtus, magnitudo conſilii atque animi, laborum tolerantia, diligentia in omnibus rebus prouidendis, quæ ad Imperatoris curam pertinent, tanta fuerit, vt peritiſſimorum confeſſione, nemo ei Ducum hoc tempore anteferendus ſit. Etenim quod hoc bellum non tantum auſpiciis ipſius, ſed etiam conſiliis & ductu geſtum fuerit: ipſe loca caſtris ceperit: intentus fuerit in occaſiones pugnandi: prouiderit, vt non hoſtis arbitrio, ſed ſuo dimicaret: rationem inierit, quarum arcium oppugnatio tentanda eſſet, vbi hoſtis elici poſſet.

Quia vero in Imperatoribus non minus felicitas, quam fortitudo ſpectanda ſit, hactenus Deum faueſſe inceptis Regis Franciſci: & in ſpem omnes adduci, propter cæteras eius virtutes hanc felicitatem diuturnam fore. At nihil eſſe, quod Germanici Principes accerſito Rege Galliæ metuant veteri ſuæ libertati, cum & Rex ſua voluntate, leges & inſtituta maiorum, libenter obſeruet: Et Electoribus permiſſurus ſit, vt conditiones ferant, quas eum in accipiendo Imperio ſeruare velint. Quia Rex non aliam ob cauſam petat Imperium, niſi quod toti nomini Chriſtiano, hanc Galliæ Germaniæque coniunctionem,

maxime profuturam eſſe iudicet. Quæ coniunctio non eſſet diuturna & ſtabilis futura, ſi alterutri nationi libertas eriperetur. Eamq; ob rem promittebatur, Regem non collocaturum eſſe Gallica præſidia in Germania, ſed Germanicos exercitus ſuo ſtipendio conducturum eſſe, quibus de conſilio Principum, duces Germanici, quorum virtus & fides probata eſſet, præficerentur. Oſtendebatur etiam, quas commoditates allatura paulatim eſſet Principibus hæc nationum coniunctio, olim ſub Carolo Magno aliqui Principes tenuiſſent amplos Principatus, in vtroq; regno.

Hæc fere ſumma fuit Gallicæ Orationis, cui erat adiecta adhortatio, vt Electores non amitterent hanc occaſionem coniungendæ Germaniæ cum Gallia, quod ea res Germanis eſſet futura glorioſa, qui hac virium acceſſione facta, multo eſſent futuri ad res maximas gerendas inſtructiores, & quod ad defenſionem Europæ, & ad Chriſtiani orbis tranquillitatem, nihil hac coniunctione poſſet vtilius cogitari ac reperiri.

Recitatis Legatorum literis, breuiter reſponderunt Electores: gratam ſibi eſſe beneuolentiam Regum, erga nomen Germanicum, ſed de electione ſe, Deo adiuuante, optima fide facturos eſſe id, quod poſtularent leges, & inſtituta maiorum, & religio iuriſiurandi, quod dediſſent. Miſerat autem Gallus paulo ante Legatos in Heluetiam, petieratque indici conuentum, quod pro veteri amicitia quæ Heluetiis fuit cum Gallico regno, quædam ad vtilitatem Europæ pertinentia, ad ipſos referre cuperet. Indicto conuentu, expoſuerant Legati, Regem Franciſcum re deliberata cum ſummis Principibus Chriſtianis, adhortatione etiam quorundam quorum præcipua ſit authoritas & voluntas erga Rempublicam Chriſtianam optima, conſtituiſſe, petere ab Electoribus, vt deſignetur Romanus Imperator. Commemorant, nihil vi, nihil per ſeditionem facturum eſſe contra Germanorum libertatem, ſed Electorum ſuffragiis, & autoritati Pontificiæ rem permiſſurum eſſe. Sed ad hoc conſilium initio adiungendos duxiſſe Heluetios, vt ſi Electorum ſuffragiis fuerit electus, ipſi non aduerſentur, ſed potius ſint in partibus, & hanc electionem vna defendant. Quod vt faciant, non modo vetus cum Gallis amicitia, mutuis vtriuſque gentis beneficiis confirmata, eos hortetur: ſed etiam ſalus totius Chriſtiani orbis. Quia hæc petitio præcipue hanc ob cauſam inſtituta ſit, quod ad pacem in Europa conſtituendam, & ad depellendos Turcas. nihil cogitari accommodatius poſſit, quam coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ: quæ ſi procederet, bellum terra mariq; aduerſus Turcas, rex moturus eſſet. Eſt autem Heluetiæ ſitus opportunus, primum ad Italiæ tranquillitatém defendendam, deinde ad expeditiones ad vicina Italiæ loca ſuſcipiendas. Itaq; ferebant Regem adiuncturum eſſe Gallico equitatui, Heluеticum peditem, idque robur ac neruos Chriſtiani exercitus fore. Non. n. dubitabat rex libenter venturos in ſocietatem periculi generoſos Heluetiorum ſpiritus: quia nulla ætate iuſtius, aut magis neceſſarium bellum vnquam geſtum ſit. Depellendus eſt à noſtris ceruicibus hoſtis, qui non de gloria Imperii, vt veteres Monarchæ, bella gerit, ſed vt religionem Chriſtianam deleat: vt vniuerſam diſciplinam ciuilem, vt iura matrimoniorum tollat: vt ad ſtupra noſtras coniuges ac liberos rapiat: liberandæ ſunt hac miſerrima ſeruitute gentes vicinæ, quæ nobiſcum religione, & aliis multis fœderibus antea coniunctæ fuerunt. Hæ ſunt cauſæ graues & iuſtæ viris fortibus arma capiendi. Quare non dubitare ſe aiebant, quin Heluetii huius militiæ decus maxime expeterent. Cum autem electio illa his tantis rebus gerendis opportunitatem allatura eſſet, debere Heluetios quoque ſuis ſtudiis ac ſignificatione voluntatis, eam adiuuare. Poſtremo pollicebantur, regem, ſi eligeretur, gentis Heluеticæ libertatem nulla in re labefacturum eſſe, ſed potius confirmaturum, & multa additurum eſſe commoda, atq; ornamenta, ſi Heluеticorum virtus & fortitudo non eſſet communi ſaluti nominis Chriſtiani defutura.

Hæc cum Gallici Legati commemoraſſent, quanquam priuatim multos ingenti pecunia & nouis largitionibus obligatos tenebant: tamen honeſti viri delecti ex ciuitatibus modeſte reſponderunt, ſe non impedituros libertatem Principum Electorum, nec ſignificatione aliqua voluntatis ſuæ, aut terrore vllo, præbituros occaſionem turbandæ tranquillitatis Germaniæ, quam agnoſcerent patriam. Deinde cum nominatim Heluеtico fœdere exceperint Romanam Eccleſiam, & Romanum Imperium, profitebantur ſe nihil contra Romani Imperii Maieſtatem facturos eſſe. Pertinet autem ad Maieſtatem libertas Principum Electorum.

Ita Gallis dimiſſis, ſcribunt Heluetii literas ad ſingulos Electores, in quibus commemorant, ſe ſcire quam vehementer ambiat Gallus Imperium, & quod multorum animos ea de re ſollicitet. Narrant etiam quæ apud ipſos petiuerit, quidque ipſi reſponderint. Deinde exponunt, ſe defugere omnia conſilia, quæ videantur eſſe contra Germaniæ tranquillitatem. Et negant ſe vlla in re libertatem Principum Electorum impedituros eſſe. Adiiciunt dehortationem ne ad Gallos transferatur Romani Imperii decus, neue moueantur Principes opibus aut viribus Gallicis, quia adhuc in Germanica natione tantum ſit conſilii, & virium, vt nihil opus ſit exteros Reges accerſere. Poſtremo hortantur, vt aliquis eligatur ex Germaniæ Principibus, & pollicentur, ſua arma non defutura eſſe defendendæ tranquillitati Germaniæ.

Scribunt & ad Leonem X. Romanum Pontificem, & petunt, ne ſit auctor Electoribus eligendi Regis Franciſci, quod Gallorum dominatio in Germania paritura eſſet ingentia bella, & futura exitioſa vtriq; nationi. Nec impliciti Galli Germanicis bellis, Italiam defenſuri eſſent, aut alias res vtiles nomini Chriſtiano moturi.

Ad has literas Romanus Pontifex reſpondens, narrat in fœderib. quæ Romana ſedes habeat cũ

L 4 Regibus

Regibus Neopolitanis, cautum eſſe, ne quis ſimul Romanum Imperium teneat. Cum autem ſibi Romanæ ſedis priuilegia religioſe & ſumma ope tuenda ſint, ea de re certiores factos eſſe Electores, ne quid fieret contra libertatem & commodum Romanæ ſedis. Quod autem alium quendam Principem euehendum eſſe ad faſtigium Romani Imperii magis ſenſerit, adductum ſe non priuata beneuolentia, ſed certo iudicio, quod cognouerit eum excellenti ingenio, induſtria, & magnitudine animi præditum eſſe, & cupere potentiam ſuam ad communem ſalutem conferre. Hanc excuſationem ſcripſit ad Heluetios Leo Pontifex, omiſſis regum nominibus.

Etſi autem intellexerant Electores, quæ omnium Regum vbique terrarum vel ſtudia eſſent, vel expectatio de hac electione, & quo ſingulorum voluntates inclinatæ eſſent: ipſi tamen ſumma cum grauitate cauebant, ne ad vllum inflectere ſe quiſquam videretur, ante ſuffragationem. Nemo vllas aluit factiones, nemo parauit ſui ſuffragii defenſores, ſed integris animis conuenerunt in colloquium Electores, e quibus Moguntinus, vnus omnium grauiſſimum onus ſuſtinebat. Nam cum primus ſententiam dicturus eſſet, laborandum ei fuit, non modo vt ſuffragio ſuo aliquem nominaret. ſed etiam cauſas ſuæ ſuffragationis exponeret, vt reliquos ad ſuam ſententiam adiungeret. Iaque prius cum Friderico duce Saxoniæ de vniuerſa Republica Chriſtiana & omnibus Imperii Germanici partibus colloquitur, & his congreſſibus totas impertit noctes, ac re diligenter diſputata, huic oſtendit, maxime è Republica ſibi videri, vt Carolus Archidux Auſtriæ eligatur. Idem cum videretur duci Saxoniæ, iubet eum conſtanter in ſententia manere, vt conſenſu ſuo dubitantes inuitarent, & repugnantes vincerent.

Cum igitur conſtituto die ad deliberationem Electores in curiam Francofordiæ (quæ dicitur Romana) conueniſſent: Moguntinus bene paratus, orationem habuit in hanc ſententiam: *Non dubito equidem, Principem orbi terrarum diuinitus dari: tamen cum noſtra ſuffragatio requiratur primum oro Deum Optimum Maximum, vt mentes noſtras gubernet. Deinde cenſeo, nobis quoq; diligentiam & fidem præſtandam eſſe, vt quantum à nobis prouideri poteſt, maxime idoneum eligamus, qua in re primum habenda eſt ratio legum noſtrarum, & iuriſiurandi. Et quoniam hic congreſſus inſtitutus eſt, non vt ſuffragia feramus, ſed vt libere colloquamur, cum de vniuerſa Republica, tum de electione: dicam quid mihi maxime videatur è Republica eſſe. Etſi autem mirifice angor animo, de euentu electionis: tamen hæc res nonnihil leuat animum meum cura, quod antea polliciti eſtis, vos non commiſſuros eſſe, vt ſuffragia diſſentiant. Diſputabo igitur liberius, voſq; vt idem faciatis, adhortor. Deinde collatis opinionibus ſine priuatis affectibus, vt decet Principes, quorum ſapientiæ & virtuti res omnium maxima commendata eſt: vnam ſententiam eligemus, quæ videbitur vtiliſſima vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ. Exiſtimo vos omnes de tribus ſententiis diſputare: An rex Galliæ ſit ad Imperium accerſendus, aut Carolus Rex Hiſpaniæ: an vero ſatius ſit, aliquem eligere ex cæteris Germaniæ Principibus, qui virtute & potentia aliis antecellere videatur. De his omnibus exponam breuiter meam opinionem.*

De Gallo arbitror nos impediri noſtris legibus & iureiurando. Eſt enim diſerte conſtitutum, ne extero, ſed Germanico Principi Imperium commendemus, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur, & non modo Germania veniat in ſeruitutem, ſed etiam in Italia, aut ſtatu Eccleſiæ, mutatio ſequatur. Nec vero dubium eſt, regem Gallicum eſſe peregrinum Principem, & eo appetere hoc faſtigium, vt ad ſuos transferat: ſicut idem maiores ipſius ſæpe armis ad ſe retrahere conati ſunt. Nec ſine acerrimis dimicationibus, Carolus Craſſus, & Othones, poſſeſſionem Imperii in Germania retinuerunt. Quod autem aliqui referant vetuſtam originem Francorum regum ad Germanos, hæc leuiora ſunt, quam vt Principes tanta ſapientia & grauitate præditos, mouere debeant. Conſtitutio poſtulat talem eligi, qui vere ſit heres alicuius ditionis, quæ huic noſtro Imperio paret. Alioqui ſi illæ veteres fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterunt a Turcis Troiam repetere, atq; à nobis Imperium: quia perhibent ſe ab Hectoris filio ortos eſſe.

Cum igitur conſtet, excludi Gallicum regem conſtitutione publica, quam iurati in electione ſequimur: nihil opus eſt longa diſputatione. Quanquam etiamſi natio nihil impediret, diſſuaderem hanc electionem. Primum enim in Germaniam adducendus erit Gallus. Quantum ea in re periculi erit, cum exercitus peregrinus diſtribuetur in vrbes Imperii? An ſuperbiam & libidines equitum Gallicorum ciuitates ferent? Sed aliud impendet grauius malum. Veniet inimicus Carolo, quod ne cui dubium ſit, iam bellum denunciatum eſt: antiqua fœdera Burgundiorum & Gallorum reſciſſa. Bellum etiam Neapoli inferre decreuit. Itaq; cum detrectabunt Imperium Gallorum Auſtriaci & Belgæ, & habebunt alii aliorum Principum ſtudia atq; auxilia: videbitis arſuram ciuili bello vniuerſam Germaniam.

Porro cum alia nobis proſpicienda ſunt, tum hoc natura primum eſt, ne noſtra electio ciuile bellum in Germania accendat. Iam ſi Gallum elegerimus, oportebit nos ſuffragia noſtra tueri. Vbi ſi incidet diſcordia cum Auſtriacis, num arma geremus ad opprimendam domum Auſtriæ? Nec nos vetus neceſſitudo, nec ſanguinis coniunctio, nec merita & nobilitas domus Auſtriacæ, deniq; non Maximiliani manes à tanto ſcelere deterrebunt? Deinde oppreſſis Auſtriacis, an putatis libertatem cæteris Principibus in tuto fore? Vt Mediolanum non reddet vnquam Germanis, ita vbi poterit, Gallorum potentiam augebit. Nihil me illa magnifica promiſſa mouent, quæ audiſtis. Non pacta, non Leges, plus valent, quam iracundia, ſuperbia, ambitio victoris. Scimus Gallum in patria, quam natura amare debebat, quoſdam iam Principatus rapuiſſe: breuiq; orbatam videbitis Principibus vniuerſam Galliam. Eſt omnino Gallus excelſo animo præditus, ſed nimis cupidus Monarchiæ. Nos autem, niſi Ariſtocratiam Principum in Germania omni conſilio, omnibus viribus ac neruis tuebimur, male conſulemus vniuerſæ poſteritati. Minus etiam mouent me illa glorioſa promiſſa de bello Turcis inferendo. Equidem agnoſco coniunctionem Germaniæ, Italiæ, & Galliæ, ma-

gnum

gnum ac ſalutare præſidium Europæ eſſe: ſi quis teneret pacatas & obedientes. Sed Gallus nihil gerere adverſus Turcas, aut volet, aut poterit, niſi prius domitis in Germania Belgis, in Italia vero recuperata Neapoli. Has ad res armare Gallum, hoc eſt, ad crudele bellum in ipſo Imperio excitandum, noſtra autoritas nequaquam debet. Nec eſt, quod mihi quiſquam obiiciat, vaticinari me de rebus ambiguis. Ego vero certa & explorata commemoro. Iam enim, vt dixi, bellum denunciatum eſt, conſcripti exercitus: quos tamen fama noſtræ electionis, ſi alius fuerit Electus, facile reprimet. Quare vt finiam hanc diſputationem, primum lege & iuramento impediri nos cenſeo, ne regem Gallicum Franciſcum ad Imperii faſtigium euehamus: Deinde etiam, ſi eligere eum liceret, cenſeo non eſſe è Republica, ſed futurum exitiale Germaniæ & fortaſſis vniverſæ Europæ. Quare profiteor me ſuffragio meo nequaquam accerſere Gallum ad Imperium.

Reſtant duæ deliberationis partes, an Carolus ſit eligendus, aut alius quiſpiam Germanicus Princeps. Hæc deliberatio multo mihi difficilior eſt. Nam de Carolo opinor pleroſque veſtrum, propter multas graues cauſas dubitare, quæ etiam meum animum nō leuiter mouent. Primum Hiſpania longe diſſita eſt à Germania, quod vt libertati noſtræ tutius videtur, ita ſi Carolum detinebunt Hiſpaniæ, interea ſine præſidio, & ſine cuſtode publicæ tranquillitatis erit Germania. Et vel Turcici belli cauſa, vel propter domeſticos Principum tumultus, neceſſitas publica flagitat, vt velut in ſtatione adſit Imperator. Quid? ſi etiam ſubito de Imperio, aut de religione, exarſerit aliqua ſeditio? Equidem perhorreſco, cogitans quantum tunc habitura ſit periculi hæc natio, abſente Imperatore: Fateor huius periculi cogitatione angi animum meum. Aliud leuius eſt, ſed tamen non contemnendum. Si enim iratus aliquando in Germaniam veniret, & Hiſpanos adduceret, libertas noſtra non eſſet in tuto. Fortaſſis & Hiſpani difficulter nobis reſtituent Imperii decus, poſtquam ſemel in hanc poſſeſſionem venerint: præſertim cum aditum ad Italiam eis patefaciat. Et cum ſuo ſanguine recuperabunt Mediolanum, non ſine certamine inde nobis ceſſuri ſunt.

Videretur igitur tutius, omiſſis exteris Regibus, eligere aliquem, prudentia, iuſtitia, fortitudine, & fide præſtantem virum, ex reliquis noſtris Principibus, vt ſæpe maiores noſtri fecerunt: qui plerunque virtutem in electione magis ſpectaſſe, quam potentiam videntur. Agnoſco id quidem, ſed tunc populi Germaniæ minus erant contumaces. Facile erat, vt dicitur in Prouerbio, Imperium in bonis. Nunc autem quid fieret, ſi electo Imperatore infirmo, nec Belgæ, nec Auſtriaci parerent? Et vt futurum non dubito, ſi bellum inter duos Reges, Gallicum & Hiſpanicum, in Belgico, aut in Italia orietur, an Imperator, velut otioſus ſpectator, fineret duas exteras nationes diripere bonam imperii partem. Quid? quod ipſi Principes Germaniæ, vt nunc ſunt mores, ſpreto ſuo Imperatore, alii ſe cum Auſtriacis, alii cum Gallis coniungunt. Vt igitur leporem dicuntur fruſtra concionari leonibus: ita ſedebit noſter Imperator, velut lepus, edicta componens leonibus, videlicet iſtis Regibus, quæ edicta derideant omnes exteræ nationes. Minus periculi fuit, cum regnaret Fridericus III. & tamen dedecori nobis fuit, tunc Burgundum ferre ſigna per bonam Germaniæ partem: Philippum Mariam impune graſſari in Italia: Alibi etiam circumſederi Imperatorem in ipſa Auſtria: nec ſine Bohemicis auxiliis liberari. Poſtremo ab Hungaris pelli Auſtria, & eiici ex ſuis laribus, cum quidem ea ætate haberet coniunctos Principes, meum auum Marchionem Albertum, fortem & ſapientem virum, & Albertum Saxoniæ Ducem. Quid nunc fieret, cum exteri Reges haberent alii alios Principes ſtipendiis obligatos? Et quam multæ cauſæ incidere poſſunt, vel Principibus, vel ciuitatibus detrectandæ obedientiæ? Videntur etiam de religione impendere horribiles tumultus. Sunt enim ſemina iam ſparſa de indulgentiis, de poteſtate pontificia, de autoritate Eccleſiaſticarum traditionum: quæ etiamſi adhuc ſanabilia exiſtimantur, tamen paulo poſt, magnam mutationem vniverſæ Eccleſiæ afferent. Nullum enim doctrinæ genus maiore applauſu exceptum eſt, quam hoc. Et quotidie plura dogmata mouentur, irritantur ingenia ferociſſimarum gentium in Germania, Saxonicæ & Heluetica. Nec poterit ſine Synodo tranquillitas Eccleſiæ reſtitui. Quæ autem erit infirmi Imperatoris autoritas, vel in petenda Synodo, vel in defendenda: præſertim ſi cæteri Reges aduerſabuntur. Nihil enim de Turcicis bellis dicam, etſi noſtrum eſt, non modo de defendendis finibus noſtris, ſed etiam de liberanda Græcia cogitare. Quam ad rem opus eſt multarum nationum copiis, & viribus: quas contrahere Imperator, ſi parum habeat autoritatis, non poterit.

Hæc atque alia multa, meum animum adducunt, vt in hac electione potentiæ rationem ducendam eſſe iudicem: niſi Imperatorem velimus habere, qui titulum & vmbram Imperii, ſine autoritate, ſine viribus gerat. Itaque antefero Carolum Archiducem Auſtriæ cæteris Germaniæ Principibus: & incommoda, quæ de illius electione colligi poſſunt, leuiora iudicio omnibus, quæ alterius cuiuſquam electionem ſecutura eſſent. Primum origo eſt vere Germanica: nec dici poteſt, nos transferre Imperium ad exteros, titulo tenus Principem habere Germanicum. Poſſidet enim in Germania ditiones plurimas, quæ parent noſtro Imperio, & quarum aliquæ antea pepererunt Imperatores. Nec credibile eſt, hoc animo eſſe Carolum erga patriam, vt velit Auſtriam, aut Belgas, opprimi ſeruitute ab vlla extera natione. Ergo de origine Caroli nulla diſputatione opus eſt. Et ſi quis ſcrupulus eſt, ne transferatur Imperium ad exteros, habemus ſolennem formulam iuriſiurandi, iuxta quam fidem dabit Carolus, ſe non labefacturum, aut mutaturum iura electionis noſtræ, & Imperii ſtatum.

Cum igitur & origine vere ſit Germanus, & tempora flagitent potentem Imperatorem: cenſeo Carolum Auſtriacum euehendum eſſe ad Imperii faſtigium. Quod ipſum tamen non facerem, niſi indoles eius nobis nota & probata eſſet. Omnium maximarum virtutum, præſertim in Principe, fons eſt, amor Religionis Chriſtianæ. Hæc virtus inprimis eminet in Carolo. Quare pactorum, & iuriſiurandi violationem, tanquam ſummum ſcelus deteſtatur. A crudelitate eum abhorrere natura, multis certiſſimis indiciis comperi. In cōtrouerſiis diiudicandis improbis, iuſtus eſt. Ingenii vis, prudentia ac diligentia, iam conſpici potuerunt. In Tyrocinio regni Hiſp. magnos motus compeſcuit. Et conſtat, eū ſuo ingenio multa grauiter

& dextrè

& dextre reſpondere & conſtituere. Magna laus in iuuene & hæc eſt, & ſignum multarum aliarum virtutum, quod pudicitiam amat: quod nullis libidinibus obnoxius eſt. Quare religionis, iuſtitiæ, & pudicitiæ cuſtodem fore credibile eſt. In tali natura nihil Tyrannicum exoriri poteſt. Regent enim eum illæ virtutes: vt ſeruet pacta, vt nulla moueat bella iniuſta, vt non mutet veterem & conſtitutam Imperii formam. Excitabunt eum etiam ad liberandum orbem terrarum impietate Turcica: ad propagationem Eccleſiæ Chriſti: ad tuendam & muniendam diſciplinam: vt homines ad pietatem & cæteras virtutes aſſuefiant.

Ac ne ingenium eius mihi inexploratum eſſe putetis: prudentiſſimorum hominum, qui eum familiariſſime norunt, & acutiſſime de ingeniis iudicare poſſunt, explorani ſententias. Hi probant ingenium, ac mirifice eius bonitatem laudant. Poſtremo ſi de ingenio coniectura facienda eſt ex natura maiorum (quia quædam ſimilitudo propagari ſolet) meminimus, quanta vis animi, prudentia, iuſtitia, fortitudo, continentia, in Maximiliano fuerit. In patre Philippo dexteritas, & induſtria ſingularis erat. Non dubito autem, quin maiorum naturam Carolus referat. Nec ætas eſt aſpernanda, quæ iam matura eſt rebus gerendis. Nec enim quærendus eſt ſenex Imperator, vt cum biduum aut triduum imperarit, poſtea de electione noui tumultus oriantur. Videtis in hoc noſtro conſenſu: quam varia ſint multorum Regum certamina de electione: quid futurum eſt aliquando, vbi diſſentient Electores? Vtinam quidem Electorum concordia perpetua ſit: ſed multa incidere poſſunt, præſertim in hac diſciplina, ac morum corruptione, & gliſcentibus Eccleſiaſticis diſcordiis, quæ animos eorum diſiungant. Quare interregna plena periculorum futura ſunt. Accedit & illud, quod Carolus vtetur conſiliariis aui: & leget in ſenatum Principes Germanicos, ſine quorum conſilio, nihil de maximis rebus decernet.

Expoſui cauſas, quare Carolum eligendum eſſe ſtatuam, ac meo iudicio, ita multæ ac graues cauſæ concurrunt, vt hanc electionem ſperem Germaniæ, ac toti Europæ ſalutarem fore. Quod autem initio diſputabam, quantum foret incommodi, ſi Imperator perpetuo abeſſet extra Germaniam, moueor equidem hac difficultate: ſed de ea re in formula conſtituendi & regendi Imperii, cum Carolo agendum erit. Cumq; habeat ampliſſimos in Germania & in Belgico principatus, tribuet hoc neceſſitati earum gentium, tribuet patriæ, vt ſæpe in Germaniam veniat. Non ad ocioſa ſpectacula ſe accerſi intelligit, cum ad Imperium vocant: res magnæ ei gerendæ erunt. Galli depellendi ex Italia: Turca arcendi ab Auſtria: liberandæ & vicinæ regiones: Eccleſia emendanda & conſtituenda. Harum maximarum rerum curam, vt ſuſcipiat, ipſa eum Heroica natura & virtus exuſcitabit. Hæc non ſinet eum domi langueſcere ocio & voluptatibus. Et facilis aditus eſt in Germaniam ex Italia, quæ ei multis de cauſis ſæpe adeunda erit. Sicut Carolus Magnus, Othones, Heinrici, crebro in Italiam venerunt: alias, vt Eccleſiaſticos tumultus ſedarent: alias, vt depellerent Barbaros: alias, vt ciuitatum ſeditiones opprimerent. An exiſtimatis eum non venturum eſſe, vt Auſtriæ, quæ vere ei patria eſt, opem ferat? cum vel in Pannoniis, vel in ipſa Auſtria Turcicas legiones vagari audiet. Ille vero magno animo accurret, vt & patriæ, & toti orbi Chriſtiano opem ferat. Quare de abſentia eum cogito, qua mente præditus ſit, quæ eum pericula exuſcitatura ſint, etiam minus ſum ſolicitus. Fata etiam his temporibus promittunt Imperatorem, qui maiores, magnitudine potentiæ ſuperaturus ſit. Et addunt alteram laudem, multo gratiorem: futurum vt bonitate & clementia præter cæteros Reges excellat, nec alium, niſi Carolum, vaticinor. Quare opto, vt Deus Imperium ipſi committat, eumq; gubernet, ad ſalutem orbis terrarum.

Dixi, quæ in præſentia de electione colligere potui. Sed quia communis eſt hæc deliberatio noſtri ampliſſimi ſenatus, & vos pro veſtra ſapientia, plura etiam de Republica cogitaſſe exiſtimo: quæſo, vt ſinguli ſuas ſententias exponant, vt deinde eligamus eam, quam omnes collatis opinionibus maxime è Republica eſſe iudicabunt.

Hæc cum dixiſſet Moguntinus, & hortaretur cæteros, vt ſuo quiſq; ordine exponeret ſuam deliberationem: congreſſi alii, ac pauca collocuti, Treuirum iubent dicere, qui pollebat ingenio, doctrina & vſu rerum. Nam & Romæ in iudiciis & negociis publicis diu verſatus fuerat. Et in Germania propter domeſticam adminiſtrationem, & dexteritatem in publicis negotiis, vel Imperii, vel aliorum Principum, magnam prudentiæ laudem erat conſecutus. Nec vlli ex noſtris Principibus res Galliæ erant notiores. Is quia in priuatis congreſſibus aliquoties oppugnauerat Caroli electionem, videbatur paratus ad dicendum venire. Cæteri, vt liberius ſuam ſententiam exponerent, initio audiendum eum eſſe cenſuerunt. Sic igitur exorſus eſt:

Audio in hac ipſa vrbe, cum patres veſtri ad eligendum Maximilianum conueniſſent, adfuiſſe vatem qui dixerit: vltimum Germanicorum Imperatorum fore Maximilianum: Cumq; initio fabulam, ſine certo autore natam, exiſtimarent: diligenter inquiri autorem iuſſerunt. Quem cum ad ſe vocaſſent, & ex moribus, & ſermonibus hominis, iudicarent, non temere eum has fatidicas voces edere, valde hoc vaticinium admirati ſunt, multaq; de poſteritate, mutatione Germaniæ collocuti feruntur. Meminit hæc ſine dubio dux Saxoniæ Fridericus, qui tunc vna cum patre Erneſto adfuit. Propemodum autem reſpondit illi prædictioni, eventus. Audiuimus enim attente eloquentiſſimum Principem Moguntinum, qui cum diligentiſſime collegerit omnia, quæ nobis in hac deliberatione proſpicienda ſunt: tamen ad extremum hoc cenſet vtiliſſimum eſſe orbi terrarum, vt peregrinum Imperatorem accerſamus. Id ſi fatale eſt, fruſtra repugnamus. Sed illud miror, cur ipſe Hiſpanum anteferat Gallo. Qua in re primum mihi deploranda eſt Germaniæ conditio. Nihil nobis externis præſidiis, nihil peregrinis ducibus opus eſſet, ſi maiorum ſuorum virtutem noſtræ ætatis Principes imitari vellent. Otium & ſeruitutem quærimus, dum externum Principem adducimus. An putatis, aut auos veſtros, Albertum Marchionem, aut Fridericum Palatinum, aut Albertum Saxonem fuiſſe

Vnquam externum Dominum adducturos? ipſi militabant, res gerebant. Nec vnquam exercitus, pecunia, arma, noſtris defuerunt, quandocunq; vel mediocres Duces habuerunt.

Verum omitto querelam. Si omnino peregrinus Imperator habendus eſt, cauſa ſunt plurima, quare Gallicus Rex anteponendus ſit omnibus. Ac priuſquam dicam huius mei iudicii rationes, primum de lege & iureiurando diſputabo, vnde exorſus eſt Moguntinus. Opinor maiores noſtros hac lege cauere voluiſſe, ne Germania amitteret Imperii decus, eoque peregrinos Reges eligi noluerunt, hoc eſt, tales, qui non haberent in Germania domicilium, ne externa natio paulatim vſu caperet imperium. Hæc ſi eſt voluntas legis, nihilo magis licebit Hiſpanum eligere, quam Gallum. Hiſpanicus rex longius à nobis eſt, & natio ipſa dominationis cupida & bellicoſa, poſtea ſibi imperium extorqueri non ſinet, vt poſtea iterum dicendum erit. Et ſi hoc ſatis eſt cauſæ, cur Carolum eligamus, quia tenet quaſdam ditiones ad Imperium pertinentes: Valeat idem in Gallo, qui Mediolanum, & regnum Arelatenſe, veterem noſtrorum Imperatorum ſedem, in poteſtate ſua habet. Denique prorſus ita ſentio, quod ad electionem attinet, non minus accerſi peregrinum Imperatorem electo Hiſpanico, quam Gallico Rege: etiamſi aliqua ſubtili interpretatione iam inſeritur Hiſpanus Germaniæ, eamq; totam deliberationem in vtranque partem diſputari poſſe iudico, & penes nos declarationem legis eſſe ſentio. Quærendum igitur eſt, vtrum ſit vtilius. Ego cum cogito illam auream ætatem noſtri Imperii, cum eſſent coniuncta Francorum temporibus, Germania & Gallia, ac reputo quantum ea coniunctio ad tranquillitatem vniuerſæ Europæ contulerit: mirabiliter afficior, noſque beatos ducerem, ſi eum ſtatum reſtituere poſſemus. Diuinitus autem nunc oblata eſt occaſio eius rei efficiendæ. Quare nihil dubito, vos adhortari, omni ſtudio, vt occaſione vtamini. Nec ab hoc meo Iudicio diſcrepat Italia. Idem optare ſcio Romanum Pontificem, Venetos, Italiæ Principes ac ciuitates omnes.

Cum tot iudicia congruere videatis hominum ſapientiſſimorum, nolite exiſtimare leues cauſas eſſe, cur idem tanto conſenſu probent, & omnibus votis expectent omnes. Gallica gens, vt eſt vere cognata Germanis, ita opinionibus, ac moribus, liberalitate, clementia, pietate, literarum cultura, Germanis ſimillima eſt, & quod conſtat vna eſt exterarum nationum maxime amans noſtrorum hominum, vt veſtigia quædam cognationum in hac ipſa beneuolentia agnoſci poſſint. Vicina vero quam eſt oportuna, ad defenſionem vtriuſque regionis, ſi quis ſubitus tumultus inciderit? Nec ad Italiæ pacem tuendam reperiri vtilius conſilium poteſt coniunctione harum gentium: quarum vtraq; exercitus ingentes equitum ac peditum conficere, & Gallia ſuppeditare belli neruos, videlicet ingentem vim pecuniæ poteſt. Et quia non ſolum Germaniæ, ſed toti nomini Chriſtiano, in hac electione conſulere debemus, quærendum eſt præſidium aduerſus Turcica arma. Cum enim teneant iam pacatam Aſiam, nihil dubium eſt rurſus in Europa bellum molituros eſſe: Inuadent Pannoniam, & Italiam. In tali diſcrimine, quid erit optatius, quam Imperatorem habere inſtructum copiis ac viribus Germaniæ & Galliæ? At contra, vt de ingeniis ac natura gentis Hiſpanicæ nihil dicam, quæ etiamſi eſt bellicoſa, tamen non tam viribus pugnat, quam arte. Itaque nulla magna res ab eis in Italia ſine auxiliis Germanicis geſta eſt. Sed cogitate, quam procul diſſita ſit. Certe in ſubitis tumultibus non poterit nobis, vel Italiæ, vel Pannoniæ, opitulari. Patria eſt Caroli Auſtria, ne hanc quidem Hiſpani tuebuntur, & vt volent, non poterunt. Non enim niſi exiguas copias domo mittunt, eiuſq; rei cauſa eſt, quod nauigationibus Hiſpania exhauriatur, nec cœli noſtri grauitatem ſatis ferre poſſunt. Eſt & illud commodi, ſi cum Gallis militemus, veſtro ductu omnia gerentur: vos in gloriæ ſocietatem admittent Galli, etiamſi ſunt glorioſi. At vbi cum Hiſpanis militabitis, illi vos tanquam mancipia regent: ipſi laboribus ac victoriis veſtris fruentur: præripient honores, præerunt prouinciis. Vos tum ſero deplorabitis ſeruitutem veſtram.

Sed gentium collationem omitto, de ipſa electione dicam. Tenet hoc tempore Gallus Mediolanum, qui ſi erit Imperator, ne cauſa quidem belli in Italia futura eſt. Nam quod Gallus exiſtimatur Neapolim petiturus, veſtra eum autoritas facile ad alias res vtiliores auertet, ſi habebitis obligatum beneficio veſtro. A Belgis etiam abſtinebit, ſi quieſcant ipſi, vt facient certe, conterriti Germaniæ conſenſu, præſertim ſi non fuerint irritati. Nec ego velim illos irritari. Vicinos enim habuimus Belgas longo tempore, non ſocios Imperii. Noſtra edicta nihil morantur, noſtris periculis nihil afficiuntur. Suum quoddam regnum ibi habent, nihilo magis coniunctum cum Imperio, quam ſunt Angli & Scoti. Quare quod verentur aliqui futurum, vt Germania bello implicetur, ſi Belgæ non obtemperarent qui Imperia noſtra multis iam ſeculis contemnunt, nihil periculi eſt. Nullum ſine veſtro conſilio bellum Gallus mouebit. Et quia Inſubriam tenet pacatam, & hoc tempore optime inſtructus eſt omnibus rebus ad bellum neceſſariis: vnam hanc laudem, vnum hoc decus petit, vt a noſtris ceruicibus depellat Turcas: vt Selymum ingentibus ſucceſſibus elatum, ac minitantem Italiæ exitium adoriatur omnibus viribus. Quare nihil dubito polliceri, electionem Galli allaturam eſſe Germaniæ tranquillitatem, Pannoniæ atq; Italiæ ſalutem.

At contra ſi elegerimus Hiſpanum, quam atrox bellum accendetis in Italia, ad recuperandum Mediolanum. Etſi autem incerti ſunt exitus bellorum, tamen vt tandem ſit fortuna Imperii ſuperior, diu trahet bellum Hiſpanus, vt ſolet aſſidue vincere, non Achillæo more properans, vt totis viribus dimicet. Interea Italia vaſtabitur crudeliter. Nos occupati rebus Italicis, Turcam non poterimus arcere. Hæc pericula neſcio cur extenuentur, quæ ad totum orbem terrarum pertinent, cum è regione tam diligenter colligantur, & amplificentur pericula, quæ Galli electionem comitari videntur, quæ tamen & leuiora & incerta ſunt. Illud certum eſt, Italiæ horribilem vaſtitatem denunciari electione Hiſpani: futurum etiam, vt Turci interea opprimant Pannonias. Nihil dicam de exitu belli Italici, in quo ſi Gallus vincet, tum vero appetet Neapolim, & fortaſſe Romæ coget Pontificem, vt noſtram electionem improbet. Qualem Tragœdiã ea res paritura eſſet? Sed vincat Imperii fortuna, quid accidet? Hiſpani tenent Italiam, nunquam nobis reddituri. Noui eam gentem, cupidam dominationis: Polypi ſunt, quod ſemel prehenderunt, extorqueri ſibi

non

non ſinunt, & cum Italiæ poſſeſſione retinere Imperium haud dubie volent. Non diuino equidem, ſed de rebus futuris coniecturas colligo probabiles. Nulla eſt tam ignaua natio, quæ ſi Italia potiretur, vltro ceſſura eſſet: Tantum abeſt, vt genus hominum bellicoſum, gloriæ atq; Imperii auidum, ceſſurum nobis exiſtimetis. Omnibus temporibus creuit hoc modo Regnum, & populorum potentia. Carthaginenſes ſemel accerſiti in Siciliam, poſtea multis ſeculis depelli non potuerunt. Sed vetera omitto. Illi ipſi Turcæ, quos iam tantopere formidamus, poſtquam ſemel in Europam traiecerunt, accerſiti a Conſtantinopolitano Imperatore, progredi non regredi, poſtea ſtatim conati ſunt. Ipſi Hiſpani infinitas ærumnas perferre maluerunt, quam deſerere Neapolim, quam accerſiti ſpecie ſocietatis, & Italorum ope adiuti, redegerunt in ſuam poteſtatem. Ita nunc inuitati, adiuti à Germanis, potientur Mediolano. Quare cenſeo, non eſſe in Italiam adducendos Hiſpanos.

De ipſorum Regum ingeniis pauca dicam. Etſi enim exiſtimo, indolem in Carolo ad iuſtitiam & bonitatem eſſe dignam iſto genere, & audio, modeſtum ingenium eſſe: tamen ſi quis exiſtimet in adoleſcente conſpici poſſe eas virtutes, quæ in ſummo Principe orbis terrarum ac Duce præſtantiſſimo requiruntur, errat. Opus eſt orbi terrarum primum tali Principe, qui ſapientia & moderatione ſua emendet Eccleſiam. Sapienter ergo Moguntinus de religione & de impendentibus Eccleſiæ tumultib. locutus eſt, quorum ſparſa ſunt ſemina. Scio autem Regem Franciſcum non modo ſingulari dexteritate ingenii, & prudentia in iudicando præditum eſſe: ſed etiam de religione cum doctiſſimis hominibus multa ſolere diſputare, multa ipſum legere. Et intelliget, hanc eſſe ſummam laudem magni Principis, vt non deſit recte conſtituendæ Eccleſiæ. Deinde hæc tempora requirunt Ducem peritum, acrem, & felicem in armis. Hac in re non indolem in Franciſco, ſed ſpectatam iam induſtriam prædicare poſſumus. Nemo enim Regum Gallicorum, aliquot ſeculis, res geſſit maiores, & quidem exiguo tempore. Cumq; vulgo tribuatur Gallis quædam animi mollities, quod inchoata negotia cito abiicere dicuntur ſi initio non reſponderit eorum ſpei euentus: hic Rex conſtantiam ſuam in rebus gerendis declarauit, cumq; diuturnum & varium bellum in Inſubria geſſerit, res tantas præcipue ſuis conſiliis gubernauit. Nec defuit ei fortuna. Nemo enim profligauit vlla memoria, inde vſq; a Iulio, maiores aut firmiores Heluetiorum exercitus. In his negociis, cum fortuna pene indulgens in eum fuerit, ſperandum eſt, & in poſterum eius conſiliis Deum affuturum in Imperii pace tuenda, & in defenſione totius Reipublicæ Chriſtianæ.

Quid igitur, anteferemus adoleſcentem, cuius indoles nondum ſatis explorata eſt, huic Regi? cuius ſapientia, virtus, & fœlicitas, in toga & in armis cognita eſt. Poſtremo addam & hoc vnum argumentum, quo etſi fatetur, ſe moueri Moguntinus, tamen nos bene ſperare iubet. Nullis verbis dici poteſt, quantum periculi ſit, Imperatorem abeſſe extra Germaniam, & ita abeſſe, vt non ſtatim cum opus eſt, accurrere poſſit. Quid fiet, ſi vel Turca ſubito irruptionem fecerint in Germaniam, vel ſeditiones aliquæ orientur inter Principes? Vt in ſæuis tempeſtatibus nauis ſine gubernatore, ita Reſpublica ſine Imperatore tali tempore ſeruari non poteſt. Accedit aliud perpetuum incommodum: non aſpiciet res Germanicas ex propinquo. Itaque multa neſciet: multas falſas fabulas credet: leuius afficietur noſtris rebus: nullos habebit ſecum Principes Germaniæ, qui cum eo libere de Rep. loqui poſſint. Sedebit circumfuſus ab Hiſpanis, quorum de multis rebus iudicia & voluntates à Germanis diſcrepant. Mittet edicta in Germaniam, nec cauſis, nec temporibus congruentia, quæ tranquillitatem perturbatura ſunt: num hæc incommoda leuia ducitis? Quid? ſi ipſe etiam incenſus artificiis aliquorum, veniet iratus in Germaniam, & adducet Hiſpanos? qui vt Campaniam, vt Apuliam inter ſe partiti ſunt, ita veſtras ditiones, prædam ſuam eſſe arbitrantur. Prouidendum eſt autem, ne talis aliquis error Germaniæ vaſtitatem, & huic Imperio interitum afferat. An illas maiorum veſtrorum ſedes vultis Hiſpanorum colonias fieri? veſtros poſteros à ſummis ortos Heroibus, venire in ſeruitutem? & aboleri ornamenta Reipublicæ, à vobis ſapienter & ſancte inſtituta iura, iudicia, diſciplinam? Hæc enim omnia in ſeruitute mutantur. Sed de hac re plura dicere ominis cauſa nolo.

Si igitur eſt habenda potentiæ ratio in electione, vt ego quoq; arbitror, & fatale eſt horum regum alterum eligi, ego Gallum antefero, & nequaquam cenſeo Hiſpanum eligendum eſſe. Sed ſi lex impedit, ne Gallus accerſatur, magis etiam impediat, ne Hiſpanus eligatur: cum eius electio, quantum proſpici humanitus poteſt, minime ſalutaris futura Germaniæ videatur. Ac decurramus ad maiorum noſtrorum exempla, & vere, non callida interpretatione, legem ſeruemus, ac vere Germanicum Principem, qui non aliud domicilium, niſi in Germania habet, qui origine, ingenio, lingua, moribus Germanus eſt, eligamus.

Nec me vſq; adeo mouet, quod ait Moguntinus, leporem leonibus imperaturum eſſe: magis illud videndum, ne ciconiam ranis, ſeu coruis vulturem, præficiamus. Potentia Germaniæ ſatis magna eſt, ſi quem elegemus, qui virtute autoritatem ſibi comparare poterit. Accepit hoc Imperium, & pene funditus collapſum, Rudolphus mediocris Princeps, tantum propter virtutem electus, ac breui ita erexit, vt regibus vicinis omnibus formidabilis eſſet. Audio Ludouicum regem Franciæ proximum, cum eſſent de Imperio Germanico ſermones, & quidam Maximilianum per iocum vocaſſet conſulem Auguſtanum, ſignificans, eum paucis ciuitatibus imperare, duriter increpuiſſe illum, & reſpondiſſe: Imo vero nequaquam Germanici Imperatoris potentia contemnenda eſt: Cum ille Conſul tympanum pulſat, tota Francia tremit. Honeſte Ludouicus. Noluit enim in regum Maieſtatem iocos, aut conuicia dici. Sed tamen illud etiam oſtendit, ſe Maximilianum propter virtutem, cuilibet potentiſſimorum regum parem ducere.

Nec adeo videtur extincta eſſe virtus in familiis veſtris, nemo vt reperiri poſſit, hoc faſtigio dignus. Tres ſunt familiæ, Bauarica, Saxonica, & Marchica, quæ quadam mediocritate potentiæ autoritatem in Germania tueri poſſunt. Et ſunt in his aliquot Principes, qui ingenio & virtute ſuſtinere magnitudinem huius adminiſtrationis queunt. Ex his ſi quem elegerimus, conſentientibus ſuffragiis, eumque nos defenſuros eſſe oſtendamus, vt æquum eſt, omnes Principes & populi erunt in officio. Vt igitur habeat autoritatem, virtute

opus eſt: vt accedant vires formidabiles exteris omnibus, vna re opus eſt, videlicet Electorum conſenſu: quem inter nos quidem perpetuum ſpero futurum eſſe. Nemo eſt enim inter nos, qui ſibi potentiam aliquam quærat: quem ambitio, aut vlla cupiditas incitatura videatur aduerſus communem Imperij tranquillitatem. Tali ſapientia & grauitate præditos eſſe Electores, cum ſalutare eſt Reipublicæ, tum vero ad omnem posteritatem Germaniæ glorioſum. Itaque mirifice delector recordatione huius veſtræ virtutis.

Omittamus igitur Hiſpaniam, & virtute cum exteris certemus. Non quæramus alios, qui nobis imperent ocioſis. Nihil enim indignius eſt natis Heroico genere, quam inertia fugitantes laborem, aliis concedere Imperij gloriam, & ſeruitutem accerſere. Quoties in Germania mediocres Principes contraxerunt Regios exercitus, & res præclaras geſſerunt? fuit recens dux Saxoniæ, Albertus, qui ſuis ſumptibus magna ex parte bellum in Belgico geſſit. Quid? ante hunc quantos exercitus ſæpe contraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, duci Erneſto, bellum denunciarat Rex Pannoniæ Matthias, quantas copias, quantum robur ex vicinis regionibus ſubito contraxerunt, pater & patruus tuus? Itaq; ceſſit vobis Pannonius ſine dimicatione, quod non feciſſet, ſi duorum fratrum ingenia & vires contempſiſſet. Quare non dubito poſſe initi rationem electo Germanico Principe, ne ei vires, copiæ, arma deſint ad tuendam autoritatē domi & apud exteros.

Expoſui meæ opinionis cauſas, non vt poſtulat magnitudo negotii, ſed vt in præſentia potui, maximeque cupio audire, quid iudicent cæteri Electores, qui diu Imperii conſiliis interfuerunt, qui Germaniæ ſtatum & vires, qui omnium Principum ingenia & facultates norunt, qui Maximiliani conſilia de rebus his meminerunt. Denique qui longum in adminiſtratione Imperii vſum habent, quorum cum audiero orationes, de tota re diligentius diſputare potero.

Cum dicere deſiiſſet Treuir, taciti aliquandiu ſederunt Principes, tanquam defixis animis in cogitatione vtriuſq; orationis. Exaggerata enim magnitudine periculorum in vtraque parte, quorundam animos nonnihil impulerat Treuir, vt ad illud decurrerent, vt omiſſis Regibus quærerent aliquem alium ex Germanicis Principibus. Sed hunc quærentes animis magis etiam dubitabant. Iubent igitur tandem Fridericum Saxoniæ ducem, natu maximum, ſuam ſententiam exponere, qui pauca præfatus de lege dixit: *Interpretationem Treuiri ſubtiliorem eſſe, quam quæ vel ipſos deceat, addiditq; non dubitandum eſſe, quin lex impediat Galli electionem. Planum & illud eſſe, Carolum vere Germanicum Principem eſſe, & in Germania domicilium habere: Et opus eſſe his turbulentis temporibus Principe, qui autoritatem virtute & potentia tueri poſſit. Ideo ſe non dubitare, quin omnibus anteferendus ſit Carolus Archidux Auſtriæ. Sed tamen prius conditiones quaſdam ei ferendas eſſe, vt in tuto ſit Germaniæ libertas, & vt pericula, de quibus diſputatum eſt, quantum prouideri poteſt, caueantur.* Eadem ſententia dicta eſt à cæteris Electoribus.

Treuir cum videret omnium animos ad Carolum inclinare, agnoſcere ſe, inquit, Germaniæ fatum, & impendentem imperii mutationem. Quanquam igitur non deſinit hortari, vt diligentius hæc res deliberaretur, tamen affirmat ſe publicæ concordiæ cauſa ſuum ſuffragium cum illis coniuncturum eſſe. Hac acerrima contentione eius diei in multam noctē producta, tandem ita diſcedunt, vt poſtridie conueniant de conditionibus deliberaturi, quas Caroli Legatis propoſituri erant, qui Moguntiæ euentum expectabant. Fuit igitur de conditionibus illis poſtea per aliquot dies non minus contentionis, quæ præſcriptæ & Moguntiam ad Legatos miſſæ, cum eſſent receptæ, dies conſtituitur eundi in ſuffragium ſolenni more. Itaque rurſus ſacro publice facto, ingreſſi in ſacrarium interius templi diui Bartholomæi ſuffragia ferunt hoc ordine. Cœtus electorum reliquus interrogat Moguntinum, quem eligat Regem Roman. & futurum Imperatorem: is reſpondet, ſe eligere Carolum Archiducem Auſtriæ. Deinde & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium conſentientibus ſuffragiis Carolus electus eſt Imperator. Deinde ſuffragia relata ſunt in literas, & confirmata ſingulorum ſigillis. Poſtea accerſita Nobilitate ac multitudine vniuerſa, publice facta eſt renunciatio, tum in hanc ſententiam habuit Moguntinus orationem:

Quod felix fauſtumq; ſit Eccleſiæ Chriſtianæ, Imperio noſtro, & patriæ, renuncio vobis electum eſſe regem Roman. & deſignatum Imperatorem Carolum Archiducem Auſtriæ & Burgundiæ, regem Hiſpaniæ. Qua in re primum agendæ ſunt Deo gratiæ, quod ſumma cōcordia & conſentientibus Electorum Principum ſuffragiis res tanta perfecta eſt. Sæpe enim antea cum diſſentientib. Electorum ſtudiis & voluntatibus diuerſi eligerentur, orta ſunt inter Germanos bella ciuilia, plena impii furoris & crudelitatis, in quibus domi mutua cæde flos Nobilitatis extinctus eſt: abſumptæ Imperii vires, ac pene vniuerſa Germania in ſolitudinem, vaſtitatemq; redacta eſt. Foris autem nomen Imperii noſtri contemni cœpit: Italia deficere, & alios reges accerſere: Turca impune graſſari, dum nos implicitis domeſticis bellis, reprimere eos non potuimus. Porro quantum mali hoc tempore diſcordia Electorum paritura erat? Cum non ſolum Germaniæ Principes, ſed fortaſſis etiam exteri reges in media Germania de Imperii poſſeſſione dimicaturi fuiſſent. Nec leuiter tentata res eſt, vt conſenſus noſter diſſolueretur. Quare ego quidem non minus propter concordiam noſtram, quam electionem ipſam lætor, Deoq; gratias ago, qui mentes omnium ad concordiam retinendam flexit & gubernauit: Qua incolumi ſperamus huic nationi non defuturum conſilium ad defendendam patriam & imperii dignitatem. Etſi diuinitus potius quam humana prudentia perfectum eſt, vt voluntates noſtræ congruerent, tamen hac in re etiam veſtra virtus ac ſapientia Electores maximam gloriam vobis apud exteros reges pariet: conciliabit & beneuolentiam noſtrorum Principum, qui vobis tantæ rei arbitrium ſolis commiſerunt, vt Dominum ipſis, vt cuſtodem publicæ ſalutis, vt Eccleſiæ orbis terrarum propugnatorem elegeritis. Apud hos eo plus admirationis hæc veſtra diligentia grauitasq; habet, quod ipſi norunt quoſdam non modo variis artificiis, ſed etiam propoſitis minis ac terroribus, conſcripto exercitu hoc ipſum conatos eſſe, vt noſtras mentes diſ-

traherent ac diſſociarent. Vtinam noſtrum exemplum & poſteris proſit, qui quantis laudibus veſtram celebrabunt ſapientiam & virtutem? quod cauiſtis, ne diſcordia inter vos orta bellum æternum & exitiale patriæ excitaretur. Sed vt ante dixi, DEVM agnoſcamus autorem eſſe huius conſenſus, eumq; ardentibus votis precemur, vt ſit perpetuus. Deinde poſtquam electus eſt Carolus, non dubitemus, quin DEI conſilio & voluntate ad hoc tantum faſtigium euectus ſit. Nam haud dubie fato & voluntate Dei imperia dantur.

Agamus igitur Deo gratias, quod Principem nobis optimæ atq; ampliſſimæ ſpei dedit, ac petamus, vt auſpicia imperii ſint fauſta ac felicia, & vt Deus gubernet Regis Caroli animũ, conſilia, actiones, ad gloriam Chriſti illuſtrandam, ad Eccleſiæ tranquillitatem conſtituendã, ad patriæ atq; imperii pacem defendendam, ad religionis, legum, iuſtitiæ, diſciplinæ conſeruationem. Hæc ingentia bona cogitemus vere eſſe cœleſtia beneficia, quæ generi humano per bonos Principes DEVS impertit. Quare à Deo piis & aſſiduis precibus petenda. Quemadmodũ ille, cum inquit de Deo: Qui dat ſalutem Regibus, admonet ita eſſe felicia imperia, ſi Deus det ſalutem, ſi gubernet atq; adiuuet eos, qui Reſpublicas adminiſtrant. Omnes igitur inuocate Deum & Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, & hanc Pſalmi vocẽ pio pectore ingeminate, quæ precationem pro Rege continet. Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te. Publico etiam nomine poſtulamus, vt Carolo Regi Rom. & electo Imperatori, ac Domino veſtro obediatis. Quod quidem nos pro fide, virtute ac ſapientia veſtra facturos eſſe non dubitamus: præſertim cum ille tanta modeſtia iudicium noſtrum ac ſuffragia expectauerit. Et quemadmodum nos in electione præſtitimus, ne qua inter nos diſcordia oriretur: ita vos propter publicam imperii tranquillitatem imitamini noſtrum exemplum, & cõmuni animo electo Imperatori obtemperate: quem iure ac legibus ſcitis iam eſſe noſtrum Dominum. Nam electio iure ac legibus facta eſt. Nullius noui exempli autores ſumus contra leges. Eſt autem officiũ neceſſarium, & præſertim ſapientib. ac magnis viris dignũ, iuri ac legibus obtẽperare, parere Dominis, cauere omni ſtudio, ne contumacia diſſipentur Imperia.

Ac tamen vt libentius huic Domino pareatis, eædem vos rationes hortentur, quæ animos noſtros in electione mouerunt. Etenim non ſolum nihil contra leges fecimus, ſed etiam quantum proſpici a nobis potuit, Deo gubernante noſtras mentes in deſignando Principe, communi ſaluti orbis terrarum conſulere conati ſumus. Quare, vt ſancitum eſt, Germanicum Principem, & quidem in familia imperatoria natum elegimus, quem indole ad virtutem egregia præditum eſſe cognouimus. Eminent autem in eo duæ virtutes, quæ in ſummo Principe maxime neceſſariæ, ſalubres, & gratæ ſunt, videlicet, amor religionis, & bonitas eximia. Quarum altera eum ad fugiendas libidines, ad vitandas temerarias mutationes, in Eccleſia & Repub. ad fidem ſeruandam conſtantiamq; in promiſſis, ad defenſionem religionis & imperii exuſcitat. Vtraq; vero prohibet ſæuitiam, crudelitatem, iniuſtam cupiditatem vindictæ. Etſi enim iudicauimus opus eſſe potente Principe, qui autoritatem etiam viribus tueri poſſet: tamen prius ingeniũ & mores conſiderauimus. Potentia enim nõ ſalutaris, ſed pernicioſa eſſet orbi, ſi ingenium leue aut malum eſſet. Eſt autem ea iam ætas pene, quæ fuit Alexandri Magni capeſcentis imperium: in qua vires corporis propemodum maturuerunt, & ingenii vigor, induſtria, ſagacitas, & mores ſe proferunt, vt iudicari, qualis ſit natura, poſſit. Itaq; cum ſciremus, Regem Carolum ſuo iudicio multa honeſte & grauiter reſpondere, & non ſolum non hebetẽ, ſed etiam ſingulari induſtria & diligentia in obeundis negotiis, aut prouidendis, aut iudicandis, præditum eſſe, & ceteras virtutes habere, bono & magno Principe dignas, ſtatueremusq; tali præditum natura, opes & potentiam ſuam collocaturum eſſe, non ad nocendum, ſed ad ſalutem humani generis: potius duximus tantis inſtructum viribus eligendum eſſe, quã alium his neceſſariis præſidiis deſtitutum. Hoc conſilio cenſuimus, boni Principis potentiam autoritate armandam eſſe. Et quoniam nos non tantũ Germaniæ, ſed vniuerſo orbi terrarum conſulere debemus, vires cõparandæ ſunt, aduerſus valentiſſimos hoſtes, non modo Germaniæ, ſed totius Chriſtiani nominis. Tantis incrementis, & tam ſubitis, annos iam ferme centum auctæ ſunt res Turcarũ, vt nemini dubium eſſe poſſit, eos imperium orbis terrarum ſibi polliceri, non modo propter virium magnitudinem, ſed multo magis propter inuſitatos atq; admirabiles ſucceſſus. Et vt omittamus priora, Selymus nuper non minori virtute, q̃ felicitate Perſas, antea inuictos, ingenti prælio ſuperauit, & ex Armenia eiecit. Deinde duobus ampliſſimis regnis, Syria & Ægypto, potitus eſt, & in Oriente imperii Turcici limitem eum conſtituit, qui quondam Romani Imperii fuerat, ac tantam gloriam conſecutus eſt, vt maiores ſuos non ſolum regni amplitudine, ſed etiam felicitate ſuperare videatur. Nam & pater & auus Machometes, cum quidem Dux eſſet vnus omniũ ætatis acerrimus & feliciſſimus, cum tentaſſent Syriam, acceptis magnis detrimentis inde ſunt repulſi. At Selymus, velut in eodem curſu, profligato Perſico exercitu, Syriam atq; Ægyptum non ſine acerrima dimicatione in poteſtatem ſuam redegit. Hunc, cum natura gloriæ & immenſæ cupidus ſit, non acceſſio virium, non magnitudo ſucceſſuum incitaret ad res maiores ſuſcipiendas? Ille vero iam claſſicum cecinit, & exercitus in Pannoniam miſit. Videmus autem fato quodam hoc tempore duas bellicoſiſſimas nationes coniunctas eſſe, Germanicam & Hiſpanicam. Ac tenet Carolus magnam Italiæ partem. Itaq; ſi omnium gentium conſiliis Dux aduerſus Turcas legendus eſſet, haud dubie omnium votis expeteretur, & omnium ſuffragiis deſignaretur Imperator Carolus.

Quare & vos & pleraſq; alias gentes, quæ cum Imperio noſtro ſocietate, aut fœderibus coniunctæ ſunt, ſperamus iudicium noſtrum ſummo ſtudio probaturos eſſe: præſertim cum omnes norint, Carolum ſingulari moderatione naturæ præditum eſſe, maximeque ſuperbia, ſæuitia, cupiditate iniuſtæ dominationis, abhorrere. Eſſet enim formidanda liberis tanta potentia, eſſent metuendæ Imperii & orbis terrarum graues mutationes, niſi natura bonitate & timore Dei potentiam moderaturus videretur: Quod vt ſperemus, grauiſſimis argumentis adducimur. Indoles enim ipſius penitus nobis perſpecta eſt, cognouimuſque eum habere infixam animo mirificam reuerentiam erga religionem, fidem pactorum conſtantiſſime præſtare, & à crudelitate quam maxime abhorrere. Sunt autem omnium reliquarum virtutum nutri-

ces

*tas, religio, veritas & manſuetudo. Deinde familiæ natura monemur, quæ Imperium iam annos plus octo-
ginta iam tenuit, vt nondum pœnitere nos Auſtriacorum Principum debeat. Inprimis enim enituit in v-
troque in auo & proauo, eximia moderatio & lenitas: quæ quidem in Maximiliano Cæſare non poterat
ſegnities videri. Nemo enim erat illo in armis acrior. Quoties armis dimicauit ipſe? Quoties paruis copiis,
ingentes fudit exercitus? Nunquam fortunæ ſuccumbebat eius animus. Rurſus in victoria, in toga mitiſſi-
mus erat. Et quod ſingularis erat prudentia, præcipuo ſtudio cauebat, ne iracundia incitatus, præberet
occaſionem mutationibus Eccleſiæ aut Imperii. Ab hoc prognatum Carolum referre auitam moderatio-
nem animaduertimus: & ea eſſe grauitate præditum ſcimus, vt intuens in maiorum exempla non ſit com-
miſſurus, vt ab illis degeneraſſe dicatur, vt alienos mores, indignos maioribus, accerſiuiſſe, vt primus lauda-
tiſſimæ familiæ notam ſuperbiæ, & crudelitatis inuſſiſſe feratur. Meminit etiam aui præcepta, de timore
Dei, de cura tuendæ religionis, de clementia: quæ, vt decet, velut oracula obſeruat. Quanquam quid opus eſt
longa oratione. Iam ſpecimen induſtriæ & virtutum aliarum dedit in Hiſpania. Auo eius materno extincto,
magni motus in regno, & ciuiles diſcordiæ erant exortæ. Has aduentu ſuo repreſſit: cumq; eius nationis inge-
nia bellicoſiſſima ſint, & exteros dominos non facile patiantur: tamen ipſe non tam armis, quam virtutis, ac
præcipue bonitatis adminiſtratione, totam Hiſpaniam nunc ita retinet in officio, vt nemo Regum vnquam
tam pacatam tenuerit.*

*Quare quantum humanitus prouideri potuit, eligimus Imperatorem, in quo cum virtute potentia
coniuncta eſt, vt eius vires præſidio eſſent religioni, Imperio, & vniuerſo nomini Chriſtiano. Proinde vos
auſpicia Imperii ipſius læta & fauſta precamini: eique libenter obedite, vt decet Principes & populos aman-
tes publicæ tranquillitatis. Poſtremo cum ingentem luctum & mœrorem, interitus Maximiliani attulerit,
decet vos vim fati æquiore animo ferre: poſtquam nepos, quem ille chariſſimum habuit, & nobis aliquando
commendauit, ipſi ſucceſſit, vt non omnino extinctus videri poſſit. Deinde ipſius manibus hoc officium tri-
buite, vt maiori ſtudio nepoti pareatis, & conſiliis veſtris & copiis, ſuſcipientem grauiſſimam Imperii mo-
lem, ſumma concordia adiuuetis. Quod eo etiam vobis faciendum eſt maiore cura, vt Imperii poſſeſſionem
retineatis, quam ſine concordia tueri nequaquam poſſumus. Cogitate autem, quantum decus ſit, vnam
hanc nationem delectam eſſe, quæ non tantum ſuos fines defenderet, ſed cuſtos eſſet etiam cæterarum gen-
tium, & pro communi ſalute Chriſtiani nominis præcipuam ſtationem teneret. Hoc decus magna virtute
partum à maioribus, & annos fere iam octingentos in hac natione conſeruatum, ſapientia & concordia Prin-
cipum, nolite nunc per diſcordiam amittere, eaque iure cum veſtra gloria & tranquillitati, tum vero ſaluti
orbis terrarum conſulite. Idque officium Principes & eos, qui præſunt Reipublicæ, maxime debere Deo ſta-
tuite, vt communi ſaluti omnibus viribus conſulant.*

Hæc renunciatio, populus cum plauſu acclamabat. Nihil enim omnibus ordinibus erat opta-
tius, quam eludi expectationem Gallorum, qui Imperium ſibi deſponderant. Itaque audito Caro-
li nomine, omnes vna voce & conſenſu electionem approbabant. Agunt gratias Deo Opt. Max.
primum, quod metus Ciuilium bellorum ſublatus erat conſenſu ſuffragiorum: Deinde, quod o-
mnes iudicabant diuinitus orbi terrarum ſalutarem Principem datum eſſe. Omnes iam tum omina-
bantur huius Caroli virtutem & felicitatem præſidio futuram toti Europæ: omnes vota faciebant,
vt auſpicia eſſent fauſta & felicia. Secundum hæc Legati ipſius Caroli Moguntia conuocantur: qui
magno honore excepti, atq; in comitium introducti, certius ex ipſis Electoribus cognoſcunt, Diui
Maximiliani nepotem, cuius ipſi Legatos agebant, cunctis ſuffragijs rite electum & renunciatum eſ-
ſe Romanorum Imperatorem. Deinde adhibiti in conſilium ab iiſdem Principibus conſuluntur de
gubernanda Imperij adminiſtratione, donec rebus in Hiſpania conſtitutis, Carolus in Germaniam
veniret. Nam ipſo procul abſente efficiendum erat, vt Germania tranquilla eſſet, neue Gallicæ fa-
ctiones motus in Germania excitarent. Delectus eſt igitur Caſimirus Marchio Brandeburgenſis,
qui legiones certis in locis collocatas haberet in præſidijs, & duceret exercitum, ſi qua belli geren-
di neceſſitas incideret. Adiuncti ſunt Electores certi, quorum conſilio vteretur. His rebus conſtitu-
tis, Legati dimittuntur: quos diſcedentes proſecuti ſunt Principes Electores vſq; Moguntiam: Inde
Francofordiam reuerſi, ſuos & ipſi Legatos cum literis ad Carolum mittunt, cuius Legationis Fri-
dericus Palatinus Rheni, principem locum obtinebat. Interea electionis nuncij magnis, diurnis,
nocturniſq; itineribus in Hiſpaniam contendunt, è quibus vnus eximia celeritate cæteros anteuer-
tens, nono die Barcinum (vulgo Barſellonam vocant) peruenit, ex eo quo Francofordia profectus
eſt: cumq; lętum exoptatumq; nuncium illuc attuliſſet, à rege, quem in cubiculo mane adhuc quie-
ſcentem inuenit, magno auri pondere donatus eſt. Nec Fridericus Palatinus longam in itinere mo-
ram fecit. Nam prid. Cal. Decemb. eodem peruenit, cumque ad vrbem accederet Barſellonam, rex
cognito eius aduentu, ad tria ferme milliaria obuiam ei proceſſit, Legatis benigne & comiter exce-
ptis, inq; oppidum introductis, literæ Regi ab Electoribus ſcriptæ redduntur. In literis primum in-
erat commemoratio beneuolentiæ Principum erga Carolum, & officij. Cum a. Imperia fato regan-
tur, narrabant diuinitus hanc electionem gubernandam eſſe, vt ſuffragiorum concordiam, & vni-
uerſæ Germaniæ vota cōſentientia oſtenderent, etſi ipſi etiam iudicio ſuo de familia, deq; ipſius vir-
tute, neminem putarint ipſi anteferendum fuiſſe. Huic orationi grauiter ſcriptæ, adiecta erat peti-
tio, vt Imperiū ſine recuſatione acciperet, & conſtitutis rebus in Hiſpania maturet iter in Germaniā.

Carolus, acceptis & lectis literis, cum exiſtimaret ſe quaſi diuina voce, tanto conſenſu totius
patriæ vocari, etſi videbat, quanta rerum moles ſibi imponebatur: tamen & Deo obtemperan-
dum, & patriam non deſtituendam eſſe cenſebat. Reſpondit autem Legatis per Mercurinum Ora-

 torem:

torem: Huic enim ſumma laus eloquentiæ tribuebatur. Vſus eſt igitur Mercurinus luculenta Oratione, atque huiuſmodi verba fecit: *Iure lætatur rex Carolus, cum beneuolentia, tum vero etiam grauiſſimo iudicio ſummi ſenatus, Germaniæ Principum, qui tam dubio tempore imperii gubernationem ipſi vni tuto commendari cenſuerunt. Quid enim aut gratius ei accidere poteſt, quam quod ab vniuerſa patria ſe vere amari intelligit? aut honorificentius? quam quod ſapientiſſimi Principes tantam ipſi virtutē tribuunt, & quaſi diuinantes, eam ſpem de ipſius fide & felicitate conceperunt, neminem vt ad hoc Imperii faſtigium, quam ipſum, euehere maluerint. Viciſſim igitur & patriæ pietatem, & cognatis Principibus beneuolentiam perpetuam pollicetur. Deliberantem autem de Imperio accipiendo diuerſæ curæ diu exercuerunt. Etſi enim magni animi eſt, non deterreri mole rerum, & magnitudine periculorum, quæ videntur impendere intuenti nunc Italiam, quæ à Gallis tenetur, nunc Turcas denunciantes bellum Pannoniis: tamen cum vere ſit diuina res gubernatio, nec niſi aſpirante Deo, felix eſſe poſſit, contanter & religioſe imperia accipienda ſunt. Hæc etiam Hiſpania, etſi vires ſuas, quæ non ſunt exiguæ, ad ſocietatem rerum gerendarum offert, tamen ipſum regem domi, velut in ſpecula regni, aſſiduum eſſe mallet. Sed è regione durum videbatur, patriæ opem ab ipſo implorandi deeſſe. Mouit etiam animum gentilium decus, atque honeſtum eſſe iudicat, aui & proaui exempla ſequi. Et cum aui collapſas res rurſus erexerit, cumq; huic familiæ potiſſimum hoc faſtigio, tantæ acceſſerint opes, arbitratur diuinitus hanc familiam ad Imperii defenſionem vocari. Poſtremo etiam Principum Electorum votis & iudicio permouetur, vt rem omnium difficilimam, Imperii gubernationem, ſuſcipere minus recuſet. Tam multæ graues cauſæ cum concurrerent, cumq; diuinitus ſe vocari ad Imperium, patriæ conſenſu, ſtatueret: tandem quod felix fauſtumq; ſit, imperium accipere rex Carolus decreuit, & hanc voluntatem ſuam, dux Friderice à te exponi Electoribus, & perferri in totam Germaniam poſtulat.*

Principio vero quod Regum ſapientiſſimus Salomon vnum optabat, id ipſe quoque optat, cum humana ſapientia non ſit par tantæ gubernationi, vt Deus pectus & conſilia ipſius in toga, & in armis regat, ac perficiat, vt Eccleſiæ & toti generi humano hæc ipſius gubernatio ſalutaris ſit. Meminit Rex Carolus, ex hac ipſa Hiſpania duos Principes ad Imperium vocatos eſſe, Traianum & Theodoſium, quorum alter optimus appellatus eſt, alter non ſolum bonitate & armis Traiano par fuit, ſed etiam hac laude excelluit, quod vere Deum coluit ac perfecit, vt Euangelium latius propagaretur, & concordiam Eccleſiæ, piis, diremptis diſſidiis, conſtituit. Hi duo Principes ex Hiſpania euocati, cum fuerint ſalutares orbi terrarum, lætatur omine. Horum exempla ſibi proponet, & annumerari laudatiſſimis Imperatoribus volet. Summa virtus maiorum fuit in vtraque familia, Auſtriaca & Hiſpanica: Horum ſimilitudo in Regis Caroli natura & indole iam præclare lucet. Comitatur autem felicitas cum cæteras virtutes, tum vero præcipue pietatem erga Deum, quæ in Rege Carolo eminet. Quare ſpes eſt, eius gubernationem fauſtam, felicem & ſalutarem fore orbi terrarum, & vt ſit, omnes boni toto pectore vota facere debent. Tu vero dux Friderice ito, & Principibus Electoribus gratias agito, quorum cognouit eximiam beneuolentiam eſſe, ac voluntates eorum confirmato, & Imperatorem Carolum petere dicito, vt ipſi tanquam cuſtodes publicæ pacis, ſua fide, concordia, virtute, Germaniæ tranquillitatem tueantur, donec Imperator in Germaniam veniat, qui quidem aduentum maturare quamprimum decreuit.

Hæc cum Mercurinus dixiſſet, tota curia lætitiæ plena, Regi Carolo & Imperatori omnia fauſta precabatur. Poſtea ſcriptæ ſunt literæ ad Electores, in quibus Rex ſe Imperium accepiſſe profitetur, & de conſtituendo ſtatu Imperii nihil ſine conſilio Electorum facturum eſſe profitetur. Commemorat ſibi beneuolentiam ipſorum iucundiſſimam eſſe, & voluntates eorum confirmat. Poſtremo pollicetur etiam breui ſe in Germaniam venturum eſſe. Vt igitur ſolicitis Electoribus quamprimum voluntas Caroli Imperatoris ſignificaretur, Fridericus Palatinus ampliſſimis muneribus ornatus, ſtatim dimiſſus eſt.

Cæſar autem initio veris ex Hiſpania ſoluens, traiecit in Angliam, vbi à Rege Henrico VIII. non ſolum comiter, pro ipſorum neceſſitudine & hoſpitii iure, ſed etiam ſplendidiſſimo apparatu, exceptus eſt. Cumque fœdera inter duos Reges confirmata eſſent, Anglus pollicitus eſt, ſe Caroli coronationi interfuturum eſſe, honoris ipſius cauſa. Poſt paucos dies inde venit in Belgicum, vbi magna frequentia omnium ordinum, fauſtis eum ominibus excepit. Gratulantur reditum eo maiore veneratione: quia iam virum cernebant Principem, qui in Hiſpaniam ante annos aliquot admodum adoleſcens profectus fuerat: Optant læta & felicia Imperii auſpicia. Commoratur autem Rex Carolus aliquantiſper in Belgico, tum vt ciuitatum ſuarum ſtatum cognoſcat, tum vt Angli aduentum expectet. Sed hunc facile Rex Franciſcus perpulit, ne Carolum comitaretur, ac ſibi Anglum nouis pactionibus adiunxit, quæ deinde magnas rerum conuerſiones attulerunt.

Tandem igitur Aquiſgranum venit Rex Carolus, florem ſecum Burgundicæ & Belgicæ nobilitatis ducens. Et quanquam in oppido & vicinia graſſabatur lues peſtilens, tamen ne noui exempli autor eſſet, mutare locum coronationis noluit. Aduenienti obuiam proceſſerunt Electores, & fere omnes reliqui Germaniæ Principes. Aderat & cœtus ſacerdotum, Caroli Magni monimenta gerens. Poſtero die fuit dies duodecimus Menſis Octobris, coronatus eſt in æde maiori Aquiſgrani, veteri ritu. Moguntinus & Colonienſis indutum trabea ad aram adduxerunt: Dux Palatinus orbis figuram præferebat: Dux Saxoniæ enſem: Marchio Brandenburgenſis ſceptrum: Treuirenſis vero, more à maioribus accepto, Regem vnxit. Hic ad aram iuſiurandum prælectum eſt. Deinde corona à Moguntino & Colonienſi impoſita: Poſtea tradita, ſceptrum & enſis.

His ceremoniis peractis, regium conuiuium apparatur, in quo Electorum diſtributa ſunt miniſteria. Aſtat Moguntinus codicillos & ſigillum manu geſtans: Marchio Brandenbur. ſceptrum: Re-

gis Bo

git Bohemiæ Legatus, Pincernæ munere fungitur: Palatinus, Dapiferi. Interim in foro Dux Saxoniæ auenam equitibus diſtribuit. Aſſatur & taurus integer, refertus altilibus omnis generis, vnde primum coronato Regi Romanorum apponitur ferculum. Poſt coronationem Cæſar cum Principibus Coloniam venit, vt de futuro conuentu colloquerentur, in quo de veteri more poſt coronationem lex de pace communi renouatur, & de ſumma Reipublicæ deliberatur. Decretum eſt igitur, vt ad Calendas Ianuarias indiceretur conuentus Wormatiæ. His actis, & Carolus in Belgicum redit, & cæteri Principes in ſuas ditiones diſceſſerunt.

VIII.

LEGATIO

AD CÆSAREM CAROLVM V. HISPANIARVM REGEM, A RRINCIPIBVS ELECTORIBVS ROMANVM IMPERIVM EI DEFERENS: QVA FVNCTVS EST

Anno Christi 1519.

Illuſtriſs. Princeps Federicus Comes Palatinus, in Molendino Regio, vlt. Nouem. anno MDXIX. dicente Bernhardo Wurmſero IC.

TRADVNT Philoſophi ac ſapientes viri, ſacratiſſime Cæſar, Auguſte ſereniſſime ac inuictiſſime, Hiſpaniarum Rex Catholice, potentiſſime Princeps, ita hominum naturam comparatam eſſe, vt alios imperare, alios parere, & obedire neceſſe ſit. Sed ad hos imperandi dignitas ſpectat, qui ingenii acumine, virtutiſque præſtantia, & conſilii magnitudine cæteros antecellunt, qui iuſtitiam complectuntur, & nihil magis quam communem hominum, ac Reip. ſalutem ſequuntur. Qui belli gloria, & pacis tranquillitate ita gubernandi rationem moderantur, vt nihil ſit, quod ab eis non laudabiliter ſplendideque geratur. Tales ſacratiſſimos Romanor. Imperatores progenitores tuos ſereniſſimos, ac potentiſs. Reges anteceſſores ſplendidiſſimi ac glorioſiſſimi tui generis auctores, ac præcipue diuum Maximilianum, ſacratiſſimum Rom. Imper. Auum tuum clementiſſimum, piæ ac præclariſſimæ memoriæ, qui & Remp. Chriſtianam optime fulſit & auxit, procul dubio ſemper fuiſſe cognouimus, ſemper te, quantum in hunc vſq; diem noſſe datum eſt, & animaduertimus, atq; per omnes ætatis tuæ gradus comperimus, & multo maxime poſthac fore ſine dubio confidimus. Nullas deniq; res tibi deeſſe conſtat, quas ille oratorum Princeps Tullius optimo cuiq; Imperatori neceſſarias eſſe profitetur, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatemq;. Ad hæc accedant pulcherrima tuæ naturæ lineamenta, egregia corporis tui præſtantia, ac habitudo. Quapropter ſacratiſſime ac inuictiſſime Cæſar, cum poſt diui Maximiliani ſacratiſſimi Romanorum Imperatoris aui tui, piæ & feliciſſimæ recordationis, quem Deus Optimus, Maximus, à quo cuncta procedunt, ex hac vita ſuperiori anno ſuſtulit, proh dolor vniuerſæ Reip. Chriſtianę luctuoſam ac doloroſam mortem, ſub interregno de more Francofordiæ comitiis debite indictis, de totius mundi ac Imperii gubernatore deſignando tractaretur, Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes Septemuiri, ſacri Romani Imperii Electores, integritate, ſapientia, omni denique virtute inſignes diuina prouidentia, Dei optimi maximi nutu, beneficioq;, non ſine dextro quodam numine, ac obuia quadam fatorum beneuolentia, meritis ac virtutibus tuis iuſtiſſimo rectiſſimoq; prudentię ſuæ examine, accuratiſſime circumſpectiſſimeq; appenſis, in ſua ampliſſima, illuſtriſſimaq; ſeptemuira perfectione, abſoluto collegio, te Germanum Principem, tanquam inter idoneos pace & bello maxime idoneum, quique virtute ac fortuna cæteros omnes antecellas, te (inquam) Regem Carolum Maximum, vnanimi atque concordi ſuffragio votoque, in Roman. Regem futurum Imperatorem, totius orbis moderatorem, & huiuſcemodi auguſtiſſimi Imperii molem ſubeundam tolerandamq;, merito deſignarunt, ſublimarunt, Electioniſq; decretum in tuam perſonam edixerũt. Quod vt tuæ ſacratiſſimæ Cæſareæ Maieſt. exhibeatur, offeratur, ac inſinuetur, Illuſtriſs. Principem Fridericum, Comitem Palatinum Rheni, Bauariæ Ducem, de te & progenitoribus tuis quam optime meritum, magnificum Paulum de Armsdorff, auratæ militię equitem ſtrenuiſſimum, ac me, celſitudinis tuæ deditiſſimos obſequentiſſimoſque humiles ſeruitores deſtinarunt ac deputarunt. Ob cuius faſtigii aſſumptionem, ac poſteaquam apud Germanos increbuit, Diui Imperii Principes Electores, omniſque Germaniæ nationis ſtatus auguſtiſſime Cæſar, quanto nunc gaudio, quam admirabili ac ingenti affecti ſint animorum lætitia, nulla vis ingenii, nullius eloquentiæ copia, nullus ornatiſſimæ orationis ſplendor explicare valet. Tuæ igitur ſacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtati,

Imperii Electores plurimum gratulantur, ineffabilem omnipotentis Dei gratiam comprecantur, vt tibi longa annorum curricula, Neſtoream ſenectam, felicitatis incrementum, ac proſperum tribuat vitæ curſum, vt diuino conſilio, ac tua prudentia, cum totius orbis commodo, hoſtibus tuis feliciſſime domineris, Reſpublica Chriſtiana optime gubernetur, augeatur, ac infidelium immanitas ſuperetur. Quippe ſacratiſſimam Cæſaream tuam Maieſtatem, verum ac potentiſſimum orbis dominatorem, Catholicæ propugnatorem fidei, Regem regum, Chriſtianæ Reipublicæ ſtabile firmamentum, ac ſingulare refugium, Reuerendiſſimi Illuſtriſſimique Principes Septemuiri, Sacri Romani Imperij Electores, te non modo Carolum Magnum, ſed & ter maximum, vt optimos ac obſequentiſſimos Imperii Principes decet, venerantur, tibi debitam ac congruam fidem, obedientiam, humile obſequium, honorem, ac amoris ſinceritatem exhibent, pollicentur, & vt ſub tua iuſtiſſima protectione prorſus ab omni iniuria ac violentia defendantur, magnopere efflagitant. Se ſuaque dominia, principatus, opes, facultates, erga tuam ſacratiſſimam Cæſaream Maieſtatem, cum humilitate gratioſiſſime commendatas eſſe cupiunt, atque adoptant. Præterea ſacratiſſime ac inuictiſſime Cæſar, cum iam dicti Principes Imperii Electores, te Germanum Principem, dignum imperio & merito iudicarunt, tibi tantam molem totius orbis ac imperij moderamina, habenaſque tradiderunt: ſupereſt, ſi Chriſtianæ Reipublicæ, ſi ſacri Romani Imperij, ſi dignitatis tuæ ac communi omnium Germanorum ſaluti, ac honori conſultum eſſe velis, vt ſine mora verſus patrium ſolum Germaniam tuam nobiliſſimam, quantoties iterat pias, vt ea præſentia tua illuſtrata, libera ab omni inſultu, pernicieque hoſtili, proſpere, fœliciter gubernetur ac tueatur. Ad quod peragendum, ſacratiſſimam tuam Maieſtatem, Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes, ſacri Romani Imperij Electores, omniſque Germaniæ nationis ſtatus maximo cum deſiderio exhortantur, efflagitantque. Tuæ igitur ſacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtati hoc D. Imperij Electorum decretum cum humilima ac debita noſtri commendatione exhibemus, offerimus, atque præſentamus. DIXI.

Sacratiſſime Cæſar, Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimique Principes Imperij Electores, Illuſtriſſimo Principi Friderico hic præſenti, ac nobis, quædam ſecreta Imperij maxima importantia, coram ſacratiſſima Cæſ. Maieſtate tua ad partem referenda commiſerunt, quæ ſuo loco & tempore, eidem congruo & oportuno, explicabimus.

RESPONSIVA ORATIO EXCELLENTISSIMI ET *magnifici D. Mercurini Albonen. de Gattinaria, Cæſareæ & catholicæ maieſtatis ſupremi cancellarij, vtriuſque iuris doctoris & militis, habita poſt præſentationem decreti Electionis parte Principum Electorum ſacri Rom. Imperij, die S. Andreæ, vltima Nouembris, M. D. XIX. in Molino Regis prope Barchinonam.*

SACRATISSIMA Cæſarea & catholica Maieſtas, ex iis quæ nunc tum verbo propoſita, tum ſcripto oſtenſa fuere, iam imperialis aquilæ effigiem cernit. Quemadmodum enim ipſa imperialis Aquila biceps figuratur, velut orientem & occidentem ſpectans, ſic oratio hæc, parte Principum Electorum ſtylo elegantiſſimo perorata, ipſumque electionis decretum ſcripto æditum, bicipiti tamen quadam principaliori ſententia concepta ac diſtincta videntur. Altera quidem occidentis ſolis tenebras afferente, dum luctuoſum diui Maximiliani Cæſaris obitum recenſet, atque commemorat. Altera vero orientis ſolis radios deſignante, dum ſacri Imperii reſtaurationem per huiuſce electionis decretum enunciat, atque promulgat. Si igitur caput primum amplectentes occidentem ſolem, ipſiuſque Maximiliani Cæſaris obitum iterum deflere tentabimus priuatam ſimul ac publicam iacturam remmiſcentes, conſolidatum quaſi vulnus renouare videbimur. Iſtudque Vergilianum nobis occurret, *Ante diem clauſo componet veſper olympo.* Quia itaque mors ipſa lachrymis, ſuſpiriis, ſeu ſingultibus nequeat reparari, reſtabit bene actæ vitæ ſolatium, qua ab huius ſeculi ærumnis, ad perennem vitam aſſumptus cenſeatur, vt ſic non mortuum Maximilianum, ſed perpetuo viuentem, nec pereum occidiſſe ſolem, ſed ſui orbis curriculo in nouam ac veram lucem tranſiuiſſe dicamus. Secundum autem orientis ſolis caput, hunc videlicet vniformem Electorum conſenſum, in perſonam ſuæ Maieſtatis nulla ambitione, ſed diuino quodam nutu collatū. Licet tam per ſuos omnes procuratores, & nuncios acceptatus dicatur, ita tamen Maieſtas ſua ſuſcipiendum, ac complectendum duxit, prout Diuus Cæſar Auguſtus, qui primus ad Imperium, ſenatus, populique Romani conſenſu, aſſumptus fuit. Dum enim per Valerium Meſſalam à ſenatu miſſum is ſalutaretur. *Quod* (inquit) *fœlix, fauſtumque ſit tibi, domuiq; tuæ Auguſte, Senatus conſentiens cum populo Romano, te patrem patriæ conſalutat.* Glorioſam hanc ſalutationem Auguſtus nequaquam inſolenter accepit, ſed illachrymans ob pietatem & gratiam ſenatus erga ſe reſpondit. *Compos factus votorum meorum, Patres conſcripti, quid habeo aliud quam Deos immortales precari, vt conſenſum veſtrum*

ſtrum in Reipublicæ quiete, & ſalute ad vltimum vſq; finem perficere liceat. Sicque profecto Maieſtas ſua ſacratiſſima Deo Optimo, ipſiſque Electoribus ad id diuinitus inſpiratis, pro tanto munere (ne dicam onere) in ſe collato, gratias agens, id ſolum ab altiſſimo gratiarum omnium exhibitore expoſcendum, ac exorandum cenſet, vt huiuſmodi Electorum decretum, ipſumq; onus iniunctum ita explere liceat, vt diuino ſatisfiat obſequio, Reipublicæ conſulatur, ſacrum imperium reſtauretur, Chriſtianæ Religioni incrementum accedat, Apoſtolica ſedes ſtabiliatur, ipſa Petri nauicula diu fluctuans, in ſalutis portum deducatur, perfidorum quoq; Chriſtiani nominis hoſtium exterminatio ſequatur. Hincq; ipſa Saluatoris ſententia impleatur, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Cum autem ipſis ſacri imperii Electoribus pro re tanta, non ſolum meritas gratias agere, ſed & debitas referre laudes iubeamur, lapideo quaſi ac impenetrabili ſigno obiecto, proprio ictu repercutimur. Dum enim has Electorum laudes prædicare conamur, eorumq; prudentiſſimum conſilium, diligentem prætentarum rerum cognitionem, ac examinationem, æquam præſentium moderationem, necnon perſpicaciſſimam futurorum conſiderationem oſtendere cupimus: cogimur profecto has Electorum laudes ad ipſius Electi repercuſſionem maturare, vtpote ex quo tanquam ex vero lumine, ipſorum quoque laus colluſtretur. Quid enim maiori dignum præconio Electoribus ipſis tribui poſſet, quam quod ſuo prudentiſſimo conſilio, eum in Cæſarem deligendum cenſuerunt, quo nullus in vniuerſo orbe maior appareat. Non maior (inquam) animi & corporis dotibus, non origine ac ſanguine, non amicis & fautoribus, non regnis & dominiis, non potentia & diuitiis, non militibus, aliiſque gentibus bellicoſis ad arma cuiuſuis generis capeſcenda paratis, non equis & armis, bellorumq; machinis, ſine quibus bella geri nequeunt. Quid præterea laudabilius iis aſcribi poſſet, quam quod ex ipſa præteritarum, præſentium, & futurarum rerum animaduerſione, eum Imperatorem futurum decernerent, qui diminutum, ac fere exhauſtum imperium reſtaurare poſſet, qui implumem aquilam refoueret, renouaret, ac ad propriam naturam deduceret, qui præteritos anteceſſorum defectus ſuppleret, præſentem ſtatum illæſum conſeruaret, futuris quoque ſucceſſoribus oportune conſuleret. Quid tandem maiori laude dignum iis retribui poſſet, quam quod diuino ipſo ſpiritu meruerint informari, & vna voce, vnanimi conſenſu, vniformique ſententia, eum ad imperii gubernacula aſſumerent, quem cernerent origine, & moribus conformem, Germanum natum, & à Germanis parentibus ortum, ex ipſaque imperatoria ſtirpe genitum, ætate florentem, corpore præſtantem, ac ad quodlibet armorum genus aptiſſimum, agilem, robuſtum, fortem, magnanimum, iuſtum, clementem, ac liberalem, bonis moribus indutum, cæteriſque omnibus virtutibus plene refertum, ac ab omni vitiorum labe penitus alienum, in quo vis eſt magni animi, ſimulque extare videntur ſeniles mores iuuenili in corpore ſiti, vt ſic eius miniſterio, vtrumque tempus & bellorum & pacis recte poſſit gubernari, illudque Dauidicum impleri, vt iuſtitia & pax ſe inuicem deoſculentur. Quanto vero magis huius rei magnitudinem ſpectamus, tanto magis laudandi vires deficiunt, quaſi id opus non humanum, ſed diuinum cenſeatur, quandoquidem imperium à ſolo Deo inſtitutum iura omnia teſtantur, quod & à prophetis enunciatum, & à Saluatore Chriſto naſcente & moriente approbatum, & ab Apoſtolis prædicatum, & ab ipſis ſacris Canonibus ſancitum legitur. Faxit itaque Deus Optimus, Maximus, vt huiuſmodi imperium ſub Carolo magno diuiſum, & vt plurimum à Chriſtianæ religionis hoſtibus occupatum, ſub Carolo maximo valeat inſtaurari, ad ipſiusque viui & veri paſtoris obedientiam reduci. Sicque electus ipſe Cæſar noſter fœlicior Auguſto, & Traiano melior, qui iam nil aliud concupiſcit, nil ardet amplius & appetit quam ipſorum Electorum votis pro viribus ſatisfacere, iis perſonaliter pro meritis correſpondere, cæteraque imperii membra viſitare & fouere. Ipſas quoque ſolennitates de more inſtitutas quamprimum perficere & obſeruare, quod fauente altiſſimo proximo vere futurum ſperat. Reſtat nunc, vt ad te Illuſtriſſimum Principem Fridericum Palatinum Rheni Comitem, in Bauaria Ducem, tuoſque in hac parte collegas, hic adſtantes ſermonem conuertam, id duntaxat enunciaturus, nil gratius veſtro hoc aduentu Cæſari noſtro contingere potuiſſe, tum inſpecta horum qualitate, à quibus hæc legatio eſt iniuncta, tum etiam perſpecta negotii vobis commiſſi excellentia, tum demum ex illa erga te Illuſtriſſimum Principem intima beneuolentia, familiarique conuerſatione, quam ſua maieſtas ab ineunte ætate, ab ipſiſque teneris annis, tecum habuiſſe dignoſcitur, qua te ſemper benigne complexus eſt, ob tuam in ſe fidem & obſeruantiam diutius expertam, aliiſque virtutes innumeras, quibus etiam apud diuæ memoriæ Philippum patrem, & Maximilianum auum optime claruiſti. Eo igitur quo antea ſolebas familiaritatis priuilegio, deinceps cum ſua Maieſtate vti poteris. Cumque reliqua ſecretiora imperii negotia tibi commiſſa tractare volueris, præbebit maieſtas ſua aures gratiſſimas, teque ſemper ea, qua ſolet, benignitate & clementia acceptum, commendatumq; ſuſcipiet. DIXI.

Literæ, quibus Rex Carolus Electoribus gratias agit, quod eum Auguſtum deſignauerint.

CAROLVS diuina fauente clementia electus Romanorum Rex, futurus Imperator ſemper Auguſtus, ac Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ & Hieruſalem, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Flandriæ, Tirolis, &c. Dominus in Aſia & Africa, &c. Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Alberto. T T. S. Chryſogoni, S. Rom. E. presbyte. Cardinali

& Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Romani imperii Archicancellario per Germaniam, Princip Electori, amico; & Conſanguineo noſtro chariſſimo Salut. & omnis boni incrementum. Reuerendiſſime in Chriſto Pater, amice & Conſanguineo noſtro chariſſimo Salut. & omnis boni incrementum. Reuerendiſſime in Chriſto Pater amice & Conſanguinee noſter, venit ad nos illuſtriſſimus Fridericus Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bauariæ, Princeps & Conſanguineus noſter chariſſimus & nunciata nobis legatione ſua, Decretum Electionis quo Reuerendiſſima paternitas veſtra, reliquiq; Principes Electores, nos Auguſti titulis decorarunt, nobis tradidit, quod cum ſummum nominis noſtri ornamentum, firmiſſimum regnorum noſtrorum præſidium, & æternum quendam dignitatis noſtræ ſplendorem, deniq; maximum qui regi deferri poſſet, honorem cenſeamus decretum, illud ſumma animi alacritate, gaudio, lætitiaq; ſuſcepimus, fuitq; nobis in eo præcipue gratum, quod communi omnium conſenſu nos Cæſarem deſignaueritis, quod tanta verborum & ſententiarum grauitate, nos ad celſiſſimum Romani Imperii ſolium euexeritis, vt earum pondere rei magnitudinem prope adæquaſſe videamini. Nos autem in primis optauimus, vt omnipotenti, cui omnia accepta referenda ſunt, meritam pro veſtro hoc munere gratiam, iſtis honoribus & memori mente perſoluere poſſimus. Deinde eum comprecati ſumus, vt hanc imperatoriam poteſtatem, tam Reipubl. Chriſtianæ vtilem, quam nobis decoram eſſe velit. Reuerendiſſimæ vero P. V. cæteriſq; principibus electoribus maximas gratias agimus, ſed ita vt maiores etiam habeamus ac nos vobis memoria huius beneficii ſempiterna obſtrictos fateamur. Hoc autem nobis tam vnanimi aſſenſu veſtro obligatis, præcipuo ſtudio, cura, adnitendum putamus, vt ſacrum Romanum imperium ea iuſtitia, fortitudine & continentia, temperemus, vt æquiſſima manſuetiſſimaq; imperandi ratione, veſtrum in nos collatum beneficium vniuerſis gratum, atq; probatum faciamus. Ita enim Reuerendiſſimæ P. V. & reliquis Electoribus maiores gratias relatum iri exiſtimamus quam vnquam agere, habere, aut referre poſſimus. Cæterum cum inter reliqua ex ipſo duce Friderico Reuerendiſſimam P. V. Collegaſq; ſuos, miro aduentus noſtri deſiderio teneri, hocq; omnes vno ore contendere intellexerimus, licet omnia alioquin ad iter noſtrum neceſſaria patabamus, veſtris tamen iis communibus votis inuitati, ita noſtrum aduentum maturare ſtatuimus, vt celeritate eius, & itineris nos longitudinem, atq; difficultatem exuperaſſe, & veſtram expectationem præoccupaſſe, noſtramq; magnitudinem nonnihil neglexiſſe viſum iri arbitremur. Datum ex Molino Regio, die ſexto Nouembris. Anno domini M. D. XIX, Regnorum noſtrorum Romani, ac imperii primo, aliorum vero quarto.

IN SIMILI FORMA, MVTATIS MVTANDIS ad reliquos Electores ſcriptura fuit.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Rom. & Hiſpaniarum Regi Catholico, Leo Papa Decimus.

CHARISSIME in Chriſto fili noſter Salut. & Apoſtolicam bene. Literas maieſtatis tuæ, quibus perſonam ſuam in Regem Rom. concordi vnanimiq; S. R. Imperii Electorum conſenſu, electam fuiſſe ſignificabant in conſiſtorio noſtro ſecreto, coram venerabilibus fratribus noſtris. S. R. E. Cardinalibus legi fecimus, quæ talem prudentiam modeſtiamq; præferebant, vt non ſolum à nobis, verum & omnibus Cardinalibus, eadem maieſtas tua plurimum laudata, & commendata fuerit. Nouit ille, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, quo animi gaudio, quanta cordis lætitia exultauerimus, gratias agentes gratiarum omnium largitori, qui cum ſit magnus, nec magnis; magna glorioſus operatur in minimis, & ſuperbos terræ humilians, vnde timentibus gratiam tribuit & honorem. Habita igitur ſuper iis, cum viſis fratribus matura deliberatione, vt pro tam fauſta fœliciq; electione illius, auctori Deo gratias ageremus: Miſſam de Spiritu Sancto, qui Electorum corda illuminare, ac in tuam Maieſtatem dirigere dignatus fuit, in ſacello noſtro, in quo nos & præfati Cardinales interfuimus, per vnum ex eiſdem Cardinalibus ſolenniter celebrari, ac per almam Vrbem noſtram ignes, & alia lætitiæ ſigna fieri iuſſimus, in eo, cuius vices in terris (licet immerite) gerimus, confidentes quod ipſe cui omnia & futura præſentia ſunt, eximias virtutes omnes quæ tam in materno, quam in paterno auo tuo fuerunt, in te vno clariſſimas fore, præuidens te fidei ſuæ firmiſſimum futurum præſidium, vtriuſque aui titulis ac honoribus decorare, eorundemq; imperii ac regnorum potentatum, & viribus augere merito voluerit. Sperante ſque quod tu Euangelici dicti memor, quanto plura in hoc, & maiora in hoc mundo ab ipſius mundi creatore te adeptum fuiſſe cognoueris, tanto humiliorem te reddes, cogitabiſq; vna cum magnis honoribus, magna & laborum onera, ingentemque curarum molem ſubiiſſe non ſolum pro Eccleſia matre tua, cuius & ſanctæ Apoſtolicæ ſedis factus es aduocatus, omniſq; Chriſtianæ Reipublicæ quiete ac pacificatione conſeruanda, & liga inter Maieſtatem tuam & alios Reges ac Principes, cuius nos caput eſſe voluiſtis, inuiolabiliter ſeruanda. Verum etiam Mahumetica ſecta penitus eliminanda, quæ omnia ſane difficilia, atq; ardua efficere, noſtraſque & omnium ſpes de te conceptas, facile implere poteris, ſi vanis cupiditatibus poſthabitis atq; contemptis, tuos in dominum cogitatus direxeris eiuſque præcepta & mandata præ oculis & animo ſemper habueris. Ille enim per quem Reges regnant, & Principes imperant, principatus tui ſolium confirmabit, & dabit tibi virtutem & fortitudinem, qui-

buſ po-

bus populos curæ tuæ creditos, tranquille regere & gubernare, inimicis autem reſiſtere, Chriſtianamq; fidem ſicut prædeceſſores tui fecerunt, non ſolum ſeruare, ſed & propagare, & quæ ſemper nobis pollicitus fuiſti, re ipſa præſtare atque adimplere poteris. Tu ergo chariſſime fili noſter, cuncta quæ habes, poſſides à domino bonorum omnium largitore, vt par eſt, recognoſcens teipſum præpara, vt tam pro claris comminentibuſque dignitatibus, & honoribus quibus præter cæteros eluceſcis, & micantiſſimi ſideris inſtar coruſcas, propriis virtutum meritis parem te reddas, illiſque dignus iudiceris. Quod ſi (vt ſperamus) feceris, te in ſummo Maieſtatis faſtigio poſitum omnes admirabuntur. Indeque nomini tuo præconia veræ laudis accreſcent, & ab altiſſimo Rege (cui puero Reges venientes de Saba plena deuotionis munera obtulerunt) remunerationis æternæ tibi corona proueniet. Noſque Maieſtatis tuæ incrementa non ſpiritualibus tantum, ſed temporalibus etiam fauoribus, & gratiis promouere ſtudebimus, ſperantes in domino, quod noſtram, & dictæ Sedis dilectionem, paternamque beniuolentiam, tu tanquam gratus ac deuotus filius, corde ſemper atque opere promereri curabis. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Die XVI. Auguſti. M.D.XIX. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Euangeliſta.

IX.

ACTA ET GESTA CELEBERRIMI CONVENTVS ELECTORALIS APVD FRANCOFVRTVM MOENI IN GERMANIA, ANNO 1562. CELEBRATI, ad cæremoniarum Imperialium cognitionem vtilia.

Anno Chriſti 1562.

Authore Simone Schardio I C. & Aſſeſſore Cameræ Imperialis.

VERA NARRATIO, QVO MODO ET FORMA D. MAXIMILIANVS BOHEMIAE REX &c. ELECTVS fuerit in Regem Romanorum, idq; apud Franckofurtum Mœni, Anno Domini 1562. die 24. Nouembris.

INITIO adeo huius actus tota manus Electorii Senatus ſeptem nimirum Optimates Imperii matutino ſatis tempore horam circiter ſextam in æde Romana, quæ eadem eſt domus Senatoria Francofurtenſium, conuenientes ibidem ad aliquot horarum ſpatium (nona fere præterierat) vna moram traxerunt. Exinde porro omnes ac ſinguli patricio ſeu electoriali ſuo habitu pro more induti (habitus autem erat toga talaris coccinea pretioſiſſimi panni, & ornamentum capitis mitra rubea exquiſitiſſimo pellitii genere ſubducta, licet ex his Electoribus vnus D. Maximilianus eo quod regia polleret apud Bohemos dignitate regio quoque diademate circa tempora cinctus, cætera vero in veſtitu par erat) ſpectabili ſane atq; pulchro ordine pariter bini ac bini, & primo adeo Elector Moguntinus & Elector Treuirenſis, poſtea Elector Colonienſis, & Elector Bohemiæ, deinde vna ſerie coniuncti Elector Palatinus, Elector Saxoniæ, & Elector Brandenburgenſis inuicem comitati omnes in equis ad templum D. Bartholomæo ſacrum deuenere, pariq; ordine in chorum eiuſdem templi, ad cuius vtrunq; latus ſedilia procerum ſplendidis admodum ac deauratis aulæis extructa, & decorata erant, ingreſſi ſunt. Regi autem Maximiliano Elector Saxoniæ gladium Imperialem in argentea aurataq; vagina reconditum prætulit, interea quoq; dum ibi cultus diuinus perageretur, gladium illum Imperialem D. Petrus à Roſenberg, Coronam autem regiam D. Schenck à Limburg, quoties ea Rex deponeret, ex officio tenuerunt.

Cum igitur, vt dixi, ad Chorum templi deueniſſent, conſediſſentq; partim Elector Moguntinus & Elector Bohemiæ, & Elector Palatinus à dextro chori latere, partim vero inter vtrunque latus Elector Colonienſis, Saxoniæ, Brandenburgenſis & Treuirenſis, tum Epiſcopus Wirciburgenſis pontificalia pro more circundatus, hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, deuote ſuccinuit, quem deinde Muſicus chorus Cæſareus ad finem vſque ſuaui concentu modulatus eſt, proceribus interea ad genua prouolutis. Hoc finito Wirciburgenſis Epiſcopus publicum Miſſæ officium de Spiritu ſancto iuxta Bullæ aureæ conſtitutionem inchoauit, proceribus interim nonnullis, nempe Electore Palatino, Saxone & Brandenburgenſi, eo quod communibus hiſce eccleſiæ cæremoniis intereſſe minus ſoleant, in conclaue dextro chori lateri proximum, ſecedentibus,

tibus, & ipſos comitantibus Wilhelmo comite prouinciali Haſſiæ, Georgio comite Palatino Electoris filio, Franciſco duce à Lauenburg, Principe Anhaldio, cæteriſq; aliis vna cum conſiliariis ſuis, qui omnes poſteaquam Miſſæ ſacrum finitum animaduerterent, in chorum regreſſi ſuam quiſque priſtinam ſeſſionem ceperunt. Finito itaque hoc ſacro officio idem Wirciburgenſis Epiſcop. hymnum, *Veni creator*, canere incipiens reliquam eius partem muſico choro decantandam reliquit. Quo peracto omnes pariter Electores ad ſummum altare, ſeruato priori ordine, proceſſerunt, iuramentum iſtic præſtituri, cuius hæc erat forma: *Ego N. N. iuro & teſtor per ſacroſanctum Euangelium, cuius ſcripturam coram me hic præſentem intueor, quod per fidem meam, quam Deo omnipotenti quamq; Sacro Imperio Rom. debeo ex toto cordis mei ſenſu atq; intellectu per diuinum adiutorium ſuffragium daturus & electurus ſim in caput ſeculare totius Chriſtianitatis, id eſt, Regem Romanorum & deſtinatum Cæſarem eum, quem & ratio mea & intellectus fore ad hoc idoneum ac dignum ſuaſerit ac dictauerit, non obſtante rei conditio, non munera aut præmium, non promiſſio aut quiduis horum aliud, ita me Deus iuuet & ſanctum eius Euangelium.*

Primus itaq; Elector Moguntinus iuramentum hoc interpoſuit, qui parem iurationis formulam cæteris deinceps Electoribus, nempe Treuirenſi, Colonienſi, Bohemiæ, Palatino, Saxoni & Brandenburgenſi propoſuit. Eccleſiaſtici quidem Electores inter iurandum dextram in pectore ponere, Sæculares autem hanc ad librum Euangelii applicare viſi ſunt.

Hoc peracto reuerenter de altari omnes recedentes ſuum quiſque ſeſsionis locum repetiere, moxque iterum ſacer hymnus, *Veni Sancte ſpiritus*, concentu & modo (vt ante retulimus) decantatus eſt: proceres rurſus genua inflexerunt.

Poſthæc igitur in nomine Altiſsimi in conclaue chori (qui locus deſtinatus erat Electioni) iuxta ordinem proceſſionis prius obſeruatum primo Moguntinus, deinde Treuirenſis, Colonienſis, Palatinus & Brandenburgenſis ingreſſi, & oſtio poſt ſe occluſo ſoli ibidem paulo minus dimidiæ horæ ſpatio manſerunt. Hoc interiecto mox vnuſquiſq; eorum duos ex ſuis arcanos conſiliarios (quos ſinguli ad id iam ante delegerant) intro in conclaue accerſiri iuſſit, inter quos Regis Maximiliani duo erant conſiliarii D. Chriſtopherus à Kitzing aulæ præfectus, & D. Leonhardus ab Harnach ſupremus cubicularius: omnes vero hi conſiliarii, cum vix ſemihoræ ſpatio in conclaui fuiſſent, iterum ex eo digreſſi, iterumque oſtium occluſum, & Electores ſoli intus ad horam integram commorati ſunt. Nec longe poſt Cancellarius Moguntinenſis, & vnus ex Secretariis, qui verba voceſq; circa ſuffragia electionis ore tenus prolatas celeri calamo in ſcripti formula conciperent, coramq; recitarent, accerſiti ſunt.

Prædicti quoque conſiliarii ſtatim poſtea in conclaue reuocati ſunt, vt eſſent quaſi teſtes ſecretæ Electionis. Quibus admodum cito dimiſſis, in locum eorum accerſiti ſunt quidam Principes, Wilhelmus Comes prouincialis Haſſiæ, Georgius Comes Palatinus, Franciſcus dux Lauenburgenſis, Ioannes Albertus Meckelburgenſis & princeps Anhaldiæ, quos omnes & ſingulos Electorum ſenatus ſtatim ad ipſum Rom. Imperatorem ablegauit, eiusq; Cæſ. Maieſt. rogari iuſſit, vt quandoquidem in Electione rata ac tranſacta ſint omnia, ſua Maieſtas ad ſe in templum S. Bartholomæi ad audiendam votorum & ſuffragiorum conceptionem venire non grauetur.

Interea inclyti Electores nihilo ſecius in conclaui expectantes ſatagerunt, vt proclamationis forma de electo nouo Rege Rom. legitimo ac vnanimi modo conceptis in ſcripto verbis exprimeretur.

Adueniente igitur Cæſare, idq; in ipſa meridie, pariter omnes Electores decenti ordine è conclaui excedentes ipſius Maieſtati obuiam proceſſerunt, quibus cum ille ſigillatim venerabilem dextram porrexiſſet, placide ſacris tectis vna ſucceſſit. Habebat autem in comitatu ſuo Cæſar inclytos Imperii Proceres, Ducem Bauariæ, Ducem Iuliæ, Ducem Wirtenbergenſem, Ducem Meckelburgenſem, Principem Vraniæ, alioſq; permultos Principes, Comites ac Heroas.

Rurſus igitur in chorum itur, Electore Treuirenſi præeunte ſolo, poſt hunc Electore Palatino & Marchione ſimul, deinde proxime præcedente Cæſarem Electore Saxoniæ, qui & eidem gladium prætulit, Cæſarem dein ſequentibus à tergo Electore Moguntino, Bohemiæ, & Colonienſi, atq; ſic in ſacrarium chori ſeſe receperunt, vbi cum Cæſar pontificalia ſua ex auro contextum paludamentum humeris indutus, & capite diadema Cæſareum geſtans, è ſacrario rurſus in conclaue tranſiret pari ipſum ordine Electores in prædictum conclaue deduxerunt, primo præeunte Electore Treuirenſi ſolo, quem Palatinus pomum Imperiale auratum, Brandenburgenſis vero ſceptrum Imperii, & Elector Saxoniæ gladium Imperialem, eumq; nudum ex officio quiſq; ſuo Cæſ. Maieſtati præferentes ſequebantur, mox ipſe Cæſar, tum poſt eum Elector Moguntinus, Elector Bohemiæ, & Elector Colonienſis.

Conſidentibus ergo ipſis in conclaui Cæſ. Maieſtati per Electorem Moguntinum reuerenter denunciatum & explicatum eſt, quod Maximilianum Bohemiæ Regem, &c. filium ſuæ Maieſtatis vnanimi voto ac ſuffragio in Romanorum Regem, ac deputatum Cæſarem delegiſſent, ideoq; eos omnes humiliter orare, vt hoc ſua Maieſtas ratum & acceptum habere, & Regem hunc Rom. recens electum agnoſcere ac recipere clementer dignetur. Quod quidem Cæſar ſumma cum animi voluptate ac gaudio acceptans Electorum placita ac vota ſingulari gratificatione proſecutus eſt.

Quo peracto Electores iterum è conclaui in chorum exeuntes & Cæſareæ Maieſtati in dextro chori latere locum eminentiorem deſignantes interim Regem Rom. (quem elegerant) ad ſummum

ſsimum chori altare honorifice deduxerunt, ſuperque ipſum impoſuerunt, ipſis interea circunquaque adſtantibus. Sedit itaque Rex in altari tantiſper donec ad finem vſque decantatum eſſet glorioſiſſimum ac ſolenne canticum, *Te Deum laudamus.* Quod ſane canticum tanto communis iubilationis ſonitu, clangore ac ſtrepitu hinc humanæ harmoniæ ac muſicorum inſtrumentorum, hinc tubarum, organi, hinc tympanorum aheneorum toti templo inſonuit, vt omnem fere auditum excelluiſſe viſa ſint. Nec illa quidem ſatis erant ad ſummi iubili ac gaudii teſtationem, niſi etiam totius geminæ vrbis Francofurtenſis mœnia, pomeria, portæ, aggereſq; vallati immenſo tormentorum ac bombardarum fragore ac ſonitu reboarent, turreſq; & templa acri campanarum ingeminatarum ſonitu contremerent. Inter hæc vero iubila (cum longius producerentur) Electores ſæculares Clenodias Imperiales, quas diximus eos Cæſari prætuliſſe, Palatinus pomum Imperiale filio ſuo, Elector Saxoniæ gladium Duci Lauenburgenſi, & Elector Brandenburgenſis ſceptrum Imperiale Principi Anhaldio, vt hi vicem ipſorum interim ſuſtinerent, donec à ſummo altari rediiſſent, tenenda coram Cæſ. Maieſtate tradiderunt. Poſtquam illa itaq; tam glorioſa & varii generis iubila tandem remitterentur, tum ſacri Electores Regem Rom. de ſummo altari rurſus dimittentes ipſum extra in medio templi ſupra ſolium ſublime quoddam contignatum, quod ibi extructum erat, in throno regio conſtituerunt, feceruntque eum publice pro concione totius populi, recitata etiam Decreti ipſorum per Decanum Moguntin. ſententia electum Regem Rom. proclamari.

Atque his ita omnibus & ſingulis non minus ſolenniter quam feliciter peractis tam Cæſar & Rex, quam cæteri Electores, Principes, Proceresque omnes ad ſuum quiſq; diuerſorium ſe conferre cœperunt. Erant autem ante fores eiuſdem templi quidam è Senatu Francofurtenſi conſtituti viri ſpectabiles, qui geſtarent cœlum portabile (vt vulgus appellat) ex auro ſericoq; contextum, vt ſub eo Cæſar & Rex vſq; ad palatia ſua graderentur. Senatus quoq; idem tantam platearum longitudinem quanta à templo inde ad palatia vſque pertingeret, tabulatis ligneis, eo quod compita luto & cœno ex pluuiarum improbo humore erant immunda, ſterni curauit. Eius autem à templo proceſſionis hæc fere erat ſeries, primo omnium præceſſit ingens aulicorum, comitum heroum nobiliumque turba, hanc ſequebantur tubicines cum tympanis aheneis, primo ii qui erant Electoris Saxoniæ; deinde tubicines Brandenburgenſes; poſtea Ro. Regis, extremo tubicines ac tympana Cæſaris, qui omnes alternis vicibus aerem ingeminare ſonum ſine intermiſſione intendebant: hos rurſus ſequebantur alii principes ac magnates Imperii: poſt illos Cæſareæ Maieſtatis caduceatii auro ſericoq; villoſo veſtiti, tum magnificus ordo Electorum, Treuirenſi præeunte ſolo, hunc Elector Palatinus in dextra pomum imperiale, & Elector Brandenburgen. ſceptrum gerentes ſimul incedebant, deinde Elector Saxoniæ gladium gerens, ſolus poſt hunc tandem Sac. Cæſarea Maieſtas & Rex Romano. aureo vterq; caput diademate cinctus paludamentoq; aureo ſuperindutus gradiebantur, horum mox veſtigia Elector Moguntinus & Elector Colonienſis premebant, illos rurſus ingens ac longa procerum nobilium ac Guardiæ & Satellitii Cæſarei & Regii haſtata phalanx cum innumera aulicorum populiq; multitudine ſectabantur.

Atque cum hoc modo ad palatium Cæſaris iam deuentum eſſet, tum Cæſar actis prius gratiis Electores à ſe benigne dimiſit, pariterque Rom. Regem, qui & ipſe in palatium ſuum ad ſumenda prandia magno Procerum comitatu ſtipatus diuertit. Et ſic quidẽ fuit primi huius actus Electorialis finis. Tanta autem fuit optimatum omnium inter eligendum vnanimitas ac concordia, quanta ne à centum quidem annis audita fuiſſe perhibeatur. Ex quo merito omnes Chriſtiani firmiſſime ſperare debent, Deum tandem res noſtras clementius reſpecturum, concordiam & pacem daturum, & omnia tranquilla ac læta redditurum eſſe.

ALTERA NARRATIO DE GLORIOSA ET SOLENNI CORONATIONE ROM. REGIS DIUI MAXIMILIANI FACTA EODEM LOCO & ANNO, DIE VERO VLTIMO NOUEMBRIS.

PORRO interiectis ſex diebus & inſtantibus Calendis Nouembris (qui dies Diuo Andreæ Chriſti apoſtolo ſacer eſt) rurſus in templo prædicto conuenere primo eccleſiaſtici Electores, nempe Moguntinus, Treuirenſis & Colonienſis, atque vna cum his Wirciburgenſis & Marquardus Spirenſis antiſtites, idque mane cum dies ſatis illuxerat horam paulo poſt ſextam, imminente vero iam ſeptima tum Bohemiæ rex, & vna cum eo Sæculares Electores Palatinus, Saxonienſis & Brandenburgenſis ad Palatium Cæſaris vna ſe contulere. Ipſe igitur Rex ſericam veſtem oſtro tinctam quæque promiſſa quidem, ſed ſtrictior erat, & aurato texto, cui pretioſiſſimum pellicium ſubductum prominebat, pellucidam geſtabat, hanc ſuperindutus oblongum indumentum ex auro contextum chlamydis inſtar, capitis vero pileum cæteris Electoribus conformem: qui iidem omnes & ſinguli electoriali ſuo habitu & clenodiis imperialibus in dextris, vt ſupra relatum eſt, conſpicui Cæſaream & Regiam Maieſtatem quorum vterque ſub tegmine portatili aurato incedebat (cœlum id vocant, cuius tergeminum axem humeris ſuſtinebant ſelecti è ſenatu Francofurten. viri, D. Chriſtopherus Keller, Carolus Kuhorn ambo ſcabini, & Anton. Iungius, Carolus à Glauburg. Iuſtinianus ab Holtzhauſen, & Daniel Hengsbergerus, quatuor ſenatorii ordinis viri) à latere quidem dextro Elect. Palatinus, à ſiniſtro autem Elect. Brandenburgenſis, Electore Saxon. inter vtrunque gradiente, à palatio Cæſareo ad templum vſq; prædictum

S. Bartho-

S. Bartholomæi comitati ſunt. Eo poſtquam deuentum, atq; id eccleſiaſticis Electoribus, qui in ſacrario chori interim ſua quiſq; pontificalia induerant, denunciatum eſſet, protinus hi quidem obuiam Cæſareæ & Reg. Maieſtat. in medium chori progreſſi ſunt, primo adeo Elect. Moguntinus præcedens cum clero ſuo, ex hoc alio crucem argenteam oblongam, alio pedum epiſcopale, alio baculum argenteum, in quo ſigilla Archicancellariorum imperii affixa pendebant, geſtantibus, Maieſtatem ipſius venerabundus excepit: ad Regis vero vtrunque latus duo epiſcopi ſupradicti Wirciburgenſis & Spirenſis (eo quod reliqui duo Electores Archiepiſcopi nondum eſſent conſecrati) ſe applicantes ipſum medium reuerenter amplexi ſunt, hos vero tres Sæculares Electores cum clenodiis ſuis, mox Cæſar ipſe, & à tergo eius Baro quidam Schenckius à Limburgk chlamydem Cæſaris portans, poſt hunc duo reliqui Electores eccleſiaſtici, Treuirenſis & Colonienſis, ſequebantur.

Cæſare itaque primum in choro ſeſſionis locum à dextris capiente, tres Electores ſæculares vnus pomum aureum, alter ſceptrum, tertius gladium tenendo coram eius Maieſtate ſtantes paululum miniſtrarunt, quibus ille mox innuit, vt & ipſi pone in dextro latere conſiderent, iuſſitque, vt ipſorum officiarii ſubſtituti interim vicem eorum gererent: reliquis quoque principibus, Duci Bauariæ, Duci Iuliæ, Magiſtro ordinis Germanici, Wolffgango & Georgio Ducibus Palatinis, Duci Meckelburgenſi, aliiſque ex oppoſito ſibi ſedilia dari mandauit: præterea alios Duces & Principes, nempe Wirtenbergenſem, Ducem Lotharingenſem, duos Landgrauios, Ducem Lauenburgenſem, Ducem de Arſchot, Principem Vraniæ, & Principem Anhaldiæ & reliquos, vbicunque vellent, conſiſtere permiſit. Legati quoque pontificii non longo interuallo à conſpectu ipſius, ſicut & reliqui Electorum ſummi conſiliarii aſſidebant. Rex interim in medio templi apud altare conſiſtens donec Cæſar cum toto ſenatu Principum conſediſſet, expectauit, cumque apud altare flexis genibus oraſſet preceſque finiiſſet ad ſellam ſibi deſtinatam inque Cæſaris conſpectu poſitam auratis ſtratis tapetibuſque altis decoratam à duobus epiſcopis Wirciburgenſi & Spirenſi ducitur, reliquis quoque Electoribus eccleſiaſticis vna cum his ſuam quiſque ſedem, nempe Treuirenſi & Wirciburgenſi à dextro regis latere, Colonienſi vero & Spirenſi à ſiniſtro occupantibus.

Mox igitur Elector Moguntinus, qui conſecrator erat, ſacrum officium Miſſæ inchoans, pro more confeſſionem præfatus eſt. Hæc cum incipitur; tum Elector Palatinus è choro in conclaue ſe ſubduxit, licet reliqui duo Electores Saxon. & Brandenburgenſis ſub ſacro illo perſiſterent, donec cantaretur, *Alleluia*. Rex itaque mox à duobus illis epiſcopis VVirciburgenſi & Spirenſi ad ſummum altare deducitur, vbi ipſum ad genua prouolutum Elector Moguntinus, tanquam conſecrator, his fere verbis interrogat, nempe *an fidem Catholicam ſeruare, eccleſiam Chriſti defendere, iuſticiam adminiſtrare, Imperium Roma. augere & amplificare, viduas & orphanos omneſque pauperes tutari, & Pontifici Romano debitum honorem tribuere velit.* Ad quæ omnia cum Rex ſe promptum & paratum fore affirmando reſpondiſſet, Elector Moguntinus manum ſuper caput eius imponens orauit, finitiſque precibus Regem ſacrato chriſmate inungere cœpit, & primo in ſummo capitis vertice, deinde in pectore, poſtea in ſcapulis ſeu humeris, tum in dextro brachio inque dexteræ manus palma inunctum duo Epiſcopi ſupradicti in conclaue chori, vt ibi oleum chriſmatis aqua ablueret, deduxerunt. Quod cum eſſet ablutum, Regem alio veſtitu, nempe Diaconali, quem amictum quondam Imperator Carolus Magnus geſtauerat, indutum rurſus è conclaui ad ſummum altare reducunt, cui tum Conſecrator Moguntinus gladium nudum in manum dedit, ſimulque monuit & hortatus eſt, *vt totam Imperii Rom. rempubl. fideliter protegere, omniaque quæ ad eius ſalutem ac conſeruationem concernerent, pro viribus ſuis perſequi velit:* gladium igitur illum in vaginam Elector Saxon. recondidit, ac Regis lateri circumdedit. Mox Conſecrator dextro Regis digito pretioſiſſimum annulum aptauit, corpori chlamydem ex auro rigidam induit, ſiniſtræ manui chryſomelum ſiue pomum aureum imperiale, dextræ vero ſceptrum regium, & capiti coronam auream (quæ clenodiæ fuere Caroli Magni) impoſuit: coronam autem, cum, cum Regi imponeretur, tres Electores eccleſiaſtici ſimul attigerunt, regemque religioſe initiarunt. Sic itaque coronatum Elector Moguntinus iterum per iuramentum in ſancta Euangelia officii ac promiſſi facti admonet, ſimulque iniungit, quatenus omnia quæcunque Chriſtianum regem facere decet, & fas eſt, pro animi ſui viribus ſeruare ac præſtare ſtudeat. Poſthæc igitur regem iam ſolenniter & glorioſe Coronatum ducunt in ſublimem quandam ſtructuram aſſeribus contignatam, cuius omnia auratis ſegmentatiſque ſtratis pannoq; viridi circunquaq; erant tecta. ſuper hæc autem erat ſella ſeu thronus regius in forma regii illius ſolii quo Carolum Magnum vſum fuiſſe perhibent, miro ſplendore apparatus, in hoc throno ſeu ſolio collocatum, & ſedentem ipſum Regem poſſeſſione ac reſidentia Romani Imperii publice in conſpectu omnium inaugurarunt. Tum Elector Moguntinus Regi Romanorum regno recens initiato de ſummi honoris iſtius acceſſione ſuo & aliorum confratrum ſuorum nomine honorifice gratulatus & bene precatus eſt, ſeq; & omnes alios ſtatus Imperii gratiæ ac tutelæ ipſius humiliter commendauit.

Mox igitur rurſus magno cum iubilo ac gaudio totus chorus muſicus glorioſe, *Te Deum laudamus*, decantare, tubæque & organa ac tympana toti templo inſonare cœperunt. Interea à nouo rege coronato heroici Equites deauratis armis decorati & inſigniti ſunt quidam Principes, Barones ac Nobiles, nempe duo Comites Palatini, duo Landgrauii, Dux Eberhardus VVirtenber-

gentis,

genſis, Iohann. Albertus Dux Meckelburgenſis, Dux Carolus à Munſterberg, Chriſtophorus à Carleuitz, Eraſmus Magro. Ioann. Phryſinger, &c. Quibus ſolenniter peractis, Rex iterum è ſublimi illa ſtructura deſcendens in chorum rediit, ac ſellam ſuam priſtinam repetit, intendens cultui diuino, cuius ſacra Elector Moguntinus peragebat. cumque ſub offertorio ſacræ Miſſæ rex patenam apud altare magnum aureorum nummorum, moxque rurſus in ſolio ſuo recumbens, librum quoque Euangelii, cum finita eſſet eius lectio, oſculo veneratus eſt.

Porro inter hæc duo canonici Aquenſes in medium coram rege prodierunt, qui conceptis verbis, & iuramento præmiſſo, Maieſtatem ipſius veteris ſtatuti ac conſuetudinis admonuerunt; aſſerentes vnumquemque Regem Romanorum nouiter electum ac coronatum in numerum collegarum ſeu canonicorum Aquenſium recipi ſolere.

Hæc autem cum omnia & ſingula ita gererentur, & ad finem properarent, tum ſereniſſima Regina D. Maximiliani coniunx, quæ toto huius actionis tempore vna cum multis illuſtribus matronis & Ducibus, vt Lotharingæ eiuſque filia, & item Electoris Saxoniæ coniuge, atque Bauariæ Ducilla, ac pleriſque aliis in loco ſublimi conſiſtens ſingulas has ceremonias ſpectauerat, tandem ſurgens ſe è templo in Electoris Sax. coniugis diuerſorium, ad ſumendum ibi prandium cum toto prædicto nobiliſſimarum Ducum comitatu recepit: vbi etiam totius Electorii ſenatus ampliſſimam è templo proceſſionem e feneſtra ſpectauit.

Finito itaque (vt ad incepta redeam) demum hoc ſummæ Miſſæ ſacro, Electores Eccleſiaſtici in chori ſacrarium ſecedentes pontificales ſacras veſtes rurſus depoſuere, & habitum ordinis Elect. induerunt, tum Cæſar (qui toti huic ſacro officio & coronationis actui in ſolio Cæſareo reſidens interfuit) cum illi aſperſa eſſet aqua benedicta, è ſella ſurrexit, exitumque è templo parat. Diuertunt itaque vna omnes ad Curiam ſenatoriam, vbi Cæſareum ſeu imperiale conuiuium in cœnaculo apparatum erat, præcedente primo Electore Treuirenſi ſolo, & poſt ipſum ſequentibus in vna ſerie Palatino cum pomo aureo, Saxone cum gladio nudo, & Brandenburgenſi cum ſceptro imperiali, mox Cæſar ipſe & ad paſſum vnum iuxta à ſiniſtro latere Rex Roman. ſub tecto aureo incedebant, horum tergo imminentibus Elect. Moguntino & Colonienſi. Inter eundum vero Rex Romanorum per duos equeſtres haſtarios magnam vim aureorum & argenteorum in medium populi, cuius tamen maior pars ob cuſtodiam Regis, & turbas cauendas armis induta erat, ſpargere, & haſtæ ſubiicere curauit. Fit igitur mira hinc inde concurſio, mira direptio, quaſſatio & percuſſio, ita vt quidam è vulgo ob violentam concuſſionem vix mortis periculum euaſerint. Cæſare itaque & Rege cum toto procerum comitatu ad curiam venientibus, & aulam ſiue cœnaculum aſcendentibus mox iterum omnes tubæ, tympana ac bombardæ immenſo ſonitu gaudii lætitiæque ſigna dare cœperunt.

Sequitur Conuiuij Cæſarei deſcriptio.

ERANT igitur in aula ſenaculi illius omnia magnifico plane apparatu inſtructa, menſæque diſtincto ordine adornatæ, ita vt ea menſa, quæ Cæſari & Regi vna ponebatur, cæteris aliis ſeptem graduum altitudine emineret. Huic igitur cum tandem Cæſar & Rex accumbere vellent, tum Elector Brandenburgenſis ex ſolenni ordinis ſui ſeu electuræ Brandenburgenſis officio (à quo Sacri Imperii Archicamerarius appellatur) mox è cœnaculo illo per gradus deſcendens & equo inſiliens ad tripodem, qui ſub dio & prope coquinam Cæſaream poſitus erat, feſtinat inque eo malluuium ſeu pollubrium deauratum aqua repletum, & mundiſſimam mappulam inuenit; quæ ſecum in equo ad cœnaculum tulit, cumque equo deſcendiſſet, eumque equum comiti à Zolleren (eo quod is eſſet Sacri Imperii Vicecamerarius) in manus tanquam ex officii iure ad ipſum pertinentem proprium tradidiſſet ipſe pedes per gradus cœnaculi aſcendens, tubis tympaniſque hinc inde ſonantibus eadem ad lauandas manus Cæſari ac Regi ſubminiſtrauit, moxque peluim illam vna cum mappula prædicto Comiti à Zolleren, cui prius & equum, vt ea retineret, tradidit.

Poſt hæc deſcendit è cœnaculo Elector Saxoniæ volens & ipſe officii ſui, quod ſibi ratione ordinis Imperii incumbebat, ſatagere, ſimiliter equum ſatis ſplendide ornatum aſcendit, rectaque tendens ad eundem fere locum in effuſæ auenæ ingentem aceruum cum equo inſertur, ac illo deſcendens ſumpſit in manum modiolum argenteum deauratum, quem auenæ menſura ad ſummum vſque repleuit concuſſitque: hunc mox ad diſtribuendum reliquum auenæ tradidit comiti à Pappenheim, eo quod is eſſet Rom. Imperii Vicemarſchalcus: ipſe interim in equo ad cœnaculum rediens, modiolum argenteum & ipſum quadrupedem, cui inſederat, iam dicto comiti pro officii iure ſeruandum reliquit.

Deinde è cœnaculo deſcendit quoque Elector Palatinus ad obeundas officii ſui, quod in Imperio gerit, partes (vnde Archidapiferum ſeu Diſcopherum Imperii eum appellant) qui cum & ipſe in phalerato equo ad coquinam Cæſaream veniſſet, ac tria fercula ſeu catinos deauratos cibo repletos in tripode poſitos inueniſſet, eos vtraque manu aſſumptos ad cœnaculum portat, præcedit ipſum Elector Saxoniæ cum nigro bacillo tanquam Architriclinus ſeu aulæ Cæſ. Marſchalcus: cum itaque Palatinus ad cœnaculum veniens equo deſcendiſſet, tradidiſſetque hunc pro more officii Comiti à Seldeneck (qui eſt Romani Imperii Vicedapifer) ipſe fercula illa præcedente eum Electore Saxoniæ cum bacillo (vt dixi) menſæ Cæſaris appoſuit: catinos vero illos poſtea idem Comes

 reſer-

reſeruauit. Porro vnus ex Baronibus à Limburgk Archipincernæ Romani Imperii (quod officium eſt Electoris Bohemiæ) vicem gerens vaſa potoria aurea argenteaq; procurans Cæſari Regiq; pocula miniſtrauit: quæ & ipſa poſtea idem ſibi de iure vendicauit. Erat quoque proxime coquinam Cæſaris fons vinarius artificioſe in publico apparatus, è cuius canalibus ſeu fiſtulis merum vinum ſatis longe promanabat, quibuſcumque ex eo quantum ſatis erat haurientibus. Atque cum ſic Electores Seculares ſuo quiſque officio, quod Roman. Imperatori debebant, perfuncti eſſent, ac menſalia negotia curaſſent, tum poſtulante id ordine Elector Moguntinus cum cæteris duobus Eccleſiaſticis Electoribus ad menſam Cæſaris cominus accedens, gerenſque in dextera ex argento baculum oblongum, eumque argenti marcarum duodecim pondere grauem, cui tria ſigilla Electorum Archicancellariorum affixa erant, atque facta honorifica inclinatione officiis, obſequiis & iuribus ſuis præmiſſis, ſe ſuoſque confratres Electores Eccleſ. & officia ipſorum nouo Regi Romanorum humiliter commendauit, & ei omnem felicitatem ac fauſtam Reipubl. & Sacri Romani Imperii adminiſtrationem & gubernationem exoptans, ac votis omnibus proſequens, mox propius ad ipſum acceſſit, & ſigilla illa ſuæ Maieſtati obtulit: Sed ea Rex reſeruare nolens eidem Electori Moguntino ad collum, torquis inſtar, circumdedit: ſimulque diſerte profatus eſt, ſe non ſolum eccleſias & iura ipſorum pro viribus ſuis ſalua ac illæſa cupere ſemper, ſed etiam ſe omnibus ac ſingulis ipſis, ſicut & cæteris Sacri Romani Imperii ſtatibus, donec viueret, benignum, propenſum atque amicum animum allaturum eſſe. Cum itaque ſex Electores munia ſua Imperialia ſic coram nouo Rege executi eſſent, ſubſtitutis interim ac ordinatis ſuo loco & nomine duodecim inclytis comitibus, qui deinceps inter prandendum Cæſareæ ac Regiæ menſæ inſeruirent, ipſi tandem mox ſinguli ſingulis mēſis eodem in cœnaculo poſitis ad ſumendum cibum accubuere: harum autē menſarum hic erat ordo: primo menſa Electoris Moguntini in dextero poſt Cæſarem latere, à ſiniſtro autem Electoris Colonienſis, & inter vtrumque latus ex oppoſito Cæſ. Maieſt. Elect. Treuirenſis menſa erat adornata: porro in dextero latere poſt Moguntinum accubitum ſortiebatur Elector Palatinus, & à ſiniſtra eius loci parte poſt Colonienſ. menſæ ſeparatim poſitæ erant vna Elect. Saxoniæ, & altera Elect. Brandenburgenſis. Hoc igitur ordine conſidentibus illis, ac prandentibus omnia quidem ſplendide lauteque apparata fuere, & ſuus cuique menſæ illorum adiunctus abax, quo ſuperimponebantur aurea vaſa, cyathi lanceſque, & id genus ſimilia ex argenti penario ſeu camera Cæſaris deprompta: cateruatim adſtantibus hinc inde ac miniſtrantibus cuique ipſorum ſuis nobilibus pocillatoribus, dapiferis & bacillonibus.

Præter has Electorum menſas fuere & aliæ duæ haud longe inde à conſpectu Cæſaris ſtratæ, quarum priori aſſederunt Wirciburgenſis & Spirenſis Antiſtites, vna cum Duce Bauariæ & Duce Iuliæ: alteri menſæ accumbentibus Duce Lotharingæ, Duce de Arſchot, Principe Vraniæ, & aliis pleriſque, quos omnes & ſingulos Cæſar & Rex ad hoc ſolenne prandium inuitarant. Rurſus adhuc quatuor aliæ menſæ non minus magnifice quam opipare inſtructæ erant in proximo eius loci conclaui, quas occuparunt Legati ciuitatum Imperialium, vt Colonienſium, Nurnbergenſium, Francofurtenſium, & aliorum, qui iidem cum prorſus pariter æquali modo, ſicut Principes Electores, tractarentur & exciperentur, læti prorſus ac hilares, cum cæteris ibidem præſentibus frontem explicuerunt.

Poſtquam tandem epulis exempta fames fuerat, remotiſque menſis omnes ſurrexerant, tum ſex Electores ad ſummam menſam Cæſaris Regiſque, quam vterque communem habebat, accedentes ſui quiſque officii Imperialis munia (quæ quidem interim officiariis ſeu vicariis ſuis commiſerant) repetierunt, paululumque miniſtrarunt. Mox vero & Cæſar & Rex à menſa digreſſi inde ad ſpectaculum, quod publice præbebatur, è ſublimi loco videndum proceſſerunt. Erat autem Bos ſpectatæ magnitudinis totus & integer ad ignem toſtus & aſſatus, atque varii generis animalibus intus repletus, & foris ordinatus: Hunc vulgus ſeu fex hominum diſpartiuit, dilaniauit, fruſtillatimque diuiſit. Quo ſpectaculo finito, Cæſar & Rex è cœnaculo domus ſenatoriæ cum toto Electorum aliorumque Principum ſenatu, nobiliumque comitatu pari ordine ac forma, in qua è templo eos exiuiſſe diximus, ad Palatium ſuum diuertere cœpit tubis tympaniſque omnibus certatim inſonantibus; eo cum deueniſſet, totum illum Sacrum Electorialem ſenatum pontificalibus adhuc indumentis (quibus & inter prandendum vſi ſunt) decoratum ſereno vultu iunctis dextris honorifice placideque à ſe dimiſit. Et hic quidem fuit ſolennis ac glorioſæ huius coronationis feliciſſimus exitus. Deo Regi Regum, & Domino dominantium, ſit gloria, laus & honor in perpetuum, Amen.

DE

X.

DE ELECTIONE ET INAVGVRATIONE MAXIMILIANI AVSTRII II. ROM. REGIS, FRANCOFVRTI ad Mœnum, Anno 1562.

Anno Chriſti 1562.

HISTORIA PER ADAMVM ET NICOLAVM HEYDENOS fratres, Gemellos, deſcripta.

REVERENDISSIMO AMPLISSIMOQVE PRINCIPI AC PRAESVLI DOMINO IOANNI A LEYHEN, ARCHIEPISCOPO TREuirenſi, & Electori, Sacri Romani Imperii per Galliam & Regnum Arelatenſe Cancellario, Domino noſtro Colendiſſimo atque Obſeruandiſſimo.

QVVM non ſine multa diligentia homines ſtudioſi, qui nos noſtraque præceſſerunt tempora, ſuam poſteritatem inſigni amore & beneuolentia proſecuti, non tantum memorabiles Romani Imperii viciſſitudines, aut Romanorum Imperatorum ſucceſſiones, ſed etiam ritus præcipuos actusq; illuſtriores, nouo aliquo Rege atque Imperatore deſignato, habitos atq; celebratos ſcripto comprehenderint, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime in Chriſto Præſul, ſane quam optimis quamque honeſtiſſimis eorum exemplis nos iuniores quoq; inſiſtere cumprimis decet. Itaque nuper nobis Francofurtum profectis, ac inibi actu ritibuſq; perquam memorabilibus, quibus vos Romani noſtri Imperij Electores & Principes in eligendo inaugurandoque Romanorum Rege MAXIMILIANO Auſtrio II. vtebamini, partim viſis, partimque aliorum indicio exploratis, vt eos ex Germanico edito ſcripto Latine ſucciſiuis operis redderemus, cum honeſtiſſimis, quæ diximus, maiorum exemplis, tum ſingulari ad hoc ſtudii genus amore incitati ſumus: Verum enimuero etſi id noſtrum ſcriptum primo quidem intuitu minime dignum, quod ſub dium raperetur, iudicaremus, & quia rudi, vt aiunt, Minerua, magis compactum quam fabrefactum eſſet, & quod alios hanc ipſam materiam dignioribus illuſtraturos verbis confideremus, ſecius tamen à quibuſdam noſtrorum amiculorum admoniti, Typographo quoque importunis identidem ſolicitante precibus, ſupprimere, niſi difficiles & moroſi omnino perhiberi vellemus, diutius nequiuimus. Quale vero quale eſt, ſub bono R. T. A. auſpicio emittere auſi ſumus, tribus potiſſimum cauſis adducti: Prima eſt, quod exiſtimauimus nos noſtrorum ſtudiorum fœturam nulli rectius conſecrare poſſe, quam ei Principi, qui & rerum geſtarum magna pars fuit, & noſtræ patriæ æquabili, Deo ſecundo, præſidet moderatione. Altera, vt vel huiuſmodi munuſculo pro innumeris beneficiis, quibus R. T. A. ſibi nos noſtroſque felicis memoriæ parentes in perpetuum deuinctos tenet, gratum declaremus animum. Vltimum, vt ſi hinc R. T. A. guſtum aliquem percipere vellet, quos in Latina progreſſus fecerimus lingua, eiuſdem R. T. A. iudicio cœptum Iuris ſtudium vel continuaremus, vel prorſus intermitteremus. Continuare vero etiamſi R. T. A. ſuadeat, noſq; ſumme cupiamus, difficulter, hoc difficilimo præſertim tempore, poterimus, ſine R. T. A. ſimiliumque Mecœnatum liberali ſubſidio. Si vero ſint Mecœnates non ſolum Marones non deerunt, ſed nec alii, qui ſua ſtudia eo cupide relaturi ſint omnia, vt vel Eccleſiaſticæ vel Politicæ Reipublicæ ornamento atque vtilitati eſſe queant. R. T. A. diuinus fauor diu ſeruet incolumem, cui nos totos communiſque patriæ ſalutem ita commendamus, vt maiore obſeruantia magiſue ex animo commendare nequeamus. Datæ Heidelbergæ 18. Martij, Anno 1563.

R. T. A.

addictiſſimi clientes,

Adamus & Nicolaus Heydeni, fratres, Gemelli.

MAXIMILIANI AVSTRIACI II. IN ROMANORVM Regem electio, è Germanico Latine reddita per Nicolaum Heydenum Eyflandrum Dunenſem.

CVM præter Cæſarem, alioſque complures Romani Imperii Principes & Dominos, etiam Septemuiri (qui alias Electores dicuntur) Francofurti, quod eſt ad Mœnum flumen oppidum,

menſe

menſe Nouembri, Anno 1562. cum aliis Reipublicæ de cauſis, tum vel maxime, vt Romanus aliquis Rex, qui ſecundum Cæſarem velut alterum Imperii Caput eſſet, deligeretur, conueniſſent: Ad vigeſimum quartum eiuſdem menſis diem, hora antemeridiana ſexta, Curiam, Romana dictam, ingreſſi, ibi ad horam nonam remanſerunt. Deinde trabeati ſimul, Rege vero Bohemiæ auream in capite coronam geſtante, ad D. Bartholomæi equites ſeſe conferunt. Eo ordine, vt Moguntinum & Treuericum Rex & Colonienſis, hos vero Palatinus, Saxo & Brandeburgicus ſimul inſequerentur. Horum ſingulis ſinguli Mareſcalli, equis quoque inſidentes, diſtrictos præferebant gladios. Vt autem hoc quo dixi ordine, in fani Chorum, aureis hinc atq; hinc exornatum ſipariis, peruentum eſt, ſinguliq; ſuas ceperunt ſtationes: Wirzeburgicus inſignijs Pontificalibus, vti vocāt, indutus, clara voce ſacram illam, qua diuini Spiritus imploratur aduētus, cantilenam auſpicatur, eamque tum Cæſariani Regijq; Symphoniaci abſoluerunt, Electoribus interim poſitis genibus, pro felici cōſiliorum augurio, ſummiſſa voce ſupplicantibus. Poſtea Wirzeburgicus Liturgiam de ſancto Spiritu, ex *Aureæ Bullæ* præſcripto (ſic enim Carolinam Imperii Conſtitutionem nominat) peragere cœpit. Tunc Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, ex Choro in proximum cōclaue diſcedunt, inibi donec Liturgia ad coronidem deducta eſſet permanentes: Inſequentibus eos Gulielmo Lantgrauio Iuniore, Georgio Palatino, Franciſco Lauenburgico, Anhaldio, aliiſq; compluribus, vna cum ſuis Conſiliariis, Principibus atq; Ducib. Finita igitur Liturgia, cunctiſq; his ad ſuas denuo ſeſſiones reuerſis, Ode illa: *Veni creator Spiritus*, cantatur. Tum Septemuiri ad ſummum altare ſimul procedētes, ibiq; librum ſacratum, vt appellant, manibus contingentes, verbis conceptis per eam, qua Deo ſint & Imperio deuincti, fidem, religioſe iurant, *ſe creaturos eſſe Reipublicæ Chriſtianæ nouum atq; ſummum a Cæſare Magiſtratum, id eſt, Rom. Regem, quem eo munere dignum, & inprimis idoneum ac ſalutarem eſſe cenſerent, quantum quidem iudicio poſſint ac ingenio conſequi, nullo neq; pacto, neq; largitione, neque mercede, neq; pollicitatione, interueniente.* Poſt repetita iam tertio æterni Spiritus inuocatione à Cantoribus, Electores interius conclaue, vbi antiquitus electio fieri conſueuerat, ingrediuntur, illic ſoli occluſi tum aliis Imperii de rebus deliberantes, tum nominatim de aliquo in Regem adoptando ſuffragia ineuntes. Poſt elapſum autem ſeſquihoræ ſpacium, Moguntini Cancellarius, vnaq; cum eo quidam Secretarius intro accerſuntur, concepta Septemuirorum ſuffragia excepturi, nec nō è ſingulorum Septemuirūm Conſiliarijs bini, quibus quaſi religioſis teſtibus præſentibus, legitima fieret ſuffragiorum pronunciatio. Sub hæc Moguntinus à reliquis Septemuirorum interrogatus, quemnam ipſe eligat Roman. Regem, deinceps in Cæſarem promouendum? Reſpondit: *Se eligere Maximilianum Bohemiæ Regem.* Tum hos viciſſim Moguntinus ſigillatim rogat. Atq; ita vna omniū voce Rex renunciatur Maximilianus. Hoc facto, Gulielmus Lantgrauius, Georgius Palatini Germanus, Franciſcus Lauenburgicus, Meckelburgicus & Anhaldius ab Electoribus è Choro, vbi adhuc ſubſtiterāt, accerſiti, ad Cæſarem amandantur, ei ipſorum in Electione conſenſionem denunciaturi, eumq; vt ad ipſos in D. Bartholomæi Ædem venire, dataq; audire ſuffragia dignetur, oraturi. Interea Electores eodem quo fuerant coacti loco, renunciationem Regis deſcribendam, inque literas ſua relata ſuffragia, propriis ſinguli ſignis obſignanda curant. Porro Cæſare circiter horam diei duodecimam aduentante, ei Electores pariter ex choro in medium vſq; fanum obuiam prodeunt, quos ille comiter ſalutatos, benigne ex ordine appellat: comitatus Bauaro, Iuliacenſi, Wirtēbergico, Vranienſi, & aliis præterea permultis Principibus, Comitibus atq; Dominis. Mox vna in Sacrarium proceditur, ibiq; Cæſare Pontificalibus induto inſignijs, & capiti Imperiali impoſita corona, ſimul ſeſe in Conclaue recipiunt. Hic Moguntinus & ſuo, & collegarum nomine, Cæſari quemadmodum ſumma concordia, conſentientibusq; omnimodo ſuffragiis, Regem Bohemiæ, ipſius dilectum Filium Regem Romanorum crearint renunciare exorſus: ac vt Cæſar hanc electionē ſuo aſſenſu approbare, nouumq; Magiſtratū pro Rom. Rege, & à ſe ſecundum deinceps agnoſcere minime grauetur, demiſſe orare. Hæc referenti Cæſar cū plauſu annuens, Electorib. ſummas agit gratias, & quod optime de Rep. ſentiant, & ſuæ progeniei non minimā rationem habuiſſe reipſa deprehendantur. Poſthæc progredientes, Cæſar in ſuam à dextra Chori parte ſedem ſeſe contulit: Electores vero electum à ſeſe nouum Regem acceptū, altari ex more veteri impoſuerunt. Tum Symphoniaci & Organiſtæ alternis vicibus hanc D. Auguſtini & Ambroſii Oden: Te Deum laudamus, &c. recinunt, quibus Tubicines ſuccinentes taratantararum clangore totum templum perſonant. Campanarum quoq; pulſus haud mediocrem edit ſonitum, nec non maiora in vallis, muris ac turribus emiſſa tormenta, tantum efficiunt fragorem, vt ipſum cœlum tonare videretur. Tandem huiuſmodi abſoluta lætitiæ ſignificatione, Rex de altari ex Choro in æditum quoddā tabulatum, variis inſtructum aulæis, deductus, ibidem regali imponitur ſolio. Tum à Moguntinenſis Collegij Decano ſuffragiorū Decreto recitato, quidā pro concione, quod tanta conſenſione electio eſſet facta, Deo maximas agendas gratias oratione docere, & vt cuncti nouo Regi fidem omnem officiumq; præſtent, exhortari: Ac in ipſius laudationem digreſſus, quamobrem ex omnibus ſolum hunc creandum Septemuiris viſum eſſet, demonſtrare. Hanc orationem auditorum atque ordinum applauſus & admurmuratio ſubſecuta eſt. Poſt hæc Cæſar ſolenni pompa, in ligneo ſtrato, à Senatu Francofurtenſi ob plateatum immundiciem apparato, domum deducitur. Præibant aulici, Nobiles, Conſiliarii, Comites frequenti numero: Inſequebantur Saxonis, Brandeburgici, Regis atq; Cæſaris tubicines & tympaniſtæ, ex ordine per vices tubis æreiſq; tympanis clangentes. Tum Imperij decus atq; Principes permulti. Poſt eos quatuor Præcones, Heroldii dicti, Cæſarianis Aquilis triumphalibuſq; inſi-

gniis conſpicui. Deinde Treuericus ſolus. Ab eo Palatinus aureum Malum ferens, figuram orbis terrarum. Iuxta Palatinum Brandeburgicus cum Regio Sceptro. Poſt hos Saxo, ſtrictum prægeſtans Cæſari gladium. Cæſar aureo inſignis pallio, Imperialique diademate ornatus, ſub aureo quadrato velo, à ſex Senatoriis Francofurtenſibus viris, Chriſtophoro Keller, Carolo Kuhorn, Antonio zum Iungen, Carolo à Glauburg, Iuſtiniano ab Holtzhauſen, & Daniele ab Hinſsberg, in argenteis geſtato fuſtibus, incedebat. Parum poſt, neque ita longo interuallo, & quaſi iuxta Cæſarem, electus in regio ornatu Romanorum Rex. Poſt eum Moguntinus & Colonienſis ſimul. Pompam claudebant Centuriones & Tribuni, haſtati cum ſuis cohortibus, reliquiſque & Cæſaris, & Regis, & Principum ſtipatoribus & adminiſtris. Ab vtraque vero ſtrati parte ciues armati, qui viam facerent, turbamque ſubmouerent, aſtabant. Atque ita deducto in ſuam aulam Cæſare, Rex cæterique Principes ſinguli domum diuertunt.

Maximiliani Auſtriaci II. in Regem Romanorum inauguratio, ex Germanico latine reddita, per Adamum Heydenum Eyflandrum Dunenſem.

QVanquam in veteri ſit more poſitum, vt Rex Romanorum Francofurti creatus, inde in ſaxeam ſub dio Regiam ſedem, crebras inter nuces in amœniſſimo Rheni littore, ſupra Confluentiam ad Recenſium oppidulum poſitam deducatur, & ibi Electoribus omnia priuilegia, ac quicquid ad ipſorum dignitatem, decus, libertatem & immunitatem ſpectat, confirmet; poſtea apud Aquiſgranenſes Belgiæ incolas, ex *Aureæ*, vt vocant, *Bullæ* decreto inauguretur: Attamen cum aliis grauiſſimis de cauſis, tum ingruentis hyemis incommoditate obſtante, deniq; vt etiam immenſis in totius Reipublicæ commodum parceretur ſumptibus, vtrumq; tam Cæſari & Electoribus, quam Aquiſgranenſibus, Francofurti vltima die Nouembris, hoc eſt, ipſis Andreæ feriis fieri placuit. Ea igitur die illuceſcente, Archiepiſcopi Moguntinus, Treuericus, Colonienſis, vna cum adminiſtris Vuirziburgo atque Spirenſi Epiſcopis, hora imminente ſeptima, Ædem D. Bartholomæi ingreſſi in ſacrarium, vt ibi Pontificalibus ſe induant ornamentis, diuertunt. Rex vero Bohemiæ, Electoreſque reliqui, Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, in Cæſarea conueniunt aula. Hi ſeptima audita vna cum Cæſare Templum petunt ligneo ſtrato, eo fere ordine, quo in Electione proceſſum eſt, ſeruato: Electoribus trabeis ornatis, Cæſare autem Archiducali veſte, & Rege aureo amiculo inſignitis. Eos fanum ingreſſos Archiepiſcopi comiter honorificeque in ipſo Chori limine excipiunt, ex quibus Moguntino, quod eſſet ſacrificaturus, quidam Canonicus argenteam crucem, alius quidam Baculum Epiſcopalem, alius item ordinis Equeſtris Imperii ſigilla ex argenteo Bacillo pendentia præferebat. Cæſar in ſuam à dextera Chori parte ſeſſionem deductus, Electores politicos iuxta ipſum inſignibus Imperialibus aliquantiſper aſſiſtentes, intra ſeſe loca ſingulis præfinita capere iubet. Reliquis viris Principibus, Teutonicæ familiæ Magiſtro, Georgio & Wolffgango Palatinis, Bauaro, Iuliacenſi, ac Mecelburgenſi, loco ex aduerſo ſedendi dato. Intermedia ſcamna à Wirtenbergicis, duobus iunioribus Palatinis & Lantgrauiis, item Lauenburgico, Anhaldio, Vranienſi, Arſchoto & Lotharingio occupantur: Pontificio Legato, ſeorſim eodem in tabulato, quo & Cæſar, cæteriq; Electores reſidebant, edita ſeſſione conſignata. In alterum ſtratum quod ſupererat, reliqui Legati, item Barones, Comites, Principum Conſiliarij ac Nobiles ſpectatum admiſſi, promiſcue ſeſe conferunt. In medio pene [illegible] ſub Chori introitu ſtat Ara Sanctæ Crucis ſacra, hic Rex ad genua aliquandiu prouoluitur, interea dum Moguntinus pro ipſo Deum implorat, qui ei ſuo opituletur fauore, eumq; ab omnibus aduerſitatibus ita vindicet, quo tanto rectius communi Reipublicæ præeſſe atque prodeſſe valeat. Deinde Treuericus & Colonienſis alleuatum in ſolium auratum è regione Altaris compoſitũ deducunt ſeſſum, ibi ei Treuerico cum Wirziburgo dextra, Colonienſi & Spirenſi læua in ſubſelliis ex ordine iuxta præparatis, aſſiſtentibus. Moguntinus Pontificalibus amictus, vbi facere Sacra cœpit, Palatinus omnium primus, poſt illum etiam Saxo & Brandenburgicus in Conclaue ſimul ſecedunt. At Moguntino in Sacris peragendis aliquouſq; progreſſo, Rex, Treuerico atq; Colonienſi vtrinq; ſtipatus, veſtemq; trabeam indutus, procedit ad aram, illic à Moguntino, Epiſcopalem manu tenente bacillum, hac vel ſimili formula, verbis latinis concepta, rogatus: *An fidem Catholicam ſeruare, Eccleſiam defendere, iuſtitiam adminiſtrare, Imperium augere ac protegere, viduas, pupillos, & id genus calamitoſos miſeriaq; obnoxios homines tueri: deniq; an æqualiter iudicare, ac debitum Romano Pontifici honorem velit exhibere?* Reſpondit, *Volo.* Hoc dato reſponſo ad Aram propius ductus, liquido verbiſq; conceptis iurat, facturum ſe, Deo propitio, Chriſtianorumq; adiutum deprecationibus, pro viribus omnia. Sic iureiurando præſtito, ad ſolium regreditur, Moguntino interim ad Principes hinc inde ſtãtes & aſſurgentes, conuerſo & interrogante: *An huic Regi ſecundũ illud Apoſtoli, Omnis anima ſuperioribus poteſtatibus ſubdita ſit, fidem & obſequium præſtare, eiuſq; regnum confirmare velint.* Eo cõpromiſſo, Regeq; ad Aram redeunte, Moguntinus Deo ſuppliciter agit gratias, quod eum diuino aſſertum clypeo, ſupra cunctos totius terræ Reges euehere, & eius ſubditos prompta ornare obedientia ſit dignatus. Secundum hæc in pectus & caput, & brachiorũ flexus, manuumq; palmas inungit, inquẽs: *Ego te hoc chriſmate in Regem Roman. inauguro. Deus autem te Lætitiæ oleo, quo veteres Sancti Prophetæ, & Reges perfuſi leguntur, vngat.* Vnctum Regem Treuericus, Coloniẽſis & Palatinus, qui cõmodum ad hoc è Conclaui prodibat, vna in ſacrarium ad detergendum oleũ abducunt, inibi aureo amiculo depoſito, Imperialibus D. Caroli ornamentis, à Senatu Noribergico, qui ea de veteri conſuetudine aſſeruare ſolet, tranſmiſſis, more Diaconi induunt, atq; ſic eum veſtitum ad Altare ſtatuendum producunt.

ducunt. Hic Moguntinus Archiepiſcopis collegis adhibitis, enſem vagina liberatum eius tradit manibus, huiuſmodi verba ſubiiciens: *Accipe gladium hunc per manus noſtras, eoq; accinctus, parcas ſubiectis, ac ſuperbos debelles, memor interim ſpiritualis iſtius Regis, de quo Dauid in hunc modum vaticinatus eſt: Accinge femori gladium tuum, potentiſſime heros.* Gladium hac, qua dixi, verborum formula, traditum, vt Rex in vaginam recondidit, Saxo progrediens illius lateri accommodat. Rurſum Moguntinus accedens, eius digito precioſiſſimum inſerit annulum, hæc verba faciens: *Accipe Regiæ dignitatis annulum, & eo Catholicæ fidei recorderis ſignaculi.* Poſtea et D. Caroli ſplendidiſſimum iuxta ac maximi precii pallium inijcit, optans, vt *quemadmodum nunc in Romanorum Regem inauguretur, ita, Deo fortunante, ſtola fidei amictus, in Chriſtiana fortiter perſeueret profeſſione, regnaturus deinceps cũ Regum* R E G E *in æterna gloria.* Exin Regium ſceptrum, pomumq;, orbis terrarum figuram repræſentans, porrigit, admonens rurſum, vt Chriſtianæ Reipublicæ orbis iuſtitiam æquabiliter adminiſtret, paci conſulat, leges imperii omneis pro virili tueatur. Diadema autem tres Archiepiſcopi ſimul eius capiti ſuperimponunt, dicentes: *Accipe Regiam Regni coronam, quæ licet ab indignis, Epiſcoporum tamen, de veteri conſuetudine, manibus capiti tuo coaptatur.* Hiſce peractis, Rex iterum Moguntino iurat, facturum ſe boni Principis officium, ac leges, vt Chriſtianum Regem apprime deceat, ſartas tectas ab omni violatione conſeruaturum. Poſt in locum editiorem picturatiſſimis vſquequaque aulæis prætenſum, comitantibus Archiepiſcopis, aſcendit, & ibi in Saxeam D. Caroli ſedem collocatus, hoc ritu Romani Imperii poſſeſſionem init. Hic Moguntinus lingua populari verba facere cœpit, eiq; multam ſalutem precatus, ſe ipſi ſuosq; collegas, & omneis totius Imperii Ordines, diligenter & officioſe commendat. Mox Symphoniaci & Organiſtæ vicibus alternis, ſummo cum iubilo canticum illud, Te Deum laudamus, recinunt. Tubicinibus etiam clangoris iucunditate & dulcedine publicam lætitiam excitantibus. Interim inauguratus Rex, Georgium, Ludouicum, Io. Caſymirum Palatinos: Item Landgrauii filios duos, Eberhardum Wirtebergicum, Albertum Meccelburgenſem, Carolum Munſterbergicum, D. Carolum Carlouitium, Eraſmum Magerum, Ioannem Georgium Preitingerum, & complures alios Duces Illuſtreſque viros, eo quod eorum humeros ſtricto D. Caroli gladio, leniter quodam modo feriebat, in ordinem Equeſtrem recipit. His expeditis ad Altare regreditur, Moguntino ſacrificanti multos aureos offerens, inde rurſum ad ſolium digreſſus, ibi ad exitum omnium Ceremoniarum hæret.

Tandem ex familia Canonicorum Aquiſgranenſium duo accedunt, multamq; ſalutem precati, in ſuum illum Collegium, more antiquitus recepto, alliciunt. Harum autem omnium, quæ in fano fiebant rerum & ſolennitatum, ſpectatrix erat Maria Regis vxor, in priuato quodam tabulato aſtans, vna cum duob. Regiis filiis, totidemq; filiabus: Item Lotharingii vidua, eiuſdemq; filia, nec non Saxonis & Bauari coniugibus. Celebratis iam in fano omnibus ceremoniis, in curiam inde pro prandio Cæſaris, Regiſq; ac reliquorum Imperii ordinum, ſumptuoſiſſime apparatam illuſtriſſima pompa, & qua vix vllam viderat Germania ſplendidiorem, proceditur. Pone tres Regii ſtipatores inſequuntur, qui equis inſidentes, in vulgus miſſilia iactant, nummos ſcilicet aureos & argenteos, ita vtrinq; ſignatos, vt in altera parte, *Maximilianus D.G. Bohemiæ Rex*, in altera, *Coronatus eſt in Regem Roman. Anno 62.* legeretur. In Curiam, vt ventum eſt, vbi Cæſar & Rex ſuæ menſæ, omnibus aliis ſeptem gradus editiori, conſidere cœperunt, Electores ſinguli ſua ex Aureæ Bullæ ordinatione officia obeunt. Et quidem omnium primo Brandenburgicus, qui pocillatoris munere fungitur, Curia deſcendens, in generoſum equum aſcendit, & ad menſam quandam medio foro ſtratam properans, auream inde peluim & mappam accipit, iiſq; in Curiam rediens Cęſari & Regi, vt manus lauent atq; abſtergant, adminiſtrat, poſt pelui, mappa & equo Comiti Zollerano ex iure antiquo cedentibus. Deinde Saxo, qui Imperii Enſiferum & Mareſcallum agit, in equum agillimus inſiliẽs, eo in auenaceum aceruum, prope Curiam effuſum, incitato celerrime fertur, indeq; modium implet argenteum, ſubinde modio & equo inferiori Mareſcallo, Friderico Pappenheimio, attributo, auena autẽ pro derelicto habita, vulgiq; direptioni conceſſa. Poſtea Palatinus Archidapifer ad coquinam extra Curiam, propter Franciſcanorum ędem conſtructam, expeditus in equo aſpirat, indeq; aſſumptis ferculis, Curiam verſus reditum maturat, ibi equo relicto, fercula ad menſam Cæſaris, et Saxone nigrum bacillum præferente, defert. Eius equum vna cum argenteis, quibus fercula geſtabantur, patinis iure quodam peculiari Dominus Seldekius adipiſcitur. Conſecrant menſam Archiepiſcopi Treuerico verbis præeunte, cui reliqui duo reſpondent. A cõſecratione Moguntinus ſe comitantib. Treuerico & Colonienſi, codicillos, Imperiiq; ſigilla, ex oblongo argenteo bacillo, plus minus duodecim marcorum precio, appendẽtia, Regi affert, Rex ſigilla allata Moguntini collo accommodat, recipiens ſe ſibi tum ipſos Archicancellarios, Electoreſq; reliquos, ac vniuerſos Imperii Ordines quã commendatiſſimos habiturum. Tum iura atq; priuilegia ipſorum non modo ab omni defenſurum violatione, ſed quum res ita feret, amplificaturum etiam. Hiſce officiis poſteaquam Electores ſolenniter ſunt defuncti, ſinguli ſeparatim menſis, in eadem aula ſplendidiſſime inſtructis, diſpoſitiſq; ad vtrumq; Cæſaris & Regis menſæ latus, diſcumbunt. A latere dextro primam occupat Moguntinus, alteram Palatinus. Ad ſiniſtrum poſitarum, primam tenet Colonienſis, ſecundam Saxo, tertiam Brandenburg. Contra Cæſarem & Regem menſa poſita erat, cui Treuericus iuxta legis Carolinæ formulam accumbit. Hæ a. menſæ omnes tam Cæſariana, quam Electorum, aureis adornatæ ſtragulis magnificentiſſime nitebant, ſupra etiam & à tergo aureis aulæis affabre ſumptuoſiſſimoq; opere confectis propendentib. Præter iam dictas menſas adhuc aliæ duæ oblongæ in eadem ſtabant aula,

aula, ad quas collocantur Teutonicæ familiæ magiſter, Wirciburgicus & Spirenſis Epiſcopi, item Bauarus, Iuliacenſis, ac plures alii Duces atq; Principes viri. In contiguo aulæ hypocauſto etiam quatuor aliæ menſæ inſtructæ erant, quarum primæ aſſident Legati Colonienſes, D. Arnoldus à Sigen, Conſtantinus à Leiskirchen, Caſpar Geilukirchen, Philippus Geyll, Conſules, & N. Lithocomus, I. V. Licenciatus, Syndicus. Secundæ Aquiſgranenſes, Nicolaus Wildermannus ſenior Conſul, Ioannes Ellerbornius, Franciſcus Blockius, D. Gerlacus Radermacherus Syndicus. Tertiæ Norici, D. Sebaldus Hallerus ab Hallerſtein, ſenior conſul, & Gabriel Nutzel. Quartæ Francofurtenſes Ordinati, D. Nicolaus Stallburger Prætor, Iohannes à Glauburg, Hogerus à Mulheim, Daniel zum Iungen, D. Conradus Humbracht, Scabini, & D. Iohannes Fichardus, Syndicus. Menſis ſingulis ſinguli abaci, omnis generis aureis atque argenteis vaſis, in tricliniis expoſitis, opulentiſſimi adiecti. Menſam Cæſarianam procurabant, præter cæteros, duodecim præcipui Imperii Comites, Electorum vicem obeuntes. Habebant quoq; Electores & Principes ſuos ſinguli Comites ac Nobiles, qui illis à dapibus & poculis erant. Legatis quatuor Ciuitatum certi etiam attributi miniſtri. Cæterum licet conuiuium inſigni magnificentia ingentique epularum apparatu inſtructiſſimum ſenis ſic præberetur ferculis, vt dena ſimul edulia apponerentur, interea tamen plurima non eſui apta, digna ſolum erant, quæ cum admiratione oculos paſcerent. Bellariis etiam ſecundæ præſertim menſæ conquiſitiſſimis viniſque pretioſiſſimis fuerunt inſtructæ. Interim dum ſic:

Regifice extructis celebrant conuiuia menſis,

ante Curiam album & rubens merum, duabus fiſtulis per ſpeciem bicipitis Aquilæ editæ columellæ impoſitæ, ſubterranea deriuatione profundebatur. Veteri etiam conſuetudine Bos integer, multis aliis animalibus farctus, ligneo veru in foro torrebatur, ex quo parte aliqua ad inauguratum Romanorum Regem delata, reliquum multitudinis direptioni ceſſit. Menſis remotis Treuericus gratias egit, poſtea Cæſar & Rex ornati inſignibus ab Electoribus cæteriſque Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & anteambulonibus domum deducuntur, quibus deductis ſinguli in ſua receperunt Palatia.

XI.

EPIGRAMMATA.

DIVO MAXIMILIANO AVSTRIO ROM. II. BOHEMIÆQVE REGI &c. DE HONORE NOVO GRATVLANTIA, AVTORE IOHANNE POSTHIO GERMERSHEIMIO.

Anno Christi 1562.

OCeani tãdẽ ſeſcib. exit ab vndis
Illa dies votis ſæpe petita meis,
Qua ſatus auguſto Regum de ſtemmate venit,
Maximus in noſtros Æmilianus agros,
Et patris (quod ſit fauſtum) ſucceſſor honoris,
Regali accepit ſceptra gerenda manu,
Hic vbi conſpicitur validis Francfurdia muris
Ad liquidas Mœni prætereuntis aquas.
Gratulor, applaudoque tuis, Rex Maxime, cœptis,
Gratulor, & fauſtas inſuper addo preces,
Omnipotens vt te, ſimul & tua facta gubernet,
Qui mare, qui terras, qui regit aſtra Deus.
Is tibi iam regni moderandas tradit habenas,
Tutelam populi tradit & ipſe ſui.
Quem petit, atque diu miſerandis cladibus vrget,
Quæ furit in Geticis bellua dira iugis.
Turca ferox, nimiumque potens opibusq;, viriſque
Bella gerit terra, bella geritque mari:
Et trepidos patria fugans de ſede colonos,
Innocuas rapido deſtruit igne domos.
Inque poteſtatem ſi quos ſibi Marte redegit,
Hos cruciat, diris & necat vſque modis.
Impia vel viuos Mahumetica ſacra probare,
Et ſummi cogit ſacra negare Dei.
Atq; ſuis rabidus meditatur ſubdere ſceptris,
Sol vagus immenſo quicquid in orbe videt.
In primiſque meam fœdiſſimus ille ſororem
Pannoniam ferro tempus in omne petit.
Quam ſi forte ſuo poſſet coniungere regno:
(Di tamen hoc omen pondus habere vetent)
Inde via facta ſcelerato milite ſperat
Protinus attonitam me quoque poſſe capi.
Ac quaſi iam populos, noſtras & viceris vrbes,
Et teneat Rheni littora tota mei:
Sic animo cædes ferus, & noua vulnera verſat,
Cudit & in noſtrum tela cruenta caput.
At Tu, cui tantum diuina potentia munus,
Et magni titulos Regis habere dedit,
Tu noſtris prohibe rapidos à finibus hoſtes,
Qui cupiunt Chriſti dilaniare gregem.
Eſt tibi qui poſſit committere prælia miles,
Inque pharetratos fortiter ire Getas.
Et mihi ſunt vires armiſque aſſueta iuuentus,
Quæ tibi ſubſidium non leue ferre poteſt.
Nec dubitare decet, Chriſto duce, & auſpice Chriſto
Terga dabunt hoſtes ſanguinolenta fuga.
Victaque ſubmittens truculentum Turcia vultum
Ante tuos ponet ſceptra ſuperba pedes.
Ipſe pererrabis, nullo prohibente, beata
Oppida, quæ late Turcia diues habet,

Et quocunq; rotis venies victricibus, iſto
Barbaries Muſis cedet abacta loco.
Quæq; fuit longum Scythico ſubiecta latroni,
Artibus & caruit Græcia mœſta ſuis,
Aonias, per te iam libera facta ſorores
Suſcipiet, Chriſti ſuſcipietq; fidem.
Tum Solymæ arces, monumentaq; ſancta ſepulchri
Inſiſtens niueo victor adibis equo.
Inde triumphato gaudens Oriente recurres,
Mirandus populis, cum populiſq; patri.
Te qui tum reducem cano venerabilis æuo
Excipiet, lætas iniicietq; manus.
Illi tu referes fera bella, graueſq; labores,
Et referes longæ mille pericla viæ.
Quoſq;, fauente Deo, felix ſuperaueris hoſtes,
Quæq; tua fuerint mœnia capta manu.
Illa dies, Rex Magne, tibi lætiſſima quondam
Surget ab Eois conſpicienda vadis.
Tum ſimul a cunctis tua præſtantiſſima facta
Magnanimi geſtis anteferentur aui,
Et patris, patruiq; tui, licet æmula vterq;
Geſſerit antiquis prælia Cæſaribus.
Quæ ſi quis cupiat pleno deſcribere verſu,
Iliadas longe vincet Homere tuas.
Sunt tamen hiſtoriis totum vulgata per orbem,
Quæ poterunt nulli poſt abolere dies.
Felices homines, felicia ſecula noſtra,
Talibus a dominis quæ meruere regi,
Pectoribus quorum poſuit Clementia ſedem,
Qua maius ſuperi nil habet aula Iouis.
Quæ nec ſupplicii, fuſo neq; ſanguine gaudet,
Atq; hominum generi turpe nocere putat,
Quæ ſubitos animi nata eſt componere motus
Supplicibus veniam datq; benigna reis.
A victiſq; manus, generoſi more leonis,
Abſtinet, huic hoſtem perdomuiſſe ſat eſt.
Vtq; pater natos ſolo terrore coërcet,
Iratus pleno dum iacit ore minas:
Haud ſecus & prauos rigida clementia voce
Increpat, vt diſcant ſemper habere metum,
Huic Aſtræa ſoror, cœlo ſuperiſq; relictis,
Aſſidet, imperio nec minus ipſa fauet:
Vindice qua leges, & munera publica florent,
Dum bonus atq; malus præmia digna ferunt:
Quæ docet vtilibus ſemper præponere iuſtum,
Nec quenquam tacitis fallit iniqua dolis.
Quæ nec propter opes indignos auget honore,
Nec ſinit vt lateat, qui caret ære, bonus.
Sed facit vt magni doctas ad Apollinis artes
Contendant ſtudio diues, inopſq; pars:
Cum videant, quod nec iam ſurgat inertia diues,
Nec iaceat virtus obruta pauperie.
Ergo tot eximios vates, tot clara virorum
Ingenia, hæc ætas fert, feret, atq; tulit.
Carminibuſq; nouis reſonant ſacraria Phœbi,
Dum rerum dominos plurima turba canit.
Vixq; nouas Helicon in ſerta recentia lauros
Sufficit, irriguis ſit licet vber aquis.
Pierides Sophiæ cultis operantur in hortis,
Et iuuenum gregibus pulchra vireta colunt,
Qualia vix vnquam ſunt viſa prioribus annis,
Dum fuerat mundi Roma ſuperba caput.
Ex illis redeunt vinctis ſua tempora ſertis,
Præmia quæ docti pectoris eſſe ſolent.
Iure quibus cedant Arabum, Crœſiq; talenta,
Quicquid & in latis congerit Indus agris:
Quicquid & erubri maris æquore nauita portat,
Committens dubiis ſeq; rateinq; Notis.
Nam pereunt gemmæ, pereunt ſublimia Regum
Tecta, perit vulgus mobile quicquid amat.
Frangit & abſumit validiſſima quæq; vetuſtas,
Hæc ferrum, ſilices, hæc adamanta terit.
Sed viuunt æterna nouem monumenta ſororum,
Vlla nec his ætas, fata nec vlla nocent.
Quis veteres Thebas, quis diruta Pergama noſſet,
Aut caſus Ithaci, Penelopeſq; fidem?
Omnia ni memori ſeruaſſent carmine Muſæ,
Illius vt poſſent temporis acta legi.
Muſarum ſtudiis florentibus, omnia florent,
His ſine & in tenebris ſacra, profana iacent.
Ipſa ego ſum certe veriſſima teſtis, alumnos
Cum veteres tacita mente reuoluo meos.
Hei mihi, quale genus, quæ pectora, quam ferus illis
Aſpectus, rigidi quis ſonus oris erat.
Non aliqua ſtabant firmatæ legibus vrbes,
Viuebatq; ſuo quilibet arbitrio,
Res vulgaris erat, rapto ſibi quærere victum,
Cædibus & madidas ſemper habere manus.
Nullus erat, mentis qui dona beata colebat.
Qui cuperet cœlum ſcandere, nullus erat.
Vulgus adorabat magno pro numine terram,
Hæc quia præcipuas ſufficiebat opes.
Ergo quod impietas à noſtris exulat oris,
Quod verum colimus Mente animoq; Deum,
Artibus acceptum ſtudiis referamus oportet,
Per quæ Religio purior vſq; nitet.
Hæc tibi ſi curæ eſt, aut ſi tua pectora tangit,
Non minor Aonii ſit quoq; cura gregis.
Sed facis, & teneris feciſti ſemper ab annis,
Et facies, donec vita ſuperſtes erit.
Non igitur nobis fueras hac parte monendus,
Cum tua ad hoc ipſum ſponte feraris opus.
Sed tamen & remos adhibent, & lintea nautæ.
Sponte licet prono flumine puppis eat.
Seſſor & aſſueuit calcaria ſubdere, quamuis
Acriter in iuſſo tramite curret equus.
Quod ſupereſt, iam nunc feliciter opto reuiſas,
Auſpiciis dudum debita regna tuis,
Et fauſto multis abeuntibus ordine luſtris
Inuicta teneas tradita ſceptra manu.
Aſpiciaſq; tuos diademata ferre nepotes,
Magnanimi patris cum tibi cedet onus.
Et bene pacato magno prius orbe, vocatus
Regis ad æterni regna quietus eas.
Illic percipies ſolidiſſima gaudia, claros
Inter honorata ſede receptus auos.
Interea ſeu bella frement, ſeu tempora ſancta
Pacis erunt, noſtri ſit tibi cura precor.
Ipſa ego, te propter, duriſſima quæque ſubibo,
Seu fuerint terra, ſiue ferenda mari.

IOHANNIS POSTHII GERmershemii Epigrammata,

De Principum concordia.

SÆpe Duces inter diſcordia triſtis oborta eſt,
Tractar dum Imperii nomine ſi quid erat:
At nunc

At nunc tantus amor, reverentia mutua tanta eſt,
Quanta prius nullo tempore viſa fuit.
Scilicet hos magno ſumunt a Cæſare mores;
Qui facit vt toto regnet in orbe quies.

Electores.

Quod patriæ felix noſtræ ſit, & vtile cunctis,
Nec minus & vitæ, Maximiliane, tuæ,
Vnanimes votis tibi iam communibus omnes
Romani imperii regia ſceptra damus.
Tu titulis iſtis, & tanto nomine dignum
Poſtmodo ſic etiam te, velut ante, geras.
Et cum patre diu reſidens ad culmina rerum,
Aſpicias regnis cuncta fauere tuis.

Religio.

Mille premant quamuis tua pectora, Rex pie, curæ,
Prima tamen noſtri ſit tibi cura precor.

Muſæ.

Ex Helicone ſacra lauri de fronde coronam
Hanc ferimus capiti, Maximiliane, tuo,
Quam roſa, quam violæ, quam ros maris additus or-
Et dulci quicquid paſcit odore animum. (nat,
Hanc tibi donamus, tu nos, Rex Magne, viciſſim,
Vt prius, aſſueto ſemper amore colas.

Ad aquilam.

Quid volucrum regina alis plaudentibus auras
Concutis, & lætos fundis ab ore ſonos?
Nunquid honoratus mouet hæc tibi gaudia rector,
Qui gerit Imperii iam noua ſceptra noui?
Sic habet, hinc plauſus veniunt populiq; tuiq;,
Fulget & in toto purior orbe dies.

Pecuniæ in vulgus miſſæ.

Æde coronatum ſacra dum Curia Regem
Excipit, & cœlum plauſibus omne ſonat,
In denſam populi turbam venit aureus imber,
Et legitur medio regia gaza foro.
Clamaturq; beatus io, Rex inclyte viuas,
Cuius ab auſpiciis munera tanta fluunt.

Vinum publice profuſum.

Artificis quoq; facta manu mox Cæſaris ales,
Diuerſum gemino fundit ab ore merum,
Huc ſine lege ruit tollens ad ſydera voces
Ruſtica turba, auidis vina petitq; gulis:
Alter at alterius properans conatibus obſtat,
Hinc veniunt rixæ, vaſaq; iacta volant.
Hic læſum queritur ſaxo caput, ille cruento
Ore dolet, preſſos vix trahit ille pedes.
Pileolis alii potant, manibusq; cauatis,
Vrceolis alii, fictilibusq; ſcyphis.
Gutture ſuppoſito ſalientes ille liquores
Haurit, & in patulum truditur inde lacum.
Bacchus ad hæc ridens, ſpectacula talia, dicit,
Muneribus debent fœmina, virq; meis.

Tauras toſtus.

Repletus dudum variis animalibus ingens
Taurus, & aſſatus conuenienter erat.
Tandem vbi feſta ſuum tenuerunt prandia finem;
Diruitur medio ſtructa culina foro.
Ruſtica gens iterum clamorem ac verbera miſcet;
Taurus ad ardentes diripiturq; focos,
Hic caput, ille pedem nactus fugit: ille reuulſas
In manibus carnes, alter in enſe gerit.
Qui potis eſt, aliis prædam violentior auffert,
Quiq; fugit populum, non fugit ille canes.
Iſta pater Mœnus ſpectans, non gratior vllo
Tempore, ait, noſtra luſus in vrbe fuit.

Ignes nocturni.

Luciferis emenſus equis ſpacia ardua mundi
Occulit Heſperio Phœbus in amne caput.
Exoritur mediis Mœni nouus ignis in vndis,
Et tenebras late luce nitente fugat.
Hac ſimul è flamma, validiſq; e mœnibus vrbis,
Turribus eque altis fulmina crebra ſonant:
Scilicet iſta tuo, Rex Summe, parantur honori,
Vt ſint lætitiæ publica ſigna nouæ.
Nec ſolum terras, ſed & aurea ſydera pulſant,
Audit & hæc magni regia celſa Iouis.

DE GERMANIA IOANNIS Poſthii Poetæ. Epigramma Iohannis Martini Huberi, Baſilienſis.

DVm tibi Cæſareos cuncti gratantur honores,
Rex maior proauis, Maximiliane, tuis,
Innumeriq; ferunt populi pretioſa remoti,
Sed longe Domino dona minora ſuo.
Teutonis ora, cui nihil eſt par, nilque ſecundum,
Ex Helicone refert carmina docta ſacro,
Grata quibus læta teſtatur gaudia mentis,
Quod ſint imperii tradita ſceptra tibi:
Optat vt à Scythico feliciter hoſte triumphes,
Cum patre Fernando ſis patriæq; pater:
Quiq; tibi augusto nunc filius ore Rodulphus
Surgit, is Auſtriacam tollat in aſtra domum;
Palladis ingenuas & complectaris vt artes,
Quæ ſine nunc omni prorſus honore iacent.
Scilicet his ſuperos meritis æquabis, & altum
Nomen ab annoſa poſteritate feres,
Tempus opes carpit, cunctos aboletq; triumphos:
Sed nihil in vatum carmina iuris habet:
Perſonat imparibus tua qui præconia plectris
Poſthius, heroa poſtmodo voce canet.

CARMI-

XII.

Anno Chriſti 1562.

CARMINA IOHANNIS LAVTERBACHII LOBAVIENSIS, DE CORONATIONE MAXIMILIANI AVSTRIACI II. IN ROMANORUM Regem.

DVm videt ex altis torqueri mœnibus ignes,
Ac lituos nubeis rumpere, Mœnus ait:
Quam bene cum Ducibus populi lætantur, & vrbes
Quod Rex imperium Maximilianus adit.
Cedat Saturnus tibi Rex ter Maxime, regnis
Saturni cedant aurea regna tuis.

Idem in diem Coronationis.

Septem quo capit imperi virorum
Nutu munia Maximilianus,
Dies feſtus adeſt, per orbis omnes
Gentes dignus vt extet ille feſtus.
Adfert Imperio malis ſepulto,
Atque à Teutone nobili profectis,
Optatam requiemque gaudiumque,
Adfert ille ſcholis, ſacriſque templis,
Longo examine plurimam ſalutem.
Rex Regum Deus alme, da quotannis
Nobis feſtus vt hic dies agatur.
Non eſt dignior, aptiorque non eſt,
Qui nomen teneat potens Monarcha,
Quam tu Maxime Maximiliane.

Aliud eiuſdem ad Maximilianum.

Ingenti caperes cum ſceptra Bohemica plauſu,
Auſtriacis ſummum Maximiliane decus,
Hæc omnes vno populi ſermone ferebant,
Rex tu Romanus poſt breue tempus eris.
Conueniunt hominumque preces, diuumq; voluntas
Felix mortales, quem probat atq; Deus.

Aliud.

Maximiliane decus patriæ, Rex Maxime regum,
Cuius fama poli ſydera ſumma petit:
Propria dum ſpernis, dum commoda publica curas,
Nec titulo, at factis nomen habere ſtudes:
Te patriæ patrem Germania tota ſalutat,
Et tibi decerni Cæſaris arma iubet.
Macte animo Princeps Germano, & fortibus auſis,
Ne patriæ titulo, re pater eſſe queas.

Aliud de Maximiliano.

Maximilianus ouans ſacram deductus in ædem,
Cum tulit imperii regia ſceptra noui:
E medio cœli proſpectans culmine Fama,
Edebat magno talia verba ſono:
Dum colis heroas totus quos ſuſpicit orbis,
Heroes te etiam Maximiliane colunt.

Maximiliano Auſtrio II. Romanorum Regi, Pio, Felici, Aug. Sacrum.

Tandem animo, atq; oculis lux iucundiſſima noſtris
Certius aſſulſit, qua te Rex Maxime Regum,
Cernimus ingenti cumulatum laudis honore,
Romanaſq; Aquilas circum, victricibus alis
Te excipere, Auguſta dominantē in ſede Quirini.
Cui late aſſurgunt Tyberis populiq; Latini,
Et Rhenus, gelidiſq; pater Danubius vndis.
Sed neq; te quiſquam, ò ſoboles generoſa Deorum,
Imperio magis aptus erat, ſceptriſq; gerendis,
Quem dudum Regno aſſuetum iuuenilibus annis
Obſtupuit primum latis Hiſpania terris,
Miraturq; ſuum celebris nunc Auſtria alumnū,
Auſtria Diis accepta parens, atq; æmula Cœlo.
Scilicet ad magnos te accenſum fortiter auſus
Et Pater, & Patruus, serieſq; inuicta tuorum
Impulit, & ſumma ad rerum faſtigia duxit.
En felix quæ nunc animo Germania verſat
Gaudia? quā multum de te ſibi præſcia ſpondet?
Forſitan illa etiam prudens, ac gnara futuri
Tempeſtatem illam videt, ac felicia quondam
Sæcula, cum totum, veluti Sol aureus, orbem
Percurrens, miſeram Europam, vicinaq; Regna
Reſtitues, fractis ſuccurrens vndiq; rebus.
Atq; hæc ante alias omnes te maxima cura
Solicitat, ſtimulatq; animi virtutis honore
Flagrātem, atq; adeo, Rex optime, pertinet ad te?
Tu quoniam es priſci Imperii ſeruata propago,
Vnde olim Diuum auſpiciis ſe Romula virtus
Extulit, atq; caput felicibus intulit aſtris.
Quæ tibi maieſtas formæ? quæ gratia morum,
Delitiæ humani generis Rex magne Quiritum?
Nam te ſeu medium excipiant Patreſq; Duceſq;
Incēdaſq; tuas ſublimis forte per vrbes,
Seu tibi commiſſas Regni moderteris habenas,
In fronte atq; oculis tantus decor emicat, vt te
Quiſq; putet ſanctū in terris, & amabile Numen.
Hinc te tot procerum ſtudiis, plauſuq; frequenti
Regnatorem orbis magno cum Cæſare læti
Aſpicimus, feſtoſq; dies celebramus ouantes.
Fortunate nimis (ſi quid canit Augur Apollo)
Quem tot barbarico cumulata ex hoſte trophæa,
Tot ſpolia ampla manent: ipſum non Caucaſus ingens
Maumethem capiet pauidum, non Bactra, nec Indi.
Iamq; ego Pannoniam collectis viribus omnem,
Germanaſq; acies video, denſoſq; maniplos
Auſtriadum, genus acre virum, forteſq; Bohemos,
Fatales volucres vltro tua ſigna ſequentes.
Quin etiam magnam Auſoniam ſocia arma, viroſq;,
Et paribus iunctim concordia pectora dextris
Vertere in externos diuini numinis hoſtes.

Tum

Tum demum Euphratem tremere & magni bo-
ſtia Nili
Atq; Aſiam trepidare metu, ſæuoſq; Tyrannos
Cernere erit paſſim duplices tibi tendere palmas.
Te vero inuictum niueis Bellona quadrigis,
Victorem late populorum, altaque corona
Conſpicuum, ducet longis in templa triumphis.
I felix Auguſte, Deum certiſſima proles,
Quo tua te virtus, quo te rapit inclytus ardor.
Dii tibi quæſitum non vi, non fraudibus vllis,
Imperium longum ſeruent: quod ſi omina vulgi,
Si ſpectes ſtudia, æterno es digniſſimus æuo,
Nec mortẽ oppetere vnquã, aut triſtia fata ſubire.
Vſque adeo te cuncta ætas, iuueneſq; ſeneſque
Certatim admirantur, amãt, venerãtur, adorãt.
Ipſe etiam, pulchri qui quondam ad flumina Mœni
Cæſareos tenuis deſcripſi carmine honores,
Ferdinandi patris Auguſti, nunc debita ſoluo
Vota tibi, pronuſque tuæ figo oſcula dextræ.

And. Rapicii, I.C.

XIII.

ACTA ET SOLENNIA, QVÆ TEMPORE ELECTIONIS ET IN AVGVRATIONIS CONTIGERVNT, VNA CVM CATALOGO PERSONARVM, QVÆ interfuerunt, interprete Nicolao Heydeno.

Anno Chriſti 1562.

NOMINA ET COGNOMINATVM TVRCICI LEgati, tum eorum, qui Conſtantinopoli & Budæ ipſum deducentes, vna cum eo Francofurtum ingreßi ſunt, Anno 1562. die 23. Nouemb.

1. Ebrahimus Strotius, ortu Polonus, Solymanni Turcici Cæſaris Legatus, 23. miniſtros adduxit, habens ſecum 29. equos, & 6. camelos.
2. VVaſcha Budenſis Aulæ præfectus, miniſtros 7. equos 10.
3. Raſſius Muſtaffa Quinqueeccleſienſis, miniſt. 3. equos 4.
4. Iſtraphius Zauſchus, miniſtros 2.
5. Perchaimus Zauſchus, min. 2.
6. Bermannus Bili Vuaſcha Budonenſis, miniſt. 2.
7. Durachius Pulius Vuaſcha Budonenſis, miniſt. 2.
8. Dellius Conſtraſſius Budonenſis, miniſt. 2. equos 3.
9. Hoſſenius Bulius Vuaſcha Budonenſis, miniſt. 2. equos 3.
10. Durateion Budonenſis, miniſt. 1. equos 2.
11. Dalli Achmallius, miniſt. 1. equos 3.
12. Odauerdus, miniſt. 1. equos 3.
13. Cadalius, equos 2.
14. Dallius Sacheinicus, equos 2.
15. Muſtaſſius, miniſt. 1.
16. Huſſamus.

RELATIO SIVE SERMO LEGATI PACIFICI EBRAIMI STROTSCHENII, NATI POLONI A SOLYMANNO TVRCARVM IMPERATORE EX Conſtantinopoli ad Chriſtianorum Cæſarem Ferdinandum eius nominis primum deſtinati, apud Francofurtum Mœni coram ſtatibus Imperii ibidem præſentibus lingua Sclauonia recitatus Anno 1562. die 27. Nouembris.

POTENTISSIME atq; Sereniſſime Chriſtianorum Electe Cæſar Ferdinande, Inuictiſſimus, ter maximus ac Potentiſſimus Turcarum Imp. Princeps meus Clementiſſ. ad tuam Maieſt. me terra mariq; profectum cum certis ac ſpecialibus mandatis inſtructum fide dignum legatum miſit ac direxit, tum vt ſalutem, & felicem adminiſtrationem longamque & firmam corporis ſanitatem tuæ Maieſt. ſuo nomine dicerem, tum vero vt ſimul ipſius

ipſius Maieſt. propenſum animum, ſtudium, beneuolentiam ac verum amorem erga tuam Maieſt. conceptum modis omnibus teſtarer, declararem, denunciaremque. Quæ ipſius Maieſt. firmiter ſperat ac plane confidit hanc initam gratiam & amicitiam, etiam per prioris legationis occaſionem auctam & roboratam eſſe, idq; eo magis, quod ipſius Maieſt. ante hæc quoq; ſatis euidentia & indubitata confirmatæ ac duraturæ amicitiæ amoris argumenta erga tuam Maieſt. dederit; id quod vtrinq; Deus fortunare dignetur. Hæc præfatus paululum ſilens reſpirauit. Quo vero (mox inquit) tua Maieſt. prædicti amoris, conciliationis, ac gratiæ mutuæ indicia manifeſtius in Principe meo Potentiſſimo deprehendere, cognoſcere, ac intelligere queat, ipſius Maieſtas amodo omnes Chriſtianos captiuos libertate donatos ad tuam Maieſt. & quocunq; vellent, redire permiſit, quos tamen alias ipſius Maieſt. è captiuitate illa non auro argentoq; non quantiſcunq; muneribus neq; alicuius vel principis etiam interceſſione ſeu precibus redimi ac dimitti paſſa fuit. Fecit itaq; id ſua Maieſt. nullam aliam ob cauſam, quam vt firmam ac minime fictam ſuam amicitiam, amoremque erga tuam Maieſt. redderet omnibus perſpicuam planeq; confirmaret, fretus omnino ea ſpe, tuam Maieſt. viciſſim omnes Turcas, quos hinc inde captiuos habet ac detinet, libere & in ſua religione permanentes dimiſſuram & poſtlimini præſtituram eſſe, id vt fiat, ſua Maieſtas per me vnice atque amanter petit. Optat quoq; tuæ Maieſtati perpetuam valetudinem, quietam ſenectam, proſperitatem ac pacificam regnorum tuorum gubernationem, cupitque ex animo, vt felix illa ac pacifica adminiſtratio vſq; ad poſteros tuæ Maieſt. fauſta ſucceſſione conſeruetur. Promittit etiam ſe omnibus modis operam daturum & effecturum eſſe, ne hoc amicitiæ cum tua Maieſt. contractæ fœdus ac induciarum confirmatarum ius à quoquam ſuorum ſubditorum vel in minimo lædatur, rumpatur, aut debilitetur. Rogat inſuper ac petit, vt ad has literas, quas ſuo nomine tuæ Maieſt. ego præſentaui, tua Maieſt. non grauetur ſigillatim reſpondere, quod ſi à tua Maieſt. præſtitum fuerit, experietur modis omnibus tuam Maieſt. amicabile atque pulcherrimum mutui amoris certamen cum principe meo Turcarum Imp. potentiſſimo & æquitatis obſeruantiſſimo iniiſſe, in quo ipſe ſe nunquam à tua Maieſt. vinci ac ſuperari quouis modo patietur, ſed potius ſummo conatu enitetur, vt hæc inter vtrunq; iam ſenio confectum inita amicitia ac concordia in diem magis magiſq; creſcat, nouiſq; indiciis & argumentis prouocetur ſemper atq; ſtabiliatur.

Hæc cum ille diſſeruiſſet, tum Cæſaream Maieſt. interrogat, qui nam in iſto Principum Procerumque præſenti conſeſſu ſit Maximilianus ſuæ Maieſt. dilectus filius & Imperii legitimus hæres: mox ergo Cæſar digito monſtrauit illum eſſe, qui à ſiniſtris ſibi aſſideret: tum Legatus vultu ad Regem conuerſo, ſe coram ipſo Parthico ſeu Turcico more inclinauit, dextram ad pectus admouens, cœpit Regiæ ſuæ Maieſt. multam vitæ longæuæ felicitatem, fauſtam in adminiſtrando Romanum Imperium ſucceſſionem, rerum & actionum ſuarum proſperitatem omnemq; ſalutem imprecari, addiditq; ſe minime dubitare, quin ipſe Rex, cum de tam præſtanti ac laudato genitore ſit natus, non quidem ipſo Patre inferior aut inæqualis, ſed potius vel iuxta nominis ſui proprii paronomaſiam, qua Maximilianus ſiue maior vocatur, longe maior, præclarior ac præſtantior futurus ſit.

Ad extremum igitur Legatus rurſus ad Cæſarem conuerſus, ea quæ ſecum attulerat munera, nempe duos precioſiſſimos ex natiuo Cryſtallo & gemmis longe nobiliſſimis elaboratos crateras ſeu pocula, & caballum Turcicum generoſiſſimum aureis plane phaleris, gemmis, catenisq; ex puriſſimo auro ornatum, tum quatuor camelos ex tota vrbe Conſtantinopoli exquiſitiſſimos Cæſareæ ſuæ Maieſt. præſentare, ac ſummis laudibus efferre cœpit: falſus interim & excuſans, quod & equus ille & Cameli iam ob longinquam terra mariq; profectionem, quam inde à quatuor menſium ſpacio feciſſent, macie & defatigatione confecti, & attenuati eſſe conſpicerentur.

Exemplar ſiue copia litterarum creditoriarum eidem Legato in cauſa Induciarum octennalium ad Romanum Imperium à Turcarum Imperatore datarum.

EGo Dominus omnium Dominantium, Regnator Orientis & Occidentis, qui Potens ſum facere & non facere quæcunq; libet, Dominus totius Græciæ, Perſiæ, & Arabiæ, Dominator omnium eorum quæcunque Regi & Dominio ſubiici poſſunt, Magnus Heros horum temporum, & fortis Gigas latiſſimi huius orbis, vniuerſi Maris albi atrique & ſanctæ ciuitatis Mechæ, ſplendore Dei relucentis, & ciuitatis Medinæ: ſanctæque & caſtæ vrbis Ieruſalem Dominus. Rex nobiliſſimi regni Ægypti, Dominus terræ Ioniæ, ciuitatumq; Athenarum, Senanum, Sacri templi Dei Zabilon & Ballio, Rethſan & Magodin: ſedes ac ſolium magni Regis Nashin Rettam, & Dominus inſulæ Algieræ, & Princeps regnorum Tartariæ, Meſopotamiæ & Medorum, Georgianorum & vniuerſæ Græciæ, Moreæ, & Anatoliæ, Aſiæ, Armeniæ, Walachiæ, Moldauo, & totius Hungariæ, aliorumque quam plurium Regnorum ac Dominorum, quorum ego ſum Imperator, ter magnus ille Cæſar Soldanus Solimannus, filius magni Imperatoris Soldani Selim, qui à Deo habeo poteſtatem ad regendum in freno omnes populos, & potentiam ad aperiendum omnium ciuitatum ac fortalitiorum portas & clauſtra, in manu mea potenti traditi ſunt omnes fines terræ, nullis exceptis, ego Dominus Orientis à terra Tiſem vſque ad fines Africæ, quem Deus fortem in acie gladii bellatorem conſtituit. Inter cuius potentiſſima Regna pro minimo reputantur caſtrũ inexpugnabile Cæſareæ, & pro viliſſimo reputantur inter hæreditarias meas ditiones Imperium ſeu Dominium Alexandri Magni: mecum eſt fortitudo totius mundi & virtus firmamenti. Quandoquidem Rex Ferdinande, qui es potens totius Chriſtianitatis Dominus, & vas electum potentis fidei Chriſtianæ,

creatus & electus Imperator Roman. populorum & Bohemiæ, Vandalorum, Crabatiæ, & multarum aliarum ditionum Rex & dominator, &c. Superiori tempore ad aulam meam confugientium, & thronus gratiæ omnium Principum horum temporum eam petentium, miſiſti & ablegaſti quendam ſelectum conſiliarium, & legatum tuum Augeriū à Busbeck vna cum literis confœderationis ad renouandam nobiſcum pacē & contrahendam amicitiam, ac notitiam faciendā, quæ literę datæ erant Anno à Propheta Ieſu (ſuper quem & ſuper noſtrum Prophetam Mahomet ſit ſplendor & pax Dei) MDLXII. die autem primo menſis Iunii, petens à nobis vt conceſſis tibi per octennium induciis tuas ciuitates, caſtra, regiones & populos poſthac nullis armis infeſtemus, ſed in pace ſecura ac tranquillitate viuere ſinamus, &c. Ad quam tuam petitionem reſpondemus, poſthac per integrum octennium inter nos, & ab vtraque parte futuram & continuandam eſſe nouam, veram & firmam concordiam & amicitiam, cuius concordiæ, pacis, ac confœderationis hæ conditiones ſunto: Primo vt tua Dilectio quotannis ad aulam noſtram pro arra induciarum 30000. Hungaricos ducatos mittere teneatur, vna cum illo reſiduo, quod nobis perproxime præter lapſum biennium à te debetur. Pro eo promittimus nos poſthac cum Regis Iohannis filio, quantum ad eius hæreditarias nationes attinet, ſiue hæ in citeriori Hungariæ, ſiue in vlteriore parte Theiſſę ſitæ ſint (quæ tamen omnes de iure belli ad nos ſpectant) durantibus his induciis octennalibus, nullas vel inimicitiæ, vel amicitiæ partes ſuſcipere velle. Idem quoq; Regis Ioannis filius ſub hoc octennalis pacis tempore, in modo prædicto obedientiam nobis præſtare tenebitur, ita vt poſthac nullas inimicitias, nec bella contra vos exercere, nec ſubditos veſtros, vel ferro, vel igne infeſtare, nec ciuitates, caſtra, aut villas occupare, nec pecora, armenta, bona, pecunias, aut decimas violenter auferre, vel exigere à colonis & ſubditis veſtris ei liceat. Nos quoque ſimiliter nullum ius habebimus, nec occaſionem quæremus populos veſtros profligandi, igne deuaſtandi, aut captiuos abducendi, ſed potius in hoc octo annorum ſpacio vobiſcum pacem & concordiam ſancte ſeruabimus. Hiſce quoque conditionibus pacis ſubiecti erunt, cum omnibus bonis ac dominiis ſuis Balaſchi Michael & Nicola Batheri, ac horum ſimiles pleriq;, eruntq; nobis ac filio Regis Ioannis ſubditi. Porro ſi forte quidam è veſtris ac filii Regis Ioanni ſubditis populis iam antea tempore belli alius alium bonis, fundis, ac dominijs ſuis expulerit, vnde lites ac noua diſſidia à modo oriri queant, volumus & ſtatuimus illa negotia, cauſas ac iura differri debere, donec hoc definitum induciarum tempus ſit reuolutum. Præterea ſi forte in poſterum ob iuriſdictionem noua diſſidia inter vtrunq; noſtrum oriantur, ita vt nullo modo conciliari ac componi poſſe videantur, volumus vt veſtri interim veſtri, noſtri autem noſtri maneant: ſecluſa omni contentione & inimicitia. Villæ quoque nonnullæ ad Danubium & Tattam hinc inde ſitæ eo iure, quo ante, frui permittantur, ita vt milites, qui ſunt adhuc in præſidio Caſtelli Tattæ, nullum ius habeant villas iſtas iuxta Danubium ſitas infeſtandi aut vexandi. Præterea ſi ab hoc pacis ſpacio quidam ex veſtris nobilibus aut dominis quoſdam noſtros nobiles ex fuga, vel qualicunque modo captiuos penes ſe habuerint, eos dimittere, & libere ſine damno & praua exactionis ad ſuos remittere debent, quo inita inter nos concordia & pax firmius ſeruetur, & ſecurius viuatur. Hæc omnia & ſingula volumus & ſancte promittimus à nobis ſine omni fraude ac dolo abhinc vſque ad octennii prædicti finem ſeruari, ac teneri debere, ad hoc enim has induciarum ac confœderationis literas ex aula magnificentiæ noſtræ publicari fecimus, ac inſuper non ſolum curauimus, vt earum literarum forma cum edicto noſtro vniuerſis ac ſingulis noſtri Cæſareatus ſummis exercituum terra marique Ducibus, Præfectis, Capitaneis, Centurionibus ac omnibus ſtipendiarijs militibus, ac ſattrapis promulgaretur, ſed etiam vt firmiter ac ſancte ſeruaretur ſeuere mandauimus: volumus quoque hæc pacis & induciarum conditio comprehendat & concernat duos noſtros ſummos Præfectos ſiue Waiuodas Walachiæ & Moltauiæ, ita vt nullus veſtrorum Hungarorum, Crabatorum, Schlauoniorum, aut alii quarumcunque regionum, marium, inſularumque veſtrarum populi à noſtris vllo pacto moleſtentur aut grauentur. Quod ſi forte quidam ex veſtra parte è caſtellis ſuis impetum in noſtros fecerint, & bona illorum vi rapuerint, hi ad reſtituendum noſtris ſua bona omnino tenebuntur. Quod ſi quidam à nobis transfugerint, & ſecum aut aurum, aut bona dominorum, quibus ſeruierunt, abſtulerint, vel ſi idem à veſtris ad nos profugientibus commiſſum erit, tunc ab vtraque parte, illa bona poſtliminii iure repeti, ac reſtitui, transfugæ autem in exemplum aliorum puniri ac plecti debent, transfugarum enim bona de iure ad dominos ipſorum referuntur: Præterea licitum erit veſtris centurionibus ac Capitaneis, vt caſtella, vrbes & villas in finibus Hungariæ cōmuniant & ædificent, & illuc commeatum victualia, arma, & id genus importent. Sed ne vltra fines ſuos aliquid horum exerceant, &c. Durantibus quoque his induciis, nullus veſtrorum ſubditorum vel in Hungaria, vel aliis quibuſcunq; ditionibus veſtris captiuari aut abduci debet, quod tamen ſi cauſa forte contingeret, tum illa mancipia ſecure, & ſine mora ad ſuos redire ſinentur. Præterea quicunq; ex parte Chriſtianorum in noſtris regionib. & in magnifica noſtra aula aliquid negocii expediendum habuerint, quales ſunt Legati, miniſtri, officiarii, & id genus, his omnibus non ſolum concedimus & permittimus, vt ambulent, accedant, & recedant à noſtris ditionibus & aula, ſed etiam eos reuerentia ac beneuolentia à noſtris proſequendos, & linguæ noſtræ interpretatione iuuandos eſſe volumus & iuſſimus. Quod ſi propter confinia agrorum, aut terminos, vel ob id genus cauſas alias diſſidia & inimicitiæ inter ſubditos vtriuſq; partis natæ fuerint, illę lites à diſcretis ac æquis viris ab vtraque parte adhibitis iudicari ac diſcerni, autores vero talium diſſidiorum tanquam ſuſpecti ac fœdifragi puniri debent, &c. Inhibemus quoque certamina illa hoſtilia ſeu duella, quæ in finibus

ab v-

ab vtrinque aliquando committi ſolent. Cupimus autem, vt paſſim in veſtris regionibus hæc pacis ac concordiæ forma eiuſque ſinguli articuli publice legantur, affigantur, & vt cum obedientia & reuerentia ſeruentur ac teneantur, eis mandari curetur. Id quod nos viciſſim fideliter ac ſerio facturos iam ante promiſimus, & Legatus veſter, quem ſuperioribus menſibus ad nos ablegaſtis, hoc ipſum à nobis veſtro nomine petiit & rogauit, ſimulque nos precibus interpoſitis commouit, vt eam pacem ac confœderationem, per iuramentum Cæſareum, & per has creditorias literas, tanquam ipſi præſentes vobis loqueremur, ratam ac firmam fore conteſtaremur: quapropter ei has pacis literas ad vos dedimus, vt & veſtri ſubditi Domini ac milites iſta omnia ſeruate teneantur. Quamdiu ergo nihil eorum à vobis, quod fœderi huic ſit contrarium, ſuſcipietur, tamdiu viciſſim à me omnes hi pacis articuli acceptabuntur ac aſſecurabuntur. In quorum omnium teſtimonium & robur iuro ego hoc iuſiurandum per verum & viuum Creatorem cœli & terræ, per vera ſigna magni & venerandi noſtri Prophetæ, per Cæſaream meam potentiam, perque veram meam fidem, quod prædictis articulis, conditionibus ac promiſſis initi inter nos octennalis fœderis ac pacis nihil contrarium, nil alienum, nec inconueniens agi, tentari, aut præſumi debeat ab vllis noſtratum partium Capitaneis, Ducibus, Archiſtrategis, Præfectis, Vieuodis, &c. Mandatis inſuper omnibus noſtri potentiſſimi Imperii iuratis Præfectis Walachiæ & Moltauiæ, ipſique Regi Stephano, ac cæteris, qui in finibus veſtris regna noſtra gubernant, vt & ipſi omnes ac ſinguli non minus, quam nos, has pacis conditiones erga veſtros populos, vrbes, caſtella, villas, & alia ad vos pertinentia, ſancte, iuſte ac fideliter ſeruent, acceptent & reuereantur, nec vllis veſtris ſubditis etiam in minimo damnum, exitium, ignominiam aut iniuriam inferant. Breuiter, huic præpotenti ac magnæ amicitiæ atque amori conciliato, quantum noſtras partes concernit, ſummum honorem, reuerentiam & autoritatem tribuemus, ita vt ne quod in minimis haberi poſſit, in nobis deſideretur. Cæterum Chriſtianos quoſdam captiuos, quos per Legatum veſtrum dimitti petiiſtis, ſine omni exactione auri vel argenti libere ad vos redire permiſimus, ex qua tamen captiuitate non quidem redimi vnquam potuiſſent, niſi in gratiam amicitiæ ac concordiæ noſtræ eam libertatem illis donaſſemus, maxime tamen propterea, vt & vos viciſſim Turcas noſtros, quos captiuos detinetis, dimittatis: id quod omnino vos facturos ſperamus. Datæ ac ſcriptæ ſunt hæ confœderationis ac pacis literæ in Cæſareo noſtro palatio & ſolio potentiſſimæ vrbis Conſtantinopolitanæ, Anno magni & venerandi noſtri Prophetæ 969. die vero primo Septemb.

Porro notandum, quod Legatus Turcarum in comitatu ſecum habuerit viginti tres perſonas, quarum pars maior fuerunt Præfecti, ac nobiles è Buda Vngariæ, equos vero viginti nouem, & Camelos ſex.

CATALOGVS ELECTORVM, PRINCIPVM, HEROVM, COMITVM, BARONVM, NOBILIVM, NEC NON ALIORVM DOCTORVM CLARISSIMOrumque virorum, qui huic deſignationi interfuerunt.

CATALOGVS PRINCIPVM SACRI ROM. IMPERII, QVI AD ELEctionem & inaugurationem Rom. Reg. Maximil. Francofurtum ad Mœnum venerunt, Anno 1562.

FERDINANDVS Cæſar, Romanorum Imperator.
Maximilianus Bohemiæ Rex, qui tum & electus, & inauguratus eſt Rex Rom,
Maria eiuſdem Coniux, nata Hiſpaniæ Regina, Caroli V. filia.
Rudolphus & Erneſtus, Archiduces Auſtriæ, fratres, Regis Max. filii.
Anna & Eliſabetha, ſorores, Archiduciſſæ Auſtriæ, Regis Maxim. filiæ.
Daniel Princeps Elector, & Archiepiſcopus Moguntinenſis, ex nobili familia Brendelorum ab Homburg.
Ioannes Princeps Elector, & Archiepiſcopus Treuirenſis, ex nobili familia à Leyen,
Fridericus Princeps Elector, & Archiepiſcopus Colonienſis, ex nobili familia Comitum à Wida.
Fridericus Princeps Elector, Palatinus Rheni, &c.
Auguſtus Princeps Elector, Saxoniæ Dux.
Anna eiuſdem vxor, ex Regio ſtemmate Regum Daniæ, nata.
Ioachimus Princeps Elector, Marchio Brandeburgenſis.
Albertus Bauariæ Dux, &c.
Anna eius Coniux, nata Archiduciſſa Auſtriæ, Ferdinandi Cæſ. filia.
Dux Georgius, Palatinus, &c. Simmeranus.
Dux Wolffgangus, Palatinus, &c. Bipontinus.
Dux Ludouicus, & Ioann. Caſymirus, Palatini Rheni, Friderici Electoris filii.
Wilhelmus Dux Iuliacenſis, Cliuenſis & Bergenſis.
Erneſtus Dux Grubenhagenſis, & Brunſuicenſis.

Ioan.

Ioannes Albertus Dux Mechlenburgenſis, Megapolenſis.
Carolus Dux Lotharingiæ.
Chriſtiana eius mater, ex Regio ſtemmate Regum Daniæ nata.
Renea Duciſſa Lotharingiæ Chriſtianæ filia.
Franciſcus Dux Lauenburgenſis.
Wilhelmus Landgrauius Heſſorum Princeps Iunior.
Ludouicus Landgrauius Heſſorum Princeps, fratres.
Chriſtophorus Dux Wirtenbergicus, &c.
Eberhardus eius filius.
Bernhardus Princeps Anhaldicus.

Principes Eccleſiaſtici Imperio addicti.

Wolffgangus Teutonici ordinis Magiſter.
Fridericus Epiſcopus Wirzeburgenſis, & Dux Franconiæ orientalis.
Marquardus ab Hattſtein, Epiſcopus Spirenſis.
Wolffgangus Abbas & Princeps Fuldenſis.
Georgius Hohenhemius, dictus Bombaſt, S. Iohan. ordinis Magiſter per Germaniam.
D. Ioannes à Rehe, Prouinciæ Marpurgenſis Præfectus.
Chriſtoph. Sigiſmundus Romanus, S. Ioan. ord. Præfectus Meilbergenſis.
Franciſcus ab Holfeld, Præfectus Griffſtattenſis.

Principes, Heroes, Epiſcopi, item Magnatum & Archiepiſcoporum Legati, ac alij plures, qui pro ſeipſis præſto fuerunt.

Zacharias Delphin, Patritius Venetus, Epiſcopus Phari, Papæ Pii IV. Legatus.
Bernhardus Bouchetel, Epiſcopus Rouenſis, in Britargne, Regis Franciæ Legatus & Orator.
Philippus Dux Arſcotus, Philippi Hiſpaniæ Regis Legatus, & vna cum illo Wilhelmus Marchio à Rentin, fratres.
Augerius à Busbeck, Cæſaris Ferdinand. Legatus ad Solymannum Turcarum Cæſarem, qui ex Turcia tum venerat.
Ebrahim Stroſch, vel Stratius, natione Polonus, Solymanni Turcarum Cæſaris Legatus.
Martinus Cromerus, Sigiſmundi Auguſti Polonorum Regis Legatus.
Georgius à Seyen, Comes à Witgenſtein, Subdecanus Colonienſis, Ioannis Gebhardi à Mansfeld Principis Electoris & Archiepiſc. Colonienſis Legatus, & cum eo Georgius à Leyen, Magiſter Curiæ, Rudingelus ab Horſt Mareſcallus, & Franciſcus Burckhardi Cancellarius, his adiuncti fuerunt Conſiliarij octo.
Franciſcus Vorgach, Epiſcopus Wardeinenſis, Cæſar. Maieſt. in Hungaria Vicecancellarius.
Vuilhelmus Princeps Vranienſis, vna cum aliquot Equitibus aurei Velleris.
Nicolaus Dux à Vademont.
Carolus Dux à Munſterberg, Regiæ Maieſt. aulicus.
Lamoral ab Egmund Princeps Gauerenſis.

Legati Principum.

Lucas Tangel D. Iuniorum Ducum Saxoniæ Legatus.
Ludouicus Haluerus Doctor, Henrici Ducis Brunſuicenſis Legatus.
Valentinus ab Eickſtett Pomeraniæ Ducis Legatus.
Theobaldus Grumerus, Ottonis Ducis Luneburgenſis Legatus.
N. Finerus Iuris Doctor, & N. Vlmenſis Caroli & Philiberti Marchionum Badenſiū Legati.
Ioannes Michaelius Pat. Ven. Legatus Venetus.
Hieronymus Faletes Comes, & Sigiſmundus Diſcaltius, I. V. D. Ordinarius, Alphonſi Aſtenſis Ducis Ferrarienſis Legati.
Antonius de Aloiſiis, Coſmi Medices, Ducis Florentini Legatus.
Ioannes Franciſcus Auguloſa, eques auratus, & Doctor, Gulielmi Gonzagæ Ducis Mantuani Legatus.
Ioachimus Sylenis, Regenonæ Gubernatricis per Brabantiam Legatus.
Iacobus Spitame, Dominus à Paſſy, & Iohannes de Schelles, Principis Condei in Gallia Legati.

Qui cum Ferdinando Rom. Cæſare Comites & Barones 24. Octobr. Francofurtum venerint.

Georgius Comes ab Helffenſtein.
Ernfridus Comes ab Ortenburg.
Ludouicus Comes à Leuenſtein.
Simeon Comes ab Arch.
Carolus Comes à Zollern.
Gunterus Comes à Schwartzenburg.
Auguſtinus Comes à Lodran.
Iacobus Comes à Caſtaldo.
Otto Comes ab Eberſtein, Stipatorum Præfectus.
Scipio Comes ab Arch, Camerarius Summus.
Dominus Ioannes à Vueiſpriach.
Sebaſtianus Comes à Guttenſtein.
D. Ioann. Trautſon, Baro à Frechenſtein, &c.
Vuolffgangus, Baro à Saurau.
Otto Dominus ab Heideck.
Vuolffgangus Burck, Baro.
Georgius Baro ab Herberſtein.
Georgius Baro ab Egk.
D. Laſla Poppel Cæſ. Maieſt. Conſiliarius, Bohemenſis Curiæ ſupremus Mareſchallus.
D. Vvercho Cæſar. Maieſt. Conſiliarius & Camerarius.
D. Nicolaus Pollweiler.
D. Georgius Ilſing, Prouinciæ Sueuicæ Præfectus.
Vvenzelius Holizki à Stemberg.
D. Hislerle cum ſuis comitibus.
D. Hamma Truchſeſs.

Doctorum & Conſiliariorum nomina.

D. Georgius Sigiſmundus Seldius Vicecancellarius.

D. Ioachimus à Neuhauſen, Supremus Bohemiæ Cancellarius.
D. Franciſcus Epiſcopus à Wardein, per Hungariam Vicecancellarius.
D. Ioannes Donnet.
D. Vlricus Zaſius.
D. Ioannes Baptiſta Weber.
D. Gerhardus Ach.
D. Thomas Schoberus.
D. N. Lauffner.
D. Paulus Priſmannus.
D. Timotheus Iung.
Chriſtophorus Philippus Zott à Perneck.
Ioachimus à Monte.
D. Chriſtophorus à Carlonitz.
D. Eraſmus ab Hera.
D. Eraſmus Heydenreich.
Eraſmus Mager.

Secretarii.

Vvolffgangus Hallerus Imperij Secretarius.
Leopoldus Kirchſchlagerus.
Hermannus Igelius.
Dionyſius a Roſt.
Ioannes Kowentzel.
Marcus Sinckmoſerus.
D. Andreas Rapicius.
Nicolaus Waltherus Bohemenſis Curiæ Secretarius.
Alphonſus de Gæmintz rerum Hiſpanicarum Secretarius.
Hieronymus de Rhocke rerum Burgundicarum Secretarius.

Cameræ Secretarii.

Iacobus Zollerus.
Chriſtophorus Kubacherus.
Vlricus Vvimburgerus.
Iacobus Huberus.

Caſ. Maieſt. Medici.

D. Iulius Alexandrinus.
D. Stephanus Laureus.
D. Claudius Richardus Chirurgus.
Petrus Azaila Pharmacopœus.

Pragustatores.

Seufridus Primerus.
Ihomus Kinizki.
Ioannes à Vvelſperg.

Pocillatores.

Georgius Comes Nogarolenſis.
Auguſtinus Comes Ladronenſis.
Marquardus *vom Stein*.
Ferdinandus Hoffmannus.

Dapiferi.

Chriſtophorus Chontzin.
Petrus Keglawitſch.
Georgius Baro ab Heberſtein.
Ioannes Hagerus.
Przemeck Proſnoski.
Bilgram à Reſchah.
Vvolfthartus Strein.
Ioannes Trautſon Iunior.
Hieronymus Turſche Bethlehemenſdorfius.
Iacobus Comes à Caſtaldo.
Otto Pflugius.

Aliorum quorundam Aulicorum nomina.

D. Matthias Zittardus Aquiſgranenſis, concionator Aulicus.
Alexander Vaginus Eleemoſynarius.
Petrus Noſcenus Muſicorum Præfect.
Ioannes Hauswirt Præceptor.
Iacob Paris.
Chriſtoph. Khrell, Organiſtæ ambo.
Thomas Dornerus nobilium Pædago.
Lucas de Baſtian Hypodidaſcalus.
Volffgangus Garſcherus puerorum nobilium Palæſtricus.

Qui vna cum Maximiliano Bohemia Rege, &c. Comites, Barones, & Conſiliarii 23. Octob. vrbem ſunt ingreſſi.

Dux Carolus Chriſtophorus à Munſterberg, Regis Pocillator.
Caſparus Comes à Ladron.
Otto Comes ab Eberſtein.
Claudius Triulcius Comes à Maltz.
Mauricius Schlickius, Comes à Baſſa.
Ludouicus & Wolffgangus Comites ab Eberſtein, Barones à Neugarten.
Chriſtophorus Baro ab Eitzingen, Archicamerarius hæreditarius Auſtriæ Regiæ Maieſtat. Conſiliarius & Curiæ Magiſter.
D. Leonhardus ab Harrach, Baro ad Korau, ſupremus Equariorum Magiſter hæreditarius, Cæſar. Maieſt. intimus Conſiliarius, & Regię Maieſt. ſupremus Camerarius.
Vratislaus Domin. à Bernſtein Dubiſchawenſis, aurei Velleris Eques, Regiæ Mai. Camerarius, & Magiſter Equitum.
Conradus à Bappenheim S.R. Imp. Mareſcallus hæreditarius.
Ludouicus Vngnad, Baro à Sonneck.
Georgius Proskuski, Baro.
Petrus Dominus à Roſenburg.
Leonhardus ab Harrach, Baro, Iunior.
Georgius ab Eitzingen.
Bernhardus Dom. à Tzeratin.
Wentzelius Dom. à Boskowitz, Trubenſis.
Wentzelius Burggrauius à Don.
Schemba Dom. à Tzernaha.
Henricus Dom. à Schleinitz.
Fabianus Zen.e, Chriſtburgii Dominus hæreditarius.
Leopoldus & Iulius Barones ab Herberſtein.
Balthaſarus Comes à Buchorn.
Sigiſmundus Kurzbachius Baro.
Maximilianus Baro Bolhemius.
Adamus Domin. à Dietrichſtein, Baro Holenburgicus, &c. Camerarius hæreditarius in Kernten.
Georgius Smetzantzki, Dom. à Matrinit, Dapifer.
Dom. Ioann. Chilis, Eques auratus.
Petra à Molart Reg. Maieſt. Camerarius.
Georgius Proslohoulzkhit, Baro.
Rudolphus Khuen à Belaſio Liechtenbergenſis, Camerarius.

Philip-

Philippus à Thun.
Don Ioan. Manrique de Mendoza.
Sigiſmundus Kurtzbachius, Baro.
Wolffgangus Bolaſch à Iarmeth.
Adamus Hohenwarter à Gerlaſtein.
Ioannes Dominus à Wartenberg.
Iſaacus à Seidlitz.
Georgius Imerſantzki.
Chriſtophorus Zwick
Henricus Dominus à Schleinitz.
Georgius Schenck à Stauffenburg.
Alexius Turtzo Bethlehemsdorffius.
Rudolphus à Binau.
Balthaſarus Buthion Baro.
Ioannes Alphonſus Gaſtaldus.
Hartwig Schlehuſitzki.
Ioannes Ludouicus Speth à Schepſſigheim.
Caſparus Lindeg Luſanus, Cęſ. Maieſt. Conſiliarius & Secretarius.
Hernandus de Marzuello, rerum Hiſpanicarum Secretarius.
Petrus Hallerus Rom. Cæſ. Maieſt. Quæſtor ærarius.
Georgius Fridenreich.
Franciſcus Partin Medicinæ Doctor.
Barthelius à Rinckingen, dictus Tarrichter, Medicus aulicus.

Reginæ aulam Procurantes.

Don Franciſco Laſſo de Caſtilia, Magiſter Curiæ.
Adamus Dom. à Dittrichſtein, Baro in Hellenburg, Wirckenſtein & Talberg, Camerarius hæreditarius in Kernten, ſupremus Equariorum Magiſter.
Don Diego Manrique de Mendoza, Equariorum Magiſter.

Qui cum Daniele Principe Electore, & Archiepiſcopo Moguntinenſi, Canonici & Comites, 24. Octob. venerunt.

Ioannes Andreas Mosbachius à Lindenfels, Decanus Moguntinenſis.
Arnoldus à Bucholtz Presbyter.
Conradus Comes in Solms, & Dom. in Muntzenberg.
Georgius Comes in Eiſenberg.
Wolffgangus Comes in Eiſenberg.
Henricus Comes in Eiſenberg, & Dominus in Budingen.

Conſiliarii & Docti.

Eberhardus Rude à Kollenberg, Magiſter Curiæ.
Chriſtophorus Matthias Cancellarius Licent.
Ioannes Leonhardus Kadwitz ab Aulnbach Mareſcallus.
Ioan. Brendel ab Homberg, Senior.
Philippus Brendel ab Homberg.
Petrus Echterus à Meſſelbrun.
Philippus à Groenrod.
Melchior à Groenrod, Præfectus Aſchaffenburgenſis.
Ioannes Oygenus Brendel ab Homberg.
Ghilianus Eler D.
Philippus Koltz à Schwappenhauſen, D.
Balthaſarus Sano, D.
Lemannus Scheller ab Hedern, D.
Wendelinus Heſſus Licent.

Secretarii.

Simon Wag.
Hieronymus Ples.
Andreas Erſtenberger.
Theobaldus Wagnerus.

Magnates & Nobiles.

Albertus ab Adelsheim.
Anthonius Spar.
Petrus à Schwalbach.
Philippus à Dinheim.
Hartmutius à Cronberg.
Theodoricus ab Ernberg.
Vuildericus à Vuallendorff.
Fridericus Mosbachius à Lindenfels.
Henricus à Selber.
Iulius à Thungen.
Philippus à Bickhen.
Albertus à Dinheim.
Philippus à Thungen in Reuſenberg.
VVolffgangus Albertus Rude à Colenberg.
Vuilhelmus à Carben.
Quirinus à Carben.
Henricus à Vuallen Submareſcallus.
Ludouicus ab Hutten.
Philippus à Gunſtatt.
Ioannes Eytel à Knoringen.
Conradus Brendel ab Homburg.
Conradus Stommel Equariorum magiſter.
Laurentius à Schwalbach.
Eytel à Walbrun.
Iacobus Hund à Saulheim.
Theodoricus à Vueiler.
Ioannes à Labenberg.
Sebaſtianus à Thungen.
Gottfridus ab Eſthauſen.
Engelhardus à Lantern.
Conradus Rideſel à Bellersheim.
Crato Vuilhelmus Hilchen à Lorch.
Eberhardus ab Heiſſenſtam.
Georgius Truchſeſs ab Hennenberg.
Philippus à Stockheim.
Stephanus à Rechenbach, Venatorum Præfectus.
Fridericus Hund à Saulheim.
Ludouicus à Marsheim.
Chriſtophorus Ries à Sultzbach.
Melchior Heus.
Chriſtophorus à Dhun.

Qui vna cum Ioanne Principe Electore & Archiepiſcopo Treuirenſi, &c. Canonici, Comites & Domini 22. Octobr. venerunt.

Capitulares.

D. Bartholomæus à Leyhen, Scholaſticus.
D. Ioannes à Schonberg.
D. Henricus à Naſſau.
D. Vuilhelmus Quaad in Landskron.

Comites.
Emmericus Comes in Leiningen & Dagſpurg, Dom. in Apermont.
Ioan. Comes in Eiſenb. & Greſslau.
Sebaſtianus à Dhaun, Comes in Falckenſtein, & Dom. in Oberſtein.
Conſiliarii & Docti.
Michael à Leyhen, Mareſcallus.
Georgius Domin. in Elz, Præfectus in Munſtermeinfeld.
Philippus à Reiffenberg, Pręfectus in Molſpurg, Montabaur & Limpurg.
Ioannes à Leyhen, Præfectus Confluentinus.
Philippus à Naſſau, Præfectus in Niderlainſtein.
Nicolaus ab Enſringen, Dominus in Schwartzenburg, Præfectus in Vvitlich & Manderſcheidt.
Henricus à Buhel, L.L. Præfectus in Pfaltz & Grumberg.
Ioannes à Lainſtein, Præfectus Kochemiæ & Vlmæ.
Theodoricus à Dietz, Præfectus in Dietz, Altenau & Camberg.
Antonius Vvaldbott in Baſsheim.
Ioan. Richardus ab Eltz, Pręfectus in Schoneck, Hundsruck & Baldoneck.
Bernhardus Clawe, Præfectus in Mayen & Hammerſtein.
Ioannes Dom. in Helffenſtein.
Damus Quaad Dom. in Landskron.
Chriſtophorus Haber, I.V.D.
Ioannes Vvimpflius, I.V.D.
Cuno ab Homburg, I.V.D.
Conradus Cocus, L.L.
Nobiles.
Gerhard. ab Heyden, Magiſter curiæ.
Philippus Vvaldecker à Kaineſt, Equariorum Magiſter.
Arnolphus à Schettle.
Adolphus Schilling à Lainſtein.
Chriſtophorus ab Eltz.
Emmericus ab Eltz.
Gottfridus à Palland.
Georgius à Leyhen Mareſcallus.
Henricus à Filiz.
Vvolffgangus Kemmerer à Vvormatia, dictus (à Dalberg.
Antonius Rois à Vvaldeck.
Hermannus ab Herſel.
Nicolaus à Neidbruck.
Carolus Mul ab Vlmen.
Carolus à Metternich.
Ioannes Philippus à Vvachenheim.
Theologi & Medici.
Ioannes Adler, D. Theologiæ.
D. Chriſtophorus Tholes Sacellanus.
Petrus Vinemannus, Medicus, D.

Qui vna cum Friderico Principe Electore, & Archiepiſcopo Colonienſi Canonici, Comites, & Domini 23. Nouemb. venerunt.

Georgius à Seyn, Comes in Vvittgenſtein, &c. qui antea Legatus fuerat,
Dom. Henricus, Comes in Seyn, Do. in Homberg, Epiſcopus Chori Colonienſis, & Præpoſitus.
Dom. Ioann. Comes in Manderſchid, & Blanckenheim, Scholaſticus.
Dom. Hermannus Comes in Neuenar & Morſs, Dom. in Badbur, Epiſcopus Colonienſis Curiæ Magiſter hæreditarius.
Dom. Ludouicus à Seyn, Comes in Vvitgenſtein, & Dom. in Homburg.
Reinhardus, Philippus, & Ludouicus, Comites ab Eiſenburg, Dom. in Budingen, fratres.
Chriſtophorus Ladislaus Comes in Nellenburg & Tengen.
Cuno Comes in Manderſchid & Blanckenheim, Dominus in Schleiden.
Ioan. & Meinolffius Dom. in Buren.
Conſiliarii & Docti.
Georgius à Leyhen, Dom. in Saffig. Magiſter Curiæ.
Rudingerus ab Horſt, Mareſcallus.
Franciſcus Burckhardi, D. & Cancellarius.
Wilhelmus Dom. in Breitenbach, Dom. in Boretzheim.
Ioannes à Brembt.
Michael Glaſer, D.
Degenhartus Has, D.
Gerhardus Kleinſorg.
Ioannes Auerdunck.
Officia gerentes.
Egmundus à Flatten, Magiſter Curiæ.
Eraſmus à Beel, Equariorum Magiſter.
Bernhardus Colmannus, à poculis.
Wilhelmus ab Holtzheim, Culinæ magiſter.
Philippus à Viermund, Præguſtator.
Damus Wolffgangus à Metternich, Scutariorum Præfectus.
Nobiles.
Theodoricus ab Eyl.
Hermannus Kettler.
Theodoricus Quaad.
Ioannes à Bermersberg.
Ioannes à Raſsfeld.
Goſweilus à Raſsfeld.
Philippus Wilich.
Adolphus Schleiffart.
Theodoricus à Wittenhorſt.
Ioannes à Plettenberg.
Laurentius Schungel.
Wilhelmus à Steyrath.
N. Degenbroch.
N. Mordion.

Qui vna cum Friderico Comite Palatino, Principe Electore, Duces, Comites & Domini 21. Octob. venerunt.

Dux Ludouicus, Palatinus, &c.
Dux Ioannes Caſymirus, Palatinus, &c. fratres.
Comes Eberhardus in Erbach, Curiæ magiſter ſupremus.
Comes Chriſtophorus ab Oldenburg.

Comes

Comes Philippus à Naſſau, & Vuisbaden.
Comes Ioan. Henricus à Leiningen.
Comes Albertus à Naſſau, & Vuelburg.
Comes Chriſtophorus ab Oſtfriesland.
Comes Valentinus ab Erbach, Burggrauius in Altzheim.
Comes Georgius Ioannes ab Erbach Iunior.
Schenckius Fridericus à Limpurg.
Ioannes Baro in Schuuartzenburg.

Conſiliarii & Docti.

D. Chriſtoph. Probus, Cancellarius.
Ioannes Bleickhardus, Landſchad, Mareſcallus.
Eraſmus à Venningen, Curiæ Prætor.
Ioannes à Dircheim.
Adolphus Herman Rideſel, Præfectus Germershemius.
Chriſtophorus à Gottfart, Submareſcallus.
Carſilius Bauarus à Bellenheim.
Fridericus à Flersheim, Præfectus Lutrenſis.
D. Philippus Heylos.
D. Chriſtophorus Ehemius.
D. Vlricus Bitteter.
Sebaſtianus Heuring.
Wenceslaus Zuleger, L.L.
M. Georgius Weisbrot Secretarius.
Petrus Kleinmannus Cameræ Secretarius.
Ioannes Meyer Regiſtrator.
Leonhardus Grun Secretarius.
Vlricus Hauſſner, Burggrauius Starckenburgicus.
Iacobus à Seldeneck, Imperii Archimagirus.
Blickardus Landſchad Præfectus Mosbacenſis.
Ioannes ab Hirſchhorn.
Conradus à Grumbach, Præfectus in Beckelheim.
Nicolaus à Schmidberg, Præfectus Oppenhemius.
Melchior à Feilitſch, Curiæ magiſter.
Ioannes Erhardus à Flersheim.
Ioannes Engelhardus à Schonberg.
Sebaſtianus ab Herda.
Ioannes Eytelfetzer.
Meinhardus Wolffius à Schonberg.
Ludouicus à Flehingen.
Bernhardus Geller à Raffenſpurg.
Philippus Schliclrerer à Greyffenſtein.
Caſparus Lerck à Dunſtein.
Eytel Albertus Trautuuein, Equitum Præfectus.
Sebaſtianus à Brant Stebler.
Wilhelmus à Meiſſenburg.
Bernhardus à Rudickheim.
Eberhardus à Cronberg.
Seufridus à Dinheim.
Iacobus à Maluille.
Theodoricus à Dalberg.
Franciſcus à Sickingen.
Ioannes Philippus Landſchad.
Georgius Boſſ à Vualdeck.
Ioannes Philippus ab Helmſtat.
Chriſtophorus à Seckendorff.
Leonhardus à Gemmingen.
Eytel Ioannes à Bleimingen.
Ioannes Conradus à Franckenſtein.
Wolffgangus ab Oberſtein.
Fridericus à Lauenburg.
Ludouicus ab Hirſchhorn.
Philippus Ludouicus à Venningen.
Martinus Mal.
Chriſtophorus Leutſch.
Georgius Bellendorff.
Stephanus Thurm.
Ioannes Bertoldus à Flersheim.
Ioannes Philippus ab Helmſtatt, Iunior.
Ioannes Piſbort à Trier.

Comitum Nobiles.

Ioannes à Deckelnburg, Capitaneus.
Ioannes Troſt.
Ioannes ab Erntraut, Naſſanienſis Curiæ Præfectus.
Philippus à Wolmershauſen.
Bernhardus Zorneck à Vueinheim.
Otto à Dhurn.
Ioannes Schutz.
Guntherus à Wahrn.
Georgius à Schonberg.
Paulus ab Helmſtatt.
Ioannes ab Hall, dictus Minheim.

Qui cum Duce Auguſto Principe Electore Saxoniæ, Duces, Comites, ac Domini 16. Octob. venerunt.

Erneſtus Dux Brunſuicenſis.
Wilhelmus Landgrauius, Heſſorum Princeps, Iunior.
Franciſcus Dux Lauenburgenſis.
Bernhardus Princeps Anhaldiæ.
N. Comes ab Hollach.
N. Comitiſſa à Solms, Vidua.
Ioannes Guntherus Comes à Schuuartzenburg.
Ioannes Albertus Comes à Mansfeld.
Ioannes Comes ab Oldenburg.
Dom. Georgius, & Hugo, Fratres, Comites à Schonberg, Domini in Glauchau, Penig, & Hartenſtein.
Dom. Ioannes à Ponickau.
D. Vlricus Mordeiſen.
Georgius Vaiſe Raſtenbergicus, Mareſcallus.
VVolffgangus à Schonberg.
Caſparus à Schonberg.
Chriſtophorus à Ragenuuitz.
Ioachimus Kobel, Præfectus in Schleinitz.
Georgius à Schonberg.
Heinricus à Schonberg, Conſiliarius.
Dilius à Trottha.
Henricus à Pappenheim.
Vitus Conradus à Pappenheim, ambo Imperii Mareſcalli.
D. Hieronymus Kommerſtat, nomine Canonicorum Merſburgenſium.
Eraſmus a Konneritz, Curiæ Prætor.
Ioannes a Schleinitz.
Sigiſmundus a Miltiz, Schenckenburgi degens.

Nicolaus Miltitz.
Heinricus à Schleiſſenthal.
Wolffgangus Dieffſtetter.
Sigiſmundus Pflugius.
Nicolaus Pfl[illegible]us.
Hadrianus à Steinberg.
Georgius ab Holl,
Henningus à Bottfeld, Præfectus Gomerenſis.
Heinricus à Staupitz, Præfectus in Beltzig.
Iacobus à Schullenburg.
Mauricius à Friſan.
Ioannes à VVolffen,
Ioan. à Rhebuck, quatuor Equitum Præfecti.
Ioannes à Carlenitz.
Ioannes Loſer in Gretzſch.
Heinricus à Bunlau.
Ericus Volckmarus à Berlepſch.
Georgius Vuerther.
Wolffgangus Keller zum Stein.
Abraham Bock.
Haupoldus à Starſchedel, in Mulſtein.
Rudolffus à Bunau Præfectus Curiæ.
Conradus Præfectus Eckſtatenſis.
Ioannes à Taubenheim.
Wolffgangus à Chemnitz.
Dham à Sibottendorff.
Wolffgangus Rauchhaupt.
Ioannes Georgius à Bonickau.
Heinricus Schleinitzius,
Georgius Caſparus Pflug.
Conradus Benſſ.
Ioachimus à Berdau.
Eipoldus à Klitzingen.
Wernerus Vitzthumb.
Wilhelmus Ioachimus à Carleuuitz.
Ioachimus à Carleuuitz, Iunior.
Otto à Carleuuitz.
Fridericus Vitzthumb, Præfectus Curiæ.
Georgius Kuninger, à poculis.
Ioachimus à Polla.
Theodoricus à Trotha.
Alexander à Miltitz.
Hermannus à Bodenleuen.
Ioannes VVolffgangus, Haupoldus, ambo à Schonberg.
Abrahamus ab Einſidel.
Heinricus Monachus.
Conradus ab Hochberg.
Melchior ab Oſtnitz.
Georgius à Bernsdorff.
Einfrid ab Ende.
Ioachimus ab Hartz.
Georgius ab Holdau.
Petrus Cæſar.
Ioannes à Taubenheim, Iunior.
Ioannes Mareſcallus.
Adamus Strobeditzki.
Abrahamus à Kogkeritz.
Ioannes Kitſcher.
VVolffgangus à Mergenthal.
Sigiſmundus à Kokeritz.
Sebaſtianus Vitus, Reder.
Henricus à Gruna.
Ioannes Reuterus.

Chriſtophorus Bernſtein.
N. à Pollentz.
Laurentius Lindenman, D.
Georgius Craco, D.
Paulus Vogel, D.
Ioannes Ihenitzius.
Valerius Krakhau, ambo Secretarii.
Ioannes Neffe Medicinæ D.
Ioannes à Linden Pharmacopœus.
D. Daniel Geiſer Superintendens, Concionator Aulicus.

Qui vna cum Ioachimo Principe Electore Brandenburgenſi, Comites & Domini, 28. Octob. venerunt.

Ioannes Georgius Comes in Mansfeld.
Albertus Georgius Comes in Stolberg.
Comes VVilhelmus ab Honſtein Marchionatus ſuperioris Præfectus.
Dn. VVilhelmus Pocklin Præpoſitus Eccleſiæ Magdeburgenſis.
Iobus Comes in Barbi.
Chriſtophorus Spar Mareſcallus.
Adamus Trottha.
Dn. Liberius à Bredau, Præpoſitus Eccleſiæ Brandenburgenſis.
Georgius à Branckenburg.
Ioachimus à Schulenburg.
Leuius à Schulenburg, Præpoſitus Eccleſiæ Hauelburgenſis.
Anshelmus à Zaſchuuitz.
Erneſtus à Mandeslau.
Franciſcus Spar Præfectus Neapolitanus.
Henricus à Saltza Præfectus in Neuendorff.
Fladius Bocklin.
Ioannes à Buch Præfectus Trebinus.
Bernhardus Spigelius, Præfectus in Poſtampt.
Dn. Georgius Platau.
Albertus à Schulenburg.
Ioannes Flancius, Præfectus in Bolitz.
Georgius Flanſius, Præfectus in Spadau.
Chunradus Flanſius.
Iacobus à Saldern.
Albertus à S. Ihlaberndorff.
Ioannes à Rieſen.
Ioannes Rhot.
Chunradus ab Arnim.
VVernerus ab Arnim.
Nicolaus ab Arnim.
Bernhardus ab Arnim.
Ioannes à Schlieben.
Ioannes à Bredau.
Matthæus à Veltheim.
VVolffgangus à Kloſter, Camerarius.
Andreas Klitzing, Camerarius.
Thobias Spigelius.
Chriſtophorus Dorikhe, Pocillator.
Nicolaus à Iagau.
Chuno à Chumen.
Matthias ab Vchtenhagen.
Henricus Schonbeck.
Iobus Brant.
Andreas Carolopolites.
Chriſtophorus à Rochau.

Ioannes

Ioannes à Fronhau.
Achilles Klitzing.
Sigiſmundus Bergſtorffius.
Antonius à Rochau.
Vuilhelmus Krumenſee.
Chuno à Bardeleben.
Theodoricus à Schulenburg.
Melchior à Gelhorn.
Andreas Lundorffius.
Dauid Spigelius.
Gotfridus ab Ende.
Iacobus à Stirſtetten.
Eraſmus Bettinus.
Hermannus Obſopœus.
Henricus Konau.
Luderus ab Hunoe.
Ludouicus ab Vchteritz.
Samuel Sproffsky.
Georgius Schuuanebegk.
Fridericus Britzke.
Bartholomæus Zabellitz.

Conſiliarii & Docti.

D. Lampertus Diſtelmarius, Cancellarius.
Andreas Zochius, D.
Adrianus Albinus, D.
Paulus Goltſtein, D.
Albertus Thumus, D.
Chriſtophorus Homburgius, D.
Lucas Hofmeiſterus, D.
Vlricus Buchnerus.
Chriſtophorus Meyenburgerus.
Pantaleon Thurm, Secretarius.

Theologi & Medici.

D. Ioannes Agricola Islebius, Superintendens.
Dn. Ioachimus Pasken.
Dn. Abdias Prætorius M.
Auguſtinus Stæhlin, Medicinæ D.

Qui vna cum Vuolffgango Adminiſtratore Pruſſiæ, & Teutonici Ordinis Magiſtro, in vrbem ſunt ingreſſi.

Dn. Ioannes à Rehen, Prouinciæ Præfectus.
Balthaſarus Comes in Naſſau.
D. Philippus ab Altorff, dictus Vuollenſchlager.
Georgius Hund à Vuenckheim, Domus Teutonicæ Præfectus Francofurti ad Mœnum.
Dn. Franciſcus ab Harzfeld.
Adolphus Rau ab Holtzhauſen.
Caſparus Michlingus.
Ioannes à Steinach, Mareſcallus.
Georgius Vlricus ab Hagenbach.
Iacobus Hungler Heylprunnenſis.
Ioannes Henricus ab Ernberg.
N. à Kelckhun.
N. Rimpingus.
N. Honſtalius.

Qui vna cum Friderico epiſcopo Vuirtzeburgico, & Duce Franciæ Orientalis, Canonici, Comites, & Domini, 23. Nouemb. venerunt.

Vuolffgang. Theodoricus ab Hutten, Decanus.
Eraſmus Neuſtetter, cognomento Sturmer, Ducatus Francici Orientalis Præfectus.
Ioannes Egenolphus à Knœringen.
Georgius Ludouicus à Sensheim.
Ioannes Nelhardus.
Soldanus à Vuirsberg, Vicemareſcallus.
Balthaſarus ab Hell, Cancellarius.
Melchior à Gunderod.
Vlricus Laurentius ab Hutten.
Ioannes Vuolffgangus à Carlſpach.
Vuolffgangus ab Hartheim.
Sebaldus à Schletten.
Georgius Sigiſmundus ab Aletzheim.
Vuolffgangus Adamus à Seckendorff, Camerarius.
Georgius Balthaſarus à Vuenckheim.
Balthaſarus Heus ab Euſſenheim.
Philippus à Gertrang.
Balthaſarus à Schonberg.
Chriſtophorus à Kintzingen, Dapiferi tres.
Andreas à Steinau.
Petrus Raben, Subcamerarius.
Conradus Vuanerus, Secretarius.
Conradus Mollerus.

Qui vna cum Marquardo Epiſcopo Spirenſi, Canonici, &c. 24. Nouemb. venerunt.

Andreas ab Oberſtein, Scholaſticus.
Henricus à Zaickheim, Curiæ Præfectus.
D. Hieronymus Moſerus, Cancellarius.
Vuolffgangus à Talberg, Senior.
Vuolffgangus ab Hattſtein.
Philippus ab Angeloch, Prureinenſis ditionis Præfectus.
Vuilhelmus à Leuuenſtein, Præfectus in Reitesheim.
Ioannes Speth à Sultzberg, Præfectus Luterburgicus.
Petrus Nagel à Dinſtein, Præfectus in Marientraut.
Iohannes Holtzapffel ab Hirxheim.
N. à Stein.
Georgius ab Hattſtein.
Eberhardus à Reiffenburg.
Gothus ab Ende.
Chriſtophorus à Stein Collenfels.
Iobus Holenbeck, Curiæ Præfectus.

Qui vna cum Alberto Duce Bauariæ, Comites & Barones, &c. 20. Octob. venerunt.

Fridericus Comes Oetingenſis.
Henricus Comes in Furſtenberg.
Vlricus Comes in Montefurt.
Ioachimus Comes in Ortenberg.
Albertus Comes in Sultz.
Albertus Comes in Leuenſtein.
Degenhardus Baro à Stauff.
Dn. Ioannes Fuggerus Baro.
D. Ioann. Vuarmundus à Bern.
Dn. Georgius ab Hegenberg, Eques auratus.
Dn. Carolus à Fraunberg, Eques auratus.
Dn. Ioannes Georgius à Gumpenberg.
Dn. Adamus à Ternis, Eques auratus.
Achacius à Leimingen.

VVolff-

VVolffgangus à Dhanberg.
Burckhardus à Kaltenthal.
Iacobus à Thurn.
Adolphus à Sanditzel.
Vitus à Ternis.
VVigelius à VVeis.
Vitus Mareſcallus à Pappenheim.
Oſuualdus ab Eck.
Adolphus à Schuuartzenſtein.
Ioannes Adamus à Marlotingen.
VVolffgangus ab Haunſperg.
Marquardus à Stein.
Ioachimus à Freyberg.
Fridericus à Bentzenau.
Georgius Rorbacenſis.
Ioannes Erneſtus à Vueldan.
Conradus à Piecham.

Conſiliarii.

Alexander à Vuildenſtein, Mareſcallus.
Vuilhelmus Loſch.
Henricus Comes à Lupffen.
Vuolffgangus Vuilhelmus à Machſtein, Baro in Vualdeck.
Vuilhelmus à Bern, Baro.
Vuigelius Hund, D.
Ioannes Hagenmuller, D.
Ioannes Eingehurn, Archimagirus.
Bernhardus Dichrelius.
Petrus Oberburgerus, Secretarius.

Dapiferi & Camerarii.

Ioannes Adamus à Minckenthal.
Samuel à Quittelberg.
Leonhardus Meiningerus.
Carolus à Freiburg.
Burckhardus Nothafft.
Sigiſmundus à Mintau.
Erneſtus à Rechberg.
Vuernerus à Sebelſtorff.
Ioachimus à Sichenſtein.
Ioannes Henricus à Muckenthal.
Vuolffgangus Dauid à Nusdorff.

Nobiles aulici.

Andreas Peningerus, Capitaneus.
Nicolaus Vuarnſtett, Capitaneus.
Bernhardus ab Vtina.
Hieronymus Vuiluualdus à Siebelſtorff
Henricus Volckerus à Freyburg.
Erhardus à Muckenthal.
Ludouicus Vuelſerus.
Iſaacus Lamprechtingerus.
Ioannes Adamus à Fraunberg.
Vlricus à Preiſingen.
Dauid à Danberg.
Ioannes Sigiſmundus à Parſperg.
N. Mundelius.
Caſparus Liechtenfelderus, Quæſtor ærarius.
Chriſtophorus Vuolfius.
Vlricus Pauo.
Caſparus Achacius Vuiderſprecher.
N. Honolt.
N. Gerſtorffer.
N. Thonhauſer.
Chriſtophorus ab Hoburg.
N. Seuerus.

Onophrius Forſterus.
Nicolaus Vngerus.
Leonhardus Kushamerus.
Vuilhelmus Marius.
Vuigelius Hund.
Iohannes Sigenmullerus.
D. Iohannes Danmullerus, Medicus.
D. N. Caucius, Medicus.

Dux Georgius Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, &c.

Conſiliarii.

Henricus Geiſpitzhemius, Præfectus Bolandius.
Iohannes Valentinus à Schonenburg, Præfectus Stromburgicus.
Matthias Rhodlerus, D. Cancellarius, & Præfectus Simmeranus.
Conradus ab Obentraut.
Sebaſtianus Marius, L.L. Prætor Crucenacenſis.
Otto Seela.
Cyprianus Vomelius Stapertus, D.
Andreas Sexheldanus, D.
Georgius Artopœus, D.

Nobiles Aulici.

Philippus Vuolffgangus à Spanheim, Præfectus Caſtellanus.
Georgius à Breidenbach.
Conradus ab Ixſtatt, dictus Hattſtein.
Ioannes Henricus Hagius.
Dauid à Reyhel.
Henricus à Vuachenum, dictus à Bechtelsheim.
Bernhardus à Geyſpitzheim.

Ad Cancellariam pertinentes.

Ioannes Naſtetterus, Secretarius.
Nicolaus Kernerus.

Qui vna cum Duce VVolffgango Comite Palatino, &c. Comites, Barones, ac Nobiles, 30. Octob. venerunt.

Georgius Comes in Caſtel.
Quirinus Dom. in Hohengeroltzeck.
Henricus Reus, Dom. à Blauen.
Andreas Fuchs à Binbach, & Mehrn, Adminiſtrator Neuburgenſis.
Vuilhelmus Crancius à Geiſpoltzheim, Adminiſtrator Bipontinus.
Henricus à Stein, Mareſcallus.
Philippus à Gemmingen, Præfectus in Neucaſtell.
Alexander Pflugius.
Ludouicus Grempius I.V.D.
D. Vlricus Sitzinger Præfectus in Sultzbach
Dionyſius Grempius.
Ioannes Stieberus.
Conradus à Bimmelberg.
D. Vualterus Drechſelius.
Ludouicus Dhur, Conſiliarius.
Caſparus Benbelius, Camerarius.
Ioannes Francus, Camerarius Bipontinus.
Fridericus à Schonberg, Præfectus in Trauuach.
Fridericus à Schmidberg, Præfectus Birckefeldenſis.

Fride-

Fridericus Kratzius à Scharffenſtein, Præfectus Liechtenbergenſis.
Ioannes Dhin, Præfectus Meiſenheimenſis.
Chriſtophorus Meiſnerus, Curiæ Præfectus.
Bohemus à Kirſchir, Equitum Præfectus.
Albertus à Krailsheim.
Apollo à Dotha.
Conradus Teuffel.
Henricus ab Vlm.
Chriſtophorus Vair.
Georgius à Rotenburg.
N. Stingelheimer.
N. Cleraual.
Ioannes à Limpach.
Caſpar Zollerus.
Wigelius Hund.
Licentiatus Schuuebelius.
Erneſtus à Rechenberg.
Ioannes Waltherus à Gemmingen.
Hugo à Kreuch.
Burckardus Refinus à Wolframsdorff.
Martinus Poelius.
Marquardus à Freyburg.
Georgius Chriſtophorus Adelmannus ab Almansfelden.
Fridericus Schenck à Geyern.
Arnoldus à Leuenſtein.
Philippus Geyer à Gibelſtat.
Martinus à Baumgarten.
Hermannus Goldackerus.
Ioannes Eblebenus.
Ioannes Schuuebelius.
Ioannes à Derſch.
Ioannes à Rottenberg.
Wolrabus Benenberg.
Ioannes à Finſterlohe.
Ioannes Georgius à Berchlingen.
Georgius Otto à Brandt.
Hector à Wernau.
Ioannes ab Hattſtein.
Ioannes Conradus ab Helmſtatt.
Blickhardus à Gemmingen.
Henricus Rudingerus.
Georgius Leſſlerus.
Colmannus VVeiſenuuentzius.

Qui vna cum Gulielmo Duce Iuliacenſi, &c. Comites, Barones, ac Nobiles, &c. 20. Octobris venerunt.

Hermannus Comes in Neuenar & Mœrs.
Franciſcus Comes in Waldeck.
Ezardus Comes & Dominus in Phryſia.
Adolphus & Ludouicus, Comites in Naſſau.
Wilhelmus Comes in Schuuartzenburg.
Theodoricus Comes in Manderſcheid.
Iohannes Gerhardus Comes & Dominus in Gerhardſtein.
Philippus Comes in Mansfeld.

Conſiliarii.

Wernerus Dom. in Gimnich, Mareſcallus.
Wilhelmus à Bernſau, Dom. in Hardenberg.
Arnoldus à Vuachendunck, equariorum Præfectus.
Iodocus ab Eller, Præfectus Lineburgicus.
VVilhelmus ab Harff, Domi. in Alſtorff & Hurt.
Theodoricus ab Horſt, zum Haus.
Theodoricus à Palant Dom. in Breitenbend, & Præfectus in VVaſſenborg.
Victor Knippingus, Præfectus zum Ham.
Ioannes à Kniſchenberg, Dom. in Setterich.
Henricus à Reck, Præfectus in Lymers.
Iacobus Omphalius D.
Carolus Harſt. D.
Hadrianus à Biland Dom. in VVel & Præfectus Gennepenſis.
Chriſtophorus à Kolhauſen Præfectus Monhemius.
Otto à Biland Dom. in Reide, & Præfectus in Halmsberg.
Ioannes ab Harff Præfectus Bornenſis.
Ioannes à Paland, Præfectus in VVilhelmſtein & Eſcheruueiler.
Cuno à Binsfeld Præfectus in Nideggen & Schonforſt.
VVernerus à Rongart, Camerarius Iuliacenſis hæreditarius.
Caſparus Lappius, Præfectus Altenanus.
Iohannes ab Holtorp, Præfectus.
Theodoricus ab Hal.
Vlricus à Mayraid, dictus Schiffart, in Neueiden.
VVilhelmus à VVillich.
Chriſtophorus à VVillich.
Arnoldus à Stommel.
Adolphus Barſch, dictus Olyſchlagerus.
Franciſcus à Lohe, Præfectus in Godenſon.
Gotthardus Baro in Schuuartzenburg, Curiæ Præfectus.
Georgius à Romberg, Equariorum Præfectus.
Ludouicus Dom. in Polheim.
Damus ab Harff.
Georgius à Bonen, Archimagirus.
Ioannes Spies.
Bertramus à Lansberg.
Ioannes Kettelerus.
VVilhelmus à Lutzenraid.
Volmarus à Scheid.
Degenhardus à Mayraith in Schlosberg.
Otto Spenneck.
Arnoldus Pickius.
VVilhelmus Spies.
Adolphus à Battenburg.
Ioannes ab Effern.
Georgius à Lamperg.
Theodoricus Ioannes ab Aldenburckheim.
Ioannes ab Ochſenbach.
Sibertus à Bernſau.
Conradus à Romburg.
Gotthardus Schirpius.
N. Hurtenbrecherus.
Quadius à VVichenraid.
N. Firmund.
M. VValtherus,
Paulus Langerus, ambo Secretarii.
Gotthardus à Mergen, Commentarienſis.

Qui cum Duce Lotharingico, &c. 19. Nouemb. venerunt.

Ioannes Comes in Salm.
Ludouicus Scheiffardus à Meynardt.
Adfuere cum illo etiam complures aliæ perſonæ illuſtres, quarum nomina propter ſubitum diſceſſum in hunc Catalogum referri non potuerunt.

Qui cum Ioanne Alberto Duce Meccelburgico, &c. 18. Octob. venerunt.

Andreas Bugenhagius, Mareſcallus.
Theodoricus Moltzan.
Wernerus Han.
N. Cancellarius.
Dominus à Dhen.
Reimerus Vuinterfeldius
Melchior à Luhe.
Ioannes Voigtius.
Ioachimus Rhor, Senior.
Caſparus Warmsdorffius.
Ioachimus Moltzan.
Hartuuichius Moltzan, Iunior.
Balthaſarus Moltzan.
Chriſtophorus Han.
Henricus Kleinau.
Ioannes Cheſſelius Poeta.

Qui cum Chriſtophoro Duce Vuirtembergico, &c. Principes, Comites, & Barones, 19. Octob. venerunt.

Ludouicus Landgrauius Heſſorum Princeps.
Eberhardus Dux Vuirtembergicus.
N. Curiæ Præfectus.
Eckhardus à Bol.
Volandus.
N. Mareſcallus.
Gebhardus Comes in Helffenſtein.
Henricus, Comes in Caſſel.
Chriſtophorus, & Henricus, ambo Dom. à Limburg.
Dn. Albertus Comes in Hohenlohe.
Ioannes Comes in Tubingen.
Iobus Dom. in Heideck.
N. Dom. à Schuuartzenburg.
Nicolaus Vuerſtorff.
Anshelmus à Leipſig.
Vuolffgangus D. ab Heideck.
Vuolffgangus Schenck.
Ioannes Vuilhelmus Schenck.
N. Vuolffgangus Theodoricus Megentzer.
Hugo à Rechberg.
N. Leininger.
N. Ingeltzhoffer.
N. Brumullerus.
N. Panhemius.
Georgius Mareſcallus.
N. Breitenbach.
N. Binau.
N. Liechtenhan.
N. Mentz ngerus.
N. Landauer.

Conſiliarii & Magnates.

Bernhardus à Stein.
Tuernerus à Munchingen.
Vuolffgangus à Dienſtett.
N. Dalackerus.
Dn. Ioannes à Steinheim.
Volffgangus Theodoricus Nothafft.
N. Bernhauſer.
Ioannes Sigiſmundus à Freyberg.
Vitus Schonerus.
N. Henegkerus.
Melchior à Salhauſen.
L. Balthaſarus Eyslingerus.
Franciſcus Kurcius.
D. Ioannes Schuuartz.
D. Ioannes Sechelius.
Ambroſius Reſchius.
Hermannus Ochſenbach.
Conradus Schlerffius.

Theologi.

D. Ioannes Brentzius.
M. Balthaſarus, Concionator Aulicus.

Qui cum Wilhelmo Principe Vranienſi, &c. Comites, & Magnates, 9. Nouembris venerunt.

Ludouicus Comes in Naſſau.
Ioannes Comes in Arnberg.
Anthonius Comes in Hochſtratten.
Albertus Comes in Schuuartzenburg.
Henricus Comes in Eiſenberg.
N. Comes in Nugarol.
N. Baro in Beierſtel.
N. Dom. in Eldern.
N. Dom. in Heher.
N. Dom. in Scher.
N. Dom. in Meher.

Nomina Comitum & Magnatum, qui ſuis ſumptibus Francofurtum venerunt.

Guntherus Comes in Schuuartzburg Dominus in Arnſtat & Sundershauſen. & cum eo,
Chriſtophorus Comes in Oldenburg.
Arnoldus Stammerus Prouinciæ præfectus.
Dauid Schifferdicker, I. C.
Henricus Mullerus M. & Conſiliarius.
Lazarus Streckenſus, Capitaneus,
Rudolphus Rauhaupt, Capitaneus,
Sebaſtianus Kalb, magiſter equitum.
Philippus à Berlipſch.
Ioannes Dobnerus, Curiæ præfectus.
Henricus Roſech.
Albertus Volradus Rauchhaupt.
Ioannes Vuilhelmus à Berlipſch.
Iohannes Bartholomæus à Kolnitz,
Nicolaus Schneidla, Camerarius.
Cornelius N. Equariorum magiſter.
Georgius Romanus, Secretarius.
Lazarus Rauchhaupt, Cameræ Secretarius.
D. Petrus Auianus, Medicus.

Præterea.

Fridericus Comes in Oetingen, & cum eo D. Ioannes Pertzelius, Cancellarius,
Ludouicus à Dimentſtein.
Vuolffgangus Chriſtophorus Lungius.
Ioannes Vuernerus à Treppach.
Albertus à Trepach.
Ioannes Georgius à Caſſau, Iunior.

Marti-

Martinus Schletzius.
Wolffgangus Comes in Oetingen.
Carolus Ludouicus, Comes in Oetingen.
Ioannes Comes in Reupoltskirchen.
Floris Comes ab Horn.
Anthonius & Chriſtophorus Comites in Oldenburg & Delphmenhorſt.
Ludouicus Caſymirus Comes in Hohenlohe.
Volradus, Ioannes, Carolus, fratres, Comites in Mansfeld.
Ernfridus Comes ab Ortenburg.
Ioannes Comes à Naſſau & Sarbrucken.
Sebaſtianus Comes ab Helffenſtein.
Albertus Comes à Sultz.
Vlricus Comes in Muntfurt.
Henricus Comes in Furſtenberg.
Egenolphus Comes in Rapolſtein.

Legati Aquiſgranenſes.

Gerlachus Radenmacher, I. C.
D. Nicolaus Willerman.
Dn. Franciſcus Block.
Dn. Ioannes Ellerborn.

Legati Norimbergenſes.

Sebaldus Hallerus.
Gabriel Nuzelius.

Legati Colonienſes.

Dom. Arnoldus à Sigen, Eques Auratus, Cæſar. Maieſt. Conſiliarius.
Dom. N. Leiskirchius.
Dom. Philippus Geil, tres Conſules.

Legati Magdeburgenſes.

N. N.
N. N.

Equites Aurei Velleris, cuius ordinis hac tempeſtate primus eſt Philippus Rex Hiſpaniæ.

Ferdinandus Cæſar Rom.
Maximilianus Rex Rom.
Albertus Dux Bauariæ.
Philippus Dux Arſcotus.
Wilhelmus Princeps Vranienſis.
Lamoral Comes ab Egemont, Princeps in Gaueren.
Florentius Comes ab Horn, Adminiſtrator inferioris Germaniæ.
Ioannes Comes ab Arnberg.
Antonius Comes in Hochſtatt.
Vratislaus Dom. à Bernſtein.
Wilhelmus Marchio à Rentin.
Ioachimus Dom. à Neuhauſen, ſupremus Bohemiæ Cancellarius.

Pedeſtris Armaturæ Tribuni ac Præfecti, ſeu Capitanei.

Chriſtophorus Comes ab Oldenburg.
Philippus Comes ab Eberſtein.
Lamoral ab Egemont, Princeps in Gaueren.
Ioannes Georgius à Gumpenberg.
Ioannes Comes à Naſſau.
Georgius Comes ab Helffenſtein.
Georgius ab Hegneberg, Eques Auratus.
Nicolaus ab Hattſtett.
Wolffgangus Dieffſtetter.
Lazarus à Schwendi.
Georgius ab Holl.
Iohannes Schnabel.
Nicolaus Dominus à Polweil.
N. Siglinger.

Equitum Præfecti.

Erneſtus Dux Brunſuicenſis.
Guntherus Comes à Schwartzenburg.
Iacobus à Schulenburg.
Henricus à Staupitz.
Adrianus à Steinberg.
Albertus à Roſenberg.
Ioachimus Rôbel.
Adamus Trot.
Erneſtus à Mandelsloh.

Enumeratio eorum, qui officia Rom. Imp. hæreditaria gerunt.

Chriſtophorus Baro in Limpurg, Pocillator.
Henricus à Pappenheim, Imp. Mareſcallus.
Vitus Curtius à Pappenheim, Imp. Mareſcallus.
Conradus à Pappenheim, Imp. Mareſcallus.
N. à Pappenheim, Imp. Mareſcallus.
Iacobus à Seldeneck, Imp. Archimagirus.
Carolus Comes à Zolrn, in Hohenzolrn, Imp. Camerarius hæreditar.
Carolus à Fraunberg, Imp. Auratus Eques hæreditarius.
Ioannes Chriſtophorus à Fraunberg eius frater.
Ioannes Adamus à Fraunberg, eius Cognatus.

Qui editis ſcriptis ſunt celebres, ac tum temporis Francofurti fuerunt.

Theologi.

Ioannes Agricola Islebius apud Brandeburgicũ.
Georgius Wicelius.
Ioannes Brentius apud Wirtenbergicum.
Abdias Prætorius Gotſchalcus.
D. N. Immanuel, Profeſſor Hebræus in Academia Heidelbergenſi.
D. Hieronymus Zanchus, Profeſſor Theologiæ Argentinæ.

Iuriſconſulti.

D. Apollinaris Ordinis S. Iohan. Cancellarius.
D. Melchior Klingius.
D. Sebaſtianus Meiſnerus.
D. Franciſcus Hottomannus.
D. Nicolaus Ciſnerus.
D. Simon Schardius.
D. Georgius Tradelius.
D. Egidius Mommerius Limpurgicus.

Hiſtoriographi.

Ioannes Voerthuſius, Præpoſitus Dauentrięſis.
Michael Beuterus Iuriſconſultus.
Samuel à Quickelberg, apud Bauariæ Ducem.
Laurentius Schradeus Antiquarius.
Ioan. de Francolin Cæſ. Maieſt. Heroldus.
Henricus Mullerus apud Guntherum Comitem in Schwartzenburg.

Oratores & Poetæ.

Ioann. Sturmius Orator, & Rector Scholæ Argentinenſis.
Cyprianus Vomelius, Colonienſis, Poeta.
Michael Toxites Medicinæ D. Poeta & Orator.
Andreas Rapicius, Poeta & Iuriſconſultus.
Ioannes Poſthius Germershemius, Poeta.
Ioannes Lauterbachius, Poeta.
Martinus Huberus Baſilienſis, Poeta.

Mathematici & Muſici.

Ioannes Taiſnerus I. V. D. Mathematicus.
Orlandus de Laſſo Muſicus, apud Ducẽ Bauarię.

Equorum numerus.

Cæſ. Mai. cum Aulicis ſuis habuit Equos	1463
Regia Maieſtas cum Regina, &c.	900
Princeps Elect. Moguntinus, &c.	360
Princeps Elector Colonienſis	14
Curribus Vngaricis ei obuiam miſſis Francofurtum venit.	
Princeps Elector Treuirenſis Nani venit.	
Palatinus Princeps Elector, cum filiis Ludouico & Ioan. Caſymiro	364
Princeps Elector Saxoniæ, cum Coniuge, item Erneſto Duce Brunſuicenſi, Wilhelmo Landgrauio Heſſiæ, Principe Anhaldio, & Franciſco Duce à Lauenburg	802
Princeps Elector Brandenburgicus	452
Teutonici Ordinis Magiſter	79
Epiſcopus Wirzeburgicus	77
Epiſcopus Spirenſis	66
Dux Bauariæ cum Coniuge	707
Georgius Dux Palatinus	[illegible]0
Wolffgangus Dux Palatinus	281
Vvilhelmus Dux Iuliacenſis	314
Dux Lotharingiæ, cum Matre & Sorore	400
Dux Meccelburgicus	162
Dux Vvirtenbergicus, cum filio, & Ludouico Landgrauio Haſſiæ	316
Princeps Vranienſis	174
Ante Aduentum Ducis Aſcoti, Teutonici Ordinis Magiſtri, Ducis Lotharingiæ, multorumque aliorum Comitum, & Magnatum, ab Imp. Mareſcallo in Octobr. Francofurti numerati ſunt Equi	9065

XIV.

Actus Electionis & Coronationis,

HOC EST:

Anno Christi 1612.

HISTORICA ET VERA OMNIVM, QVÆ CIRCA ELECTIONEM ET CORONATIONEM SERENISSIMI, POTENTISSIMI ET INVICTISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, Domini MATTHIÆ I. electi Rom. Imperatoris ſemper Auguſti, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, &c. Regis: Archiducis Auſtriæ, &c. Eiuſque Sereniſſimæ coniugis ANNÆ Auſtriacæ, &c. Francofurti ad Mœnum, Menſibus Maio & Iunio, Anni 1612. memoratu digna acciderunt, deſcriptio.

ADDITO

OMNIVM ELECTORVM, PRINCIPVM ET STATVVM Imperij, Comitum item, Baronum, Nobilium & exterorum Legatorum, qui tum temporis Francofurti adfuerunt, &c.

Catalogo.

INTERPRETE M. GOTHARDO ARTVS DANTISCANO, P. C.

Actus Electionis, ſiue

RELATIO HISTORICA, QVA RATIONE ILLVSTRISSIMVS ET POTENTISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS, DOMINVS MATTHIAS II. HVNGARIÆ, & Bohemiæ, &c. Rex, Francofurti Anno 1612. die 24. in Regem Romanum electus fuerit.

NOTVM eſt tam ex hiſtoriis, quam ex veteribus recentibuſque in Imperio ſuſceptis tractationibus receptum ſemper & vſitatum in ſacro Romano Nationis Germanicæ Imperio fuiſſe, vt vel ob ingraueſcentem Imperatoris Romani ætatem, vel ob cauſas grauiſſimas alias, viuente adhuc Cæſare, Rex Romanus alius, à Sacratiſſimi Imperii Septemuiris, iuxta conſtitutionem Bullæ, quam vocant, aureæ, à Carolo IV. Norinbergæ, Anno ſupra

ſupra milleſimum trecenteſimum quinquageſimo ſexto conditam, eligeretur, vt eſſet ita, qui & Imperatorem in adminiſtratione Imperii iuuaret, & eo poſtmodum defuncto, faſces Imperii ſtatim capeſſeret, illudque ab incommodis periculiſque imminentibus vindicaret & conſeruaret. Quemadmodum id in Wenceslao & Maximiliano I. qui viuente adhuc Carolo IV. & Friderico III. itemque in Ferdinando, qui tempore Caroli V. fratris ſui, necnon in Maximiliano II. & Rudolpho II. qui viuentibus etiamnum & imperantibus auguſtiſſimis parentibus ſuis, in Reges Imperatoreſque Romanos electi fuerunt, videre eſt.

Eaſdem igitur ob cauſas, maxime vero ob imminentia Romano Imperio hoc tempore pericula, & pro vitandis omnis generis, quæ interregna comitari plerunque ſolent, incommodis, Illuſtriſs. Imperii Septemuiris, qui vna cum Electoratus Palatini Adminiſtratore, & Legatis Brandenburgicis, Menſe Octobri ſuperioris 1611. Anni, viuente adhuc Auguſtiſſimo Cæſare Rudolpho II. Norinbergæ conuenerant, nouum quendam Regem Romanum, qui Cæſareæ Maieſtati ad beatiorem vitam, inſperato forſitan caſu, tranſlato, in Imperio poſtmodum ſuccederet, eligere viſum eſt, die ad actum Electionis $\frac{21}{11}$. Maii Anni huius 1612. in vrbe Imperiali Francofurto ad Mœnum, vbi electionem iſtam Conſtitutio Bullæ aureæ fieri iubet, præſtituto & denominato.

Tametſi vero interim Cæſarea Maieſtas ſub initium huius Anni, $\frac{20}{10}$. nempe Februarii die, ex vita hac mortali excedens, immortalitatem adiret, atque ita electionem intra menſis ſpatium ſuſcipere, ex Conſtitutione Bullæ aureæ, neceſſarium eſſet, ob cauſas tamen grauiſſimas à dicto iſto & conſtituto tempore diſcedere religio Electoribus fuit.

Quare $\frac{20}{10}$. Maii, qui Solis dies erat, anno hoc currente ſupra milleſimum ſexcenteſimum duodecimo, Francofurtum Reuerendiſſimi & illuſtriſſimi Principes & Domini, Dn. Iohannes Schwichardus Moguntinus, & Dominus Ferdinandus Colonienſis, Archiepiſcopi, & S. Romani Imperii reſpectiue per Germaniam & Italiam Archicancellarii & Electores; Nec non Illuſtriſs. & Celtiſs. Principes & Dn. Dominus Iohannes, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Electoratus Palatini pro tempore tutor & Adminiſtrator; Et Dominus, Iohannes Georgius, Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ & Montium Dux, S. R. I. Archimareſchallus & Elector, vterque pro tempore Imperii Adminiſtratores Vicarii, &c. aduenerunt.

Sequenti Lunæ $\frac{21}{11}$. nempe Maii die, Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Dominus Lotharius Archiepiſcopus Treuirenſis, S. R. Imperii per Galliam & regni Arelatenſis Archicancellarius & Elector: Quemadmodum etiam circa veſperam, Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Principis & Domini, Domini Iohannis-Sigiſmundi Marchionis Brandenburgenſis, S. R. Imperii Archicamerarii & Electoris, Boruſſiæ, Iuliæ-Cliuiæ, Montium & Stetini Ducis Legati aduenerunt. Quos omnes tandem die Mercurii $\frac{23}{13}$. nempe Maii Sereniſs. & Potentiſſimus Princeps & Dn. Dominus Matthias II. Hungariæ & Bohemiæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Marchio Morauiæ & Comes Tyrolis, &c. cum ſpectabili admodum & probe armato equitatu, ſecutus eſt. Qui quidem Principes omnes ab equitatu Francofurtenſi, qui ex ciuibus maxima parte conſtabat, conſuetis ante portam locis excepti, & per diſpoſitos vtrinque armatos ciues in vrbem traducti fuerunt. Poſtquam autem S. R. Imperii Electores, Moguntinus nempe, Treuirenſis & Colonienſis, quemadmodum etiam Electoratus Palatini Adminiſtrator, Dux Saxoniæ, & Legatus Brandenburgicus, Francofurtum aduenıſſent, deliberationum & conſultationum ſuarum initium die Mercurii $\frac{23}{13}$. nempe Maii, fecerunt, idque in Curiæ Francofurtenſis ſenaculo quodam ad eam rem peculiariter deſtinato & parato, vbi ſequentibus deinde etiam diebus ſemper conuenerunt, erantque in ſenaculo iſto ſedes ſeptem holoſerico nigro veſtitæ, vno ordine prope feneſtras pro Electoribus diſpoſitæ, in quibus Electores cum Adminiſtratore & Legato ita conſederunt, vt primam à dextris Palatinus, ſecundam ab illo Rex Bohemiæ, tanquam Elector, tertiam Moguntinus, quartam Treuirenſis, quintam Colonienſis, ſextam Saxo, & ſeptimam Brandenburgicus occuparent, ad menſam autem oblongam coram Electoribus poſitam, & holoſerico nigro inſtratam Cancellarii & Secretarii, in ſcamnis vero & ſubſelliis reliquis Conſiliariorum primarii quique conſederunt.

Inter alia autem, quæ ſub deliberationem ſtatim venerunt, iuramentum etiam fuit, quod ciues Francofurtenſes ex præſcripto Bullæ Aureæ præſtare tenentur. Hoc cum iam Electores tam à ſenatu, quam à ciuibus & ad excubias deſtinatis copiis requirerent, ſenatus quidem pridie eius, quo iuramentum dicendum erat, die, pulſo per ciuitatem tympano, vt proxima die Sabbathi $\frac{26}{16}$. nempe Maii in area magna ante curiam ciues omnes conuenirent, ſignificari per plateas ciuitatis omnes curauit, mandato ſeueriſſimo, de peregrinis ad aulas Principum Electorum non pertinentibus omnibus ex ciuitate dimittendis, addito.

Sabbathi $\frac{26}{16}$. nempe Maii die, ſenatus primo Francofurtenſis, congregatis in curia Electoribus & Legato Brandenburgico, cum in ſuperiori curiæ palatio, locoque nonnihil eleuato, ſubſellia ſua holoſerico nigro conſtrata conuenienti ordine Adminiſtrator Palatinus, Bohemus, Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, Saxo & Legatus Brandenburgicus Adamus Ganſius, Dominus in Putlitz, occupaſſent, iuramentum de ſecuritate præſtanda, ex Aureæ Bullæ præſcripto, præſtitit, prælegente id quidem ei Cancellario Moguntinenſi Franciſco Philippo Fauſto, tali ferme ſententia, quod nimirum ſenatus Francofurtenſis Reuerendiſſimo Principi & Domino, Domino Iohanni Schwichardo, Archiepiſcopo & Electori Moguntino, reliquiſque Dominis Electoribus,

Adminiſtratori Palatino, & Legato Brandenburgico fidem dare, eamque iureiurando confirmare, deberet, quod omnes generatim Electores, itemque ſpeciatim ſingulos à vi & iniuria alterius vel Electorum, (ſiquidem diſſenſionē inter eos exiſtere forte contingeret) vel aliorum hominum, cum vniuerſo, quem ſecum ſinguli haberent, ducentorum nempe equitum comitatu, ſub pœna in Aurea Bulla expreſſa, pro virili ſua defendere: neminem toto illo electionis tempore, cuiuſcunque dignitatis & conditionis eſſet, in vrbem, exceptus ſolum Electoribus, eorumque Legatis & Commiſſariis, admittere, & ſi qui peregrini in vrbe eſſent, eorum diſceſſum modis omnibus promouere vellet. Quæ quidem omnia ſenatus diligenter ſe obſeruaturum, ſtipulata manu & verbis ex ore Cancellarii Moguntinenſis repetitis, in magna ſpectatorum copia, ſanctè pollicitus eſt.

Accepto hoc à ſenatu iuramento, Electores cum Adminiſtratore Palatino, & Legato Brandenburgico ſurgentes, ad feneſtras palatii conuerſi ſunt, vti viderent, quomodo à ciuibus, qui interea ad aream iſtam magno numero confluxerant, iuramentum illud præſtaretur, quod ipſum quidem etiam à deſtinatis ad excubias militibus, qui in aream eandem producti in circulum diſponebantur, eadem ſolennitate præſtitum fuit, ſequentibus diebus ſeſſiones & conſultationes ab Illuſtriſſimis Electoribus, in prædicto loco, ad $\frac{13}{3}$. vſque Iunii diem, qui Electioni dictus fuit, & quo ea etiam feliciter poſtmodum peracta eſt, habitæ inſtitutæque fuerunt.

Pridie autem eius diei, qui dies nempe Martis $\frac{12}{2}$. Iunii erat, proclamari Senatus adhibito tympani pulſu per ciuitatem curauit, vt peregrini omnes, qui nec ad aulas Electorum pertinerent, nec iureiurando ſenatui obſtricti eſſent, vrbe quamprimum excederent, eoque facto portæ ciuitatis poſt meridiem omnes occluſæ & obſeratæ fuerunt.

Die Mercurii, qui $\frac{13}{3}$. Iunii Anni currentis 1612. erat, regia tandem Electio, modo ſequenti peracta eſt. Principio ciues veſtibus & armis elegantioribus induti atque inſtructi, per plateam, ex curia ad templum San-Bartholomæo ſacrum ducentem, hinc inde diſpoſiti ſunt. Deinde campana ingens, à dimidia ſeptima ad ſeptimam vſque, de mandato Senatus pulſa eſt, eoque facto, cum ſeptima audita eſſet, Septemuiri omnes ad curiam equis vecti ſunt, cumque ibi horam fere integram morati, & habitum Electoralem in peculiariter vnicuiq; adſignato conclaui induti eſſent, eo poſtmodum ornati, ex palatio curiæ deſcenderunt, equoſque conſcendentes, horam circiter octauam in templum San-Bartholomæi, tali quidem ordine vecti ſunt: pedites primo Conſiliarii nobiles, aulicique & miniſtri Electorum quamplurimi incedebant, ſequebantur equites Reuerendiſs. Moguntini & Treuirenſis Electorum Aulæ magiſtri & Mareſchalli hæreditarii, Iohannes Philippus ab Hoheneck, & Melchior Dominus in Eltz, gladium vterque in vagina deaurata reconditum præferentes. Hos è veſtigio inſequebantur coniuncti, Reuerendiſſimi Illuſtriſſimique Principes & Domini, Dn. Iohannes Schwichardus, Archiepiſcopus & Elector Moguntinus, & Dn. Lotharius Archiepiſcopus & Elector Treuirenſis, toga electorali ex panno coccineo rubro, pellibus ex albo & nigro variegatis, quas Hermelinas vocant, ſuffulta, & prætexta induti, & pileo ex eiuſdem coloris panno conſtante, pellibuſque variegatis prætexto, caput tecti.

Equis porro vecti incedebant Archiepiſcopatus Colonienſis, & Regni Bohemiæ Mareſchalli hæreditarii, quorum Colonienſis quidem gladium in vagina deaurata, Bohemus vero in vagina ex rubro holoſerico conſtante, reconditum præferebant, inſequentibus mox Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Principibus & Dominis, Dn. Ferdinando Archiepiſcopo & Electore Colonienſi à dextris, & Matthia Bohemiæ Rege & Electore à ſiniſtris, quorum Colonienſis quidem, habitu prioribus ſimili, Rex vero habitu ex holoſerico rubro pellibus Hermelinis ſuffulto & prætexto indutus, coronaque Bohemica precioſiſſima ornatus cernebatur. Incedebant porro equites Pleichardus ab Helmſtet, Electoratus Palatini: & Maximilianus à Pappenheim, Sacri Romani Imperii Mareſchallus hæreditarius, gladium ſinguli in vagina deaurata reconditum, vt priores, præferentes, inſequentibus eos Illuſtriſſimis & Celſiſſimis Principibus & Dominis, Domino Iohanne, Comite Palatino Rheni, Electoratus Palatini Adminiſtratore à dextris, Domino Iohanne Georgio Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Duce, Electore, in medio, & Adamo Ganſio, Domino in Putlitz, Electorali Brandenburgico Legato, à ſiniſtris, quorum vterque Palatinus nempe & Saxoniæ Principes, toga Electorali ex holoſerico rubro, pellibus Hermelinis ſuffulta, & prætexta induti, pileoque electorali eiuſdem coloris & materiæ caput tecti, cernebantur, Legatus vero Brandenburgicus habitu ſuo conſueto nigro indutus erat, cui etiam, quod Elector Brandenburgicus ipſemet non adeſſet, gladium nemo prætulit.

Hoc ordine ad portam vſque templi primariam inter vtrinque conſtitutos armatos ciues vecti Principes, equis deſcenderunt. Simulatque autem templum ingreſſi eſſent, Tubicines ſtatim & Æneatores Electorales, qui magno numero in deſtinato ad vſum iſtum loco, aduentum eorum præſtolabantur, tubis canere, & pulſare tympana, magno impetu cœperunt, cantu iſto, donec Septemuiri omnes Chorum Templi, qui tum quidem vndique tapetibus & periſtromatis ex ſerico auroque & argento precioſiſſime & artificioſiſſime contextis, ſtratus & obductus fulgebat, ingreſſi eſſent, ſedeſque ſuas, quarum ſex pro Electoribus & Legato Electorali, holoſerico nigro, vna autem pro Rege Bohemiæ panno Attalico ſiue aurato ſtratæ & obductæ erant, occupaſſent, continuato.

Cum igitur in ſubſellia ſua, Electores, in dextro nempe Chori latere Moguntinus, Bohemus

hemus & Palatinus, in medio Chori loco nimirum præcentori alias deſtinato, Treuirenſis, & in ſiniſtro latere Colonienſis, Saxo & Legatus Brandenburgicus conſediſſent, præcipuis quibuſdam Conſiliariis cum Clero in Chorum admiſſis, foresper hæreditarium Imperii Mareſchallum Pappenheimium nempe occluſæ, organaque pulſari cœpta ſunt inchoato ſimul Hymno: Veni Sancte Spiritus. quem Electorales Muſici in eleuato Chori veſtibulo conſtituti, canendo abſoluerunt. Hymno eo finito, Suffraganeus Moguntinus ad Altare conſtitutus, Miſſam celebrare cœpit, Palatinus vero, Saxo & Brandenburgicus Legatus, qui Sacris iſtis intereſſe haudquaquam ſolent, ſurgentes, in Sacellum, quod prope Chorum eſt, cum Conſiliariis aulicisque ſuis, dum ea celebraretur, conceſſerunt, qua finita cum prodeuntes iterum loca ſua occupaſſent, Hymnus, Veni creator Spiritus, &c. cantari cœptus eſt. Finito autem eo, Electores omnes, vna cum Legato Brandenburgico, præcedentibus eos cum gladiis, (excepto tamen Legato Brandenburgico) Mareſchallis, ad Altare, iuramentum ex præſcripto Bullæ Aureæ præſtituri, proceſſerunt, cumque in gradum ſupremum aſcendiſſent, & ad aſtantes faciem conuertiſſent, Moguntinus in medio conſtitutus, cauſas conuentus ſui, nempe vt iuramentum, requirente ita Bulla Aurea, præſtarent, paucis expoſuit, primuſque iuramentum iſtud, verba ei prælegente Treuirenſi, præſtitit, poſtmodo Electoribus reliquis idem iuramentum Moguntinus prælegit, quod ipſi itidem magna promptitudine & alacritate, Eccleſiaſtici quidem admotis ad pectus ſuum, ſeculares vero ad Euangeliorum librum digitis, præſtiterunt.

Hoc facto, Moguntinus duos Notarios requiſiuit, & vt Actum iſtum notarent, vnumque vel plura ſuper eo inſtrumenta conficerent, hortatus eſt, qui fidelitatem, obſequium & promptitudinem ſuam ad officium hoc ſubmiſſe ei deferentes, Nobiles & adſtantes reliquos in teſtimonium requiſiuerunt.

Electores vero interea ad loca ſua iterum ſeſe receperunt, cumque poſtmodo Hymnum, Veni ſancte Spiritus, cum pertinentibus ad eum collectis, & precatiunculis canentes abſoluiſſent: Sacellum ordine Cæſarium, quod concameratum & oblongum Choro ad meridiem adiacens conclaue eſt, Altari eleganter extructo, & pulcherrime exornato conſpicuum, multiſque vndique magni precii appenſis tum tapetibus condecoratum, ad Electionem futuri Regis faciendam ingreſſi ſunt. Erat tum in veſtibulo Chori, vbi Cantores & Muſici Electores ſtationem ſuam habebant, pro iuniore Comite Palatino, Electoratus Palatini hærede, ſedes parata, pannoque Attalico & aurato magnifice contecta. Similiter & pro Regina eiuſque Gynæceo in fornice templi ſuperiore è regione Sacelli Cæſarei, tapetibus precioſiſſimis conſtratus, & obtectus vndique ad feneſtram Choro obiectam intermediam locus erat, vnde quæ in Choro agerentur, videri omnia quam commodiſſime poterant.

Poſtquam igitur Electores horam ferme integram in Sacello Cæſario ſiue electorali commorati fuiſſent, & accerſitis ſemel atque iterum, & dimiſſis iterum præcipuis Conſiliariis & Notarius ſuis, Electio noui Regis, eiuſdemque proclamatio in Sacello facta eſſet, hoc tandem ordine ex Sacello iterum prodierunt, vt præcedentem Moguntinum Colonienſis & Treuirenſis ſequerentur, Sereniſſimum Hungariæ & Bohemiæ Regem, tanquam electum iam Regem Romanum ducentes, & latus eius vtrumque claudentes, comitantibus eos Palatino, Saxone & Brandenburgico Legato. Quamprimum autem Sacello egreſſi eſſent, tubicines, æneatoreſque Electorales, officio ſuo tam probe perfuncti ſunt, vt tubarum tympanorumque clangore omnia in templo perſonarent, pulſis ſimul, quæ in turri iſta ſunt, ad teſtandam lætitiam campanis maioribus, & tormentis, machiniſque in vallo ciuitatis exoneratis atque diſploſis.

Interea Electus nouus Rex ad Altare abductus, flexis in ſuperiori gradu genibus ad orandum ſe compoſuit, Electoribus ad latera vtrinque conſiſtentibus. Tum vero ſtatim: Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Pſalmusque: In virtute tua lætabitur Rex. cum pertinentibus ad eum precatiunculis, ſuper nouo Rege dicta ſunt, quibus finitis Rex in Altare ab Electoribus eleuatus & collocatus, Hymnusque Ambroſii & Auguſtini: Te DEVM laudamus. tribus Choris, in Organis, Canticis tubisque & tympanis à cantoribus, buccinatoribus & æneatoribus Regiis Electoralibusque decantatus eſt.

His omnibus peractis, porta Chori, quæ verſus dextram eſt, iterum aperta, & Rex ab Altari leuatus, inter medios Electores per Chorum, ad pegma vel theatrum quoddam, extra Chorum in templo excitatum, & tapetibus precioſiſſimis vndique exornatum, vti omnibus ſeſe ſiſteret, proceſſit. Erant in theatro iſto ſubſellia ſeptem pro Electoribus, holoſerico nigro obducta, & præterea vnum vnico gradu reliquis magis eleuatum, & panno aurato ſtratum pro Maieſtate Regia, poſita. Rege iterum in ſedem ſuam collocato, Electores etiam Moguntinus & Palatinus ad eius dextram, Colonienſis, Saxo & Legatus Brandenburgicus ad ſiniſtram, Treuirenſis vero coram eo in medio, conſederunt, Palatino quidem orbiculum regalem, Saxone diſtrictum gladium, & Legato Brandenburgico ſceptrum regium in manibus tenentibus. Interim vero dum loca ſua Electores occuparent, tubicines & æneatores cantibus indulgentes clangore vniuerſum templum maximo repleuerunt, quibus ceſſantibus publicatio & proclamatio ad populum ab admodum Reuerendo Domino Georgio Friderico Greiffencloe à Volrath, Præpoſito Moguntinenſe & Wormatienſe, in hanc ferme ſententiam facta eſt.

Poſtquam per Sereniſſimi & Auguſtiſſimi Principis & Domini, Dn. Rudolphi II. Imperat. quondam Romani, feliciſs. recordationis obitum, Imperium vacare cœpiſſet, inter Electores Legatumque Brandenburgicum iam præſentes, de electione noui Imperatoris, poſtulantibus ita legibus conſtitutionibuſque Imperii conueniſſe, vt Sereniſſimus Potentiſſimuſque Princeps & Dominus, Dn. Matthias II. Hungariæ & Bohemiæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, &c. Rex Roman. in nomine Domini eligeretur, futuruſque Imperator denominaretur. Hanc vero electionem Principum Electorum Legatique Brandenburgici nomine omnibus iam eo fine manifeſtari, & notam fieri, vt omnes Hungariæ & Bohemiæ Regem, pro Rege Romano habendum ſibi & venerandum ſciant.

Facta hac proclamatione, tubis iterum tympaniſque tubicines & æneatores canere cœperunt, clangore maximo templum vniuerſum complentes, Electores vero cum Maieſtate Regia ſurgentes, theatro deſcenderunt. Præcedebat autem Treuirenſis, ſequebanturque Septemuiri ſeculares cum Legato Brandenburgico coniuncti, Adminiſtrator nempe Palatinus à dextris orbiculum regalem, Saxoniæ Elector in medio, gladium euaginatum, & Legatus Brandenburgicus à ſiniſtris, ſceptrum Regium geſtantes. Hos Regia Maieſtas ipſamet inſecuta eſt, Moguntino iuxta eum à dextris, & Colonienſe à ſiniſtris, ita tamen, vt aliquantulum poſteriores viderentur, incedentibus. Hoc ordine templo egreſſi equos iterum conſcenderunt, & ad Maieſtatis Regiæ Palatium, ſiue aulam, domum nempe Brunfelſiam nomine vecti, Regem eo deduxerunt, præmiſſis nempe miniſtris aulicis, Saxoniæ, aliorumque Electorum & Regis ipſius, tubicines atque æneatores, tubis canentes, tympanaque alternis vicibus pulſantes, inceſſerunt, ſequentibus deinde Conſiliariis Electorum præcipuis, & Septemuiris tandem ipſis eo, quo ex templo proceſſerant, ordine equis incedentibus.

Atque ſic tandem electio iſta per Gratiam Dei feliciter peracta, & Hungariæ Bohemiæque Rex Matthias II. vnanimi Septemuirûm conſenſu, multaque omnium exultatione & congratulatione, in Regem Romanum, & caput vniuerſi Sacratiſſimi Imperii electus eſt. Principes vero Electores ſequentibus diebus æque vt antea in Curia ciuitatis conuenientes, conſultationibus & deliberationibus, de rebus Imperii variis, horas antemeridianas tribuerunt, poſtmeridianas vero (quantum per conuiuia ab Electoribus aliiſque Principibus, qui peracta Electione Francofurtum ſtatim frequenter aduenerunt, multa cum ſolennitate agitata & celebrata, fieri potuit) venationibus, decurſationibus, ludiſque equeſtribus aliis impenderunt, donec tandem Coronatio ipſa $\frac{24}{14}$ Iunii, quæ dies Solis erat, magna cum ſolennitate, feliciter itidem (vt iam dicemus) peracta eſt. Deus Regiam Maieſtatem cum Sereniſſima ſuauiſſimaque coniuge ſua, ſaluam & incolumem diu conſeruet, victoriamque ei ab hoſtibus ſuis perpetuam largiatur.

Actus Coronationis duplex.

HISTORICA, QVA RATIONE SERENISSIMVS, POTENTISSIMVS ET INVICTISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS, DN. MATTHIAS Dei Gratia, electus Romanorum, itemque Hungariæ & Bohemiæ Rex:

SERENISSIMA ITEM ET AVGVSTISSIMA PRINCIPISSA & Domina, Dn. ANNA, Hungariæ & Bohemiæ Regina, Archiduciſſa Auſtriæ, &c. Coronam, Sceptrumque Regni & Imperii Romani Francofurti $\frac{24}{14}$ itemque $\frac{26}{16}$ Iunij, Anno 1612. acceperint,

RELATIO.

CORONATIO REGIS ROMANORVM MATTHIÆ I. &C. DIE DOMINICA $\frac{24}{14}$ IVNII FRANCOFVRTI FACTA.

QVæ ante Electionem Regiam, & in ipſo eiuſdem Electionis actu Francofurti acta fuerint, expoſita hactenus & commemorata breuiter ſunt. Conſequens ergo eſt, vt Coronationis etiam Francofurti itidem peractæ hiſtoriam ſimiliter pertexamus. Tametſi enim in Bulla aurea expreſſum ſtatutumque ſit, quod Electio quidem Francofurti, Coronatio vero prima Aquiſgrani fieri, & comitia prima Norinbergæ celebrari debeant, conuenit tamen inter Regem & Septemuiros, Adminiſtratoremq; Palatinum, & Legatum Branden-

Brandenburgicum, vt certis de cauſis, Coronatio hæc non Aquiſgrani, ſed Francofurti hoc tempore fieret, cum præſertim ex hiſtoriis etiam notum eſſet, actum Coronationis non ſemper Aquiſgrani, ſed aliis etiam locis, vtpote Francofurti, Anno 1562. & Ratisbonæ, anno 1575. celebratum fuiſſe.

Cum igitur ad Coronationis iſtum actum dies Dominica $\frac{24}{14}$. nempe Iunii, huius 1612. Anni præſtituta eſſet, ad Aquiſgranenſes & Norimbergenſes mature ea de re relatū eſt, vt ornatum & alia ad Coronationem antiquitus adhiberi & apud eos aſſeruari ſolita, Francofurtum afferrent, vbi quæ neceſſaria ad actus iſtius ſolennitatem videbantur, magno ſtudio per ſeptimanam integram parata ſunt. Et quidem in S. Bartholomæi templo ab vtroq; Baptiſterii latere magnæ capacitatis tabulata, ab ortu occaſum verſus, vnde proſpectus vndiq; pateret, pro Regina eiuſq; Gynæceo & principibus perſonis aliis, extructa & tapetibus precioſiſſimis argentoq; & auro intertexto nitentibus condecorata ſunt, excitato ſimul in loco templi valde conſpicuo meridiem verſus, pegmate ſiue theatro eleuato admodum & capaci, eoq; tapetibus vt tabulata priora ob artificium & pulchritudinem admirandis admodum conſtrato. In area porro ante Curiam, ingens taberna ex lignis & aſſeribus, pro boue aſſando, in atrio autem Gazophylacii poſt Curiam, culina ingentis capacitatis, pro apparando prandio regali itidem ex lignis & aſſeribus excitatæ ſunt. Pons præterea per forum ſiue plateam, qua ex curia ad S. Bartholomæi templum itur, ſtratus & traductus eſt firmioribus paulo craſſioribuſq; quam ad tabernam & culinam lignis aſſeribuſq, ad eum adhibitis. Fons ante Curiam perpetuo ſaliens, linteaminibus ad Iuſtitiæ vſq; ſuperimpoſitam ei ſtatuam, obuelatus, & coloribus variis, gramine hederaq; admixtis ita depictus inſectuſque eſt, vt excauatæ cuiuſdam rupis formam referret, Aquila nigra bicipiti coronata, in rotundo globo conſiſtente, & ſerto viridi, quod leones duo vtrinque conſtituti, vnguibus quaſi tenebant, incluſa, ad eum appoſita atq; affixa. Palatium ſiue Senaculum Curiæ ſuperius, quod Senatus paulo ante renouari & concamerato opere fornicis inſtar elegantiſſime conſtrui illuſtratiq; imaginib. variis curauerat, multis artificioſiſſime contextis tapetibus ad parietes conſtratum, in pauimento vero, ad partem dimidiam vſq; vnico gradu eleuatum panno, que rubro obductum eſt menſis Electoralib. tali ordine in eo conſtitutis. Ad feneſtram intermediam, areæ patenti ſiue foro obuerſam, locus erat quinq; gradib. reliquo loco magis eleuatus, panno itidem rubro conſtratus, in eo menſa regia, in inferiori autem tabulato ad dextram menſæ Electorales tres, pro Electore Moguntino, Bohemiæ Rege, & Adminiſtratore Palatino; ad ſiniſtram itidē tres, pro Electore Colonienſe, Electore Saxoniæ, & Electore Brandenburgico; Medio vero loco, è regione nempe menſæ regiæ, menſa Electoralis vna pro Electore Treuirenſe poſitæ & holoſerico rubro conſtratæ fuerunt, caduceo ſiue tegmine ſupra menſam quamlibet, ex holoſerico pannoque Attalico & aurato conſtante, explicato, & Abaco ſiue Repoſitorio, pro vaſis poculiſq; argenteis & aureis menſæ cuilibet magnifico appoſito, nec non pulpito ſiue tabulato in veſtibulo palatii pro Cantoribus Muſiciſq; excitato, & panno rubro vndiq; conueſtito atq; obducto.

Cum igitur dies Solis, $\frac{24}{14}$. nempe Iunii aduenisſet, portæ ciuitatis omnes occluſæ manſerunt, ciues vero armati & veſtimentis elegantioribus induti, à palatio ſiue aula Regia, ad Curiam, indeque ad S. Bartholomæi templum ab vtraq; pontis per plateam iſtam traducti parte conſtiterunt, & campana ingenti ab hora quinta ad ſeptimam vſq; ſignum aliquoties datum eſt.

Interea Treuirenſis & Colonienſis Septemuiri habitu electorali, vt Electionis die induti, mox & Moguntinenſis tunica talari nigra indutus, templum S. Bartholomæi ingreſſi ſunt, & in Bibliotheca templi ab Aquiſgranenſibus & Norimbergenſib. Legatis habitum ornatumq; Cæſarium eo allatum acceperunt, cumq; depoſito in Choro habitu Electorali, Pontificalia ſua, veſtitum nempe Epiſcopalem induiſſent, inſignia iſta Imperii, coronam nempe, orbiculum imperialem, annulum, ſceptrum, & duos gladios, vnum oblongum & latum, alterum in formam gladii Turcici incuruatum in Altari Crucis, quod ante Chorum cernitur, Treuirenſis & Colonienſis depoſuerunt. Paulo poſt horam ſeptimam, Electores Moguntinus, Treuirenſis & Colonienſis, habitu Pontificali illuſtri admodum ornati vna cum Aſſiſtente, Neutræ Epiſcopo & Suffraganeo Moguntino, Præpoſito item Capituli Moguntinenſis, duobus miniſtrantibus, Hugone nempe Cratzio à Scharpffenſtein, Adſeſſore Capituli Moguntinenſis & VVormatienſis, Præpoſito Francofurtenſi, &c. & Georgio-Antonio in Rotenſtein, Canonico Capitulari, nec non Eccleſiaſticis perſonis aliis Choro egreſſi ad Altare conceſſerunt, cum vero nondum Rex compareret, Electores iſti Eccleſiaſtici, Moguntinus maxime, tanquam futurus Conſecrator, habitu Pontificali ſeu Epiſcopali illuſtri admodum ornatus, in ſubſellia ſua, aduentum Regis præſtolaturi, conſederunt.

Seculares porro Septemuiri habitu ſuo Electorali induti poſt horam ſeptimam ad palatium ſiue aulam Regiam equis vecti ſunt, quo vna cum Conſiliariis item ſuis, Principes reliqui Comiteſque Barones & alii proceres, nec non Legati exterorum Principum magno numero conuenerant, vt Regiam Maieſtatem in templum proficiſcentem comitarentur, quod quidem paulo poſt horam circiter octauam, ordine ſequenti factum eſt.

Præmiſſis tribus Electoris Saxoniæ ſatellitibus, habitu eleganti nigro & flauo indutis, hæreditarius Imperii Mareſchallus, Maximilianus à Pappenheim, proceſſit, baculum manu tenens, quem Aulæ Mareſchallus, cum vtriuſq; miniſtris, & Electoralibus Conſiliariis, multiſq; nobilibus perſonis aliis, ſecutus eſt. Procedebant porro prætor conſulq; & alii ex ſenatu ciuitatis Francofurtenſis ad actum iſtum deputati, ſequebanturque multi Electorales Conſiliarii & nobiles aulici, qui tamen propter incidentem forte pluuiam, ordinem minime ſeruarunt, ſed eo diſtracto, quacunque poterant ratione imbribus ſeſe ſubduxerunt.

Vt remiſit autem paululum tempeſtas, Comites, Barones, aliiq; proceres magno numero pedites inceſſerunt, quos Principes, quorum ad viginti tum Francofurti numerabantur, equis ſecuti ſunt. Poſt illos equis albis ſimul vecti inceſſerunt tres Feciales ſiue Caduciferi ſuo habitu ornati, & baculos ſiue caduceos albos manibus geſtantes, quorum primus à dextris equitans Regni Bohemiæ, intermedius regni Hungariæ, tertius vero à ſiniſtris equitans, reliquorum Regnorum inſignia paludamentis ſiue tunicis ſuis ſericis artificioſe attexta geſtabant, quos Fecialis ſiue Caducifer Imperii Aquilam imperialem in tunica contextam præferens, & caduceum ſiue baculum itidem album manu tenens, ſolus equo albo inſidens ſecutus eſt.

His ita præmiſſis, Adminiſtrator Palatinus, habitum Electoralem indutus, itemque Legatus Brandenburgicus, habitu ſuo conſueto indutus, equites coniunctim inceſſerunt, quorum ille orbiculum imperialem, hic vero ſceptrum manu geſtabant. Deinde ſolus equo pulcherrimo precioſiſſimoq; inſidens Saxoniæ Elector inceſſit, habitum itidem Electoralem indutus, & gladium euaginatum Regi præferens, quos omnes tandem Rex ipſemet habitu pileoq; Electorali ornatus, ſub canopeo ſiue tegmine elegantiſſimo, quod ſex Ciuitatis Francofurtenſis Senatores, nempe Nicolaus-Heilricus Fauſt ab Aſchaffenburgo, Iohannes-Hector zum Jungen/Daniel Stalburgerus, Hieronymus-Auguſtus ab Holzhauſen, Hieronymus-Stephanus, & Iohannes-Philippus Weiſs, geſtabant, ſecutus eſt. Dimidia autem fere hora, antequam Rex veniret, Regina cum Gynæceo ſuo, multiſque principibus fœminis & virginibus aliis, aliquot curribus in templum profecta, tabulatum eo fine ſub Organo extructum occupauerat. Cæterum cum hac ratione per paratum ad hunc vſum pontem, ad S. Bartholomæi templum Rex veniſſet, Electores tres Eccleſiaſtici, cum duobus Suffraganeis adſiſtentibus, & Clericis, Eccleſiaſticiſq; perſonis aliis, quorum alter Euangeliorum librum, alter thuribulum geſtabant, in occurſum ei ad portam vſq; templi proceſſerunt. Et Moguntinus quidem tanquam Conſecrator, habitu Epiſcopali indutus, & inſula ſeu pileo epiſcopali caput tectus erat, Crucem ſibi cum baculo Epiſcopali, & ſigillis Regis præferri curabat, ſequentibus eum duobus ex Clericorum cœtu, qui infulam & baculum obſeruarent.

Rex ad Conſecratorem veniens, dum preces diceret, ſubſtitit, illiſq; finitis, cum cæteris perſonis Eccleſiaſticis ad Altare proceſſit. Præmiſſo enim, qui crucem & baculum cum ſigillis Regiis geſtaret, Adſiſtentes ſiue Suffraganei latus Regis vtrumq; claudentes, ad Altare eum perduxerunt, præcedentibus Maieſtatem Regiam Septemuiris ſecularibus, cum inſignibus Imperii, & ornatu Cæſareo, Treuirenſi vero & Colonienſi eam ſequentibus. Canebatur interea Hymnus: Ecce mitto Angelum, &c. Septemuiri vero ſeculares, cum ad Altare veniſſent, traditis hæreditariis ſuis Mareſchallis inſignibus, ſedes ſuas occuparunt, quæ hunc quidem in modum diſpoſitæ cernebantur.

Primo coram Altari ſedes precatoria, vbi preces ſuas Rex perficeret, poſita erat, panno Attalico ſiue aurato obducta, paulo poſt eam Solium Regium excitatum erat, eiuſdem coloris panno aurato conſtratum. Poſt ſolium iſtud ſubſellia duo pro Adſiſtentibus ſiue Suffraganeis, & iuxta ea, ſedes duæ aliæ, vna ad dextram pro Electore Treuirenſi, altera ad ſiniſtram pro Colonienſe, holoſerico rubro ſtratæ erant, Seculares autem Septemuiri prope Treuirenſem, Baptiſterium, ſiue occaſum verſus, Legati ex oppoſito, prope Colonienſem, ſeſſiones ſuas habebant.

Cum Hymnus ſeu cantio iſta; Ecce mitto Angelum, &c. finita eſſet, Suffraganei ſeu Adſiſtentes Regem ad Altare, & Conſecratorem, Moguntinum nempe Archiepiſcopum, Pontificalibus ſeu Epiſcopalibus veſtimentis magnifice ornatum, ad humilem quandam ſedem peragendis precibus deſtinatam duxerunt, vbi Maieſtate quidem Cæſarea in genua procidente, precatiunculæ quædam à Conſecratore dictæ ſunt. quibus finitis, Suffraganei Regem eleuatum in ſolium Regium abduxerunt, & ſeſſiones ſuas iterum occuparunt.

Interim ad officium Miſſæ Conſecrator ſeſe accinxit, quæ ſtatim etiam inchoata & celebrata eſt. Simul atq; autem Sequens finitus eſſet, antequam Euangelium inchoaretur, Rex depoſito, quo hactenus indutus fuerat, Electorali habitu, à Suffraganeis, comitantibus eum Treuirenſi & Colonienſi Electoribus, ad Altare deductus eſt, ibique in genua, ad ſedem habendis precibus deſtinatam, quemadmodum & Conſecrator ipſemet vna cum Epiſcopis & Clericis adſtantibus omnibus, procidit, quo facto, Litania ſuper eo legi cœpta eſt, cumq; ad verſiculum ventum eſſet; vt nos exaudire digneris: Conſecrator ſurgens baculumq; Epiſcopalem manu tenens, addidit: Vt hunc famulum tuum Matthiam in Regem eligere digneris: itemq; vt eum benedicere, ſublimare & conſecrare digneris; Ac tandem, vt eum ad Regni & Imperii faſtigium perducere digneris; Choro ſubinde ſubiiciente & reſpondente, Te rogamus Domine, &c. Diaconiſq; cœptam Litaniam abſoluentibus, qua finita, Rex cum Suffraganeis & Clero reliquo iterum ſurrexit, & Conſecratori infula impoſita, tradituſq; in manus baculus eſt, qui Latino ſermone Regem allocutus, velletne Chriſtianam & Catholicam religionem retinere; Chriſtianam Catholicam Eccleſiam defendere; iuſtitiam adminiſtrare; Imperium augere; Viduas & pupillos tueri, & Pontifici Romano debitum honorem præſtare atq; exhibere? rogauit. Cumq; ad quæſtiones ſingulas affirmando Rex reſpondiſſet, ex ſede precatoria, Altare verſus paulum progreſſus, omnia ſeſe iſta conſtanter ſeruaturum, iureiurando confirmauit.

Conſecrator porro ad præſentes Electores, Principes, Comites, Barones, & vniuerſum populum conuerſus, Latino ſermone, vellentne Maieſtati Regiæ ſe ſubmittere, eius regnum confirmare, mandatiſq; & præceptis eius obedire, iuxta doctrinam Apoſtoli, iubentis omnes ſubditos eſſe Magiſtra-

giſtratibus, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis, &c. quæſiuit. Cumque Electores, Principeſq;, & vniuerſus populus, Fiat, Fiat, Fiat, reſpondiſſent, Rex ad humilem ſedem precatoriam ab Altari traductus eſt, ibique in genua procidit, & benedictionem à Conſecratore accepit. Interim nudato ad vnctionem Rege, oleum catechumenorum Conſecrator accepit, & ſignum Crucis vertici primum capitis, poſtmodum ceruici inter vtrumque humerum, porro pectori, & tandem dextro brachio, inter carpum & cubitum inunxit, verba hæc ſubinde; Vngo te in Regem oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, pronuncians, cantarunt poſtmodum Muſici Hymnum; Vnxerunt Salomonem, &c. & Conſecrator manus etiã Regis inunxit.

His ita peractis, Suffraganei ſiue Aſſiſtentes Regem per Chorum in Sacrarium ſiue Sacellum Chori duxerunt, abſterſoq; oleo, antiquum imperialem habitum Norinberga allatum, maxime vero ocreas genuales, & tunicam talarem albam oblonga ſtola diuaricatim à collo per pectus ſuperiniecta ei induerunt, atq; ita inſtar alicuius Diaconi vel Sacerdotis veſtitum & ornatum, in ſedem precatoriam adhibitis Electoribus aliis duxerunt, vbi Conſecrator iterum benedictione eum impertiuit, canendo verſiculos quoſdam ſacros, quibus Muſici finalem ſemper clauſulam adiecerunt.

Benedictione iſta & precibus finitis Electores duo Treuirenſis & Colonienſis gladium, inſtar Acinacis ſiue gladii Turcici nonnihil incuruatum, qui Caroli Magni fuiſſe perhibetur, ab Altari, in quo (vt ſupra dictum eſt) vna cum Corona & Sceptro poſitus fuerat, depromptum & euaginatum in manus Regi dederunt, Conſecratore dicente: Accipe gladium per manus Epiſcoporum, &c. Cum vero Conſecrator diceret; Accingere gladio tuo, &c. gladius iſte in vaginam iterum reconditus Regi per ſeculares Septemuiros ad latus alligatus fuit. Conſecrator vero Regi annulum ab Altari depromptum cum certorum verborum pronunciatione digito eius induit, Sceptrumque regium & orbiculum imperialem, ab Altari itidem deprompta, & allata in manus ei, Sceptrum quidem in dextram, orbiculum vero in ſiniſtram, his adiectis verbis: Accipe virgam virtutis & æquitatis, &c. tradidit, tandem Coronam imperialem ab Altari depromptam tres Septemuiri Eccleſiaſtici, Moguntinus nempe, Treuirenſis & Colonienſis, capiti Regis ſimul, Conſecratore hæc verba: Accipe Coronam Regni, &c. dicente, impoſuerunt, & aurato eum Caroli Magni pallio condecorarunt. Quo facto Rex ex ſede precatoria ſurgens, Electoratus Palatini Adminiſtratori orbiculum, Legato vero Brandenburgico Sceptrum porrexit, moxque à Treuirenſi & Colonienſi ad Altare perductus, iuſiurandum, quod omnia, quæ bonum Imperatorem decent, facturus eſſet, præſtitit.

His omnibus peractis, cum & iuramentum præſtitum, & actus Coronationis in medio templi, coram Altari nempe Crucis peractus eſſet, elegans admodum Muſica habita eſt, Rex vero ad Sacrificia conuerſus eſt, & Sacramentum Cœnæ, ſub vna tantum ſpecie, à Conſecratore Archiepiſcopo Moguntino accepit.

Cæterum præeunte Conſecratore Moguntino, Treuirenſis & Colonien. vna cum Suffraganeis ſeu Aſſiſtentibus aſſumptam in medium Maieſtatem Regiam, in excitatum verſus meridiem pegma ſiue theatrum, multis pulcherrimis & precioſiſſimis tapetibus vndiq; exornatum, & panno rubro in pauimento conſtratum, abduxerunt, præcedentibus eum Electoribus ſecularibus & Legato Brandenburgico, cum inſignib. Imperii, Cantoribus vero Muſica interim ſuauiſſima ſpectatores oblectantibus. At vero Electores Eccleſiaſtici Regem in ſolium Regium in theatro iſto, loco ſedis Regiæ Caroli Magni, quæ Aquiſgrani eſt, excitatum, panno Attalico, ſiue aurato vndiq; ornatum, & tegmine precioſiſſimo ſuperinductum, collocarunt, Conſecratore eum ita cõpellante: Sta & retine locum regium, quem non iure hæreditario, nec paterna ſucceſſione, ſed Principum electione in regno Alamaniæ tibi noueris delegatum, precatiunculamq; ſuper eo dicente, quã finita, Ambroſii Hymnum: Te Deum laudamus, &c. Cantores & Muſici tribus iterum Choris in organis, humana voce, & tubis tympaniſque alternatim decantarunt.

Finito hymno Elector Moguntinus pro ſe & reliquorum Electorum nomine, Maieſtati Cæſareæ gratulatus eſt, vniuerſumque Romanum Imperium, cum omnibus eius Electoribus, Principibus & Statibus, quam optime & diligentiſſime ei commendauit. Hoc facto Conſecrator cum Suffraganeis & Eccleſiaſticis perſonis omnibus theatro deſcendens Chorum ingreſſus eſt, & Pontificalia veſtimenta exuit.

Rex vero in ſolio ſuo permanſit, adſiſtentibus ei Electoribus ſecularibus. Aderant autem Comites itemq; Barones & nobiles aliqui, quorum nomina infra annotata inueniuntur, eos Rex gladio Caroli Magni Imperatoris percuſſos, equites auratos creauit, traditoque poſtmodum Electori Saxoniæ gladio, ex pegmate ſiue theatro iſto deſcendens, in ſolium ſuum ad Altare extructum ſeſe contulit, eoque facto Conſecrator Moguntinus, itemque Treuirenſis & Colonienſis habitum electoralem iterum induti, ex Choro ad Cæſarem & Electores reliquos, ad Altare eos præſtolantes reuerſi ſunt.

Interea Eccleſiaſtici duo Cæſarei Aquiſgranenſis Capituli, amiculis candidis linteis induti, coram Maieſtate Cæſarea comparuerunt, librum ſinguli manibus tenentes, quorum alter inuolucrum habebat ex holoſerico, alter ex viliori materia confectum, cumq; ex altero Regi aliquid prælectum fuiſſet, ipſe librum exoſculatus, iuramentum præſtitit, inque Canonicum dictæ Eccleſiæ Aquiſgranenſis, veteri more receptus eſt.

Cum igitur omnia iam in tẽplo peracta eſſent, porta eius aperta eſt, vt quilibet inde exire poſſet. Antequam autem templo egrederentur, pons ille, quem à curia per forum ad templum traductum diximus,

diximus, panno rubro totus obductus & gramine foliiſq; virentibus conſtratus fuit. Proceſſus autem ex templo ad curiam, in qua regale prandium celebrandum erat, tali ratione factus eſt, præmiſſis initio miniſtris aulicis, Conſiliarii Cæſaris, Electorum & Principum, nobiles item & alii quam plurimi pedites inceſſerunt. Aduentarunt deinde tubicines & æneatores Electorales atq; Regii, alternis vicibus tubis perpetuo canentes, & tympana pulſantes. Porro Barones, Comites, Principes, qui equis antea vſi fuerant, iam pedites omnes inceſſerunt, ſuccedentibus eis tribus Regiis, & vno Imperiali Caduceatoribus, qui baculos ſeu caduceos albos, vt antea, manibus præferebant. Poſtmodo Electores cum Cæſare itidem pedites, Treuirenſis quidem primo ſolus, deinde Palatinus Adminiſtrator, & Legatus Brandenburgicus orbiculum imperialem, & Sceptrum geſtantes, coniuncti; Tertio Saxoniæ Elector cum euaginato gladio itidem ſolus, inceſſerunt. Secutus eſt Rex ipſemet ſolus Corona imperiali, & reliquo ornatu vetuſto regio, Aquiſgrano & Norimberga allato, indutus, ſub cadurco ſeu tegmine pulcherrimo, quod ſupradicti Scabini & Senatores Francofurdienſes geſtabant. Regem comitabantur Moguntinus & Colonienſis Septemuiri coniuncti, ſequentibus eos multis Eccleſiaſticis, & aliis perſonis magno numero. Agmen tandem claudebant ſclopetarii quidam equites, & ante eos aliquis, qui nummos aureos, argenteoſq; plenis manibus, tota iſta via in populum ſpargebat. Hinc quantus in populo tumultus extiterit, æſtimare facile eſt, ſclopetarii certe equites ipſimet impetum furentis, & nummos expetentis populi ſuſtinere amplius non valentes, ſubſiſtere in area publica, & cum eo, qui nummos emiſerat, retrocedere coacti ſunt.

Nummorum autem iſtorum in populum miſſorum duo erant genera, vtraq; tam aurea, quam argentea. Alterum magnitudine quadrantem Ioachimici imperialis æquans ab vna parte, Regis laurea ornati effigiem, cum inſcriptione: *Matthias II. D. G. H. B. Rex, Coron. in Reg. Rom. 24. Iun.* 1612. Ab altera Diadema Regium, quod Sol deſuper radiis ſuis, Luna vero ab inferiori parte colluſtrabant, cum inſcriptione: *Lumine maior concordi*, exhibebat. Alterum paulo minus batzii magnitudine, effigie Regis deſtituebatur, & inſcriptionem tantum; *Matthias II. D. G. H. B. Rex Coron. in Reg. Rom.* 24. *Iun.* 1612. ab vna, Solemq; & Lunam cum intermedio diademate, & adſcripto Symbolo; *Lumine maior concordi*, ab altera parte exhibebat.

Ad pannum autem quod attinet, qui ponti inſtratus erat, eum populus, denſo agmine irruens, quamprimum Rex præteriiſſet, tanto cum feruore diſſectum diripuit, vt pedibus etiam poſteriorum equitum eum ſubtrahere videretur. Cæterum dum Coronatio in templo perageretur, menſæ in palatio Curiæ, pro Rege, Electoribuſq; & Principibus aliis ſtratæ, & magnificentiſſime paratæ fuerunt, excepta ea, quæ pro Electore Brandenburgico poſita fuerat: Ea enim holoſerico rubro inſtrata manſit, nec quicquam ferculorum in eam, cum Elector Brandenburgicus ipſemet præſens non adeſſet, appoſitum eſt; idque ex Aureæ Bullæ præſcripto, qua conſtitutum expreſſe eſt, quod vbi Elector aliquis, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue Secularis, graues ob cauſas electioni adeſſe præſens non poſſit, Legatum tamen cuiuſcunque dignitatis, mittat, is perſonam quidem eius ſuſtinere debeat, ad menſam tamen Electori abſenti paratam haud quaquam admittendus ſit. Quod idem etiam de menſa, pro Bohemiæ Rege tanquam Electore poſita, factum eſt, cum Rex Bohemiæ licet præſens eſſet, ad menſam tamen imperatoriam, in loco ſublimiori, tanquam Rex & Cæſar Romanus, ex præſcripto Bullæ aureæ, iam accumberet.

Poſtquam igitur Rex cum Electoribus, reliquoque Principum & procerum comitatu, in palatium Curiæ veniſſet, antequam menſæ accumberent, Saxoniæ Elector, vt officio ſuo ſatisfaceret, ſicut erat, habitu Electorali indutus, cum Conſiliariis & ſatellitibus ſuis palatio iterum deſcendens, equum conſcendit, & ex curia in ingentem auenæ aceruum, quæ in area publica ante curiam ortum verſus accumulata fuerat, vectus, menſuram argenteam admodum ponderoſam, quam manu geſtabat, auena repleuit, & radio argenteo complanatam, hæreditario Imperii Mareſchallo, Maximiliano à Pappenheim, (cui ea etiam poſtmodum vna cum equo, cui Elector inſederat, propria ceſſit) tradidit, & ad Curiam, multo cum tubarum, æneatorumq; clangore, reuerſus eſt, populo ſtatim auenam iſtam omnem diripiente, & ſaccis ingerente, quin & maximam partem pedibus conculcante & per plateas hinc inde diſpergente.

Poſt Electorem Saxoniæ, hæreditarius ſimiliter Electoris Brandenburgici Mareſchallus, equo ex curia in aream vectus, malluuium argenteum, quod cum gutturnio & mantili, in menſa prope culinam poſitum erat, in curiam aſportauit, quem tubicines & æneatores ingenti itidem cum tubarum & tympanorum ſonitu euntem & redeuntem proſecuti ſunt.

Vltimo ex curia in aream equo vectus, Adminiſtrator Palatinus aduenit, & fercula quædam patinis argenteis condita & in menſa itidem prope culinam diſpoſita, accepta in curiam aſportauit, quem ſtatim alii patinas plures geſtantes ſecuti ſunt, tubicinibus & æneatoribus ſimiliter euntem redeuntemq; multo tubarum clangore & tympanorum ſono proſequentibus.

Simul atq; autem is diſceſſit, populus maxima frequentia in area iſta congregatus, ſummo in culinam impetu irruens, bouem aſſatum diripuerunt, culinaque ipſa diſiecta, & bouem in multas diſcerptum diſſectamq; particulas, & veru ipſum, tota ſque & aſſeres cum lignis, ex quibus culina extructa fuerat, inde ſecum aſportarunt. Interim cum officio ſuo tubicines & æneatores perfuncti eſſent, & Electores tam Eccleſiaſtici quam Seculares conſtitutioni Bullæ Aureæ ſatisfeciſſent, ad menſam quiſque ſuam Rex & Septemuiri conſederunt, ferculaq; multa & varia ſingulis menſis appoſita

poſita ſunt, ad regio plane modo cum ingenti aureorum argenteorumque poculorum & vaſorum apparatu, prandium iſtud peragendum.

Erant autem præter has Electorum menſas, menſa in inferiori palatii iſtius parte oblonga, pro Principibus aliis, quorum viginti duo numerabantur, itemque in cœnaculis & conclauibus aliis plures pro Comitibus & Baronibus, vt & in peculiari cœnaculo, pro Colonienſi, Aquiſgranenſi, Nurenbergenſi & Francofurtenſi ciuitatibus, menſæ quatuor paratæ. Verum Aquiſgranenſium menſa ſtrata quidem, ſed ferculorum nihil in eam, propter inteſtina, quib. tum laborabant, diſſidia, appoſitum fuit, quemadmodum etiam auditi hoc tempore eandem ob cauſam plane non fuerunt.

Cæterum de fonte perpetuo in area publica ante Curiam ſaliente & in formam rupis ſiue ſcopuli excauati iam parato ſupra diximus. Erant autem duæ fiſtulæ plumbeæ ex domo quadam è regione fontis ſubter terram ad fontem iſtum traductæ, vt earum beneficio, vinum album rubrumq; ad fontem ex vaſis in domo iſta reconditis deriuaretur. Cum igitur Rex & Septemuiri ad menſam quiſq; ſuam conſediſſent, vinum ex Aquilæ bicipitis ore, itemq; ex globo & leonibus album rubrumq, largiter promanare & profluere cœpit, permiſſumq; cuilibet fuit ad ſatietatem bibere, verum ab ingenti furentis quaſi plebis impetu, cum quilibet partem inde auferre, & vel vrceolis vel pileis vinum illud proſiliens excipere ſatageret, factum eſt, vt maxima vini pars in terram profuſa turpiter perierit, plebe nimirum tandem in fontem conſcendente & Aquilam ipſam cum ſerto & leonibus diſcerptam abripiente, & auferente. Ita enim ab impetu plebis promiſcue tutum tum nihil fuit, vt etiam plumbeis iſtis fiſtulis, ſubter terram diſpoſitis, quibus vinum illud ad fontem deriuabatur, minime parſum ſit, ſed ipſæ licet plurimum adhuc vini in doliis ſupereſſet & longò adhuc tempore fluere potuiſſet, terra erutæ & abreptæ penitus fuerint, in ipſam iam Iuſtitiæ ſtatuam manus iniicientibus aliquibus, vt furori eorum occurrere neceſſe omnino fuerit.

At vero prandium iſtud regale cum ad horam dimidiam ſextam productum munificentiſſime, magnificentiſſimeq; fuiſſet, remotis tandem epulis, omnes ſurrexerunt, principeſq; ſeptemuiri & alii Maieſtatem Regiam ex curia deſcendentem ad palatium ſiue aulam ſuam, domum nempe Braunfelſiam deduxerunt.

Curauerat autem & Senatus ciuitatis Francofurtenſis caſtellum quoddam, ingenti in medio turri, cuius faſtigio aquila nigra biceps coronata ſupereminebat, & quatuor ad angulos minoribus aliis turribus conſpicuum, eleganti artificio extrui, pyrobuliſq; & multo puluere tormentario expleri, vt eo accenſo ſpectaculum Maieſtati Cæſareæ reliquiſq; Principibus forte non ingratum exhiberet. Illud in Mœnum quidem traductum erat, vt hac veſpera accenderetur, & combureretur, verum propter incidentem pluuiarum tempeſtatem, & impedimenta alia, nec hac ſolenni coronationis, nec ſequenti, ſed Sabbathi demum die, vt ſuo loco dicetur, accenſum fuit.

CORONATIO REGINÆ ANNÆ AVSTRIACÆ, &c. *Matthiæ I. Rom. Regis coniugis, die Martis 26/16 Iunii Francofurti facta.*

Reginæ Coronatio poſtero ſtatim Lunæ die fieri debebat, verum propter incidentia forte impedimenta ad ſequentem diem Martis, 26/16 nempe Iunii dilata fuit. Ea igitur die æque vt præterita Solis die ſignum campanis maioribus, à quinta ad ſeptimam matutinam horam, aliquoties datum eſt. Poſt auditam ſeptimam Electores duo Eccleſiaſtici, Treuirenſis nempe & Colonienſis habitu Electorali induti ad templum profecti ſunt; Chorumque ingreſſi habitu iſto depoſito, veſtimenta Epiſcopalia ſiue Pontificalia, quemadmodum Moguntinus etiam, qui paulo tempeſtiuius in templum venerat, induerunt. Ponebantur autem in Altare Sceptrum, Orbiculus, Annulus & Corona, Imperii nempe inſignia, & in palatio ſiue aula Regis, ſeculares Septemuiri, Principes item Comites, Barones, & alii proceres frequentes conueniebant.

Poſt horam octauam ad S. Bartholomæi templum tali ordine proceſſum eſt. Principio Conſiliarii, Nobiles, aliiq; Officiarii, cum multis Comitib. Baronibus, proceribuſq; aliis pedites præceſſerũt; ſecuti ſunt eos equis vecti Principes, Francofurti tum præſentes, Caduceatores item quatuor, eodẽ, quo tempore Coronationis regiæ, ordine & habitu ornati, caduceos albos præferentes. Poſtmodũ Electores equis itidem aduecti inceſſerunt, Palatinus nempe Adminiſtrator, habitu Electorali indutus, Orbiculumq; imperialem geſtans ad dextram, Legatus Brandenburgicus in medio, & Mareſchallus Brandenburgicus cum aureo Sceptro ad ſiniſtram equitans. Hos pedes ſecutus, hæreditarius Imperii Mareſchallus à Pappenheim, vaginam gladio vacuam manibus geſtauit. Succeſſit ſolus equo aduectus Saxoniæ Elector, habitu Electorali indutus, gladiumq; euaginatum geſtans, quẽ ſolus itidem Rex, Corona & habitu Cæſario condecoratus, equo inſidens, ſecutus eſt. Poſtmodum Regina curru precioſiſſimo aduecta ſola inceſſit, Gynæceo eius, principibuſq; & nobilib. fœminis aliis, cum viginti & amplius curribus eam comitantibus. Poſtquam in Templum ventum eſt, Electores quidem Eccleſiaſtici Pontificalibus induti, ex Choro obuiam eis ad Altare proceſſerunt, Rex vero in peculiarem quandam ſedem, quæ à dextris iuxta illam, in qua tempore Coronationis ſederat, conceſſit. At Regina in ſedem precatoriam abducta eſt, moxq; Suffraganeus Moguntinus, loco Electoris, qui male habere cœperat, ad celebrandam Miſſam ſe parauit, quæ ex Sacello Cæſario præſtanti Muſica ad Euangelium vſq; continuata eſt.

Poſt-

Poſtquam Epiſtola & ſequentia lecta eſſent, Suffraganeus ab Altari diſceſſit, Epiſcopus vero Moguntinus impoſita in caput infula, acceptoque in manus Epiſcopali baculo ad altare proceſſit, cumque ad Reginam facie conuerſus conſediſſet, Rex Corona regia ornatus, Sceptrumq; dextra, & Orbiculum imperialem ſiniſtra tenens ad Altare itidem acceſſit, conceptisq; verbis, coniugem vti ſuam in Reginam Romanorum Moguntinus coronaret, rogauit. Interea ſedes Reginæ precatoria propius aliquanto ad Altare promota eſt, Rege igitur ad ſolium ſuum iterum concedente, Regina à Treuirenſi & Colonienſi ad ſedem iſtam precatoriam deducta eſt, vbi vna cum Suffraganeis adſiſtentibus, & Electore Moguntino Conſecratore ipſomet, in genua procidit, preceſq; ad Deum fudit. Finitis precibus, & Litania ſuper eam eodem, quo in Coronatione Regis modo lecta, Moguntinus ſurgens eam interrogabat, numquid Romanorum Regina ſalutari & coronari cuperet, cumq; cupere ſe reſpondiſſet, preces iterum habitæ ſunt, & Moguntinus quidem ad populum conuerſus, precatiunculam quandam pronunciauit. Poſtmodum Regina circa collum à Gynæcei Magiſtra nudata, & oleo à Conſecratore in ceruice primum, & poſtmodum in dextro brachio, addita breui precatiuncula, inuncta eſt.

Hoc facto, Treuirenſis eam & Colonienſis terra leuatam, in Chorum abduxerunt, duobus Suffraganeis adſiſtentibus, & quibuſdam ex Gynæceo eius, eam comitantibus. Ibi precioſiſſimo regio habitu, ex panno aurato conſtante, & Syrmate longo admodum, quod virgines quædam nobiles geſtabant, conſpicuo, abſterſo primum oleo, induta eſt, cumque ex Choro iterum ad ſedem precatoriam reuerſa, coram Altari in genua procidiſſet, Electores Eccleſiaſtici omnes nouam Coronam ab Altari leuatam, capiti eius, additis quibuſdam verbis, impoſuerunt. Conſecrator vero ſolus annulum ei induit, Sceptrumque in dextram, & globulum Imperii in ſiniſtram ei tradidit, quæ Imperialibus iſtis inſignibus ornata poſtmodum, facta benedictione, in ſolium regium, in quo Rex Coronationis tempore conſederat, à duobus Electoribus & Suffraganeis abducta eſt, vbi Treuirenſis quidem Sceptrum, Colonienſis vero Orbiculum imperialem ab ea accepta, in Altare iterum depoſuerunt.

Interea Conſecrator ab Altari diſceſſit, Suffraganeus vero Moguntinus Miſſam continuare cœpit. Sub Offertorio autem Regina à duobus Electoribus Eccleſiaſticis ad Altare & Sacrificium ducta eſt, cumq; Agnus Dei canendo finitus, & ablutio facta eſſet, Suffraganeo Moguntino recedente, Archiepiſcopus Conſecrator ad Altare iterum acceſſit, vbi reliqui duo Electores Eccleſiaſtici, Coronam capite Reginæ leuatam, præſentibus Legatis Fuldenſibus tenendam tradiderunt, ipſa autem ad Altare producta, puluinaria ibi diſpoſita remouit, inque terram flexis genibus procidens, magna humilitate & deuotione Sacramentum Cœnæ ex manu Conſecratoris accepit, quo facto, Electores eam terra leuatam, in ſolium regium abduxerunt, & Coronam capiti eius iterum impoſuerunt, quam virgines quædam ex Gynæceo eius accedentes, ne dimoueretur amplius, capiti alligarunt.

Poſtea Suffraganeus Moguntinus ad Altare iterum acceſſit, lectaq; finali precatiuncula, Sacrum abſoluit, quo finito, Cantores Regii Hymnum: Te Deum laudamus, &c. decantare cœperunt, cantuſque ſuauitate omnium aures, vt & per totum Coronationis actum, mirifice oblectarunt.

Interea Electores Eccleſiaſtici vna cum Suffraganeis adſiſtentibus & miniſtrantibus aliis, Chorum ingreſſi ſunt, depoſitoque ibi veſtimento Epiſcopali, & Electoralem iterum induti habitum, ad ſeculares Septemuiros, qui interea Maieſtati Regiæ aſtabant, reuerſi ſunt. Templo deinde Principes & Septemuiri omnes cum Adminiſtratore Palatino & Legato Brandenburgico, Regem comitati, exceſſerunt, conſcenſiſq; equis, eo quo aduenerant ordine ad curiam ciuitatis profecti ſunt, Regina habitu aurato & Corona aurea exornata, ſola, precioſiſſimo curru incedente, & Gynæceo eius aliiſq; principibus fœminis atque virginibus, multis eam curribus inſequentibus, præmiſſis tamen vt in coronatione Regis factum, Electoris Saxoniæ, aliorumque Electorum & Maieſtatis Regię tubicinibus, buccinatoribus atq; æneatoribus, qui alternis ſemper vicibus, tubis, canere, donec ad curiam venirent, nunquam intermiſerunt. Paratum vero in palatio curiæ prandium iterum regium erat, & Rex quidem cum Regina ſoli ad menſam vnico gradu reliquis ſublimiorem, & caduceo ſiue tegmine inaurato, tapetibuſque precioſiſſimis condecoratam diſcumbebant. E regione autem menſæ iſtius, menſa oblonga alia in medio palatii, parte tamen inferiori, pro Electoribus poſita erat, eique ad dextram Maieſtatis Regiæ Moguntinus, Colonienſis & Treuirenſis, ad ſiniſtram vero Palatinus Adminiſtrator, Saxoniæ Elector & Legatus Brandenburgicus aſſidebant. Vtrinque autem iuxta parietes, tapetibus, vt antea etiamnum condecoratos, & inſtratos, menſæ longiores pro Principibus aliis eorumque coniugibus & Gynæceo reliquo; in infima autem palatii parte menſæ inſuper aliæ pro Comitibus, Baronibus reliquiſque proceribus poſitæ & apparatu magnifico inſtructæ erant. Prandium vero ipſum non ſecus atque alterum illud variis ferculis dapibuſque & apparatu alio inſtructum atque ad horam quintam, adhibita ſuauiſſima muſica, continuatum fuit, quo finito, Electores principeſque & proceres alii omnes Regem Reginamque ad palatium Regium, domum nempe Braunfelſiam comitati, & ad ſua quiſque reuerſi ſunt.

Cæterum in foro equario locus erat, ſepimentis & carceribus vndique concluſus, in quo decurſationes à Principibus, Comitibus reliquiſque proceribus toto electionis & coronationis tempore frequentes factæ ſunt. Maxime autem illuſtris decurſatio habita eſt die Mercurii $\frac{27}{17}$. nempe Iunii, coronationem Reginæ proxime inſequente, cui Rex ipſemet, cum Adminiſtratore Palatino, Electore Saxoniæ, & reliquis Principibus proceribuſque fere omnibus interfuit, poculis aliiſque argenteis

argenteis &magni precii vaſis, victori propoſitis, vbi Rex primo ſtatim inſultu appenſum ad lineam annulum, haſta correptum abduxit.

Finita decurſatione Rex & Regina cum Electoribus, Principibuſque & proceribus aliis omnibus in curiam ciuitatis profecti ſunt. Erat enim ibi cœna regia parata, eaque finita, Choreæ in Reginæ Principumque fœminarum aliarum gratiam in curiæ Palatio habitæ, & magna ſolennitate per noctem ad horam vſque tertiam matutinam continuatæ fuerunt. Die Saturni, qui $\frac{18}{28}$. Iunij erat, cum continuata hactenus tempeſtas remiſiſſet. Caſtello ioculari, de quo ſupra diximus, in Mœno, paulo ante nonam veſpertinam accenſo, ſpectaculum Cæſari, qui ad Mœnum cum Regina conceſſerat, per vnam atque alteram horam, multis ſimul pyrobolis ex aqua erumpentibus, & tormentis maioribus, ex vallo proximo magno cum fragore diſploſis condecoratum, exhibitum eſt.

Et hæc quidem ſunt, quæ circa totum iſtum Electionis & Coronationis actum notatu maxime digna acciderunt, quæ omnia vt in gloriam Dei, Sacri Romani Imperii incrementum, ſubditorumque Imperii omnium ſalutem cedant faciantque, ſupremus ille Regum Rex & dominantium Dominus benigne largiatur, qui Cæſariam ſimul Maieſtatem & coniugem eius Sereniſſimam conſtanti corporis animique valetudine, pace, tranquillitate, victoria ab hoſtibus, temporalique & æterna proſperitate clementiſſime donare beareque velit, ita voueo.

OMNIVM ELECTORVM ET PRINCIPVM, TAM ECCLESIASTICORVM, QVAM SECVLARIVM, COMITVM ITEM, BARONVM, STATVVM IMPERII,

exterorumque Principum & Rerumpubl. Legatorum, nec non Nobilium, ſuperiorisque & inferioris conditionis hominum, qui & Electionis, & poſt eam, Coronationis tempore Francofurti præſentes adfuerunt, quorumcunque nomina inueſtigari potuerunt, Catalogus & deſcriptio.

SERENISSIMVS, POTENTISSIMVS ET INVICTISSIMVS PRINCEPS ET DN. DN. MATTHIAS, ELECTVS DEI GRATIA

Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carniolæ, Wirtembergæ, & Sileſiæ, Marchio Morauiæ & Luſatiæ, Comes Tyrolis, &c.

CVM

SERENISSIMA ET POTENTISSIMA PRINCIPE ET DOMINA, DN. Anna, Romanorum, itemque Hungariæ & Bohemiæ Regina, Archiduciſſa Auſtriæ, &c. Coniuge ſua optatiſſ. $\frac{2}{12}$. Maij, Anno 1612. Francofurtum ingreſſus eſt.

In comitatu eius fuerunt:

FRIDERICVS Comes in Furſtenberg, Regiæ Maieſtatis ſecret. Conſil. & ſupremus aulæ Magiſter.

Leonhardus Helfridus à Meggau, L. Baro, Regiæ Maieſt. Secret. Conſil. & præfectus in Eiſenſtat, ſupremus Cubicularius ſiue Camerarius.

Wolffgangus-Sigiſmundus, Dominus in Loſenſtein & Gſchvendi, Regiæ Maieſtat. Conſil. Camerarius, ſupremus Venatorum ſupra Emſam Magiſter, & ſupremus aulæ Mareſchallus.

Octauius Curianus Baro, Regiæ Maieſt. Conſil. & Camerarius, Præfectus in Oldenburg, & ſupremus Stabulariorum Magiſter.

Secret. Conſiliarii, Officia nulla ſuſtinentes.

Melchior Gleſelius Epiſcopus Viennenſis, Reg. Maj. ſecretioris Conſilii Director.
Ioannes Euſebius Khuen Baro, Reg. Maj. ſecret. Conſiliarius & Comorrhæ præfectus.
Abrahamus Burggrauius à Dhona, Regiæ Maieſtatis ſecret, Conſiliarius.

Legati.

Nuncius Apoſtolicus.
Legatus Hiſpanicus.
Legatus Gallicus.
Legatus Venetus.
Legatus Florentinus.

Regiæ Maieſt. Cubicularii ſiue Camerarii.

Georgius-Andreas ab Hoſtkirchen Baro, Regiæ Maieſtatis Camerarius, conſtitutus ſupremus Aulæ militaris Conſiliarius, & prouincialis Auſtriæ infra Emſam præfectus.

Rudolphus Dominus de Stubenberg Baro, Reg. Maieſtat. Camerarius.

Georgius-Fridericus Comes ab Hardeck, Regiæ Maieſtatis Camerarius.

Adamus ab Herberſtein Baro, Regiæ Maieſtatis Conſiliarius, Camerarius, & ſupremus prouincialis Venatorum Auſtriæ infra Emſam Magiſter.

Bruno Comes à Mansfeld, Dominus in Heldrungen, Regiæ Maieſtat. Camerarius, Aulæ militaris Conſiliarius, & ſatellitum præfectus.

Ioannes Balthaſarus ab Hoies Baro, Reg. Maieſt. Camerarius, & Aulæ Camer. Director.

Ferdinandus Helfridus à Meggau Baro, Reg. Maieſt. Camerarius.

Alexander Rudolphus, Eques Ordinis S. Drago, Regiæ Maieſtatis Conſiliarius, Camerarius & Stabul. ſub Magiſter.

Ioannes-Chriſtophorus à Bucheim Baro, Reg. Maieſtat. Camerarius, Aulæ militaris Conſiliarius, conſtitutus Præfectus, & ſupremus Armamentarii Magiſter.

Aluigus Comes à Furſtenberg, Regiæ Maieſtatis Camerarius.

Ioannes Georgius Dominus in Vvartenberg, Baro, Regiæ Maieſtat. Camerarius.

Guilhelmus Kinskhi Baro, Regiæ Maieſtat. Camerarius, & ſupremus prouincialis Venatorum Regni Bohemiæ magiſter.

Carolus-Hannibal Burggrauius à Dhona, Regiæ Maieſtat. Camerarius.

Fridericus à Tſchernhaus Baro, Regiæ Maieſtat. Camerarius.

Rudolphus à Teuffenbach Baro, Regiæ Maieſtat. Conſiliarius & Camerarius.

Georgius Landa Baro, Regiæ Maieſt. Camerarius.

Maximilianus à Trautmanſdorff Baro, Regiæ Maieſt. Conſiliarius & Camerarius.

Fridericus à Teuffenbach Baro, Regiæ Maieſt. Camerarius, & ſupremus Legatus.

Vvolffgangus Comes à Mansfeld, Præfectus, Reg. Maieſt. Camerarius.

Adamus à Trautmanſdorff Baro, Regiæ Maieſtat. Camerarius, Aulæ militaris Conſiliarius, & conſtitutus ſclopetariorum Equitum Præfectus.

ELECTORVM ET PRINCIPVM, QVI VNA CVM MAIESTATE CÆSAREA, PRANDIO REGALI, IN PALAtio Curiæ Francofurtenſis, poſt Coronationem Regis, die $\frac{14}{24}$ Iunij interfuerunt,

CATALOGVS.

Ioannes Schwichardus Moguntinus.
Lotharius Treuirenſis.
Ferdinandus Colonienſis.
} Archiepiſcopi & Electores.

Ioannes Comes Palatinus Rheni Bipontinus, Electoratus Palatini Tutor & Adminiſtrator.

Ioannes-Georgius, Dux Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium, &c. Elector.

Georgius-Guſtauus.
Fridericus Elect.
Fridericus-Caſimirus.
Ioannes-Caſimirus.
} Comites Palatiui Rheni, Duces Bauariæ, &c.

Ioannes-Caſimirus.
Ioannes Erneſtus.
} Duces Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ & Montium, &c.

Ioachimus-Erneſtus.
Georgius Guilhelmus.
} Marchiones Brandenburgenſes.

Fridericus-Vlricus, Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis.

Iohannes-Fridericus.
Ludouicus-Fridericus.
Iulius-Fridericus.
} Duces Wirtembergenſes & Teccenſes, &c.

Mauritius.
Ludouicus.
Philippus.
Fridericus.
Otho.
} Landgrauii Haſſiæ, Comites in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain, & Nidda, &c.

Georgius-Fridericus, Marchio Badenſis & Hochburgenſis, &c.

Chriſtianus.
Ioachimus-Erneſtus.
} Principes Anhaltini.

Auguſtus Dux Luneburgenſis, &c.

Albertus Dux Holſatiæ & Sleſuigenſis.

COMI-

COMITVM, BARONVM ET NOBILIVM, QVI A REGIA MAIESTATE DIE SOLIS 14 IVNII, ANNO MDCXII. POST Coronationem Francofurti in æde San-Bartholomæi Equites aurati facti ſunt, &c.

CATALOGVS.

Georgius Fridericus } Comites in Hohenloh, Præfecti.
Crato
Fridericus, Comes Solmenſis, &c. Præfectus.
Philippus }
Caſimirus } Vvildt & Rheingrauii, &c. Præfecti.
Ottho }
Vvolffgangus Comes Mansfeldiæ, &c. Præfectus.
Georgius-Andreas ab HoffKirchen, Lib. Baro, Præfectus.
Ioannes-Chriſtophorus à Bucheim, L. Baro, &c. Præfectus.
Ioannes-Fridericus à Mœrſperg, Lib. Baro, &c. Præfectus
Fridericus à Dieffenbach, L. Baro, &c. Præfectus.
Leonhardus Collona, L. Baro à Vels, Præfectus.
Ioannes-Theodoricus à Reiffenberg, Præfectus.
Ioachimus à Schliben, Præfectus.
Pleichardus ab Helmſtadt, Præfectus.
Ioannes-Philippus Fuchs. Præfectus.
Ioannes-Philippus ab Hoheneck.
N. Rideſel Spirenſis, Præfectus in Magdeburg.

Prouinciales Officiarii Regni Bohemiæ.

Adamus Iunior, Dominus de Vvallenſtein, Reg. Maieſtat. Conſiliarius, Camerarius & ſupremus Aulæ prouincialis Reg. Bohemiæ Magiſter.

Schenckho-Adelbertus Poppelius Baro de Lobkovitz, Reg. Maieſt. Conſiliarius, & ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius.

Bertholdus Bohubuk de Leippa, Reg. Maieſtat. Camerarius, & hæreditarius Regni Bohemiæ Mareſchallus.

Leonhardus Collona Baro à Vels, Reg. Maieſt. Conſiliarius, & conſtitutus Præfectus.

Bohuslaus de Michalouitz, Regni Bohemiæ Vicecancellarius.

Georgius Baro à Schœnach in Carelat & Milcken, Reg. Maieſt. Conſiliarius, & Sileſiæ Vicecancellarius.

Iohannes à Vvartenberg, Baro, & hæreditarius Regni Bohemiæ Pincerna.

Proceres à Rege peculiariter ad comitatum hunc ex Regno ſelecti & acciti.

Anthonius Guntherus Comes in Oldenburg & Delmenhorſt.
Comes de Cantali, Ducis Eſpernonii filius.
Georgius-Fridericus Comes ab Hohenloe, Præfectus.
Philippus Comes Solmenſis, Præfectus.
Rudolphus Comes in Helffenſtein.
Guilielmus Comes de Furſtenberg.
Chriſtianus } Comites in Vvaldeck.
Vvolradus
Ioannes Guntherus, Comes in Schwartzenburg & Hohenſtein, Dom. in Arnſtadt.
Vvolffgangus Erneſtus }
Theodoricus } Comites à Lœuenſtein, Domini in Scharffenſtein.
Iohannes Caſimirus }
Henricus IV. & Henr. Iunior, Reuſii à Plauen, cum Philippo iuniore Comite Solmenſi.
Eberhardus, Conradus & Philippus, Schenckij & Semper Liberi à Limburg.
Gundaccerus, Dominus in Polheim, Baro, & Reg. Maieſt. Conſiliarius.
Georgius, Baro à Fleckenſtein.
Ioannes-Fridericus, Baro à Mœrſpurg, Præfectus.
Eraſmus à Landau, Baro, Maximiliani Archiducis Auſtriæ ſenioris Camerarius.
Carolus Teuffel, Baro.
Ioannes ab Altheim, Baro.
Ioannes-Andreas Stadel, Baro.
Guntherus à Goltz, Baro & Præfectus.
Carolus-Chriſtophorus Burggrauius in Dohna.
Dietmannus Schiffer, Baro & Præfectus.

Gundaccerus Schiffer, Baro & Centurio.
Watrichus Capplier, Præfectus.
Wolffgangus à Gera, Baro.
Ioannes-Georgius à Stadel, Baro.
Henricus Schliccius, Comes in Paſſaun, & Dominus in Weiskirchen.
Iohannes Popel à Lobcouitz, Baro.
Wenceslaus, Stephanus, & Fridericus, Barones de Wierben & Freidenthal.
Ioannes Ferdinandus Reiſchuitz de Kadetzin.
Seſina, Dominus de Vverby, Præfectus.
Fridericus-Hartmannus de Burgmilchling.
Zacharias Geitzkoffler, Eques.
Iohannes-Fridericus ab Herberſtein, Baro & Centurio.
Ioannes-Chriſtophorus à Rechenberg.
Fridericus à Schutz.
Wolffgangus à Tſchernhaus, Baro.
Paulus Keuenhuller.
Georgius à Ridern, Baro.
Ioannes-Ludouicus Geiman.
Chriſtophorus-Henricus Poeſs, Baro.
Ioannes-Erneſtus à Schæfftenberg, Baro.
Adamus à Schalnburg, Præfectus.
Ioannes à Glaubitz, & Henricus Leſt, junior.
Conradus à Spillern.
Franciſcus à Iechtwitzen, & Iacobus à Iechteritz.
Marquardus Wetznick.
Caſparus à Furſtenau.
Chriſtophorus à Metzerad.
Henricus à Noſtitz.
Georgius à Dobſchitz.
Ioannes-Andreas à Grienthal.
Georgius-Sigiſmundus Stengel.
Wenceslaus ab Horna.
Ioannes-Georgius ab Oberndorff.
Fridericus Polch in Habendorff.
Carolus à Purkelitz.
Sigiſmundus à Rechen, & Hermannus Zitteritz.

Officiarii aulici.

Hartmannus à Landau, Baro, ſupremus aulæ Magiſter.
Franciſcus-Chriſtophorus Keuenhuller Comes, ſupremus Cameræ argentariæ Præf.
Chriſtophorus Leiſſerus, Baro, Culinæ Magiſter.

Pocillatores.

Iohannes-Caſparus ab Herberſtein, Baro.
Carolus à Serau, Baro.
Eraſmus à Gera, Baro.
Fridericus à Caunitz, Baro.
Maximilianus Iorgerus, Baro.

Prægustatores.

Carolus à Stadel, Baro.
Marcus Weida.
Marcus Cotter.
Abrahamus à Tſchirnhaus, Baro.
Georgius-Sigiſmundus Schœſterſchisl.
Wolffgangus-Iacobus ab Herberſtein, Baro.
Ioannes-Laurentius à Tſcherotin, Baro.

Dapiferi.

Paulus-Iacobus à Sternberg, Baro.
Ioannes-Bernhardus ab Hoffkirchen, Baro.
Gothardus Weltzer, Baro.
Ioachimus à Landau, Baro.
Ioannes Theodoricus à Greiſs, Baro.
Carolus-Magnus, Baro à Schellendorff.
Ioannes à Zaruba.

Iohannes

Iohannes Sigiſmundus Leiſſer, Baro.
Nicolaus à Burghauſen.

Cameræ argentariæ Subpræfectus.

Ortenſius à Tiriaco.

Conſiliariorum munere fungentes.

Iohannes Baruitius.
Iohannes Matthias Wacccerus à Wackenfels.
Rupertus Hegenmullerus.

Conſiliarij Appellationum.

Otto à Noſtitz.
Iohannes Baptiſta Eiſen D.
Felix Ridingerus.
Otto Melander D.
Iohannes à Laber.
Arnoldus Berglas.
Iohannes Martinus Rebmannus D.
Rudolphus Pucherus Secretarius.

Expeditionis bellicæ.

Gerhardus Queſtenbergerus Regiſtrator & Secretarius.
Paulus Kluben Concipiſta.
Wolffgangus Kuenthalerus Cancelliſta.
Iohannes Meltzerus Cancelliſta.

Expeditionis Cameræ aulicæ.

Vincentius Muſchingerus Cameræ aulicæ Conſiliarius.
Wolffgangus Machrle Secretarius.
Melchior Gerlinus Concipiſta.
Daniel Segerus Expeditor.
Iohannes Herchenberger Cameræ aulicæ miniſter.
Georgius Zaunigerus & Iohan. Wefterwaldus Ingroſſiſtæ.

Expeditionis Hungaricæ.

Valentinus Lepes, Neutræ Epiſcopus, & Regni Hungariæ Cancellarius.
Laurentius Ferentzius Secretarius Hungaricus.

Expeditionis Auſtriacæ.

Chriſtophorus Graplerus Secretarius.
Tobias Gerdinger. } Scribæ Cancellarij.
Matthias Marius Alnouienſis. }
Bartholomæus Maegerle. }
Simon Capmier. }

Expeditionis Bohemicæ.

Paulus Michna Secretarius.
Adamus Zeus Regiſtrator.
Wenceslaus Witchegl, Expeditor.
Georgius Zabotta Concipiſta.
Wendelinus N. Ingroſſiſta.

Expeditionis Germanicæ.

Iohannes Platteiſius à Plattenſtein, Secretarius.
Zacharias Tittel, Taxator.
Iohannes Ernestus Heintz, Regiſtrator & Expeditor.
Bartholomæus Brunerus, Concipiſta.
Ferdinandus Triuiſius. } Ingroſſiſtæ.
Hieronymus Peich. }
Martinus Burgerus. }
Wenceslaus Schenccius, Oſtiarius.

Cancellariæ aulicæ.

Daniel Meltzerus Secretarius.
Paulus Otterer ſcriba Cancellarius.

Cancellariæ Sileſiæ.

Adamus Rœslerus Secretarius.
Sigiſmundus Aichenbergerus. } Ingroſſiſtæ.
Balthaſarus Crauſius. }
Caſparus Rohrius. }

Legatus Belgicus.

Petrus de Viſchere.

Diuerſoriorum deſignator Aulicus.

Maximilianus VVolgemuth, à Mutburg.

Miniſtri aulici.

Iohannes Grillius.
Adamus Hager.
Georgius Weisbach.
Erneſtus Lamparter.
Iacobus Bauer.
Seuerinus-Amandus Gabelcofer.
Andreas Roriff.

Aulæ Deſignatores.

Leonhardus Peſſelmayerus.
Adamus Tredel.
Iohannes Olmannus.
Elias Walckringerus.
Gabriel Stiermaierus.
Leopoldus Fiſcherus.

Miniſtri Cubicularii.

Eraſmus de Sayue.
Iohannes Fiſcherus.
Nicolaus Berchtoldus.
Iohannes Berchtoldus.
Albertus Reiſſius.
Philippus Preſchelius.
Caſparus ab Hoffen.
Petrus Gebel Cameræ deſignator.
Chriſtophorus Meyenzweig, Tonſor.
Hieronymus Guntherus Cameræ pictor.
Chriſtophorus Straus. } Muſici Cameræ.
Don Bietro de Nagera. } Muſici Cameræ.
Arnoldus de Sayue. } Muſici Cameræ.
Marcus-Antonius Moſtus. } Muſici Cameræ.
Martinus Valdiuieſo & Antonius Vitoria, Muſici Hiſpani.

Aulici miniſtri alii.

Carolus Finckerus, quæſturæ aulicæ Adminiſtrator.
Tobias Iaruſchius poſtarum aulicarum Adminiſtrator.
Iohannes-Petrus Magnus. } Doctores medici.
Thomas Mengelius. } Doctores medici.
Conradus Segetus Pharmacopola.
Hieronymus Moerth, curſor aulicus.

Regia Maieſt. Clerus.

P. Iohannes-Bernhardinus-Arnoldus, ordinis Franciſcanorum, diſcalceatorum, Regiæ Maieſtatis Confeſſionarius.

Iacobus Chimarchæus Eleemoſynarius.

Franciſcus Mengaccius primus Capellanus, & Capellæ Aulæ Viennenſis Rector, Diaconus Aulicus.

Carolus Weltzellus Canonicus Viennenſis, Diaconus Aulicus.

Pater Matthias Anthonius Laczkius, Regiæ Maieſt. aulæ Confeſſionarius.

Fr. Ioannes Didacus Hinckelmannus Scotus.

Ioannes del Tombor protonotarius Apoſtolicus. } Diaconi Aulici.
Ioannes Baptiſta Bruchmannus. } Diaconi Aulici.
Chriſtophorus Gleichenbergerus. } Diaconi Aulici.
Alexander Orolegio Vice Capellanus.
Thomas Podenſtein Organiſta.
Georgius Straub. } Altiſtæ.
Franciſcus Mengacius. } Altiſtæ.
Matthias de Sayue. } Altiſtæ.
Chriſtophorus Wagner. } Altiſtæ.
Ioannes Creutzer. } Altiſtæ.
Iacobus Haeberle. } Altiſtæ.

Andreas

Andreas de Roriff.
Iohannes Lippius.
Matthæus Haberainer.
Georgius-Conradus de Lonein
Iohannes-Iacobus Kuppers.
Iacobus Langhurrſius.
} Tenoriſtæ.

Georgius Pleichshirn.
Caſparus Chriſtianus.
Paulus Donatus.
Franciſcus de Faſcoſelos.
Fridericus Lorenkhofer.
} Baſſiſtæ.

Iohannes Daluuinus.
Iacobus Wannerus.
} Diſcantiſtæ.

Pueri nobiles.

Iohannes-Guilhelmus Comes ab Ortenburg.
Carolus Straſoldo.
Sigiſmundus-Petrus-Adolphus à Schœnkirchen, Baro.
Sigiſmundus-Stanislaus à Schœnkirchen, Baro.
Ferdinandus Hortenſius à Tiriaco.
Adamus-Michael Spanouuskhy de Liſſoua.
Sigiſmundus Liczeck à Kiſſinburg, Baro.
Guilhelmus-Alexander Odersky à Liderzou.
Wenceslaus-Michael ab Heradeck.
Sebaſtianus Berskouusky à Zebiczanu.
Paulus à Spaur, Baro in Pflaum.
Ioachimus Collona à Fel- Baro.
Sigiſmundus-Andreas à Spaur, Baro de Valeri.
Ignatius-Albertus Martzan à Kinſtein & Roſtok, Baro.
Albertus Vratiſlaus de Mitrouuitz.
Ioannes-Petrus Greba de Wolbramouuitz.
Ioannes Erneſtus à Tſchernhaus Baro.
Zdenco-Rudolphus à Walnſtein, Baro.
Alexander de Fin, Nobilium puerorum Præfectus.
Iohannes Szularius, puerorum nobilium Præceptor.
Iohannes-Claudius Stanginus, Equorum domitor.

Tubicines, & alii.

Tubicines viginti.
Æneator vnus.
Satellites centum.
Sclopetarii equites centum, cum multis aliis, quorum nomina haberi non potuerunt.

IN CÆSAREÆ MAIEST. CONIVGIS, ANNÆ, ELE-ctæ Rom. Imperatricis, Hungariæ & Bohemiæ, &c. Reginæ, Archiduciſſæ Auſtriæ comitatu fuerunt,

Georgius-Sigiſmundus à Lamberg, Baro in Ortneg, Reg. Maieſt. Conſiliarius, & ſupremus Aulæ Magiſter.
Gilbertus à Santelier, Præfectus cubiculariorum, Reg. Mai. Camerarius.
Catharina à Collobrath, Aulæ magiſtra.
Syluia Caurianin ſuprema cubicularia, Gynæcei præfecta.
Suſanna Iſabella, Comitiſſa à Trautſam.
Euſebia Maria, Comitiſſa à Furſtenberg.
Brigitta VVenina, Comitiſſa à Trautſam.
Franciſca Hippolyta, Comitiſſa in Furſtenberg.
Frobenia-Polixena à Bernſtein.
Benigna-Catharina à Kollobrath.
Sigiſmunda Margaretha ab Annaberg.
Maria-Eliſabetha Koenin.
Sophia Palluin, pygmæa.
Iohanna Sagatarin
Eliſabetha Huebmerin
Margaretha Sartarin.
} Cubiculariæ miniſtræ.

Laurentius Finck. }
Ioannes Winckel. } Miniſtri Cubicularii.
Lucas-Wendislaus Schuuerdfarb }
Pygmæus.

REVERENDISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS, Dn. Iohannes-Schuuschardus, Sacræ ſedis Moguntinenſis Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius & Elector, &c. Francoſurtum 20/10 Maii, Anno 1612. ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarii & primarii Officiarii.

Ioannes-Georgius, Comes in Hohenzollern & Sigmarien, Dominus in Heierloch, Imperii Conſiliarius aulicus & Præſes.

Iohannes-Reinhardus Comes Hanouienſis & Bipontinus, Dominus in Lichenberg & Ochſenſtein, Mareſchallus & Præfectus Argentinenſis.

Philippus-Otto, Wildgrauius in Duna & Kirpurg, Rheingrauius Steinii, Comes Salmenſis, & Dominus in Vinſtingen, Præfectus.

Adolphus Wildgrauius in Duna & Kirpurg, Rheingrauius Steinii, Comes Salmenſis, & Dominus in Vinſtingen.

Georgius-Fridericus Greiffenkloe à Voltatz, Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ Moguntinenſis & Wormatienſis, Capitularis Spirenſis.

Antonius Waldbottus à Baſſenheim, Cathedralis Eccleſiæ Moguntinenſis Cantor Præpoſitus S. Albani, & Choralis Epiſcopus Treuirenſis.

Iohannes Reichardus à Schœnberg, Dominus in Rolla & Buhr, Præfectus.

Iohannes-Ludouicus ab Vlm, in Marpach, Mittelbiberach & Hohen Freiberg.

Dominus de Barbanſon.

Anshelmus-Caſimirus Wamboltus de Vmſtat, Eccleſiæ cathedralis Mogunt. Capitularis, & Aulæ Præſes.

Caſparus Dominus in Eltz, ſupremus aulæ magiſter, Præfectus in Prodſelden, & Conſiliarius.

Iohannes-Philippus ab Hoheneck, ſupremus Mareſchallus, & Conſiliarius.

Iohannes-Eberhardus à Cronberg, Burggrauius Fridbergenſis, & Conſiliarius.

VVolffgangus Camerarius de VVormatia, dictus à Dalberg.

Iohannes-Reichardus Brœmſer à Ridesheim, Vicarius Ringauienſis, & Conſiliarius.

Iohannes-Theodoricus à Reiffenberg, Vicarius Aſchaffenburgenſis, Præfectus.

Iohannes-Henricus ab Heuſenſtein, præfectus Dippurgenſis & Conſiliarius.

Iohannes-Adamus ab Hoheneck præfectus in Gernsheim & Conſiliarius.

VVolffgangus Fridericus Camerarius de VVormatia, dictus à Dalberg præfectus Vlmenſis & Conſiliarius.

Fridericus à Furſtenberg, præfectus in Kœnigſtein & Conſiliarius.

Iohannes à Rodenſtein, præfectus in Hœhſt & Hoffheim, Conſiliarius.

Adamus-Andreas RiedEſel, ſupremus Legatus.

Gernandus-Philippus à Schuualbach, præfectus in Amorbach, Conſiliarius.

Erhardus à Muckenthal, præfectus in Krautheim, Conſiliarius.

Henricus Greiffencloe de Voltatz, præfectus in Orb.

Iohannes Henricus ab Eltz, præfectus in Steinheim.

Reinhardus-Guilhelmus à Meckenbach, ſupremus Legatus.

Iohannes-Fridericus à Flersheim.

Gerhardus à VValdberg, dictus Scheackhern, Conſiliarius.

Ioachimus à VVildberg, Eccleſiæ cathedralis VVormatienſis Cantor, Canonicus Moguntinenſis & Spirenſis.

Guilhelmus-Ferdinandus ab Effern, Conſiliarius.

Iohannes-Ludouicus Reutner, ſub Marſchallus.

Iohan. à Blumingen, dictus Fiorentini, Stabul. Magiſter.

Alexander Cratz à Scharpffenſtein, Equitum præfectus.

Iohannes-Georgius Camerarius de VVormatia, dictus à Dalberg.

Hermannus à Cronberg.

VVolffgangus-Fridericus Sturmfeder.

Chriſtophorus ab Ehrnberg.

Daniel ab Hutten.

Iohannes-VVolffgangus à Spanheim.

Iohannes ab Hees.

Iohan-

Iohannes-Philippus Bos à VValdeg.
Georgius-Meinhardus Beier à Bellenhofen.
Philippus à Partenhem.
Iohannes-Daniel à Cronberg.
Fridericus ab Hutten.

Nobiles Camerarii.

Caſparus ab Eltz iunior.
Adolphus à VValtburg, dictus Schenkhern.
Carolus à Schœnberg.

Nobiles aulici.

Philippus-Iulius à VVeiler.
Iohannes-VVolffgangus à Leien.
Nicolaus-VVolffgang. à Sphonheim.
Philippus-Eberhardus à Stockheim.
Iohannes-Ioachimus à Neiningen.
Iohannes-Wœrnerus à Carben.
Guilielmus-Quirinus à Wolffskehl.
Philippus-Egenolphus à VVeiler.
Georgius-Guilielmus Klœppel.
Iohannes-Ludouicus Fuchs.
Fridericus de Pauor.
Georgius-Rudolphus ab Oberſtein.
Sigiſmundus à Kœnigsfeld.
Iohannes-Chriſtophorus ab Harſtal.
Frider. Chriſtophorus à Flersheim.
Iohannes Ludouicus à Kerpen.
Iohannes-Conradus à VValbronn.
Iohannes-Philippus Knebel.
Adolphus à Spies.

Ad ſacra requiſiti.

Stephanus VVeberus, Epiſcopus Miſienſis, Suffraganeus Moguntinus.
Hugo Cratz à Scharpffenſtein Capitularis Moguntinus & Præpoſitus Francofurtenſis.
Georgius Antonius in Rotenſtein, Capitularis Moguntinus.
Adamus-Philippus à Cronberg, & Præceptor eius, Michael Hecken L.
Franciſcus Langius D.
Ioannes Scheubelius.

Cancellarius & Conſiliarii.

Franciſcus-Philippus Fauſt, Cancellarius.
Caſparus Fleiſchbein Licentiatus & Conſiliarius.
Nicolaus Gereon D. Conſiliarius.
Iohannes Rudinger ſcriba Cameræ, Conſiliarius.
Iacobus Henſel Secretarius.
Georgius-Iacobus Sartorius, dictus Tilmetz D. Medicus.
Ambroſius Seibæus D. Concionator aulicus.
Iohannes Schuuichardus Kraichius Diaconus aulicus.
Iodocus Sperling Secretarius Cameræ.
Wendelinus Rothius Quæſtor ærarius.
Andreas Simrock ſcriba ærarius.
Sebaldus Kriegel præfectus culinæ.
Balthaſarus Holrauuer.
Matthias Foltz.
Iohannes VVeil.
Iohannes Pfiſter.
} Cancelliſtæ.

REVE-

REVERENDISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS, Dn. Lotharius Archiepiſcopus Treuirenſis, S. Romani Imperii per Galliam & regnum Arelatenſe Archicancellarius & Elector, Adminiſtrator in Prum, &c. $\frac{21}{11}$. Maii, Francofurtum ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius;

Præcipui officiarii.

Carolus Comes in Manderſcheid & Blankenheim, Dominus in Geroldſtein.
Iohannes-Guilhelmus Huſmannus de Namedi, Choralis Epiſcopus Treuirenſis, & præpoſitus in Limburg.
Theodoricus ab Horſt, Capitularis Treuirenſis.
Iohannes Reinhardus à Metternich, Capitularis Moguntinus & Monaſterienſis VVeſtphaliæ.
Iohannes Zano à Merle, præfectus hæreditarius Hammenſis, Dominus in Arras, prouincialis aulæ Magiſter, præfectus in Ham & Baldeneck, Conſiliarius.
Melchior Dominus in Eltz, Mareſchallus, præfectus in Monthabaur & Molsberg, Conſiliarius & præfectus.
Philippus-Fridericus, Comes à Falckenſtein, Dominus in Oberſtein, &c.
Antonius Cratz à Scharpffenſtein, præfectus in Coblentz, Bergpflegen & Engers, Conſiliarius.
Damianus à Leien, Præfectus in Boppart, VVeſel, & VVelmich, Conſiliarius.
Ludouicus-Alexander à Sœttern, Præfectus in Munſtermeinfeld & Cobern, Conſiliarius.
Hugo Eberhardus Cratz à Scharpffenſtein, Domicellarius Moguntinus, & Treuirenſis.
Emmericus à Metternich, Domicellarius Treuirenſis, VVormatienſis & Paderbornenſis.
Lupertus ab Heiden, Dominus in Hagenbeck, Præfectus in Limpurg, Camberg, & Vilmaria.
Philippus-Anthonius à Stein, Præfectus & Centurio in Erenbreitſtein.
Iohannes-Georgius à Fels, Præfectus in VVitlich & Bruch.
Gulhelmus à Metternich, Dominus in Berburg, Præfectus in Meyen, Monreal & KaiſersEſch.
Eberhardus Dominus de Pallant & Breitenbend, Scholaſter Cliuenſis, & Canonicus in Santen.
Gualterus à Tengnagel, in Lhunen, Aulæ Magiſter.
Iohannes-Fridericus Quadius, Dominus in LandsCron, Thonberg & Ehrenberg.
Adolphus à Neſſelrhod, Dominus in Creshouen.
Iohannes à VVilich in Groſſen Berenſau.
Theodoricus-Ludouicus à Bulich, in Butgenbach.
Franciſcus-Ludouicus à VVarſperg.
Iohannes-Philippus Cratz à Scharpffenſtein, Centurio.
Iohannes-Petrus à VValterdorff.
Georgius-Chriſtophorus à Staffel.
Samſon ab Hagen Sabul, Præfectus.
Ottho Nicolaus à Steincallenfels, venationum Magiſter.
Auguſtinus Zand de Merle Decurio.
Iohannes-Gerhardus à Metternich.
Iohannes Oberhœltzer.

Nobiles aulici & mandatarii alii.

Petrus-Erneſtus à Metzenhauſen.
Reinhardus-Bernhardus de S. Fontein.
Ludouicus Zand de Merle.
Philippus-Guilhelmus, Præfectus in Hunolſtein.
Iohannes-Bernhardus Möhr, de VVald.
Philippus Iacobus VValdecker à Keimbr.
Matthias à Kerkering.
Henricus VValdpottus à Kœnigsfeld.
Henricus Carolus à Than.
Nicolaus à Guntersdorff.
Iohannes VVolffgangus à Lœuuenſtein.
Daniel Fick, Centurio.
Guilhelmus Holdthauſen Signifer.

Cancellarius, Conſiliarii, & officiarii alii.

Petrus Schneid D. Cancellarius & Conſiliarius.
Bernhardus Putz, Licentiatus & Conſiliarius.
Cuno de Graenſtein D. & Conſiliarius.
Nicolaus Langmeſſer Conſiliarius & Prouincialis Quæſtor.
Sebaſtianus Federus D. Medicus.

Iohan-

Iohannes Ehinger Secretarius.

Iohannes Braun
Fridericus Leinen } Concionatores aulici.

Georgius Vdalricus VVadenſis, Regiſtrator.

Seruatius Eick
Paulus VVolter } Cubicularii miniſtri.

Petrus Cuntzer
Franciſcus Hauſman } Cancelliſtæ.

Iohannes-Georgius à Breitbach.
Iohannes Arnoldus Virmundus
Nicolaus Lellich. } Pueri nobiles.

Franciſcus à Reyer.
Iohannes ab Eller.
Iohannes Iacobus à Duna. } Pueri nobiles.

REVERENDISSIMVS ET ILLVSTRISSIMVS Princeps & Dominus, Dn. Ferdinandus, Archiepiſcopus Colonienſis, S. Rom. Imperii per Italiam Archicancellarius & Elector, Luttichii & Monaſterii Epiſcopus, Coadiutor & Adminiſtrator Paderbornenſis, Hildesheimenſis & Berchtergadenſis Eccleſiarum, Princeps in Stabel, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, VVeſtphaliæ, Engerni & Bullioni, Marchio Franchimonti, &c. Francofurtum $\frac{20}{10}$ Maii die ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius;

Primarii quidam officiarii.

Eitel-Fridericus, Comes in Hohenzollern, Sigmaring & Vehringen, hæreditarius S. Rom. Imperii Camerarius, Eccleſiarum Cathedralium, Moguntinenſis, Colonienſis, Salisbergenſis, & Aichſtettenſis, reſpectiue Præpoſitus & Canonicus, ſecret. Conſiliarius, & ſupremus aulæ magiſter.

Iohannes à Grosbeg, S. Rom. Imperii Comes, Baro in Grosbeg, Gubernator in Hoy, ſupremus Camerarius.

Iohannes de Houelich in Lohmar, Præfectus in Hulbkerot, Conſiliarius & Mareſchallus Colonienſis.

Otto de Bongart in Bergerhauſen, Eques, Præfectus in Lechnich, ſupremus Stab. Magiſter.

Stephanus Wrede in Melſchede, Droſſardus in Balue, Aulæ Magiſter.

Comites & proceres alii peculiariter conſcripti & acciti.

Gulielmus Salentinus, Comes in Salm, Dominus in Kifferſcheid, Eccleſiarum Colonienſis & Argentinenſis Scholaſter & Canonicus.

Egon Comes in Furſtenberg, Heiligenberg & Werdenberg, &c. Cathedralis & collegiatæ Eccleſiæ ad S. Gereonem Coloniæ Præpoſitus, & reſpectiue Canonicus.

Arnoldus à Bucholtz, Eccleſiæ Hildesheimenſis Præpoſitus, Cathedralis Eccleſiæ Luttichienſis & Monaſterienſis Canonicus, Archidiaconus in Hiſpania, ſecret. Conſiliarius.

Adolphus Wolffgangus, dictus Metternich in Gracht, Cathedralis Eccleſiæ Spirenſis Decanus, & Eccleſiæ Wormatienſis ad S. Andream Præpoſitus, ſecret. Conſiliarius.

Erneſtus Comes & Dominus in Eiſenburg & Grenſau.

Demmaus à Bucholtz, Canonicus Monaſterienſis.

Iohannes à Gertznich, dictus Sintzig, Præfectus.

Nobiles Conſiliarii.

Caſparus à Furſtenberg in Waterlap & Schnellenberg, Droſſardus in Bilſtein, Fridberg, Fritzlar, & Nauerburg, Conſiliarius.

Iob à Lanſperg in Marca & Eruuitta, Prouincialis Paderbornenſis Droſſardus.

Alexander de Velen, Droſſardus in VValberg & Saſſenberg, Conſiliarius & Mareſchallus Monaſterienſis.

Theodoricus à Reckin Curl. Conſiliarius.

Paulus Rantzouius, Conſiliarius.

Camerarii.

Carolus-Erneſtus à Linden, Dominus in Fredecurt, Comitatus Franchimontenſis Gubernator.

Erneſtus à Linden, S. Romani Imperii Baro in Reckum.

Erneſtus Fridericus Comes in Salm, Dominus in Ritterſcheid & Alffter.

Erneſtus Comes Marcæ & Manderſcheit, Baro in Leunen & Serein,

Guil-

Guilhelmus Baro in Hollinghouen.
Carolus à Baex.
Henricus à Theſling, prouincialis Comitatus Zurphanienſis Droſſardus.
Dionyſius de Potirs, Dominus in Fenff.
Daniel ab Herſel in Vochum, præfectus in Bruel.
Iohannes-Melchior de Melſchede Droſſardus in Anricht.

Cancellarius & Aulæ Cameraq; Conſiliarii.

Theodoricus Biſterfeldus, I.V.D. ſecret. Conſiliarius & Camerarius.
Iohannes Kempius D. ſecret. Conſiliarius & præfectus Colonienſis.
Chriſtophorus Wietzlerus Licentiatus.
Arnoldus Prum, dictus Altenhofen, D.
Iohannes Reinhardus, aulæ Cameralis Conſiliarius & Quæſtor prouincialis.
Daniel Schillingus aulæ Cameralis Conſiliarius & Secretarius.

Nobiles Aulici & Dapiferi.

Iohannes-Georgius à Leich, præfectus Ædernacenſis, pincerna.
Adolphus Raetz à Frentz in Schonau, Capitaneus, pincerna.
F... Boiſſel ab Atzenzel, prægustator.
Ludouicus Atezius, prægustator.
Fridericus à Blumberg.
Iohannes ab Hatzfeld.
De Rauuiel ſupremus Legatus.
Rudolphus à Frentz.
Gerhardus à Waldenberg, dictus Sckinckern.
Conſtantinus à Neukirchen, dictus Niuenheim.
Guilielmus-Theodoricus Reuen.
Adolphus Raetz à Fretz in Kendenich.
Arnoldus à Bœmer.
Philippus à Rottenſtein.
Caſparus à Meſchede.
Iohannes-Henricus Schal in Flersheim.
Cleremontus.
VVinandus à Berlo.
Horion in Zell.
Hadrianus ab Hohnsbruch.
Iohannes-Guilhelmus Scheffert, dictus VVeiſuueiler.
Guilhelmus VVeſtphalus.
Fridericus VVeſtphalus.
Canſteinius.
Iohannes à Reck in Reck.
Iohannes-Adolphus-VVolffgangus, dictus Mitternicht in Gracht.
Hugo del Giuſt.
Hieronymus de Rocea.

Cancellaria.

Daniel Metzger, Secretarius Gallicus.
Michael Flœcker, Secretarius.
Gauco Gaukema, Secretarius Italus.
Petrus Hulsmannus Conſilii aulici Secretar.
Arnoldus Heufft, Secretarius.
Petrus Nentuich Secretarius.
Iohannes-Caſparus Vngſpeg, ſecret. Cancel.
Henricus Renſingus, Cancelliſta.
Laurentius Strelmeier, Cancelliſta.
Iohannes à Couerden, Cancelliſta.

Doctores, Cubicularii & pueri nobiles.

Adolphus Schulckenius D. Concionator aulicus.
Petrus VVinæus Theologus Confeſſionarius.
Henricus Geringus D. Medicus.
Sign. Boſco.
Benedictus Schuntndel miniſter Cubicularius.
Iohannes Zuckmeſſer.
Iohannes Diegel.
Petrus Milsmannus miniſter Cubicularius.
Theodorus Reppelmund. } Miniſtri Cubicularii.
Iohannes Beretz de Malauanda. }

Flori-

Florinus.
Chriſtophorus Stephani, Diaconus Aulicus.
Hermannus Dorholtz Diaconus Aulicus.
Degenardus Schal.
Gaudentius Weixner.
Ioannes-Caſparus Diſtlingus.
Gothardus à Zetlitz.
Gotfridus Schaffcotſch.
Ioachimus Ritzheim.
Wolffgangus-Guilhelmus Pucher.
Gothardus ab Amſterot.
} Pueri Nobiles.
Melchior Weilandus Chirurgus.

Satellites.

Guilhelmus ab Etzbach Equitum Magiſter, & alii.

ILLVSTRISSIMVS ET POTENTISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS, Dominus Iohannes, Comes Palatinus Rheni, Tutor & Adminiſtrator Electoratus Palatini, S. Romani Imperii in tractu Rhenano, Francico & Sueuico tum temporis Adminiſtrator Vicarius, Dux Bauariæ, Comes Veldentiæ & Sponheimiæ, &c. Francofurtum $\frac{20}{10}$. Maij die ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarij & Officiarij primarij.

Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Electoratus Palatini hæres.
Fridericus-Caſimirus, Comes Palatinus Rheni.
Ioannes-Caſimirus, Comes Palatinus Rheni.
Chriſtianus Princeps Anhaltinus.
Iohannes-Albertus Comes Solmenſis, ſupremus aulæ Magiſter.
Iohannes-Chriſtophorus à Gruen in Weiersberg, Cancellarius.
Pleichardus ab Helmſted, ſupremus aulæ Mareſchallus.
Meinhardus à Scœnberg, Præfectus.
Ioannes Engelbertus à Lautern ſecret. Conſiliarius.
Henricus-Theodoricus à Schœnberg, Burggrauius Starckenburgicus.
Philippus-Iacobus ab Affenſtein, Submareſchallus.
Hugo-Fridericus Zorn à Bullach, Magiſter aulicus.
Ludouicus ab Obentraut, Stabul. Magiſter.
Nicolaus à Schmidberg.
Ioannes-Caſimirus Kolb à Wartenberg.
Ioannes-Conradus Plorer à Geietsberg.
Gotfridus à Lautern.
Ioannes-Conradus à Wonsheim.
Pancratius à Gruen.
} Nobiles Camerarij.
Ottenſteinius.
Monſ. Bonifoius.
} Iunioris Electoris Nobiles Camerarij.
Fridericus ab Affenſtein, Capitaneus.
Otto Spigelius.
Ioannes-Philippus à Weingart.
Ioannes Adolphus à Molſperg.
Reinhardus-Fridericus à Bettendorff.
Matthias à Blitterſchvig, Capitaneus.
Georgius-Adamus à Sparenberg.
Ludouicus à Stockheim.
Ioannes-Theodoricus Scotus à Fiſchbach.

Comites & proceres conſcripti & acciti.

Ludouicus Comes à Witgenſtein, Præfectus in Simmern.
Ludouicus Comes ab Erbach.
Georgius Comes à Naſſau.
Bernhardus Comes à Witgenſtein.
Philippus Comes à Solms.
Henricus Baro in Vvaldburg, dapifer hæreditarius.
Philippus à Vvinnenberg, Burggrauius in Altzeu.
Guilhelmus à Vvinnenberg, Præfectus Crucenaci.

Comites iuniores, Friderico Electori iuniori miniſtrantes.

Iohannes-Conradus Wild & Reingrauius.
Philippus Erneſtus Comes Eiſenburgicus.
Conradus-Ludouicus Comes Solmenſis.
Iohannes-Albertus Comes Solmenſis.
Ludouicus Comes in Wittgenſtein.
Iohannes-Theodoricus à Zerotin, Baro.
Comites duo Ortenburgici.

Officiarii & alii Nobiles conſcripti & acciti.

Ioannes-Michael ab Obentraut, Equitum Magiſter.
Ioannes-Rupertus à Budingen, Brettæ præfectus.
Reinhardus à Gemmingen.
Pleichardus Landſchad à Steinach, Præfectus in Germersheim.
Philippus ab Helmſted.
Ioannes-Reinardus à Sickingen.
Iodocus-Andreas à Waldhauſen.
Henricus Rantzouius.
Otto-Guilhelmus Berlipſch, Præfectus in Reinfels.
Philippus-Ludouicus à Flehingen.
Fridericus à Venningen.
Ioannes-Fridericus Rideſel.
Henricus Hilmanus à Munchhauſen.
Ludouicus à Moſpach.
Fridericus Schenck à Schmidberg.
Georgius-Matthæus à Brand.
Georgius-Hartmannus à Walbrun.
Ioannes à Schlandern.
Ioannes-Guilhelmus à Lohauſen.
Georgius-Wolffgangus à Wildenſtein.
Henricus Blumius.
Valentinus ab Helmſted.
Georgius Zorn, Tribunus militum.

Conſiliarii & Secretarii.

Ludouicus Camerarius D. ſecret. Conſiliarius.
Georgius-Fridericus Paſtor, D. Conſiliarius.
Chriſtianus Rumpff D. Medicus.
Ioannes Sturtz D. Conſiliarius Bipontinus.
Matthias Heilman Secretarius Cameræ, & Cancelliſta.
Martinus Hauſmannus Secretarius & Cancelliſta.
Franciſcus Liesfeldius Secretarius.
Bartholomæus Pitiſcus, Concionator aulicus.
Chriſtophorus Fatzmuller, Equorum domitor.
Euſebius Mœnius, Tribunus ærarius.

Ad Fridericum-Caſimirum Comitem Palatinum Rheni pertinentes.

Philippus-Caſimirus Ploretus, Aulæ Magiſter.
Caſimirus Ploretus.
Georgius-Matthæus à Brandes.
Georgius-Hartmannus à Walbrun.

Ad Iohannem-Caſimirum Comitem Palatinum Rheni pertinentes.

Carolus à Dam.
Ioannes-Fridericus à Schmitberg.
Philippus-Franciſcus à Flersheim.
Schrayerus Cameræ miniſter.

Ad Chriſtianum Principem Anhaltinum.

Burchardus ab Erlach, Magiſter aulicus.
Balthaſarus à Schlamersdorff.
Iohannes-Guilhelmus à Ladorff.
Iohannes-Chriſtophorus ab Adoltzheim.
Melchior Eins.

Ad Illuſ-

Ad Illuſtriſſimæ Principis & Dominæ, Dn. Loyſa Palatinæ, &c. Illuſtriſſimi Principis & Domini, Dn. Iohannis, Electoratus Palatini Adminiſtratoris, &c. Gynæceum pertinentes.

Catharina Sophia Palatina.
Eliſabetha-Scharlotta Palatina.
Amelia, Princeps Vraniæ.
Loyſa-Scharlotta Comitiſſa Hanouienſis.
Sibylla-Pleſſina Gynæcei magiſtra.
Anna Blitterswickin Gynæcei magiſtra.
Vilhermina Blitterwickin.
Vrſula à Schelmin.
Agnes à Quadin.
Anna-Maria Beblitzin. } Nobiles virgines.

ILLVSTRISSIMVS ET POTENTISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS, Dominus Iohannes-Georgius, Dux Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium, S. Romani Imperii Archimareſchallus, Elector, & eiuſdem Imperii in tractu Saxonico, pro tempore Adminiſtrator Vicarius, Landgrauius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, & Burggrauius Magdeburgenſis, &c. Comes Marchiæ & Rauenſpurgi, Dominus in Rauenſtein, &c. Francofurtum $\frac{20}{10}$. Maii ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarii & Officiarii primarii.

Albertus Dux Holſatiæ & Sleſuigæ.
Carolus-Guntherus.
Chriſtianus-Guntherus. } Comites Schwartzburgenſes.
Ioannes-Georgius ab Oſterhauſen, Aulæ Mareſchallus.
Caſparus à Schœnberg ſecret. Appellationum Conſiliarius & Præſes.
Bernhardus à Polnitz, Cancellarius & ſecret. Conſiliarius.
Eſaias à Brandenſtein, ſupremus iudicio Præfectus & ſecret. Conſiliarius.
Chriſtophorus à Loſs. Imperii Quæſtor & ſecret. Conſiliarius.
Ioachimus à Loſs. ſecret. Conſiliarius.
Marcus Gerſtenberger D. & ſecret. Conſiliarius.
Rudolphus à Vitzthumb. ſupremus Camerarius.
Guntherus Lœſer, Stabul. Magiſter.
Georgius à Bintauff, Stabul. Vice Magiſter.
Ioachimus è Schliben.
Carolus Goldſteinius. } Præfecti.
Iodocus Henricus à Schweichel.
Leuinus ab Hayn.
Fridmannus à Selwitz.
Ludouic. Guilhelmus à Trotta. } Equitum Magiſtri.
Bernhardus à Starſchedel, ſupremus Legatus, & Centurio in Plauen.
Henricus à Bunau, in Treben.

Nobiles Camerarii.

Theodoricus à Taub.
Sigiſmundus à Luckawin.
Chriſtophorus Rudolph. Winckelius.
Henricus Schenck.
Wolffgangus à Boclau.

Dapiferi.

Henricus-Sebaſtianus Metſchius.
Ioannes à Schœnberg.
Ioannes à Taube.
Iodocus à Wuſtenhoff.
Gundius Wahſs.
Vlricus à Grunrod.
Henningus Stammer.
Guntherus ab Hermſdorff.
Guilielmus Brem.
Georgius-Chriſtoph. ab Olſnitz.
Chriſtophorus à Schleinitz.
Iohannes ab Oſterhauſen.

Georgius Pflugius.

Cubicularij miniſtri.

Wolffgangus à Mœhl.
Henricus à Taube.
Fridericus à Rœdern.
Albertus à Botkam.
Iodocus Clemens à Reitzenſtein.
Georgius à Vitzthumb.
Ioannes-Caſparus Lidemannus.
Ioannes-Albertus à Bernſtein.
Carolus-Chriſtophorus ab Herda.
Chriſtophorus à Libenau.
Georgius à Bintauff.
Vvernerus à Lutzelburg.
Ioannes Guilhelmus Rœmerus.
Ludouicus à Taube.
Matthæus-Clemens à Raeppichen.
Georgius à Diſſenhauſen.
Caſparus-Erneſtus à Vveisbach.
Georgius à Schmeling.
Ioannes à Rohra.
Caſparus à Rohra.

Secretarii & alii Officiarii.

Ludouicus-Guilielmus Moſerus, Conſiliarius & Cameræ Secretarius.
Iacobus Zechnerus Secretarius.
Iacobus Cocus D. } Medici.
Georgius Beltzer. D. }
Daniel Haynichen M. Concionator aulicus.
Ioannes Vopelius ſatellitum præfectus.
Sebaſtianus Oſterlandus ſatellitum præfectus.
Melchior Rupertus ſcriba Cameræ.

ILLVSTRISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, Domini Iohannis-Sigiſmundi, Marchionis Brandenburgenſis, S. Rom. Imperij Archicamerarij & Electoris, Boruſſiæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, & Sileſiæ, &c. Ducis, Burggrauij Nurenbergenſis, Principis Rugiæ, Comitis Marchiæ & Rauenſpurgi, Domini in Rauenſtein, &c.

Legatus.

Adamus Ganſius, Dominus in Putlitz, Vvolffeshagen & Vvittenberge, Elector. Brandenburg. Vicarius & ſecret. Conſiliarius, nec non Electoratus Brandenburgici Mareſchallus hæreditarius.

Francofurtum ingreſſus eſt $\frac{21}{11}$. Maij, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarii primarii.

Abrahamus Burggrauius & Baro à Dhona, ſecret. Conſiliarius.
Fridericus Pruckmannus D. ſecret. Conſiliarius, & Vicecancellarius.
Simon Vlricus Piſtorius in Seiſelitz, ſecret. Conſiliarius.
Chriſtianus à Bellin in Markau, ſecret. Conſiliarius.

Nobiles & alii Officiarii.

Nicolaus Hahn in Baſedou.
Chriſtianus à Bredou in Groſzieten.
Georgius & Diecloffus fratres, à Vvinterfeld.
Georgius à Grœben.
Otto Diſcouius in Finſterwald.
Conradus à Brunen, D.
Ioachimus Bonus, Secretarius.
Chriſtophorus Dreherus Camerarius, ſcriba & Quæſtor.
Vitus Friſchmannus Cancelliſta.

Illuſtriſſi-

Illuſtriſſimus & Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dominus Georgius Guſtauus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Comes Veldentiæ & Sponhemiæ, &c. 12/2. Iunii die, Francofurtum ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarii & Officiarii primarii.

Georgius-Chriſtophorus à Molſperg, Aulæ Magiſter.
Philippus-Adolphus à Molſperg.
Hermannus à Kœteritz, Conſiliarius.
Ioannes-Sixtus à Lammerſchein, Conſiliarius.
Ioannes-Henricus Keslerus à Sarmsheim, Gynæcei Magiſter.
Georgius-Fridericus ab Hager.
Georgius-Fridericus à Mauchenheim, dictus Bechtolsheim, Equitum Magiſter.
Conradus-Nicolaus ab Obentraut.
Ioannes-Gangolphus à Brand.
Andreas à Sopp.
Ioannes-Chriſtophorus à Spanheim, dictus Bachorach.
Ioannes Hartwinus à Winningen.
Ioannes-Fridericus, Præfectus in Handſtein.
Ioannes-Georgius Wurth, D. Conſiliarius.
Helmerus Struvinga, Secretarius.
Daniel Haſnorus, Camerarius Scriba.
Ioannes-Henricus Winckelſaß, Cancelliſta.

Illuſtriſſimæ Principis & Dominæ, Dn. Mariæ-Eliſabethæ Palatinæ Rheni, &c. Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis & Domini, Dn. Georgii-Guſtaui, &c. coniugis, Gynæceum.

Amelia Iacobe, Palatina Rheni.
Anna-Magdalena, Palatina Rheni.
Anna-Amelia Comitiſſa in Vviedt.
Maria-Dorothea à Lindau, Gynæcei Magiſtra.
Anna-Magdalena à Keilenbach.
Anna-Maria à Stein Callenfels.
Eliſabetha-Margaretha à Stockheim.

Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Principes & Domini, Dominus Fridericus-Caſimirus, & Dn. Iohannes Caſimirus, Comites Palatini Rheni, Francofurtum die 1/2. Iunii ingreſſi ſunt.

Eorum vero comitatus ſupra in Electoratus Palatini Adminiſtratoris deſignatione annotatus reperitur.

Illuſtriſſimus & Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Iohannes-Caſimirus, Dux Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium, Landgrauius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, Comes Marchiæ, & Rauenſpurgi, Dominus in Rauenſtein, &c. 1/2. Iunij die Francofurtum ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarij & Officiarij primarij.

Chriſtophorus Hund, Conſiliarius & Aulæ Magiſter.
Albertus à Steinau, dictus Steinruck, Præfectus in Sonnefeld.
Iodocus Marſchalcus à Bricken, Equitum & Stabul. Magiſter.
Ioannes-Georgius ab Eiche. } Nobiles Camerarij.
Ioannes-Henricus à Keslau. }
Ioannes à Steinau, dictus Steinruck.
Ioannes à Chricholzey.
Ioannes-Georgius à Schœnberg.
Sebaſtianus à Berndorff.
Vitus-Vlricus à Rotenhan.
Erneſtus Fohmannus D. Conſiliarius.
Ioannes-Gerhardus D. Superintendens.
Rumpelius D. Medicus.
Secretarius Cameræ.
Scriba Camerarius.
Georgius Geroldt Oeconomus.

Illuſtriſſimus & potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Johannes-Erneſtus iunior, Dux Saxoniæ, &c. $\frac{24}{3}$. Iunii Francofurtum ingreſſus eſt.

In comitatu eius inter alios fuerunt:

Caſparus à Dierleben.
Wolffgangus Marſchalcus. } Nobiles Camerarij.
Lucas Daniel.

Illuſtriſſimus & potentiſſimus Princeps & Dominus. Dominus Ioachimus-Erneſtus, Marchio Brandenburgenſis, Boruſſiæ, Stetini Pomeranæ, Caſſubiorum & Vandalorum, Sileſiaque Dux, Burggrauius Nurenbergenſis & Princeps Rugenſis, &c. $\frac{1}{11}$. Iunii Francofurtum ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarii & Officiarii primarii.

Ioachimus-Erneſtus, Princeps Anhaltinus.
Henricus-Guilielmus Comes Solmenſis.
Erneſtus Comes in Mansfeld.
Philippus Fuchs, Eques auratus, præfectus militiæ & ſecret. Conſiliarius.
Eraſmus Schenck à Limberg.
Vitus-Theodoricus ab Eip, Aulæ Magiſter.
Magiſter Aulicus Anhaltinus.
Dominus à Promnitz.
Goldſteinius ſupremus Legatus.
Ludouicus Zoch. Stabul. Magiſter.
Capitaneus Bulach.
Eitel Henricus à Stein.
Wolffgangus-Andreas Stiberus.
Iohannes Vitus Stiberus.
Adamus-Hermannus Rottenheimerus.
Ioannes-Henricus ab Abſperg.
Georgius-Fridericus à Leudesheim.
Wolffgangus-Chriſtophorus Stiber.
Ioannes Hermannus Zobelius.
Ioannes-Georgius Gertzius.
Albertus à Creilsheim.
Comitis Erneſti Legatus.
Grans Legatus.
Iohannes à Stremp.
Duro.
Balthaſarus Neub, Cameræ Secret.
Octauianus Heler, Trib. ærarius.

Illuſtriſſimus & potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Georgius-Guilhelmus, Marchio Brandenburgicus, &c. Francofurtum $\frac{13}{3}$. Iunii ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarij & præcipui Officiarij.

Iohannes à Burck, Magiſter Aulicus.
Gabriel à Dhona, Stabul. Magiſter.
Ioachimus à Retzdorff, } Camerarii Nobiles.
Ioannes Ecbertus Weſtphalen, }
Ioannes Gauronius Præceptor.
Ioannes Lybingius. Secretarius.
Fridericus Alemeierus, Quæſtor.

Illuſtriſſimus & potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Iohannes Fridericus, Dux Wirtembergenſis & Teccenſis, Comes Mompelgardenſis. Dominus in Heidenheim, &c. Francofurtum $\frac{20}{30}$. Iunii ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius:

Conſiliarij & Officiarij primarij.

Ludouicus Fridericus, Dux Wirtembergenſis & Teccenſis, &c.
Iulius-Fridericus, Dux Wirtembergenſis & Teccenſis, &c.
Crato Comes in Hohenloe, Dominus in Langenberg, præfectus.
Ioannes-Iacobus, Comes in Eberſtein, Dominus in Frauenburg & Forpach, Conſiliarius, & ſupremus aulæ Mareſchallus.

Philip-

Philippus Comes in Oetingen, Conſiliarius & præfectus in Heidenheim.
Caſimirus Comes in Lœuenſtein, Wœrtheim & Roſchefurt, Dominus in Scharpffeneg & Breuburg.
Albertus Baro in Limpurg, S. R. Imperii pincerna hæreditarius & ſemper Liber.
Georgius Ludouicus à Freyberg, Baro in Iuſtingen & Oepfingen.
Georgius Baro in Merſpurg & Beffort.
Hammannus ab Offenburg, Tribunus & ſub Mareſchallus.
Beniaminus Buuuinckhauſen à Walmerode, Conſiliarius aulicus & præfectus in Allencon.
Melchior à Reichau in Coſchuitz, præfectus in Blaubauren.
Ioachimus à Gruenthal, Conſiliarius, Magiſter aulicus in nouo Collegio Tubingenſi, & præfectus in Wiltberg.
Ludouicus Fridericus ab Anuueil, Stabul. Magiſter.
Chriſtophorus à Laming, Conſiliarius.
Franciſcus-Ludouicus Zorn à Bulach, præfectus in Vaehingen.
Iohannes-Iacobus Wurmſerus à Vendenheim, Ducis Ludouici-Friderici aulæ Magiſter.
Dauid à Stein.
Achatius à Laming. } Camerarii Nobiles.
Henricus-Teuffel à Birckenheim.
Sebaſtianus Schaualitzky. } Dapiferi.
Ludouicus à VVeiler.
Henricus ab Vlm. } Tribuni militum.
Elias Haack, Ducis Ludouici Friderici Stabul. Magiſter.
Ludouicus Guet à Sultz, Ducis Ludouici Friderici, Camerar. Nobilis.
Chriſtophorus à Tann, Ducis Iulii Friderici, Camerar. Nobilis.
Ludouicus ab Halbuuel in Baihingen, Cōſiliarius & iudicii prouincialis Tubingæ Adſeſſor.
Kilianus Brasbergerus, Conſiliarius.

Nobiles aulici.

Iohannes Ludouicus à Dachſperg.
Ludouicus ab Hoheneg.
Eraſmus Nothafftus ab Hohenberg.
Albertus à VVeiler.
Iacobus Heronnier.
Melchior à Seidlitz.
VVenceslaus Redelſeſter à VVelmerſdorff.
Ludouicus Eberhardus à Morſtein, Hohenloicus Atrii Magiſter.
Hermannus-Guilhelmus à VVaichmar, Hohenloicus Stabul. Magiſter.
Iohannes-Georgius à Sigmarshofen, Nobilis Oetingicus.
Iohannes-Iacobus ab Helmſtetter, Limpurgicus Atrii Magiſter.

Conſiliarii & Cancellaria.

Sebaſtianus Faber D. ViceCancellarius.
Vitus Braitſchuuert, Conſiliarius.
Iohannes Sattler, Conſiliarius & Cameræ Secretarius.
Iacobus Rathgeber, Cameræ Secretarius.
Chriſtophorus Binder M. Concionator aulicus.
Abrahamus Schopff D. Medicus.
Paulus Schnepff, Conſiliarius.
Iohannes-Auguſtinus Aſſum.
Philemond Claſquin, Ducis Ludouici-Friderici Secretarius.
Michael Benderich, Ducis Iulii Friderici Secretarius.

Illuſtriſſimus & Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Mauritius, Landgrauius Haſſiæ, Comes in Catzenelenbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, &c. 14 Iunii Francofurtum ingreſſus eſt, fueruntq; in comitatu eius:

Conſiliarii & Officiarii primarii.

Iohannes-Ludouicus Comes Naſſouiæ.
Guilhelmus Comes Naſſouiæ.
Iohannes VVolffert Strein.
Ericus Volckmarus à Berlips Aulæ Mareſchallus.
Volpertus Rideſel, Mareſchallus hæreditarius.
Otto Guilhelmus à Berlips, Præfectus Comitatus Catzenelenbogenſis.
Hieronymus Carion, ſecret. Conſiliarius.
Iohannes Melchior à Schuualbach, Armamentarii ſupremus legatus.
Georgius Leuinus de Matten, Camerarius,

Fridericus ab Heringshauſen, Stabul. Magiſter.
Conradus-Henricus ab Vſlen, Equitum Præfectus.
Fridericus VVeiters, Magiſter Equitum.
Auguſtinus Curion, Regiæ Maieſtatis in Gallia conſtitutus, ſatellitum ſignifer.
Theodoricus à VVerder, Nobilis Camerarius.
Henricus-Ludouicus à Kalmberg, Nobilis Camerarius.
Erneſtus à Borſtel, Nobilis Camerarius.
Rudolphus Rau, Nobilis Camerarius.
Iohannes à Meiſenburg ſenior, Dapifer.
Henricus-Guilielmus ab Eſchuuege.
Guilhelmus Keudelius.
Ludouicus à Bœneburg.
Iohannes-Chriſtophorus à Pappenheim, Dapifer.
Iohannes-Melchior ab Hartſtal }
Otto-Fridericus Quad. }
Ericus ab Amelunxen. } Dapiferi.
Helmertus ab Hack. }
Reinhardus Schœffer D. Cancellarius.
Moſanus D. Medicus.
Paulus Steinus M. Concionator aulicus.
Henricus-Ludouicus Schœffer, Cameræ Magiſter.
Lubertus Sartorius, Cameræ Secretarius.
Iohannes-VVolffgangus, ſatellitum Legatus.
Bartholomæus VVintherus, ſatellitum Cornetus.

Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis & Domini, D. Mauritii, Haſſia Landgrauii, &c. coniunx, Iuliana Naſſonia, &c. Francofurtum ingreſſa, in comitatu ſuo habuit;

Eliſabetham, filiam.
Gynæcei magiſtram.
Quatuor nobiles virgines, & alias ad Gynæceum pertinentes.

Illuſtriſsimus & Potentiſſimus Princeps & Dominus; Dominus Ludouicus Haſſia Landgrauius, Comes in Catzenelenbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, Francofurtum 15 Iunii ingreſſus eſt, fueruntq; in comitatu eius:

Conſiliarii & Officiarii primarii.

Georgius }
Iohannes } Landgrauii Haſſiæ.
Iohannes-Caſimirus, Comes in Leiningen, &c.
Iohannes-Philippus Comes, cum duobus fratribus.
Philippus-Georgius Comes in Leiningen.
Reinhardus-Henricus à Lerbach, Conſiliarius & Aulæ Mareſchallus.
Iohannes Piſtorius, Cancellarius Darmeſtadinus.
Iohannes Struppius de Gelnhauſen, Cancellarius Gieſſenſis.
Balthaſarus à VVeitelshauſen, dictus Schrautenbach, Præfectus in Lichtenberg.
Arnoldus Schuuartz, Præfectus in Nidda.
Iohannes-VVolffgangus à VVeitelshauſen, dictus Schrautenbach, ſupremus Legatus & Præfectus Gieſſenſis.
Bernhardus-Fridericus Prechter Georgii Landgrauii Atrii magiſter.
Iohannnes-Philippus à Buſeg, Præfectus in Romrot.
Melchior à Lerbach, Præfectus in Crumberg.
Georgius Rideſel ab Eiſenbach.
Georgius-Bernhardus ab Herringshauſen, Venationum Magiſter.
Iohannes-Henricus Mosbachius, Equitum Magiſter.
Iohannes-Ludouicus à Schbach, Stabuli Magiſter.
Guilhelmus Schaetzel, Syluæ curator in Romroth.
Volpertus }
Iohannes } Rideſelii.
Iohannes-Georgius à Bechtelsheim.
Adamus-Arnoldus ab Einhauſen.
Iohannes-Georgius à Trohe.
Caſparus à Breidenſtein.

Chuno

Chuno Quirinus Schutzius.
Iohannes-Balthaſarus Schrautenbach.
Hermannus-Otto à Buſeg.
Iohannes-Conradus à Schuualbach.
Fridericus-Echardus à Bellersheim.
Ioachimus à Brieſſe.
Euſtachius ab Harras.
Andreas de Gall, Equorum domitor.
Leo à Steinfurt.
Nicolaus ab Etmansdorff.
Iohannes-Georgius à Brandenſtein.
Georgius-Henricus Truchſeſſus.
Chriſtophorus à Storndorff.
Iohannes Vietor D. Concionator aulicus.
Gottfridus Antonius D. } Conſiliarii.
D. Faber. }

Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Principis & Domini, Dn. Ludouici, Haſſiæ Landgrauii, &c. coniunx, Magdalena Brandenburgica, Francofurtum adueniens, in comitatu ſuo habuit;

Eliſabetham-Magdalenam } Landgrauias Haſſiæ.
Annam-Eleonoram. }
Eliſabetham Mansfeldicam.
Duas virgines Nobiles.
Gynæcei Magiſtram, & alias ad Gynæceum pertinentes.

Illuſtriſſimus & Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Fridericus, Landgrauius Haſſiæ, &c. in comitatu ſuo habuit;

Valentinum-Gottfridum-Atrii Magiſtrum.
Carolum à Frieſſ, & alios.

Fuerunt etiam cum eo,

Fridericus-Vlricus Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis.
Philippus Landgrauius Haſſiæ.
Dominus à Krichingen.
Magiſter Aulicus à Wehe, vna cum aliis Officiariis.

Reuerendiſſ. Illuſtriſſ. & Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Otto, poſtulatus Adminiſtrator Eccleſiæ Hirsfeldenſis, Landgrauius Haſſiæ, &c. 14/4. Iunii Francofurtum ingreſſus eſt, fueruntque in comitatu eius;

Philippus à Schollei præſes.
Hieronymus Ducherus Aulæ Magiſter.
Burchardus Schetzel.
Theodoricus à Falckenberg.
Iohannes Zobel, Conſiliarius.

Illuſtriſſimus & Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dn. Georgius-Fridericus, Marchio Badenſis & Hochburgenſis, Landgrauius in Sauſſenberg, Dominus in Rotel & Badenuueiler, &c. die 21/11. Iunii Francofurtum ingreſſus eſt, fueruntq; in comitatu eius;

Conſiliarii & Officiarii primarii,

Caſimirus VVilt & Rheingrauius.
Otto VVilt & Rheingrauius.
Henricus à Starſchedel ſecret. Conſil. & Magiſt. aulicus.
Engelhardus Goller à Rebenſpurg ſecret. Conſiliarius.
Fridericus à Fleckenſtein, ſecret. Conſiliarius & Durlachii præfectus.
Iohannes Reinhardus Mosbach à Lindenfels, Conſiliarius & Pfortzheimii præfectus.
Philippus-Chriſtophorus à Munchingen.
Chuno-Eckbrechtus à Durckheim.
Schuuichardus à Sickingen.
Henricus VVeinſchencken, præfectus prouincialis in Raſtad & Cuppenheim.
Erneſtus-Fridericus Hornecker ab Hornberg, Stabul. Magiſter.
Iohannes-Philippus Stetten à Kockerſtetten, Nob. Camer.
Iohannes Chriſtophorus Ecbrechtus à Durckheim, Nobilis Camerarius.

Erneſtus-Chriſtophorus à Munchingen, Nob. Camer.
Philippus-Chriſtophorus ab Helmſtad
Georgius-Chriſtophorus à Fletsheim.
Wolffgangus-Sigiſmundus Deuffel.
Iohannes-Henricus à Schœnberg.
Iohannes-Burckhardus ab Hertingshauſen.
Matthæus Mullerus D. Medicus.
Georgius Geidtacker.

Illuſtriſſimus & Potentiſſ. Princeps & Dominus, Dn. Chriſtianus, Princeps Anhaltinus, Comes Aſcanid; Dominus Serueſtæ & Bernburgi, &c. Francofurtum ingreſſus, quem comitatum habuerit, vide ſupra in deſignatione & commemoratione comitatus Illuſtriſſimi Adminiſtratoris Electoratus Palatini, &c.

Reuerendi Principis & Domini, Dn. Iohannis-Friderici, Abbatis Monaſterii Fuldenſis, Romanæ Imperatricis Archicancellarii & Primatis, &c.

Legati.

Iohannes-Bernhardus Schenckius in Schweinsburg, Capitularis & Præpoſitus in Planckenau.
Leonhardus Agricola D. Cancellarius, & alii.

In Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Dn. Placidi de Marra, Epiſcopi Melphien. & Rapollani, per vniuerſam ſuperiorem Germaniam, Vngariam, Boemiam, &c. cum poteſtate Legati de latere, Nuncii Apoſtolici, apud Sacr. Cæſar. Maieſtatem commorantis, familia atq; comitatu fuerunt;

Saluator Gragnanus Nobil. Neapol. eiuſdem Illuſtriſ. Dn. Nuncii Oeconomus.
Abbas Lutius Valanſanus Proton. Apoſt. Nob. Neap. Proauditor.
Ioannes Baptiſta Puppinus Bononienſ. Eques auratus Sec.
Vitus Auconius Beneuentanus Capellanus.
Gregorius Cadmannus Canonicus Budiſinenſis Capellanus.
Nobilis Camillus Giraldus Bononienſis, Dapifer.
Bernhardus Rederius, Nobilis Auſtriacus, Pincerna.
Carolus Piſellus Romanus, Cubicularius.
Martialis Contius Soranus, Architriclinus.

In Illuſtriſſ. Et Reuerendiſſ. Dn. Antonii Albergati, Epiſcopi Vigiliarum, Nuncii Apoſtolici per totum tractum Rhenanum, & inferioris Germaniæ partes, cum poteſtate & facultatibus Legati de latere, apud Cæſarem commorantis, familia & comitatu fuerunt;

Illuſtris & Reuerendus Dom. Hieronymus Saracenus Protonotarius Apoſtolicus, Generalis, Nobilis Bononienſis.
Arnoldus Rhodius Abbreuiator ſupra memorati Illuſtriſſimi.
Nicol. Cruiſen, Theologus eiuſdem Illuſtriſſimi, Ordinis Sancti Auguſtini, Vltraiecté.
Paulus Saracenus Nobilis Bononienſis, Oeconomus Illuſtriſſimi.
Dionyſius Bruſatus, Aulæ Præfectus.
Gerardus Eueriuinus Calcarienſis Sacellanus Illuſtriſſimi.
Fuluius de Blanchis Archidriclinus Illuſtriſſimi, & Ciuis Mediolanenſis.
Valerius Menſotius Cubicularius Illuſtriſſimi, & Ciuis Bononienſis.
Iohannes Bartolinus I.V.D. Illuſtriſſimi Pincerna, Bon.
Georgius Rhymel Monacenſis, Cubicularius Illuſtriſſimi.
Iohannes Capella, Venetus.

Deſignatio Illuſtriſſimi Legati Regis Hiſpan. Catholici.

Don Balthaſar de Zuniga del conſeio de Su Mag. Catholica.
Y Su Embaxador en Alemanna.
El Coronel Don Balthaſar Marradas y Vique
Don Phelippe de Cardona.
El Capellan.
Petro Montauana.
Antonio de Caſtro, Mayordomo.
Iaques Bruneau, Secretario.
Franciſco de Albis, Secretario.
Iuan Ordouez, Cauallerizo.
Iu. Bapt. Bulteelos de Rinnegelht Copero.
Diego Henrique de Echaide Copero.

Nicolas

Nicolas Venegas Maeſtreſala.
Criſtoual de Mercadillo Theoſorero.
Roberto de Scheildre.
Iuan Bruno.
Guilielmo Portugal.
Maximiliano Precler.
El Capitan Don Gaſpar Rodriguez.
El Alferez Martin de Huerta.
Iuan Conrado Amſtat.
Cornelio Van Bontrine.
Iuan Cultine Veedor.
Iaques de Lis, ſoto Cauallerizo.
Chriſtian de Hertoge, Repoſtero.
Iuan Baptiſta, Credenzero.
Petro Coens, Comprador.

Deſignatio Illuſtriſſimi Legati Magni Ducis Hetruriæ.

L' Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Sig. Guiliano Medici.
Ambaſſadore del Sereniſſ. Gran Duca de Toſcana.
Il. S. Lorenzo Medici, fratello dell' Illuſtriſſ. S. Ambaſſadore.
Gabbretano Guidi.
Il S. Ottauio Martelli Maeſtro di Caſa.
Il S. Aurelio Sozziſanti.
Il S. Andrea Minucci.
Il S. Dauid Wurm.

L' Ambaſſadore dell Sereniſſ. Archiduca Alberto.

L' Conte Ferrante de la Somaglia.
L' Conte de Maluarano.
Don Franceſco la Conia.
Don Franceſco Capaca.

Illuſtris & Generoſus Comes & Dominus, Dn. Ludouicus Comes Naſſouius in Sarprucken & Sarwerden, Dominus in Lohr, VViſbaden, & Itzſtein, Francofurtum 23/13 Iunii ingreſſus eſt; fueruntq; in comitatu eius:

Conſiliarii & Officiarii primarii.

Iohannes-Nicolaus ab Hagen, Conſiliarius & Præfectus in Sarprucken.
Iohannes-Gottfridus à Stein, Conſiliarius & Præfectus in Weilburg.
Iohannes-Meinhardus à Leyen, Conſiliarius & Præfectus in Itzſtein.
Matthias ab Hirſchbach, Cancellarius.
Philippus-Daniel ab Hagen, Præfectus in Kirchheim.
Iohannes-Eberhardus Strens à Lauenſtein, Conſiliarius & Præfectus Comitatus Saruuerdenſis.
Iohannes-Wolffgangus à Lieuenſtein, Præfectus in Wiesbaden.
Iohannes-Chriſtophorus à Lieuenſtein, Magiſter aulicus.
Philippus-Fridericus à Wachenheim, Præfectus in Vingen.
Iohannes Guilhelmus Reinfurt, Tribunus prouincialis.
Bernhardus à Lindenau in Polenitz, Aulæ Magiſter Weilburgi.
Guilielmus à Lippen.
Iohannes-Georgius Schuantner, Nobilis Cubicularius.
Georgius-Henricus à Schœnberg in Falckenburg.
Iohannes-Schuichardus, Præfectus in Hunolſtein.
Iohannes-Georgius à Lindenau in Polenitz.
Henricus-Erneſtus à Kerpen.
Fridericus-VVolffgangus Bœckelius à Boclinſau.
Iohannes-Caſparus Kœchlerus à Schuondorff.
Andreas-Guilhelmus Naſſouius, dictus Braun.
Iohannes-Ludouicus à Camberg D. Conſiliarius.
Raimundus Iæger, D. Conſiliarius.
Iacobus Frentzel, Præfectus & Quæſtor in Neuenuueilnau.
Iohannes Heſſ. Cameræ Secretarius.

Balthaſar Loſch à Milheim. Rudolphus Zigler. Adamus VVœlffersdorff.	Miniſtri cubicularii.

In Illu-

In Illuſtris & Generoſi comitis & Dn. D. Ludouici, Comitis Naſſoniæ in Sarprucken, &c. coniugis, Anna-Maria Haßiaca, &c. comitatu & Gynaceo fuerunt;

Catharina Naſſouia in Sarprucken.
Erneſta } Conutiſſæ Naſſouiæ in Sarprucken.
Loyſa. }
Catharina à Stein, de Landſcron.
Catharina à Leien, ab Eltz.
Anna-Margaretha Loſchin, à Mylnheim.
Maria-Magdalena ab Entzenberg.

In Generoſi Comitis & Domini, Dn. Iohannis ſenioris Comitis in Naſſau, Catzenelenbogen, Vianden & Dietz, Domini in Beilſtein, &c. comitatu & familia fuerunt;

Conſiliarii & Officiarii primarii.

Georgius Comes Naſſouiæ.
Iohannes-Erneſtus Comes Naſſouiæ.
Iohannes Comes Naſſouiæ Iunior.
Philippus-Eraſmus à Langenbach, præfectus.
Iohannes-Guilhelmus à Welſchen Engſten, dictus Bernkoch, ſupremus Legatus.
Iohannes à Lohe, Magiſter Equitum.
Burchardus à Waltmanshauſen, Capitaneus.
Bernhardus Vogt ab Elſpen.
Iohannes Balthaſarus ab Irmtraut. } Aulæ Magiſtri.
Hermannus à Waltmanshauſen. }
Iacobus Witz Tribunus militum.
Antonius de Caligny, Capitaneus.
Iohannes Gebertus Gogrefe.
Iohannes Winther.
Bertholdus Schoreius D. Conſiliarius.
Philippus-Heinricus Haen, D.
Iacobus Schickhardus, Conſiliarius.
Iohannes La Main, ſignifer.
Henricus-Petri, Secretarius.
Simon Hieph. } Camerarii ſcribæ.
Erneſtus Klenck. }
Philippus Bellerſpach. }
Iohan. Leonhardus Blech. } Cancelliſtæ.
Artus Feyter. }

In Generoſi Comitis & Domini, Dn. Alberti Comitis in Hanau & Rineck, Domini in Muntzenberg, &c. comitatu fuerunt;

Melchior Reinhardus à Lautern.
Engelbertus à Lautern, & alii.

In Generoſi Comitis & Domini, Dn. Ludouici-Georgii, Comitis in Stolberg, Kœnigstein, Rutſchefort, VVernigerode & Honſtein, Domini in Epſtein & Muntzenberg, comitatu fuerunt;

Chriſtophorus Comes Stolbergenſis.
Iohannes-Martinus Comes Stolbergenſis.
Chriſtophorus-Ludouicus, Comes Stolbergenſis.
Botho-Vlricus, Comes Stolbergenſis.
Georgius Tethellius D. Conſiliarius & præfectus.
Conradus Nicolaus à Kellenbach.
Gerhardus à Meiſenbuch.

In Generoſi Comitis & Domini, Dn. Ludouici Georgii, Comitis Stolbergenſis, &c. coniugis, Anna-Mariæ Vvild & Rheingrauiæ, &c. comitatu & Gynaceo fuerunt;

Heduigs, Comitiſſa Stolbergenſis, Generoſi Comitis Chriſtophori Stolbergenſis vxor.
Anna Heduuigs, Comitiſſa Stolbergenſis, Comitis Ludouici-Georgii Filia.
Barbara Maria. } Comitiſſæ Stolbergenſes.
Eliſabetha. }
Anna à Bornſtadt.
Margaretha à Kellenbach.

In Gene-

Ingeneroſi Comitis & Domini, Domini VVolffgangi-Erneſti, Comitis in Eiſenburg & Budingen, &c. comitatu fuerunt:

Iohannes-Guilhelmus à Lautern, Conſiliarius & præfectus in Birſtein.
Conradus Paul, &c. Conſiliarius & præfectus in Budingen.
Iohannes Quad de Landscron, Conſiliarius & præfectus in Aſſenheim, Cleberg & Peterweil.
Ioannes Weis, Conſiliarius & præfectus Hainenſis.
Caſparus-Wœrnerus Aurochs in Opffershauſen, aulæ Magiſter.
Gerhardus Pauli, Conſiliarius aulicus.
Ioannes Adolphus à Merlau, Stabul. Magiſter.
Erhardus-Guilielmus à Salfeld, Venationum Magiſter.
Adamus-Vlricus à Burghauſen, ſyluæ curator.
Theodoricus Mejer D. } Conſiliarij.
Guilielmus Geiſſel. } Conſiliarij.
Andreas Schauffel. } Conſiliarij.
Leonhardus Rucker, ſcriba Cameræ.

Adfuerunt præterea Francofurti:

Generoſus Comes & Dominus, Dominus VVolffgangus-Henricus, Comes in Eiſenburg & Budingen, cum coniuge ſua, eiuſque Gynæceo, Officiariis & miniſtris aliis.

Generoſus Comes & Dominus, Dominus Philippus Ludouicus, Comes in Eiſenburg, & Budingen, vna cum quibuſdam officiariis & miniſtris.

Generoſus Comes & Dominus, Dn. Iohannes Ludouicus, Comes in Leiningen, &c. cumque eo fuerunt:

Petrus à Flin, Magiſter aulicus, & Officiarii, miniſtrique alij.

Generoſus Comes & Dominus, Dominus Guilielmus, Comes VViddanus, &c. cum coniuge, Gynæceo, Magiſtro aulico, & aliis Officiariis atque miniſtris.

Generoſus Comes & Dominus, Dn. Carolus-Ludouicus, Comes Sulzenſis, &c. cumque eo fuerunt:

Ioannes Huntz, Præfectus.
Ioannes-Iacobus Beck, de & in Wilmadingen, Conſiliarius.
Ioannes-Emericus Rignoult à Broſwalden, Stabul. Magiſter, & alii.

Generoſus Comes & Dominus, Dominus Arnoldus-Iuſtus, Comes in Bentheim, Tecklenburg, Steinfurt & Limburg, Dn. in Rheda, VVeuelinghoven, Alpen & Helffenſtein, Baro in Lennep, Hæreditarius Præfectus in Cœlle, &c. vna cum coniuge, Gynæceo, Secretario, & aliis Officiariis atque miniſtris.

Generoſus Baro & Dominus, Dominus Maximilianus, Sacri Romani Imperii Mareſchallus hæreditarius, Landgrauius in Stullingen, Dominus in Pappenheim, Heuuen & Greuenthal, &c. in cuius comitatu fuerunt:

Gotfridus Baro à Pappenheim.
Philippus } fratres, Comites in Leiningen.
Ludouicus } fratres, Comites in Leiningen.
Henricus Petri, D. Conſiliarius.
Martinus Mendius, Conſiliarius, & miniſtri alii.

Legati ciuitatis Colonienſis.

Iohannes-Harderodt Conſul.
Iohannes-Michael Cronenburger D. Syndicus.

Legati ciuitatis Norimbergenſis.

Wolffgangus Lœffelholtz à Colberg. } Senatus inferioris Conſules.
Leonhardus Grundler. } Senatus inferioris Conſules.
Bernhardus Prætorius, Syndicus.

Legati ciuitatis Aquiſgranenſis.

Nomine Præpoſiti, Decani, & Capituli Cæſarei Aquiſgranenſis, ad San. Mariam.
Henricus Strauius Decanus.
Theodoricus à Wuſtenrad, Cantor & Vicarius.
Godefridus Schnellius, Licentiatus & Syndicus.
Henricus Duſterwaldus, Secretarius.

Legati ciuitatum Anſenticarum.

Iohannes Brambach, Præpoſitus & Syndicus Lubecenſis.
Vincentius Mullerus D. ciuitatis Bremenſis Syndicus.
Nicolaus Winecken, Senator Roſtochienſis.
Stephanus Oluenſted D. Legatus & Syndicus ciuitatis Magdeburgenſis, vna cum miniſtris eorum.

PARS II.

Continens

ACTA PVBLICA ET SOLLENNIA, CVM DISCVRSIBVS, CONSILIIS ET TRACTAtibus Hiſtoricis ac Iuridicis,

DE ELECTIONE REGIS ROMANORVM, VIVENTE ET REGNANTE ADHVC IMPERATORE;

ITEM:

An exterus aliquis & peregrinus Princeps, qui non ſit Germanus natione, in Regem Romanorum eligi poſſit:

Conſulta ac compoſita à Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. Iohannis Electoris Saxoniæ, &c. Conſiliariis Aulicis ac Domeſticis.

I.

De Electione Regis Romanorum

TRACTATVS

Anno Chriſti 1531.

DOMINI HENNINGI GODEN, IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS CLARISSIMI, PRÆPOSITI WITtebergenſis, ac Profeſſoris Academici, &c.

DOCTISSIMO ET HVMANISSIMO VIRO, GEORGIO SPALATINO ECCLESIASTÆ AVLICO ELECTOrali, &c. Henningus Goden Doctor, &c.

S. D. P.

Miſiſti pridie, chariſſime frater, mihi quæſtiones duas. Primam: *An non Alemanus eligi poſſit in Regem Romanorum.* Et ſecundam: *An Electores, qui conſenſerint vel in Alemanum, vel in alium, ante tamen tempus legitimum, repellendi ſint, & non admittendi.* Ad quas quidem quęſtiones à me ſolutiones petiuiſti. Morem itaque tuæ fraternitati pro viribus gerere non diſplicuit.

CAPVT I.

1 *Imperium à Gracis in Germanos translatum.*
2 *Carolus Magnus Germanus, & Francus orientalis.*
3 *Electio Imperatoris eſt apud Germanos.*
4 *An Imperator Carolus V. & Ferdinandus ſint Germani.*
5 *Dignitas adiecta non mutat originem primam.*
6 *Electio Regis Romanorum ad principes Electores Germania, vt ad collegium, ſpectat.*
7 *Subſtantia & ordo electionis.*
8 *Electio angularis nulla eſt.*
9 *Imperium donum Dei, & ideo gratis conferendum vtiliori,*
10 *Ne quis prece aut pretio ad Imperium aſpires.*
11 *Electorum eſt, non eligere iuxta pecuniam, & iurare de bona fide.*

ET ad primam reſpondeo quæſtionem, quod licet de illa libri hiſtoriarum & chronicarum ſunt pleni, vt in *Chronicis* Francorum, Euſebii, Martini, Godefridi, &c. Breuiter tamen me in ſolutione quæſtionis tuæ fundo ſuper textibus Iuris canonici & gloſſis ſuis, qui ſunt in *c. venerabilem, §. verum*, & in gloſſ. in verb. *tranſtulit*, & in ver. *Germanos, extra de electione*, & in *clem. 1. de iureiur. & in cap. ad Apoſtolicæ, de re iudic. lib. 6.* & ibi in gloſſ. ſuper verb. *illi autem.*

In

In quibus apertè probatur & oſtenditur, quòd Regnum & Imperium Romanum tranſlata ſunt à Græcis Imperatoribus, in perſonam magnifici Caroli Magni, & per conſequens etiam in Germanos ſeu Teutonicos, cum ipſe Carolus fuerit Teutonicus & Francus origine. 1

Non dico Francus occidentalis, ſed orientalis, cuius metropolis eſt ciuitas Herbipolis, vt in *hiſtoria Francorum.* cuius quidem Caroli terræ & ciuitates ponuntur in *c. omnes*, §. *hæc ſi quia antiquata*, & *in* §. *volumus*, quem §. quidam habent pro *capit. 11. q. 1.* 2

Vnde ergo cum tranſlatum ſit Imperium Romanum à Græcis, in perſonam Caroli Magni, 3
vt in Germanos, cum Carolus fuit Germanus, vt clare etiam oſtendit Dominus Leupoldus de Bamberg. in tractatu ſuo *de iuribus imperii, capite tertio*: Certum eſt, quod tranſlatum fuit Imperium in Carolum & Germanos, paſſiue ex eo; quod fuerit idem Carolus nominatus, denunciatus & declaratus Rex Romanorum, vt in dict. *clemen. 1. de iureiur. in* §. *nos eodem mandato*, & *in dict. cap. venerabilem*, §. *verum*, cum dicit text. *Illis principibus, ſcilicet Electoribus, ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum*, &c. vbi tangitur poteſtas actiua eligendi, data principibus Electoribus. Et paſſiua dum dicitur, *tranſtulit in Germanos*, &c. vbi gloſſ. in ver. *Germanos*, dicit: *Sic ergo Regnum mundi, quod eſt in Regno Romanorum, tranſlatum eſt ad Teutonicos*, quod intelligendum eſt actiue & paſſiue. Et ſic electio Imperatoris eſt apud Teutonicos actiue & paſſiue, tenet Abb. Sicu. & Io. de Imo. Ioan. And. in *addit. ſpecul. in titul. de reſcript. præſen.* §. *final. ver. penultim. in dict. cap. venerabilem*, & Hoſtien. & alii: Non obſtante quod dicit Bal. in *dict. cap. venerabilem*, & Zabarell. quod Rex Romanorum poſſit eligi ex Gallis ſeu Francigenis, quoniam id dicunt ex ignorantia hiſtoriarum, putantes Carolum Magnum fuiſſe de Francia occidentali, vt oſtendit ibidem dominus Leupoldus in dicto tractatu ſuo in *c. 2. & 3. ac 4.* Tantum de quæſtione prima, vt ſim breuis.

Sed à plериſque dubitatum eſt, vtrum Carolus Rex Hiſpaniæ & Ferdinandus fratres 4
ſint Germani. Dico autem quod ſic, quia nati ſunt in vita ſui aui paterni, & per conſequens in patria poteſtate eiuſdem, *Inſtitut. de patr. poteſtat.* §. *penultim.* vbi textus dicit, *qui ex filio tuo & eius vxore naſcitur*, id eſt, nepos & neptis, *æque in tua ſunt poteſtate.* Et per conſequens ſortiuntur originem aui paterni, non patris præmortui ante auum paternum. Oſtenditur hoc per textum, gloſſ. & Bartol. in *l. aſſumptio*, §. *filius*. *ff. ad municip.* Merito ergo dicuntur Germani, non obſtante, ſi ambo, aut alter eorum eſſet natus extra Germaniam, cum ſequantur originem dicti ſui aui, per *leg. 1. ff. ad municip. & l. penultim. ff. de Senat.*

Et per ea, quæ ibi notant Bart. & Bald. quod dignitas adiecta non mutat originem primam, 5
vt in præmiſſis duobus Cæſaris nepotibus, qui nati ſunt ex auo Duce Auſtriæ. Et licet eis ſint addita multa regna externa, illa tamen augent priorem honorem, ſed non mutant & minuunt primos honores, vt clare in *dict. l. penult.* & ibi per Bal. *ff. de Senat.* Prout practicatum eſt in Friderico II. in Sicilia ex patre Germano nato.

Ad quæſtionem ſecundam dico primo, quod electio Regis Romanorum ſpectat & pertinet 6
ad principes Electores, vt ad collegium ſeu vt ad vniuerſitatem, & non ad ſingulos ſingulariter, vt dicunt & probant ſcriptores & moderni canoniſtæ, Abb. Ioan. And. in *addit. Spec. tit. de reſcript. præſen.* §. *fin.* Io. de Imo. *in d. c. venerabilem.*

Vnde de ſubſtantia Electionis eorum eſt, vt ſimul conueniant collegialiter, & ibi con- 7
gregati primo inuocata gratia Spiritus Sancti, quilibet votum ſuum dicat eligendo, ſecundum quod iurauerit, & iuramentum præſtiterit, iuxta tenorem *Bullæ Caroli Quarti.* Et quod maior pars in huiuſmodi electione facit, id firmum erit, ſicut in aliis actibus collegii, *l. quod maior. ff. ad municip. cap. 1. de iis quæ fiunt à maior. par. capit.* Et ita debent ſimul conuocari, & actum expedire. Non autem poteſt quilibet pro ſe & ſingulariter in aliquo angulo, ſeu camera ſua eligere, vt in *c. in Geneſi*, cum gloſſ. *extra de elect. cap. 1. de re. ec. non alien. libr. 6.* Et Doctor. in *cap. cum omnes, de conſtitut.* vbi probatur, quod in omnibus explicandis per vniuerſitatem debent ſimul conuenire. Debent & ſinguli vocari ad locum ſolitum, & ibi expectari. Alias enim ſi aliqui contempti fuerint, retractabitur actus, vt in *dict. c. venerabilem*, & *in c. quod ſicut*, & *cap. bonæ, el. 2.* & *cap. eccleſia, el. 2. de elect.*

Si qui ergo Electores vota ſua alicui ſeorſum, ſeu in angulo & camera dederunt, o- 8
mnia agunt fruſtra & maniter. Si enim poſſent ſinguli vota ſua ſpargere, prout quilibet velit, alij non agerent de contemptu eorum, quod eſt contra textum, in *dict. capit. venerabilem*, ibi: *cum electioni plus contemptus vnius, quam contradictio multorum obſiſtat*, &c.

Item, cum Imperium ſit donum DEI, in *Authentic. quomod. oportet Epiſcop. in princip.* 9
column. 1. & in cap. quoniam, 10. diſtinct. & in cap. ſolitæ, de maior. & obedien. Ideo non debet vendi pro pecunia, ſed gratis conferri vtiliori, vt in *Authentic. vt iudices, ſine quo. ſuff. pro ro. coll.*

Item qui prece aut precio nititur vſurpare Imperium, eo indignus erit, & crimen ambitus in- 10

 cidit,

cidit, *leg. vnica, ff. ad leg. Iul. de amb.* gl. fin. *in l. fin. C. ad leg. Iul. repet. & in l. vnic. C. ad leg. Iul. de amb.* Principes ergo Electores puras manus habere debent, & illas ad pecuniam non conuertere, *l. omnes, & l. ſancimus. C. ad leg. Iul.*

11 Debent ergo iurare, quod officium ſuum facient bona fide, & ſine fraude, remotoque precio, & qualibet illicita pactione, vt hoc idem probatur per textum & gloſſ. in *capit. nullus itaque, & capit. principatus, 1. q. 1.* Alias ſi per ambitum adipiſcitur dignitatem, efficitur infamis, *d. l. 1. ff. ad l. Iul. de amb. & d. c. nullus itaque,* & ibi gl.

Hæc ſufficiant pro breui ſolutione dubiorum tuorum. Alias enim ſum lecturus Wittembergæ Scholaribus meis practicam & modum eligendi Romanorum Regem, quemadmodum vidi & legi ex libro pontificiali Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi Hermanni Colonienſis, Landgrauii Haſſiæ, qui Illuſtriſſimum Regem Romanorum vnxit Aquiſgrani. Et ibi forſan latius materiam tangam, vt ſcholares Wittenbergenſes aliqua audiant de curſibus mundi. Vale.

CAPVT II.

1. *Quo anno Carolus V. ſit electus.*
2. *Proclamatio Germanica de electo Carolo V.*
3. *Proclamatio Latina eiuſdem tenoris.*

1 ANno Domini M. D. XIX. XXVIII. Iunii, Carolus adoleſcens, nondum vigeſimum agens annum, Hiſpaniarum, Siciliarum & Ieruſalem, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, & Dux Burgundiæ, nepos Maximiliani Cæſaris, ex filio Philippo, &c. fuit electus, vt Dux Auſtriæ ex Germano parente procreatus, in Regem Romanorum concorditer. Cuius electionis fere ſolus fuit author felicis memoriæ Fridericus III. Saxoniæ Dux. Fuit etiam eodem die idem Carolus mox hora nona promeridiana proclamatus per ſequentia verba.

2 Nach dem das heylige Römiſche Reich durch Abſterben deß Allerdurchleuchtigſten Fürſten vnd Herrn/Herrn Maximiliani/erwehlten Römiſchen Keyſers verledigt worden/haben die Hochwürdigſten/Durchleuchtigſten/Hochgeborne Fürſten vnd Herren/ meine Gnädigſte Herren/ die Churfürſten/vnnd derſelbigen geſchickten Bottſchafften / wie ſichs inhalt der Keyſerlichen Geſetzen darüber gemacht / geziembt vnnd gebüret/ zu Chur vnd Wahl eines andern Haupts der Chriſtenheit vnd Römiſchen Reichs gedacht vnd gegrieffen/vnd jetzt zu Lob vnd Ehr dem Allmächtigen GOtt/ Nutz vnd Wolfahrt dem Heyligen Römiſchen Reich vnnd der gemeinen Chriſtenheit/ zu Mehrung / ſich ſämptlich vnd einmütiglich mit einander deß vereiniget/ vergliechen vnd vertragen / vnnd den Allerdurchleuchtigſten / Großmächtigſten Fürſten vnnd Herrn / Herrn Carolum Ertzhertzogen zu Oeſterreich / König Hiſpanien vnnd Neapolis/ꝛc. vnſern Allergnädigſten Herrn zum Römiſchen König vnd künfftigen Keyſer bewilliget / benennet vnd gewehlet / im Namen deß Allmächtigen GOTtes / welche einhellige vnd einmütige Wahl vnnd Chur verkünde vnnd eröffne ich von wegen der gemeldten meiner gnädigſten Herren der Churfürſten/ vnnd ihrer geſchickten Bottſchafften/ allermenniglich/den hochgenannten Herrn Carolum zu wiſſen/für erwehlten Römiſchen König vnd künfftigen Keyſer zu ehren vnd zu halten.

Latina ſic proclamatio eſt facta:

3 *Vacante nuper ſacro Romano Imperio, per obitum quondam inuictiſſimi & sereniſſimi Principis & Domini, Domini Maximiliani, Electi Romanorum Imperatoris, eiuſdem ſacri Imperii reuerendiſſimi illuſtriſſimique Domini Principes Electores, Domini mei clementiſſimi, gratioſiſſimique, eorundemque nuncii deputati, iuxta tenorem conſtitutionum imperialium deſuper confectarum, & hactenus obſeruatarum, ad Electionem Romani Regis futuri capitis Chriſtianorum procedentes, & in præſentiarum ad honorem & laudem Dei Opt. Max. commodum atque vtilitatem ipſius ſacri Romani Imperii, ac vniuerſæ etiam Chriſtianæ Reipublicæ incrementum coniunctim & vnanimiter ſuper eiuſmodi electione conuenientes & conſentientes, Sereniſſimum, potentiſſimumque Principem & Dominum, Dominum Carolum, Archiducem Auſtriæ, Regem Hiſpaniarum & Neapolis, &c. Dominum noſtrum gratioſiſſimum Romanorum Regem, & futurum Imperatorem cenſuerunt, pronunciarunt & elegerunt in nomine Domini Omnipotentis. Quam electionem vnanimem ac concordem pronuncio, & publice ego Laurentius Truchſes de Bomersfelden, Decanus Moguntinus, nomine præfatorum meorum Dominorum gratioſiſſimorum, Principum Electorum, præfatum Dominum Carolum in Romanum Regem, & futurum Imperatorem deinceps obſeruandum & honorandum.*

Laurentius Truchſes de Bomersfelden, Decanus Moguntinus, nomine Alberti ex Marchionibus Brandenburg. reuerendiſſimi Moguntinen. Archiepiſcopi ad populum recenſuit.

* *

CAPVT

CAPVT III.

Quomodo & Qualiter imperium, & Regnum Romanorum, ac poteſtas iuriſdictionis, & regnum mũdi, primo fuerat apud populum Romanum, vt poſſit peruenire ad Principes, Electores, Teutonicos & Germanos, actiue & paſſiue.

1. *Electionem Regis peperit difficultas conueniendi in P. R.*
2. *Rex, lex animata in terris.*
3. *Sacerdotium & Imperium à Deo.*
4. *Principis electio olim penes P. R.*
5. *Imperium per Papam translatum ad Germanos.*
6. *Aliis nationibus proprie non eſt Imperium.*
7. *Quilibet Rex in domo ſua.*
8. *Faceta Hiſtoria de Rege Britania & Fabro.*
9. *Carolus Magnus Germanus natione.*
10. *Principales columnæ Imperii, Electores, & qui ſint.*
11. *Columnæ Imperii.*

POſt vrbem conditam cum populus Romanus guſtaſſet quam dulcis eſſet vita ciuilis proximorumque & amicorum conſuetudo, humanitas & humanæ vitæ ſocietas. Et quam acerba eſſet hominum violentorum iniuria, quibus alter alterum nitebatur offendere, vi ſua rapere, violentiasq; minoribus & tenuioribus à potentioribus inferri, inceperunt vias iuſtitiæ inueſtigare, & modos inuenire, vt appetitus noxius ſub iuris Regulis limitetur. Et per quam genus humanum cogendum ſit, honeſte viuere, alterum non lædere, & vnicuiq; ius ſuum tribuere.

Sed cum tandem compertum fuit, perdifficile eſſe, toties quoties ex cauſis præmiſſis, ſi caſus offerret, per totum conuenire populum Rom. Reip. tandem in præmiſſis, vt vberius ſubuenirent regimen & gubernamen totius mundi, tam iuris condendi quam miniſtrandi, in vnum tranſtulerunt, Illiq; nomen Regis vel Principis impoſuerunt, prout hæc habentur, & oſtenduntur in *l. 2. §. deinde & §. poſtea cum Appius Claudius*, *& §. deinde quia difficile plebs conuenire cœpit*, *& §. nouiſſime*, vſq; ad *ff. de origi. Iur. & Inſti. de iure nat. gent. §. Sed & quod principi placuit*; & in *l. 1. §. ſed in hoc ſtudium. C. de ve. Iu. enu.* 1

Et probantur hæc per ea, quæ habentur & notantur per Hoſt. & moder. in *c. venerabilem, de elect.* qui ſubiungit ibidem, quomodo Deus miſit de cœlo legem animatam in terris, ideſt, Regem ſeu principem cum poteſtate iuris condendi, vt in *Auth. de conſu. §. fi. coll. 4.* 2

Et ita Sacerdotium & Imperium proceſſerunt ab eodem principio, ſcilicet à Deo, vt in *Auth. quo. opor. Epiſ. in princ. coll. 1.* Et in *auth. de non alie. aut permu. re Eccle. §. finimus, coll. 2. de ma. & obe. c. ſolitæ, de indi. c. nouit, & c. per venerabilem, qui fil. ſunt legiti.* 3

Ex quibus patet & probatur, quod primo populus eligebat ſibi principem de iure communi, id eſt, ex naturali ratione, à qua procedit ius, *Inſti. de iure na. §. quod vero, c. conſuetudo. 1. diſt. 1.* 4

Tandem vero proceſſu temporis cum Eccleſia Romana opprimeretur ab Aſtulpho Rege Lombardorum, & peteret auxilium à Conſtantino & Leone eius filio imperatoribus Conſtantinopolitanis, qui cum Eccleſiæ Romanæ patrocinari & auxilium ei præſtare nolebant, tunc Stephanus Papa II. natione Romanus, à Græcis abſtulit Imperium Ro. & ad Carolum Magnum, qui fuit filius Pipini, tranſtulit. illumque mundi dominum fecit, & Imperatorem, Prout hæc probantur & narrantur in glo. d. c. *venerabilem*, verbo *tranſtulit, de elect.* quæ exprimit tempus & annos domini, quando hoc factum ſit. Vide ad hoc eandem glo. & ibi DD. Quamuis autem quidam ſcriptores *Chronicarum Euſebii & Martini* aliter dicant, inhæreo tamen gloſſ. 5

Ex quibus patet, quod hodie Imperium amplius non ſit apud Græcos vel aliam nationem, ſed ſolum apud nationem Germanicam. Aliæ vero nationes non habent Imperium proprie, ſed duntaxat improprie. 6

Sicut dicimus quod quilibet ſit Rex in domo ſua, vt per Hoſt. Io. And. Abb. & Zabar. in d. c. *venerabilem*, vbi recitat Hiſtoriam de quodam Richardo Rege Anglicorum. 7

Qui cum eſſet in venatione cum familia ſua, & Proceribus ſuis inſequendo ceruum ſeparatus eſt a familia ſua, & venit in ſyluam amplam, ita quod ignoraret vbi eſſet, & timeret quod illa nocte voraretur à beſtiis. Tandem vidit ignem in quadam caſa ſeu domuncula cuiuſdam Fabri. Appropians ergo ad oſtenſionem ignis, venit ad caſam Fabri, pulſans, & petens ſe intromitti, ac per noctem hoſpitari. Fuit quidem intromiſſus & hoſpitium ſibi datum. Faber autem conſiderans faciem Regis quod eſſet formoſa, ignorans tamen eum eſſe Regem, attulit aquam vt manus lauaret. Rex vero volens more aulico præferre hoſpitem ſeu Fabrum, primo manus lauare noluit. Quare faber iratus, ſibi alapam dedit, & ei imperauit dicendo; *Neſcis tu, quod quilibet eſt Rex in domo ſua?* Et tandem alapa ſumpta, lotiſque manibus, manebat cum Fabro & fuit tractatus mediocriter. De mane autem demiſſus & ad rectam viam deductus, caſtrum ſuũ repetiit, Fabro incerto, de recepto hoſpite relicto, poſt paucos dies, Rex volens referre fabro alapam, quã ſuſceperat, vocauit fabrũ, vt ſecum pranderet, qui cum veniſſet in vili pro more fabrili veſte indutus, & pelle fabrina cinctus acceſſit. Regina optime ornata fabrum, quanquam præ timore crepitum magnum faceret, non ſine paruo

patulo aulicorum riſu, ſuſcepit & amplexa fuit more Regio, Tandem Rex Fabrum in ſuprema parte menſæ, & ſupra Reginam locauit, quærens, vt ſi Faber recuſaret honorem ſibi impenſum, alapam illatam vindicaret. Faber vero iuxta fabrilia ſtatuta in omnibus & Regi & Reginæ paruit, & ita illæſus abiit. Et hæc narrantur per Hoſt. Abb. & reliquos ſcribentes in d. c. *venerab.* Inferentes, quod quilibet impropriè dicitur, Rex in domo ſua.

9 Propriè vero Imperium & regnum translatum eſt à Græcis ad Teutonicos in perſonam Caroli Magni paſſiue, hoc eſt, quod Carolus Magnus, qui natione fuerit Francus Orientalis, Alemanus & Teutonicus, denunciatus, declaratus, nominatus & approbatus fuit, tanquam habilis ad ſuſcipiendam Imperialis celſitudinis dignitatem, vt in *Cle. Romani* 5. *nos itaq, ver. nos eodem mandato de iureiur.* Et quod hic Carolus erat Alemanus & natione Teutonicus, affirmat Leupoldus in tractatu ſuo *de iuribus Imperii Romani.* Et quod fuerit Francus Orientalis Franciæ, cuius Metropolis eſt ciuitas Herbipolis, deducit idem Leupoldus in *eodem tractatu.* In ſignum vero, quod erat Alemanus ſeu Teutonicus, Germani eligendi ſunt Reges Romanorum, vt dicit glo. in *c. ad Apoſtolicæ, in* §. *nos itaq,* in verb. *illi autem, de ſent. & re iudi. li. 6.*

Herbipolis, Wirtzburg.

10 Oſtenditur etiam, quod Principales columnæ imperii Germani ſunt, vt ſunt Principes Electores, videlicet Moguntin. Colonien. & Treueren. Archiepiſcopi, ac quatuor laici, vt Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenb. vt in *d. gl. 1.* § *nos itaq,* in verb. *illi autem.* quæ notat, quod Rex Bohemiæ vocandus non ſit, niſi cum alii Electores diſcordent. Idem Salicet. in d. c. *venerabilem.*

Dictum eſt nunc in genere ſaltem, quo modo imperium Romanum ex P. R. ad Reges Romanorum, & propter quas cauſas ab eis in Græcos, & ex negligentia Græcorum, ad Teutonicos translatum, atq. continuatum ſit, ac nouiſſime ad Magnificum Maximilianum per varias manus, vt in vltimum Regem Romanorum, diui Friderici tertii Imperatoris filium deductum & deriuatum, per legitimam electionem factam, Anno Domini 1486. die vero menſis Februarii 16. in Eccleſia ſancti Bartholomæi Franckforden. Ac eodem anno, die 10. menſis Aprilis, Aquiſgrani cum maxima ſolennitate ſolita, ac cum corona ſupra dicti Caroli Magni, ex Archiuis Norimbergenſibus allata, coronatus in eadem Eccleſia per reuerendiſſimum in Chriſto patrem, & Dom. D. Hermannum Archiepiſ. Coloniæ, &c. Landgrauium Haſſiæ, &c. aſſidentibus ſibi ac præſentibus, Archiepiſcopis, Moguntino, & Treuerenſi. Et ita in Regalem dignitatem, idem Rex Romanorum Maximilianus ſublimatus eſt, & modo, ſic vt domino placuit, obdormiuit in Chriſto.

Maximilianus.

11 Translato igitur Romano Imperio, & ad Alemanos deriuato, vt eſſet regnum ipſum columnis Alemanicis bene firmatum ex ſtatutis & firmamentis firmis, datæ ſunt eidem Imperio firmiſſimæ columnæ principales, vt firmius robur habeat: Quatuor ſcilicet ducibus, vt Sueuiæ, Braunſchuigæ, Bauariæ, qui hodie dicitur Palatinus Rheni, & Lotharingiæ. Numerantur etiam quatuor Vicarii, vt Dux Barbantiæ, Dux veteris Saxoniæ cum albo equulo, Dux in VVeſterich, & Dux Sileſiæ. Inſuper firmatum eſt quatuor Landgrauiis, ſcilicet Landgrauio Turingiæ, Haſſiæ, Lutzemburgiæ, & Alſaciæ. Et quatuor Marchionibus, Brandenburgenſi, Miſnenſi, Morauiæ & Badenſi. Item quatuor Burggrauiis, videlicet Magdenburgenſi, Nurnbergenſi, Remeckenſi & Stramburckenſi. Item quatuor Comitibus, videlicet, Schuuartzburgenſi, Cleuenſi qui hodie eſt Dux Iuliæ, Saphoiæ, & Comes Cilitiæ. Item quatuor Liberis ſeu Ingenuis, Limburgenſi, Thuſſenſi, VVeſterburgenſi & Aluualdenſi. Item quatuor Militibus, Andelauenſi, Meldingenſi (quorum agnatio nunc eſt extincta & mortua, & in eius locum in nouiſſima diæta Imperiali Auguſtenſi per Maximilianum Regem ſurrogatus eſt VVolffgangus de VVeiſſenbach.) item Frauenburgenſi & Strundeckenſi. Item quatuor ciuitatibus, quæ ſunt, Auguſta, Methis, Aquiſgranum, & Lubecum. Item quatuor villis, Bamberga, Schletſtadia. Hagenoia, & Vlma. Item quatuor Ruſticis, vt ſunt, Colonia, Ratisbona, Saltzburgium, Conſtantia. Hæ ſtatuæ & columnæ ex Alemanico conſtitutæ ſunt imperio, quamuis imperium multa alia habeat loca fortiſſima. Hæ tamen ſunt principaliores ex Alemania conſtitutæ, vt firmius maneat, & conſeruetur Imperium apud nationem Alemanicam, eligaturq; Rex de eadem terra.

CAPVT IV.

An eligi poſſit in Regem Romanorum, qui non eſt natione Germanus.

1. *Poteſtas actiua & paſſiua eligendi Reg. Rom. penes Germanos eſt.*
2. *Dignitas adiecta non minuit ſed auget.*
3. *Filius ſequitur originem patris.*

SEd reſtat breuis quæſtiuncula, an eligi poſſit in regem Romanorum, qui non ſit natione Alemanus. Et licet pro quæſtione ſoluenda adduci poſſint multi libri Hiſtoriarum & Chronicorum, ſcilicet, Chronica Francorum, Euſebii, Martini, Godefridi, &c. breuiter tamen pro ſolutione huius quæſtionis volo inhærere textibus, gloſſis & DD. iuris. Et præcipue ſuper *c. venerabilem.* §. *verum, & ibi* glo. ſuper ver. *tranſtulit*, & in ver. *Germanos, de elect.* Et in *Cle. 1. de iureiur.* Et in *c. Ad Apoſtolicæ, de re iudi. lib. 6.* Et ibi gloſſ. ſuper ver. *illi autem.* in quibus aperte probatur & oſtenditur, quod imperium Rom. translatum ſit à Græcis Imperatoribus in perſonam Magnifici Caroli Magni. Et per conſequens etiam in Teutonicos ſeu Germanos: Cum ipſe Carolus fuerit Teutonicus & Francus origine. Non dico de Francia occidentali, vbi habitant Francigenæ, ſed de

Francia

Francia Orientali, cuius metropolis eſt ciuitas Herbipolenſis, vt in *hiſtoria Francorum* clare patet. Cuius quidem Caroli dominia, terræ, & ciuitates ponuntur in *c. omnes §. hæc ſi quis antiquata, & in cap. volumus. ix. quæſt. 1.* Cum itaque translatum ſit imperium in perſonam Caroli magni, & hic Carolus fuerit Germanus, vt in *dict. cap. venerabilem*, & ibi per Canoniſt. Et oſtendat hoc clare Dom. Leupold. in tractatu ſuo præallegato *de iure Imper. capit. 3.* Certum ergo eſt, quod translatum fuit imperium in Carolum & Germanos paſſiue, ex eo quod fuerit idem Carolus nominatus, denunciatus, & declaratus Rex Romanorum, vt ait text. apertus in *dict. cle. 1. de iureiur. §. nos eodem mandato, & in dict. cap. venerabilem. §. verum, de elect.* cum dicit tex. *illis ſcilicet principibus,* (hoc eſt, Electoribus) *ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum,* & c. vbi data eſt principibus Electoribus poteſtas actiua eligendi Regem. Et ſimiliter etiam poteſtas paſſiua cum dicitur, *tranſtulit in Germanos,* vt ibi in gloſſ. ſuper ver. *in Germanos,* quod regnum mundi translatum eſt ad Germanos, actiue & paſſiue.

Et quod ſoli Teutonici, & Germani eligi poſſunt in Reges Romanorum actiue & paſſiue, firmat Abb. Sicu. in *d. c. venerabilem,* & Ioan. And. in *addi. Spe. in ti. de reſcrip. præſenta. §. fin. verſi. quare dignum,* & in verb. *electione.* Hoc idem firmant DD. moderni poſt Hoſtienſ. & Zabarell. Io. de Imo. & alii. Nec obſtat quod dicit Bal. in *c. venerabilem,* quod Rex Romanorum poſſit eligi ex Francigenis ſiue ex Gallis, quoniam hoc dicit non bene animaduertendo Chronicas ſeu hiſtoriarum libros. In quibus habetur Carolum magnum Germanum, non autem Francigenum, vt hoc clarius dicit Do. Leupol. *de iuribus impe. c. 2. 3. 4. & 5.*

Vtrum Carolus Imperator & Rex Ferdinandus ſint Germani.

SEd incidit circa præmiſſa breuis quæſtio, quid de Carolo Rege Hiſpaniæ, & Ferdinando Duce Burgundiæ fratribus & nepotibus quondam ex filio Philippo, ſuperilluſtriſſimi Principis Maximiliani fælicis memoriæ nouiſſimi Regis Romanorum, an ſint eligibiles & Teutonici ſiue Germani appellandi, & an ita eligi poſſint ſeu alter eorum in Regem Romanorum? Breuiter arbitror quod ſic, cum præmortuo patre eorum Philippo Rege Caſtiliæ ante auum fuerunt in patria poteſtate ſui aui paterni, *Inſti. de pa. poteſt. §. penult.* vbi tex. dicit, *quod ex filio tuo & eius vxore naſcitur, æque in tua,* ſcilicet aui paterni, *ſunt poteſtate.* Et ita ſortiuntur originem ſui aui paterni, & dicuntur Germani, & nati Archiduces Auſtriæ, ſicut auus eorum natus eſt Archidux Auſtriæ. Merito ergo dicerentur Germani & Duces Auſtriæ & Alemani, ex origine ſui aui paterni, per *l. 1. ff. ad municipa. & l. aſſumptio. §. filius, eſt. eo tit. ad municipa.*

Et ibi per gloſſ. Bar. & Bal. & *l. penul. ff. de ſenato.* Et ibidem ſimiliter per Bal. & Bar. quod dignitas adiecta primææ origini (vt ſunt regna Hiſpaniæ, adiecta Regi Carolo) non mutant originem primam nec minuunt honorem, ſed augent. Et ita dignitates & terræ adiectæ nepotibus Cæſareis ex auo paterno augent illorum honorem & non auferunt eis primam originem. Dicuntur autem Germani ambo dicti fratres, ſicut auus eorum Germanus fuit. Et hoc eſt practicatum cum Friderico Imperatore II. qui natus fuit in Sicilia ex patre tamen Germano ſiue Alemano, & nihilominus electus eſt in Imperatorem tanquam origine Germanus, ad quod facit *l. filios,* & quæ not. ibi Bar. *C. de munici. & origi. li. 10.* quod filius ſequitur originem ſui patris, non matris, niſi adiecta cauſa ſpeciali. Et ita dicti nepotes dicuntur Teutonici ex auo paterno, & non Hiſpani ex matre ſeu ex auo materno, prout hæc probantur in *d. §. filius* & ibi per glo. & Bar. *ff. ad municipal.* Ad quod facit Cynus in *l. 2. C. de iuriſd. om. Iudi.* vbi concludit, quod ſi filius fuerit natus, mortuo patre, viuente auo, tunc ſequitur originem ſui aui: per ea quæ ibi dicit & allegat Cyn. in *d. l. 2. Cod. de iuriſ. om. Iudi.*

CAPVT V.

De modo & forma eligendi Imperatorem, & vtrum electio pertineat ad Electores collegialiter vel ſingulariter.

1. *Contemptus vnius in electione, plus obeſt quam contradictio multorum.*
2. *Surrogatum ſapit naturam illius, in cuius locum ſurrogatum eſt.*

ANtequam dicam modum eligendi Regem Romanorum, præmitto primum: An electio huiuſmodi ſpectet & pertineat ad Principes Electores, vt ad collegium & vniuerſitatem, vel, vt ad ſingulos ſingulariter & ſeorſum. Et dico breuiter, quod pertineat ad eoſdem principes Electores, vt ad collegium, prout tenent & approbant moderni DD. Canoniſt. vt ſcilicet, Zabarell. Panorm. Ioh. de Imo. in *d. c. venerabil. §. verum.* Et quod ita de ſubſtantia electionis eſt, quod Principes Electores, ſimul & collegialiter in loco eis ad hoc ſtatuto & ſolito eligant & quod ibidem quilibet, præmiſſa primo inuocatione gratiæ Spiritus ſancti, dicat votum, & quem eligat, & hoc ſuper iuramento, quod prius iurare, & præſtare debet, iuxta tenorem *Bullæ Caroli quarti,* quæ vulgo dicitur *Bulla aurea.* Et quod tunc in eligendo maior pars facit, id firmum erit, ſicut in aliis actib. collegii, *l. quod*

l. quod maior, ff. ad municipa. capit. 1. & fin. de iis quaſi. à maio. par. Capi. Et per Canoniſt. in *c. cum omnes. de conſti.* Et in *c. licet, & c. in Geneſi. de elect. & Spec. in d. §. fin. ver. & ſiunt, de reſcrip. præſent.* Et ita debet actus electionis expediri collegialiter, quod in Collegium ad hoc vocati, ſicuti dicimus de aliis actibus collegialibus, nec debet quilibet ſeorſum in Camera ſua, vel in loco, vel in angulo aliquo votum ſuum ſpargere. Alias enim alii poſſent forte vota eorum ſic ſeorſum eligentium impugnare & agere de contemptu, & vt retractetur, per ea quæ habentur in *c. quod ſicut, & c. bone el. 2. c. Eccleſia el. 2. & d. c. venerabilem.*

1 Vbi dicit text. quod *in actibus explicandis per collegium plus obſiſtat contemptus vnius, quam contradictio multorum*, vt ibi. Et facit l. *ſicut ff. quod cuiuſ. vni. no.* Et Innoc. dicit, Quod actus per collegium debeat fieri collegialiter in d. *cap. in Geneſi. & c. ſicut, & c. cum omnes.* Nec obſtat præmiſſis, quod dicit Hoſtien. in dict. cap. venerabilem. §. verum de elect. Quod ſcilicet ad principes electores pertineat electio, vt ad ſingulos; Quoniam contrarium tenent & probant Panorm. Io. de Imo. & Zabarell. in *d. §. verum.* Et idem Zabarell. in conſilio ſuo, quod eſt mihi 153. Et incipit, *circa Imperatoris electionem*, in ver. *ad ſecundum*, vt Spec. *in dict. §. fin.* ſed clarius Io. An. in *addi. ad ſpe. in ti. de reſcrip. præſent. in dict. §. fin. in ver. electione*, vbi allegat D. Leupoldum in ſuo tractatu *de iu. Imp. cap. 6.* Qui omnes tenent, quod electio Regis Romanorum, promouendi in Cæſarem, ſit apud principes Electores, ſicut apud collegium, & non apud ſingulos, & pro eo ponit iſtam rationem, Quod principes Electores in eligendo Regem Romanorum in Imperatorem promouendum ſunt ſurrogati, & hodie poſiti in locum populi Romani, apud quos erat electio principis, vt ſupra ſatis dictum eſt.

2 Conſtat autem ſurrogatos in locum alterius eodem cenſeri loco, in quorum locum ſunt ſurrogati, per regulam; Quod ſurrogatum, intrat ius ſurrogati, *c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, vt li. penden. l. ſi eum §. quis iniuriarum, ff. ſi quis cauto. l. 1. §. hac actio*, & ibi Bar. *ff. ſi quis teſta. liber eſſe iuſſ.* Si ergo Principes Electores vtuntur iure, & ſuccedunt in ius populi Romani, eodem etiam iure cenſeri debent. Et ſic eligere debent collegialiter, & non vt ſinguli ſingulariter.

De Forma qua procedendum ſit ad Electionem per principes Electores.

DIcunt Canoniſtæ præallegati, quod niſi principes Electores habeant ſtatutam ſpecialem formam procedendi, ſeruare poſſent in electione Romani Regis modum, ſicut in aliis collegiis & vniuerſitatibus. Sed quia habent modum eligendi eis traditum ex Bulla Caroli quarti Romanorum Imperatorem, quæ vulgo dicitur *Bulla aurea*, hanc obſeruabunt, ſic ſcilicet, vt Archiepiſcopus Moguntinenſis Coelectoribus ſuis Eccleſiaſticis & ſæcularibus ſupra nominatis, mortuo Rege Romanorum, electionem futuram noui Regis in Cæſarem promouendi per ſuos nuncios ac literis & ſigillis ſuis patentibus debeat intimare, & in literis illis eis ſtatuere terminum, vt veriſimiliter hæ literæ ſuæ valeant ad notitiam coelectorum ſuorum peruenire. Debet etiam exprimere in eiſdem literis, vt à die in literis iſtis expreſſa infra tres menſes continuos, omnes & ſinguli principes Electores Franckfordiæ ſitæ ſuper Mogano, conſtitui debeant, per ſe vel per ſuos legatos & nuncios ad eundem terminum & locum; Et illos ſcilicet nuncios deſtinare cum plena & omnimoda ſua poteſtate & mandato, ad idem faciendum, ſcilicet cum ſuis patentibus literis & ſigillis, ad eligendum Romanorum Regem in Cæſarem promouendum. Quod autem mandatum habere debeant ipſi, tangitur in eiſdem *literis Caroli quarti*, & *Bulla aurea.* Et pariter, quomodo principes Electores ad talem diætam conduci debeant, & per quos, videri poteſt clarius in d. *Bulla*, quoniam illam hic inſeri vel pronunciari, eſſet nimis prolixum. Debet namque Archiepiſcopus Moguntinen. infra menſem à die notitiæ mortis Regis aliis coelectoribus ſuis inſinuare, vt infra tres menſes Francofurdiam veniant, Regem Romanorum electuri. Et debet vnuſquiſque Princeps ſeu eius nuncius, tantum cum ducentis equis comparere, de quorum ſunt numero 50. armati, nec pauciores, dum ad ciuitatem Franckfordiam pro eligendo Rege introierint. Et contumaces in non veniendo in ſtatuto tempore ſeu nuncium aut procuratorem non mittendo, perdent vocem ſuam. Debent & ciues Franckfordenſes, principes Electores in ipſa ciuitate ab omni inuaſione, violentia, & iniuria defendere ſub iuramentis & amiſſione priuilegiorum eorundem. Debent autem electionis tempore ſoli principes Electores & eorum nuncii in ciuitatem Franckfordenſem admitti, quemadmodum hæc omnia habentur in dictis *literis Caroli quarti Imperatoris.* Quas, ſi placet, intueri poteris.

DE IVRAMENTO PRINCIPVM ELECTORVM, AB IPSIS *præſtando cum ad electionem acceſſerint.*

POſtquam Electores, aut eorum nuncii cum pleno mandato Franckfordiam ſunt ingreſſi, in die ab ipſis ſtatuto ad electionem, primo & ante omnia in eccleſia S. Bartholomæi ibidem miſſam de Spiritu S. faciant decantari, quod ipſe Spiritus S. corda eorum illuſtret; & vt ſuo ſuffulti præſidio, hominem iuſtum & vtilem eligere valeant in Regem Romanorum, futurum Cæſarem promouendum, pro ſalute populi Chriſtiani. Et miſſa finita ad altare accedere, in quo miſſa extitit celebra-

celebrata, & ibi principes Electores eccleſiaſtici coram Euangelio S. Ioannis, in principio erat verbum, Quod ibi ante ipſos poni debet, manus ſuas pectori cum reuerentia ſupponant. Sæculares vero Principes dictum Euangelium corporaliter manibus ſuis tangant, & omnes coram tota ipſorum familia, qui ibidem in armis aſſiſtere debebunt, iurabunt. Et Archiepiſcopus Moguntinen. Decanus Principum Electorum formam iuramenti eis dabit, quam ipſi aut abſentium nuncii, cum pleno mandato præſtabunt, In hunc modum, quem omnes obſeruabunt.

Forma iuramenti.

EGo N. Archiepiſcopus Moguntinen. Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, ac princeps elector, Iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia hic præſentialiter coram me poſita, quod ego per fidem, qua Deo & ſacro Ro. Imperio ſum aſtrictus, ſecundum omnem diſcretionem meam & intellectum meum, cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput, populo Chriſtiano, hoc eſt, Regem Romanorum in Cæſarem promouendum, qui ad hoc exiſtat idoneus, in quantum diſcretio & ſenſus mei me dirigunt, & ſecundum fidem prædictam, vocem meam & votum electionis præfata dabo abſque omni pacto, ſtipendio, precio vel promiſſo, ſeu quocunque modo talia valeant appellari, ſic me Deus adiuuet, & ſanctum Euangelium.

Præſtito itaque per Electores ſeu Nuncios ſupradictos cum mandato iuramento in modo & forma prædictis, ex tunc ad electionem procedere debebunt. Nec omnino de dicta ciuitate Franckfordia ſeparentur, niſi prius ipſi aut maior pars eorum temporale caput mundo elegerint, ſeu populo Chriſtiano Regem Romanorum in Cæſarem promouendum. Quod ſi facere diſtulerint infra 30. dies à die præſtiti iuramenti continuo numerandos, ex tunc tranſactis eiſdem 30. diebus ammodo non manducent & bibant niſi panem & aquam. Et nihilominus dictam ciuitatem Franckfordenſem nullatenus exeant, niſi prius per ipſos, ſeu maiorem parté ipſorum rector ſeu temporale caput fidelium, electum fuerit. Poſtquam autem in eodem loco, ipſi Principes vel maior pars numero eorum elegerint, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac ſi fuerit electio ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, celebrata. Si vero per tempus aliquod aliquem ex electoribus abeſſe ſeu tarde venire contigerit, ſiue nuncii eorum venerint tarde, cum tamen venerint aut venerit, antequam prædicta electio eſt celebrata, ii aut iſte ad electionem admitti debet, in eo ſtatu, in quo tunc eſt ipſa electio tempore aduentus ſui. Et quia id inconcuſſe & inuiolabiliter hactenus eſt obſeruatum, ideoque idem Carolus quartus Roman. Imperat. ſtatuit & de imperialis decreuit plenitudine poteſtatis, quod ille, qui modo præmiſſo in Regem Rom. fuerit electus, peracta electione huiuſmodi ſtatim & priuſquam in cauſis aliquibus ſeu negotiis virtute ſacri Imperii idem nouus Rex adminiſtret, vniuerſis & ſingulis Principibus Electoribus eccleſiaſticis & ſecularibus, qui propinquiora ſacri Rom. Imperii membra eſſe dinoſcuntur, omnia ipſorum priuilegia, literas, iura, libertates, conceſſiones antiquas, conſuetudines & dignitates, ac quicquid ipſi ab Imperio vſque in diem electionis ſuæ obtinuerint ac poſſederint, abſque dilatione & contradictione confirmare, & approbare debet per ſuas literas & ſigilla, Ipſiſque omnia præmiſſa innouare, poſtquam fuerit imperialibus inſulis coronatus. Confirmationem autem huiuſmodi ipſe electus, cuilibet principi Electori in ſpecie primo, ſub nomine Regali faciat, & deinde ſub imperiali titulo innouabit. Et in iis ipſos principes omnes in genere & quemlibet eorum in ſpecie nullatenus impedire: Sed potius abſque dolo gratioſe tenebitur promouere, quemadmodum idem Carolus in dicta *Bulla imperiali* ſtatuit & decreuit, ac pro lege haberi voluit. In caſu autem, quo Principes Electores præſentes in electione ſeu abſentium nuncii, aliquem ex ſeipſis ſcilicet principibus Electoribus ſeu eorum conſortio elegerint in Regem Rom. ſeu vocem in eligendo dederint, pro illo, præſens ſiue abſens fuerit, electio huiuſmodi plenum habet vigorem. Et vox electi præcedens facta & data, antequam electus fuerit, numerum auget Electorum, partemque maiorem facit, vt in ſæpe dicta *Bulla Caroli quarti* continetur latius. Et ſimiliter quomodo principes Electores inter ſe habere debeant in ſeſſionibus ſuis, quomodo etiam alteri, & ſeculares eccleſiaſticis in honoribus & ſeſſionibus debent præferri. In caſu vero quo Principes Electores in termino ſtatuto non comparuerint, obſeruabitur quod ſupra dixi.

CAPVT VI.

VT IN ELECTIONE IMPERATORIS, OMNIA SYNCERiter & ſine dolo & fraude peragantur.

1. *Imperium donum Dei.*
2. *Poteſtas eligendi eſt de iure & præſcripta conſuetudine.*
3. *Imperium non debet vendi.*
4. *Electorum manus ſint puræ.*
5. *Abſtinere debemus quod probare non poſſumus.*
6. *Non eſſe, & non apparere æquiualent in foro Iudiciali.*
7. *Quilibet præſumitur bonus & ſalutis ſuæ haud immemor.*
8. *Nec ſatis eſt allegaſſe indicia.*

Cum

1 CVm itaque imperium ſit donum Dei,& ex altiſſimo throno Dei de cœlo deſcendit, vt in *Auth. quom. opor. epiſcop. & de in princ. coll. & in c. quoniam 10. diſt. c. ſolitæ de ma. & obe.* Bal. in *l. cunctos populos, C. de ſum. tri. & fi. catho.* Quod imperium ſit à Deo, permiſſiue, approbatiue, formaliter & effectiue, licet in hoc quidem canoniſtæ & legiſtæ diſſentiant. Dicunt tamen Ioan. And. D. Philip. Franc. in d. *c. apoſtolicæ §. fin. de re iud. li. 6.* Quod imperium ſit à Deo mediate, & ab eccleſia immediate. Et Zabarell. in *c. venerab. §. 1. de elect.* Quod imperium ſit ſubordinatum ſacerdotio, à quo immediate proceſſit, cum papa tranſtulit imperium à Græcis in Germanos. Ideoq; etiam progreſſa eſt autoritas Principum Electorum à Papa, Accepitque Imperator Germanus titulum tiæ dignitatis à Papa, quemadmodum hoc oſtendit *Cle. 1. de iureiur.* Et Paul. de Lia. & Pe. de Anch. ibi. *in primo notab.* Tranſlatio igitur Imperii, non exiſtentia imperii, à Papa eſt, licet canoniſtæ teneant quod ſit imperium mediate à Deo, & immediate à Papa. De quo in *extraua. Bonifacii octaui, vnam ſanctã, de maio. & obedi.* Et quod ita Papa potuit transferre imperium de Græcis in Alemanos poſt aduentum Chriſti, licet ante aduentum Chriſti populus Rom. elegit ſibi Imperatorem, vt in *c. legimus 93. diſt. & 8. q. 1. c. Moſes, & c. ſi ergo.* De quo an immediate à Deo vel à Papa ſit imperium, remitto vos ad legiſtas, Bar. & alios in *proba. A.* Et Canoniſtas, Io. An. Dominum Philip. Pe. de Ancho. *in d. c. ad apoſtolica, de re iud. li. 6.*

2 Vbi probatur, quod poteſtas Electorum laicorum ſpectat ad eos de iure, ad clericos vero vt tres Archiepiſcopos de antiqua & præſcripta conſuetudine, Et ideo tranſlata eſt poteſtas eligendi in tres Archiepiſcopos, Moguntin. Colonien. & Treueren. propter magna feuda & thelonia, quæ habent ab imperio. Vnde ergo electus Imperator ab eis erit dominus totius mundi, licet Reges cæteri, vt eſt rex Franciæ, Hiſpaniæ, & alii de facto non iurauerunt Imperatori, vt ei ſubeſſe velint; ſubſunt tamen Imperatori Romano, & ei ſubeſſe debent de iure, ſicut legimus quod Imperator Romanorum Iuſtinianus diſpoſuit tam de regno Franciæ quam Hiſpaniæ, vt *in l. in nomine domini, §. iubemus. C. de offic. præfec. prætori Aphri.* de quo etiam per glo. & Bal. *in §. fin. feud. in tit. de pace tenenda inter ſubditos, & Iur. fir. in principio.*

3 Sed quia, vt dixi, Imperium donum Dei eſt, & à cœlo proceſſit, ideo non debet vendi pro precio ſeu pecunia, ſed gratis transferri vtiliori, in *authen. iud. ſine quo ſuff. per tot. colum. 2.* vt etiam ex ſupradicto iuramento principum Electorum ſatis videri poterit. Qui namque precio ſibi nititur vſurpare imperium ſeu aliam dignitatem, erit eo indignus, & crimen ambitus incidit, *l. unica ff. ad l. Iu. de ambi.* gloſ. in *l. fin.* in verbo *& ob hoc, Cod. ad l. Iu. repet.* & in *l. 1. Cod. ad l. Iul. de ambi.*

4 Hinc dicitur, quod Electores debent habere manus puras, & illas ad pecuniam non conuertere, *l. omnes & l. ſancimus, C. ad l. Iu. repe.* Et ſic Electores debent officium ſuum facere bona fide, remoto precio, & qualibet illicita pactione, *c. nullus itaque,* & ibi glo. *& ca. principatus 1 quæſt. 1.* qui enim per ambitum adipiſcitur dignitatem, efficitur infamis. *dict. l. 1. ff. ad l. Iul. de ambi. & in d. cap. nullus itaque,* & ibi glo. Committitur Symonia, vt ibidem, quando ſcilicet pro aliquo ſpirituali, vt eſt imperium & donum Dei, committitur vel datur temporale. Et non ſolum committitur Symonia, ſi quis pro ſpirituali aſſequendo dat vel promittit temporale ipſi principali Domino habenti conferendi vel eligendi authoritatem: ſed etiam committit Symoniam & crimen ambitus, ſi dat vel promittit aliquid temporale familiaribus vel ſeruitoribus domini principalis, vt in *cap. veniens, & in c. nobis, de Simo.* & ibi per glo. DD. & in *c. 2. de confeſſis.* cum ſuis concordantiis.

5 Sed obiicere alicui, quod receperit pecuniam vel vendiderit vocem in electione, cautum non eſt. Ex eo quod nihil dicere debemus, quod probare non poſſumus, ſed potius abſtinere & ſilere; *2. q. 7. plerumq;* glo. in *c. vt circa de elect. 6.* in verbo *ſuperuenerint,* & glo. penul. in *c. nulli, lib. 6.* In iudiciis enim non prodeſt veritas, niſi probetur, *c. 3. 79. diſt. in glo. mag. circa fi.* licet ſecus ſit in foro animæ, vt ibi per ſcribentes.

6 Idem namque ſunt & æquiualent, non eſſe verum, vel eſſe verum, & non poſſe probare, cum non eſſe & non apparere æquiualeant in foro iudiciali, *l. duo ſunt Titii. ff. de teſta. Tutel. & in lege fundi ff. de contrahen. empt.* vbi ponitur; quod ſit perinde non eſſe, niſi eſſe probatum fuerit. Dicit enim tex. in *d. l. duo ſunt Titii; ſi id non apparet, non eſt, ſed probatio deficit.* quod verum eſt maxime in criminalibus, vbi requiruntur probationes luce meridiana clariores. *Cod. de proba. l. ſciant cuncti.*

7 Nec præſumendum eſt de principibus, maxime Electoribus, quod in eligendo prece, precio aut alia ſiniſtra pactione corrupti ſint, cum quilibet præſumatur bonus, & quod non ſit immemor ſalutis ſuæ, & iuramenti per eum præſtiti, vt *in ca. fin.* cum multis concordantiis in gloſ. *de præſump.* Nec præſumitur aliquis delinquere *l. merito,* & ibi glo. *ff. pro ſocio, l. quoties §. qui dolo ff. de proba.* In dubiis ergo ſemper præſumendum eſt de bono & non de delicto. *l. ſemper in dubiis, ff. de reg. iuris,* cum in dubiis omnia ſint in meliorem partem interpretanda. Et concordat Innoc. in *cap. dudum, el. 2. de elect.* vbi plura exempla allegat ad hoc, quod omnia ſint interpretanda in partem meliorem.

8 Quare dicere non debemus quod probare non poſſumus, per iura ſupra allegata: nec ſufficiat allegare indicia, ſed dicenti crimina, & maxime in rebus arduis, & contra perſonas magnas incumbit probatio clariſſima, *d. l. fin. Cod. de probat.* & ibi per DD. Et in his neq; teſtimonium vnius

nec

nec coniecturæ, neque præſumptiones ſufficiunt, ſed requiruntur clariſſimæ probationes, maxime contra Auguſtum, hoc eſt contra Imperatorem vel eius negocium, qui dicitur Auguſtus à propoſito augendi. Debet enim habere quilibet Rex Romanorum, mentem augendi Imperium, quantumcunque poterit.

CAPVT VII.

DE CORONATIONE CÆSARIS.

1 *Quem ordinem Imperator recipiat in Vnctione.*
2 *Inquiſitio in examinatione.*
3 *Electionis diſcordia in pari numero.*
4 *Si electores ſint tardi & negligentes.*

EX omnibus præmiſſis & his quæ habentur *in c. venerabilem.* §. 1. patet hæc concluſio, Quod electio Regis Romanorum promouendi in Cæſarem ſpectat & pertinet ad Principes Electores ſupradictos. Poteſtates autem & ius examinandi huiuſmodi electionem, & declarandi perſonam electi idoneam ad imperium obtinendum, & cum Cæſareis infulis coronandum, ſpectat ad Papam, quamuis Abb. Sicu. dicat, quod electio Cæſaris non requirat confirmationem Papæ, per *Clem. 1. de iureiur.* vbi Papa pronunciat perſonam electi idoneam. vnde vnctio Cæſaris non requirit confirmationem Papæ, ſed ad Epiſcopum Hoſtienſem Cardinalem, qui habet hoc priuilegium ſpeciale ſibi à Papa conceſſum, quod Cæſarem vngat, vt dicunt, Io. And. Zabarel. Io. de Imol. *in d. c. venerabilem*, coronare autem Cæſarem pertinet ad perſonam Papæ; Conſecratio autem ad dictum Cardinalem Hoſtienſem. Sicuti enim olim in veteri Teſtamento vngebantur Reges, vt 3. *Reg* 10. *ca.* ita hodie Reges vnguntur & conſecrantur, improprie tamen, cum Reges non conſecrentur, ſed Epiſcopi. Proprie autem Reges vnguntur, Non quidem chriſmate ſed oleo in humeris. Epiſcopi autem proprie conſecrantur chriſmate & in capite. Et ſic eſt differentia inter conſecrationem Epiſcoporum, & vnctionem Regum, De qua eſt tex. *in c. cum veniſſet, in prin. & in §. vnde de ſacra vnctione.* Sic hodie vnguntur pueri in Baptiſmate. De quibus omnibus *in d. c. vnico. de ſacra vnct.*

Item licet Imperator conſecretur improprie & vngatur. Non tamē recipit per hoc ſacrum aliquē ordinem, vt quidā referunt, & male, Quod Imperator, ex conſecratione recipiat ordinē ſubdiaconatus, ſed recipit ordinem militarē, licet in die coronationis ſuæ Imperator recipiatur in canonicū Eccleſ. S. Petri Romæ & adminiſtret in Miſſa Papæ, vel Epiſcopo celebranti, in apparatu Subdiaconali. Non tamen Subdiaconus, licet alii etiam dicant, quod ſi Imperator fuerit Romæ nocte natiuitatis Chriſti, ut Papa celebret, Imperator legat illud Euangelium, *Exiit edictum à Cæſare Auguſto,* &c. Et non aliud, de quo in glo. fi. in *c. Valentinianus* 63. *diſt.* & do. Alexand. in. Card. ſuper eadem glo. qui dicit, quod *Imperator ſeruiat Papæ in die coronationis ſuæ, præparando calicem, & faciendo alia, quæ reſpiciunt ordinem Subdiaconatus.* 1

Vertitur autem in examinatione Imperatoris inquiſitio, An ſit Canonice electus, an ſit criminoſus, an ſit excommunicatus, an tyrannus, an fatuus, an paganus, an hæreticus. Quoniam hi ſunt prohibiti eligi in Imperatores, vt in *dict. cap. venerabilem*, Et ibi per modernos ſcilicet Io. de Imo. & alios. Quis autem dicatur *tyrannus*, notatur in glo. *in ver. Regum. cle. vnica de Bapt. & eius effect.* vbi glo. dicit, quod *Tyrannus eſt proprie qui in Rep. principatur non iuſte, ſed iniuſte.* De quo per Philoſophum *in 4. & 5. Polit.* colligitur. Vnde ſicut verus Princeps tendit ad bonum commune, ita Tyrannus ad bonum proprium. Quare proprie non eſt Princeps vt in eadem glo. notatur. Impediunt etiam quem eligi Imperatorem, ſi ſit publice periurus, & ſi fecerit perſecutionem contra Eccleſiam, quoniam ſacrilegus dicitur, vt *in d. c. venerabilem*, & ibi per Abb. & Io. de Imo. 2

Præterea ſi fuerit electus Rex Romanorum in diſcordia, in numero pari, Ita quod in electione tali nō ſit danda maior pars, tunc de conſuetudine vterque adminiſtrat, quamdiu alter eorum fuerit per Papam reprobatus, vt *in d. Cle. vni. § porro*, & ibi per glo. *de iureiur.* & Abb. & modernos *in d. c. venerabilem.* Si vero Rex Romanorum fuerit electus concorditer per maiorem partem principum Electorum, tunc mox poſt electionem ſuam ex tali electione, conſequitur poteſtatem adminiſtrandi iura imperii, etiam ante examinationem, vnctionem vel coronationem per Papam, vt in *c. legimus* 93. *diſt. et in c. Auaritiæ, de Elect. li. 6.* Et per ſcribentes in *d. c. venerabilem.* 3

Item ſi Principes Electores in eligendo Regem fuerint nimis tardi & negligentes: poteſt Papa eos admonere, vt procedant ad Canonicam electionem, alioquin poteſtas eligendi ab eis reuoluetur ad Papam, cum alias ad hoc eis non ſit ſtatutus certus terminus, de iure communi, vt in *d. ca. venerabilem*, Et ibi per DD. niſi ex *Bulla aurea Caroli quarti* habeant pœnam, quod ſcilicet, ſi infra 30. dies non eligant Regem Romanorum, vt poſtea non habeant victum niſi in pane & aqua, vt ſupra dictum. 4

CAPVT VIII.

Sequitur Proceſſus in vnctione Regis Romanorum ſeruandus, & in eius coronatione, quam alii dicunt conſecrationem, ſed improprie.

IN coronatione & vnctione Regis Romanorum, & præſertim vltimi Regis nouiſſime defuncti, fuit talis proceſſus. Primo poſt electionem concorditer, vel à maiori parte factam, comparet Rex Romanorum nouiter electus, in Eccleſia Aquenſi & ibidem Archiepiſcopus Colonienſis ex iure regni debitus conſecrator indutus ſuis pontificalibus ornamentis, & ſimiliter Archiepiſcopus Moguntinus, & Treuerenſis Archiepiſcopus, ſunt induti Pontificalibus ornamentis, & deſuper plunialibus cum debito ordine miniſtrorum, cruce, thuribulo, & textu Euangeliorum, præcedentibus, qui obuiam eunt Regi electo venienti ad fores Eccleſiæ Aquisgranenſis, vbi Archiepiſcopus Colonienſis eum recipit, dicens, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*, Et clerus, *Qui fecit cœlum & terram*. Archiepiſcopus, *ſit nomen Domini benedictum*. Miniſtri, *ex hoc nunc*, &c. Archiepiſcopus dicit collectam illam, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quaſumus, vt ita praſentis ſeculi curſum cunctorum in communem ſalutem diſponat, quatenus à tua veritatis tramite non recedat*, *per Domin.* &c. Et hac collecta dicta, Archiepiſcopus Moguntinenſis & Treuerenſis, præcedente Archiepiſcopo Colonienſi, ſuſcipiunt Regem, vnus ex vno, & alter ex altero lateribus per manus ipſum ducunt ad chorum Aquenſem. Et ſic præcedente Archiepiſcopo Colonienſi cum clero, cruce, thuribulo, textu Euangeliorum, & reliquiis præcedentibus. Clerus vero cantat, *Ecce mitto Angelum meum qui pracedat te*, &c. Cum verſ. Pſalm. *ſi me audieris*, &c. Et tunc cum perductus fuerit Rex electus ad chorum, proſternit ſe ſuper tapeto poſito ad gradus altaris. Et Rex totus ſe proſternit ad longum, vbi Archiepiſcopus Colonienſis ſuper eum proſtratum dicit, *Domine, ſaluum fac Regem. Oremus; Deus qui ſcis genus humanum nulla poſſe virtute ſubſiſtere*, &c. Item, *Oremus: ſempiterne Deus, qui caleſtium terreſtriumq; moderator, famulum tuum ad regni faſtigium dignatus es promouere*, &c. His dictis eleuet ſe Rex, & ponat ſe ſuper ſedem regiam, & addatur ei Regina ſi præſens fuerit, & collocetur iuxta Regem in latere ſiniſtro, ac Archiepiſcopus Moguntinus à dextro. Treuiren. vero in ſiniſtro latere, iuxta Reginam ſe ponant. Et tunc Archiepiſcopus Colonienſis induta caſula, celebraturus Miſſam, dicat, *confiteor Deo omnipotenti*, &c. Quo dicto incipitur Miſſa ſolenniter; *Ecce aduenit Dominator*. Verſi. *Iudicium Regi da*. Et tunc dicantur duæ collectæ, illa ſcilicet, *Deus qui miro ordine angelorum*, &c. *De tribus Regibus*, ac *Alleluia*, & Sequentia ac officium totum de tribus Regibus, lectio Eſaiæ prophetæ, *Surge, illuminare Ieruſalem*, &c. Si autem eſſet tempus quadrageſimale, dimiſſis Alleluia & proſa, cantabuntur tractus, *Deſiderium anima eius*, *vſque* ad verſi. *poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo*. Et tunc ſurgat Rex, & depoſito pallio regio, ducitur per Archiepiſc. Mogunt. & Treuer. ad gradus altaris, & proſtratus in totum, in modum crucis, cantatur Litania à duobus clericis, in quo loco ſuo erigit ſe Archiepiſc. Colon. qui proſtratus cum Rege baculum in manibus ſuis tenens, dicit inter cantandum Litanias per clerum, *vt hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris*. Clerus: *Te rogamus*, &c. Item, Archiepiſc. Colon. *vt eum benedicere † ſublimare † & conſecrare † digneris*. Cle. *Te rogamus*, &c. Item Colo. *Vt eũ ad regni & imperii faſtigiũ feliciter perducere digneris*. Cle. *Te rogamus*, &c. Deinde illi duo clerici complent Litaniã, *vt pontificem noſtrum*, &c. Et finita Litania erigit ſe Dom. Colo. Et Rex ſimiliter ſe leuet. Et Do. Colo. à Rege quærit: *Vis ſanctã fidẽ Catholicã à ſanctis Apoſtolis traditã tenere, & operibus fide dignis ſeruare?* Reſpõdet ei Rex, *Volo*. Itẽ Colo. quærit, *Vis ſanctis Eccleſiis, Eccleſiarumq; miniſtris fidelis eſſe tutor & defenſor?* Reſpondet Rex, *Volo*. Item Colon. quærit tertio: *Vis regnum Dei tibi à Deo conceſſum, ſecundum iuſticiam pradeceſſorum tuorum regere, & efficaciter defendere?* Reſpondet Rex, *Volo*. Item Colon. quærit: *Vis iura & regna imperii bonaq; eiuſdem iniuſte diſperſa conſeruare & recuperare, ac fideliter in vſus regni & imperii diſpenſare?* Reſpondet Rex, *Volo*. Item Colon. quærit; *Vis pauperum & diuitum, viduarum & orphanorum aquus eſſe iudex, & pius defenſor?* Reſpondet Rex, *Volo*. Item Colon. quærit; *Vis integerrimo in Chriſto Patri & Do. Romano Pontifici & ſancta Romana Eccleſia defenſionem debitam & fidem reuerenter exhibere*, &c. Reſpondet Rex, poſitis duobus digitis manus ſuæ dexteræ ſuper altare. *Volo, & in quantum diuino ſuffultus fuero adiutorio, & precibus chriſtianorum adiutus, quantum valuero, omnia pramiſſa fideliter adimplebo, ſic me Deus adiuuet, & ſanctũ eius Euangelium*. Et tunc reducitur iterum ad altare. vbi Dom. Archiep. Colon. à Principibus Alemaniæ, Clero & populo circumſtantibus quærit, & ſic dicit; *Vultis tali Principi ac Rectori vos ſubiicere, ipſiusq; regnum firmare, fidem ſtabilire, atq; iuſſionibus illius obtemperare; iuxta dictum Apoſtoli; omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſiue Regi quaſi pracellenti?* Ad quam quæſtionem Archiepiſcopi Mogũtin. & Treuer. Principes Alemaniæ. Clerus & populus aſſiſtentes reſpõdent dicentes: *Fiat, fiat*. Quia tamen Rex quandoque non intelligit Latinum idioma, præmiſſa per Archiep. Colon. aut Clericos eius præmiſſas interrogationes in Teutonico declarabit. Quo facto Rex proſternit ſe in longum, & Colon. dicit ſuper eum benedictionem: *Oremus: Benedic Domine hunc Regem noſtrum N. qui regna omnium moderaris à ſaculo*, &c. Item Colon. *Super eum dicit*; *Deus ineffabilis auctor mundi, cõditor generis humani*, &c. Poſt, *Amen*, iterum erigit ſe Rex, Et Dom. Colon. vngit caput eius, pectus inter ſcapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa ſcapulas, de oleo catechumenorum, dicẽs; *Pax tibi*. Ad quod clerus, *& cum ſpiritu*, &c. Et tunc Colon. dicit: *Vngo te in Regem de oleo iſto, In nomine Patris † & filii † & ſpiritus † ſancti*. Et interea clerus cantat, *Vnxerunt Salomonẽ Zadoch Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Syon, & procedentes lati dixerunt, viuat Rex in aternum*. Poſtea Colonienſ. vnget palmas manus, dicens; *Vngantur manus iſta de oleo ſacro, vnde uncti fuerunt Reges & Propheta, & ſicut vnxit Samuel Dauid in Regem, vt ſis benedictus & conſtitutus Rex in regno iſto, ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi,*

ad regen-

ad regendum & gubernandum, quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus, &c. Interea Clerus ite- *Abſterſio.*
rum cantat, *vnxit te Deus*, &c. & factis vnctionibus iſtis, ſtatim ſint parati capellani domini Regis, &
cum lana mundiſſima detergant omnia loca, vbi oleum appoſitum eſt, & tūc ducitur Rex ad arma-
rium, & indutum ibidem Sandaliis, Alba, ſtola, ad modum crucis in pectore ſine Cappa. Et ita re-
deat ad ſedem ſuam circa altare. Et tunc Colon. dicit collectam, *proſpice omnipotens Deus ſerenis ob-
tutibus glorioſum Regem N. Et ſicut benedixiſti Regem Abraham, Iſaac, & Iacob*, &c. Item aliam collectam;
Spiritus Sancti gratia humilitatis noſtræ officio copioſe in te deſcendat. Item aliam; *Deus qui es iuſtorum gloria
& miſericordia peccatorum*, &c. *per omnia ſecula ſeculorum.* Aſſiſtentes reſpondent, *Amen.* Colonienſ.
Dominus vobiſcum, ſurſum corda, Gratias agamus, &c. *vere dignum & iuſtum eſt*, &c. ſpecialem præfatio-
nem, vt in *Ordinario* Epiſcopi Colonienſis habetur. Item collecta alia: *Quoniam Dei filius Ieſus Chri-
ſtus Dominus noſter, qui à patre oleo exultationis vnctus* &c.

His dictis poſtea regalia traduntur Regi hoc ordine, & locentur primo ad ſiniſtram altaris in *Regalia.*
menſa. Et tunc Colon. Moguntinen. & Treueren. ſimul tradunt domino Regi gladium. Et dicit
Colonien. *Accipe gladium, per manus Epiſcoporum vice & autoritate ſanctorum Apoſtolorum conſecratis, tibi* *Anulus.*
regaliter impoſitum. Hic accinctus gladio, accipiat à Domino Colon. armillas, pallium & anulum. Di-
cente ſibi Colonienſ. *Accipe regiæ dignitatis anulum, Et per hunc catholicæ fidei cognoſce ſignaculum*, &c. po-
ſtea dominus Colonien. tradit ei ſceptrum, & pomum, & dicit: *Accipe virgam virtutis & æquitatis.* *Sceptrum.*
Hinc Dom. Colon. Moguntinen. & Treueren. ſimul ſupra ponunt Regi coronam regiam, ſcilicet *Pomum aureū*
Caroli Magni de Nornberg adductam, vt ſupra dixi, & pariter dicunt; *Accipe coronam regni*, &c. *Corona.*
Hic Domini Mogunt. & Treueren. ducunt Regem ad altare & Rex poſitis manibus ſupra altare,
hanc profeſſionem facit in ſuo vulgari, id eſt. Teutonico, prius tamen in Latino: *Profiteor & promit-* *Profeſſio Regis*
*to coram Deo, & angelis eius, ammodo & deinceps, legem & iuſtitiam, pacemque, ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeruare,
populoq; mihi ſubiecto prodeſſe, & iuſtitiam facere, & iura regni conſeruare. Saluo condigno diuinæ miſericordiæ
reſpectu ſicut cum auxilio Principum & fidelium regni atque meorum melius inuenire potero. Sanctiſſimo Roma-
no Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ cæteruque Pontificibus & Eccleſiis Dei condignum & canonicum honorem ex-
hibere volo. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus, Eccleſiis ſeu eccleſiaſticis viris collata ſunt, & eroga-
ta, inuiolabiliter ipſis conſeruabo, & faciam conſeruari. Abbatibus & ordinibus vaſallis regni honorem volo
portare & exhibere, Domino noſtro Ieſu Chriſto mihi auxilium præſtante fortitudinem & decorem.* Poſt iſtam
profeſſionem Moguntinenſ. & Treueren. Archiepiſcopi ducent Regem ad ſolium ſuum, Clero
cantante officium, quod incipit; *Deſiderium animæ tribuiſti ei*, & verſiculum; *Qui præueniſti eum.*
Hic dicitur Rex ſuperius ad altare Apoſtolorum Simonis & Iudæ, in Eccleſia Aquenſi. Et deinde
ducit Archiepiſcopus Colonienſis Reg; *Ita retine ammodo locum regni, quem non iure hæreditario, nec pa-
terna ſucceſſione, ſed Principum Electorum in regno Alemaniæ ſeu verius Romanorum tibi noſcas delegatum,
maxime per autoritatem Dei omnipotentis, & traditionem noſtram præſentem, & omnium Epiſcoporum cæ-
terorumque ſeruorum Dei*, &c.

His itaque cum Rege peractis, ſi Rex habuerit Reginam, quæ affuerit iungatur Regina ante *Vnctio Reginæ.*
altare coram Domino Archiepiſcopo Colonienſ. qui ſuper eam proſtratam, dicat benedictionem:
omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei ſexus fragilitatem, &c. Et tunc proii-
ciat ſe Regina per modum crucis in longum ante dominum Colonienſ. qui iterum dicat ſuper ea
benedictionem: *Deus qui ſolus habes immortalitatem*, &c. Hic detegatur pectus Reginæ per ſuas pe-
diſſequas, & Archiepiſcopus Colonienſis circa præcordia pectoris Reginæ de oleo ſacro vngit eam
dicens: *Spiritus Sancti gratia humilitatis noſtræ officio in te copioſe deſcendat*, &c. Hinc Colonienſis Mo- *Magnus labor*
guntinenſis & Treuerenſis Archiepiſcopi pariter ſupraponant coronam ad caput Reginę dicentes;
officio indignitatis noſtræ in Reginam benedictam ponimus coronam Regalis excellentiæ. His dictis Capellani
Reginæ accedant & detergant loca cum oleo deuncta, cum lana munda & alba, & poſtea pediſſe-
quæ Reginæ ipſam reinduant. Quo facto ducatur iuxta Regem, & ſedeat in latere ſiniſtro Re-
gis, prius Clero cantante, *Te Deum laudamus.* His peractis legitur Euangelium ſecundum Matthæum: *Abſterſio olei.*
Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis. Deinde dicitur, *Credo.* Offertorium, *Reges Thar-
ſis*, &c. Et Rex ſceptrum in manu tenens offerat ad altare, vbi Miſſa cantatur. Deinde offeret Regi-
na, poſtea Principes Moguntinen. Treuerenſis: poſtea alii Principes Electores ſecundum gradum
ſuum, & procedetur in Miſſa vſque ad illum locum, *& pax eius.* Completo officio Miſſæ: & mox poſt *Confirmatio*
electionem confirmat priuilegia Principum Electorum. Et iurat quod poſtquam vnctus fuerit & *priuil. Elector.*
coronatus & diademate imperiali per Romanum Pontificem ornatus, iterum Principum Electo-
rum priuilegia confirmabit. Quibus ſic peractis, Rex cum principibus Electoribus ingrediuntur
auditorium, & ſi tunc fuerint aliqua negotia ſpecialia & ardua regni tractanda, illa tractabunt, &
ita Rex ipſe proceſſu temporis cum ſuis Principibus ac Proceribus, Regnum Romanorum admini-
ſtrabit pacem conſeruando, oppreſſos releuando, iniuſtos reprimendo, & iuſticiam defendendo in
iure, Et ita cum Dei adiutorio regnum & regimen Sacri Romani Imperii fœliciter continuando:
Quod iſte ei miſericorditer præſtet, qui ſine fine viuit & regnat, per omnia ſæcula ſeculorum bene-
dictus, Amen.

II.

DISCVRSVS DE ELECTIONE REGIS ROMANORVM, VIVENTE IMPERATORE.

Anno Christi 1531.

ORDINATIO Electorum fuit facta ex cauſa, tempore Ottonis III. ne ſcilicet iret Imperium per ſucceſſionem, ſicut tum erat per tres Ottones Imperatores ſucceſſiue. Et fuit Ordinatio facta de anno Domini M. C. Forma erat talis. Quoniam Electores primo conueniunt more Collegiorum in villa Rens Treuerenſis diœceſis, ad ſtatuendum diem electionis communiter faciendæ per ipſos, ſeu maiorem partem eorum, in oppido Franckfurt. Et ibi poſtea fit electio facta à maiore parte Electorum, ſicut regulare eſt in ceteris collegiis, prout declarat Iohannes Andreas in *Addition. Speculat. in ſ. de reſcriptis præſent. in § final. verſ. item quod impetratum.* Hæc refert Aluarottus *in capitul. primo in tertia columna. Quis dicatur Dux, Comes vel Marchio*: vbi addit Aluarottus quod poſtquam electio facta ſit, præſentetur Rex, cum decreto electionis, Romano Pontifici: cuius contrarium hodie obſeruatur, abſque dubio ex iuſtiſſimis cauſis. Ex iſtis notatis Aluarotti apparet, quod olim Electores conuenerant ad certum locum, & ibi tractarunt de electione futuri Regis eligendi, Imperio iam vacante: & conuenerunt etiam de die electionis in Franckfurdia. Ergo ab antiquo ibi Rex eſt electus. Ergo non ſtetit apud Moguntinum mutare locum. Et quod ideo Electores ſunt ordinati, ne Imperium iret per ſucceſſionem, ſicut cœpit ab Ottonibus: quod iam longe eſt periculoſius. Ergo ire per ſucceſſionem eſt contra libertatem Imperii & Germanicę Nationis, etiamſi per Electores ſic procedatur, per *dict. cap. venerabilem.* quia iſtud Cap. loquitur de electo, & tamen propter conſeruationem prædictæ libertatis caſſatur ipſa electio.

Videtur autem de Monarchia ipſius Imperii Romani & Germanici dicendum, in qua debet eſſe tantum vnum caput, Nam vtroque adminiſtrante par in parem non haberet adminiſtrationem, ſicut Imperator. Ex qua re poſſent multæ ſequi diſcordiæ inter ipſos, ac poſtea Principes & Status: item pericula in Imperio. Et demum hac via cogitarent fratres ſubigere Germaniam & transferre ad Principes Domus Auſtriacæ, ſicut iam bene cœperunt cum aliquibus Principibus & Epiſcopis. Non enim debet eſſe monſtrum habens duo capita, *c. quoniam in pleriſque, de offic. iud. ord.* ita Gloſ. *c. non autem, 6 quaſt. 1. in fin.* Vtitur enim textus iſtis verbis: *Prohibemus autem omnino, ne vna eademque ciuitas ſiue diœceſis diuerſos Pontifices habeat, tanquam vnum corpus diuerſa capita, quaſi monſtrum.* Allegat pro hoc & addit Gl. in ſi. hæc verba. *Quia vnus tantum debet eſſe Imperator.* Idem dicit Gloſſa, quam dicit Abb. in præalleg. loco eſſe notabilem, quod non poſſent eſſe duo Papæ, neque duo Imperatores. Et rem ttit Abb. ad *not. Clement. Rom. de iureiur.* vbi dicit hoc notari. Et quod Gl. in *d. c. non autem*, in verbo, *vt non ſuccedere*, allegat pro contrario textũ in *c. non autem, 21. diſt.* vbi apparet duos Imperatores ſimul fuiſſe: hoc ſoluit ibidem Gl. in verb. *Diocletianus*, vbi dicit: *Non plures fuiſſe Imperatores, niſi Diocletianum & Maximinianum*, quos dicit ibi text. ſimul regnaſſe contra *c. in apib. 7. q. 1.* Subdit Gloſ. *Sed forte vnus habuit dignitatem, alter adminiſtrationem, quia de iure eſſe debet per text. pulcerrimũ Hieronymi, qui habetur in c. in apibus: princeps vnus eſt, & grues vnam ſequuntur ordine litterato. Imperator vnus, Iudex vnus Prouinciæ, Roma vt condita eſt,* [a] *duos fratres ſimul Reges habere non potuit, & parricidio dedicatur.* Allegat Gl. in verb. *Roma, ff. de rer. diuiſ. l. vlt.* pro contrario, quod hoc contigit, quia muros tranſiliit Remus. Reſpondet Gloſſ. *Nam potuit hoc idem feciſſe ex inuidia.* Idem in eod. *c. in apibus* reſpondet Gl. in verb. *vnus*, quod *fuerunt aliquando duo de facto.* Item Archid. in *d. c. nunc autem*, dicit, Saluſtium dicere & referre, quod hoc factum fuerit pro bono pacis & vtilitate Reipublicæ ſecundum Laurentium, quia reputabantur loco vnius, alioqui dicit Gl. ſtandum eſſe contrario, quia non debet eſſe niſi vnus Imperator vel Rex. allegat præallegatum *c. quoniam de off. ord.* Et hoc caſuale fuit ſecundum Alber. de Roſat. in *l. 1. C. de ſum. Trinitat. & fid. Cat.* allegans *c. & duos.* Textus iuris ciuilis pro hoc, quod pluſquam ſemel fuerunt duo Imperatores, *ff. de pactis & l. Diui fratres, ff. de pœn.* Imo, ſicut ſcribunt Hiſtorici, hoc factum fuit propter amplitudinem Imperii, cum Imperium Romanum dominabatur omnibus tribus partibus mundi: quia impoſſibile erat vni Imperatori omnibus Prouinciis & Regnis ſufficienter præeſſe. Ideo aſſumpſerunt ſibi quandoque vnum, quandoque etiam duos conſortes Regni, qui delegabantur ad exteras prouincias pro illis regendis, quamquam omniũ nomine [b] regerentur. Hinc etiam dicit Alber. in præalleg. *l. 1.* mihi in 1. col. *in verſ. non obſtat c. in apib.* quia (vt ipſe dicit) iuxta *c. in apib.* quod in vno Regno non debeant eſſe duo Reges, ſed in quolibet Regno vnus Rex, nec prohibet hoc, dicit ipſe, *d. c. in apib.* imo eſt illi conſentiens. Nam dicit, quod vnus apis non eſt Rex omnium apum in toto mundo; imo in quolibet vaſe apum eſt vnus Rex. ſed nec omnes grues de mundo ſequuntur vnam, ſed vna cõgregatio ſequitur vnã. & alia aliam. Et ſic in quolibet Regno erit vnus Rex, ſed hoc non eſt, neq; iam fuit aliquandiu in Imperio

[a] *Ecce quam periculoſum duos fratres eſſe ſimul Reges, quod etiam in nullo Regno eſt, etiam in quibus ſucceditur: nec reperitur exemplum: de filio bene reperitur, quanquam non ſemper feliciter ceſſit, vbi tamen fortior timendus, & minor diſcordiæ timor. Ecce nec tandem non extenditur ad diſſimiles caſus.*

[b] *Vide Sueton.*

Romano

Romano, quod à tempore Heraclii in dies defecit; & adeo, vt nunc Turcarum Imperator depulerit plura, & occuparit Regna plura, quæ pertinuerunt ad Imperium, quam hodie habeat. quia hodie pauca Regna, præter Germaniam, recognoſcunt Imperium Romanum, vel Regem ab Imperatore Romano. Ergo ceſſat cauſſa vocandi alios in conſortem, ſicut iam iſtis temporibus, & remanet ratio vnitatis & Monarchiæ, quod debeat eſſe & ſit magis expediens habere vnum Regem vel Imperatorem tantum, ſicut ſupra ſonuit dictus Archidux, quod regulariter non debeat eſſe niſi vnus. Neceſſarium enim eſt Reipublic. per vnum Reipubl. prouideri, vt in *l. 2. §. nouiſſime, ff. de origin. iur.* Multi enim facile diſſentiunt, fratres maxime, *l. 1. ff. Quod cuiuſque vniuerſ.* Et ſi ſunt multi, erunt multa capita, quaſi monſtra, ſecundum *dict. cap. quoniam, de offic. iud. ordin.* Ita dicit Oldradus *Conſil. 69. in princ.* qui conatur probare, quod non omnes Reges & Principes debeant de iure ſubeſſe Imperatori. Dicit textus *in d. §. nouiſſime. Nouiſſime ſicut ad pauciores viros iuris conſtituendi via tranſiſſet, ipſis rebus diſtantibus, videbatur per partes euenire, vt neceſſe eſſet Reipub. per vnum conſuli. Nam Senatus non perinde omnes prouincias regere poterat. Igitur conſtituto Principe datum eſt ei ius, vt quod conſtituiſſet, ratum eſſet.* Et dicit Gl. ibidem in verb. *rebus: Nota, commodius per vnum expediri.* allegat *ff. de adminiſtration. l. 3. §. quod in tutore*, vbi Albertus remittens ſe ad notata de hoc per eum in *proœm. ff. §. diſcipuli igitur*, vbi ſic inquit: *Vbi non eſt gubernator, populus corruet. & quanto Regnum efficacius fuerit ad vnitatem & pacem conſeruandam, tanto erit vtilius. Hoc autem poteſt commodius fieri*, dicit, *per vnum quam per plures.* In pluribus enim requiritur quædam vnio ad hoc, vt modo debito regere poſſint. Multis enim exiſtentibus in vna vniuerſitate pariter Rectoribus, & quolibet prouidente quid ſibi foret delectabile, vniuerſitas de facile deſtrueretur, vt vnitas in ipſa non poſſet ſubſiſtere. Sic enim in natura videtur, quam ars imitatur, *Inſtitution. de adoption. §. minorem.* Nam in membrorum pluritate eſt vnum caput. Et ſi plura reperientur, dicentur eſſe monſtrum, *ff. de ſtatu homin. l. non ſunt lib.* & ſæpe allegatum Cap. *quoniam & in apibus ſeptima quæſtion. prima.* Et in toto vniuerſo vnus eſt Deus & Rector, inquit Philoſophus duodecimo Metaphyſ. Et dicit in diuina ſcriptura Dominus per Ezechielem trigeſimoſeptimo cap. *Dicit Dominus, ſeruus meus Dauid Rex erit inter eos, & paſtor erit vnus omnium illorum.* Et *erit vnus paſtor, & vnum ouile*: Iohann. decimo. Ideo Papa prohibuit in Concilio generali, ne vna ciuitas diuerſos habeat Pontifices, ſed ſingulæ ſingulos Epiſcopos, & ſingulæ prouinciæ ſingulos. Item diſponitur, vt facilius vnus tutor exerceat actum, quam plures, præallegata C. 111. *de adminiſtration. tut.* Vnde huiuſmodi conſideratis inductum eſt, vt in Regno vnus præſit, qui pacem inter ſubditos conſeruet. Et in hoc concordant, dicit Albericus, Philoſophi, quod commodius regitur per vnum, quam per plures. Et probatur per alias probabiles rationes in lib. Ægidii *de Regim. Princip.* per Magiſtrum Iohannem in libro ſuo *de Poteſtat. Papal. & Imperat.* & quæ dicuntur in libro ſuo *de Monarchia.* Et per iſta approbat Albertus in loco præallegato valere conſuetudines primogenituræ, vt in Alemania, quod Ducatus non debeant diuidi; & id propter publicam vtilitatem. Sequitur ergo ex præmiſſis iure naturæ & conſuetudine generali totius orbis, & etiam iure ſcripto, duntaxat vnum debere eſſe Regem & Imperatorem, nec expedire Reipubli. quod ſint plures. Ita ab initio mundi in vno Regno fuit tantum vnus Rex, prout patet ex Monarchia trium Regnorum, ſcilicet Aſſyriorum, Babyloniorum & Chaldæorum: item in Regno Iudæorum. Item Regnum Ægypti non ferebat ſimul plures Sultanos; neque Turcicum plures Cæſares. Ergo dum quandoque fuerunt plures fratres, vnus profligauit alium cupiditate. Præterea dicit Cicero: *non eſt fidus ſocius Regni*, declarans etiam, quanta pericula & bella ſæpiſſime Reipub. ex pluralitate Ducum contigerunt. qui effectus peſſimi pluralitatis Regum & Dominorum infra latius deducentur. Et maxime fuit iſta conſuetudo hactenus inconcuſſe obſeruata in Regno Germaniæ, dum apud Germanos Imperium Romanum fuit. Quia non legitur in Chronicis neque Hiſtoriis, quod vnquam fuerint plures Cæſares ac Imperatores vel Reges Romanorum ſimul actu regentes & adminiſtrantes. Vnde obſeruanda eſt & nunc in poſterum tanquam vtilitati Reipubl. & tranquillitati conſentanea: non attento, quod obſeruatum vel factum ſit in Imperio ante illius translationem in Germanos. Et maxime, cum ceſſent cauſſæ, propter quas antiqui Imperatores Romæ præſidentes receperunt Imperii conſortes, propter multitudinem Regnorum, & quo melius à defectione ab Imperio armis deuicti conſeruarentur. Omnia enim debent conuenire ſuis temporibus, *vigeſimotertia quæſtio. quarta, ſi eccleſia, & ſecunda quæſtione prima, ſi pecuniam, & c. erit textus quarta diſtinctione*, & ibi Gl. in verb. *eademque.* Debet enim quidque tempori eſſe conueniens. Et quia illa conſuetudo aboleuit poſtea, & maxime interim quo Imperium in Germanos translatum eſt: & inualuit illa, quod nunquam fieri nec eſſe debeat, niſi vnus Imperator. Ergo ab illa, tanquam iuſta, rationabili & tempori conueniente, nequaquam eſt recedendum, nec contra faciendum aut conſentiendum, quia iam eſt vix adhuc vnicum Regnum, quod Imperio totali obedientia adhæret, videlicet Germaniæ. Vnde aliquid contra prædictas fortiſſimas rationes valet vel valere poterit, duos eſſe ſimul Imperatores & Reges adminiſtrantes?

Si dixerit Imperator, eſſe de neceſſitate Imperiũ, tũc dicat an velit ferre liberam electionem.

Et ſi vellet aliquis dicere, iuſtiſſimas ſubeſſe cauſas, vt frater Cæſaris Caroli ſit Rex Romanorum, qui gubernet & adminiſtret in Germania Regnum; & maxime iſtis tam turbulentis

temporibus, vbi eſt ſchiſma in religione apud Germanos, & non magna obedientia, & Turca infeſtat Germaniam, quod apparet iam elapſis annis per occupationes Regni Hungariæ & obſidionem ciuitatis Viennæ, ſcilicet cum Cæſar perſonaliter in Germania permanere diutius non poterit propter pluralitatem & diſtantiam Regnorum ſuorum, quæ ſucceſſionis iure ad Maieſtatem ſuam peruenerunt, & hodie ſpectant: item propter Reginam coniugem & liberos dulciſſimos: & propter eandem cauſam licet & ſit neceſſe ab prædicta conſuetudine Regni Germaniæ pro qualitate temporis diſcedere pro hac vice: tamen dico, quod non eſt quoad cauſam ſimilitudo. Ratio: nam olim etiam eſt poſt iura Imperii, quando erant conſortes Imperii, illi conſortes incubuerunt Regnis Imperii. Vnus tenebat hanc, alius aliam partem mundi. Vnus pro manutentione Imperii & illius amplitudine geſſit hic bella, alter ibi; non incubuerunt propriis. Ergo non eſt ſimilitudo, neque illa neceſſitas Imperii eſt publica, quæ tum erat. Aſſumptus enim & electus eſt ad hoc, quod præeſſet Germanicæ nationi, & in illa reſideret, ac bona eius procuraret, & ab incurſibus Turcarum defenderet. Ideo enim aſſumitur Rex aliquis, vt ſit in Regno, vel ſaltem alternis vicibus. Et apparet hoc ex *Decreto ſuæ electionis*, & ex *Compactatis Electorum cum Cæſare*, quod hoc promiſerit, ſe ſcilicet reſeſſurum in Germania. Alioqui quid indiguiſſet vel vtile fuiſſet ſuam Maieſtatem eligi in Regem Romanorum, & Regno Germaniæ præfici, niſi quod ibi reſidere & eam regere deberet?

Nihil ergo eſt, quod prætendi poteſt, niſi vtilitas propria, cum maximo præiudicio nationis Germanicæ, ſicut latius infra patebit. Reſideat ergo, vel ſi mavult præeſſe propriis perſonaliter, cedat & reſignet Imperium, & permittat Electoribus nationis Germanicæ libere eligere Regem, poſtea coronandum in Imperatorem, ſi non vult reſidere vel reſignare, & eſſe in propriis, puta Hiſpanicis. Ergo neceſſario ſequitur, ſuam Maieſtatem quærere non quod Reipublicæ Germanicæ, ſed quod ſibi vtile eſt: quod etiam hactenus ita viſum & perſpectum eſt. Nam citra tamen detractationem Maieſtatis Cæſaris, vtcunque feliciter geſſerit bella contra Regem Franciæ, Papam, & alios, quid ceſſit in vtilitatem Imperii? omnino nihil. Nam quicquid obtinuit, non Imperio, ſed ſibi appropriat, & appropriaturus eſt, niſi quod iura Imperii excepit, ſicut proponebatur proxime in Comitiis Auguſtanis, priuatimque vtebatur Imperio Germanorum, vt hoc, & abſque dubio ita in poſterum vſurus eſt, quod facit abduci Capitaneos & optimos bellatores è Germania in Italiam, quibus auget ſuum priuatum non Germanorum Imperium. Et quantum ſuſceperit per iſta bella Italica, Germania detrimentum inexpertis factis bellandi Germanis, claro clarius eſt: & quantam propter ſua priuata Regna inuidiam nationi Germanicæ apud vicinos Reges conciliauerit. Quod pariter facit frater Ferdinandus, vt hactenus fecit. Germania hactenus non timuit de Gallo, neque timebit in poſterum. Fuit enim Germaniæ ſemper amiciſſimus, dans & permittens mercatoribus & hominibus Germanis paſſum, & alia clementer promittit. Et ſi diceretur: Germani alioqui exercent & ſequuntur bella. Verum eſt, exercent; ſed niſi Cæſari fuiſſet conſentiendum, non fuiſſet in tam periculoſis temporibus tanta copia dimiſſa. Item ſi diceretur; Cæſarem geſſiſſe iſta bella propriis ſumptibus, non mirum ergo, quod ſibi vendicet, quæ vicerit. Sed interea promiſit fratri Ferdinando auxilia & ſuffragia ipſi conſenſa in ingreſſu Italiæ pro Corona. Præterea vrget nihilominus pro ſubſidio, vbi frater, & ſollicitat pro vicino ſeruitio, vmb ein Reutter dienſt: qui prouocauit Regem Iohannem & Turcam, ita quod propter illius priuatum petitum Regnum Germania ſtat in longe maioribus periculis, quam antea. Et quanquam Baldus in *leg. Barbarius Phil. Digeſt. de offic. prætor.* mihi in penultima columna ſentiat, Imperatorem non poſſe ſuæ Imperatoriæ Maieſtati renunciare, cum Electores Imperii non ſint eius ſuperiores. Nam is dicitur ſuperior, in cuius manibus debeat fieri renunciatio, & qui habet poteſtatem inſtituendi & deſtituendi, vt notatur *de Renunciation. capit. quod in dubiis*, & ibi per Compoſtellan. Sed Electores poſtquam Imperator eſt coronatus & confirmatus, vel confirmatur tantum, non habent poteſtatem deſtituendi: ergo in eorum manibus non poteſt renunciari. Sed re integra bene poſſet Electus in Imperatorem non acceptare electionem, & renunciare abſentibus & eligentibus coram vicinis & amicis, argument. *leg. de negot. geſtis. Pomponius ſcribit.* Aliud dicit eſſe de Papa, iuxta *capit. I. de Renunciation. libro ſexto*, & quod is poſſit ad proprias manus renunciare vel reſignare Papatum, & poſſit ſe ipſum deponere & deſtituere, *ſecunda quæſtione ſeptima, vos*: quia Papa ſuperiorem non habet. Imperator vero habet ſuperiorem, puta Papam. Et igitur ſeipſum non poteſt deponere, nec dare licentiam Electoribus, quod eligant alium, niſi de licentia Papæ. Quod mirandum dicit Baldus. *Papa iuſtus eſt ſupremus Vicarius Dei, qui contradicit, mentitur.* Addit, *Imperator, quoad mundum, eſt maior quam Papa; & Papa, quantum ad Deum, maior, ſi eſt iuſtus, non autem maior eſt in mundo. Et ideo Imperator inclinatur ſibi amore Dei & Sancti Petri Apoſtoli.* Et idem, quod Baldus, videtur ſentire Philipp. Franc. in dict. capitul. *de Renunciation. libro ſexto*, mouens illam quæſtionem, & remittens ſe ad Baldum in *leg. Barbar.* vbi dicit, eum notabiliter loqui de illa quæſtione; tamen diuerſum ob-

Tempus eſt ſemel loquẽdi, & exigit cauſa neceſſitas.

tinuit in Imperio. Nam conſtat; quod Electores depoſuerunt Regem Wenceslaum iam electum à maiore parte & coronatum, abſque ſua ſpontanea reſignatione, & abſque Papæ ſcitu aut conſenſu. Et rationes Baldi ſunt falſæ, quod Papa ſit ſuper Imperatorem in temporalibus, id eſt, concernentibus ſuam electionem & deſtitutionem, niſi quatenus Romani Pontifices id ius ſibi de facto vendicare conati ſunt: quia Imperator Heinricus IV. id optimis rationibus contra Bonifacium & eius Legatos impugnauit, ſicut apparet ex ipſius Papæmet narratis in *Clemen. Romana, de iureiurand.* Nec enim ceſſit attentatæ depoſitioni Pontificis dictus Imperator, quando per Papæ peſſimas fraudes fuerit eius filius electus in Antiimperatorem. Quales etiam fuerint iſtius facti ſucceſſus, ſatis apparet ex *Chronicis & Hiſtoriographis.* Præterea Pontifici hoc ius tribuere, eſſet eum ſtatuere Antichriſtum, ſicut etiam eſſe prætendit. Videmus etiam in Adolpho, qui cum Ludouico conflixit apud Merſeburg, quam triſtis fuerit exitus eius, qui pariter per Papam fuit contra dictum Ludouicum inſtigatus. Sicut enim erat ius Pontificis, ita etiam euidenti facto fortunauit Deus ipſorum facta malitioſa.

Nam ſi nollet Imperator renunciare, & vellet fratri promittere Regnum alienum, & illius adminiſtrationem, & retinere iura Imperii & Imperialia ſicut ſonat ipſius mandatum, tunc ſequeretur, quod diuideretur Regnum Alemaniæ ab Imperio, quia Cæſare viuo non eſſet amplius Rex Alemaniæ, quia hoc eſſet contra ius naturæ & ſcriptum, quod deberent duo eſſe Reges adminiſtrantes vnum & idem Regnum. Ergo Cæſare cedente fratri Regnum Germaniæ, & retinere iura Imperialia volente, contingeret diuiſio tanta Imperii à Regno Alemaniæ, & Carolus eſſet Imperator non vt Rex Germaniæ, quam reliquit, ſed vt Rex Hiſpaniæ, ex quo facile poſſet contingere vlterior ſeparatio, videlicet quod Imperium perueniret ad Hiſpanos, dicentibus Hiſpanis, quod tum conſenſerint, ſic Electores & Principes Imperii, & Carolus reſignaret fratri Regnum Alemaniæ, quod hactenus inſeparabiliter obtinuit Imperium; & ipſe nihilominus, qui amplius Rex Alemaniæ non eſſet, retineret ius Imperii, & eſſet Imperator tanquam Hiſpanorum, non Alemaniæ, Rex, quam amplius non habebat. Ergo per iſtam electionem & viam iam eſſet ipſo facto Germaniæ ſublatum ius & libertas Imperii, de quo nihil cogitarunt iſti Agni Electores corrupti. Et pro iſto faciunt fortiſſime geſta in coronatione moderni Imperatoris Caroli, qui fecit ſe coronari in Imperatorem Romanorum contra morem Imperatorum Germanorum Bononiæ, ſcil. non vocatis Principibus Germaniæ, neq; Electoribus, neq; aliis, ſed quibusdam Principibus Italiæ, qui iura Electorum cum delatione clinodiorum & aliis Bononiæ exercuerunt. Et maxime non fuit vocatus Archicancellarius per Italiam, puta Archiepiſcopus Colonienſis. Adeo ſunt cæci præ cupiditate vnius, ſcilicet non videntes priuilegia, quæ poſtea rurſus cupientes hæreditare non occupabunt. Ita quod adhuc eſt dubium, ac Cæſar non fecerit ſe coronari magis vt Regem Hiſpanorum, quam Germanię. Et Carolo ſic potito Imperio facile contingeret, quod Ferdinandus ſemel potitus Regno Germaniæ per Imperatoris potentiam, maneat poſtea perpetuo vt hæreditarium & ſucceſſorius Rex Alemaniæ. Anne hoc ſit actum, & agere in præiudicium libertatis ac prærogatiuarum nationis Germanicæ, cogitet vnusquisque Princeps, & iudicet apud ſemetipſum, quomodo omnibus, quæ contigerunt, præcogitatis, poſſit ſubtilior modus excogitari. Separatæ enim ſunt adminiſtrationes, quanquam in Imperatoribus Germanorum hactenus fuerunt coniunctæ. Quod patet per ea, quæ notauit multum ſingulariter Salicet. in *l. bene à Zenon. C. de quadrien. præſcript.* vbi diſputat, an Imperator vel Rex Romanorum poſt electionem ante coronationem ſuam poſſit legitimare, & alia priuilegia Imperialia concedere Imperatoris iuri competentia. Et quanquam argumentatur pro & contra, tamen videtur in hanc partem concludere, quod non. Et ſi ſunt, ſicut ſunt fortes rationes, & vterque permanet Rex Germaniæ: Ergo duo erunt, qui exercebunt ratione eiusdem Regni & in eodem Regno iura Imperii & Imperialia. Et ita erunt duo Reges & duo Imperatores in effectu, neque poterit vnus efficaciter ſine alio vel alterius nomine adminiſtrare, ſed ſimul ſcribent ſe, ſicut antiqui Imperatores ſuper ſubſcriptiones titulorum *legum Codicis*, & ſimul ſemper ferent leges, vna adminiſtrabunt. Item eſſet maxima infractio libertatis Regni Germaniæ, vti cum prius eſſent Germani duntaxat vni Domino obſtricti, iam eſſent obſtricti duobus. Nam eſſe non poteſt, quod vnus gubernet in ſolidum in Germania ſine alio, quia vterque aſſecutus eſt adminiſtrationem per ipſam electionem, iuxta magis communem opinionem. Ergo vnus ſine alio non adminiſtrabit. Ergo Electores fuerunt vt ſtulti contra libertatem Germaniæ, & illorum iuramentum: imo contra Philoſophos & ius, quia duo Imperatores eſſe non debent, neque poſſunt de iure. Item de conſuetudine ſecus eſt obtentum, & hactenus obſeruatum. Item maxima habet pericula & incommoda, duobus ſeruire Dominis, vel duos præeſſe, & maxime extra caſum neceſſitatis, vbi Hiſpania non vult recognoſcere Regem vel Imperatorem Romanorum, quanquam olim ſubdita fuerit, prout dicit Oldradus *Conſil. præalleg. nonageſimo ſexto.* & Abbas. *l. 1. Cod. de ſumma Trinitat. & fide catholic.*

Et ſi voluerit Cæſar & Rex ſoluere & dicere, non eſſe nouum etiam in Germanica natione, quod duo fuerunt ſimul vel Reges, vel Imperator & Rex. Dicent etiam fortaſſis hoc alterá quandam Bullam habere. Et ideo Caroli IV. conditoris Bullæ Aureæ filium fuiſſe electum viuo patre in Regem. Idem de Friderico III. & Maximiliano eius filio, auo Imperatoris & Regis. Et ergo per conſuetudinem eſſe derogatum prædictæ Bullæ olim publicatæ. Ad primum reſpondemus

negando, quod vnquam fuerunt inter Imperatores Germaniæ Imperator & Rex ſimul, ita videlicet quod geſſerint ſimul adminiſtrationem dignitatis, ſcil. viuis parentibus: imo contrarium eſt veriſſimum. Erant enim filii electi duntaxat in caſum mortis parentum, vt tunc eſſent Reges, & haberent adminiſtrationem, & non erant duo Domini & Reges eiuſdem Regni ſimul, ſed permanſit conſuetudo inconcuſſa de monarchia & vnitate Regis in eodem Regno, niſi poterunt Cæſar & frater eius docere contrarium. Etſi adminiſtrarunt quandoque, tamen id non niſi ex commiſſione Cæſarum patrum, non iure proprio, ſed illis agentibus in remotis, vel filiis Regibus miſſis ad remota. Præterea ex ſeparatis non eſt illatio. Nam poſito, quod eſſet conſuetudo introducta, tamen duntaxat quoad filios Reges, non etiam quoad fratres. Nam is eſſet nouus conſuetudinandi modus. Conſuetudo enim non recipit interpretationē extenſiuam. Et periculoſior atq; facilior contingit inter fratres diſcordia, quam patrē & filium. Nam in præſcribenda iurisdictione ſi probat' quaſi poſſeſſio certi actus, in illo tantum dicitur præſcripta, non in aliis: quia præſcriptio non extenditur ad iura ſimilia, ſecundum not. per gl. in *l. odia reſtringi, de Reg. iur. lib. 6.* quæ dicit ꝙ *præſcribens viſitationem, non acquirit procurationem.* Vnde dicit Innocent. in *c. auditus, de præſcript.* ꝙ præſcriptio ſuper vno iure non extenditur ad aliud. Et ſequitur Bald. in *l. de quib. 20. col. ff. de legib.* Hinc etiam pulcre dicit Bart. in *l. 1. §. ſi quis hoc interd. ff. de itin. actuq; priuato,* dicens, ꝙ *in præſcribenda ſeruitute, ſi probetur quaſi poſſeſſio certi actus, in illo tantum dicitur eſſe præſcriptum, non in aliis.* Hinc dicit Ludouic. Roman. quod *qui præſcripſit ſuccedere, non ſuccedet ea quaſi vacante.* Vide Felin. in *c. auditus, de præſcript.* Sequitur ergo, cum iſte ſit nouus modus eligendi fratrem iuxta fratrem, quod ſit actus contra libertatem Germaniæ & Imperii. Dicitur enim aliquid contra libertatem Imperii, ſicut contra libertatem Eccleſiaſticam, quicquid attentatur contra priuilegia conceſſa Nationi, & illius Ordinibus, vt dicit Bart. qui allegat Innoc. in *c. nouit, de iudic. in auth. caſſa, de S S. Eccleſ. Cod.* Ergo cum Bulla ſonet de Rege & Regis electione in caſu mortis prioris, eſt contra libertatem duos eligere ſimul vel vnum viuente altero, & præficere duos Reges ſimul. Et poſito, quod receperit, per negligentiam, extenſionem in duobus caſibus, videlicet quod filii ſint electi iuxta patres, tamen id diuerſimode factum eſt, videlicet ita tantum, quod filii nullam habebant obedientiam viuis parentibus, nec fuit illis præſtita obedientia niſi in caſu mortis per verba, Extunc; & eſt perinde quaſi vnus Rex tantum. Sed iam reipſa eſſent in tali electione, permiſſa adminiſtratione, duo Reges ſimul; quod eſt contra dictam libertatem.

Præterea eſto, quod etiam ſimul regnaſſent filii cum patribus, & inualuiſſet per binos actus conſuetudo intenſiua Bullæ, quod poſſet eligi Rex viuo Cæſare, tamen obtinuit duntaxat in filiis Regum non fratribus. Vnde non valet argumentum à conſuetudine prædicta ad noſtrum caſum, ad fratrem ſcil. Imperatoris, & maxime cum ſimul cum eo imperare debeat; quæ duo ſunt noua & inualida in Germania. Ergo ſequetur, ſi talis electio debebit in ſuo robore durare, quod illa prior aſſerta conſuetudo extendatur etiam ad fratres, quod Cæſaris fratres poterunt eligi, & id contra Bullam, quæ loquitur duntaxat de electione in caſu mortis. Et ſi recepit extenſionem ad caſum viuente Imperatore, vno atque altero exemplo, tamen duntaxat in filiis id receptum eſt negligentia & deſidia Electorum, non in fratribus & collateralibus. Iam ſi per illam electionem vellemus latius extendere fimbrias, contra Bullam & prædictam libertatem, etiam ad fratres, longe maius eſſet præiudicium: cum honeſtius ſit Regum eligere filios, quam exteros vel collaterales, quando ſunt liberi, quemadmodum apparet in populo Iſraelitico. Ex iſto præiudicio libertatis Germaniæ, ſequitur aliud præiudicium & fortius contra prædictam libertatem, quod ſcil. non erunt Reges Romanorum eligendi, niſi de domo *a* Auſtriæ. Et quod hoc ſit contra libertatem, eſt text. apertiſſimus in *c. venerabilem, de Elect.* & ibi Dd. Item tales electiones & facta faciunt periculoſum ingreſſum, quod aſſumerentur Reges iuxta Reges, Vnd der Hundt lernet leder eſſen. Primo, quod cogitabunt Cæſares ſemper de ſucceſſoribus ſe viuis de ſua domo, vel de liberis, vel de fratribus & agnatis, quibus etiam difficilius contradicetur. Nam quis lubens ſuffert indignationem Domini & Cæſaris? Hinc fiet, ſi Rex Ferdinandus permittetur ad pacificam poſſeſſionem Regni, quod cogitabit ſe & Cæſare viuo, vt filius ſuus primogenitus eligatur, vt ſit in vita certus de filio ſucceſſore in Imperio, & ſic in infinitum. Ergo erit eo res progreſſura, quod duntaxat nomine ſit electio Regis Romani apud Germanos, & non reipſa. Reipſa deducetur res cum tempore (idque facilime) ad ſucceſſionem, vel ſaltem præſcriberentur paſſiue electiones de Domo Auſtriaca. Hoc videns Otto III. ordinauit Electores, vt Germania liberam habeat electionem, in caſu ſcil. mortis Imperatoris, vel qui morti æquiparari poſſit, vt habet *Chronica.* Hoc idem perſpexit Carolus IV. ſua Bulla concedens facultatem & modum eligendi in caſu mortis, & non viuente Imperatore. Idem hoc intelligens *b* prudentiſſimus Princeps Fridericus Dux & Elector Saxoniæ, rem ſcil. eo velle trahere, cum bis eſſet contra Bullam electum viuis Imperatoribus, contradixit in faciem Maximiliano ſimiliter de Carolo noſtro, tunc nepote eius, teſtanti. Item quod amplius eſt, quis dicet talem electionem non eſſe factam de Ferdinando, præcedente pacto, datis articulis? Nunquam poterunt ſe Electores purgare, quin pacto præcedente elegerint Ferdinandum; quod etiam negare non poterunt, quia confeſſi ſunt, iſta eſſe ſollicitata apud eos, ſicut etiam contra dixerunt, ſe nunquam in pactioſam electionem conſenſuros. Præterea eſto, quod tempore Maximiliani conſenſum ſit in electionem ſe viuo faciendam. Hoc tum ita factum eſt, vt Francofurdiæ diſputaretur, an expediret Imperio, Regem viuo Cæſare eligendum: & poſtea eligeretur, qui cenſeretur idoneus, non is, aut ille quamuis omnes promiſerint Maximiliano paciſcente de Carolo eligendo, præter Fridericum, qui tamen

a Videndum eſt quo ſit res progreſſura.

b Contra ea, quæ ſunt contra libertatē, reclamans laudandus eſt vnus potius, quam vituperandus.

poſtea

poſtea ab aliis omnibus fuiſſet neglectus, receptis nummis à Gallo. Scimus enim, quales literas Dux Heinricus Brunſuigenſis exhibuerit in Comitiis Colonienſibus de Marchione. Item nunquid ne Electores omnes tales ſucceſſus cum Friderico, tempore electionis Caroli cogitantes conſtrinxerunt Cæſarem per litteras obligatorias, ne ſe viuo cogitaret vel practicaret de Rege? Cuius contrarium tamen patet ex prætenſis litteris citatoriis ipſius Moguntini, quibus proxime conatus eſt citare Principem noſtrum, in quibus narrat, ſe citare ad electionem mandato & iuſſu Cæſaris. Ecce nouum monſtrum contra libertatem Germaniæ, quod Moguntinus ſolus ad mandatum Cæſaris conuocat omnes Principes Electores ad diem electionis. Qualis ex iſto in poſterum ſequetur conſuetudo, quod Maximilianus non audebat, imo Fridericus contradicebat, quod ipſis poſtulantibus habeat ius, & ſit ita conſuetudine obtentum, quod ad poſtulationem Cæſaris oporteat indicere diem electionis. Ex iſto ſequetur tertium & peſſimum præiudicium contra libertatem Germaniæ. Erit iam actum cum tota Bulla, ſi res reſidebit introducta conſuetudine, vel cum allegabitur, ſimilia prius contigiſſe exorbitantia, quæ trahentur facilime in conſuetudinem, & maxime per Cæſares. Item erit tota ſubmerſio Electorum prius in hoc inſtitutorum. Sed dubitari poſſet, cum Moguntinus ſcribit, ſe vocare Electores ex mandato Cæſaris ad tractandum de electione Regis, ſibi in conſortem ſufficientem; & Cæſar poſtulauit ſibi coniungi Regem, maxime ex cauſis narratis in ſuo mandato: anne eius iuſſus & factum ſuſtulerit omnem defectum, & anne Cæſar ex plenitudine poteſtatis defectum tollere & ſupplere potuerit, aut poſſit: ita etiam ſi ſubeſſet nullitas, anne Cæſar potuerit illam ſupplere, ſicut etiam fortaſſis fecit, vt apparebit abſque dubio, ſuo tempore. Item an non operetur ſua ratificatio, de qua ſcribit in mandato, cum fuerit electus frater per Electores, quod & ipſe ratificauit, quod potuit, cum ſit ſuper Bullam, & ille tanquam ferens & concedens eam ſolutus. De hoc vide notata Hieronym. *in ſuo Conſil.* & Fel. *c. 1. de conſtit.* Sed licet e Princeps ſit legibus ſolutus, & eiuſdem ſit reuocare, cuius concedere, per iura vulgaria: tamen Imperator paciſcendo vel contrahendo cum ſubditis ſuis efficaciter, ſaltem naturaliter eſt obligatus, ita quod contrauenire non poſsit huiuſmodi contractui obligatorio. *c. 1.* & ibi Ant. de Butr. Ioan. de Imol. Panormit. & Cont. Dd. *de Probat.* Facit etiam *l. Cæſar, de publ.* Sed ſic eſt, quod Cæſares & Reges promittunt electionis decretæ tempore, ſe permiſſuros Germaniæ & aliis Principibus ſuas libertates & priuilegia in genere. Item confirmant Electoribus ſua iura, & maxime pacti ſunt cum Carolo de obſeruanda & minime contrauenienda Bulla. Reſpice ad *Compactata Cæſaris*, in quibus nedum id pactus eſt, ſed etiam de non cogitando de ſucceſſore, ſe viuo: idque iurauit in verbis Cæſareis. Ergo non eſt veriſimile, Cæſarem iuſsiſſe, vt Moguntinus nullo præcedente tractatu cum Electoribus, citaret ad tractandum de electione, & etiam ad eligendum. Et ſi iuſsit, (ſicut vix ſtabit, ne videatur vel confiteatur ſe egiſſe contra dicta pacta) tamen non potuit pactis contrauenire. Ergo quod potuit, voluit Moguntinus; & quod voluit, adimplere nequiuit. Ergo ſequitur, quod Cæſar plenitudinis poteſtate vti non potuit, quia eſſet tale quid pernicioſum exemplum, omnino contra libertatem Germaniæ, nec reperitur ſimile à ſuis prædeceſſoribus attentatum: alioquin iam dudum actum eſſet de Germania. Et ſi dicatur verum, Cæſarem non licere contravenire Compactatis, ſcilic. ſine cauſa legitima; cum cauſa legitima ſit, tunc dicimus, omnes cauſas allegatas nihil eſſe, ſicut apparebit infra. Nam in ſumma, eſt illa electio contra *c. auaritia, de elect. lib. 6.* vbi Rex determinat ſimilem practicam. Tendit enim ſepoſita omni cauſa ad nihil, ſicut ex impugnatione cauſarum apparebit, quam ad ambitionem Regni cum tamen hominum malitiis indulgendum non ſit, prout ibi text. Ergo Princeps noſter ſuo iure legitime vtetur, vt in *l. in fundo, de rei vindicat.* Et maxime quia d iurauit iſta, quæ pactus eſt, ſeruare in verbo Cæſareo, quod æquipollet iuramento, quia eſt fidei interpoſitio, *c. fin. de tranſact.* vbi Gl. & Dd. Nec eſt verum dictum N. Regis Spartani, qui infidelis de infidelibus loquitur; *Magnos Principes ludere cum iuramentis, ſicut pueri cum chartis.* Cæſar eſt magnus Cæſar, & baptizatus vt Chriſtianus, de quo non ſunt talia dicenda neque præſumenda. Et nedum intereſt Electoris, ſed etiam aliorum Principum, propter conſeruandum ius & libertatem Imperii. Nec etiam poteſt ex plenitudine poteſtatis Imperator ſibi ſucceſſorem facere, ſicut nec Papa, per Gl. in *c. ſi tranſitum, 79. diſt.* arg. *c. Epiſcopo non liceat*, 8. *q.* 1. & tractatur in *Clem. 1. de elect.* vbi etiam Ioan. de Imol. quærit, an Papa poſſit facere conſtitutionem, (idem de Imperatore) per quam ſibi ſit licitum eligere ſucceſſorem. allegans præallegatam Gl. ſonat, quod non, quamuis poſſit cum Cardinalib. deliberare, prout not. *8. quæſt. 1. c. 1. §. ex his.* Et ſuper electione facienda poteſt conſtitutionem facere, ſicut Carolus IV. fecit Bullam Auream: Item Otto III. de electione Regis fienda per VII. Electores, vt probatur in not. Idem dicit *Clem. 1. & 23. diſt. in nomine Domini, & 63. diſt. Adrianus*: dum tamen de conſenſu Cardinalium, quorum eſt eligere, vt ibi notat Archidiac. ſecundum Paulum. vide dicta Imolæ in loco præallegato, vbi vult hoc, quod dicitur de conſenſu Cardinalium, potius eſſe ex honeſtate, quam ex neceſsitate, per *c. ſignificaſti, & c. ex geſtis, de cleric. non reſident.* Item e quantum eſſet ceſſurum contra Germaniæ libertatem hoc vnum. Nam Imperium & Regnum Germaniæ eſt in illa quaſi poſſeſsione, quod Cæſar vel Rex non habeat iſta ſolus faciendi, nec etiam tractandi cauſas Imperii ſine Electoribus, vel illis non præſentibus, ſicut fecit Cæſar proxime in Italia exiſtens, vicinus Germaniæ, & tamen nullum Electorem vocauit: quod eſſet ceſſurum in maximum libertatis Germaniæ præiudicium. Et iſtam libertatem hactenus tenuerunt Electores Germaniæ. Vide quæ notabantur in *d. cap. ex geſtis, de Cleric. non reſid.* vbi per Abb. & alios

c Et quod in caſu electionis nihil operetur conſenſus Cæſaris, patet per d. c. venerab. & ibi Gl. in verb. illicitum. & dicit Abb. quod voluntas Imperatoris nihil valet in aſſertione deſignatæ Regis, quia non agit de re ſua, cum Imperium deferatur ex electione, non ſucceſſione.

d Quod Moguntinus falſo narrauerit, ex commiſſione Cæſaris ſe citaſſe, patet ex Cæſaris mandato, quod ibi refert, cum ei decretum clementinæ oblatum fuerit, quod ipſi. Ergo non commiſit, cum nullam mentionem faciat de illa commiſſione. Imo eſt veriſimilius, ne videatur egiſſe contra pacta iurata. Ergo Cæſare non committente, ſicut etiā non debuit, non debuit Moguntinus ſuo iure, & iure Bullæ citaſſe, quia tale ius in hoc caſu, non vacante Imperio non ei competit, ſed debuiſſet eſſe de h... cum Electorib. actum. Sicut Maximiliani tempore, & quando potius ſibi adiungi Carolū Quintum, fuit actum cum Electorib. in Comitiis, & diſputatum de cauſis, qui inter ſe conſultarunt, nolentes quidem dare vota, niſi libera electio contigerit.

Haben ſich ſelbſt einen Wahltage verglichen. *Ergo ſi Dux Saxoniæ id permitteret, & ſilētio tranſiret, comprobaret hunc Moguntinum, quod ipſi non competit.*

e Imperator ne quidem ex plenitudine poteſtatis poteſt ſibi ſucceſſorem facere.

alios diſputatur, an Papa poſſit ſolus ſine conſilio aut cœtu Cardinalium alium deponere Cardinalem. Et in ſimili de Imperatore & Electore, ſicut dixerunt multi contra Principem noſtrum eſſe in foribus. Anne hæc omnia eſſent ceſſura in præiudicium libertatis Germanicæ, videat vnusquiſque. Præterea Principi noſtro abſque dubio propterea eſt denegata renouatio inueſtituræ feudi ad Electoratum poſt obitum fratris Friderici, quanquam Cæſar bis id promiſerit, ſcil. per binas litteras indulti, & poſtea in Insbruch Nuncio ſuo, abſque dubio vel in hoc, vt priuaretur Electoratu, vel ne ſua vox eſſet reputanda in tali electione, cum tamen nunquam fuerit rite priuatus, niſi quod Papa declarauerit eum hæreticum.

Et iſta ideo ſcribo, quod ſi res eo deuenerit, quod non parcetur nobis, nec nos parcemus eis, ſed veritatem dicemus, & rem, ſicut eſt. Conſimiles cauſas habebunt Bauari de Rege, quod timebunt id futurum: nec minus Landgrauius. Vidimus enim, quid Marchioni Georgio contigerit. Et nedum intereſt vel poteſt ſe opponere Dux Elector Saxoniæ, ſed etiam alii Principes, imo Ciuitates, & quiuis, qui in Imperio eſt tanquam vaſallus vel ſubditus ſubiectus, per ea quæ notantur in ſimili per Gl. in *c. vt circa, de Elect. lib. 6.* ſuper verbo *Aliqui*, & ibi Phil. Franc. & Dd. & Archidiac. in *c. illud 23. diſt.* quæ rationes pariter in caſu tali militant, & fortificantur hæc per ea, quæ *notabil. 6.* dicit Abb. Panorman *d. c. venerabilem*, dum quærit, nunquid Electores Imperii exerceant poteſtatem eligendi Regem, vt ſinguli, vel vt Collegium? & dicit, ſibi magis probari opinionem, quod vt Collegium, per rationem, quam ſubdit: quia cum iſti Electores ſucceſſerint in locum populi Romani, qui vt vniuerſitas eligebat ſibi Imperatorem, debent illi Electores Imperii cenſeri eodem iure cum illis, vt ſubrogatum ſapiat naturam eius, in cuius locum ſubrogatur, vt in *c. Eccleſia, Vt lite pend.* Præterea dicit ſufficere maiorem partem, ſicut contingit in actibus Collegii, *l. quod maior, ff. ad municip.* Item debent omnes conuocari, & ſimul actum expedire. Ideo dicit text. quod *plus obeſt electioni contemptus vnius, quam contradictio multorum.* quia contradictio multorum ſed tamen minoris partis præſentis, non impedit electionem maioris partis: ſed vnius Principis contemptus poteſt facere totam electionem retractari, *c. quod ſicut, de Elect. & d. c. Bona.* Omnia enim hæc (dicit ipſe) ſunt ſigna Collegii. Nam inſpectantibus ad ſingulos, poteſt quilibet per ſe ſpectare contentum, vt in *l. per fundum, ff. de ſeruit. ruſt. prad.* Addit autem Abbas, tenendo opinionem Hoſtienſis, quod vt ſinguli. tunc dicit probari notabilem theoriam Bart in *l. omnes populi, ff. de iuſt. & iur.* vbi dicit, quod vbicunque maior pars præualet minori parti, etiam in actibus ad ſingulos ſpectantibus, debent omnes, ad quos actus pertinent, ſimul conuocari, arg. *l. maiorem, ff. de pact. & l. & quia, ff. eod. tit.* & remittit ad ea, quæ plenius dixit in *c. 3. de iur. patron.* vbi tetigit, an patroni debeant ſimul conuocari ad præſentationis actum. Hoc autem credo, quod cum Bulla loquatur de electione poſt obitum Imperatoris vel Regis, quod Cæſare ſollicitante (ſcil. ſi liceret) vt ſe viuo eligeretur Rex, quod tunc tractatus iſti, qui haberentur per Cæſarem cum Electoribus, antē citationem ad tractandum de electione & ad eligendum, procedere debent, vt conueniant Electores & ponderent, an ſit eligendus aliquis viuo Imperatore, ſit actus ſingulorum, non Collegii, in quo plus operetur vnius contradictio, quam plurium contemptus, quia poteſtas eorum non eſt Collegii, niſi mortuo Rege, iuxta Bullam. Et tunc eſt Collegium, & valet, in quod conſentit maior pars. Sed viuo Imperatore non competit ius eligendi, niſi quatenus ius petendi Coadiutorem de conſenſu Capituli Epiſcopo, ſed ibi vnius contradictio plus valet, cum non ſit actus Collegialis. Nam actus & tractatus ex cauſis eligendi nouum Regem viuo Cæſare non ſpectat ad eos. & ergo non eſt actus Capitularis vel Collegialis. Ergo Moguntinus ibi non eſt Decanus, nec habet ius vocandi ad tractandum de electione & de eligendo. Nec videtur extenſa Bulla per aliquam conſuetudinem, vt habeant Electores ius eligendi Regem viuo Imperatore: quia quamuis bis fortaſſis contigit à Bulla, tamen non ſunt caſus ſimiles. Ratio, quia attentis cauſis, quare Cæſar vult Regem iuxta ſe, illæ non ceſſarent, niſi Cæſare viuo deberet habere obedientiam & adminiſtrationem, ſicut etiam mandat Cæſar in ſuo mandato, cum ipſe vult in Hiſpanias. alioqui ſi non deberet (diſſimiliter Rex à prioribus ſic electus) habere adminiſtrationem, potuiſſet id æque fieri per Stadthalterum. Ergo non eſt conſuetudo. Nam actus conſuetudinarii debent eſſe rationabiles & legitimi, *c. fin. de conſuetud.* f Sed hiſtoriæ de vtroque caſu teſtantur (quanquam minoris periculi, & diſſimiles fuerint iſti caſus) quod fuerunt reputati actus irrationabiles. Dicit enim Chronica de electione Wenceslai; *Res pernicioſi exempli*, prout fuiſſe communis fama de Maximiliano dicitur, quod pater fleuit, ſicut ſupra dictum eſt. Ergo ſequitur, quod ab aliis Electoribus non poſſit hoc pro conſuetudine allegari: nec eſt talis conſuetudo, ſed quod ſtet cauſa electionis in meris terminis Bullæ, & quod illa non ſit extenſa per aliquam conſuetudinem extra caſum, niſi quatenus à iure communi poſſit interpretationem recipere, ſcilicet Cæſare infirmo vel indebilitato, ſicut erat Friderici temporibus. Datur ei Stadthalter, quando eſt abſens; vel Coadiutor ad eius vitam, quem poſſit eligere cum conſilio Electorum, ſine quibus non debet arduas cauſas tractare. Dicitur ergo, quod Electoribus extra caſum Bullæ, nullum ius eligendi, viuo ſcil. Imperatore, competat, ſicut etiam de iure communi, id eſt, quia Bulla in vno caſu loquens non debet extendi ad caſum ſimilem, de quo non ſonat littera, quod infra latius deducetur. Imo ex alia cauſa non poſſunt eſſe conſuetudo illi bini actus,

f Minoris partis, imo etiam vnius votum magis rationabile quandoq; præualet.

quia

quia viuo Imperatore eligere Regem ſonat in ambitionem, quæ exorbitat à iure communi. Ideo nequaquam in conſuetudinem vel conſequentiam trahenda, iuxta regulam, *quæ à communi iure exorbitant &c.* A fortiori exorbitat præſens diſſimilis prioribus, vbi viuo Imperatore actis debet eſſe adminiſtrans Rex iuxta mandatum Cæſaris. Sed hoc dicitur monſtrum in iure, duo ſimul eſſe capita. Monſtrum autem habetur pro abominabili & irrationabili. Ergo caſus noſter, etiamſi eſſet de prioribus conſuetudo, eſt omnino diſſimilis. Ergo magna eſſet Germaniæ & patriæ ignominia, quod deberet cenſeri monſtroſa vel monſtrum, quod deberet habere vel ferre duos Reges ſimul.

Ex iſto inſurgit dubium. Numquid electio facta per Capitulum vel Collegium, vno vel pluribus contemptis, ſit nulla vel annullanda. Et Gl. in *c. bonæ memoriæ, el. 2. de elect.* licet primo alleget, quod ſit nulla, tamen poſtea, vt dicit Abb. concludit veritatem, quod non eſt nulla, licet ſit irritanda, contemptis proſequentibus ſuam iniuriam. Et hoc dicit Abb. communiter teneri, & melius probari, in *c. qui ſicut, de elect.* Nec obſtat, ſi diceretur, vocationem omnium eſſe de forma electionis, quia Bulla dat formam, vt omnes Electores vocentur, ſicut *c. quia propter, de elect.* Ergo electio attentata, abſentibus rite non vocatis, videtur nulla, tanquam contra formam attentata: ita etiam quod Electores deberent priuari poteſtate eligendi, *d. c. quia propter*: quia reſpondetur per Abb. in *d. c. bonæ mem. el. 2.* quod vocatio abſentium non eſt de forma ſubſtantiali, ſed de iuſtitia. Nam alioqui electio facta, aliquo contempto, eſſet nulla. *d. c. quia propter*: & tamen in caſu noſtro non eſt nulla, *d. c. bonæ mem. & c. qui ſicut, & c. eccleſia, el. 2. de elect.* Idem notat Abb. in *d. c. quia propter*: ſed tamen cogita, quia aliud videtur eſſe in caſu noſtro. quia in *c. quia propter*, non dicitur, quod debet vocari, ſed dicit, vocatis vocandis, & qui merito vocantur. In bulla autem dicitur, quod debent vocari. Sed ſic eſt, quando lex vel ſtatutum dicit, quod debet aliquid fieri, ſemper id dicitur de ſubſtantia & forma. & eſt talis naturæ, quod illa omiſſa actus eſt nullus. ita Archidiac. in *c. quorundam 32. diſt.* bulla autem vtitur verbo, *debet*, & eſt magna diuerſitatis ratio. Nam in electionibus Epiſcoporum, de quibus loquitur *c. quia propter*, ita eſt, quod reſideant & tenentur reſidere, & præſentes eſſe debent Canonici & Capitulares. Eſt in Eccleſiis Cathedralibus communiter magna reſidentium copia, quod non ita multum refert, vocationem omnium non ſtatim pro forma requiri, dum modo alia interuenirent, de quibus in *d. c. quia propter*: & vt communiter ſunt ſemper duæ partes præſentes. Sed in electione Regis Romanorum non eſt ſic: quia in tam arduo negotio, caput præficere toti mundo, tota poteſtas (vt ſupra dictum eſt) reſidet apud VII. perſonas, qui faciunt Collegium Electorum. Vnde non mirum, quod vocatio omnium ſit per Bullam ſtatuta pro forma ſubſtantiali, ne tantum negotium à paucioribus tentetur. quia niſi hoc eſſet, tunc per quinque vel quatuor poſſet hoc attentari, cum eſſent duæ partes. Ergo non immerito pro vtilitate publica propter magnitudinem negotii id pro forma cum aliis ſtatutum eſt. Nam cum olim non eſſet certa forma introducta in electione Imperatorum, contigerunt multa ſchiſmata, ſicut teſtantur etiam Hiſtorici, vt in ſimili dicit Abb. in 2. *notabili, d. c. quia propter.* Præterea poſito, quod ius Canonicum in ſuis electionibus non haberet verbum, *Debet*, quod debent vocari abſentes, non tamen ſequitur, quod idem etiam in electione Regis. Ratio: nam Papa declarat ſe, & fortaſſis ex cauſis ſupradictis, quod abſentium omiſſio non debet eſſe de forma, cum ob id non caſſet actum, ſed validum dimittit vſque ad inualidationem proſequentium contemptum. Præterea regulare eſt de iure Canonico, quod in actibus, præter electionem, præſentes in eccleſia conſtituant totam vniuerſitatem, dummodo duæ partes ſint præſentes. & dicuntur abſentes, qui non reſidentes in loco, vbi eſt eccleſia, *c. hoc ius perſpectum*, 10. q. 2. dum dicit ibidem, *ſeruientium.* Sed iſto modo non dicuntur abſentes Electores, quia nullus reſidet apud Cæſarem, & omnes in Germania. Ergo non eſt par ratio, quod dicitur de præſentibus & abſentibus vocandis, *c. cum inter vniuerſos*, & ibi Abb. *de elect.* & in *Bulla Aurea.* Nam ratio eſt, quare contra regulam Canonicam debent vocari abſentes in caſu electionis, iuxta notata per Abb. in *d. c. cum inter vniuerſos*, in verſ. in gl. verbi *remoti*, tanquam ſpeciali propter magnitudinem præiudicii, & ponderoſitatem facti. alioqui præſentes tantum, ſicut in aliis, poſſent id efficaciter facere. Cum ergo ſit Electorum magna paucitas, periculoſum eſſet his poſſe procedere abſentibus, ſicut ſunt præſentes, non vocatis. Text. eſt in *d. c. cum inter vniuerſos*, & ibi Abb. in 2. *notab.* quod Capitulum poteſt abſentes admonere & requirere, vt in termino debeant comparere ad eligendum. Poteſt ergo Capitulum abbreuiare terminum iuris, præfigendo terminum prout ſibi videtur. Et ſi Canonici in hoc ſunt diſcordes, ſtatur maiori parti, ſi vocantur ad electionem non vocandi. Ita erit de noſtro Principe, qui eſt excommunicatus, niſi quod litteræ non ſunt publicatæ, & priuabitur Electoratu. Vnd der Vetter wird darnach trachten: Wird ſprechen / wanns ein ander haben ſol / ſo ſey er näher darzu Ergo vtendum eſt mediis, quibus poterimus, legitimis, vt maneamus. Poteſtas, voluntas & modus omnes actiones humanas dirigunt. Bald. Conſ. 326. *Homini bene contingit inuenire primum recte, & aſſumere modos ducentes ad finem.* ſubiungens, quod iſta verba deberent aureis litteris eſſe ſcripta in cordibus Regum & Principum.

Præterea quod ex cauſis eligendus ſit Rex, non ſteſſe per Moguntinum ſolum moueri.

Ad validitatem actus, voluntas & poteſtas debent ſimul concurrere, Bald. in l. cum te, per illum text. C. de donat. int. vir. & vx. Et vbi non aſſiſtit iuris potentia, voluntas inanis eſt: Bald. in l. nolle, per illum tex. de acquir. hæred. Adde Decium in c. cum ſuper, in 4. not. de offic. deleg.

Electio

Electio eſt nomen verbale. & nomina verbalia habent duplicem ſignificationem, actiuam ſcilicet & paſſiuam, Vnde tantum abeſt dicere de his, qui poſſunt eligere, & his qui poſſunt eligi: Abb. *in rubr. de elect.*

Electio eſt datio voluntatis ad perſonam, quæ Prælatum eligit vel Rectorem, producta in actum per formam debitam, & numerum competentem. Ita definit Bald. *in rubr. de elect.* Sunt certi Principes, qui habent poteſtatem quem eligendi in Imperatorem, tam de iure quam de antiqua conſuetudine. Text. eſt in *c. venerabilem. de elect.* vbi etiam colligunt hoc Dd. qui autem ſint iſti Principes, exponit Gl. pen. in *c. ad apoſtolica, de re iud. in 6.* Et ideo diſputant Canonici in *d. c. venerabilem*, & præſertim Abb. ibid. poſt Hoſt. vtrum iſti VII. Electores exerceant hanc poteſtatem vt ſinguli, an vt Collegium. Et eſt communior opinio, quod vt Collegium, cum omnia agant, vt conſueuit & requiritur in Collegiis, quia ſcil. debent omnes conuocari, ac actum ſimul expedire. Et plus obſtet electioni contemptus vnius, quam contradictio minoris partis. Nam contradictio minoris partis non impedit electionem maioris partis, ſed vnius contemptus poteſt facere totam electionem retractari, prout infra latius dicetur. Quanquam quoad hoc non referret, & ſi eligerent, vt ſinguli, quin omnes, ad quos actus pertinet, debeant conuocari. Ex quo dicit Abb. in *d. c. venerabilem*, probari theoricam Bartoli in vulgata *l. omnes populi*, vbi dicit; quod vbicunque maior pars prævalet minori, etiam in actibus ad ſingulos ſpectantibus, debent omnes, ad quos actus pertinet, conuocari.

Qui per contumaciam abſunt, faciunt ſe ab electione alienos, & ad Coelectores ius eligendi transfertur, *c. cum nob. de elect.* vbi Gl. in verbo *Alienas*, dicit: *Ex quo nolunt venire vocati, poteſt ſine illis procedi.* Et pulchre per Bald. *conſ.* 318 Item in actibus Collegialibus quicquid fit à maiore parte, ſi diſpoſitio fit ex neceſſitate, & omnes ſunt vocati, valet.

Electio dicitur legitima, quantum ad ſubſtantiam conſenſus omnium, vel maioris & ſanioris partis, iur. b. præallegatis. Dicitur autem formalis quo ad ſubſtantiam formæ. Iſta enim duo confirmant electionem omnium, ſubſtantia conſenſus & ſubſtantia formæ. Ita pulchre Bald. in *conſ.* 358. Cætera enim ſunt accidentalia vel adiacentia, vt notatur in *c. quia propter, & in c. in Geneſi, de elect.*

Licet deſperetur de conualeſcentia Prælati ægrotantis, non tamen per hoc poteſt haberi tractatus ſeu ordinario ſuper futuri Pontificis electione, & multò minus electio celebrari. Debet enim expectari mors omnino, quia ante mortem Prælati nec Eccleſia vacat, nec ius eligendi ſeu ordinandi competit Canonicis. Text. in *c. bonæ, el. 2.* & ibi Abb. in 1. *notab. de elect. & in c. obedientibus, 63. diſt.*

Citatio temeraria ſeu non legitime facta non arctat citatum ad comparendum: & perinde fuit & eſt, quaſi Princeps noſter non fuiſſet citatus. Sed ſic eſt, quod de iure reputatur citatio temeraria, quæ fit in vita Prælati, etiamſi conferatur effectus in tempus habile: ſed ad conſentiendum retro tempore mortis eius, cum ſit omnis tractatus inhibitus, prout eſt text. in præallegato *c. bonæ, el. 2. de elect. & c. nullus, 19. diſt.* Nullum enim ius competit Capitulo (idem de Collegio Electorum) in electione ante mortem Prælati, vt dicit Abb. in *d. c. bonæ, in vlt. not.* vbi pro hoc dicit eſſe bonum textum in ſimili, in *c. fin. de ſepult. lib. 6. & in l. ſi minor, de ſeru. exper.* inducendo vt ibi per eum &c. Et quanquam in *d. c. bonæ* non fuit propterea electio ſubſequuta nulla, ſed annullanda, quanquam ille Canonicus fuerit nulliter, ſicut prædictum eſt, citatus: tamen hoc ideo ibi fuit, quia Epiſcopus poſt emiſſam citationem fuit mortuus, & erat tempus habile ad electionem faciendam, & Capitulum tunc habebat facultatem eligendi, quanquam non habuerit hoc ius tempore emiſſæ citationis. Vnde nullitas citationis non operatur amplius, ac ſi non fuiſſet ille Canonicus citatus, & propter contemptum vnius debet irritari, ſed non eſt propterea ipſo iure nulla. Sed hic in caſu noſtro, cum vixerit, & ſit gratia Dei adhuc viuax Dominus Imperator Romanorum, tunc non competit Moguntino ius citandi, nec Electoribus ius eligendi de iure neque tempore emiſſæ citationis, neq; celebratæ electionis. Ergo ipſa electio eſt ipſo iure nulla. Moguntinus enim nullum habet ius vocandi vel citandi Principes Electores, niſi ex quadam ſingulari prærogatiua per Bullam Auream conceſſa, in iſto caſu electionis Regis Romanorum: & illam non tribuit, niſi in terminis, in quibus loquitur, ſcilicet mortuo Rege vel Imperatore. Ergo extra terminos bullæ non habet poteſtatem aliquam citandi, vel aliud faciendi, cum par in parem non habeat imperium. Ergo extra prædictos terminos citanti impune non paretur. *l. fin.* cum ibi not. *de iuriſd. omn. iud. & in c. 1. de conſt. in 6.* Ex quo ergo deeſt perſona citantis, cui ius citandi competeret, quia Moguntinus, quoad præſentem caſum, nullam habebat prærogatiuam ex defectu ſubſtantialis fundamenti, puta dicti iuris citandi, eſt inane & irritum, quicquid per Moguntinum & alios ſuos complices attentatum eſt per electionem Regis ſuper ædificare, & eſt electio nulla tanquam contra iuris diſpoſitionem, ex vno conſentiente inter ſeptem, puta Electore Saxoniæ, imo contradicente, vbi conſentire non tenebatur, nec iuris fictione pro conſentiente haberi potuit, attentata & facta, quia non tenebatur dictus Elector conſentire Ergo etiam non fuit contumax, per not. Innoc. in *c. præterea, de dilat.* & quæ not. in *l. ex quacunq. ff. ſi quis in ius voc. non. &c.* Si non fuit contumax: Ergo nec pœnam pati potuit, ſcil. vt ſe contempto & neglecto poſſint cæteri facere Regem Romanorum. Pœnam enim inculpabilis ferre tenetur. Canoniſtæ in *c. præterea, de dilation.* quanquam diſputant varie, an citatio delegati, vel dicentis ſe habere commiſſionem, arctet citatum ad comparendum, quando non fit fides de reſcripto vel

pro vel

pro vel commiſſione: quorum opiniones, ac etiam Bartoli in *auth, Qui ſemel, C. quomod. & quand. iud.* refert Abb. in *d. c. præterea*: tamen videtur, quod in hoc, ſicut etiam ſentit Abb. ibidem, concordent, ſi tractetur de graui præiudicio, tunc non ſufficiat aſſerere ſe eſſe delegatum, vel habere commiſſionem, niſi mittatur copia eiusdem commiſsionis. & ponit Abb. exemplum. Si citatur valde remotus, & citans aſſerat duntaxat, ſe eſſe delegatum, non putat citatum arctari ad comparendum ex ſimplici aſſertione illius, vt ſic cogatur ſubire onus diu itinerandi, negotia ſua deſerendi, & magnos ſumptus faciendi. Quæ maxime Electori Saxoniæ, vt magno Principi, ſicut in vulgari dictum eſt, bene cogitanda fuerunt. Ergo iterum non potuit conſtitui in contumacia, ita quod cæteris Electoribus, eo abſente, competierit ius procedendi ad electionem, & eligendi, ſicut in ſimili dictum eſt. Dicit text. in l. vn. C. de mandat. Princip. *Si quis aſſerat cum mandatis noſtris ſecretis ſe veniſſe, omnes ſciant, neminis quicquam, niſi quod ſcriptis probauerit, eſſe credendum, nec vllius dignitate terreri.* Ex quo textu colligit ibidem Bald. quod pro iuriſdictione delegata nunquam præſumitur, niſi probetur. Et licet Gl. in fin. *in c. cum olim, cl. 1. de priuileg.* videatur præallegatæ *l. vn.* contrariari in hoc, quod dicit Legato, ſi eſt notus & honeſtus vir, & dicat ſe perdidiſſe litteras legationis, eſſe ſine litteris credendum: tamen non eſt contraria, & ſoluunt eam Canoniſtæ, quia quidam dicunt, alleg. Gl. procedere in Legato Cardinali: ſed Abb. ibi dicit, Gl. extendere ad quemlibet notum & bonum virum. Et intelligit eam procedere, vbi non tractatur de præiudicio alterius: textum autem in *d. l. vn.* locum habere, vbi agitur de alterius præiudicio. & ponit exemplum, ſi vt Legatus vellet deponere Prælatum. Cum ergo prætenſa citatio Moguntini tangebat exorbitantia à iure communi, & præiudicium contra libertatem, iura ac ſtatum totius Regni Germaniæ, & noſtri Electoris Saxoniæ honorem & officium Electorale. Nec facile crederet vel conſentiret non credendis. Ideo non arctabat neque in hac parte dicta citatio, etiamſi Moguntinus Archiepiſcopus & Cardinalis dixiſſet, ſe commiſſionem à Cæſare, viuæ vocis oraculo recepiſſe: quod tamen in citatione non eſt dictum, quia etiam Canoniſtæ, & præſertim Abb. in *c. ſicut nobis, de ſentent. excommun.* ſuper Gl. fin. vbi dicunt eam ſingulariter notandam, quod non creditur etiam Cardinali aſſerenti aliquid in præiudicium alterius. Et ideo ſi Cardinalis dicit, Papam ſibi commiſiſſe aliquid viuæ vocis oraculo, tendens in præiudicium alterius, non crederetur ſibi, niſi aliter probaret. Et ita dicit per Gl. limitari *c. nobiliſſimus. 7. diſt.* & pro ea facere *l. vn. C. de mandat. Princip.* Eodem modo videtur loqui Salicetus in *d. l. vn.* de fide habenda Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet quando non agatur de magno præiudicio.

Adde Abbat. in *c. licet de vitanda, in 4. col. verſ. vltimo ex prædictis, de elect.* vbi dicit de notabili obiectione, quam fecit Concilium Biſis & Conſtantiæ. Dicebant enim, quod iſta iura, quæ tribuebant Cardinalibus electionem Papæ **. Cum autem per diſpoſitionem factam per Concilium, vel quia Concilium in diſcordia decreuit nullum eſſe Papam, tunc electio debet ſpectare ad totum Concilium, quia iura antiqua videntur hoc velle, vt in *c. ſi duo, c. in nomine Domini*, & aliis capp. contentis *diſt. 23.*

Quæ iura antiqua in hoc caſu non reperiuntur correcta per iura noua. Ergo ab eis non eſt recedendum. Sic nec ad Electores ſpectat electio Imperatoris, niſi in prædictis duobus caſibus, & ſic vacante Imperio. Iaſon in *l. fin. C. de pactis*, dicit, quod Electores ideo non habent eligere vivente Prælato, quia ſpoliarent ſequentes iure eorum &c.

III.

COADIVTOR QVANDO DETVR.

REx, aut Dux, aut Comes, ſi prouinciam regere non poteſt, nec pacem, nec iuſtitiam ſeruare; vel ſi neſciat terram ſuam defendere, vel deperditam recuperare, datur illi Coadiutor. Et hoc debet fieri ad petitionem ſubditorum illius per proximum ſuperiorem eius, vel per Papam, ſi alium ſuperiorem non habuerit, vt *Extr. de ſup. neg. Prælat. c. grandi, de ſupplend. neglig. Prælat. in VI. 96. diſt. boni, & c. paſtoralis de Cler. ægrot. in VI.* Oldr. *Conſ.* 44. Et quærit ibi O. dr. nunquid ſufficiat conſenſus maioris & ſanioris partis Capituli in aſſumptione Tutoris huiusmodi, nullo conſilio vel tractatu ſuper hoc præcedente: præſertim cum *c. paſtoralis*, dicat, quod de conſilio & aſſenſu Capituli aſſumi debeat. & reſpondet, quod videtur dicendum, quod ſufficiat conſenſus Capituli, licet non procedat in diſtincto tempore. Et hæc indicat ſecundum reſponſum *c. paſtoralis*, ibi eſſet maior ratio conſilii, quam donationis. Epiſcopus non aſſentit, & tamen ibi de conſilio nulla mentio fit, ſed de ſuo conſenſu. Præterea ſi tractatum voluiſſet præcedere, hoc Canonis dixiſſet conditor. ſic dixit, *Extr. de iis quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. c. tua: & de reb. eccleſ. non alien. c. dudum.* Sed illa duo in *c. paſtoralis* coniunxit; neque ſufficit primum ſine ſecundo: ſecundum autem includit primum, vt conſueuit dici in conſilio, *ff. de deg. poſſ. l. qui admodum.* *Anno Christi 1531.*

V Impe-

Imperator debet eſſe vnus, licet aliquando fuerint plures eodem tempore, *7.q.1.in apibus*. Et quandoque fuerunt duo Imperatores de facto, *21.diſt.* Nunc autem Imperator Græcorum non fuit vnus Imperator &c. quia Romana Eccleſia tranſtulit Imperium in Alemannos ab Oriente, *Extr. de elect. c. venerabilem, & ff. de orig. iur. l. 2. §. nouiſſ.*

Item duo erant Imperatores Diocletianus & Maximinianus, *21. diſt.* nunc autem de iure communi non poteſt eſſe, niſi vnus Imperator. Ad hæc, *de offic. Ord. c. quoniam in plerisq́, d. c. in apibus.* Et hoc, & ad hanc vnitatem pro bono publico deuentum fuit, congruit vt ipſe vnicum caput in temporalibus ſit, *d. c. 2. §. nouiſſ. ff. de orig. iur.* iuncta *l. deprecatio ff. ad L. Rhod. de iactu.* Nō debet hic ius publicum violari, *l. ius publicum, ff. de pactis.* Præpoſit. *diſt. 21. c. nunc autem*, dicit, ſi dicatur quandoque ex cauſa fuiſſe duos Imperatores, diceretur procedere &c. hodie Papa concedente; ſine tamen promiſſione Papæ non crederem, etiam de conſenſu Electorum.

Quid ſit Pragmatica, inuenies in Gl. in verb. *annotatio, in l. Iulianus, C. de Sacroſ. eccleſ.* quæ dicit, *Reſcripta omnia poſſunt dici oracula, alias annotatio, vt quæ fit paucis adhibitis; alias Pragmatica, vt quæ aduocatis, Patricijs & Palatinis in modum cauſæ facta examinatione conceditur.* Et hæc omnia poſſunt dici *Oracula.* Et Gl. in *§. fin. de nou. Cod. fac.* dicit, quod *Pragmatica ſanctio* eſt, quæ fit cum conſilio Procerum, & fit cum cauſæ cognitione, vt dicit Gl. & Innoc. *in c. de rer. permutat.* Nam cum Electores hoc habeant ex priuilegio, vt eligant, *c. venerabilem de Elect.* non poterunt in Imperio tale facere, *c. ficut vnice, de cauſ. Prælat.*

Alii tamen dicunt, quod Imperator in temporalibus ſit ſupremus, & non habeat ſuperiorem, & poſſit gubernare ſine confirmatione Papæ, vel antequam coronetur, vt not. Bald. in tit. *de Pace Conſtant.* verbo *Confeſſ.*

Et dicit idem Præpoſit. in loco præd. quod Papa, etiamſi habeat plenitudinem poteſtatis, non poteſt de Papatu transferendo in alium diſponere. Ergo nec Imperator de Imperio communicando. Item facit, quod non poſſit Imperator facere tale quid, per quod Monarchia Imperii eneruetur, vt habetur in ſuperſcriptionibus titulorum *ff. de Inſtit.* Sed clare patet, quod recedendo ab vnitate Principatus, Monarchia Imperii deſtruitur. Non enim admittit Monarchia conſortem in Regnum. Ergo non debet Imperator ſibi poſſe conſortem eligere Imperii: multo minus Electores, neque plenitudo poteſtatis Imperii ad hoc ſe extendit, neque curandum eſt de Imperatoribus præcedentibus, qui ſibi conſortes elegerunt, quia Imperium tunc erat ex ſucceſſione.

IV.

DE ELECTIONE IMPERATORIS, REGNANTE IMPERATORE.

Anno Chriſti 1531.

VIDEATVR Cardin. Zabarel. in *c. venerabilem, §. veram, col. 3. de Elect.* vbi quinque quæſtiones mouet, de quibus dicit ſe fuiſſe interrogatum, & reſpondiſſe, vt ibi inſerit. Prima eſt, quo iure Principes Alemaniæ habeant eligere: Secunda de forma electionis: tertia, ſi diſcordent in electione, vel ſi non interſint omnes, quot ſufficiunt ad electionem: quarta, quam poteſtatem habet electus ante coronæ ſuſceptionem à Papa: quinta, vtrum Imperatore viuente poſſit deponi ab Electoribus. Item alia quæſtio moueri poteſt, vtrum Electores poſſunt vnum ex ſe eligere. De qua breuiter dic, quod ſic. Et ad hoc vide in indiuiduo Bald. *in l. plane*, in verb. *Elect. ff. Quod cuiusq́ vniuerſ. inſ.* vbi dicit, quod Electionarii Imperatoris poſſunt eligere vnum ex ſeipſis in Imperatorem, ſubiungens, quod ita fecerunt in Imperatore, qui erat ſuo tempore, & in auo ipſius. De quo dicto Baldi meminit Ioan. de Arca. in *c. eccleſia veſtra*, quod eſt c. fin. *de ſortileg. Extr. col. 3. ad princ.*

Sed an perſona electa computabitur in numero eligentium, ita quod dicatur habere maiorem numerum Electorum, vide Panormit. in *c. cum in iure, de Elect. Extr. col. 2.* De hac dignitate Imperiali vide Alberic. de Roſate ampliſſime in *l. bene à Zenone, C. de quadrien. præſcript.* vbi multa notanda cumulat, & in *l. cunctos populos, C. de ſumm. Trin.* Vide pulchre & eleganter Aluarot. in tit. *Quis dicatur Dux, Comes vel Marchio, col. 3. & ſeq.* vbi pulcherrime de hac materia diſſerit. Nec vidi apertius, quam per Cardinal. vbi ſupra, & Aluarot. hoc loco. Vide tamen Auguſtin. de Ancona in ſuo *tract. de Poteſt. Eccleſ. q. 35.* vbi mouet circa hanc dignitatem Imperialem octo quæſtiones notabiles. Prima, vtrum Papa per ſemetipſum Imperatorem poſſit eligere. Secunda, vtrum Electores debeant eſſe de Alemania. Tertia, vtrum prædictos Electores poſſit mutare. Quarta, an Papa Electores de alia natione, quam in Germania, ordinare. Quinta, an poſſit alteri parti fauere Papa, duobus electis in diſcordia. Sextum, an poſſit Imperium facere hæreditarium. Septima, vtrum melius eſſet, plures eſſe Imperatores, quam vnum. Octaua, vtrum melius eſſet, ſi Imperium eſſet hæreditarium. Licet Imperatori ex cauſa poſſit dari Coadiutor, vt ſentit Bald. in *l. non ambigitur, 2. col. in pr. ff. de legib.* & Gl. not. in *l. alius in omne, 25. q. 6.* per *c. quamuis, c. & petiſti, 6. q. 1.*

Idem Bald. in *Margarita* ſua in verb. *Rex*, vbi refert pulchre notata per Innocent. in *c. grandi, De ſuppl. neglig. Prælat. in 6.* Quamuis etiam Bald. in *auth. ex teſtamento, in vlt. col. verſ. decimum octauum Capitulum, C. de collation.* dicat non eſſe nouum, duos ſimul Imperium adminiſtrare, per *c. non autem, 7. q. 1.* & ſequitur Alex. in *l. ex duob. in fin. princ. ff. de vulg. & pupill.* vbi ad illud, quod Regnū eſt indiuiſibile,

uiſibile, & quod non capit duos, reſpondet, verum eſſe, quando in duo diuideretur, ſecus ſi per duos adminiſtraretur. tamen hoc improbat Ioan. Lecirier in tract. *de Primogenitura in 6. q. 3. libri, in 11. vol. Tractatuum*, concludens ex multis rationibus, adminiſtrationem Imperii non debere eſſe niſi penes vnum, dicens pro hoc eſſe textum formalem in *can. apibus 7. q. 1.* addens illum textum ad hoc eſſe aureum, quod ſi Regnum daretur adminiſtrandum duobus fratribus, fratricidii crimen & maxima Reip. deſolatio dominandi ambitu exoriri facile poſſet. Et affert eius rei exemplum ex *lib. 4. Herodiani* de Antonino & Geta fratribus, dicens hoc non eſſe ſpeciale in Apoſtolatu, vt vult Bald. in *d. auth. ex teſtamento, col. fin. verſ. decimum octauum capitulum, C. de collat.* & allegat Alberic. de Roſate in *l. bene à Zenone, col. 2. C. de quadrien. præſcript.* & Præpoſitum in *c. nunc autem, 7. q. 1.* qui fortius ſubiungit, quod Imperator non poſſit aliquid facere, per quod Monarchia Imperii eneruetur, vt in principio Digeſtor. & Inſtitutionum. Recedendo autem ab vnitate Imperii, Monarchia deſtrueretur, quia non admittit Monarchia conſortem in regimine, vt late per eundem Præpoſitum, *15. diſt. col. 3. ibi, tertio permitto*. Et de exemplis Gentilium, quorum Imperatores ſibi conſortes Imperii aſſumpſerunt, dicit non eſſe curandum, quia tunc non agnoſcebant veram Chriſti fidem, nec Papam ſuum Vicarium. Idem late Præpoſit. *15. diſt. col. 3. ibi, tertio permitto*. Improbat etiam prædictus Ioan. Lecirier in *præallegato loco*, Gloſſ. in *Clem. Romani, de iureiur.* quæ dicit, quod duobus Imperatoribus electis in diſcordia vterque adminiſtret. Dicit enim illam conſuetudinem non multum probari apud bonos & graues, cum poſſit eſſe ſeminarium quoddam infinitorum bellorum, & non reſpiciendum eſſe quod fit, ſed quod fieri debuit. Et ideo Bald. in *prohem. Decret.* in ve. b. *Rex pacificus, col. 2.* poſt Oldrad. *Conſ. 21.* concludere, ſi ſit ſchiſma in Imperio, quod neuter interim poſſit efficaciter adminiſtrare, & dare priuilegium aliquod: & quod effectus conceſſionis deperdeat ex euentu illius, qui ſuccumbit vel obtinet. Idem in effectu vult Alberic. de Roſate in *d. l. bene à Zenone, col. 2. verſ. quid ſi duo forte electi in diſcordia*: Cardinal. in *c. in ſynodo, in pr. 63. diſt.* ſcribit, quod licet Imperator ſucceſſorem ſibi eligere non poſſit, Papa tamen poteſt dare ei hanc poteſtatem ex plenitudine poteſtatis, & ex magna cauſa. Quod etiam ſequitur Auguſtin. de Ancona in tract. *de Poteſt. Papæ, q. 37. art. 5.* vbi inquit: *Papam poſſe Imperatorem facere per hæreditariam ſucceſſionem, quando videret populo Chriſti magis conſultum eo modo, quam per electionem*. Et in quæſt. 35. art. 3. dic. t. *Papam poſſe mutare Electores*. Refert Reſtaurus in tract. *de Imperatore, q. 50. n. 5. & 6. & q. 105. n. 5.*

Licet aliquot Pontificum conſtitutiones velint, & aperte affirment, vacante Imperio Papam ſuccedere in adminiſtratione, vt eſt text. in *Clement. paſtoralis, §. fin.* ibi; *nos tam ex ſuperioritate, de re iudicat.* & cap. *licet ex ſuſcepto*, & ibi Innocent. Ioan. de Andr. & Canoniſtæ *de for. compet.* Per quæ iura ita etiam tradit Ioan. Fabr. *§ 1. Inſtit. de adopt.* Bald. in *l. fin.* verb. *electa, col. fin. poſt medium, verſ. item dicit, C. de quadr. præſcrip. & in l. cum notiſſimi, §. imo, col. 2. ad fin. verſ. eadem ratione decernit, C. de præſcript.* l. *executorē, in 10 col. verſ. ſed omnia iſta extendas C. de execut. rei iudic.* Et dicit Felinus in *d. c. licet ex ſuſcepto, in fin.* hodie ſic eſſe deciſum in Extrauag. Ioannis XXII. incip. *Si fratrum*, ſub tit.* verſ. *ſede vacante*. Et idem ſupponit Iaſo. in *l. Imperium, 10. col. ad fin. verſ. circa aliud, de iuriſdict. omn. iud.* verius tamen eſt, vacante Imperio Collegium Electorum ſuccedere in poteſtate, & adminiſtratione, prout alias regulariter Capitula ſede vacante ſuccedunt generaliter in his, quæ ſunt tam ordinis, quam iuriſdictionis; & in adminiſtratione tam temporalium, quam ſpiritualium, iuxta *c. cum olim cum materia, de maior. & obed.* cum ſimilibus. Et concordat Rota *Deciſ. 311. Fuit in nouis*: Feder. de Senis *Conſ. 39. At Capitulum, & Conſ. 107. Capitulum, & conſ. 40. Superet.* Late Dominus Ioan. Franc. de Pauí, in tract. *de off. & poteſt. c. ſede vacante, quæſt. 1. in princ. & 1. part.* & not. per Bart. in *l. vbi adſunt ff. de tut. & cur.* cum ſimilibus. Et Felin. in *d. c. licet, ad fin.* refert Cardinalem ibi negare hoc commune dictum, quod vacante Imperio Papa ſuccedat, quia eſſet turbare iuriſdictionem Imperialem, contra *c. nouit*, & ibi notata Felini *in princ. 3. col. de iudic. c. ſi duobus, §. fin. de appellat.* Bald. etiam in *d. l. nam ambigitur, verſ. quæritur hic vtrum populus, ff. de legibus*, quod mortuo Imperatore in populo reſidet iuriſdictio, ſicut mortuo Rege Anglorum ſine hærede maſculo, iuriſdictio Regia recidit in populum Gallicanum; & mortuis Electoribus Papæ Pontificialis authoritas reſidet in congregatione fidelium. *Vixit anno Domini 1317.*

Et in *Bulla Aurea cap. 26.* expreſſe cauetur, quod vacante Imperio Dux Palatinus in partibus Sueuiæ & in iure Franconico ex priuilegio eſt Prouiſor Imperii, cum poteſtate iudicia exercendi, colligendi reditus & prouentus, inueſtiendi de feudis, iuramenta recipiendi, & alia. Et idem ius habet Dux Saxonicus in locis, vbi Saxonica iura ſeruantur. Vnde ſuccedit pulchrum dictum Baldi in præalleg. *c. venerabilem, in verſ. vt debemus*, quod Papa non debet ſupprimere officium vel poteſtatem Electionariorum Imperii, alleg. notata in *c. ad Apoſtolicæ, de re iud. in VI. & in Clement. Romani, de iureiur.*

ADDITIO.

QVi ante mortem Imperatoris vel Papæ tractarent de Imperio vel Papatu in vita eorum, incidunt in crimen læſæ Maieſtatis: Ioan. Andr. in *c. veniens, de teſtib.* Alexand. in *addit. ad Bart. in l. fin. ff. ad L. Iul. Maieſt.* Hippolyt. de Marſ. *quæſt. 1. n. 23.* Reſtaur. Caſtaldus in tract. *de Imperat. quæſt. 118 in fin.*

V.

ALIVD.

DE ELECTIONE IMPERATORIS, VIVO IMPERATORE.

Anno Chriſti 1531.

LICET Alberic. de Roſate in *l. fin.* per illum textum, in verſ. *niſi ipſe forte de cuius hæreditate paltura eſt, voluntatem ſuam eis accommodauerit, & in ea perſeuerauerit, C. de pactis*, decidat, quod de conſenſu Abbatis & Monachorum valeat electio futuri Abbatis, & alleget ad hoc in ſimili notata per Archidiac. in *c. ſi tranſitus, 79. diſt.* tamen hoc improbat Iaſ. in *d. l. fin.* dicens, non eſſe verum, quia aufert electionem ſucceſſoribus, vt habetur in *c. ex parte, de offic. deleg.* Et idem ſentit Bald. in *c. bona, el. 3. de elect.* vbi in fin. 1. Col. quærit, nunquid Prælatus, qui videt ſe in mortis articulo, poſſit tractare cum ſuo Capitulo de electione ſucceſſoris? Reſpondet ſic, non tamen aliquid determinando vel promittendo, nec de certa perſona præficienda, alioquin caſſabitur electio. Sequitur Præpoſit. in tit. *Qui ſucceſſores teneantur in Vſib. feudor.* Idem concludit Cagnol. in *d. l. fin. in 10. notab.* vbi ex hoc infert, quod conſentiente Summo Pontifice Cardinales non poſſunt eligere futurum Pontificem quia tolleretur ius electionis ſucceſſoribus. Nec ipſe Pontifex ſibi ſucceſſorem eligere poſſet, quia effectus confertur in tempus inhabile, quando videlicet ipſe non erit Papa: adducens ad hoc Gl. in *c. Apoſtolica*, in verb. *beatus 8. quæſt.* & notatur per Canoniſtas in *c. licet deuitanda in verſ. vltimo. Abbas, in iſto 1. notab. de Elect.*

Tametſi autem Dec. in prælleg. *c. licet deuitanda, in verſ. vlt. Abbas in iſto 1. notab.* conetur diſputatione de iure defendere, quod Papa poſſit ſaltem de poteſtate abſoluta ſibi ſucceſſorem eligere; tamen rationes & ſententias ipſius impugnat Cagnol. in *d. l. fin. num. 85.* concludens, Papam per electionem Cardinalium tantum poſt mortem ſummi Pontificis eſſe conſtituendum. Et ipſe Dec. fatetur, illam ſententiam eſſe veriorem & communiorem. Et hanc ipſam in fortioribus terminis, videlicet quod Papa nec quidem cum Cardinalibus poſſit facere conſtitutionem ſuper electione ſui ſucceſſoris, affirmant Cardin. Zabarel. in *Clem. 2. 5. q. de Elect.* Card. Alexandrin. in *c. nunc autem, 21. diſt.* & Card. de Turrecremat. in *c. in nom. Dom. 23. diſt.* Et licet ad authoritatem Cardinalium poſſet dici, quod cum fuerint Cardinales, eos prompte ſuſtentaſſe partes Collegii Cardinalium, & ideo ſuſpectos eſſe, prout in ſimili dicit Felin. in *rubr. de Conſtit. in 2. col.* tamen idem vult, & dicit communiter receptum. Panorm. in *c. accepimus, in 3. not.* & ibi Additio idem teſtatur, *de Pactis*. Et eam ſententiam pulchre confirmat Bald. in *d. c. licet, in fin.* dicens, quod nec Concilium, nec Cardinales, ad quos ſpectat eligere, poſſint facere generale ſtatutum, quod Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem: quia ius eligendi non eſt eis apertum. Subiungens valde notabiliter, ſic nec Electores Imperii vna cum Imperatore poſſunt mutare formam pro ſtatu Imperii generaliter conſtituta. Quæ verba ſummopere notanda pro *Aurea Bulla*.

Ludouicus tamen Gomeſius Hiſpanus in *Reg. de infirmis reſignationibus, q. 1. verſ. pro reſolutione item omnium &c.* dicit, prædicta omnia procedere, quando Papa poſt creationem ſucceſſoris non exuit ſe dignitate Papatus, ſed remanet Papa, ponens alium certum Pontificem poſt eius obitum. Nam hoc facere non poteſt; ſed quando per viam reſignationis hoc facit, & in vita ipſius ſe exonerat & exuit Papatu, & deſinit eſſe quod fuit, adeo quod reipſa dignitas in Reſignatarium transferatur, tunc putat eum hoc facere poſſe, & procedere text. in *c. 1. de renunc. in 6.* Idem Gomeſ. in ſupra allegata *Reg. de infirm. reſign. in 2. q. verſ. ſed prædictis non obſtantibus*, inquit: *Licet in Imperio prohibita ſit ſucceſſio, iuxta vulg. c. venerabilem, de elect. tamen illud procedere, quando ſolus Imperator hoc faceret diſponendo: ſecus ſi fieret per viam renunciationis de conſenſu Electorum, quia tali caſu ſucceſſio licita confertur.* Allega. Imol. in *l. Imperator, de legat. 1.* qui per illum text. dicit, quod filius in vita poſſit deſtinari Imperator poſt patrem. ſubiungens, ita olim Imperatorũ filios viuentibus eis Cæſares eſſe renunciatos, vt Æl. Spartianus memoriæ prodidit. Et forſitan conſuetudinem obrepſiſſe, qua hodie Imperatores filios ſuos vel fratres Romanorum Reges eis adhuc viuentibus, eligere procurant: pro quibus dicit facere Gl. in *c. Adrianus, in verſ. Auguſt. 63. diſt.* ſubiungens, illam dici non poſſe ſimplicem ſucceſſionem, quia Imperator libere de ea non diſponit, ſed de conſenſu alterius, arg. *l. fin. C. de iur. emphyt. & d. l. fin. C. de pact.* Habito igitur Electorum vel Papæ conſenſu cenſet omnem difficultatem tolli, ſicut de Papa dicitur, quod eo adhuc viuente de cõſenſu Cardinalium poſſit ſibi ſucceſſorem eligere, arg. *c. petiiſti, 8. q. 1.* ſubiungens, ita ſaluari poſſe, quod dicit Brixienſ. in ſuo *Repertor.* in verbo *Papa*: & ita declaranda eſſe dicta Abb. in *d. c. accepimus, de pact.* Sed mihi hæc non videntur ſine periculo procedere, per ea, quæ ſupra adducta ſunt, quibus probatur, Pontificem etiam cum conſenſu Cardinalium non poſſe ſibi ſucceſſorem deſtinare; & præſertim propter illam rationem, qua præiudicaretur & tolleretur ius electionis ſucceſſoribus, vt conſiderant Iaſ. in *d. l. fin.* & alii ſupra allegati, & præſertim Bald. in *d. c. licet deuitanda*, de quibus eſt cogitandum. Recepta apud iuris noſtri interpretes ſententia videtur eſſe, quod licet non ſit abſonum & inconueniens, filium poſt patrem ad Imperium promoueri, arg. *l. licet Imperator*, & ibi Ioan. de Imol. Angel. & Iaſ. notant, *de leg. 1.*

idque

idque per viam electionis, cum in Imperio non ſit ſucceſſio iure hæreditario, *c. venerabilem, de elect.* tamen ſimul duos non poſſe eſſe Imperatores, ſed vnum tantum, per text. in *c. in apibus 7. quæ. 1.* & Gl. ibi, verb. *vnus*, reſpondendo ad *c. nunc autem, 21. diſt.* ex quo colligitur, duos ſimul fuiſſe Imperatores, Diocletianum & Maximinianum, dicit id de pacto fuiſſe, non de iure. Eamque ſequitur Ioan. de Imol. in *l. fin. circa fin. ff. de hered. inſtit.* & Alberic. in *d. l. bene à Zenone, col. 2. verſ. vtrum duo, C. de quadr. præſcript.* vbi inquit, *ſi quo tempore duo fuerunt, caſuale & de facto fuiſſe.* Et Card. Alexandr. in *d. c. nunc autem*, negat id de iure fieri poſſe ſine permiſſione Papæ. Sed ciuiles noſtræ leges ſatis oſtendunt, antiquitus receptum fuiſſe, vt duo vel plures ſimul ſint Imperatores. Nam in *d. l. fin. De hered. inſtit. & l. cum proponebatur*, ibi; *Diuus Marcus & Commodus Imperatores reſcripſerunt, De appellat.* & multis ſimilibus L L. fit mentio reſcriptorum à duobus ſimul Imperatoribus editorum. Sic & in *Codice* noſtro multas habemus leges Gratiani, Valentiniani & Theodoſii & Arcadii ſimul, ex quorum reſcriptis cognoſcitur, quatuor ſimul imperaſſe. Et hoc etiam legum ſubſcriptiones *in Cod.* oſtendunt, in quib. literæ A. & C. Imperatorum, nominibus eodem fere numero ſubiiciuntur; comprobaturque de iure Canonico in *c. Reatina Eccleſ. 63. diſt.* vbi Leo Papa Lothario & Ludouico Auguſtis ſimul ſcribit, & *d. c. nunc autem*, cum multis ſimilibus. Octauianus tamen Auguſtus Imperator, mortuo Lepido, & deuicto Antonio, ſolus Imperium tenuit. Quod idem poſt ipſum alii fecerunt Imperatores vſque ad M. Antonium Philoſophum, de quo Capitolinus *in eius Vita* atteſtatur, quod ſanctitate vitæ omnibus Principib. antecelluerit. Et Papinian. in *l. vnum ex familia, §. fin. ff. de leg. 2.* illum vocat prouidentiſſimum Principem & virum religioſum: vti etiam facit *l. Diſſentientis, C. de repud.* & Gordianus Imp. in *l. hereditas, C. de teſt. tut.* Conſultiſſimum Principem: & Iuſtinianus noſter in *l. cum Silleianum, C. de his, quib. vt indign. &c.* prudentiſſimum & ſanctiſſimum Principem & philoſophiæ plenum. Is ergo Imperator Marcus Antonius, tot elogiis illuſtratus, primus Antonium Verum fratrem ad Imperii partem aſciuit. Scribitque Eutropius, tunc primum Romanam Remp. duobus æquo iure Imperium adminiſtrantibus paruiſſe. Et Iul. Capitolinus *in Vita M. Antonini Philoſophi*, inquit: *Antoninus fratrem ſibi participem, poſt exceſſum Diui Pij à Senatu coactus regimen publicum capere, in Imperio deſignauit, quem L. Aurelium Verum Commodum appellauit, Cæſaremq; atq; Auguſtum dixit, atq; ex eo pariter cœperunt Remp. regere: tuncq; primum Romanũ Imperium duos Auguſtos habere cœpit.* Ita & Spartianus *in Vita Veri* atteſtatur. Factumque hoc eſt circa annum Chriſti 163. Hoc enim ſeculo imperauit M. Antonius Philoſophus, vt *Chronologia* Haloandri, & *Chronicon* Philippi atteſtantur. Et hi quidem Imperatores Antonius ſc. & Verus fratres, ſunt, quorum leges, Orationes & reſcripta à noſtris Iureconſultis adeo ſæpe citantur, cum *Diuos fratres* nominant, vt in ſupra allegatis legib. aliquot, & in *l 3. §. fin. de teſt. l. Diui fratres, de pæn. l. 2. in pr. de effract.* & aliis in locis. Quod oſtendit & pluribus comprobat Anton. Auguſtin. in *Explic. ad Modeſtini librum ſingularem de Excuſat tut. §. præterea à tutela liberatur*: vbi etiam oſtendit, Seuerum & Antonium Imperatores, quorum in noſtris legib. ſæpe fit mentio, & qui ſimul etiam Imperium Romanum tenuerunt, patrem & filium, non fratres fuiſſe, aduerſus Accurſii ſententiam in *l. de qua re, de in off. teſt.*

Plura in hanc ſententiam adducit Reſtaurus tract. de Imperator. qu. 106. poſt Ioan. Lecirier in tract. Primogen. lib. 1. q. 7.

Sciendum autem, *Cæſaris* titulum olim leuiorem, & qui ſtatim omnibus ad Imperium aſcitis tribuebatur; *Auguſti* autem maiorem & ampliorem fuiſſe. Spartianus enim *in Ælio Vero* ſtatim poſt princ. Eutropius *in Dioclet.* & Ammianus cum de Iuliano Imp. loquitur, authores ſunt, *Auguſtos* illos duntaxat fuiſſe vocatos, qui imperabant: *Cæſares* autem eos, qui quaſi Principum filii deſignabantur, *Auguſtæ Maieſtatis heredes*, vt loquitur Spartianus: imperaturi videlicet poſt mortem Auguſti, interim tamen adminiſtratione rerum illis interdicta.

VI.

MATERIA ELECTIONIS IMPVGNANDÆ REGIS MODERNI FERDINANDI, VIVO ADHVC Imperatore electi.

Anno Chriſti 1532.

SI quis ab electione voluerit appellare, in appellationis inſtrumento ſeu litteris ſuper appellatione confectis omnia & ſingula exprimat, quæ in forum intendit obiicere, aut in perſonas, coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeat veritati, corporali præſtito iuramento, quod credat ea, quæ ſic exprimit, eſſe vera. alioquin tam opponentes, quam tempore appellationis interpoſitæ vel poſtmodum adhærentes eiſdem obiiciendi aliqua, quæ non fuerunt in huiusmodi litteris aut inſtrumentis expreſſa, & poteſtatem ſibi nouerint interdictum, niſi aliquid forſan poſtea emerſerit, vel ſuper antiquis ſuperuenerit probanda facultas, aut aliqua antiqua in notitiam opponentium nouiter venerunt, quæ appellantes appellationis tempore emiſſæ veriſimiliter ignorare potuerunt, ignorauerint. Super huiusmodi autem ignorantia & ſuperueniente facultate probandi fidem per proprium præſtandum corporaliter faciant iuramentum. Hæc adiicienda in iuramento, quod ad

hoc probandum credant ſe ſufficientes probationes habere. Illis manentibus &c. Et hoc locum habet in extraiudicialibus, *c. conſtitutio, de elect. in VI.*

Et prædicta locum habent, quando ea, quæ opponuntur, directe reſpiciunt Ius Eccleſiæ vel opponentis perſonæ: ſed tamen vbi per competitorem oppoſitorem quemlibet appellantem in formam aut perſonas, defectus vel crimina opponuntur. Et *Clem. conſtitutio, de elect.* declarat hoc, quod ſi crimina ſeu defectus de nouo venerint in notitiam opponentis, quia circumſtantiæ defectus aut criminum debent ſpecificari in appellatione: alioquin non auditur obiiciens. Et ſoluit Gl. quod hæc non ſint contraria, quantum ad circumſtantias, quia interdum expedientius eſt in totum veritatem tacere, quam non perfecte dicere.

Sed via nullitatis illi non deficit, *de appellat. concertatum, lib. 6.* & perſecutio proprii intereſſe, Gl. in *d. Clem.* & poterit per Contradicitur, Debitam, & alia iuris remedia reuocari grauamen, dummodo medio tempore non aſſenſerit.

Caueas etiam, ſi appellatio fuiſſet interpoſita, quæ forte prædictam formam non haberet, ſi de cauſa iudicii fides facta fuiſſet per aduerſarium, quod non poſſis proteſtari te tali appellatione non vſurum, & ad viam nullitatis proceſſurum, quia aduerſario per appellationem interpoſitam ius quæſitum eſt. Caute eſt ergo ambulandum, *d. Clem. conſtitutio:* & vide Gl. in verb. *nolle vti.* Expedit ergo appellato, quod ſibi appellatio in forma publica intimetur.

Facilius conceditur perſecutio proprii intereſſe, quod conſtet de authoritate ſupradictæ *Clem.* quia talis allegans proprium intereſſe, auditur etiam tempore executionis ſuæ, *c. veniens, de teſt. & c. cum ſup.*

Ius perſonæ opponentis directe reſpicit ius perſonæ opponentis, cum proponit ſe habere ius in dignitate, ad quam facta eſt electio, vel in re, vel ad rem, *de Pub. quoddam, & c. fin. lib. 6.* Indirecte autem reſpicit ius opponentis, vt ſi minuendo vel dubitando ius aduerſarii opponitur contra forum, aut contra perſonas eligentium. quod notat Ioan. Monach. *eod. tit. vt circa;* & Zabar. in *Clem. conſtitutio,* allegat plura exempla, quæ concernunt ius perſonæ, quia dicit perſonæ, ad ſe ſpectare ius prouidendi, iure ad ipſum deuoluto. Item vel dicit opponens ſe fuiſſe contemptum, Sed Land. dicit hoc exemplum potius reſpicere formam electionis. Ioan. Andr. defendit hanc Gl. quæ allegat tale exemplum, pro qua eſt, quia perſecutio contemptus non tranſit ad ſucceſſorem, niſi competat ei, qui habet ius eligendi, ratione dignitatis. Lapus de Caſtilion. diſtinguit, quia quandoque opponitur contemptus tot Canonicorum, quod rel. qui manent minor pars Capituli; & tunc concernit formam, per *c. quia propter*: aliquando remanet maior pars, & tunc remanet Gl. quod concernunt perſonam. Quod dictum eſt verum in ſe, ſed non neceſſarium: quia quando contemnitur maior pars, non eſt propterea obiectus contemptus, ſed obiectio nullitatis propter formam non ſeruatam. Item ius competens Eccleſiæ non decernit ius proprium ſeu priuatum perſonæ.

Item oppono; quod nunquam obſeruanda ſit forma Decretalis *Vt circa*: quia vbi tangitur ius Eccleſiæ, non habet locum, vt dicitur in *Clem. conſtitutio.* ſed numquam eſt dare, quod quomodocunque fiat oppoſitio, non tangatur ius Eccleſiæ, cum agatur de ipſius præſtato: & ipſius Eccleſiæ interſit habere bonum Prælatum, & canonice & legitime promotum, & non criminoſum, & eum non habere malum, arg. *l. qui fundum, §. ſi tutor, ff. de emptor. & in l. interdum, §. qui tutelam ff de ſiſtis ſol.* Gl. quod littera hic dicit directe, voluit dicere ad contrarium, quod quandoque directe & principaliter tangitur ius Eccleſiæ, vt patebit, & non habet locum Decretalis *Vt circa.* Idem ſi tangitur principaliter & directe ius opponentis; quandoque directe & principaliter non tangitur ius Eccleſiæ ſeu opponentis, licet ſecundario ſeu indirecte ſeu per continentiam tangitur ius Eccleſiæ. Exemplum: quia opponitur exceptio contra forum electionis, vel opponitur defectus, vel crimen contra perſonas eligentium, vel electi, & tunc locum habet decretalis *Vt circa.*

Exempla: quando tangitur ius Eccleſiæ directe, ſi dicat Prælatus vel Eccleſia, quod vocem habuerit in electione, & quod ſit contempta, vel quando Eccleſia vel Prælatus dicit, quod ad eam ſpectat prouiſio, & quod de ipſius gremio debuerit eligi. Idem dicit Gl. ſi diſputetur directe de iure Eccleſiæ, ad quam facta eſt electio. poſtulatio ſeu promiſſio, & ponit duo exempla per decretalem *Conſideranimus de Elect.* videlicet quando dicitur, quod contra priuilegia ipſius Eccleſiæ electio facta eſt, ſeu prouiſio & poſtulatio. Vltimo ponit exemplum per decretalem *Conſtitutis de reſcript.* quando ſcilicet opponitur de numero, quod dicit, quod receptus eſt per reſcriptum Apoſtolicum vltra numerum Eccleſiæ, non facta mentione de numero in Reſcripto; ſcilicet in his caſibus non habet locum decretalis *Vt citra.*

Sed ſi ſpernerentur aliquæ voces in Capitulo, dicitur electio peccare in forma, ſi principaliter allegatur, quod peccatum eſt contra formam. Si vero principaliter allegatur, quod de iure Eccleſiæ & ſuo erat, quod debebat vocari & intereſſe electioni, quod factum non ſit, non habet locum decretalis *Vt citra.*

PARS

PARS III.

Continens

ACTA PVBLICA ET SOLENNIA, CVM DISCVRSIBVS, TRACTATIBVS ET Relationibus Hiſtorico-Iuridicis

DE INAVGVRATIONE SEV CORONATIONE PRIMA CÆSARIS AVGVSTI, *quem* REGEM ROMANORVM, *vel* ELECTVM IMPERATOREM *appellant; quæ fit Aquiſgrani in ſede Regia Caroli Magni Imperatoris, in regimentum Regnorum Germaniæ & Galliæ: olim Coronatio Francica nunc Germanica dicta.*

I.

DE CORONA IMPERIALI

COMMENTATIVNCVLA, DESVMPTA EX LIBRO IX CORONARVM CAROLI PASCHALII CONSILIARII REgii Francorum & Legati apud Rheto-Heluetios.

CAPVT XVIII.

Qua ratione claudatur hodiernum diadema imperiale.

ETsi eæ coronæ ſiue diademata, quæ clauſa exhibentur, hodie vocantur *Coronæ Imperiales*, tamen verum eſt, imperiale, ſiue Auguſtale diadema hodiernum alia ratione claudi, diuerſarumq; eſſe huius & aliorum diadematum ſummitatem. Nam ſuperior regii diadematis ambitus, qui ramulis, vel bracteis vna ſerie vndique coaleſcentibus clauditur, in imperiali medius finditur. Qua ſpecie nullum, quod ſciam, apud Priucipes Romanos inuenitur. Quippe quæ diademata apud ipſos clauſa aſpiciuntur, vna ſerie vnionum, aut continuo tractu aureæ bracteę gemmatæq; continentur. Si quid in coronæ medietate eſt, vt in coronis Græcorum Imperatorum, ea eſt bractea aurea & gemmata, quæ pertingit crucem eam quæ eſt locata in faſtigio diadematis.

Diadema Caroli Magni.

Primus quod vſq, adhuc ſciam, Carolus Magnus lata lamina gemmata, medium diadema inſigniuit, cætera diadematis parte in orbem clauſa, & in ſpeciem ſemicirculi corrotundata. Hoc genere diadematis diutiſſime vſi ſunt Cæſares & Imperatores occidentis, quorum ſedes primo Gallia, deinde Germania fuit.

Hodiernum diadema Imperiale eſt lunatum & bicorne.

At hodierno die imperiale diadema, vna excepta lamina, illa quæ ſuſtinet diadema, quæque caput ambit, ſcinditur in duas partes. Nam è lamina, hoc eſt, ex ima eius parte ſenſim fit diuiduũ, ſenſim pateſcit interuallo euidentiori; vſq; eo vt & vnius eiuſdem diadematis duo aſpiciantur culmina. Deniq; manifeſtum eſt, ipſum diadema vbi pandicur in latitudinẽ lunatis cornibus obliquari; poſſeque dici bicorne, hoc eſt, proxime accedens, atq; adeo referens ſpeciem lunæ corniculantis. Hac forma ſupra dixi Fulgentium exhibere Polymniam diadematam. Eſt ergo in hodierno imperiali diademate corniculata lunæ ſinuatio, criſpato & gemmato introrſus ſupercilio. Hãc diadematis formam deſcribit Pontificiale Romanum his verbis; *Corona imperialis habet ſub ſe mitram in modũ fere Epiſcopalis mitræ, humiliorem tamen magis apertam, & minus acutam.* Eſtq; eius apertura à fronte, non ab aure. Et ſemicirculum habet per ipſam aperturam aut eum, in cuius ſummitate crux paruula eminet. Eam tiaram aliæ coronæ non habent. Porro vnde hæc ſpecies deſumpta ſit, non eſt dictu pronum. Ego donec aliquis, & ingenioſius & verius aliquid expromat, puto illud interuallum, quam Pontificale vocat *aperturam*, vtrumq; referre ſpeciem & ſimilitudinem lunæ. Certe hodie plerumq; ita pingitur, vt ille ſemicirculus repræſentet lunam creſcentem. Hoc autem nihil aliud eſſe dico niſi imitamentum Perſici diadematis, quod lunatum fuiſſe conſtat. *Eſt enim luna Perſarum*, ait Q. Curtius. Adde *Symbolum* aut *inſigne*, aut *omen* & *vaticinium*, ſicuti ſol Græcorum. At vnde Perſæ hoc inſtitutũ mutuati ſint, nec dicere ſuppeditat, niſi dicamus ab Iunone. Hæc enim, vt dixi, geſtat coronam, in cuius rotunditate eſt imago globi lunaris. Nec ſum neſcius, vulgo credi, creſcentis lunæ effigiem accipi pro fauſto omine creſcentis imperii, quod amplificari cupimus, donec totum impleat orbem. Hæc ſunt pia ſingulorum, ſolennia vniuerſorum, magnifica regnantium vota. Hoc ipſum palã profitetur inſigne Imperatoris Turcarum. Cum enim is ſpe deuotaſſet imperium orbis terrarum, huius rei typum conſtituit creſcentis lunæ amplexus. Certe eius qui nunc regnat, maiores ita animatos fuiſſe conſtat, vt minui crederent quod non indies Chriſtiano ſanguine irroraretur augereturque imperium. Huic voto affine illud Caroli quinti. Neq; enim ſolum pertinuit ad columnas Herculis, ſed vtiq; illam immenſi vaſtitatem penetrauit Oceani. Vſq; eo intra illum tantæ celebritatis terminum non potuerunt ſiſti ſpes eius; qui tamen concluſit res geſtas Herculis, qui cum huic Imperatori de magnitudine rerum geſtarum fuit æmulatio.

Pontif. Rom. de triplic. Imper. Coron.

Q. Curt. lib. 4.

Auguſti appellatio unde ſit & quid ſignet.

a Suet. Aug.

Cæterum & reges & imperatores ita animum inducunt, ſe dici *Auguſtos* ab auctu, vel augẽdo, ſcilicet, imperio. Id quod vulgo tradi, & exiſtimari video. Sed ipſe malo adhærere a Suetonio, quo autore *loca religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, auguſta dicuntur.* Addit quidem Sueton. hæc verba *ab actu*. Sed hoc vt dubium, ac de quo parum conſtat, ipſe parum firmat, ponitque inter dubia & non recepta. Id quod è ſequentibus palam fit, *vel*, inquit, *ab auium geſtu, guſtuue.* Sicut etiam Ennius docet, ſcribens,

b Feſt. Auguſtum

Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt. b

Feſtus quoque tradit, *auguſtum locum ſic dici ab auium geſtu, id eſt, quia ab auibus ſignificatus eſt ; ſiue ab auium*

uium guſtatu, quia aneſpaſta id ratum fecere. Sed has merito nugas dixeris præ eo quod tradit Epitome Liuii, c Plin. Cæcilij. Cenſorinus, Caſſiodorus. Nempe Cæſarem leges protuliſſe aiunt, iudices ordinaſſe, prouincias diſpoſuiſſe. Ideoque cognominatum *Auguſtum*; ac ſi dicant, ob tales, tantasq; res geſtas cognomen ei fuiſſe additum re ſanctum, vocis vſurpatione ſingulare, remunerationis officio vnicum. Neq; vero vocibus imperitæ multitudinis ei primo acclamatum eſt Auguſtus, ſed, Hercule, iudicio ordinis ampliſſimi tãtum diuini prope honoris ei habitum. Ex hoc fonte Auguſti appellatio manauit ad inſequentes Imperatores, prorſus maior quã Cæſaris, vt d Zoſimus adnotauit. Ergo mortalium ſummis non tam eſt optandum vt ditionem augeant, quam vt cupiditatẽs minuant. Meminiſſe debent Affricani poſterioris, qui ſolemni precationi non addidit vota augendæ rei Romanæ, ſed ſeruandæ. e *Satis*, inquit, *bona ac magna ſunt. Itaque precor* (Deos) *vt eas perpetuo incolumes ſeruent.* Hanc ipſam votorum verecundiam exigo ab Regibus & Imperatore, ne tam imperium amplificare velint, quam illud circumſcribere finibus tutiſſimis, & munire præſidiis firmiſſimis. Diuturnum illud imperium eſt, quod viget interna concordia. Quæ gens introrſus munita eſt, extrorſus impenetrabilis eſt. Hoc eſt ſingularẽ ſpecimen ſapientis Principis, non appetere plura, niſi quatenus ſua reddere poteſt firmiora. f Auguſtus ille formator imperii Romani conſilium cepit non de amplificando imperio, ſed de coërcendo inter terminos: ne videlicet ſua magnitudine laborãs, id quod in ſequẽte ætate accidit, in ſeſe rueret. Satis illi opũ & firmitatis eſt qui ſummæ curæ addit ſummã æquitatẽ. Vix vnquã regũ clades ſunt ab inopia & imbecillitate. Auaritia, rapinæ, libidines, animus ingratus hæc ſunt quæ & reges profligant, & regna euertunt. Hinc intelligit Imperat. ſe nõ ideo dici auguſtũ vt ditione fiat auctior, ſed verius regnũ ſuum vt legib. fundatũ morũ & militiæ diſciplina ciuiliq; concordia ſtabiliat. Nã corniculans luna, cuius totum diadema ſpeciem refert, quid ſignificet infra dico.

c Plin. Paneg. Epit. Liuii, Cenſor. c. 21. Caſſiod. in Chron.
d Zoſim. circa ſ. lib. 6.
e Val. Max. li. 4. cap. 1.
f Tacit. lib. Annal.

CAPVT XIX

NOn quod lunam vt fœmineum, imbelle, inerſque ſymbolum, ac ſole minus ſibi adſignari, ægre ferat imperator. Primum quicquid de ſole ac Rege dixi, id omne Imperatori expedit vt regi. Quippe ad culmen Imperatorium nonniſi per regiam magnitudinem aſcendi poteſt.

Ab effectib. Lunæ ſumuntur documenta Imperatori neceſſaria.

Adde quod priſci ſapientes exiſtimarunt, lunam eſſe a [Greek] *in corruptam, & puritate æqualem ſoli.*

His accedit parilitas ſexus. Neq; enim Dea eſt, ſed Deus. b *Apud Carrenos qui lunam fœmineo nomine putauerat nuncupandam, is mulieribus erat veluti mancipatus. At vero qui marem Deum eſſe credebant, is credebatur dominari vxori, nec vllas pati muliebres inſidias. Vnde quamuis Ægyptii, vel Græci eo genere quo fœminam hominem, etiam lunam Deam dicant, myſtice tamen Deum dicunt.* Itaque Ægyptii quoq; teſte Plutarcho [Greek] naturam, mariſœminam. Id ipſum tradit apud Platonem Ariſtophanes.

e Strabo ait, Mileſiis Solem & lunã ſimiles ac pares eſſe, quod ab his aëris temperies proficiſcitur. f Æſchylus lunæ aſſignat primum locum inter aſtra, eamq; vocat aſtrum vetuſtiſſimum, noctis oculũ. g Stephano autore Æthiopes [Greek] eandẽ faciunt cum luna, diciq; volunt; vt Callimach. ait, [Greek] ab ardendo, vrendo, fulgendo, tanquã hæc non vni ſoli conueniant.

Hac de cauſa h Statius poëta doctiſſimus lunam vocauit igneam.

> *Tempus erat iunctos cum iam ſoror ignea Phœbi*
> *Senſit equos.* ————

igneam non tantũ luculenter, ſed & proprie dixit; cum & ipſa adepta ſit cognomẽ i [Greek] *lucifera*, quod & ipſa lumen emittit, & circumiecta illuminat. Indidẽ & cognomen *Dictina*, quod vim ſui luminis diffundat per vniuerſã terrã. Hinc quoq; dicta eſt k [Greek] quod *lumen nouũ & vetus ſemper habet.* Non ergo temere eam Virgil. vocat *aſtrorum decus*. Porro lunã faciũt venatricẽ, quod nunquã deficit, ſiue dum ſolem perſequitur, ſiue dũ à ſole recedit. Id quod documento eſt, in quãcunq; curam Imperator incũbat, id quicquid eſt, Imperatoria alacritate feliciter præſtari.

a Phornut. in Diadem.
b Spart. in Car.
c Plutarch. de Iſid. & Oſirid.
d Plato in Symp.
e Strabo li. 14.
f Æſchylus [Greek]
g Steph. [Greek]
h Stat. li. 12. Theb.
i Phornut. Dia.
k Plato in Crat.
l Virg. 9. Aen.

Deniq; luna dicitur confinium ætheris & aëris ac veluti quoddam intemodium diuinorum & caducorum. Hinc quoque docemur, eſſe in manu optimi Imperatoris, diuinam maieſtatem generi mortalium conciliare ſtabilienda pietate, & ita adminiſtrando imperio, vt non ab homine, ſed ab numine Regi videatur. Hac ratione quicquid lunæ eſt ſubiectum, ſimile redditur iis quæ ſunt ſupra lunam hoc eſt, incommixtum malis, purum, ſincerum. Quomodo in lunari effectu vis vniuerſæ naturæ proditur, ita imperiali culmine, tamque ſublimi regimine quicquid pertinet ad ſalutem vniuerſi imperii continetur. Cæterum propter æqualitatem ſolis & lunæ vtrique ſimul m Athenienſes rem diuinam faciebant, impetrandæ ſoboli.

Atque adeo cum lunæ lux ſit genitalis & fœcunda, & humectans, propitia quoque eſt genituris animalium vt naſcantur & plantarum vt germinent. Eadem ratione tua ſumma virtus, Imperator, fœcundandæ vniuerſæ Imperii tui ditioni idonea eſt; vſque eo, vt, quæcunque poſteritas naſcitura eſt, te agnoſcat ſicuti parentem, vt ſupra de Rege dixi.

Porro vt o plenilunium eſt parturientibus propitium, ita Principis potentia, vel cum maxima eſt inuenta eſt progignendæ felicitati publicæ.

Vt p luna fulgens ea quæ concepta ſunt alit & fœcundat, quo modo & quandoque interimit, ita Imperator quicquid in Imperio ſuo ita conceptum eſt, vt ſalutare eſſe poſſit, auget; Eadem ratione qua quicquid deprehenditur eſſe noxium, perdit.

Vt lunam alia aſtra q inuocant, vt inquam, hæc noctiluca ſimulatque extulit candidũ iubar, radiantu face minora ducit aſtra, quæ vnam ipſam ſuſcipiunt, ita Imperator, Principes ac primores,

m Etymolog. [Greek]
n Plutarch. de Iſid. & Oſir.
o Plutarch. [Greek]
p Phornut. Dia.
q Ariſtides in Panat.

denique

denique omnium conſortium ſummæ curæ Cæſareis auſpicijs, & imperatoria prouidentia rebus agendis admouet. Nullus horum niſi imperatoria authoritate vigere poteſt.

Imperatoriæ appellationis vera origo. Illud quoque ſibi Imperator identidem ſubiicit, ſui culminis proprium eſſe Ducatum, & hoc vocabulum eſſe partum militiæ, & alumnum caſtrorum. Et primo quidem hæc vox, nihil aliud demonſtrauit quàm hunc quem dico, Ducatum, hoc eſt, munus nixum induſtria, duritia, vigilantia, fortitudine. Quibus virtutibus tam arduis, tam exercitis, effectricibus publicæ tranquillitatis deniq; æquum fuit proponi præmium cumulatiſſimum, ſi præmium dici debet ea quæ eſt cura, ſiue onus regendi cuncta. Præclarum eſt defungi hoc aut illo publico munere, quis negat? At ceſſant omnia munia, ſi non prius præſtitum eſt vt Reſpublica ſtet, valeat, floreat. Per quem hoc aſſequuntur homines, qui ſuis exſudatis laboribus, virtute & felicitate quietem rebus peperit, hũc antiquitas Romana nuncupauit Imperatorem: & hanc appellationem verſo rerum ſtatu, ſupra omnes appellationes extulit: Denique huius ſummam dignitatem conſenſus vniuerſorum omniũ dignitatum procreatricem fecit, quanquam & ipſi Romani Principes, ipſi, inquam, Imperatores non putabant ſe tales donec hoc quoq; cognomen ipſi magnitudine rerum geſtarum, vt ſummũ decus, ſibi peperiſſent. Certe Traianus cum r Tigrim traiecisſet, & Cteſiphontem vrbem recepiſſet, αὐτοκράτωρ ἐπωνομάσθη, imperatoris cognomentum adeptus eſt, priſco, ſcilicet, more, & ſicut vnus veterum Ducum. Marcus item Antoninus illo ipſo priſco more decimũ Imperator eſt appellatus. Hæc fuerunt præclariſſimorum hominum iudicia, quę nunquam decipiuntur, vbi res loquitur, facta apparent, merita exſtant. Eſt ergo Imperator & partus, & alumnus virtutis, & quidem militaris. Cuius finis eſt publicà ſecuritas. Quæ ſtatio exigit ab ipſo omnes virtutes; in his nullam mediocrem, nullã non viuidam, feruentem excellentem. In his virtutibus potiſſimum aduerti debet conſtantia, ne degenerent ab ſuis principijs, ſed qui armis rem reſtituit, eandem ſapientia firmare pergat.

Xiphil. Traiano.
s Xiph. M. Ant.

Luna Philoſophis eſt quidem terra, ſed aërea. Imperator etſi humano patre, humana matre natus eſt, ita tamen fungitur vice hominis, vt in ipſo diuinitas emineat, hoc eſt, virtus, diuinum germen. Nam ope virtutis qui origine eſt homo, factis apparet numen.

Quo minus luna aſpicitur à ſole, hoc eſt tenebroſior; quo magis eius aſpectu gaudet, hoc eſt lucidior & candidior. Quo longius Imperator recedit à præſcripto diuinæ legis, hoc eſt diſſimilior Dei, cuius vices quaqua patet imperium, agit; hoc eſt gentibus infeſtior & iniuſtior. Quo magis id agit, vt ſe ſimque Deo probet, hoc vniuerſos conſtat eſſe feliciores.

Vt lunæ ea eſt vis vt ipſam atritatem dealbet, denſiſſimamque caliginem coloret. Ita Imperator perenni prouidentia, quæ quandoque fuit triſtiſſima, lætam reddit faciem rerum; bellum pace, ſterilitatem fœcunditate, pericula ſecuritate mutat. Tum obſcuras facinoroſorum artes lumine diuinæ mentis irradians ſolerter deprehendit vt opprimat.

Nullum terreſtre aut aquatile corpus acceſſu lunaris luminis non augetur, receſſu nõ decreſcit. Eadem eſt ratio Imperatoriæ virtutis à qua quicquid regitur tempeſtiuis incrementis lætatur. Quid quid ipſi hominum improbitate ſubducitur male perit.

CAPVT XX.

Continuatur Lunæ ſimilitudo cum imperatoris officio.
Etymol' μήνη.

LVnam quidem vocant μήνην, ὅτι μειουμένη εἰς ἐλάχιστον τοῦ κύκλου πληροῦται ὁ μήν. *quoniam diminuta ad ſiminum luna, impletur menſis.* Vt ſol annum curſu, ita luna menſes è quibus conſtat annus, ſuis circuitionibus conficit. Quo plura Imperator ſuis affectibus demit, hoc glorioſius implet munia ſua.

Lunam aiunt mortalibus eſſe confinium vitæ & mortis. In vno Imperatore eſt omne inſtar aut ſalutis, aut perniciei, eius quæ pertinet ad vniuerſos.

Luna habet quatuor hebdomadas, veluti quatuor ætates. Primæ quidem, nempe cum diuidua eſt, proprius eſt humor, veluti naſcentis & prima incrementa recipientis. Alterius iam tumidioris proprius eſt calor, iam, ſcilicet, eius adoleſcente luce à patentiori aſpectu ſolis, & imminente pleniluniο. Quo peracto, ac iam decreſcente lunaris luminis circulo, tertia fit ſiccior, vt ab ortu remotior; mox maiori diſpendio tenuior. Hanc denique ſequitur caua, eademque quarta, lumine iã deficiente frigidior, & proxima deliquio. Ad Imperatoriam ſapientiam maxime pertinet, tempora diſcriminare; hoc eſt, rerum naſcentium germina diligenter fouere; in adultioribus ſedulo elaborare; promotis, ac prope perfectis non immoderatius geſtire: nunquam licentius agere: ſed omnium rerum proponere ſibi vltimam neceſſitatem: ſic ſtatuere: Nihil eſſe ſub cœlo quod non tandem denaſcatur ac vaneſcat, ſi non accurſu priſtinæ virtutis identidem renaſcitur, recentatur, vegetatur: veluti luna, ſimulatque defecit, ignes recolligendo pulchrior apparet ac vegetior. Quippe hæ ſunt vices rerum inconſtantes, fateor, ſi anguſtos temporum circuitus conſideremus. At ſi maieſtatem naturæ; ſi eius in menſtruis curriculis miracula ſi vim virtutis omnium reſtauratricis attendimus, inueniemus eas eſſe ſtatas, inuiolabiles, immutabiles, perpetuas, atque adeo in perpetua inæqualitate perpetuo æquales, Imperator non vna ſemper, eademq; ratione res hominũ adminiſtrat. Diſcernit rationes Imperii naſcentis à pubeſcente ac floreſcente: item floreſcentis à ſeneſcente.

Plin. lib. 2. ca. 54.

Luna è quo veſtigio profecta eſt, eodem redit: quo momento finit, illo ipſo luci redditur. In hoc rerum humanarum æſtu, propter caſuum varietates propter tot ac tam crebras rerum viciſſitudines Imperatoria virtus ici aliquando poteſt. At perfici ne ſeſe renouet & colligat, & iuueneſcat, id vero minime poteſt.

In lunæ carpento ſubiugis eſt mulus, cui non è ſuo genere genus eſt, nam equo creatur. Quo ſymbolo

ſymbolo fides fit, lunam non ſua ſed aliena, hoc eſt, ſolis luce lucere. Imperator ita animum inducere debet, ab ſe nihil quicquam, niſi autore Deo aut incipi aut perfici poſſe. Quicquid illud eſt quod ſuis votis conſonum eſt, eſſe gratuitum munus diuinæ bonitatis.

Lunari ſyderi aſſignatur triplex nomen numenque. Nam in cœlo eſt luna, in ſyluis Diana, apud inferos Proſerpina. Imperatori omnes Imperii partes, nulla excepta ita demandatæ ſunt, vt in ſingulis ipſum æquum ſit apparere præſens, & ſalutare numen, cuius vi omnia regantur.

Nouilunium rebus agendis cenſetur initium auſpicatiſſimum; iſque dies, Hebręis erat feſtus. Imperatori etiam atq; etiam videndum quo quamq; rem omine agere inſtituat. At nullum omẽ eſt verius & auſpicatius pietate & prudentia. Ergo licet his victimis. Hæ ei aues haud dubie addicent.

Plena luna tumeſcit Oceanus. Plerunq; fit, vt valida Imperia inhient alienis, cõterminarum, inquã, gentiũ iniuriis laſciuiant; cũ tamen Dei permiſſu ea re exoriãtur, vt in ipſis ſit fida tutela gentiũ.

Defectus lunæ multis mortalibus haud immerito terrorem incutit. Tunc vere deſperationi affinis terror hominum mentes occupat, cum Imperator diſcedit à Deo, ſeque vitiis merſat, ſtatim vt imperatoriæ facis lumen obſcuratur, quid cuiquam vltra ſperandum? imo quid non deſperandum?

Quædam maga his verbis gloriatur, ſe lunæ imaginem cœlo detrahere poſſe.

——luna deſcendit imago
Carminibus deducta meis; trepidusq; furentes
Flectere Phœbus equos, reuoluto cogitur orbe. Petron. Arb. in Sat. 58.

Hinc Imperatori exiſtimandum relinquitur, nihil quicquam ſibi adulatione eſſe peſtilentius. Vt maga lunæ, ita adulatio verbis venenatis principi obſtrepere audet; eique omne decus, omnemque dignitatem eripere. Cui ſi tu ſumme hominum, fortiter & animoſe reſtiteris, in irritum abibunt conatus eius. Enimuero adulatores itidem vt magas mentiri palam eſt. Et has ne impune quidem id, quo falſiſſime gloriantur, conari conſtat. Teſtis Aglaonice filia Igemonis, quæ aſtrologiæ ſciens, præuiſo lunæ defectu, promiſit, ab ſe lunam cœlo deductam iri. Nec longum tulit. Nam ſtatim amiſſo quodam è ſuis, multisque miſeriis conflictata, graues audaciæ pœnas dedit. Vnde vetus illud in eos qui merito ſuo multis malis excipiũtur, *a* [illegible], *quod lunã detrahit*. Eadem ratione ſi tu Imperator, non tranſilieris fines pietatis, te nemo concutere, te nemo loco dimouere poterit. Si is es qui eſſe debes, tum tu conſtanter age; ſperne minas hoſtium; ne metue contumationes improborum. Nemo te impune laceſſet. *a Schol. Appoll. Rhodii lib. 4.*

Luna ratione operatur, abſque vlla vi; eiuſque opera manant à ſapientia, cum effectus ſolis ſint à vi & robore. Ideoque fabulantur *b* Herculem ſoli, Mercurium lunæ adhærentem vna cũ ipſis omnia luſtrare. Imperatori vi vti non aliter licet quam ſi prius ratione expertus ſit. Si hæc compeſcendæ improbitati parum efficax eſt, parumque felix, tum vero quod ratione inſtituerit ne dubitet vi peragere. *b Plutarch.* [illegible]

Lunam *c* Græci vocant ἄρτεμιν διὰ τὸ ἀρτεμέας ποιεῖν hoc eſt, *ὑγιεῖς, ab eo quod facit ſanos*. Principi homines quod viuunt, quod valent, quod ipſos viuere iuuat, acceptum ferunt. *c Phornut. Apol. & Dia.*

Si quis *d* per quietem putauit ſe lunæ amplexibus illigari, authore Artemidoro, hoc ipſi vtile ſomniũ eſt. In his ſunt naucleri, gubernatores, mercatores, peregrini & errones. Quibus adnumerantur illi qui in cæleſtium contemplatione verſantur. Ratio eſt, quod ſine ope lunæ ſpeculationes conſiſtere non poſſunt. *d Artemid. li. 1. cap. 83.*

Atque adeo ſunt qui, iis reiectis quæ de Endymione poëtæ mendaciter narrant, aiunt eũ omnium mortalium primum adieciſſe animum ad eam philoſophiæ partem quæ verſatur in *μετεώροις*. Huius tam nobilis egregiiq; ſtudii opportunitates *e* accipiebat à lunæ motibus & luce, cuius circuitiones & numeros inuenit, dum noctes huic contemplationi impendit ſomno abſtinens, quem interdiu capiebat. Certe huius tanti beneficii ipſe ſe lunæ debitorem profeſſus eſt. Si Imperator vigilante cura, & ad cæleſtem facem ſuam omnẽ adminiſtrationem explorauerit, præclariſſimis experimentis comperiet, non ſibi temere aſſignatum eſſe hoc lunæ ſimulachrũ, quo non aliud eſt ſui muneris ſignificantius. Atq; hæc quidem etſi vera ſunt, non tamen alia reiicio quæ de hoc ipſo Endymione, quanquam fabuloſa poëtæ tradunt. Cum enim luna eſſet in complexu Endymionis in mõte, cui nomen *f* Aſelina, ſiue Latmon, cætera loca fuerunt obſcurata. Id quod lunæ merito imputari potuit. Hinc Imperator omnesq; adeo principes etiam atq; etiã monentur nunquam ipſos vni alicui ita pronos eſſe oportere, vt ſe ſubducant aliis. Nempe ex hoc contemptu eſt iuſtus dolor, alienatio, odia, turbamenta. *e Scholiaſt. Apollonii lib. 4.* *f Etymol. dolũ lun.* *Scholiaſt. Apol. Rhod. li. 4.*

Itaque vt luna toti hemiſphærio æqualiter illuceſcit, ita Imperatoris eſt ſumma æquitate agere, omnes mortales pari beneuolentia complecti, nuſquam lethales tenebras offundere; ſed omnia ſuo ſalutari lumine conueſtire. Sic putet, ſe, ſi degit in contubernio virtutis vndiq; & vbiq; ſummis veriſq; laudibus efferri. Si venit in complexum voluptatis, ibi eſſe vbi fœdis compedibus detinetur, in loco, ſcilicet, anguſto, turpi, & latebroſo, vbi conſpici cuilibet infimæ ſortis homini, nedum Imperatori ſummum dedecus eſt.

Cæterum, *g* Plutarcho autore, nobiliſſimus quiſque Romanorum lunulas ferebat in calceis. Id quod ipſe ait geſtantes admonere immortalitatis animæ, aut certe humanarum vicium & inconſtantiæ, ac proinde modeſtiæ. Hæc tibi, Imperator, vehemens admonitio eſt, ne cuiquam temporariæ felicitati nimis confidas; ſed modeſte agas, vt qui momento ex iſto tanto faſtigio in ima deiici potes. Sic ergo habe & Imperator, & quisquis vices Imperatoris alicubi agis, *g Plutarch.* [illegible]

tibi

tibi, ſi nunquam virtutem deſerueris, imperium fore firmum. Id quod iam verum ſit, haud certius explorare potes quam ex affectibus obedientium. Si places, ſi volentibus, ſi lætis imperas, nulla te vis concutiet. Si es implacidus, & immanſuetus, in lubrico te eſſe puta. Si vi tantum imperium obtines, maiori vi tibi extorqueri poteſt; ac precario imperas. Si iuſtitiam colis, ſi quantus ſis magnis beneficiis intelligitur, tum vero quia regnas in animis hominum, omnia quæcunque tui poſſident tua eſſe ſcito.

Vicariatus Imperii.

Hodie, quod aduertendum, priſtina illa imperatoria poteſtas ſi non penitus contracta eſt intra fines Germaniæ, ſaltem non fere longius excurrit quam in Italiam, & in colimitia Galliæ, in quibus ipſis eſt admodum retuſa & hebetata, propter nimium frequenter conceſſos iſtos Imperii vicariatus perpetuos. quos quo pertinuiſſe dicam, niſi ad minuendum, dehoneſtandum, lacerandum Imperium? Gratiæ paucorũ, videlicet, dati ſunt, ex qua plane orta eſt pernicies Imperii. Nam quid aliud eſt agere alicubi perpetuum vicarium Imperii, quam in propria ditione iactare ſe Auguſtulũ vix vllo reſpectu Auguſti? Hinc, inquam, magnum validumque Imperium, aut ſaltem paruæ magni Imperii reliquiæ traductæ ſunt ad prouincialia dominia, quæ plerunque popularibus deprehenduntur eſſe intolerabilia. Nam ipſa Imperatoris ditio, autoritas, poteſtas, hodie eſt vmbra nomenque Imperii, non Imperium.

CAPVT XXI.

De bractea, qua ambit ſuperiorẽ partem Diadematis Imperialis.

IN imperiali diademate aſpicitur bractea aurea & gemmata, incipiens à media lamina, qua tegit mediam frontem, vndeque incipit ambire vacuum illud diadematis interuallum, quod in ſpeciem lunæ ſinuari dixi. Hęc bractea deſinit in aliam laminæ partem quæ eſt in occipitio media. Ita fit, vt habeat ad latera vtrumque cornu, quæ ſunt culmina Diadematis, vnum dextrorſum, aliud ſiniſtrorſum.

De mũdi effigie, quæ eſt in ſummitate huius diadematis.

Summitas huius bracteæ ſuſtinet globum effigiem mundi. Id quod haud dubie inuentũ eſt repræſentandæ maieſtati Imperatoriæ. Mundus eſt omnium parens. Nam ad eum prima cuiuſque rei origo perducitur. Ita quantum eſt hominum qui viuunt ſub tutela Imperatoris, quod ſecure, quod feliciter agunt, imperatorio numini acceptum referũt. Mundus eſt vnus. vnius Imperatoris nutu omnia adminiſtrantur. Vnus tantum nomen poſſidet; vnus tale faſtigium inſidet. Mundus omnium rerũ ordinem vnus circumagit. Imperator in ſingulis Imperii partibus præſtat omnium rerum prouidam diſpoſitionem, eam, cuius vi omnia pulchreſcunt, hoc eſt, ordinem. Vt mundus ſine illo ſummo opifice ſtare non poteſt, ita ſine hoc tanto ductore, ſine hoc capite omnia machinę Imperialis membra nutant. Mundus, diuinum opificium, in ſingulis ſui partibus ſubinde mutatur; nec vlla vſpiam eſt quæ diu eadem maneat. Imperatoriæ prudentiæ eſt pro re mutare conſilia, rationeſque tantæ curæ, prout expedit. Neque enim id eſt leuitatis, ſed ſapientiæ. Mundo, quod in ſe omnia ornamenta continet, nihil eſt ornatius. Imperatoria virtute ſpectabilius, quia nihil quoq; mortalitati eſt conducibilius. Mundi præceps velocitas à nullo mortali oculo, quamlibet acerrimo aduerti poteſt, niſi demum conuolutis rerum vicibus. In Imperatoria maieſtate repoſita ſunt arcana illa ſanctiora, è quibus eſt in omnia regimen. Hæc tamen cuiuſmodi ſint, non prius palam eſt, quã fuerint ſua bonitate cognita, & ita ad res collata, vt ſatis conſtet, nihil melius eligi potuiſſe. Nempe, lætitia proſperi euentus metum præuertit; felicitas adeſt ſæpius inexpectata. Quicquid in hominis notitiam cadere poteſt, mundus ſua magnitudine complectitur. Humana, pia, ſubiectis conuenientiſſima exiſtimatio hæc eſt, vigiles Imperatoris oculũ, diuinamq; mentem nihil eorum fugere quibus ſumma cura continetur. Mundum ſapientiæ cultores firmant eſſe σφαιροειδῆ rotũdum. cui rotunditati nihil officiunt illæ quæ aſpectui noſtro ſunt inæqualitates, hoc eſt, tum depreſſa in conualles & abyſſos, vaſto præcipites hiatu, tum in ardua aſpectu iuga, aliaque in admirabiles altitudines euecta loca. Quam, ſcilicet, inæqualitatem deterit magnitudo mundanæ molis, quæ vbique teres, vbique æqualis, ſuique ſimilis eſt. Etſi quædam in rerum adminiſtratione frequenter occurrũt, quæ ingeniis ægris, ieiunis & querulis præbent occaſionem inconſultarum vocum, ratione tamen ſuſcepta eſſe, denique fatendum eſt. Quippe omnium rerum cauſæ rationesque librantur in trutina cenſoriæ mentis. Omnia excoquuntur, perpoliuntur & conſummãtur in illa ſumma ac generali notitia imperii, cuius ſedes eſt in pectore tanti Principis; nempe loco tã excelſo poſita, vt nihil tam alte lateat quod ſe illi ſubtrahere poſſit. Hæc eſt altiſſima illa ſpecula, vnde ſummus Principum omnia proſpicit, interna, externa, proxima, longinqua, ardua, depreſſa. Hinc componit rerum opportunitates; hinc reiicit improbanda, dubia differt; manum iniicit probis. In placitis, electis, probatis acquieſcit. Quæ omnia quo minus vulgo innoteſcunt, hoc ſunt imperatorio lumini cognitiora; his probat prouidentiã, vigilantiã, bonitatem ſuam; his lætatur in arcano ſapientiæ ſuæ. Ex his fides fit. nihil in illo deprehendi inæquale apud quem eſt regula omnis inæqualitatis, iuſtitiæ, ſanctitatis. Dorclaus, Cenſorino autore, ſcripſit mundum eſſe organum Dei mundi typo, quem Imperator capite geſtat, ipſe docetur, de vniuerſis illud eſſe, quod mundus eſt diuinæ maieſtati. Eſt ergo Imperator miniſter Dei in hoc electus vt in Imperio perſtet ad vices ſummi numinis. Vt mundus conſtat ſocietate cœli, eorumque omnium quæ cæleſti ambitu continentur, ita imperii partes coaleſcunt ad ſplendorem nominis Imperatorii, ſub tanti numinis tutela, ſub patrocinio, inquam, tãtæ maieſtatis fiũt indiuiduæ, imperuiæ, impenetrabiles. Sphæra mũdi vergit in cẽtrũ. Mundi centrũ globus eſt hic terreſtris quẽ incolimus; qui etſi eſt circũfuſus aquis, ita tamen libratur vt ſit ſolidus, firmus, nulla vi ventorum mobilis, nulla vi fluctuum mutabilis. Perſpicue parum eſt Imperatorem

Cenſorin. ca. 13.

parum

parum eſſe ſua maieſtate tutum, ſi non nititur perpetua incolumitate ſubiectorum. Hoc eſt Imperatorum pedamentum: hoc ipſum ſummi culminis ſolidamentum. Ergo indiuidua ſunt Imperator & Imperium, hoc eſt, ſalus eorum omnium, qui ſunt in ditione imperij. Felix eſt is princeps, qui felicibus imperat: firmus, qui nihil ſibi & ſuis diuiduum facit; vndique tutus is, qui quam ſibi, eandem vniuerſis operam præſtat, in perpetua ſanitate is, qui ſe colit vt caput, vniuerſos regit ea cura, qua quiſque propria membra. Mundi duas partes faciunt, quarum vna agit, altera patitur. Illa eſt immutabilis; at hæc obnoxia neceſſitati vicium & mutationis. Illa diuinam, hæc humanam ſapientiam repræſentat. Eadem ratione etſi conſilia Imperatoris ſunt prouidæ mentis argumenta, atque vt diuina æquum eſt eſſe rata, & immutabili ratione nixa, tamen quia rebus humanis accommodari debent inconſtantibus, fluxis & caducis, neceſſe eſt modum proferendi ea temporibus aptari, occaſionibus applicari, opportunitatibus variari. Ibi diuina ſapientia, hic ſe humana imbecillitas exerit. Mundus eſt templum Dei. Quicquid in ipſo eſt, cultui diuino deſtinatum eſt. Imperium eſt ditio & habitatio Imperatoris, ſacra vt numinis, ampla vt magni regnatoris, tuta vt aſylum. Hic eius virtutes præcipuo cultu celebrantur vt numinum. Merito. Nam qui eſt pater patriæ, qui cura, affectu, effectu, ſubiectis vt proprijs liberis adeſt, quærit, proſpicit, hunc æquum eſt vniuerſorum erga ſe experiri animum gratiſſimum. Hoc eſt ipſi in aduerſis ſolatium, in proſperis gaudium, in dubijs hortamen, in ancipitibus incitamentum. Hanc æſtate meſſem metit, hoſce autumno fructus imperialis ſolicitudinis percipit. Denique:

Vt cœlum ac terras, campoſque liquenteis, Virgil. lib. 6. Æneid.
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra, &c.

Ita putandum eſt, Imperatorem eſſe illum ſpiritum, qui intus alit, intus vegetat omnem Imperij molem, quæ ſic animata eſt ἀγήρως καὶ ἄνοσος, nec ſenectutem nouit, nec morbos. Hæc eſt mens illa tanti corporis; hæc eſt illa rectrix tantæ molis; hæc eſt illa gubernatrix tantæ nauis; hæc eſt exploratrix omnium virtutum, inuentrix commoditatum, & procreatrix felicitatis publicæ. Sub huius tutela & omnia pericula depelli, & præſentia bona æternari poſſunt. Hæc illa ſunt, quæ per mundi ſpeciem, quod eſt culmen imperialis diadematis, ſignificari puto.

CAPVT VII.

Ex Libro X.

Diadema duplici ratione ſumitur, ab illo ipſo, cuius conceſſu vſurpatur, id eſt, cuius beneficio is, qui diadema accipit, Rex eſt. Aut permiſſu quidem maioris poteſtatis, ſed manu illius, qui illi miniſterio deſtinatus eſt; interdum vtriuſque. *Cuius manu diadema imponatur.*

Hæc vt diſtincte tractentur, aio illum, qui diadema accipit, eo facto profiteri ſe eſſe in ditione & clientela illius, à quo tantum munus accipit. At enim hoc prope inæſtimabile beneficium ſunt qui accipiunt ab vno Deo, nullius humanæ poteſtatis interuentu. Sunt qui & ab homine. Illi priores hoc tantum ad ſuam exiſtimationem pertinere intelligunt, vt, quorum manibus ſubleuati, atq; ad id faſtigij euecti ſunt, præmia perſoluant, vnicuique pro meritis. At ſupra ſe ſuſcipiunt neminem extra vnum datorem ſummæ poteſtatis, cuius vnius beneficio regnant. Poſteriores de ſe non tam magnifice ſentiunt, nec item tam ſublimiter incedunt, vt priores illi. Sed quod alieno permiſſu dominantur, vel ipſa forma accipiendi diadematis fatentur ſe eſſe in clientela maioris alicuius humanæ poteſtatis, more clientium. Et prioris quidem generis ſunt ſane pauculi, nempe Pontifex, Imperator ac Reges Europæ. Nullus horum, quod ſciam, nec nutum, nec iuſſa cuiuſquam moratur humanæ maieſtatis, ſed vnius tantum cœleſtis, ſummiq; regnatoris. Nam qui hodie quoſdam regum, aut etiam omnes audent conſtituere in ditione imperij, pugnant pro laruis. Viderint ſane, quibus rationibus nitantur. An non pluribus veriſſimiſque debilitentur. Redeo ad rem.

Pontifex, Imperator, Reges, & ſi quis alius eſt, qui per omnia ſit ſui iuris, diadema, notam ſummi culminis, accipit ab vno Deo, ſed manu hominis, hoc eſt, miniſterio illius, qui ipſi eſt pro miniſtro Dei. Ergo non alibi quam apud Deum, hoc eſt, in æde ſacra, quam vocamus Eccleſiam. Idq; ritu antiquiſſimo. Rex Iudæorum nullius iuſſu aut permiſſu regnabat, niſi vnius Dei. Ea re à nullo mortali donabitur inſigni regio, niſi ab vno Pontifice Maximo, qui tali loco ac re fungebatur vice eius, qui eſt Rex Regum. Hoc exemplo Ioam adhuc puerum, adſtante multitudine, à Pontifice maximo poſitum in loco edito, ibiq; regio diademate euinctum, oleo ſacro inunctum, regemq; & ſucceſſorem Dauidis renunciatum ſacræ hiſtoriæ ſcriptor memorat. Iam vero, cum diadema ſit nota, pignus, ſacramentum ſummæ curæ, pariſq; poteſtatis, atq; adeo cum euinciat caput Regis, quod eſt ſacrum & ſanctum, ſapienter eſt inſtitutum, vt ſacerdotali, ipſaq; adeo Pontificali manu imponatur. Ibi certe ſiue ſacerdos, ſiue Pontifex eſt pro Deo. Huc accedit, quod vni illi, qui ſacerdotio præditus ſit, fas eſt *Zonaras.*

contrectare ſacra, in quibus ſunt auguſtiores veſtes, & quantum eſt eorum vaſorum, quæ pertinent ad ſacra. At inſignia regalia illa dico, quæ aptantur perſonæ regnatoris ijs in locis, in quibus is multitudini ſe ſua maieſtate circumfuſus, aſpiciendum præbet, inter ſacra cenſeri video. Hæc inſignia, vt alibi dico, ſunt thronus, ſceptrum, diadema.

Diadema eſt inter vaſa ſacra.

a *Philo in* [illegible]

b *Curopal. de offic. Conſtant.*

Ergo [a] corona regia aut Imperatoria vix ab alio contrectatur, quam ab illo, cui id iuris in eccleſia conceſſum. In hanc ſententiam Curopalates, [b] vbi loquitur de ſtemmate Imperatorio, ait, *quoſdam dicere, inſigne Regis eſſe poſitum ſuper ſancta menſa. Sed non ita eſſe. Verum intus in ſancto ſolio contineri: & a diaconis ſacra geſtantibus afferri ad ſacrum ſuggeſtum.* Quibus è verbis, quod quidem ad venerationem pertinet, diſcimus, eandem eſſe rationem diadematis, & ſacrorum vaſorum. Id quod augendo cultui humanæ maieſtatis eſſe inuentum, fatendum eſt. Hac quidem ratione tam auguſta regum humana potentia ſancitur vi religionis. Duplici, inquam, vinculo conſtrictæ hominum mentes intelligunt, haud minus eſſe in regia dignitate numinis, quam quantum humanæ imbecillitatis aſpiciunt in perſona Regis.

Impoſitio diadematis eſt negotium religionis.

c *Plin. libr. 35. c. 15.*

Hinc conficimus, cum cuipiam diadema imponitur, totam rem eſſe religionis. Etſi enim ibi quicquid in aſpectum cadit, eſt caducum, tamē omne inſtitutum manat ab autore Deo, cuius vnius eſt coronare ſumma capita; qui ad eam rem adhibet manus illorum, qui ſeruiunt altari ſuo. Huc, opinor, ſpectauit antiquitas, cum numina à numinibus coronari finxit. Certe [c] Plin. memorat, *in delubro quod fuit Cyrici, artificem dicaturum fuiſſe eburneum Iouem, coronante eum marmoreo Apolline.* Hæc vera & intima cauſa eſt, quapropter Imperator à Pontifice Maximo, Reges quoq; ab ipſo, aut ab alijs pontificibus inſigniuntur aureo diademate, ſicuti manu Dei. Quippe id ea re fit, vt omnis ille imperialis, ſiue regiæ inaugurationis ritus in oculis vniuerſorum ſit auguſtior. Hoc exemplo Carolus cognomento Magnus, cum à Leone Papa renunciatus fuiſſet Imperator, ab ipſo Pontifice donatus eſt diademate Imperiali. Ludouicus item huius ipſius Caroli nepos, Lotharij filius, à Sergio II. Carolus à Iohanne IX. Berengarius à Formoſo; Otho à Iohanne XIII. Theophila & Iohannes vir eius ab hoc ipſo Iohanne IX. Henricus à Benedicto VIII. Conradus à Iohanne XXI. Ætate patrum Carolus V. Bononiæ à Clemente VII. Hoc eodem exemplo Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi hodie regnantium capitibus coronas imponunt in Eccleſia quiſque ſua. [d] Hoc ritu Sergius Patriarcha Heraclium, Euphemicus Anaſtaſium Dicorum, alij alios imperiali diademate euinxerunt. Hi ritus tam ſpectabiles & auguſti in oculis vniuerſorum peraguntur illa ipſa veneratione, qua quiſque rei ſacræ intereſt. Et hæc quidem eſt illa vſitata ſpecies, qua regnantium capitibus inſignia ſummæ fortunæ imponuntur à Deo, nempe manu antiſtitis. Iulianus [e] ſcribens Iudæis vult agi gratias Deo, [illegible], *qui mihi dignatus eſt ſua pura manu coronam imponere.*

d *Zon. in Heracl.*

e *Iulian. epiſt. ad Iud.*

f *Amm. Marcell. lib. 26.*

g *Paul. Diac. libr. 18. in Tib. Conſtant.*

Cæterum cum aio, Reges & Imperatorem coronari, eadem dico illis circumponi cætera ornamenta regalia & auguſtalia, qui vocabatur *habitus principalis, ſiue auguſtalis.* [f] Marcellinus de Valentiniano. *Mox principali habitu circumdatus, & corona, e Auguſtusque nuncupatus cum laudibus amplis.* De hoc habitu & ritu imperialis inaugurationis hæc Paulus Diaconus in Tiberio Conſtantino. [g] *Hic* inquit, *cum Auguſtalem coronam accepturus eſſet, eumque ſecundum conſuetudinem ad ſpectaculū cum populus expectaret, inſidias ei præparauit Sophia Auguſta, vt Iuſtinianum Iuſtini nepotem ad dignitatem imperatoriam ſublimaret. Ille per loca ſancta prius procedens, deinde ad ſe vocato Pontifice vrbis, cum conſulibus ac præfectis palatium ingreſſus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus in regni gloria eſt confirmatus.*

Tribus aut etiam pluribus coronis Imperator inſignitur.

h *Pontif. Rom. c. de tripl. Imp. coron.*

i *Amm. Marcell. lib. 22.*

Porro, vt hoc quoq; obiter dicam, non vna corona Imperator inſignitur, ſed [h] vt plurimum tribus, quandoq; quatuor & quinq;, vt accidit Friderico, autore Othone Friſingenſi: *Prima,* inquit, *de regno Francorum e Aquiſgrani.* Sed hanc ego coronam aſſimilo Domitiani triumpho de Germania. *Secunda Ratiſbonæ de regno Germaniæ.* Cuius regni nihil, quod ſciam, exſtat præter inane nomen. *Tertia Papiæ de regno Lombardiæ.* Et hic quoque vano titulo. *Quarta Romæ pro Romano Imperio.* Cuius ne vllum quidem niſi in libris veſtigium exſtat. *Quinta Modontiæ pro regno Italico, ſiue Longobardico. Et hæc appellatur ferrea propter quandam laminam ferream in ſummitate, quæ alioqui eſt aurea & precioſiſſima.* Hanc coronam inuenio fuiſſe è palea, cum illa, quæ accipiebatur Mediolani, eſſet ferrea. Et hoc quoque regnum Italicum mente concipi verius, quam manu tangi, aut oculis deſignari, vbi ſit, poteſt. Vere Iulianus loquens de inani purpura, [i] *ſine viribus maximis panni quid faciunt leues?* Ita ſine regnis, cui rei tantus verborum tumor, qui nihil concrepat, niſi regna, quæ nuſquam ſunt.

Conceptus, & nondum natus, quomodo coronatur.

k *Zonar. in Theoph.*

l *Agath. li. 4.*

Inter hæc diademata, quæ accipiuntur ab vno Deo, equidem cenſeo illud, quod regni ſiue adulto, ſiue puero, ſiue etiam concepto tantum, ac nondum nato primorum conſenſu, & ſtudijs multitudinis imponitur vt legitimo regni ſucceſſori. Et quidem quod pertinet ad regem quamlibet puerum coronatum, ſupra retuli exemplum Ioam. Cui addo [k] Michaelem filium Theophili Imperatoris, qui adhuc infans imperiali diademate euinctus eſt. De eo qui adhuc in vtero eſt, ſingulare exſtat illud apud [l] Agathiam, cuius ſupra memini. Nam Varatane Perſarum Rege defuncto, relicta vxore prægnante, magiſque firmantibus fore potioris ſexus, quod naſceretur, nullo, ne breuiſſimi quidem temporis interiectu, cidaris ventri imponitur; & ille, qui vix dum conceptus erat, Rex renunciatur. Et hæc quidem de ijs dico, quibus diadema non eſt munus cuiuſquam mortalis, ſed vnius Dei.

Apud

Apud quaſdam gentes in more poſitum fuit, vt non manu & miniſterio ſacerdotali, ſed viri alicuius & genere & factis maximi, cui id eſſet iuris hæreditarij, diadema Regi imponeretur. Certe Plutarchus [k] tradit, Surenæ ius fuiſſe, vt primus imponeret diadema Regi. Hoc ipſo [l] autore, amici Antigonum, parta à Demetrio contra Ptolemæum victoria, redimierunt nempe diademate. Quandoque diadema regi mittitur, vt miſſum eſt ab hoc ipſo Antigono ad Demetrium filium. Cuius rei plura exempla infra à nobis afferentur. Certe legimus [m] Gregorium Septimum Pontificem Maximum Rudolpho Imperatori miſiſſe coronam, in cuius lamina ſculpta fuerunt hæc verba:

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho.

Quidam coronati ſunt ab iis etſi non ſunt Sacerdotes, qui bus id hæreditario quodam iure conceſſum eſt.

k Plutar. Craſſ.
l Plut. Demet.
m In Vit. Imp.

CAPVT VIII.

HOmo homini Diadema imponit; nempe is, cuius beneficium regnum eſt, illi cui datum eſt. Quædam ſunt datori coniunctæ ſanguine perſonæ, quarum aliæ vocantur ad conſortium, aliæ ad ſucceſſionem ſummæ poteſtatis.

Deus, qui à maiori poteſtate diadema accipiunt.

Quæ admittuntur ad conſortium, eæ plerunq; [a] ſunt reginæ vxores regum, aut Auguſtæ coniuges Imperatorum. Eſther ab Aſſuero in coniugium aſſumpta regni inſignus viro æquata eſt, nempe diademate, & purpurea veſte donata.

Reginæ Regum coniuges diademata.

Ptolemæus [b] ad concionem vocato exercitu, capiti ſororis, eiuſdemque coniugis ſuæ diadema imponit, eamque appellat reginam. Mithridates [c] cum Mileſiam ſolicitaret ad ſtuprum, eique quindecim aureorum millia miſiſſet, abnuit ſe facturam, donec pacta coniugij tranſacta eſſent. Ei ergo Rex miſit diadema, eamq; renunciauit reginam. Sed infauſto hoc diademate ipſa poſtea iuſſu Mithridatis ſibi collum fregit. [d] Heraclius coronatus à Sergio Patriarcha Eudociam, quæ in manum ipſius conuenerat, diademate donat. Itaq; vterque eodem die nuptialem & imperialem coronam accepit, vterq; vna eademq; opera ad culmen imperatorium ſunt ſublimati. [e] Conſtantinus iunior repudiata vxore, duxit Theodoram ancillam eius, eamque Auguſtali diademate inſignem fecit. Leontia vxor Phocæ vna cum viro renunciata eſt imperatrix. Et hæc eſt illa ἀνάῤῥησις τῆς Λεοντίας τῆς γυναικὸς Φωκᾶ.

a Sulpit. Seuer. lib. 2. ſac. hiſt.
b Seuer. Sulpit. lib. 2. Sac. hiſt. Iuſtin. lib. 3.
c Plut. Lucul.
d Zon. Heracl.
e Platin. in Adria. I.

Tradit [f] Curopalates, oportere imperatricem coronari à proprio viro. Cuius honoris portio quædam matres quoque contingit.

Imperatrices plerunq; coronantur à proprio viro.

Hinc illud eſt, quod imperatrix mater Imperatoris renunciati, dum [g] talia ſolennia peraguntur, inibi aſpicitur inſignis diademate ſuo, nempe geſtans coronam, ac manu tenens ramum aureũ, qui in vertice & in inferiori parte habet margaritas & lapillos magnitudine ſpithamæ. Enimuero & imperatrices & reginæ hac ratione coronatæ cenſentur aſſumptæ in cõſortium ſummi culminis.

f Curopal. de offic. Conſtantinop.
g Phot. è Theoph. hiſt. n. 41.

Hodierno quidem die diadema Reginę neq; forma neq, pretio eſt infra illud, quod Rex ipſe geſtat, cum cæteræ coronæ manifeſtas præ ſe ferant diſcriminis notas; ſcilicet vt primo aſpectu quiſque nihil cunctatus intelligere poſſit, quodnam ſit diadema dantis, quod accipientis. Etſi in imperio Conſtantinopolitano aliud fuit in more poſitum.

De Imperatrice matre Imperatoris.

Ibi enim Curopalate autore imperatricis diadema ſpecie fuit diſtinctum à diademate Imperatoris. Id quod hodie in Europa ſecus fit. Nam quos Deus eodem coniugij vinculo conſtrinxit, vnico capitis inſigni nunc quidem vtuntur, quandoquidem dignitate cenſentur eſſe pares, & vxor mariti radijs coruſcat.

Hodie diadema Reginæ non differunt à Regio.

Antiquitas non minus Iunoni dedit coronam radiatam, quam ipſi Ioui. ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας τε φορέει, καὶ πύργον, καὶ κεστόν. [h] *in capite fert radios, turrim, & cingulum Venereum.* Et hac quidem ratione, hoc eſt, manu ipſius Regis aut Imperatoris, antiſtite præſente, regina aut imperatrix diadema accipit. Hic aduertendum id, quod Curopalates adnotauit, Imperatorem prius à Patriarcha accipere auguſtale ſtemma, nempe manu ipſius benedictum. Sic acceptum imponere capiti imperatricis. Ipſam ſic diadematam componere ſe ad cultum Imperatoris viri ſui, qui hinc ſciri vult, ipſam per hanc ſpeciem cultus, ſiue adorationis viro ſuo ſubiectam eſſe; etſi condecoratur ea corona, quæ vna eſt nota ſummæ dignitatis, cuius haud dubie ipſa conſors eſt.

h Lucian. de Syr. Dea.

Eadem ferme ratione filij, qui ſunt hæredes regiæ, ſiue imperatoriæ dignitatis coronantur à patribus, interuentu Pontificis. Illo quidem die, qui inaugurationi præſtitutus eſt, pater & filius apud Curopalatem eodem cultu conſpicui incedunt. Et de filio ait: ἐπὶ κεφαλῆς φέρει στέφανον φανερώτερον, vbi fortaſſe legendum φαιδρότερον. *coronam aliquam illuſtriorem.* Alibi hoc ipſum repetit, ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ οὐ συνηθισμένον τι φορεῖ, ἀλλ' ἢ στέφανον, ἢ ὅπερ ἂν τι οὖ δόξῃ, *at in capite ſuo non conſuetum aliquid fert, ſed aut coronam, aut aliquid aliud quodcunque libuerit.* Sed vt hic quidem conſtat, στέφανον non eſſe diadema imperiale, ſed coronam, qualem ipſi Imperatores quam ſæpiſſime geſtant, tamen alibi Curopalates diſertim tradit, Imperatorem imponere Domino, hoc eſt, filio ſuo primogenito coronam ornatam gemmis & margaritis, cui nomen στεμματογύριον.

Filii coronantur à patribus.

Nam & hocquoque non omittendum, inter ipſos Imperatoris filios eſſe haud paruum diſcrimen, vt nominum ac dignitatis, ita quoque coronarum. Hoc quoque fieri priſco more, diſcimus ex Liuio: [i] *Quod vnus*, inquit, *nomen regium & præcipuum capitis inſigne gerat, omnes fratres regnent.* Ergo quiſquis in Regis familia natus eſt, Regis inſigne capite gerit, ſed Rex præcipuum.

Corona filiorum Imperatorum diſtincta.

i Liu. lib. 35.

Cæterum coronam Dominus habuit propriam & peculiarem, ipſi imperatoriæ coronæ adfinem.

Domini corona.

Sebaſtocrato-ris & Cæſaris corona.

Sebaſtocratoris item ac Cæſaris diuerſa ſunt capitis geſtamina. Nam illius corona vnam tantum habet apſidem, nempe in anteriori eius parte. Vnde colligere licet, coronam Domini pluribus apſidibus eſſe conſpicuam, hoc eſt, imperatoriæ proximam, aut etiam ſimilem. At Cæſaris, hoc eſt, tertij filij coronam nulla apſide fuiſſe notabilem, vt qui ab imperiali culmine fratribus eſt remotior.

k Martian. Capell lib.1.

Certe ternio ille fratrum, qui rerum vniuerſitati imperarunt, diuerſis coronis conſpicui finguntur. Et quidem Iupiter, vt alibi dixi, coronabatur vt ſummus Regum. *At Neptunus & Pluto eius minores fratres in capite vterque,* [k] ait Martianus Capella, *dominandi ſertum pro regni conditione geſtat. Nam vnus albidi ſalis inſtar candidum, atque ſpumarum caniciæ concolorum; alter habenam, ac tartareæ noctis obſcuritate fuſceſcens, qui quidem multo ditior fratre, & ſemper eorum, quæ gignuntur, conquiſitionibus opulentus.* Etſi hæc capitis inſignia inter naturales coronas, de quibus egi, merito reponi poſſunt. Redeo vnde diuerti, & aio, Imperatorem Patrem domino hæredi ſuo imponere coronam imperialem vt Imperatori deſignato, eo ritu, quem Curopalates deſcribit his verbis: *Adeſt Rex, & pater eius, ipſeque Patriarcha, Qui capto ſtemmate illud imponunt capiti noui Regis, ſiue Imperatoris. Quod ſi pater eius non adeſt, hoc munere ſolus fungitur Patriarcha.* Et hæc quidem de ritu imponendi coronas Reginis & filijs Regum & Imperatorum.

II.

HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCENSIS, AD CAROLVM QVINTVM IMPERATOREM DE CORONATIONE,

LIBER VNVS.

AMPLISS. P. L. CARD. S. QVATVOR, LEANDER ALbertus Terræ Sanctæ Prouincialis, SAL.

TVO iuſſu, ampliſſ. P. ac ex animi mei ſententia Hieronymi Balbi Antiſtitis Gurcenſis, viri vndecunque literatiſſimi, libellum ad Carolum V. Imperatorem de Coronatione *perlegi: qui dum triplici Corona Cæſaris caput admittitur cingere, non minori laudis gloria ipſe redimendus eſt, quam olim in Olympiaco certamine victores coronabantur. Quam belle eſt videre in hoc opuſculo multimaga eruditione referto, acrique ingenio elucubrato, Balbum noſtrum: at non balbe, ſed diſerte, ſed terſe loquentem: vt lectorem oblectet, capiat atque teneat, tam dicendi lepore, quam ſententiarum grauitate. Porro actioni verba quadrant, & verbis ſenſus: & ſenſui, verbis, ac actioni omnia correſpondent. Multis quidem peruestigatio ac rerum cognitio data eſt: ſed ſenſuum explicatio paucis. Verum vtrunque in Balbo noſtro inuenies, atq; vtinam eius cætera opera in lucem prodeant, vt eruditionem ſimul & voluptatem ex eorum lectione capere valeamus. Hoc, ampliſſ. pater, tibi ſignificandum duxi, vt meum, quantulumcunq; eſt de hoc opuſculo, pro Coronatione Cæſaris edito, iudicium afferrem: quod omnibus eruditis (modo abſit inuidia) probatum iri exiſtimo. Vale ampliſſ. pater, Leandri tibi deditiſſimi memor. Ex ædibus diui Dominici, xv. Kal. Mar.* M.D.XXX.

INDEX RERVM, QVÆ CONTINENTVR IN HOC de Coronatione libro.

Ad Carolum V. Imperat. ſemper Auguſtum Præfatio pag. 5
Ad ampliſſ. patrem Garſiam de Loayſa Epiſcopum Oxonien. huius libri Argumentum 9
De primo ortu & inuentione Coronarum, multiplicique earum vſu 12
Quæ fuerint olim Regum inſignia, & de inſtitutione coronandi Reges, Imperatores atque Pontif. 14
Vnde ortum ſit, vt Imperatores tribus coronis coronentur, & an Imperium ſit immediate a Deo, an vero à Pontifice 16
Quibus rationibus legum interpretes nitantur oſtendere à ſolo Deo ius & poteſtatem Imperij deriuari 19. & 20
Argumenta, quibus canonum profeſſores aſſerere ſtudent, omnem Imperatoris autoritatem à Pontifice emanare 22
In hac materia neq; legibus, neq; canonibus eſſe ſtandum, & quid diuus Tho. ſuper his ſenſerit 26
Ex translatione Imperij a Græcis in Germanos quid iuris acquiſierit eccleſia 29
An ſicut vniuerſus terrarum orbis ſubeſt Pontifici quo ad ſacra, ita ſubſit Imperio, quo ad prophana 31
Cum Imperium a violentia cœperit, quomodo dicatur eſſe à Deo 32
Cur ad Romanos Imperium fuerit delatum, quantaque ſit eius ſublimitas 36
Vter maior præſtantiorque ſit, Pontifex an Imperator? 38

Papæ ac Imper. poteſtatem eſſe diſtinctam, nec alterum in alterius iuriſdictionem ſe ingerere debere 41
Quale fuerit olim Imperium, & vt primus ſucceſſione, deinde per electionem delatum ſit 46
Quomodo olim deferebatur Pontificatus, & quæ in ea re fuerit Imperatorum autoritas 49
Vnde euenerit, vt mutato vetere inſtituto, Imperator confirmetur a Pontifice 51
Imperium à Græcis, ad quas nationes fuerit translatum 54
An ex ſola electione Cæſar ius plenum imperandi conſequatur 58
Rationes quibus conuincitur ſine confirmatione Imperatorem ſummam poteſtatem habere 62
Conſtitutio Ludouici Bauari Imperatoris de imperii iuribus 64
Ex coronatione nihil noui iuris Cæſaribus accedere 68
Nihil admodum referre, Romane aurea corona, an alio quouis in loco accipiatur 71
De Chriſtianis Imperatoribus, & quid Conſtantinus eccleſiæ Romanæ contulerit. 79
Poſt mortem Conſtantini, ad quos Vrbis Romanæ principatus deuenerit. 82
De munificentia & benignitate Caroli Imp. aduerſus Sedem Apoſtolicam Italiamque vniuerſam 86

HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCENSIS AD CAROLVM V. IMPERATOREM SEMPER AVGVST. in Librum de Coronatione,

PRÆFATIO.

OMNIVM, qui vel in ciuili negocio, vel in veri perſpicientia verſantur, vna eſt ſtabilis, fixaque ſententia. Nihil magno & excellenti principi neq; charius, neq; antiquius eſſe debere, quam rerum à ſe geſtarum, & ſuæ virtutis gloriam in omnem memoriam propagare. Quid enim eſt magis Principis, quam omni ſtudio ſequi amplexariq; virtutem? At laus nihil aliud eſt, quam ea ſignificatio, per quam amplitudo magnitudoq; virtutis declaratur. *Laus quid.* Nec ſatis perfectus, omnique numero ſapiens ille eſt habendus: qui, licet præclaris actionibus delectetur, ſinit tamen eas in obſcuro deliteſcere, & tanquam talentum (quod Euangelica lege prohibetur) in terram defodit. Nam ſi mens Principis quicquid agit, meditaturue, debet ad diuinæ mentis ſpeciem referre (quam Plato Ideam vocat) & illa velle, & cupere, quæ diuinarum rerum præ ſe ferunt imaginem. Qui gloriam illam diuinam concupiſcit, nec hanc quidem humanam contemnere debet: quæ rerum præclare geſtarum eſt vel præmium, vel teſtimonium. Quod ſi vlli vnquam ex omnibus mortalibus, tibi vni maxime ea laus debetur, quam nulla ſimulatio effingat: ſed ſincerus animus exprimat, veritas ſuggerat, pietas effundat. *Caroli V. laus.* In quo adhuc iuuene (mirum dictu) eiuſmodi Imperatoriæ virtutes elucent, quas vix longo confecti ſenio, Neruæ, Traiani, Antonini, & cæteri, quos vetus memoria commendat, nanciſci potuerunt. Quid tuam referam magnanimitatem? quid inuictum animi robur? quid tolerantiam? quid conſtantiam? quid rurſus politicas illas virtutes, ſine quibus nullus vnquam clarus Imperator euaſit, iuſtitiam, prudentiam, manſuetudinem, clementiam, temperantiam, abſtinentiam voluptatum omnium? Tu vnus oſtendiſti in præcoci virtutum curſu ætatem non eſſe expectandam: qui (vt frequenti ſermone vſurpare ſoleo) virtute prius ad Imperium, quam annis maturuiſti. Cum à prima vſque adoleſcentia rebus in maximis fortiter, innocenterque verſatus, nihil vnquam degenerans, fœdum turpeue commiſeris: nihilque quod non omni ex parte ſit honeſtum, pulchrum, admirabile, aut agis, aut cogitas. Quod vero geſſeris bella maxima, maximeque periculoſa: quod exigua manu ingentes ſæpe copias fuderis, quod de ſuperatis & domitis hoſtibus, egregios triumphos reportaris, hæc tibi cum quibuſdam communia ſunt. Tam frequens autem Dei cultus, tam inconcuſſa religio, tanta in ſubditos clementia, in familiares benignitas, in afflictos miſericordia, iuſtitia in omnes, neſcio, an vlli vnquam antiquorum contigerint. Adde illam, qua in primis excellis innatam, peculiaremque prudentiam, qua duce & auriga & agere, & obire omnia conſueſti. Quis ſecundis minus intumuit? quis aduerſis magis erectus? quis eſt repertus in vtraque fortuna præſtantior? in labore pertinacior? in remiſſione diligentior & cautior? Quod ſi Socraticus ille Xenophon iterum reuiuiſcat, Cyro Perſarum Rege prætterito, te vnum ſibi deliget, ad cuius exemplum perfecti Regis, atque omnibus numeris abſoluti ſimulachrum effingat: quippe cum in te vnum confluant omnia, quæ ille in ſuo Cyro non tam cernebat, quam optabat: vtpote qui in eo celebrando ad votum potius, quam hiſtoriam, orationem accommodarit. Quod tuus iſte in Italiam aduentus maxime declarauit: vbi tria, nulla poſteritate obliteranda, peregiſti. Primo fama illa, quæ paſſim inualuerat, tuo iuſſu atque Imperio, Vrbem Romam eſſe direptam, & ruinis deformatam, penitus eſt extincta: cum plane declarat aueris, te nihil pluris facere, quam Sedis Apoſtolicæ decus & dignitatem. Deinde cum rumor increbuiſſet, te paratum aduenire: vt vniuerſam Italiam Martis vi, & armorum terrore compleres, vltro pacem non minus ſalutarem, quam inſperatam omnibus obtuliſti, ardentiſſimaſque bellorum faces, præter omnem omnium opinionem ſubito extinxiſti: plus nimirum laudis ex Italia pacata, quam domita & euicta reportaturus. Poſtremo, ſi qui prius in te animo fuerant alieno, pietate, modeſtia, manſuetudine, ita omnes in tui admirationem attraxiſti, vt te velut numen de cœlo miſſum, non minus colant, quam vereantur. Atque vtinam tantum in me eſſet vel ingenii, vel eloquentiæ, vt hæc, non dico augere, ſed

re,ſed vel ſatis digne attingere poſſem: vt ſi mea quantulacunque induſtria tibi & maioribus tuis aliquando vſui fuit, hac ingraueſcente ætate, in tuarum laudum, rerumque non minus ſapienter quam fortiter & fortunate geſtarum, commemoratione acquieſcerem. Hactenus tamen nihil neque agendo, neque ſcribendo prætermiſi, quod ad hominis tibi deditiſſimi, atque obſequentiſſimi officium pertineret. Et hoc ipſo tempore, quo vna cum Clemente VII. Pontif. Maxim. qui non minus re, quam nomine, CHRISTI veram & expreſſam refert imaginem, ea conſulis & molitis, quæ ad Chriſtianam Rempubl. labantem, ac pene collapſam, rurſus erigendam, & in priſtinam dignitatem vindicandam, maxime facere videntur. Libellum quendam exaraui, quo (ni fallor) quanta ſit imperij dignitas, & maieſtas, quantaque tua in ſedem Apoſtolicam, & vniuerſam Italiam beneficentia, ſi non ornate, attamen dilucide declaraui. Tu munuſculum hoc, velut meæ in te obſeruantiæ, & pietatis pignus, hilari & ſereno vultu accipies, & ſi minus eloquentiam approbabis, fidem certe integritatemque non aſpernaberis.

Clemens. VII. laus.

AMPLISS. PATRI GARSIÆ DE LOAYSA EPISCOPO OXONIEN. & Cæſaris confeſſori, in librum de Coronatione Argumentum.

CVM te viſendi & ſalutandi cauſa nuper adijſſem, videreriſque à maioribus curis expeditus: inter nos ortus eſt ſermo de ea, quæ omnium in ore verſatur, Coronatione: ſuper qua cum multa vltro citroque commentaremur, eo deducta eſt oratio, vt ex recentis memoriæ annalibus retulerim, quatuor fuiſſe Cæſaris noſtri proauos, qui continuata ſerie in Imperium ſucceſſerunt. Quorum duo, Sigiſmundus & Federicus nihil antiquius habuere, quam Coronæ adipiſcendæ gratia Romam vſque magnis itineribus proficiſci: Duo vero reliqui, Albertus ſcilicet, & Maximilianus, ſiue quod rem totam parui fecerint, ſiue quid aliud in cauſa fuerit, id munus neque appetere, neque oblatum ſuſcipere curarunt. Quibus à me narratis, duo percontatus es: Vnum, an hæc ipſa Coronatio ad Imperii iura capeſcenda, ſtabiliendaque aliquid afferat: Alterum, an his inſularum ſolennibus ita præfixus & conſtitutus ſit locus, vt alibi quam Romæ fieri nequeat. Quemadmodum nec Feriæ Latinæ, niſi in monte Albano: nec ſacra Paraſceues, niſi Hieroſolymis celebrare fas erat. Ego cum ad vtrumque explicandum me minus paratum viderem; quod ea ſtudia iampridem intermiſerim, quæ niſi aſſiduo vſu exercitationeque alantur, è memoria prorſus euaneſcunt, in aliud tempus reſponſum diſtuli. Sicque à te diſceſſi, vt mox in Bibliothecam diui Dominici me receperim: vnde non prius ſum egreſſus, quam euolutis grandibus quibuſdam iuris Cæſarei, ac Pontificij voluminibus; adhibitoque ampliſſimi patris L. Cardinalis Sanctorum Quatuor, viri ad omne officium expoſiti, & de Cæſaribus noſtris quam optime meriti, conſilio atque iudicio, hunc confecerim ſiue commentarium, ſiue farraginem, ſiue Centonem malueris appellare; in quo nihil penitus eſt meum, præter operam, quam nauaui, vt ea, quæ carptim, & vt quiſque liber in manus venerat, celeri calamo exſcripſeram, in vnum veluti corpus effingerem, & totidem verbis eadem ipſa redderem. Nam vt apud veteres iuriſconſultos, qui vel vna ſyllaba à præſcripta actionis formula cadebat, tota cauſa cadebat; Sic mihi cautum volui, ne tranſuerſa quidem linea in alienis ſcriptis afferendis, atteſtandiſque aberrarem. Boni itaque conſule, ſi qua forte hic verba reperias, nec Latina Moneta percuſſa, nec Ciuitate donata: id enim feci non tam Latini ſermonis inopia (licet & id quoque) quam vt ſenſus planior, explicatiorque reddatur; ſperoque fore, vt quantum mihi laudis adimet eloquentia neglecta, tantum gratiæ conciliet veritas patefacta. Duo vero in cauſa ſunt, cur hanc paucarum horarum lucubratiunculam tuo nomini dedicarim, & quod à te hæc omnis diſputatio eſt nata, & quod vbi colluctantium inter ſe iuriſconſultorum ſententias recenſui, ad diuum Thomam, cui non minus pietate, quam ſapientia proxime accedis, tanquam ad ſacram Anchoram confugio. Quocirca tuo grauiſſimo iudicio, exactiſſimæque cenſuræ, cuius omnis doctrina ex vberrimis Diui Thomæ fontibus emanat, hoc quicquid eſt commentationis, ſubijcio: ad quam explicandam, vt commodior mihi aditus detur, quædam de origine, & vſu Coronarum paulo altius repetam.

CAPVT I.

De primo ortu & inuentione Coronarum, multiplicique earum vſu.

SCRIBIT Athenæus, diligens antiquitatis indagator, à veteribus coronam in honorem repertam, ob capitis dignitatem. Quod in hoc initium ſenſuum & principatus conſiſtat: & vbi (ſi quid Platoni credimus) tamquam in humani corporis arce, eam animi vim, quæ mens ſiue ratio dicitur, Natura collocauit. Sed Liberum Patrem omnium primum capiti ſuo coronam ex hedera impoſuiſſe, Author eſt Plinius. Poſtmodum earum vſus apud Græcos Romanoſque fuit adeo frequens, vt & in ſacrificiis, & victorijs, & in ſacris certaminibus adhiberentur: eoque progreſſa eſt ambitio, vt etiam in commeſſationibus & conuiuijs diſcumberent coronati. Dabantur quoque honoris cauſa, & ab vniuerſo exercitu Imperatori. & viciſſim ab ipſo Imperatore his, qui in acie egregio aliquo facinore claruerant, nonnunquam & à ſenatu populoque Romano, Vnde in libris Pontificijs Cæſareiſque proditum eſt, quandoque coronam

dari

dari in ſignum imperii, vt in *c. Venerabilem. de elect. l. bene à Zenone. C. de quadr. præſcrip.* Quandoq; in ſignum induſtriæ, & præmii militaris, vt 1. *deſ. c. ius militare.* Quandoq; in ſignum ſpiritualis victoriæ: vt *de renun. c. niſi.*

Triplex autem earum genus à Theophraſto enumeratur, ex floribus odoriferis, ex floribus ſine odore, ex arborum ramis frondibusq;. At Craſſus cognomento diues quartum adinuenit, qui primus Coronas argento auroq; folia imitantibus ſuis ludis exhibuit: mox creſcente luxu, repertum eas ex ſolido auro conflare, interdum etiam gemmis vnionibuſque intertexere. Inditum vero eſt cuiq; coronæ nomen ex eo vſu, ad quem fuerat comparata, vt Triumphalis, quæ triumphanti dabatur ex Lauro intertexta, quoniam ea arbor eſt lætitiæ victoriarumq; prænuncia. *Obſidionalis*, quam liberati ab obſidione liberatori porrigebant, facta ex gramine, inde ſumpto, vnde obieſſos ſeruaſſet: quippe cum certiſſimum apud antiquos victoriæ ſignum eſſet, victos victori porrigere herbam terra euulſam. *Ciuica* quam ciuis ciui, à quo ſeruatus fuerat in prælio, teſtem vitæ ſalutisq; retentæ dabat, ex ilice quercuue conſerta. Erant præterea *Corona Ouales*, erant & *Murales*, & *Caſtrenſes*, & *Nauales*, & ſi quæ aliæ. Sed nulla fuit nobilior, maiorisq; in maieſtate populi Romani honoris & gloriæ, quam *Graminea. Gemmata, Aurea, Triumphales, Ciuica*, poſt hanc fuere: cæteras Imperatores dabant militibus, hæc ab vniuerſo exercitu ſeruato, ſeruatori ſuo offerebatur: interdum & à ſenatu, populoque Romano: vt Fabio Maximo, Annibale ab Italia pulſo: deinde & Auguſto, Iano clauſo, pace terra marique parta. Nullus vero fuit vetuſtioribus ſeculis Coronæ regiæ vſus, licet Tiara tam reges, quam ſacerdotes Perſarum vti conſueuerint, & Mitra Meonii, Syrii, Phrygii, ac Lydi: quam hodie Pontifices adhibere ſolent, cum rei diuinæ operantur.

Triplex coronarum genus à Theophraſto.

Triumphalis corona.

Obſidionalis.

Ciuica.

Oualis.

Muralis.

Caſtrenſis.

Naualis.

CAPVT II.

Quæ fuerint olim Regum inſignia, & de inſtitutione Coronandi Reges, Imperatores, atque Pontifices.

INſignia Regum erant *Sceptrum*, in quo iuriſiurandi religio inerat: & *Sella*, cui alteri, quam regi inſidere capitale fuit: & *Trabea*, veſtis in auro purpuraq; intertexta. Quæ duo ſummus vetuſtatis obſeruator vno verſu amplexus eſt Maro:

Et ſellam regni, trabeamq; inſignia noſtri.

Qui illa quoque ſuperiora pari breuitate perſtrinxit.

Sceptrumq; Sacerq;, Tiara.

Sceptrum.

Sella.

Trabea.

Sed præ omnibus *Diadema*, id eſt, faſcia linea & candida, quæ Regum capita cingebat, inuentum (vt puto) quod Ægypti, & Iudææ reges inungi ſoliti, tempora oleo delibuta linteolo velarent: licet Plinius referat Liberum Patrem primo Coronam lauream faſcia candida illigaſſe. Legimus Alexandrum quandoque ſibi Diadema detraxiſſe, vt vulnus quod in fronte ceperat, Lyſimachus obligaret: quæ res portendit illi regnum, quo mox Alexandro vita functo eſt potitus. Quibus autem fluctibus & procellis regium nomen ſit expoſitum, Rex ille palam fecit, qui Diadema manibus pertractans exclamauit: *O nobilem potius quam felicem pannum, ſub quo quantum ærumnarum lateat, ſi quis ſcierit, ne humi quidem iacentem tollet.* At Gn. Pompeio inuidiæ fuit, quod faſcia crus obligatum haberet vlceris cauſa, quaſi regni affectati indicium præferret: quod Fauonius ei exprobrans, *nihil* inquit *refert, qua parte Diadema geras.* Nec aliud, vt Reges Corona inſigniantur, initium fuiſſe puto, quam quod ſenatus, populuſq; Romanus, aut Reges in amicitiam ſocietatemq; receptos: aut quos ex priuatis ad regale ſolium extulerant, aurea corona (velut id eſſet amicitiæ, fœderisque pignus) donare conſueuerant. Quapropter, cum ſuum omne ius populus Romanus in principem transfuderit, ambigi ſolet, an oporteat Reges ipſos, quo in ſui quiſq; regni ſolio ſtabiliatur, ab ipſo Imperatore Corona donari: id quod glo. c. in ſynodo. 63. diſtin. affirmare videtur: licet in *ca. in apibus. 7. q. 1. & in c. venerabilem*, aliter ſenſerit. Sed nec coronandi Pontificis conſuetudo admodum eſt vetuſta: Olim à clero, populoq; Romano Pontifices electi (vbi interceſſerat Imperatoris autoritas) Cathedræ diui Petri inſidebant, nullis aliis ceremoniis adhibitis. Demum increbuit vſus in hunc diem obſeruatus, vt ſimul ac quis deſignatus eſt Pontifex, inter miſſarum ſolennia per Præſulem Hoſtienſem coronetur. Cæſarum quoq; Coronatio prioribus ſæculis ignota fuit. Siquidem Otto, ex Imperatoribus primus, traditur à Ioanne 12. Corona donatus, accepto *Germaniæ Pannoniæq;* titulo; quod reliqui Imperatores deinceps obſeruarunt, translato tunc primum (vt quidam tradunt) ad Germanos Imperio: quamuis alii à Leone 8. vt in *d. c. in ſynodo.* alii à Gregorio V. id factum autument, de quo mox plura.

Diadema.

Coronandi pontificis mos vnde.

Coronatio Cæſarum.

CAPVT III.

Vnde ortum ſit, vt imperatores tribus Coronis coronentur, & an Imperium ſit immediate à Deo; an vero à Pontifice.

MIhi vero ſacrorum vatum monumenta exactius perſcrutanti, videri ſolet non tam humano; quam diuino ab inſtituto Imperatores Argentea, Aurea, ferreaque Corona inſigniendos eſſe, ad exemplum ſupremi terræ cœlorumque Regis Ieſu Chriſti, quem ſacræ deſignant literæ, his tribus Coronis ornatum. Argentea, vt Zacha. 5. *Sumes*, inquit, *argentum, & pones in capite Ieſu*: Ferrea

Corona Argentea.

Ferrea. Aurea. vt in lib. Regum ſub imagine Zedechiæ, qui ferream ſibi fabricauit Coronam: Aurea, in Apocalypſi: *Vidi*, inquit, *ſupra nubem filium hominis, habentem in capite ſuo Coronam auream.* Nam fabuloſum eſt illud, & ſane perridiculum, quod interpretes cominiſcuntur. *C. de indictio, lib.* 10. tribus ſcilicet Coronis Imperatorem decorari, æmulatione populi Romani, qui triplici luſtro condendo, primum auro, deinde argento, poſtremo ære honorabatur. *Allegoria tripicis corona.* Quidam hoc triplex infularum genus ad neſcio quas allegorias & myſteria referunt, atq; aiunt, Imperatorem primum argento coronari, vt intelligat ſe oportere eſſe purum, nullaq; labe pollutum. Vnde & veteres vocarunt argentum purum, putumq;: deinde ferro, quod ſignificat tantum virium ei ineſſe debere, vt in Longobardia (olim Gallia Giſalpina) hoſtes deuincat, eiiciatq;, totam deniq; Italiam ex infeſtiſſimorum tyrannorum manibus eripiat. *l. in nomine domini. ff. de offi. præfe. præ. Afr.* Poſtremum Romæ auro inſigniri, quia ſicut aurum perfectiſſimum eſt, ac precioſiſſimum metallorum, ita Imperator in Vrbe Roma, quæ eſt Imperii caput, ſupremum aſſequitur perfectionis gradum, nihilq. ad eius ſublimitatem addi poſſe videtur. *l. 1. Cod. de offi. præf. augu.* *E cœlo de lapſa triplicis coronæ inſignia.* Cæterum hæc tria Coronarum inſignia velut è cœlo eſſe delapſa hi potiſſimum affirmant: qui Romanum Imperium putant à ſolo rerum omnium opifice, ac moderatore Deo emanaſſe, nec vlla ratione ad Pontifices eſſe referendum. Pro qua ſententia *Iuris Cæſarei interpretes.* pugnant fere omnes Cæſarei iuris interpretes, quorum ſunt velut anteſignani, Bald. *l. 1. Cod. de ſum. tri.* Bar. *l. 1. ff de requi. re.* & Alb. d. *l. bene à Zenone*, & idem Bar. in *extra. ad reprimendum.* Muniunt ſe præſidio authentici *quo mo. opor. eps. col. 1. & auth. de fide inſt. col. vi.* vbi declaratur Deum de cœlo Imperium conſtituiſſe, vt difficilibus legem imponat. *Pontificii iuris interpr.* In eiſdem quoque ſubſelliis verſantur pleriq;, quos pro contraria factione ſtare putes, & præſertim Innoc. Papa, quo nemo ſincerius, incorruptiusue ſacrorum canonum fontes reſeruauit, in *c. licet ex ſuſcepto. de fo. compe.* & Archi. xcvi. *diſt. c. duo ſunt. c. ſi Imperator. c. cum ad vnum.* Hoſtien. in *ſumma. de appella.* §. *quoniam.* Hos vt à ſuis deficiant, & velut transfugæ in aliena caſtra demigrent, imprimis compellit autoritas diui Auguſtini, *D. Auguſtin.* aſſerentis ipſa iura per Imperatores & rectores ſeculi Deum diſtribuiſſe humano generi. *c. quo iure. diſtin.* 8. Cui aſtipulatur Ioannes Papa. c. ſi Imperatori. 96. diſti. *Si*, inquit, *imperator Catholicus eſt, habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ admirandis legibus publicis diuinitus eſt conſequutus*, Et mox adiungit, *Ne contra Dei beneficia pugnare videatur, à quo propriam conſequutus eſt poteſtatem.* Quid quod in *c. quæſitum. 23. q. 4. & d. l. in nomine domini*: diffinitur, Iura imperii à cœleſti numine tradita eſſe: namq, Imperium ſequitur Deum: vt in *authen. de digni. col. vi.* Idcirco Imperator appellatur Pater omnium poſt Deum, *authen. vt ex exac. inſti. do. col. 7.* *Ex teſtamento veteri. Ex nouo.* Ad hæc ſtabilienda pleraq; afferunt veteris nouiq; inſtrumenti teſtimonia, vt illud Prouerbiorum. c. 8. *Per me reges regnant*: & Pſalmographi, *Deus iudicium tuum Regi da*: atq; id generis alia. Inſuper illum locum ex 1. Petri epiſtola, *Deum colite, Regem honorate.* Item & illum, *Subditi eſtote omni poteſtati, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue Ducibus ab eo miſſis. c. ſolitæ. de maio. & obe. c. magnum. 11. q. 1.* Nec parum facit diui Pauli autoritas in *D. Ambro.* Epiſtola ad Romanos: *Non eſt* inquit *poteſtas niſi à Deo.* & Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo c. conuenior. 23. q. 8.* vbi diuus Ambro. quæ Cæſaris, quæue Pontificis partes ſunt, luculentiſſime recenſet.

CAPVT IV.

Quibus rationibus legum interpretes nitantur oſtendere, à ſolo Deo ius, & poteſtatem Imperii deriuari.

Ratiocinatio dialectica. AD tot teſtes accedit ratiocinatio hæc, ex intimo Dialecticorum artificio deprompta. Cum duorum eſt idem per ſe principum (Quod *immediatum* noſtri temporis philoſophi vocant) neutrum ab altero dependere poteſt. Sed Papa, & Imperator cenſentur eiuſmodi, alter igitur ab altero nequaquam dependet. Primum ſumptum, neceſſitatem habet: cum eius contrarium ſubſiſtere nequeat. Secundum ex his elicitur iuribus. quæ iamdudum in medium attuli, ex quibus colligi volunt Imperatoris poteſtatem à Pontificia eſſe omnino ſeiunctam, & diuiſam: neutramq; ab altera pendere, cum ab eodem principio ortum habeant, & vtriq; ſuo ductu, ſuiſq; auſpiciis rem communem gerant. Quod hoc quoq; connexo ſtabiliri poteſt: Quæ diuerſa ſunt inter ſe, & diuerſos ad fines tendunt, alterum ab altero non dependet, ſed vtrumq; ad tertium quippiã eſt redigendũ. *l. 2. ff. de ver. obli.* Sed poteſtas ſpiritalis, poteſtasq; ſecularis ſunt diuerſa inter ſe, & diuerſos ad fines tendunt. c. duo ſunt 96. diſt. vnde conficitur neutrum ab altero pendere, ſed vtrunq; à tertio quopiam, id eſt, à mundi opifice Deo prouenire. Præterea Moſes, & Aaron expreſſam Chriſti imaginem referebant: vt Deut. c. 18. *Prophetam*, inquit. *ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, & erit ſimilis mihi*, & *Moſes & Aaron Chriſti typus.* Exod. c. 18. *Applica quoq; ad te Aaron fratrem tuum cum filiis, vt ſacerdotio fungantur mihi.* Sed Moſes vt Legislator, Aaron vero vt ſummus ſacerdos eam imaginem referebant. Vnde qua ratione Papa tanquam ſummus ſacerdos, Aaronis officio fungitur, eadem Imperator, vt legislator locum Moſe obtinet, vt *c. trans. extra, de conſti.* Ex quibus plane conuincitur, non alterum ab altero, ſed vtrunque à ſolo Deo manare, quemadmodum Moſes & Aaron à cœleſti numine ſuam vterque poteſtatem accepit. Eo accedit, quod iure gentium diſcretæ ſunt gentes, regna condita, & dominia diſtincta. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. *Petrus de Anch.* His ductus rationibus Petrus de Ancha. vir miræ pietatis (ſed qui ita religionem eſt amplexus, vt ab inani fuco, & ſuperſtitione fuerit omnino alienus) oſtendit regna eſſe de iure diuino, deinde gentium, copioſiſſime que id exequitur in *conſil.* ſuo 311. & 341. Quod ſi etiam demus Papam & dignitate & autoritate Imperatori eſſe præferendum, nihil tamen prohibet dicere, vtrunque à Deo ſeorſum, & nullo medio interiecto, proficiſci: cum omnis poteſtas à

cœle-

cœleſti aula deriuetur. *c. omnibus. 24. q. 1. c. magnum. 11. q. 1. ca. ſolita de maio. & obe.* Vere & apposite Seneca in libro de Clementia, perſonam Cæſaris induens, ita loquitur: *Ego ex omnibus mortalibus placui electus, qui ſim in terris vt deorum vice fungerer, in mea poteſtate eſt qualem quiſq; ſtatum ſortemq; habeat: quos reges mancipium fieri, quorumq; capiti regale decus circundare oporteat.*

Seneca.

CAPVT V.

Argumenta quibus canonum profeſſores aſſerere ſtudent, omnem Imperatoris autoritatem a Pontifice emanare.

ADuerſus hos Cæſareæ dignitatis aſſertores, quidam non minus in hac diſputandi palæſtra exercitati, omnibus neruis perſuadere nituntur, omne Imperii robur & facultatem à ſummo Pontifice deriuari: freti præcipue autoritate Pſal. 135. vbi ſcriptum eſt, *Qui fecit luminaria magna, Solem in poteſtatem diei, Lunam & Stellas in poteſtatem noctis.* Per quæ ſignificari volunt ſacerdotium, & Imperium: vt Sol videlicet ſacerdotium deſignet, Luna Imperium demonſtret. Vt autem Luna omne lumen à Sole mutuatur, nec aliunde quam ex eius radiis eluceſcit; itidem Imperialis maieſtas ſplendere nequit, niſi Pontificis fulgore illuſtrata. Hi pro comperto habent, vtrunq; gladium penes Eccleſiam eſſe: cum Apoſtoli, qui totius eccleſiæ perſonam ſuſtinebant, intrepide protulerint, *Ecce gladii duo*: nec Chriſtus eos vt ſuperfluos excluſit, ſed reſpondit, *ſufficit*: & cum Petrus gladium perſtringeret, nequaquam iuſſus eſt eum abiicere: ſed in vaginam recondere, quaſi vſum prohibens, non imperium auferens. Quæ enucleatius explicat And. Siculus. *c. nouit. de iudi.* Ant. de Butr. in *c. per Venerabilem, qui filii ſint legitimi.* Auguſtinus Anconitanus in libro qui eſt ab eo ſcriptus *de eccle. pote.* Qui omnes ex hac Euangelica narratione effici volunt, vſum ſolum, & procurationem alterius gladii Imperatori demandati, poteſtatem vero vtriuſq; penes Pontificem reſidere. Perinde vt legum interpretes ſtatuunt actiones directas, licet inanes, & inefficaces, remanere penes cedentem, ſed earum vſum in ceſſionarium transferri. *l. in cauſa. ff. de proc. l. 1. ff. ad Treb.* Huic ſententiæ mirum in modum applaudit illud Leonis. 3. q. 4. & Nicolai Papæ. c. omnes 22. diſt. *Eccleſiam*, inquit, *ſolus Chriſtus fundauit, & ſupra Petram fidei mox naſcentis erexit: qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul & cœleſtis Imperii iura commiſit.* Verum ad hoc perſuadendum nihil videtur accommodatius, quam eiuſdem Nicolai iuſſa, quæ narrantur in c. autoritatem. 15. q. 6. *Hæc*, inquit, *in mandatis damus, vt ſpirituali ſimul, & materiali gladio malignos illos eorumq; fautores inſequantur.* Quo ex loco pleriq; argumentantur, Pontifici licere bellum hoſtibus indicere, & illud ſuo Marte gerere, atq; etiam prælio intereſſe, vt *c. igitur. 23. q. 8.* Quod aduerſus Chriſtianæ pietatis hoſtes fieri poſſe quis ambigat? cum nec illud dubium ſit, Pontificem bellandi tempora dieſq; legitimos, vt olim Fœciales, poſſe ſtatuere: vt *c. ſi nulla 23. q. 8.* alioſq; ad bella iuſte ſuſcipienda excitare. *c. vt pridem, ea. quæſt.* & præcipue Imperatorem: Adriani exemplo, cuius hortatu & precibus Carolus magnus bellum aduerſus Longobardos ſuſcepit. *c. hortatu, eadem quæſt.* Quod ſi Papa gladii exercendi poteſtatem Imperatori non daret, nec eam quidem auferre poſſet. Sed Innoc. Pontifex Archadium Imperatorem à fidelium communione ſecluſit: vt in *c. duo ſunt. 96. diſt.* & Pont. Zacharias Regem Francorum regno priuauit, ac Pipinum Caroli patrem, in eius locum ſuffecit. *c. alius. 15. q. 6.* perempto autem quod ſequitur: interimitur quod præcedebat: vnde neceſſario efficitur, Pontificem gladii poteſtatem Imperatori dare, cum illam quoq; adimere poſſit, quinimmo, & Imperium de gente in gentem transferre. *c. Venerabilem, de electione.* Efficax & illud argumentum, quod Imperator à Pontifice inungitur, coronatur, iudicatur: atq; ab auguſtali ſolio deturbatur, *vt d. c. alius*: & *c. 26. diſt.* quid quod conceptis verbis iuſiurandum præſtat. & quicquid habet, eidem refert acceptum. *c. tibi domino. 63. di. Clem. 1. de iureiur.*

Vtrumq; gladium penes eccleſiā.

Pontifici licere belligerare.

Papa Imperatorem ac reges regno priuare poteſt.

Hæc & ſi qua huius generis feruntur, priores illi obſtinate refellunt: aſſerentes Imperium, quod fuit pontificatu longe vetuſtius, à ſolo Deo procedere, ipſoſq; Imperatores olim & Pontifices appellatos, & ſacra miniſtraſſe, vt in *c. cleros 21. diſt. & c. decapitulis. 10. diſt.* Idemq; apud veteres erat Rex, Sacerdos & Pontifex, *ff. de rerum diui. l. ſacra loca.* quod regius vates Dauid teſtatur; cum de Moſe loquens ait: *Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Hinc maximus Poeta, qui ſemper plus in receſſu habet, quam fronte oſtendat, de Heleno cecinit: *Rex Helenus, rex idem hominum, Phœbiq; ſacerdos.*

Imperium pontificatu vetuſtius.

Quapropter tradunt Græcæ Romanæq. hiſtoriæ ſcriptores, regibus expiandæ cædis munus incubuiſſe. Sacerdotium enim ante legem cœlitus Moſi traditam ſola humana inſtitutione deferebatur, vt teſtis eſt diuus Tho. quem vehementer autorem ſequor, in 1. ſecundæ. q. 105. De hac tota diſceptatione egregie ſcribit Ioan. Pariſien. in eo quem ædidit, *de poteſtate Papali & imperiali*, libro: & Dantes Florentinus in Opuſculo, quod *de neceſſitate Monarchiæ* inſcribendum duxit, & omnium poſtremus Antonius Roſella. Hi vtrumque inficiantur, vel per Solem, & Lunam, vel per duos gladios Imperium & ſacerdotium ſignificari: & licet Clemens III. in *d. c. ſolita*, æquiparet ambas poteſtates Soli & Lunæ: tamen, vt memorabilis glo. ibidem explicat, hæc duo mundi lumina à ſummo rerum Opifice proueniunt: non autem alterum ab altero emanat: reliqua quibus aduerſarii ſe tuentur, vt friuola & inania reiiciunt.

Per Solem & Lunam vel per duos gladios, non Imperium & Sacerdotium ſignificari.

CAPVT

CAPVT VI.

In hac materia neq; legibus, neq; canonibus eſſe ſtandum, & quid diuus Tho. ſuper his ſenſerit.

Leges vbiq; ſibi conſtant. Canones non item.

Leges Ariſtotelis quid.

IN hac parte lectorem monitum velim, vbi de his agitur, quæ ad Imperii decus, & dignitatem pertinent, nec ciuile, nec pontificium ius ſatis virium, aut firmitatis habere: cum hi & legum, & canonum autores, architectique fuerint, qui vel imperii vel Pontificatus habenas moderabantur, quem autem quiſque rebus in humanis gradum obtinet, eum honoratiorem, inſigniorémq; reddere ſtudet. Sed qui leges condidere, eodem tenore ſibiipſis vbiq; conſtant: atqui Canones, diuerſis & inter ſe male cohærentibus ſententiis confligtantur, & nunc Imperii maieſtatem ad ſuperos vſq; tollunt, nunc eam paulatim deiiciunt, quandoque ad imum vſq; præcipitant, atq; in Euripi modum modo hac modo illac reciproco curſu feruntur: vt ſcilicet, vel neceſſitas cogebat, vel præſentibus rebus magis expedire videbatur. Sed nihil eſt cur ea cauſa quiſque ſibi aut placeat, aut diſpliceat: cum eiuſmodi ſcriptis nequaquam ſit ſtandum, quorum repellerentur autores. *c. fraternitatis de hæreti. ca. licet ex quadam. de teſt. C. de Epiſ. aud. l. mathematicos.* Nec plus credi oportet mortuæ, quam viuæ voci. *Quid* autem *ſunt aliud leges* (vt inquit Ariſtoteles) *quam mortui principis voces?* nec aliud eſt princeps, quam lex viua: vt *auth. de Conſuli. §. fin.* Quod ſi leges vetant cuiquam etiam teſti iurato in ſua peculiariq; re fidem adhiberi, vt *ff. de teſt. l. nullus.* nec eius profecto ſcitis, ſanctionibusue credi oportet. Illis igitur pauliſper ſepoſitis, vbi quid ambigui, obſcurique inciderit, ad ſacros Theologorum fontes recurremus, vnde omnis pura, & incorrupta veritas emanat. Quædam etiam (vt hactenus fecimus) ab hiſtoriis, quarum autoritas ſemper habita eſt venerabilis, & ſacroſancta, mutuabimur. In hac vero tam diuturna, & acri iuris peritorum colluctatione, inter quos diſſidium adhuc durat, & quaſi bellum ciuile, ſi quis velut arbiter honorarius omnem litem ſedare velit, ex diui Thomæ ſententia velut pro tribunali, pronunciet. *Imperium quatenus ſeparationem quandam executionis temporalis* (vt eiuſdem verbis vtar) *à ſpiritali deſignat, à Deo manare, diſponente & volente, vt hi gladii per diuerſos exerceantur:* de quo egregie beatus Bernardus in eo *de conſideratione* libro, quem Papæ Eugenio dedicauit. *Sed nihilominus* (ne à verbis diui Thomæ diſcedam) *ordo & gradus eorum, per quos hi gladii exercentur, eius generis ſunt, vt minor à maiore procedat, ſicut à diuinis humana, & à cœleſtibus terrena proficiſcuntur.* Non minus docte, quam religioſe ſcribit idem Tho. in libro *de regi. princ.* Chriſtum fuiſſe verum monarcham, præque omnibus aliis tripliciter excelluiſſe: duratione perpetua, vtilitate totius mundi, & prærogatiua diuinitatis: Chriſtique monarchiam ſimul cum eius natiuitate cœpiſſe; quamuis vt Reges, magiſtratusque exemplo ſuo ſubmiſſiores redderet, eam ad tempus occuluerit. Sub Chriſti vero monarchia duo ſunt corpora myſtica: alterum ſpiritale, alterum temporale. *cap. duo ſunt. 12. qu. 1.* Priori præeſt Pontifex, poſteriori vero Imperator. Vnumquodque autem caput influit primarie ſuum corpus, quemadmodum in corpore naturali vniuerſa membra vim & robur à capite mutuantur. *l. cum in diuerſis. ff. de religio. & ſump. fune.* Quod ſatis in ſe habet firmitatis, ad probandum ab eo capite, quod eſt Chriſtus, Imperium æque primo atque Pontificatum deriuari: Chriſtus enim etiam antequam in Virginis vterum ſe inſinuaret, caput erat Eccleſiæ, & ſi nunquam hominem induiſſet, adhuc Eccleſiæ caput foret, vt veriſſime docet Diuus Thomas, à quo diſſentire, ſine hæreſis ſuſpicione nemo poteſt, in *quæſt. de vers.* 129. Sed quemadmodum aſſerimus omnem Imperii poteſtatem à ſummo Opifice mundi prouenire, tanquam à primo autore: ita velut in concione promulgamus, vſum & exercitationem Imperatoriæ iuriſdictionis à Papa, vt Vicario Chriſti, & in quem omnis Monarchia eſt transfuſa, deriuari: ſicut peculium ſerui non eſt ſolum à domino principali, ſed etiam à Vicario. *ff. de pecu. l. diffinitio peculii,* cui omni ex parte quadrat glo. in *c. in ſynodo. 63. diſtin.* quæ aſſerit Papam dare gladii poteſtatem Imperatori, cuius tamen exercitium ipſe non habet.

Chriſtus monarcha.

Duo corpora myſtica ſub Chriſti monarchia.

CAPVT VII.

Ex translatione Imperii à Græcis in Germanos quid iuris acquiſierit Eccleſia, haſq; duas poteſtates eſſe omnino diſtinctas.

Imperium à Græcis ad Fràcos, dein ad Germanos. Electio Imperialis.

SEd fac Imperium, tam origine, quam vſu à ſolo cœleſti numine prodire, ea tamen comitiorum ratio, qua omnis eligendi facultas Germanis principibus eſt tradita, ab ipſo nimirum Papa emanauit. Et propterea in ipſius ſitum eſt poteſtate, hanc principis eligendi formulam, vel omnino abrogare, vel aliter atque aliter, vt vſus poſtulauerit, immutare: vt pulchre declarat diuus Tho. in eo quem ſæpe affero *de regi. princ.* lib. ex quo verba hæc adieci: *Imperium transfertur à Græcis ad Francos, deinde per Adrianum Papam ad Germanos, apud quos per Gregorium V. ſimiliter genere Teuthonicum inſtituta eſt electio Imperialis, vt ſcilicet per ſeptem principes Alemaniæ fieret: quæ vſq; ad iſta tempora perſeuerat, & tamdiu durabit, quamdiu Eccleſia Romana, quæ ſupremum gradum in principatu tenet, Chriſti fidelibus expedire iudicauerit.* Hæc diui Tho. ſententia ex his ſtabilitur, quæ Platina ſcribit in vita Adriani V. *Adrianus,* inquit, *cogitauerat conſtitutionem Gregorii de Imperatore eligendo, non quidem omnino tollere, ſed in meliorem formam immutare.* Hæc mouerunt Petrum de Ancha. Zaba. Paul. & reliquos, vt in d. *Clemen. Romani,* vtrunq; faterentur, & Imperium prima ſui origine à Deo emanaſſe, & eo poſtea de Græcis in Germanos translato, Pontificem Romanum nouæ quaſi geni-

curæ

turæ habere autorem, atq; parentem. *c. venerabilem: de elect.* Quæ autem fuerit illa tranſlatio, & quibus ex cauſis, & per quem, & quo tempore facta, memorabilis eſt glo. in *d. c. venerabilem*: & plene habetur. *d. Clem. Romani.* Hactenus hæc tenui quodam è riuo delibaui, quæ ſi quis plenius noſcere cupit, vna mecum ad vbertimos Theologorum fontes hauriendos accedat.

CAPVT VIII.

An ſicut vniuerſus terrarum orbis ſubeſt Pontifici quo ad ſacra, ita ſubſit Imperatori quo ad profana.

OMnis theologorum ſchola vna voce teſtatur, quicquid terrarum vbiq; patet, qua Chriſtianum nomen diffunditur, quo ad ſacra ceremoniaſq; Romano Pontifici ſubeſſe: ſed illud in dubium reuocatur an hæc ipſa poteſtas, quoad profana, & quæ temporalia vulgo dicimus, pari ambitu in Cæſarem ſit propaganda. Et licet nonnulli partium ſtudio in eo laborent, vt Cæſar in ordinem redigatur: cum tamen ambo ex eodem fonte perfluxerint, & eadem ſemita incedant, de vtroq; idem puto ſentiendum. Namq; Imperator mundi dominus & eſt, & appellatur. *ff. ad l. Rho. de iac. l. deprecatio.* Totiuſq; terrarum orbis Monarchiam obtinet. 12. *q.* 1. *c. futura.* Vnde & à Chriſto ſolutum eſt Cæſari tributum, vt exemplo doceret, omnes Cæſari vectigales eſſe oportere. *c. ſi tributum. c. magnum.* 11. *quaſt.* 1. Fuit enim ex vſu publico, vt cunctæ res mortalium ad vnius ditionem, & arbitrium pertinerent. *ff. de origi. iur. l.* 2. Quod animaduertens diuus Ambroſius vir adeo acer, & vehemens, vt Theodoſium cenſoria quaſi nota inurere ſit auſus. in *c. conuenior.* 23. *q.* 7. faſſus eſt Imperatori omnia licere, ipſiuſq; eſſe vniuerſa. Cuius quidem autoritas tam longe lateq; patet, vt eius legibus omne genus humanum alligetur, cum reliquis omnibus, atque ipſi etiam Pontifici quo ad profana præeſſe videatur: & ea propter circa vniuerſæ Reipub. totiusque mundi negocia dicitur occupari. *l. præcipimus. C. de appel. & authen. de here. & fal. colla.* 1. Quum finis Imperii ſit, ſaluti atque incolumitati conſulere ſubditorum. *ff. de offic. præſi. l. præſes.* Sed neſcio an ſatis recte hanc ſententiam ſolis Cæſarianorum copiis defendam: cum in eiſdem præſidiis omnes fere ſacrorum canonum profeſſores verſentur: & cum primis Hoſtienſis in *ſumma de offic. ordi.* §. 1. & glo. in *c. volumus.* 11. *q.* 1. & *c. omnes.* 28. *q.* 1. quæ tradit Gallos, & alios tranſalpinos legibus Imperii teneri. Idem teſtatur glo. *c. ſuper Specula. de priuile. & d. cap. per venerabilem*: vbi valde caute, & penſiculate ſcribitur, Regem Franciæ de facto non agnoſcere ſuperiorem, perinde ac ſi dicat, de iure tamen agnoſcere debet: quum de iure (vt eadem affirmat) Romano Imperio ſubſit.

Imp. mundi dominus.

Imp. omnia licere.

Rex Franciæ non recognoſcit ſuperior.

CAPVT IX.

Cum Imperium à violentia cœperit, quomodo dicatur eſſe à Deo.

HVic tam populari, plauſibilique ſententiæ repugnat, quod ipſe Imperator duas tantum eſſe affirmat cauſas, quibus ſuum Imperium conſtat, & ſtabilitur: vel quod illud beneficio populi Ro. obtineat, vel quod iuſto bello ab hoſtibus occuparit. *ff. de cap. & poſtli. re. l. poſtliminium. l. hoſtes.* Sed vtraque cauſa manca videtur, atq; parum efficax: cum exploratiſſimum ſit, non licuiſſe populo Ro. plus in principem iuris transferre, quam ipſe habuerit. *l. traditio. ff. de acquiren. re. do. ca. nemo. de regu. iur. lib.* 6. Nullum autem ius Romanos in exteras gentes habuiſſe, priſcis ex annalibus conſtat. Vrbem etenim Romam, Romulus & Remus condidere, qui cum omni principatu, & ditione caruerint, ſcelere & iniuria, alios atque alios ſuis è ſedibus expellendo, ſibi & poſteris tyrannidem potius, quam legitimum Imperium pepererunt: & quicunq; ab eis cauſam ducunt, ſucceſſores vitiorum & culpæ eſſe videntur. *l. cum heres. ff. de diuer. & temp. præſ.* Verum vt hic nodus quo multi irretiuntur diſſolui poſſit: ad diui Tho. ſacrarium, quaſi ad aram confugiamus, qui pronunciat, Imperium Rom. licet à violentia ortum traxerit, conſilio tamen nutuq; diuino inualuiſſe, & ad rerum apicem euectum eſſe, propter bonum commune. Diuina enim prouidentia (vt idem tradit) œconomice ac politice, non minus appoſite quam neceſſario comparatur: cum Deus mundum vniuerſum perinde vt familiam, vel Ciuitatem moderentur. At bonus paterfamilias Reipublicæq; præfectus, mauult bonum illud ſuſcipere, & procurare, quod latius patet, ad plureſque pertinet, quam vnius vel paucorum. Idcirco ſi res ita poſtulet, quippiam exigui mali, aut diſſimulando toleret, aut conniuendo fieri permittit: ne quod optimum eſt factu, vſuiq; plurimorum accommodatum, impediatur. Nihil autem eſt paucorum non tenue, atque exile, ſi ad rem communem fuerit collatum: Vtque partes ipſæ corporis humani ſimul omnes iunctæ, atq; connexæ vnum hoc efficiunt corpus: ſic homines ipſi per tot prouincias, regna, tetrarchias longe lateq; diffuſi, vnum quaſi efficiunt corpus, quod Imperium appellatur. Etenim vt mundo ambienti & continenti omnia vnus eſt, qui præeſt Deus, moderator & rector vniuerſi: vnumq; illud ſupremum, & extimum cœlũ perenni circuitione rotat, cuius efficit motus, vt reliqui cœleſtes orbes, & quæ eis ſubiacent, ſuo quæque ordine moueantur. Sic voluit, vt quamuis priuatim quiſque, & per ſe bonum expetat, quo quidem alius differt ab alio: tamen bono, quod commune eſt, ſocientur omnes, ab illoque dependeant, recteque veteres dixerunt, *e cœlo Regium nomen deſcendiſſe.* Quid quod ipſa parens, & altrix omnium natura, quæ optima, & perfectiſſima quæq; in ſuo genere efficit, ſanxiſſe videtur, vt in omni multitudine ſit vnum aliquid, quod cunctis præſit? Nam etiam apibus vnus eſt Rex, quo incolumi (vt inquit Maro) *mens omnibus vna eſt. Amiſſo rupere fidem. c. in apibus.* 7. *q.* 1. Et belluarũ greges ductores quiq; ſuos habent, nec gruum quidem ſine duce volatus ſunt longiores. Quæ omnia declarãt naturam

Romulus & Remus quo iure regnum ſibi dilatarint.

Regium nomen è cœlo.

tam ipſam, quæ operi ſuo quam optime conſultum voluit, initio ſtatuiſſe, vt in vniuerſo terrarum orbe vnus eſſet aliquis, qui illum regeret, communiſq; boni curam ſuſciperet. Sapienter Ariſto. in *vltimo tranſmun: philo. libro*, magis ſecundum naturam eſſe tradit, vniuerſum orbem ab vno teneri, quam à pluribus, citatq; hos Homeri verſus.

Res mala, multiplici mundum ditione teneri: Eſto vnus Princeps, populos cui pace regendos Iuſtitiaq; dedit magni regnator olympi.

At M. Cicero vehemens alioqnin publicæ libertatis vindex, quodam loco affirmat, *ſine Imperio, nec domum vllam, nec ciuitatem, nec gentem, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum naturam omnem, nec mundum ipſum poſſe.* Ea propter alta quadam, & incomprehenſibili Dei prouidentia effectum eſt, vt populus ille collectitius, ex agreſtibus caſis, aut infami aſylo profectus, violentas manus in vrbes, regioneſq; alienas inijceret: quo ſcilicet Imperium, totius futurum orbis caput, ad publicum generis humani vſum, & incolumitatem conſtitueretur. *Nec enim ſupremus mundi opifex* (vt tradit Auguſtinus, quo nemo altius reconditos ſacrarum literarum ſenſus penetrauit) *quicquam mali permitteret, niſi maiora inde bona ſapientiſſimus idemq; potentiſſimus eliceret.*

CAPVT X.

Cur ad Romanos Imperium fuerit delatum, quantaq; ſit eius ſublimitas.

CÆterum eiuſdem Tho. diſciplina conſtat, Deum optimum maximum Imperium Romanis contuliſſe, propter amorem patriæ, ſanctiſſimas leges & pietatem. Diuus Hieronymus morum cenſor acerrimus in *c. omnes.* 28. *q.* 1. fatetur Romanos virtutibus Imperium meruiſſe: præſertim diuini cultus, ceremoniarumque obſeruantia. Nam, vt ſcribit Cicero, magnum ſtudium fuit antiquis, non ſolum ſeruandæ, ſed etiam propagandæ religionis: De quo præclare Valerius. *Omnia*, inquit, *poſt religionem ponenda ſemper noſtra Ciuitas duxit, quapropter non dubitauerunt ſacris Imperia ſeruire: ita ſe humanarum rerum habitura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ bene & conſtanter fuiſſent famulata.* Hinc Plautus poetarum feſtiuiſſimus, in Trinummo plauſibiliter dixit: *Quis eſt homo tanta confidentia, vt ſacerdotem violare audeat?* Veruntamen Imperium in terris triplicem ortum, incrementumque habere tradunt: cum alij plerique, tum imprimis Cardinalis in *d. capit. Venerabilem. & c. cū cauſam, qui fil. ſint leg.* vel voluntate, conſilioque diuino: vel conſenſu eorum, qui reguntur: vel demum impreſſione, ac violentia. Illud etiam adijcit per diuturnum prouinciarum, populorumq; conſenſum, qui voluntarie tot annos ſub Imperio degerunt, vitium violentiæ purgatum eſſe: atque diſſenſum tranſiſſe in conſenſum: vt *C. de his quæ vi me. cau. l ſi per vim.* Quo quidem nomine Imperium Romanum dici poteſt iuſtum, omneſq; nationes ei morem gerere oportet: vt per Innocen. in *c. ſuper his. de vo. & vo.* & Bald. *de inſti. & iur. ff. l. ex hoc iure.* Quibus aſtipulatur illud Ezechielis: *Faciam gentem vnam, & erit Rex vnus, & non erunt duæ gentes.* Cum igitur Imperium diuinitus fuerit inſtitutum, qui ei reſiſtit, ordinationi diuinæ reſiſtit. 11. *quæſt. 3. c. reſiſtit.* Quem non terreat illa dira execratio aduerſus rebelles, & contumaces promulgata in c. Imperatores. 11. q. 3. *Qui præceptum*, inquit, *Imperatoris contemnit ſibi ipſi præiudicium acquirit: & inter homines pœnas luit: & apud Deum frontem non habet.* Nonne & in Deum impius: & in homines inofficioſus eſt cenſendus, qui Imperatoris maieſtatem labefactare conatur: cum promulgatum ſit in *authen. vt omnes obe. iu. pro. col.* 4. Imperatorem habere vniuerſam iuriſdictionem ab ortu vſque ad occaſum Solis: & ab vtroque latere, ſcilicet meridie: ſeptentrioneque: item & ab omnibus inſulis: quæ vſq; ad oceani receſſus extenduntur: vt *in authen. vt eccle. Roma. cen. an. præ.* Hinc natum eſt illud non illepidum gloſſæ commentum, in *Rub. C. de indictio. lib.* 10. Imperatorem ſcilicet triplici Corona inſigniri, quod ſit totius mundi dominus, qui tres in partes diuiditur: quod enim toti Aſiæ dominetur: promulgatum eſt. *l. fi. C de tempo. appella.* quod Affricæ. *l. 1. ff. de offi. præfec. præto. Af.* Quod Europæ. *l. 2. C. de appell.* Non de nihilo ſcribit diuus Tho. *Imperatorem* trahere nomen à ſupremo dominio, quaſi omnium dominum. Et ea propter, qui ei ſubeſſe recuſat, omni ſuccedendi iure, legitimiſque hæreditatibus priuatur, vt *diſt. 1 c. cum Quiritium.*

Imp. triplici corona coronatur & quare.

CAPVT XI.

Vter maior præſtantiorq; ſit, Pontifex an Imperator.

HÆc Imperii maieſtas publicam diſſerendi materiam pleriſque dedit, qui per factiones diuiſi tumultuarie quærunt, vter maior ſit cenſendus, Pontifex, an ne Imperator. Qui priores Imperatori tribuunt, legibus Cæſareis muniuntur. *l. victor. C. de ſum. tri. & in vſib. feu. rub. conſti. diui Lotarii, & de prohibi. alie. feu. per Lota.* in quibus Imperator præfertur Pontifici: quodque validiſſimum eſt in *l. glorioſiſſimo. C. de ſum. tri. & in c. victor Honorius. 96. di.* Papa ſibiipſi præfert Imperatorem. Ac in *ca. nos ſi incompetenter. 2. quæſt. 7.* ſe eius iudicio cenſuræque ſubijcit. Quanti vero illud eſt faciendum, quod eccleſia veteri iure Imperatori pendere tributum cogebatur: vt *d. ca. tributum. & c. omnis anima, de cenſi.* Omniaq; fana, templaque eius erant in poteſtate: vt *authen. vt eccle. Rom.* Adeo vt ſacratiſſimis delubris immunitates, priuilegiaq; donare conſueuerit. *c. audītis, de reſt. ſpol. & c. in ſynodo. 63. diſtin.* Sacri etiam antiſtites, cum vniuerſo initiatorum ordine, Cæſarum ditioni parebant: vt enarrat Innoc. in *ca. 2 de maio. & obe.* Quæ cum ita ſe habeant, iure optimò Imperator appellatur ſacratiſſimus. *d. l. bene à Zenone.* Et cum ipſe naſcitur, dicitur naſci auſpicium Lucis. *C. de feriis. l. omnes.* Hæc licet firmiſſima ſint: contraria tamen ſententia non minus validis fulcitur

Imp. præferentes papæ, quibus locis ſcrip. muniantur.

Imp. Sacratiſſimus. Auſpicium lucis.

ſulcitur adminiculis, cum per CHRISTVM Petro, ſuiſque ſucceſſoribus tradita fuerint vtriuſque regni gubernacula, cœleſtis ſcilicet & terreni. Ad quod ſtabiliendum plurimi Canones in medium afferri poſſunt, vt *c.* 1. 22. *diſtinct.* reliquos ſtudio breuitatis omitto. Qui huic ſententiæ inhærent, pertinaciſſime contendunt (in quo totius diſputationis cardo verſatur) Chriſtum dum in humanis agebat, vtrumque gladium diſtrinxiſſe; ſiue cum vendentes, & ementes flagellis eiecit è templo, ſiue cum mulierem deprehenſam in adulterio iudiciaria poteſtate abſoluit, & id genus pleraque memorant, quæ ad vtramque iuriſdictionem videntur referri, vt per Gregorium Nazianzenum, in *cap. quiſtudent.* 1. *quæſt.* 1. vt ille: Nihil omnino iuris exercuit, dum humana ſub imbecillitate latebat, quod Vicario ſuo non demandauerit, inquiens: *Quodcunq; ligaueris ſuper terram*, Matth. 16. Nonne vtitur notione generali, *quodcunq;*? & nihil penitus excipit? Quid illud, *Tibi dabo claues?* per huiuſmodi multitudinis numerum omnem cœli, terrarumq; ditionem comprehendens, vt ſubtiliter diſputat Hoſtien. *de maior. & obed. c. ſolitæ. de elect. c. ſignificaſti. & d. c. per venerabilem.* Sed hæc leui (vt aiunt) brachio collidi poſſunt: nam etſi demus Chriſtum, quæ vtriuſque poteſtatis ſunt, exercuiſſe, non continuo ſequitur, id quod aduerſarii efficere nituntur; non etiam id egit, vt præſcriberet hæc duo munera ab vno tantum eſſe obeunda: ſed vt teſtatum relinqueret, vtrunque ab eo procedere. Duo ſiquidem hæc dona, Imperium & Sacerdotium, ab eodem principio defluunt, & ad eundem finem referuntur, vt in *authen. quomodo op. epi. colla.* 1. Sed neque duæ, ſed vna eſt tantum clauis: poteſtas ſcilicet illa, per quam ſacerdos ligat & ſoluit, duas autem & appellant, & in imaginibus ſtatuiſque effingunt, propter duo, quæ clauem gerentibus ineſſe debent: nam præter ligandi poteſtatem, oportet eos habere iudicandi & diſcernendi peritiam, *d. c. per venerabilem*, vt ſit altera clauis ligandi, atque ſoluendi; altera ſcientiæ, de quo gloſſa eſt memoratu digna, 20. *diſt. in prin.* & gloſſ. & Innoc. in *c. quanto. de iureiur.* Abb. in *c. fin. de exceſ. prælat.*

Quod pontifex ſit maior Imp.

Chriſtus vtrunq; gladium diſtrinxit.

Quodcunque ligaueris, &c. Tibi dabo claues.

CAPVT XII.

Cum his principibus poteſtates ſint diſtinctæ, alter in alterius iuriſdictionem ſe ingerere non debet, niſi opis ferendæ gratia.

IN hac iudiciorum varietate vero ſimillimum duco, idq; è priſcorum annalium monumentis approbatum, à prima fidei naſcentis origine duo tribunalia fuiſſe omnino diſtincta: quique vni inſidebat, alterum non attigiſſe, quod plane declaratur *c. duo ſunt, c. ſi Imperator. diſt.* 96. *c. conuenior.* 23. *q.* 8. Accedit & illud Pauli ad Tim. *Nemo militans Deo, impedit ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.* Sed quonam piaculo prætermittam Nicol. ſecundi oraculum, qui in c. cum ad verum. 96. diſt. *nec Imperator,* inquit, *iura Pontificatus accipiet, nec Pontifex imperij vſurpabit: quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis, officia vtriuſque poteſtatis diſcreuit: vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium rerum Imperatoriis legibus vterentur.* Hinc illa formidoloſa Chriſti Iudæorum ſcelere circumuenti, aduerſus Petrum comminatio: *Omnis qui gladium accipit*, ſcilicet ad alterius ius ſpectantem, *gladio peribit*, 23. quæſt. 8 c. primo. de quo ſcribit Apoſtol. ad Roman. *Principem non ſine cauſa gladium portare.* cui quidem gladio tantum attribuit Auguſtinus, vt fateatur neminem mortalium non ei gladio eſſe obnoxium, *dict. cap. omnis anima. de cenſ.* & quicunque Cæſare prohibente hunc gladium manu perſtrinxerit, eum gladio periturum, *c. ſolitæ, de maior. & obed.* Grauis eſt illa, & ad rem, de qua agitur, accommodata Innoc. authoritas, in cap. quæſitum. 23. quæſt. 4. *Meminerant,* inquit, *à Deo poteſtates eſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium eſſe permiſſum, Deique miniſterio datum.* His fretus ſuffragatoribus celebris ille interpres Iohannes, qui ſcholia, (ſiue *gloſſas*, & *gloſſemata* malueris appellare) in vniuerſum prope ius Pontificium ædidit, in cap. quoniam. diſtinct. 10. *Ego,* inquit, *credo poteſtates eſſe diſtinctas, licet Papa quandoque vtramque ſibi aſſumat: cum ſcilicet aliquem quo ad ſpiritualia & temporalia legitimat, licet illud egerit permiſſu Regis, qui, id ſuo arbitratu præſtare potuit.* Eadem ferme & approbat & ſequitur Hoſt. in *ſum. qui fil. ſint legit.* §. *quis & à quo.* Quæ omnia in vnum collecta, maximam vim habent ad oſtendendum, nec Pontificum iura eſſe ab Imperatore, nec à Pontifice Imperatorum vſurpanda, gladiumque Cæſaribus ab ipſo cœleſti numine, non à mortalium quoquam fuiſſe porrectum, & perinde hos inter principatus tribunalia ita eſſe diuiſa, vt alter in temporariis & caducis, alter in his, quæ ad cultum diuinum, & animarum ſanctimoniam ſpectant, ſummum ius obtineat & facultatem. Quod ſi quid iuris in Cæſarem ipſi Pontifici eſſet, in profanis quoque ab ipſius tribunali, ad Pontificem appellare liceret: cum appellatio ſit ad ſuperiorem magiſtratum prouocatio, *c.* 2. *de conſuetud. libr.* 6. ſi antecedens interimis, elides & perimes, quod eſt conſequens. At Alexander Pontifex ad ſe prouocari vetat: inquiens id ſuam iuriſdictionem nequaquam attingere. *cap. ſi duobus. de appella.* quod quæſo indicium apertius eſſe poteſt? diuerſis licet in collegijs eos pari fungi poteſtate, nec alteri in alterum ius vllum eſſe. Pro hac parte omnes Cæſarianarum rerum ſtudioſi, perinde ac pro aris atque focis contendunt, quorum plerique potius de vitæ ſtatu, quam de hac ſententia deduci poſſe videntur: & imprimis Alber. in *dict. l. bene à Zenone*, vbi præclare ſcribit, *optime cum rebus humanis actum iri, ſi vnaquaque iuriſdictio ſuis contenta finibus, alienos limites non vſurparet: Ita etiam,* inquit, *in vniuerſo terrarum orbe pace ſtabili, atque inconcuſſa frueremur.* Non minus ſapienter Innoc. in *d. c. per venerabilem*, vetat alterum principem in meſſem alterius falcem immittere: hac tamen exceptione,

Duo tribunalia in primitiua eccleſia.

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matth. 26.

Imp. Defenſor Aduocatus & Patronus eccleſiæ.

ceptione, niſi ad mutuam opem ferendam. Namque Imperator defenſor eſt, aduocatus & patronus eccleſiæ, vt *c. adminiſtratores*, 23. *q.* 5. *c. ſi in adiutorium*, 10. *diſt.* cum aliis pene innumeris. Atq; vbi quid per ſchiſmaticos alioſue in religione turbatur, quamuis nec accerſitus nec interpellatus, vltro accurrere debet, & tanquam Triptolemus alter iuſtitiæ armis indutus, aduerſus ignorantiæ & perfidiæ iacula in aciem deſcendere: quæque collapſa videntur, aut breui ruitura, fulcire ac ſuſtentare. Quocirca ſcribit Ioan. And. vir liberrimi iudicij, & neutri patri addictus, *Vbi eccleſiaſtica poteſtas deficit, Imperatorem ſupplere*, vt traditur c. principes. 18. q. 5. *Principes ſeculi nonnunquam intra eccleſiam poteſtatis culmina tenent, vt per eandem, diſciplinam eccleſiaſticam muniant.* quem locum citat Bal. in c. olim. de reſcr. & hæc adiungit: *Imperator olim ſchiſma curabat, concilium congregabat, illique intererat. Sed hodie*, vt idem ſcribit, *faſces amiſit, quia reges ab eius obſequio ſeſe abduxerunt:* de re iu. c. ad Apoſtolicæ, lib. 6. Quam me delectat illa Martiani Imperatoris profeſſio, in c. nos, 96. diſt. *Nos*, inquit, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo religioſiſſimi Conſtantini ſynodo intereſſe voluimus, vt veritate inuenta, non vltra multitudo prauis doctrinis attracta diſcordet.* quod his miſeris temporibus, an neceſſarium foret, Deus ipſe iudicet: imo vt affirmat Bal. in *d. c. olim*, vbi agitur de religione tutanda, vel totius mundi periculo, ſi ille cuius intereſt, non vult ratione & iuſtitia vti, ab Imperatore armis compelli poteſt, *C. de iud. l. nullus.* An autem ſummus Pontifex, quicquid ciuitatum locorumue obtinet, Imperatori acceptum referat, & eo nomine inferior cenſeatur, adeo exacte & dilucide explicat Præpoſitus, *cap. ad verum.* 96. *diſtinct.* vt nulli dubitandi relictus eſſe locus videatur.

Imperium prius origine Papatu.
In quibus Pontifex habeat ius in Imp.

Nec illud in dubium venit, Imperium prius origine fuiſſe Papatu, & quatenus antiquior, eo dignior Imperator eſt cenſendus, *l. 1. de albo ſcri. ff.* ſed quo ſpiritualia & æterna temporarijs, & caducis ſunt ſublimiora, eo Papa maior excellentiorque haberi debet. Illud vero extra omnem aleam poſitum velim, his in rebus, quæ ad ceremonias diuinumque cultum referuntur, Pontificem habere ius & poteſtatem in ipſum etiam Imperatorem, *c. nouit. de iudic.* Qua Innoc. velut Vulcani clypeo munitus, Archadium Imperatorem, quod Chryſoſtomum ab epiſcopali ſede deijci permiſerit, excommunicationis cenſura innodauit, *c. duo ſunt.* 96. *diſtin.* Quinimo ſi diuina myſteria ſpectes, quilibet Antiſtes dicitur eſſe Imperatore maior. *Talem* (inquit optimus ille, ſed parum felix Imperator) *in Pontificia conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincere noſtra capita ſubmittamus*, 63. diſt. c. Valentinianus. Cum Imperatori vel ab epiſcopo ſacris interdici poſſe, exemplo Ambroſij conuincatur, qui Theodoſium à ſacrorum commercio excluſit, ob delictum in ſua diœceſi perpetratum. An autem Papa ea ſuccedat in Vicariatu poteſtatis & dignitatis prærogatiua, qua beatus Petrus à Chriſto fuerat euectus, egregie explicat diuus Thom. in *ſum. contra gent. lib.* 3. *c.* 76.

CAPVT XIII.

Quale fuerit olim Imperium, & vt primo ſucceſſione, deinde per electionem delatum ſit.

CVm hactenus demonſtratum ſit ſacerdotium & Imperium eiſdem è fontibus emanaſſe, & alterum ab altero non admodum differre: operæ precium me facturum puto, ſi quæ amborum fuerit origo, qui progreſſus atque incrementa, quantaque inter vtrunque ſit vel qualitas, vel ſimilitudo, paucis attigero.

Imp. ſuffragio militum creabantur olim.

Illud præfabor, quod neminem hiſtoriæ Romanæ ſtudioſum latere reor, Imperatores olim ſuffragio militari ſolitos creari, vt in *cap. legimus.* 63. *diſtinct.* Quippe à Senatu populoque Romano, cuiuſque prouinciæ moderandæ cura conſuli, prætori, alijſque magiſtratibus demandabatur, qui vbi aliqua inſigni clade hoſtes affecerant, mox ab vniuerſo exercitu Imperatores nominabantur.

Imp. ius.

Ius autem erat Imperatori nominato Faſces laureatos honoris cauſa geſtare, quibus frequenter Senatus decernebat plurium dierum ſupplicationes, velut triumphi futuri prærogatiua, quo poſt victoriam magnifice geſto, votiſque Tarpeio Ioui perſolutis, ab Imperatoris nomine abſtinebant: ſed hoc Caſtriente nomen in eum eſt translatum, qui Romani Imperij gubernacula tenet:

Iul. Cæſar. Regium nomen Rom. inuiſum.

cuius immutationis cauſa fuit Iulius Cæſar, qui cum rerum potitus, dictatoriam, Regiamque poteſtatem in ſe conuertiſſet, quod ſciret Regium nomen Romanis eſſe inuiſum, atque adeo execrabile, ad declinandam inuidiam pro Rege Imperator maluit appellari, id quod multo antea fuerat meditatus. Nam cum M. Antonius conſul Anciliorum die ei diadema obtuliſſet, ille altiſſima voce exclamauit, vt ab omnibus audiri poſſet, *ſe Cæſarem, non Regem eſſe*, diademaque procul abiecit. Quod M. Cicero omnibus eloquentiæ ſuæ viribus M. Antonio frequenter exprobrat, id non omiſit diuus Thom. nullius elegantioris expers diſciplinæ, qui in libro *de regi. prin.* tam ſæpe repetito, Imperatorem tradit non dici Regem, quia nomen Regium Romanis erat odioſum.

Imp. ſucceſſionis iure deferebatur olim.
Octauius.
Tyberius.
Caligula.
Nerua.
Traianus.
Adrianus.
Antoninus.
Veſpaſianus.
Valentinian.

Cæterum Imperium à Iulio Cæſare ita auctum & conſtitutum, quaſi per manus ſucceſſionis iure deferebatur: ſic Octauius in familiam Iuliorum adoptatus, Cæſari ſucceſſit: & Tyberius per adoptionem Octauio, eodem iure Caligula Tyberio, Neruæ Traianus, Traiano Adrianus, Adriano Antonius: nam Veſpaſianus Imperium nullo aliunde hærede accerſito ad ſuos liberos tranſmiſit. Quid autem laboro ſeriem Cæſarum ſingulatim recenſere? cum Imperium olim ſucceſſorio edicto fuiſſe delatum habeatur, in *cap. denique.* 7. *quæſt.* 1. Vbi gloſſa refert filios Regum iure Reges eſſe oportere, & Dauid Salomonem ſibi ſucceſſorem inſtituiſſe. Quem autem quiſque in ſucceſſorem cooptabat, is vel Cæſar, vel Auguſtus eſt appellatus, ſic Valentinianus Gratianum filium ſuum

Auguſtum dixit, & Diocletianus Conſtantium, atque alij alios. Quandoque tamen ſuffragio militari Imperator creabatur, vt Veſpaſianus à Iudaico, Galba ab Hiſpanenſi, Vitellius à Germanico exercitu, ad ſupremum faſtigium ſunt euecti, qui tum demum iure facti cenſebantur, ſi Senatus populique Romani authoritas interceſſiſſet. Et ne ſola hiſtoria me ſuſtentem: Canones tradunt, principatum non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ, & quando, aut vnde habuerit ortum Imperium, copioſe narrat Archi. 11. *quæſt.* 3. *cap. Iulianus*: & Iac. Aluar. 10. *coll. quis di, dux, co. vel mar.* At cur olim ſucceſſionis ſerie, nunc autem ex electione deferatur, diſputat Ioann. And. in *addit. Spec. ti. de reſcrip. præſent.* § *fin.* Bald. c. 1. *de pacè ten. in vſib. feud.* & Petr. de Anch. *conſ.* 381. Quot demum apud priſcos fuerint imperia, tradit Bar. in *extrau. ad reprim*: & Aluar. *d. colla.* 10.

Diocletianus: Conſtantius. Imp. ſuffragio militari creati. Canon de Imperio.

CAPVT XIV.

Quomodo olim deferebatur Pontificatus, & quæ in ea re fuerit Imperatorum authoritas.

HÆc ideo vberius de Cæſaribus recenſui, vt ad Pontifices facilior aditus pateret, quo mea omnis tendit oratio: qui tamen non *Papa*, nec *Pontifices*, ſed *Romani Epiſcopi* vocabantur, nomen à vetuſtis temporibus deductum. Nam Athenienſes, quos ſpeculatum mittebant; quid in vnaquaque ſubditarum ciuitatum boni malìue, æqui aut iniqui ageretur, hos *Epiſcopos*, id eſt, ſpeculatores vocabant, vt *cap. qui Epiſcopatum*, 8. *quæſt.* 1. Refertque Plutarchus, Scipionem Africanum à Senatu in Aſiam miſſum eſſe *Epiſcopum gentium Regumque*: & Cicero ad Atticum ſcribens: *Me*, inquit, *Pompeius eſſe voluit, quem tota Campania & ora maritima habeat Epiſcopum, ad quem delectus, & negocij ſumma deferatur.* Vnde vero & quare Roman. Epiſcopo nomen hoc *Papa* fuerit inditum, & an ſit nomen dignitatis, an potius ordinis, tradit Ioann. Andr. *in præfat. Clemen. & de translat. præla. cap.* 4. & 90. *diſtinct. c. ſi quis.* Verum vt de ratione nominis ambigitur, ita dubitatione caret, Pontificatum olim per ſucceſſionem deferri ſolitum. Nam & Petrus quaſi ex teſtamento Cletum ſucceſſorem reliquit, vel (vt alij malunt) Linum, qui Clementem ſibi adoptauit, at Cletus Anacletum, durauitque is mos vſque ad tempora Hilarij, *c. ſi Petrus, c. Moſes.* 8. *quæſt.* 1. qui Pontificatum iniuit, anno ſalutis D. hic primus inſtituit, ne Pontifices ſucceſſores ſibi deligerent: quæ ſanctio eſt redacta inter Decretales conſtitutiones, & ad omne ſacerdotum munus prorogata, vt in *cap.* 1. *de præb.* & per vniuerſa capita, quæ comprehenduntur in 8. *quæſt.* 1. Veruntamen quacunque ratione ad Pontificatum pateret ingreſſus, nemo Apoſtolicæ Cymbæ gubernacula capeſcebat, ni prius Imperatoris authoritas interceſſiſſet, vt *cap. Adrianus, c. in ſynodo*, 63. *diſtinct.* Mos enim apud veteres inualuerat longo annorum decurſu obſeruatus, vt Clerus populuſque Romanus Pontificem eligeret: quo deſignato in Imperatoris manu erat electionem ratam, irritamue habere, *cap. Agatho.* 63. *diſtinct.* & vt collibitum fuerat aut eum admittere, comprobareque, aut ipſo reiecto & exploſo, alterum ſubrogare. Perdurauitque is mos vſque ad Adrianum anno ſalutis, DCCCXCV. qui tanti animi fuit, vt initio Pontificatus ſui ad Senatum, populumq; Romanum retulerit, ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, itaque libera eſſent cleri, populique ſuffragia. Sed huic edicto minime fuit obtemperatum, permanſitque vetus illa conſuetudo, Pontificis ab Imperatore confirmandi. verba ſunt Platinæ in vita Gregorij IX. qui præfuit Pontificatui anno Chriſti M.LXXII. *Gregorius*, inquit, *multis muneribus vltro citroque miſſis, cum Henrico Imperatore in gratiam redijt, qui eum in Pontificem Rom. confirmauit, vt tunc temporis mos erat.*

Epiſcopus Romanus. Epiſcopi nomen vnde. Papa nomen vnde. Pontificatus olim per ſucceſſionem deferebatur. Petrus. Cletus. Linus. Clemens. Anacletus. Hilarius. Papa electio ab Imperatore confirmari ſolebat. Adrianus Papa primus, qui Imper. autoritatem non expectandam cenſuit.

CAPVT XV.

Vnde euenerit, vt mutato vetere inſtituto, Imperator confirmetur à Pontifice.

QVid iam aliud ſupereſt, quam vt velut in frequenti iuris peritorum conſeſſu ſtudioſe quæramus, vnde tam noua rerum facies eruperit, tantaque labentis Imperij facta ſit immutatio, vt cum per mille ſupra annos, nullus, niſi prius interpoſita Imperij authoritate, Pontificatum fuerit aſſequutus, vt perſpicue habetur in *cap. in ſynodo*, aliiſque cap. 63. *diſtinct.* Nunc fortuna immutata, & in contrarium reflante, Cæſar, quo rerum habenas pleniore iure moderetur, alieno egeat adminiculo. Ciuilium legum interpretes, *dict. l. bene à Zenone*, hanc (vt putant) Imperij calamitatem deplorare non deſinunt, & cauſantur aſtu potius, doloque, quam ex æquo, vel bono, tam certa diuturnaque priuilegia Cæſares amiſiſſe, & (vt inquiunt Bal. & Alber.) ex longa Imperij vacatione, atq; interregno, nec non potentia, prudentiaque ſummorum Pontificum, & aliorum Romanæ eccleſiæ præſidum, tantum decoris & dignitatis Cæſaribus eſſe ademptum. Sed hi omnes, mea quidem ſententia, errorum tenebris inuoluti, à recta ſemita declinarunt; quibus ſi quid luminis affulſiſſet, facile fuit intueri, triplicem huius mutationis cauſam. Vel quod Imperatores ea priuilegia, quibus plerunque Romanæ Eccleſiæ inſultabant, ſponte à ſe abdicarunt, *c. ego Ludouicus.* 63. *diſt.* & *c. tibi.* Vel quod ex abuſu ea perdidere, *c. verum, ea. diſt.* Vel poſtremo, quod eiuſmodi ex cauſa cōceſſa fuerint, quæ explicatur in *c. Adrianus, & ſeq. ea. diſt.* Ceſſante autem cauſa priuilegij, è veſtigio priuilegium euaneſcit, *c. quod pro remedio.* 1. *q.* 7. Bal. vir ingenij acutiſſimi, & dialecticis diſciplinis apprime ornatus, in *c. olim, de reſcr.* nos admonet, vt duo tempora animo reuoluamus, alterū cum eccleſia lacera, & exanguis parum firmitatis habēbat, alienoq; adminiculo fulciebatur, quæ tūc præſenti ſcenæ in-

Triplex cauſa, cur Imp. à Pontifice confirmetur.

ſeruiens nihil nõn indulſit Imperatoribus, ſeque quodammodo ſeruilem in morem emancipatui dedit. Alterum quum eo amplitudinis & authoritatis excreuit, vt vel Cæſaribus ipſis eſſet formidoloſa, quando ſcilicet Imperium cœpit inclinare, & Reges principeſque ab eo deficere: tum demum ſuo vſa eſt foro, & tam graui iugo diſcuſſo, ſe in libertatem vindicauit; idque optimo iure, cum *Imperia*, vt inquit Valerius, *debeant ſacris famulari.* Hoc confecto, demendus iam eſt ille ſcrupulus ex animo quorundam, qui anxie percunctantur, cum primæuo ritu Chriſtianaque inſtitutione omnes fere vectigales eſſent eccleſiæ, penderentque annuum Imperatori tributum, *authen. vt eccle. Roman. c. ſi tributum. c. magnum. 11. quæſt. prima.* qua ratione factæ ſint immunes, quisue eas à tali iugo eximere potuerit. Legum interpretes in *d. l. bene à Zenone*, id effectum putant ſola indulgentia, liberaque Imperatorum voluntate: quod licet non abſurde dici videatur, ſententia tamen Innocen. proximius ad veritatem accedit, qui in *c. 2. de maior. & obedien.* affirmat eas potuiſſe per decreta Pontificum ab alieno emancipatu eximi, & tanquam res ſpirituales quaſi vinditiarum iudicio in libertatem reuocari. Theologi, qui hæc veſtigijs omnibus indagata tenent, rem totam exactius perſcrutantur, & præſertim diuus Thom. 2. 2. *quæſt.* 63. vbi affirmat, Leonem Papam vltro ſe ſubieciſſe iudicio Imperatoris, quemadmodum Chriſtus hominibus. Vt autem quæ ſuper hac quæſtione omnium ingenijs agitata diuinus ille vir ſenſerit, in lucem prodeant, quædam ex priſcis Cæſarum annalibus paucis perſtringam. Leo primus ex Græcorum genere in demortui Martini locum eſt ſuffectus, qui Leonem II. ex ſorore nepotem ſibi ſucceſſorem deſignauit: at ille non multo poſtea morbo oppreſſus, patri Zenoni Imperium reliquit, & ita per manus ſumma Imperij poteſtas apud Græcos diu remanſit. Poſtmodum anno ſalutis DCCC. ob principum Conſtantinopolitanorum impietatem, cultuſque diuini neglectum, à Græcis in Germanos per Stephanum Imperij facta eſt translatio.

Imperia ſacris famulari debere.

Imperium, quo tempore ad Germanos translatum.

CAPVT XVI.

Imperium à Græcis ad quos fuerit translatum, & quid in eo iuris adepta ſit Eccleſia.

NAm fide caret, quod in plurimorum animis inſedit, & à gloſſ. in *c. ego Ludouicus 63. diſtinct.* his verbis enarratur: *Imperium primo Francorum fuit, ſed poſtea Teuthonici virtutib. promeruerunt Imperium.* Qui error irrepſit, cum ex hiſtoriarum inſcitia, tum ex nominum propinquitate, quod pro *Franconia*, Franciam, pro *Francis* Gallos crediderunt. At diuus Hieronym. omnibus humanioribus diſciplinis excultus ad Iouinianum ſcribit: *Francos Germaniæ populos, inter Sueuos & Saxones, regionem fortem magis & bellicoſam, quam latam tenere.* Siquidem Franconia, vt ex ratione coſmographiæ deprehendimus, à Septentrione & Oriente ſylua Hyrcinia continetur; à meridie Sueuos attingit, ab occidente ad Rhenum non peruenit. Sed olim Francorum fines, vt omnium fere Germaniæ populorum, nullis terminis claudebantur, virium robore, & bellicis ſucceſſibus extendere, propagareque limites conſueuerant. Hi Germaniam longe lateque peruagati, coloniam ad Moganum Fluuium (vnde Moguntia) deduxere, quam à ſuo nomine Francofordiam vocarunt: deinde Rheno ſuperato, Belgiſque in poteſtatem redactis, omnes fere Gallicas vires attriuere, vt iam non Gallia, ſed ab ipſis Francis Francia fuerit appellata. At Carolus Martellus ex his Francis oriundus, quos orientales vocant, Tongros, Eburoneſque, & alios his finitimos populos hæreditario iure poſſedit, præfecturamque totius Galliæ bellica virtute promeruit, cui Pipinus filius in opes dignitatemque ſucceſſit, & Zachariæ Pontificis authoritate in locum Chylderici Galliarum Regis, quem gloſſ. in *dict. cap. venerabilem*, per incuriam Ludouicum nominat, eſt ſuffectus. Nam Chyldericus ob inertiam, & quod raro in conſpectum ſuorum prodibat, regno deturbatus, in monaſterium obtruſus eſt, vt *c. alius, 15. quæſt. 6.* erat etiam eo tempore Gallorum Regum mos; qui prius fuerat Perſarum, vt ſeſe vix vlli ſpectandos exhiberent. Cæterum Stephano Pontifice authore, in Carolum Pipini filium à Bizantinis principibus Imperium eſt translatum, vt *dict. cap. venerabilem*, cuius verba ſunt hæc: *Apoſtolica ſedes Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis tranſtulit ad Germanos.* Et in Clem. Romani de iureiur. *Eccleſia*, inquit, *à Græcis Imperium tranſtulit ad Germanos.* Hæc ſi gloſſematum ſcriptor, alijque canonum interpretes accuratius legiſſent, nullus errori locus foret relictus. nec etiam nego quoſdam ex Gallorum regibus olim imperaſſe, ſed Imperium à Græcis in Gallos aliquando eſſe translatum, id vero pernego. Verum vt ad ſeriem narrationis reuertar; Primus Germanorum Carolus cognomento Magnus, ſummum principatũ eſt adeptus, deinde ſalutis anno M. II. Gregorius V. de eligendo Imperatore ſanctionem tulit, Ottone V. (qui tunc Imperium tenebat) non refragante, vt ſcilicet ſolis Germanis liceret principem deligere: Qui Cæſar & Romanorum Rex appellatus, tunc demum Imperator & Auguſtus haberetur, cum Romani pontificis authoritas acceſſiſſet, eamq; eligendi facultatem conceſſit tribus Archipræſulibus, Moguntino, Treuirenſi, & Colonienſi: quatuorq; Principibus, Marchioni Brandeburgenſi, Comiti Palatino, Duci Saxoniæ, & demũ Regi Boemiæ, apud quos in hunc vſque diem Principis deligendi omne ius reſidet. Ex hac hiſtoriarum ſerie neminem latere poteſt, eccleſiæ licuiſſe legem præſcribere ſuis Imperatoribus ab ipſa ius habentibus, iuraque veteris Imperij immutare: cum Germanicum Imperium, non tam dicatur ſuccedere in locum prioris, quam eccleſiæ illud transferentis. Nec Antiſtites, Principeſque Germaniæ aliunde quàm à Papa ius poteſtatemq; Imperatoris eligendi obtineant. Vt eſt glo. valde memorabilis in *dict. c. in apibus*, cuius verba ſunt hæc: *Qui dicit Imperatorem*

Franci Germaniæ populus.
Franconia.
Moguntia vnde.
Francofordia.
Francia vnde dicta.
Carolus Martellus.
Pipinus.
Chyldericus.
Stephanus Pont. in Carolum Pipini filium Imperium à Græcis tranſtulit.
Carolus Magnus.
Sanctio de eligendo Imp.
Electores Imp. ſeptem qui.
Eccleſia potuit præſcribere leges Imp.

naſi rima

noſtrum iuriſdictionem habere ſine Papa, dicit nos Imperatore carere. Vnde ſequens eſt, ab eo vſque tempore, quo Imperium ab Oriente in Germaniam fuit translatum, Græculum illum non fuiſſe verum, nec legitimum Imperatorem: cum rationi repugnet, duos ſimul rerum ſumma potiri, *dict. c. in apibus.* nam ſi ſunt multi, erunt multa capita, quaſi monſtrum, *de offic. ord. cap. quanto,* niſi ambo vnius vicem obirent, *l. duo fratres. C. de iure patron.* *Et ſi aliquando plures imperitarunt, id contigit* (vt ſcribit Archi.) *violenter, & de facto.* Non eſt igitur cur curioſi, & qui pluſquam oportet ſapiunt, mirentur: Imperatorem omne illud ius, quod in Pontifices, alioſque ſacrorum miniſtros tot ſeculis exercuit, à ſe, vt fas piumque erat, penitus abdicaſſe, vt 63. *diſtinct. c. ex his.* quum non dominus, ſed filius Eccleſiæ, & ſit & appelletur, *cap. quis dubitet,* 96. *diſtinct. &* 23. *quæſt.* 8. *c. cum mirum.* Eapropter ſuper his quæ ſpiritualia ſunt, nec iuris quicquam habet, nec immunitates cuipiam, vel etiam diplomata dare poteſt. Vt eſt gloſſ. in *c. veniens, de reſt. ſpol. & in Clem. Romani. de iureiur.* Vtcunque etiam ſe res habuerit in violento illo priſcorum Imperio; noſtrum certe à ſede Apoſtolica ſumpſit exordium, eiuſque ſolius authoritate nititur, nec extra eccleſiam eſt Imperium, 24. *quæſt.* 1. *cap. ſed illud.* Hoc eſt in cauſa, cur Imperator in verba Pontificis iurat: & Iuſiurandum (quod fidelitatis appellant) ei præſtare compellitur: vt *c. tibi.* 63. *diſtinct.* ab eoque inungitur, conſecratur, approbatur, & coronatur, vt *dict. c. venerabilem,* & per Hoſtien. *de ſacra vnc. in ſum. §. qualiter & à quo.* Et ne prioribus hæc male cohærere videantur: nil prohibet ſimul dicere, poteſtatem Imperatoriam à Deo quidem emanare, vt *dict. c. verum.* Sed nihilominus etiam à Pontifice deriuari, non vt eſt homo, ſed vt Vicariam in terris Chriſti perſonam gerit.

Imp. Græcus. Non poſſe duos vna eſſe Imp.

Imp. filius non dominus eccleſiæ.

Cur Imp. in verba Pontificis iuret.

CAPVT XVII.

An ex ſola electione Cæſar ius pleniſſimum imperandi conſequatur.

Hinc illa orta eſt dubitatio, multum diuque inter recentiores, variantibus ſententijs, diſputata: Ex ſola ne electione Imperij ius poteſtaſque deferatur; an eum inungi, approbari, coronarique prius oporteat, quam ex Auguſtali illo ſolio legem humano generi præſcribere poſſit. Qui ad Pontificem ſummam rerum deferunt, eique omnia tam diuina quam humana ſubijciunt, vt 55. *diſtinct. c. ſi Imperator,* remis veliſque contendunt, electionem ius quidem Imperatori deſignato, ſed inefficax, & ſicuti gladium in vagina reconditum, tribuere: at vt eum educere, ac perſtringere poſſit, è ſola Pontificis authoritate approbationeque proficiſci. Hæc ſententia magnos aſſertores inuenit, vt Hoſtien. in *ſumma, de verbor. ſignif. §. ſuper quibus, & in ſum. qui fil. ſint legit. §. fin. de elect. §. & a quo confirmanda.* & Spec. Ioann. And. atque alios pleroſque, qui omnem mouent lapidem, vt id nobis omnino perſuadeant; nec ſolum authoritate ſacrorum canonum pugnant, ſed argumentorum quoque iacula in repugnantes contorquent. Non poteſt, inquiunt, eſſe perfectum, cui particula aliqua deeſt, vt in 5. *tranſmunda. philo. libro* tradit Ariſt. Sed ante inunctionem, coronationem, cæteraque ſolennia in conſtituendo Imperatore fieri ſolita, pars aliqua imperiali faſtigio deeſt, alioquin hæc ipſa ſuperflua eſſent, & ridicula: non eſt igitur perfectum. Hoc poſito, conſequens eſt, Imperatorem non ea poſſe præſtare, quæ meri abſolutique ſunt Imperij; poſſet autem, ſi in iure dicendo poteſtatem libere exerceret, cum omnis maieſtas Imperij in hoc vno conſiſtat, *l. fin. C. de legib.* Inſuper nemo quippiam agit, moliturue, antequam oriatur, & ſit, vt *ff. de colla. bon. l.* 1. *& de noua. l. quoties.* Sed Imperator in ipſa coronatione dicitur oriri, *C. de ferijs. l. omnes: Vel ortus,* inquit, *Imperij protulerunt:* ergo priuſquam coronetur, ea peragere nequit, quæ ad Imperatoris officium pertinent. Præterea vt in naturalibus vnaquæque res tria continet, ſubſtantiam, virtutem, actionem: quæ adeo inuicem cohærent, vt actio non niſi à virtute proficiſcatur, nec virtus niſi à ſubſtantia, vt docet Auerroes 7. *Metaph.* 5. Proprium ſiquidem eſt Dei, nulla extrinſecus accerſita virtute, per ſolam ſubſtantiam agere, quandoquidem Dei ſubſtantia virtus ipſa eſt. Itidem in moralibus, quod ad præſens negotium attinet, tria hæc, electio, confirmatio, adminiſtratio: ſic indiſſolubili nexu vinciuntur, vt ſine pernicie diuelli ſepararique nequeant. Electio locum ſubſtantiæ tenet, confirmatio virtutis, adminiſtratio actionis quandoquidem per electionem Imperator generatur, per confirmationem virtutem acquirit, per quam agat, per adminiſtrationem aſſequitur ipſum agere, atque operari. Ex quibus neceſſario efficitur, vt Imperator ſola ex electione adminiſtrare non poſſit, niſi prius confirmationis virtus acceſſerit. Ad hæc accedit authoritas, *dict. c. venerabilem,* vbi ſcriptum eſt, *ius & poteſtas examinandi electum in Regem, & ad Imperium promouendum,* & in Cle. Romani. *ius & poteſt. eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum.* Quibus ex locis deprehendi poteſt, duos eſſe in Cæſare quaſi dignitatis gradus: Vnum, quatenus eſt Rex, Alterum, quatenus Imperator promouendus. Sed cum duo gradus inuicem iunguntur, quorum ea natura eſt, vt ordine perfectionis alter alteri ſuccedat, qui inferiorem tenet, ad ſuperiorem ſcandere non debet, vt Diaconus, ad ea quæ vel Epiſcopi, vel presbyteri, 93. *dict. c. diaconus.* Ex qua graduum ſucceſſione conſtat, eum qui in primo Regis gradu collocatur, nondum ſublimitatis Imperialis gradum poſſe attingere; quod plane declarat Nicolaus 2. *c. in nomine domini.* 23. *diſtinct.* vbi ait, *Filius noſter Henricus, qui in præſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, ſperatur:* dialectica ſunt hæc, atque in exercitationem argutiarum ſæpe iactata.

Electio. Confirmatio. Adminiſtratio.

Duo dignitatis [illegible] Cæſ.

CAPVT XVIII.

Rationes, quibus conuincitur ex ſola electione aliquem fieri verum, & legitimum Imperatorem.

HIs inuolucris nobiſcum agunt, qui iura Imperij labefactare ſtudent, aduerſus quos nulla certior victoria eſt ſperanda, quam ſi eos ſuo quenque gladio iugulemus, vt ſic ſaucii & exanimes fateri cogantur, ſola ex electione rite legitimeque facta, quemlibet verum certumq; Imperatorem & eſſe & nominari, poſſeque toto (vt aiunt) annuente Cœlo, quæ ad munus Imperatorum attinent, ſuo arbitratu exercere. Nonne Pontifex, antequam coronetur, ſuo officio per omnes numeros fungi ſolet? quinimo ſi quis eo prætextu literas Pontificias oppugnat, à ſacris myſteriis, vt impius & profanus arcetur, vt in extraua. Benedicti VI. quæ incipit: *Quia nonnulli.* Quid quod Innoc. Pontifex in *cap. licet, de elect.* decernit, ex ſola electione Pontificem continuo Apoſtolicę Cymbæ gubernaculum apprehendere, nec vllius confirmationis egere? Quod ſi Imperium & ſacerdotium parum admodum differunt, ſi ex eodem fonte ambo profluxerunt, ſi eodem itinere progrediuntur, proculdubio de vtroque idem eſt ſentiendum. Et eapropter Imperator perinde vt Pontifex eligendo confirmatur, *c. in nomine Domini, 23. diſtinct.* nulloque eſt opus adminiculo, vt Imperatorium munus obire poſſit. Quid vero in re perſpicua tantum operæ ponimus? quum ille idem Pontifex, nec non certiſſimus Canonum interpres Innocen. omnem ſcrupulum ex animis exemerit, qui in *c. venerabilem, de electiion.* verba hæc adſcribit: *Credimus tamen, quod ſi Imperator Coronam in loco debito accipere non poſſit, nihilominus authoritatem adminiſtrandi ab Archiepiſcopo Colonienſi poſſit recipere: vel ſua authoritate, quam habet ex electione, ſine vlla coronatione miniſtrare.* At Iohann. Andr. alterum iuris Pontificij iubar in *in cap. auaritia, de electione, libro ſexto: & in dict. Clemen.* 1. non ſolum huic ſententiæ ſubſcribit, ſed etiam addit ita de iure eſſe, & conſuetudine à Pontifice tolerata, cui ſtandum eſt. In hanc ſententiam Iac. de Are. Imol. Buttigarii, Bal. Albe. denique tota iuris Cæſarei ſchola cateruatim tranſit. Sed ne, qui pro contraria factione ſtant, vel verbum vnum amplius hiſcere audeant, ratiocinationes quaſdam ex communi vſu diuturnaque experientia ductas in medium proferam, quarum prima ſit hæc; In principatu omnium maximum eſt legem condere, ſoli enim Imperatori in ſupremæ poteſtatis prærogatiuam id competit, C. *de leg. l. fin.* Sed legem poteſt, ſimul atque eſt deſignatus, condere. Quod in diuo Maximiliano nos ipſi obſeruauimus, & Antoninus Pius Imper. his verbis teſtatur: *de his omnibus diuus Pater meus ingrediens mox principatum, conſtitutiones, honores & immunitates certificauit, l. ſed & reprobari. ff. de excu. tuto.* quanto igitur magis, quæ minoris momenti habentur, eius erunt in poteſtate, per regulam *non debet?* Præterea ſi prælatus trans montes electus hac gaudet prærogatiua, vt ſola ex electione ius adminiſtrandi acquirat, *c. nihil. de elect.* quanto id iuſtius, rationabiliuſque de Imperatore, qui trans montes eligitur, ſtatuendum eſt? Ad hæc, electio comitiis Germanicis celebrata illi ſucceſſit, pro qua olim populus Rom. ſuffragia ferebat, illius ergo naturam induere debet, *Inſtit. de action. §. fuerat, & de dona. §. qui id quod.* At ex ea nullo adminiculo extrinſecus accerſito ſumma poteſtas in principem conferebatur, vt ſcilicet quodcunque conſtituiſſet, foret ratum, *ff. de orig. iur. l. 11. & c. legimus, 93. diſtin.* idem igitur ex hac ipſa Germanica confertur. Quod ſi contraria ſententia vincat, in quaſdam anguſtias, & quaſi Labyrinthos incidemus, quum ſub Romanis Pontificibus (ne vetuſtiora repetam) plerique fuerint Imperatores nec inuncti, nec coronati: recenti vero memoria Albertus & Maximilianus, ſine vlla Pontificis approbatione Imperii munus egregie obierunt, quorum omnium res geſtæ, ſi ſecundum aduerſarios lis daretur, nihil virium, nihilque firmitatis obtinerent: ſic leges ciuiles, ſic limites cuique prouinciæ deſignati, ſic principatus vel in feudum, vel alio nomine quæſiti, & id genus pleraque radicitus tollerentur. Sed hanc repugnantiam rerum ſententiarumq; non tenent, qui veteres Cæſarum hiſtorias non tenent.

CAPVT XIX.

Conſtitutio Ludouici Bauari Imperatoris de Imperij iuribus & excellentia.

HAc de re magna fuit olim colluctatio Pontificatu Iohannis XXI. & eius ſucceſſoris Benedicti XII. quum Ludouico Duce Baiouariæ Imperatore deſignato, demum omni ambiguitate per ſacrarum literarum Antiſtites mature ſolerterque diſcuſſa, Ludouicus legem ſanciuit, promulgauitque, quam ad verbum his adieci, ne quis in eo amplius aberret, in quo omnis Imperij dignitas maieſtaſque continetur. *Licet iuris vtriuſque teſtimonio manifeſte declaretur imperialem dignitatem, & poteſtatem immediate in filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, & Deum per Imperatorem & Reges mundi iura humano generi aperte tribuiſſe, atque Imperatorem ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, verum effici Imperatorem, nec alicuius alterius egere confirmatione, ſeu approbatione, cum in terris quo ad temporalia ſuperiorem non habeat. Sed eidem gentes ſubſint & nationes: & ipſe Dominus noſter Chriſtus mandauit, quæ ſunt Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari reddenda: quia tamen nonnulli auaritiæ & ambitionis cæcitate ducti, diuertentes à tramite recti ſenſus, in quædam iniqua & praua commenta, & aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, fallaciter aſſerentes, Imperialem dignitatem & poteſtatem eſſe à Papa, electumque in Imperatorem non eſſe verum Imperatorem, nec Regem, niſi prius per Papam, ſiue ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur & coronetur. Per huiuſcemodi aſſertiones, & peſtifera dogmata hoſtis antiquus mouet bel-*

tes, iurgia ſuſcitat, & ſeditiones procurat. Ideo ad tantum malum euitandum, de conſenſu Electorum, & aliorum principum Imperii, declaramus Imperialem dignitatem, & poteſtatem à ſolo Deo pendere: eſſeque tam de iure, quam de conſuetudine approbatum, vt poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue Regem ab his quorum intereſt, ſtatim ex ſola electione, ſit verus Rex, & Imperator Romanorum cenſendus, eidemque ab omnibus Imperio ſubiectis eſt obediendum: quum adminiſtrandi iura, cæteraque faciendi, quæ ad verum Imperatorem pertinent, plenariam habeat poteſtatem: nec Papa ſiue ſedis Apoſtolicæ, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, autoritate, conſenſuue indigeat. Et eapropter hac in perpetuum valitura lege decernimus: vt electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte electorum, ex ſola electione cenſeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus ſubiectis Imperio debeat obediri: quum adminiſtrationem, & iuriſdictionem Imperialem, & Imperialis dignitatis plenitudinē habeat, & ita habere, & obtinere ab omnib. cenſeatur, & firmiter aſſeratur. Quicunq; autē contra hæc declarata decreta, vel diffinita, aut aliquid eorū aſſerere, aut dicere, aut aſſerentibus, aut dicentibus conſentire, vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præſumpſerint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinēt & omnibus gratiis, iuriſdictionibus, priuilegiis, & immunitatibus à nobis vel prædeceſſoribus noſtris conceſſis & nunc priuamus, & ipſo iure, & facto decernimus eſſe priuatos: Inſuper eos crimen læſæ maieſtatis incurriſſe, & pœnis omnibus impoſitis crimen læſæ maieſtatis committentib. ſubiacere. Datum in Colonienſi ciuitate Alemaniæ die, &c. Quibus igitur cruciatibus Oldradi manes torqueri credimus, qui in quodā ſuo non tam conſilio, quam conuitio adeo petulanter in Cæſares debacchatur, vt omnem eorum autoritatem radicitus euellere ſtudeat, quos non modo Regib. ſed vel plebeis magiſtratibus poſtponere audet: quo quidem nomine arguitur & Imperii calumniator impudens, & de ſede Apoſtolica non benemeritus. Quum enim Imperator ſit defenſor libertatis, propulſator iniuriarum, publice, priuatim, moderator, pater, cuſtos vnus: Oldradus mortaliū omnium nequiſſimus eſt repertus, qui defenſorem libertatis, propulſatorem iniuriarum, moderatorem, patrem, cuſtodem, proſcindere & ſuggillare non eſt veritus: qui & dum in humanis ageret, vt publicus parricida, vt maieſtatis reus culeo erat inſuendus: & nunc vita functus, perpetuo ac inextinguili furiarum igne, proculdubio, exuritur, in æternumq; exuretur.

Oldradi impudentia, in Cæſares debacchantis.

CAPVT XX.

Rationes efficaciſſimæ, quibus conuincitur ex Coronatione nihil noui iuris Cæſaribus accedere.

SEd vt in viam redeam, vno ſimul ore, pariq; conſenſu, omnes legum interpretes ſtatuunt, hæc quæ ad Coronationem attinent, fieri magis honoris & officii cauſa, quam vel neceſſario, vel vt ex hac actione quicquam Cæſaribus accedat. In quouis enim fere actionum genere, quædam exiguntur ad rei (vt nunc loquimur) quiditatem ſubſtantiamq;, quædam vero ad ſolennitatem: quæ quidem diſtinctio ad id de quo agimus, adamuſſim accommodatur: ſiquidem electio ſolum ad Imperatoris ſubſtantiam pertinet, ad ſolennitatem reliqua, vt confirmatio, inunctio, conſecratio, coronatio. *d. c. venerabilem. de elect. d. Clem. 1. de iureiur.* At Imperator quo ad ea quæ ſolennitatis ſunt, perinde atq; Pontifex ſolutus eſt legibus. *l. digna vox. C. de legi.* Vnde efficitur ad ius Imperii cumulatiſſime aſſequendum ſolam electionem, quæ ſubſtantiæ locum obtinet, per ſe ſufficere. Hæc traditio quia vera eſt, quadrat vbique, & tota ſibi conſtat. Et ſi qua forte repugnare videntur, facile vel ex hoc capite dilui poſſunt: quod erubeſcendum eſt illi, qui ſuper his, quæ lege aguntur, ſine lege loqui audet. in *authen. de trien.* & *ſemiſ. §. conſideremus. colla. 3. l. illam. C. de colla.* Nulla autem lege cauetur Imperatorem deſignatum eſſe confirmandum nam *ca. Venerabilem. de elect.* quod aduerſarii tanquam telum acerrimum in nos contorquent, ne verbum quidem vnum de confirmatione facit. Recognoſcite quæſo mecum dicta Inno. in eo. *Ius* inquit, *& autoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promouendum in Imperatorem, ad nos ſpectat, qui eum inungamus, conſecremus, & coronemus.* Si quis hæc accuratius rimari voluerit, manifeſte deprehendet, ea cuncta Imperatori deſignato licere, quæ electus confirmatus ante conſecrationem aſſequitur, & conſtat illi omnia licere, quæ ſunt iuriſdictionis *c. noſtri. c. tranſmiſſa, de electio.* Quid quod nullo in loco cautum reperitur, Eccleſiam tranſlationis tempore eiuſmodi legem Imperio præſcripſiſſe? Sed nec video cur quippiam ſuper ea re potuerit ſancire: iuraue Imperii labefactare. Nec illud officit, quod ante Coronationem appelletur *Rex Romanorum*, & perinde nequeat vſurpare Imperii nomen, gubernaculaue: quandoquidem hæ duæ voculæ *Rex Romanorum*, & *Imperator*, idem omnino valent, & ſynonymæ ſunt, vt liquido conſtat ex verbis *d. l. bene à Zenone* & *C. vt nemo priuatus. l. 1.* in vtraque ſcribitur promiſcue, & *Imperialis maieſtas*: & *Regale culmen*. Immo aduerſarii, qui ſacra profanis cōmiſcent, vt nos è gradu deiiciant, argumentorum inopia eo confugere coguntur, vt pleraque proferant, quæ in rem noſtram maxime faciunt. Nam ſi poſt electionem vocatur *Rex Romanorum*, hoc certe iuris habet, vt regat. *ff. de verbo ſigni. l. Tuguri.* id igitur poterit, quod Imperator. hoc eſt quod ſcribitur *l. 1. ff. de offi. præf. præto*, regimentis Reipub. in Principem tranſlatis: ſimul enim atq; Germanorum ſuffragiis eſt deſignatus, efficitur verus, & legitimus Imperator, & inde incipiunt Imperii anni fluere: vt in *authen. vt præpo. no. Impe. §. 1. col. 1. prima*, inquit, *die qua Deus nos Romanorum præpoſuit rebus*, atque eodem temporis veſtigio poteſt quæcunque ſunt poteſtatis Imperialis implere: vt eſt tex. & ibi Bald. in 1. *conſtitu.* Sed quamuis ex vnctione, conſecratione, Coronatione nihil Cæſareis rebus accedat, non hæc tamen, aut vt leuia paruipendi, aut vt ſuperflua reiici debent: cum eam vim habeant, vt ſancti ſpiritus munera conferant, augeaturque interius, quod exterius vnctio præſi-

Solā electionē ad ſubſtantiā Imp. pertinere, reliqua ad ſolennitatem.

Electus in Imp. ante corōnationem Rex Ro. appellatur.

Vnctio, Conſecratio, & Coronatio ad quid proſint.

in *c. Adrianus. 63. diſtinct.* Sed Carolus V. ſub cuius ductu, felicibuſq; auſpiciis Chriſto militamus, tanta eſt (quod ſine vlla adulationis ſuſpicione dictum velim) in ſedem Apoſtolicam pietate, obſeruantiaq; : vt tribus his, vel æqualis, vel multo etiam (à verbo abſit inuidia) ſuperior eſſe videatur : Cuius munificentia, incredibiliq; animi magnitudine effectum videmus, vt ſummus Pontifex à tot fluctibus, vel verius naufragiis ereptus, in pacatiſſimum quietis portum ſit delatus: Atque ſedes Apoſtolica Vrbis Romæ domina, & Regina optimo iure, & ſit, & habeatur. Quod ne quis minus conſiderate dictum putet, hiſtoriam priſcorum Cæſarum paucis attingam. Ex Imperatorib. duo Philippi, pater & filius, omnium primi Chriſtianum nomen acceperunt anno ſalutis. 290. poſt quorum infelicem exitum, vterq; enim fraude Decii necati ſunt, imperauit Decius, maximus Chriſtiani nominis hoſtis: qui Cornelium vrbis Romæ Epiſcopum variis cruciatibus crudeliter interemit. Ventum eſt tandem ad auſpicatiſſima Conſtantini tempora, quia à Siluestro vna cum filio Criſpo ſalutaris fontis lauacro expiatus, ſub ſacro ſanctæ crucis vexillo hoſtes pene innumeros ſuperauit. Sub hoc Principe, qui anno Chriſti 339. Imperium obtinuit, Chriſticolæ prius à Tyrannis oppreſſi, paulatim reſpirare cœperunt. Cæterum quæ de illius donatione vulgo feruntur, & magnos alioquin aſſertores habent, nec propugnare, nec oppugnare eſt animus: quum duo eximii Sedis Ro. Cardines, non minus doctrina, quam pietate clari Nicolaus Cuſanus, & Petrus Aleacenſis adeo accurate, copioſeq; rem omnem explicarunt, vt nihil ſupra addi poſſe videatur. At Pius Pontifex ſedulus rerum vetuſtate inuolutarum indagator, in nobili illo *Dialogo*, quem ante Pontificatum in Germania ædidit, Paleæ ſcripta de Cõſtantino, vt ſubdititia, & adulterina refellit: inuehiturq; contra miſeros, vt eius verbo vtar, legiſtas, qui tantum ſudant diſputando, an id valuerit, quod nullo vnquam tempore fuit. Nam Laurentium Vallenſem miſſum facio, qui calumniandi potius, quam veritatis indagandæ ſtudio, in ſacram Sedem Apoſtolicam petulantiſſime debacchatur: eos autem vt prius Autores ſequar, qui procul ab inuidia, & metu, rurſus à gratia, & amore hęc ex fide retulerunt. Ex quorum monumentis innotuit Conſtantinũ eccleſiam in Vrbe Roma condidiſſe in hortis Equitii, nõ longe à Thermis Domitiani: donaq; obtuliſſe patinam argenteam, & ſcyphos duos, & calicem aureum, aliaq; vaſa ex auro, argentoq; conflata: fundum quoq; Cornelianum dediſſe dono in agro Sabino: & hortum in Vrbe ad regionem duorum adamantum. Item domum in regione Orphea intra Vrbem. Reliqua de eius donatione, & lepra, & balneo ſanguine puerorum redundante, paſſim decantata, ſilentio prætereo, ne odium gratuitum mihi comparem.

Primus Impe Chriſtianus Philippus.

Conſtantinus.

Donatio Conſtantini.

CAPVT XXIII.

Poſt mortem Conſtantini, ad quos Vrbis Romæ principatus deuenerit.

EO vero defuncto, vt lege quadam fatali regna, principatuſq;, quo ſublimius euehuntur, eo miſerabilius ruunt, rebus Romanis paulatim in deterius labantibus: deinde funditus euerſis, Vandali, Gotti, Hunni, Alani, Longobardi ſuo quiq; tempore Italiam innumeris cladibus, depopulationibuſq; deuaſtarunt, Vrbe Roma ſæpius in prædam verſa, aliquando & igne exuſta, Nemo tamen barbarorum eam ſibi vendicare eſt auſus. Sed velut Vrbẽ ſacroſanctam, & extra alienigenarũ commercium poſitam Cæſarum legibus, magiſtratibuſq; regendam omiſerunt. Nam cum Vandali, imperante Valetiano, ex Aphrica profecti, Duce Genſerico, Vrbem diripuiſſent, incendiſſentque templis, & ſacrariis ſpoliatis: quatuordecimo poſt Vrbem captam die cum ingenti captiuorum numero in Aphricam redierunt. At Theodoricus Gottorum rex, Italia domita & ſubacta, Rauennæ regni ſui ſedem fecit, Roma Imperatorum ditioni relicta. Quibus quidem temporibus, inter Antiochenam Romanamque eccleſiam, de ſacrorum & Pontificatus prærogatiua, grauiſſima & diuturna contentio fuit. Sed nec minus poſtquam Conſtantinus Bizantium deduxit Coloniam, de eccleſiæ primatu certatum eſt: quoad Bonifacius III. à Phoca Imperatore obtinuit, magna tamen contentione, vt ſedes beati Petri Apoſtoli, ſicut caput omnium eſt eccleſiarum, ita diceretur & haberetur ab omnibus: quem quidem locum ſibi eccleſia Conſtantinopolitana vendicare conabatur, pleriſque affirmantibus, eo loci primam eccleſiæ ſedem eſſe debere, vbi Imperii caput eſſet. Hactenus, vſque ad Phocæ ſcilicet principatum, vrbem Romam in Imperatoris poteſtate fuiſſe, vt cætera omittam, argumentum eſt certiſſimum, quod Bonifacius IV. cupiens Romæ eo loco vbi Pantheonis templum viſebatur (ſic nuncupatum, quod Cybeli matri, & omnibus diis commune eſſet) delubrum in honorem intemeratæ Virginis extruere, neceſſe fuerit ei facultatem ædificandi à Phoca obtinere: adeo Põtifex (Vrbis nõ tam dominus, quã inquilinus) omni ditione carebat, vt ne ſacellum quidem vnum ſine Imperatoris iuſſu ædificare potuerit. Deinde Vrbem Romam diuturna barbarorum incurſione vexatam, & tandem Belliſſarii, & Narſetis virtute à tot calamitatibus ereptam Imperatores, qui longiſſimo ab Italia tractu Bizantii morabantur, per Hexarchum (id enim erat magiſtratui nomen, qui rebus Italicis præerat) aut legatos quiete tranquilleque regebant. Quoad Lotharius in Italiam veniens magiſtratum elegit, qui populo Ro. ius diceret. Ex plebe autem Decarchones duodecim creabantur, qui vicem Senatus gerebant. Et ne omnium temporum Ephemeridas contexam, nouiſſima complectar: Anno ſalutis 1346. Romani ſibi magiſtratum conſtituerunt conſulari poteſtate, quem Tribunum vocabant, quo tamen breui abrogato, & ob ciuiles diſcordias in exiliũ eiecto, Senatorẽ elegerunt, qui velut Dictaturã in Repub. exerceret. Sed eo quoque non longe poſtea, è magiſtratu deturbato, Septemuiros creant cum ſumma poteſtate: quos Reformatores totius Reipub. nominarunt, qui hodie pari quidem nomine, ſed diſpari poteſtate rebus

Vandali. Gotti. Hunni. Alani. Longobardi. Genſericus Vandalorum dux.

Theodoricus Gottorum rex.

Contentio inter Antiochenam & Romanam eccl. de pontificatus prærogatiua.

Romam fuiſſe in poteſtate Imperatorum vſque ad tempora Phocæ.

Pantheon vnde dictum.

Hexarchus.

Decarchones 12.

Tribunus.

Dictator.

Septemuiri.

Reformatores.

Vrbanis

Vrbanis præſunt. Anno autem 1365. Vrbis cuſtodiam, totiuſq; Reipub. curam Bandareſiis, id eſt, ſingulatum vexilliferis curiarum commiſerunt: hæc capita regionum in hunc vſq; diem vocant. Ex Pontificibus primus Boniſacius 9. anno Domini 1400. Vrbis Romæ dominatum ſibi vendicare tentauit, in cuius vita hæc ſcribit Platina: *Bonifacius Vrbem ingreſſus, munita mole Adriani mœnibus, & turribus dominatu vrbis ſenſim potitus eſt.* Quæ autem ſcribit Platina in eo lib. quem *de vita & moribus Pontificum edidit*, velut ſacroſancta, & Sibyllinis foliis veriora ſunt exiſtimanda: quippe quum ea ex publicis tabulis & diplomatibus, aliiſq; legitimis documentis deprompſerit, in quibus res geſtæ Pontificum eorumq; ſucceſſus, & progreſſiones, vt quiſq, domi foriſq; ſe habuerit, quo curſu nauiculam procellis nunc agitatam, nunc tranquillo pelago quietam duxerit, hiſtorica fide continetur. At Romani indulgentia Imperatorum libertati aſſueti, eam è manibus ereptam, ab Inno. 7. qui in Pontificatu ſucceſſit, prius blande appellando, deinde quum id parum ſuccederet, arreptis armis violenter agendo, extorquere non omiſerunt: & vt idem ſcribit, capto Capitolio, occupatoq; ponte Miluio: arcem Adriani oppugnare conati ſunt. Paucis poſt annis, dum Conſtantiæ concilium ageretur, mortuo Rege Ladislao contra Florentinos proficiſcente, Romæ ad arma & libertatem acclamatum eſt. Quod ipſum contigit pontificatu Eugenii IV. in cuius vita hæc à Platina traduntur. *Romani ad libertatem aſpirantes ſublato clamore pulſiſq; omnibus Eugenii magiſtratibus, nouos ipſi magiſtratus crearunt.* Quid illa, quæ ſub Nicolao V. contigerunt? cuius manibus Federicus, tuus Carole Auguſte abauus paternus, aurea corona inſignitus eſt? nonne in eius vita hæc ad verbum leguntur? *Stephanus Porcarius vir maioris animi, quam potentia, multa liberandæ patriæ indicia præſeferens, Bononiam à Pontifice relegatur, qui Romam aduocantibus coniuratis propere rediit hac mente, vt quum Vrbem attigiſſet, ſumptis armis, populum ad libertatem conuocando, Pontificem & Cardinales caperet.* Idem auſi ſunt Romani recenti memoria ſub Paulo II. in cuius vita verba ſunt hæc: *Nonnulli minas contemnentes, tempus vendicandæ libertatis expectabant: quod poſtea eo mortuo illuxit.*

Bandareſii.

Bonifacius 9. primus vrbis dominatum ſibi vendicare tentauit.

Platinæ autoritas ſacroſancta.

CAPVT XXIV.

De munificentia, & benignitate Caroli Imp. aduerſus ſedem Apoſt. Italiamq; vniuerſam.

HÆc ideo minutatim collegi, vt velut ex altiſſima quadam ſpecula, pulchrum & inauditum virtutis clementiæq; ſpectaculum cuiq; oculis intuendum ſubiicerē, Carolum V. ex Imperatoribus Chriſtianis primum Vrbem Romam vna cum Adriani mole portuq; Hoſtienſi, & oppidis vndiq; circumuicinis in poteſtatem redactam Sedi Apoſtolicæ habendam, fruendamque donaſſe. Feciſti Carole Auguſte quod futura poſteritas magis miretur, quam imitetur: qui cum Romanorum Rex ſis, & appelleris, omnem Romanæ Vrbis iuriſdictionem, à te abdicaſti, illud propter virtutem nihilo ducens, pro quo Imperatores reliqui tantopere digladiari ſolebant. Quod ſi mihi facultas daretur ſermonis pro rerum dignitate figurandi, quam exquiſito dicendi lepore, & venuſtate in heroicis, & plane diuinis tuis virtutibus explicandis immorarer: quum non tam glorioſum duxeris Imperii fines propagare, quam pacem ab Italia iampridem exulantem in priſtinas ſedes, quaſi poſtliminio reuocare. Et cuius fuit prudentiæ hoſtibus omnem nocendi facultatem auferre, eius fuit humanitatis, victos, ac debellatos ab omni iniuria, & clade releuare. Hic licuit ſi vnquam alias tuam pietatem magnanimitatemque intueri. Nemo fuit ex eorum numero, à quibus neque diuino, neque humano more fuerat laceſſitus, non modo aliqua pœna mulctatus, ſed ne minima quidem ignominia perſtrictus: nemo nec loco, nec gradu, nec ordine ſubmotus, manſerunt cuique principatus fortunæque omnes integræ & illibatæ. Et quamuis intelligeres, & quid rebus tuis magis expediret, & quid tibi liceret, maluiſti tamen opulentiſſimis Ciuitatib. carere, quā pati, vt aliquid de tua clementia pietateue deſiderandum videretur. O tuam Carole non tam victoriam, quam clementiam prædicandam: ex qua neſcio quid maius, quam ex victoria es adeptus: illa effecit, vt nemo tibi nocere poſſit, hæc vt nemo velit. Qui rebus Chriſtianæ Reip. ex animi ſententia compoſitis & conſtitutis, dextro numine, felicibuſque auſpiciis ad glorioſam illam & perneceſſariam aduerſus Turchas expeditionem tete accingis. Iamque augurari mihi licet futurum, vt abolitis ferrei ſeculi reliquiis, aurea illa ætas ſub te breui renaſcatur: iſque ſit futurus Chriſtianæ Reip. ſtatus, vt continuandæ potius felicitatis, quam augendæ cupiditatis vota faciamus. Quæ felicitas an adhuc meæ debeatur ætati, Deus ipſe viderit: hac certe ſpe interim fruar, quicquid Orbis terrarum patet, qua vox olim euangelica permearit, tuo magnanime Carole ductu atq; auſpiciis in Chriſtianam ditionem conceſſuram.

Imp. Defenſor Aduocatus & Patronus eccleſiæ.

ceptione, niſi ad mutuam opem ferendam. Namque Imperator defenſor eſt, aduocatus & patronus eccleſiæ, vt *c. adminiſtratores, 23. q. 5. c. ſi in adiutorium, 10. diſt.* cum aliis pene innumeris. Atq; vbi quid per ſchiſmaticos aliosue in religione turbatur, quamuis nec accerſitus nec interpellatus, vltro accurrere debet, & tanquam Triptolemus alter iuſtitiæ armis indutus, aduerſus ignorantiæ & perfidiæ iacula in aciem deſcendere: quæque collapſa videntur, aut breui ruitura, fulcire ac ſuſtentare. Quocirca ſcribit Ioan. And. vir liberrimi iudicij, & neutri patri addictus, *Vbi eccleſiaſtica poteſtas deficit, Imperatorem ſupplere,* vt traditur c. principes. 18. q. 5. *Principes ſeculi nonnunquam intra eccleſiam poteſtatis culmina tenent, vt per eandem, diſciplinam eccleſiaſticam muniant.* quem locum citat Bal. in c. olim. de reſct. & hæc adiungit: *Imperator olim ſchiſma curabat, concilium congregabat, illique intererat. Sed hodie,* vt idem ſcribit, *fuſces amiſit, quia reges ab eius obſequio ſeſe abduxerunt:* de re iu. c. ad Apoſtolicæ, lib. 6. Quam me delectat illa Martiani Imperatoris profeſſio, in c. nos, 96. diſt. *Nos,* inquit, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo religioſiſſimi Conſtantini ſynodo intereſſe voluimus, vt veritate inuenta, non vltra multitudo prauis doctrinis attracta diſcordet.* quod his miſeris temporibus, an neceſſarium foret, Deus ipſe iudicet: imo vt affirmat Bal. in *d. c. olim,* vbi agitur de religione tutanda, vel totius mundi periculo, ſi ille cuius intereſt, non vult ratione & iuſtitia vti, ab Imperatore armis compelli poteſt, C. *de iud. l. nullus.* An autem ſummus Pontifex, quicquid ciuitatum locorumue obtinet, Imperatori acceptum referat, & eo nomine inferior cenſeatur, adeo exacte & dilucide explicat Præpoſitus, *cap. ad verum. 96. diſtinct.* vt nulli dubitandi relictus eſſe locus videatur.

Imperium prius origine Papatu.

In quibus Pontifex habeat ius in Imp.

Nec illud in dubium venit, Imperium prius origine fuiſſe Papatu, & quatenus antiquior, eo dignior Imperator eſt cenſendus, *l. 1. de albo ſcri. ff.* ſed quo ſpiritualia & æterna temporarijs, & caducis ſunt ſublimiora, eo Papa maior excellentiorque haberi debet. Illud vero extra omnem aleam poſitum velim, his in rebus, quæ ad ceremonias diuinumque cultum referuntur, Pontificem habere ius & poteſtatem in ipſum etiam Imperatorem, *c. nouit. de iudic.* Qua Innoc. velut Vulcani clypeo munitus, Archadium Imperatorem, quod Chryſoſtomum ab epiſcopali ſede deijci permiſerit, excommunicationis cenſura innodauit, *c. duo ſunt. 96. diſtin.* Quinimo ſi diuina myſteria ſpectes, quilibet Antiſtes dicitur eſſe Imperatore maior. *Talem* (inquit optimus ille, ſed parum felix Imperator) *in Pontificia conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincere noſtra capita ſubmittamus,* 63. diſt. c. Valentinianus. Cum Imperatori vel ab epiſcopo ſacris interdici poſſe, exemplo Ambroſij conuincatur, qui Theodoſium à ſacrorum commercio excluſit, ob delictum in ſua diœceſi perpetratum. An autem Papa ea ſuccedat in Vicariatu poteſtatis & dignitatis prærogatiua, qua beatus Petrus à Chriſto fuerat euectus, egregie explicat diuus Thom. in *ſum. contra gent. lib. 3. c. 76.*

CAPVT XIII.

Quale fuerit olim Imperium, & vt primo ſucceſſione, deinde per electionem delatum ſit.

Imp. ſuffragio militum creabantur olim.

Imp. ius.

Iul. Cæſar. Regium nomen Rom. inuiſum.

CVm hactenus demonſtratum ſit ſacerdotium & Imperium eiſdem è fontibus emanaſſe, & alterum ab altero non admodum differre: operæ precium me facturum puto, ſi quæ amborum fuerit origo, qui progreſſus atque incrementa, quantaque inter vtrunque ſit vel qualitas, vel ſimilitudo, paucis attigero. Illud præfabor, quod neminem hiſtoriæ Romanæ ſtudioſum latere reor, Imperatores olim ſuffragio militari ſolitos creari, vt in *cap. legimus. 63. diſtinct.* Quippe à Senatu populoque Romano, cuiuſque prouinciæ moderandæ cura conſuli, prætori, alijſque magiſtratibus demandabatur, qui vbi aliqua inſigni clade hoſtes affecerant, mox ab vniuerſo exercitu Imperatores nominabantur. Ius autem erat Imperatori nominato Faſces laureatos honoris cauſa geſtare, quibus frequenter Senatus decernebat plurium dierum ſupplicationes, velut triumphi futuri prærogatiua, quo poſt victoriam magnifice geſto, votiſque Tarpeio Ioui perſolutis, ab Imperatoris nomine abſtinebant: ſed hoc Caſtrenſe nomen in eum eſt translatum, qui Romani Imperij gubernacula tenet: cuius immutationis cauſa fuit Iulius Cæſar, qui cum rerum potitus, dictatoriam, Regiamque poteſtatem in ſe conuertiſſet, quod ſciret Regium nomen Romanis eſſe inuiſum, atque adeo execrabile, ad declinandam inuidiam pro Rege Imperator maluit appellari, id quod multo antea fuerat meditatus. Nam cum M. Antonius conſul Anciliorum die ei diadema obtuliſſet, ille altiſſima voce exclamauit, vt ab omnibus audiri poſſet, *ſe Cæſarem, non Regem eſſe*, diademaque procul abiecit. Quod M. Cicero omnibus eloquentiæ ſuæ viribus M. Antonio frequenter exprobrat, id non omiſit diuus Thom. nullius elegantioris expers diſciplinæ, qui in libro *de reg. prin.* tam ſæpe repetito, Imperatorem tradit non dici Regem, quia nomen Regium Romanis erat odioſum.

Imp. ſucceſſionis iure deferebatur olim.

Octauius.

Tyberius.

Caligula.

Nerua.

Traianus.

Adrianus.

Antoninus.

Veſpaſianus.

Valentinian.

Cæterum Imperium à Iulio Cæſare ita auctum & conſtitutum, quaſi per manus ſucceſſionis iure deferebatur: ſic Octauius in familiam Iuliorum adoptatus, Cæſari ſucceſſit: & Tyberius per adoptionem Octauio, eodem iure Caligula Tyberio, Neruæ Traianus, Traiano Adrianus, Adriano Antonius: nam Veſpaſianus Imperium nullo aliunde hærede accerſito ad ſuos liberos tranſmiſit. Quid autem laboro ſeriem Cæſarum ſingulatim recenſere? cum Imperium olim ſucceſſorio edicto fuiſſe delatum habeatur, in *cap. denique. 7. quæſt. 1.* Vbi gloſſa refert filios Regum iure Reges eſſe oportere, & Dauid Salomonem ſibi ſucceſſorem inſtituiſſe. Quem autem quiſque in ſucceſſorem cooptabat, is vel Cæſar, vel Auguſtus eſt appellatus, ſic Valentinianus Gratianum filium ſuum

Augu-

Auguſtum dixit, & Diocletianus Conſtantium, atque alij alios. Quandoque tamen ſuffragio militari Imperator creabatur, vt Veſpaſianus à Iudaico, Galba ab Hiſpanenſi, Vitellius à Germanico exercitu, ad ſupremum faſtigium ſunt euecti, qui tum demum iure facti cenſebantur, ſi Senatus populique Romani authoritas interceſſiſſet. Et ne ſola hiſtoria me ſuſtentem: Canones tradunt, principatum non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ, & quando, aut vnde habuerit ortum Imperium, copioſe narrat Archi. 11. *quaſt*. 3. *cap. Iulianus*: & Iac. Aluar. 10. *coll. quis di. dux. co. vel mar.* At cur olim ſucceſſionis ſerie, nunc autem ex electione deferatur, diſputat Ioann. And. in *addit. Spec. ti. de reſcrip. præſent.* § *fin.* Bald. *c.* 1. *de pace ten. in vſib. feud.* & Petr. de Anch. *conſ.* 381. Quot demum apud priſcos fuerint imperia, tradit Bar. in *extrau. ad reprim*: & Aluar. *d. colla.* 10.

Diocletianus: Conſtantius. Imp. ſuffragio militari creati. Canon. de Imperio.

CAPVT XIV.

Quomodo olim deferebatur Pontificatus, & quæ in eare fuerit Imperatorum authoritas.

HÆc ideo vberius de Cæſaribus recenſui, vt ad Pontifices facilior aditus pateret, quo mea omnis tendit oratio: qui tamen non *Papa*, nec *Pontifices*, ſed *Romani Epiſcopi* vocabantur, nomen à vetuſtis temporibus deductum. Nam Athenienſes, quos ſpeculatum mittebant; quid in vnaquaque ſubditarum ciuitatum boni maliue, æqui aut iniqui ageretur, hos *Epiſcopos*, id eſt, ſpeculatores vocabant, vt *cap. qui Epiſcopatum*, 8. *quaſt*. 1. Refertque Plutarchus, Scipionem Africanum à Senatu in Aſia in miſſum eſſe *Epiſcopum gentium Regumque*: & Cicero ad Atticum ſcribens: *Me*, inquit, *Pompeius eſſe voluit, quem tota Campania & ora maritima habeat Epiſcopum, ad quem delectus, & negocij ſumma deferatur.* Vnde vero & quare Roman. Epiſcopo nomen hoc *Papa* fuerit inditum, & an ſit nomen dignitatis, an potius ordinis, tradit Ioann. Andr. *in præfat. Clemen. & de translat. prælat. cap.* 4. *&* 90. *diſtinct. c. ſi quis.* Verum vt de ratione nominis ambigitur, ita dubitatione caret, Pontificatum olim per ſucceſſionem deferri ſolitum, Nam & Petrus quaſi ex teſtamento Cletum ſucceſſorem reliquit, vel (vt alij malunt) Linum, qui Clementem ſibi adoptauit, at Cletus Anacletum, durauitque is mos vſque ad tempora Hilarij, *c. ſi Petrus*, *c. Moſes*. 8. *quaſt*. 1. qui Pontificatum iniuit, anno ſalutis D. hic primus inſtituit, ne Pontifices ſucceſſores ſibi deligerent: quæ ſanctio eſt redacta inter Decretales conſtitutiones, & ad omne ſacerdotum munus prorogata, vt in *cap.* 1. *de præb.* & per vniuerſa capita, quæ comprehenduntur in 8. *quaſt*. 1. Veruntamen quacunque ratione ad Pontificatum pateret ingreſſus, nemo Apoſtolicæ Cymbæ gubernacula capeſcebat, ni prius Imperatoris authoritas interceſſiſſet, vt *cap. Adrianus*, *c. in ſynodo*. 63. *diſtinct*. Mos enim apud veteres inualuerat longo annorum decurſu obſeruatus, vt Clerus populuſque Romanus Pontificem eligeret: quo deſignato in Imperatoris manu erat electionem ratam, irritamue habere, *cap. Agatho.* 63. *diſtinct*. & vt collibitum fuerat aut eum admittere, comprobareque, aut ipſo reiecto & exploſo, alterum ſubrogare. Perdurauitque is mos vſque ad Adrianum anno ſalutis, DCCCXCV. qui tanti animi fuit, vt initio Pontificatus ſui ad Senatum, populumq; Romanum retulerit, ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, itaque libera eſſent cleri, populique ſuffragia. Sed huic edicto minime fuit obtemperatum, permanſitque vetus illa conſuetudo, Pontificis ab Imperatore confirmandi. verba ſunt Platinæ in vita Gregorij IX. qui præfuit Pontificatui anno Chriſti M.LXXII. *Gregorius*, inquit, *multis muneribus vltro citroque miſſis, cum Henrico Imperatore in gratiam redit, qui enim in Pontificem Rom. confirmauit, vt tunc temporis mos erat.*

Epiſcopus Romanus. Epiſcopi nomen vnde. Papa nomen vnde. Pontificatus olim per ſucceſſionem deferebatur. Petrus. Cletus. Linus. Clemens. Anacletus. Hilarius. Papa electus ab Imperatore confirmari ſolebat. Adrianus Papa primus, qui Imper autoritatem non expectandam cenſuit.

CAPVT XV.

Vnde euenerit, vt mutato vetere inſtituto, Imperator confirmetur à Pontifice.

QVid iam aliud ſupereſt, quam vt velut in frequenti iuris peritorum conſeſſu ſtudioſe quæramus, vnde tam noua rerum facies eruperit, tantaque labentis Imperij facta ſit immutatio, vt cum per mille ſupra annos, nullus, niſi prius interpoſita Imperij authoritate, Pontificatum fuerit aſſequutus, vt perſpicue habetur in *cap. in ſynodo*, aliiſque cap. 63. *diſtinct*. Nunc fortuna immutata, & in contrarium reflante, Cæſar, quo rerum habenas pleniore iure moderetur, alieno egeat adminiculo. Ciuilium legum interpretes, *dict. l. bene à Zenone*, hanc (vt putant) Imperij calamitatem deplorare non deſinunt, & cauſantur aſtu potius, doloque, quam ex æquo, vel bono, tam certa diuturnaque priuilegia Cæſares amiſiſſe, & (vt inquiunt Bal. & Alber.) ex longa Imperij vacatione, atq; interregno, nec non potentia, prudentiaque ſummorum Pontificum, & aliorum Romanæ eccleſiæ præſidum, tantum decoris & dignitatis Cæſaribus eſſe ademptum. Sed hi omnes, mea quidem ſententia, errorum tenebris inuoluti, à recta ſemita declinarunt; quibus ſi quid luminis affulſiſſet, facile fuit intueri, triplicem huius mutationis cauſam. Vel quod Imperatores ea priuilegia, quibus plerunque Romanæ Eccleſiæ inſultabant, ſponte à ſe abdicarunt, *c. ego Ludouicus*. 63. *diſt. & c. tibi*. Vel quod ex abuſu ea perdidere, *c. verum, ea. diſt.* Vel poſtremo, quod eiuſmodi ex cauſa cōceſſa fuerint, quæ explicatur in *c. Adrianus, & ſeq. ea. diſt.* Ceſſante autem cauſa priuilegij, è veſtigio priuilegium euaneſcit, *c. quod pro remedio*, 1. *q*. 7. Bal. vir ingenij acutiſſimi, & dialecticis diſciplinis apprime ornatus, in *c. olim, de reſcr.* nos admonet, vt duo tempora animo reuoluamus, alterū cum eccleſia lacera, & exanguis parum firmitatis habēbat, alienoq; adminiculo fulciebatur, quæ tūc præſenti ſcenæ in-

Triplex cauſa, cur Imp. à Pontifice confirmetur.

ſeruiens nihil nõn indulſit Imperatoribus, ſeque quodammodo ſeruilem in morem emancipatui dedit. Alterum quum eo amplitudinis & authoritatis excreuit, vt vel Cæſaribus ipſis eſſet formidoloſa, quando ſcilicet Imperium cœpit inclinare, & Reges principeſque ab eo deficere: tum demum ſuo vſa eſt foro, & tam graui iugo diſcuſſo, ſe in libertatem vindicauit; idque optimo iure, cum *Imperia*, vt inquit Valerius, *debeant ſacris famulari.* Hoc confecto, demendus iam eſt ille ſcrupulus ex animo quorundam, qui anxie percunctantur, cum primæuo ritu Chriſtianaque inſtitutione omnes fere vectigales eſſent eccleſiæ, penderentque annuum Imperatori tributum, *authen. vt eccle. Roman. c. ſi tributum. c. magnum. 11. quæſt. prima.* qua ratione factæ ſint immunes, quisue eas à tali iugo eximere potuerit. Legum interpretes in *d. l. bene à Zenone*, id effectum putant ſola indulgentia, liberaque Imperatorum voluntate: quod licet non abſurde dici videatur, ſententia tamen Innocen. proximius ad veritatem accedit, qui in *c. 2. de maior. & obedien.* affirmat eas potuiſſe per decreta Pontificum ab alieno emancipatu eximi, & tanquam res ſpirituales quaſi vinditiarum iudicio in libertatem reuocari. Theologi, qui hæc veſtigijs omnibus indagata tenent, rem totam exactius perſcrutantur, & præſertim diuus Thom. 2. 2. *quæſt. 63.* vbi affirmat, Leonem Papam vltro ſe ſubieciſſe iudicio Imperatoris, quemadmodum Chriſtus hominibus. Vt autem quæ ſuper hac quęſtione omnium ingenijs agitata diuinus ille vir ſenſerit, in lucem prodeant, quædam ex priſcis Cæſarum annalibus paucis perſtringam. Leo primus ex Græcorum genere in demortui Martini locum eſt ſuffectus, qui Leonem II. ex ſorore nepotem ſibi ſucceſſorem deſignauit: at ille non multo poſtea morbo oppreſſus, patri Zenoni Imperium reliquit, & ita per manus ſumma Imperij poteſtas apud Græcos diu remanſit. Poſtmodum anno ſalutis ▪ c c c. ob principum Conſtantinopolitanorum impietatem, cultuſque diuini neglectum, à Græcis in Germanos per Stephanum Imperij facta eſt translatio.

Imperia ſacris famulari debere.

Imperium, quo tempore ad Germanos translatum.

CAPVT XVI.

Imperium à Græcis ad quos fuerit translatum, & quid in eo iuris adepta ſit Eccleſia.

NAm fide caret, quod in plurimorum animis inſedit, & à gloſſ. in *c. ego Ludouicus 63. diſtinct.* his verbis enarratur: *Imperium primo Francorum fuit, ſed poſtea Teuthonici virtutib. promeruerunt Imperium.* Qui error irrepſit, cum ex hiſtoriarum inſcitia, tum ex nominum propinquitate, quod pro *Franconia*, Franciam, pro *Francis* Gallos crediderunt. At diuus Hieronym. omnibus humanioribus diſciplinis excultus ad Iouinianum ſcribit: *Francos Germaniæ populos, inter Sueuos & Saxones, regionem fortem magis & bellicoſam, quam latam tenere.* Siquidem Franconia, vt ex ratione coſmographiæ deprehendimus, à Septentrione & Oriente ſylua Hyrcinia continetur; à meridie Sueuos attingit, ab occidente ad Rhenum non peruenit. Sed olim Francorum fines, vt omnium fere Germaniæ populorum, nullis terminis claudebantur, virium robore, & bellicis ſucceſſibus extendere, propagareque limites conſueuerant. Hi Germaniam longe lateque peruagati, coloniam ad Moganum Fluuium (vnde Moguntia) deduxere, quam à ſuo nomine Francofordiam vocarunt: & deinde Rheno ſuperato, Belgiſque in poteſtatem redactis, omnes fere Gallicas vires attriuere, vt iam non Gallia, ſed ab ipſis Francis Francia fuerit appellata. At Carolus Martellus ex his Francis oriundus, quos orientales vocant, Tongros, Eburoneſque, & alios his finitimos populos hæreditario iure poſſedit, præfecturamque totius Galliæ bellica virtute promeruit, cui Pipinus filius in opes dignitatemque ſucceſſit, & Zachariæ Pontificis authoritate in locum Chylderici Galliarum Regis, quem gloſſ. in *dict. cap. venerabilem*, per incuriam Ludouicum nominat, eſt ſuffectus. Nam Chyldericus ob inertiam, & quod raro in conſpectum ſuorum prodibat, regno deturbatus, in monaſterium obtruſus eſt, vt *c. alius, 15. quæſt. 6.* erat etiam eo tempore Gallorum Regum mos, qui prius fuerat Perſarum, vt ſeſe vix vlli ſpectandos exhiberent. Cæterum Stephano Pontifice authore, in Carolum Pipini filium à Bizantinis principibus Imperium eſt translatum, vt *dict. cap. venerabilem*, cuius verba ſunt hæc: *Apoſtolica ſedes Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis tranſtulit ad Germanos.* Et in Clem. Romani de iureiur. *Eccleſia*, inquit, *à Græcis Imperium tranſtulit ad Germanos.* Hæc ſi gloſſematum ſcriptor, alijque canonum interpretes accuratius legiſſent, nullus errori locus foret relictus. nec etiam nego quoſdam ex Gallorum regibus olim imperaſſe, ſed Imperium à Græcis in Gallos aliquando eſſe translatum, id vero pernego. Verum vt ad ſeriem narrationis reuertar, Primus Germanorum Carolus cognomento Magnus, ſummum principatũ eſt adeptus, deinde ſalutis anno M. II. Gregorius V. de eligendo Imperatore ſanctionem tulit, Ottone V. (qui tunc Imperium tenebat) non refragante, vt ſcilicet ſolis Germanis liceret principem deligere: Qui Cæſar & Romanorum Rex appellatus, tunc demum Imperator & Auguſtus haberetur, cum Romani pontificis authoritas acceſſiſſet, eamq; eligendi facultatem conceſſit tribus Archipræſulibus, Moguntino, Treuirenſi, & Colonienſi: quatuorq; Principibus, Marchioni Brandeburgenſi, Comiti Palatino, Duci Saxoniæ, & demũ Regi Boemiæ, apud quos in hunc vſque diem Principis deligendi omne ius reſidet. Ex hac hiſtoriarum ſerie neminem latere poteſt, eccleſiæ licuiſſe legem præſcribere futuris Imperatoribus ab ipſa ius habentibus, iuraque veteris Imperij immutare: cum Germanicum Imperium, non tam dicatur ſuccedere in locum prioris, quam eccleſiæ illud transferentis. Nec Antiſtites, Principesque Germaniæ aliunde quam à Papa ius poteſtatemq; Imperatoris eligendi obtineant. Vt eſt glo. valde memorabilis in *dict. c. in apibus*, cuius verba ſunt hæc: *Qui dicit Imperatorem*

Franci Germaniæ populus. Franconia

Moguntia vnde. Francofordia. Francia vnde dicta. Carolus Martellus. Pipinus. Chyldericus.

Stephanus Pont. in Carolum Pipini filium Imperium à Græcis tranſtulit.

Carolus Magnus. Sanctio de eligendo Imp.

Electores Imp. ſeptem qui.

Eccleſiæ potuit præſcribere leges Imp.

nisi tum

noſtrum iuriſdictionem habere ſine Papa, dicit nos Imperatore carere. Vnde ſequens eſt, ab eo vſque tempore, quo Imperium ab Oriente in Germaniam fuit translatum, Græculum illum non fuiſſe verum, nec legitimum Imperatorem: cum rationi repugnet, duos ſimul rerum ſumma potiri, *dict. c. in apibus.* nam ſi ſunt multi, erunt multa capita, quaſi monſtrum, *de offic. ord. cap. quanto*, niſi ambo vnius vicem obirent, *l. diui fratres. C. de iure patron.* Et *ſi aliquando plures imperitarunt, id contigit* (vt ſcribit Archi.) *violenter, & de facto.* Non eſt igitur cur curioſi, & qui pluſquam oportet ſapiunt, mirentur: Imperatorem omne illud ius, quod in Pontifices, alioſque ſacrorum miniſtros tot ſeculis exercuit, à ſe, vt fas piumque erat, penitus abdicaſſe, vt 63. *diſtinct. c. ex his.* quum non dominus, ſed filius Eccleſiæ, & ſit & appelletur, *cap. quis dubitet. 96. diſtinct. & 23. quæſt. 8. c. cum mirum.* Eapropter ſuper his quæ ſpiritualia ſunt, nec iuris quicquam habet, nec immunitates cuipiam, vel etiam diplomata dare poteſt. Vt eſt gloſſ. in *c. veniens, de reſt. ſpol. & in Clem. Romani. de iureiur.* Vtcunque etiam ſe res habuerit in violento illo priſcorum Imperio, noſtrum certe à ſede Apoſtolica ſumpſit exordium, eiuſque ſolius authoritate nititur, nec extra eccleſiam eſt Imperium, 24. *quæſt. 1. cap. ſed illud.* Hoc eſt in cauſa, cur Imperator in verba Pontificis iurat: & iuſiurandum (quod fidelitatis appellant) ei præſtare compellitur: vt *c. tibi. 63. diſtinct.* ab eoque inungitur, conſecratur, approbatur, & coronatur, vt *dict. c. venerabilem*, & per Hoſtien. *de ſacra vnc. in ſum. §. qualiter & à quo.* Et ne prioribus hæc male cohærere videantur: nil prohibet ſimul dicere, poteſtatem Imperatoriam à Deo quidem emanare, vt *dict. c. verum.* Sed nihilominus etiam à Pontifice deriuari, non vt eſt homo, ſed vt Vicariam in terris Chriſti perſonam gerit.

Imp. Græcus. Non poſſe duos vna eſſe Imp.

Imp. filius non dominus eccleſiæ.

Cur Imp. in verba Pontificis iuret.

CAPVT XVII.

An ex ſola electione Cæſar ius pleniſſimum imperandi conſequatur.

HInc illa orta eſt dubitatio, multum diuque inter recentiores, variantibus ſententijs, diſputata: Ex ſola ne electione Imperij ius poteſtaſque deferatur; an eum inungi, approbari, coronarique prius oporteat, quam ex Auguſtali illo ſolio legem humano generi præſcribere poſſit. Qui ad Pontificem ſummam rerum deferunt, eique omnia tam diuina quam humana ſubijciunt, vt 55. *diſtinct. c. ſi Imperator*, remis veliſque contendunt, electionem ius quidem Imperatori deſignato, ſed inefficax, & ſicuti gladium in vagina reconditum, tribuere: at vt eum educere, ac perſtringere poſſit, è ſola Pontificis authoritate approbationeque proficiſci. Hæc ſententia magnos aſſertores inuenit, vt Hoſtien. in *ſumma, de verbor. ſignif. §. ſuper quibus, & in ſum. qui fil. ſint legit. §. fin. de elect. §. & à quo confirmanda.* & Spec. Ioann. And. atque alios pleroſque, qui omnem mouent lapidem, vt id nobis omnino perſuadeant; nec ſolum authoritate ſacrorum canonum pugnant, ſed argumentorum quoque iacula in repugnantes contorquent. Non poteſt, inquiunt, eſſe perfectum, cui particula aliqua deeſt, vt in *5. tranſmunda. philo. libro* tradit Ariſt. Sed ante inunctionem, coronationem, cæteraque ſolennia in conſtituendo Imperatore fieri ſolita, pars aliqua imperiali faſtigio deeſt, alioquin hæc ipſa ſuperflua eſſent, & ridicula: non eſt igitur perfectum. Hoc poſito, conſequens eſt, Imperatorem non ea poſſe præſtare, quæ meri abſolutique ſunt Imperij; poſſet autem, ſi in iure dicendo poteſtatem libere exerceret, cum omnis maieſtas Imperij in hoc vno conſiſtat, *l. fin. C. de legib.* Inſuper nemo quippiam agit, moliturue, antequam oriatur, & ſit, vt *ff. de colla. bon. l. 1. & de noua. l. quoties.* Sed Imperator in ipſa coronatione dicitur oriri, *C. de feriis. l. omnes: Vel ortus*, inquit, *Imperii protulerunt*: ergo priuſquam coronetur, ea peragere nequit, quæ ad Imperatoris officium pertinent. Præterea vt in naturalibus vnaquæque res tria continet, ſubſtantiam, virtutem, actionem: quæ adeo inuicem cohærent, vt actio non niſi à virtute proficiſcatur, nec virtus niſi à ſubſtantia, vt docet Auerroes *7. Metaph. 5.* Proprium ſiquidem eſt Dei, nulla extrinſecus acceſſita virtute, per ſolam ſubſtantiam agere, quandoquidem Dei ſubſtantia virtus ipſa eſt. Itidem in moralibus, quod ad præſens negotium attinet, tria hæc, electio, confirmatio, adminiſtratio: ſic indiſſolubili nexu vinciuntur, vt ſine pernicie diuelli ſepararique nequeant. Electio locum ſubſtantiæ tenet, confirmatio virtutis, adminiſtratio actionis quandoquidem per electionem Imperator generatur, per confirmationem virtutem acquirit, per quam agat, per adminiſtrationem aſſequitur ipſum agere, atque operari. Ex quibus neceſſario efficitur, vt Imperator ſola ex electione adminiſtrare non poſſit, niſi prius confirmationis virtus acceſſerit. Ad hæc accedit authoritas, *dict. c. venerabilem*, vbi ſcriptum eſt, *ius & poteſtas examinandi electum in Regem, & ad Imperium promouendum*, & in Cle. Romani, *ius & poteſtas eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum.* Quibus ex locis deprehendi poteſt, duos eſſe in Cæſare quaſi dignitatis gradus: Vnum, quatenus eſt Rex; Alterum, quatenus Imperator promouendus. Sed cum duo gradus inuicem iunguntur, quorum ea natura eſt, vt ordine perfectionis alter alteri ſuccedat, qui inferiorem tenet, ad ſuperiorem ſcandere non debet, vt Diaconus, ad ea quæ vel Epiſcopi, vel presbyteri, 93. *dict. c. diaconus.* Ex qua graduum ſucceſſione conſtat, eum qui in primo Regis gradu collocatur, nondum ſublimitatis Imperialis gradum poſſe attingere; quod plane declarat Nicolaus 2. *c. in nomine domini. 23. diſtinct.* vbi ait, *Filius noſter Henricus, qui in præſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, ſperatur*: dialectica ſunt hæc, atque in exercitationem argutiarum ſæpe iactata.

Electio. Confirmatio. Adminiſtratio.

Duo dignitatis gradus in Cæſare.

CAPVT XVIII.

Rationes, quibus conuincitur ex ſola electione aliquem fieri verum, & legitimum Imperatorem.

HIs inuolucris nobiſcum agunt, qui iura Imperij labefactare ſtudent, aduerſus quos nulla certior victoria eſt ſperanda, quam ſi eos ſuo quenque gladio iugulemus, vt ſic ſaucii & exanimes fateri cogantur, ſola ex electione rite legitimeque facta, quemlibet verum certumq; Imperatorem & eſſe & nominari, poſſeque toto (vt aiunt) annuente Cœlo, quæ ad munus Imperatorum attinent, ſuo arbitratu exercere. Nonne Pontifex, antequam coronetur, ſuo officio per omnes numeros fungi ſolet? quinimo ſi quis eo prætextu literas Pontificias oppugnat, à ſacris myſteriis, vt impius & profanus arcetur, vt in extraua. Benedicti VI. quæ incipit: *Quia nonnulli.* Quid quod Innoc. Pontifex in *cap. licet, de elect.* decernit, ex ſola electione Pontificem continuo Apoſtolicę Cymbæ gubernaculum apprehendere, nec vllius confirmationis egere? Quod ſi Imperium & ſacerdotium parum admodum differunt, ſi ex eodem fonte ambo profluxerunt, ſi eodem itinere progrediuntur, proculdubio de vtroque idem eſt ſentiendum. Et eapropter Imperator perinde vt Pontifex eligendo confirmatur, *c. in nomine Domini, 23. diſtinct.* nulloque eſt opus adminiculo, vt Imperatorium munus obire poſſit. Quid vero in re perſpicua tantum operæ ponimus? quum ille idem Pontifex, nec non certiſſimus Canonum interpres Innocen. omnem ſcrupulum ex animis exemerit, qui in *c. venerabilem, de election.* verba hæc adſcribit: *Credimus tamen, quod ſi Imperator Coronam in loco debito accipere non poſſit, nihilominus authoritatem adminiſtrandi à Archiepiſcopo Coloniensi poſſit recipere: vel ſua authoritate, quam habet ex electione, ſine vlla coronatione miniſtrare.* At Iohann Andr. alterum iuris Pontificij iubar in *in cap. auaritiæ, de electione, libro ſexto: & in dict. Clemen.* 1. non ſolum huic ſententiæ ſubſcribit, ſed etiam addit ita de iure eſſe, & conſuetudine à Pontifice tolerata, cui ſtandum eſt. In hanc ſententiam Iac. de Are. Imol. Buttigarii, Bal. Albe. denique tota iuris Cæſarei ſchola cateruatim tranſit. Sed ne, qui pro contraria factione ſtant, vel verbum vnum amplius hiſcere audeant, ratiocinationes quaſdam ex communi vſu diuturnaque experientia ductas in medium proferam, quarum prima ſit hæc; In principatu omnium maximum eſt legem condere, ſoli enim Imperatori in ſupremæ poteſtatis prærogatiuam id competit, *C. de leg. l. fin.* Sed legem poteſt, ſimul atque eſt deſignatus, condere. Quod in diuo Maximiliano nos ipſi obſeruauimus, & Antoninus Pius Imper. his verbis teſtatur: *de his omnibus diuus Pater meus ingrediens mox principatum, conſtitutiones, honores & immunitates certificauit, l. ſed & reprobari. ff. de excu. tuto.* quanto igitur magis, quæ minoris momenti habentur, eius erunt in poteſtate, per regulam *non debet?* Præterea ſi prælatus trans montes electus hac gaudet prærogatiua, vt ſola ex electione ius adminiſtrandi acquirat, *c. nihil. de elect.* quanto id iuſtius, rationabiliuſque de Imperatore, qui trans montes eligitur, ſtatuendum eſt? Ad hæc, electio comitiis Germanicis celebrata illi ſucceſſit, pro qua olim populus Rom. ſuffragia ferebat, illius ergo naturam induere debet, *Inſtit. de action. §. fuerat, & de dona. §. qui id quod.* At ex ea nullo adminiculo extrinſecus accerſito ſumma poteſtas in principem conferebatur, vt ſcilicet quodcunque conſtituiſſet, foret ratum, *ff. de orig. iur. l. 11. & c. legimus, 93. diſtin.* idem igitur ex hac ipſa Germanica confertur. Quod ſi contraria ſententia vincat, in quaſdam anguſtias, & quaſi Labyrinthos incidemus, quum ſub Romanis Pontificibus (ne vetuſtiora repetam) plerique fuerint Imperatores nec inuncti, nec coronati: recenti vero memoria Albertus & Maximilianus, ſine vlla Pontificis approbatione Imperii munus egregie obierunt, quorum omnium res geſtæ, ſi ſecundum aduerſarios lis daretur, nihil virium, nihilque firmitatis obtinerent: ſic leges ciuiles, ſic limites cuique prouinciæ deſignati, ſic principatus vel in feudum, vel alio nomine quæſiti, & id genus pleraque radicitus tollerentur. Sed hanc repugnantiam rerum ſententiarumq; non tenent, qui veteres Cæſarum hiſtorias non tenent.

CAPVT XIX.

Conſtitutio Ludouici Baiouari Imperatoris de Imperij iuribus & excellentia.

HAc de re magna fuit olim colluctatio Pontificatu Iohannis XXI. & eius ſucceſſoris Benedicti XII. quum Ludouico Duce Baiouariæ Imperatore deſignato, demum omni ambiguitate per ſacrarum literarum Antiſtites mature ſolerterque diſcuſſa, Ludouicus legem ſanciuit, promulgauitque, quam ad verbum his adieci, ne quis in eo amplius aberret, in quo omnis Imperij dignitas maieſtaſque continetur. *Licet iuris vtriuſque teſtimonio manifeſte declaretur imperialem dignitatem, & poteſtatem immediate in filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, & Deum per Imperatorem & Reges mundi, iura humano generi aperte tribuiſſe, atque Imperatorem ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, verum effici Imperatorem, nec alicuius alterius egere confirmatione, ſeu approbatione, cum in terris quo ad temporalia ſuperiorem non habeat. Sed eidem gentes ſubſint & nationes: & ipſe Dominus noſter Chriſtus mandauit, quæ ſunt Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari reddenda: quia tamen nonnulli auaritiæ & ambitionis cæcitate ducti, diuertentes a tramite recti ſenſus, in quædam iniqua & praua commenta, & aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, fallaciter aſſerentes, Imperialem dignitatem & poteſtatem eſſe à Papa, electumque in Imperatorem non eſſe verum Imperatorem, nec Regem, niſi prius per Papam, ſiue ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur & coronetur. Per huiuſcemodi aſſertiones, & peſtifera dogmata hoſtis antiquus mouet*

lites,

lites, iurgia ſuſcitat, & ſeditiones procurat. Ideo ad tantum malum euitandum, de conſenſu Electorum, & aliorum principum Imperii, declaramus Imperialem dignitatem, & poteſtatem à ſolo Deo pendere: eſſeque tam de iure, quam de conſuetudine approbatum, vt poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue Regem ab his quorum intereſt, ſtatim ex ſola electione, ſit verus Rex, & Imperator Romanorum cenſendus, eidemque ab omnibus Imperio ſubiectis eſt obediendum: quum adminiſtrandi ius, cæteraque faciendi, quæ ad verum Imperatorem pertinent, plenariam habeat poteſtatem: nec Papa ſiue ſedis Apoſtolicæ, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, autoritate, conſenſuue indigeat. Et eapropter hac in perpetuum valitura lege decernimus: vt electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte electorum, ex ſola electione cenſeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus ſubiectis Imperio debeat obediri: quum adminiſtrationem, & iuriſdictionem Imperialem, & Imperialis dignitatis plenitudinē habeat, & ita habere, & obtinere ab omnib. cenſeatur, & firmiter aſſeratur. Quicunq; autē contra hæc declarata decreta, vel diffinita, aut aliquid eorū aſſerere, aut dicere, aut aſſerentibus aut dicentibus conſentire, vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præſumpſerint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinēt & omnibus gratiis, iuriſdictionibus, priuilegiis, & immunitatibus à nobis vel prædeceſſoribus noſtris conceſſis & nunc priuamus, & ipſo iure, & facto decernimus eſſe priuatos: Inſuper eos crimen læſæ maieſtatis incurriſſe, & pœnis omnibus impoſitis crimen læſæ maieſtatis committentib. ſubiacere. Datum in Colonienſi ciuitate Alemaniæ die, &c. Quibus igitur cruciatibus Oldradi manes torqueri credimus, qui in quodā ſuo non tam conſilio, quam conuitio adeo petulanter in Cæſares debacchatur, vt omnem eorum autoritatem radicitus euellere ſtudeat, quos non modo Regib. ſed vel plebeis magiſtratibus poſtponere audet: quo quidem nomine arguitur & Imperii calumniator impudens, & de ſede Apoſtolica non benemeritus. Quum enim Imperator ſit defenſor libertatis, propulſator iniuriarum, publice, priuatim, moderator, pater, cuſtos vnus: Oldradus mortaliū omnium nequiſſimus eſt repertus, qui defenſorem libertatis, propulſatorem iniuriarum, moderatorem, patrem, cuſtodem, proſcindere & ſuggillare non eſt veritus: qui & dum in humanis ageret, vt publicus parricida, vt maieſtatis reus culeo erat inſuendus: & nunc vita functus, perpetuo ac inextinguili furiarum igne, proculdubio, exuritur, in æternumq; exuretur.

Oldradi impudentia, in Cæſares debacchantis.

CAPVT XX.

Rationes efficaciſſimæ, quibus conuincitur ex Coronatione nihil noui iuris Cæſaribus accedere.

SEd vt in viam redeam, vno ſimul ore, pariq; conſenſu, omnes legum interpretes ſtatuunt, hæc quæ ad Coronationem attinent, fieri magis honoris & officii cauſa, quam vel neceſſario, vel vt ex hac actione quicquam Cæſaribus accedat. In quouis enim fere actionum genere, quædam exiguntur ad rei (vt nunc loquimur) quiditatem ſubſtantiamq;, quædam vero ad ſolennitatem: quæ quidem diſtinctio ad id de quo agimus, adamuſſim accommodatur: ſiquidem electio ſolum ad Imperatoris ſubſtantiam pertinet, ad ſolennitatem reliqua, vt confirmatio, inunctio, conſecratio, coronatio. *d. c. venerabilem. de elect. d. Clem. 1. de iureiur.* At Imperator quoad ea quæ ſolennitatis ſunt, perinde atq; Pontifex ſolutus eſt legibus. *l. digna vox. C. de legi.* Vnde efficitur ad ius Imperii cumulatiſſime aſſequendum ſolam electionem, quæ ſubſtantiæ locum obtinet, per ſe ſufficere. Hæc traditio quia vera eſt, quadrat vbique, & tota ſibi conſtat. Et ſi qua forte repugnare videntur, facile vel ex hoc capite dilui poſſunt: quod erubeſcendum eſt illi, qui ſuper his, quæ lege aguntur, ſine lege loqui audet. in *authen. de trien. & ſemiſ. §. conſideremus. colla. 3. l. illam. C. de colla.* Nulla autem lege cauetur Imperatorem deſignatum eſſe confirmandum nam *ca. Venerabilem. de elect.* quod aduerſarii tanquam telum acerrimum in nos contorquent, ne verbum quidem vnum de confirmatione facit. Recognoſcite quæſo mecum dicta Inno. in eo. *Ius* inquit, *& autoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promouendum in Imperatorem, ad nos ſpectat, qui eum inungamus, conſecremus, & coronemus.* Si quis hæc accuratius rimari voluerit, manifeſte deprehendet, ea cuncta Imperatori deſignato licere, quæ electus confirmatus ante conſecrationem aſſequitur, & conſtat illi omnia licere, quæ ſunt iuriſdictionis *c. noſtri. c. tranſmiſſa, de electio.* Quid quod nullo in loco cautum reperitur, Eccleſiam translationis tempore eiuſmodi legem Imperio præſcripſiſſe? Sed nec video cur quippiam ſuper ea re potuerit ſancire: iuraue Imperii labefactare. Nec illud officit, quod ante Coronationem appelletur *Rex Romanorum*, & perinde nequeat vſurpare Imperii nomen, gubernaculaue: quandoquidem hæ duæ voculæ *Rex Romanorum*, & *Imperator*, idem omnino valent, & ſynonymæ ſunt, vt liquido conſtat ex verbis *d. l. bene à Zenone & C. vt nemo priuatus. l. 1.* in vtraque ſcribitur promiſcue, & *Imperialis maieſtas*: & *Regale culmen.* Immo aduerſarii, qui ſacra profanis cōmiſcent, vt nos è gradu deiiciant, argumentorum inopia eo confugere coguntur, vt pleraque proferant, quæ in rem noſtram maxime faciunt. Nam ſi poſt electionem vocatur *Rex Romanorum*, hoc certe iuris habet, vt regat. *ff. de verbo ſigni. l. Tugurii.* id igitur poterit, quod Imperator. hoc eſt quod ſcribitur *l. 1. ff. de offi. præf. præto*, regimentis Reipub. in Principem translatis: ſimul enim atq; Germanorum ſuffragiis eſt deſignatus, efficitur verus, & legitimus Imperator, & inde incipiunt Imperii anni fluere: vt in *authen. vt præpo. no. Impe. §. 1. col. 1. prima*, inquit, *die qua Deus nos Romanorum præpoſuit rebus*, atque eodem temporis veſtigio poteſt quæcunque ſunt poteſtatis Imperialis implere: vt eſt tex. & ibi Bald. in *l. conſtitu.* Sed quamuis ex vnctione, conſecratione, Coronatione nihil Cæſareis rebus accedat, non hæc tamen, aut vt leuia paruipendi, aut vt ſuperflua reiici debent: cum eam vim habeant, vt ſancti ſpiritus munera conferant, augeaturque interius, quod exterius vnctio

Solā electionē ad ſubſtantiā Imp. pertinere, reliqua ad ſolennitatem.

Electus in Imp. ante corōnationem Rex Ro. appellatur.

Vnctio, Conſecratio, & Coronatio ad quid proſint.

præſignat: vt Hoſtien. *de ſacra vnct. c. 1. & 65. diſt. c. 1.* At Innocen. in *d. c. venerabilem*, affirmat hoc ſolennē inſularum imprimis duo præſtare: Vnum, vt ex Rege Imperator efficiatur. *Clemen. 1. de iureiuran.* glo. *l. ex eo. ff. de teſtamen. mili.* Alterum, vt diuini ſpiritus illapſu ſanctior, atque auguſtior euadat: vt gloſ. *d. c. Venerabilem.* Lege autem veteri quatuor rerum genera inungi ſolita eſſe (autor eſt diuus Tho.) Reges ſcilicet, ſacerdotes, prophetæ, & vaſa templi. Nec vnctio Regum eſt ſacramentum, & ideo diuerſum in modum, prout cuiq; prouinciæ ſua eſt conſuetudo, fieri poteſt, vel oleo in ſcapulis, vel Chriſmate in capite, vt idem Thom. *4. diſtin. 23.* Tradit Hoſtien. *de ſacra vnctione. in c. 1. & de priuileg. in c. antiqua.* Imperatorem inungi oleo in capite à Pontifice, vt Saul inunctus eſt à Samuele, & Salomon à Zedecli, & Nathan prophetis: item alii Reges ab aliis. Sed Dauid ter inunctus perhibetur in Regem, in ſignum triplicis victoriæ: vt eleganter tradit diuus Tho. *ſuper Pſalm. 26.*

Quatuor rerum genera antiquitus inungi ſolebant.

Dauid ter vnctus.

CAPVT XXI.

Nihil admodum referre, Romæ ne aurea Corona, an alio quouis in loco accipiatur.

EX his, quæ hactenus diſſeruimus, non tam coniectari, quam intueri licet, hæc inſularum inſignia vbiuis locorum, vt Cæſari Pontificiq; libuerit, conferri poſſe. Nam & ſi locus huic muneri obeundo ſit in Vrbe Roma conſtitutus: *Clem. Romani. de iureiu.* & *d. c. Venerabilem:* ſi alibi tamen peragatur, nec robur amittit, nec ei quod legitime obſit, quicquam obiici poteſt. In hanc ſententiam vniuerſi fere legum atque etiam canonum interpretes manibus, pedibuſque tranſeunt: inter quos Inno. in *d. c. Venerabilem.* Bal. & Albe. in *d. l. bene à Zenone.* Guil. ac Ioan. And. in d. *Clem. 1. de iureiu.* qui omnes velut publico edicto decernunt Imperatorem, licet Romæ videatur coronandus, alio tamen in loco poſſe hoc munere fungi: quia locus (vt vſitatis commentariorum verbis hac quoque in parte vtar) non eſt de ſubſtantia, nec de forma actus, ſed modus tantum. *c. fi. de reſt. ſpo.* Idem approbant Lau. & Card. in Cle. tam ſæpe repetita, cuius verba hic adieci. *Licet ſuper altare in eccleſia ſancti Petri Imperator conſecretur, & coronetur & iuret, tamen hoc non eſt de ſubſtantia, quin poſſint hæc alibi fieri.* Idem ſentit Albe. in ſuo *Indice*, verbo *corona.* Vbi ait, Imperatorem triplicem coronam recipere, primam argenteam in Alemania, ferream in Modoetia comitatus Mediolani, & auream in diuerſis locis. Quod ſi quem parum mouerint tot iuriſconſultorum ſuffragia, ille his ſaltem argumentationibus acquieſcat: ad Coronationis munus abſoluendum triplici opus eſt corona: diuerſis in locis, certo modo ordineq; capeſſenda: vt glo. in *d. Cle. 1.* Sed olim Imperator primo coronabatur ferrea, deinde argentea, poſtremo aurea Corona: vt glo. *d. Clem*, & Albe. in ſuo. *Indice.* poſtea ordine immutato argenteæ primus locus erat, & modo hæc, modo illa, vt caſus tulerat, promiſcue, & ſine delectu exhibebatur: vt idem Cardi. in *eadem Cle.* vnde efficitur, vt qua lege hic ritus aliquando immutatus eſt, quo ad ordinem & genus Coronarum, eadem quo ad locum immutari poſſit: & quum ratio diuerſitatis nulla ſit, de vtroque idem eſt ſentiendum. *l. a Titio. ff. de verb. ob.* Ad hæc vt ſcribit gloſſator in *d. Cle. 1.* quamuis ex veteri inſtituto ſecunda Corona ſit exhibenda in oppido Modoetienſi, tamen ſæpe tradita eſt Mediolani in Æde diui Ambroſii, nec eam ob cauſam coronatio fuit irrita: vt glo. exemplum affert in Henrico Imperatore. Idem igitur de tertia eſt ſentiendum, quæ Bononiæ vel Peruſii data, nec detrimentum affert, nec minus roboris habet: quum ratio nulla ſit, cur obſeruatio hæc potius in vna, quam alia poſſit variari. Non inficias eo à recentioribus reprehendi glo. in *d. Clem.* & quo ad locum, & quo ad genus coronarum. negant etiam alibi quam Mediolani, & ante Aram diui Ambroſii, ſecundam Coronam vnquam fuiſſe ſuſceptam, eamque eſſe ferream: ſed quæ in Germania exhibetur, auream eſſe. Cæterum tam glo. quam interpretes hac in parte allucinantur: quum per tot annorum curricula Mediolanenſis illa ex vſu fuerit ſublata: licet, vt aliquod antiquitatis veſtigium extaret, eam Pontifices Romæ aliquando exhibuerint. At in Germania perinde, vt Romæ corona aurea Imperatorem inſigniri, illa ſcilicet eadem, qua Carolus Magnus primo vſus eſt: ipſe ego certiſſimus ſum teſtis, qui nono ab hinc anno tuæ coronationi, Carole V. non ſolum interfui, ſed cum per id tempus apud te Ludouici Pannoniæ Bohemiæque Regis oratorem agerem, ad quem ius eligendi ſpectabat, etiam præfui. Verum vt eo reuertar, vnde aberrauit oratio, Si ad ſolennitatem coronationis triplex exigitur corona, vna nō magis omitti poteſt quam alia, quum ſolennitas, & forma dicantur eſſe quid indiuiduum, vt l. hac conſultiſſima. C. qui teſta. fa. poſſ. quod ſi antecedens interimes, totum interimes. Sed aliquando in prioribus coronis, tam quo ad locum, quam etiam ordinem, ea ſolennitas fuit omiſſa, immò aliquot iam ſeculis Mediolanenſis illa omnino ſublata, nec id obfuit coronationi. Vnde neceſſario efficitur, vt neque quo ad tertiam omiſſio, præſertim loci, quicquam officere poſſit: & maxime accedente cauſa iuſta, & mutuo amborum principum conſenſu: quum alioquin ob vtilitatem publicam ſolennitas lege vel moribus præſcripta poſſit omitti: Vel (quod inter omnes conuenit) variari: vt ſentit Sali. & alii *l. fi. C. de iureiu.* Adde quod, vt antea diximus, coronatio non eſt neceſſitatis, ſed officii: parumque admodum commodi affert, vt refert Barto. in *d. extraua. ad repri.* quapropter non tam mutari, quam omnino tolli ſine vlla iactura poteſt, & præcipue ratione loci: quum locus nullius negotii vel formam vel ſubſtantiam attingat: ſed ad ſolennitatem duntaxat pertinere videatur. Hac in quæſtione nos ſcire oportet, licet *ſolenne* id ſignificet: quod ſingulis annis fieri ſolet, vt *Ceremoniæ ſolennes, & ſolenniorum feſta:* Iuriſconſultos tamen vim huius verbi alio traduxiſſe: apud quos dicitur *ſolenne*, & *ſolenniter* fieri, vbi ritus conſuetudoque in contractu, iudicio, aſſoue negocio adhi-

Locum non eſſe de ſubſtantia nec de forma actus.

Triplex corona Imp.

Coronam quæ Imp. in Germania exhibetur eſſe auream non argenteam.

Solenne quid dicatur.

adhibiti ſolita, obſeruatur. *l. ſciendum. ff. de verborum obli.* vnde ducta eſt vox *ſolennitas* eodem pene ſignificatu *Cle. ſæpè. de verbo. ſigni.* Et illa eſt duplex: vna grauis, altera leuis appellatur. *l. manumiſſio. ff. de manu. vin.* Illa dicitur leuiuſcula ſolennitas, quæ prætermiſſa, vel ſubſtantiam rei non immutat. *l. 1. ff. de exercito. act.* vel parum admodum detrimenti affert, vt Bar. & Ange. Are. in *l. 2. ff. de vulga. & pupill.* & huius omiſſio nulli actioni officere poteſt, vt *l. 1. ff. de ve. inſpi.* Quæ autem dicitur grauis ſolennitas non niſi à principe tolli, aut immutari poteſt. *l. & ſi nihil. ff. de regul. iur. l. diuus. ff. de in integ. reſti.* ideo etiam ſi demus ex forma, & graui ſolennitate poſtulari, vt aurea corona Romæ exhibeatur, tamen teſte Hoſtien. in *ſum. de elec. §. quando*, acta Principis ex carentia formæ, & ſolennitatis non labefiunt, ſicut nec ſententia à Principe non ſedente, neq; in ſcriptis lata, quamuis vtrumq; vt ſententia ſubſiſtat, velut eius forma, & ſubſtantia exigatur, vt *C. de ſenten. ex peri. reci. l. ſtatutis.* Nec enim quæ à Pontifice Cæſareue geruntur, vllius formæ ſolennitatiſue indigentia abrogari debent: vt per glo. in *c. quando, de tranſla. epi.* quæ affirmat Papam (mirum dictu) naturam rerum immutare, ſubſtantiam vnius rei applicando alii. *C. communia de lega. l. 2.* atq; ex nihilo aliquid facere. *C. de rei vxoriæ actio. l. actio. l. vna.* nonne igitur ipſius atq. etiam Imperatoris poteſtas latius patebit, quam vt vllis formularum anguſtiis coarctetur? Adde quod hæc Coronatio à iure, quod poſitiuum vocant, ortum ducit: cui dubio procul, nec Papa, nec imperator eſt alligatus: quum ambo, vſq; adeo ius poſitiuum in poteſtate habeant, vt illud pro nutu, vel immutare vel omnino tollere poſſint. *ca. propoſuit. de conceſſ. præb.* quippe cum Deus vtriſq; leges ſubiecerit: in *auth. de conſu. §. fi. col. 6.* & legum parentes cenſeantur *l. dubitandum. in authen. de inceſt. nup.* Nihil eſt igitur mirum, ſi hæc coronandi inſtitutio, tam quo ad ordinem, quam quo ad locum plerumq; aliter immutata fuerit. Præterea cum ſacerdotium, & Imperium eadem ex origine defluant, parique iure cenſeantur: quicquid in vnius celebritate eſt obſeruatum, ad alterius quoq; referri poteſt. Sed quamuis Vrbs Roma ſit locus coronationi Pontificiæ ſtatutus, pleriq; tamen ex Pontificibus aliis in ciuitatibus, atque etiam prouinciis Corona decorari maluerunt: vt Gregorius X. in Vrbe Viterbi eſt ea donatus. Celeſtinus V. Peruſii Pontifex deſignatus, Cardinales Coronæ ſuſcipiendæ cauſa, vſque ad Vrbem Aquilæ accíuit: Clemens V. Peruſii pariter factus, extra Italiam Lugduni Coronæ ornamenta ſuſcepit, & alii aliis in locis: quandoquidem, vt vulgo dicitur, vbi eſt Papa & Imperator, ibi eſt Roma, & curia. *c. ego. de iureiur.* & Abb. in *c. fi. de fo. compe.* Quanti vero illud eſt faciendum, quod quum ex canonum præſcriptione, electio Papæ eo in loco ſit celebranda, vbi prior vitam cum morte commutauit. *ca. vbi periculum, de elec. li. 6. Cleme. Romani. de elec.* Tamen ſi alibi fiat, ſtabilis inconcuſſaque habetur. Quoniam locus nec in eligendo Pontifice, nec quauis alia in actione (vt concludit Hoſtien. Goffre. Archi. reliquique canonum Antiſtites, quos Pe. de Anch. in *d. Cle. Romani.* refert, & ſequitur) eſt de neceſſitate (vt eorum verbo vtar) præciſa: Sed ſolum ad bene eſſe. Nihil tamen ambigo, ſi quis ſuperiorum temporum annales accuratius euoluerit, cum facile reperturum, quoſdam Imperatores alibi quam Romæ corona aurea fuiſſe redimitos: ſed quum ius finitum ſit prudentes fallere non poteſt, facti autem interpretatio plerumque etiam prudentes fugit: vt *l. in omni. ff. de iur. & fac. igno.* Forte quis mihi obiiciat Clemen. V. qui Auenioni degebat, iuſſiſſe Henricum Lucemburgum Imperatorem deſignatum Romam coronæ accipiendæ gratia proficiſci. Enimuero quiſquis illorum temporum hiſtoriam expenderit, facile intuebitur, Clementem non id egiſſe temere, nec abſq; cauſa: ſed nec quod non æque Auenioni, atq; Romæ eum corona donare potuerit. Verum vt tumultus Italici, qui paſſim in Hetruria, & agro Piceno exarſerant, eius in Italiam aduentu ſedarentur. Quod refert Platina in vita ipſius Clementis: *eodem, inquit, tempore Henr. Lucemburgus à Germanis Imperator electus, hac quidem lege à Pontifice confirmatur, vt infra biennium coronam Romæ habiturus, Italiam ingrederetur: hoc autem animo id egit Pontifex, vt Imperatoris aduentu, motus Italici comprimerentur.* Extremum illud eſt, quod nullo canone vel lege ſancitum puto, vt ordo aliquis tanquam forma, & ſubſtantia exigatur, cuius omiſſio ipſam coronationem labefactet. Demus ſi placet, vt coronatio ſit neceſſaria, de quo quid maiores noſtri ſenſerint, ſupra retuli: is tamen ordo, qui potius ex commentariorum libris, quam iure aliquo eruitur, non eſt neceſſarius: aut, vt aiunt, de ſubſtantia actus: & præſertim ratione loci: tum, quia nullo iure cauetur coronationem alibi quam Romæ factam robur non obtinere: tum quia nulla in actione locus vt forma ſubſtantialis exigitur. Nec vlla lex aut canon ſuper ea coronatione æditus loquitur, aut prohibendo, aut cum clauſula decreti irritantis, aut per verba ablatiui abſoluti, vel alia verba: quæ de ſui natura ſolent ſubſtantiam, formamue indicare: de quibus per iuris interpretes. *c. cum dilecti. de elect. & in l. 1. ff. de lib. & poſth.* Ergo omiſſio huius ordinis, lociq; immutatio non reddit coronationem mancam, nec inanem, ſi modo ab idoneo aliquo, vtpote à Pontifice Maxi. eiuſue legato celebretur: vt *d. c. venerabilem: & Clemen. 1. & d. c. Adrianus.* Quamuis Imperio nondum de Græcis in Germanos translato coronandi munus ad præfectum Vrbis ſpectaret: vt ſentit Barto. in *l. 1. ff. ſi quis teſta. lib. eſſe iuſſ. fue.*

Solennitas duplex. Leuis. Grauis.

Papa naturã rei immutat.

Clemens V. Lugduni coronatus.

Vbi Papa & Imp. ibi Roma & curia.

CAPVT XXII.

De Chriſtianis Imperatoribus, & quid Conſtantinus eccleſiæ Romanæ contulerit.

TRadit Inno. æquiſſimus in aſſerenda Pontificis Imperatoriſque poteſtate vindex, qui velut in Critolai trutina vtriuſque copias & facultates expendit: Tres Imperio Romano præfuiſſe, qui de ſede Apoſtolica quam optime meriti ſunt. Conſtantinum: de quo in *c. Conſtantinus. 96. diſtinct.* deinde Iuſtinianum ſanctiſſimarum legum promulgatorem. poſtremo Carolum Magnum: de quo in c.

Tres Imp. de ſede apo. opt. meriti Conſtantinus, Iuſtinianus, Carolus Mag.

in c. *Adrianus.63.diſtinct.* Sed Carolus V. ſub cuius ductu, felicibuſq; auſpiciis Chriſto militamus, tanta eſt (quod ſine vlla adulationis ſuſpicione dictum velim) in ſedem Apoſtolicam pietate, obſeruantiaq; : vt tribus his, vel æqualis, vel multo etiam (à verbo abſit inuidia) ſuperior eſſe videatur : Cuius munificentia, incredibiliq; animi magnitudine effectum videmus, vt ſummus Pontifex à tot fluctibus, vel verius naufragiis ereptus, in pacatiſſimum quietis portum ſit delatus: Atque ſedes Apoſtolica Vrbis Romæ domina, & Regina optimo iure, & ſit, & habeatur. Quod ne quis minus conſiderate dictum putet, hiſtoriam priſcorum Cæſarum paucis attingam. Ex Imperatorib. duo Philippi, pater & filius, omnium primi Chriſtianum nomen acceperunt anno ſalutis.290. poſt quorum infelicem exitum, vterq; enim fraude Decii necati ſunt, imperauit Decius, maximus Chriſtiani nominis hoſtis : qui Cornelium vrbis Romæ Epiſcopum variis cruciatibus crudeliter interemit. Ventum eſt tandem ad auſpicatiſſima Conſtantini tempora, quia à Silueſtro vna cum filio Criſpo ſalutaris fontis lauacro expiatus, ſub ſacro ſanctæ crucis vexillo hoſtes pene innumeros ſuperauit. Sub hoc Principe, qui anno Chriſti 339. Imperium obtinuit, Chriſticolæ prius à Tyrannis oppreſſi, paulatim reſpirare cœperunt. Cæterum quæ de illius donatione vulgo feruntur, & magnos alioquin aſſertores habent, nec propugnare, nec oppugnare eſt animus: quum duo eximii Sedis Ro. Cardines, non minus doctrina, quam pietate clari Nicolaus Cuſanus, & Petrus Aleacenſis adeo accurate, copioſeq; rem omnem explicarunt, vt nihil ſupra addi poſſe videatur. At Pius Pontifex ſedulus rerum vetuſtate inuolutarum indagator, in nobili illo *Dialogo*, quem ante Pontificatum in Germania ædidit, Paleæ ſcripta de Cōſtantino, vt ſubdititia, & adulterina refellit : inuehiturq; contra miſeros, vt eius verbo vtar, legiſtas, qui tantum ſudant diſputando, an id valuerit, quod nullo vnquam tempore fuit. Nam Laurentium Vallenſem miſſum facio, qui calumniandi potius, quam veritatis indagandæ ſtudio, in ſacram Sedem Apoſtolicam petulantiſſime debacchatur : eos autem vt prius Autores ſequar, qui procul ab inuidia, & metu, rurſus à gratia, & amore hęc ex fide retulerunt. Ex quorum monumentis innotuit Conſtantinū eccleſiam in Vrbe Roma condidiſſe in hortis Equitii, nō longe à Thermis Domitiani: donaq; obtuliſſe patinam argenteam, & ſcyphos duos, & calicem aureum, aliaq; vaſa ex auro, argentoq; conflata : fundum quoq; Cornelianum dediſſe dono in agro Sabino : & hortum in Vrbe ad regionem duorum adamantum. Item domum in regione Orphea intra Vrbem. Reliqua de eius donatione, & lepra, & balneo ſanguine puerorum redundante, paſſim decantata, ſilentio prætereo, ne odium gratuitum mihi comparem.

Primus Imp. Chriſtianus Philippus.

Conſtantinus.

Donatio Conſtantina.

CAPVT XXIII.

Poſt mortem Conſtantini, ad quos Vrbis Romæ principatus deuenerit.

EO vero defuncto, vt lege quadam fatali regna, principatuſq;, quo ſublimius euehuntur, eo miſerabilius ruunt, rebus Romanis paulatim in deterius labantibus: deinde funditus euerſis, Vandali, Gotti, Hunni, Alani, Longobardi ſuo quiq; tempore Italiam innumeris cladibus, depopulationibuſq; deuaſtarunt, Vrbe Roma ſæpius in prædam verſa, aliquando & igne exuſta, Nemo tamen barbarorum eam ſibi vendicare eſt auſus. Sed velut Vrbē ſacroſanctam, & extra alienigenarū commercium poſitam Cæſarum legibus, magiſtratibuſq; regendam omiſerunt. Nam cum Vandali, imperante Valeriano, ex Aphrica profecti, Duce Genſerico, Vrbem diripuiſſent, incendiſſentque templis, & ſacrariis ſpoliatis : quatuordecimo poſt Vrbem captam die cum ingenti captiuorum numero in Aphricam redierunt. At Theodoricus Gottorum rex, Italia domita & ſubacta, Rauennæ regni ſui ſedem fecit, Roma Imperatorum ditioni relicta. Quibus quidem temporibus, inter Antiochenam Romanamque eccleſiam, de ſacrorum & Pontificatus prærogatiua, grauiſſima & diuturna contentio fuit. Sed nec minus poſtquam Conſtantinus Bizantium deduxit Coloniam, de eccleſiæ primatu certatum eſt : quoad Bonifacius III. à Phoca Imperatore obtinuit, magna tamen contentione, vt ſedes beati Petri Apoſtoli, ſicut caput omnium eſt eccleſiarum, ita diceretur & haberetur ab omnibus : quem quidem locum ſibi eccleſia Conſtantinopolitana vendicare conabatur, pleriſque affirmantibus, eo loci primam eccleſiæ ſedem eſſe debere, vbi Imperii caput eſſet. Hactenus, vſque ad Phocæ ſcilicet principatum, vrbem Romam in Imperatoris poteſtate fuiſſe, vt cætera omittam, argumentum eſt certiſſimum, quod Bonifacius IV. cupiens Romæ eo loco vbi Pantheonis templum viſebatur (ſic nuncupatum, quod Cybeli matri, & omnibus diis commune eſſet) delubrum in honorem intemeratæ Virginis extruere, neceſſe fuerit ei facultatem ædificandi à Phoca obtinere: adeo Pontifex (Vrbis nō tam dominus, quā inquilinus) omni ditione carebat, vt ne ſacellum quidem vnum ſine Imperatoris iuſſu ædificare potuerit. Deinde Vrbem Romam diuturna barbarorum incurſione vexatam, & tandem Belliſſarii, & Narſetis virtute à tot calamitatibus ereptam Imperatores, qui longiſſimo ab Italia tractu Bizantii morabantur, per Hexarchum (id enim erat magiſtratui nomen, qui rebus Italicis præerat) aut legatos quiete tranquilleque regebant. Quoad Lotharius in Italiam veniens magiſtratum elegit, qui populo Ro. ius diceret. Ex plebe autem Decarchones duodecim creabantur, qui vicem Senatus gerebant. Et ne omnium temporum Ephemeridas contexam, nouiſſima complectar: Anno ſalutis 1346. Romani ſibi magiſtratum conſtituerunt conſulari poteſtate, quem Tribunum vocabant, quo tamen breui abrogato, & ob ciuiles diſcordias in exiliū eiecto, Senatorē elegerunt, qui velut Dictaturā in Repub. exerceret. Sed eo quoque non longe poſtea, è magiſtratu deturbato, Septemuiros creant cum ſumma poteſtate, quos Reformatores totius Reipub. nominarunt, qui hodie pari quidem nomine, ſed diſpari poteſtate rebus

Vandali. Gotti. Hunni. Alani. Longobardi. Genſericus Vandalorum dux. Theodoricus Gottorum rex. Contentio inter Antiochenam & Romanam eccl. de pontificatus prærogatiua. Romam fuiſſe in poteſtate Imp. vſq; ad tempora Phocæ. Pantheon vnde dictum. Hexarchus. Decarchones 12. Tribunus. Dictator. Septemuiri. Reformatores.

Vrbis

Vrbanis præſunt. Anno autem 1365. Vrbis cuſtodiam, totiuſq; Reipub. curam Bandareſiis, id eſt, ſingularum vexilliferis curiarum commiſerunt: hæc capita regionum in hunc vſq; diem vocant. Ex Pontificibus primus Bonifacius 9. anno Domini 1400. Vrbis Romæ dominatum ſibi vendicare tentauit, in cuius vita hæc ſcribit Platina: *Bonifacius Vrbem ingreſſus, munita mole Adriani mœnibus, & turribus dominatu vrbis ſenſim potitus eſt.* Quæ autem ſcribit Platina in eo lib. quem *de vita & moribus Pontificum edidit*, velut ſacroſancta, & Sibyllinis foliis veriora ſunt exiſtimanda: quippe quum ea ex publicis tabulis & diplomatibus, aliiſq; legitimis documentis deprompſerit, in quibus res geſtæ Pontificum eorumq; ſucceſſus, & progreſſiones, vt quiſq; domi foriſq; ſe habuerit, quo curſu nauiculam procellis nunc agitatam, nunc tranquillo pelago quietam duxerit, hiſtorica fide continetur. At Romani indulgentia Imperatorum libertati aſſueti, eam è manibus ereptam, ab Inno. 7. qui in Pontificatu ſucceſſit, prius blande appellando, deinde quum id parum ſuccederet, arreptis armis violenter agendo, extorquere non omiſerunt: & vt idem ſcribit, capto Capitolio, occupatoq; ponte Miluio: arcem Adriani oppugnare conati ſunt. Paucis poſt annis, dum Conſtantiæ concilium ageretur, mortuo Rege Ladislao contra Florentinos proficiſcente, Romæ ad arma & libertatem acclamatum eſt. Quod ipſum contigit pontificatu Eugenii IV. in cuius vita hæc à Platina traduntur. *Romani ad libertatem aſpirantes ſublato clamore pulſiſq; omnibus Eugenii magiſtratibus, nouos ipſi magiſtratus crearunt.* Quid illa, quæ ſub Nicolao V. contigerunt? cuius manibus Federicus, tuus Carole Auguſte abauus paternus, aurea corona inſignitus eſt? nonne in eius vita hæc ad verbum leguntur? *Stephanus Porcarius vir maioris animi, quam potentia, multa liberandæ patriæ indicia præſeferens, Bononiam à Pontifice relegatur, qui Romam aduocantibus coniuratis propere rediit hac mente, vt quum Vrbem attigiſſet, ſumptis armis, populum ad libertatem conuocando, Pontificem & Cardinales caperet.* Idem auſi ſunt Romani recenti memoria ſub Paulo II. in cuius vita verba ſunt hæc: *Nonnulli minas contemnentes, tempus vendicandæ libertatis expectabant: quod poſtea eo mortuo illuxit.*

Bandareſii.

Bonifacius 9. primus vrbis dominatum ſibi vendicare tentauit.

Platinæ autoritas ſacroſancta.

CAPVT XXIV.

De munificentia, & benignitate Caroli Imp. aduerſus ſedem Apoſt. Italiamq; vniuerſam.

HÆc ideo minutatim collegi, vt velut ex altiſſima quadam ſpecula, pulchrum & inauditum virtutis clementiæq; ſpectaculum cuiq; oculis intuendum ſubiicere, Carolum V. ex Imperatoribus Chriſtianis primum Vrbem Romam vna cum Adriani mole portuq; Hoſtienſi, & oppidis vndiq; circumuicinis in poteſtatem redactam Sedi Apoſtolicæ habendam, fruendamque donaſſe. Feciſti Carole Auguſte quod futura poſteritas magis miretur, quam imitetur: qui cum Romanorum Rex ſis, & appelleris, omnem Romanæ Vrbis iuriſdictionem, à te abdicaſti, illud propter virtutem nihilo ducens, pro quo Imperatores reliqui tantopere digladiari ſolebant. Quod ſi mihi facultas daretur ſermonis pro rerum dignitate figurandi, quam exquiſito dicendi lepore, & venuſtate in heroicis, & plane diuinis tuis virtutibus explicandis immorarer: quum non tam glorioſum duxeris Imperii fines propagare, quam pacem ab Italia iampridem exulantem in priſtinas ſedes, quaſi poſtliminio reuocare. Et cuius fuit prudentiæ hoſtibus omnem nocendi facultatem auferre, eius fuit humanitatis, victos, ac debellatos ab omni iniuria, & clade releuare. Hic licuit ſi vnquam alias tuam pietatem magnanimitatemque intueri. Nemo fuit ex eorum numero, à quibus neque diuino, neque humano more fuerat laceſſitus, non modo aliqua pœna mulctatus, ſed ne minima quidem ignominia perſtrictus: nemo nec loco, nec gradu, nec ordine ſubmotus, manſerunt cuique principatus fortunæque omnes integræ & illibatæ. Et quamuis intelligeres, & quid rebus tuis magis expediret, & quid tibi liceret, maluiſti tamen opulentiſſimis Ciuitatib. carere, quã pati, vt aliquid de tua clementia pietateue deſiderandum videretur. O tuam Carole non tam victoriam, quam clementiam prædicandam: ex qua neſcio quid maius, quam ex victoria es adeptus: illa effecit, vt nemo tibi nocere poſſit, hæc vt nemo velit. Qui rebus Chriſtianæ Reip. ex animi ſententia compoſitis & conſtitutis, dextro numine, felicibuſque auſpiciis ad glorioſam illam & pernecceſſariam aduerſus Turchas expeditionem tete accingis. Iamque augurari mihi licet futurum, vt abolitis ferrei ſeculi reliquiis, aurea illa ætas ſub te breui renaſcatur: iſque ſit futurus Chriſtianæ Reip. ſtatus, vt continuandæ potius felicitatis, quam augendæ cupiditatis vota faciamus. Quæ felicitas an adhuc meæ debeatur ætati, Deus ipſe viderit: hac certe ſpe interim fruar, quicquid Orbis terrarum patet, qua vox olim euangelica permearit, tuo magnanime Carole ductu atq; auſpiciis in Chriſtianam ditionem conceſſurum.

III.

RELATIO CORONATIONIS IN REGEM ROMANORVM CAROLI V. IMPERAT. AVGVSTI, DIVÆ MEMORIÆ, NON MINVS ELEGANTER QVAM ERVDITE CONſCRIPTA

PER

HARTMANNVM MAVRVM LEG. PROFESSOREM, Hermanni Archiepiſcopi quondam Colonienſis Conſiliarium, & Cameræ Imp. Aſſeſſorem, qui et coronationi interfuit.

IN QVA OMNIVM EORVM, QVÆ IN CORONANDO Rege Romano antiquitus in vſu ſunt, vt & ornamentorum Caroli Magni, deſcriptio accurata continetur.

SERENISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI, AT QVE Domino, D. Ferdinando, Hiſpaniarum Principi, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, &c. Cæſ. Maieſt. per Germaniam ſupremo Vicario, gratioſiſſ. D. ſuo Hartmannus Maurus, Legum Profeſſor, offert immobilem fidem, voluntariamq; ſeruitutem.

Sereniſſ. atq; Illuſtriſſ. Princeps, gratioſiſſime Domine, aliquanto ante fauſtiſſimam coronationem inuictiſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici, fratris Serenitatis tuæ amantiſſimi, in Romanorum Regem Principum Electorum conſiliarii vocati Regia Maieſt. cum generoſo atq; præſtrenuo viro Florentio de Yſelſtein, Comite de Egmunda, Regio tunc magiſtro equitum (Aquiſgranum ad apparandum cuncta, ne qua res Cæſarem moraretur) præmiſſo, de ceremoniis tanta celebritatis rite exequendis, aliquandiu ſimul commentati, ob in medium exhibitas diuerſas ſchedas olim ab imperitis annotatas, non paruum difficultatis atq; moleſtiæ, antequam in vnam ſententiam conuenirent, habuere. Quapropter viſum eſt Domino Laurentio operæ pretium fore tanti ſacri ritus (quos non, niſi ordine tractari conueniret) aliquando ſimpliciter, atque vere literis ſigillatim, quemadmodum oculis ſubiecti fuerunt, commendare: vt ea re, tum populi ab eo, in quo hactenus verſati errore, liberentur: tum poſt futurorum quoque quieti (præſciſis iam ineptis altercationibus) conſuleretur. Tametſi vero iuſſu eiuſdem hanc iam magnificam feſtiuitatem vtcunque iam pridem tumultuaria profecto ſtudio, verbiſque plane caſtrenſibus obiter, aliaque iuxta agendo conſarcinaſſem: imbecillitatis tamen meæ conſcientia deterritus, conſtitui primum has meas qualeſcunque ineptias ſic comprimere, vt nunquam emanarent. Sed cum interim multi multa de his rebus temere ſcribere, rerumq; ex confeſſo falſarum admixtu, hanc illuſtrem atq; ſplendidam dignationem commaculare non erubuere: nec gentes, quibus aquila acerbitati, nomenq; germanum ſempiterno odio diuinis illis honorib. ſuo more malignè interim detrahere veritæ ſunt, non potui me vlterius continere, quin has meas pertenues lucubratiunculas (pro perenni paruitatis meæ erga Cæſ. Mai. deuotiſſima fide) rurſus deſcriptas, tuæ Serenitati (ob hoc potiſſimum quod eo tempore, quo Regales honores impendebantur, Serenitas tua Bruxellis ſubſiſtens fraternæq;, vt opinor, Maieſtati cedens, aut ne vno loco orbis ſalus periclitaretur, fraternos honores coram (quod vnicum tantum maximæ lætitiæ, exoptatiſſimæq; congratulationi defuit) ſpectare non potuit) humillime offerrem. Vellem nihil magis, quam quod digna lectu forent. Sed cur hoc haud ſatis cogitata ratione votis expoſco? cum non debeam animo præſumere propter meam impolitam ſcriptionem tanto fulgori, vnde manantibus radiis terra mariaq; illuſtrantur, quicquam lucis atq; ſplendoris acceſſurum, cum eius generis res ſint, quæ proprio ſuo rutilante iubare abſq; ſubminiſtratis collectitiis igniculis ſatis exſplendeſcant, & ſine orationis phaleris atq; pigmentis, eo ipſo quod nuda ſolum veritatis reſpectus habitus ſatis digna, quæ legantur. Proinde ſtudii mei certiſſimum iudicium tuæ Serenitati quam ingeniolum probari malim. Foueor tamen bona ſpe, hunc meum laborem dupliciter tuæ Serenitati acceptum fore: cum coniunctiſſimi fratris diuinos honores (quib. eadem Serenitas tua ob effuſiſſimam fraternam beneuolentiã non ſecus quam propriis delectatur) quaſi ob oculos præſcriptos (vbi per aliarum rerum occupationes licuerit) legere poterit: tum quod tuæ quoque Serenitati perbreui (ſi modo communia omnium pene mortalium vota felices de quo non ambigo) procurſus habuerint) vſui aliqua ex parte eſſe potuerunt. Sed vt finem faciam, optime Princeps, ſi hunc ſuctiſſimum laborem meum læto ſerenoq; vultu benigne ſuſceperis, neque officioſam ſedulitatem meam penitus

impro-

improbaueris, & laborum præmium me abunde cepiſſe putabo, & maiora pro gloria tua Serenitatis omnibus ingenij, corporiſq; neruulis multo alacrius conabor. Hilarem te atq; felicem optime Princeps, (ut ille, olim Traianum iuſtiſſimum Cæſarum) & priuatim & publice opto.

DE CORONATIONE CAROLI V. IMP. PER HARTmannum Maurum Conſiliarium Archiepiſcopi Colonienſis.

POMPAM proximæ Coronationis, qua hand ſcio, an noſtra ætas magnificentiorem vnquam videbit, ideo rudi, caſtrenſiq; latinitate ſcribere ſtatui, ne de tam celebri feſtiuitate apud ſucceſſiuam poſteritatem, inepta aliqua diſceptatio, quemadmodum in præſentia ob diuerſiſſimas adnotationes tempore coronationis Diui Maximiliani factas, vſuuenit, ſuboriatur. Accedit, quod non deſunt, qui ea ipſa, quæ proxime omnium pene mortalium oculis ſubiecta fuere, alio longe modo atque geſta ſunt, in publicum temere incogitataque ratione edere non erubuere, permulta quæ non contigere referendo. Verum non tantum mihi ſumo, vt non arbitrer, perplures hanc tam ſplendidam relatu materiam, pro illuſtriſſima ſua dignitate inquiſitius, expolitiusque literis mandare, æternitatique conſecrare poſſe: Sed quia omnibus pene præhabitis conſultationibus à Reuerendiſſimo Domino Archiepiſcopo Colonienſi, vocatu Cæſaris Aquiſgranum præmiſſus, cum aliis Principum Electorum conſiliariis allatis antiquis monumentis interfui: propterea citra arrogantiam (vt opinor) polliceri poſſum, rem me totam ex fide ſimpliciter, vt geſta eſt, veriſſime traditurum, curauique, ne quicquam à me prætermiſſum videatur. Illis autem, qui forte me operam non ſatis vtiliter collocaſſe putant, hoc tantum reſpondeo: Æquiſſimum mihi videri dare nos diadematibus Imperatorum, penes quos infinitus cuncta gubernandi labor conſiſtit, veniam, ſi modo laureis, hederaciis, gramineiſque tantopere celebratis coronis eandem impertare voluerimus.

Quanquam deſtinaſſet Imperator, poſt fœliciſſimum in Belgas aduentum, die S. Michaelis coronari, Principeſque vt præſto adeſſent, ſeque ad præſtitutam diem Aquiſgrani ſiſterent, per epiſtolas hortatus eſſet: ob vrgentes tamen (quæ inciderant) cauſſas, res primo in ſextam diem menſis Octobris aliis literis dilata, quibus licet imperator certam quoque ſpem faceret, præſcripta die ſeſe omnino Aquiſgranum venturum, peteretque, quo omnia maturius peragerentur, vt quiſque Electorum conſiliarium commentandi cauſſa de ceremoniis coronationis ex more perficiendis ad generoſum & perſtrenuum virum Florentium de Iſelſteyn, Comitem de Egmunda, Regium magiſtrum equitum Aquiſgranum præmitteret, ne rebus in apparatis Regia Maj. in loco peſtilentiæ obnoxio, longiorem moram trahere cogeretur: Increbreſcente tamen interim deſæuientis in Aquiſgrano peſtis rumore, auctoque (vt fit) in maius, Archiepiſcopus Moguntinus, Comes Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ, Regis aduentum in Colonia Agrippina præſtolantes, miſſis continuo literis, magnis precibus petiere, vt Imperator ob tam probatam euidentemque cauſam, tam ſui quam Principum reſpectu habito, alium coronationis locum indiceret. Cum autem parum moræ antequam Principibus reſponderetur, interceſſiſſet, ciueſque Aquiſgranenſ. Coloniam ad Principes oratum miſſi, impenſiſſimis precibus nihil profeciſſent, ſtatuerunt Principes Electores communi conſilio, miſſa ſolenni legatione prius petita inſtantius flagitare. Nobis autem in itinere exiſtentibus, ad priores literas Regia Maieſt. reſcripſit, quod ad cauſam tantæ neceſſitatis deſideratis Principum annueret, atque Nicolaum Ziegler Vicecancellarium poſt factum ad eos cum mandatis deſtinaret. Sed legatio Principum Electorum actarum rerum ignara, cœptum iter continuauit, quæſitoque fruſtra Rege in oppido Hoy apud Eburones, ditionis Epiſcopi Leodien. cuius ibidem muniti ſſima arx viſitur, inſequenti die Louanii Regiam Maieſtat. conuenimus, poſtridieque bene mane poteſtas dicendi, quid petitum veneramus, facta, conſilio introducti, mandata quibus accepimus verbis peregimus, locutuſque eſt D. Sebaſtianus de Rothenhan eques Germanus, Iuriſque profeſſor, lingua Alemana in hanc ferme ſententiam:

Oratio nomine Electorum habita ad Regem.

Principes quidem Electores ad Regia beneplacita ſemper paratiſſimos fore, ſed vereri, ne dum ſtudeant obſequi ſuæ Maieſt. & Regem & ſe in manifeſtum, periculoſumq; ignem coniiciant, indies magis magiſq; peſtem diſgraſſari. Ideoq; ob eam qua Regia Maieſt. aſtringerentur fidem atq; deuotionem Principes conſulere, rogitareq;, ne ſe temere cum Principibus tanto periculo committeret, ſed tam ſuæ Maieſt. vnde totius orbis, quam Principum Electorum ſaluti conſuleret. Comes Wilhelmus de Nuenar & nos, qui à Domino Archiepiſcopo Colonienſi miſſi eramus, licet eadem ex animo poſtulaſſemus, tamen præter ea petitum, oratumque nos deſtinatos diximus, vt videlicet Regia Maieſtas in hac ſi qua viſa loci commutatione rationem iuris atque eximiæ prærogatiuæ de non commutando, neque nouando quicquam ex his, quæ ad coronationem, locumque eius ſpectant, Principe noſtro inſcio, habere dignaretur: euelligioque exhibuimus vberrimas archetypas nobiſcum allatas diui RVPERTI Romani Regis Coloniæ coronati literas, quæ documento eſſent, inter alias inclytæ Eccleſiæ Colonienſi hanc quoque prærogatiuam competere, vt Colonienſis Archiepiſcopus quocunque loco ſuæ prouinciæ ſuo arbitratu coronationi locum præfinire poſſet. Dominus Florentinus quoque (vir, vt omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus inſtructiſſimus) vbi reſciuit, quamobrem legati Principum amandati eſſent, aduocatione ciuium ſuſcepta, ne qui ſuo incitatu ſupra vires pro expediendis hoſpitiis, comparandiſque eduliis impendia fecere, irrecuperabiliter damnificarentur: neue apparatus per eum ſummo labore, vt tantæ multitudini pateret receptus, irritarentur, citatis equis poſtridie

Eximia prærogatiua Eccleſiæ Colonienſis.

quam Aquiſgranum egreſſus, feſtinato itinere Regem Louanii aſſecutus, aliquanto ante aduen-
tum legatorum Regiæ Maieſtatis omni ratione affirmauit, peſtem non tam vehementem eſſe, ne-
que tam late deſæuiſſe, ſicut ſupra fidem veri diſſeminatum eſſet. Ea igitur admonitione, etiam quia
à Regibus Romanis (vt vulgo perſuaſum) quaſi pro dono vrbi Aquiſgranenſi olim Gallicanarum
prouinciarum capiti aſſignata ſedes Regia, & ab hac gente velut hæreditaria ſemper obtenta, effe-
ctum eſt, vt mox vbi hæc comperta, in diuerſum demutata ſententia legatis Principum haud diu
dilata conſultatione ad hunc modum reſponderetur per D. Georgium Lamperter Iuriſperitum,
à cuius ore velut beato quodam eloquentiæ fonte idioma Germanicum manabat; Imperatoriam
Maieſtatem antiqui moris reſpectum habere, conſtanter decreuiſſe, mentique ſedere, nullibi, niſi
in antiqua Carolorum ſede, regni diadema aſſumere: non conſultum eſſe, ob leuem momentane-
amq; cauſam ritum coronandi priſcum aduerſum præſcripta Bullæ aureæ Caroli nouari. Et quia
Maieſt. ſuæ compertum, morbi vim non tam late vagari, ſicut falſo rumore ad Principum aures de-
latum, ideo ob expertam Principum erga ſuam Maieſt. beneuolentiam, ſe non dubitare, quin Prin-
cipes Electores eo conuenirent, quo Maieſt. ſuam tendere viderint.

Quia vero Aureæ Bullæ mentio facta, addam hic non intempeſtiue vnum, vt opinor, non
vulgo cognitum. Quanquam Carolus IV. Imperator Bulla aurea ſtatuerit, Regum Romanorum

Electionis locus.

deſignationes Franckfordiæ apud Moganum celebrari debere: Idem tamen Carolus, aureæ Bullæ
conditor, ea quæ de Electionis loco ſtatuta, contraria ſanctione ad prætextum, quod tantam Ele-
ctionem loco reſtringi perabſurdum foret, Anno à Natiuitate Domini M.CCC.LXIII. palam
reſcidit, ſumma (vt meum eſt iudicium) ratione. Non enim è Maieſtate tanti Imperii eſt, vt Princi-
pes ſemper circum Rheni margines hæreant immobiles, fierique poteſt, vt Imperator cum Electo-
ribus procul in hoſtili ſolo degat adeo diſſito, vt intra præfinita Bullæ tempora nullo pacto Franco-
fordiam attingere poſſint ad eligendum, ſi Imperator forte occumbat, aut in fata concedat. Hæc
non ſcribo, quod putem temere maiorum morem mutandum: Magni enim Prouinciales faciunt,
teſte Iuriſconſulto, ſeruari ipſis antiquas conſuetudines: Sed quod non ſit Principibus neceſſitas
impoſita, ſolum Franckfordiæ electionem celebrare. Non me tamen latet, olim extra Romanum
agrum, qui Italia terminabatur, non potuiſſe dici Dictatorem. Vix audeo aſſerere, quod hæc reuo-
catio omnes Principum Conſiliarios, aliis maioribusque rebus intentos latuerit. Sed de his ſatis.

Licet legati hæc reſponſa referre iuſſi, tamen abſque mora generoſus Dominus Maximilianus
de Siebenbergen, magnæ ob integre adminiſtratam tumultuantem Sueuiam autoritatis Coloniam
ad Principes reſponſum operientes miſſus, qui hortando monendoq; nunc ſingulos, nunc vniuer-
ſos tandem effecit, vt Principes ſe in poteſtate Regis futuros eſſe dicerent, morem voluntati Regis
geſturos, imperataq; obedienter facturos, ſequuturosq; quocunque Rex voluerit, etiam Aquiſgra-
num: magis profecto diſſimulato, quam ſpreto periculo, rati hanc ſolicitudinem non plus tridui
futuram. Solus Dux Saxoniæ Fridericus, cui inclita gloria integritatis nihil vnquam charius, ob ad-
uerſam valetudinem Coloniæ manere cogebatur.

Fridericus Dux Saxoniæ officii cupidior, quam potentia.

Die igitur, qua conuenerat XXI. Octob. Col. Moguntinus atque Treuirenſis Archiepiſcopi,
Legatus Marchionis Ioachim. Aquiſgranum ingreſſi, ciues inter ſpem metumque dubios (plures e-
nim hebdomadæ interceſſerant, cum res parum certa videbatur,) maximopere exhilararunt. Sta-
tim atque Principes equis deſcendiſſent, Mareſcalci ſiue Magiſtri equitum ſingulorum Principum
in hoſpitio Marchionis Caſimiri conuenerunt, conſultaturi, præſente Domino Florentio de Yſel-
ſtein, cæterisq; Regiis Conſiliariis, quo ordine proxima luce agmina Principum ingrederentur, ne
ob contentionem antelationis aliquis tumultus atque diſſenſio oboriretur. Et licet diuerſitas anti-
quarum annotationum difficultatem peperiſſet, omnium tamen vna atque inuariabilis ſententia
fuit, atque ita conuenit, vt Principum Electorum agmina iunctim & ex ordine abſque aliorum ad-
mixtu, per debita interualla ingrederentur.

Cœna peracta, primarii Regis Conſiliari, Principes, viri ampliſſimis honoribus vſi, inter quos
erat Epiſcopus Leodienſis, Princeps fidei, pietatisq; immobilis erga Cæſarem, Dominus Florentius
de Siebenbergen, acceſſerunt Archiepiſcopum Colonienſem coronatorem, deque ratione Coro-
nationis communicarunt. Inter alia autem diſceptabatur, an die Sancti Seuerini, quæ inſtabat, co-
ronatio rite expleri poſſit, ex quo is dies apud incolas non foret celebris. Præſul Leodienſis, in cuius
diœceſi Aquiſgranum conſiſtit, aſſerebat, omnis dubitationis præſcindendæ cauſa ſeſe iuſſurum
proclamari, vt pro celebri vel in foro feriaretur. Complacitumque omnibus, vt is dies feſtus habe-
retur. Nec hoc cuiquam abſurdum videri debet. Tametſi enim Epiſcoporum conſecrationes ex
more ſolum diebus Dominicis fiant: Hoc tamen in vnctione Regum (quæ nihil ſignificant, quam
quod datam cœlitus potentiam leuiter placideque eos exercere conueniat) haud opus fuit ſeruare,
hoc potiſſimum tempore, & in tanto contagionis metu atq; trepidatione nihil minus expediebat,
vbi etiam ex diligenti temporum ſupputatione liquido conſtat, neque Fridericum Cæſarem, neque
qui eum præceſſit Sigiſmundum, die Dominica fuiſſe coronatos.

Poſtera die Principes Electores præter Archiepiſcopum Colonienſem, qui aliis rebus inten-
tus in hoſpitio manſit, aſcenderunt domum Senatoriam inferiorem, habitaque conſultatione de
ſingulis, vlterius aſcenderunt ad videndum ordinem menſarum, reliquumque apparatum, defere-
banturq; ante eos, dum aſcenderent, deſcenderentque publice ex iure Regalium vaginis exempti
enſes; nondum enim ſuprema poteſtas aduenerat.

Prandio

Prandio facto, omnis ætas ſexuſque vltra Italicum miliare ſeſe ad ſpectandum effudit, Principeſque cum armatis agminibus Cæſari obuiam prodierunt: & cum haud longe proceſſiſſent, apparuit Regia Maieſtas cum ornatiſſimo equitum peditumque exercitu, quæ cum perueniſſet ad locum editiorem, ad inſtruendum explicandumque ordines militum, atque componendum agmina opportunum, ad hoc à Domino Florentio Mareſcalco præmeditatum (per viam quippe, quam Regiam incolæ nominant, difficilis in vrbem aditus patebat) aliquandiu Regia Maieſt. ſubſtitit è conſpectu in loco eleuatiore interiacente, patente, atque equitabili campo, Principum Germanorum agmina ſimiliter expectabant, donec Marchio Caſimirus, & D. Florentius ordines diſponerent, agminaque explicarent. Cum autem Regia Maieſtas ſeſe mouere cœpiſſet, atque iam in conſpectu Principum Electorum eſſet, ſinguli Principes aſſumtis XII. Comitibus, cæteriſque ſubſiſtere iuſſis, Regiæ Mai. obuiam properarunt, deſilienteſque de equis ſinguli cum quatuor Conſiliariis Regiam Maieſtatem, equo etiam deſcendere nitentem, permanere coegerunt. Dein reuerendiſſime honorificentiſſimeque per Archepiſcopum Moguntinum exceperunt, qui in hunc ferme modum lingua Teutonica verba fecit: *Illuſtriſſime, Inuictiſſimeq; Rex, Gratioſiſſime Domine, fratres mei Principes Electores, etiam Legati Illuſtrium Principum Ducis Saxoniæ, Marchioniſq; Brandenburgenſis fratrum meorum, & ego, venimus vocatu veſtræ Maieſtatis eidem obuiam. Quantum autem nos omnes de fauſto fœliciq; aduentu veſtræ Maieſtatis in ſacrum Romanum Imperium & Germanicam nationem gauiſi ſumus, haud dubie veſtra Maieſt. partim à noſtris perſonis, partim ab Ambaſiatoribus noſtris gratioſe ſufficienterq; didicit. Nunc vero magis exhilaramur, eo quod datur veſtræ Maieſtatis optatiſſimam deſideratiſſimamq; perſonam videre, colloquiq;. Cum eadem paratiſſimi ergo adſumus, ad ingrediendum cum veſtra Maieſt. vrbem Aquiſgranum, operam ſtudiumq; nauare ad explendum laudabiliſſimum veſtræ Maieſt. propoſitum, exequendumque munus coronationis. Denique ad agendum, pertractandum, conſiciendumque omnia, Deo adiutore, quæ ad eam rem aliquo modo pertineant, atque requirantur, nos, ſtatuſque noſtros veſtræ Maieſt. vt Domino noſtro gratioſiſſimo obſequentiſſime commendantes.*

Oratio Electorum ad Regem.

Dominus Cardinalis Salisburgenſis, homo pro anxia ſua diligentia atque virtute dignus, quod tam fidis eum fortuna vberibus aluerit, iuſſu Regiæ Maieſtatis hortatus, Principes reaſcendere equos, nomine Regis Principes reſalutauit, eorumque beneuolentiæ gratias agens, dixitque Regiæ Maieſtati, ob preſpectam erga ſe Principum amicitiam, gratulationem eorum probatiſſimam eſſe, nec minorem voluptatem de amiciſſimorum principum ſuorum conſpectu cepiſſe poſt mutuam ſalutationem. Continuato familiari coloquio, extrahebant tempus in Palatini aduentum, qui eadem die, abſque eo quod deſcendiſſet equo, ciuitatem pertranſiens, Regi ante portas obuiam venit, qui ſimiliter Regem excepit, & curſum equum aſcendit. Dumque hæc agebantur, parum erat vltra horam ſecundam per meridiem, ſic, quod niſi incepta altercatio atque concertatio, inter Legatum Ducis Saxoniæ, Principem de Anhalt, & Ducem Iuliacenſem, vter eorum præequitaret, incidiſſet, potuiſſet ornatiſſimus ſplendidiſſimuſque exercitus Regius (ad quem viſendum, die opus fuiſſet) ſumma luce, die ſereniſſima luucidiſſimaque ciuitatem ingredi, quod magnopere Regia Maieſtas cupere videbatur, eo quod pridie quam ingrederetur, in arce quadam non vltra ſeſquimiliare diſſita, pernoctauerat. Dux etenim Iuliacenſis; quia prope quadringentos equites inſtructiſſimos in campis habebat, non tam aurata atque diſcolori veſte, quam ferro atque ære fulgentes, non ſuſtinuit ſuos inter Germanos equites nullis ſecundos, nouiſſimo loco ordinari.

Saxones vero ad antiquum morem, repertaſque ſchedulas, quæ eis ſuffragabantur, prouocantes obfirmare vrgebant, aſſerentes, ſe quidem permiſſuros, vt Iuliacenſes cum viginti quatuor modo equitibus, in fidei publicæ eo loci ex iure præfecturæ dandæ, ſiue ſalui conductus atque commeatus ſignum, præcederent, quemadmodum retroactis temporibus omni ratione affirmabant factum, iniurioſque eſſe Iuliacenſes, ſi vltra hoc pergerent, Principi eorum Archimareſcalco Imperii (cui ſtatibus, in campis Imperii, & expeditione exiſtentibus, competeret prærogatiua præcedendi, ordineſque inſtruendi) contra irrefragabilem, vetuſtiſſimumq; morem penitus denegare. Nec potuit hæc pertinax pluſculis verbis habita contentio, quæ rem interturbauit, diu ſedari. Multa igitur deſuper collocuti, hanc vnam viam (vt materia tumultus ſubduceretur) tandem inuenere, quod Dux Iuliacenſis cum ſuis copiis, eueſtigio ciuitatem abſque eo, quod hoſpitia ſubintrarent, ante omnes pertranſiret.

Itaque poſt innumeros pene, qui variis armis, veſtitu atque moribus, partim armati, equis inſidebant, partim vero veſtibus holoſericis induti, mulis inhærebant, venit Marchio Ioannes Brandenburgenſis ille, qui Reginam vxorem duxit Arrogoniæ, in veſte aurea, cum aliquot equitibus leuiter armatis. Circum eum currebant ſex expeditiſſimi pedites, ſerico diuerſicolore induti. Poſt Marchionem venit D. Ioannes Ausburger, cum XXX. equitibus vexilliferis, clipeatis, geſtantibus oblongos pileos.

Sequebantur inde tria millia delectiſſimorum peditum, ornati Germanicis ſecuribus, haſtis atque bombardis, qui pagatim diſtributi non longe ab Aquiſgrano venientem ex Eburonibus Cæſarem aliquandiu expectauere: habebant ſigna militaria, ſi memini ſeptem, magna pars probe thoracibus armata fuit. Hi in quadrato agmine conſiſtentes, primo in campo, dum exercitus cliuum ad vrbem ducentem deſcenderet. Deinde ciuitatem ſeptem & ſeptem pertranſeuntes, cum ad mediũ forum peruentum fuiſſet, ſimul quaſi ſigno dato, adeo formidabilem ſonitum, terrificaq; tonitrua ſuis bombardis fecere, vt etiam inhorreſcerent, qui ſpectarent ex tuto, & abſque mora, ſine eo,

quod dilaberentur, aut vſquam ſuſtinerent, ciuitatem recta egrediebantur. Intrarunt poſtea Senatores ciuitatis, & qui in Magiſteriis municipalibus conſtituti, cum albis bacillis comitiua quadraginta equorum. Hi ex vſurpato more, Regiam Maieſtatem, vbi ad fines eorum perueniſſet, ſumma cum obſeruantia deuotiſſimeque exceperunt. Reges quoque Romanorum coronandi, decretum electionis Magiſtratui oſtendunt, antequam patiuntur, Regem electum in ſolium Regale ſublimari. Ideo cum tam Pontificis iuſſu, quam Principum Electorum vnanimi conſenſu, Wentzelaus Imperator, ob ſocordiam atque nequitiam, ſcripta ſententia, quam vidi atque legi, depoſitus, & in eius viuentis locum Rupertus, Comes Palatinus ſuffectus fuiſſet, in ſedem tamen Regiam eum collocari nequaquam permiſere, prætexentes præſtitam fidelitatem: pœnam tamen contumaciæ, paulo poſt multo ære mulctatos luiſſe, non ignoro.

Decretum electionis.

Sed redeo ad deſcribendum ordinem equeſtrium agminum, ſicut ante fuit conuentum. Sequebatur Dux Iuliaceñ. cum quadringentis prope equitibus, grauis, fortisque armaturæ decorisq; armis, conſpicuis continentibus ſignis: Duo habebant vexilla, quorum vnum altero minus, nigri coloris veſtitus; inſtar omnes ferme, quemadmodum conuentum fuit, vbi exceſſerunt, perpaucis ad hoſpitia contra depacta diuertentibus, Saxones vero querebantur aduerſum habitam collocutionem actum, & aliquandiu ſubſequi abnuerunt, ſicque redintegrata altercatio (ob antelationis ineptam contentionem) rem in ſerum protraxit, multorumque oculos gratiſſimo, iucundiſſimoq; ſpectaculo orbauit.

Tandem poſt longum interuallum, equites ſexaginta Ducis Saxoniæ nigro veſtiti, ſagittarii inſigniter gemmis ornati ſubſequuti ſunt.

Exigua intercapedine (præeuntibus duobus cum tibia atque tympano, quibus Germaniæ pedites vtuntur) ſequebantur copiæ Domini Palatini, equites haud pauciores ſeptingentis, in nigris veſtibus cum tubis & ferreis tympanis. Horum perpauci ſagittarii, reliqui omnes haſtati, & inter eos multi cataphracti, hoc eſt, vndequaque perarmati fuere. Equitibus etiam equisque tegmenta, aut ex laminis chalibeis ſerie inter ſe connexis, aut ex præduro corio depicto, ſiue auro ſericoue obducta fuere. Galeæ quoque atque capitum geſtamina, gemmis, margaritiſque diſtincta adornataque multum ſplendoris attulerunt. Licet autem haſtæ eorum fuere breuiatæ habiles, neque tantæ longitudinis, quantæ illæ ſunt, quibus inferiores Germani vtuntur, nec reliqua armatura tam grauis fuerit: iucundiſſimum tamen de ſe ſpectaculum præbuerunt. Præter fratres germanos, ferunt Dominum Palatinum plures alios Principes, Comites atque Illuſtres, in ſua comitiua habuiſſe.

Deinde quadraginta equites ſagittarii, qui in miniſterio Epiſcopi Brandeburgeñ. Legati Marchionis Ioachimi, erant induti veſtibus, ſagisque diuerſicoloribus: hos comitabantur centũ XXX. equites Archiepiſcopi Moguntini pari armatura, leui videlicet: atque ſagittarii rubeis veſtib. induti.

Poſt equites Archiepiſcopi Treuereñ. ducenti, in nigris veſtibus haſtati, probe expediteque armati, cum vno æneatore.

Poſt Treueros immediate ante Regios ſatrapas equitatus Archiepiſcopi Colonienſis proximo loco intrauit, tum tibicinum cantu, inter quingentos equites haſtatos, grauis armaturæ nonaginta, tres cataphracti fuere apparatiſſimæ armaturæ. Viri enim atque equi inſigniter ornati iuxta ſplendebant, honoratioremque locum ob hoc obtinuiſſe crediderim, quod Epiſcopus Colonienſis coronator legitimus ſit, & Aquisgranum in ſua prouincia ſitum. Treuiros vero autumo Moguntinenſium conceſſu, eo quod inſtructiores fuere, proximum ante Colonienſes locum obtinuiſſe.

Poſt agmina Electorum incedebant Regii aulici ditiſſimi, purpuratorum maximæ amplitudinis, viri precioſiſſimis veſtibus induti, inſignesque excellentiſſimo cultu. Tam abundanti enim auro, gemmis atque purpura vſi, vt (licet iam præceps in noctem diei tempus erat) tamen in dubia luce enitebant, cultusque eorum regalem plane opulentiam pręſe ferebat, nulla profecto ab eis impenſarum ratio habita. Fuere enim maiores ſatrapæ curiæ, atque magiſtri curiæ interiores cubicularii, præſides, rectoresque prouinciarum, ductores turmarum, & illi, qui aurei velleris dignatione honorati, Hiſpaniæ, Germaniæ, Burgundiæ Principes. Et quia Regiorum equitum pene duo millia fuere, ideo non vno, ſed diuerſis agminibus turmatim ingrediebantur, illatis per interualla decem vexillis, ſingula digeſto numero equitum ſubſequente. Horum equitum pars ſub Henrico Comite de Naſſau militabat: pars ductu Marchionis de Schiueren regebatur: alii D. de Rabenſtein: item D. de Fenis ſuberant, nonnulli quoque D. de Emmeri, militabant. Nobiles adoleſcentes, qui in Regia educantur, Regiis equis gradariis inſidebant, omniumque pene gentium veſtitum, habitumque repræſentarunt. Horum reſpectum Regius Magiſter ſtabuli habuit. Dominus inſuper de Roy, magnus magiſter curiæ, turmam ductabat ornatiſſimam.

Nec Hiſpani pro eximia ſua in Regem charitate atque obſeruantia quicquam, quod ad magnificentiam pertinet, omiſere, ſed maximo cultu, paratuque rerum Regi affuere.

Nobiles adoleſcentes poſt Principes ſuos validas, prælongasque haſtas auratas, argentoque exornatas ferebant. Horum equi tegmina (vnde plura aurea, argenteaque tintinabula propendebant) è ſolido auro habuere. Aliquorum equi nedum inſtrati auro, verum auro aurum ſubductum radiabat, atque ſqualebat. Itaque haud credo, ornatiorem apparatum proximis ſæculis oculis mortalium ſubiectum fuiſſe vnquam.

Pene in medio Regiarum turmarum xij tubicines, ad ferrea tympana alacrem ſonitum fecere.

Proxima his quoque turba Monachorum, atque cucullatorum, tam incerta mendicitate, quam alio modo viventium.

A tergo

At ergo Monachorum aliqui maiores purpurati Regis,genere, famaque longe clariſſimi, præualentibus equis vehebantur vndequaque tam rutilantibus armis,quam auro argentoq; perſpicui.

Deinde duodecim alii æneatores Regii,tubis grauius horridiusq; inſonuere taratantara. Sequebantur eos tres viri Regia Aquila,triumphalibusq; inſignibus ornati,qui equis inſidentes,miſſilia variorum numiſmatum non mediocris ſummæ ex more in plebem,quo clero, Principibusque pateret facilior tranſitus,continuo ſparſerunt.Proximi ibant Canonici,ante quos proceſſit, arte fabricata Caroli Magni effigies,miræ prodigioſæq; magnitudinis,geſtans in manibus templum,portabaturq; à Canonicis in ferculis propitiatoriis caput Diui Caroli Magni, & quædam aliæ reliquiæ. Circum caput diſcurrentes vigiles ciuitatis, æheis cornibus ſatis rudem, inconditumque ſonitum fecere.Vigilum quoque vnus Regio equo,qui ipſi ex veteri conſuetudine ceſſit, inſidens præceſſit. Mos eſt antiquitus introductus,quod vbi Regia Maieſt.peruenerit ad portam exteriorem,quæ hoc tempore fuit Diui Iacobi,quod equo deſcendat,atque ſanctam crucem,à Canonicis Regem expectantibus,illuc delatam reuerendiſſime exoſculetur: factaque reuerentia Diui Caroli capiti,dimiſſo equo priore, in alium ſubinde tranſiliat,ciuitatemque ingrediatur.

Tam Canonicos procedentes,quam Principes,atque Regem cingebant vndique Regii ſatellites atque ſtipatores,turbamque ſubmouebant: Hi ſunt ducenti numero,quorum præſidio ſalus Cæſaris cuſtoditur: quorum centum,perpaucis demptis, Germani ſuperiores, cum ſecuribus Germanicis,pedibus Regiam Maieſtatem ſequuntur: Reliqui vero Regis populares,Flandri, Burgundiones atque Hannonienſes,dum Rex in expeditione fuerit, haſtati equis Regem comitantur. Dumque Cæſarem in aliqua celebri vrbe morari contigerit,ornati tunicis argenteis,auro diſtinctis, atque in modum loricæ contextis, veſtiuntur, grauibus geſis Gallicis,quæ dum Rex in itinere eſt,cum ſarcinis vehuntur.Simul tamen diſtributis noctium vicibus,proximi foribus ante ædes, in quibus Cæſar acquieſcit,excubias agunt.Præter hos Regiæquoq; Maieſtati,cum equum aſcendit deſcenditque,xij. expeditiſſimi,velociſſimique Hiſpani curſores præſto ſunt.

Reliquias delatas Herholdi cum inſignibus Imperii,Regnorumque Hiſpaniæ ſequebantur. *Herholdi.* Hoc hominum genus,olim cum virtuti maior locus eſſet,vnde ipſis lingua Germanica nomen indicium conſtat,vitiaque liberiore palam cenſura,abſque perſonarum reſpectu coargui; deteſtariq; poterant,maiore in precio apud Germanos atque Gallos fuit,quemadmodum Pius Papa (cui res Germanorum,plusquam Nationi forte vtile,exploratæ fuere)in quadam epiſtola teſtatur. Maior natu ſceptrum Regnorum Hiſpaniæ ante Regem præferebat.

Herholdos,ampliſſimi Principes Germaniæ,atque Galliæ Duces, atque Marchiones ſequebantur.Principes deinde Electores hoc ordine Regem præceſſere: Comes Palatinus dextro,Legatus Marchionis ſiniſtro latere, medium Archiepiſcopum Treuerenſem accepere.Loco Domini Ducis Friderici Saxoniæ, qui excuſatione aduerſæ valetudinis Coloniæ manſit, nullo mediante, Vdalricus Pappenheim,minor Mareſcalcus Rom.Imperii,exertum,euaginatumque gladium ante Regiam Maieſtatem vibrabat.

Tandem illuxit rerum certa ſalus,terrarum gloria,Cæſarea Maieſtas,equo nobiliſſimo, flexibiliſſimoque inſidens,quem auro,argentoque diſtincta arma. deſuper fulgentiſſima, argentea veſtis maximopere honeſtabant. Caput Regium tectum erat birreto argenteo, plumula exornato, gaudiumque,quantum dinoſci poterat,præ ſe moderatum ferebat. *Cæſar armis veſtibusq; notabilis varietatis indutus.*

Parum poſt, neque ita longo interuallo, & quaſi iuxta Regem adequitarunt,latere dextro Archiepiſcopus Colonienſ.ſiniſteriore vero,Moguntinus Archiepiſcopus.Quod cum adhuc fixum ſit in recentiſſ.memoria: demiror, quod nonnulli contra ea, quæ ab omnibus viſa fuere, publice ſcribere non dubitauerunt. Sequebatur Regem Legatus Regis Bohemiæ. Sed neque nuncius Apoſtolicus,neque Legatus Regis Angliæ pompæ adeſſe ſuſtinuere, ne ordinarentur poſt Principes Electores,rati per hoc Principum ſuorum dignitati derogari.

Subſequi tamen non faſtidierunt,Cardinalis Sedunenſis,vir acerrimæ prudentiæ, inque excitandis ad alacritatem animis fœliciſſimæ facundiæ. Cardinalis inſuper Salisburgenſis, & Cardinalis de Croy,Archiepiſcopus Toletanus, qui poſt tempore conuentus Wormacień. in præuiridibus annis, in magna animi & corporis ægritudine vita exceſſit, vnde non ſecus quam par erat, D.Marchio de Artzot grauiter motus atque affectus fuit. Regem quoque de ſubita morte nepotis D.Marchionis mœſtum fuiſſe,permoleſteque tuliſſe inde apparet, quod funeri magnifico apparatu exquiſitiſſ.honoribus,cum maximo luctu,planctu, atque lamentatione, pompaque elato cum Principibus adfuit.

Deinde perplures alii honoratiſſimi viri,qui Legationis nomine Regum, Ducum, Marchionum,Communitatum Regiam Mai.comitabantur: Item tam veteres Maximiliani, quam Regiæ Maieſt.Conſiliarii,& qui à ſecretis erant.

Nouiſſime claudebatur totus exercitus inſtructiſſimis ſatellitibus atq; ſtipendiariis equitibus Regis,cõſimili modo armatis,veſtitisq;.videlicet rubeo colore,albo,flauoq; diſtincto, ſicut priores Regii equites fuerant:numeruſq; vniuerſorũ inſtructiſſimorũ equitũ quatuor millia&amplius fuit.

Cum iam intendentibus tenebris,ad porticum Diuæ Virginis ventum,Rex equo,quo introiuit,deſcendiſſet,Comes de Rifferſcheit,tanquam Archimarſcalcus Archiepiſcopatus Colonień. Regium equum pro ſuo iure ex vſurpata conſuetudine ſibi vendicauit,multiſque ſtabulariis (præſertum Regiis)pertinaciter renitentibus tandem traduxit.Oborta vero ob hoc inter eundem,& D.

de Schvvartzenberg,qui eundem ſibi ob ius præfecturæ (cuius hypothecam habet) deberi affirmabat, alia quædam concertatio, in Coloniam reiecta fuit: ibidem de hac controuerſia actum quidem,non autem(quantum ego ſcio)excuſſum.

Regiam deinde Maj.eo loci,quo oportuit Colonieñ.atque Moguntinus Archiepiſcopi templo introduxere.Licet autem aliquæ antiquæ annotationes documento ſint,id iuris Abbati Sancti Cornelii aliquando competiiſſe,eoque tunc vſum, cum Sigiſmundus coronabatur: Moguntinus tamen Archiepiſcopus pernegauit,hoc præſentibus Archiepiſcopis, Principibus Electoribus,locũ habere. Ante fores ædium ſacrarum ſtant duæ ſtructiles quadratæ columnæ: Vni vulgus impoſitam æneam lupam arbitratur:mihi ex effigie magis vel vrſa,vel leæna videbatur:quæ ſuſcepto in pectore latiſſimo vulnere,nihilo ſecius pro catulis, ſiue vrſulis inde tamen ablatis, moribunda depugnare videtur. Volunt incolæ loci deſignari,non ſecus Imperatorem, ſubditorum ſuorum curam gerere debere. In altera cernitur quaſi Pyramidalis, ſiue orbicularis ænea figura acuminata,& in varias quaſi linguas diſſecta: ea contendunt Imperatorem mundi Dominum,cunctis gentibus imperitare debere ſignificari: fides vtriusque rei penes autores ſit. Nullum etiam veſtigium alicuius certæ antiquitatis,quamuis percurioſe inquirerem,inueſtigare potui.Et ideo ea,quæ incomperta,vulgariaque traditione dicuntur,vera,an falſa ſint,non laboro.

In media templi area,Rex ſub penſili corona paululum ſuper tapetis,atque ſtragulis proſtratus iacuit,donec per Archiepiſcopum Colonienſem certæ preces dicerentur.Deinde ſtabat erectus, donec abſolueretur canticum gaudii: Te DEVM laudamus. Poſt genu vtroque nixus ante aram Diuæ virginis,toto orbe celeberrimam,humiliter,deuotiſſimeque Deum orauit, oblatoque dono ſeceſſit in Sacrarium,remotiſque arbitris,cum ſolis Principibus Electoribus ſemihoræ ſpacio,quædam ſecretiora pertractauit,Principibuſque priuilegia ſua ex more, vt autumo, confirmauit,ratificauitque. Quod coronandi Reges,olim Rhenum à Franckfordia deuecti,ſuper ſaxeam ſedem Regiam ſub dio,inter crebras nuces,in amœniſſimo Rheni littore,prope oppidulum Reenſz poſitam, facere conſueuere.Cumque fuiſſent inuicem collocuti quæ voluerunt, deſideriumque Principum expletum,Rex poſt diuinam venerationem, omnibus ſolenni more rite peractis, ſubſequentibus Principibus Electoribus palatium ſuum acquieturus introiuit,hora fere noctis ſecunda.

Proxime,& quaſi vnis ædibus illuſtriſſima domina Sabaudiæ Margareta (quæ pridie coronationis curru,quem albentes equi trahebant,inuecta fuit,cum virginibus facie inclytis,atque admodum venuſtis: quæ candidis pariter gradariis cum ingrederentur, inſidebant) hoſpitium habuit. Marchioni quoque de Artzot,Principi maximæ apud Regem authoritatis & gratiæ hoſpitium in proximo præparatum fuit. Carolum enim, non vt Regem ſuum modo, verumetiam vt alumnum eximia charitate ſemper coluit.

Marchio de Schwerem.

QVÆ CEREMONIÆ IN TEMPLO SERVATÆ SINT.

DIE ſancti Seuerini, Principes Eccleſiaſtici ordinis,cum adminiſtris ſuis Epiſcopis ſuffraganeis, cæterisque Chriſtianæ religionis Heroibus diluculo templum ingreſſi,in Sacrario decentibus ornamentis Pontificiis ſeſe induere.Licet autem in templo ex more aſſeribus,tabulatisque, duplicia interſtitia diſtincta fuere,vt ſeparatis,diſcretisq; locis,quisque iuxta ſuum ordinem atque conditionem ſpectaret,edictumque ex inſtituto antiquo fuerat,vt Principes,Comiteſq; abſque diſcrimine,& aliorum Electorum quatuor modo primores Conſiliarii,cæterorum vero Principum duo tantum ad Chorum,interioraque ſepta intromitterentur,& reliqua Nobilium multitudo exterius, atque de templi teſtudine deſuper, è ſublimi proſpectaret: Prouiſum inſuper Regia ordinatione fuiſſet,vt ſinguli Principes ſuorum Nobilium nomina Regio Mareſcalco annotata traderent, eidemq; ſuos magiſtros equitum adiungerent, vt militibus poſitis ante valuas, ad cuſtodiam aditus, Nobilium nomina diligenti,exactaque cura darentur,ne ob excluſionem ſeditionem aliquam, ſiue turbas,oriri contingeret: Tantum tamen hominum ampliſſimorum vndique confluxit, quod antiquus hic mos,atque diutina vſurpatione firmata conſuetudo, præ multitudine variarum gentium ſeruari non poterat.Plerique enim veſtium pretioſarum commendatione adiuti, penetrarunt ignobiles. Alii Nobilitatis fiducia non admiſſi,vel ad altare irrupere. Quanquam enim ante fores armatæ cohortes diſpoſitæ fuerunt,parum tamen abfuit,quin templi fores impulſu turbæ conuellerentur. Phanum autem licet neq; laxitate,neque cultu conſpicuum,vt in quo breues columnæ, ſine marmore vllo,aut inſigni pauimento,ob religionẽ tamen,conditoremq; Carolum Magnum, tota Germania celeberrimum eſt.

Venienti haud longe poſt Regi,cum egregia prorſus atque magnifica comitiua ante ambulonum,Principum,Comitum,Baronum,Procerum,Satraparum,Purpuratorumque, induto Archiducali veſte,aureoque amiculo Pontifices ad cellam Diui Nicolai vſque obuiam proceſſere, Regemque in limine venerabundi cum cruce,thuribulo,libroque Euangeliorum,qui antiquiſſimus, correctiſſimusque Aquisgrani,dono Magni Caroli aſſeruatur,excepere. Tum Archiepiſcopus Colonienſis,indutus omnibus(vt aiunt) Pontificialibus,voce ſubmiſſa cantauit: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.* Cum Clerus reſpondiſſet,& Colonienſ.preces ad Deum pro Rege fudiſſet,ordoque ſubinde Clericorum caneret interim: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Moguntinus atque Treuerenſis à dextra læuaque apprehenſum Regem duxere ſubtus teſtudinem, ante aram Diuæ Virginis toto orbe religioſiſſime cultam.Ante eam prona iacuit Regia maieſtas ſuper ſtragulis,donec Archiepiſcopus Colonienſis precatus fuiſſet à Deo quatenus Carolo ſuo adiutorio adeſſet, vt ab aduerſitatibus liberatus, poſſet præeſſe & prodeſſe.

Preca-

Precationibus, quibus Colon. opē diuinā poſcebat, per actis, duo Archiepiſcopi alleuatū Regē in aureā ſellā, è regione altaris deduxerūt ſeſſū. Dein ſe quoq; Principes Elect. Eccleſiaſt. quidē, pari habitu in præparatas ſedes collocarūt. Quia vero ſedes multū præpropere tumultuarieq; apparatæ fuere cogebātur earū defectu Regē Legati, atq Oratores in pmiſcua Principū multitudine ſpectare.

Miſſæ officiū inchoante Archiepiſc. Colon. Regii Cantores in medio Chori canere cœperūt: *Ecce aduenit Dominator Dominus, Kyriel. Alleluia: Vidimus ſtellā, proſa, Feſta Chriſti.* Deinde cantabatur illud canticū *Deſideriū animæ eius tribuiſti ei.* Lectione dein per Canonicū Eccleſiæ cātata: *Surge, illuminare Ieruſalem:* prouolutus ad genua Clerus, cum Principibus cœpit canere Litaniam, ſiue obſecrationē, Rege iterum ante altare ſuper tapetas reſupinato. Congruo tempore Archiepiſcopus Colonienſis in pedes erectus, baculumq; Epiſcopalē in manu tenens, Regi benedicēs, bona, fauſtaq; precabatur.

Poſtquam autem ad finem perducta Litania, ſurrexiſſet Rex, rogauit ab eo Archiepiſcopus Colonienſis lingua primo Latina, An fidem Catholicam operibus iuſtis ſeruare? An Eccleſiarum tutor & defenſor? Num regnum efficaciter ſecundum iuſtitiam defendere vellet? An iura Regni diſperſa congregare? An viduarum, miſerabiliumque perſonarum pius defenſor, & iudex futurus? An Romano denique Pontifici debitam ſubiectionem exhibere vellet? Vbi hæc omnia ſe facturū ad promiſiſſet, ductus ad altare, poſitiſq; ſuper dextrum cornu duobus digitis, conceptis verbis, hoc modo iurauit: *Sic volo, & in quantum diuino fultus fuero adiutorio, precibuſq; Chriſtianorum fidelium adiutus valuero, omnia præmiſſa fideliter adimplebo, Sic me Deus adiuuet, & Sancti eius.*

Regreſſo Rege Colonienſis ad circumſtantes Principes conuerſus, latine quæſiuit, An vellent tali Principi, ac Rectori ſeſe ſubiicere, ipſiuſq; regnum firmare, fide ſtabilire, iuſſionibuſque illius obtemperare, iuxta Apoſtoli præceptum, dicentis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Cū ad rogata illi, qui intellexerunt, *Fiat, Fiat,* conclamando annuiſſent, Abbas de Prueme ex Comitibus de Manderſcheit, iuſſuque Archiepiſcopi Colonienſis, lingua Alemanica eadem à Principibus percontabatur. Regiæ quoque Maieſtati, ſi Latina lingua penitus ignara fuiſſet, idiomate Alemanico præſtandum Sacramentum, interpretatum ex more fuiſſet. Sed tantum Maieſtas ſua Latine, & loquitur, & intelligit, quantum eſt ſatis ad intelligendum voluntatem, ſacraſq; iuſſiones Maieſt. ſuę.

His tranſactis, Archiepiſcopus Colonienſis iterum Rege proſtrato, precatus eſt à Deo, quatenus Regem ſuo clypeo protegeret, honorificaretque præ cunctis Regibus gentium, vt viuat inter gentium catervas magnificus, vtque gentes Carolo fidem ſeruent. Quæ omnia his inſerere ſuperuacuum foret, cum omnium ſacrarum precum liber, tam Aquiſgrani, quam alibi extet.

Secundum precationem Rex ad genua ſeſe ſubmiſit, inunxitq; oleo Cathecumenorum Archiepiſcopus Colonienſis Regis caput: dein pectus inter ſcapulas, ambaſq. iuncturas brachiorum, dicens: *Pax tibi.* Dein: *Vngo te in Regē de oleo ſanctificato, in nomine* PATRIS, *&* FILII *&* SPIRITVS SANCTI. Cecinit, dum vngeretur, Chorus: *Vnxerunt Salomonem, Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, Regem in Geon.* Et procidentes, læti dixerunt: *Viuat Rex in æternum.* Palmas quoque manus vtriuſque oleo imbuendo, ſubiunxit: *Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetæ:* Choro interim concinente: *Vnxit te Deus.*

Vnctum Regem, Moguntinus & Treuerenſis Archiepiſcopi in Sacrarium deduxere, vbi poſtquam Regii Capellani mundiſſima lana oleum deterſere, depoſito aureo amiculo, quod in vſus ornamentorum templi ceſſit, indutum rurſus Dalmatica chlamyde aurea, ſocculis, Imperialibuſque ornamentis Diui Caroli, Diaconi more iterum Sacrario eduxere.

Ornamenta vero diui Caroli, quibus ex more coronandi Reges induuntur, Nurembergenſ. Magiſtratus ſumma cum diligentia atque veneratione publice ad aliquot ſæcula aſſeruauit, quæ tēpeſtiue Aquiſgranum delata, vbi Reges coronandi fuerint, rurſus coronatione expleta, aſportantur, ſubq; fida cuſtodia recluduntur. Subnotatas autem reliquias, Nurembergenſ. à Carolo geſtatas pro vero habēt, traduntq;, & inde eximie coluntur: *Dalmaticā albā* holoſericā precioſiſſimis margaritis, gemiſq. diſtinctā: *Aureā ſtolā* margaritis quoq; adornatā: *Vnā cappā holoſericā,* violacei coloris, cui aurū in modum Aquilæ intextū: *Alterum amiculū rubei coloris* contextū pari modo magna aurea Aquila. *Imperialia ornamenta Nurembergæ aſſeruari.*

Inſuper *Coronā Caroli,* non ferreā, vt vulgus falſo autumat, & (quod magis pudendum) paſſim in iuris profeſſorū cōmentariis reperitur: ſed ex puro puto auro fabrefactā, ſic tamē, vt in ea veterū laudabilis parcitas ſatis eluceat. *Pomū & ſceptrum aurea. Gladium Caroli* admodū graue, vtpote à viro robuſtiſſimo verſatum: verum non tam prodigioſæ magnitudinis, quam à tanto hero geſtatū credi poſſet. *Prima corona Aquiſgrani aurea eſt, non Ferrea, vt vulgus inepcit.*

Præter hæc adducta ſunt hac tempeſtate *duæ Dalmaticæ,* vna violacei, alia vero nigri coloris. *Duæ chirothecæ,* vnionibus precioſiſſimiſque lapidibus ornatæ: *Socculi duo aurei, ſtola, zona coriacea, retinaculumque eius aureum,* quæ omnia pretioſis lapidibus affabre picturata, redimitaque fuere.

Rege poſt egreſſum Sacrarii iterum procumbente, Colon. Archiepiſc. ante traditionem gladii, terna precatione vſus eſt. Qua in re vnum nequaq̄ ſilentio prætereundum, quod Archiepiſc. Colō. in ſacris illis precibus, illud præcipue ſolemniterq; inter plura alia comprecabatur, *vt Reges* quoque, *de lumbis Imperatoris, per ſucceſſionem temporum futurorum egrediantur.* Quo vno ſolo, ſatis plane cōſtat, non minus inepta, atque frigida, quam inuidiſſima ratione illos vti, qui negant, optime meritorum Imperatorum clariſſimo ſanguini Imperium, deferendum electione, ne ob id videatur quaſi ſucceſſioni deberi, cum eos optimo merito ſpes ſucceſſionis potiſſimum manere debeat. *Refellitur opinio, aſſerentium Imperium ſucceſſoribus non fore deferendum.*

Aliis quoque ſolennibus comprecationibus pro Carolo factis, Colonienſis aſſociatis Moguntino atque Treuirenſi Archiepiſcopis, Regi eductum vagina gladium, his additis verbis ſimul tradidere. *Accipe gladium per manus Epiſcoporum, licet indignas, vice tamen & autoritate ſanctorum Apoſtolorum*

lorum conſecratas, tibi Regaliter impoſitum, noſtraq; benedictionis officio in defenſionem ſanctæ Eccleſiæ diuinitus ordinatū, & eſto memor illius, de quo ille prophetauit, dicēs: Accingere gladiū tuum ſuper fœmur tuum potētiſſime, vt in hoc & per eundem vim æquitatis exerceas, iniquitatis molem potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam, eiuſq; fideles propugnes, ac protegas. Nec minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis hoſtes execreris ac deſtruas; viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerues, vlciſcaris iniuſta, conſerues bene diſpoſita: quatenus hoc agendo virtutis triumpho glorioſus iuſtitiaque cultu egregius, cum mundi huius Saluatore, cuius typum geris, ſine fine merearis regnare: qui cum patre, &c.

Gladio in vaginā recondito, Regia Maieſtas ſeſe accinxit. Solus deinde Colon. Archiepiſcop. Regis digito annulū immiſit. Palliū quoq; diui Caroli, ſimul Regale inſigne aurei velleris loco armillatū, quod ornamēti genus in vſu eſſe deſiit, collo Regis adaptato, addidit hæc verba: *Accipe Regiæ dignitatis annulum, & per hunc Catholicæ fidei cognoſce ſignaculum: & vt hodie ordinaris caput Princepsq; Regni & populi, ita perſeuerabis auctor, ac ſtabilitor Chriſtianitatis, & Chriſtianæ fidei, vt fœlix in opere cum Rege Regum glorieris per æuum.*

Sceptrū vero aureumq; pomum tradēs, fœlicia Regi ominabatur, admonebatq; ſuā Maieſtatem dicens: *Accipe virgam virtutis, atq; æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos.* Quemadmodū hæc fuſius in libro, de ritu coronandi, habentur, inibique leguntur.

Coronam aūt, atq; Regni diadema, tres Archiepiſc. Colon. Treuir. atq; Mogunt. Regi ſimul imponentes, dicebāt: *Accipe coronā Regiam Regni, quæ licet ab indignis, Epiſcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur.* Hic quoque minime opus eſt reliquam admonitionem apponere.

Coronatione expleta, Regia maieſtas aram acceſſit, moreq; maiorum ſacramentum ſuper altare, ſactumq; librum Euangeliorū è ſcripto legendo, in hanc ferme ſententiā Latine præſtitit: *Profiteor & promitto corā Deo & Angelis ei⁹, leges ſeruare, iuſtitiā facere, iura Regni conſeruare, debitūq; honorē Romano, aliiſq; Pontificib. atq; vaſallis exhibere, donata Eccleſiis conſeruare, Chriſto mihi præſtante auxiliū, fortitudinē, & decorē.*

Ductus inde fuit Rex per Mogunt. atq; Treuiren. Archiepiſcop. per deuexum ſupra teſtudinem templi ſubſequente Archiepiſc. Colon. ſimulq; collocabant Regem in ſaxeam ſedem, poſitam ante altare Simonis & Iudæ Apoſtolorum, addita inueſtitura, *Ita, Retine amodo locum Regium*: quæ hic, ne longior ſim, integra ponere conſulto omiſi.

Dum autem aſcenderet, cecinit Chorus: *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum,* & quæ ſequuntur: *Poſuiſti ſuper caput eius coronam de lapide precioſo, &c.*

Regi in ſolio Maieſt. atq; in excelſo gloriæ faſtigio reſidenti, Archiepiſc. Mogunt. nomine collegarū ſuorū, his ferme verbis lingua Alemanica gratulabatur: *Superilluſtriſsime & gratioſiſſime Domine, ex quo Regia tua Maieſt. iā diuina gratia atq; prouidētia, quā Principū Germaniæ cōcordi electione, ad dec⁹, honorē atq; gloriā Imperatorii nominis atq; poteſtatis accita atq; ſublimata eſt, & nunc coronā Regiā, cū laudabilib. honorib. atq; ornamentis requiſitis ſuſcepit, ſumus nos eo magis lætati, exhilaratiq;, quo magis ardētiuſq; hoc cernere, ex animo deſiderauimus. Hunc itaq; honorē, Deū Opt. Max. tuæ Maieſtat. fortunare volumus, optamuſq; Regiæ tuæ Maieſtati longæuum diuturnumque Regnum, corporis ſanitatem perpetuam, plurimumq; bonæ fortunæ atque fœlicitatis. Firmamq; ſpē, atque indubitatā fiduciā habemus, Imperium ex tua, maiorumq; tuorum virtute adminiſtratum iri. Quodq; hæc imprimis Deo Opt. Max. probata, accepta, grataq; erunt, & ad honorē, decorē, incrementumque ſanitæ, atque Orthodoxæ Eccleſiæ Catholicæ, ſacri Romani Imperii, inclytæque Nationis Germanicæ, ceſſura ſint. Rogamuſque obnixe, vt nos, cæteroſque Principes, ſtatuſque ſacri Romani Imperii, Regiæ tuæ Maieſtati, ſicut ſupremo orbis terrarum in temporalibus capiti, ſeſe obſequentiſsime cōmendantes, gratioſiſsime ſub tutela tuæ Maieſtat. manſuetudinis commendatos habere, omniumque noſtrum gratioſiſſimus Imper. eſſe & permanere velis.*

Canonici quoque templi, Regi honorem, bene, fœliciterque cedere optauere, eorumque ordini ex more Rex initiabatur. Deinde Chorus, tubicines, & organa alternatis vicibus ſumma cum alacritate canticum: *Te Deum laudamus, &c.* abſoluerunt.

Multi ſine cenſu Equites creati.

Creauit interim Regia Maieſt. gladio diui Caroli prægraui plurimos Equeſtris ordinis viros variarum Nationum, ſum̃a cum ſolen̄itate. Horum perpauci Germani fuere, qui hoc decus per hoſtiū ſtragē demereri malunt, atq; in ponte Tyber. ſplendidiſſimo ordini initiari, magis pulchrum atque egregium putāt: deſieruntq; Germani præcipuæ nobilitatis aſſertores, hunc ordinem magnifacere, quando viderūt humilib. ſordidiſſimiſq; mercatorib. precio aditū ad ampliſſimum honorem patere: ſitim, ardoremque gloriæ plurimū hæc indignitas reſtrinxit. Et forte ob hoc quidam ab Equeſtri ordine deterrebātur, ꝙ honorem Equeſtrem, titulumq; ex lege Equeſtri, intra anni ſpacium ſtatim poſt aſſumere illo tempore creati coguntur, alias ni ſe ꝓ equitib. gerant, ſoli imaginarii equites futuri. Inſuper q̃uis ab antiquo non niſi nobiles admittebantur, ordinariq; ſolitum, vt quibus initiari huic ordini votum, atq; mens eſſet, nomina, & agnomina ſua deſcripta, Magiſtris equitū traderent: Hac tamen tempeſtate, in tanta diuerſarum gentiū turba plurimi non ſponte, ſed aliorum impulſu, inuiti, ſiue temere ad Cæſarem delati, flexis genibus dorſum gladio ſubmiſere, quorum multis bene conſultum foret, ſi cum ictu Equeſtri, cenſum quoque Equeſtrem accepiſſent.

Principes ſedi affixi, expectabāt (præter Archiepiſc. Colo. qui ad arā rediit) donec reducendi Regem officio fungerētur. Cumq; deſcenderent, vnus Canonicorū Euangel. *Cū natus eſſet Ieſus in Bethleē Iudæ,* cecinit poſt Symbol. fidei, & cantationē illā: *Reges Tarſis,* Regia Maieſt. delatis ante ſe gladio per Mareſcallū Imperii, pomoq; per Dn. Palatin, qui dum teſtitudinē aſcenderet, ſimiliter præcedebāt, ſceptrū manu tenēs, obtulit altari num̃um aureum valoris 10. ducator. qui Capellanis Archiep. Colon. renitentibus aliquamdiu Eccleſiæ Canonicis, tandem cum aliis donis oblatis, remiſſus fuit.

Poſt Regem Principes Electores ordine dona ad altare deferebant, Archiep. Colon. ſingulis oſculandum ſacrum præbente.

Coronæ

Coronę curam Imperii Subpincerna N. de Limpurch, quemadmodum Comes de Zorn, minor Imperii Camerarius, ſceptri reſpectum habuit. Subminiſtri enim perpetui Imperii, Legatis Principum in executione officiorum cedere noluerunt.

Cum deinde Archiep. Colo. pacem pronunciaſſet, Regique, & cœtui Pontificis more benedixiſſet, Epiſcop. Leod. ſacrum deoſculandum flexis genibus reuerendiſſime ſuſcepit, credentiaque, vt aiunt, mundiſſimo peplo facta, illud Archiep. Mogunt. tradidit: qui eodem modo, credentia facta, ſacrum Regis ori inclinando ſeſe, decenter admouit.

Sacris omnibus rite peractis, Regia Maieſtas flexis genibus ſalutare Sacramentum Euchariſtiæ ſumpſit, tanta quidē mentis deuotione, vt animi inde aſpicientiū vehementiſſime cōmouerentur.

Dextro latere, nō lōge ab altari erat ligneū ſpectaculum ſub teſtudine, p illuſtriſ. Dña Margareth. præparatū, vnde ipſa, & Regina Arrag. quōdā Ferd. vxor, modo Marchio. nupta, cū venuſtiſſimis Virginib. nullo velo, neq; vmbraculo tectis, ſic, vt ab omnib. viſerentur, ſingula ſpectarunt. Ante omnes Illuſtriſſima Domina Margaretha, tam inexpleto ſingula, quæ agebantur, lumine ſpectabat, vt non vane crediderim, tacitum ipſius pectus immenſum gaudium pertentaſſe.

Cunctis in tēplo finitis, Rex ſella aurea reſidens, creandis vlterius Equeſtris ordinis viris, tā diu intētus fuit, quoad Electores Eccleſiaſt. exutis ſacris, induerentur veſtib. rubeis, Elector. ſolos decētibus. Quibus ornati, Regiam Maieſtatē, ſumpturi cum eadem ſolenne prandium, ad palatium cōcomitabātur, reliquiq; Principes Regē ē templo, cum lętitia, atq; gratulatione ſoleñi proſecuti ſunt.

Operæ precium eſt, hīc quoq; adnotare, qui Comites atq. Baron. Archiep. Colo. ſacrificanti, officii gratia præſto fuerint. Dum obuiā iretur Regi templum intrāti, Com. de Waldeck Canon. maioris Eccleſ. Colon. ante Archiep. crucem, Comes vero de Schuuartzb. thuribulum præferebāt. Comes Georg. de Witgenſtein, Capellar. Colon. cui præter alia incumbit ab antiquo aulicorum quoq; controuerſias dirimere. Hic cū Dño Wilhel. de Nuuen. Magiſtro curiæ humeris ante Epiſcop. Colon. geſtabāt duo flagra, quib. frumētū excutitur, albi viridiſq; coloris. His ſignificatur, Archiep. Colō. velut prouinciæ Præſidē, ab Roman. Imper. velle dominiū ciuitatis Colon. obtinere. Colonia. n. Aggrippina, hoc tēpore inter vrbes ruſticas Imperii numeratur. Licet aūt nō ignorem, prudentiſſimos huic Imperii ſubordinationi, ſiue diſcretioni parū fidei, atq; momenti tribuere: ne tamen iſtud penitus cōmentitium putetur, videantur quæſo Annal. atq; libri Chronicor. Ciuitatis Colon. quomodo in medio nigræ crucis, colonus cum flagello depictus ſit. Abbati de Pruem, dē quo ante mētio facta cōmiſſum, à circumſtātibus Principib. poſtulare debitā ſubiectionē. Com. de Blauue, Decā. maioris Eccleſ. Colō. ſacrum Chriſma ad inungendū Regē, Archiep. Colon. porrexit. Com. de Henneberg. Canon. lanā, qua Epiſcopi manus detergerentur, obtulit. Com. Gompert. de Neuuenar, & nobilis Baro de Reinegk, mappulā ad eā rem in tempore exhibuere. Com. de Virnenberg, dū opus eſſet, aquā manib. dabat, Comitib. Ioann. atq; Bernardo de Naſſau peluim, mappamq; tenentibus. Gladium Com. Ioann. de Wieda frater Germanus Archiep. adportauit. Comes de Seyne loco armillarū, quæ in vſu eſſe deſierunt, inſigne aurei velleris tulit. Comes Saletin. de monte Ferrato, aureum annulum, pallium Caroli Comes de Schauuenberg ē tabula ornamentorū adportarūt. Sceptrum Com. Theodor. de Manderſcheit, Imperiale pomū, Comes Eberhard. de Arburch, perpetua fide Burgundionib. adhærens præſentarunt. Com. de Rieſterſcheit, & Comes Wilhelm. de Neuuenar, Magiſter curiæ, & Mareſchalc. diœceſis Colo. bacillis turbā arcentes, prouidebāt, vt ſinguli ad officia parati, atq; tempeſtiue intenti eſſent, cunctaq; rite iuſſu eorū exequerentur. Comes Herman. de Neuuenar, cuius nomē ob eximiā doctrinā, tota Germania ſuſpicit, librū ē quo omnes precationes, atq; obſecrationes legebātur, ſuſtentabat. Com. de Eppenſt. Scholaſt. & Com. de Bichelē Chori Epiſcop. Colō. Eccleſ. baculi, & mitræ Archiepiſcopalis curā habuere. Degenard. de Witte, Iuris Pōtificii Doct. Cācel. Colo. tabulæ aſtās, ad cūcta intēdebat. Mea vero paruitas deſtinato officio, obſeruādi vt. ſedis Archiepiſcop. præ turba Purpuratorū, qui dēſiſſime circūſtabāt, ægre ſatisfacere potuit.

Archiepiſcopo Colonienſi ſeruiunt XXIIII. Comites.

Colonia Agrippina.

Quo apparatu, atque magnificentia, ſolenne conuiuium in ſuperiore palatii aula celebratum.

Regia Maieſtas Imperiali habitu, atq; ornatu induta, delatis ante ſe Imperii inſignibus maximo Electorum cæterorumq; Principum comitatu, palatium tota Germania celeberrimum, cuius latus forum ſpectans, Imperatorum marmoreis ſtatuis ſpectabiliſſimum, aſcendit, vbi omnia ad ſplendorem gloriamque magnificentiſſime, aureis periſtromatibus, ſtraguliſque aureis ſic adornata fuere, vt maximam rationem publicæ dignitatis habitam fuiſſe dixiſſes, ſolenniq; conuiuio, pręter Principes Germanos Statuſq; Romani Imperii, nemo interponebatur.

Statim atq; Rex aſcendiſſet, minor Imperii Mareſcallus Vlricus de Pappenheim, equo, cui inſidebat, in cumulum auenæ vſque ad pectus adacto, argenteo modio duodecim Marcarum, publice in foro, ex more vice Ducis Saxoniæ, auenam demetiebatur. Aqua deinde aurea pelui Regiis manibus à Marchione Iohanne de Brandenburg, & minore Imperii Pincerna dabatur: tenuitque Comes Palatinus, & alii aſtantes Principes mappam, qua aſpergebantur manus Regiæ.

Comes deinde Palatinus Archidapifer, præcedente Submareſcallo geſtante eleuatum bacillum, cum D. de Roymagno, & aliis minoribus magiſtris curiæ, ad coquinam deſcenderunt Regiam.

Antequam reuerterentur, Electores Eccleſiaſtici benedictionem menſæ legerunt. Quamuis autem hoc antiquæ annotationes Archiepiſcopo Colonienſi coronatori ſaltem illa die tribuerunt, tamen Treuirenſis ſibi hoc competere contendebat ad cauſam, quod ſenior in conſecratione foret. Archiepiſcopus meus Colonienſis ob ea, quæ in *Aurea Bulla* continentur, cuius autoritas in dubiis merito ſequenda, æquo animo ceſſit.

Aurea Bulla, norma ceremoniarum.

Poſt

Poſt benedictionem Archiepiſc.Moguntin.aſſociatis duobus Archicancellariis,Colonienſi à dextris,Treuirenſi à ſiniſtris,ſigilla Regia à baculo argenteo duodecim marcarum pendentia, Regiæ menſæ oblata,cum retraderentur,Moguntinus ea collo aptauit, totaq; die publice inde dependentia geſtauit. Tametſi Treuiri contendebant, Aquiſgranum eſſe Archicancellariatus Gallici.

Ante dapes venere tubicines atq; æneatores Regis.Heroldi quoque inſigniter ornati: inter quos Anglicus quoque Heroldus,cum inſignibus Regis ſui honoris cauſa conſpiciebatur.

Tubicines præcinentes vbi ad medium atrii peruenere,ſubſtitere: tubis tamen omnia perſonabant,quouſq; Dn. Palatinus per deuexum aſcendendo ſeptem gradus, primum ferculum coopertum, Regiæ Maieſtati reuerendiſſime appoſuiſſet. Controuerſia erat inter Legatum Regis Bohœmię, & Subpincernam Imperii N.de Limpurch,vter eorum Regi vinum aqua dilutum,ex more propinaret.Sed excuſſum pridie fuit,pro Friderico agnomine,& officio Pincerna, cum ille ſemel & primo propinaſſet.Poſt durante prandio Palatinus Fridericus pocillator Regis fuit.

Omnibus Principum Electorum officiis ſolenniter defunctis, ad menſas ipſis præparatas, Principes ſeſe repoſuere.Singuli ſuos Comites,atq; nobiles habuere, quibus inter epulas miniſtris vtebantur.Hic opportunum de ordine menſarum relationem facere.

Regia menſa poſita latere dextro,quod forum reſpicit inter columnas,in meditullio aulæ,& parietem ſubſtructas, eleuataq; fuit faſtigio ſeptem pedum. Electorum vero menſæ modicis interuallis poſitæ,pedalis altitudinis faſtigium habuere, & tam Regis, quam Electorum menſæ aureis ſtragulis ſtratæ.Aulæa quoque ſupra,& à tergo p[illegible] magnificentiſſimi operis. Licet prandium prælautum omnibuſq; cupediis ciborum [illegible] abundantiſſime quinquaginta ſc. ferculis ſic præberetur,vt dena ſemper edulia ap[illegible] inter ea tamen multa non eſui apta, digna ſolum erant,vt cum admiratione ſpectare[illegible] enim videre ſpecies caſtellorum, arborum, leonum, aquilarum,vnde Romani I[illegible] [illegible]rorumque Hiſpaniæ vexilla dependebant: menſis ſingulis ſinguli abaci ordinatim diſpoſiti, prius, prius miniſtri quoque fuere.

Marchio Caſimirus ſtructor, ſiue prægustator Regiæ Maieſt.fuit.Regem ſedentem in aurea ſella,circumſtabant dexteriore latere D Marchio de Arſchot.& Epiſcopus Leodienſ. Siniſtro latere,Comes de Zorn ſcepteriger,pluteſq; alii Principes,atq Comites,Germaniæ,atque Hiſpaniæ.A ſiniſtro erat abacus Regius,oneratus ſpectabiliſſimis vaſis veteris cælaturæ, omnis vſus, duo præſertim vnicornua,admirandæ prodigioſæque prorſus magnitudinis.Vas item aureum ingentis capacitatis, Regiæ Maieſtati dono à Rege Anglorum,gratulandi cauſa miſſum, vt ferebatur,viſebatur.

Latere dextro, duobus paſſibus infra Regem primæ menſæ aſſedit Archiepiſcopus Colonienſis.Qui ſecus contenderunt,ob annotationes,imperitorum ſcilicet,quod primus diſcubitus Regi Bohemiæ deberetur,illi Auream Bullam,normam ceremoniarum Principum non viderunt, quę his rebus ſtatum modum præfinit,moriſque Imperii non ſatis gnari, cæcutierunt.

De Regno Bohemiæ.

Tametſi ſecundo loco menſa Regi Bohemiæ ſtrata,præparataq; fuiſſet, vacua tamen edulio manſit.Non abſurdum erit, hic paucula de Regno Bohemiæ adnectere,cognitu forte non indigna. Quanquam Rex Bohemiæ perraro adſit conuentibus,tractatibuſq; Electorum, neque fœdera pro manutenenda communi dignitate,cum eiſdem proximis ſæculis percuſſerit, non operas Imperio, voluntariaſque collationes præſtet,neque gratuita onera ferat,non denique in circulis illis, in quos Imperium digeſtum atque partitum comprehendatur: Tamen Elector Imperii eſt,& tertiũ in conſilio Electorum,tempore Electionis Regis ſuffragium adhibet. Ita,quod impune præteriri non poterit,ob pœnam, quæ in aurea bulla exprimitur.Et cum tempore Electionis Diui Maximiliani, eo, quod forte non ſatis conueniebat inter Fridericum Cæſarem & Regem,præteritus fuiſſet, adeo nõ diſſimulãter tulit, vt pœnam Aureæ Bullæ,in quam inciderunt Principes,acerrime interpellando, poſtulare non ceſſaret,armaque præter hoc ſe illaturum minaretur,redireque aliquandiu in gratiam,litique renunciare,pertinaciter recuſauit,niſi ea conditione, vt remitteretur Regibus Bohemię ius illud Imperatorum,quod Reges Bohemiæ Imperatores in Italiam in perſonis euntes, ſequi coguntur,aut loco eius ſeruitii, octingentos ducatos quoties Imperatorem Alpes tranſcendere contigerit, exoluere. Illo negato à Cæſare Friderico tandem ſub pacto,atque conuentione vlterius ipſos nequaquam prætereundi Reges Bohemiæ, ſub pœna quingentarum marcarum auri deciſum, tranſactumque fuit, & Ladiſlaus Rex, ratificata Electione Maximiliani quæſitis liti litique renunciauit, Principibus hac etiam excuſatione vtentibus, Electionem Maximiliani, non ex prædeſtinato Franckfordiæ, ſed vrgentibus de cauſis perceleriter, atque ſubitarie celebratam. Habet Bohemus illam prærogatiuam quoque, quod Archipincernæ officium, non amota corona, explere poteſt.

De Domus Auſtriæ exemptione Frid. [illegible] Carolum Quartum videamus.

Sed latius euagari libet. Egit Maximilianus Coloniæ cum Principibus Electoribus, vt Archiducibus Auſtriæ, exemptis alioqui, honos ille haberetur, vt ipſis ſuffragii quoq; latio tempore Electionis Regis eſſet. Sed Principes ne antiquiſſima inſtituta maiorum commutarentur, precibus Maximiliani, votoque abnuerunt.

Poſt Bohemum ex ordinatione Aureæ Bullæ Comes Palatinus accubuiſſet, verum eo neglecto, ſecundam à læua, poſt Moguntinum menſam habuit. Et quia Aurea Bulla ſuo tenore aut beneuolentia, aut conniuentia, atque diſſimulatione Principum non ſemper ad amuſſim ſeruatur, ob hoc forte futuris tempeſtatibus nouus aliquis de rebus friuolis labor Imperatori adcreſcet.

Tertia menſa pro Duce Saxoniæ vacua. In quarta prandium ſumpſere Epiſcopi Wormatienſis, Ratiſponen. Dux Otto Henrici Bauariæ. Quinta ad tempus fuit vacua: poſt occupabatur à Regis

giis Conſiliariis. Sextę aſſidebat Magiſtratus Aquiſgranenſis. Nurembergenſes Legati, qui Imperialia ornamenta aduexerunt, ad ſeptimam menſam collocati fuere. Reliquæ duæ menſę conuiuarum vacuæ manſere.

Latere ſiniſtro prope columnam, prima menſa Moguntini Archipræſulis.

Secunda D. Palatini: Marchionis de Brandeburg tertia, ſed eſculentorum vacua, ob Marchionis abſentiam.

Quarto loco Duces Braunſuicenſ. & Iuliacenſ. accubuere.

Quintam occuparunt miſſi à ciuitate Colonienſ.

E regione Regis directe poſita fuit menſa Treuirenſ. Archiepiſcopi, paulum infra menſas Colonienſis atque Moguntini Archiepiſcoporum. Conuiuium Regium, opiparum, lautiſſimumq;, quatuor prope horis, quaſi Regali cum ſilentio agebatur.

Expleto prando gratiiſque à Treuirenſi dictis, omnia, tubis tympaniſque perſonabant: strictoque Diui Caroli gladio, iterum Regia Maieſtas viros equeſtris ordinis creauit.

Omnibus abſolutis, Rex Imperialibus ornamentis indutus, cũ Electoribus, ſuo quoq; peculiari habitu veſtitis, ingentiq; Principum frequentia, atq; comitiua, præcedentib. æneatoribus, hoſpitiũ intrauit: Regeq; deducto, ſinguli Principes ad ſua quoq; hoſpitia diuerterunt. Archiepiſcop. Mogunt. ſtatim Regi ſigilla cum argenteo illo baculo, cuius antea mẽtio facta eſt, inſuper candidũ, eximiumq; equum dono miſit. Quæ omnia à Cæſare mox remittebantur, Rege ſubiũgente, ſe fidẽ Moguntini adeo exploratã, perſpectamq; habere, vt ſigilla Regia nulli tutius, q̃ eius fidei credi poſſint. Regẽ inſuper futurũ ſuæ perſonæ gratioſiſſimum Dñm, Epiſcopatumq; Moguntinũ potenter, efficaciterq; protecturum. Moguntinus fidei eius cõmiſſa ſigilla quidẽ retinuit, argenteũ aũt baculũ, equum q; Dn. Nicolao Ziegler, homini ſolerti, ſuo Vicecãcellario, ꝓ honorario liberaliter dedit.

Altera luce Imperator Principes Electores cœna magnificentiſſima excepit.

Poſt coronationem, facta abeundi poteſtate, maior Principum pars, non plus biduo moram Aquiſgrani traxit, ſed directa Coloniam profecti ſunt. Imperator vero Iouis clypeo protectus, triduanam moram conſtantiſſime traxit.

Sextaque feria, ſacris (quibus Imperator aderat) publice in templo factis. Maieſtas ſua ſacras reliquias, (inter quas faſciolam, qua vagientem Saluatorem noſtrum inuolutum eſſe conſtat) deuotiſſime ſuſpexit. Archiepiſcop. inde Moguntin. lectis apicibus publice edixit, *Romanum Pontificem Electionem Regis probare, velle iubereq;, vt Imperator vlterius titulo Electi Cæſaris vteretur.* Non ignoto Diuum Maximilianũ à Gallis, Venetiſq; (aduerſum ea, quæ ficto officio, ſimulataq; ſedulitate adpromiſiſſent, tranſitu occupatis itineribus prohibitum, impeditumq; quo minus armatus vt Imperatorem tantũ decet, pro Corona Cæſarea Romam proficiſceretur, cogitata ratione, titulũ Cæſaris, non renuente Pontifice Romano aſſumpſiſſe, ne ſupremum honorẽ negligere, atque pro derelicto habere videretur. Hic tamẽ imaginarius honos (ſit venia verbo) inuictiſſimo CAROLO collatus, ſitim, ardoremq; gloriæ heroico Maieſtatis ſuæ pectori inſidentem, non reſtringet, verum adaugebit, inflammabitq;, vt nihilo ſecius pro conſummatione gloriarum ſuarũ, refractis, reuulſiſque inimicorum impotentibus clauſtris, Italiã auitam poſſeſſionẽ, regni domicilium legitimũ, Imperii ſedem, nõ inermis ad hoſtium pertinaciſſimorumq; æmulorum pręſcriptum, ocioſe, peregrinantis more (quod ſaluo capite ſuper hoc, quod parum decorum eſt, ſaluaq; tanti Cæſaris Maieſtate ſine ludibrio tantorum regnorum, atque inſultu fieri non poſſe, reor) ſed ſuo arbitratu: ne veluti victus, à victoribus leges accipere cogatur, quam maturrime cum maximo, fulgentiſſimoq; exercitu in ſplendore gloriæ intrabit, deſponſamque ſuæ Maieſtati prouinciam, Gentium Dominam, amplexabitur.

Statim poſt coronationem permiſſu Pontificis, Rex titulum Electi Cæſaris aſſumpſit.

Roma, legitima Imperii ſedes.

Hoc anxie percupiunt, deſiderantque Germani Principes, egregio aliquo facinore oſtentare, Imperium non vſquequaque male in Septentrione locatum eſſe, nõ ſe ſomno inexpergiſcibili torpere. Ea profecto animorum magnitudo in maioribus noſtris fuit, ſicque omnia ad ſplẽdorem gloriam, Maieſtatemque reuocauere, quod non ſatiati, Imperatorem coronationis tempore Aquiſgrani præſtito Sacramento, generatim obſtrictum eſſe ad recuperandum ea, quæ Imperio adempta.

Verum præter hoc, ſacramento adegere, ad nominatim Regiis literis ſancte adpromittendũ, quod temeraria inconſiderataq; acta Wentzelai Imperatoris, ignaui quidem viri, licet altis imaginibus prognati, reſcinderet, irritaret, & ante omnia reuocaret: quod in non æſtimabile Imperii detrimentum, atq; diſpendium Mediolani Ducem, & Padi Comitem conſtituiſſet, terraſq; Longobardiæ, Imperio perpetuo, ne in Italia redditus deeſſent, adiungeret. A tempore, quo hæc acta, paulo plus quam centum anni effluxere. Horum veſtigia inſequentes Principes Germani, qui Carolum, collapſi Imperii reſtauratorẽ, concordibus votis denunciarunt, pro conſeruanda, manutenẽdaque eximia Imperii gloria, neq; rerum diſpendia, nec perſonarum ſuarum formidabunt pericula. Nec ob hanc expeditionẽ apparandam opus erit aras ſacris vaſis nudare; non conditoria ſanctorũ disiectis ſacris reliquiis flare: non deniq; neceſſarium erit, * genti ſemper ab ancipiti temporum mutatione pendenti grauia tributa pendere. Perſæpe concordes Germani, glorioſiſſimam hãc expeditionẽ ſuo marte, ſuis ducibus, ſuo ære, abſque commilitio, abſq; ſociis, peregrinisq; ſuppetiis, externoq; ſubſidio fœliciſſime perfecere. Non exaruerunt penitus vires noſtræ: nõ hebetata vſq; adeo Germanorũ arma: nõ omnino exhauſtus equeſtris ordo: neq; ad tenuitatẽ extremam redactę bonorũ ciuiũ opes: principesq; ꝙ maxime faciũdũ ampliſſima vectigalia imperio accepta ęquo animo ferũt.

Robertus Rex, & qui eum præceſſit Sigiſmundus, coacti Electoribus adpromittere, ſeſe abolituros geſta Wentzlai, potiſſimum quod Mediolani Ducem conſtituerit.

** Heluetios notat.*

Quæ ergo nunc temporis trahendi ratio vlla hinc deducendi exercitũ in Italiam adeſt? affulgente tam

tam pulchra tantaque (quanta profecto nunquam antea) occaſionẽ, vbi Germanis, ſicut fratres, fidiſſima gratia, aſſociati ſunt fortiſſimi Hiſpani, qui præter ingenitam illi inclytæ genti vbique terrarum prædicatam erga Reges ſuos obſeruantiam, atque venerationem, vix dici, exprimique poteſt, quãta omnes Caroli charitate flagrant, qualiterq; quiſque pro ſe operam ſuam offerat. Quæ Gens? quæ Natio? qui populi quæſo horridæ duarum fortiſſimarum gẽtium in ſe connexæ virtuti, robori corporum, animorumque magnitudini, non modo recta fronte concurrere, ſed vel rectis oculis inſtructas phalanges fortiſſimarum gentium aſpicerẽ audebunt? Sed huius loci non eſt, de hoc plura verba facere, apud Germanos præſertim ſuapte natura incitatos: ſed ad inſtitutum à diuerticulis redeundum.

Silentio prætereo, quomodo poſt coronationem tota die vinum duabus cannis, per ſpeciem æquilæ, atque leonis columnellæ ligneæ impoſitis, ante palatium Regis, ductu ſubterraneo publice fundebatur. Omitto inſuper, quod magnus bos, multis alijs animalibus minoribus fartus, ligneoq; veru ante palatium Dominæ Margarethæ toſtus, reſciſſa carunculæ portione pro Rege, à plebe in multas partes tumultuarie lacerabatur.

Triduo poſt coronationem, Imperator feſtinato itinere, & præter conſuetudinem, die etiam Dominica iter faciendo, Principes Coloniam ſubſequebatur. Illuſtriſſima vero Domina Margaretha, retro in Brabantiam, atque Morinos conceſſit, quam regredientem Dn. de Rabenſtein, & quidam alij Regij Satrapæ comitati ſunt.

Colonienſis iuuentus, vltra Germanicum miliare, Regi, armata cum militaribus ſignis, ordinatim, honorificeque obuiam prodiit, effuſa q; innumera inermium turma, multis mortalibus maxime proximis, quibuſque eo ſtudio viſendi Caroli confluxit. Pernoctauerat enim Cæſar pridie, quam Coloniam ingrederetur, in monaſterio Bruuilre. Ingrediebaturq; Cæſar Coloniam cũ Principibus, qui nondum Colonia abierant, verum Maieſtati ſuæ obuiam prodierunt, ſumma cum ſerenitate, populique exultatione. Inde mittebantur, qui vndequaque per Imperium edicta deferrẽt, quibus Principes, ſtatuſq; Germaniæ conuocabantur ad conuentum Wormacienſ. ſexta Ianuarij indictum. Marchio Caſimirus quoque, Coloniæ in ſ..atus ſui (vt creditur) vxoris Reginæ Arragoniæ gratiam, cœnam, vt dicunt, addiualem, magnifico epulatum, conuiuatumque apparatu atque ornatu exquiſitiſſime, comitatui Cæſari, Principibuſq; publice exhibuit. Rheno aſcenſurus Imperator Bonnæ biduo cum Archiepiſcopo Colon. moratus, ſumptoque in arce Poppelſtorff mane ientaculo, ad venationem ferarum profectus, ſpumantem aprum incurrentem, fortiſſima dextra ſua cuſpide interemit, cœnæque ab Archiepiſcopo Colonienſi perlaute inſtructæ in oppido adfuit.

Nauibus Archiepiſc. Colon. poſtera luce Cæſar aſcendens, inundatione Rheni retardatus, ſerius opinione primo Moguntiam, vbi parum ſubſtitit, poſt Wormatiam Vangionum vrbem peruenit. Eo loci potiſſimum conuentum celebrari placuit, quod vrbs lacera quidem, atq; ruinis deformata, in fertili tamen ſolo poſita, plurimum commeatus habet, reque cibaria copioſa, pari interuallo à ſuperioribus, inferioribus Germanis diſtet.

Primariæ preces

Sed hic addam vnum, quod ſilentio pene præteriiſſem. Tametſi omnes Imperatores à Carolo quarto, atque plures ante eundem prærogatiua primariarum precum, abſq; vllius conceſſu, aut ipſa fauſtiſſima coronationis die, aut mox poſt ſine dilatione vſi, tamẽ ea res his noſtris temporibus in vnum, alterumque annum, contra Baſilienſis concilij ſanctionem, ob neſcio quem metum pene ad deſperationem extracta fuit. Sicque paruo tempore mutata ſunt magnarum rerum momenta.

Strictim de conuentu Wormacienſi, & eius decretis.

Quæ vero magno conuentu, vbi Principes tanta frequentia, quanta nunquam antea cõgregati fuere, acta, ea ferme ſunt huiuſmodi. Quia nulla re niſi concilio, domeſticaque concordia vaſtiſſimæ Turcarum potentiæ qui quaſi ſignis poſitis reliquiis proſtratæ Europæ inſultare videntur, cæteriſque Imperij æmulis reſiſti poterit, nec imperator perpetuum a florentiſſimis regnis Hiſpaniarum abeſſe poterit, actum de creando ex omnibus ſtatibus Imperij Conſilio atque Regimento, penes quod ſumma rerum, perpaucis regalibus iuribus demptis, Cæſare extra Germaniã exiſtente, foret. Antiquæ quoque L L. pacis prope abolitæ, nouarum adiutorio fulcitæ, quibus perpurgaretur aliquando Germanica natio, non magis tamen graſſatorum crudelitati, quam monopoliorum fœneratorumque inexplebili rapacitati obnoxia: Actumque vt via præſtruatur hoſtibus, ne vlterius temerarias manus ſacro Romano Imperio iniiciant. Vt ſtata fixaque erigantur tribunalia Cæſarea, vbi pari conditione priuatis, atque Principibus æquabile ius dicatur, iuſtitiamque expeditam colligantes (ne immortalibus litibus conterantur) obtineant. Et cum ſtatus Reipub. rebus iudicatis maxime contineatur, vt decreta perceleriter executioni demandentur, tali adreperta via aliqua ne opus ſit, ad intempeſtiuas execrationes diraq; anathemata Pontificum veluti ſubſidiarias ſuppetias confugere.

Conſultatum inſuper de moneta, ſic per vniuerſum Imperium flanda, cudendaque, ne ſemper in enorme contrahentium diſpendium incerta æſtimatione fluctuet, atq; vacillet, auaroſque fœneratores ad lucrum nephandum inuitet, vt gula, veſtiumque non neceſſarii ſumptus in ordinẽ redigantur: tuba etiam ſigno publice in foro dato edicto Imperiali ſub exilij, cuius nulla ſperanda abolitio, pœna prohibitum, ne pedeſtris, equeſtriſque Germaniæ iuuentus, corruptiſſimo more ſe contra publicam autoritatem, pro ſcrupulo argenti elici pateretur, mancipiorumque more, ab hoſtibus contra patriam conduci ſinerent. Cum hoc de induſtria, dataq; opera, quemadmodum ſępe compertum fiat, vt quaſi ad lanienam ducti, inuicem committantur, mutuoq; in viſcera ruant. Satis

etiam

etiam ea in te præteritis diebus voluptatis æmulis noſtris exhibuimus. Hoc etiam fonte vnico inauturatorum armorum omnium ſceleratorum turba vbiq; ſcatet. Tractatum præterea, quo potiſſimum tempore, quibus, quantiſque copiis, quo ordine expeditio Italica, non minus neceſſaria, quã in Thracas Dardaniam, aut Miſiam pro coronatione, recuperandiſq; his, quæ Imperio magis dolo, atque fraude, quam vi, apertoque Marte adempta.

Multa alia inſuper ad conſtituondam Rempub. vulneraq; eius procuranda prouidentiſſime conſulta, quæ nunc non eſt narrandi locus: dicam autem alias latius, exactiuſque. Conſultantibus Principibus ne iuuentus interim ocio marceſſeret, indici Cæſar ſpectacula iuſſit, propoſitis præmiis, conſtitutiſque iudicibus, haſtis in foro publice de virtute certatum. Cæſar etiam cum Nobiliſſimis Principibus, equis eximiæ velocitatis inſidentibus, fugacem pugnam Sarracenicam, iucundiſſimum ſpectaculum exhibuit, ſæpe Cæſare in recentes equos ex feſſis, mira agilitate tranſſultante.

Sub idem tempus Gallorum machinatione incurſionibus crebris, temere irritata fœdera, ſeſeque Principes per epiſtolas efficere conati, vt vtrinque rediretur in gratiam. Sed re multifariam per Gallos male geſta, plus cladium, quam intulerunt, acceperunt. Nec dubito crebris victoriis cõtuſos, criſtas, quas plus nimio ſuſtulerunt, demiſſuros, prægrandiſque aquilæ iuſſionibus, cuius iuſtam indignationem excitarunt, tandem parituros, Imperiumque comiter obſeruaturos.

Pridie quam abiret Cæſar, libri Lutheri Theologi tanquam nouatoris, pollutoriſque priſcarum ceremoniarum, ne animi hominum auocarentur à Pontificum inſtitutis, ante palatium poſt tubicinum concentum, facto igne publice, recitatiſque decretis Cæſaris cremabantur. Soluto conuentu Rheno Cæſar deſcendens, Moguntiæ ad aliquot dies moram traxit. Ferunt Franckfordienſ. ſpem quidem aduentus ſui feciſſe, ſed non fuiſſe eius commode præſtandi facultas. *Deuſti Lutheri libri.*

Compotes igitur votorum facti, atq; tam magno honore à Carolo honorati: Cumque ſub tutela manſuetudinis ſuæ acquieſcentes, plena libertate fruimur, palamque perſpicimus verbis ad promiſſa re præſtari, Cæſarem nihil, præter diſpenſandi laborem, ſibi vendicaſſe: nihilq; Maieſtat. ſuam tam cupere, quam Remp. æquabili iure ſtabilire, militarem diſciplinam reformare, vitia acriter vindicare, virtuteſq; benigniſſime fouere: deniq; in omnibus ſummi Imperatoris ſpecimen oſtẽdere: Propterea illuſtriſſimi Principes, cum vos maxime deceat immobilis fidei puritas, ſyncereque deuotionis affectus, ſi rem recta reputaueritis via, omni pectore incumbendum eſt ad fortiſſimos Caroli conatus promouendos, non Cæſarem, neque remp. immo nec voſmetipſos (qui non ſalua rep. ſubſiſtere vlla conditione poteritis) fruſtrabimini, neq; de leuiſſimis rebus cauſando, opportunitates optimas corrumpi ſinetis. Proinde æquum eſt, nos omnes pro inuictiſſ. Cæſaris noſtri ſalute, perpetuaque incolumitate omnibus delubris votis excubare, Deumq; immortalem omni mente comprecari, vt cum penes Carolum, tum hominum, tum Dei conſenſus; maris, terrarumque habenas eſſe voluerit, vt Cæſarem fauſtiſſ. auſpiciis coronatum, diuturna vita, æternaque maieſtate ſeruet, actuoſamque viam ingreſſo diuina ſuffragatione clementiſſ. adſit, valere nunc & ſemper, perque eum res Reip. Chriſtianæ, nationiſque Germanicæ meliores, auctioreſque fieri, de hoſtibus (ſſ. ſoci cæleſtis concordiæ ſinu, inter Satrapas amore mutuo) triumphare, & in ſplendore gloriarum conſeneſcere ſinat.

IIII.

DE INAVGVRATIONIBVS IMPERATORVM ROMANORVM

EXCERPTA EX PANDECTIS TRIVMPHALIBVS FRANCISCI MODII IC. BRVGENſis, *Tom. I. Lib. IV.*

DE CAROLI MAGNI IN REGNVM ITALICVM inauguratione Modoetiæ, anno fere IↃ CC LXXIII.

VICTO, captoque rege Deſiderio, & Longobardis omnibus in fidem ac deditionẽ acceptis, Carolus regnum Italicum ſibi iure victoriæ vindicauit. Quod vt nouo præterea iure ſanciret, vetus, vt putabatur, Pontificis Gregorii decretum adhibuit. Quippe Modoetiæ ſe per archiepiſcopum Mediolanenſem corona redimiri ferrea voluit, atque, vt ita apud poſteros obſeruaretur, inſtituit. Ea res maxima fieri ceremonia conſueuit, quæ in Rituali antiquiſſimo continetur, qui ordo Romanus vocatur. Perducto ſcilicet per Epiſcopos ex cubiculo in templum, atque ante aram maximã conſtituto Rege, Archiepiſcopus poſt ſolemnes aliquot precationes effuſas populum alloquutus

interrogabat num ſe tali Regi ſubiicere, atque illius mandatis, & iuſſionibus conſtanti fide vellet obtemperare? vbi vero populus ſe velle reſponderat, regis caput, pectus, ſcapulas, atque ipſas brachiorum compages oleo ſancto vngebat, Deum orans, vt & in bello gerendo, & in ſobole propaganda votis eius annueret, ornato inde enſe, armillis, pallio, annulo, & ſceptro coronam imponebat, & per chorum ductum in ſolio collocabat, atque oſculo pacis oblato diuinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Mediolanenſis Archiepiſcopus egit.

DE EIVSDEM CAROLI MAGNI IN IMPERIVM ROMANVM inauguratione Romæ, anno Iↄ CCC.

PIpinus Grimoaldum Beneuentanum bello adortus, quia finitimis accolis infeſtus, multis cladibus aliis ſuper alias affectum, Beneuentum compulit, cui bello ad exitum perducendo Vinigiſium ducem Spoletanum præfecit, ipſe Romam ad patrem venit, quem haud multo poſt Pipini acceſſum, Leo Pontifex, inter ſacrorum ſolennia, ſcito rogatuque Romani populi, qui officii cauſa circumſtabat, in vaticano templo Barionæ Romanorum Imperatorem conſecrauit, & inunxit. Cõſecratio illa facta eſt ad altare baſilicæ, vbi loci accepit Carolus imperii inſignia, mox illis inſtructus ad aram maximam templi eſt inunctus anno quo in Galliis regnare cœperat tertio & trigeſimo, quum Italia iam annos tercentum & triginta ſine imperii nomine fuiſſet. Manſit mos idem in cæteris, vt qui Auguſti nomen legitime reciperent, à Romano Pontifice inungerentur. Acclamatum ter eſt ab vniuerſa multitudine: Carolo Auguſto, Magno, & Pacifico vita & victoria. Eſt & Pipinus Caroli filius vna inunctus, quem Pontifex Italiæ Regem ſolenni decreto declarauit.

QVÆ FVERIT STATIM POST TEMPORA CAROLI MAGNI RATIO deſignandi & inaugurandi Imperatorem, Regemue Romanum, & Germanicum.

MOrtuo Rege, Principes, epiſcopique Germaniæ Aquiſgrani conuocati legitimis ſuffragiis regem aliquem ex ſuo corpore deſignabant, deſignatum vero in ſolio Caroli Magni locabant; quod erat in aula baſilicæ D. Mariæ ab eo conſtructæ. atque ſinguli apud eum ſacramenta dicebãt. Ex aula inde in baſilicam deſcendentem Archiepiſcopus Moguntinus cum clero occurrens excipiebat, ac populo, qui frequens honeſti ſpectaculi cauſa circunſtabat, regem à Deo, & principibus lectum oſtendebat. Populus porrectis manibus, ac clamore ſublato nouo regi fauſta, ac proſpera omnia precabatur. Inde antiſtes cum rege progrediebatur ad aram, ſuper quã regia poſita inſignia erant, atque ei primum gladium cum baltheo, deinde armillas cum chlamyde, tum ſceptrum cum baculo porrigebat, ac demum oleo ſacro perfuſum corona impoſita conſecrabat. inde excelſo inter duas columnas in ſolio collocabat. Vnde facile ab omnibus videri, atque ipſe videre omnes poſſet, ac diuina laude cantata in regiam adducebat. Ibi Rex ſolenne cum epiſcopis ac Principibus epulũ celebrabat, atque ſingulos pro cuiuſque dignitate donabat. Ceterum coronã Germanicam in omnibus commentariis argenteam fuiſſe inuenio. Luitprandus etiam auream fuiſſe negat, at auream prodit is, qui huius totius ceremoniæ eſt auctor, Vitichindus. Conſecrationis autem ius ad Moguntinum antiſtitem, qui Germaniæ metropolitanus, & regni cancellarius erat, delatum eſt, quamuis Treuerenſis id munus ſibi vindicaret, quod Eccleſia ſua ceteris antiquitate præſtaret, Colonienſis vero, quod ea conſecratio in ſuis finibus fieret. Rebus inde Germaniæ per ſolemnes conuentus compoſitis, ad regnum Italiæ, quod poſt hæc tempora cum regno Germaniæ iunctum fuit, ſuſcipiendum veniebat. Vbi vero venturus erat, nuncios præmittebat more iam tum à Francis inſtituto, qui ciuitatibus aduenturum regem nunciarent, ac ſacramenta repeterent, & fœdera exigerẽt, aliaque aduenienti Regi debita officia indicerent. Italiam autem ingreſſus recta Mediolanum adibat. Ibi vero condicto die in Ambroſianam ædem procedens archiepiſcopo rem diuinam facienti, regiis depoſitis veſtibus, ac ſubdiaconi ſumptis, miniſtrabat. Qua re rite perfecta archiepiſcopus ſacro ipſum oleo inungebat, atque ad reliqua inſignia ferream ei coronam imponebat, ipſum ſolenni adigens ſacramento, ſe Italiæ iura in perpetuũ pro viribus tutaturum. Tum vero omnes Magiſtratus, atq; omnes dignitates vacabant in ciuitatibus. Rex autem adhibito Colonienſi archiepiſcopo, qui regni Italiæ Cancellarius erat, ex legum ſcitis, & iuris conſultorum iudicio de rebus omnibus cognoſcebat. Itaque ad Padum deſcendens in campo quodam, qui Roncaliæ dicebatur, fabrorum, opificum, ac mercatorum turba ad vſus neceſſarios ſequente exercitum cum ſuis tentoriis, & tabernis, ſi quadrata erant caſtra ſuburbiorum, ſi rotũda, muri exterioris ſpeciem afferebat. Intra caſtra vicis apte diſtinctis viæ dirimebantur, plateæque & portæ effingebantur, vt quaſi vrbs quædã repentina exiſteret. In medio Regis tabernaculum locabatur templo ſimillimum. circaq; Principes, vt quiſque dignitate præſtabat, tentoria ſua figebant. His caſtris locatis Rex ad ſtipitem prælatum ſcutum ſuſpendebat, eoque omnes feuda habentes ad excubias Regi ex inſtituto agendas per præconem publicum euocabat. eademque ratione qui in comitatu eius principes erant, ſinguli ſingulos ſibi addictos Valuaſores citabant, poſtridie qui non affuiſſet, feudo mulctabatur. Inde conuentu inſtituto ciuitatum legatos vel gratulantes excipiebat, vel excuſantes, aut expoſtulantes audiebat, atque eorum controuerſias iuriſconſultis adhibitis cognoſcebat, ac leges, ſi erat opus, ferebat. Erat autẽ moris, vt primos dies in iure dicundo cõſumeret, alteros paci inter ciuitates cõſtituendæ dicaret, extremis iura feudorũ cognoſceret, ac nouis legib. ſtabiliret. Conuẽtu peracto

Romam

Romam ad tertiam Imperii Romani coronam accipiendam ipſe archiepiſcopo deducente pergebat. Singulæq; in itinere ciuitates cum faculis,& fauſtis clamoribus occurrentes debita obſequiorum officia enixe præſtabant,ſin minus,aut pecunia,aut priuilegiis mulctabantur,aut armis ad officium redigebantur. Vbi Romam acceſſerat,relicto in pratis Neronianis exercitu, ipſe cum honeſto procerum comitatu Leoninam vrbem ingrediebatur,atque ad Pontificem, qui ipſum ex compoſito in gradibus baſilicæ Vaticanę operiebatur, adorandum veniebat,atque ad confeſſionem S. Petri deductus ſupplicem ad Deum Orationem habebat. Pontifex ſacris operatus ipſum ab epiſcopo Mediolanenſi oblatum,ac diaconi vice functum ſacro oleo perungebat,digito annulum inſerebat, enſem nudum tradebat,& capiti corona aurea impoſita ſceptrum Imperatorium porrigebat. ille tactis ſacris euangeliis perpetuum,ac conſtantem ſe fore Romanæ eccleſiæ,ac totius reipublicæ chriſtianæ defenſorem nouo ſacramento ſe obligabat. Deinde ab vtroque baſilica Lateranenſis adibatur,atque ibi reliquum cæremoniarum abſoluebatur. Itaque ab hoc tempore qui Rex Germaniæ fuit,idem etiam regnum Italiæ,& occidentale imperium tenuit, ac propterea tres coronas accepit,vnam Germaniæ argenteam Aquisgrani ab Archiepiſcopo Moguntino, alteram Italiæ ferream Mediolani à Mediolanenſi,tertiam Imperii auream Romæ à Pontifice, neque ante Pontificis conſecrationem Auguſti,aut Imperatoris nomen vſurpauit,ſed Rex Germaniæ atque Italiæ,ſiue Rex Romanorum,& Imperator deſignatus appellatus eſt,annos autem regnorum, atque Imperii à diebus numerauit,quibus coronas Aquiſgrani, Mediolani, & Romæ cepiſſet. quod ex diplomatis eorum apparet.

DE OTTONIS MAGNI IN IMPERIVM INAVGVRAtione Aquisgrani anno Iↄ. CCCC. XXXVII.

DEſuncto patre patriæ,& Regũ optimo, Maximo, Henrico Primo, qui & Auceps dictus, multitudo conſenſu vnanimi iam olim deſignatum regem à patre,filium eius Ottonem eligit ſibi in Principem. Cum quo cũ Aquiſgranũ ventum eſſet, Duces & Præfectorum Principes cum cætera procerum militumque manu congregati in Xiſto baſilicæ Caroli Magni cohærenti, collocarunt nouum Regem in ſolio,ibidem conſtructo,manus ei dantes ac fidem pollicentes, operamq; ſuam contra omnes hoſtes ſpondentes,atque ho more deſignarunt eum regem. Quæ dum geruntur à ducibus ac cæteris proceribus, Epiſcopus Moguntinus cum vniuerſo ſacerdotali ordine, & omni plebe,infra in baſilica præſtolabatur egreſſum noui regis. Quo procedente, Epiſcopus obuius læua ſua dexteram tangit regis,ſuaque dextera lituum geſtans, linea indutus ſtola infulatuſque progreditur in medium vſque fani,vbi ſubſiſtens,& reuerſus ad populum,qui circumſtabant:(nam erant deambulatoria infra ſupraque in illa baſilica in orbem facta,quo ab omni populo cerni poſſet) En inquit educo vobis à Deo electum,& à domino rerum Henrico olim deſignatum,nunc vero à cunctis principibus regem factum Ottonem: quæ ſi vobis electio placet, dextris in cœlum leuatis ſignificate. Ad hæc omnis multitudo dextras in cœlum leuans,cum clamore ingenti precabatur omnia fauſta & proſpera nouo regi ſuo. Quare procedit Epiſcopus cum rege, tunica ſtricta more Francorum induto, ad altare,ſuper quo inſignia regalia poſita erant,gladius cum baltheo, chlamys cum armillis,baculus cum ſceptro ac diademate. Eo quippe tempore erat ſumus Pontif. Moguntinenſis, nomine Hildebertus Franco genere, Monachus profeſſione, nutritus & edoctus in VVldo monaſterio,cuius cũ prius Pręlatus cõſtitutus fuiſſet, deinde ſumi Pontificatus Moguntinæ ſedis faſtigiũ promeruit. Erat hic vir miræ ſanctitatis,& præter inſitam animi ſapientiã literarũ ſtudiis ſatis clarus. Qui inter cætera diuina dona,ſpiritum Prophetiæ accepiſſe prædicatur, & cum quæſtio eſſet inter Pontifices de conſecrando Rege, Treuerenſem videlicet & Colonienſem, illum, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam à beato Apoſtolo Petro fundata, iſtum vero, quia eius ad diœceſim pertineret inaugurationis locus, ob quæ ſibi conuenire arbitrabantur huius conſecrationis honorem, ceſſit tamen vterque Hildeberti cunctis notæ ſanctitati. Ipſe autem accedens ad altare, & ſumpto inde gladio cum baltheo conuerſus ad regem: Accipe, inquit, hunc gladium, quo eiicias omnes Chriſti aduerſarios barbaros,& malos Chriſtianos, auctoritate diuina tibi tradita omni poteſtate totius imperii Francorum ad firmiſſimam pacem omnium Chriſtianorum. Deinde ſumptis armillis ac chlamyde, induit eum: His cornibus, inquit, humi tenus demiſſis admonearis, quo zelo fidei ferueas & in pace tuenda perdurare vſque in finem debeas. Exinde ſumpto ſceptro baculoq;, His ſignis, inquit, monitus paterna caſtigatione ſubiectos corripias, primumque Dei miniſtris, viduis ac pupillis manum miſericordiæ porrigas, nunquamque de capite tuo oleum miſerationis deficiat, vt in præſenti & in futura vita ſempiterno præmio coroneris. Perfuſuſque illico oleo ſancto, & coronatus diademate aureo ab ipſis Pontificibus ducitur ad ſolium, ad quod per cochleas aſcendebatur,& erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas cõſtructum, vnde ipſe omnes videre,& ab omnibus ipſe videri poſſet. Diuina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolemniter celebrato, deſcendebat Rex ad Palatium,& accedens ad menſam marmoream, regio ornatam apparatu, reſedit cum Pontificibus & omni populo, duces vero miniſtrabant. Lothariorum Dux Vilbertus, ad cuius ditionem locus ille pertinebat, omnia procurabat. Eberhardus menſæ præerat. Siſridus vero optimus & à rege ſecundus, gener quondam regis, eo tempore præerat Saxoniæ, ne qua hoſtium interim irruptio accideret, nutrienſque iuniorem Henricum ſecum habebat. Rex autem

poſthæc vnumquemque principem iuxta munificentiam regalem, congruenti ſibi munere honorans, cum omni hilaritate dimiſit multitudinem.

DE INAVGVRATIONE INVICTISS. IMPER. CAROLI V. *Aquiſgrani anno* cIↄ. Iↄ. XX.

CÆſar conſtitutis in Belgio rebus neceſſariis, Octobris diem ſextum deſignat Electoribus, vt inaugurationis cauſa ſibi præſto ſint Aquiſgrani: ſed per id tempus admodum ſæuiebat ibi peſtis. Itaque Principes, vbi Coloniam veniſſent, decem ab Aquiſgrano milliaribus & graſſantis morbi fama quotidie creſceret, miſſis litteris atque legatis Cæſarem, qui tum erat Louanii, rogant, vt propter eam cauſam alio ſe conferat. Oppidani vero, qui maximos iam ſumptus feciſſent in adornandis domiciliis, & alimonia comparanda, per idoneum interpretem, morbi vim extenuantes, animum eius confirmant, ne dubitet venire. Perſtitit igitur in ſententia Cæſar, neque Caroli IV. legem, qui ſic ſtatuiſſet, temere ſe poſſe mutare dicit. Octobris ergo die XXI. veniunt eo Moguntinus, Colonienſis, Treuericus, Saxoniæ Ducis, & Brandenburgenſis Marchionis legati. Nam Saxo per cauſam valetudinis Coloniæ ſubſiſtit. Poſtridie obuiam Cæſari contendunt, & appropinquantem honorifice, cum ex equis deſcendiſſent, excipiunt, verba faciente Moguntino: ipſe per Salisburgenſem Cardinalem beneuole reſpondet. Coniunctis igitur agminibus vrbem petunt. Ante portam occurrit Palatinus. Equitatus erat omnis Electorum, circiter mille ſexcenti, partim haſtati, partim ſagittarii: Cæſaris autem ad duo millia, ſplendidiſſime omnes veſtiti. Dux Cliuenſis Ioannes, plane finitimus, equites adduxerat quadringentos, inſigniter armatos. Iis contentio multa fuit cum Saxonicis, vtri præcederent: ita quidem, vt pompam iſtam, qua vix vllam Germania viderat illuſtriorem, nox interpellaret. Latus vtrumque Cæſaris claudebant Colonienſis & Moguntinus: Pone ſequebatur Boemiæ regis legatus, item Sedunenſis & Salisburgenſis & Croius Cardinales: Regum atque Principum Oratores, Pontificius tantum aberat & Anglicus. Quod eo feciſſe putantur, ne poſtpoſiti Principibus Germanis, eorum à quibus erant miſſi, viderentur imminuere dignitatem. Cæſar in ædem diuæ Virginis introductus, ibique precatus, ac deinde ſeparatim cum Electoribus collocutus, in domicilium ſuum diuertit. Altera die rurſus in templo cõuenitur: tantus autem erat hominum concurſus, vt à ſtipatoribus armatis ægre coerceri poſſent. In medio templi dependet corona quædam perampla; ſubtus erant ſtragulæ veſtes multæ: hic aliquãdiu Cæſar pronus decubuit, interea dum Colonienſis quaſdam precationes abſoluit. Poſtea ſublatum Moguntinus atque Treuericus ad aram diuæ Virginis adducunt. Hic iterum procumbit, & peractis precibus in ſolium auratum deducitur. Incipit ſacrificare Colonienſis & aliquouſq; progreſſus, Latinis verbis rogat, an fidem catholicam ſeruare, defendere eccleſiam, adminiſtrare iuſtitiam, reſtaurare imperium, tueri viduas, pupillos, & id genus calamitoſos homines, an honorem debitum Romano Pontifici velit exhibere. Vbi annuit, ductus ad aram conceptis verbis iurat; poſt ad ſolium regreditur. Principes deinde Colonienſis interrogat, an fidem & obſequium ei præſtare velint, eo promiſſo, & rurſus aliquot dictis precibus, in pectus & caput, & brachiorum flexus & manuum palmas illum inungit: vnctum Moguntinus & Treuirenſis in ſacrarium abducunt, atque ibi Diaconi more veſtitum, rurſus in cathedra collocant, & poſt certas iterum preces, Archiepiſcopis collegis adhibitis, enſem euaginatum ei Colonienſis tradit, ac rempublicam commendat: & gladio in vaginam recondito, annulum inſerit eius digito, poſtea pallium induit regale, ſceptrũ quoque porrigit atque pomum, quod orbis terrarum figuram repræſentat. Diadema vero ſimul Archiepiſcopi tres eius capiti ſuperimponunt: inde ad aram inductus, iterum iurat facturum ſe boni Principis officium: poſt, in ſublimiorem locum, comitantibus Archiepiſcopis, aſcendit, & in ſaxea ſede collocatur. Ibi Moguntinus lingua populari verba facit, & multam ei ſalutem precatus, ſe ſuoſque collegas & ordines omnes imperii diligenter commendat. Idem deinde faciunt primarii templi ſodales, quorum in collegium etiam allectus fuit, veteri conſuetudine; poſthæc; publicam lætitiam Symphoniaci & tubicines excitabant. Harum rerum omniũ ſpectatrix erat Margarita Cæſaris amita, quæ Belgio toti præerat. Peracto ſacro cum cœnam Domini Cæſar percepiſſet, in equeſtrem ordinem recipit volentes. Hic honos communicari ſolebat antiquitus iis tantum, qui ſtrenue pugnaſſent in hoſtem, eratq; præmium fortitudinis: nunc autem recepta conſuetudine, reges gladio ſtricto leuiter feriunt humeros eorum, qui hunc ordinem affectant. Et hac ſola ceremonia promiſcua hodie multi fiunt equites, non ex nobilitate tantum, ſed mercatores etiam & quicunque præ cæteris in honore eſſe volunt. E templo ventum eſt in palatium magnificentiſſime cõparatum. Ibi demum Cæſar prandiũ ſumit, & Electores etiã ſinguli ſeparatim, in eadem aula, diſpoſitis menſis ad vtrumq; latus menſæ Cæſaris, Treuirenſi locum obtinente contra Cæſarem, iuxta formulam legis Carolinæ. Veteri conſuetudine bos eo die torretur, farctus aliis animalibus. Ex eo pars aliqua defertur ad Cæſarem, reliquum eſt multitudinis; vinum etiam duabus fiſtulis ad eam rem comparatis toto die publice profunditur. A prandio reuerſus in diuerſorium Cæſar Imperii ſigilla Moguntino tradit: poſtridie cœnam dat Electoribus. Eo qui ſecutus eſt die, templum ingreſſus, finita Miſſa, Diuorum reliquias veneratur, & in his linteolum, quo Seruatorem noſtrum in cunis vagientem, inuolutum fuiſſe confirmãt. Ab eo Moguntinus profitetur, Pontificem Romanum, approbata creatione, iubere, vt electi Cæſaris nomen in poſterum Carolus vſurpet.

DE EIVSDEM INVICTISSIMI CAROLI V. INAVGVRAtione ſecunda & tertia.

EVocatis omnibus regulis deligitur inaugurationi Caroli V. Iouis dies ſexto Calend. Martias, Matthiæ Apoſtolo dicatus, qui erat natalis Cæſaris, ſemper ei fauſtus, & Ticinenſi etiam victoria lætiſſimus. A mediis prætoriis feneſtris patefacto aditu, pons ligneus, penſilis, ſublicis, impoſitus incuruo tractu per forum & petronianum templum ad aram vſque maximam protrahitur, & teſta fronde, pictiſque tapetibus exornatur, vt ſine tumultu confundentis & prementis turbæ Pontifex & Cæſar in pompa præteruecti ſpectarentur. Erat de more veterum Cæſarum vt Modoetiæ prope Mediolanum coronam ferream ſuſciperent, quæ indicaret Romano Imperio firmitatem ferro & militaribus copiis comparari. Tres enim coronæ Cæſaribus debentur. Prima eſt argentea Germanici ſcilicet regni, quam ſuffragio procerum Aquiſgrani decennio ante ſuſceperat. Secunda ferrea Regni Longobardici. Tertia vero aurea Romani Imperii. Præſto igitur affuere Modoetienſium legati, cuius erant Principes Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam veteris prærogatiuæ dignitatem vetuſtiſſimi operis coronam, & annalium codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat ſine florentibus pinnis, in ſimplicem & latum orbem circumducta, ferro introrſus tempora præcingente, ſed exterius auro & gemmis exornata. Biduo itaque antequam tertiam coronam acciperet, in ſacello domeſtico aſtante Pontifice ſacris peractis Cæſar vngitur, ferreaque corona & cæteris regiis inſignibus decoratur, iiſdem fere ceremoniis quas paulo infra memorabimus. Prætulere ante Cæſarem ſummi honoris cauſa Aluarus Oſorius Marchio Aſtorrenſis aureum ſceptrum. Didacus Paceccus Dux Aſcalonius enſem gemmata vagina conditum. Alexander Medices Cæſaris gener, orbem aureum cum perfixa cruce gemmis diſtinctum. Bonifacius autem Marchio Montisferrati, Modoetienſium coronam. His rebus rite confectis aduenit demum maioris aureæ coronæ pompæ deſtinatus; & is quidem, quum noctu pluiſſet, ſuperis mire fauentibus incredibili ſerenitate perſpicuus. Ante alia Pontifex vniuerſo Cardinalium, & epiſcoporum ordine in mitris, & pluuialibus ſacris palliis, cæteris vero ſacerdotibus in coccinea veſte per pontem ſolenni pompa traductis in prælata ſede geſtatur, & comitantibus prætorianis ſub vmbella templum ingreditur. Iam in forum Antonius Leua pedeſtres copias adduxerat, & obuerſis in omnes aditus maioribus tormentis & ſignis in medio conſtitutis, cuncta loca perpetua militum ſtatione firmauerat. Interim è lacubus qui in ſummo prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti, per ſyphones rubra & alba vina fundebantur, panes ab alto in ſubiectos milites ſpargebantur, torrebaturq; in machina verſatili bos integer, ingens, hœdis, veruecibus, ac omni fere volucrum genere farctiſſimus, vt in tanta feſta hilaritate milites ſub armis in acie ſtantes, ad manum paratis obſoniis cum iocunditate veſcerentur. Nunquam ab vlla memoria, vel ad celeberrimi triumphi, vel ad inauditi ſpectaculi famam, maior atque nobilior mortalium inſignium numerus in vnam vrbem confluxit. Erant adeo plena loca omnia quæ foro imminebant, vt multi in alto ſuſpenſis & pendentibus ſpeculis, alii in ædium proiecturis, & periculoſiſſimis locis cum aliorum admiratione proſpicerent. Ipſa porro domorum tecta pueris & fœminis in ea mira cupiditate ſcandentibus, tantæ multitudinis pondere fatiſcebant. Fuere enim erecta inter columnas templi ad theatrorum imaginem, podia gradibus excelſa ſuperædificatis quoque ſuggeſtibus, vnde illuſtres Matronæ ſuſpicerentur, & cuncta ipſæ pariter iocundiſſime deſpectarent. Iam Pontifex ſacratas tunicas & chlamydes induerat, & ſacra ſolennia excultis altaribus parabantur, quum Cæſar ſub Vmbella cum ornatiſſimo procerum comitatu ad templi veſtibulum peruenit, ita vt vix eo paucis paſſibus praeuecto, tabulata pontis, prægrauante prætorianorum turba frangerentur. Ibi plerique militibus immixti fœdo caſu procidentes ſeſe pilis atque ſecuribus induerunt, inter quos fuit Albertus Pighius Belga theologus Lutheromaſtyx, minima tamen pro tumultu clades incidit. Sed facile fuit æſtimare ex atrocitate periculi quis in Germano milite ſupra ferociam militarem natura implacabili animorum habitus eſſet futurus, ſi ad certam omnium perniciem Cæſar ipſe, ſe paululum vertente Fortuna cecidiſſet. Sed intrepide reſpectans Cæſar leuiter arriſit, ita vt fortunam ſuam certius agnoſcere videretur, quæ cæptis & votis omnibus benigniſſime ſemper adſpiraſſet. Erant omnia ad imaginem vaticani templi conſtituta, & nouæ ſacellis appellationes impoſitæ, vt ea ſigillatim ad veterem conſuetudinem ex Pontificiis libris reſponderent. Affuere igitur Romani ſacerdotes quibus ſacra vaticani templi ſunt commendata. Ii ad aram Cæſarem ſuſceperunt, Linteaq; ſacerdotali tunica ſuperiniecta in collegium eius ſacerdotii cooptarunt. Eum Saluiatus Cardinalis in verba ex libris Pontificiis concepta, ſacramento adegit, ita vt in ſumma libens iuraret, ſe Pontificiæ dignitatis perpetuo futurum eſſe defenſoré. Ab hac ara duarum turrium nuncupata duo Diaconi Cardinales, Saluiatus, ſcilicet ipſe, & Ridulphus, ambo ex patruelibus Pontificis nepotem ad templi limen deducunt. Flexo genu ſupplicanté, Picolomineus presbyter Cardinalis certis precationibus expiatum in ſacellum S. Gregorii perducit. Ibi linea tunica deponitur, ſandalia margaritis & gemmis picta ſtatim induuntur, & Dalmatica veſte in morem Diaconi prius aſſumpta, paludamento demum conueſtitur. In eo habitu procedenti Puccius Cardinalis ad porphiriticam rotam, quæ eſt ad vaticani templi medium mitratus occurrit. Ingeniculatus Cæſar ad aram maximam obuertitur, ſolennique altera precatione, vt eius imperium ſtabile perpetuum victoriarum, pietatis & laudis plenum faxit, Deo maximo

ximo, in cuius manu ſunt regna, commendatur. Sunt enim multa antiquitus à piis præſtantibuſque ingeniis cum ſumma verborum elegantia, & chriſtiana grauitate compoſita, quæ ex ſacrato libro ad ſtatus rerum & locorum ceremonias, ab aliis atque aliis ſacerdotibus in frontem Cæſaris perleguntur. Quæ omnia in illis Pontificum iam editis libris, quiſque curioſus facile poterit inuenire. Aſcenditur demum verſus aram maximam, vbi Innocentio cibo Cardinale Litanias præeunte, alternis precibus pie pronunciatis, Diui diuæque omnes propitiantur. In lecti ſternio ſupplicanti Cæſari Campegius Cardinalis aſtitit, & de ſcripto oratiunculam, vt auſpicato coronaretur, religioſe recitauit. Inde mox Cæſar à Farneſio, quoniam is erat ſenatus Princeps & Cardinalium vetuſtiſſimus, intra S. Mauritii ſacellum eſt deductus, vbi diſſibulata Dalmatica, humeros & brachium dextrum ſacro oleo adiectis puris, & piis orationibus inungitur. His rebus rite confectis ſolennia ſacra erudito phonaſcorum concentu, alternantibus choris, operante Pontifice, ipſo Cæſare in ſacra veſte miniſtrante protinus inchoantur, quæ miro ordine cæremoniarum, ſumma grauitate ſacerdotum, inſigni omnium religione adeo miſerum diei ſunt protracta, vt vel pie curioſos fatigare potuerint, ſi is longe omnium clariſſimorum Principum admirabilis conſeſſus ſpectantium oculos vlla in parte ſatiare potuiſſet. Neque hic eſt neceſſe, vt cuncta ſicuti ſigillatim fuere celebrata, à nobis minutiſſime referantur, quando ea in libris Pontificum beneficio publicatis ad amuſſim deſcripta videamus. Legati interim Genuenſes, & Senenſes quum de loci dignitate inter ſe contumeliis pugnisque contenderent, templo iuſſu Cæſaris exacti ſunt. Cæterum ſumma ſacrorum fuit, vt Cæſari de manu Pontificis Romani Imperii inſignia traderentur. Itaque ſolenni precatione ſemper adhibita, Pontifex ei ſupplici ſceptrum aureum dedit, florenti cacumine conſpicuum, quo pie gentibus imperaret: itemque nudatum enſem, quo chriſtiani nominis hoſtes perſequeretur, ac pomum aureum, quem vti terrarum orbem inſigni pietate, conſtantia virtuteque regeret, & poſtremo tiaram illam potius quam coronam bicipiti faſtigio, multiſque adamantibus inſignem capiti impoſuit. ille pie inflexo genu, pronus exoſculato pede Pontificem adorauit. Tum demum Cæſar in illa tot gemmis ac vnionibus exornata triumphali trabea ad læuam non procul à Pontifice in ſede auro protecta, ſed paulo humiliore; ſeſſum eſt perductus, & Romanus Imperator appellatus. Quod vbi in foro militibus eſt renunciatum, Antonius Leua ad declarandum lætitiam, maiora minoraque tormenta diſplodi iuſſit, ita vt terribili ſonitu cœlum crepitare, terra quati, & tecta nutare viderentur. Nec multo poſt Pontifex ſacratiſſimæ Euchariſtiæ hoſtiam humillimo quodam oris geſtu, puriſſimoque animi habitu deſumpſit, atque eam obiter Cæſari omni labe criminum expiato religioſe communicauit. Peractis ſacris templi exceſſum, ad præparatos equos ſacerdotes Legati, proceres diſcurrunt, omnis repente multitudo in equis conſpicitur, acclamationes, turbarum cantus, tympanorum ſtrepitus audiuntur. Conſcendenti equum Pontifici Cæſar ad læuam pedes aſtitit, vti benigne auratam ſtaffam ſacrato pedi protinus inducturus. Sed pium Cæſaris obſequium pontificis humanitas, religioſaque modeſtia ſuperauit. Ergo iunctim equo vterque albo, ſed Pontifex Thracio, Cæſar Hiſpanico conſidentes vmbellam ſubeunt, ſummæ dignitatis hominibus ad eam geſtandam honori ſimul & labori ſuccedentibus. Præcedebat miro pompæ ordine tum Cardinalium tum procerum vtriuſque aulæ familia, in tergo ſigna erant viatorum, qui curſores appellantur. Adhæc ſubſecuti ſunt ſeptem viri inſignes armis, trabeis, militaribus equis, & pedeſtri comitatu valde conſpicui, qui totidem ingentia vexilla deferebant. Angelus Rauacius Bononienſium vexillifer, qui eſt ſummus apud eos magiſtratus, primum detulit cum titulo libertatis, ſecundum erat ſenatus populique Romani Iuliano Cæſarino Romani ſanguinis adoleſcenti ab ipſa familiæ prærogatiua demandatum. Ad hoc ſecuti ſunt Ioannes Manricus & Hottechius Belga, hic Cæſaris aquilam, ille candidum vexillum cruce purpurea diſtinctum geſtabant. Tum demum tria ſunt prælata, Clementis ſcilicet Pontifice cum Mediceis inſignibus vnum, alterum ſanctæ Romanæ eccleſiæ: tertium vero illud Chriſtianæ crucis aduerſus Turcas aliquando deferendum. Signiferi fuere Leonettus Sidicinus, Ludouicus Rangonus, & Laurentius cibo prætorii præfectus. Traducti præterea aliquot albi aſturcones ſine ſeſſoribus auratis ephippiis inſtrati. Prætulere etiam adoleſcentes eximiæ nobilitatis in ſcipionibus præfixos galeros Pontificis purpureos quatuor. Nec multum inde ſuccedebat Euchariſtia ſub aurea vmbella loculo cryſtallino incluſa, & ſellæ generoſi, & tamen pacati equi ſuperimpoſita. Laterna ingens ante & circum dena funalia ferebantur. Tum demum promiſcue gentium omnium honeſtiſſimi, quinque ſucceſſere, vt decuit in tanta hilaritate regio ſumptu ſupra quam credibile videatur exornati. Nemo enim ex tota Italia paulo vir illuſtrior non venerat, niſi vehementi valetudine præpeditus. Hiſpani, Itali, Belgæ pro vt libido geniique tulerunt, aureo textili & ſerico omnis coloris eleganter Variegato, itemque phrygiis operibus, & acu pictis ſaculis ſpectantium oculos præſtringebant. Germani in veſte obſcuriore, ſumptuoſa tamen torquibus aureis relucebant. Viſebantur paſſim equi ex omni regionum ſobole maxime generoſi, & inſano ſumptu toto terrarum orbe conquiſiti. Notiores Hiſpaniæ reguli fuere Aluarus Oſorius Aſtorgiæ, Marchio, Didacus, Pacecus Aſcaloniæ Dux, Indicus Mendocius Saldaniæ comes, Infantaſiorum ducis filius, qui

Frau-

Franciſcum Gallorum regem in Carpentanis regali hoſpitio ſuſceptum, admirandis muneribus exornauit, & Petrus Toletanus Marchio Villafranchæ, Albano duce genitus, qui filiorum & nepotum ſobole felix, & fide virtuteque præditus ad regni tutelam in Hiſpania conquieſcit. Præterea paulo minores comites Agillarius Fonteius, Coſantanius Altamirus, & ſupra hos, quem ingenio fideque ſpectatum fortuna extulit, Franciſcus Couus, conſiliorum omnium particeps, & in regno legis ſacratorum equitum magiſter. Sed quis reliquos nobiles, opulentos, clarorum Principum progenie reditos ſuo ordine numerarit? neque Italos alacritate & ſumptibus inter ſe certantes ſua ſerie arbitror recenſendos, ne ſi tanta vel fortuna vel claritate prope æqualium equitum turba aliquos nominemus: Cæteri ſe indigne vel inique prætermiſſos conquerantur. Fuere tamen inter tot regulos maxime conſpicui Alexander Medices & Ioannes Aloyſius Caraffa Statilianus Princeps. Belgarum autem longe digniſſimi ſucceſſere Henricus Naſſouius Comes cubiculo præpoſitus, cuius eſt ſummus dignitatis & gratiæ locus apud cæſarem. Philippus inde Cronis Marchio Areſcotæ præfectusque equitum, & cæſari ſanguine coniunctus. Itemque Hadrianus Rolæus Cæſarianæ familiæ magiſter. Venerat etiam ipſe Andreas Auria, cui Cæſar maris Imperium detulerat, non à cultu corporis amictusque luxuria, verum ab aſpectu graui & militari ipſaque prolixe barbæ ſpectanda canitie, & rerum geſtarum fama conſpicuus. Subtraxit pompæ Franciſcus Sfortiam non importunus modo, ſed grauis etiam morbus. Ferdinandus etiam Sanſeuerinus Salernitanus Princeps, ne primum locum Aſcalonico concedere videretur, intra limen domi ſe continuit. Federicus vero Gonzaga Mantuanus, ad exornandam vrbem, vt ſummo cum honore Cæſar exciperetur, domi remanſerat, & ob id etiam ne cum Bonifacio Montisferrati regulo de loco & dignitate diſceptaret. Alfonſus Ateſtinus Ferrariæ dux ideo non venerat, quod Cæſar pacificator, vti poſtea fecit, nondum ei diem quo pro concordia ad Pontificem omnino ſtatuiſſet. Nec Pyrrhus Antonius Sanſeuerinus Beſtennianus Princeps, quamuis properaret, in tempore ſuperuenit. Erat cum ijs, quos diximus, minorum regulorum atque honeſtiſſimorum equitum numerus, veſtibus & equorum ornamentis magnis regibus exæquandus. Sed vnus omnes omnium nationum Aſtorgius eruditis ſumptibus ſuperauit. Erat enim eius prætexta vere triumphalis margaritis & gemmis ad delphinorum imagines opulentiſſime depicta. Ad hos ſequutæ ſunt variæ legationes, & mox ipſi purpurati Cardinales. Inde non procul ſucceſſit vmbella, ſed qua duo longe auguſtiſſimi terrarum domini in mitris illis ſtupenda & inæſtimabili gemmarum & vnionum varietate pretioſis, ita tollutim & temperato paſſu incedentibus equis, vt ij certa ingenij grauitate, quales ſeſſores veherent ſentire viderentur. Antecedebant vmbellam ipſe Montisferrati Marchio ſolenni in chlamyde, & corona gemmis ornata, qui Cæſaris ſceptrum deferebat. Franciſcus inde Maria Feltrius dux Vrbini, Venetorum Imperator: & quoniam erat præfectus vrbis, in veſte purpurea Dalmatica cum inuſitato in metæ formam capitis tegumento, aurea cruce diſtincto, tænijsque vtrinque pendentibus nudatum enſem prætendebat. Philippus vero Palatinus, quem decora proceritas & obſidio Viennæ aduerſus Turcas fortiſſime tolerata clariſſimum reddebant, aureum Orbem detulit in talari toga purpurea, aſtrictis manicis & plano pileo candidis pellibus redimito. Poſtremus erat Carolus Sabaudius Allobrogum dux, pileolum ferens, vnionibus ſmaragdis & carbunculis collucentem, qui quum oporteret, nobilioris officij cauſa, ademptam capiti Cæſaris coronam prætentis manibus deferret. Inter hos ſummi ordinis Principes, & vmbellam ipſam Cæſaris quæſtor obequitabat, qui per ſingulas regiones certis paſſuum interuallis ad dimouendam turbam, excitandamque lætitiam effuſe in populum argenteam atque auream ſtipem ſignatam imagine coronati Cæſaris diſpergebat. Secundum vmbellam binis cubicularis & medicis locus fuit. Tum vero antiſtites opibus & authoritate præſtantes, qui vel legati regum erant, vt Gabriel Agramontius Tarbenſis Gallus, & Bernardus Tridentinus Germanus vel Cæſaris Conſiliarij, in queis fuit Gabriel Barenſis pace & bello rerum maximarum adminiſtrator, vel ijs quos ab inſigni gratia Pontificis aſſiſtentes vocant, vt Hieronymus Vaſionenſis, qui Cæſarem in Italiam adduxerat, & cæteri demum epiſcopi in violaceis palliis, & poſt hos minores ſacrati viri ſucceſſerunt. Nouiſſimum agmen clauſere cataphracti equites Belgæ per alas turmasque diſtincti, eo ordine indutis galeis & prætentis haſtis ſubſequentes, vt non modo tantæ pompæ præſidio, ſed ornamento eſſe viderentur. A templo, vt diximus, profecti, modico ad læuam flexu ad vrbis vmbilicum eſt turris Aſinellorum altitudine Italicarum nulli ſecunda: Inde per regionem albis & çyaneis pannis coopertam, quæ ad Flaminiæ viæ portam perducit, inter acclamationes longo tractu proceſſum: porticibus hinc & inde ſpectantium fæminarum multitudine refertis, ſic vt pompa omnis ſine tumultu omnium oculis ad incredibilem voluptatem oſtentata quietiſſime ſpectaretur. Tum demum ad regionis biuium, quod dicitur ad Clauaturas, Cæſar à Pontifice digreſſus ad Diui Dominici templum contendit. Ibi venientem Romani Lateranenſis templi ſacerdotes cum ſumma veneratione ſuſceperunt, & vti Vaticani dudum fecerant, in collegium cooptarunt. Inde Cæſar ad aram Diui Ioannis ſupplicauit, & multos omnis generis oblatos nobiles equeſtri dignitate, gladio leuiter percuſſis

humeris ornauit. Nec multo poſt alio itinere quam iſſet pontifex, ad prætorium eſt reuerſus. Erat maximo triclinio ad epulum præbendum aulæis vndique, ſtrato coniunctum cubiculum Hippolyti Medices cardinalis, in id familiariter Cæſar coronatus excluſo ferme omni famulatu ſe recepit, trabeam depoſuit, exuit ſandalia, & auream talarem togam ſumpſit, atque hilaris aliquandiu ab illo tanto prætextæ chlamydis, & prægrauis tiaræ pondere conquieuit. Interea præcinentibus tibijs & tubis epulæ miro ordine, miniſtrorumque ſilentio introferri ſunt cœptæ: Itaque affuere Cæſari præſto quatuor illi principes in ſua quiſque ſolenni chlamyde, vt inſignia præferrent, atque item alij illuſtres reguli, vt eum ad menſam deducerent: Cæterum priusquam exiret, ex eorum numero ſeptem equeſtri ordini adſcripſit, & ante alios ipſum Aſtorgium, qui longe omnium in pompa cultiſſimus extitiſſet, & Philippum Palatinum, qui Viennam diuina virtute propugnando, non modo Germanos, ſed chriſtianos omnes ſummo metu & incredibili periculo liberaſſet. Cœnauit ſolus Cæſar ſingulis Imperij inſignibus in menſa collocatis, quæ erat aliquot gradibus excelſa, at in alia infra gradus in conſpectu tamen Cæſaris diſcubuere, Sabaudius, Palatinus, Vrbinas, & Montisferrati reguli. In exteriore vero triclinio epulum cæteris proceribus præbitum. Remotis menſis iterum Cæſar gladium cepit, & pleroſque nobiles equeſtri dignitate decorauit. Accidit vero dum nudatum enſem vrbinas porrigere vellet, vt pomum manubrio inſertum excuteretur, atque eo cadente in pauimentum incluſæ gemmæ ad circumſtantium pedes proſilirent. Fuere qui id prodigij loco accipere viderentur, quaſi futurum eſſet, vt Cæſar abſens aliquando exercitum bene regere nequiret, capite ſcilicet eximiæ grauitatis indigentem. Alij autem felicius interpretabantur, Cæſarem ad orientis regna vnde gemmæ prouenirent gladium eſſe vibraturum, ſimulque futurum, vt duces & milites ab ipſa victoria quæ gladio pararetur, rigentibus illis Turcarum opibus potirentur.

DE INAVGVRATIONE IN REGNVM ROMANORVM FERDINANDI Caroli V. fratris Aquiſgrani Anno M. D. XXXI.

HISDEM quoque diebus Ferdinandus Caroli Imperatoris Germanus frater Cæſar eſt appellatus, ſuſcepitque eius nouæ dignitatis ornamenta apud Belgas, opulentiore atque auguſtiore apparatu ad Aquiſgranum vrbem, Caroli Magni olim ſede, ſepulchroque clariſſimam, quæ antiquis * Nuagerta fuit, quum ſuperiore biennio Boemici regni diadema apud Pragam ſuſcepiſſet. Nam ſicuti Marcomannorum, qui hodie Morauí ſunt, & Boemorum, qui Ercinio ſaltu circumdantur, & Sleſiratum qui Sarmaticos attingunt fines, frequentiam & cultum Germani authoritate atque opibus ſuperiores facile ſuperabant, ita vtriusque pompæ ſpectacula cum ipſius Caroli Imperatoris præſentia, tum opulentiſſimorum procerum & antiſtitum admirabilis comitatus incomparabilem illuſtrium hominum conuentum repræſentaſſe cenſebatur. Nihil enim vel pretioſius vel operoſius excogitari potuit apparatu atque inſtrumento vtriusque aulæ, quum in eum totius Europæ ad exornandum triumphum lectiſſimæ opes, inſigni ſtudio certantium inter ſe gentium collatas fuiſſe appareret, ſacris namque ceremoniis & ludis equeſtribus, geminatoque præſertim epulo totius eius pompæ apparatus conſtitit, in quo accumulati luxus exquiſitiſſimæ & copioſiſſimæ dapes alendis etiam plebeis hominibus ſuperfuerunt. Imperator ipſe vſus eo prægrandi enſe, quo Carolus ille Magnus omnibus ſacri belli præliis vti conſueſſe fama erat, quanquam eſſet à multo vetuſtatis ſitu æruginoſus, clariſſimum quemque Germanorum & Belgarum leuiter contactis humeris equeſtri dignitate nobilitauit, dimiſſisque conuentibus vni ei curæ inſtitit, vt conſentientibus Chriſtianarum gentium regibus pia arma in Solymanum, nimio plus immodicas vires extendentem verterentur.

** Vegerram antiquis fuiſſe ait Sabellicus Supplement. hiſt. lib. 14.*

DE ELECTIONE SEV DESIGNATIONE SERENISSIMI Maximiliani, Ferdinandi inuictiſſimi Imp. F. in Regem Romanorum, Francofurti ad Mœnum, Anno M. D. LXII.

COnuenerunt primo omnes ſeptem Principes Electores mane hora ſexta in Romanæ ſiue Curia, ibidemque vna conſultauere ad nonam vſque. Poſt hæc habitu ſeptemuirali hoc eſt pileis rubris coccineisque talaribus tunicis duplicatis muſtelis Alpinis, Rex vero etiam coronatus Boemico diademate ad D. Bartholomæi hoc ordine in equis proceſſerunt, vt primi eſſent Moguntinus & Treuirenſis, medij Colonienſis & Boemiæ rex; vltimi Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus; ad templi limina deſcendentes ex equis eadem ſerie in interiora (chorum vocant) penetrant; ibique parata altrinſecus ſedilia, & Attalica veſte ſtrata occupant. Saxo autem tam in introitu quam exitu gladium pratulit aurata vagina conditum, quem dum ſacra peraguntur tenuit Petrus Roſenburgicus, vti diadema, quoties illud deponebat rex, excipiebat Pincerna Lympurgicus.

Aſſederunt autem dextra Moguntinus, Rex Boemiæ & Palatinus, indeque Colonienſis, Saxo, Brandeburgicus, Treuirenſis inter duplicatos ſerorum ordines; Et ſtatim VVirzeburgenſis Epiſcopus auſpicatus eſt ſolenne illud Veni ſancte ſpiritus, *quod totum Electoribus in genua procumbentibus modulatione & minuritione ſuauiſsima peregerunt Symphoniaci Cæſarei. indeque idem VVirzeburgenſis ſacrum orditur,*

orditur, quod de ſancto ſpiritu dicitur, iuxta bullæ aureæ formulam, ſed quia Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus non ſolent huiuſmodi ſacris intereſſe, tum quoq; ſimul omnes tres in vicinum ad dextram conclaue ſe receperunt, ibiq; ſacrorum finem exſpectarunt, vna cum Gulielmo Lantgrauio Heſſiæ, Duce Georgio Comite Palatino, Duce Franciſco Lauuenburgico, Principe Anhaltino, & alijs qui ſe ijs coniunxerunt, clienteluque & conſiliarijs ſuis. Peracto ſacro redierunt ijdem VII. viri Electores in locum ſuum VVirzeburgenſe dante initium alteri ſolenni carmini, Veni Creator. *quo ſimiliter à Symphoniacis Cæſareis ad finem perducto, Electores ſolito ordine & pompa accedunt ad altare, ibiq; iurant in hanc formulam:*

Ego N. N. iuro ad hæc ſacroſancta Euangelia coram appoſita, me pro fide quam debeo Deo & ſacro Romano Imperio, ex animi mei ſententia Deo dante electurum principem reipub. Chriſtianæ, hoc eſt, Romanum regem & mox ad ſummum imperium prouehendum, ad hanc rem idoneum an quantumque iudicio & conſilio valeo ſecundum eam quam dixi fidem, votum & ſuffragium me laturum liberum à pactis qualibuſcunque, mercede, præmio, aut ſpe horum in poſterum, quoquo modo aut nomine illa appellari poſſint; Sic me Deus adiuuet & hæc ſacroſancta Euangelia.

Moguntinus autem primus ita iurauit, indeq; idem iuramentum exegit per ordinem à Treuirenſi, Colonienſi, Boemico, Palatino, Saxone, & Brandeburgico. Eccleſiaſtici autem iurantes manum pectori, reliqui eandem dextram manum libro Euangelico applicuerunt. Hinc ad locum quiſq; ſuum redijt, genuq; poſuit, dum iterato cantatur. Veni ſancte ſpiritus. *Quo abſoluto in conclaue ſe receperunt, primum Moguntinus, Treuirenſis, & Colonienſis, inde Palatinus, Saxo, & poſtremo Brandeburgicus, obſeratuq; foribus ad horæ quadrantem ſoli manſerunt, inde vocarunt conſiliarios ſuos, & nominatim ſinguli binos, quos huic rei ante delegerant. interfuerunt autem regis Boemiæ nomine Chriſtophorus Eitzingius, primus eius Oeconomus, & Leonarthus Harrochius Decurio Cubiculariorum, cum quibus altero quadrante horæ conſumpto, & abire iuſſis, Electores rurſum horæ fere ſpatio ſoli conſultarunt, moxq; Moguntinus Cancellarius cum Silentiario vnico admiſſus, & Electionem in literas referre iuſſus eſt.*

Inde Conſiliarij de quibus paullo ante dictum eſt reuocati ſunt, tamquam futuri teſtes electionis modo factæ, qui cum iterato ſeceſſiſſent, aduocantur exterius finem rei exſpectantes, Gulielmus Lantgrauius Haſſiæ, Georgius Comes Palatinus, filius Electoris, Dux Franciſcus Lauuenburgicus, Dux Megaloburgenſis, & Princeps Anhaltinus, hiq; ſimul leguntur ad Cæſaream Maieſtatem ſignificaturi de Electione tranſactum eſſe, rogaturiq; Electorum nomine Imperatorem, dignaretur in D. Bartholomæi adeſſe, & in re præſenti Electionem audire, interea Electores in conclaui foribus clauſis perdurantes proclamationis & publicationis futuræ formulam concipi iubent.

Vbi autem Imperator aduenit, quod ipſo meridie hora diei duodecima factum eſt; Electores omnes ſolito ordine obuiam ei procedunt ad templi vſque ingreſſum, quibus cum ſingulis ille dextram porrexiſſet, comitatus Duce Bauariæ, Duce Iuliacenſi, Duce VVirtenbergenſi, Duce Megaloburgenſi, Principe Auraſino, multiſque alijs Principibus, Comitibus, & dynaſtis, ad interiora templi reditum eſt, præcedente Treuirenſi ſolo, inde Palatino & Brandeburgico æquatis paſſibus, mox proxime ante Imperatorem Saxone gladium geſtante, ſequebantur autem Cæſaream Maieſtatem Moguntinus, rex Boemiæ & Colonienſis, inde ductus Imperator in ſacrarium è regione Conclauis, ibique Pontificalibus cum indutus fuiſſet diademate imperiali coronatus in conclaue venit, præeunte iterum Treuirenſi ſolo, atque inde Palatino pomum typum mundi, Brandeburgico ſceptrum, Saxone medio inter eos exertum gladium geſtante, ac ſequentibus inde eius Cæſaream Maieſtatem Moguntino, Boemico & Colonienſi.

Ibi demum Electores per Moguntinum de electione ſua certiorem fecerunt Imperatorem, ſignificaruntque ſeſe regem Boemiæ filium eius in Romanum regem elegiſſe, & futurum Auguſtum deſignaſſe, orantes, vti Cæſarea ſua Maieſtas hanc electionem gratam ratamque habere velit, quod ſane non tantum citra difficultatem obtinuerunt, ſed gratiæ ijs inſuper eo nomine ingentes à Cæſare actæ ſunt.

Egreſſi hinc conclaue Imperator ſolium ſibi ad dextram in choro poſitum occupat, Electores cum nouo electo Romanorum Rege ad aram procedunt, eumque eidem aræ ritu ſolito imponunt. Brandeburgicus autem Regi diadema iterum impoſuit, circumſiſtentibus reliquis Electoribus, donec hymnus Te Deum laudamus *alterna modulatione chori Symphoniaci & organi pneumatici decantatus eſt. cuius extrema exceperunt omnes tubicines & Æneatores, qui tum cum imperatore, Rege, Electoribus, principibus, & proceribus reliquis infinitis conuenerant, tanto clangore, vt templum late reſonaret: adiuuante hanc gratulationem pulſu campanarum, & tormentorum per propugnacula diſpoſitorum tonitru.*

Interea loci politici Electores keimelia imperialia puta Palatinus pomum filio, Saxo gladium Franciſco Duci Lauuenburgico, Brandeburgicus ſceptrum principi Anhaltino tradiderant, cum quibus illi inſignibus ante imperatorem conſtiterunt donec ab altari reditum eſſet.

Gratulatione ea Muſica & militari finita, Electores regem ab altari ſublatum ducunt ad ſolium regale in medio templo exſtructum, ibiq; publico præconio nouus electus Romanorum rex proclamatus & celebratus eſt: recitante decretum ſeptemuirale Decano Metropolitanæ Eccleſiæ Moguntinenſis.

Quo facto Imperator, Romanorum rex, & electores domum properarunt hora iam tertia audita: Ante templum aliquot Francofurtenſes Patricii ordinis Senatorii vmbellam pretioſiſſimam tenebant, ſub qua Imp. & rex in palatium redicre. ſic tamen, vt trium fere paſſuum interuallum ſibi rex ad Imp. medium & vacuum honoris cauſſa relinqueret. Solum autem, quia cœnoſum plerumque eſt, plateaque per quam iter erat tabulato eiuſdem Senatus Francofurtenſis cura & iuſſu ſtrata erat. Ibant autem primi proceres, Comites, Barones, omniſque nobilitas, quæ tum Francofurti frequentiſſima erat. ſequebantur tubicines & Æneatores, primo Saxonici, inde Brandeburgici, tum noui electi Romanorum regis, poſtremo Imperiales,

alternis

alternis clangoribus perſonantes. à tergo horum ibant Principes & Duces, ac rurſum poſt hos quatuor reges armorum Imperiales ſolenni veſte & apparatu. his proximus erat Treuirenſis ſolus, inde Palatinus pomum, & Brandeburgicus ſceptrum geſtans, iunctis greßibus incedebant, proſequente ſtatim ante imperatorem Saxone, & gladium ferente: qui Imp. ingrediebatur ſub vmbella, Imperiali diademate coronatus: pone comitante rege nouo Electo, coronato diademate Boemico, & Dalmatica induto, ſicut in Romanorum regem adſumptus erat. claudebant agmen Moguntinus, & Colonienſis: ipſi quoque ſuis pontificalibus induti: proſequentibus ſtipatoribus aulico comitatu reliquo & ingenti vulgi multitudine. Cum qua pompa cum ad palatium veniſſet Imperator, iterum ſingulis Electoribus dextram porrexit, atq; ita abeundi venia data, ad ſua quisq; deceßit cibi ſumendi cauſſa.

De Inauguratione eiuſdem adhuc Maximiliani in Regem Romanorum.

IPſo diui Andreæ, hoc eſt, pridie Kalendas Decembris, Electores eccleſiaſtici Moguntinus, Treuirenſis, & Colonienſis cum epiſcopis VVirzeburgenſi & Spirenſi in diui Bartholomæi ſub ſeptimam mane; noue autem electus Rex & politici Electores, Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus non ita multo poſt Imperatorem conuenerunt.

Rex induebatur oblonga rubra & ſtricta tunica ex ſerico, cui inducebatur altera, ſed Attalica, Muſtelis Alpinis duplicata, & manuleata. Pallium eius erat etiam ex textili auro, & galerus eiuſdem generis ad formam eorum, quorum ferendorum ius ſolis ſeptemuiris Electoribus permiſſum eſt. Electores ſolito habitu, & ſibi proprio inſignes erant. Atque ita in templum itum eſt ab Imperatore quidem & rege ſub vmbella quam geſtabant ex primariis & auctoritatis ſumma patriciis primo Chriſtophorus Kellnerus, & Carolus Kuuhorn, vterque decurio, indeque Antonius zum Iungen, Carolus Glauburgius, Iuſtinianus ab Holtzhauſen, & Daniel Hinſpergius: omnes quatuor etiam ex ordine Senatorio Francofurtenſi, qui ante quoq; electionis die eodem munere defuncti erant. Politici Electores inſignia imperialia ferebant: nempe Palatinus dextra pomum, typum mundi, Saxo medius gladium, Brandeburgicus ſiniſtra ſceptrum.

Dum templo hi propinquant, interim eccleſiaſtici in ſacrario Pontificalibus induuntur: indeque ad chori, vt vocant, aditum in occurſum Imperatoris procedunt, eumq; & regem ita introducunt, vt Moguntinus primus iret cum ſuo clero, inter quos quidam oblongam argenteam crucem, alter baculum Epiſcopalem, tertius, ſed ex ordine equeſtri argenteum pedum, cui ſigillum impoſitum erat, præferebant, ſequebatur rex medius inter duos Epiſcopos, qui duorum reliquorum Archiepiſcoporum (quod initiati adhuc non eſſent) vicibus fungebantur. inde ibant ante Imperatorem Politici Electores, cum ſuis quisq; imperij inſignibus: proximus autem ab Imperatore ingrediebatur vnus ex Pincernis Lympurgicus, qui pallij imperialis extremas lacinias ferret, & a ſolo colligeret: proſequentibus inde duobus reliquis eccleſiaſticis Electoribus.

Imperator ſtatim ſolitum ſibi ſolium occupauit ad dextram: Electoresq; politicos, cum aliquantiſper fungi eos ſuo officio ſuſtinuiſſet, cum inſignibus ei apparendo, iuſſit loca ipſis præparata, translato munere in legatos, petere: Similiter alij quoque primæ notæ Principes, cum aliquamdiu in conſpectu Imperatoris honoris ei habendi cauſa conſtitiſſent, ad ſuam quisq; ſedem deductus eſt, nominatim Magiſter Ordinis Teutonici, Dux Bauariæ, Duces Georgius & VVolffgangus, Comites Palatini, Dux Iuliacenſis, Dux Megaloburgenſis, VVirtenbergicus autem, duo Comites Palatini iuniores, item Lantgrauij, Lauuenburgicus, Anhaltinus, Auraſinus, Arſcotanus & Lotharingus pro arbitrio ſuo modo hic modo alibi conſtiterunt, oculis ſingula vſurpandi cauſſa.

Legatus Pontificius, qui ante Imperatorem & regem in templum venerat, ſede peculiari honoratus fuit, intra ſepta quibus Imperator, Rex, & Electores muniebantur, idq; loco editiore tabulati, & vnde planius vt quæq; fiebant inſpicere poſſet.

Rex, dum Imperator conſideret, ad chori aditum pro altari Crucis ſubſtitit, inde ingreſſus interiora, ante altare primarium precibus vacauit: ſic tamen, vt tranſiens Imperatori exquiſitiſſimum & deuotiſſimum honorem haberet, quem iterauit etiam quotiens poſtea in ſolio ſuo conſedit, aut ab eo conſurrexit: Finitis autem precibus ad ſedem ſuam ſe recepit poſitam interuallo duarum orgyarum ab eodem altari ſub vmbella elegantiſſima ex auro textili: comitantibus tamen duobus Epiſcopis, & Electoribus Eccleſiaſticis.

Cum rex conſediſſet, etiam Electores & Epiſcopi ſtratas ſibi ſedes occuparunt: Treuirenſis quidem, & VVirzeburgenſis dextro regis latere, Colonienſis vero & Spirenſis ſiniſtro, Moguntino, qui inauguraturus regem eſſet, ſacris operante.

Quibus ſimul initium eſt factum, e veſtigio Elector Palatinus in conclaue ſeceßit. Reliqui duo Electores, aliique Principes tenuerunt locum ſuum vſque donec Alleluia *cantaretur, quo tempore Palatinus denuo ad eos prodijt. Regem autem tum Epiſcopi in tunica illa ſtricta ex ſerico rubro ad altare duxerunt; vbi cum ſe in genua ſubmiſiſſet, interrogatus eſt ab Archiepiſcopo Moguntino,* An vellet fidem & religionem Chriſtianam ſeruare, Eccleſiam tueri, Iuſtitiam adminiſtrare, imperium augere & defendere, viduas, pupillos, & pauperes protegere, Pontifici Romano honorem debitum habere: *ad quæ omnia & ſingula cum reſpondiſſet rex ita velle, idem Archiepiſcopus luſtricis aliquot precationibus eum expiauit, indeque inunxit anterius à capite, ab humeris, pro pectore, ad brachium dextrum, in vola dextra, inde ad detergendam vnctionem abducunt regem in conclaue; ad quam rem ſolus Palatinus relicta ſede ſua operam nauauit.*

In eo

In eo autem conclaui rex Diaconi more veſtitur indumentis Caroli Magni Imperatoris, atque ita ad altare reducitur, vbi ei Archiepiſcopus Moguntinus tradidit ſtrictum gladium, & remp. imperiumque Romanum paucis commendauit. gladium rex in vaginam recondidit, indeque eum lateri eius accinxit Elector Saxonicus, qui cum Palatino ad hoc superuenerat. Moguntinus autem inde regis digito annulum rari & maximi pretij indidit, pallioque eum circumdedit: ac mox reliqua inſignia, ſceptrum ac pomum tradidit, quæ ipſa quoque omnia Carolum Magnum olim geſtaſſe memorant. Poſtremo diadema regi impoſuerunt eiusdem Caroli Magni Imperatoris omnes tres Eccleſiaſtici Electores, coniunctis operis. Atque hic iterum rex quæ prius, exigente Moguntino, iurauit ad ſacroſancta Euangelia. nempe facturum ſe boni principis officium. Inde ductus eſt rex per tabulatum (quod ſenſim creſcebat ad dextram, tapetis à latere à ſolo viridi panno ſtratum) ad ſolium magnifice & regie eductum, ſedis Caroli Magni formam exprimens, in eoque eum collocant, & tamquam in poſſeſſionem Imperij hoc ipſo mittunt, Ibi Moguntinus nomine omnium verba facit, & de adepto eo regali faſtigio regi gratulatur: eique ſe ſuosque collegas & ordines omnes imperij diligenter commendat, moxque cantari incipit, Te Deum laudamus, *tubæque & litui clangore omnia implent.*

Inter hæc Rex multos primarios viros, & in reliquis duos ſeptemuiri Electoris Palatini filios, duos Haſſiæ Lantgrauios, Eberhardum Ducem VVirtembergenſem, Ioannem Albertum ducem Megaloburgenſem, Carolum ducem Munſterbergenſem, qui regi erat à cyathis, item D. Chriſtophorum Carlouizium, Eraſmum Magerum, Ioannem Georgium Preyſingerum, Sacræ Cæſ. Maieſt. deſignatorem hoſpitiorum, equeſtri dignitate donauit; indeque cum Euangelium cantatum eſſet; eiusque librum ipſe poſt Cæſaream Maieſt. oſculatus eſſet; vterque etiam ad aram accedens, oſculato Pacis ſymbolo complures aureos Archiepiſcopo Moguntinenſi, qui ſacris operabatur, obtulit. inde quiſq; ad ſolium ſuum regreſſus, in eodem ſacrorum finem expectauit; Quibus mox peractis accedunt regem duo ſodales ſiue canonici Aquiſgranenſes, eumque admonent veteris iuriſiurandi, quo tenentur omnes Reges Romanorum aut Imperatores, magiſtratum eum ineuntes, etiam collegio eccleſiaſtico Aquiſgranenſi nomen dare, & in illud recipi, quod tunc quoq; ſic factum eſt: veteri autem conſuetudine ſolet ad hunc canonicatum, vt vocant, denominare & ſiſtere duos rex, ſiue Imperator, ſacris initiatos; cum reliqui ſodales eiusdem collegij ea lege non teneantur.

Cæterum dum in his totus rex eſt; regina eius coniunx, quæ cum iunioribus Archiducibus & Principibus, Duce Lotharinga & filia, Duce Saxonica Electoris coniuge, & Duce Bauarica ex edito tabulato & magnifice inſtrato ritus omnes inaugurationis & cerimonias ſingulas cupide inſpexerat, ex templo ſeceſſit, & petit cum vniuerſo comitatu commemoratæ Ducis Saxonicæ hoſpitium, quod ex eo vicino Romano ſiue Curia contemplatura etiam commodiſſime videretur pompam Imperatoris & Regis, cum Electoribus reuertentium; itemque turbas quas daturum erat vulgus in ſparſione miſſilium, quæ ei de more debebantur.

Ita digreſſa regina Eccleſiaſtici Electores deponunt in ſacrario Pontificalia ſua, & reſumunt habitum ſeptemuiralem: atq; ita Imperatorem (qui omnia oculis ſuis vſurpauerat quæ acta erant, ſoluſq; Euangelij codicem præter regem deoſculatus fuerat, & aqua luſtrali ſparſus) & regem è templo producunt ſenſimq; ad Curiam procedunt pedibus per ſtratum ad hoc pontem, iſto fere ordine:

Primus ibat Treuirenſis Elector ſolus, eum ſequebantur tres Politici Electores, Palatinus pomum, Saxo gladium euaginatum, Brandeburgicus ſceptrum ferens, atq; hos rurſum Imperator, & ad læuam eius Rex, ſed ſic vt paſſus fere vnius interuallo ab Imperatore abcederet: poſt vmbellam, quæ Imperatorem & regem obumbrabat, incedebant Moguntinus & Colonienſis.

Statim autem à templi egreſſu tres regij ſtipatores cœperunt ſpargere aurea & argentea numiſmata, hinc cum effigie regia & inſcriptione, MAXIMILIANVS D. G. REX BOEMIÆ. *inde cum tali appendice:* CORONATVS EST IN REGEM ROMANORVM *1.5.6.2. cuius rei cauſſa magna coorta eſt contentio inter ciues, qui ex bona parte armati inſtructique ſtabant, miſſa vnoquoque capere & vel vt eripere alteri moliente: adeo vt non pauci in periculum venerint ne eliderentur, quod tam diu durauit, donec Imperator & Rex curiam ingreſſi eſſent, aulamq; in qua pranſuri erant ſubiiſſent. quod nequaquam factum eſt tacente tubarum concentu, ſed incredibili earum clangore, Æneatorumq; crepitu & ſtrepitu, ſimul etiam tormentorum & machinarum bellicarum tonitru; quæ omnes ter repetita exploſione in propugnaculis, munitionibus & aggeribus vrbem ambientibus tam horrendo fragore exonerata ſunt, vt aures omnibus obſurduerint.*

Cum autem iam Imperator & Rex inibi eſſent vt menſæ ſuæ accumbere vellent, quæ ſeptem gradibus reliquas omnes in eadem aula ſtratas eminebat; Brandeburgicus ſcalas Curiæ deſcendit, inſtratumq; & preparatum generoſum equum conſcendit, atque ita menſam petijt poſitam media ferme area iuxta culinam, vnde ſublata peluis cum gutto abluendis manib. et mappis eiſdem tergendis, ad curiam regreditur, deſcenſioneque ex equo facta (quem ad ſe recepit iure ſuo tamquam ſacri Rom. Imperij cubicularius hæreditarius comes à Zollern) vaſa ea clangentibus tubis in aulam imperialem detulit, ibique Cæſari & regi aquam præbuit: qui cum lauti terſique eſſent; ea quoque inſtrumenta puta peluis guttus, mappaque eidem comiti à Zollern data ſunt, qui eo quo equum ea quoq; iure ſibi haberet.

Poſt quæ Elector Saxonicus ipſe etiam ſuo officio defungi volens conſcenſo equo egregie phalerato petijt auenæ congeriem, quam ipſe cumulari curarat iuxta culinam, & vini ſcatebras, de quibus ſtatim dicemus; atque hic ſumpto in manus argenteo modio ſiue menſura eadem auena impleuit, & radio vel vt quidam vocare malunt hoſtorio æquauit, indeque menſuram & radium Friderico Bappenhemio tradit tamquam Mareſcallo Sacri Romani

mani imperij, vt is auenam in capita diſtribueret; indeque ad curiam reuerſus, equum quoq́ eidem Bappenhemio ceſſit, veteri & recepta conſuetudine.

Vix redierat ad aulam Imperialem Saxo, cum iterato è Curia deſcendit cum Electore Palatino, qui inſcenſo equo culinam adijt quæ erat in Franciſcanorum cœnobio ſub dio inſtructa, è regione Romanas partæ poſticæ; atque hic ex menſa præparata tria fercula ſuſtulit, ad curiamque reuerſus, reliquit equum D. à Seldenek, cui etiam patinæ quibus illata ſunt fercula mox ceſſerunt; & præeunte Saxone, qui baculum ſiue pedum prælongum & atratum manu gerebat, dapes allatas Imperatori regiq́ appoſuit.

Abſente autem propter quæ diximus Saxone, Archiepiſcopus Moguntinus cum duobus collegis eccleſiaſticis ſuis impoſitum ſigillum ſuorum Electoratuum & ditionum pedo argenteo duodecim marcarum, quod communibus ſumptibus voti rei fieri curarant, regi obtulerunt; ille autem ſigilla ea non retinuit, ſed ex collo ei ſuſpendit, profeſſus ſe ipſos ditionesque ipſorum æque atque reliquorum quoque collegarum eorum, omniumque Romano imperio ſubiectorum, in tutelam protectionemque ſuam recipere, defendereque ab iniuria in poſterum paratum eſſe.

Duo Lympurgici Imperatori regique à cyathis ſteterunt; eorumq́ alter eo cyatho iure ſuo auctus eſt ex quo Rex biberat.

Poſt hæc Electores vniuerſi ab Imperatore & rege ſuis ipſi quoque menſis accumbere iuſſi ſunt; quæ ita poſitæ erant, vt Moguntinus dextra, Colonienſis ſiniſtra, Treuirenſis vero e regione Imperatori regique conſiderent; rurſum iuxta Moguntinum Palatinus, Colonienſem Saxo, & hunc prope Brandeburgicus peculiaribus menſis accubuere; eo interuallo diſtantes, vt inter ſingulas ſinguli abaci inſtructi inſtrumento menſali ſurgerent, quod domo quiſque ſuppeditarat. vmbellæ autem, mappæ ſternendis menſis, & tergendis manibus cæteraque lintea à rege præbita ſunt. Sui quoque cuique Electori fuere à dapibus, à cyathis, à reliquisque menſalibus officijs peculiares adminiſtri.

Hinc extendebantur in longitudinem duæ menſæ, quas occupabant Magiſter Teutonici ordinis, Epiſcopi duo, reliquique proceres à rege inuitati; quo nomine etiam illis inſtrumentum omne conuiuale ex abaco regis ſuppeditatum eſt; regijs quoq́ dapiferis, pocillatoribus, ſtructoribus ipſis miniſtrantibus.

In vicina autem huic aulæ imperiali cœnatione quatuor aliæ menſæ ſtratæ erant, & ſingulæ ſingulis abacis regie condecoratæ, inuitatis quatuor imperialium ciuitatum proceribus, puta Coloniæ, Aquisgrani, Norimbergæ & Francofurti.

Primæ ergo accubuere Colonienſes Arnoldus Siegen Eques & exconſul, Conſtantinus Leyſkirchius, & Caſparus Geil, vterq́ conſul ſiue Burgimagiſter itemq́ N.N. Licentiatus, Syndicus.

Secundam e regione huius occupabant Aquenſes, Nicolaus Vuldermannus exconſul, Ioannes Ellerbonius, Franciſcus Block, & Doctor Gerlachius Radermacherus, Syndicus.

Tertiam loco inferiore Aquenſium menſæ ex aduerſam tenebant Norimbergenſes, Sebaldus Hallerus ab Hallerſtein, exconſul, & Gabriel Nutzelius.

Quartam æque infra Colonienſium menſam accubuere Francofurtenſes, Nicolaus Stalbergius Prætor, Ioannes Glauburgius, Ogerius à Melem, Daniel zum Iungen, Conradus Humbracht Doctor, omnes ſenatorij ordinis, & Doctor Ioannes Fichardus, Syndicus.

Harum quoq́ Menſarum inſtrumentum omne fuit argenteum auratumq́, præbitum ita à rege, cuius etiam familiares & domeſtici ijs adminiſtrabant.

Illati ſunt autem menſis ſingulis miſſus quinque, ſinguli ferculorum decem. inter quæ tamen oliferia multa oblectabant viſum tantum, præter extremum & ſextum, qui octo ferculorum tragematis variis conſtabat.

Sumpto prandio, cum omnes conſurrexiſſent, Electores ad munus quiſque ſuum redire voluerunt: quibus muneribus interea loci petitu Imperatoris & regis functi erant Comites duodecim, facile in imperio rebus omnibus primi, ſed non ita multo poſt ſurrexerunt à menſa etiam ipſi Auguſtiſſimi Principes. ac primo per feneſtras ſpectarunt quo pacto vulgus hominum toſtum integrum bouem & omne genus animalibus farctum diſtraheret, inde qua pompa ex templo in curiam, eadem ex curia in palatium ſe receperunt cum magno clangore tubarum, quæ toto etiam prandij tempore non ceſſarant, ibique electoribus in diuerſorium ſuum redeundi gratiam fecerunt. ſed quia bouis toſti mentio facta eſt, ſcire licet bouem hunc qui de more ſolenni inaugurationi debetur, toſtum fuiſſe integrum animalibus crebris tanquam farctum, hoc fere modo: Ante Romanæum prope fontem (cuius fiſtulæ eo die pro aqua vinum eiaculabantur) culina inſtructa erat paullo editior, in eaque mactatus bos, ſed neque capite, neque pedibus, aut vlla parte ſui mutilatus, veru ligneo traiectus eſt, cum prius farctus eſſet porco, oue, hinnulo, porculis aliquot ſubrumis, anatibus, perdicibus, pauone, turdis, anſere, gallinis, gallis, farciminibus, &c. verſari autem ad ignem cœpit die Dominico ante inaugurationem, neque percoctus viſus eſt ante diem Lunæ finito feſto & triumphali conuiuio, quo tempore hora fere tertia in prædam datus eſt, vulgo culinam primum, quæ tabulis vndique clauſa & munita fuerat, diſturbante & diripiente. indeque magno impetu in bouem conuerſo, cuius fruſtum cum quiſque ſibi peteret, magna contentione vix tamen vigeſimus compos euaſit voti, neque diu permanſit. nam quod rapuerat, alij ſtatim plures & valentiores ei extorquebant, ita vt tandem æque omnes inanes redirent: poſtquam tamen maximam voluptatem & riſum præbuiſſent ijs, qui è feminis ex feneſtris hanc viſcerationem ſpectabant. Fonti autem, qui tum coopertus fuit, aquila biceps impoſita erat, quæ altero roſtro vinum rubellum, altero album toto conuiuij tempore eiacularetur, cui rei plauſtra aliquot vini imputata ſunt: & ſi præ turba & ſtudio, tum etiam laſciuia & procacitate hominum, plus inde corruptum fuerit, quam in vſum conuerſum.

Bouis integri torrendi mos.

Die

Die Martis, hoc eſt, ipſis Kalend. Decembribus, Rex quidamque ex Electoribus propoſuerunt in foro equeſtri præmia, argentea & aurata vaſa, æſtimata in vniuerſum florenis admodum ſexcentis; eis ceſſura, qui haſta ſuſpenſos ex fune annulos maxima dexteritate & ſæpiſſime induiſſent. ad quam rem ipſi principes ſe ſuoſque induerunt nouis tunicis, ex rubro alboque tam holoſerico, quam ſerico. Ad cuiuſque autem equi in curſum admiſſionem tubicines & aneatores, qui quanta non alias frequentia aderant, magno clangore cecinerunt. Ludi.

Pridie autem curarat ordo ampliſſimus Francofurtenſis ædificari in medio flumine Mœni, qui vtramque vrbem interfluit, domum quadratam ex tabulis, in formam arcis propugnaculis, muris, pinniſque munitam, & lateritio colore pictam. cuius in faſtigio aquila nigra, Sacrique Romani imperij inſignia fulgebant, inſignibus ſeptem Electorum circumdata. hac arx eiſdem Kalen. Decembribus, quo tempore dies nocti concedere parabat, iniecto igne ab iis, qui ſpeculatoriis lembis in flumine ambulabant, ardere cœpit horrendo cum fragore. quippe in qua centum & amplius per interualla ſtruës concinnata erant pulueris tormentarij; qua alia poſt alias ſenſim ſerpente, & omnia colluſtrante flamma, ingenti crepitu & tonitru exiluere: durante hoc ſpectaculo oculis auribuſque gratiſſimo, eoque etiam gratiore, quod à minimis, maximis iuxta vſurpari poſſet, ad ſeſquihora fere ſpatium. Spectaculum arcis ardentis

PARS IV.

Continens

ACTA PVBLICA ET SOLLENNIA, CVM DISCVRSIBVS, TRACTATIBVS ET RELATIONIBVS HISTORICO-POLItico-Iuridicis,

DE INAVGVRATIONE, ID EST, CONSECRATIONE ET CORONATIONE IMPERATORIS AVGVSTI SECVNDA ET tertia: quarum illa Longobardica dicta ſit Modoëtiæ ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, in regimentum regni Italiæ ſeu Longobardiæ; hæc autem Romana nuncupata fieri debet Romæ à Summo Pontifice, in regimentum Imperij Romani, hoc eſt, in mundi dominium, & orbis terrarum Principatum.

CORNE-

I.

CORNELII AVRELII BATAVI

Diadema Imperatorium,

SIVE

DE CORONATIONE MAXIMILIANI I. IMPERATORIS, DEQVE BONI IMPERATORIS OFFICIO,

ORATIO:

In perſona Pontificis Maximi Imperatorem coronantis compoſita.

QVANDOQVIDEM Imperatoriam Maieſtatem non legibus ſolum, verum etiam armis ornatam eſſe oportet, vt illis ciues in pace foueat, & in his hoſtes fortiter vindicet, noſtræ ſemper fuit conſuetudinis, Sereniſſime Fili: vt, qui ea per nos decorari cupiat, eum paterno affectu tum admittamus, & obſeruemus, & veneremur, cum nos eum præ cæteris virtute animi & corporis robore atq; opibus præſtare videmus. Credimus enim, & iam olim exploratiſſimum habemus, nihil poſſe inueniri noſtris rebus magis conducibile, quam cum in Imperatorem cumulatiſſime ea congeſta ſunt omnia, quæ veteres legimus irrefragabiliter obſeruaſſe. Roges quæ? Audi, Fili, & inclina aurem tuam nobis, & nonnulla eorum tibi recitabimus euidenter. Oportet itaque inprimis eum, qui imperiali cupit diademate inſigniri, irreprehenſibilem eſſe, & ſine infamia atque crimine, morum diſciplina probatum, frugalis vitæ, non auri prodigum, nec ſibi, ſed Eccleſiæ, quam & re, & ſanguine tenetur defendere, theſauriſare: Deinde religionem colere, Deum reuereri, fide Catholica recte imbutum, hæreſes è medio tollere. His quoque gratiæ dotibus, naturæ dotes conuenit non deeſſe, vt ſe iuſte magnanimum, perſeueranter fortem, modeſte temperatum, vtiliter liberalem, honeſte magnificum, & amanter affabilem omnibus valeat exhibere. Addimus ijs, Imperatoriæ congruere Maieſtati, vt eam omnis intelligat Chriſtianus deliciarum eſſe ignaram: Solis æſtuſque patientem, frugali paruoque contentam cibo, balneorum neſciam, vmbræ & ſomnolentiæ negligentem, omnis denique laboris patientem. Præterea (vt ad militiæ veniamus exercitia) egregiam in prælijs nauare operam, ciuibus aſſiſtere, ſummo conatu hoſtes Eccleſiæ profligare, nullum diſcrimen, nullum periculum, nullum denique mortis genus pro iuſtitia & æquitate, pro incolumitate Reipublicæ, & pro omnium conſeruatione Chriſtianorum, metuere: Adhæc primum inire prælium, eoque confecto vltimum decedere, non ſuæ ſaluti fuga conſulere, ſed contra hoſtes fortiter ſtare in prælio Domini, delectum facere militum, opportuna caſtrorum loca prouidere, lentoque ſed terribili ordine in aciem prodire, hoſtibus tubarum ſonitu & clamoribus Stentoreis terrorem incutere, perſequi fugientes & capere, ſuorum cateruam, ſitne impar an ſuperior, conſiderare, montem vicinum, ne quid obſiſtat, inimicis præripere: loci qualitatem aut congreſſus, ne Sol, aut puluis, aut ventus obſit, accuratiſſime proſpicere: ac ita demum ſe diuinæ ordinationi & Eccleſiæ precibus committere. Cæterum memoriæ proditum habemus, nonnullos Imperatores cum admirabilem & diuinam prope Chriſtianæ Reipublicæ nauaſſent operam, immortales tum à mortalibus laudes accepiſſe, quod eos vulgus non humano, ſed diuino in lucem conſilio ſuſceptos exiſtimarent. Carolus etenim ipſe, cui Magno cognomen eſt, quas pro Chriſtiana Republ. ediderit operas, nemo omnium eſt, qui ignorat. Hunc (vt prædeceſſores noſtri memoriæ prodidere) nouimus ferendi auxilij gratia Romanæ Eccleſiæ, in Italiam innumerabilem exercitum traieciſſe, hoſtibuſque prælio fractis & profligatis, cum victore exercitu in Gallias ſeſe recepiſſe: Sex præterea luſtrorum ſpacio cum obſtinatiſſimis Saxonibus, collatis ſignis dimicantem, eum ita demum ſu-

periorem in ſua redijſſe, hoſteſque coactos Chriſtianæ veritati, relictis idololatriæ ſpurcitijs & erroribus, accedere. Omittimus illas omnium ampliſſimas quidem victorias, quibus glorioſiſſimis ille Imperator de Saracenis & Hiſpanis triumphauit. Nec aliorum fert animus geſta referre principum, quod nimium & plus æquo pro anguſtia temporis noſtra eſſet prouehenda oratio. Hoc vnum dixiſſe modo ſufficiat, præclaros omnes omnia ſua conſilia, vires & ingenia ad tuendam Chriſtianitatis Rempublicam infatigabili animo contuliſſe. Eos tu, Sereniſſime Fili, non ſolum mirari, ſed etiam imitari & potes & debes. Et quid dicemus? Niſi tu eas & quidem tam ſingulares tibi ab Optimo Maximo Deo naturaque dotes (vt accepimus) conceſſas, ad Chriſtianorum gloriam laudemque contuleris, omnes in te fruſtra collatas haud immerito poterit vnusquilibet affirmare, & fateri te vnum (proh dolor) fuiſſe Imperatorem, qui Romanum infauſtis auibus dedecorauerit Imperium. Et quanquam plurima ſunt virtutum genera, quæ à M. Cicerone Cneio Pompeio attribuuntur, nec ab ijs te ſecernendum eſſe volumus, tamen in eo potiſſimum ſtudio te cupimus expeditum inueniri, vt laborem tuum in obeundis negotijs, fortitudinem in periculis, induſtriam in rebus bellicis & familiaribus, celeritatem in conficiendo, conſilium in prouidendo, & æquitatem in iudicando admirentur & celebrent vniuerſi. Verum enimuero, quoniam hæc omnia & forſitan digniora non diffidimus in te inueniri poſſe, niſi à tuis degenerare velis progenitoribus, ſi ex more maiorum, Sereniſſime Fili, tua ſponte, & integerrimo corde paratum te offers ad præſtandum nobis fidelitatis iuramentum, ſecundum literas imperiales Aurea Bulla munitas, & in Romanæ eccleſiæ archiuis diligenter repoſitas: accede huc, & coronam Imperialem tuo capiti imponere non tardabimus.

Poſt hæc ſummus pontifex accepto iuramento accedens inungit eum in Imperatorem, & capiti coronam imponit dicens:

Et quoniam tua ſponte atque vltronea voluntate hoc te, Fili, ſacramento adſtrinxiſti, vt nunquam à Chriſti Republica deficias; quin ei, vbi caſus tulerit, præſidium præſtes, eiuſque hoſtes propellas, atque (vt vno omnia explicemus verbo) eum te facile exhibeas, qualem optimum decet eſſe Imperatorem: Idcirco diadema ſacri Imperij tuo capiti imponimus, & auctoritate Dei ac Beati Petri te in caput omnium Chriſtianorum ſacro inunctum chriſmate conſtituimus. Tu ex hoc pro tua admirabili diuinaque virtute, ſub Chriſti Optimi Maximi ſignis enixiſſime militabis, atque Chriſtianam Rempublicam, quoad eius per te fieri poteſt, tueri ſemper conaberis. In hunc maxime modum, Inuictiſſime Imperator, & Sereniſſime Fili, digniſſimis ab omni populo celebraberis laudibus, & cum ab hac mortali vita (quod Deus omen auertat) deceſſeris, piorum locum & ſedem conſequere. Hac nos procul dubio mente ſumus, & fide ſtabili credimus: immo & conſtanter de Omnipotentis conſilij clementia, eum ſacrorum collegijs inſerendum aſſerimus, qui hæreditatem Domini de manu hoſtili eripere, & Eccleſiam Chriſti defendere deſtinauit. Neque enim fieri poteſt, vt tu, qui ſancte iuſteque poſthac vitam inſtitueris, & ſanguine tuo atque gladio Chriſti iniurias vindicaueris, beatitudine non perfruaris ſempiterna. Vade in hac fide atque fortitudine, quocunque te eccleſiæ caſus vocauerit, & Dominus tecum erit in omni loco, virorum fortiſſime: Ito in pace.

Reſponſio Imp. ad Pontificem Maximum.

MIRVM, ſi non miraberis, Sanctiſſime Pater, cum ſacratiſſimo fratrum tuorum collegio, me plurimis forſitan Principibus, & robore, & diuitijs, & potentia longe inferiorem, ad hoc excellentiſſimũ Imperatoriæ dignitatis officium aſpirare. Verum, ſi rem ipſam boni conſulere dignaberis, & me in his (quæ dicturus ſum) haud grauate exaudire: intelliget plane S. T. me non temere aut ambitione inductum, vt iſtud tantæ moleſtiæ munus (vt verum fatear) obire audeam: ſed zelo quodam, neſcio cœleſtine, an fato, an numine afflatum, ad omnipotentis Dei honorem cum ſpretis omnibus Iſai filijs ſolum Dauidem humilem elegit, hoc me attentare duntaxat voluiſſe. Cum enim nuper acciperem à narrantibus, ſola progenitorum meorum iniuria Turcas à Chriſtianitate duo prope Imperia, duodecim regna, & nongentas pene vrbes abſtuliſſe: indolui fateor, & vltra, quam credi poteſt, in me ipſe contabui. Magnus enim ille Philippus, à quo genitor meus ſibi nomen ſortitus eſt, cum eſſet in conuentu Ratiſbonenſi, adeo ab Ænea Syluio (qui tum ibidem imperatorias agebat vices) de Turcarum in Chriſtianos immanitate perorante, ad expeditionem in eccleſiæ hoſtes animatus eſt, vt non ſine lachrymis ſancte iurauerit, ſe illi bello mox commode affuturum, cruciſque ſignaculum à Caliſto Papa acceperit: At neſcio quibus de cauſis, aut certe fatis repugnantibus, omiſſum eſt tam neceſſarium, tamque expediens prælium, niſi quod res vti vno impetu mota: ita etiam facile ſæpius reſidet, aut Principibus ipſis forſitan ob voluptatem rem tantam omittentibus. Sed neque nos præterit, eundem, quem diximus, Philippum ad Æneam Pium tum Pontificem, cum Nichonæ ageret, motturus inde in barbaros, Oratores ſuos miſiſſe, qui eius moram excuſarent, quod tunc vndique inteſtina (proh dolor!) bella reſurgerent, neque facile eſſe, ſua defendere, & exteris intereſſe. Germani enim partim in ſe, partim in Pannonios ad arma properabant. Excitabantur Britanni eadem tempeſtate, duplici factione: quarum altera veterem in inſula Regem: altera fugato veteri, nouum in officio retinere conabantur. Hiſpani præterea, eodem in tempore Barchinonenſibus auxilio futuri; quos Aragoniæ Rex, armis Gallorum adiutus, bello premebat; omnia deturbabant. Et quid tuus abauus meus Senior ille Philipus equi-

dem

dem debilis ac ætate preſſus ageret, in horum fere medio conſtitutus, niſi ſuorum futura timere pericula, inuaſiones & rapinas, ſi abeſſet? Verum enimuero vt voto ſuo vel ſpecie tenus ſatisfacere, & Eccleſiæ rebus omnino non deeſſe videretur, collecto grandi ſuorum exercitu, & valida nauium claſſe, miſit filium ſuum, quem vnice diligebat, Antonium (Burgundiæ nothum vocitant) vt ob indictum Turcis bellum eius ſuppleat vices ac promiſſum. Is igitur, vbi poſt plurima maris pericula tandem in Calabriam appulit, accepit à Duce Legionis literas, Philippi ſigillo conſignatas, quibus mandabatur prouincialibus loci, vt Antonium, ſi quando illuc veniſſet, morti addicerent. Contrectat Antonius literas, & patris ſui ſigillum aſpiciens, mirum in modum obſtupuit, nihil ſibi conſcius aliquando perpetraſſe, quo genitorem ſuum offenderet. At mox hoc ſola aulicorum factum eſſe perſentiens perfidia domum redire maturauit, ne quod in ſe tam enormiter factum excogitatumque doluit, etiam ipſi in patrem Philippum molirentur. Acceſſit his inſperata mors ſummi Pontificis, qui tunc iturus in bellum, quod Turcis indixerat, claſſem iam paratam in portu Anconitano, ducemque Venetorum Chriſtophorum, & Chriſti commilitones habuit; relictis collegio Cardinalium, in vſum naualis belli & triremium, ſexaginta millibus nummum aureorum. Quare ſublato totius Chriſtianitatis capite & paſtore oues diſperſæ ſunt: & quiſque in ſua rediere, omniſque expeditionis illius apparatus & copia in ſpongiam, immo in ſpumam (quod fertur) abijt, & redacta eſt in nihilum. Poſtremo, quid de proauo meo referam Imperatore Friderico III. quem vulgo ferunt, aut ex Iudæorum tributis adeo auaritiæ deditum, vt expenſas ad prælia cauerit, aut certe ſomnolentiæ, vt in neutralitate (quam dicunt) ſummam ſibi pacem conſtituerit & quietem. Etenim dum frequentes pro Chriſtiana republic. conuentus, tum in Italia, tum in Germania celebrarentur: & iam capta Conſtantinopoli haud minimam paternæ hæreditatis ſuæ partem in Romandiola à Turcis audiret occupatam: vix potuit excitari, vt obſtaret, forſitan ſuapte natura pacis, quam belli amantior. Quamobrem quidam Cardinalium, qui tunc legatus aderat, dum nihil certi in tanta rerum anxietate & anguſtia decerneretur: ſed dixta dixtam ſemper pareret: in hanc maxime ſententiam, & quidem longa ſatis epiſtola ad ſummum reſcripſit Pontificem: *Si ita* (inquit) *ſanctiſſime pater, poſtea pugnabimus, vti nunc ſtertimus, proculdubio iam vicimus & triumphamus.* Sic igitur & ſimilia mecum repetens, confeſtim animo deſtinaui (Deo mihi propitio facto) hanc meorum negligentiam reſarcire, & vitam meam, meaque omnia pro ablatorum recuperatione promptiſſimis votis exponere. Si in hoc, Beatiſſime pater, delinquo, precor, mihi ipſe ignoſcito. Non enim excidit nobis, neque ſubterfugit, quantis ſolicitudinibus & curis, nedum miſerijs & periculis, hæc veſtis, qua me decoraſti, referta ſit: ita vt ne humi quidem iacentem eam tollere vellem. Sed neſcio, quibus inflammer deſiderijs, aut etiam fatis impellentibus, vt quietus eſſe non permittar, donec hanc ipſam patrum meorum maculam atq; dedecus, aut meo ſanguine, aut certe egregio quouis pro Eccleſia Dei facinore ſubeundo, & abolere & abluere mihi concedatur. Alteram atque adeo vrgentem cauſam, quæ me licet immeritum ad hoc impulit munus ſubeundum, ipſe nunc Heraldus inter prandendum & calices tibi, ſi placet, mea voce coram recitabit.

Apocalypſis ſiue viſio Imperatoris, ſuper ſtatu Eccleſiæ & Imperij Romani.

QVandoquidem nunc, Reuerendiſſime Præſul Apoſtolice, bellaria paſſim apponuntur, obſecro, priuſquam omnia conuoluantur, vt dignetur Beatitudo tua meam audire Apocalypſim & viſionem, qua vel maxime accenſus ſum, hoc obire munus imperatorium, hancque difficilimam ſubire prouinciam. Quam equidem breuitatis gratia ante coronationem haud temere prætermiſi: ſed iam per noſtrum Heraldum, ſi non excidit, tibi Beatiſſime Pater, recitandam promiſi. Omnia enim auditu ſunt digniſſima, & miranda quædam atque iucunda, ſanctiſque documentis pietatem ſapientibus refertiſſima, quibus facile profertur, quid inprimis mihi ſit cauendum, deinde quid tibi, quid item me pro officio, & quid tuam Beatitudinem deceat. Iube igitur, vt reticentibus lituis in medium Præco noſter procedat, & veluti voce mea, quod mihi diuinitus reuelatum eſt, hic in communi omnium conuentu referat euidenter.

Mox Heraldus accedens præmiſſa ſalutatione, in hunc modum loquitur:

QVOD mihi tam nobilis mandatur ſeruitus, Beatiſſime Pater, magnopere lætor. Nihil enim præſtantius, nihil cordi meo iucundius accidere potuit, quam vt à Domino meo rege tibi deditiſſimo ad te mittar nuncius & relator. Audiant igitur omnes voce quidem mea, ſed ex verbis & perſona Domini mei, quod eos haud mediocriter inſtruat, & ad melioris vitæ frugem vehementer inflammet.

Deinde prolatis tabulis, vice & nomine Regis ait:

QVadam tempeſtate, dum venatu veniens, graui præ laſſitudine ſomno oppreſſus eſſem, ſubter vnam iuniperum, viridi in ceſpite me compono, circumſtantibus me ad vigilias miniſtris primipilaribus ac præfectis. Vbi cum iam placide vtrumuis in oculum obdormirem, videre mihi videor Aquilam Imperialem deſuper in arbore conſidentem, expanſis quidem alis, ſed pennis

ratis, vnoque priuatam capite; altero ſatis debili & pendulo, quibus olim & in Orientem & Occidentem cœli plagam ſolebat reſpicere: præterea oculis cœcutientibus & cæſiis, lingua præſecta, deplumi collo, & digitis pedum exunguibus, macieque confectam præ eſurie. Poſt hæc deſuper aquilam in ramis Picum reſidere conſpicio, eumque cum vocali garritu, & ſubitarijs ſaltibus deridere, minari, incumbere, inſidiari, prædamque præripere, & tandem ab ilice deturbatam, longius inſequi & profligare: Tum aſtare mihi è regione viſus eſt haſtam ferens ſacer Quirinus (Romani Romulum dicunt) qui hoc me ſermone amice compellabat: Viden', mi Fili, Aquilæ noſtræ ſenectam, eſuriem, & miſeriam, multiſque afflictam iniurijs? Sciſne, quid iſta ſibi meo in regno portendant? Quod ego quidem in Roma primus occœperam, & filio meo primogenito Armaelo (quem ex coniuge Biſantea filia Chaſerhæ matris Alexandri ſuſceperam) gubernandum reliqui. Auribus igitur percipe, quæ dicturus ſum, & memori mente ea reuolue frequenter. Aquila vno priuata capite, Conſtantinopolitanum ſignificat regnum (quod filio Vrbano in Biſantiæ vrbe matris ſuæ Biſanteæ, cui & Alexandrinum quidem filio meo Claudio reliqui, quaſi in vnum coalitum eſt caput, vnum conſtituebant Imperium Orientis) iam prorſus à Turcis, Romanis ablatum eſſe: Alterum præterea, quod Aquilæ remanſit caput, ſed debile ſatis; Romanum ſignat Imperium, à prima gloria nimium excidiſſe, & iam omnino prope interitum eſſe, niſi accuratiſſime prouideatur. Alas profecto habet expanſas ad defendendum contra Barbaros Imperium: ſed raras obtinet in eis pennas, quandoquidem pauci admodum ſunt principes, qui aſſiſtere ei & opem ferre conentur: Cæſios inſuper & cæcutientes tibi viſa eſt habere oculos, quoniam auaritia excæcauit Primates eius, omnes diligunt munera, & ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, cauſa viduæ non ingreditur ad illos, & oppreſſis non ſubueniunt, omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Imperij, Principes eius infideles, & ſocij furum. Quapropter omne caput languidum, & omne cor mœrens, nec eſt qui contriſtetur ſuper contritione domus Ioſeph, & pauperum terræ. Linguam quoque eius vidiſti præſectam, quod omnes adiurati eius facti ſunt] veluti canes muti, neſcientes latrare aduerſum eos, qui imperio detrahunt & aduerſantur: nullum prorſus ei exhibentes obedientiam ac honorem. Muti profecto ſunt, qui retinent verbum in tempore ſalutis, & pro iuſtitia certare vſque ad mortem metuunt. Vngues poſtremo habet in pedibus detruncatos, quoniam omnis fortitudo eius & poteſtas propter inextricabiles regum exorbitantias & diſſenſiones iam penitus ablata eſt, atq; defecit. A planta pedis vſq; ad verticem non eſt in ea ſanitas. Regionem eius alieni deuorant, & deſolata eſt, quaſi in vaſtitate hoſtili. Quid multis? Picus eam deſuper irridet & infeſtat, perſequitur & profligat. Et quidem temere nimis. Is enim primus Laurentûm & Latinorum Rex, & Circes carminibus, quod eius amorem ſperneret, in auem ſui nominis mutatus, præſens haud immerito deridet Imperium, quod à ſuo vſque adeo degenerauit, vt præter nomen & titulum, ne Imperij quidem habere ſpeciem videatur. Quotus enim quiſq; Imperatorum eſt hoc in tempore, qui cum Octauiano bella & ſimultates exerceretur? cum Tiberio literarum peramet ſcientiam? cum Veſpaſiano omnium facile iniuriarum obliuionem? & cum Tito eius filio, in ciues clementiam, liberalitatem, honorificentiam, & pecuniæ contemptum? Ad externos veniam, quorum virtute magis Romam creuiſſe conſtat, quam eorum, qui in Italia orti ſunt: quis rogo Imperatorum noſtri huius ſeculi poterit inueniri, qui tantam cum Nerua in ciues habeat tributorum indulgentiam, & qui afflictas releuet ciuitates? Quis obſecro nunc tantam cum Traiano in re militari diligentiam, in ciuilibus lenitatem, in erigendis miſerijs largitionem amplectatur? Quis deniq; cum Ælio Adriano tam moderatam legum ſeueritatem, tam incredibilem cum Antonino Pio iuſtitiam & æquitatem, qua veluti totius ſedebat arbiter orbis, modo inſequitur? Quis etiam cum Aurelio Marco certare flagitet, qui tantam cum ciuibus concordiam, tantam vitæ tranquillitatem & poſtulandi verecundiam habuit, vt ſolus omnium poſt me, digno honore, cœlo receptus eſſe credatur? Hæc ego Romulus, ſed Ethnicus, de paganis Imperatoribus atque profanis refero, dum tibi Regis Pici in Aquilam deriſum & ſcommata nitor oſtendere. At longe ſagacius & ſacratiore myſterio hanc ipſam irriſionem conſtantiſſimus tibi ediſſeret Conſtantinus, qui maximus tuæ religionis extitit propagator, quiq; (me abeunte) mox coram aſtabit, vtpote tum religione, tum morum gratia tibi ſatis adſtrictus, vt deneget nihil. Is enim dum adoleſcens à Galerio Romæ, ſpecie religionis, pro patre (qui tum apud Anglos agebat) obſes teneretur, fugam arripiens celeriter in Britanniam peruenit: Et forte illis diebus, ibidem compoſitis ad pacem rebus, Conſtantium parentem vltima fata, frequenti & anhela febre perurgebant. Quo mortuo, cunctis, qui tunc aderant, annitentibus: ſed præcipue Croco gentili tuo atque Alemannorum rege, idem Conſtantinus Imperium accepit. Minime igitur moleſtum ei fuerit, altiora quædam de Pici garritu in Aquilam tibi enarrare, qui & tuus eſt religione, & tuorum fauore coronatur.

Sic conditor Romæ Romulus abiens ait: & confeſtim adſtare mihi video Conſtantinum Helenæ ex Conſtantio filium, Imperatorem religioſiſſimum. Is hilari vultu ad me reſpiciens: Tibi (inquit) ó Fili, ſuperum gratia miſſus ſum, vt, quæ Armaelus Romulus mihi differenda reliquit, tibi modo propalam manifeſtem. At ne te ex venatione fatigatum diutius teneam, paucis, quæ reſtant, accipito. Omnes igitur Pici Martij geſtus, ſannas & inſultus, & Aquilæ collum deplume, atque alia, quæ in ea vel trunca vel debilia vidiſti, ſacri Imperij lapſum & declinationem, atque (vt verum fatear) interitum, quæ omnia principum deſidia contigerunt, intellige. Proh nefas! Ego illud, quantû ad me pertinuit (vbi ſororem Conſtantiâ Licinio Mediolani coniugem tradidi, & Martinianum officiorum magiſtrum Byzantii Cæſarem creaueram) glorioſiſſime texi & ampliaui. Primus omnium

omnium caput perpetuo diademate cinxi: rebus multis, populo commodiſſimus fui: legib. ſeueriſſimis factiones ſedare & calumnias; artes nutrire bonas; literarum præcipue; quoq; legere, meditari, & ſcribere: audire legationes; & querimonias pronunciare; domi prudenter & ſancte, foris ſtrenue & fortiter agere; ſed ſuper omnia decorem Domus Dei magnifice amplecti: operoſa Chriſto erigere templa; diuinos augere cultus: ſacerdotium venerari; miniſtris Eccleſiæ regaliter prouidere: nihilq; eis detrahere aut imminuere: quod tuorum pleriq; non ſine tuo dedecore perpetraſſe cognoſcuntur. Nam clamor pauperum & Chriſtorũ Domini ad ſuperos iam aſcendit: qui per tuos proceres, ſub barbaro quodam amortiſationis titulo atq; diplomate, ad nudam vſq; cutem euiſcerantur: & ſine miſericordia à tuis corroduntur. Hæc tibi ex me ſequenda recitaui (neq; enim adulatio, neq; laus propria mihi iam nocere poteſt, qui in portum appuli) vt vel ex his conijcias: quid te inprimis deceat: qui Imperialem ambire videris coronam. Verum iſta quæ ſint, alia oratione, cum tempus rerum agendarum affuerit, à tuis docebere Epiſcopis. Nunc reliquam viſionis tuæ partẽ exponere curabo. Picus itaq; (vt vidiſti) Aquilam deridet, infeſtat & impingit; dum plurimi ſunt hac tempeſtate, qui maiorum decreta contemptui habent, aſpernantur & impugnant. Hi ſunt, qui varijs circũferuntur deſiderijs: modo nigrũ amaræ bilis, albo hypocriſis; modo viride hilaritatis, fuſco mœſtitiæ palliantes: inſtabiles: ſuperbi, ſimplicium deriſores, cupidi, ſemetipſos amantes; ingrati quoq;, & potentũ proditores: ſine affectione, ſine fœdere, ſine pace, proterui, voluptatum amatores magis, quã Dei: habentes quidẽ ex pennis, inſtar Pici, ſimulatę ſpeciem pietatis: at minime virtutũ: blaſphemi, murmuratores: ſermonib. ſanis cõtrarij: languentes, circa verborum pugnas & aniles quæſtiones Euangelicam puritatem ſuis lenocinijs contaminantes: qui ſpiritibus errorum attendunt, & dæmoniorum doctrinis in hypocriſi: ſemetipſos ſegregantes: & ſecundum deſideria ſua ambulantes: in impietatibus tumidi, proprio ſenſu pro ſuo arbitratu inflati: animales, ſpiritum non habentes. Hæc de geſticulatis Pici in Aquilã illuſionib. Collum præterea, quod in Aquila conſpexiſti deplume, Imperatorem exprimit ſine dilectione: ſine diſcretione: & ſine fama nitente, qui non (vt collũ) omnia membra Eccleſiæ & capur cõnectit: atque alimenta in totum corpus tranſmittit: ſed illud ſua indiſcreta exactione grauans diſſociat & confundit: magis ſe impugnatorem, quam Imperatorem exhibens: non piũ ſe gerens Traianum: ſed impiũ tyrannum. Quid multis? Qui Eccleſiam ſuſcepit paternaliter tuendã: eam magis ſua pellectus quaſi meretrice auaritia turpiter lacerat: & quã munificentia liberali de ſuo locupletare debuit (pro dolor!) conceſſis ſpoliat: aut contra omne ius & conſuetudinẽ vetuſtiſſima euacuat immunitate. Poſtremo nitorem famæ ſuæ veluti dudum fulminantes in collo plumas perdidit: qui neq; ſuo conſulit nomini: neq; Deum reueretur, aut homines metuit: neq; vlla in pauperes Chriſti flectitur miſericordia: nec meminit, veteres fiſcum ſolitos vocitare lienem, quod eo ſuccreſcente, reliqui artus contabeſcunt. At vero boni Imperatoris eſt: quem te in omnib. ſequi decet, diſcrete omnia agere: magiſq; ab omnibus amari velle, quam timeri: & ſuper omnia temeritatem fugere: ſatis celeriter fieri, quicquid commode geritur: nunquam genti cuiquã niſi arduis de cauſſis, bellum indicere: pacis quam Martis amantiorem eſſe: præcipitationem animi & inconſtantiam odiſſe: erga ciues verſari clementiſſime: in amicos fidum exiſtere: ſpadones & adulatores, non ſecus atq; veſtium tineas aut ſorices, Palatio eijcere: nunquam iniuria accepta, excepta ſola Dei, ad vlciſcendum inconſulte duci: placidum ſe affatu, & conuiuijs comem, atque magnificum præbere: beneuolentia mirabili, nec non perpetua, ſe ciuibus conciuem, imo & patrem exhibere: militum luxuriam refrenare: profuſiora ſtipendia comprimere: nec ſolum in hoſtilib. prælijs, ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates propulſare: literatos colere: honorib. probos afficere: nec abſq; horum conſilio quicquam attentare: Eccleſiæ eiuſq; miniſtris, viribus totis incumbere: eos reuereri ac promouere. Et (vt vnico verbo complectar vniuerſa, quæ præclarum decent Imperatorem) ſceptrũ eburneum, quo inſignietur dextera tua, docebit te, vt nihil non rectũ imperes. Aquila vero, quæ vel huius faſtigio ſceptri, iuxta Homerum, inſidet: aut hodierno ritu Imperiale vexillum occupat: hoc tibi portendit: vt ad cœleſtia mente ſubuolitans, aquilinis oculis, quæ humi ſunt, deſpicias. Poſtremo aurea caput accingeris corona: vt inprimis quam plurimum ipſe ſapias: conſilii autem gratia, ſapientum caterua te ſemper comitetur (Aurum quippe ſapientiam myſtice ſignat) ne quid, vt homo, per errorẽ pecces: deinde curare cõtinuo, quæ recta ſunt: ne quid contra animi iudicium & rationẽ perperã corrupteq; perpetres aut efficias. Hæc ſi animo tibi ſunt, ò Fili, omnia obſeruare: erimus proculdubio tibi bonus odor in ore omniũ Electorum Imperii: & in Romanorum Regem aſſumeris. Deinde ad ſummum contendens Pontificem, omnia iura, regiones, & bona quæ olim ei largiſſime conceſſimus, te conſeruaturum pollicebere ac iuramento obfirmabis. Bene, optime, nihil æquius. At non vnum eſt, quod me haud minime lædit aut grauat: num ſcilicet præter hæc omnia aliunde inſolitis mendicare indulgentiis: quæ fidem ſimplicium magis cõtaminant, quam ædificant: dum vos ipſe per ſuos veredarios quaſi venales certo ſub ære exponit. Si ei omnia, quæ dedimus, non ſufficiunt: tu obſecro ex tuis addito alia: vt vel ſic in vulgo ſine auaritia videantur mores eius eſſe: quem tanquã numen aliquod habemus & colimus in terris. Sed ſi quid hactenus vtrinq; erratũ eſt, vterq; reſipiſcat, ſuſcipiantq; montes pacem populo, & colles iuſtitiam eius requirant, ne forte quis temere, ſed vere dicat, *Leo rugiens, & vrſus eſuriens: Princeps impius ſuper populum pauperem.* Verum enimuero hæc ſubrepens primũ, & adhuc tenera in vtroq; veſtrum cupiditatis labes, facile recidet: ſi egentis Domini Saluatoris noſtri volueritis ſemper meminiſſe. Huic.n. ad paſſionem eunti, duo per Apoſtolum Petrum gladii præſentati, duo in vobis, tanquam duobus

totius Eccleſiæ primariis capitibus, notant requirenda: in ſummo Pontifice gladius ſalutis exquiritur: quod eſt verbum Dei: quo paganos ad Chriſti fidem reuocet: quo fideles in bono conſolidet. In Imperatore gladius virtutis neceſſario requiritur: vt habeat, quo Eccleſiam tueatur; & hoſtes eius ſtrangulet. Arripiat itaque Pontifex gladium ſuum; vt audiatur procul vox eius & nomen dicente Propheta: *Leo rugiet, quis non pauebit?* Imo inquam, Leo rugiet, & formidabunt filii maris: ita vt in ore Leonis fauum mellis ſinguli inueniant: dulcedinem vtiq; mutuæ charitatis: & delicias cœleſtis pabuli: dum ſemper ſarciendæ pacis ſtudium habet cum Iuda Machabæo: & exhortationis verbum, de quo legitur: *Similis factus eſt leoni in operibus ſuis.* Leo enim animoſus eſt & liberalis: apertiſq; dormit oculis. Audacem quippe fortuna iuuat: liberalem omnes diligunt: diſcretumq; venerantur. Neq; hoc prætereundum putem; fuiſſe in fabrica templi Salomonis cælatos, non tantum Leones, ſed & Boues, & Cherubin: vt is qui ſolus toti præſidet Eccleſiæ, ſit iuſtitiæ viribus fortis, vt leo; modeſtiæ legib. commode ligatus, vt bos; & ita demum ſcientiæ luce dotatus, vt Cherubin. At vero nunc, ô Imperator, mihi monendus es: vt qui Aquilam in armis portas, aquilam ſtudeas imitari. Hæc itaq; auis infatigabili eſt volatu: clariſſimo viſu: & mirabili odoratu. Tu ergo inſtar aquilæ in alta virtutum volare contendito: & ad cœleſtia pro virib. ſubuolitans terrena quæq; deſpice. Illuc præterea frequenter oculos flecte: vbi merces tua magna nimis eſt repoſita: Pullos tuos (Eccleſiæ dico filios) ſub alas tuas ſuſcipe, congrega, & defende. Vbicunq; cadauer, aut fœdæ hæreſeos aut perfidiæ ſenſeris, confeſtim adeſſe curato: & mox iuſtitiæ gladio illud à ſano Chriſti corpore ſeparato: Hic tibi ſit labor, hæc ars; hoc ſtudium: qui ſi mea non ſpreueris monita: eum te facile præbebis Imperatorem: qui & Deo & hominibus ſit quam gratiſſimus. Vale; & memori quæ dico mente reuolue. Hæc vbi dixerat Conſtantinus, mox tenues eſt effuſus in auras: & ego experrectus confeſtim ad te ſanctiſſime Pater, properaui: vt me tibi & Eccleſiæ conſecrarem.

II.

ORATIO
IOANNIS GARSENII MINDENSIS I. V. D.

DE
PONTIFICIA ELECTI ROMANORVM IMPERATORIS *Coronatione.*

Quotieſcunq; ego præteritorum millenariorum, ſæculorumque proxime elapſorum, atq; adeo omnis ab orbe condito retroacti temporis annales & hiſtorias diligentius euoluo, & in his vt omnia, ita conuerſiones inprimis & occaſus Rerumpubl. earundemque cauſſas literis ac poſteritati mandatas, maturo iudicio perpendo, eaq; cum illis, quæ ſubinde occurrunt, diligenter confero, & ex anteceſſionibus conſequentia quodammodo diiudico; M. Dn. Rector, Ampliſſime D. Procancellarie, Viri Reuerendi, Clariſſimi, Doctiſſimi, tuq; nobiliſſimorum ac ſtudioſiſſimorum adoleſcentum flos lectiſſime: Toties variis cogitationibus ſollicita animum meum ſubit dubitatio, quidnam portendat & quaſi præſagiat, miſera illa omnibuſque obuia & miſeranda, rerum cum publicarum, tum priuatarum in Orbe Europæo, Imperio vero noſtro inprimis Romano-Germanico, facies, qua etiam illos, qui ſenſu tantum communi & iudicio naturali, inſigni ex Dei dono hominum dote, (1) nec vlla hiſtoriarum cognitione, vel conſideratione accuratiore; neq; alia ſcientiarum parte inſtructi ſunt, vehementer commoueri, & in tanta præſentium malorum conturbatione, & imminentium exſpectatione ac metu, tantum non effligi quotidie videmus.

1. *Philippus Commin.*

Cum enim illi incurrentes in omnium oculos confuſiones, ac varia bellorum ac ſimultatum diſcrimina, dum libertatis & legum interitionem, iuris iudiciorumq; peſſimā conſtitutionem; quam Dyſnomiam, & Atam, id eſt, offenſionis & noxæ contubernalem appellat Heſiodus; [2] dum nullam arcem bonis munitam, nulla perfugia improbis obſtructa, vbi inquam in iudiciis tantam calumniatum licentiam, tam ambagioſos litium anfractus, tam peruerſam iuris reddendi rationem, vident. Cum ſtatuum in Imperio diſſenſiones, ſuperiorum in inferiores & ſubditos ſæuitiam ac tyrannidem, ſubditorum vero erga ſuos magiſtratus etiam bonos contumaciam & rebellionem: & hoc amplius omnium ſcelerum ac vitiorum maturitatem impunitatemq; cernunt, in articulo exitioſæ & experientia ipſa poſteritati comprobandæ mutationis ſe verſari, facile augurantur, imo tantam imminentis mali vim eſſe exiſtimant, vt nulla hominum ſapientia queat prohiberi.

2. *Δυσνομίην ἄτην τε συνήθεα ἀλλήλοις egregie (de ſua tamen Gallia loquens) Guilhelm. Budæ. ad l. 2. de Legib. p. mihi 19. Dn. Eberh. à VVeihe in elegantiſſ. orat. de Rege Elect. & ſucceſ. per aliquot pagg.*

Viri autem prudentes, qui ingenio ac multiplici rerum præteritarum ſcientia excellunt, quique neglecta Stoicorum ac fatalium hominum inerti atque ignaua diſciplina, aliquanto altius quā vulgus penetrant & inſurgunt, non ſolum hæc omnia tanquam otioſi ſpectatores, in hac mundi

Kung-

[illegible] contemplantur & intelligunt, ſed & nonnulli ex illis euentu, vero ac ſero illo ſtultorum Magiſtro, præuiſo, amore patriæ & futurorum periculorum metu imminentem occaſionem conantes anteuertere, & morbis non omnino deſperatis, quibus medicinam adhiberi vetuit Hippocrates, volentes mederi, opportune ciues ſuos monuerunt, ne cadentis Reip. ruina penitus opprimantur, editiſque ſcriptis accuratis & de fulciendis Rerump. ruinis neceſſariis & ſalutaribus conſiliis ac cautionibus, iamdudum demonſtrarunt, fore, vt niſi inclinanti patriæ prouide & in tempore ſuccurratur, & de remediis quibus languidum & morboſum Reip. corpus curetur, ſerio cogitetur, non modo ſinguli homines, domus, familiæ, ciuitates, Regiones affligantur & funditus euertantur, ſed & Monarchia, ſi quæ ſupereſt, à Principibus Germaniæ, quantum per immaniſſimiorum hoſtium potentiam & impreſſiones licuit, hactenus poſſeſſa & defenſa [1] ſummo ac iuſtiſſimo illo Imperiorum diſpenſatore ita dirigente, intra exiguum tempus nobis eripiatur, & in alios ſine ſpe recuperandi, cuius ſumma putatur felicitas obliuio, transferatur.

1] Paul. Merula 1. Coſmogr. lib. 1. c. 6. circ. fin.

Etſi enim omnia, quæ ortus ſui Principium habuerunt, fluxam quoque habeant ac diſſolubilem naturam, ac proinde etſi poſt originis ſuæ primordia ſeculis innumerabilibus floruerint, tandem tamen aliquando ſint caſura. Et ſic etiam Imperia ſuos habeant ortus, ſua incrementa, ſtatus, conuerſiones, occaſus: [2] vt nullis inſtitutis, nullis legibus, nulla ratione à certiſſimo obitu poſſint vindicari. Etſi quoq; ea quæ diuinis conſiliis in Rerump. alterationibus & conuerſionibus geruntur, maxima parte abdita ſint humanis cogitationibus & hominum ſenſibus omnino retruſa, vt quando conuerſionis cuiuſque momenta futura ſint, quando moriendi dies finita, nulla diſciplina perceptum aut cognitum videamus. Attamen eius, quæ Dei munere, & conceſſu tributa eſt hominum generi, prudentiæ, qualis qualis beneficio, ſapientes Reip. ciues expertum habent, res humanas nec præcipiti caſu ferri, nec fortunæ temeritati vel fati neceſſitati eſſe ſubiectas, tariuſq; diuinam potentiam ſeſe exſerere ſine cauſarum interiectione.

P. Gregor. Tholoſ. lib. 22. de Repu. c. 1. 2. & ſeq. graphice D. VVhrem. de fœderib. ſ. 1. p. 1 per diſcurſum.

Et ſicuti ſtirpes & animantia, quæ certos vitæ fines habent, ſæpe vi extrinſecus illata, terminos quos natura pepegit anteuertunt, ac citius quam per naturam licuiſſet intereunt: ita homines quoque terminos vitæ & Imperiorum ſcelere breuius contrahere virtute longius proferre poſſe, in ſacris literis teſtatum, & ſæculorum præterlapſorum hiſtoriis ſatis comprobatum habemus.

V. Lipſium c. 5. monit. polit. 3. Bodin. 4. in Repub. 2. p. 616.

Etſi vero de conuerſionibus ac mutationibus Imperatorum variæ ſint prudentum ſententiæ ac diſputationes aliis ex numeris Platonicis, aliis ex congreſſu Planetarum & cœleſtium corporum affectione, nonnullis etiam ex actionibus humanis & quotidiano rerum promiſcuo vſu, eas metiendas & metuendas eſſe exiſtimantibus.

V. Platon. 8. de Rep. Ariſtot. 5. pol. 10. Bodin. in Met. hiſtor. c. 6. & 4. de Repub.

Mihi tamen pluribus hiſce diſſertare hoc quidem tempore non libet, neq; etiam per iuſti exordii leges licet. Illud ſaltem, quod præſentis orationis materiam & cauſſam mihi præbuit, aliquanto diligentius indagabo. An nimirum inter imminentis Imperii ruinæ vel mutationis cauſſas politicas, etiam cenſeri, & in poſterum caueri debeat illa, quam nonnulli à contemtu Pontificis Romani auctoritate, & maieſtate politica & Eccleſiaſtica repetunt, quaq; omnium Hiſtoricorum literis ac vocibus extra controuerſiam teſtatum contendunt nunquam magis potentia atq; opibus floruiſſe Germaniam, quam cum illi imperarent, qui ſedem Apoſtolicam inprimis venerabantur, contra vero nunquam magis & perditum & deploratum fuiſſe imperii ſtatum, quam cum illud impii & contumaces Vicarii Romani contemtores regerent, ac proinde inſtantis imo præſentis exitii indicium eſſe certiſſimum, ſpretam non modo in Eccleſiaſticis, ſed in ſecularibus quoq; cenſuram ac iuriſdictionem Papæ Romani, neq; aliter fieri poſſe illi exiſtimant, quam vt vel ipſe Deus immediate, vel per ſuum vicarium. Pontificem auguſtiſſimum illud Imperii [illegible] à nobiliſſima Germanorum gente in aliam plane peregrinam & barbaram transferat, quo ipſi ſeſe indignos iamdudũ fecerunt.

Dom. Dela Noue Diſcurſ. polit. 1. D. VVhrem. c. 1. de fœder. n. 19. ſcribit infinitas eſſe conuerſionum cauſſas quæ nec Europa, nec Aſia nec Africa limitibus contineri queant.

Quid enim hoc eſt, (vt vel iam ventis committamus in hoc diſquiſitionis pelago) ab eo, qui vniuerſalis eſt Eccleſiæ Chriſtianæ Monarcha, qui omnium Epiſcoporum Princeps, *qui Apoſtolorum hæres, qui primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus*; cui claues traditæ, cui oues commiſſæ ſunt, imo qui non modo ouium, ſed & paſtorum vnus omnium paſtor cenſetur, qui à Deo Pater & Doctor omnium fidelium, Dux Chriſtianorum, vltor ſcelerum, metus malorum, malleus Tyrannorum, Regum Pater, legum Moderator, Canonum diſpenſator, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdos altiſſimi, vicarius Chriſti, Chriſtus domini, (& quid non?) conſtitutus eſt.

Quid inquam hoc eſt, huic ipſi non modo obedientiam in ſpiritualibus, ſed & in ſecularibus fidelitatem prorſus denegare, & ab illo, à quo totum hoc imperium quale & quantum eſt, dependet, cuius beneficio ad Germanos tranſlatum, & per ſalutarem Sereniſſimorum Electorum conſtitutionem, ab ipſo factam, hucuſq; conſeruatum eſt, nihil quidquam velle recognoſcere, nec recognoſcere ſolum, ſed ne quidem vngi ab eo velle & inaugurari: Cum tamen pleniſſimi ſint Libri, plena antiquitatis memoria, Chriſtianiſſimos Romanorum Imperatores, ſummo ac ſanctiſſimo huic capiti faſces ſuos ſemper ſubmiſiſſe, eiq; acceptos tuliſſe; Et hoc omne cum inſignis pietatis & laudabilis gratitudinis ſumma commendatione.

A quo enim quæſo vnquam plura beneficia Germania patria noſtra accepit quam Pontifice Romano? Nam Dei agnitionem, quo beneficio nullum eſt maius, per ſanctos Epiſcopos; Maternum, Chilianum & Bonifacium diuerſis temporibus à ſede Romana miſſos, Germanos primum accepiſſe, quis negabit? Quis vero, niſi in hiſtoriis plane hoſpes, ignorat, Germanos qui ante id tempus in ſum-

in ſumma barbarie degebant, quiq; nec vrbes habebant, nec litteras nouerant, neque vllum ciuilem cultum ferre poſſe videbantur, ſed in paludibus ac ſyluis ferarum more vagabantur, paulatim ſuſcepta fide ad eum cultum & ſplendorem perueniſſe, vt iam nullius prouinciæ vel regni incolis cedere, ſed ex Germanici quoq; nominis ac ſplendoris infenſiſſimorum hoſtium ingenua confeſſione, [1] humanitate Aſiaticis, militari diſciplina Romanis: religione Hebræis: Philoſophia Græcis: Geometria, Ægyptiis: Arithmetica Phœnicibus: Aſtrologia Chaldæis: opificiorum varietate populis omnibus ſuperiores eſſe cenſeantur? [2]

Ipſum vero Imperium, quo vno maxime Germania gloriatur, à Romana ſede ad eam perueniſſe, negabimuſne? At quomodo poſſumus, quomodo debemus? clamant conſenſus omnium Hiſtoricorum [3] Leonem III. Pontificem Maximum creaſſe & coronaſſe Imperatorem Occidentis, Carolum Magnum, ex Francis, antiquiſſima Germanorum gente, inuictiſſimum heroem, eiuſque ſucceſſoribus etiam nomen, dignitatem ac poteſtatem Imperatoris Romanorum, ac Cæſaris Auguſti in Occidente confirmaſſe. Quis igitur in dubium hoc auſerit reuocare? cum apud Ictos quoque accepta ſit traditio, antiqua Chronica & ſcripta Hiſtoricorum plenam facere probationem in antiquis [4] imo inducere notorium. [5] Quod Carolus quoque Magnus ſatis comprobauit, cum teſtamentum, in quo Imperium filiis diuiſerat, à Romano Pontifice voluit confirmari, ne quod ab ipſo acceperat, aliis ſine ipſius conſenſu tradere velle videretur. Imo ipſi Electores in Inſtrumento quodam publico, quod Romæ conſeruatur in arce S. Angeli, hoc ipſum ingenue quoque confitentur. [6]

Idque ipſo facto ſatis faſſi ſunt Emanuel Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus, & Albertus Auſtriacus quorum ille tempore Friderici I. ab Alexandro III. occidentem cum oriente iterum coniungi, hic vero à Bonifacio 8. vt Imperium ſibi & poſteritati ſuæ veluti hæreditarium confirmaret, vehementer flagitauit. Si tamen hæc contra omnium Hiſtoricorum fidem, & contra ipſorum Principum omni exceptione maiorum teſtimonia quis velit negare, vel vocare ſaltem in dubium, is proferat neceſſe eſt titulum aliquem alium, iuſtum tamen, quo ad tantum maieſtatis culmen Carolus perueneſit, niſi cum prædone illo, de quo alicubi Vlpianus [1] reſpondere velit, Imperatorem nomen & iura Imperatoris habuiſſe, quia habuerit.

Neque enim immediate hanc dignitatem accepit Carolus ab ipſo Deo, vel iure aliquo hæreditariæ ſucceſſionis: non etiam ex electione Senatus populique Romani, vel Græcorum Imperatorum donatione & communicatione, quicquam in Imperio adeptus eſt. Qui vero iure belli nobilem Occidentis Aquilonem Carolum conſecutum eſſe ſcribunt, illi quomodo hoc probent, viderint, cum Carolus cum Romanis nunquam pugnauerit, neque Romanã vrbem vi vnquam intrauerit, ſemper enim ſocius & amicus, deinde etiam Patricius Romanorum, hoſtis & inimicus nunquam fuit. Qua ratione itaque iure belli Romanos ſubiectos habuit, qui cum Romanis bellum nunquam habuit? Regnum quidem Longobardorum à Carolo vi bellica occupatum eſſe, nemo, niſi qui in hiſtoriis nihil legerit, negabit; Attamen ſi omnes, qui Romanas prouincias occuparunt, Romani Imperatores dicendi eſſent, nimium hercle multos haberemus Imperatores. Nec vero idem eſt regno Longobardorum vel etiam Italiæ potiri, & Romanorum Imperatorem fieri, niſi forte ius Imperii Romani Italiæ finibus concludere velimus. Alioquin multis iam ſeculis Germania Imp. Romanum minime habuiſſet, cum noſtri Impp. annis prope trecentis nihil iuris in Italia habuerint.

Quinimo etiam deuictis Longobardis, ante coronationem à Leone Papa acceptam Carolus in ſuis diplomatibus, quorum nonnulla exſtant apud Ioannem Auentinum, non ſe vocat Romanorum Imperatorem, neque ab vllo Hiſtoricorum hoc nomine appellatur. Non enim Imperium ante ſibi aſſumendum cenſuit, quam illud à Pontifice Maximo ſibi offerretur, tum vero etſi initio recuſaret, vt veteres auctores ſcribunt, tandem tamen aſſenſus eſt.

Nihil itaque aliud relinquitur, quam quod Hiſtorici vnanimiter ſcribunt, vniuerſalem Eccleſiæ Præſulem, Pontificem inquam Romanum huius translationis, vel communicationis potius Imperii vnicum auctorem fuiſſe, Carolumque ſibi veluti Vaſallum quendam dato feudo obligaſſe. Ita, vt licet dignitas Imperatoria abſolute conſiderata non ſit à Pontifice, ſed à Deo, mediante iure gentium, attamen Imperatores, qui fuerunt à tempore Caroli Magni, Pontifici debeant ſuum Imperium. Quod enim hæc poteſtas ſit nunc apud Germanos, à Pontifice eſt: & licet abſolute non eſſet neceſſarium, vt Papa confirmaret Imperatorem, nec vt Imperator Pontifici iuramentum fidelitatis præſtaret, tamen à tempore tranſlati Imperii in Germanos vtrumq; requiritur.

Quod ipſum etiam poſteri Caroli Magni grata mente agnouerunt, qui tanti beneficii non immemores, improbiſſimum eſſe rati ſunt, ſi abſque approbatione & præuio conſenſu Romani Pontificis, Imperii Romani limen ingrederentur. Sicut enim Carolus Magnus à Leone III. vt iam ante dictum eſt, coronam & dignitatem Imperialem acceperat, ſic etiam ipſius poſteros & ſucceſſores in Imperio longa ſerie à Pontificibus fuiſſe vnctos, coronatos & confirmatos, Hiſtoriæ teſtantur. Quinimo Caroli, cognomento Craſſi, tempore conſentientibus Imperii Proceribus introductum eſt, vt illi demum, qui vnctionem & coronationem à Pontifice obtinuiſſent, glorioſum *Cæſaris* nomen & omnes antiquorum Auguſtorum titulos vſurparent; qui vero carerent, *Reges* tantummodo vocarentur.

Intermortua vero in Cunrado, Arnulphi Imperatoris nepote, Diui Caroli ſtirpe, ad Saxonum

gentem

[1] Henric. Meibom. vers de Bodino ad lib. 3. Sleidan. de 4. Mon. in princip. 2. Bodin. in Meth. Hiſt. c. 5. p. mihi 197 edit. Argentin.

[3] Bellar. lib. 1 de transl. Imp. c. 5. 33. auctoritatibus hoc comprobat.

4] Iac. Menoch. in conſil. pro Rep. Gen. artic. 1. nu. 125. Roland. à Vall. conſ. 2. n. 60. v. 1. Maſc. de probat. con. 297.

5] Purpurat. conſ. 401. n. 31 A Knich mul tos cumulans de Sax. non pro voc. iur. v. Electorum, c. 1. nu. 297. 298. 299.

6] Cuius Inſtrumenti particulam recenſet Bellar. lib. 1. de transl. Imp. c. 2 6. Alterum eſt mē. & lib. 1. cap. 6. in fin. integrū v. exhibet lib. 3. c. 4. 3.

1 l. qui interrogat nu. 12. de hæ. pet. Haig. p. 1 q. 3. num. 49.

Bellarm. lib. 5. de Pontif. Rom. c. 8. & ſeptimum exemplum.

Onuph. Panui. de Comit. Imp. 6. 1.

gentem ſummi Pontificis auctoritate Imperium tranſlatum eſt, in perſona Othonis Magni [1] quem Romæ in Baſilica B. Petri coronauit ac confirmauit Iohannes Papa XII. Ac propterea inter omnes Impp. Occidentis Carolus & Otho Magni cognomen ſoli inuenerunt, quod ille ad Francos, iſte ad Saxones Imperii Romani decus attulerit. [2]

1] *Bellar. lib. 2. de transl. Imp. c. 3.*
2] *Bellarm. lib. 2. c. 2. in fi.*

Cum autem propter ſucceſſionem Imperii crebræ fuiſſent turbæ, conſtituit ſuffragante Othone III. Magni Nepote, Gregorius V. Pon. Ma. [3] vt certi Germaniæ principes ius & poteſtatem deinceps haberent eligendi Cæſares: ne quis videl. dignitatem illam velut hæreditariam poſthac inuaderet, quod decretum incidit in annum poſt natalem Saluatoris circiter milleſimum. Idq; Illuſtribus teſtimoniis Hiſtoricorum eorumq; veterum & recentiorum Germanorum & Italicorum, Theologorum, Iɫtorum, Principum, Conciliorum, ſummorum denique Pontificum luculenter probare ſategit diligentiſſimus Ieſuita Robertus Bellarminus. Quod etiam ſubſecuta Conſtitutionem obſeruantia ſatis demonſtrauit. Nam & Henricus II. qui primus fuit ab Electoribus ad Imperium prouectus Imperator, à Benedicto VII. & poſt illum deinceps alii Impp. ab aliis Pontificibus conſecrati ſunt, & morem hunc à Leone primitus inſtitutum, à Gregorio V. nouo beneficio confirmatum, & à maioribus quaſi per manus traditum, relligioſe obſeruarunt, Adeo vt tum etiam

—— Vulgo dici ſolitum, contingere nulli
Sceptra Latina viro, niſi cui Romanus amica
Traderet illa manu Petri de nomine Praſul.

3] *Iohan. Auent. lib. 5. Annal. Bo. 1. & Onoph. Pann. in lib. de Comit. Imp. adſcribunt hanc inſtitutionem Electorum Greg. X. quos refutat Bell. lib. 3. de transl. Imp. c. 2. & 2.*
4] *Lib. 3. de translat. Imp. cap. 3.*

Quare cum Imperio Henricorum Lotharius Saxo Imperator omni laude digniſſimus, huius ceremoniæ perficiundæ cauſa veniſſet Romam, tanta deuotione & ſubmiſſione animi coronam ſibi impoſitam accepit, vt ad pedes etiam Pontificis humiliter ſeſe abiiceret, in eiuſq; rei memoriam picturam cum huiuſmodi inſcriptione:

Rex venit ante fores, iurat prius vrbis honores,
Poſt homo fit Papæ: ſumit quo dante coronam.

in Palatio Lateranenſi poni pateretur, quam quidem picturam tolli aliquando petiit à Pontifice Fridericus I. ſed nequiuit tamen impetrare.

Gunth. Lig. lib. 6.
Radeuic. lib. 3. c. 10.

Nolim autem quempiam veſtrum mirari, quod Imperator in verſiculis citatis *Homo* dicitur *Papæ*, hoc eſt, ipſius vaſallus & ſubditus. Id enim ſi vnquam, Friderici certe Imp. æuo manifeſto fuit comprobatum, qui vt filii captiui libertatem redimeret, pedibus Alexandri IV. quem grauiſſime offenderat, aduolutus & humi proiectus veniam commiſſi humiliter [1] impetrauit. Et Henrico Lucemburgio poſt Albertum I. Cæſari deſignato, cum is contra [2] Robertum Siciliæ Regem moueret hoſtilia, pro ſua in ipſum poteſtate, Clemens V. Papa ſub iuramento fidelitatis quo Eccleſiæ tenerentur, pacem impetrauit. [3] Et quid mirum, ſi Cæſari imperauit is, quem Angelis quoq. imperaſſe Hiſtoriæ teſtantur?

1] *Naucl. gen. 44.*
2] *Clem. vnic. de iureiur.*
3] *Bodin. 1. de Rep. 9. p. 205.*

Quæ mandata qui contemſerunt, fidem Papæ! in quanta pericula non corporis ſolum, ſed animæ quoque ſeſe præcipitarunt, execrabiles enim non modo ſubditis, ſed etiam exteris Principibus ac populis facti, ab iiſque deſerti omnium deceptioni patebant, nec veniæ adipiſcendæ ſpes erat, priuſquam contumaciam ſuam humillimis obſequiis purgaſſent, & Romanæ ſedi debitam fidelitatem obtuliſſent, ac ipſo facto præſtitiſſent. Quo tandem effectum eſt, vt poſt occaſum Ludouici Bauari, qui octauus exſtitit, cui ſacris à Pontificibus interdictum eſt, nil deinceps Imperatores Germani aduerſus Pontifices audendum ſibi putarint.

Nam Carolus IV. Imp. publicis tabulis, ex Vaticano à [1] Bodino expreſſis, teſtatum reliquit, ac Innocentio V. Pontifici Romano ſcripſit, *ſe quidem Imperatorem à Principibus deſignatum, ſed à Pontifice Romano ſuam creationem ſtabiliri & confirmari oportere.* Vnde cum ipſe ad conſequendam coronam Imperialem profectus eſſet in Italiam, Romam ingreſſus eſt pedes, & ob id à quodam Senatore in Oratione ad populum in Capitolio habita etiam his verbis exceptus fuit: [2] *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.*

1] *Lib. 1. de Rep. c. 9. pag. 215. & ſeq.*
2] *Naucler. generat. 46.*

Exſtat quoq; in Vaticano Imperatoris coronandi formula, à Carolo IV. probata, in qua conſtitutum eſt, *Imperatorem Pontifice Romano ſacra faciente Subdiaconi munere fungi; deinde ſacris rite peractis, adeſſe oportere vt equum aſcendenti Pontifici ſeruile miniſterium exhibeat, & equeſtria lora manu teneat: poſtea Pontificem equitantem aliquo temporis interuallo habena manu prehenſa deducere.* In quibus tamen tabulis illud omiſſum eſt, quod omitti non debuit, Imperatorem ſcilicet conſequi Pontificem Romanum oportere, quocunq; proficiſcatur, vt ab eo coronam Imperialem accipiat, quod quidem à Carolo Quinto Cæſare factum eſt. qui cum Romam primum venire iuſſus eſſet, conſilio derepente mutato, Pontificem, cui Bononiam adire placuiſſet, vna cum vniuerſo comitatu ſequi coactus fuit, vt ſcilicet inferioris Principis obſequium ad ſuperioris maieſtatem ac nutû aperte intelligeretur. Nec efficere potuit mortuo Carolo fratre Imper. Ferdinandus, vt Pius Quintus ſui abſentis creationem ratâ haberet: quin etiam per Legatos ſuos Pontifex acerbe ipſum increpuit, eiq; minas ſæpe intentauit, effecturum ſe, ne res Imperii Germanici tractaret, quod Imperialẽ coronam à ſe non haberet, ac iam illum interdictionis ſacrorũ metu ad id coegiſſet, niſi Francorum & Hiſpanorum Reges, Carol. & Philip. ſuis precibus ac rogationibus Pontificem placauiſſent. Nimis forem prolixus, Auditores præſtantiſſimi, ſi alios Imperatorũ actus, maieſtatem ac ſuperioritatẽ Pontificis aper-

apertiſſime demonſtrantes, huc adducerem. Si iſta verba, *Poſt pedum oſcula beatorum*, quæ in omnibus Impp. ad Pontificem Romanum litteris, iam inde à Ludouico Bauaro ad hæc fere tempora, ſtatim in fronte ſcripta accepimus, cum ſubſcriptione huiuſmodi: *Ego manus & pedes veſtræ ſanctitatis deoſculor*: pluribus explicarem. Semper ita Carolus V. Carolus, inquam, ille Quintus,

Quo maior validiſq́, potentior armis
Nullus ab Augusti tempore ſceptra tulit.

cum ad Pontificem literas daret, ſubſcribere ſolebat. Et hoc omne ſine ſimulatione, quippe qui in clariſſima populi luce, ac maximo Principum illuſtrium conſeſſu, reipſa Pontificis Romani pedes humili habitu & ad ſeruilem fere modum exoſculatus eſt Bononiæ, Romæ, ac poſtremo Maſſiliæ, vbi Reges Francorum & Nauarræ, Duces item Allobrogum, Florentinorum, Ferrarienſium, Bullionum, Wirtenbergenſium, cum infinita aliorum Principum ac nobilium multitudine, huius rei fuerunt ſpectatores.

Bodin. 1. de Rep. 9. pag. 117.

Nihil hic iam dicam de reliquis Pontificis in Imperio iuribus: quod nimirum ipſe Imperatores male imperium adminiſtrantes, Imperio poſſit priuare; [1] quo ipſe, ſi Orbi Chriſtiano non amplius expedire iudicauerit, Ordinem Electorum à ſe inſtitutum ex ſententia Angelici Doctoris turbare [2] poſſit & plane abrogare; quod ab Imperatore ad ipſum appelletur; quod ipſe [3] vacante Imperio ſuccedat Imperatori in auctoritate iudicari [4] quod deniq. ipſi & non alii reſignandum ſit ab Imperatore Imperium: [5] qui illud ſi ipſi ita viſum fuerit à Germanis transferre poſſit in gentem aliam etiam plane peregrinam. [6]

1] Vide P. Greg. lib. 26. de Rep. c. 5. 2] Thom. Aquin. lib. 3. de regim. Princip. 3] Guid. Papa tract. de Appellat. concl. 6. 4] Bella. lib. 5. de Pontif. Rom c. 5. §. Reſpondeo. 5] M. Laud. tr. de Princ. q. 441. Caſtal. de imp. q. 130. Petr. de Andlo de impe. Rom. 6] Ita diſerte Bellarmin. lib. 3. de translat. Imp. c. 4. lib. 1. c. 14. §. nam etſi.

Nam ex ſuperioribus maieſtas Pontificis ſatis eſt deducta & probata.

Quid igitur faciemus? negabimuſne amplius, neceſſariam eſſe Electis Imperatoribus Pontificum Romanorum vnctionem & coronationem, quorum liberalitate ipſum Imperium primitus acceperunt, atq; hactenus poſſederunt, à quorum prudentia & conſiliis, omnia quæ in imperio laudabiliter conſtituta ſunt, vnice proceſſerunt, quoſque potentiſſimi & piiſſimi Monarchæ ſemper humiliter venerati ſunt, & tantum non adorarunt, & à quibus ſua ſceptra non inuiti recognouerunt?

Certe ex ſuperius in gratiam Domini Papæ adductis, abſq; crimine ſummæ ingratitudinis, non poſſe omitti coronationem, omnino dicendum eſſe videtur.

Verum enimuero ſi non ſolum ex ſcripto verbo Dei, quo firmius fundamentum hac in re nec dari poteſt, nec quæri debet, ſed ex ſincerioris quoq; antiquitatis hiſtoriis hæc omnia aliquanto altius repetantur pleniuſq; examinentur, nihil quod magis putidum & inſulſum ſit, cogitari, nihil abſurdius dici vel ſcribi poteſt.

Mirum vt ſit, Robertum Bellarminum doctum Ieſuitam & regni Pontificii modernum Athlantem in eo confirmando tam fuiſſe diligentem, tamque in eo operam & tempus quod longe potuiſſet collocari melius, inaniter conſumſiſſe.

Etſi vero non hodie primum nata ſit iſta controuerſia, an Imperator ex dono beneficioue Papæ ad Germanos peruenerit, & an neceſſe ſit Imperatorem à Pontifice Rom. coronari ac confirmari, ſed iam olim ante annos pluſquam quadringentos, inter Fridericum I. & Adrianum Papam IV. acerrime agitata, & ante annos trecentos inter Ludouicum Bauarum & Iohannem XXII. iterum ſuſcitata, & in pleno ſtatuum Imperii conſilio definita ſit. In eaq; definitione, tanquam publica Imperii lege, nos quidem facile acquieſcere, & adulatorum Pontificiorum ſomnia contemnere poſſemus; attamen cum Bellarminus tam ſtrenue Pontificis ſui partes, cum magna Imperatoriæ maieſtatis imminutione, ac Celſiſſimorum Electorum depreſſione, egerit; non abs re fore exiſtimo, cum boni ciuis ſit Principis ac Reip. ſuæ maieſtatem modis omnibus tueri, [1] & ego pro aſſerenda nobiliſſimæ patriæ, non oleo Pontificio, ſed virtute bellica fortiter parta gloria ac dignitate pugnem, & refutatis aduerſariorum mendaciis ac futilibus næniis, quid de illa controuerſia ſtatuendum eſſe putem, paucis aperiam.

Bodin lib. 1. de Rep. c. 9. p. 205

Vbi ſtatim mirari mihi contingit, admiratione certe non exigua dignam humanarum rerum viciſſitudinem, & in hac iuris Imperialis in Pontificibus Romanis approbandis in contrarium vice verſa mutationem.

Quis enim ex vobis, viri præſtantiſſimi, mecum non miretur, eos qui olim *ſerui ſeruorum*, & obſequentiſſimi Impp. ſubditi fuere, quique non niſi ipſis ſuffragantibus ad eam, qua maxime ſuperbiunt, & ſuperſtitioſæ hominum ſimplicitati callide imponunt, Hierarchiam Eccleſiaſticam promouebantur, eo potentiæ, imo impudentiæ ac ingratitudinis euectos eſſe, vt Auguſtiſſimi Impp. miſerabili rerum viciſſitudine, non ſolum ipſos confirmatores & approbatores, ſed & oppreſſores hoſteſq; dignitatis ſuæ agnoſcere & ferre debeant.

Etſi enim initio naſcentis & augeſcentis Eccleſiæ noui fœderis, Electio Pontificis aliorumque Epiſcoporum erat penes populum & Clerum, attamen Impp. Ethnicis nomen ſuum Chriſto dantibus & Eccleſiæ curam ſuſcipientibus, neceſſaria ſemper habita fuit in electione Pontificis auctoritas Imperatorum, qui Conſtantinopoli reſidentes, etiam per Hexarchos ſiue Vicarios ſuos hoc ius interdum exercuerunt, adeo vt nullius ſit rata habita electio, niſi quem Imperator approbaſſet. Quo de iure cum Conſtantinus IV. cognomento Barbatus, Benedicto ſecundo Papæ, ſanctitate hominis permotus, plurimum remiſiſſet, decretum factum eſt perpetuum à Pontifice Hadriano & à centum quinquaginta tribus Epiſcopis tempore Caroli Magni: *Nullum poſthac fore neque Romanum*

1. Auent. lib. 4. ea. Adrianus 63 diſt.

manum

manum neque aliorum templorum Antiſtitem, niſi quem Carolus ſucceſſoresque eius tali honore dignum iudicaſſent,& approbaſſent: refragantes huiuſmodi decreto diris deuoti, & niſi reſipuerint, adiectâ proſcriptio. Quo decreto facto nullus deinceps Pontificatum inire voluit, niſi impetrata Imperatoris approbatione. Quod decretum iterum repetitum, & noua ſanctione firmatum eſt tempore Othonis Magni, quæ exſtat apud Grat. *in c. in ſynodo, diſtinct. 63.*

Paul. Diac. de geſt. Longob. lib. 3. c. 39. & c. 74. Sabell. Ennea 8. lib. 5. Eleganter Carol. Mol. contra Abuſ. Papar. n. 41. & ſeqq. p. 245.

Non autem ſolum confirmabantur & inſtituebantur ab Imperatoribus Pontifices, ſed iudices quoque illos agnoſcebant ordinarios in litibus, quas vel ipſi inter ſe ob Pontificatum, de quo tanta rabie ſæpe decertabant, vt magis Nerones, Caligulæ, Domitiani, ac Heliogabali, quam Petri ſucceſſores viderentur, mouerant, vel quæ à proprijs ſubditis, quos tyrannice tractabant, ipſis mouebantur. Atq; ita interdum aliquos primatu mulctabant, ſicuti [1] Salomon olim ab officio remouit Sacerdotem Abiathar, alijs in eorum locum ſurrogatis, vel pro qualitate exceſſuum aliter ipſos coercebant, Romanis eorum ordinationibus humiliter ac decenter acquieſcentibus.

1] 3. Reg. 2.

[2] Eoque iure & in ordinanda Eccleſię poteſtate Imperatores quiete vſi ſunt inde vſq; à Carolo Magno ad tempora Henrici Nigri, quo imperante cum tria portenta, contentione ambitioſa de Pontificatu, turbaſſent vrbem Romam, Imperator, depulſis & duriter caſtigatis omnibus his, alium ſuo iudicio conſtituit, renouata vetere lege de Pontificum Electione. Verum eo defuncto, & Henrico IV. puero ſeptenni, Imperium adeunte, tum primum detectus fuit perfidioſus ille, multiſque iam annis, imo ſeculis, artificioſe occultatus pruritus rebellandi. Cum verſutiſſimus Monachus Hildebrandus, ſeu potius Hellebrandus, qui ſe Gregorium ſeptimum nominauit, a Gregorio VI. ob maleficia primum deportatus, poſt vero intempeſtiua Imperatoris clementia reuocatus, & Cardinalis factus, ſedem Pontificiam violenter occupauit, [3] ac ne ab Imperatore reliqui Epiſcopi ſui confirmationem peterent, ſub pœna excommunicationis ſeuere interdixit: Vtramq; perſonam ſibi impoſitam à Chriſto, atq; ipſos Cæſares & Reges ad nutum ſuum precario regnare ſacrilege iactitauit; cumque ob inauditam hanc impietatem in Concilio Wormacienſi damnaretur, & ad priuatam vitam redire iuſſus eſſet, ipſum Imper. nouo & peſſimo exemplo proſcribere, excommunicare, Cæſarea dignitate indignum proclamare, idque per orbem terrarum omnibus Chriſtianis atrociſſimis bullis denunciare, quinimo & capiti illo toto orbe ſecundo,

2] Der Ego Ludouicus, in quo finxit Gratianus, Monach. Ludouicum Pium mori ſuo approbandi Pontifices renunciaſſe. Vide Carol. Molin. contra abuſ. Papar. n. 119. & ſeqq. p. 302. 303.

3] c. ſi quis deinceps. & c. quoniam inneſtaturas, 16. diſtinct.

Detrahere hærentem multa cum laude coronam,

eamque pro ſolita Pontificum in profundendis alienis magnificentia Rudolpho Duci Sueuiæ cum verſic. notiſſimo,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho,

ſolemniter transmiſſam donare, non erubuit, tantaſque inſuper bellorum ac homicidiorum flammas, ſolicitatis ad rebellionem præcipuis Germaniæ Principibus impurus ille excitauit, vt fortiſſimus Imperator, qui bis & ſexagies acie cum hoſte fortiter dimicarat, poſt innumerabiles victorias in anguſtias poſitus, & in periculum abrogationis Imperij veniens, Cucullato huic monſtro ſupplex fieri, & leges ab eo ſibi præſcriptas, cum ſumma ac indelebili Imperij macula, recipere cogeretur.

Hæccine, ô Petre, digna tuo ſucceſſore? vel tuo in terris Vicario ſalutifer Chriſte? vel toleranda in ſeruo ſeruorum tuorum? Sed à Monacho quid exſpectemus aliud? Nam iſtius deplorati profligatique generis hominum, plus quam caninam impudentiam, & audaciam plus quam Diabolicam multis ſeculis Orbis Chriſtianus ita deteſtatur, vt & Pontifices ipſos florente adhuc Romanæ Hierarchiæ ſtatu de ea coercenda conſilia quærere oportuerit, & Papa Pius, qui ante Pontificatum fuit Æneas Syluius, rabiem Diabolicam monaſtica mitiorem eſſe non dubitarit pronunciare hoc diſticho,

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.

Fuit iſte Monachus Hildebrandus, ſiue Gregorius VII. intercutaneus nebulo, ſeditioſus, Simoniacus, adulter, ac peſſimus non ſolum omnium Pontificum, ſed fere omnium hominum, vti ſcriptum reliquit Benno Cardinalis, qui illo ipſo tempore vixit, & vitam iſtius beluæ fideliter deſcripſit, & Theod. Bibliander *in Chron.* dicit, illum eſſe *ipſum Gog, Principem Magog. & illa omnia, quæ de ipſo narrantur, haberi in libris Monachorum Papæq; adulatorum*, ſcribit Tilem. Heshuſius. [4]

Et tamen Platina illum vocat *virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, religionis; modeſtum, ſobrium, continentem.* Nec puduit ſcribere Bellarminum, ipſum [5] *inter optimos, ſapientiſſimos, conſtantiſſimos, ſanctiſſimoſque Pontifices ſemper eſſe numeratum.*

4] li. de Eccl. c. 9. vide quæ eleganter de hoc Papa commemorauit Carol. Molin. de abuſ. Papar. n. 63. ſeqq. ad 69. p. 261. & ſequentibus.

5] in libro illo, quem pro Pontifice ſcripſit contra Nobilem quendam Italum Anonymum, c. 24. idque multis probare conatur, lib. 4. de Pontif. Rom. c. 13.

Etſi vero Henricus Imperator poſt tantam iniuriam generoſe animum reuocaret, & Pſeudo-Auguſtulum illum Pontificium, Rudolphum Sueuum, tertio conflictu ſuperatum ad internecionem dediſſet, & capta Roma Pontificem in mole Adriani obſediſſet, qui fugæ ornatu diſſimulato Salernum aufugit ad Nordmannos, & ibidem ex terreno ſuo latibulo ad infernale Clauſtrum demigrauit, vt iam orbi Romano Pax, & Imperio maieſtas reſtituta videretur: Attamen qui ſucceſſerunt Gregorio, Vrbanus, ſeu potius Turbanus, & Paſchalis, vterq; nominis ſui ſecundus, telam ſcelerum & malorum à prædeceſſore ſuo feliciter inchoatam præclare pertexuerũt. Omnibus enim perfidiæ ac ſæuitiæ modis Imperatorem oppugnarunt, proprioſq; filios, ille Conradum, hic Henricum, parricidaliter in eum concitarunt, & tot certaminibus ac cædibus ipſum exagitarunt, vt tandẽ captus manus dare, Imperioque ſe abdicare cogeretur, Moguntino præſule iuſſu Pontificis nimis in-

ſolenter & crudeliter omnia ornamenta Regia in conſpectu filij ſui detrahente. Quinimo cum mortuus eſſet Leodij, caruit honore ſepulturæ totos annos quinq; , Pontificibus non contentis crudeli exagitatione viuentis, ſed hyenarum inſtar rabie immani in cadauer etiam deſæuientibus.

Veſtram fidem, Patres Academici! Eſtne aliquid vltra, quo progredi poſſit inſana audacia, & Romano Imperio fatalis furor, & ambitio Pontificum?

Quid facient Reges, audent cum talia Papæ?

Et ex his quidem ſanguinolentis initijs, hiſce occaſionibus, colla ſua iugo Imperatorum paulatim ſubtraxerunt, veteribus legibus & moribus abolitis, & Imperatorum poteſtate prorſus antiquata & abrogata, quinimo viribus etiam Imperij inteſtinis Principum Germaniæ diſſenſionibus & turbis ciuilibus ita acciſis, vt ſubſequentes Imperatores iura ſua negligere, & quaſi pro derelicto habere coacti ſint. Etſi enim duo Friderici, fortiſſimi Impp. hoc Imperatorum Regale veluti poſtliminio reducere, & ſuam Imperio maieſtatem reſtituere laudabiliter anniſi ſint, attamen ita & Principum & vulgi animi falſa religionis opinione à Pontificibus erant faſcinati, vt Pontificiæ ſedi aduerſari piaculum ducerent, potioremq; eius quam patriæ ac maieſtatis Imperij rationem haberent: Ita enim incitarant Epiſcopos & Principes in Imperatores ſua iura tuentes, vt Germania odijs inflammata mutuis, ſuiſque inter ſe viribus crudeliter colliſa, non tantum ex mutuis cædibus ſuo inundaret ſanguine, ſed exhauſta etiam viris, eneruataque belli ac dignitatis præſidijs pene interiret. Quo tandem ita deterriti ſunt Imperatores, vt nihil contra Pontifices amplius tentandum putarint, ſed illos in quieta poſſeſſione vel quaſi reliquerunt.

Sed vtinam in hac præda acquieuiſſent Pontifices, nec vlterius fuiſſent progreſſi, & Imperatorum pietate, benignitate & clementia, ad maximam maieſtatis Monarchiæ deformationem, tam nefarie non fuiſſent abuſi. Verum vt dici ſolet,

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo,

ita illis quoque paruin eſſe viſum fuit, Auguſtiſſimos Imperatores deſpoliaſſe, & iure ſuo priuaſſe, niſi inſuper ius ac poteſtatem in ſancta ipſorum capita ſibi ſumerent, & à quibus ipſi antea ordinati, confirmati, & ſummis beneficijs affecti eſſent, eos conuerſo rerum ordine viciſſim corona Imperiali, tanquam ſuo munere, donare, confirmare, inueſtire, & pro lubitu diſueſtire, enixe laborarent. Et cum principio Gregorius Pontifex Romanus, cognomento Magnus, is qui primus ſe *ſeruum ſeruorum Dei* appellauit, ab Imp. Phoca Principatum in omnes Epiſcopos adeptus eſſet, poſteri deinceps honores illos Pontificios ad Imperia traduxerunt, & ſacra prophanis miſcentes, potentiam religionis ſpecie incredibiliter auxerunt.

Vbi iterum fraudi fuit optimis Impp. ſua pietas. Nam cum à Leone III. Papa, Carolus Magnus piiſſimus & potentiſſimus Imperator more Imperatorum Orientalium vnctus, & aureo diademate inſignitus eſſet: Illamque ceremoniam ipſius ſucceſſores minime auerſarentur, ſed animis libentibus reciperẽt, ac quaſi per manus ſibi traditam relligioſe obſeruarent, non quod aliquid amplius, quo ad Imperij quidem dignitatem, ea ſibi conferre arbitrarentur, quam electione vel ſucceſſione iam eſſent conſecuti, ſed vt precibus Eccleſiæ Deo commendarentur, & quia benedictione hac dona illa ſibi interius conferri & augeri, quæ externa atque viſibilis vnctio præfiguraret, crederent; Pontifices Imperatorum beneficentia ſubinde ditati, & paulatim facti inſolentiores, contra inſtitutum moremque maiorum, ſub ritu ſeu vnctionis ſeu benedictionis, confirmationis aliquam præſumptionem vſurpare, & hac ceremonia tanquam beneficio aliquo ſolemni Imperatores quaſi vaſallos ſibi obligare, & Principem Principum ac orbis terrarum Dominum, ſeruo ſeruorum fidelitatis iuramento teneri, eamque non amplius pro arbitraria, ſed neceſſaria haberi voluerunt. Vnde populo Principibuſque perſuaſerunt, non licere cuiquam imperare, niſi ſuo beneficio imperialem coronam accepiſſet, nec nomine Imperatoris dignum eſſe, quem ipſi ſua voce non deſignaſſent, ſe in Imperatorem iuriſdictionem habere ipſo iure, ſibi vtrumque gladium à Chriſto traditum, ſe vacantis Imperij adminiſtratores & collatores eſſe indubios. Vnde ſuæ maieſtatis decus[1] Soli compararunt, ſeque Imperatoribus tanto maiores eſſe ſuperbiſſime iactitarunt, quanto Luna Solis magnitudine ſuperatur. Eſt autem Sole minor ſex mille partibus ſexcentis & quadraginta quinque, ſi Ptolomæo fidem habemus.

Non commemorabo hic [2] ſuperbam Legatorum Hadriani IV. ad Fridericum I. Orationem, non recenſebo [3] exſecrandam Alexandri III. pedes optimi Imperatoris collo imponentis faſtum & tyrannidem: ſupprimam iniurias, quibus Innocentius III. in ſua [4] decretali onerauit Imperatorem Philippum, & [5] quam Thraſonice iactitarit, ſe aut Philippo diadema Regium, aut ipſum ſibi inſigne Apoſtolicum ablaturum, ne quidem attingam. Illud tamen, quod multorum ſcriptis celebratum eſt, non poſſum præterire, [6] quod Bonifacius octauus Alberto Auſtriaco Rudolphi Habſpurgenſis filio, electionis ſuæ confirmationem ab eo petente, enſe accinctus, coronaque Imperatoria ornatus in publicum prodiens, tyrannica voce exclamauit: *Ego ſum Cæſar & Pontifex.*

Ecce paterna fides & magni Præſulis alma
Integritas, humiliſque Petri veſtigia ſectans,
Iam non ferre crucem Domini, ſed tradere regna
Gaudet, & Auguſtus mauult quam præſul haberi.

1) c. ſolita, de maior. & obed.
2] Auent. integram recenſet, lib. 6.
3] Peuc. libr. 4 Chron. p. 906
4] c. venerabilem, de elect.
5] Naucl. gen. 40. vide Carol. Molin. contra abuſ. Papar. nu. 85. & ſeqq.
6] Naucler. gen. 44.

Quæ res cum Imperatorib. qui animi erant generoſioris, & maieſtatis Imperij amantiores, vehemen-

hementer diſplicuiſſet, & Pontifices aliquoties monuiſſent, ne eiuſmodi quid præſumerent, ſed Cæſari quæ Cæſaris eſſent, relinquerent, tantum abfuit, vt eo ipſo mitiores vel remiſſiores fierent, vt & furioſius exardescerent, & criſtas magis magiſque erigerent, quinimo de Chriſtiani orbis ſummo Imperio cum Impp. dimicarent, & quaſi Duces partium omnes Chriſtianos Principes ac ciuitates ad arma vocarent. Vnde tam fœda ſæpius certamina nata, tamque cruentæ cædes exortæ ſunt, vt ſanguine potius humano, quam oleo Apoſtolico, Germani Cæſares vncti viderentur.

Neque defuerunt adulatores eruditi, qui iſtam manifeſtariam inſaniam, Zelum, pietatem, fortitudinem appellarunt, excogitata via, qua fieri poſſet, vt qui lethale ferrum ſtringat, adigatque in fratris tui viſcera, manente nihilominus charitate illa ſumma, quam ex Chriſti præcepto debet Chriſtianus proximo.

Gladius, à quo ignem hunc, quem ipſi excitarant, fodicabant Pontifices, & fax, qua ad incendium Imperij vtebantur, quaque ſtudia nationis Germanicæ ab Imperatoribus alienabant, erat interdictio ſacrorum, qua Reges & Principes ad excommunicatos Imperatores, quibus cum nulla iuris aut officij ſocietas eſſe deberet, bello perſequendos, vrbes ad ſeditioſas ſectiones impellebantur, prætextu auctoritatis diuinæ, vt quos à fide & obedientia erga Imperatores dimouere honeſti ratio, & emolumenti alicuius ſpes non poterat, hos terror falſæ religionis ſpecie iniectus ab iiſdem auellerer. Sic proh dolor

Papa caput mundi quicquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

Porro his artibus & perfidioſiſſimis machinationibus, iure approbandi exauctorandique per bannum Cæſares, tanquam ſplendidiſſimis Imperij exuuijs aucti, cupiditate inexplebili opprimendæ & plane conuellendæ dignitatis Cæſareæ, ac fimbriæ Pontificalis extendendæ æſtuantes, ad alia mox animum conuerterunt. Abalienatos ſiquidem per excommunicationis fulmen ab Impp. Reges ſibi adiunxerunt, & tributa ab illis ſubiectionis teſtificandæ cauſa Imperio pendi ſolita ad ſe tranſtulerunt, Conſultationibus publicis, quæ de Imperij ſumma & electione inſtituebantur, ſeſe ingeſſerunt, Archipræſulem Moguntinum, Electorem Decanum, ad ſeſe iuramento obſtringendum, ne vnquam niſi aſſentiente Romano Pontifice Electores conuocaret, cogere, & exortas circa Electionem controuerſias ad ſe tanquam ſupremos Orbis Chriſtiani iudices deferri voluerunt; Imo electum quoque à Sereniſſimis Septemuiris optimum ac præſtantiſſimum quemque non ſolum approbatione ſeu confirmatione ſua minime dignati ſunt, ſed & conuicijs & opprobrijs nefandis ſuperbiſſime notatum non ſemel reprobarunt.

Ne tamen hæc omnia de facto ita moliri, & ſine iure agere cuiquam viderentur, iuris Canonici ac Scholaſticæ Theologiæ præſidijs, & ſacroſanctæ etiam ſcripturæ in prauum ſenſum detortis teſtimonijs, dictis & exemplis, nec non Pſeudo-Conciliorum decretis, & lineis quibuſdam inſititijs ex Hiſtoricorum monumentis propoſito ſuo accommodatis, tanquam armis ſeſe muniuerunt, ijſque cauſam ſuam apud imperitum vulgus egregie egerunt & confirmarunt. Et tantum effecerunt, vt communibus votis Pontifex proclamaretur *Dominus Regnorum Mundi*, & pronunciaretur, *neceſſario eſſe ad ſalutem credere, quod oporteat omnes homines Pontifici Romano ſubijci.* Si quis vero id negaret, is declararetur hæreticus, quod accidit Petro de Vineis, Friderico imperante, & propemodum eodem modo Marſilio Ficino, Guilhelmo Occam & alijs imperante Ludouico Bauaro.

Et ex hac quidem hypotheſi detexerunt Pontificia omnia, ſcilicet Pontificem iure diuino armatum eſſe vtroque gladio, & caput eſſe ac dominum Eccleſiæ ac regnorum mundi.

Quam autem falſa ea ſit, quamque impudenter & nefarie conficta contra præceptum eius, cuius ſe blaſpheme prædicant Vicarios, oſtendit vox filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Apoſtolis, quorum ſeſe ſectatores falſo Pontifices iactant, veſtigijs eorum nulla in re inſiſtentes, Apoſtolis inquam dixit, *Reges gentium dominentur, Vos autem non ſic.* Quibus verbis non ſolo poteſtatis temporalis exercitio, vti ſubtiliter quidem comminiſcuntur, ſed poteſtate temporali in totum & ſimpliciter iubentur abſtinere. Et qui ad commendationem ſaltem humilitatis ea pertinere, & ſuperbia, non poteſtate legitima Apoſtolis interdictum eſſe, [1] vel, non talem dominatum, qualis eſſe poteſt Regum & Principum piorum, ſed qualis eſt Regum ignorantium Deum ac tyrannorum, Epiſcopis prohiberi mentiuntur, indigni [2] ſunt qui refutentur. Vtrumque enim à verborum proprietate, & mente Saluatoris, cui vnice acquieſcendum eſt, tam eſt alienum, quam quod maxime. Quid itaque, cum inter hos Apoſtolos Petrus quoque fuerit, vanius fingi poteſt, quam quod dicunt, Petro datam eſſe auctoritatem regna mundi vel occupandi, vel alijs tradendi, & à Petro ſucceſſores eam poteſtatem habere. Cuius cum hæc vox ſit in Euangelio, *Reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te*, tamē huius patrimonium appellant agros, oppida, vectigalia, portoria, ditiones. [3] Pro quibus dum zelo ſcilicet Chriſti accenſi, ferro igníque dimicant, non abſq; plurimo Chriſtiani ſanguinis diſpendio, tum demum Eccleſiam Chriſti ſponſam, ſeſe credunt Apoſtolice defendere, fortiter profligatis, vt vocant, hoſtibus. Quaſi vero vlli ſint hoſtes Eccleſiæ pernicioſiores, quam impij Pontifices, qui & ſilentio Chriſtum ſinunt aboleſcere, & quæſtuarijs legibus alligant, & coactis interpretationibus adulterant, & peſtilente vita iugulant.

Vid. Caluin. l. b. 4. Inſt. c. 12. §. 8. 9. & ſeqq.

1] Ita idem Bellarmin lib. 1. de translat. Imp. c. 12. §. penult.

2] Ita Bellarm. libr. 5. de Pontif. c. 10. §. dico ſecundo.

3] Eleganter Eraſmus Roterdam. in eleganti illo libello, cui titulum fecit, Moriæ Encomia p. mihi 315.

Chriſtus ipſe negauit regnum ſuum eſſe de hoc mundo, negauit ſe conſtitutum eſſe iudicem rerum ac litium terrenarum. Eſt enim Chriſti regnum non mundanum, ſed ſpirituale, quo regnat

ipſe in cordibus noſtris per fidem & gratiam, vbi antea regnabat Diabolus per vitia & peccata. Cuius regni figura fuit regnum Dauidis & Salomonis. Et quod Chriſtus nec acceperit, nec habuerit non ſolum executionem dominij & regni, ſed nec auctoritatem vel poteſtatem vllius regni tempo-
1] lib. 5. de Pontif. Rom. c. 4. ralis, eleganter probat ipſe [1] Bellarmin. Quin D. quoq; Petrus, quo ſe illi fundatore iactant, iubet Presbyteros politicis gubernatoribus obtemperare. Quod igitur ius Chriſtus hic in terris non habuit, & non tantum minime tradidit ſuis Apoſtolis, ſed etiam ſeueriſſime prohibuit: id profecto nec Petrus nec Papa, etiamſi centies vicarij Chriſti eſſent, ſibi poterunt vindicare.

Expreſſe dixit Chriſtus: *Sicut miſit me Pater, ita mitto ego vos*, non ad conſtituenda, gubernanda, transferenda, aut diſtribuenda regna mundi, ſed ad miniſterium Euangelij & Sacramentorum. *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus*, ex diuini præceptoris recenti mandato dicebat A-
2] lib. 5. de Pontif. Rom. c. 10. §. Quintoob-iiciunt. poſtolus. Vbi [2] Bellarminus quidem negotia ſecularia interpretatur curam parandi victus, negociationes & mercimonia, ſeu nimiam ſolicitudinem circa victum corporalem, ſed certe nimis ſtricte. Neque ſatis probe illum locum reſtringit [3] Alexander Raudenſis, ſubtilis alioquin & bonus I. C. ad Eccleſiam ſaltem naſcentem, & ad loca, in quibus fides incipit radices agere.

3] in tr. de Analog. & æquiuoc. lib. 1. c. 39. n. 47. Nihil itaque habet iuris in regna politica, nullum in Eccleſia Principatum politico ſimilem Pontifex Roman. niſi falſa conceſſionis diuinæ ſpecie Monarchis per ſeditionem & fraudem extortum, ſed minime tolerandum. Quod vero ex Schola Pſeudo-catholicorum protulit & defendit
4] lib. 5. de Pontif. c. 6. nou-antiquum delirium Ieſuita [4] Bellarminus, Pontificem habere ſummam poteſtatem in temporalibus ſaltem indirecte, & ratione ſpiritualis ſuæ Monarchiæ, eo ipſo nihil agit aliud, niſi quod ſomnium probat ſomnio, & delirium delirio.

Digna profecto admiratione res eſt, Pontifices Encomium [illegible] affectaſſe, quod nouerunt tribui Diabolo, hoſti Filij Dei & Eccleſiæ, ab ipſo Filio Dei. Si conſulto id factum eſt, ingenuitatem laudo, quod vſurpare titulum non erubuerunt illius, cuius geſſerunt vices: Si incogitantia, ſtoliditatem accuſo, cum religioſo prætextu, & ſimulatæ humilitatis affectione pleraque velare ſtuduerint, hac in parte ambitionem ſuam quod non texerunt aut pinxerunt callidius. Non enim video, quo pacto iſta cohæreant, vt qui ſeruum ſeruorum ſe dicit, Dominus nihilominus Mundi ap-
5] Bellarm. in lib. quem contra Italum Anonym. ſcripſit c. 14. p. 16708. cont. gen. edit. nouiſſ. pellari, & Regibus etiam imperare velit: Niſi [5] Ieſuitæ cuiuſdam interpretatione ſubtiliore iſta ſaluentur & concilientur. Pontificem nimirum ſeruiendo imperare, & imperando ſeruire: Alioſque ſeruire obediendo, vt ſubditos & mancipia, alios iubendo, vt Magiſtratus. Magiſtratum enim populo ſeruire, qui legitimus ſit non tyrannus, hoc eſt, vt ego intelligo, inſeruire vtilitati & commodo communi ſubditorum, proque illis ſedulo vigilare. Sed quid ego hic dicam aliud, quam quod de Philoſophis Varro & Cicero: *Neminem ægrotum quidquam ſomniare tam infandum vel abſurdum, quod non aliquis dicat eorum, qui ſe profitentur Ieſuitas.*

Verum non eſt huius inſtituti, alia aduerſariorum argumenta pluribus recenſere & refutare,
6] par. 2. c. 3. cum omnia & Theologica & Politica, quibus Papæ dominium defendunt, congeſſerit [6] *Defenſor*
7] c. 4. pag. 123. *pacis ad Imperatorem Ludouicum*, eademque erudite refutarit, [7] docueritque, nec Papam, nec vllum miniſtrum Euangelij in politia aut Eccleſia habere dominium in Principes. Cuius exemplum ſeculis ſuperioribus ſecuti ſunt multi alij, quos excitauit & impulit Pontificum audacia & impudentia, cum ad vindicandum Imperij decus & neruos, tum ad eludendam clypeis chartaceis, & calamorum telis vim fulminum Pontificiorum, quæ á ferreis & æneis armis inuicta violentiam belli omnem reſpuebant. Et aliquanto plus ſubnixa vi & auctoritate Scripturæ ſacræ, quam arma, effeciſſe, res docet.

Satis tamen ex his puto apparere, quid ſtatuendum ſit de tranſlatione illa Imperij, quam á Græcis ad Germanos á Leone Pontifice in perſona Caroli Magni factam, magno boatu clamitant, & in quo præcipuum prætenſi iuris fundamentum poſitum eſſe arbitrantur. Quid enim tribuere Carolo potuit Papa, de quo nec diuina vlla, nec humana mandata accepit vnquam. Quæ enim iactare mandata & quas conceſſiones poteſt, reuictus & condemnatus voce Chriſti, & hiſtoriarum euidentibus teſtimonijs. Carolo Magno tribuiſſe dicunt Leonem Imperium, quod ipſe non habuit: ab Imperatoribus Græcis illud tranſtuliſſe Leonem in Carolum dicunt, á quibus tamen nullam eius transferendi accepit poteſtatem. Oſtendant neceſſe eſt, Pontifices, á quo Imperium illud, quod Carolo ſe tradidiſſe dicunt, acceperint. Quos vero producent auctores, Deumne, vt faciunt, an vero Imperatores Orientis? ſed refragatur vox diuina, quæ politicam Epiſcopis poteſtatem omnem denegat. Imperatores Orientis ius ſuum Carolo, cum bello Italiam ſubegiſſet, non Pontifici conceſſerunt.

Vanæ itaq; ſunt eiuſmodi hypotheſes ex male ſano cerebro profectæ, & ex falſiſſimis exſtructæ principijs, qua quis transtuliſſe quid dicitur ad alium, cuius ipſe nec Dominus fuit, nec transferendi illius ius á lege vel ab homine accepit.

Modus acquiſiti á Carolo Imperii non alius fuit, quam Monarchiæ Aſſiriæ, Perſicæ, Græcæ & Romanæ, quas Nimrodus, Cyrus, Alexander, Iulius armis, armis inquam occuparunt, & glorioſe deinceps tenuerunt. Ferro cœperat, ferro cœperat hoc imperium, iuxta Danielis vaticinium: ferro igitur recuperari ſiue reſtitui, vt Crantzius loquitur, oportuit.

Quandocunque igitur volet Romanus Sacrificulus, alijque Imperij æmuli cognoſcere Germanorum Monarchiæ originem, ac ius, intueantur modo glorioſas Caroli Magni victorias, & mox ex illos de origine iureque ſuo abunde edocebunt, & vel inuitos conuincent.

Coro-

Coronatum quidem fuiſſe à Leone Carolum hiſtoriæ teſtantur. At quid hoc? An coronatione vel vnctione dicemus tranſlatum Imperium? minime coronari nemo poteſt, niſi prius ſit deſignatus & electus. Neq; coronatio cauſa eſt Imperatoris, ſed facti, electi, deſignati, creati teſtimoniũ publicum. Deinde Regna atq; Imperia, non ſacrificiorum ceremonijs, ſed gladio ac iure belli transferri, ex nobili Monarchiarum pictura, diuinitus Danieli monſtrata, & ex perpetua experientia ſatis habemus compertum. Imo conſtat amplius viginti annis ante illam Leoninam Papæ coronationem Carolum Occidentale Imperium occupaſſe & tenuiſſe. Neq; enim ſolam Longobardiam, ſed & Italiam ab Alpibus ad extremam vſque Calabriam, Aquitaniam, eique contiguam Hiſpaniæ partem ad Iberum vſque flumen, Boiariam, vtramque Pannoniam, Daciam, Iſtriam, Dalmatiam in ditionem ſuam redegerat. Reliquam Germaniam, præſertim eam, quam Romani occupauerant, iam ante Franci tenuerant, vt & Galliam, Belgicam & Celticam.

Et quis quæſo credat, vel ſaltem præſumat, Papam potuiſſe, vel etiam auſum eſſe transferre vel donare cuiquam ſuper ſe & populum Romanum, Imperium, qui iuratus erat Impp. ſubditus.

Teſtantur omnes Hiſtorici, etiam ij, qui Papis ſunt addictiſſimi, Leonem III. mox vt electus fuit in Papam, miſiſſe ad Carolum Magnum legationem, vna cum clauibus S. Petri, quod eſt inſigne Pontificiæ dignitatis, & vexillis vrbis Romæ cum Aquilis, petijſſeq; iuxta ſynodum Adriani confirmationem ſui, & vt aliquis mitteretur, qui Romanos Caroli iuramento denuo adſtringeret, quod fuit ſuæ dominationis & ſubiectionis teſtimonium. In qua hiſtoria neſcio an argutum & ſubtilem, vel craſſum & manifeſtum fuiſſe dicam [1] Robertum Bellarminum, qui claues S. Petri à Leone Carolo miſſas interpretatur pretioſas quaſdam thecas, quibus reliquiarum fragmenta, puta ſignum dominicæ crucis, Capilli B. Iohannis Baptiſtæ, ramina catenarum S. Petri, aut aliquid aliud generis eiuſdem ſeruabatur, & illis, quos ſummo munere afficere volebant Pontifices, mittebatur. Et Leonem à Carolo poſtulaſſe, vt ſuos Romam ablegaret, qui Romanos iureiurando adſtringerent, non Carolo, ſed Leoni. Quid quæſo vanius & contra [2] veritatem Hiſtoricam falſius poterat fingi. Certe cui iurarint S.P.Q.R. euentus homagium breui ſubſecutus ſatis demonſtrauit, cum diſſidio inter Papam & Romanos exorto, vtrinque Carolum tanquam Dominum & iudicem prouocarunt.

1] *Libr. 1. de translat. Imp. c.13 §.11.*
2] *libr. 1. de translat. Imp. c.1. contra dict. 5. c.13. §. quod ſecundo, eod. li.*

Futilis, vanus & abſurdus eſt idem [3] Bellarminus, dum poſſeſſionem quidem Imperij occidentalis armis acquiſiuiſſe & retinuiſſe Carolum fatetur, ius vero ipſum, quod Græcus Imperator in prouincias Occidentalis Imperij habebat, nec non titulos, honores ac dignitates Auguſtorum, à Leone Pontifice Carolo impertitos, eaq; communicatione factum eſſe, vt illa ipſa, quæ iam habebat, non tantum vt Rex aut Patritius, ſed vt verus Imperator & Auguſtus retineret: vtque ius haberet ad alias item prouincias, quas Occidentalis Imperij fuiſſe, atque iniuria ab alijs occupatas eſſe conſtaret, inepte comminiſcitur.

3] *libr. 1. de translat. Imp. c. 7 §. Hermannum, Comitem. & c.11. §. ſed pergamus. vlt. in fin. & c. 13. circa fin. eo. lib*

Quid enim hoc eſt, Imperatorem Græcum tempore tranſlationis ius habuiſſe in prouincias Occidentalis Imperij, ſicuti totidem verbis fatetur Ieſuita, & tamen Papam eas in Carolum tranſtuliſſe? Annon iura & natura ſinunt, duos eiuſdem rei dominos eſſe in ſolidum? per legesne fieri poteſt, vt plus quis iuris transferat in alium, quam ipſe habet? vel vt quis rem meam ſine meo vel iuſſu vel nutu ad alium transferat? Ad pueros Claſſicos hominem remittimus cum iſto (re & verbo ipſi perquam familiari vocabulo) Mendacio, à quo hæc rectius, ſi volet, diſcat. Ex conſenſu & voluntate Græci Imperatoris hanc tranſlationem à Papa in Carolum factam eſſe, non vult [4] Ieſuita, fateatur itaque neceſſe eſt, Papam de facto hoc ius Græcis eripuiſſe. Nam iure ſuo hoc feciſſe Papam, nobis quidem non perſuadebit, qui ex puriſſimis fontibus Iſraelis ſcimus, Dei ſolius eſſe illum titulum: *Mea ſunt omnia, ego do ea cui volo: ego transfero regna & monarchias de gente in gentem pro meo arbitrio.* De Pontifice Romano tale quid nuſquam proditum eſt. Idq; etiam ipſos barbaros ex ipſo gentium omnium iure atque vſu communi per ſe intellexiſſe, notum eſt ex Hiſtoria Principis Turcorum Mahumetis, [5] qui oblatum ſibi titulum Orientalis Imperij ſub conditione fidei Chriſtianæ à Papa Pio II. tanquam à non Domino, alto animo repudiauit.

4] *libr. 1. de translat. Imp. c.11.*
5] *v. Æneæ Sylu. Epiſt. 396*

Impia eſt, & in Deum contumelioſa audacia, quod Antichriſtus ſicut vbiq; ſe Deo exæquauit, imo & ſupra eum extulit, ita hic quoq; gloriatur, ſuum eſſe transferre imperia ac regna ad quemcunque velit. Seq; Imperium à Græcis ad Germanos tranſtuliſſe, & à Germanis iterum ad nationem aliam etiam prorſus peregrinam, pro ſuo arbitratu ſe transferre poſſe iactat. Quod [6] quidem, iam olim ante annos cccc. Legatus Põtificis ad Imperatorem Fridericum, in magno Procerum conſeſſu ſatis confidenter effutiuit, & nupere repetiuit [7] Bellarminus. Quo fine & conſilio, meum quidem non eſt iudicare. Multi [8] quidẽ, forſan falſo, ita opinantur, quaſi Rex Hiſpaniarum inſtigantibus Ieſuitis, & auctore Pontifice, meditetur Monarchiam, & quod conſtituerit Concilio Tridentino inuecto religionem in Auguſtanis Comitijs, & inſuper multis inſequentibus annis & conſtitutionibus approbatam cum gente Germanica delere, Imperijq; maieſtatem ſibi applicare, & nobiliſſimam Aquilam incaueare. Quæ quidem opinio non ex nudis ſuſpicionibus, ſed ex euidentiſſimis rerum argumentis orta apud peritos [9] pariter & imperitos vehementer creſcit, & qui non ignorant, quæ iamdudum in caput noſtrum fabricata ſint conſilia, ijs facile eſt animaduertere, quonam Hiſpanus & Pontifex, & qui ex horum complexu, ſidere quamuis infauſto aduerſisq; placitis prudentiæ, natus eſt Ieſuita, colliment. Carolum V. id iam olim molitum eſſe, vt proſtratis Principibus ex Imperio Germanorum ſtabiliret regnum, ac iam Philippum filium ab Hiſpanis acciuiſſe, vt Germanorum Rex inauguraretur, niſi eius conatus fuiſſent retardati, ſcribit Bodinus. [10]

6] *Auent. li. 6.*
7] *libr. 5. de translat. Imp. c. 4. §. Nam etſi*
8] *D. VVarem. de Ernberg. de fœd. c. 2. n. 142. & n. 220. & 221.*
9] *V. Dreſſer. in Orat. de Pontificum inſidiis per Germaniã.*
10] *lib. 6 de Republ. cap. 5. p. 1129 n. 721.*

Vigilandum itaque eſt Germanis, nec in vtramque aurem ſecure dormiendum. Nam quæ paulatim irrepere ſolent, vix vnquam percipiuntur, nec niſi conuerſione ſecura ſentiuntur. [1] Certe nec ſtudium hoſtibus Imperij ad hanc rem perficiendam deeſt, nec occaſio. Quis enim vel ex Liuio ignorat, Hiſpanicæ gentis induſtriam & altam mentem, quodque ingenij præſtantia cæteros Europæ populos dicantur ſuperare. [2] Et quis ex nobis neſcit, Imperium (proh dolor) tam male ſibi cohærere, vt leuiſſimo impulſu videatur ruiturum. Quod ſi depoſitis domeſticis diſſidijs ac ſimultatibus inteſtinis, animi & vires potentiſſimæ patriæ Procerum magis eſſent vnitæ, non eſſet cur iſtos æmulos tantopere formidaremus.

Sed & illi quid agant viderint, ſunt enim præ oculis exempla ſatis tragica, eorum qui inſtigantibus Pontificibus appetierunt vel rapuerunt Imperia ſine mandato Dei, & ſine legitima vocatione. Non enim fuit aut gubernatio eorum ſalutaris, aut ſtabile Imperium, aut florens ac diuturna poſteritas, quos artes Pontificum euexerunt.

Sed probatum iam ſatis opinor, Auditores ampliſſimi, nullum à Leone Papa in Carolum vere Magnum & Auguſtum Imperatorem translatum eſſe Imperium, & propterea nec Carolus, nec ſucceſſores ipſius Franci aliquam habuerunt cauſam recognoſcendi, ratione Imperij, Pontificem Romanum, [3] cum Carolus Magnus factus ſit Imperator Occidentis, primum iure belli, deinde tranſactione cum Impp. Græcis, qui vt veri domini omne ius, quod habuerunt in Imperium Occidentis, Carolo conceſſerunt. Et renunciatio Pontificis, neq; electio fuit, neq; traditio: ſed declaratio ſaltem, quod Carolus eſſet vere Imperator iure belli, & conceſſione Imperatorum Orientis, conſenſuque & ſubiectione populi Romani.

Quid vero de Saxonibus, ad quos intermortua ſtirpe Carolina ſumma Imperij peruenit, an ne illi decus & maieſtatem ſuam auctoritate Pontificis acceperunt? Ita [4] dicunt, neque Henricum Aucupem Heroem fortiſſimum, ſed Othonem Magnum hunc ſplendorem familiæ Saxonum primum intuliſſe comminiſcuntur. Vana moti ratiuncula, quod Otho coronam & vnctionem à Pontifice acceperit, qua Henricus caruit, ac proinde Henricum non Imperatorem, ſed Regem tantum fuiſſe deblaterant. Verum nimis putida & futilis eſt eiuſmodi diſtinctio, qua poſt Abbatem Trithemium, Monachus ille Auguſtinianus Onuphrius Panuinius, in eo libro, quem *de Comitiis Imperatoriis* infenſo in Germanos animo atq; inimico ſcripſit, [5] Regnum Germanorum ab Imperio Romano putat eſſe diſtinguendum, quaſi illud quidem votis Auguſtiſſimi Electorum Senatus cõferatur, hoc vero à Papa Romano ſit petendum. Quia tam ſuperſtitioſam, & ex mera malitiá atque inuidia profectam diſtinctionem, non eſt quod multis refutemus. Scimus nos Regnum Germanicum & Imperium Romanum catenatim iungi, vnumquemque ſine altero, poſtquam actiue & paſſiue Diui Caroli auſpicijs Imperium in Germanos translatum eſt, [6] non ſubſiſtere, ſed vtrumque conferri ſola Electione, & deſignatione Electorum. [7]

Quod Heroice olim teſtatus eſt Fridericus primus optimus Imperator, in ſua ad Germaniæ Proceres Epiſtola, [8] idque publico Procerum, & omnium ordinum decreto ſancitum eſt à Ludouico Bauaro Francofurti, Anno 1338. 18. Auguſti. [9] & repetitum à Maximiliano I. in Comitijs Conſtantienſibus, Anno 1507. [10] quod & ipſo facto ſatis probarunt duo Cunradi, primus & ſecundus, Henricus Auceps, Rudolphus Habſpurgicus, Albertus primus & ſecundus, Rupertus, Ferdinandus, Maximilianus ſecundus, & modernus Imperator Rudolphus ſecundus, qui Imperatoris titulum aſſumſerunt, etiamſi Romæ coronam non eſſent adepti. Quod ſi votis præterita emendari poſſent, optaremus, complures Imperatores, qui benedictionem Pontificiam nimis certe pretioſam receperunt, eiuſdem cum ſanctiſſimis illis Heroum animis fuiſſe ſententiæ, non tam Pontificia tyrannis adaucta, Germania tot vanis ſumptibus vexata, denique ſuo ſanguine aliquoties repleta fuiſſet.

Non etiam ea, quæ iam ex Pontificiæ auctoritatis defenſione animorum diſiunctio ac alienatio conſpicitur, maxima cum Imperij iactura, enata fuiſſet; nec plerique Pontificis quam Imperialis maieſtatis dignitati addictiores eſſe inuenirentur.

Poſita hæc omnia ſunt in manibus Electorum, quibus ab Othone tertio conſeruandi Imperij apud Germanos gratia, poteſtas eligendi & conſtituendi Imperatorem, in perpetuam poſteritatem conceſſa eſt; eaque à Pontifice priuari minime poſſunt. [11] Et qui ab illis deſignatur demortui Imperatoris ſucceſſor, titulum & iura veri Imperatoris ſtatim conſequitur, nec oleo vel coronatione Pontificis vllatenus opus habet, [12] omniaque ab ipſo geſta & conceſſa eam vim habent, ac ſi poſt coronationem geſta & conceſſa eſſent. [13]

Eſt quoque Electorum cautio, non Pontificis, ne Interregni tempore & vacante Imperio Reſpubl. quid patiatur detrimenti. Et in horum manus Imperium eſt reſignandum, non Pontificis. [14] Quod Carolus quintus miſſis ad Senatum Septemuirûm literis renunciationis ſatis probauit.

Quod autem ſalutarem hanc Electorum inſtitutionem Pontifices in ſuis iuribus adſcribunt ſuis prædeceſſoribus, quodque gnauiter recentiores Ieſuitæ defendunt, quanquam inter ſe ipſi non

1] *Bodin. 2. de Rep. 6. p. 358.*

2] *Bodin. 4. de Rep. 1. p. 777.*

3] *Caſparus Peucer. lib. 5. Chron. p. 993.*

4] *Bellarm. li. 2. de transl. Imp. c. 2. 3. & 4.*

5] *Idem ſentit Bellar. lib. 1. de transl. Imp. c. 4. n. 9. 10. 11. & li. 3. c. 4. 5. Porro Nauclerus. verſ. iam vero quod addit.*

6] *Pet. Gregor. Tholoſ. li. 7. de Rep. c. 15. n. 18. & c. 19. n. 17. v. conuenit etiam, Dn. Eberhar. à VVeihe. in Orat. de Rege elect. & ſucceſ. p. 97.*

7] *Andreas Knich. de Saxon. non prouoc. iur. c. 1. n. 27. & ſeqq. vſq; ad 44. & in velit. Apol. n. 116. & ſeqq. Lupold. Babenberg. de iure regni & imper. Rom. c. 5. cum ſeqq.*

8] *exſtat apud Radeuic. lib. 3. c. 10.*

9] *Paſſim recenſetur hæc conſtitutio ab Hiſtoricis, Auentino, Munſtero, Nauclero & aliis. Albericus quoque de Roſat. integram retulit in l. bene à Zenone. C. de quadrienn. præſcript.*

10] *Franciſ. Guicciard. libr. 7. fol. 244. Bodin. 1. de Repub. 9. pagin. 191.* 11] *Ludouic. Rom. conſil. 464. num. 3. Schrad. de feud pag. 10. ſect. 19. num. 5.* 12] *Obrecht diſput. de Regalib. th. 20. Nicol. Euerard. in loc. à vi ſubrog. num. 39. p. 850.* 13] *Pariſ. conſ. 2. n. 4. lib. 2. & conſ. 50. num. 31. lib. 4. Schrad. pag. 6. c. 1. num 10 11.* 14] *Schrad. p. 10. ſect. 3. n. 172. & 8. ſeqq.*

non ſatis conſentiant, quis vel quotus ille fuerit, niſi quod fuerit aliquis ex Gregoriis. In eo quoq; vt vbique alibi, graſſantur ipſorum mendacia. Nam Othonis III. Mirabilia mundi ob ſingularem ingenii promptitudinem dicti, prudenti conſilio, non Pontificis alicuius beneficio, Septemuiros conſtitutos eſſe, docet veritas. Habuitq; optimus Imperator huius conſtitutionis grauiſſimas cauſas. Videbat enim, quanta detrimenta Reip. Chriſtianæ pernicioſis de Imperio contentionibus inflicta eſſent; tum quas ob affectionem Imperii, cum alii exteri tum præſertim Itali (quos cæteris ad cupiditatem regni procliuiores eſſe cognouerat) turbas mouiſſent, & conſpirationes contra Imperium conflaſſent.

Non eſt quod tantum bonum à Gregorio aliquo exſpectemus, quod [1] nomen in Romana Hierarchia, fatale fuit inter Pontifices inde vſq; à Gregorio Magno, non Orbi ſolum Chriſtiano, ſed Imperio quoq; Principum Germanorum. Quod vel vnus ille Gregorius Septimus flagitioſiſſimis contra Imperium molitionibus & ſceleribus ipſo opere abunde demonſtrauit.

1] Peucer lib. 5. pag. 960.

Sed ne cum angularibus iſtis bombycibus de hoc plurimis contendamus, proferant ſi poſſunt, & ſi viri ſunt, exempla iſtius decreti Pontificii, quod à Papa factum eſſe aiunt. Mirum eſt, quod non aliquod fingant & producant, vel ex Vaticano, vel ex Laterano, vel etiam ex arce S. Angeli, in qua latitare dicunt Inſtrumentum illud publicum Imperii Electorum. Nam Gratianus Monachus, qui diligentiſſime talia congeſſit, in ſua *Decretorum* rhapſodia nullam eius facit mentionem, cum alioquin ambitioſe omnia Pontificum decora oſtentet, imo amplificet, & ſi quid in imperium vel Imperat. beneficii contulerint, prædicet. [2] Bellarminus hic aliquanto ſincerior fuit; quam in nonnullis aliis, dum ingenue confitetur, ſe neſcire vbi decretum illud Gregorianum lateat, ſi tamen addens, vſquam hoc tempore extet.

2] *lib. 3. de transl. Imp. c. 4 §. non laborabimus, circa finem.*

Quæ omnia cum ita ſint, certe non video cauſſam, quod tanta vociferatione clamant, Papam Carolum feciſſe Imperatorem, Papam Othoni Magno Imperium tradidiſſe, Papam deniq; poſt Othonem III. ius eligendi Cæſaris Germanis conceſſiſſe.

Quæ itaq; ſunt, & vbi ſunt, illa quæ tantopere nobiliſſimæ nationi exprobrant beneficia?

Quod ſi quiſpiam dixerit, nunquam à quoquam fœdius & diutius vexatum oppreſſumq; eſſe ſacroſanctum Imperium, eiuſq; Monarchas & glorioſiſſimos Ordines, nec non eorum ſedem, ampliſſimam nempe & vetuſtiſſimam gentem Germanorum, quam à Romano Pontifice, is verum dicit, dicit enim id, quod omnes hiſtoriæ vna voce clamitant, & copioſiſſime narrant.

Dabit tamen ipſius ſanctitas mihi veniam, quod hoc in loco & in hoc potiſſimum actu, de rebus ad patriæ vſum ſalutemq; ſpectantibus tam libere loquar. Quod forte non feciſſem, niſi ex Franciſco Petrarcha didiciſſem, [3] Papam libenter audire quæ vera ſunt, etſi acria ſint: falſa autem quamuis dulcia aſpernari; neq; mirum hoc eſt, [4] cum Veritatis Viuæ Vicarius habeatur in terris, cui nulla veri particula occultanda.

3] *lib. 7. ſenil. Epiſt. ad Vrban. 5*
4] *Idem Petrarcha ad Franciſcum Brunum lib. 9. ſenilium.*

Sed vt de coronatione quid ſentiam deinceps paucis explicem, fateor cum Caſparo Peucero, viro magni iudicii, [5] magnæ eruditionis & minime vano, [6] Honeſtiſſimum eſſe ac piiſſimum, fieri renunciationem Monarchæ Orbis Chriſtiani, ſolemnibus ritibus, cum ardenti ac ſeria precatione ad Deum pro re omnium in humano genere maxima, pro ſalute totius Orbis Chriſtiani, pro incolumitate ac felicitate illius; cui cura, gubernatio, protectio ac defenſio Eccleſiæ & Reip. commendata eſt, cuius ſaluti ſingulorum ſalus eſt incluſa. Nec hodie vel nuper primum inſtituta eſt illa vnctionis, benedictionis coronationisque ceremonia, ſed eſt antiquiſſima, & ab ipſo Dei populo vſurpata, apud quem (vt in [7] Bibliis legitur) oleum ſuper capite fuſum, regiæ electionis & ſacerdotalis conſecrationis ſignum habitum fuit, & quidem ex ipſius Dei O. Max. præcepto. Sed hoc ius cur Romanus Pontifex ſibi vendicat præ aliis? quod nec diuino nec humano iure vllo, tanquam præcipuum quid, ipſi debetur.

5] *VVarem. de Ernberg. de fœder. c. 1. n. 5. in fin.*
6] *Bodin. in Meth. Hiſt. cap. 4.*
7] *2. Reg. 9. 2. Reg. 2. 3. Reg. 5.*

Habuerunt hunc honorem Impp. Pontificibus, vt coronam ab illis ſibi imponi paterentur, ſed tanquam à miniſtris Eccleſiæ, non veluti à Dominis Imperii. Non enim magis tradit Imperium electo Pontificis vox & conſecratio, quam conſulatum olim tradebant ſucceſſoribus Conſules Romæ magiſtratu abeuntes, cum ad populum de creatis à Senatu Conſulibus referrent. Quam deteſtanda itaq; eſt ingratitudo; ne dicam malitia, id quod honoris cauſſa tribuitur, iure & veluti ex debito velle exigere, & pietate ac bonitate Impp. ſic abuti, vt inde ius poteſtasq; transferendi Imperium eliciatur.

Fuit hoc omne arbitrarium non neceſſarium, Et ea quæ præter hęc ſeculis proxime elapſis introducta ſunt, nec diuino iure, nec vlla patrum ordinatione, ſed blanda quorundam aſſentatione, & violenta Pontificum ingeſtione, imo ipſorum quoque Imperat. nimia religione prouenerunt. Quis enim Romanus Pontifex conſecrauit Conſtantinopolitanos Imperat. Et quis ante Carolum multos Chriſtianos Cæſares? & ante Conſtantinum quis conſecrauit Impp. Ethnicos?

Poſſet quidem concedi Pontifici ius renuntiandi, ſi non ex falſo fingeret aliud cõmentitium ius, quod ſtabiliendæ tyrannidis ſuæ cauſſa, ad ſuam vocem ita alligat Imperatoris auctoritatem, vt ſine ea nullam eſſe contendat. Qualis vero eſt ſuperbia contendere de iure conferendi titulos, cum rem titulorum, id eſt, dignitatem & poteſtatem Imperatoriam conferant alii: Maieſtatem ac felicitatem ſucceſſumq; in gubernatione præſtet ſolus Deus?

Non ſimpliciter coronari Imperatorem à ſummo Pontifice ſed plane creari & ordinari ſcribit Bellar. lib. 1. de transl. Im. c. 4. §. 8.

Num Petrus aut Clemens, num cætera turba piorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco
Pauper erat præſul,regali munere creuit.
Nec tamen vt faſces & regni iura Latini
Vel dare præſumat,vel cuiquam tollere poſſit.
Exceſſere modum magnorum munera Regum.
Si tantum cuiquam ius in ſua regna dederunt.
Sed neq; tanta fuit largitio, nec dare quiſquam
Quo caret ipſe poteſt.
Ergo quid ad ſummum Imperii de iure quid oro
Pontificem ſpectat,nullum caput iſta ſuper ſe
Aſpicit,excepto cœlorum Rege poteſtas.
Eccleſiam regat ille ſuam, diuinaq; iura
Temperet, Imperium Auguſtò faſceſq; relinquat.

Concedi deinde poſſet coronatio Pontifici,ſi ad eam vſurparet atq; adhiberet non inanium cæremoniarum theatrica ſpectacula,puta impoſitionem coronę,traditionem vexilli in anteriore parte rubicundi,in poſteriore flaui,& inſigniti Aquila gerente crucem in pectore,nec non aurei pomi, quod poteſt aperiri,& claudi,repletumq; eſt terra,ſceptri deniq; ſeu virgæ aureæ duas in ſummitate gerentis lilias,quæ ſunt vmbra ſanctiſſimi & laudatiſſimi ritus veteris, ſed preces veras & ſerias, quibus Deo Patri æterno Domini noſtri Ieſu Chriſti Eccleſiam & Rempub. commendaret.

Et ſi non tantis Capitaneorum & Valuaſorum Imperii, Dominum Romam euntem comitantium,aut pro feudi quantitate ſtipendium militiæ,cum nullo ſuo vel patriæ commodo, ſoluentium, impendiis, tantoq; prædiorum aut ciuitatum Imperialium diſpendio Imperatoribus oleum illud pontificiale comparandum, & omnes donationes in maximum Imperii præiudicium factæ confirmandæ eſſent. Vt de periculis & inſidiis quæ ab Italia Imperatoribus metuendæ ſunt, quæque ab eius auditu multos Imperatores deterruerunt. quod Cæſarum in Italiam veſtigia læta, magnifica plenaq; ſpei; ex Italia vero referentia, triſtia, miſera, luctuoſaque eſſe animaduerterent, non nihil dicam.

Sit itaq; vt multa in pauca conferam,ſententia noſtra hæc; Pontificem ius coronandi Imperatorem neque ex diuina lege habere,neque ex humana aliqua ſanctione ſibi aſſerere & vendicare poſſe,parumque referre, coronatus an non coronatus ſit à Ponifice Imp. ab Electoribus legitime electus. Imo magis eſſe ex vtilitate & dignitate Imperii ſtatuo,ſi vnctio Pontificis plane omittatur,& Conſtitutiones ea de re factæ ante aliquot ſecula reuocentur; quia tamen decorum eſt, peragi aliqua ſolennitate electi Imperatoris declarationem; ſufficiat coronatio Archiepiſcopi Colonienſis, quæ ex vetuſtiſſimo more fieri ſolet Aquiſgrani, cuius etiam mentionem facit, quamuis perfunctorie Carolus IV. *Bulla* vere *Aurea*,in qua ſolemnia creandi & confirmandi Imp. omnia accurate deſcribuntur,de vnctione vero Pontificis ne minimus quidem literæ apex reperitur.

ANA-

III.

ΑΝΑΜΝΗΣΙΣ

IVRIS, QVOD OLIM IN APPROBANDIS PONTIFICIBVS IMPERATORES HABVERVNT,

ET

QVOMODO VICE VERSA, IMPERATORIÆ Maieſtatis confirmatio à Pontificibus introducta & vſurpata ſit.

EX VERIS ET FIDELIBVS HISTORIARVM MOnumentis collecta à Simone Schardio I. C. & Imperialis Cameræ Spirenſis Aſſeſſore.

CVI IN FINE ADDITA EST CONSTITVTIO LVdouici IV. Imperatoris, qua, quæ de confirmatione Pontificia agitant, grauiſſime definiuntur.

DENVO IN GRATIAM EORVM, QVI IVRIBVS ISTIS IMperii amiſſis fauent, vt videant, doleant, & reparationis Conſilia adhibeant, repetita & notis illuſtrata à quodam Anonymo Hamburgi excuſa, M. D. X.

Beneuolo Lectori Salutem.

Miraberis profecto & dolebis, pie & Imperatoriæ Maieſtatis ſtudioſe Lector, conſiderans, quonam faſtus & tyrannis pontificia aſcenderit, vt qui ſe ſanctiſſima humilitate Seruos Seruorum ſcribant: nihilominus Auguſtiſſimis Impp. Regibus & Principibus iura dicere, illiſq; pro libitu ſuperbe imperare non erubeſcant. De quo ante annos haud ita multos, vir quidam, vt apparet, apprime literatus, & Germanicæ libertatis amator, hunc libellum, cenſura & anathematiſmi pontificii ſecurus, publice emiſit, dignum omnino, qui ſummi Monarchæ, cæterorumq; Regum ac Principum, intolerabile iſtius monſtri Romaniſugum adhuc perferentium, manibus probe teratur, cognituri inde, quam impie illi ceruices ſubmittant, eiuſq; dominium faſtuoſum ſuſtineant, qui vi, aſtu, perfidia, ſcelere, dolo & fraude, ad illud imperioſa & abominanda pontificiæ dignitatis faſtigium euaſit. Quem librum vt concinna breuitate, & artificioſa rerum memorabilium ſerie non ſolum; ſed & alto ſplendidoq; orationis genere luculenter contextum: Ita iucundum, & ſi vnquam, certe his temporibus neceſſarium, additis per contextum maioris lucis cauſa, marginalibus, ideò ſub incudem reuocare viſum fuit, quod prioris editionis Exemplaria, fortaſſis ab hoſtibus pontificiis, ne artes audiant ſuas, Vulcano pro hoſtiis immolata nulla amplius, quod ſciam, reperiantur. Tu vero benigne Lector, cum primum vbi perlegeris, an Verum Author ſcripſerit, ſine felle iudicato, aut ſaltem eius lectionem aliis recte ſentientibus, ne inuideto. Vale.

HISTORICA NARRATIO IVRIS;

QVOD IMPERATORES IN APPROBANDIS Pontificibus Romanis habuere;

&

QVOMODO VICE VERSA, EO IMPERATORIBVS ADempto Pontifices, Cæſarum confirmandorum reiiciendorumue autoritatem ſibi vſurpare cœperint.

SÆpius mihi de rerum humanarum viciſſitudine cogitanti non minima admiratione digna eſt viſa, iuris Imperialis in Pontificibus Romanis approbandis, in contrarium vice verſa mutati conſideratio. Quis enim non admiraretur, eos qui olim ſerui ſeruorum fuere, ſuaſq; ceruices Imperatoribus ſecandas non tantum humillime præbuerunt, *Pontif. ſe vbique appellant ſeruos ſeruorum.*

runt, ſed & omnibus Chriſtianis, ſub iræ diuinæ comminatione minime ipſis reſiſtendum eſſe præceperunt: eo potentiæ euectos eſſe, vt Imperatores, qui poſtea, melioribus temporibus, diuina gratia illuceſcentibus, ipſorum defenſores approbatoresque fuiſſent, miſerabili rerum viciſſitudine, non ſolum ipſos confirmatores, ſed & oppreſſos, & hoſtes dignitatis ſuæ agnoſcere & ferre cogerentur? Quare cum & eius viciſſitudinis conſiderationem ingeniis bonis dignam, & ad multarum vtiliſſimarum rerum commonefactionem vtilem putarem: quæ olim Pontificum approbationis ab Imperatoribus impetrandæ ratio fuerit, & quomodo ea fraude ac ſcelere Pontificum abolita, hi quod antea acceperant, poſtea dare cœperint, ex fidelibus hiſtoriarum monumentis breuiter explicabo, de hoc æquum ac candidum lectorem commonefaciens, in hac narratione id obſeruatum, vt non tantum autorum, ex quibus ea collecta eſt, ſententiæ, ſed & verba, quoad fieri potuit, retinerentur. Cui itaque ſuſpicio qualiſcunque ſuboritur, is autores ipſos adeat, perſpecturus nihil hic affectibus tributum, ſed omnia fide ac veritate hiſtorica relata eſſe. Idq; cum bonos citra amarulentiam facturos ſperem, & de improborum iudiciis non curem, *quæ iuris Cæſarei in approbatione Pontificum ratio fuerit, quo tempore cœperit, quibus rationibus confirmata ſit, ac quando & quibus Pontificum machinationibus deſierit, breuiſſimis exponam.*

Seruus fit Dominus.

Propoſitio.

Electio primitus apud Clerum & populum. Fabianus. Poſtea ad Cæſares deuoluta. Platina in vita Seuerini primi.

Electionem itaque Epiſcopi ſeu Pontificis Romani in initio naſcentis eccleſiæ, vt & aliorum Epiſcoporum, penes populum & clerum fuiſſe, hiſtoriæ tradunt. Teſtatur id præter alios Nicephorus *lib. 5. ca. 26. eccleſ. hiſtor.* cum Fabianum XXI. Pontificem Romanum, populi & Epiſcoporum ſuffragatione in Epiſcopalem thronum collocatum refert. Ac durauit hæc eligendi Pontifices ratio, ad ea vſque tempora, quibus Imperatores Romani Chriſtiana fide recepta, Eccleſiarum curam mandato diuino ad ſe quoque pertinere, & plurimum Eccleſiæ Chriſtianæ intereſſe, vt idonei, pii ac boni Pontificatui præficerentur, cognouerunt. Tunc enim vana cleri ac populi electio habita fuit, niſi Imperatoris autoritate confirmata fuiſſet: & ſi quis conſenſu Imperatoris neglecto, ſedem Pontif. inuaſiſſet, mox ea deiectus, etiam exilio temeritatis ſuæ pœnas dedit.

Exempla eorum qui à Cæſ. confirmati & reiecti. Luitbrandus in vita Pontificum. Bonifacius Cæſari ſupplex. Iuſtinianus in vita Iuſtini minor. Seuerinus.

Hinc Iuſtinus Imperator Hormiſdæ primo, Mauritius Tiberii gener Pelagio ſecundo & Gregorio primo, alii aliis ſedis Apoſtolicæ auctoritatem confirmaſſe, leguntur. Ediuerſo diſſenſione in electione Bonifacii primi inter Eulalium competitorem & ipſum exorta, Honorius Imperator Occidentis Mediolani re cognita, ambos ex vrbe pelli iuſſit. Bonifacio tamen deinceps reuocato, & vrbis Præſule conſtituto, eo quod literis ad Imperatorem ſuppliciter ſcriptis, Epiſcopatum ſibi ab Imperatore confirmari, & ſuper electione ac ordinatione Romani Epiſcopi legem contra ſacerdotum ambitionem ferri rogarit, vt eſt text. *in c. 1. diſtinct. 97.* continens epiſtolam illam ſupplicem, cum reſponſo Honorii truncato, altera eius parte poſita *in c. ſi duo. 79. d.*

Cum autem Imperatores Conſtantinopoli habitantes ſuos Rauennæ vicarios, quos *Hexarchos* dixerunt, conſtituerent, eos in huius iuris ſocietatem admiſerunt: ipſiſque inter cætera dignitatis priuilegia, Pontificis quoq; Romani approbandi autoritatem contulerunt, ſicuti de Seuerino legitur, quod in demortui Papæ Honorii locum ſurrogatus, ab Iſaacio totius Italiæ Hexarcho in Pontificatu confirmatus ſit.

Barbari quoque & tyranni id iuris vſurparunt. Nicephorus lib. 16. c. 35. Symmachus populi electionem conuellere nititur.

Quin & Italia à barbaris atque tyrannis cum omnibus iuribus Imperialibus occupata, illi quoque Epiſcopi Romani conſtituendi autoritatem vſurpauere, Romanis ipſorum ordinationi humillime acquieſcentibus. Teſtatur id hiſtoria ſchiſmatis inter Symmachum & Laurentium à Theodorico Veronenſe ſublati, & confirmatio Agapeti primi & Sylnerii primi à Theodato Gotho, eoq; Arriano, facta.

Etſi autem Symmachus Simplicius Theodorico ſeſe Rauennæ continente, criſtas erigere, ac Laicorum ordinationes conuellere attentarit, Romæ ſynodo habita, in qua contra Canones eſſe decreuit, vt Laicis religioſorum electio concedatur: tamen res ipſa clamat, ac temporum præcedentium & ſubſequentium hiſtoria euincit, inſtitutionem Pontificis non tantum penes legitimos Imperatores, ſed & Imperii vſurpatores fuiſſe: eamque non tam contra Canones, vt Symmacho eiusque Symmiſtis videtur, quam contra irregularem ipſorum dominandi libidinem & effrenatam ambitionem eſſe; Bonifacii tertii, qui iudicio Phocæ primatum obtinuit, conſtitutio oſtendit, qua ſtatuit electionem Epiſcopi à Clero pariter & populo fieri, eamque ita ratam haberi, ſi à principe ciuitatis ſit approbata, quod hac via antiquis canonibus conformi, vix ſimonia aut alia corruptela ingredi poſſit, vt eſt text. *in cap. In nomine Domini, verſic. Mox Chriſti clericos, 23. diſtinct.*

Conſtitutio Bonifacii.

Simonia in obtinenda confirmatione introducta. Platina in vita Benedicti. Supplementū Chronic. Electio à Cæſar. clero, populo & exercitu Romano permiſſa.

At illam confirmationem non gratuitam, ſed pecunia redimi ſolitam fuiſſe, inde coniicere licet, quod Agatho Papa apud Imperatores, Conſtantinum, Heraclium & Tiberium obtinuerit, vt quantitas illa, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis Romani, remitteretur, prout id ex geſtis Pontificum Romanorum refertur, *c. Agatho, 63. diſtinct.*

Cæterum circiter annum Domini 685. ab hac ratione aliquantulum receſſum eſt. Conſtantinus enim Quartus, cognomento Barbatus, cum Imperio præeſſet, Pontifice Romano Benedicto ſecundo, hominis ſanctitate permotus, ſanctionem emiſit, *vt quem deinceps clerus, populus, exercitusque Romanus Pontificem delegiſſet, is plenam obtineret poteſtatem, nulla aut Conſtantinopolitani Principis, aut Italiæ Exarchi expectata autoritate, vt antea fieri conſueuerat.*

Hæc

Hæc Conſtitutio deinceps vſque ad tempora Caroli Magni obſeruata, magnis turbis aliquoties occaſionem dedit, clero in electione ſæpius ab exercitu diſſentiente, & quolibet ſuæ factionis partes acriter propugnante, vt eius rei exempla videre eſt, cum in vitis aliorum, tum vero Cononis & Sergii primi.

Carolo autem Magno poſt debellatum Deſiderium Longobardorum Regem, regnumque eorum euerſum, Romam veniente, Adrianus Papa, donatione eorum quæ Pipinus Gregorio tertio dederat, amplioribus priuilegiis à Carolo confirmata, benemerita Caroli remuneratus, cum centum quinquaginta tribus Epiſcopis, quos conuocarat, decretum perpetuum fecit, *nullum poſthac fore neque Romanum, neque aliorum templorum Antiſtitem, niſi quem Carolus ſucceſſoreſque eius ſciuerint & iuſſerint, refragantes huiuſmodi Patrum decreto, diris deuoti: & niſi reſipuerint, adiecta proſcriptio.*

c. Adrianus 63. diſtinct.

* Defuncto itaq; Præſule quopiam, ſacerdotes lituum cum annulo ad aulam mittebant, cui ea Princeps ſolenni ritu tradebat, is eiuſdem templi Rector deſignatus erat.

Denuo ab ipſo Papa Gregorio abrogata, & in Cæſares translata.

Sic igitur iure Pontifices approbandi, quod Conſtantiniana lege ab Imperatoribus ad clerum, populum, exercitumq; Romanum translatum erat, Carolo eiuſque ſucceſſoribus reſtituto, factum eſt, vt nullus Pontificatum inire voluerit, niſi Imperatoris approbatione intercedente, & † clariſſimi atq; ampliſſimi quique viri, ſpe dignitatis augendæ, & adipiſcendi ſacerdotii illecti, abſq; ſtipendio in omnibus Principis dicto obedientes aulam frequentarent.

* *Auentinus lib. 4. fol. 322. Inde nullus niſi à Cæſare approbatus Pontificatum concupiuit.*

Hinc filio Caroli Ludouico Pio imperante Stephanus IV. Pontifex nulla interpoſita Imperatoris autoritate electus, ipſemet ad Ludouicum pro conſenſu obtinendo in Gallias Aureliam profectus eſt, & à Guidone Comite de conſecratione Epiſcopi Reatini recens à clero populoque electi, rogatus, creatum canonice & vnanimiter ordinare negauit, quod Imperialem abſolutionis epiſtolam pro more non attuliſſet.

† *Auentinus vbi ſupra. Ea de cauſa Stephanus IV. à clero & populo electus ad Cæſarem profectus.*

Paſchalis quoque eius ſucceſſor inconſulto Imperatore Pontifex creatus, hanc ob rem vbi Pontificatum iniit, ſtatim Legatos ad Ludouicum miſit, qui eius rei culpam omnem in clerum & populum reiicerent, quod ab his vi coactus eſſet Pontificum munus obire. Accepta hac ſatisfactione, Ludouicus reſpondit, populo & clero, *Maiorum pacta ſeruanda eſſe, cauerent ne deinceps maieſtatem læderent.*

Platina in vita Paſch. Itidem Paſchalis ſucceſſor Stephani per Legatos fecit. Cæſaris reſponſum.

Bibliothecarius, referente Platina, ſcriptum reliquit, Ludouicum Paſchali cæteriſque poſt eum, confirmaſſe poſſeſſionem bonorum à maioribus ipſius Eccleſiæ collatorum, & electionem permiſiſſe liberam, *vt quem omnes Romani iudicaſſent eo munere dignum, is pro Pontifice haberetur.* Idque pactum, vt & alia eiuſdem farinæ, Gratianus decretis ſuis infarſit. Verum quantum fidei eiuſmodi ſcriptis tribuendum ſit, quilibet ſani iudicii facilime perſpicit. Nam ad Bibliothecarium quod attinet, eius autoritas vt ſuſpecta merito reiicitur, vtpote qui Papæ domeſticus, magis domini ſui fauorem quam veritatem hiſtoriæ reſpexiſſe credatur. Gratianus vero, præterquam quod ſua ita conſiderate conſarcinauit, vt quid ſequendum in ipſis ſit intelligi nequeat, & ipſe ambitioni Pontificum quantum potuit adulatus eſt, vt multi loci ab ipſo turpiſſime falſati manifeſte commonſtrant. Et ſi hiſtoriis eius temporis credendum eſt, rerum geſtarum ſeries maxime cum narratione vtriuſque diſſentire videtur. Si etenim Ludouicus iure ſuo approbandi Pontificis ceſſit, vt cum Bibliothecario Gratianus refert: Cur Gregorius IV. à Paſchale Tertius, non prius Pontificatum ſuſcipere voluit, quam à legatis Ludouici Imperatoris, ob eam cauſſam Romam miſſis, quo diligenter electionem Pontificiam diſcuterent, confirmatus eſſet? Adeone vel Gregorius iuris ſui negligens, vel Ludouicus obliuioſus fuit, vt iſte, quæ ad amplificationem ſedis Apoſtolicæ ſpectarent, remitteret; hic vero eorum quæ inter ſe & Paſchalem acta fuiſſent, non recordaretur? Sane Platina & ipſe Pontificius Scriptor, in narratione huius rei, Ludouicum id non ſuperbia motum feciſſe, ſed ne iura Imperii amitteret, clare atque expreſſe commemorat. Quod ſi ante electionem liberam Romanis permiſiſſet, an non iure ſuo excidiſſe diceretur? Quid? Quod Ludouico nepoti Pii idem ius fuiſſe præter hiſtoricos etiam Gratianus teſtatur. Cum etenim Ludouico Secundo regnante inter alios Adrianus Secundus, legatis Cæſareis, qui tum in vrbe erant, non vocatis, à nobilitate Romana, ciuibus ac clero, quem vocant, creatus eſſet, Legatis id grauiter moleſteque ferentibus, id reſponſum fuiſſe tradit, *non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu hoc commiſſum, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præſulum expectandi mos per huiuſmodi occaſionem inoleſceret?* Quod ſi Ludouicus Primus liberam eius electionem conceſſit, vt aiunt, quid ipſis excuſatione apud Ludouicum nepotem eius opus fuit? Vel cur is iniuriam ſibi factam putare potuit? Quare quidquid Gratianus cum Bibliothecario narrat, id decretum ſeu pactum ſuſpicione minime carere liquet: Ea etiam de cauſa quod poſt mortem Ludouici ſecundi Carolus Caluus quoque eius Patruus Imperator factus electionem Iohannis Noni approbarit, haud dubie Pontificibus minime confirmationem Imperatoriam requiſituris, ſi quocunq; pacti prætextu id ipſis facere licuiſſet.

c. ego Ludouicus 63. diſtinct. Autoritas Bibliothecarum ſuſpecta. Gratianus Pontificum adulator. Quæſtio: An Ludouicus iuri ſuo renunciauit, nec ne? NB.

c. Cum Adrianus, 63. diſtinct. Adrianus Secundus requirit conſenſum Imperatoris.

Iohannis 9. Electio à Carolo Caluo approbata.

Verum poſt iſta tempora, cum poſteri Caroli Magni mutua diſſenſione, conflictarentur, & Galliæ Reges Nordmannorum incurſionibus infeſtarentur, Pontifices autoritatis Imperialis excutiendæ occaſionem nacti, minime eam prætermiſere. Nam initio Martinus Secundus malis artibus Pontificatum inuaſit. Deinde vero Adrianus Tertius anno Domini

Martinus Secundus. Adrianus Tertius.

octin-

Sabel. Æneadis 9. lib. 2. Platina in vita Adr. 3.

octingenteſimo nonageſimo quinto, ſine autoritate Imperiali, Pontificatum adeptus, ad Senatum populumq; Romanum referre non dubitauit, *ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, vtq; liberæ eſſent populi & cleri ſuffragia.*

NB.

Ea vero Adriani conſtitutio, quam pernicioſa fuerit, violentiæ, cædes, veneficia & omnis generis mala, quæ per ſeptuaginta annos & vltra, ſcelere 24. Paparum inuicem ſe excutientium Eccleſiam afflixerunt, liquido docent. Tanta rabie ipſis inter ſe decertantibus, vt magis Neronis, Caligulæ, Domitiani, ac Heliogabali, quam Petri ſucceſſores viderentur, eo qui fraude, dolo ac ſcelere præſtaret, Pontificiæ ſedi incubante.

Otto Magn. Pontifices in ordinem redigit. NB. Vide Cranzii Saxon. lib. 4. c. 9. 10. & 199. Imperialia iura approbandi Pontif. per Leonem ad Imperatores vicißim deuoluta.

Tandem cum Ottho cognomine Magnus ad Italiæ motus componendos euocatus, Iohanni XIII. ob flagitioſiſſimam vitam Pontificatum abrogaſſet, & Leoni à ſe confirmato P. R. Benedictũ ſuffeciſſet, iratus Ottho eos vi & armis compulit, dedito etiam Benedicto, Leonem ſuſcipere. Qui ſtatim Romanorum inconſtantiam pertæſus, autoritatem omnem eligendi Pontificis à clero populoque Romano ad Imperatorem, eiuſque ſucceſſores in perpetuum rurſus tranſtulit, Imperialia iura de approbando Pontifice, ſub interregno ſopita, reſuſcitans. Verba priuilegii apud Gratianum extant, *in c. in ſynodo. 63. diſtin.* & apud Theodoricum Nyem, qui præter hoc priuilegium, & aliud, quo per eundem Leonem omnia bona, quæ à Romanis Imperatoribus Eccleſiæ Romanæ collata fuiſſent, Imperio reſtituta eſſe commemorat, adiicit.

c. tibi domino, 63. diſtinct. Refutatio adulatoriæ gloſſæ Adriani.

Verum vt nulla ſunt ſuperiorum Imperatorum priuilegia, contra quæ alia apud Gratianum conficta non extent: ſic & hoc Leonis priuilegium Pontificii formula iuriſiurandi, quo Ottonem Iohanni Papæ ſe deuinxiſſe tradunt, elidere conantur. Sed quam ſuſpecta, futilis, atque nullius momenti illa ſit formula, vel pueri perſpiciunt. Præterquam enim quod ne verbum quidem, quis ille fuerit Iohannes, & quotus eius nominis, quotus etiam Ottho: quis crederet Imperatorem, virtute, conſtantia, fide ac religione præſtantiſſimum, iſti monſtro, quod homicidii, periurii, ſacrilegii, inceſtus crimine pollutiſſimum eſſe ſciebat, quodque conuocata Synodo, Pontificali ſede deiiciendum duxit, iureiurando obſtringi voluiſſe? Et vt id factum fuerit, ſubſequenti Leonis Conſtitutione eo Otthonem liberatum, ac iura Imperialia eum non tantum recepiſſe, ſed & ad poſteros tranſmiſiſſe conſtat. Nam & Ottho Tertius Gregorium Quintum Pontificem creaſſe, eumque factione Ioannis decimi octaui pulſum in ſedem reſtituiſſe legitur, Antipapa oculis prius effoſſis, Pontificatu ſimul & vita priuato. Et Henricus cognomine Claudus iuris iſtius poſſeſſionem, Benedicto contra adulterinum Pontificem defenſo, Imperatoribus firmauit.

Gregorius V. ab Othone III. Pontifex renunciatus.

Italia turbatio. Platina in vita Syluestri.

Defuncto vero Henrico, & in eius locum triennio poſt legitimis ſuffragiis Cunrado primo creato, factum eſt, vt interregni occaſione, Imperii poteſtas defectione multarum Italicarum ciuitatum turbata afflictaque ſit: & eo Pontificatus deuenerit, vt qui plus ambitione & largitione valeret, is tantummodo dignitatis gradum bonis oppreſſis & reiectis, obtineret: & plures per poſticum vt fures & latrones, quam per oſtium ad ſacerdotium intrarent.

Platina in vita Gregorii. Henricus Imp. denuo metam pontificiis coercet.

Decertantibus itaque de Papatu Benedicto IX. Syluestro III. & Gregorio VI. Henricus cognomento Niger, Patri Cunrado ſuccedens, rebus per Germaniam conſtitutis, in Italiam cum exercitu contendit. Ac habita Synodo, cum Benedictum, Syluestrum atq; Gregorium, tanquam tria teterrima monſtra, abdicare ſe magiſtratu coegiſſet, Syndegerum Bamberg. Epiſcopum, cui Clementi II. appellatio fuit, Pontificem creat. A quo accepta Imperii corona, Romanos in verba ſua iurare compulit, *Pontificum electioni nequaquam ſe interfuturos, niſi id iuſſu Imperatoris ipſis concederetur.* Videbat enim optimus Imperator, eo licentiæ factioſum quemque & potentem quamuis ignobilem deueniſſe, vt corruptis ſuffragiis tantam dignitatem conſequeretur: quæ niſi ſanctitate & doctrina benemeritis, volente Deo cuipiam demandari non deberet.

NB. Damaſus Imp. abſente per ſcelus Pontificatum inuadit. Platina in vita Leonis Noni.

Adeo vero hic mos iam inoleuerat, vt cuique ſeditioſo & ſcelerato liceret Petri ſedem inuadere, vt abeunte Imperatore Damaſus ſecundus natione Bauarus, veneno in hos vſus parato, Clementem ſuſtulerit, quem virtus dare conſueuit Epiſcopatum, ſcelere comparaturus. Sed obſtitit Deus iuſtus vindex, tertio & viceſimo Pontificatus ſui die è Pontificatu eum ad nigra Tartara detrudens.

*Leo Nonus Damaſo ab Imp. ſurrogatus. * vide Bennonem. Nam Platina & Sabellic. Pontificii adulatores cum laudibus efferre conantur. Vrbem priuatus ingreditur. Denuo ſuaſu Hildebrandi monachi à clero Romano, Imp. ſpreto, eligitur.*

Quare ab obitu Damaſi, Romani iuxta iuſiurandum Imperatori præſtitum, Legatos ad ipſum Henricum tertium, Nigrum dictum, miſerunt, Anno 1049. oratum, vt optimum Pontificem ſibi daret. Qui ſtatim Brunonem Epiſcopum Tulenſem, virum bonum & ſimplicis ingenii, Legatis & Eccleſiæ Romanæ obtulit, Leonem nonum poſtea dictum. Eius ergo ſimplicitate Hildebrandus monachus * verſutiſſimus, ante in Teutonicas partes cum Gregorio ſexto ob maleficia deportatus, tunc vero intempeſtiua Imperatoris clementia dimiſſus, cognita, ei Romam Pontificio habitu petenti, partim Imperatoris odio, partim vt ſuæ ambitioni viã præſtrueret, perſuaſit, vt depoſito Pontificali ornatu, Romam priuatus ingrederetur, quod diceret Henricum nullam creandi Pontificis poteſtatem habere, ſed ad clerum populumq; Romanum eam pertinere. Voce etiam quadam quaſi cœleſti conficta, magis pacis cogitationes, quam afflictionis ſequendas eſſe, ſonante. Qua quidem ipſe commotus vrbem priuatus ingreditur. At vero Romanus clerus, ſuadente Hildebrando eundem Brunonem Pontificem eligit, eo libentius, quod omnem autoritatem eligendorum Pontificum, ab Imperatore, ipſorum iudicio, tranſtuliſſe videretur. Tulit quidem Hildebrandus doli ſui præmium Cardinalatum, ac gubernationem Eccleſiæ S. Pauli: non tamen quod Romaniſtæ moliebant-

liebantur, penitus obtinere potuerunt: quin Leone mortuo, clero populuſque Romanus Henrici potentiam reformidantes, Victorem ſecundum, Henrici magis gratia, quam liberis ſuffragiis adducti, Pontificem reciperent, legato Hildebrando ob eam rem ad Henricum miſſo. Victori ſucceſſit Fridericus è familia Lotharingica, dictus Stephanus nonus: quem ſunt qui dicant in Henricum Imperatorem inuectum, quod ſummorum Pontificum autoritatem diminueret. Sed id haud dubie poſt mortem Henrici Nigri, quæ eius tempore incidit, factum eſt. Nam quoad Henricus vixit, maieſtatem Imperii fortiter defendit, & poteſtate Imperiali Eccleſiam ordinauit, tribus Epiſcopis remotis, totidemque reſtitutis.

Eo mortuo metu ad Imp. redeunt.
Platina in vita Victoris.
Victor Secundus.
Henricus ſuam maieſtatem fortiter defendit.

Cæterum poſt mortem Henrici Nigri ac Stephani Pontificis Henrico IV. adhuc impubere Rege deſignato, mox quaſi præſagia futurarum contentionum ſeſe oſtenderunt. Nam Benedictus quidam auxilio ſuorum inconſulto Cæſare Papatum inuaſit, eius nominis decimus. Tulit id grauiter moleſteque Godfridus Dux limitis Hetruſci, quare eundem vi Roma pellit, legatos Romanos in Germaniam ad Cæſarem proficiſci, ab eoque petere ex conſilii decreto, more maiorum Epiſcopum iubens. Illi itaque Auguſtam profecti, Gerardum Florentinum Epiſcop. virum bonum ſtudioſumque paſtorem poſtulant. Is ergo continuo Pontifex approbatus, nomen Nicolai II. aſſumſit.

Mortuo Henrico Benedictus Decimus nouas turbas excitat.
Auentinus libr. 5. Ann. fol. 544.
Ubi id Roma pulſus. Et in eius locum Nicol. II. Pontifex datus.

Hic anno ſalutis milleſimo vndeſexageſimo, menſe Aprili, indictione 12. quod ambitus Lethalis Romæ inualuerat decreto ſanxit, vt defuncto Pontifice, primo Cardinales, deinde cæteri ſacerdotes, Senatus populuſque Romanus coeant, in communeque de creando Pontifice conſulent: *Saluo tamen*, inquit, *debito honore & reuerentia filii noſtri Henrici, qui impræſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, ſperatur.* Id quoque addens, vt ſi quis pecunia vel gratia humana, aut populari militariue tumultu, ſine concordi & canonica electione Cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus merito vocetur: liceatque Cardinalibus, clericis & laicis Deum colentibus, illum vt prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à ſede Apoſtolica propellere. Sed non tanta eius decreti fuit ſanctitas, quin biennio poſt, etiam cruore fuſo, pro Papatu certaretur. Nam ſtatim Nicolao mortuo, inter Cadolum Parmenſem, poſtea Honorii II. nomine appellatum & Anſelmum Lucenſem Epiſcop. ſchiſma exortum fuit. Auentinus ſiquidem diſſenſione inter Lucenſem à Nordmannis Pontificatui impoſitum, & Honorium lituo à Cæſare donatum exorta, refert, autoritate Cæſaris partium cauſa cognita, auſpicio eius Alexand. Lucenſi Pontificatum addictum, ac inde turbis maioribus ab Honorio motis, nec eo citato comparente, Alexandrum ritu ſolenni in Concilio Mantuano Pontificem renunciatum. At Platina ſuo more, Paparum quam Cæſarum auctoritati addictior, etiam inuito Cæſare, ope Mathildæ ditiſſimæ fœminæ, Alexandro Pontificatum obtigiſſe commemorat: ea ſubiungens de Hildebrando, quæ à Romaniſtis Pontificis electionem vſurpatam fuiſſe, indicent. Sed quoquo modo illa ſeſe habeant, primo in pratis Neronianis, ſecundo ad vrbem Leoninam, infeſtiſſimis animis inter Honorianos & Alexandrinos dimicatum, & Hildebrandinæ factionis acerrime Imperatori aduerſantis, fundamenta tunc iacta conſtat. Nam & Alexandrum arte ſua Pontificem conſtituit, ac eo electionem ſuam inuito Cæſare factam, tanquam minus legitimam improbante, rem eo deduxit, vt Alexander duriſſimis pugnis tractatus, ac omni reditu præterquam quinque ſolidorum Lucenſium priuatus ſub miſerabili iugo vitam finierit, prout Benno Cardinalis, qui eo tempore vixit, memoriæ prodidit.

Pontifex datus cum nomine Domini 23. d. ſt.
Decretum eiuſdem Pontificis.
c. ſi quis, 79. diſt.
Schiſma inter Cadolum Parmenſem, & Anſelmum Lucenſem Epiſcopum.
Platina aſſentator Pontificum.
Factio Hildebrandina.
Alexand. Pontificatu ab Honorio excuſſus, miſerrime vitam finit.

Extincto itaque quodam veſpere Alexandro, tum quæ longo tempore ſeſe occultarat, & multorum annorum ſpacio ſe cumularat dominandi libido, quaſi repagulis remotis effundere cepit. Nã Hildebrandus armis Nordmannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam, Campaniam, quas vi occuparant, debacchabantur, fretus, confiſus etiam opibus Mathildæ mulieris potentiſſimæ, & diſcordia Epiſcoporum Germanicorum, quos arte ab Imperatore alienarat: primus contra morẽ maiorum, Imperatoris autoritate manifeſte contempta, Pontificatum occupauit. Ac ne ab Imperatore reliqui Epiſcopi ſui confirmationem peterent, decreto edixit, de facto tum dantes, tum petẽtes inueſtituram excommunicans: vtramque ſibi perſonam impoſitam eſſe à Chriſto, ſed quodcũque vt liberet ligare & ſoluere poſſe iactitare; omnem poteſtatem in ſe transferre: temporalem ſupremamque iuriſdictionem lege lata vſurpare: Cæſares, Reges, Auguſtos, vt precario regnantes flocci facere: Cęſari leges de familiaribus dimittendis ſub interminatione excommunicationis pręſcribere: nuncios Cæſareos conatibus ipſius obſtituros in vincula conicere, ac per vrbem circumductos Roma pellere cœpit. Id facinus pleriſque Eccleſiaſticis, ſenatui populoque Romano perquam diſplicuit. Quare in Concil. Wormatienſi ea de cauſa indicto, Legatis, qui Roma venerant, auditis, & literis de Hildebrandi ſceleribus lectis, decretum Epiſcop. Galliæ atque Germaniæ eiuſmodi fit: *Vt cum primus ſine conſenſu ipſorum, aduerſus Imperatoris Romani, rerum domini à Deo conſtituti voluntatem, contra morem maiorum, contra leges, contra auſpicia, Pontificatum maximum Monachus deſertor inuaſerit, vtrunque & Imperium & Pontificatum ſicut Deum, & falſorum Deorum cultores factitare conſueuerunt, vſurpet, &c. Haſce ob cauſas Imperatorem, Pontifices, Senatum populũmque Chriſtianum, Hildebrandum abdicandum, neque oues lupo committendas, cenſuiſſe.* Deinde Cæſar & Hildebrando, & ſacerdotibus populoque Romano ſcribit, imperans ex conſilii decreto, vt ille ad priuatam vitam redeat: hi deſerto Hildebrando, more maiorum paſtorem ſibi deligant. Hildebrandus nuncio harum rerum accepto, adeo nihil commotus eſt, vt & furioſius exarſerit, inſolentiorque euaſerit. Nam cum

Tandem Pontificiorum dominandi libido erumpit.
Auent. in lib. 5. f. 564.
Hildebrandi ſcelera.
Non audet Stygium Pluto tentare, quod audet effrenis Monachus, &c.
Formula de verã extat, cap. ſi quis deinceps & quoniam inueſtituras 16. q. 17.
à Concilio Wormatienſi publice damnata.
Litera Cæſaris ad Hildebrandũ & popul. Rom.
Hildebrandus primus omnium

Pontificum Hildebrandum Imperatorem anathemate ferit.

ante quoſdam Imperatoris familiares excommunicaſſet, quorum conſiliis eum ad tales actiones impelli exiſtimabat, Cæſarem iam ipſum in conciliabulo ſuo contra ordinem iudicandi, ſacris canonibus determinatum, nouo exemplo excommunicat, proſcribit, cæſarea dignitate priuat, idque per orbem terrarum omnibus Chriſtianis atrociſſimis bullis denunciat.

Eoque Imp. redigit, ut turpiſſime Seruo ſupplex fieri cogatur.

qui tamen pœnitet, & turpiſſimas paſsiones reiicit.

Nec his cœcis fulminibus ac terrificis fumis contentus, omnes ſubditos eius præſtito iuramento ſolutos contra eum inſtigat, & per emiſſarios ſuos Epiſcopos & monachos & hoſtes eius Saxonas, tanta incendia bellorum, tantaſque cædes excitat, vt poſt innumerabiles victorias Henricus in anguſtiis poſitus, atque in periculum abrogationis Imperii veniens, ſupplex Pontificem de abſolutione rogare, culpam deprecari, & leges ſibi ab Hildebrando præſcriptas, recipere cogeretur, non ſine graui & indelebili Imperii macula, Italiæ proceribus eum ſuggillantibus, quod tam fœde, tamque indigne ſe ſubmiſiſſet, illi, qui peſſimis artibus Papatum inuaſiſſet, quique cædibus & adulteriis omnia polluiſſet. Hoc itaque Cæſar ad animum reuocato, licet quibus calamitatibus premeretur, perſpiceret, Imperii tamen maieſtatem, & exiſtimationis Cæſareæ decus commodis propriis præferendum ratus: pactiones vt turpes & iniquas reiicit. Ideoque copiis collectis, Rodulphum Sueuiæ Ducem, quem prioribus extinctis, Papa illi aduerſarium excitarat, tertio conflictu ſuperat: eoque ex vulnere mortuo, denuo Epiſcoporum Germaniæ, Galliæ, Italiæ conuentum Brixiæ, haud procul à valle Tridentina ſitæ, indicit. Quo omnibus conuenientibus, & actis Hildebrandi examinatis in hæc verba, decretum fertur:

Decretum Brixenſis Conuentus.

Quia (inquiunt) *non à Deo electum illum conſtat, ſed à ſe ipſo in fraude ac pecunia obiectum, qui eccleſiaſticum ſubuertit ordinem, qui Chriſtiani Imperii perturbauit regnum, qui regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui periurum defendit regem, qui inter concordes ſeminauit diſcordiam, &c. Nos autore Deo congregati in vnum, legatis ac literis freti XIX. Epiſcoporum, die S. Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procaciſſime ſacrilegia ac incendia prædicantem, periuria ac homicidia defendentem, diuinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, iudicamus canonice deponendum & expellendum: & niſi ab ipſa ſede, his auditu, deſcenderit, condemnandum.*

Imp. Pontificem Romà obſidet. Pontifex fugit.

Poſt hæc Imperator motibus in Germania qualitercunque ſedatis, cum exercitu Romā contendens, vrbe potitur, ac Pontificem in mole Hadriani obſeſſum ad pacem compellit: qui ea ſimulata, fugæque ornatu diſſimulato, Salernum ad Nordmannos, vt ante deſertor monachus, ſic nunc deſertor miles aufugit.

Hildebrandi encomium.

Cæſar itaque Procerum ac Epiſcoporum ſenatu coacto, more maiorum Pontificalia comitia habet, in quibus Hildebrandus *tanquam fur ac latro, veluti perfidus transfuga, ouium deſertor, gregis proditor, Chriſtianæ charitatis oſor, omnium conſenſu abdicatur.* Ac Guibertus Rauennatenſium Archiepiſcopus, concordiæ ac pacis ſtudioſus, vir bonus ac eruditus, Epiſcopus eligitur, qui moxà Clero nomine Clementis tertii inauguratus, Anno Chriſtianæ Salutis Milleſimo Octogeſimo quarto, Cæſarem cum Bertha vxore conſecrat, & Auguſtos acclamante populo ſalutat. Hildebrandus interim ſiue conſcientia ſcelerum, ſiue mœrore extorris aris & focis Salerni decedit.

Clemens Tertius in eius locum electus.

Mors Hildebrandi.

Vrbanus vel ſtius Turbanus telā ab Hildebrando orſam proſequitur.

Non tamen hac face bellorum extincta, rabies aliorum Pontificum deferbuit, ac pax orbi, & maieſtas Imperio eſt reddita. Siquidem Vrbanus poſt Victorem II. paucorum dierum Pontificem, factione Hildebrandina Garſtungi ad pontificatum euectus, cum ab Imperatore ac maiori procerum parte irreligioſitatis accuſatus, ac in impiorum numerum relatus, diu ſiue lare, ac ſine grege oberraſſet, ita artificioſe ſcelerum telam ab Hildebrando incoatam pertexuit, vt & pro Vrbano *Turbanus* diceretur, & magiſtrum Hildebrandum longiſſime ſuperare videretur.

Papa filios in patrem armat, vnde pietas eorum notanda.

Nam cum aliis nocendi artibus Henricum petere non poſſet, Filium Cunradum ex prima coniuge natum, quem Pater Italiæ præfecerat, in eum parricidialiter concitat, data illi Rogerii Nordmanni vxore, eiuſque auxilio Clementem III. à Patre Pontificem conſtitutum ſede pellit.

Et mox vtroque & Vrbano atque Cunrado ſublatis, Paſchalis II. ne à prædeceſſore ſcelere ſuperatus eſſet, nec quid ſpacii Henrico ad ſe colligendum, relinqueretur, Vrbani exemplo alterum filium Henricum, quem iureiurando adactum ſe nunquam à patre defecturum Principes Aquiſgrani Cæſarem conſalutarant, ad parricidialem rebellionem impellit: eiuſque Saxonum viribus ſuffulti opera, rem eo deducit, vt vir fortiſſimus, & maieſtatis Imperii acerrimus, longis certaminibus, & crudeliſſimis exagitationibus Paparum defatigatus, tandem contra fidem datam captus, magiſtratu ſe abdicare cogeretur.

Ob id ab ipſis pontificiis ſcriptoribus acriter notatus.

Oppreſſere itaque Pontificii tum temporis Imperatorem de Republ. præclare meritum, & pro iuribus Imperii viriliter pugnantem: ſed ſcelere, dolo & perfidia, eoque bonorum iudicio, vt qui eo tempore ſcripſere, Henrici conditionem deplorent, eumque contra Gregorium eiuſque ſucceſſores defendant, tum priuatam, tum publice id indigne factum clamitantes. In his Benno Cardinalis, Venericus Vercellenſis, Sigisbertus monachus Gemblacenſis, autor libri *de vnitate Eccleſiæ*, & Leodienſes, quorum ſcriptum 2. to. *Conſil.* reperitur.

Vtut vero res ceciderit, quem illi contra parentem filium armarant, hunc rapacitate ipſorũ ſeſe exerente ſibi aduerſarium antequam præda petita potirentur, ſenſere. Nam cum Henricus Henrici filius, à Papa & ſacrificis ad iuuandam patris oppreſſionem ſeductus, quorſum tyrannis ipſorum euaderet, ſero nimis cognoſceret, ius Imperiale in conferendis Epiſcopatibus, Abbatiis & Prælaturis defendere cœpit: ac capto Romæ propter perfidiam Papa Paſchali, ei omnia iura Imperii, quæ pater aliique prædeceſſores habuiſſent, extorquet. Confirmat omnia Papa, literis, ſigillis & iuramentis, & contra ab Imperatore ampliſſimis donis ornatur: ſed iuſto Dei iudicio filii peccatum vindicantis factum eſt, vt quam ipſe parenti fidem non ſeruaſſet, nec ipſe in aliis experiretur, & quibus ipſe patre deſerto, ſeſe coniunxiſſet, hos hoſtes crudeliſſimos ſentiret.

Aliterque quam ſperanerat res cecidit.
Dum ab Henrico Henrici filio Imperii iura ab illo viciſſim extorquente, captiuus, reclamare coactus fuit.
Friſingenſis lib. 7. c. 14.

Nam mox vbi ille Anno millesimo centeſimo ſexto in Germaniam rediit, Papa, ingenti Symmiſtarum ſynodo coacta, & peccato quod remiſſione iſtius priuilegii commiſiſſet deplorato, Gregoriique Septimi decretis confirmatis, omnia poſt longam diſcuſſionem mutat atque inuertit: ac Imperatorem, more iam recens exorto, excommunicat. Ea res multos Germaniæ Principes, in his maxime Moguntinum, ad rebellionem commouit. Cæſar itaq; ad Pontificem legatis miſſis de pace actionem inſtituit, ſed ea morte Pontificis abrumpitur.

Sed fidem & iuſiurandum veteri perfidia ſtatim abiecit.
c. ſi quis c. conſtitutiones 16. q. 7.
Cæſaremque excommunicauit.

Ab eius obitu cum Gelaſius Pontifex à Cardinalibus crearetur, Cæſare non interpellato, Imperator nullam ſui rationem habitam eſſe moleſte ferens, mox Romã venit, & Mauritium Bracharenſem Archiepiſcopum Papam conſtituit. Gelaſius vero delectus Cæſare abeunte, eum cum Papa deuouet: & per Germaniam legatis miſſis, exemplo prædeceſſorum ſubditos ad defectionem hortatur. Quare Henricus rebus ſuis metuens, in Germaniam reuertitur.

Gelaſius eius ſucceſſor eaſdem artes callet.
Mauritius Bracharenſis.

Tandem mortuo Gelaſio, cum qui in eius locum ſuffectus erat, Calixtus ſecundus ſede deturbaſſet Antipapam ab Henrico (vt diximus) conſtitutum, & Henricus potentiam Papæ Nordmannorum viribus ſuffulti, creſcere, ſeque iiſdem artibus peti, quibus pater euerſus fuerat, videret, Anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimoſecundo, Hoſtienſe Epiſcopo allaborante ita cõciliatur Papæ, *vt Imperator inueſtituram omnem per annulum & baculum dimitteret, & concederet in omnibus Eccleſiis fieri electionem ac liberam conſecrationem: ac regalia ablata, ſi qua haberet, reſtitueret: aut vt reſtituerentur, procuraret.* Pontifex rurſus *conceſſit electionem Epiſcoporum & Abbatum in præſentia Imperatoris fieri ſine violentia, ita vt electus regalia per ſceptrum ab Imperatore reciperet.* Concordia hæc eſt facta Wormatiæ Nono Kal. Octobr. Anno M. C. XXII.

Ceſſio Iuris Imperialis tanta, quanta nulla maior fieri potuiſſet.
NB.
Vrſp. fol. 271. Naucler. generat. 37. Friſingenſis l. 7. c. 16. Cuſpinianus in vita Henrici V.

Sic Iura Imperii, quæ penes Imperatores iam inde à temporibus Conſtantini fuerant, autore Hildebrando ſceleratiſſimo monacho Pontifices Romani ad ſe rapuerunt, non conceſſu Imperatorum, vel iure vllo, ſed ſeditionibus, horribilibus tumultibus, & tantis bellis, vt viribus Imperii acciſis, ſubſequentes Imperatores, quantumuis potentes, vel exemplo Henricorum commonefacti, vel metu tyrannidis Pontificalis deterriti, ea negligere, & quaſi pro derelicto habere coacti ſint.

Pacta per ſe inhoneſta ipſo iure reſcindenda.
Fax & origo totius mali Hildebrandus, qui rectius Hellebrãdus vocatur.

Teſtis eius rei eſt Lotharius Saxo, Henrici V. ſucceſſor, quo licet vix alius inde à Carolo Magno in Italia geſſiſſe feratur, non tamen vi vel armis cauſam recuperationis iurium amiſſorum, ſed querelis & precibus agendam cenſuit. Siquidem cum ab eo Leodii, vt puto, Innocentius Secundus factione Petri Leonis Roma pulſus opem petiiſſet, pollicitus quidem eam eſt, ſed ita vt vires Imperii grauiter attenuatas eſſe conquereretur, cum ei Papa ius cõferendi Epiſcopatus & Abbatias ademerit, & eo in ſedem Barionæ reſtituto Imperator Germaniam repetiturus, ſiue perſuaſione Bernardi, quem ſecum Romam duxerat, ſiue metu maiorum motuum, ſiue ſuperſtitione ductus, rogare cœpit, vt inueſtituras Epiſcoporum, quas Imperatores multo tempore ante ſe habuiſſent, reſtitueret.

Lotharius Saxo.
[illegible] genſis.
Iura amiſſa precibus recuperare contendit:

Sed vtut benemeritus de INNOCENTIO eſſet, nihil precibus vel querelis efficere potuit, cum quæ iſtæ Harpyiæ ſemel inuncauerint, non facile ipſis extorqueantur.

ſed fruſtra.

Etſi autem ius conſtituendi Pontificis HENRICO ereptum ſubſequentes Imperatores LOTHARIUS & CVNRADVS neglexerint, & Cardinalibus, (quorum exinde potentia Clero excluſo augeri cœpit) reliquerint, tamen qui generoſioris animi, & maieſtatis Imperii amantiores fuere, idem ius ſibi aſſerere non dubitarunt. Nam Fridericus primus, qui circiter annum Domini 1154. regere cœpit, maieſtatem Imperii totis triginta annis, quibus Imperio præfuit, feliciter defendit. Poſt ortum etiam inter Alexandrum & Victorem ſchiſma, hoc mortuo, illo Romam tenente, Fridericus apud Wirtzburgum omniũ Imperii ordinum frequentiſſimo conuentu coacto, ipſorum conſenſu Guidonem Cremenſem, Paſchalem poſtea nominatum, Pontificem legit, ac decretum fieri promulgarique curat: *Nullum poſtea Pontificem fore, niſi qui more maiorum, conſenſu Imperatoris crearetur: atque nuncius duntaxat Chriſti, ſucceſſorque Petri, non etiam Cæſareæ potentiæ pertinax æmulus eſſe velit.* Atque ſingulis iuramento adactis, haud alium aut recepturis, aut paſſuris Pontificem, etiam mortuo Imperatore, edicto præcipit, vt noui Epiſcopi à Moguntino inaugurentur. Ac mox diſſoluto conuentu, Romam profectus, Paſchalem vi introducit, & in Germania Epiſcopatus & Abbatias more maiorum confert, quod Henrici conceſſionem Pontifici factam, nulla ratione in præiudicium Imperii valere, & quod Principes Germaniæ ei minime conſenſiſſe ſciret.

Fridericus I. neglecta à prædeceſſoribus Imperii iura reaſſerere ſtuduit.
Auentinus li. 6. f. 643. Radeuic. lib. 3. c. 55.
Gloſſ. in auth. quomodo oport. Epiſc. verb. conſortes generi
Pet. de bel. pert. in proœm. Inſt.
Alber. de Roſat. l Bene à Zenone C. de quadr. præſc. qui vide.

Secundus ab hoc Fridericus iunior, in initio quidem maxima immunitate ſacerdotum genus donauit, vt priuilegia clero ab ipſo conceſſa, teſtantur: ſed cum mox Romanenſes illis aduerſus

Fridericus iunior eius filius ſibi cura habuit.

Contra Gregorium Nonum. Auentinus libr. 6.ſ.671.

eum abuterentur, & Gregorius Nonus regnandi cupiditate captus Imperium diſcordia debilitare, & Fridericum diris è faſtigio rerum humanarum deturbare moliretur, pro commiſſa ſibi à Deo poteſtate, enſeque diuinitus tradito, ei fortiter reſtitit, & vt eundem abdicata regnorum & humanarum litium cura, profanorumque negociorum adminiſtratione, quibus illi interdictum eſſet, ad æmulanda pauperis Chriſti, cuius Vicarium ſe iactaret, veſtigia cogeret, omni animi contentione incubuit. Namque hæc (inquit) perniciem eſſe religionis, adeo, *vt homo ille qui dicitur Papa, diuitiis nimium auctus, maximo pietatis Chriſtianæ detrimento omnia ſibi licere, more tyrannorum peßimorum putet, rationem actuum nemini, quaſi Deus ſit, reddere velit, &c.*

Perfecturus niſi falſa religionis opinione retractus eſſet.

Ac ſane hic Imperator, tum forenſi, tum bellica laude clariſſimus, Imperio ſuam maieſtatem reddidiſſet, niſi in ea ſecula incidiſſet, quibus & Principum & vulgi animi falſa religionis opinione faſcinati, Pontificiæ ſedi aduerſari, piaculum duxere: potiorem eius quam patriæ libertatis, ac maieſtatis Imperii rationem ducentes. Tanta vis religionis, ſi animos ſemel occuparit, eſſe ſolet.

Laus Friderici.

Quod ſi hæc ætas noſtra illum Imperatorem vidiſſet, nec Imperio Germanico quicquam amplius atque auguſtius, nec Pontificia ſede abiectius contemptiuſque fuiſſet: adeo ille tyrannidi Pontificię infeſtus fuit.

Eo extincto Pontifices cornua ſumpſerunt.

Cæterum hoc generoſiſſimo Principe extincto, tum Pontifices cornua ſuperba erigere, ſuam potentiam atque tyrannidem amplificare, & pro libito toti mundo dominari cœperunt. Quod à morte eius per annos circiter quinquagintaſeptem, Italia, & ob interregnum quod ad viginti duos fere annos durauit, & ob ciuiles diſſenſiones à noſtris Imperatoribus negligeretur, & regno Neapolitano à familia Friderici ad Andegauenſes translato, Pontifices armis Gallicis ſubnixi Imperatoribus non temere oppugnandi viderentur.

Ludouic. Bauarus contra Papã Ioannem amiſſa iura armis defendit.

Vide Auentin. li. 7 fol. 760. & ſeq. Naucleram & alios.

Donec quod rerum ſumma Anno Domini trecenteſimo decimoquarto ad Ludouicum Bauarum delata: is Iura Imperii obliterata ſua aſſertione contra Iohannem XXII. nitori priſtino reſtituere cœpit. Nam cum à Pontifice excommunicatus eſſet, quod Italiam cum exercitu ingreſſus, municipiis & oppidis præfectos ipſo repugnante conſtituiſſet, & quod ſtatim poſt electionem, antequam à Papa iuberetur, nomen iuſque Imperii ſibi vſurpare non dubitaſſet: ille de conſilio procerum, Petrum Corbarienſem ordinis Minorum ex Reatino agro oriundum, more maiorum Pontificem creauit: & hominibus diuini humanique iuris conſultiſſimis conuocatis oſtendit, *Papam nullum omnino ius ſupra Cæſarem habere*, imo contra, *Papam cum omnibus ſpiritualibus, ſummis & infimis, debere eſſe ſubiectum ſuperiori poteſtati.* Simulque ſine diſcrimine omnes Epiſcopatus & Prælaturas Imperii, frendentibus & varia contra ipſum bella excitantibus Romaniſtis, contulit.

Vtinam poſteri idem feciſſent.

Qui deinceps hunc ſubſecuti fuere, vel artibus Pontificum impediti, vel falſa & ſuperſtitioſa religione victi, parum contra Pontifices mouerunt, ſed illos in quieta iuris poſſeſſione vel quaſi reliquerunt, iis interdum ad hæc ipſorum libidini permiſſis, quibus Imperii maieſtas non parum deformata imminutaque fuit.

Naucl. gener. 46 Cuſpinian. & alii.

Carolus IV. qua lege coronatus.

Sigiſmund. Imp. duplex ſchiſma vidit & tulit.

Nam & ſucceſſor Ludouici Carolus IV. de conſenſu Papæ Innocentii VI. qui in Galliis tum erat, ab Hoſtienſi Cardinale, ſe Romæ ea lege coronari paſſus eſt, ne vel Romæ vel in Italia diutius hæreret, & Sigiſmundus Imperii ſui tempore, duplici Paparum ſchiſmate exorto, quos ſuo iure pellere debuiſſet, non ſine grauiſſimis laboribus, ſumptibus & periculis, regna Chriſtiani orbis fere omnia peruagatus, auctoritate Concilii generalis Conſtantiæ indicti Pontificatu moueri voluit.

Epiſtola exſtat in fin. Clemangii, & in faſciculo rerum expetendarum Coloniæ impreſſo.

Poſtremo vero cum Fridericus Auſtriacus eius nominis III. Anno 1441. conuentu Moguntiæ indicto, ac Rege Galliæ ad eum per literas inuitato, magnum quid pro Imperii honore ac commodo moliretur, eius præclari conatus arte Pontificis, regi Gallorum frequentationem iſtius conuentus diſſuadentis repreſſi fuere.

Ciuilis diſſenſio in cauſa quominus amiſſorum recuperandorum conſilia ſuſcipiantur.

In formul. rei conuenti verb. præſcriptionis, num. 24.

Ex eo licet talis in religione mutatio inciderit, quæ occaſionem recuperandi iura Imperialia inſignem oſtenderit: tamen ciuili noſtra diſſenſione, ac mutua animorum alienatione factum eſt, vt de reliquorum conſeruatione potius, quam amiſſorum recuperatione conſilia ſuſcipienda fuerint: ac id nobis metuendum, vt à quo iampridem iura amiſſa extorquenda fuiſſent, is occaſione noſtræ diſſenſionis fretus, ea tentet, quibus vel maiora ſibi acquirat, vel nobis incendio excitato inſignem aliquam cladem conciliet. *Non* etenim, vt Practicus Ferrarienſis ante annos centum & ſexaginta tres veriſſime ſcripſit,

Homo ille,
Cui licet vnanimes armare in prœlia fratres,
Atq; odiis verſare domos, & verbera tectis,
Funereaſque inferre faces, &c.

Donatio Conſtantini aliquando erit reuocanda

quieſcet, dum Eccleſia (vt vocant) ciuitates ac caſtra poßidet, nec donatio eidem facta à Conſtantino, per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus ſit reuocata, cum non concordet Pſalterium cum Cithara, nec datum ſit a Chriſto, nec à beato Petro, quod poßidere debeant talia, ſed quod Cæſaris eſt, reddatur Cæſari: & quod eſt Dei, Deo, &c.

DE MORE VNGENDI APPROBANDIQVE CÆSARES, CONVERSO *rerum ordine, per Papas introducto.*

AGe vero vt hactenus ea quæ de confirmatione Pontificum olim per Imperatores fieri ſolita, hinc inde inueniuntur, hiſtorica fide retulimus: ſic nunc de vnctione Imperatorum videamus, ea illi annectentes, quæ Pontificii ad imminuendam poteſtatem & autoritatem Imperialem de confirmatione Imperatoris commenti, Papam in temporalibus Imperatore maiorem, & eum illius vaſallum conſtituere conantur. Iis etenim cognitis, quam ſententia eorum vi magis ac fraude Pontificia, quam iure conſtabilita ſit, facillime iudicatu erit.

Canoniſtæ c. de iureiur. & c. 1. de maior. & obed. c. nouit. ext. de iudic.

Vnctio itaque ab Hebræis cœpit, apud quos, vt in Biblis legitur, oleum ſuper capite fuſum, regiæ conſecrationis & ſacerdotalis electionis ſignum habitum fuit. Sic Saul à Samuele, 1. *Reg. cap. nono*, Dauid à viris Iudæ, 2. *Reg. cap.* 2. Salomon à Nathan. 3. *Regum ca.* 1. Haabel & Iehu filius Nauſi ab Helia, Reges inunguntur, Aaron à Moſe ſacerdos, *Lev.* 8.

Cæſares Pontif. ſecum vaſalli.
Vnctio apud Hebræos cœpit.

Imperio autem Conſtantinopolim tranſlato, cæteris electionis regiæ ceremoniis imitatione Hebræorum, hæc addita fuit, vt qui primum Imperator renunciatus eſſet, à Patriarcha Conſtantinopolitano in magna Byzantii baſilica oleo vnctus diademate aureo coronaretur. Idque primum, vt coniectura eſt, Iuſtino Iuſtiniani auunculo, introducente, qui primus à Iohanne Pontifice vnctus & coronatus legitur, quo auguſtius ei magisque ratum Imperium foret. Conſtantinopolitanis deinceps Patriarchis eam ceremoniam adminiſtrantibus, ea ratione, vt quamuis nihil iuris in Imperium ſibi arrogarent, vitæ tamen Imperatorum examinatione habita, eos qui ad Eccleſiam coronæ accipiendæ gratia, manifeſtis atque notoriis delictis polluti veniſſent, ritu Eccleſiæ Græcæ, donec quod pœnitentiam egiſſent, arcerent.

Iuſtinus primo vnctus.
Vnctio qua de cauſa introducta.

Cum vero Leo Papa Tertius populi Romani ſcito, clerique rogatu, Carolum Magnum ob egregia in ſe, inque Chriſtianum nomen merita, in magno illo natalis Saluatoris noſtri die Anno ſalutis octingenteſimo primo Romanorum Occidentis Imperatorem pronunciaſſet, eum quoque vna cum filio Pipino more Imperatorum Orientalium, oleo vnctum aureo diademate inſigniuit.

Carolus Magnus Occidentis Imperator renunciatus & vnctus.

Hunc morem à Leone inſtitutum, tam Pontificatus quam Imperii ſucceſſores, deinde quaſi ſibi per manus traditum, religioſe obſeruarunt, cum in initio Pontificibus adhuc humilioribus, & more nondum confirmato, ipſi ſua ſponte ad reges vngendos in remotiſſimas terras proficiſcerentur, & Imperatores minime eam ceremoniam auerſarentur, ſed animis libentibus reciperent: non quod iuriſdictionem ſe inde conſequi arbitrarentur, ſed eccleſiæ precibus & benedictione ea dona ſibi interius conferri & augeri cuperent, quæ exterior atque viſibilis vnctio præfiguraret, vt Albinus de Roſate recte exiſtimauit, *ex capitul. primo de ſacra vnction. extr.* vnde & peritiores rerum geſtarum ſcriptores Friſingenſis, Sigisbertus, Vrſpergenſis, Nauclerus & alii eius ritus mentionem facientes, *benedictionis* appellatione eum nominare conſueuerunt.

Quod poſtea in conſuetudinem à Pontificibus eſt acceptum.
Sigisbertus de Ludouico Pio.
Cuſpinianus in vita Ludouici Tertii.
l. Bene à Zenone n. 19. C. de quadr. præſcript.

Vt vero hi, quibus poſt aſſumptam regni adminiſtrationem vnctio ſeu benedictio Papalis impartita eſſet, prærogatiua quadam vterentur, tempore Caroli cognomento Craſſi, libero procerum arbitrio, nullaque Pontificis autoritate intercedente, eſt introductum, vt ii ſpecioſum *Cæſaris* nomen, & omnes antiquorum Auguſtorum titulos vſurparent: qui vero ea carerent, *Reges* tantummodo vocarentur, differentia quæ nomine magis quam re conſtet. Cum & olim qui Imperatores dicebantur, Reges nihilominus nominarentur: & qui poſt hanc differentiam fuere reges non conſecrati, eadem poteſtate fuerint, qua Imperatores: quippe cum *Imperialis poteſtas ex electione non vnctione conferatur*, communi Iureconſultorum * ſententia.

Vnctio alias benedictio vocata.
Titulorum diſtinctio inter vnctos & non vnctos.
d. l. Bene à Zenone, & ibi Alber. num. 19.
** Decius conſil. 194. lib. 1. Marc. Laud. in tract. de princ. not. 25. Io. And. & Dd. in c. 1. de conſtit.*

Senſiſſe id mihi rectiſſime videntur cum alii omnes, qui titulo regio contenti conſecrationem Pontificiam neglexere, tum vero Henricus cognomento Auceps, cui cum regi Romanorum deſignato, vnctio à ſummo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, offerretur: Satis (reſpondit) eſt me diuina annuente veſtraque pietate regem dici: tanto honore nos indignos arbitramur: *ſit penes eos vnctio, qui meliores eſſe cupiunt: hac ſumus appellatione contenti.* Haud dubie ſignificare volens, ſe vnctione quæ præter ſpecioſos titulos & ſumptus inanes nil iuris adferret, facile carere poſſe.

Abbas Vſpergenſis & Cuſpin. in vita Henrici.
Henrici Aucupis præclare reſponſum.

Ac ſi votis præterita emendari poſſent, optandum eſſet complures Imperatores qui benedictionem Pontificiam receperunt, eiuſdem cum Henrico ſententiæ fuiſſe, non tam Pontificia tyrannis audacta, Germania tot vanis ſumptibus vexata, denique ſuo ſanguine aliquoties repleta fuiſſet. Quis etenim hiſtoriarum non penitus ignarus eſt qui neſciat, magno ciuitatum ac prædiorum Imperialium munere Imperatores oleum Pontificale mercari, aut Pontifices pulſos ſedi Bationæ reſtituere, aut prouincias vel vrbes Eccleſiæ aduerſantes ſubigere, denique omnes donationes in præiudicium Imperii factas confirmare coactos fuiſſe.

Pontificia tyrannis Cæſarum vnctione creuit.
Oleũ Pontificale.

Interea vero quæ expenſæ vaſallis aut dominum comitantibus, aut pro feudi quantitate ſtipendium militiæ ſoluentibus faciendæ fuerint, cum nullo ſuo vel patriæ commodo, nemo vſque adeo rerum imperitus eſt, qui non intelligat. Ac vt illa ferenda, & dignitati Principum condonanda eſſent,

Paragraph. fin. de allod. in vſib. feud.

Vnctio magnorum motuum causa. [illegible] nationis initium ex vnctione. Cuſpin. in vita Friderici.

da eſſent, quis nam diſſenſiones, turbas, tumultus, clades denique publicas vnctionis occaſione ſæpius exortas conſiderans, eam neglectam potius quam ſeruatam fuiſſe nollet?

Cum etenim ſuperbia Pontificum, qui Imperatorum pia beneficentia ditati, auctique potentia eſſent, indies creſcente, illi contra inſtitutum moremque maiorum, ſub titu ſeu vnctionis ſeu benedictionis Imperatoriam maieſtatem ſuo ſuffragio confirmare, eamque ſibi fidelem & ſubditam videri vellent, nec Romani Principes præpoſteram Pontificum ambitionem ferendam imperiiue autoritatem proiiciendam eſſe cenſerent, tantorum certaminum ſemina ſunt nata, vt Germania ſæpius ſanguine redeundans, cædibus magis, quam oleo Cæſares ſuos conſecratos poſſit dicere.

Auentinus li. 5. fol. 564.

Pontificum iactantia, & in Impp. ludibria.

Eius vero mali, vt ſupra diximus, autor fuit ſceleratiſſimus ille Monachus Papa Hildebrandus: Nam cum is vnctione in ſupremi dominii ius falſiſſima interpretatione transformata, mundi Imperium à ſe pendere, Imperatorem cum regibus precario regere, ſibi vtrumque gladium à Chriſto datum impudentiſſime iactitaret: ac per ſucceſſores ſuos, Imperatorem Henricum autoritatē ſuam ac Imperii iura non tantum enſe & armis, ſed & ſcriptis eruditorum ſtrenue defendentem, poſt tot prælia, quot à nullo vnquam facta leguntur, in eas anguſtias parricidiali filiorum conſpiratione redegiſſet, vt Imperio ſe abdicare cogeretur, reliqui deinceps Pontifices, qui animos Imperatorum ob exemplum Henrici remiſſiores perſpicerent, in omnes fimbriæ Papalis extendendæ occaſiones intenti, id quæſiuere, vt ſi non vi aperta ac manifeſta, machinationibus tamen, dictis ac ſcriptis quaſi cuniculis quibuſdam Imperatorum maieſtatem immunitam conuellerent, eoſque ſuæ ſubiectionis iugo depreſſos tenere viderentur.

Radeuicus li. 3. c. 10. Lotharius Saxo religione eius temporis motus, ad Papæ pedes ſe demittit. Ehri intolerandum faſtum.

Quare cum ab Imperio Henricorum Lotarius Saxo Imperator omni laude digniſſimus, vel perſuaſione aliorum, vel ſuperſtitione adductus, coronam accipiendo ſeſe ad pedes Pontificis abieciſſet, Romaniſtæ vt in præiudicium aliorum Imperatorum id factum contorquerent, & ad poſteros tranſmitterent, eo abeunte in palatio Lateranenſi picturam cum huiuſmodi inſcriptione poſuerunt:

> *Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores.*
> *Poſt homo fit Papæ: ſumit quo dante coronam.*

Qui Fridericū Imp. maxime offendit.

Cæterum cum aliquot annis interiectis Fridericus primus Romam veniſſet, vt opinor, coronæ cauſa, ei pictura per fideles Imperii monſtrata, ſummopere diſplicuit. Nam Papæ hominem fieri, idem ei erat ac ſeruum vel ſubditum. Quare amica obiurgatione præcedente, cum Papa de ſcriptura & pictura tollenda agit, ita vt ipſe poſtulatis Imp. ſubſcriberet, ne tam vana res ſummis in orbe viris diſcordiæ materiam præbere poſſet. Verum cum Cæſar in Germaniam diſceſſiſſet, Papa re cum ſuis deliberata, metuensque hunc Imperatorem minime ea ratione, qua Lotharium, ſedi Pontificiæ ſubiici velle, ſtatuit generoſioris animi iſtius motus retundere, & monſtrare, eum reuera ſuū ſubditum eſſe, & à ſe coronam ac dignitatem Imperialem accipere.

Radeuic. li. 3. c. 9

Legati Papæ ad Cæſarem.

Superba & Thraſonica legati Pontificii oratio, de qua vide Auentinū, li. 6. fol. 636.

En quo olim Cæſarum ſerui abierunt.

Radeuic. vbi ſupra.

Ottho de Wittelspurg.

Indignatio Cæſaris ſuper legati oratione.

Nactus itaque ſuæ ſententiæ declarandæ occaſionem, ratione Lundonenſis Archiepiſcopi, quem captum ac rebus omnibus ſpoliatum, neſcio quis in carcere detinere dicebatur, mittit ad eū ſuperbam legationem, ſimulatque ſe expoſtulare cum illo, quod non liberet Epiſcopum ex captiuitate; ſed tamen interea, ea & literis & oratione legati effundit, quæ, qua ratione Imperatorē ſibi ſubiectum eſſe velit, abunde teſtarentur. Nam & literis eum admonuit, vt præ oculis haberet, vt inſigne Imperialis coronæ ab ipſo accepiſſet. & ex lectione literarum turba inter optimates regni exorta, legatorum aliquis dicere non dubitauit: *Romanum Imperium à Græcis tranſlatum eſt ad Alemannos, vt rex Teutonicorum, non ante quam ab Apoſtolico coronaretur, Imperator vocaretur, ante conſecrationem Rex, poſt Imperator, vnde igitur habet Imperium, niſi à Papa?* Ex electione ſuorum Principum habet nomen regis, ex conſecratione Papæ habet nomen Imperatoris & Auguſti & Cæſaris. Ergo per Papam imperat. Recolite antiqua. Zacharias promouit Carolum, fecit ei nomen grande, vt eſſet Imperator: & vt poſthac perpetuo Rex Teuthonicus eſſet Imperator, & aduocatus ſedis Apoſtolicæ, vt Romano Epiſcopo Apulia per eum pacata eſſet ſubiecta, quæ Papæ cum vrbe Romana eſt, non Imperatoris. Roma Papæ ſedes eſt, Imperatoris eſt Aquis in Arduenna, quæ eſt ſylua Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à Papa, ſicut Zacharias tranſtulit Imperium à Græcis ad Teuthonicos, ita Papa poteſt id ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in poteſtate eius eſt, vt det illud cui vult. Propterea conſtitutus à Deo ſuper gentes & regna, vt deſtruat, euellat & ædificet, & plantet.* His vero auditis & Imperator debitam indignationem concepit, & omnes proceres tanta ira exarſere, vt Ottho de Wittelſpach ſtricto enſe, quem ante Imperatorem progerebat, in legatum irruerit, confoſſurus niſi Imperator interceſſiſſet: eas deinceps rationes ſuſcipiens, quibus hac vana iactantia Papæ ſeſe grauiter offenſum cōprobaret. Nam & legatos ad ſua habitacula deductos primo mane viā ingredi iuſſit, cū mādato ne hac vel illac in terris Epiſcoporū ſeu Abbatū vagarētur: ſed recta via ad vrbē reuerterentur. Et ne quis aliquid præter meritū ipſis accidiſſe putaret, Cæſar cum proceribus literas per totum Imperiū mittit, quibus rei geſtæ ſeriem exponens de Imperii honore violato, grauiſſime conqueritur cum declaratione: *Per electionē*

Principum

Principum à ſolo Deo regnum & Imperium eſſe. Quare quicunq; Imperatorem à Papa Imperialem coronam pro beneficio ſuſcepiſſe diceret, hunc vt diuinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarium, & mendacii reum damnandum eſſe.

Epiſtola extat apud Radeuicũ loco ſupra allegato.

Sic itaque vana Pontificis iactantia, virtute Imperatoris, & magnanimitate procerum repreſſa, conquieuit. Donec quod Henrico filio Friderici defuncto, Germania nouis motibus ob diſcordem electionem Otthonis Quarti, & Philippi Imperatoris implicata, Innocentius Tertius occaſionem illorum, quæ hactenus dubia & controuerſa fuiſſent, ex animi ſui libidine definiendi nactus: ea conſtituit, quibus Imperialis culminis maieſtas depreſſa, Pontificio examini ſubiiceretur. Siquidem cum à Conſtantinopolitano Imperatore, Patriarchæ vrbis eiuſdem, non eum qui ſibi videretur, ſedis honorem aſſignari, ſed in ſiniſtra parte ſcabelli pedum collocari intellexiſſet, arrogantius quam religioſius literis ſcriptis eum reprehendit, Regnum ſacerdotio præeſſe aſſerens, & tantam inter Reges & Pontifices differentiam eſſe, quanta inter Solem & Lunam ſit, Pontificatu ſoli, regno Lunæ comparato, vt videre licet *c. ſolitæ, de maior. & obed.* Et Philippo Imperatore Germanico electo, quem ipſe odiſſet, legatum ſuum, qui eius, vt periuri & perſecutoris Eccleſiæ electionem reprobaret, in Germaniam miſit: non ſine Principum Imperii aduerſatione, qui à ſede Apoſtolica falcem in alienam meſſem mitti, *nec legato vel Electoris, vel cognitoris vices competere* dicerent: Pontifex itaque hoc cognito, de tota re ad Bertholdum Zaringiæ Ducem, quem pecunioſum Philippo aduerſarium obtrudere conabatur, prolixe ſcribit: ac obiectionibus Principum Pontificali autoritate dilutis, *ius ac poteſtatem eligendi Regem ad Electores, autoritatem vero examinandi perſonam electam, ad ſe pertinere dicit, quod eius examinatio & approbatio, cuius vnctio & conſecratio ſit.*

Pontificum iactantia exinde aliquandiu quieuit.
Donec Innocentius III. eam reſuſcitauit.
Eo impudentiæ delapſus, vt ſe Soli cõparauerit.
Contrarium vide Ioannem Parrhiſium de poteſtate regia & papali, art. (ni fallor) 12.
Et Philippum Imp. electum reiecerit. c. venerabilem, de elect. pot.
Aſſerens, ius approbandi Imperatores ad ſe pertinere.

Ea itaq; Pontificis ſententia, quamuis vel iure vel conſenſu procerum Imperii nullo approbata, quippe ad concitandos Philippo Imperatori hoſtes, Bertholdo Zaringiæ Duci, arte qua potuit expoſita: tamen à Petro Beneuentano ſubdiacono Innocentii *compilationi Decretalium* inſerta, ac à Pontificiæ tyrannidis adulatoribus ſcholis illata, & diſcentibus pro vera obtruſa, præeminentiam Papalem, & Pontificiæ confirmationis petendæ morem conſtabiliuit, coniunctum non ſolum cum inſigni Imperii diminutione, ſed & multorum præſtantiſſimorum Principum grauiſſimis iniuriis.

Cui adulatores Romani in ſuis compilationibus ſuffragantur.

Quorum etenim Imperatorum confirmatio poſt hæc tempora facta legitur, quæ dum præfecturæ, vrbes, Ducatus ac Regiones Italiæ Imperatoribus ad huc parentes, ſupereſſent, non inſigni aliquo iſtorum munere redimenda fuerit? Hinc etenim pleræq; Imperatorum, iuſtæ liberalitatis modum excedentes donationes: quæ in Pontificiis libris commemorantur, fluxere. Nam & Otthoni, Philippo reprobato, Innocentius imperium ideo ratum firmumque eſſe iuſſit, quod Ducatum Hetruriæ, quem alter inuaſerat, recuperatum Eccleſiæ donaret. Et Fridericus de bonis & prædiis Imperii in Italia ſitis tam multa Eccleſiæ Petri non alia de cauſa contuliſſe refertur, quam vt Honorii Papæ Friderici familiæ infeſtiſſimi, confirmationem minime Imperatoriæ maieſtati neceſſariam eliceret. Et qui huic poſt longam Imperii vacationem & ciuilia bella ſucceſſit Rodulphus Habſpurgicus, quamuis diadematis Imperialis accipiendi gratia Italiam adire refugerit, quod Cæſarum in Italiam veſtigia læta, magnifica, plenaq; ſpei, ex Italia vero referentia, triſtia, miſera, luctuoſaque eſſe diceret cum recitatione apologi Æſopici *de vulpe & leone*, tamen Greg. X. electionem ipſius ratam habenti, Bononiam, præfecturas atque ducatus hactenus Imperio parentes, quæ quotannis millia drachmarum ſeptingenties penſitarent, conceſſit: ea tamen lege adiecta, vt iſta pecunia ad expeditionem Palæſtinam & ad Græcos Eccleſiæ Romanæ ſubigendos vteretur.

Iniuria & incommoda Imperio inde nata. c. de iureiur.
Nauclerus generat. 41.
Abbas Vrſperg.
Paralipom. Vrſperg.
Id Maximilianus Imperator Principibus aperuit.
Anno 1511. vt in Grauaminibus refertur.
Stabilita tyrannide Pontifices pro libitu ſuo Imperatores vel approbarunt vel reiecerunt.

Mox vero cum exuuiis Imperii ornati, & erronea opinione autoritatis, Cæſaris confirmandi reiiciendiue muniti eſſent, in tam tyrannicum faſtum ſe exerunt, vt optimum ac præſtantiſſimum quenque non ſaltem approbatione ſeu confirmatione ſua dedignarentur, ſed & conuiciis ac opprobriis nefandis ſuperbiſſime notatum reprobarent. Non hic eius demonſtrandi cauſa commemoro, quibus iniuriis Innocentius III. Philippum in ſua *Decretali* onerarit, ∎ contra Scripturæ diuinæ mandata improperans, quæ frater & parentes peregerint, quam thraſonice iactitarit, *ſe aut Philippo diadema regium, aut ipſum ſibi inſigne Apoſtolicum ablaturum, quod quæ Apoſtolico in hoſtes libeant, ea quoque licita ei putentur.* Illa vero generoſiſſimorum Auſtriæ Ducum, Alberti nimirum & Friderici, non male de Eccleſia Romana meritorum ſuperbiſſima reprobatio, minime iniuriæ inſignis expers haberi poterit.

Innocentii III. faſtus.
d. c. venerabilẽ.
Abbas Vrſpergenſis.
Nauclerus generat. 40.
Albertus & Fridericus Duces Auſtriæ à Pontifice reprobati.

Nam cum Albertus patris Rudulphi exemplo electionis ſuæ confirmationem à Bonifacio octauo, qui ſe totius mundi dominum iactitabat, per oratores peteret: is enſe accinctus, coronaque Imperatoria ornatus, in publicum prodiens, tyrannica voce exclamauit: *Ego ſum Cæſar & Pontifex:* ac indignabundus electionem quæ ſine ſua autoritate facta eſſet, vt nullam & friuolam reiiciens, & confirmationem recuſans ipſum contumelioſo opprobrio *homicidam* appellitauit. Hæccine, O Petre, digna tuo ſucceſſore? vel tuo Vicario ſalutifer Chriſte? vel toleranda in ſeruo ſeruorum tuorum?

Inſignis quidem hæc Bonifacii arrogantia, in reprobando Principe clariſſimo: ſed non minor

Bonifacius VIII. ſe totius mundi dominum iactitat.
Paralip. Vrſperg.
Cuſpinianus in vita Alb. Nauclerus gener. 44.
Optimum Imp. homicidam appellitat.

 ea, quam

Iohannis XXII. ſcomma in Fridericum Cæſarem.
Auentinus lib. 7 fol. 7,0

ea, quam Fridericus eiuſdem familiæ Princeps aliquot deinceps interiectis annis à Iohanne XXII. retulit. Hic ſiquidem Cunrado Gurcenſi Epiſcopo ab Auſtriacis ad ſe miſſo, vt Ludouico Bauaro in ordinem redacto, Friderici imperium ratum eſſe decerneret, petenti, & auos atauosq; Friderici collaudanti, ac fortes fortibus atque bonis procreari, & in iumentis atque equis eſſe patrum virtutem, nec imbellem columbam feris aquilis progenerari, multis commemoranti, reſpondiſſe fertur *Salomonem omnium mortalium haud dubie ſapientiſſimum, filium tamen ſtolidiſſimum genuiſſe*, ſcommate, quod vt Fridericum à maioribus degenerare latenter innueret, ſic Pontificem nihil minus quam virtuti prædeceſſoris Petri reſpondere clare oſtenderet.

Pontificum arrogantia.

Hoc ergo iure approbandi reiiciendiue Cæſares, poſt exortas Epiſcoporum inueſtituras aucti, cupiditate inexplebili opprimendæ dignitatis Cæſareæ ac fimbriæ Pontificalis extendendæ æſtuantes ad alia mox animum conuertunt. Nam vt dicitur:

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Tanta. Vt etiã ab Imperatorib. fidelitatis iuramentũ exegerint

Quare vt in omnium, quæ per fas ac nefas Imperatoribus ademiſſent, ſecura poſſeſſione manerent, de Imperatoribus fidelitatis iuramento obſtringendis cogitarunt, ignari, quæ fides, ac quanta religionis obſeruantia in noſtris Principibus eſſet. Etſi enim & iuramenti à Ludouico Pio, & Otthone Primo præſtiti formulæ ipſorum libris inſertæ eſſent, & pro ipſorum intentione allegarentur, tamen cum (vt ante diximus) eæ tales eſſent, quæ fidelitatis probationem euincerent, id tentandum duxere, vt quacunque ratione voti ſui compotes redderentur.

Nauclerus generat. 44.
Henrico VII. Imp. in Italiam aduenienti pax ſub fidelitatis iuramento à Pontifice imperata.
c. 1. de iuretur. in Clem.

Cum itaque Henricus eius nominis Septimus, poſt Albertum Cæſar deſignatus ad res Italicas, partim Pontificum ambitione, partim inteſtinis diſſenſionibus, deniq; ſexagenaria noſtrorum Imperatorum abſentia turbatas animum adieciſſet, ac multorum populorum diſſenſione ſublata, Romam vſque veniſſet, motus à Roberto Siciliæ rege excitatos compreſſurus, Clemens Quintus qui tum Auinione degeret, & Roberto tanquam Eccleſiæ vaſallo faueret, vtrique ſub iuramento fidelitatis, qua Eccleſiæ tenerentur per literas pacem imperauit. Henricus itaque, qui noui exempli rem eſſe, nec vſurpatam anteceſſorum ſuorum ætate videret, Principem Principum, ac orbis terrarum dominum ſeruo ſeruorum fidelitatis iuramento teneri: requiſitis tabellionibus, & accerſita hominum multitudine copioſa, reſpondit, quod nunquam iuramentum præſtiterit, nec eo cuiquã obligari velit, nihilominus Columnenſium fideli opera à Cardinalibus, ad id miſſis coronam accipiens.

Immane & atrox ſcelus ſynagoga Pontificia.
Tenor & capita iuramenti fidelitatis.

Cæterum Henrico paulo poſt ſcelere Bernhardi Dominicani ipſi hoſtiam toxico oblitam porrigentis, extincto, Clemens qui contradictore careret, vt in poſterum Imperatores Pontificibus ad fidelitatem iurandam promptiores efficeret, quid eo iuramento contineatur, demonſtrat, nimirum vt Cæſar Eccleſiam Romanam defendat, hæreticos exterminet, neque cum impiis vllum commercium habeat, vt Pontificum dignitatem modis omnibus tueatur, vt priuilegia quondam Eccleſiæ Romanę conceſſa, quocunque tempore conſeruet, inprimis ea, quę profecta ſunt à Conſtantino, Carolo Magno, Henrico, Otthone Quarto, Friderico Secundo, Rodulpho, ne quid iuris in illas Eccleſiæ Romanæ facultates atque poſſeſſiones quocunque titulo ſibi vendicet, vt reliquas etiam vbiuis Eccleſias, earumque libertatem ac iura protegat, &c. Et vt certior eius rei noticia extaret, reſcriptum id in Concil. Viennenſi conceptum inter decretales referri curat, quæ à nomine ipſius *Clementinæ* dicuntur, ſub tit. *de iuretur.*

Concilium à Ludouico IV. contra Benedictum Papam more maiorum in Imp. ſententiã inſtitutum.
Verba Alberti Krantzii lib. 9. Saxon. c. 15.
Imperator citra aſſenſum Papæ eligendus.

Cæterum aliquot elapſis annis cum rerum potiretur Ludouicus Quartus & Iohannis XXII. (qui cum Imperatore acerrimas contentiones habuerat) ſucceſſor Benedictus XII. non tantum odium in innocentem continuaret, ſed & diris deuotum Ducatu Bauariæ, omnique honore regio ſententiis priuaret, Imperator Francofurti ſolenni conuentu indicto, in quo præter Imperii proceres, & Angliæ rex nihil Imperio debens adfuit, ea publico procerum & omnium ordinum conſenſu pro imperialis dignitatis aſſertione ſtatuit, quibus omnia fere ſuperiora Pontificum acta atque decreta ad nihilum redigerentur. Inter alia v. quod *electus à Principibus aut à maiori & ſaniore parte adminiſtrationem habeat, citra aſſenſum Pontificis. Nam ea quæ præter hæc introducta ſunt, nec diuino iure, nec vlla patrum ordinatione, ſed blanda quorundam aſſentatione & ſpontanea ingeſtione Romanorum Pontificum prouenerint. Electus inſinuetur Romano Pontifici, quod ſit princeps Catholicus, iuſtus: petaturque coronatio, quæ (niſi obſtiterit manifeſta cauſa) ſi negetur, ſumatur conſecratio à quouis Catholico Pontifice. Nam omnes illæ ſolennitates per Eccleſiam introductæ fuerunt. Quis enim Rom. Pontifex conſecrauit Conſtantinopolitanos Imperatores? Et quis ante Carolum multos Chriſtianos Cæſares? Et ante Conſtantinũ quis conſecrauit Ethnicos Imperatores?*

Non fidelitatis ſed humilitatis iuramentum præſtet.
Papa nullum ius in imperium habet.
Eiuſdem Ludouici Conſtitutio.

Deinde ordinatum eſt, quod *Imperator præſtabit Pontifici & Eccleſiæ, deuotionis & humilitatis, non fidelitatis, homagii aut ſubiectionis iuramentum, quia temporalis dominii Papa Imperatori nihil tribuit, imo Eccleſia omnia illa ſumpſit ab Imperio. Gladius enim vterque nihil habet commune, cum alter animam, alter* corpus ſolum conficiat. *Ibique decreto firmatum eſt, quod Papa vacantis Imperii adminiſtrationem habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola vſurpatio introduxit. Hæc tum Principibus in cœtum Imperii congregatis viſa fuere in rem Chriſtianam obſeruanda.* Hactenus Krantzius. Nec vero hiſce decretis Ludouicus contentus, etiam conſtitutionem, vt Alberic. Roſates refert, edidit, qua, qui Imperatorem electum confirmatione Pontificia indigere, ac Imperium à Papa pendere dicerent, læſæ maieſtatis reos, & omnibus feudis ac priuilegiis, quæ ab Imperio haberent, ipſo facto & iure priuatos eſſe ſanxit. Quæ vtinam inuiolabiliter ad hæc vſq; tempora obſeruata fuiſſet, non ea quæ iam ex Pontificiæ autoritatis defenſione, animorum disiunctio, ac alienatio conſpicitur, maxima cum Imperii iactura enata fuiſſet, nec plerique Pontificiæ, quam Imperialis maieſtatis dignitati addictiores eſſe inuenirentur. Verum ab hac

ingrata

ingrata & intempeſtiua querela abſtinentes, Imperatorem, iure optimo autoritatem ſuam grauiſſima conſtitutione à Pontificiæ confirmationis autoritate aſſerentem, & euanida Pontificum reſcripta obterentem, audiamus.

CONSTITVTIO DOMINI LVDOVICI IV. IMPERATORIS RELATA, & de verbo ad verbum poſita, apud Alberic. de Roſate, l. Bene a Zenone, C. de quad. præſc.

Licet iura vtriuſq; Teſtamenti manifeſte declarent Imperialem dignitatem & poteſtatem immediate in filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, & Deum per Imperatorem & reges mundi iura humano generi aperte tribuiſſe, & quod Imperator ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator: nec alicuius alterius eget confirmatione ſeu approbatione, quoniam in temporalibus non habet ſuperiorem in terris, ſed eidem ſubſunt nationes, & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus mandauerit quæ ſunt Dei, Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddenda. Quia tamen auaritiæ & ambitionis cæcitate deuicti, & nullius ſcripturæ intelligentiam ſe habere dicentes, ſed diuertentes à tramite recti ſenſus in quædam iniqua & quoque praua commenta, & in aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, contra poteſtatem & autoritatem Imperialem, & iura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum & fidelium committentes, fallaciter aſſerentes, quod Imperialis dignitas & poteſtas eſt à Papa, & quod electus in Imperatorem non eſt verus Imperator nec Rex, niſi prius per Papam ſiue ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur & coronetur, & per huiuſmodi prauas aſſertiones, & peſtifera dogmata, hoſtis antiquus mouet lites, & iurgia ſuſcitat, contentiones parit, & ſeditiones procurat: Ideo ad tantum malum euitandum, de conſilio & conſenſu electorum & aliorum Principum Imperij declaramus, quod Imperialis dignitas & poteſtas eſt immediate à ſolo Deo, & quod de iure, & Imperij conſuetudine approbata, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue Regem ab Electoribus Imperij concorditer, vel maiori parte eorundem; ſtatim ex ſola electione eſt verus Rex, & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus: & eidem debet ab omnibus Imperio ſubiectis obediri; & adminiſtrandi iura Imperij, & cætera faciendi quæ ad Imp. verum pertinent, habet plenariam poteſtatem: nec Papæ ſiue Apoſtolicæ ſedis, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, authoritate indiget, vel conſenſu. Et hac in perpetuum valitura lege decernimus, vt Electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte Electorum, ex ſola electione cenſeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore: & eidem ab omnibus ſubiectis Imperio debeat obediri, & adminiſtrationem & iuriſdictionem Imperialem, & Imperialis poteſtatis plenitudinem habeat, & habere ac obtinere ab omnibus cenſeatur & firmiter aſſeratur. Quicunq; autem contra hæc declarata, vel definita aut aliquid eorum, aſſerere ſeu dicere, aut aſſerentib. ſeu dicentibus conſentire, vel eorum mandatis, vel litteris, vel præceptis obedire præſumpſerint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, iuriſdictionibus, priuilegijs & immunitatib. à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris eis conceſſis, ex nunc priuamus, & ipſo iure & facto decernimus eſſe priuatos. Inſuper eos crimen læſæ maieſtatis decernimus incurriſſe, & pœnis omnibus criminibus læſæ maieſtatis committentibus ſubiacere. Datum in Colonienſi ciuitate Alemanniæ.

Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul,
Vt Chriſtus iuſſit Petro ſoluente tributum.

IV.

ORATIO LEGATI CÆSAREI PRO CORONATIONE FRIDERICI REGIS ROMANORVM, AD NICOLAVM V. P.P. cum petitione ad eundem, pro congregando Concilio generali.

PATER beatiſſime, maxime Pontifex. Eum qui coram tua ſanctitate loquitur, *Anno 1452.* non immerito commoueri, cum propter celſitudinem throni tui, quo nullus eſt in terris altior, tum propter ingenium tuum diuino dono aureum & omni doctrinarum genere fæcundum. In cuius præſentia qui verba facit, niſi iuxta præceptum Apoſtoli ſermonem habuerit ſale conditum, illius notam Piſonis incurrat, de quo ſcribit Hieronymus, qui cum loqui neſciret, tacere non potuit. In hoc enim orbis terræ primo maximoque auditorio non futiles & importuni locutores, ſed facundi oratores audiendi ſunt, Vlyſſi pares, quem ſapienti facundia præditum vocem ait Homerus non ex ore mittere, ſed ex pectore. Quibus ex rebus nihil mirandum eſſet, ſi nunc ego, cui nec ſententię ſuppetunt, nec verba quibus adiri tanta maieſtas debeat, ſic turbarer ac pallerem, vt olim *Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.* Sed adiicit animum mihi tuæ S.tis immenſa benignitas, atque indicibilis humanitas; quæ non ſolum magnos diſcretoſque viros, ſed humiles ac indoctos aure inoffenſa audire conſueuit: moriſq; ſemper huius ſacri conſiſtorii fuit, nō tantum verba loquentis quantū mittentis perſonam exiſtimare. His accedit nobilis orationis materia, quæ dubium eſt petenti vtilior, an concedenti gratior ſit futura: cuius tāta honeſtas eſt, tanta vtilitas, vt abſq; oratoris adminiculo perſuadere ſe ipſam facile queat. De coronatiōe namq; Cæſarea futurus eſt ſermo, quę res ſemper maxima & honeſtiſſima fuit, poſtquā ſancta ſedes Apoſtolica Imperatoriam dignitatem ex Græcorum gente in perſona magnifici Caroli M. tranſtulit ad Germanos. Cupiens enim sereniſſimus & inuictiſſimus

mus Princeps, diuus Cæſar Fridericus Romanorum Rex Auguſtus, tuæ S.ti obſequentiſſimus filius, more maiorum in hac vrbe Roma ſuæ coronationis ſolennia celebrare; hos præſtabiles viros, & me puſillum tuam clementiam iuſſit accedere, rogaturos atque obſecraturos, vt ingenti eius deſiderio, pio, iuſto atque honeſtiſſimo mos geratur. Namque ſi tua S.tas eius coronationi nauare operas voluerit, nihil morabitur Cæſar, ſed aliis omnibus ſine dilatione ſuperatis tuam præſentiam feſtinus adibit, quę ſunt conſuetudinis faciet, imperiales infulas ex tua ſacra manu recipiet, feſtos dies lætamque ſolennitatem tecum aget, de rebus Eccleſiæ atque imperii ſalubriter dirigendis, tuis conſiliis auſcultabit, teque ſequetur: fauentibusque demque ſuperis coronatus, alacer ac tibi plurimum obligatus in patriam reuertetur. Hæc eſt noſtræ legationis ſumma, ac totius orationis materia. Circa quam tria nobis videntur altius attingenda declarandaque eſſe, non vt tuæ S.tis mentem inſtruamus, cui nihil eſt dubium; ſed vt pleriſque ſatisfaciamus, qui noſtris ex petitionibus admirari poſſent ſi nihil amplius dicemus. Primum eſt cur tantopere Maieſtas Imperatoria coronam cupiat. Alterum cur tam diu hanc rem diſtulit. Tertium concedendum ne ſit quod de coronatione requiritur. Quibus abſolutis oratio modum haberet, niſi pauca referre oporteret, quæ apud Neapolin nuper egimus. Sed illis breuiter enarratis, & vnica precatiuncula pro Concilio generali ſubiecta, finem dicendi faciemus. Aggrediamur igitur quod primo quæſitum eſt, cur tam propenſe Regia Maieſtas coronationem efflagitat. Quid vrget? Quid eſt quod tantum Principem exire paternam domum, magnis & ambiguis itineribus ſe committere, graues ſubire ſumptus coronationis cauſa compellit? Tria ſunt B. P. quæ Cæſarem mouent, deuotio, conſuetudo, debitum. Poſſem complura in medium afferre, quibus religio noſtri Principis, & pietas ac deuotio in tuam S.tem tuumque prædeceſſorem hactenus non vulgariter patuerunt. Sed ſcienti omnia B. tuæ ſuperfluo narrarentur, & Regio culmini ea vulgari non placet, quæ pro ſui animi magnitudine minima cenſet. Nam etſi omni officio ac potius pietate erga Romanam Eccleſiam tuamque S.tem omnibus ſatisfaciat, deuotioni tamen ſuæ nunquam ſatisfacit. Ex hoc pietatis deuotioniſque fonte prorumpit tam propenſa coronationis cupido atque petitio. Arbitratur enim Regia ſublimitas opus eſſe diuinæ pietati acceptum, ſi quemadmodum in veteri teſtamento nunc Prophetæ, nunc ſummi Sacerdotes, nunc ſimul ambo inungebant, qui regeret Iſrael & Iudam; ſic & in tempore gratiæ nouaque lege Romani Pontifices Chriſtianos Imperatores inungant, atque his diademata largiantur, qui plebem Catholicam legibus tueantur & armis. Cuius rei non paruum ſignum eſſe videtur, quod ex Germanis Cæſaribus, qui per manus primi paſtoris inuncti Romæ coronatique ſunt, nullum comperimus violenta morte periiſſe: cum tamen ex Italis & Græcis Imperatoribus maxima pars, ſic in orbem obierint, vt verum eſſe firmauerint quod Satyrico carmine expreſſum eſt:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Eſt itaque deuotio Cæſaris non paruis inſtructa firmaque rationibus, quæ coronationis inſignia poſcit. Sed hanc deuotionem vetus conſuetudo præmuniuit. Tria ſunt enim Romani imperij tempora, ex quo Iulius Cæſar rem populi vertit ad vnum, Italorum, Græcorum, Germanorum. Prætereo Berengarium & alios, qui apud Longobardos imperitarunt: neque enim tantum ditionis habuerunt tantumque iuris, vt Imperatoriæ dignitatis deberent titulis illuſtrari. Priores Imperatores contenti purpura patrario diadematibus vtebantur: habenteſque regiæ poteſtatis arbitrium, inuiſæ dignitatis nomen & inſignia poſtponebant, ne cum corona ſimul & Tarquinij ſuperbiam quaſi iure poſtliminij in vrbem reducere viderentur. Ex Græcis vero Cæſaribus non eſt dubium, quin pleroſque Conſtantinopolitani præſules coronis ornauerint. Ex qua re (ſicut ſcribit Otto Friſingenſis Antiſtes, non futilis auctor) vſque adeo Conſtantinopolitana ſedes intumuit, vt non ſolum Alexandriam; ſed Romanam quoque cathedram, vſque ad Phocam Cæſarem & Bonifacium Papam, contenderit antecedere. At poſtquam Germani Principes victis ac domitis Longobardis, qui Romanam Eccleſiam laceſſebant, imperare cœperunt; irrefragabilis conſuetudo coronationis inoleuit, quam ſeruare nunc Cæſarem permaxime decet. Cumque Germana nobilitas, ex Apoſtolicæ ſedis beneficentia, ſuaque diligentia & humilitate Imperatoriam dignitatem obtinuerit, quam Græci ſuperbia & ignauia ac forſitan hæreſi perdiderunt, non ſolum debitum, ſed neceſſarium eſſe videtur à Romano Pontifice coronam expetere, vt illi perpetua reddatur reuerentia, à quo præcipua recepta eſt eminentia. Cum nihil ex tota philoſophia ſit debitum, quam gratitudo. Ex quo fit vt non ſolum deuotione, ſed conſuetudine ac iure debito Maieſtas Imperatoria coronam depoſcat. Coniungitur & hiſce cauſſis publicæ vtilitatis ratio. Multa enim inter nos ſimul conuenientes, tractari concludique poterunt Chriſtiano populo ſalubria; quæ per legatos inter abſentes difficile peragerentur. Abſoluta eſt iam prima quæſtio: & quid Cæſarem moueat diadema poſcere, ſatis intelligimus.

Videamus modo quamobrem coronatio tam diu protelata ſit. Duorum hic temporum, poſtquam Cæſar acceptauit imperium, habenda eſt ratio, alterum ſub Eugenio lapſum eſt: alterum te Pontifice. Optauit Cæſar coronam ſub Eugenio recipere, nec Eugenius erat auerſus: namque qui Sigismundi caput ornarat, Friderici quoque verticem gemmis & auro redimire

mire percupidus erat, vt ſic duorum Cæſarum pater maximus diceretur, quod hactenus contigiſſe reperio nemini: Sed viguit illius tempore Eccleſiaſtica diuiſio, neutralitatiſque nouitas Germaniam occupauit: nec Cæſari, nec papæ ex vſu fuit, vt noſti rem iam vetuſtam ac multis quæſtuoſam relinquere, ſed cum viciſſet perſeuerantia Cæſaris (quid enim perſeueranti non demum patet?) cumque reſtituta fuiſſet obedientia Eccleſiæ Romanæ, iamque tractandum de coronatione videretur, mox Eugenius diem clauſit, ſperatamque Cæſari coronationem ademit; atque ſic primum tempus ſine culpa refluxit. Neque ſecundum arguendum eſt, namque vt primum tua S.tas diui Petri cathedram aſcendit, miſſi ſunt oratores, qui te iuſſu Cæſaris in orbe Chriſtiano Pontificem Maximum ſalutarent, obedientiam tibi præberent. Sed cum ſpès eſſet te ſuadente quam celerrime Cæſarem aduentare; exorta extemplo ſæua belli tempeſtas, quæ non ſolum diuites Auſtriæ principatus, ſed Bauariam, Sueuiam, Franconiam, Rhenique florentiſſimas regiones atque ipſum Chriſtianitatis cor, cædibus, rapinis, incendiis atque omni calamitatis genere vexauit, nobiliſſimos Principes & potentiſſimas ciuitates, dira, noua, inaudita diſcordiarum feritate concuſſit. Ad quas res ſedandas neceſſarium fuit Imperatoriam Maieſtatem in partibus Alemaniæ remanere: quia non tam diſpendioſa coronationis, quam pacis dilatio videbatur. Atque ſic coronationis ſolennitas dilata eſt. Cui iam dari opera poteſt; quando qui diffidebant, omnes arbitrio Cæſaris pace facta ſe commiſerunt. Atque hoc ſatis de coronationis dilatione ſit dictum.

Nunc tertio loco penſandum eſt quod Cæſar exquirit, tuæ ne ſit S.tis annuere. Plerique mortales ſi rem hanc ſuaſum veniſſent, omnes orationis neruos circa gloriam collocaſſent. Dixiſſent enim (vt arbitror) cum diuiſam Eccleſiam, Pater ſanctiſſime multis magniſque curis ad vnionem redegeris, cum plurimas hæreſes extirpaueris, cum pacem inter Chriſti fideles ſummo ſtudio ſeruaueris, cum fana & Vrbis diſiecta mœnia grandi ſumptu reparaueris, cum patrimonium Eccleſiæ vndique direptum diſſipatumque vendicaueris, cum remiſſionis annum Chriſtiano populo dulciſſimum expectatiſſimumque conceſſeris; quid amplius ad cumulum tuæ gloriæ quærendum eſt, quam vt Cæſareo capiti coronam imponas? Tua eſt hæc gloria magis quam Cæſaris. Apoſtolicæ ſedis hic honor eſt, B. Petro hæc dignitas reſeruatur. Audi Cæſarem, fac quod petitur, ſic:

Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Alii ad vtilitatem conuerſi (quæ plurimum ſuadet) ex omnibus rebus, dicerent; Quas ſanctiſſime Pater feciſti, quaſque facturus es, nulla poteſt vtilior eſſe coronatione Cæſarea. Veniet ad te diuus Cæſar primus omnium Principum, te Patrem appellabit, tibi filium ſe præbebit, tuis manibus coronabitur, iusiurandum præſtabit, Germaniam regnis grauidam, ingenti populorum, Principum ac Prælatorum multitudine abundantem, tibi & Apoſtolicæ ſedi beneuolam parentemque retinebit. Contemnat quicunque velit coronas, gemmas, aurum, purpuras, pomum, gladium, vnctionem, conſecrationem, ceremonias, pompas; is certe quamuis ſubagreſtis eſt, inficiari tamen non poteſt, quin tuæ S.ti & Apoſtolicæ maieſtati conducat, coronatum Cæſarem in amicitias fœduſque tuum eſſe receptum. Namque ſi vetera meminerimus, tunc Eccleſiam floruiſſe, tunc imperium viguiſſe conſtabit cum Romani Pontifices atque Cæſares vnanimes extiterunt. Eſſent fortaſſe nonnulli, qui diuerſo calle procedentes, ſoliusque boni & æqui iuribus vtentes, minime negandum dicerent moderno Principi, quod priſcis Cæſaribus vltro fuiſſet oblatum: ſeruandas eſſe conſuetudines; quod ſemel promiſſum eſſet, rebus immutatis minime violandum; benemeritum de Romana Eccleſia Cæſarem omnibus beneficijs atque honoribus cumulandum. At nos qua via incedemus? Illoſne ſequi libet qui gloriæ cupiditatem ingerunt? nihil minus abſit à nobis initium * gentilitatis, quæ vt laudis animalis ac ventoſæ gloriæ mancipium niſi ad populares auras *f. vitium.* & inanes rumuſculos recte facere nihil nouit. Nos qui Chriſtiani ſumus, ac non ſolum apud Chriſtianos agimus, ſed coram omnium Chriſtianorum capite, duce, magiſtro, rectoreque ſtamus, non Oratorem, qui dixit, *Honos alit artes, omnesque incedimur ad ſtudia gloria*, ſed Apoſtolum potius imitari debemus, qui ait: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtra.* Nec nos latet tuam S.tem diuina ſapientia præditam, Bonum ſolum non populari rumore ſed conſcientiæ veritate metiri. Quid igitur ab vtilitate arguemus? An ex debito, quia conſuetum, iuſtum, promiſſum? Equidem licet his potentiſſimis fundamentis ſuadere res ſoleat, non tamen hæc omnia relinquenda videntur. Fruſtra enim ſuaſibus vtitur, qui ſupplicat ſapienti. Nouit ſuopte ingenio ſapiens, conceſſu an refutatu digna ſint quæ petuntur, nec verborum falli lenocinio poteſt. Nos igitur qui coram ſapientiſſimo Principe, coram prudentiſſimo orbis terræ ſenatu, coram luminibus & intellectu mundi, coram tanta maieſtate, tanta doctrina, tanta rerum peritia ſermonem habemus, ſatis eſſe putamus nudis verbis Imperatoriæ ſublimitatis petitionem expoſuiſſe. Scimus enim, ſi recta petimus, nihil nobis negatum iri: ſin minus, faſcinare verbis ſummæ prudentiæ oculos, aut oratione verum peruertere non valemus. In hac igitur parte quæ tuæ S.tis examinanda iudicio eſt, nullas ſuaſiones adhibemus; ſed arbitrio tuo totum relinquimus, ex quo nec iuſta diffidimus obtinere, nec ſperamus iniuſta. Eſſet iam peroratum, beatiſſime Pater, niſi (vt ante diximus) in calce verborum iuſſi eſſemus adiungere. Alterum eſt vt de concilio generali, quid ſit Regis inde deſiderium, intelligas. Ambo hæc paucis abſoluemus.

Apud Neapolin conuenimus victorioſiſſimum Principem, Arragonum atque Siciliæ

Regem,

Regem,& cum eo nepotis ſui ſereniſſimi Portugaliæ Regis Legatum. Cum hiſce diebus pluſculis in tractatu fuimus, ac demum inter Maieſtatem Cæſaream & illuſtrem virginem Leonoram infantem Portugaliæ,Reginæ ſororem ſponſaliorum fœdera percuſſimus, matrimoniumque conclusimus,quo nec nobilius,nec potẽtius nec honorabilius,nec Chriſtianitati vtilius inter Chriſtianos vllum contrahi poteſt. Quando & nobilitas nobilitati,& virtus virtuti, & potentia potentiæ, & magna magnis,& ſumma ſummis addita ſunt: hinc Germanis Principibus, inde Hiſpanis proceribus in affinitatem,beneuolentiam,amicitiamque concurrentibus. Quod idcirco tuæ S. narramus,vt qui contrahendum coniugium hoc ſciebas,iam contractum eſſe,vt patrem decet,cum filio læteris.

Sed venio ad ſecundum,quod addere promiſi,idque finem orationi præbebit. Quæ hactenus dicta ſunt,Beatiſſime Pater,commiſit nobis Imperatoria maieſtas,priuſquam ſuo ex conſpectu recederemus: quæ nunc dicturi ſumus,per nouas & vrgentes literas in mandatis accepimus. Ea nec parua,nec contemnenda ſunt, ſed digna tuis auribus, & hoc ſacerrimo cœtu. De Concilio namque generali,deque loco conuentus habendi dicendum eſt nobis,ex quibus rebus magna poteſt vtilitas redundare. Licet enim ſub te vero capite,veroque Ieſu Chriſti vicario vnita ſit Eccleſia; plurima tamen ſunt,propter quæ neceſſaria videtur conuentio Epiſcoporum generalis. Diſſident Chriſtiani Principes quam multi: concordia quærenda eſt. Labaſcunt cleri & populi mores: inueſtiganda modeſtia,oppreſſam Eccleſiam quamplurimi laceſſunt: recuperanda libertas. Ad quas res licet tua ſatis ſit auctoritas,non tamen executio ſine conuentu Prælatorum, conſenſuſque Principum facile poteſt haberi. Cupit igitur generale concilium Cæſar vt hæc fiant. Sed quod generale concilium? Verum generale concilium, non abortiuum, non adulterinum, non contentioſum, non ambitioſum. Concilium in quo minora membra maioribus pareant, in quo nullum ſit membrum, quod ſuo capiti non conſentiat. Concilium (inquam) quod non de clauibus ſummi paſtoris diſputet, ſed pro communi vtilitate inuigilet. Summa eſt Romani præſulis auctoritas; quid attinet diſputare? Omnis poteſtas Eccleſiæ à Chriſto principe per Romanum Pontificem veluti caput in cetera myſtica corporis membra deriuatur, atque diffunditur. Hæc profeſſio Cæſaris,hæc fides eſt,Euangelio credit,& oraculis Ieſu Chriſti: ſcit Petro & ſucceſſoribus ſuis dictum eſſe à domino: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & tu vocaberis Cephas Paſce oues meas,& duc in altum rete*, & eiuſmodi, quibus referti ſunt Euangeliorum codices. Vltra quem quiſquis alium quærit,tenebras quærit,non lucem; ſtultior eo qui aperto feruentique Sole commentitium lumen accendit. Cæterum quia Maieſtas Imperatoria non ad potentiam exercendam,ſed ad fidem tuendam,commune bonumq; promouendum,tibique aſſiſtendum intereſſe decreuit; coronam prius accipere cupit, quam Concilium conuocetur: indici antequam coronetur,neque petit,neque ſuadet,neque gratum haberet. Expedit enim admodum rebus agendis coronatum Cæſarem ac tibi iuratum in Concilio penes te ſedere,tibi aſſiſtere,tuiſque decretis fauorem impendere. Cumque ſit Cæſar aduocatus Eccleſiæ,protector,defenſor,adiutor,ac nullibi melius officium ſuum quam in prouincia ſibi parente valeat exercere,locum celebrandæ Synodi in Alemania ſub Romano Imperio petit: in alia Prouincia nec poteſt,nec intendit conſenſum præbere. Eſt enim Alemania locus ex tota Chriſtianitate commodior in qua (ſi quis recte proſpexerit) intra Rhenum & Auſtriam, Chriſtianitatis vmbilicum ac centrũ reperiet: vbi exiuit ad Occidentem,ſunt Hiſpani: ad Orientem,Græci; ad Septentrionem,Noruegij: ad Meridiem, vltimi Siciliæ populi. Cumque iam Græci in his quæ fidei ſunt cum Latina Eccleſia ſapiant,oportet & his locum concilii conuenientem nominare: fouendi enim iam ſunt,& omni fauore amplexandi. At hi ad Alemaniæ partes per Vngariam breuem habent & facilem tranſitum. Vrbes prætcrea in Alemania ſunt ampliſſimæ, & ſplendidiſſimæ, manſiones accommodæ, victui neceſſaria comparatu facilia,pax optima,pulcherrima quies, dulciſſima libertas, ſaluberrimus aer, Principes ac populi promiſſorum ac iuſti tenaces,mori quam deierare aut fallere malunt: nemo eſt qui de loco Alemaniæ iure conqueri poſſit. Nam qui medium Chriſtianitatis & tot commoditates Alemaniæ dedit Deus,is quoque velle videtur,vt ibi noſtro tempore generale concilium celebretur. Habes Sanctiſſime Pater,quæ ſit petitio Cæſaris: nobis & admodum iuſta videtur,& vtilis; Namque ſi pacem inter Chriſti fideles componere,ſi frugalitatem bonoſque mores ſerere, ſi libertatem Eccleſiaſticam vendicare, ſi partam vnionem ſeruare cupis (vt certiſſimi ſumus) generale concilium non alibi conuocabis,quam eo in loco in quo tibi Cæſar & poſſit & velit aſſiſtere. Pleraque alia,cum tuæ ſanctitati libuerit,ſemotis arbitris referemus.

DE

V.

DE FRIDERICI III. IMP. IN ITALIAM PROFECTIONE VOTIVA, HONORIFICO AD VRBEM aduentu, & glorioſa Coronatione Romana, narratio, è libro 1. Sacrarum Ceremoniarum. Sect. XIII. Cap. 1. deſumpta.

FRIDERICVS tertius Anno ſalutis ſexageſimo octauo ſupra Milleſimum quadringenteſimum, Romam venit religioſæ peregrinationis gratia: cumque Paulus ſecundus Pontifex Maximus ſummis honoribus excepit. Quæ igitur in ſuo aduentu mature & prudenter ordinata ſunt atque ſeruata, quoniam omnibus interfui, ex officio hic annotabo, & vt poſteri his vti ſi voluerint facile poſſint, adnectam. Vt primum igitur Pontifici nunciatum eſt, Cæſarem in Italiam aduenaſſe, Romamque via Flaminia petiturum, iuſſit prouinciarum Eccleſiæ Romanæ præfectos, per quas iter facturus erat Cæſar, vt venienti honoris cauſa obuiam irent Pontificis nomine ad fines prouinciæ, illumque cum omni ſuo comitatu publicis ſumptibus magnifice exciperent, & honores ei omnes impenderent, iuberentque per ciuitates omnes qua eſſet tranſiturus, clerum in porta obuiam exire cum crucibus, & deducere ad Eccleſiam cum Antiphonis, verſiculis & orationibus, vt in Pontificali habetur. Deinde vt Eccleſiæ agrum Cæſarem intraſſe cognouit, Nobiles quoſdam ex ordine equeſtri præmiſit, qui Cæſari obuiam eant, gratulantes Pontificis nomine proſperum eius aduentum & omnia Pontificis officia pollicentes. Poſt hos ſunt miſſi duo ſacri Palatii cauſarum auditores; qui Spoleti; & duo deinde Archiepiſcopi cum duobus Epiſcopis ex aſſiſtentibus Papæ, qui Marini Cæſari ſe exhibuerunt: deſignauit præterea Pontifex duos Apoſtolicæ Sedis legatos, Guilielmum Epiſcopum Hoſtienſem Rothomagenſem, & Franciſcum S. Euſtachii Diaconum Senenſem, S. Rom. Eccleſiæ Cardinales, datis mandatis, vt duorum dierum itinere Cæſari obuiam irent. Sed legati cum primum obuiam fiunt Imperatori, deſcendunt ex equis, cum ex propinquo eum manifeſte videant, & ſuæ Maieſtati reuerentiam faciunt, ſiue deſcenderet, ſiue in equo manſerit: conſueuit tamen & ipſe deſcendentibus legatis deſcendere. Die autem quo vrbem intrauit, hoc ordine exceptus eſt. Primi obuiam iere ad tertium lapidem Vicecamerarius, Præfectus, Senator, conſeruatores & cancellarii vrbis, omnes cum habitu ſuæ dignitatis, & cum his capita Regionum, & alii magiſtratus vrbani cum ciuibus nobilioribus; quos non multo interuallo ordines curiæ & cancellariæ officiales, Duce Epiſcopo Vrbinate Correctore & abbreuiatore literarum Apoſtolicarum, ſecuti ſunt, tertio loco Prælati domeſtici Pontificis, cum aulicis proceribus & nobilibus multis, ad ſecundum lapidem proceſſere. Sacer deinde Cardinalium ſenatus extra Portam ad quingentos paſſus Cæſarem expectauit: cui aduenienti ſuo & Pontificis nomine felicem aduentum gratulatus eſt, verba faciente Priore Epiſcoporum Cardinalium. Clerus Vrbis in ipſa porta cum crucibus & reliquiis, vt Cæſarem exciperet iuſſus erat. Hoc igitur ordine, quamuis propter ſerum introitum omnino ſeruari non potuerit, Vrbem ingreſſus eſt. Primo procedebant mixtæ Cardinalium familiæ, cum militibus Cæſaris: tum familiares Pontificis laici, cum familiaribus Imperatoris. Inde nobiles & Barones: tum conſeruatores cum officialibus Vrbis. Deinde oratores Principum & Regum non prælati. Poſtremo Senator & Præfectus Vrbis cum ſuis ornamentis. Armiger Cęſaris cum enſe nudo inter illos & Cęſarem ſolus equitabat. Sequebatur Cæſar ſub baldachino, medius inter duos ſeniores Epiſcopos Cardinales. Cui in porta Vicarius Papæ, qui clero vrbis præeſt, paratus in Pontificalibus crucem exoſculandam porrigere debet. Et clerus cantat: *Ecce mitto Angelum meum.* Et clerus ſupplicabundus procedit immediate ante præfectum & Senatorem. Imperatorem ſequuntur Cardinales per ordinem, Epiſcopi, presbyteri, & Diaconi officiales: & nobiliores ciues ducunt equum Cæſaris freno, & baldachinum portant. Poſt Cardinales ſequebantur Prælati Cæſaris, cum prælatis oratoribus: & demum alii Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, & alii curiales togati. Ex itinere duo presbyteri & duo diaconi Cardinales diuertentes, ad Pontificem præuenerunt: qui cum illis & nonnullis aliis prælatis atque aulicis ſuis cum pluuiali & mitra deſcendit ad Eccleſiam S. Petri: vbi in capella maiori in ſede ſua eminenti ſedens Cæſarem expectabat. Cæſar ordine quo diximus, ad gradus Baſilicæ peruenit: vbi equo deſcendens à Cardinalibus & aliis ad confeſſionem beati Petri deductus eſt: vbi paratum erat faldiſterium, ſuper quod procumbens aliquantulum orauit. Interim Cardinales omnes ad Pontificem aſcendentes in locis ſuis ſederunt, & illi duo presbyteri & Diaconi, qui præuenerant, Cæſarem apud faldiſterium orantem expectantes, illum finita oratione ad Pontificem deduxerunt. Qui vt Ponti-

Anno Chriſti 1468.

ficem vidit, genu terram tangens illum veneratus eſt: & accedens propius idem fecit: aſcendens deinde ad ſolium in terram pronus Pontificis pedes oſculatus eſt. Deinde manu Pontifex benigne illum ſuſcipiens, itque à terra eleuans, ad oſculum oris recepit, & aſſurgens eum modeſte amplexatus eſt: moxque iuſſit eum ſedere in ſede pro eo honorifice præparata, inter ſolium Pontificis & ſedilia Epiſcoporum Cardinalium. Tum excepit Prælatos & proceres Cæſaris ad pedis oſculum. Deinde à duobus Diaconis Cardinalibus deductus Cæſar ad altare maius ibi ſuper paratum ſibi faldiſterium diutius genuflexus orauit. Interim chorus cantauit Antiphonam: *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit illum præ Regibus terræ.* Verſ. *Glorificauit illum in conſpectu Regum, & non confundetur.* Surgens deinde Pontifex, ſine mitra dixit: *Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Verſ. *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.* Verſ. *Saluum fac Domine ſeruum tuum Fridericum Imperatorem noſtrum, Deus meus ſperantem in te.* Verſ. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto, & de Syon tuere eum.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis.* Verſ. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum: & cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis clauibus regni cœleſtis, animas ligandi atq; ſoluendi Pontificium tradidiſti, Interceſſionis eius auxilio famulus hic tuus Fridericus Imperator noſter a nexibus peccatorum ſuorum liberetur. Prætende quæſumus famulo tuo N. Imperatori noſtro dextram ſalutis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ digne & humiliter poſtulat, aſſequi mereatur. Omnipotens ſempiterne Deus, Chriſtiani Imperij protector & conſeruator, da ſeruo tuo N. Imperatori noſtro virtutis inuictæ triumphum, vt ad noſtram & Eccleſiæ tuæ ſanctæ atq; fidelium omnium vnitatem & pacem ſubditas illi factas vniuerſas barbaras nationes, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Poſt hæc Pontifex de ſolio deſcendit, & Cæſarem iterum amplexatur, manu ſiniſtra illum tenens, pariter palatium Apoſtolicum aſcenderunt: qui in ſacellum S. Nicolai ingreſſi aliquantulum conſederunt, & familiariter confabulati ſunt. Deinde Pontifex Cæſarem ad cubiculum illi paratum dimiſit, iuſſitque Cardinales complures illum deducere: ipſe vero cum ſuis per aliam ſacelli portam ad cameram ſuam profectus eſt. Dum Cæſar Romæ fuit, ſæpe noctu vno vel altero famulo ſociatus, clam & indicto tempore ad Pontificis cubiculum acceſſit: cui Pontifex obuiam exiuit, cum primum id potuit reſcire, & diſcedentem ipſe deduxit vſque ad ſecundam & tertiam aulam: & aliquando ipſe Pontifex inexpectatus ad Cæſaris cubiculum cum paucis venit, illumq; quantum potuit honorauit cum ſumma grauitate & maieſtate, & in Eccleſia, & in via. In Eccleſia orante Pontifice ſuper faldiſterio ſibi parato ante altare (vt fit) Imperator ſuper aliud faldiſterium orabat à ſiniſtris poſitum, coopertum purpureo ornamento, cum puluinari etiam purpureo, & paruo ſcabello viridi etiam purpureo. Sedes Cæſaris cum ſuo reclinatorio ſiue poſtergali ſita erat inter ſedem Pontificis & ſedilia Cardinalium', in formam ſedis Pontificalis, ſed non tantæ altitudinis neque latitudinis: cooperta erat panno ſericeo viridis coloris, & ſcabellum paruum habebat viride ſuper quod pedes tenebat Imperator, altitudo ipſius Sedis ita erat inſtituta in Capella Apoſtolica, vt non altior eſſet locus vbi ſederet Imperator, quam vbi Pontifex teneret pedes: & item ſcabellum Cæſaris æquale erat Sedibus Cardinalium. Cum incenſabatur Pontifex per Cardinalem aſſiſtentem, mox incenſabatur Imperator per primum ex Prælatis aſſiſtentibus Pontifici. Cum Pontifex pacem accipiebat ab aſſiſtente Cardinali, primo dabat pacem Imperatori, poſtea Diaconus aſſiſtentibus: Inter eundum ſemper manu ſiniſtra illius dextram tenebat, volebatque vt æquali ſemper gradu incederet: quamuis modeſte ſemper Cæſar reluctaretur. In diſceſſu mandauit Pontifex, quod itidem vt in introitu honoraretur. Sed ille ſummo mane cum paucis è ſuis conſcenſo equo ante receſſit, quam Cardinales comperiſſent, pauci admodum eius feſtinationem ſunt aſſecuti. Donauit Pontifex Cæſarem pluribus muneribus, primum veſte aurea, & equo albo phalerato, cum aliquibus localibus, cum Reliquiis Sanctorum admodum precioſis, quorum precium ſupra duum millium aureorum ferebatur.

DE-

VI.

DESCRIPTIO VERA ET ELEGANS ADVENTVS ET INTROITVS IN VRBEM BONONIAM INuictiſſimi quondam Romanorum Imperatoris D. CAROLI V. vt & eiusdem Inaugurationis & Coronationis ibidem per Pontificem Max. Clementem VII. facta, Anno M.D.XXX. 24. die menſis Februarii.

Anno Domini 1530.

Ex hiſtoria aliorum, præſertim G. C. collecta, & in lucem edita.

DESCRIPTIO ADVENTVS ET INTROITVS CAROLI V. IMP. Inuictiſſ. in vrbem Bononiam, Anno 1529.

DVM Carolus V. iam ante menſe Iunio Anni milleſimi quingenteſimi decimi noni in Aui ſui Maximiliani primi demortui locum, & ad Imperii faſtigium conſentienti Electorum ſuffragio euectus, & viceſima ſecunda die menſis Octobris anni inſequentis Aquisgrani inauguratus, in Germania & Belgio moraretur, valde graues in Hiſpania ortæ fuerunt ſeditiones. Itaque vt naſcenti malo tempeſtiue occurreret, conſtituto prius Iudicio & Senatu, qui ius redderent, perq; ſuam abſentiam Imperii negotia procurarent, claſſe vectus in Hiſpaniam rediit, ibique ad annum vſque viceſimum nonum commoratus, menſe Nouembri inde in Italiam ad Pontificẽ, Bononiam verſus, tam inaugurationis, quam inſtituendæ Synodi gratia iter ſuſcepit.

Priusquam vero ciuitatem attingeret, ad ditionis Pontificiæ fines, præſto ei erant viginti quinq; Patres purpurati, aduentantem excepturi, qui conſpecto Imperatore, ſtatim ex mulabus, quibus inſidebant, deſcenderunt, ac pedibus iter emenſi Cæſar. Maieſtati prodierunt obuiam, vt debita & decenti omnium geſtuum reuerentia eam exciperent. Protinus vero, vt Imperatorem acceſſiſſent, eique feliciſſima quæq; precati & gratulati fuiſſent, Imperator Carolus & natura mitis & ab omni inhumanitate alienus viciſſim ſeſe talem erga Patres purpuratos exhibuit, vt cum ſumma grauitate ſingularem modeſtiam & humanitatem omnibus probaret; Hoc facto Patres purpurati viciſſim mulas ſuas conſcendunt, & Imperatorem in Cœnobium quoddam vno à Bononia miliari deducunt, in quo cum toto agmine pernoctabat.

Die Veneris poſt, qui quintus fuit Nouembris, Cæſareæ Maieſtati Bononiam ingreſſuræ obuiam contenderunt quatuor millia ciuium Bononienſium, omni veſtitus & armorum genere inſigniter ornati & inſtructi. Nihil præterea relinquebatur in vrbe, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumq; omnium, qua Cæſar iturus erat, excogitari poſſet: Qua beneuolentiæ ſignificatione maxime delectatus fuiſſe ſcribitur.

Ordo vero in Cæſar. Maieſtatis ingreſſu ſeruatus hic fuit: Primum trecenti leuis armaturæ equites, ſariſſis ac criſtis galeis eleganter ornati, præcedebant. Pone decem tormenta ænea curribus vecta, ad eaque infodienda (ſi qua neceſſitas poſtularet:) deſtinati cunicularii centum palis ac ligonibus inſtructi, omnesque lauri folia manibus geſtantes ſequebantur.

Hinc peditatus Germanicus, cum ſignis erectis quatuordecim, ordine incedens, veſtibus pulcherrimis indutus erat, qui licet ſub tot mereret vexillis, numerum tamen trium millium non excedebat. Chiliarchæ vero & centuriones præcedebant, deinde duplicarii ſeu lancearii, vltimo ſclopetarii cum haſtatis ſequebantur. Ordinem horum concludebat Antonius Leua, exercitus Imperator, ſub quo Mediolani aliquandiu ſtipendia fecerant.

Peditatum ſequebantur Hiſpanici Proceres duo veſtibus Attalicis induti, cum ſcutis inſignibus & dorſualibus quorum vnicuique præferebatur vexillum.

Paulo poſt Equitatus ingrediebatur, cuius primus & anteſignanus erat Ioannes Singer, quem cataphracti equites trecenti omnes rubri & cærulei coloris chlamydibus induti pone ſequebantur.

Poſt hos nonnulli Proceres Hiſpanici incedebant, in quorum comitatu erant quadringenti cathaphracti, dorſualibus ac ſcutis ornati, & veſtibus Attalicis induti.

Deinde pueri nobiles viginti quinq; generoſiſſimis Cæſareæ Maieſtatis equis inſidentes, ac omnes flaui coloris veſtibus holoſericis, nonnulli etiam aureis inſtratis eleganter ornati inſequebantur.

Hinc rurſus Primates ac Proceres quidam Hiſpanici, cataphracti ac veſtibus Attalicis induti ſequebantur.

Poſt hos Cæſar ipſe cathaphractus, ac pallio regali indutus, generoſiſſimoque albi coloris

equo ocreis & ſtapiis deauratis adornato inſidens,inter ſatellites & ſtipatores armatos ſexcentos, omnes fului coloris veſtibus, glauco & ſpadiceo holoſerico fimbriatis indutos, equitabat medius, cui Marſchallus gladium præferebat euaginatum.

Inter ingrediendum quinque & viginti viri nobiliſſimi, omnes Bononiæ habitantes Cæſaream Maieſtatem ſequuti ſunt,pedibus iter emenſi aureis tunicis & thoracibus coccinis feneſtratis, rubrique coloris caligis holoſericis induti.

Pone ingreſſus fuit Comes Naſſaenſis inſtrato & tunica aurea, ac in huius comitatu multi Proceres & Optimates omnes cataphracti. Hinc Comitis Naſſaenſis miniſtri, quorum octoginta omnes cataphracti nigriſque veſtibus induti fuerunt.

Equitatum peditatus Hiſpanicus cum ſex ſignis erectis ſequebatur, qui licet ſub ſex tantum mereret vexillis,numerus tamen ipſius tribus millibus non fuit inferior.

Cæſareæ Maieſtati portam S. Felicis ingredienti Chriſti Saluatoris & Redemptoris noſtri imago,cruci affixa,exoſculanda porrigebatur,qua exoſculata nummos aureos & argenteos in populum ſpargi iubebat, id quod per horæ fere interuallum in omnibus plateis factum eſſe ſcribitur, ita vt auri & argenti diſſeminati ſumma trium millium ducatorum fuerit æſtimata.

Cum autem leuis armaturæ equites ac peditatus Germanicus, qui Mediolani, ſub exercitus Imperatore Antonio Leua aliquamdiu ſtipendia fecerat, cum tormentis æneis atque baliſtis planiciem occupaſſet: Primum Officiales Papæ, poſt Imbaſſadori & Patres purpurati viginti quinque magno cum ſplendore atq; apparatu Pontificis palatio egrediebantur,quos eueſtigio Pontifex ipſe Sellæ magnifice apparatæ inſidens,& ab aliquot viris geſtatus,ſequebatur Cardinalibus, Officialibus,& tota cohorte Sacrificulorum plane cinctus atque circundatus.

Eo autem cum & veniſſet Cæſar Comite Naſſaenſi comitatus,ac cœlo tectus deaurato Pontificem acceſſit,quem cum conſpexiſſet Pontifex illico ſurrexit, ac genibus ſubmiſſis ter obſeruantiam & reuerentiam ſuam erga Cæſarem declarauit. Deinde cum propius acceſſiſſet Cæſar, in genua proiectus pedes,manus,ac maxillas Pontificis exoſculatus fuit, eiq; loculum argenteum nummis aureis imaginibus Cæſaris ac Ferdinandi inſignitis,dono dedit; Quæ ſumma quatuor millium ducatorum fuit æſtimata.

Sic proiecta ad Pontificis pedes Cæſarea Maieſtas animo hilari,ac læto ore,in hanc fere ſententiam latine verba facere incipit: *Sanctiſſime Pater,id quod diu in votis habui,ac ſæpe exoptaui,nunc mihi accidere & euenire,non tantum lætor,& gaudeo,verum etiam Deo gratias,quas poſſum,maximas,ago nempe,vt ad tuam dignitatem venirem & cum ea de diſſidiis ac diſſenſionibus in religione & Eccleſia ortis colloquerer, & communicarem,ac quanam ratione atq; via componi & tolli ea poſſent, commodas & idoneas inirem rationes. Eſt enim quod Deus nouit,in me res commotas & fluctuantes componendi ſerium ſtudium, ac reparata ac confirmata pace,quam diſſidia diſſoluerunt,conſtituendi ſtatus alicuius ad poſteros duraturi, ac tranquillitati & incolumitati Eccleſiæ profuturi ardens deſiderium. Promitto etiam, ſpondeo,atq; polliceor, me Catholicæ Eccleſiæ ac Chriſtianæ fidei perpetuum atq; ſtrenuum fore defenſorem,& euentum ipſum hæc mea verba probaturum confido. Deus Pater noſtrorum omnium faciat atq; det,ne conatus mei ſint inanes in Domino.*

Hac finita Cæſareæ Maieſtatis oratione Pontifex cum ſibi hoc Caroli de dirimendis & ſopiendis controuerſiis Eccleſiaſticis conſilium minime diſplicere reſpondiſſet, ſurrexit, ac Cæſaream Maieſtatem ter oſculatus fuit,additis his verbis: *Ego, O Carole Imperator,gratiam tuam imploro, meq; hoc meritu tuis debere profiteor,amanter rogans,ne quod mihi pedes,manuſq; exoſculari paſſus ſum, Cæſarea tua Maieſtas rapiat id,ſeu interpretetur in malam partem. Cum enim ſemper in eiuſmodi congreſſibus hoc à maioribus ac Anteceſſoribus meis ſeruatum ſit: Ego quoq; ne noui quiddam conſtituere & introducere velle viderer,præter & contra voluntatem meam in hæc facta conſentire ſum coactus.*

His actis Cæſarea Maieſtas à Pontifice perhumaniter accepta, & ad gradus vſque Palatii ſui ducta fuit,quo cum peruentum eſſet,Pontifex ſellæ impoſitus à viris quibuſdam intro geſtabatur: ſed Cæſarea Maieſtas ad Templum S.Petronii progreſſa,Diuorum,vti vocant,reliquias venerabatur.Poſt hæc in palatium ſuum diuertebat, vbi multi conſtituti ſymphoniaci, tubicines, buccinatores,tympaniſtæ & æneatores publicam excitabant lætitiam.

Cæterum cum liberis omnis multitudo Cæſareæ Maieſtati per ciuitatem equitanti congratulans acclamabat: Tuum Imperium per omnes terræ partes maximum eſt: Ita vt eiuſmodi voces & congratulationes multis excuterent lachrymas.

In palatium ſuum cum veniſſet Cæſar, omnes è tormentis globi emiſſi ſunt,ignis in planicie proiectus,& in omnium templorum turribus ſigna data fuere. Quibus omnibus finitis, ſinguli ad ſua reuerſi ſunt domicilia.

Quam primum autem Cæſarea Maieſtas Bononiam venit,toto eo tempore,quo ibi commorata,ac cum Pontifice in eodem Palatio fuit,tum multis aliis de rebus, vtpote de Mediceis Florentiã reducendis; de Mediolano Sfortiæ reddendo,de pace cum Venetis ineunda: tum vero de diſſidiis & tumultibus in Eccleſia ob religionem exortis & excitatis placide & ſine armis ſedandis & componendis,deliberationem cum Papa inſtituit atque habuit. Quibus omnibus peractis & litteris comitia atque Imperii conuentum Auguſtæ menſe Aprili indicentibus per Germaniam dimiſſis poſtmodum de Cæſareæ Maieſtatis inauguratione actum fuit: Qua quidem re diu multumque deliberata,tandem à Pontifice Maximo,Cæſare & huius Conſiliariis decretum fuit,ritus illos fieri & perfici debere Bononiæ. Id quod etiam paulo poſt,nempe viceſima quarta die menſis Februarij Anno 1530. reipſa fuit præſtitum & perfectum,vt ex ſeqq. eſt videre. QVO

QVO SPLENDORE ET APPARATV ROMANORVM IMP. CAROLVS V. Anno 1530. 24. Februarij à Pontifice Max. Clemente VII. Bononiæ in Italia ſit inauguratus.

PRIMVM itaque talis fuit inſtitutus & effectus pons, cuius longitudo è Cæſareæ Maieſtatis palatio ad Chorum vſque templi D. Petronii pertingeret, varijs ramorum, arborum atque frondium generibus adhibitis, quæ intuentium oculos mirifice afficerent atque delectarent. Quibus omnibus rite iunctis & apparatis è Palatio Cœnaculi Cæſareani per pontem factæ ſunt fores, quæ Cæſareæ Maieſtati præberent ingreſſum.

In templo circumcirca pontes facti fuerunt, ex quibus quæ agerentur, inſpici poſſent, quos aſcendere tantum concedebatur ijs, qui effectoribus eorum iuſtum ſoluerent pretium. Cum autem non tanta eſſet pontium firmitudo, quanta ad ſuſtinendam tantam molem & hominum multitudinem requireretur, multi collapſi magnam ediderunt hominum ſtragem.

In medio planiciei duo Leones, & in horum medio Aquila affabre ſculpta, & artificioſe extructa erat, ex quibus ferreæ eminentes fiſtulæ, ad eam rem comparatæ, toto die publice albi & rubri coloris vinum profundebant.

Ab ijs non longum aberat ſpacium, vbi veteri conſuetudine torrebatur bos multis aliis animalibus, vtpote apris, agnis, leporibus, pauonibus, anſeribus, anatibus, perdicibus, & aliis id genus volatilibus farctus, quorum capita omnia ex bouis ventre eminentia videri poterant, & agnoſci. Ex eo pars aliqua deferebatur ad Cæſarem, reliquum promiſcuæ erat multitudinis. Planiciem illam occupabant & defendebant mille octingenti Hiſpanici milites, omnes ordine atque in acie diſpoſiti, qui & populum tumultuantem arcerent, & ne contingeret ordinis confuſio, prouiderent.

His rite ordinatis ad ſingulorum Diuorum templa ſupplicationes fiebant de more celebrata proceſſione, in qua Primates atque Doctores Ciuitatis Bononiæ antecedebant, pone geſtabatur Infula aperta, magni pretii æſtimata, quam ſequebantur viginti ſex Epiſcopi veſtibus ſubſericis longis, & infulis albis ex Damaſcena confectis induti. Hinc Patres purpurati viginti caſiolis & infulis albis, ex holoſerico contextis, ornati.

Hos Pontifex Max. ſellæ rubri coloris holoſerico obductæ, & nodulis aureis magnifice apparatæ inſidens ſequebatur, quem veſte Attalica ornatum, triplicemque in capite coronam, gemmis auroque conſpicuam habentem, duodecim geſtabant viri.

Coram altari ſella depoſita, Pontifex deſcendebat, quem accedentes Patres Purpurati, & Epiſcopi in pedibus, illi manibus eius figebant oſcula.

Poſt obuiam miſſis Cæſareæ Maieſtati Cardinalibus ſenioribus duobus, Pontifex, qua indutus erat veſte, exuebatur, aliaque peragendis ſacris deſtinata induebatur corona triplici in altari relicta atque depoſita.

Cæſaream Maieſtatem Miſſam adituram multi Hiſpanici Proceres, aliique ex nobilitate clari & magnifici viri, plerique veſtibus Attalicis induti antecedebant, inter quos vnus veſtem habens acu pictam, multisque gemmis & auro intertextam præ reliquis omnibus eminebat.

Pone ſequebantur tres præcones ſeu Feciales, Heroldas vulgo vocant, ex quibus primus Cæſari, alter Gallorum Regi, tertius Duci Sauoiæ ſacramento erat deuinctus.

Hinc primus in ordine Marchio de Monteforte ſceptrum: ſecundus Dux Vrbinenſis gladium: tertius Philippus Palatinus pomum: quartus & vltimus Dux N. coronam geſtans auream incedebat. Qui omnes ſimili fere quo Patres purpurati, veſtitus genere fuerunt induti, pileos fimbriatos capitibus geſtantes.

Hos ſequebatur Cæſarea Maieſtas media inter duos Patres purpuratos ſeniores, ex familia Medicea, & de Auria oriundos.

Prius quam Cæſarea Maieſtas templum ingrederetur, in Sacellum quoddam, iuxta pontis gradus exædificatum à Cardinalibus abducebatur, ac in eo veſtibus ſuis exutus, pallio induebatur oblongo, tot ac tantis gemmis, margaritis atque vnionibus intertexto, vt maioris, quam vel dici vel credi poſſet, pretij æſtimaretur. Deinde Diademate capiti ſuperimpoſito vſque ad medium templi procedebat, vbique multis ſtragulis veſtibus ſubſtratis, coram Pontifice in genua proiectus, conceptis verbis iurabat in hunc modum: EGO CAROLVS ROMANORVM REX *& breui* DEI *gratia futurus Cæſar, per Deum, diuumq́, Petrum promitto, polliceor, teſtificor atq́, iuro, me in poſterum pro viribus, ingenio & facultatibus meis, Pontificiæ dignitatis & Romanæ Eccleſiæ perpetuum fore defenſorem, nec vllam Eccleſiaſticæ libertati vim illaturum: ſed poteſtatem, Iurisdictionem & dominationem ipſius, quoad eius fieri poteſt, conſeruaturum ac protecturum. Cuius rei teſtem voco Deum ipſum, & hæc ſancta Euangelia.*

Hoc facto Cæſar in Sacrarium abducebatur, in quo tantiſper pronus decumbebat, donec Litania finiretur, in qua pro ipſo ſupplicationes ad Deum fiebant.

Finita Litania egrediebatur, ac coram altari precibus peractis, ad Pontificem Maximum adducebatur, vbi cum paruo temporis ſpacio procumbens commoratus fuiſſet, ab eo loco in ſacellum quoddam, præeuntibus quatuor ante nominatis Principibus, abducebatur, in quo Patri purpurato Farneſio, *ſe fidem Catholicam ſeruaturum, defenſurum Eccleſiam, adminiſtraturum iuſtitiam, inſtauraturum imperium, protecturum viduas, pupillos, & id genus calamitoſos homines, ac deniq́, Romano Pontifici honorem debitum exhibere velle*, iurabat. Iuramento pronunciato, ab eodem in pectore & capite, ac brachiorum flexibus, & manuum palmis inungebatur.

His peractis, Cæſar rurſus educebatur, ac coram Pontifice ſiſtebatur, cui extemplo Comes Naſſaenſis coronam, quam capite geſtabat, auream deponebat, vt innixus genibus benedictionem à Pontifice acciperet.

Qua accepta, cum, vt & Patres purpurati omnes manicam Pontificis exoſculatus eſſet, ad ſolium ſuum, quatuor præeuntibus Principibus, regrediebatur, qui quæ antea geſtauerant Cæſareæ Maieſtatis ornamenta, in altari depoſita reliquerant.

Poſtea Pontifex ad ſuperiorem Chori locum adductus, in cathedra magnifice & ſplendide apparata collocabatur, incipiebatque ſacrificare ſacrificulus, qui cum aliquouſque progreſſus, & Epiſtola octies Græce & Latine repetita eſſet, Cæſar rurſus ad Pontificem adducebatur, à quo, cum in genua ſe proieciſſet, inaugurationis expectabat initium, cui paulo poſt Pontifex Max. acceptum per ſacrificulum gladium tradebat, Rempublicam ei commendans, Cæſar eo euaginato ter confodiebat terram, ac deinde per Patrem purpuratum illum Duci Vrbinenti reſtituebat.

Poſtea Pontifex Cæſarem pallio induebat Regali, ac diadema, multis gemmis & margaritis conſpicuum, certis adhibitis ceremoniis, & precibus recitatis capiti eius ſuperimponebat, ſimul ſceptrum & pomum, quod orbis terrarum figuram repræſentat, ei porrigens. Quæ cum Cæſar ſingulari animi deuotione, & omnium geſtuum reuerentia accepiſſet, ad ſolium ſuum in ſuperiori chori loco ad cathedræ Pontificiæ dextram ei præparatum, regrediebatur, ibique donec Euangelium decantaretur, commorabatur. Poſt in ſacrarium abducebatur, ac in eo Diaconi more veſtitus coram Pontifice ſiſtebatur, vbi in genua proiectus, pedes eius exoſculabatur.

Hoc facto Pontifex, cum manus abluiſſet, ad aram adducebatur, quem Cæſar pone ſequens cum coram altari acceptam per Pontificem patinam, cui oſtia impoſita erat, exoſculatus eſſet, eam Pontifici ſumma cum reuerentia reddebat. Deinde genibus innixus tantiſper ibi commorabatur, donec pro pace ſupplicationes ad Deum fierent: Qua cantione finita, Cæſar, ſicut & Purpurati omnes, Pontificem Max. accedens, oſcula illi figebat.

Paulo poſt Pontifex rurſus in cathedra ſua collocabatur, eique venerandum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti Sacramentum afferebatur: Quod cum ſedens percepiſſet, ſurgebat, ac idem Cæſari genibus innixo ſumendum porrigebat.

Peracto ſacro Pontifex cum Cæſare templo egrediebatur, quos omnes Proceres atque nobiles equis inſidentes cum quinque vexillis & albi coloris equo, cui Sacramentum Altaris ciſta incluſum affixum erat, in cœmiterij planicie expectabant. Papæ generoſus equus Turcicus adducebatur, cui conſcendere eum volenti Cæſar impoſiturus erat pedem in ſtaticulum, ſed hoc non apprehenſo frenum equi, donec Pontifex conſcendiſſet, manibus tenebat.

Deinde cum & Cæſar equum conſcendiſſet, ad omnia diuorum templa ſupplicationes fiebant, omnibus Cæſareæ Maieſtatis Nobilibus, Aulicis, Proceribus, atque Primatibus, inter quos ſexaginta veſtibus Attalicis induti viſebantur, præeuntibus.

Hos ſequebantur tres Aſturcones ſeu gradarij equi Britannici, dorſualibus aureis inſtrati, quos Cæſarea Maieſtas ſingulis D. Petri & Pauli diebus Pontifici dono miſerat.

Ordinem hunc concludebant ſymphoniaci, Buccinatores, Tubicines, Tympaniſtæ & Æneatores, publicam excitantes lætitiam, cum Præcone Cæſariano, nummos aureos & argenteos in populum ſpargente.

Deinde eueſtigio Cæſar ac Pontifex Max. inter ſatellites & ſtipatores ſuos armatos equitabant, præeuntibus quatuor nominatis Principibus, Cæſareæ Maieſtatis ornamenta geſtantibus.

Ad palatium ſuum cum veniret Pontifex, ibi diuertebat, ſed Cæſarea Maieſtas cum quadringentis equitibus Burgundicis ad templum S. Dominici progreſſa, in ordinem equeſtrem recipiebat volentes ſtricto gladio leniter feriens humeros eorum, qui illum ordinem affectabant: Qui honor, vt antiquitus tantum communicabatur ijs, qui ſtrenue pugnaſſent in hoſtem, eratque fortitudinis præmium: Ita nunc temporis multis præ cæteris videri, & in honore ac exiſtimatione aliqua eſſe volentibus datur atque tribuitur.

His omnibus finitis, è templo ventum eſt, in palatium magnificentiſſime apparatum, vbi Cæſar prandium ſumebat: In planicie vero omnibus è tormentis æneis atque baliſtis emiſſis globis, milites in acie diſpoſiti, ad ſua redibant domicilia.

DE

VII.

DE DVPLICI CORONATIONE CAROLI V. CÆSARIS APVD BONONIAM

Hiſtoriola,

AVTORE HENRICO CORNELIO AGRIPPA, ARMATÆ Militiæ Equite Aurato, V. I. Doctore, Sacræ Cæſ. Maieſt. à conſiliis & archiuis Iudiciario.

Anno M. D. XXX.

PRÆFARI mihi licet (quod his qui interfuerunt teſtibus veriſſimum eſt) triumphum maxime memorabilem, & multorum fide maiorum me ſcripturum, quo inuictiſſimus Cæſar Carolus eius nominis V. cum Hiſpaniarum, tum vtriuſque Germaniæ, & Romanorum Archirex, à ſummo Chriſtianæ religionis Pontifice Clemente VII. apud celeberrimam Flaminiæ vrbem Bononiam, primum in Longobardorum Regem, deinde etiam in Romanorum Imperatorem mundique dominum coronatus eſt. Putabitis, vt arbitror, ex rei magnitudine forte ingenium meum metientes, pro ſublimitate & celſitudine tantæ maieſtatis, me nimium multa magno volumine ſcripturum. Atque reuera optaueram ego plura quæ ſcriberem, quorum maximam partem poſt terga relinquere; veſtramque in his expectationem, inuitus licet, fallere cogor, ſermonum vbertate ob inſtructionis inopiam excluſa, quam non niſi tumultuario exemplari, feſtino calamo ex Italia ad ſereniſſimam Principem noſtram diuam Margaretam trâſmiſſam, cum eius iuſſu in publicum ædendam accepiſſem, ea officii mei neceſſitate inductus, quam obedientiæ meæ ſacramento debitam pietatem pro virium meatum captu exhiberem, æditionem acceleraui: nephas arbitratus tantæ principis, cui mos omnino gerendus erat, deſiderium differre, aut publicum hoc & communis lætitiæ argumentum diutius ſuſpendere. Non eſt ergo vt hoc loci ex me effuſam ſparſamque Hiſtoriam expectetis qualem non dubito alios plerosque cum Germanos, tum Hiſpanos & Italos, qui huic tam feliciſſimo ſpectaculo interfuerunt, in ſingula propenſi, ſingula comprehenſi, ſingulorum memores, rem maximam maxima etiam eloquentia & exactiore deſcriptione tradituros; quam ego etiam alibi in res annales ampliorem, & forte feliciori ſtilo tradere conabor. Sed nunc Epitomen duntaxat eorum quæ geſta ſunt, & ampliſſimi triumphi breue compendium, quæque magis in aperto ſunt, è multis potiora accipietis; quorum feſtiuiſſimis ſpectaculis licet impar & humi depreſſa mea ſerpat oratio, in hoc tamen non improbabilis erit, quod ex fide recitantur omnia, quam longe plus, quam eloquentiam, ipſa deſiderat hiſtoria.

CAPVT I.

Quomodo Carolus Cæſar in Longobardorum Regem coronatus eſt.

ANno à Chriſto nato triceſimo ſuper milleſimum quingenteſimum exiſtentibus in Bononia celeberrima Flaminiæ vrbe, ſanctiſſimo patre Clemente VII. ſummo Roman. Pontifice, atque diuo Carolo Cæſare eius nominis V. Hiſpaniæ, Germaniæ, & Romanorum Archirege, ad quem tum multi Principes & legati, ac diuerſarum prouinciarum proceres, omniſque Italica nobilitas effuſo quodam & maximo comitatu, ingenſque populorum multitudo confluxerat venerandum, octauo Calendas Martias, in maxima omnium gratulatione Longobardica, coronatio cœpta eſt. Dies ille vbique feſtus, vbique ſolennis agebatur. Ciuitas tota frequens profuſaque in honorificentiam Cæſaris ferebatur. Indictum iuſtitium, clauſæ tabernæ, expurgatæ plateæ omnes, & virentibus frondibus inſtratæ. Exornatæ tapetibus parietes, perſonabant campanæ, reſonabant tympana, modulabantur tibiæ, vbique exultantium voces audiebantur, omnia vrbis loca ingentia lætitiæ ſigna præ ſe ferebant. Iamque inualeſcente die, cunctiſque, quæ ad regiæ coronationis magnificentiam conducere videbantur, magnifico apparatu diſpoſitis duo Cardinei ordinis purpurati patres, videlicet Medices & Dorius Cardinales protinus palatium adeunt, vbi erat inuictiſſimus, Cæſar, Rex Catholicus, purpurea ac diuerſis ramuſculis argento criſpato intextis variegata talari toga indutus, aliquot Principibus innumeraque Italorum, Hiſpanorum, Burgundionum, & vtriuſque Germaniæ Alemannorum, aliarumque diuerſarum nationum nobilitate ſtipatus: qui à reuerendiſſimis illis patribus primum quibus decuit officiis ſalutatus,

magno omnium applauſu ad Longobardicæ Coronationis ſacrum, quod in eiuſdem palatii ſacello inſtructum erat, hoc quem dicemus ordine producitur. Prægrediebatur Cæſarem ornata auro & purpura, magnificis ſumptibus ingens nobilitas. Poſt cuius agmen ſuccedebant innumeri Barones, Comites, Marchiones, & plerique Duces ac Principes. E quibus proxime antecedebant Cæſarem, inclytus Dux Aſcaloniæ & Marchio à Moia, qui regium enſem in ſua vagina Cæſari præferebat. Tum generoſus Marchio Auſtricæ, regale ſceptrum gerebat. Deinde magnificentiſſimus Alexander Medices, ſummi pontificis nepos, & dux Pennæ, aureum illud pomum mundi typum ferebat. Demum illuſtris Princeps, ſacri Romani Imperii Vicarius perpetuus, Bonifacius Palæologus, Marchio Montis ferrati, regiam coronam ambabus manibus geſtabat. E veſtigio diuus Cæſar medius inter illos duos reuerendiſſimos Cardinales incedebat: quem à tergo proxime ſequebatur, ſtrenuus ac illuſtris Princeps, Henricus Comes à Naſſau & Marchio Zenette, Aurei velleris Miles, ac Cæſarei cubiculi præfectus primarius. Poſt quem externorum regum ac Principum, variarumq; gentium auratis veſtibus Oratores & legati: tum purpurati Senatores, candidati Conſules, ac Scriniorum magiſtri, Secretorum ſcribæ atque Quæſtores, reliquorumque aulicorum agmina, ſingula pro ſui ordinis dignitatiſque gradu diſcriminatim ſuccedebant. Hac inſigni pompa, ad (quod diximus) ſacellum vſque itum eſt, vbi præſtolabatur Cæſarem reuerendiſſimus cardinalis Dertuſenſis, qui clariſſimo pontificatus habitu indutus, in pontificia ſella ſedebat ad altare, multorum antiſtitum cæterorumque eccleſiæ prælatorum turba ſociatus. Cui exhibens Cæſar debitam reuerentiam, ab eodem quibus decuit officiis & honoribus excipitur. Conuerſus deinde Cæſar ad altare, genubus flexis adorabat. Quem aſſumentes prædicti duo cardinales, fecerunt ſedere in medio ipſorum: & Principes illi, qui Coronationis inſignia portauerant, ſuis per ordinem locis ſedere iuſſi ſunt. Tum infulatus Cardinalis, accepto prius à Cæſare conſueto iureiurando, ex mandato beatiſſimi patris illi per Breue apoſtolicum ab epiſcopo Maltæ præſentatum ſacris quibuſdam preculis ad hoc inſtitutis benedicens, auſpicatiſſimum feliciſſimæ coronationis dedit exordium. Productuſque eſt Cæſar ad altare. Ibidem per aliquot ſacrorum ceremonias preceſque & inuocata alta voce, quam *litaniam* vocant, ſanctorum ſuffragia, prouolutus in ſtratum illi magnifice paratum iacebat. Peractis precibus illis, acceſſerunt Cæſarem illuſtris Comes de Naſſau, & alter generoſæ nobilitatis vir, Dominus de Noir, Comes Cæſarei corporis ſecundarius cuſtos: qui attollentes Cæſarem, exuerunt illum vtraque veſte ſua, ſuperiore videlicet toga & interiore ſubucula: relaxatiſq; thorace, & camiſia, ſpatulas cum toto dextro brachio denudauerunt. Quem cardinalis ille ſacrorum antiſtes, ſtatis ceremoniis precibuſq; ſacroſancto catechumenorum oleo inter ſpatulas & in dextro brachio perunxit. Et reuerendus pater Guilielmus Vandanaſſe Caurienſis Epiſcopus, Cæſareæ maieſtatis Eleemoſynarius primarius, cotum manibus geſtans, vncta loca detergebat. His peractis reueſtitus ſuo habitu Cæſar, ductus eſt in ſacrarium: vbi ſumpta regia abolla, toga videlicet argentea prælonga & deſuper cincta, ſuperindutuſque regio patagio, ex villoſa purpura auro criſpato intertexta, armelinis candidiſſimis pellibus ſuffulto, cuius reiectum in terga humerale, circum ſpatulas diffuſum pendebat. Hoc regio ornatu tecto capite conſueto birro, medio duorum cardinalium regredientem Cæſarem cũ Principibus, generoſus vir Adrianus à Groy, Rhodii dominus & Cæſareæ maieſtatis architriclinus primarius, leuata Indica arundine præibat, illuſtri comite de Naſſau à tergo pręlongę abollę pariter atque patagii fimbrias ſuſtinente: ductuſque eſt Cæſar in ſolium, quod illi iuxta ſummi Pontificis cathedram paratum erat. Non longe ſedebant cæteri Principes, circumſtabantque purpurati proceres. Iamque aduentare cernebatur beatiſſimus pater ſummus Pontifex ſuis cardinalibus & multis admodum epiſcopis eccleſiæque prælatis comitatus. Quo ad ſacelli oſtium appropinquante, aſſurgens de ſolio ſuo Cæſar, illi in occurſum progreſſus, quàm maxima potuit honorificentia Pontificem excepit: à quo viciſſim benigniſſime conſalutatus, pariter cum illo ad altare regreſſus eſt, vbi vtriſque & Pontificis & Cęſari magnifici ſtragulis, ac aureis puluinis inſtrata pulpita parata erant. Iam procumbente ante ſolium ſuum Cęſare, Pontifex flexis genubus inclinato capite, rem diuinam, quam *Miſſam* dicimus, exorditur: Pręlectoque confeſſionis ſymbolo, ac data reatuum abſolutione, pontificiam cathedram conſcendit, Cęſare pariter in ſuo ſolio, cæteriſque Cardinalibus & Principibus ſuis in ſubſelliis ſedentibus. Poſita enim erant coronationis inſignia ſupra altare. Interea reuerendiſſimus cardinalis Dertuſenſis, papalem (vt vocant) miſſam ſolennibus ceremoniis peragebat. Cumque ventum eſſet ad canticum illud, quod (quia ad gradus pulpiti cantatur) *graduale* dicunt, productus eſt Cęſar per cardinales illos, qui ſibi collaterales aſſidebant, ad pontificem, coram quo procumbens in genua nudo capite, ab eodem precib. aliquot ſacriſque ceremoniis benedictus eſt. Poſuitque pontifex in dextrę manus annularem illius digitum, annulum, quem Piſtauienſis Epiſcopus paratum tenebat, cui magni pretii adamas infixus erat: accinxitq; illum gladio ſuper femur ſuum. Quem eleuatus in pedes Cęſar educens, & ter in aëra vibratum, terq; in terras defixum, porro ſupra ſiniſtrum brachium ſuum reclinatum, repoſuit in vaginam, ad ſiniſtrum latus ſuum: ruſuſque procumbens in genua, coronam quam vocant chalybeam, pontifex nõ abſque ſolennibus ceremoniis capiti eius impoſuit, regemque Longobardię pronuntiauit: ponenſq; in manus eius ſceptrum & mundum, ad ſingula ſacris quibuſdam precib. & ceremoniis benedicẽs, plenariam regni tradidit adminiſtrationem. Quem poſtea ad pedum beatorum oſcula prouolutũ, & gratias agentem, reuerendiſſimi Cardinales attollentes in regium ſolium inthroniſarunt. *Regemque Lon-*

quæ Longobardiæ proclamarunt. Tunc aſſurgens in pedes beatiſſimus pontifex, illud diuorum Ambroſii & Auguſt. iubileum canticum:(*Te Deum laudamus,*) alta voce exorditur. Quod perindè pontificii cantores ſuauiſſima vocum melodia proſecuti ſunt. Continuata deinde ſuis vtrobiq; obſeruatis ritibus Miſſarum ſolennitate cum caneretur antiphona illa, quam *offertorium* dicũt, proceſſit ad altare Cæſar, & oblato munere ſuo ſacri calicis operculum(*patinam* vocant) oſculatus eſt. Rurſuſq; ad canticum *Agnus dei*, accedens ad oſculum pacis, pontificem in maxillam dextram ſumã cũ reuerentia oſculatur. Cumque iam poſtrema Miſſa antiphona(quæ communis nomen habet) caneretur, productus iterum ad altare Cæſar, ibiq; in genua procumbens, orationi religioſiſſime intentus, ab ipſo reuerendiſſimo Cardinale, qui pontificiam Miſſam peregerat, ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento refectus eſt. Porro peractis omnibus beatiſſimus pater ſummus pontifex benedicens populo, C. annor. pœnitentiam ſingulis condonauit. Accipiens deinde per manum Cæſarem, qua venerant pompa, maximo omnium cum gaudio regrediuntur in palatium, vbi mutuo ſibi congratulantes conſalutanteſq;, vnuſquiſque reuerſus eſt in triclinium ſuum. Eadem die poſt ſacrã coronationem pomeridianis horis ingreſſus eſt Bononiam, magnificentiſſimus Princeps Franciſc. Maria Rouera, Dux Vrbini, Romanæ vrbis præfectus Cæſareus, cui generoſus Dominus à Rhodio, Cæſareæ domus magiſter primarius, cum multis Cæſareæ aulæ ſatrapis obuiam porfectus, Cæſareę maieſt. verbis honorificentiſſime excepit: neq; minus plerique cardinales & epiſcopi cum pontificiis aulicis eidem Duci occurrentes, vtrorumq; magnifica pompa in vrbem traductus eſt. Reſiduumque diei illius feſtiuiſſima lætitia tranſactum, inſtaurati magnificis ſumptib. ornatiſſimi triumphi, extructi arcus, parati ludi, variaq; gaudiorum ſpectacula, quæ vrbs ſuperba publico ærario, tum officioſi ciues priuatis ſumptibus vltro exhibuerunt. Per vniuerſam vrbem, perq; ſuburbia, per ſingula compita, cantibus & tibiis dulciſſimiſq; variorum muſicæ inſtrumentorum modulis perſonabant tripudantium cateruæ, felicem ſibi illum diem congratulantes, ac Carolo Cæſari magnis lætitiæ clamoribus applaudentes: excitati ignes tanta copia, vt nocturnas tenebras flammarum ſplendore exuperarent, totamq; cum die noctem feliciſſimis gaudiis peregerunt.

CAPVT II.

Quid ſequenti Longobardicam Coronationem die actum eſt.

POſtera die perdurantibus adhuc publicis præcedentium gaudiorum oſtentis, ciuibuſq; Bononienſibus adhuc maiora molientibus, nunciatur interea aduentus potentiſſimi Allobrogum Principis, quem *Ducem Sabaudiæ* hodie appellamus, tum aliorum quorundam è Germania ſuperiore Principum, in quorum occurſum repente vndarum in ſpeciem effuſa populi vtriuſq; ſexus multitudo extra vrbem, omnes campos, omnes vias oppleuit, denſiſſimiſque turbarum globis principibus illis quam longiſſime procedere obuiam geſtiebat. Conſpicitur primum illuſtriſſimus Sabaudæ Dux Carolus, & Carolo diuo Cæſari cognatus, cum inſigni Antiſtitum, Abbatum, Comitum, Baronum, aliorumq. nobiliſſimorum virorum, auro & purpura reſplendentium ornatiſsima turba, innumera equitum multitudine longa phalanga aduentare. Quod vbi in aula Cæſaris reſcitum eſt, illuſtris comes Henricus à Naſſau, cum ornatiſſimo Cæſareorum procerum agmine aduentanti Allobrogum principi occurrens, regiis Cæſareæ maieſtatis verbis ſalutem illi annunciabat, felicemque aduentum gratulabatur. Traduxitq; intra vrbem in palatium ad Cæſarem primum: cuius manum exoſculatus, & ab illo benigniſsime exceptus, poſt mutuas aliquot confabulationes dimittitur, accedenſq; pontificem, poſt pedum beatorum oſcula traducitur in diuerſorium ſuum illi magnificentiſsime paratum, vbi ad Imperatoriæ coronationis pompam (quæ in ſequentem diem futura erat) ſe interea magnificentiſsimo ornatu apparabat. Non multo poſt Allobrogum Principis ingreſſum venit Sereniſsimi Principis Ferdinandi, Vngariæ & Bohœmiæ Regis & Auſtriæ Archiducis, Cæſareæ Maieſtatis germani fratris Legatus & Orator, nobilis & reuerendus Dominus Bernhardus, Epiſcopus Tridentinus. Venit etiam ex Comitibus Palatinis Rheni atq; Bauariæ Ducibus, illuſtriſſimus Princeps Philippus, Cæſareæ Maieſtatis agnatus, vterq; Teutonico apparatu & equitum numero conſpicuus, magnoque nobilium & equeſtris ordinis ſtrenuorum virorum agmine ſtipatus: qui viciſsim non minori conſalutationis pompa congratulationiſque gaudio excepti, ſua ad diuerſoria magno omnium applauſu traducti ſunt. Nimis longum foret recenſere, quibus honoribus Principes illi à ſummo Pontifice, à Cæſare, à Patribus, à Bononiẽſi magiſtratu excepti ſint: quibuſque feliciſsimis ſtudiis dies illa tranſacta eſt, tota in Principum illorum ingreſſum occupata. Omnes plateæ, omnes domus, omnes feneſtræ, omnia compita conſpicientium multitudine complentur. Occurritur illis vndique ornatiſsimis conſalutantium, talemq; illis Cæſarem congratulantium pompis. Hinc inſignes apicibus ſacerdotes, & vetuſtiſsimæ ſcholæ, omni doctrinarum genere inſignes, cum diſcipulis doctores: inde conſpicua grauitate togati ſenatores, & municipali purpura venerandi ciuitatis conſules, feſtiuaque liberæ nobilitatis iuuentus. Feruntur omnes gaudio, ſingulaque loca publica lætitia occupabat. Ipſa plebs paſsim portas ac feneſtras virentibus ſertis coronabat, alii ad nocturna lumina funabula parabant, alii lignorũ ſtrues congerebãt, alii falces pice & bitumine illitas ad flammarũ fomenta ſubiiciebant, alii ad ſolennia ſequẽtis diei ſpectacula, triũphales arcus multiformes inſtaurabant, alii trophæa erigebant, alii ludorum magnificentiã adornabãt, alii partas de hoſtibus innumerabiles Cæſaris victorias, ſuperbe magnificeq; effingebãt, alii inuentas nouas terras, & ad Antipodas vſq; toto Oceano quæſitas remotiſſimas inſulas oſtẽtabãt. Nullus

aut

aut ætate aut valetudine tam imbecillis, qui otio detineretur, qui non aliquid ad publicum gaudium, pari lætitia diligentiaque aut exc[illegible]taret aut operaretur: non matronæ, nõ pueri, non tremulæ anus titubantesque ſenes ſuis muneribus vacabant, quo feliciſſimam Caroli Cæſaris in Romanorum Imperatorem coronationem, auſpicatiſſima ſolennitatis pompa perpetuæ poſterum memoriæ conſecrarent. Sic tota illa dies cum in illuſtriſſimorum Principum illorum ingreſſum & conſalutationem, tum in Cæſareæ Maieſtatis in Romanorum Imperatorem futuram poſtera die coronationem, concelebrandam, feſtiuiſſimis laboribus tranſacta eſt.

CAPVT III.

Qua Pompa Auguſtalis coronatio incepta ſit, & quo ordine ſummus Pontifex templum diui Petronii ingreſſus.

DEſcribenda nobis nunc eſt Auguſtalis coronationis ſolennitas, quæ poſtridie à Longobardica coronatione peragenda reſtabat. Erat illa dies ſexta Calendas Martias, dies ter feliciſſima terque albo calculo ſignanda, dies qua in hanc lucem æditus Cæſar, maxima omnium ſpe, nec vana quidem, mundi dominus natus eſt, dies qua de Gallis ab antiquo hoſtibus iam ſæpe antea victor, tum etiam triumphator, capto illorum rege, glorioſiſſima & inaudita ſuperis temporibus ſemperque veneranda victoria potitus, vnde tandem hæc nobis cum Gallis feliciſſima pax & affinitas parta eſt: Qua eadem die nunc Auguſtale Romani Imperii diadema, è ſeptimi Clementis ſummi Chriſtianorum pontificis beatiſſimis manibus ſuſcepit. Iamiam aderat optatiſſima illa dies, qua fugato atræ noctis nubilo cœlum matutino crepuſculo, diſiecta obſcura tenebrarum caligine, ante ſolis exorientis radios adhuc propriæ lucis candore reſplenderet, cum diſcurſu triumphali nobilium turbæ plateas complent, tantaque hilaritudine cuncta gaudebant, & ſerena facie geſtiebant, vt præter peculiarem morem etiam, equi & canes, & quæque domeſtica hominibus animalia iucundis geſtibus vocibuſque exultare ſentirentur, canoræque auiculæ ſuauiſſimos concentus vltra conſuetum adſonarent, exultantiumque vocibus ipſum cœlum reboaret. Admurmurabant dulci Zephyro perflatæ arbores, erumpentibuſque odoriferis floribus turgentibus gemmis, amœna viridaria arridebant. Sic campi, ſic nemora, ſic prata florulento virore alacritatem præ ſe ferebant, vt non bruma, ſed ver ipſum pateret. Omnis creatura futurum imperatorem temporum dominum orbiſque totius rectorem, velut numen aliquod cœlitus demiſſum venerari videbatur. Longum eſſet hic referre incredibilem inæſtimabilemque veſtium ornatum, quibus inter ſe cum pompoſi Hiſpani, tum magnifici Itali, & profuſi Burgundiones, & vinci impatientes Germani, magnificentiſſimis ſumptibus concertabant, & quiſque quibus potuit quam maximo ſumptu comparatis, ſuum præ cæteris in Cæſarem affectum oſtentare nitebatur. Hi aureis, illi argenteis, illi holoſericis, alii polymitis, alii planis, alii villoſis tum infectis purpura & tinctis murice & cocco, tum Attalica Semiramidaq; textura & Phrygio opere elaboratis, inſertiſque cum vnionibus variarum gemmarum lapillis reſplendebant. Equi omnibus tales, quali Turno fuiſſe deſcribit Vergilius, & Homerus ad Troiam veniſſe narrat Menonis. Ea erat pomparum ſolennitas, cui nihil adiici ad gloriæ magnitudinem potuiſſet. Iamque creſcentibus orientis ſolis radiis illuxerat clara dies, cum Principes & ſatrapæ cæterique nobiles, palatium protinus adeunt, vbi in ampliſſimam baſilicam, ad alteram palatii contignationem aſcendentes, omnes ad Cæſarem conueniunt. Quod vbi reſciſſet Pontifex, diſpoſitaque eſſe omnia, ipſe prior Pontificio ornatu ſacriſque veſtibus indutus, multis admodum cardinalibus & epiſcopis ſingulis in pontificalibus eorum ſociatus, templum diui Petronii hoc ordine ingreditur. Prægrediebantur bini & bini, cubicularii, oſtiarii & ſcribæ apoſtolici. Poſt illos duodecim Bononienſis ſcholæ veterani legum doctores equeſtri ordine & palatinatus dignitate à Cæſare recenter donati. Deinde octo eiuſdem ciuitatis viri patricii venerabili pompa ſuccedebant, quos ſequebatur Rector vniuerſitatis ſua purpura ſuperbus. Deinde prætor vrbis Bononienſis, quem *Poteſtatem* vulgo vocant, in veſte aurata admodum conſpicuus. Poſtea ibant auditores Rotæ cæterique iudiciorum officiales. Demum LIII. cum epiſcopi tum archiepiſcopi, ſinguli in pontificalibus ſuis venerabiles. Hos proxime ſequebantur reuerendiſſimi cardinales per ordinem, videlicet Medices, Dorias, Grimaldus, Gaddi, Mantuanus, Piſanus, Sanctæ crucis, Cornarus, Grimmannus, Peruſius, Rauennates, Inchefordius, Campegius, Anchonitanus, Sanctorum quatuor, Senenſis, Farneſius, ſinguli in ſuis mytris & palliis, quę *pluuialia* vocant, quorum patagium ſcuti inſtar in terga dependet. Dehinc duo eccleſiæ tribuni ſiue capitanei, quos Italicum vulgus *Confalonerios* vocant, magnanimus comes Ludouicus Rangon, & magnificus Dominus Laurentius Cibo, ambo armati incedebant. Poſt quos adhuc alii tres reuerendiſſimi cardinales, Ceſerinus, Cæſius & Cibo, beatiſſimo pontifici aſſiſtentes ambulabant, in quorum medio ſanctiſſimus pater Clemens, eius nominis Papa ſeptimus, Pontificio ornatu triplici diademate coronatus, in aurea Pontificali cathedra ab octo purpuratis ſtipatoribus ſub aureo vmbraculo ſublimis ferebatur. Quem deinceps ingens abbatum, protonotariorum, aliorumque cum eccleſiaſticorum prælatorum tum ſecularium nobiliumque ſatraparum magnatumque turba ſequebatur. Cumque iam beatiſſimus Pontifex intra templum prædictum

dictum ad altare maius vſque applicuiſſet, ſingulis ſua loca occupantibus, inceptum eſt officium, quam concinentibus Pſalmis, *Tertiam* vocant, cum exhibita Pontifici conſueta obedientia, à ſeniori cardinalium Farneſio incepta, ſingulis deinceps pro ſuæ creationis ordine cardinalibus manum pontificis deoſculantibus. Proinde ſinguli archiepiſcopi, poſt etiam epiſcopi conſimili ordine ad pedum oſcula proceſſerunt. Interea miſſi ſunt duo ex reuerendiſſimorum cardinalium cœtu, videlicet Saluiatus & Rodulphus Diaconi Cardinales, vt Cæſarem adducerent in templum, qui hac, quam nunc dicemus, pompa palatio egreditur.

CAPVT IV.

Quo ordine ex palatio itum eſt in templum.

ANteibat ingens nobilium puerorum caterua, pulcherrimam de ſe ſpeciem præbens: ſubſequebantur magno numero fulgidæ nobilitatis & equeſtris ordinis viri, omnes quidem magnifico ornatu ſpectabiles. Deinde complures Barones, Comites, Marchiones & plerique Duces, & ſacri Romani Imperii Principes, quibus Cæſareæ aulæ diuerſorum munerum præfecti, ſatrapæ ſuccedebant. Deinde externorum regum atque principum, videlicet Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Luſitaniæ ſiue Portugaliæ, Vngariæ, Poloniæ, Bohemiæ, Auſtriæ, Sabaudiæ, tum etiam Cæſaris multorum ſuorum regnorum principatuumque Caſtellæ, Legionum, Arragoniæ, Nauarræ, Neapolis, Siciliæ, Granatæ, Burgundiæ, totius Auſtraſiæ, & reliquorum paludati Heraldi, cæterique cum Feciales tum Caduceatores & Corynophori inſpectione digni ambulabant. Poſt quos Cæſareæ aulæ architriclini, quos vocant *Magiſtros domus*, cum ſuis arundinibus (*Scipiones* antiqui vocant) bini & bini, pariter incedebant. Supremus autem & primarius magiſter, generoſus Dominus à Rhodio, eleuata arundine ſua ſequebatur illos ſolus. Continuo Cæſar, & qui coronationis inſignia ferebant Principes, hoc ordine ſucceſſerunt. Primum ibat illuſtris princeps Bonifacius Palæologus, Marchio Montisferrati, toga holoſerica coccinea indutus & ſuperueſtitus ex villoſa purpura, patagiata chlamyde, candidiſſimis armellinis pellibus ſuffulta, tum & maximi ſumptus geminata tyara caput eius integebat, ſacrumque imperiale ſceptrum aureum magnificentiſſima cum arte tum impenſa elaboratum, dextera præferebat. Iuxta ſequebatur illum ſtrenuiſſimus & magnanimus princeps Franciſcus Maria Rouera, Dux Vrbini, etiam ſuo Ducali ornatu incedens, qui imperatorium gladium (cuius capulus & vagina arte aurifica & gemmaria ſupra omnem æſtimationem ad miraculum ſpectantium ſunt elaborata) ſua dextera eleuatum attollebat. Inſequuntur iſtos per ordinem, ex Palatinis Rheni & Bauariæ Ducibus illuſtris Princeps Philippus, Ducali purpura ac tyara magnifice ornatus, qui aureum mundum manibus ſuſtinebat. Deinde potentiſſimus Sabaudiæ Dux Carolus in ſuo Ducali habitu tam ſuperbiſſimo ſumptu elaborato, vt tyara illius ſupra centum millia ducatorum æſtimata ſit. Hic ſacrum Imperii diadema ex auro obryzo pretioſiſſimis lapillis refertum, adeoque ſumptuoſum, vt omnem æſtimationem excedat, ambabus manibus geſtabat. E veſtigio diuus Cæſar Carolus abolla regia veſtitus, ſuperindutus ex criſpato auro Babylonicæ texturæ præ ongo patagio, corona regia inſignis, medius inter prænominatos illos duos pontificio ornatu infulatos diaconos cardinales incedebat, eiuſque poſtremas fimbrias illuſtris comes Henricus à Naſſau ſuſtinebat. Proxime deinde ſequebantur quatuor inſignes epiſcopi, tum Regum Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Portugalliæ, Vngariæ, Bohœmiæ, Poloniæ, Ducis Ferrariæ aliorumque Principum, tum Venetorum, Genuenſium, Senenſium, Lucenſium, Florentinorum, & aliarum gentium oratores atque legati, clariſſimi quidem omnes. Poſtremo Cæſarei conſilii Senatores ac viri conſulares ſecretorumque ſcribæ, & reliqua togatorum turba ſuis diſcreta ordinibus ſuccedebat. Denique poſt longum illorum ordinem nouiſſimorum loco fulgentes auro loricati aliquot bipenniferi, proceſſionis totius pompam claudebant.

CAPVT V.

Quibus ceremoniis Auguſtalis coronatio peracta eſt, atque generoſus Adrianus de Croy Dominus à Rhodio, in Comitem prouectus eſt.

COnuenerat omnis hæc multitudo, in ea quam diximus altiore palatii baſilica, ex qua narrato ordine in inferiorem, quæ in primo ſolario eſt, baſilicam deſcendebat. Erat ibi perforato muro conſtructum oſtium peramplum, à quo extructus pons ſublimis vtraque parte munitus, & vndique virentibus ſertis ex hedera, myrto lauroque veſtitus, inſertis pontificiis & Cæſareis clypeis, per forum medium ad oſtium templi diui Petronii per ducentos ferme paſſus, ea altitudine, qua erat prima palatii contignatio, ſublimis protendebatur, atque exinde intra templum in chorum vſque contra altare maius paulatim declinabat: ad cuius extremum contra oſtium templi in ſublimi ſuggeſto fabricatum ſacellum, diuæ Virginis intra turres phanum repræſentabat: per hunc pontem in templum vſque tota pompa à ſublimi procedebat. Cumque iam Cæſar ipſe ad ſacellum vſque (quod diximus ad extremum

mum

mum pontis extructum) perueniſſet, à Romanis canonicis & decano diui Petri (qui ad hoc ex vrbe Romana Bononiam venerant) correptus, ductus eſt intra ſacellum ad altare, vbi paratū illi erat pulpitum pretioſo tapeto ac aureo hypocoriſmate inſtratum, in quod procumbens in genua Cæſar, poſt breuem oratiunculam iuſiurandum beato Petro eiuſq; ſanctiſſimo Vicario Romano Pontifici præſtitit, in manus Saluiati Cardinalis, ea forma, qua Ludouicum Caroli filium iuraſſe, Decreta confirmant. Tunc per venerabilem Ciceræ Epiſcopum Arioſtum Ferrarienſem, ſummi Pontificis architriclinum indutus Cæſar lino ſtolio, quod ſuperpellicium vocant, acceptaque quæ dicitur amicia in canonicum ſancti Petri inueſtitus eſt. Cui ſic ſtanti ante altare, decanus & ſinguli per ordinem canonici, exhibita Auguſtali reuerentia, manus deoſculati ſunt. Egreſſus deinde ſacellum illud, à duobus illis ducibus cardinalibus medio interceptus, traductus eſt intra templum, ad cuius oſtium ab aliis duobus reuerendiſſimis & poſt priorem ſenioribus epiſcopis cardinalibus, Anconitano & Sanctorum Quatuor Coronatorum, ſumma cum honorificentia obuiam exceptus, poſt certas preculas intra templum abducitur. Vix Cæſar cum cardinalibus prætergreſſus oſtium templi, inſequentibus aliquot armatis ſtipatoribus, pons ipſe, ſuper quem ingrediebantur, X X. ferme pedum longitudine confractus corruit, cecideruntque innumeri, vnus aut alter moribundi, pauci vulnerati inuenti ſunt: res ab omnibus miraculo tenus habita, non omnes vna periiſſe. Plerique hanc rem in omen vertentes, ex confracto ponte nullum deinceps alium Imperatorem coronatum iri, vaticinari auſi ſunt. Iamque Cæſar ingreſſus templum ad ſacellum diuo Gregorio intitulatum traducitur, vbi poſitis ſuperpellicio atque amicia, per venerabilem Caurienſem antiſtitem, ſacris veſtibus, humerali & alba, & dalmatica, & tibialibus, & ſandaliis indutus eſt, ac Imperiali trabea circumdatus, quæ Babylonicis ac Phrygiis artibus contexta, & inſertis pretioſiſſimis gemmis multiformiter variegata, ſic vt cum deſcriptione ſit difficilis, tum pondere fere importabilis, magnificentia eius etiam ſupra omne pretium inæſtimabilis exiſtat. Hoc ſacro atque pretioſiſſimo habitu adornatus Cæſar, duobus præſulibus à quouis latere, videlicet Battenſi, Palatinenſi, Brixienſi & Caurienſi, ac illuſtri Comite de Naſſau à tergo, gemmatæ trabeæ graue pondus ſuſtinentibus, medius duorum cardinalium ad medium vſque templi, cui loco Rotæ Porphyreæ nomen indiderant, traductus eſt: ibi trinam benedictionem accipiens, proinde ducitur ad altare maius, quod diui Petri Apoſtoli Romanam aram repræſentabat. Ibi ſuper auream mattam, aureo puluino ſubdito prouolutus, vſque poſt cantatas litanias aliaque ſuffragia, permanſit: quem poſtea attollentes duo Cardinales, videlicet Campegius prior presbyterorum, & Cibo prior diaconorum, in ſacellū diuo Mauritio adſcriptum, adduxerunt: vbi per præſtantiſſimum patrem cardinalem Farneſium Oſtienſem antiſtitē, & cardinalium epiſcoporū priorem, ſed & totius reuerendiſſimorum cardinalium collegii ſeniorem atq; decanū (exutus prius & ſolutus veſtibus) ſacroſancto chriſmate, à dextræ manus reſtricta vſq; in cubitū atq; intra vtraſq; ſpatulas in dorſo, non ſine ſacratiſſimis benedictionib. & ceremoniarū ritibus delinitus eſt, & per venerandū Caurienſem epiſcopum deterſus, & quo fuerat indutus ſacro pretioſoq; amictu reſtitutus. Tunc rurſus Saluiatus & Rudolphus cardinales, qui Farneſio aſtiterant, vna cum illo conducunt eū ad ſūmum Pontificem primum, qui ſacro Pontificii ornatu in ſancta Apoſtolica cathedra omnipotentis Dei vicarius ſedebat iuxta altare. Cui exhibens ſolennem reuerentiam Cæſar, ſuper ſtratum magnificentiſſimum ante illum procumbebat. Accedens autem ad altare Pontifex, rem diuinam pari religione, maxima cum ſolennitate inchoauit: peractaque confeſſione cum abſolutione ac intonato per eum alta voce Miſſæ introitu, & ſuffito altari, accedens Pontificem diuus Cæſar, oſculatus eſt illum in maxilla & in pectore: deinde præcedentibus principibus atque coronationis inſignia ferentibus, traductus eſt Cæſar in ſolium, quod illi paratum erat in imo chori, quo etiam abductus erat Pontifex, in cathedram illi paratam. Redeuntesque Principes ad altare, poſuerunt inſignia, quæ per ceremoniarum magiſtrum, qui ſacris præerat, locata ſunt ſuper altare, reuerſique ſunt Principes ad Cæſarem in ſubſellia ſua. Interea cum res diuina diuerſis ceremoniis vſque poſt Canonicæ epiſtolæ lectionem (quam duo Acolyti, Ioannes Alberinus ſubdiaconus Apoſtolicus Latine, & Braccius Martellus camerarius pontificis Græce canebant) peracta eſſet, adduxerunt Cæſarem prædicti duo Cardinales ad pontificem, ante quem ſuper puluillo aureo Attalicæ ſtragulæ iniecto in genua procubuit. Tunc per epiſcopum Piſtaurienſem ſublatus ex altari ſacer gladius, & datus diacono cardinali, è cuius manibus accipiens illum pontifex, & eductum è vagina ſua benedicens, dedit in dextram Cæſari, & belli iura tradidit, inquiens: *Accipe gladium ſanctum munus à Deo, in quo concides aduerſarios populi Dei Iſrael.* Quem rurſus accipiens è manu Cæſaris, qui Miſſæ miniſtrabat, diaconus cardinalis, remiſit in vaginam reddiditque pontifici: qui iuuantibus cardinalibus accinxit illo Cæſarem ſuper femur ſuum ſiniſtrum. Tunc ſurgens in pedes Cæſar, eductum gladium valida dextra, ter in aëra vibrauit, & ad ſingulas vices aciem in terram defixit. Porro remiſit illum in vaginam ſuam, & reclinauit ſe in genua ante pontificem: qui ſolennibus ceremoniis ad ſingula benedicens, aureum illud pomum mundi repræſentaculum, dextræ: atque ſceptrum immortale virtutis & fidei pignus, ſiniſtræ manibus eius per vices imponens, orbis imperium illi tradidit gubernandum, quod & ille magno animo regendum ſuſcepit. Poſtremo ſolenniſſimis ceremoniis ſanctiſſimiſq; benedictionib. imperiale diadema ſacrato capiti impoſuit, ſacratiſſimum illi *Imperatoris* nomen characteremq; cōtribuens. Mox omnis ætas, ſexus & ordo

ordo, ad ſacrati capitis diadematiſque conſpectum effuſiſſimo gaudio ſtupefacti, & quaſi extra ſe poſiti ſunt. Quorum intimam candidiſſimi animi lætitiam, quæ res magis exprimere potuit, quam lachrymæ, quæ paſſim ſpectantium genas irrigabant? Tunc prouolutus ad pedum beatorum oſcula Imperator, iacentem illum ad pedes ſuos Clemens pontifex clementiſſimo affatu, iuuantibus cardinalibus attollit. Tum diſcinctus eſt & gladius, & euaginatus traditus eſt ſtrenuiſſimo Duci Vrbinati, præferendus. Tum duo illi reuerendiſſimi cardinales, Saluiatus & Rudolphus, Imperatorem iam diademate coronatum, in ſiniſtra ſceptrum, in dextera mundum geſtantem, in thronum ſuum, qui iuxta ſummi Pontificis cathedram magnificentiſſime apparatus erat, produxerunt: & ſtatutis ceremonijs inthroniſarunt *Carolum V. Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, mundi totius dominum, vniuerſis Principibus & populis ſemper venerandum metuendumque* denunciantes. Sedebatq; Imperator ad ſiniſtram pontificis, ſuperior primo cardinali epiſcopo: aſſidebantque illi duo cardinales diaconi, ſicut aſſidere ſolent pontifici, & quatuor epiſcopi. Interea cantata ſunt pro Imperatore ſuffragia quam *Litaniam* vocant, inuocantibus diuos cardinalibus diaconis, & reſpondentibus cantoribus: *Tu illum adiuua:* loco illius quod dici ſolet: *Ora pro nobis.* Finitis tandem ſuffragiorum ſupplicationibus, ſanctum Domini euangelium vtraq; lingua, primum Latina per cardinalem Cæſerinum, deinde Græca per Archiepiſcopum Rhodiorum, alta voce lectum eſt. Poſtea fidei Chriſtianæ Nicenum ſymbolum dulciſſima harmonia cantatum: Cumq; ad Offertorium ventum eſſet, Imperator depoſitis in manus Principum diademate, ſceptro & pomo, ac ſimul magnificentiſſima illa trabea, nudus capite in ſacra Dalmatica tunica procedens ad altare, obtulit munus ſuum ad pedes pontificis. Erat autem munus x x x nummûm aureorũ, & ſinguli valoris ducatorum x. eo quod eſſet ei dies illa natalitia, qua iam x x x. ætatis annum complenit. Conſueuit enim quotannis die illa totidem nummos aureos offerre, quot annorum tunc compleſſet ætatem. Facta oblatione offertur pontifici ſolennibus ritibus lauamen: qui lotis manibus acceſſit ad altare, quem ſecutus Imperator, miniſtrauit illi, & hoſtias, & vinum, & aquam ſacrificanda porrigens: deinde flexis genubus procubuit in pulpitum, aureis periſtromate & puluinis conſtratum, quod illi paratum erat ad cornu altaris, permanſitque ibi intentus ſacro Miſſæ canoni vſquequo caneretur: *Agnus Dei.* Tum ſurgens adijt pontificem, illumquè oſculo pacis in dextra maxilla atque in pectore deoſculatus eſt. Tum ſecutus pontificem ab altari, ambo reuerſi ſunt ad ſedes ſuas, iuxta quas proſtrati in genua, iunctis manibus, nudis capitibus, deuotiſſimis orationibus intenti, ſacratiſſimum euchariſtiæ pabulum ſumma cum religione expectabant, quam ſummus ſacerdos & pontifex ſuper patinam reliquerat in altari. Accipienſque cardinalis Cibo, qui diaconus Miſſæ miniſtrabat ſacram patinam, eleuanſq; ante altare, coram vniuerſo populo monſtrabat, tradiditque deinde alteri cardinali Cæſis, qui ſubdiaconum agebat. Hic accipiens illam, religioſiſſima reuerentia pertulit ad pontificem, qui accipiens manibus euchariſtiam, quæ maiuſcula hoſtia erat, benedixit & fregit per medium, in cuius vna parte deuotiſſima mentis contemplatione Chriſti corpus depaſtus eſt. Deinde allato ſibi benedicto calice, ſacratiſſimum Chriſti ſanguinem aureo calamo pari deuotione exuit: porro ex alio calice vinum ablutionis hauſit. Deinde fregit alteram partem hoſtiæ, deditque duobus cardinalibus, Cæſarino diacono, & Alberino ſubdiacono. Communicato pontifice & duobus illis cardinalibus, procubuit ante illum Imperator, coram quo illuſtris Comes à Naſſau, & generoſus Dominus à Rhodio: hic cubiculi, ille architriclinij, præfecti primarij, magnificentiſſimam mappam ex byſſo auroque contextam, atque ex margaritis, alijſq; pretioſis lapillis elaborato ſumptuoſo limbo circumdatam, tenebant. Tum pontifex Imperatori ſacroſanctiſſimum dominici corporis Sacramentum in alia minore hoſtia proprijs manibus miniſtrauit. Quod cum ille deuotiſſima reuerentia accepiſſet, ſurgens, pontificem in maxillam oſculatur, rurſuſque recumbens in genua, è manibus diaconi cardinalis, vinum, quod vocant *perceptionis*, recepit, præguſtante ſibi reuerendo Caurienſi epiſcopo.

Deinde pluribus orationibus à pontifice benedictus, ſurgens regreſſus eſt in thronum ſuum, indutuſque Imperiali trabea, acceptis in manibus mundo atque ſceptro, impoſito ſacro capiti diademate, vocari ad ſe iuſſit generoſum virum Adrianum à Croy, Rhodij Dominum, iamdudum aurei velleris militiæ adſcitum, ac architriclino ſupra cæteros præfectum: cui ante maieſtatem ſuam procumbenti, in hæc verba locutus eſt: *Non me latent, generoſe Adriane, maiorum tuorum vetuſtiſſimæ nobilitatis imagines, eorundemque erga prædeceſſores noſtros ingentia merita: Sed nec tuam in maiorum tuorum virtute imitanda conſtantiam ignoro, qui tua ſtrenue geſta magnificeq; facta expertus, dignum virtutibus tuis præmium referre ſtatuens, te vnum vocaui & elegi, in quem huius ſacri diadematis primitias impenderem, teque, quod & merita tua depoſcunt, & virtutes tuæ merentur, in ſacri Romani Imperij Comitem proueherem. Quæ dignitas nunc noſtro Imperio gloria, tibique ac tuis ſucceſſoribus perpetuum decus eſto. Sacri Romani Imperij Comes bona fide appellator, tuoque Rhodio dominio, cum adiacentibus illis terris tuis, tu & ſucceſſores tui, deinceps Comitatus titulo fruuntor, æqualem cum cæteris Romani Imperij Comitibus dignitatem habento, paribus honoribus, priuilegiis, præeminentiis libertateque ſine vlla contradictione vtuntor. Qui in iſtis contradicere tibi auſus fuerit, aut obſtinatus non paruerit, ſacri Romani Imperij rebellis, & maieſtatis noſtræ reus habetor.* Attonitus inſperatæ dignitatis gaudio Rhodius Comes, cum longiore ſermone Imperatori gratias dicere intenderet, pontifex ad altare conceſſit, Miſſamque cum benedictione peregit, omnibus & ſingulis cum in templo, tum foris, Imperialis coronationis venerationi intentis, plenariam peccatorum omnium remiſſionem condonans.

Ff CAPVT

CAPVT VI.

Quæ in foro & ciuitate durantibus ſacris interea geſta ſunt, & quo apparatu Bononienſis populus coronatum Imperatorem videre geſtiens, excipiebat.

DVm hæc, quæ diximus, in templo geruntur, erant in foro, quod ante templum eſt, erectæ marmoreæ duæ columnæ, ſupra quas inſidentes, vna prægrandis ac biceps aquila, duoque à lateribus inaurati leones, qui epiſtomiorum fungentes officio, interea quo ſacra peragebantur, perque totam diem & profundam noctem, hinc leones album, inde aquila rubrum, ſuauiſſima vina continuo profundebant: iuxta vero auratis cornibus & vngulis bos Troianus, varij generis minutis beſtiolis cum quadrupedibus tum volatilibus infarcitus, integer in prælonga ac robuſtiſſima cuſpide volutus torrebatur. Pluebant à feneſtris panes artolagani, placentulæ, brachiola, paneſque dulciarij, tum fructus varij, poma, pira, caſtaneæ nuces, & incruſtatæ zaccaro auellanæ, amygdalæ, coriandri, atque id genus plura, quæ expectabunda plebem iuuentutemque interea cum reficerent, tum ſolatiarentur. Præterea ingens electiſſimorum militum exercitus, multiplici cataphractorum equitum turma, gemina & Hiſpanorum & Germanorum peditum acie, numeroſiſque ſclopetariorum ſagittarijs, tum ſupra viginti ingentium bombardarum machinis inſtructus, ne qua ſeditio oriretur, omnes aditus occupabat, ac circa palatium atq; templum cuſtodias agebat: cui Antonius de Leua dux primarius, nomine Cæſaris imperabat. Eratq; ipſe armatus totus, ſedens in cathedra ſua in foro ante prætorium, & cæteri militum duces, cum Hiſpani, tum Burgundiones & Alemanni iuxta illum. Peractis ſacris data eſt mora quieti, dictaque Imperatori Panegyrica, quouſq; populus templo excederet, cæteriq; ad proceſſionis pompam ſeſe conſcenſis equis in ordinem diſponerent. Iam ergo promiſcuus vtriuſque ſexus populus, qui ſupra centum millia hominum æſtimatus eſt, egrediens templo, per varias turmas & cuneos Imperatorem ſuum videre geſtiens, quo ille ingreſſurus eſſet, ferebatur: omnes ſui ordinis & decoris obliti, quem ſors cuiq; locum obtuliſſet, occupabat. Conſcendunt alij tecta, & ſummis pendent tegulis, alij trabibus inſident, alij columnis implexi, alij muris hærent: omnes feneſtræ, omnes rimulæ ſuis ſpectatorib. refertæ, perforati parietes & diruptæ maceries, quo oculos ſuos tam expectati Imperatoris ſpectaculo populus expleret, nullus locus non occupatus, ne ijs quidem, qui non niſi ruinoſum & periculo proximum caperet veſtigium. Laborabant referta hominum pondere tecta, neq; minus vias omnes denſiſſimæ populi turbæ opplebant: non ætas, non ſexus, non valetudo, quenquam detinere potuit, omnes pari gaudio, pari alacritate, ad noui Imperatoris ſpectaculum, tanquam ad numen aliquod in communem omnium ſalutem è cœlis demiſſum, procurrêre. Quid referam ciuitatis apparatus, publice priuatimque ſupra modum adornatos. Quacunq; via ingreſſurus erat Imperator, expurgatæ plateæ, & viridibus iuncis graminibuſq;, & multorum colorum floribus inſperſæ, ſuauiſſimos odores late profundebant. Parietes omnes periperaſmatibus auro purpuraque diſtinctis, & hinc atque hinc longe pendentibus late radiabant, affixaque matronarum ſumptuoſa monilia, pendentiaq; longis tractibus aurea balthea, tum aurea & argentea vaſa inſtar ſcalarum per gradus expoſita, crebris repercuſſa ſolis radijs fulgurabant, neque minus venuſtiſſimæ quæque mulieres & puellæ in feneſtris & porticibus per diſtincta interualla diſpoſitæ, pretioſiſſimis veſtibus & monilibus ornatæ, tranſeuntium quorumq. oculos perſtringebant, Sed vicit priuata ſtudia publicus apparatus, Extructi arcus triumphales, erecta trophea, æditi ludi, celebratæ multæ admodum Imperatoris feliciſſimæ victoriæ, parata ad omnes angulos ſpectaculorum oſtenta, & inſcripta aureis literis encomiorum & panegyricorum heroica carmina: Nihil vnquam viſum, aut etiam auditum feſtiuius, nihil lætius, nihil magnificentius eius diei ſpectaculo.

CAPVT VII.

Qua pompa poſt Coronationem publica proceſſio habita eſt.

CÆterum nunc proceſſionis ordo recitandus eſt. Digreſſa enim à templo plebe, pontifex ſummus ſacerdotalibus interea exutus, acceptaque in caput magnificentiſſima corona ac triplici inſignita tyara, vna cum Imperatore diademate coronato, templo prodibat: ad oſtium productus eſt pontifici niuei candoris equus gradarius aureis habenis, ac monili frontalitio purpureoque ephippio inſignis. Ad cuius ſtapedes inſiliente pontifice cum Imperator manum appoſuiſſet, vix paſſus hæc clementiſſimus pater, his verbis Imperatorem alloquitur: *Nequaquam id feceris, fili mi, Imperatorque inuicte. Satis mihi ſupraque ſatis humanitatis tuæ obſequentiſſima voluntas, quam tamen non in meam perſonam, ſed illius, cuius vices gero, habeo acceptiſſimam.* Cumque iam inſcendiſſet equum pontifex, apprehendit frenum Imperator, ductoris obſequium illi aliquot paſſus exhibiturus: quod beatiſſimus pater nequaquam paſſus eſt. Tum datus eſt Imperatori equus, etiam niueo candore & ſublimi altitudine illuſtris, quin & magnificentiſſime ephippiatus phaleratuſque, auro & gemmis vndique refulgens: cui inſidens Imperator, altior omnibus eminebat, vt à cunctis conſpiceretur. Poſt, cæteri Principes totaque nobilitas conſcenſis equis, hoc ordine procedebant, vt duo & duo pariter ambularent, pontificij à dextris, Cæſarei à ſiniſtris præequitabant, cocco & purpura relucentes, cum cardinalium pontificumque tum Principum ſecularium familiares miniſtri. Sequebantur auro & argento magnifice fulgentes pontificij ac Imperatorii ſatrapæ,

& phaleratis equis bellorum maximi duces. Poſt quorum agmen duodecim Bononienſis populi vexilla alba, rubra cruce inſignita, totidem ſigniferi pedites præferebant. Quos è veſtigio Tribuni plebis ſequebantur, quibus ſexdecim Bononienſium Collegiorum rubra vexilla ſuccedebant, poſt quæ Bononienſis ſcholæ duodecim legum doctores, ſua purpura aureiſque armillis inſignes, atque Bononienſis vrbis Gubernator eleuatam arundinem tenens, ſuis lateronibus & ſatellitibus ſtipatus: tum nobilis & ſtrenuus vir Angelus Raynuntius Capitaneus iuſtitiæ, phalerato equo inſidens, armatus, & aurea lacinia ſuperamictus, Bononienſis vrbis vexillum attollebat. Deinde quatuor rubra vexilla totidem pontificij ſatellites, quos vocant *Curſores*, ferebant: ad quæ pontificij cubicularij, atque ipſa Ducis Pennæ familia ſequebatur. Poſt quos antiquum populi Romani vexillum Iulius Cæſarinus Comes portabat. Deinde quod dicitur, diui Georgij vexillum iunior Marchio Anguillariæ geſtabat. Poſtea Romani Imperij Aquilam generoſus ex Vergeria proſapia Baro Aufregius attollebat: ſuccedebant, vexillum pontificis, vexillum eccleſiæ, porro vexillum Crucis: quorum primum Comes Ludouicus Rangon, alterum nobilis Baro Gabriel Romanæ militiæ tribunus, tertium magnificus Laurentius Cibo nudo capite geſtabant. Sequebantur deinde ſex albicantes equi ſuperbiſſimis ephippijs phaleriſque magnificentiſſime adornati, quos totidem purpurati helciarij à manibus ducebant. Tum quatuor Pontificis inſignes tyaras totidem cubicularij ferebant, quos deinde longiſſimus cæterorum cubiculariorum, acolytorum & pontificiæ aulæ clericorum ſcribarumque ordo ſequutus, tum cauſidicorum, aduocatorum & Iuriſconſultorum ingens numerus. Porro auditores Rotæ ſuo cocco & purpura inſignes obequitabant. Sequebantur deinde tympaniſtarum, tibicinum, cornicinum, tubicinum, ſinguli ſuum taratantara tonantium multitudo non modica. Quos è veſtigio ſequuntur oſtiarij, ianitores, lictores, virgiferi, bacularij, corynophori: Deinde Principum Regumque, & Imperatoriæ Maieſtatis Heraldi ſuis paludamentis ac phaleris magnificentiſſimi. His ſuccedebant diuerſorum populorum, tum Principum atque Regum oratores & legati. Poſtea ſubdiaconus quidam ſummi Pontificis paſtoralem baculum triplici cruce inſignitum præferebat, poſt quem alter pontificiam prædiuitem tyaram oſtentabat. Sequuntur alij duo, qui totidem ardentibus lychnis aurea candelabra geſtabant. Deinde dominici corporis adorandum Sacramentum in ſua capſula, ſuper niuei candoris aurato tegmine magnifice phalerato gradario ferebatur ſub holoſerico vmbraculo, quod duodecim Bononienſium, cum viri patricij, tum Doctores phyſici ſuſtentabant, atque duodecim candidæ ceræ ardentibus tædis pontificij cubicularij ab vtraque parte comitabantur. Proxime deinde ſequebatur ſummi Pontificis ſacriſta, candidam virgam manu geſtans. Tum procedebant celeberrima pompa, ad ſeptuaginta fere diuerſi ordinis, & per ſua diſtincti agmina, Comites, Marchiones, Duces & Principes, omnes aureis veſtibus, & ſinguli ſuis lateronibus & ſatellitibus magnifice ſtipati. Quos deinceps fere ducenti holoſerico & polymito veſtitu ſuperbiſſimi ſatrapæ etiam ſuo ſatellitio ſtipati per ordinem ſequebantur. Poſtea eleuatis arundinibus ſuis Imperatorij architriclini, quos *Magiſtros domus* vocant, tum & Magnus Magiſter, iam Comes à Rhodio, ſuccedebat ſolus, quem proxime armorum Rex Heraldus, cui à Burgundia nomen eſt, paludatus antecedebat aureo argenteoque nomiſmate plenas bulgas (hippoperas alij vocant) ab equi ephippio ſuſpenſas ferens, è quibus ad vtraque viæ latera, cum inter eundum, tum inter redeundum plenis manibus in plebem ſpargebat, Imperatoris liberalitatem proclamans, quæ tunc *Imperium, Imperium, Imperium: Viuat Carolus Imperator catholicus*, viciſſim acclamabat. Erat autem nomiſma, quod largiebatur, Imperatoris effigiem, cum inſcriptione, CAROLVS V. IMPERATOR AVGVSTVS. ab vna parte inſculptam habens: ab alia vero eiuſdem diui Imperatoris ſphrageticum ſignum, duas videlicet columnas, in quorum medio annorũ Chriſti numerus arithmeticis apicibus expreſſus erat, circumſcriptumque, PLVS VLTRA. Poſt Magnum domus Magiſtrum purpuratorum patrum, reuerendiſſimorum videlicet cardinalium cœtus, ſuo cardineo ornatu procedebat. ſequebantur ſuo ordine Principes illi ſuperius nominati, ſacri Imperij inſignia ferentes. E veſtigio beatiſſimus Pontifex, atque à ſiniſtris eius diuus Imperator diademate illo ſumptuoſiſſimo coronatus, aurea gemmataque trabea circumamictus, ſed illa ſuper inæſtimabili, quam antea diximus, propter importabile pondus relicta, ambo eodem ſub vmbraculo, quod à tribus Venetorum Oratoribus, & alijs tribus Bononienſium patricijs attollebatur, mirifico decore incedebant. Quos ab vtroque latere pontificii Imperatoriique laterones, cum Hiſpani, tum Burgundiones & Germani, Alemannique ſatellites longiſſimo tractu à plebis intercurſu conſtipabant. Acclamabant omnis ſexus, omnis ætas, omnis ſtatus, *Viuat Carolus, viuat Imperator*: Imperii quoque nomen in cœlum tollebant: tum redolentiſſima diapaſmata impoſita thymiateriis adolebant, cyprioque puluere tranſeuntes perfundebant. Sequebantur proxime à tergo pontificem duo cubicularii, & duo alii ob pontificis in eos fidem ac beneuolentiam conſpicui viri, horum vnus illi à ſecretis ſcriba, alter vero vitæ illius valetudiniſque præ cæteris curam agens phyſicus atque medicus. Imperatori vero proxime ſuccedebant illuſtris Comes à Naſſau, deinde Archiepiſcopus Barrenſis, poſt Caurienſis Epiſcopus, demumque generoſus ſimul & reuerendus Georgius Auſtrius Epiſcopus Brixienſis, poſtea ſpectabilis vir Nicolaus Pernotus, dominus Grandiuallis, tum ſpectabilis dominus Michael Maius, Imperatoriæ Maieſtatis apud ſummum Pontificem Orator perpetuus: porro innumeri canonum legumque doctores, ac viri conſulares, multi etiam eccleſiaſtici proceres & prælati. Horum omnium turbam poſtremo premebant longis ordinibus cataphractorum equitum

CAPVT VI.

Quæ in foro & ciuitate durantibus ſacris interea geſta ſunt, & quo apparatu Bononienſis populus coronatum Imperatorem videre geſtiens, excipiebat.

DVm hæc, quæ diximus, in templo geruntur, erant in foro, quod ante templum eſt, erectæ marmoreæ duæ columnæ, ſupra quas inſidentes, vna prægrandis ac biceps aquila, duoque à lateribus inaurati leones, qui epiſtomiorum fungentes officio, interea quo ſacra peragebantur, perque totam diem & profundam noctem, hinc leones album, inde aquila rubrum, ſuauiſſima vina continuo profundebant: iuxta vero auratis cornibus & vngulis bos Troianus, varij generis minutis beſtiolis cum quadrupedibus tum volatilibus infarcitus, integer in prælonga ac robuſtiſſima cuſpide volutus torrebatur. Pluebant à feneſtris panes artolagani, placentulæ, brachiola, paneſque dulciarij, tum fructus varij, poma, pira, caſtaneæ nuces, & incruſtatæ zaccaro auellanæ, amygdalæ, coriandri, atque id genus plura, quæ expectabunda plebem iuuentutemque interea cum reficerent, tum ſolatiarentur. Præterea ingens electiſſimorum militum exercitus, multiplici cataphractorum equitum turma, gemina & Hiſpanorum & Germanorum peditum acie, numeroſiſque ſclopetariorum ſagittarijs, tum ſupra viginti ingentium bombardarum machinis inſtructus, ne qua ſeditio orıretur, omnes aditus occupabat, ac circa palatium atq; templum cuſtodias agebat: cui Antonius de Leua dux primarius, nomine Cæſaris imperabat. Eratq; ipſe armatus totus, ſedens in cathedra ſua in foro ante prætorium, & cæteri militum duces, cum Hiſpani, tum Burgundiones & Alemanni iuxta illum. Peractis ſacris data eſt mora quieti, dictaque Imperatori Panegyrica, quouſq; populus templo excederet, cæteriq; ad proceſſionis pompam ſeſe conſcenſis equis in ordinem diſponerent. Iam ergo promiſcuus vtriuſque ſexus populus, qui ſupra centum millia hominum æſtimatus eſt, egrediens templo, per varias turmas & cuneos Imperatorem ſuum videre geſtiens, quo ille ingreſſurus eſſet, ferebatur: omnes ſui ordinis & decoris obliti, quem ſors cuiq; locum obtuliſſet, occupabat. Conſcendunt alij tecta, & ſummis pendent tegulis, alij trabibus inſident, alij columnis implexi, alij muris hærent: omnes feneſtræ, omnes rimulæ ſuis ſpectatorib. refertæ, perforati parietes & diruptæ maceries, quo oculos ſuos tam expectati Imperatoris ſpectaculo populus expleret, nullus locus non occupatus, ne ijs quidem, qui non niſi ruinoſum & periculo proximum caperet veſtigium. Laborabant referta hominum pondere tecta, neq; minus vias omnes denſiſſimæ populi turbæ opplebant: non ætas, non ſexus, non valetudo, quenquam detinere potuit, omnes pari gaudio, pari alacritate, ad noui Imperatoris ſpectaculum, tanquam ad numen aliquod in communem omnium ſalutem è cœlis demiſſum, procurrêre. Quid referam ciuitatis apparatus, publice priuatimque ſupra modum adornatos. Quacunq; via ingreſſurus erat Imperator, expurgatæ plateæ, & viridibus iuncis graminibuſq;, & multorum colorum floribus inſperſæ, ſuauiſſimos odores late profundebant. Parietes omnes peripetaſmatibus auro purpuraque diſtinctis, & hinc atque hinc longe pendentibus late radiabant, affixaque matronarum ſumptuoſa monilia, pendentiaq; longis tractibus aurea balthea, tum aurea & argentea vaſa inſtar ſcalarum per gradus expoſita, crebris repercuſſa ſolis radijs fulgurabant, neque minus venuſtiſſimæ quæque mulieres & puellæ in feneſtris & porticibus per diſtincta interualla diſpoſitæ, pretioſiſſimis veſtibus & monilibus ornatæ, tranſeuntium quorumq; oculos perſtringebant, Sed vicit priuata ſtudia publicus apparatus, Extructi arcus triumphales, erecta trophæa, æditi ludi, celebratæ multæ admodum Imperatoris feliciſſimæ victoriæ, parata ad omnes angulos ſpectaculorum oſtenta, & inſcripta aureis literis encomiorum & panegyricorum heroica carmina: Nihil vnquam viſum, aut etiam auditum feſtiuius, nihil lætius, nihil magnificentius eius diei ſpectaculo.

CAPVT VII.

Qua pompa poſt Coronationem publica proceſſio habita eſt.

CÆterum nunc proceſſionis ordo recitandus eſt. Digreſſa enim à templo plebe, pontifex ſummus ſacerdotalibus interea exutus, acceptaque in caput magnificentiſſima corona ac triplici inſignita tyara, vna cum Imperatore diademate coronato, templo prodibat: ad oſtium productus eſt pontifici niuei candoris equus gradarius aureis habenis, ac monili frontalicio purpureoque ephippio inſignis. Ad cuius ſtapedes inſiliente pontifice cum Imperator manum appoſuiſſet, vix paſſus hæc clementiſſimus pater, his verbis Imperatorem alloquitur: *Nequaquam id feceris, fili mi, Imperatorque inuicte. Satis mihi ſupraque ſatis humanitatis tuæ obſequentiſſima voluntas, quam tamen non in meam perſonam, ſed illius, cuius vices gero, habeo acceptiſſimam.* Cumque iam inſcendiſſet equum pontifex, apprehendit frenum Imperator, ductoris obſequium illi aliquot paſſus exhibiturus: quod beatiſſimus pater nequaquam paſſus eſt. Tum datus eſt Imperatori equus, etiam niueo candore & ſublimi altitudine illuſtris, quin & magnificentiſſime ephippiatus phaleratuſque, auro & gemmis vndique refulgens: cui inſidens Imperator, altior omnibus eminebat, vt à cunctis conſpiceretur. Poſt, cæteri Principes totaque nobilitas conſcenſis equis, hoc ordine procedebant, vt duo & duo pariter ambularent, pontificij à dextris, Cæſarei à ſiniſtris præequitabant, cocco & purpura relucentes, cum cardinalium pontificumque tum Principum ſecularium familiares miniſtri. Sequebantur auro & argento magnifice fulgentes pontificij ac Imperatorii ſatrapæ,

& pha-

& phaleratis equis bellorum maximi duces. Poſt quorum agmen duodecim Bononienſis populi vexilla alba, rubra cruce inſignita, totidem ſigniferi pedites præferebant. Quos è veſtigio Tribuni plebis ſequebantur, quibus ſexdecim Bononienſium Collegiorum rubra vexilla ſuccedebant, poſt quæ Bononienſis ſcholæ duodecim legum doctores, ſua purpura aureiſque armillis inſignes, atque Bononienſis vrbis Gubernator eleuatam arundinem tenens, ſuis lateronibus & ſatellitibus ſtipatus: tum nobilis & ſtrenuus vir Angelus Raynuntius Capitaneus iuſtitiæ, phalerato equo inſidens, armatus, & aurea lacinia ſuperamictus, Bononienſis vrbis vexillum attollebat. Deinde quatuor rubra vexilla totidem pontificij ſatellites, quos vocant *Curſores*, ferebant: ad quæ pontificij cubicularij, atque ipſa Ducis Pennæ familia ſequebatur. Poſt quos antiquum populi Romani vexillum Iulius Cæſarinus Comes portabat. Deinde quod dicitur, diui Georgij vexillum iunior Marchio Anguillariæ geſtabat. Poſtea Romani Imperij Aquilam generoſus ex Vergeria proſapia Baro Auſtregius attollebat: ſuccedebant, vexillum pontificis, vexillum eccleſiæ, porro vexillum Crucis: quorum primum Comes Ludouicus Rangon, alterum nobilis Baro Gabriel Romanæ militiæ tribunus, tertium magnificus Laurentius Cibo nudo capite geſtabant. Sequebantur deinde ſex albicantes equi ſuperbiſſimis ephippijs phaleriſque magnificentiſſime adornati, quos totidem purpurati helciarij à manibus ducebant. Tum quatuor Pontificis inſignes tyaras totidem cubicularij ferebant, quos deinde longiſſimus cæterorum cubiculariorum, acolytorum & pontificiæ aulæ clericorum ſcribarumque ordo ſequutus, tum cauſidicorum, aduocatorum & Iuriſconſultorum ingens numerus. Porro auditores Rotæ ſuo cocco & purpura inſignes obequitabant. Sequebantur deinde tympaniſtarum, tibicinum, cornicinum, tubicinum, ſinguli ſuum taratantara tonantium multitudo non modica. Quos è veſtigio ſequuntur oſtiarij, ianitores, lictores, virgiferi, bacularij, corynophori: Deinde Principum Regumque, & Imperatoriæ Maieſtatis Heraldi ſuis paludamentis ac phaleris magnificentiſſimi. His ſuccedebant diuerſorum populorum, tum Principum atque Regum oratores & legati. Poſtea ſubdiaconus quidam ſummi Pontificis paſtoralem baculum triplici cruce inſignitum præferebat, poſt quem alter pontificiam prædiuitem tyaram oſtentabat. Sequuntur alij duo, qui totidem ardentibus lychnis aurea candelabra geſtabant. Deinde dominici corporis adorandum Sacramentum in ſua capſula, ſuper niuei candoris aurato tegmine magnifice phalerato gradario ferebatur ſub holoſerico vmbraculo, quod duodecim Bononienſium, cum viri patricij, tum Doctores phyſici ſuſtentabant, atque duodecim candidæ ceræ ardentibus tædis pontificij cubicularij ab vtraque parte comitabantur. Proxime deinde ſequebatur ſummi Pontificis ſacriſta, candidam virgam manu geſtans. Tum procedebant celeberrima pompa, ad ſeptuaginta fere diuerſi ordinis, & per ſua diſtincti agmina, Comites, Marchiones, Duces & Principes, omnes aureis veſtibus, & ſinguli ſuis lateronibus & ſatellitibus magnifice ſtipati. Quos deinceps fere ducenti holoſerico & polymito veſtitu ſuperbiſſimi ſatrapæ etiam ſuo ſatellitio ſtipati per ordinem ſequebantur. Poſtea eleuatis arundinibus ſuis Imperatorij architriclini, quos *Magiſtros domus* vocant, tum & Magnus Magiſter, iam Comes à Rhodio, ſuccedebat ſolus, quem proxime armorum Rex Heraldus, cui à Burgundia nomen eſt, paludatus antecedebat aureo argenteoque nomiſmate plenas bulgas (hippoperas alij vocant) ab equi ephippio ſuſpenſas ferens, è quibus ad vtraque viæ latera, cum inter eundum, tum inter redeundum plenis manibus in plebem ſpargebat, Imperatoris liberalitatem proclamans; quæ tunc *Imperium, Imperium, Imperium*: *Viuat Carolus Imperator catholicus*, viciſſim acclamabat. Erat autem nomiſma, quod largiebatur, Imperatoris effigiem, cum inſcriptione, CAROLVS V. IMPERATOR AVGVSTVS. ab vna parte inſculptam habens: ab alia vero eiuſdem diui Imperatoris ſphrageticum ſignum, duas videlicet columnas, in quorum medio annorũ Chriſti numerus arithmeticis apicibus expreſſus erat, circumſcriptumque, PLVS VLTRA. Poſt Magnum domus Magiſtrum purpuratorum patrum, reuerendiſſimorum videlicet cardinalium cœtus, ſuo cardineo ornatu procedebat. ſequebantur ſuo ordine Principes illi ſuperius nominati, ſacri Imperij inſignia ferentes. E veſtigio beatiſſimus Pontifex, atque à ſiniſtris eius diuus Imperator diademate illo ſumptuoſiſſimo coronatus, aurea gemmataque trabea circumamictus, ſed illa ſuperinæſtimabili, quam antea diximus, propter importabile pondus relicta, ambo eodem ſub vmbraculo, quod à tribus Venetorum Oratoribus, & alijs tribus Bononienſium patricijs attollebatur, mirifico decore incedebant. Quos ab vtroque latere pontificii Imperatoriique laterones, cum Hiſpani, tum Burgundiones & Germani, Alemannique ſatellites longiſſimo tractu à plebis intercurſu conſtipabant. Acclamabant omnis ſexus, omnis ætas, omnis ſtatus, *Viuat Carolus, viuat Imperator*: Imperii quoque nomen in cœlum tollebant: tum redolentiſſima diapaſmata impoſita thymiateriis adolebant, cyprioque puluere tranſeuntes perfundebant. Sequebantur proxime à tergo pontificem duo cubicularii, & duo alii ob pontificis in eos fidem ac beneuolentiam conſpicui viri, horum vnus illi à ſecretis ſcriba, alter vero vitæ illius valetudiniſque præ cæteris curam agens phyſicus atque medicus. Imperatori vero proxime ſuccedebant illuſtris Comes à Naſſau, deinde Archiepiſcopus Barrenſis, poſt Caurienſis Epiſcopus, demumque generoſus ſimul & reuerendus Georgius Auſtrius Epiſcopus Brixienſis, poſtea ſpectabilis vir Nicolaus Pernotus, dominus Grandiuallis, tum ſpectabilis dominus Michael Maius, Imperatoriæ Maieſtatis apud ſummum Pontificem Orator perpetuus: porro innumeri canonum legumque doctores, ac viri conſulares, multi etiam eccleſiaſtici proceres & prælati. Horum omnium turbam poſtremo premebant longis ordinibus cataphractorum equitum

galeatæ phalanges, ſuis ſignis teſſeriſque diſtinctæ, vt quæ Marchioni Aſcolenſi, quæ Comiti à Rhodio, quæ Baroni Antregio, quæ Viennæ Domino, quæ Baroni Sancti Saturnini, cæteriſque ſtrenuiſſimis Ducibus parerent, facile internoſcerentur, quorum agmen auratis loricis interlucentes hypotoxotæ claudebant. Hac celeberrima pompa Pontifex atque Imperator ad diui Dominici templum verſus progrediebantur. Cumque medium itineris ad quingentos ferme paſſus pariter iam emenſi eſſent, tunc multa honorificentia ſeſe conſalutantes, Pontifex benedicens Imperatori, per aliam viam diuertens, cum ſuis ſtipatoribus ad palatium regreſſus eſt, Imperatore ſuis cum ordinibus ad præfatum templum procedente. Cumque iam deſilijſſet equo ad fores templi, aderant ibi ex vrbe Roma in albis ſuis canonici diui Ioannis ad Lateranum, qui Imperatorem, qua decuit reuerentia, excipientes, inſtitutis ad id ceremonijs, in canonicum Lateranenſem adſciuerunt. Tum Imperator diui Patris Dominici ſacram ædem ingreſſus, Deo gratias agens adorabat ad altare, peractiſque precibus ſumpto in caput diademate, paratum ibi ſolium conſcendens aſſumenſque in manus, cum aureum pomum, tum euaginatum gladium, multos & ſtrenuos & benemeritos viros equeſtri ordini aſciuit, ac aurata militia condonauit. His peractis rurſus conſcendens equum Imperator, eadem qua venerat pompa, ſed per aliam viam palatium verſus regreditur. Itaque iam arcubus & ſpectaculis omnibus prætereitis & perluſtratis, vbi ad forum ventum eſt, extemplo qui reſtiterunt ad cuſtodiam ſupra octo millia delectæ militiæ cum Hiſpani, tum Germani pedites, ſclopetas omnes, tum & maiores machinas tanto ſonitu fulgureque exonerant, ac ſi Iupiter ipſe quicquid vſpiam in theſauris ſuis fulminum tonitruorumque concluſum habuerit, id totum pariter ſimulque tunc cœlo demiſiſſet. Præterea perſonabant in cœlum campanæ, tum vero vario genere tympanorum, tibiarum, tubarumque nubes perſtrepebant. Tum populus omnis ingentibus clamoribus Imperij vocem in cœlum efferens, Caroli nomen eiuſque victorias & triumphos indefeſſis vocibus extollebat. Omnes ſupinis manibus gratias agebant Deo, gratulabanturque nouo Imperatori, applaudebant mutuo ſibiipſis, felicem Carolum Auguſtum, felicem eo Imperatore Italiam, felices ſeſe omnes, qui eum diem vidiſſent, exclamabant. Tum excitati per vniuerſam vrbem ignes, turres omnes feſtiuis facibus & impoſitis ſtipitibus flammis coruſcabant: feneſtræ omnes lucernis, tædis, & cuiuſcunque generis fictis luminis cœleſtium ſyderum ſplendorem vincebant: ſuburbia præterea, & circumquaque adiacentes pagi, oppida, villæ & caſtella, accenſis in cœlum ignibus diei noctem æqualem reddebant, pulſantibuſque campanis lætitiæ ſigna late monſtrabant. Nulla ſpecies pulchrior, nulla pompa felicior, nullus triumphus illuſtrior vnquam viſus eſt. Nullus dierum, quos annalium vetuſtas conſecratos in literis habet, cuius tam inſignis gratulatio, tam effuſum gaudium, tam celebres triumphi cum fuerint, tum eſſe debuerint, vnquam à condita vrbe, Bononienſi populo illuxit.

CAPVT VIII.

De reditu Imperatoris in palatium, & conuiuii ſolennis apparatu.

HAc magnificentiſſima pompa, inclinante ſe iam die, reuerſus ad palatium Imperator deſiliens equo, primum eos, qui ſigna & vexilla præferebant, tum vmbraculum geſtauerant, & alios pleroſque cum nobiles, tum ciues & ſcholaſticos, Equeſtris ordinis auratos milites procreauit. Deinde Baſilicam ampliſſimam aulam auratis laquearijs, & Babylonicis peripetaſmatibus ſuſpenſam tapetiſque inſtratam, Principibus comitantibus aſcendit. Cernebantur ibi appenſi laquearibus argentei polymixi penſiliaq; candelabra, quæ luminoſis cereis, redolentibuſque lychnis referta, lumina late profundebant. Conſpiciebatur ibi etiam extructus ampliſſimus abacus, varij generis aureis eſcarijs & poculis, puta lancibus & lebetibus, œnophoris, amphoris, phialis, ſcyphis, cyathis, pateris tragematarijs miro artificio cælatis, gemmatiſque calicibus, & id genus epitrapezijs confertus. Ad caput autem Baſilicæ ſub aureo conopæo Imperatoris menſa ſita erat, & iuxta non longe altera menſa, qua magnificentiſſimus Sabaudiæ Dux, cæterique Principes, qui coronationis inſignia portarunt, recubituri eſſent. Erant etiam cæteris Principibus ac prælatis primoribuſque ſatrapis ſuſpenſa periſtromatibus, & inſtrata auleis, ſuiſque abacis & menſis magnifice parata cœnacula. Iam hora aderat conuiuij, & inſtructis menſis accumbebat ſummum thronum Imperator, ac deinde per ordinem cæteri Principes ſuas menſas accumbunt. Dantur aquæ manibus, & ſolenni Oratione menſæ benedicitur. Tunc primores ſatrapæ (*Dapiferos* idcirco vocant) præeuntibus cum ſuis ſcipionibus architriclinis, argenteis caniſtris panem, & auratis patinis varia tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quicquid præclarum ars Apitia excogitare potuit, inferunt. Deinde ſecundis menſis grandioribus lancibus exquiſitiſſimas per ordinem epulas copioſe apponunt, aſſa, elixa, iuſculenta, frixa, paſtilia, promulſidaria, pultaria, cruſtulenta, aliaque lautiſſimorum eduliorum genera ſapidiſſimis ſuccorum multiiugis condimentis ſuffuſa, multa quoque ſupra appetentiam diſcumbentium magnificentiæ cauſa illata ſunt. Porro tertijs menſis, quæ cœnam clauderent, variegata coquinarijs artificijs multarum figurarum tragemata bellariaque miniſtrabantur: nec deerant toto conuiuio varij generis generoſiſſima vina, ſtabantque præſto pincernæ, pocula ſingulis pro libito ingerentes, propinatoreſque ad omnes epulas & pocula prægustabant. Illud quoque magnificæ liberalitatis ſpectaculum multis admirationi fuit,

fuit, quod poſt ſingulas dapes leuatæ mappæ & mantilia, vna cum auratis argenteiſque patinis & lancibus, cumque cibarijs à feneſtris in forum præda plebi proijciebantur, ſtructoribus intereà alia ſupra alia imponentibus. Cumque iam abſoluta eſſet cœna, dilutis pro more odoratiſſima aqua manibus, remotis menſis, iterum ſolennibus precibus redditæ ſunt Deo gratiæ. Tunc Imperator, accepto in manus ſacro gladio, plurimos rurſus cum nobiles, tum conſulares viros ad equeſtris ordinis honorem dignitatemque prouexit. Magna denique parte noctis tranſacta, Principes ſinguli conſalutato Imperatore, ad ſua diuerſoria cubitum faceſſunt, populo Bononienſi adhuc pluribus ſlorulentis diebus ignitiſque noctibus feſtiuitatis celebritatem iugiter continuante.

CAPVT IX.

Totius operis peroratio.

D*icite io Pæan, & io bis dicite Pæan*: Illa enim, quæ omnibus horis omnium votis indefeſſis precibus ſemper optauimus, illa, inquam, feliciſſima dies tandem nobis illuxit. Coronatus eſt Carolus V. Imperator ſemper Auguſtus, cuius in Italiam aduentu mox pacati hoſtes, diſceſſum ab armis, compoſita bella, confœderati Principes & Reſpublicæ, ſedati tumultus, reuocati in concordiam factioſi optimates, totaque Italia poſt tot armorum miſerrimam afflictionem à grauiſſimo tyrannidis iugo vindicata, & vera Imperij luce recreata ſecuritati & libertati reſtituta eſt. Sola Florentia teſtat armis & obſidione cincta, quæ (ſi ſummi Pontificis prætenſa iura paterentur) ipſa quoque Imperatoris nutibus lubentiſſime obſequeretur. Cæteræ omnes Chriſtianæ nationes tanti Imperatoris, aut pietate deuinctæ, aut metu quietæ ſunt. Quem Principem diuinitus conſtitutum, & ab ipſo Deo repertum, vocatum, electum atque miſſum ad hoc ampliſſimum Imperium moderandum videmus. Cuius gloria humanum modum ſupergreſſa, ipſaque rerum geſtarum inſperata magnitudo, & inimicorum ſuorum victores exercitus diuinitus profligati teſtantur, quia non eſt alius Princeps, qui habeat ſic appropinquantem ſibi Deum, ſicut adeſt illi Dominus Deus noſter: quo auſpicio iam diuinare audemus, non niſi nouum & ingens maiuſque miraculum ſecuturum: nullum autem maius, neque Reipublicæ Chriſtianæ ſalubrius euenire poterit, quam quod ſublatis quæ circa religionem noſtram in Germania factiones graſſantur, expurgatiſque & extinctis prauis errorum opinionibus (quod in proximis iſtis Germanorum comitijs, cum diuino conſiliorum Imperatoris obſequio futurum certo ſperamus) Eccleſiæ Catholicæ pacem tranquillitatemque reſtituat. Deinde etiam has ſuas prouincias, licet feliciſſima pace fruentes, aduentu numinis ſui illuſtret, reddatque feliciores, quo ſic tandem pacato orbe Chriſtiano, vnanimi Principum & populorum conſenſu contra immaniſſimos Turcas, Chriſtianæ religionis ſanguinarios hoſtes, victrices ferat aquilas, fauente Deo Optimo, Maximo, Æterno. Quem nos ſuppliciter, obnixe & indeſinenter, omnique votorum nuncupatione precamur, vt Carolum V. optimum humani generis Imperatorem Auguſtum, in longiſſimos annos nobis & poſteris noſtris (neque vero illi melius quicquam optare poſſumus, quam quo fruimur ipſi) ſemper feliciſſimum, inuictiſſimum triumphatorem, conſeruet & augeat, vtq; omnia ſibi pro deſiderio diuini animi ſui, quo nocere quidem nemini, prodeſſe vero omnibus velit, ad incrementum Chriſtianæ religionis, imperij amplitudinem, & nominis gloriæq; immortalem proſpere feliciſſimeque ſuccedant. Et nos omnes tam optimo feliciſſimoque Imperatore, obedientia, fide, gratitudine, dignos reddat, & diutiſſime frui concedat.

VIII.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ IN TRIVMPHALEM CAROLI CÆSARIS CORONATIONEM

EPIGRAMMA.

Roma tuus ſileat Cæſar ſileantque triumphi,
Et quæ teſtantur pegmata facta ducum.
En quia miramur Graios iuuenemq; potentem,
Quem merito magnum ſecula priſca canunt?
Maius habet terras numen, maiorq; triumphus,
Maius & imperium, gloria, fama, decus.
Diis genitus pietate nitens, iuuenilibus annis
Carolus, & bello clarior atque toga.
Arma monet Gallis, Heluetica corda retundit,
Et tua nil trepidat tela Britanne ferox.
Eridanus croceo decurrit ſanguine, Tybris
Illachrymat, Rhodanum triſtior vnda premit.
Vos etiam Ligures & Punica littora, Iberum
Quam nocuit ſero hunc vos coluiſſe Deum.
Nec modo Chriſticolas, verum Garamâtes & Indos,
Arctoosque ſimul continet, vrget, habet.
Ergo age qui ſolus, qui victor in orbe triumphas
Carole, ſubiectis parce, ſuperba domans.

Eiuſdem epigramma ad Flamineam Bononiam.

Quid modo te Memphis laudem, tantumq; laboris
Aſſyrii, & quicquid ſeptem miracula mundi
Corda ciere virûm, doctosq; ad carmina vates?
Nil modo Niliaci fuerint, quandoque Quirites,
Sola triumphales modo digna Bononia laudes
Sola refers, quantum fulgentia ſydera terris
Vrbibus in cunctis precellis vertice, tantum
Te propter Muſa Latium te propter eandem
Pallas, & afflati diuino numine Phœbi
Incoluere ſimul legum & veneranda poteſtas.
At modo Cæſar adeſt, trepidat quo numine mundus,
Cæſar adeſt, meritos præbes tu ſola triumphos.
Quum multi ſua fata lugent, quùm latus Iberus
Defluit, ac Rhenus Romanaq; mœnia fumant,
Heluetyque latent bellacia pectora Martis.
Tu modo captiuos proceres, Gallumque ſubactum,
Innumerosque alios, quicquid vel Indica tellus
Continet, ad Mauros oſtendis læta triumphos.

Eiuſdem, aliud Epigramma in perſona Caroli Cæſaris.

Carolus ille ego ſum Quintus hoc nomine Cæſar,
Natus ad imperium, Romana vt ſceptra tenerem.
Eſt animus feſſas multaſque reponere leges,
Iura tribunorum, faſces, priſcosque Quirites,
Patricios reuocare viros, ſanctumque ſenatum,
Reddere primæuo Capitolia priſca nitori,
Oppreſſos releuare manu, frenare ſuperbos
Conſiliis armiſque meis, iuriſque vetuſti
Legibus, & veterum ſeruato tramite morum,
Omnia in antiquam correcta reducere pacem.

Eiuſdem Epigramma in imaginem Caroli equo inſidentis.

Carolus Auguſtus belloque & pace triumphans,
Quantum pugnaci conſpiciendus equo:
Audet & infreno ſeſe committere curſu,
Hac docet artifici picta figura manu.

Eiuſdem Epigramma in perſona Mercurini olim Cæſaris cancellarij.

Rexerat imperium Cæſar felicibus aſtris
Inter mortales cum mihi vita foret.
Omnia tunc ſuperûm nutu teſtabitur omnis
Hoſtis, qui contra duxerat arma deos.
Diis nunc iratis reuocatus ad æthera cœlum
Appetimus, mirum ni modo cuncta ruunt.

Eiuſdem Epigramma in Emblema nobilis domini Roſebaldij.

Triſtitiamque Alecto, curasque Megæra ſed atrox
Omnia Cteſiphone ſuſpicione ferunt.
Nox Acheron lachrymas, prudens obliuio & unguẽ
Opponit, picta hæc Gallica verba monent.

In idem, aliud eiuſdem.

Cuncta modo Alectoque, Megæraq;, Cteſiphoneque,
Mœſtitia, curis, anxietate ferunt.
Nox Acheron lachrymis, prudens obliuio & unguem
Opponit medium, vt Gallica lingua monet.

Hilarij Bertulphi Ledij Epigramma ad D. Bernhardum Paltemerium, reuerendiſſimi Cardinalis Campegij Apoſtolici legati, œconomum.

Quid rogo portendit nimium iam pomifer annus;
Vix tot habet frondes, mala quot arbor habet:
Agrippa? quid heri viſus Bernharde cometa?
Multorum, ille: ſed hic, vnius interitum.
Cuius at interitum? ſi non eſt Cæſaris, vt ſit
Quantumuis magni principis, exiguum eſt.
Exiguum eſt fateor, ſi non & principis huius,
Quo ſibi pontificem ſoſpite Cæſar habet.

PARS

PARS V.

Continens

GRATVLATIONES ET PARÆNESES SEV ADMONITIONES AD ELECTVM ROMANORVM IMPERATOREM FACTÆ

atque habitæ

à

SACRI ROMANI IMPERII ORDINIBVS TAM Francicis, id eſt, Germanis atque Gallis ante & poſt coronationem Aquisgranenſem, quam Italicis poſt Coronationem Romanam à Summo Pontifice peractam.

I.

AD FRIDERICVM III. IMP. ANTONII PANORMITÆ AB ALFONSO ARRAGONVM REGE LEGATI, IN CORONATIONE ILLIVS ROMÆ habita Oratio.

ILluxit iam tandem felix illa & expectatiſſima dies, Friderice Cæſar, quæ bonis omnibus pacem & tranquillitatem, tibi vero laudem & gloriam ſit ſempiternam allatura. Ecce enim aduenisti, exoptatiſſime Auguſte, tuamque ſacroſanctam Maieſtatem hodierno die coram intueri licet, aut rectius quaſi Dei cuiuſpiam immortalis effigiem venerari. Nam tecum vna, quaſi diuinum ſidus comitantes, aduenisſe creduntur Salus, atque Libertas, Italiæ, bonorum ac conſtantiſſimorum hominum exaltatio, prauorum perfidorumque depreſſio. Exultent igitur gaudio, Ieſu optimo maximo laudes ac gratias habeant, quicunque puri ſunt, fideleſque perſtiterunt: iniqui vero ac perpetuo contumaces erubeſcant, formident, profugiant: huius enim digniſſimi Romanorum Regis artes ſunt Romanæ illæ quidem, *parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.* Verum antequam Alfonſi magnanimi atque inuicti Regis noſtri mandata explicemus à quo quidem ad eminentiſſimam Maieſtatem tuam legati ſumus, pauca admodum quæ partim ad laudem, partim ad dignitatem tuam pertinent, enarrare nos pro ſingulari tua humanitate concedas. Ego vero à clariſſimis ac illuſtribus collegis iuſſus dicere obtemperabo, verum ita obtemperabo, vt rationem tuarum occupationum, vel inprimis ipſo breuiloquio videar habuiſſe. Quod igitur à pleriſque oratoribus dictum eſt, neſcire ſe vnde principium ſumant, id in præſentia mihi euenire non verbis, quemadmodũ fortaſſe illis, ſed re ipſa nimirum intelligo. Non ſolum enim quia multæ ſunt tuæ virtutes, & varie inter ſe connexæ, verum etiam quia ita præclaræ omnes & ita egregiæ ſunt, vt inter ſe ipſas de excellentia concertare videantur: nec facilis ſit deliberatio, quænam in dicendo ſit anteponenda. Siue enim animi magnitudinem conſidero, nihil magis dignum videri poteſt, de quo quamprimum enarraretur: Siue religionem, aut ceremoniarum cultum, illud omnino cenſebis præferendum. At ſi iuſtitiam & æquitatem contempleris, nihil tum videri debet vt illi anteponatur. Cum vero liberalitatem, humanitatem, moderationem tecum penſites, quam illarum præponere, aut quam non præponere debeas, ignorabis. Ego tamen vnde aptiſſimum & congruentiſſimum putabo, inde initium dicendi faciam: à religione videl. & cultu diuino. Qua in re vel maxime tuam, Friderice ſapientiam declaraſti: ſiquidem vera hominis ſapientia eſt pietas, id eſt, Dei cultus. Etenim ante omnia verum creatorem, vnicum & ſummum Deum, Chriſtum Ieſum penitus colendum, adorandum, verendum animo propoſuiſti, vt erga eum ipſum Chriſtum, à quo terrarum imperium aſſumpſiſti, pro tanto munere accepto & gratus exiſteres, & hominibus quibus diuina prouidentia præeſſes, vitæ beatæ viam tui luminis exemplo monſtrares. Maxime quidem decet Reges ac Principes, quiq; ab omnibus timeantur, eos ipſos vereri ac metuere Deum immortalem. Quod qui fecerint, ſentient præclarum illud & memorabile Camilli dictum, *Omnia proſpere euenisſe ſequentib. Deos, aduerſa ſpernentibus.* His tu itaq; rationibus adductus, in primo ipſo iuuentutis flore, non maris. non viarum diſcrimina, non Barbarorũ & eorum, apud quos Chriſti nomen inuiſum eſt, latrocinia atq; inſidias veritus, ſepulchrum Domini ex vltimis vſque Germaniæ partibus adiiſti, laborum & velut gloriæ primitias Deo reddens atq; ſacrificans. Quid nunc ego Pſalmos, & orationes? quid Miſſarũ ſacra myſteria? Quid ieiunia, atq; indictas Chriſtiano ritu abſtinentias referam? Nihil vtiq; omittis, quod boni, & puri Chriſtiani officium eſſe intelligas: quo Deum tibi perpetuo places, ac propitiũ & fauentem reddas: quo ciues tibi diuinitus commiſſos ad veram dirigas felicitatem & ſapientiam. Cumq; animo magno & excellenti præditus ſis, in hoc vno, ne Dei ſcil. voluntatem offendas, miro quodam modo timidus atq; anxius prædicaris. Deniq; cum natura natus ad virtutem videaris, & bonitatem naturæ Dei quoq; voluntate confirmes; ob illud etiam à peccatis atq; flagitiis caues, ne tuos ciues vitiorum imitatores efficias. Satis enim noſti, exemplo magis quam peccato Principes nocere. Inter hæc tam præclara tui animi ornamenta, glorioſiſſime Cæſar, illud inprimis admirari licet, atq; veneratione complecti omni, quod cum tam infinita & innumerabilis multitudo tum domeſticarum, tum externarum gentium ſub te degat, nullus tamen adhuc inuentus ſit, qui non dico à te (qui inter mortales iuſtitiæ & æquitatis gloria excellis) ſed ne à proceribus quidem tuis fuerit iniuriam paſſus, aut de violentia conqueſtus. Illa quidem lex apud te prima & eſt, & obſeruatur, ne cui quis noceat, ſuum cuiq; permittatur in pace & ſecuritate poſſidere. Quæ vero Cæſaris ſunt, o-

[...]ominibus propemodum vti frui fas eſſe. Illudque diui Adriani præclare dictum frequenter vſurpas: *Ita te rempublicam geſturum, vt ſcias ſenatus populi rem eſſe, non propriam.* Iam vero dicendi, & loquendi libertas non minus infimis quam ſummis eſt viris, aditus ſemper patens, audiendi patientia & lenitas inaudita. O ſæcula aurea! O Cæſarem vere Auguſtum, vere Patrem Patriæ! O hominem diuinum! O nos etiam perbeatos, quibus virum talem intueri, eiuſq; ſuauiſſimis atq; humaniſſimis moribus frui datum atq; conceſſum eſt. Beneficentiam vero ac liberalitatē tuam, Cæſar, admirari magis poſſumus, quam oratione percurrere. Quæ cum incredibilis ſit, & tanquam è fonte quodam benignitatis perpetuo emanans: nunquam tamen eripere viſus es, quod aliis largiter: nunquam aliis nocere, vt in alios liberalis viderere. Vacat enim iniuria liberalitas tua. Quodq; tuum eſt (eſt enim grande, & vt terrarum domini patrimonium) id tamen omne in communem hominum vtilitatem erogare ſolitus es: vt vere, quæ tua ſunt, ſint iuxta prouerbium, communia omnia. Et ſane è toto prorſus Imperio (quod quam amplum & copioſum ſit, omnes intelligunt) nihil tibi retentum videmus, præter diſpenſandi poteſtatem. Interea intelligis tamen, quid vnicuiq; conueniat, proq; dignitate diſtribuis, tibi ſolummodo hoc reſeruans atq; ſeponens, quod Cæſareæ rationi ac maieſtati neceſſarium fore arbitraris: nihil omnino cuſtodiens ad voluptatem, nihil ad delitias. Et es quidem natura liberalis atque beneficus, non vt plerique quadam vanitate ducti multa largientes, vt videantur benefici, cum non ſint. Vir vtique purus, ſimplex, atque ſyncerus, nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam referens. Gaudes, cum bene benigneque facis, non cum feciſſe laudaris. Neque gratias agi tibi aut rependi admodum curas, præterquam à conſcientia benefactorum. Nihil denique tibi arrogans, ſed immortali Deo omnia tribuens, à quo & beneficia, & bona omnia proficiſci ſatis pro ſingulari tua ſapientia cognoſcis. Prætereo hoc loco ſingularia ac prope innumerabilia tuæ liberalitatis exempla. Quis enim hac temporis anguſtia recenſere ſatis queat, quot Regum filios, quot proceres, quot viros tum literis, tum armis illuſtres quotidie ſuſcipias, ſuſceptos exornes, honeſtes, amplifices? Mihi quidem videtur, tuam hanc non Curiam modo, ſed Academiam quandam bonarum artium & diſciplinarum appellari poſſe, vbi de re militari, vbi de literatura, vbi de virtute, ac moribus, quoquo te verteris, diſputantes acriter ſimul & erudite circumſpicias. Quo fit, vt omnes qui aut virtute, aut eruditione ſibi ipſi confidunt, huc ad te vndequaque diuertant, ac velut olim in Olympium montem exercendæ atque oſtentandæ virtutis gratia conueniant. Tu vero, benigniſſime Cæſar, perhumaniter omnes excipis, exerces, acuis, foues, inſtruis: denique indonatum neminem à te abire ſinis. His præclaris artibus, Cæſar, mortalium gratiam & beneuolentiam conſecutus, his perardua, & excelſa ſemper animo meditaris, his domum relinquens (quamquam domus tua Mundus eſt) non aſperrimos labores, non infinitos ſumptus, non pericula æſtimans, per mediam Italiam, vbi nonnullos ſcires Imperio rebelles, incedis fiducia animi lætus, ſtrenuus, inuictus. Imo vero tantum & virtutis & dignitatis tuæ auctoritas valuit, vt non ſolum ab amicis, ſed etiam ab his ipſis, qui iam pridem imperio male precati, honorificentiſſime fueris ſuſceptus; nihil aliud (vt mea fert opinio) applauſu & gratulatione confitentibus, quam te vere dominum & imperatorem eorum eſſe. At tu quæ omnia animo iam dudum magnifice conceperas, tandem adipiſcaris, hoc eſt, ſacram vnctionem, & conſuetas Imperatoribus coronas. Sed quoniam Coronæ. in coronarum mentionem incidimus, conſideremus, ſi per te licet, humaniſſime Cæſar, quibus ex cauſis maiores noſtri huiuſcemodi coronas excogitaſſe credantur. Hoc enim viſo cognitoque, liquido apparebit, an tu quoque dignus iudicandus ſis huiuſmodi coronario (vt ita dixerim) triumpho. Primum vero peruulgatum eſt, palearem illos decreuiſſe coronam, quod aliquando receptū, Palearis. nunc vero, vt pleraque manſuetudinis officia, obſoleuit. Cæterum maiores illi recte ſane, ſiquidem manſuetudine, & humilitate non ſuperbia & inhumanitate ad imperiale faſtigium ſe aſcenſuros eſſe exiſtimarunt, quod palea denotatum iri viſum eſt. Palea quidem res admodum abiecta atque contempta eſt. Et Imperatorem decet ſe hominem eſſe exiſtimare, hoc eſt, ex humo factum, in humum tandem rediturum. Huic inuento perpulchre conſonare videtur Romanorum inſtitutum, qui triumphanti Conſuli vel abiectiſſimæ conditionis ſeruum aſſociauere in eodem curru, & coronam ſuſtinentem, & æqua fortuna triumphantem. Præterea vt qui manſuete & humaniter atque benigne cum hominibus agit, is vehementer ab omnibus amatur, & in omnium animos tanquam influere videtur: ex diuerſo, qui inſolenter & crudeliter ſeſe habet, odiū ſibi omniū generat, & metum, malum (vt ait Cicero) diuturnitatis cuſtodem. Secundo loco coronam ferream exco- Ferrea. gitauere, ea ratione (vt arbitror) vt fortitudinem animi imperaturus aſſumeret. Nam comparata ſibi prius (quomodo dictum eſt) ciuium & ſubditorum gratia, intrepidum, conſtantem, inuictum ſeſe præſtare Imperatorem oportet, contra pericula, ac varios Fortunæ caſus, præſertim pro gloria tuenda, ac ſubditorum ſalute, & conſeruatione ſocietatis humanæ diuinitus ſibi commiſſæ. Imperio quidem indignus habebitur, qui vim, atque iniurias aut ſibi, aut prouincialibus illatas non magno ac præſenti animo propulſauerit. Tertio loco argenteam coronam aſſignauerunt, vt animaduertat Argentea. is qui demum Imperator ſit conſtituendus, argenti nitorem atque candorem præ ſe ferre oportere, hoc eſt, ſine labe atque ſpurcitia animum purum & terſum exhibere neceſſe eſſe. Poſtremo autem loco auream ſtatuerunt. Hæc antiquitus (vt ait Gellius) ex lauro erat, poſtea ex auro fieri cœpta, Aurea. vt intelligat is, qui demum coronandus eſt, ſe perfectam eſſe ac ſplendidiſſimam laudem aſſecutum. Nam qui manſuetudine & humilitate primo mortalium beneuolentiam, deinde beneuolentia imperium adipiſcitur, quod poſt animi magnitudine, puritate, atque iuſtitia conſeruet, is omnium iudicio ſplendidiſſimum ac perfectiſſimum vitæ exemplū ad poſteros relicturus eſt, ita immortalitate ac luce perpetua dignus exiſtimabitur. Num tu igitur his coronis perdignus cenſeberis,

Cæſar inuicte, qui manſuetudine, vel animi magnitudine, vel iuſtitia nemini ceſſeris? imo vero quod ſummi Imperatoris ornamenta in te lucent omnia? vt non Cæſar modo, ſed Cæſarum decus iure ac merito poſſis appellari? Quid enim à te abeſt Imperatoriarum (vt ita dixerim) virtutum? aut quid non eſt potius inſigniter? Quæris clementiam? At tua animi placabilitas ipſam illam C. Cæſaris, quæ ſingularis exempli & admirabilis memoriæ extat apud homines, ipſam inquam, illam prouocare poteſt & vincere. Cupis fidem? At tuis dictis conuentiſq; nihil firmius, nihil verius, nihil religioſius, inueniri poteſt, non ipſum quidem olim apud gentiles, aut Sibyllæ folium, aut Apollinis oraculum. Laudas prudentiam? At quid tua proſpicientia non videt, quid tua ſolertia non agnoſcit, quid tua deniq; induſtria non aſſequitur, quod vlli vſpiam cognitum aut perſpectum erit? Non eſt autem vllo pacto prætermittenda temperantia tua Cæſar. Eſt enim non modo inter virtutes pulcherrima, ſed virtutum omnium ſingulare decus & ornamentum: ita vt ſi hæc vna deſit, cæteræ virtutes imperfectæ exiſtimentur. *Temperantia.* Nam prudentia, & fortitudo, atq; harum ſimiles, interdum etiam eorum ſit qui non ſatis probantur. Temperantia vero proborum & clarorum hominum eſt ſolum. Illæ ſæpenumero impetus animi concitant, nec ſinunt obedire rationi: Hæc concitatos ſedat, compeſcitq;, & ratione moderatur. Quæ quidem virtus tanta in te vno eſt, quanta in iis Imperatoribus, de quibus legimus aut accepimus, non fuit. Quem enim tibi continentia comparabimus? cepiſti vxorem genere nobiliſſimam, moribus excellentiſſimam, forma vero præſtantiſſimam, cumq; ea Senas ad te nuper veniſſet è paterno regno, quoniam dies ſacri & obſeruandi erant, eam non vt vxorem, ſed vt ſororem ſuſcepiſti: religionem matrimonio, caſtitatem voluptati anteponens. Alii ab alienis vxoribus vix ſeſe continere poſſunt. Tu à tua, tibi conceſſa, & ea quidem formoſiſſima te continuiſti. Docuiſti hoc exemplo inferiores, qualiter ſeſe habere & continere circa coniugia debeant: & diuini potius cultus, quam humani iuris habendam eſſe rationem. Nec illud eſt ſilentio prætereundum, quam ſis vini parciſſimus, quamq; in cibo moderatiſſimus. Neq; enim ea parua laus eſt, Regis præſertim, & Imperatoris. Legimus Alexandrum (ne plures memorem) propter vini intemperantiam non parum gloriam eius obſcuraſſe: quandoquidem per temulentiam Clytum ſibi chariſſimum in conuiuio occiderit. Namq; vt ſobrietas Principem ad crudelitatem prouocat, nullumque ſcelus aut flagitium eſt, ad quod temulentia Principem non impellat aut rapiat. In ſermone vero quam modeſtus ſis, quam rarus, quam grauis, quamque in iis ſuſcipiendis qui ad te adeunt, communis & humanus, facile omni Italiæ perſpectum eſt. Siquidem tanta circa omnes manſuetudine vteris, vt te interdum tuæ dignitatis atq; auctoritatis obliuio cepiſſe videatur. Quam vero adulatores, ſcurras, & huiuſmodi leuitatem ſpernas, atq; oderis, ipſi perſpeximus. O dignum ſummo Imperio Principem! Hoc enim eſt Imperatorem eſſe: ſuperbiam, faſtidium, arrogantiam effugere: erga omnes ſeſe manſuetum facilemq; præſtare, aſſentationem procul amouere, grauem eſſe. Adde quod nec tibi quoq; deeſt in conciliis ſuſcipiendis conſtantia, virtutum haud mediocre condimentum, ſine qua nihil in homine poteſt eſſe laudabile. Hæ te profecto virtutes, Cæſar inuicte, Auguſto illi omnium Principum feliciſſimo, hæ te Tito omnium grati ſſimo, hæ te Antonino Pio omnium humaniſſimo, parem effecerunt. Per has maxime virtutes ab omnibus laudaris, extolleris, diligeris, prædicaris. Maxime enim commouetur amor multitudinis ipſa fama & opinione manſuetudinis, atq; conſtantiæ. Quæ ſi in priuato vel mediocri viro laudabiles plurimum atq; admirabiles ſunt, quanto magis in eo Principe, qui inter Principes dignitatis principatum obtinet? Sed iam plura conſulto prætereo, ne modum mea excedat oratio: ſimul ne inclyti Regis noſtri mandata vlterius differamus. Quæ, ſi tuæ quoq; prudentiæ viſum fuerit, melius ac cautius ſeorſum, quam palam, enarrabuntur. Vale, & triumpha.

DIXI.

II.

FLORENTINORVM LEGATORVM ORATIO IN FAVSTA AC FELICI FEDERICI III. IMPERATORIS coronatione, temporibus Nicolai V. ſummi Pontificis, per Iannottum Manetti habita Romæ.

SI optata fierent, Beatiſſime Pater, ac ſereniſſime Princeps, tantum facultatis & eloquentiæ nobis coram Sanctitate & Maieſtate veſtra in præſentiarum oraturis diuinitus dari & exhiberi profecto totis mentis affectibus cuperemus, vt huic tantæ & tam admirabili imperatoriæ coronationis ſolemnitati ſaltem aliqua ex parte ſatisfacere valeremus. Sed quoniam, ſi excellentes & admirabiles Demoſthenis & Ciceronis dicendi & eloquendi vires, quos cunctorum tam Græcorum quam Latinorum oratorum Principes extitiſſe legimus, in vnum contingerentur, nimirum tanto & tam arduo explicandæ huius coronationis muneri longe impares fore cenſeremus; Idcirco in hac noſtra oratione nullo exordio, nulla præfatione, nullo denique conſueto & vſitato proœmio iure

iure ac merito vtendum eſſe exiſtimamus. Nos enim de Imperatoris dignitate, & de eius poteſtate ſimul ac de iſta tam fauſta & tam felici coronatione deinceps tractaturi, nec beneuolentiæ, nec attentionis, nec docilitatis, (in quibus cunctæ Rhetorum artes plerunque conſumuntur) captatione ab his præſtantiſſimis cum Eccleſiaſticis tum ſecularibus auditoribus, coram ſummo Pontifice atque Imperatore, duobus magnis totius orbis luminaribus, conſtitutis vllatenus indigere poſſe videremur. Quippe nullus eſt, qui in hoc ſacroſancto conſiſtorio, in hoc tam admirabili & tam ſplendido cunctarum rerum ſpectaculo, in hoc quaſi terreſtri & ſeculari paradiſo, velut in iocundiſſimo quodam diuerſorio, ac tranquilliſſimo & tutiſſimo portu, non ſponte ſua totis (vt dicitur) mentis affectibus diutius perſiſtere & commorari vel maxime vellet, præſertim ſi ea auditurus eſſet, de quibus nos dicturos eſſe profitemur. Quocirca cunctis exordiorum ac præfationum generibus veluti friuolis & inanibus prætermiſſis, antequam ea dicere incipiamus, quæ ad noſtrum propoſitum præcipue pertinere exiſtimabimus, pro tritis vulgaribuſq; procemiis ad humilem quandam & deuotam diuini fauoris impetrationem parumper conuertemur, ſine quo quaſi infantes vel potius muti & elingues, in hac præſertim tanta ac tam maxima diuinarum & humanarum rerum copia & abundantia, euaderemus. Itaque ad omnipotentem Deum, & Ieſum Chriſtum humani generis redemptorem, & Spiritum ſanctum tota mente & ſumma deuotione conuerſi, humiles & ſupplices in hunc modum exorare & deprecari confidimus, ſicque deprecati ex infinita quadam trium diuinarum perſonarum gratia exauditum iri ſperamus & credimus. Tantum ergo facultatis & eloquentiæ nobis Chriſtianis & fidelibus famulis tuis præſta, quæſumus, diuina & ineffabilis Trinitas, vt de hac Imperatoria coronatione pauca quædam, non indigna hoc tanto & tam ſplendido auditorio, dicere ac tractare valeamus. Nos igitur nunc cœleſtibus & ſpiritualibus telis armati, in hoc tam profundum & tam immenſum pelagus læti & alacres ingredi & intrare audebimus. Sed vt ordine quodam & recta via noſtra procedat oratio, ab Imperatoria dignitate fauſtis omnium initium ſumemus: De eius deinde poteſtate breuiter proſequemur: Poſtremo de hac Coronatione nonnulla memoratu digna in medium adducemus. Quibus rite peractis de generali quodam ac pene incredibili cunctarum Chriſtianarum gentium gaudio, ac de præcipua & admirabili, Beatiſſime Pater, ac ſereniſſime Princeps, vtriuſque veſtrum lætitia aliqua memorabilia breuiter tractare & explicare conabimur. Atq; cum hæc eo ordine quo propoſita ſunt, diuina tandem fauente gratia pro modulo noſtro abſoluerimus, finem dicendi faciemus. Magnum opus & arduum non coacti & inuiti, ſed potius alacres volenteſque ideo aggredimur, quoniam Omnipotentem Deum, quando boni gratia id agimus, hoc eſt, vt hæc ipſa, quæ aſtantibus & aſpicientibus mirabilia videntur, hac noſtra oratione ſplendidiora quodammodo, & viuis abſentibus, & poſteris etiam, nonnulli tantarum & tam excellentiſſimarum rerum guſtus præbeantur, inprimis fautorem & adiutorem fore non dubitamus. In infinita ergo omnipotentis Dei benignitate, & in ſingulari quoque & præcipua ſanctitatis & Maieſtatis veſtræ humanitate, ò duo beata & felicia totius orbis luminaria, & infirma deniq; ac perenni cunctorum auditorum attentione confiſi, ſecundum præmiſſum diuiſionis noſtræ ordinem, prompti & audaces dicere ac diſſerere aggrediemur.

Inuocatis numinis.

Imperatoriæ maieſtatis dignitas, ſecundum veras omnium & profanorum & ſacrorum ſcriptorum ſententias, tanta profecto ac tam admirabilis iure exiſtimatur & creditur, vt facultatem humani excedat eloquii. Nam vt à Poetis incipiamus, Homerus in ſuo illo præclaro Iliados poemate Agamemnonem Græcorum Principem cum Troianis potius de imperio totius Græciæ, quam de ſola Helenæ à Paride Priami filio raptæ repetitione, diuturno & decennali bello contendentem inducit. Quod Virgilius noſter præclare poſt plura ſecula imitatus, Æneam patria, quæ iam ab hoſtibus in ſeruitutem redacta fuerat, profugum nouas in Italia ſedes quærentem fingit, atque Rutulis poſtea & Latinis ſibi reſiſtere ac repugnare cupientibus, bello tandem victis & ſuperatis imperantem ſcribit. Et in aſſumptione quoque Octauiani Cæſaris Romanorum Imperatoris, cuius temporibus floruiſſe traditur, *Ecce*, inquit, *Dionei proceſſit Cæſaris aſtrum. & reliqua.* Imperatorem tunc orbis terrarum Principem ob admirabilem quandam dignitatis ſuæ excellentiam, nimirum aſtris & fulgidis ſtellis, diuinis & non humanis rebus, æquiparare & comparare volens. Ad Hiſtoricos accedamus, quorum varia ac diuerſa multorũ generũ ſcripta, cum Aſſyrios, tum Medos, Parthos inſuper & Perſas, Ægyptios atque Macedonas, Græcos præterea Troianoſq;, Romanos denique ac Carthaginenſes, vna cum omnibus aliis gentibus pluribus & diuturnis inter ſe bellis de imperio ad vltimam & deſperatam internecionem dimicaſſe & contendiſſe declarant. Philoſophi ſequuntur quorum Princeps (pace cunctorum dixerim) Ariſtoteles, Monarchiam (quod Græce nihil aliud quam imperium, hoc eſt, vnius ſolius dominatum, ſi Latine ad verbum interpretari volumus, ſignificare videtur) ad veram & rectam totius orbis terrarum gubernationem, non modo vtilem, ſed neceſſariam etiam pluribus argumentis multiſque rationibus probare & confirmare conatur. Ac per hunc modum gubernaculum vnius, quod *Monarchia* Græce, *Imperium* Latine appellatur, plane aperteq; defendit. Et Cicero quamuis multa vt orator in laudem Cæſaris dixiſſe & ſcripſiſſe comperiatur, in libris tamen de officiis, vbi ſe Philoſophum fore profitetur, verba hæc ponit: *Cæſar omnia iura diuina & humana peruertit propter eum, quem ſibi ipſi opinionis errore finxerat, principatũ.* Tanti enim imperium ab eo factum fuiſſe ſcribit, vt cuncta quæq; diuina & humana iura peruertere & violare non formidauerit. Quid inſuper de iure naturali, gentium & ciuili dicemus? nonne ex ſingulo quoque huiuſmodi iuris genere maximam quandam eſſe imperii dignitatem manifeſtum eſt?

quando

quando ſingulæ quæque gentes paulo validiores, quaſi naturali inſtinctu inductæ adactæq;, talem ſibi dignitatem antiquitus, totis animi & corporis (quemadmodum dicitur) viribus arrogare & vendicare nitebantur. Vnde variæ bellorum lites contentioneſque oriebantur, & pluribus quoque Digeſtorum & Pandectarum locis partim Deum imperium de cœlo conſtituiſſe, partim etiam vniuerſum Mundum eum ipſum Imperatorem, tanquam certam quandam & animatam in terris legem, obſeruaſſe & coluiſſe legimus. Quid præterea de ſacris literis arbitrabimur? an eas de hac tanta & tam ſingulari imperii dignitate omnino ſiluiſſe mutaſque fuiſſe cenſebimus? quandoquidem profanos cum Græcos tum Latinos auctores, veluti diuino quodam Spiritu afflatos, de hac ipſa materia certa quædam ac vera ſenſiſſe, & quaſi è ſacro veritatis fonte hauſiſſe accepimus. *Vero enim*, iuxta celebratam illam & decantatam Philoſophi ſententiam, *omnia conſonant*. Latiſſimus profecto nobis ad peruagandum campus oſtenderetur, ſi ſingula quæq; commemorare & explicare vellemus, quæ ingentem quandam Imperatoriæ maieſtatis dignitatem, ex ſacro vtriuſque Veteris & Noui Teſtamenti pelago hinc inde collecta vel maxime declararent. Sed ne modum excedat oratio, duo vel tria, præſertim ſeria & grauia & magnum pondus habentia, oſtendiſſe ſat erit. Ac primum veniat in medium Prophetica illa & diuina ac tantopere per cunctas Theologorum ſcholas celebrata Geneſeos authoritas, quæ pro duobus magnis orbis luminaribus duos duntaxat totius mundi ſtatus, ſpiritualem ſcilicet & ſecularem, quibuſcunque paulo doctioribus viris, & mentem ſuam à ſenſibilibus rebus reuocantibus, & ad cœleſtia vel paululum conuertentibus, plane & aperte fuiſſe declarant, ceu ab omnibus catholicis & eruditioribus expoſitoribus non litterali, ſed potius anagogico & tropologico ſenſu, vere ac diuinitus interpretari & explanari poſſe videtur. Quod ita eſſe non dubitabit, quicunque ſacris literis vel mediocriter eruditus, admirabilem quendam diuinorum verborum ordinem paulo diligentius & accuratius conſiderauerit. Poſtquam enim Deus in primo illo rudi & indigeſto mundi principio cœlum & terram creauit, lucem fieri & à tenebris diſtingui voluit: quod prima die factum fuiſſe ſcribitur, quibus ab inuicem ſeparatis firmamentum poſtridie factum eſſe narratur. Ac tertia deinceps die terram ab aquis diſtinctam, herbas & fructus ſponte ſua produxiſſe, legitur. Quarta autem die Deum feciſſe duo magna luminaria; alterum vt diei, alterum vero vt nocti præſideret ac dominaretur, à Moyſe Prophetarum maximo his verbis & in hunc modum ſcriptum eſſe meminimus: ſic enim inquit: *Fecit Deus duo magna luminaria: luminare maius vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti, & reliqua huiuſmodi.* Quæ quidem verba etſi ad literam, iuxta ſenſum literalem pro Sole & Luna recte exponi & explanari poſſe videantur: anagogice ac tropologice tamen (vt Theologicis & tritis verbis in hac noſtra explanatione, maioris declarationis gratia vtamur) ad vtrumque mundi ſtatum, ſpiritualem ſcilicet & ſecularem, ſecundum omnium excellentium Doctorum explanationes rectius diriguntur, ac ſapientius & accommodatius conuertuntur: vt luminare maius, quod nimirum pro Sole ad literam exponitur, Summus Pontifex plane & aperte intelligatur. Quippe ſicut Sol obſcuratis cæteris ſideribus ſolus apparet, vnde Cicero nomen ſumſiſſe & vſurpaſſe teſtatur: Ita Pontifex cunctas Eccleſiaſticas & ſeculares poteſtates, diuino quodam perſonæ ſuæ ſplendore occultare & obſcurare videtur. Et ceu quoque Sol diem ſua & propria luce illuminat, eique præeſſe deprehenditur: ita Pontifex diem, id eſt, ſpiritualem ſtatum, qui ſeculari comparatus, dies, quaſi in comparatione noctis, non immerito appellatur, eique præſidere cognoſcitur, Pontificalibus conſtitutionibus & viciſſitudinariis promotionibus illuſtrat ac gubernat. Et velut Sol nocturnis temporibus radiis ſuis ad aliud hemiſphærium illuſtrandi gratia deſcendit: ita Pontifex cenſuris & anathematibus, benedictionibus pariter & indulgentiis, ad perpetuam & æternam vitam tranſcendere & penetrare dignoſcitur. Petro enim Apoſtolorum principi, primo Summo Pontifici, & cunctis eius ſucceſſoribus, à Chriſto redemtore noſtro viuæ vocis oraculo omnem ſoluendi & ligandi poteſtatem datam fuiſſe conſtat. Ad hæc duo magna totius mundi luminaria, per quæ quidem duo duntaxat vniuerſi orbis ſtatus (quemadmodum diximus) plane & aperte deſignantur, duo illi Euangelici, & per cunctas Theologorum ſcholas celebrati gladii pariter ac iure accedere videntur, quorum alter pecuniariis mulctis, capitalibusque ſententiis, & vltimis ſuppliciis ſecularia tantummodo & temporalia delicta coercet ac caſtigat: alter vero grauibus cenſuris, aſperiſque anathematibus, Eccleſiaſtica ſola & ſpiritualia peccata punit ac coarguit. Vnde magnam quandam Imperatoriæ maieſtatis dignitatem ſimul atque ingentem poteſtatem eſſe, iure negare & inficiari non poſſumus: Quandoquidem ab initio orbis duo magna luminaria pro duobus mundi ſtatibus ordinata, & poſt multa quoque temporum curricula prædictos duos Euangelicos gladios ad idem confirmandum repetitos fuiſſe nouimus. Paulus inſuper ad M. Agrippam tunc temporis imperantem, de falſa quadam Iudæorum aduerſus ipſum accuſatione, apud Feſtum pro eodem Agrippa Hieroſolymis præſidentem appellaſſe legimus: atque eum ex Actibus Apoſtolorum tanti feciſſe intelleximus, vt in principio orationis ſuæ ipſum huiuſmodi pene verbis vſum fuiſſe non ignoremus. *De omnibus enim*, inquit, *de quibus à Iudæis accuſari & inſimulari videor, beatum profecto & felicem me fore exiſtimo cum apud te Marce Agrippa cauſam meam agere & perorare conceditur, & quæ ſequuntur.* Ex his igitur omnibus & cæteris huiuſmodi, quæ, ne longiores eſſemus, breuitatis cauſa, de induſtria prætermiſimus, maximam quandam Imperatoriæ maieſtatis dignitatem eſſe, manifeſtum eſt, quod ab initio probatum iri propoſueramus. Nunc vero de eius admirabili poteſtate ſecundum prætaxatum ordinem proſequemur.

Luminaria duo.

Ad hanc tantam & tam diuinam ac cœleſtem potius, quam humanam Imperatoriæ maieſtatis di-

tis dignitatem, magna quædam & æqualis cunctarum rerum ſecularium iuriſdictio ac poteſtas non immerito competere & conſequi videtur. Nam, vt more noſtro à leuioribus incipiamus, Virgilius Cæſari Auguſto duobus tam decantatis, & tam celebratis carminibus tantam eius, vtpote Romani Imp. poteſtatem eſſe teſtatur, vt cum Ioue diuiſum cœleſtium ac terreſtrium rerum imperium contenderet: ſic enim inquit: *Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane: Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.* Hiſtorici & Oratores ſequuntur, qui quidem Imperium ab eo, quod late ampleq; imperatur, nuncupatum & appellatum eſſe voluerunt, quod ita fuiſſe veteres tam Græcæ quam Latinæ hiſtoriæ plane & aperte declarant. *Imperium.* Nam antequã principatuum fines hinc inde extenderentur, ac large longeq; propagarentur, Regium nomen in terris primum fuiſſe conſtat; quippe Reges, & nõ Imperatores dicebantur. Sic Belus primus Aſſyriorum rex. Sic Cambyſes Medorum, ſic Pharao Ægypti, ſic Cyrus Perſarum, ſic Philippus & eius filius Alexan. Macedonum, ſic Romulus, ſic Numa Pompilius, ſic Tarquinius Priſcus, ſic cæteri Roman. reges, ne de ſingulis particularem quandam mentionem faciamus, Reges, & non Imperatores appellabantur. Sed poſtquam diuerſa terrarum regna hinc inde late ampleque humanis viribus, & magnis potentatibus protendi ac propagari, & plura quoq; ab vno ſolo gubernari, & in vnius ditionem venire cœperunt: vt potentiæ augeri & amplificari videbantur, ita & earum potentiarum nomen pariter creſcere iuſtum eſſe putabatur. Et quoniã Imperatores proprie exercitus ductores olim priſco & idoneo vocabulo nuncupabantur, ad quos ſolos cunctorum exercituum cura & gubernatio pertinebat: *Imperatores.* idcirco propagatis & amplificatis (vt diximus) regnis, nomen Imperatorium decentius & auguſtius, quam regnum videri cœpit, quaſi ſolus vel ſoli eſſent Imperatores illi, ad quos duntaxat cura & gubernatio totius orbis, quaſi totius exercitus pertineret. Sic Iulius Cæſar, ſic Auguſtus, ſic Tiberius, ſic deinceps cæteri Imperatores vocabantur, etiam antequam Catholica fides hincinde pullularet. Sed poſtquam Chriſtiana & orthodoxa religio ita inualuit, vt quaſi per vniuerſum terrarum orbem intonaret, ac per hunc modũ ſummi Pontifices à cunctis Chriſtianis principibus, Regibus & Imperatorib. maxima humilitate & ſingulari quadam deuotione adorabantur: factum eſt, vt communi omnium Chriſtianorum populorum conſenſu ex duobus duntaxat mundi ſtatibus, alter à Pontifice, alter vero ab Imperatore ſeparatim gubernaretur: ita tamen vt Imperatores dignitatem imperatoriam ſimul atq; poteſtatẽ à ſummis Pontificibus, tanquam à veris mediatoribus & interceſſoribus recognoſcerent, quibus abſq; vllis alienis interceſſionibus ambo diuinitus collata fuiſſe non dubitamus. Accedit ius ciuile, quod quidem pluribus auctoritatib. ſuis, Imperatoriam maieſtatem humanis legibus ſubiectam eſſe, nec ſinit, nec patitur: quinimo eam ipſam cunctis iuribus & humanis legibus dominari ac præſidere, plane & aperte ſignificat. Quippe diuina humanis, cœleſtia terreſtribus obnoxia & ſubdita eſſe, abſurdum quiddam ac monſtri ſimile videatur. Atqui imperium Deum de cœlo conſtituiſſe ſupra diximus, vt quandoquidem cœlitus in terras deſcenderat, humanis & ſecularibus rebus merito prȩſideret ac dominaretur, & vniuerſo quoq; terrarum orbi præeſſet. Genus inſuper humanum triplici iure, naturali ſcilicet, gentium & ciuili, regi & gubernari plane aperteq; cognoſcimus, quemadmodũ ſuperius commemoraſſe meminimus. Quod ſi Imperatoria Maieſtas profecto talis & tanta eſt, vt prædictarum virium humanarum frena moderetur: quis ſanæ mentis vllo vnquam tempore reperiri poterit, qui admirabilem quandam ac pene incredibilem Romani Imperij ditionem negare inficiariue auderet? Verum enimuero Imperatoria maieſtas omnibus prædictis iuribus determinatũ modum certamq; regulam imponere & iniungere videtur, ceu pluribus Digeſtorum & Pandectarum locis meridiana (vt dicitur) luce clarius oſtenditur. Sed ea quæcunq; ſunt, conſulto prætermittimus, quoniam ad alia maiora & digniora feſtinat oratio. Suetonius Tranquillus duodecim Cæſarum vitas & geſta deſcribens, & alter Marcellinus neſcio quis, ac plures alij doctiſſimi ſimul atq; eruditiſſimi viri, egregia multorum Imperatorum facinora factaq; narrantes, magnam vel potius maximam quandam eorum poteſtatem commemorationibus ſuis fuiſſe teſtantur. Seneca Stoicorum acerrimus Neronis Magiſter, ita eum, vtpote Imperatorem veneratus eſt, vt libros *De clementia* ſuo nomini dedicaret. Plutarchus ſimiliter Traianum Auguſtum pluribus ſcriptorum ſuorum locis plurimum coluiſſe & honoraſſe videtur. Lactantius præterea vir elegantiſſimus, Conſtantinum & eius filios, & Beatus Ambroſius Theodoſium & Gratianum (ad quos multa pro Catholica fide & de Spiritu S. conſcripſit) Hieronymus inſuper & Auguſtinus plures ſuorum temporum Impp. multis propriorum librorũ conſcriptionibus ingentibus, & maximis honorib. proſecuti & venerati ſunt. Quid plura? nam ſexcenta huiuſmodi reſtant, quæ ſi ſigillatim enarrare vellemus, dies profecto nos talia proſequentes deficeret. Tantã nimirum, vt duo primo orationis noſtræ membra in vnum concludamus, Imperatoriæ maieſtatis dignitatem, ſimul atq; poteſtatem fuiſſe conſtat, vt partim huiuſmodi auctoritatem de cœlis ad homines deſcendentem, partim toti terrarum orbi imperantem, partim à nullo alio, quã ab omnipotenti Deo dependentem, priſcis temporibus opinarentur. Sed poſtea rebus humanis iamdudum meliori quadam & grauiori ordinatione diſpoſitis, hoc eſt, duob. vniuerſi mundi ſtatibus ab inuicem ſeparatis inter ſeq; diſtinctis, quemadmodum pluribus ante ſeculis vſitatum & conſuetum fuiſſe accepimus, Imperatoriæ Maieſtatis dignitatem poteſtatemq; prædictas pariter à Summis Pontificibus nõ iniuria ſuſcipi, ac recognoſci oportere, conſueuit. *Recognitio Imperii à Pontifice.* Quod quidem quoſdam optimos religioſos & pios prædeceſſores tuos hactenus feciſſe legimus, quorum tu, inuictiſſime Cæſar, præclara & glorioſa veſtigia ſequi & imitari vel maxime cupiens, è media Germania in intimam Italiam hyemali tempeſtate, per longiſſimas atq; aſperrimas & periculoſiſſimas vias partim niuibus, partim glaciebus obſeſſas, partim vero cœnis opertas, non famem, non ſitim,

non frigus, non ſomnos, non iuges pluuias extimeſcens, accedere & venire non dubitaſti, vt ab hoc Nicolao quinto diuina prouidentia Summo Pontifice, Pontificali ſolio de more pro tribunali (quemadmodum è regione apparet) ſedente, opportunum & conueniens Romani Imperij diadema ſuſciperes, humiliterque ſuſcipiens Imperatoriam dignitatem, poteſtatemque ab Apoſtolica ſede recognoſceres. Proinde ea, quæ tu paulo ante fidelitatis & ſucceſſionis iuramenta præſtitiſti, inſtituta & ordinata fuiſſe creduntur. Atque hæc omnia ex dexteræ manus & frontis, & renum inunctione, & enſis poſtea incinctione, & aureæ pilæ in ſiniſtra manu largitione, ac regalis ſceptri in dextra poſitione, non abſurde, ſed potius plane & aperte declarari poſſe videntur. De hac tua tam humili, tam pia, & tam deuota ab hoc Nicolao Domino noſtro Summo Pontifice Romani Imperij recognitione, dici non poteſt, quantas, & quam magnas & præcipuas laudes & commendationes apud Deum & homines reportabis. Cum igitur de egregia quadam & ſingulari Imperatoriæ Maieſtatis dignitate poteſtateque, duobus prædictæ diuiſionis membris pro facultate noſtra pauca quædam hactenus abſoluerimus: quid nunc de hac tam fauſta & tam felici coronatione dicemus, in qua quidem vna & ſola ambo dignitatis & poteſtatis præſtantiſſima & excellentiſſima dona, à nobis ſuperius commemorata, ſimul exhiberi conferrique intelligimus. De ea igitur ipſa deinceps ſecundum præmiſſum ordinem proſequemur.

Sed vt res tota paulo clarius & euidentius innoteſcat, à primæua coronandi origine ordiri initiumque ſumere ſatius eſſe duximus. Primas itaque ac vetuſtiſſimas coronas à militibus ſeſe in re militari exercentibus, militiamque profitentibus, ex antiquis hiſtorijs certam quandam originem habuiſſe legimus. Vnde propterea, quod militibus in ſignum honoris & præmij bene & proſpere actæ rei exhiberentur, coronæ militares appellabantur, quæ quidem octo erant, & cæteris huiuſmodi nobiliores habebantur. Quod ita eſſe, varia & diuerſa eorum nomina plane & aperte declarant. Nam prima *Obſidionalis* dicebatur, ea è gramine fiebat. Hanc, qui obſidione liberabantur, idcirco liberatoribus Ducibus donabant, quod ibi gramen plerumque generaretur, vbi illi prius obſeſſi tenebantur. Huiuſmodi coronam Senatus Populuſque Romanus Q. Fabio Maximo, ſecundo bello Punico dederat, quoniam vrbem Romam ab obſidione hoſtili liberauerat. Secunda *Ciuica* appellabatur, quam ciuis ciui, à quo in prælio ſeruatus fuerat, teſtem vitæ ſalutiſq; perceptæ concedebat: ea è fronde quernea vel ilignea ob id efficiebatur, quod victus antiquiſſimus ex quercubus atque ilicibus capiebatur. Hac corona L. Gellius vir Cenſorius in Senatu Ciceronem conſulem donari à repub. cenſuit, quod eius opera & interceſſione atrociſſima illa Catilinæ coniuratio detecta vindicataque fuiſſet. Tertia *Muralis* nuncupabatur: hac nimirum illi donabantur, qui primi mœnia per vim in quodcunque hoſtile oppidum aſcendiſſent. Quarta *Caſtrenſis* perhibebatur, quam quidem Imperatores eis impertiebantur, qui primi pugnantes in hoſtium caſtra ingrederentur, ea profecto inſigne valli habebat. Quinta *Naualis* cognominabatur: hac maritimo prælio ij donati ſolebant, qui hoſtium naues armati tranſiliuiſſent: ea quaſi nauium roſtris inſigniebatur. Atq; hæ tres vltimæ ex auro fiebant, inauratæq; apparebant. Sexta *Oualis* erat, & myrtea habebatur, ea Imperatores vtebantur quandocunque ouandi gratia, in vrbem inuehebantur. Ouare autem dicebantur, ſi quando vel ex indignis bellis, vel non cum iuſtis hoſtibus geſtis victores in Patriam remearent: aut quando hoſtile nomen humile, & non idoneum, vt ſeruorum, piratarumq; fuiſſet, aut deditione repente facta, ſine puluere (vt dici ſolet) incruentaq; victoria obueniſſet: cui facilitati myrtum, Veneris frondem aptam & accommodatam eſſe non iniuria putauerunt, quod non Martius, ſed quaſi Venereus quidam triumphus foret: ac per hunc modum Octauianus Auguſtus poſt Philippenſe, & rurſus poſt Siculum bellum bis ouans vrbem ingreſſus eſt. Septima quaſi *Triumphalis* putabatur, & oleagina videbatur: ea coronabantur non qui prælio interfuiſſent, ſed qui dignum aliquem pro abſentibus Imperatoribus triumphum procuraſſent. Octaua *Triumphalis* prædicabatur, & ex lauro fiebat, & quia cæteris omnibus præferebatur, ſolis duntaxat triumphaturis Imperatoribus ſeruabatur, qui cum ex ancipiti prælio cruentaque victoria, victis ſuperatisque hoſtibus in patriam reuerterentur, triumphalibus curribus cunctis ornamentorum generibus præditis, ipſi tamen vndique purpurei, ac laurea coronati per Vrbem vehebantur. Sic C. Iulius Cæſar, qui primus exactis Regibus Romæ imperauit, quinquies triumphauit. Nam & Gallicum, & Alexandrinum, & Ponticum, & Africanum, & Hiſpanentem triumphos laurea (quemadmodum diximus) coronatus abſoluit. Sic Octauianus Auguſtus tres Curules triumphos, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo mirandum ſpectaculum, de more laurea coronatus, egiſſe & accepiſſe legitur. At Tiberius Cæſar, cum ei toto Illyrico perdomito, & in ditionem Populi Romani redacto, triumphus decerneretur, ac ipſo ob Q. Vari cladem, qui ſub idem fere tempus in Germania, vna cum tribus legionibus perierat, decretum ſibi triumphum differre, quam triumphare maluiſſet: Vrbem nihilominus prætextatus, & laurea coronatus intrauit. Sic Nero è Græcia per Neapolim, per Antium & Albanum Romam reuerſus, eo curru, quo Auguſtus antea triumphauerat, veſte purpurea chlamydeque ſtellis aureis diſtincta, ac Olympiaca & laurea corona capite redimito, Vrbem ingreditur, cum prius etiam triumphantis habitu ac laurea coronatus in Capitolium aſcendiſſet, poſtquam Mithridatem Armeniæ regem, Romam venientem quaſi triumphaturus recepiſſet. Sic denique multos alios Imperatores, quos ſigillatim recenſere nimis longum eſſet, laurea coronatos triumphaſſe legimus. Sed quorſum hæc tam multa de veteribus coronis? fortaſſe veſtrum dicet quiſpiam. Vt ſcilicet intelligatis, quo & quali coronationis genere priſci vterentur, & in quanto quoque precio laurea antiquitus haberetur, quandoquidem omnes Imperatores ea coronati triumphare conſueuerant. Siquidem

Corona militares.

Laurea.

dem eam tanti faciebant, vt commemoratus Iulius Cæſar ex omnibus decretis ſibi à ſenatu populoque Romano honoribus, nullum libentius, quam ius laureæ perpetuo geſtandæ, recepiſſe ſcribatur. At hæc & cætera huiuſmodi nimia vetuſtate obſoleta iamdiu euanuiſſe comperimus, niſi quod laurea Poetis duntaxat, & aurea corona Regibus & Imperatoribus, aliter tamen quam priſcis temporibus, reſeruatæ fuiſſe videntur. De C. quippe Cæſare à Suetonio in eius vita ſcriptũ eſſe legimus, quemadmodum quidam è turba ſtatuæ ſuæ coronam lauream candida faſcia præligatam impoſuerit, & Lupercalibus quoq; pro roſtris à M. Antonio conſule admotum capiti eius diadema ipſe repulerit; quod & Plutarchus probare & confirmare videtur. Hoc diadema faſcia quædam erat in modum cuiuſdam coronæ facta, abſque illis ornamentis, quæ temporibus noſtris Regijs & Imperatorijs, ac Pontificalibus diadematibus imponi inſeriq; conſpicimus: quod ita eſſe Græca origo, vnde deriuari manifeſtum eſt, plane aperteq; demonſtrat. Nam id nomen propria ſui interpretatione ligamen quoddam circumdatum ſignificare nouimus. Ac de Alexandro inſuper Magno ab idoneis auctoribus ſcribitur, vt cuidam eius militi grauiter vulnerato ſanguinolentum vulnus ſuo diademate, quod è capite amouerat, celeriter circumligari iuſſerit: quando ob magnam quandam fluentis & emanantis ſanguinis abundantiam tunc pro ſalute ſaucij militis aliter fieri non poterat. Nos vero, qui Chriſtiani & ſumus & haberi volumus, & in cruce & in patibulo Ieſu Chriſti Domini noſtri vel maxime gloriamur, his friuolis & inanibus gentilium & Ethnicorum hominum inuentionibus omnino abolitis, penituſq; relectis, nonnulla vetuſta coronandi & inungendi genera ex ſacris literis hinc inde collecta in medium adducemus. Saul, vt à primo Iudæorum Rege incipiamus, à Samuele Propheta his verbis in primo Regum vnctum fuiſſe legimus: *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem; & tu liberabis populum eius de manibus inimicorum ſuorum. qui in circuitu ſunt.* Et in eodem loco paulo poſt ab eodem Samuele Dauid prædicti Saul ſucceſſorem in hunc modum inunctum extitiſſe accepimus: *Et ait Samuel ad Iſai patrem Dauid: Mitte & adduc eum, nec enim diſcumbemus prius, quam ille huc veneris. Miſit ergo & adduxit eum: erat autem rufus & pulcher aſpectu, decoraq; facie. Et ait Dominus: Surge & vnge eum, ipſe eſt enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & directus eſt ſpiritus Domini à die illa in Dauid & deinceps. Et quæ ſequuntur.* Et in tertio eiuſdem voluminis Salomonem commemorati Dauid filium per Sadoch ſacerdotem quendam ſacro oleo delibutum fuiſſe cognouimus. Sic enim ſcribitur: *Sumſitq; Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem, & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat Rex Salomon. Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno: & inſonuit terra clamore eorum.* Et reliqua huiuſmodi gaudijs, & iubilationibus, & exultationibus plena & referta comperimus. Atq; hæc tria præcipua & ſingularia talium ac tantorum Regum exempla, ad regiam & ſacram vnctionem, quæ quidem ex egregia quadam humilitate pro hodierna regalium & imperatoriarum perſonarum coronatione non immerito putabantur, ex veteri Teſtamento protuliſſe ſufficiat. Id etiam ipſum de Sacerdotibus, quod de Regibus in ſacris literis legiſſe meminimus: vt ſcilicet ſacro oleo pariter vngerentur; nam vtrumq; vſque ad hæc noſtra tempora hactenus ſeruatum eſſe deprehendimus. Quod in perſona Chriſti humani generis redemptoris, non humano, ſed potius diuino quodam exultationis oleo, ideo factum fuiſſe credimus, quoniam Dauid Prophetarum maximum de eo ipſo in libro Pſalmorum loquentem, carmina hæc ponere comperimus: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis: & reliqua.* Proinde & Sacerdotes & Reges *Chriſtos*, quod Græce vnctos ſignificat, in ſacris literis per hunc modum legimus appellatos: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari:* & plura huiuſmodi dicendi genera ex lato & amplo ſacrarum ſcripturarum campo ſponte ſua nobis in præſentiarum occurrerent, quæ, ne longiores ſimus, de induſtria prætermittimus. Nos igitur, qui (vt diximus) Chriſtiani ſumus, & præclara maiorum noſtrorum veſtigia ſequi & imitari vel maxime cupimus, non ſolum te, Diue Friderice Romanorum Rex ſemper Auguſte, ſacro ſolo vnctionis oleo vna cum Leonora beata & felici conſorte tua, ſecundum veterem quandam & vſitatam regiæ vnctionis antiquorum Patrum conſuetudinem, per hanc humilem & deuotam Nicolai V. Summi Pontificis adminiſtrationem feliciter vngimus: ſed & enſem aureum cingimus, & regale inſuper ſceptrum & ſimilem pilam ambabus manibus exhibemus, ac denique ſacroſancto capiti tuo imperiale diadema, ex puro & ſolido auro confectum, & pluribus quoq; margaritarum & vnionum, ac cæteris precioſorum lapillorum generibus redimitum, ſolenniter imponimus, cum te prius duo alia diademata, ferreum videlicet & argenteum, veteri quadam conſuetudine iam ſuſcepiſſe non ignoremus. Quippe corona ferrea, quam in ordine primam eſſe conſtat, fortitudinem ac poteſtatem ſignificare videtur. Nam quemadmodum ferrum cæteris omnibus metallis fortius ac potentius habetur & creditur: ita Imperatoria maieſtas cunctis alijs principibus fortior ac potentior eſſe debet. Secunda quoque argentea non fortuito, ſed ſingulari quodam myſterio aſſumitur. Sicut enim argentum alijs metallis albius, purius & nitidius conſpicitur: ita maximi ac Summi Principis mentem claram, mundam & ſerenam eſſe decet. Tertia aurea egregia & ſolemni ſignificatione capitur. Etenim ceu aurum cætera metalla ſua dignitate longe ſuperat & excellit, ita pariter Imperator cæteris omnibus ſecularibus Principibus proprio virtutum ſuarum ſplendore præſtare & excellere exiſtimatur: & vt etiam hoc, qualecunque eſt, noſtrorum temporum Imperium, illius veteris Romani veſtigia ſibi reſeruaſſe ac retinuiſſe videatur. Priſcis namque Romanis vniuerſo pene terrarum orbi, cum maxime florebant, imperantibus, à cunctis ſubditis gentibus aureum tributum pro diuerſis exhibentium ſubiectorum

Diadema.

Vnctio regalis.

Ferrea corona.

Argentea.

Aurea.

faculta-

facultatibus varie tradebatur. Ex hac itaque prædictarum trium coronarum myſtica ſuſceptione, tria præcipua & ſingularia à nobis paulo ante commemorata, plane apertequé deſignantur: in quibus duo illa noſtra dignitas & imperatoria Maieſtas vel maxime continentur; quemadmodum à principio huius orationis propoſuiſſe meminimus: quod à pluribus Summis Pontificibus ad politiorem quandam & ſolenniorem imperatoriæ coronationis celebritatem iamdudum præcipuo & ſingulari myſterio factum fuiſſe accepimus. A Carolo enim Francorum Rege, cui ob rerum à ſe geſtarum magnitudinem Magno non ſecus quam Alexandro Philippi Regis filio cognomẽ fuit, vetus quædam coronandi conſuetudo initium ſumſit, quæ à prioribus & maioribus quibuſdam Imperatorib. aliquoties obſeruata, ad noſtram vſq; ætatem in auguſtam huius Federici III. perſonam in

Carolus M. Imp.

præſentiarum tanta cum gloria proueniſſe videtur, vt etiam eiſdem prædicti Caroli inſignibus coronari mereretur. Nam cum tota Italia per aduentum Longobardorum ſub Deſiderio eorum Rege magnis vndiq; calamitatibus premeretur, factum eſt, vt in neceſſarium quoddam obſeſſæ vrbis ſubſidium à Stephano II. ea tempeſtate Romanæ Eccleſiæ præſidente, è Gallia in Italiam euocaretur: qui quidem ita ſe geſſit, vt commemoratum Deſiderium eorum Regem generoſiſſime ac glorioſiſſime ſuperaret, hoſteſq; pariter ſimiliterq; ſubigeret. Vnde honoris & gloriæ ſuæ cauſa Imperator appellatus, atq; à Leone poſtea III. Summo Pontifice magno cum honore coronatus eſt, quem quidem morem priſcis illis ritibus gentilibuſq; abolitis à nonnullis prædeceſſoribus tuis diutius ſeruatum fuiſſe non ignoramus. Quapropter quantum non ſolum præſentes, verum etiam abſentes homines, hæc ipſa religioſa maiorum noſtrorum inſtituta ſequentes, & hæc quoque tam admirabilia, & tam incredibilia proprijs (vt dicitur) oculis conſpicientes, ex hac tanta & tam inaudita cunctorum Chriſtianorum populorum vnione conuentioneque lætari & gaudere debent, nedum verbis ſcriptiſque explicari, ſed ne mente quidem cogitari comprehendique poſſet. Tantum enim & tam concordem in hanc ipſam coronationem omnium Chriſtianarum gentium cónſenſum, ſine expreſſo quodam nutu diuino euenire non poſſe credendum eſt. Ideo vnuſquiſque ſanæ mentis in ſingulari & præcipua quadam vtriuſque Sanctitatis & Maieſtatis ſapientia, ſanctimonia & integritate vitæ condita, ſummopere confidere & ſperare debet, vt cuncta quæque bellica & tumultuoſa à recta tam ſpirituali, quam ſeculari via aliquatenus abhorrentia, ad pacem & tranquillitatem, concordiam & quietem Dei gratia tandem aliquando reducantur. Præſertim cum generalis quidam & hactenus inuſitatus omnium fidelium populorum principumque conſenſus, & vniuerſalis quædam prædictorum cœtuum (vt ita dixerim) conſpiratio, manifeſtum quoddam & expreſſum diuinæ voluntatis ſignum eſſe videatur. Vnde non iniuria in præſentiarum ad vos aſſiſtentes, & ad abſentes etiam, in hac tanta & tam inuſitata lætitia parumper conuerſus, cum Pſalmo pſallere his verbis, & in hunc modum cantare non formidabimus: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, & reliqua.* Quod ſi cuncti Chriſtiani principes & populi ex hac tanta ac tam admirabili, & tam ſolemni Imperatoriæ Maieſtatis coronatione apprime lætari, atque plurimum gaudere debent: quanto vos, Beatiſſime Pater, ac Sereniſſime Imperator, vehementius atque efficacius & ardentius gaudebitis, cum præſentem & futuram huius tantæ ſolennitatis & celebritatis gloriam, ſolidoſque fructus, ad vos ſolos pertinere & ſpectare vel maxime exiſtimaueritis? Quot enim ex Summis Pontificibus, vel quot etiam ex veris Imperatoribus, veriſque maioribus & præde-

Legitima coronatio.

ceſſoribus veſtris, fuiſſe nouimus, qui huiuſmodi Diadema vel legitime largirentur, legitimeue ſuſciperent? Nam ita pauci ex vtroque ordine reperientur, vt ſi numerarentur, facile paruulum quendam numerum conſtituere viderentur. Duobus enim Carolis, duobuſue Othonibus, & vno Henrico, Conſtantino, Radulpho, Conrado, Alberto, & altero Sigiſmundo, & ſi qui alij fuerunt, duntaxat exceptis, quos legitime ab Apoſtolica Sede coronatos fuiſſe accepimus, neminem alium in vtroque Pontificum Imperatorumque Catalogo, reperire potuimus, quem Imperatorium diadema iure ſuſcepiſſe diceremus: cæteris omnibus ſiue Honorijs, ſiue Valentinianis, ſiue Theodoricis, ſiue alijs Federicis, vna cum reliqua Cæſarum turba, vel per incuriam negligentibus, vel per faſtum aſpernantibus, vel potius vi & armis ſacroſanctum Romanum Imperium ſibi ipſis nefarie nimis arrogantibus. Et eos etiam, quos honoris cauſa nominauimus, non tanto populorum omnium principumque conſenſu, cunctarumque gentium applauſu, Diue Federice, inſtar tui, coronatos fuiſſe conſtat: quem quidem nullis diſcrepantibus, quinimo cunctis vel maxime approbantibus, ex intima Germania huius coronationis gratia huc vſque veniſſe conſpeximus. Præterea ſi Samuel & Saul in illa inunctione veteri apprime gauiſi ſunt: quanto vos Nicolae ac Friderice vehementius illis lætari, & ardentius gaudere debetis? Quemadmodum enim tu Summe Pontifex, cum Chriſti humani generis redemptoris vicarius reperiaris, Samuele licet Propheta melior & præſtantior eſſe diceris: ita tu, Friderice, Saulem in regno ipſo longe excellere & ſuperare videris. Ille namque Iudæorum duntaxat, tu autem Romanorum Rex, ac totius ſaltem Occidentalis imperij ſolus moderator & princeps appellaris. Quod quidem imperium cæteris priſcis & Aſſyriorum, & Ægyptiorum, & Sicyoniorum, & cunctarum aliarum gentium nobilius & excellentius ac potentius fuiſſe ſcribitur. Aſſyriorum enim imperium alijs omnibus, Romano tantummodo excepto, potentius fuiſſe traditur. Nam Ninus qui Belo patri primo Aſſyriorum regi ſucceſſit, vniuerſam Aſiam, quæ totius orbis ad numerum partium tertia dicitur, ad magnitudinem vero dimidia reperitur, vſque ad Libyæ fines ſubegiſſe, & in ditionem ſuam redegiſſe fertur. Solis quippe Indis in partibus Orientis non dominabatur, nec amplius quam per mille trecentos circiter annos duraſſe creditur. At Romanorum Imperium ſi à condita Vrbe vſque ad irruptionem Gothorum (qua quidem tempeſtate de-

genera-

generare & declinare vel maxime cœpit) diligenter & accurate recenſebimus, multo diutius perduraſſe competiemus, ac longius latiuſque diffuſum extitiſſe nequaquam dubitabimus. Romani enim totam Europam, totamq; Africam, partemque Aſiæ in ditionem ſuam redegerunt. Et ceu tu, Nicolae, eodem Samuele, ob eas quas ſupra diximus cauſas, melior eſſe cenſeris: ita tu, Friderice, ipſo Dauid quoniam Chriſtianus & Chriſti gratia refulgens, excellentior ac præſtantior reperieris. Ac veluti tu ſacerdotij princeps, Sadoch ſacerdote longe præſtantior es: ita tu, Friderice, Salomone ipſo propterea non immerito excellentior iudicaberis. Quod ſi prædicti Prophetæ & Sacerdotes vngentes, & vncti quoq; Reges vna cum populis ſuis, in ipſa vnctionis die ita ſupra humanum modum lætabantur, vt varijs omnium cantuum cunctorumq; ſonorum ac ſymphoniarum generibus, diuerſa iubilationis, & exultationis genera demonſtrarent: quanto vos ſtudioſius id ipſum facere & operari debetis, qui in cæteris & veteribus & nouis cum Regum tum Imperatorum coronationibus reliquis omnibus coronantibus & coronatis longe præſtare atque excellere videmini. Verum enim vero in mentibus veſtris tantum & tam excellens gaudium propterea non iniuria fore exiſtimamus & credimus, vt penitus & omnino exprimi explicariue non poſſit. Attamen Epilogo partium huius orationis noſtræ hinc inde longe lateque diſperſarum prætermiſſo, ne forte prolixiores ſimus, ad modicam & paruulam quandam tanti gaudij, tantæque lætitiæ expreſſionem, pro vtroque veſtrum quibuſdam Eccleſiaſticis cantibus breuiſſime vtemur. Itaque audite hæc, omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis terram: audite, audite, inquam, cœli, quæ loquimur. Audiat terra verba oris noſtri. Cantemus igitur cunctis audientibus Domino, cantemus inquam canticum nouum Domino, quia mirabilia fecit, quæ quidem præterita ſecula hactenus nec videre nec audire potuerunt. Itaque pie deuoteque in præſentiarum iubilemus, cantemus, exultemus ac pſallamus, vt in futuro ſeculo coram omnipotenti Deo conſtituti, vna cum reliquis beatis ſpiritibus diuina Trinitate fruentes, idipſum in perpetuum facere & operari valeamus.

Cum igitur cuncta eo ordine, quo ab initio orationis noſtræ propoſuiſſe meminimus, omnibus oratorum epilogis breuitatis cauſa prætermiſſis, pro modulo noſtro abſoluiſſe videamur: reliquum eſt, vt finem dicendi faciamus, ſi prius pro te, Beatiſſime Pater, ad omnipotentem Deum iam tota mente conuerſo, & pro hoc Federico III. nouello Imperatore à Sanctitate tua nuper conſtituto, in hunc modum humiliter exorauerimus, proque Maieſtate tua tandem, glorioſiſſime Cæſar, breuiter reſponderimus. Omnipotens & Sempiterne Deus, qui ad prædicandum æterni regni Euangelium Romanum Imperium præparaſti, præſta quæſo huic Federico III. nouello Imperatori, fideli famulo tuo, arma cœleſtia, vt ſuperatis barbaris & inhumanis gentibus, pacis ac Catholicæ fidei inimicis, ſecura & intrepida tibi ſeruiat Chriſtiana libertas. Nunc ad hanc pontificalem tam piam & tam humilem orationem pro te, Religioſiſſime Imperator, deuoti & ſupplices in hunc modum reſpondebimus. Exaudi, quæſumus, omnipotens & ſempiterne Deus, pias & deuotas preces Nicolai tui Summi Pontificis, vt cuncti Eccleſiaſtici & ſeculares populi, Prælati, Reſpublicæ & Principes, omnibus Chriſtianæ fidei hoſtibus penitus abolitis, atque ad vltimam internitionem vſque deletis, liberius ſeruire, & efficacius famulari valeant: quatenus per hunc certum & ſecurum omnium fidelium noſtrarum gentium famulatum, cuncti Chriſtiani homines digna vtriuſque præſentis & futuræ vitæ præmia conſequi mereantur. *Apprecatio.*

Atque hæc habuimus, quæ in hac tam admirabili, tam fauſta & tam felici imperatoriæ coronationis celebritate, primo ad æternam omnipotentis Dei gloriam, ad perpetuam deinde beatitudinis tuæ, Beatiſſime Pater, ac etiam Maieſtatis tuæ, glorioſiſſime Imperator, laudem & commendationem, ad conſolationem inſuper veſtram, præſtantiſſimi Auditores, præterea ad generalem quandam & immenſam totius Chriſtiani generis lætitiam atque hilaritatem, & ad ſempiternam denique tantarum & tam magnarum rerum memoriam in præſentiarum diceremus.

III.

EXHORTATIO NOBILIVM GERMANIÆ PER DOCTISSIMVM INGENIOSISSIMVMQVE VIRVM IACOBVM SOBIVM, INSIGNIIS DOCTORATVS LL. DECORATVM, AD Illuſtriſſimum Carolum Hiſpaniarum Regem, ac Romanorum ſemper Auguſtum deſignatum.

Anno Christi 1519.

NOn miraberis, Chriſtianorum Regum florentiſſime potentiſſimeque Carole, ſi nos noſtræ anxij cum dignitatis, tum ſalutis etiam, conamur admonere, quomodo noſtra ſponte, ac omnium expectatione mortalium in te congeſtum, noſtrum, Romanique

nique populi, atque adeo orbis terrarum imperium, fœliciter gerere, ac prudenter adminiſtrare & velis & poſſis. Siquidem cum tantam molem imperij ipſe, ſummis plenam curarum ſolicitudinumque fluctibus, teneris adhuc tuis impoſueris humeris. Nec nos etiam ſine ingenti omnium noſtrum periculo principatum, ac habenas totius Chriſtianæ Reipublicæ tibi commiſiſſe iudicaremur, ſi alius eſſes, quam te omnes eſſe ſciunt, atque pertinaciſſime aſſerunt. Quippe cum totum id, quod tibi vel officio, vel gratia moti, contulerimus, in noſtram culpam redundaret. Cum non facili momento, ſi quod erratum fuerit, reſarciatur, nec rurſus ſine orbis commodo, quod bene inde prouenerit, numeretur. Quod ergo faciendum, ſi ætas ſuppeteret, nequaquam fuerat, id ſi modo omiſerimus, temeritate potius, quam conſilio prouexiſſe te ad tantum imperij culmen, certe poſt Dei immortalis opes maximum iudicaremur. Æquo ergo, Carole, vnica Chriſtianorum ſpes omnium, animo feres, ſi nos noſtrarum ſoliciti rerum, quid è re vtilitateque noſtra, quidque ex tua dignitate fuerit, paucis ceu digito commonſtrauerimus, quo tu bene feliciterque imperitaſſe nobis, nos recte dicto audientes fuiſſe, præclarumque tibi Imperatoris feciſſe nomen poſteritati dicamur. Neque verebimur ob id male audiendum tibi, quando tua ea eſt ætas, ea præclara indoles, id virtutis ſpecimen, vt cuique bene monenti potius, quam pernicioſe blandienti aurem præbeas, cum alioqui adoleſcentia, proprio affectuum agitata malo, non facile inter vitia, virtuteſque diſcrimen habeat, abijciendaque eligat ſæpe, ac reſpuat eligenda.

Paucis his ante actis diebus, cum Romanum Imperium ſuo gubernatore Maximiliano clariſſimo auo tuo, non ſine ingenti omnium dolore, ac totius orbis incommodo, orbatum eſſet, ſumma excitata animorum ſunt ſtudia, alijs alio Imperium trahentibus, intenti tamen omnes in Septemuiros illos delectos Heroas, quem tandem ſuis deſignaturi eſſent ſuffragijs, cui ſumma Imperij, ceu digniſſimo excellentiſſimoque Imperatori, concredenda veniret. Mirum quanto deſiderio, quam vnanimi popularium voto poſtulabaris. Te ſenes auebant, te expectabat viridior ætas, te proceres canebant, te prædicabant plebei. Nulla præterea non fuit Reſpublica, quæ non libens ac gratulabunda tuum videbatur ſubire iugum. Nec minus fuere propenſæ voluntates in Carolum illius Sueuici exercitus, egregij Germanicæ libertatis vindicis, impotentis tyrannidis pulchri punitoris. Vixdum enim illi alium videbantur paſſuri Romanum Regem, quam te Carolum, trium clariſſimorum vna ſerie Romanorum Imperatorum nepotem, feliciſſimum ante ſe Regum omnium, vt cui ſine bellis, ſine ſanguine, ſine cladibus, tot incruenta contigerint imperia, tot ſubditæ ſint nationes, tot pareant populi. Quippe qui ad orientem Danubium teneat, in meridie Ionium mare, ac Siculum fretum, cum ipſa Trinacria, ac non exigua Italiæ parte, poſſideat. Qui in Hiſpanijs Aphricaque cum Herculis columnis occidentem cuſtodiat ſolem. Poſtremo in Oceano ac mari Germanico ſeptentriones conſpiciat. Nec quietiores etiam Heluetij, bello geniti, videbantur, qui te regem conſpicerent Chriſtiano imperantem circulo, non laboribus, non ſanguini, non vitæ denique ſe parſuros polliciti. Quod ergo bonum, felix, fauſtumque ſit, tibi nobiſque omnibus, te te inclyte Carole, deſiderate mortalibus, libera Germanorum nate ſtirpe, deſignatum Romanorum Regem, I v. Kalen. Iulij, cum votis ac precationibus in Deum Optimum Maximum plauſu & gaudio erumpentibus lachrymis, concordi cœleſtium voluntate, Septemuirorum ſuffragio, ſuſcepimus, dantes accipienteſque vltro ac citro beneficiorum cumulos. Abs te ſcilicet, vbi, vt pius patriæ pater ac princeps, noſtræ Reipubl. temonem recte gubernaueris. Contra, vbi nos pro incolumitate, ac ſalute optimi principis, non ſæui domini, opes, ſanguinem, ſpiritus, profuderimus. Memineris ergo obteſtamur, te aſcitum in principatum, non tyrannidem, quem ita demum rectiſſime diutiſſimeque ſuſtinueris, ſi plus virium tibi in amore noſtrum, quam more poſueris. Amor ſiquidem perpetuum fert principem, timor vero inuiſum è medio tollit. Sint Phalarides tibi, ſint Dionyſii, ſint ſuperbi Tarquinij, ſint Nerones, Caligulæ, ſint noſtra etiam tempeſtate ceruina illa cornua recenti exemplo. Sed quomodo nos id de te timere in animum ducere poterimus? qui auos habueris paternos Auguſtorum, atque adeo mortalium omnium clementiam longe ſuperantes. Vnde impetrare nihil æque, atque delictorum ſummam impunitatem facile fuit. Nec tamen vt conniueas volumus, verum clementiæ mixtam ſeueritatem expoſcimus. Sonteis, ne ſcelera ſuperent, punias, ſua cuique cum diſcrimine des præmia. Non ijs, qui quæcunque dixeris, feceriſque laudauerint, qui te à pedibus ſemper ſecuti fuerint, qui cum admiratione, quæ ore, vel leuiſſima quæque, temere lapſa, exceperint, qui fiſcum tuum locupletare, miſerorum flentiumque ratione non habita, ſtuduerint, qui iocularia exercuerint, qui maiora expiſcaturi, munuſculis onerauerint, qui oratorijs phaleris te Deum fecerint. Sed qui aliquando errantem ſerio increpauerint, qui domi potius, foriſque ſalutem tuam quæſierint, qui ſalubria tibi, tuæq; Reip. ſapienter libereq; admonuerint, qui bono modo diuitias tibi conquiſierint, qui in ciues eas auidius contulerint, quam inde emunxerint, qui morum grauitatem diſciplinis con. .anxerint, qui proprio relicto, tuum patriæq; commodum amauerint. Ea vero quam optime fient, quando, quæ vere maximo facienda principi, ipſe feceris, adulatorem videlicet, principum communem peſtem, ab amico diſcreueris, cognitumq; abs te reieceris, vel maxime præeunte ac iter commonſtrante grauiſſimo, doctiſſimoque Plutarcho, Imperatoris optimi Traiani, optimo præceptore. Tuis item præceperis, ſuis contenti ſtipendijs, abeant, non eos, qui tuam implorauerint opem, qui ad te non aliter, quam ad ſacram anchoram, & parentem communem, & protectorem confugerint, ſpolient, mutilentque, vt ſatius etiam fuerit, vel omnia perdere, vel patria

exulare,

exulare, vel ad hoſtes confugere, quam tantis laboribus, tantis impendiis, tantis periculis, ſaltem principis fruſtra toties & tam diu, poſcere congreſſum, id quod profecto maxime vulgi animum à principe auertit. Adeo regem vel malum, comem ſaltem, plæbs æquiore tolerat animo. Ita apud Syracuſas arreptam tyrannidem, conſtans Populi Romani amicus & ſocius Hieron, in mite legitimumq; conuertit imperium, cum ipſo habitu, benignitateq; à cæteris ciuibus nihilo videretur differre. Pateat ad te aditus, pateat cuique ſua tibi aperiendi facultas, da ſupplicantibus digna reſponſa principe, aut ſi id per occupationes nequis, eos ordinato, non qui pecuniam tuorum quærant, ſed ſalutem. Audi obſecramus quid Philippo Macedoni contigerit, ad quem cum anus quædam confugiſſet, ſui negotii audiendi poſtulans locum, illo non vacare ſibi reſpondente, inquit, *ergo nec regnum quidem dignum habet principem, qui tuos non audias.*

Sed quid hoc? non petimus vt nobis æqueris. Tuam ſuſtine, ac auge potius dignitatem maieſtatemq;, inter mortaleis plane diuinam, modo cogitaueris tantum velle prodeſſe, quantum poſſis, vt ſentiat patria non maieſtatis fuco duci ſe, ſed ope iuuari. Id etenim, quod alioqui à cœleſti, immortalique petimus Deo, incolumitatem videlic. & fœlicitatem, id & à te tanquam Dei vices in terris gerente, expoſcimus. Non, vt paupertate noſtra tuas opes auctas arbitraueris, non, vt fœlicitate, aut potius opulentia tuæ detractum potentiæ credideris, verum iudicaueris, potius nos tuarum diuitiarum cuſtodes eſſe, & quæſtores, noſtraq; omnia in tua, vbi opus fuerit, neceſſitaſq; poſtulauerit, futura poteſtate. Lycurgus ille Lacon Cyro Perſarum regi videre cupienti gazam regiam, ciues eius aſſeruatores oſtendit. Crœſus etiam victus, cum interrogaſſet, quid ſibi militum ille in capta vrbe tumultus vellet, Cyro reſpondente, vrbem eos belli iure diripere, *quare*, inquit, *tua diripiunt? & rege, & vrbe in tua exiſtente poteſtate?*

Hic animum aducias obteſtamur, ò Carole, ò patriæ pater, ò fauſto nominate Auguſti nomine, atq; tandem amoueas, obliteres, quibus, tua parens Germania, tua alumna, quæ nato primum vitam, deinde & benigna alimentum præbuit, quæq; modo vt ſe tuearis, vt ſibi præſis, ad te confugit potiſſimũ, male diu audiuit, maleq, infamis fuit, ob latrocinia videlicet, & rapinas. Rara enim hucuſq; tuta itinera, rara peregrinantium protectio, non incolæ, non ſecuri aduenæ. Atque adeo non plæbeiorum id ſolum eſt facinus, verum ſolo nobilium nomine. Ii enim cum ignaui fuci ſint, ſoli dediti inertiæ, ſoli crapulæ, ſoli ſui patrimonii decoctioni, congerentes alias apiculas & mella, & flores, vnde tandem ſuſtineri rex poſſit, proſternunt, ſpoliant, trucidant. Horrendum reuera facinus, nec cuiquam bono ferendum principi, per orbem tute peregrinatos, in ſola ſpoliari necarique Germania. Acceſſit ad hanc priuatam Germanorum inſaniam publica totius Chriſtiani orbis rabies, ſua in ſemet ciuilia conuertentis arma, & quæ bella in hoſtem Chriſtiani nominis vertiſſe debuiſſent, iis communi furia ſeipſos ad internitionem vſque confecerunt. Numeretur (heu dicendum nephas) princeps quiſque, numeretur natio, numeretur Reſpublica, numeretur vel pagus, qui non horrido atrociq; bello ingentem ſenſerit cladem. Alii ex nobis bonos amiſimus principes, alii parentes, alii liberos, alii iocundos aſſuetoſque penates, alii quicquid præterea charum, antiquumque habuimus. Et quod (ò dolor, ò nephas, o dominandi fœda libido) deteſtandum fuit magis, principem religionis paucos ante annos Iulium nacti, qui cum præter alia parum Apoſtolico digna commiſſa viro, Chriſto auctore pacis aſſertor eſſe debuiſſet, ſummæ eſſe ſibi gloriæ putauit, ſi Chriſtianos ipſe omnes in mutuam concitaſſet cladem. Sed quid hæc modo? ipſe ſcis generoſiſſime Carole, quam bene conſuluiſſet nauiculæ turbulentus ille ac temerarius gubernator, ſi tranquillo potius quam æſtuanti eam commiſiſſet freto. Putauit homo ille, pietatem eſſe maximam, ſi Romanam eccleſiam pernicioſis diuitiis, profanis ditionibus, per fas, nefas, fracta, diſciſſa, rupta fœdera, gladios, ſanguinem, mortem Chriſtianorum, contemeraſſet potius, quam collocupletaſſet. Quo nihil impium magis Chriſtianum, vel ethnicum etiam pectus potuiſſet concipere. Tu vero ſi nobis, tibique conſultum eſſe volueris, nihil pace credes antiquius, nihil pulchrius, nihil melius. Illa enim te fouit, illa tot tibi incruenta tradidit imperia, illa vnanimi omnium voto paulo ante te regem moderatoremque orbis conſtituit. Quibus ergo artibus imperium id cuſtodire melius, quam pace potueris? Nemo profecto nemo, qui inficias eat, iis artibus optime ſeruari imperia, quibus parantur, nimirum pace. Mala reuera beſtia bellum, efferatum initium, triſtem, ac vere tragicum exitum habet, nec victori grata nec victo, dulce ſaltem inexpertis.

Ea ſolet mortalium eſſe cupiditas, vt nunquam expleatur. Habenti adiiciendum ſemper, maxime in imperiis. Tu vero præclariſſime egeris, ſi id cogitaueris, quod tritum vſu habet prouerbium, *Spartam adeptus eam adorna.* In alienis occupandis, inuadendiſque ditionibus, ipſe tuas, ceu ludo, deponas oportet. Si alea recte, & ad votum ceciderit; bene eſt, iam victor, iam triumphator appellaris. Sin contra, id quod plærunque ſolet, euenerit, is qui pauloante nationibus, gentibus, regibus imperaſti, alieno, cum ſumma & clade, & ignominia, ſeruies victori domino. Et vt inconſtans bellum fortuna verſat, bene ſaltem ageretur, ſi non mors quoque cum vita commutanda veniret, ac ita demum, patria ſuo orba principe, in medio hoſtibus diripienda, deuaſtandaq; relinqueretur. Nec hic exempla quærenda. Omnes hiſtoriæ, omnes annales, ipſa etiam noſtra ætas innumera ſuppeditabit. Ex quibus tamen vnici, ac eiuſdem domeſtici, auitiq; memineris. Carolus Burgundionũ Dux, auiæ tuæ Diui Maximiliani coniugis pater, ſi ſuis contentus, aliena oppugnare deſtitiſſet, laudatiſſimus profecto princeps, infœlicem non oppetiiſſet mortem. Inuidebunt tibi aliqui, grauemque credent te ſibi imminere. Satius tecum agitur, malumus inuidia vrgeri te, quam cõmiſeratione deplora-

plorari. Illa fortunæ,hæc miſeriæ comes eſt. Quod ſi per illos neceſſario bellum gerendum tibi,ſi is hoſtis propulſandus finibus,tu quam potes minimo tuorum malo, minima Chriſtiani ſanguinis profuſione,quam ocyſſime finias,nec cauſas ex cauſis,nec ex bellis bella cumulaueris.

Porro ſi bellica gloria feruido, ac iuuenili conſederit pectori, ſi generoſum animum iniuriæ ſtimulauerint,ſi dilataſſe fines pulchrum duxeris, recte egeris, ſi non in tuorum viſcera arma conuerteris,non in tuæ Reipublicæ principes diſcordiarum ſemina conieceris,quo nihil poteſt eſſe fœdius ac perniciosius,magiſq; à patriæ patre alienum. Habes alicunde ſatis vberem gloriæ campum. Vrgent ſemper infeſti Aphri ad occiduum verſi ſolem,vrunt Scythæ, inſultãt Thraces,minatur grauiſſimus Aſiæ dominus, truculenti omnes Chriſtiani nominis hoſtes, quos niſi compoſita prius inter tuos pace abſterrueris, breui in penetralibus tuorum ſenties regnorum. Et quoniam illo neceſſario bellum ſit traducendum, ſatius fuerit, illorum vri agros, abduci pecora,diripi prædas,dirui munitiones,incendi ciuitates,quam ea omnia,atq; his indigniora multo,in noſtris ſentire finibus. Habes duces ſagaciſſimos,promptiſſimos milites,nec minus bello peritos. Neq; nos,vbi ſigna occinuerint,contabimur,quin te alacres ſequemur,ſanguinem ſimul cum vita poſituri. Nec te hoc loco ſollicitet, quis in hos vſus pecuniam belli neruos ſit adminiſtraturus, non opus fuerit noſtris, hoc eſt,Germanorum,Hiſpanorum ſumptibus id geri bellum,cum tot annis,immo ſæculis,immenſam pecuniarum molem in eum vſum Romam certatim contulerimus. Cum multarum, opulentiſſimarumque ditionum imperium, ob id Pontifex maximus paulatim occupauerit, atq; poſſideat,qui alioqui Petri,hoc eſt,Chriſti vicarii,ac eius,cui neq; argentum,neq; aurum fuit vnquam, hæres extiterit. Is tibi rationem ſubducat Annatatum,indulgentiarum, vectigalium,quæ omnia ſummi Pontifices hoc ſaltem prætextu,ac in nullum alium vſum, præterquam hoſpitalitatem, miſericordiæq; opera, Cæſaribus conniuentib. cuſtodientium nomine ſubleuarunt. Iis ergo acceptis pecuniis,Pontifice ad altaria ſua gerente, (quando incruentum penitus Petrum in horto dominus, condito ad vaginam gladio eſſe voluit, agnoſcereq; linguæ tantum mucronem, quo per ſpiritum,ac Dei verbũ credentium in domino corda feriret) bellum fœliciter fortunateq; aggredere,expleturus tandem nepos,quod tantopere deſyderauit Auus. Quod ſi eam diſtractam apud Pontificem inueneris pecuniam, neq; in hos vel conuerſam, vel ſeruatam vſus, quid obſtat? cur ipſe tuo, hoc eſt,Romano imperio, tuis ditionibus manus inijcere non poſſis; atq; ad te reducto Italico (vnde potiſſimum nomen Germanica partum virtute habes, Auguſtusq, appellaris) imperio,expeditionem ingredi; Male ſiquidem depoſitum illic concreditur,vnde nihil redditum iri ſperaueris. Sperabimus enim tum, Chriſto Ieſu auctore,fœliciter glorioſeq; Chriſtiani ſanguinis hoſtes, tuæ ſubdituros manus ferulæ, aperturoſq; triumphanti tibi, Triumphatoris Chriſti ſacra ſepulchri adyta. Agnituros quoque Ieſu Chriſti,veluti piæ oues,piam paſtoris & vocem,& ſtabulum. Nec hoc male Pontificem habere debet,ſi nos paulo liberius loquamur,id quod è re Germaniæ fuerit. Quippe cum videamus,indoleamuſque tandem ad viuum exugi pecunias nobis,emungi miris artibus ſubſtantiam pauperum, nec quidpiam,quod equidem ſciamus,interea vel in Chriſtiani nominis hoſtes expendi,vel ad augenda pietatis opera conuerti,ſed heu abſurdum dictu,noſtrorum opibus,quas multis ſæpe ſudoribus partas conſtat, Itali homines in ſuas voluptates abutuntur, quantoq; iam quiſq; Pontificum pluribus oneratus eſt neceſſarijs,tanto plus venit expilanda Germania, quaſi ea ſola ad explendam Italorum famem expoſita eſſe debeat. Et quod omnium maxime indignum putamus,eo nomine quoties in Italiam venimus,peſſime audire cogimur,tanquam ſtolidi ebriiq;, non abſq; magna noſtra cõtumelia,ſed quam noſtra ſtultitia optime promeretur. Verum hæc omnia immeritis nobis à Pontifice imponi dolemus,cui ſupra alias nationes ſemper fuimus fideliſſimi. quo factum eſt,vt feramus,vtcunque eo proceſſiſſe tuorum maiorum humilitatem,vt quoties Imperatorem accipiendæ coronę gratia Romam accedere contigerit,eum iniecta ad frænum manu, Pontificis mulam ducere oporteat. Quod quidam etiam auſi ſunt libris commendare. Feramus etiam, vt Imperii coronam Pontificiis pedibus ſuſcipias, quanquam id nonnihil indignum videri poſſit de Imperatore, vt ſine cuius auctoritate olim nulli creabantur Pontifices,cui etiam,veluti Pontificis collegæ, alterum commiſerit dominus gladium. Cum & ſanctus Samuel à Deo electus propheta diuina iuſſione ſuper caput Dauid regis,oleum benedictionis, manibus infuderit, non pedibus. Feramus item,vt oſculeris eius pedes,qui vicarius eſt,& imitator illius, qui ſuorum diſcipulorum pedes & lauerit, & oſculatus fuerit, quiq; illius ſucceſſor eſt, qui corruentem ad pedes ſuos Cornelium centurionem,tum etiã Ethnicum,ſurgere iuſſerit,inquiens, *homo ſum quemadmodum & tu*. Ferenda hæc omnia,maxime,quia ſpeciem habent pietatis,& debetur hoc Chriſto,debetur Chriſti vicario,quanquam neq; diuina lege iubetur,neq; eccleſiaſtica ſanctione, aut ſanctorum patrum communi auctoritate ſtatuitur,ſed potius tolerantia quadam tuorum maiorum (qui digniſſimorum virorum ſanctimoniam vitæque integritatem admirati intantum ſe ſummiſerunt) in conſuetudinem irrepſit. Atq; eo quoq; æquiori animo, quod hæc corporis & ſenſualium incommoda cenſentur. Verum quod infeſtius nobis, maleq; nobiliorem hominis partem habet,nullo deinceps pacto (ſi omnium ſaluti conſultum volueris) ferendum. Vt quod ab Italis in noſtra graſſatum ſit ſacerdotia,in noſtras noſtrorumq; ſæuitum animas. Parentum ſiquidem noſtrorum in Deum Optimum Maximum pietate, quo multæ Chriſto lucrifierent animæ, ſacerdotia magno per Germaniam conſtituta numero,ac dotata egregie,vidimus modo cum irrecuperabili iactura, peſſimis indoctiſſimiſq; agaſonibus,lenonibuſq; in prædam venire,ita,vt nulla ſalutis vel minima habeatur ratio. Solumq; id æſtimetur,quantum redditum habeant,quantumq; pendere quotannis beneficia poſſint. Quo factum eſt, vt vnus arripiat

biat omnia, vnus deglubat peſſimus per feneſtram ingreſſus latro, diuinus relinquatur cultus, non ſuo pane inops paſcatur plæbecula, exempla introducantur peſſima, intereant miſerorum animæ. Quibus demum omnibus nulla alia obuenire ratione poteris, niſi tandem auctore Leone Decimo ſeuerum diu intermiſſum indicas concilium, quo vno adhuc labenti Reipublicæ ſubueniri poteſt, alioqui deploratæ.

Sed illa, ò Carole, pene præterieramus, quæ ſummam in hac parte tenent, vt legibus ſc. pulcherrimo pacis operi animum adiicias. O ſi videres, quot technæ, quot limæ abſolutiſſimo iuris corpori perniciose, ac calumniæ tantum cauſa ſint adiectæ, ac improbe indies ſine modo confingantur, adeo, vt cuiq; ſatius fuerit cauſa cadere, quæ habeat amittere, in nexum corpus tradere, quam lites ſequi in quartum traductas hæredem, ac tum demum ſummi iuris ſummam expectare malitiam. Iuſtinianus Cæſar, qui in *pandectarum libros*, veterum cum delectu digeſſit leges, iam tum ſuo tempore nimium cumulatas quæſtus auctaſque in immenſam verſuum multitudinem, quæ non tam iuſtitiæ æquitatiſq; indicarent iter, quam quæ confuſione inuoluerent, diſſimilibus, diſſentientibus, contrariiſq; etiam legibus, ipſe ergo, ſuis dato negotio, vt quæ eſſent parum rectæ, eas tollerent, ac immutarent, quam optimas excogitarent, quæ bene conſtitutæ eſſent, relinquerent. In leges conquirerent, quæ & iuſtæ eſſent, & Reipublicæ conducibiles, & inter ſe conſentientes, quæ lites parerent pauciſſimas, exortas vero ocyſſime finirent. Nulli deinde mortalium ius eſſe voluit, commentarios in leges conſcribendi, interpretandiq; eas, niſi Imperatori, neminem rectius interpretari leges poſſe, quam illum, vnde profectæ fuiſſent, iudicans. Si qui vero præter Imperatoris edictum, id temere conarentur, ipſos crimini falſi, libros vero ignibus voluit eſſe obnoxios. Quod ſi modo, in corpus reducta anima, Iuſtinianus in vitam rediret, indicta eueſtigio cauſa, non aliquot tantum verſuum millia, verum libros plurimos ineptiſſimos, falſiſſimosq; cum ipſis auctoribus ignibus concremandos mandaret. Tui ergo muneris erit, Inclyte Auguſte, plæbi tuæ proſpicere, ſacratiſſimaſq; leges, ſine quibus iuſtitia coli, Reſpublicæ durare, humana ſocietas tueri nullo pacto poteſt, perpurgare; quæ ſuperflua, abiicere; quæ vana ac futilia, antiquare; quæ obſcura, colluſtrare; quæ recta, eligere, controuerſias breui finire, nec ad gratiam, aut odium iudicare, neque ſecum pugnanteis ſententias ferre, atque eos qui in iuſtitiam deliquerint iudices, ſuis ac meritis pœnis afficere. Quæ omnia te nobis, nos tibi addictos reddent ſubditos, firmabuntque ita omnia, vt non ſit periculum, quin breui florentiſſimum firmiſſimumque habiturus ſis imperium, iuxta armis ac legibus pulchre ornatum, perpetuum tibi, ſanctum nobis, hoſtibus formidabile, gratum vicinis, memorabile poſteris. Quod ita regat & gubernet is, qui id tibi ſine clade ac ſanguine concredidit benedictus in ſæcula Deus. Amen.

Francofordii interregno, Electoribus Romani Imperii in demortui Diui Maximiliani Imperatoris locum, Carolum nepotem ex Philippo filio Hiſpaniarum Regem, Romanum Auguſtum deſignantibus, finito, iubentibus Nobilibus. Anno M. D. XIX. pridie Calendas Iulii.

I V.

INVICTISSI. ATQVE CHRISTIANISSIMO CAROLO RO. REGI DESIGNATO, HISPANIARVM INſuper, ac vtriuſque Siciliæ regi, Auſtriæ Burgundiæq; principi potentiſſimo, Hermannus de Nuenar Comes, nomine Studioſorum Germaniæ, ſalutem atq; fœlicitatem perpetuam optat.

POſteaquam rumor apud Germanos increbuit, Auguſtiſſime Rex Carole, te, Dei optimi maximiq; nutu beneficioque, Chriſtianæ Reipublicæ principem ac moderatorem deſignatum eſſe, incredibile eſt, quanta fuerit omnium Germanorum exultatio. Et potiſſimum illorum, qui ſub patrocinio aui tui glorioſiſſimi Maximiliani Auguſti bonis ſtudiis operam ſuam locauerunt. Hii quippe cum pientiſſimo principe, ac ſtudiorum ſuorum defenſore ſpoliatos ſe iamdudum viderent, non iniuria acerbiſſimo luctu, & ingenti mœrore perculſi torquebantur. Sed hunc ſubito leniuit fœliciſſima fatorum ſeries, neq; leniuit tantum, verumetiam cumulatiſſimo gaudio commutauit. Fuere tunc inter hos aliquot ornatiſſimi viri, qui me tacite adhortabantur, vt ad te ſtilum conuerterem, & hoc, quantulumcunque eſt, literarum negotium, nomine Studioſorum Germaniæ mihi deſumerem. Quibus (vt verum fatear) parui haud inuitus, cum quod officii mei id eſſe ratus ſim, tum etiam quod occulte me ſtimularet, immo impelleret, nuper inflicta, non mihi tantum, ſed etiam doctiſſimis & honeſtiſſimis viris, contumelia, quorum nonnulli fuerunt, qui mihi magna neceſſitudine deuincti tenebantur, ita vt non paruam contumeliæ partem in me redundare cernerem. Quapropter cum hanc omnes in te Carole Cæſar ſpem, fiduciamq; coniecerimus, vt ſtudiorum noſtrorum futurum te haud dubio & patronum, & vindicē putemus, rogant te ſtudioſi omnes, atq; eruditiſſimi totius Germaniæ literarum profeſſores obteſtantur, vt renaſcentium iampridem bonarum artium curam habere velis. Ipſa quoque Germania florentiſſimis, atque pulcherrimis ingeniis

genijs vndiq; excultam ſeſe conſpiciens, ſummo deſyderio, ſummoq; affectu optat, vno tuo auguſto auſpicio fœdiſſimam ſophiſtarum barbariem é ſuis finibus exterminare velis, quæ iam annos plus quam octingentos, magno cum dedecore, atq; iactura omnium artium perdurat. Has nobis reliquis abominabiles barbarorum tumultus inuexerunt Gotti, Longobardi, Vuandali, Slaui, Huni, Nordmanni. Hos itidem defæcare, & excutere tuo candore perfacile poteris. Qua in re non opus eſt vt multum laboris inſumas. Iacta ſunt fundamenta, nihil reſtat, niſi vt vel tuo, vel optimatum tuorum patrocinio ſtructura fulciatur. Dignum profecto principe, dignum illuſtribus viris patrocinium. Magnus enim rex fuiſſe Dionyſius ille Tyrannus perhibetur, ſed non parum ornamenti contulit huic Platonis, & Ariſtippi familiaritas. Quantum vero laudis Cyro regi ficta Xenophontis hiſtoria comparauit? Quid eſſet iam Mecœnas, niſi Vergilium ſortitus eſſet præconem? Quid de Alexandro rege dicam? neſcio certe an huic plus profuerit dignitas Ariſtotelis, quam ſubiugata Aſia, & cæſus Darius potentiſſimus alioqui Perſarum dominus. Nam inter alias laudes quaſi ampliſſimam hanc refert Plutarchus in eo libello, quem περὶ τῆς τοῦ Ἀλεξάνδρου τύχης ἢ ἀρετῆς inſcripſit, cuius verba ſubiiciam: [illegible] Πλάτωνος [illegible] Διογένους [illegible]. Sed non ſunt nobis longe repetenda exempla, ante oculos obuerſatur glorioſiſſimus auus tuus Maximilianus, quo nemo vnquam fuit in proſequendis doctis hominibus liberalior, munificentiorq;. Et fieri nequaquam poteſt, vt huic tu virtutibus, & egregiis factis cedere velis. Imperium Romanum obtines, idipſum humanitatis artibus tutelare quoddam numen ſemper fuit. Te igitur alterum Antoninum nobis exhibe, quem inter optimos principes merito conſecrauit vetuſtas, & eidem gloriæ palmam tradidit, ita, vt ſingulari hoc ἐπιθέτῳ appellaretur φιλόσοφος. Redde itaq; ſua præmia bene merentibus, foue ſtudioſa ingenia, & breui videbis in Germania renaſci Athenas. Coerce quæſo imperioſum, & violentum genus quorundam ſophiſtarum, qui ad perniciem literarum nati ſunt, Theologiſtas dico numero non admodum multos. Et vt rem totam intelligas, fraterculos quoſdam magnis titulis inſanientes, iube ſuorum cœnobiorum curam gerere, iube domi fratribus ſuis regendis operam impendere, ſacris faciendis inuigilare, populum Chriſtianum diuino verbo & euangelica doctrina reficere, non decoquere rem familiarem, non excitare turbas in eccleſia, non ſpargere rumores, non ſeminare linguæ ſuæ venena in vulgus, non labefactare famam bonorum virorum, non vendicare ſibi in alios imperium, qui omnium debent & vita & exemplo eſſe humilimi. De quibus, & ſi apud te iure conqueri poſſem, vtpote quos ſenſerim famæ meæ grauiſſimos hoſtes, tamen malo hoc tempore communem cauſam agere, quam meipſum vindicare. Vnica, crede mihi, peſtis eſt in Germania Iacobus Hoſtratus, quam ſi reſtrinxeris ἵνα μὴ πάθῃς κακῶς; homo præter ingentem ſuam audaciam inſigniter impudens, atq; temerarius. Nolo equidem mihi tantum vt fidem adhibeas. Omnes interroga (ſi libet) per Germaniam doctos viros. Omnes læſit, omnibus æque infeſtus eſt. Quid multa? ſtudioſorum publicus ex profeſſo eſt hoſtis, [illegible] τῆς μὲν φιλανθρωπίας. Quare te iterum atq; iterum rogant, hunc vt tua auctoritate compeſcas, & vt vel tacere omnino, vel melius loqui præcipias, cenſorem ſui, non aliorum agat, domui ſuæ conſulat, & iuxta Apoſtolicam doctrinam, non ſit verboſus, non detractor, ſit ſobrius. Quod ſi ita, vt ſperamus, effeceris, polliceor tibi, quod omnes, qui ſtudiis literarum aliquid conſecuti ſunt, idipſum gratiſſimo, & iucundiſſimo animo acceptum tibi referent. Omni deniq; ſtudio, diligentia, induſtriaq; ſuas opes in te certatim effundent, ſua ſtudia tibi addicent, ſeipſos tibi perpetuo deuouebunt. Teq; cum totius orbis commodo, Neſtoriam ſenectam ſuperare optant, vt hoſtibus tuis fœliciſſime domineris, vt fidei Chriſtianæ vtiliſſime præſis. Vale, & hanc legationem noſtram pro tua clementia boni conſulas.

PARS

PARS VI.

Continens

VARIOS ACTVS PVBLICOS ET SOLLENNITATES INAVGVRALES SVPER MODIS ET CEREMONIIS, QVIBVS ELECTI ROMANOrum Reges ſiue Imperatores, ante & poſt Coronationum ſollennia, conſueuerunt regalia & feuda Imperialia conferre.

IN QVIBVS NOTANDVS EST MODVS INVEſtiturarum & fidelitatum in S. Romano Imperio generaliter obſeruatus, quum conferuntur Regalia & Feuda vexilliſera; quod fere poſt electionem in loco publico, aut alias in Comitiis Imperialibus eſt vſitatum.

EXCER-

I.

EXCERPTVM

Anno Chriſti 1349.

DE INVESTITVRA HENRICI ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, FACTA PER GVNTHERVM ROMANORVM IMPERATOREM ELECTVM, POST ELECTIONIS PVblicationem, & in ſede Regia inthroniſationem, Francofurti Anno M.CCC XLIX. ex Annalibus Francofurtenſibus Ioannis Latomi Decani ad D. Bartholomæi ibidem.

DIe VIII. Februarii, in loco Sampſtagsbergk / campana maiore pulſata, Rex Guntherus, ſedibus aptatis, Henricum Archiepiſcopum Moguntinum infeudauit quinquaginta vexillis. Et ſic iurauit Archiepiſcopus Regi; & econtra Rex Archiepiſcopo vexillum porrigebat. Archiepiſcopus Regi gladium euaginatum dedit; quem Rex tenens, Archiepiſcopo, manu ad gladium, deinde contra Solem, poſt ad pectus poſita, fecit iuramentum. Hoc facto, Rex Archiepiſcopo ſigillum porrigebat.

II.

Anno Chriſti 1452.

DE INVESTITVRA BORSI DVCIS FERRARIENSIS POST CORONATIONEM ROMANAM FACTA A FRIDERICO III. IMPER. AVG. FERRARIÆ Anno cIↄ.CCCC.LII.

AVCTORE FRANCISCO MODIO BRVGENSI IC.

CVm multis multorum litteris nuntiiſq; allatum eſſet, Imperatorem Fridericum III. compoſitis controuerſiis Hungaricis & Auſtriacis; itemq; ſchiſmate peſſimi exempli inter Pontifices, in Italiam aduentare cum Rege Ladislao, Romæ diademate ornandum, & Imperio inaugurandum; indeque matrimonio ac nuptiis legitimis iungendum Leonoræ Regis Luſitaniæ Edoardi filiæ: maximos cœpit apparatus omnium rerum facere ad tantum Monarcham ex dignitate recipiendum vrbe & hoſpitio, Borſus Marchio Ferrarienſis, qui ei etiam occurrit cum magna Nobilitate in finibus ſuarum ditionum, ingreſſus cum eo Ferrariam triumphali pompa, anni cIↄ.cccc.LII. die XVII. * vbi tum in templo Metropolitano concionatus eſt in laudem & commendationem Auguſtæ familiæ Auſtriacæ, Hieronymus Caſtellanus, Philoſophus Ferrarienſis. Manſit autem tum Ferrariæ cum ſuis Cæſar perpetuis diebus octo, ſumptu Marchionis; quem non exiguum fuiſſe ex eo licet coniicere, quod duo & amplius equitum milia ſecum haberet Imperator. Sed & ludi toto hoc tempore more Regio editi ſunt; & ſpectacula omnis generis exhibita. Donauitque adhoc Imperatorem Borſus quinquaginta falconibus ſiue haliæetis generis peregrini, & quadraginta equis pernicibus admodum, quoſq; inuenire potuit generoſiſſimis. quorum equorum ſtrata auro argentoq; paſſim fulgentia ſplendentiaq; altrinſecus intexta oſtentabant hinc Imperii aquilam

nigram,

nigram, inde Eſtenſis familiæ inſignia, quæ ſunt alba eiuſdem generis anis. Pridie quam Ferraria decederet Cæſar Fridericus, eodem venit Galeatius filius Ducis Mediolanenſis, ſalutandi & venerandi Imperatoris cauſſa à patre miſſus. Diſcedentem vero iam Imperatorem comitati ſunt officij cauſſa, cum Borſus ipſe, tum Marchio Mantuanus, multique alii Principes & Regum Legati ad eum vſque locum, qui indigenis Turris foſſæ ſiue Foſſati appellatur. Vbi cum Cæſari valedixiſſet Ferrarienſis Marchio; reputans Cæſar vitam Borſi Regiæ magnificentiæ propius accedere, quam Principis non nimis late imperantis; ipſiusque in ſe merita expendens, decreuit ſecum tacitus ex itinere, quo redire in Germaniam inauguratione celebrata cogitabat, Ferrarienſem Principem reuiſere, eiuſque ditioni Modonam & Regium adiicere, Ducatuum iuſto exhinc titulo ab eo adminiſtranda. Compos igitur mox voti vtrobique, hoc eſt, diademate iam auctus Romæ, & vxore Leonora, in itinere per mare Hadriaticum, vxorem quidem Venetias miſit, indeque Neapolim, ſalutaturam ibi auunculum ſuum Alphonſum Regem, ipſe vero cum Hungariæ Rege ita vti facere conſtituerat, X. Maij Ferrariam rediit.

Iam erat Ferrariæ in foro alte eductum tabulatum ſiue theatrum, aulæis peripetiſmatibus & tapetis Regie plane inſtratum inſtructumque. quod cum aſcendiſſet XIIX. Maii, quo die celebratur memoria Aſcenſionis Domini Propitiatoris noſtri in cœlum, Imperator habitu Auguſto & Imperatorio, capiteque diadema illud geſtans, quod illi Romæ XIIX. Martij paulo ante impoſuerat Pontifex Maximus; ibidem ſub dio præſentibus infinitis Principibus, Legationibusque, & Nobilitate magna Italiæ, Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ, reliquarumque nationum; nominatim vero adſtantibus & præſentia ſua hanc actionem cohoneſtantibus, Rege Hungariæ Ladislao, Imperatoris cognato, & Alberto Duce Auſtriæ eiuſdem Cæſaris fratre: ibi, inquam, tum circumſiſtente inſigni hac corona Procerum Fridericus eius nominis Tertius Romanorum Imperator, Borſum auxit ſolenniter Ducatibus Modonæ & Regii, cum Comitatu Rodigenſi; adiecto honore verborum, multiſque & magnis immunitatibus, de quibus dicere huius non eſt inſtituti, niſi quod illud omittendum non videtur, eodem tempore mutata inſignia Borſi, cui Imperator tum geſtandas dedit Francicorum liliorum loco binas aquilas Imperiales coronatas quam auguſtiſſime; quæ tamen inſignia non niſi hæredem eum ſequuntur, qui adminiſtrationi rei Ferrarienſis admouetur: reliquis ex familia Eſtenſi vtentibus iis, quibus vſus olim Marchio bonæ memoriæ Nicolaus. Addidit nouo Ducibus aliorum etiam inſignium Cæſar nomine Comitatus Rodigij, adiecta poteſtate ceræ albæ in ſigillis adhibendæ. Ceremoniæ autem præcipuæ tum obſeruatę in hunc fere modum ſe habuiſſe dicuntur.

Marchio indutus tunica ex auro textili, multis & magnis gemmis paſſim radiante, niſi quod cæteras premerent oſtentatione ſui tres cum primis; quarum vna humerum ſiniſtrum, duæ pileum ornabant; Imperatorem adiit, præcedente & præferente ei Legato Chriſtino Beuila ſtrictum enſem, præeuntibusque vexillis tribus. quorum primum geſtabat Franciſcus Forzatellus. eratq; illud ipſum, quod nouo Comitatui Rouigenſi debebatur; ſecundum ferebat Vinceslaus Rangonius, erantque in eo picta inſignia Madonæ & Regii; tertium, quod rubrum ex toto ſupremam Cæſaris & præſentem poteſtatem maieſtatemq; deſignabat, ferebatur à Petro Marocello. Cum hac pompa vbi ad Imperatorem ventum eſt, ilico Borſus ante eum in genua procubuit, qui humaniſſime ſublatum erectumque iuxta conſidere iuſſit. Indeque mandauit, vti tunica indueretur rubra ſegmentata, muſtelis alpinis duplicata: cui acceſſit Ducalis concolor pileus. ita veſtito Imperator exertum gladium in manum dedit, eoque ſymbolo Ducem & Comitem declarauit earum, quas ante iam ſæpe memorauimus, vrbium ditionumque, in quo finis huius ſolennitatis fuit.

III.

BREVIS ET VERA DESCRIPTIO, QVA POMPA, QVIBVSQVE CEREMONIIS INVICTISSIMVS ROMAN. Imperator Carolus V. in Comitiis Auguſtanis Anno 1530. menſe Iulio, Regalia & Feuda Ducibus Pomeraniæ contulerit.

Anno Chriſti 1530.

Die Lunæ, qui ſextus & viceſimus Iulij fuit, cum Solium Cæſareum in excelſo tabulato ad forum, vbi vinum venale habetur, extructum, ac veſtibus ſtragulis & tapetibus aureis, (vt in eiusmodi pompis Cæſarea Maieſtate alicui regalia ſeu feudum, quod vocant, conferente, fieri conſueuit) magnifice ornatum & apparatum eſſet. Imperator Carolus V. Vngariæ & Bohemiæ Rege Ferdinando, ac aliquot Electoribus & Principibus, qui in palatio eius conuenerant comitatus,

&circa tertiam pomeridianam, ad tabulatum, in quo ſolium extructum erat, equitando progreſſus, prope tabulatum ex equo deſcendit ac cum fratre Ferdinando & Electoribus in publicam quandam Senatus domum ad Solii ſiniſtram ingreſſus, pallio Imperatorio, Ferdinandus vero regio, at reliqui Electores, vt puta Albertus Cardinalis & Archiepiſcopus Moguntinus, Ioannes Saxo, & Ioachimus Brandeburgicus, Electores, ornatu & habitu Electorali induti fuerunt, ac deinde ædium illarum cænaculo egreſſi, pontem tabulati ordine aſcenderunt. Imperator veſte Attalica, pallii ſacri formam habente, à ſummo vſque ad imum, ad palmæ ſpacium, precioſis vnionibus ac margaritis inſigniter intertexta, ac in tergo Aquilam extenſam, & Sacri Romani Imperii inſignia acu picta referente indutus fuit. Quam veſtem pondere grauem ad læuam & dextram, & à tergo quatuor Principes, nempe Georgius Marchio Brandenburgicus, Ioannes Fridericus Electoris Saxoniæ filius, Georgius Saxoniæ Dux, & Philippus Comes Prouincialis Haſſiæ geſtarunt. Subter hoc pallio, alia veſte, non minus, quam ipſum pallium vnionibus & margaritis precioſa & ſplendida, Cardinalium ſeu Epiſcoporum miſſificantium more veſtitus fuit, ita vt corona, quam capite geſtauit auream, propter vniones & margaritas, quibus intertexta fuit cum reliquo Maieſtatis eius ornatu trecentis aureorum millibus fuerit æſtimata.

Imperatorem igitur ad ſolium ſuum progredientem, Pater purpuratus & Archiepiſcopus Moguntinus Electorali habitu indutus, ac Bohemiæ Rex Ferdinandus Regio ornatu & corona aurea ſplendidus & inſignis pone ſecuti fuerunt. Alii vero Electores, vt puta Saxo & Brandenburgicus Electorali habitu ornati, & hic quidem ſceptrum Imperatorium, ille vero gladium euaginatum ac Nobilis quidam à Seldeneck, Ludouici Electoris Palatini Archidapiferi locum tenens, pomum aureum, quo orbis figura denotatur, gerentes præceſſerunt. Deinde abſentium Electorum, vtpote Archiepiſcopi Moguntini (qui comitiis quidem interfuit, ſed per valetudinem tunc temporis domo egredi non potuit) ac Archiepiſcopi & Electoris Treuirenſis Legati inceſſerunt.

Cum igitur Cæſ. Maieſtas omnibus Electoribus præſentibus & abſentium Legatis, aliisq; cum Eccleſiaſticis tum politicis Principib. comitata ad ſolium ſuum magnifice apparatum veniſſet ſummo ſplendore in illud collocata fuit. dextrum ſolii Cæſarei latus Electore & Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellario, Vngariæ & Bohemiæ Rege Ferdinando Archipincernæ, & nobili à Seldeneck Electoris Palatini Archidapiferi locum tenente occupantibus: Siniſtrum vero, Theodoro Comite à Manderſcheidt, Theodoro à Stein Equite aurato, Colonien. & Treuiren. Electorum & Archiepiſcoporum Legatis, Ioanne Duce & Electore Saxonię Sacri Rom. Imp. Archimareſcallo, & Ioachimo Elect. Brandenburgico Archicamerario obtinentib.

Deinde & aliis Eccleſiaſticis & politicis Imperii Principibus ſeſſiones apparatæ fuerunt, quas tamen propter populi circumfuſi multitudinem occupare non potuerunt, ſed ante ſolium Imperatoris conſtituti, vt & Fridericus Palatinus Maieſt. eius Conſiliarius, ſtando tempus illud exegerunt.

Cum igitur Imperator & Electores, vt dictum eſt, ſeſſiones ſuas occupaſſent, Septemuir Sax. gladium euaginatum Georgio Guolfgango à Pappenheim, Sacri Rom. Imperii Mareſcallo hæreditario, Elector vero Brandenburgicus Ioachimo Comiti à Zollern ſceptrum tradebant. Quo facto Elector Brandenburgicus ſurgens, & ad ſolium Imperatorię Maieſtatis progreſſus, oratione ad Imp. conuerſa, in hanc fere ſententiam verba fecit: *Celſitudinem ſuam feudum ac regalia Ducibus Pomeranicis nunc à Caeſ. Maieſt. conferenda, nullo modo probare aut rata habere poſſe, niſi transactio illa à Caeſ. Maieſt. confirmata locum ſuum habeat. diſerte affirmans, ſe ius illud vnumquodq; vexillũ cum Ducibus Pomeranicis tangendi, & quae ſui iuris eſſent, à Caeſ. Maieſt. accipiendi, ſibi integrum & reſeruatum velle.* Qua Electoris Brandenburgici oratione finita, de iuſſu & voluntate Cæſar. Maieſt. Elector & Archiepiſcopus Moguntinus per ſacrum Romanum Imperium Archicancellarius Electori Brandenburgico reſpondit, Cæſ. Maieſt. proteſtationem illam accipere, & ſecundum eam rem omnem geſturam eſſe. Qua reſponſione Elector Brandenburgicus contentus ſeſſionem ſuam viciſſim occupauit.

Deinde Georgius Brandenburgicus, & cum eo Doctor quidam ex cœtu Principum prodiens & Cæſ. Maieſt. ſolium accedens, per Doctorem etiam fuit proteſtatus ac proteſtationem illam ſcripto comprehenſam Cæſ. Maieſt. Archigrammateo obtulit. Quæ proteſtatio, ne Principes regalia & ditionum ſuarum inaugurationem ſolennem à Cæſar. Maieſtate petentes impedirentur, ita fuit accepta, ac ſi publice prælecta, & de ſcripto recitata fuiſſet. Contra quod ſcriptum Elector Brandenburgicus ſtatim proteſtatus clara & ſonora voce dixit ſe eam patruelis ſui Georgii Brandenburgici proteſtationem imaginariam eatenus tantum accipere, quatenus Celſ. ſuæ & Electoratus Brandenburgici Iuriſdictioni nihil detraheret aut derogaret. Atque ita Electoris Ioachimi & Georgii Brandenburgici actio fuit finita.

His actis e veſtigio Cæſareæ Maieſtatis ſolium per certos à Ducibus Pomeranicis ad eam rem delectos pernicibus equis petebatur. Deinde Henricus Megaloburgenſis, Erneſtus Lunæburgenſis, ac Albertus Megaloburgenſis Duces, Ducum Pomeranicorum petitionem Cæſar. Maieſtati expoſituri, ante tabulatum ex equis ſuis deſcenderunt, ac veſtibus acu pictis, & multis vnionibus & margaritis intertextis ornati pontem ad ſolium Cæſar. Maieſtatis ſtratum iuxtim aſcenderunt. Cum vero ad Imperatorem veniſſent, debita reuerentia in genua proiecti, vt Cæſar. Maieſtas Ducibus Pomeraniæ regalia & feudum conferre dignaretur, ſubiectiſſime rogarunt, perorante & verba faciente Henrico Brunſuicenſi Duce, qui voce adeo clara grandi & ſonora rem propoſuit, vt non tantum à Cæſar. Maieſtate, verum etiam ab omnibus aliis aſſiſtentibus Electoribus ac Principibus probe percipi & exaudiri poſſet.

Hanc petitionem cum Henricus Brunſuicenſis finiiſſet, Archiepiſcopus ac Septemuir Moguntinus ſeſſionem ſuam relinquens Cæſar. Maieſtatem acceſſit, & cum ea re communicata, de voluntate Cæſ. Maieſtatis quatuor his Principibus reſpondit, quod Cæſ. Maieſtas Ducibus Pomeranicis feudum conferre clementiſſime vellet. Hoc audito Henricus Brunſuicenſis tam ſuo, quam patruelium ſuorum, iuxta ſe in genibus ſubſidentium nomine Cæſ. Maieſtati ſubiectiſſime gratias egit, affirmans, ſe Cæſ. Maieſtatis clementiſſimam voluntatem patruelibus & affinibus ſuis Pomeraniæ Ducibus declaraturum, & ſtatim ad Cæſ. Maieſtatis ſolium eos adducturum eſſe.

Cum his finitis, quatuor illi Principes viciſſim pontem deſcendiſſent, ac ſolium Cæſ. Maieſtatis curſoribus equis altera vice petitum eſſet, tertia demum vice Georgius & Barnimus fratres ac Duces Pomeranici inſigni equitatu (cuius equi ſinguli ſingula vexilla de more capitibus affixa habebant) ad Cæſ. Maieſt. ſolium accedebant, quibus decem vexilla coloribus & inſigniis diſtincta præferebantur. Primum ſanguineum ſeu Imperiale Antonius Natzmer aulæ Pomeranicæ Mareſcallus ferebat. Reliqua vexilla earum nationum inſignia depicta repræſentabant, quarum inaugurationem illi à Cæſ. Maieſtate petebant. Quot enim Principatuum ſeu ditionum inaugurationem Princeps aliquis à Cæſ. Maieſt. petit: tot etiam vexilla ei vt præferantur, conceſſum eſt.

Hæc igitur ſigna ex Proceribus & equitibus auratis Pomeranicis deputati, vtpote Guolfgangus Comes ab Eberſtein & Dominus in Neugart Sedinianum: Gotſchalcus à Velthaim Pomeranicum: Ludouicus Hane Caſſubianum: Ioachimus Hane Vandalicum: Wedekindus Bugenhagen, Barthicum: Matthæus Burgk Rugianum: Georgius Ruttau Vulgaſtianum: Guolfgangus à Vuedelo Butzcouianum ferebant. Vexilla Duces Pomeranici veſtibus conchyliatis induti ac galeris Ducalibus ornati ſequebantur, ac ad tabulatum, in quo ſolium Cæſ. Maieſt. extructum erat, velocibus equis progreſſi, ex ijs deſcendebant, ac pontem iuxtim aſcendentes, cum ad Cæſ. Mai. ſolium veniſſent, & cum quatuor prædictis Principibus in genua ſubſediſſent, Henricus Brunſuicenſis debita reuerentia ad Imp. Mai. oratione conuerſa, ſubiectiſſime petebat, vt earum ditionum regalia quarum feudum duces Pomeranici antiquitus à Romano Imperio accepiſſent, his quoque præſentibus principibus clementiſſime conferre dignaretur. Illud Duces Pomeranicos ſummi beneficij loco habituros, & Cæſ. Maieſt. nullis non in rebus, quantum opibus & facultatibus poſſint, viciſſim ſubiectiſſime gratificaturos eſſe.

Hac ducis Brunſuicenſis oratione finita, Elector & Archiepiſcopus Moguntinus, ſeſſionem ſuam relinquens, Imperatorem acceſſit, & cum eo re communicata, nomine Maieſt. ipſius reſpondiſſe, quod petitionem & poſtulata Ducum Pomeranicorum Cæſ. Maieſt. audiſſet, ac regalia & feudum ipſis clementiſſime conferre vellet.

Hoc facto Vicecancellarius Coſtnicenſis, & Hildesheimenſis Epiſcopus librum Euangeliorum Cæſ. Mai. obtulit. Deinde cum Archiepiſcopus Moguntinus. S. Rom. Imp. per Germaniam Archicancellarius ad dextram, Epiſcopus vero Hildesheimenſis ad ſiniſtram ſolij Cæſariani ſeſe in genua proieciſſent, ac Duces Pomeranici ſancti Euangelii verbis manus impoſuiſſent, verbis conceptis iurarunt Archiepiſcopo & ſeptemuiro Moguntino iuramentum prælegente.

His actis e veſtigio vexillum Imperii, vt & alia afferebantur, quæ omnia Cæſ. Mai. Ducibus Pomeranicis, vt antiquitus fieri conſueuit, alterutra manu tangenda porrigebat.

Elector Brandenburgicus etiam, vt antea, de conſenſu in Feudum à Cæſ. Mai. Ducibus Pomeranicis conferendum proteſtatus erat, ſeſſionem ſuam relinquens, vnumquodq; vexillum tangebat. Deinde Cæſ. Mai. gladium diſtrictum accipiens, manubrio illum tenebat Principibus & Ducibus Pomeranicis nodum amplectentibus, vt & antiquitus fieri conſueuit. Et ſic feudum à Cæſar. Mai. collatum, per eiuſmodi ceremonias confirmatur.

His igitur finitis Principes Pomeranici debita reuerentia conſurgentes, & alteram quoque Gualtheri Cronbergii Pruſſiæ Magiſtri pompam aſpicere volentes, cæteris Principibus in extructo tabulato Cæſ. Mai. ſolio circumfuſi, ſeſe coniunxerunt. Quam quidem pompam nunc quoq; paucis deſcriptam ſubiungete viſum eſt.

IV.

POMPA GVALTHERI CRONBERGII PRVSSIÆ MAGISTRI A CÆSAR. MAIEST. DITIONVM ſuarum feudum & inaugurationem petentis & accipientis.

Anno Chriſti 1530.

EODEM igitur die cum Duces Pomeranici ditionum ſuarum feudum & inaugurationem à Cæſ. Mai. accepiſſent, ſtatim per nonnullos Reuerendiſſimi Principis ac Domini, Domini Gualtheri Cronbergii Pruſſiæ Adminiſtratoris & ordinis Germanici per Germaniam & Italiam Magiſtri ſummi deputatos, ſolium Cæſarianum curſoribus equis petitum fuit. Sed priusquam hoc fieret, Imperator, vt

tor, vt diadema Cæſareum quo toto illo tempore ornatus fuerat, ſibi deponeretur, mandabat. Id quod ſtatim per Archiepiſcopum & Electorem Moguntinum ac Fridericum Palatinum fiebat, illud Regi Bohemiæ Ferdinando, S. Rom. Imp. Archipincernæ tradebatur: Qui cum aliquamdiu diadema Imper. manibus tenuiſſet, Carolo à Limburg, Imp. Rom. Pincernæ hæreditario, illud tradidit, quem ſatis longo temporis ſpacio, vt ſimiliter Ioachimus Mareſcallus à Pappenheim vaginam deauratam enſis diſtricti tenebat. Ad alterum vero ſolii Cæſarei latus Georgius Guolfgangus Mareſcallus à Pappenheim gladium, iuxta quem & Ioachimus Comes à Zollern ſceptrum Imperatorium cuſtodiebat.

Cum autem ſolium Cæſareum altera vice pernicibus equis petitum eſſet, ac ceremoniarum & temporis ratio requireret, vt diadema Cæſ. Mai. viciſſim ſuperimponeretur, Archiepiſcopus & Elector Moguntinus S. Rom. Imp. Archicancellarius ab Imperii Pincerna hæreditario Carolo Limburgo illud accipiens Bohemiæ Regi Ferdinando tradebat, qui ſeſſionem ſuam relinquens Cæſar. Mai. acedens capiti eius diadema ſuperimpoſuit.

Interea dum hæc ita gererentur, à Pruſſiæ Magiſtro deputati, nempe Huldericus Comes à Helffenſtein, Hoierus Comes à Mansfeld, Guolfgangus Comes à Monteforte, Ioannes Comes à Hohenloe, tabulatum, in quo ſolium Cæſareum extructum erat, equitando attigerant, qui cum ex equis deſcendiſſent, & pontis iter emenſi ad Cæſar. Mai. ſolium veniſſent, in genua ſubſidentes debitam reuerentiam ſuam erga Cæſ. Mai. declarabant. Deinde Comes ab Helffenſtein in hanc fere ſententiam verba faciebat: *Cum inuictiſſime Imperator ſemper Auguſte, Domine clementiſſime, Albertus Marchio Brandenburg. cum mutato ordine Pruſſiæ Magiſtratu exciderit, vt qui relicta ſpirituali vita, coniugalem ſit ingreſſus, nec eo quo promiſit tempore, feudi & regaliorum collationem à Cæſ. Mai. petiuerit & acceperit atque hanc quidem ob cauſam tota Pruſſia, eiusq; reditus omnes Cæſ. Mai. & Imperij fiſco ſubiaceant ac Imperator Domino ſuo Pruſſiæ adminiſtrationem iampridem commendarit, hac clementiſſima pollicitatione addita, quod feudum etiam atque regalia ipſi conferre vellet: Igitur ſe & alios, qui iuxta ſe in genibus ſubſideant, ad Cæſ. Maieſt. à Pruſſiæ Magiſtro, Domino ſuo clementiſſimo ablegatos eſſe, ſubiectiſſime oratum, vt Cæſ. Maieſtas feudum ei conferre clementiſſime velit.*

Hac Comitis ab Helffenſtein oratione finita Archiepiſcopus & Elector Moguntinus ſurgens Imperatorem acceſſit & cum eo re communicata, quatuor prædictis Comitibus nomine Cæſ. Mai. reſpondit: *Imperatoriam Maieſt. Magiſtratus Pruſſiæ Adminiſtratori regalia & feudum, omniumq; ditionum inaugurationem, iura atque reditus Gualthero Cronbergio clementiſſime conferre velle.* Quo audito Comes ab Helffenſtein tam ſuo, quam aliorum iuxta ſe in genua procumbentium nomine Cæſ. Mai. ſubiectiſſime gratias egit, ac cum ſe Pruſſici Magiſtratus Adminiſtratorem dominum ſuum clementiſſimum ſtatim ad Cæſ. Maieſt. adducturum eſſe dixiſſet, ipſi ac reliqui omnes conſurgentes, & per pontem deſcendentes, equos ſuos viciſſim conſcenderunt.

Deinde cum equis curſoribus ſolium Cæſareum tertia vice peteretur, ipſe Adminiſtrator equitib. trecentis, inter quos multi Comites, Proceres & equites aurati erant, comitatus, Cæſ. Mai. ſolium equitando acceſſit, cui duo præferebantur vexilla, quorum alterum Imperiale ſeu ſanguineũ, eiusdem ordinis quidam Ebethardus ab Ehingen: alterum vero albi coloris vexillum, in medio partim aquilã extenſam, in extremitatibus vero crucis lilia deaurata Prutenici Magiſtri inſignia habens. Dominus Theodorus à Balen, eiusdem ordinis & Liuoniæ Magiſtri Legatus ferebat. Princeps ipſe oblongo talari ex albi coloris Damaſcena confecto, manicas peramplas & in pectore ac tergo crucem deauratam & aquilam extenſam habente indutus fuit: Quem decem eiusdem ordinis viri, eiusdemque coloris veſtibus ac crucibus ornati ſequebantur.

Ad tabulatum, in quo Cæſ. Mai. ſolium exædificatum erat, cum Pruſſici Magiſtratus Adminiſtrator, multis dynaſtis ac Procerib. comitatus veniſſet, ex equo deſcendit, & ad Cæſ. Maieſt. ſolium progreſſus in genua ſubſedit, ac ipſemet verba faciens, Imperatorem vt ſibi feudum clementiſſ. conferre dignaretur ſubiectiſſime rogauit. Quod ſe facturum eſſe, per Archiepiſcopum & Electorem Moguntinum Imperator ei clementiſſime promittebat.

Cum igitur liber Euangeliorum Cæſ. Mai. traditus eſſet, illaq; ambabus manibus eum teneret, ac Pruſſiæ Magiſter Euangelii verbis manus impoſuiſſet, conceptis verbis iurauit Moguntino Archiepiſcopo præeunte. Deinde vtraq; vexilla, ſanguineum ſcil. & album Cæſ. Mai. tradebantur, vt Princeps ea tangeret. Quo facto ſtatim, vt antiquit⁹ fieri cõſueuit, de tabulato in vulg⁹ mittebãtur.

Deinde gladius euaginatus Imperatori tradebatur, qui manubrio illum tenens, Principi nodum manibus amplectendum & oſculandum porrigebat. Cum autem non tantum Eccleſiaſticus, ſed & politicus Princeps eſſet, ſceptrum quoque Imperiale per Cæſarem ei tangendum dabatur.

His omnibus finitis iubente & mandante Cæſ. Maieſt. per fecialem (Heroldum vulgo vocant:) denunciabatur, Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, nonnullos in ordinem equeſtrem recipere velle. Igitur ordinem & dignitatem illam affectantibus & ambientibus, vt coram Cæſar. Maieſt. ſeſe ſiſtant, licere. Atque ita ſex ex nobilitate viri in ordinem illum ſunt recepti. Quibus actis Imperator de ſolio & maieſtate ſua conſurgens, ac omnes Electores ſeſſiones ſuas relinquentes, cœnaculum viciſſim ſunt ingreſſi, ac ornatu depoſito, & regiis palliis exutis Vngariæ & Bohemiæ Rex Ferdinandus, omnesque Electores & Principes Cæſ. Mai. ad palatium vſque debita reuerentia deduxerunt.

INVE-

V.

INVESTITVRA REGALIVM ELECTORALIS DIGNITATIS, NONNVLLORVMQVE ALIORVM DOMINORVM MAVRITII Ducis Saxoniæ 24. Febr. Ann. 1548. Auguſtæ facta: vbi ſimul & veſtitus & incedendi, ſedendiq; in publicis huiuſmodi aliiſq; celebritatibus Cæſaris aut Regis Rom. & Electorum ordo deſcribitur ab

Anno Christi 1548.

NICOLAO MAMERANO LVCEMBVRGO DESCRIPTA.

MAMERANVS AD LECTOREM,

Etſi principibus deberet certus haberi
Ordo, loco quo quis vſq; ſedere queat,
(Eſt Electorum tamen vnicus ordo ſedendi
Et certus ſemper, vndiq; lite carens.)
Non tamen ad normam cunctis bene conuenit vnam
Principibus, reliquiſq; Imperii ordinibus:
Hinc ego non certam potui hic quoq; ponere formam,
Sed quam communis ſeſſio habere ſolet.
Nemo ergo debet, quicunq; ſit ille, ſedendi
A me hic præſcribi iura putare ſibi.

REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI MELCHIORI, EX NOBILI *Zobeliorum Franconiæ familia, Epiſcopo Herbipolitano ſeu VVirtzburgo, Duci Franconiæ, Mameranus.*

IN deſcriptione eius ſolennis actus Cæſaris & Electorum, in quo Mauritius Dux Saxoniæ, Electoralis dignitatis inueſtituram ſuſcepit, Clariſſime Princeps, ordinem & incedendi & ſedendi, Cæſaris aut Regis Romanorum, Principumque Electorum, in publicis celebritatibus eum poſui, qui in Aurea, quam vocant, Bulla per Carolum IV. Imperatorem, Norimbergæ Anno 1356. erecta, exprimitur, & in hodiernum vſque diem firmus & inconcuſſus obſeruatur. De Principum præterea Imperii non Electorũ, reliquorumq; Imperii Statuum ſeſſione, & ſi inter nonnullos de eo ſedendi ordine nondum adhuc ſatis, & ex toto, conuenit, tamen vti communiter fere ſedere ſoleant, ſiguram adponere, haud præter propoſitũ omnino fore duxi. Pauci autem ſunt, & ex Principibus tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, & ex reliquis Imperii ordinibus, qui inter ſe de hoc ſedendi ordine diſſentiant. Interdumque honoris gratia ſibi inuicẽ alii aliis deferunt: Inuenias tamen vbi pertinacius ſuo quis iuri, quod habere ſe exiſtimat, inhæret, adeo vt potius in ſeſſione comparere nõ velit, quam alteri cedere inferior. Quamobrem nolui hic valde eſſe anxius, omnia exquiſite nimis peruestigandi, quæ præterea forſan ex ea re adponi poſſent, tum ob contentiones, tum quod huiuſmodi libelli, vt res extemporaneas continent, ita nec perpetui ſunt, nec in vſum hominum perinde vtiles aut neceſſarii, niſi quantum ad ſedendi ordinem aliquo modo cognoſcendum ſpectat. Et ob id ſuperuacaneum eſt multum ſeriæ in eos operæ collocare, vt elaboratius quid continere videantur. Quanquam ſi exacta omnia peruestigari, & ad amuſſim poni deberent, haud ſane minimum diligentiæ requirerent, quamlibet in ſpeciem minuti adpareant, vt pene nullius momenti eſſe videri poſſint. Id quod tamen nonnulli haud ita candide conſiderant, quorum nimirum animus ſemper in calumniam, quam in rationẽ & ſanum Iudicium pronior inclinat. Qui ſi ipſi tale quiddam cudere deberent, & in libellum congerere, vel minoris etiam induſtriæ, nõ decima forſan pars ſatis ſibi cohæſura eſſet. Non autem loquimur hic niſi de iis libellis, in quibus de rebus Principum variis, & non leuibus pertractatur, vbi diligentia & iudicium magis requiritur, temporiſque in maturitatem diuturnitas. Ad quod tempus ab hominibus ocioſis præ tædio, quod ex ocio percipiunt, deducendum, fallendumq; varia ſæpe luſuum genera & exercitamenta conquiri ſolent: quod illis nimis prolixũ adpareat, tardeq; nimis & nauſeanter abire horæ videantur, adeo vt eius rei prouerbium apud illos natum ſit, Pro deductione temporis videlicet. Hinc ſtertunt illi & ſæpe & diu, aut oſcitanter vigilantes, ventri dediti viuunt, alioue quouis modo ſupine ocia terunt. Studioſis autem & qui ad res agendas nati ſunt, ac ocioſi nunquam eſſe poſſunt, quique vitæ præſentis ad pauculos & incertos annos datæ fragilitatem: futuræ vero æternitatem, & nunquam finiendam cum Deo aut Diabolo permanentiam conſiderant, contra omne tempus ſemper nimis anguſtum eſt, contractumq;, nimis auolat omnis hora feſtinanter, & veluti de inopinato elabitur, vt ſemper de breuitate eius & anguſtia conquerantur, indoleſcantq; tam properanter effugere, & libenter, ſi fieri poſſe arbitrarentur, ad prorogandas omnes horas, diducendasq;, non deducendas, rationem conquirerent, atque malint aurum ſæpe, quam perdere tempus. Quicquid autem hoc minutæ & leuis operæ noſtræ eſt, tuæ illuſtriſſime Princeps, celſitudini pro raro illo tuo in omnes meliorum diſciplinarum ſtudioſos fauore ac benignitate offerre non erubuimus: licet enim multo maiora pro illa, qua & Vuormatiæ aliquando &

hic vſus es in me liberalitate, deberentur, tamen pro tempore hæc minuta offerre in gratitudinis aliquod teſtimonium libuit. Quæ vt pro candore illo tuo perpetuo & indeſinenti, boni conſulere tua celſitudo velit, & oro & obſecro. Vale Auguſtæ Rhæticæ ſexto Idus Aprilis M. D. XLVIII.

Quomodo Mauritius Dux Saxoniæ, Electoratus, Dominiorumq; nonnullorum Regalia & inueſtituram ſuſceperit. Simulq; quis ordo incedendi & ſedendi in publicis huiuſmodi ſolennitatibus, vbi Cæſ. aut Rex Rom. cum Electoribus, aliisq; Principibus, & Imperii ordinibus adeſt, ſeruetur.

MAVRITIVS Dux Saxoniæ Electoralis dignitatis Regalia & Inueſtituram à Carolo V. Rom. Imp. Auguſto ſuſcepit 24. Febr. à meridie inter ſecundam & tertiam, Anno domini 1548. ſuper tabulato cathedrali pro chorearum domo Auguſtæ ſub aperto & nudo cœlo ante hoſpitium Cæſaris in foro vinario luculenter & magnifice extructo. Egreſſus Palatio cum Electorib. Cæſar, ipſum tabulatum conſcendit, quod per medium pertranſiens dictam chorearum domum ipſi tabulato & cathedræ à tergo contiguam ingreſſus eſt, habitu ſe in ipſa ad eam celebritatem ſpectante veſtitus, cum Maieſtatis Imperatoriæ corona ſimul adſumpta. Veſtitusq; inibi per Electorem Brandeburgum Archicubicularium vna cum ipſis Electoribus itidem ſuo habitu Electorali indutis, regreſſus in tabulatum, ſub velamento aureo in ſoliū tenui rubro velamine ſericio ſuper aurea velamenta, quibus ſeſſionis locus veſtitus erat, ac puluinaria inſtratum reſedit.

De Veſtitu Cæſaris.

Habitus Cæſaris is erat, quo Pontifices Miſſæ ſacrificium facturi indui ſolent: ſignificans Rom. Imp. Religionis Chriſtianæ adſertorem, promotorem & defenſorem ſemper & vbiq; eſſe debere: hocq; illi in primis & ante omnia incumbere, ſummæq; curę & ſollicitudini infinitæ ſemper eſſe debere. Conſtat autem is habitus hoc ferme ordine de imo vſq; ad ſummum progrediendo.

Primo, caligæ ſunt, quas Bruſſechinas vocant, paulo ſupra genu aſcendentes ex nobiliſſimo illo rubro oſtrino byſſo, quod Carmeſinum appellant: ſuntq; eis adhærentes & connexi calcei ex villoſa rubra purpura, margaritis & gemmis ſeriatim per totum diſtincti & ornati.

Secundo, veſtis longa & laxa, ante aperta, ex dicto oſtrino byſſo ſeu Carmeſino cum manicis, ſe verſus manus adſtringentibus cum parua fimbria ſuperne & inferne ex paño coccineo ſeu rubro Scharlacho.

Tertio, Humerale, ꝙ vocant, ex lino albo & tenui cum vnionib. à tergo & adamantib. ornatū.

Quarto, Alba, quam vocant, veſtimentum ex lino albo, ante & retro ſupra fimbriam ſed & ſuper manicis larga quadratura ex auro & margaritis, precioſisque lapidibus exornatum.

Quinto, cinctura alba, ſericia cum nodo craſſo & diuite, ad vtramque extremitatem ex punctis aureis circum extantibus, frequentique & condenſata vnionum ſeu margaritarum rotundarum & grandium copia ornata.

Sexto Stola ex auro tortili, flauoque ſeritio filo circumuoluto phrygiata, cum cruce vtrinque ad extremitatem ex margaritis opulenta, & cum fimbriis aureis ex obiectu intextis.

Septimo, tunica prima ex tortili flauis ſericiis filamentis auro phrygiata: ad fimbriæq; & manicarum largos limbos ex margaritis, auroque bracteata: intus oſtrino byſſo ſeu carmeſino ſubdita ante & retro clauſa, ad latera vtrinque paulum ab inferiore parte ſciſſa & aperta.

Octauo, tunica ſecunda eodem modo facta, ſed ex vnionum nobilium copia opulentior, cum collari ex iiſdem contexto.

Nono, Manipulus ex auro textus, rubroque byſſo ſubditus cum crucib. de auro & margaritis concinnatis.

Decimo, Cappa choralis, quam vocant, ex puris aureis filamentis per totum texta, cum bicipiti grandi Aquila ex nigro ſericio filo ſuperintexta. Eaque ſuperne ad fimbriam, limbum ſeu faſciā largiſſimam habet ex vnionum rotundorum & grandium, Adamantum, Smaragdorum, Saphyrorum, Rubeorumq; maximorum, quos Baleſios vocant, diuite copia cultam. Superne à tergo capitium de ceruice inter ſcapulas dependulum, ex margaritis, variiſq; precioſis lapillis variegatum eſt & diſtinctum cum Caroli Magni Imp. facie, ſupra quam cœleſtis patris imago, item ex gemmis & lapidibus precioſis intexta eminet. Quæ duæ imagines vtrinque Calpen & Abilam, Herculis columnas habent, intra quas Oceanus ſtrictim immiſſus in fretum mediterraneum late diffunditur. Ante cuius ingreſſum in ipſo Oceano Balenæ vndoſo veluti ac turbulēto natatu fluctuantes, Smaragdos, Rubeosque grandes, aliosque varios precioſos lapides veluti procelloſo eructatu intento ē fluctibus euomunt. In apice eius capitii ab extremo nodus ex auro implicito textus cum filamentis infra ſe aureis ex vago fluxu dependulis, maximoque intermedio Saphyro dependet.

Vndecimo, Corona Cæſarea, intra cuius ambitum mitra Epiſcopalis bicorni acumine ac vertice exurgit. Hæc corona ad frontem, crucem habet ex quinque maximis & peropulentis Adamantibus deſignatam, intra quos margaritarum nobiliorum concinnata ſeries crucis figuram abſoluit. Ab occipitio coronæ, duæ adpendiculæ ex auro tortili Phrygiatæ, rubraque byſſo cum fimbriolis aureis dependent. Tota autem corona cum ipſa intra ſe mitra, ex puro puto auro eſt, & circumquaq; ac per totum ex precioſorum peropulentorumque lapidum diuite copia, veluti Rubeorum maximorum, Adamantum, Smaragdorum & vnionum varie in relucentiam gratam ac delectabilem diſtincta & exornata. Habet præterea ſemicirculum recta ſupra mitram ambientem, inſtarque anſæ recuruum & vtrinque in ſe reflexum.

Duode-

Duodecimo, Chirothecæ ex puro bracteato auro textæ, margaritiſque ornatæ, cum margaritarum vnitarum nodulis ex filamentis aureis dependulis.

De veſtitu Electorum.

Habitus Electorum veſtis longa eſt, larga & fluxa, in pedes vſque demiſſa, vndique clauſa, vt non poſſit niſi de iniectu ſuperno à capite indui, cũ largis item manicis ab ipſa ſeparatis, quæ poſtea faſciola ſub veſte poſt tergum protracta, in ipſam coaptantur. Et eſt tota vna cum ipſis manicis ex precioſis illis albis pellibus Hermelinorum, quos vocant, ſeu murium Ponticorum ſubdita cum limbo & ipſius veſtis & manicarum ad palmi amplius latitudinem largo ex iiſdem pellibus foras verſis reducto. Huic veſti collare in orbem, ex perpetua ſutura & contextu continuum ex iiſdem pellibus, ſed pilis per totum foras verſis, cum plurimis earum pellium caudis circum dependulis, de capite itidem, ſicuti ipſa veſtis, inijcitur, vſque in pectus, in ceruicem & ſuper humeros, ac ſupernã brachiorum partem dependulum ex quo faſcia larga ex eiuſdem veſtis genere, & eodem modo pellibus ſubdita cum breui & ſtricto retortæ earundem pellium fimbriæ reflexamento, in tergum vſque dependet. Iſque habitus ſecundum Electorum ſtatum & differentiam in materiæ ſeu ſubſtãtiæ contextu variat: in colore & forma atque factura non variat. Nam ſpiritualibus ſeu Eccleſiaſticis ex precioſo illo ac nobili coccineo & rubro panno eſt, quem vulgo Scharlachum vocamus. Secularibus vero holoſericus eſt ex byſſo rubro, hoc eſt, villoſa purpura.

Pileus, qui illis largus eſt, fluxuſque ex iiſdem albis pellibus ſubditus eſt, cum largo quoque in ambientem limbum reflexamento, pilos itidem earum pellium foras verſos habente. Apexque illi ſuperne in ipſo vertice ex particula earum pellium caudatus eſt. Eodemque modo, quo ipſa veſtis in materiæ contextu differt, in colore & forma non differt. Sed tamen thoracas, caligas, & calceos ex rubro vel byſſo, vel purpura ſoli Seculares habent: Eccleſiaſtici non habent, ſed ex nigro panno aut ſerico.

Quomodo proceſſerint.

Cæſarem è Palatio prodeuntem præceſſerunt, Primum duo columniferi, Symboli Cæſaris, Calpen & Abylam, nimirum Herculis columnas geſtantes. Deinde Principes aliquot, veluti Maximilianus Archidux Auſtriæ: Philibertus Emanuel Princeps Pedemontium: VVilhelmus Dux Iuliacenſis: Erneſtus Archiepiſcopus Salisburgenſis: VVolfgangus Magiſter Theuton: Melchior Epiſcopus Herbipolitanus: Mauritius Epiſcopus Archſtetenſis: Iulius Pflug Epiſcopus Numburgenſis: Ioannes Epiſcopus Miſnenſis: Valentinus Epiſcopus Hildeshemenſis: Maximilianus comes Buratnus: Ioachimus Dominus à Rie Præfectus cuſtodiæ Cæſaris: Philibertus Baro è Monſalconeto: & D. Iohannes Marinq. de Lara œconomi Cæſaris &c.

Poſt hos ibat proximus Elector Treuerenſis: Nam Heraldi, quibus proximus ante Treuirenſem locus eſt, tum non aderant. Sed cum veſtitus Cæſar cum Electoribus à chorearum domo in tabulatum rediret, ac inde poſtea finita ſolennitate in aulam ſe referret, ſuo illi tum loco præibant.

Poſt Treuerenſem proximi ibant duo Electores Seculares, Palatinus videlicet globum mundi geſtans, ac Brandeburgus ſceptrum gerens. Inter quos medius locus Elect. Saxoniæ enſifero eſt, qui tum candidatus Regalia Electoratus petebat. Deinde proxime poſt hos & ante Cæſarem, Marſchalcus Imperii ibat, qui Cæſari enſem præferebat. Nam Rex Bohemiæ, cui proximus ante Cæſarem aut Regem Rom. & poſt Marſchalcum, ſi Archimarſchalcus Elector abſit, in huiuſmodi ſolennitatibus locus debetur, non interfuit, vt qui idem quoque & ipſe Rex Rom. ſit. Marſchalcum vero Cæſar è veſtigio proxime ſequebatur. Poſt quem duo Electores Eccleſiaſtici, Moguntinus ſcilicet & Agrippinus proximi & poſtremi. Qui ordo incedendi in huiuſmodi celebribus actibus ac feſtiuitatibus cum Cæſar aut Rex Romanorum cum ſolis Electoribus incedit, tali conſtitui figura poterit.

SINISTRA.

Vlt. Penult. Quint. Quart. Tert. Secund. Prim.

Colon. } Cæſar: vel, Rex Bohœm. } Brandenburg Scept.
Saxo enſem fert: Treuir: Heral: Columniferi.
Mogunt. } Rex Rom. } Palat. Mundum.

DEXTRA

Quo ordine ſederint.

A dextris proximus Cæſari ſedebat Sebaſtianus Archiepiſcopus Moguntinus Elector, Archicancellarius per Germaniam.

Deinde ſecundus locus Regi Bohœmorum coronato & vncto, Archipocillatori abſenti vacabat. Nam neque eius locum tenens Carolus ſemper liber à Limburg hæreditarius Sacri Romani Imperii Pincerna adfuit.

Poſt huius locum, Fridericus Comes Palatinus Rheni Elector, Archidapifer ſedebat, cuius locum tenens eſt, VVilhelm. Baro in VValtburg, Sacri Rom. Imp. hæreditarius Dapifer.

A ſiniſtris proximus adſidebant Adolphus Archiepiſcopus Colonianus Elector, Archicancellarius per Italiam.

Deinde Ioachimus Marchio Brandenburgus, Elector, Archicubicularius, qui & Cæſareæ aut Regiæ Maieſtati ad Menſam manus loturæ, peluim tenet & aquam fundit: cuius locum tenens

eſt Carolus Comes in Zolnern, Sacri Roman. Imperii hæreditarius Camerarius ſeu cubicularius.

Nam medius locus inter vtrunque Mauritio Duci Saxoniæ Electori, Archimaſchalco, eius dignitatis inueſtituram petenti, vacabat. Cuius locum tenens eſt, Wolfgangus à Pappenheim Sacri Rom. Imp. hæreditarius Marſchalcus.

E regione ante Cæſarem, rectaque in eius vultum contrarius, ſedebat ſolus in ſede Iohannes Archiepiſcopus Treuericus Elector, Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatenſe.

Arelatum oppidum in Lugdunenſ. Gallia ad Rhodanum fluuium inter Maſſiliam, quam ex Oriente habet: Mare mediterraneum, quod à Meridie: Aquas mortuas, quas ab Occaſu: & Auinionem, quam à Septemtrione. Atque ab hoc oppido ipſum Regnū Arelatenſe nomen accepit, quod olim fuit ampliſſimum, in ſeptem nimirum prouincias diſtinctum, in Maſſilienſ. in eam, quæ poſtea in Ducatus Sabaudæ nomen tranſiit: & quæ in Delphinatum, qui tempore Caroli Quarti de Imperio per venditionem ad Regem Franciæ deuolutus eſt: & quæ vtriuſque Burgundiæ nomen habet: & quæ Lotharingiæ: & Heluetiæ partem: continebatque ſub ſe antiquis nominibus populos Allobrogorum, Heduorum, Vocuntiorum, Sequanorum & Heluetiorum. Eratque à mari mediterraneo vſque Treueros & Ardennæ ſyluam protenſum, fuit autem totum hoc Regnum cū patentiſſimo illo ſuo receſſu, virtute bellica, olim à Germanis occupatum, penituſque ſub ipſos redactum, vt adhuc de iure Imperium agnoſcere deberet. Mira tunc Germanorum virtus bellica pollebat, vt tanquam pro inueterato habuerint, terras & Regna acquirere, & parta non amittere, ſed in propagationem vlterius extendere, fortiterque & pertinaciter vſque tueri. Vide Strabonem libro 4. Pomp. Melam libro 2. Paulum Diacon. libro 3. capit. 8. Ammianum Marcel. lib. 14. Ligurinum lib. libri quinti Procopium in hiſtoria Francorum: Antonium Pium in Itinerario. Suidam & Philoſtratum in vita φαβωρίνου. Aeneam Syl. & Abbatem Spanheimium. Huius autem ſeſſionis, vt ad propoſitum reuertamur, ordo cum Cæſar aut Rex Romanorum cum ſolis Electoribus ſedet, ſic diſponitur.

DEXTRA
Palatinus.
Rex Bohœmiæ.
Moguntinus.
ANTE: Treuir: Cæſar, vel Rex Rom. RETRO
Colonianus.
Saxonicus.
Brandenburgus.
SINISTRA.

Reliqui Principes non Electores, qui ſimul in tabulatum conſcenderant, omnes ſtabant & pene indiſcriminatim.

A tergo Cæſaris ſupra cathedræ tabulaturam in prominente inambulachro ſtabant tubicines Cæſaris ac tympaniſtæ equeſtres, qui & ad egreſſum è Regia, aſcenſumque Cæſaris cum Electoribus in tabulatum, & ad circumcurſitationē equitum, inflatis lituis ac tubis ebuccinabant, ac tympana equeſtria ſeu ahænea pulſabant.

In foro & vtrinque ad tabulatum, duo ſigna peditum Germanorum conſiſtebant. Multa præterea hominum ſpectatorum & in ipſo foro & in feneſtris & in tectis millia.

Quomodo res acta ſit.

Et cum ſic conſediſſent, dat tubicen inter equites circumcurſuros ante cathedram ad plateæ cuiuſdam angulum conſiſtentes, ad circumcurſitādam eam Inueſtituræ & Regalium cathedram ſubito inflata buccina ſignum: ſimulque ebuccinando præuolat ipſe, quem in veſtigio inhærens tota equitum turma in ternos & ternos ordine diſtincta, plenumque in curſum effuſa ſubſequebatur. Inter quos in ſexto ternario, vexillum rubrum, quod ſanguineum vocant, ab omni armorum ſeu inſignium pictura vacuum ac purum à Chriſtophoro à Ragewitz ferebatur Erantq; equites circumcurrentes numero circiter cētum. Inter quos Elector Palatinus Rheni ternarios ordines ex nobilitate, quatuor habuit: & Brandeburgus Elector, quinque. Nobiles autem aulæ Ducis Mauritii circiter triginta ſex nigro holoſerico ſeu byſſo villoſa, omnes veſtiti erant. In commune vero omnes ii equites pariter rubra vexillula cum armis Electoralis dignitatis & Saxoniæ, pileis impoſita geſtabant. Similiter & ipſi equi, quibus inſidebant, eadem ad aures erecta cum plurimis vt plurimum rubris, albiſque mixtis, & in capite & poſt tergum ſuper caudæ principium aptatis gerebant. Ad hanc autem circumcurſitationem & tubicines Cæſaris tubicinabant, & tympana cacabaria ſiue equeſtria tympaniſtæ pulſabant.

Interim Dux Mauritius Elector, ad alterius plateæ angulum è regione ante cathedram in fine pene fori cum ſua equitum turma conſiſtebat, quæ conſtabat equitibus circiter centum & viginti. Erantque ij omnes Principes, Comites, Barones, Domini, equites aurati ac nobiles. Inter quos Elector Moguntinus, tres ordines ternarios habuit: Treuericus, quatuor: Colonianus, quatuor: Cardinalis Tridentinus, quinque: Cardinalis Auguſtanus, tres: Magiſter Ordinis Theuton. tres: Henricus Dux Brunſuichius, quinque: VVolfgangus Comes Palatinus, tres: Ericus Dux Brunſuichius, duos: Lantgrauia, duos. Quorum omnium nomina ponerem, niſi prolixum nimis eſſet, & tædioſum fortaſſis etiam legenti.

Et

Et cum ter iam prima illa equitum turma ipſam cathedram circumcurſitaſſet, prodeunt de hac poſtrema Ducis Mauritii turma, tres Principes, Henricus videlicet Dux Brunſuichius, qui dexter: Albertus Dux Bauariæ, qui medius: & VVolfgangus Comes Palatinus Rheni in Gemino Ponte, qui ſiniſter ibat. Profectique ad ipſam cathedram, traditis quibus inſidebant in cuſtodiam equis, aſcendunt tabulatum, ſubinde inter aſcendendum geniculantes in reuerentiam. Prociduntque ſimul ante Cæſarem in genua, tanquam miſſi Oratores petituri pro Duce Mauritio Electoralis dignitatis Regalia. Henricus Dux Brunſuichius verbum facit: Nimirum Mauritium Ducem Saxoniæ, poſteaquam Sacra Cæſarea atque Catholica Maieſtas ipſi Electoralem dignitatem vna cum nonnullis Dominiis, quæ ante Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ poſſediſſet, donauerit, huncque diem comparendi ad inueſtiendum præſtituerit, comparere illum iam, ſuppliciterque petere, Cæſarea Maieſtas eius dignitatis, eorumque ſimul dominiorum Regalia & inueſtituram iam ipſi ex eadem benignitate & clementia, elargiri velit. Ad quod erga Cæſaream Maieſtatem, Sacrumque Rom. Imperium demerendum, omne & perpetuum obſequium, ſeruitiumque ſe ſemper promptum & paratum offerre. & cum ad hunc ferme modum peroraſſet, Cæſar Moguntinum alloquitur, qui ſurgens, omnes Electores ſimul conuocat: Stanteſque ante Cæſarem, collatis inter ſeſe capitibus, conſilia coram Cæſare ſubmiſſe conferunt. Deinde vbi decretum & cõcluſum eſt, Moguntinus aperta voce ad rogata per Brunſuichium, reſpondet: Nempe Maieſtatem Cæſ. perpenſis & conſideratis ſeruitiis, quæ Dux Mauritius, eiuſque frater Dux Auguſtus ſuæ Maieſtat. & ſacro Imperio præſtitiſſent, benigne promptam eſſe ac paratam, quæ peterentur, præſtare: quatenus ipſemet Dux Mauritius eadem petiturus compareat. Quo reſponſo audito, mox tres illi Legati, actis nomine Ducis Mauritii Cæſareæ Maieſt. pro tam clemente & fauorabili voluntate, humiliter & reuerenter gratiis, exurgentes de cathedra deſcendunt, equiſque conſcenſis, ipſum Ducem Mauritium longius a tabulato in habitu Electoratus, quo de hoſpitio vſq; ſuo veſtitus aduenerat, equo inſidentem adeunt, reſponſum datum ferentes. Quo ille tum accepto & cognito, procurrit e veſtigio cum ſua equitum turma, quam tubicines ipſius duodecim, vnumque tympanum equeſtre ſeu cacabarium, atque vexilla rubra decem, cum Electoralis dignitatis, ſingularumque ipſius ditionum & dominiorum inſignibus & armis depictis, præibant, vſque ad ipſam cathedram, deſcendenſque de equo vna cum dictis primis illis tribus Principibus, qui ex legatione reuerſi iam reſponſum retulerant, nonnulliſque aliis Ducibus Comitibus ac Dominis, qui vexilla Electoratus & Dominiorũ gerebant, tabulatum cathedrale cõſcendit, præeuntibus dictis decem vexillis. Proximeque ipſum dicti tres Principes ſubſequuntur. In aſcenſu vſque ad Cæſaream Maieſtatem genibus ter in reuerentiam inclinatis. Venienti Duci Mauritio, puluinar aureum ante pedes Cæſaris collocatum eſt. Sed Mauritius primum ante illud in ſubſtratum velamentum in genua procumbit: ſimulque cum ipſo à dextris Henricus Dux Brunſuichius: à ſiniſtris Ioannes Hoier Comes à Mansfelt, nomine ducis Auguſti fratris Mauritii Electoris pariter Regalia ſuſcepturus. A tergo reliqui duo Principes, qui ante vna cum ipſo Brunſuichio Regalia petitum venerant, proximi procumbunt. Deinde poſt hos, tres equites aurati conſiliarii, Chriſtoph. à Taubenheim, Conr. à Bemmelberg, & Maurit. à Feiliczſch: tum vtrinque ad latera illi, qui vexilla tenebant, conſiſtunt. Ac tũ Henricus Dux Brunſuichius, eandem pene, quam ſupra in legatione orationem pro Duce Mauritio habuit, repetit, eadem pro ipſo iam præſente rogans. Qua oratione abſoluta, Cæſar Mogũtino, in reuerentiam adſurgenti, reſponſum demandat. Reſpectis videlicet & conſideratis Ducis Mauritii Electoris, eiuſque fratris Ducis Auguſti fidelibus, diligentibus & multis ſeruitiis ſuæ Maieſtati, & ſacro Imperio exhibitis, hinc motam eſſe ſuam Maieſtatem, vt procliuis & parata eſſe velit ea, quæ peterentur, clementer præſtare: quatenus iuramentum ſolitum & conſuetum illi præſtiterint. Quæ verba Moguntinus conuocatis mox reliquis Electoribus, ſicut iam dictum eſt, proponit. Tũc Dux Mauritius ſurgens, propius accedit, inque puluinar ante pedes Cæſaris genibus flexis procũbit. Tum Marquardus à Lapide Præpoſitus Moguntinus librum Euangeliorum ex purpura colligatum Electori Moguntino porrigit, qui illum apertum in gremium Cæſaris collocat, ſtatimq; in locum ſuum reſidens, iuramenti ſacramentum ac formam ex charta Electori Mauritio prælegit: præſtatque in eius tum verba ipſi Cæſari, ſacroq; Imperio Dux Mauritius conſuetum iuramentum ad eum ferme modum, ſicuti in vſibus feudorum ponitur. Deinde ad latus per VVolfgangum Pappenheimium Imperii Marſchalcum gladius, Cæſari in manus porrigitur: qui eius capulũ ipſi Mauritio deoſculandum offert, ſimulq; in manus tanquam Sacri Rom. Imp. Archimarſchalco dat. Ille tum Bappenheimio Marſchalco eum reddidit. Capulus huic gladii cum tribus ipſius crucis nodis atque ipſo internodio totus ex puro auro eſt, ex precioſiſq; lapidibus veluti Rubeis, Saphyris, Smaragdis & vnionibus in diſtinctionem & relucentiam exculptus.

Hæc vbi peracta eſſent, decem illa vexilla, quæ aderant, ordine à ſingulis, qui ea tenebant, Cæſari in manus porriguntur, initio facto ab eo, quod Electoratus inſigne habebat: qui ordine ſibi porrecta, ſuperne manu arripit, ſimulq; eadem Electori Mauritio, dictoq; Comiti Mansfeldio, nomine Ducis Auguſti, inferne & ſub manu arripienda, tenendaque tradit: donans ſimul ipſis eorum inſignium ditiones & terras, quas ante Iohann. Frideric. Dux Saxoniæ poſſederat. Moxque deinde iis, à quibus ea adlata & porrecta eſſent, reddidit. Tunc rurſum Cæſari gladius per Marſchalcũ porrigitur, qui illum Electori Mauritio in manus tradit, quo accepto gratiis reuerenter cum omni officii promptitudine Cæſ. Maieſt. & ſacro Rom. Imp. actis, ſurgit, mediuſq; inter Colonianum & Brãdeburgum Elect. in locum ſibi de more & iure debitum reſidet.

Vexil-

Vexillorum, eorumque, qui ea geſtarunt, nomina.

A DEXTERIS.

Primum vexillum Electoratus erat, idque geſtabat Ericus Dux Brunſuichius.

Secundum Thuringiæ, quod Carolus Victor Dux Brunſuichius ferebat.

Tertium Burggrauiatus Magdeburgii, quod Iohannes Henricus Comes à Leiningen tenebat.

Quartum Comitatus Brenæ, quod Bertoldus dominus à Leipa in Cromau, Marſchalcus Regni Bohæmiæ, habebat.

Quintum Burgrauiatus Aldenburgii, quod Eckius Comes Salmonenſis portabat.

A SINISTRIS.

Primum vexillum Saxoniæ erat, quod Philippus Dux Brunſuichius gerebat.

Secundum Miſniæ, quod Erneſtus Comes à Regenſtain tenebat.

Tertium Palatinatus Saxoniæ, quod Iohannes Comes ab Ottemburg geſtabat,

Quartum Dominii ad Pleiſam, quod VVilhelmus Dominus à Leippa in Cromau geſtabat.

Quintum vexillum rubrum, quod ſanguineum vocant, ſine vllis armis ſeu inſignibus, quod Chriſtophorus à Ragewitz, vt ante dictum eſt, vehebat.

Deinde Elector Saxonicus cum in locum ſuum cum gladio vt Archimarſchalcus iam conſediſſet, Auſtriacus Cæſaris Heraldus ſingula vexilla ordine à ſingulis capit, incipiens ab eo, quod Electoralis dignitatis inſigne continebat. deinde tranſiens ad id, quod Saxoniæ, quod Thuringiæ, quod Miſniæ, quod Burgrauiatus Magdenburgii &c. ac ea Cæſareæ Maieſtati reuerenter & prone oſtenſa, mox de tabulato vtrinque in vulgus promiſcuum ac circumfuſum, cuiuis auferenda, deiicit.

Quibus omnibus deiectis, Cæſar vna cum Electoribus ſurgens domum Chorearum, ad deponendum habitum, ingreditur. Elector Saxonicus illum cum gladio tanquam Archimarſchalcus anteit: deinde paulo poſt idem in veſtitu Electoratus ſolus egreditur, tabulatoque deſcendit atque conſcenſo equo vna cum omnibus Principibus, Comitibus, Baronibus, dominis, equitibus & nobilibus, qui ipſi in ea celebritate inſeruierant, hoſpitium ſuum repetit.

Cæſar deinde cum reliquis Electoribus, depoſito eius ſolennitatis veſtitu, egreditur & ipſe, præeuntibus ſuo illi ordine columniferis, Heraldis & Bappenheimo Imperii Marſchalco cum gladio, tabulatoque deſcendens, in ſuam ſe Regiam ac palatium recepit.

DE SESSIONE ORDINVM, STATVVMQVE IMPERII PRÆSENte Cæſare aut Rege Rom. & abſente.

Quoniam de ſeſſione Cæſaris aut Regis Roman. cum ſolis Electoribus in publicis celebritatibus, quando ditionum & dominiorũ Regalia & Inueſtituræ conceduntur, ſupra ordinem ac figuram poſuimus, conſentaneum quoque fore arbitrati ſumus, ſi & de ſeſſione Ordinum, Statuumque Imperii in Comitiorum conſiliis, iudiciorumque deciſionibus tam præſente Cæſare aut Rege Roman. vna cum Electoribus & non Electoribus Principibus, reliquiſque Imper. ordinibus quam abſente, nonnulla quemadmodum communiter ſedere ſoleant ex variis Imperii Receſſibus collecta, ad finem ſubiiceremus. Etſi enim certus & ex præſcripto perpetuus inter omnes non Electores Principes, præſertim ſæculares ſedendi aut ſtandi etiam ordo, nullus adhuc definitus ſit: quod nonnulli adhuc de hac ſedendi ratione inter ſeſe delitigent atque digladientur, tamen communis quidam, licet & is confuſaneus interdum inter nonnullos ac promiſcuus pro tempore, dum illa ſub iudice lis fluctuat, reſeruato ſuo cuique in hac parte iure, ordo habetur, quem ipſum hic ſubiicere placuit. Quamobrem nolim hunc ſeu ſedendi, ſeu ſtandi etiam, ſecundum loci vel opportunitatem vel inopportunitatem, ordinem alicubi communem, alicubi non communem, ſed confuſaneum, vt diximus, licet inter paucos quidem, cuiquam in præiudicium poſitum & prærogatiuam videri.

A dextris itaque Cæſaris aut Regis Romanorum ſedent.

Elector Moguntinus.

Rex Bohœmiæ.

Elector Palatinus.

Archidux Auſtriæ.

Archiepiſcopus Salisburgenſis.

Archiepiſcopus Bremenſis.

Archiepiſcopus Rigenſis.

Archiepiſcopus Biſuntinus.

Magnus Magiſter Ordinis Theuton. Adminiſtrator magni Magiſtratus Pruſſiæ, veluti Archiepiſcopi vices ſubiens.

Epiſcopus Bambergenſis. Nam ille eſt tanquam Archiepiſcopus in ſua ditione, nullumque agnoſcit Archiepiſcopum.

Epiſcopus Herbipolitanus ſeu VVirtzeburgus.

Epiſco-

Epiſcopus Wormatien. Hi duo, excepto primo & vltimo die, in quo Herbipolitanus Wormatiano prǽludere ſolet, per vices alter alteri præſidet.

Epiſcopus Spirenſis.
Epiſcopus Argentinenſis.
Epiſcopus Eyſtetenſis.
Epiſcopus Ratiſponenſis.
Epiſcopus Conſtantienſis.
Epiſcopus Auguſtenſis.
Epiſcopus Patauienſis.
Epiſcopus Friſingenſis.
Epiſcopus Baſilienſis.
Epiſcopus Curienſis in Heluetia.
Epiſcopus Hildeshemenſis.
Epiſcopus Paderbornenſis.
Epiſcopus Miſnenſis.
Epiſcopus Tridentinus
Epiſcopus Brixienſis.
Epiſcopus Mersburgenſis.
Epiſcopus Lubecenſis.
Epiſcopus Numburgenſis.
Epiſcopus Sedunenſis.
Epiſcopus Monaſterienſis.
Epiſcopus Mindenſis.
Epiſcopus Halberſtatenſis.
Epiſcopus Verdenſis.
Epiſcopus Metenſis.
Epiſcopus Tullenſis.
Epiſcopus Verdunenſis.
Epiſcopus Oſnabrugenſis.
Epiſcopus Leodienſis.
Epiſcopus Curienſis in Curlandia Liuoniæ.
Epiſcopus Reualienſis.
Epiſcopus Oeſilienſis.
Epiſcopus Derptenſ. ſeu Atrebatenſ. in Liuonia.
Epiſcopus Lebuſſenſis.
Epiſcopus Hauelburgenſis.
Epiſcopus Ratzenburgenſis.
Epiſcopus Schuerinenſis,
Epiſcopus Caminenſis.
Epiſcopus Secouienſis.
Epiſcopus Gorcenſis.
Epiſcopus Gebennenſis.
Epiſcopus Schleuicenſis.
Epiſcopus Kemſenſis.

PROVINCIALES SEV COMMENDATORES ORDINIS Dominorum Theutonicorum.

Magiſter Ordinis Dominorum Theuton. per Germaniam & Italiam.
Magiſter ordinis Theuton. per Liuoniam.
Magiſter Iohannitarum per Germaniam.

Prælati ſeu Abbates, Principes Imperii.

Abbas Fuldenſis Archicancellarius Imperatricis.
Abbas Campidonenſis.
Abbas Murbachcenſis.
Præpoſitus Weiſſenburgenſis in Alſatia.
Abbas Hirsfeldenſis.
Abbas S. Galli.
Præpoſitus Berchtolſgadenſis.
Præpoſitus Eluuangen. ſupra Wormatiam.
Abbas Stabulenſis:
Abbas Corbienſis.
Abbas Salueldenſis.
Abbas Werdenſis in Weſtphalia.

Abbates ſeu Prælati Imperii non Principes.

Abbas Cæſarienſis ſeu Keisheimenſis.
Abbas Echternacenſis.
Abbas Prumienſis.
Abbas Elchingenſis.
Abbas VVeingardenſis.
Abbas Ochſenhuſenſis.
Abbas Marchtalenſis.
Abbas Maulbrunnenſis.
Abbas Schafhuſenſis.
Abbas ſancti Heimerani Ratiſponenſis.
Abbas VVeiſſenauenſis, ſeu Minoris Augiæ.
Abbas Maurbachenſis.
Abbas Monaſterii ſancti Cornelii apud Aquiſgranum.
Abbas Salmanſchuueilerenſis.
Abbas Creutzlingenſis.
Abbas VValckenredenſis.
Abbas Schuternenſis.
Abbas Sancti Blaſii ad Syluam Herciniam.
Abbas Schuſſenredenſis.
Abbas Rickershuſenſis.
Abbas Rockenburgenſis.
Abbas Hundelſhanſenſis.
Abbas Rebkenhauſenſis.
Abbas Coningsbrunnenſis.
Abbas Sancti Petri in Hercinia.
Abbas Rockenhauſenſis.
Abbas Cuntzlingenſis.
Abbas Blanckenburgenſis.
Abbas VValdſachſenenſis.
Abbas Vallis Sancti Georgii &c.

COMMENDATORES PROVINCIALES QVATVOR BALIuarum Imperii Ordinis Theutonicorum.

Commendator Baliuatus Confluentiæ.
Commendator Baliuatus in Alſatia & Burgundia.
Commendator Baliuatus Auſtriæ.
Commendator Baliuatus ad Atheſim.

Prælati

Prælatæ ſeu Abbatiſſæ, Imperii Principes.

Abbatiſſa ſuperioris Monaſt. Ratiſponæ.
Abbatiſſa in Gernrat.
Abbatiſſa Gandershemenſis.
Abbatiſſa in Quedelburg.

Abbatiſſæ Imperii, non Principes.

Abbatiſſa inferioris Monaſt. Ratiſpon.
Abbatiſſa Lindauenſis.
Abbatiſſa Rotmonaſterii.
Abbatiſſa Buchauenſis.
Abbatiſſa Ebbacchenſis.
Abbatiſſa Bunnenſis.
Abbatiſſa Guttecellenſis.
Abbatiſſa Cauffingenſis.

A Sinistris

Elector Treuericus.
Elector Colonianus. Hi duo per vices alternis diebus ſeſſionem mutant.
Elector Saxonicus.
Elector Brandenburgus.
Dux Bauariæ.
Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis.
Dux Iuliacenſis, Cliuenſis & Bergenſis.
Dux Mechelburgenſis.
Dux Wirtembergenſis.
Dux Sabaudiæ. Hic ob contentionem, & quod rarius comparet, ægre in ſeſſionem recipitur.
Dux Pomeraniæ.
Dux Holſatiæ.
Marchio Badenſis.
Lantgrauius Heſſiæ.
Lantgrauius Leuchtenbergenſis.
Princeps Anhaltenſis.
Comes Hennenberg. Imperii Princeps.
Burggrauius Miſnenſis.

Comites Imperii.

Comes à Naſſouia.
Comes ab Oettinga.
Comes ab Helffenſtain.
Comes à Montfordia.
Comes à Furſtemberga.
Comes à Zolnern.
Comes à Stolburgo.
Comes ab Ortemburgo.
Comes à Mansfeldia.
Comes à Solmis.
Comes à Salm.
Comes à Sultz.
Comes ab Iſemburgo.
Comes à Manderſcheida.
Comes ab Eberſteino.
Comes à Nuenari, ſeu noua Aquila.
Comes ab Hoenloch.
Comes ab Hanau.
Comes ab Hardeck.
Comes ab Honſteino.
Comes ab Hag.
Comes à Virnemberga.
Comes ab Arnberga & Marca.
Comes à Falchenſteino.
Comes à Conigſteino.
Comes à Lupfen.
Comes à Vnerheim.
Comes à Dengen.
Comes à Leiningen.
Comes ab Altemburg.
Comes à Gleichen.
Comes à Rhineck.
Comes à Waldeck.
Comes à Bitſch.
Comes à Weſterberg, ſemper liber.
Comes à Steinhart & Benthaim.
Comes à Schaumberga & Gemma in Weſtphalia.
Comes à Leuuſtain.
Comes à Barbei.
Comes à Schuartzenburgo.
Comes ab Erbach.
Comes à Sayne.
Comes à Zimmer.

Barones.

Baro à Limburgo, ſemper liber.
Baro à Waltburgo.
Baro à Gerolſeck.
Baro à Ripolskirch.
Baro à Gondelfinga.
Baro à Falckenſteino.
Baro à Schuuartzberg & Hoenlantzberg.
Baro à Wolckenſteino.
Baro ab Heideck.
Baro à Cuntzeck & Altdorf.
Baro à Conigſeck.
Baro à Rogendorf.
Baro à Tautenberga.
Baro à Merberga & Beffort.
Baro à Kriechingen in Vueſtria.
Baro à Superiore Soltzburgo.
Baro ab Alendorf.
Baro à Degemberga.
Baro à Rifferſcheida.
Baro à Vuinnenberga.
Baro à Stauf & Ernfeltz &c.

DE SESSIONE ORDINVM STATVVMQVE IMPERII IN ABSENTIA Cæſaris aut Regis Romanorum, in Electione Cæſaris aut Regis Romanorum & in Comitiorum actionibus aut iudiciis.

Ordinum, Statuumque Imperii cum ad vota deſcenditur, atque voces ſeu ſuffragia colliguntur, duplex ſeſſio eſt: Altera Principum Electorum ſeorſum: Altera non Electorum vna cum Prælatis, Comitibus, & Baronibus Imperii, abſentiumque legatis, itidem ſeorſum:

Electores Eccleſiaſtici vna cum Sæcularibus vnum habent conclaue, in quo hoc ordine conſident.

A Dex-

A Dextris.
Moguntinus.
Bohœmus.
Palatinus.

A Sinistris.
Treuericus.
Colonianus per vices.
Saxonicus.
Brandenburgus.

De reliquis Principibus, Statibusque Imperii.

Reliqui Principes Imperii Eccleſiaſtici & Sæculares, vna cum Prælatis, Comitibus & Baronibus vnum item habent conclaue, in quo ſic fere ſedere ſolent.

A Dextris.

Archidux Auſtriæ receptus in ſeſſionem Eccleſiaſticorum ob contentionem primi loci apud Sæculares, ſed ita vt vices ſedendi proponerentur inter ipſum & Archiepiſcopum Salisburgenſem. quas tamen honoris gratia fere ſemper remittunt, ipſique Archiduci deferunt.

Archidux Auſtriæ.
Archiepiſcopus Salisburgenſis.
Archiepiſcopus Magdeburgenſis ſeu Parthenopolitanus, qui licet Primas Germaniæ ſit, & fortaſſe ratione Primatus, primus illi locus deberetur, tamen Archiepiſcopatus Salisburgenſis, cum vetuſtior eſſe memoretur, primus ipſi locus defertur.
Archiepiſcopus Bremenſis.
Archiepiſcopus Rigenſis.
Archiepiſcopus Biſuntinenſis.
Magnus Magiſter Ordinis Theuton. vt Adminiſtrator magni Magiſtratus Pruſſiæ.
Epiſcopus Bambergenſis, tanquam Archiepiſcopus in ſua diœceſi. Ac poſt hunc ſedent deinde ſingulorum Archiepiſcoporum Suffraganei, hoc eſt, ſubiecti Epiſcopi ordine, ſi adſunt, veluti.

Mogvntini.
Epiſcopus Herbipolitanus.
Epiſcopus Vormatienſis.
Epiſcopus Spirenſis.
Epiſcopus Argentinenſis.
Epiſcopus Eyſtetenſis.
Epiſcopus Curienſis.
Epiſcopus Vuerdenſis.
Epiſcopus Conſtantienſis.
Epiſcopus Auguſtenſis.
Epiſcopus Hildeshemenſis.
Epiſcopus Paderbornenſis.
Epiſcopus Halberſtatenſis.

Trevirici.
Epiſcopus Metenſis.
Epiſcopus Tullenſis.
Epiſcopus Verdunenſis.

Agrippini.
Epiſcopus Monaſterienſis.
Epiſcopus Traiectenſis.
Epiſcopus Leodienſis.
Epiſcopus Mindenſis.
Epiſcopus Oſnabrugenſis.

Salisbvrgi.
Epiſcopus Ratiſponenſis.
Epiſcopus Patauienſis.
Epiſcopus Tridentinenſis.
Epiſcopus Brixienſis.
Epiſcopus Friſingenſis.

Epiſcopus Chyemenſis, perpetuus Vicarius in Pontificalibus.

Magdebvrgi sev *Parthenopolitani.*
Epiſcopus Merſburgenſis.
Epiſcopus Miſnenſis.
Epiſcopus Numburgenſis.
Epiſcopus Brandenburgenſis.
Epiſcopus Hauelburgenſis.

Bremani.
Epiſcopus Lubecenſis.
Epiſcopus Schuerinenſis.
Epiſcopus Lebuſſenſis.
Epiſcopus Schleuicenſis.
Epiſcopus Ratzenburgenſis.

Rigani.
Epiſcopus Reualienſis.
Epiſcopus Curienſis.
Epiſcopus Oeſilienſis.
Epiſcopus Derpten.

Bisvntini.
Epiſcopus Baſilienſis.
Epiſcopus Lauſanenſis.
Epiſcopus Gebennenſis.
Epiſcopus Bellicenſis.

Epiſcopus Cabilonenſis ad Sonam fluuium in Burgundia. Et hi duo poſtremi non ſunt Principes Imperii.

SVBIECTI MAGNO MAGISTRO PRVSSIÆ, TANQVAM vicem gerenti Archiepiſcopi.

Magiſter Ordinis Dominorum Theuton. per Germaniam & Italiam.
Magiſter ordinis Dominorum Theuton. per Liuoniam.
Magiſter Ordinis Dominorum Iohannitarum per Germaniam.

Poſt hos ſedent Prælati ſeu Abbates & Commendatores Baliuarum Ordinis Theuton. & Prælatæ ſeu Abbatiſſæ, eodem ordine, quo ſupra poſiti ſunt. Atque hunc poſtremum Eccleſiaſticorum ordinem, crediderim, etiam in illa ſuperiore ſeſſione obſeruari debere, licet mihi aliter à nonnullis relatum ſit.

A Sinistris.

Duces Bauariæ, qui iidem Comites Palatini.
Duces Saxoniæ.
Marchiones Brandenburgenſes.
Duces Brunſuicenſes & Lunenburgenſes.
Dux Iuliacenſis, Cliuenſis & Bergenſis.
Duces Mechelburgenſes.
Dux Wittembergenſis.
Dux Sabaudiæ &c. ſicuti in ſuperiore ordine memorati ſunt Principes ſeculares vna cum Comitibus & Baronibus.

Habent autem omnes Imperii Principes tam Eccleſiaſtici, quam Seculares in huiuſmodi conſeſſibus ſuam ſinguli in ſuo conſilio vocem: præter Regem Bohœmiæ, qui vocem non habet, ſed ſi quid forte diſſentionis & controuerſiæ inter Electores oboriri contingat, id componit, & in quam ille partem accedit, hoc ratum, diſcluſa omni controuerſia, habetur. Prælati vero ii, qui non ſunt Principes, ſed tantum Imperii Abbates, habent vna cum ipſis Imperii Abbatiſſis Prælatis, tantum duas voces omnes ſimul: quemadmodum & Comites atque Barones Imperii omnes tantum duas voces ſimul obtinent. Porro Principes poſtquam concluſerunt, proponunt Ciuitatibus quid concluſerint. Qua conſultatione ſuper propoſitis & concluſis à Principibus habita, ſi in quo grauati ſibi forte videantur, id referunt. Quod ſi tum moderari & componi forte per Principes nequit, ipſi offerunt Cæſari, qui vt pronunciauerit, ita ratum & firmum permanet. De qua re cum grandis ſit inter Principes & Ciuitates contentio, non conſultum eſt plura ponere. Ordinem autem ſedendi, quem ſeorſum quoque in ſuo conclaui Ciuitates habent, in duo diuidunt latera, dextrum nimirum & ſiniſtrum. In dextrum Rhenanas Imperii Ciuitates collocant: in ſiniſtrum, Sueuicas. Contendūt autem & altercantur nonnullæ etiam Ciuitates inter ſeſe de ſeſſionis honore. Quare nec hic ordo certus vbique & ſine diſſentione indubitatus haberi poteſt.

Latvs Dextrvm.

Colonia.

Aquiſgranum. Sunt qui putant Aquiſgrano primum deberi locum, quod & antiquiſſimi Imperii ciuitas ſit, & prima Imperatoris in ipſa coronatio fiat, verum an honoris gratia, an de conſuetudine, neſcio. Colonia fere ſemper ipſi præſidet.

Metæ ſeu Mediomatrices.
Wormatia.
Lubecum.
Spira.
Francofurdia.
Hagena.
Columbaria.
Schletſtadium.
Goſſaria.
Northuſium.
Mulhuſium in Thuringia.
Dantzig.
Tremouia.
Landauia.
Baſilæa.
Biſuntium.
Geneua.
Luſanna.
Tullum.
Verdunum.
Cameracum.
Keiſersberga.
VVetzlaria.
Fridburgum.
VVeiſſenburgum ad Rhenum.
Ceylenhuſium.
Offenburgum.
Gegenbachium.
Zell.
Durckheimium.
Buchania.
Fridberga.
Rosheimium.
Ehenheimium ſuperius.
Monaſterium in valle ſancti Gregorii &c.

Latvs Sinistrvm.

Ratiſpona.
Auguſta.
Nureimberga.
Conſtantia.
Vlma.
Eſſelinga.
Norlinga.
Hala Sueuorum.
Rotemburgum ad Tuberim.
Memminga.
Campidunum.
Rotwila.
Reitlinga.
Heilbrunna.
Dinckelſpuhela.
Gemunda.
Weiſſenburgum in Nortgouia.
VVintzen.
Lindauia.
Danouerda.
Kaufbeura.
Rauensburgum.
Bibracum.
VVimpina.
Bopfinga.
VVangena.

Gienga.

Gienga.	Mulhuſium in Alſatia
Lickirga.	Buchorna.
Pfullendorpiam.	Weil.
Schueinfurdia.	Iſny &c.
Vberlinga.	

Nunquam tamen viſum eſt in vllis Imperii conuentibus, vt vel ex maiore parte omnes hi Imperii Principes (exeptis Electoribus) Status & Ordines ſic perſonaliter ſimul in vnam ſeſſionem comparauerint.

FIGVRA QVOMODO ELECTOR MOGVNTINVS IN PRIVATA ſynodo cum ſuis ſuffraganeis ſedere ſoleat.

DEXTRVM	*Moguntinus Archiepiſcop.*	SINISTRVM
Herbipolenſis.		Wormatienſis.
Eiſtetenſis.		Spirenſis.
Argentinenſis.		VVerdenſis.
Curienſis.		Hildeshemenſis.
Paterbornenſis.		Conſtantienſis.
Halberſtatenſis.		Auguſtenſis.

Sed Prognoſtica apud Moguntiam impreſſa alium habens ordinem, nimirum hunc qui ſequitur.

DEXTRVM	*Moguntinus.*	SINITRVM.
Spirenſis.		Herbipolenſis.
Wormatienſis.		Eiſtetenſis.
Churienſis.		Werdenſis.
Argentinenſis.		Hildeshemenſis.
Halberſtatenſis.		Conſtantienſis.
Paterbonenſis.		Auguſtenſis.

Verum, vti intelligo, confuſaneus hic ordo eſt.

EXEMPLVM STATIONIS PRINCIPIVM AD FRIDERICVM III. Imperatorem ad Ratiſponam in Comitiis.

Delineatio quomodo Electores & Imper. Ordines ante & iuxta Fridericum III. Imperatorem in Comitiis Ratiſponenſ. Anno 1471 in campo ſuper prandium adfuerint & ſteterint, excerpta Spiræ ex pictura in domo cuiuſdam Canonici ante Aedem Maiorem. Quam rem quidam Otho eius Eccleſiæ quondam Canonicus ſic depingi ſuper panno lineo ad parietem curauit. Eſtq; eadē cum illa, quæ Halæ Saxonicæ in noua illa Regia eleganti pictura expreſſa eſt. Niſi quod illa Halenſis & locupletior eſt, pluresque ex Statibus continet, & paulo ordinatior. Nam in hac ſtatione, vt campeſtris fuit, ita non adeo ſuperſtitioſe, neque ad exactam cuiuſque iuris portionem obſeruatus dignitatum ordo eſt, quod ſibi inuicem nonnulli, alius alii honorem detulerint.

Cæſar in tentorio defixo, in Maieſtatis ſuæ ſplendore reſidet, ſtatque parata ante ipſum menſa, ante quam Electores Eccleſiaſtici iuxta ſe inuicem conſiſtunt.

Moguntinus dexter: Treuericus medius: Colonianus ſiniſter. Poſt horum terga tres miniſtri cum vexillis ſingulorum iſtorum Electorum inſignium.

Poſt hos ſtat Elector Saxonicus Archimarſchalcus, tenens menſuram auenaceam, à Bappenheimio hæreditario Marſchalco ſibi oblatam. Poſt quem ſtat miniſter quidam cum vexillo armorum ſeu inſignium ipſius Electoris Saxonici.

A dextra menſæ accedit Elector Brandēburgus Archicubicularius, ferens peluim argenteam, à Falckenſteino hæreditario cubiculario ſibi porrectam, cum mappa nitida ad proluendas extergendasque manus. Eumque ſequitur miniſter cum vexillo inſignium eius Electoris.

A ſiniſtra menſæ accedit Elector Palatinus Archidapifer, geſtans diſcos aliquot argenteos ad menſam cum ferculis, porrectos ſibi à Nottembergo hæreditario culinæ Præfecto. Quem & ipſum ſequitur miniſter cum vexillo armorum ſeu inſignium Palatini.

E regione Palatini paulo infra accedit Rex Bohœmiæ Archipincerna, portans Phialam cum potu à Limburgo hæreditario Pincerna ſibi porrectam, quem quoque miniſter cum vexillo armorum Regis Bohœmiæ ſubſequitur.

Reliqui autem Principes hoc ſtant vtrinque ad menſam ordine, cum charta ſupra ſingulorum capita, in qua ſinguli cuiuſque nomen inſcriptum eſt.

A DEXTRIS.	
Archiepiſcopus Salisburgenſis.	Epiſcopus VVormatienſis.
Archiepiſcopus Magdeburgenſis.	Epiſcopus Spirenſis.
Archiepiſcopus Bremenſis.	Epiſcopus Conſtantienſis.
Epiſcopus Bambergenſis.	Epiſcopus Argentinenſis.
Epiſcopus Herbipolenſis.	Epiſcopus Curienſis.
Epiſcopus Eyſtetenſis.	Epiſcopus Vuerdenſis.
	Epiſcopus Hildeshemenſis.

Epiſcopus Walburnenſis.
Epiſcopus Auguſtenſis.
Epiſcopus Halberſtatenſis.
Epiſcopus Metenſis.
Epiſcopus Tullenſis.
Epiſcopus Traiectenſis.
Epiſcopus Leodienſis.
Epiſcopus Monaſterienſis. hic habet literas in manu.
Epiſcopus Miſnenſis.
Epiſcopus Tridentinenſis.
Epiſcopus Patauienſis.
Epiſcopus Brixienſis.
Epiſcopus Friſingenſis.
Epiſcopus Gaecenſis.

Rex Daniæ.
Rex Suediæ.
Rex Nortuegiæ.
Dux Bauariæ.
Dux Auſtriæ.
Dux Brunſuichiæ.
Dux Sabaudiæ.
Dux Lotharingiæ.
Dux Bergæ, qui habet literas in in manu.
Dux Brys.
Dux Cliuiæ.
Dux Stetinæ.
Marchio Miſniæ.
Marchio Morauiæ.
Marchio Bandenſis.

A SINISTRIS.

Rex Poloniæ.

Hic ſtat quidam Princeps ſine charta ſupra caput, quæ nomen contineret, in eius ſcuto ſunt duo Leones cœrulei in flauo campo.

Dux Schueidenitz.
Dux Ligenitz.
Lantgrauius Thuringiæ.
Comes Lucemburgiæ.

Comes VVirtenbergiæ.
N. Marca.
Marchio Luſatiæ.
Dux Holſatiæ.

Et hic ſtat quidam Princeps ſine charta, ſed eius ſcutum habet Rhomboides in flauo campo veluti hodie Dux VVirtenbergiæ & Teck geſtat.

Dux Mechelburgiæ.
Lantgrauius Leuchtembergiæ.

Atque hic ordo Principum etſi confuſaneus videri queat, nec in ſui cuiuſque iuris obſeruationem diſtinctus, tamen ſic ibi ponitur, tanquam ita in eo conuentu conſtiterint.

PIOS ET BENE CHRISTIANOS NON DECERE DE SEDENDI ORDINE *& honore pertinacius contendere, ſed negligentius hæc curare, Mameranus ad Lectorem.*

Quo in terris ſedeant Heroes ordine dixi,
Imperii Statuum ſit quis & ordo Sacri.
Sed quoniam lites exercet is ordo ſedendi,
Inter nonnullos, inuidiamque grauem:
Eſt opus vt vitæ, quo ſit bonus ordo, futuræ
Curent, & celſi Regna beata Patris.
Ille erit æternus ſemper ſine litibus ordo,
Sed nullos recipit ille, niſi vſque probos:
Ille decens erit, atque immenſa luce refulgens:
Numine & æterni plenus vbiq; Dei.
Huius turbator primum quod Lucifer eſſet,
Contentusque ſua nec quoq; ſede foret.
Confeſtim criſtas quod tolleret ille ſuperbas,
Decidit ex illo, & perdidit omne bonum.
Lapſus in horrendum ſubito de ſede barathrum,
Ordo vbi nullus adeſt, vndique nulla quies.
Id quoque ne perdant, hos nulla ſuperbia vexet.
Vt cerni primus ordine quiſque velit:
Sed potius de iure ſuo decedat, vt ipſam
Seruet amicitiam, hinc gloria maior erit.
Semper Chriſticolis turpe eſt contendere honoris
Cauſa præfracte, perrigideque nimis.
Hoc docet (& verum eſt) ſua nos per dogmata Chriſtus,
Vtque humiles, mites ſemper vbique ſimus.
Sic tandem ad vitam nos transferet ille beatam,
Heredes regni nos facietque ſui.
Illic lætitia pleni viuemus in omne
Æuum perpetuis, pleni & amore Dei.
Quod cunctis præſtet Pater & cæleſtis, & ipſe
Filius, & iunctus Spiritus ille ſacer.

PARS

PARS VII.

Continens

RELATIONEM HISTORICO-POLITICAM

DE ABDICATIONE, CESSIONE SEV RENVNciatione S. Imperii Romani, & Regnorum inde dependentium à CAROLO V. Imperatore Auguſto facta in FERDINANDVM fratrem, Electum & Coronatum Regem Romanorum.

I.

DE ABDICATIONE SEV RENVNCIATIONE IMPERII ET REGNORVM A CAROLO V. IMPERATORE facta, Anno 1555. & electione Ferdinandi Imperatoris, rebuſque quæ inter vtramque acciderunt,

NARRATIO
DESCRIPTA ATQVE COLLECTA AB HISTORIÆ STVDIOSO.

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO Marquardo Epiſcopo Spirenſi, & Præpoſito VVeiſſenburgenſi, ac Cameræ Imperialis iudici æquiſſimo VVilhelmus Godeleuæus hanc Hiſtoriolam dedicat, donat, & conſecrat.

VT anni præcedentes milleſimum quingenteſimum quinquageſimum quintum poſt Chriſtum natum, vario orbis terræ gubernatorum interitu, triſtiſſima populorum ac ciuitatum vel expugnatione, vel calamitate ac regnorum mutatione, conſiliorumque inſperatorum ſuſceptione & euentu inſignes extitere, ſic & hic eorum minime expers fuit: Nam initio & duo Pontifices Iulius III. eiuſque ſucceſſor Marcellus II. & Heroina Iohanna Arragonia Imperatoris Caroli V. mater, & Henricus Nauarræ Rex, ſingulari bonitate, paciſque ſtudio celebris, mortalis vitæ extremo die confecto, ad aliam tranſiere. Et in Germania Sebaſtianus ab Heuſenſtein, Archiepiſcopus Moguntinus Imperiique Elector, cum grauiſſimis difficillimiſque temporibus, ſingulari prudentia decem fere annis Reipubl. præfuiſſet, fato concedit. Ac circa Nonas Nouembris Agnes Iohannis Friderici Saxoniæ Ducis coniunx, Landtgrauii Heſſorum Philippi filia, quæ antea Mauricio Saxoniæ Duci nupta fuerat, terreſtre hoc domicilium deſerit. Deinde, celebratiſſima Hetruriæ ciuitas Senarum, poſt fortiter toleratam longiſſimæ obſidionis famem ex conuentione, ſe Imperatori Carolo V. & eius nomine tanquam belli conſorti Coſmo Florentiæ Duci ſe dedidit: earundemque Senarum municipium, quod Portum Herculis nominant, Petro Strozzæ, cum delectæ militiæ manu, & nauibus Gallicanis excluſo, exercitus Cæſariani & Florentini virtute, Marignano duce, expugnatum eſt. Ac ne penitus Galli à fortuna deſtituti viderentur, & ea his in Caſales & Vulpiani Taurinorum oppidorum occupatione arriſit, illa menſe Martio, opera Saluazonis, viri nobilis, partim aſtu, partim vi, Mantuani Ducis partibus Cæſarianorum fauentis, iuriſdictione ſubtracta. Vulpiano vero poſt horribilem tormentorum concuſſionem ac oppugnationem Briſaci Gallorum Ducis, ferociſſimam, obſtinatiſſimamque in pactiones propoſitas deſcendente, vt mœnibus nudaretur, & arx penitus euerteretur. Nec admiratione caruit exitus Comitiorum, quæ à Carolo quidem indicta, à fratre vero Ferdinando, illo cum valetudine tum bellis diſtricto, Auguſtæ habita fuere, re poſt longam diſceptationem eo perducta, vt ſeptimo Calend. Octobr. omnes controuerſiæ de bonis eccleſiaſticis, tollerentur, Iuriſdictio ſacra, quoad diſſidium religionis, integre componeretur, ſuſpenſa maneret, & religio Confeſſionis Auguſtanæ omnibus libera permitteretur, Eccleſiaſticis tamen qui religionem mutarent, citra infamiam beneficio mulctandis. Cæterum inter ea omnia, & Caroli V. regnorum & Imperii ſponte facta abdicatio inſignis fuit. Quis etenim crediſſet, Imperatorē, inexplebilis dominandi cupiditatis ab æmulis ſemper grauiſſime culpatum, ac in omnibus actionibus ſemper prudentiſſime verſatum, in rerum omnium ſucceſſu felici, ſponte adminiſtratione Reipubl. atque priuatæ ceſſurum: eamque in filium, qui ætate infirmus, ſcientiæ militaris, rerumq;

vſus

vſus expers haberetur, translaturum eſſe, maxime eo tempore, quo & infeſtiſſimi belli mole premeretur, & ærarium alieno ære grauatum, quaſiq; exhauſtum eſſet? Verum qui perpenderit Carolum à longinqua & ingraueſcente corporis imbecillitate, & faſtidio offenſionum, tot bellis contractarum ita affectum fuiſſe, vt non modo Magiſtratus continuandi, ſed etiam vitæ ſpem omnem abiecerit, næ ipſe eum optime rebus ſuis conſuluiſſe ſtatuet, qui filium viridi ætate, & gubernaculis Reip. tractandis idoneum tot regnis in vita præfecerit, vt mature rebus gerendis aſſueſceret, & ex eius induſtria, prudentia, ac felicitate præteritorum laborum, & extremæ ætatis eius moleſtias, leniret. Inq; eo conſilio haud dubie anteceſſorum ſuorum exemplis eſt confirmatus, quorum non pauci Imperii pertæſi ſponte Magiſtratu abiere. Nam ne Diocletianum commemorem, qui orbe pacato, poſt annorum 20. Imperium Nicomediæ cum collega Maximiano, id ſponte depoſuit, & in propoſito, decem annis, quibus ſuperfuit, conſtanter permanſit, hortorum amœnitati vacans, atq; teſtatus, cum iterum à priuata vita ad Imperium ſollicitaretur, *nullos ſibi vnquam ſoles latiores affulſiſſe.* An non & Chriſtianos quoſdam tam Germanicos quam Conſtantinopolitanos idem factitaſſe legimus? Sic etenim Lotharius, Ludouici Pij filius, cum Ludouicum filium regni conſortem aſciuiſſet, & Imperii ſocium declaraſſet, decimoquinto poſt anno monaſticam vitam ſecutus, in monaſterium Prumienſe, quod ipſe fundarat, ſeceſſit, ſubditorum animis in eo concedendo promptioribus, quam patri Ludouico fuiſſet, qui cum monaſterium S. Dionyſij ingreſſus cucullam monachalem, abiecto baltheo, induiſſet, renunciaturus Imperio, primorum regni Franciæ Principem amantium, ſtudio id retinuit. Crebriora vero eius rei exempla, in Conſtantinopolitanis Imperatoribus videre licet: inter quos Theodoſius tertius Leone Conone, ab exercitu Chryſopoli Imperatore declarato, data ſibi fide, nil incommodi paſſurum, Leoni ceſſit, & tonſus ipſe cum filio factus eſt clericus. Michael Curopalates cognomento Rancabe, poſt annos Imperii quatuor, & menſes nouem, habenas regni, in Leonem, ob cordis mœſtitiam maximam, in quam ob aduerſam pugnam inciderat, tranſtulit. Alexius Moſtele, Theophili gener, vt inuidiam Imperii affectari declinaret, coniuge Maria mortua, cum crinibus, à quibus eius familia nomen habuit, dignitatem regiam depoſuit, ac habitu monachali induto, in monaſterio Anthemii, à ſe exædificato, vitam finiit. Manuel poſt 38. annos Principatus, monaſticam vitam ſecutus, morbo periit. Ioannes Cantacuzenus, cum Ioanne Palæologo Imperio per aliquot annos adminiſtrato, eo ſe abdicans, monaſticam vitam profeſſus eſt.

Ac plures his enumerari poſſent, ſed id fieri minime neceſſe eſt, cum plerique ipſorum non tam imperii faſtidio, quam vel conſcientia delictorum, vel ignauia, vel infelicitate rerum geſtarum, adducti, publicum fugientes in occulta ſe loca abdiderint. De Carolo vero V. cum nihil tale dici queat, ſedis quam gloriam integritatis, fortitudinis, prudentiæ, atq; virtutum omnium, initio imperii ſibi peperit, & ſepulchro, quo tegitur, intulerit: non abs re erit, hiſtoriam huius renunciationis, cum aliarum virtutum Caroli, tum deſpicientiæ rerum caducarum atque fragilium (quas alii non ſolum ſummo ſtudio indefeſſoq; labore ſectari ac quærere, ſed & ægre & non ſine labore, dimittere conſueuerunt) breuiter referre, vt virtutibus ipſius cognitis, poſteritas eius ſi non imitari, admirari ſaltem diſcat. Etſi non inſcius ſim varia de hoc Caroli facto iudicia fuiſſe. Nam conſilium hoc eum cepiſſe etiam ante triginta annos affirmabatur, ſed nunc & exhauſtis viribus & aduerſis euentis fractum, id executum eſſe, quod ratione quadam olim facturum ſe eſſe conſtituiſſet. Nec deſunt fide & autoritate præſtantes, qui referant, cum aliqui ab ea ſententia Carolum abducere voluiſſent, eum dixiſſe: *Impendiſſe ſe quæ habuiſſet omnia, & quidem in fulciendum tuendumque maxime Eccleſiaſticum ſtatum: Pecuniam, quæ quidem reparari, idque damnum ſarciri forte poſſet, ſed amiſſam quoque eſſe exiſtimationem nominis, & valetudinem bonam, & ſtudia hominum, quæ recuperaturus eſſet nunquam.* Cæterum vtcunque ſeſe res habeat, nos minime in eius conſilia inquirere volentes, ad narrationem inſtitutam accedemus.

Cum itaque Carolus anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, vt diximus, imbecilla corporis valetudine & ingraueſcente ætate conflictaretur, quo quieti & tranquillitati exoptatæ ſe dederet, Philippum filium, qui anno ſuperiore, ad decimũ nonum Iulii diem, ex Hiſpaniis cum claſſe in Angliam appuliſſet, & die, qui Diuo Iacobo Hiſpaniarum patrono ſacer eſt, nuptias cum Maria Anglicana peregiſſet, ex Anglia Bruxellas ad ſe euocat: eoque Septemb. initio, ex Britannia in Brabantia patrem reuiſente, totiusque Belgii Proceribus, & omnium Ordinum ſtatibus Bruxellæ iuxta mandata comparentibus: Cæſar VIII. Cal. Nouemb. mane Philippum filium Militum ordinis Aurei Velleris principem, pro veteri ritu dicit. de quo ordine ideo paucioribus mentionem faciemus, quod & ab aliis iam ante id factum, & de eius inſtitutione ac legibus, commodior, amplriorque dicendi locus alibi futurus ſit; hoc ſaltem admonentes, ex lege Philippi Ducis Burgundiæ cognomento Boni, primi eius ordinis autoris, ad nullum, niſi ad ſucceſſores ſuos (qui hodie ſunt Auſtriaci) inſtitutionem Equitum huiuſmodi pertinere. Poſt meridiem vero eius diei, poſteaquam in ampliſſima curia, frequentiſſimus Senatus, eo de induſtria euocatus coiiſſet, Imperator, pone ſequente filio, ſorore Maria Belgarum moderatrice, Allobroge Emanuele Philiberto, & aſſidua nobilitate ſtipatus, in atrium maius aulæ accedit, aulæis atque nouis exhedris inſtructiſſimæ, quo loci, vbi primus in ſolium aſcendit, ſedentis dextrum latus, Philippus filius,

ſiniſtrum Maria ſoror ita clauſit, vt terna ſedilia triangulari fere linea eſſent conſtituta: Reliquo eminentiori comitatui ſubinde aſſeſſio imperabatur: ac quidem inter alios Hannoniæ Seneſchallo, podagræ morbo vexato Cæſar ſemel atq; iterum humaniſſime iuſſit ſedem poni, quam tamen ille modeſtiſſime recuſabat. Conſeſſu itaque ſilentio facto, mox ſurgens Bruxellas Regni conſiliarius, pro Imperatore in hunc modum ornate grauiterq; fari incipit. *Imperatoriam Maieſtatem tot exantlatis laboribus fractam, & increbreſcente corporis inualetudine afflictam, tolerandæ diutius tantæ rerum molis imparẽ, Hiſpanienſe regnum, quietis cauſa (quod illum aerem, clementiorẽ Belgicorum, iudicaret) velle aliquando reuiſere, idcirco deliberato inhærere, ac Philippo filio Britannorum Regno recens aucto, hæreditatem Belgicam generatim tradere, exiſtere eum iam ætate firma, habilem aptumq; ad ſuſcipiendam adminiſtrationẽ, atq; eo iudicio preditũ, vt facile ex æquo & bono Rempub. gerere, ſubiectis parcere, & ſuperbos debellare queat.* Ac proinde inſtrumentum ceſſionis ſeu renunciationis Caroli, lingua Latina, in hanc fere formam confectum, atque ab Imperatore ſubſcriptum, ordinibus prælegit.

Carolus diuina fauente gratia Romanorum Imperator & Rex Hiſpaniarum: Notum facimus ſingulis & vniuerſis hic præſentibus, & haſce viſuris, quatenus nos ad animum reuocantes, quod in poſterum propter ætatem & inualetudinem noſtram aliasq; cauſas, labores, profectiones, & moleſtias, quas hucuſq; longo tempore ob gloriam Domini Dei noſtri, conſeruationem ac defenſionem ſtatuum, regnorũ noſtrorumq; ſubditorũ ea incolentiũ perpeſſi ſumus, ſufferre non valeamus: Statuerimus ac determinauerimus, regna noſtra Hiſpanienſia reuiſere, & in iis quod vitæ reliquum eſt, in quiete & tranquillitate tranſigere. Et videntes Philippum Regem Angliæ & Neapolis, filium noſtrum chariſſimum in ætate apta gubernationi, & integræ adminiſtrationi regionum Belgicarum, à quibus iam iuramento et obſtrictis tanquam vnicus noſter filius & hæres pro futuro principe & domino, cum obſeruatione conſuetarum, debitarum ſolennitatum iam antea receptus eſt, & quod adhuc regnum Angliæ hiſce terris vicinum ſit. Quod propterea vt dicto domino & noſtro filio, ſit melior opportunitas gubernandi atq; regendi regna & regiones vicinas, eaſq; conſeruandi & defendendi ab inuaſione & inſultu hoſtium: et ceſſerimus dictas terras, & cupiamus hiſce de cauſis: aliisq; iuſtis & æquis rationibus, expoſitis in præſentia noſtra, & filii noſtri Regis Angliæ in plena & ſolenni congregatione procerũ & ſtatuum harum terrarũ, noſtræ mentis diſpoſitionem atq; ſententiam in effectum producere, omnino cõſidentes, eos minime grauatim nomine noſtro præfatum regẽ recepturos, Vtpote cui ceſſio, relaxatio & tranſlatio harum terrarum proprio motu noſtro, libera voluntate, autoritate, & poteſtate abſoluta, facta eſt, vt & per præſentes, cedimus, relaxamus & transferimus dicto noſtro filio, Regi Angliæ & Neapolis, omnes terras citeriores, Ducatus, Marchionatus, Principatus, Comitatus, Baronatus, Dominia, Ciuitates, Oppida, Caſtra Arces quæ in hiſce ſunt, cum regaliis, feudis, homagiis, allodiis, patrimoniis, aduocatiis, redditibus, prouentibus, cõfiſcationibus, mulctis, pertinentiis, & appendiciis ipſorum, & omni iure & actione quod potuimus aut poſſumus prætendere, ad dictantes: Præterea omnes dignitates, præeminentias, prærogatiuas, priuilegia, exemptiones, iuriſdictiones appellationes, & denique omnes ſuperioritates, cuiuſcunq; generis ſint, & quacunq; ratione competere poſſint, ſeu titulo patrimonii, ſeu alio: nullo fructu vel vſu in vlla commemoratarum ſuperioritatum ac dignitatum nobis retento vel reſeruato, quibus vſi, fructi & gauiſi hactenus ſumus. Nihilominus tamen volentes: vt id fiat cum tranſitu obligationũ, ſoluendi omnia debita & mutua contracta per nos, aut alios nomine noſtro, in rebus concernentibus terras has citeriores. Et per præſentes facimus, creamus, & inſtituimus ipſum Principem & Dominum dictarum terrarum, conſentientes & permittentes, vt ab hinc in poſterum ſine vlla alia licentia aut requiſitione, ipſemet, aut alii pro ipſo, integram & plenam poſſeſſionem apprehendat, dantes quoq; illi amplam poteſtatem & liberam autoritatem faciendi de nouo, quicquid opus fuerit, obſtringendi ſtatus & ſubditos iuramento, & renouandi inueſtituras locorum, prout res requiſierit, ſimiliter recipiendi iuramentum ab ipſis, & obligandi ad omne id, ad quod prioribus iuramentis reciproce teneantur. Conſentientes amplius, vt retineat, mutet, deleget atq; inſtituat in dictis terris, gubernatores, iudices, iuſticiarios, tam pro defenſione & conſeruatione ipſarum, quam pro adminiſtratione iuſtitiæ, Politiæ, & alterius quam voluerit rei. Denique vt faciat quod verus, ſupremus, naturalis ac proprius princeps poſſit, & facere ſoleat, & non aliter quam fecerit aut facere potuerit poſt noſtram mortem. Et ad hunc finem quietauimus, abſoluimus & exonerauimus, quietamus, dimittimus & exoneramus omnes Epiſcopos, Abbates, Prelatos & alios Eccleſiaſticos, Duces, Principes Marchiones, Comites, Barones, Gubernatores, Capitaneos, terrarum & belli Præſides, Cancellarios, Præfectos atq; Rectores conciliis ærarii, ac rationum, aliosque officiales, præfectos militum, munitionum, præſidiorum, eorumq; Vicarios, Equites, Scrutarios, Vaſallos, & denique omnes ſubditos huius citerioris terræ & quemlibet ipſorum à iuramento fidelitatis fide, homagio, promiſſionibus, quibus nobis tanquam ipſorum Domino & ſuperiori Principi, fuere obſtricti, volentes, ordinantes, & expreſſe mandantes vnicuique, vt dictum noſtrum filium, pro vero ipſorum Domino, & ſupremo Principe recipiant, & illi Iuramentum fidelitatis, homagium, promiſſiones & obligationes modo conſueto, & ſecundum qualitatem terrarum, locorum, feudorum, & dignitatum præſtent. Ad hæc vt illi omnem honorem, reuerentiam, obedientiam & fidem exhibeant, ſeruitia præſtent, eumque tali amore & ſtudio proſequantur, qua bonos & fideles ſubditos, ipſorum verum ſupremum & naturalem Principem & Dominum complecti decet, & prout nobiſmetipſis hactenus fecerunt. Supplentes omnes defectus & omiſſiones tam iuris quam facti, qui poterunt in hac ceſſione atque tranſlatione eſſe, & derogantes ex plenaria, & abſoluta poteſtate, omnibus legibus & conſtitutionibus, quæ ei obſtare poterunt. Nam ita nobis placet: In cuius teſtimonium & notitiam præſentes manu noſtra propria ſubſcripſimus, eaſque maioris noſtri ſigilli munimine firmari fecimus. Data in Ciuitate noſtra Bruxella 25. die Octob. Anno 1555.

Hiſce ab Oratore dictis atque prælectis: Imperator ipſe eius interceptam orationem aſſumens, & membranula eorum, quæ ad Senatum referre ſtatuiſſet, capita continente, memoriam adiuuans.

Principem

Caroli V. Imp. Oratio h[illegible] Gallica habita Bruxellis, in conuentu Procerum Belgicæ, Anno 1555.

PRincipem bonum decet omni officio, dum poſsit, Remp. & regere & tueri: cum per valetudinem non poſsit, eam prouinciam in eum conferre, quem maxime præfici conueniat, vt eum amorem principatu deponendo declaret quem gerendo præbuiſſet. Alterũ à me ſemper cum regnis omnibus meis, tum huic maxime prouinciæ per maximas temporum difficultates præſtitum eſſe, iure id mihi ſumere poſſum. Annus enim 33. agitur, cum hinc Oceani nauigationem in Hiſpaniam eo conſilio ſuſcepi, vt regnorum meorum ipſe pro me rationem haberem, quæ poſtquam rebus compoſitis, æquitate ac iuſtitia in ordinem redegi, meipſum rurſus veſtra cauſa Oceano commiſi, nolebã enim vos in eo periculo verſari diutius, quod graue nobis à Gallis hoſtibus impendebat. Itaq; noſtras vires ad vos tuendos omnes contulimus, ac prouinciam firmis præſidijs ſeptam, exercitus Gallici metu liberauimus. Aliquanto poſt tertium in Hiſpaniam claſſe nobis properandum fuit. Anno vero ſupra 1530. Clementis VII. Pontificatu, traiecto ſinu Liguſtico in Italiam ſum appulſus, coronam orbis Chriſtiani debitam Imperio, quod mihi gerendum diuina prouidentia tradidit, Summi Pontificis manib. ſub idem mihi tempus res Italicas conſtituendi Margaretam Auſtriacam amitam meam chariſsimam piæ memoriæ e viuis exceſsiſſe nunciatum eſt, cuius fato, qui verebar ne quid Reipub. veſtræ mali ex hac re contingeret, ab Italia longo itinere rurſus ad vos me contuli atq; de ſtatu vniuerſo Belgicæ certior factus, quod commodiſſimum patriæ ſum arbitratus penes Reginam ſororem dilectiſsimã, cuius prudentiã, fidem, diligentiam probe indicatam & expenſam habebam, ſummam huius principatus adminiſtrandi eſſe decreui. Anno vero 32. nuntium accepi certum Turcarum Tyrannum eo progreſſum audacia & bello, quod ad Imperij Chriſtiani exitium maximis copijs inſtituerat Viennam Auſtriæ metropolim tentaret. Hoc ego tanto periculo commotus maximo ex omnibus prouincijs exercitu conſcripto, illuc prælium commiſſurus ſumma diligentia contendi. Sed barbarus hoſtis, exercitus noſtri robore conturbatus amiſsis caſtris, & magnis acceptis cladibus, turpiter fuga ſe recepit. Hoc metu non modo Germania, ſed orbe noſtro liberato ad Remp. Chriſtianam modis omnibus concordia ſtabiliendam animum adieci, atq; rebus potiſsimum Germanicis & Italicis diligenter eo tempore procuratis in Hiſpaniam per mare Mediterraneum nauigaui. Illinc claſſe magnis ſumptibus inſtructa copias in Africam Tunetum Barbarici latrocinij receptaculum oppugnaturus deduxi. Eam enim vrbem latronum princeps Barbaroſſa Turcicæ claſsis Imp. occupauerat, vt nactus opportunum locum Piraticæ, quam exercebat, vtranq; Siciliam finitimasq; Chriſtianorum prouincias bello laceſſeret. Hoc malum felici victoria depuli ac fugatis hoſtibus Chriſtiani nominis Goletam arcem ac Tunetum Dei Opt. Max. beneficio in poteſtatem noſtram redegi. Tuneto in regna noſtra Siciliæ ac Neapolis nauigaui. Illinc Romam profectus, cum accepiſſem noua iniuria Gallos bellum tam diu ſepultum renouare, in collegio patrum purpuratorum Paulo Pont. Max. ſum teſtatus publice, ſi quid ex hoc bello, quod coactus ſuſcipiebam, detrimenti rei Chriſtianæ naſceretur, huius ad me mali nullam vituperationem redire debere, ſed ad eos, qui inuidia dignitatis meæ inſtaurandæq; religionis noſtræ conatus meos impedirent. Hoc bellum poſtquam inducijs & certa pacis ſpe diremptum eſt, ex portu Genuenſi in Hiſpaniam nauigio contendi: illinc cum mihi renunciatum eſſet, motus in Belgica improborum conſilijs excitari, qui ad Remp. deformandam & fœdam ſeditionem vergerent, idq; malum loco natali meo primum exarſiſſe: putaui hoc incendium opprimi celeriter oportere, quod vt reſtringerem, omnem ego metum, quem ex multis coniecturis iuſte ſuſcipere poterã, abegi, meq; grauibus periculis vt eos motus componerem lubens obieci. Sed Dei Opt. Max. ſingulari prouidentia factum eſt, ne quod mihi diſcrimen ab ijs oriretur, qui vt dolis & perfidia rationes meas labefactarent, Franciſco Regi Gallorum conſilium dabant, ne me ſemel ingreſſum regni Gallici fines liberum in Belgicam deſcendere permitteret: hic fidem ſuã mihi datam liberali commeatu amice & conſtanter liberauit. A Belgica profectus in Italiam, claſſem eo conſilio & exercitum paraui, vt portum in Africa nactus Argerium expugnarem, ad enim cum ad tuenda noſtra regna, tum ad rem Chriſtianam propagandam inſtitueram. Sed conſilium iuſte quidem atq; fortiter ſuſceptum, ne ſuccederet fortuna tunc exterſit. Illinc re infecta in Hiſpaniam moleſta nauigatione ſum tandem ope diuina delatus: vnde meipſum tot laboribus fatigatum periculum veſtrum rurſus euocauit. Itaq; Mediterraneo ſum præteruectus in Italiã, illinc ad vos magnis itineribus ingentibus copijs inſtructus, vt hoſtium vim à vobis arcerem perueni, hoſteq; finibus veſtris armis fortiter abacto res noſtræ vt in tuto eſſent, effeci. Quæ poſtea in Germania facta ſunt, noſtis vos quidẽ, & ita noſtis, vt intelligatis me etiam tacente quantum ſtudium, quantam curam & operam ſemper ad Reip. Chriſtianæ compendia contulerim. Videtis quis ſit iam rerum Belgicarum ſtatus atq; facile cognoſcitis ex hoc tempore, quo Imperium adminiſtrandum ſuſceperim, nullam mihi ætatis partem vnquam conſtitiſſe, labore, curis, periculis vacuam. Ea fuit conditio temporum, vt mihi nunq[illegible], ne in minimo quidem otio verſari licuerit. Præſtiti igitur quod initio dicebam, munera & officia principis omnia dum potui. Iam cum intelligam mihi & ætate & valetudine grauiter affecto, pondus gerendi principatus minime conuenire, ne quid contempſiſſe videar, quod ad Belgicæ tranquillitatem pertinet, ſtatui ius omne principatus Belgicæ ad filium chariſsimum referre. Qui cum ſit ætatem nactus idoneam ad res gerendas, ingeniumq; acceperit a natura principe bono dignum, iam vſu confirmatum & accommodatum ad Remp. eum huc eo conſilio ad me venire mandaui: vt in hoc conuentu omnium ordinum Belgicæ Princeps à me veſter pleno iure diceretur, eamq; prouinciam quam iamdiu ſuſtinui, ſibi iuſte ac legitime adminiſtrandam ſuſciperet. Cui vt morem geratis, fidem iureiurando detis, datam ſancte ac pie præſtetis, mandamus acpræcipimus. Fuit hic finis Cæſ. orationis.

Tum Philippus Rex erectus capite detecto, patrem ſalutat. progreſſusque ſeni parenti tactam dexterã venerabundus, & in genua prouolutus exoſculatur. Hunc Cęſar amanter complexus, manu rite capiti impoſita Principẽ Belgicę declarauit, atq; eidem conceptis verbis ſignaculo crucis, nominibusq; S. Triadis expreſſis, quaſi r[illegible]cte gerendi Principatus auſpicio bene eſt precatus, mandauitq; *ante omnia, cultum & timorem numinis ne vnquam abijciat, religionis conſeruandæ rationem habeat, legum ac iuris autoritate Principatũ ſtabiliat.* Inter cætera dicens, quod *nemini ſciens & prudens iuſtitiam negaret.* Ea re peracta, Rex reuerenter aſſurgit, parentẽ procliuis honorat, curaturumq; ſe diligenter, quæcunque ipſe mandauerit, bona fide confirmat. Deum Opt. Max. conſiliorum ſuorum auto-

tem,

rem, ſactorum ducem & rectorem appellat, cuius præſidio, ſe ſperare ſucceſſura feliciter omnia pronunciat. Tum Cæſar quidem, quanquam ipſe fortem ſemper animum in re qualibet præſtiterit nonnihil tamen illachrymatus: Me, inquit, *miſeret filij Chariſsimi, Proceres, cuius humeris tam graue pondus imponitur, quod dum geſturus eſt, vita eidem eſt in ſummis laboribus & moleſtijs tranſigenda.* Commouit ea Cæſaris oratio Proceres, & multi in profuſiſſimas eruperunt lachrymas, etiam illuſtres Aurei Velleris equites. Ea vero Cæſaris oratione finita, Rex ad vniuerſam concionem paululū à patre ore conuerſo, Gallice ſubtexuit hoc fere ſenſu, ſermonē ſe Gallicū ita tenere quidē vt intelligat, nondū ita tamē, vt oratione perpetua ſententiā ſuam explicare, & quo in eos ſit animo, quo effectu, quaue voluntate demonſtrare poſſit. Quamobrem, Dominum Antonium Perenotum Attrebatenſem iubet ea Proceribus exponere, quæ ſuo nomine in mandatis habeat. Is igitur dicere exorſus.

Etſi Cæſaris Epiſtolis certiores eſtis facti, Proceres, quamobrem hunc ipſum omnium Belgicæ ordinum conuentum haberi ſtatuerit, mihi tamen dedit in mandatis vt quas cauſas habuerit, eas planius explicarem, atq; inprimis id exponerem, ex quo tempore Remp. Princeps in his prouincijs geſſerit (quam ipſe tum accepit, vbi primum per ætatem ſui iuris eſſe licuit) nullum ſe genus officij vnquam deſeruiſſe, quod ad Belgicam tuendam atq; ornandam pertineret. Cuius prouinciæ tanti ſemper compendia fecerit, vt ſæpe longas ac periculis infeſtas expeditiones, ne quid ea detrimenti caperet, lubens ac volens ſuſceperit. Cumq; eius imperium latiſſime pateat, regna potentiſsima ampliſsimasque prouincias, quæ iuris ſunt eius atque poteſtatis, vt ſuam operam publicæ veſtræ tranquillitati tribueret, vltro reliquit, atq; in eam rē ſemper ſummis conatib. cum abſens tum præſens maxime incubuit, vt adminiſtrāda Repub. iuſti & æqui a magiſtratib. maxime ſemper haberetur ratio: hoc vnum ſpectans, vt quæcunq; ſunt officia homine Principe digna ea ipſe omnia ſaluti ac felicitati veſtræ accommodaret. Quæ eo libentius præſtitit, quod non modo Principis erga vos, ſed parentis animum geſſerit, non illum quidē recens natum ſed ductum & hauſtum à maioribus, qui multis iam retro, ſeculis eandem viam ingreſſi, æqua & moderata dominandi ratione id obtinuerāt vt patriæ patres haberentur. Neq; vero male poſitam erga vos beneuolentiam Cæſar exiſtimat, quorum fidē ac ſingularem obſeruantiam prope perſpectā ac multis argumentis teſtatā habet. Quæ veſtra in eum propenſio, quanquā amorem illum paternum vehementer auxerit, magna tamen beneuolentiæ inde acceſſio facta eſt, quod in Belgica lucem mortalib. communē acceperit. Nam ipſe quidem cum multa regna poſſideat, habet vnam Belgicam patriā, quam quod ſummopere dilexit, nunquam certe commiſit, quin ſtudia, vires fortunasq; omnes ad eam conſeruandā ſeruandam contulerit, periculumq; omne lubens adierit, vt illud à ceruicib. veſtris depelleret: Quæ nos quidem commemoramus, vt tamen intelligatis Proceres, neq; huius officij apud optime meritos collocati Cæſarem pœnitere, neq; eidem voluntatem deeſſe veſtra cauſa eam ipſam diligentiam in poſterum adhibendi, qua in ſummi huius inter vos principatus gubernatione in hunc diem eſt vſus ſiquidem liceret. Sed cum & ætas iamdudum ingraueſcens, & immenſæ Reip. Chriſtianæ cauſa labores fortiter ſuſcepti, ipſum grauiter affectum, crebris dolorib. debilitatum, parum aptum ad hanc prouinciam gerendam reddiderint, impulſus neceſſitate magis quā voluntate adductus ſua, molem huius dominij in alium conferendam, ſeq; tam graui poteſtate abdicandam decreuit. Cæterum cum annos iam duodecim Hiſpaniæ regnis abfuerit, idq; eo maxime, vt res Belgicæ prius ſartas tectas, quoad fieri poſſet efficeret, tandem [?] vt longo ſui deſiderio liberaret Hiſpaniam, illuc profectionem claſſe maturius inſtituit. Quæ regio cum cœlum habet & clemens & amœnum, tum eſt eius oportunum valetudini, cui Belgicæ cœlum, propter hyemes propemodum aſſiduas, valde eſt inimicum. Cæſari igitur viſum eſt vt in Sereniſsimi Regis filij, chariſsimi iure & poteſtate Belgica conſeretur. Nam cum hactenus expromptā vobis operā ſemper præbuerit, accerbe ſane ferret, ſi retinendo principatu, cui gerendo non ſufficeret, cauſas daret, quamobrem damno vllo aut incommodo patria, quam colit & amat vnice vexaretur. Magna certe moleſtia hunc migrandi conſilium Cæſar init: ſed tamen Principis clementiſsimi animū recreat maxime quod vobis, fortunisq; focis atq; aris veſtris, filiū Regē publicæ ſalutis adſertorem, legū ac libertatis cuſtodē, tranquillitatis veſtræ propugnatorem tradat: quē & natura Principē vobis dedit, & ius patriū patri legitimū ſucceſſorem dixit, quemque ſolenni ac publico iureiurando, vbi primū ſatis Cæſar ceſſerit, Principē ac Dominū veſtrū vos Proceres cōprobaſtis. Hic aūt cum eam ætatē ſit ſortitus, quæ valde, cū propter robur corporis, tū ob vim & acumen ingenij ad Remp. capeſſendā ſit apta, neq; eam ipſe ætatē publicis negotiis vacuā trāſegerit, qui iam vnius populi, ſed gentium & morib. & inſtitutis plurimum inter ſe differentium regna ac prouincias regendas ſuſceperit, ſperare debemus, eum, qui minime noui[?] ad vſu gerendi publici muneris inſtructus, ad culmen huius principatus accedat, eam prudentiam, virtutem, diligentiam ad hanc adminiſtrationem allaturum, quibus niti publica ſalus & conſeruari poſsit. In quo cum veſtra, Proceres, ſtudia, conſilia, pietas, minime ſunt defutura, nihil certe deſiderabitur, quod ad ſtatum Reip. pace ac felicitate ſtabiliendum per Dei Opt. Max. beneficium conuen[?]at: cuius ſingulari benignitate factum eſſe Cæſar (gratus & pius erga Deum) agnoſcit, vt tantiſper clauum huius ampliſsimi principatus regere potuerit, dum Princeps filius non modo adoleſceret, ſed & corporis & animi virib. firmā ætatem acciperet. Contingit enim ſæpenumero, ſi quando moles Imperij[?] gubernandi in hominem, neq; vſu rerum expertum, neq; iudicio corroboratum deciderit, vt ea rerum mutatio magnam prouincijs labem & incommodum adferat. Has autem partes, nempe ætatem, vſum, prudentiam, iudicium, quibus tanquā ſeptum & vallatum animū Principis decet, cum Cæſar in Rege Sereniſsimo poſitas eſſe cerneret, non tamen tanta poſſe indicauit, vt ſine amore & beneuolentia debitum fructum officij ſui Reip. præſtare queant. Quare id inprimis ſpectauit, vt quo ipſe animo & ingenio erga vos ſemper fuiſſet, eundem vobis filius animum omnibus beneuolentiæ gradibus declararet, & habeat non modo publici muneris, ſed inſitæ & propagatæ charitatis in patriam ſucceſſorem. Ipſe præterea Cæſar Regem filium ita finxit ad munus gerendi principatus & inſtituit, vt primum partem aliquam attingeret huius tam ingentis prouinciæ, paulatimq; & ſenſim Principis officijs aſſueſceret, ne ſi totum tot regnorum ac prouinciarum pondus ſubito eius humeris incumberet, Reipub. ſtatus nullo prius idoneo iacto fundamento labeſceret. Habetis igitur, Proceres, Regem, ætate bona, viribus integris, beneuolentia ſingulari, ad Reip. munera factum, omnibusq; ijs artibus

inſtructum

inſtructum, quas imperijs ſemper præſto eſſe oportet. Ex quo facile cognoſcetis, ex hoc Cæſaris conſilio nullum vobis detrimentum, nullum Reipub. veſtræ periculum creari poſſe. His cauſis Cæſar adductus, aut potius impulſus, in hanc ſententiam deſcendit, vt totum quicquid ſui iuris eſt & autoritatis in Belgica, id in filium Regem ac noſtrum Sereniſſimum Principem conferret. Hunc igitur, Proceres, aditu poſſeſſionis harum regionum in his comitijs in ſolidum donat: hunc dicit ac pronunciat Principem veſtrum, in cuius poteſtate more maiorum penitus Belgica (quod ſit fauſtum ac felix) poſthac ſit conſtituta, voſq; fide ſibi data, & iureiurando iam olim præſtito, hac tamen lege ſoluit atq; liberat, vt eam fidem veſtram ſolenni ac conſueto ſacramento Regi filio ſancte ac pie obſtringatis, itaq; promittatis omnibus officiis vos eo loco, dignitate, honore eum habituros, quo ſe eſtis in hunc diem perſecuti, qui iam hoc maximo principatu defunctus, iure requirit & poſtulat, vti vos id officium ſuum, quod gubernanda Repub. præſtitit, ex æquo & bono ponderetis, maxime cum nullum laboris, nullum ſolicitudinis, nullum periculi genus vnquam refugerit, quo ſibi quies, tranquillitasq; veſtra comparanda videretur, nixus prudentum hominum conſilijs, adiutus bonorum ſtudio, optimatum ſuorum induſtria, ac maxime quidem Auguſtæ Reginæ ſororis chariſſimæ prudentia, moderatione, diligentia, ſtipatus, quæ tot iam annos difficillimis temporibus ſuam vobis operam Cæſaris mandato, per ſummas rerum difficultates Belgicæ rectrix prudenter nauauit. Quod ſi potuit Reipub. ſtatus haberi melior, id ita factum non eſſe quidem Cæſar dolet, ſed ita tamen dolet, vt nullam huius in ſe culpam hærere dicat, quæ certe aut eſt omnino nulla, aut ſi qua eſt, ea vel ad aduerſam valetudinem, vel ad hæc turbulentiſſima tempora, vel ad fortunæ lubrica præſidia referri debet, vellet ipſe profecto Cæſar veſtra cauſa, Proceres, ceſſiſſe omnia Belgicæ felicius. Et cur ita velit, pietate erga ſe veſtra, & obſeruantia plurimum commouetur: quam tantam eſſe iudicat, vt gratiam vobis habendam certe maximam putet. Agnoſcit veſtram in parendo voluntatem, alacritatem in largiendo, magnamq; ſubſidiariæ pecuniæ vim ad communem ſalutem numeratam laudat, quam tametſi in ſua compendia minime retulerit, ſed ſuam veſtræ vndiq; ex regnis & prouincijs alijs ſuis collectam multam addiderit, vt finibus veſtris hoſtis, inſtructis exercitibus arceretur, tamen hanc veſtram largitionem veſtris præſidijs impenſam, grato ac memori animo commendat. Hac vna quidem re præcipue laborat, quod tanto ſumptu, tantis in vnum collectis maximorum exercituum viribus, ſummaq; adhibita cura & diligentia, nondum Gallicum bellum confici vel reſtingui: quanquam in eam rem omnem Cæſar conatum meditatus eſt, vt prouincijs pace reſtituta vos veſtraq; omnia, funeſti huius belli moleſtia liberaret. Proximis enim Comitijs Reginæ mandato, ſignificatum vobis eſt, quantopere Cæſar pacis conſilia quæſierit, quid actum tentatumq; nuper veſtra cauſa ab eius legatis in nouiſſimo illo conuentu, auſpicijs Britannici regni Rauelingæ coacto quibus artibus ſit factum vt re infecta redierint, Gallis hoſtibus ſalutis veſtræ per ſummam iniuriam æquiſſimas pacis conditiones recuſantibus, quorum oratio eo tantum ſpectauit, vt propoſitis non modo deterrimis, ſed etiam turpiſſimis conditionibus optatæ concordiæ aditum omnem præcluderent. Hoc incommodo veſtro Cæſar grauiter eſt affectus, ſed ſpem tamen ipſe bonam iuſtis argumentis nixam concipit Deum Opt. Max. cuius vindex eſt oculus, id æquitate ſua prouiſurum, vt hoſtis, niſi ad ſaniora conſilia ſe conferat, iniuriæ ac pertinaciæ ſuæ pœnas det. Cuius furorem & impetum Rex Sereniſſimus conſilio, diligentia, viribus, opibus, armis, firmiſq; præſidijs ſe ſperat non modo ſe repreſſurum, ſed id effecturum, vt belli moles in eorum capita torqueatur, quorum ſcelere primum exarſerit: modo eius forti & inuicto animo voluntates, conſilia, ſubſidiaq; veſtra lubenter adiungatis, ac Principi veſtro omnia quæ ad vos tuendos pertineant molienti nihil officij, ſtudij, & auxilij veſtri deſiderandum relinquatis. Huic bello, Proceres, is eſt ab hoſte finis conſtitutus, vt libertas veſtra ſempiterna tyrannide prematur, in diſcrimen ſalus Reip. veſtræ vocetur: in iugulum tuum Belgica mucronem Gallus hoſtis intendit: idem veſtris ceruicibus, Proceres, iugum miſeræ ſeruitutis molitur. Quæ omnia niſi vires veſtras hoſtium crudelitati fortiter obieceritis, focis, agris, fortunis, liberis, capitibus veſtris imminent. Quamobrem fidem veſtram ac iudicium Cæſar requirit, vt mature conſideretis, quanti id veſtra omnium referat, ne hoſtis armatus, Principem veſtrum deſertum ac deſtitutum veſtris auxilijs offendat. Vos itaq; etiam atque etiam hortatur & rogat, quantum rationib. veſtris expedire cenſueritis, capiti veſtro, libertatis veſtræ propugnatori opem veſtram miniſtretis, vt omnibus Reipub. partibus, in communem ſalutem conſentientibus per vos explicatam rectamque rationem habeat, qua veſtris rebus non modo legibus, ſed & armis pro dignitate conſulere poſſit. Multa rebus humanis incommoda, ex bellico diſcrimine ſolent oriri, quibus niſi & mature & fortiter fuerit occurſum, ſæpe maximæ prouinciæ, regnaq; potentiſſima funditus caſu miſerabili concidunt. Horum ne quid Remp. veſtram affligat, antequam frangi vires veſtras patiamini, nihil tanti vobis eſſe debet, quod ad ſalutem tuendam veſtram liberius non effundatis. Hoſtis ſpiritum ſuorum exhauriet, ſuccum omnem exorbet, vt exitium veſtris rebus inferat. Vobis quid non agendum ne pagorum veſtrorum incendijs, agrorum ac finium vaſtatione, ciuium, gentium, populorum veſtrorum cædibus & ſanguine ſitim ſuæ crudelitatis expleat. Cum igitur Rex Sereniſſimus in ea ſit erga vos voluntate, vt res veſtras ſibi modis omnibus tuendas proponat, optat Cæſar, vt ipſi & vobis opem atq; auxilium adferatis. Sed cum vires humanæ nulla ſatis eſſe firma poſſint, quas è cœlo quæſita præſidia non muniant, neq; ſtatus vllus Imperij atq; Reip. ſine religiõe diuturnus eſſe queat. Cæſar pro ſuo erga vos amore hac parte noluit officio deeſſe, quin vos, Proceres, maximopere commoneret, vti metu & cultu numinis diuini nihil vobis antiquius eſſe ducatis, atq; ſumma ſemper animi contentione id efficiatis vt Eccleſiæ ſuus ſemper habeatur honos, quam vobis & parentem & alumnam Chriſtus more maiorum religioſe colendam reliquit. Conatus eorum, qui perfidioſe deſerto primo militiæ ſacramento, veterem & à Patribus acceptam religionem, per maximum ſcelus euertere contendunt, fortiter arceatis: Edicta vero, quibus iam olim eam peſtem Cæſar profligandam & penitus exterminandam decreuerat, valere, firmaque ſemper eſſe præcipit: idque ſancte Regi filio mandauit, ne qua ratione illud animaduerſionis in impios decretum patiatur antiquari. Et vos, Proceres, curetis diligenter, tacente etiam Cæſare: proxima & vicina pericula diuini iudicij ac ſeueritatis, frequens argumentum in iis, qui ad Hæreſiarcharum caſtra turpiter deſcenderunt, vos ſatis hortantur. Habebit hæc pietas veſtra magnum in oculis ſuperum pondus, vt Deus Opt. Max. potens ac liberalis dextra, cumulate vos augeat, tegat, conſeruet, ne

quid

quid detrimenti rebus veſtris ingruat. Ceterum Magiſtratuum ac legum quarum beneficio omnis generis humani ſocietas & concordia continetur, autoritatem inter vos Sacroſanctam eſſe iubet. Diuellit enim omnes Reip. partes, ac diſſipat iudiciorum contemptus. Quare vobis opera danda eſt, Proceres, ſiquidem veſtra vobis tranquillitas atq; felicitas curæ eſt, vt Magiſtratuum veſtrorum dignitas, poteſtas, autoritas, ſuam inter vos vim ac robur obtineat: ac maxime vt omnes prouinciæ Belgicæ partes in vnum Reip. corpus ad communem omnium ſalutem coeant. Sunt quidem diuerſi inter ſe iuris, habent ſecretas atq; diſtinctas rationes gerendæ Reip. ſed tamen vnũ omnes vnius capitis ex partibus prouinciarum variis compactum corpus efficiunt. Quamobrem vt in humano corpore ſalutẽ minime tueri poſſumus niſi ſingulæ partes nexæ ac colligatæ, vnoq; omnium ſpiritu vegetatæ, ſuas functiones in communem vſum ac vtilitatẽ conferunt: ita nulla mihi ratio poteſt conſeruandi publici ſtatus veſtri, Proceres, niſi collatis viribus veſtras operas, veſtra ſtudia, veſtra præſidia ſaluti Reip. veſtræ donetis. Itaq; nulla magis re hoſtis in ſpem venire poteſt euertendæ libertatis veſtræ, quam ſi ſenſerit, vires, animos, fortunas vobis non eſſe communes. Sed vbi vos id certum conſtitueritis, plurimum intereſſe omnium, qui ſit ſtatus huius illiuſue partis & prouinciæ: tum veſtra Reſp. firmior ac robuſtior, hoſtib. erit formidini, facileq; omne à vobis incommodum repellet, cuius rei periculo facto iampridem edocti eſtis. Cæſar a vobis id quoq; maiorem in modum petit, vt ea vos obſeruantia, pietate, charitate, Sereniſſimum Principem noſtrum proſequamini, quam in ſe colendo hactenus præbuiſtis. Quod vt præſtetis, tum ipſa naturæ lex & ratio præcipit, tum maxime clementiſſimi Principis ingenium & ſingularis erga vos charitas, ſi modo grati eſſe vultis, vehementer requirit. Habet ipſe Cæſar, Proceres, explicatam & plane perſpectam optimi Principis mentem, ad ineunda conſilia, animum ad res fortiter gerendas, beneuolentiam, qua vos amanter complectitur, moderationem, qua imperium ſuum æquitate temperet, quæ quia in ipſo ſumma eſſe videt, iure id à vobis repoſcit, vt non modo obſequiis quæ Principi debentur, & officiis, legibus conſtitutis, ſed charitate non Principem, ſed parentem benigniſſimum complectamini. Atq; vt auſpicato hunc principatum Rex Sereniſſimus obeat, Deum Optimum Maximum Cæſar obteſtatur & votis omnibus obſecrat, vt prouidentia, benignitate, fauore, rem Principis noſtri ac veſtram fortunet, aſpiret benedictione ſua vtriuſq; conatibus ſapientia ſua, eius ac veſtra conſilia dirigat, potentia tueatur, protegat atq; defendat. Perenoti oratione finita, ab eo ſubinde in pedes erectus Iacobus Maſius, iuris valde peritus, à conſiliis Regis, & ſingulari dicendi facultate præditus, pro Belgis, quos exprimebat, hunc fere in modum reſpondit.

Iacobus Maſius.

Nequaquam fugere Imperatoriam Maieſt. quam officioſos, quam promptos, quamq; fideleis vſq; habuerit Belgas; idcirco non leuiter modo admirari ciuitatem vniuerſam, ſed etiam valde perturbari, ſe turbulentiſſima Rep. certiſſimo & veterrimo patrocinio priuari. Poſtquam tamen ita & collibitum Imperatori, & eius commodum ſit: ſubleuari, firmari, recreariq; ſe plurimũ præſidio, auctoritateq; chariſſ. filii, ac ter inclyti Regis, cui, licet diuturno bello depreſſa, nullo neq; loco, neq; tẽpore eſt defutura, quum patrono (Philippo) clientes erunt (S.P.Q. Belg.) vndecunq; officioſiſſ. nec.n. pro eo vnquã aut rei familiaris, aut priuatæ vitæ periculũ ſubire addubitabunt.

Tunc vbi Maſii oratione finita, Rex Philipus reſedit, honeſtiſſime exurgens Regina Maria Belgici moderatrix, exhibita fratri reuerentia, paucis defunctam ſe prouincia Belgica regenda dixit; quam Cæſaris fratris mandato ante viginti tres annos ſuſcepiſſet, ac omnes quidem officii partes tota mente in hanc curam ſe contuliſſe, vt delegata ſibi prouincia, ad eam normam gubernaretur, qua cum fratri, tum Reipublicæ maxime commendari poſſet, quod ipſum, ſi minus quam vellet, Auguſtus frater fortaſſe præſtiterit, orare obnixe ſe, ipſius incuriæ veniam. Quam modeſtiſſimam ſororis orationem cum Imperii vultu & dextræ iactu accipere ſe ſignificaſſet, ea conuerſa ad Senatum eodem fere ſtylo ac geſtu oris, gubernationis ſuæ actiones, publice commendauit. Hic iterum aſſurgens Maſius Senatus populiq; Belgici verbis, dominæ collaudatæ, quod ſummam diligentiam in Rempublicam contuliſſet gratias quam maximas egit. Atq; ita ſolennitate renunciationis peracta, Cæſar Guilhelmi Principis Auraici & Burenii Comitis humeris ſe ſuſtentans, ex conſpectu ampliſſimi theatri abſceſſit. Solennis autem ceremonia & religioſæ renunciationis forma in acta & tabulas publicas referuntur, quæ omnia chirographo firmauit, & obſignauit ſigillo Auguſtali Imperator. Philippus vero in locum Mariæ, amitæ conſobrinum, Philibertum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, Belgarum gubernatorem conſtituit. Menſe poſt interiecto Imperator propoſito inſiſtens, Philippum filium in curia itidem Bruxellana, coram Vicariis, Rectoribusque prouinciarum, reliquis honorum atq; hæreditatis cumulate ditauit, & transmarinis regnis honorauit, puta, Hiſpania, Sicilia, Sardinia, Balearibus inſulis, Americæ & Noui orbis dominatu, deniq; donatione regionum omnium, quæ ſibi vel fidem dediſſent, vel tributum contuliſſent, reſeruata ſibi, (cum ad locum deſtinatum perueniſſet) duntaxat penſione, mille centum coronatorum, ad quotidianas neceſſitates, qua cum ſe, tum comitatum ſuſtentaret.

Antequam autem terras hæreditarias Philippo tradidiſſet, ad Ferdinandum fratrem tunc in oppido Oeniponte agentem, legatos miſerat, qui eum non ſolum de hoc inſtituto; ſed & de abdicando Imperio certiorem redderent, & ad vacantis eius moderationem ſuſcipiendam cohortarentur, ſimulq; rogarent, vt filium Principũ Germanicorum, Ciuitatumq; ordinib. conciliet, commendetq;. Inter Principes ſi quid natum eſſet diſſidii, & pro ſua prudentia protinus diſcutiat, nec Germaniam partib. lacerari ac diſtrahi patiatur. Eius abdicationis fama per omnẽ Europã, longe lateq; diſſeminata fuit, & erat parata claſſis, ac profectioni cõſtitutus dies ad Idus Nouembres. Verũ ea, in ſequentẽ annum, vt mox dicetur, reiecta eſt, vel ꝙ hyems nauigationi minime apta ſubeſſet, vel ꝙ Imperator ante diſceſſum ex Belgico, bello cum Galliæ Rege cõpoſito, filio prouinciã pacatam atq; tranquillã relinquere cuperet. Etſi .n. nec Pontificis Iulii III. nec Britañicæ Reginæ Mariæ interceſſio Cæſarem & Gallum pertinaciter mutuo diſſidentes a redintegrato bello retrahere potuerit, tandem tamen

mutuis

Mutuis incommodis fracti debilitatiq; ſua ſponte reconciliationem pacemque deſiderare videbantur. Quare cum Carolus Lalanius Hannoniæ prætor, & Caſparus Caſtilionæus præfectus oræ maritimæ Gallicanæ, vtrinque ea de re legati miſſi, controuerſias omnes prorſus componere, aut pacem plane conſtituere non poſſent, id quod proximum erat, fecere, & quinta Februarii menſis, anno 56. apud Vacculam Samarobrinis finitimum municipium, annorum quinque paciſcuntur inducias, terra marique, tam in Belgio, quam per Italiam. Iis vix publicatis, ſtatim menſis Martij die quarto ingens & lucidum ſydus, ſpacioſo limite, flammiferum crinem trahens, in octauo libræ gradu, conſpici cœptum, duodecim fere dies arſit. Deterruit id, vt vulgo vſu venit, mortales quamplurimos: at Carolus ſciens huius viſione magnorum Principum interitus, præterquam famem, horrida bella portendi, eo conſpecto: *His*, inquit, *indiciis, me mea fata vocant*. Ac perinde ſuo propoſito de Hiſpanica profectione, & ſolitudine vitæ captanda, inſiſtens, omnia ad eam neceſſaria parat.

Cum vero Cameram Spirenſem, tanquam inſigne iuſtitiæ domicilium, ac publicæ tranquillitatis neruum ſingulari beneuolentia complecteretur, eam de abdicatione Imperij ante diſceſſum literis Gandaui, 27. Auguſti ad Iohannem Oſnabruccenſem, Cameræ Præſidem atque Aſſeſſores ſcriptis, certiorem reddit, hoſque ad obſeruationem iuſtitiæ grauiſſime cohortatur. Quia autem eæ literæ, inſigne amoris atque ſtudii erga iuſtitiam, argumentum continent, earum tenorem ſubijcere libet: *Quandoquidem*, inquit, *iam longo tempore ſingularibus, euidentibus, atque honeſtis rationibus nos impellentibus, maxime vero propter extremam decurſamque ætatem, perpetuam indieſque creſcentem moleſtiſſimam infirmitatem, qua ſummopere afflicti, attenuati, exhauſti, & omnibus corporis viribus debilitatiſſimi, manifeſta valetudinis noſtræ ratione id exigente, in filii noſtri dilecti Philippi Regis Hiſpaniarum & Angliæ, regnum Hiſpanicum, melioris commoditatis ergo, Deo opitulante, nos conferre conſtituerimus; atque eius propoſiti executioni inhærentes, iam iamque ab omnibus rebus inſtructi ſimus. Ne itaque in noſtra abſentia aut imbecillitate quid detrimenti (quod Deus auertere dignetur) imperio accidat, è re cumprimis eſſe duximus, huic aliiſq; periculis pro virili maturo conſilio occurrere, atque prouidere, quo Sacrum Imperium, eiuſq; grauiſſima negotia & cauſæ, etiam in abſentia noſtra recte adminiſtrentur, deliberentur, tractentur & expediantur: Ideo ex fraterna & beneuola fiducia, quam de noſtro dilecto fratre Ferdinando Romanorum Rege habemus, ei (vtpote qui abſque eo, ordinaria Electorum Imperii electione, proximus noſter ſucceſſor in Imperio conſtitutus eſt, cuique nobis deficientibus adminiſtratio & gubernatio Imperii immediate, & abſq; vlla contradictione competit) in noſtra abſentia, liberam, plenam, nulliſq; limitibus atque conditionibus circumſcriptam adminiſtrationem & gubernationem Sacri Imperii, in generalibus atq; ſpecialibus cauſis, ac omnibus, quæ Romanorum Imperatori atque Regi, ratione officii, conditionis, dignitatis & amplitudinis, de iure, conſuetudine, & æquitate competunt, tradididimus atq; commiſimus. Id quod ex Germania diſceſſuri, vobis ſignificare, & ſimul tanquam noſtris ac Sacri Imperii fidelibus miniſtris, ſalutem noſtram clementer nunciare volumus. Hoc ipſo benigne atque diligenter petentes, vt vos conſideratis his in futurum, vt hactenus, gloriam Dei atque iuſtitiam præ oculis habeatis, eamq; nulli denegatam, æquabiliter adminiſtretis, nec vos quanquam vel quicquam in mundo ab hoc auerti, excludi atque præpediri patiamini, & dicto noſtro dilecto fratri Romanorum Regi in omnibus ac ſingulis, non minus quam nobis, ſi præſentes eſſemus, fideles, obedientes, atq; morigeri ſitis: eum tanquam veſtrum ducem ac caput reuereamini, ad eum, vt Rom. Regem (cui hiſce vos ſubiectos volumus) re exigente confugiatis, à ſua dilectione conuenientia auxilia atq; conſilia petentes. Viciſſim quoq; ſua dilectio vos benigne commendatos habebit, & conuenienter in cauſis iuſtis tuebitur, proteget atq; defendet, omniaq; ſuſcipiet atq; faciet, quæ publica iuſtitia, ac veſtra neceſſitas atq; conditio requiret, prout id à ſua dilectione fraterne petiuimus, eique ſumma diligentia iniunximus: In hoc præterquam quod id vos decet, præſtatis nobis officium pergratum, noſtra clementia remunerandum. Quod ſi etiam in futurum vobis vniuerſis aut ſingulis clementiam cum rerum veſtrarum promotione declarare poterimus, obedientiæ veſtræ Sacro Imp. præſtitæ, perquam beneuole recordabimur, eamq; benigna gratitudine agnoſcemus.* Quodnam euidentius argumentum amoris ſtudiiq; iuſtitiæ oſtendi, præclarius integritatis teſtimonium Cameralibus tribui, illuſtrius beneuolentiæ Cæſareæ ſignum, his literis à quoquam edi poſſet? Verum non ſolum hoc tempore, quo Germaniam relinquere conſtituiſſet, ſed & ante anno 54. quanti Iudicium Cameræ faceret, literis Bruxellis 10. Febr. ſcriptis, luculentiſſime oſtendit. Nam cum Albertus Marchio Brandenburgicus, ob contumaciam à Camera proſcriptus, in Franconia arma circumferens, iudicibus non ſolum malediceret, ſed & grauiſſime minaretur, ita vt iudices neceſſitate compulſi, 17. Ianuarii rem ad Carolum deferre, eiuſq; conſilium & opē petere cogerentur. Hic eis reſpondens, *ſe eos vniuerſos ac ſingulos, non ſolum pro bonis, honeſtis & integris viris, ac innocentibus puriſq; criminum, quorum inſimularentur, habere ſcribit, ſed nec in animum inducere, vllum iuris ac honeſtatis amantem fore, qui de ipſis propter incertam diffamationem, ſuſpicionem ſiniſtram concepturus, multo vero minus inaudita atq; incognita cauſa, quæ ex animi acerbatione ſpargantur, ipſis fit aſcripturus. Ad hæc ſe non dubitare, cum omnium ſtatuum Imperii conuentus inſtet, ad quem huiuſmodi negotia ſuo iudicio ſint deferenda, eos in omnibus actionibus lucem minime reformidaturos. ideoq; ſuam Maieſt. in eo conuentu, diuina fauente gratia, ſumma contentione atque clementia paratam, iuſtitiam ac æquabilitatem promouere, & omnia iniqua grauamina amoliri. Quantum vero attineat ad expetitam ſecuritatem, ſe minime exiſtimare, quenquam eo audaciæ prolapſurum, vt ipſis in eo loco, in quo à Cæſarea ſua Maieſt. & communib. Imperii ſtatibus ad iuſtitiam adminiſtrandam ſint collocati, turbationem vel vim inferat: ſi vero id metuendum ſit, ipſiq; exiſtiment, pro maiori ſecuritate iudicium ad tempus aliquod in alium locum transferendum, Cæſaream ſuam Maieſt. ipſis clementer concedere, vt id pro iudicio atque arbitrio*

quid detrimenti rebus veſtris ingruat. Cæterum Magiſtratuum ac legum quarum beneficio omnis generis humani ſocietas & concordia continetur, autoritatem inter vos Sacroſanctam eſſe iubet. Diuellit enim omnes Reip. partes, ac diſſipat iudiciorum contemptus. Quare vobis opera danda eſt, Proceres, ſiquidem veſtra vobis tranquillitas atq; felicitas curæ eſt, vt Magiſtratuum veſtrorum dignitas, poteſtas, autoritas, ſuam inter vos vim ac robur obtineat: ac maxime vt omnes prouinciæ Belgicæ partes in vnum Reip. corpus ad communem omnium ſalutem coeant. Sunt quidem diuerſi inter ſe iuris, habent ſecretas atq; diſtinctas rationes gerendæ Reip. ſed tamen vnũ omnes vnius capitis ex partibus prouinciarum variis compactum corpus efficiunt. Quamobrem vt in humano corpore ſalutẽ minime tueri poſſumus niſi ſingulæ partes nexæ ac colligatæ, vnoq; omnium ſpiritu vegetatæ, ſuas functiones in communem vſum ac vtilitatẽ conferunt: ita nulla iniri ratio poteſt conſeruandi publici ſtatus veſtri, Proceres, niſi collatis viribus veſtras operas, veſtra ſtudia, veſtra præſidia ſaluti Reip. veſtræ donetis. Itaq; nulla magis re hoſtis in ſpem venire poteſt euertendæ libertatis veſtræ, quam ſi ſenſerit, vires, animos, fortunas vobis non eſſe communes. Sed vbi vos id certum conſtitueritis, plurimum intereſſe omnium, qui ſit ſtatus huius illuſtris partis & prouinciæ: tum veſtra Reſp. firmior ac robuſtior, hoſtib. erit formidini, facileq; omne à vobis incommodum repellet, cuius rei periculo facto iampridem edocti eſtis. Cæſar à vobis id quoq; maiorem in modum petit, vt ea vos obſeruantia, pietate, charitate, Sereniſſimum Principem noſtrum proſequamini, quam in ſe colendo hactenus præbuiſtis. Quod vt præſtetis, tum ipſa natura lex & ratio præcipit, tum maxime clementiſſimi Principis ingenium & ſingularis erga vos charitas, ſi modo grati eſſe vultis, vehementer requirit. Habet ipſe Cæſar, Proceres, explicatam & plane perſpectam optimi Principis mentem, ad ineunda conſilia, animum ad res fortiter gerendas, beneuolentiam, qua vos amanter complectitur, moderationem, qua imperium ſuum æquitate temperet, quæ quia in ipſo ſumma eſſe videt, iure id à vobis repoſcit, vt non modo obſequiis quæ Principi debentur, & officiis, legibus conſtitutis, ſed charitate non Principem, ſed parentem benigniſſimum complectamini. Atq; vt auſpicato hunc principatum Rex Sereniſſimus obeat, Deum Optimum Maximum Cæſar obteſtatur & votis omnibus obſecrat, vt prouidentia, benignitate, fauore, rem Principis noſtri ac veſtram fortunet, aſpiret benedictione ſua vtriuſq; conatibus ſapientia ſua, eius ac veſtra conſilia dirigat, potentia tueatur, protegat atq; defendat. Perenoti oratione finita, ab eo ſubinde in pedes erectus Iacobus Maſius, iuris valde peritus, à conſiliis Regis, & ſingulari dicendi facultate præditus, pro Belgis, quos exprimebat, hunc fere in modum reſpondit. *Iacobus Maſius.*

Nequaquam fugere Imperatoriam Maieſt. quam officioſos, quam promptos, quamq; fideleis vſq; habuerit Belgas; idcirco non leuiter modo admirari ciuitatem vniuerſam, ſed etiam valde perturbari, ſe turbulentiſſima Rep. certiſſimo & veterrimo patrocinio priuari. Poſtquam tamen ita & collibitum Imperatori, & eius commodum ſit: ſubleuari, firmari, recreariq; ſe plurimũ præſidio, auctoritateq; chariſſ. filii, ac ter inclyti Regis, cui, licet diuturno bello depreſſa, nullo neq; loco, neq; tẽpore eſt defutura, quin patrono (Philippo) *clientes erunt* (S.P.Q. Belg.) *vndecunq; officioſiſſ. nec.n. pro eo vnquã aut rei familiaris, aut priuatæ vitæ periculũ ſubire addubitabunt.*

Tunc vbi Maſii oratione finita, Rex Philipus reſedit, honeſtiſſime exurgens Regina Maria Belgici moderatrix, exhibita fratri reuerentia, paucis defunctam ſe prouincia Belgica regenda dixit; quam Cæſaris fratris mandato ante viginti tres annos ſuſcepiſſet, ac omnes quidem officii partes tota mente in hanc curam ſe contuliſſe, vt delegata ſibi prouincia, ad eam normam gubernaretur, qua cum fratri, tum Reipublicæ maxime commendari poſſet, quod ipſum, ſi minus quam vellet, Auguſtus frater fortaſſe præſtiterit, orare obnixe ſe, ipſius incuriæ veniam. Quam modeſtiſſimam ſororis orationem cum Imperii vultu & dextræ iactu accipere ſe ſignificaſſet, ea conuerſa ad Senatum eodem fere ſtylo ac geſtu oris, gubernationis ſuæ actiones, publice commendauit. Hic iterum aſſurgens Maſius Senatus populiq; Belgici verbis, dominæ collaudatæ, quod ſummam diligentiam in Rempublicam contuliſſet gratias quam maximas egit. Atq; ita ſolennitate renunciationis peracta, Cæſar Guilhelmi Principis Auraici & Burenii Comitis humeris ſe ſuſtentans, ex conſpectu ampliſſimi theatri abſceſſit. Solennis autem ceremonia & religioſæ renunciationis forma in acta & tabulas publicas referuntur, quæ omnia chirographo firmauit, & obſignauit ſigillo Auguſtali Imperator. Philippus vero in locum Mariæ, amitæ conſobrinum, Philibertum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, Belgarum gubernatorem conſtituit. Menſe poſt interiecto Imperator propoſito inſiſtens, Philippum filium in curia itidem Bruxellana, coram Vicariis, Rectoribusque prouinciarum, reliquis honorum atq; hæreditatis cumulate ditauit, & transmarinis regnis honorauit, puta, Hiſpania, Sicilia, Sardinia, Balearibus inſulis, Americæ & Noui orbis dominatu, deniq; donatione regionum omnium, quæ ſibi vel fidem dediſſent, vel tributum contuliſſent, reſeruata ſibi, (cum ad locum deſtinatum peruenisset) duntaxat penſione, mille centum coronatorum, ad quotidianas neceſſitates, qua cum ſe, tum comitatum ſuſtentaret.

Antequam autem terras hæreditarias Philippo tradidiſſet, ad Ferdinandum fratrem tunc in oppido Oeniponte agentem, legatos miſerat, qui eum non ſolum de hoc inſtituto; ſed & de abdicando Imperio certiorem redderent, & ad vacantis eius moderationem ſuſcipiendam cohortarentur, ſimulq; rogarent, vt filium Principũ Germanicorum, Ciuitatumq; ordinib. conciliet, commendetq;. Inter Principes ſi quid natum eſſet diſſidii, & pro ſua prudentia protinus diſcutiat, nec Germaniam partib. lacerari ac diſtrahi patiatur. Eius abdicationis fama per omnẽ Europã, longe lateq; diſſeminata fuit, & erat parata claſſis, ac profectioni cõſtitutus dies ad Idus Nouembres. Verũ ea, in ſequentẽ annum, vt mox dicetur, reiecta eſt, vel ꝙ hyems nauigationi minime apta ſubeſſet, vel ꝙ Imperator ante diſceſſum ex Belgico, bello cum Galliæ Rege cõpoſito, filio prouinciã pacatam atq; tranquillã relinquere cuperet. Etſi .n. nec Pontificis Iulii III. nec Britañicę Reginæ Mariæ interceſſio Cæſarem & Gallum pertinaciter mutuo diſſidentes a redintegrato bello retrahere potuerit, tandem tamen

mutuis

mutuis incommodis fracti debilitatiq; ſua ſponte reconciliationem pacemque deſiderare videbantur. Quare cum Carolus Lalanius Hannoniæ prætor, & Caſparus Caſtilionæus præfectus oræ maritimæ Gallicanæ, vtrinque ea de re legati miſſi, controuerſias omnes prorſus componere, aut pacem plane conſtituere non poſſent, id quod proximum erat, fecere, & quinta Februarii menſis, anno 56. apud Vacculam Samarobrinis finitimum municipium, annorum quinque paciſcuntur inducias, terra marique, tam in Belgio, quam per Italiam. Iis vix publicatis, ſtatim menſis Martij die quarto ingens & lucidum ſydus, ſpacioſo limite, flammiferum crinem trahens, in octauo libræ gradu, conſpici cœptum, duodecim fere dies arſit. Deterruit id, vt vulgo vſu venit, mortales quamplurimos: at Carolus ſciens huius viſione magnorum Principum interitus, præterquam famem, horrida bella portendi, eo conſpecto: *His, inquit, indicijs, me mea fata vocant.* Ac perinde ſuo propoſito de Hiſpanica profectione, & ſolitudine vitæ captanda, inſiſtens, omnia ad eam neceſſaria parat.

Cum vero Cameram Spirenſem, tanquam inſigne iuſtitiæ domicilium, ac publicæ tranquillitatis neruum ſingulari beneuolentia complecteretur, eam de abdicatione Imperij ante diſceſſum literis Gandaui, 27. Auguſti ad Iohannem Oſnabruccenſem, Cameræ Præſidem atque Aſſeſſores ſcriptis, certiorem reddit, hoſque ad obſeruationem iuſtitiæ grauiſſime cohortatur. Quia autem eæ literæ, inſigne amoris atque ſtudii erga iuſtitiam, argumentum continent, earum tenorem ſubijcere libet: *Quandoquidem*, inquit, *iam longo tempore ſingularibus, euidentibus, atque honeſtis rationibus nos impellentibus, maxime vero propter extremam decurſamque ætatem, perpetuam indieſque creſcentem moleſtiſſimam infirmitatem, qua ſummopere afflicti, attenuati, exhauſti, & omnibus corporis viribus debilitati ſumus, manifeſta valetudinis noſtræ ratione id exigente, in filii noſtri dilecti Philippi Regis Hiſpaniarum & Angliæ, regnum Hiſpanicum, melioris commoditatis ergo, Deo opitulante, nos conferre conſtituerimus, atque eius propoſiti executioni inhærentes, iam iamque ab omnibus rebus inſtructi ſimus. Ne itaque in noſtra abſentia aut imbecillitate quid detrimenti (quod Deus auertere dignetur) imperio accidat, è re cum primis eſſe duximus, huic aliisq; periculis pro virili maturo conſilio occurrere, atque prouidere, quo Sacrum Imperium, eiuſq; grauiſſima negotia & cauſæ, etiam in abſentia noſtra recte adminiſtrentur, deliberentur, tractentur & expediantur: Ideo ex fraterna & beneuola fiducia, quam de noſtro dilecto fratre Ferdinando Romanorum Rege habemus, ei (vtpote qui abſque eo, ordinaria Electorum Imperii electione, proximus noſter ſucceſſor in Imperio conſtitutus eſt, cuique nobis deficientibus adminiſtratio & gubernatio Imperii immediate, & abſq; vlla contradictione competit) in noſtra abſentia, liberam, plenam, nulliſq; limitibus atque conditionibus circumſcriptam adminiſtrationem & gubernationem Sacri Imperii, in generalibus atq; ſpecialibus cauſis, ac omnibus, quæ Romanorum Imperatori atque Regi, ratione officii, conditionis, dignitatis & amplitudinis, de iure, conſuetudine, & æquitate competunt, tradidimus atq; commiſimus. Id quod ex Germania diſceſſuri, vobis ſignificare, & ſimul tanquam noſtris ac Sacri Imperii fidelibus miniſtris, ſalutem noſtram clementer nunciare volumus. Hoc ipſo benigne atque diligenter petentes, vt vos conſideratis his in futurum, vt hactenus, gloriam Dei atque iuſtitiam præ oculis habeatis, eamq; nulli denegatam, æquabiliter adminiſtretis, nec vos quenquam vel quicquam in mundo ab hoc auerti, excludi atque præpediri patiamini, & dicto noſtro dilecto fratri Romanorum Regi in omnibus ac ſingulis, non minus quam nobis, ſi præſentes eſſemus, fideles, obedientes, atq; morigeri ſitis: eum tanquam veſtrum ducem ac caput reuereamini, ad eum, vt Rom. Regem (cui hiſce vos ſubiectos volumus) re exigente confugiatis, a ſua dilectione conuenientia auxilia atq; conſilia petentes. Viciſſim quoq; ſua dilectio vos benigne commendatos habebit, & conuenienter in cauſis iuſtis tuebitur, proteget atq; defendet, omniaq; ſuſcipiet atq; faciet, quæ publica iuſtitia, ac veſtra neceſſitas atq; conditio requiret, prout id a ſua dilectione fraterne petiuimus, eique ſumma diligentia iniunximus: In hoc præterquam quod id vos decet, præſtatis nobis officium pergratum, noſtra clementia remunerandum. Quod ſi etiam in futurum vobis vniuerſis aut ſingulis clementiam cum rerum veſtrarum promotione declarare poterimus, obedientiæ veſtræ Sacro Imp. præſtitæ, perquam beneuole recordabimur, eamq; benigna gratitudine agnoſcemus.* Quodnam euidentius argumentum amoris ſtudiiq; iuſtitiæ oſtendi, præclarius integritatis teſtimonium Cameralibus tribui, illuſtrius beneuolentiæ Cæſareæ ſignum, his literis à quoquam edi poſſet? Verum non ſolum hoc tempore, quo Germaniam relinquere conſtituiſſet, ſed & ante anno 54. quanti Iudicium Cameræ faceret, literis Bruxellis 10. Febr. ſcriptis, luculentiſſime oſtendit. Nam cum Albertus Marchio Brandenburgicus, ob contumaciam à Camera proſcriptus, in Franconia arma circumferens, iudicibus non ſolum malediceret, ſed & grauiſſime minaretur, ita vt iudices neceſſitate compulſi, 17. Ianuarii rem ad Carolum deferre, eiuſq; conſilium & opē petere cogerentur. Hic eis reſpondens, *ſe eos vniuerſos ac ſingulos, non ſolum pro bonis, honeſtis & integris viris, ac innocentibus puriſq; criminum, quorum inſimularentur, habere ſcribit, ſed nec in animum inducere, vllum iuris ac honeſtatis amantem fore, qui de ipſis propter incertam diffamationem, ſuſpicionem ſiniſtram concepturus, multo vero minus inaudita atq; incognita cauſa, quæ ex animi acerbatione ſpargantur, ipſis hic aſcripturus. Ad hæc ſe non dubitare, cum omnium ſtatuum Imperii conuentus inſtet, ad quem huiuſmodi negotia ſuo iudicio ſint deferenda, eos in omnibus actionibus lucem minime reformidaturos. ideoq; ſuam Maieſt. in eo conuentu, diuina fauente gratia, ſumma contentione atque clementia paratam, iuſtitiam ac æquabilitatem promouere, & omnia iniqua grauamina amoliri. Quantum vero attineat ad expetitam ſecuritatem, ſe minime exiſtimare, quenquam eo audacia prolapſurum, vt ipſis in eo loco, in quo à Cæſarea ſua Maieſt. & communib. Imperii ſtatibus ad iuſtitiam adminiſtrandam ſint collocati, turbationem vel vim inferat: ſi vero id metuendum ſit, ipſiq; exiſtiment, pro maiori ſecuritate iudicium ad tempus aliquod in alium locum transferendum, Cæſaream ſuam Maieſt. ipſis clementer concedere, vt id pro iudicio atque arbitrio*

Kk ſuo

ſuo ſuſcipiant & exequantur, ea quoque literas atque mandata, quibus ad vicinos atque remotos ſtatus opus habeant, ipſis ea requirentibus, libenter benigneque communicatura. Si vero hæc non ſufficiant, ac ipſis integrum ſit ad tempus, & quoad Dei auxilio res in pacatiorem ſtatum reducantur, cum iudicio in Belgicum aut in curiam ſuam (vt ab antiquo Camera Imperij aulam Imperatorum ſecuta fuerit) migrare S. Maieſt. ipſis eandem ſecuritatem, qua ſua perſona, ſua Maieſt. conſiliarii, miniſtri ac ſubditi fruantur, præſtare atq; ſeruare, eoſque diuini numinis auxilio ita defendere, tueri atque protegere velle, vt officio iniuncto non minus ibi, quam in loco, in quo iam ſedeant, commode vacare queant. Vlterius quoq; Cæſar. ſuam Maieſt. ipſos in eo, quod requirente neceſſitate, vigore huius conſenſus egerint, in futuris comitiis apud Imperij ſtatus benigne, fideliter ac diligentiſſime excuſaturam, omniq; culpa liberaturam eſſe. Ex quibus, quanti Iudicium Cameræ fecerit, quantaque benignitate id complexus fuerit, cuiuis non cæco luculenter apparet. Porro poſtquam Cameræ menſe Auguſto, vt diximus, ſalutem nunciaſſet, huic magno ſibi, vtpote eius excellentiſſimi tutoris atque patroni deſiderio relicto, ſequenti Septembre in arcem Zelandiæ Sudburgum à ſe ex imis fundamentis conſtructam concedit, inde in Hiſpanias ſoluturus. Ibi vero dum ſubſiſtit, ac non minus Imperio quam hæreditariis terris, de ſucceſſore proſpectum cuperet, inde ad Ordines Imperij ſcribit, iiſque Imperij negotia fratri tractanda, commiſſa eſſe ſignificat, eos ad obedientiam huic præſtandam, exhortans. quarum literarum tenor hic fere erat.

CAROLVS V. *diuina clementia Romanorum Imperator Auguſtus, vniuerſis & ſingulis Electoribus atque Principibus, tam Eccleſiaſticis quam Secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, Capitaneis, Vicedominis, Præfectis, Vicariis, Magiſtratibus, Iudicibus, Burgimagiſtris, Conſulibus, Communitatibus, aliiſq; Sacri Imperii ſubditis, & fidelibus dilectis, cuiuſque ſtatus, dignitatis & conditionis fuerint, lecturis, aut legi præſentes audituris, amicitiam, gratiam, & omne bonum. Reuerendiſſimi, Venerabiles, Illuſtres amici & cognati chariſſimi, ſimiliter generoſi, nobiles & ſpectabiles, deuoti & fideles dilecti. Cum multis & grauiſſimis cauſis moueamur, & maxime quod ætate, ac continua moleſtia infirmitatis, debilitatis, omnibuſque viribus corporis ad res obeundas neceſſariis deſtituti ſimus, & iam longo tempore conſtituerimus, Sereniſſ. Principi, Regi Angliæ & Hiſpaniæ, regna noſtra tradere, & conſueta noſtræ aulæ ſede relicta, huc conceſſerimus ad naues: quibus omnibus neceſſariis inſtructis, cum venti ſecundi afflauerint, velificemur nullo hoc iter noſtrum, niſi ſolo Deo impedituro. Vnde cum propter talem abſentiam adminiſtratio Sacri Imperij, ad Sereniſſimum & potentiſſimum Principem Ferdinandum Regem Romanor. Hungariæ atq; Bohemiæ, & fratrem noſtrum chariſſimum, vt legitime electum Romanorum Regem, & poſt nos, in ea, abſque vlla contradictione, proximum ſucceſſorem, pertineat, eiq; ſæpius multis retroactis annis in noſtra abſentia nomine noſtro magna fide præfuerit, ſuſtinendo vere fraterna atque beneuola ſolicitudine, grauiſſimum Imperii adminiſtrationis onus. Ideo ne Reſp. Chriſtiana, maxime Sacrum Imperium nobis procul abſentibus, aliquod detrimentum (id quod Deus auertat) patiatur, & quo prædictus noſter frater Rex Romanorum negotia Imperii maiori authoritate tractare poſſit. Volumus & conſtituimus, vt tanquam Rex Romanorum per ſe abſolute citra noſtram tractationem, habeat poteſtatem faciendi, tractandi & mandandi quæcunq; ad dignitatem, commodum, & augmentum Sacri Imperii neceſſaria & opportuna videbuntur in modum, quo nos, vt Imperator & Rex Romanorum faceremus: Et ſane nihil magis in votis habuimus & expetiuimus, quam ante conſtitutam profectionem, in ciuitate noſtra Imperiali Ratisbona comparere, & vobiſcum negotia publica deliberata, ad exoptatum finem deducere, Sacriq; Imperii regimen præfato Regi Roman. fratri noſtro dilecto, in publicó conuentu committere cum diſpoſitione, vt ipſe ei nomine noſtro præeſſet, & commotione, ad præſtandam illi debitam obedientiam, ſed inualetudo noſtra, nota cuilibet, paſſa non eſt, vt itineri tam longo & maxime terreſtri nos committeremus: præterquam quod minime conſultum eſt viſum, negligere occaſionem, quæ hoc tempore nauigationi quam maxime commoda eſſe ſolet. Quare cum ad indicta comitia perſonaliter non venerimus, nec, quod in votis noſtris erat, aliàs ſuſceptas rationes ad conſtitutum & exoptatum finem perduxerimus: ad minus voluimus dilectioni & deuotioni veſtræ, vobiſq; hoc edicto inſtitutum animi noſtri patefacere, & expreſſe vobis vniuerſis & ſingulis mandare atque iniungere, de poteſtate Imperiali, tenore præſentium, ſub grauiſſima indignatione & pœna. vt, quemadmodum dictum eſt, fidelitatem & obedientiam Regi Roman. præſtetis, & eum vice ac nomine noſtro, in omnibus edictis, mandatis & actionibus reuereamini, nec ei in re vlla repugnetis, ſed eum omni cultu proſequamini, non ſecus ac nos in Imperio exiſtentes, obſeruaturi eſſetis, nec aliter faciatis, aut vobis perſuaderi ſinatis, in quantum quiſque veſtrum, grauiſſimam noſtram indignationem effugere voluerit: Hæc eſt expreſſa & vltima voluntas noſtra. Data ſub Impreſſione ſigilli noſtri, Sudburgi in Zelandia, 7. die Septemb. Anno à natiuitate Chriſti 1556. Imperii noſtri 36.*

Et hæc quidem tum publice ad ordines & ſtatus Imperii ſcribebantur, vt hi, Imperii adminiſtrationem, Ferdinando Regi Rom. traditam, & negotiorum tractationem ei commiſſam eſſe, cognitum haberent. Cum vero Carolus non ignoraret, ſe poſt Deum Opt. Max. ab Electorib. ad Imp. Mai. culmen euectum, nec citra eorum conſenſum & approbationem, circa Imperij vel abdicationẽ vel ceſſionẽ, quid ſtatuere ſe poſſe, eorumq; autoritati plurimũ tribueret, hos, honorifica legatione adornata, cui Guilhelm. Auraicus Princeps, Georg. Sigiſmũdus Seldius, Vicecancellarius Auguſtalis, & Wolffgang. Hallerus à Secretis Imperat. præerant, de voluntate ſua certiores reddendos cenſuit. At illa, non niſi ſecuto biẽnio, mandata expediit, ſiue quod interim tribus Electorib. morientibus, noui ſucceſſerint, ſiue quod poſt profectionẽ Caroli è Belgico, induciis inter hunc & Regem Galliæ ruptis, tale bellum exortum ſit, vt omnium animis, de exitu eius ſuſpenſis, tempus à comitiorum celebratione

bratione alienum eſſet. Nam hoc anno die 26. Febr. Friderico Palatino Electore moriente, qui nullos ex Dorothea, Chriſtierni Regis Daniæ & Suetiæ filia, liberos ſuſtuliſſet, Henricus Ottho, fratris Ruperti filius, in demortui Friderici locum ſuffectus, animum religioni reformandę adiecit, Auſtriacis præteritorum memor, non ſatis æquus. Et paulo poſt Fridericus Treuirenſis Archiepiſcopus ex Comitibus Eiſenbergicis vita decedens, Ioannem à Layen ſucceſſorem habuit. Similiter die 20. Septemb. Adolphus Archiep. Colonienſis, ex Comitibus Schawenburgicis, fato concedens, Archiepiſcopatum per legitimam electionem ad fratrem Antonium tranſmiſit, ita vt vno hoc anno tres Electores Rheni facti, ſuis rebus conſtituendis occupati, alijs vacare nequiuerint. Et quantis bellis factarum quinquennalium induciarum violatio, ad Pont. Pauli IV. (propter Palianum captum, Philippo bellum mouentis) inſtinctum inter Gallos & Philippum, vix Carolo in Hiſpanias appulſo, occaſionem dederit, notius atque prolixius eſt, quam vt hic commemorari neceſſe ſit: ita vt quam Electoribus renunciationem Imperij Carolus ſignificare conſtituerat, in tempus pacatius atque tranquillius dilatam eſſe, mirum nulli videri debeat.

Carolus ergo regnis hæreditariis Philippo filio traditis, ac Imperij inſigniis (vt diximus) Ferdinando fratri, velut multo ante legitime deſignato ſucceſſori, conceſſit anno 1556. die 17. Sept. ante occaſum Solis, non expectato legatorum reſponſo, ànte occaſum Solis, nauim Sudburgi ingreditur. Venit eo Philippus Rex cum Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, officij cauſa, quibus ab eo ſalutari precatione conſalutatis, atque de Reip. negotijs commonefactis, 17. Septemb. Sole in Libra, Luna in Piſcibus verſante, mane hora 7. primus cum naui ſua prætoria è ſtatione ſoluit, reliquis, quæ eum officii & præſidij cauſa comitarentur, ad tres bombardarum ictus, per tria horarum interualla editos, ſubſequentibus, quarum quindecim Cantabricæ erant viginti Belgicæ militares in ſua prætoria, Eleonoram Franciæ & Mariam Hungariæ Reginas, Cæſaris ſorores vehentes. Reliquæ vero ex Holcadibus Batauicis conſtabant. In itinere ad fauces freti Britannici, initio ſeptem armatis Britannicis, deinde ad Porſeumam aliis ſeptem, & rurſus ad Vectem inſulam aliis ſeptem, ad eas ſeſe adiungentibus, Cęſar ergo Euro propitio prouectus, veſperi ad horam 7. ante portum Neoportueſem ſeſe oſtendit. deinde reſumpta velificatione fretum Britannicum (quod ſeptem milliarib. communibus patet) traiiciens, in Hiſpanias ſine vlla nauſea aut cunctatione peruenit ad Laredum portum appellens. Iſthuc venienti præſto affuerunt lectiſſimi quique Hiſpaniæ Principes, inter quos primum tenebat locum Conneſtabilis (ſic vocant) Magnus Carolus, vbi primum è naui deſcendens terram pede tetigit, proſtratus ipſam oſculatus eſt, & *ſalue*, inquit, *mihi optatiſſima mater, nudus ex vtero matris meæ exiui, nudus ad te, tanquam ad alteram matrem redeo, tibiq;, quod vnum poſſum, pro tantis multis in me meritis corpuſculum hoc & oſſa dedo & dedico*. Mox ad Chriſti imaginem, quam ſemper ſecum geſtabat, eo enim ſigno aduerſus hoſtes vtens ſemper pugnarat, oculos attollens gratias ipſi egit, flens, quod ſibi in prouinciam per eius bonitatem reuerti ſub vltimum vitæ tempus licuiſſet, quæ omnium ſibi eſſet chariſſima, & per quam ad maxima Imperia & honoris gradus perueniſſet, cuique omnes ſuos triumphos ac victorias ſecundum Deum acceptas, referret.

Hiſpaniam ergo cum attigiſſet, pro more regni nihil antiquius habuit, quam regni adminiſtrationem à ſe abdicare. Is vero hic eſt, vt inſpectante populo poteſtas regnandi detur ei, qui hæres in locum demortui Regis ſucceſſerit, vt publico ac legitimo iure Rex factus videatur optimoque auſpicio, quæ ad populi ſalutem pertinent, gerere incipiat. In ſingulis autem vrbibus, vbi publicum eſt conſilium aliquod, feciales duo gentilitijs Regum ſignis & ornamentis inſigniti, in ſuggeſtu ſtantes inter ſe aduerſi de more alter dat, alter accipit ſceptrum, enſem & galeam, ita igitur tunc fatus eſt prior ille. *Quod fauſtum fortunatumque ſit Hiſpaniæ vniuerſæ, atque aliis prouinciis Imp. Carolus V. Hiſpan. Rex legitimo iure factus, ſponte lubentique animo omni ſe poteſtate abdicat, Regemque eſſe iubet, ac heredem ſuum inſtituit Philippum filium, ita vt in illum omnia iura regnandi poſſidendique, atque in alias transferendi translata ſint, more, legeque veteri, & eo iure translata, vt quæ optimo iure transferri ſolent, priuata omnia & publica.* Quibus dictis ſceptrum alteri tradidit, ſtatimq; diſceſſit. Is cum ſceptro & enſe ſolus ſtans eodem loco populum allocutus eſt, ſpopondítque nomine Regis ſe omnia facturum, quæ ad incolumitatem populorum ſpectarent. Vidiſſes tunc in vultu varios eorum, qui aſtabant, animi motus. Acclamabant nouo Regi: *Diu nobis Deus noſtrum ſeruet Regem Philippum, Regem fortem, bonum Regem. Viue diu Philippe Rex. Deus te ſeruet Philippe, Philippe Rex noſter, ſeruator Hiſpaniæ, tutor Siciliæ, liberator Indiæ & Africæ, Britanniæ Rex & Sardiniæ: in Italia Apuliæ, Campaniæ, Calabriæ Rex, Mediolan. dux inclyte, inuicte, felix, aue, ſalue.* Inter has acclamationes exaudiebantur gemitus ac ſuſpiria quamplurimorum, qui ſe priuari Carolo Rege, cum præſertim adhuc viueret, dolebant, admirabantur alii potuiſſe illum in animum inducere, vt quæ alii magna vi retinerent, ipſe ſponte deponeret, quæque alii plurimi facerent, ipſe negligeret, nunquam hoc eſſe auditum in Hiſpania, vt Reges non niſi cum ſceptro & diademate obirent extremum vitæ diem. Lætabantur rurſus iidem Philippum, quem patris quam ſimillimum fore non modo ſperabant, ſed multo ante clariſſimis indicijs præuiderant, tot prouinciarum, quarum ius & poſſeſſio ad Hiſpaniæ reges pertinet, adminiſtrationem ſuſcipere,

Hac ergo abdicatione procurata, ac ſalutatis Hiſpaniæ Principibus, qui ad ipſum officii cauſa venerant. lectica in eam vrbem vectus eſt; vbi nepos puer Carolus commorabatur, metropolis illa eſt totius Hiſpaniæ, domicilium Regum in valle Oletana, vnde & nomen habet, biduo cum puero collocutus, poſtquam illum ad virtutem & gloriam, ad quam ſponte ſatis, tum

ipſius exemplo aui & patris, quos vidit, tum omnium ſuorum maiorum, quorum res geſtas audierat ante, exemplo erat incitatus, leniſſima, grauique hortatione impulit: inflammari ille viſus eſt mirum in modum deſiderio laudis, cum auum tam ſeuere, tam grauiter loquentem audiret, & quaſi Herculem alterum poſt exhauſtos labores virtutis viam monſtrantem, quam ipſe ante triuiſſet, intueretur.

Digreſſus ab eo ſtatim in eam, quam ſibi delegerat multo ante ad commentandam mortem & requietem, contendit vallem, quæ eſt in Luſitaniæ finibus, vbi ſumma cœli temperantia & amœnitas collium, fluminis & fontium. Illic olim Sertorius Romanorum dux fortiſſimus, cum in Hiſpania res gereret, poſt multas victorias, etſi parum iuſtum ſuſceperat bellum, occubuit. Hodie vero ibidem eſt cœnobium, in quo lectiſſimi homines Hieronymitani ſodalitij, religioni dediti, caſte pieque vitam in tranquillitate degunt: diſtat id à ciuitate Placentina Caſtulonenſi in regione, octauo non amplius lapide, proxime Scarandilam municipium, rupibus altiſſimis ſeptum. Id ergo Carolus ingreſſus, Deo & rebus diuinis, quod toties concupierat, ſe tradidit, nullum ſacrificium, nullum nobilem, nullos ſatellites, nulloſque ambulones, præter duodecim miniſtros & vnum equum retinens, magna morum temperantia, magna cibi vinique abſtinentia, ſi vnquam alias hoc tempore in illo relucente.

Cæterum dum quiete domeſtica in hoc cœnobio vteretur, ecce ad eum literæ perferuntur, quibus pacem publicam intra vnius anni ſpatium, turbatam nunciatur. Nam cum anno ſuperiore iuſſu regis Philippi Albanus rerum Italicarum procurator, in Italiam tranſmiſſus in Togata Gallia ac Taurinis ingenti exercitu conflato, accepto rerum detrimento incredibili, cum ignominia atque dedecore Taurinos reliquiſſet, atque inde bello inter Paulum IV. & Philippum Regem, ob vſurpatum Palianum & deturbatum de ſtatu M. Antonium Columnam exorto, tanquam Philippicarum copiarum Dux prima incurſatione Fruſinone, Verulis, Tarracina, Anagnia, ac Tybure, Algido, & multis aliis oppidis occupatis, ac oſtia Tyberina deditione obtenta, Romam tentaſſet, ac miſſione militibus data Neapolim turpiter reuolaſſet: Gallus anno 1557. vt Neapolim inuaderet, Mediolanumque tentaret, fœdere cum Pontifice, domus Auſtriacæ hoſte infenſiſſimo, & regulo Ferrarienſi conſtituto in Italia ſuo Procuratore percuſſo, bellum redintegrauit, in quo Philippum Regem terra marique inimicum in ſe concitat. Nam in Italiam ad ſuppetias Pontifici ferendas, & loca eius ditioni adempta recuperanda, Guiſianus cum duabus legionibus ex Celtis miſſis, cum per Inſubres iter faceret, Valentium in Ticini ripa, ac Mediolanenſi ditione ſitum, hoſtili more expugnat, præſidiumque ei imponit, ac circa eadem fere tempora, quibus Guiſius Italiam infeſtat, Galli itidem in Artheſiam excurrunt, eamq; depopulantur. Cum enim circa Epiphania, alieniſſimo hyemis tempore Catuacorum vrbem, quam hodie Duacum vocant, fruſtra tentaſſent, ab inani ſpe in furorem verſi, Lenſam medium inter Inſulam & Atrebatum ciuitatem, municipium, vi captum, diripuerunt, incenderuntque, inde innumerabili præda abacta, in Picardiam ſe conuertentes. Ita quinquēnales illæ egregiæ induciæ, non toto vertente anno elapſo, ruptæ & violatæ ſunt. Subinde diſputatum eſt acerrime, vter Regum ruptarum induciarum violator dici deberet. Contendebat pro ſuæ quiſq; gentis gloria, & prout erga alterum erat animatus, ita alterius factum vel laudabat vel reprehendebat. Sed tamen quia Gallus exercitū in Italiam tranſmiſerat: Valentinus Inſubrum ſocijs, Philippiq; confœderatis vim intulerat: Duacum tentauerat, Lenſam expugnatam direptamq; combuſſerat: Arteſiam flamma ferroq; infeſtarat: deniq; prius cum telo fuerat, quam à Philippo aut inſtrumenta belli parata fuiſſent, aut conturbatarum induciarum ſignum apparuiſſet, collatis inter ſe litigatorum cauſis, æqui ac neutri parti addicti arbitri, ſecundum Hiſpanum contra prouocatorem Gallum ſententiā tulerunt: compoſita, conſtitutaq; ſemel Rep. quicquam per vim agi, nulla præcedente iniuria: minime ciuile aut ex formula æqui bonique eſſe, iudicantes. Verum huius rei deciſio penes alios eſto. Nuncius ſane turbatæ pacis Caroli animum non parum initio commouit, ſed mox is animo confirmatus, Deo Reip. curam iampridem ſe commiſiſſe, dixit. Orare itaque ſe, vt Deus victorias ita diſpertiat regibus Chriſtianis, vt res ad tranquillitatem & otium publicum reuerti queat. Nec vel violationem induciarum Gallis (vt nulli fere alij) feliciter ceſſiſſe, vel Caroli preces irritas fuiſſe belli ſucceſſus, ac exitus rei oſtendit. Nam etſi Guiſianus Italia peragrata Samnitibus inſultarit, eo conſilio, vt Neapolim aliquando inuaderet, eamque cum omnibus terris Philippicarum partium ſibi deſponderet, Campulo militari irruptione occupato: tamen Philippo non ſolum cum Anglis, contra veterrimum & communem hoſtem, concitatis, ſed & cum Belgarum iuſto exercitu, copiiſque auxiliaribus Germanorum non exiguis, in citeriorem Picardiam, Duce Allobroge, Philiberto Emanuele irruente, tota Gallia, violatarum induciarum grauiſſimas pœnas luit, Gallorum copijs Auguſtæ Veromanduorum opitulaturis in die Laurentij à Philippicis inſigni clade cæſis, mox ea 26. Auguſti die expugnata atque direpta. Admiralio cum multis nobilibus in ea capto, & arcibus quampluimis occupatis. Et Guiſius ad patriam defendendam nulla re memorabili geſta, redit, niſi quod in reditu hoſtem Nicolaum Polwilerum ex Belgico, cum Germanico exercitu ab alia parte in Gallias irrumpentem, & Burgo Breſſiano, ac Lugdunenſi agro inſidias iamdiu molientem, ex itinere repulit, totamque illam prouinciam ſaluam opportuno quidem tempore conſeruauit. Nec vero Carolus eius victoriæ atque ſucceſſus diu ignarus manſit, ſed Septembri poſtea menſe filius Philippus ei omnia ſignificans exponit, quomodo Emanuele Philiberto Allobroge Duce, decimo die Auguſti cum Galliæ Regis Henrici copijs in Veromanduis conflixiſſet, & in eo

prælio omnes Gallorum copias fuiſſe profligatas, tormenta Gallica capta, equitatum totum diſiectum, omnia impedimenta capta, 50. ſigna Germanica, totidem fere Gallica, in caſtra relata: omnes equitatus, peditatuſque Duces captos, ipſum Annam Ducem Montmorantij, Magnum vniuerſæ Galliæ Dictatorem, quem Connetabilem vocant, totius exercitus Gallici caput, captum: cum illo multos alios illuſtres viros, veluti Ducem Monpeuſerium, & Ducem Longeuillanum, Comitem Ringrauium, Mareſcallum Diui Andreæ, Principem Mantuanum, Mombronium Conneſtabilis filium, multoſque Torquatos Gallici ſupremi ordinis Equites, multos Tribunos, multos Centuriones, cum omnibus machinis & impedimentis. Anguianum Comitem, Ducis Vendomij fratrem, cum multis alijs in acie cæſum, triginta hominum millia hoc prælio à ſe debellata fuiſſe. Poſt eam cladem, Fanum diui Quintini Veromanduorum Auguſtam appellatam triplici irruptione facta vi ſe expugnauiſſe. Hinc ad Hamum, & ad Caſtellerum Menillum duxiſſe. Ea omnia in ſuam poteſtatem redacta, magnis operibus munire, agrumque omnem Gallicum limitrophum eruptionibus conceſſis euaſtare. Nouiodunum, Royam, Chaunium, aliaque oppida ignobiliora poſtea ſe ſubegiſſe. Cæſar etſi ſpe pacis ſe erigebat: diſſimulata tamen humanæ cladis lætitia Deo gratias egit, & ad Philippum filium ternas, ad Emanuelem Phihbertum Allobrogum Ducem, Belgicæ per id tempus Gubernatorem vnicas literas dedit, quibus victorias victorijs accumulatas gratulabatur. Interea tamen nihil hic victoriarum ſucceſſibus elatus, veteribus ſuis conſilijs inſiſtit, ac quod ante diſceſſum è Belgico legatis in Germaniam deputatis, mandarat, vt id exequantur, iubet.

Antequam vero iſta legatio ſuſciperetur, anni ſubſequentis initio Henricus II. Gallorum Rex, licet ante duriter afflictus clade Sanquintiniana rem eam peragit, quæ vt hoc loco referatur, cum primis digna videtur. Nam ſuos ex Italia reuocatos cum alijs recens conſcriptis, præter omnium opinionem, iniquo anni tempore, contra Philippum Caletumque vrbem, duce quidem Guiſio, ſuaſore vero & impulſore Petro Strozza, mittit. Hic enim à Gallo quodam, qui inde euaſerat, inſtructus x. Nouemb. obſoleta veſte indutus, extrinſecus ſitum eius vrbis perluſtrauerat, & circumſtantium propugnaculorum formam ac firmitatem curioſis oculis ad topographi ſolicitudinem perſpexerat. Rex igitur hanc Strozzæ opinionem vero non abſimilem reperiens, propoſitæ oppugnationis fortunam periclitari conſtituit. Guiſiano ſumma rei attribuitur: cui præter Strozzam, legatos adiungit Momorancium & Dandolotum. Hos alieniſſimo tempore per Morinorum agros, media fere hyeme in Caletes mittit. Hi ciuitatem etiamnum eo loco habent, quo antiquitus Icium portum promontoriumque fuiſſe, Coſmographorum tabulis, & à Iulio Cæſare eſt notatum: in extremis Belgarum Morinorumque finibus ad Britannici Oceani anguſtias poſitam. Hinc commodiſſima è Pleumoſijs in oppoſitam, obiectamque Britanniam eſt transmiſſio: Dobram enim Britanniæ municipium ex diametro ſpectat. Galli igitur Calen. Ianuar. Anno 1558. vſque ad pontem arcis, quæ Nouambriga appellatur, acceſſerunt. Caſtellum illud eſt mille ab vrbe paſſibus, vnde per emiſſarium & ſecretiores meatus velut aquæductus, exundante mari, in ſubiectam planiciem, inſtar lacus cuiuſdam aqua in foſſas campoſque vrbis vndiquaque circumfunditur. Hic igitur mature habito conſilio deliberant vno eodemque tempore ſimul hanc arcem & pharum ſeu ſpeculam, quam Risbanum vocant, in faucibus portus ad coercendum introitum poſitam, tormentorum vi concutere. Sed Angli repentino hoſtis conſpectu deterriti, maxime quod nauium bellicarum claſſem ex Armoricis ciuitatibus comparatam, pleniſſimis velis in ſtationem ferri cernerent, vtrumque locum reliquerunt. His itaque repagulis effractis ianua aditusque Gallis ad vrbem patebat (cui tum præerat Veudofordus, ſed cum fruſtra tormentis vrbs, ob murorum vaſtitatem exagitaretur, oppugnationem Galli ad arcis, quæ ſecundum mare ſita eſt, demolitionem conuerterunt. Itaque mane, Epiphaniorum die tanta pertinacia admotis 33. omnium capaciſſimis tormentis pilas conieceerunt, vt fragor ille terribilis Andouerpiæ, quæ 33. milliaribus Germaniæ inferioris inde abeſt, exauditus fuerit. Poſteaquam igitur per totum eum diem continuata oppugnatione luculentam ruinam edidiſſe ſe Gallorum Duces conſpexerant, qui poſt receſſum maritimi æſtus, ad patefactam arcem accedere, & cedente ſtagno irruptionem tentare, illa ipſa veſpera cogitarunt. Erat autem noctis hora tum fere quarta, cœlumque valde ſudum & Luna perluſtris. Inſtruit igitur ordines Guiſianus, & Tribunis ſtipatus muris ſuccedit. Vbi etſi initio Gallis vexilla & lilia in ſublimi figentibus, aliquot Angli obſiſterent: continuo tamen defenſionem reliquerunt. Guiſianus igitur arci præſidium imponit, Vrbis oppugnationem matutino tempori reſeruat: maximé quod iam Oceani æſtus identidem reciprocarentur: quorum acceſſus & receſſus Lunæ motu gubernari, idque die quolibet naturali bis accidere, omnium, qui de rerum natura ſcripſerunt, opinione conſtat. Britanni vero, quia ſciebant, quamdiu ſtagnum conſtitiſſet, velut in medio clauſos Gallos nequaquam poſſe ſociorum ope ſubleuari, eos qui in arce erant, continuo magno clamore & ferocia ex ponte inuadunt. Sed cum à Gallis acriter reijcerentur, & illorum omnis conatus irritus exiſteret: ſummo mane miſſis ad caſtra legatis, pacem conditionibus certis confecerunt, primo omnibus vitæ lucisque vſura daretur, & quocunque videretur, fide publica commigrandi poteſtas eſſet. Quinquaginta obſides victori darentur, milites in Britanniam traijcerent, ſigna tamen militaria, inſtrumenta belli, munitionem, annonam relinquerent: integra omnia, ſalua, intactaque ſinerent, ab ædificiorum demolitione, direptioneque abſtinerent, ne clauiculum quidem refigerent, nec lapillum loco mouerent, aut ſolum pauimentaque ſuffoderent (quod à Gallis limitatum erat, pro-

 pter

pter Britannorum peruerſitatem, qui antea reſtituta ex conuentione Gallis Bononia Belgica, in contemptum hoſtis omnia vaſtauerant) denique aurum, argentum, æs ſignatum, fictile, rude, taudusculum, merces, ſuppellex, equi, iumenta, & quæcunque rerum mobilium nomine intelligerentur ad arbitrium voluntatemque Guiſiani reuocaretur. Atque in hunc modum turpiſſima illa præſidiorum ſocordia, Britannis decus regni detraxit, quod ducentos & vndecim annos ab anno Chriſti 1347. Philippo Gallo ademptum, in ſua poſſeſſione retinuerant. Vnde non ſolum vicinis Morinis, ſed & Galliæ ipſi frenos & compedes injiciebant, ita vt Regum Britannicorum quidam ianuam eam Franciæ appellarent: quidam etiam quamdiu Iccium * * * machinationes, cum diuinaſſet Philippus Hiſpanus, eaſque vxori Anglicanæ per literas denunciaſſet, opemque vltro & præſidium obtuliſſet, iſtiuſmodi eius præſagio non modo non patuerunt aures, ſed etiam falſa opinione cauillatum eſt: Philippum tali ſtratagemate Hiſpanico, illum ipſum dominatum aucupari. Quam tamen ſuſpicionem liberalitas Regia diluit, cum laborantibus Guinenſibus, qui tribus milliaribus ab Iccio portu abſunt, deeſſe nollet, quibus auxilium Hiſpanorum obſeſſa Caletum Vrbe ſubmiſerat. Caletum igitur rebus compoſitis, Guiſianus Guinum contendit, quod etſi acriter defenderetur, neceſſitate tamen compulſi, qui in præſidio agebant, ad conditiones deſcenderunt. Atque ita Galli, Britannos tota continente ſemel excluſerunt, & Pleumoſios vicinos inimicoſque populos in anguſtum redegerunt. Verum ad inſtitutam narrationem, vnde digreſſi ſumus, reuertamur.

Cum igitur anno 1558. menſe Februario ex conſtituto cum Ferdinando Rege Electores Francofurti conueniſſent, legationis principes antea nominati, nimirum Guilhelmus Auraicus, Georgius Sigiſmundus Seldus, & Wolffgangus Hallerus Secretarius, XXIV. die Francofurtum, cum mandatis Caroli V. Imperij dignitatem eiuraturi, ac in fratrem ſuum Ferdinandum Romanorum Regem ius ſuum & authoritatem tranſlaturi, appellunt. Is dies antea & Carolo, & Ferdinando fauſtiſſimus fuerat. Nam horum ille, eo Gandaui natus, & capto rege Gallorum Franciſco ad Ticinum inſigni Victoria potitus, denique à Pontifice Clemente Bononiæ coronatus erat: hic vero quoque eodem Diadema Regium capiti impoſuerat, Aquiſgrani. Porro capita eorum, quæ legati in mandatis habebant, hæc erant, vt quidem typis excuſa, & diuulgata poſtea fuere: vt *poſt ſolitam denunciationem ſalutis ac amicitiæ, congregatis Electoribus, indicarent. Poſtquam diuina prudentia, & interueniente legitima ac ordinaria electione Septemuirûm retroactis annis, ad dignitatem culminis Imperialis vocatus eſſet (Deo & conſcientia ſua id atteſtaturis) in vllam rem maiori cura animique contentione ſe incubuiſſe, quam vt Dei gloriam, communis Chriſtianitatis, & Germanicæ nationis commoda ac vtilitatem promoueret, ac quod vitæ reliquum ſit, & à Deo ſibi concedatur, ad ſtatum & ſubditorum bonum libenter ſe collaturum. Cum autem ætate virili exacta, ſenectæ appropinquet, & vires ſua per aliquod tempus, variis moleſtiſſimisque morbis attenuata, ad res obeundas ſint imbecilliores: Ad hæc etiam hiſce periculoſiſſimis temporibus, & pernicioſiſſimis diſſenſionibus, animorumque diſtractionibus, extrema Chriſtianitatis, maxime vero Germaniæ pericula perpendat, ne itaque propter ſuam inualetudinem & imbecillitatem, imperii cura prætermittatur, & Reſpublic. detrimenti quid capiat, ex quo ſibi cum famæ ſuæ inſectationes, tum conſcientiæ anxietates exoritura eſſent, cumque non longo ab hinc tempore, omnem adminiſtrationem ciuilem, regnorum ducatuum, atque terrarum, filio ſuo chariſſimo Philippo Regi Hiſpaniarum & Angliæ tanquam vero & vnico hæredi, ceſſerit atque tradiderit: Ideo ſe non immerito, quantum ad adminiſtrationem Imperii attinet, conſideraſſe, quod illuſtriſſimus ac potentiſſimus princeps Ferdinandus, Romanorum, Hungariæ ac Bohemiæ Rex, vigore legitimæ & ordinariæ Septemuirum electionis, proximus ſuus ſucceſſor ſit, & eſſe debeat, & ad eum adminiſtratio ſacri Rom. Imperii immediate pertineat, quodque eius vtiliſſimam operam opemque in adminiſtratione Imperii ſenſerit, & perſpexerit, ipſum ab Optimo Maximo Deo, ea prudentia regiisque virtutibus ornatum, vt ex futuro ipſius regimine, nihil niſi conſeruatio ſtabilis firmæque pacis, & omnia bona indubitate ſperanda ſint. Ad hæc quod hactenus in mutua fraterna charitate ita vixerint, vt nullam aliam fiduciam erga ſuam dilectionẽ habeat, quam quæ bonum ac fidum fratrem ratione naturæ, ſanguinis ac æquitatis decet. Poſtremo cum ea omnia non ſolum ſolatium animo ſuo attulerint, ſed & propoſiti ſui rationes expeditiores facilioreſque reddiderint Ideo hiſce omnibus attentis ſe conſtituiſſe, auxiliante diuina gratia, in Hiſpanias proficiſci, & ne res Imperii poſtmittantur, ſed recte curentur, adminiſtrentur & expediantur, è re atque neceſſitate eius eſſe cenſuiſſe, Cæſaream Dignitatem cum eius adminiſtratione, titulo, nomine, amplitudine, ſceptro, corona, iuriſdictione, & iuribus quæ habuerit, & adhuc habeat, fratri ſuo chariſſimo Romanorum Regi libere atque ex certa ſcientia penitus, plenarie, & perpetuo, & irreuocabiliter cedere ac reſignare: ita, quod ipſe omnibus hiſce ſusceptis praeeſſe, ea habere ac moderari debeat, eo modo & inſtar, ac ſi Cæſare mortuo, Rex ſolus in viuis eſſet. Cum vero hoc negotium electorum munus, atque dignitatem præcipue concernat, ſe citra ipſorum ſcientiam nihil in hoc voluiſſe agere, vel propoſitum ſuæ voluntatis, ac ſtatutum animi in actum perducere prius, quam ipſi de hoc certiores redditi eſſent. Petere ſe igitur clementer atque amice, vt quod grauiſſimis de cauſis ſecum conſtituiſſet, non ſolum ipſi firmum ratumque habere, ſed huic actioni, reſignationi, ceſſioni ac traditioni, prædicto Romanorum Regi fratri ſuo chariſſimo, per legatos ac conſiliarios nomine ſuo ad hoc ſpecialiter cum Cæſareo ac ſufficienti mandato ablegatos, faciendæ, pro maiori ſolennitate. authoritate, & pompa, & conſeruatione propriæ dignitatis ac iuris (quod minime infringere per hoc intendat) coram præſentes adeſſe velint, in hoc dilectiones ipſorum præterquam*

quod

quod Imperii neceſſitas id exigat, facere ſibi rem cumprimis gratam, tum erga ipſas omni amicitia, gratia, ac bono remunerandam.

Hoc factum Caroli V. quo ſponte Imperio ſe abdicauit, vt ante attigimus, pulcherrimum & memoratu digniſſimum exemplum eſt ſummæ modeſtiæ & humanitatis, quod cum optimo iure in ſummi Imperii dignitate & ſplendore, vſq; ad vltimum vitæ ſuæ extremum ſpiritum viuere potuiſſet: Imperium tamen relinquere, & inuidia deflagrare, quam aliis, in quorum offenſionem, & odium incurrerat, moleſtus eſſe voluerit. Suppeditat etiam exemplum ſtudii concordiæ fraternæ retinendæ, cum fratrem filio in Imperii ſucceſſione prætulit. Nam etſi Carolus Auguſtæ Vindelicorum Anno 1548. Philippum filium ſecum ex Belgico traductum, ſubornata ſorore Maria, & ſollicitationis cauſa eadem accerſita, in id incubuerit, vt Ferdinandus Cæſar abdicatum ſuum ius ſucceſſionis Imperatoriæ patrueli Philippo renunciaret, tamen eo in ſtatu ſententiæ ſuæ permanente & proſpiciente, eam approbationem & ſuæ maſculæq; ſobolis expectationi honoris contrariam eſſe: non tantum Carolus à propoſito deſtitit, ſed & fratris in contrarium nitentis, charitati retinendæ, quoad vixit, ſtuduit, id agens, vt quæ dignitas ei Electione Septemuirum collata eſſet, ſalua maneret, quo vix aliud illuſtrius exemplū hæc ætas vidit. Adhæc admonet etiam omnes Reges, & principes, ne dominandi libidine & ambitione accenſi, turbatione pacis, vaſtatione regnorum, conculcatione legum, direptione vrbium, eorumque quæ ad ſubſidium generis humani ſpectant ſubuerſione perpetuo occupentur, quaſi ad perniciem, ruinam, & interitum generis humani, vt alaſtores nati, ac doctrina cœleſti reiecta, falſis dogmatis credant, idolomanias ſtabiliant, veram religionem perſequantur, eius doctores pellant, confeſſores in exilium actos bonis priuent, ſed rebus caducis, fragilibus, ac fluxis neglectis, homines ſe eſſe recordentur, Deo rationem reddituros, mundo tandem viuere deſinant, proximi vtilitatibus ſtudeant, Deo & cultui diuino poſtremo ſe tradant, vitæ continentiam, morumque temperantiam, & charitatem proximi amplectentes, vt ex hac miſerabili vita, quaſiq; lachrymarum valle migrantes, in cœleſti patria, cum ſanctis regibus, patriarchis & Chriſtifidelibus æterno regno, & dulciſſimo Dei & angelorum conſpectu fruantur.

Porro Electores aliiq; Principes, qui Francofurtum venerant, etſi abdicationem Imperii à Carolo factam, admirarentur, eumq;, cuius potentia ampliſſima Imperii maieſtas defendi ac ſuſtineri potuiſſet, inuiti tanquam patrem amitterent: tamen cum eum exoptatæ quietis portum attigiſſe, & omni mundano ſplendore depoſito, ſoli diuino cultui deditum eſſe cognouiſſent, quod rogati fuerant, faciunt, ac poſt deliberationem conditionum, quibus Imperii Electores Romanum Regem obſtringere conſueuerunt, Imperii Maieſtatem in Ferdinandum transferunt, eiuſq; Maieſtati, vt iam Imperatori, fidem atq; obedientiam rite præſtant. Erectum autem erat in foro tabernaculum quoddam ligneum, cui propter eminentiam, gradus erant adiuncti, per quos Imperatori aſcendendum eſſet. Die itaq; præſtituta, locum illum editum periſtromatis tam aureis quam ſericis inſtratum, Imperator inſignibus Imperialibus ornatus conſcendit, thronoq; Imperiali inſidet: tandem ordine Electores agminatim concitatis curſibus prodeunt, comitati equitum maxima turma, ſedemq; Imperatoriam ter circum equitate, adhæc magno cum clangore tam Cæſariani, quam Electorum tubicines alternatim ſymphoniam edere. Præferebantur etiam ſingulis ſua vexilla, in quibus dominiorum ſuorum officiiq; Electoratus inſignia apparebant. Finito clangore tubarum, Electores ex equis deſiliunt, ordineque Cæſarem adeunt vbi prouolutis genubus Cæſari ſedenti iuſiurandum præſtiterunt. Poſtquam autem Ferdinando Cæſari electo, iuramentum præſtitum eſſet, initio fratri Carolo electionem ſuam in Cæſarem ſignificat, eiq; de beneuolentia & affectione fraterna, quam tranſlatione Imperii in ſe, oſtenderit, gratias agit, ac Philippum filium, quem ſibi tantopere commendauit, ita ſuæ beneuolentiæ, fidei, atq; tutelæ commiſſum fore pollicetur, atq; Maximilianus aliiq; filii proprii ſint, eiuſq; gratia non ſolum ſe Regnorum atq; Imperii, quod iam liberalitate fraterna acceperit, ſed & vitæ, periculum aditurum eſſe.

Poſtea decimo nono Martii Cameræ Spirenſi ſignificat, ſe ad reſignationem & ceſſionem fratris Caroli, & Electorum ſacri Imperii comprobationem, præcipue vero ad gloriam Dei omnipotentis, & commodum totius Chriſtianitatis, deniq; vero Imperii Romani ſalutem, Cæſaream gubernationem, dignitatem, amplitudinem, titulum, ſceptrum, ac diadema clementer ac integre ſuſcepiſſe, ac decimoquarto eiuſdem menſis, in ſacri Imperii ciuitate Francofurdenſi ad Mœnum, conuenienti ſolennitate, publica proclamatione Imperatorem declaratum eſſe, cum clementi & diligenti requiſitione, vt Camerales in futurum cauſas iudiciales, nomine ſuæ Maieſtatis ſecundum Iura ſacri Imperii, eiuſq; Conſtitutiones diligenter atq; fideliter tractent, adminiſtrent, atq; expediant, prout eos facturos minime dubitet, cum conceſſione poteſtatis, vt ad expeditionem cauſarum iudicialium, ſigillo Caroli Quinti quod habeant, vtantur, donec nouum ſuæ Maieſtatis ipſis tranſmittatur.

Tandem conuentu dimiſſo, Imperator Francofurto Oenipontem, inde Viennam menſe Nouembri ſecundo flumine Danubio, Anno 1559. redit non ſine inſigni gratulatione prouincialium Auſtriæ, qui eius Maieſtatem noua dignitate auctam pulcherrimo cum apparatu exceperant, expeditis magno numero peditibus magnifice exornatis, qui obuiam Imperatori ad Danubii portum vſq; proceſſerant. Non procul aberant ipſi etiam Viennenſes, quorum ſumptibus hic triumphalis aduentus Imperatoris fiebat: ii Maieſtatem eius equo iam inſidentem oratione gratulatoria excipiunt, deinde precantur felicem in gubernando ſucceſſum: poſtea Imperator, comitatus non ſolum

aulæ ſuæ aliorumque prouincialium, ſed etiam Hungarorum Baronum turba, qui aliquot ſeptimanis ante aduentum ipſius Maieſtatis Viennæ opperiebantur, vrbem gratulabundus, quod ſuos in officio videret, ingreditur, Maximiliano, qui interim munere parentis fungebatur, ac Carolo, filiis præequitantibus.

Quamprimum autem Viennam reuerſus eſſet, pro ſua erga ſedem Romanam obſeruantia de adminiſtratione Imperij ſuſcepta Pontificem certiorem redditurus, ad eum Gutzmannum ſupremum Camerarium menſe Aprili ablegat, cum mandatis vt Sanctitati ſuæ ſignificet: *Poſtquam Carolus V. propter ingraueſcentem ætatem, & inualetudinem, viriumq; imbecillitatem gubernationis mole depoſita, quieti atq; diuino cultui ſe dedere, conſtituiſſet, atq; ideo chariſſimo ſuo filio Philippo Hiſpaniarum & Angliæ Regi, adminiſtrationem omnium ſuorum hæreditariorum ducatuum atque dominiorum plene ac integre tradidiſſet, & ex eadem cauſa quoque aliiſque grauiſſimis rationibus, præcipue vero ex paterna ſollicitudine, quam quolibet tempore erga ſacrum Imperium, eius commoda, incrementum ac proſperitatem geſſerit, adminiſtrationem quoq; Imperij & Cæſariatus, cum titulo, dignitate, amplitudine, ſceptro, corona omnibusq; eius iuribus abdicare, & ea ſibi (fratri Ferdinando) tanquam antea electo & coronato Romanorum Regi, inque caſu vacantis Imperij, futuro Cæſari plene & integre cedere propoſuiſſet, ſe quidem molem adminiſtrationis ſubire detrectaſſe: atque propterea ſuam Maieſtatem primo per commemoratum Gutzmannum, ſecundo per Ferdinandum, tertio Maximilianum, Bohemiæ Regem, filios ſuos amice ac fraterne requiſiuiſſe, ne eo onere grauaretur, & ſi Maieſt. ipſius molem adminiſtrationis ſubterfugeret, ſaltem titulum, nomen, & amplitudinem Cæſariatus, ad tempus vitæ retineret: Verum Maieſt. ipſius nullo modo ad id perſuaderi potuiſſe, ſed firmiter atq; conſtanter propoſito ſuo inhæſiſſe. Cum igitur ad animum reuocaret, quod præterita electione ac Coronatione in Regem Romanorum in adminiſtrationem Imperij, cum id vacare contingeret, conſenſerit, nec præfata Cæſarea Maieſtas à ſuo propoſito dimoueri voluerit, ſe e re Imperij exiſtimaſſe, conuentum cum ſacri Imperij Electoribus de hoc celebrare. ad quem Francofurti indictum, cum præfata Cæſarea Maieſtas honorificam legationem miſerit, quæ nomine ipſius ac vigore plenarij mandati, ex cauſis ſupra dictis, adminiſtrationem ſancti Imperij, cum dignitate, corona, ſceptro, ſibi præſenti Imperatori, tanquam deſignato electo primus Cæſari cesſerit, reſignarit, & abdicarit, cum fideli comonitione, ne ſua Maieſt. molem gubernationis Cæſareæ, atque adminiſtrationis Imperij in poſterum ſubire detrectaret, ac in eo ſuæ Maieſt. Electorum Imperij conſilium, amice atq; clementer expetenti, hi non ſolum conſenſum in hoc ei præbuerint, ſed & adminiſtrationem Imperii amica petitione requiſiuerint, ſe iis omnibus attentatis, noluiſſe amplius fraternæ petitioni reluctari, ſed rem tandem eo deductam eſſe, quod ſuæ Maieſt. in nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, ob commemoratam ceſſionem & vacationem Imperij, debita ſolennitate ac proclamatione, Cæſareæ dignitatis titulus collatus ſit. Electores ſacri Imperij ſua regalia ac feuda, quæ ab Imperio habent, ab ea acceperint, eiq; conſuetam fidelitatem præſtiterint. Iis ergo ita actis, ſuam Maieſt. noluiſſe prætermittere, de iis Sanctitatem ipſius certiorem reddere, ac erga ipſam, & ſanctam ſedem Romanam, modo quo ipſius anteceſſores, qui, Eccleſiæ Romanæ & omnium aliarum præcipui Aduocati, defenſores, atque patroni quolibet tempore fuiſſent, filialem ac debitam reuerentiam exhibere, cum hac oblatione, quod ſua Cæſarea Maieſt. prima quaque occaſione, veterem ac receptam conſuetudinem, & Sanctitatem ipſius, & ſanctam ſedem de Coronatione rogandi non ſit prætermiſſura.*

Etſi hæc ſignificatio & amicitiæ & obſeruantiæ pleniſſima eſſet, nec quicquam minus expectaretur, quam vel vlla Pontificis vel ſedis Apoſtolicæ aduerſatio: tamen Pontifex, qui antea legationis cauſas olfeciſſet, ac ab Auſtriacis non conſiderata pacificatione, cum Philippo Hiſpaniarum rege facta, alienior eſſet, re nondum audita ac cognita, ſuis Cardinalibus, ſuper reſignatione ac tranſlatione Imperii hæc diſcutienda proponit: *An non Dominus Martinus Gutzmannus, qui ſe miſſum aſſerat, à Sereniſſimo Domino ſuo Ferdinando ad Sanctitatem Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ legitime docere debeat, quid Carolus V. circa Imperium ceſſerit aut fecerit Romanorum Imperatori Sereniſſimo fratri ſuo, & econtra quid frater ipſe admiſerit & acceptauerit & qualiter? An docto de prædictis, illa omnia facta fuerint rite & legitime, ſine conſenſu Sanctiſſimi Domini noſtri & Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, vel alia cauſa non ſubſiſtant?*

Cardinales hiſce dubiis & aliis cognitis, & tempore deliberandi conceſſo, per hæc verba reſpondent: *Cauſam Imperii, quæ modo tractetur, & circa quam propoſita fuerint dubia reſoluenda, exiſtimari ab omnibus tanti ponderis, quod alia huiuſmodi multis abhinc annis non venerit nec venire poſſit, ſub Iudicium alicuius Pontificis, ob nouitatem caſus, quoniam alius huiuſmodi nunquam acciderit, & cuius exemplum cum reſolutione, quæ ſuper eo fiet, ſeruiturum pro lege in futurum, & hoc cognoſcendo qualitatem perſonarum quæ interueniant, erga quarum aliquas conueniat, vti quibuſdam reſpectibus, & contra alias ſe vlciſci, & tandem reſpiciendo tempora tumultuoſa, cũ ob multas hæreſes, tum ob bella inter Principes Chriſtianos; addita trepidatione quæ haberi debeat, ob potentiam infidelium vicinorum Imperio ad quod aſpirant. Et propterea tollendam omnem admirationem, ſi Sanct. ex ſententia multorum peritia & pietate præditorum voluerit hactenus mature procedere ad decretum conficiendum.*

In primo igitur dubio neceſſe eſſe, vt publicis documentis demonſtretur, quo modo Imperium per reſignationem aut per ceſſionem Caroli V. aut alia ratione vacauerit. Poſtea quomodo Ferdinandus prætendat ſe ſucceſſiſſe, nec decere, quod nunc admittatur Orator, ad præſtandam obedientiam, vel actum aliquem publicum tractandum nomine alicuius qui prætendat ſe nuper electum Inperatorem abſque eo, quod conſtet, an alius ſolutus remaneat ab Imperio legitime & priuatus, & quod pariter videatur, quod ius prætendat, qui

poſtea

poſtea ſucceſſerit, vnde oportere vt ab vtroq; proferantur actus publici circa hanc materiam. Circa ſecundum dubium omnia quæ ſint acta & geſta in dieta Francofordiæ circa hanc materiam eſſe nullius valoris, cum non interuenerit auctoritas Sedis Apoſtolicæ, cum vicario Chriſti primitus claues cœleſtis & terreni Imperii datæ ſint, & impoſitio manuũ, confirmationes, coronationes ſacræ vnctiones, quæ ſeruari ſoleant in electos Imperatores, indicent ſupremam auctoritatem huius Sanctæ ſedis, & obligationes quæ dictis Imperatorib. iniungantur, quas ipſi iureiurando recipiant, & queis ſeſe adſtringant ad cognoſcendũ ſibi ſuperiorem, inque iis actibus illæ gratiæ dona Spiritus Sancti conferantur, quæ in Catholicis & piis Imperatoribus conſpici ſoleant. Quamobrem ſi hoc onus ab Apoſtolica ſede Spiritus Sancti interuentu, iniungatur, & iuriſiurandi vinculo ſuſcipiatur, renunciari ei non poſſe, nec abſque expreſſa licentia ſuperioris, à iureiurando ſolui, ſine auctoritate illius, qui ſolus ſoluendi & ligandi habeat poteſtatem. Quocirca Carolum V. non potuiſſe renunciare aut cedere, vel alia ratione deponere, huiuſcemodi Imperialem dignitatem, nec ex parte Ferdinandi prodeſſe aſſerere, quod electio prius facta ſuæ perſonæ in Regem Romanum confirmata à Clemente VII. cum ſucceſſione Imperii ſufficere poßit, quoniam Apoſtolica autoritas, in hoc caſu neceſſario requireretur, propterea quod ſucceſſio nullum habeat effectum, niſi vacante Imperio, quod vacare triplici tantum ratione poſſit: videlicet per obitum, per reſignationem, aut per priuationem: quarum duæ poſtremæ rationes, à ſede Apoſtolica immediate pendeant. Illud tandem addendo, acta & geſta in ſupradicta dieta nullius eſſe ponderis & momenti interuentu perſonarum, hæretica prauitate laborantium, cum omnem gratiam & facultatem amiſerint, olim illis conceſſam, dum Electores Catholici exiſterent.

Ea quæ in tertio Capite Ferdinando opponantur maximi eſſe ponderis, opus enim illi eſſe pœnitentia & reformatione: Deinde in eum paterna illa clementia procedi poſſe, quæ Sanctiſſimi noſtri peculiaris exiſtat, cum Sancta hæc ſedes vere pœnitentibus & magna cum fide ad eam confugientibus gremium non claudat. Circa poſtremum caput habita ratione temporum, Catholica fides in Germania tenuitate circumſpecta, diſcrimine tandem pro oculis verſante ad extremum exterminium veniendi, quod prudenter ſatis ac pie à Rege Philippo monitum fuerit, propterea huiuſmodi formam ſuccurrere, quæ tantummodo ex arbitrio Sanctiſſimi & Ferdinandi Regis dependeat, abſque interuentu Caroli V. nullis inſuper Electorum votis adhibitis.

Poſſe igitur à Rege Ferdinando procuratorem conſtitui ad renunciandum omnibus actis & geſtis in ſupradicta dieta, circa cauſam Imperii, & poſtea Sanctiſſimum ad dicti Ferdinandi Inſtantiam eandem confirmare poſſe.

Deinde mandatum Caroli V. produci, vt intelligantur rationes & cauſæ, quibus ſe inhabilem profiteatur, ad huiuſmodi onus Imperii ſuſtinendum, & hac declaratione vere vacaturum Imperium, & in euentum in quem dicti Caroli V. mandatum defectum aliquem patiatur, videlicet, quod tantum exprimat ad reſignandum in manibus Electorum in fauorem Ferdinandi, abſque eo quod appoſuerit generalem clauſulam, ad reſignandum in manibus; cuiuſcunque perſonæ autoritatem habentis, defectus huiuſmodi ſuppleri facile poſſe.

Stante huiuſmodi vacatione in facultate Sanctiſſimi remanere perſonæ promotionem, & ſucceſſuri confirmationem, atque nulli dubium eſſe Electionis vigore, ac Clementis VII. confirmationis in Imperium iure, Ferdinandum ſuccedere debere, niſi aliud impedimentum, aliqua ſua culpa poſtea contractum, illi obſtet.

Quocirca dictum Ferdinandum nouum mandatum conficere debere, ad confirmationem petendam, in primis ſe offerendo examini, vt ab his, quæ illi opponantur purgare ſe valeat, vt abſolutionem impetret, debitam obedientiam exhibendo, & conſuetum Iuramentum recipiendo, cum illud huius Sanctæ ſedis proprium ſit, extenſa brachia tenere, vt amanter quemcunque pœnitentia ductum, vina fide ad eam confugientem complectatur.

Ab hac Cardinalium reſolutione, vt vocant, Papa Cæſaris oratorem detinet, eiq; audientiam denegat. Hic itaq; Cæſ. Mai. ſignificat, quod Pontifex nec ſe tanquam oratorem Cæſ. audire, nec eius Mai. pro Imperatore agnoſcere velit, ſed prætexat, quod Carolus V. Cæſariatum nulli, præterquam ſuæ ſanctitati reſignare ac cedere potuerit, nec Ferdinando conuenerit citra conſenſum ſanctitatis ſuæ eum acceptare, & quod nullis argumentis ſeu rerum geſtarum narrationi, quam in præſentia multorum inſignium virorum facere inſtituerit, locus detur, ſed in tertium vſq; menſem Cæſ. ſuæ Mai. eludatur. Ferdinandus itaq; hoc cognito, Gutzmanno iniungit, niſi poſt triduum à mandato accepto, à ſanctiſſimo ad expediendam legationem admittatur, ipſe rebus compoſitis Roma diſcedat, proteſtatione hac præmiſſa: Cum ipſemet a Cæſ. Mai. cum mandatis ad Pontificem ſit ablegatus, ad exhibendam ipſi, more anteceſſorum ſuorum Romanorum Imperatorum, filialem honorem, ac iam longo temporis ſpatio, non abſq; diminutione ſuæ Maieſt. dignitatis ac amplitudinis vllum acceſſum impetrare potuerit ad ſua mandata exequenda, ſibi iniunctum, vt Roma diſcedat, Cæſareamq; Maieſt. certiorem reddat de his, quæ ſibi acciderint. Quo facto eam non prætermiſſuram, quin re cum Electoribus & ordinib. Imperii amplitudini conuenire videantur. Ad hoc itaq; mandatum, Gutzmanno apud Pontificem pro audientia inſtante, cum ſignificatione niſi ea præberetur, ſibi abeundum eſſe, tandem priuata audientia ei datur. Cui decimotertio Iulii ſeptem Cardinales præfecti fuere, ad quam ipſe tamen non aliter quam Cæſ. Mai. legatus accedere voluit, prout & admiſſus eſt. Porro mandatis expoſitis; Pontifex prolixiſſime ſe excuſauit, quare petitioni eius locum non relinqueret, tandem concludens, quandoquidem hæc cauſa valde ardua eſſet, & deliberatione peritiſſimorum hominum indigeret, nec ſat temporis ſanctitati ſuæ fuerit ad ponderanda capita, quæ Reuerendiſſimi Cardinales ac Iu-

ac Iuriſperiti diſcuſſione digna cenſuiſſent, nec ipſi legato amplius illic expectare vacet, poſſe eum, vt iuſſus fuerit, redire ad dominum, ſanctitate ſua, re maturius examinata, proprium legatum ad Maieſtatem Cæſaream miſſura. Eo ergo audito, Gutzmannus circumſtantibus Cardinalibus indicat, quid de proteſtatione facienda in mandatis habeat, ad quod Pontifice reſpondente, id ſuæ ſanctitati probari, ac cum ſibi, tum Maieſtati Cæſareæ bono ceſſurum, Gutzmannus ſalute amicis dicta, Roma diſceſſit. Et quidem in toto hoc negotio deinceps nihil actum eſt. Cæſare legitimæ electioni acquieſcente: ac tanta de ſapientia & æquitate noui Imperatoris ſpe animis hominum oborta, vt æſtus illi ingentes, qui Carolo V. Imperante concitati fuerant, ac omnem pene Germaniam obruerant nec dum ſatis deferbuerant, tunc primum conſederint, & Germania omnibus locis pacata tandem ſuorum bonorum fructum percipere aliquando potuerit, ac reliqua Chriſtianæ Reipub. membra grauibus, diuturniſq; bellis vexata ac diſtracta, tunc primum coierint, & à grauiſſimis laboribus requieuerint.

Tandem vero Paulo IV. Pont. Rom. extincto, Pius IV. in eius locum ſuffectus Imperatoriam dignitatem translatam à Carolo Fratre in Ferdinandum ratam habuit, eiuſq; tanquam legitimi & Catholici Imperatoris legatos perhonorifice ſuſcepit.

PARS

PARS VIII.

Continens

VARIOS TRACTATVS ET DISCVRSVS COLLECTANEOS, THEOLOGICE, IVRIDICE, POLITICE ET HISTORICE INSTITVTOS, DE QVATVOR

ſummis Monarchiis ſeu Imperiis vniuerſalibus in toto terrarum orbe dominantibus, & ſibi ipſis ordine ſuccedentibus vſq; ad hoc noſtrum poſtremum Romano-Germanum Imperium, quod vſque ad mundi finem duraturum eſſe perhibetur.

IOHAN-

I.

Anno Chriſti 1550.

IOHANNIS SLEIDANI, DE QVATVOR SVMMIS IMPERIIS,

Liber I.

PRius, quam de quatuor ſummis & præcipuis orbis terrarum Imperiis dicam, de *Babylonico, Perſico, Græco, Romano*, breuiter hoc mihi præfandum eſt, in annorum ſupputatione, ab orbe condito, magnam eſſe diſſenſionem: nam & Hebræi & Euſebius & Auguſtinus & Alphonſus & Mirandula, multum inter ſe diſcordant: verumtamen, quia plerique omnes noſtri ſeculi viri docti, rationem Hebræorum, hac quidem in parte, ſequuntur, veſtigiis eorum & ipſe inſiſtam, quum res ita feret. Ac principio quidem, vt ad inſtitutum veniam, ad primum videlicet imperium, omiſſis illis, quæ in omnium primam ætatem inciderunt, omiſſa quoque narratione diluuii, quandoquidem ſacris literis hæc omnia continentur, neque melius dici poſſunt, exordium mihi ſumam ab eo tempore, quo diſſipata rurſus aquarum mole, & deſiccata terra, genus humanum, tunc ad pauciſſimos redactum, denuo propagari cœpit. Diluuii tempus ad annum ponitur orbis conditi, milleſimum, ſexcenteſimum, quinquageſimum ſextum. Methuſalah autem, ſeptimus ab Adam, hoc ipſo tempore moritur, annos natus nongentos ſexaginta nouem. Erat tum Noah, nepos Methuſalah ex filio Lamech, ſexcentorum annorum, & ſingulari Dei beneficio, cum ſua familia ſeruatus. vbi iam paulatim augeſceret hominum numerus, autor ſuis liberis, atque poſteris, fuit, vt in diuerſas regiones profecti terram colerent & oppida ſibi conſtituerent: ſuam denique cuique prouinciam, ſorte illis deſignauit, anno circiter centeſimo, poſt diluuium. Quo quidem tempore, Nimrod, Nohæ pronepos, vna cum ſuis in terra Chaldæorum conſedit: cumque tandem creſcente hominum multitudine migrandum eſſet quampluri mis, & diuerſæ quærendæ ſedes atque coloniæ, voluerunt antea perpetuum ſui monimentum relinquere, & duce Nimrodo cœperunt vrbem ædificare, in eaque ſummæ turrim altitudinis: & immemores iræ diuinæ, quæ nuper totum orbem terrarum abſorpſerat, & de qua diligenter ac ſæpe multumque Noah illis haud dubie concionatus erat, nominis ſui famam ſuperbis & ambitioſis operibus extendere cogitabant. Offenſus autem Deus, irritos fecit illorum conatus, linguarum immiſſa conturbatione, cum prius vnum fuiſſet & idem ſermonis genus apud omneis. Itaque ab opere inchoato coacti deſiſtere, in varias mundi partes abierunt. Ab hac linguarum conturbatione nomen vrbs accepit, vt *Babel* diceretur: ab eoque tempore, nimirum ab anno poſt diluuium circiter CXXXI, regni Chaldæi ſumitur initium, & Babylonici.

Primus autem Rex fuit is, quem diximus Nimrod, qui LVI. annis præfuiſſe dicitur: hunc ſcriptura vocat *robuſtum venatorem*, & vim atque potentiam ei tribuit. Alii Saturnum vocant, cumque imperii ſui anno XLV. miſiſſe principes aiunt coloniarum huc illuc, Aſſur, Medum, Magogum, Moſcum, qui regna ſui nominis conderent, Aſſyrium, Medum, Magogum, Moſcum, è quibus duo quidem illa prorſus ad Aſiam, tertium autem atque poſtremum ad Aſiam, atque Europam pertinent. Ipſius Aſſur meminit etiam ſacra ſcriptura, & Niniuem vrbem ædificatam ab eo dicit. Nimrodo ſucceſſit filius Iupiter Belus, qui ad occidentem ſolem occupaſſe traditur omnem agrum in Sarmatiam vſque Europæam, ac deinde bellum quoque feciſſe Sagarum regi Sabatio, quem non ipſe quidem, eo quod morte præpediretur, ſed ipſius filius Ninus oppreſſit, & productis longe lateque finibus, Monarchiam primus omnium cœpit. Trecentis quinquaginta poſt diluuium annis Noah moritur, & duodeuigeſimo poſt anno circiter Abraham, decimus à Noah, iuſſus à Deo, patriam relinquit, cum eſſet annorum ſeptuaginta quinque: vigeſimoquarto autem anno poſtea, fœdus cum illo facit Deus per circumciſionem, quam inſtituit. centeſimo ætatis anno natus eſt ei filius Iſaac: Poſt illud tempus vixit annos ſeptuaginta quinque. nam humanæ vitæ ſpacium multo iam erat contractius. Quomodo nepos eius Iacob, quaque occaſione deuenerit in Ægyptum

ptam, ibique ſit mortuus, quomodo deinde ipſius poſteritas aliquot ſeculis in Ægypto permanſerit, & duriſſima ſeruitute preſſa, beneficio Dei per Moſen adminiſtrum educta fuerit atque liberata, ſacræ literæ docent. Ponitur autem hæc emigratio Iſraelis ex Ægypto, ad annum orbis conditi bis milleſimum, quadringenteſimum, quinquageſimum quartum, nempe *quadringentis annis & triginta, poſt promiſſionem Abrahamo datam*, vt ait Paulus Apoſtolus. Poſt Moſen iudices habuit populus Iſraeliticus ad Saulem vſque, cui Dauid ſucceſſit, rex alter eius populi.

Nunc ad Babylonicum imperium reuertamur. Nino mortuo regnauit eius vxor Semiramis, quæ diuitijs, & victorijs & triumphis nulli mortalium ceſſit. Babylonem oppidum extendit, & iuſtæ magnitudinis vrbem effecit, & variis ornauit ædificiis, muroque cinxit. Æthiopiam deuicit, & in India quoque bellum geſſit. Eius filius Zameis, quintus rex, nihil memorabile perfecit; ſed proximus ab eo Arius, Bactrianos & Caſpios imperio ſuo coniunxit. Qui ſucceſſit huic Aralius, ingenio quidem & ſtudio militari clarus fuiſſe traditur: quid autem geſſerit, non eſt proditum literis. Alter ab eo Baleus quamplurimas gentes domuit, ſuoſque fines ad Iudæam vſque produxit, ideoque *Xerxes* fuit cognominatus, hoc eſt, victor & triumphator, ſeu bellator. Armatrites nonus, voluptatibus & otio plane fuit addictus. De Belocho X. nihil traditur, niſi quod auſpicia curauit, & diuinationes. Baleus X I. alteram à Semiramide laudem habet virtutis & induſtrię militaris, & doctorum hominum ſcriptis valde celebratus fuiſſe dicitur. Altadas X I I. otium & vitæ tranquillitatem ſecutus fertur, eo quod ſtultum eſſe duceret multis defatigari laboribus, & variis implicari curis, amplificandi regni cauſa: quoniam ea res ad nullam hominum ſalutem & vtilitatem, ſed ad detrimentum potius atq; ſeruitutem pertineret. Qui hunc excepit Mamitus X I I I. belli curam atq; laborem in ſuis iterum excitauit, eiuſq; fuit ſuſpecta potentia Syrijs & Ægyptijs. In Mancaleo X I V. narrandi deficit argumentum. Sphæri X V. magna dicitur fuiſſe virtus atq; prudentia. Mameli X V I. nullum facinus cõmemoratur. Sub Spareto X V I I. proditum eſt, paſſim accidiſſe miranda. Qui fuit X V I I I. Aſcatades, omnem Syriam ſuæ ditionis fecit. Et hactenus quidem is, qui circumfertur, Beroſus, *de quo* quidem *ſcripto*, plerіq; omnes valde dubitant, & adulterinum eſſe putant: ſed quoniam aliis monumẽtis hac in parte deſtituimur, hunc ordinem ſequuntur. Ab aliis deinde reges viginti numerantur ad Sardanapalum vſque, trigeſimum octauum Aſſyriorum regem. Fuit hic omnium hominum longe effeminatiſſimus: inter mulierculas perpetuo deſidens, colum & lanam tractabat, adeo totus immerſus voluptatibus, vt vix vnquam ſui conſpectum præberet. His rebus alienati ab eo duo quidam eius præfecti, Belochus, Babyloniæ, Arbaces autem Medorum, facta coniuratione, cum turpitudinem eius atq; mollitiem vulgo traduxiſſent, bellum fecerunt. ipſe *cum ſuo ſemiuiro comitatu*, vix tandem progreſſus in aciem: re male geſta profugit in regiam, & conſtructa pyra, ſe diuitiaſque omnes in ignem abiecit, *hoc vno facto virum imitatus*, vt quidam ait. Hi duo præfecti monarchiam poſt inter ſe partiuntur, & Belochus quidem Babylonis, Arbaces vero Medorum atque Perſarum rex factus eſt. Fuit ergo Sardanapalus Aſſyriorum rex poſtremus, in eo quidem ordine, quum ad mille trecentos annos ea Monarchia ſtetiſſet: nam plerique reges omnes diutiſſime vixerunt.

Belochus X X X I X. aut ſi magis libet, primus Aſſyriorum rex, in noua monarchia, Manahen regem Iſraelis, vectigalem ſibi fecit: hunc ſcriptura ſacra non Belochum, ſed *Phul* appellat. Ei ſucceſſit Phul Aſſur, cognomento Tiglath Pilleſſer, qui vrbes aliquot Iudææ cepit, & populum in Aſſyrios captiuum abduxit: hunc ipſum Tiglath, Achas rex Iuda, ſub quo vixit Eſaias, de auxilijs interpellauit aduerſus regem Syriæ, eiq; dona miſit. Tiglath regem ſecutus eſt Salmanaſſar, qui Samariam vrbem poſt trium annorum obſidionem cepit, & Hoſeam regem Iſraelis vnaque populum abduxit, & per ſuam ditionem illis domicilium attribuit, etiam *in Medis*, vt ait ſcriptura: vnde quidam colligunt ipſum imperaſſe quoque Medis. Eum excepit Sennacherib, qui Niniuem vrbem inhabitauit: Ezechiam regem Iuda mulctauit pecuniis, ac deinde cum ingenti exercitu Hieroſolymam obſedit, & miſſis legatis populum ad defectionem hortabatur, & regem, qui auxilium à ſuo Deo ſperaret, irridebat: ſed non tulit impune: nam percutiente angelo Dei, deſiderauit vna nocte, ad centum octoginta quinque hominum millia, quod Ezechiæ regi paulo antea per Eſaiam Deus confirmauerat: deinde domum reuerſus, à ſuis ipſe liberis fuit interfectus.

Hucuſque Babylonii poſt debellatum Sardanapalum, Aſſyriis paruerunt: quum autem Sennacherib tantam, vt diximus, calamitatem ad Hieroſolymam accepiſſet, neq; multo poſt à ſuis filiis eſſet trucidatus, magna fuit inſecuta rerum mutatio, & diuiſum eſt regnum. nam qui cædem fecerant, duo fratres Adramelech & Saraſar, profugerunt quidem, ſed nihilominus vim & arma pararunt in fratrem Aſſaradonem, qui poſt necem parentis regnum occupauerat, cum antea quoq; per abſentiam illius rempublicam geſſiſſet. Hanc adeptus occaſionem rei bene gerendæ, Merodach Babyloniæ præfectus, deſciuit, & indicto bello cum vicinas vndique gentes, partim gratia, partim vi paulatim ad ſe traduceret, duodecimo demum anno ſui regni deuicto Aſſaradone, totum Aſſyriorum Imperium Babyloniis adiunxit, & x l. poſt annis regnauit. Ab hoc nonnulli ponunt Benmerodach & Nabuchodonoſor, eius nominis primum: ſed quia literæ ſacræ nihil ea de re produnt, nec alijs temere poteſt adhiberi fides, eum Nabuchodonoſor, de quo ſcriptura ſacra plurimam mentionem facit, proximum à Merodach, numerabimus. Is ergo ſtatim à primis annis bellum fecit Ægyptiis & regionem omnem, quæ eſt inde ab Euphrate vſque ad Peluſium, illis ademit. Ioachim regem Iuda vectigalem ſibi fecit, & octauo ſui regni anno filium Iechoniam regem vna cum præcipuis viris & artificibus, non tantum vrbis Hieroſolymæ, ſed totius quoque regionis, Babylonem ca-

ptiuos abduxit. Anno XVII. ſui regni Hieroſolymam obſeſſam per biennium cepit, ac paulo poſt diripuit, incendit, muros diruit, potiſſimam populi partem captiuam abduxit, regem Zedechiam excoulauit, filios illius atque proceres interfecit. Hanc vero calamitatem Hieremias anno primo regni Nabuchodonoſor prædixerat: & ab hoc quidem tempore numerandi ſunt anni ſeptuaginta captiuitatis Babylonicæ. Ad annum circiter XXIV. ſui regni Nabuchodonoſor, deuictis Amonitarum & Moabitarum regibus, exercitum duxit in Ægyptum, & occupata regione tota, MONARCHIAM poſt inchoauit.

Altero anno Monarchiæ, ſicut noſtri temporis viri docti rationem putant, per ſomnium vidit ſtatuam ingentem, cuius erat caput aureum, pectus vna cum brachiis argenteum, venter & femora ex ære, crura ferrea, pedum pars aliqua ferrea, pars autem fictilis. Expergefactus, quum non recordaretur ſomnij, & tamen valde eſſet attonitus, conuocatis ariolis & diuinatoribus mandat, vt quale fuiſſet ſomnium, explicarent: niſi facerent, capitis pœnam denunciat. Ea re cognita, Daniel adoleſcens, qui cum reliquis fuerat captiuus eo deductus Hieroſolyma, nunciabat ſe poſſe regis deſiderio ſatisfacere: productus, incipit, & primo quidem, quid ſomniarit, oſtendit; deinde, quid ſibi vellet ſomnium, interpretatur: & ſtatuam illam ſignificare dicit quatuor orbis imperia ſumma, quæ ſint ordine ſucceſſura, & ad ipſum regem oratione conuerſa. *Tu*, inquit, *quem ſumma potentia Deus ornauit atque gloria, cui dedit imperium in omneis homines, & beſtias agri, volucreſque cœli, tu nimirum es illius ſtatuæ caput aureum, poſt te regnum aliud orietur argenteum, videlicet deterius, quam ſit hoc tuum: deinde tertium aliud æreum, quod longe lateque dominabitur: regnum vero quartum erit ferreum. Nam ſicut ferrum comminuit & perdomat omnia, ſic etiam quartum & poſtremum illud, reliqua omnia confringet, ſibique ſubiiciet.* Hoc igitur primum eſt & inauditum antea vaticinium de quatuor Imperijs, quod nobis eſt per Danielem diuinitus patefactum, res plane digna, quæ memoriæ tota commendetur, quia temporum omnium hiſtoriam ad finem vſque mundi paucis complectitur, vt poſtea ſum dicturus: nunc ſatis eſt videre, hoc primum tempore Deum aperuiſſe nobis imperiorum ordinem ac viciſſitudinem. Quanta vero fuerit potentia Nabuchodonoſor, magis etiam perſpicuum eſt ex eo loco Danielis, vbi ſcriptura comparat eum arbori, *quæ ad cœlum vſque pertingat, quæ totum orbem terrarum velut obumbret, cuius folia ſint longe pulcherrima, & fructus omnium vberrimus, quo ſaginetur, & pingueſcat, quidquid eſt animalium, cuius in frondibus atque ramis omne genus volucrum nidificet & quieſcat.* Eſt igitur hæc PRIMA MONARCHIA, quæ ſicut hoc rege vehementer aucta fuit, & ad ſummum educta faſtigium, ita quoque deſiit, ac plane deleta fuit in ipſius nepotibus, quemadmodum per Danielem Deus alioſq; Prophetas denunciauerat. Regnauit Nabuchodonoſor annis XLIII. Quam horrendo ſpectaculo Deus & exemplo ſuperbiam eius, vt Daniel ait, ſit vltus, operæ pretium eſt, vt cum omnes mortales, tum reges inprimis ac viri principes diligenter legant & conſiderent, quo videlicet maieſtatem diuinam reuereantur, & officium ſuum erga populum ſibi commiſſum faciant.

Succeſſit ei filius Euilmerodach. Is regnauit annis triginta, & ſucceſſorem habuit Aſſur, qui tribus annis præfuit. Hunc excepit Labaſſardach, ſeptem annorum rex. Ab hoc imperii ſummam obtinuit Balthaſar annis quinque. Ad hunc modum eos nonnulli recenſent: verum ætatis noſtræ viri docti, his duobus omiſſis, ab Euilmerodach rege numerant Balthaſarem filium, eumque per annos quatuordecim regnaſſe ferunt: quod quidem neceſſe eſt, vt conficiantur anni ſeptuaginta, quibus apud Babylonios captiuus fuit populus Iudaicus; quum huius captiuitatis initium ſumatur ab anno decimo nono regni Nabuchodonoſor. Qui rationem hanc ſequuntur, & duos illos reges, de quibus dixi, prætermittunt, ſcripturæ veſtigijs inſiſtunt, & Hieremiæ præſertim teſtimonio, qui futurum prædixit, vt Iudæi ſeruirent regi Babel, eiuſque filio, filiique filio: ſed hîc liberum ſit ſuum cuique iudicium. Balthaſar autem, vt ait ſcriptura, poſtremus fuit Babyloniorum rex, in eoque pariter omnes conſentiunt.

Iam, quomodo capta ſit Babylon, non ab vno deſcribitur: quomodo autem imminentem regi calamitatem, & iam præſentem Deus illi denunciauerit, Daniel commemorat, & interfecto rege, ſummam imperij tranſlatam eſſe dicit ad Darium, Medum, tum LXII. natum annos. Hic Darius à ſcriptoribus vocatur Cyaxares, fuitq; filius Aſtyagis, quem Daniel Aſſuerum vocat, octaui Medorum regis: & quum ſobolem maſculam non haberet, filiam ſuam in matrimonium dedit Cyro Perſæ, ſororis filio, & bello laceſſitus à rege Aſſyriorum in auxilium acceſiuit Cyrum, qui profectus eo cum copiis, & factus Imperator totius exercitus, feliciter rem adminiſtrauit, vrbe capta potentiſſima. Poſt hanc victoriam non amplius anno Darius vixiſſe traditur. Et hoc quidem tempore, quum capta Babylone Darius adhuc viueret, iamque per annos fere ſeptuaginta populus Iſraeliticus eſſet in Babylone captiuus, Danieli, reuoluenti Hieremiam, eius captiuitatis prænuncium, & precanti Deus multo maiora patefacit, & non ſolum inſtare liberationem confirmat, ſed quo tempore ſit etiam venturus Meſſias, qui pro peccatis hominum ſatisfaciat, oſtendit.

A morte Darij ſumma rerum ad Cyrum generum delata fuit: & hoc quidem eſt alterius initium Monarchiæ. Iam enim & Aſſyriam, & Mediam, & Perſiam ſolus Cyrus obtinebat ad Ionium vſque mare, ſicut Thucydides ait, cum ante captam Babylonem prælio cepiſſet Crœſum, Lydiæ regem potentiſſimum. Eſt ergo Cyrus Perſarum rex primus, & autor SECVNDÆ MONARCHIÆ. Deuictis Babyloniis, bellum geſſit cum Scythis, eoque profectus ipſe cum exercitu circumuentus tandem fuit per inſidias & interfectus, princeps laudatiſſimus. Initio ſui regni, poſt captam Babylonem,

nem, populo Iudaico permiſit, vt ex captiuitate domum reuerſi, templum ac vrbem Hieroſolymam reædificarent, ad eamque rem ſumptum liberaliſſime ſubminiſtrari iuſſit. Hoc ipſum Deus per Eſaiam ſeculis aliquot ante, quam naſceretur ille, prænunciauerat nominatim. De animorum immortalitate diſſerentem ad filios, ante mortem Xenophon introducit, vt eſt apud Ciceronem, qui locum illum eleganter, vt omnia, vertit. Ad ſeptuageſimum annum Cyrus peruenit: regnauit annis triginta, quum XL. natus regnare cœpiſſet. Filius ei fuit Cambyſes, quem domo proficiſcens in bellum Scythicum, regno præfecerat. Is, abſente & occupato patre, cepit Ægyptum: bello quidem egregius, ſed alioqui vitioſus, & patris virtutem minime repræſentans. Inter alia turpiter immaniterque facta, fratrem quoque ſuum inſidioſe necari iuſſit. In iis libris, quos de legibus Plato conſcripſit, valde Cyrum in eo peccaſſe dicit, quod molliter filios inter fœminas educaſſet, qui grandiores facti, & ab aſſentatoribus corrupti, quum ipſorum auribus plerique ſeruirent, mortuo parente, vitæ periculum alter alteri crearint. Cambyſi, ſecundo Perſarum regi, qui poſt mortem patris non diu ſuperſtes fuit, Darius ſucceſſit, filius Hyſtaſpis. Et quoniam à morte Cyri, ac poſt tantam exercitus calamitatem nonnulli populi, & in his Babylonij, à Perſico regno defecerant, ſtatim ab initio principatus arma ſumſit, & imperio ſuo rurſus illos adiunxit, capta quoque Babylone poſt longam obſidionem opera Zopyri.

Bellum deinde ſuſcepit in Athenienſes, qui ſubito collectis copiis, neque Lacedæmoniorum exſpectatis auxilijs, ad decem millia hominum, ingentem illius exercitum ad Marathonem, duce Miltiade fuderunt. Cogitabat redintegrare bellum Darius: verum in ipſo conatu mortuus filium habuit ſucceſſorem Xerxem, qui decimo anno, ſicut Thucydides ait, poſt prælium illud ad Marathonem, innumerabili cum exercitu venit, vt Græciam omnem ſibi ſubiugaret. Itaq; rei gerendæ ſumma de communi conſenſu fuit demandata Lacedæmonijs, quod ij totius Græciæ plurimum tunc poterant: Athenienſes vero ſecuti conſilium Themiſtoclis, vrbe deſerta, ſuiſque liberis & vxoribus huc illuc depoſitis, naues conſcendunt, & hoſtem ad Salaminem inſulam prælio vincunt. Ea victoria toti Græciæ fuit ſalutaris: nam terra quoque profligatus, turpi & infelici fuga domum Xerxes reuertit, & Græci quidem etiam, poſt diſceſſum illius. Verum Athenienſes, qui claſſem haberent ad quadringentas circiter naues, prouecti longius & inſecuti, Seſtum oppidum in Helleſponto, quod Perſæ tenebant, capiunt, & ibi peracta hyeme reuerſi domum, ſuas vxores atque liberos recolligunt, & vrbis, quam hoſtis captam incenderat, mœnia reſtaurant, portumq; muniunt. Bellum hoc Perſarum, vel, vt Thucydides vocat, Medorum, eodem fere tempore fuiſſe ſcribit Cicero, quo bellum Volſcorum, cui Coriolanus exul Romanus interfuit. Id autem incidit in annum vrbis conditæ CCLXVI. Perſicum illud bellum deſcripſit Herodotus, Thucydide prior. Eum Cicero vocat *patrem hiſtoriæ*, ſed innumerabiles apud eum fabulas eſſe dicit. Munitionem hanc Athenienſium indigne quidem ferebant Lacedæmonij, ſed quum aliud non poſſent, muſſabant. Coniunctis etiam viribus, tum ipſi, tum reliqui Græci, & Athenienſes Cyprum capiunt & Byzantium vrbem, quam Perſæ tenebant. Erat tunc inter alios Lacedæmoniorum duces Pauſanias, qui conuictus proditionis, quum domum rediiſſet, & obſeſſus in quodam aſylo, fame fuit enecatus. Themiſtocles etiam accuſatus hoc nomine, profugit.

Multis deinde variiſque bellis, & diſſidiis iactata Græcia fuit, partim externis, partim ciuilibus, quæ Thucydides obiter exponit: ſed tandem quinquageſimo anno poſt Xerxis è Græcia diſceſſum, vt poſt Thucydidem ait Cicero, bellum illud ingens natum eſt, quando Peloponneſus tota coniurauit in Athenienſes, quorum in eo bello dux erat Anaxagoræ Philoſophi diſcipulus, Pericles, quem dicendo fulgurare, tonare, permiſcere Græciam ait Ariſtophanes. nam iidem erant olim & virtutis & eloquentiæ magiſtri. Ex altera parte ſummæ rei præfectus fuit Archidamus, Rex Lacedæmoniorum. Periclis erat æqualis & æmulus Thucydides, qui & bellum illud deſcripſit. In prætura collegam Pericles habuit Sophoclem, Poetam Tragicum, vt Cicero narrat. Nunc ad Xerxem reuertamur. Is, re male geſta, cum in magnum contemptum veniſſet, à ſuis eſt interfectus.

Ei ſucceſſit filius Artaxerxes Longimanus. Ad hunc, Themiſtocles exul, de quo paulo ante diximus, profugit, ibique vitam finiit, ſepultus Magneſiæ.

A Longimano regnauit Darius Nothus, qui ſororem illius habebat in matrimonio. In huius regnum incidit illud, quod diximus, bellum Peloponneſiacum. Et Athenienſes quidem, licet ſatis impediti eſſent, tamen eius belli anno quarto, ſicut Thucydides ait, claſſem in Siciliam miſerunt, verbo quidem, vt Leontinis adeſſent contra Syracuſanos, reuera autem, vt inſulam illam ſuæ ditionis efficerent, quo ſic poſſent commodius perdomare Græciam: quumque ſubinde reuerterentur, & factiones alerent, Hermocrates Syracuſanus author fuit Siculis, vt omni depoſita ſimultate, pacificarent: nam Athenienſes ipſorum omnium libertati tendere inſidias. itaque perſuaſit, quod fuit eius belli anno ſeptimo.

Tribus poſt annis, pacem Athenienſes & Peloponneſiaci faciunt in annos quinquaginta, ſed non totum ſeptennium ea pactio durauit. tunc enim hoſtiliter multa fieri cœperunt: & licet non plane ſublata pax eſſet, ac ſubinde per inducias ſarcirentur offenſiones, tamen anno decimo rurſus ad arma ventum eſt totis viribus, durauitque bellum hoc alterum annis decem & ſeptem. Tunc Athenienſes denuo claſſem ornatiſſimam in Siciliam mittunt. Primi duces erant inter alios, Alcibiades & Nicias. Et hic quidem, concionibus aliquot habitis, nauigationem valde diſſuaſit: Alcibiades vero contra. Siculis opem ferebant Peloponneſiaci: tandem in portu Syracuſano Athenienſes

cum hoſte confligunt, ſed poſt ancipitem ac ſubinde variantem fortunam profligati fuerunt omnes atque conciſi. Interea Lacedæmonii, ſociique Darium regem Perſarum, in Athenienſes fœdere ſibi coniungunt. Darij legatus erat Tiſſaphernes. Cæterum poſt Codrum, Polydorum Spartanum & Ariſtomenem Meſſenium, hi fere numerantur præcipui maximeq; clari Græcorum duces, quorum alii de tota Græcia, alii de ſua quiſque patria bene meriti ſunt: Miltiades, Leonidas, Themiſtocles, Pericles, Ariſtides, Pauſanias, Xanthippus, Leotychidas, Cimon, Conon, Epaminondas, Leoſthenes, Aratus Sicyonius, Philopœmen. Ex iis plerique fuerunt iuſſi tandem exulare. Portum Syracuſanum Cic. deſcribit, in eumque ſolam Athenienſium claſſem, poſt hominum memoriam inuaſiſſe trecentis nauibus, victam autem atque ſuperatam in eo ipſo portu, loci ipſius portuſq; natura, & tunc primum opes ipſius ciuitatis victas, comminutas atque depreſſas, & nobilitatis, imperii, gloriæ, naufragium fuiſſe factum dicit. Siciliam in circuitu patere, quantum nauis magna poſſit obire intra dies octo, & à continenti diſtare Thucydides ait circiter viginti ſtadiis.

Dario filij erant duo, Artaxerxes Mnemon & Cyrus, quorum ille mortuo parenti ſucceſſit, Cyrus autem Ioniam Lydiamque tenebat: ſed ſorte ſua non contentus fratri regi bellum fecit, in eoq; victus fuit & occiſus. Cyrum hunc minorem M. Portius Cato regem Perſarum, vt eſt apud Ciceronem, *præſtantem ingenio virum, atque imperii gloria* vocat. Laudat etiam ex Xenophonte, propter ſtudium agriculturæ: nam ei Xenophon & militauit & fuit familiaris, ideoque poſt ab Athenienſibus, qui Mnemonem habebant amicum, pulſus fuit in exilium. A Mnemone regnauit Ochus, ex tribus natu minimus filius.

Hunc excepit Darius poſtremus. Ei bellum fecit Alexander, Philippi Macedonum regis filius, qui Thebis euerſis, & pacata Græcia, in Aſiam contendit, & tribus prælijs Darium ſuperauit, capta illius & matre, vxore, & filiabus. Ingentes quidem conditiones, & regni partem ad Euphratem vſque Darius ei deferebat, ſed ille reſpuit, neque deſtitit ante, quam illum expugnaſſet. Quum enim pacem obtinere Darius his conditionibus non poſſet, tertium bellum inſtaurat, & educto validiſſimo exercitu, rurſus profligatur, inque fuga trucidatur à ſuis: cum eoque Perſicum imperium, quod annis ſteterat ducentis & amplius, deletum fuit. His tantis victorijs in ſuam ditionem perduxit Alexander, quidquid eſt fere terrarum ad orientem ſolem, & in Europam ex Aſia tranſportauit imperij ſummam, & TERTIAM conſtituit MONARCHIAM. Poſt etiam in India belligerauit: ſed quæ hominum eſt infirmitas, tantam fortunæ benignitatem & indulgentiam moderate ferre non potuit: & quum inſolenter multa faceret, ſeque pro numine vellet propemodum adorari, Babylonem vbi veniſſet, febri, vel vt nonnulli tradunt, veneno fuit extinctus, quum annorum eſſet triginta trium, & annos regnaſſet duodecim. Vitæ finem ei prædixerat Calanus Indus, vt ait Cicero. quum enim conſcenderet in rogum ardentem, & Alexander eum rogaret, ſi quid vellet, vt diceret: *optime*, inquit, *propediem te videbo*. Paucis poſt diebus mortem obijt Alexander. Interitus eius ad centeſimam decimquartam ponitur Olympiadem, vrbis autem Romanæ conditæ anno quadringenteſimo nono, trecentis nimirum & viginti duobus annis ante natum Chriſtum. Bonarum artium inprimis amans, & in homines doctos fuit liberaliſſimus, eoque nomine multorum celebratur monimentis. Homeri poema ſibi familiariſſimum habebat: & quanquam ſcriptores multos rerum ſuarum ſecum habuiſſe dicitur, tamen quum in Sigeo ad Achillis tumulum aſtitiſſet, *O fortunate*, inquit, *adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris*. Etenim ſicut ab Apelle potiſſimum pingi, & à Lyſippo fingi, ſic etiam ab iis tantum celebrari volebat, & poſteritatis memoriæ commendari, qui in ipſo laudando propriam ingenii gloriam conſequi poſſent. Ariſtoteli præceptori negotium dedit animalium deſcribendi naturas, ad eamque rem aliquot hominum millia per Græciam Aſiamque conſtituit, pecuarios, venatores, piſcatores, cetarios, aucupes, & id genus alios, qui de ſingulis illum edocerent: ipſi vero ſcriptori præmium laboris dediſſe traditur octingenta talenta, hoc eſt, vt quidam ætatis noſtræ viri docti rationem ineunt, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta. Xenocrati Philoſopho quinquaginta per legatos talenta miſit, aureorum videlicet millia triginta, ſed illo recuſante, quod tanta pecunia non ſibi diceret opus eſſe: legatis reuerſis, *Quid*, inquit, *nullos ne habet ille amicos, quibus benefaciat?* Primis annis, quum Ariſtotelis eſſet diſcipulus, *ſummo ingenio, ſummaque modeſtia præditum, poſtea vero quam rex appellatus eſt, ſuperbum, crudelem, immoderatum* fuiſſe, ait Cicero. De ſplendore, delicijs & luxu Darij mira narrant ſcriptores. nam omnis generis coquos, cupedinarios, fartores, artifices, magiſtroſque gulæ & vnguentarios habebat in caſtris, ne quid ad corporis voluptatem omnino deeſſet. Quantus etiam fuerit alioqui regum Perſarum ſplendor & apparatus in quotidianis epulis, non ab vno memoriæ proditum eſt. *Solebant*, vt ait Cicero, *plures vxores habere: his autem vxoribus ciuitates attribuere, vt hæc mulieri redimiculum præberet, illa hunc, vel illum ornatum*. Talem igitur, vt dixi, vitæ finem habuit Darius, & in fuga, quum aquam turbidam bibiſſet, & cadaueribus inquinatam, negabat vnquam ſe bibiſſe iucundius: nec enim ſitiens vnquam biberat.

A morte Alexandri, diuiſa fuit imperij moles in proceres, Ptolemæum, Laomedontem, Antigonum, Caſſandrum, Leonatum, Eumenem, Pythonem, Lyſimachum, Antipatrum, Meleagrum, Seleucum: in his autem præcipui fuerunt Seleucus Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Antigonus Aſiæ minoris, Caſſander Macedonum Græciæque rex deinde factus, oppreſſis omnibus Alexandri propinquis. Lyſimachus, ille eſt, quem Alexander iratus aliquando concluſerat cum leone: quum autem interfectam ab eo belluam audiſſet, magno habuit in honore. Cæterum inter eos, quos dixi

modo

modo ſucceſſores, eorumque filios atq; nepotes, grauiſſima bella fuerunt, vt fieri ſolet, dum ambitione deprauatus animus quieſcere non poteſt, & aliena cum iniuria ſuam potentiam augere ſtudet. Et his quidem bellis, quoniam diuturna fuerunt vehementer afflictæ regiones illæ omnes, in populi Rom. ditionem paulatim venerunt, qui longe lateq; rerum potitus, QVARTAM & poſtremam effecit monarchiam, de qua nobis iam dicendum eſt. Cæterum inter Ægypti reges, Alexandri ſucceſſores numeratur Ptolemæus Philadelphus, admodum laudatus Princeps: nam & pacem coluit, quantum in ipſo fuit, & artes liberales excitauit, conſtitutis præmiis, & bibliothecam effecit luculentiſſimam, & Moſi libros atque Prophetarum in Græcam linguam iuſſit conuerti.

Romæ igitur vrbis initium fuit, quo tempore Salmanaſſar rex, de quo ſupra dictum eſt, Aſſyriis imperabat, nimirum anno primo ſeptimæ Olympiadis, authore Plutarcho, conditi autem orbis anno termilleſimo ducenteſimo duodecimo, quum annis fere quadringentis ante in Latio cœpiſſet regnare Æneas, à bello Troiano, quod Homerus ad poſteritatem tranſmiſit. de cuius quidem ætate, ſicut etiam patria, nihil certi conſtat, niſi quod ante conditam vrbem atque Romulum multis annis eum fuiſſe Cicero ſcribit. Nullum vero ſcriptum exiſtit prophanum, illius poemate vetuſtius: Nam ſicut Horatius ait:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.

Significat idem quoque Cicero, nec oratoris vllum extare veſtigium dicit ante Homerum. Tenuis autem, & prope deſpecta populi Romani fuit origo: ſed quia Deus ita conſtituit, ſicuti poſtea docebitur, in ſummam excreuit potentiam.

Principio, REGES ibi ſeptem imperarunt annis ducentis, quadraginta quatuor. Et ſexti quidem regis ætate Seruii Tulli, Solonem ac Piſiſtratum, apud Athenienſes: Pythagoram autem in Italia floruiſſe, Cicero ſcribit, quo tempore Tarquinius Superbus fuit eiectus. Athenas etiam ait, regnante Seruio Tullo, ſtetiſſe iam ſupra ſeptingentos annos. Profligatis regibus, ad binos conſules rerum ſumma delata fuit, quorum magiſtratus erat annuus. Primus conſul, L. Iunius Brutus, quam fuerat acer & induſtrius in profligandis regibus, & conſtituenda libertate, tam etiam erat vigilans & ſtrenuus in eadem conſeruanda. Quum enim inter alios nobiles adoleſcentes Romanos, ipſius quoque filii duo, Titus & Tiberius, occulta tractarent conſilia de reſtituendis Tarquinijs, re per indicium patefacta, capitali ſupplicio palam illos affecit. Collegæ quoque ſuo, Tarquinio Collatino imperium abrogabat, qui fuerat ſocius eius in expellendis regibus, & conſiliorum etiam adiutor. Idque Cicero defendit, vt iuſte factum, & patriæ tum vtile, tum honeſtum fuiſſe dicit, vt nomen Tarquiniorum & memoria regni tolleretur. Cæterum, in varia populi Romani fortuna, quum Hetruria conſpiraſſet omnis, in hoſtem egreſſi vrbe Roma trecenti Fabiæ gentis, interfecti fuerunt omnes, vno ſuperſtite tantum, impubere domi relicto, qui familiam deinde propagauit: fuit hoc anno triceſimo tertio poſt eiectos reges.

Ob turbulentum autem Reipubl. ſtatum conditæ vrbis anno trecenteſimo, legati in Græciam miſſi fuerunt, qui leges illinc adferrent, quibus deinde ciuitas vteretur. Iis reuerſis, mutata Reipub. forma fuit, & *Decemuiri* conſtituti, qui rei ſummæ præeſſent: ſed non totum triennium durauit hic ſtatus, & Appius Claudius, ex Decemuiris vnus, nequitia ſua, cum L. Virginij, ciuis Rom. filiam virginem ad libidinem abriperet, occaſionem populo dedit, vt ordinem totum profligarent.

Itaque res ad CONSVLES rediit: ſed & hi paucorum fuerunt annorum, & creati ſunt TRIBVNI MILITVM duo, conſulari poteſtate: verum hi ſub finem anni depoſito magiſtratu, conſulibus denuo locum fecerunt. Eoque tempore, quod erat anno vrbis CCCXV. L. Quintus Cincinnatus, dictator, Spr. Melium, largitione frumentaria captantem in vrbe regnum, per C. Seruilium Halam magiſtrum equitum interfecit, eiuſque domum complanauit.

Biennio poſt, rediit poteſtas ad tribunos militum, qui deinde non bini, ſed plures eodem tempore creabantur pro voluntate populi & reip. conditione. Durauit hic magiſtratus per annos fere 70. & inter alios floruit in hoc ordine, M. Furius Camillus, virtute nulli ſecundus, qui præclare de Republ. meritus in exilium fuit eiectus ab ingrata patria, quum quartum fuiſſet tribunus militum: ſed quum captam à Gallis Senonibus vrbem Romam liberaſſet, hoſtemq; fudiſſet, reſtitutus dignitati fuit, biennio poſt factus Dictator. Paucis vero poſt annis M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat, ob ſuſpicionem affectati regni de ſaxo Tarpeio deijcitur. & decretum fuit factum, ne quis gentis Manliæ patricius vocaretur Marcus.

Septimum deinde creatus eſt tribunus militum Camillus, & ætate grauis vitam finiit anno conditæ vrbis CCCLXXXIX. quum anno vno ante ipſius mortem, à tribunis militum, reipublicæ procuratio ad CONSVLES rediiſſet, ex quibus tunc primum vnus fuit plebeius.

Dedit autem hæc ætas longe præſtantiſſimos belli duces in ea ciuitate, M. Valerium Coruinum, T. Manlium Torquatum, C. Marcium Rutilium, P. Decium Murem, Papirium Curſorem, Publium Philonem, L. Volumnium & alios. Ex his T. Manlius Torquatus, Conſul, filium ſuum, quod præter mandatum extra ordinem duello pugnaſſet in hoſtem, tametſi feliciter, ſecuri percuſſit. P. Decius Mus, Conſul in prælio contra Latinos, pro exercitu populi Romani ſeſe deuouit, & in confertiſſimam turbam hoſtium irruptione facta, confoſſus, nutantem rem Romanam reſtituit.

Idem fecit eius filius, eiuſdem nominis quartum Conſul, annis XLIV. poſt, in bello contra Gallos Senones.

Eo, quod ante diximus, tempore, ad annum vrbis conditæ CCCCXX. floruit ac bella geſſit Alexander Magnus, tertiæ Monarchiæ conditor, vt ſupra docuimus. Cum hoc T. Liuius componit L. Papirium Curſorem, & exſpatiatus tum ſui, tum lectoris reficiendi cauſa, demonſtrat eum inter alios Alexandro potuiſſe reſiſtere, ſi forte poſt deuictam Aſiam in Europam abductis copiis, ille populo Romano bellum feciſſet. Erat omnino ſumma præditus virtute, is quem dixi Papirius Curſor. nam vt alia prætermittam, quando T. Veturius Caluinus, Sp. Poſthumius Albinus II. Conſules, cum toto exercitu, ſub iugum miſſi fuerunt à Samnitibus, ad furcas Caudinas, & turpiter cum hoſte pacificarunt, ille factus conſul, hoſtem victorem fudit ac profligauit. Quam etiam ſeuere diſciplinam oporteat ſeruare militarem, in ſuo declarauit equitum magiſtro dictator ipſe.

Protulit inſuper hæc & aliquanto ſuperior ætas in Græcia, viros longe doctiſſimos. tunc enim Socrates, & ab hoc, velut ex fonte quopiam, Ariſtippus, Plato, Antiſthenes, Speuſippus, Ariſtoteles, Dicæarchus, Xenocrates, Heraclides, Theophraſtus, Polemo, Straro, floruerunt, phyſici omnes; &, vt ait Cicero, *ſpeculatores venatoreſque naturæ*. Floruerunt etiam oratores clariſſimi, Gorgias, Protagoras, Prodicus, Hippias, Iſocrates, Lyſias, Demoſthenes, Hyperides, Æſchines, Phalereus Demetrius, Demochares. Hiſtorici vero, Xenophon inprimis, quem Socraticum Cicero vocat, & Calliſthenes, comes Alexandri Magni.

Hac ætate vixit Syracuſanorum tyrannus, Dionyſius: ad quem Plato quum veniſſet, deque viri principis officio libere loquutus eſſet, in maximo vitæ periculo fuit, vt Cicero narrat. Hic eſt ille, qui non propinquis, ſed conuenis quibuſdam & feris hominibus atque barbaris cuſtodiam corporis committebat: qui tondere filias ſuas docuit, ne tonſori collum committeret: qui ferrum ab eiſdem, quum eſſent adultæ, remouit, inſtituitque, vt candentibus iuglandium putaminibus barbam ſibi & capillum adurerent: qui noctu ſic ad vxores ventitabat, vt omnia ſpecularetur & perſcrutaretur ante: qui quum in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, concionari ex turri ſolebat: qui Damocli paraſito, cuiuſmodi ſua eſſet felicitas, quam ille prædicauerat, oſtendit, quum in ſummis deliciis omniumque rerum copia luxuque accumbenti, gladium fulgentem, è lacunari ſeta equina appenſum, demitti iuſſit, vt impenderet illius ceruicibus.

Poſt Alexandri mortem, annis circiter XLII. bella geſſit cum Romanis, & in Italiam venit Epirotarum rex Pyrrhus. Altero eius belli anno ſolicitabat ſenatum ad pacem & fœdus faciẽdum: ſed Appius Claudius, ætate grauis, & cæcus, qui ante annos ſeptendecim fuerat conſul II. vt ait Cicero, venit in curiam, & ſenatum inclinantem ad pacem, deterruit, ne fœdus cum eo facerent. Tanta enim erat in eo vis animi, vt in illo ſuo caſu, nec priuato nec publico muneri deeſſet. Oratio, quã tunc habuit de Pyrrho, quum pacem dirimeret, exſtabat tempore Ciceronis, vt ipſe ait. Inſignẽ tunc operam Reip. nauauit C. Fabricius Luſcinus, qui ſolicitatus à Pyrrho ad defectionem, ampliſſima illius munera contempſit atque promiſſa, nec id modo, ſed captiuum etiam ei remiſit perfugam, qui veneno ſe poſſe regem tollere confirmarat. Cicero confert eum cum Ariſtide Athenienſi. Secundo reuerſum in Italiam Pyrrhum Manius Curius Dentatus omnino profligauit, ac triumphum egit. Pyrrhus omnium primus Elephantos adduxit in Lucaniam. Et adhuc quidem per annos fere quingentos bella geſſerunt Romani cum Italiæ ſolum populis, è quibus acerrime reſtiterunt, ac ſæpe rebellarunt, nunc victi, nunc victores, Latini, Veientes, Æqui, Faliſci, Samnites, Hetruſci: quibus demum deuictis atque pacatis exortum eſt longe grauiſſimum bellum in Carthaginenſes: cuius quidem vrbis originem Roma multo vetuſtiorem eſſe conſtat.

Initium belli fuit ad annum vrbis Romæ 485. in eoq; cum primis memorabile eſt illud, quod de M. Attilio Regulo memoriæ proditum eſt, qui captus à Carthaginenſibus, & Romam miſſus, vt de pace ac permutandis captiuis ageret, ac niſi impetraret, ad vincula rediret, quum eo veniſſet, plane diuerſum ſenatui ſuadebat, neque ex vſu reipubl. id eſſe demonſtrabat; deinde quod fidem hoſti ſeruandam eſſe diceret, Carthaginem reuerſus, crudeliſſimo ſupplicii genere fuit exanimatus, reſectis palpebris, & illigatus in machina, vigilando necatus.

Eo durante bello, Romani omnium primo feliciter mari pugnarunt in Sicilia, C. Duillio Conſule, aduerſus Hannonem. Hunc ipſum Duillium, & Manium Curium, & C. Fabricium, item Attilium Calatinum, Cn. & P. Scipiones, Africanum, Marcellum & Fabium Maximum Cicero nominat, vti clariſſimos vrbis Romæ conſules.

Anno ſequenti L. Cornelius Scipio Conſul, Corſicam atq; Sardiniam capit. Compoſitũ tandem fuit bellum Punicum, Q. Luctatio Catulo Cerco, A. Manlio conſulibus, cum annis duraſſet viginti tribus. Biennio poſt natus eſt Ennius, annis quinq; natu maior M Porcio Catone, qui illum ſuum vocat familiarem. Tum vero nouis bellis implicati Romani fuerunt aduerſum Faliſcos, Ligures, Illyrios, Gallos, Boios, Inſubres: quibus tandem expugnatis exortum eſt alterum bellum Punicum, anno vigeſimo quarto poſt factam pacem, P. Cornelio Scipione, T. Sempronio Longo Coss. Eius erat dux Annibal, qui Saguntum oppugnabat, & per Hiſpanias in Galliam, ac Italiam inde contendens, tribus prœliis populum Romanum ordine ſuperauit, ad Ticinum, ad Trebiam flumen & Traſymenum lacum. Creatus autem dictator Q. Fabius Maximus, & in hoſtem profectus, cunctatione vim illius & impetũ refregit atq; tardauit, ille ipſe, quem celebrans Ennius, *Vnus homo nobis*, inquit, *cunctando reſtituit rem.* Calliditatem ei Cicero tribuit, & quod facile ce-

lare

lateret, taceret, diſſimularet, inſidiaretur, hoſtiumque conſilia præriperet. Poſt autem ad Cannas, ingentem cladem populus Romanus accepit, quæ quidem tantam excitauit in vrbe trepidationem, vt plerique potentiores de fuga cogitarent & Italia relinquenda: ſed à P. Cornelio Scipione P. filio, ingentis animi iuuene, qui tum viceſimum quartum ætatis annum vix ingreſſus erat, confirmati fuerunt, imo retenti. Quarto poſt anno M. Claudius Marcellus, poſt diuturnam obſidionem Syracuſas capit. In eius vrbis direptione fuit occiſus Archimedes, nobilis mathematicus, qui in puluere quædam deſcribens, patriam non ſenſit eſſe captam. Interitum eius tulit permoleſte Marcellus, vbi reſciuit, & ſepeliri iuſſit, & captam vrbem non ſolum incolumem eſſe paſſus eſt, vt ait Cicero, ſed ita reliquit ornatam, vt eſſet idem monimentum victoriæ, manſuetudinis, clementiæ: immo victoria Marcelli pauciores homines deſideratos fuiſſe dicit, quam Deos aduentu Verris prætoris in eandem vrbem. Liuius autem iræ, inuidiæ, auaritiæ, multa fœdaque dicit ibi fuiſſe edita exempla. Sepulchrum Archimedis, obſoletum prorſus, & dumis atque vepribus obſitum, & ipſis adeo Syracuſanis ignotum, Cicero quæſtor Siciliæ, cum illud ex deſcriptione quadam cognitum haberet, ſenatui Syracuſano demonſtrauit, centum triginta ſeptem poſt annis. Vrbem Syracuſas, maximam eſſe Græcarum vrbium, pulcherrimamque omnium, & ex quatuor vrbibus maximis conſtare dicit Marcus Tullius: Inſula, vbi fons eſt Arethuſa, pleniſſimus piſcium: Acradina, vbi forum & porticus & curia: Tyche, vbi fanum Fortunæ: Neapoli, quæ poſtrema ædificata, theatrum habet ampliſſimum. Porro, nationum omnium exterarum princeps Sicilia, ſe ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit, & primo omnium eſt appellata *Prouincia*, ſicut idem Cicero teſtatur.

Annibal à Cannenſi victoria, Campaniam omnem deditione capit: exercitus illius Capuæ hybernans, copia rerum atque luxu totus fuit eneruatus atque fractus. Poſt expugnatas Syracuſas, anno tertio, Capua deditione capta fuit à Romanis. Diu multumque deliberatum fuit, an eſſet vrbs delenda: poſtremo placuit conſeruandam eſſe: verumtamen ne poſſet vnquam rebellionem facere, ademptus fuit illis ager, ſublatus omnis magiſtratus atque ſenatus, publicumque conſilium, imago nulla Reipublicæ relicta, ſed conſtitutum, vt eſſet locus comparandis condendiſque fructibus, receptaculum oratorum, nundinæ ruſticorum, cella horreumque agri Campani. Biennio poſt, Aſdrubal nouas copias auxiliares in Italiam adduxit, verum à M. Liuio Salinatore, & C. Claudio Nerone, conſulibus, ad Metaurum flumen conciſus fuit. Interea rem feliciter in Hiſpaniis gerebat P. Cornelius Scipio, quem diximus, quum ipſius & pater & patruus ibi fuiſſent interfecti: & omni recuperata prouincia, Romam reuertit, & factus conſul, Africam ſibi dari petit, vt ibi bellum gerat. Vehementer autem ei reſtitit Q. Fabius Maximus, ætate grauis, & non adeundam Africam, ſed cum Annibale prœliandum eſſe contendit. Scipio contra: quod ſi Carthaginenſibus bellum inferatur in ipſorum finibus, fore, vt neceſſitate coacti, Annibalem, in quo ſummam ſpem atque præſidium collocaſſent, ex Italia domum reuocent. A multa diſceptatione, Scipioni ſenatus tribuit Siciliam: & ſi quidem eſſet ex vſu Reipublicæ, vt in Africam eat, permittit. Ille igitur à Sicilia tandem in Africam proficiſcitur, & quod ſenatui prædixerat, re comprobauit ipſa. nam prœliis aliquot ab eo victi, plurimiſque damnis affecti Carthaginenſes, Annibalem reuocant. Sic ille, qui ſexdecim annis per Italiam graſſatus erat, qui ſub Romæ vrbis mœnia caſtris locum delegerat, domum redire coactus eſt, quantumuis inuitus atque dolens: & tandem ingenti prœlio ſuperatus à Scipione fuit, qui de ſenatus voluntate pacem deinde cum hoſte fecit. Hinc ei datum cognomen, vt Africanus diceretur.

Hic vero conſiderandum eſt, quomodo ſummis ex anguſtiis emerſerint Romani. Iam enim per annos aliquot tenuiſſimo filo pendebat omnis ipſorum fortuna: ſed in fatis erat, vt vim omnem atque calamitatem ſuperarent, & domini fierent orbis terrarum: idque præuidiſſe ferunt Annibalem, quum fratrem eſſe victum Aſdrubalem audiſſet. Ipſius quidem verba, quibus tunc vſus fuit, Horatius refert *in illo carmine, quo Druſi laudes, eiuſque familiæ celebrat.* Et quia doctiſſimum eſt elegantiſſimumque carmen, plane meretur, vt iuuentus illud inter alia memoriæ commendet.

Facta cum Carthaginenſibus pace, Romani, præter ea bella, quibus occupati fuerunt per Italiam, Iſtriam, Luſitaniam, graue quoque bellum geſſerunt cum Philippo Macedonum rege, qui Græciam oppreſſerat. Eius belli fuit Imperator T. Quintus Flaminius, qui tandem hoſte deuicto, de ſenatus voluntate Græciam libertati reſtituit, & inter alia Philippo regi præſcripſit, ne ſenatus iniuſſu belligeraret extra Macedoniæ fines.

Huic bello ſucceſſit alterum, aduerſus Antiochum Syriæ regem, qui tranſgreſſus in Europam, deuictus fuit à Manio Glabrione, Græciaque pulſus, auxilium Romanis ferente Macedonum rege, Philippo. Sunt autem hi, quos diximus, Aſiæ, Syriæ, Macedoniæ reges, ex eorum poſteritate, qui poſt Alexandri Magni mortem, prouincias inter ſe partiti fuerant, vt ſupra diximus. Nam Carthagine pacata, totaque ſubacta Italia Romani, cum reliquas etiam Europæ partes viciniores terra marique debellaſſent, eo iam potentiæ creuerant, vt longinqui etiam reges atque populi fidem ipſorum implorarent. Hunc ad modum Ægyptii, quorum rex Ptolemæus Epiphanes admodum adoleſcentulus, per ætatem non poterat adminiſtrare, cum ab Antiocho Magno periculum immineret, miſſis Romam legatis petebant, vt ſenatus tutelam regis pueri ſuſciperet. Eo facto, ſenatus Antiocho denunciat, vt ab Ægypto abſtineat: ille, offenſus, præſertim, quum Anni-

bal profugus,& hoſpes ipſius, vehementer bellum ſuaderet, in Græciam cum claſſe traiecit, ibique profligatus fuit, vt antea diximus. Comparata deinde claſſe, Romani perſequuntur illum,& in Aſiam tranſportati,maximo prœlio vincunt, & vltra Taurum montem reiiciunt. Poſt acceptam cladem dicere eſt ſolitus, vt Cicero narrat, benigne ſibi à populo Romano eſſe factum, quod nimis magna procuratione liberatus,modicis regni terminis vteretur. Bellum hoc gubernabat L. Cornelius Scipio, P. Scipionis Africani frater, vocatus ob hoc ipſum Aſiaticus.

Poſt Ætolos debellauit M. Fuluius Nobilior, de iisq; triumphauit. Et quum ex Aſia domum reuertiſſet, P. Scipio Africanus, qui legatus eo bello fratri fuerat, à tribunis plebis diuexatur. Itaque Liternum ſeceſſit, in villam ſuam, atque ibi, ſicut nonnulli tradunt, mortem obiit, vir longe præſtantiſſimus,natus annos LII. æqualis M. Porcii Catonis. In Dialogo, quem *de ſenectute* Cicero ſcribit, Catoné introducit amanter,& honorifice de Scipione,deque ſua & illius ætate ſtudiiſq; loquentem, in primis vero celebrantem illius magnitudinem animi: Liuius autem inimicum ei Catonem, ſolitumque fuiſſe dicit,hanc ipſius fortitudinem odioſius exagitare: celeritatem ei Cicero tribuit in re gerenda. Florebant eo tempore,Ennius,Plautus,Næuius,poetæ.

Debellato Antiocho, Annibal ad Pruſiam Bithyniæ regem profugit, & quum illum ſibi dedi Romani poſtularent, hauſto veneno vitam finiit. Antiocho ſucceſſit filius Antiochus Epiphanes, qui & ipſe per inſidias Ægyptum occupare cogitabat, quum eſſet Ptolomæi Philometoris, Ægypti regis,qui mortuo patri ſucceſſerat,auunculus. Itaque tutorem ſe profeſſus adoleſcentis, opprimere illum, ac rei ſummam ad ſe traducere conſtituit: ſed intellecta fraude, Romani, quorum auxilia denuo ſollicitauerant Ægyptii, legatum miſerunt C. Popilium Lænatem. Is, quum in colloquium veniſſet, Antiocho, populi Romani nomine denunciat,vt ab Alexandria,quam obſidebat,diſcederet: qui quum deliberandi ſpacium peteret,ille virgula ſtantem circumſcripſit, & quid facturus eſſet, clare iuſſit ante reſpondere, quam ex ea circumſcriptione excederet. Ita perterrefactus,quod populi Romani potentiam non ignoraret, pacem promiſit.

Hæc eo commemorantur,vt videri poſſit,quemadmodum Romani paulatim à paruis initiis creuerint, ac progreſſus fecerint ad ſummam rerum conſtituendam. Iam enim virtus illorum egreſſa fines Italiæ, in diuerſas quidem mundi plagas impreſſionem fecit,ſed permultum adhuc operis reliquum erat ad coaceruationem illius imperii molis, quæ potiſſimam orbis terrarum partem ambitu ſuo complectitur,vt ordine deinceps,tametſi breuiter, exponam.

Is, quem ſupra dixi, Philippus, Macedonum rex,quod à Romanis in anguſtias redactum ſe grauiſſime ferret, bellum redintegrare cogitabat: ſed præoccupatus morte,ſucceſſorem habuit Perſea filium, qui iampridem in Romanos exacerbatus, belli quoque gerendi velut hæreditatem ſuſcepit. Sed L. Æmilius Paulus, II. Conſul, prœlio tandem illum vincit, & vna cum vxore, matre, liberiſque capit,inque triumpho ducit,vocatus idcirco Macedonicus, ab eoq; tempore Macedonia facta eſt populi Romani prouincia. Superiori proximo anno mortuus erat Ennius,annorum ſeptuaginta,ſicut ait Cicero.

Paucis deinde poſt annis, P. Cornelius Naſica, Dalmatiam ſubigit: neque multo poſt, tertium eſt bellum Punicum exortum. Etenim,quum Carthaginenſes, quietis impatientes & ocii, reliquis vicinis, præcipue vero Maſaniſſæ, Numidiæ regi,populi Romani ſocio & amico, vim atque bellum inferrent,ſollicitati Romani de auxiliis, bellum decreuerunt, ad annum vrbis conditæ circiter ſexcenteſimumquartum. Sed in eo ſententiis variabant,vtrum euerti ciuitatem,an vero ſeruari oporteret integram: vna erat eorum ſententia, qui non delendam eſſe cenſebant, eo quod Carthagine ſublata fore dicerent, vt ciuilibus inter ſe diſſidiis atque bellis conflictarentur ipſi. M. autem Porcius Cato, diuerſum ſuadens, quantum Reipublicæ Romanæ periculum impenderet ab ea ciuitate, niſi funditus euerteretur, demonſtrabat, eaque ſententia vicit, ipſo in hac deliberatione mortuo,cum ad octogeſimum quintum annum ætatem produxiſſet. Eum Cicero nominat inter oratores antiquos, & proximum à Marco Cornelio Cethego ponit, quem ab Ennio celebratum eſſe dicit. Catonis autem orationes extare centum ait quinquaginta, refertas & verbis & rebus illuſtribus,& ſui temporis homines delicatiores reprehendit,quod non eas diligenter euoluant. Confert eum cum Lyſia ſcriptore Attico. Bello Punico tertio præfectus demum fuit P. Scipio Æmilianus, Pauli Macedonici filius, P. vero Scipionis Africani,per adoptionem nepos. Is poſt inchoatū bellum ab aliis,anno quarto, Carthaginem aliquot diebus vehementer oppugnatam capit, diripit, incendit,complanat: adeptus ideo cognomen, vt Africanus etiam diceretur, ſicut ille, qui Annibalem debellauit, vt ſupra dictum eſt. Et hic quidem eſt vrbis potentiſſimæ finis, quæ & origine vetuſtior, quam Romana, & ducum præſtantia fere non inferior, longe lateque dominata fuit. P. Scipionem Cicero ſcribit, Carthagine capta, Siculis reddidiſſe, quæ ſuperioribus annis Carthaginenſes illis ademerant ſigna & ornamenta, & Agrigentinis quidem taurum illum nobilem, quem Phalaris tyrannus habuiſſe dicitur, quo viuos, ſupplicii cauſa, demittere homines, & ſubiicere flammam ſolebat. Phalaris hic non ex inſidiis interiit, vt alii multi tyranni, ſed in eum vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Africam Cicero vocat *prouinciarum omnium arcem.*

Eodem fere tempore, bellum Romani fecerunt Achæis, Græciæ populo propter violatos legatos. Belli dux erat Lucius Mummius Cos. qui prœlio victor Achaiam omnem deditione cepit, & Corinthum, primariam vrbem, ac totius Græciæ lumen, vt Cicero inquit, ex ſenatus conſulto incendit,

cendit, funditúſq; ſuſtulit, ne quando recreata exurgere, atq; erigere ſeſe poſſet. Mummius ob eam rem vocatus eſt *Achaicus*.

Ad hoc etiam tempus Luſitaniam occupauit Viriatus quidam, ex paſtore venator, ex venatore latro, ac deinde validi exercitus dux factus: qui cum Romanis, per aliquot annos, ac ſæpe quidem feliciter prœliatus, inſidioſe tandem fuit interfectus: ac tum demum Decius Iunius Brutus Conſul Luſitaniam ad Oceanum vſq; perdomuit.

Romani magnam interea cladem à Numantinis, Hiſpaniæ populo, acceperant: quumque pacem à Mancino Conſule factam repudiarent, quod eſſet ignominioſa, P. Scipionem Æmilianum Africanum extra ordinem denuo creant conſulem, eique bellum demandant. Is cum exercitu profectus, & ad ſeueram diſciplinam reuocato milite, qui mollior factus erat, & laboris impatientior, Numantiam vrbem, vbi circumuallaſſet aliquandiu, cepit ac deleuit, anno poſt deletam Carthaginem decimo quarto, vrbis autem conditæ anno ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo. Carthaginem, Numantiamq; Cicero vocat *duos terrores imperii Romani*.

Eodem tempore ſeruorum eſt ortus in Sicilia tumultus, qui maximis collectis copiis vix tandem à C. Fuluio conſule fuerunt oppreſſi.

Poſt hæc, bellum fuit Romanis cum Ariſtonico in Aſia: nam Pergami rex Attalus, populum Romanum teſtamento fecerat heredem. Ariſtonicus autem eius propinquus, occupata ea parte Aſiæ teſtamento Romanos fraudabat. Hunc & debellauit & tandem cepit M'. Perperna conſul.

Anno autem ſequenti qui fuit annus vrbis conditæ DCXXV. P. Scipio Africanus, domi ſuæ cubans noctu fuit oppreſſus à propinquis, vt creditur. Eloquentiam ſummam, fidem, integritatem ei Cicero tribuit: & quamquam ipſius interitu, maximum dolorem ciuitas tota perciperet, nullam tamen quæſtionem de illius morte latam fuiſſe ſcribit: Solem vero fuiſſe geminatum eodem anno tradit. Itaq; ducum longe omnium præſtantiſſimus periit, natus annos LVI. quod quidem Africanum ei maiorem præſignificaſſe, commentatione quadam ſuauiſſima fingit Cicero.

Vixerunt hac ætate Lucilius, Terentius, Pacuuius, Accius, Licinius, Cæcilius, Afranius: & Pacuuium quidem C. Lælius, Africano coniunctiſſimus, amicum ſuum vocat, Terentium vero familiarem.

Poſt hæc Fabius Maximus conſul, Allobroges, Aruernos, Rutenos, Galliæ populos ingenti prœlio ſuperauit: eodemque tempore fuit interfectus Romæ C. Gracchus, tribunus plebis, vir eloquens, legis Agrariæ defenſor, quum ante annos XII. eius frater Tiberius Gracchus conſimili de cauſa cæſus fuiſſet. Vtrique Cicero tribuit eloquentiæ laudem, & Tiberii quidem orationes non ſatis ſplendidas verbis, ſed acutas, prudentiæque pleniſſimas, C. vero fratrem eius legendum eſſe cum primis iuuentuti dicit, quod non ſolum acuere, ſed etiam alere ingenium poſſit, eumque vocat *Romanorum ingenioſiſſimum atque eloquentiſſimum*. Somniauerat Gracchus, Tiberium fratrem ſibi viſum eſſe dicere, fore vt eodem letho quo ipſe periret: & hoc illum dixiſſe nonnullis antequam tribunus plebis factus eſſet, Cicero refert. Extant illorum leges frumentariæ, *de coloniis deducendis, de commodis militum, de prouinciarum adminiſtratione, de populi ſuffragiis, de locatione agri Attalici & Aſiæ*.

Hos motus tribunicios conſequutum eſt bellum populi Romani cum Iugurtha Numidiæ rege, quod quidem bellum à L. Calpurnio Beſtia Coſ. ſuſceptum, & à Quinto Cæcilio Metello continuatum; à Caio Mario conſule, qui Publio Scipioni militauerat, tandem confectum eſt: nam rex Mauritaniæ Boccus, Iugurthæ ſocius prælio victus, cum belli periculum nollet ſuſtinere diutius, vinctum Iugurtham Syllæ tradididit, qui miſſus à Mario fuerat, huius rei cauſa.

Et ad hoc ipſum tempus, quod erat vrbis conditæ anno DCXLVII. natus eſt M. Tullius Cicero, cum annis ante ipſum octo natus eſſet Q. Hortenſius, clariſſimus orator. Per bellum Iugurthinum Cimbri & Theutoni innumerabili multitudine penetrant, alii in Italiam, alii in Galliam: ac vbi maximis cladibus populum Romanum affeciſſent, & nunc proconſules, nunc legatos aliquot prœliis viciſſent, tandem ad internecionem cæſi fuerunt à C. Mario IV. conſule, Theutoni quidem, ad aquas Sextias, prouinciæ Galliæ oppidum, Cimbri autem ad fines Inſubriæ.

Hanc felicitatem excepit nouus tumultus: nam Italiæ populi aliquot à Romanis defecerunt, Samnites, Peligni, Marſi, Veſtini, Marrucini, Vmbri, Picentes, Lucani. Varie cum his pugnatum eſt, & vix tandem ad officium reducti fuerunt.

Mox aliud malum, ac Reipublicæ pernicioſiſſimum interuenit. Mithridates, Ponti rex, Cappadociæ regem Ariobarzanem, & Bithyniæ regem Nicomedem, populi Romani ſocios & amicos, finibus eiecerat, & occupata Phrygia, Romanorum prouincia, penetrauerat in Aſiam. Itaq; ſenatus bellum decreuit: hic autem orta factione, alii L. Syllam, nobili genere natum, alii C. Marium poſcebant Imperatorem. Marii partes iuuabat P. Sulpicius, tribunus plebis. Habebat autem exercitum Sylla, Mariumq; vrbe eiecit, qui maximo deinde vitæ periculo, cum in paludibus circa Minturnas delituiſſet, parua nauicula in Africam traiecit exul.

Per abſentiam Syllæ, belligerantis in Aſia, Lucius Cornelius Cinna, Conſul tumultuari cœpit, & moliri res nouas: verum eiectus à Cn. Octauio collega, & pulſus vrbe recolligit vires, & C. Marium, illa occaſione reuerſum ex Africa, ſibi coniungit. Itaque contractis copiis Romam obſident ambo, qua parte Ianiculum erat: & cum non ignaue tantum, ſed & perfidioſe multa in vrbe fierent, neque iam illis reſiſti poſſet, intromiſſi cædibus atque rapinis omnia complent: deinde

ſeipſos

ſeipſos renunciant conſules, in eoque magiſtratu crudeliter multa fecerunt: & L. quidem Cinna præſtantiſſimum oratorem M. Antonium interfici iuſſit: Marius vero Q. Catulum. His rebus cognitis, L. Sylla, quum pleraque omnia bello recuperaſſet, pace cum Mithridate facta, in Italiam reuertit: ſed iam è vita deceſſerat Marius VII. Conſul. L. vero Cinna collegam habebat ſuarum partium, Cn. Papirium Carbonem: qui, licet vim & arma Syllæ opponerent, vna cum filio Marii profligati fuerunt: & Sylla rerum potitus, aduerſarios omneis acerbiſſime perſequitur, proſcriptionis tabulam proponit, proſcriptorum bona vendit, eorumque liberis facultatem eripit, atque jus vllos honores in republica conſequendi: factus inde Dictator, pro ſuo arbitratu omnia conſtituit, ac tribuniciam poteſtatem infringit, & quum ciuium Romanorum bona venderet, prædam ſe ſuam vendere pro concione dicebat: breuiter, nemo illo inuito nec bona nec patriam, nec vitam retinere poterat. In C. vero Marium odio tam acerbo fuit incitatus, vt eius reliquias apud Anienem fluuium ſitas diſſipari iuſſerit: ipſe autem primus è patriciis Corneliis igni voluit cremari, fortaſſe timens idem ſuo corpori poſſe accidere. Mario vim & virtutem, & in iracundia perſeuerantiam Cicero tribuit: Syllam, vehementem, L. vero Cinnam vocat crudelem. Marium appellat etiam terrorem hoſtium, ſpem, ſubſidiumque patriæ. L. Sylla quatuor nouas leges tulit, de falſo, de parricidio, de ſicariis, de iniuriis. Ipſo dictatore, M. Cicero, natus annos XXVI. in forum prodiit, & pro S. Roſcio publicam cauſam dixit. Ante ipſum clariſſimi nominis oratores fuerunt Q. Catulus, C. Iulius, M. Antonius, L. Craſſus, *cuius* quidem *ætate lingua Latina ſuam quaſi maturitatem habuit*, vt ait Cicero. Fuit autem hæc Ciceronis ætas omnium erudiriſſima: nam vt tot, tamque præſtantes oratores omittam, Iureconſulti quoq; fuerunt inſignes, & in his C. Aquilius Gallus, L. Lucilius Balbus, C. Iuuentius, Sex. Papyrius, auditores Q. Mutii Scæuolæ, pontificis, cui & Cicero dedit operam adoleſcens. Æqualis autem prope Ciceronis erat P. Seruius Sulpicius, qui ſuperiorum auditor, diſcipulos habuit, A. Offilium, P. Alphenum Varum, Caium, Titium Cæſium, duos Aufidios, C. Atteium Pacuuium, Flauium Priſcum, Cinnam, P. Cæcilium. Floruit etiam cum Sulpicio, C. Trebatius, cui diſcipulus fuit Antiſtius Labeo. Sulpicium mortuum Cicero verbis ampliſſimis laudans, *omnes*, ait, *qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non ſunt comparandi. Neque enim ille magis iuriſconſultus quam iuſtitia fuit.*

Ex proſcriptorum numero Q. Sertorius reſtabat, vir animi robore bellique ſcientia præclarus. Is in vlteriori Hiſpania grauiſſimum bellum excitauit, & deuictis aliquot ducibus populi Rom. complures vrbes in ſuam poteſtatem redegerat. Itaque belli adminiſtratio tandem commiſſa fuit Cn. Pompeio: quumq; varia fortuna ſæpe pugnatum eſſet, tandem inſidioſe fuit interfectus Sertorius, & Pompeius deinde decimo fere anno poſt incœptum bellum, Hiſpanias recipit.

In hoc tempore Nicomedes Rex Bithyniæ, moriens populum Romanum inſtituit heredem: Mithridates autem Ponti rex, qui fœdus antea cum Sertorio fecerat, in illa Mariana & Syllana factione, occupata Bithynia, maximis viribus bellum reſtaurat. In eum miſſus eſt cum exercitu L. Lucullus, qui Cos. equeſtribus prœliis feliciter rem geſſit, ac deinde proconſul, cæſo exercitu, & erepta Bithynia, coegit illum in Pontum retrocedere. Ibi quoque ingenti prœlio victus Mithridates, ad Tigranem Armeniæ regem confugit. Lucullus vero perſequens & inſtans vtriuſque copias aliquot prœliis concidit, & quo minus plane bellum conficeret, optatumque victoriæ fructum atque laudem reportaret, in cauſſa fuerunt ſeditiones militares, callide à nonnullis excitatæ. Nam paulo poſt reuocato Lucullo, belli adminiſtratio commiſſa fuit Cneo Pompeio: cuius quidem rei ſuaſor etiam fuerat M. Cicero, quum in Pompeii laudem luculentam haberet ad populum orationem. Lucullus reuocatus, triumphauit nihilo ſecius, & epulum ſplendidiſſimum populo Romano dedit: relicta deinde Republica, domi vixit priuatus in Philoſophiæ ſtudiis, & ampliſſimam inſtituit Bibliothecam, in victu quotidiano ſplendidus & magnificus, vt antea ſemper. Eius Bibliothecæ meminit Cicero, ſeque eo venire ſolitum eſſe oſtendit, vt libros inde promeret. Pompeius Mithridatem in fugam coniecit, longiſſimeque perſecutus eſt. Et Tigranem regem deditione cepit: quumque in ſuis caſtris illum ſupplicem abiectumque vidiſſet, erexit, vt ait Cicero, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, & imperatis certis regibus regnare iuſſit. Mithridates tandem obſeſſus à filio ſuo Pharnace, mortem ſibi conſciuit ipſe. Cn. Pompeio magnam authoritatem conciliauerat bellum illud, quod cum piratis geſſit: quod quidem fuit ante quam in Mithridatem iret.

Eo ſedato bello, mox aliud incendium ciuile ortum eſt. nam L. Catilina cum aliis multis in perniciem reipub. coniurauerat: verum ſingulari Ciceronis induſtria, qui tum conſul erat, patefacto ſcelere, pulſus vrbe, cum copias in Hetruria & manus perditorum hominum coegiſſet, à C. Antonio conſule, Ciceronis collega, prœlio victus occubuit. Operam, quam tum Reipublicæ præſtitit Cicero, paſſim in ſuis ſcriptis prædicat: & non modo tunc viſas nocturno tempore faces, ardoremque cœli, fulminumque iactus, & terræ motus extitiſſe dicit, verum etiam illa prodigia, quæ L. Cotta & Torquato conſulibus annis duobus, ante ipſum conſulem acciderant, huc accommodat, quando complures in Capitolio turres percuſſæ, & ſimulacta Deorum depulſa, & ſtatuæ veterum hominum deiectæ, & legum æra liquefacta fuerunt, tactus etiam, qui Romam vrbem condidit, Romulus, paruus atque lactens, & vberibus lupinis inhians. Catilinæ naturam & ingenium Cicero deſcribens, nunquam ait fuiſſe tale monſtrum in terris vllum, tam ex contrariis diuerſiſque inter

ſe te-

ſe repugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibusq; conflatum. Cicerone Conſule, natus eſt C. Octauius, & Iudæa Romanis facta ſtipendiaria, cum Hieroſolymam Cneus Pompeius expugnaſſet.

Quinto poſt anno L. Piſone, A. Gabinio, conſulibus, Heluetii ſedes mutarunt, & maximis cum copiis per prouinciam Galliam conſtituerunt in reliquam Galliam penetrare, & ibi propter agri fertilitatem conſidere. Quo cognito, C. Iulius Cæſar, ſex annis natu minor Cicerone, collecto exercitu, quod ei prouinciam ſenatus attribuiſſet, profectus illuc, & commiſſo prœlio fudit hoſtem: poſt etiam Ariouiſtum, Germanorum regem, qui Galliam Celticam, inprimis autem Heduos, populi Romani ſocios oppreſſerat, non procul à Rheno debellauit, Veſontione, Sequanorum oppido, profectus. Omnem deinde Galliam in ditionem populi Romani perduxit, ſimul traiecto mari, Britanniam deuicit. Ex Britannia Cæſarem ad ſe dediſſe literas ait Cicero, Calendis Septembris, quas ipſe poſt acceperit ad quartum Calend. Octobris. Cum in Galliam Cæſar iret, Cicero vexatus à P. Clodio tribuno plebis, in exilium diſceſſit, oratione prius habita *ad populum & equites*, qua ſuos liberos atque familiam illis commendat. Reuocatus autem aliquot poſt menſibus à ſenatu, maxima cum populi gratulatione, alteram habuit orationem *ad Quirites*, qua gratias agit amicis. Cauſam exilii poſt contulit in L. Piſonem, A. Gabinium, conſules, ab iiſque proditum ſeſe demonſtrat, habitis orationibus in vtrumque, quarum in altera ſenatui ſuadet, vt prouincias illis adimant, Syriam ac Macedoniam, & ne C. Cæſarem feliciſſime belligerantem in Galliis, reuocent, ſed vt imperium ei proferant, quo plane bellum conficiat.

Interea Ptolemæus Auletes, Ægypti rex, propter ignauiam & crudelitatem regno pulſus, Romam venit, & perſuaſus à Cn. Pompeio ſenatus, per A. Gabinium reſtituit illum, Archelao pulſo, qui de populi voluntate regnabat. Gabinius fuit damnatus tandem, vt in ærarium inferret decem millia talenta, vel vt quidam noſtri homines rationem putant, ſexagies centena millia, quod tantam ſummam à Ptolemæo accepiſſet.

M. etiam Craſſus, cui Parthicum bellum fuit decretum, Euphrate tranſmiſſo, victus in colloquio deinde per fidem fuit interfectus. Hic eſt ille, qui dicere ſolebat, *neminem eſſe diuitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus*. Per hoc quoque tempus fuit occiſus à T. Annio Milone P. Clodius: Milonem Cicero defendit, Cn. Pompeio, III. & ſolum conſule: ſed ille tamen iuſſus eſt exulare.

Confecto bello Gallico, quod fuit octauo circiter anno, bellum eſt natum ciuile Caii Cæſaris, cum Cneo Pompeio genero. Cauſſa erat belli, quod Cæſar à conſulatu repudiaretur, ni dimitteret prius copias, & prouinciam traderet: illi vero perſuaſum erat, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu recederet: ferebat tamen eam conditionem, vt tum ipſe, tum Pompeius traderent exercitus: quumque id repudiaretur, progreſſus incredibili celeritate cum copiis, è Gallia venit in Italiam, & Flaminiam ingreſſus, oppida quamplurima, partim gratia, partim deditione capit. Ea re cognita, Pompeius, & ambo conſules, C. Marcellus, L. Lentulus Roma fugiunt, & Brunduſium Apuliæ oppidum maritimum petunt. Eo venit etiam Cæſar: ſed iam conſules traiecto mari Dyrrhachium iuerant, neq; multo poſt inſequitur eos Pompeius: & quum Cæſar, tempore excluſus, quod claſſem idoneam non haberet, illum perſequi non poſſet, Romam venit, & conuocato ſenatu, de iniuriis queritur, ac ſimul pacis conditiones proponit: cumque remiſſius ageretur à ſenatu, Maſſiliam petit, quæ portas illi clauſit. Itaq; comparata claſſe, terra mariq; illam obſidet, & relictis ibi legatis in Hiſpaniam proficiſcitur. Ibi Petreium, & Afranium, Pompeianos duces, totumq; exercitum deditione tandem capit. Poſt, Maſſiliam redit: quæ tum primum deſperatis rebus omnibus, in poteſtatem illius ſe permiſit, & abſens à M. Lepido prætore dictator factus, Romam venit, comitia habet, & conſul creatur cum P. Seruilio Iſaurico: deinde rebus in vrbe conſtitutis, in Græciam tranſmittit, ac tandem in Theſſalia Pompeium maximo prœlio vincit, copiis multo ſuperiorem, & caſtris exuit. Pompeius fugiens, Ægyptum petit. Erat tum Ægypti rex Ptolemæus Dionyſius, Ptolemæi Auletæ filius, quem expulſum regno, Pompeius conſul per A. Gabinium reduxerat, vt ſupra diximus. Propter hoc beneficium ſperabat opem atq; tutelam in ea regione: rex autem erat ætate puer, eiuſq; familiares, vel quod fortunam Pompeii deſpicerent, vel quod motum aliquem metuerent, inſidioſe illum interficiunt. Cæſar fugientem perſequutus, Alexandriam peruenit cum tribus millibus hominum, & ducentis, atq; ibi primum de morte Pompeii cognoſcit. Cicero iudicans de vtroq;, *proximo bello*, inquit, *ſi aliquid de ſumma grauitate Pompeius, multum de cupiditate Cæſar dimiſiſſet, & pacem ſtabilem, & aliquam Rempublicam nobis habere licuiſſet.* Gerebat tunc bellum Ægypti rex cum ſorore Cleopatra. Cæſar itaq;, cum eſſet Alexandriæ, voluit de controuerſiis iure potius apud ſe, quã armis inter ipſos diſceptari, eo, quod conſul eſſet populi Romani, & quod ſuperioribus annis, cum Ptolemæo, patre regis, lege & ſenatus conſulto ſocietas facta erat. Hoc ipſum vero indigniſſime ferebant præfecti, querentes maieſtatẽ regiam minui, quod ad dicendã cauſam euocaretur. Concitatis ergo animis, bellũ aduerſus Cæſarem moliuntur, ſed ille, poſt magna pericula victor, extincto rege, non quidẽ redegit Ægyptũ in prouinciæ formã, ſed Cleopatræ eiuſq; fratri minori regnum permiſit. Inde profectus in Syriam, ac poſt in Pontum, Pharnacem regem, Mithridatis filium, profligat; Cappadociam, Armeniam Gallogræciam, Pontum & Bithyniam pacat. In Italiã ac Romam deinde reuerſus, media poſt hyeme, & ad ſolſtitium hybernum, ex Lilybæo traiicit in Africam, licet à ſummo aruſpice monitus eſſet, ne ante brumam tranſmitteret. Eo confugerant à pugna Pharſalica Scipio & Cato, M. Porcii Catonis pronepos, magniſque contractis copiis, Iubam regem ſibi conſociauerant.

Profe-

Profectus igitur eo Cæſar ad internecionem omnes deleuit. Et Cato quidem, ne in illius poteſtatem veniret, Vticæ mortem ſibi conſciuit ipſe, quod quidem Cicero defendit, & *cui incredibilem quandam natura grauitatem dediſſet, ei potius hoc faciendum fuiſſe* dicit, *quam tyranni vultus aſpiciendus*. Erat Stoicæ diſciplinæ Cato, & ſententias horridiores nonnunquam in ſenatu defendebat, *tamquam in Platonis verſaretur politia*, ſicut ait Cicero, *non tamquam in Romuli fece*. Romam poſtea Cæſar venit: quumque de Gallia, Ægypto, Ponto, & Africa triumphaſſet, aduerſus Sextum Pompeium bellum ſuſcepit in Hiſpaniam profectus, eumque debellauit. Itaque deuictis omnibus aduerſariis, & longe lateque pacatis populis in vrbem redit anno quinto poſt inceptum bellum ciuile: & quum de Hiſpania triumphaſſet, Dictatoris quoque nomen atque poteſtatem ſibi delatam perpetuo ſumeret, ac ſenatum pro ſuo conſtitueret arbitratu, reliquos etiam honores ac munera publica prope ſolus elargiretur, ac quibus vellet, diſtribueret, in odia plurimorum incurrit.

Mutato igitur Reipublicæ ſtatu, & ad vnius principatum redacta ſumma rerum, coniurationes in eum factæ, tandem exarſerunt, & quinto poſt menſe, quam Romam veniſſet, in curia Pompeii fuit Idibus Martiis interfectus, ab iis, quos recenti beneficio ſibi deuinxerat, quibusque ignouerat, quod bello Pompeiano contra ipſum militaſſent. Hi erant M. & D. Brutus, Caius Caſſius, Cneus Domitius, C. Trebonius, Q. Tullius Cimber, duo Seruilii, Caſca, Hala, & complures alii. Ciceronem quoque Marcus Antonius, conſul, collega Cæſaris, vt conſcium cædis, ad ſenatum coarguit, quod interfecto Cæſare ſtatim cruentum alte extollens Marcus Brutus pugionem, ipſum nominatim exclamaſſet, atque ei recuperatam libertatem eſſet gratulatus. Tradunt nonnulli C. Cæſarem Græcis verbis affatum eſſe Marcum Brutum irruentem, & appellaſſe filium: id quomodo accipiant illi, neſcio: hoc quidem ex Cicerone conſtat, Brutum annis quindecim fuiſſe natu minorem illo. Leges aliquot tulit, partim conſul, partim dictator, quæ propter ipſum Iuliæ dicuntur; *agraria, de iudiciis, de vi, maieſtatis, repetundarum, de ſacerdotiis, de fœnore*. Sunt aliæ quædam eius nominis, verum ab Octauio latæ. Clementiam Cæſari tribuunt omnes: Cicero etiam ingenium, acumen, rationem, memoriam, litteraturam, cogitationem, diligentiam: ſed eius dominatum ægerrime tulit, occulte tamen; & in quadam ad Atticum Epiſtola, *Intelliges*, inquit, *id regnum vix ſemeſtre eſſe poſſe*. Fuit autem in hac tota cauſa Cicero valde lubricus & inconſtans. nam in bello ſecutus eſt partes atque caſtra Pompeii, licet ipſius animi deiectionem, atque negligentiam reprehenderet: & in epiſtolis ad amicos, C. Cæſarem belligerantem vocabat tyrannum atque monſtrum. Profligato autem & extincto Pompeio, quum Cæſar multis ignoſceret, ſtylum vertit, & tribus habitis orationibus, ad cœlum vſque laudibus eum efferebat: quumque ſibi fieri Cæſar inſidias audiſſet, ſeque ſatis vixiſſe nonnunquam diceret, ille deprecatur, & orat, vt hanc opinionem deponat: nam etſi gloria ſit cumulatiſſimus, ideoque ſibi quidem ſatis vixerit, non tamen ſatis vixiſſe Reipublicæ, quæ præſidio carere non poſſit ipſius atque tutela: de periculo non eſſe quod ſit ſollicitus: *Nam omnes*, inquit, *tibi non modo excubias, & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus & corporum pollicemur*. A nece vero Cæſaris mirum in modum exultabat, & qui illum occidiſſent, eam gloriam conſecutos eſſe dicebat, quæ vix cœlo capi poſſe videretur.

Hæc eſt igitur Quarta & poſtrema Monarchia, quo quidem in loco notandum eſt, quomodo ex minimis initiis paulatim ad ſummam potentiam creuerit ea ciuitas, quæ à paſtoribus condita, domina tandem euaſit orbis terrarum. Nunc deinceps breuiter, quantum licebit, exponam, quemadmodum ab illo rerum faſtigio, ſenſim poſtea declinarit ad interitum.

IOANNIS SLEIDANI DE QVATVOR SVMmis Imperiis,

LIBER II.

CÆſare interfecto, C. Octauius, qui Cæſaris ſororis erat nepos, traductis ad ſe legionibus, acerbiſſime perſequutus eſt illius percuſſores. Et quum initio pro Republica videretur in M. Antonium arma ſumere, tandem partitus Imperium cum illo, & M. Lepido, Triumuiratum inſtituit, in quo M. Cicero, qui vehementer Antonium oppugnauerat, trucidatus ab eo fuit, natus annos LXIII. quum ante annos octo mortem obiiſſet Q. Hortenſius totidem annis natu maior illo, ſicut ſupra dictum eſt. Ciceronem plane fefellerunt ſua conſilia: quum enim à morte C. Cæſaris Remp. perturbaret Antonius, C. Octauium Cæſaris propinquum, viginti annorum adoleſcentem, miris laudibus ſenatui Cicero commendabat, & ſuadere cœpit, vt non habita illius ætatis ratione crearetur conſul, adductis ex veteri memoria multis exemplis, quamobrem id fieri poſſet, refutatis etiam iis, quæ metuenda videbantur, fidem ſuam obligare ſe profitebatur ſenatui, ſemper illum talem fore ciuem, qualis tum eſſet, qualemque eum maxime velle & optare deberent. Sed poſt ab illo deſtitutus, in Antonii manus deuenit. Marcus Brutus etiam grauiter eum reprehendit, quod illi ſic adularetur. Ceterum in æmulatione imperii, natis, vti fieri ſolet, offenſionibus, quum propter coniurationem in Octauium triumuiratu iam antea motus eſſet, & relegatus Marcus Lepidus, bellum in Antonium alterum collegam ſuſcepit Octauius, & ipſum atque Cleopatram, de qua ſupra diximus, poſt Actiacam victoriam, expugnauit ad Alexandriam, & ad mor-

ad mortem ſibi ipſis inferendam adegit, & Ægyptum populi Romani prouinciam fecit. Tradunt authores, Ægypti fructus annuos fuiſſe, Ptolemæo Aulete regnante, duodecim millia quingenta talenta: hanc ſummam noſtri temporis viri docti redigunt ad ſeptuagies & quinquies centena coronatorum aureorum millia. Quum autem in populi Romani deditionem veniſſet, multo putant fuiſſe fructuoſiorem, propter Indiæ & Æthiopiæ commercia.

Deuicto & ſublato Antonio, ſolus per annos XLIV. rempublicam geſſit Octauius, & ipſius imperii anno XXIX. conditi autem orbis termilleſimo nongenteſimo quinquageſimo quarto, ſicut plerique numerant, natus eſt ſaluator noſter IESVS CHRISTVS, quum ante ſeptem annos Herodes, cognomento magnus templum, Hieroſolymæ dirutum reædificaſſet magnificentiſſime.

M. Antonius habebat in matrimonio, C. Octauii ſororem, ſed amore captus Cleopatræ, quũ Aſiam peragraret, illa deſerta, duxit hanc vxorem, eaq; res partim etiam belli cauſſam dedit. Summus autem erat vtriuſque luxus, deque conuiuiis illorum atque deliciis & voluptatibus incredibilia fere prodiderunt authores: verum is, quem dixi, fuit ipſorum exitus, vitæque finis. M. Antonius erat M. Antonii, de quo ſupra dictum eſt, oratoris clariſſimi nepos.

C. Octauio regnante, populi Romani exercitus omnium primo bellum Germaniæ fecit, in ipſorum finibus. C. Iulius Cæſar bis quidem profligauit Germanos, verum in Galliis, nempe Auouiſtum in Celtis, & deinde ad Moſæ confluentem atque Rheni; poſt eam victoriam extructo ponte Rhenum tranſiit, ſed paucis diebus ibi commoratus, exercitum in Galliam reduxit, pontemque reſcidit. Biennio deinde poſt, rurſus ponte Rhenum transmiſit, paullo ſupra eum locum, quo antea exercitum traduxerat, ac tum plane conſtituit in Sueuos proficiſci: verum per exploratores certior factus de rebus omnibus & difficultatem veritus inopiamque commeatus, in Galliam ſe recepit, partem aliquam pontis reſcidit, & in altera parte turrim atque caſtellum conſtituit, præſidiiſque firmauit, ne ſui reditus metum hoſtibus omnino tolleret. Et hæc quidem ſolum aduerſum Germanos geſſit C. Cæſar, ſicut ipſe commemorat: verum Octauius per Tiberium atque Druſum fratres, bellum Rhætis intulit atque Vindeliciis: & ex Vbiis, populi Romani ſociis, eam Germaniæ partem, quæ *Weſtphalia* dicitur, inuaſit, duce Quinctilio Varo: ſed hunc ad internecionem prope concidit Cheruſcorum dux Arminius, inter Amiſiam flumen & Luppiam. Eius morte grauiſſime perturbatum Vergilium, Horatius carmine pulcherrimo conſolatur. Druſus in Germania periit, relictis filiis, Germanico, viro præſtantiſſimo, & Claudio Celebrat eum Horatius, ode doctiſſima, ſicut ante quoque diximus, & ſtirpem ipſius refert ad C. Claudium Neronem, qui conſul cum M. Liuio Salinatore, II. fratrem Annibalis, Aſdrubalem, nouas adducentem copias, ad Metaurum flumen concidit. Canta ros præterea domuit Auguſtus, & Aquitanos, & Pannonios, & Dalmatas, & Illyricos, & Salaſſios, Alpium incolas. De deponenda quidẽ imperii mole dicitur cogitaſſe nõ ſemel: ſed quũ in uicem reputaret, & ſe priuatum non ſine periculo futurum, & illam arbitrio multorum temere committi ſententiam mutauit. Regni ipſius anno XXXIII. Herodes magnus, quem M. Antonius & ipſe, tertio triumuiratus anno Iudææ regem conſtituerant, mortuus eſt: & octauo poſt anno, filius eius atque ſucceſſor Archelaus, relegatus fuit in exilium, Viennam Galliæ oppidum. Ad prouinciarum Imperii tutelam legiones aluiſſe ſcribitur Octauius XLIV. & in Ægypto quidem ternas, in Hiſpania totidem, per Germaniam octonas. Quantus autem fuerit eius rei ſumptus annuus, nonnulli rationem inierunt, & ad centies atque vices centena coronatorum aureorum millia ponunt, ſic, vt in ſingulas legiones annua ducẽta ſeptuaginta duo diſtribuant aureorum millia. Legionem vero ſex millibus peditum cenſent, equitibus quingentis. In Octauio valde prædicatur ſtudiũ & liberalitas erga viros doctrina præſtantes. Erant tunc præcipui nominis poëtæ, Varius, Vergilius, Plotius, Valgius, Fuſcus, duo Viſci, Pollio, Meſſala, Bibuli, Seruius, Furnius, Horatius qui ſua ſcripta cupit illi probari, minime ſollicitus, quid alii ſentiant. Ceterum inde a M. Porcio Catone & Africano maiore, ad hoc vſq; tempus, perpetua quadam ſerie clariſſima Romæ fulſerunt ingenia: ſed hoc Auguſti ſæculum fere poſtremum eſt, quod natiuum illum linguæ Latinæ ſuccum, & ſanguinem incorruptum retinuit. Nam deinceps paulatim magis atq; magis fuit ſermo vitiatus, donec in meram degenerauit barbariem, quæ ad hanc noſtram vſque memoriam adhæſit. Cordubæ natos Poëtas pingue quiddam ſonare Tullius ait & peregrinum: quid de illis iudicaturum fuiſſe putamus, qui centum & amplius poſt annis vixerunt, non Cordubæ nati ſolum & educati, ſed etiam Romæ?

Ceterum, Tiberius, Octauii Auguſti priuignus & gener & filius adoptiuus, admodum inuitus, vt quidem præ ſe ferebat, & vix tandem exoratus à ſupplicante ſenatu, principatum ſuſcepit, & initio quidem nihil ſolus agebat, deque rebus omnibus, quæ alicuius eſſent momenti, cum ſenatu communicabat, ſed paulo poſt Reipublicæ cura plane depoſita, totum ſe voluptatibus tradidit. Eo regnante, Armeniam Parthi occuparunt, Mœſiam Daci & Sarmatæ. Galliam vaſtabant Germani: ſed his incommodis nihil ipſe mouebatur. Eius regni anno decimoquinto, Chriſtum ſeruatorem noſtrum eſſe crucifixum, nonnulli tradunt. & magni quidem in re Theologica viri: ſed eodẽ anno Lucas baptiſatum eſſe ſcribit à Iohanne. Floruerunt tunc Marcus Cocceius Nerua, pater & filius, Caſſius Longinus, Iureconſulti. Tiberii pater fuit Tiberius Nero, qui Caio Cæſari bello militarat Alexandrino. Succeſſit ei C. Cæſar Caligula, parentis optimi, Germanici, peſſimus filius, & plane monſtrum. Viginti tribus illis annis quibus præfuit, infinitam auri vim Tiberius collegiſſe ſcribitur, quam iſte primo ſtatim anno totam profudit. Ipſius regni anno ſecundo circiter Herodes Antipa,

Magni filius, interfector Iohannis Baptiſtæ, Lugdunum fuit miſſus in exilium: & ſucceſſorem habuit Herodem Agrippam, qui Iacobum Apoſtolum extinxit.

Caligulæ necato ſubrogatus eſt Claudius patruus. Is, vbi defeciſſet Britannia, profectus eo, & parte inſulæ in deditionem recepta, domum rediit. Maxima fuit, eo regnante, paſſim inedia, quã ab Agabo prænunciatam fuiſſe, Lucas Euangeliſta commemorat.

Claudii ſucceſſor Nero Claudius non obſcure ſignificabat, ſe quandoque ſublaturum eſſe prorſus ordinem ſenatorium. Eo regnante, Britannia magnam cladem accepit, direptis ibi ciuibus, atque ſociis populi Romani: Legiones etiam ſub iugum miſſæ fuerunt in Armenia, & vix ægre retenta Syria: deinde Gallia defecit, authore Iulio Vindice eius prouinciæ præfecto, poſt etiam Hiſpania, duce Sergio Galba. Qumque de recuperandis amiſſis cogitaret, inque Galliam pararet profectionem, reliqui etiam exercitus, quos habebat paſſim in prouinciis rebellarunt. Quam fuerit immanis & efferata bellua, notum eſt ex hiſtoriis: itaque iudicatus hoſtis à ſenatu, ſeipſum interfecit, adiuuante ſeruulo. Florebant eo tempore præter Senecam, Lucanus, Perſius, Silius Italicus, poëtæ: & hic quidem vltimo Neronis anno fuit conſul.

Ab eo tempore ſtatus Reipubl. fuit eo redactus, vt penes exercitum atque legiones populi Romani eſſet, creare Cæſarem. Hunc ad modum factus eſt etiam Cæſar Veſpaſianus. Nam qui per Mœſiam erant, & Pannoniam, & Iudæam & Syriam exercitus, ab A. Vitellio defecerunt, & in Veſpaſiani verba iurarunt. Hic Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam, & Comagenem populi Romani prouincias fecit, & Hieroſolymam funditus deleuit, adminiſtrante bellum Tito filio.

Flauius Domitianus, cum Chattis, cum Dacis, cum Sarmatis bella geſſit, deque iis triumphauit. Vixerunt tunc Statius, Iuuenalis, Martialis, Poëtæ.

Vlpius Traianus à Nerua Cocceio adoptatus, ac deinde Cæſar factus, Dacos bis rebellantes domuit, ac Romanæ ditionis fecit, coloniaſq; deduxit. In Armeniam & Parthos cum exercitu profectus deditione & gratia ſibi illos adiunxit, & Parthicus deinde vocatus eſt: Verum plerique omnes ab eo ſubiecti populi rebellarunt tandem, præcipue per Armeniam & Meſopotamiam. Parthi etiam regem ipſis datum ab illo, repudiarunt, cum in Italiam reuerti cœpiſſet.

Ælius Adrianus Iudæam rebellantem domuit. Eius cauſſa belli fuit, quod Hieroſolymæ, quam rurſus habitari permiſit, Ioui Olympio templum ædificaſſet, quam rem indigniſſime Iudæi ferebant. Gallias, item Germaniam, & Britanniam, & Hiſpanias inuaſit: deinde Mauritaniã & Parthos & Aſiam, & Græciam, perque Siciliam Romam rediit: inde rurſus, in Africam profectus, Romamque reuerſus, denuo Græciam, Aſiamque petit, illinc in Arabiam contendit, & poſt in Ægyptum. Conuocato ſenatu, commendauit eis Antoninum Pium, qui poſt eum factus Cæſar, pacem coluit, deque omnibus bene mereri ſtudens, exteros reges atque populos litteris & humanitate in officio continuit. Eius tempore Iureconſulti floruerunt, Aburnius Valens Tuſcianus, Vinidius Verus, Vlpius Marcellus, Arrianus, Tertullianus, Saluius Iulianus, L. Voluſius Metianus.

Antonino Pio ſucceſſit filius M. Antoninus, cognomento Philoſophus, qui propinquum L. Aurelium Verum, ſocium imperii ſibi ſumpſit. Per eum feliciter geſſit Parthicum bellum: ipſe domi & in vrbe Rempublicam curans: deinde mortuo Vero, ſolus imperauit, & in Germanos bene rẽ geſſit: Marcomannos etiam oppreſſit & Sarmatas & Vãdalos, & Quados, qui Pannonias inuaſerant. Plerique enim omnes populi, inde ab Illyrico vſque in Galliam, eo tempore contra nomen Romanum conſpirauerant.

Huius laudatiſſimi principis filius flagitioſiſſimus, Commodus Antoninus, per legatos deuicit Mauros atque Dacos: compoſuit Pannonias, Germaniam, Britanniam, imperium eius recuſantes, ipſe interim in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degens.

Septimius Seuerus, ciuile bellum geſſit cum Nigro, qui Aſiam, & cum Albino, qui Galliam ad defectionem ſollicitabat: cum Parthis feliciter pugnauit; Iudæos per Syriam debellauit. Perſarum regem Abagarum ſubegit, Arabas in deditionem accepit, Britanniã communiuit, muro vtrinque ad Oceanum ducto, per tranſuerſam inſulam, & ſubactis populis, Britanniæ infeſtis, Eboraci vitam finiit.

Eius filius Antoninus Baſſianus Caracalla bellum intulit Parthis & Armeniis Hic eſt, qui Papinianum, prætorii præfectum, nolentem defendere parricidium, trucidari iuſſit. Viguerunt hoc tempore complures Iureconſulti, plerique omnes Papiniani auditores, Tarruntius Paternus, Macer, Terentius Clemens, Menander, Arcadius, Ruffinus, Papyrius Fronto, Anthius, Maximus, Hermogenianus, Africanus, Florentinus, Tryphoninus, Iuſtus, Caliſtratus, Venuleius, Celſus.

Interfecto Caracallæ ſucceſſit Macrinus, qui parum feliciter pugnans cum Artabano, Parthorum rege, quum legiones animaduerteret ad Heliogabalum Baſſiani filium inclinare, pacem fecit.

Alexander Seuerus, fœdiſſimi hominis Heliogabali ſucceſſor, vir ſtrenuus, Artaxerxem, Perſarum regẽ, ingenti prœlio vicit, Meſopotamiam recuperauit, deperditam ab Heliogabalo: per legatos in Mauritania, in Illyrico, in Armenia feliciter belligerauit: in Germanos deinde profectus, qui

Galliam

Galliam vaſtabant, à quibuſdam ſuis militibus interfectus eſt. Hui c erat familiaris admodum Vlpianus Iureconſultus, Papiniani diſcipulus. Vixerunt tunc etiam Paulus, & Pompon. & Modeſtin.

Alexandrum excepit Maximinus. Is totis viribus in Germaniam profectus, non ſolum Romano milite ſed Mauris etiam, & Oſdroënis, & Parthis, quos Alexander habuerat, vſus eſt: Vicos Germaniæ longe lateque incendit, hoſtium vim magnam concidit, ac multo plures cepit, militemque reduxit opulentum. Germania pacata, Sirmium venit, & Sarmatis bellum inferre cogitabat: nec id modo, ſed ipſius etiam erat propoſiti regiones illas omnes, quæ ſunt ſub ſeptentrionibus, ad Oceanum vſque Romano ſubiicere Imperio: ſed offenſus crudelitate illius exercitus, Gordianum ſummæ rei præficit, eamque rem ſenatus, qui & ipſe Maximinum oderat, habuit ratã, & illum Reipublicæ hoſtem pronunciat. Hoc factum vindicaturus ille, habita concione ad exercitum, Romam contendit: quo cognito ſenatus Pupienum, & Balbinum Imperatores declarat: & Pupieno quidem belli tradit adminiſtrationem aduerſus Maximinum, qui, Aquileiam obſidens, à ſuis militibus, vna cum filio, quieſcens in tabernaculo fuit interfectus.

Poſt hæc, Pupieno & Balbino per ſeditionem militarem occiſis, quum biennio regnaſſent, ad Gordianum adoleſcentem, rerum ſumma delata fuit. Is quarto ſui Imperii anno per Mœſiam atque Thraciam in Perſas profectus eſt, in iiſq; locis populi Romani hoſtes profligauit: inde per Syriã venit Antiochiam, quæ tum à Perſis tenebatur: illic frequentibus prœliis decertauit, & Saporem Perſarum regem eiecit, ita quidem, vt Perſæ, qui iam prope formidabiles erant Italiæ, ſuos intra fines recipere ſeſe cogerentur. Sexto demum Imperii anno circumuentus à Philippo, prætorii præfecto, qui milites ad ſeditionem concitauerat, interfectus eſt.

Idem fuit etiam exitus Philippi, qui contra Scythas, Romanorum ſociis ac municipiis inferentes bellum, legatos cum exercitu miſit.

Hic ſucceſſorem habuit Decium, qui à legionibus Illyricis factus Cæſar, aſſentiente poſtea ſenatu, primum Galliæ motus compoſuit: deinde republica ſenatui commendata, profectionẽ vna cum filio, imperii ſocio, de ſenatus voluntate, ſuſcipit in Scythas, qui terra marique Thraciam & alia imperii loca vaſtabant: & prœliis aliquot victor, hoſte in anguſtias locorum redacto, plenam victoriam reportaſſet, niſi Gallus Hoſtilianus, extremæ Mœſiæ præfectus, conſilium illius ad hoſtem nunciaſſet: quo factũ eſt, vt prœlio commiſſo, pater & filius ex inſidiis circumuenti interficerẽtur.

Gallus deinde, Cæſar factus à legione vna & militum reliquis, qui ſuperſtites erant, pacem cum Scythis fecit, populo Romano turpem & ignominioſam quando tributũ eis dependere promiſit, rem inauditam, & tanti nominis maieſtate prorſus indignam. Itaque ferociores facti Scythæ, rupto fœdere, populabantur Dardaniam, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam; nec id modo, ſed Aſiam quoq;, vaſtatis & deletis quam plurimis vrbibus. Demum Scytharum exemplo multi alii facti ſunt Romanorum hoſtes, complures etiam rebellarunt. In Syriam penetrabant Parthi, & Armeniam occupabant fugato ipſorum rege Tyridate. Scythæ vero tam erant inſolentes, vt etiam Italiæ minarentur: & magna perfecturi videbantur, niſi Æmilianus Mœſiæ præfectus ad oram Sarmaticam, confirmato ſuo milite pollicitationibus & ſpe præmiorum illos fudiſſet, ac longiſſime perſecutus, ipſorum quoque fines diripuiſſet, hac de cauſa Cæſar fuit ſalutatus à milite; Gallus autẽ eo cognito, profectus, vt obſiſteret, vna cum filio Voluſiano, imperii ſocio, fuit interfectus. Hoc tempore Cyprianus floruit, Epiſcopus Carthaginẽſis, cuius extant, inter alias multas, epiſtolæ quędam ad Lucium Epiſcopum Romanum, quem *fratrem* vocat, & *collegam*: multo autẽ plures ad Cornelium, vbi conqueritur, inter alia, de iis, qui propter delicta condemnati ab Africanis Epiſcopis, & ſacerdotio deiecti Romam confugerant, amplioris cognitionis cauſa. Nam *æquum eſſe* dicit, *vt quo loco crimen eſt admiſſum, ibi cauſa diſceptetur: ſingulis enim paſtoribus attributam eſſe portionem gregis, de qua ſint rationem reddituri domino: non ergo ſcindendam eſſe concordiam Epiſcoporum, neque deſpiciendum iudiciũ eorum, qui per Africam de cauſa iam ſtatuiſſent.*

Interim exercitus alter, qui in Alpibus erat, Valerianum, nobili genere natum, Cæſarẽ creat: quod cum Æmiliani milites audiſſent, ne turbis implicarentur, ſuum Cæſarem interficiunt, & ad Valeriani partes tranſeunt. Æmilianus datis ad ſenatum literis, quum Imperator factus eſſet, promiſerat ſe liberaturum Thraciam, & Meſopotamiam ab hoſtibus, recuperaturum Armenias, & depulſurum vndique hoſtes Romani nominis. Valerianus in bellum Perſicum profectus, culpa cuiuſdam ſui ducis captus fuit à Sapore, Perſarum rege, quem vicini principes, atque populi confœderati hortabantur, fruſtra tamen, vt captiuum dimitteret: hoc enim eſſe Romanorum fatum, vt victi multo fortius reſiſtant.

Capto Valeriano, ſucceſſit eius filius, Gallienus. Hic totum ſe voluptatibus dabat, neglecta Republica, ſic quidem, vt milites, qui paſſim per prouincias erant, nouos Imperatores ſibi deligerent, per Galliam, Hiſpaniam, Pannonias, Illyricum, Ægyptum, Africam ceteriſque in locis, qui tamẽ omnes partim ab illo, partim ciuilibus inter ipſos diſſidiis oppreſſi fuerũt. Ipſo regnante, Gothi Traciam occupant, Macedoniam vaſtant, Theſſalonicam obſident: Scythæ in Bithyniam, & Cappadociam & Aſiam inuadunt, & ab Euxino Ponto in Iſtrum deuecti, Romanorum municipiis vim faciunt. Eius vero tanta ſocordia fuit, vt cum de prouinciarum defectionibus, & publicis calamitatibus audiret, ridicule ſemper & contemptim reſponderet, quaſi Reſpublica nihilominus cõſiſtere, ſuamque dignitatem retinere poſſet, nec ideo facta ſit eius deterior conditio: contemptus igitur tam domi, quam foris, ob dedecoroſum vitæ genus, Reipublicæ quam plurimos conciliauit

hoſtes. ac Scythæ quidem, & Gothi, eumque his permixti quam plures alii populi erant tum in armis, ac in perniciem populi Romani coniurauerant, circiter CCCXX. hominum millia: ſed hos omnes in Mœſia, multiſque aliis in locis debellauit tandem Flauius Claudius, qui interfecto Gallieno ſucceſſerat, vir magnæ virtutis ac dignus longiori vita.

Poſt Claudium fuit Aurelianus, quoniam eius erat perſpecta virtus, quam regnante Claudio, multis locis in hoſtem declarauerat. Is per Inſubriam bella geſſit, & cum Marcomanis conflixit, dubie quidem initio & periculoſe, verum feliciter tandem, poſtquam illius mandatu, libris inſpectis Sibyllinis religionem ſenatus procuraſſet: Romam inde profectus, & mulctatis nonnullis, ob ſeditionem excitatam ſe abſente, bellum ſuſcepit, vt, quæ ſunt ad orientem ſolem, & in Syria, prouincias recuperaret: quas Zenobia, fortis & animoſa fœmina, ſuorum liberorum tutrix, obtinebat, ab Odenato, coniuge ſibi relictas, qui Gallieno Cæſare, multa fortiter ac præclare in iis locis geſſerat. Quacunque tranſiret Cæſar, hoſtes populi Romani fudit, in Illyrico, in Thracia ceteriſque in locis, ac demum in hoſtilem regionem vbi veniſſet, poſt variam, & periculi plenam dimicationem vicit, & reginam cepit, quæ Perſarum & Armeniorum auxiliis confiſa, fortiſſime repugnauerat. Eius autem regionis; quam debellauerat, præcipua erat ciuitas Palmyra: quumque Cæſar ex Aſia rediiſſet in Europam, Palmyrani rebellarunt, occiſo duce & militibus in præſidio collocatis. Reuerſus igitur eo, captam vrbem euertit, interfectis omnibus, ita quidem, vt nec ætati parceret vlli, neq; ſexui. Ægyptum deinde, quæ tum defecerat, recepit, & Gallias denuo Rom. ditionis fecit: poſt Romę triumphauit: inde per Illyricū ꝓfectus, Perſis bellū indixit: ſed in itinere à ſuis familiarib. eſt interfect⁹.

Ab eius interitu fuit interregnum aliquamdiu, quod poſt Romuli mortem acciderat nunquam. Tandem ſucceſſit Tacitus, qui paucorum menſium Imperator, nihil memorabile perfecit: hunc ſenatus orauerat, ne moriens liberos ſuos, verum aliquem ſpectatæ virtutis ac probitatis virum, imperii ſucceſſorem faceret. Is fuit Probus, qui tam ab exercitu, quam à ſenatu confirmatus Galliam recepit, & Francones Germanos, qui illam obtinebant, multis prœliis deuicit. In Illyrico Sarmatas aliaſque gentes concidit, & itinere facto per Thraciam, barbaros populos, Romani nominis terrore & rerum geſtarum magnitudine, ſibi deuinctos reddidit: Aſiam pacauit, & Parthorū regem ad petendam pacem ſola nominis ſui fama excitauit: pacem cum Perſis fecit, ac inde in Thraciam reuertit, & externos populos deuictos in Romanum ſolum tranſtulit: ex quibus aliqui fidem ſeruarunt, alii contra, quos tamen omneis magna ex parte poſt oppreſſit. Et quum rebelliones per Galliam, Hiſpaniam atque Britanniam ſedaſſet, iter ingreſſus per Illyricum, vt Perſis bellum inferret, à ſuis inſidioſe fuit interfectus. Florebat tum Reſpublica, longe lateque pacatis vndique populis, ita quidem, vt Probus aliquando diceret, breui futurum, vt legionibus atq; præſidiis nihil eſſet opus: hoc illius dicto, milites offenſi, iudicabant è medio tollendum eſſe.

Poſt eum ſubiit Carus, qui Sarmatas, morte Probi factos inſolentiores, & Italiæ minitantes fregit, inque Perſas proficiſcens Meſopotamiam cepit, longiuſque profecturus interiit. Ex filiis natu minorem, Numerianum, militiæ ſecum habuit, alterum, Carinum Galliis præfecerat. Numerianus à ſocero ſuo fuit occiſus, in eiuſque locum venit Diocletianus: cum eo prœliis aliquot conflixit Carinus, adipiſcendi imperii cauſſa, ſed victus occubuit. Diocletianus, propter naſcentes non vno in loco turbas ac ſeditiones collegam ſibi ſumpſit Maximianum. Is Galliam commotam pacauit & Africam. Diocletianus autem Ægyptum, interfectis turbarum authoribus. Britanniam quoque decimo poſt anno, quam defecerat, recepit: & vt firmior eſſet Reipublicæ ſtatus, neue propter ſucceſſionem noui motus excitarentur, Galerium adoptauit, Maximianus autē Conſtantinum Chlorum. Contra Narſem, Perſarum regem, miſſus à Diocletiano Galerius, infeliciter pugnauit, amiſſa maiore parte exercitus: ſed iuſſus redintegrare bellum, ingenti prœlio ſuperauit hoſtem, & lōgius, quam quiuis alius Imperator, excepto Traiano, iis locis progreſſus, capta Cteſiphonte, totam Aſſyriam domuit, & quinque trans Tigrim flumen prouincias, quæ Traiano Cæſare, defecerant, recepit. Per Aſiam, rebus compoſitis, in Europam Diocletianus rediit, in qua pacati tum erant Scythæ, Sarmatæ, Alani, Baſtarnæ, Carpi, Catti, Quadi. Poſtea tum ipſe, tum Maximianus, abdicato magiſtratu, ſuos conſortes, de quibus ante diximus, imperio præficiunt, Conſtantium quidem Galliis, Britanniæ, Hiſpaniis, Italiæ, Africæ, Galerium autem Illyrico, Græciæ & Aſiæ. Hoc tempore Romæ fuit Epiſcopus, Marcellus, cuius extat decretum, *Epiſcopis non licere conuocare Synodum, abſque Romanæ ſedis authoritate; Non licere* item *damnare vllum Epiſcopum, qui Romam prouocarit.* Erat huius etiam, ſicut aliorum ante ipſum, afflicta tenuiſq; fortuna, quū Cæſar eum perſequeretur Maxentius. Itaque facile colligi poteſt, an in his anguſtiis atq; latibulis tantum ille ſibi ſumpſerit, vt eiuſmodi faceret decreta.

Conſtantio tandem Eboraci mortuo, Galerius adoptauit Seuerum & Maximianum. Interea milites prætoriani Maxentium Romæ ſalutant Cæſarem. Interfecto Seuero Maximianus imperii collegam aſſumpſit Licinium. Inter hos magni fuerunt motus, ideoq; nobiles Romani Conſtantinum Conſtantii filium in Galliis agentem euocant, vt vrbem à tyrannide Maxentii liberaret. Ille cum parte copiarum in Italiam profectus commiſſo prœlio vincit, & tandem ad vrbem Romā exercitum Maxentii plane concidit. Tandem etiam cum Licinio bella geſſit, qui prælio victus, & pleriſq; omnibus exoſus, à militibus demum fuit interfectus. Eius belli cauſam fuiſſe nonnulli ſcribūt, quod Chriſtianæ profeſſionis homines acerbe Licin. perſequeretur, cū quidē per ſæpe rogatus eſſet atq; monitus à Conſtantino ne faceret. Nā inde à reſurrectione Chriſti ad hanc ætatem vſque per annos fere trecentos, qui Chriſtū profitebantur, varie fuerunt afflicti. Nam vt illa prætermittā,

quę

quæ ſacra ſcriptura de Stephano, de Iacobo fratre Iohannis, de Petro captiuo, ſed per angelum liberato, commemorat, vt Paulum quoque taceam, qui & ipſe grauiter Eccleſiam Dei perſecutus eſt, & poſtea conuerſus, nullum non periculorum genus adiit propter Chriſtum: Romani quoque Cæſares horrendas & immanes excitarunt lanienas, Nero, Domitianus, Traianus, Septimius Seuerus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Maximianus. Rerum autem potitus Conſtantinus, & veram complexus religionem, portus extitit atque refugium Chriſtianis. Tunc primum etiam Epiſcopi Romani cœperunt eſſe in tuto: nam hucuſque plerique omnes fuerant affecti ſuppliciis.

Numerantur autem inde à Petro, quem ipſi primum fuiſſe volunt, ad hoc vſque tempus triginta tres. Horum decreta ſunt in libros inſerta conciliorum: ſed ex iis pleraque tam ſunt leuicula, tam nugatoria, tam aliena prorſus à ſacris literis, vt credibile ſit, ab aliis longo poſt tempore fuiſſe conficta. Sin autem vera ſunt, & ab illis emanarunt, tunc ſane quod vaticinando Paulus dicebat, filium illum perditum, hominemque peccati iam tum operari cœpiſſe myſterium iniquitatis, rectiſſime videtur hanc etiam ad partem accommodari poſſe. Anacleto, qui ponitur quartus à Petro, tribuitur, & extat decretum, quo ſtatuit *Eccleſiam Romanam eſſe mandatu & inſtitutione Chriſti, caput aliarum Eccleſiarum.* Alteri poſt eum, Alexandro, decretum adſcribitur, quo mandat, *vt aqua cum ſale conſecretur ad expurgandum populum & amoliendum inſidias Diaboli.* Quæſo, quantum iſta differunt ab Apoſtolorum illa majeſtate, quantum autem à Iohannis Euangeliſtæ ſcriptis, qui prope ad hoc vſque tempus, ætatem produxit? Hæc duo poſui ſolum, vt de reliquis iudicium fieri poſſit. nam fere ſunt eius generis, & ambitionem aperte præ ſe ferunt, &, vt ſermo eſt illotus, ita quoque res ipſa nihil habet ſalis, quem in Eccleſiæ miniſtris Paulus requirit. Huc etiam pertinet illud Conſtantini Cæſaris Edictum, quod ſuis libris inſeruerunt, ipſorum potentiæ videlicet fundamentum atq; robur. Nam quæ ponitur ibi liberalitatis illius immenſæ cauſſa & occaſio, falſi redargui poteſt ex hiſtoriis atque conuinci. Deinde, vt maxime fuerit Cæſar profuſus, vni ſibi fortaſſe potuit hoc ipſo ius ſuum imminuere: ſucceſſoribus autem, æquali poteſtate præditis, & reipublicæ tutoribus, non potuit. Nam qui ius & imperii vectigalia deteriora facit, patriæ pater appellari non debet, & par pari præſcribere non poteſt, aut præiudicare.

Conſtantini Cæſaris mandatu, Nicęæ vrbe Bithyniæ, fuit indictum & habitum concilium longe frequentiſſimum, in eoque dogma damnatum Arrii, qui Chriſtum negabat eiuſdem eſſe cũ patre ſubſtantiæ. Non ex Europa tantum & Aſia, ſed ex Ægypto etiam atque Libya conueniſſe eo ſcribuntur Epiſcopi. Decretum inter alia fuit, *vt per Ægyptum, Libyam, Pentapolim vetus conſuetudo ſeruetur, nimirum vt hi omnes Alexandrino ſubſint Epiſcopo, quum Romanus etiam Epiſcopus hunc morem vſurpet & retineat:* Item *vt Antiochiæ ceteriſque prouinciis & Eccleſiis, integra maneant ſua cuique priuilegia.* Poſt hanc Synodum, Euſtachio quodam authore, natæ fuerunt opiniones prauæ, de vitando matrimonio, de nouo & inuſitato genere veſtitus, de non edendis carnibus, de relinquendis poſſeſſionibus. Quum ergo plerique coniuges diuortium facerent, & ſerui, relictis dominis, ad nouum illum ac religioſum veſtitum, vti vocabant, confugerẽt: idem quoq; facerent mulieres, deſertis maritis: quum ii, qui carnibus veſcebantur, item Eccleſiæ miniſtri, qui duxerant vxores, vulgo deſpicerentur, tanquam impuri & ingrati Deo, Gangræ, oppido Paphlagoniæ, fuit habita Synodus, in eaque damnati, qui ſic docerent atque ſentirent. Salutatus ampliſſime à ſenatu populoque Romano Conſtantinus, propter reſtitutam Reipublicæ pacem, ad externa bella totum ſeſe conuertit, multiſque prœliis Gothos, atque Sarmatas vicit, Thraciam diripientes: deinde iam ætate grauis, bellum indixit Perſis, Meſopotamiã vaſtantibus, & in Aſiam vbi veniſſet cum exercitu, ſumpto pharmaco, valetudinis curandæ cauſſa, vitam finiit, non abſque veneni ſuſpicione. Hic ille eſt, qui cognomento dicitur *Magnus*, & qui Byzantium, vrbem Thraciæ, ſuo de nomine vocauit, eo translata ſede regia. Cœpit autem regnare ad annum à natali die Chriſti circiter trecenteſimum duodecimum. Cometes inuſitatæ magnitudinis mortem eius anteceſſiſſe dicitur.

Tres reliquit filios, Conſtantinum, Conſtantium, Conſtantem: hos inter diuiſum fuit imperii corpus: Conſtantino pars obtigit Alpium, Gallia, Hiſpania, Britannia, Orcades, Hibernia, Thyle: Conſtanti, Italia, Africa cum Inſulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, Peloponneſus, Græcia: Conſtantio Aſia & Thracia. Conſtantinus ea diuiſione non contentus, bellum intulit fratri Conſtanti, iamque peruenerat Aquileiam: ibi congreſſus cum copiis Conſtantis, amiſſo exercitu confoditur. Conſtans, qui interea cum Getis & Sarmatis in Dacia belligerabat, poſt eam victoriam, de qua diximus, in Italiam venit, & ſuperatis Alpibus, in Galliam penetrauit, & biennio ditionem omnem mortui fratris obtinuit: ſed paullo poſt inſidiis & fraude Magnẽtii fuit interfectus. Hunc Magnentium milites antea deliniti ac præmiis allecti, ſalutarunt Imperatorem. Ea re cognita, Conſtantius, ex tribus fratribus adhuc ſuperſtes, relicto per Aſiam legato patruele & ſororio ſuo Gallo, magnis cum copiis in Italiam, ac inde in Galliam accedit, & hoſtem ingenti prœlio vincit. Elapſus autem Magnentius, de pace legatos mittit, ſed reiectus à victore, denuo prœliatur & infeliciter quidem: itaque Lugdunum fugiens, quum ſuos etiam comites inſidiari ſibi videret, nec quo ſe reciperet, haberet, mortem ſibi conſciuit ipſe. Conſtantius deinde, Gallum, patruelem, legatum ſuum per Aſiam, vt dictum eſt, abutentem imperio ac poteſtate, cum alia ratione ſanare non poſſet, interfici mandat: poſt in Aſiam redit, perfecturus bellum Perſicum, quod propter factionem Magnentii, vt ſupra diximus, intermiſerat. Et quoniam ſub hoc ipſum tempus, Germani facta impreſſione, Gal-

liam vaſtabant, alterum ſuum patruelem, Iulianum, Galli fratrem adoptauit, & Galliæ tutelam illi commiſit. Iulianus feliciter adminiſtrata re, multiſque prœliis victor, hoſtem trans Rhenum expulit, complures cepit, ac Romanos milites captiuos liberauit, & ad Argentoratum hoſtilem exercitum fere totum concidit, ideoque ſalutatus eſt ab exercitu non modo Cæſar, verum etiam Auguſtus, & diademate ornatus, licet inuitus, vti præ ſe ferebat. Nam litteris ad Conſtantium datis, inuidiam facti conabatur à ſe deriuare: ſed Conſtantius ea re plurimum offenſus, omiſſo Perſico bello, viciniſque populis liberaliter & amice compellatis, vt in fide perſiſterent, iter ingreſſus eſt, vt Iulianum ad officium reduceret: ſed in itinere, quum adhuc eſſet in Aſia, febri correptus, vitam finiit, Iuliano prius conſtituto ſucceſſore.

Regnante Iuliano, populi Rom. hoſtes intra ſuos fines ſe continebant, nec vllus erat vſpiam motus. Ipſe contra Perſas profectus & Aſſyriam populatus exercitu hoſtili profligato, Cteſiphontem vſque peruenit: tandem reducturus copias, à tergo inuaditur ab hoſte: quumq; medius verſaretur inter ſuos milites, accepto vulnere, paulo poſt exceſſit è vita, Chriſtiani nominis hoſtis.

Milites, amiſſo duce, cum in magnis verſarentur anguſtiis, Cæſarem faciunt Iouinianũ. Erat tum Epiſcopus Romanus Iulius, eius nominis primus. Epiſtolæ eius quædam extant ad Epiſcopos Orientales, in quibus non ſemel inculcat, *ſibi ſoli, qui ſit primæ ſedis*, vt ait, *præſul, ſingulari quodam priuilegio & ex præſcripto diuino ius competere conuocandi ſynodos generales.* Mirum autem videri poſſit, qua fronte iſtud ſcribat, aut alii iactent, quum & ante ipſum, Conſtantinus, Nicænum, & poſt ipſum, annis omnino centum, Martianus Imperator, Chalcedonenſe coëgerit concilium. Ad ſe quoque ſolum, eius vrbis Antiſtitem, pertinere dicit, vt de cauſis Epiſcoporum, & id genus aliis grauioribus negotiis cognoſcat. Hanc eius arrogantiam Epiſcopi illi ferre non poterant, & Antiochiæ congregati maſcule reſpondent, *ſententiam à ſe latam, retractari ab ipſo non oportere, quod eundem dignitatis gradum obtineant, quem ipſe: nam inde à ſuis finibus, Chriſti doctrinam, Apoſtolorum opera & miniſterio, Romam perueniſſe tandem: quod ſi pergat & noua decreta faciat, non ſe parituros, nihil ſibi fore commune cum ipſo, conſiliumque capturos eſſe, quemadmodum res ipſa poſtulabit.* In alia quoque Synodo eius vrbis, multo frequentiori, quæ prius habita fuit, inter alia ſtatuunt, quod ſit Epiſcopi, quod officium Metropolitani, ſi quando grauiores cauſſæ diſceptentur. Nam *ſi diſſentiant Epiſcopi*, iubent, *vt Metropolitanus è finitima prouincia quoſdam adhibeat iudices, litemque definiat: ſin autem Epiſcopus aliquis de communi ſententia reliquorum Epiſcoporum ſit condemnatus ob crimen, firmum eſſe* mandant *iudicium, neque retractandum ab alio.* Decernunt etiam, *vt bona ſacra diſpenſet fideliter, & elargiatur Epiſcopus in vſus pauperum, & ipſe quoque, ſi ſit opus, deſumat ex illis, quod erit neceſſarium ad tolerandam vitam, quum Paulus dicat, victu & amictu nos oportere eſſe contentos: quod ſi forſan in ſua ſuorumque priuata commoda, facultates illas auertat Epiſcopus, & ſuis propinquis eorum adminiſtrationem committat, ſynodo coercendum eſſe ducunt.* Iouinianus, imminente hoſte, pacem demum fecit ignominioſam Reipublicæ: nam prouincias illas quinque trans Tigrim, occupatas à Galerio, ſicut antea diximus, ac ſimul Meſopotamiæ partem reddidit: deinde pactus fuit, populum Romanum non eſſe laturum opem Armeniæ regi, ſocio & amico. Progreſſus cum exercitu, vt domum rediret, in finibus Bithyniæ mortuus eſt.

Ilico Cæſarem fecit exercitus Valentinianum, qui deinde, poſtquam Conſtantinopolim venit, imperii collegam ſibi ſumſit, fratrem ſuum, Valentem, eique regiones illas commendans, & profectus in Germaniam, Saxones Oceano vicinos domuit. In Galliam deinde poſtquam venit, ira concitatus periiſſe fertur. Erat per id tempus in Aſia frater ipſius Valens, alter Cæſar, vt Parthos Armeniam vaſtantes, & Perſarum regem, rupto fœdere, belligerantem coërceret: ſed cum Huni ſiue Tartari & Scythæ Pannoniam, Epyrum, & Theſſaliam vaſtarent, in Europam rediit, & commiſſo prœlio victus, ac in fuga vulneratus, inque tugurium quoddam delatus, immiſſo ab hoſtibus igne, conflagrauit. Valentiniani Cæſaris atque Valentis edictum extat, quo mandatur, *vt qui monaſticam vitam ſectantur atque ſolitudinem, eaque ratione militiam & onera publica defugiunt, extrahantur è ſuis latibulis, & aut patriæ ſeruiant, aut omnibus aliis commoditatibus careant, quæ poſt conferantur in eos, qui laborem & periculum pro Republica ſuſtinent.* Hoſtes deinde circumſeſſa Conſtantinopoli, quum donis atque pecuniis eſſent ab Imperatore placati, diſceſſerunt.

Valentinianus Cæſar, pacata Saxonia, Filium ſuum Gratianum cooptarat collegam. Cum ergo tam pater, quam patruus Valens, mortem obiiſſent, Gratianus vtrique ſuccedit. quumque variis turbarum fluctibus agitaretur reſpublica, Theodoſium belli ducem inſignem allegit, & ad ſolem orientem miſit. Is ad Conſtantinopolim Hunos fudit atque Gothos, & Thraciæ finibus eiecit. Gratianus deinde à quodam ſuo belli duce, Maximo, affectante imperium per inſidias fuit in Galliis interfectus. Præceptorem habuit in litteris Auſonium Burdegalenſem, cuius extant poëmata quædam, eumque tandem ad conſulatem dignitatem Romæ perduxit. Eodem prope fato, filius eius Valentinianus occubuit etiam, fraude ſui familiaris Arbogaſti. Sed non tulerunt impune percuſſores: nam cæſi poſtea fuerunt vterque à Theodoſio Cæſare, & Maximus quidem captus, Aquileiæ fuit interfectus, alter vero mortem ſibi conſciuit ipſe.

Deletis ergo tyrannis, Theodoſius rerum potitus, imperii ſocios conſtituit filios, Honorium & Arcadium: &, quoniam ætate minores erant, duces, ac veluti moderatores illis attribuit, Arcadio Rufinum, Honorio Stilliconem: neq; multo poſt vitam finiit. Ipſo iubente, Conſtantino-

poli

poli fuit habita Synodus, damnatumq; in ea Macedonij dogma, diuinitatem Spiritui S. derogantis. Qui fuerunt ibi patres, ad centum quinquaginta, ſicut traditur, inſtituerunt Epiſcopos, tum ibi, tum Antiochiæ, q̄ vocant *ſeniorem & vere Catholicam Eccleſiam*, tum Hieroſolymæ, q̄ *Eccleſiarum omniū matrem eſſe* dicunt, & hæc quidem acta ſua perſcribunt ad Damaſum Epiſcopum Romanum, qui conatꝰ fuerat eos euocare Romam. Damaſo fuit familiaris Hieronymus, quum eſſet iuuenis. eius eſt dictū illud memorabile: *Vbicunq; Epiſcopus fuerit, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, eiuſdem meriti eſt atq; ſacerdotij.* Theodoſius magna fuiſſe pietate fertur, & ab Epiſcopo Mediolanenſi Ambroſio reprehenſus, adituq; templi prohibitꝰ, patienter tulit. Arcadius ad orientem ſolem Conſtantinopoli præerat: Honorius a. Romæ: ſed Ruffinus, vt imperium ad ſe transferret, Gothorum regem clam hortabatur, vt Arcadio bellum faceret: intellecta perfidia, Rufinus à militibus trucidatur. Arcadium Cæſarem, Innocentius, eius nominis primus, Epiſcopus Romanus, excommunicauit, quod conſenſerat, vt Ioannes Chryſoſtomus ab Eccleſia ſua pelleretur, ſicut in iure Pontificio refertur. Floruit tunc etiam Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus, qui concilio Carthaginenſi tertio interfuit, & quarto: vbi decretum inter alia fuit.

Vt Epiſcopus non longe ab Eccleſia ſuum hoſpitiolum; item, *vt vilem ſupellectilem, & menſam & victum pauperem habeat, & fide vitaq; integritate ſibi paret authoritatem, vt rebus Eccleſiæ, tanquā commendatis, non tanquam proprijs vtatur.* Auguſtino quoq; ſcripſit Innocentius I. & Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, & cohortatus ad mutuas precationes, *germanos* vocat *& conſacerdotes.* Ab Innocentio fuit Zozimus, qui patrum, & antiquitatis decreta laudans, *ne Romanæ quidem ſedi*, ſicut vocant, *licere* dicit, *vt in ijs aliquid mutet, aut contra ſtatuat.* Mores quoq; ſui temporis inſectatur & corrigit, ꝙ pleriq; nullis imbuti literis ad ſacerdotalem ordinem aſpirabant. Zozimum excepit Bonifacius I. Erat tunc Carthagine concilium ſextum valde frequens, cui & Auguſtinus interfuit. Eo miſſis legatis, Bonifaciꝰ oſtendit, *Synodum Nicænam ſedi Romanæ tribuiſſe ius illud, vt ad ipſam ex omnibus prouincijs vndiq; prouocaretur*: petit igitur a patribus, vt hoc ipſi quoq; ſanciant & confirment. Illi reſpondent, nihil eiuſmodi fuiſſe Nicææ decretum, quod quidem ipſi ſciant: veruntamen, vt certo res inueſtigari poſſet atque ſciri, placuit ab Alexandrina & Conſtantinopolitana Eccleſia petendum eſſe verum eius Synodi exemplar. Eo tandem allato, deprehenſum eſt plane contrarium fuiſſe ſtatutum, hoc videlicet, *vt de ſuis cauſis quæq; prouincia cognoſceret, & ab Epiſcopis ad Synodum prouinciæ, vel etiam ad Oecumenicum*, vti vocant, *concilium prouocaretur.* Erat tum Alexandrinus Epiſcopus, Cyrillus. Antequā exemplar veniret, mortuus erat Bonifaciꝰ: quumq; ſucceſſor eius Celeſtinꝰ idem vrgeret, reſponſum tulit iuxta formulā decreti.

Mortuo Arcadio, ſucceſſit filius Theodoſius II. quo regnante, & iubente, Epheſina fuit habita Synodus, in eaq; damnatus Neſtorius, qui Chriſtum, natum eſſe Deum ex Maria virgine, negabat. Auguſtinus tunc è vita diſceſſit. Ab altera parte Stilico, tutor Honorii, perfidioſe rem etiam egit, vti Rufinus. Et quum in Gallia domiciliū ſedemq; Gothis tribuiſſet: cōmouit illos, vt in Italiā ingreſſi, duce Alarico Romam caperent, quod fuit anno conditæ vrbis 1162. poſt Chriſtum vero natum 412. Romæ paucis diebus Gothi commorati, quum Rhegium veniſſent populabundi, ac in Siciliā traiicerent; naufragium fecerunt, extincto etiam rege. Cum deinde multa Stilico nequiter faceret & inſidioſe, quo ſuum ad filium Eucherium imperii ſummam transferret, intellecta fraude captus & Honorii iuſſu fuit interfectus. Alarico rege mortuo, Gothi regem ſibi ſumſerunt Adolphum, eius propinquum, eoq; duce Romam redeunt, & quod reliquum erat, abſumunt. Eo interfecto, regnauit Genſericus, & hoc ſublato, Wallis, cum quo Conſtantinus Honorii per Gallias legatus & ſororius, ac deinde imperii ſocius, amicitiam & fœdus init, conceſſa illi Aquitania, Galliæ parte, quam inhabitaret. Vexabant tum Britanniam Scoti & Picti, verum auxiliis, ab Honorio Cæſare miſſis, profligati fuerunt. Per Hiſpaniam quoq; Wandali & Alani, Genſerico duce graſſabantur.

Honorio tandem Romæ mortuo ſucceſſit ad occidentem ſolem atq; Romæ, Valentinianus, ſororis filius: quū interim Theodoſiꝰ Arcadii filius, vt ſupra diximꝰ, alterā mundi plagā Conſtantinop. gubernaret. Ad hoc tempus Wandali & Alani diſſidiis & factionib. Romanorū ducū, q̄ per Africā erant, inuitati, penetrarunt ex Hiſpaniis in Africam, ferroq; regionē atq; flāma vaſtabant. Ab ea clade pars q̄dam Africę fuit illis ad habitandum attributa. Gothi q; Galliam Aquitaniam incolebant, Honorii Cæſaris voluntate atq; permiſſu, vt paullo ante diximꝰ, non contenti ſuis finib. vim & iniuriam inferebant vicinis, & Narbonē obſidione fatigabant: ſed miſſus eo cum copiis Litorius oppidum obſidione liberauit, annonā intulit, & commiſſo prœlio feliciter primo pugnabat: poſtea, toto fere exercitu deleto, captus eſt: tantaq; fuit ea clades, vt populus Romanus pacem orare cogeretur. Wandalorū etiam rex Genſericus, pace violata, q̄ cum Romanis in Africa fecerat, vt antea diximus, Carthaginē ex improuiſo capit, ac multa crudeliter ibi facit: q̄ quidem ciuitas per annos quingentos octoginta quinq; populi Romani tum fuerat. Occupata Carthagine in Siciliam traiicit, magniſq; cladib. eam afficit. Tum demum inſtructa claſſe Theodoſius Imperator bellum in Wandalos mouebat: ſed quum eodem tempore Hunni Thraciam & Illyricum vaſtarent, exercitus è Sicilia fuit ad ea loca propugnanda reuocatus. Faciebant tunc denuo impreſſionem in Britāniam Picti atq; Scoti: quumq; de Romanorū auxiliis Britanni deſperarent, ab Anglis populo Saxoniæ, opem petunt: ſed hi pulchritudine regionis allecti, quum paulatim maiorib. copiis eo adnauigaſſent, maximā Inſulæ partem ſuæ ditionis fecerunt, Britannis oppreſſis. Non multo poſt Conſtantinopoli mortuus eſt Theodoſius II. eo regnante, ſolis deliquium fuiſſe traditur, & apparuiſſe cometa, inde ab Idib. fere Iulijs ad menſem vſq; Septembrem.

Theodoſio ad orientem ſolem ſucceſſit Martianus. De Genſerico Wandalorum rege, ſupra diximus: cum eo pacem facit Valentinianus, diuiſa inter ipſos Africa. Circiter hoc tempus Athila Rex Hunorum, qui Dacia & Pannonia occupata, vicinas regiones, Macedoniam, Myſiam, Thraciã crudeliſſime vaſtabat, ad occupandam Imperii Romani partem, q̃ eſt ad occidentem ſolem, animũ adiecit. Et quoniam eius belli ſummam fore difficultatem videbat, ſiquidem Gothi, qui tum pacẽ cum Romanis colebant & Galliæ partẽ inhabitabant, vt ſupra dictum eſt, auxilia Romanis ferrent, idcirco miſſis legatis amicitiam eorum atq; fœdus expetebat: verum Aetius, Valentiniani Cæſaris legatꝰ, huic rei præuertit: &, cum Theodorico, Gothorũ rege, firmato fœdere, totum ſe comparabat ad bellum. Athila nihilo ſecius progreditur. fit prœlium longe maximum, in campis Catalaunicis, q̃ quidem Galliæ pars, propter ingentem planiciem, hodie vocatur Campania. Cecidiſſe in eo prœlio feruntur 180. hominum millia: in his etiam Gothorum rex Theodoricus occubuit. victus a. Athila, ſeipſum interficere cogitabat, ne viuus in poteſtatem hoſtis veniret: ſed cum Theodorici regis filius Aetii ducis cõſilium ſequutus, cum ſuis copiis domum rediret, vt mortuo patenti ſuccederet, Athila colligendi ſui ſpacium adeptus, in Pannoniam redit, & nouis collectis copiis, iræ plenus, Italiam ingreditur: Aquileiam vrbem obſidione diuturna fatigatam demum expugnat, diripit, incendit: inde Cõcordiam, Patauium, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, & Papiã capit: poſtea graſſatus per Flaminiam, caſtra tandem facit ad Mincii confluentẽ atq; Padi. Quo quidem in loco, quum deliberaret an Romam iturus eſſet cum exercitu, Leo venit ad ipſum, vrbis Romæ Epiſcopus, eius nominis primus, idq; perfecit, vt mutata voluntate, non ſolum non Romam peteret, verum etiam, Italia omni relicta, rediret in Pannoniam, vbi non multo poſt vitam finiuit. Hic eſt Leo ille cuius exſtant Epiſtolæ complures ad Theodoſium II. & Martianum Impp. in quibus partim excuſat quamobrem ad conſilia venire non poſſit, ab illis indicta, & deprecatur, ne moleſte ferant, q̃ legatos eo mittat: partim etiam orat, vt in Italia potius, quam in Aſia concilii locum deſignent: ſed nihil impetrauit. Dum per Italiã ita ſæuiret Athila, Venetorum vrbs condita fuit, quando ex vicinis locis pleriq; potentiores in illa maris æſtuaria, & inſulas, tumulosq; velut in portum aliquem, ſeſe receperunt. Humile fuit igitur ac prope deſperatum & calamitoſum huius vrbis initium, & nunc in tantam, vti videmus, amplitudinem excreuit. Octoginta quinq; numerantur illorum duces, ad hoc vſque tempus: ex ijs primus fuit Paulus Anazatus, anno ſalutis ſeptingenteſimo ſexto, quum ante ducentos quinquaginta duos annos vrbs ædificari cœpta fuiſſet.

Interfecto poſtea Valentiniano, Wandalorum rex Genſericus, claſſe deuectus in Italiam ex Africa, cum exercitu longe maximo, & adiutus à Mauris, Romam cõtendit, & vrbem prope deſertã ab omnibꝰ capit: ſed exoratus à Leone Epiſcopo, qui & Athilam placauerat, vti diximꝰ, ab incendiis abſtinuit atq; cæde. Direpta vrbe, captiui maximo numero Carthaginem deportati ſunt. Hoſtes deinde Campaniam magnis calamitatibus afficiunt, Capuam, Nolam, Neapolim aliasq; ciuitates euertunt: ſuperſtites à cæde conijciunt in catenas, & opibꝰ Italiæ facti diuites in Africã reuertuntur.

Martianus ad Orientem ſolem Imperator, pacem coluit, natura quietus: ac dicere ſolebat, *quamdiu pacate viuere liceret, non eſſe principi decorum, vt arma ſumat.* Ipſo regnante & iubente, Chalcedone fuit coactum concilium ampliſſimum & damnatꝰ Eutyches, duas naturas in Chriſto confundens. Ibi decretũ inter alia fuit, *ne quis clericus*, vti vocant, *in duarum ciuitatũ Eccleſiis recipiatur*. Non erat nota tunc temporis illa, q̃ dicitur, pluralitas beneficiorum, q̃ nunc ſic inoleuit, vt nihil ſit ea frequentius. Et noſtra quidem fere memoria, conſuetudo illa, inter alias Eccleſiæ maculas obrepſit, vt vni duos attribueret Pontifex Epiſcopatꝰ. Quod ſi iam eum, q̃ ſuperiori proxima ætate fuit, hac in parte morẽ reſtitueret, officium ſuum faceret: ſed quoniam id ferre non poteſt, an putamus vnquam eſſe permiſſurum, vt iuxta ſacras litteras, & Apoſtolorum, atq; primi temporis decreta, res emendentur? Nimirum fruſtra laborant, qui facta Paparum ad antiquæ religionis rationem exquirunt.

Imperij anno ſeptimo, Martianus mortuus eſt, eiq; Leo ſucceſſit: Romæ autem & ad ſolem occidentem, vbi Roma capta, Genſericus in Africam reuertiſſet, Valentiniano ſucceſſit Auitus, deinde Maiorianus, poſtea Seuerus, ab hoc Anthemius, poſt alii parum celebres, qui mutuis lanienis & inſidiis interierunt, neq; diu regnarunt, adeo quidem, vt iam altera pars Imperii Romani, verſus occidentem ſolem valde eſſet afflicta. De Leone Cæſare nihil memorabile proditum eſt, niſi quod cum Gothis, Illyricum vaſtantibus, amicitiam atque fœdus inijt. Exſtant ad ipſum quoque Leonis Epiſcopi Romani vna & altera Epiſtola. Succeſſorem habuit Zenonem Iſauricum. Inter eos, qui Romæ præfuerunt, à morte Valentiniani, fuit etiam Auguſtulus quidam.

Ad hoc tempus, Odoacer, cum ingenti manu Herulorum & Scirorum, ex Pannonia in Italiam inuadit: Oreſtẽ, patriciũ Romanũ, qui Papiam cum ſuis copiis ſeſe receperat, capit & occidit, oppidũ diripit & incendit: progreſſus, omnem regionẽ vſq; Romã occupat. Auguſtulꝰ animo fractus, imperium ſponte deponit: Odoacer vrbẽ ingreditur, & Italiæ regnũ adeptus, p annos 14. nullo reſiſtente, præfuit. Tunc demũ Theodoricꝰ Oſtrogotorũ rex, miſſus à Zenone Imperatore, & Cõſtantinopoli profectus Gepidas & Bulgaros reſiſtentes vincit: deinde per Myſiam, & Pannoniam iter faciens, in Italiã accedit, & non procul ab Aquileia caſtra ponit: quo poſtq̃ & Odoacer veniſſet, ſummis copiis dimicatur. Victus Odoacer in fugam conijcitur: ſed recollectis copiis denuo prœliatur non procul à Verona, iterumq; victus, & quamplurimis deſideratis, qui partim in cõflictu, partim in Atheſi flumine perierant, Romam fugiens contendit. Illinc excluſus, vaſtato circum agro, Rauennam venit, ibi per trienniũ fere circumſeſſus, ac deditione tandem captus, interficitur. Theodoricus, Odoacro

ſublato,

ſublato,factus Italiæ Dominus, Romam venit, ibique concilium habuit vnum & alterum Epiſcoporum,quos ex diuerſis Italiæ prouinciis eo conuocauerat,vt de Symmachi cauſa cognoſcerent, Epiſcopi Romani,quem pleriq; repudiabant,vt indignum & vitio creatum. Theodoricus hic fuit Arianus,vt quidem pontificiorum libri dicunt. Eſt autem ille, qui cognomine dicitur Veronenſis, Theodorici illius,qui in prœlio contra Hunnorum regem Athilam occubuit, vt ſupra dictum eſt, propinquus. Odoacer erat Rugus,qui eſt ad mare Balthicum, Germaniæ populus. Theodoricus, muniendi ſui cauſſa Wandalorum, Viſigothorum, & Burgundionum reges per affinitatem ſibi conciliauit. Dum hæc in Italia geruntur,magni fuerunt motus per Thraciam,Africam,Britanniam, in qua ſuperiores tandem extiterunt Saxones.

Zenoni mortuo Conſtantinopoli,ſuccedit Anaſtaſius. Is nonnullos fouebat, qui dogma probabant Eutychianum:adeoq; diſſidium ei fit cum Epiſcopo Romano Gelaſio,qui litteris prolixis eum dehortatur,vt quidem ipſorum habent libri,ne tutelam eorum ſuſcipiat:*duo enim eſſe præcipue,quibus hic mundus gubernetur,ſacram pontificum authoritatem,& poteſtatē regalē: & ſacerdotib.quidem eo plus oneris incumbere,quod aliorum etiam nomine, Deo ſint aliquando reddituri rationē: ipſum quidem ciuili præeſſe politiæ, ſed tamen ſubijci ſacrorum miniſtris,& ab eorum pendere iudicio: cumq; ſacerdotes legibus politicis obtemperent, æquum eſſe,vt ipſe viciſſim non recuſet ea, quæ rerum diuinarum antiſtites decernunt:& quum hic honos omnibus Eccleſiæ miniſtris debeat impendi,rem ipſam poſtulare,vt ei cum primis deferatur, quem & ſua voce Deus, & Eccleſiæ deinde conſenſus toti ſacerdotū ordini voluit præeſſe:deſiſtat igitur,& in hac vita deprecatorē ſe potius audiat, quam in altera ſentiat accuſatorem.* Subiungitur poſtea decretum eius de ſacris Biblis,in eoq; ſedi Romanæ,quam vocant,tribuit principatum,poſt Alexandriæ,tertium locum dat Antiochiæ. Regnante Anaſtaſio, turbæ fuerunt & bellici motus per Ciliciam; ſed ſedati, oppreſſo authore. Hunni tum etiam vaſtabant Armeniam & Cappadociam,Getæ vero Macedoniam, Theſſaliam, Epirum: vtrosque Cæſar coactus eſt præmiis & maximis iacturis placare.

Hoc fere tempore,quod erat anno ſalutis quingenteſimo, rex Francorum Clodoueus, Chriſti religionem primus fuit amplexus,quum ſæpe multumq; fuiſſet ab vxore, quæ familiæ Burgundicæ erat,ſollicitatus,vt id faceret,relictis idolis atq; ſuperſtitione. Cōcilium exſtat Aurelianenſe,triginta trium Epiſcoporū Gallorū,habitum,ipſo regnante:quo ſtatuitur inter alia,*ſi raptor virginis confugerit ad templū,etiamſi vim puellæ fecerit,ne mortis adeat diſcrimen,ſed vel ſeruilis ſit conditione,vel ab ea ſeſe redimat.*

Anaſtaſium,fulmine extinctum,vel,vt ius pontificium ait,emiſſis inteſtinis exanimatum,Iuſtinꝰ excepit obſcuro genere natus,& è ſubulco factus miles,vt ſcribitur. Diſſidium huic erat cum Theodorico,Gothorū rege,Italiæ domino ꝓpter diuerſam religionē:ſed ab armis tamen temperatū fuit. Mortuo deinde Theodorico ſucceſſit Alaricus,è filio nepos,magna Gothorū alacritate atq; ſtudio. Erat tum Epiſcopus Romæ,Iohannes, eius nominis primus.hic à Theodorico rege,quem diximus, Cōſtantinopolim fuit miſſus legatꝰ cum aliis, & exceptꝰ honorificentiſſime,ſicut ipſorū habent libri,nō a populo tantum,ſed ab ipſo quoq; Cæſare. Nam ſumma lætitia fuiſſe dicunt affectos,ꝙ beati Petri vicariū,vti loquunt̄,nunc demū Græciæ contingeret videre,& ſuſcipere,ꝙ inde à Conſtantini Magni tempore,& à Syluestro datum ipſis non fuiſſet. Illud a. de Syluestro mirum eſt cur dicant, quum Græciam non adierit,vti conſtat: nam tunc, quum inprimis oportuit & opus erat, nimirum in Synodo Nicæna,non ſe commouit,ſed legatos eo miſit Victorem, atq; Vincentium: & alteram ipſe poſt habuit Romæ,ſicuti tradunt,qua cōcilij Nicæni decreta cōfirmat. Extat etiam Iohannis I. ad Epiſcopos Italiæ conſolatoria q̄dam Epiſtola,qua monet eos, quanquā rex Theodoricus,hæreſi pollutꝰ Arriana,vaſtitatē ipſis & toti minitetur Italiæ,ne tamē ab inſtituto deſiſtāt,ſed fortiter agant.

Poſt Iuſtinū,factꝰ eſt Imperator Iuſtinia.ſororis Iuſtini filiꝰ. Is ad reſtaurādā Remp.animū adiecit, & initio quidē toti adminiſtratiōi Beliſariū p̄fecit. Is Perſas,egreſſos extra fines,ac Rom.ditioni vim adferētes,magnis prœliis vicit,Illyricū à Gepidis & Bulgaris vaſtatū,liberat:Parthos belligerātes ad amicitiā adducit: Wandalorū maximas copias in Africa fundit: regē capit:Carthaginē recupat:inde trāſgreſſus in Siciliā,accepto nuncio de rebelliōe per Africā,eo reuerſus feliciter rē gerit. Tunc demū in Italiā ꝓfectus,Neapolim occupat,diripit,Gothosq; fundit.quorū rex tū erat Theodatus. Poſtea Romā venit,amāter ab omnib.exceptus & honorifice: illinc digreſſus,oppida paſſim & munitiōes occupat,& in his Peruſiā:poſt obſidet Rauennā:ibi cōgreſſus cū eo Vitiges Gothorū rex amiſſo exercitu capitur,Cōſtātinop.ductꝰ à Beliſario. Gothi,redintegratis virib.in regione Trāſpadana regē ſibi ſumūt Hildebrādū. Huic ſucceſſit vnꝰ & alter,ac deinde Totilas. Is abſente Beliſario, p totā Italiam graſſatꝰ;Romā obſeſſā capit,diripit,incendit. Itaq; reuocatꝰ Beliſariꝰ,cōfecto bello Parthorū,q Syriā denuo vaſtabāt,reuertit̄ in Italiā & vrbē ꝓpe deſertā recreat. Inde cū hoſte cōgreſſꝰ feliciter prœliat̄, & annonæ cauſſa,nauigās in Siciliā,à Iuſtiniano reuocat̄,q̄ q̄dē res occaſionē Totilę p̄buit,vt reſtauratis virib.Romā rediret. Cęſar deinde Narſetē Eunuchū Italico bello p̄ficit,q Gothos omni expulit Italia:ꝙ eo facilꝰ fuit,quū Totilā regē ex vulnere mortuū illi amiſiſſent. Bellū illud Gothicū,in años 18.fuit ꝑductū. Iuſtinianꝰ ergo,recupata Italia & Africa,quū ex filia nepotē Iuſtinū imperij ſociū aſſumpſiſſet,morte obijt. Sunt q ſocordis ingenij principē,& vxoris impiæ Theodoræ ſubiectū fuiſſe tradūt. Erat apud eū in ſūma gratia Tribonianꝰ ICtꝰ,q,veterū ſcriptis ac diſput.abolitis,legū cētones ex illis collegit,& fragmēta nobis tātū reliq̄t,q̄ nunc *Pandect.* nomine cēſent̄. Eius a. opis quoſdā habuit adiutores,q paſſim nominātur. Idē poſtea fecit in Principū reſcriptis atq; legib. quas trib. libris cōp̄henſis Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano,cōtraxit in vnū volumē,& *Iuſtinianeū codicem* vocat,vſus aliorū opera,quos in eius libri p̄fatione Cæſar enumerat. Sunt autores,q Tribonianū fuiſſe hominē auarum,& p̄cio fixiſſe leges,vt ille ait,ac refixiſſe tradunt. In eo,quem diximꝰ,Codice,q̄ plurimæ ſunt Iuſtiniani leges,quæ ſuperiorib.derogant,acceſſit etiam opꝰ peculiare, *Nouellarū*

conſtitutionum,quod per omnia Iuſtiniani nomen atque titulum habet. Eum,quem dixi Beliſarium quo duce tot tamq; glorioſas conſecutus erat victorias,ignominioſiſſime tractauit Cæſar, & valde ſenem excæcauit etiam. Ipſo regnante, Cõſtantinopoli fuerunt aliquot habitæ Synodi,quib. Meña præerat,eius vrbis Patriarcha,qui *ſanctiſſimus* & *beatiſſimus* vocatur & *œcumenicus*, vt ipſorum habent libri. Initio Codicis Epiſtola ponitur Cæſaris ad Ioannem Archiepiſcopum vrbis Romæ,qua *caput* ipſum vocat *omnium Eccleſiarũ*,eiq; ſubiicit omnia. Porro,quamquam homines docti commentitiá eſſe iudicant,tamen,etiamſi vera eſſet, certum eſt, controuerſiam illam duraſſe multis poſt annis, donec tandem Epiſcopi Romani,facultatib.amplificati,peruincerent,& in Eccleſiæ poſſeſſione ſibi conſtituerent arcem,quæ manib.hominum ædificata ſeu fauore Principũ,nunc titulũ habet, quaſi diuinitus eo ſit collocata. Diximus antea,quemadmodum Auguſtini tempore ſextum fuit habitum Carthagine concilium,in eoq; fraus deprehenſa Paparum, Bonifacii I. & Celeſtini,quando Nicæę conſtitutũ fuiſſe dicebant,vt ad ipſos ex omnib.vndiq; locis prouocaretur. Iuſtiniani vero tempore Romæ erat Epiſcopus,Bonifacius II. Huius extat Epiſtola, qua grauiter taxat Aurelium, q ſuperiori concilio,Carthaginis fuerat Epiſcopus.eumq; cum ſuis collegis impugnaſſe Romanã Eccleſiã ait, inſtigante Diabolo:ſimul Deo gratias agit,ꝙ huius temporis Epiſcopꝰ Eulalius,Aurelii ſucceſſor cum Eccleſia Romana redierit in gratiam. Deinde ſcriptum Eulalii recitat,quo profitetur ille,*ſe damnare ſuos maiores & ſucceſſores,quicunq; ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ priuilegia labefactare conantur*. Alter à Bonifacio, Agapetus, Anthemium Patriarcham Conſtantinopolitanum loco remouit,negantem duas naturas in Chriſto.tulit hoc in primis ægre Theodora,Cæſaris vxor,& Syluerium Agapeti ſucceſſorem monuit per Beliſarium, vt illum reſtitueret: quum etiam aliæ quædam criminationes accederent, Beliſarius eum loco deiicit,& in exilium mittit,ſubrogato Vigilio: ſed quum & iſte Conſtantinopolim euocatus, Anthemium nollet reuocare, conſimili pœna fuit mulctatus: vnde ſatis apparet,quomodo in Cæſarum tunc poteſtate fuerint vrbis Romæ Epiſcopi.

Iuſtino II. Cæſare,renouatum eſt bellum Perſicum,quod quum primum feliciter gereretur, Cæſaris legatus, Archelaus,pacẽ denuo fecit. Narſes, Cæſaris per Italiã legatus,expulſis Gothis,& mortuo Totila,per annos 16.obtinuit Italiam: poſt reuocatꝰ à Cæſare,quũ parũ lætas accepiſſet literas, & ingratitudinẽ in iis deprehenderet,nõ ſolum nõ reuertit,verum etiam vlciſcendi ſui cauſſa miſſis legatis,Langobardos,qui tunc in Pañonia conſederant,maximis propoſitis emolumẽtis,excitauit, vt Pannonia relicta,in Italiã venirent,omnium regionũ & pulcherrimã & fructuoſiſſimã. Itaq; partẽ illam Italiæ,q̃ nomen ab ipſis ad hoc vſq; tempus retinet,occuparunt. Iuſtinus hic ꝑ Italiã inſtituiſſe ſcribitur magiſtratũ, *Exarchum*:is erat tanq̃ Cæſaris vicarius,atq; legatus: Rauennæ potiſſimum habitabat,neglecta Roma,ſingulisq; ciuitatibus & oppidis vnum aliquem præficiebat. Itali ſcriptores nouum hoc inſtitutum, Romæ ac Italiæ fuiſſe tradunt exitiale. Narſes deinde Romæ mortuus eſt.

Iuſtini ſucceſſor fuit Tiberius,iam ante coopratus,& imperii factus collega. Is contra Perſas bis feliciter pugnauit: pacem cum Longobardis fecit,qui tum,inde à Samnitibus,ad Alpes vſque regnabant,excepta tantum vrbe Roma, quam vbi grauiter obſediſſent aliquamdiu, vi tempeſtatis & imbrium coacti,tandem caſtra mouerunt.

Tiberii gener, Mauritius factus Cæſar,per legatos prœliis aliquot fudit Perſas,ac demum pacem cum ijs fecit:reuocato exercitu Scythas expulit è Myſia: Longobardos per Italiã repreſſit: Hunos è Pannonijs eiecit:propter auaritiã exoſus militi,coactus eſt,orta ſeditione, profugere Chalcedonem. ibi tandem cum vxore,& liberis,omniq; ſtirpe fuit interfectus à Phoca centurione,qui per ſeditionẽ deinde ſalutatus eſt Imperator. Mauritio regnante,cometa,ſenis menſibꝰ apparuiſſe:tunc etiam natus eſſe traditur Mahometꝰ,de quo paullo poſt dicetur. Eo tempore Conſtantinopolitanꝰ Epiſcopus Ioannes,*vniuerſalem* ſe vocabat *Patriarchã*: Pelagius vero ſecundus,Epiſcopus Romanus, vehementer obſtitit,eiusq; decreta pronunciauit irrita. Qui ſucceſſit huic,Gregorius I. grauiter hoc ipſum in illo reprehendit,& in concilio Chalcedonenſi,titulum hunc atq; honorem ſuis maioribꝰ attributum quidem fuiſſe,verum ex ipſis neminẽ vſurpaſſe dicit. Datis etiam litteris ad Mauritium Imp. hortatur vt illum coerceat: nam ad ipſius authoritatem hoc quoq; pertinere, quam ille,dum talem ſibi poteſtatem ſumit,multum imminuat. Alter autem poſt Gregorium Bonifacius tertius, à Phoca ſcribitur obtinuiſſe primatum,diuulgatis in eam rem edictis atque diplomatis.

Phoca rerum potiunte, Perſæ magnis incommodis Remp. affecerunt,occupata Meſopotamia & Aſſyria,& in minorem Aſiam vſq; progreſſi: tanta erat principis ignauia: ſed & Germania, Gallia, Hiſpania,bonaq; pars Italiæ defecerunt. Ægyptum vaſtabant Saraceni: ſic ille, propter crudelitatem & neglectam Remp. occiſus,Heraclium habuit ſucceſſorem.

Tunc iterum Perſæ longiſſime progreſſi ex Ægypto in Africã inuadunt,& ſuæ ditionis efficiunt. Europã varie lacerabant Scythæ: profectꝰ tandem in Aſiam Heracliꝰ,quum pacẽ impetrare nõ poſſet parum etiam honeſtis nomini Romano propoſitis conditionibus,pene coactus decertauit cum Perſis,qui iam Iudæã vaſtabant,eosq; vno aut altero prœlio fudit:inde Tigrim flumen transgreſſus, & Perſiam longe lateq; populatꝰ,amicitia demum inita cum Perſarũ regis filio Sirocho,qui,necato parente regnũ inuaſerat, Africam, Ægyptum,& quicquid omnino Perſæ occupauerant,recepit: pactumq; fuit,vt Perſicã ditionẽ à Romana ſepararet Tigris. Ad hoc tempus,Saraceni,Heraclio militantes,quum ſtipendiis fraudarentur,maxima multitudine deficiunt,& Mahometo duce per Syriã graſſati,Damaſcũ occupant, Ægyptum vaſtant, Arabiam ſubigunt, & in Perſas quoq; feliciter prœliantur. Fuit Mahometus obſcuro genere natus, verum aſtutus & audax, poſt etiam locupletatus

matrimo-

matrimonio; quumq; propter animi promptitudinem authoritate valeret, nouum doctrinæ genus, rationi valde iucundum, ſed magna ſui parte ridiculum & ineptum, propoſuit, quo ſic animos hominum magis atq; magis deuinciret, & regnũ ſibi firmius conſtitueret, & quamquam initio facile potuiſſet hoc incendium reſtingui: tamen quia neglectum fuit, breui tempore creuit in immenſum: ab eoq; tempore, magis atq; magis populi Romani maieſtas & imperiũ, ad orientem ſolem, interiit, deficientibus aliis atq; aliis populis. Heraclio regnante, quartum fuit conciliũ Toletanum. Et quia per Hiſpaniã plerumq; ſacerdotes, precationẽ, quam Chriſtus ipſe nos docuit, nõ quotidie, ſed eo die ſolũ orabant, quem Dominicum vocamus, decretum inter alia fuit, vt id corrigeretur: item, *vt Apocalypſis Ioannis Euangeliſtæ*, ſicut aiunt, *à Paſchate doceretur in tẽplo, ad vſq; Pentecoſten*. Regnabant tunc in Hiſpaniis Gothi: quumq; dominationis externæ, ſicut fieri ſolet, Hiſpani pertæſi res nouas captarent, graui pœna Synodus edicit, ne qua coniuratio fiat in Regem, Gothicam ve gentem, vtq; mortuo rege, primores totius gentis atq; ſacerdotes communi conſilio ſucceſſorem conſtituant. Idem poſt in aliquot aliis ipſorum conuentibus repetitum fuit. Prohibetur etiam, *ne per quadrageſimæ tempus*, vti vocant, *Hebraicum illud Alleluia cantetur in templis: nam eſſe mœſtitiæ tempus illud, non lætitiæ.*

Heraclio ſucceſſit Conſtans, è filio Conſtantino nepos: hic infeliciſſime mari pugnauit cum Saracenis, qui, victoria potiti, Rhodum occuparunt, longius haud dubie progreſſuri, niſi factiones inter ipſos ortæ bienñii inducias Romanis impetraſſent: eo dato reſpirandi ſpacio, Cæſar cum exercitu transmiſit in Italiam, quo ab hoſtib⁹ eam liberaret, vt quidem iactabat: quumq; Tarentum eſſet delatus, Luceriam, & alia quædam Apuliæ loca, ditionis Langobardorum expugnat & euertit. In itinere, cum Neapolim iret, poſtremum eius agmen cæſum fuit a Langobardis. Romam placide ingreſſus, omnibus tandem ornamentis eam ſpoliat, & paucis diebus ibi commoratus in Siciliam traiicit. Ibi demum in balneo fuit interfectus: cumq; poſt eius mortem de ſucceſſione eſſent nata diſſidia, Saraceni, eam nacti occaſionem, magna cum claſſe ingrediunť Siciliam, vaſtam edunt hominũ ſtragem, Syracuſas capiunt, & prædam omnẽ Conſtantis ablatã ex vrbe Roma ſecũ aſportant.

Conſtanti ſucceſſit Conſtantinus IV. vulgo dictus Barbarus: hic per annos aliquot cum Saracenis congreſſus, tandem eos fudit, ita quidem, vt pacem illi peterent, & inducias annorũ 30. ſimulq; vectigal annuum paciſcerentur: ea re commoti, qui erant ad occidentem ſolem, populi Romani hoſtes pacẽ quoq; petebant. Bulgari autem ſuis finib. egreſſi, Thraciam vaſtabant: cum his tandẽ pacificatum eſt, & conceſſa illis vtraq; Myſia, tametſi poſtea quum ignauiam Romanorũ deprehenderent, violata pace rurſus euolarunt, & imperii vires attenuabant. Hic Cæſar omniũ primus cõſtituiſſe traditur, vt, *quem clerus populusq; Romanus cum exercitu creaſſet ciuitatis Epiſcopũ, is plenã obtineret poteſtatẽ.* nam ad hoc vſq; tempus Epiſcopi Romani dignitas, vel à Cæſaris, vel ab eius per Italiam vicarii confirmatione pendebat. Extat ad Conſtantinũ Papæ Leonis II. Epiſtola prolixa, qua damnat omnis generis hæreticos, & ipſum, propter ſtudiũ ac patrociniũ religionis, & liberalitatẽ atq; munificentiã ſummis laudib⁹ extollit & Eccleſiam, q̃ talem ſit nacta propugnatorẽ, plane triumphare dicit. Eo regnante, Synod⁹ fuit ſexta Conſtantinopoli, centum quinquaginta Epiſcoporũ. In ea ſub finẽ ipſum fit mentio Canonũ qui dicuntur Apoſtolorum, ſed obſcuris verbis. Gratianus a. contrarias opiniones recenſet, nam dicit eſſe, qui conſcriptos ab hæreticis, & ab Eccleſia veteri repudiatos, affirment, & inter Apocrypha numerent. Zepherinus autem Epiſcopus Romanus, ordine 16. approbaſſe illos dicitur, & poſt eum, iſta quam dixi, Synodus, quam Iuſtiniani II. tempore, qui filius erat Conſtantini IV. tradunt abſolutam fuiſſe. Breuiter, incertis rationibus omnia fluctuant. Sed & de numero canonum non conuenit: nam alii 50. alii 60. ponunt, alii 84. & eo quidem numero extant: vnde facile coniici poteſt paullatim additos fuiſſe plures, & vno poſtea nomine comprehenſos, quum à diuerſis emanaſſent. Tunc etiam Archiepiſcopus Rauennas Epiſcopo Romano ſe ſubiecisse fertur, quum antea, maxime vero poſt eo tranſlatum Exarchatum, nihil Romano concederet.

Conſtantino ſucceſſit Iuſtinianus filius: is per ætatem, & imperitiam male Rempub. gerebat, & violata pace, quam eius pater cum Saracenis fecerat & Bulgaris, eo demũ redactus eſt, vt pacem ab vtriſq; cogeretur ipſe petere. Tandem ob crudelitatem eiectus, & præciſis naribus relegatus, Leontium habuit ſucceſſorem, qui propter affectati imperii ſuſpicionem per bienniũ fuerat captiuus. In his motibus Africam inuadunt Saraceni: ſed biennio poſt illinc eiecti fuerunt, commiſſo prælio.

Milites Romani, præſidio in Africa relicti, quum lente & ignaue omnia adminiſtrarentur à Cæſare, veriti, ne a Saracenis, quorum tunc erat ingens potentia, rurſus eiicerentur, Tyberium quendam faciunt Imperatorem. Is cum copiis profectus Conſtantinopolim, & vrbe potitus, Leontium capit, naribus truncat, in catenas coniicit & per Italiam nouum conſtituit Exarchum. Et cum ad hunc modum tumultuoſe omnia fierent, Saraceni, tempus idoneum nacti, maximisque cum copiis ex Ægypto profecti, Africam rurſus occupant, & Libiam & Hiſpaniam prope totam.

Is, quem ſupra dixi, Iuſtinianus à Leontio Imperatore eiectus & relegatus, Trebellii Bulgariæ regis auxilio Conſtantinopolin tandem occupat, & Leontium Tiberiumq; captos interfecit: per annos deinde ſex crudeliter imperauit, ingratus etiam in Trebellium regem: tandem commiſſo prœlio, cum Philippico Bardane, ad quem exercitus defecerat, occubuit tum ipſe, tum filius Tiberius.

Philippicum Conſtantinus Pontifex ob diuerſam religionem, pronunciat ſchiſmaticũ, tandem à ſuis excœcatus Cæſar, Anaſtaſiũ II. habuit ſucceſſorẽ. Is claſſem inſignẽ miſit Rhodũ, belligerandi cauſſa cum Saracenis, eiq; bello quendam ordinis Eccleſiaſtici virum præfecit: ſed quum ei parere milites recuſarent, orta ſeditione, factus eſt Imperator quidã obſcuri generis Theodoſius, qui,

mutata

murata nauigatione, Conſtantinopolim venit, vrbem occupat, & Anaſtaſium prœlio victum ſacris addicit: ſed non multo poſt eiectus a Leone, copiarum præfecto, vitamque monaſticam fuit amplexus. Ad hoc tempus, quod erat anno ſalutis ſeptingenteſimo, decimoſeptimo, Mauritani, totis viribus irruunt in Hiſpaniam, & ſuæ ditionis illam faciunt, Rodorico, Hiſpaniarum Rege, quem etiam Gothi elegerant.

Leone regnante, Saraceni, vaſtata Thracia, Conſtantinopolim per triennium obſident terra marique: tandem peſtilentia prope conſumpti domum redire coacti ſunt. Erat Leo valde infeſtus Epiſcopo Romano, Gregorio II. ſuoque per Italiam vicario, ſiue Exarcho mandauerat, vt illum quocumque modo tolleret e medio: Papam vero defendebant Langobardi, non quidem illius charitate quadam, ſed vt in eo diſſidio ſuos ipſi fines amplificarent: nam Exarchatus oppida multa per hanc occaſionem occuparunt. Huius Gregorii quædam extant Epiſtolæ ad clerum & plebem Thuringiæ, monentis, *vt in cognitione Dei magis atque magis proficiant:* Item ad Saxones grauiter eos deterrentis ab idolorum cultu: Bonifacio quodam fuit vſus in his rebus adminiſtro, quem in Germaniam emiſerat. Leo Cæſar ſtatuas omneis, & diuorum imagines e templis eiicit, Papæ quoque mandat, vt idem faciat; ille vero non modo non morem gerit, ſed illi, in ſuo propoſito perſeueranti, graues pœnas denunciat.

Leoni ſucceſſit filius Conſtantinus, eius nominis quintus, cognomento Copronymus, eiuſdem cum patre religionis. Hic magna cum claſſe profectus in Saracenos, vt Alexandriam Ægypti recuperaret, accepto nuntio de ſeditione domi nata, & Artabaſto, nouo Imperatore electo, Conſtantinopolim reuertit, vrbē vi capit, & Artabaſtum exoculat. Huic etiam, ſicut parenti Leoni, graue fuit cum Epiſcopo Romano Gregorio III. diſſidium: qui ſubinde miſſis internunciis eum excommunicabat, & quum in vincula conicerentur nuncii, collecta Synodo decretum fecit, vt, *qui poſthac diuorum imagines demolirentur, aut contumelioſe tractarent, ab Eccleſiæ conſortio plane reiicerentur.* Deinde, omni ſtudio, & opera ſtatuas in variis templis erexit, & magnifice, quantum potuit, exornabat. A Gregorio III. fuit Zacharias. Huius extat ad Epiſcopum quendam Bonifacium epiſtola, qui per Germaniam erat, ille ipſe, vt apparet, cuius opera fuit vſus Gregorius II. vt paulo ſupra diximus. Eius poſtulatis reſpondet Zacharias, & permittit vt Merſeburgi, Bambergæ, Erphurdiæ ſint Epiſcopatus. Concedit etiam, vt ad Carlomannum, Caroli Martelli filium, qui in aliqua vrbe regni Francorum petebat haberi Synodum, proficiſcatur, & Eccleſiæ mores diligenter reformet, inprimis autem ab ordine ſacerdotali remoueat adulteros, & eos, qui plures habent vxores: quum enim poſt ſuſceptum miniſterium ſacrum, ne vnam quidem vxorem habere, vel attrectare liceat, multo minus, vt, eodem tempore, plures quis habeat, licere: nam quod Paulus ait, *vt Epiſcopus ſit vnius viri vxoris*, intelligendum eſſe non de præſenti, ſed de præterito tempore, ne videlicet plures habuerit, quam vnam vxorem, is, qui cupit in ſacerdotum ordinem cooptari. Huic Epiſtolæ ſubiungitur Carlomanni, qui ſe Francorum ducem vocat, edictum, quo ſtatuit, vt, *ipſo præſente, quotannis habeatur Synodus: adulteros autem ſacerdotes & ſcortatores loco ſubmoueri iubet: venationibus etiam & aucupio illis interdicit, ne ve mulierem in villam domi foueant*, mandat: ſed de vxoribus verbum nullum. Ab hoc tempore Aiſtulphus, Langobardorum rex, tributum annuum à Romanis petebat, grauia minatus, niſi dependerent. Qui tum erat Epiſcopus vrbis Romæ, Stephanus, eius nominis ſecundus, quum blanditiis, atque donis hominem placare non poſſet, Conſtantinum Cæſarem de auxiliis interpellat: quumque nihil ab eo præſidii veniret, Pipinum, nuper factum Francorum regem, vt infra dicemus, orat, vt opem ferat. Is cum copiis in Italiam profectus, Papiam obſidet, & illum ad pacis conditiones adigit: quum autem domum reuertiſſet, hoſtis ferocior factus, iterum arma mouet. Quare denuo ſollicitatus, in Italiam Pipinus venit: tunc demum Aiſtulphus Exarchatum Pipino tradit, qua quidem in regione hæ ſunt vrbes primi nominis, Rauenna, Fauentia, Cæſena, Forum Liuii, Forum populi, Bononia, Rhegium, Parma, Placentia. Regionem hanc omnem Pontificis fidei Pipinus permiſiſſe fertur, quum Cæſar antea rogaſſet, vt eam ſibi reſtitueret, quod eſſet imperii, non Eccleſiæ Romanæ.

Conſtantino ſucceſſit filius, Leo IV. Is vnicam ſuſcepit profectionem in Syriam: repulſus domum rediit, neque multo poſt mortuus eſt, eiuſdem cum patre religionis filio relicto Conſtantino ſexto. Sed quum is per ætatem regere non poſſet, mater eius Irene rempublicam gerebat: Ille autem grandior factus, deiecta matre, cœpit inſolenter admodum & acerbe regnare: quumq; idcirco coniurationes in ipſum fierent, inter alios mulctauit etiam Nicephorum patruum, & exoculauit. Tandem & ipſe fuit exoculatus, conſilio matris, & aliquanto poſt luctu mortuus eſt: itaque rerum ſumma rediit ad Irenem matrem, quæ quarto demum anno ſui imperii deiecta inque exilium relegata, ſucceſſorem habuit eum, quem diximus, Nicephorum.

Interea, dum ita Conſtantinopoli tumultuoſe res aguntur, celebris erat Caroli, Regis Francorum, fama. Nam is Aquitanico bello confecto, rogatus ab Adriano Epiſcopo Romano, cum exercitu venit in Italiam: & ſicut ipſius parens Pipinus Aiſtulphum regem Langobardorum oppreſſerat, vt ſupra dictum eſt: ita hic Aiſtulphi ſucceſſorem Deſiderium grauem Italiæ & Adriano primo, poſt longam obſidionem cepit, eiusque filium Adalgiſum regno deiecit, & omni expulit Italia. Nam Cæſares Romani, quoniam & longius aberant, Conſtantinopoli videlicet, inde à tempore Conſtantini Magni, & quia non ſolum externis bellis, verum etiam domeſticis, & ciuilibus erant impediti diſſidiis, Italiam fere negligebant, aut certe non poterant idonee tueri, præſertim Langobardis

bardis ibi graſſantibus: deinde, ex ipſis plerique diffidebant etiam grauiter à Romanis Epiſcopis vt ante diximus, & ipſorum odio non admodum mouebantur illis Langobardorum ſucceſſibus. Hac de cauſſa Pontifices externam defenſionem circumſpiciebant: &, quia tum temporis nulla erat illuſtrior aut potentior familia, quam Franciæ regum, propter magnitudinem rerum geſtarum, idcirco ad eam, velut ad portum aliquem, rebus turbulentis, confugiebant. Hunc etiam ad modum Adriano mortuo, cui ſucceſſit Leo tertius, quum graues haberet Romæ aduerſarios, Carolum, Pipini filium, implorabat: qui cum ad vrbem quarto veniſſet, à Pontifice ſimul & omni populo ſalutatus eſt Imperator. quod quidem accidit, quo tempore Conſtantinopoli feruebant omnia factionibus, ita quidem vt etiam tempus ipſum & Reip. ſtatus huic mutationi videretur cauſſam & occaſionem præbere. Sic igitur occidentis imperium ad Germanos deuenit: nam Germanos fuiſſe Pipinum atq; Carolum dubitari non poteſt. Fuit hoc poſt natum Chriſtum anno 801.

Cæterum inde à Nicephoro, Imperatores Orientis, continuis fere bellis agitati fuerunt. Nam initio Bulgari ſæpe cum illis conflixerunt: deinde Saraceni, ex Africa profecti, Cretam inſulam, poſt quoq; Siciliam occuparunt, & Aſiam longe lateq; vaſtarunt: poſtremo etiam Turcæ, Scythiæ populus. A Nizephoro autem vſq; ad Conſtantinum Palæologum poſtremum, circiter quinquaginta numerantur Imperatores Græci, & in his aliquot fœminæ. Ex ipſis pleriq; fuerunt ignaui. Et Conſtantino Monomacho regnante, qui vigeſimus eſt à Nicephoro, Turcæ, ab humili origine paullatim progreſſi longius Aſiam vaſtare cœperunt, & auctis quotidie viribus, monarchiam demum conſtituerunt, non quidem nouam aut quintam aliquam, ſed ex ea natam imperii Romani parte, quæ fuit ad ſolem orientem.

Eius autem Monarchiæ princeps fuit Ottomannus, ad annum Chriſti circiter 1300. Mahometus deinde, eius nominis ſecundus, proauus Solymanni, qui nunc rerum potitur capta Conſtantinopoli, & Conſtantino Palæologo Cæſare, quem diximus, interfecto cum omni familia, nomen & ſucceſſionem Imperatorum noſtræ religionis ijs in locis funditus deleuit. Tenent autem Turcæ ad hoc vſque tempus, Aſiam, Syriam, Ægyptum, Meſopotamiam, Iudæam, Rhodum, Græciam omnem, Thraciam, Bulgariam, Macedoniam, Illyricum, vtramque Myſiam, & nuper alteram fere Pannoniam, & Africæ partem aliquam. De primatu dimicarunt olim inter ſe vehementer Eccleſiæ, Hieroſolymitana, Antiochena, Conſtantinopolitana, Romana, & hæ quidem duæ potiſſimum, vti ſupra docuimus: Turca vero litem diremit, & ſic omnia tribus illis locis conturbauit, nullum vt exiſtat Eccleſiæ vel Chriſtiani cœtus veſtigium. Eius autem, quæ ſupereſt, Eccleſiæ, quæque, ſublatis æmulis, nunc ſola triumphat, cuiuſmodi ſit facies, qui ſtatus, res ipſa declarat.

Poſtquam ergo demonſtrauimus quemadmodum imperii Romani pars altera corporis, orientem ſolem ſpectans, omnino concidit, & in alienam poteſtatem deuenit, reliquum eſt, quemadmodum & ea pars, quæ pertinet ad occidentem ſolem, prorſus interierit, & nouos adepta ſit dominos, breuiter explicemus. Hic autem obiter conſiderandum eſt, quomodo mirabili quodam fortunæ ludibrio à Romanis illis atque priſcis familiis, auguſtum illud imperii decus & faſtigium ad exteros delatum ſit, & quidem aliquot pudendæ conditionis homines. Nam ex iis quidam fuerunt Hiſpani: nonnullis Pannonia, Dacia, Dardania, Dalmatia, Gallia, Thracia, Cappadocia dedit originem. Inprimis autem obſeruari debet, quam fuerit anceps & miſera Imperatorum condicio: nam ipſorum dignitas omnis atque ſalus erat non in ſenatus, aut populi, ſed in legionum atque militum poteſtate: ſic, vt permirum videri poſſit, vllos fuiſſe, qui munus hoc tam periculoſum & iniuriis opportunum, ſuſciperent. Etenim inde à C. Cæſare, qui ſpectante ſenatu concidit, ad Carolum vſque Magnum, circiter triginta fuerunt ex iis interfecti, quatuor vero ſibi mortem ipſi conſciuerunt. Semper aliquid erat, quod in ipſis deſiderarent milites: neque bonos magis quam improbos ferre poterant, & ad minimam occaſionem, concitata turba, iugulabant eos, quos etiam inuitos ad culmen illud honoris pertraxerant, ſicut Ælio Pertinaci conſtat accidiſſe. Cæſarem metuebat ſenatus: ipſe vero Cæſar ab impuri militis voluntate propemodum atque nutu pendebat. Hos autem ſpiritus, inde poſt C. Cæſaris mortem ſibi ſumſerunt, præſertim legiones veteranæ, quibus per Galliam, Hiſpaniam, Africam ille fuerat vſus: & Cicero hoc ipſum deplorans, *Fortes illæ quidem ſunt*, inquit: *ſed propter memoriam rerum, quas geſſerunt pro populi Romani libertate, & dignitate Reipublicæ, nimis feroces, & ad ſuam vim omnia noſtra conſilia reuocantes.*

IOHANNIS SLEIDANI DE QVATVOR SVMMIS IMPERIIS, LIBER III.

ANTEQVAM de Carolo Magno loquamur, ad quem diximus imperium Occidentis eſſe delatum, explicanda ſunt quædam de Germanis, à quibus originem ille deducit. Et primo quidem certo conſtat, Germanos perſæpe tranſiiſſe Rhenum, & in Gallias penetraſſe, vt ibi propter agri bonitatem conſiderent. Nam Theuthoni in prouinciam Galliam inuaſerunt, & a C. Mario Conſule fuerunt profligati. Deinde quum Aruerni & Hedui Galliæ populi, de principatu contenderent, Germani mercede conducti ab Aruernis & Sequanis, primo quidem non ita magnis copiis eo venerunt: paullatim vero ſic augeſcebāt, vt Ariouiſto rege, bonam eius agri partem occuparent. Eos autem C. Cæſar prœlio ſuperauit, & aliquot poſt annis, quum bellum gereret in Eburones, Galliæ Belgicæ populum, Germani denuo Rhenum traiecerunt, vt exercitum Rom. oppugnarent:

ſed ad Moſæ confluentem atque Rheni fuerunt ab illo conciſi. Multis deinde poſt annis intra ſuos fines ſe continebant, eo quod Romani Cæſares bellum ipſis inferrent: ſed tamen quoties tempus aliquod idoneum eſſent adepti, non deerant ſuis ipſi commodis, & Galliam perpetuo vaſtabant. Hunc ad modum, Gallieno Cæſare, homine ignauo & voluptuario, impreſſionem fecerunt, & paullatim eo potentiæ creuerunt, vt Probus Cæſar, quartus à Gallieno, vix magna difficultate illos reiiceret. Iulianus etiam, Conſtantii Cæſaris legatus, bella cum illis geſſit: poſt hæc, Honorio Cæſare, Gothi in Galliam irruperunt, iisque Cæſar, diuerſis bellis occupatus, Aquitaniam conceſſit inhabitandam. Ab altera parte Francones Germani, per Belgicam irruptione facta, Treuiris, Menapiis, Eburonibus, Morinis, Neruiis, Ambianis, Bellouacis, Sueſſionibus oppreſſis, in ea parte Galliæ conſederunt, quæ nomen ad hoc vſque tempus retinet, & Francia dicitur, cuius quidem regionis caput Lutetia, nec procul illinc oppidum Sandeniſium, Franciæ regum ſepulturæ poſtea conſecratum eſt in hodiernum vſque diem. Ad eum modum amplificati, quum antea bonam Germaniæ partem poſſiderent, omnem videlicet regionem illam, quæ eſt ad Mœnum flumen atque Rhenum, facile non ſolum defendebant illatum bellum, ſed etiam aliis inferebant, & labante indies magis atque magis imperio Romano, per Aſiam & Africam, Langobardis etiam Italiam vaſtantibus, admodum ſuos fines per Galliam extenderunt: & quum ordine multi ipſorum reges ibi dominarentur, tandem ad Pipinum etiam eiusque filium Carolum regni ſumma deuenit. Pipini pater, Carolus Martellus, non quidem ipſe rex, verum ex proceribus vnus, & palatii præfectus, vel, vt vulgo loquuntur, *Maior domus*, Bauaros & Sueuos deuicit. Nam, ſicut annalium ſcriptores Galliæ tradunt, aliquot nunc annis, præter titulum atque nomen, nihil reges habebant, ſed omnis authoritas erat & ſumma rerum penes præfectum regiæ domus. Etenim à ſuperiorum regum virtute prorſus iſti degenerauerant, & voluptatibus dediti, nullam Reipublicæ curam ſuſcipiebant. Itaque præfectus palatii magiſtratum gerebat: & quo maior erat ignauia regis, eo plus potentiam iſte ſuam augebat. Hac demum occaſione, Pipinus, qui Childerico regnante præfectus erat, quum apud Pontificem Zachariam res in diſceptationem veniſſet, vt aiunt, regnum obtinuit. Huius rei mentio fit in *decreto*, quod vocant, *Gratiani*, quod nimirum Papæ liceat regibus abrogare principatum; ſed eius loci titulus & inſcriptio falſa eſt. Quum enim duo ſint Anaſtaſii Cæſares, neutri poteſt attribui. nam prior, ducentis & amplius, alter vero triginta ſeptem annis, ante regnauit, quam iſtud accideret: deinde, poſterioris ætate, nullus fuit Papa Gelaſius. Admonendi cauſſa lectores hoc addendum putaui, quo pontificiorum ſcripta prudenter euoluant atque caute. Nec enim vno loco deprehenditur, id eos agere potiſſimum, vt ſuis legibus opinionem vetuſtatis addant, quo plus habeant ponderis & authoritatis. Pipinus, præterquam quod Langobardos per Italiam compreſſit, rogatu Pontificis, vt ſupra dictum eſt, bellum quoque geſſit in Saxones: & deinde cum Aquitanis, eorumque ducem captum interfecit: quumque non multo poſt è vita migraſſet, ac illi ſubinde rebellarent, Carolus filius, rex, vtrumque bellum vix tandem ingenti labore perfecit. Cum Saxonibus enim totos annos XXXIII. belligerauit, eoque durante bello, confecit & alia: nam & Bauariam, Taſſilone duce rebellantem, ſuæ ditionis fecit, & bis contra Langobardos profectus, & in Campaniam vſque progreſſus, omnem Italiam domuit, & legibus conſtituit. Illas etiam Galliæ ciuitates, quæ ſunt ad Oceanum, & à C. Cæſare vocantur Armoricæ, nunc autem minoris Britanniæ nomine cenſentur, ad officium redegit, quum ſtipendium annuum Franciæ regibus debitum nollent amplius dependere. In Hiſpaniam quoque profectus cum exercitu, feliciter quidem rem geſſit aduerſum Saracenos: rediens autem in ſaltibus Pyrenæis per inſidias grauiſſime cæſus fuit à Vaſconibus, Aquitaniæ populo. ſed & Hunos, qui Pannoniam tunc obtinebant, octauo demum anno vicit, & per legatos Bohemiam quoque pacauit. Poſtremum vero bellum fuit aduerſus Danos, ſiue Nordmannos, qui maritimam oram Germaniæ Galliæque magna claſſe vaſtabant. His tantis rebus geſtis, effectum eſt, vt *Magnus* diceretur. Quum enim Francorum reges antea ſolum tenerent eam Germaniæ partem, quæ eſt inter Saxoniam & Danubium, interque Rhenum & Salam, ad hæc, Sueuiam atque Bauariam: ipſe totam Saxoniam adiecit, deinde vtramque Pannoniam, Daciam, Iſtriam, Hiberniam, & mediterraneam Dalmatiæ partem: quumque item Franconum reges per Galliam tenerent eam partem, quæ eſt inter Rhenum & Ligerim, inter Oceanum & mare Balearicum, ipſe omnem Aquitaniam totumque iugum Pyrenæi montis ad Iberum vſque flumen, & quod primo loco dictum oportuit, Italiam totam inde ab Alpibus ad extremam vſque Calabriam adiecit: & poſtea quarto Romam profectus, à Leone tertio & ab omni populo Romano ſalutatus eſt Imperator Auguſtus, cum iam annos regnaſſet XXXIII. Romanum igitur imperium, quod eſt ad occidentem ſolem, varie dilaceratum, præſertim ab eo tempore, poſtquam Cæſares domicilium atque ſedem Conſtantinopoli ſibi delegerunt, vt ex iis, quæ ſupra commemorauimus, apparet, à Carolo Cæſare redintegratum eſt, ac veluti nouum corpus, colorem atque ſpeciem reſumpſit, tot tantisque prouinciis ad vnius principatum redactis. Nicephorus, alter ad orientem ſolem Cæſar, factum iſtud indigne quidem tulit, ſed humanitate modeſtiaque ſua Carolus eum deliniuit, & miſſis donis amicitiam vterque coluerunt, & vtriusque Imperii conſtituti fuerunt certi limites. Præter alios conuentus, concilium habuit etiam Rhemenſe, in quo decretum fuit inter alia multa, *vt Epiſcopi ſacram ſcripturam diligenter euoluant, & Dei verbum annuncient*. Moguntiæ quoque Synodus fuit anno prius, quam è vita decederet,

& ſu-

& ſuperioribus annis alia, Turoni, Cabillone, Arelatæ, de emendatione Eccleſiarum, vti tradunt,
qui per id tempus vixerant. Ludouico deinde filio, regni & imperii herede deſignato, mortuus eſt
Aquisgrani, quod eſt Galliæ Belgicæ oppidum, ſeptuaginta natus annos, poſt Chriſti natalem, anno
octingenteſimo decimo quarto, quum per annos fere XIV. Cæſar fuiſſet, Germanorum omnium
primus ad eam euectus dignitatem. Ipſo regnante, per Italiam, Germaniam, Galliam XXI. tan-
tum erant ciuitates, vti vocant, Metropolitanæ: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gra-
dus, Colonia, Moguntia, Salisburgum, Treueris, Rotomagus, Senones, Veſuntio, Lugdunum,
Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarentaſia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges. Eius parens
Pipinus, Exarchatum, Langobardis ereptum, Epiſcopi Romani fidei commiſerat, vt ſupra dixi-
mus, quemadmodum quidem memoriæ proditum eſt: ipſe vero plane illis dediſſe eum fertur:
quod tamen in dubium à multis vocatur. Qui fuit ei familiaris, & ſcriba intimus, Eginardus, diui
Petri, quam vocant, Eccleſiam. Romæ, præ cæteris ei valde charam fuiſſe, magnamque vim auri,
argenti, gemmarum illuc deportatam & plurima pontificibus ab eo munera eſſe miſſa, ſcribit:
nam hoc illum inprimis egiſſe diligenter, vt ipſius opera ſtudioque, vrbs Roma veteri polleret au-
thoritate, & ſancti Petri Eccleſia non ſolum ipſius eſſet incolumis turaque patrocinio, ſed etiam o-
pibus inter alias maxime floreret. Hæc ille duntaxat: quod vero tot tamque potentes vrbes de-
derit, quæ ditionis erant imperii, ne verbum quidem: imo, quum à quarta in Italiam profectione,
factus eſſet Cæſar, vrbis Romæ, & pontificis & totius Italiæ, non publicas tantum, ſed Eccleſiaſticas
etiam res & priuatas ordinaſſe ſcribitur. Etenim, quum nondum eſſet Cæſar, ſed Franciæ tantum
rex, debellato Longobardorum rege, Deſiderio, ſicut diximus, Romam venit, & concilium habuit,
in eoque, ſicut ipſorum libri dicunt, Adrianus primus, totaque Synodus, *eligendi pontifices, & ordi-
nandi ſedem*, vti vocant, *Apoſtolicam, & Epiſcopos confirmandi ius atq; poteſtatem ei conceſſit.* Multas Ca-
rolo tribuit & principe viro dignas virtutes Eginardus, temperantiam, modeſtiam, frugalitatem,
ſtudium religionis, doctrinam, eloquentiam, & non Latinæ tantum, ſed & Græcæ linguæ cognitio-
nem: ad hæc, ſummam curam ac diligentiam in educandis, & ad eaſdem res inſtituendis liberis.
Pariſinam quoque traditur Academiam inſtituiſſe, tum ſua ſponte, tum Albini præceptoris impul-
ſu, quem habuit in diſcendis artibus magiſtrum, ſicut Eginardus dicit. Menſibus etiam nomina
Germanica dedit & ventis duodecim, quibus etiamnum vtimur: quum ante id tempus, vt idem
ſcriptor ait, Francones partim Latinis, partim vterentur barbaris.

Hucuſque veluti præfatus de Germanis, deque Carolo, paucis percurram deinceps, & oſten-
dam, quemadmodum hæc ipſa imperii Romani pars, quæ eſt ad occidentem ſolem, à Carolo vix
demum reſtituta & recollecta, rurſus interiit, & in varias diuiſa prouincias, facta ſit multorum di-
tionis, qui veluti peculium ſuum, illas poſſident, nec fontem ipſum, vnde manarunt, agnoſcunt, ita
quidem, vt illud auguſtum, & tantopere celebratum Imperii Romani faſtigium, nihil aliud ſit ho-
dierno die, quam tenuis quędam magni corporis vmbra, poſtquam ex tam immenſa mole redactũ
eſt ad vnicam Europæ particulam, Germaniam. Poſtremo, quemadmodum hanc imperiorum vi-
ciſſitudinem & occaſum Romanæ Monarchiæ Daniel prænunciauerit, breuiter exponam.

Ludouicus ergo, Caroli filius, alter Imperator Germanus, cum Cæſare Græco Leone Arme-
nio renouauit amicitiam: quumque ipſius regni anno tertio mortuus eſſet Leo Papa: ſucceſſor Ste-
phanus IV. in Galliam profectus, Rhemis eum conſecrauit. Hunc excepit Paſchalis: & quia Cæ-
ſaris authoritas non interuenerat, ille per legatos diligenter atque ſollicite factum purgans, pontifi-
catum ſibi prorſus inuito dicebat eſſe obtruſum. Libri Pontificii habent, Ludouicum Cæſarem
Paſchali, cæteriſque poſt eum, & confirmaſſe poſſeſſionem bonorum, & electionem permiſiſſe li-
beram, *vt, quem omnes Romani iudicaſſent eo munere dignum, is pro pontifice haberetur.* Quantum fidei ſit
eiuſmodi ſcriptis tribuendum, non video: ſic enim inter ſe diſſident, ſic nullo ſunt ordine perſcri-
pta, vt, quid ſequendum ſit, intelligi non poſſit. Filios Ludouicus habuit tres: Lotharium, imperii
& regni conſortem allegit: Carolum, qui Pipino fratri mortuo ſucceſſit, Aquitaniæ: Ludouicum
Bauariæ præfecit. Coniuratione facta, captus à filiis, & regno priuatus, Compendii, oppido Sueſ-
ſionum, ad monaſticum vitæ genus fuit detruſus. Galliæ ſcriptores annalium tradunt, proceres
Eccleſiaſticos, quorum ille faſtum atq; luxum coercere volebat, habitis Aquisgrani comitiis, hanc
ei concitaſſe turbam, & filios, vt facinus tam impium auderent, impuliſſe. Liberatus autem ſexto
poſt menſe, maximo populi deſiderio regnum & omnia recuperauit.

Quia locus ita fert, notandum hic eſt obiter, multa fuiſſe per Galliam habita concilia natio-
nis. Nam proximum ab illo, quod diximus, Aquenſi, Troiæ fuit, oppido Campaniæ: deinde Rhe-
mis, Gergouiæ, Turoni, Digeone, Lutetiæ, Lugduni, Viennæ, Auentone, Auarici, Aureliæ, & qui-
dem iiſdem in locis plura. Quum enim ſtatus rerum ita poſceret, ipſi reges ordinem Eccleſiaſticum
ceteroſque proceres conuocabant, vt publicis incommodis mederentur. Ad hunc modum, Ludo-
uicus XII. qui cum Iulio II. graues exercuit inimicitias, Turoni concilium habuit ſuorum atque
Lugduni, ſalutis anno 1510. & 11.

Nunc ad inſtitutum. Ludouico mortuo, Metique ſepulto, ſucceſſit Lotharius, cui bellum fuit
cum fratribus, quo demum ſedato, & noua facta diuiſione, Ludouico Germania ceſſit Galliæque
pars, inde à Moſa, vſque ad Rhenum: Carolo autem obuenit Gallia, inde ab Oceano Britannico
& Pyrenæo ſaltu vſque ad Moſam. Lotharius, prætérquam quod Cæſar eſſet, Italiam & Narbonen-
ſem quoque prouinciam obtinuit.

Ei ſucceſſit filius Ludouicus ſecundus, qui Saracenos, in Italiam irruentes, repreſſit. Eo regnante, Papa fuit inter alios Adrianus II. & quidem non aſſentiente Cæſare, ſicut ipſorum habent libri, creatus à nobilitate Romana, ciuibus atque clero, quem vocant. Nam licet erant in vrbe, Cæſaris legati, tamen ad electionem vocati non fuerunt: quumque grauiter id & moleſte ferrent, reſponſum eis fuit, *nullo factum hoc eſſe Cæſaris contemptu, ſed cautione quadam in poſterum, ne videlicet, quum eſt creandus Papa, mos ille, Cæſaris exſpectandi legatos, tanquam neceſſarius inoleſcat.* Eo reſponſo non ſolum illos fuiſſe placatos, verum etiam officii cauſſa demiſſe pontificem ſalutaſſe tradunt. Hic autem videre licet mirabilem quandam in ipſorum ſcriptis varietatem & inconſtantiam. Etenim, ſi Ludouicus primus liberam eis electionem conceſſit, vti ferunt, & paullo ſupra dictum eſt, cur eius nepos Ludouicus II. iniuriam ſibi factam eſſe putabat? Sed quoquo modo res habeat, titulus quidem eius decreti, quod eſt in centonibus Gratiani, manifeſte falſus eſt. Nam Gregorio quarto tribuitur, cum is viginti duobus annis è vita deceſſerit ante, quam Adrianus II. fieret Pontifex. An hiſtoriam ſcripſit mortuus eorum, quæ poſt acciderunt? Ante Adrianum proximus fuit Nicolaus primus, cuius extat ad Michaelem Imperatorem Græcum Epiſtola valde prolixa, de ſua in omnes Eccleſias poteſtate. Nam Conſtantinopoli fuit ab Epiſcopatu remotus Ignatius, & inſtitutus Photius, inconſulto Epiſcopo Romano: ſed & eiectæ ſtatuæ. Clamat ergo contra, quam vehementiſſime poteſt: extant etiam eius decreta plurima, plena maieſtatis Papalis.

Carolus, Galliæ rex, vt ſupra diximus, magna celeritate proficiſcitur in Italiam, reſiſtente licet altero fratre natu maiore Ludouico, Germaniæ rege, & à Iohanne octauo Romano pontifice conſecratur. Secundo profectus in Italiam, rogatu pontificis, vt Saracenis, qui Campaniam rurſus inualerant reſiſteret, Mantuæ mortuus eſt.

Ludouicum filium habuit ſucceſſorem, cognomine Balbum: ſed is per biennium modo præfuit.

Ab eo imperii Romani ſumma venit ad Carolum Craſſum, Ludouici Germaniæ regis filium, qui duobus, quos habebat fratribus, mortuis, Germaniam omnem Italiam & Galliam obtinuit, & Saracenos Italiam vexantes profligauit, & belligeratus aliquandiu cum Nordmannis, inferioris Germaniæ populo, Galliam Belgicam vexantibus, eam Galliæ partem illis demum conceſſit, quæ nomen illorum ad hoc vſque tempus retinet.

Poſt hunc fuit Arnulphus Cæſar, fratris filius, egregius princeps. In Italiam profectus, vt Formoſum pontificem Romanum ab aduerſariis liberaret, Romam capit, & in ſeditionis authores vindicat. Ipſo rerum potiunte, Hungari ex Scythia pulſi, in Pannoniam ruunt, & Ludouico III. Arnolphi filio, Cæſare, in Germaniam progreſſi, & non procul à Lœcho flumine inſigni victoria potiti, Bauariam, Sueuiam, Franciam, Saxoniam, cædibus, rapinis & incendiis vaſtant. Arnolpho Cæſare, Triburiæ, quod fuit ad Mœni ripam oppidum aliquando, concilium eſt habitum XXII. Epiſcoporum Germaniæ, &c. inter alia multa decretum, *vt ſepulturam mortuorum nemo vendat, & ne quis laicus,* vti vocant *in templo ſepeliatur.* Ad hoc tempus magnum exarſit incendium per Italiam. Berengarius enim, & alii quidam Langobardiæ proceres, multis ornati beneficiis à Carolo Caluo, coniurarunt aduerſus Galliam, quo tempore Carolus Craſſus imperabat: ſed cum ſi ultra molirentur, ad Italiam animum adiiciunt, & inter ſe diu multumque conflictati, ſicut fieri ſolet, magnis cladibus illam afficiunt. Tandem Berengarius victor, Italiæ regnum obtinuit, & Ludouicum Cæſarem, eo cum exercitu profectum, vbi cepiſſet, exoculaſſe ſcribitur. Hoc etiam tempore, ne quid omnino calamitatis deeſſet, Saraceni, Aphri & Hungari immaniſſime vaſtant Italiam.

Quumque ſub Berengariis, Hugone, Rudolpho, Lothario, Alberto, & quibusdam aliis, tam eſſet funeſtus & miſerabilis pulcherrimæ regionis ſtatus, atque in his turbis mortem obiiſſet Ludouicus Cæſar: Germani, Saxones præſertim atque Francones, Cæſarem ſalutabant Othonem, Saxonum & Thuringorum principem: ſed is ætate grauis, author ipſis fuit, vt Conradum Franconiæ ducem ſumerent, qui Cæſar factus, pleraque omnia de conſilio faciebat Othonis: ac deinde Othone mortuo, cum & ipſe grauiter ægrotaret, conuocatis ex nobilitate primis, orabat, vt Othonis filium Henricum, tunc abſentem, pro Cæſare agnoſcerent. Is eſt Henricus vulgo dictus *Auceps.* Itaque videmus quemadmodum à Francis & à Caroli familia ſplendor & dignitas imperatoria peruenerit ad domum Saxonicam. Hi duo Cæſares, Conradus & Henricus, ab Epiſcopo Romano non fuerunt conſecrati, ſicut vocant, ideoque prætermittuntur à nonnullis: & Henricus quidem oblatam à Papa conſecrandi ceremoniam neglexiſſe fertur, quod bonorum virorum iudiciis atque ſuffragiis contentum ſeſe diceret. Aliquanto poſt Arnolphus Malus, Bauariæ dux, rei ſummam ad ſe traducere cogitabat, & collectis vtrinque copiis, cum ad Ratisbonam eſſent ambo exercitus expediti, Cæſar illum ad priuatum colloquium euocat, & commemorans quemadmodum à pleriſque Germaniæ populis eſſet creatus Cæſar, dehortatus etiam ne tot hominum millia, in quibus plerique eſſent innocentes & ignari cauſſæ belli, velit periclitari, flexit eius animum, atq; ita diſceſſum eſt ab armis. Burchardus etiam Sueuiæ dux rebellarat, ſed territus potentia Cæſaris, in deditionem venit. Hungari Saxoniam denuo vaſtabant: capto autem ipſorum duce, nouem añorum pacti ſunt inducias. Cæſar deinde ad militiam inſtituto ſuo populo, Dalmatas debellat, Pragam vrbem & Venceslaum Bohemorum ducem capit, & vectigalem ſibi facit Bohemiam:

Hungaros,

Hungaros, finitis induciis denuo in Saxoniam irruentes, maximo prœlio vincit, & tributum, quod illis pendebant Saxones, in egenos diſtribuit.

Erat eius conſilii, proficiſci Romam ſed valetudine impeditus, filium ſuum natu maiorem Otthonem, imperii deſignat heredem. Is cum Bohemis, qui tum rebellabant, multis annis belligerauit: Hungaros etiam, quum apud Vangiones traiecto Rheno, Franconiam eſſent ingreſſi, Saxoniam inde populaturi, cædit atque fugat: Burgundiam ſibi ſubiugat: in Italiam deinde profectus magno cum exercitu, & debellatis Berengariis, alteram vxorem ibi ducit Adelheidam. Id ægre ferens Luitholdus filius, inſidias illi ſtruit, & paſſim multos habuit conſilii ſui adiutores, ac in his Conradum Sueuiæ ducem, ſororium ſuum: verum obſeſſus à patre Ratisbonæ & in anguſtias redactus veniam ſupplex petit, & impetrat. Poſt hæc, Hungari, vaſtata Gallia, maiore, quam vnquam antea, multitudine in Germaniam irrumpunt, & prope Vindelicorum Auguſtam, in ea planicie, quæ nomen habet à Lœcho flumine, caſtra faciunt. Eo Cæſar profectus, cum Saxonibus, Francis, Sueuis, Bauaris, Bohemis, poſt ancipitem multamque pugnam, ad internecionem prope cecidit hoſtem, aliquot ipſorum regulis in crucem actis. In Saxoniam reuerſus, ac rebus ibi conſtitutis, in Italiam denuo ſuſcepit iter, ſed ante profectionem, Othonem filium ſuum imperii collegam deſignauit. Vbi tandem Romam venit, concilium habet eique præfuit, & Iohannem XII. propter crimina loco remouit, & Leonem, eius nominis octauum inſtituit. Eius extat inſertum iuri pontificio decretum, vbi Adriani primi exemplo conferre ſe dicit *Othoni Cæſari, eiusq́; ſucceſſoribus in perpetuum, eligendi Papam, ordinandi ſedem Apoſtolicam & Epiſcopos confirmandi facultatem*: ſimul grauiſſimam pœnam iis conſtituit, qui non exſpectata Cæſaris approbatione, conſecrant Epiſcopos. En alterum decretum, ſuperioribus aliquot contrarium. Subiungitur poſt formula iuriſiurandi, quo Iohanni Papæ ferunt Othonem imp. ſeſe deuinxiſſe: verum, quis ille fuerit Iohannes, & quotus eius nominis, quotus etiam Otho, non additur. Sed profecto mirum eſt, res tam arduas tantique momenti tam eſſe negligenter conſcriptas. Quod ſi primus Otho ſic iurauit, eſt, quod ei ſtatim poſſit obiici. Quum enim in ea, quam diximus, formula iuret inter alia fore, vt nullum Papæ creet vitæ periculum, nec honorem etiam atque dignitatem abroget, quomodo conſiſtet, quando Iohannem, ſicut diximus, loco deiecit, & alterum inſtituit? Conciliet iſta, qui poteſt. Otho, propter motus, iterum in Italiam contendit, & rebus compoſitis domum reuertens, ad initiũ Maii mortuus eſt, & Magdeburgi ſepultus, anno ſalutis nongenteſimo ſeptuageſimo quarto. Propter rerum geſtarum amplitudinem & præſtantem virtutem vocatur *Magnus*.

Othoni ſecundo rebellabat Henricus Bauariæ dux, verum armis fuit ad officium adductus. Erat tum Galliæ rex Lotharius: fratrem huius Carolum Lotharingiæ Ducem, Cæſar conſtituit, ea lege, vt eſſet imperii beneficiarius. Nam prouinciam hanc a Carolo Simplici, Galliæ rege, Cæſar Henricus obtinuerat, vt tradunt annales, & ad poſteros ordine tranſmiſit. Hoc ipſum autem ægre ferens Lotharius, collecto repente exercitu Aquiſgrani celeriter accurrit, & inopinantem Cæſarem fere oppreſſerat. Cæſar eam contumeliam vlturus, cogit manus & Lutetiam vſque progreſſus, magna & illata, & accepta clade, pacem demum fecit. Domum reuerſus & inde Romam profectus, Græcis, qui Calabriam & Apuliam tenebant, bellum fecit, ſed amiſſo exercitu, per mare fugiens, & interceptus à pyratis, cum non agnoſceretur, depenſa pecunia dimiſſus eſt, ac Romam vbi reuertit, cum reliquiis copiarum Beneuentum obſidet, capit, incendit: neque multo poſt, in prœlio cum Græcis & Saracenis, telo ſauciatus, deceſſit è vita, Romæ ſepultus.

Ei ſurrogatur voluntate procerum Otho filius, inauguratus Aquiſgrani. Papam ille conſtituit Brunonem, hominem Germanum, Gregorium quintum: Creſcentius autem conſul Romanus Iohannem, Epiſcopum Placentinum, obduxit illi aduerſarium. Vbi Romam ergo Cæſar venit, Creſcentium ſociosque graui & ignominioſo ſupplicio afficit: Iohannem autem, eius nominis 17. oculis priuat. Et, quia propter ſucceſſionem imperii perpetuæ erant turbę, conſtituit, adiutore pontifice, *vt certi Germaniæ principes viri ius & poteſtatem deinceps haberent eligendi Cæſares*: ne quis videlicet dignitatem illam, velut hereditariam, poſthac inuaderet. Decretum hoc incidit in annum poſt Chriſti natalem circiter milleſimum. Regnabat tum in Galliis, Robertus, vir pacis amans & literarum. Annales eum celebrant, quod templa multa conſtruxerit & magnifice dotarit, quodque Romam adierit religionis cauſſa. Poloniæ duci, Boleslao, regiam dignitatem Otho Cæſar & immunitatem tribuit, vt ipſorum habent annales. Eſt igitur hoc illius regni principium. Ex Italia demum rediens Otho, in itinere mortuus eſt.

Poſt eum fuit Cæſar Henricus, eius nominis ſecundus, Bauariæ dux, Othonis magni Saxonum Ducis atque Cæſaris propinquus. Is pacatis in Germania rebus, & aduerſariis partim humanitate ſumma deductis ad amicitiam, partim debellatis, Italiam acceſſit, & Saracenis ereptam Apuliam imperio reſtituit. Conſecratus deinde à Benedicto VII. miſſo exercitu in Germaniam, ipſe per Sequanos profectus in colloquium venit cum Roberto Gallorum rege, firmata vtrimque amicitia. Fuit hic Eccleſiaſticis admodum gratus Cæſar, quod plurima in ipſos beneficia conferret.

Henrico mortuo, cum inter Principes Electores non conueniret, interregnum fuit aliquandiu: demum ſucceſſit Franconiæ dux, Conradus. Is Hungariæ regem Stephanum ad pacis conditiones adegit, & compoſitis Germaniæ rebus, in Italiam, vbi ad defectionem pleríque ſpectabant, contendit. Et primo quidem Mediolanum obſidet, poſtea Romam profectus, & à Iohanne XXIII. conſecratus, acclamante populo, ſalutatur Auguſtus. Mulctatis demum iis, qui res nouas moliebantur,

bantur, Italiam pacauit, & in Germaniam reuerſus, cum denuo per Italiam noui motus orirentur, profectus illuc, in coniurationis authores animaduer::it. in his erat Archiepiſcopus Mediolani. nec prius conquieuit, quam omnia ſuæ ditionis feciſſet. His rebus perfectis, domum reuerſus, Traiecti, quod eſt ad Batauorum fines oppidum, mortuus eſt.

Succeſſorem habuit de principum voluntate filium Henricum, eius nominis tertium, qui Bohemos rebellantes domuit, & vectigales fecit. Hungariæ regem Petrum, à ſuis eiectum aliquoties, reſtituit, totamque regionem pacauit, etſi non ſine magna ſuorum cæde. Romæ tum erant permagni tumultus, quia de pontificatu tres contendebant, & malis artibus omnia tentabant: Benedictus IX. Silueſter III. Gregorius VI. Eius rei cauſa, Cæſar eo profectus, & per obſidionem vrbe capta, conuentus agit, & Bambergenſem Epiſcopum Suitgerum conſtituit Papam: qui mutato nomine dictus eſt Clemens ſecundus, à quo deinde fuit ipſe conſecratus. Tunc ciues denuo iurarunt *in creando Papa, nihil niſi de Cæſaris arbitrio ſeſe facturos.* Pacata iterum Italia, quum in Germaniam veniſſet Cæſar, mortuus eſt Clemens Pontifex, & Bambergæ ſepultus. Quo cognito, Cæſar Bopponem, Friſingenſem Epiſcopum, illis conſtituit Papam. Is eſt Damaſus II. quumque & hic non amplius viginti tres dies præfuiſſet, mortuo ſuffectus eſt, mandato Cæſaris, Tullenſis Epiſcopus, Leo IX. Huius extat pars quædam Epiſtolæ, qua dicit *Epiſcopo, presbytero, diacono non licere cauſſa religionis vxorem deſerere, ſed æquum eſſe, vt quæ neceſſaria ſunt ad tolerandam vitam, ei ſubminiſtret: veruntamen, vt quum ea det operam liberis, minime licere, quum Paulus dicat, ſibi quoq; liberum eſſe non minus, quam reliquis Apoſtolis, vxorem circumducere.* quod quidem ille ſic interpretatur, *Apoſtolis ideo fuiſſe praſto ſemper vxores, vt ab iis, quos Chriſti religionem atq; fidem maritis docebant, vna cum ipſis alerentur, non autem vt coniugii munus exercerent, & in complexum venirent*: nam idcirco Paulum *circumducendi* verbo, non amplectendi voluiſſe vti. Anno ſupra milleſimum quinquageſimo Roma Leo profectus concilium habuit Epiſcoporum 42. Moguntiæ, præſide Cæſare. Triennio poſt mortuus, Eiſtetenſem Epiſcopum, Gebehardum, ita volente Cæſare, ſucceſſorem habuit. Is fuit Victor II. Cæſar in Italiam profectus, ac rebus ibi compoſitis in Germaniam reuerſus cumque Galliarum rege Henrico, eius nominis primo, colloquutus, in Saxonia mortem obiit, ſepultus autem Spiræ. Morienti aderat Papa, multique alii proceres.

Erat ei filius Henricus, adoleſcentulus admodum, ſed iam antea deſignatus Cæſar: adminiſtratio autem penes matrem erat, & Epiſcopum Auguſtanum. Non multo poſt moritur etiam Victor II. Papa, quum paullo amplius biennio præfuiſſet: ei ſucceſſit Fridericus, è familia Lotharingica dictus Stephanus IX. Eo, paucis poſt menſibus extincto Florentiæ, Benedictus quidam, auxilio ſuorum, inconſulto Cæſare, Papatum inuaſit eius nominis decimus. Romani factum hoc minime probabant, ſuique purgandi cauſſa, miſſis ad Cæſarem legatis, quam ipſius parenti fidem præſtitiſſent, eandem ei quoque deferunt, & vt legitimum aliquem Pontificem conſtituat, orant. Itaque deiecto Benedicto, Florentinum Epiſcopum Gerhardum Cæſar illis tribuit, qui fuit Nicolaus II. Rempublicam geri per feminam, Cæſaris matrem, vt ſupra dictum eſt, Germaniæ Principes moleſte ferebant: quapropter inuenta ratio fuit, vt ab illa diſtraheretur filius: quo facto, rei ſumma penes Moguntinum & Colonienſem Archiepiſcopum inprimis erat. Ab his nonnunquam adhibitus Bremenſis Archiepiſcopus Adelbertus, mire gratioſus regi adoleſcenti fuit: quumque ſolus illum poſſideret, bona ſacra ſibi ſuiſque diſtribuit, abbatias inprimis: &, vt minori flagraret inuidia, Cæſari perſuaſit, vt aliis etiam principibus illas conferret. Interea Nicolaus II. moritur, cui Parmenſem Epiſcopum Cæſar ſubſtituit: & quia ſenatui Romano nihil communicauerat, ideoque ad turbam res ſpectabat, Lucenſis Epiſcopus fuit electus, Alexander II. Dimicatum quidem fuit inter eos acerrime, ſed Alexander tamen, ſuperior armis rem obtinuit. Bremenſis Archiepiſcopus, quum ſolus adminiſtraret apud Cæſarem omnia, collegas in ſe concitauit Epiſcopos, ab iiſque demum fuit eiectus: & quamquam loco deinde reſtitutus fuit, tamen non diu ſuperuixit, & Cæſar neceſſitate coactus, quum de Reipublicæ ſtatu plerique omnes quererentur, Colonienſem Archiepiſcopum, Annonem, vt procurationem ſuſciperet, orabat. Is autem, quum inſolenter & inique multa fieri videret, excuſans ætatem & valetudinem, munus ei poſtea reſignat. Tunc vero Cæſar XXII. annorum adoleſcens, natura procliuis in vitia, magis etiam laſciuire cœpit: & quum vxorem Bertham alioqui non amaret, multas fouebat concubinas; deinde, paſſim in Saxonia caſtellis excitatis, in ſeruitutem eos redigere cogitabat, neque ſuos adminiſtros, qui libidinoſe multa facerent & inſolenter, coercebat. Saxones igitur tam proceres, quam Epiſcopi, ſancito fœdere, de vindicanda libertate, arma capiunt, quæ vix tandem, poſt multam interceſſionem depoſuerunt, cum poſtulatis eorum ille ſatisfeciſſet, fuga nocturna vix elapſus. Alexandro II. mortuo, Romani proceres, inconſulto Cæſare, ſubſtituerunt Hildebrandum, qui Gregorius dicitur, eius nominis ſeptimus. Eo cognito, Cæſar per legatos cum illis expoſtulat: ſimul Papam, vt ſibi de eo ſatisfaciat, monet. Ille, ſe inuitum, nihilque tale cogitantem, ad hoc munus eſſe pertractum, nec inaugurari voluiſſe reſpondet, ante, quam ipſe, ceterique Germaniæ principes electionem approbaſſent. Ita Cæſarem placauit, & ipſius voluntate poſtea fuit confirmatus. Miſſis deinde legatis in Germaniam, Epiſcopis aliquot, ſynodum per illos habere volebat: Epiſcopi vero noſtrates illud recuſabant, quod contra morem & nationis priuilegium eſſe dicerent. Quum hoc non ſuccederet, conciliis aliquot habitis per Italiam, decernit,

decernit, *ne ſacrifici habeant vxores, verum vt eas ab ſe dimittant, aut loco decedant.* Hoc ſuum decretum, in Germaniam emiſſum ad Epiſcopos, vrgebat omnino ſanciri, conſtituta pœna: clerus autem, vti vocant, & ſacrificorum turba ſtrenue reclamabat, hæreticum vocans, qui tam impium dogma proponeret: Chriſti dictum videlicet eſſe, quod *non omnes verbum iſtud capiant*: Pauli dictum eſſe, vt, *qui non continent, vxorem ducant*: iſtum autem, poſthabito Chriſti verbo, & contempta Pauli authoritate, velle homines cogere, vt legitimum & à Deo ſancitum vſum matrimonii proiiciant, & turpiſſimis flammis vrantur, & in manifeſta flagitia ruant: ſe potius ab Eccleſiæ miniſterio diſceſſuros, quam à matrimonio. Quum ille nihilo ſecius identidem miſſis internunciis, rem vrgeret, & acriter inſtaret, Moguntinus Epiſcopus ei morem gerere cogitabat: & primo quidem leniter ſuos monebat: poſt autem Erphurdiæ habito concilio, plane rem conficere volebat: ſed parum abfuit, quin impetu facto trucidaretur. Interea Cæſar, vt anni ſuperioris ignominiam vlciſceretur quando circumſeſſus à Saxonibus, fuga ſibi ſalutem nocturno tempore quæſierat, arma parat, &, rupta pace, quam anno ſuperiori fecerat, quantas omnino poteſt, copias colligit, & menſe Iulio, Saxones, qui crebris legatis pacem fruſtra ſollicitarant, aggreſſus, ingenti prœlio vincit, non abſque magna clade ſuorum, deſideratis ex prima nobilitate non paucis. A victoria progreſſus, longe lateque fines eorum populatur, & per internuncios, vt ſeſe dedant, hortatus, à ſua benignitate ſperare omnia iubet, ſed id fruſtra fuit, tametſi pauci quidam obtemperarunt. Saxonicum bellum gubernabant inprimis Halberſtadienſis Epiſcopus, Bucco, & Bauariæ dux Otho, profligatus a Cæſare. Moguntinus iterum ſollicitatus à Gregorio VII. concilium alterum habet, deque cleri cœlibatu denuo proponit: ſed eodem modo fuit exceptus, vt nuper, inque magno verſabatur vitæ diſcrimine. Quare cogitationem hanc omnem ſibi deponendam eſſe iudicabat. Saxonibus profligatis, exercitum Cæſar dimiſerat, & principes auxiliares: verum ea lege tamen, vt ad vndecimum calendas Nouembris iterum ſibi præſto eſſent armati. Cum is dies veniſſet, aderant pleríque, & in his Epiſcopi multi, ſed non eo numero, quo prius. Ibi denuo Saxones de pace legatos mittunt, poſitis caſtris apud Northuſium: Cæſar hanc vnam eſſe pacis rationem oſtendit, ſi ſeſe dedant: & quamquam illi quiduis facturi potius viderentur, quam hoc ipſum, tamen, quum interceſſores & legati à Cæſare miſſi viri principes ampliſſime illis pollicerentur, fore nimirum, vt neque libertatis, neque bonorum facerent vllam iacturam, aſſenſerunt tandem, inque poteſtatem eius venerunt, Magdeburgenſis, Halberſtadenſis Epiſcopi, Bauariæ dux Otho, Saxoniæ dux Magnus, Fridericus Comes Palatinus: deinde ex reliqua nobilitate quam plurimi. Cæſar initio quidem cuſtodias illis poſuit, non illiberales, verum poſtea diſcedens à pactis, in diuerſa loca iuſſit eos deportari. Bauariæ vero Ducem Othonem deinde non ſolum liberauit, ſed perfamiliarem etiam habuit; reliquos autem, neque miſſos fecit, & ipſorum bona dedit aliis diripienda: deinde nouis caſtellis atque propugnaculis extructis, omnino ceruicibus imminebat & libertati Saxonum: toti vero adminiſtrationi per ſuam abſentiam præfecit Othonem Bauarum, qui genus ducebat è Saxonia. Bambergenſibus deinde conſtituit Epiſcopum, & Colonienſibus: & Fuldenſibus Abbatem. Delatus autem iam pridem ad Papam fuit, hoc nomine potiſſimum, quod præfecturas Eccleſiaſticas diuenderet: itaque per legatos pontifex eum citat, vt intra certum diem Romæ ſit præſto, cauſſamque dicat. Ille autem Wormatiæ conuentus agit Epiſcoporum & Abbatum: ibi decernitur, *quia malis artibus ad Pontificatum ille perueniſſet, remouendum eſſe loco*: ſimul per legatos hoc Romam enunciatur. Sed Pontifex nihil eo commotus, & illum excommunicat, & Moguntinum, & Traiectenſem, & Bambergenſem Epiſcopos inprimis, quum antea quoſdam eius familiares excommunicaſſet, quorum conſiliis putabat eum ad eiuſmodi res impelli. Porro, Germaniæ Principes aliquot vehementer offenſi moribus ingenioque Cæſaris, præſertim quod præter datam fidem Saxones odio tam obſtinato perſequeretur, coniurant in illum, eoque magis, quod ei ſacris eſſet interdictum: ideoque captiuos deditítios, quorum ipſi cuſtodiam haberent ab Cæſare demandatam, dimittunt, quod nulla fide ſe putarent ei deuinctos. Eodem tempore quidam ex nobilitate per Saxoniam concitatis aliis, & in ſuas partes adductis, caſtella paſſim extructa, partim vi & imperio, partim deditione capiunt, & præſidiarios dimittunt incolumes iureiurando prius obſtrictos, ne poſt in Saxoniam militarent. Eo cognito, Cæſar aſtuto quodam conſilio, reliquos principes captiuos vltro dimittit, vt in Saxoniam reuerſi, fidelem operam ei præſtarent in plectendis rebellibus: nec enim alia ratione facilius ad optatum finem ſe poſſe peruenire videbat, quam ſi factiones inter ipſos excitaret, & alteros ab alteris diuelleret: Sed non reſpondit euentus: nam domum illi reuerſi, quod perſpectum haberent eius ingenium, coniunctis animis & viribus, pro communi libertate ſibi pugnandum iudicabant: idem quoque Dux Otho fecit, illo deſerto: quumque bonæ ſpei plenus per Bohemiam Cæſar in agrum Miſenum irruiſſet, Bohemicis copiis adiutus, certior factus de concordia Saxonum, & exercitu iam inſtructo, rebus deſperatis abiit. Tunc demum Germaniæ Principes, conſtituta die, maximo numero conueniunt: venit etiam eo legatus Papæ, & cauſſis explicatis, quamobrem eſſet excommunicatus, hortabatur eos, vt alterum crearent, quod illi ſua ſponte facturi erant alioqui. Nam inde à teneris annis repetita Cæſaris vita, labem & dedecus & opprobrium imperii illum eſſe demonſtrant: & quia grauiſſimis cladibus Rempublicam affecerit, abrogandum ei magiſtratum eſſe decernunt. In his anguſtiis ille poſitus, deprecari cœpit per legatos, atque ſupplicare. Poſt multam actionem hæc ei condicio proponitur: *iudicio ſe ſiſtat, & cognitioni ſubiiciat Papæ, quem Auguſtam euocaturi ſint ad calendas Februarias*; *abſolutionem impetret illius ante*

diem anniuerſarium excommunicationis: niſi faciat, tota cauſa ceciderit: copias dimittat: Spiræ priuatus interim viuat, parua cum familia: publicam rem nullam gerat, neque faſces, vel imperii ſibi ſumat inſignia, donec legitime ſit deciſa controuerſia. Recipit ille condicionem, & Spiræ dum eſſet, conſilium init adeundæ Italiæ, quo Papam ſibi mature placaret. Ingreſſus iter cum vxore & filiolo, per Burgundiam atque Sabaudiam, hyeme aſperrima, non ſine ſumma difficultate, vitæque periculo vix tandem in Italiam deſcendit, amanter exceptus à Magnatibus & Epiſcopis eius regionis, quod animo in pontificem irato illum eo veniſſe putarent. Pontifex interim, Germaniæ Principum rogatu, ſuſceperat iter, & progreſſus aliquo vſque, de Cæſaris aduentu cognoſcit. Itaque ſubſiſtit, vt eius rei cauſſam intelligat. Cæſar deinde, miſſa legatione ſplendida, & in hac, fœminis aliquot illuſtribus, quas inter vna ferebatur obſequentior eſſe Papæ, de abſolutione pontificem orat: grauate quidem ille primo, neque ſibi licere quidquam in eo facere dicebat, niſi coram adſint accuſatores: poſt multam actionem expugnatus demum precibus, non abnuit. Cæſar autem, antequã in illius conſpectum veniret, totum triduum permanſit in arcis, vbi pontifex erat, area & veſtibulo, tenui, ſimplicique cultu, depoſitis regiis inſignibus, nudis pedibus, & ad veſperam vſque ieiunus. Quarto demum die admiſſus eſt: ibi tum has ei leges Papa proponit: *ſiſtat ſe cognitioni ſuæ: reſpondeat accuſationibus principum: conuictus ab imperio decedat: neque vindictam vllo tempore moliatur: interea viuat priuatus: neque publico nomine aliquid gerat: fidem etiam & iuſiurandum ſuis remittat: conſiliarios & familiares ab ſe remoueat: ſi quid contra faciat, nullum fore quod nunc ei detur beneficium, & principibus futurum eſſe liberum, vt mox alium ſibi deligant.* Has leges vbi probaſſet ille, Papa miſſificat: & vt de criminibus intentatis ſeſe purgaret, panem azymum, quem *corpus Domini* vocant, ſumit, magnis imprecationibus caput ſalutemq; ſuam deuouens, niſi conficta ſint ab aduerſariis omnia: deinde Cæſarem, ſi principum criminationes obiectas eſſe falſas, & iniuriam ſibi fieri putet, hortatur vt idem ipſe faciat, & alteram conſecrati panis particulam ſumat: quum autem ille excuſaret, neque ſe commode iam hoc poſſe facere doceret, nihil amplius vrgebat Papa, ſed exceptum conuiuio perhumaniter dimiſit. Ea re cognita, proceres Italiæ vehementer offenſi fuerunt, quod tam fœde, tamque indigne ſe ſubmiſiſſet illi, qui peſſimis artibus Papatum inuaſiſſet, qui cædibus & adulteriis omnia polluiſſet: in ipſo, qui iuſtitiæ ſit patronus, & ara præſidiumque legum, omnem ſeſe ſpem habuiſſe collocatam, & non ſolum excommunicationem contempſiſſe, verum etiam in eius gratiam acres cum Papa exercuiſſe inimicitias: nunc vero ipſum turpiſſimo plane ad omnem poſteritatem exemplo, grauem hanc & indelebilem imperio maculam inuſſiſſe, cumq; publico tam Eccleſiæ, quam Reipublicæ hoſte in gratiam rediiſſe. Hæc & id genus alia multa iactabant, deque filiolo Cæſaris eligendo, Romamque traducendo, & deiiciendo pontifice cogitabant. Cæſar, eo cognito, nulla ſe ratione melius poſſe placare illos videbat, quam ſi à pactione diſcederet, & ipſis coniungeretur. Quod cum faceret, pontificis conſilia plane turbauit, ſic vt ille ſuſceptum in Germaniam iter omittere cogeretur. Quod ergo proximum erat, Germaniæ principibus, quid actum eſſet per legatos nunciat, vtque Reipublicæ prouideant, hortatur. Fuit hoc anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo ſeptimo. Principes ergo Rudolphum Sueuiæ ducem, creant Cæſarem: eum conſecrat Moguntinus. In Germaniam autem reuertens Henricus colligit copias: idem facit Rudolphus, qui Saxonum auxiliis potiſſimum nitebatur, & tertio conflictu grauiter vulneratus, non multo poſt è vita deceſſit. Henricus ab ea victoria conuentus agit Brixiæ: fit decretum ab Epiſcopis, qui aderant, tam Italis quam Germanis, *Gregorium non eſſe legitimum vrbis Romæ Epiſcopum.* Itaque ſurrogatur in eius locum Archiepiſcopus Rauennas, Victor III. Eo facto decreto, Cæſar Romam contendit, Gregorium obſidet, fuga tandem dilapſum: Victorem III. confirmat, ab eoque conſecratur. Gregorio mortuo, qui fuit alter ab eo Pontifex, Vrbanus ſecundus, Gergouiæ, Aruernorum oppido, Claremontium vulgo vocant, vbi conuentus erat multorum procerum, Philippo, eius nominis primo in Galliis regnante, bellum Saracenicum perſuadet: cuius deinde fuit imperator, Godefridus Bulionius, qui feliciter multa geſſit, ac Hieroſolymam recuperauit.

Vrbani ſucceſſor, Paſchalis II. infeſtus quoque Cæſari fuit. Profecturus igitur eius rei cauſſa in Italiam, filium ſibi ſucceſſorem Cæſar deſignat. Is autem extimulatus ab aliis, & oblitus officii, quod natura nobis inſitum eſt, in ſummas anguſtias parentem coniecit, & abdicare ſe magiſtratu coëgit: quum & Papam & pleroſq; Germaniæ principes haberet ſui conſilii factique ſocios. Itaq; Cæſar factus eſt, eius nominis quintus, patre Leodii poſt mortuo in ærumnis. Aliquot poſt annis in Italiam vadit ingenti cum exercitu, vt diſſidium, quod erat inter Rempublicam Imperii & pontificatum, componeret, & ferro patefacta ſibi via Romam demum venit. Cæterum, inde à Conſtãtino, Cæſares conferebant honores ac dignitates Eccleſiaſticas: id autem ægre tandem tulerunt pontifices opibus amplificati, quaſi rem indignam, eaque de cauſſa plæreque ſimultates omnes inter ipſos exarſerunt. Hic ergo Cæſar, quum ius atque poteſtatem ſuam vrgeret, magnus eſt Romæ natus tumultus, ita quidem, vt excitatus noctu Cæſar, ſubuenire ſuis, qui paſſim cædebantur in vrbe, cogeretur. Profligatis autem factioſis Paſchalem II. capit, neque prius, quam ſibi factum eſſet ſatis, dimiſit, ſancito fœdere: ſed reuerſo in Germaniam Cæſare, Pontifex à pacto diſcedit, quod ſanctiſſimis verbis iurauerat, & Cæſarem excommunicat. Ea res multos Germaniæ Principes ad rebellionem commouit, & in his præcipue Moguntinum. Cæſar in Italiam profectus, legatos ad pontificem mittit de pace, ſed inter agendum moritur pontifex: ei ſuccedit Gelaſius II. Cæ-

ſar quod de electione non eſſet interpellatus, Romam venit, & alium conſtituit: Gelaſius eiectus, Cæſarem & Papam ab eo conſtitutum excommunicat: quum que per Germaniam eius legati defectionem ſuaderent, ac principes idcirco conueniſſent, domum redire Cæſar coactus eſt: ſed interea mortuo Gelaſio, Romani Calixtum II. eligunt. Is loco deturbat eum, quem odio Gelaſii Cæſar creauerat, & intercedentibus nonnullis, cum Cæſare tranſigit.

Henrico V. ſuccedit Lotharius eius nominis tertius, è Saxoniæ Ducum familia. Hunc Sueuiæ Dux Conradus oppugnabat, indigne ferens ad Saxones rediſſe rerum ſummam, & in Italiam profectus, occupandi regni cauſa, cum interim Lotharius Germaniam teneret, deſtitutus auxiliis, domum rediit, pacemque cum Cæſare fecit. Erat tum Romæ Pontifex Innocentius II. Huic aduerſabatur Anacletus: & quoniam ampla natus erat familia, cedere fuit coactus Innocentius: verum implorato Cæſaris auxilio, reſtitutus eſt. In Germaniam reuerſus, & ibi rebus compoſitis, in Italiam redit Cæſar ingenti cum exercitu: ciuitates aliquot rebellantes domat, & in his Anconã atque Spoletum: Siciliæ regem Rogerium ex Apulia & Campania profligat, & inde à Carolo Magno vix alius maiora per Italiam egiſſe fertur. In lucem quoque tunc reuocatum fuiſſe traditur, bellorum tempeſtatibus oppreſſum Ius ciuile, quod Iuſtiniani Cæſaris mandatu conſutum eſſe diximus.

Succeſſorem habuit Conradum Sueuiæ Ducem. Bauariæ Dux tum erat Henricus, cognomento Superbus, & idem Saxoniæ Dux per matrimonium, quod Lotharii Cæſaris eſſet gener. Is Imperium affectans, & multa molitus in Cæſarem, proſcriptus fuit, eiuſque poſſeſſiones aliis conceſſæ. Henricus autem recuperata Saxonia, quum in Bauariam contenderet, mortuus eſt relicto filio: in cuius gratiam Saxones rebellabant Cæſari, nec id modo, verumetiam Welpho, Henrici mortui frater, armis ſibi vendicabat Bauariam, eiecto Lupoldo, cui Cæſar eam prouinciam dederat. Paulo ante diximus, quemadmodum regem Siciliæ Rogerium Cæſar eiecerit, quum autem ad hunc modum tumultuaretur Germania, Rogerius occaſionem nactus, inuaſit Siciliam, & Cæſaris præfectum exturbat: deinde Welphonem magnis inſtigat pollicitationibus, vt pergat faceſſere negocium Cæſari: facit idem Hungariæ rex, & ipſe Cæſarem metuens. Tandem profectus in Saracenos & amiſſo exercitu, domum reuerſus, quum in Italiam proficiſci cogitaret rebus omnibus inſtructis, Bambergæ mortuus eſt.

Succeſſit ei fratris filius, Fridericus Aënobarbus, Sueuiæ dux, eius nominis primus, heroici vir ingenii. Is initio regni, Principes Germaniæ pacauit, & diſſidium illud, quod erat de Saxonia Bauariaque ſuſtulit, poſt magno cum exercitu Italiam adit: Veronenſes, à quibus erat contemptus, mulctat, & exempli cauſſa primis aliquot laqueo gulam frangit. Circa Placentiam excubias ſibi fieri iubet, à principibus omnibus, imperii beneficiariis: Mediolanum obſidet, Aſtam diruit, Dertonam complanat. Romam profectus conſecratur ab Adriano IV. ciues tumultuantes opprimit: Spoletum euertit, vaſtamque cædem facit: Langobardos domat, & ſuperatis inſidiis, quas Veronenſes ei collocauerant, in Germaniam redit: Palatinum Principem, qui ſe abſente turbas excitauerat, ignominioſe mulctat: Bohemiæ Ducem conſtituit regem. Interea Mediolanenſes multa ſuperbe faciebant in vicinos, & Dertonam à Cæſare dirutam, reſtaurabant: itaque cum ingenti exercitu reuerſus, Mediolanum expugnat, adiutus à Cremonenſibus, à Papianis, & Nouarianis: capta vrbe, parcitum eſt multitudini, Principum Germaniæ interceſſu, quibus illi ſupplicauerant. Longobardia tota in ſuam poteſtatem redacta, legibuſque conſtituta ciuitate, diſcedit ad alios ibi populos. Poſt eius abitũ illi rebellant, leges præfixas contemnũt, munitiones ab eo factas demoliuntur: rurſus igitur eo profectus, agrum totum populatur, &, quidquid ipſorum ditionis erat, euertit. Interea graues fiunt aduerſus illum per Italiam conſpirationes: in his etiam erat is, quem diximus, Adrianus Papa, qui quum plane ſtatuiſſet eum excommunicare, mortuus eſt. In Italiam tertio profectus Cæſar, Mediolanum funditus euertit, rebellionis authores capite mulctat, reliquam multitudinem in exilium ire cogit, &, Romam obſidens, magnam exercitus partem ex morbi contagione deſiderauit. Soluta igitur obſidione, &, per Hetruriam collocatis præſidiis, Spoleti, Anconæ, Rauennæ conſtitutis pro ſuo arbitratu, qui Rempublicam gererent, in Germaniam redit. Adriano pontifice mortuo, duo de principatu contendebant, abſente Cæſare, Victor & Alexander III. In Victorem Cæſar quidem magis inclinabat: ſed Alexander, competitorem, poſt etiam, augeſcente diſſidio, Cæſarem excommunicat. Eam occaſionem, conſpicati Mediolanenſes rebellionem faciunt, Cæſariſque præfectos in multis Italiæ locis eiiciunt, quoſdam etiam laqueo ſuſpendunt. Regreſſus igitur in Italiam dubio marte cum illis confligit: pontifex belli ſocius profugit Venetias. Facta demum pace per inducias, in Aſiam profectus, aduerſus Chriſtianæ religionis hoſtes, & oppreſſus impetu fluminis in quod lauandi cauſſa ſeſe dimiſerat, periit.

Succeſſor ei fuit filius, Henricus, eius nominis ſextus. Is, mortuo Siciliæ rege Gulielmo, Rogerii filio, quum in Italiam ſecundo veniſſet, Apulia & Calabria deuictis, Neapoli quoque capta, Siciliam domat, magnis ibi relictis præſidiis, propter mobile gentis ingenium. Deinde Rauennæ & Anconæ, perque Apuliam & Hetruriam, optimates conſtituit: quum deinde filium ſuum Fridericum, adhuc infantem, imperii ſucceſſorem deſignaſſet, de voluntate Germaniæ Principum in Siciliam profectus, vitam finiit. Et, quoniam ætate puer erat Fridericus filius, vt dictum eſt, plerique omnes, Philippum, eius patruum ſuſcipiendum iudicabant: ſed vehementiſſime Romanus

pontifex

pontifex obſtabat, Innocentius III. Diuiſis autem Principum animis, quum hi Philippum, alii vero Saxoniæ Ducem Othonem crearent, magnus ex ea re motus fuit exortus, præſertim ad oram Rheni. Philippus vero, partim armis, partim humanitate ſumma deduxit aduerſarios ad officium: ac deinde pacem cum Pontifice quoque fecit, quem expertus erat infeſtiſſimum.

Occiſus deinde in cubiculo, ſucceſſorem habuit eũ, de quo diximus, Othonem, Saxoniæ Ducem, qui in Pontificis odium incurrit, quem prius habuerat amiciſſimum. Tandem etiam excommunicatus ab illo, ideoque habitis comitiis, Principes electores à pontifice ſollicitati, vt alium crearent, Henrici ſexti filium, Siciliæ Regem, Fridericum, cui fidem dederant adhuc infanti, vt paulo ſupra diximus, euocant è Sicilia. Occurrit quidem illi Cæſar Otho cum exercitu ad Rhenum vt tranſitu prohiberet: ſed eiectus & in Saxoniam reuerſus, mœrore, vt creditur, interiit.

Atque ita Fridericus eſt factus Cæſar, eius nominis II. Friderici Aënobarbi Cæſaris è filio nepos. Innocentius III. de quo dictum eſt ante, concilium habuit Romæ, Lateranenſe vocant: ibi decretum inter alia fuit: *Vt chriſma ſimul & Eucharistia*, quam dicunt hoſtiam, *ſub claui ſeruentur: vt quotannis priuata fiat confeſſio peccatorum: vt electio, facta per ciuilem magiſtratum in ſacris beneficiis, vim nullam habeat: ne, qui ſunt ordinis Eccleſiaſtici, fidelitatem iis, qui laici dicuntur, ſine cauſſa promittant: ne conſtitutiones principum Eccleſiis præiudicent: vt ab omni contributione ſint immunes Eccleſiaſtici: ne tributa ſoluantur ante decimas: ne diuorũ reliquiæ monſtrentur extra capſulã.* Adhæc, graue tum erat inter Græcos atq; Latinos diſſidium: nã ſuper quibus aris Latini miſſificaſſent, eas cõtrectare Græci nolebãt, niſi prius lauiſſent eas & expiaſſẽt: deinde baptiſatos à Latinis rebaptiſabant. Fit ergo decretũ, vt ad Eccleſiã Romanã matrẽ ſuam reuertãtur, quo ſcilicet ouile ſit vnum & vnus paſtor: niſi pareant, excõmunicati priuantur ordine. Romã profectus Fridericus, ab Honorio III. conſecratur. Qui paſſim erant per Italiá rebelles, domat, quoſdam aũt proſcribit. Ex iis nonnulli Romã confugiunt, & Pontificis opem implorant. Ea res maximi diſſidii dedit occaſionem: nam ſuos aduerſarios habere portum ibi atque domicilium, Cæſar moleſtiſſime tulit. Gliſcente odio, filium ſuum Henricum de conſilio Principum deſignat imperii ſucceſſorem, & Principes Cremonam euocat ad conuentum: ſed cum aditu prohiberentur, factione pontificis & Langobardorum, in Apuliam Cæſar reuertit, & aliquanto poſt moritur Pontifex, eique ſuccedit Gregorius IX. qui Cæſarem excommunicat, quod profectionem in Turcas, cui ſe voto aſtrinxiſſet, non ſuſciperet. Cæſar deprecatus offenſionem, ſeſeque purgans, cum nihil proficeret, Romam petit, pontificem deiicit, eiuſq; ſocios grauiter mulctat, & altero indicto Rauennæ conuentu impeditur à Pontifice profugo, qui paſſim ei multos excitauerat aduerſarios. Mortua demum vxore, Cæſar, vt promiſſa præſtaret, ac Reipublicæ conſuleret, profectionem in Aſiam ſuſcipit: per ipſius abſentiam vero pontifex bellum facit, & Apuliam occupat. Re feliciter geſta, multiſque locis recuperatis, & in his Hieroſolyma, certior factus de Italiæ ſtatu, Cæſar, pactuſque cum hoſte decem annorum inducias, redit cum exercitu, ſuaque facile recuperat. Pontifex nouo fœdere ſe communit Italiæ procerum, quos Cæſar mulctauerat, ac deinde ruſus eum excommunicat, quod cum hoſte pepegiſſet. Cæſar, quietis amans, per legatos agit de pace, quam vix demum impetrauit, ac in Germaniam idcirco redit. Pontifex autem, quum naturam mutare non poſſet, vaſtato Viterbio, Cæſarem ruſus excommunicat. Ea re commotus vehementiſſime Cæſar, fremens & iratus in Italiam redit: per Hetruriam, per Vmbriam, per Longobardiam, per oram Paduanam, mulctat omnes rebelles: pontifex idcirco ingeminat excommunicationem, & Venetos fœdere ſibi coniungit. Cæſar per Italiam graſſatus, & pleriſque omnibus ad officium reductis, Romam obſidet, neque multo poſt moritur Gregorius Pontifex, cum Rauennam ſuos euocaſſet ad concilium, quo tàmen illi, viis omnibus obſeſſis à Cæſare, peruenire non poterant: quidam etiam capti fuerunt.

Hic ille eſt, qui *Decretales*, vti vocant, *Epiſtolas* conſarcinauit, magnam iuris pontificii partem plurimis onuſtam commentariis. Qua quidem in re mirum videri poſſit, eſſe homines, qui tantum elaborare velint, vt ea, quæ parum apte, perperam etiam & minus prudenter atque pie, ſed & ridicule dicta ſunt, tamquam oraculum aliquod mordicus arripiant, & in iis interpretandis, enucleandis, veſtiendis, omnem operam & ætatem conſumant, quaſi eo conducti eſſent, vt alienam ſtultitiam & errorem, vigiliis & labore ſuo maximo defendant, & in alterius impudentia, ſui pudoris exiſtimationem amittant. Illud quod *Gratiani decretum* vocant, diuerſis locis habet inter alia: *Sequendam eſſe regulam Eccleſiæ Romanæ, quæ ſit beati Petri ſedes: Non licere concilium habere, niſi permittente Romano pontifice. Leges Eccleſiæ Romanæ ſeruandas eſſe, tamquam ipſius Petri voce pronunciatas. Quod Eccleſia Romana iugum imponit, etiamſi tolerabile non ſit, eſſe perferendum. Eccleſiæ miniſtros debere caſtitatem promittere, ne videlicet ducant vxores: Ei, qui non habet vxorem, licere concubinam habere. Papam in ſuo munere negligentem & remiſſum, nocere quidem, tum ſibi, tum aliis, verumtamen à nemine poſſe iudicari, quod omnes ipſe iudicet. Imperatorem debere ſubeſſe Papæ, non præeſſe. Reliquos omnes mortales ab hominibus iudicari, Papam vero, Petri ſucceſſorem, à ſolo Deo. Papæ licere populum eximere à fide iureiurando, quo principi ſuo tenentur.* In Gregorii Decretalibus epiſtolis, & Sexto Bonifacii & Clementinis, & Extrauagantibus, vti vocant, eſt inter cetera: *Decretis conciliorum auctoritatem Papæ non ſubiici: Pontificis eſſe, Cæſarem electum approbare, vel minus idoneum reiicere: Duo præeſſe mundo luminaria magna, Solem atque Lunam: Solis loco Papam eſſe, Cæſarem vero Lunæ: De adulterio & aliis criminibus, quod minora ſint, Epiſcopis licere cum iis, qui deliquerunt agere remiſſius: De Eccleſiæ Romanæ priuilegiis Papam ſolum cognoſcere: Excommunicatorum oſſa iam ſepulta*

debere

debere exhumari & proiici. Papæ licere, imperatorem remouere loco & magiſtratu. Cæſarem teneri, vt fidem & fidelitatem pontifici præſtet, per iuſiurandum: Eccleſiaſticos oportere ſolutos ac liberos eſſe ab omni ſumptu, moleſtia, munere: Poſt mortem poſſe aliquem declarari hæreticum, eiuſque bona publicari. Filios hæreticorum ad præfecturam vllam ciuilem, aut ſacram non debere admitti: Ad ſalutem eſſe neceſſarium, vt omnes homines Pontifici Romano ſubſint. Hæc paucula, ex ingenti aceruo deſumpta, cuiuſmodi ſint, nemo ſanæ mentis eſt, qui non videat. Lex eſt, vt eam definiunt homines doctiſſimi, ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Lex autem omnis ad communem vtilitatem referri, & legislator ſic erga multitudinem atque Rempublicam affectus eſſe debet, vt pater ſuos erga liberos: quid autem in iis, quæ dicta ſunt, ſimile apparet? Ea vero non excuſare tantum, ſed etiam veſtire, & ornare, & illuſtrare nouis commentationibus, & quiduis dicere potius, quam pati dignitatem illorum imminui, quæſo, cuius hoc eſt impudentiæ, ne quid grauius dicam? Si faſtus & auaritia, & dominandi cupiditas, & litterarum inſcitia perſuaſit illis, vt eiuſmodi facerent decreta, ſi ſententiis ipſi variant, nec alii volunt aliorum aſtringi legibus, quod pari ſint poteſtate prædıti, quæſo, cur te maceras, vt diſtorta & repugnantia componas & concilies? Omitto pelagus illud aut ſentinam verius, eam videlicet iuris Papiſtici partem, quæ beneficiorum, vti vocant, & bonorum ſacrorum nundinationem continet. Quis enim fraudes atque technas enumerare poſſit? ne ipſi quidem, qui plurimis annis in eo mercaturæ genere verſati ſunt, ſatis etiam omneis intelligunt aut norunt, quando nouæ ſemper excogitantur: ſed hoc argumentum & tempus aliud, & librum ſingularem poſcit: nunc ad propoſitum redeamus.

Vt Fridericus Cæſar, ita Galliæ quoque Rex Ludouicus, eius nominis nonus, in Syriam & Ægyptum cum exercitu penetrauit, & poſt in obſidione Tunetæ vrbis vitam finiit, anno ſalutis M.CCLXX. Eo regnante, Guilielmus, Epiſcopus Pariſinus, quæſtionem propoſuit de beneficiis Eccleſiaſticis. re palam diſceptata vicit ea ſententia, non eſſe fas cuiquam habere plus vno: ſed eiuſmodi decreta ſatis eſt recitaſſe tantum atque ſcripſiſſe. Gregorio ſucceſſit Innocentius IV. ad quem velut hereditaria ſucceſſione, venit odium Cæſaris. Itaque Lugduni indicto concilio, Cæſarem euocat: non venientem excommunicat, dignitate priuat, hortatus Germaniæ Principes, vt alium eligant: & hoc quidem decretum eſt, inter alia, typis excuſum, quemadmodum & Cæſaris quædam extant ad diuerſos Reges Epiſtolæ, quibus & pontificum iniquitatem, & ſuam prolixe demonſtrat innocentiam. Decreuerat Cæſar proficiſci Lugdunum & periclitari fortunam: ſed orta denuo rebellione per Italiam, vires omnes eo conuertit, & quum minus feliciter res gereretur, in Apuliā reuerſus, cœpit languere, ac demum mortuus eſt. Alii periiſſe veneno, alii ſtrangulatum fuiſſe dicunt à filio ſuo notho, Manfredo, qui Italiam poſt inuaſit. Erat tunc magni nominis Azo iureconſultus, quem deinde ſequuta fuit ingens illa ſcriptorum turba, qui, violato Iuſtiniani Cæſaris edicto, graui quidem illo atq; ſeuero, mundum retulerunt innumerabilibus libris, vnde nunc petenda ſunt ea, quæ veteres illi copioſiſſime doctiſſimeque tractarant. Nam aliorum alii ſcrinia compilant: neque ſcribendi finis eſt vllus aut modus, & opinionibus contrariis omnia redundant, vt propter locum hic habeat, quod ſenex ille dicit, quum treis de Iure conſuluiſſet: *Feciſtis probe, incertior multo ſum, quam dudum.* Omitto technas, quæ plures quotidie excogitantur. Plane enim hic accidit, quod Comicus inquit, vt in aſtu veniat aliud ex alio malum. Præclare multa legibus eſſe conſtituta, ſed ea Iureconſultorum ingeniis pleraque corrumpi Cicero queritur atque deprauari: quid ſi nunc viueret, & pyramides illas librorum & praxin noſtram, & ſactarium illud legum tam fœde pollutum, miſereque contaminatum eſſe videret? Quamquam ſane, ſicut alias artes omnes in lucem Deus hac noſtra memoria reduxit, ita quoque multos excitauit, qui bonarum litterarum inſtructi præſidio non pœnitendam operam in hac etiam parte collocant, vt rem videlicet pulcherrimam, hominumque ſocietati plane neceſſariam, immo donum cœleſte, depromptum & hauſtum ex mediis Philoſophiæ fontibus, nitori ſuo reſtituant, & æquitati. Qui quidem ipſorum conatus, publicam non modo laudationem, ſed remunerationem quoque meretur.

Ab eius morte per annos XXII. fere fuit interregnum, quum ſubinde alii, & alii eligerentur, qui tamen in ea temporum perturbatione ſummam rei non tenebant. Interea regnum Neapolitanum à familia Friderici Cæſaris in poteſtatem Gallorum deuenit, ac poſt etiam Sicilia. Nam Gallicis armis tum nitebantur pontifices: quanquam deinde grauiſſima bella ſuper his regnis orta ſunt inter Arragoniam & Andegauenſem Gallicam familiā. Verum hæc non ſunt huius loci. Quum in eo ſtatu fluctuaſſet tot annis reſpublica, ſicut dictum eſt, Rudolphus Habsburgius creatur Cæſar. Is initio regni, motus, qui paſſim erant per Germaniam, componit: inde conuentibus aliquot actis, Bohemiæ Regem Ottacarum rebellantem inuadit, & ad pacis conditiones cogit, quas tamen ille, ſuæ coniugis impulſu, non multo poſt violat, & in Auſtria ſecundo congreſſus, in prœlio interficitur. Rudolphum adiuuabat Vngariæ rex, Ladislaus Chunus. Pace demum facta cum Bohemis, per matrimonia, Cæſar filio ſuo Alberto Auſtriam dedit, quam multis annis Bohemiæ rex poſſederat. Impeditus autē variis Germaniæ negotiis, non eſt in Italiā Cæſar profectus: quamq̃ alioqui nō multū huc inclinabat: & per iocū fertur narraſſe fabulam aliquãdo de vulpe, quę leonē ſimulate ægrotãtē, quodā in ſpecu, nō adibat, ꝙ veſtigiis aliorū animantiū terreretur, ex quib. nulla rediiſſet.

præfectum

præfectum tamen in Italia conſtituit, ac velut Imperii vicarium: deinde Flaminiam & Exarchatum, de quo non ſemel diximus, Eccleſiæ Romanæ cõfirmaſſe traditur, quum tenuis admodum fructus ex iis locis ad ipſum rediret. Perpetuis enim ſimultatibus & Paparum inimicitiis defatigati Cæſares, facti ſunt paullatim remiſſiores. Nec enim prius acquieuerunt pontifices, quam illos extra fines Italiæ ſubmouiſſent: & quia regum Galliæ præſidiis fere nitebantur, ac per Epiſcopos Germaniæ factiones alebant, effecerunt tandem, quod pridem animo concupiuerant.

Hic vero memoria repetendum eſt, quæ ſit facta rerum viciſſitudo, quando illi, qui beneficio Cæſarum incolumes fuerunt, vitamque tolerarunt, & locum ſuum atque dignitatem retinuerunt, amplificati bonis illorum atque munificentia, dominatum ſibi ſumpſerunt in eos, & patrimonio quoque fraudarunt. Non ſolum enim Italiæ bonam partem occupant, ſed Siciliæ quoque reges atque Neapolis arcte ſibi deuinxerunt. Nam hi & tributum illi annuum dependunt, & dignitatem imperatoriam ſuſcipere prohibentur, niſi permiſſu illorum, & quum in poſſeſſionem ab eis mittuntur, hoc ipſum iurant inter alia. In Rudolphi tempus incidit illa memorabilis Gallorum clades per Siciliam. Quum enim inſulam hanc tenerent, & more militari multa facerent inſolenter atque libidinoſe, per occultam coniurationem, dato ſigno, paſſim trucidati fuerunt omnes, quum ad preces veſpertinas campanæ impellerentur. Facinus hoc vulgo vocant *Veſperas Siculas*. Fuit hoc anno MCCLXXXI. die Paſchatis. Accepta pecunia, Rudolphus Italiæ ciuitates multas, quæ ditionis erant Imperii, liberas & immunes fecit, Bononienſes, Florentinos, Genuates, Lucenſes, & alios. Conuocatis deinde Franckofurtum Principibus, filium ſuum Albertum deſignari ſibi ſucceſſorẽ fruſtra petebat.

Mortuo ſucceſſit Adolphus, familiæ Naſſouicæ, qui non multo poſt inimicitias exercerẽ cœpit cum Alberto, Auſtriæ Duce: quumque ſuis moribus Germaniæ Principes admodum offenderet, ac ipſum quoque Moguntinum cuius opera factus erat Cæſar, loco remouetur, & eligitur Albertus, Auſtriæ Dux, Rudolphi filius, qui, contractis copiis & adiutus à Principibus, Adolphum petit, & commiſſo prælio, in agro Spirenſi, Adolphus ab Alberto grauiſſime ſauciatus, à reliqua multitudine poſt interficitur.

Poſt eam victoriam Albertus, confirmandi ſui cauſſà, ne quis priorem electionem eſſe vitioſam diceret, ſolenniter creari Cæſar petiit. Ea re perfecta, Bonifacius octauus Pontifex reclamabat, neque ratum habere voluit, quod reliqui Principes feciſſent. Quum autem aliquanto poſt, grauiſſimum eſſet natum diſſidium inter ipſum, & Philippum Pulchrum, Galliæ Regem, approbauit Albertum, in eiuſque familiæ laudem multa dicebat. Albertus demum à ſuis propinquis interfectus eſt; quum rebus omnibus inſtructus iter ſuſcepiſſet, vt Bohemis filium ſuum Fridericum obtruderet Regem. Bonifacius hic Gregorii noni *decretalibus Epiſtolis*, quæ libris quinque continentur, alterum volumen adiecit, quod *Sextum* vocat. Inter alia ſtatuit *licere Pontifici, abdicare ſe Papatu*. Nam ipſe non bonis artibus illud Celeſtino V. cui ſucceſſit, perſuaſiſſe ſcribitur.

Ab Alberto fit Cæſar, Henricus, eius nominis ſeptimus, è familia Luceburgica. Is filio ſuo Iohanne per matrimonium facto Bohemiæ rege, proficiſcitur in Italiam, cuius quidem ſtatus tunc erat miſerrimus. Nam inde à morte Friderici II. Cæſaris, per annos circiter LVII neglecta fuit à noſtris Imperatoribus Italia: quo factum eſt, vt varie deliberaretur ab iis, qui potentiores erant, præſertim à Guelphis & Gibellinis, quæ duæ factiones plurimas habent iis in locis clientelas. Primum ergo per Longobardiam præfectos conſtituit oppidis ac municipiis, & iureiurando ſibi populos aſtringit: deinde Mediolani commoratus aliquandiu, fruſtra conatus eas, de quibus modo dixi, factiones conciliare: quumque eius vrbis præfectus, Turrianus, illum ex improuiſo cogitaret opprimere, patefacta coniuratione, & repulſis aduerſariis, Vicecomiti præfecturam vrbis committit. Quæ ſunt eius regionis vrbes, omnes illius fidei ſe permittebant atque poteſtati: ſola Brixia rebellabat, quam longa captam obſidione, mœnibus nudauit. Inde per Genuam profectus & Piſis facto itinere, Romam venit, coronatus ab aliquot Cardinalibus, quoniam Pontifex Romanus, Clemẽs V. vrbe relicta, migrauerat in Galliam, & Auenione habitabat. Quum ab eo iuſiurandum exigerẽt Cardinales, quod Pontifici præſtandum eſſe dicerent, ille recuſabat, neque tale voluit eſſe quo Papæ deuinciretur. Ea re cognita, pontifex, augendæ potentiæ cauſſà, formulam illam generalem iuriſiurandi latiſſime poſt explicauit, & reliquis decretis, quæ nunc extant, inſeruit. Nam ipſe quoq; leges multas compoſuit, quæ nomen ab eo retinent, & *Clementinæ* dicuntur. Ad hoc tempus, illi, qui *Templarii* vocantur, quorum ingentes erant opes, eodem impetu, diuerſis locis trucidati fuerunt, & extincti. Galliæ rex Philippus Pulcher magnam facultatum ipſorum partem, permiſſu Põtificis occupauit. Damnatum deinde fuit nomen eorum atque memoria: & in concilio Viennenſi, quod per Galliam erat, ipſorum poſſeſſiones attributæ fuerunt iis, qui Rhodii dicuntur Equites. Hoc etiam tempore Philippi regis, & Papæ Clementis authoritate fuit Aurelianenſis academia conſtituta.

Mortuo tandem Henrico non abſque grauiſſima veneni ſuſpicione: ſepultoque Piſis, acerrimæ contentiones ortæ ſunt in Germania ſuper electione. Nam de Principatu contendebant Fridericus, Auſtriæ Dux, Alberti Cæſaris filius, & Ludouicus Bauariæ Dux: Ludouicum Aquiſgrani, Moguntinus Epiſcopus: Fridericum vero, Bonnæ, Colonienſis inaugurabat. Iohannes autẽ XXII. Pontifex Romanus vtrumque ſalutabat Cæſarem: in Fridericum tamen propenſior. Quæ quidem res magis etiam ſimultatem incendit. Collectis vtrimque copiis, magna vi dimicatur ad Eſlingam,

Sueuiæ

Sueuiæ oppidum, ſed æquo fere marte: deinde turſus maiori impetu in Bauaria: quo quidem in prælio captus eſt Fridericus, bona ſuorum militum parte deſiderata. Dimiſſus tandem, domumque reuerſus, aliquot poſt annis moritur. Ludouicus ergo rerum potitus, Italiam cum exercitu petit, quamuis inuito pontifice: municipiis & oppidis paſſim conſtituit præfectos: deinde Mediolani coronatur ab Archiepiſcopo, & miſſis Auenionem legatis ad Papam, ſemel atque iterum, de ſolenni inauguratione, quum non impetraret, Romam proficiſcitur, vbi Mediolani res conſtituiſſet. Magna cum gratulatione exceptus Romæ, coronatus eſt, ab vno & altero Cardinali, quumque Pontifex ingeminaret excommunicationem, ille, de conſilio procerum, Papam alterum creat. Ad hunc modum flagrabat odium inter eos longe vehementiſſimum, & intercedebant grauiſſimæ vtrinque criminationes. Annales Galliæ tradunt Carolum Pulchrum, regem, Philippi filium, omnium primum Iohanni Papæ decumas in Galliis permiſiſſe bonorum ſacrorum, & prædam inter ipſos fuiſſe diuiſam, pontificem autem hoc ſollicitaſſe potiſſimum, vt in Cæſarem ei pecunia ſuperesset. In Germaniam reuerſo Cæſare, moritur Papa: ſucceſſor eius Benedictus XII. Cæſarem & ipſe excommunicat, & dignitate priuat. Francofurtum ergo conuocatis Principibus, graui habita oratione, Cæſar, de pontificum iniuriis queritur, fidei ſuæ rationem exponit, vetuſtas Imperii leges profert & explicat: ſimul oſtendit, quam *nihil ad Epiſcopum Romanum pertineat Imperij reſpublica: nam qui de voluntate principum ſit electus, eum eſſe reuera Cæſarem, etiamſi nullus interueniat pontificis vel aſſenſus, vel conſenſus, vel conſecratio: totum enim iſtud, quandam eſſe ceremoniam, quæ paullatim irrepſerit, & nunc nimium aucta ſit, non abſque magno Imperij tum dedecore, tum detrimento.* Mortuo demum Benedicto ſuccedit Clemens VI. qui longe fuit omnium violentiſſimus, & conditiones proponit vehementer ignominioſas, ijsque repudiatis acerbior multo factus, grauiſſime monet Principes, vt alterum eligant, eiusque rei tempus etiam præfinit: niſi faciant, ſe daturum operam, ne diutius Eccleſia patrono careat & aduocato. Fluctuante ad hunc modum Republica, quum interea mortem obiret Ludouicus, eligitur Bohemiæ Rex Carolus, Iohannis filius, Henrici VII. nepos. Paullo ante hoc tempus maximi belli nata fuit inter Gallos & Anglos occaſio. Cum enim Carolus Pulcher Galliæ Rex, non relictis liberis maribus, è vita diſcederet, quod fuit anno M. CCC. XXVII. Eduardus Angliæ rex, eius nominis tertius, quod eſſet Caroli ſororis Iſabellæ filius, regnum ſibi deberi contendebat: Proceres autem Galliæ, qui dicuntur Pares, ad Philippum Valeſium, mortui regis Caroli patruelem, rei ſummam deferunt, excluſo non ſolum Eduardo, ſororis filio, ſed etiam regis filia poſthuma, quod eius regni hereditatem ad filias minime pertinere dicerent. Hinc bellum grauiſſimum, quod ne nunc quidem eſt conſopitum.

Carolus eius nominis quartus, Cæſar, initium habuit regni turbulentum. Delata fuit etiam ſumma rerum Eduardo Angliæ regi, verum is impeditus bello Gallico, recuſaſſe traditur. Poſt varias deinde ſimultates in Germania ſedatas, Carolus in Italiam proficiſcitur, deque conſenſu Papæ Innocentii VI. qui in Galliis erat, Romæ coronatus ab aliquot Cardinalibus, ea lege, ne vel Romæ, vel in Italia diutius hæreret, Mediolanum redit, & familiæ Vicecomitum, qui tunc Mediolani multum poterant, conceſſit, vt per Langobardiam eſſent Cæſaris perpetui Vicarii: cuius quidem beneficii cauſſa, ingentem pecuniæ vim ab illis modo, verum ab aliis etiam populis, quibus aliquid eſſet largitus. Quæ ſane res Imperii vires, ea quidem in regione, plurimum eneruauit. Ex Italia poſtquam rediit, conuentus egit Principum, & decretum illud Imperii fecit quod *Bullam Auream* vulgo vocant: poſtremo filium ſuum Wenceslaum, imperii ſucceſſorem deſignauit, quod magnis largitionibus vix tandem obtinuiſſe ſcribitur, neque multo poſt mortuus eſt. Ipſo Rempublicam gerente, Galliæ rex Iohannes, Philippi Valeſii filius, commiſſo prælio cum Anglis, qui tunc bonam Aquitaniæ partem & vrbem Burdegalam tenebant, captus non procul à Pictauio fuit, cum natu minimo Philippo, qui poſtea Burgundiæ Dux fuit, cognomento fortis, vel Audax. In eo prœlio ex prima nobilitate complures occubuerunt. Annalium ſcriptores tradunt, Anglos fuiſſe non ſupra ſeptem millia, quum Galli maximis copiis eo veniſſent, ad ſexaginta circiter millia. fuit hoc anno MCCCLVI. duodecimo Calendas Octobris. Deductus in Angliam rex captiuus, anno ſeptimo poſt vitam ibi finiit.

Wenceslaus, natura & educatione, & vitæ genere admodum vitioſus, vt quidem de illo proditum eſt litteris, plane Rempublicam neglexit. Accepta pecunia, Iohannem Galeatium, ex Vicecomitum familia, Mediolani Ducem & Inſubriæ conſtituit, hominem auarum & crudelem. Eo regnante, Iagello, Dux Lituaniæ, poſt mortem Ludouici regis, creatur Poloniæ rex, de voluntate Procerum, eius, qui nunc ibi rerum potitur, Sigismundi II. proauus, tunc primum ſacro fonte initiatus, & vocatus *Vladislaus.* Vngariæ rex autem Sigismundus, prœlio victus fuit à Baiazete Turcarum imperatore, ad Nicopolim, tertio Calendas Octobris. Galliæ rex Carolus, eius nominis ſextus, inſignem equitatum auxilio miſerat in Vngariam ductore Iohanne, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filio: qui captus eo prœlio fuit, & adductus ad Turcam, in maximo verſabatur vitæ diſcrimine, quod tamen euaſit. Id autem ſic accidiſſe ferunt Galliæ ſcriptores annalium. Erat Baiazeti familiaris quidam Phyſiognomus, ex eorum grege, qui ſe profitentur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere: is contemplatus captiuum, author imperatori fuit atque ſuaſor, vt eum dimitteret incolumem: fore enim, vt, domum reuerſus, maximum incitaret incendium, quo bona pars eſſet Europæ, vel orbis Chriſtiani conflagratura. Sic ille perſuaſus,

hominem dimittit & reliquos ex nobilitate captiuos, vbi pretium perſoluiſſent liberationis ad ducenta coronatorum aureorum millia. Quum in Galliam rediiſſet ille, ſimultatem cœpit exercere cum Ludouico, Aureliano Duce, fratre regis. Nam is per valetudinem regis, prope deploratam, volebat Rempubl. gerere, quod proximus eſſet agnatus: Burgundus vero, quod & patruelis eſſet regis, & ætate præcederet, mortuo iam patre Philippo, ſibi potius deberi contendebat adminiſtrationem. Augeſcente igitur indies magis atque magis offenſione, Dux Aureliæ tandem, nocturno tempore, Lutetiæ fuit interfectus, à cœna domum rediens. Erant autem à Duce Burgundiæ ſubmiſſi percuſſores, quod nec ipſe poſtea diffitebatur, & factum etiam defendebat. Fuit hoc anno 1407. nono Calendas Decembr. Anno XII. poſt, quum pacificandi cauſſa Dux Burgundiæ veniſſet ad locum conſtitutum, per fidem circumuentus, à quibuſdam Aureliani Ducis mortui familiaribus, qui coniurauerant in eius caput, fuit interfectus, præſente Carolo Delphino, regis filio, qui diſceptationi cauſſæ præerat. Hoc illud eſt ſeminarium belli, quod inde ab eo tempore, inter familias illas duas, ad hanc noſtram ætatem vſque ſubinde reuireſcit.

Quum propter ignauiam contemptus eſſet Wenceslaus, Principes ei magiſtratum abrogant, & Bauariæ Ducem Robertum, Palatinum, eligunt. Is ad emendandum ea, quæ Wenceslaus peccaſſet, animum ſtatim adiecit, neque ratum habere voluit, quod ille Iohanni Galeatio conceſſerat, & Inſubriam denuo cogitabat in ditionem Imperii redigere: quumque propter hanc, & id genus alias cauſſas, in Italiam contenderet, impeditus fuit & repulſus ab eo, quem diximus, Galeatio. Valde tum erat turbulentus Italiæ ſtatus, Caroli & Wenceslai potiſſimum culpa, qui nimium iis populis indulſerant. Nam, præter Galeatium, nuper factum Mediolani ducem, Veneti etiam, & Florentini, & Genuates bellum faciebant vicinis, totumque ius in armis poſitum erat atq; potentia. Deinde per diuturnam abſentiam Pontificum, frequentes Romæ fuerant natæ, ac plenæ periculi ſimultates. Mediolani Dux Galeatius bellum tunc inferebat etiam Florentinis, qui, ſui vlciſcendi cauſſa Cæſarem magnis pollicitationibus in Italiam rurſus euocarunt: quumque Patauium veniſſet Cæſar voluntate Venetorum, qui & ipſi Galeatium oderant, nec apparatum videret ampliſſimis reſpondere promiſſis, in Germaniam reuertit, Italiæ depoſita omni cura, quæ poſt inteſtinis malis grauius etiam labefactata fuit.

Roberto ſucceſſit Sigismundus, Wenceslai frater, Hungariæ ac deinde Bohemiæ quoque rex. Ad hoc tempus tres erant Pontifices Iohannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. Ita quidem, vt horum factionibus prope omnes Europæ prouinciæ diuiderentur. Nam inde ab Innocentio tertio, ſicut ipſorum habent libri, per annos ducentos nullum fuerat concilium publicum, & corruptiſſimus erat ordinis Eccleſiaſtici ſtatus, quum inexhauſta quædam vitiorum & morborum colluuies inundaſſet, ac fere medicinam reſpueret. Fuit enim interea Bonifacius octauus, qui ſibi Papalem ſimul & imperatoriam dignitatem arrogabat: poſt, alter ab eo, Clemens V. Burdegalenſis, rogatu Philippi Pulchri, Galliæ regis, vrbe Roma deſerta, curiam tranſtulit in Gallias: ab eius vero morte, quum Cardinales grauiter diſſiderent inter ſe, per annos aliquot fuit interregnum, & Lugduni tandem creatus eſt Papa, Iohannes XXII. Cadurcus. Qui fuit ab hoc Papa quintus Gregorius, eius nominis vndecimus, quum in Galliis Romana curia per annos iam LXXI. conſediſſet, Romam reuertit: ſed, eo mortuo, de papatu certabant Vrbanus ſextus, Neapolitanus, & Clemens ſextus, Sabaudus: quorum ille quidem, Italorum, hic vero Gallorum præſidio nitebatur; ille, Romæ commoratus, hic autem Auenione: quumque vitam hi finiiſſent, illi, quos diximus, tres, in eorum locum à diuerſis factionibus electi fuerunt, eratque tum papatus triceps. Deplorabant tunc ſtatum Eccleſiæ multi doctrina præſtantes viri, tam Itali, quam Galli, ſatis acriter inſectati temporis illius corruptelam atque mores, quantum quidem in illis tenebris videre licuit. Ex iis Petrarcha, quum hærerent Auenione Pontifices atque Cardinales, vrbem illam vocabat *meretricem Babylonicam*. Eius ergo diſſidii componendi cauſſa, concilium in Germania cogitur Conſtantiæ, de cuius arbitrio tribus illis abrogatur magiſtratus, & eligitur Martinus V. Hoc in concilio, propter dogma, fuerunt exuſti Iohannes Huſſus, Hieronymus Pragenſis, tametſi fide publica Cæſaris eo veniſſent. Sigismundus Cæſar admodum laudatur, quod tunc Reipublicæ cauſſa pleroſq; omneis Chriſtiani nominis reges adiit, hortatus illos, vt in commune conſulerent. Rebus igitur in Germania compoſitis, in Italiam venit: gerebant tunc bellum terra marique Veneti & Florentini cum Philippo Maria, Iohannis Galeatii filio, Mediolani Duce. Romam deinde profectus, à pontifice Eugenio IV. conſecratus eſt, inde Baſileam rediit, vbi tum alterum erat coactum concilium.

Hic ſucceſſorem hebuit Albertum, Auſtriæ Ducem, Hungariæ, Bohemiæque regem, qui, ciuilibus & Turcicis bellis impeditus, in Italiam non venit. Hoc circiter tempore, rurſus excitata fuerunt ingenia, quæ bonas artes, linguas atque litteras excolere cœperunt; in Italia, quidem primo quum Græcorum illi ſtudiis adiuuarentur, poſt etiam apud Germanos, Gallos, aliosque populos: & quum typographicum inuentum accederet, maximaſque commoditates adferret, incredibile eſt quam felix & optata fuerit facta progreſſio. Nunc enim perpetuatis ab illo tempore ſtudiis, eo deuentum eſt, vt cum eruditiſſimis olim ſæculis hæc ætas noſtra conferri poſſit, & hoc nomine ſit inprimis beata, quod hanc optimarum artium & linguarum ſcientiam, vera ſui cognitione Deus illuſtrauit etiam, quum veteres illi, tantis litterarum præſidiis inſtructi, homines eloquentiſſimi, profundis eſſent immerſi tenebris, & ſummum illud bonum, de quo tam multa ſcripſerunt, fruſtra inueſtigarent,

Alberto ſucceſſit Fridericus III. Auſtriæ Dux, qui, Romam placide profectus, & conſecratus à Pontifice, Nicolao V. domum rediit, nec in Italia quidquam mouit. Regni ipſius anno quarto, Vladislaus, Vladislai filius, Poloniæ ſimul & Vngariæ rex, quum Eugenii IV. pontificis impulſu violaſſet inducias, ab Amurathe, ſecundo eius nominis, Turcarum Imperatore, prœlio victus ad Varnam, ſeu Dionyſiopolim, vndecima die Nouembris, occubuit. Nono poſt anno, Conſtantinopolim vi cepit Mahometus, Amurathis filius, quam eius heredes iam per annos centum & treis occupant, conſtituta ſede regia. Vladislao ſucceſſit, in Polonia quidem, Caſimirus frater, in Vngaria vero, Ladislaus, Alberti ſecundi Cæſaris filius poſtumus.

Succeſſorem Cæſar Fridericus habuit filium Maximilianum. Paulo ſub mortem Friderici, Ferdinandus, rex Hiſpaniæ, pulſis Barbaris, Beticam, quæ Granatæ regnum vulgo dicitur, ſuis finibus adiunxit. Maximilianus, inter alia multa, cum Venetis quoque bella geſſit.

Hunc ſecutus eſt Carolus, è filio Philippo nepos, Cæſar, eius nominis quintus, longe potentiſſimus, qui rerum hodie potitur.

Ex iis igitur, quæ commemorauimus, liquido apparet, quomodo Romanum imperium, quo nullum fuit nec erit potentius, prope ſit omnino diſſipatum. Nam per Aſiam ne veſtigium quidem, aut vnguem, ſicut prouerbio dicitur, habemus: occupant omnia Turcæ, Scythæ & alii noſtræ religionis hoſtes: Africam totam amiſimus, niſi quantum ſuperioribus annis à Carolo V. Cæſare recuperatum eſt, quando Aenobarbo, Turcico legato, Tunetam ademit, glorioſam adeptus victoriam, & regem ibi conſtituit, ipſi vectigalem, & anno decimo quinto poſt, Africam vrbem oppugnatione cepit. Auulſa eſt Luſitania, Hiſpania, Gallia, Britannia, Dania, Sarmatia, Pannonia, Illyricum, Græcia tota, cum vicinis regionibus: adhæc Sicilia, Sardinia, Corſica, Baleares inſulæ, Allobroges: quæ quidem prouinciæ ſuos habent dominos, qui plenam in omnibus poteſtatem obtinent, & ad Imperii rationes ne tantillum quidem conferunt. Videamus nunc Italiam, priſcum & auitum ac primum Romani imperii patrimonium: hæc ipſa vero, quid nobiſcum habet commune? Calabriam, Apuliam, Campaniam, Neapolim, auita ſucceſſione tenent Hiſpaniarum reges. Vrbem Romam, Cæſarum domicilium atque ſedem, agrum Picenum, & Flaminiam, & Hetruriæ partem occupant Romani Pontifices, qui non modo non agnoſcunt Imperium, ſed Cæſares etiam imperiique præfectos tenent ſibi deuinctos. Quæ ſunt iis potentiores ciuitates, aut ſuos habent regulos, aut factionibus indulgent, nihilque plane ad nos pertinent. Iam Veneti, quam poſſident egregias non ſolum vrbes & municipia, verumetiam prouincias, ipſi interim liberrimi, & ab Imperio Romano plane ſeiuncti? Inſubria vero, quæ vulgo *Langobardia* dicitur, aliquanto quidem propius ad nos pertinet, ſed & ipſa fluctuat, nec certum vllum emolumentum ad nos illinc redit. Poſtquam enim noſtri quidam Cæſares, vt ſupra dictum eſt, primo Vicecomites, vt vocant, ac deinde Duces ibi conſtituerunt, quam miſere dilacerata fuit, & quam nihil ab eo tempore nobis contulit? Ortis enim bellis, cum noſtri Cæſares eam negligerent, eiectis Vicecomitibus, occupauit illam Sfortiarum familia, quam deinde Galliæ reges Ludouicus XII. & Franciſcus primus eiecerunt: & hi quidem per annos ſex regionem illam tenuit, donec Carolus V. Cæſar eam recuperauit. Ex omni igitur Italia nihil fructus ad Imperium redit. nam neque noſtris conuentibus interſunt, nec ad publicos vſus atque neceſſitates aliquid contribuunt, niſi quantum vel ſua ſponte, vel alioquin in gratiam Cæſaris faciunt. Sola ſupereſt Germania, quæ ſemper aduerſata Romanorum imperio, & ſubinde rebellans, vt è ſuperioribus conſtat, tandem à Carolo Magno Cæſare collecta fuit, & in vnum redacta corpus: ac deinde, quum eligendi Cæſaris poteſtas ad Septemuiros delata fuiſſet, vt ſupra demonſtrauimus, facta eſt Cæſarum domicilium atque ſedes. Atque hic tamen conſiderandum eſt etiam, quam ægre potuit coaleſcere hoc ipſum quantulumcunque corpuſculum imperii, conflatum in Germania. Quæ enim non diſſidia fuerunt apud nos, & bella ciuilia? Totum igitur illud, quod hodie Imperii nomine cenſetur, intra Germaniæ fines includitur; nam foris & extra limites illos, nihil ſupereſt. Quamquam & intra hos ipſos fines tam modice circumſcriptos, videmus, quemadmodum non pauci tergiuerſantur, & ſe, ſuaque, quantum poſſunt, ab Imperii ditione ſubducunt: vt interim de vicinis regibus & aliis nihil dicam, qui ab hoc ipſo tam tenui, & exangui corpuſculo, quod vix oſſibus hæret, decerpunt & auellunt quotidie, quantum poſſunt, & ſuæ ditionis efficere conantur, quod erat Reipublicæ.

Vt autem ad finem aliquando perueniamus, Danielem de his rebus omnibus vaticinantem, paucis accommodemus. De ſtatua, quam per ſomnium Nabuchodonoſor vidit, ſupra diximus: huc poſtea recurremus nunc alia loca videamus.

Caput VII. deſcribit quatuor animalia, quæ per ſomnium ipſe vidit ex Oceano prodire, leonem, vrſum, pantheram: quartum & poſtremum ait fuiſſe terrificum & horrendum aſpectu. *Leo* denotat regnum Aſſyrium: *alæ duæ*, quas illi tribuit, ſunt duo veluti membra illius imperii, Babylonia & Aſſyria. Per *Vrſum* ſignificatur regnum Perſicum, à quo fuit deuictum Babylonicum: *tres coſtæ*, quas inter alios dentes in illius ore fuiſſe ſcribit, ſunt tres præcipui reges huius Monarchiæ, Cyrus, Darius, Artaxerxes, qui præ cæteris claruerunt, & *multam carnem ederunt*, vt inquit, hoc eſt, complures populos ſuæ ditioni coniunxerunt. *Panthera* eſt Alexandri M. ſeu Græcorum imperium: *quatuor* illius *alæ & capita*, ſunt quatuor regna, quæ poſt Alexandri mortem ex illa Monarchia prodierunt. Quartum & poſtremum animal, eſt Imperium Romanum: *decem cornua*, ſunt eius membra, ſeu partes, cuiuſmodi ſunt Syria, Ægyptus, Aſia, Græcia, Africa, Hiſpania, Gallia, Italia, Germania,

nia, Britannia: nam illi hæc omnia tenuerunt. Iam, inter decem iſta cornua, naſcitur & prodit *cornu quoddam paruulum*, quod de decem illis cornibus, tria reuellit: iſtud denotat regnum Mahometicum ſiue Turcicum, quod ex humili initio natum in Romana Monarchia, tres præcipuas partes illius occupauit, Ægyptum, Aſiam, Græciam: deinde *cornu iſtud paruulum habet oculos, & eſt contumelioſum aduerſus Deum.* Mahometus enim nouum doctrinæ genus propoſuit, ſuis valde gratum, & quod prudentiæ ſpeciem aliquam haberet: hi ſunt oculi, ſed reuera Deum afficit contumelia. Nam Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta plane deleuit, & Chriſti beneficium nullum agnoſcit, immo conuiciis exagitat omnem de Chriſto doctrinam. Ad hæc, paruulum illud cornu *bella gerit cum ſanctis, & vehementer illos affligit*, vt inquit, *donec iudicium fecerit antiquus ille, cuius nec initium eſt, neq; finis.* Ex quo quidem clare perſpicitur, in hoc ipſo imperio finem eſſe habiturum hoc mundi curriculum, nec vllum præterea futurum: ſed abolitis omnibus mundi principatibus, venturum eſſe perpetuum illud regnum, cuius author & dux erit Chriſtus.

Capite octauo Daniel deſcribit arietem & hircum: hoc autem angelus ipſe poſt interpretatur aperte, & *arietem bicornem* dicit eſſe Medorum atque Perſarum reges: *hircum* vero, Græcorum imperium, & *cornu* illud *magnum in ipſius fronte* ſignificare primum eius imperii regem: quod autem eo cornu confracto, quatuor alia cornua ſuccedant, notari dicit, quod ex illo imperio quatuor ſint oritura regna, ſed robore & potentia minime conferenda cum primo illo rege. Videamus ergo, quam proprie & certo depinxerit Daniel Alexandrum Magnum, ducentis annis & amplius, ante, quam ille regnaret. Fore enim dicit, vt *hircus terram non tangat*, hoc eſt, vt maxima celeritate bella ſua conficiat, & vt ab ipſius impetu, nemo poſſit arietem liberare. Nam XII. annis tantum regnauit Alexander, tamque breui ſpacio temporis, Aſiam prope totam ſibi ſubiecit, vt ſupra docuimus: ac licet incredibilis eſſet Perſarum atque Medorum potentia, tamen tribus prœliis ordine victus ab illo Darius, vitam ſimul & imperium amiſit. Tradunt nonnulli, quum Hieroſolymam veniſſet Alexander, ſummum ſacerdotem ei recitaſſe Danielis locum iſtum: qua quidem vehementer ille fuerit exhilaratus. Deinde, quod *ex quatuor iſtis cornibus, oriturum ſit aliud, initio quidem paruum, ſed poſtea valde potens, quod grauiſſime ſit afflicturum loca ſacroſancta*: hoc ipſo prænunciari dicit acerbiſſimas perſecutiones, quas Iudæi ſint paſſuri à poſteritate Alexandri M. à regibus Ægypti, atque Syriæ, quas inter media eſt Iudæa. Nam cornu iſtud ex quatuor illis cornibus ortum experti ſunt Iudæi, Antiochum videlicet Epiphanem, Syriæ regem, crudeliſſimum vaſtatorem. Huc etiam applicandum eſt *caput XI.* in quo rurſus de Alexandro Magno loquitur, eiusq; ſucceſſoribus, adeo quidem copioſe atq; proprie, vt non vaticinium, ſed hiſtoria quædam eſſe videatur.

Nunc tandem ad ſtatuam Nabuchodonoſor veniamus, de qua priori libro per occaſionem diximus. Interpretationem autem ipſius de tribus primis Imperiis, quoniam & perſpicua eſt, & temporibus ipſis comprobata, non repetam: de quarto ſolum aliquid dicemus, quoniam & ad nos proprie pertinet, qui in eo verſamur, & à Daniele deſcribitur accuratius. *Ferreum* eſſe futurum dicit, quod reliqua omnia imperia comminuet, ſibique ſubiiciet. Ad demonſtrandum iſtud, non opus eſt multis verbis: res enim ipſa loquitur, & ex hiſtoria rerum, quas enumerauimus, liquido conſtat. *Pedes* autem *illius, ac digiti pedum partim ſunt ferrei, partim fictiles è teſta.* Sicut humani corporis pes finditur in digitos, ita Romanum Imperium, vbi conſtiterit aliquandiu firmum & innixum cruribus ferreis, ac totum terrarum orbem in ambitu ſuo complexum fuerit, deſinet in digitos, & corporis illa moles diſſoluetur. Hoc ipſum etiam conſtat accidiſſe: nec opus eſt explicatione. quid enim magis hodie diſſolutum eſt, quam imperii illius ampliſſimi corpus? Et quamquam ita ſe res habet, tamen, quia *planta pedis eſt ferrea*, vt inquit, manebit firmamentum eius, neque prorſus confringi poterit, ſed reliquiæ, nomen atque dignitas durabunt, donec Chriſtus aduentu ſuo rebus omnibus humanis finem imponet. Quin ad ſummam tenuitatem redactum ſit, dubitari non poteſt, at luce meridiana clarius. Arbor illa procera concidit, ſed hæret adhuc atque conſiſtit illius radix, non quidem ſucculenta, ſic, vt propagari poſſit atque augeſceret, verum exſucca prorſus & arida, ſed tamen hanc radicē ac plantam ferreæ naturæ, nulla vis humana funditus reuellet, ſed hærebit infixa ſolo, quoad iſta rerum omnium fabrica deſtruetur. Sumus & hoc experti: nam tenuem hanc & anguſtam imperii poſſeſſionem, multi ſæpe conati ſunt euertere pontifices quoque Romani, ac poſtremo etiam Turcæ. Qui licet magna perfecerint, & maiora ſibi fortaſſe pollicentur, tamen non conflabunt eiusmodi molem, quæ cum Romana potentia conferri poſſit, neque ſeminarium iſtud Imperii, quod reliquum eſt, licet aridum & flaccidum, euertent: nec enim quinta conſtitui poteſt Monarchia. Germania quidem ſola titulum ac poſſeſſionem habet imperii, ſed ſi vires coniungat & animos, vim omnem externam facile depellat, ſicut non vno poteſt documento probari. Paucis ab hinc annis ingentes fecerunt progreſſus, & ſuperato Boſphoro Thracio, longe lateq; ſunt per Europam graſſati Turcæ, ſuamq; nunc ditionem plane coniunctam habent atq; finitimam Germaniæ, quæ ſane maximo videtur expoſita periculo, ſicut etiam Italia, propter vicinitatem: ſed ſi Danielem propius intueamur, ſperare licet, vim atque potentiam illorum in ſummo nunc gradu conſiſtere. Nam tria ſolum cornua Daniel eis attribuit, vt ſupra diximus: & illa quidem nunc obtinent, initio domini rerum facti per Aſiam, deinde per Græciam & Ægyptum. Ac Græciæ quidem appellatione comprehendi poteſt, quidquid eſt in eo tractu regionū prope ad Illyricum vſq;. Et quamquam hoc tempore non modicam Vngariæ partē occupant, & tametſi fieri poteſt, vt Germaniam, aut alias vicinas regiones diuexent: tamen, quoniam &

certos

certos intra limites illorum ditio conſiſtere debet, & Romanæ potentiæ minime poterit conferri, ſicut iam demonſtrauimus, credibile eſt has prouincias non eſſe venturas in illorum ditionem, ſic vt tres illæ ſunt hodierno die, Græcia, Ægyptus, Aſia. Bellum facturi ſunt ſanctis, & in Chriſtianæ profeſſionis homines immanitate ſumma graſſabuntur, & durabit hic illorum furor ad finem vſq; mundi, ſicut Daniel clare teſtatur. Atque hæc eſt eius vaticinii cauſſa præcipua, quo videlicet de poſtremi temporis ærumnis atque miſeriis præmoniti & certiores facti, non deſpondeamus animum, ſed liberationem expectemus, per aduentum Chriſti ſeruatoris noſtri, qui ſtatim has afflictiones, vt inquit, excipiet, ac in firmam & tranquillam ſtationem ſuos tranſportabit, & lacrymas ab oculis eorum abſterget.

Quædam loca Danielis, ad Iudæos proprie pertinent, quibus & liberatio promittitur captiuitatis, & Meſſias ille, promiſſus patribus, intra certum ac ibi notatum & expreſſum tempus denunciatur eſſe venturus: reliqua autem vaticinia ad omnium poſtremam mundi ætatem pertinent, & ad eos qui tunc viuent, quum & paruulum illud cornu, Mahometi poſteritas, bellum geret cum ſanctis, & quum reuelatus atque detectus fuerit homo ille peccator & ſceleroſus, qui ſedet in templo Dei, ſeipſum oſtentans, ac ſi Deus eſſet: nam & huius tyrannidem Daniel præſignificauit, vt Paulus in ſuis Epiſtolis diſerte interpretatur. Sathanas, quem huius mundi principem vocat ipſe Chriſtus, quum ſemper alias, tum in vltima mundi deficientis ætate longe vehementiſſime tumultuabitur, & omnes iracundiæ laxabit atque furoris habenas, & aduerſarios excitabit Chriſto, qui non modo vi armorum ſæuiant, verum etiam in fraudem & errorem abducant homines falſa doctrina, ſic quidem, vt ipſorum laqueos vix euaſuri ſint etiam electi. Nimirum, hoc illud eſt tempus, quod *capite XII.* Daniel ſignificat, adeo prorſus afflictum & calamitoſum, vt nec ſimile fuerit vmquam, neque futurum ſit. Nihil enim læti nobis pollicetur, ſed grauiſſimas perſecutiones denunciat, quando calamitates illas, de quibus loquitur, duraturas eſſe dicit, dum perficiatur diſperſio manus populi ſancti. Vexabitur ergo populus Dei paſſim per orbem terrarum, & affligentur pij diuerſis locis, quamdiu terrarum orbis conſiſtet. Quod quidem Prophetæ, vel potius angeli teſtimonium ſpem nobis omnem præſcindit conciliationis & aggregationis. Nam de diſperſione & diſſipatione perpetua loquitur, & natis propter doctrinam ac religionem diſſidiis, tunc demum finem ſtatuit, quum ipſe Chriſtus apparebit. Verum vt conſoletur & erigat & ſuſtentet eos, qui tunc viuent, mox ab iſtis ærumnis mortuorum reſurrectionem ponit, quam vt lætam experiamur atque ſalutarem, magnis precibus orandus eſt Deus. Quantum vero Danieli ſit tribuendum, teſtatur ipſe Chriſtus, qui locum ex eo deſumptum pro concione refert, & auditoribus commendat. Cum ergo ſint afflictiſſima hæc noſtra tempora, ſtudioſe cognoſcendus eſt hic Vates, qui nobis, in hoc mundi poſtremo curriculo poſitis, concionatur, ac diligenter introſpiciendus, vt & in his præſentibus malis, & aduerſum imminentes fluctus atque tempeſtates, vera nos & certa conſolatione, tamquam vallo quodam & aggere, præmuniamus.

II.

DE IV. MONARCHIIS: ET DE ANTICHRISTO: SVSPICIONES FRATRIS GABRIELIS DE BARLIETI, ORdinis Minorum: Ex cenſura & ab excommunicatione Pauli V. Pontif. Max. Contra Sereniſſ. rempubl. Venetam, emanata & publicata: Item ex Prognoſtico Windecciano ſuper futuro ſtatu Eccleſiæ, in Colonia Agrippina antehac edito: Nuper admodum ortæ, & in dies exinde auctæ.

In quo opere omnibus Ieſu Chriſti fidelibus, in hac vltima Mundi occidentis fæce, maxime neceſſario, permulta ſcitu digna breuiter, noua quadam formalitate, pertractantur.

AD LECTORES AVCTOR.

S*VSPICIO mihi nunc eſt, viri Chriſtiani, vos, de his meis ſuſpicionibus ſuſpicarier. Sed nihil rerum omnium mihi eſt, quod malim: quam me hoc quicquid eſt laboris, falſo ſuſpicari. Etenim qui ſuſpicantur, eos aliquid prauidere & cenſere ſuggerit Cornel.* Fronto de diff. voc. *Nam illuſtre illud dictum Iamblichi, de myſt. Ægypt. veriſſimum nempe, ſicut in cateris artibus, SIC in religione eſſe, qui eam falſo profitentur. Pernicioſa itaq; opinio eſt Fabij lib. 1. Inſtit. orat. c. 10. atentis*, errorem honeſtum eſſe, magnos duces ſequentibus.

Huiuſmodi enim errones, deſinunt ſuum iudicium adhibere: cum id habeant ratum, quod ab eo quem probant iudicatum vident, auctore Cic. de nat. Deo. lib. 1. *Quos* OVILLOS *non immerito vocat Vdalr. Zaſius: qui iuxta* Senec. c. 1. de vit. beat. *pecorum ritu ſequuntur antecedentium greges: pergentes, non* QVA EVNDVM EST, *ſed qua itur.*

Adhunc modum Democritus olim, à Leucippo eruditus, dicitur hereditatem ſtultitiæ, reliquiſſe Epicuro, teſte Lactantio lib. 3. Inſt. c. 17. *Et Heraclides Temnites fertur, diſcipulos dimidio reddidiſſe ſtultiores quam acceperat, veluti* Cic. pro Flac. *atteſtatur. Reperti enim & reperiuntur etiamnum multi, Attalo cuidam Philometori ſimiles, qui pro oblectamento habuit, elleborum, aconitum, & cicutam, venenoſaſq́; herbas plantare, vt Alex. ab Alexan.* in Gen. diebus *tradit.*

Pergula pictorum veri nihil, *ait Lucretius. Quare mihi, in re tam ardua, de pſeudo in primis Chriſtianiſmo, ſuſpicanti (vt qui nullius addictus iurans in verba magiſtri) nolo, quis ex vobis, qui recto eſtis corde, ſuccenſeat: cum primus ſit ſapientiæ gradus, falſa intelligere: Secundus, vera cognoſcere, ſecundū Lactan.* lib. 1. Inſt. c. 23.

Saltem quæſo, vt controuerſum hoc diſſidium, quiquis ſit ex grege ſeruorum Chriſti fidelium, legat abſq́; præiudicio: ſine affectu conſideret: deterſa opinionum nube, iudicet candide: amice ſine contumelia, ſi quid nouit rectius hiſce: impertiat & moneat. Siue id publice, ſiue priuatim fiat: gratum erit.

Λέγουσι μὲν ὡς σοφοὶ πράττουσι δὲ ὡς ἀμαθεῖς.

Amicitiam, candorem, collationem fraternam in ſimplicitate, Muſis amica, quemadmodum bonum virum omnino decet, confero. Quia nullum mendacio precium, *ſcribente Tacito. Hac ratione, Deo & veritati (ſub quorum ſignis ſtipendia facere debemus) ius ſuum integrum conſtabit, aduerſus omne, quod aduerſatur. Bene valete, & mecum in hanc ſententiam ite.*

Vnica cura ſacer codex, myſteria vitæ
Pandens & monſtrans dulce ſalutis iter:
Nil vltra hic animus: quamuis vel plurima ſecla,
Concilia, aut patres, pontificesque probent.
Nil probat hic animus (dico) niſi ſanctior ille
Codex, à Ioua proditus, omne probet.

Scripſi A. D. 2. Decemb. Iuliani, Anno Chriſti vero M. D C. IV. *In Verona, florentiſſima Reip. Venetorum municipio libero.*

CAP. I.

De Eccleſia Hebræorum antiqua, vſque ad annum ab V.C. 154.
Et de eiusdem vrbis Romæ termino fatali.

CAP. II.

De ſomnio Nabuchodonoſori: Et de Danielis prophetæ viſionibus, primum 4. beſtiarum: Deinde, Arietis & Hirci: quæ ſub Nabuchodonoſoro & ſub Dario Medo acciderunt.
Item, de 70. Hebdomadibus: Et de primæ monarchiæ occaſu.

CAP. III.

De ſolutione captiuitatis Babylonicæ: Et de ſecundæ Monarchiæ Perſicæ regibus Danieli per viſionem oſtenſis, vſque ad Alexandrum Magnum.

CAP. IV.

De monarchia tertia Syromacedonum: Et de quarta Romana (quæ Syromacedonicæ ſucceſſit eamque tandem deuorauit) vſque ad Antiochum Epiphanem.

CAP. V.

De Antiocho Epiphane, primo Antichriſto, qui ἀρχέτυπος & præcurſor ſequentium fuit: & de notis Antichriſtianiſmi.

CAP. VI.

De Imperio Cæſarum quod in figura parui cornu, hoc eſt, duplicis Antichriſti in vrbe Roma futura apud Danielem prædictum eſt.
Et de periodo vtr uſq; Antichriſti, tam gentilis quam pontificialis: vbi pro occaſione & ex re nata de prognoſtico Ioh. Pauli Windek, S. Væ Th. D. ſuper futuro ſtatu eccleſię Romanenſis agitur.

CAPVT I.

De Eccleſia Hebræorum antiqua: vſq́; ad annum ab V.C. 154. & de eiusdem vrbis Romæ termino fatali.

HEbræorum populus, hæreditas Iehouæ à tempore diuiſionis ſub Ioſua inſtitutæ, in terra Cananæa diuinitus promiſſa, vſque ad deſolationem, quæ ſub Veſpaſiano Imperatore facta eſt, fixam ſedem habuit & ibidem agricolationem exercuit.

Ante Ioſuam pecuarij & paſtores gregis fuerunt, de loco in locum ſecedentes, vt fratres Ioſephi coram Pharaone de ſe & maioribus ſuis fatentur, *Gen. 46. v. 43 & cap. 47 v. 3.*

Et ipſe Abrahamus cap. 23. verſ. 4. eod. *Peregrinus* (inquit) *& inquilinus ſum apud vos Chananei*: nempe nulli certo loco addictus: cum etiam S. Stephanus teſtetur, Deum ne tantillum quidem hæreditatis in terra Canaan eidem Abrahæ dediſſe, *Act. c. 7. v. 4.*

Vagabunda igitur & ambulatoria fuit Eccleſia primæua, ab Adamo, vel à diluuio vſque ad Abrahamum, in cuius ſolius familia deinceps perſiſtens, in Ægypto & deſerto peregrinata eſt, vſque ad Georgiam & terræ Canaan diuiſionem.

Eius terræ poſſeſſione, à temporibus Ioſuæ filij NVN, per annos 1519 Hebræi vſi & fructi ſunt, vſque dum à Veſpaſiani filio Tito, poſt deletam Ieroſolymam, & prædicatum Euangelium, ſedibus antiquis pulſi ſunt: quorum poſteros modernos Iudæos, hinc inde adhuc hodie incerta ſede & ſine agricultura vagari videmus.

Nam

Nā à tempore Apoſtolorū paulo ante extirpationē populi Iudaici ex terra benedicta ſub Veſpaſiano, pura religio Chriſti Meſſiæ, & veri Dei cognitio, quæ prius in Iudæa quaſi in angulo latuerat, paſſim à gentib. nationibuſq; per totū mundū obſeruari cœpit. Et ſic diſtincta eſt tū primum Eccleſia Chriſtiana, à veteri Iudaica: Euangelica à legali: auguſtiſſima ab anguſtiſſima: illocalis & nulli certo loco alligata, à locali. ¶ Nam Chriſto data fuit poteſtas, gloria, & regnū, quod nō aboletur, *Dan. c. 7. v. 13. 14.* qui tanquā lapis angularis, tandē aduētu ſuo ad iudiciū 4. illa regna ſiue monarchias à Daniele Propheta prænūtias, eſt deleturus. ¶ Porro etſi Ioſua, omnē regionē Paleſtinæ, vel promiſſæ terræ occuparat, *Ioſuæ c. 13. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* Cū iā 5. annos ſolidos, ab ingreſſu in Canaan in debellādis eius habitatoribus [illegible] impendiſſet: Tamen ex iuſſu Dei *d. c. 13. v. 7.* operam dare cœpit diuiſioni eius regionis, & agrorum aſſignationi, Anno in periodo Iuliana 3262. Mundi 2499. ab ineunte autumno.

Quod ex Calebi ſermone, *Ioſ. c. 14. v. 7. 10.* ita demōſtratur: *Quadragenarius* (inquit) *erā, quando* (nēpe Anno. 2. exitus ex Ægypto *Num. c. 1. v. 1.*) *miſit me Moyſes, de Cades Barnea, ad explorandam terram.* *Iam* (vid. Anno mūdi ineunte 2499. in d. periodo Iuliana 3262. qua ſorte diuidēda erat terra) 45. *anni ſunt exacti ex quo tempore ambulauit Iſrael per deſertū: Et nunc quidem hodie ſum* 85. *annorū.* Hæc ille.

Ergo hic prædictus annus partitionis & κληρουχίας fuit præciſe 45. annus ab exitu ex Ægypto in menſe Niſan expletus, & inde currens 46. ¶ Vnde ab autūno in anno Iulianæ periodi 3262 (quo aſſignationi agrorū opera data eſt,) cœpit inire annus ab Orbe Condito 2499. & cum eo ſimul annus ſabbaticus & Iubilæus 51. à conditu rerū abſolutus. ¶ Atq; ita finito e anno ſabbatico, circiter æquinoctiū autumnale anni 3263. in periodo Iuliana, & exacto ſimul 51. Iubilæo illo: cœpit ab eodē æquinoctio primus annus γεωργίας Hebræorū. quo illi operā agricolationi in portionibus agrorū ſibi aſſignatorū, primū dederunt. Initiū igitur hebdomadū annaliū in terra Chanaan ſumimus ab anno Exodi 48. qui tamen tempore paſchatos primum anno Iulianæ periodi 3262. ſequente cœpit.

Etſi. n. primus annus γεωργίας in autūno anni præcedentis, nempe 3263. initio anni mundi 2500. inchoatus ſit: Tamē quia maiorem dicti anni Iuliani 3264. vſq; ad autumnum in eodē occupat, eum ἐν πλάτει *Georgicum* vocamus, quo vid. prima meſſis facta eſt. ¶ Ab hoc tempore ſub iudicib. & regib. in terra Canaan, vſq; ad excidiū templi. & ceſſationem agriculturæ quo tempore captus eſt Zedeckias, & populus fere totus, Babylonem à Nabuchod. abductus eſt, exacti ſunt anni 860. abſoluti.

Diſrupta enim vrbs eſt ab exercitu Chaldaico 9. die Tamuz, qui in 2. diem Iulii noſtri incidit, *Ierem. c. 39. v. 2.* poſt inflammata eſt. & templum exuſtum menſe Auguſto, *Ier. c. 52. v. 12. & 2. Reg. 25. v. 13.* In anno Iulianæ periodi 4124. Mundi 3360. deſinente in autumno.

Decennio ante, nempe anno Iuliano 4114. Mundi 3350. vſque ad autumnum labente: currente ſimul 8 anno Nebuchadnezari, regis Babyloniorum, Iechonia filius Ioiakimi, rex Iehudæ, cum deditionem feciſſet, in Chaldæam abductus eſt, & cum eo flos populi.

Inter eos captiuos etiam Propheta Ezechiel repertus fuit.

Incidit ea captiuitas, videlicet Ezech & Iechoniæ regis Iehudæ (ante quos, ſeptennio ante etiam Daniel Propheta ſub patre Iechoniæ, Iehoiakimo Babylonem [illegible] abductus fuit) in annum ab V. C. 154. ſi à palilibus anni in d. periodo Iuliana 4114. iuxta calculum Varianū numeremus.

Illo tempore Romæ, IV. rex Ancus Martius regnabat: de quo ita Virgilius:

—— Sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

Romæ illius veterrimæ vrbis, tanquam hominis ætatem, nempe puerilem, adultam, & iuuenilem, atq; etiam in ſenium vergentem ætatem, conſiderat Amm. Marcell. li. 14. *Primis auſpiciis* (inquit) *Roma in mundanum fulgorem ſurrexit, eiuſq; populus ab incunabulis primis ad vſq; pueritiæ tempus extremum quod annis fere* 300 *concluditur, circummurana pertulit bella. Ætatem ingreſſus idem populus adultam. Alpes & fretum tranſcendit. In virum erectus. ex omni fere orbis plaga triumphauit. Vergens in ſenium, Cæſaribus patrimonium regendum permiſit.*

Romanæ igitur vrbis pueritia ſiue adoleſcentia eximia eſſe cœpit, tempore Danielis Prophetæ, qui de ea vaticinatus eſt: licet adhuc in tenuibus illis initiis magnitudinem imperii futuri intueri vel intelligere ex ſeſe tum non potuerit: vtpote prorſus ignarus, vbi tum Roma, cum ſua IV. Monarchia, præ reliquis poſt eminentiſſima illo tempore ſita fuerit.

Etenim ſciens & inſcius illa omnia cœleſtia prodidit eloquia, ſōnia, & viſiones: proferens & quid viderit; & quid audierit, ſcribens: nihil interim eorū, vt quæ multis poſt ſæculis futura erāt, ille ipſe intelligēs. De qua re ſic habemus: Propheta (*c. 12. v. 8. in Dan.*) *Ego* (inquit) *audiēs cū non intelligerē: Dixi Domine mi, quis finis futurus eorū:* Et ille: *Abi* (ait) *Daniel: Nā occluſa & obſignata ſunt hæ res, vſq; tēpus determinatū.* Iubetur cō [illegible] reuelationib. & in ſuo vitę curriculo pgere: cū eę vtiq; fieri deberēt.

Heimliche vnd verſigelte Reden / (inquit Lutherus ad d. c. 12. Dan. verſ. am Ende / wirdt ſich der König gehn Mitternacht [illegible] mißlich zu treffen / ehe den ſie erfüllet werden / wie auch alle Weiſſagunge dem Teuffel ſelbſt verborgē [illegible] ſie vollendet werden. Wie Gott zu Moſe ſpricht / mein Angeſicht kanſtu nicht ſehen / Exod. 33 v. 20. Das iſt / wann ich [illegible] vnd habs gethan / ſo kanſtu mir nach ſehen / aber fornen zu / wo ich hin will / kan kein lebendiger Menſch ſehen.

Cū ergo omnia multis poſt ſeculorū periodis primū implenda eſſent: Propheta ne generalia quidem recte intelligere potuit, nedū vt in magis ſpecialia penetrare potuiſſet. Hæc de initio Danielis.

Tempus vero durationis Imperii Romani, Iohannes Apoſtolus aperte definit in *Apocalypſi*, dicens 42. menſes, nempe 1260. annos ab V. C. vſque ad eius ruinam, futuros eſſe.

Data eſt (ait) *beſtiæ* (videlicet vrbi Romanæ) *& eius imperio poteſtas agendi menſes* 42. in Apoc. c. 13. v. 8.

Illi anni ſub Anaſtaſio Imperatore Conſtantinopolitano deſierunt. Ex quo cœpit παναλεθρία vrbis, à Gothis tandem exuſtæ & exciſæ. Nam primo à poſteris Probi Imperatoris neglecta teſte Fl. Vopiſco *in eius vita*: poſt à Conſtantino Magno poſt ædificatam ſuam Conſtantinopolim, in Thracia, decore fere omni ſpoliata & nudata eſt. Ex illo eandem Romam, nempe anno Chriſti 410. V.C. 1163. Germanorum vel Gothorum rex, Alaricus inuaſit & cepit: Genſericus anno V. C. 1208. expugnauit. Anno Vrbis Conditæ 1229. Auguſtulo in exilium acto, eandem Gothorum reges tenuerũt, vt Marcellinus Comes indicat. Tandem Vitiges eandem anno ab V.C. 1290. (qui numerus apud Danielem etiam exprimitur) obſedit: quam cum ſuis Diis omnibus & cum tota Idolomania Ethnici, decennio poſt Totilas incendit, & ſolo æquauit. Et ſic ῥώμη ῥύμη, ἡ δῆλος ἄδηλος facta eſt: ex oraculo Sibyllæ: donec tandem à Pontifice Romano, E.R. præſule (nempe ſecunda beſtia apud Iohannem *in Apoc.*) inſtaurata: eique rediuiuæ beſtiæ gentil: prior imago & imperii forma reddita eſt per Papam Romanenſem.

A deſcriptione illa ſuperiore Apoſtolica Iohannis, de duratione primæ beſtiæ & Monarchiæ Romanæ gentilium, non longe abludit calculus Ethnicus apud Cenſorinum de die Nat. *ex libr.* 18. *antiq. Varronis*: vbi Vectius Augur, tempus vrbis Romæ ex numero annorum V. C. 120. diuinauit.

Romæ (ſcribit Varro d. loco) *audiui dicentem Vectium in augurio non ignobilem: Quoniam* 120. *annos incolumis præteriiſſet populus Romanus*: 1200. *peruenturum, & poſt vrbem cum imperio defuturam*. Anni 60. tãtum deſiderantur, quibus numerus Apoſtolicus Iohannis, maior eſt gentili: dum ille 1260. ponit. Quod autem Vectius de anno V.C. 120. dixit: Id tempus circiter diem natalem Danielis Prophetæ incidit: quo tum etiam Ethnicis viſa eſt prouidentia diuina de futuro regnorum in terris ſtatu, vſq; ad Chriſtum & verbi eius prædicationem, manifeſtari. Tum enim & ex illo tempore regib. proferenda erant ex conſilio Dei æterno oracula, & explicanda: vt eo modo piis & fidelibus conſtaret de populo Dei, qui ſub illis regnis ex ordine venturis, in ſua Palæſtina & terra benedicta, & poſt in vniuerſo terrarum orbe, vbicunque Eccleſiæ membra diſſipata ſunt, infeſtandus & affligendus eſſet: vſq; ad Chriſti aduentum, & deinceps ad ſeculorum vſq; conſummationem. Lapis enim exciſus (videlicet Chriſtus in glorioſo ſuo aduentu ad iudicium) percutiet imaginem ad pedes ferreos & luteos, & comminuet ferrum, lutum, æs, argentum & aurum, & diſperdet, vt nullus locus eis inueniatur. *Dan. c.* 2. *v.* 34. 35. De illis ipſis decretis diuinis à Daniele euulgatis, non dubiũ eſt, quin Diabolo tanq̃ ſagaciſſimo mũdi principi ſuboluerit: qui eũ de vrbe Roma terminũ diuinitus definitũ & præfixũ ad fidẽ ſibi maiorẽ apud gentes cõciliandã auguri ſuo Vectio, tẽpore Caii Iulii Cæſaris (quo reipub. forma iterũ mutari cœpit) ſuggeſſit: præſertim cum iã ex plæriſq; Danielis propheciis & prædictionibus euentus reſpõdiſſet. Ex præteritis enim ſi futura: multo magis præſentia, augurari potuit.

Vnde ex eodem fonte deriuata videtur illa opinio gentilium, quæ ante Auguſtinum inualuerat: qua definiebatur, quanto tempore manſura eſſet religio Chriſtiana. Petrum enim maleficia feciſſe dicebant, vt coleretur Chriſti nomen per 365. annos: & completo illo numero annorum ſine mora ſumeret finem: vide Auguſt. *de ciuit. Dei lib.* 18. *c.* 53. *&* 54.

Si huius computi initium ſumimus ex anno reſurrectionis Chriſti, in anno periodi Iul. 4746. vbi in Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum credi cœpit: & ſi numerãtur illi anni 365. per conſules: Reperiuntur impleti in conſulatu Honorii & Eutichiani anno periodi Iulianæ 5111. Nam illo tempore ſub Honorio Cæſare fuit quidem religio Chriſtiana: ſed eius puritas iam in multis conſpurcata erat: Adeo vt paulatim, obſcurato nomine Chriſti & merito, auctoritas Petri, & prætenſæ ſanctæ ſedis eius per vicarios Pontifices Romanos in Eccleſia Romana locati (quæ tandem in regale ſacerdotium ampliſſimum transformata eſt, & in regnum mundanum euaſit) extolli: Et Chriſtus in electis ſuis ſingulis membris, per totum orbem diſperſis, tolli & deprimi viſus ſit.

Nam poſt Chriſtũ paſſum, illocalis facta eſt, nullo certo loco fixa Eccleſia: Cũ ſit cœtus eorũ, qui prædeſtinati ſũt ad vitã æternã: ꝓ quib. Chriſtus orauit: qui faciũt, q̃ ipſis Chriſtus præcepit: qui credunt eũ eſſe filiũ Dei: & ꝙ ꝑ eum vitã æternã habeant: qui faciunt voluntatẽ patris in cœlo: q credũt eum eſſe Deum, & quem miſit Chriſtum: qui fidem habent iis, quæ ſcripta ſunt in Prophetis, &c.

Apposite itaq; ſcribit S. Hier. *Poſtquã Imperat. ex Conſtantini ſeculo, Chriſtianam fidẽ amplexi fuere: Tum Eccleſiarum præſules* (inter quos Romanus primatum ſenſim & tractu temporis arripuit) *externis bonis à nouis & ſemichriſtianis ipſis principibus amplificatos, plurimum profeciſſe: ſpiritualibus vero donis defeciſſe.*

Quod ipſum Tho. de Aquino notauit, qui Innoc. III. (cui tum forte magna vis auri corã numerata eſt) dicenti: *Videsne, Thoma, Eccleſiam non amplius, ſicut olim, cum primum inciperet, dicere poſſe: aurum & argentum nõ habeo, vt Petrus mendico claudo dixit*: Mox reſpondit: *Fatẽdum eſt hoc, pater ſanctiſſime. Sed Eccleſia modo non poteſt, ſicut primitiua Eccleſia Apoſtolica, ad claudum dicere: Surge: & Ambula: Sanus eſto*: vt refert eam hiſtoriam Ioh. Bap. Gilli *Dial.* 5.

De iſta Metamorphoſi (qua ſc. Chriſti nomen poſt annos 365. finẽ habiturũ eſſet: ſubſtituta S. Petri & ſucceſſorũ eius noua cõmenticia religione) ita etiam ſcribit in terminis Roderic. Zamorenſis Hiſpanus, Pauli II. Papæ in Caſtro S. Angeli caſtellanus & Epiſc. Calagaritan. in *ſpeculo vitæ* (ꝙ præfato Papæ dedicauit) li. 2. c. 29. de comparat. religioſorum inter ſe inuicem &c. *Circa prædicta* (inquit) *quæ de ſanctitate vitæ ſolitariæ dicta ſunt, dicã ꝙ animũ pulſat. Alia n. eſt ratio illius antiqui tẽporis: alia moderni. Si n. viros ſolitarios cõſideramus, illos vid. qui in primitiua Eccleſia floruerunt: veriſſimũ puto, illos fuiſſe perfectioris & ſanctioris vitæ, cæteris ſocialẽ vitã agentib. Illo n. tempore nõ arctãbantur fideles tot Canonum, decretorum præceptis, cẽſuris & pœnis. Nec erãt tunc (vt ita dixerim) tot laquei legũ, & conſtitutionũ, excommunicationum,*

ſine cenſurarũ: A quib. vix fideles etiã diligentiſſimi & timorati reſpirare & præcauere poſſunt. *Nõ tot ieiunia indicta, non vigiliæ, non ſilentia: non diurna pariter & nocturna officia, ſtrictim ac ex præcepto dicenda: Non denique tot feſta colẽda: Nõ tã crebra cõfeſſio: Et corporis Chriſti cõmunicatio: Nõ tot obedientiarum præſtationes: ſicut modo fideles arctantur, aut potius inuoluuntur: ita vt recte de prælatis Eccleſiæ dici poſſit illud Chriſti:* Qui alligant onera importabilia, & c. *Vnde ſi aliqua huiuſmodi in illa primitiua Eccleſia ſeruabãtur: erãt tantum volũtatis: quæ pro tunc transgredi, peccatũ non erat, quia nõdum (à Petri ſucceſſorib. Papis Romanis) prohibita. Nunc vero omnia illa quæ diximus, & cõplura alia Eccleſiæ additamenta ſunt neceſſitatis: Et quotidie ſecundũ hominum & temporis malitiam expedit: vt augeantur (contra ſcriptum Dei verbum) & ſub præcepto iniungantur: Quorum ignoratio aliquem non excuſat* Hactenus ille. ¶ Ex quibus intelligitur, ſi quis ea quæ à Petrinæ ſedis poſſeſſorib. Romanenſib. tanq̃ ad ſalutẽ neceſſaria contra Dei verbũ ſtatuta ſunt, cõplecti & credere noluit: eum ſtatim haberi pro hæretico, vita indigno: quẽadmodũ adhuc hodie experiẽtia teſtatur.

Vnde de eiuſmodi prauitatib. ſui etiã tẽporis conqueritur S. Bernh. ad paſtor. congregat. *mihi col. 2255 lit. A. Multis modis (ait) diabol. Eccleſiam perſecutus eſt: ſed nunquam grauius, quã hodie: Quia nunquã fuit maior, (ſc. quã tẽpore illo Bernh. ſed quid dicturus eſſet, ſi hodie rediuiuus exiſteret?) Perditio Chriſtianiſſimorum, (qui onera illa importabilia ferre nolunt) Aut ſecurior transgreſſio Diuinorum præceptorum, veluti hodie tota die fit in regno Antichriſtiano.* Ita ille. ¶ Vtinã exiſtat breui alter Claudius zelo pietatis Chriſtianæ inſtructus, qui optimũ factũ Claudii quondam Imperat. Ethnici, ſucceſſoris Caligulæ, imitaretur. De quo C. Corn. Tacit. ſcribit: q̃ *multa ſacrificia & ferias Romæ abrogauit: Ne maior pars anni in ipſis celebrãdis, conſumeretur.* Nã inania ſunt (ait Lactant.) illa ſacrificia: inanis eiuſmodi religio, quæ in tẽplo relinquitur: quæ neq; bonos facere poſſit, neq; firmos & imutabiles: cum tota Romanenſ. ſuperſtitio ſit mera hiſtrionia, & in externis tantũ ceremoniis verſetur. ita vt licet nullo vnq̃ quis interno motu ad Deũ inuocandũ accendatur, tamẽ ſi externos duntaxat in Eccleſia Romana receptos probatoſq; ritus obſeruet, ꝓ optimo habeatur Chriſtiano & Catholico. ¶ Neq; .n. plus Romanenſes à Chriſtianis ſuis poſtulant, q̃ vt naſcentes primo exorciſentur, ſignentur, chriſmẽtur, ſtatuto die ab Epiſcopo cædãtur, patronũ vel patronã ſibi è Diuorũ vel Diuarũ numero eligant, eique præ cæteris preces faciant & feſtum celebrẽt. Item tẽpore XL. & dieb. Veneris ieiunẽt, dies cinerũ cinerib. conſignent, ante Paſcha cõfiteantur, & abſolutionẽ non tã petant q̃ pecunia emãt: tũ miſſam audiant, ad Eucharistiã percipiendã, pectus cõmundant, ſacramentũ adorent, & demum in extremis vngantur, & ad ſepulcrũ cũ lumine & cantu ferãtur. Sonitus clarus auditur cãpanarum, quas ante baptizatas eſſe oportet. Itẽ, Annus ceremoniis ſpectãdis circumagitur: In natalitiis Chriſti, ligneus infãs cunis impoſitus, à pueris & puellis agitatur. In feſto 3. Regum fabula agitur fictitiorum 3 Regum cum ſtella papyracea. In Purificationis feſto candelæ circumferuntur: in Quadrageſima pœnitentes perſonati flagellãtes, ſe nudi per plateas eunt: In eadẽ imagines in templis, pullatis veſtib. luctũ præ ſe ferunt & altaria claudũtur. In die Palmarũ aſinus circũducitur, palmæq; geſtãtur. Poſt Paſſionẽ ſepulcro addũtur vigiliæ. In die Reſurrectionis expugnatio inferni, tanq̃ in ſcena repræſentatur. Poſt mediũ noctis ſabbatu Paſchæ, presbyter, imaginẽ crucifixi, ex ſepulcro recipiens, templũ circumit, & portas eiuſdẽ clauſas pulſat, dicens: *Attollite portas principes, vt introeat Rex gloriæ, dominus fortis, dominus exercituũ.* Ante Aſcenſionis feſtum ſolẽnes habentur ꝓceſſiones, & imagines Sanctorũ in illa põpa portãtur. In feſto Aſcẽſionis presbyter cũ in ſuperiorẽ templi partẽ machina lignea receptus eſt cãtãs, *Aſcendo ad Patrem meum*: deiicit cõplures oblatas, quas dũ ſpectatores colligũt, aqua ſubito ex ſuperiore illa parte tẽpli perfundũtur. Vnde riſus ingens exoritur. Die Pentecoſtes, colũbæ imago, in medio tẽpli ſuperne demittitur: & mox cum ea, ignis & aqua decidit, cum ſonitu quodã qualis bombardarum eſſe ſolet, ſacerdote canente: *Accipite Spiritum ſanctum.* Poſt Pentecoſtẽ, feſtum corporis Chriſti vel Dei, magno apparatu celebratur: inſtituta ſolẽni ꝓceſſione & põpa, in qua Deus panaceus circũgeſtatur, cũ variis inſtrumẽtis muſicis, crucib. ac vexillis, non tãtum ſacras, ſed etiã amatorias & ad exhilarandũ conuiuia cõpoſitas cantiones ludentib. Sequuntur deinde Ambaruualia & frugũ benedictiones. In tẽplis ſtatuæ, picturæ, altaria deaurata, monſtrãtiæ, lampades, organa, cantus figuralis & choralis, ceremoniæ, & ritus reliqui loquuntur: ſacerdotes, niſi forte in ſacro (q̃ vocant) officio & miſſa muti ſunt. Si cum ſuo idolo ſacrificus ſplendide veſtitus procedit: ꝓcidit adoratura plebs, pulſantur campanæ, accenduntur ceræi, thus adoletur, omnia organis & cantu reſonant. Vide Amand. Polan. *in Commentar. in Daniel. c. 11. f. 384. 386 cum ſequen.* In his fere omnibus poſita eſt Romanenſis religio, verbo Dei magis prohibita ſeuere quam præcepta, & primis Chriſtianis ignota.

Ieſuitæ ampliarunt; dũ præter ſuperiora aſſidui ſunt in habendis tribunitiis concionib. & edẽdis ſcriptis captioſis, ſophiſticis plenis: in quib. Lutheran. cõdemnant, omnibus mortibus dignos, vt qui Papã Eccleſiæ caput eſſe inficiantur. Audiunt cõfeſſiones meretricũ, comœdias agunt, iuuentutẽ in ſcholis corrũpunt: Antichriſti excrementa ꝓ paſtillis venditant: Ad omnis generis flagitia & ſcelera cõniuent, dũ ſaltem ſarta tecta Pontif. Roman. maneat ſua dignitas, teſte Simone Steinio *ind. reſpõſ. l. 2. c. 3.* Non ea fuit facies (ſcribit idem rectiſſime in *d. reſpõſ. l. 4. c. 2.* primitiuæ Eccleſiæ. Nã Apoſtoli eorumq; ſucceſſores, ex mandato Magiſtri ſui & Præceptoris Chriſti, orbem terrarũ obeuntes, ſine amiculis, linteis, caſulis, infulis, ſine aqua luſtrali, & aſpergillo, ſine thẽſis & põparũ ferculis, ſine acerris & thuribulis, nõ ſolũ æternã maximi Dei voluntatẽ, ſine figmẽtis hominũ, abſq; omniũ ceremoniarũ apparatu, pure & ſimpliciter annũciarũt: ſed & Imperat. in terris, à Deo ſecũdos, venerari, & vt Dños colere, eiſdẽ tributũ pendere, ꝓ eorum ſalute preces ad Deũ fundere, imperata magiſtratuum aſpernãtib. diuinã vindictã minitari ſoliti ſunt. Tãtũ abfuit, vt vel regẽ vel principẽ quenq̃, etiã ꝓfaniſſimum

niſſimum, regno pellere, populum eius ſacramento ſoluere, vel pro principatu cum ipſo decertare tentarent: cum in eo toti eſſent, vt aſperrimas & atrociſſimas perſecutiones per annos 270. in vera fide & inuocatione ardenti, ac glorioſa conſtantia, ſuperarent: vnde & Eccleſiæ incrementum extitit, & veritatis cœleſtis propagatio.

Hunc fuiſſe Eccleſiæ Chriſtianæ morem ſuo tempore Tertull. affirmat, in Apologet. cap. 39. *Corpus* (inquit) *ſumus de conſcientia Religionis, & diſciplina veritate & ſpei fœdere. Coimus in cœtum & aggregationem, vt ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, ac poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis.*

CAPVT II.

De ſomnio Nabuchodonoſori: Et de Danielis viſionibus, primum 4. beſtiarum: deinde Arietis & Hirci: Quæ ſub Nabuchodonoſoro & ſub Dario Medo acciderunt: Item de 70. Hebdomadibus: Et de prima Monarchiæ occaſu.

NEbuchadnezar, Zedechia rege in Iudæa relicto, cum victor Syrorum, Ægyptiorum, Iudæorũ & aliarum gentium Babylonem mortuo patre Nabopollaſſaro reuerſus eſſet: anno imperii 1. ab obitu parentis, mundi 3355. V.C. 159. II. Olymp. 46.6. captiuitatis Iechoniæ regis & Ezechielis Prophetæ, ex Dei reuelatione, & prouidẽtia (iuxta illud Homericum: ἐκ Διός ἐστιν ὄναρ) ſomniauit ſomnia, quibus conſternauit ſe ſpiritus eius ad intelligendum. In vitæ diſcrimine propterea conſtitutus Daniel, cum tribulibus recepit & promiſit, ſe tam ſomnium quam interpretationem eius expoſiturum: quemadmodum & fecit: *Daniel d. ca. 2.* Deſcribit itaque ex diuina reuelatione imaginem adminiſtrationis præſentis & futuræ in regnis quatuor mundanis: quantum ea ad electum & ab omnibus gentibus ſegregatum populum attinebant. Inter illa gradum ſupremum Chaldaico imperio præſenti, tanquam capiti, & temporis ordine primo, aſſignat: dum inquit: *Tu* (Nebuchadnezar) *Rex Regum es: Tu, cum ſerie antecedentium & ſequentium regum, caput es illud aureum.*

Sic Iſaias Propheta multo ante ſub Ezechia rege, auream Babylonem nominauit, vt quæ ſplẽdidis opibus ſuperbiret, *c. 14. v. 4.* Ita etiam Ieremias præfatum regem appellat ſeruum Iehouæ, cui ille omnia regna tradiderit.

Chaldaicum hoc ſiue Babylonicum imperium ſecuta reliqua tria & deteriora & aſperiora fuerunt: nimirum Perſarum, Macedonum, & Romanorum. *Exurget* (ait Daniel) *regnum ſecundum, humilius tuo.* Regnum tertium æneum, dominabitur in tota terra.

De Romano quarto dicit, quod ſit futurum tam durum, vt ferrum quod omnia comminuit & confringit: cuius crura ex ferro, pedes vero partim ex ferro, & partim ex luto. Vide Daniel. *cap. 2. per totum.*

Hoc ſomnium per totum orientem vna cum interpretatione ſtatim vulgatum eſſe hiſtoria teſtatur. Ex qua re exules Iudæi tum præclaram habuerunt materiam ſe inuicem, ad crucis tolerantiam exuſcitandi, cum ſpe certæ liberationis, illis in regno Meſſiæ perpetuo (omnia illa regna euanida fluxa Deo & eius aduerſa euerſuro) promiſſæ. Quod maxime in exulibus illis ſeſe mutuo ad patientiam exhortatis factum eſſe putamus, quando 5. annis poſt, (nempe anno Iulianæ periodi 4124. vt ſupra diximus) vrbs Hieroſolymorum cum ipſo templo exciſa fuit ab eodem rege, quem ſuum ſeruum vocat Iehoua, & pro cuius ſalute Ierem. Propheta exules oraſſe iuſſit. In ipſo autem Babylonico territorio diu hæſiſſe huius rei cognitionem, ex Diodoro intelligimus: qui narrat Seleucum ſcripſiſſe, Chaldæos ſacerdotes prædixiſſe ſibi Alexandri interitum, & partitionẽ regni inter 4. duces. Quæ ex Daniele deſumſiſſe illos ſacerdotes exploratum eſt. Et inde etiam dimanaſſe vulgatum illud apud Græcos & Latinos poetas de 4. ætatibus, aurea, argentea, ænea, ferrea, & de Saturni ſeculo non dubitamus.

Cæterum, vbi Nebuchadnezar rex anno imperii 44. currente, mundi 3386. V.C. 190. 37. à deportatione Iechoniæ & Danielis, poſt multas victorias & plurimas quoque calamitates, extinctus eſt: in imperio Babylonico Euil Merodachus ſucceſſit, qui de Iudæis, inprimis de Iechonia & indubie etiam de Daniele bene meritus eſt. *Ierem. c. 52. & 2. Reg. 25. v. 27.* Sed illud gaudium breue fuit: Cũ rex ille à Nerigliſſaro, ſororio ſuo, anno regni ſecundo interemtus fuerit. Ille Nerigliſſarus poſtea 4. quidẽ annos & 9. menſes regnauit, iuxta Beroſum: ſed nomine filii Belſazaris (in quo proſapia Nabopollaſſari regis concidit) omnia adminiſtrauit, eiuſq; nomen in edictis & actibus publicis aſtute præponi, mentione ſui omiſſa curauit.

Itaque eo modo apud Danielem *c. 7.* legimus annum primũ Belſazaris regis Babyloniæ (pro quo pater tutorio nomine regnum adminiſtrauit) notari: quo Danieli in viſione oblatæ ſunt 4. beſtiæ, qua confirmatur ſuperius Nebuchadnezaris ſomnium: inſtante iam Babylonico imperio ruina, quæ ſub Dario Medo, Belſazaris vltimo ſucceſſore, in eodem regno Babylonico contigit.

Huius 1. anni Belſazaris & ſomnii Nebuchadnezaris differentia eſt, annorum 33. vt ita dicendũ ſit, non vno & eodem momento arcana cœleſtia decreta ſtatim manifeſtari. Nam anno 3. præfati Belſazaris, (quo Nerigliſſarus extinctus eſt) iterum Deus Danieli magis in ſpecie conſtitutionẽ futuram regni Perſici ſub figura Arietis in viſionibus reuelauit. Cui de regno Macedonico in forma Hirci narrationem, & inprimis de Hircino cornu perparuo, nempe de Antiochi Epiphanis, primi Antichriſti, tyrannide aduerſus populum Iudaicum, attexit. *Dan. ca. 8.* Mentio regni Babylonici (vt in ſuperioribus prophetis) ideo omittitur, quod illud iam modo eſſet ruiturũ. Nam Belſazar (poſt-

quam

quam dicto anno 3. ſuæ adminiſtrationis pater Neriglíſſarus interfector Euil Merodachi periiſſet) 9. tantum menſes regnauit Babylone, ſublatus repentina morte in pueriili ſua petulantia, qua in vaſis templi prophanandis vſus eſt, *vt* c. 7. apud Daniël. habetur. Cum enim in exitu illorum 9. menſium, epulum magnificentiſſimum proceribus Belſazar rex exhibuiſſet: Deus non tantum immiſſa manu iudicium ſuum impendens & inſtans ante oculos omnium deſcripſit, ſed etiam proxima nocte executus eſt. Nam eadem nocte ab amicis interfectus fuit, qui monarchiam Babylonicam ad exterum, Darium Medum origine, licet ſatrapam Babyloniæ (non regem Medorum) (extincta iam in Belſazare familia Nebuchadnezaris) transtulerunt. Vnde Dan. ſcribit c. 5. v. 31. *Darius Medus accepit regnum natus 62. annos.* Item c. 9. v. 1. *Darius Aſueri F. ex ſemine Medorum, factus eſt rex in regno Chaldaeorum.* Verbum ἀναδέχεσθαι τὴν ἀρχὴν vſurpatur in acceptione rei ab alio volenter traditæ: & regni inuaſionem & violentiam aliam omnem excludit.

Ergo ille Darius Medus, & à populo & à proceribus Babyloniæ, poſt necem Belſazaris rex creatus eſt. Itaque *d. c. 5. Dan. v. 28.* dicitur, *Diuiſum eſt regnum tuum, & traditum Medis & Perſis.* Medus igitur, conſenſu ordinum imperii Chaldaici regnauit ante Perſarum regem Cyrum, qui deinceps manu armata partim, partim etiam proditione ipſius Darii Medi acceſſoria, illud Chaldaicum regnum occupauit.

Ergo Daniel Propheta mutationem illam conſiderans, poſtquam prorſus ſublatam vidit progeniē Nebuchadnezaris vaſtatoris Eccleſiæ, putauit 70 annū liberationis promiſſæ iam appropinquaſſe, ſub Dario alienigena. Nam recordatus oraculi Prophetici, quo iuſſi fuerāt Iudæi ſeruire Nebuchadnezaro & filiis eius: Extinctis iam illis liberationem anxie deſiderauit. Sed Deus eum & fideles alios cum eo, non tam de proxima corporali, quam potius de ſpirituali liberatione per Chriſtum affutura confirmauit: dum occaſione 70. annorum captiuitatis Babylonicæ; (quos potiſſimū Daniel tum expendere viſus eſt) 70. hebdomadas definiuit: quibus elapſis deſolatio eſſet futura politiæ Moſaicæ, quæ ſub Veſpaſiano accidit, poſtquam Ieroſolyma per Titum capta & deleta ſunt. Vide *c. 7. Dan.* Et ſic Deus non tam tempus liberationis ſub Cyro, ad quod vſq; Dan. viuendo peruenit: ſed multo magis ſtatum gentis Iudaicæ à 2. anno Darii Nothi (quo edictum repertum eſt de inſtaurando templo & quo ſeptimanarum illarum initium poſt 145. annos ab hoc anno 1. Darii Medi expletos primum cœpit) vſque ad Chriſtum deſcripſit. Poſt Chriſtum enim omnia in peius apud Iudæos delabi cœperunt, vſque dum terra promiſſa & benedicta per Romanos exacti ſint.

Hinc patet, valde illos decipi, qui in *c. 2.* & 7. & alibi apud Danielem, negant: Regnum quartum vel beſtiam 4. Roman. & eorum monarchiam denotare. Etſi n. Chaldæi. Perſæ, & Syromacedones, (inter quos à ſæuitia & crudelitate nobilitatus eſt inprimis Antiochus Epiphanes, qui propterea typū Antichriſti gerit) grauiſſime Iudæos afflixerunt: Tamē ea afflictio tantum ad tempus durauit, & cū illa πανωλεθρία quæ à Romanis facta eſt, nequaq̄ conferenda eſt: dum in ea populus Danielis cū ciuitate ſancta & omni politia, internecione quaſi, deletus & ex terra deſiderii exturbatus & extirpatus eſt. Eo reſpectu 4 regnū dicitur ferreū, quod comminuit & debilitat omnia, & 4. beſtia introducitur, habēs ferreos dentes magnos, comedes, cōminuens, ac reliquum pedibus ſuis conculcans.

Tempus igitur 1. anni Darii Medi, poſt mortem Belſazaris, incidit in annum periodi Iulianæ 4156. Mundi 3392. V.C. 196. captiuitatis Iechoniæ regis 42.

Huic numero 42 annorum adhuc 28. anni deſunt, quib. tandē decurſis, demū cōpletur numerus 70. annorum liberationis promiſſæ ſub Cyro rege Perſarum. Etſi enim ille biennio ante, nempe anno in Iuliana periodo 4154. V.C. 194. I Olymp. 55. abſq; vlla hiſtoriarum controuerſia regnū Perſicū adeptus eſt: Tamen implicitus multis bellis, nō ante animū ad expugnandā Babylonē & occupandā Chaldæorum Monarchiam adiecit, q̄ poſtquam confecto bello Lydio, Crœſum cepit, vt Herodotus tradit. Quæ clades Crœſo obtigit circiter annū in periodo Iuliana 4167. II. Olymp. 58.

Exinde ipſi Cyro cū Dario Medo & Babyloniis res fuit vſq; dū Darius octogenarius regno Chaldaico (quo per 17. annos ſecure potitus fuit) à Cyro exutus eſt circiter annū Mundi 3411. V.C. 215. Et hoc eſt, quod ait Daniel, *c. 7. v. 5.* de beſtia ſimili vrſo, qui comedit carnem multam. Quam crudeliter enim & quā barbare reges Perſici ſē cōtra Babylonios & alias gentes geſſerint, hiſtoriæ docent.

Ac licet circiter prædictum tempus, Cyrus victor, Babylonem & cætera loca, in quibus Iudæorum coloniæ captiuæ commorabantur, ceperit: Non tamen ſtatim Iudæorum rebus & libertati proſpicere potuit, in ordinando ſtatu prouinciarum vi & armis ſubactarum occupatus.

Itaque non ex quo Babylone potitus eſt Cyrus: ſed à captiuitatis ſolutione ſcriptura ſacra eiuſdem regis annos numerat.

CAPVT III.

De ſolutione captiuitatis Babylonicæ & de ſecundæ Monarchiæ Perſicæ regibus, Danieli per viſionem oſtenſis, vſque ad Alexandrum Magnum.

TAndem anno à deportatione Iechoniæ regis, & Ezech. Prophetæ 70. in periodo Iuliana 4183. II. Olymp. 62. V.C. 225. Tarquinii Superbi vltimi Rom. regis 2. Cyr. edicto publico Iudæos captiuos manumiſit, & eis reditū in patriā poſt abſolutos iā in Babyl. captiuitate an. 70. à Ier. p̄dictos, cōceſſit.

Annus ille 70. ſolutæ captiuitatis eſt in ſacra ſcriptura Cyri primus de quo dicitur *Dan. c. 1. v. 21.* quod in eum vſq; annū, Daniel Propheta vixerit. Sed vlterius eum produxiſſe vitam: oſtendit viſio eiuſdem Prophetæ, *capit.* 10. 11. 12. quæ 27. anno, poſt illam de ariete & hirco reuelata fuit eidem Danieli; vbi fit mentio anni tertii, Cyri regis Perſarum & Babyloniorum. Hic 3. annus fuit vltimus & vitæ & imperii Cyri regis. Cum enim ille profectus eſſet, aduerſus Tomiridem Reginam

& Scythas: à quibus victus occubuit: hoſtes Iudæorum in Palæſtina, qui viuente adhuc Cyro edictum de templo Hieroſolymis inſtaurando, flocciſecerant, corrumpere etiam cœperunt conſilium filii Cambyſis: ne opus templi promoueretur. *ſupra dicto c.4.v.45.*

De hac re proculdubio, & coram per literas, Daniel certior factus, procul à patria, popularium & exiguæ illius portionis (quæ edicto Cyri excitata in Iudæam profectionem inſtituerat) calamitates miſeratus, in luctu 3. ſeptimanarum diebus, vixit.

Poſtea 24. die menſis 1. illi ad ripam Tigridis fluminis exiſtenti, apparuit vir indutus lineis veſtibus, hoc eſt, Chriſtus, qui de rerum illarum mirabilium termino ab angelis in eiuſmodi ſecreta introſpicere deſiderantibus, interrogatur. *Dan.c.12.v.5.6.* Vir ille affirmat: ſe veritatem & id, quod exaratum eſt ſcripto veriſſimo in conſilio Dei, velle Danieli indicare: de regibus Perſicis: *Ecce (inquit) adhuc 3. reges in Perſia ſtabunt: deinde quartus ditabitur diuitiis maximis omnium, excitans omnes contra regnum Græciæ.* Dan.c.10.v.21. & c.11.v.2. Hieronym. ad hunc locum annotat his verbis: *4. reges poſt Cyrum (qui iam vita functus aut ſtatim fugiendus erat, in Scythia expeditione) dicit: Cambyſen Cyri F. & Smerdem magum, qui Pantapten, filiam Cambyſis, duxit vxorem. Qui cum à 7. Magis fuiſſet occiſus, & in locum eius, Darius (Hiſtaſpis F.) ſuſcepiſſet imperium: Eadem Pantapte nupſit Dario & ex ea Xerxem genuit filium, qui potentiſſimus rex & ditiſſimus, aduerſus Græciam, innumerabilem duxit exercitum, & ea geſſit quæ Græcorum narrãt hiſtoriæ.* Hæc ille. Pace Hierouymi & Æſchyli, & aliorum potius dixerim, in Daniele intelligi illos 4. reges (nempe Cambyſem Darium, Xerxen, Artaxerxen, Longimanum, Xerxis filium) ſub quibus diu regnantibus reliquiæ Iudæorum à templo ædificando, tam per vicinas gentes, quam etiam prohibitoriis edictis, ex conſilio regum illorum emiſſis, & publicatis, maxime impeditæ fuerunt. Nam Smerdis imperium vix primis labris deguſtauit, & ſtatim occiſus fuit. Itaque enumerat hic filius Dei, illos 4. præcipue, ſub quibus opus templi Hieroſolymitani impeditum fuit ab hoſtibus Iudæorum, qui conducebant & corrumpebant conſiliariorum animos in conſilio ſummo regis; omnibus diebus Cyri, vſque ad regnum Darii, Hiſtaſpis F. patris Xerxis, *Eſdr.c.4.v:4.5.* Particula VSQVE, excluſiue accipienda eſt, quaſi diceret: *Etiam toto gubernationis Darii illius tempore per annos 39. iſti hoſtes hoc egerunt, ne templi opus perficeretur.*

In Daniele plus ſcribitur, quod Eſdras expreſſit. Nam (vt relatum eſt) interpres apud Danielem ipſe Deus, imperium quoque Xerxis, & Artaxerxis Longimani, eius filii, ſimul complexus eſt; quorum temporibus nihil proficere, quoad ædificationem Templi & Vrbis, Iudæi potuerunt. Xerxes Ahaſchueros creditur eſſe maritus Eſtheræ, de quo in lib. Eſth. V. Eſd. *c.4.v.67.*

Quia igitur Chriſtus in illo ſermone tantum eos reges perſtringit; quorum conſilio templi conſummatio impedita fuit: Omittit Darium Nothum, Artaxerxis Μακρόχειρος, ſucceſſorem: cuius anno ſecundo periodi Iulianæ 4291. Mundi 3527. V.C. 331. edictum promulgatum eſt, de inſtaurando templo. Ab eo tempore 70. hebdomades computantur. Quod autem apud Daniel. *c 9.v.25.* fit mentio renuntiationis verbi *Eo*, intelligit edictum præfati Darii de reſtituenda domo Domini. Item in eodem verſiculo ſimiliter ſequentis regis Artaxerxis Memoris, meminit vir Gabriel, cuius regni anno 20. vrbs Ieroſolymorum ædificata eſt cum plateis & foſſis. Vid. Eſdr. *c.4. & 6.*

Hos duos reges, Darium Nothum & Artaxerxem Memorem, Daniel noſter, licet nomine diſſimulato, nihilominus notauit & deſcripſit. Et ſic reges Perſicos & ordine ſeptem numero ex Propheta illo colligimus: Nimirum, Cyrum, Cambyſem; Darium F. Hiſtaſpis; Xerxem; Artoxerxem Longimanum; Darium Nothum; Artoxerxem Memorem. Sed cum Chriſtus (vt diximus) tantum de afflictionibus populi ſui dicturus eſſet, *Dan.c.10. & 11.* Præterit totam ſeriem regum Perſarum, poſt tempus Artoxerxis Longimani, & ſaltu quodam ſtatim ad Alexandri ſucceſſores tranſiit. Ex quibus præcipue reges Syriæ & Ægypti recenſuit, inter quos Antiochus Epiphanes facile primas tenuit; quantum ad immanem tyrannidem attinet, quam in Iudaicam gentem, tum Eccleſiam Dei, exercuit.

CAPVT IV.

De Monarchia tertia Syromacedonum: & de Romana, (quæ Syromacedonicæ ſuccreuit, eamque tandem deuorauit) vſque ad Antiochum Epiphanem.

DAniel *c.2.* dicit, regnum tertium fore æneum: Item *c.7.* beſtiam deſcribit, ſimilem pardo, cui 4. alæ volucris erant in dorſo. Quo ſignificat, pernicitatem ſummam auctoris; nempe Alexandri Magni, qui primus Monarchiæ illius quartæ acquirens fuit.

Cap.8. idem Propheta in viſione introducit cladem, qua Darius Codomanus, vltimus rex Perſarum, contra Alexandrum pugnans regno exutus eſt. *Incurrit* (inquit) *Hircus in Arietem, & deiiciens illum in terram, conculcauit illum: nec fuit qui eriperet Arietem e manu eius.*

Apud eundem Danielem *c.11.v.3.* Chriſtus de eodem Alexandro agens, vocat eum potentem qui obſiſtet, hoc eſt, regnum Perſicum occupabit dominatione magna.

Darii illius, Codomani dicti, vltimi ex regibus Perſarum, mentio eſt apud Nehem. *c.12. v.22.*

Breuitatem regni Alexandri Magni & interitum poſteritatis Alexandreæ, atque ſucceſſores eiuſdem Alexandri deſcriptos habemus in eodem Daniele Propheta.

Nam *c.2.* generaliter ſolummodo tertium illud regnum expreſſum eſt.

Cap.7.v.6. notantur 4. capita beſtiæ tertiæ, ſimilis Pardo. *Cap.8.v.8.* dicitur Hircus, cornu magnum tactum, & loco eius aſſurrexiſſe 4. cornua in 4. ventos cœli.

Cap.

Capit. 11. *v.* 4. in poſtrema viſione, explicat ſe magis ſpecialiter, ita Chriſtus: *Frangetur* (ait) *regnum eius, nempe Alexandri: & diuidetur in 4. ventos cœli, aliis (videlicet extraneis, non ſuis hæredibus) cedet.*

Ioſephus *li.* 1. *contra Appionem* ſcribit, ex conſenſu hiſtoricorum, Alexandrum qui Iudæos non offenderat, deceſſiſſe diebus æſtiuis, Olympiade 114. incipiente. Illud tempus incidit in annum mundi 3626. V.C. 430.

Quo tempore populus Romanus ætatem ingreſſus adultam, poſt multiplices bellorũ ærumnas, Alpes cœpit tranſcendere & fretum, vt loquitur Ammianus Marcellinus *lib.* 14.

Exinde filius Dei apud Danielem *d. c.* 11. recenſet reges Auſtri, vel Ægypti, & reges Aquilonis vel Syriæ, vſque ad Antiochum Epiphanem, ſiue illuſtrem & nobilem per antiphraſin dictum: cum Græci eum non immerito *Epimanen* appellarint. Nam Ptolomæus, Lagi filius, primus rex Ægypti ab Alexandro Magno Ieroſolymam cepit: & inde captiuos quam plurimos abduxit, teſte Ioſepho *lib.* ἀρχαιολ. 12. *c.* 1.

Et cum poſtea Ptolemæus Euergetes, Philadelphi F. Syriam occupaſſet & Iudæam: Filii Seleuci Callinici, ſcilicet Seleucus Ceraunus & Antiochus Magnus, poſſeſſionem ſibi ademptam ab Ægyptiis vi & incurſionibus repetiuerunt, *d. cap.* 11. *v.* 9. 10.

Itaque fideles tum valde fuerunt afflicti inter illa duo regna, ſibi inuicem aduerſantia. Ptolemæus enim Philopator, Euergetæ F. vbi Antiochum Magnum vicerat, exercitu eius cæſo, rebus ſecundis diffluens, deiecit myriades, *d. c.* 11. *v.* 12. hoc eſt, infinitos ex populo Dei in Iudæa male affecit: vt tradit Ioſephus *lib.* 12. ἀρχαιολ. *cap.* 3. vid. *lib.* 3. *Machab.*

Ac etſi bona pars Iudæorum ſe Antiocho Magno contra Philopatorem coniunxit: ille tamẽ poſtquam rurſus Ægyptios inuaſit & vicit, etiam terram decoris, id eſt, Iudæã conſumſit ſua manu & exercitu, propter præfractos & factioſos: dum ex ambitione ſacerdotum multæ ſeditiones exortæ eſſent, *d. c.* 11. *v.* 16.

Poſt hæc Antiochus ille Magnus conuertit faciem ſuam ad inſulas: (id eſt, Cyprum Phoceã, Samum, Rhodum, Colophonem, Eubœam &c. & etiam tranſmarinas continentes regiones) cepitque multas, *d. c.* 11. *v.* 18.

Anno ergo V.C. 563. Glabrione & Scipione Naſica Coſſ. à populo Romano decretum eſt bellum, & indictum, aduerſus Antiochum, regem Syriæ: & Ætolos, qui deuicto Philippo rege Macedonum, eum in partes contra Romanos traxerant.

Antiochus Magnus duxit in Aſiam minorem ſecum Annibalem, ſola fama Romanis formidabilem: cuius tamen monitis parere noluit: Et quia illud bellum abſque vlla ratione, vel conſilio, vel ſtrenuitate geſſit, mulctatus eſt probroſa amiſſione potioris partis ſui regni. Nam vltra Taurum montem à Romanis, L. Corn. Scipione Aſiatico, M. Atilio Coſſ. & Liuio prætore, ignominioſe cõpulſus eſt. Et hoc eſt, quod Chriſtus ait, apud Danielem; *Capiet quidem multas inſulas, ſed reprimens ductor* (Romanorum exercitus cum ſuis ducibus præfatis) *opprobrium eius commodo ſuo, vacuus opprobrio illius, regeret in illum. Ita conuertet faciem ſuam ad munitiones terræ ſuæ, id eſt, recipiet ſe cum confuſione in regnum ſuum, & impingens corruet, & non inuenietur. Et ſtabit in ſtatu eius traductor exactoris* (id eſt, filius Seleucus, Philopator & Soter dictus, frater Antiochi Epiphanis: qui exactionibus totam ſuam ditionem miſere infeſtabat) *in decore regio: Et diebus paucis frangetur*, d. c. 11. v. 18. 19 20. Notatur hic Antiochi illius Magni turpis interitus, cum à ruſticis populari tumultu ſit trucidatus: quando voluit in interiore Aſia Beli templum ſpoliare. Primus etiam ex filiis ſucceſſor, quem multi Seleucum Keraunon vocant, vix vltra ſeptennium regnauit, veneno per Heliodorum, in gratiam fratris Antiochi Epiphanis (qui Romæ tum hæſit, à patre Romanis obſes datus) necatus.

De Antiocho Magno patre Epiphanis, cuius ante mentionem fecimus, narrant: quod ſolitus fuerit poſt dictam cladem à Romanis acceptam iocoſe dicere: præclare ſecum fuiſſe actum, quod difficilis procuratio eſſet minoris Aſiæ, qua tota Romanus populus eum ſpoliauit: *Ego* (inquit) *fui hactenus œconomus in Aſia: Romani me leuarunt hac moleſtia.*

Ex his liquido apparet, Romam victricem non ſolum in adulta, ſed iam iuuenili & virili ſua ætate, Alpes tranſcendiſſe & fretum: Et abhinc cœpiſſe ex omni plaga, quam Orbis ambit immẽſus, reportare laureæ triumphos, *vt d. lib.* tradit Amm. Marcellin. Nam poſtquam periodum 500. annorum VRBS Roma ſuperauit, in immenſum opes & prouinciæ eius auctæ ſunt. Vt enim tantum de tertia Alexandrina vel Græca Monarchia, iuxta Danielis oracula, dicamus, totam minorem Aſiam Magno Antiocho oriundo ex ducibus Macedonicis, Romani ademerunt. Et paulo poſt, Græciam, & ipſum Macedonicum regnum, patriam Alexandri Magni, ſibi acquiſiuerunt; capto Perſeo, Philippi (qui tributum ante Romanos pendit) filio Macedonum rege: redactoque in prouinciam eius regno, circiter annum periodi Iulianæ 4545. Mundi 3781. V.C. 585.

Aſiæ maioris regnum, Babylonem verſus multo ante caſum Perſei regis, ſciſſum erat: cum potiores orientis regiones, Parthi & aliæ gentes ſibi vendicaſſent.

Reſtabant Syria & Ægyptus: quæ duo regna incipiebant etiam, hoc tempore, declinare & cancriſare; ita vt iam inſtaret ruina: cum Syria non longe ante Iulium Cæſarem, & Ægyptus ſub Auguſto, in prouinciæ formam, redactæ fuerint.

Quemadmodum quoque de ipſa Iudæa factum eſt: cui proprius rex, ex decreto Romano, Herodes alienigena, Idumæus genere, datus eſt.

Quare regibus illis Syriæ & Ægypti, poſt Antiochum Magnum (cuius tempore, Iudæis im-

perium Romanum primo innotuit) nullam fere fuiſſe regiam auctoritatem, ſed Romanorum maieſtatem comiter obſeruare, eoſque tanquam ſuperiores ſuos recognoſcere coactos: oſtendit ipſe Deus, apud Daniel. *d. capit. 11. verſicul.* 30. de nauibus Cithim vel Citthæis; nempe Italicis, quæ in Aſiæ minoris portubus fere ſeruabantur; vt mari mediterraneo ex omnibus partibus imperarent. *Venient* (inquit Chriſtus) *contra eum* (Antiochum Epiphanem, in Ægypto bellum gerentem) *naues Cithim*: nempe C. Popilius Lænas, (legatus populi Romani, à Ptolemæis Philometore & Phyſcone fratribus implorati) in Ægyptũ ad dictum Antiochum miſſus, eidem imperauit, vt inde diſcederet. Cui ille obediuit, reſpondens ſe eſſe in poteſtate ſenatus. Et hic diſcedens, Templum Domini Hieroſolymis profanauit, vt paulo poſt addemus. Hæc omnia 363. annis (ſi ab anno 70. ſolutæ captiuitatis vſq; ad annum 4546 in periodo Iuliana, Mundi 3782. quo templum ab Antiocho profanatum eſt, numeramus) antequã acciderunt, prædicta & explicata a filio Dei: & ad hoc vſque tempus vltimæ patientiæ in libris ſacris, cũ magno fideliũ bono, ex ſingulari Dei beneficio, non tam ꝓpter ipsũ Antiochum, quã inprimis ꝓpter Antichriſtũ aliũ (cuius ille exẽplar primogenitũ fuit) cõſeruata ſunt.

Præterea Daniel non tam tempus Meſſiæ, quam excidium politiæ Moſaicæ, per 70. hebdomades deſignauit: quæ res tota geſta eſt in Iudæa, regnãtibus Romanis, quorum ciuis fuit ipſe Chriſtus, quibuſq; ipſe cenſum dare iuſſit; *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*. Nam Iuſtinus Martyr. *in oration. ad Anton. Pium*, profitetur, Chriſtum ſub Quirino deſcriptum fuiſſe. Idem teſtatur Iulian. Apoſtata apud Cyrill. *lib 6 in Iul. Romano cenſui* (inquit Oroſius) *ſtatim vt natus eſt ſaluator noſter, aſſcriptus eſt.* Dicendus vtiq; ciuis Romanus, cenſus Romani profeſſione. Conſtat. n. iure antiquo Romanorum (vt patet ex Dionyſio Halicarnaſſeo, *li. 4. & l. ætatem. ff de cenſibus*) omnes cuiuſq; ætatis aut ſexus, quantũlibet infantes, cẽſeri ſolitos: itẽ Iureconſultũ poſtea reſpond. eſſe; cum qui poſt deſcriptionẽ natus infans eſſet, ante tamen quam eadem deſcriptio abſoluta eſſet, in ipſas cenſus tabulas aſſcribẽdum. Denique Chriſtus ipſe tributum Romanis, tanquam ſuis Dominis, ſoluit.

Eant nunc qui ſtatuunt res humanas, & potiſſimum Eccleſiam & electos à Deo negligi: atq; negant prouidentia orbem diuina regi.

Diſcamus ſimul in Daniele Propheta Romanam remp. cum Imperatoris maieſtate, non longe ab hinc exoriente, intelligi, nomine 4. regni, & 4. beſtiæ prænotari: veluti *d.* r. 30. nauium Cithim Antiocho regi imperantium fit mentio.

Imo de Roma multis ſeculis ante quam condita fuit, prædictum eſt; quod afflictura eſſet tertiam Monarchiam & perditura politiam Moſaicam. Ita enim Bileamus ait Num. c. 24 verſ. 24. *Cum naues* (inquit) *à litore Citheorum* (id eſt, Romanorum & Italicorum: Sic n. ex ſupradicto v. 30. hic locus explicari debet) *ſoluentes, afflixerint Aſſyrios*, (nempe Seleucidas, Syromacedones & Ægyptios ex Græcis aduenis Monarchiæ Aſſyriacæ & Perſicæ reliquis indigenis, conſtantes & conflatos) *& afflixerint Hebræos*, vt factum eſt temporibus Pompeii, Craſſi, & Herodis, qui à Romanis Hebræorum rex confirmatus eſt: *Tum etiã populus ille* (ſcilicet Iudaicus vel Hebræus) *in perpetuum peribit*; nempe initio Imperii FL. Veſpaſiani. *Eheu* (prætatur Bileamus, antequam iam expoſitum vaticinium pertulit) *quis viuet, ex quo diſpoſuerit hoc Deus fortis?* d. c. 24. Num. v. 23. Notat longiſſimum fere tempus, quo ea demum, quæ dixit, effectum ſuum ſortientur. Nam ſi Bileami ætatem, qua vixit, & ea prædixit, conſideremus, vſq: ad inclinationem & interitum Monarchiæ Macedonicæ; quæ circiter hoc ipſũ tẽpus ad lapsũ procliuis fuit: vltra 1400. annos effluxiſſe vetus Chronologicus cõputus demõſtrat.

Quæ cum ita ſint: fateri nos oportet, recte dictum eſſe ab Ammiano Populum Romanum, quando in iuuenem erectus eſt & virum; ex omni plaga, quam orbis ambit immenſus, reportaſſe laureæ triumphos. Non ſolum. n. Macedoniã & totã Græciã, cum ipſa Aſia minore; ſed & Syriã cum Iudæa occupauit. De Ægypto tanq̃ ſuperior Dñs pro arbitrio diſpoſuit: veluti per Popilium Antiocho mãdauit: vt inde ex patrimonio pupillorum ſuorum diſcederet: Quemadmodum & Põpeius, Reges Ægyptios tanquã mancipia habuit, vel, vt clientes ſuos ſibi & Romanis ſuis deuinxit. Vt taceamus triumphos Romanorum ex deuicta, Africa, Hiſpania, Gallia, Britannia, parte Germaniæ, Vngaria, Illyrico, atque aliis prouinciis reportatos.

Vnde cum Daniele Propheta pro certo ſtatuimus, quartum illud regnum ferreum, omnia comminuens & debilitans, eſſe rempublicam Romanam. Nam *Dan. cap. 2, v. 40.* regnum numero ſingulari appellatur: cum etiam populus Rom. vocatus ſit ſingulariter Dominus totius orbis.

Deinde Propheta idẽ diſtinguit popularẽ ſtatũ ab imperio vnius: cũ illa reſpub. diuiſa fuerit in plura capita: Et vnũ cornu, tandẽ ſuo tempore exortũ, tria ex illis priorib. abſtulerit. Nam primo beſtiã 4 terribilẽ ac duram valde, cũ ferreis dentib. magnis comedentẽ deſcribit, cui erãt cornua 10. & erat diuerſa ab omnib. beſtiis antegreſſis. Voracitas in comedẽdo & cõterẽdo, notat auaritiã inexplebilẽ, dum omniũ prouinciarũ theſauros & precioſa quæq; rapuit, & Romã in nidũ ſuum & ærariũ 4. illa beſtia cõportauit & recõdidit; vt ex ſerie hiſtoriæ Romanæ notũ eſt. Vix reperietur gens vlla, quæ ita ambitione, auaritia, & crudelitate laborauit, ſicut Romana. Itaq; eorũ dominatio ferrea vocatur. Lege ſaltẽ Iuſt. Lipſii *libros Saturnaliũ*, vel *de gladiatorib.* Et *de magnitudine Romana*. Ex quibus agnoſces tot millia hominũ ꝑ ludũ iocumq; & in conuiuiis theatris & aliis ludis mactata fuiſſe. Vt nihil dicamus de coloniis, quæ veteribus cum ſumã miſeria expulſis habitatoribus ductæ ſunt, quoties Romanis placuit. Quam præterea intolerabili iugo legionum, vbiq; in toto Romanorum orbe diſperſarum & collocatarum, prouinciales prægrauati fuerint: dici vix poteſt. Itaque non inepte Romanos inuictos admirati ſumus; & etiamnum.

Nos admiramur: ſed non cum deſide vulgo;
Sed velut Harpyas, Gorgonas & furias.

Quod

Quod vero ait Propheta beſtiam illam diuerſam fuiſſe ab aliis: Propterea dixit, quod non ab vno, (vt in tribus ſuperioribus Monarchiis, & regnis factum eſt) ſed variis reip. formis, gubernata fuerit. Primo enim per reges, deinde a conſulibus, dictatoribus, tribunis, & ædilibus plebis, atque à Decemuiris ex patribus & plebe creatis, adminiſtrata fuit.

Ab his rurſus ſumma rei ad conſules, & ab iiſdem, iterum ad tribunos militum, delata eſt. A tribunis militaribus, ad tribunos plebis, per quinquennium deinceps rediit: Et ab eis, rurſus ad illos res rediit: Donec circiter annum V. C. 400. conſulatus in remp. reductus eſt, quando etiam ex plebe conſules ſunt creati.

Hic reipublicæ ſtatus conſtans fuit; vſque dum Monarchia rurſus, ſicut ab initio fuit, Romæ per Cæſares, pro arbitrio ibidem (ſimiliter vt per primos reges dominantes factum fuerat) obtinuit. Etſi enim Sylla & Marius violenter latrocinia in regno illo exercuerunt: Tamen ille dominatus breui tempore deſiit.

Quia igitur in prioribus illis viſis & enarratis regnis, nihil ſimile vſquam extitit: Propheta huic 4. beſtiæ propter infinitas varietates & viciſſitudines: neque cum certa animantis ſpecie comparat: neque certum aliquod nomen eidem attribuit: quod videlicet fuerit mixtura quædam, vbi plures conflati loco vnius eminerent.

Neque fuit reſpublica, neque regnum, ſed confuſum neſcio quid. Populus poſt regifugium trahebat ad ſe potentiam, & ſæpe tumultuabatur. Senatus opprimebat plebem, quãtum in ſe erat. Stabant tamen dentes ferrei & vngues æris, id eſt, illi ordines nempe ſenatorius, equeſtis, & plebeius. Ex illa mixtura confectum & conflatum eſt illud regnum formidabile, forte valde, & metuendum, terroremque incutiens. Non mirum igitur eſt, ſi Daniel denunciat id diuerſum fuiſſe ab aliis. Præterea vocantur 10. cornua, quæ beſtia quarta habet, reges decem: non quod fuerint tot reges, ſed quod ex illis poteſtatibus, & dignitatibus Romanis, (quales fuerunt conſules, dictatores & alii magiſtratus) præeſſent ſingulis prouinciis.

Earum prouinciarũ 10. atque plures etiam ſtante rep. ante C. Iulium Cæſarem fuerunt: nempe Italia, Hiſpania, Africa, pars Galliæ & Germaniæ, Thracia, Mœſia, Dacia, Pannonia, Macedonia vel Græcia, Dalmatia, Aſia minor, Syria, & tandem Ægyptus.

Numerus ille poſt etiam auctus eſt, quando Armenia, Pontus & aliæ regiones acceſſerunt. Vnde dicendum eſt, numerum illum finitum pro infinito intelligi debere. Sicut igitur decem fuerunt prouinciæ, quæ prius regna vocabantur: & iã à populo Romano in libera rep. per diuerſos Rectores adminiſtrabantur: Ita etiam, in eadem republica, ante Cęſares, 10. repeniuntur dignitates pręcipuę, quib. decorati & prædìti qui Romæ auctoritate & gratia præ aliis pollebant, munus ſummũ, vice Regũ, in prouinciis obibant, & putabant ſe reges eſſe: cum etiam inter ſe eſſent cognati. Inter eas dignitates recenſetur conſulatis, proconſulatis, dictatoria, cenſoria, ſenatoria, prætoria, tribunitia, equeſtris, interregis, aut magiſtri equitum. Plures prouinciæ ita erant diuiſæ; vt quiſque vel proconſul, vel prætor, eſſet ſimilis regi, vel inſtar regis, quamprimum adeptus erat prouinciam. Quia ſumma dabatur omnib. poteſtas vitæ & necis in omnes prouinciales & ſubditos. Dabatur illis ſummum imperium, perinde ac in vrbe & in Italia conſulibus: qui etiam in prouincias ſcribebant & mãdabant, quicquid viſum fuerat. In ſumma, nulla reſpublica tam late dominata fuit, quam hoc imperium Romanum: quod amplius & potentius omnibus aliis Monarchiis extitit.

Ergo illud ipſum Imperium, quod vniuerſe ſtatum totius orbis complexum eſt, non tam in veteri Iudæorum, quam etiam in Chriſtiana Eccleſia, imprimis occupatum fuit: quemadmodum ſeries hiſtorica demonſtrat. Itaq; recte dicitur quartum regnum, eſſe & fuiſſe imperium Romanorum, à quibus priores illæ tres Monarchiæ abſorptæ fuerunt, & qui primo ante Chriſti aduentum, ſceptrum Iudæ ad Idumæos tranſtulerunt atque etiam totam politiam Moſaicam, ſub Veſpaſianis ſuſtulerunt. Deinde poſt Chriſti paſſionem, in eius ſeruos vſque ad Conſtantini tempora, crudeliter ſæuierunt: quorum rabiem tandem ſecunda beſtia apud Iohannem in Apocalypſi ſenſim & paulatim excepit & imitata eſt.

Vnde vere dicimus, quod illa beſtia ſit perditura reſiduum (ex tribus illis Monarchiis, & ex politia Moſaica, atque ex colonia Chriſtiana inde deducta) pedibus; nempe circiter finem imperii, poſtquam iam paruum cornu, videlicet, Cæſareum imperium, enatum eſſet.

Iſtos pedes oſtendit Daniel fuiſſe partim luteos, partim ferreos, cap. 2. verſ. 41. 42. 43. *Nam in imperio Romano,* (inquit) *de fortitudine ferri erit in eo, quod mixtum eſt cum luto. Regnum igitur erit diuiſum, ex parte robuſtum, ex parte fragile: commiſcebuntur quidem inter ſe ſemine hominũ: ſed non cohærebit alius cum alio.* His verbis Propheta reſpexiſſe videtur ad Cæſares, quorum alii potentiores & feliciores aliis fuerunt. Licet enim in ſuo dominatu retinuerint nomina dignitatum, quæ in veteri rep. maxime viguerunt: & cum conſulibus & aliis Romæ poteſtate præditis, affinitates contraxerint: & ſemine humano ſe commiſcuerint: Tamen non cohæſerunt, ſed prout ſæpe res & occaſio tulit, acriter & hoſtiliter inter ſe pugnarunt. Modo enim Imperatores totum corpus ſenatus, populique Romani, ſublatum cupiuerunt; tum crudeliſſime, prout libido ferebat, in ordinem ſenatorum & in optimates, ſpecie iuris & legum, de maieſtate violata, & armis ſæpe ſæuierunt: vt factum eſt tempore Tiberii, Caligulæ, Neronis, Domitiani, Seueri &c. Modo rurſus S. P. Q. R. & cum eo exercitus, manus Imperatoribus iniecerunt: vt Neroni, Domitiano, Commodo, Baſſiano, & aliis contigit.

Mixturam itaq; ferri & luti, quæ male cohæret, ſignũ eſſe diſſidii dicimus, quod ſcilicet nunquam inter ſe conſenſerint.

Ante exortum imperii Cæſarei crura imaginis ex ferro fuerunt, *d.c.2.v.33.* Durum enim fuit regnum, optimis legibus firmatum, quas violare nulli fas erat. Ferrum duritiem ſignificat, & rigorem in obſeruandis legibus & conſuetudinibus. Nullus enim, cum adhuc libera reſpub. obtineret, ad officium publicum admiſſus eſt: niſi iuxta leges & mores patriæ, & in comitiis probatus.

Hæc obſeruantia & legum reuerentia ſtatim diſſoluta eſt: poſtquam vnus ad ſe totam reipublicæ curam traxit: pedeſque & ordines confeſtim in partes ſciſſi ſunt: quorum aliqui fortitudinem ferri retinuerunt: alii lutei & infirmi facti ſunt.

Eadem quoq; prædictio de pedibus luteis & ferreis ad nos vſq; continuata eſt. Etenim in regno 2. beſtiæ, poſtea quam Imperatores Chriſtiani rerũ potiri cœperunt: Imperat. nonnunq̃ pedes ferreos, Pontif. Roman. luteos: Et vice verſa; repræſentauit. Nã etſi inter ſe comixti fuerunt; non tamen cohæſerunt; Papa, omnem poteſtatem ſub ſpecie agni ad ſe trahente, & imperium ita debilitante. Ex quo ad noſtra vſque tempora, plurimum damni, Chriſtianæ reip. illatum fuit.

Imperatorum etiam alii magis cordati & fortes fuerunt, qui eiuſmodi conatibus acriter reſtiterunt: Alii negligentiores & ſegniores maieſtatem ſuam luto maculari paſſi ſunt.

Vtcunq; igitur tam in primæ q̃ in ſecundæ beſtiæ Regno, alii aliis fuerint cognati & affines, & in religione etiam concordes: Tamen hoc non fuit obſtaculo, quo minus inter ſe diſſenſerint & hoſtiliter egerint, & inteſtinis diſcordiis ſeſe mutuo perdiderint: Vt etiã adhuc hodie, aduerſus illuſtriſſimam gentem Venetorum, hactenus Rom. ſedis propugnatricem, Papa Romanenſis [illegible] ſuam viciatam in infringenda eorũm libertate, in actum producere velle videtur.

CAPVT V.

De Antiocho Epiphane, primo Antichriſto, qui ἀρχέτυπος & præcurſor ſequẽtiũ fuit: Et de notis Antichriſtianiſmi.

Diximus ante Seleucum, fratrem Antiochi Epiphanis, qui tum Romæ obſidem agebat, patri Antiocho Magno ſucceſſiſſe.

Seleucus ille, nouas res cogitans aduerſus Ægyptios, & horum protectores Romanos, clam fœdus cum fratre, qui adhuc Romæ quaſi in cuſtodia libera detinebatur, iniit. Atq; vt eum liberaret, pro illo filium ſuũ Demetrium, Romam obſidẽ miſit. Cauſa iſtius fœderis fuit, occupatio Ægypti: dũ ſe ſpecie adiuuãdi Phyſconẽ contra Ptolemæum Philometora, inſtituerant regnum illud ſibi adiungere, & Syriæ incorporare, vt ita dicamus. Quæ duo regna ſi coniuncta haberent, putabãt ſibi fore ſatis virium, aduerſus Roman. pugnandi: & iis rurſus auferendi regiones Aſiæ minoris, quas illi paulo ante, patri eripuerant. Sed quid fit? q̃ primũ liberatus fuit Antiochus, & cum adhuc in itinere eſſet, & anteq̃ in Syriam appelleret; curauit per Heliodorum è vita tolli fratrẽ Seleucum Philopatora, libertatis ſuæ auctorem. Statim igitur regnum Syriæ, q ad poſteritatem primogeniti Seleuci, Demetrium ſc. iure pertinebat, inuaſit, & ſe ἐπιφανῆ appellari iuſſit. De eo ſic ſcribit auctor lib. 1. Maccab. c. 1. v. 11. *Prodiit* (inquit) *ex filiis adminiſtrorum Alexãdri Magni, radix peccatrix, Antiochus illuſtris, F. Antiochi* (Magni) *regis, qui fuerat Romæ obſes, cœpitq; regnare anno* 157. *regn. Græcorũ*, qui fuit Iudaicus annus, currẽs à menſe Niſan. Nã Alexãdreus Seleucidarũ 157. añus primũ ab autũno añi in periodo Iuliana 4538 iniuit: fuit iſte añus 3774. ab orbe cõdito in eodẽ autũno explet⁹ à quo rurs⁹ 3775. cœpit.

Hæc hiſtoria cum vaticinio Danielis optime conuenit, quod ita habet: *Stabit in ſtatu eius* (fratris Seleuci) *deſpectus, contẽptus, probroſus* (nẽpe ἐπιφανὴς vel illuſtris, per antiphraſin) *quamuis non conſtituerint ſuper eum decorẽ regium. Et veniet cum pace & tranquillitate, apprehendetq;* (ſublato fratre & propinquis atq; proceribus Syriæ circumuentis fraude, quaſi non pro rege haberi, ſed tutorio nomine adminiſtrare vellet) *& vſurpabit regnum per blanditias. Facietq; quæ non fecerunt patres aut maiores eius, diſpergens & diſpertiens ſpolia facultates & prædam illis*, id eſt, ſtationariis militibus, quos munerib. corrumpẽdo & ſibi obſtringendo, in munitionib. collocabit: vt ita fratris filiũ Demetrium Romæ obſidẽ, ſub prætextu tutelæ, regni hæreditate ſpoliet. Hinc dicitur, q brachia mundabuntur à cõſpectu eius, & præualebit & frangetur etiam anteceſſor fœderis, nempe frater Seleucus, auctor expeditionis in Ægyptum, &c. *Dan. c. 11. v. 21. 22. 23. 24.*

Item Daniel c. 8. v. 9. de Antiocho iſto ſic vidit & audiuit: *Ex vno* (inquit) *illorum 4. illuſtriũ cornuum*, in linea Seleuci Nicanoris egreſſũ, *prodibit cornu vnũ paruum*, vid. Antiochus, Romæ obſes, nulla indole regia præditus, nec iure regni ſubnixus. *Illud cornu paruum eximie & excellenter ſe magnificabit verſus meridiẽ* (id eſt, Ægyptũ. q̃ in poteſtate ſua vſq; ad C. Popilii Rom. legati aduentum habuit) *& ad orientem, dum regnum ſuum vſq; ad Ptolemaidẽ ampliauit, Perſicas regiones inuadendo: atq; aduerſus decus ipſum, vel ad gloriæ ſiue deſiderii, terram, nempe Iudaicam, in qua Deus domicilium ſuum electum obtinebat, ſe magnificabit.*

§. I.

De primo aduentu Antiochi in Iudæam.

INitiũ & caput calamitatis populi Dei & deformitatis rerũ Iudaicarũ, filius Dei, caput angelorum, qui occulta in numerato habet, ad quæſitum ſancti, i. e. Angeli rogantis, ſic cõplexus eſt: *Vſq; ad veſperam & mane, ſiue vſq; ad veſpertina matutinaq; tempora, bis mille trecenta: Et expiabitur vel iuſtificabitur, iuriq; ſuo priſtino reſtituetur ſanctuarium.* d. c. 8. v. 14. Definit hic totũ illud deſolãtis defectionis interuallũ, quo tanto dedecore oppreſſum, infamiæq; ſubiectũ eſt, tẽplum Dñi, vſq; ad repurgationem eius, dieb. 2300. vid. annis 63. menſibus, & diebus ferme 19. ſi menſem lunarẽ pro 30 dieb. acceperis. Nam ſi ab anno 142. Seleucidarum vel Græcorum Iudaico (qui à Niſan anni à conditu mundi 3779. vſq; ad autumnum currẽtis in periodo Iudaica 3590. Iuliana 4543. incipit) circiter æſtatẽ computaueris, vſq; ad 24. Nouembr. diem in anno Iuliano 4549. mundi 3785. incipiente ab autumno, Græcorum 148. Iudaico; illud à Chriſto patris ſermone definitum & numeratum tempus de-

prehendes: Nimirum, annos Iulianos ſolidos 6. cum biſſexto, dieſque inſuper 109. vt Ioſ. Scaliger ſupputat.

Ab illis igitur turbis, quæ à Menelao, Iaſonis ſummi Pontificis fratre, excitatæ, Antiochi aduẽtum primum antecesſerunt: tempus illud, vſque ad inſtaurationem cultus diuini ſapientia æterna inchoauit & numerauit, *d. v.* 14. Menelaus enim iſte, aliquantum temporis, in aula regis Antiochi Epiphanis verſatus, ab eodem Pontificatum Iudæorum, eo quod fratrem talentis argenti 300. ſuperaſſet, impetrauit, & literis regiis in ſacro ſacerdotio confirmatus & inſtructus Ieroſolymam veniens, Iaſonem inde in Ammonitarum regionem in exilium expulit; Et ſic Simoniacis artibus ſacerdotium occupauit, animos crudelis tyranni gerẽs, magnus ciuium ſuorum, (quos impiis ſuis moribus corrupit, eoſque contemtu veri cultus Dei & inſania impietatis Græcanicæ infecit & imbuit) inſidiator effectus, *Maccab. lib.* 2. *cap.* 4. *v.* 25. 26. 27. 50.

Itaque cum talis fuerit Pontifex Maximus: eius exemplum ſecuti ſunt plæriq; ſcelerati in populo, Antiochum primo circiter annum ſequentem 4544. in Iuliana periodo, cum exercitu ex Ægypto reuertentem, ad ſe in vrbem Ieroſolymorum inuitarunt.

De eiuſmodi malitioſis in ipſo Dei populo exiſtentibus Apoſtatis, dicitur apud *Dan d. cap.* 8. *v.* 23. quod tunc demum futurus ſit rex (Antiochus Epiphanes) (qui deſcribitur præfractus, i. e. impudẽs & ſine fronte, cui nullus pudor, nulla ratio, nullum æquitatis ſtudium, qui cautus ſit, & ænigmata, id eſt, fraudulẽta conſilia ſciat) quando ſcilicet perfecti fuerint ſcelerati & defectores in Iudæa, & quando iam finis appropinquauerit regnorum illorum 4. cornuum, Aſiatici, Syriaci, Ægyptiaci & Macedonici, de quibus ſupra attigimus.

Ab iſtis ergo nebulonibus in Iudæa & Hieroſolymis, ſolicitatus Antiochus, vrbem cum exercitu ingreſſus eſt anno 143. Græcorum, ex quo primum ad Seleuci familiam, Syriæ regnum deuenerat, anno mundi 3780. V. C. 584. A. Hoſtilio Mancino & C. Atilio Serrano, Romæ conſulibus. Perſuæ. n. factionis homines, videlicet Menelaum & alios, apertis portis admiſſus, dominationem ibi crudeliter exercuit, necatis permultis, qui diuerſarum erant partium, hoc eſt, qui veram religionem à Menelao & ſociis proditam deſerere & abnegare nollent. Diripuit etiam pecunias & Antiochiam ſecum aſportauit, teſte Ioſepho *lib.* 12. *ἀρχαιολ. cap.* 7.

Idem commemorat de tempore, & de multa cæde hominum ab exercitu Syriaco facta, & de theſauris auro & argento in Syriam aſportatis, prior liber Maccab. *cap.* 1. *v.* 21. 22. 24. Addit iã dictus auctor *d. c.* 1. *v.* 23. 26. 27. quod Antiochus ſanctuarium ingreſſus ſit (præeunte & ducente Menelao, ſummo Pontifice, proditore legum & patriæ, 2. *Maccab.* 5. *v.* 15.) rapueritq; altare aureum, & lychnuchum lucentem cum omnib. inſtrumentis: Item, menſam propoſitionis, & crateras, phialaſque, & pelues aureas, & velum, & coronas, & ornatum aureum, qui erat in conſpectu templi, aurumq; detraxit omnibus, ſiue diſquamauit omnia. Item affirmat ille ſcriptor *d. c.* 1. *v.* 21. Regẽ ex templo 1080. talenta abſtuliſſe: eaque fiducia fuiſſe propterea elatum, quaſi terram nauigabilem & mare pedibus peruium effecturus eſſet. Hanc templi ſpoliationem reiiciunt in poſteriorem vel ſecundum Antiochi aduentum Ioſephus *d. lib.* 7. *Antiq.* & lib. 2. Maccab. *c.* 5. *v.* 21.

Præterea, cum iam diſcederet ex Iudæa rex præfectos, qui male gentem Iudaicam afficerent, poſt ſe reliquit. Nam Hieroſolymis Philippum vrbis præfectum conſtituit, qui genere Phryx, & moribus magis, quam ipſe Conſtituens, barbarus fuit. Garizinitis vero (id eſt, Samaritis, qui templo in Garizim à Manaſſe cõſtructo incumbebant) Andronicum ac Menelaum Pontificem præfecit, qui poſtremus aduerſus ciues Iudæos, recte ſentientes, animum habuit inimiciſſimum, vt tradit liber ſecundus Maccab. *cap.* 5. *v.* 22. 23.

§. II.

De ſecundo Antiochi aduentu in Iudæam, & de tempore deſolationis finita.

A Prima iam dicta Antiochi in vrbem irruptione biennium interiectum eſt, vſq; ad profanationem templi totalem, & deſitum iuge ſacrificium, 1. *Maccab.* 1. *v.* 30. Etenim Antiochus nõ multo poſt ſuum in Syriam reditum, iterum in Ægyptum expeditionem ad occupandum regnum, ſub ſpecie amicitiæ inſtituit. De qua re ita Velleius *lib.* 1. ſcribit: *Per idem tempus* (quo videlicet Perſeus, vltimus regum Macedoniæ, captus eſt) *cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympicum inchoauit, Ptolemæum* (Philometora) *puerum Alexandriæ obſideret: Miſſus eſt ad eum legatus M. Popilius Lænas, qui iuberet deſiſtere mandataq; expoſuit: nimirum, S. P. Q. R. tanquam patronũ & dominũ Ægyptiorum placere, vt ſtatim ex Ægypto diſcedat.* Et regem deliberaturum ſe dicentem, circumſcripſit virgula, iuſſitque prius reſponſum dare, quam egrederetur, finito arenæ circulo. Et rex imperio (Romanorum, vt qui iam regibus illis ex Alexandro Magno ortis, ſuperiores erant) obediuit. Vt prædixit (vt ſupra etiam ex parte retulimus) apud Danielem ſaluator noſter *cap.* 11. *v.* 29. 30. *Ad tempus* (cum Ptolemæus Philometor, cũ Phyſcone fratre reconciliatus, Romana auxilia implorasſet) *reuertetur & inuadet Auſtrum. Sed nõ erit, vt prius, ita poſterius:* nempe diſſimilis euentus erit; cum res ei non ita ſuccedet, vt priore expeditione. *Nam venient contra eum naues Cithim vel Citbeæ* (de quibus ſupra dictum eſt) *& dolore afficietur debilitabitur, &* (dicto legati Popilii & Romanorum imperio parens) *reuertetur: rurſuſque indignabitur contra fœdus ſanctum atq; efficiet. Reuerſus enim animum adhibebit ad eos, qui dereliquerint fœdus ſanctum, & brachia ab ipſo ſtabunt*, dd. *v.* 29. 30. 31.

Nam poſtquam Antiochus certior factus eſt de factionib. inter Iudæos, qui in partes diſtracti inter ſe tumultuati ſunt: pro rebus factis concepit cogitationem: totam Iudæam defecturã eſſe. Itaq; ex Ægypto veniens, efferatus & æger animo, propter rem infeliciter in Ægypto geſtã, vrbem

Hieroſolymorum armis occupauit & tyrannice egit. *Maccab.li.2.c.5.v.11. A tempore*(inquit) *quo ablatus fuerit iugis cultus, & poſita deteſtatio deſolans, dies erunt* 1290. videlicet anni Iuliani 3. cum dimidio, & diebus 15. Tantum enim temporis interceſſit, ab initio profanationis Templi & deſiti iugis ſacrificii (quæ circiter menſem Maium anni in periodo Iuliana 4546. Mundi 3782. Seleucidarum vel Græcorum 145. V.C.586. L. Æmilio Paulo 2. & C. Licinio Craſſo Coſſ. cœpit) vſq; ad expiationem altaris & ad Encænia templi, quæ incidunt in 24. Nouemb. anni Græcorum 148. Iulianæ periodi 4549. Mundi 3786. ineuntis à proximo æquinoctio. Et hoc eſt, quod *dict. capit.* 12. *Daniel. verſ* 7. ſcribitur: *Μέχρι χρόνου καὶ χρόνων καὶ ἡμίσυ χρόνου* Item, c.8.v.12. eod. *& tempus datum eſt, ſuper iugi vel ſacrificio, &c.*

De biennio, inter primum & ſecundum ingreſſum Antiochi in vrbem Hieroſolymorum, etiam meminit auctor libri 1. Maccab. *c.* 1. *v.* 30. vbi ait: maximam illam Iudæorum calamitatem incidiſſe in annum ſecundum (exactum) poſt prima vice captam eandem. Et Ioſephus *lib.* 12. *antiquit. Iudaic. c.* 7. recte eam cladem refert ad annum 145. regni familiæ Seleucidarum: Et ad Olympiadem 153. quæ ſcilicet ex æſtate anni in periodo Iuliana 4546. iam inibat.

§. III.

De profanatione Templi, & de edictis impiis atque de aliis ſceleribus crudelitatibuſque Antiochi Epiphanis aduerſus gentem Iudaicam, populum Dei.

ERgo, vt præmemorauimus, circiter 14. diē menſis Maii, quæ erat *πεντεκαιδεκάτη τοῦ Περιτίου* cœpit *βδέλυγμα ἐρημώσεως*, durauit vltra triennium, Nam Antiochus reuerſus ab Ægypto, quam metu Romanorum reliquerat, ad Hieroſolymitarum vrbem mouit exercitum: Et cum quaſi pacate veniens, intromiſſus eſſet: Direpta vrbe habitatores, non habita ratione ſexus aut ætatis, partim necauit, partim captiuos vna cum liberis & vxoribus abduxit, eorum multa millia: licet diuerſimode recenſent auctores 1. & 2. libri Maccab. & Ioſephus. Nec contentus ſpoliis ciuitatis, incendit ædificiorum vrbis, quicquid erat pulcerrimum. Demolitus quoq; in circuitu mœnia, inferiore vrbe arcē è regione templi, pro inſidiis in locum ſanctum, condidit. Et loco præſidium Macedonicum & Iudæos ſceleſtiſſimos impoſuit. Præterea, miſit per omnem Iudæam edicta & decreta, vt derelinqueret vnuſquiſq; ritus patrios, Græcanicoſq; ſuſciperet. Prohibuit, ne quotidiana ſacra, holocauſta, ſacrificium & libamen in ſanctuario, fierent amplius: Imperauit, vt profanarentur ſabbata, & dies feſti. Ne amplius liberi Iudæorum circumciderentur: vt aboleretur & combureretur ſacrum legis volumen, vbicunq; reperiretur: vt ipſi, qui occultarēt, aut apud quos inueniretur, ſtatim interficerentur. Generaliter: vt omnes qui ad idololatriam Græcam tranſire, religionemque & ritus patrios abiurare nollent, interficerentur.

Hæc edicta, ne eſſent illuſoria, executores eorum conſtituit, qui regia auctoritate fulti, omnes Iudæos ad illorum obſeruationem cogerent. Itaque dicitur in Daniele cap. 8. *Et faciet*, hoc eſt, habebit executionem paratam. Item, *roborabitur fortitudo eius, etſi non in fortitudine ſua, &c.* Oppidatim extructa ſunt templa atque aræ, porcinæq; in eis quotidie ſacrificabantur victimæ, & immundæ pecudes. Templum Domini Hieroſolymis fœdarunt & profanarunt, illudque Ioui Olympio conſecrarunt, luxu & comeſſationibus contaminarunt. Item extruxerunt ſuper altare, abominationem deſolationis, hoc eſt, aram abominandam, qua cultus Dei iacebat deſolatus, ſacrificabantque in ea porcos, &c.

Hoc à Daniele ante multa ſecula prædictum, adimpleri cœpit hoc anno, quo Perſeus rex Macedoniæ, à L. Æmilio Paulo captus eſt, paulo poſt defectionem lunæ, quæ inter 21. & 22. diem Iunii incidit. Nam à conſpectu tam immanis deſolationis & tyrannidis luna vultum ferrugine texit.

Daniel ait c.8. *Ab eo cornu paruo*, id eſt, Antiocho (qui vſq; ad principem exercitus, Deum ſcilicet ipſum, præſidem electorum ſuorū ſe magnificaturus ſeſt) *tolletur iuge*, ſcilicet ſacrificium (quod Deus æternum fore pollicitus erat) *& profanabitur abiectum habitaculum ſanctuarii principis exercitus cœli. Proiiciet in terram veritatem* (in qua omnis religio, Deo placens, fundari debet) *doctrinam legis, & promiſſiones tollendo: Principi principum obſiſtet, contraque eum exurget.*

Item Dan. cap. 11. v. 31. 32 &c. *Et brachia*, nempe copiæ maximæ, per quas vim Iudeæ afferet, *ab ipſo ſtabunt, & profanabunt ſanctuarium & robur*, id eſt, vrbem funeſtabunt. *Et amouebunt vel abolebunt iuge & imponent abominationem*, à Græcorum idolomania introductam in Templum.

De executione edictorum, videlicet de ſuppliciis & miſeriis fidelium, ſic idem Propheta vaticinatus eſt: *Magnificabit ſe contra exercitum cœli*, hoc eſt, Eccleſiam, coram Deo pretioſam, à mundo ſegregatam, vt tandem in cœlis certam hæreditatem habeat. *Et deiiciet in terram, ſiue contumelioſe tractabit & opprimet ex illo exercitu cœleſti. Et de ſtellis ipſis*, videlicet illuſtribus viris, qui tum in Eccleſia & rep. aliis præluxerunt, *conculcabit eos. Miris modis perdet vel euertet proſperabitur & efficiet, perdet enim validos, & populum ſanctorum*, d. cap. 8.

Et cap. 11. *Intelligentes*, hoc eſt, manentes in puritate doctrinæ, & firmi in fide conſiſtentes, *cadent in gladio, & flamma, in captiuitate, exilio & direptione, diebus multis. Corruent ad conflandum eos*, id eſt, ad ipſos (in quibus ſemper ſubſunt aliquæ fæces, reſidentque ſordes) excoquendos, purgandos, purificandos, mundandos, & dealbandos, *vſque ad tempus finis.*

Hanc prophetiam euentus comprobauit, vt ex libris Maccabæorum, & Ioſepho cognoſcimus. Plurimi enim confirmati & roborati cum animis ſuis, ſuſceperunt potius conſilium moriendi, quam vt ſanctum fœdus inquinarent, aut ſe ritibus & moribus extraneis pollucrent. Vnde

effecta eſt ira magna regi, contra Iſraelem & exercitum illum cœleſtem, licet in terris reiecticium, excandeſcenti. Quamobrem quotidie necati ſunt plurimi, prius tormentis crudeliſſimis excruciati, flagris cæſi, & corpora lacerati. Vxores quoque ſuſpenſæ ſunt, & infantes circumciſi à crucifixorum parentum ceruicibus pependerunt ſtrangulati. Alii qui ſpeluncis ſe abdiderunt, vt ſabbatum celebrarent, indicati, concremati ſunt. Et hæc de illis qui *intelligentes* à filio Dei vocantur, vel *populus intelligentium & Deum cognoſcentium*, quod non rapiantur in ſocietatem ſcelerum, cum perfidis, qui conſtantiam fidei & pietatis non præſtiterunt.

De Apoſtatis enim & de defectione multorum ex Iſraele *d. c. 8. & 11.* etiam prædictum fuit: *quod Antiochus fraude & vi, multos ſit perditurus: improbe agentes contra fœdus, & à patria religione ſponte & vltro deficientes peruertet blanditiis: eos in malitia & hypocriſi magis ac magis obfirmaturus & obduraturus: vt ſimplicioribus laqueos tendant, & fratres in ſcelerum ſuorum implicationem, vi & blanditiis, trahendo corrumpant.* Hæ prædictiones inuenerunt fidem, dum multi ex populo Iudaico conſenſerunt edictis regiis, ſacrificantes idolis, & legem Dei deſerentes, vt ex ſupradictis libris amplius cognoſcere licet. In illa tamen caſtigatione, quæ futura ſcribebatur, ſimul innexa erat conſolatio, dum dicitur de tempore: quo finito, Deus fideles ſuos non ſit vlterius afflicturus. *Ex ipſis* (inquit) *intelligentibus, corruent, ad conflandum, dealbandum, vſq; ad tempus determinatum. Quia adhuc ſupererit terminus conſtituto tempori.* d. c. 11. v. 35. De quo ſupra diximus. *Fidelis eſt Deus* (inquit Paulus 1. Cor. 10. 13. *vt det felicem exitum tentationibus, neq; nos ſinat premi vltra vires &c.*

Tandem enim in cadendo adiuti ſunt intelligentes (Iudas Maccabæus & fratres atque alii ex piis reliquiis Iudæorum) auxilio paruo, in fortitudine fortificati. *d. c. 11. v. 34.* Amentiæ enim & tyrannidi Antiochi & Græcorum ſe oppoſuere, & diuinitus roborati Templum & vrbem receperunt, liberarunt, & perpurgarunt rurſus ab omnibus inquinamentis & profanationibus.

§. IV.

De notis Antichriſti, quæ ex rebus geſtis Antiochi regis colliguntur: Et cum deſcriptione prima & ſecunda beſtia conferuntur.

HÆc breuiter recitare voluimus de Antiocho, qui non tam in fortunas & corpora populi Dei, quam potius in ipſos hominum animos & conſcientias, imperium ſibi ſumſit. Ex his immanibus facinoribus in veteri Eccleſia, Antichriſti nomen adeptus eſt, vt auctores ſunt Porphyrius, Methodius, Euſebius, Hieronymus & alij. De quo etiam Ioh. Bodinus *lib. 4. de rep. cap. 7.* refert his verbis: *Etſi crudelitates incredibiles antea tyranni in ſuos exercuerunt: Nunquam tamen, hominum mentibus ante regem Antiochum, Nobilem dictum, imperandum ſibi fas eſſe putauerunt.*

Antiochus igitur primus fuit Antichriſtus: & quod de eo ſcriptum eſt, idem quoque ſub eius perſona de Antichriſto, qui in prima & ſecunda beſtia vſque ad finem mundi apud Ioannem *in Apocalypſi* viuis ſuis coloribus depictus eſt, intelligi poteſt. Nam Eccleſia Iudaica illius temporis, certe erat Eccleſia Dei, & eadem cum Eccleſia Chriſti: Et quæ illo ipſo tempore (Antiochi) aduerſabantur veræ religioni, ea adumbrabant, quæ poſt Antiochum, poſtremis temporibus, Eccleſiam Chriſti turbaturæ eſſent, vt recte & pie tradit Ioſ. Scalig. *lib. 6. repet. editio. de emend. temp.* Ergo quod Antiochus fecit, idem fecerunt & facturi ſunt ſequentes duo Antichriſti: tam in regno Cæſareo gentili Romano: quam in Pontificio Antichriſtiſſimo & Pſeudochriſtiano Romanizante.

Quid egerit in Iudæa Antiochus, ante diximus. Primo enim homicidia (nulla præcedente cauſa legitima) pro libitu perpetrauit, & adulteria: furtaque fecit, per omnem Iudæam, expilando, ſpoliando, occidendo, captiuando, & ſtuprando. Non habuit rationem ſexus aut ætatis, promiſcue & pro arbitrio diſponens. Deinde falſum teſtimonium dicens, edictis veritatem oppreſſit, & impietatem reduxit, eamque ſub pœna capitis imperauit: Non obedientes edictis, crudeliter mactauit: apoſtatas ditauit & magni fecit, & inſtigauit, vt confratres & tribules ſuos ad ſimilem defectionem dolo, vi, illecebris, vel alio quocunque modo poſſent, impellerent & inuitarent. Prorſus idem proceſſus in regno primæ & ſecundæ beſtiæ obſeruatus eſt, & adhuc obſeruatur. Nam vt de prima videamus, actiones eius ſic deſcribit Iohannes in Apocalyp. c. 13. *Primo* (inquit) *dedit ei* (primæ beſtiæ) *Draco ſuam virtutem, & thronum ſuum, & poteſtatem magnam.*

II. *Dedit ei os loquens magna & blaſphemias.* Hæ duæ notæ in ipſo etiam Antiocho, ἀρχετύπῳ τοῦ Ἀντιχρίστου reuera dephrehenduntur. Nam primo ei fuit poteſtas (quam, Diabolo auctore, inſidiis, dolis, & parricidio ſibi comparauit) maxima tam aduerſus ipſum excelſum, quam etiam contra exercitum eius, nempe electos & Dei Eccleſiam. Locutus eſt per edicta blaſphemias, abrogando cultum Dei, & introducendo idololatriam. Idem fecit Traianus, Seuerus, Diocletianus & alii, in illo primæ beſtiæ regno: quemadmodum in altera ſecundæ beſtiæ hierarchia, ſimiliter edictis ſuperſtitiones, oppreſſa veritate, ſtabiliuntur & propugnantur. Omnes autem à Dracone poteſtatem & os loquendi magna acceperunt, vnde etiam Lutherus tractatum ſcripſit, vom Babſthumb / vom Teuffel geſtifftet / ꝛc.

III. *Beſtia illa*, vt ante Antiochus, *aperuit os ſuum ad blaſphemandum aduerſus Deum: vt conuitiis afficeret nomen eius, & tabernaculum eius & eos qui in cælo habitant*, ſcilicet, qui in doctrina veritatis intelligentes ambulant. De Antiochi blaſphemiis (qui Iehouæ Iudæorum Deo, Iouem Olympium prætulit, cultum eiuſdem abrogauit & templum profanauit) iam ante conſtat. Quam etiam Ethnici Cæſares vſque ad Conſtantinum, Euangelium Chriſti, & profeſſores eiuſdem contumeliis, Blaſphe-

mis, conuitiis affecerint & prægrauarint, aliquando audiemus: veluti quoque de Pontificiis idololatriis & blaſphemiis in filium Dei & in verbum vel librum eius ſcriptum ſimiliter vbi plus otii erit, alios inſtituemus.

IV. *Data eſt beſtiæ poteſtas bellum gerendi cum ſanctis, & eos vincendi.* Nam vt Antiochus fideles, qui edictis ſuis blaſphemis obtemperare nolebant, ſuppliciis & armis ſuſtulit: ita etiam Cæſares poſt iiſdem telis contra Chriſtianos pugnarunt. Idem Pontifices & Pontificii fecerunt: veluti locupletiſſimus teſtis eſt Cæſar Baronius Cardinalis *in Paræneſi ad Venetos*: vbi ſacerdotii Romani duplex munus eſſe ait: nempe paſcere & occidere: adducto S. Petri exemplo, qui in viſione iubetur ſurgere, mactare & manducare. Appoſite ad propoſitum noſtrum, vide libellum elegantem inſcriptum: *Conſiderationi ſupra le cenſure della ſantità di Papa Paulo V. contra la rep. di Venetia, &c.*

V. *Beſtiæ illius maior erit poteſtas quam Antiochi.* Nam Antiochus ſolummodo in Iudæa tyrannidem exercuit: ſed prima & ſecunda beſtia Apocalypſeos, habebit imperium in omnem tribum & linguam & gentem, quam late patuit imperium Romanum & Pontificia Hierarchia.

VI. *Itaq; adorant eam omnes incolæ terræ, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ Agni, dicentes: quis ſimilis beſtiæ, id eſt, quis poterit pugnare cum ea?* Significatur multos fuiſſe fidei defectores tempore tyrannidis Antiochi: ſed multo plures fore in regno vtriuſque illius beſtiæ per totum orbem terrarum, qui fratres ſuos & alios Chriſtianos in eandem naſſam ſint tracturi, & in eoſdem errores ſecum inducturi: vt exemplo nobis eſt Ieſuitica ſecta. Et hæc quidem communia fuerunt tam Antiocho, quam vtrique beſtiæ: dum Ioannes ait, quod poſterior beſtia omnem poteſtatem prioris exerceat. Inſuper autem ſecundæ beſtiæ hæc magis in ſpecie conueniunt.

I. *Quod aſcenderit è terra*, hoc eſt, latenter, nemine aduertente, longa temporum ſerie, longisq; ambagibus, ſenſim, à tempore Apoſtolorum, ſui regni fundamenta iecerit: vt ex actis Epiſcoporum Romanorum demonſtrabimus, quæ propediem prodibunt.

II. *Quod habeat 2. cornua, ſimilia Agni, ſed loquatur vt Draco.* Hoc ipſo denotatur inſignis Pontificis Romani hypocriſis. Nam ſub ſpecie veteris & noui Teſtamenti (quod nobis magno Dei beneficio conſeruauit & hominibus proponere viſus eſt) omnia ſua figmenta & portentoſas opiniones, errores & ſuperſtitiones colorauit, textum falſis gloſſis conſpurcauit, & traditionibus ſuis Eccleſiā onerauit, eaſque verbo Dei exæquauit, articulos ſoluit, ſynodumque facit generalem, vt habet *Gloſſa Decretalium.* Quid enim mitius eſt, quam profiteri ſe ſeruum ſeruorum, & interim ſub illo humilitatis & manſuetudinis titulo carnificem & tyrannum animarum agere? Quod certe eſt, verbis agnum ſimulare, re autem ipſa lupum & draconem intus & in cute gerere.

III. *Quod editura ſit ſigna magna.* Sic quoque Paulus dicit: Antichriſti regnum futurum, cum omni potentia & ſignis & prodigiis fallacibus. Quo Auguſtinus, adhuc purioris Eccleſiæ Doctor reſpicit, *in expl. Pſ. 9. Tom.* 8. de tertia & vltima perſecutione per Antichriſtum ventura loquens: *Fraudulenta* (inquit) *& violenta erit, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.* Quantum vero miraculis eiuſmodi tribuat, & quibus ipſe concedat miracula, audiamus eundem Auguſtinum lib. 2. de ſerm. Dom. in monte: *Illud* (inquit) *ad rem maxime pertinet, Ne decipiamur.* Tendentes ad contemplationem veritatis, *non ſolum* nomine Chriſti, *per eos, qui non nomen habent & facta non habent: ſed etiam* quibuſdam factis *atq;* miraculis. *Qualia propter infideles, cum fecerit dominus*, monuit *tamen*, ne talibus decipiamur: *arbitrantes ibi eſſe inuiſibilem ſapientiam, vbi miraculum viſibile viderimus.* Adiungit ergo, & dicit: *Multi mihi dicent in illa die: Domine, domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* & reliqua. *Non ergo cognoſcet, niſi eum qui operatur æquitatem. Nam & ipſos diſcipulos* prohibuit, *gaudere ex talibus*, hoc eſt, quia dæmonia illis ſubiecta fuerint. *Sed gaudete*, (inquit) *quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Credo in illa ciuitate Hieruſalem, quæ eſt in cælis: in qua, non niſi iuſti & ſancti regnabunt. An neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quoniam iniqui regnum Dei non poßidebunt? Sed fortaſſe quis dicat: non poſſe iniquos viſibilia illa miracula facere, & mentiri potius illos credat, qui dicturi ſunt: in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Legat ergo, quanta fecerint famulo Dei Moſi, magi Ægyptiorum. Aut ſi hoc non vult legere, quod in nomine Chriſti fecerint: legat, quæ ipſe dominus dicit de Pſeudoprophetis: Tunc, ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur etiam electi: Ecce prædixi vobis. Quam ergo mundo & ſimplici oculo opus eſt: vt inueniatur via ſapientiæ: cui tanta malorum & peruerſorum hominum Deceptiones erroreſque obſtrepunt: quos omnes euadere, hoc eſt, venire ad certißimam pacem & immobilem ſtabilitatem ſapientiæ?* Huc vſque Auguſtinus.

Miracula etiam à peſſimis patrari poſſe, Andradius *lib. 2. defenſ. Trident. Concil.* aſſerit his verbis. *Cum miracula ſtupendaque prodigia, quæ ſæpe fiunt à viris ſanctißimis, dæmonum opera à Perditis etiam & Facinoroſis fieri poſſe dicat:* (ſcilicet Auguſtinus) *futurarumque rerum prædictiones, non modo piis, ſed Impiis etiam & Flagitioſis hominibus accidere aliquando poßint: Falſa profecto Hæc ſunt plerumque, infirma etiam ſemper Eccleſiæ veræ indicia.* Quare ſola diuina oracula, veritatis perpetuum domicilium ſedeſque firmiſſima, *Illius* (Eccleſiæ) vim & dignitatem demonſtrant. Infinita præterea ante hanc ætatem miracula, omni depoſita fronte, ficta fuiſſe auctor eſt nobiſcum Iohannes Bodinus, alioquin candidiſſimus cenſor, qui cum *in meth. hiſt. c. 4.* vanitatis coarguiſſet Procopium, dicens: eiuſmodi prodigia ſapere Græcam vanitatem: & Hiſtoricis, non modo profanis, verum etiam Eccleſiaſticis, fidem ſæpe derogaſſe: hæc addit: *Plenus* (inquit) *eſt eiuſmodi fabulis Nicephorus Calliſtus,*

Calliſtus, quibus etiam Zonaras, alioquin probatus Hiſtoricus, & Nicephorus Gregoras ſæpe delectantur: ac interdum Euſebius Cæſarienſis: cuiusmodi eſt illud: quod ſe vidiſſe confirmat, plantam in baſi, qua nitebatur ænea Chriſti ſtatua (quam ante 300. annos fœmina ſanguinis profluuio curata ſeruatori dicarat) ſponte natam: quæ, cum primum extremam ſtatuæ veſtem attigiſſet, omnia morborum genera curabat. Talibus nugis referti ſunt Antonini, Adonis, Saxonis Grammatici, Sigeberti, Phreculphi, Naucleri, Mariani, Merlini, Vrſpergenſis, Annonii, Turpini, Guagini, ac veterum Annalium libri. Paulus Venetus etiam fabulatur, mare Caſpium piſcibus ſemper vacuum eſſe, præterquam ieiunii temporibus. Item Bodinus *d. loc. cap. 5.* hoc etiam miraculum recte irridet: *Gangrænam (ait) inepte, dicam, an impie, noſtri acceptam ferunt Diuo Antonio, qui à pleriſq; in Italia & Gallia Narbonenſi, ardentiore voto, certe maiore metu, colitur, quam Deus immortalis.*

Sed didicimus ex Propheta Ieremia prorſus contrarium: qui ait: *Maledictos eſſe omnes Deos, qui non crearunt cœlum & terram.* Antonius & alij Diui Tutelares præteuſi, non crearunt cœlum & terram. Addant Ieſuitæ, ex Deo ſuo Ariſtotele, concluſionem.

Idem iudicium eſto de miraculis ſanctorum, quæ narrat Ioh. Paulus Windeck *in ratione 34. in prognoſt.* quorum fides ſit penes ſcriptores ab ipſo allegatos Surium, Mercurium Gallobelgicum, Bredenbachium, Mich. Medinam, Bolſecum, Lindanum &c. nugarum fama valde laborantes. In quorum numerum referendus eſt ipſe recitator Windeck, dum ex ſuo addit: anno 1594. Spandouiæ angelum Lutheranos ad reſipiſcentiam eſſe hortatum.

De miraculis ψευδαγγελίου Sichemienſis, à I. Lipſio taliter qualiter commendatis, vide *Vindicem veritatis aduerſus eundem*, auctore Georg. Thomſono, Londini hoc anno editum. Quo vindice etiam tacite confutantur fabuloſæ narrationes de vita Philippi Neri, Ignatii Laiolæ & recitationes de rebus geſtis Ieſuitarum prophetantium & miracula facientium &c.

IV. *Quod faciat, vt omnes, parui & magni, diuites & pauperes, liberi, & ſerui accipiant characterem.* Quo ſignificatur inſolentiſſima tyrannis, in perſonas, res & actiones perſonarum vſurpata. Eorum enim omnium mancipatio fit, vt tanquam ſtigmatiæ, illi beſtiæ ſeruiant, dum chriſmate in ſacramento Confirmationis omnium manus & dextræ obſignantur: vt nihil dicamus de carnificina, quæ in recitatione omnium peccatorum à ſingulis ſub pœna æternæ damnationis exigitur: & eo modo, omnia ſecreta, etiam quæ in thalamo coniugali inter virum & vxorem ſanctiora habentur, à beſtia & clericis eius explorantur & propalantur. Deinde nulli licet contrahere, emere, vendere, qui beſtiæ nomen non dedit, & ciuis R. E. non exiſtat, vbicunque gentium degat. Atque ita maior eſt huius poſtremæ beſtiæ potentia & amplior, quam fuit prioris. Etenim penes Papam ſtat poteſtas excommunicandi, abſoluendi, diſpenſandi, caſus reſeruandi, indulgentias & beneficia Eccleſiaſtica conferendi, leges, quibus omnes in tota Chriſtianitate tenentur, ponendi, ſtatuendi, puniendi, pœna & præmio in æternum afficiendi, vt Fr. Vargas *in reſp. de epiſ. iurisd. 4. propoſ.* tradit.

§. V.

Genuina explicatio verſiculi 36. & ſequentium in capite 11. Danielis.

QVod attinet ad interpretationem extremi membri in cap. 11. Danielis, quod à v. 36. *Nam faciet pro voluntate*, &c. incipit, & ad finem vſque eiuſdem capitis extenditur: varie is locus explicatur. Quidam, inter quos etiam aliqui ex Iudæis, ſtatuunt, ea omnia, quæ in 10 illis verſiculis continentur, de Antiocho Ephiphane eſſe intelligenda: cuius impietas primum κατὰ περίληψιν, in verſ. 36. deinde tribus ſequentibus, ſcilicet 37. 38. 39. κατὰ μέρος & particulatim exponatur: cum repetitione rei ab ipſo in Ægypto & in Iudæa geſtæ, vſque ad finem, de qua ſupra diximus. Quod ſi eam explicationem ex antecedentium & conſequentium comparatione, & ex hiſtoriæ fide deſumptam, vt illi affirmant, admittamus: Nihilominus, vt ſupra tradidimus, illa ipſa, quæ de Antiocho dicta & ſcripta ſunt, poſſunt per anagogen, ad Antichriſtum, cuius typum gerit Antiochus, recte transferri. Quod enim contigit veteri Eccleſiæ Iudaicæ, ſpectat etiam ad nouam Eccleſiam Chriſtianam, quam prima & ſecunda beſtia, *in Apocalypſi* deſignata, miſere ſit afflictura, vt docuit exitus ingens, & experientia adhuc hodie teſtatur.

Diabolus ſiue Draco, qui homicida fuit ab initio, ſemper habet & habuit facultatem incitandi & impellendi ſuos in regno illo Antichriſti exiſtentes, ad perſequendam Eccleſiam, & ad ſpargendum falſas doctrinas, impios errores, & impoſturas. Quod veteri populo Iudaico contigit: id Chriſti membris electis & prædeſtinatis, ex quibus vera Eccleſia colligitur, & ſemper conſtat omni tempore ad conſummationem vſque ſeculorum, accidiſſe & quotidie accidere didicimus & videmus.

In ſpeculo enim Danielis contemplamur quisnam ſit perpetuus Eccleſiæ ſtatus, quæ duris onerib. ſemper grauata eſt & premitur. Melior enim conditio noſtra non poteſt eſſe, quam maiorũ noſtrorum: veluti Elias Propheta dixit, ſe non fore & eſſe patribus ſuis meliorem. *Eritis* (inquit Chriſtus) *exoſi omnib. propter nomen meum.* Matthæi c. 10. verſ. 22. *Quia ex mundo non eſtis ſed ego elegi vos ex mundo: propterea odit vos mundus,* Ioh. c. 15. v. 18 19. *Amen amen, dico vobis: Flebitis & lamentabimini, & vobis*

vobis triſtitia erit, in mundo afflictionem habebitis. Iohan. c. 16. verſ. 20. 33. &c. Quod ergo experti ſunt olim pii prædeceſſores noſtri: non mirum, ſi etiam hodie plurima ex parte omnes pii & Chriſti fideles ſerui ſentiant.

Idcirco videbimus, quomodo ab Immanuele noſtro & ſaluatore I. C. apud Danielem deſcribatur Antiochus: aut ſub eius perſona quilibet alius rex, qualis fuit magiſtratus Romanus ſuperior in veteri rep. Pompeius, Craſſus, & alii, qui Ieroſolymam expugnarunt, populum illum duriter afflixerunt, Iudæisque externos reges & tyrannos conſtituerunt: Item, quales fuerunt Cæſares in imperio ſuo Romano poſt C. Iulium. Denique quales Pontifices noſtri (veteris Romæ inſtauratores) in regno beſtiæ ſecundæ, extiterunt.

Etſi enim ſuper hoc loco tam Iudæi quam Chriſtiani inter ſe magnopere varient: eorum tamen opiniones omnes huc aptari poſſunt. Et Lutherus teſtatur caput illud 12. aliter à ſe diſtinctum, ex vnanimi Doctorum conſenſu, de Antichriſto, ſub Antiochi perſona intelligendum eſſe. Nam dictum verſiculum 36. & ſequentes cum 12. capite Danielis coniungit: atque ita duo illa capita inter ſe diſtinguit. *Non eſt hic* (inquit) *vlterius de hiſtoria inquirendum, ſed clarum Euangelium vnicuiq; hoc tempore demonſtrat, quis verus ſit Antichriſtus, qui ſe aduerſus Deum deorum extollit, & coniugium prohibet*, &c. Idem ab Ægidio Hunnio præclaræ memoriæ approbatum eſt, *in colloq. Ratib.* aſſerente, illud quod Apoſtolus dicit, 2. *Theſſ.* 2. de Antichriſto, qui in templo Dei, id eſt, in Eccleſia Chriſti ſit erecturus regnum, regno Chriſti contrarium: illud ſcilicet, tanquam *Articulum fidei neceſſario credi debere.* Nam ex euentu vaticiniorum, & ex complemento, ſiue per collationem oraculorum editorum, & ſubſecutæ completionis, vt ipſe loquitur, clariſſime patere: Antichriſtum iam veniſſe: Et quis ille ſit, omnibus conſtare. Ita habent Acta ab ipſis Ieſuitis edita, *X I. Seſſio. fol.* 125.

Porro & præterea ait filius Dei, quod *contra Deum Deorum locuturus ſit Rex mirabilia, d. verſ.* 36. Hoc in Antiocho & in aliis impletum fuiſſe, quis dubitet? Quod ſi illius edicta, quæ contra Deum Iſraelis & religionem Iudaicam promulgari iuſſit, extarent: cumulum blaſphemiarum procul dubio inde colligere quis poſſet. Dum enim ſuam religionem ſuaſit & præcepit: neceſſe fuit, eum contrariam, quam abolere voluit, innumeris mendaciis & blaſphemiis oneraſſe.

Quod ad Romanos attinet, & illi ſuas blaſphemias in Iehouam euomere non ſunt veriti: ex quo tempore propior cognitio Iudaicæ religionis apud illos micare cœpit. Cicero *in orat. pro Flacco*, plus, plus, quam contumelioſe, nomen Dei veri & ſeruorum eius lacerat. Et Horatius *lib.* 1. *ſerm. ſat.* 5. *circa. fin.* ait, ſe Gnatiorum in Italia ſuperſtitionem riſiſſe, affirmantium, in ara ſponte ligna & thura incendi: veluti in libris ſacris factum eſſe legimus, quo ille alludit incredulus:

—— Gnatia dedit riſusq; iocoſq;:
Dum flamma ſine, thura liqueſcere limine ſacro,
Perſuadere cupit. Credat Iudæus Apella,
Non ego. namq; Deos didici ſecurum agere æuum, &c.

Rutilius Claudius *lib.* 1. *Itiner.* vocat Iudæum *animal diſſociale cibis humanis, qui genitale caput propudioſus metit, cui frigida ſabbata cordi: ſed cor frigidius religione ſua eſt*, &c.

Ex illo tempore ſub Cæſaribus, Nerone & Domitiano atque ſequentibus, maior inuidia ob nouitatem doctrinæ Chriſtianæ, (quæ ex Ieroſolymis & ex Iudæorum regione in orbem Rom. ab Apoſtolis introducta eſt) apud omnes gentiles exarſit, credentes, nouum Deum vbique à Chriſtianis, qui ſuperſtitionem Iudaicam imitari dicebantur, prædicari & coli. Legatur iudicium Hadriani Imperatoris *in epiſtola ad Seruianum conſulem*, apud Fl. Vopiſcum. *in vita Saturnini*, de Chriſtianis Ægyptiis: Et Tertyllianus *in Apologet.* Ioſephus etiam *in Appion.* Euſebius & Plutarchus *in Sympoſ.* Et colligentur inde, & ex aliis auctoribus multæ blaſphemiæ, diffamationes, mendacia, conuitia & alia contumeliarum genera: quibus verus Deus Chriſtus Ieſus, Meſſias noſter, & populus eius prægrauatus & affectus eſt.

De Romaniſtis noſtris modernis, non attinet dicere, qui loco Chriſti, vnici mediatoris, matrem ipſius in cælo, & Papam in terris ſubſtituerunt. Qui affirmant, penes Pontificem eſſe, claudere & reſerare fores cœli: qui Deum ſpoliant iure diſponendi de rebus humanis: qui eundem iniuſtitiæ accuſant, quod omnes homines, meritis etiam turgentes, non ſaluet. Qui aiunt paſſionem filii Dei non ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, ſed adhuc noſtra opera deſiderari & requiri. Hæc certe & alia innumera aſſeuerare quid aliud eſt, quam loqui mirabilia, contra Deum Deorum, & ſacram ipſius ſcriptam veritatem? Præſertim cum Papa dicat, ſe eſſe ſuper ſacram ſcripturam, cuius auctoritas à ſede Papali pendeat: & quæ inde robur & firmitatem ſuam accipiat. Deinde omnes illos, qui cum eo ex eadem ſacra ſcriptura locuti ſunt, tanquam hæreticos & diaboli filios condemnauit & adhuc condemnat. Itaque quando libet, ſacram ſcripturam ſatanæ doctrinam vocat: ſi non ex ſua mente, interpretationem habeat. Vnde dicitur apud Danielem, quod proſperatus ſit rex, vnd ſey jhm gelungen / vnnd hat müſſen recht heiſſen / durch Gottes Zorn / vber die vndanckbare Welt / vt Paulus 2. *Theſſ.* 2. 11. ait efficaces fore errores, &c. Ex hac ſua poteſtate (quam etiam in diuina oracula habere præſumit) illa diſpenſationum nubes, quibus ius diuinum in matrimoniis, & in aliis grauibus caſibus ſoluit & limitat, quocunque & quandocunque libet.

De verſ.

I.

De verſ. 36. in d. cap. 11.

DIcto c. 11. v. 36. ſic dicitur: *Et faciet ſecundum voluntatem ſuam, vel pro libidine rex: Extollet ſe, ac magnificabit ſe. ſupra omnem: Deum fortem, etiam ſupra Deum Deorum vel fortiſſimum omnium loquetur mirabilia. Et proſpere aget ſiue proſperabitur vſq; ad conſummationem, vel complementum iræ*, id eſt, vſque dum conſummet indignationem & efficiat, quod fuerat decreto Dei præfinitum & deciſum.

Oſtenditur hic primum pios percuti Dei manu & ex eius præſcripto: quod tamen certo quodam tempore determinatum eſt. Deinde Antiochum & Antichriſtum, qui Antiochum præcurſorem ſuum imitetur, tam ſuperbum fore: vt iudicium facturus ſit, an colendus ſit, Deus, hic, vel ille.

Sic Antiochus pro voluntate ſua Iouem Olympium, tanquam Deum ſuum Mazoim, id eſt, fortitudinum & munitionum, pro vero Deo Iſraelis, ſub pœna capitis, coli præcepit: vt libri Maccabæorum & Ioſephus teſtantur.

Ita etiam apud Romanos ex veteri decreto (quod ante Tiberium Cæſarem obtinuit) penes ſenatum erat, Deum nouum probare & conſecrare, auctore Tertulliano *in Apolog. cap. 5.* quem citat Euſebius *in hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 2.* Apud eoſdem Romanos poſtea Deus fuit, ſi homini placeret, id eſt, Cæſari. Vnde Auguſtus primus, tanquam Deus, honorari voluit, & adorari, vt cui templa & aræ dicatæ ſunt. Domitianus, Deus vulgo ſalutatus eſt, & adoratus: veluti etiam Traianus, Diocletianus & alii. Prædictus Auguſtus, Iulium in Diuorum numerum retulit. Auguſtum alii poſt ſecuti ſunt, in conſecrandis ſuis anteceſſoribus & eo modo infiniti noui Dij extiterunt: inter quos plurimi recenſiti ſunt, qui hominis nomine prorſus indigni fuerunt, bipedum nequiſſimi.

In regno Papali, & in Romana Eccleſia idem furor hactenus viguit. Nam rex, hoc eſt, Pontifex facit pro ſua voluntate, videlicet, omni iure ſolutus, eſt extra ius & ſupra ius & contra ius, & omnia poteſt, vt Baldus loquitur. Quod vult, legis vigorem habet. Poteſt omnes Eccleſias, & poteſtates iudicare: ille vero à nemine iudicatur. In ſcrinio pectoris Papæ, omnia iura ſunt recondita, *c. ſolitæ, de maior. & obed.* maior eſt Pontificia auctoritas, quam Cæſarea: Cum Cæſares coacti fuerint, pedibus Papæ oſculum figere, *V. c ſi Papa.* Hæc & mille alia paradoxa non ſolummodo ſcripta & tradita, ſed etiam in effectum producta ſunt.

Præterea, vt Antiochi & Romanorum temporibus ita etiam in Papiſmo loco vnius Dei numeroſi alii Diui adorati ſunt, & adhuc coluntur. Vice Dei fortis Deorum fortium, Papa Romanus Antiochi ſucceſſor, Deum ſuum Maozim, nempe ſacrificium Miſſæ (in quo neruus Pontificii regni conſiſtit) colit, & omnibus colendum, ſub amiſſione facultatum & ſub iactura animæ & corporis præcipit.

Item, ſicut Antiochus, & Imperatores Romani gentiles, colore & titulo pietatis & ficticiæ ſuæ nouæ Deitatis abuſi ſunt, interim omne numen ludibrio habentes: Ita etiam Pontifices Romani, nouos interceſſores & Deos Tutelares in Eccleſiam introduxerunt & auctores monachalium ordinum, atq; alios ſanctos, vt vocant, conſecrarunt & canonizarunt, in Diuorum numerum retulerunt: ipſi interea omni religione vacui. Et hoc eſt, quod ſcriptum eſt: *Extollet ſe & magnificabit ſe ſupra omnem Deum fortem*, veluti de Antichriſto Romano vere dixit S. Paulus: quod in Eccleſia tanquã Deus regnaturus ſit: Et ſe elaturus ſit ſuper omne quod Deus eſt. Nam audit quotidie in literis, ſe ſanctiſſimum dominum noſtrum vocari. Vicarius Chriſti in terris, & Eccleſia eius appellatur à ſuis: & tanquam ſupremum caput Chriſtianitatis totius, vult ſalutari & adorari: cui Imperator & omnes alii magnates, reges & principes in orbe ſeruire debeant, vt ipſemet prætendit. Lutherus *in Præfat. ad Daniel. Proph.* ita habet, in Biblica ſua verſione: Andere Tyrannen / als Antiochus vnnd Romani / ſo Gottes Wort verfolget / habens aus vnuerſtandt gethan / der Babſt aber thuts wiſſentlich / vnd nennet die H. Schrifft vnd Gottes Wort / darüber er Herr ſeyn wil / vnd verdammet als Teuffels Lehr / wo vnd wenn er wil. Alſo hat S. Paulus 2. Theſſ. 2. 3. dieſen Text Danielis geführet / Es wird offenbar der Menſch der Sünden / vnd Kind deß Verderbens / der ſich erhebt vnd ſetzet / vber vnd wieder alles / das Gott genennet oder geehret iſt / vnd ſitzt im Tempel Gottes vnd zeigt ſich als einen Gott / dann vber Gottes natürliche weſen vnd Maieſtät kan ſich nichts erheben / ſondern vber den genanten / gepredigten / geehrten Gott / das iſt / vber Gottes Wort vnd Gottesdienſt oder Sacrament. Dann Menſch der Sünde vnd Kind deß Verderbens heiſt nicht allein der für ſich ſelbſt ein Sünder vnd verloren iſt / priuatus peccator ſondern ein publicus, der andere mit ſich zur Sünde vnd verderben führet. Solch Sündenampt hat der Babſt auff zweyerley weiſe getrieben / 1. daß er viel newer Gottesdienſt auffgerichtet hat / wie hernach folget in ſeinem Mauſim / als das Ablaß / Weywaſſer / Heiligendienſt / Walfahrten / Brüderſchafften / Müncherey / Meſſe / Faſten / Feyren / etc. Darneben die rechte Gottesdienſt / als Gottes Wort / Glauben / Sacrament / etc. zerſtöret vnd zuſchendet. Zum 2. daß er die Chriſten mit vnzehlichen Geſetzen vnterdruckt / vnd damit Sünde geſtifftet / da Gott keine haben wil / vnd Summa / faſt an aller Creatur Gottes / hat er Sünde geſchmieret / nemlich / wenn vnd wo er gewolt / ſo hat Butter / Eyer / Keſe / Milch / Fleiſch eſſen / Sünde müſſen ſeyn / die vns doch Gott frey / vnnd ohne Sünde zu genieſen gegeben hat. Alſo hat er die Zeit vnd Tage / auch mit Sünden beſchmeiſt / denn wo vnd wenn er hat gewolt / ſo hat man müſſen faſten vnd feyren / vnnd hat dieſelbe Zeit vber allerley Speiſe / auch das liebe Brodt eſſen / vnd trincken / Sünde ſeyn müſſen. Alſo hat er auch die Stette / vnd Geräthe mit Sünden beſchmeiſt / dann die Kirchen vnnd geweyhete Stette hat er alſo geheiliget / daß man weder Stein noch Holtz hat dürffen anrühren / Sonderlich die Altar vnd Altars Geräthe. Schrecklich war es / wenn ein Leye mit bloſſer Handt den Kelch / Paten / Corporal anrührete /

wann

wann mans waſchen ſolt / durffte es auch keine heilige Nonne waſchen / der Prieſter muſte es zuvor waſchen. So voll Geſetze vnd Sünde ſteckte der Kelch/Paten/Corporal/vnd alles was geweyhet war. Alſo muſte das Ehebette in Sünden gefangen ſeyn/welche zeit er wolte. Alſo beſchmeiſt er auch die Leibe der Prieſter/denn das natürliche Gewächſe/vnd Gottes Geſchöpffe/das arme Haar auff dem Haupt muſte Sünde ſeyn/Platten muſten ſie tragen/vnd den Bart abſcheren/ſo waren ſie denn heilig/vnd allein heilig. Alſo beſchmeiſt er auch die Kleyder/denn welcher Mönch oder Nonne / nicht jhre Kappen vnnd ſonderer Geſtalt/vnd Farben Kleider trug/der war ein Sünder vnd verlohren/Alſo die Prieſter mit iren Kleydern auch. Alſo hat der Teuffelskopff der Bapſt/faſt aller Creaturen Gebrauch beſchmeiſt/ Eſſen/Trincken/ Kleider/Stette/Zeit/Leib vnd Leben/vnd hat die Chriſtenheit/mit Geſetzen/Verbott/Sünden vnd Verderben geplaget/durch aller Creatur Brauch/vnd darnach Gelt darauß gekaufft/mit diſpenſiren/ꝛc. vnd ſolche Sünde vnd Grewel/haben darzu müſſen Heiligkeit/vnd ſonderlicher Gottesdienſt heiſſen / wie die Kälber Jeroboam. Solche Sünde vnd Verderben meynet S. Paulus in gedachtem Spruch 2. Theſſ. 2.3. Das iſt das Daniel ſagt/Er ſetzt ſich wieder vnd vber den Gott aller Götter/dañ Gott hat durch Moſe auch Geſetze gegeben/vnd die Jüden mit vielen Sünden beſchweret / da ſonſt keine Sünde natürlich geweſt were/aber er war Gott/vnd hatte das macht. Dieſer vnflätiger Gottes Affe wils jhm nachthun / vnd machts weit vber/darzu auch wieder den rechten Gott/ dann er ſeine Gottesdienſt zerſtöret / vnd mit ſo vnzehlichen Geſetzen/deß er nicht macht hat/vnzehliche Sünde/durch aller Creatur Brauch / durch die welt ſtifftet/vnd zeiget ſich hiemit/als ſey er Gott im Tempel Gottes/das iſt/in der Chriſtenheit. Solches alles beweiſen ſeine Drecketen/vnd Dreckentale. Durch dieſe zwey Stücke hat auch der Bapſt verwüſtet/1. das weltliche Recht/Gehorſam vnd Obrigkeit vnter ſich getretten/vnd wo er gewolt hat/auffgehaben vnd verwüſtet/Keyſer/Könige/Fürſten abgeſetzt/verflucht/verderbet/die Vnterthanen vnd Kinder vom Gehorſam verbannet/vnd in Summa alles gemacht wie er gewolt/oder jhm gelüſtet hat/ keinem Recht oder Geſetze vnterworffen Durchs ander/hat er die Kirchen verſtöret/die heilige Schrifft vnter ſich geworffen/die Sacramente zuriſſen vnd verwüſtet/ſampt jhrem Brauch/das Euangelium vnterdruckt/biß mans nicht mehr gekennet hat/vnd alſo beyde Gottes Wort vnd Gottesdienſt zu nicht gemacht. Hucvſque Lutheri verba.

Hic merito interrogari deberet Papa, ex quo Euangelii apice regulas impias & ſcandalizoſas deſumpſerit: quod hoſti vel hæretico fides data, ſeruanda non ſit. Quod principes, in hæreſi nati vel in eandem lapſi poſſeſſionibus priuandi & impune occidendi ſint. Vnde quæſo excommunicationis, canonizationis, peregrinationis, ſupererogationis, transſubſtantiationis doctrina? Ex quo Chriſti præcepto, aut ex quibus Apoſtolis ſacerdotum cœlibatus, ciborum ſtatis temporibus prohibitio, paupertatis voluntariæ & mendicitatis votum: indulgentiæ, miſſæ vertigines, angelorum, mortuorum hominum, cinerum, oſſium ſaxorumque cultus, profluxerint. In ſumma, recte cum Nicolao Lyrano concludimus: ſummos Pontifices *APOSTATASSE* à Fide: nempe Antichriſtum Romanenſem, fabulas populo Dei pro veritate obtrudiſſe, vmbras pro corpore & reduxiſſe & ſuperinduxiſſe.

Multas à Iudæis & gentilibus mendicatas lacinias, multas à ſuperſtitioſis & hypocritis textas *Integræ Chriſti tunicæ* aſſutas, eam deformaſſe: quod nec Baronius, nec alii eiusdem propugnatores, veritatis euidentia victi, negare vnquam poſſunt. Teſtis recens & locuples eſt Lipſius, qui *in Syntag. de Veſta & Veſtalibus*, ita loquitur: *Res ſacrorum vanorum veterum* Noſtris *etiam pijs* (ſcilicet) *veriſq;* Sacris *faciunt illuſtrandu aut approbandu*: vide Blondum, Polydor. Virgilium, Iohan Bohemum, Durandi *Rationale diuinorum officiorum*. Sed vocem diaboli reputamus, quam profert Seneca apud Auguſtin. *lib. 6. de ciuit. Dei cap.* 10. (& qua vtuntur adhuc hodie omnes Pſeudochriſtiani) dum ait: *Sapiens ſeruabit ea, tanquam Legibus* (nempe humanis, & traditionibus Papiſticis) *iuſſa, non tanquam Dijs grata.* Ergo ea iuſſa Deo ſunt ingrata. Nam Iehoua dicit: *Quod præcipio tibi*, Hoc tantum facito. Et: *Fruſtra me colunt mandatis hominum.*

II.

De verſ. 37. d. cap. 11.

PERGIT vero Iehoua, Danielem de eiusmodi Antichriſtianis facinoribus ſic erudire, *verſ. 37. d. c. 11. Et ad Deos quidem maiorum ſiue patrum non attendet: neq; ad deſiderium vel amorem mulierum, neq; ad vllum Deum attendet. Quia ſuper omnia ſeſe magnificabit.*

I. Ponit Deus, regem iſtum fore contemptorem omnium Deorum. Hæc in Antiocho ita ſe habuiſſe, res ipſius geſtæ oſtendunt: cum nihil vnquam feciſſe legatur, niſi ſuo ipſius erga ſe ſtudio: nulla Dei, nulla naturæ & ſanguinis, nulla fœderis ratione habita.

Idem in Romanis apparet, qui vtcunque fuerunt negotioſi in cultu Deorum ſuorum: tamen caruerunt omni ſenſu Deitatis, religionem ſimulantes. Non coluerunt Iouem Olympium, ſed Capitolinum: quem tenebant ſibi deuinctum. Hinc illa audacia, quod quisque potuit nouos Deos fabricare ſuo arbitrio. Sic templum dicatum fuit Fortunæ Equeſtri: deinde Iupiter Stator eſt Deus factus: Propterea, quod huic, & illi, ita placuerit. Et Roma plena fuit talibus templis. Quisque (præſertim tempore Cæſarum) auſus eſt ingerere propria commenta, & totidem Deos Roma coluit. Et ſic, dum finxerunt Deos: viſi ſunt ſuperiores Diis omnibus: nec vſitatum omnium gentium morem ſunt ſecuti: nihilominus ne pili quidem omnes ſuos Deos fictitios fecerunt, ſed tantum pudoris cauſa, fallacem aliquam ſpeciem religionis, retinuerunt. Vnde dixit Cato de Aruſpicibus: *Miror, cum alius alium aſpicit, cur non rideat.*

Quid

Quid dicemus de noſtro Romanenſi Antichriſto? In eo primum reperitur triplex impietas; quod diuinitatem ſibi aſciſcit, dum Deum ſe appellari glorietur, vt eſt *in diſt. 96. c. ſatu, &c.* Deinde quod religionem Chriſtianā illudit ac deridet, vt exempla ſunt in Hildebrando ſiue Gregorio VII. in Syluestro II. Iohanne XXII. Sixto IV. & aliis. Item, quod falſas & commentitias religiones in Eccleſiam induxit & inducit: nempe innumerabiles Monachorum copias, Auguſtinianorū, Bernhardinorum, Dominicanorum, Franciſcanorum, & nuper Ieſuitarum, &c. quorum ordines ſinguli proprias rurſus habent cucullatorum, togatorum formas, variis coloribus diſtinctas, &c. Ad Baptiſmum & Cœnam quinque adhuc ſacramenta addidit: nempe, Ordinem, Confirmationem, Vnctionem, Pœnitentiam, & Matrimonium. Opera bona ait eſſe meritoria trium, ſcilicet vitæ æternæ, augmenti gratiæ, & remiſſionis peccatorum. Wenn man jhm gleich (notat hîc ad d. text. Lutherus) ſagt von ſeiner Vätter Gott/das iſt/von Chriſto/den die Apoſtel/ſeine Vorſahren/gepredigt haben/ſo iſt er nun ſo feſt geſeſſen/vber den Gott aller Götter/daß ers nicht achten/noch dauon etwas wiſſen will/ſondern hoffertiglich/ſtolziglich/halßſtarrig vnd verſtockt/alle die tödtet/die von Chriſto recht reden. Et hoc Papæ crimen (cuius vt & aliorum Papa Romanenſis, à maxima Chriſtianitatis parte, iampridem non modo accuſatus, verum etiam conuictus & condemnatus eſt,) merito *crimen perduellionis* vocamus: id in eo conſiſtit, quod primo hoſtili animo ſit perduellis in ſingula indiuidua, quæ ab ipſo ſeceſſionem fecerunt, & quæ hæreſeos condemnat, & omni ſuppliciorum genere exterminat.

Deinde perduellionatus iſte Papalis comparatus eſt & fuit, ad euertendum omnium rerump. ſtatum, quæ in orbe Chriſtiano ſunt, vt exemplum de republ. Veneta modo habemus, Pontifex enim Romanus præcipua omnium bellorum & tumultuum in omnibus regnis Chriſtianis fax extitit: qui per ſuos Emiſſarios (Cardinales, Epiſcopos, &c.) regum animos ad arma, ad lanienas & cruentas ac furiales carnificinas inflammauit, & adhuc inflammat. Ipſe interea, quaſi Laniſta ſanguinarius, commiſſis inter ſe gladiatoribus, cruentos iſtos ludos, ex Hadriani ſiue Sanctangeli mole ſpectat: aut tanquam alter Nero, incenſum à ſe orbem Chriſtianum è ſua turri deſpicit, ſuoſque oculos illis funeſtis ſpectaculis paſcit, & crudelem animum exaturat. Quemadmodum Gregorius XIII. pro oblectamento picturam de laniena Pariſienſi Romæ in Capitolio poſuit, ad æternam Papalis furoris & ſanguinolentiæ execrandæ memoriam.

II. Dicitur in prædicto verſiculo, *quod non attendet ad amorem fœminarum*: hoc aliqui interpretantur, quod debeat amor ille intelligi de inhumanitate Antiochi & Antichriſti, qui prorſus futurus ſit ἄστοργος.

In Antiocho certe caritatis officia prorſus fuerunt extincta, vt qui proprium fratrem veneno ſuſtulit, & conſanguineos reges Ægyptios fraude circumuenit: interim ille coniugium prorſus contempſit, vagis libidinibus deditus.

De Romanis aliter iudicare non poſſumus, qui duxerunt & reduxerunt vxores, prout libuit. Nam in tota illa gente immanis quædam barbaries reperitur, vt quæ mulieres & ſacrum coniugij ordinem parum curauit. Quod vero leges de maritandis ordinibus latæ ſint, id non factum eſt in honorem coniugij, & amore fœminarum, ſed vt imperium Romanum eo modo augeretur & conſeruaretur. Atque ideo contra cœlibatum pœnas indixerunt, quas poſtea Chriſtiani Imperatores, ſuaſu Pontificum & Clericorum rurſus infirmarunt.

Vnde Romanenſis noſter Antichriſtus prætextu cœlibatus (quem non amore caſtitatis ſanciuit, ſed vt magis impune tam ipſe, quam eius cœlibes ſcortari poſſent) coniugium & amorem mulierum honeſtum pedibus conculcauit, neque ad deſiderium fœminarum attendit, nempe in legitimo vſu conceſſum. Chryſoſtomus ad Tit. homil. 1. *Apoſtolus* (inquit) *obturat os hæreticis, qui calumniantur nuptias, &c.* Coniugium non modo eſſe omnibus hominibus decorum atque honorabile, verum etiam ad ſcortationes vitandas pene neceſſarium, vt docet ſacra Scriptura *Heb.* 13. *&* 1. *Cor.* 7. Itaque Petrum Apoſt. vxorem habuiſſe legimus *Marc.* 1. *& Matth.* 8. vbi de Petri ſocru mentio fit. Der Antichriſt (inquit hic in explic. Lutherus) der Bapſt/hat nicht allein den Eheſtand verbotten/den Geiſtlichen/ſondern auch durchauß verläſtert/geſchändet/verachtet/vnnd zu nicht gemacht/damit daß ers ein vnrein/fleiſchlich vnnd vngöttlich Weſen ſchilt/darinn man Gott nicht dienen könne/vnangeſehen daß GOTT den Eheſtandt geſegnet/ſeinen Bund vnnd Wolgefallen heiſt/vnnd durch Vergebung der Sünden das Ehebett rein vnnd ehrlich ſpricht/vnd die böſe Luſt deß Fleiſches darinn nicht rechnen will. Alſo muß der Endechriſt verfluchen/was Gott ſegnet/zureiſſen/was GOtt zuſammen bindet/ſchänden/was GOTT lobet: Summa/alles vber vnnd wider GOTT thun/verwüſten vnnd verderben. Solch Eheverbieten geſchiehet nicht auß Liebe zur Keuſchheit/ſondern allein zum Schein/vnnd daß vnter deſſen der Bapſt vnnd ſein geſchmierter Hauff/frey vngehindert thun möge/was er will/vnd niemandt vnterthan noch verbunden ſey/vnd die Mühe vnd Arbeit (ſo GOtt auff den Lehr-/Wehr- vnd Eheſtandt gelegt) nicht tragen dörffe/ſondern frey ſeines Willens leben möge/in aller Luſt/Friede/Sicherheit/Muſſe vnd Gewalt. Solche Eheverbieter/pergit Lutherus, in Heucheley reden Lügen/1. Timoth. 4. 7. Vnd diß iſt das Stück von deß Antichriſts Weſen/ſo Daniel ſchreibet/wie er alles/was GOtt geordnet/zureiſſen/zerſtören vnnd verwüſten würde/das ander Stück/was er dagegen bawen/anrichten vnd thun werde/folget im nechſten Verß. Huc vſque ille. Scilicet Papa ſuis Eccleſiaſticis nuptias inhibuit, qui tamen libere ſcortantur. De quibus æque vere ac de Origenianis poteſt dici: ἀθετοῦσι γάμον, ἀλλ' οὐ λαγνείαν. [illegible]. Reiiciunt nuptias, ſed non libidinem. In

honore enim apud eos eſt non ſanctitas, ſed hypocriſis: non ἁγνεία, ſed λαγνεία, vt eſt apud Epiphan. contra Origenian. *Scortari* (inquit Eraſmus in c.19. Matth.) *licet: vxorem ducere non licet, ſi profitentur concubinam, ſunt Catholici ſacerdotes: ſin vxorem dici malint, in ignem conijciantur.* Contra eiuſmodi prohibitiones & inde ſecuta ſcelera, ſic exclamat Barlette, prædicator olim in Gallijs ex agnatione noſtra, in ſerm. ſuis fol. 262. col. 2. *O quot luxuria! O quot Sodomia! O quot fornicationes! clamant latrinæ, latibula, vbi ſunt pueri ſuffocati? Vtinam haberemus aures apertas, & audiremus voces puerorum in latrinis ſuffocatorum & in fluminibus.* AD OMNES DIABOLOS TALIS MODVS FACIENDI. *Taceo de adulterijs, ſtupris & inceſtibus, peccatis etiam contra naturam. O naturæ destructores! O beſtijs deteriores!* Audiamus etiam Mantuanum, ex monachis productum teſtem, omni exceptione maiorem, qui de ſuo tempore *lib.3.* ſic ex rei veritate pronunciat:

Sanctus ager ſcurris, venerabilis ara cinædis
Seruit: honoranda Diuum Ganymedibus ædes.

III.

De verſ. 38. dict. cap. 11. Dan.

ETſi igitur Rex ille (nempe Antichriſtus) contemturus ſit omnem religionem: Tamen Deum aliquem colet, & quidem magnifice & ſingulari pompa, quæ vſum communem excedet. De qua re ſic *in d. v. 38.* ſcriptum eſt: *Et Deum Maozim*, hoc eſt, munitionum, ſiue fortitudinum ſummi roboris, *in loco ſuo aut in ſede eius, honorabit: Deum, quem non cognouerunt patres eius, honorabit, cum auro, argento & lapidibus pretioſis, & deſiderabilibus ſiue rebus deſideratiſſimis.*

De Antiocho ſcimus, quod ille Iouem Olympium in terra Iſraelis coluerit, & coli ſub pœna capitis præceperit, qui ideo in verſu ſequenti *Deus alienus* vocatur.

Romani vrbi ſuæ (tanquam capiti orbis & dominæ gentium) & Capitolio, Iouem & alios Deos omnes, qui in ipſorum cerebris nati & creati erant, affixerunt. Nam vt Romæ delubra ſua ornarent, ſpoliarunt omnes prouincias, vt eſſent ſpecie religionis, admirationi omnibus gentibus. Itaque Marcellus exinaniuit omnia templa in Sicilia, vt Romana templa ornaret illis Dijs, qui Romæ, quam alibi non erant meliores.

Totam religionem, quam Antiochus & Romani ſimularunt: Daniel ponit in libidine & in reſpectu vtilitatis propriæ: Et oſtendit illos interea fore impuros omnis diuinitatis contemptores. Vnde dicitur, *quod honoratus ſit ille Deus ignotus in auro, gemmis, &c.* videlicet magnifice, & cum pompa, in opibus totius mundi, quas Romani ſub ſpecie pietatis congeſſerant, & Romam deportarant.

Quid vero ſimile aut diſſimile non fecit ſacerrimus Pontifex in Roma à ſe inſtaurata? Non contentus fuit corruptione & cõſpurcatione veræ religionis, ſed inſuper baptiſmum tribuit campanis, purgatorium, locum tertium inter cœlos & tartara effinxit, &c. nouum Deum & nouos cultus in Eccleſiam introduxit, de quibus nec Prophetæ, nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec primitiua Eccleſia ſciuerunt, & quem Deum non cognouerunt patres & primæui anteceſſores eius. Nam ſolet certo & ſtato die imagunculas quaſdam effingere, in formam agni, ex alba cera, oleo delibuta. Has affirmat de collo ſuſpenſas peccata hominum æque purgare, vt Chriſti ſanguis purgat. Eaſdem affirmat fulgura depellere, parturientibus opem ferre, & homines ex incendio & naufragio ſeruare. &c. Deinde cœnam inprimis Dominicam ſuis traditionibus contaminauit, & tandem prorſus ſuſtulit: & exinde Deum fabricauit Maozim ſiue Miſſam ſuam. Non enim niſi panem populo præberi primum permiſit, ſumptione calicis & vini interdixit, quo ſoli ſacerdotes fruuntur. Et procedente tempore, ex myſterio illo ſacrificium pro viuis & mortuis proficuum conſtituit; & in locum inſtitutionis Chriſti à ſe peruerſæ & inuerſæ, Miſſam ſuam ſubſtituit, in qua ex parte corpus Chriſti fecit, panemque omnibus adorandum exhibuit: & ſic ex parte Deum fecit, panemque in auro, argento & lapidibus pretioſis (der Monſtrangen) incluſum maxime honorat, & cultu venerando proſequitur. Et hoc ipſum eſt, de quo Lutherus *in explicatione dicti textus* loquitur, cuius verba ſubijciemus: Das Wort Maoſim kempt vom Maos / heiſt eygentlich ein Stärcke oder Feſte / wie man die Schlöſſer ſtarck vnd feſt heiſt / vnd im Pſalter offt Gott vnſer Maos heiſt. Dadurch verſtanden werdẽ / erſtlich die ſteinerne Häuſer / ſo man Kirchen nennet / vnd köſtlich / herꝛlich vnd feſt gebawet ſeyn / für andern Häuſern / wie die Schlöſſer: als da ſeyn / Stifft vnd Klöſter in aller Welt / darin̄ der Bapſt regieret / vnd treibt ſein Gauckelwerck, mit ſeinem Weyhwaſſer / Meſſe / Vigilien / Fegfewr / ꝛc. Veluti hodie etiam videmus Ieſuitarum palatia, faſtu regio ſuperbientia, in quibus Deus ille Maozim colitur & defenditur. Tales Papiſticæ ſynagogæ ſunt atrium, quod eſt extra Templum *in Apoc. c. 11. v. 2.* Quia externa illa facies prętẽſæ Eccleſiæ illis gentib. profanis calcanda, & traditionum luto polluenda datur. Vnd ſonderlich rühret der Engel mit dem Wort Manſim / das gröſte vnd höchſte Stück / den ärgſten Kirchengrewel / die MESSE / wolte wol gern deutlich ſagen / SEINEN GOTT DIE MESSE / Vnd thut / als verbreche er das Wort MESSE / im reden williglich / daß ers für groſſem Vnwillen nicht recht nennen / Meſſe / ſondern ſpricht Mauzim. Denn was ſind Stiffte / Klöſter vnnd Kirchen (darinn aller Welt Golt / Silber / Edelgeſtein vnd Kleinot geſamlet iſt / vnd noch wirdt) anders denn Meßhäuſer? Vmb der Meſſe vnd derſelben Gottheit vnd Macht willen / weil es für ein täglich heyligſt Opffer geehret wirdt / ſind ſie gebawet. Vmb der Meſſe willen iſt alles (Golt / Silber / Edelgeſtein ꝛc.) darzu gegeben. Vmb der Meß willen ſind faſt alle Ceremonien erdacht. Vmb der Meß willen hat man Schulen gehalten / auch haben

Schüler

Schüler ſtudiert vmb der Meſſe willen/daß ſie Meßpfaffen würden. Vnd hanget alles Kirchen Gepräng an der Meſſe/wird vmb die Meſſe/wie die Ratten an jhrem König/ Daß / wo die Meſſe in der Kirchen nit iſt/da ſtehet die arme Kirch/als wer es keine Kirche/ſondern ein wüſter Steinhauff. Solches vnmeßlich Gelt vnd Vnkoſt iſt auff die Meſſe gangen / ſo deß Bapſts Kirchen Gott vnd Meß Gott iſt/ ꝛc. Hoc igitur modo Babylonica ſiue Romana meretrix, immenſas collegit diuitias, reges & incolas terræ ſpecie myſterij, & titulo religionis, fallens. Vnde deſcribitur Papa in figura mulieris, amictæ purpura & cocco (qualis rubeus color in Cardinalibus purpuratis & in ipſo Pontifice conſpicitur, qui rubent ſanguine iuſtorum, quem licentiſſime effuderunt, & adhuc effundunt) inauratæ auro & lapidibus pretioſis & margaritis, habentis poculum aureum in manu, &c. *Apocal. cap. 17. v. 4.*

Et *cap. 18. v. 12.* exprimuntur merces, in Babylone altera, nempe vrbe magna Roma, quæ habet regnum ſuper reges terræ (cuius caput in Ethniciſmo fuit Cæſar, in Chriſtianiſmo autem Pontifex, poſtquam ratio beſtiæ mutata eſt) ſcilicet aurum, argentum, margaritæ, purpura, ſericum, &c. quibus mercibus adhuc negotiantur, & cœlum cariſſime vendunt. *Gaude* (ait Abbas Vrſp. in vita Philippi Cæſaris) *gaude mater noſtra* ROMA. *Quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum terræ: vt ad te confluant riui & aggeres magna copia.*

IV.

De verſ. 39. d. c. 11. Dan.

ET faciet aduerſus munitiones Dei ſummi roboris cum Deo alieno, cui eas committet: Et illos, quos agnouerit, augebit gloria, & dominatores eos faciet in multos, terramque pretij loco partietur, vel pretio diuidet.

1. Hic Antiochi tyrannica indignitas amplificatur, qui homines ſuos, ſibi à famulitio contra Deum verum, caros arbitratu ſuo euehit: extraneos impuriſſimos populo Dei præficiens, & hæreditatem in Iſrael pro libidine precio diuidens.

2. Sub hac Antiochi figura ingenium quoque Romanorum expreſſum eſt, qui Pompeio, Craſſo, Soſio Caſſio, Antonio, C. Iulio Cæſari, & alijs, Iudæam diripiendam & ſpoliandam commiſerunt. Nec enim ſolum ex ſpolijs Iudæorum præfecti illi ditati ſunt, ſed etiam tributariam atq; vectigalem totam prouinciam fecerunt, & eorum aliqui templum Domini deprædati ſunt.

Poſtea Auguſtus Iulij ſucceſſor, Iudeæ ex placito S.P.Q.R. regem Herodem conſtituit & confirmauit; qui cenſu & opibus iudaicis creuit, Romanoſque vna cum patre, in bellis Ægyptiacis primo contra Ptolemæum vltimum regem, deinde aduerſus Cleopatram & Antonium plurimum iuuit. Et hoc eſt, quod pretij & præmij loco terram iis Antichriſtus gentilis diuiſerit, quos agnouit, eoſque gloria auxerit, quemadmodum in *πϱόλογ.* & remunerationis loco primum Iulius Antipatri, deinde Auguſtus eius filio Herodi, hominibus Idumæis obſcuriſſimorum natalium, regnum Iudææ procurarunt. Nec præmij tantum loco ſuis miniſtris dignitates & præfecturas diſtribuit Antichriſtus, vt dictum eſt: ſed propter pecuniam numeratam nonnullis Pontificibus Iudæis, nempe Hyrcano, Ariſtobulo, Ananelo & alijs ſummos Pontificios honores, tam Herodes quam Antonius Romanus, pro libito conceſſerunt. Iidem Romani poſt exortum Euangelium & prædicatum Chriſtum, ſimiliter eos maxime ad honores & dignitates extulerunt, qui Chriſtianis infenſiores, plurimum damni iiſdem intulerunt. Omni etiam tempore perquam plurimos Chriſtianos blanditiis & aliis perſuaſionibus ad defectionem à fide, & vt ad deſerta à ſe ſacra gentilia redirent, perpulerunt. In hoc enim ſe compararant Romani, vt eſſent tam ad excruciandum violentiſſimi, quam ad alliciendum blanditiis præditi: quemadmodum *Acta Zenobii apud Metaphraſten* de Lyſia, proconſule Ciliciæ, ſub Diocletiano docent.

3. Eadem in Papiſmo noſtro obſeruata ſunt. Omnes enim, quos Pontifex Romanus ſibi fideles fuiſſe in cultu Dei ſui Maozim propagando, exornando & defendendo expertus eſt, eos ad ſummas dignitates extulit: Cardinales, Epiſcopos, Abbates, Canonicos, &c. creauit, iiſq; certas & amplas atq; opimas ſedes & Eccleſias per totum orbem, in omnib. Chriſtianis regnis aſſignauit. Multis idem per Simoniacum cõtractum, accepto precio certo, Eccleſiaſtica beneficia pręρinguia addixit, veluti de hac nundinatione Platina *in S. Antero* narrat: *Hodie* (inquit) *pleriq;* (Epiſcoporum & Eccleſiaſticorum à Pontifice beneficia auro & argento atq; gratia obtinentium) *ad vtilitatem propriam reſpiciunt vt habeant, vnde expilent. Non quærunt, qua ratione oues ſint paſcendæ, ſed quantum ſingulis annis ex Eccleſiaſtico illo prouentu excerpi poſſit: De cura animarum parua mentio, &c.* Et quia hæc omnia ex Papæ liberalitate promanarunt, & adhuc proficiſcuntur, ille ad eum modum cunctos ſibi addictos tenuit, vaſalloſque ſuos ligios fecit, prout ſingulis ad voluntatem ex alieno largitus fuit. Huius ſententiæ fuit etiam Lutherus, cuius verba locum hunc explicantia, aſſcribemus: Auff Teutſch würde Daniel faſt alſo ſagen: Der Bapſt thut alſo alle die jhm helffen/ ſein Kirchenweſen/ Eygenheyligkeit/ Gottesdienſt/vnnd Meſſe ſtärcken vnnd mehren/die wirdt er zu groſſen reichen Cardinälen/ Biſchoffen/ Abten/ Propſten/ Cortiſanen/ Thumherren/ Pfaffen vnd Mönche machen/ vnnd ſie hoch heben/ ſegnen/ befreyen/ vber vnnd wider den Leyenſtandt/vnd alſo der Kirchengüter vnter ſie zu Lohn außtheilen. Darzu jhnen allein das Himmelreich verhaiſſen/von denen es die andere Chriſten müſſen nur Gold/ Silber vnd Kleinodien / ſeinem Meß vnd Kirchen Gott zu ehren vnd zu mehren abkauffen.

V.

De verſ. 40. 41. 42. 43. in d. c. 11. Danielis.

ET in tempore, vel ſub tempus finis confliget contra eum, vel cum eo rex Auſtri: Et in illum tanquam turbo irruet rex Aquilonis cum curru & equitibus & nauibus multis vel claſſe: Et ingreſſus regiones inundabit & tranſibit ſummo impetu, & cum celeritate terras percurrens, d. v. 40. *Et veniet in terrã deſiderij & decoris* (id eſt, in Iudæam, quam vtpote Eccleſiam ſuam & hæreditatem benedictam, tum Deus peculiari fauore dignatus eſt) *& multæ prouinciæ cadent. Hæ autem euadent è manu ipſius, & expertes erunt omnis cladis, nempe regio Edomæa, Moabitica & Ammonitarum*, v. 41. *Et dominabitur theſauris auri & argenti, & omnibus deſiderabilibus & precioſis rebus Ægypti, quæ non euadet, Libyæ & Æthiopiæ*, v. 42. 43. d. c. 11. Danielis.

1. Quod primo ad Antiochum, in quo Antichriſtus omnis præfiguratus eſt, attinet: Iſte in fine præfixi temporis, poſt inſtitutam Hieroſolymis idololatriam, agens partes Phiſconis ſiue Ventricoſi Ægyptij regis, fratrem eius Ptolemæum Philometora, è regno expulit, & Ægyptum cum exercitu peruaſit, teſte Floro *in epit.* & Liu. *lib.* 46. Et regreſſus in Iudæam, duriter eam afflixit: Adeo vt multi Iudæorum corruerint: Quemadmodum hiſtoria Maccabæorum teſtatur. Ab ea tamen clade immunes erant Edomitæ, Moabitæ, & filii Ammon, tanquam in montibus reconditi. Prædæ vero expoſiti fuerunt populi Aphricæ, conterinini Ægypto, Libyes & Æthiopes, qui Ptolemæi Philometoris auxiliares erant.

2. Quod ſi ad res Romanorum (qui inſtar diluuij orbem terrarum pertranſibant, & manus ſuas in multas regiones extendebant) hęc accommodare velimus: Intelligi etiã poſſunt, ſub nomine Antiochi, plurimæ eorum victoriæ, quas in Oriente & Aphrica obtinuerunt. Et quia deuictorum illorum populorum regiones, Iudææ vicinæ erant, etiam illarum cladium maior pars in intermediam miſeram illam gentem redundabat. Et ideo terræ illius deſiderabilis mentionem fecit Angelus: cuius peculiarem reſpectum in exponenda Danieli totius mundi hiſtoria, habebat: vt fideles in electo populo perſtarent, in ſpe promiſſæ liberationis. Nam Syria à Lucullo in prouinciam redacta, & regibus Ægypti ſub iugum miſſis: Pompeius totam Iudæam perdomuit; Cui Craſſus ſuccedens, Templum Hieroſolymitanum ſpoliauit, donec tandem Romani Iudæis regem Herodem præfecerunt, cuius poſteritas vſque ad vltimum excidium vrbis & Templi ſub Veſpatiano perdurauit.

3. Simili modo Pontifex Romanus in inſtaurato Romæ, ſub ſpecie agni, regno Romanorũ, manum ſuam in multas terras extendit per legatos ſuos à latere, Cardinales, Inquiſitores, & ordines monachorum, à ſe confictos & confirmatos. Et Ægyptus, hoc eſt, reges & Principes, & omnis flos populi: præterea Libya, nempe medij ordines, & Æthiopia, hoc eſt, infima plebs, non euaſerunt, ſed ipſe illorum deſideratiſſimis dominatus eſt. Eripuerunt ſe tamen ex manu Pontificis. 1. Edomitæ (ſcilicet teſtes veritatis, omni tempore à Deo diuinitus ſub Papiſmo excitati, quique ſanguine ſuo eam veritatem obſignarunt.) 2. Moabitę, qui fuerunt ſub illa tyrannide Papali ex numero 7. milliũ, quos Deus Eliæ prophetæ (cui de iis nihil conſtabat) tempore ſibi reſeruarat. 3. Et principium filiorum Ammon, videlicet primitiæ filiorum in populo, qui baptiſmo initiati paulo poſt antequam Idololatria cõmuni contaminari potuerint, à Deo ex hac vita euocati, & ita characteri beſtię erepti ſunt. De qua re ita quoq; ſcripſit Lutherus in der Außlegung deß 12. Cap. Dan. Der Bapſt/ ſo einem König verglichen wirdt/ führet mit Wüten groſſe Rüſtung/ wie Antiochus. Dem haben die Könige vnd Herren der Chriſtenheit mit jhrer Macht leiblich geholffen/ vnnd die heyligen Chriſti die Ketzer in allen Landen gedempfft. Darzu er auch weydlich gebrauchet hat ſeine geiſtliche Rüſtunge/ das iſt/ den Bann/ Drecketen/ Bullen vnd andere Cenſuren. Vnd haben jme in gleichem deßfalls gedienet ſeiner Geiſtlichen Schrifften/ Bücher vnd Predigten/ damit ſie in die Länder gefallen/ durchfahren/ vñ alles wie ein Flut vberſchwemmet haben. Der Bapſt iſt auch in das werthe Land gefallen/ vnd nit allein den gemeinen Hauffen vnter ſich gebracht/ ſonder auch viel der rechten Chriſten/ ſo zuvor mit vnd bey den Ketzern gehalten/ vnd ſtoſſen helffen/ oder darein bewilliget haben/ auch durch ſeine Wüterey abgeſchreckt vnnd gefället. Vnd ſonderlich hat er Egypten/ nemlich die Könige/ Fürſten vnd Herren/ die der Welt Güter vnnd Gewalt haben/ vnter ſich gebracht. Item Libyen/ das ſeynd die Mittelmäſſige/ als Bürger vnd Gelehrte/ vnnd wer etwas iſt/ oder ſeyn kan. Vnd dann die Moren/ das iſt/ den Pöbel/ Bawr/ Knecht/ vnd was ſchwartz vnd finſter/ das iſt/ vnberühmbt/ gering/ vnd von keinem Anſehen. Dieſe hat er nit allein durch ſeinen Mauſim gefreſſen vñ verführet/ ſondern jhnen auch jre Beutel vnd Kaſten durchſucht/ vnd vber ire Schätze/ Golt/ Silber vnd Kleinodien/ vnd alle Güter geherſchet/ dann er ſchickt ſeine Cardinäl vnd Botten zu den Königen vnd Herren/ ja ſetzt vnd ſteckt ſie in die Länder/ die Könige zu fangen vnd zu närren/ dz ſie mit Leib vnd Seel jme dienen/ für jn kriegen/ jm Land/ Stätte/ vnd groſſe Gaben ſchencken müſſen/ wie Conſtantinus, Ludouicus Pius, vnd andere gethan haben. So ſucht er auch nicht allein Egypten/ ſondern Libyam vnd Æthiopiam heym/ mit Bullen/ Ablaß/ Beichtbrieffen/ da er jhnen Gnad/ Freyheit/ Ehefrawen/ Eyer/ Butter/ Milch/ Fleiſch/ Haußmeſſen/ Sünde/ Fegfewr/ Helle vnd Himmel/ den Türcken/ Gott vnd Teuffel/ ſich ſelbſt auch darzu (wer kan den Jahrmarck alle erzehlen) verkaufft/ ſtihlet/ vnd mit Gewalt als einher raubet. Nimbt alſo das Gelt vnd Schätze/ vnd wiſchet das Maul/ als hette er wol gethan. Dahero iſt kommen der gemeine Spruch vnter den Chriſten: Daß der Endechriſt ſolle die Schätze der Erden erheben. Ich meyne ja/ er habe ſie funden vnnd gehaben/ biß die Welt nicht die Helffte jhrer Güter hat. Dreyerley Volck aber wirdt der Bapſt nicht fällen noch verführen/ als erſtlich Edomiter/ die Rohtfärbige/ nemblich die H. Märterer/ (als geweſen ſeyen Arnoldus von Brixen/ Johañ Huß/ auch die Keyſer ſelbſten/ Henricus der Vierdte/

Ludwig

Ludwig der Beyer/ꝛc.) die ſich haben beſtändiglich vom Bapſt / Biſchoffen / Doctorn / den Prediger, Mönchen/vnd andern Orden/in aller Welt martern/jagen vnd plagen laſſen. Non poteſt veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate coniungi, quam Papa Romanus in primæ beſtiæ gentilis locum ſuffectus, huc vſque exercuit, & adhuc exercet. Itaque quod de prima beſtia ſcripſit Lactantius *libr. 5. inſtit. cap. 11.* id de ſecunda, hoc eſt, Papali regno, & eius capite Pontifice Romanenſi, poteſt iure dici. Illa eſt vera beſtia, cuius vnica iuſſione:

Funditur alter vbique cruor, crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Nemo huius tantæ beluæ immanitatem poteſt pro merito deſcribere, quæ vno loco (adhuc hodie Romæ) recubans: tamen per totum orbem ferreis dentibus ſæuit: Et non tantum artus hominum diſſipat, ſed & oſſa comminuit, & in cineres furit, ne quis extet ſepulturæ locus. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt: Lucem viuis, terram mortuis denegaſſe? Sed vt vetera non repetamus, quis neſcit, Cacum iſtum Romanenſem, cum ſuo clero, à tempore per D. Lutherum repurgatæ à fermentis hominum, cœleſtis doctrinæ, non tantum contra illam lucem veritatis fumos, & atram noctem vomuiſſe, ſed & perſecutionum ignes & fulmina eructaſſe? Vbi non Antichriſtus ille noſtros homines exquiſitiſſimis tormentis excarnificauit? Nonne Oceanus Americanus martyrum cruore rubuit?

Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?

Manicæ, Pedicæ, numellæ noſtros conſtrictos vbique tenuerunt: Cruces & rotæ ſub ijs membratim articulatimq; læſis, cæſis, occiſis, gemuerunt. Quę fidiculæ in iis torquendis, in Hiſpania pręſertim & in Belgica, non diſruptæ ſunt? Lupis canibuſq; proiecti, coruis, vulturibuſque ſuſpenſi. piſcibus ſubmerſi, pro pabulo & eſca facti ſunt. Quot rogi accenſi noſtrorum hominum combuſtorum nidorem ad cœlos miſerunt? In lectulis, per Galliam inprimis, innocui iugulati: In mutuo caſto amplexu vir & vxor trucidati, grauidæ mulieres confoſſæ, & antequam poſſent pueri peccare, habiti ſunt pro reis, & martyres facti. Quot iam annis vicinæ regiones bello, quod pro retinenda auctoritate Hetruſci Papæ exortum eſt, flagrant? Necdum finem malorum videmus, vt vere illud Ariſtophanæum poſſimus auguràri, τὸ δ' ὕστερον πρότερον ἔοικε ζάλης.

Nam ne quid malorum cumulo deſit: Iam Paulus V. modernus Papa, maiores ſuos ſequens, brutum fulmen contra illuſtr. Remp. Venetorum, nulliter, pro ſuis nouis monachis ſocietatis Ieſu, edidit, eoſque Venetos licet obedientiſſimos filios proſcripſit: ſimili modo, quo olim Iulius II. ipſius prædeceſſor damnatæ memoriæ, regem Galliæ Ludouicum, Pontificiæ ſedis ſtercoranæ, & ruinoſæ in turbando Concilio Baſilienſi ſatellitem, anathemate percelluit; regnum ipſius pro recompenſatione nauatæ operæ, omnibus occupantibus exponens prædæ, &c. Ex quo dicuntur intra 7. annos ducenta hominum millia perijſſe, teſte Guilhelmo Budæo. Vnde vere tradit M. de la Noue, in 2. Diſcurſ. *Rome eſt boutique fatale, ou ſeront forgez les glaiues d'occiſion, &c.*

De valore eiuſmodi excommunicationis opuſcula duo conſcripſit Iohann. Gerſon, Theologus & Cancellarius Pariſienſis; quæ legenda omnibus piis commendamus. Idem, Decretum illud in concilio Conſtantienſi, cui ipſe interfuerat, promulgatum, nempe: QVOD PAPA, *qui eſt homo, & ſæpe patitur lethargiam,* (dicente Baldo ad *c. cum adeo, ext. de reſcript.*) CONCILIO SVBSIT: valde celebrauit, dignum cenſens, quod templis omnibus, atque locis publicis ad ſempiternam memoriam inſcriberetur. Itaque omnino credimus, ſtrenuiſſimum, & libertatis ſuæ priſtinæ memorem Venetum populum, ſecuturum eſſe Baldi ſalubre conſilium, ſcribentis: CONTRA PAPAM SVA POTESTATE (quam etiam iure diuino in reges, principes & liberos populos, non habet, vt in Euangelio extat *Matt. 20. 25. Marc. 10. Luc. 22. 25. Rom. 13.*) ABVTENTEM. I. VTENDVM ESSE VERBIS, II. HERBIS. III. LAPIDIBVS. Nam Martia illa pectora imitabuntur proculdubio Francorum generoſitatem, de qua ſic Bodinus lib. 1. de rep. c. 9. *Vtcunq;*, inquit, *Romani Pontifices ſummam non modo diuinarum ſed etiam* HVMANARVM (vt in terminis iiſdem verſatur modo controuerſia Veneta) RERVM *poteſtatem, in omnes Principes Chriſtianos ſibi tribuunt: Seu vi & armis, ſeu Principum voluntate & conceſſu, ſeu diuturna poſſeſſione ac præſcriptione: Reges tamen noſtri,* SERVITVTEM PAPARVM FERRE, NE MOMENTO *quidem* POTVERVNT: NEC INTERDICTIONIBVS VLLIS, *quibus veluti facibus, Pontifices ad incendia Rerumpubl. vtebantur,* COMMOVERI. *Et tanta regum noſtrorum fuit ſemper erga populum caritas (quam ſempiternam confido:) Tantus etiam amor populi erga Principes:* VT AB EIVS OBSEQVIO ET OBEDIENTIA SACRORVM INTERDICTIO GALLOS ABSTRAHERE NEQVIVERIT. Hæc ille. In quo laudabili facto proculdubio Franci habebunt imitatores Venetos, qui Papæ moderni ſeruitutem nullo modo ferent, ſed ſe ab eius vi, quam iniuſte tentat, armis iuſtis vindicabunt. Sed iam Lutheri verba perſequamur.

2. Moabiten/nemlich die Paternos, Vatterſche Chriſten/Haußvätter. Das ſeynd die jenige/ſo hin vnd wider in der Welt geblieben/vnd von jhrem Vatter Chriſto nicht gefallen ſind / ob ſie wol nit offentliche Prediger geweſt/ſondern die als Confeſſores vnd heimliche Diener Gottes ſich auff Chriſti Sterben verlaſſen/vnd damit an jhrem letzten End loß getruckt / wie S. Bernhard auch gethan. De quibus lege *Catalogum teſtium veritatis*, & abunde tibi in hoc capite ſatisfiet.

3. Die Erſtlinge der Kinder Edom / oder in dem Volck/die Moabs Brüder ſeyn / nemblichen der gedachten Haußvätter jhre Kinder / vnd der junge vnſchuldige Hauff / der auß der Tauff wider geboren/

Qq iij dahin

dahin fähret / ehe er deß Bapſts Manſum erkennet oder achtet. Dieſe hat der Endechriſt müſſen vngefälſchet vnd vnverſühret laſſen. Etſi enim Pontifex in multis S. Baptiſmum conſpurcauit: tamen ſubſtantiale manſit, quo potiti infantes ſalui euaſerunt. Nam abuſus non tollit rei ſubſtantiam.

V I.

De verſ. 44. & 45. in d. c. 11. Danielis.

Rumores vero terrebunt & conturbabunt eum ab Oriente & ab Aquilone. Quamobrem egredietur cum excandeſcentia & ira magna, vt perdat, & internecioni à ſe deuotos multos deleat. Et furore percitus plantabit ſiue figet tabernacula aut tentoria palatii ſui inter maria, ad montem decoris ſancti, ſiue deſiderii ſanctitatis. Et veniet ad finem ſuum, & non erit ei auxiliator, d. v. 44. & 45.

1. Antiochus territus eſt, poſtquam in Ægypto inaudiuit, regnum Syriæ à rege Parthorum in Oriente inuadi & vaſtari, ſimulque Romanos ex partibus ſeptentrionalibus, eidem Syriæ imminere cum claſſe, quam ſemper in Cilicia & Cypro paratam habuerunt. Itaque inde ex meridionali plaga Ægypti abijt, & primo Antiochum filium, negotiis regni ab Euphrate ad fluuium vſque Ægypti, ad debellandos Iudæos præfecit. Deinde ipſe ad coercendos Perſas profectus eſt, & tentoria inter duo maria, Mediterraneum ſcilicet & mortuum, fixit, in qua expeditione paulo poſt in finibus ditionis ſuæ, in Elimaida fugato, & ab omnibus deſtituto, nullus ipſi auxilio fuit.

2. Idem de Romanis dici poteſt, quibus in Oriente & ad Aquilonem res fuerunt aduerſæ, quemadmodum ex profanis etiam hiſtorijs notum eſt: Craſſo ad Carras, & Antonio in eodem fere loco miſere afflictis & victis, circiter tempora natiuitatis Chriſti. Sicuti etiam ex ore hoſtis Romani, excepta eſt hæc veritas, dum Cornel. Tacitus inuictos Germanos laudat, hæc addens: *ſæpe triumphatam fuiſſe Germaniam, ſed nunquam* VICTAM. Ac quamuis fuerint illæ clades grauiſſimæ: Non ideo tamen Romani defecerunt animis, præſertim Auguſto dominante, cuius exercitus cum ira magna exiuerunt, & Parthos coegerunt Aquilas Romanis ablatas referre. Et eo modo, domito Oriente, Romani fixerunt tentoria palatii inter maria, h. e. Perſicum & Pontum Euxinum: Cum à Ponto vſq; in Perſidem dominati ſint. Item venerunt vſq; ad montē ſanctitatis, hoc eſt, Iudæam, cuius tanquam niduli fidelium, & Deo cariſſimorū filiorum inprimis ratio habetur apud Danielem. Et in qua nouū regnum erexerunt, impoſito Hebræis iugo alienigenum, h. e. Edomitarum, veluti nato Chriſto cōtigit. Tandem etiam illi raptores orbis, quibus apertæ fuerant omnes terræ, pœnas dederunt, & ad finem ſuum venerunt, toto oriente deiecti, & ab omnibus populis, ſcil. Francis, Germanis, Vandalis, Longobardis, Alemannis, Alanis, &c. ex Septentrione & ab Occidente miſere afflicti: Adeo vt ablatum illis fuerit imperium, Roma à Gothis exciſa, quæ poſtea à Pontificib. Romanis inſtaurata fuit, quemadmodū ea adhuc hodie ex ruinis veteris nouata conſpicitur: *Roma, non Roma, & tamē Roma.*

3. Nam non abſurde affirmamus, Angelum quoq; de inſtauratione collapſæ Romæ (nempe de Pontificio regno Romano) ſenſiſſe, quod illud priſco gentili ſucceſſerit, & eaſdem actiones ediderit, quas prius paganicum ante Conſtantinum Magnum exercuerat. Etenim ſedem ſuam in Romana Eccleſia (quæ tempore S. Pauli præſtantiſſima erat, & multa millia martyrum poſtea eduxit) Pontificalis ſucceſſio erexit, & ſic firmauit thronum ſuum & palatium Romæ inter duo maria, vtpote Adriaticum & Tyrrhenum, quod ſupra & quod alluit infra (quemadmodum Virgilius loquitur) & ad hunc vſq; diem, ſtabile ſtabulum ibidem habuit: Non abſq; maximo omnium circumiacentium populorum detrimento, aduerſus quos cum ira magna exiuit, eoſque internecioni dedit: Veluti tot bella inter Chriſtianos excitata teſtantur. Et eius rei teſtis eſt hiſtoria omnium temporum ab Imperio Phocæ. vt nihil dicamus de cædibus tot millium martyrum, quorum ſanguine ebria eſt beſtia iſta Romanenſis.

Quæ quidem laſſata tot cædibus, ſed non ſatiata, hoc etiam tempore ſanguinem populi Veneti, quem iniuſte & nefarie cum tot prouinciis, & ipſa vrbe (quæ vltra 800. annos incolumis ſtetit, nec externo hoſti paruit) rapinis & internecioni exponere cupit.

Ac etſi illa tyrannica hierarchia tantum virium ſibi acquiſiuit, vt tanquam petra quædam, omnibus præualitura videatur: Nihilominus tamen finem ſuum habitura eſt, abolebitur politice, neque ei auxiliator erit.

Hæc ſententia vti ex antedictis, & ex monumentis hiſtoricis ſuſtineri, & demōſtrari poteſt: Ita etiam autoritate Apocalypſeos confirmatur. In qua habetur, quod Pſeudopropheta, nempe Turca, Mahometis cultor abiiciendus ſit in ſtagnum ſulphuris, in quo eſt beſtia. Ex quo liquet, ruinam Beſtiæ, anteceſſuram Mahometani regni interitum. In hunc ſenſum etiam, & de periodo fatali beſtiæ Romanenſis D. Lutherus ſic ſcribit, *dict. capit.* 12. *Daniel. in verſion. Germanica Bibliorum.* Es kompt ein Geſchrey von Morgen / ſo den Bapſt ſoll fällen / das iſt geweſen in der Griechiſchen Kirchen / ſo allzeit wider die Gewalt vnd den Primat deß Bapſts geruffen / vnd noch. So kompt auch ein Geſchrey von Mitternacht / nemblich auß deß Bapſts eygen Reich / (wie dann die Jeſuiter / die von deß Bapſtthumbs Greweln von Johann Hußen vnd vorigen Zeiten her / vnd biß zu vnſern letzten geſäuberte vnd reformierte Lehr / das Septentrionaliſche Euangelium an jetzo nennen) welche Stimm der Römiſche Hoff gedencket mit gewalt zu dempffen Zeucht auß mit groſſem Grimm / durch ſeine Rüſtung / durch ſeine Geiſtliche / Cardinäl / Biſchoffe / durch Legaten / durch Bullen / Schrifften / vnd viel böſer Bücher / will viel verderben vnd vmbbringen / hetzet Keyſer / Könige / alle Teuffel vnnd alle böſe Menſchen (quemadmodum Ieſuitica ſecta iam excitat, & emittit etiam ſicarios, aſſaſinos, Meuchelmörder: vt de veneficis & aliis, qui

ab ea

ab ea in ſceleribus inſtruuntur, nihil dicamus) vnnd was er kan erregen/es fehlet am Willen nicht/man thets gern. Aber es iſt ſein Ende kommen/Niemandt kan jhme helffen/ſoll ohne Handt vnd Schwerdtſchlag zerbrochen werden/Daniel. 8. 29. wie ſein Fürbildt/ der Antiochus/die ſchreckliche groſſe Macht/(die auff loſem Grunde ſtehet/vnnd nichts weniger alle Könige mit Füſſen getretten/vnnd Gott ſelbſten vberpocht hat) ſol von einem Odem vmbgeblaſen werden/wie Sanct Paulus ſagt/2. Theſſal. 2. 8. Der HErr JEſus wirdt den Antichriſt tödten/mit dem Odem ſeines Mundes. Atq; vt hoc fiat mature: In cauſa ſunt ipſius Papæ auxiliarii Ieſuitæ eorumq; conſortes recentes: Nominatim, Iohan. Mariana Toletanus *de rege & regis inſtit.* Heinricus Richome, *en la plaicte Apolegetique pour la compagnie de Ieſu*: Bellarminus, & Baronius *in magnis ſuis & operoſis commentis*: Franciſcus Burchardus *in Autonomia Monaci excuſa.* Iohannes Paulus Windeck *in Prognoſtico Eccleſiaſtico*: Creſuicius *in Philopat.* Bozius Eugubinus *contra Machiavel.* Roſſæus ſiue Rainaldus *de inſt. reip. Chriſt.* aut Simancha *in inſtit.* Greg. de Valent. *in Tom. diſput.* Pater Benedictus, qui in Venetia fuit, & mille alii eiuſdem farinæ ardeliones. Hi ſuis perniciosis doctrinis, ſcriptis, molitionibus, proditionibus, & omnis generis artibus prauis, occaſum & ruinam eiuſdē beſtiæ ſecundæ, maturant & accelerant. Nam hi, aſſaſſinorum magiſtri, & Templarii rediuiui multas erroneas aſſertiones in fide & in moribus ac multipliciter ſcandaloſas, (quæ dant vias ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria, æquiuocationes Ieſuiticas, &c.) contra expreſſum Dei verbum (in quo exemplum Dauidis expreſſum eſt ab vncto Dei, Saulo, rege ſuo, manus abſtinentis) aduerſus decretum *Concilii Conſtant. Seſſione* 15. & aduerſus omnem honeſtatem, æquitatem, ius gentium & naturale, in opprobrium & interitum Pontificis, dogmatizant: Quod quilibet Tyrannus nempe, legitimus Imperator, Rex, Princeps, aut magiſtratus alius, in libera Rep. Veneta, Genuenſi, &c. aut alias in ſuo territorio merum & mixtum Imperium habens, qui cum Ieſuitarum hæreſi non participant, vel communicant, poteſt & debet, licite & meritorie occidi: per quemcunque vaſallum ſuum, & ſubditum, etiam per inſidias, blanditias vel adulationes, non obſtante quocunq; iuramento, ſeu confœderatione factis cum eo: non expectata ſententia vel mandato iudicis cuiuſcunq;.

Mariana *d. lib. de reg. li.* 1. *c.* 6. *&* 7. ait: *Facultas eſto cuiq; priuato, qui in conatum iuuandi Remp. ingredi voluerit.* Item: *quid intereſt, ferro aut veneno perimas: cum conceſſa ſit dolo & fraude agendi facultas?* Item: *Praclare cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines* (Aſſaſſini) *tam forti pectore inuenirentur, pro libertate patriæ, contemtores vitæ & ſalutis, &c. ſi poſt deſignatum facinus euaſerint, inſtar heroum, in omni vita ſuſpiciuntur. Si ſecus accidat, grata ſuperis, grata hominibus hoſtia cadunt: nobili conatu ad omnem poſteritatis memoriam illuſtrati.*

Creſuuick dicit *in d. Philop.* diligentiſſime ita informandos Catholicos, vt oblata cædis occaſione, nullo dubio aut impedimento, ſe dimoueri patiantur.

Sciant, ſciant haretici, vt illis oculi doleant (ait Windeck in Præfatione Prognoſt.) *non deeſſe nobis modos, ſectas extirpandi, &c.*

Iohan. Boterus *in theſaur. Polit. Anno* 1602. *Italice edito*: optat, regem Daniæ tanquam hæreticum extirpari, vt ex occupatione iſtius regni, vtilitas maxima redundet ad religionem Catholicam, propter auxilia, quæ hinc accipere poſſent res Catholicorum in Belgio.

In *Apologia Ieſuitica* Franciſci de Verona Conſtantini hi verſus contra regem Franciæ Henricum IV. habentur:

> *Heureux, qui pour ſauuer la France catholiq;:*
> *Renuerſera d'vn coup, tout ce regne heredique.*

Ex hac patenter hæreticali, & ſacrilega doctrina, eiuſque fructibus (qui contra reges Galliæ, Britanniæ, Principem Vranium & alios, potenter & realiter per Sicarios efflorueruut) non mirum eſt: Reges & in primis Principes Septentrionis & populos, auerſari eiuſmodi fallax, fraudulentum & ſceleratum genus hominum, in quo (vtpote poſtremo diaboli fœtu debellato) ipſe Antichriſtus ruiturus eſt.

> *Seductor Sueco: Gallo Sicarius: Anglo*
> *Proditor: Imperio explorator: Danus Ibero:*
> *Belgarum prado: fur mendaciſſimus Indis;*
> *Italo adulator: dixi teres ore, ſuitam.*

vt eſt *in part.* 3. *Specul. Ieſuit. apud Philip. Heilbrun* annotatum.

> *Ex Anglis pulſi: noſtris pellantur aboris.*

Vnde etiam illuſtriſ. Elector Saxoniæ Chriſtianus II. eoſdem, vt impuriſſimæ ſuperſtitionis patronos, merito peſtiferos, & turbatores tranquillitatis publicæ, die vnrühige Secte der Jeſuiten/ appellat, *in edicto pro recipiendis exulibus Stiriis, Carinthiis, &c.* ex A. D. 4. Febr. Anno 1603. edito. Nam quibuſcunq; locis viuunt, cædem & ſanguinem ſpirant: Principum & magnatum ſicarii. Et forte olim ſimilis huic recens enato ordini familia aut natio quædam extitit: Ex qua, duo aſſaſſinatū voluerunt facere in perſona Gotofredi, tertii Epiſcopi Witceburgenſis, vt ex priuilegio eiuſdem conſtat, ſcripto Anno 1308. die 3. Febr. quo donauit incolas vici Brunckbornheimenſis; propterea quod contra graſſatores Iebuiſos vel Ieſubitas dominum prædictum Epiſcopū defendiſſent. Eius priuilegii verba ex originali deſumpta, quantum ad rem præſentem pertinet, ſic ſonant: Jch Gottfriedt der dritte diß Namens/geborner Graff von Hohenloe/ vnd regierender Biſchoff zu Würtzburg/bekenne mit

dieſem Marckbrieff offentlich/ daß ich Anno 1308. im 4. Jahr meiner Regierung / den 13. Tag Januarii im obern Theil meines Hertzogthumbs Francken/ deß groſſen Walds im Marck Burckbornheim gehörig/ Haß vnd anders Wild gejagt / mit wenig Geſindt / doch daß ſie die weiſen Voigt/Bürgermeiſter/ mit derſelben Bürgerſchafft/in geſagtem Marck / mein getrewe vnd liebe Vnterthanen mir deſſen ſonderlich geweſen/ vnnd in dem gejagt gehorſamblich / mehr denn ich gehofft/geholffen haben. In welchem Wald ich auff eim Roß vnnd allein/in einem dieffen Thal/nach eim Thier geritten / daſſelbe zu legen begert / gar nahe bey demſelben newen guten lobreichen Wildsbad / da haben ſich zween Jeſuiten/mit Namen Vlrich Linck / vnd Gabriel Hamburger von Würtzburg auß / in dieſem Waldt nach mir begeben. Vnd da ſie mich vermerckt / ſeynd ſie auß einem Buſch herfür gewiſcht/ vnd mit bloſſen Schwertern nach mir gehawen/vnd mich vmbzubringen gar begert. Auff ſolches ich thet entweichen/aber ſie eilten mir nach/vnnd wardt gehawen vom Hamburger/in mein lincken Schenckel/vnd ich gab ein Zeichen vmb hülff zukommen/in dem kam mein Voigt Vitus Schirmer/von Burckbornheim/vnd zween Bürger mit jhm. Als die Mörder das vernommen / entwichen ſie beyde/aber ſie wurden dennoch durch Zuſammenruffung der Leuthe/im Walt gefangen/vnd in den Flecken geführet/daſelbſt ſeynd ſie den 16. Januarii mitten auff dem Marckt / vor meinen Augen mit dem Schwerdt vom Leben zum Todt gerichtet worden/ꝛc. In huius rei memoriam perpetuam & ad recompenſationem accepti beneficii prælibatus Epiſcopus vico illi priuilegium nundinarum conceſſit, &c. Quod etiam ſucceſſores Epiſcopi Herbipolenſes, Albertus Comes de Hohenloe, Item Gebhartus Comes Schuuartzenburgenſis menſe Auguſto Anno 1396. & Iohannes Alſaticus 8. Maii Anno 1434. & ſic deinceps alii inſecuti præſules confirmarunt, vt ex regeſtis publicis manifeſtum eſt:

Sic non Eoo tantum aſſaſſinus in axe,
Notus: at & Franco tum fuit orbe frequens.

Quare, iuxta I. A. Thuanum præſidem Pariſienſ.

Non temere errones in regna admittite veſtra:
Hoſtis, ſi quis erit, præbeat hoſpitium.

Quorum commerciis interioribus, quo magis quis abſtinet: eo ſe tutiorem fore perſuadeat. Sed hæc quidem ſolent eſſe Dei opera mirifica, qui eo maiora oſtendit pericula: vt maiorem exinde declaret ſuam & potentiam & gloriam. Quam quo ſæpius experti ſumus: eo magis illi nos eſſe dilectos, firmiorique eius præſidio munitos eſſe, confidimus, vt nuperrime teſtatus eſt ſapientiſſimus rex.

De Ieſuitarum ſanguinariis & doloſis conſiliis grauiter ſcripſit D. Lucas Oſiander, Anno 1585. in libello Tubingæ excuſo, inſcripto: Warnung vor der Jeſuiter Blutdürſtigen Anſchlägen / vnnd böſen Practicken/ꝛc. quæ commonitio digna eſt, quæ ab omnibus diligenter legatur, & probe conſideretur.

CAPVT VI.

De imperio Cæſarum, quod in figura cornu parui (hoc eſt, duplicis Antichriſti in vrbe Roma futuri,) apud Danielem prædictum eſt: Et de periodo vtriuſq; Antichriſti.

Diximus ſupra, Monarchiam Romanam apud Danielem *c.* 2. & 7. verbis quarti regni, & quartæ beſtiæ, 10. cornua habentis, notari. Nam de rep. libera ante Cæſares loquitur primum, dictis locis Propheta, quæ modo in forma Monarchiæ, modo Democratiæ, modo Ariſtocratiæ confuſe & diſtincte gubernata eſt. Pauci enim latrunculi, initio, duce Romulo, occuparunt locum deſertum, ibique vrbem condiderunt. Deinde audacia & quodam beluino impetu graſſati ſunt; donec omnes ſuos vicinos ſibi ſubiicerent. Tandem mari traiecto, nunc prouinciam vnam, nunc alteram inuaſerunt: vt in regnis Macedoniæ, Antiochi Magni vltra Taurum montem relegati, Ptolemæorum, & aliis partim in totum occupatis, partim ſpoliatis, partim deminutis, & debilitatis, factum eſſe legimus. Itaq; non immerito ab effectis deſcripta eſt belua illa, omnia comedens & conterens. Item, vorans totam terram (Palæſtinam, ſub Veſpaſiano ſcilicet & Tito, quando tota gens Iudaica funditus fere cum Templo & ſacris eſt deleta) conterens & comminuens. Primum ergo oſtenſa eſt Danieli Prophetæ hæc ſumma: nempe, exoriturum eſſe regnum, quod ab aliis omnibus differet.

Deinde vbi progreſſu temporis, illud regnum etiam ſanctis, in Iudæa magis magiſque innoteſcere cœpit, poſt tempus Antiochi Epiphanis: magis quoque in ſpecie regnum illud quartum deinceps explicatum eſt, poſtquam ſtatus popularis & optimatum in monarchiam & tandem in tyrannidem degenerare cœpit. Nam Maccabæi Romam ſuos legatos, fœderum cauſa, miſerunt, cum quibus quoque populus Romanus amicitiam contraxit, & pro Iudæis, tanquam confœderatis & clientibus ſuis apud reges interceſſit: iiſdemque opem & auxilium aduerſus hoſtes pollicitus eſt. Et Pompeius poſt, capta vrbe Hieroſolymorum, cum pontificatu Hircano eam reddidit & vrbem nihilominus & templum cæde repleuit. C. Iul. Cæſar. & Auguſtus regnum Iudææ, primo Herodis Magni patri: deinde eidem Herodi, interfectori tot innocentium infantum, & poſteritati eius, commendarunt. Sub illo externo Idumæorum dominatu, Chriſtus natus, & Euangelium prædicatum eſt. Hinc perſpicere licet, Prophetam omnia illa, quæ à tempore Antiochi, vſque ad Chriſtum & Euangelii promulgationem, acta ſunt in terra decora, non ita ſicco pede tranſiiſſe: velut aliqui putant: quaſi *caput* 7. Danielis, nil pertineat ad Romanam Monarchiam, ſed tantum de regno Seleucidarum tractet.

Daniel

Daniel igitur dicto *cap. 7.* cum non ſatis ipſi fuiſſet factum reſponſo breui, optauit ad veritatem ſcire de beſtia quarta, comedente & reſiduum pedibus conculcante. *Intelligebam* (inquit) *& attentus eram ad cornua. Et ecce cornu illud paruum, exortum fuit inter alia. Et tria ex cornibus prioribus ablata ſunt a facie eius: nempe poſt regnum 10. cornibus præditum, ſurrexit aliud a ſuperiore illo diuerſum, & 3. cornua vel tres reges afflixit. Et ecce, oculi quaſi oculi hominis in cornu illo paruo, & os loquens grandia. Vide: & cornu illud faciebat prælium, cum ſanctis, & præualuit illis. Verba aduerſus excelſum protulit, ſanctos excelſorum contriuit & abſumſit. Cogitauit apud ſe mutare tempora & legem & iura, traditiq; ſunt in manum eius, filii Dei viuentis, vſq; ad tempus & tempora & diuiſionem vel dimidium temporis.* dicto ca. 7. v. 8. 20. 21. 24. 25. Totus hic locus de Cæſaribus Romanis (à quibus tanquam Monarchis reſpublica occupata fuit) tam indigenis quam externis, generaliter à Propheta intelligitur: quanquam Apoſtolus *in Apocalypſi* poſtea magis in ſpecie dominatum crudelem & ſæuitiam aduerſus populum Dei, poſt Chriſti aduentum, & poſt Domitiani Cæſaris imperium, in Cæſaribus externis deſignat: vt in imperio Traiani & ſucceſſorum eius, vſq; ad Conſtantinum Magnum factum eſt.

Et primo, dum dicit Daniel, *cornu illud paruum, exortum eſſe inter alia, nempe 10. cornua*: ſignificat ſuperſtitem adhuc illo tempore fuiſſe beſtiam quartam, quando paruum cornu enatum eſt. Nam ſub exortum C. Iulii Cæſaris, & Auguſti adhuc apparuit aliqua effigies & forma reip. prioris Romanæ: cum adhuc ſenatus reuerentiam aliquam teneret, & Imperatores vellent eſſe ex numero conſulum & ſenatorum. Et ſic quaſi nemine animaduertente, paruum cornu eminere viſum eſt, & latenter atq; paulatim omnem poteſtatem in ſe tranſtulit. Nam etſi C. Iulius Cæſar ſimulauit, ſe parere ſenatus auctoritati, dum rogando ſententias conſulum & ſenatus, ipſe ſedens medius, plurima præter votum ſuum, decerni paſſus eſt: tamen, vt potentiam ſuam magis confirmaret & conſecraret, ſacroſancta nomina & poteſtates ſimul, Tribuni plebis, perpetui Dictatoris & Pontificis Maximi ſibi ſumſit. Partem etiam imperii Romani ad ſe rapuit, dum prouincias quaſdam, Hiſpaniam & Galliam, &c. robuſtis copiis præcellentes, ſui arbitrii fecit, ne quis res nouas tentare auderet.

Et Auguſtus ſucceſſor, vafritiem auunculi ſecutus, totam Ægyptum, poſt victoriam Actiacam (quæ in annum Iulianum 16. periodi Iulianæ 4684 incidit) in prouinciæ formam redegit, & ſuo patrimonio, quod Cæſaris vocatum eſt, adiecit: præfectumq; ex equitibus Romanis (non ſenatoribus) electum, & à ſuo nomine Auguſtalem dictum, qui id regnum non populi Romani, ſed Cæſaris nomine, adminiſtraret, conſtituit: eique Alexandriam, ſedem regni illius Ægyptiaci, attribuit. Quod vſque ad Alexandri Seueri ætatem, obſeruatum fuiſſe, indicat Vlpianus I. C. *libro 15. ad edictum in l. vn. ff. de offic. præf. Auguſt.* Et hoc ipſum eſt, quod Daniel notat de tribus cornibus prioribus ablatis, à facie illius parui cornu: quæ tria cornua (licet etiam recte dicere poſſimus numerum finitum in Prophetica illa viſione pro infinito accipi) ſignificant ampliſſimam illam & ſummam in republica Romana vſitatam, nempe tribunitiam, dictatoriam & Pontificiam poteſtatem, ad Cæſares tranſlatam.

Illa potentia, *Cæſarea maieſtas* dicta eſt, quæ à Iulio primum & Auguſto, callide, licet non ſine ciuili ſanguine, cœpit: & poſtea eadem calliditate & aſtutia ſub Tiberio continuata: & à ſequentibus Imperatoribus, vſq; ad Imperatores Chriſtianos impietate, cædibus, parricidiis, inceſtis, & tyrannide, propagata & conſecrata eſt. Nam licet prouinciarum adminiſtrationem vna cum ſenatu & populo communicarunt: ſibi tamen eas potiſſimum (vt dictum eſt) retinuerunt, quæ militaribus copiis inſtructæ eſſent: vt exercitus in poteſtate haberent: veluti Auguſtus finxit, retinendo in poteſtate ſua bellicoſas prouincias, ſe eas pacaturum, & pacatas deinceps populo Romano poſt exactum decennium, redditurum eſſe.

Itaq; ſuas fecit, omnem Hiſpaniam, cum Belgica, Illyricum, Syriam, Ægyptum, Cyprum & partem minoris Aſiæ, Ciliciam, Iſauream, Pamphyliam, Lycaoniam, & Phrygiæ partem, quæ validiſſimis legionibus munitæ erant. S. P. Q. R. conceſſit Africam omnem, & Numidiam: Galliam Narbonenſem, Lydiam, Ioniam, Myſiam, Cariam & Phrygiam. Item Bithyniam, Paphlagoniam, & Ponti partem, Macedoniam, Græciam, Achaiam, Theſſaliam, Ætholiam, Acarnaniam, Epirum, Dalmatiam, Cretam, Cyrenaicam, Sardiniam, Corſicam, Siciliam & Bœticam Hiſpanicam. Quia hæ prouinciæ erant pacatiores & imbelles, præſidiis militum non indigebant.

Hinc igitur certiſſimæ Monarchiæ initia ducta ſunt, & ad eum modum mutatus fuit reip. Romanæ ſtatus, in primum illum Monarchicum, qualis ante 480. annos fuit, ſi à regifugio, quod in annum V. C. 244. incidere videtur, & à primis conſulibus L. Iunio, M.F. Bruto & L. Tarquinio, Egerii F. Aruntis N. Collatino, marito Lucretiæ, computemus.

Hoc etiam deſignat Am. Marcellinus Hiſtoricus gentilis, qui Iuliani apoſtatæ tempore vixit, ita *lib. 14.* ſcribens de ætate ſenili vrbis Romæ: *Iam vergens* (inquit) *in ſenium, & nomine ſolo aliquoties vincens Roma, ad tranquilliora vitæ deceſſit. Ideo vrbs venerabilis, poſt ſuperbas efferarum gentium ceruices oppreſſas, legeſque latas, fundamenta libertatis, & retinacula ſempiterna, velut frugi parens, & diues, Cæſaribus, tanquam liberis ſuis, regenda patrimonii iura permiſit.* Tradit ille ſcriptor, cum iam ad ſenium declinaſſet imperium Romanum, patrimonium populi & prouincias, Cæſaribus ceſſiſſe.

Per paruum enim cornu, nimirum per maieſtatem Cæſaream, ex lege regia, pars cornuum, ex potentia beſtiæ 4. Romanæ reip. detracta eſt. Cornu illud, vt Propheta ait, oculos hominis habuit, hoc eſt, fuit inſtar humanæ figuræ, & quaſi hominis priuati, qui dum pro libitu molitus & executus eſt tyrannica ſua conſilia, nihilominus populare aliquid præ ſe tulit, & priſtinum ſtatum ſimulauit.

Sic C.

Sic C. Iulius poſt patriæ & libertatis oppugnationem, adhuc ſententias conſulum rogauit, à ſenatu quid fieri vellet, ſciſcitatus: ipſe interim omnia pro arbitrio agens & conſtituens.

Ita etiam Octauius Auguſtus oculatiſſimus, prætextu Tribunitiæ poteſtatis, Dictaturæ, & Pontificatus, ad tenendum & continuandum ſuum Dominatum egregie vti ſciuit. Idem Auguſtus etiam cenſorum magiſtratum, (qui vſque ad hunc ſub Cæſareo imperio lapſum perdurauerat integer) inuaſit, & ſine cenſuræ honore, cenſum populi, ter egit, multoſque ſenatu pro arbitrio mouit.

Ab eo non degenerans priuignus Tiberius, cuncta per conſules incipiebat, tanquam vetere Rep. & ambiguus imperandi, auctore Corn. Tacito *lib. 1. Annal.* florebat. Hic ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, poſuit: niſi præſcriptione Tribunitiæ poteſtatis, quam ſub Auguſti imperio acceperat, & poſt mortem vitrici, eidem confirmata erat.

Idem in aliis ſucceſſoribus reperitur, qui tanquam Argi oculati, perſpicacia, acumine, aſtutia & inſidioſis artibus, quas apud populum & ſenatum atque etiam exercitus, exercere probe ſciebant, ſub ſpecie iuris antiqui, retentis quibuſdam veteris reip. inſignibus, dominati ſunt.

Talibus infandis auſpiciis cœpit tandem iſta regibus, populis & gentibus toto terrarum orbe, adorata maieſtas. Hæc ipſa eſt, quæ quicquid erat reliquum, in illo regno quarto, pedibus, hoc eſt, poſtremo tempore in ſenio vrbis ſub Cæſarum imperio, conculcauit: Nempe politiam Moſaicam poſt Chriſti paſſionem deleuit, & prælium cum ſanctis (Chriſtianis fidelibus) fecit, eoſq; diuerſis ſuppliciis, non tam vi, quam etiam ſpecie iuris, edictorum, atq; nouellarum conſtitutionum, conſumſit. Id manifeſto declarant res geſtæ ſub Nerone, qui primus fidem Chriſtianam cruentauit, & in Eccleſiam Chriſti ſurgentem, enſe ſuo Cæſareo, ferociit.

Sub Veſpaſianis, Eccleſia vetus Iudaica, quæ ab Angelo ſancta Dei ciuitas appellatur, deſiit: Quemadmodum & vltimus eorum Domitianus in Chriſtianos ſæuiit, cuius tempore, Iohannes Apocalypſin de prima & ſecunda Beſtia ſcripſit. Prima, deſignata fuerunt Eccleſiæ Chriſti flagella ex gentilibus Cæſaribus à Traiano vſque ad Conſtantinum: ſub quo & paulatim inſecuto poſt tempore, altera illa beſtia in Romanis Pontificibus caput erigere, & (deiecto Cæſarum Chriſtianorum ex Romana vrbe ſolio,) thronum ſuum ibidem & in Eccleſia per alias orbis prouincias conſtituere cœpit.

Idcirco, afflictionis ſanctorum reſpectu, apud Danielem, dicitur & paruum cornu loqui grandia, & aduerſus excelſum verba proferre, *d. cap. 7. verſ. 20. 25.* Quod primum de edictis in ipſum Deum & ſanctiſſimam veritatem eius contumelioſis, intelligendum eſt, quibus continebantur ſcelera, crimina & mendacia, quibus innocentiſſimos Dei ſeruos Cæſares illi cum populo Romano gentili onerabant, & paſſim proſcindebant. Itaq; eoſdem facinoroſos, & multorum quaſi criminum compertos & conuictos trucidabant.

Deinde, quia Chriſtiani Deitatem Imperatorum agnoſcere, & iis vna cum aliis numinibus cultum ſacrum deferre detrectarunt: Eos Reos læſæ maieſtatis diuinæ & humanæ & τῆς ἀθεότητος accuſarunt, & condemnarunt. Etenim quotuſquiſq; reperitur Imperatorum, qui non voluit populo perſuaſum eſſe, de ſua Deitate? Qui non paſſus eſt, ſe adorari, coli pro Deo, & ſibi altaria erigi? C. Iulius Cæſar poſt mortem ſuam, ab Auguſto conſecratus & Deificatus eſt. Ipſemet Auguſtus, ſtatim ab initio ſui imperii audiuit: *Deus noſter.* Publice enim & vbiq; à populo decantati ſunt verſus:

— Deus nobis hæc otia fecit,
Namq; erit ille mihi ſemper Deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
— vocabitur hic quoq; votis.

Idem in edicto pro Iudæis apud Ioſephum, *lib. ἀρχαιολ. c.* 10. prædicat, Genio ſuo aram & templum, ab vniuerſa Aſia, Ancyræ poſitum fuiſſe. Poſt mortem quoq; ipſe idem Auguſtus in Deorum numerum relatus, eſt. Nam eidem (veluti ſequentibus fere omnibus) poſt exceſſum templa, aræ, ſacerdotes, & ſacra, ſoli Deo debita, à S. P. Q. R. decreta ſunt.

Hic mos vſq; ad vltima tempora Ethniciſmi, in Imperatoribus conſecrandis, & in vrbe Roma adorandis, ſeruatus eſt: dum ipſe Conſtantinus Magnus, patrem quoq; ſuum, Conſtantium, eodem cultus genere in Britannia affecit.

Hanc Antichriſti Romani primi vanitatem, & in numen verum blaſphemiam, ipſi ſapientes gentiles deriſerunt & deteſtati ſunt: vt legere licet, *in ludo* Annæi Senecæ, *de morte Claudii Cæſaris.* In illo libello, quæ in cœlo de diuinitate Claudii Imperatoris poſt obitum illius acta ſint, refert. *Nunciatur* (inquit) *Ioui, veniſſe quendam bonæ ſtaturæ, bene canum, nempe Claudium Cæſarem: Et dubitationem inter cœlites incidiſſe, cuius nationis ille eſſet. Tunc Iupiter Herculem, quia totum orbem terrarum peragrauit, & noſſe viſus eſt omnes nationes, iubet ire, & explorare, quorum hominum Claudius ille Cæſar eſſet. Hercules poſt multa, cum Claudio vltro citroque dicta, facta, ad Iouem retulit: quod Deus fieri vellet. Didicerat enim ex eodem, quod templum in Britannia haberet, & ibidem Barbari eum tanquam Deum colerent. Ioui igitur placuit, vt priuati intra curiam morantes, ſententiam interrogarentur. Primus Ianus pater, multa dixit de magnitudine Deorum: Non debere hunc vulgo dari honorem.* Olim (inquit) *magna res erat, Deum fieri, iam famam minimum fecit etiam Peſſimum quemq; illum affectare. Itaque cenſeo, ne quis poſt hunc diem, Deus fiat, ex his qui* ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν: *Aut ex his, quos alit* ζείδωρος ἄρουρα *hoc eſt, qui cibo naturali ſuſtinentur, & ita Mortales ſunt. Qui contra hoc ſenatusconſultum ſanctum Deus factus pictusue erit, eum dedi laruis, & proximo munere inter nouos auctoratos, ferulis vapulare placet. Poſt varias ſen-*

rias ſententias ex tabella recitauit D. Auguſtus: ſibi placere in eum (Claudium Cæſarem propter ſcelera admiſſa, quæ ſimul recitantur) *ſeuere animaduerti, [illegible] eumque primum exportari, & cœlo intra 30. dies excedere: Olympo intra diem tertium. Pedibus in hanc ſententiam itum eſt. Nec mora: Mercurius illum obtorto collo e cœlo ad inferos traxit, vnde negant redire quenquam. Ibi ab Æaco iuſtiſſimo iudice, altera tantum parte audita, ad luſum aleæ pertuſo fritillo condemnatus eſt. Omnes nouitate rei attoniti, negabant hoc vnquam factum. Claudio iniquum magis viſum eſt quam nouum, quod videlicet, vna tantum parte audita, condemnatus fuiſſet: quod ipſi fuit vſitatiſſimum in iudicando, cum adhuc in viuis eſſet.*

Simili irriſione dignus eſt ſecundus Romanenſis Antichriſtus, qui in his blaſphemus non modo à primo non degenerauit, ſed eum in multis ſuperauit. Vni ſibi tanquam terreſtri Numini, & vicario Chriſti, attribuit:

Claudere cæleſtes, & reſerare fores.

Nam cui libet, ipſe Diuinitatem tanquam Iupiter & ſummus Deorum adiudicat: quem vult, ex albo ſanctorum expungit, & ad inferos relegat. Ipſe interea nihil iuris reipſa habet, ſed cœlo, quemadmodum in Claudio vidimus, ex decreto communi excluſus, vt quem Chriſtus pro ſuo vicario, & Petrus pro ſucceſſore non agnoſcunt, Orco mancipatur. Non recta in cœlum Papa, Cardinales, & alii bullis, ſacerdotiis, aliiſque rebus plurimis onuſti, ſubuolant: ſed in cymba Charontis, quæ ducit ad Tartara, deplorant, ſe apud ſuperos reliquiſſe regna, præſulatus, abbatias, auri talenta innumera: Et vix obulum habent, quem Charonti loco portorii ſoluant: vt ſcribit Eraſmus Roterodamus, *in Charonte*. Non obſeruatur ibidem conſtitutio Clementis V I. qua Angelis & Diabolis, pro imperio de animabus defunctorum edicit: Nec habetur diſcrimen perſonarum inter Clericos & Laicos: ſed oportet, dum à Charonte vehuntur, Papam & reliquos Clericos non minus, quam plebeios tenues remigare, ſiue didicerint, ſiue non didicerint, &c.

Nihil præterea addemus de petulantia & magniloquentia reliquorum Cæſarum, quorum alii (vt Tiberius) omnem religionem neglexerunt. Caligula Ioui, cuius ſimulacro ſæpe colaphos incuſſit, minatus eſt, ſe eum ex Latio in Græciam relegaturum eſſe. Quid attinet dicere de Nerone? de Domitiano, qui Dominus & Deus palam adoratus eſt?

In ſumma, effrenem audaciam Propheta huic paruo cornu aſſignat, quæ quaſi in ſpeculo nobis repræſentatur: ſi ex hiſtoriis conſideremus, quo vſq; ſcelerum in Deum, & mortales progreſſi fuerunt Cæſares. Non ſolum enim ipſam Dei auctoritatem ſibi in populum eius arrogarunt, legem & Euangelium per edicta atque vi & armis abolendo: ſed etiam iura pro arbitrio dictarunt, & quod principi placuit, legis habuit vigorem. Vnde dicitur *d. cap.* 7. apud Danielem *verſ.* 25. quod ſit mutaturus tempora & iura ſiue leges. Sic Iulius primo ſuper noua anni ſui Iuliani forma: & Auguſtus ſuper eadem à ſe correcta, in toto orbe Romano, promulgarunt: quorum vigore, eam Æram omnes fere nationes & linguæ receperunt, & qua adhuc hodie vtimur. Hæc ergo, quæ diximus, de abolitione & peruerſione legis, Euangelii, & iurium, atq; etiam de inſtitutione temporis, de ordinatione rituum, feſtorum, ieiuniorum, &c. propria eſt nota Antichriſti, quæ tam in regno Cæſarum gentilium veteris Romæ, quam etiam in inſtaurata Roma, (vbi poſt ſedem ſuam Pontifices habuerunt, & adhuc habent, à Petri prærogatiua dictam, nominatam) maxime obtinuit.

Quod autem adiicitur de tempore, vbi dicitur: *quod tradantur noua leges, ritus, ceremoniæ, & feſtorum atq; ciuilium dierum obſeruationes, per manum eius* (parui cornu, hoc eſt, duplicis Antichriſti, veteris Cæſarei & noui Pontificii in vrbe Roma regnantis) *vſq; ad tempus & tempora particulamque ſiue dimidium vel diuiſionem temporis*, d. cap. 7. v. 25. Illud de toto illo interuallo intelligendum eſt; quod Angelus Danieli exponit *cap.* 8. *v.* 14. & definit dierum bis mille trecentorum: quibus calamitas eorum temporum, & deformitas Eccleſiæ Iudaicæ ſub Antiocho, Antichriſti archetypo duratura eſſet. Iam enim ante primum aduentum Antiochi in vrbem Hieroſolymorum Iudæos homines inceſſerat contemptus veri cultus Dei, & inſania impietatis Græcanicæ eoſdem obſederat. Si igitur dies illos prædictos pro Angelicis annis intelligamus: & rationem à primo anno V. C. (in qua tam priſca quam renouata, vterque Antichriſtus regnauit, & adhuc regnat) ineuntes, ſummam totius illius interualli, colligamus: duplicis Antichriſti illius (qui in Eccleſia noua Chriſtiana, ſecutus eſt primum illum Antiochum veteris Eccleſiæ Iudaicæ vaſtatorem: & à Iohanne in Apocalypſi ſub figura primæ & ſecundæ beſtiæ deſcriptus eſt) fatalem terminum veriſſime deprehendemus. Qua periodo circumacta, tandem vtraque illa beſtia finem habitura ſit: cum prima Cæſarea in altera Pontificia moderna reuixerit. Nam numerus ille Danielis *d. cap.* 8. *v.* 14. nempe 2300. ſi ab exordio palilium vrbis conditæ Varonianorum computemus: præciſe impletur, poſt annum Chriſti vulgarem 1547. vbi paulo poſt, tranſactione Paſſauienſi in Imperio Germanico, iuriſdictio Eccleſiaſtica & Papalis ſuperioritas, ex lege publica, & pragmatica ſanctione ſuper pace religionis, expirauit & ſublata eſt. Et ſic non amplius traduntur per manum eius leges Alemanis & præſcribuntur: cum tempus illud à Propheta definitum exactum iamdudum ſit.

De qua re etiam author Suſcitabuli principum, Anno 1602. excuſi tractat, *in cap.* 15. *part.* 2. *de iuriſdictione Eccleſiaſtica ſuſpenſa: & de Papali ſuperioritate per Germaniam, ſimiliter abrogata, & abroganda ex lege publica, quæ Anno* 1552. *&* 1555. *ſuper pace religionis*, wegen deß Religion vnd Landtfriedens lata & ſancita eſt. Idem ſperamus nos miſelli Fratelli, (quos vndiq; fuci Ieſuitæ ex nidis ſuis exigunt) ex cauſa potentiſſimorum Venetorum futurum eſſe. Cum iam tempus liberationis noſtræ ex diuturna ſeruitute Antichriſti Romanenſis ſecundi appropinquet: de cuius poteſtate iam ſuſpicari incipimus,

pimus, & cuius ruinam præſto præ foribus eſſe, prorſus confidimus: & ſentimus cum fratre Paulo di Serui: & Fulgentio Franciſcano: qui hactenus iura Venetorum contra Pontificem egregie defenderunt, & tutati ſunt. At licet maxime iam Medici Ieſuitici præſumant vulnera beſtiæ curare: tamen cum illa lethalia, in defectione imperii Romani, & tot regnorum, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ, & fere totius Belgicæ, &c. euaſerint: Inanem fore omnem operam & ſedulam curam, contra Deum & verbum eius inſtitutam, omnino confidimus. Quapropter prorſus contrarium eventurum ſtatuimus, quam in *prognoſtico futuri ſtatus Eccleſiæ Papiſticæ*, Ioannes Paulus Windeck ſuauiter delirans, ſibi ipſi ante hac imaginatus eſt: 42. brutis rationibus, in ſpiſſo ſuo libro monſtrare conatus: veritatem Euangelicam cito occaſuram: ac Romano-Catholicam Eccleſiam ſemper duraturam. Ad iſtas phantaſias redarguendas hæc paucula ſufficiant, examinis loco.

Ac primo concedimus, ex Coactione conſiliorum, quibus Papa Romanus (maxime poſtquam omnem potentiam, Iure Imperatorio conculcato, ad ſedem ſuam Romanenſem traxit, vt hiſtoriæ docent,) præſedit, multum incrementi accepiſſe Eccleſiam Romanam: ſcilicet Clericos, qui pro libitu articulos fidei ſuæ contra verbum Dei ſtatuerunt: Et ab eo velo ementitæ pietatis, hæreticos (hoc eſt, vera Chriſti membra vbique ſparſa, nec beſtiam adorantia) quantum ipſis Deus hactenus conceſſit, extirparunt. Quod autem eam poteſtatem ſemper Pontifex ſit obtenturus; multæ ſunt cauſæ, cur dubitemus, de quibus contrarius magis fundatis rationibus alias; Modo manũ de tabula.

Secundo & tertio fatemur etiam (vt in *rat.* 3. *& quarta* habet Windeck) inter eos qui contra Pontificem proteſtati ſunt, & adhuc proteſtantur, plurima eſſe diſſidia: ſed ea tanti ponderis non ſunt (ſi pacificis & eruditis viris conciliatio controuerſiarum iſtarum committatur) vt Chriſtianum noſtrum corpus conſpirare non poſſit: quemadmodum videre licet ex vtili & ſalutari tractatu illo Neoſtadii hoc ipſo anno excuſo, ſub titulo: **Trewherzige Warnung der Pfältziſchen Kirchen/ an alle andere Euangeliſche Kirchen in Teutſchlandt/ daß ſie doch die groſſe Gefahr/ die ihnen ſo wol als vns/ vom Babſthumb fürſtehet/ in Acht nemen/ vnd die innheimiſche vnnötige/ oder ja nun gnugſam erörterte Streite dermal eins/ Chriſtlich vnd Brüderlich mit vns auffheben vnd hinlegen wollen/ ꝛc.** Quem ſcopum ſibi quoq; propoſitum habuerunt Eccleſiæ Euangelicæ Maioris Poloniæ, Magnique Ducatus Lituaniæ, & cæterarum eius regni prouinciarum: quæ in fide & religione Chriſtiana conſenſum primo Sandomiriæ Anno 1570. deinde Anno 1583. Wlodislauiæ, in Synodis generalibus fecerunt: Confeſſioneſq;, Auguſtanam, Bohemicam, & Helueticam examinatas approbarunt: vtpote in præcipuis fidei Chriſtianæ articulis, cum ſacra Scriptura & ſecum inuicem concordes. Itaq; ſcandalis ſopitis veram concordiam inter ſe iniuerunt: ceremoniis paulo diuerſis, (vt in qualibet Eccleſia mos obtinuit) libertati Chriſtianæ permiſſis. Quemadmodum adhuc hodie mutuum amorem, & officiorum pietatis humanitatiſq; pulcram communionem colunt & retinent. Hac via regia omnes qui Chriſtum amant ſiue in Sarmatia ſiue in aliis Europæ cæterarumq; mundi partium regnis viuant, incedere, nec lites à patribus ad nos vſq;, cum multorum priorum damno, deriuatas, facere immortales debent: Ne materiam in ſinu gaudendi hoſtibus communibus præbeamus: veluti prognoſticator noſter ſcribit fol. 28. *Ex ſectariorum* (ait) *diſſidiis multum nobis accedit emolumenti: Dum hæretici omnes contra Eccleſiam Papiſticam veniunt: dum omnes ſe inuicem vincunt: Nihil, tamen ſibi vincunt. Victoria enim eorum, Eccleſiæ* (Romanæ) *triumphus ex omnibus eſt*, &c. Item fol. 31. 32, 34. *Quoniam alieni ſunt ab humilitate & manſuetudine Chriſti: fit, vt inter ſuperbos ſemper ſint iurgia. Nam cæca arrogantia prætumidi, alii aliis cedere nolunt*, &c. Itaq; fruſtra ab ipſis de concordia ineunda labor ſumitur: vt tanto citius ipſis interitum imminere ſentiant: iuxta Demadis dictum, quod, mortuo Alexandro, ab eius exercitu, qui Cyclopi effoſſo oculo comparabatur, nihil gentibus metuendum eſſet.

Quarto fatemur (vt ratione ſecunda Windeck ſcribit) quod ſectarii nouatores (quibus nominibus nos Chriſtianos, idolatra iſte infamat) omnes ferme Eccleſiæ Romanæ ceremonias, Chriſto, & Apoſtolis incognitas, proiecerimus. Sed quod inde inferat, nos ex illo pio facto, ad Arrianiſmum, Mahometiſmum & Atheiſmum, tanquam ad materiam primam, (in quam omnes hæreſes reſoluuntur) delabi: Id vero pernegamus: neque vnquam iſte, hoc ſuum mendacium ex fontibus Iſraelis liquidis probabit: lacunas fœtidas Hetruſci Popæ nihil moramur.

Quinto nos vero ac lubentes fatemur, nos vnum ſummum humanum viſibilem controuerſiarum iudicem, (nempe prætenſum Chriſti vicarium in terris Papam) non agnoſcere: ſed ad ſpirituale illud caput, quod eſt Chriſtus & ſpiritus eius, merito reſpicimus: vt in nupero colloquio Ratisbonenſi à Doctore Hunnio, piæ memoriæ, & eius collegis, demonſtratum eſt. Nam Chriſtus depoſitũ veritatis non abſolute Eccleſiæ (quæ talenta Domini ſui, non ſua, ſed illius fide, adminiſtrare debet) reſignauit: ſed potius affirmauit: ſe Eccleſiæ illi (hoc eſt, duobus vel tribus, qui in nomine eius in ſpiritu eius & veritate congregati fuerint) omnib. ſeculis interfuturum eſſe: videl. præſenti ſpiritus efficacia, in luce verbi ſui propaganda, & conſeruandis veræ ſuæ Eccleſiæ mẽbris: Et ſubinde ex veteri Apoſtolica ſtirpe in media caligine Pontificatus, excitandis, fortiſſimis athletis ſuæ veritatis, quę aliquandiu defoſſa viſa eſt: vide catalogũ teſtium veritatis nuper recuſum. Fortius igitur pro nobis, ne diſſipemur & pereamus (quod Deus omen male vertat in Vatem) ſtat argumentum; quo magis præſtat ſpiritualecaput noſtrum, nempe Chriſtus Ieſus, humano: ſcilicet, Pontifici Romanenſi.

Sexto quod negat Antagoniſta, Politicis magiſtratibus iudicium de religione tribuendum eſſe: & eoſ-

& eoſdem imperium in ſacerdotalem ordinem habere: Id vero clariſſime patet ex ſerie hiſtoriæ ſacræ. Quis reduxit ex Ægypto populum Dei? Nō Sacerdos aliquis, ſed Moyſes ipſe, dux & Imperator populi. Quis declarauit & conſecrauit Aaronem, niſi magiſtratus ſupremus Moyſes? Quis decalogum Dei propoſuit ſeruandum? Quis ritus & ceremonias inſtituit? Quis arcæ illi, primum ex voluntate Dei formandæ, præfuit, niſi Moyſes cum imperio? Nonne Dominus dixit Ioſuæ, duci exercitus Iſraelitarum: Tu autem præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis? Quis arcam Dei à ſacerdotibus neglectam reduxit? Nempe Dauid rex populi. Quis arcam iſtam in Templo & ſancto ſanctorum collocauit? Nonne Salomon rex cum ſuis principibus? Nonne Paulus, vas Dei electum *ad Roman. c.* 13. iubet, vt O M N I S *anima* (ergo & Papa & Clerus) *ſubiecta ſit poteſtatibus præeminentibus*; quæ tum temporis idolomaniæ Ethnicæ operam dabant. Imo ipſe Petrus *in* 1. *Epiſt. c.* 5. *v.* 13. 14. 15. iniungit omnibus Chriſti fidelibus obedientiam erga magiſtratum: *Subiecti*, inquit, *eſtote regi, qui ſupereminet*, (id eſt, Cæſari Claudio perſecutori) *& eius præſidibus prouinciarum*, qui omnes tum hoſtes Euangelicæ veritatis erant. Addit Petrus: ὅτι οὕτως ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ: nempe Deum ita velle, ita iubere. Multo igitur magis Chriſtiani principes, in quibus habitabat ſpiritus Dei, non tam ſacerdotib. imperant, quam etiam arcam Domini, quæ eſt Eccleſia, curant, vt ea ad voluntatē Dei conformetur, vt à ſacerdotib. diu neglecta, reducatur, & in ſancto loco quieſcat. Vnde cum apertos textus Biblicos habeamus, gloſſas & querelas attendere nō debemus, quas paries ille dealbatus recitat ex Wigando, & ex aliquot impertinenter allegatis exemplis (quibus non eſt iudicandum, ſed legib.) de politicorum dominatu, quod iſte ſtatui Eccleſiaſtico perniciem afferat. Vt arca fœderis reducatur, non Ophni, aut Phineæ, aut ijs ſacerdotibus liceat, qui domino (in adulterando verbo Dei) ignem alienum offerunt: ſed viris è populo acquiſitionis, ex regali ſacerdotio, è gente ſancta, electis, committatur.

Septimo, inſignem notam eſſe Antichriſti, quando maieſtatem magiſtratus ſupremi contemnit, & dignitatem Imperatorum, regum, Principum, etiam Chriſtianorum, pedibus conculcat, *ex Epiſt.* 1. *Petri* (primi prætenſi Papæ Romani) *c.* 2. diſcimus. Et *in can. Apoſt.* 83. ita ſancitur: *Quiſquis Imperatorē aut magiſtratum contumelia affecerit, ſupplicium luito.* Vnde, quod de ordine Hierarchico vel Eccleſiaſtico regimine, quaſi id poteſtates ſeculares (vt loquuntur) longe ſupereminеat, profertur: parum firmo nititur fundamento. Concedimus Papam iure humano & varijs artibus, per tyrannidē ius dominandi, tam in ſpiritualib. quam in temporalibus ſubinde vſurpaſſe: Et diſcrimen inter Laicos & Clericos conſtituiſſe: ſed ea omnia facta ſunt abſq; Dei mandato, & contra prohibitionem Chriſti pronunciantis: *Reges gentium dominantur: Vos autem* (Apoſtoli & miniſtri verbi) N O N S I C. Quare quod rectori iſti illegitimo, Papæ Romanenſi adhuc tam Laici, quam Clerici, vt ipſe eos vocat, parent: per nos quidem licet, modo iugum iſtius intolerabile, nō amplius nobis imponatur, ſed in æternum vitemus, iuxta monitum Apoſtolicum: *Exite ex Babylone, &c.* De commentitio a iſto diſcrimine audiamus Lutheri iudicium, *in tract. ad Carol. V. & nobilit. German. Tom. I. Ienenſi in f.* 288. *vſque ad pag.* 315. vbi hæc inter cætera diſertis verbis ſcribit: Der Vnterſcheid (ſpricht er) ſo zwiſchen dem Bapſt/Biſchoff/Prieſter vnnd Cloſtervolck/als Clericos, Pfaffen vnnd Geiſtliche/ vnd dann die Leyen oder weltlichen Stand/als Fürſten/Handwercks vnd Ackerleuthe gemacht wirdt/iſt billich zu verwerffen/ In betrachtung/daß alle Chriſten warhafftig geiſtliches Stands ſeyn/nach Pauli Regel/1. Corinth. 12. Daß wir alleſampt ein Cörper ſeyn/doch daß ein jeglich Glied ſein eygen Werck hat/ damit es dem andern diene. Das macht alles/dz wir eine Tauff/ein Euangelium/einen Glauben haben/vnd ſeyn gleiche Chriſten. Dann die Tauffe/Euangelium vnd Glauben machen allein Geiſtlich vnd Chriſten Volck/vnd werden wir alleſampt durch die Tauffe zu Prieſtern/wie 1. Pet. 2. geſchrieben ſtehet: Jr ſeydt ein Königlich Prieſterthumb/vnd ein Prieſterlich Königreich: dadurch verſtehet Petrus alle Chriſten/dann er redet zum gantzen Hauffen: In dem er ſpricht: Ihr ſeydt das außerwehlte Geſchlecht/das heylige Volck/nemlich die auff den Eckſtein Chriſtum geleget ſeyn. Vnd in der Offenbahrung Johann. am 5. Cap. v. 10. iſt geſchrieben: Du haſt vns gemacht durch dein Blut zu Prieſtern vnd Könige. Beyde Apoſtel/Petrus vnd Johannes/haben jre Sprüch genommen auß Moſe/ Deu. Cap. 7. vnd Exo. am 19. ꝛc. Rectiſſime Lutherus. Nam in dicto loco apud Iohan. legimus, quod Agnus, noſter Saluator (qui mactatus eſt, & redemit nos Deo, per ſanguinem ſuum ex omni tribu & lingua, & populo & natione) fecerit nos Chriſtianos, abſq; reſpectu ſexus & ætatis, Deo noſtro, reges & ſacerdotes. Vnde clariſſime patet eo tempore (quo Ioannes in Pathmo exulauit ſub Domitiano) nondum differentiā iſtam, qua Chriſtianos in Laicos & Spirituales diſtinguere ſolent, excogitatā, & ab Antichriſto, Papa, poſtea in orbem Chriſtianum introductam eſſe. Quod merito menti tenendum eſt. Dicta. n. tam Ioannis, quam etiam Petri, 1. *Pet.* 2. *&* *Act. cap.* 3. *v.* 25. 26. de omnibus Chriſtianis accipienda ſunt, vt ſupra quoq; mentio facta eſt. *Vos* (inquit Petrus d. c. 3.) *eſtis filii prophetarum, & filii illius pacti, quod pepigit Deus erga patres noſtros, dicens Abrahamo: In ſemine tuo benedicentur omnes generationes terræ. Vobis* (omnibus fidelib. Chriſti ſeruis, non habito reſpectu Laicorum aut Clericorum) *miſit Deus filium ſuū, qui benediceret vobis: ſi conuertamini & reſipiſcatis à prauitatib. veſtris. Etenim apud Deum non eſt προσωποληψία, aut perſonarum acceptatio: Miſeretur, cuius miſeretur.* Et Deut. c. 6. v. 7. 8. 9. *Deus præcipit, vt diuina præcepta ingeramus filiis noſtris: Et loquamur de iis, cum domi ſedemus, ſi ambulamus: quando item cubamus, & ſurgimus, &c.* Simili modo ciues Beroenſes examinarunt Scripturas, an ita ſe haberent, quemadmodū Apoſtoli prædicabant, *Act. c.* 17. *v.* 11. Ita etiam præfectus ærario reginæ Æthiopum, ſedens in curru legit Propheram Eſaiam. Et mandata Apoſtolorum 1. *Theſſal.* 5. *v.* 21. (omnia probate ſpiritus, an ex Deo ſint) 1. *Iohan.* 4. *v.* 1. concernunt & complectuntur non tantum ſpirituales vel Eccleſia-

cleſiaſticas (vt vocant) perſonas, ſed inprimis ſeculares, vt & illæ legendo, audiendo, conſiderando, ſcrutando, conferendo, diſputando, ſacram Scripturam intelligere diſcant: Ne cœcos duces ſequantur, & cum iſtis ſimul in foueam condemnationis æternæ incidant. Quia ad omnes Chriſtianos, cuius ætatis, ſexus aut ordinis ſint, pertinet Chriſti præceptum: *Scrutamini ſcripturas, quia de me teſtantur. Habetis Moyſen & Prophetas, illos audiatis. Cauete vobis a Pſeudoprophetis, &c.* De hac ipſe re ſic concluſionem facit Iohann. Iac. Gryneus *in 3. parte Theolog. problem. fol. 61. Ordines*, ait, *tam docentium, quam diſcentium, ad clerum Domini, id eſt, populum electum, pertinent.* Quod hoc medio concludendi aſtruimus: Vos (omnes pij Chriſti ſerui, quales ſunt Chriſtiani) eſtis genus electum regale ſacerdotium. Item, nec vt dominantes cleris, 1. *Petr. 2. verſ. 9. & cap. 5. verſ. 3.* Pontificij (& qui cum ijs facere hoc tempore volunt) è contrario Laicos à Clero ſeiungunt, freti hoc falſo medio concludendi: *Quia dignitates Eccleſiaſticorum & ſacerdotum ratio ſit habenda*: quæ abſurditas etiam Clementi I. Apoſtolico viro affingitur, vt aliquando in recitatione decretorum ipſius videbimus. Nam omnes Chriſtiani (*ſcribit Th. Beza in not. ad verſ. 27. in Epiſtol. ad Roman. capit. 15.*) dici poſſunt λειτουργοὶ: præſertim, cum iuuare proximum, ſit quædam ſacrificii ſpecies, & Deo quidem gratiſſima. Itaque λειτουργεῖν non tantum Diaconis, qui ærarij Eccleſiaſtici curam Apoſtolatus tempore gerebant, ſed aliis cunctis Chriſticolis competit. Et hoc de obſeruantia omnis animæ erga magiſtratum: Et de vanitate ambitionis clericalis.

Quod octauo de Auguſtana confeſſione, multis corruptelis dilacerata, attexitur à Prognoſticante: Reſpondemus, confeſſionem eam ex vno Dei verbo, accipere interpretationem, ſi in aliquo oriatur dubitatio.

Sed iam abrumpamus orationis noſtræ filum. Nam in cæteris rhapſodicis abſonis aſſertionibus Windeccianis, non diutius propter pretioſum tempus, quod perdimus, immorabimur: certo ſcientes, iis abſurditatibus neminem, ſaltem guttula aliqua rationis præditum, moueri poſſe.

Nam partes eorum miniſtrorum Euangelicorum defendendas non ſuſcipimus, qui (vt *rat. 9. 10. & ſequentib.* blaterator noſter narrat) contra agnitam veritatem Catholicorum partibus accedunt, de doctrina Euangelica, quaſi ruinam minetur, male præſagiunt, qui à Dei ſpiritu non vegetantur; qui in varias formas mutantur; qui terras impietates, & immania ſcelera committunt; qui diſciplinam labefactant; qui Democratia & populari regimine atque populari aura nituntur, & vulgus contra optimates & ſuperiores exaſperant, & aliquando armant, contendentes, quod ciuilis poteſtas nullo modo poſſit Eccleſiaſticam poteſtatem (quæ, vt ſupra dictum eſt, ex verbo diuino probari non poteſt) impedire, &c. Qui prodigioſa dogmata proponunt, quæ abſorbet Mahometiſmus, Arrianiſmus & Atheiſmus: qui ſpurcas inauditas & infandas libidines flagitioſiſſimis quibuſuis permittunt: qui magiſtratum politicum immanibus contumelijs proſcindunt: qui mendacijs regnum ſuum ſiue curſum repurgatæ doctrinæ cœleſtis, cœperunt & auxerunt. Qui prædicantes ob horrendam mortem, deſperationes & conſortia cum Diabolo, merito ſunt ſuſpecti: qui infamem & omni turpitudine inquinatam vitam viuunt, & ſceleratiſſimos mores habent, &c. Hæc dicta & facta perſonas egredi non debent, ſed pœnæ auctores ipſos teneant. Nam eiuſmodi facinora, ſi vera ſunt, nolumus excuſare, quanquam de horrendis mortibus Vergerij, & aliorum valde variant lectiones & hiſtoriæ: adeo, vt de alijs perquam plurimis à Windeck prolatis, veritatem periclitari non dubitemus. Et qua libertate peccatum corripere poteſt, qui ipſe non poteſt negare, ſe eadem admiſiſſe, quæ in alijs reprehendit? *diſt. 25.* Nam *rat. 28.* fatetur Schwindeleck: clerum Catholicorum, multis abominandis ſcatere vitijs, & nulla ſeueritate diſciplinæ coerceri.

Quod vero addit de reformatione apud Clerum facta, nobis nihil de ea conſtat. Tyrannis in conſcientias adhuc in Pontificatu exercetur, crimina corruptæ religionis, ſacrilegij, maieſtatis, perduellionis, falſi, ſimoniarum, & alia facinora adhuc vigent, florent & ſumma vi defenduntur. Pontifex enim, ne ſua hierarchia quid detrimenti capiat, ſingulis fere ſeculis potentiſſimos monarchas excitauit, qui ſectas (nempe veros Chriſti ſeruos, Papalia dogmata reſpuentes) afflixerunt, vt habetur *rat. 63.* Et nos, proh dolor, adhuc experimur.

Sic recte Principes Germaniæ Anno 35. in reſponſione Smalcadiæ, legato regis Francorum Bellaio data (vt ſcribit Sleidanus *lib. 9.*) conqueſti ſunt: quod aduerſarij multa ſæpe crimina, artificio ſingulari confingunt, in innocentes & pios: vt regum animos, aduerſus illos exacuant: qui tamen maleuoli per ſe in tota vita flagitioſi ſunt, multaſque inſuper opiniones falſas & impias magna crudelitate, (vt teſtes ſunt lanienæ Gallicæ, Belgicæ, Hiſpanicæ, Anglicæ & aliæ, patrum & noſtro tempore perpetratæ) quæſtus atque potentiæ retinendæ cauſa defendunt. *Adeo* (ait Lactantius lib. 5. Inſtit. cap. 9.) *nullus pudor apud eos ſupereſt: à quibus omnis abeſt* HVMANITAS: *vt etiam retorqueant in homines iuſtos conuitia*, SIBI IPSIS *congruentia*.

Quod attinet ad quæſtionem, *an populis libera religio, & conſcientiæ libertas* (quam ipſe Windeck 23. Pſeudo Euangelicam perperam vocat) *permittenda ſit*, quia eam à folio 262. vſque ad fol. 332. tractat, & huius loci ea tractatio non eſt: Ideo eo labore iam ſuperſedebimus.

Nobilis iſtius materiæ (qua non recte intellecta hominum multa millia periclitata ſunt & periclitantur) indagationem ſcimus amico noſtro N. N. curæ eſſe, cuius libellus breui in lucē exiturus eſt ſub titulo: Kurtze Information/ Vnterricht vñ Anleytung von der Autonomia, in XV. Capitel außgetheilt/ zu Erläuterung deß hochgerühmbten Tractats/ von Freyſtellung mehrerley Religion vñ Glaubens/

weiland

weiland Herrn Fr. Burchardi, I.V.D. Churfürſt. Cöllniſchen Cantzlers/ ꝛc.. Fœnerator igitur iſte noſter Windecius improbus Papælogus in hoc capite, interim & tantiſper hac quaſi particula ſoluti debiti ſuſtentetur, donec in tempore cum meliore prouentu, ſors ipſa cum vſuris (quas ipſe tamen improbet cum ſuis canoniſtis) ab amico noſtro & alijs dependatur & refundatur.

Porro, vt tandem concludamus, nihil aliud modo ſupereſt, quam vt in ſeria inuocatione exſpectemus regnum Dei cœlorum, comminuturum & conſumturum omnia illa regna (vna cum Antichriſtiano iam nobis reuelato) in ſomnio Nebuchadnezaris præfigurata: Ipſum autem ſtaturum in ſecula, vt loquitur Daniel, ſomnij regij interpres, *c.2.v.44.*

Ergo veriſſimam eſſe communem ſententiam omnino exiſtimamus, quam omnes fere interpretes ſequuntur: Statuentes, quod IV. Monarchia ad conſummationem vſque ſeculi duratura ſit. Nam *d.c.2.* apud Danielem dicitur Deus notum facere regi Nabuchodonoſoro id, quod futurum eſt conſequentibus temporibus, videlicet, vſque ad finem mundi. Et *c.11.v.36.cum ſeqq.vſq. ad finem capitis 12.* filius Dei, loquens de Antiochio, [illegible] Antichriſti, ſtatim digreditur ad explicationem duplicis Antichriſti poſt Antiochi tempora futuri: Cuius poſterioris, nempe Romanæ Eccleſiæ, & eius Papæ tyrannidem & interitum ſequetur aduentus iudicij vltimi. D. Lutherus *in Præfat. ad cap. 12. Dan.* ait: Daß ſolch Capitel gehe gantz vnd gar vnter Antiochus Namen auff den Endechriſt / vnd auff dieſe letzte Zeit/da wir innen leben. Darumb iſt hie keine Hiſtory mehr zu ſuchen / ſondern das helle Euangelium zeiget vnnd ſagt jetzt einem jeden wol / wer der rechte Antichriſt ſey / der ſich vber alle Götter erhoben hat/vnnd Frawenlieb/das iſt/den Eheſtand nicht geachtet/ſondern verbotten/ ꝛc.

Itaque *cap.12.* dicitur de Michaele Principe maximo, quod erepturus ſit fideles ſuos, quicunque fuerint ſcripti in libro illo, ex tempore anguſtiæ Antichriſtianæ, quæ deſcribitur talis futura, qualis non extiterit, ex quo gens fuit, vſque ad tempus iſtud.

Quod ſi (vt & hoc coronidis loco addamus) ex vulgata opinione domus Eliæ de conſummatione ſeculorum pronunciare liceret (quanquam vetus Æthiopum Eccleſia, tempus à creatione & primo homine, ad συντέλειαν κόσμου, annorum 7000. determinat) Illi definiti 6000. anni (poſt quos ſabbatum erit) producunt 123. integros Iubilæos cum reſiduo 27. annorum, ſaluo iure calculi. Et quia ex illa ſumma iam ex conditu rerum, vſque ad annum Chriſti 1605. finitum, decurſi ſunt & exacti anni 5555. Reſtare tantum dicimus ad complementum dictæ ſummæ, illorum 6000. annorum, pauculos Iubilæos exigendos. Ex quibus tamen deficient dies, qui deficient: Decurtandi propter electos: Ne in illa mundi malitate etiam ipſi ſeducantur.

Ad hoc ipſum, ſobrie in timore Domini conſiderandum, in medium afferimus dictum Chriſti in Matthæo: *Sicut erant Dies Noha: ita etiam erit aduentus filii hominis*, c.24.v.38.

Tempore diluuii, exacti erant à conditu rerum anni 1656. Quem numerum, ſi inchoemus à tempore Chriſti, vel nati vel paſſi, vſque ad hoc præſens ſeculum: Diem extremi iudicij non procul abeſſe, ambigere non debemus. Et ille ipſe computus annorum diluuii conuenit cum Prophetico 1290. & 1335. apud Danielem. Nam ſi computemus ab initio Conſtantini Magni, qui primus beſtiam ſecundam amplificare & ditare cœpit, hoc eſt, ab anno Chriſti 314. vſque ad huncannum 1606. Inuenimus annos illos in Propheta 1290. iam modo impletos, & 1335. in anno Chriſti 1645. aliquando futuro, implendos eſſe.

Cum Chriſto & Daniele conſentit Apoſtolus Iohannes *in Apocalypſi*, vbi de 42. menſibus beſtiæ ad agendum datis, loquitur: qui menſes faciunt 260. annos. Eos ſi incipiamus à fine Valentiniani ſecundi, circiter annum Chriſti 392. (quo tempore Romanum Imperium & imprimis Italia, ab Hunnis, Vandalis, Gothis & alijs barbaris iuxta Chriſti vaticinium: *Erit gens contra gentem*, &c. vaſtari cœpit.) Tunc videmus, quod ſe extendant in annum Chriſti 1652. Atque ita Saluator noſter Daniel, & Iohannes maxime inter ſe concordant.

Quæ tamen non ita accipienda ſunt: quaſi contra prohibitionem ſacram, vellemus ſcrupuloſe in diem finis mundi inquirere: Sed ideo à nobis attinguntur, vt certo ſtatuamus, tempus liberationis noſtræ appropinquare: & præparemus nos, quo cum ſeruo fideli vigilantes, & bonum operantes in Domini noſtri aduentu, (quem omnibus mihique ipſi lætum & ſalutarem ex intimo corde precor) inueniamur, *d.c.24.v.42.44.46.*

COROLLARIVM.

An Epiſcopus Romanenſis prætenſus Chriſti Vicarius, & caput Eccleſiæ viſibilis, in iis, quæ ad fidem ſpectant, errare poſſit.

HAnc quæſtionem, vt tractatui noſtro affinem, libet hîc annectere & paucis diſcutere ex diſcrepatione Pauli, cum Petro, prætenſo primo Pontifice Romano Antiochiæ in Syria habita.

Hæc enim controuerſia ſi probe intelligatur, facilis eſt reſponſio quoad Petri ſucceſſores, an illi errent in Eccleſia Romana, in qua Petrum ſub Claudio Imperatore, & quidem ipſius ſecundo Imperij anno ſedem ſuam fixiſſe fingunt.

Nam ſi Petrus primicerius & fundator cathedræ Papalis in vrbe Roma, in cauſa fidei Chriſtianæ errauit: Multo magis dicendum eſt, illius poſteros in articulis Chriſtianæ pietatis erraſſe, & adhuc errare, prout ex ſerie hiſtoriæ Paparum (quam à nobis fere confectam, aliquando publicam faciemus) liquido probari poteſt.

Diſceptatio autem illa Antiochena inter eximios Domini Apoſtolos contigit Anno Chriſti 55. Imperij Claudij 13. in conſulatu D. Iunij Silani, & Q. Haterij Antonini; poſtquam Paulus ex Iudæa in Syriam rediiſſet, Antiochiæq; per aliquod tempus ſubſtitiſſet, vt ex Luca colligitur, *in c.18. v. 23. Actor.* qui tamen controuerſiam eam inter dd. illos duos Doctores, & circumciſionis & præputij, prætermiſit, cuius ipſemet Paulus *in Epiſtola ad Galatas* meminit.

Tractata eſt enim cauſa: An ſcilcet vna cum Euangelio lex quoque ſeruanda eſſet: Vt qui ex gentilibus ad Chriſtianam religionem ſe transferrent, ex legis Hebraicæ præſcripto circumcidi deberent, & aliorum legalium obſeruatione obligari.

Merito autem repudiatur interpretatio Clementis Alexandrini *libr.14. diſpoſit.* (quem Euſebius *libr.1. hiſt. Eccleſ. cap. 23.* ſequitur) putantis, quod Petrus *in Epiſtola ad Galatas* nominatus, non Apoſtolus ille Galilæus, ſed vnus ex 72. diſcipulis fuerit.

Quem errorem recte refutat Hieronymus in d. epiſt. ad Gal. c. 2. *Si propter Porphyrij* (inquit) *blaſphemiam, alius nobis fingendus eſt Cephas, nempe ex numero 72. diſcipulorum, ne Petrus Apoſtolus putetur erraſſe: Infinita erunt de diuinis emendanda ſcripturis, quæ ille, qui non intelligit, criminatur.*

Præterea hîc etiam obſeruandum eſt, quod ſcribit Paulus *in d. epiſt. c. 2. v. 11.* ὅτε ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν: *quod Petrus etiam Antiochiam*, poſtquam eo Paulus ex Iudæa redierat, *venerit.*

Vnde non poteſt iſta opinio Romanenſium ſubſiſtere affirmantium: Petrum aliquot annos Antiochiæ ſediſſe, & deinceps ex ſecundo Claudij anno, vltra 20. annos Romanam cathedram poſſediſſe.

Porro vt de memorabili & celebri illa contentione (quam *lapidem offenſionis*, & *petram ſcandali* vocat Baronius: Propterea quod quidam hinc hypocriſis nomine Petrum ſugillarint quaſi ſimulate egiſſet, vt paulo poſt indicabimus) & eius explicatione noſtram ſententiam proponamus; ipſius Pauli narrationem, vti res acta eſt, breuiter conſiderabimus.

Cum ergo Petrus poſt Paulum Antiochiam veniſſet, ei in os Paulus reſtitit, nempe coram omnibus ei contradixit, propter falſum dogma ab eo contra ſuperioris ſynodi Hieroſolymitanæ, cui ipſe interfuerat, ſententiam ſimulate approbatum.

Culpa certe in Petro fuit, qui cum ante cum Cornelio cibum ſumpſiſſet, & in Concilio ille verba pro libertate gentium feciſſet: Nihilominus iam Antiochiæ in vtramque partem claudicauit.

Partem quoque culpæ participauit Iacobus, ante cuius legationem in Syriam ad Antiochenos ex Iudæa miſſam, Petrus cum gentibus promiſcue cibum ceperat.

Statim autem, atque à Iacobo, qui in Ieruſalem circumciſioni adhuc addictus erat, & legalia obſeruabat, ablegati Antiochiam venerunt; Ille ſubito ſe à gentilium, licet recte credentium, conſortio ſubduxit: & inſtitutum vitæ prioris mutauit, occaſione Iudæorum, qui à Iacobo, Hieroſolymis, venerant Antiochiam.

Itaque recte Tertyllianus contra Marcion. *lib.5. cap.3.* & alii complures, ſtatuerunt inconſtantiæ vitio, iure reprehenſum eſſe Petrum: quod pro perſonarum qualitate victum variarit, timens eos, qui erant ex circumciſione fideles, v. eund. *lib. 4. adu. Marcion. c.3. & de præſcrip. c.23.*

Auguſtinus etiam Petrum (in quo primatum Apoſtolorum excellenti gradu præeminuiſſe perperam dicit) in crimen adducit his verbis: *In ſacroſanctis ſcripturis didicimus, Apoſtolum Petrum aliter, quam veritas poſtulabat, de circumciſione agere ſolitum, à poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum.*

Idem *lib. de mend. c. 1. & 5.* reprehendit in Petro eius ſtudium non rectum, imponendi, ſuper humeros gentium, IVGVM LEGIS.

Idem etiam Petrum in ſuperſtitioſam prauamque ſimulationem eſſe lapſum teſtatur *in libr. quem de agon. Chriſt. ſcripſit c.30.*

Vnde Iulianus Apoſtata Petrum hypocritam dixit, & per Paulum non iniuria reprehenſum, (eo quod interdum Græcorum moribus viuere ſtuduerit, interdum etiam Iudæorum) veluti Cyrillus *lib.9. contra Iulian. in fin.* tradit.

In qua ſententia etiam fuerunt Origenes, Didymus, Apollinaris, Euſebius Emiſſenus, Theodor. Heracleot. quos citat Hieronymus *ep.89. ad Auguſt.* Item Theodoretus *c.2.* Caſſianus *collat.17.* Theophilactus & Oecumenius: quod ſcilicet à Petro cuncta acta ſint ſimulate, non ſerio vel ex animo, quod videlicet aliud faceret ab eo, quod habebat in mente.

Illud tamen, tanquam factum prudens, ſagax & neceſſarium conſilium pluribus prædicat Baronius iſte Venetorum hoſtis acerrimus, vim veritati in defendenda Pontificis ſui cauſa mala inferens.

Quia vero ea via non recte ambularetur ad veritatem Euangelij: Paulus, tum melius edoctus, Petrum coram omnibus reprehendens, acclamauit: *Vnum legale recipientibus, nihil prodeſt Chriſtus, &c.*

Qui enim legalia ſequuntur, vel ſpecies legalium Chriſtianiſmo admiſcent (vt faciunt Pontifices Romani) ſenſim beneficium Chriſti obtegunt, contumelia ſpiritum gratiæ afficiunt, in ceremonijs iuſtificationem ſtatuunt, & ſuperſtitionem indies magis magiſque augent.

Nam in cauſa ſunt, vt eo modo traditiones & ceremoniæ, atque ex lege deſumptæ obſeruationes à poſteris, appoſito fuco pietatis, & cultus Dei recipiantur & ſeruentur, ſicuti in Antichriſtianiſmo Romano, à temporibus Apoſtolorum factum eſſe ſcimus.

Quare

Quare Paulus (certus, vmbras non eſſe repetendas: fruendum nobis luce allata per Chriſtum, in ceremoniis non eſſe conſtituendam ſanctificationem, ſed in ſpiritu Dei per ſanguinem crucis, curandum, vt ab omni ſuperſtitione populus Chriſtianus ſit longe remotus, &c.) iuſtiſſime obiurgauit Petrum, vtpote non recto pede incedentem. Volebat enim gentes cogere, vt iudaizarent, in gratiam circumciſorum.

Itaque reſtitit ei in faciem, *ὅτι κατεγνωσμένος ἦν. d. c. 2. ad Galat. verſ.* 11. quod reprehenſibilis & condemnabilis eſſet Petrus, propter illam falſam opinionem, &c. Quam ipſe Barnabas Petri auctoritate permotus, probauit.

Tanta enim ea fuit, & omnium oculos in tantum valuit ad iſtam ſimulationem adducere: Vt omnes ſe id iure facere exiſtimarent, quod Petri exemplo actum eſſe conſpicerent.

Paulus igitur vt eiuſmodi exreſcentem errorem, & ſimulationem Petri rationabili cauſa in perniciem gentium vſurpatam (vt loquitur Baronius) cohiberet: Coram omnibus eum, non reueritus Apoſtolicum culmen in Petro, acriter redarguit.

Acris & ſeria fuit illa obiurgatio, non ſimulata: quemadmodum Caſſianus, Theophylactus, Oecumenius & alij ſenſerunt, quorum opinionem quoque Hieronymus ſecutus eſt *ep. 86. cum ſeqq. vſq. ad* 97. Recte contradicente Auguſtino *ep. 8. cum ſeqq. vſque ad* 19. & affirmante: Nullum hîc à Paulo compoſitum eſſe mendacium, nec licuiſſe ipſi mentiri: ſicuti nec cuilibet Chriſtiano abſque peccato conceſſum eſt mentiri. Et ideo cuncta vere ac ſerio eſſe facta ait Auguſtinus profitens, ſe in ea re Cyprianum & Ambroſium auctores ſequi.

Hinc præterea videre licet, quantum noceant illuſtrium virorum exempla. Etenim Petrus reſpectu Iacobi, fratris DOMINI, Iudæorum, in Palæſtina & alibi exiſtentium, hypocrita factus eſt. Illum imitati reliqui, qui tum Antiochiæ fuerunt (inter quos doctor ille gentium Barnabas, Pauli antehac Collega, etiam ſeductus eſt) impetu potius, quam certo iudicio, ex ſacris literis petito, ſimul abrepti ſunt.

Et non dubium eſt, alios quoque Iudæos, qui Chriſti fidem ſuſceperant, paternæ legis & auitarum æmulos traditionum, Petro, Barnabæ & cæteris, qui Moſis legi patrocinati ſunt, ſtuduiſſe: acerrimeque pro legalibus concertaſſe, & partem aduerſam ſtrenue oppugnaſſe.

Ex his vides (ſcribit Baronius) *quanti auctoritas Petri ab omnibus æſtimata ſit. Dum, poſthabitis literis Apoſtolicis ex Concilio Hieroſolymitano antehac acceptis, nihilominus tanti ponderis, exemplum Petri eſſe duxerunt, vt eundem iudaizantem potius ſequendum eſſe exiſtimauerint, quam Paulum, recto tramite ambulantem.*

Sed his nugis Baronicis omiſſis, laudamus modeſtiam Petri, qui Pauli obiurgationem ſeriam & acrem patienter tulit, tanquam inferior: Neque ſuperioritatem aliquam, quam ipſi affingunt Papiſtæ, ſibi rapuit, aut Apoſtolis vel Clero, id eſt, cæteris Chriſtianis dominari voluit, ſed ſe presbyteris exæquauit, 1. *Pet.* 5.

Cæterum ad eam Pauli vtpote iunioris increpationem tanta Petri ſenioris ſubmiſſio fuit, vt non ſibi aliquid inſolenter aut arroganter aſſumſerit: vt videlicet diceret, ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere; ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat, facile conſenſit, nec deſpexit eundem, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, &c. Vid. Cypr. *in epiſt. 61. ad Quint.* & Auguſtin. *de baptiſ. contra Donatiſt. lib. 2. c. 2.*

Potuiſſet enim ipſi Paulo rurſus obijcere, quod & ipſe ſe Iudaicis ritibus immiſcuiſſet: cum tamen patrocinium gentium iam ante ſuſcepiſſet.

Nam Timotheum circũcidit, *Act.* 16. & caput in Cenchreis, more Nazaræorum, totondit, *c.* 18.

Item poſtea ad conciliandam ſibi Iudæorum gratiam, Iacobo & presbyterio ſuadente, antequam ingrederetur in Templum, ſe coram illis purificauit, *Act. c.* 21.

Ex quo etiam Porphyrius, impietatis magiſter, Paulum procacitatis arguit, quod Petrum auſus fuerit reprehendere, ac ratione conſtringere: cum tamen ille ipſe in eodem errore fuerit, in quo hæſit Petrus, teſte Hieronymo *ad Auguſtin. epiſt.* 89.

Nam Timotheum circumcidit, *Act. c.* 16. Ex quo facto magis confirmati ſunt in errore ſuo Iudæi credentes, qui ſpem ſalutis Euangelicæ, in circumciſione carnis atque huiuſmodi obſeruationibus poſitam opinati ſunt: ſine his nemini Chriſtum prodeſſe contendentes, vt Auguſtini verbis vtamur *ex lib. de mend. ad conſenſ. c.* 5.

Hinc Pontifices Romani, alijq; Eccleſiarum antiſtites, & legis Doctores paulo poſt ſecuti (vt progenies ſemper datur nequior) eius pietatis, quę ceremonias populo reſtituebat, ſpecie abrepti, etiamſi in credentium numero habebantur, vmbras legalium (in quorum vtpote ad Dei cultum & gloriam aſſignatorum æmulatione fucus religionis opponebatur) paulatim reducere tentarunt.

Atque ita ea reductione & imitatione legis Moſaicæ, atq; Iudaicarum traditionum cœperunt obſcurare lucem, à Chriſto & Apoſtolis oblatam; obtegere item beneficium ſanguinis Chriſti, & imminuere ſanctificationem per ſpiritum Dei noſtri.

Nam eiuſmodi à maioribus traditas, & tunc ex Iudaiſmo, poſtea ex gentiliſmo mutuo acceptas, & tandem procedente tempore, etiam nouiter effictas obſeruationes, non reijci debere, ſed omnino ad ſalutem neceſſarias eſſe contenderunt, & adhuc contendunt Romanenſes Papæ.

Ac vt eiuſmodi traditionibus, poſteriores inprimis Pontifices efficaciam & vim adhiberẽt: ipſi omnem dignitatem & poteſtatẽ tam in ſpiritualib. quam in temporalibus ſibi ſubiecerunt, omneſq;

mortales ad obſeruationem falſorum ſuorum dogmatum VI & ASTV coegerunt, & hucuſq; cogere ſatagunt. Vnde Canoniſtæ plenis buccis Papam, caput cœleſtis & terreni regni declamitant.

Boderus, nuperus ſcriptor, ait eiuſdem Papæ iuriſdictionem agnoſcere tam horizontem, quam omnes terminos ſiue montium ſiue marium: & ipſas anni ſoliſque vias. *Quid Principes aut homines loquor?* (inquit Lipſius, iſte D. Halenſis amplificator) *ipſi aerii, terreni, inferi ſpiritus ſiue genii verentur, ac trepidant* COELESTEM *illam* (Pontificiam) *in terris* POTESTATEM *velinuiti & reluctantes agnoſcunt.*

In huius ſuperioritatis & maieſtatis recognitionem & teſtificationem Pontificij pedes fœtidi exoſculantur, & miniſtrales calcei detergentur, iuxta quorundam opinionem. De qua re nuper quidam ita luſit:

Papa ſuos vetus abiectis vt ad oſcula prabet
Regibus (infandum) Cæſaribuſque pedes:
Calceolis ſic tergendis nouus Abba relegat:
O digna Antacyris & capita Elleboro!

Sed eiuſmodi & alia vitia innumerabilia & incomprehenſibilia poſtquam multis editis voluminibus orbi Chriſtiano innotuerunt, iuſto DEI VNIVS iudicio commiſſa ſunto: quem Deum æternum AMARE maius eſſe exiſtimamus: Item defendere populum & ſalutem publicam, quam trium dierum Papam, aut etiam plurium annorum myſtas & principes colere: A quibus vtpote MORTALIBVS repetere officii præmium æternum & immortale non licet.

SOLI DEO GLORIA.

Lectoris pro affectu habeat ſua fata libelli.

III.

DE IV. SVMMIS IMPERIIS SEV MONARCHIIS,

EARVM ORTV, INCREMENTIS, FINE, SYNchroniſmis, è Prophetia Danielis Diſſertatio:

VNIVERSALIS SIMVL HISTORIÆ ET PRÆCIpuorum in toto orbe Regnorum à Mundi Origine ad hæc vſque tempora, compendioſam

SYNOPSIN PROPONENS,

Quam ordinarii exercitii gratia

SVB PRÆSIDIO

M. CHRISTOPHORI HELVICI,
HEBRÆÆ GRÆCÆQVE LINGVARVM
PROFESSORIS ORDINARII,

Defendendam ſuſcipit

ANTONIVS Wolff SPIRENSIS.

THESIS I.

REGNORVM multorum caſus & crebras mutationes, ſicut multi deſcripſerunt Hiſtorici, poſtquam acciderunt, ita per Prophetas ſuos DEVS eaſdem multo ante quam acciderent, prænunciauit, vt & verbi ſui veritatem oſtenderet, & eccleſiam ſimul de rebus maximis, quæ ipſam attingerent, commonefaceret & inſtrueret.

2. Id quod vel maxime in quatuor illis ſummis imperijs, quas *Monarchias* vſitate appellant, elucet, vno è nobiliſſimis Danielis vaticiniis, quod fere vniuerſum mundi tempus à Diluuio ad finem vſque compendioſe comprehenſum nobis ob oculos ponit.

3. Illud

3. Illud igitur nobis iam conſtitutum eſt penitius introſpicere, & quomodo euentus cum eodem exacte congruat, ex indubitatis Hiſtoricorum teſtimoniis oſtendere. Et quoniam iucundum iuxta atq; vtiliſſimum, imo ad formãdum de rebus grauiſſimis iudicium, omnino neceſſarium eſt, habere quandam vniuerſalem hiſtoriarum à mundo condito ideam, id ſimul operam dabimus, vt totius ſyſtematis Chronologici Synopſin exhibeamus in certos articulos diſtributam, adiunctis ad ſingulas Monarchias præcipuis regnorum cæterorũ Synchroniſmis. Vere enim Polyb. *lib.* 1. inquit, particularem Hiſtoriam prorſus paululum conferre poſſe ad vniuerſi notitiam ac fidem, haud ſecus ac ſi quis vnam & alteram corporis partem ſeparatim inſpiciat, putet ſe propterea omnem animalis operationem & naturam cognouiſſe.

4. Quamuis autem vniuerſa temporum ratio recte in duas partes dirimi poſſit, Ante Chriſti & poſt Chriſti natiuitatem, tamen operæ precium eſt diſtinctius etiam per partes progredi, illa nihilominus diſtinctione ſalua manente.

5. Igitur Vniuerſalem temporum ſeriem in hos terminos diſtinguimus: I. A Mundi Origine vſq; ad diluuium (ſequentes termini, quatuor ſumma imperia, quorum initium non diu poſt Diluuium, comprehendunt:) II. Prima Monarchia. III. Secunda Monarchia. IV. Tertia Monarchia. V. Quarta Monarchia, ſub qua Chriſtus natus, & qua prorſus extincta idem mundo finem imponet, & iudicium extremum inſtituet.

6. Hanc diſtributionem temporum eo libentius ſequimur, quod & memoriæ commodiſſima, & Hiſtoriis tum ſacris tum profanis congruentiſſima, & quod caput eſt, Prophetæ Danieli apprime conſentanea.

7. Alij ex traditione domus Eliæ aliter diſtribuunt, quod in medio iam relinquimus. Et perſpicuum eſt, eam diſtributionem tantum ad res Eccleſiæ eſſe accommodatam.

TERMINVS I.

A Mundi origine ad Diluuium.

8. SOlam hic ſcripturam indubitatæ hiſtoriæ ducem habemus, cui merito omnes cæteræ Hiſtoriæ cedunt. Diſtinguitur hic Terminus per ætates Patrum decem, Adam, Seth, Enos, Kenan, Mahalaleel, Iared, Henoch, Mathuſalah μακροβιώτατος, Lamech, Noah, ſub quo diluuium Annis 1656. ab orbe condito, ex *Gen.* 5. *&* 6. *cap.*

9. Nunc de Monarchiis diſſerendum eſt, primo in genere de voce, numero, ordine Monarchiarum, vbi nobis ſimul refellendi erunt qui Monarchias impugnant: Deinde in ſpecie de ſingulis, earumque Ortu, Interitu, Synchroniſmis.

10. *Monarchiæ* voce vtimur ex recepto more pro ſummo imperio inter omnia eminente, κατ' ἐξοχὴν, iuxta ſcripturæ literam, quæ talibus Regnis *Orbis Terrarum* dominium attribuit.

11. Nabuchodonoſorem dicit Dan. cap. 2. verſ. 37. *Regem Regum eſſe, & Deum cæli omnia, in quibus habitant filij hominum, in manus eius dediſſe, ac ſub eius dominio Vniuerſa conſtituiſſe.* Et Dan. 4. v. 19. de eodem dicitur, *poteſtatem ipſius perueniſſe in terminos Vniuerſæ terræ.* De Medorum & Perſarum Monarchia Dan. 8. v. 4. ait: *Omnes beſtias non potuiſſe reſiſtere ei, neque liberari de manu eius.* De tertia dictum Dan. 2. verſ. 39. quod *imperatura ſit Vniuerſæ terræ.* De quarta Dan. 2. verſ. 40. *Omnia conteret atque comminuet.*

12. Quamobrem nihil mouemur etymologia Græca ex μόνος & ἀρχὴ, quam Bodinus obtendit in Methodo cap. 7. cum per Monarchiam nihil aliud intelligamus quam *imperium in Mundo ſummum, à Daniele præfiguratum, quod Deus præ cæteris potentia inſtruxit & dignitate ornauit, vt cætera ad illud reſpiciant.*

13. Numerus iſtorum imperiorum eſt Quaternarius. *Dan.* 2. diuiditur ſtatua 1. in caput aureum. 2. pectus & brachia argentea. 3. Ventrem & femora ærea. 4. Tibias ferreas, & pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles. Non enim hic in materiarum diuerſitate, ſed partium corporis applicatione numerus quærendus eſt. Sic *Dan.* 7. Quatuor diuerſæ beſtiæ.

14. Ordo Monarchiarum talis. 1. Aſſyriaca vel Chaldæa. 2. Perſarum. 3. Græcorum. 4. Romanorum. Priusquam de ſingulis in ſpecie agamus, refellendi ſunt, qui à nobis diſſentiunt.

Confutatio Opinionũ Anti-Monarchica.

15. Plerorumque nobis aduerſantium ſententia eſt per quatuor Metalla ſtatuæ, *Dan.* 2. & quatuor beſtias, *Dan.* 7. intelligi 1. Babylonios. 2. Perſas, 3. Alexandrum Magnum. 4. Alexandri ſucceſſores decem vſque ad Antiochum Epiphanem, quem per paruum cornu inter decem reliqua ortum, intelligunt. In quarto igitur potiſſimum à nobis diſſentiunt.

16. Hic non poſſum, quin præmittam *Caluini verba* ſup. Dan. 2. pag. 21. Sic inquit: *Hoc* (ὅραμα ſtatuæ) *extra controuerſiam quicunque præditi ſunt ſano iudicio, & candide etiam cupiunt mentem Prophetæ exponere, intelligent de Quatuor monarchiis.* Et pag. 22. *Interea verum eſt, quod dixi, nempe interpretes, qui & mediocri iudicio pollent & candore, omnes ad vnum, hunc locum exponere de monarchia Babylonica, Perſica, Græca, & Romana. Et Daniel ipſe poſtea ſuis verbis ſatis oſtendet.* Hæc Caluin. Videant igitur eius in cæteris aſſeclæ, quo iudicio tantum interpretum conſenſum impugnent.

17. Illud etiam non prætereundum, aduerſæ ſententiæ auctorem primum eſſe Porphyrium, illum Chriſtiani nominis hoſtem, quem Hieron: in Dan. refutat, ſicut & Theodoretus, qui mirari ſe ait vehementer, quod quid in Quartam Beſtiam de regno Græcorum expoſuerint.

18 Nunc, quare hæc opinio nobis non magnopere probetur, paucis oſtendemus.

Argumentum 1. Quarta Beſtia Danielis eſt prorſus alia & diuerſa ab omnibus præcedentibus. Atqui ſucceſſores Alexandri non ſunt alii aut diuerſi à præcedentibus Beſtiis. E. Succeſſores Alexandri non ſunt Quarta Beſtia. Propoſitio eſt expreſſe Daniel 7. *verſ.* 7. 12. 19. 23. (Chaldaice, *Vchi meſchania min colchenata*, item *Schania min colhon*, &c.) Aſſumtio eſt in *verſ.* 6. Nam quæro, quid ſignificetur per Quatuor Alas, & Quatuor Capita Tertiæ Beſtiæ? Reſpondent ipſimet, eſſe regna Quatuor principalia ſucceſſorum Alexandri, ſicut manifeſte exponit ipſe Dan. *cap.* 8. *verſ.* 22. Cum igitur Quatuor regna ſucceſſorum Alexandri pertineant ad Tertiam Beſtiam, profecto ad Quartam referri non poſſunt, quæ prorſus alia eſt, & numero diuerſa. Sufficere poterat hoc vnicum argumentum, ſed dabimus plura.

19. Argumentum 2. Ex priore conſequitur alterum. Paruum cornu, quod inter decem cornua enaſcitur, ex Quarta peſtia prodit. *Dan.* 7. *v.* 8. & 20. At Antiochus Epiphanes non prodit ex Quartà Beſtia, ſed ex Tertia. *Dan.* 8. *v.* 9. 22. 23. Ergo Antiochus Epiphanes non eſt cornu illud paruum, inter decem cornua enatum.

20. Argumentum 3. Cornu paruum Quartæ Beſtiæ, quod exortum eſt inter decem cornua, maius eſt cæteris, ſc. poſtquam vires acquiſiuit. *Dan.* 7. *v.* 20. (in Chaldæo, *Rab. min. Chabrathah*:) At Antiochus Epiphanes non fuit maior cæteris aut potentior vnquam. Ergo non eſt cornu illud quartæ beſtiæ. Aſſumptio liquet ex Hiſtoriis. Nam præterquam quod Parthica gens dudum antehac ſub Seleuco Callinico à Seleucidis defecerat, & Syria inteſtinis bellis plurimum debilitata fuerat (vide Appian. *Syriac.* Iuſtin. *lib.* 27.) notum eſt ad quantas anguſtias Antiochus Magnus pater Epiphanis redactus, & quanta regni parte à Romanis exutus fuerit, & quam graui inſuper tributo oneratus, Vide Liu. *dec.* 4. *lib.* 7. Flor. *li.* 2. *c.* 8. &c. Qui ergo Epiphanes cæteris ante ſe regibus maior potentiorue dici poſſit?

21. Argumentum 4. & 5. Quarta beſtia decem habuit cornua, è quibus tria à ſuccreſcente paruo fuere deiecta. *Dan.* 7. *v.* 7. 8. 20. At neq; decem cornua, neq; tria ex illis ab Epiphane euulſa in ſucceſſoribus Alexandri oſtendi poſſunt. Ergo ii ad quartam beſtiam non pertinent. Aſſumptio plana erit, vbi aduerſariorum probationem conſiderauerimus. Verum ii in diuerſa abeunt: Agendum igitur de ſingulis.

22. Primum. Franc. Iunius decem cornua ita numerat: 1. Seleucus Nicanor. 2 Antiochus Soter. 3. Antiochus Theos. 4 Seleucus Callinicus. 5. Ptolem. Euergetes. 6. Sel. Ceraunus. 7. Antiochus Hierax, quem Antiochum Magnum eſſe ait. 8. Ptolemæus philopator; 9. Seleucus philopator; 10. Antiochus Epiphanes. Tria cornua decuſſa interpretatur Ptolemæum philopatora, Seleucum philopatora & Demetrium filium, quos Epiphanes deiecerit. At vero neq; cum Daniele, neq; cum Hiſtoriis iſta recte cohærent. Nam I. Quæ cauſa, cur duo Ægypti Reges Euergetes, & Philopater connumerentur? An propter reſpectum ad Syriam & populum Dei? Atqui & Ptolemæus Lagides (Rex Ægypti in hoc ordine) Iudæos grauiſſime afflixit, & magnam multitudinem in Ægyptum captiuam abduxit, vt querulabundus teſtatur Ioſephus *lib.* 12. *c.* 1. Cur ergo & iſte non connumeratur? Deinde, cum Iunius in hac viſione reſpectum ad eccleſiam tanquam ſcopum Prophetæ vehementer vrgeat, contendens oppreſſores tantum Iudæorum ſignificari, ſcire velim cauſam, cur ipſe omiſſis, qui Iudæos afflixere, connumeret etiam illos, quibus cum nihil negocii Iudæis interceſſit, vt Antiochum Soterem, Seleucum Callinicum, Seleucum Ceraunum? Vidit hoc Brugthonus, ideoq; illos excluſit è numero. Præterea, quid Theos peccauit in Iudæos, vt decem cornibus annumeraretur, & Seleucus Nicator, de quibus nihil legitur, quod Iudæos infeſtarint? imo de Nicatore Ioſephus contrarium teſtatur, fuiſſe erga Iudæos beneficentiſſimum, *lib.* 12. *c.* 3.

23. II. Neq; aſſentiri poſſumus Iunio, quod Antiochum Hieracem cum Magno vnum facit. Siquidem Hierax frater fuit Seleuci Callinici, cum quo diu bello ciuili conflictatus fuit, teſte Iuſtino, & eodem tempore vterq; periit, teſte eodem, *lib.* 27. &c. Magnus vero filius Callinici, & frater Seleuci Cerauni, cui in regno ſucceſſit per annos 37. teſte eodem Iuſtin. & Appiano *Syriac.* & Polybio, *lib.* 5. &c.

24. III. Quod ad Tria cornua decuſſa attinet, hiſtoriæ Iunio refragantur, Demetrium Philopatris filium eſſe ab Epiphane occiſum. Nam idem Demetrius poſt Epiphanem regnauit. Ergo ab eodem occiſus non fuit. Præterea, cornua deiecta oportuit ante regnare, *cap.* 7. *verſ.* 8. At Demetrius ante Antiochum Epiphanem non regnauit, vt conſtat ex Ioſepho *lib.* 12. *cap.* 15 Appiano, *Syr.* Adhæc, tria iſta cornua oportet eſſe è numero decem cornuum, *Dan.* 7. *verſ.* 8, 20. Atqui ne ipſe quidem Iunius Demetrium inter decem cornua recenſet. Ergo neq; inter Tria illum referre poteſt.

25. *Secundo.* Vidit hoc Polanus, qui cætera cum Iunio conſentiens, per tria cornua intelligit Ptolemæum Philopatora, Antiochum Magnum, & Seleucum Philopatora. At nec huic aſſentiri poſſumus. Nam ex probatis hiſtoriis doceri non poteſt Antiochum Magnum fraude filii Epiphanis interiiſſe. Ex Iuſtino liquet, illum à plebe per ſeditionem fuiſſe interemptum propter ſacrilegium in templo Iouis Dodonæi, *lib.* 32. Vt iam non repetam, paruum illud cornu exortum è quarta beſtia, cum cornu Epiphanis ſit è tertia. Cumq; Polanus ſcopum Danielis vrgeat, eos ſc. tantum Reges ſignificari, qui Iudææ imperarint, non video cur Ptolemæus Epiphanes omittendus fuerit, qui Syriam, Phœniciam, & Iudæam loco dotis tenuit, teſte Ioſepho, *lib.* 12 *c.* 3. & Appiano *Syriac.*

26. *Tertio.* Quamobrem Brugthonus aliam prorſus viam initiit, tum in decem cornibus, tum in tri-

intribus,& quidem multo cautius,ac præcedentes. Nam decem cornua exponit decem reges promiſcue ex Ægyptio & Syriaco regno,qui negocium cum Iudæis habuerint. Paruum cornu exponit de Epiphane,vt & cæteri. Tria vero euulſa dicit eſſe Seleucum Philopatora, eiuſque filium Demetrium,& Philometorem Ægypti regem. Verum neq; huic adſtipulari poſſumus. Nam vt non repetam,quod hos omnes ad Tertiam beſtiam pertinere ſupra oſtendi, Tria cornua non quadrant. Illa enim Daniel ait euulſum iri à facie Corniculi. Atqui neq; Demetrius Philometor ab Epiphane eulſus aut deiectus fuit,ſiquidem vterq; poſt ipſum regnauit: Philometor etiam cum eo, & ante eum, vt ex hiſtoriis & Chronologico calculo conſtat. Quare nec Demetrius, nec Philometor inter tria cornua euulſa referri poteſt. Quocunque igitur te vertas,tria cornua in Græcorum Regno inueniri non poſſunt,neq; decem Quartæ beſtiæ reges.

27. Argumentum 6. Quarta beſtia duratura eſt ad Iudicium vſque extremum, ſub cuius finem Sancti Dei altiſſimi regnum ſuſcepturi ſunt. At regnum ſucceſſorum Alexandri non durauit trecentos annos in vniuerſum. Ergò Regnum ſucceſſorum Alexandri non eſt Quarta Beſtia. Propoſitio eſt *Dan.7.verſ.9.10.13.14.22.26.27.* Aſſumptio eſt manifeſta. Nam Ægypti regnum poſtremo à Romanis ſublatum eſt,cum ſtetiſſet à morte Alexandri annis 294. Ptol.*lib.3.cap.8.* Clemens Alex.

28. Excipiunt illi, notatos verſus de Iudicio Dei particulari in Seleucidas exercendo intelligi, quo Iudæi recepturi ſint regnum ſub Maccabæis,itemque de aduentu Chriſti primo. Verum huic interpretationi multa in textu obſtant. I. Filius hominis venit cum nubibus cœli, & quidem in magna potentia, & dominio, *verſ.13.14.* quæ eſt deſcriptio extremi iudicii, *Luc.21.verſ.27. Matth.24. verſ.30.&c.* II. Filius hominis aduenit ad iudicium. *verſ.9.10.26.* Chriſtus autem primo aduentu non venit,vt iudicaret. *Iohan.3.verſ.17. & cap.12.verſ.47.* III. Forma iudicii & modus eſt collatio Thronorum, vbi Deus Pater cum Filio ſedet in Throno maieſtatis,cum aſſeſſoribus iudicii, & libri aperiuntur conſidente iudicio. *verſ.9.10.13.14.26.* quæ rurſum eſt deſcriptio extremi iudicii & nota indubitata, *Matth.19.verſ.28. Luc.22.verſ.30. Apocal.20.verſ.12.13.14.15.* IV. Sanctis datur iudicium vt & ipſi iudicent, *verſ.22. Luc.22.verſ.30.* 1. Corinth.6. verſ.2.3. *An neſcitis,quod Sancti mundum iudicabunt?* Atqui id de Sanctis in hac vita dici non poteſt.

29. Argumentum 7. In hoc iudicio, exacta quatuor beſtiarum periodo, Sanctis datur Regnum, & maieſtas,& amplitudo Regnorum ſub toto cœlo,quod poſſidebunt vſque in ſeculum, & vſque in ſecula ſeculorum, *c.7.verſ.18.22.27.* Atqui Maccabæi non tenuerunt regnum amplius annis 126. vt Ioſephus numerat,vſque ad Heroden. Quare regnum Sanctorum poſt quatuor beſtias non poteſt exponi de Maccabæis. Præterea in Epiphane nequaquam Iudæis ærumnarum finis fuit, ſed & poſtea quum libertatem diu iam tenuiſſent, Ptolomæus Lathurus rex Ægypti longe crudeliſſimam perſecutionem denuo in ipſos exercuit,referente Ioſepho *lib.13.cap.21.* quod notari apprime velim. Quantæ etiam turbæ in regno Iudaico fuerint temporibus Alexandræ, Ariſtobuli, Hircani, è Ioſepho videre eſt. Quomodo ergo à tempore Epiphanis dici poteſt iudicium datum Iudæis? & tempus adueniſſe, quo abolitis beſtiis inimicis poſſiderent regnum in ſecula ſeculorum? vt omnes poteſtates eis obedirent? Vidit id Hieronymus quoq;,aiens, ſi hoc de Maccabæis intelligitur, doceat, qui iſta contendit,quomodo regnum eorum perpetuum ſit, comment. in Dan.

30. Hinc etiam conſtare poteſt, quam dura ſit expoſitio Polani tribuentis hanc regni poſſeſſionem gentibus, à Nabuchodonoſore ad Maccabæos, in ſeculum vſque & ſeculorum ſeculum, id eſt, 432. annos. Phraſin enim iſtam non tempus determinatum, ſed æternam gloriam ſanctorum, & plenariam regni cœleſtis poſſeſſionem ſignificare,textus ſatis oſtendit. Vnde porro etiam illi refelluntur,qui Quartam Beſtiam Romanam quidem Monarchiam intelligunt, ſed non extendunt vltra Natalem Chriſti, verum regnum Chriſti ſpirituale intelligunt. Nam hanc regni deſcriptionem in Daniele non Eccleſiæ afflictæ & militanti, ſed in cœlis glorioſe triumphanti competere, ex textu, & hactenus dictis perſpicuum eſt.

31 Denique nimis aliena eſt Bodini expoſitio, per quatuor Beſtias intelligentis Medos, Perſas, Græcos, Parthos, quatenus Babylonem ſubegerint. Neque enim probari poteſt Danielem ſolum ad Babylonis expugnationes reſpexiſſe, neque cæteræ etiam circumſtantiæ in Quarta Beſtia in Parthos quadrant, vt cuilibet periculum facienti conſtare poteſt. Quamobrem hæc expoſitio admitti non debet.

32 Retinemus igitur merito receptam hactenus, eſt communi calculo Doctorum Eccleſiæ approbatam de Quatuor ſummis in mundo imperiis, ſententiam, quam in ſequentibus ad Danielis vaticinium conteremus. Obiter hic noto; apud Suidam prorſus iiſdem verbis ſeriem Monarchiarum recenſeri: [illegible] in voce Ῥωμαῖοι. Facit etiam nobiſcum Dionyſ. Halicarnaſſeus, *lib.1.proœm.* vbi ſummas ἀρχὰς enumerat Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum.

TERMINVS II.

Prima Monarchia Chaldæorum,ſeu Aſſyriorum.

33. Chaldæorum imperiũ expreſſe apud Daniel. primum nominatur in perſona Nabuchodon, *c.2.v.37.* Vbi non quidem negandum eſt, præcipue intelligi Nabuchodonoſorem, eiq; hoc ἀξίωμα præ cæteris tribui, cęteros tamen pręcedẽtes minime excludi patet è v.39. *Poſt te cõſurget regnũ aliud.*

aliud. Atqui defuncto Nabuchodonoſore non ſurgebat regnum aliud, vſque ad Nabonidum, vel Labynetum. Ergo id non de Nabuchodonoſore ſolum, ſed & reliquis huius imperii dynaſtis intelligendum. Nam ſi Monarchias ex numero Regum metiamur, infinitas habituri ſumus, non tantum Quatuor. Ac diſerte ſcriptura teſtatur, Babylonicum regnum eſſe primum, à Nimrodo conſtitutum, *Gen.* 10. *v.* 9.

34. Huc faciunt teſtimonia hiſtoricorum, qui vnanimi conſenſu imperium primum Aſſyriis adſcribunt. Vide Iuſtin. lib. 1. *Primus omnium*, inquit, *Ninus Rex Aſſyriorum veterem, & quaſi auitum gentium morem noua imperiorum cupiditate mutauit.* Item: *Ninus magnitudinem quaſita dominationis continua poſſeſſione firmauit. Primus intulit bella finitimis, & rudes ad reſiſtendum populos ad Libya terminos vſq; perdomuit.* Sic Diodorus, Ninum primum eſſe ait τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων. Vide & Dionyſ. *lib.* 1. Et Oroſius lib. 2. c. 2. *Omnes Hiſtoriæ*, inquit, *à Nino incipiunt.* Item: *Primum omnium Aſia regnaſſe* (verba ſunt Hieron. in Oſeæ 2.) *Ninum Beli filium, omnes, & Græca & Barbara narrant hiſtoria.*

35. Quamobrem initium Monarchiæ Babylonicæ conſtituimus in Nimrodo, qui cœpit potens eſſe in terra, *Gen.* 10. *verſ.* 9. ſiue is ſit ipſe Ninus, quod vult Mercator, ſiue Nini pater Belus, qui Babylonem condidit, vt volunt alii.

36. Cæterum cum varias mutationes paſſum fuerit hoc imperium, operæ precium erit in certas aliquot dynaſtias id diſtinguere. Dynaſtias voco inſignes regni, ſiue quo ad familiam, ſiue quoad politiæ modum & formam, mutationes. Prima eſt, à Nimrodo, vel ſi mauis, Nino, ad caſum Sardanapali. Si Diodorum & Cteſiam ſequamur, à Nino ad Sardanapali caſum anni ſunt 1360. quando ipſe ab Arbace Medorum præfecto victus & imperio exutus fuit. Huius rebellionis conſcius & ſocius Beleſis fuit, cui Arbaces Babylonem & Aſſyriam commendauit, ipſe in Medos profectus. Dynaſtia igitur ſecunda eſt diuiſi imperii in Aſſyrios & Medos. Medi vſq; ad quartam ætatem, vt Dionyſ. inquit, *lib.* 1. regnum tenuere, id eſt, vltra annos 300. vt affirmat Cteſias, exuti à Cyro, vt Herodotus & Iuſtinus, &c. ſcribunt. Aſſyrii vero progreſſu temporis potentia aucti regnum Iſrael ſæpius infeſtarunt, tandem prorſus deleuerunt, abductis in captiuitatem X. tribubus, vt eſt in 2. *Regum.* Per eadem tempora exorta eſt noua dynaſtia Babylone, quam tertiam appellare poſſis, auctore Nabonaſſare, à quo celeberrima illa Chaldæorum Aſtronomorum Æra initium ducit. Hæc poſtea Aſſyriorum illam ſecundam ſuſtulit, vt è Ioſepho videre eſt *lib.* 10. Atq; ex hac tandem prodiit Nabuchodonoſor, qui fortitudine, felicitate, & potentia, præcedentes reges omnes facile ſuperauit, vt & Danielis elogium oſtendit, & hiſtoriæ Ethnicæ Beroſi ac Philoſtrati apud Ioſeph. Megaſthenis apud Euſeb. & Ioſeph. & Strab. Abydeni ac Manethonis apud Euſeb. teſtantur.

37. Tandem hoc imperium non multo poſt Nabuchodonoſorem à Cyro ſublatum & in Perſiam tranſlatum eſt, de qua re Daniel. *cap.* 5. Herodot. *lib.* 1. Iuſtin. *lib.* 1. Beroſus apud Ioſeph. 1. *contra Apionem, &c.*

38. Hanc primam Monarchiam Daniel *cap.* 2. *v.* 38. Aureo capiti confert. Vt enim caput ſumma pars corporis eſt, ita hæc prima & ſumma Monarchiarum eſt. *Aurea* dicitur, quia inter cæteras nobiliſſima.

39. Confertur *Leoni* ob generoſos & heroica animi magnitudine præditos Monarchas, vt iam de Nabuchodonoſore dictum. Poteſt & de præcedentibus intelligi, vt Nimrodo, Nino, Semiramide, quæ non fœminas modo virtute, ſed & viros anteiuit, vt Iuſtin. habet. Itaq; Alexander Magnus non alium gentium harum magis admiratus eſt, quam Cyrum, & Semiramin, in queis & magnitudinem animi, & claritatem rerum longe emicuiſſe credebat. Curt. *lib.* 7.

40. *Aquilæ Alas* dicitur habuiſſe Leo, vel propter celeritatem ſummam victoriarum & felicitatem, vt exponitur Ierem. 4. *verſ.* 7. 13. Ezech. 17. *verſ.* 3. *Thr.* 4. *verſ.* 19. Habacuc. 1. *ver.* 8. Vel propter ſuperbiam, ex Eſa. 14. *verſ.* 13. 14. 15. Sunt qui de diuiſo imperio Aſſyriorum & Medorum intelligant. *Alæ iſtæ euelluntur*, cum à Cyro deſtructum ad Perſas tranſiit.

41. *Leo ſublatus eſt de terra*, vel quando imperium euerſum, vel eleuatus eſſe dicitur (nam vtroque modo exponi poteſt) quod nimium ſibi arrogarint reges iſti, diuinoſq; honores affectarint, vt in Sennacheribo *Eſ.* 37. *ver.* 17. &c. Nabuchodonoſore, *Dan.* 3. & 4. item Belſazare, *Dan.* 5. &c. patet.

Quamobrem *poſtea ſuper pedes quaſi Homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei*, cum enim ex ſuperbia velut in aere volitarent, poſtmodum tamen humanam ſortem experti ſunt, & cor illud leoninum exemptum, vt videre eſt in Sennacheribo. 2. *Reg.* 19. cuius monumentum poſt illam cladem immanem Herodotus memorat in Ægyptiaco quodam templo extructum cum hac inſcriptione, εἰς ἐμέ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω. *lib.* 2. In Nabuchodonoſore ſimiliter cum ad ſeſe rediſſet poſt ſeptennem metamorphoſin. *Dan.* 4. *v.* 29. In Belſazare, *Dan.* 5. Atq; hæc eſt Monarchia prima, de cuius Synchroniſmis breuiter nunc dicemus.

Synchroniſmi.

42. IN primam Monarchiam incidunt 1. Res Eccleſiæ à Diluuio vſque ad excidium Hieroſolymorum ſub Nabuchodonoſore. 2. Regnum Ægypti. 3. Germanorum. 4. Sicyoniorum. 5. Argiuorum, & Mycenarum. 6. Athenienſium. 7. Troianorum, 8. Aboriginum, & Latinorum. 9 Lacedæmoniorum. 10. Corinthiorum. 11. Lydorum. 12. Macedonum. 13. Tyriorum. 14. Syrorum, & aliarum Græciæ ciuitatum.

43. Res Eccleſiæ & Hebræi populi præcipuum momentum obtinent in Monarchia I. ad quas omnes Hiſtoriæ exoticæ dirigi debent. Res enim Aſſyriorum, vel ob antiquitatem, vel ob Chronologiæ ſuæ incertitudinem, vel quod memoratu indignæ, [illegible] obſcuro plæræq; latent. Sunt autem Hebræi populi dynaſtiæ potiſſimum tres. 1. πατριαρχικὴ ſub Patriarchis vſque ad Ioſephum in Ægypto. 2. ἡγεμονικὴ ſub Ducibus & Iudicibus, à Moſe vſq; ad Samuelem, incluſiue. 3. βασιλικὴ à Saule vſque ad excidium Hieroſolymorum, vbi includenda diuiſio regni Iuda & Iſrael poſt Salomonem.

44. Totam vero Hiſtoriam complecti facilime licet his Epochis:

A Diluuio ad Natiuitatem Abrahami, anni 292. ex ætatibus patriarcharum, *Gen.* 11.

Inde ad Abrahami vocationem diuinam, anni 75 *Gen.* 12. *v.* 4.

Inde ad exitum Hebræorum ex Ægypto, anni 430. *Exod.* 12. *verſ.* 40. *Gal.* 3. *verſ.* 17.

Hinc ad Templum Salomonis anni 480. 1. *Reg.* 6. *verſ.* 1.

Hinc ad diuiſionem regni Iſraelitici anni 37. Nam anno quarto Salomonis templum cœptum ædificari, 1. *Reg.* 6. *verſ.* 1. & *c.* 11. *v.* 35. Salomon vero regnauit annos 40. 1. *Reg.* 11. 42.

A diuiſione regni & idololatria Ieroboami ad excidium Hieroſolymorum, anni 390. *Ezech.* 4. *v.* 5.

Hinc anni 60. ad Solutionem captiuitatis Babylonicæ, & initium Monarchiæ ſecundæ. Nam decem anni aut vndecim iam tranſacti fuerant à captiuitate Iechoniæ *Ezech.* 3 . *v.* 21. & *c.* 26. *v.* 1. & 2. *Reg.* 24. *ver.* 18. Perſpicua eſt hæc & compendioſa, tot ſeculorum in ipſis ſacris fontibus conſignata comprehenſio: Quæ ſimul euentus maxime memorabiles & limites hiſtoriarum tum ſacræ tum exoticæ pulcherrime oſtendit, quamobrem omnibus debet eſſe gratiſſima.

45. Regnum Ægypti ab vltima antiquitate repetitum à Manethone Ægyptio ſacerdote & in certas dynaſtias diſtinctum fuit, quæ, ut ab Africano excerptas edidit Scaliger, ab origine quidem longiſſime ſupra annos mundi excurrunt, in poſterioribus tamen ſeculis cum ſacra hiſtoria non male conueniunt. Durat hoc regnum ad ſecundam vſq; Monarchiam.

46. Germanorum regnum ab Auentino inchoatur in Tuiſcone filio Noæ, anno 111. poſt diluuium, & deducitur ad tempora vſq; Dauidis.

47. Sicyoniorum ab Ægialeo, regnum vetuſtiſſimum, per reges gubernatum vſq; ad tempora poſt Troiæ excidium, quibus ſuccedens Dynaſtia ſecunda Septem Sacerdotum Apollinis, durat vſque ad reditum Heraclidarum in Peloponneſum, temporibus Eli ſacerdotis: atque ſic regnum defecit.

48. Argiuorum ab Inacho, cœpit temporibus Iſaaci vſq; ad regnum Mycenarum, conſurgens ab vltimo anno Acriſii centum circiter annis ante bellum Troianum, quod in tempora Iephthe incidit. Mycenis regnarunt Pelopidæ & Atridæ vſq; ad reditum Heraclidarum in Peloponneſum, qui eiectis Atridis regno finem fecerunt.

49. Athenienſium à Cecrope rege primo, temporibus Moſis adulti vſq; ad Codrum regem vltimum qui ſe pro ſalute patriæ hoſtibus deuouit tempore Saulis regis Hebræorum. Hinc dynaſtia ſecunda Archonton perpetuorum à Medonte Codri filio, vſq; ad Archontes Decennales in Dynaſtia tertia. Incipiunt hi temporibus Iothami regis Iuda & durant anno 70. vſq; ad Dynaſtian 4. Archonton annuorum, quæ politiæ forma in tertiam vſq; Monarchiam permanſit. Concuſſa tamen aliquoties fuit, vt à ſeditioſo Cylone, paulo ante excidium Hieroſolymorum, item à Piſiſtrato tyranno non multo poſt.

50. Troianum regnum, autore Dardano, initium ſumit circa exitum Hebræorum ex Ægypto, & durat ad annos 300. vſq; ad Troiæ excidium, quod incidit in tempora Ebzan Hebræorum Iudicis. Atq; hic eſt finis regni Troiani.

51. Aboriginum regnum, qui poſtea Latini dicti, à Iano, temporibus Deboræ & Barac Iudicum, durat annos circiter 150. ad tempus Troiani excidii, cuius anno ſecundo Æneas in Italiam venit, & ſocer Latini factus, dynaſtian ſecundam ſuſcitat Æneadarum, quæ durat ad initium Vrbis Romæ annos 430. Hinc à Roma condita ſurgit tertia Dynaſtia regum Romanorum temporibus Iotham regis Iudæ, per annos 244. vſq; in ſecundam Monarchiam.

52. Lacedæmoniorum reges in dynaſtia prima ab Eurota annorum ſerie deſtituuntur. Secundam Dynaſtian conſtituunt Heraclidæ, annis 80. à Troiano excidio in Peloponneſum redeuntes. Atq; ex gemina familia Proclis & Euryſthenis fratrum, ſemper binos reges habuerunt, per multa ſecula in tertiam vſque Monarchiam. Ephororum Magiſtratus paulo poſt tempora Romæ conditæ inſtitutus eſt. In hanc dynaſtian incidit initium Olympiadum, anno mundi 3174. temporibus Vſiæ Aſariæ regis Iuda.

53. Corinthiorum item regnum dynaſtian primam Siſyphidarum obſcuram habet. Secunda ab Heraclidis eodem tempore quo Lacedæmoniorum conſtituitur, ex familia Aletæ de poſteritate Herculis. Dynaſtia tertia eſt Bacciadarum. itidem ex progenie Herculis, tempore Aſſa regis Iuda. Dynaſtia quarta Prytaneon (Archonton ſeu Prætorum) annuorum, tempore Aſariæ regis Iuda. Dynaſtia quinta Cypſelidarum, Cypſeli videlicet & Periandri, tyrannorum. Periandro occiſo libertatem Corinthii recuperant, tempore captiuitatis Babylonicæ.

54. Lydorum quoque dynaſtia prima Atyadarum obſcura eſt. Secunda Heraclidarum ab Agrone circa tempora Iair Iudicis Hebræorum initium capit & durat annos 505. teſte Herodot. Hinc tertia Mermnadarum incipit tempore Ezechiæ regis Iudæ, & durat à Gyge ad Crœſum à Cyro victum, anno. 170.

55. Macedonum regnum à Carano Heraclida temporibus Amaziæ regis Iuda, durat in tertiam vſq; Monarchiam.

56. Tyrii regni fragmentum in Ioſepho è *Phœnicum annalibus* extat, ab Hiramo tempore Salomonis, cui ad ædificium templi ligna ſuppeditauit. Egregie cum Sacra hiſtoria conuenit, quare nobis merito gratiſſimum eſſe debet.

57. Syrorum regum in ſacris, & aliarum Græcarum Rerump. in Pauſania, fit mentio, ſed cum annorum ſerie deſtituantur, hic omittimus.

TERMINVS III.

Secunda Monarchia, Perſica.

58. SVccedit Monarchia Perſica à Cyro condita, deuicto Nabonido ſeu Labyneto, vltimo Babylonis rege. Quæ comparatur *Pectori & Brachiis*, in coloſſo Nabuchodonoſoris, *Dan.* 2. quia vbi caput deſinit, ibi collum incipit, & pectus cum brachiis, quæ duo regna Medicum & Perſicum deſignant.

59. *Argenteum* eſt hoc pectus, quo indicari putant diuitias huius regni. Vide *Eſth.* 1. *& c.* 3. Haman Perſici regni princeps Regi Aſſuero pendit 10000. talenta. *Diodorus* autor eſt, Alexandrum Magnum Suſis captis inueniſſe in theſauris regiis, argenti & auri non ſignati amplius 40000. talenta, & præter hæc 9000. talentorum auri, monetæ Daricæ. *Curtius* in expugnatione Perſepoleos, ait, ingentem pecuniæ captiuæ modum tradi, prope vt fidem excedat. Nominat autem 120000. talenta auri, & captis Paſagardis 6000. talentorum, *lib.* 5. *num.* 6. Strabo omnia complexus 180000. talenta dicit. *Plinius*, Cyrum deuicta Aſia ſcribit inueniſſe pondo auri 34000. Vide & *Eſaia* 45. *verſ.* 3. Appellatur hoc regnum *minus* Babylonico ſeu *inferius*, quod non tam de potentia quam dignitate intelligi par eſt. Nam fuit ſane potentiſſimum.

60. Confertur *Vrſo*, propter ferociam & dominandi cupiditatem, vnde ei dicitur, *Surge, comede carnes multas.*

Ex parte ſtetiſſe dicitur, propter Iudæos, quos beneficiis affecerunt Perſæ, quamuis ad aliquod tempus ædificium templi impediuerint, vt eſt in *lib. Eſra.*

Tres dentes inſignes tribuuntur, per quos intelligunt tres reges, Cyrum, Darium Hyſtaſpiden, & Xerxen, qui præ cæteris potentiam regni auxerunt. Herod. Iuſtin. Hieronymus dicit præcipua regna, Perſicum, Medicum, Babylonicum intelligi. De Aſſuero legimus, tenuiſſe 127. prouincias. Eſth. 1. *verſ.* 1. *Comediſſe* dicitur *carnes plurimas*, ob victorias & populos debellatos, vt ex dictis patet. Nota eſt vox Tomyris de Cyro, *ſatia te ſanguine quem inſatiabili cupiditate ſitiiſti.* Et Cambyſis, Darii, Xerxis, bella huc pertinent.

61. Dan. 8. confertur *Arieti*, quod exponunt de beneficiis erga populum Dei, ſicut Aries lana homines veſtit, carne alit. *Aries Bicornis* eſt, ob regnum Medicum & Perſicum, interprete ipſo Daniele verſ. 20. *Aries ventilat cornua ad Occidentem, Aquilonem & Meridiem*, vbi notandum Orientem non poni, quia Perſia in ipſo Oriente ſita eſt. *Occidentem* impugnat, cum Syriam ſubegit, Palæſtinam, Babylonem. *Aquilonem*, quando Scythis, quod à Cyro & Dario Hyſtaſpida factum, *Herod.* Item Lydiam à Cyro ſubactam notat, id. *Meridiem*, vbi Ægyptum Cambyſes ſubiugauit, & rebellem Xerxes recepit, *Herod.* itē Artaxerxes Longimanus, *Diod.* item Ochus, teſte *Manetho & Diodoro.*

62. Durauit ad annos 200. à tempore occupatæ Aſiæ. Sed ab initio Cyri annos 228. *Agathia* auctore, ſeu connumeratis initio & fine annos 230. *Euſeb.* Hinc *Dionyſ. lib.* 1. inquit, paulo ſupra annos 200. ſtetiſſe. Finis eſt in Dario vltimo, quem Iuſtinus Codomanum vocat. Hic victus & imperio deiectus ab Alexandro Magno, anno Olympiad. 112. 2. Ineunte, *Diod. lib.* 7. Qui *Hircus eſt* Danielis, cap. 8. interprete Angelo, verſ. 21. Dicit propheta, *neminem potuiſſe Arietem liberare.* Nam Alexander pecuniam omnem reſpuit, & regni partem oblatam repudiauit. Solus rerum potiri cupiebat, quia ſc. nec mundus duos Soles ferre poſſet. Vide literas mutuas Darii & Alexandri apud Curt. *lib.* 4. *initio, &* Iuſtin. *lib.* 11.

63. Cæterum cum ſub initium huius Monarchiæ deſinat Chronologiæ in Bibliis continuatio, ſingulari Dei beneficio factum eſt, vt circa idem tempus extera Hiſtoria quaſi in locum ſuccedat, & compluribus Epochis diuerſis præcedentia ac ſequentia tempora cum biblica hiſtoria connectat, vt ſunt Olympiades, Archontes Athenienſium, Anni vrbis conditæ, & Romani Conſules, inprimis vero Æra Nabonaſſari Aſtronomica, quæ vel ſola auro contra cara eſt. De alligatione harum ærarum ad annos mundi vide tres eruditas *Diſputationes* Ioannis Behm Theologiæ D. &c.

Synchroniſmi.

64. IN ſecundam Monarchiam cadunt 1. *Res Eccleſiæ* poſt captiuitatis Babylonicæ ſolutionem, ſub Ducibus vſq; ad Alexandrum Magnum, perturbatæ ſane & afflictæ. Ædificium templi ſecundi ſub Dario. Hiſtoria Eſræ & Nehemiæ. Initium 70. Danielis Hebdomadum.

Deinde Regna in prima Monarchia exorta, vt Ægyptiorum, quod ad Perſas tranſtulit Cambyſes, & cum aliquoties rebellaſſent, ſemper ſub iugum redacti ſunt, vſq; ad tertiam Monarchiam Græcorum. Herod. Diod.

Romanum, cuius inſignis mutatio de regio ſtatu in Democraticum ſub Conſulibus, tempore Darii Hyſtaſpidæ. Inde anni 60. ad Decemuiros, Cicerone teſte, paulo poſt rurſus res ad Coſſ. rediit, in-

diit. inde Tribuni militum conſulari poteſtate, tandem Conſulum poteſtas reſtituta, quæ in quartam vſque Monarchiam permanſit. Ex Liu. & Dionyſ.

Lacedæmoniorum Reſp. & *Athenienſium*, quæ annuis ſuis Archontibus magnam lucem hiſtoriis infert. Harum duarum præcipue celebratur memorabilis victoria de Xerxe. Herod. Diodor. &c. Et poſtea vtriuſque mutuum bellum, Peloponneſiacum, quo Athenienſes prorſus attriti. Thucyd.

Thebanorum Reſpubl. quæ non multo poſt bellum Peloponneſiacum, vires Lacedæmoniorum vehementer fregit, ipſa vero paulo poſt ab Alexandro M. omnino deſtruitur. Diod. Iuſtin.

Phocenſium Reſpubl. de qua nihil memorabile præter Bellum Sacrum, circa Monarchiæ huius finem. Diod.

Macedonicum regnum, de quo pauca ante Philippum Alexandri patrem. Vterque mutuis Græcarum ciuitatum bellis & ruinis, potentiam ſuam auget, *Vide* Iuſtin. *lib.* 8. 11.

Siciliæ regnum, cuius tyrannus Gelo memoratur cum ſucceſſoribus: durat in tertiam vſque Monarchiam à Xerxis tempore. Diodor.

Francorum regnum ex Troianis oriundorum, à Marcomiro Antenoris F. ex Scythia ducuntur ad oſtia Rheni, ibique ſedibus fixis per multa ſecula habitant vſque ad annum Chriſti 419. quo tempore in Galliam tranſierunt, imperante Theodoſio iuniore, teſte Trithem. & Paulo Æmilio.

TERMINVS IV.

Tertia Monarchia Græcorum.

65. SEquitur Tertia Græcorum, cuius conditor Alexander Magnus Philippi Macedonis F. victo ad Arbela Dario vltimo Perſarum. Significatur apud Dan. per *Tertiam Beſtiam*, Pardum quadricipitem & τετράκερων: item Dan. 8. per *Hircum quadricornem*, qui expreſſe rex Græcorum dicitur *verſ.* 21. Huc facit, quod Græci ante primum Alexandri cum Perſis congreſſum, quando conuentum in Iſthmo habuere, communi ſuffragio ducem Alexandrum contra Perſas elegerunt, Plutarch. Alexand.

66. *Pardo alato* aſſimilatur ob admirandam velocitatem. Duodecim enim annis pene vniuerſum orbem terrarum ſubegit, teſtibus hiſtoriis, vnde cornupetæ Hirco comparatur, qui terram non contingat, *Dan.* 8. *v.* 5. & quidem ab Occidente, Græcia ſcilicet, quæ reſpectu Aſiæ ad Occidentem ſita eſt. Afferunt & plures comparationis cauſas, quod pardus ſit variis maculis conſpicuus, quod pellem habeat odoriferam, quod alias beſtias venetur, naturæ ſagacitate polleat, vino capiatur: Ita enim Alexander multis virtutibus & vitiis permixtis conſpicuus fuit, è membris eius ſuauis exhalauit fragrantia, regna multa ac varia ſubegit, in acie inſtruenda circumſpectiſſimus & ſagaciſſimus fuit, denique vino quoque ſuperari ſe paſſus fuit, quem nulla vis domare potuit, vt hæc à Plutarcho, Arriano, Diodoro, Curtio, &c. prolixe deſcribuntur.

67. *Hirco Caprarum* etiam propter intemperantiam comparatur, ſiue id ad Alexandrum referas, ſiue potius ad luxum, mollitiem & libidines regum ſequentium. Vide Strab. compendioſe *lib.* 17. Sunt qui exponant de eo, quod Alexander conſtitutus ſit dux Græcorum. Peculiariter autem Alexander notatur per *inſigne Cornu in fronte Hirci*, quia rex primus in hac Monarchia fuit, *Dan.* 8. *verſ.* 21.

68. *Vniuerſæ terræ* imperium tribuitur ei, *Dan.* 8. *v.* 5. *& c.* 2. *verſ.* 39. ſicut Iuſtin. inquit, *incertum eſſe, vtrum admirabilius ſit Alexandrum viciſſe Orbem, quam vincere aggreſſum eſſe.* Adeo enim totum terrarum orbem nominis Alexandri terror inuaſerat, vt cunctæ gentes veluti deſtinato ſibi regi adulati fuerint. Hac igitur de cauſa Babyloniam feſtinauit velut conuentum Orbis terrarum acturus, Iuſtin. *lib.* 12. Vide & Arrian. *lib.* 7.

69. Comparatur *Ventri* Dan. 2. ad ſignificandam ſummam Alexandri intemperantiam, de qua Curt. *lib.* 5. Iuſtin. *lib.* 12. velut ſupra. *Ventri Æneo*, quod fama eius atque rerum geſtarum gloria, vnde Magni cognomen tulit, Curt. *lib.* 1. totum terrarum orbem perſonuerit. Æs enim eſt tinnulum & ſonorum. Vide rurſus Arrian. *dict. loco.*

70. Cæterum *Quatuor capita Pardo*, & *Hirco Quatuor cornua* tribuuntur propter quatuor Regna principalia, quæ poſt obitum Alexandri ex hoc imperio enata ſunt. Syriacum, Ægyptiacum, Macedonicum, Aſiaticum: interprete Dan. *cap.* 8. *verſ.* 22. & teſte Polybio *lib.* 5. *p.* 473. Quamuis enim Curtius & Iuſtin. &c. plures Satrapias pro numero ſcilicet Ducum recenſeant, tamen manifeſtum eſt, quatuor illas præcipuas fuiſſe. Nam & Ioſephus tantum Syriæ, Ægypti, Macedoniæ, Aſiæ & Helleſponti dynaſtas tanquam potiores enumerat, quibus in mutua bella ruentibus cęteri ſe adiunxerunt, atque ita paulatim abſumpti fuerunt. Et quanquam ab initio rerum ſumma ad Aridæum Alexandri fratrem delata fuit, eique adminiſtrator adiunctus Perdiccas, vt apud Curt. videre eſt, poſt ea tamen interfecto Aridæo Duces illi regium titulum vſurpare cœperunt, Iuſtin. *libr.* 15. Plutarch. Demetr. &c. Regnum Aſiæ breui tempore ad Syriæ regnum acceſſit, itemque Helleſpontus.

71. Interea Romanæ vrbis creuit potentia, quæ progreſſu temporis omnia iſta regna in poteſtatem ſuam redegit. Primum quidem Aſiam minorem victo Antiocho Magno, Liu. *lib.* 37. Iuſtin. *lib.* 31. ſub hæc Macedoniam victo Perſeo annis 156. à morte Alexandri. Poſtea Syriam victo Tigra-

ne à Pompeio, annis 260. circiter à morte Alexandri, Liu. Plutarch. Iuſt. Tandem Ægyptum, quam primus occupauit Iulius Cæſar, victo rege Ptolomæo Dionyſio, regnum tamen Cleopatræ ſorori eius conceſſit, donec tandem Octauianus Auguſtus Ægyptum victo Antonio & Cleopatra in prouinciam redegit, Plutarch. Anton. &c. annis 294. à morte Alexandri, Ptolem. *lib.* 3. *c.* 8.

72. Si quis quæsat, quomodo quatuor Regna vnam Monarchiam conſtituant, reſpondemus non per ſe ſeparatim conſiderata, ſed coniunctim hoc axioma mereri, haud ſecus ac demortuo principe, omnes præfecti coniunctim repræſentant principem, adeo vt ſi qua pars ditionis ab extero quopiam auellatur, illa non præfecto, ſed toti principatui decedat. Ita Romani etiam erepta Aſia, occupata Macedonia, Græcia, Syria, diminuere quidem Monarchiam Græcorum dicuntur, extinxiſſe vero & ad ſe tranſtuliſſe dici proprie non poſſunt, antequam vltimam partem Ægyptum ſubegerint.

73. Durauit hæc Monarchia exacte 300. annos. Nam à morte Alexandri ſunt anni 294. ad mortem Cleopatræ, Ptolomeo teſte. Adde 6. regni Alexandri à morte Darii ex Diod. & Adriano, habes 300. quos expreſſe & Africanus, & ex eo Euſeb. *de Demonſtr. Euang.* atque Hieron. *in Dan.* 9. nominant. Poteſt autem totum Monarchiæ tempus in duos inſignes articulos diſtingui, à morte Alexandri ad Antiochum Epiphanem & profanationem templi, inde Maccabæorum dominatus à morte Epiphanis vſque ad quartam Monarchiam.

SYNCHRONISMI.

74. 1. Res Hebræorum præter hiſtoriam Iaddi Pontificis Alexandro obuiam euntis, Ioſeph. *lib.* 11. *c.* 8. & Ptolomæi Lagidæ in Iudæos perfidiam *lib.* 12. *c.* 1. nihil memorabile habent vſque ad Antiochum Epiphanem, cuius crudelis in Iudæos tyrannis & perſecutio, templique profanatio, ante annos 400. à Daniele *c.* 8. *v.* 11. prædicta celebris eſt. Inde Maccabæi ſeu Haſmonæi libertatem armis recuperant, & repurgato templo, principatu potiuntur ad annos 126. iuxta Ioſephum *lib.* 14. *c. vlt.* vſque ad Herodis regnum, quum Hieroſolymam cepit. Id quod contigit annis 7. ante victoriam Actiacam, & finem tertiæ Monarchiæ, teſte eodem Ioſeph. *lib.* 15. *c.* 7.

2. Dynaſtiam Thraciæ Lyſimachus vnus è ducibus Alex. ad annos 40. tenuit, occiſus poſtea à Seleuco, Appian. Diod. Iuſt.

3. Eodem tempore à Lyſimacho defecit præfectus Pergamenſis Philetærus, vnde ortum regnum Pergamenſe ſeu Bithyniæ Eumenis, Attali, &c. Strab. *lib.* 13. De quibus aliquoties in hiſtoria Romana. Regnum tandem deficiente ſtirpe, ad Romanos ex teſtamento deuenit.

4. Regnum Parthorum, qui à Syriæ regibus Callinico & Hierace fratribus in mutua bella ruentibus defecerunt, & in magnam potentiam excreuerunt, adeo vt ſequentibus temporibus multum negotii Romanis faceſſerint, durat in quartam vſque Monarchiam ad tempora Alexandri Seueri Imperatoris, vt videre eſt è Iuſt. *lib.* 41. 42. Appiano & Sexto Ruf.

5. Regnum Scotorum initium ſumit circa tempora Alex. Magni, Hector Boeth. ac durat per multa ſecula hucuſque. Eius mentio in Tacito, Solino.

6. Regna Armeniæ, Ponti, Epiri, Cappadociæ, Numidiæ, Mauritaniæ, de quibus in hiſtoria Romana mentio, deſtituuntur temporum continua ſerie.

7. Reſpublicæ Græcæ Spartana, Attica, Rhodia, item Maſſilienſis. Spartana Lacedæmoniorum, tempore Antigoni regis Macedoniæ, occiſis regibus, inſignem politiæ mutationem experta, paulo poſt in Tyrannos incidit, Machanidam & Nabin, à quibus tamen liberata tandem fuit, Iuſt. *lib.* 28. Pauſan. Plutarch. *Philopœm.* &c. Athenienſes ſtatim à morte Alexandri varie afflicti per Antipatrum, Caſſandrum, F. Demetrium Aſiæ regem, & Antigonum Gonatam, Tandem libertati reſtituuntur, Iuſt. *lib.* 13. Diod. *lib.* 19. Plutarch. Demetr. Reſpublica Carthaginenſis deleta à Romanis, Plin. Diod. &c.

8. Regnum Siciliæ durat ad tempus belli Punici ſecundi, quo à Romanis Sicilia occupata, Liu. *lib.* 24. *&c.*

9. Reſpublica Romana inter omnes alias emicuit, vt facile appareat, quomodo ad Monarchiam capeſſendam aditum ſibi fecerit, labente paulatim Seleucidarum, Macedonum & Ptolemæorum imperio. Celebrantur hic potiſſimum: Bellum Tarentinum cum Pyrrho, anno Vrbis conditæ 473. Plin. *Bellum Punicum* I. anno V. C. 488. Liu. Bellum Gallicum Ciſalpinum, anno V. C. 527. Polyb. Eutrop. Bellum Punicum II. anno V. C. 534. Liu. Polyb. Eutrop. Bellum Macedonicum cum Philippo anno 552. Bellum cum Antiocho, anno 562. Bellum Macedonicum II. cum Perſeo, anno 581. Bellum Punicum III. anno 604. Solin. Eutrop. Bellum cum Viriato, anno 608. Flor. Eutrop. Bellum Achaicum, quo Corinthus euerſa. Flor. ſeditio Tiberii Grachi. Bellum Cimbricum anno 640. Tacit. Bellum Iugurthinum, anno 642. Salluſt. Eutrop. Bellum ſociale Marſicum anno 662. Solin. Flor. Bellum Mithridaticum & ciuile Syllanum, anno 665. Eutrop. Flor. Bellum Gladiatorium, anno 650. Flor. Eutrop. Appian. Coniuratio Catilinæ anno 690. Salluſt. Flor. Eutrop. Bellum Gallicum Cæſaris, Cæſ. Dion. Sueton. &c. Bellum Parthicum, quo Craſſus occiſus, Plutarch. Craſſo. Bellum ciuile Cæſaris & Pompeii, anno 704. quo Cæſar rerum potitus, Plutar. Dio. Flor. &c.

TER-

TERMINVS V.

Quarta Monarchia Romanorum.

75. Q*Varta beſtia* à Daniele deſcribitur, vt *ferociſſima & terribilis admodum, quæ dentibus ferreis omnia deuoret ac comminuat, & reliquum pedibus conculcet, quæque à præcedentibus omnibus plane diuerſa ſit.* Id in nullum aliud præterquam Romanum imperium quadrare, res ipſa loquitur. Nullum enim aliud tanta potentia inſtructum ſucceſſit. Et patet inſuper ex eo, quod eius tempore Chriſtus naſci debuit, *Dan. 2. verſ.* 34. Sic enim interpretantur lapidem de monte exciſum. Chriſtus vero natus ſub imperio Auguſti, qui imperauit *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, vniuerſa terra*, Luc. 2. v. 1. Præterea beſtia gerens decem cornua eſt quartum imperium, *Dan. 7. v. 7.* Tale eſt Romanum, vt patet ex *Apocal. 13. v. 1. 2. & cap. 17. v. 10. 18.* Vbi ſimul notari poteſt *Apocal. 13. v. 2.* huic beſtiæ omnia attribui, quę in præcedentibus ſingula fuerunt, ſicut recte notauit Hieronymus. Eſt enim *ſimilis pardo*, habet *os leonis, pedes vrſi*, atq; ita veluti conflata eſt ex prioribus, & ferocia potentiaque omnes ſuperat. Quæ forte cauſa eſt, cur *Dan. 7.* nullum nomen, nec certam beſtiæ ſpeciem obtineat. Id tamen ad multiplicem politiæ formam & varias mutationes etiam referunt.

76. Cæterum de potentia Romanorum & victoriis vide compendioſe *L. Florum & Sex. Rufum.* Ex quibus colligere eſt, quamuis Romana Monarchia à certo termino inchoetur ſubactæ ſcilicet Ægypti, tamen includenda eſſe tempora quoque præcedentia. Nam & ante 200. annos Romani formidabiles cæteris populis eſſe cœperant.

77. Ferocia autem illa & crudelitas non tam de dominandi cupiditate intelligi poteſt, quam perſecutionibus, quæ ſub Ethnicis Imperatoribus Eccleſiam afflixere, & poſtea ſub Antichriſto. Vnde huic beſtiæ coccineus color tribuitur. *Apocal. 17. v. 3. 4. 6.*

78. Propter has cauſas Dan. 2. *Tibiis Ferreis* comparatur. Vt enim ferrum omnia comminuit, ita Romana potentia domitis & attritis omnibus, imperat per cunctas terræ plagas, quæ quidem inacceſſæ non ſunt, ſed ab hominibus habitantur, non ſolum intra columnas Herculis, verum etiam Oceano, quacunque eſt nauigabilis, primaque & ſola in omni hominum memoria Ortum & occaſum terminos imperii ſui poſuit, auſa orbis imperium ſibi ſumere, dominium omnibus in terris conſtanter obtinet, nec eſt vlla gens, vt ſic dicam, quæ non agnoſcat vniuerſorum dominam, aut detrectet eius imperium, ſicut inquit Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 1. Deinde ſicut ferrum eſt duriſſimum, ita hoc imperium diutiſſime durauit, & durabit ad conſummationem mundi, *Daniel. 7. verſ. 9. 26. & c. cap. 2. verſ.* 45.

79. *Pedibus* comparatur *ex parte ferreis, ex parte fictilibus*, quod diuiſum ſit futurum imperium, interprete ipſo Propheta Dan. 2. v. 41. *Digiti pedum partim ferrei ſunt, partim fictiles*, quod modo maior, modo minor potentia imperij futura, vt idem exponit *v.* 42. Quod vtrumque tum in diuiſione imperii in Orientem & Occidentem, tum in defectione regnorum plurimorum, & Barbarorum irruptionibus ad amuſſim videre eſt, temporibus Theodoſii, & ſequentibus, quando Vandali, Hunni, Alani, Gotti, Franci, Sueui, Longobardi, Sarraceni, &c. imperium miſere dilacerarunt, licet ſæpius repreſſi, nonnulli etiam penitus deleti fuerint, vſque dum Occidentem ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis deſertum, Carolus Magnus magnam partem iterum coniunxit, & Germanorum dynaſtian excitauit, quem in imperio poſtea multi fortiſſimi Heroes ſecuti ſunt, multi etiam imbecilles, qui tamen nunquam ad priſtinum florem & potentiam imperium diſtractum potuerunt reducere, adeoque nulla vis, neque confœderationes, aut per affinitates contractæ amicitię quicquam proficere potuerunt, quemadmodum Daniel prædixit *v.* 34.

80. Apprime tamen notandum, quamuis ad tantam infirmitatem redigendum fuerit, *plantarium* tamen *Ferri* permanſurum, & tantum roboris ſuperfuturum ſemper, vt nemo illud ante nouiſſimum diem extirpaturus, aut penitus deſtructurus ſit, quod & hodierno die manifeſto perſpicimus. Manet enim adhuc, & durabit ad finem mundi *ἀξίωμα* & Maieſtas ſacri Romani Imperii, quod penes Germanos eſt, præ cæteris regnis omnibus. Vnde merito Imperatorem noſtrum *Auguſtum & Inuictiſſimum* appellamus.

81. *Decem* porro *Cornua Quartæ Beſtiæ* tribuuntur, quæ alii *συνεκδοχικῶς* pro incerto numero accipiunt, alii communiter ad decem regna præcipua, quæ Romanum Imperium, dum in flore fuit, comprehendit, referunt, vt ſunt Italia, Gallia, Hiſpania, Germania, Græcia, Aſia, Syria, Ægyptus, Africa & Anglia, (pro qua alii ſubſtituunt Sarmatiam, aut Scythiam) *Paruum* autem *Cornu, quod inter decem ſuppullulauit*, de Mahomete exponunt, & Sarracenis, qui ab initio viliſſimi, mercenarii ſcilicet milites, breui tempore in immenſum creuerunt duce Mahometo infimæ ſortis homine, occupata Aſia, Africa & Græcia, quæ eſſe *tria Cornua ab ipſo decuſſa* volunt. Quod ſi quis contendat, plura ab eo deiecta, conſideret & ab initio tantum tria fuiſſe, & decem cornua ita enumerari facile poſſe vt ſequentibus etiam temporibus regno Mahometico optime conueniant, cum quidem nullum alias regnum proferri poſſit, quod in omnibus circumſtantiis tam exacte vaticinio Danielis conueniat.

82. Corniculo iſti tribuuntur *Blaſphemia in Deum, Bellum cum Sanctis, & Victoria aduerſus eoſdem, Mutatio temporum & legis.* Id intelligunt de blaſphemo Alcorano, immutatione cultus diuini, feſtorum, & religionis Chriſtianæ, item de victoriis Sarracenorum, hodieque Turcarum aduerſus Chriſtianos. *Oculos hominis* habet, quod de perſpicacitate & ſolertia in amplificando conſeruan-

doque dominio exponunt. Atque hoc modo certe manifeſto impletum eſt Danielis vaticinium, nec ſpes eſt ante diem iudicii Turcicum regnum deletum iri, neque periculum, plura imperio Romano ereptum eſſe.

83. Cæterum, vt temporum ſeries eo magis ſit conſpicua, operæ pretium eſt, eadem ab Augusto Cæſare in Articulos diſtinguere. Primus ſit ab Auguſto (aut ſi mauis, Iulio) ſub quo Chriſtus natus, *Luc.* 2. ad Conſtantinum Magnum, anno Chriſtianæ ætæ 306. vel 307. qui primus pacem Eccleſiæ per totum orbem reſtituit, & ſedem imperii Conſtantinopolin transtulit, poſt cuius obitum etiam prima diuiſio imperii facta inter eius filios. Secundus, à Conſtantino ad Iuſtinianum, anno 527. ſub quo finis eſt Conſulum Romanorum, & promulgatio iuris ciuilis. In hoc articulo facta imperii diuiſio inter Theodoſii filios altera, vbi non multo poſt Occidentale imperium in Auguſtulo deſiit anno Chriſti 476 Et paulo ante ſub Theodoſio I. & II. Barbaricæ gentes magno numero paſſim imperium cœperunt dilacerare ac diripere. Tertius à Iuſtiniano ad Carolum Magnum & diuiſionem vltimam imperii in Orientem & Occidentem, anno 800. à quo Quartus in Germanorum imperio Occidentali etiamnum perdurat. Orientale Græcorum anno 1453. deſiit, capta Conſtantinopoli à Turcis. Quartam Dynaſtiam Germanorum licet in plures particulas ſeu dynaſtias ſubdiuidere. I. eſt Francorum, & præcipue Karolidarum, vſque ad Henricum Aucupem, anno 920. II. Saxonum ab Henrico Aucupe, ad Conradum ſecundum Salicum anno 1024. III. Rurſus Francorum à Conrado Salico Secundo ad Conradum Tertium, anno 1138. IV. A Conrado Tertio Sueuorum dynaſtia, vſque ad Rodolphum Habſpurgium, anno 1273. His temporibus ſeptem Electores conſtitutos circa annum 1250. ſentiunt accuratiores Chronologi. V. Auſtriacorum vt plurimum, à Rodolpho Primo ad Rodolphum Secundum hodie Imperatorem Auguſtum, cuius Maieſtati Deus Opt. Max. perpetuam felicitatem largiatur.

SYNCHRONISMI.

84. PLurima regna in Quartum imperium incidunt. Perſtrinxiſſe ea ſatis ſit. Non enim hiſtoriam ſcribimus.

1. PARTHORVM regnum è præcedente Monarchia durat, ad Imperatorem Alex. Seuerum, ſub quo Artaxerxes Perſa vltimum Arſacidarum (ita Parthici Reges ab Arſace appellabantur) interficit, & regnum rurſus ad Perſas transfert. Agath. &c. Quæ Perſarum dynaſtia perdurat ad annum Chriſti 631. quo Sarraceni, victo Iezdegird, Perſico regno potiti ſunt, Agath. Cedren.

2. FRANCORVM dynaſtia ſecunda conſtitui poteſt ab anno 419. quo in Gallias tranſierunt duce Pharamundo, Paul. Æmil. Durat ad Pipinum & Karolidas, anno Chriſti 750. Sigeb. Regin. qui dynaſtiam tertiam tenent. Quarta eſt Hugonidarum, anno 987. Sigeb. &c. penes quos etiam hodie regnum eſt, diuerſis tamen ramis ex eodem ſtipite deſcendentibus gubernatum.

3. SCOTORVM dynaſtia prima durat ad annum Chriſti 1370. Inde dynaſtia ſecunda Stuartorum hucuſque.

4. WESTGOTTICVM in Hiſpania. Cuius dynaſtia 1. anno 381. ſub Alarico, qui poſtea Romam populatus eſt, anno 410. Marcellin. Proſper. Tandem à Sarracenis regno eiecti, anno 713. circiter, Sant. Dynaſtian ſecundam ruderibus collectis Pelagius conſtituit anno Chriſti 716. vel 717. in Aſturibus & Legione, Rod. Toletan. &c. Dynaſtian tertiam orditur Ferdinandus primus, rex Aſturum, Legionis & Caſtellæ. Dynaſtiam quartam Ferdinandus quintus, rex Legionis, Caſtellæ, Arragoniæ & Siciliæ, hucuſque.

5. OSTGOTTICVM in Italia. Winitharii Oſtrogottici ducis pronepos Theodoricus Veronenſis dictus, iugo Hunnorum excuſſo in Italia regnat, tempore Zenonis Imperatoris. Occidit Herulorum Regem Odoacrum, qui imperium Occidentale in Auguſtulo ſuſtulerat. Vltimus rex Oſtgottorum Teias, à Narſete Iuſtiniani duce vincitur, anno Chriſti 553. vt Onufr. habet.

6. HVNNI, (qui poſtea Hungari) barbara gens in Pannonias è Scythia erumpens innotuit circa annum Chriſti 381. Vide Sigebert. Rex inter cæteros Attila, terror gentium tempore Theodoſii Iunioris. Eius filii digladiantes de regno, eodem exuti ſunt. Tandem longe poſt, anno 744. nouam dynaſtian in Transſyluania & Pannonia condiderunt ſub ducibus ſeptem (vnde ſeptem Caſtra) vſque ad annum Chriſti 1000. quo rex creatus Stephanus eiuſdem ſtirpis Hunnicæ, primus Chriſtianus, dynaſtian tertiam inchoat. Quartam ſtatuere licet anno 1300. vbi reges extranei ſucceſſerunt, Bohemi, Auſtriaci hucuſque. Ex Abrah. Baſchay & Sigeberto.

7. VANDALI, de Scythia Oriundi, ſub Conſtantino Magno ſedibus eiecti imperio Romano ſe ſubiecerunt, poſt in Pannoniis ſibi conceſſis pacifice habitarunt, vſque ad annum Chriſti 410. Sigeb. Inde Gallias vaſtant, Hiſpanias occupant cum Alanis & Sueuis. Poſt annos fere 30. ſedem figunt in Africa ob metum Weſtgottorum, ibique commorantur ad tempora Iuſtiniani vſque, annis 95. Cuius Dux Belliſarius Vandalorum regnum deleuit, anno 534. Marcellin. & Euag.

8. LONGOBARDI (à longis barbis ita dicti, alias Winli, Sigeb.) è Scandinia Scythiæ, anno 382. egreſſi in Rugiorum inſulam, & poſtea in Pannoniam, ibi habitarunt vſque ad annum 568. quo in Italiam infuſi dynaſtian ſecundam incipiunt ſub rege Alboino, & ibidem regnant ad annos 206. vſque ad Carolum Magnum, qui Deſiderio rege vltimo victo, anno 774 finem regno impoſuit. Crantz. & Diacon.

9. EXAR-

9. Exarchi Rauennates ab Imp. Conſtantinopolitanis oppoſiti Longobardis fuerunt. Eorum gubernatio durat ab anno Chriſti 569. ad annum 743. Anaſtaſ. quo Rauenna à Luitprando rege Longobardico capta. Poſtea ab Othone I. Imperatore Rauenna pontifici donata. Regin.

10. Svevi, in Gallæcia (parte Hiſpaniæ) iiſdem temporibus, quibus Vandali, dynaſtian inſtituunt. Tandem à Weſtgottis, anno Chriſti 584. euertuntur, Sigebert. Scalig.

11. Sarraceni, vel Arabes Scenitæ, rebellantes Heraclio Imperatori ob denegatum militiæ contra Perſas ſtipendium, ducem creant Mahummedum Pſeudoprophetam anno Chriſti 622. & longe lateque prædati, Syriam primum totam, Ægyptum & Africam in poteſtatem ſuam redigunt, atque ab imperio auellunt. Item Perſiam occupant. Quæ dynaſtia prima durat ad annum Chriſti 868. quando diuiſo Caliphatu in Syria & Ægypto dynaſtia ſecunda exorta eſt. Ea ex parte Ægypti, continua ſucceſſione durat ad annum circiter 1246. æræ Chriſtianæ, quo rerum potiti Serui eū Mamaluci, Sultani Ægypti, vſque ad annum 1517. quo Campſon & Tumumbeius à Selimo Turca victi, & regnum deſtructum eſt. Ex altera parte Dynaſtia Syriæ ſecunda, per continuam ſucceſſionem deducitur ad annum Chriſti circiter 1260. quando interfectus eſt Muſteazam à Tataro Halleachio. Hanc continuationem Scaliger prodidit è Sarracenicis Hiſtorijs. Paulo poſt exurgit dynaſtia noua Oſmanidarum ſeu Turcorum, quod regnum Othmanicum vocant, cuius conditor Oſman Sarracenus anno 1297. (vt Scaliger) vel 1299. (vt Leonclau.) & adhuc durat. Huius maiores, Mahumetanam religionem amplexi, principatu Machanenſis ciuitatis potiti fuerunt per annos multos. Oſmanis pater Ertucules, vel Ortugarel, vel Erdugryll (variant enim) obiit anno 1298. cum annos 52. ſuis præfuiſſet. Contulerat ſe ad Aladinem regem Guniæ, vel Caramaniæ, cui (Aladino) Oſman in regno ſucceſſit, & dominium in ampliſſimos fines extendit, vt in *Annalibus Turcicis* Leonclauii, aliiſque latius videre eſt.

12. Poloni ab initio Duces habuere. Dynaſtiæ ita poſſunt diſtingui. I. eſt Lechidarum. II. Cechidarum. III. Primislai. IV. Leſciadarum. Atque hæ annorum ſerie carent. V. Piaſtidarum ab anno Chriſti 806. iuxta nonnullos, vſque ad Boleslaum primum regem ab Othone Imperatore creatum circa annum Chriſti 1000. Hinc dynaſtia VI. regum Piaſtidarum. Dynaſtia VII. Vngarorum, anno Chriſti 1371. Dynaſtia VIII. Iagellonidarum, à Iagellone Lituaniæ Duce anno 1386. Dynaſtia IX. aliorum ab anno Chriſti 1573 hucuſque. Ex Alex. Gaguin.

13. Britanniæ (poſtea Angliæ) regnum, diu ante Chriſtum floruit per annos 1116. vſque ad tempora Cæſaris, quando vectigale factum, & poſtea in prouinciæ formam redactum fuit. Hæc dynaſtia ſecunda vocari poteſt. Durat ad tempora Theodoſii Iunioris, vbi à Scotis & Pictis grauiſſime afflicti Britanni, tandem Anglos & Saxones è Germania euocarunt. Qui re bene geſta, ſedem ibi fixerunt, & in ſeptem diuerſa regna diuiſi paulatim ipſos Britannos excuſſerunt. (Hæc dynaſtia tertia eſſe poteſt.) Ac cum mutuis bellis per multos annos in ſemet graſſati fuiſſent, tandem anno Chriſti 800. Egbertus rex Occidentalium Saxonum ſolus pene rerum potitus, edicto ſanxit vniuerſam gentem Anglicam nominari. Hæc eſt dynaſtia 4. vſque ad annum 1017. quo Dani compotes regni facti, per reges numero quinque ordine ſuccedentes, quæ eſt dynaſtia 5. Hinc dynaſtia 6. conſtitui poteſt Normanorum anno 1067. euocato Guilelmo conquæſtore. Poſtea dynaſtiam 7. Stephanus Comes Bleſenſis Gallus conſtituit anno 1136. Vnde Stephani adoptiuus F. Comes Andegauenſis, Henricus II. dynaſtian 8. Poſtea anno 1185. Comites Wallorum & Richtemontani dynaſtian 9. occupant. Denique licet dynaſtiau 10. Scotorum ſtatuere in Iacobo VI. Scoto. Ex Hect. Boet.

14. Bohemiæ regnum Zechus frater Lechi (qui Polonicum regnum condidit) ex gente Illyria, domo profugus eam partem Germaniæ occupat, quæ nunc Boemia dicitur. Ab eo Duces incerta annorum ſerie vſque ad annum Chriſti 1086. quo Vratislaus II. ab Henrico V. Imperatore, primus regium titulum accepit. Hæc vocari poteſt dynaſtia ſecunda. Quanquam ille titulus non in omnes ſucceſſores propagatus fuit, vſque ad Primislaum II. Regem de nouo dictum à Philippo Cæſare anno Chriſti 1199. poſt quem omnes reges dicti, continua ſerie ad hæc vſque tempora. Ex Ænea Sylu. & Dubrau.

15. Danorvm & Sveonvm & Norvagiorvm regnum à Magogo Iapeti filio Noachi nepote, Io. Magnus repetit, qui Scandiam inſulam Septentrionalem tenuerit. Iapetus Europam, Semus Aſiam, Chamus Africam, diſtribuente Noah obtinuit. Scandia Iapeti filio Magogo ceſſit, quæ tria regna continet Gothorum (qui poſtea Dani dicti à Dane Humbli F.) Sueonum ſeu Suecorum, Noruagiorum.

Danorvm regnum obſcurum vſque ad Iuari tempora circa annum Chriſti 869. Fuit Dania indigenis regibus gubernata vſque ad Ericum Pomeraniæ Ducem à Margareta Waldemari F. adoptatum, anno Chriſti 1411. Cranz. Inde regnum ad Chriſtophorum Bauarum deuoluitur, anno 1439. anno Chriſti 1448. incipit dynaſtia Ducum Sleſuici & Holſatiæ, regum Norwegiæ hucuſque.

Svecorvm regnum ſæpe cum Danis vnitum antiquis temporibus, plurimum tamen diſtinctos reges habuit, ſed incerta annorum ſerie, vſque ad Albertum Megalopolitanum, à Margaretha Waldemari F. Daniæ Regina captum. Anno 1387. Inde ſub Daniæ regibus fuit per multos annos. Tandem ad Guſtauum Stenonis Gubernatoris nepotem redit anno 1523. hucuſque.

Norvagia modo per ſe reges habuit, modo Sueonibus, modo Danis paruit. Et Danis quidem, præcipue à Margaritha Waldemari filia vſque ad hæc tempora. Ex Ioh. Magno, Saxone Gramm. Reuſn. *Geneal.*

16. HIEROSOLYMORVM reges Chriſtiani à Godefrido Bullioneo rege primo, anno Chriſti 1099. pulſis Sarracenis. Durat hoc regnum ad Chriſti annum 1187. quo Selaheddin vel Saladinus Sultanus Sarracenus Ægypti, Hieroſolymam recuperat. Vnde adhuc à Sarracenis tenetur. Ex Centur. & Matth. Paris.

17. TATARORVM (ita appellandos monet Leonclau.) ſicut barbara, ita incerta eſt ſucceſſio, niſi quantum ex Haitone Armenio colligi poteſt. Celebratur hic Temur Chan (Tamerlanem vulgo vocant) qui Baiaſithem Turcam captum, in cauea ferrea circumduxit. *Annal. Turc.* De *Ægypto, & Africa, & Perſia* dictum eſt in Sarracenis & Parthis.

18. Sunt & alia regna, & principatus ac Reſpublicæ, de quibus ſingulis agere nimis prolixum foret. Pauca addemus de Rebus Eccleſiæ. Non multo poſt Aſcenſionem Dominicam, cum Chriſtianorum (qui primum Antiochiæ ſic dicti *Actor.* 11.) numerus in immenſum creſceret, acerbiſſimas perſecutiones, numero X. à Nerone vſque ad Conſtantinum Magnum, Eccleſia noui Teſtamenti pertulit, quod primum tempus Eccleſiæ conſtitui poteſt. Hinc pace à Conſtantino reddita, mox à deterrimis Hæreticis, Ario, Donatiſtis, Macedonianis, Pelagio, Neſtorio, Eutyche, aliiſque compluribus, intra 130. annos ſucceſſiue exortis, grauiſſime afflicta fuit, quo temporis ſpacio ſimul clariſſima etiam Eccleſiæ lumina vixerunt, *Athanaſius, Hilarius, Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus, Ambroſius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus, Theodoretus, Caſſianus, Proſper, &c.* Hoc ſecundum tempus deduci poteſt longius, vſque ad blaſphemam doctrinam Mahometicam, anno Chriſti 622. cum paulo ante papatus in Bonifacio III. à Phoca confirmatus fuiſſet, Anno 606. Inde Arianiſmus & Mahometiſmus longe lateque in Oriente: & ſuperſtitiones pontificiæ in Occidente cœperunt propagari & augeri per multa ſecula, multum etiam iuuantibus Scholaſticis ab anno 1160. &c. vſque ad reformationem doctrinæque repurgationem, Martini Lutheri opera, anno 1517. factam, hucuſque.

19. RES IVDÆORVM colophonem imponant. Circa initium Quartæ Monarchiæ Herodes regno Iudæorum potitus, & poſt eum filius Archelaus, qui tandem relegatur, & Iudæa à Romanis in prouinciam redigitur, quam Præſides gubernant vſque ad excidium Hieroſolymorum, anno æræ Chriſtianæ 70. Quo Iudæi prorſus euerſi à Veſpaſiano, è Ioſepho. Paulo poſt ſub Traiano & Adriano rebellant, & grauiſſimis bellis ad internecionem cæduntur. Reliqui per totum terrarum orbem diſperguntur: ex *Dione*, in qua captiuitate populus occæcatus adhuc (iuxta prophetarum vaticinia) oberrat *nauenad* abſque vlla ſpe reſtitutionis, & oberrabit ad mundi finem.

PARS IX.

Continens

TRACTATVM PRÆSTANTISSIMI CVIVDEM IVRISCONSVLTI ET DVCALIS

Conſiliarij, de translatione Imperij Romani ad Franco-Germanos ſiue Theutonas, an & quatenus à Pontifice Romano facta ſit.

HABENTVR AVTEM IN HOC TRACTATV SVCCINCTIM TRADITA, QVAE AB ALIIS FVSIVS PERSCRIPTA fuerunt; vt à Radulpho Columna, Marſilio Patauino, M. Iordano, Coccinio Tubingenſi, Matthia Flaccio Illyrico, Matthæo Dreſſero, Franciſco Iunio, & aliis, quorum ſcripta vetuſtiora iam relata leges in tomis Monarchiæ S. Romani Imperij: cætera ſeorſim excuſa reperiuntur.

DE TRANSLATIONE IMPERII ROMANI, A GRÆCIS AD FRANCOS, AN ET QVATENVS A PONTIFICE ROMANO FActa ſit.

Clariſsimi cuiuſdam Germaniæ Iuriſconſulti

POLITICA DISPVTATIO,

Oppoſita

DISCEPTATIONI ROBERTI BELLARMINI CARdinalis & Ieſuitæ,

DE EADEM RE.

L. 12. ff. de Offic. Præſid.

Non eſt ſpectandum, quid Romæ fiat, ſed quid fieri debeat.

Præfatio Autoris.

DVæ ſunt cauſæ lucratiuæ, Lector, præter reliquos modos, quibus rerum dominia acquirimus. De his etiam Ius Ciuile paſſim loquitur, & magnam fere ſui partem complet, *Teſtamentum* nimirum, & *Contractus*. Nam ſi quis locupletis alicuius hæreditatem cernat, vno crepitu digiti quam ditiſſimus euadere poteſt. Et hæc cauſa non plebeiis tantum hominibus quotidianus, ſed etiam apud ſummos in more fuit, atque etiamnum eſt. Sic Octauius Auguſtus Romæ Princeps, viginti annis ante mortem proximis, quater decies millies ex Teſtamentis amicorum perceperat: refert Suetonius *in eius Vita*. Secutum eſt Romæ genus hominum ſummis illis Imperatoribus diſſimile, ignotum, obſcurum, & toti generi humano, maxime autem Imperatoribus, Regibus & Principibus moleſtum: quod quia viam ſibi ad ſummam potentiam ſternebat, eundem modum teſtamentarium ſecutum eſt. & licet re ipſa vi fraudibusque patrimonium Imperatorum Romanorum, ipſam, puta, vrbem Romam, aliasque Romani Imperii prouincias occuparet: tamen, vt impium factum honeſto titulo indigetaret, Patrimonium Petri appellare non erubuit: cum tamen ille Iudæus fuerit, &, vt veriſimile eſt, Romam nunquam viderit: hoc extra controuerſiam eſt, Petrum tale nihil vnquam poſſediſſe, vel etiam poſſidere concupiuiſſe. Qua falſa ſucceſſione cum Pontifices Romani in ſummam atq; ipſis Imperatoribus timendam dignitatem perueniſſent, fundamēto iam iacto ſuperſtruendum erat, & quas ſeruus ille nequam, abſente Domino, eius ſeſe Vicarium mentitus, improbas merces ex varia commiſtione atq; adulteratione confuſas venales habebat, populo commendandæ erant. Sed hoc non cuiuſuis erat; opus erat hominibus verſutis, callidis, induſtrijs, & ad mentiendum atq; fallendum natis. Hi, ne ab aliis impedirentur, hominū ſeceſſum quæſiuerunt, vnde inſtitoria ſua paulatim ita rem fecerunt, vt, quod Domini patrimonium ſibi non vindicarat, id officinis ſuis adiecerint. Vnde dici nō poteſt, quantas opes annis retro quingentis aut ſexcentis contraxerint, præter eas, quas ex aliorum liberalitate ante corraſerant. Et licet diligenter ſuæ cauſę cauiſſent, tamen ſuperius ſeculum eos quadam calamitate afflixit, cum ex ipſa officina quidam ab initio profugi fraudes & impoſturas horum mercatorum detexiſſent, quibus alii annos iam multos ſucceſſerunt, qui mercium iſtarū falſitatem, non ſecus ac nummos ærosos ex aſpectu demonſtrarunt. Nec hoc admodū difficile erat videre iis, qui merces probas ab improbis certo indicio diſcernere norant. Ne aurē & totius patrimonii, & quicquid eius occaſione corraſum fuit, iacturā iſti propolæ facerēt, noui quidā & ante hæc ſecula non viſi, nec auditi, ex vltimis terræ finibus adducti, tabernæ luc-

hæ ſucceſſerunt, atque obſoletas & corruptas illas merces, alio colore obductas, qua vulgo iter fit, propoſuerunt, idq; iam multos annos. Et ſane ſucceſſit iis in multis partibus res ex animi ſententia. Vnus ex iis, qui non in veteri, ſed in noua Roma tabernã exercet, Robertus Bellarminus ſummum gradum conſecutus Princeps factus *a* eſt, imo Principe maior, nam Cardinales Regib. comparantur *b*, & tanquã fratres Papæ & pars corporis ipſius habentur. Hic pro ſuo in religionem Pontificiam ſtudio, iam multis ſeculis hoc egit vnicum, vt Pontificis Romani à quo mercedem habet *c*, Regnique Pontificii ruinam, quæ iam iam præ vetuſtate imminebat, proteſtantibus Theologis tot annos rem ſtrenue adiuuantibus & promouentibus, quaſi damni infecti ageretur, ipſe poſtremus, poſt tot aliorum conatus & labores, ſuſtineret & fulciret: ſubſiſtentibus tamen & infinitã illam molem vna humeris ſuis quoq; ferentibus tot Ieſuitarũ myriadibus, qui ad huius ruinoſi ædificii malam maceriem, calcem & cæmenta pro viribus & ipſi contulerunt. Hanc autem operam quàm bene collocarit, penes Theologos iudicium eſto, nam etſi Iureconſultorũ non ſit has quæſtiones, quæ iuris diuini ſunt, decidere: tamen cum videant, hominem iſtum non contemnendos ex omnibus nationibus habere aduerſarios, viros nec malos nec indoctos, in ea ſunt multi ſententia, qui viſis vtriuſq; partis allegationibus, ſummariè, tanquã in cauſa momentaneæ poſſeſſionis, ex actis & probatis iudicant, Bellarminum dolo non carere. Idem tanquam ſutor vltra crepidam, rei ad ſuam profeſſionem non pertinenti ſe immiſcens, & quaſi extra territorium ius dicens: *De translatione Imperii Romani*, tractatum edidit, in quo omnibus, præſertim autem Germanis quos, vt corpore candidos, ſic etiam animo ſinceros & veritatis amantes appellat, perſuadere conatur, Pontificẽ Romanum non eſſe Antichriſtum illum, quẽ hi tot annos tã audacter publicè & priuatim traduxerunt, & adhuc traducunt, ſed mitius de illo eſſe ſentiendum: eſſe Chriſti vicarium, eſſe beati Petri ſucceſſorem; habere cum eo commiſſionem cõem, quæ ita largè interpretanda ſit, quemadmodum & alia beneficia Principum, vt *d* Paſtor totius gregis Dominici inſpector ſit vnicus & ſingularis, & vi eiuſdem commiſſionis καθόλου, tanquam per ſequelam quandam rebus imperiorum & Regnorum ſeſe immiſcere, eaq; de gẽte in gentem, de primo in ſecundum, vel pro arbitrio, vel certo quodam modo transferre poſſit, cuius translationis ſingulare ſpecimen in Carolo Magno ante annos octingentos dederit, ex qua tanquã euidenti & indubitato exemplo reliquæ oẽs æſtimandæ & diiudicandæ ſint. Matthias Flaccius Illyricus Bellarmino occaſionem dederat, is enim actionem negatiuam inſtituerat, quæ in huiuſmodi caſib. quibus libertatem rei noſtræ aſſerimus, familiaris eſt: hic contra actione confeſſoria agit, & Pontificem Romanũ ſuo iure Imperiũ tranſtuliſſe à Græcis in Germanos pugnat: ſic enim expreſſe ſeſe explicat: *Carolum Magnum non beneficio Imperatorum Græcorum, nec authoritate Senatus Populiq; Romani, nec alio quocunq; modo, quo Imperium vel Regnum ab vno in alium transfertur, ſed ſolius Pontificis Romani Leonis Tertii autoritate & iure conſecutum fuiſſe.* Quibus omnibus, ſi in fine ſubiecisset Clauſulã illam ſalutarẽ, *Omni meliori modo*, quã mirabilis virtutis & efficaciæ eſſe dicunt I.C. quæq; oẽs defectus ſanare poſſit, cauſæ ſuæ non malè cõſuluiſſet. Sed & quia ſine hac putat pro ſe pronunciãdum eſſe, in fine ſui tractatus orat & obſecrat germanos, *Vt ſecum ipſi cogitent, qui ſint, vnde genus duxerint, quos maiores habuerint & quantũ interſit inter præclariſſimos heroas, qui nihil antiquius habuerint, quam vt Apoſtolicam B. Petri ſedem certatim honorarent atq; ornarent, & homines aliquot huius ſeculi obſcuros & turbulentos, qui eandem impoſturis & fraudibus euertere conantur.* Hoc igitur vult, vt Germani, qui tanto beneficio à Pontificibus affecti, ad authorem & donatorem ſuum redeant, ne iſta donatione tanquam indigni aliquando priuentur, quæ pœna ingrati donatarii eſſe ſolet. Quemadmodum autem ii, qui poſſeſſorium intendunt, illud petitorio colorare ſolent: ſic quoq; Bellarminus, dũ probare vult, Germanos à Pontifice Romano in tantæ dignitatis poſſeſſionem vel quaſi olim conſtitutos, vel rei ſeruandæ cauſa ex decreto immiſſos, hoc quoq; ſubiungit, etiam Dei agnitionem à ſede Romana in Germaniam perueniſſe. Illud magnum eſt beneficium, ſed hoc maius eſt, ſi verũ eſſet quod Bellarminus ſcribit. Miram fuiſſe negligentiam Apoſtolorũ merito quis cogitauerit, quod in totum mundum ire, & vbiq; Eccleſias conſtituere iuſſi, Germanorum obliti fuerint, cũ tamen in extraneos Indiæ fines vſq; Euangelium propagarint, & Paulus Apoſtolus in Illyricum vſq; hanc ſementẽ protulerit, Britanni, etiam toto orbe ſemoti; paulo poſt tempora Chriſti ad eius agnitionem peruenerint. Certe Epiſcopi Romani multis à Chriſto ſeculis parua, aut non tanta authoritas fuit, vt in alias nationes Legatos de latere mitteret, *Bonifacius e Pontificis Romani emiſſarius*, quem Bellarminus hic quoq; in ſcẽnam producit, hoc elogium habuit à Germanis Epiſcopis, vt *mendaciorum autor, legis atq; pacis Chriſtianæ perturbator & corruptor in concionibus publicè vocaretur.* Quorũ exemplo, noſtro ſeculo alii ſurrexerunt, qui idem affirmant, & Pontificem Romanum ipſum Antichriſtum eſſe, ita demonſtrant, vt Ieſuitæ ſimileſq; Monachi eos propterea ad cõſilia æquo iure admittere nolint, nec diſputationes vlteriores ferre poſſint cauſſæ ſuæ diffidentes. Quod vero idem Bellarminus addit, Germaniam ita à Pontificibus illuſtratam, vt Barbariem in mores humaniores, &

Chaoniam glandem pingui mutarit ariſta, f

non putatur, ſerio ſcripſiſſe, quum meminerit, Romanorum Epiſcoporum opes ita duras ab initio fuiſſe, vt de aliis emolliendis parum aut nihil ſolliciti fuerint. Si tamen huius quid factum eſt, abunde ipſis à Germanis ſatisfactũ, *cum*, teſte ipſo Bellarmino, *Beati Petri ſedem certatim honorarint, & ita ornarint, vt nulli alii*: quare Pontificib. Romanis nulla amplius cõpetit actio, cum ſolutione & ſatisfactione omnis tollatur obligatio. Nec vero tot tãtaq; eorũ in Germaniam merita ſunt, vt pro cultura & cura illa prætenſa, ipſis perpetuo quaſi Canone Emphyteutico obligata ſit, cũ potius Principes noſtri Romanã Curiam condictione indebiti, aut alia actione reuocatoria, idq; ex inſtrumẽto à Bellarmino

a *Apocal.* 18. v. 23.
b *Clarus lib.* 5. *Sent.* § *final. Pract. Crim. quæſt.* 98. *verſ. vlterius quæro*
c *Matth.* 6. *verſ.* 2.
d *l. fina. ff. de conſti. Princip.*
e *Auentin. libro* 3. *Annal.*
f *Vergilius* 1. *Georg.*

mino producto conuenire poſſint. Licet autem hoc argumentum alii viri doctiſſimi, tam hiſtorici quam Theologi tractarint, ita vt nihil amplius ad clariorem confutationem ſupereſſe videatur: tamen cum adhuc quædam ſint relicta in quibus vtiliter quis exerceri poſſit, voluimus in commune conferre, quæ ad hanc quæſtionem occurrebant. Quare, vt ſpero, dabunt nobis veniam, non tantum, qui prius ſententiam dixerunt, ſi votum noſtrum cum illorum coniungamus, & quæ adhuc reſtare videbantur, expedita reddamus. Sed etiam alii ignoſcent, cum etiam gratum ſit, vnum eundemque cibum diuerſimode conditum proponere, vt pro ratione ſtomachi vel palati fames ſedari poſſit. Sic enim fiet, vt qui omnia hæc coniunxerit, eaque tanquam ſcripturas inter ſe comparauerit, facile intelliget, in quibus conueniant vel diſſentiant, etiamſi trium Teſtium ſubſcriptiones non habeant *a*. Hoc enim Bellarmino, etiamſi ſtipulatus non ſit, promittere audemus, nos hoc ſcripto omnibus bonis & æquis iudicibus, quantum ſatis eſt probaturos, Pontificem Romanum minime Imperium Romanum à Græcis in Francos tranſtuliſſe, nec etiam *vere*, vt ait aduerſarius, transferre potuiſſe: deinde pauciſſimos eſſe ex omnibus Hiſtoricis (nam Pontifices, vtpote teſtes in ſua propria cauſa, non plus moramur, quam Bellarminus Euangelicos aliquot, aut recentiores Hiſtoricos) quos *lib. 1. cap. 4.* enumerat, qui ipſius cauſam adiuuent: quod niſi præſtitum fuerit, & ipſi numerum teſtium, in quo omnem, aut potiſſimam ſuam in hac cauſa fiduciam collocat, profligauerimus, ipſi ex ſtipulatu tenebimur in id quod intereſt. Et, vt moram purgare non liceat, cũ eo litem conteſtamur. Quod ſane tanto facilius futurum eſt, quanto hic noſter aduerſarius in hac quæſtione tractanda nõ adeo exacte omnia penſitaſſe videtur. Nam etſi multorum Hiſtoricorum fidem implorauerit: tamen in iis nihil niſi ἀψευδῆ illa magnifacienda eſt. Iudicium certe tantum non eſt adhibitum, quod ſuo loco probabitur. Hoc poſtremo vnum mirantur Germani illi candidi, cur tanto conatu Bellarminus hoc argumentum tractandum ſuſceperit, tantumque ipſi fuiſſe à rebus ſuis otii, aliena vt curaret: niſi ſi id eſt, quod certe non aliter eſt, quam ex eius quaſi publica confeſſione nobis conſtaret, Pontificem Romanum vere eſſe Antichriſtum illum, qui omnia, quæ Chriſti propria ſunt, ſibi rapuerit: inter quæ & hoc eſt, *quod per eum* vt Salomon ait *b*, *Reges regnant, & Dominatores decernunt iuſtitiam, per eum Principes gerunt Principatum, & iudicant omnes iudices terræ*: & ideo læſæ Maieſtatis diuinæ reum eſſe: Rurſus: cum Chriſtus Apoſtolos & ſucceſſores eorum, docendi officio contentos eſſe voluerit: Pontifices autem Romani, neglecta vocatione ſua, rebus ſecularibus ſeſe immiſcuerint, de transferendis Imperiis laborarint, & adhuc laborent, & ſupra Imperatores ac Reges ſolium ſuum collocarint, quodque vix credibile eſt, eorum colla atq; oſcula pedibus ſuis ſubiecerint, eos quoque læſæ Maieſtatis humanæ reos eſſe. Quam Bellarmini confeſſionem libenter in ſolidum acceptamus & probamus. Quemadmodum enim prudentes iudices, viſo proceſſu & partium allegationibus, potiſſimum ad id reſpiciunt, quod in quæſtione eſt, & quamnam vim habet id, quod vel adprobandum vel improbandum in medium profertur, vt inde motum animi ſui informare queant: ita plane in hac cauſa faciendum eſt, vt ex reipſa, non ſenſu Bellarmini, Pontificem Romanum, vtriuſque criminis reum conſtituamus. Quod vero hæc alia Methodo, quam à Bellarmino factum eſt, tractauimus, nemo nobis vitio vertet: cum enim alii ſingulatim eius verba excuſſerint, noſtrum propoſitum fuit, rem cum re, argumentũ cũ argumento cõmittere, vt (quod & in forenſibus diſputationibus fieri ſolet) omnib. bonis & æquis Lectoribus, ad quos tanquã iudices prouocamus, ita rem ob oculos poneremus, quo facilius merita cauſæ intelligerent, & ſic in iudicando minus errarent. Quæ vero ad pleniorem hiſtoriarum, quarum in hoc Tractatu mentio fit, cognitionem requiritur, malumus eam ab iis peti, qui has ex profeſſo ſcripſerunt: nobis ſufficit, ſi eas tantum, quæ exempli cauſa afferri neceſſario debent, ſuis quaſi regulis ſubiiciamus. Quod ſi forſan etiam quis præter expectationem noſtram dignum reprehenſione putauerit, quod arduam hanc Quæſtionem ad minutas regulas iuris examinemus: illi hoc reſponſum ſufficiet, niſi calumniari velit. Sunt à ſummis Iureconſultis non tantum olim, ſed & hodie grauiſſimæ quæſtiones de Regnis, Imperiis, Principatibus & Ducatibus, ad Regulas iuris examinatæ, & ſecundum earum normam diſcuſſæ in quibus tamen non de nomine, ſeu titulo, ſed de ipſis territoriis, Iuriſdictionibus, aliiſque iuribus & Regalibus agitur: nihil igitur alienum aut præter decorum à nobis factum eſſe, quiuis æſtimare poterit. Ecquis etiam eſt qui neſciat, Ius Ciuile Romanum, quo hodie in conſulendo & reſpondendo vtimur, nihil aliud eſſe, niſi ipſam æquitatem, & normam infallibilem, ad quam omnes priuatæ & publicæ cauſæ dirigantur & reuocentur. Cum etiam in hoc ipſo argumento grauiſſimorum Iureconſultorum tam recentiorum quam antiquiorum præiudicia habeamus, omnes candidos & ſinceros, non tantum Germanos, ſed etiam exteros beneuolos habituri ſumus: calumniatorum enim nulla ratio habenda eſt. Et cum tandem idem fecerit aduerſarius, qui quantum Iuris & legum peritus ſit, eius ſcriptio ſatis indicat; tamen cum aliquoties regulas Iuris in ſcenam produxerit, æquum eſt, vt viciſſim regulas Iuris audiat, à quibus nec ipſi Canones nec Decreta in hac Quæſtione abhorrent. Quod igitur iuris in alios ſtatuunt, viciſſim eodem vti debent.

a l. Comparationem C. de fide instrumentorum.

b Prouerb. 8. verſ. 15.

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

CAPVT I.

IEſum Chriſtum Filium Dei, quatenus homo factus, & miniſterio docendi functus eſt, fuiſſe Magiſtratui Politico ſubditum: & Chriſtum hoc idem docuiſſe Apoſtolos, vt Magiſtratus honorarent, idq; ab ipſis verbis & factis præſtitum eſſe: & ab ipſorum ſucceſſoribus per multa ſecula obſeruatum fuiſſe.

CAP. II.

Falſis argumentis Pontifices ſuum primatum adſtruere. Nec quæ ex cap. ſolitæ. De maior. & obed. vulgo afferuntur, ad rem quicquam facere, ſed imperite & male conſuta textibus, ſacris & factis euidentia contraria eſſe.

CAP. III.

Leonem Pontificem, Romanum Imperium à Græcis ad Carolum Francorum Regem minime tranſtuliſſe, nec etiam transferre potuiſſe; multis argumentis oſtenditur.

CAP. IV.

Nullum omnino hiſtoricorum, quos Bellarminus producit, probare, Pontificem Romanum ſolum, & quidem iure ſuo, Imperium Romanum in Carolum tranſtuliſſe, ſed omnes ipſi producenti repugnare.

CAP. V.

Nec confeſſionibus Imperatorum Romanorum vel Græcorum probatum eſſe, hanc tranſlationem à Papa Romano factam, ſed ex eorum verbis & factis contrarias præſumtiones oriri.

CAP. VI.

Ab Electoribus Imperii electum, & nomine & reipſa Imperatorem vel Cæſarem eſſe, nec vlteriorem confirmationem a Pontifice requiri.

CAP. VII.

Conſtitutionem de ſeptem Electoribus Imperij non eſſe inſtitutam à Gregorio Quinto, prout falſo contendit Bellarminus, tam rationibus quam verbis Aureæ Bullæ probari.

CAP. VIII.

Nec ipſorum Pontificum Confeſſiones à Bellarmino productas, eam tranſlationem iure vel facto probare.

CAP. IX.

Eccleſiaſticam poteſtatem Politica ſuperiorem non eſſe: Reges quoque & Principes, etiamſi hæretici aut tyranni fiant, vel etiam male Rempublicam adminiſtrent, a Pontifice excommunicari, aut regnis priuari, nec poſſe nec debere.

CAP. X.

Non omnes, qui falſum dicunt, mentiri, nec Proteſtantes ſeditioſos & turbulentos eſſe: ſed contra Monachos & Ieſuitas omnium turbarum & ſeditionum autores fuiſſe & adhuc eſſe.

CAPVT I.

Ieſum Chriſtum Filium Dei, quatenus homo factus, & miniſterio docendi functus eſt, fuiſſe Magiſtratui politico ſubditum: & Chriſtum hoc idem docuiſſe Apoſtolos, vt Magiſtratus honorarent, idque ab ipſis verbis & factis præſtitum & ab ipſorum ſucceſſoribus per multa ſecula obſeruatum fuiſſe.

NEmo mirabitur, qui Bellarmini Diſputationem perlegit, & qui alias etiam exploratum habet, quod omne Pontificiorum præſidium in hac cauſa poſitum ſit in his verbis Chriſti Petro dicentis, *Paſce oues meas.a* Et ruſſus: *Quodcunq; ligaueris in terris, erit ligatum in cœlis,b* quod hinc diſputationis initium facimus. Nã etſi hæc ita ſint, tamẽ ſi Filium Dei, quatenus homo factus & miniſterio externo functus eſt, probabimus in Petrum & alios Apoſtolos, non plus iuris, quam ipſe, ratione officii habuit, transferre voluiſſe: contra vero ipſum dominum Apoſtolorum Magiſtratui ſummo, qui tum erat Imperator Romanus, ſubditum fuiſſe, nec vnquam quicquam dixiſſe vel feciſſe, quod eius autoritatem vel minimum læderet, ſuos quoque Apoſtolos ad eandem obedientiam cohortatũ eſſe: quos ipſos, (ſicut & D. Petrũ, cuius ſeſe Pontifex Romanus ſucceſſorẽ mentitur) veſtigia Magiſtri ſui ſecutos, ſolo priuato munere docendi contentos, nunquã de Imperiis aut regnis transferendis vel mutandis ſollicitos fuiſſe, ſed contrarium omnino feciſſe, & fidelibus omnibus, qui in Magiſtratus aut Imperij dignitate poſiti non erant, idem mandaſſe; non tantum cauſæ noſtræ fundamenta firmiſſima ſternemus, ſed etiam aduerſam partem magno præiudicio, & quidem certiore grauabimus, quã omnes Rotæ Romanæ deciſiones & præiudicia, ſiue noua ſiue antiqua eſſe poſſint. Quæ enim à ſequentibus Epiſcopis Romanis & eorum ſucceſſoribus, in contrarium facta ſunt, mere facti ſunt, & tanquam attentata merito & ante omnia reuocanda. Ieſus igitur Chriſtus, filius Dei & Mariæ, Regio quidem ſanguine & natus ex ſtirpe Dauidis, iuxta Prophetarum oracula, atteſtantibus etiam Euangeliſtis, ſed eo tempore, quo nõ ſolum familia Dauidica regnum cum dignitate iamdudũ amiſerat, ſed etiam ij, qui Principatum vel regnum poſtea inuaſerant è ſolio excuſſi, Iudæa in formam prouinciæ à Romanis redacta erat, idq; iuxta prædictionẽ Iacobi,c ſceptro à Iudæis ablato. Herodes enim Antipatri Idumæi filius, Romæ in Senatu Rex Iudææ declaratus: Antigonus vero, qui poſtremus ex ordine ſacerdotum, regnum affectauerat, perduellis renunciatus eſt. Huius igitur Herodis Regis anno 32. Cæſaris vero Auguſti 41. L. Cornelio Lentulo, & M. Va-

a Ioh. 21. v. 16 & 17.
b Matth. 16. v. 19.
c Gen. 49. v. 10

M. Valerio Meſſalino Coſſ. filius Dei natus, & cum adhuc in vtero, & ſic pars Matris eſſet, in cenſum & deſcriptionem relatus, nomen ſuum inter ſubditos Auguſti profeſſus eſt. Vnde etiam Euſebius *a* & Oroſius *b* dicunt, Chriſtum Ciuem Romanum naſci & cenſeri voluiſſe. Quemadmodum & in iure Natiuitas Municipem facit: & Municipes ſunt Ciuitatis cuiuſque ciues, vt Campani, Puteolani, *c* quod idem de Iudæis dicendum. Hic adultior factus, nihil minus fecit, quam vt ſeſe ab obedientia & ſubiectione ſuperiorum eximeret: nam & parentibus ſubditus fuit *d*, niſi cum officii ratio habenda erat *e*: maxime autem hæc in Ioſephum reuerentia admiratione digna eſt, qui tamen Pater Chriſti non erat, ſed tutoris potius officium præſtabat. Et certe ſi Chriſtus propterea in mundum venit, vt legem impleret, vt certe venit, hanc quoque partem de honorandis Magiſtratibus & parentibus impleuit, etiamſi nulli facti aut geſtus ſui rationem reddere obligatus eſſet. Reliqua eius vita nihil aliud fuit, quam exemplum humilitatis, modeſtiæ & ſubiectionis, vt vel hinc Apoſtoli, aliique Miniſtri & Epiſcopi diſcere poſſint & debeant, qualiter inter reliquos ciues, & qua prærogatiua ipſis viuendum ſit: nimirum, vt ab omni faſtu & ſupercilio alieni, Magiſtratus & qui eius locum obtinent, obſeruantes ſint; Cum vero ſolenniter à Patre cœleſti officio docendi inauguraretur *f*, nunquam animoſior factus, ſed priſtinæ obedientiæ & ſubiectionis ſummo Magiſtratui debitæ, memoriam commendauit. Cum, vt eſt apud Matthæum *g*, ii qui nomine Cæſaris in Capernaum didrachma, (ſiue quod ex Lege Dei templo quotannis inferri ſolitum erat, tum autem Romani ad ſe tranſtulerant, ſiue quod in ſignum ſubiectionis victoribus pendere Iudæi cogebantur) acciperent, ex Petro quærerent: An non Chriſtus quoque illud ſolueret: cumque hoc Petrus affi maret, intulit pro ſe & Magiſtro ſuo Staterem in ore piſcis extracti inuentum. Et licet Filius Dei priuilegium ſuum allegaret, quod, vt ſummi Regis filius, ab huiuſmodi tributo immunis eſſet, tamen ne alios offenderet, iuri ſuo vltro renunciauit. Cenſus autem vel tributa etiam alias fiſco Imperatoris in recognitionem vniuerſalis Dominii, & in auxilium ac tuitionem Reipubl. quæ Principi incumbit, inferri certum eſt *h*: quod quia naturalis quoque ratio & omnium gentium conſenſus dictat, probatione opus non habet. Cum igitur Chriſtus pro capite ſuo cenſum intulerit, (nam quantum in bonis habuerit, ipſe apud Euangeliſtam teſtatur) etiam Eccleſiaſticos tributis ſubiectos eſſe apparet, à quibus tamen ſi beneficio Principum immunes ſint, nunquam tamen ſubiectionem detrectare poſſunt. Quod etiam in Decretum relatum eſt, cap. Tributum. cauſ. 23 quæſt. 8. vbi affirmatur etiam Eccleſiam de bonis ſuis tributum reddere debere. Hoc exemplum facti eſt. Sequitur alterum, quod eſt, Non facti. Cum à quodam rogaretur Chriſtus, vt iudicis vel arbitri partes in diuidenda hereditate, quam cum fratre communem habebat, ſuſciperet, recuſauit; quod de arbitri perſona quis forte mirabitur, cum tamen Paulus Chriſtianis arbitriorum licentiam conceſſerit *i*, & huiuſmodi contentiones non per arbitros, de quibus eſt ſcriptum: quod ad exemplum Iudiciorum arbitria redacta ſint *k*, ſed per arbitratores expediantur. Voluit igitur oſtendere Filius Dei, à ſe & ſuis diſcipulis Eccleſiarum miniſtris omnem curam & cogitationem iudiciorum, arbitriorum, & quæ his affinia ſunt, abeſſe oportere, vt officio *docendi* fungi poſſint. Nec vero Chriſtus ciuilibus tantum oneribus ſe ſponte ſubiecit, ſed etiam cum noſtra cauſa à Iudæis publico iudicio Blaſphemiæ in Deum, & læſæ Maieſtatis in Cæſarem, apud Pilatum Præſidem accuſaretur (omitto illud, quod & illorum Synedrio ſe ſponte ſtiterit, accuſationes falſas pertulerit, & de ſua perſona & doctrina rogatus, rationem reddiderit) nihil vnquam priſtina obedientia indignũ commiſit, nullamq; fori declinatoriam oppoſuit: imo cum Præſes Ethnicus *l* ſuperbius ſuam poteſtatem iactaret, aperte eam confeſſus eſt, ſed cum hoc moderamine, *Non haberes*, inquit, *poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet ſuperne.* Sic cum Chriſtus ad Herodis poteſtatem ſeu iuriſdictionẽ pertineret, inquit Lucas *m*, à Pilato ad eum remiſſus eſt; non igitur negat Euangeliſta hoc ita eſſe, nam ſi falſum hoc fuiſſet, non diſſimulaſſet. In eandem ſententiam Dominus Pilato interroganti reſpondit, *n* Regem quidem ſe eſſe, ſed regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum ſuum, miniſtros eius certaturos, ne Iudæis traderetur: fatetur igitur ſe quoq; iuriſdictioni alterius ſubiectũ eſſe: nec per hoc regni ſui dignitatem, aut Regii ſui nominis Maieſtatem impediri, atq; hoc adeo certum eſt, vt etiam in Articulos fidei relatum ſit, vbi cõfitemur, Chriſtum paſſum eſſe *ſub Pontio Pilato.* Particula autem *ſub* præter alia ſubiectionem denotat, id quod patet. Ex quo etiam conſequitur, (nihil enim impedit, quo minus has conſequentias, tanquam notas ſeu regulas quaſdã ſemper opponamus) hos, qui ſibi vicariatum Chriſti verbo arrogant; re ipſa tamen nihil minus eſſe, cum non tantum miniſtros habeant: qui pro ipſis pugnent, ſed etiam ipſi bella cruenta gerant, & à multis ſeculis geſſerint, imo ſe ſupra omnes Reges & Principes efferant, cum tamen Chriſtus etiam iudicis inferioris tribunal non defugerit. Quæ vero Chriſtus ipſe fecit, ea ab aliis quoq; fieri voluit. nec enim eius facta cum dictis pugnare poſſunt. Sunt & alia, quæ ad ciuilem iuriſdictionem pertinẽt, nec omnino negligenda ſunt. Cum Phariſæi, hominum genus Bellarmino & Ieſuitis quam ſimillimum, indigne ferrent ſibi à Romanis imperari, & propterea vna cum Herodianis Chriſtum ex inſidiis adorirẽtur, & quærerent, liceretne ipſis, vtpote à maioribus populo libero, Cæſari Cẽſum dare, necne? Reſpondit, cũ ipſi numiſma cenſus exhiberetur, quod Tiberii Cæſaris tũ in Iudæa imperantis imaginem & inſcriptionem gerebat: Reddẽdum ergo Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei. Si igitur iſtis Sacerdotib. a Domino ſubiectio & tributũ imperatur, nullã habent noſtri qui ſe quoque Sacerdotes appellant, tergiuerſandi aut ſe eximendi poteſtatẽ. Nec enim, vt edicta Prætorũ annua erant, ita verba Chriſti certo temporis ſpacio definiũtur, ſed oẽs & ſemp obligant. Sed nec alia ratio diſcipulorum

a *lib. 4. cap. 26*
b *lib. 7.*
c *lib. 1. ff. Municip.*
d *Luc. 2. v. 51.*
e *Iohan. 2. v. 4*
f *Luc. 3. verſ. 21 22.*
g *cap. 17. v. 24 & ſeqq.*
h *VVeſenb. in Paratit. ff. De Cenſibus. nu. 1 cum ibi alleg.*
i *1. Cor. 6. v. 4. & 5.*
k *l. 1. ff. De Arbitr. qui arb. recept.*
l *Ioh. 19 v. 10 11.*
m *cap. 23. v. 6. & 7.*
n *Ioh. 18. v. 36.*

pulorum fuit. Nam Chriſtus pro ſe & Petro Staterem pro tributo & cenſu dedit *a*: nec ſeſe quiſquam ex generali illo mandato eximere poteſt, niſi ſpeciali lege probet, quæ exceptio ſcriptis Apoſtolorum & Euangeliſtarum inueniri poteſt: quod tamen omnino fieri neceſſe eſſet, iis, qui eam pro ſe allegant, nam qui Regulam pro ſe habet, omni iure tutus eſt, conſtat Iudæos ſomniaſſe Regnum Meſſiæ mundanum & terrenum: in quo errore adhuc illi miſeri, qui ex ruina maiorum vel μ... ſuperſunt, verſantur: vnde Mater filiorum Zebedæi apud Dominum pro filiis intercedebat, rogabatque, vt alter ad dextram, alter vero ad ſiniſtram in Regno eius ſederet. Sed Chriſtus omnibus diſcipulis aduocatis reſpondit: *b* *non ſe veniſſe, vt ſibi miniſtraretur ſed vt ipſe miniſtraret: Principes quidem gentium dominari, & qui magni ſunt, poteſtatem exercere, verum non ita inter Apoſtolos eſſe debere, ſed vt, quicunque velit magnus fieri inter illos, miniſter eorum ſit.* Quemadmodum enim paulo ante *c* Apoſtolorum omnium, (ſicut & Petri, qui hac generalitate continebatur) de primatu contendentium ſuperbiam & ambitionem retuderat: ita his verbis omnẽ ipſis dominatum abiudicat, vtpote, qui ſolis Principib. & Regibus in ſubditos ſuos, iure diuino & humano, quibus Chriſtus nihil contrarium ſtatuere, nec ordinem à ſe ipſo inſtitutum inuertere voluit, competat. Et hunc Magiſtri ſui ſenſum fuiſſe ipſi diſcipuli poſtea verbis & facto comprobarunt, vt hoc omnino pro regula ſequendum ſit, tantiſper donec alius exceptionem probauerit. Supereſt vnus adhuc actus, qui cum apprime ad rem faciat, prætermittendus non eſt. Apoſtoli ex Chriſto jam abituro quærunt: *d* *Nam hoc tempore*, inquiunt, *reſtitues regnum Iſraelis?* nempe tam altas radices egerat illa à maioribus accepta & vulgo perſuaſa opinio de Regno Meſſiæ terreno. Sed Chriſtus ipſis reſpondet: Non, inquit, eſt veſtrum, noſſe tempora vel opportunitates, quas Pater in ſua ipſius poſuit poteſtate. Quibus verbis Dominus Apoſtolos ſuos omni cura & ſolicitudine liberat, non tantum de regno Iudaico ab ipſo inſtaurando, ſed etiam de omnibus Regnis & Imperiis, cum vtrobiq; eadem prohibitionis ratio militet, nedum vt de iis transferendis vel permutandis laborent: Et notandum eſt, cum inquit, *Non eſt veſtrum ſed Patris noſſe*: ſi non eſt Apoſtolorum, *Noſſe*, multo minus ſeſe eis immiſcere. Et maxime notandum venit, quod Petrus ad hæc coapoſtolorum verba conticuit. Nam ſi à ſuo piſcatorio vel paſtorali officio tale quod Dominum in Reges & regna dependere arbitratus fuiſſet, illud nec hoc nec ſuperiori loco diſſimulaſſet, ſed hos hoc vel ſimili pacto conſolatus fuiſſet. Quæ animum veſtrum ſubit tam inepta cogitatio? An neſcitis mihi, vtpote veſtro Principi totius Eccleſiæ gubernacula à Magiſtro iam abituro cõmiſſa eſſe, voſq;, qui minutiores piſces in meum rete cogetis, non vnius Regni Iudaici, quod exiguis finibus cõtinetur, ſed totius mundi ſummas poteſtates obtenturos? idq; fiet cum ego per meos ſucceſſores Romanos Epiſcopos Imperatorum Maieſt. depreſſero, & in vniuerſum mundũ iuriſdictionem Eccleſiaſticam & politicam exercuero. Interim æquo animo hanc moram ferte: nam etſi nobis viuentibus hæc non euenient, attamen poſteros noſtros quibus ęque conſultum merito volumus, in tantos honores & dignitates conſtituemus, vt ipſis Regibus & Principibus potentia & opibus pares imo ſuperiores eſſe poſſint. His dictis ſine dubio magiſter abiens, lætus annuiſſet, nec tacitis cogitationibus diſcipulorũ reſpõdiſſet: ſic enim cogitare potuiſſent: quid igitur noſtrũ erit? *Recipietis* (inquit) *virtutẽ ſpiritus ſancti, eritiſq; mihi teſtes in Hieruſalem & in tota Iudæa, Samariaq;, & vſq; ad vltimas terras.* Idẽ eſt, q antea dixerat Lucas. *e* *Oportere prædicari ab Apoſtolis in nomine Chriſti reſipiſcentiam & remiſſionẽ peccatorum apud oẽs gentes, incipiendo ab Hieruſalẽ.* Hæc verba per ἀντιδιαστολὴν ſuperioribus oppoſita, continent inſtructionem Apoſtolicam, quæ eodẽ ſenſu & fere iiſdem verbis à Matthæo *f* & Marco *g* referuntur: & quia totius huius diſputationis cardo, regula & cynoſura ſunt, diligenter obſeruãda nobis erunt. Supereſt locus vltimus, inter reliquos illuſtres non obſcurus, qui etiã ita euidenter nobis circa hanc quæſtionẽ mentem domini aperit, vt poſthac dubitandi nulla ſuperſit ratio. Et vere hic dicere liceat, q à Iureconſultis vſurpatur, eũ, qui Doctoris alicuius illuſtris conſiliũ pro ſe habet, in iure ſatis munitũ eſſe, ponderando. quod hic noſter omniũ doctorũ ſit Doctor illuſtriſſimus. Voluit enim ſine dubio his ementitis ſuis Vicariis, & fictis Petri ſucceſſoribus hoc, quod ſequitur, tanquam quandam exceptionem peremtoriã opponere. Cũ Petrus *h* pro magiſtro ſuo, qui iam vinctus abducendus erat, inconſulto pugnandum putaret, & gladio ſeruo Pontificis maximi auriculã auferret: iubet eum magiſter gladiũ in locum ſuum conuertere: idq; iuxta regulã: *Qui gladium acceperit, gladio peribit.* Petrũ igitur inter priuatos habendũ eſſe, Chriſtus ſignificat: hæc. n. verba de magiſtratibus, aut qui ſupra eos ſunt, qualẽ poteſtatẽ ſibi Papa Romanus arrogat, intelligenda non eſſe, nemo negauerit, qui in iure diuino vel humano mediocriter aliquid profecerit. Quod aũt Petro prohibitũ eſt eius quoq; ſucceſſoribus interdictũ putandum eſt, cum non melioris conditionis eſſe debeant, quã ij, à quibus cauſam habent. Gladius etiam apud Iureconſultos tã anguſtæ interpretationis eſt, vt & iis, qui in magiſtratu poſiti ſunt, eius poteſtas non omnib. facta ſit, niſi qui lege ſpeciali, ſenatuſconſulto, vel conſtitutione Principum ius illud habeant *i*. Quæ aũt de magiſtro dicta ſunt, eadem quoq; in diſcipulis locum habent: facile. n. demonſtrari poteſt: nec eos quicquam dixiſſe vel feciſſe, quod magiſtratum, eiuſq; iura læderet, vel quo ſe ab eius obedientia eximerent, multo minus vt eos ſibi ſubiectos redderent, nedũ vllis iniuriis, contumeliis, more Pontificum Romanorum, afficerent. Si generalitatem Quinti præcepti, quo honor parẽtibus, & magiſtratibus, qui illorum nomine continentur, vrgere vellemus, faceremus id iure optimo. Cum. n. lex generalis ſit, generaliter omnes obligat: & cum nullam faciat exceptionem, ab aliis limitanda non eſt. Sic etiam in veteri Teſtamento ſummi ſacerdotes, Leuitę, aliique omnes, qui ſacris præerant, vt & ipſi ſancti Prophetæ, Iudicibus, Regibus & Principibus ſubditi fuerunt, nec niſi honorifice, verbis, voce & geſtu omniq; animi affectu eos tractarunt etiam tum cũ

a *Matth.17. v. 27.*
b *Matth.20. v.20.* Marc.10.v.35. *Luc 22 v.25.*
c *Matth.18. v. 20.* Marc.9.v.10. *Luc.9.v.21.*
d *Actor 1. v.6. 7 & 8.*
e *Cap.24 v.47.*
f *Vlt.c.v.19.*
g *Vlt.c.v.15.*
h *Ioh.18.v.10.11.*
i *l.1. ff. de off. eius cui mandata eſt iuriſd.*

ad eos arguendos etiam de grauiſſimis delictis mitterentur. Quod exempla Nathanis, Ieremiæ, Danielis euidenter probant. Nam & Deus magiſtratus & Reges hoc honore dignatur, vt ei ſuum nomen communicet, & Deos nominet, quaſi Vicarios ſuos & locum tenentes. Apoſtoli etiam Romanis magiſtratibus obedientes fuerunt, nec etiamſi tanta prærogatiua donati eſſent, illis ſeſe oppoſuerunt, licet impiis & infidelibus. Quod autem ipſi fecerunt, ab aliis quoque omnibus fieri voluerunt, & mandarunt. Paulum & Petrum, ſolos audiamus: nam hos duos, Pontifices in primis in ore habēt: quorum etiam indignationes in Bullis ſuis minantur, & in ore duorum aut trium conſiſtit omnis

a Rom. 13. v. 1. veritas. Paulus *a* igitur inquit, *Omnis anima ſupereminentibus poteſtatibus ſubiecta eſto.* Quæ verba æq; ſunt generalia, vt illa de Quinto præcepto: qui enim *Omne* dicit, nullum excludit. Vnde & Chryſoſtomus

b Idem Theodoretus, Theophylactus & Oecumen. in hunc locum Irenaus aduerſus hær. lib. 5. cap. 20 ex Matth. 17. verſ. 27. *b* in hunc locum diſerte ſcribit, *Apoſtolum magna & ſeria* σπουδῇ *vniuerſaliter locutum eſſe, omnis anima, vt oſtenderet, neminem hac ſubiectione eximi poſſe, etiamſi Apoſtolus, Propheta vel Euangeliſta ſit, nedum Epiſcopus, Sacerdos, Clericus vel Monachus.* Apoſtolum autem loqui de magiſtratibus Ciuilibus tam ipſa verba, quam loci ipſius circumſtantiæ indicant. Dicit enim *Poteſtatibus*: Etſi enim verbum Poteſtatis plura ſignificet, tamē in perſona magiſtratuum Imperium denotat. *c Imperium* autem ſic definit Vlpianus, *habere poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos*: quod & *poteſtas* appellatur: *d* vnde & illud, *omniſq; poteſtas impatiens cōſortis.* Deinde etiam adiunctæ qualitates indicant de quibus poteſtatibus Apoſto-

c l. 215. ff. de V. ſig. lus loquatur, nempe de iis quæ gladium geſtant, quæq; ob id terrori ſunt malis: bonis vero ſolatio, quos præmiis afficiunt: pœnis autem & præmiis Reſp. conſiſtit: item quibus tributa & vectigalia de-

d l. 3. ff. de iuriſd. om. iud. bentur, hæc autem inter Regalia numerantur, *e* tit. *quæ ſunt Regalia.* Circumſtantia quoq; tēporis id manifeſte poſtulat: nam cum hæc Apoſtolus ſcriberet, nulla Romæ erat poteſtas ſupereminens quā

e lib. 2. feud. tit. 54. Imperatoris qui tum temporis mundi Dominus erat: *f* & in prouinciis eius Præſides, quod ex iure & Iuſtin. euidens & clarum eſt. Ergo de his, & qui horum nomine continētur, Apoſtolum ſenſiſſe nulli

f l. de præm. ff. ad l. Rhodiam de iactu. dubium eſt: adeo vt omnes aliæ poteſtates, quæ iis, de quib. Apoſtolus loquitur, contrariæ ſunt, hic cludantur atque exterminentur. Conſtat enim Pontifices eorumq; adulatores, vt domini ſui dignitaté tueantur, hac ſententia Apoſtoli abuti; ſic enim dicunt: *Nulla eſt poteſtas niſi à Deo.* Sed Paulus de magiſtratu politico loquitur, & huius ordinationem à Deo eſſe inquit; ſequitur igitur aliam quamlibet poteſtatem, quæ ſeſe ſupra hanc collocat, eiuſq; iura ſibi vſurpat, non à Deo, ſed à diabolo eſſe:

g 1. Timoth. 2. v. 1. & 2. nec Dei miniſtram, ſed Satanæ Vicariam eſſe. Idem Paulus iubet Timotheum *g* Epiſcopum *orare pro Regibus, & quibuſuis in eminentia conſtitutis, vt,* inquit, *tranquillam vitam degamus cum omni honeſtate & pietate.* Quinam degamus? Ego Paulus Apoſtolus, & omnes mei collegæ & coapoſtoli, & tu Timothee, & omnes Epiſcopi, totaque Eccleſia. Ergo totum hoc corpus Regibus, qui tum Imperato-

h 1. Tit. 3. v. 1. res Romani erant, & quidem Impii atq; idololatræ, obediens & ſubiectum fuit. Rurſus idem Apoſtolus Tito Cretenſium Epiſcopo *h* cōmendat, vt ſuggerat non tantum auditoribus ſuis, ſed etiam aliis presbyteris & miniſtris, quos oppidatim conſtituere debebat, vt ſe ſubiiciāt Principatibus & po-

i Rom. 13. v. 3. teſtatibus. Vbi nunc igitur Epiſcopi Romani ſupra omnes Reges Imperium? vbi Epiſcoporū, & Clericorum, vt nunc vocantur, Exemtio? quo modo condemnationem effugient, *i* ſed & Paulum ipſum exemplum Regulæ ſuæ proponamus: vt dubium nulli ſit hoc, quod ad Romanos ſcribit, eū ſenſiſſe.

k Act. 20. v. 11. Cū à Feſto præter ius grauaretur, ad Cæſaris tribunal à iudice inferiore appellauit *k*. Eſt enim appellatio nihil aliud, quam ab inferiore iudice ad ſuperiorem facta prouocatio: vel querela nō acquieſcen-

l Cuiac. in Paratit. ff. de Appe. tis ſententiæ minoris iudicis. *l* Sic non tantum in fauorabilibus ſe pro ſubdito geſſit, ſed etiā in odio-

m Act. 22. v. 25. ſis. Cū, vt apud Lucam eſt, *m* virgis cædendus eſſet, q alienum erat à ciue Romano, priuilegium ſuum allegauit, ſe ciuem Romanū dicendo, quo etiā pœnam iamiam imminentem à tergo auertit. Si ciuis

n ca. ſi in Adiutorium diſtin. 10 fuit Romanus, fuit igitur & ſubditus: & ſi Pontifices iuſtum eſſe cenſuerunt huiuſmodi priuilegia à clericis in iudicio allegari *n*: agnoſcant ſimiliter Imperatorū & Regum in ſe ſuoſq; ius ſuperioritatis, & pari cum aliis ciuibus Romanis iure viuant. Paulus certe nullum ſuperiorem in toto mūdo nouit, cuius ſe defenſioni ſubmitteret: niſi eius quem ante docuerat ad hoc à Deo ordinatum eſſe: ſi in ſuo collega Petro tale quid latere exiſtimaſſet, neuter recte feciſſet, hic, ſi poteſtatē ſupra ipſum Imperatoré non exercuiſſet, ille ſi ea occaſione vſus non fuiſſet. Hæc de primo teſte, ſequitur Petrus, qui omnino eadem docet quæ Paulus, vt contra Papā conſpiraſſe videantur. Sic enim inquit. *Subiecti eſtote*

o 1. Pet. 2. 13. *o omni humanæ ordinationi propter Dominum, ſiue Regi: vtpote qui ſupereminet, ſiue præſidibus, vtpote qui per eum mittuntur.* Hæc verba ita ſunt clara, vt nullam contrariam interpretationem ferant: in claris aūt, vt dicimus, non eſt opus coniecturis, & ſenſus ille eſt optimus, qui ex verbis colligitur: verba. n. ſunt

* Capite ſeq. mentis indices. Audiemus tamen infra, * quam venuſte Pontifex Anteceſſoris ſui Petri mentem aſ-

p 1. Pet. 5. v. 1. ſecutus & interpretatus ſit. Petrum aūt hanc generalem regulam etiam presbyteris ſcripſiſſe, ex ipſo intelligimus *p*. ſi vel ipſe, vel eius ſucceſſores ius aliquod, ſiue directum ſiue indirectum, abſolutum vel limitatum, ſupra Reges habuiſſent, vel habituri fuiſſent, ſine dubio Petrus hanc exceptionē regulæ huic generali ſubiecïſſet ſaltem obſcurius, ne Chriſtianis odium conciliaſſet, quemadmodum

q Act. 4. v. 19. & alibi fecit *q*, vbi eandem Regulam allegat, etiam apud longe inferiores quam Reges ſunt, vbi inquit, *Obediendum quidem eſſe hominibus, ſed magis Deo,* ſolum igitur ponit exceptionem in eo, cui ſubiectio & obedientia: non autem in eo, qui eam debet, & vt dicimus, in prædicato: non autē in ſubiecto. Nec vero hoc ſine conuitio omittere debuiſſet, qui Apoſtolatus ſui nullam rationē habuiſſet, dū commiſſionem ſibi factam executus minime fuiſſet, quod de tanto Apoſtolo cogitare nefas eſt. Nec

r Act. 20. v. 20. Paulus *r* vere dixiſſet, ſe nihil horum diſſimulaſſe, quæ in mandatis habuerat: quod ſi tantum myſterium à ſuo & collegarum miniſterio dependere exiſtimaſſet, ſine dubio cum Romæ ageret, Eccleſiæ

indicaſ-

indicaſſet, quod etiam de Petro ſentiendum, qui tot annos Romanum Epiſcopum, vt aduerſarii dicunt, egit. Oratio geminata magnã habet Emphaſim, & enixæ voluntatis indicium eſt, quare & Petrus idem adhuc alio capite, *a* ſed breuius repetit, *Deum*, inquit, *timete*, *Regē honorate*. Hoc innuit: duo ſolum ſumma eſſe, vt ita dicam, genera in hoc toto vniuerſo. Intermedium ſeu ſubalternum, quod cum vtroq; cõmunicet, nullum: & hoc ita à magiſtro ſuo didicerat, qui Deum & Cæſarem ſimiliter coniunxerat: *b* Petri autem, ſucceſſorumq; nullam rationem habuerat. Reliquos Domini Apoſtolos idem ſenſiſſe & feciſſe, nemo opinor negare poterit & volet, cũ eodem Spiritu Dei, qui ordinis à ſe inſtituti conſeruator eſt, agerentur. Et cũ Petrus Romæ martyrium ſubierit, vt Pontificii concedunt, idq; ſine vlla prouocatione, quid nobis conſtituendũ ſit, ſatis facto ſuo declarauit. Qui tempora Apoſtolorum ſecuti ſunt Epiſcopi etiam Romani, in eam dignitatem atq; autoritatem, Rom. Impp. à fide alienis, venire non poterant, id quod non tantum res ipſa loquitur, ſed etiã omnes hiſtorici probant. Cum ad Chriſtianos Impp. Imperii Majeſt. peruenilſet, tum demum Epiſcoporum authoritas augeri cæpta eſt, eiſq; primo audientia, non autē iuriſdictio, à Conſtantino *c* conceſſa eſt, inter clericos & Monachos in cauſa religionis vel negotio Eccleſiaſtico, non in alios vel aliis cauſis niſi inter cõſentientes. Hæc fundamenta fuerunt infelicis illius ſtructuræ, quæ ſubſecuta eſt: nam temporis ſucceſſu maiores animos & ſpiritus ſumſerunt. Non hic allego Cõſtantini donationē, quæ etiam in Decreto *Palea* habetur, *d* & ab ipſo Bellarmino in hoc lib. *De Translatione Imperii* ſatis euidenter, etiamſi vt apparet ignoranter, refutatur, vbi lib. 1. c. 4. in pr. inquit. *Conſtantino vita functo anno Domini* 341. *occidentale Imperium Conſtantino Iuniori & Conſtanti: Imperium orientis Conſtantio ceſſit: poſt Conſtantini autē & Conſtantis exceſſum anno* 353. *Conſtantius ſolus vniuerſo Imperio præfuit*. Quod ſi Cõſtantinus pater filiis ſuis Imperium occidētis reliquit, certe Syluestro nulla eiuſmodi facta eſt donatio: etſi enim aliena res legari: tamen heres in re aliena inſtitui non poteſt: nec duobus vna eademq; res in ſolidum pro indiuiſo donari pōt. Secutus eſt Zeno Imperator, qui ſanciuit Eccleſiã Conſtantinopolitanã, non Romanam, *Matrē eſſe omniũ fidelium e*. Idem etiam Iuſtinianus Imp. inquit: *f Cõſtantinopolitanam omnium aliarum Eccleſiarum eſſe caput*. Etſi idem Romano Epiſcopo πρωτεῖον tribuit. *g* Acceperunt etiam bona Eccleſiaſtica vna cum perſonis augmentum, id quod ex eiuſdem Imperatoris Nouellis liquido ſatis apparet. Quicquid vero eius fiebat, adhuc tamen Impp. autoritatem & Maieſt. reuerebantur Epiſcopi. Phocas Imper. Mauricii nefarius parricida, primus omnium, vt Roman. in fide retineret, Bonifacium Tertium titulo Vniuerſalis Epiſcopi ornauit, contentione inter Conſtantinopolitanum & Romanum Epiſcopos hoc modo ſublata. & Antichriſti ſede firmata. Regnum enim hoc nouum, ſceleratum inquam illud regnum à tam improbo homine auſpicium ſuum meruit. Pro tanti beneficii grata memoria Pontifices magis magiſque ſe ſuaque capita ſuper ipſos Impp. tollere cœperunt, & quod ab eorum maioribus quibuſdam, vt Innocentio, Gelaſio & Anaſtaſio Secundo affectum fuit, vt propter muſcas nonnunquam leues Impp. Romanos excomunicarent: poſteriores maiori impetu & confidentia in effectum producerent. Vnde factum, vt Georgius Tertius Imperatorē Leonem Iſauricum execraretur, eiq; ſolui per Italiam tributa vetaret, eo quod imagines & Statuas è templis eiecerat, eraſerat, expulerat, idemque in Italia fieri mandauerat: idq; exemplo Regum piorum in V. Teſtamento, qui ſimili hæreſi laborabant. Quam perfidiam cum Imperator vlturus Paulo Exarcho in mandatis dediſſet vt Epiſcopum Romanum, vtpote caput ſeditionis, prehenderet (habebant enim adhuc in eiuſmodi πολυπραγμοσύνας καὶ ἀποτελεσματικῶς plenum Imperium Impp. eorumq; Vicarii in Italia) à Romanis cum filio morte mulctatus eſt. Sed ne ſic quidem Pontificum Romanorum autoritas ſubſiſtere potuit, nerui enim deerant, nec illa iactata toties Conſtantini Donatio vim vllã adhuc habebat. Cũ igitur tandē etiam Exarchi in Italiã mitti deſiiſſent, eaq; prouincia à Gotthis deuaſtaretur, Lõgobardi etiam nouũ Regnũ in hac parte Imperii conſtituiſſent, hac occaſione vſi Pontifices ſub ementitio Petri pallio ſeſe abſcõdentes conditionē ſuam meliorē fecerunt. Nam cũ Roma à Longobardis affligeretur, Pipinũ & Carolum Reges Galliarũ contra eos in Italiam vocarunt, qui tandē Longobardos plane ſub poteſtatem redegerunt, regno eorũ ſubuerſo. Illi igitur Exarchatum his ereptũ Pontifici Romano cõceſſerunt, & refert Bodinus *h*, Pontificē à Pipino, ſi Lõgobardos pelleret, Exarchatũ ſtipulatũ fuiſſe, nimirũ ex Contractu Facio vt Des. & verbis præſcriptis: prius enim Pontifex Romanus in Hilderici Regis Franciæ legitimi, deiectionem conſenſerat, & vt hic Philippus eligeretur, authoritatem interpoſuerat.) Et vt malæ fidei poſſeſſores nunq̃ quieti ſunt, Romani Pontifices obtinuerunt, vt Ludouicus Pius Caroli Magni filius illam aui Pipini largitionem haberet ratam, q̃ ratihabitionem Carolus Sigonius ſe vidiſſe ſcribit *i*. Ex quibus apparet ad ſummã illã dignitatem, quam ab Impp. Pontifices Romani acceperant, magnã quoq; potentiæ acceſſionē factam eſſe: Sed ne ſic quidē ab Impp. obedientia immunes fuerunt, nam & eos dominos agnoſcere cogebãtur, & ſine eorũ conſenſu papatũ inuadere non licebat, quiq; id feciſſent, veniã deprecari & ratihabitionē impetrare neceſſe erat, imo, ſi quid in dignum admiſiſſent, aut artib. malis ſedem inuaſiſſent, aliãue culpam contraxiſſent, authoritate Imperatorum loco mouebantur, dignis quoq; pœnis ſubiiciebantur, cuius rei tam frequentia exempla obuia ſunt in omnibus hiſtorijs, etiam ad præſens vel non longe remotum ſeculũ continuatis, vt de iis dubitare nemo poſſit, qui ſanæ mentis eſt, quo etiam lectorē cauſa breuitatis remittimus. Sed quorſum hæc omnia? dicet aliquis. Quis enim ignorat ea, quæ de Chriſto eiuſq; Apoſtolis, aliiſq; Epiſcopis, qui horum ſucceſſores fuerunt, dicta ſunt? Fatemur equidē hæc ab omnibus dici & apud omnes in confeſſo eſſe: ſed ſciri & dici tantum in genere, non autem ita vt pro Regula & exemplis ſequantur. Quod ſi factũ fuiſſet, vel adhuc fieret, iam dudum his

a 1. Pet. 5 v. 17.
b Matt. 22. v. 17 Marc. 12. v. 13.
c Toto tit. C. De Epiſc. aud.
d Diſtinct. 96. c. Conſtantinus.
e l. 16. Decernimus. C. De SS. Eccl.
f l. 24. C. d. tit.
g Nou. 131. c. 2.
h Lib. 1. D. Rep.
i Refert idem Bodinus, vt ſup. num. 141.

Tt 2 diſpu-

diſputationibus opus non haberemus. Si ij, qui ſe Apoſtolicos, & Apoſtolicæ ſedis ſucceſſores nominant, hæc, quæ ſimplicia & plana ſunt, obſeruaſſent, ac docendi munere contenti, quod ita arduum eſt, vt ad tantam prædicationem non vnus, ſed plures à Chriſto deſtinati fuerint, à negotiis ciuilibus etiam Impp. Chriſtianis conſentientibus abſtinuiſſent, totus mundus tranquillius vixiſſet.

CAP. II.

Falſis argumentis Pontifices ſuum primatum adſtruere: Nec quæ ex cap. Solitæ extr. de. Maior. & obed. vulgo afferuntur, ad rem quicquam facere, ſed imperitè & male conſuta, textibus ſacris, & facti euidentia contraria eſſe.

SED quia iis, quæ ſupra adducta ſunt, multa à multis in contrarium obiiciuntur, res ipſa requirit, vt his, quam fieri poteſt breuiſſime reſpondeamus, ne etiam idem ſępius repetendum ſit, & cõtraria iuxta ſe poſita magis eluceſcere, vulgo dicatur. Quia vero iiſdem argumentis quibus alii, & noſter vtitur, ad extollendam & ſupra omnes res humanas efferendam poteſtatem Eccleſiaſticam, hoc eſt, Pontificiam, ea vero vt plurimum ex *c. Solitæ. de Maior. & obed.* deſumpta ſint, paucis illud in ſubſtantialibus percurremus. Cum Imperator Conſtantinopolitanus Patriarcham in latere ſiniſtro & loco inferiore ſedere iuſſiſſet, hoc adeo inique tulit bonus ille Innocentius Tertius, vt propterea Imperatorem reprehendendum præſumeret. Quam accuſationem cum Imperator iſte, non immerito, inique tuliſſet, & ſuperiora quædam argumenta tanquam exceptionem peremtoriam obiecisset, Pontifex non ſibi tacendũ ratus, quare adeo Pontificali vtitur Replica, vt iam ambigere non liceat, Pontifices Romanos Petri ſucceſſores, & Chriſti Vicarios eſſe, ita mentem vtriuſq; percepiſſe videntur. Nec vero in principio quis mirari debet, vt Pontifex ille de ſe loquatur in numero plurali, de Imperatore autem in ſingulari, & ita abiecte vt eum tantum *Illuſtrem* appellet: nam hoc iam longo tempore conſueuerunt: & ſtylus Cancellariæ pro lege habetur, quare nemo ab iis rationẽ petere debet. Indignum eſt, quod ſummi Reges & Principes id à turpi ſacrificulo ferant. Apoſtolicus tamen ſtylus ille antiquus alius eſt & multo humilior atq; modeſtior. Sed ad rem. Græcus Pontifici impudenter reprehendenti illud Petri obiecerat, de quo & ſupra diximus, *ſubditi eſtote omni humanæ ordinationi.* Sed audiamus quam acute reſpondeat. Primo inquit, *ſcribit Petrus ſubditis ſuis:* quod falſiſſimum eſt: nam ſcribebat diſperſis Iudæis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, & Bithyniam: quæ prouincię tum temporis Imperatori Romano, non autem Petro parebant, è quorum numero etiam miniſtri ſiue Epiſcopi erant: qui non ſubditi, ſed auditores Petri olim fuerant. Deinde ait, *Petrum eos ad humilitatis meritum prouocaſſe:* Apage illud meritum. Humilitas enim nihil meretur: ſed falſum etiam eſt, quod Pontifex inquit, aliud enim eſt humilitas, aliud eſt ſubiectio. Illa commendat omnes ordines, etiam Reges & Principes, & ſuperbiæ contraria eſt. Hæc autem toto genere ab illa differt, & à ſubditis requiritur, de quo etiam Apoſtolus loquitur. Et ab omnibus eam requirit, quicquid Innocentius dicat, qui etiam Petri verba manifeſte calumniatur. Sequitur aliud, non minus elegans quam ſuperiora duo, Romanæ Theologiæ exemplum. *Si,* inquit Pontifex, *is eſſet ſenſus verborum Petri* (quę tamen verba ipſa ex profeſſo arguũt) *ſequeretur etiam, quod ſeruus quilibet in ſacerdotes Imperium accepiſſet cum dicatur omni humanæ creaturæ, nam & hic creatura Dei eſt.* Metuit forte ne in Barbarium *a* Philippũ, qui olim præturam vrbanam geſſit, incidat cum ſuis ſacrificulis. Sed nullum eſt ab eo periculum. Præterea nec ſenſus Apoſtoli eſt, quod homines creaturis Dei ſubiecti eſſe debeãt, cum potius creaturæ homini ſubſeruiant, cuius cauſa etiam productæ ſunt: ſed vult, vt ſubiiciantur πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, id eſt, omni ordinationi diuinæ. Verbum enim κτίζω non ſolum creandi, ſed etiam ordinandi ſignificationem habet. Paulus frater Petri hanc ordinationem nominat τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ: ex quibus facile mens vtriuſq; Apoſtoli colligitur. Conſtat enim inter omnes, Magiſtratus à Deo conſtitutos & ordinatos eſſe: deinde ex verbis immediatè ſubſequentibus facilè ſenſus verus non ille futilis & ſcurrilis, qualem Pontifex allegat, apparet. Sic enim inquit Apoſtolus, *Siue Regi, vtpote ſupereminenti, ſiue Præſidibus tanquam ab eo miſſis.* Has igitur creaturas Apoſtolus intellexit: ſed cum Innocentius hæc verba probè proſpexerit, quis enim ita ſtupidus eſſet? improbe fecit, qui priora tam malitioſe interpretatus ſit. Sed qualiter & hęc explicat, *Non negamus,* inquit, *quin Imperator præcellat in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo ſuſcipiunt temporalia. Pontifex autem in ſpiritualibus antecellit:* Hæc quoque limitatio ſeu reſtrictio falſa eſt. nam verba Apoſtoli ſunt generalia & generaliter intelligenda, & vbi lex non diſtinguit, ibi nec nos diſtinguere debemus, tutæ ſunt apud ICtos regulæ: nam Imp. non tantum præcellit eos, qui ab eo ſuſcipiunt temporalia ſed etiam perſonas Eccleſiaſticas, etiamſi ab eo non ſuſcipiant ſpiritualia, quæ Dei ſunt & à Deo committuntur. Sic Paulus, ſic ipſe Petrus, etiamſi à Chriſto commiſſionem Apoſtolatus accepiſſent, & quoad doctrinam à nullo iudicandi, tamen Impp. ſubditi fuerunt. Sed hoc quoque hinc obſeruandum. Si Imperator illos præcellit in temporalibus, qui ab eo accipiunt temporalia: Merito quoque Pontificibus omnibus ſuperior erit, cum nihil temporalitatis habeant, quod non ab Impp. vel Imperio habeant, vel ſolo Inſtrumento à Bellar. producto illud atteſtante. Quomodo igitur Imperium in Imp. transferre potuit? ſed pergit & addit. Pontifex in ſpiritualibus antecellit. Quare dicat aliquis? Quia dicitur ſucceſſor Petri: At hic nunquam ſibi prælationem aut prærogatiuam propter ſpiritualitatem, vt ita dicamus, arrogauit. Etiamſi Apoſtolus eſſet, tamen ſeſe aliis συμπρεσβύτερον appellat. Dicat igitur Pontifex quo iure hunc titulum habeat, ſi tale quid à Domino accepiſſet, hic allegaſſet, gloſſa Innocentiana non expectata. Et credite, ſi tale quod Sacerdotium, aut Pontificatũ Spiritus S. in Petro & eius ſucceſſoribus inſtituiſſet, illud apertius

a l. 3. ff. de offic. prætor.

cum

cum omnibus ſuis circumſtantiis declaraſſet, quod vel authoritate ſummi Sacerdotii in V. Teſtam. & alterius Sacerdotii in Nouo, quod ſolius Chriſti eſt, demonſtrari poteſt. Sequitur. *Quæ ſpiritualia tanto digniora temporalibus, quanto anima præfertur corpori.* Quod verum eſt quidem quoad ad rē ſiue doctrinam: ſed inde ad perſonas inferre. nulla patitur conſequentia, cum ſeparatorum ſeparata ſit ratio. Et cum hæc quoq; Petrus atq; adeo omnes Apoſtoli probe intelligerent, tamen Imp. Rom. homini profano omnem ſubiectionem atq; obedientiam præſtiterūt, & ſic facto ſuo has Pontificum nugas confutarunt. Quamuis nec omnino verum ſit, quod Pontifex inquit, quo argumento & Bellarmin. vtitur: nam ex Pontificum ſordibus has quiſquilias colligunt Ieſuitæ: Imperia enim & Reſpu. etiam ſuo modo anima ſunt & vita Eccleſiæ; quibus ſublatis, hæ quoque minime ſubſiſtere poſſunt: nam vt Euripides in Antigone inquit:

Ἀναρχίας μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν,
Αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν, ἥδε τῶν μάχῃ δορὸς
Τροπὰς καταρρήγνυσι, τῶν δ' ὀρθουμένων
Σῴζει τὰ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία. h. e.
Inobedientia nullum maius malum eſt,
Hæc urbes perdidit, & vaſtas
Domus facit, & in pugna fugas
Efficit: ſed ſubditorum ſeruat multos obedientia.

Et Chriſtus Matth. cap. 12. v. 25. πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς ἐρημοῦται, καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς οὐ σταθήσεται.

Vnde eleganter Stigelius:
Vtque alios alii de relligione docerent,
Contiguas pictas iuſſit habere domos.
Hinc vrbes ſtructæ, quarum eſt ante omnia munus,
Aſſeruiſſe Deo, quam iubet eſſe, fidem.

Quod etiam ipſa euidentia facti ſatis olim demonſtrauit, & probat etiam num. Etiamſi Impp. Romani Ethnici grauiſſime ſæpius Eccleſiam perſequerentur, tamen ſtante politia euerti non potuit. Noſtri ſeculi exempla quiuis per ſe intelligit. Quantas. n. incōmoditates vel vna ſeditio habeat, ſatis perſpectum eſt. Sed addit Sacerdos: *Non ſimpliciter dictum eſſe, ſubditi eſtote, ſed additum, propter Deū.* Carolus 9. Rex Galliæ cum adhuc puer cuidam liberalius pecuniam erogaret, ob idq; à quodam reprehenderetur, nihil reſpōdit, ſed ad Regē Nauarræ atq; alios Principes conuerſus, & caput aperiēs: *Date*, inquit, *aliquid pauperi Regi propter Deum*: ſic ſacrificuli & hic illorum Primus, Reges & Principes colendos putant, non quod teneātur, aut neceſſe ſit eis ſubiici, non ſolum propter iram, ſed etiā propter conſcientiam, aut ſi hoc non faciant, non reſiſtant ordinationi Dei, ſed, propter Deum. Quod ſequitur, ſimilis farinæ eſt: *Nec purè*, inquit, *ſcriptum eſt Regi præcellenti, ſed interpoſitum fuit non ſine cauſa Tāquam*: Vnde & Canoniſtæ hic vocabulū *Tanquā*, pro ſimilitudine & improprietate potius accipiunt, quam pro veritate, vt etiā apud EuangeliſtāMa. cū dicitur. *Tanquam ad Latronem exiuiſtis.* Gloſ. hic Fel. *col* 2. Alex. *conſ.* 80. *l.* 6. Sed contrarium potius verum eſt: nā particula, *Tanquā*, hic veritatem denotat. Vere enim Reges & Principes præcellūt: & præcelluerunt etiā Impp. Rom. donec à Pontificibus ſub iugum redacti ſunt. Et fatetur ipſe Innocentius Imp. nō quaſi, ſed vere præcellere in temporalibus illos, qui ab eo temporalia accipiunt. Aut ſi illud *Tanquam* hoc loco improprie ſumitur, illud dicere licebit, Petri verba imperfecta eſſe. & in his λείπειν deſiderari, & merito quæri poſſe, Quinam igitur vere præcellant. Sed nemo hanc iniuriam Petro & Spiritui ſancto per Petrum loquenti inuret: maxime quia tum nemo in toto mundo præcelleret, quam Cæſ. Rom. & qui ab eo Præſides in Prouincias mittebantur. Sed pergamus in verbis huius Nocentii, *Quod autem ſequitur*, inquit, *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: intelligendum non eſt, Quod Rex vel Imperator ſuper bonos & malos gladii acceperit poteſtatem, ſed in eos ſolūmodo, qui vtētes gladio eius ſunt Iuriſdictioni cōmiſſi.* Acuta limitatio. Si Bellarminus & alii Ieſuitæ, propter fidelem operā, quam in dignitate Pontificis Rom. conſeruanda atq; etiam augenda præſtiterunt, ſibi ſolis tanq̄ bonis Eccleſiæ ſuæ filiis omnem laudem præmiaq; deberi contenderēt, merito à reliquis Monachis, à quibus hi poſteriores omnia habēt, ſuperbiæ & ambitionis condemnarentur. Cū generaliter omnis operarius dignus ſit mercede ſua. Diazius Hiſpanus *a*, qui propter Euangelicā Religionem, inſtinctu fratris Alfonſi per ſeruulum nefarie occiſus fuit, ſi in Hiſpaniam, quo eū frater inſidioſe pertrahere voluit, Inquiſitorib. reſpondiſſet Inquiſitionem illam in Iudæos tanquam malos & degeneres Eccleſiæ filios inuentam eſſe, non autem in Euangelicos deſtinatā; quid putamus, an hac limitatione rogum Hiſpanicum effugiſſet? Limitationes regularū generalium ſuarū non admittunt, & tamen de aliis libere atq; abſq; pudore diſpenſant. Cur. n. Imper. vel Rex ſolum in Laicos, vtentes gladio, id eſt, abutentes, vt Hoſtienſis & alij hic interpretantur, poteſtatem exerceret, & non etiam in clericos, ſi quid indignū contra leges ciuiles peccent? Certe Impp. recentiores etiam hoc modo Papas Romanos, impie viuentes, de ſede ſua deturbarūt, aliis ſuffectis, & ſic reipſa huius limitationis falſitatem comprobarūt. Hæc de Petri dicto illo ſufficerent, ex Innocentio, niſi Bellar. magiſtri ſui veſtigia ſecutus alterum illum locum Petri eodem capite *b*, *Deum timete, Regem honorate*: ſimili Sophiſtica ludificatus eſſet. Nam Imp. Frider. hunc locum pro ſe contra Pontificem produxerat, vt demonſtraret, Imperium Romanū non eſſe Beneficium Pontificis Romani, ſed à ſolo Deo, ſe id per Electionē Principum conſecutum eſſe, propterea merito ab omnibus & ſic

a *Sleidanus lib.* 17.

b v. 17. *in* [illegible]

a Cap. 3 fol. 53. quoq; à Pontificibus honorandum eſſe. Hanc cauſam, noſter Bellarm. 1. ait, argumentationem eſſe
leuiſſimam, ineptam ac puerilem *a*. Talis igitur aut Petrus eſt, aut Deus ipſe, à quo Regna & Imperia
diſtribuũtur. Deinde ſic ait, Rex, qui à Pontifice Regnũ in feudum habet, nihilominus à ſubditis ho-
norari poteſt. Si Petrus ſciuiſſet ſucceſſores ſuos Papas Romanos regna poſſeſſuros, eaq; aliis in feu-
da daturos, ſine dubio explicatius locutus fuiſſet: nec ita in generalibus terminis tranſiiſſet. Verũ ta-
men eſt, quod Bellar. ait, eum quoq; Regem qui ab altero Regnum ſuum in feudum recognoſcit, à
ſubditis honorandũ eſſe: ſed non tantum a ſubditis laicis, ſed etiam Eccleſiaſticis. Vt, n. Epiſcopi regni
Neapolitani (de hoc, n. Bellarm. loquitur) poſt Deum Regi ſuo ex verbis Petri omnem honorem, re-
uerentiam & ſubiectionem debent: Sic quoq; Epiſcopus Rom. Imp. vt Domino ſuo, eadem præſta-
re tenetur, quod & ipſe Petrus omneſq; boni Epiſcopi, qui primis ſeculis vixerunt: & longo quoq;
tẽpore ipſi Pontifices Romani fecerunt. Quod ſi vero hoc verum eſt, quod Apoſtolus inquit Regẽ
honorandum eſſe: minime licebit Epiſcopis, aliiſq; eius generis hominibus Regum & Principũ ho-
norem inuadere: Regna & Principatus rapere eaq; deinceps aliis in feuda conferre: mittimus iam, ꝙ
Pontifex Romanus ea regna, quibus alios inueſtiuit, mala fide & ſcelere acquiſiuit, quo nomine Le-
ctorẽ ad Hiſtoricos breuitatis cauſa remittimus. Sed iam ad Innocentium redeamus: Sequitur in §.
potuiſſes aũt prærogatiuã Sacerdotij, ex Ieremia: *Deus dixit Ieremiæ, qui erat è familia Sacerdotum Anathotæorũ:
Conſtitui te ſuper regna & gentes, vt euellas ac diſſipes, ædifices ac plantes.* Ergo Pontifex eſt collocatus ſuper
oẽs Reges & Principes. Quare? quia eſt Sacerdos & quidẽ ſumus, qualis Ieremias non erat, ſed eſt ne
Pontifex quoq; ſucceſſor Ieremiæ? Cur aũt Pontifex ſibi vocationem propheticã arrogat, oſtendat
talem cõmiſſionem ſibi factam, & ipſi credemus. Cur id quod ſpeciale eſt, in conſequentiam trahit?
Sed tñ videamus quomodo Deus Prophetam ſupra Gentes & Regna conſtituerit. An vt ſubditos à
Regum & Principum ſuorum fidelitate abſolueret? Reges ipſos execrabiles faceret? cum Chaldæis
nefarie conſpiraret? eorumq; exercitus in regnum Iudaicum, aliaſq; gentes immitteret? ferro, flãmis
& rapinis graſſaretur? vtq; poſtea Chaldæi à ſe iure beneficii regnum Iudaicũ obtinerent? Sic. n. Pon-
tifices hæc verba Prophetæ intelligunt, id quod ex factis ipſorũ tot ſeculis cum multorum regnorũ
interitu demonſtrarunt, quod oẽs etiam hiſtoriæ clamant. Quomodo igitur? dicet aliquis: *Tu itaq; ac-*
b Cap. 1. v. 17. *cinge lumbos tuos*: inquit Deus ad Prophetã *b*: *vt ſurgens eloquaris apud eos, quicquid ego præcepero tibi.* Denũ-
tiare igitur vel eloqui ſaltem voluit Deus Prophetã, quæ ipſe facturus erat: quæq; poſtea etiam ſingu-
la acciderunt. Propheta vero ipſe nihilominus regis ſui etiam impii ſubditus fidelis perſtitit, quẽ et-
iam quoties allocutus eſt, vt & eius proceres, maiore honore affecit, quã hic Innocẽtius Græcũ Imp.
cui ob nullã cauſam ſuccenſuit, vel ſaltem fatuam. Sed tamen ſi cõmiſſio Apoſt. Petro facta, ad tan-
tum Ponſificis Romani faſtigium ſufficit, quid opus erat Pontifici, ex V. Teſtam. tabulis iura ita male
detorta adducere? Quid quod & aliis Prophetis, qui ex genere Sacerdotum nõ erant, ſimiles cõmiſ-
ſiones iniunctę fuerunt, & tamen horum exempla Pontifex producere auſus non fuit: quanq̃ & ipſe
Ieremias ſummus Sacerdos non fuerit, adeo vt hoc euellere ac plantare omnibus miniſtris cõmune
c 1. Cor. 3. v. 6. ſit, quod & Apoſt. Paul. de ſe ſuiſq; prædicat *c*. Nullum igitur ius ſingulare ex cõmuni qualitate ex-
d 1. Sam. 10. tundi põt. Sed dicet aliquis, Prophetas regna tranſtuliſſe. Sic Samuel *d* Saulem regem inunxit, & rur-
e 2. Reg. 6. in pr. ſus ab hoc ergnum in Dauidem tranſtulit. Sic Eliſæus vnxit Iehu in Regẽ Iſraelis *e*, Achabo abdicato.
Facilis eſt reſponſio. Hoc illi faciebãt non vigore ordinariæ vocationis Propheticæ, quæ æque ſtrictã
interpretationem habet atq; Apoſtolica; ſed extraordinario mandato diuino: tale quid nobis Pon-
tifices oſtendant vel exhibeant, & vicerint: deinde ipſi Prophetæ non transferebant regna, ſed indi-
cabant, Deum iſtos, quos vngebant, reges elegiſſe, iiſq; etiam regna promiſſa daturum, quod etiã ſuo
tempore factum eſt, & eo modo, quo Deo placebat. Sequitur *in* §. *Præterea*, elegans ſimilitudo: Duo
ſunt in cælo magna luminaria, Sol & Luna. Ergo ẽt in terra & in Eccleſia duo, Papa & Imperator. Si in
Moſe hæc myſteria inuenire poterant, quid ad Ieremiam & Petrũ, qui annis ter vel quater mille poſt
vixerunt, confugiendum erat, Produnt ipſi inopiã ſuæ cauſæ. Duo illa luminaria ſimpliciter ad ſuos
vſus creata fuerunt. Analogiam, quã inde fabricarunt, probare debebant. Miſerum oportuit eſſe mũ-
f In Chron. Saxon. lib. 29. dum, qui tam diu ſine Sole fuit. Carolus V. ſecus iudicabat, de quo Chytræus *f* ita ſcribit: *Delectatus
eſt toto vitæ tempore Imaginibus virtutum regiarum a ſole, & luna, & motibus ſiderum ſumtis. Vt ſol in ſummo fa-
ſtigio tardiſſime mouetur, nec alius inopi quam locupleti ſplendet: ſic Principes in ſummum Imperium euectos, non
præcipitare conſilia ſed circumſpecte ac cunctanter agere, & lucẽ iuſtitiæ ac clementiæ ſuæ, ſummis ac infimis pariter
præbere decet. Vt ſolis deliquia futuras mutationes ac calamitates publicas portendunt; ſic regum errores etiã parui,
magnam in rebus humanis perturbationem pariunt. Vt luna, quia terris propior eſt, efficacius in hoc elementari orbe
vim ſuã exercet; ita Regum præſentia & vicinitas plurimũ in motibus bellicis, ac togata Reip. adminiſtratione mo-
menti habet: &c. & quæ ſequuntur.* Sed cũ Pontifices omnem ſuam autoritatem, quæ Imperatorum etiã
tempore poſterior eſt, ab his acceperint, qua fronte ſe Soli, hos vero Lunæ conferre audent? Imo, vt
conſtet etiã hoc ipſum falſiſſimũ eſſe, certum eſt, nec Gotthos, nec Vandalos, nec ipſos Lõgobardos,
vel Hunnos, qui tñ grauiter Romanũ Imperium afflixerunt, tãtas calamitates rei Romanæ intuliſſe,
quantas Impp. à Pontificibus paſſi ſunt: nam & hi ipſos Impp. deturbarunt, prodiderunt, & in infi-
nitas calamitates coniecerunt, eorumq; ſtatũ in ſe tranſtulerunt: illi tandẽ armis victi, & ex Italia pul-
ſi fuerunt: hi Italiam, ipſamq; Romã in præiudicium Imperii in hodiernũ vſq; diem tenẽt. Sequitur
nunc in §. *Nobis* [illegible] illud Chriſti Petro dicẽtis, *Paſce oues meas.* Quo dicto ſi quis neget, Petro
omnibuſq, eius ſucceſſoribus Papis Romanis, omnem poteſtatẽ tam in cœlo quã in terra datã eſſe,
tã certo hæretic⁹ eſt, quã certo is eſt Catholicus qui Symbolũ Athanaſii cõfitetur. Sed principio nega-
mus

mus Petro quicquā his verbis *Datum*, ſed *Redditum* fuiſſe. Non enim ſunt verba *Inſtitutionis*, ſed *reſtitutionis*. Exciderat enim Petrus Apoſtolatu ſuo, propter abnegationē Chriſti, in quē nunc poſt reſurrectionem Domini reſtituitur. Tantum aūt dat reſtitutio, quantum abſtulit læſio. At certe ante Paſſionem Dñi Petrus illud vniuerſale Imperium in omnes Eccleſias non habuit, nec fictam illam & immodicam ſequelam Reges & Principes inſtituendi & exautorandi, ſi id ita ſibi videatur, & Eccleſiæ commodum ſit: nihil. n. tale vnquā ex Magiſtro audiuerat: & cum vna cum fratre Andrea in ipſa piſcatione ad Apoſtolatum vocaretur, communiter dictum eſt vtriq; *a Faciam vt ſitis piſcatores hominum*: quæ verba in effectu cum iſtis conueniunt, *Paſce oues meas*. Ex iſtis nemo vnquam tale quid expiſcari potuit. Cur igitur ex his tam ineptas & impias ſententias carpunt & conglomerant? Et cur Andreā fratrem, qui communē cum Petro vocationem habuit, & quidem tempore priorem, ab hoc vniuerſali regimine excludunt? Præterea etſi Chriſtus, quia verus Deus, caput ſuæ Eccleſiæ, & omnes Electos Spiritu ſancto docet & regit: tamen quatenus miniſter fuit circumciſionis, vt eum Apoſtolus vocat, & in ſola Iudæa docuit, hoc non habuit, vt prætextu concionis Euangelicæ in Regna & Reges autoritatem ſibi ſumeret, cur igitur Petro id daret, quod nō niſi ex alia & longe maiore cauſa habet? Nec etiam verum eſt, Chriſtum Petro oues ſuas commiſiſſe vniuerſaliter omnes non diſtinguendo inter has & alias. Nam primo Chriſtus Petro alios quoq; coniunxit Apoſtolos, quibus vt & Petro dixit: *Ite docete omnes gentes*, habuerunt igitur & illi ſuas. Deinde etſi verum ſit, Ius Apoſtolatus in ſolidum omnibus competiiſſe: attamen executio illius iuris diuiſionem recipit, & recepit etiā, cum Paulus Apoſtolus gentium, Petrus autem Circumciſionis conſtitueretur. Non ſecus ac ſi pater 12. filios heredes inſtituat, ipſum quidem ius hereditarium ſingulis in ſolidum competit, etiamſi corpora ipſa hereditaria in diuiſionem hereditatis veniant. Nec enim eſt in vnius hominis poteſtate & viribus omnes & ſingulos docere. Hinc miniſteria Euangeliſtarum, & Epiſcoporū ordinationes fluxere. Noluit enim Chriſtus vel omnes vel vnum Petrum certo loco aut ſede affixum immorari, & inde more dictatorio per reſcripta, qualia Pontificum ſunt, quid credendum vel faciendum ſit, aliis imperare, ſed eos paſcere oues, & docere voluit: hæc eſt Apoſtolorum omniumque qui Eccleſiis præſunt, Inſtructio ſeu Cōmiſſio, quæ illis diligenter inſpicienda atq; obſeruanda eſt. Omnes enim Commiſſiones ſtricti iuris ſunt, neq; extendi debent, vltra perſonas & cauſas in iis cōprehenſas, quod etiam Ius Canonum *b* in ſuis fieri vult reſcriptis: cur nō igitur in mandatis Dei, quibus & aliās nihil addi vel demi fas eſt. Sed dicet Bellarminus, quod & cap. 12. lib. 1. in fine diſputat, ad acceſſoria & dependentia fieri poſſe iſtam extenſionem. Sic igitur concludunt, Chriſtus cōmiſit Petro oues, nō has aut illas, ſed omnes. Petrus fuit Romæ Epiſcopus. Epiſcopi Romani ſunt ſucceſſores Petri: Ergo his quoq; totum ouile Chriſti cōmiſſum eſt: huc enim omnia eorum argumenta incidūt, *Natura Cauillationis quam Græci σωρείτην appellauerunt*, inquit, ICtus *c*, *hæc eſt vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ euidenter falſa ſunt, perducatur.* In hac cauillatione ne vnum quidem membrū verum eſt. De primo iam dictum. Petrum aūt Romanum Epiſcopum fuiſſe tam verum eſt, quam quod Chriſtū ipſum in ordinem pontificum Romanorum referunt. & Petrum Romæ vnquā fuiſſe, quamplurimi negant. Petrus vocatur Apoſtolus circumciſionis, quemadmodum Paulus Apoſtolus gentium *d*: & in Hiſtoria Sacra de hoc Epiſcopatu Petri nihil legitur: nec vero etiam potuit aut debuit ſine perfidiæ nota Petrus Apoſtolatū ſuum in Epiſcopatum cōmutare, quod etiam ſine dubio non fecit. Multo minus verum eſt, Pontifices Romanos Petri ſucceſſores eſſe. Tria enim ſunt ſucceſſorum genera: alii enim in ius vniuerſum ſuccedunt, quales ſunt heredes: alii in re certa, quales ſunt emtores, donatarii & legatarii, alii in munus ſeu functionem perſonalē. Si ſucceſſor Petri eſt Pōtifex, ex tertio ordine eſt, nam in primis duobus locum non habet: Nam nullo iure Petrū contingunt Papę Romani: præterea Apoſtolatus eſt priuilegium, vt ita dicā, perſonale, quod ad ſucceſſores non tranſmittitur *e*: nec ratione patrimonii Petri, quod nunc vocant, ſucceſſores dici poſſunt, nā Petrus nunquam Italiam aut Romā poſſedit, ſed hæc largitio à Pipino exordium ſuū habet. Nec rei certæ ſucceſſores dici poſſunt, nec. n. vel ex emto vel legato aut ex donato habent Pontifices id quod poſſident: Nam Conſtantini donatio (quam Bellarm. tamen in gratiam Pontificis & odium Imperatoris Friderici ſuſtinere vult *f*) non Petro facta eſſet, ſi vnquam facta fuiſſet. Sed nec in tertio ordine locum habet: hi functionis ſuccedanei dicuntur. At, vt dictum eſt, Apoſtolatus vtpote perſonalis non eſt tranſmiſſibilis. Deinde vt Epiſcopus Epiſcopo ſuccedat, tamen ab anteceſſore ſuo nihil iuris habet, ſed tantum poſſeſſionē vacuam: ab iis autē à quibus electus eſt, habet quicquid habet. Teſtamentū Petrus nullū reliquit, ſed tantum duas Epiſtolas: æſtimemus igitur ex his breuiter & paucis ex locorum aliquot allegationibus hos ſucceſſores.

I. *In c. 1. v. 18. & 19. ait: Nos neq; auro nec argēto eſſe redemptos, ſed precioſo ſanguine Chriſti.* Conferte cum hoc *Taxam Cancellariæ Apoſtolicæ*, quam vocant, qua ſingulis peccatis ſingulæ mulctæ impoſitæ ſunt, ex quo apparebit, nihil magis à Petri mente alienum, & in ſanguinē Filii Dei contumelioſius ſcribi & fieri potuiſſe.

II. Idem 2. c. v. 9. dicit de omnibus fidelibus, quod ſint *regale ſacerdotium.* At Pontifex hanc regiam dignitatem ſibi ſoli arrogat, & quod à Petro ſpiritualiter dicitur & intelligitur, hic in ſecularem & externam regiam poteſtatem cōmutauit: & quod ſcelus in membra admiſit, in ipſum caput etiam perpetrare non dubitauit. Chriſtus. n. ſolus eſt Rex Regum & Dominus dominantium, ſolus ἀρχιποίμην καὶ Ἀρχιερεύς. An non hæc duo Pontifices etiam ſibi impudentiſſime ſumſerunt?

III. De tertio, de magiſtratus obſeruatione ſupra dictum eſt, quo breuitatis ſtudio Lectorem remittimus.

IV. Petrus eadē Epiſt. 1. c. 4. v. 15. prohibet, *Ne quis affligatur vt homicida, aut fur, aut ἀλλοτριοεπίσκοπος.* Quid Papa, qui ſibi in omnes Eccleſias ius arrogat, aliud agit quam τὰ ἀλλότρια ἐπισκοπεῖν?

a Mar. 1. v. 19. 20.

b Tex. in cap. P. & G. & in cap. ſuper eo. De off. deleg.

c l. 177. ff. De V. ſignif.

d Gal. 2. v. 7. & 8.

e l. priuilegia. 196. De R. iur.

f fol. 57. cap. 3. & Quinto illyrico

V. quo loco igitur habendus ſit, ex Petro diſcat. Petrus prohibet eadem Epiſt.c.5. *Ne presbyteri clero dominentur:* An non Papa Roman. dominatur non tantum clero ſuo, ſed etiam non clero: imo Regibus & Principibus, idq; vt Bellar. loquitur, vi iuriſdictionis Eccleſiaſticę quod parum eſt, cum etiam ipſis angelis imperare non dubitet, & in vnũ concilium cũ Deo coeat. Mitto alia innumera, maxime quæ

a 1. Pet. 5. v. 5. de humilitate & modeſtia Petrus concionatur *a*: quæ ſi quis Romæ docere velit, idem illi accidet, ꝙ Iohanni Scoto, quem diſcipuli graphiis confoderunt, & aliis, qui quoſdã errores Pontificios liberius

b Cap. 12. libr. 1. in pr. taxauerunt. Sequitur vt & paucis de altera extenſione agamus, qua ius ſeu officium docendi, Pontifices ad curam regnorum & Imperiorum tranſtulerunt: quod quo iure & modo fiat, Bellarm. *b* nobis ob oculos ponit: ſic enim ait, *Põtificem Romanũ poſſe Apoſtolica vel Eccleſiaſtica poteſtate, ſi cauſa poſtulet, imperia transferre, primo quia Pontifex Eccleſiæ, id eſt, omnium Chriſtianorum ſit Pater & paſtor: quod primum ſacrilegium eſt.* Deus. n. ſolus in Chriſto omnium Chriſtianorum Pater eſt, quẽ etiam ex mandato Chriſti ſic inuocamus, *Pater noſter qui es in cælis.* de quo etiam in Symbolo confitemur, *Credo in Deum Patrẽ*

c Ioh. 10. v. 11. *omnipotentẽ,* &c. Chriſtus etiam ſolus eſt omnium Chriſtianorũ pater *c*. Hęc duo nec Pater nec Filius cuiquã cedunt; qui enim ea habent, omnipotẽtiam ſimul & infinitã naturam habeant neceſſe eſt. Ieſuita in contrariu probatione multũ deſudat: allegat multorum Impp. cõfeſſiones, quibus primatum Pontifici Romano tribuunt: ſed hæ confeſſiones poſteriorum ſunt Impp. debebat potius Chriſti & Apoſtolorum, aut primorum Impp. qui Chriſtum profeſſi ſunt, Conſtantini dico, Theodoſij aliorumque, allegaſſe, tum aliquid ageret. Deinde illæ confeſſiones, Caroli Magni, Otthonis I. Henricorum & Fridericorum eorum ſunt, qui iſta ſuperſtitione imbuti erant, ita enim eo tempore à Pontificibus perſuadebantur: *Opinio ſacer morbus eſt*, inquit ille, quod certe hic vel maxime locum habet. Præterea hæ confeſſiones non præiudicant veritati, ita vt plus ſit in veritate quam in opinione. Et ſi hæ confeſſiones tantũ operantur, quantum vult Bellar. aliorum quoq; regum & principum negationes pariter iuris effectũ ſuum habebunt. Quot. n. hoc ſeculo ſunt, qui Papæ iſtum primatum abrogãt? Hoc quoq; ex probatis hiſtoriis deduci poteſt, ſemper & omnibus ſeculis fuiſſe, qui eum impugnauerint. Quod ad *Epiſt. Valentiniani Tertii ad Theodoſiũ iuniorem* attinet, quã Ieſuita allegat, certe ſuppoſititia eſt, ꝙ vel ſtylus arguit, vt etiam recte Fr. Iunius obſeruauit, nã hic Imp. vt & omnes alii poſteriores, quorum in Codice mentio fit, maiorẽ linguæ Latinæ elegantiam ſectati ſunt. Quid

d Lib. 1. Amicab. Reſpon. c. 3. vero vſitatius eſt in decretis, quã illud. *Mandamus quatenus:* vt hic, *debemus conſeruare, quatenus.* Quod ad Iuſtin. *l. inter claras. C. De Sum. Trin. & fide Cathol.* attinet, cũ ea non careat fraude & impoſtura Pontificum, id quod doctiſſ. Fr. Hotom. *d* probauit, non multis verbis opus eſſet, niſi quidã eius argumenta euertere conatus eſſet, quæ ſi viciſſim paucis verbis diluamus, à re & ꝓpoſito noſtro non erit alienũ, ſed ſine calũnia tranſibimus. Primũ argumentum Hotom. fuit, quo fraudis illas Epiſtolas arguit, *quia cõplures eruditi,* inquit, *iam pridem teſtificati ſint illas in antiquis manuſcriptis Iuſtin. Codic. non inueniri. At,* inquit ille, *ſolum Haloandrum profert: qui de exemplaribus aliquibus recentioribus loquitur.* At præter Haloandrũ etiam Azo adducitur, qui anno 1200. vixit, is ſcripſit, in aliquibus non haberi: quod non de recẽtioribus ſed antiquiorib. exẽplaribus intelligendum. Conſentit etiã Alciatus, qui inquit in plurimis antiquis eam non extare. Vnde apparet eã l. non extare in omnibus, quod ad ſuſpicionẽ falſi ſatis eſt. Dolus. n. huiuſmodi indiciis probatur: & quod Contius inquit, *in 1. tom. Concil.* in vita Iohannis Papæ II. fidem Iuſtiniani multo prolixiorẽ poni, quã hic fiat. Quod vero ſubiungit *hoc ſcriptorum incuriæ tribuendum,* ipſe viderit. Ratio. n. quã ſubiungit, falſa eſt, ideo eam omiſſam, *quod nõ multum ad legalis materiæ ſcientiã pertinerent.* Tantum. n. hæc lex ad præſentem titulum fecit, quantum ſeptima præcedens, imo etiam reliquæ omnes: quare ſi partus genuinus eſſet, nullo iure omitti debuiſſet. Secundũ argumentum Hotom. eſt, *Pontifex iam pridem ſimilium fallaciarum cõuictus fuit: Ergo & hæc lex ſuppoſita eſt.* Illud exemplo donationis Conſtantini primo probat. Ad hoc nihil reſpondetur (omittimus enim ea quæ ex Matthæo & Iohanne afferuntur, quæq; ad rem minime faciunt.) Quæ vero ex Baronio adducuntur, non minus Hotoman. in hac cauſa præiudicant, quã ipſi Haloandro in ſua. Deinde quid hoc eſt quod ex Baronio nobis profertur, *Conſtãtinum magnum fuiſſe munificentiſſimum. Ergo illa Conſtantini prætenſa & immenſa donatio vera eſt.* Bellarm. certe aliter ſenſit, qui ſcribit hoc ipſo tractatu, Conſtantinũ

e Lib. 1. De Rep. cap. 9. num. 141. magnum filiis ſuis Italiã in Teſtamento reliquiſſe. Sed quid multis. Audiamus in hoc caſu ipſum Archiuum Vaticanũ. Sic. n. Bodin. *e*: *Auguſtinus Struchus Pontificis Romani cubicularius, qui omnia Vaticanæ Bibliothecæ acta diligenter euoluit, Rauennã, Romandiolã, Vrbinum, Hetruriæ partẽ Eccleſiæ Romanæ donata fuiſſe confitetur: id tamen ab eo omiſſum eſt, quod ipſi ex Actis Vaticanis hauſimus & expreſſimus, Iohannẽ ſcil. cognomento Digitorum, Conſtantini magni largitionem, quæ dicitur, aureis literis ſcripſiſſe, in cuius extremo hæc verba ſubiiciuntur,* QVAM FABVLAM LONGI TEMPORIS MENDACIVM FINXIT: *nihil mutandũ putauit; quæ certe argumenta,* inquit Bodin. *omnibus Laurentij Vallæ rationibus ſuperiora mihi viſa ſunt, vt Auguſtini Eugubini mẽdacia refellantur: Is. n. Græco ſermone Conſtantini Donationem ſcripſit, vt fucũ faceret, ſed fraus facile ex ipſius oratione & antiquitatis cognitione refutatur.* Alterũ exemplũ doli cõmiſſi allegat Hotomannus, *Quod Pontifex Romanus in vetuſtiſſima Carthaginenſi Synodo 230. Epiſcopis iudicibus falſitatis damnatus fuerit.* Sed quid ad hoc reſpondetur? nihil aliud q̃ quod mirantur & ſtupent, Cur Pontifices Nicenã Synodũ allegauerint, cũ Sardicenſis Cõcilii Canones citare debuerant. Mirum in toto quinquennio hoc ipſum nec Epiſc. Rom. ſuæ prærogatiuæ ẽt tum ſtudioſiſſimos, nec Africæ Epiſc. intelligere potuiſſe, atq; errorẽ tam ſtupidum emendauiſſe, ſiquidẽ Acta Sardicenſia recentiora erant Synodo Nicena. Horũ hominum opus fuiſſet præſentia, qui facile hęc explicare potuiſſent. Recte igitur tunc proceſſus denegati, quia ex falſa & mendaci cauſa petitum. Tertium argumentũ Hotom. hoc eſt: *Eſſe in l. 7. præcedenti & hac l. 8. contraria, ibi dici hanc confeſſionem, iam ad Papam Roman. miſſam eſſe, hic poſt 12. menſes demum mitti.*

Quidam

Quidam dicit hoc mendacium eſſe & in nullis emendatis exemplaribus inueniri. At in d. l. 7. aperte dicit Iuſti-
nianus, ſe iam ſimilia his, quæ in ea lege ſcribebat, ad Papam perſcripſiſſe: quare verbis Cuiacij hic
nihil mouemur. Et quod dicitur abſurdum eſſe, verum ita allegatur. Nam ſi Iuſtinianus fidei ſuæ cō-
feſſionem à Pontificis approbatione vel reprobatione pendere exiſtimaſſet, nunquā eam tot annos
ante pure & ſimpliciter, exemplo aliorum Impp. edidiſſet, & tot Eccleſiis publicaſſet. Quartum Ho-
tomanni argumentum eſt. *Iuſtinianus in hac l. 8. ſubiicit Patriarcham Conſtantinopolitanum Pōtifici Roma-
no. At in aliis locis ſuperior aut æqualis gradu & iure conſtituitur vt in l. 24. & l. 16. C. De ſacro. Ecc.* Huic ita oc-
curritur *l. 24. Abeſſe à correctis optimiſq; exemplaribus.* Hoc argumentum ſi Hotomannus affert, nullam
vim habet: ſed cū iſtæ leges à viris doctis reſtitutæ ſint, nihil hic moramur κεχεφύγετω. Quod vero ad-
ditur, *ſemper excipi Romanā Eccleſiam*, cum verbis legis pugnat. Sic enim ait Imp. *Conſtantinopolitana Ec-
cleſia omnium aliarum eſt caput.* Qui autem omne dicit, nihil excludit. Eius generis ſunt quoq; verba l.
16. Decernimus, quæ qua occaſione ſcripta ſit nihil refert. Verba enim legis ſatis ſunt perſpicua, quo
lectorem remittimus. Nam quod dicitur, primam ſedem reſtitui Patriarchæ, quoad alios Epiſcopos:
non quoad Pontificem Romanum, ex legis verbis non apparet, & eſt gloſſa textū deſtruens. Imme-
rito quoq; hic Hotom. reprehenditur: nam etſi ex definitione Comitiorum Romanus Pontifex ius
habeat ante alios ſedendi, Nou. 131. tamen his omnibus Iuſtinianus robur adiecit, nec enim Concilia
leges de his conſtituere poſſunt, merito igitur hoc Imperatori tribuitur. Quod ſi vero à Chriſto illud
ius Romanus Papa habet, certe 4. concilia celeberrima id non viderunt, & Chriſtus nihil quicquam
de ordine ſedendi inter Apoſtolos conſtituit, maluit. n. vt is qui maior erat, minimus eſſet. Quintum
argumentum Hotom. id fuit, *Imperatorem in hac l. 8. dicere ſe non velle vllum negotium ad religionē pertinens
gerere, quod non ſtatim ad Pontificem deferre velit, eius ſententiæ exquirēda cauſa.* *At*, inquit Hotom. *in multis
Nouellis Imp. diſpoſuit de rebus ad Eccleſias pertinentibus, idq; inconſulto Pontifice*, ſed reſpondetur. *Nihil de fi-
dei & religionis profeſſione edidit Imp. quod non prius Pontifici innoteſcere voluerit.* Si huius rei exemplū ali-
quod tertium & poſterius afferri poſſet, aliquid diceretur: nam ex hac lege 8. id velle probare eſt pe-
tere principium. Iuſtinianus edidit fidei ſuæ confeſſionē, *l. 5. C. De ſumma Trint. & fid. Cathol.* ſine Pon-
tifice Romano fecerunt idem alii Impp. ante ipſum, de quibus in ll. aliquot præcedentibus adeo vt
cur iure ſuo Imp. de aliis rebus ad Eccleſias pertinentibus ſtatueret, cauſā vero religionis quæ vel ma-
xime ad ſtatū Eccleſiarū pertinet, Pontificis cognitioni ſubiecerit, nulla ratio probabilis reddi poſſit.
Vltimo colligit Hotomannus ex ſtylo falſitatē, *nam verba huius legis non conueniunt cum ſtylo Iuſtinianeo*,
cui id opponitur ſaltem, *quod idem dicendi genus in omnibus rebus non ſit exigendum.* At ex ſtylo iudicium
ferri poſſe de opere artificis omniū doctorū eſt conſentiens ratio. Et licet res varient, ſtyli tñ proprie-
tas eadē eſt. Quod argumentum ēt apud Mechanicos magni ponderis eſt, & ex hoc authorē operis
deprehendunt: quod facile exemplis demonſtrari poſſet, ſi res pateretur. Iā ad Bellar. redeamus. Al- a *Eod. cap.* 12. *lib.* 1.
terū a non minus falſum, quam etiā publicæ quieti, ipſiq; diuinæ ordinationi contrarium. *Quod ſum-
mus Paſtor ita non modo priuatis hominib. ſed etiā regibus & Impp. Chriſtianis præſit, vt ſi cauſa Chriſti Eccleſiæ id
exigat, poſſit eos regnu atq; Imperiū exuere eaq; ab aliis ad alios trāſferre.* Quod ſi tāta poteſtas verbo *Docendi*
vel *paſcendi* continetur, nullius verbi ſignificatio vnq̃ latior extitit, vt hic quaſi myſteriū vel miraculū
aliquod lateat. Quicquid ſit, Chriſtus & ipſi Apoſtoli hoc nunquā ſenſerunt vel docuerunt, multo
minus fecerunt: Aut ſi verum eſt, quod Bellar. ait. Cur non etiam in Impp. Ethnicos hanc ſuā Iuriſdi-
ctionē exercuerunt? quod Petro, ſi Romę fuit, faciendum fuiſſet etiam cū periculo vitæ, idq; hoc prę-
textu, quo nunc hi adulatores vtuntur, quia Chriſti cauſa id exegiſſet. Sed cū Chriſtus expreſſe pro-
hibuerit Apoſtolis dominatū, hæc ſequela eiuſdē farinæ eſt, cuius & aliæ *c. ſolita.* Negamus etiam mi-
niſtris publicū ſtatum ita cōmiſſum eſſe, vt ſeſe pro ſalute Eccleſiæ regnorum trāſlationibus iṁiſcere
debeant. Ille cuius Eccleſia eſt, eā hactenus conſeruatā dedit, dabitq; in poſterū. Quod ſi vero Impp.
aut Reges fideles ſunt: illis hæc ſolicitudo cōmiſſa eſt, vt in tranquillitate reipub. quietem etiam Ec-
cleſiæ ſibi cōmendatam habeant, id q Conſtantinus, Theodoſius, aliiq; pij Impp. & Reges fecerunt
olim, & adhuc præſtāt hodie, vt nullo Pontifice Romano opus fuerit nec adhuc ſit. Sed Ieſuita duas
affert rationes quare politica poteſtas Eccleſiaſticæ ſubiicienda ſit: quia hæc præſtātior eſt & imperat
ſicut anima corpori: Miſerā eſſe cām oportet quæ his per emendicata ſuffragia adhibitis fulcris ſuſti-
nēda eſt: nā expreſſas leges, regulas, ex authoritate diuina deſumptas expectabamus. *In Chriſto vnum
ſumus*, inquit: *ſumus vna Reſpub. vnum Regnum, vna familia.* Atqui à ſeparatis nihil infertur, Myſtice vnum
ſumus, ergo ēt politice. Ergo ordo politicus ſubiacere debet cū omnib. iuribus ſuis, Impe. iuriſdictio-
ne & deniq; Regalibus voluntati Epiſcoporū, imo vnius hōis? Sed & exempla ipſi autori ſuo aduer-
ſantur: nā in vna Rep. & in vno Regno, & familia, etſi myſtice ſibi cōiungantur, alii ſunt, qui pręſunt,
regunt, familiā adminiſtrant: alii ſubſunt, reguntur, parēt, obediunt, & quiſq; ſuæ conditionis officiū
facit, id quod apud oēs gentes peræq; obſeruatur. Quid quod & hoc ipſum ſciebant Apoſtoli. Nos
vnum eſſe in Chriſto, nam ab iis Ieſuitæ hæc habent: & tamen magiſtratus tanquam præeminentem
poteſtatem honorabant, & honorandos, eiſq; obediendum eſſe omnibus mandabant. Hic eſt ille
hamus, hoc illud eſt rete, quo omnes fere totius mundi opes expiſcando ad ſe pertraxerunt, Reges &
Principes ſibi ſubiectos reddiderunt, q olim multi cōqueſti ſunt. Cum igitur falſum ſitq, ait Ieſui-
ta, nihil niſi falsū ſequitur. Nā qui docēdo mandant, non ſuo ſed alieno nomine id faciunt, ſine Im-
perio, ſine iuriſdictione aut corporali coercitione: ſolū externū miniſterium exercentes. Et vt tandē
& hoc cōcludamus, illa coniunctio myſtica cum Chriſto, tanquā accidentaria, ad ſubſtantiam huius
quæſtionis explicandam parum aut nihil facit, cum Bellar. teſte multi Reges & Principes iam olim in

Eccleſiæ

Eccleſia non fuerint,nec adhuc ſint.De iis, qui in Eccleſia ſunt ſcriptum eſt.Qua quiſque vocatione
a 1.Cor.7.v.20. vocatus eſt,in ea permaneat.*a* Deinde ait Ieſuita,ſi Principes Politici ad Eccleſiā veniunt,hac condi-
tione admittuntur,vt ſceptra ſua Chriſto ſubiiciant, Eccleſiam Catholicam pro viribus tueantur &
defendant,ſi ſecus fecerint,vt puniantur etiā regni amiſſione. De hac iuramenti formula nihil extat,
& pari iure & ſponſione omnes ad regnum Dei admittuntur, quamuis diuerſa hominū vocatio ſit,
ſed ſit ita,iurant igitur ſe ſceptra Chriſto ſubiecturos,ſed non Epiſcopis aut Pontifici Romano:& quā-
uis dicat Apoſtolus,obediendum eſſe Epiſcopis,tamen ea obedientia Chriſto immediate præſtatur.
Nec licet iurent Principes ſe Eccleſiam defenſuros.hinc vlla prærogatiua Eccleſiæ naſcitur. Nā infe-
riores à ſuperioribus,imbecilliores à potentioribus defenduntur;ſic patroni libertos,aduocati clien-
tes tuentur.Quod vero Bellarminus ſubiungit.Si Reges & Principes Eccleſiā non defendant:puniti
poſſe Regni amiſſione, id omni autoritate iuris diuini vel humani caret: Certi ſunt modi acquirēdi
rerum dominia, ſunt & certi ea amittendi: certi quoq; ſunt modi Regnorum & Imperiorum acqui-
rendorum:de quibus etiam ipſe Bellar.ad nauſeam *b*:certi etiam ſunt modi eorum amittendorum,
b A cap.6.vſq; ad 12.lib.1. *vt Morte Naturali*:Sic nuper Regina Anglię duo Regna nobiliſſima Iacobo VI.Regi Scotorū reliquit:
Captiuitate,ſic Valerianus Imper.à Sapore Rege Perſico victus nunquam ad Imperium rediit.Cōtra,
Iohannes Rex Galliæ ab Anglis, Franciſcus I.à Carol.V. Imp.capti regno ſuo redditi ſunt.*Furore*,niſi
is remittat:Sic Carolus VI. Rex Galliæ ſanitati reſtitutus,regni quoq; adminiſtrationē recepit: Wē-
ceslaus Rex Bohemię Imp.Rom.faſtigium *Ignauia* amiſit.Carol.V.Imp.*ſpontanea renunciatione* Impe-
rio Electoribus ceſſit.Alii bellis & hoſtilitate vitam cum regno perdiderunt.Sic Imperium Conſtā-
tinopolitanum à Turcis tandem peſſundatum eſt.Chriſtiernus Rex Danię ob *crudelitatem* pulſus eſt,
cum ante regnum Sueciæ amiſiſſet.At vero Pontificia excōmunicatione Regna vel Imperia amitti,
nullo iure cautum eſt.Exempla quæ affert Bellar.mera exempla ſunt,ex quibus nullū ius oritur:nam
nō exemplis,ſed Regulis iudicandum eſt Paul.Apo.qui ius excōmunicationis probe ſciebat,inceſtu-
c 1.Cor.5. oſum illum *c* excōmunicauit:non tamen ꝑpterea ius ciuitatis ei ademit, aut rebus & fortunis ſpolia-
tum in exilium eiecit.Quod ſi in priuatis locum habet,cur non etiam in perſonis publicis, qui diffi-
cilius rerum ſuarum poſſeſſiones amittunt.Sed quia de his etiam aliquid infra agemus,hic iam finem
faciemus.Quod aūt hactenus de hoc loco Iohannis,*Paſce oves meas*,dictum eſt,quia in effectu cū eo,
quod in ca.ſolitę ſequitur,& multum allegabile eſt.*Quodcunq; ligaueris ſuper terram*,&c.coincidit,am-
pliore refutatione opus non habet. Non.n.ſoli Petro hæc poteſtas ſoluendi & ligandi,ſed omnibus
Apoſtolis ſimul data eſt:quare nullū ius ſpeciale ex generali vel cōmuni conceſſione ſumi poteſt. Et
hic finis eſſet huius argumenti,niſi duo ſupereſſent,quæ paucis attingenda ſunt,quæ Bellar.quoque
d Luc.22.v.38. alicuius momenti eſſe putat.Primū eſt quod & Imp.Frider.Pontifici Adriano reſponderat. Nempe,
Deum orbē regere duobus gladiis iuxta illud *Ecce duo gladii hic d*, & alterum eſſe Imper.alterum vero
Pontificis:Bellar.contra,vtrunq; gladium eſſe Eccleſiæ ait,quocirca, ſi alterum Cæſar habet,nō à ſo-
lo Deo,ſed à Deo per Petrum habeat:idq; autoritate Bernhardi probat: ſi quis eum locū intueatur,
nihil tale inuenerit. Chriſtus paſſionis tempore inſtante, dixerat tempus nunc eſſe pugnandi,ita vt
qui non habeat, vendat palliū & emat gladiū. Diſcipuli vt oſtenderent ſe ad pugnandum inſtructos
eſſe,dicunt,duos gladios materiales præſto eſſe.Quis hinc concluſerit,duos eſſe gladios in mundo?
hoc nuſquā dicit ſcriptura;nec gladios illos duos,qui tum caſu,vt ita dicamus,ad manus erant, hanc
ſignificationē habere:multo minus Imper.ſuū à Pontifice gladium habere:gladii.n. poteſtas fuit an-
tequam de creando Pontifice cogitaretur,cū contra verum ſit,gladium corporalē quē Pontifices ex-
ercent,ab Imperatorib.eos habere, quemadmodū & vrbem Romam omniaq; in Inſtrumento do-
nationis cōprehenſa,quod Bellar.nobis pro liberalitate ſua cōmunicauit. Sed & ipſe Chriſtus hanc
falſam Analogiam refutauit:iubet enim Petrū gladium recondere.Manifeſte igitur ſignificat,nō niſi
vnum gladium in mundo eſſe,idq; priuatis,quales erant ēt Apoſtoli,non competere,quod etiā Pau-
e Rom.13. lus in ſupra allegato loco,*e* docet, Paulus inquā Tarſenſis,non ille Paulus Tertius, qui in Germaniā
contra Proteſtantes non duos gladios,ſed decies mille & quingentos immiſit, ſi ſingulis militibus
ſinguli tantū tribuantur gladii.Sed ponamus duos in mundo gladios eſſe:ſeruanda tamen diſtinctio
perſonarum,quibus hic vel ille cōpetit,nec Modus præterſiliendus eſt. Gladius corporalis vi exter-
na exercetur.alter in docendo verſatur.Alterū eſt quod Bellarm.etiam affert,Chriſtum potuiſſe im-
peria transferre.Certe quia verus Deus eſt, omnia Imperia & regna ipſius ſunt,& transfert ea pro ar-
bitrio.At hoc reſpectu Vicario opus non habet.Nec ſi haberet,hoc ius illi cederet.Vicarius enim vel
delegatus non plus poteſt quam ipſi expreſſe commiſſum eſt. Deinde etiamſi potuerit Chriſtus, ta-
men non fecit, imo ne rei quidem hereditariæ diuiſione ſeſe occupare voluit, vt oſtenderet quod-
nam eorum officium eſſet,qui à ſuo ex hoc mundo diſceſſu, Apoſtolatu vel miniſterio fungi debe-
bant,quique in horum locum ſucceſſuri erant.

CAP. IIII.

Leonem Pontificem,Romanum Imperium à Græcis ad Carolum Francorum Regem minime transſtuliſſe,nec etiam transferre potuiſſe.

f In Argumento libri. g fol.254.lib.1. ca.11.in fin. HIs ita præmiſſis ad rem ipſam accedamus, vt probemus Leonem Pontificem,Romanum Impe-
rium minime in Carolum tranſtuliſſe, cui hoc præmittendum eſt, vt intelligamus, quidnam
Bellarminus nomine *Translationis* intelligat:Sic enim nonnunquam loquitur, *f Vere translationem eſſe
factam ſummi Pontificis Autoritate.*alibi ait,*g Non eſſe de poſſeſſione prouinciarum Imperialium quæſtionem,ſed
de titu-*

de titulo, de iure, de nomine, de dignitate ac Maieſtate Auguſtali, totam controuerſiam eſſe: neque, inquit, *inficiamur, Carolum bellica virtute Longobardos ex Italia exegiſſe, eamq; prouinciam ſuam feciſſe, quæ aliquando Romani Imperii prouincia fuerat.* Hoc igitur voluit: Rem eodem modo geſtam quo Pius IV. Florentinum Magnum Hetruriæ Ducem creauit. At hoc modo ficte potius quam vere Tranſlatio fit. Quemadmodum etiam vaſallus cui à Domino haſta, annulus, aut aliquid ſimile corporeum porrigitur, abuſiue feudi inueſtitură accepiſſe dicitur *a*. Proprie vero Inueſtitur, cui realis poſſeſſio datur. Quid igitur opus erat tanto conatu hæc proferre. Et tot titulis, quibus vere & realiter Imperia & Regna de perſona in perſonam & de gente in gentem transferuntur, remotis ad eum, qui aliis plane ſit diſſimilis, deſcenſum ſibi parare? Nam Imperia, quæ à Deo immediate conferuntur, quæq; iure belli, Succeſſionis, Ceſſionis, Electionis acquiruntur, vere & realiter tenentur: quę autem à Pontifice dantur, ſolo nomine & titulo conferuntur, & ea quæ iam ante habeas, auguſtiora redduntur. Si modo hæc Tranſlatio Imperii aut Regni dicenda eſt. Sic Boleſlaus Poloniæ Dux ab Othone III. Imp. Regium diadema accepit. Nemo proprie dixerit Imperatorem in eum regnum tranſtuliſſe. Idem de aliis regibus, vt Boiemiæ, Pannoniæ iudicium eſto. Si autem ſunt Imperia vel Regna acquirenda, patet quã periculoſa atque exitioſa etiam multis fuerit hæc tranſlatio. Non eadem ratio eſt omnium quæ Petri Alberti Regis Nauarræ, qui à Iulio II. non ea de cauſa excommunicabatur & regno ſuo priuabatur, quod Eccleſiæ Romanæ hoſtis, quam cauſam priuationis Bellar. agnoſcit, ſed quod Regi ſuo Francisco fidelis eſſet: nam multa exempla in contrarium ſunt. etiamſi enim bonus ille Albertus hac occaſione bonam Regni ſui partem amiſerit *b*. tamen Franciſcus ipſe ſeſe aduerſus hęc inania terriculamenta ſuſtinuit. Sic Carolus IX. Rex Galliæ, *c* cum Pius V. Reginam Nauarræ citaſſet, vt pro tribunali Pontificis ſe ſtato die ſiſteret, eiuſdem Reginæ patrocinium ſuſcepit, quod præter propinquitatẽ generis, & in fide & patrocinio eius eſſet. Ruſſus cum iure Vicariatus has tranſlationes fieri dicant aduerſarii: at vero Chriſtus vere & realiter, non tantum externam Ceremoniam aut nomen ſolum conferendo, Imperia & regna transferat, cur non etiam Vicarius illam poteſtatem habeat, rationem nobis reddãt Ieſuitæ. Nos certe qui hinc ſcimus Pontifices vere Imperia transferre non poſſe, fictum illum modum ceu figmentũ illis relinquimus. Si quis etiam forte hic curioſius quærat, cur quinq; illi modi Imperiorum transferendorum ante hæc ſatis ſuperq; ſufficientes fuerint, ad quid ſexto, quem tantopere Bellarm. propugnat, nobis opus ſit, is non male quęſierit. Quáuis ſi vere iudicare velimus, vnus eſt tantum, qui regna & imperia transfert, reliqui modi media vel inſtrumenta quædam ſunt, quibus prima & ſumma cauſa vtitur. Hoc etiam agnouit Iuſtinianus, qui in l. 2. C. De Offic. præf. prçt. Aphric. vbi inquit, *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ad omnia conſilia omneſq; actus ſemper progredimur: per ipſum enim iura Imperii ſuſcepimus, per ipſum pacem cum Perſis in æternum confirmauimus, per ipſum acerbiſſimos hoſtes & fortiſſimos tyrãnos deiecimus, per ipſum Aphricam defendere, & ſub noſtrum Imperium redigere nobis conceſſum eſt.* Hoc etiam populus Romanus intellexit, cum nouo Imp. Carol. Magno acclamarẽt, *Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imp. Rom. vita & victoria.* Sic Henricus IV. dicebat, *Hunc Imperialem honorem præſtitit mihi Deus & concors Principum Electio.* Sic Frideric. I. ad Papam. *Cum per Electionem Principum à ſolo Deo regnum & Imperium noſtrum ſit.* Sic omnes Impp. Reges & Principes ſe *Dei gratia* talis eſſe in titulis ſcribũt: qui autem *Pontificu gratia* ſe talem diceret, nullus adhuc extitit. Quomodo autem Pontifex Imperium Romanum tranſtulerit, audiamus. Principio igitur, cum Leo Papa Romanus dignitatem & Majeſt. Imperatoriam vel Auguſtalem à nullo ex maioribus, nec etiã ab Apoſtolo Petro habuerit, eandem quoq; nulli conferre potuit. Expeditum enim eſt, neminem plus iuris in alium transferre poſſe, quam habeat ipſe. Et cum ſacerdotium, vt loquuntur, ab Imperio toto genere diſtinctum, imo etiam contrarium ſit, alterum ab altero generari vel dependere nullo modo poteſt, perinde vt nec calor à frigore naſci vel ſubſiſtere poteſt. Hoc enim conſtat nec Vrbem Romã nec Italiam, præter Exarchatum, quem Pipinus amplificandæ Eccleſiæ cauſa primus Pontifici dono dederat, tum in poteſtate Pontificis fuiſſe. Quomodo igitur is, qui minus Imperium habet, (etiam de iure, titulo & dignitate loquendo) & quidem vnius atque alterius prouinciæ, alteri ius vniuerſale conferre poteſt; quale Imperatoris eſt, idque eo magis, ſi prius is ius ſuum particulare ab hoc vel eius maioribus habeat. Et cum Pontifex ius illud Catholicum in omnes Eccleſias à parricida Phoca primo omnium ſit conſecutus, & quidem ita, vt in ipſius Pontificis perſonam pro iure ſuo ſtatuendi poteſtatem retineret; quam etiam à maioribus vſurpatam eſſe nemo inficias ire poterit, & in cuius poſſeſſione vel quaſi etiam poſterioris ſeculi Impp. longo tempore permanſerunt: nemo putabit, qui rerum intelligens eſt, concedentem hoc quoque ius, quod dabat in præiudicium Imperialis dignitatis intelligi voluiſſe, cum in traditione nulla eius mentio vel expreſſe aut tacite facta ſit, & alias omnia priuilegia contra perſonam & res dantis minime ſint interpretanda: idque maxime ſi tam enormem læſionem contineant, vt ipſum dantem eiuſque vel ſucceſſorum eius ſtatum euertant, & in generali conceſſione ſemper perſona concedentis excipiatur. *d.* Ab hoc aũt vniuerſali Paſtoris officio, quod Pontifex Romanus gerit, hæc poteſtas Imperatores & reges creandi dependere dicitur, vt ſupra ex Bellarmino didicimus. Vnde etiam hoc efficitur, Pontificem Romanum tum temporis vrbis, quæ adhuc vtcunq; Imperatoribus Græcis ſubiecta erat, priuatũ hominem fuiſſe, cum etiam Reges & Principes extra territoria ſua in caſu iuſtitiæ pro priuatis habeantur, quod etiam proceſſus tam ciuium Romanorũ, quam ipſius Caroli cum hoc Leone habitus, ſatis euidenter demonſtrat. Quod aũt dicimus, Græcos adhuc in Italia ius Imperatorium conſeruaſſe, id nõ ſolum probant multi hiſtorici, quos etiam Bellarminus *e*, adducit, ſed etiam iura ipſa confirmant.

a tit. Quid ſit Inueſtitura. §. 2. in vſib. feud.

b Guicciard. lib. 11. ſect. 7.

c Bodin. lib. 5. De Repul. lit. num. 583.

d l. inquiſitio. C. De Solut. VVeſenb. in §. ſed & quod Principi placuit. Inſt. De iur. Nat. Gent. & Ciuil.

e Cap. 4. lib. 5.

Anno

Animo enim ſolo retinetur poſſeſſio, licet quis corpore ſuo non inſiſtat rei nec alius ipſius nomine. §. poſſidere. Inſt. De Interdictis. Et licet quis per vim deiectus ſit, ſi tamen ſeſe præparat ad recuperandam poſſeſſionem, nunquam deſinit ciuiliter poſſidere. Et quod ſi dux vel Comes expellatur de Ducatu, licitum eſt ei quandocunque propria autoritate recuperare, quoties ſe facultas obtulerit etiam poſt Decennium: & dicitur in continenti recuperaſſe, cum ſemper habuerit animum recuperandi, nec vnquam diligentiam prætermiſerit in recuperando. *a* Et cum, vt ex tranſactione inter Irenem & Carolum apparet, Græci magnam Italiæ poſſeſſionem retinuerint, non male dici poteſt, quod poſſeſſione partis, totius quoque retinuerint poſſeſſionem. Sic Imp. Juſtinianus Gothos, qui circa annum Chriſti 107. vrbe potiti erant, poſt 150. annos per Narſetem profligauit. Sic Reges Chriſtiani eorum Regnorum quæ à maioribus olim poſſeſſa fuerunt, titulos adhuc ſeruant & vſurpant, etiamſi ipſa Regna ſub alieno Dominio & poteſtate ſint. Ipſi etiam Pontifices, qui ſibi in vniuerſum mundum omneſque Reges & Principes neſcio quod ius indirectum vſurpant, etiamſi Petrus eiuſque ſucceſſores, quos dicunt, annis plus mille nihil huius iuris vſurpauerint: tamen nullo temporis ſpacio ſe excludi patiuntur; Impp. Conſtantinopolitani non vſque adeo Italiæ poſſeſſionem abiecerant, vt non legatos in Galliam mitterent, vt donationem quam Pipinus fecerat, reuocarent, quemadmodum Bodinus *b* id ex Sigonio & Floardo affert. Quin etiam filius Deſiderii Adelgiſus cum ad Græcum Imperatorem fugiſſet, & ab eo inſtructus exercitu eſſet, regnum paternum recuperare conatus eſt, etiamſi in poteſtatem Francorum venerit. Docet nos hoc quoque ipſe Bellarminus *c*, qui ait, *Leonem creando Carolum Imperatorem ius ei dediſſe* (quod tamen Pontifex non habuit) *vt quæ Imperij eſſent prouinciæ occupatæ eas recuperaret.* Si hoc ius nouus habet Imperator, multo magis is, qui antiquior eſt, hoc ius habiturus eſt. Cui enim damus actionem, eidem multo magis damus exceptionem, quæ poſſidenti competit. Si de hac quæſtione in Comitijs Imperii tractatur, de nuper amiſſis prouinciis intelligunt, *d* quod certe Conſtantinopolitani Impp. etiamſi Italia vere ab aliis occupata fuiſſet, iure pro ſe allegare potuiſſent. Cum itaque Pontifex Italiam, quæ ſola tum occidentalis Imperij prouincia erat, non habuerit, quomodo potuit alteri non tantum nomen, honorem, dignitatem & ius Imperiale, ſed etiam omnia ab eis dependentia, qualia ſunt, merum & mixtum Imperium, Regalia, & ius Maieſtatis, conferre? Cum etiam Carolus expulſis Longobardis, eorumque Regno occupato hæc ipſa iam habuerit, ſiquidem Rex, qui non agnoſcit ſuperiorem, qualis Carolus tum erat, idem poſſit in regno ſuo, quod Imperator in Imperio. Et hæc omnia tanto magis locum habent, quanto certius eſt, Leonem Pontificem tum ſub iuriſdictione Imperatoris fuiſſe, eumque pro iudice agnouiſſe. Nam non tantum ipſe Leo, cum à Romanis male tractatus eſſet, ad Carolum vt ſuperiorem, recurſum ſuum habuit, ſed & Carolus Romam veniens, primo omnium de Criminibus, quæ Pontifici obiiciebantur, inquiſiuit. Sic enim in Annalibus. *Pontifex poſtquam eorum criminum nullus eſſe probator voluit, coram omni populo in Baſilica Petri Apoſtoli Euangelium ferens, inuocatoque ſancta Trinitatis nomine, de obiectis ſe criminibus iureiurando purgauit.* Ex quo apparet omnia in hoc proceſſu aduerſus Pontificem, (qui inter alia adulterii accuſabatur *e*) obſeruata fuiſſe, quæ à Magiſtratibus in huiuſmodi cauſis obſeruari ſolent. Primo enim Carolus inquiſiuit in Pontificem: Inquiſitio autem eſt actus iudicialis, nec ab alio quam à iudice expeditur. Sic Damhaud. Pract. Crim. cap. 8. in pr. inquit: *Inquiſitionem quam vulgo informationem præcedentem appellamus, ex iudicis & officio & authoritate ſemper fuiſſe neceſſe eſt: Nemo enim niſi ſolus judex aut judicis poteſtatem habens, de crimine efficaciter inquirere poteſt.* Sed dicet aliquis, Pontifex ſeſe iureiurando purgauit: Ergo Carolus non aduerſus eum iudicialiter proceſſit. Quod ſi Carolus inquiſitione facta, & nullis comparentibus accuſatoribus, Pontificem ſimpliciter abſoluiſſet, ſatis nobis eſſet: ſic enim reus, actore non comparente, à Citatione vel inſtantia abſoluitur, quod tam in Criminalibus quam ciuilibus locum habet. Sed indubitatum eſt, graues aduerſus Pontificem ſuſpiciones fuiſſe, vt ad iuramentum purgationis proceſſum ſit: hunc enim proceſſum in eiuſmodi factis etiam ius Canonicum probat. Toto titul. *De Purgatione Canonica*, & apud ſuperiorem fieri debere in confeſſo eſt in criminibus non notoriis. Sic enim Innocent. 3. in c. dilectis filiis, in fin. inquit. *Si nullus apparuerit legitimus accuſator & ipſum* (presbyterum nimirum, de quo tum agebatur & ſuper inceſtus & adulterii crimine fuerat infamatus, vt & Leo hic de altero ex his duobus, vt dictum) *inueneritis apud bonos & graues ſuper prædictis Criminibus vel ipſorum altero infamatum, purgationem ei Canonicam indicatis, non obſtante, quod coram prædicto electo dicitur ſe purgaſſe, cum iudicio pendente coram iudicibus delegatis, non debuerit ordinarius purgationem indicere infamato.* Si hæc iudicia agnoſcunt in inferioribus, cur non etiam in ſuperioribus? De ſimili proceſſu purgationis in cauſis fractæ pacis extat Ordinatio Cameræ *part.* 2. *tit.* 10. qui omnino videndus. Præterea certum eſt nullum eſſe omnino iuramentum, quod non cauſa cognita, vel in præſentia iudicis fiat & ſolennitatem quandam habeat. Omnem autem ſolennitatem hoc ſuperat, quod inter tot Nobiles probataſque perſonas etiam conſcientiam Principis tenuit, iuxta *l. omnium. C. De Teſtam.* Et vt minus dubium ſit, addamus alterum exemplum Paſchalis Pontificis, de quo ſic Platina in eius vita. *Theodorus Primicerius & Leo Nomenclator Romæ in Lateranenſi, per ſeditionem confoſſis oculis necantur: fuere qui tantum crimen in Paſchalem reiicerent, qui quidem in Synodo 30. Epiſcoporum habita, & coniecturis & rationibus & iuramento à tanto ſe crimine liberauit: Accepit hanc ſatisfactionem Imperator.* Conferte iam modernorum Pontificum facta cum his exemplis, ſtatim apparebit, quales illi fuerint, & quid de his ſentiendum, qui nihil minus quam ad iuramentum adigi ſeſe patientur. Et ne quid porro dubitemus, Carolum Francum Romæ iuriſdictionem exercuiſſe, placet hic adſcribere verba

a Schneidew. in §. poſſidere Inſt. De Interd. num. 154. & 155.

b De Rep. lib. 1. cap. 10.

c Lib. 1. c. 13. in fi.

d Reichs Abſchiedt Anno 70. § Wir haben auch.

e F. Iunius §. 11 Art 6 c. 7.

verba eiuſdem Hiſtorici: *Poſt paucos dies, iubente ipſo Carolo, ii, qui eundem anno ſuperiore depoſuerant, in iudicium adducti, & habita de iis quæſtione, ſecundum legem Romanorum, vt læſæ Maieſtatis rei, capite damnati ſunt, pro quibus tamẽ Papa pio affectu animi apud Imperatorem interceſſit, nã & vita & membrorum integritas eis eſt conceſſa, ceterum pro facinoris magnitudine exilio damnati ſunt omnes eadem ſententia. Ordinatis deinde Romæ Vrbis & Pontificis, totiuſque Italiæ non tantum publicis, ſed etiam Eccleſiaſticis & priuatis rebus,* &c. Vnde certo certius colligitur, Carolum tum abſolutam & plenam Iuriſdictionem in omnes perſonas & res tum ſeculares tum Eccleſiaſticas citra controuerſiam vel vllam exceptionem habuiſſe. Quæ omnia vel hinc planiſſime & pleniſſime confirmantur, quod Carolus à Leone, poſtquam Imperator coronatus & ſalutatus eſſet, adoratus eſt. Sic enim inquit idem autor, *Poſt quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt*: Sic enim Perſæ Reges ſuos adorare ſolebant, quod vel *a* Magorum exemplum probat. Et cum Philoſophus Calliſthenes Alexandrum Macedonem adorare recuſaret, morte mulctatus eſt. Hanc adorandi modum adhuc hodie Angli ſuperſtitioſius retinent. Conſtat autem non inferiores à ſuperioribus, ſed ſuperiores ab inferioribus adorari. Sic hodie quoque omnes qui Pontifici Romano obedientiam præſtant, non tantum eum adorant, ſed etiam pedes exoſculantur. Vter igitur tum maior fuerit, iudicent maiores & minores; nunc ordo inuerſus eſt. Quid quod Papa Carolo claues & vexilla Ciuitatis miſerit, qua miſſione nihil aliud niſi plenum atque abſolutum dominium intelligi potuit, id quod etiam in priuatis rebus obtinet, vt clauibus traditis dominium traditum eſſe videatur *b*, quod etſi Bellarminus Sophiſtica aliqua ſuperſtitione eludere velit, tamen verba aperta ſunt, & quæ ſubiiciuntur, aliud arguunt: *Poſtulaſſe Pontificem, vt Carolus ſuos Romam ableget, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubiectionem Sacramento firmarent.* Quod autem Bellarminus, ad ſuam, id eſt, Pontificis fidem, nullum colorem habet. Nam & Carolus poſt Romæ Actus iuriſdictionales, & qui ſummo Magiſtratui competunt, exercuit. Huc accedit multorum eorumque fide digniſſimorum hiſtoricorum autoritas. Nam etſi non omnes, tamen multi Senatus populique Romani conſenſum & deſtinationem interueniſſe aperte affirmant. Illyricus ſeptem, nempe Sigibertum, Blondum, Platinam, Leopoldum, Æneam Syluium, Vincentium, & Onuphrium, produxit. Hos, vt Bellarminus impugnaret, triginta tres ex aduerſo profert; ex quibus tamen multi ſunt, iique decem numero, qui contra ipſum faciunt, ita vt interrogatoriis cauſalibus opus non ſit. Hi autem ſunt: Marianus Scotus, Blondus, Platina, Antoninus, Nauclerus, Robertus Gaguinus, Philippus Bergomenſis, wimpfelingus, Donatus Acciaiolus, Franciſcus Iunius, quem merito in hoc puncto Hiſtoricorum allegamus, cum eos diligenter conquiſiuerit, addit ſequentes: Gotfridum Viterbienſem, Autorem fragmenti Hiſtorici quod M. Alberti Argentinenſis Chronico præfixum fuit, & Lambertum Schafnaburgẽſem, Albericum, Auentinum, vt & Nicolaum Gillium. Rem quoque totam ita paucis complexus eſt *c*, quæ verba quia Emphaſin habent, adſcribere placet. *Conſilium Francorum honorem Imperii diſerte fuerat ſtipulatum pro Carolo, cum Adrianus auxilium Caroli & Francorum imploraret, vt Gotfridus Viterbienſis copioſe narrat, & principatum Italiæ publice ipſi ab Hadriano pronunciatum Sigibertus teſtis eſt, & cum à Leone III. Romam veniens exceptus eſſet, octiduo toto conſilium fuiſſe habitum de hac re & magnis precibus cum Carolo actum, vt principatum illum Imperii ſuſciperet, tum id Gotfridus docet, tum vero auctor fragmenti illius hiſtorici, quod M. Alberti Argentinenſis Chronico præfixum fuit his verbis. Quum tanti tamque famoſi viri per totum orbem terrarum fides probitatisque fama volaret, Romani potentiſſimum Romanum Imperium, imo & Papæ electionem ſibi præſcripſerunt. Igitur precibus beati Leonis Papæ & Principum Regni, omniumque primatum admonitus tam Dei quam hominum voluntati conſentiens cum magno vniuerſalis cleri plebisque tripudio in die Natali Domini noſtri Ieſu Chriſti, Anno Incarnationis DCCCI. ante altare Beati Petri Apoſtoli Romæ à Leone Papa conſecratus & vnctus eſt.* Ex quibus apparet, in hoc toto actu Pontificis minimas partes fuiſſe, nedum vt omnia ſolus celebrauerit, idque iure ſuo. Et quis vſque adeo rerum politicarum imperitus, qui non exiſtimet, rem magni conſilii & deliberationis fuiſſe, cum à 300. annis Occidens Imperatore caruerit, cum tamen etiam hodie, Romano Imperio conſtituto & firmato, nonnunquam in multos dies protrahi deliberationes videamus? Quodnam tempus inter Cõradum Quartum & Rudolphum Habſpurgenſem interceſſerit, Annales loquuntur, & ſeptendecim annorum interregnum fuiſſe fatentur omnes. In *Aurea Bulla cap. ſecundo*, triginta dies ſtatuuntur, intra quos Rex Romanorum in Cæſarem promouendus eligatur. Nec Pontifice demortuo, ſucceſſor ſemper primo quoque die eligi poteſt, cum in conclaue ventum eſt, multos enim dies imo & menſes Paparum vacaſſe, hiſtorici ſcribunt. Quod ſi idem iam conſtitutis Imperiis & Collegiis accidit, quid de conſtituendis dicemus? An vnius luſci Pontificis cæco impetu cauſam tantæ importantiæ vno momento actam, factam, tranſactam putabimus? Sed & ea, quæ Caroli coronationem conſecuta ſunt, id demonſtrant, quibus minime opus fuiſſet. Si id ita eſt ſine vlla contradictione, quod iuri Pontificum Bellarminus atque alii tribuunt. Sic enim Platina in vita Leonis, *Interea vero Conſtantinopolitana Imperatrix miſſis in Italiam legatis cum Carolo pacem & fœdus facit, Imperiumque his terminis diuiſit, vt Irene ea parte Italiæ potiretur, quæ ad dextram Neapoli incipiens, ad ſiniſtram Siponto (quæ Vrbs iam Manfredonia dicitur) infero ſuperoque mari clauditur, vna cum Sicilia. Reliqua vero pars Italiæ Carolo ipſi ex fœdere obtigit. At Nicephorus patricius ægre ferens Irenæ mulieris Imperium, cum eam captam dolo Lesbum in exilium miſiſſet, fœdus iam ante initum per legatos cum Carolo nouat. Qui tranſigit, quaſi de re dubia & lite incerta neque finita tranſigit*, inquit Vlpianus leg. 1. Digeſt. De Tranſactione. *Diuiſio quoque ſi traditione vel*

a Matth. 2.

b l. Clauib. ff. De contra. emt.

c Not. 68. Art. 16. cap. 2. li. 1.

ne vel ſtipulatione ſumat effectum (qualis hoc loco de finibus Imperii ab vtriſque parte facta eſt) *pro Tranſactione eſt. Lege Diuiſionis, quadrageſimaquinta. Digeſtis, de pactis.* Ex quibus efficitur, cum de Imperio tranſactum ſit, etiam de Imperiali dignitate, vtpote ab eo immediate dependente, tranſactum fuiſſe, maxime cum etiam fœdus de non offendendo inſuper additum fuerit. Quo etiam pertinent verba *a* Lupoldi, quæ à Bellarmino citantur *b*, *Ex quo Imperium Romanum tempore dicta translationis, & etiam longo tempore ante ipſam non fuit apud Romanos, ſed apud Græcos, nec etiam hodie apud Romanos, ſed apud Germanos exiſtat: non occurrit ratio, quare pop. Romanus, tempore translationis prædicta habuerit, vel etiam hodie habeat maiorem poteſtatem circa translationem Imperij, quam quicunque alius populus Imperio Romano ſubiectus.* Et paulo poſt. *Poſſet tamen*, inquit, *ſatis probabiliter dici, quod populus ſumendo ipſum non tantum pro populo Ciuitatis Romanæ, ſed pro toto pop. Romano Imperio ſubiecto, etiam hodie habeat, præſertim vacante Imperio, poteſtatem leges condendi, ac Imperium ex cauſa rationabili, de vna gente in aliam transferendi, cum talis populus maior videatur ipſo Principe.* Verum, cum, vt dictum, Irene & Nicephorus in hanc tranſlationem tandem conſenſiſſent, omne ius ſuum in Italiam (præter ea, quæ in Tranſactione excepta erant) omnem actionem, perſecutionem quocunque prætextu inſtitutam, amiſerunt Græci: remittentibus enim iura competentia, non datur amplius regreſſus: At, inquit Bellarminus, non à tempore Tranſactionis, ſed à tempore coronationis Carolus ſeſe Imperatorem ſcripſit. Recte: Nam ratihabitio de ſui natura regulariter retortrahitur, & mandato comparatur, & confirmat ea, quæ ab initio inualide ſubſecuta fuerant *c*. Quod hoc caſu ex ſuperioribus planum eſt. Sic pop. Romanus qui ſub Iulio Cæſare libertatem amiſerat, tandem lege Regia Imperatori in ſe omnem poteſtatem conceſſit. §. *ſed & quod Principi placuit. Inſtit. de iur. Nat. Gent. & Ciuili.* Sic idem Imperium Græcum poſtea dilaceratum, & Comneni Imperium Trapezuntinum condiderunt, in quam tranſlationem poſtea Conſtantinopolitani conſenſerunt, cum Iohannes Lazus Michaelis Palæologi filiam Eudociam vxorem duxiſſet. Sic Principes Imperii donationem Exarchatus à Rudolpho Imperatore Pontifici factam ratam habuerunt, cuius ratihabitionis formulam nobis Bellarminus exhibuit, vt iam non dubitemus, quin falſum ſit quod idem diſputat: cum ab Imperatoribus & Imperii Principibus ius ſuum omne Pontifices habeant in ſe translatum, nedum quod ipſi aliquid transferre poſſint aut ſoleant. Plura in hanc ſententiam poſſent exempla proferri, ſi extra oleas currere, aut ſingularem tractatum de ea re inſtituere liceret. Quod ſi vero omnino ita eſt, quod Bellarminus contendit, vellemus ex eo libenter ſcire, (ſi per Cardinalitiam dignitatem liceret) quonam titulo Imperator à Pontifice Romanum Imperium poſſideret. An pro donato, legato, ex emto, vendito, iure Inueſtituræ vt feudum, alioue titulo ſimili: nam qui ab altero poſſidet, his & ſimilibus titulis acquiſitum habet. Venditionem nullam interueniſſe certum eſt. Quod idem de Donatione dicendum eſt. Nam Pontifices à ſui Domini (quem falſo iactant) ingenio multum alieni ſunt: *Is enim dicebat melius eſſe dare quam accipere*: hi contra ſapiunt. Aut ſi dant, dant aliena magis quam propria, ſi propria, lanam & plumbum, quæ magno auro & argento redimas neceſſe eſt. Reſpondit olim Hadrianus Pontifex Imperatori Friderico primo, Imperium Romanum eſſe feudum Pontificum, & quamuis Pontifex tergiuerſatus ſit, & Beneficii nomen aliter interpretatus; tamen hoc eum ita ſenſiſſe, etiam Cuiacius Lib. primo, De Feudis, Titulo primo, paragraph. quarto, non diſſimulat, vbi inquit, *Controuerſia eadem eſt, quæ inter Fridericum fuit Imperatorem & Hadrianum Pontificem Romanum. Hic cum ſatis ſuperbe per literas Friderico exprobraſſet obliuionem beneficii de manu accepti collata Imperii Corona, reſpondit Fridericus, ſe Imperium ſoli Deo acceptum ferre, Adriani ſe beneficiarium non eſſe. Adrianus autem pœnitentia actus, vt gliſcentem perniciem à ſe depelleret, ita ſe excuſabat ſubdole, Beneficium ſe pro bono facto accepiſſe non pro feudo. Re tamen vera Adrianum ita ſenſiſſe demonſtrabat inſcriptio quadam Lateranenſis Palatii, & ſenſerunt etiam alii plerique, quaſi iure feudi regna & imperia à ſe haberent. Inſcriptio autem cuius inuentio facta, eſt huiuſmodi:*

a lib. de iurib. Regni c. 12.
b cap. 10. libr. 1. fol. 140.
c Vant. de Null. Sent. quib. mod. ſent. nulla repa. poſ. num. 101.

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores,
Poſt homo fit Papa, ſumit quo dante Coronam.

Subdole, inquit Cuiacius Papiſta. Hic notandum eſt artificium Magiſtri & Diſcipuli. Magiſter Pontifex etiamſi diceret feudi vel beneficii iure à ſe Imperium Romanum teneri, tamen negauit poſtea: qua in re laudandus eſt. Diſcipulus Ieſuita contra tam manifeſtam negationem non erubuit ſcribere. *d* *Etſi non dixit Adrianus Imperium eſſe feudum, non tamen dixit non eſſe: & licet non eſſe dixiſſet, non tamen continuo ſequeretur, falſam eſſe tranſlationem Imperii: aliud enim eſt, Imperium ab vna gente ad aliam transferre, aliud vero feudum conſtituere.* Dixit igitur eſſe feudum. Mirum non eſt, quod pileum Cardinalitium meruerit. Rurſus. Pontifex ex Coronatione, translationem Imperii & ſic per conſequens feudum colligebat: hic Ieſuita id negat; dum dicit aliud eſſe Imperium transferre, aliud feudum conſtituere, ſed an non omnia Imperia & regna feuda ſunt ſummi illius translatoris? nam ſi dominus feudi directum habet dominium, cur non etiam ille à quo omnia immediate pendent imperia? Sed vt ad Pontificis ſententiam redeamus, negabat ipſi Fridericus Imperator, quod vel beneficio ipſius Imperium teneret, aut ab eo in Germanos tranſlatum eſſet. Sic enim illi reſpondet apud

d lib. 2. c. 5. f. 62.

Othonem

Othonem Friſingenſem libro ſecundo. De geſtis Friderici, capit. vigeſimoprimo. *Reuoluamus modernorum Imperatorum geſta, ſi non diui noſtri Principes Carolus & Otho nullius beneficio traditam, ſed virtute expugnatam Græcis ſeu Longobardis Vrbem cum Italia eripuerit, Francorumque appoſuerit terminis.* Nec verum eſt quod Pontifex ait, vt & hoc non intactum relinquamus: *Hoc nomen Beneficii, inquit, ex Bono & facto eſt editum, & dicitur Beneficium apud nos, non feudum, ſed bonum factum, in qua ſignificatione in vniuerſo Sacræ Scripturæ corpore inuenitur, vbi ex Beneficio Dei, non tanquam ex feudo ſed velut ex benedictione & bono facto ipſius gubernari dicimur & nutriri.* Nam Deus nobis benefacit ex gratia & bonitate ipſius nullo noſtro merito. Hoc enim idem Papa negat; quod Bellarminus allegat *a*. *Solebant*, inquit, *qui ad coronam petendam venerant priſci ætatis Principes, inſigni aliquo facto Romanæ Eccleſiæ beneuolentiam promereri, vt ſuo velut officio præuenientes benedictionem, tam debitam coronam omnibus præclaro facinore teſtarentur. Sic Carolus domuit Longobardos, Otho Berengarios: Lotharius dum Normannos reprimeret, coronam imperii meruere.* Si igitur meritum eſt, quomodo poteſt eſſe beneficium? Deinde ſi beneficium eſt, quo iure Pontifices petere poſſunt, vt Coronam Imperator mereatur? Nam etſi pro beneficiis acceptis naturaliter quis obligetur, tamen inde ciuiliter nulla obligatio oriri poteſt. Taceo quod multi Hiſtorici dicunt, Pontificem à Carolo poſt Coronationem multa & magna munera accepiſſe, quibus hoc beneficium ſatis compenſatum ipſe Imperator putabat. Sed & illud non negligendum, quod Dei bona facta ſunt realia: realiter enim & vere nobis Deus benefacit. At Pontifex coronando Carolum nihil in rei veritate ipſe benefecit, ſed tantum eius, quod ante habuit, ſignum contulit. quod ſi ipſam Italiam dediſſet, aliquid diceret, & beneficii allegatio, cum effectu eſſet. Sed vt tandem hanc quæſtionem concludamus. operæ pretium eſt, & ipſum Bellarminum audire, qui etſi magnum feſtum faciat de hac translatione, quod ſolius Pontificis Leonis opus fuerit: tamen capit. quarto *b* inquit: *Clamat conſenſus omnium gentium, Leonem Tertium Pontificem Maximum aut ſolum, aut præcipuum & primarium auctorem huius translationis fuiſſe.* Hoc igitur vult: Aut ſolus tranſtulit, aut cum aliis: non potuiſſet ſuæ cauſæ grauius præiudicium inferre, nam in alternatiuis vtrunque verum eſſe non poteſt; & Pontificem in hac translatione interueniſſe, nemo negat: Quod autem Bellarminus ait, eum præcipuum auctorem huius translationis fuiſſe, non conſentit cum hiſtoricis, cum maior pars & ſic præcipua, fuerint ipſi Romani. Item omnes proceres, Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, quorum omnium authoritas interueniſſe ſcribitur & legitur, *τὸ μανικὸν καὶ στίγμα φιλότιμον κακόν, inquit Euripides.* Pontifices ſi ſoli nequeunt: at primi eſſe volunt. Hoc autem, quod non ſoli Pontifices in Electione Imperatorum interuenerint, non melius etiam quam ex ipſo Bellarmino probabimus, qui ſic inquit libro tertio, capit. ſecundo. *Idem Otho Friſingenſis libro ſeptimo Hiſtoriarum capit. vigeſimoſecundo*, Chunradum, inquit, *Imperatoris Henrici ſororium, præſente Theudonio Epiſcopo Cardinali S. R. E. Legato ſummi Pontificis, ac toto Romani populi, Vrbiumque aſſenſum promittente, nonageſimum tertium ab Auguſto Regem creant. Habemus igitur*, inquit Bellarminus, *Romanum Pontificem per ſe, vel per legatos, nec non Italicos Principes cum Germanis aliquando electioni interfuiſſe.* Quod ſi id tempore Chunradi locum habuit, qui multis ſeculis Carolum ſecutus eſt, quis non igitur illud Bellarmini, *Cum aliis*, merito contra ipſum Bellarminum probauerit? Nec ſi Pontifex eſt ſtatus Imperii, propter prouincias, quas ab eo in Italia poſſidet, aut dignitatem Eccleſiaſticam præcipuus aut primarius eſt, reliquis in ſuo iure potuit præiudicare, quemadmodum nec hodie ſecularibus Electoribus Eccleſiaſtici propterea quidquam in iure præiudicant, quod hi ex aurea Bulla propter eandem dignitatem illis ordine præferuntur.

a cap. 5. lib. 1. fol. 87. 88.

b fol. 69.

fol. 120.

CAPVT IV.

Nullum omnino Hiſtoricorum, quos Bellarminus producit, probare, Pontificem Romanum Leonem, ſolum, & quidem iure ſuo, Imperium Romanum in Carolum tranſtuliſſe, ſed omnes ipſi producenti repugnare.

SED iam videamus, quibus argumentis Bellarminus ſuam ſententiam probet. Tres affert probationes. Primo Hiſtoricos: Deinde Confeſſiones Imperatorum: Tandem aliquot Pontificum, & hoc poſtremum πάρεργον eſt pro Catholicis: Nobis igitur cum duobus probationum generibus res eſt: ita tamen vt tertii non omnino obliuiſcamur. De primo, inquit, *Accedant hiſtorici omnes tum veteres tum recentes, & auctoritatis ſuæ pondere, leuitatem & impudentiam vnius hominis comprimant.* *a* His paucis verbis multa dicit hic noſter Translator, qui omnium hiſtoricorum fidem in ſe tranſtulit. Primo conuocat veteres & recentes hiſtoricos ſine diſcrimine contra vnum, nempe Illyricum. At hic ſuos etiam allegarat, allegant etiam alii alios, vt præcedenti capite dictum, qui aut Bellarmino non erunt hiſtorici, aut ille neſcit quid dicat: quamuis de multis hiſtoricis, quos Bellarminus allegat, licet illud dicere, quod de Iureconſultis dici ſolet, *Quando vna auis volat, volant etiam cæteræ.* Sed hæc omittamus, & parem omnibus autoritatem tribuamus: Deinde ait, ſe compreſſurum pondere auctoritatis omnium

a lib. 2. c. 4. in pr.

hiſtoricorum vnum impudentem Illyricum. Sed quodnam quæſo pondus eſſe poteſt eorum teſtium, contra quos tam multa excipiendo afferuntur, vt qui quaſi de falſo ſuſpecti fiant etiam ab ipſo producente. Sic enim contra Blondum, Æneam Syluium, Platinam, multa Bellarminus affert, ideo tantum, quia ante coronationem à Leone factam, Decretum vel Senatuſconſultum populi Romani de Carolo eligendo interueniſſe dicunt: *his enim duobus*, inquit, *auctoribus qui ante annos centum floruerunt, anteponere poſſumus vetuſtiſſimos & plurimos ſcriptores, qui nihil eiuſmodi tradiderunt.* Etiamſi Æneas Syluius Pontifex fuerit, & proinde omni exceptione maior. Et de Blondo, inquit capit. decimo. *Etſi ſcribat populi Romani ſcitum interueniſſe, in coronatione Caroli non defuiſſe, tamen id tradit contra fidem antiquorum.* Qualem igitur vel hi, vel etiam alii teſtes auctoritatem habituri ſint, ipſe viderit Bellarminus. Alter error non minus lepidus qui in lute verſatur, primus enim in facto erat, Iuſtinianus in leg. ſi quis teſtibus. Cod. De Teſtibus ſtatuit, vt ſi quis teſtibus vſus fuerit, ei non liceat aduerſus eorum perſonas, ſi aduerſus eundem in alia lite producuntur, excipere. At Bellarminus aduerſus proprios teſtes, non in alia lite, ſed eadem, non ab aliis ſed ab ipſo productos excipit, nouo exemplo. Etſi vero idem Imperator concedat licentiam ex ipſis depoſitionibus teſtimonium eorum arguere, vtpote quod producenti incognitum ſit: tamen cum Bellarminus etiam ante productionem eorum depoſitiones cognitas habeat, & nihilominus contra eas excipiat, viderit ipſe, ex quo iure id didicerit. Sed & hoc annotare operæ pretium eſt: dicit ſe afferre triginta tres hiſtoricos, quibus Articulos ſuos aut cauſam ſummarie propoſitam probare poſſit: At Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Lambertus Schafnaburgenſis, Blondus, Platina, Antoninus, Nauclerus, Robertus Gaguinus, Philippus Bergomenſis, Iacobus Wympfelingus, & Donatus Acciaiolus contra ipſum producentem militant: quod nec Bellarminus potuit diſſimulare, hi autem numero duodecim ſunt. Ex reliquis tres ſunt Hiſtorici, qui Caroli Magni nullam mentionem faciunt: Witichindus enim de Othone ſecundo loquitur: Luitprandus de Othone primo: Dodechinus de Lothario & Friderico Impperat. qui omnes à Caroli Magni temporibus quam longiſſime abfuerunt. Si quis dicat, rem eodem recidere, is fallitur: Nam inſcriptio & totus primus liber Bellarmini eſt *de Translatione Imperii Romani ad Francos*, nam alteram Translationem ex familia Caroli Magni in Saxones Bellarminus ipſe non putat proprie ita dicendam eſſe *a*. Hi autem omnes Imperat. pleriquе Saxones fuere. Quare cum quindecim Teſtium iacturam fecerit, cauſam quoque fere pro dimidia parte amiſerit. Quod ſi quis ad ſuperiores duodecim addat Sigebertum, Leopoldum, Vincentium & Onuphrium, & alios etiam, quos Franciſcus Iunius adduxit, vt Goteſridum Viterbienſem, Auctorem Fragmenti Hiſtorici, Albericum Auentinum, Nicolaum Gillium, re ipſa intelligit, plures pro Illyrico quam pro Bellarmino facere, ſi modo recte numerare didicerit. Et hic numerus multis aliis & fide dignis Hiſtoricis augeri poſſet, ſi quis in iis coaceruandis laborare velit: Placet ſaltem adſcribere, quæ Franciſcus Guichiardinus *b* Italus, & Papis addictus, imo copiarum Papalium ductor, ſcribit de hac translatione: *Poſt annum octingenteſimum, in feſto Natiuitatis Domini noſtri, Leo Papa non alia poteſtate vel auctoritate, quam quod primus eſſet in populo Romano, vna cum illo elegit Carolum Magnum in Imperatorem Romanum.* Iohannes Bodinus *c* vir πολιτικώτατος ſcribit, Carolum armis & virtute nomen Imperatorium meruiſſe. Sed quia Teſtium dicta, quam maxime id fieri poteſt, concilianda ſunt, id quoque hoc caſu faciemus, & demonſtrabimus nullum omnino teſtem pro Bellarmino facere. Nam etiam certi Iuris eſt, ſi pauciores teſtes ſint, attamen pluribus præferri, cum veriſimilia loquuntur, & per eos plura probantur quam quæ aduerſarius affert. Ita enim Butrigar. *Sum. vltim. de Teſtibus.* & Albericus de Malet. Tractat. *de Teſtibus numero vigeſimonono, trigeſimo, trigeſimoprimo.* Adde Franciſcum Curtium Concluſione decimanona, numero quadrageſimoprimo. *In conflictu Teſtium quatuor, inquit, ſunt in conſideratione. Primo Natura Negocii & Qualitas. Secundo Teſtium fides & autoritas. Tertio argumenta confirmantia rem de qua agitur. Quarto vt ſequamur proxima iura, quibus adheret lux veritatis.* Quod ad naturam negocii attinet, quia ſupra de ea pauca quædam dicta ſunt, & ab Illyrico, Franciſc. Iunio, aliiſque etiam multis ab ipſo Bellarmino adductis hiſtoricis apparet rem non ita nude geſtam eſſe, vt verba illa ſonant acclamantium Romanorum, *Carolo à Deo coronato*, etcæt. ſed multam magnamque deliberationem, omnium, vt loquimur, ſtatuum fere totius Occidentis in hac coronatione interueniſſe & præceſſiſſe breuitatis cauſſa eo Lectorem remittimus. Ex his enim colligitur, verum eſſe, quod dici ſolet: *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Hodie in ſimilibus actibus, quos Pontifices Romani faciunt, nulla ſcita vel Senatuſconſulta tacita vel expreſſa interuenire certum eſt: in hoc autem actu talia interueniſſe expreſſe dicunt, Platina, Blondus, Philippus Bergomenſis, Wimpfelingus, Onuphrius & Nauclerus, qui inquit, *Prahabita matura deliberatione, & conſenſu populi Romani, Carolum Imperatorem declaratum eſſe.* Quæ verba Bellarminus, quia ipſius cauſæ minime ſeruiebant, omiſit, quod in falſi crimen incidit. Sic enim ſolet Ieſuita non raro ea amplificare, quæ pro ipſo faciunt, aut veris verbis falſum

&con-

a In Argumento & partitione Libri, in fine.

b libr. 4. Sect. 12.

c lib. 1. De Rep. cap. 10.

& contortum ſenſum affingere, contra autem omittere, à quibus ipſi præiudicium imminet. Sic in alio loco, quem præcedenti capite adduximus, vbi Annales Francici addunt, Papam Leonem poſt coronationem adoraſſe Carolum Magnum, idque more antiquorum Principum, hæc poſteriora omittit, præcedentia autem exaggerat. Qui vero omnibus authoribus, qui deliberationem actum Coronationis præceſſiſſe ſcribunt, fidem derogare velit, is faciet, vt nihil ipſi credatur. Tanto minus autem hi ſuſpecti eſſe poſſunt, cum à tot ſeculis plurimi ſcripſerint, nec Euangelici ſed Catholici fuerint: imo quidam in Vrbe Roma & ex ollis Pontificum vixerint, & ex Actis Vaticanis nobis hæc expreſſerint atque ediderint. Et quia alii ex antiquioribus & fide dignis, quorum vel libri vel etiam nomina hodie non extant, deſumſerint, dubium non eſt: qui de hac re fore quæſtionem aliquam, olim præſcire aut diuinare non potuerunt: quid enim aliud faciunt Ieſuitæ & Pontificii, quam quod ſuis aduerſariis Proteſtantibus nouitatem obiiciunt? Vnum libet adducere Platinam, cuius verba ſunt. *Pontifex Carolo optime de Eccleſia merito aliquam gratiam relaturus, cum videret Imperatores Conſtantinopolitanos ægre id nomen tueri, & ob eam rem Vrbem & Italiam magnas calamitates paſſam in Baſilica Petri poſt ſolennia ſacra populi Romani ſcito ac precibus ipſum Carolum magna voce Imperatorem decernit.* Ergo hæc res prius, quam ad coronationem perueniretur, in ſenatu, apud populum acta (hoc enim ſcitum ſignificat) tum demum Pontifex rogatus eſt, vt nomine populi Romani (quod etiam expreſſe hiſtorici multi dicunt) actum coronationis & renunciationis publicæ expediret. Sed Bellarminus contra hunc vt & Blondum (quem tamen Æneas Syluius hoc honore dignatus eſt, vt in Epitomen eum redegerit, quemadmodum & Labeo Iuris conſultus à Iauoleno epitomatus eſt) hoc opponit, quod ante centum annos floruerint: ſed de Platina audiat iudicium Hieronymi Balbi Epiſcopi Gucenſis, qui in libro De coronatione a ſic inquit, *Quæ ſcribit Platina, in eo libro, quem de vita & moribus Pontificum edidit, velut ſacroſancta ac Sibyllinis foliis veriora ſunt exiſtimanda: quippe cum ea ex publicis tabulis & diplomatibus. aliiſque legitimis documentis depromſerit, in quibus res geſtæ Pontificum, eorumque ſucceſſus & progreſſiones, vt quiſque domi foriſque ſe habuerit, quo curſu nauiculam procellis nunc agitatam, nunc tranquillo pelago quietam duxerit, hiſtorica fide continetur.* Huic autem vt Germano, propterea & candido, vt Epiſcopo, & ſic in maiore dignitate conſtituto, & Catholico, quique huius & aliarum quæſtionum circa hunc tractatum maiorem noticiam habuit, quam Ieſuita aut ſimilis farinæ Monachus, nam & Electioni & Coronationi Caroli V. nomine Ludouici Regis Bohemiæ & Vngariæ interfuit, potius credendum eſt. Et certe multa ſunt in Platina, quæ ne ipſe quidem Bellarminus falſa & commentitia eſſe dixerit. Si vero omnia, & omnes, etiam domeſticos ſuos nonnullos, reprehendere ſibi licere Ieſuita putat: viciſſim cogitet, pari ratione & facilitate ſua commenta explodi poſſe. Multa eiuſmodi ſunt, quæ ex Actis Vaticanis expreſſa & publicata ſunt, & tamen contra Pontifices Pontificioſque faciunt, vt quod ſupra ex Bodino de figmento Conſtantinianæ donationis attulimus. Et quia ſupra diximus, eos teſtes merito præualere, qui veriſimilia loquuntur, & per quos plura probantur, item à quibus militant argumenta rem confirmantia & iura proximiora, placet quædam ſubiicere, quibus id quod agimus, confirmemus: id quod ex vicinitate vel proximitate facti planum fiet. Sigebertus narrat Carolum a Pontifice Hadriano Patricium fuiſſe dictum conſilio publici autoritate: rurſus eiuſdem curiæ nomine Carolo hoc nomen ablatum eſt. Vnde illud Gotfridi. *Tollere ſic nomen Curia tota notat.* Si igitur in eo, quod minoris præiudicii fuit, autoritas publica totius ſenatus populique Romani interceſſit, quidnam de noſtro caſu maiori & grauioris præiudicii dicendum & ſentiendum? Narrat Platina in vita Hadriani, cum Carolus Vrœem Romam ingreſſus eſſet, & Rex cum Pontifice ad altare Apoſtoli perueniſſent, iuraſſe mutuo Carolum & Pontificem, Romanos & Francos, perpetuam ſe amicitiam ſeruaturos. Si in hoc iuramento omnium conſenſus & auctoritas interuenit, cur non etiam in coronatione & inaugratione Caroli? Multa alia in hanc ſententiam paſſim allata ſunt, quæ omnia hic recenſere nimium eſſet. Facit etiam ad rem, quod à Romanis Carolo Pontificis eligendi poteſtas conceſſa ſit, vnde nemo recte colliget contrarium, nempe, Pontificem & quidem iure ſuo, & ſolum Imperatorem eligere & ignorantibus aliis creare potuiſſe. Maior autem eligit minorem, & non contra, id quod etiam Bellarminus agnoſcere cogitur, & de prætenſa poteſtate Eccleſiaſtica alibi dictum eſt, & infra quoque dicendi locus erit. His adde quod Carolus non tantum eodem tempore Imperator, ſed etiam filius eius Pipinus ſimul Rex Italiæ ſalutatus eſt. Vnde dubium non eſt, quin hæc populo Romano & Carolo ſciente & ante conſentiente geſta ſint, cum annis trecentis ſimile quid Roma non viderit, à quo tempore ſi Pontifices ius tale quod habuiſſent, ſine dubio exercuiſſent; tanto temporis autem ſpacio omnia iura etiam amitti, extra controuerſiam eſt. Quod eo probabilius redditur, quod Italiæ nouum Regem dare, & paternum honorem cum filio communicare ſummæ audaciæ fuiſſet, nedum dementiæ, ſi hæc Italis & Carolo ignorantibus facta eſſent: nec Pontifex Romanus impune tuliſſet, cum & is Leo, vt & eius maiores & ſucceſſores aliquot, ex leuioribus cauſis à Romanis poſt Imperatorum ab Vrbe diſceſſum mulctati ſint. Ita Leo Pontifex vna cum reli-

a f. 51. tit. pen.

quis Clericis & Romanis Carolo venienti obuiam factus eſt, eumque non ſecus ac olim Hieroſolymitanus ſummus Pontifex Alexandrum Magnum extra vrbem excepit. Quis autem alteri occurrere ſoleat, ſatis compertum eſt. Et faciunt ne id hodie Pontifices? Annon ſummos Imperatores ſe ſequi iubent? Tandem & hoc verum, & iure gentium receptum eſt: ipſa etiam Papalis curia obſeruat. Quod Imperatorum, Regum atque etiam Pontificum coronationes & ſolennes renunciationes, Electio præcedit, ex qua omne ius ſuum Electus habet. Si quis igitur putat, hoc caſu omnia commixta & confuſa fuiſſe, cum tamen de nouo Imperio conſtituendo actum ſit, is ipſo Bellarmino in hac quæſtione ſtupidior eſt. Corona etiam & ſceptra & palla Imperialia ſine dubio tum temporis, vt nec nunc, in vnius Pontificis poteſtate fuerunt, vt quibus vellet, ea conferre, & quibus nollet, adimere poſſet. Sed tamen quædam pro ſe affert Ieſuita: dicit ſcitum & preces apud Pontificem factas: quomodo hoc probat? Ne vnico quidem argumento: & multi ſunt hiſtorici, qui contrarium aperte affirmant. Non tantum in Collegio clericorum hoc actum, ſed etiam in curia, vnde etiam ab aliis *Senatuſconſultum*, ab aliis vero *ſcitum* appellatur. Quid autem Senatuſconſultum ſit, omnibus notum eſt. Et hic quoque falſæ interpretationis, quæ Bellarmino admodum familiaris eſt, luculentum teſtimonium habemus. Sed addit diſputator ille ſubtilis, *Si quid populus Romanus decreuit, id certe ſolum decreuit, vt à Romano Pontifice peteretur, vt ipſe, qui ſolus id facere poſſet, Imperium à Græcis ad Francos transferret.* Mirum, vnde hæc coniectura nata ſit, nec enim vllus hiſtoricorum, quos triginta tres affert hic diſputator, id vel minimo verbo ſignificat. Mittamus igitur hanc Ieſuiticam interpretationem, quæ etiam cum ſuo autore pugnat, qui ait, Pontificem aut ſolum tranſtuliſſe, aut certe primarium autorem illius translationis fuiſſe, vt ſupra audiuimus: adeo nec ſui, nec aliorum memor fuit. Et Onuphrius magis in hac cauſa candidus quam talis Ieſuita, ait, S. P. Q. R. Suffragiis Carolum creatum eſſe Imperatorem & Auguſtum appellatum: idque ſine dubio didicerat ex actis Vaticanis, aliiſque hiſtoricis, ex quibus etiam Platina ait ſcitum populi Romani interueniſſe, additque Onuphrius credibile eſſe ita rem accidiſſe, quod etiam omnes prudentes & rerum politicarum intelligentes libenter concedent, & ita fieri decuiſſe. Cum his non aliter reſpondere poteſt Bellarminus, dicit, hæc ex Philoſophiæ promtuariis deſumpta. Sed hoc vel ipſis Bellarmini teſtibus quam plurimis falſum eſt. Deinde ſi ex huiuſmodi argumentis concludere non licebit, quid proſunt Iuriſconſultis tot coniecturę, ſigna, indicia, præſumptiones, quæ omnia ex Philoſophiæ & in ſpecie Logicæ promtuariis deſumuntur: adeo, vt ſi hæc nulla ſint, male operam ſuam poſuerint, qui de his longos tractatus, & Topica legalia ſcribunt, & qui in iudicando hæc obſeruant, fallantur neceſſe ſit? quid item fit de Confeſſionibus Bellarmini, quibus aliquot capita compleuit? illæ enim nihil aliud quam quædam præſumtiones ſunt quibus prætenſam ſuam translationem probare nititur. Sed ponamus hoc ita eſſe, quod Bellarminus contendit, nihil tamen illi concedendo, de quo proteſtamur, parum tamen eius cauſam iuuat. Nam ſi populus Romanus Senatuſconſulto decreuit, vt à Pontifice Coronatio impetraretur: Ergo non putauit tum Pontificem ſuo iure Imperia transferendi poteſtatem habere, nam ſi hoc verum eſſet, quod nunc hic Ieſuita nobis perſuadere vult, nec Senatusconſulto, nec precibus opus fuiſſet. Imo nec ipſe Pontifex tum ſenſit, quod nunc ſophiſtæ & adulatores Romani illi affingunt: quid enim precibus apud ipſum opus fuiſſet? potuiſſet enim ſimiliter reſpondere Romanis hanc translationem petentibus, quod Paulus II. Platinæ reſpondit, de quo in Pauli eiuſdem vita, oculis toruis eos aſpiciens, An neſcitis me omne ius diuinum & humanum in ſcrinio pectoris habere, & hoc in abſoluta mea facultate poſitum eſſe? ſic mea ſtat ſententia, non veſtra, mihi ſoli hoc Imperia & regna transferre commiſſum eſt, loco cedite omnes, ite quo vultis, nihil vos moror: Pontifex ſum, mihique licet pro arbitrio animi veſtra decreta reſcindere & approbare. Ex his igitur patet, Pontificem Leonem non proceſſiſſe iure ſuo, non ex officio, ſed ad Inſtantiam Romanorum: non feciſſe ex certa ſcientia, proprio motu, & plenitudine poteſtatis: his enim tribus clauſulis nunc omnia muniunt: ſed ignoraſſe ius hoc ſibi competere, feciſſe motu alieno, nec plenitudine poteſtatis vſum fuiſſe, & ne tale quidem eo tempore habuiſſe; nam ſi quid vel minimi iuris habent, plenis buccis & voce ſtentorea id declamare vſque ad nauſeam non deſinunt, quod ſupra ex cap. Solitæ audiuimus. Quis vero ita ſtupidus eſt, qui putet multis Senatusconſultis aut deliberationibus opus eſſe, ad hoc, vt quis rogetur alteri coronam imponere, & publice talem Regem vel Imperatorem renuntiare? Quod vero Carolus nomen Imperatoris auerſatus eſt, vt Eginhardus ait, adeo vt ſi Pontificis conſilium præſciuiſſet, eo die templum ingreſſurus non fuiſſet, cauſam aduerſarii non iuuat. Nam ſi Carolus putaſſet, Pontificem Imperii transferendi poteſtatem iure ſuo habere, hæc verba nunquam dixiſſet, ſed facto Pontificis acquieuiſſet, imo nullo negocio de Græcis Imperatoribus qui hanc coronationem & renunciationem ægre ferebant id reſpondiſſet, vel tanquam exceptionem peremtoriam obieciſſet. Non igitur probat hoc eſſe, quia contingit abeſſe. Et quæ tandem

huius

huius rei cauſa fuerit, ſiue ea quam Franciſcus Iunius affert, quod Carolus adhuc à nomine abhorruerit Imperatoris, cum rem ipſam, Italiam & totum Occidentis Imperium haberet, & de titulo Imperatorio ſecum actum eſſe ante hoc, noſſet: ſiue alia quæcunque, (multa enim in Conſilii Regum vel Principum incidunt, quæ differri nonnunquam commodius eſt) illa non eſt, quam Bellarminus vult. Plus enim operantur verba expreſſe dicta, quam quæ in mente retinentur. Verum Bellarminus aliud obiicit. Dicit enim Sigebertum trecentos annos poſt translationem illam ſcripſiſſe. Et hunc primum eſſe, qui Senatusconſulti, vel conſenſus populi meminerit: reliquos, vt Blondum, Platinam, Æneam Syluium, Krantzium, quos tamen in hoc ipſo articulo in corona inſignium virorum nominat, & auctoritatis pondus habere aſſerit, iuniores eſſe. Atqui nemo vir bonus, nedum doctus, & qui aliorum iudicia reformidat, præſumitur mendax aut doloſus: præterea, vt & ſupra diximus, Sigebertus vt & alii eo ſeculo vixerunt quo de his futuram controuerſiam, vaticinari non potuerunt: & ſine dubio ex iis habuit, qui iſtis temporibus vicini fuerunt. Sic igitur ab omni affectu & ſuſpicione partialitatis immunes ſunt. Quod igitur ante quingentos annos verum fuit, cur non etiam ante octingentos, cum nulla diuerſitatis ratio dari poſſit? Cum enim is qui hodie poſſidet, etiam olim poſſediſſe præſumatur, cur id, quod tempore Sigeberti, Vincentii, (nam & hic priorem ſequitur.) verum fuit, nunc falſum eſſe incipiet? Sed & Sigebertus conteſtes habet omni exceptione maiores. Narrat Otho Friſingenſis, *Lib. 2. De reb. geſtis Friderici I. cap. 21.* Romanos ad Fridericum eundem, cum de eius aduentu cognouiſſent, legatos miſiſſe: qui inter alia Principem ita compellarunt: *Hoſpes eras, ciuem feci, Aduena fuiſti ex tranſalpinis partibus, principem conſtitui, quod meum iure fuit, tibi dedi.* quibus ita Imperator reſpondit: *Gloriaris me per te vocatum eſſe, me per te primo ciuem, poſt principem factum, quod tuum erat à te ſuſcepiſſe. Quæ dicti nouitas quam ratione abſona, quam veritate vacua ſit, æſtimationi tuæ, prudentumq; relinquitur arbitrio.* & quæ ſequuntur. Ergo ipſi Romani legati hoc ſibi arrogabant, & à ſe Imperatorem factum gloriabantur. Certum autem eſt legatos ex Actis publicis inſtrui. Deinde ne Imperator quidem hoc negabat ſe à Romanis vocatum & Imperatorem ſalutatum, ſed vt concludit. *Implorasti miſera felicem, debilis fortem, inualida validum, anxia ſecurum; nam ab hoſtibus pulſabaris, nec propria manu, Græcorumue mollitie liberari poteras.* Sic paulo ante Romani ad Chunradum Tertium ſcripſerunt eumque hortabantur, vt Vrbem Romam occuparet, ſe ei fideles fore: quod nunquam feciſſent, niſi in Imperatore creando ius habuiſſent.

Sed pergamus. Sequitur nunc vltimus Actus huius fabulæ, quem ſolum probat & laudat Bellarminus, & in quo omnem ſuæ victoriæ proram & puppim ponit, cuius etiam cauſa tot hiſtoricos in ſcenam produxit, quibus euinci poſſe putat, rem omnem Pontificis autoritate geſtam eſſe. primum, quia Carolum coronauerit: deinde quia coronatum renuntiauerit: Acclamationem enim populi parum aut nihil ad rem facere exiſtimat. Quod ad coronationem attinet, res ea primo non neceſſaria eſt, quod exemplo primorum & priſcorum Imperatorum Romanorum manifeſte probatur: deinde ſupra allegauimus iure gentium receptum eſſe, vt Electionem ſequatur, propterea nihil ſolam & per ſe iuris conferre. Qua de re videre licet, quæ Hieronymus Balbus in ſuo libro de coronatione, *Tit. An ex ſola Electione Cæſar ius pleniſſimum Imperandi conſequatur*, & ſequenti diſputat, vbi Argumenta vtriusque partis in medium affert, & notandum quod ex Innocentio Pontifice probat, qui ſic ſcribit in cap. Venerabilem de Elect. *Credimus tamen quod ſi Imperator coronam in loco debito accipere non poſſit, nihilominus autoritatem adminiſtrandi ab Archiepiſcopo Colonienſi poſſit recipere: vel ſua autoritate, quam habet ex Electione ſine vlla Coronatione miniſtrare.* Et quæ Lupoldus de Bebenburg in libro ſuo *De Iuribus Regni & Imperii Romani* de hoc articulo tractat, qui cum etiam cauſam Ludouici Imper. Bauari defenderit, de eius ſententia minus dubitare licet. Nam is Imper. ideo à Pontifice excommunicatus erat, quod ante Coronationem vel benedictionem, vt loquuntur, Pontificis, Imperii adminiſtrationem ſuſceperat. Ad cuius Imperatoris legem, quam de hac re ſanciuit, quia illuſtris eſt, & eam præfatus Hieronymus ſuo libro, quem ſupra diximus, inſeruit, lectorem eo remittimus. Et cum hæc quæſtio quaſi in iudicio contradictorio deciſa ſit: nam idem Imperii contra tres Papas ſui ceſſime eam vſque ad extremum vitæ Spiritum defendit, non eſt de ea amplius dubitandum. Quod autem iuris in vno Imperatore, id quoque in alio eſt. Nec priores Pontifices plus poſſunt quam poſteriores & ſequentes. Sed qualiter hæc coronatio facta fuerit, audiamus. Sigebertus narrat, *Romanos vno omnium conſenſu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamaſſe, eumque per manum Leonis coronaſſe.* Quod autem quis per alium facit, ipſe feciſſe videtur: & qui promiſit, per ſe non fieri, quo minus quis in iudicio ſiſtatur, etiam tenetur, ſi alios rogauit, vt quem detinerent vel abducerent ne ſe iudicio ſiſtat. *l. 1. ff. De eo per quem fact. erit:* nam quin ipſe teneatur promittens de facto proprio, extra dubium eſt. Et hoc quoque eſt, quod Antoninus ait, *Carolo Magno Imperium Romanorum à Leone collatum ſeu confirmatum eſſe*, quæ verba *Confirmatum eſſe*, quia poſteriora ſunt, tanquam potiora & quaſi priorum correctoria aut potius interpretatiua, accipienda ſunt. Quanquam & is, qui confirmat, nihil noui dat, per iura vulgata. Idem de Renunciatione publica & ſolenni ſentiendum. Non enim omnis, qui renunciat, propterea à ſe actum pendere vult. Sic Magiſtratus olim, vbi creati erant, publice renunciabantur, id quod & hodie alicubi obſeruatur. Nemo dicet ideo tales eſſe, quia renunciati, ſed quia electi ſint. Archiepiſco-

pus & Elector Moguntinus Carolum V. qui Electus erat, Francofurti in æde Bartholomæi publice poſtridie renunciauit, nunquam hinc concluſit, ſe ſolum Carolum Imperatorem feciſſe, quod in præiudicium reliquorum Coelectorum feciſſet, ſi Bellarmini regulam ſecutus fuiſſet. Qui ſponſalia & nuptias publice renuntiant, iisq; benedicunt, ad actus eſſentiam, vtpote, qui à conſenſu duarum partium dependet, nihil conferunt, ſolennitatē tamen nō in inutiliter adhibent: publici enim contract⁹, & qui in oculos incurrunt, facilius probantur, quam qui domi & inter priuatos parietes celebrantur. Sed & Martianus Scotus & Lambertus Schafnaburgenſis, totū illum actum Coronationis Romanis, aſſcribunt, Romanis, inq̄. omnibus, verba enim generalia ſunt, ideoq; generaliter intelligenda: hæc enim & indefinitorum natura eſt, vt ſi res, de quibus prædicantur, illam generalitatem patiantur, eiusmodi quoq; ſint & habeantur. Sed Bellarminus, ne & hæc verba ſine gloſſa Ieſuitica dimittat, cauillatur ea, quæ cauillatio tamen digna eſt quæ refutetur, cum verba, vt dictum, ſint generalia, & quem ordinem hic diſputator comminiſcitur, nihil niſi eius commentum eſt. Hoc vero admirationem non paruam habet, quod audet ad ſententiæ ſuæ confirmationem Matthæum Palmerium & Volaterranum adducere, cum tamen nihil aliud dicant, quam quod Carolus a Leone ſit Auguſtus vel Imperator ſalutatus: nam ſi ex hac ſalutatione Imperii Translatio ſequitur, profecto omnes, qui ſimul eum ſalutarunt talem, quod ab omnibus factum eſſe non tantum hi duo, ſed etiam alii Bellarmini teſtes dicunt, in hoc opere partem ſuam habuerunt, & vt conſalutatores, ita etiam contranslatores fuerunt & agnoſcendi ſunt. Sed ait Bellarminus Romanos tantum acclamaſſe, ex quo facto nihil juris ſequi vel oriri poſſit. Sic enim legimus & olim acclamatum fuiſſe regibus, vt & nunc apud quosdam in more poſitum eſt. Quod vt diluamus, ſciendum eſt, ſi nullus omnium hiſtoricorum, qui deliberationum præcedentium & conſenſus populi Romani mentionem faciunt, cauſæ noſtræ faueret, vel hæc ſola acclamatio Bellarminum conuincere poſſet, & hoc eſt, quod ſupra diximus, omnes omnino hiſtoricos contra Bellarminum facere. Cum veteres Imperatores Romani in caſtris eligerentur, hoc militum acclamatione fiebat. Quale illud eſt è multis,
a *fol.142. lib. 1 cap 10.* *Probe Auguſte Dii te ſeruent*, quod nec ipſe Bellarminus negabit. (*a*) Huius moris antiqui Romanos non fuiſſe oblitos, ipſe aduerſarius nobile exemplum commemorat in Odoacre, (*b*) de quo ſic ex
b *fol.122. lib.1. cap.9.* Blondo inquit, *Odeacrem ab vniuerſo Regem Italiæ ſalutatum & in Capitolio tanquam Vrbis Dominum feſtiuis acclamationibus deductum*. Si populi Romani ſalutatio & acclamatio Odoacrem Regem Italiæ fecerunt, cur non eædem cauſæ Carolo ad Imperium à populo acceptum proficerent? Sed ne tum quidem hunc morem intercidiſſe omnes hiſtorici teſtantur, quos Bellarminus adducit cauſæ ſuæ certiſſimos approbatores, vt recte ſcripſerit doctiſſimus Freherus (*c*) *In hac acclamatione & laudatione olim Electio popularis conſiſtebat, vt apud Paulum diaconum paßim legimus*, vbi & alios hiſtoricos ſimi-
c *In notis ad Chron. Andreæ presbyt. ad p. 16.* lis notę adducit, quos Bellarmiuns nobis propinauit. Et quidem cum non tantum Pontifex Romanus (qui tamen caput huius defectionis erat) ſed etiam S.R.Q.R. ab Imperatoribus Græcis defeciſſent: ſicut igitur in ſe liberando à nexu ordinarii Magiſtratus omnium voluntas & conſenſus interueniebat: ita etiam de iure eorundem voluntas & conſenſus in alio eligendo Imperatore requirebatur, quia omnium cauſa agebatur, ſicut paulo ante in Francicum fœdus omnes Romani ſimul coierant. Nec intereſt an acclamatio coronationem præceſſerit vel ſecuta ſit. Nam coronatio nihil iuris præter ſolennitatem quandam vel publicum Teſtimonium dedit, ſed acclamatio, in qua ineſt conſenſus, & voluntas populi Romani, etiam ſi nulla electio præceſſiſſet, non minus hunc Carolum Imperatorem Romanum feciſſet, quam olim publica militum ſalutatio, vt dictum. Vnde & populus Romanus huius Pontificiæ coronationis nullam rationem habuit, ſed Carolum potius à Deo coronatum agnoſcit, cuius cauſa dignus ſit Romanorum corona & Imperio. Ex quo etiam hoc efficitur, Populum Romanum confeſtim acclamando, jam hanc renuntiationem publicam ſciuiſſe, in eam conſenſiſſe, & ſuo nomine in publico, in Eccleſia fieri voluiſſe, & quicquid factum, non à ſolo Pontifice geſtum, ſed communi ſcito & decreto adminiſtratum fuiſſe. Quod etiam tandem ipſe Bellarminus agnoſcit. Dum rectiſſime dicit, *Cæteros acclamatione probaſſe*, probatio n. vel id probare poteſt, quod ſua non intereſt. Si quis vero cum hac approbatione, ratificatione ſeu ratihabitione, autoritatem quoque populi Romani coniunctam fuiſſe dixerit, vere dixerit. Sicut enim tutores pupillis ſuis in ipſo actu autores fieri debent, quia integram perſonam non habent: ita Romanus Epiſcopus, ad quem cura Regnorum & Imperiorum minime pertinet, vt ſupra diximus, legitimam perſonam transferendi Imperia, imo ſeſe rebus ſecularibus immiſcendi non habet, ſed aliorum auctoritate niti & firmari debet. Ex quibus omnibus in vtranque partem diſputatis, hoc in ſumma colligitur: Carolum Magnum Francorum Regem à Deo ſingulariter excitatū, fortitudine, authoritate, potentia aliisque virtutibus inſtructum, Longobardis in Italia oppreſſis, eorumq; regno deſtructo, tota Italia, ipſaq; Vrbe Roma in libertatem vindicata, pro tot tantis que in Remp. & Eccleſiam meritis à S.P.Q.R. omnium procerum Italiæ, Franciæ & Germaniæ conſenſu, Imperatorem & Auguſtū declaratum, & publice vno omnium ore & voce, renuntiatum, appellatum & ſalutatum, à Romanis per manus Pontificis Leonis coronatum, tandem ab ipſis Imperatoribus Conſtantinopolitanis pro eodem agnitum & approbatum fuiſſe; & cum toto vitæ ſuæ tempore pius, felix, inclytus, victor ac triumphator fuiſſet, rebus Romanis conſtitutis, humanis vero deſtitutus eſſet, hanc Maieſtatem Imperialem ad poſteros iure hereditario tranſmiſiſſe.

CAP.

CAP. V.

Nec confeſſionibus Imperatorum Romanorum vel Græcorum, probatam eſſe hanc Translationem à Papa Romano factam, ſed ex eorum verbis & factis contrarias præſumtiones oriri.

ETSI autem ad eam rem, quam contra Bellarminum probandam ſuſcepimus, tot clariſſimorum hiſtoricorum Teſtimonia in medium producta, totque ex ipſis iuris & æquitatis fundamentis prolata argumenta ſufficiant: tamen cum aduerſarius etiam Imperatorum tum Latinorum, tum Græcorum, nec non aliorum quorundam Principum Confeſſiones & ſententias afferat: ſtatuimus hæc quoq; iiſdem veritatis telis configere, vt, ſi fieri poſſit, erubeſcat aduerſarius id affirmare, quod ipſi Principes non confitentur. Liceat enim nobis eodem, quo Bellarminus modo, huius capitis exordium facere: idque ſimul in principio monere, harum confeſſionum, ſi quis eas hoc nomine appellare velit, tantam vim non eſſe, vt rei veritati præiudicare poſſint. Nam ex his confeſſionibus multæ quidem præſumtiones ſurgunt, quæ tamen longe petitæ ſcopum, ad quem diriguntur, non attingunt.

Quod igitur ad primam confeſſionem attinet, nimirum Teſtamentum Caroli Magni, ita diſputator noſter concludit. Pontifex ſubſcripſit Teſtamento Caroli Magni. Ergo Carolus confeſſus eſt ſe Imperium à Pontifice habere, non probat hoc eſſe, quia contingit abeſſe, dicimus vulgo. Nam cum teſtes ſolennitatis cauſa in Teſtamento adhibeantur, quo pacto id ad voluntatem trahatur, ex Bellarm. diſcere libenter vellemus. Præterea teſtamenta non debent ab alieno arbitrio pendere, vnde & inſtitutiones captatoriæ in iure reprobantur. (a) Teſtamentum enim eſt ſententia mentis, voluntatis, iudicii noſtri; non mentis, voluntatis aut iudicii alieni; & quidem de re noſtra non aliena, in qua nullus heres inſtitui poteſt. Et cum Romani Carolo Romani Imperii dignitatem abſolute obtulerint & conceſſerint, quis putet, tam dementem Carolum fuiſſe, vt id, quod ſuum & liberum erat, & de quo ex animi ſententia diſponere potuit, & iam cum effectu diſpoſuerat, alterius voluntati & libidini ſubiiceret, idque vel maxime, cum non tantum de Imperio Romano eiusque dignitate, ſed etiam de aliis regnis diſpoſuerit. Si igitur ſubſcriptio, vtpote indiuidua, eam vim habet, quam aduerſarius allegat, certe etiam Carolus confeſſus eſt, ſe à Pontifice Romano reliqua quoque regna poſſidere, quod nec iuris nec facti ratio admittit. Connexorum autem eſt eadem ratio. Ad hæc cum Carolus iam ante regna ſua inter filios diuiſiſſet, vt ſciret quiſque, quam partem tueri & regere debuiſſet, & Teſtamentum deſuper factum, & iureiurando ab optimatibus confirmatum, manifeſte concluditur, ipſum Carolum & omnes proceres contrarium ſenſiſſe & confeſſos eſſe, nimirum Pontificem Romanum in dignitatem Imperii Romani eiusque prouincias iuris nihil habere: Nam omnium Teſtamentorum ſolennitatem ſuperare videtur, quod inter tot nobiles probatasque perſonas factum fuit. *l. Omnium, C. de Teſtam.* maxime interueniente iuramento, quod actum hunc perfectum atque omni ſua parte abſolutum fuiſſe euidenter demonſtrat: iuramenta enim non niſi actu perfecto & completo adiiciuntur. *Auth. Sacramenta puberum. C. Si aduerſ. vendit.* Adeo vt miſſio quæ ad Pontificem facta eſſe ſcribitur, à principali actu ſeparanda ſit. Nam Teſtamentum actu continuo faciendum eſt, & nullo actu extraneo interueniente, præſertim tanto interuallo, *l. cum antiquitas. C. de Teſtament.* Idque in tantum, quod hoc Teſtamentum inter liberos factum nuda voluntate parentis valuerit, nullamque ſolennitatem aut teſtium ſubſcriptionem requiſiuerit *l. hac Conſultiſſima. §. Ex imperfecto, d. tit. C. de Teſtament.* Imo ſola diuiſio inter liberos, quæ etiam hoc caſu interuenit, ſuffecerit. *l. fin. cum Auth. ſeq. C. Fam. erciſc.* Ex quibus omnibus concluditur: Carolum Imperatorem hac miſſione & Pontificis ſubſcriptione non voluiſſe eligere viam, qua Teſtamentum ſuum impugnetur, multo minus aliquam inde confeſſionem elici, quantumuis Bellarminus laboret, abundantem tamen cautelam nocere nihil poſſe. Quod ſi pro concluſione huius primi teſtimonii Bellarminus ille, qui libenter concedit Pontificem Romanum prouincias Occidentalis Imperii Romani ad Carolum non tranſtuliſſe, quærat ex hoc, qui aſſeuerat Carolum Magnum de Imperio Romano conſenſu Pontificis diſponere voluiſſe, qui fiat, quod cum Carolus ipſas prouincias iure dominij habuerit, & de his diſpoſuerit non etiam de Imperiali dignitate, quæ in iis vel coniunctim vel diuiſim fundatur, diſponere potuiſſe, ab ipſo reſponſum expectet. Nos ad Lotharii confeſſionem veniamus. *Omnis homo ponit primo bonum vinum, poſt id quod deterius eſt.* Nobis id quod primum fuit, deterius erat, vt audiuimus. Sed meliora forſan ſequuntur. Qui in iure teſtes producunt, eos maxime eligunt, qui rei veritatem melius ſcire noſcuntur, & in ea re magnam cautelam adhibent. Si id Bellarminus inſtituit, viderit ipſe, quomodo cauſæ ſuæ contulerit, quicquid ſit, nihil probant neceſſario. Ad rem ipſam veniendo, ſunt qui ex hiſtoriis probant à Lothario Ludouicum filium non eſſe miſſum, vt Imperator renunciaretur, ſed vt Sergii Electionem confirmaret, à quo viciſſim Rex Italiæ inunctus fuit. Sed ponamus ita eſſe, quod Bellarminus ait. Leo tertius Iſauricus Orientis Imp. filium Conſtantinum Copronymum à Patriarcha Conſtantinopolitano coronari voluit: Leo quartus itidem viuo patre Conſtantino coronatus & ſucceſſor Imperii deſignatus: quemadmodum & hic filium Conſtantinum puerum adhuc à Patriarcha Conſtantinopolitano coronari voluit. Quis hic iure contenderet, his Patriarcharum coronationibus à parentibus in filios Imperium translatum fuiſſe, aut Imperii Orientalis eam conditionem eſſe, vt ſine eorum conſenſu ad alios transferri non poſſit, quorum tamen nulla ex parte intereſt, quique eas dignitates non habent. Nam iura hereditaria tam in Imperiis & regnis, quam in cauſis priuatorum cum naturalia atque immu-

a *l. Captatorias. cum l. ſeq. ff. de hered. inſtit.*

immutabilia ſint, plenum perfectumq; ius tribuunt, nec vt defectum habentia, externo & ad eã naturam nihil pertinente facto ſuppleri poſſunt. Quæ autem ratio Imperii Orientis, eadem quoq; tum Occidentis erat, vtrumque enim ex ſucceſſione deferebatur. Nouerat idem Imperator Lotharius, ſe à patre Ludouico Regem Italiæ factum, & ſimul Cæſarem. Sic enim Platina in vita Paſchalis, *In conuentu apud Aquisgranum habito, Lotharium filium maiorem natu Imperij ſocium elegit.* Eundem igitur morem in Ludouico ſucceſſore ſi obſeruari voluit, vt voluit, non hoc confeſſus eſt quod Bellarminus vult, ſed potius contrarium, nihil enim magis ſecundum naturã eſt, quam quod liberi in omne ius & dignitatem parentum ſuccedunt, & vt Reges à regibus, ſic Imperatores ab Imperatoribus gignuntur: nam fortes creantur fortibus, vt inquit ille: Econtra nihil magis contra naturam eſt, quam vt quis duobus titulis, & quidem tantopere inter ſe diſparatis, imo etiam contrariis, rem vnã eandemque habeat, quod enim meum eſt, amplius fieri meum non poteſt. Imperatoria autem & regia dignitas non ex nomine, ſed ex re ipſa potius æſtimanda & diiudicanda eſt.

Sequitur Teſtimonium Caroli Calui, quod tamen merito vt ſuſpectum reiiciendum. Nam illi Carolo non debebatur Imperium Romanum, quod Ludouicus ſecundus moriens reliquerat, ſed potius fratri ipſius Ludouico Germanico, qui fratrem ætate præcedebat. Sed & hoc falſum eſt, hunc Carolum à Pontifice ſolum Imperium Romanum accepiſſe. Nam & reliqui Romani in eum contractum cum Pontifice conſenſerant. Præterea cum armis Italiam occupaſſet, & Ludouici fratris filios potentia ſuperaſſet, vi ſibi viam ad Imperium muniuit. Inter arma autem leges ſilent. Sed & longe alius titulus erat quam quem Bellarminus allegat. Nam cum Carolus Caluus æque ac Ludouicus Germanicus Imperatoris Ludouici primi filius eſſet, ſuper hoc totius cauſæ ſuæ fundamentum poſuit, qui ſi non fuiſſet, fruſtra largitionibus rem egiſſet. Alia ratio Caroli Magni erat, qui prorſus extraneus erat. Sed & niſi hic armis Italiã occupaſſet, coronationẽ à Pontifice non obtinuiſſet; vnde apparet ſemper antiquius & fortius ius ſuccedentem Pontificis coronationẽ præcedere, ex quo tanq̃ primordio tituli poſterior euent⁹ formandus. Cum igitur tot tantæq; cauſę cõcurrant, imperite, ne quid grauius dicatur, Bellarminus agit, qui id totum ſoli Pontifici aſcribat. Ex quibus etiam facile ad interrogatoria Bellarmini, quibus in hoc articulo vſus eſt, reſponderi poteſt, *Si nihil,* inquit, *Imperatori quod ad Imperium attinet, aut ſolam ceremoniam coronationis Papa dare ſolet, quorſum Ludouicus Rex Germaniæ tanto ſtudio fratrem Carolum Caluum ab itinere Romano auertere conabatur?* Nimirũ quia eſt melior cauſa poſſidentis, & Ludouico vtpote maiori natu Imperium tanquã hereditas debebatur, nulli autem iniuriã facit qui iure ſuo vtitur: tum enim de coronatione ſolicitus nõ fuiſſet, hanc enim æque facile ac frater obtinuiſſet, ſi Vrbẽ cum Italia obtinuiſſet. *Quorſum*, inquit, *Carolus tanto labore ac diſpendio Romam ad Pontificem venit?* Nimirum vt ius alteri ſuum præriperet, quod prædonum propriũ eſt, vt ſibi vigilaret ſuaq; cõmoda ex alterius incõmodis quæreret. *Quorſum*, inquit, *Carolus tam diligenter pretioſis etiam muneribus Pontificis animum ſibi conciliauit?* Nimirum quia ſciebat iam tum Romæ omnia venalia, non tantũ has dignitates, ſed etiam Deum ipſum, vt Poeta loq̃tur. Et quia Pontifex Romanus vt Iudæ ſucceſſor ad tale flagitium facile redimi poſſet, præterea in Vrbe ad conciliandos ciuium animos plurimũ valeret, & ſimile quid à Paſchali(a) ante contra Ludouicũ patrem tentatum, ſimilem deniq; rumorem de Leone IV. non ita multo ante ſparſum fuiſſe, quod Imperii transferendi ad Conſtantinopolitanos conſilia iniiſſet. *Cur deniq.,* inquit, *maluit potius cum fratris exercitu in certamen deſcendere, & pati vt regnum ſuum à fratris exercitu vaſtaretur, quam Imperij coronam de manu Pontificis non accipere?* nimirum quia prædonum multum intereſt, vt quæ iniuſte quæſita ſunt, ne ſibi præripiantur, & ſi fides violanda ſit, regni cauſa id facere liceat, Carolus quoque facile ferre potuit damnum minus, quo maiore commodo, id eſt, vrbe & Italia potiretur. Deinde quia Pontificum perfidia ipſi ſatis cognita erat, & Romanorum Ciuium animi mutabiles: ne igitur vtroque regno excideret; in eo quod magis dubium fuit, retinendo laborare maluit quam vt de Gallia ſolicitus eſſet, cuius viribus & fidei plus tribuebat quam Italiæ etiam ſuo exemplo ſine dubio doctior factus, quia muneribus rem egerat, & in auctionibus primi à poſterioribus ſuperantur. Quod ſi vero Caroli Calui confeſſio, ſi modo ita dicenda eſt, (quæ tamen inter alios facta & ſic tertio non præiudicat) tantum operatur, quantum Bellarminus vult, multo magis confeſſionis Ludouici eiusque filiorum, qui bona fide agebant, & ius ſuum tuebantur, quique negabant Pontificibus Romanis atq; adeo toti Italiæ Imperatoris creandi, ſucceſſione legitima exiſtente, poteſtatem eſſe, ratio habenda erit, quam & tandem exitus ipſe comprobauit, nam cum Carolus Caluus eiusque filius Ludouicus Balbus ſubmoti eſſent, illi tandem Imperio potiti ſunt, Deo, qui ſolus imperia & regna transfert, cauſam eorum iuſtam comprobante.

Quod ſi huiusmodi Confeſſionibus hæc lis decidenda eſt, certe fortiores à nobis ſtant, quas qui volet, nullo negocio ex ſuperioribus colligere poteſt. pauca exempla afferemus, vt Lectori gratificemur, & aduerſario ægre faciamus. Cum Leo Imperator ſtatuas iuſſiſſet è templis auferri, idque Gregorius ſecundus prohiberet; hac cogitatione, inquit Platina(b) adeo animati ſunt Italiæ populi, vt parum abfuerit, quin ſibi alium Imperatorem eligerent: Ergo electio Imperatoris tunc non fuit in ſolius Papæ poteſtate, vt is eſſet quem ipſe vellet, ſed totius populi Italiæ, niſi enim hoc ita fuiſſet, quomodo Italiæ populi has cogitationes ſuſcipere potuiſſent? Caroli Magni filius Ludouicus I. à filiis ſuis captus eſt, poſtquam è vinculis liberaretur, Lotharius, qui Imperator deſignatus erat, & ſine dubio ſuo facto omne ius amiſerat, non minus quam Henrici Quarti filius Chunradus, qui contra patrem conſpirauerat, à patre ſolo ſine Pontifice reſtitutus eſt in ſpem ſucceſſionis Imperialis.

a *Platina in vita Paſchalis.*

b *In vita huius Gregor. 2.*

perialis. Qui autem ſolus reſtituit, is quoque ſolus dandi & inſtituendi ius habet: quemadmodum & ipſe Ludouicus, cum à filiis captus eſſet, non à Pontifice Romano, ſed à Proceribus Germaniæ, Italiæ & Galliæ Imperio redditus eſt, id quod Annales Francici abunde teſtantur. Sic cum inter liberos Ludouici Imp. funeſtum & crudele bellum exarſiſſet, & Lotharius à fratribus ab Imperio pulſus eſſet (a) hoc bellum & fraternas diſſenſiones, non ſolus Pontifex Romanus per Archiepiſcopum Rauennatem, ſed etiam alii regni proceres conciliarunt: nam quid his opus fuiſſet, ſi ab arbitrio & nutu Pontificis Romani dignitas Imperii tum dependiſſet, vel nunc etiam dependeret? Æquum igitur erat, vt cauſa communis & omnes concernens ab omnibus ſimul tractaretur. Et ne longe ab hoc ſeculo abeamus, aliud exemplum ex Platina audiamus, qui in vita Iohannis Octaui ſic inquit: *Iohannes Pontifex omnibus viribus annitebatur, vt Ludouicus Rex Franciæ Caroli Calui filius Imperator decerneretur, quo minus autem id faceret, obſtitere Romani proceres, Carolum tertium, Germaniæ Regem, qui cum fratre Carolomanno iam partem Italiæ occupauerat, Imperatorem eſſe cupientes. In tanta vero ſeditione cum non deeſſent, qui Ludouico fauerent, Pontifex captus in vincula conijcitur.* Ergo tum reliqui quoque Romani proceres in Imperatore eligendo & creando ius ſuum habuerunt, vbi inter alios controuerſia erat. Sic Carolus Craſſus fuit deiectus ob ſegnitiem corporis & ingenii tarditatem: à quibus? Ab optimatibus, inquit idem Platina (b) & Arnolphus ſuffectus eſt, nec multo poſt in locum Arnolphi Ludouicus Imperator ſubſtitutus, qui tamen nuſquã legitur coronam Imperii accepiſſe. Idem Platina in Lando inquit: *Magna erat inter Italos, Germanos & Francos de poſſeſſione Imperij concertatio, vnde & grauiſſima bella orta ſunt: annitebantur Romani Italiq; nomen Imperij in prouincia retinere obſtantibus barbaris omnibus, licet duce & autore tam præclari facinoris indigerent.* Si Pontificis ſolius, idque iure aliquo ſingulari vel priuilegiati, illa fuit dignitas, cur non ad eum ſolum tanquam ducem & autorem Imperij, decurſum eſt: maxime cum ex ſeditionibus, bellis ciuilibus aliiſque motibus, non tantum Reſp. ſed etiam Eccleſiæ grauia damna inferantur. Vnum hoc & poſtremum adhuc addemus, vt proteruiam aduerſarii, qui ex male mulctatis & mutilatis allegationibus quaſdam non melioris fortunæ confeſſiones extundit, ſi fieri poſſit, euincamus & cohibeamus. Sic autem inquit idem Platina in vita Agapiti: *Potitus Italia Berengarius Imperatoris nomen ſibi induit, filiumq; Albertum Regem Italiæ nominat. Interea vero Agapitus Pontifex Italiq; proceres cognita Berengarij ſuperbia, Othonem Germaniæ Regem in Italiam vocant.* Hæc ducentorum annorum eſt hiſtoria, ex qua patet non Pontificem ſolum, ſed & Romanos omnes atque adeo totius Italiæ proceres in facto Imperatorum pro ratione temporis concurriſſe, & tot à nobis ſtare confeſſiones, quot iſtis ſeculis Imperatores & Regni Imperiique proceres fuerunt. Sed pergamus.

Poſt Carolum Caluum ſequitur Albertus Imperator, qui tamen quadringentis annis minor fuit, de hoc ſic diſputator inquit, *à Bonifacio octauo contendit, vt Imperium ſibi & heredib. confirmaret, quod minime obtinuit.* Sed ex actu imperfecto nullum perfectum ius oriri poteſt. Si Pontifex cum effectu Alberti poſtulatum præſtitiſſet, tum Bellarminus aliquid diceret. Albertus Imperator habebat electione Imperium, iurauerat igitur ſe eius iura & dignitatem ſartam tectamque conſeruaturum, propterea hoc pactum contra legem Imperii factum illegitimum fuit, nec Electorib. & Imperio vllum præiudicium afferre potuit. Quod ſi vere Albertus id ita ſenſit, non eſt diſſimile exemplum à Carolo Caluo: cui etiam ſubiicitur, quib. duob. etiam illud obſtat, quod plus ſit in veritate quam opinione: huiuſmodi quoque teſtes in iure reprobantur, & cum par in parem non habeat Imperium, ſucceſſoribus vel maioribus etiam ſuis nihil præiudicant, qui libertatem Imperii defendunt. Si quis diligenter inquireret, etiam in hiſtoria & perſona Alberti multa inueniret, quæ cum ſuperioribus pugnant, eaque euertunt. Nam hic Albertus poſt electionem, adminiſtrationem Imperii ſuſcepit etiam ante coronationem vel confirmationem. Deinde cum ab eodem Pontifice illi Regnum Galliæ attributum eſſet, Philippo Pulchro per ſententiam eiecto, nunquam putauit iura Regnorum atque Imperiorum à Pontificis arbitrio pendere, in tantum, vt contemtis his inanibus belluæ (c) iſtius crepitaculis, etiam filiam ſuam Philippi filio in matrimonium collocaret, & cum excommunicato, affinitaté contraheret. Bonifacius ille 8. quis fuerit, ſatis Platina in vita eius commendat, vbi inquit, *Moritur Bonifacius, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorem potius, quam religionem inijcere, quiq; dare regna & auferre, pellere homines, & reducere pro arbitrio animi conabatur.* Quare ſi quid potuiſſet, certe in hoc caſu demonſtrare debuiſſet. Non enim ſemper conatus pro facto habetur maxime in tranſlationibus Imperiorum & regnorum, quæ cum effectu accipiendæ ſunt.

Henrici VII. teſtimonium nihil iuuat cauſam aduerſarii; nam ex eo nondum potuimus diſcere, quinam ſequatur. Henricus VII, & alii Imp. à Pontifice coronati fuerunt. Ergo hoc ipſo teſtatum fecerunt, Imperium à Græcis ad Germanos per Romanum Pontificem tranſlatum eſſe: *Honorius tertius Pontifex*, vt in eius vita Platina inquit, *Petrum Imperatorem Conſtantinopolitanum in Baſilica S. Laurentii extra muros coronauit.* Quis inde concluderet hunc aut huius maiores ad coronatum, Imperium vel Regnum tranſtuliſſe? Pontifex ipſe Romanus ab vno ex Cardinalibus creatur: Ergone is Pontificatum in coronatum transfert? quod ſi vt Pontifices ſolent, iactaret, reliqui ius ſuum aduerſus hunc defenſuri eſſent ſi ſe etiam reliquis omnibus anteferre & in eos Imperium exercere vellet. Præterea id quoque in hac diſputatione maximopere obſeruandum eſt: ſi ſecundum Bellarminum aliosque Pontificum adulatores à Pontifice in Carolum Magnum Imperii vere tranſlatio facta eſt, nulla coronatione in poſterum opus fuit, aut adhuc eſt, cum effectus primæ tranſlationis in omnes poſteros duret, aut ſi in ſingulis ſucceſſoribus repetita Pontificis coronatio neceſſaria eſt,

a Platina in Sergio.

b In vita Stephani quinti.

c Iuxta illud, Intrauit vt Vulpes, regnauit vt Lupus, mortuus vt canis.

eſt,per primam coronationem nulla vera translatio facta eſt: corruit igitur tota huius Sophiſtæ diſ-
putatio de Translatione. Quod autem hic Henricus 7. miſit, vt Clemens ratam faceret ſubrogationẽ
pro more, in ea Pontificum ratihabitione tantum poſitum non eſt. Si is ratum habet, cuius nulla ex
parte intereſt, & qui actum, qualis hic eſt electio, vnde electus omne ius ſuum habet, impedire non
poteſt, & cum ratihabitio ea confirmet, quæ à principio inutiliter geſta ſunt: nemo ita impudens e-
rit, (& vt putamus ne Bellarminus quidem) qui electionem Principum Germaniæ inualidam eſſe
dixerit: quod & ipſius Pontificis authoritati derogaret, quem electores inſtituiſſe etiam hic noſter
gloriatur. Quare hęc ratihabitio mandato minime comparatur, ſed pro teſtimonio publico tranſire
poteſt. Quod autem dicitur *pro more* fieri, apparet nullam de ea legem Imperii fuiſſe: & morem il-
lum intelligi, qui in omnibus regnis imo in ipſo Papatu Romano obſeruetur: talemq; morem eſſe,
quem alii parum aut nihil curauerunt, vt infra videbimus.

Ludouici Bauari exemplum, quod ſexto loco diſputator affert, magis eum oppugnat, quam
vt à partibus eius militet. Nam is Imperator hac ipſa de cauſa à Pontifice excommunicatus, & mul-
tis modis diuexatus, quod Imperii adminiſtrationem inuito Pontifice ſuſcepiſſet, adeo vt, ſi petiti-
onem ab abſolutione excommunicationis pro confeſſione Bellarminus interpretatur; verba con-
tra mentem eius interpretetur. Quod ſi Ludouicus putauit, quales erant iſtius ſeculi tenebræ, hanc
execrationem vim ſuam etiam vſq; ad animæ periculum extendere, ſecutus eſt communem errorẽ,
qui hoc caſu ius non facit: aut ſi id fecit publicæ ſalutis cauſa, vt motus excitatos, diſſenſionesq; tol-
leret, eius æquanimitas laudanda eſt. Quod vero aduerſari[9] inde inferre ſtudet, Ludouicum putaſſe
Imperium à Pontifice pendere, notorie falſum eſt. Nam & poſt excommunicationẽ in adminiſtra-
tione Imperii perſeuerauit, Albertum Auſtriacum æmulum prælio deuicit, qua victoria Deus cau-
ſam contra duos hoſtes Pontificem & æmulum probauit: cum omnis victoria ſit à Deo. Huc refe-
renda eſt eius *Apologia*, quæ paſſim extat, & Illyricus quoq; ſuo tractatui ſubiunxit. Certum etiam eſt
cauſam tanti Imperatoris viros eius ætatis doctiſſimos & in iure verſatiſſimos contra Pontificem
approbaſſe, & ſcriptis quoque defendiſſe: quæ omnia manifeſtam contrariam confeſſionem con-
tinent. Imo tantum abeſt, vt id verum ſit, quod nunc Bellarminus aliiq; Romani Pontificis adula-
tores & gnathones, qui ex olla eius viuunt, per fas & nefas aſſerunt & defendunt, vt etiam Collegiũ
Cardinalium aperte contrarium reſponderit & definiuerit, Iohannem 22. non recte feciſſe, quod
ſine Synodo & legitima cognitione in re tanta decreta fecerit, & ea ſis fulmine Anathematis execu-
tus. Quin etiam facto Senatusconſulto in Vaticano ſolenni ritu idem Imperator coronatus eſt, non
a Pontifice ſed à Cardinali Stephano Columnio, quod æque mirum cui videri poſſit. Et certe non
minimum cauſam Bellarmini labefactat, quod hic Ludouicus à Cardinali creatus eſſe dicitur: nam
aduerſarius in hac tota diſputatione omnibus perſuadere vult, Pontificem in Carolum Magnum
cum corona Imperii, Imperium quoque tranſtuliſſe; quod ſi igitur eundem actum etiam Pontifice
nolente, & Principi excommunicato præſtare poteſt, omnis huius diſputatoris conatus vanus, irri-
tus & nullus eſt; & contra verum eſt, quod Illyricus aliique affirmant, illas Impp. coronationes ni-
hil aliud eſſe, niſi externas ceremonias, aut teſtimonia publica, quibus probetur, hunc legitime ele-
ctum, pro legitimo quoq; Imperatore habendum atque agnoſcendum eſſe. Idem quoq; ſenſerunt
Anno 1344. tum Principes Electores & alii fideles Imperii, vt Naucleras refert *Generat.* 45. in conuentu Franco-
furtenſi, vbi articulos Pontificis in perniciem & deſtructionem Imperii conceptos concorditer re-
iecerunt: è quorum numero & hic erat, *Ludouicum debere reſignare Imperium nec reſumere niſi de gratia
Papæ*: vt paulo ante Naucleras retulit. Hic etiam non immerito ex Bellarmino quis rogare poſſet,
cur in ferali & toti Germaniæ exitioſa diſcordia inter hunc Ludouicum & Albertum Pontifex ſuas
partes iure ſuo, vt Ieſuita loquitur, non interpoſuerit, & litem diremerit, ſic magnum aliquid pro iu-
re ſuo feciſſet, res ſine cæde & ſanguine tranſacta fuiſſet, & totius Imperii Romani ſubditi intellexiſ-
ſent, neceſſario alteri de imperio cedendum eſſe: ſed nondum tum iſtiuſmodi inepte excogitatæ
confeſſiones pondus habebant. Et cauſa victrix Deo placuit.

Caroli Quarti teſtimonium ſeu confeſſio nihil obeſt, quem facile Carolo Caluo coniungere
a In Comment. ad Ligurinum. lib.5. eſt. *Maximilianus Imperator* (verba non noſtra ſed alterius recenſemus, ſic enim refert Spiegelius *a*)
*ſæpe dicere ſolitus eſt, Germaniæ nunquam grauiorem peſtem contigiſſe, cum quo Imperij Germanici tranquillitas
& corona concidere viſa ſit.* Sed nec electio Wenceslai vera electio dicenda eſt, quod ipſe allegatus hi-
ſtoricus non diſſimulat, cum eam *Talem, qualem* electionem nominet. Præterea cum Vrbanus ille, à
quo impetrata eſt illa electio, Pontifex ſchiſmaticus fuerit, nam Cardinales Gallici in eum inuecti
fuerunt, quod dicerent vi creatum, vi etiam coronam Pontificatus accepiſſe, in loco minime tuto e-
lectum, quomodo igitur alium eligere potuit? maxime cum nec hic Sophiſta, nec ipſi Pontifices ſibi
electionem Imperatoris, ſed tantum coronationem & confirmationem eius arrogent. Nec etiam
ſic res in electione Wenceslai interuenit, ſed Carolus etiam cum electoribus Imperii cauſam egit,
eorumq; animos multo auro expugnauit, intercedentibus quoq; Cardinalibus atq; ipſo Pontifice,
ſi in Pontificis ſolius authoritate & voluntate res illa nixa ſubſtitiſſet, iamdudum confecta erat, nec
interceſſionibus, quæ Pontificibus Romanis inuſitatæ ſunt, agendum fuiſſet. Sed & hic Caroli IV.
filius Wenceslaus euidens exemplum nobis contrariæ confeſſionis præbet. Nam is ab Imperio
depoſitus eſt ab Electoribus, vt conſtat. Quare qui ius Imperii auferendi habent, iidem & dandi ſeu
conferendi. Ludouicus Bauarus viuus onus & adminiſtrationem Imperii nunquam depoſuit, hic
etiam viuus videnſque omni iure exutus, quod deinceps in Rupertum Palatinum tranſlatum eſt,

De

De Friderico I. Bellarminus magnum facit feſtum, adeo vt fere in hoc ſolo omnem cauſæ ſuæ victoriam ponat. Sed de illo ante quoque ex Othone Friſingenſi quædam allata ſunt, cum diſputauimus, Romanum Imperium feudum Pontificum Romanorum non eſſe. Sed quomodo ipſe Imperator illam ſublimitatem & promotionẽ ad quam ſeſe admitti coram Papa poſtulabat intellexerit, alibi ſeſe explicat: *Cum*, inquit, *per electionem Principum à ſolo Deo imperium noſtrum ſit*, &c. vt ſupra quoque adduximus, *quicunq; igitur nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa ſuſcepiſſe, dixerit, diuinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & mendacij reus*: & idem apud Radeuicum lib. 1. cap. 16. *Liberam Imperij coronam diuino tantum beneficio adſcribimus. Deinde electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem Principibus recognoſcimus, regalem vnctionem Colonienſi, ſupremam vero quæ Imperij eſt, ſummo Pontifici.* Quæ verba interpretantur ea quæ ex Krantzio hic à Bellarmino afferuntur. Et cum ille idem Fridericus non tantum Imperium, ſed etiam eius adminiſtrationem ante haberet, hæc ipſa quamuis ſpecioſe dicantur, & ad pompam, vt magnifica politicorum verba eſſe ſolent, nulli tamen nec honoris aut dignitatis acceſſio Imperatori facta eſt, niſi nominis: ſic enim & ipſum inſtrumentum ſonat Germanorum Principum. Non igitur Bellarminus cauſam habet cur quærat, *Cur is qui coronandus eſt ad Imperiale culmen prouehi dicatur*: quia reſpondet Fridericus, totum illud nominis eſſe, rei nihil. Item *nihil ne tribuat qui ad culmen Imperij aliquem prouehit*: reſpondebit rurſus nihil, ſe enim iam coronam Dei beneficio habuiſſe, à qua immediate adminiſtratio dependeat, nec ſibi plus à Pontifice conferri, quam ab vnctione Colonienſis habeat, quæ vt tempore, ita & iure potior ſit. *Item cur tam humiliter corona à Pontifice petatur?* quia reſpondebit ſe petere, quod ſibi ex more debeatur, & ſine quo Imperialis Maieſtas in ſummo vigore fuerit, quod ſi non aſſequatur, dignitatem Imperii nihilominus ſaluam fore: ſic enim & Maximilianus Imperator cum in vrbe Conſtantia Conuentus haberet, Principes Imperii de legati Pontificis oratione admonuit, qui coronam Imperialem à Pontifice Maximo & peti & accipi oportere contendebat, fruſtra id quidem & ad pompam magis atque oſtentationem fieri, quam ad Imperatoris aut Imperii decus, vt refert Bodinus.(a) *Cur denique ante ſingulari aliquo facinore Romanæ Eccleſiæ beneuolentia ſit promerenda*: quia reſpondebit Carolus, ſe expellendo Longobardos, hoc non feciſſe, quaſi à Pontifice corona Imperii ſit promerenda, nam ſe hanc non ipſi tãtum, ſed toti Italiæ acceptã ferre, ſed hoc vno facto omnium negocium geſſiſſe, à quibus conſenſu Græcorum nomen Imperatorium ſit conſecutus. Dicet Otho, ſe à Pontifice Imperii coronam non fuiſſe promeritum, ſed compeſcendo Berengarium, qui inſtinctu Pontificum ſe Imperatorem dixerat, Italiam Romani Imperii prouinciam à ſeditioſis & malis hominibus purgaſſe, ſibiq; Imperium confirmaſſe, Pontificia autem Coronatione nihil noui, quod non armis quæſitum fuerit, ſibi acceſſiſſe: Reſpondebit Lotharius, ſe iam antequam Normannos Italia pelleret, Imperatorem fuiſſe, nec id coronæ conſequendę cauſa à ſe factum eſſe, huncq; actum Maieſtatem Imperatoriam decuiſſe, nec Coronam ſe Pontifici ſoli, ſed omnibus Romanis accepto tuliſſe. Reſpondebit denique Fridericus, Bellarminum, ſi dicat, quod coronam Imperii pro beneficio à Papa acceperit, diuinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarium, & mendacii reum eſſe. Quid autem de reliquis dicemus, qui nullo inſigni facto Romanæ Eccleſiæ beneuolentiam promeruerunt, imo qui etiam Pontifices Romanos de Ponte deiicere auſi fuerunt, an inter Imperatores nullum locum habituri ſunt? an non ſucceſſores Auguſti fuerunt? Quod igitur abeſſe vel adeſſe poteſt, ad rei ſubſtantiam minime pertinet.

An. M. D. VII.

a lib. 1 de Rep. cap. 10. nu. 122.

Hæc de Teſtimoniis Imperatorum Occidentis. Sequuntur Teſtimonia vel confeſſiones Græcorum, quas etiam breuiter percurremus: nihil enim in omnibus eſt, quod magnopere Bellarminum recreare poſſit. Primum autem Michaelis Imperatoris teſtimonium eſt, ſed hoc nihil omnino probat: nam quis ſanæ mentis ita concluderet: Legati Græcorum à Leone Papa libellum de pace acceperunt: Ergo confeſſi ſunt, Pontificem tranſtuliſſe Imperium in Carolum. Non enim probat hoc eſſe, quia contingit abeſſe. Similis futilitatis argumentum ſupra productum eſt in ſubſcriptione Teſtamenti Caroli, aliorumque articulorum de pace publica. Quod igitur ad maiorem cautelam factum eſt, nihil operatur: & contractus nihil operatur vltra intentionem agentium.

Pactum eſt duorum pluriumue in idem placitum conſenſus, inquit Vlp. in *l. 1. ff. de pact.* quod ſi fiat de re vel iure tertii, nullum eſt. Sic etiam pacta de Viuentis hereditate, vtpote quæ etiam in rerum natura nondum eſt, prohibita ſunt. Quod ſi Fridericus illi actui inter Emanuelem Comnenum & Alexandrum Tertium Pontificem interfuiſſet, ſine dubio reſpondiſſet id, quod ſupra eum & Pontifici & Ciuibus Romanis reſpondiſſe diximus. Negaſſet itidem ſe iure ab Imperio cecidiſſe, cum Pontificis feudum non ſit, nec ſe eum pro domino agnoſcere, idque Adriano Pontifice Romano teſte, ſucceſſorem vero non plus iuris habere poſſe, quam is in cuius locum peruenerit. Neque ſe Pontificum excommunicatione, qua impie in perniciem regnorum atque Imperiorum abutantur, adminiſtrationem Imperii depoſiturum aut alteri ceſſurum. Eſt & hic actus, vt ſuperiores nonnulli, imperfectus: quare certum & perfectum ius, aut iuſta confeſſio, cuius habenda ſit ratio, inde ſurgere non poteſt. Sed & audiamus, quid Pontifex reſponderit: *Nolle ſe*, inquit, *ea rurſus coniungere, quæ maiores eius de induſtria diuunxiſſent.* Atqui hoc falſum eſt: non enim Pontifex, ſed Carolus ſua virtute Italiam ab Oriente ſeiunxit, cum igitur hæc reſponſio relata ſit, non poteſt plus eſſe in referente quam in relata. Sed nec teſte ipſo Bellarmino verum hoc eſt: Nam Græcus non petebat nomen Imperatoris Romani: nam & hoc ante habebat, ſed ipſas Occidentis prouincias, quas Pontifex Carolo non dedit, ſed tantum nomen & ius, vt ſupra audiuimus: quare à ſeparatis nihil infertur.

Et cur pro nudo titulo, tantam vim pecuniarum, exercitum non contemnendum, & vnionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina obtuliſſet? Nemo ſapiens id arbitrabitur, & Bellarminus ipſe negat, Pontificem Imperij prouincias dare poſſe.

Philippi Pulchri Regis Galliarum confeſſio non plus firmat cauſam Bellarmini, quam reliqua exempla, quæ hactenus audiuimus. Nec enim ex regii Conſilii decreto hoc apparet, quod aduerſarius fingit. Nam duo afferuntur: primum, nulli fieri iniuriam, ſi Imperii vacantis conditio permutetur. Atqui hæc ratio, etiam teſte Bellarmino falſa eſt. Nam cum ius eligendi Germanis tantum Electoribus competat, & morte Alberti Imp. ad eos Electio recidiſſet, maxima certe illis iniuria facta fuiſſet, quæ ratio & ipſi Pontifici probata fuit. Vnde & Electores ad electionem maturandam cohortatus eſt. Alterum quod mouit Conſilium regium fuit, quia idem alij Pontifices fecerint: dicunt Pontifices, non Pontificem. Si quis hinc ſecundum Bellarminum inferre velit; Ergo putarunt, Leonem in Carolum Magnum Imperium tranſtuliſſe, is ſimul fateatur neceſſe eſt, alios quoq; Pontifices coronationibus non tantum Imperium, ſed etiam alia regna tranſtuliſſe aut transferre, quod facile hiſtoriis multis falſum demonſtrari poſſet. Ipſe etiam Bellarminus tanquam Catulus pro Leone ſuo ſenio confecto pugnans, eiusmodi coronationes, quæ de familia in familiam fiunt, non pro translationibus habendas eſſe exiſtimat, quæ tamen eiusdem virtutis & potentiæ ſunt, cuius & illæ quæ de gente in gentem. Plus igitur ſenſit Ieſuita quam Conſilium Gallicum: quamuis & hoc dicere licebit non immerito, ſi Pontifex in Regem illum Romanum Imperium tranſtuliſſet, hæc confeſſio vires aliquas haberet. Præterea nec ipſe Clemens Pontifex id ſenſit, quod Galli putabant eum poſſe. Nam ſicut Iohannes 23. miſit ad Electores oratum, vt Sigismundum Imperatorem crearent, quia eius gratiam aucupabatur: Ita hic Clemens rem retulit ad Electores Imperii, & Electionem maturandam eſſe ſuaſit: ſi in eius poteſtate fuiſſet, quid opus erat ad alios decurrere? Et quidem ita retulit, vt diceret. Si eis videretur, Henricum Luzelbergium eligerent. Totum igitur ius eligendi & Imperium conferendi in voluntate & arbitrio Principum Electorum fuit, qui Electionem non quidem maturarunt, quod putarunt, Pontificem ius Electionis ipſis adimere poſſe, ſed quia res erat ſcandalum paritura, & bella inter Gallos & Germanos oritura, qualia tempore Caroli Calui inciderant, vtrisque ius ſuum ferro defendentibus, & qualia poſtea inter Ludouicum Bauarum & Fridericum Auſtriacum nata ſunt.

Accedat tandem clariſſimum Teſtimonium Electorum Principum, vt vocat Bellarminus, ex cuius verbis ſi quis efficere velit, in Carolum Magnum à Pontifice Romano Imperium translatum eſſe, hæc enim eſt huius loci quæſtio, ex ipſis verbis falſitas deprehenditur. Sic enim principium ſe habet. *Complectens ab olim ſibi Romana Mater Eccleſia, quadam quaſi Germana charitate Germaniam, &c.* Ergo loquuntur Principes de Germania ſola, non de Gallia aut Italia. Et certe hoc verum non fuit, cum Pontifex Ludouicum Germanicum reſpueret, & Carolum Caluum ætate & iure minorem illi anteferret. Qua de cauſa Bellarminus illud idem inſtrumentum loco commodiore (a) repetiuit, vt inſtitutionem Electorum à Pontifice factam eſſe probet. Si hoc probat, illud non probat, nam & tempore & aliis circumſtantiis diuerſa ſunt. Nec continuo ſequitur; Pontifex aliquot Principibus dedit Electionem Imperatoris: Ergo tranſtulit Imperium à Græcis ad Germanos. Multæ vnius rei cauſæ eſſe poſſunt. Sed nec penes ipſum Pontificem ſolum hoc ius eligendi fuit: & ſi Pontifex ſemel in Germanos Imperium tranſtulit, hæc Inſtitutio Electorum hoc non operabitur: quia in re ad alios translata nihil iuris habet amplius, quia illud transferendo amiſit. Præterea quid in Germaniam tanto beneficio tantaque remuneratione dignum contulit? Inſtrumentum dicit, *Nomen*, præter Nomen igitur nihil. Qui nomen dat, ille ne Imperium transfert? quid magis ab hac allegata confeſſione alienum? Hoſtienſis in cap. ſuper quibusdam. §. præterea. de verb. ſignific. inquit in hanc ſententiam. *Quod inunctio Imperialis nihil det niſi nomen ſicuti viderit in Alemania per Principes iudicari. Et Rex Romanorum, ex quo electus eſt in concordia, eandem poteſtatem habeat, quam Imperator.* Poteſtas Imperatoria non in nomine, ſed in re conſiſtit. Alexandri VI. filius Borgia Cæſarem appellabat. Vnde illud Poetæ Itali:

a lib. 3. cap. 3.

Aut nihil aut Cæſar vult dici Borgia, quid ni?
Cum ſimul & Cæſar, poſſit & eſſe nihil.

Tempore Gallieni triginta Tyranni erant, de quibus ita Trebellius Pollio. *Tanta obſcuritas eorum hominum fuit, qui ex diuerſis orbis partibus ad Imperium conuolabant, vt non multa de his vel dici poſſint à doctioribus vel requiri: deinde ab omnibus hiſtoricis, qui Græce & Latine ſcripſerunt, ita nonnulli prætereuntur, vt eorum nec nomina frequententur.* Gregorius 7. contra Henricum IV. Rudolpho Sueuiæ duci coronam miſit hac inſcriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Quis hunc vnquam in numerum Imperatorum retulit, etiamſi à Pontifice nomen Imperatorium accepiſſet? Ludouico Bauaro Imperatori oppoſitus eſt Fridericus Auſtriacus, quis hunc vnquam Imperatorem dixit etiamſi à Pontifice in odium Ludouici excitatus eſſet, cum etiam tandem nomen cum dignitate amiſerit?

His accedit quod multa ſunt erronea in hac confeſſione: quod facile demonſtrari poſſet. Confeſſio autem erronea non probat neque præiudicat confitenti, etiamſi fuiſſet firmiter probata & acceptata, ita conſtitutum reliquere Impp. Dioclet. & Maximin. in *l. Error. C. de iuris & facti ignorantia.*

Non

Non enim fatetur, qui errat, inquit Vlp. in *L. non fatetur, ff. de confeſſ.* Item confeſſio falſa non probat nec nocet, dummodo veritas ſit in contrarium. *l. cum falſa. C. d. t.* Maſcard. *Concluſ.* 384. Sed ſi tandem hæc omnia concedantur, certum tamen eſt, his confeſſionibus ſucceſſoribus non præiudicare, Confeſſio enim vnius non probat in præiudicium alterius. Maſcard. *Concluſ.* 389. Quanquam dubium non eſt nec anteceſſores aut maiores, ſi quis ex eis rogaſſet, an hoc inſtrumento id confiteri vellent, quod nunc inde adſtruitur, id conceſſuros fuiſſe, cuius rei multa & euidentia Exempla attulimus & plura afferri poſſunt. Aut denique ſi eiusmodi confeſſiones ſufficiunt ad affirmandum, aliorum regum & Principum confeſſiones ſufficient ad negandum vel infirmandum, qui à maioribus & melioribus rationibus nituntur, & alias ad liberandum quam obligandum faciliores ſimus.

CAP. VI.

Ab Electoribus Imperij Electum, & nomine & reipſa Imperatorem vel Cæſarem eſſe, nec vlteriorem confirmationem à Pontifice requiri.

ETSI vero res non neceſſaria alicui videri poſſit, quam hoc capite aggredimur: tamen quia ad præſentis quæſtionis deciſionem pertinet, operæ precium facturos nos eſſe ſperamus, ſi & hanc quam & præcedenti capite quaſi in tranſitu attigimus, fuſius perſequamur, & demonſtremus, eum qui ab Electoribus electus eſt, verum non tantum Regem, ſed etiam Imperatorem Romanũ eſſe. Nomen enim Regis aut Regium non ita vile & abiectum eſt, vt Imperantibus pudorem inuciat. Nam ſummi iſti Imperatores, Babylonicos dico, Perſicos, Macedonicos Monarchas, qui Imperia ſua vſque ad vltimos terræ fines propagarunt, & quorum magnitudinem ne Carolus quidem Magnus æquauit, tam in ſacris literis, quam apud profanos autores, appellantur Reges. Sic apud Danielem (a) Nebucadnezar Rex Regum appellatur, propter magnitudinem & præſtantiam, qua reliquos reges tum antecedebat & ſuperabat. De Regno quarto inquit Daniel, *Regnum durum erit vt ferrum.* Sic primus Vrbis Romæ fundator ſe Regem appellauit, communi omnium gentium more & nomine. Sic enim & Iſraelitæ Regem petebant à Samuele, *Tu*, inquiunt ad Samuelem, (b) *ſenuiſti & filij tui non ambulant in vijs tuis, nunc præpone nobis Regem ad vindicandum nos, vt habent omnes iſtæ gentes.* Poſt Reges Romanos Reſp. à Conſulibus adminiſtrata eſt, donec C. Iulius Cæſar patriæ libertate oppreſſa, regiam poteſtatem reſtitueret; non quidem nomine, ſed reipſa, quia præter alios honores, quos ſibi victis Pompeij filiis in Hiſpania decreuit, etiam Imperator appellatus eſt. *Imperatorẽ autem intelligi voluerunt*, ait Sigonius (c) *non eum, qui re bene geſta id nominis vel militari ſtudio, vel ſenatus auctoritate conſecutus, ſed qui potentiam & autoritatem in Rep. ſummam adeptus eſſet: quo factum eſt, vt qui poſt eum ſummum ius in Rep. obtinuerunt, Imperatores appellati ſint, ita tamen, vt priſca illa & militaris Imperatoris appellatio antiquata non ſit.* Idem de Octauio. *C. Octauius iam inde interfecto Cæſare, ex Apollonia Romam reuerſus, hæreditatem Cæſaris & nomen eius ſibi non lege, ſed Teſtamento tantum vindicarat. Lex autem adoptionis Curiata erat, quæ ne tum ferretur, Antonius conſul per tribunos interceſſit. Hoc autem anno, vbi Conſulatum iniit, ipſe legem Curiatam tulit, atq; in nomen Patris lege tranſiit, itaq; ab hoc tempore ab omnibus eſt C. Cæſar appellatus, cum ante non ita ab omnibus vocaretur. Eodemq; etiam tempore Imperatorem Cæſarem dici cœptum puto, primo quod ita pater eius ex Senatusconſulto & filij eius & nepotes appellarentur, deinde quod in Capitolina eius ouatione triennio poſt ita vocatur* IMP. CÆS. DIVI F. C. N. Hic cum Imperium ſibi firmum iam conſtituiſſet, paſſus eſt ſe nominari Auguſtum, *nam*, vt Dio ait, *cum ſenatus eum vellet ſingulari aliquo nomine ornare, atq; alij alia afferrent. Cæſar inprimis ſe Romulum dici cupiebat, ne vero eo forte nomine in Regni ſuſpicionem incideret, Auguſtum ſe dici paſſus eſt, quaſi qui maior eſſet homine, omnia enim quæ maximo honore digna ac ſacra ſunt, Auguſta dicuntur.* Et Eutropius. *Cæſar cum ex Oriente victor reuerſus eſſet, tum primum Auguſtus, eo quod Rempub. auxerat, conſalutatus eſt, atque eo tempore ſummam rerum poteſtatem, quam Græci Monarchiam vocant, adeptus eſt.* Sigonius loco ſupra dicto, ex Dione ſic inquit. *Romani omnino in Regum Imperio ſunt, cum omnis reſpub. in Imperatorum poteſtate poſita ſit: fiunt enim omnia ad arbitrium & præſcriptum Imperatoris.* & paulo poſt. *Illud vero ſingulare & ante neminí decretum ſibi vendicant, quod ipſi ſe omnib. legibus ſolutos eſſe volunt, ita regiam poteſtatem habent, regij nominis odio exemto. Nam Cæſaris & Auguſti appellatio nullam eis propriam addit poteſtatem, id enim generis ſucceſſionem, hoc dignitatis ſplendorem indicat.* Et Appianus in proœmio hiſtoriarum. *Eos*, inquit, *in quorum poteſtate tota Reſpub. eſt, Imperatores appellant, nõ Reges, vetuſto iureiurando deterriti. Imperatores vero vocant, quæ fuit appellatio egregiorum in Repub. Ducum, cum tamen facta eorum omnia regum fuerint.* Vnde apparet, quam ipſi Romani priſci inter Imperatorium & Regium nomen differentiam fecerint, vt potius de re ipſa quam de nomine laborandum ſit, vtis, qui Romanus Imperator nomine eſt, reuera Rex ſit, regiamque poteſtatem habeat. Sic & Lex Regia ſub Auguſtis reuocata eſt. Nam *lege Regia* (quæ & *Imperii* vocatur,) (d) quæ de Principis Imperio lata eſt, populus ei & in eum omnem Imperium & poteſtatem conceſſit. Cum vero ſedes Imperii Romani Cõſtantinopolim tranſlata eſſet, Græci illi Imperatores, non tantũ Αὐτοκράτορες, Αὔγουστοι, ſed etiam βασιλεῖς dicti ſunt, id quod præter alios ſcriptores etiam ex *Nouellis Iuſtiniani*, ita obuium eſt omnibus legentibus, vt tantum inſpectione opus ſit. Ita Græci Imperatores βασιλεῖς βασιλέων appellari ſolebant, vt Bodinus refert. Sic vrbs Conſtantinopolis *vrbs Regia*. §. fin. Inſt. de ſatisdat. *Cum neceſſe ſit*, inquit Iuſtinianus, *omnes prouincias caput omnium noſtrarum ciuitatum, id eſt hanc regiam vrbem, eiusq; obſeruantiam ſequi.* Sic Horatius de Roma etiam antiqua: *Mihi iam non Regia Roma, ſed vacuum Tibur placet.* ſic legati Conſtantinopolitani Carolum Magnum *Imperatorem & Baſileum* ſalutarunt. Sic

a cap. 2. v. 1.

b 1. Sam. 8. v. 5.

c In faſt. & triumph. Rom.

d l. 3. C. de Teſt.

etiam indifferenter ſequentes locuti ſunt. Vnum è tam multis afferam, quem etiam Bellarm. probat. *cap.* 4. Otto Friſingenſis, poſt coronationem Caroli & acclamationem ipſi factam ſic infert. *Ex hinc Regnum Romanorum, quod à Conſtantino in id tempus in vrbe Regia ſcilicet Conſtantinopoli fuit, ad Francos deriuatum eſt.* Idem de Henrico IV. *Reuerſi ad filium optimates, Imperialia deferunt, eumq; primo à patre electum per impoſitionem manus Apoſtolicæ ſedis legatorum cunctorumq; electione 95. ab Auguſto, Regem creant.* Ita vt inter illa nomina Regis & Imperatoris nulla alia niſi ſoni differentia ſit, quemadmodum in iure de Pignore & hypotheca dicitur: quamuis inter hæc poſteriora in multis caſib. diſcrimina inueniantur, quæ in prioribus nulla prorſus apparent. Quæ cum ita ſint, & vero nemo negare poſſit, quin noſtri Imperatores vel Reges Romani Auguſti ſucceſſores ſint, nulla ratio eſt, cur, vt in omnia iura, honores, dignitates ſuccedunt, à ſolius nominis ſucceſſione vel appellatione excludi debeant. Nam cui datur id quod maius eſt, cur id quod minus eſt, ei non concederetur? Et ſi in priuatorum bonis ſucceſſio eſt, vniuerſi iuris, quod defunctus habuit, occupatio; cur ea regula in Principum perſonis fallet, à quibus omnia iura priuatorum in ſucceſſionibus conſtituuntur & autoritatem habent? Reges autem Romanos modernos veteres illos ab Auguſto Romanos Imperatores pro anteceſſoribus habere, fatentur Imperii Principes, confitetur ipſe Pontifex, ipſe deniq; Bellarminus in Inſtrumento publico ceſſionis & donationis Rudolphi Romanorum Regis, quod ex Vaticano nobis expreſſit. Sic enim ibi legimus. *Quicquid per dominum noſtrum Rudolphum, Dei gratia, Romanorum Regem, ſemper Auguſtum Eccleſiæ Romanæ recognitum.* item: *factis ſeu geſtis tam aliorum Imperatorum & Regũ Romanorum prædeceſſorum Regis eiuſdem, quam ipſius regis.* Quod ſi locum habet in caſu fauorabili Romanæ Eccletiæ, cur non etiam in odioſo? odioſum dico, qui tamen maxime fauorabilis eſt, quia pro ſummo Magiſtratu militat. Quod ſi etiam coronatio non facta huic donationi vel ceſſioni nihil obſtat, cur igitur ex numero Imperatorum eos excludunt, qui coronam à Pontifice nõ acceperunt? En igitur tot teſtes, quot fuere Principes Imperii, qui ſigilla ſua his literis appoſuerunt. Sic Carolus IV. in *Aurea Bulla* (*a*) Romanorum Imperatores & Reges prædeceſſores ſuos appellat. Sic Fridericus (*b*) Tertius Rex adhuc Romanorum Carolum Magnum & Sigismundum Imperatores, anteceſſores ſuos appellat. Maximilianus huius filius eadem repetit, (*c*) & ne hoc tantum? Imo vero quid amplius & maius. Idem enim Maximilianus, adhuc Rex Romanorum, in Conſtitutione Imperii *de Blaſphemys*, in principio, Iuſtinianum Imperatorem Græcum, qui ius in ordinem iſtum redegit, variisque Conſtitutionibus amplificauit, quique hunc Maximilianum mille fere annis præceſſit, Anteceſſorem ſuum in Imperio nominat, ſeſeque ad eius Conſtitutionem refert. Cui iam dubium eſt Reges Romanorum Imperatores vere eſſe & nominandos, idque ex ſenſu & Conſtitutionibus omnium Imperii ordinum, eorumque minime ſuſpectorum, cum eo tempore religionis mutandæ vlla adhuc mentio non fieret. Sic in iure feudali nihil vſitatius, quam quod Imperatores Romani *Reges* appellantur. Et cum Conſtitutiones Imperii, ſiue à Regibus, ſiue ab Imperatorib. factæ ſint, eiusdem autoritatis in Imperio ſint, & ab omnibus æque probentur atque obſeruentur, nulla iuris ratio patitur, vt non ſicut res ipſa, ita etiam nomen Imperatorium & Regium indifferens & commune ſit. Plura quoque ex *Aurea Bulla*, ſi quis eam diligenter inſpexerit, deſumi poſſunt, etiamſi in ea aliquoties Regis Romanorum in Imperatorem promouendi mentio fiat, tamen cum inter officium Regis vel Imperatoris Romanorum nihil interſit: quis non eandem rem eſſe exiſtimet, nihilque in effectu differre concludat? Sic (*d*) Electores iurant, *ſe Electuros Rectorem ſeu temporale caput mundo fidelium ſeu populo Chriſtiano.* Quis autem eſt caput ſeu dominus mundi niſi Imperator? Item de electo dicitur, quod *coronetur infulis Imperialibus*, (*e*) quis autem geſtat infulas Imperiales niſi Imperator? Et quod confutari non poteſt, expreſſe ſtatuitur, (*f*) *Quod electus in Regem Romanorum priusquam in aliis cauſis ſiue negociis, virtute ſacri Imperii adminiſtret, vniuerſis & ſingulis Electoribus omnia ipſorum priuilegia, literas, iura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines, & quicquid ipſi ab Imperio vſq; in diem electionis ſuæ, obtinuerunt & poſſederunt, abſq; dilatione & contradictione confirmare atq; approbare debeat.*

a *cap.* 8. *in princ.*
b Reformation zu Franckfurt vffgericht. *Ann.* 1442. *Tit.* von den heimlichen Gerichten :c.
c In der Reformation/ *Anno* 1495. vffgericht. §. 2.
d *Tit.* 2. §. 1. & 2. *d. Aur. Bull.*
e §. 4. *in fin. eod. tit.*
f *d.* §. 4. *in fin.*

Si igitur Rex Romanorum virtute ſacri Imperii adminiſtrat, quin Imperator ſit, dubium non eſt: deinde ſi confirmat ea Electorib. quæ ab Imperio poſſident, Imperatorem eſſe neceſſe eſt. Et ſic de aliis actibus ius Imperatorium concernentibus. Sic de Principatibus Imperio vacantibus (*g*) *Imperator ſeu Rex Romanorum tanquam de re ad ſe & Imperium legitime deuoluta prouidebit.* Feuda autem ſi aperiuntur, ad dominum deuoluuntur. Sic paſſim in eadem Bulla, *ſedes Regia* & *ſolium Imperiale* idem eſt. Sic eadem ſolennitas in Curia, Conſilio, proceſſione regali ſeu Imperatoria. Longe alia ratio eſt, (*h*) Prouiſorum Imperii, Palatini & Saxonis Electorum, *qui poteſtatem habent iudicia exercendi, ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi reditus & prouentus, & inueſtiendi de feudis, Iuramenta fidelitatis vice & nomine ſacri Imperii recipiendi, quæ tamen per Regem Romanorum poſtea Electum ſuo tempore, omnia innouari & de nouo ſibi iuramenta præſtari debebunt.* Imo hi prouiſores non poſſunt omnia adminiſtrare, quæ autem excipiantur, ibidem videre eſt. Quod ſi ex eadem aurea Bulla, quæ Lex Imperii eſt, hoc ipſum quod agimus, diiudicare quis pergat, id nullo negotio poterit. Sic Imperatore defuncto, *Imperium*, non *Regnum* dicitur. Sic Electores *Principes* (*i*) *iurant per fidem, qua Deo & ſacro Romano ſunt adſtricti.* Quod ſi igitur mortuo Imperatore Imperium eſt, quid ni, qui viuus imperat in Imperio, pro Imperatore habendus ſit. Nam Imperium & Imperator coniugata ſunt. Sic Electores, *Imperii Columnæ & latera* dicuntur, imo & *pars corporis* Romani Imperatoris ſunt; (*k*) & ſi quis contra eos factionem inierit, non minus punitur, quam ſi aduerſus ipſum Imperatorem conſpirarit. Hi igitur

g *Tit.* 7. *d. Aurea Bulla.*
h *Tit.* 5. *d. Aur. Bull.*
i *Tit.* 2. §. 2. *d. Aur. Bull.*
k *Tit.* 12. & 24. *d. Aurea Bull.*

tam

tam Illuſtres Imperii proceres, è quibus & Rex Bohemiæ eſt, cur alium ab Imperio & ſuo corpore eligerent & conſtituerent, qui aliena confirmatione & dignitatis Imperatoriæ completione opus haberet? Totum autem quicquid Imperator eſt & habet, ab Electione eſt & habet; ab iis autem, qui ſibi tantopere totum hoc arrogant, nihil habet, cum rurſus ipſi ab Imperatore & Imperio omnia, vt & ipſam Vrbem poſſideant. Non autem quæritur, quid Romani ſibi tribuant, nam nec olim quæſitum fuit, quid Romæ fieret, ſed quid fieri deberet. (a) Et quam inique vel abſurde potius comparatum eſſet, ſi Principes Electores Imperii, ratione Principatuum omne ius, vocem, dignitatem, poteſt item & omnia ab ipſis dependentia habeant, is vero, qui ab ipſis electus eſt, defectum aliquem dignitatis, Maieſtatis vel nominis Imperatorii pateretur, adeo vt à Pontificis Romani lumine accendi & illuſtrari debeat, cum tamen hic non vni Principatui ſeu Ducatui, ſed toti Imperio Romano imperet, atq; in omnes Principes iuriſdictionem ſuam exerceat. Et niſi Imperii Electores caput ſummum Imperii, id eſt Imperatorem eligerent, abiectior eorum eſſet conditio, quam omnium aliorum Principum in aliis Regnis. Sic enim Status regni Galliæ, Angliæ, Poloniæ, Daniæ, & Suediæ, & Vngariæ, vbi ordinaria ſucceſſio deficit, ſibi Reges eligunt, qui nullum defectum dignitatis, adminiſtrationis & nominis regii patiuntur. At vero Principes Electores reliquos omnes Principes dignitate & honore longe antecedunt, adeo vt Rex Bohemiæ in celebratione Curiarum Imperialium etiam quemcunque alium Regem, quacunq; etiam ſingularis dignitatis prærogatiua fulgentem, qui quouis caſu venire vel adeſſe contigerit, immutabiliter antecedat. Cur igitur non hi illum, qui omnibus aliis regibus Chriſtianis præeminet, quemque Imperatorem appellamus, eligerent, nulla neque ciuilis neque humani iuris ſiue publica ſiue priuata ratio obſtat. Cum Landgrauio Philippo quidam in familiari Colloquio diceret, Carolum V. nihil commodi ſentire ex dignitate Imperatoria: ſed tantum grauibus moleſtiis fatigari, reſpondit is: præter cætera commoda & hoc inde Carolum conſecutum eſſe, vt omnibus alis Regibus & Principibus ratione dignitatis Imperatoriæ præferatur. Quæ omnia, vt tandem hanc diſputationem concludamus, totius mundi conſenſus, adeoq; ipſe Bellarminus probat, affert enim hos vulgatos verſus:

a L. 12. ſed licet in ff. de Off. præſ.

Bull. Caro. tit. 6.

Moguntinenſis, Treuirenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperij ſit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor enſis,
Marchio præpoſitus Cameræ, pincerna Bohemus.
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

Si hoc verum eſt, vt verum eſt, quod Electores ſtatuant ſummum Dominum, apparet certe, nulla alterius confirmatione opus habere, alias ſummus non eſſet, ſi qua parte vel nominis vel rei electo quid deſiat. Et ſi ſummus eſt cunctis, cur non etiam Romanis & Romano Pontifice? Sed inquiet Bellarminus: Electores Imperii hoc ius ſuum à Pontifice Romano habere. De hoc *ſequenti capite* videbitur. Præter hoc dicet aliquis: nihil familiarius eſt dictæ Conſtitutioni Carolinæ quam hoc Electores eligere Regem Romanorũ in Cæſarem promouendum. At ſi reſpondeatur promouendum haberi pro promoto, quemadmodum & cingendus pro cincto, hoc obiectum cauſam minime ſtringeret. Deinde qui hæc vrgent, dicant nobis vt nos expediant, quidnam ſua promotione Pontifex Imperatori conferat. Alii Reges à ſuis Archiepiſcopis & Epiſcopis vnguntur vel coronantur, & Pontifices à Cardinalib. ad quid hac vnctione promouentur, quod ante non habuerunt. Qui in Scholis doctis honores conferunt, inter duos ſummos gradus nullam niſi nominis diſtinctionem agnoſcunt, priuilegia eadem ſunt, liceat enim nobis magna componere paruis. Cum igitur ſolennitates iſtæ ſeu ceremoniæ tanquam acceſſoria ad cauſam principalem accedant, ſecundum illam merito regulari debent: Nam ſi quid diuerſum dixeris, præter ſuperiora etiam illud abſurdum reſultabit, quod priſci illi Imperatores, etiam Iulius & Auguſtus ex eorum numero excludendi ſint, eo quod huiusmodi benedictione Pontificia caruerint. Ex recentiorib. Rudolphus I. Italiam nunquam vidit, *quia*, dicere ſolebat, *Me veſtigia terrent*, & tamen Pontificib. eius donatio tam grata eſt, vt Bellarminus tanquam Emblemate quodam ſuum libellum exornare ea voluerit. Hieronymus Balbus, de quo ſupra, de Caroli V. proauis quatuor, qui continua ſerie in Imperio ſucceſſerunt, ita refert, *Sigismundum & Fridericum nihil antiquius habuiſſe, quam coronæ adipiſcendæ gratia Romam vſq; magnis itineribus proficiſci: duos vero reliquos, Albertum ſcilicet & Maximilianum, ſiue quod rem totam parui fecerint, ſiue quid aliud in cauſa fuerit, id munus neq; appetijſſe, neq; oblatũ accipere curaſſe, & ſine vlla Pontificis approbatione Imperij munus egregie obijſſe, quorum res geſtæ, ſi ſecundum aduerſarios,* inquit idem, *lis daretur, nihil virium nihilq; firmitatis obtinerent.* Huic exemplo recte Henrici I. qui Auceps dictus eſt, ſubiicere licet, nam & is regio nomine contentus, diadema à Pontifice oblatum ſponte recuſauit, & quia, vt Krantzius loquitur, primus ex familia Saxonum ad Romani regni culmen aſcendit, quis niſi Bellarminus eum *Imperij cuſtodem* vocauerit: qui etiam quisnam cuſtos ſit Imperii, vix intelligere videtur, aut doceat à quo illi hæc cuſtodia recommiſſa ſit? Carolus V. Imperator electus poſtridie coronationis, quam Archiepiſcopi Electores Aquisgrani fecerant, Imperator à Moguntino Archiepiſcopo proclamatur, quia in eius electionem Pontifex conſenſiſſet. At conſtat Pontifici magis aduerſum fuiſſe nihil, quam Carolũ Cæſarem eligi, non tantum propter potentiam, quam timebat, ſed etiam, quod Reges Neapolitani Pontificis vaſalli ſint, & feudum in eos hac conditione conferatur, ne ad Romanum Imperium adſpirent. Pontifices enim tam potentem vicinum auerſantur, verentur enim ne Romam aliquando repetat. Idem quoque Pontifex ſeſe Caroli coronationi oppoſuit: vt vel hinc appareat hanc promotionem

nihil aliud eſſe quam nudum conſenſum, qui etiam ex poſt facto interuenire poſſit, & ſi abſit, ſubſtantiam actus minime vitier: vnde etiam cum ſolennitates legitimæ peractæ eſſent, poſtero die hæc denunciatio quaſi obiter explicata eſt. Ab his autem ſummis Imperii proceribus, ea, quæ ad eſſentiã electionis Imperatoriæ pertinent, melius diſcuntur, quam ex omnium Ieſuitarum & ſimilium monachorum male olentibus chartis. Vnde etiam tot eiusdem Caroli V. etiam ante coronationem à Pontifice factam, Conſtitutiones publicatæ ſunt nõ nomine *Regis*, ſed *Imperatoris Romani*. illa enim anno demum decimo poſt electionem ſecuta eſt. Idem cum refutaret Imperium, certe Electoribus non autem Pontifici id reſignauit, ab illis enim acceperat. Meliore igitur interprete non eſt opus, quam tali & tanto. Cum Ferdinandus Rex Romanorum frater Caroli ſucceſſiſſet, à quibus ad Im-
a lib. 28. perium promotus fuerit, narrat continuator Sleidani Beutherus, (*a*) id non à Pontifice Romano aut eius legato, ſed ab Electoribus Imperii factum, & publice Francofurti apud D. Bartholomæum, Imperatorem renunciatum fuiſſe. Intellexerunt igitur Imperii Romani columnæ hanc promotionem etiam à ſe fieri poſſe, & ſic *Aureæ Bullæ* verba accipienda. nam eius eſt legem explicare qui eam tulit.
b Anno 1559. Hoc idem ſibi volunt verba, quæ in initio Receſſus Auguſtani (*b*) leguntur: *Carolum in præſentia Electorum refutaſſe Imperium Ferdinando, tanquam electo, confirmato & coronato Regi Romanorum, & Imperij vacantis indubitato & legitimo ſucceſſori*. Cum igitur Rex Romanorum ex lege ſuccedat, à lege vel iure quoq; promotus dicitur. Præterea hoc modo ipſa Carolina Conſtitutio, verbum, *Promouere*, intelligit. Sic enim ſonant verba in d. tit. 2. §. fin. *Confirmationem autem huiusmodi electus ipſe cuilibet principi Electori in ſpecie, primo ſuo Regali nomine faciet, & deinde ſub Imperiali titulo innouabit, & in his ipſos principes omnes in genere, & quemlibet eorum in ſpecie, nullatenus impedire, ſed potius abſq; dolo gratioſe tenebitur promouere*. Quemadmodum igitur Imperator innouando promouet iura Electorum, ita & ipſe promouẽtur. Atqui nullus Imperatorum (quantũ quidem cognitum eſt) noua diplomata, inueſtituras, confirmationes Electorib. poſt coronationem Romæ factam confert aut contulit, ſed priora omnia in eodem ſtatu & iure perſiſtunt. Sequitur in eodem receſſu: *Nos*, inquit Ferdinandus, *hanc ceſſionem ad inſtantiam & conſilium fratris noſtri Caroli accepimus, omneq; adminiſtrationis Imperij, vna cum dependentibus dignitatibus, præeminentijs, titulo, ſceptro & corona, Deo fauente, in nos ſuſcepimus*. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius eſt: Adminiſtrationem Imperii fundamentum eſſe Imperialis honoris, cui igitur hæc comiſſa eſt, omnia ea habere, quæ inde dependent, propterea & nomen Imperatorium. Quod cum etiam Regi Romanorum competat, iam de illa promotione, quæ etiam moribus iam antiqua-
c 1566. ta eſt, non magnopere ſoliciti ſumus. Hæc omnia cum in *Receſſu Imperij Auguſtæ habito*, (*c*) in perſona Maximiliani Imperatoris tam ſenſu quam verbis etiam fere repetantur, lectorẽ eo breuitatis ſtudio remittimus, ita vt ſi cum Bellarmino ex Confeſſionibus Principum cauſam hanc decidere velimus, multis partib. noſtra ſententia præponderatura ſit. Nam non minori numero in his Comitiis, ſtatus Imperii fuerunt, quam Anno 1530. in Comitiis Auguſtanis, id eſt, ſex Electores, & alii Principes Imperii partim Eccleſiaſtici partim ſeculares ſeptem ſupra centum, ac demum liberæ ciuitates nouem & triginta; tot enim fere fuerunt, qui in damnationem Confeſſionis Auguſtanæ ſubſcripſerunt, vt
d lib. 1. cap. 1. fol. 17. ex Cochlæo Bellarminus refert. (*d*) Sed tamen ponamus, Regem Romanorum electum in Impera-
e Bodin. lib. 1. De Rep. cap. 9. torem vel Cæſarẽ non promoueri, quid præter alia reſpondebimus? Id ꝙ & Iudæi dicebant, *ſe nullũ Regem habere, præterquam Cæſarem*. Et ꝙ Maximilianus (*e*) ſecundus reſpondit Oratori Regis Galliæ, cum ipſi diceret, Pontificem Romanũ creaſſe magnũ Ducem Hetruriæ Regem: *Italiam nullũ Regem habere niſi Cæſarem*. Nulla igitur, vt ſæpe dictum, inter Regem Romanũ & Imperatorẽ eſt differentia, & ꝙ ſupra in perſona Rudolphi I. diximus, in omnib. Regib. Romanorum, qui poſteriori ſeculo ita appellati ſunt, verum eſt: nam nõ minus primi & medii q̃ poſteriores ſeſe *Semper-Auguſtos* appellant. quod vt ſupra allegatum, ab augendo etiam dictum, cui conſonat illud Germanicum: Allzeit mehrer deß Reichs. Ita Reges æque ac Impp. ab Auguſto numerantur. Sic enim Otho Friſingenſ. lib. 7. cap. 22. *Chunradum Henrici fororium, præſente Theodouino. 93. ab Auguſto Regem creant.*

Et iam finem faceremus, niſi pauca quædam, quæ Bellarminus *libro ſecundo* tractat, vbi Chunradum primum & Henricum Aucupem è numero Imperatorum excludere conatur, ex ipſo Bellarmino confutanda eſſent: Sic enim ſcribit lib. 3. cap. 2. *In familia Caroli Magni Imperium hæreditarium fuit vſq; ad Ludouicum Arnolphi filium* (quem tamen ante ſæpe ex numero Imperatorum propter coronationem non acceptam a Papa, excluſerat) *deinceps electio locum habuit*. Quod ſi verum eſt, cur non Chunradus primus à proceribus Germaniæ, qui & ipſi pars Imperii Romani erant, electus, & Henricus Auceps, cui ille moriens Imperium commendauit, & Otho primus, qui patri Henrico ſucceſſit, pro legitimis Imperatoribus habendi ſunt? Nam & ipſe Pontifex Henricum non pro Rege Germaniæ, ſed Romanorum agnouit, cui nihil deeſſet, niſi quod in Italiam non veniſſet, quod ad eſſe Imperatoris tamen nihil pertinet: nam & Reges Babylonici in Ægypto imperabant, etiamſi hanc prouinciam nunquam oculis vidiſſent. Sed & ipſe Henricus ſe pro tali geſſit, nam ſatis ſibi videri reſpondit, quod primus ad Regni culmen immeritus perueniſſet, Diadema Imperii maioribus debitum ſe nihil ambire ſupra id quod accepiſſet. Diadema igitur ſolum recuſauit. Nec intereſt, quod Berengarii & alii ſe in Italia pro Imperatoribus geſſerint: hanc enim geſtionem
f lib. 6. cap. 17. pro Imperatore, Otho Friſingenſis (*f*) recte vſurpationem appellat: *Otho*, inquit, *qui Imperium à*
g Generat. 31. *Longobardis vſurpatum deduxit ad Teutonicos*. Et quod Nauclerus inquit (*g*) poſt Arnolphum Imperatorem magnam fuiſſe inter Italos, Longobardos & Germanos ſeu Francos Orientales, & Francos Occidentales ſeu Gallos de poſſeſſione Imperii concertationem: quemadmodum & in concurſu

Paparum

Paparum eius cauſa potior eſt & iudicatur, qui reliquis deiectis ſede iſta potitus perſtitit. Vere igitur Germani poſt Ludouicum quartum poſſeſſionem Imperii à Chunrado primo, cœptam, animo & corpore retinuerunt, reliquis omnibus de eius poſſeſſione vel quaſi deiectis. Et ſane tandem admiratione dignum eſt, quod Bellarminus Reges Romanorum, qui coronam à Papa non acceperunt, è numero Imperatorum excludere atque exterminare cupit, cum tamen etiam ii, qui Romam nunquam viderunt, qualis eſt Chriſtus, quem etiam in numerum ſuorum Paparum referunt: & Petrus, qui nunquam ibi Epiſcopus fuit, aut ſaltem à Cardinalibus vel aliis non eſt coronatus, in numerum & Catalogum referantur. Primi quoque Epiſcopi Romani, non Pontifices ſed Epiſcopi ſunt appellati, non coronati ſed electi tantum fuerunt, & tamen numerum implent. Hoc quoque viciſſim Bellarm. meminiſſe debebat, ſi Henricus Auceps & Chunradus primus è numero Imperatorum eximendi ſunt, quid de ipſis Pontificibus ſit futurum. Nam ſi Chriſtus Papa fuit, & Pōtifices eius vicarii ſunt, quo iure ſibi Papæ nomen vſurpare audeant? nam ſi vicarii Dominorũ ſuorum nomen vſurpent, à crimine læſæ Maieſtatis & perduellionis parum abſunt. Sed hoc in Pontificibus Romanis non eſt admirandum. nam cum ipſum ius, in omnia Regna, quod Chriſtus quaſi hereditarium habet, quodque nulli hominum cedit, ſibi rapuerint, in nomine non tanta culpa eſt. Quin imo cum ius Regium, Sacerdotale, & Propheticum, quod ſolus in Eccleſiam ille poſſidet, impune ſibi tot ſeculis arrogent, in illo quaſi minus peccare videntur, cum illorum translationes meræ imaginariæ ſint, hoc autem fere totam Eccleſiam peſſundederit.

CAPVT VII.

Conſtitutionem de ſeptem Electoribus Imperii non eſſe factam à Gregorio V. prout falſo contendit Bellarminus, tam rationibus quam verbis Aureæ Bullæ probari.

SEquitur nunc vt de altero obiecto Bellarmini dicamus, nimirum, de Inſtitutione Electorum, quam à Pontifice Gregorio Quinto factam eſſe ita fuſe contendit, vt in eius diſputationis gratiam integrum liberum conſcripſerit. Nos vno capite tractabimus, quæ ad rem pertinere videbuntur. In principio autem Ieſuitæ variatio obſeruanda venit. Nam vno loco *a* totam illam Conſti- a cap.1. lib.3.
tutionem ſoli Pontifici Gregorio adſcribit, & Othonem Imperatorem plane ab ea remouet: contra alibi *b* ſummam rei Pontifici quidem tribuit, conſenſum tamen Imperatoris adhibitum non ne- b in pr. tertii cap. lib.3.
gat: quod nunquam dixiſſet, niſi Hiſtoricorum multorum teſtimoniis ſciret ſe refelli potuiſſe. Vbi igitur duo concurrunt, vnicuique ſuæ partes aſſignandæ ſunt, nec alter ſuo iure defraudari debet. Si enim Imperator in hanc Conſtitutionem conſenſit, valet igitur quo ad hunc conſenſum, non quo ad Pontificiam auctoritatem, quæ in legibus Imperii ferendis, nec tum nec hodie vlla eſt. Etſi iam Canoniſtæ & qui eos ſequuntur, non multa ſed omnia Pontificibus tribuant, tamen contrarium à multis demonſtratum eſt; & quia, vt Vantius ait, De Null. ſent. ex defect. iuriſd. n. 13. quia, inquā, *iuriſdictio eſt qualitas quædam accidentalis, quæ naturaliter homini non ineſt, ſed ita competit vni, vt non alteri, propterea neceſſario probanda eſt.* At iure diuino hoc ius nondum probatum eſt. Nec enim Chriſtus vel Petrus Conſtitutionibus Principum rogandis vel abrogandis vnquam operam dederunt. Quod igitur ab anteceſſoribus non eſt factum, a ſucceſſoribus falſo vſurpatur, ſi iam ponamus: Romanos Pontifices Petri ſucceſſores & Chriſti vicarios eſſe. Præterea ſi hæc conſenſus natura eſt, quod diſputat Bellarminus, vt, ſi ex poſt facto interueniat, rem confirmet aut alias vires addat, quemadmodum electo Regi tum demum dignitatem Imperatoriam conferri putat, ſi Pontifex eum coronauerit, & in eum conſenſerit: hoc multo iuſtius de huiuſmodi Conſtitutione dicendum eſt, quod conſenſus Imperatoris huic Conſtitutioni animam, vitam & ſpiritum dederit: nam & quod Principi placuit legis habet vigorem, §. *ſed & quod Princip. Inſtitut. de iur. nat. gent. & Ciuil.* & id tanto magis verum eſt, quanto maior pro eo præſumtio. Imperii Romani Proceres, vbi in Comitiis de Pontifice loquuntur, talem ei prærogatiuam minime concedunt, ſed eum pro parte Im- c Reichs Abſchiedt zu Augſpurg / Anno 1500. § Es ſoll auch ein Bottſchafft
perii habent *c*, & quod Imperio coniunctus ſit, idque ſine dubio propter Vrbem Romam, & alias prouincias, quas ab Imperio poſſidet. Nec veriſimile eſt maiores eorum, qui in his fuerunt Comitiis Auguſtanis, plus tribuiſſe Pontifici, quam hi fecerunt, cuius peræque ſtudioſi erant. Præterea in electione Regis Roman. vel Pontifex aut eius legati, non plus iuris quā alii olim habuerunt. Quod ſi vero ita eſt, quod Bellarm. perſuadere nobis conatur, ſequitur etiam neceſſario, Pontificem Romanum ius eligendi Imperatorem habuiſſe, ſed cum in hoc toto libro diſputet, Imperium Romanum à Leone III. in Carolum Magnum translatum, ad poſteros eius iure ſucceſſionis perueniſſe, quomodo id quod alienatum & translatum erat, quodque hereditarium factum, in electionem ſimul conuertere potuit? Multo certe probabilius eſt, Othonem Tertium, qui Imperium ſuum poſſedit, huius legis conſtituendæ auctorem fuiſſe, & ſi Pontificis qua authoritas interuenit, ea non pluris facienda, quam Ambroſii Conſilium, quod Theodoſius poſtea in legem *d* retulit. Sed & hic d l.20. C. de Pœnis.
quædam in conſiderationem veniunt, quæ eius Conſtitutionis inſtitutionem incertam & dubiam reddunt, quæ etiam à Bellarm. ex Onuphrio afferuntur *e*, ad quæ me breuitatis cauſa refero: quod e lib.3.c.2.
etiam Spiegelius in li.1. Ligurini Poëtæ annotat, vbi in verſum, *Conueniunt proceres totius viſcera Regni* inquit, *Vides nec hic obſeruatā ſanctionis Gregorianæ formulam de eligendo Imper. latam à paucis Princip. Itali & pleriq; externi ſcriptores meminere, mire interim noſtrorū Annalibus ſilentibus: proinde vel commentum fuit*

Italorum, vt pleraque alia, vel, vt ego puto, non probata tunc à ceteris Principibus Germaniæ, aut ſaltem non perpetuata; ſed & Sabellicus prudens & diligens ſcriptor fatetur, ſe parum compertum habere, fuerint ne tum primum creati, qui Imperat. legerent, an poſtea res inducta ſit. Sed & Bellar. idem probat non animaduertẽs hoc, nam non raro illi ira & odium in proteſtantes conceptum mentem præcipitant. ſiquidẽ in fine *c.2.li.3.* multa allegat exempla, quibus probat, *Pontificis legatos vna cum aliis Italis Principibus & nobilibus ex condicto conueniſſe, & conſuluiſſe ſibi & toti Romano Imperio de ſubſtituendo Rege*: quo facto ipſi Pontifices oſtenderunt, non tantum ſibi nullum ius ſingulare eligendi competere, ſed & prætenſam hanc Conſtitutionem falſam eſſe, aut certe minime ab Imperii ordinibus receptam. Conſtitutio autem, quæ in vſum vel obſeruantiam non venit, talis dicenda non eſt. Et Conſtitutiones non ſolum à poſterioribus Conſtitutionibus, ſed etiam à contraria conſuetudine tolluntur. Cum igitur omnia ſint incerta, quid nam certi inde Bellarminus elicere poſſit, ipſe viderit. Quod etiam non apparet, id quoque non eſt. Quæ argumenta omnia, quin grauia ſint, & nullo modo à viris prudentibus contemnenda, nemo negare poteſt, vt & Bellarminus fatetur, iuuat tamen audire quid ad ea reſpondeat: *Nos*, inquit, *non multum laboramus, vtrum Gregorius Quintus, an decimus, an alius aliquis ius eligendi Principem certis Electoribus dederit, modo qui id fecit, Romanus Pontifex fuerit.* At certe multum de eo laborare debuit, ſi inſcriptioni libri ſui ſeruire, eamque ſaluam eſſe voluit. Sic enim eum inſcribit, *Septem Imperii Electores à ſummo Pontifice Gregorio Quinto potiſſimum inſtitutos*: quamuis nec huius aut alterius cuiuſque Conſtitutionem nobis exhibeat, quam tamen ſi haberet, non omitteret. Deinde etiam ipſe laborauit & laborat, qua poteſt contentione, vt hoc probet: nam hinc Onuphrium & Auentinum etiam manifeſtæ falſi-
a lib.3.c.1.in fin. tatis atque intolerandæ temeritatis arguit *a*: quare cum ſubiungit, priorem opinionem veriorem eſſe, non tantum animi morbum, quo etiam aduerſus domeſticos laborat, (vt non ſit diſſimilis ſeruo iſti nequam, qui cædit abſente Domino conſeruos ſuos) ſed etiam inconſtantiam ſuam demonſtrat. Et ſi ita eſt, quod non tantum Bellarminus ſed etiam alii afferunt, hanc Conſtitutionem, vtpote quod iuri electionis reliquorum Principum derogaret, non receptam eſſe: quis non videt eam ab initio nullam fuiſſe, cum nulli neç vocato nec citato ius ſuum auferri poſſit, quare tota hæc diſputatio Ieſuitæ in fumum abit. Alterum obſtaculum eſt, idque non parui momenti. Quod in Aurea Bulla, in qua multa de Electoribus eorumque iuribus & priuilegiis ſtatuitur, nihil horum reperitur, quodque nec Carolus quartus nec omnes Imperii proceres huius Conſtitutionis meminerunt, quod ſine dubio feciſſent, ſi tale quid vnquam ſtatutum eſſet. Solent enim poſteriores Imperatores in *Conſtitutionibus ſuis*, in quibus priorum ſanctiones vel omnino abrogant, vel obrogant, id non obliuiſci. Contra ſic legitur in dict. Bulla. titul. ſecundo, in princip. *Electores ad electionem iuxta antiquam & laudabilem conſuetudinem proficiſci.* Et rurſus titul. 2. §. *Et quia de antiqua & laudabili conſuetudine inconuulſe quod ſubſcribitur, ſemper extitit hactenus obſeruatum.* & titul. 25. §. penultim. *Inuenimus etiam ex clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum illud à tempore, cuius contrarii iam non habetur memoria per eos, qui nos præceſſerunt, feliciter eſſe & iugiter obſeruatum.* Vnde apparet hæc quæ circa electionem dicuntur potius conſuetudini quam legi certæ aſſignari. Aut ſi certæ leges de hac electione fuerunt, vt textus in titul. decimooctauo, innuit his verbis, *iuxta formam ſacrarum legum ſuper hoc editarum*, apparet hanc rem non Conſtitutioni Pontificis ſed legibus, quæ ab Imperatoribus & Statibus Imperii fiunt, cum Pontifices ſuis canonibus delectentur, deberi: & non vni alicui legi, ſed multas in eam rem latas eſſe, quæ feliciter & iugiter obſeruatæ ſint: At de hac felici & iugi obſeruatione paulo poſt tempora dicti Othonis tertii apud nullos hiſtoricos legitur, de ſuis igitur ſeculis & qui proxime hæc anteceſſerunt, non de Othonicis loquitur: & notandum eſt, quod in eodem titulo Imperator hoc repetit: vbi ſequitur, *prout in ſacris legibus, ſuper hoc deliberate aditis, inuenitur expreſſum.* Vnde efficitur hanc rem in conſilio Imperii actam & deliberatam non tam quod ad formam procedendi, ſed etiam quo ad ipſos eligentes: cum vtriuſque par ratio fuerit, & deſuper ſanctiones publicas factas, vt in fine eiuſdem tituli dicitur, *Non obſtante veſtra abſentia finaliter procedemus, prout legum ipſarum ſanciuit autoritas.* Quæ ſanctiones ſi extarent, tota res expeditior eſſet. Et ſane ſi huic legi ſtatus Imperii Bulla Carolina perfectionem dederunt, nemo ita imperitus eſt, qui non ex poſteriore euentu, de primordio legis iudicium ferre poſſit, maxime quia de omnium ſtatuum iure agebatur, quorũ conſenſum omnino interuenire neceſſe fuit. non ſecus ac in Rudolphi ceſſione ac donatione videmus, quæ rata non fuit, niſi à Principibus Imperii confirmaretur. Nec vnquam legitur Pontifex leges vel Conſtitutiones Politicas Imperatori aut Imperio tuliſſe, vtpote quod ab ipſo pendere, tanquam feudum aut aliud aliquod beneficium prudentes negarunt. Multæ ſunt poſteriorum Imperatorum Conſtitutiones in libris feudalibus, quæ etiam in Italia promulgatæ ſunt, nullam vnquam Pontificum authoritatem his vim dediſſe legimus: Nam quod Honorius Friderici II. Conſtitutioni, quæ *libro quinto Feudorum* refertur, *titulo decimoſeptimo*, ſubſcripſit, apparet etiam multo poſt tempora ſuperiora Pontificum authoritatem ſubſecutam fuiſſe, non autem præceſſiſſe, multo minus vim legibus vel Conſtitutionibus dediſſe. Quod tanto magis locum habet, quia nec dominus feudi vaſallo ſuo Principi Conſtitutiones certas, niſi quæ in inueſtitura forte memoratæ ſint, præſcribere poteſt. Iam vero ſupra etiam probauimus Pontificem Romanum nullum titulum proferre poſſe, quo ius ſuum in Imperium Romanum probet. Pontifices certe in decreta ſua non minus talem Conſtitutionem, ſi qua fuiſſet, retuliſ-

ſent,

ſent, quam alia, vt Conſtantini, & Ludouici Imperatorum donationes, aut ex Vaticano nobis ederent, nec poſt tot ſecula nuda narratione nobis ſua commenta credenda, obtruderent. Ecce cum Caroli Magni, ipſorumque Longobardorum leges reliquas habeamus, vix veriſimile ſit, ſi qua talis Conſtitutio in rerum natura fuiſſet quod ita contemtim habita iacuiſſet. Notatu etiam dignum eſt, quod eadem Carolina Conſtitutio ait Tit. 7. De ſucceſſione Principum Electorum, in princip. *Longe lateque eſt publicum, & quaſi per totum orbem notorie manifeſtum, Illuſtres Reges Bohemiæ, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgenſem, virtute Regni & principatuum ſuorum in electione Regis Romanorum in Cæſarem promouendi, ius, vocem & locum habere.* Certe ſi vllo loco Conſtitutionis illius Gregorianæ mentio facienda fuiſſet, hic optima occaſio ſeſe dediſſet, & vix Imperator prætermiſiſſet, præſertim cum dicat, *longe lateque eſſe publicum & quaſi per totum orbem notorium.* Sunt etiam multi hiſtorici qui hoc ſoli Othoni Imperatori tribuant, cui etiam ius faciendæ legis competebat, quamuis Pontifices iam tum temporis, imo multo ante rebus ſecularibus ſeſe immiſcuerint, quibus tamen cura Eccleſiarum commendata eſt. Quod vero ab aliis hiſtoricis affertur, apparet poſteriores priorum iudicia ſecutos fuiſſe. Sed his non diutius immorabimur. Duo affert Bellarminus, quæ breui reſponſione diluenda ſunt. Primum eſt auctoritas Concilii Viennenſis, de quo in Clemen. Romani Principes. De Iureiurand. vbi dicitur: *Quod Eccleſia à Græcis tranſtulit Imperium in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes ius & poteſtas eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum peruenit.* Cui conſentit quoque cap. Venerabilem, de Elect. vbi dicitur. *In principibus ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus, vt debemus, ad quos de iure ac antiqua conſuetudine dinoſcitur pertinere, præſertim cum ad eos ius & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit.* Sed hæc ſunt Pontificum teſtimonia in propria cauſa, quibus nihil aut parum fidei habendum, cum omnia in ſuum forum trahere conentur, de quo non pauci etiam iſto ſeculo conqueſti ſunt. Et cum hoc Concilium Viennenſe vix quinquaginta annis à Caroli IV. Bulla abfuerit, ſi quid tale in rei veritate fuiſſet, ſine dubio tanti beneficii memoriam etiam in lege Imperii conſeruaſſent, ſed & vt dicitur, res inter alios acta, aliis non præiudicat: & huiuſmodi Conſtitutiones erat facile Pontifici apud ſuos cudere, & eis obtrudere rebus in Imperio turbatis, quando Ludouicus Quartus cum Friderico Auſtriaco de axiomate Imperatorio bellis contendebat. Sed & ſupra oſtendimus vnum falſum eſſe, nempe, ab Eccleſia a Græcis in Germanos Romanum Imperium tranſlatum eſſe: quare id quod adiungitur, non tantum propter vicinitatem, ſed etiam quia vtriuſque eadem ratio eſt, conſimili vitio falſitatis laborat. Hanc ſuſpicionem etiam auget, quod in præallegato capitulo narratur, Imperatorem Henricum Iuramentum fidelitatis Pontifici præſtitiſſe: qui autem ſemel malus, ſemper malus præſumitur, vt Bonifacius VIII. dicit in ſuis regulis. Cum vero viuus Imperator Henricus iuramentum fidelitatis Pontifici Romano recuſauerit, nam ne à tempore quidem Caroli Magni id auditum erat, imo contra id ſolenniter coram Notario & teſtibus proteſtatus fuerit, quomodo mortuus id præſtiterit, quiuis facile cogitare poterit. Omitto, quod inter ipſos Canoniſtas magna quæſtio, quodnam iuramentum illud ſit, fidelitatis ne an Aduocatiæ aliis aliud ſentientibus. Præterea apparet ex allegato capit. *Venerabilem*, Principes Imperii de legato Pontificis conqueſtos eſſe, quod electioni ſeſe immiſcuerit, & ſic dignitati Principum derogauerit, ſicque Pontificibus ius nullum in electione conceſſerunt. Quemadmodum & hoc falſum eſt, quod Imperator à Papa nominationem regiam, vel perſonæ approbationem petere vel recipere teneatur, quod Lupoldus de Bebenburg in li. De Iuribus Regni & Imper. Rom. ca. 8. multis argumentis demonſtrat; vbi etiam ſignanter inquit. *Non apparet ex aliquibus Chronicis vel ſcriptis quæ videre potui, quod Electi in Reges conſueuerunt petere ac recipere nominationem Regiam ab Eccleſia Romana. Imo ex formis aliquarum literarum, in quibus continebantur decreta Electionum quondam Rudolphi, Adolphi, & Alberti Regum Romanorum, quas formas recolo me vidiſſe, apparet potius contrarium.* Et cum hoc concordat ſæpe allegata Conſtitutio Carolina in *Aurea Bulla*, quæ huius approbationis ne verbo quidem mentionem facit. Vnde has nugas Pontificum, fimbrias ſuas extendentium mittamus, & ad alterum Bellarmini obiectum tranſeamus, in quo omnem victoriam ponit. Illud vero eſt inſtrumentum Principum Germaniæ, quod & ſupra allegauit, & iam hic *a* pro clauſula poſitum eſt, vt reliquum agmen coerceat. Sed facile eſt ad hoc quoq; præter ſuperiora *b* reſpondere. Nam licet de Imperatoris poteſtate diſputare non ſit permiſſum: tamen contra eius mãdata excipere licet: quod ſub & obreptum illi ſit, quod hoc loco de Principibus illis dicere licet. Nam quod dicunt Matrem Romanam Eccleſiam complexam eſſe Germaniam *ab olim.* Primum hæc definitio temporis nimis generalis eſt. Nec inde ſequitur, quod aduerſarius efficere vult, à Gregorio V. potiſſimum inſtitutos, nam cum illa relatio ad tempus illud antiquum, ſit generalis, & de relato non appareat: vagum & incertum illud referens non tanti faciendum eſt. Deinde quis neſcit in huiuſmodi exordiis poſita verba narratiua, ſæpiſſime potius colorandi quam probandi cauſa inſeri. quod & hic à politicis factum res ipſa declarat. Nam cum maiora Pontifici cõceſſerint, potentiſſimas nimirum Imperii Romani prouincias huius prooemii tantam rationem non habuiſſe eos, cõſentaneum eſt. Nec enim cauſa huius donationis ſeu ceſſionis fuit hæc inſtitutio electorum, ſed *vt omnis materia diſſenſionis & ſcandali ſeu etiam rancoris occaſio inter Eccleſiam & Imperium auferantur, vt loquuntur Principes.* Quod tanto magis locum habet, quanto certius eſt hoc inſtrumentum, quatenus eius verba ſonant (nam nec originale nec eius ſigilla vidimus) non ab Electoribus, ſed in genere principibus Imperii confectum eſſe. Vnde nec ita loquuntur Electores, ſcilicet

a *lib. 3. c. 3. in fi.*
b *cap. præced.*

ius

ius ſuum eligendi à Pontifice habere, illique ſeſe acceptos ferre, ſed ita, *vt Principes ipſius Eccleſiæ autoritate ſuffulti illum germinarent, qui frena teneret Romani Imperii.* Ex quo id quoque apparet, iuris eligendi tantam non fuiſſe tum habitam rationem, quia & alii principes ſubſcripſerint & ſigillauerint, propterea in his verbis tantum momentum non eſſe poſitum. Et quid tandem inquiunt illi Principes, ſe autoritate Eccleſiæ ſuffultos germinare eum, qui per electionem ipſorum imperet. Dicunt *ſuffulti*, non autem *fulti*: ſicut igitur aliud eſt inſtitutio: aliud ſubſtitutio, ita ſecundo loco etiam Pontificis autoritatem acceſſiſſe, etiamſi quis concedat, nihil dixerit, quod Bellarmini cauſam iuuet, cum etiam hæc Pontificis autoritas ſecundaria, cum reliquiis Imperii Principibus ius ſuum remittentibus ſit communis. Propterea communis Qualitas nihil ſpeciale operari poteſt.

Fridericus primus Imperator, qui iura Imperii pleniſſime intellexit, & motu proprio, ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis locutus eſt. Cum reſponderet legatis Pontificis Imperium ſe à Deo per Electionem Principum habere: Pontificem autem etiam Electoribus poſtponit, quod nec hic feciſſet, ſi ſciuiſſet Electores omnes ius ſuum à Papa Romano habuiſſe, cui alias plus quam æquum erat, æquior fuit, nec illi tuliſſent. Sunt enim ambitionis & ſuperioritatis ſuæ defenſores ſtudioſiſſimi. *Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes: fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis, & repetat vtrunque gladium, temporalem & ſpiritualem, quem Imperium aliquando habuit,*
a In forma libel. quo agitur ex ſubſtit. in verb. ex ſuo corpore m. 3.
adeo vt Imperatores conferrent omnia beneficia per vniuerſum orbem, & amplius eligerent Papam: vt a Ferrarienſis Iuriſconſultus optat. Sic his quæſtionibus finis; ſilentium vero diffamatoribus imponeretur, atque in priſtina libertate viueretur.

CAPVT VIII.

Nec ipſorum Pontificum Confeſſiones à Bellarmino productas, eam translationem iure vel facto probare.

ET hæc quidem hactenus de Teſtimoniis Imperatorum, quibus ſecundum ordinem in probationibus Bellarminus dedit, dicta ſufficiant. Sequitur iam vt ad tertium probationis Bellarmini inæ ordinem veniamus, in quem dicta Pontificum congeſſit, non quod ſperet ſe his teſtimoniis aduerſarios profligare poſſe, ſed vt apud ſuos fabulam hanc ſaltet, neque id officii gratis Pontifici præſtitit. Qui apud Romanos antiquos pileo donabantur, libertatem acquirebant: qui vero à Pontifice quid merentur, eandem vendunt. Ieſuitæ autem, quia ingenio ſeruili nati ſunt, naturam non mutant, quibus merito illud Tiberii quod de Senatoribus Romanis ſui ſeculi vſurpat, dicere licet, *o homines ad ſeruiendum natos.* Sed hæc Teſtimonia Pontificum ſunt, vtpote in cauſa propria, merito ſuſpecta: ἀνέγγυος ὁ μάρτυς, dicitur vulgo. Si hoc in domeſticis non habet locum, quid de ipſo patrefamilias? Iuriſconſulti etiam diſputant, an Imperatori vel Papæ in eorum aſſertionibus fides adhibenda ſit, & communiter concludunt, ſi Imperator vel Papa de facto proprio atteſtentur, aduerſus ſubditum, tum ſtari eorum aſſertioni, ſecus ſi contra non ſubditum, vel de alicuius graui præiudicio agatur, quod hoc caſu maxime locum habet. Hic autem nullum expreſſum Teſtimonium Pontificis Gregorii, quem primum in aciem collocat, allatum eſt, ſed tantum factum aliquod generale, ex quo ſi quis certam confeſſionem exſculpere velit, is ex quouis quiduis effinxerit. Sed non iniuria quis mirabitur, qui fiat, quod Ieſuita a Gregorio principium ſuæ probationis in hoc ordine fecerit, nec aliquod teſtimonium Petri vel Pauli, maxime autem illius, cuius ſe ſucceſſorem iactitat, tanquam confeſſionem certam & indubitatam, attulerit. Cum igitur annis octingentis à Chriſto nullus Epiſcoporum tale quid confeſſus, vel eius confeſſio acceptata aut probata fuerit, ne vnius quidem pili has Monachorum voces facimus. Sed tamen vt præeuntem ſophiſtam in hac cauſa & caſu ſequamur,
a Anno 833.
nec id, quod affert, in facto verum eſt. Sic enim Autor a Annalium, inquit, *Tandem ad id ventum eſt, vt filios Imperatoris in vnum, cum copiis, quibus poterant, coire facerent,* (ſcilicet verſutiæ Satellitii diabolici, de quibus ante locutus erat) *Gregorium Papam aduocarent ſubornato, qui patri ſolus filios reconciliare deberet & poſſet: rei tamen veritas poſt claruit.* Sic etiam Papa ad ipſum Imperatorem Ludouicum inquit, *non ſe ob aliud tantum iter ſuſcepiſſe, quam quod audiuiſſet, quod inexorabili diſcordia contra filios laboraret, ideoque pacem inter vtramque partem ſerere vellet.* Ex quibus videre eſt, Pontificem non motu proprio, ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis ſeſe huic negocio immiſcuiſſe, ſed ad inſtantiam & petitionem aliorum diaboli nimirum Satellitum, cum quibus hic Gregorius colludebat, atque improbam ſocietatem contrahebat: deinde non eo animo veniſſe, quod nunc ex aduerſo fingitur, vt oſtenderet, Imperii Romani ſe dominum & tranſlatorem eſſe, hoc enim ius reale eſt, ſed vt pacem & concordiam inter diſſidentes faceret, quæ cauſa principalis & perſonalis erat. Plus etiam valet quod agitur, quam quod ſimulate concipitur. Potius igitur Pontifex perſonam arbitratoris induerat, qui iure familiaritatis agit, quod agit, quique in perſonas & res litigantium nihil iuris ſibi vſurpat: & propterea etiam amicabilis compoſitor dicitur, & ab arbitro, qui ad exemplum iudicis inter partes cognoſcit, diſcriminatur. Cuiuſmodi exempla ſingulis ætatibus inter potentes perſonas contigerunt, & quotidie cõtingunt. Sic anno 1559. inter duos potentiſſimos Principes Philippum III. Hiſpaniæ, & Henricum II. Galliæ Reges pax à quibuſdam interceſſoribus conciliata eſt, quis ſanæ mentis diceret, vtriuſque partis regna ab his media-

mediatoribus pendere, aut eos in iis ius aliquod habuiſſe? Carolus V. filium Philippum, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, ea de cauſa ſecum Auguſtam duxerat, petiturus ab Electoribus ſucceſſionem in Imperio: Moguntinus ac Treuirenſis, qui ſoli aderant, ſpem faciebant. ſi modo Rex Ferdinandus ante electus iuri ſuo cederet, de ſuffragiis ſuis, quare Mariam ſororem Caroli ex Belgio accerſiuerunt, vt ſubornata apud fratrem Ferdinandum ſollicitaret. Quid hinc iuris illi fœminæ in Imperium? ſolent Imperat. noſtri vicinos Reges animiſque diſſidentes, pacem ac concordiam celebrare, nec tamen regna illorum ſibi propterea vindicant. Præterea illa deliberatio Ludouici Imperatoris non eſt facta à Pontifice, ſed à Nobilibus & omni populo totius Franciæ, Germaniæ, Burgundiæ, & Aquitaniæ, ſicut Nicolaus Gillius *in Annalibus* ſuis refert. Ex actu igitur communi, commune ius ſequitur. Nec ſi præſentiam Pontificis reliqui Principes tum intellexerunt. Sic enim & in Annalibus. *Sed & Papam Romanæ ſedis conueniebat, ſi more prædeceſſorum ſuorum aderat, non tantas nectere moras, & Imperatori non occurrere.* Ergo *more prædeceſſorum ſuorum aderat*, non iure Translationis Imperii; nec enim omnes huius maiores Imperium transtuliſſe ipſe Bellarminus dixerit. Nec nomine anteceſſorum vnus atque alter, qui Leonem ſecuti ſunt, notantur, ſed multi alii, qui etiam Leonem anteceſſerunt. Iamdudum enim vocationis ſuæ obliti, rebus Principum & ſecularibus negociis ſeſe immiſcuerunt Pontifices. Cur autem Pontifex, ſi putabat à ſe ſuoque nutu Romanum Imperium dependere, tot annos diſſenſiones inter patrem & filios paſſus eſt, quos iure ſuo ad officium reuocare debuiſſet: imo cur contra Imperatorem dominum ſuum conſpirauit cum filiis? quod à Bellarmino contra conſcientiam negatur, nam id hiſtorici manifeſte aſſeuerant: cur rebellium ſocius fuit? niſi quod Pontifices cauſam deteriorem ſequuntur, vt συμπέρασμα τι λογικόν. Inſecuta ſunt ſub Lothario Imperatore, Ludouici filio bella grauiſſima inter fratres de Imperio & finibus, cur non & tunc ſuas partes interpoſuit, legitimumque Imperatorem in cauſa defendit, & ſeſe ex officio arbitrum huius controuerſiæ obtulit atque intruſit? Sed apparet ne tum quidem Pontifices ipſos, vtpote Imperatorum Romanorum ſubditos, nec totum mũdum crediſſe, quæ nunc hic purpuratus fingit. qui etiam recte alibi ait: *a Imperium in Familia Caroli Magni hereditarium fuiſſe*: & alio loco, *b* vbi inquit, *Iure hereditario regnare dicuntur, qui naturaliter ſuccedunt, vt Salomon Dauidi, Tiberius Auguſto, Ludouicus Carolo, ſicque alii aliis*: quare à vinculo fortiori dependet Imperii Roma. Maieſtas, quam à putrido filiæ tiara Pontificiæ. Iura enim naturalia immutabilia ſunt. Quanta & quam diuturna fuerint bella inter Ludouicum Bauarum & Fridericum Auſtriacum, vtroque ius electionis ſuæ armis defendente, nulli ignotum eſt. Si tam putaſſent Romanum Imperium Pontifici effectum eſſe, & putaſſent vere, & cum effectu, quam facile tam cruenta bella ſopiri potuiſſent. Nihil ne igitur, inquiet aliquis, poſſunt Põtifices? an non omnibus Imperiis & regnis ſe immiſcent? Facile reſponderi poteſt, tantum poſſunt quantum ab aliis habent, quod inſtrumentum à Bellarmino tanquam in iudicium publicum productum probat: deinde quantum iis commodum eſt, qui ab iis dependent, vt ſcribunt & probant Angli *c*: quo nihil melius, nihil verius. O miſerum tranſlatorem & dominum, qui à voluntate & arbitrio hominum ſtare cogitur, qui ſi nihil lucri aut commodi ex hoc prætenſo iure ſentiant, non pluris eum faciunt, quam ipſi quos vocant hæretici. Magnus ille Imperiorum & regnorum translator hominum etiam voluntatibus imperat, & pro arbitrio ſuo transfert regna & reges mutat, quod multi etiam ex ſede illa Apoſtolica & blaſphema ſuo magno malo experti ſunt. Sequitur primi exempli altera facti ſpecies. Imperator Ludouicus ex ſententia Pontificis vxorem Iudicham recepit. Ergo potuit ei imperare Pontifex, & per conſequens, Imperium Romanum à Pontifice pendet. Præterquam, quod hoc non ſolius Pontificis, ſed ſynodi iudicio factum eſſe hic annotat Franciſcus Iunius, videamus tamen qui ſequatur, quod Bellarminus efficere conatur. Non tantum hodie, ſed etiam olim ad Pontificem Romanum ex Anglia, Gallia, Hiſpania aliiſque prouinciis & priuatorum atque etiam ipſorum Regum & Principum, cauſæ matrimoniales, item legitimationum, diuortiorum, diſpenſationum & ſimilium, deferuntur, ergone inde recte inferri poterit, tam bona priuatorum, quam regna & Imperia à ſede Romana originem habere? qui hoc dixerit, illi mentem ſanam cum Bellarmino optabimus. Præterea cum cognitio cauſarum matrimonialium iuriſdictionis, vt loquuntur, ſit Eccleſiaſticæ, quomodo ab hac ad iuriſdictionem ciuium ſpeciem contrariam concludi poſſit, viderit Bellarminus qui alibi *d* Pontificis illam immenſam poteſtatem aut iuriſdictionem tantum ad tres articulos reſtringit, in quibus hic noſter caſus non continetur. Tandem hoc etiam non eſt inconueniens monere, quod hic Pontificis iuſſus non eſt factus pro tribunali, iudice ſedente, ſed de plano in tranſitu, ſicuti nonnunquam apud prætores ſerui manumittebantur, de quibus nemo tamen dubitabat quin iuriſdictionem haberent. Ac contentioſam aliter expediebant, vbi id locum habet, quod ait Celſus. *e Quod iuſſit, vetuitue Prætor, contrario Imperio tollere & repetere licet: de ſententiis contra.* Talem iuſſum vna cum ſua cauſa nobis probet Bellarminus. Et hoc de primo.

a lib. 3. c. 2. f. 117
b lib. 1. c. 7.
c in libello, qui iuſtitia Britanni a inſcribitur.
d lib. 1. c. 11. f. 263
e l. 14 ff. de re iud.

Alterum exemplum eſt Adriani II. qui interminatus fuit Carolo Caluo fratri Ludouico Imperatori Imperium præripere: Verba Aimonii ſunt apud Bellarminum. Sed videamus an probent hoc, quod voluit Ieſuita. Sic ait hiſtoricus. *In epiſtolis Papæ continebatur, vt regnum quondam Lotharii, quod Ludouico Imperatori hereditario iure debebatur, & quod ad eum poſt mortem Lotharii rediit, vel homines in eo degentes nullus inuaderet.* Quid audiuimus? dixit Papa. Regnum ad Ludo-

uicum perueniſſe Iure hereditario, vult probare Ieſuita Romanum Imperium Pontificis autoritate
translatum ad Francos: idque per Pontifices ipſos. Hic Pontifex nihil de ea quæſtione loquitur,
ſed directo cõtrarium ait. Quod igitur inſtrumentũ non dicit, nec nos dicere debemus, iuxta vulg.
21. Reg. 12. v. 24 Nec id ſequitur: Pontifex monuit Carolum. Ergo: ſic *a* Schemaia monuit Rehaleanum, ne contra
Iſraëlitas, qui de defecerant, pugnaret. Ergo Propheta in Ierobeanum regnum Iſraëlis transtulit.
Multa monent, qui ſacra publice docent, Reges & Principes. Ergo à monentium autoritate Regna
& Principatus ipſorum dependent? certe quando vnus idemque actus duplicem recipit interpretationem,
ea ſumenda eſt, quæ actui ipſi & circumſtantiis perſonarum maxime congruit. Sed
Bellarminus ſuis coniecturis omnia turbat & obſcurat, vt imperitis fucum faciat. Quod vero in
hac interminatione ſequitur, *ſi quis præſumeret inuadere regnum Ludouic:, quod non ſolum id Pontifex ſua
autoritate infirmet, ſed etiam quod is, vinculis Anathematis obligatus, nomine Chriſtianitatis priuatus, cum diabolo
omnino ſit locandus.* Atqui idem Carolus Caluus, contra quem hoc fulmen emiſſum eſt, poſtea
Italiam vi armata ingreſſus, ab eodem Pontifice, vt Platina ait, coronatus fuiſſet, niſi interim mortuus
fuiſſet, quod ſucceſſor huius Adriani poſtea effectum dedit. Quo igitur nomine hi, qui tam
indignum factum erga Ludouicum admiſerunt, appellandi, & quo loco locandi, & a Bellarmino
inueniendi ſint, ex Pontifice ſuo diſcat, nos ad ſequentia pergimus.

Quod Adrianus IV. in ſua epiſtola inquit. *Imperium à regno Græcorum translatum in Alemannos,
vt Rex Teutonicorum non ante, ſed poſt conſecrationem Imperator vocetur, & ſit Auguſtus:* hoc etiam ex
Bellarm. falſum eſſe conuincimus. Nam pactum huiuſmodi vel ante vel poſt coronationem Caroli
adiectum fuiſſe, nemo hiſtoricorum, quos Bellarm. adduxit, vel verbo dixit. Nam nec ipſe Carolus
ante coronationem Rex Romanorum, ſed *Patritius* appellatus eſt. Poſt vero nec ex ſucceſſoribus
quiſquam Rex Rom. eſt dictus, ſed *Cæſar*, quod & apud Græcos vſitatum erat, vt qui ad ſpem
Imperii allecti eſſent, Cæſares dicerentur; Hæc autem denominatio tum cœpit, aut nõ multo poſt,
cum Imperium electione datum eſt Deinde & hoc falſum eſt, vt ſupra probauimus, quod is ſolum,
qui coronam a Papa acceperit, *Auguſtus* dicatur. Cum hoc Auguſtum dignitatis nomen omnibus
etiam Regibus Romanorum, qui Italiam nunquam viderunt, competat, vt Auguſti vocentur. Interim
contra Bellarminum notandum, quod hic Pontifex ait, Imperium à Regno translatum eſſe.
A quo autem, non dicit, etiamſi dicat, à ſuis maioribus; dicit tamẽ Imperium à Regno tranſlatũ eſſe.
At quomodo poteſt Imperium à Regno transferri, ſi tanta inter regnum & Imperium, & Regem
atque Imperatorem eſt differentia, quantam Bellarminus & ſimiles volunt. Quare inter hæc duo
non niſi ſoni vel nominis eſt differentia, vt ſupra diximus fuſius. Et quidem multis, hic ipſe Adrianus
idem dicit, cum inquit, fecit ei grande nomen, vt eſſet Imperator. At Imperialis dignitas non à
b li. 1. ti. 13. f. 185 nomine, ſed ab adminiſtratione pendet: quid igitur fiet de phaleratis iſtis verbis Bellarmini, qui decuplo
plus ſub iſta tranſlatione occultat? *b Vtpote quod ius habeat ad alias item prouincias, quæ Occidentalis
Imperii fuerint, atque iniuria ab aliis occupatæ ſint, vt denique nominibus, titulis, honoribus omnibus veterum
Cæſarum vteretur, atque eo nomine omnes alios Reges ac Principes tum ipſe, tum eius ſucceſſores ac poſteri
anteirent.* In inſtrumento Bellarmini Principum Germaniæ ſolius nominis fit mentio: nam reliqua
omnia iura & priuilegia Rex Romanorum electus habet. Pontificis igitur magis ingenua eſt Confeſſio
quam Ieſuitæ, vt ſit ἥμισυ παντὸς. [illegible].

De Alexandri III. Item Innocentii III. teſtimoniis. Præterea de ſententia Concilii Viennenſis,
quia alibi actum eſt, eo breuitatis ſtudio, ne actum agamus, lectorem remittimus.

Supereſt Pii II. Epiſtola ad Mahumetem Regem Turcorum, qua Tyrannum ad Chriſtianã
Religionem amplectendam hortatur, idque ſi faciat, ius ac titulum Orientalis Imperii pollicetur,
c lib. 1. c. 7. f. 109 vt id quod nunc iniuria tenet, iure poſſideat. De Regno Turcico ex Bellarmino *c* hoc præmittimus.
Quis, inquit, *ambigere poteſt, quin diuina prouidentia, quæ transfert regna atque Imperia, factum ſit, vt ad noſtra
punienda peccata, Rex Turcarum Græciæ prouincias vniuerſas, & nuper Rhodum, Chium & Cyprum, &
magnam Pannoniæ partem Latinis eripuerit, & contra tamen nemo, niſi Turca aut Turcarum amicus negabit,
quin per ſummã iniuſtitiã Othoman. alienas prouincias occuparit.* Si titulus diuinæ prouidentiæ, nõ facit, vt
hic Tyrannus (cuius abſit vt blaſphemias, cũ Tyrannica crudelitate cõiunctas probemus) iuſte poſſideat,
quæ poſſidet, qualem titulum dare ei poteſt Pontifex Vicarius? ab hoc enim prætenſo Vicariatu,
ſibi ius in omnia regna & Imperia vſurpat. Qui primus homines parere docuit, Nimrodus erat,
de quo Philo Iudæus ac Ioſephus, quod humanis opibus ac potentia tyrannidem crudeliter inuaſerint:
quis vero hinc Imperium Aſſyriorum & Chaldæorum damnauerit? Quis grauius afflixit populum
Dei quam Nebucadnezar, qui ipſam Hieroſolymam cum regno Iudaico euertit. Et tamen Iudæi
iubentur pro eo & filiis eius orare? Quis crudelius libertatem patriæ oppreſſit quam Iulius Cæſar,
& tamen noſtri Impp. ab eo ius, nomen, & ſucceſſionem ſuam habent? Rex Hiſpaniarum &
Caſtiliæ Ferdinandus patrum noſtrorum memoria Indiam Occidentalem Barbaris eripuit, & totam
d Menoch. 2. Americam iuris ſui fecit, an ideo bonæ fidei poſſeſſor eſt, quod Monachus Regem Peruanum At-
Arb. ind. q. tabalibam doceret, huiuſmodi donationes à Pontifice legitime factas eſſe. Hermogenianus inquit,
caſ. 43. *ex iure gentium bella orta, dominia diſtincta, regna condita.* Qui igitur iure gentium, qui titulus iuris publi-
e l. metum. §. ci eſt, tuti ſunt, non multum de priuato laborant: quod verum eſt maxime in iis, qui in alterius lo-
mulier. ff. quod cum ſuccedunt: nam & alias in iure inter priuatos ex diuturnitate temporis bona fides præſumitur
met. cauſ. f In lib. De Pon- *d*: Accedit in his caſibus lex Regia, ſiue expreſſo conſenſu ea fiat, ſiue tacito, nam & qui coacte con-
tif. Rom. 5. c. 10. ſentit, conſentire dicitur, *e* Bellarminus quoque id ipſum alio loco ſentit, *f* vbi inquit, *Regna & Impe-*
ria

via per latrocinia quæſita tandem longo tempore fiunt legitima: alioquin quo iure Cæſar occupauit Romanum Imperium, & tamen tempore Tiberii Chriſtus ait, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, quo iure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hiſpaniam inuaſerunt, & tamen quis hoc tempore regna ab illis conſtituta illegitima eſſe diceret? & alibi *a* ſcribit, *poteſtatem politicam per ius gentium & conſenſum populorum ad principes deriuari.* *a lib.1.cap.12. eod.tract.* Apparet igitur hunc Pium non ſatis pie ſcripſiſſe. Nam qui autore Prætore poſſidet, iuſte poſſidet. at qui autore Pontifice poſſidet, non recte poſſidet, qui nec in poſſeſſionem mittere poteſt. Mirum ni Tyrannus riſerit. Obiter hic quoq; ſtyli Romanæ Curiæ dignitas animaduertenda eſt. Sic.n. hic Monachus, qui prius Imperatoris Friderici III. ſcriba fuit Tyrannum compellat: *Nos te Imperatorem appellabimus.* &: *Nos tuo patrocinio vteremur:* Sic etiam Imperatorem Conſtantinopolitanum compellat, c. *Solita:* de quo ſupra. Ita noſtrum Romanum Imperatorem: vt & alios Principes, quibus etiam pedibus imperat. Alexander VI. huius Pii II. ſucceſſor aliud ſentiebat. Is enim Baiazetis Turcici Imperatoris auxilium contra Carolum VIII. Regem Galliæ inuocabat, & in præmium Regnum Siciliæ offerebat. ſi pie ſcribit Pius, hunc impium fuiſſe neceſſe eſt, ſed tamen non licet dicere his, *cur facis hoc ita?* ſunt enim [illegible]: nam hoc illius Vicariatus priuilegium eſt.

CAP. IX.

Eccleſiaſticam poteſtatem politica ſuperiorem non eſſe. Reges quoque & Principes, etiamſi hæretici aut tyranni ſiant, vel etiam male Remp. adminiſtrent, à Pontifice excommunicari, aut regnis priuari, nec poſſe nec debere.

HÆc de Confeſſionibus Pontificum dicta ſunt, quæ quales fuerint vidimus. Nihil aliud iam reſtare videtur, quam vt cognoſcamus, quibus caſibus hæ tranſlationes locum habeant, nam & hoc videtur ad huius quæſtionis deciſionem intelligendam opus eſſe. Bellarm. hoc ita explicat lib. 1.c.12. *a Rom. Pontif. reipſa nec habere poſſe vllam politicam poteſtatem:* reddat igitur Imper. & Imperio, quæ ipſius ſunt, cum eorum, quæ ita habet & poſſidet, ſit inhabilis & incapax. Sed hic Ieſuita ſibi ipſi contradicit, vel mentitur, ſi quid eius lingua loqui velit. ſic enim cap.5. lib.1. *b* contra Fridericum I. diſputat, qui duobus gladiis mundum regi, dixerat: *Quod attinet ad duos gladios, inquit Sophiſta, ſi quis paulo attentius Euangelium legat, non Cæſaris vnum, alterum Eccleſiæ, ſed vtrumq; gladium Eccleſiæ ac potiſſimum Petri eſſe videbit, quocirca ſi alterum Cæſar hēt, non à ſolo Deo, ſed à Deo per Petrum habet:* Atqui alter gladius nihil eſt aliud quam politica poteſtas, quam ſi Papa non habet, nec etiam, quod notãdum, habere poteſt, quomodo alteri, id quod non habet, dare poteſt? Sed dicet; Eccleſiaſtica poteſtas eſt longe maior & ſublimior, quam politica, & ſecundum illam Imperium tranſtulit ad Germanos. Quare Eccleſiaſtica poteſtas ſublimior ſit Politica, nullam idoneam cauſam attulit Bellarminus: qui vtriuſq; poteſtatis Dominus eſt, contrarium dixit, etiamſi ſciret fore, vt aliquando Bellarminus, & ſimilis fecis homines ex quibuſdam Sophiſticis cauſis contradicturi, & variis technis id eluſuri eſſent. Contrarium etiam à multis demonſtratum eſt. nam Apoſtolorum commiſſio ſeu poteſtas, priuata fuit, & continebatur vno verbo ſatis plano, perſpicuo & vulgari, *Docete*, quod etiam aliter ipſi non intellexerunt, atq; executi ſunt, quodq; ſolo facto continetur. Alia poteſtas quæ politica eſt, in iure ſubſiſtit. Imperium enim & iuriſdictio, quæq; ab his dependent, iuris nomina ſunt. Sed ponamus, Eccleſiaſticam poteſtatem Politica ſublimiorem eſſe, quia ſicut animus eſt in corpore, eſt ſpiritualis ac cœleſtis. Harum omnium qualitatum ſeu cauſarum, cauſæ ſunt res ipſæ, quæ illi hanc ſublimitatem conciliant, nam ſine his illius ſublimitatis expertes eſſent. Quomodo igitur ex cauſa ſpirituali, poteſt dare gladium ſecularem, quem non habet? Qualis enim cauſa eſt, talis quoque effectus erit. Quare iſtius ſublimitatis potior cauſa eſſet, ſi vera eſſet, quã ſupra attulit de duobus gladiis. Nam ſi Eccleſia duos habet gladios, maior & ſublimior eſt politia, quę nullũ habet, aut ſi hēt, ab Eccleſia precario poſſidet. Quid credemus? Improborũ hominum nugæ ſunt, qui cum ordinem diuinum euerterint, his impoſturis Sophiſticis Deũ & homines deludũt. Sed pergamus & audiamus ex Bellarmino, quo caſu ſublimior poteſtas locum habeat; nam, vt idem in ſuperioribus à ſe ipſo diſſentit, ita in hoc articulo ab aliis ſui generis Romanæ Curiæ adulatoribus, qui Papæ poteſtatem æque ſaluam volunt, ac ipſe. Sic autem ait, *Si Rex vel Princeps ex oue lupus euadat, aut aries furioſus contemto paſtore in oues graſſetur: vel deniq; ſi inſtar timidi & languidi canis gregem Domini à luporum morſibus non audet defendere: his tribus caſibus*, inquit, *ſummus paſtor Regem eiicere poteſt.* Ergo poteſtas Pontificis maior eſt poteſtate regũ & Principum, ita tamen vt terminis Eccleſiæ contineatur. Alii contra ſentiunt, & longe maiorẽ Pontificis eſſe ſcribunt, quam hic noſter. ſic enim Hoſtienſis, *In cap. Quod ſuper his de vot. & voti redemt.* vbi inquit, *Pontificem ſummum iure diuino habere pleniſſimam poteſtatem in vniuerſum orbem terrarum tum in rebus Eccleſiaſticis tum politicis. & idem docet, per Chriſti aduentum, omne dominium Principum infidelium translatum eſſe ad Eccleſiam, & reſidere in ſummo Pontifice, vt Vicario ſummi & veri Regis Chriſti, & ideo poſſe Pontificem Regna infidelium iure ſuo donare, quibus voluerit fidelium.* Hoc iure Alexander VI Mundum inter Hiſpanos & Regem Portugaliæ diſtinxit. Idem Ferdinando Regni Caſtiliæ Inſulas Americanas donauit, idque motu proprio, de mera liberalitate, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod Franciſcus Lopez *in Hiſtoria Indica* teſtatur. Eadem poteſtate Leo X. Franciſco Regi Galliarum, donabat Imperium Conſtantinopolitanum. Sic Alexander IV. Sanctio Regis Hiſpaniarum Alfonſi filio Regnum Ægypti liberalitate eadem offerebat, pro quo beneficio hic viciſſim Pontificem ſummum Calipham renuntiari iuſſit, quod tamen ſine diminutione Pontificiæ dignitatis fieri non potuit. De Europæ prouinciis nulli dubium eſt, cum etiam Pontificum Iuriſdictio ad ſuperos & inferos

contingat.vnde & Clemens VI. ipſis Angelis imperauit.De inferis etiam nullum dubium eſt, cum hæ locuſtæ inde natæ & in mundum effuſæ ſint. Valde ergo Bellarminus ius Pontificum, adſtringit & limitat:cui parti aſſentiemur? ſub iudice lis eſt. Huius inconſtãtiæ nulla alia cauſa eſt quam quod Pontifices inſtrumentum vel tenorem amplæ iſtius inueſtituræ nobis non poſſunt exhibere, ex quo facile res liqueret,huc enim ſemper tanquam ad fontem reuocandi ſunt. Et valde abſurdũ eſt,quod ex verbis minutis,quibus Petro paſcendi officium redditum eſt,non ſolum ſibi,ad quos tamen Petrus nihil attinet,tam amplum ius,quod nec Petrus habuit,nec vſurpauit vnquam, de quo ne quidẽ vnquam per ſomnum cogitauit,& quidem tam varium & incertum ius, de quo adulatores Pontificum conſentire etiamnum hodie non poſſunt,per vim & iniuriam exprimere volunt. Audacter illis in os dicimus:Quicunq; vel ius vniuerſale vel limitatum Ieſuiticũ,defendunt,præſtigiatores,impoſtores & mendaces eſſe,donec nobis talẽ commiſſionem Papæ Romano factã exhibeant,& publice inſpiciendi copiam faciant,vt contra eã noſtras exceptiones proponere poſſimus.Hoc,n. iuri diuino

a l.1.ff. Quod quiſq; iur. in pr. & humano conuenit;& ipſorũ quoq; Canones requirũt. *Quod* igitur *iuris in alios ſtatuunt, eodem & ipſi vti debent:quod Edictum ſummã habet æquitatem*,vt Vlpianus a inquit. Noſter Sophiſta affert quędam exempla,ſed non eſt exemplis verum regulis iudicandũ.Præterea tantum ſunt exempla,pauca τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται b: & multo plura in contrarium afferri poſſunt. Deinde hæc exempla

b l.3.ff.ſi pars hered.petat.

partim ſunt ſeculi poſterioris,&aliquot centenos annos poſt primam commiſſionem Petro factam ſubſecuta,partim etiam ſunt falſa. Antequam ad Chriſtianos Principes perueniſſet Imperium, prima exceptio hæreſeos non potuit in iis locum habere.Sed ſi quærat aliquis,ſi ■ ſenſus fuit cõmiſſionis Apoſtolicæ,eaq; tam generalis eſt,cur nõ Petrus vel reliqui Apoſtoli,& pii Epiſcopi etiam priuatos homines,qui ex ouibus lupos ſecuti ſunt,bonis ſuis ſpoliarunt & priuarunt:vt certo ſtatueremus, quod iuris illi in priuatos decreuiſſent,id in magnis & ſummis quoq; regib. locum habere: ſic enim hi poſteriores ſeſe cum colore aliquo excuſare poſſent. Paulus certe qui mentem Domini ſui tã probe intellexit ac quiſquam Apoſtolorum, horum nihil in pſeudoapoſtolos;Hymenæum, Philetum,

c Actor. 20. Alexandrum Fabrum decreuit,quanuis alias acriter in eos inuehatur. Et tamen idem c gloriatur ſe omne cõſilium Dei,cuius ſummam in eius *Epiſtolis legimus*,auditoribus aperuiſſe:quod ſi hæc ſequela neceſſaria fuiſſet,ſine dubio eam non omiſiſſet, quia etiamſi poſtremus fuit in vocatione, tamen ſtudio,amore & feruore in Chriſtum nulli Apoſtolorum cedebat,& quia illi nõ parua occaſio offerebatur,quam non neglexiſſet:cum multo ſecretiora nobis ſcripta reliquerit. Huc accedit, quod cũ Chriſti mandatum eſſet generale,vt docerent omnes. Vnde & Chriſtus inquit,Mitto vos tanquam oues inter lupos,cur non vt ex aliis lupis oues faciebant, ita in Imperatores quoq; & Reges hoc ius vſurparint.Maxime autem Petrus, qui ex aduerſæ partis ſententia tot annos Romæ Epiſcopus ſedit, hanc occaſionem & ius ſuum negligere debuit,non enim minus,quam Pius 2.qui ad Turcum de ea re literas ſcripſit,de ea re conteſtari debuiſſet. Potuit enim hoc modo non tantum ſuæ commiſſionis ſpecimen edere,ſed etiam nos eo facilius adduceremur,vt id,quod nunc quæritur, crederemus. Sed nec hæc exceptio Hæreſeos poſt locum habuit: cum ad Chriſtianos Imperatores ſumma rei Romanæ peruenit.Conſtantinus Imperator fauebat Arianis qui ſine dubio hæretici erant:num vero Liberius,qui tum Epiſcopus Romanus erat,ipſum Imperio ſpoliauit? hoc vero tantum abeſt, vt etiam ipſe Liberius ea lepra infectus,à clero Romano expulſus fuerit.Iulianus Imp.à Chriſtiana fide plane defecit,cur hunc Romani Epiſcopi non excommunicarunt? ſi tam certum & indubitatum ius habuerunt.Quæ vero differentia eſt inter lupos qui ab Eccleſia defecerunt & eos,qui nunquam ad eam acceſſerunt, præſertim in tam generali commiſſione? ſic Valentiniani collega & frater Valens Imperator in Oriente impietatem Arianam defendebat. Quis hunc excommunicatum Imperio ſpoliauit?Nimirum hoc Bellarmini commentum tum nondum in rerum natura erat. Idem de

Conſtans,Philippus. aliis Imperatoribus Conſtantinopolitanis qui Monothelitarum hæreſi fauerunt,iudicandum. Sed & hic paucis aduertendum quid obiiciant,ne plane ἀσύμβολοι ſint. Dicunt potentiam Imperatorum obſtitiſſe: idem reſpondent, ſi quæras ex iis, cur Imperatores concilia celebrarint, de rebus & perſonis Eccleſiaſticis leges ſanciuerint. Apoſtoli nulla habita ratione Imperatorũ Romanorum, quorum maior potentia erat quam poſteriorum, cum Romani imperii Maieſtas paulatim concideret, commiſſionem & mandatum ſuum,cum omnibus ſuis dependentiis perfectiſſime expediuerunt: ſi hoc vnũ ex iis fuiſſet,non neglexiſſent.Deinde pro primitiua Eccleſia & tot ſeculorum viris doctis ipſiſq; Impp.Romanis piis & in ſcriptis Apoſtolicis exercitatis præſumtio eſt, illi enim vtpote Apoſtolicis temporibus viciniores non aliter intellexerunt: hi autem non aliter fecerunt: nec.n. neutri ſuo iuri quicquam derogatum voluerunt.Sed tantũ abeſt,vt hoc veteres crederent,vt etiam Victori Romanorum Epiſcopo,qui propter tempus celebrãdi Paſchatis,Eccleſias Aſiaticas excommunicauerat,à priuatis,ab Irenæo cõtradiceretur. Quæ vero eſt illa reſponſio,cum de iure quæritur, per factũ nobis reſpondent. At quæſtio iuris per ius ſoluitur. Ad extremum ſi fiat Princeps vel Rex ex oue lupus,ſuã iuriſdictionẽ Papa fundatam habet:multo fortius contra aduerſariũ concludimus. Nam ſi ex Papa,id eſt,Paſtore lupus factus eſt,quod in perſona Iohannis XII.Gregorii VII.Iohannis XXIII. factum eſt,& hi ab Imperatoribus & Conciliis depoſiti ſunt,ſequitur non Pontifices ſed Imperatores & Conciliã ius hoc habere,& Bellarm,diſputationem omni robore carere. Quod vero Imperatorum potentiã Pontifices tãdem in ſe tranſtulerunt,& iam ἰδίοις πτεροῖς eos confixerunt,vtinã is mutaſſet,qui ante annos octuaginta Roma potitus fuit.Sed fata obſtabant,etiamſi ex Catholicis etiam

Princi-

Principibus eſſent, qui hoc ſuaderent. Redeamus igitur ad rem, cur Genſericum Regem Vandalorum, qui Romam occuparat, & Arianam impietatem ſectabatur, non expulit Roma vel Italia Leo Epiſcopus Romanus: nimirum illi tum conſultius erat tecto latere diſcere, & tyranni animum blandis verbis mitigare, quia fulmina Iouis illius Tarpeii à Vulcano infernali nondum fabricata erant. Idem de Longobardis ſentiendum, qui & ipſi non tanti feciſſent hæc fulmina bruta. Et ridiculum, quod nunc tantum feſtum de huiuſmodi excommunicationibus faciunt, & ſibi Imperium in omnes Reges & Principes imaginantur, cum tunc in tantas anguſtias redacti eſſent, vt ad Pipinum & Carolum metu perterriti confugerent, à quibus ſi liberati non fuiſſent, iam ne memoria quidem iſtarum belluarum reliqua eſſet, quæ tam impudenter & impotenter in ſummos Principes graſſantur. Solus Leo Iſauricus Imperator meruit fulmen huius Veiouis, quia ligna, lapides, & ſtatuas ex templis eiecerat, atque picturas eraſerat, quod Bellarminus appellat, *hæreſi ſtudere*. Quod ſi hæc hæreſis eſt, Moſes ſummus erit hæreticus, qui imagines ſculptas vel fictas in Eccleſiam inferri colique prohibuit. Hæc blaſphemia in Deum ipſum redundat. Quid de Ezechia Rege Iudæ dicendum, qui æneum ſerpentem à Moſe iuſſu ipſius Dei factum colliſit, fregit, comminuit, & in puluerem redegit? Quid de tot ſanctis Prophetis fiet, qui nullum grauius crimen populo Dei obiecerūt quam idololatriam, & ſic ex animis tanquam ex templis ſuis eiicere toto tempore vitæ ſtuduerunt. Sed ne hoc quidem exemplum Leonis exemplo ſuo nobis nocet. Nam vt Platina ait, *parum abfuit, quin Itali permoti oratione Pontificis, alium ſibi Imperatorem deligerent*, & ipſe Papa prohibebat, nec Imperator propterea ſe regno abdicauit, quod tandem à Leone tertio in Carolum tranſlatum Bellarminus contendit. Si noſtra ſecula contemplamur, vidimus ipſi atque experimur, huius belluinæ regulæ, quam Bellarminus affert, futilitatem & nullitatem. Miſer Papa vnum atque alterum vilem Monachum non potuit opprimere, aut eos re ſua ſpoliare, nedum tam multos potentes Principes in ſola Germania, etiamſi ad eos eradicandos decem millia peditum cum quingentis equitibus ex Italia miſiſſet. Quid enim tandem promouit? Hoc nimirum, vt ij, qui iam in captiuitatem redacti, cauſa etiam in præſidiis humanis deſperata, non tantum ſalui & integri à Victore Cæſare optimo, dimitterentur, ſed & vt pax Religionis, ab eodem Imperatore, & Ferdinando Rege Romanorum firmaretur & ſanciretur, cuius beneficio Germania hactenus tuta & pacata aliiſque exemplo fuit. Voluerunt igitur hoc ſummi illi Principes, vt & ij, qui huius cauſæ arbitri & moderatores fuerunt, Bellarminum & eius generis Sophiſtas mentiri, qui ſentiunt, hæreſeos cognitionem ad Pontificem Romanum pertinere, nec quoque eos continuo hæreticos eſſe, quos Papa proſcribit, adeo vt ne inferiores quidem excommunicare, & dignitatibus atque principatibus ſuis priuare poſſit. In hac ſententia ſunt etiam alii Reges Chriſtiani nominis, etiamſi Catholici ſint. Carolus IX. Rex Galliæ Reginam Nauarræ, huius Henrici IV. matrem, quam Papa Pius IV. Anno 1563. non excommunicauerat, ſed tātum Edicto peremtorio ad tribunal ſuum citauerat, vt cauſam hæreſeos diceret, iudicio exemit, & citationē illam nulliter factam defendit, ſed etiam hoc interdicto ſuam quoq; dignitatem violatam eſſe à Pontifice, conqueſtus eſt. Huius Reginæ filius Henricus Galliæ & Nauarræ Rex, qui nunc Regnum adminiſtrat, cum Principe Condæo à Sixto Quinto excommunicatus erat, re ipſa probarunt, hanc furioſam excommunicationem non tenere. Nam non tantum verbis hanc improbi hominis audaciam retuderunt, ſed etiam multos quibus executio commiſſa erat, ita exceperunt, vt iamdudum extra hominum communionem ſint. Henricus III. qui à Monacho occiſus familiæ Valeſiorum finem dedit, Henricum Borbonium, ſucceſſorem declarauit, pro quo etiam, ab omnibus Regni Galliæ fidelibus acceptus & habitus eſt. Et licet à Pontifice excommunicaretur, nonne Bullam illam Pontificiam à Carnifice publice lacerari & comburi ipſi Catholici in Gallia iuſſerunt, tanquam hæreticam, & ſeditioſam, cuius ignis recentis adhuc quaſi fumos vidimus. Elizabetham Angliæ Reginam nuper defunctam Pius V. ſimiliter excommunicauerat, illa tamen nihilominus, cum in ſummo flore feliciſſime & de tot Pontificibus Romanis, & eorum cōplicibus triumphando ſeros annos exegiſſet, pacifice defuncta, Regnum Iacobo VI. Scotorum Regi ſucceſſori integrum & florens reliquit. Et conſtat hoc ſeculo noſtro nullum Regem vel Principem maioribus inſidiis à Pontificis maxime Ieſuitarum inſtinctu miſſis petitum, tamen diuinitus conſeruatam fuiſſe, vt quaſi Deus de cœlo horum hominum os mendax & improbum, quo maieſtatem lædunt, vt de iis Iudas *a* prædixit, diuerberauerit. Prætermitto Danos, Norwegos & Suecos: a *Cap.1.v.8.*
Annon Rex Poloniæ Statibus & Nobilitati Polonicæ, quæ Euangelium amplectitur, libertatē religionis permittit? quod ſi verum eſt, quod hic dicit, ſine dubio præiudicat Pontifici in Iure ſuo, aut, quod verius eſt, non putant Poloni etiam Catholici hoc ius Papæ Romano competere. *Riſu res digna eſt.* inquit Bodinus *b*: *Quod non modo Genuenſibus, ſed etiam Philippo Hiſpaniarum Regi ſacris interdictum fuit: quod hic quidem acciperet, illi vero darent fœnori pecuniam* (nam & fœneratores inter hæreticos numerant) quanti Rex Hiſpaniarum eam excommunicationem fecerit ſciant omnes. b *Bodin.lib.6. num.667.*
Si antiqua exempla requirimus, Prophetæ Veteris Teſtamenti Reges Iudę vel Iſraelis, qui ad cultus idololatricos defecerant, regnis ſuis ſpoliarunt, prædæ & direptioni ea exponendo. Iam vero certum eſt Prophetas Veteris Teſtamenti ſe liberius nonnunquam rebus ciuilibus immiſcuiſſe, imo etiam Principes, Reges & Iudices fuiſſe. Pontificum autem Romanorum poteſtas ſine dubio non erit maior quam Prophetarum & Apoſtolorum, quos tanti faciunt, vt conſtat. Sequitur alterum de Tyrannide, ſic enim id intelligimus, quod inquit: *Si vt aries furioſus contemto paſtore in oues graſſetur*, ſed & hæc cauſa nulla eſt alium regno ſpoliandi, maxime ſi id Pontifex faciat. Iuriſconſulti vt & fere omnium Re-

gnorum ſtatuta & pacta id docent & volunt, vt ſi quis regno & ſubditis abutatur, regno careat. Paulus Neronem, quauis bellua immaniorem, minime Imperio priuabat. Si dicent ſuam commiſſionẽ tantum ad eos pertinere, qui in eodem corpore Eccleſię ſint, probent hanc limitationem, quod tum fiet, quando Regulam demonſtrabunt. Petrus dicitur Romæ Epiſcopus fuiſſe, quando vero hic vel eius ſucceſſores ob crudelitatem Impp. vel Præſidum Prouinciarũ ad arma conclamarunt, aut ſubditos à iuramento fidelitatis perfide liberarunt, quod his Pontificibus aut perduellibus tralaticium eſt. Quid quod ij qui ſacra docent, regulis & exemplis demonſtrant, Eccleſiæ hoc quaſi proprium eſſe, vt tyrannis domeſticis & externis ſubiecta ſit, & tum eius ſtatum aut ſplendorem quam optimũ eſſe. Qui igitur tyrannos è medio tollere volunt, ordinationi Dei reſiſtunt, nec volunt hi vicarij, vt Dominus eorum in medio inimicorum ſuorum dominetur, in quo grauiſſime eius autoritati derogant. Nec etiam, vt ad eos veniamus, qui aliquatenus Chriſtum profeſſi ſunt, (nam hic piſcator ſuũ rete ad eos extendit, qui Chriſtum etiã nomine gloriantur) omnes vel verbo vel facto ſuæ cenſuræ & ſpolio ſubiecerunt. Longobardi crudeliter in Italia graſſati ſunt, quis ex Pontificibus vel mutire aduerſus eos auſus fuit? Idem de Exarchis iudicium eſto. An non hi contra ſibi legitime Imperium in Papas ſumſerunt, eoſq; nonnunquam vt perfidos homines, de ſede iſta Apoſtatica deiecerunt? Noſtro ſeculo illuſtre exemplum Tyrannidis in Chriſtierno Rege Daniæ & Suediæ fuit, qui non à Pontifice, ſed ab iis, qui coronam ipſi dederant, eadem rurſus priuatus fuit. Nota eſt hiſtoria Regis Ferdinandi Neapolitani, cuius vt & filii eius Alfonſi inaudita crudelitas fuit, & quamuis Papæ beneficiarii eſſent, tamen tantum abeſt, vt eos è regno eiecerit, vt & cum Ferdinando, Alexander Sextus de matrimonio inter liberos conciliando egerit. Idem de Richardo Angliæ Rege & aliis exemplis ſentiendum. Quis tyrannos plerunq; exitus maneat à Deo cuius regnis abutuntur, ſi quis ſcire velit, legat AntiMachiauellum *a*. Sed cum religio Chriſtiana ſub his tyrannis nullum detrimentum paſſa ſit, quẽadmodum nec ſub ignauo Hilberico, qui non à Papa, ſed potiſſimum à regni primatibus abdicare ſe iuſſus eſt, ille ſaltem perfidiæ cruſtam & colorem obduxit: hoc ſcilicet Petrus vel Chriſtus feciſſet. Quia hanc quæſtionem ſtatus Imperii nobis in exemplo Alberti & Quenceſlai Imperatorũ deciderunt, cum vterque ad Imperium ineptus eſſet, his præiudiciis contra Bellarminum libenter acquieſcimus. Et cum in tempora Wenceſlai Huſſiacæ controuerſiæ de religione incidiſſent, cõſtat eas non à Pontifice ſed à Concilio deciſas eſſe. Sic Carolus Craſſus cum ad Imperium ineptus eſſet, ab eo depoſitus eſt, ſed non à Pontificibus. Sic Carolomanni Filium Ludouicum, quem propter torporem *Fayneant* denominarunt communi conſenſu à Regno depoſuerunt, quod & omnium regnorum exemplis, ſi opus eſſet, probari poſſet. Certe multi ex Græcis imperatoribus ab Imperio deiecti, non à Pontificibus, quorum autoritatem ne quidem in Eccleſiaſticis (nedum in politicis,) vnquam magnifecerunt. Sed quid tandem ex hoc Bellarmini commento efficiemus? hoc nimirum, ſi Ieſuitæ credimus, Imperatores noſtros, qui à Pontificibus nefarie excommunicati fuerunt, quales fuerunt Fridericus vterq;, Philippus Otto IV. vterq; Henricus, IV. & V. Ludouicus Bauarus, vel hęreticos, aut tyrannos vel ignauos fuiſſe. Atqui omnes communem errorem ſecuti, & religionem Põtificiam profeſſi ſunt, quod & Bellarminus de Friderico & Ludouico Bauaro Pontificis hoſtibus teſtatur. Omnes placidi & ad Reip. gubernacula aptiſſimi, à Pontificibus ipſis approbati, & ad tantum culmen, vt loquuntur, ſublimati. Quid igitur, quæret aliquis, cauſæ erat tanti odii, quo ſummi iſti Paſtores has ſuas oues, tanquam lupos & grauius etiam perſequebantur? Hoc nimirum: alii ex iis iura Imperii defendebant, alii ius ſuum amiſſum repetebant, & Papis abiudicabant. Hæc erat illa hæreſis. Hoc eſt illis perduellibus eſſe ſchiſmaticum, ſi quis Imperator aut Rex exiſtat, qui ementito iſti Petro laruam aut cucullum detrahat, aſino, inquam, Cumano pellem Leonis, & in ordinem redigere cogitet. Sed & aliud hinc ſequitur, quod ſi Pontifices tribus iſtis caſibus tantum ſeſe de regnis & Imperiis intromittere habent, eoſdem nihil iuris in Reges à ſe coronatos conferre potuiſſe, & eos, qui nullá coronam acceperunt, eiuſdem nominis, iuris & dignitatis eſſe: nec enim illi tales erãt quales deſcribit Bellarminus, nec his vllus defectus obiici poteſt. Propterea etiam à Leone nulla Imperii tranſlatio facta eſt, quia Græci, quibus hic ignauiam obiicit, quos alii dicunt viribus impares fuiſſe, ni ſuo Imperio ſalui permanſerint, ſuumq; ius Carolo & eius ſucceſſoribus, ſicut & vrbẽ ipſam, totãque Italiam ceſſerint. Sed hic aliud quæritur & non immerito: cum Auguſtinus Steuchus ex Actis Vaticanis nobis cõmunicarit: *Nullum fere eſſe regnum in toto orbe Chriſtiano, quod nõ ante quingentos annos vel circiter Papis Romanis à Regibus beneficiarium factum ſit, vt non aliter quam Vaſalli Domino ſuo obnoxii fuerint*; præter Imperium Germanorum, nam id contentione, quæ Friderico I. intercesſit cum Adriano IV. definitum, & Imperium ab huiuſmodi vaſallagio liberum vindicatum eſt, qui hoc fieri vel conſiſtere poſſit, cum eo, quod Pontificis adulatores ſuo domino ius in omnia regna ſiue limitatum ſiue indeterminatum tribuant, idque ex iure diuino, quod fortius eſt, quam omnia iura humana vel ab hominibus inuenta eſſe poſſint. Quod ſi ex iure diuino, hoc Pontifex habet, quid opus eſt alio titulo, nam id quod meũ eſt amplius meum fieri non poteſt. Factis igitur negant, quod verbis tantopere aſſeuerant & iactitant. Si tale quid Aduerſarius nobis obiectare poſſet, bone Deus, quos ludos faceret, quos cachinnos tolleret! Sed quid multis opus eſt? ipſi Reges, qui Veiouẽ hunc Tarpeium colunt & in pretio habent, multoties facto ipſo declararunt, huic monſtro nullum in ſe ius competere. Non recenſebimus Imperatorum Romanorum multa & varia, qui huiuſmodi portenta de ſede deiicere non ſemel auſi fuerunt. Notum eſt illud Philippi Pulcri Regis Galliæ breue & elegans reſponſum, quod Bonifacio VIII. dedit, qui ſibi Regem in ſpiritualibus & temporalibus ſubditum

eſſe

P. Comminæus, & Fr. Guicciardinus.

a lib. 3. Theorem. 8.

eſſe contendebat: Sed & hic Philippus his non contentus Sarram Columnium Romam miſit, qui adiuuantibus Gibellinis Pontificem in domo paterna capit, captumq; Romam perducit, vbi quinto & trigeſimo die poſt dolore animi confectus periit, cui ita Platina parentauit a: *Bonifacius qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, & populis terrorē potius quam religionem inicere conabatur, quique dare regna & auferre, pellere homines atq; reducere pro arbitrio animi conabatur. Auri vndiq; conquiſiti plus quā dici poteſt ſitiens.* Vera & ingenua confeſſio hominis Itali, Pontificii & Pontificibus familiaris. Putauit ad Pontifices non pertinere Regnis & Imperiis transferendis ſeſe occupare, ſed magis pietati & religioni operam dare. Si in media Germania noſtro ſeculo vixiſſet, nihil illuſtrius ſcribere potuiſſet. Sed & hic Platina tantum Bellarmino probatur, quantum pro ipſo facit. Sic Anno 1512. Legati Imperatoris Maximiliani cum aliquot Cardinalibus & Regis Galliæ Legatis Concilium Piſis indixerunt, bello quoque ſanctum illum patrem grauiter afflixerunt, nec tantam illius Monachi dignitatem eſſe putabant, quam offendere non liceret, multo minus ſe regna & Imperia ſua ab ipſo poſſidere. Alterum exemplum Regis Franciæ non minus illuſtre eſt, quam quod diximus. Nam cum eodem Pontifice, vt dictum eſt, geſſit inimicitias, in cuius rei fidem etiam publice monetam percuſſit, in cuius altero latere erant inſignia Regni Galliæ & Ducatus Mediolanenſis, in altero vero latere illud. PERDAM BABYLONEM b: quod ex Apocalypſi Rex didicerat. Vtinam vero illud feciſſet, Regnum & poſteri eius melius habuiſſent. Quod ſi omnes Reges Chriſtiani Regna ſua ab eodem Pontifice in feudum recognoſcunt, grauem feloniam commiſit Carolus V. cuius exercitus Romam oppugnauit, atq; etiam expugnauit, cepit ac diripuit. Cum etiā ipſe Papa Clemens VII. à Cæſarianis militibus eſſet obſeſſus, tandem multo ære libertatem redimere coactus, præter alia incommoda, quibus ea tranſactione cum Cæſare affectus eſt. Nulla melior occaſio dari vnquā potuiſſet tam vtilis & ipſis Regibus ſalutaris rei perficiendæ. Sed perdet eum illuſtris filii Dei aduentus, qui imminet. c Caroli V. filius Philippus Rex Hiſpaniarum Catholicus, miſit Ferdinandum de Toledo Albæ Ducem: at quantum Catholicum? contra Papam omnium Catholicorum *dominum & Deum*, (ſic enim eum appellant) qui niſi imperata feciſſet, malum præ foribus habuiſſet. At Philippus etiam vaſallus eſt Pontificis Romani, quod vel Bellarminus nos docuit, vt audiuimus. Supra de Maximiliani II. Imperatoris & omnium ordinum Imperii querela dictum. cum Pontifex Florentinum Magnū Ducem creaſſet & poſt Regem ſalutaſſet. Idem de Carolo IX. Galliæ Rege ſcribitur, quod hac ſuperbia Pontificibus offenſus ad multos alios Reges ea de re ſcripſerit, ſicque nihil minus crediderit quam Pontificem ius Principes aut Regs faciendi habere. Nec dubitamus quin omnes Catholici Principes & Reges idem ſentiant, Pontificem in ſe ſuaq; regna nihil iuris habere, nec ſe ab eo regna ſua in feuda recognoſcere, & Bellarmini limitationes vel reſtrictiones, aut etiam aliorum ampliationes, nihil niſi Ieſuitica aut Monaſtica adulatorum ſomnia eſſe: ſe vero à ſolo Deo Opt. Max. regna ſua recognoſcere, & contra Pontificum, ſi vel hæretici fiant, quod ſæpiſſime accidit, vel alias vita & moribus ſint inemendabiles, ad exempla Conciliorum, Imperatorum, aliorumque Regum & Principum, caſtigandorum & è ſede deturbandorum ius poteſtatemque habere.

a *In vita huius Bonifacii.*

b *Author Bruti ſu minus.*

c 2. *Theſſ.* c. 2. *verſ.* 8.

CAP. X.

Non omnes, qui falſum dicunt, mentiri: Nec Proteſtantes ſeditioſos & turbulentos eſſe: ſed contra Monachos & Ieſuitas omnium turbarum & ſeditionum authores fuiſſe & adhuc eſſe.

SED antequam finem faciemus, operæpretium nos facturos arbitramur, ſi aliquot quæſtiones huic tractatui ſubiiciamus, quæ nec à propoſito noſtro alienæ, nec tamen plane ad id accedunt: ſaltem ex ipſo libro aduerſarii earum occaſio nata eſt. Prima eſt, an is, qui falſum aliquod dixerit, cōfeſtim mentiatur: ſolet enim Bellarminus non tantum in hoc libro, ſed etiam paſſim aduerſariis ſuis, ad tertium quodq; verbum Mendacia, Mendacia obiectare, in tantum, vt nemo fingendorum mēdaciorum ſolertior artifex ſit, & plane intelligamus, ex quo ſpiritu loquatur. Altera quæſtio eſt cum Bellarminus ante concluſionem in cauſa, Germanos hortatur, vt *ſecum ipſi cogitent, quinam ſint, & à quibus maioribus originem duxerint, qui ſedem Apoſtolicam certatim honorarint, nec audiāt Illyricum & ſimiles homines obſcuros, ſeditioſos ac turbulentos, qui impius ſuis furoribus temeritate & inconſtantia vniuerſam Germaniam ſectis, ſeditionibus & tumultibus repleuerunt*, de hoc quoque videndum non quidem probandi, ſed magis colorandi cauſam principalem, An iſte mendaciorum ſcriptor verum dixerit, & vtrum Germani vel Romani Pōtifices omnium ſeditionum autores, & aduerſus dominos ſuos Impp. rebelles fuerint, ſeditiones in & extra Imperium mouerint, & ſic ſua malitia totum mūdum ſectis & tumultibus repleuerint. De primo videamus. Quia autem omnis diſputationis principium à definitione proficiſci debet, à qua etiam tanquam natura rei totius quæſtionis dependet, primo ponamus mendacii definitionem. *Mendacium*, inquit Accurſius, in l. de ætate. §. ſi cum eſſet. ff. de interrog. act. *eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi.* Hæc definitio etiam Auguſtino probatur & citatur in *decreti* 22. *quæſt.* 2. *cap.* 5. probat igitur eam ius Canonicum, & ipſi ſcriptores; Maſcard. *Concluſ.* 1024 *in pr.* Duo igitur ſunt requiſita in Mendacio, & vt ſit mendacium. Quando autem lex duo coniunctim requirit, non ſufficit vnum probare: & ſi vnum deficiat requiſitum, res quoq; ipſa deficit. Alii ſic definiunt, *quod Mendacium ſit aliter loqui vel geſtibus declarare, quam ſentias & quam ſe res habeat, quia mentiri ſit aduerſus mentem ire.* Hęc poſterior notatio etiam aliquando iure probatur: ſic Teſtamētum quaſi teſtatio mentis in iure dicitur. Liquet igitur mendacium non cōmitti ſine dolo malo, & dolū Mendacii formam eſſe. Dolus autem, vt Iureconſulti docent ex *l. quod adhibitis. C. de his, qui ſibi in Teſtamento aſcrib.* in verb. *Credo te magis errore quam malitia incidiſſe*, non præſumitur niſi probetur, quiſq; autem

bonus

bonus præſumitur, non malus vel doloſus *l. merito. ff. pro ſocio. cap. fi. de præſumt.* Maſcard. *Concluſ. 531.* maxime ſi quis ex aſſerto dolo non eſſet recepturus commodum aliquod quoniam in hoc caſu non præſumitur, id quod etiam in hoc noſtro locum habet: nullum enim commodum ad Illyricum vel quemquam proteſtantium redit, ſiue Pontifex Imperium tranſtulerit ſiue non, nec etiam quæſtio religionis eſt, aut quem articulum fidei concernit. Sunt etiam multa quæ nos à falſo, multo magis à dolo excuſant, non dicimus de crimine falſi, quod lege Cornelia de falſis & Senatuſconſulto Liboniano coercetur: ſed de eo falſo, cui verum opponitur: non aliter ac Dialectici enuntiatum in verum & falſum diuidunt, quod falſum ſcientiam præſupponit, nemo enim falſum dicere poteſt, niſi ſciat rem aliter habere ac loquitur, In huiuſmodi quæſtionibus bene diſtinguitur inter ignorantiam iuris & facti: quemadmodum & inter ignorantiam atque errorem differentia conſtituitur, quod ignorantia ſui natura & ratione non ponat aliquem cognitionis actum. Error vero ponat iudicium peruerſum, atq; in eo error præſupponit aliquam noticiam eius circa quod erratur, nempe per famam, viſum vel opinionem. Et ideo Auguſt. in *Enchiridio. c. 7. ad Laurentium*, quod eſt relatum in cap. *Quãuis. diſtinct.* 38. recte dixit, *errorem eſſe, vera pro falſis approbare, ignorare vero eſſe, nihil approbare, cum ſit ſimplex ſcientiæ priuatio.* Duplex igitur parata eſt his immodicis mendaciorum obiectoribus reſponſio: nam & communis hominum opinio & praxis pro veritate facit, vt enim ſecundum Ciceronem, *fallere & decipere turpe eſt*, ita labi atque errare humanum eſt. Huic quoq; ratio iuris conſentit. Et quidem de Ignorantia iuris nihil hic admodum laborandum videtur. Nam in iure gentium nihil de his quæſtionibus diſpoſitum legitur, ſumamus enim quæſtionem principalem: Nimirum, quod Pontifices Romani Imperia & regna transferant. Item de hiſtoricorum aliorumq; ſuper ea quæſtione, auctoritate & fide: ſed & hæc ſententia quam Bellarminus defendit iuri gentium potius aduerſatur. Nam omnibus hoc innatum eſt eſſe Deum, qui res humanas, maxime autem Imperia curet, eaque pro arbitrio transferat, idque certis modis & cauſis, ſucceſſione, electione & ſimilibus: & hanc rem minime ex arbitrio Flaminum, ſacrificulorum aut Monachorum pendere, id quod Græcorum & Romanorum Principum exempla ſatis oſtendunt. Si quis ius diuinum pro ſe facere velit, (ſolent enim ex paucis verbis Chriſti, quæ Petro dixit, illud expiſcari,) is certe fallitur, & ſupra atque alibi contrarium oſtenſum eſt, cum etiam expreſſę prohibitiones in contrarium ſint, vt nimirum Apoſtoli & ſucceſſores eorum rebus ſecularibus ſeſe non immiſceant, ſed docendi munere contenti, intra vocationis ſuæ terminos ſeſe contineant, quod & ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus aliquot ſecula factum. Ignorantia etiam facti à mendacio excuſat: hæc duplex eſt. facti proprii & alieni. Quãuis autem iura in proprio facto errorẽ & ignorantiam non præſumant. l. plurimum. ff. de iur. & fact. ignor. tamen nec confeſtim ad mendacia errores transferant, benigne potius interpretantur, quam vt eos errantes eadem pœna condemnent: quod fecerũt illi antiqui Romani & profani, ſolo naturæ inſtinctu, & prudentia politica præditi homines, qui hos rabulas Romanos multis præcedunt paraſangis. Ita ſi agatur de damno vitando. *l. ſed etſi me putem. ff. de condict. indeb. l. ſi poſt diuiſionem. ff. C. de iur. & fact. ignor.* Item de facto proprio antiquo: item inuoluto atq; intricato, de quibus paſſim apud interpretes.[a] Quid igitur dicendum de facto alterius, quod ante DCCC. geſtum eſt, & ita ab hiſtoricis diuerſis diuerſimode tractatum, vt vtraq; pars eoſdem pro ſe ſtare contendat, aut ſaltem Bellarm. aliquos pro ſe producat, aliquos & Illyricus & alii pro ſe allegent: ille alter & nonnunquam etiã per calumniam ſatis multorum authorum verba torqueat: hic ſenſu alio & diſſimili accipiat, in quibus ſi vel hic vel ille erret, tantus tamen error non eſt: nam ſic & in decretis legimus. 22. quæſt. 2. c. 6. *In quibus rebus nihil intereſt ad capeſcendum Dei regnum, Verum credatur an non & vtrum vera ſiue ſint, ſiue putẽtur an falſa, in his errare, id eſt, aliud pro alio putare, non arbitrãdum eſt eſſe peccatum, aut ſi eſt, minimum eſt atq; leuiſſimum.* Si hoc in facto proprio locũ habet, multo magis alieno. Et licet hæc regula interdũ fallat, vt ſi allegans ignorantiã perquiſiuerit de facto, & eius partẽ ſciuerit, item ſi alieni facti ſcriptura eſſet apud hunc allegantẽ, quod hoc loco dici poſſet, quia multi authores de hac re ſcripſerint: tamen cũ ita nec in rebus, nec in verbis aut in aliis circumſtantiis non conſentiant, vt omnẽ ſcrupulum ex animo tollãt. & vtrinq; ſaltem in ſpeciem allegabiles ſint, ſatis apparet, non confeſtim mentiri, qui negatiuam defendit, cum negantis melior ſit conditio quã affirmantis, huic .n. non illi regulariter probatio incumbit. Quod aũt de cauſa principali dictum eſt, ad acceſſoria quoq; trahendum & de ſimilibus ſimiliter iudicandum eſt. Alterum mendacii requiſitum eſt, vt qui mentitur, habeat animum vel voluntatem fallendi. Sed hæc quoq; conſentiens Iureconſultorũ concluſio eſt, quod animus directo probari non poſſit, cum ſolus Deus cordium ſit ſcrutator, Menochi. *Conclu. 94. De probat.* Similiter in decretis diſtinguitur. 22 quæſt. 2. c. 5. Beatus Petrus. §. 1. *Sed cum fallere ſemper ſit voluntatis, falli autem vel infirmitatis vel temeritatis: grauius autem ſit quod ex voluntate, quam quod ex temeritate vel infirmitate procedit, aliquando contingit falli vel nullum, vel minimum eſſe peccatum, aliquando ex ipſa varia rerum ſignificatione minus eſſe fallere quam falli.* Huc facit etiam illud, quod in eadem cauſa. 22. & quæſt. c. 3. dicitur. *quod ii qui mentiuntur, ea quæ animo ſentit, loquitur voluntate fallendi.* & ibid. §. 1. *Nemo mentiens iudicandus eſt, qui dicit falſum: quod putat verum: quia quantum in ipſo eſt, non fallit ipſe ſed fallitur: non itaq; mendacii ſed aliquando temeritatis arguendus eſt, qui falſa incautus credit, ac pro veris habet potius quam econtrario, quantum in ipſo eſt, mentitur ille, qui dicit verum quod putat falſum: quantum enim ad animum eius attinet. quia nõ quod ſentit, hoc dicit, non verum dicit, quãuis verum inueniatur eſſe quod dicit. Nec vllo modo liber eſt à mẽdacio, qui ore neſciens verũ loquitur.* Huc idem plane eſt, quod vulgo dicimus, *Maleficia affectu diſtingui.* Nemo igitur iure mendacii inſimulandus eſt, antequã certiſſimis indiciis de dolo conuinci poſſit, nã in mendacio dolus eſt.

[a] *Vide Menoch. de præſumt. libr. 6. Præſumt. 23. num. 37. cum ſeqq.*

Menoch. 5. de præſumt. nu. 73. & ſeqq.

lus eſt *l. ſi quis affirmauerit. §. 1. l. quod venditor. l. quod eleganter. § Item Pomponius. ff. de dolo malo.* Nec vero ſi dolus ſit, confeſtim dolus malus eſt, qui à Iuriſconſulto definitur. a *Omnis calliditas fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita.* Eſt.n. & alia ſpecies doli: nam veteres, ait Vlpianus b. *Dolum etiam bonum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, maxime ſi aduerſus hoſtem latroneue quis machinetur.* Et quid tandem multis opus eſt, non eſt veriſimile viros doctos, qui pro ſe tot tantaſq; præſumtiones habent, per emēdicata & emendicata ſuffragia, talem cauſam defendere velle, in qua ipſis nihil præſidii, imo quæ potius inuidiā & odium coniunctum habet, niſi ipſa rei veritate mouerentur. Nec etiam humanum eſt, quam primum alios grauare mendaciis, cum omniū rerum memoriam habere diuinitatis potius ſit quam humanitatis: & cum mendacium proprium diaboli ſit, nemo putandus eſt, prędertim vir bonus omnē omnino humanitatem exuiſſe & econtra diaboli naturam induiſſe. Sed nec ipſe Bellar. alios iure mendacii inſimulare poteſt, cum ipſe huius criminis reus ſit & incontinenti conuinci poſſit. Inſcribit titulum libri ſui *De Tranſlatione Imperii Romani:* & probare omnino vult, *Romanū Imperium a Græcis ad Francos ſummi Pontificis auctoritate tranſlatū.* Si quęras ex eo, quid nomine *Imperii* intelligat, dicit non poſſeſſionē Imperii Carolum Magnū, à Pontifice Romano accepiſſe, ſed nomen, ius & dignitatem Imperatoriam. At hoc nō eſt transferre Imperium, nomen, & ius concedere. alterum illud expectabamus. Sic enim is transfert, cuius Vicarius Pontifex eſſe dicitur. Delegati autem minor nō debet eſſe poteſtas, quam eſt delegantis, alias delegatio nulla aut inefficax eſt. Præterea ſi Pontifex ius poteſt dare ad alias prouincias, quæ occidentalis Imperii fuerunt, vt ſentit Bellar. c dabit & ius ad eam prouinciam, vel prouincias, quam vel quas habet. Dat igitur ipſam rem & per conſequens poſſeſſionem rei. Ius.n. hoc prouinciis tanquam rebus ſoli cohæret, vt ab iis ſeparari non poſſit. Qui enim ius ad rem habet, ipſam rem habere videtur. Hæc ſibi contradicunt, & à Bellar. conciliationem expectamus. Mitto mendacium, quod omnia alia ſuperat. Bellar. dicit, Pontificem dediſſe ius ad alias prouincias Imp. At vbi Pontifex hoc ius habet? Certe ſi haberet, ſuis daret, ita.n. comparati ſunt. Rurſus, Dicit Pontifices Imper. ius, autoritatē & nomen dare. Omnes Principes Imperii arguunt eum impudentis mendacii, nam tantum *Nomen* Imperatorem à Papa conſequi aiunt. At certe longe aliud eſt Imperium transferre, aliud nomen rei dare; nomen enim tantum rei nota eſt, non res ipſa. Alia in rebus ipſis contradictio eſt. Qui autem ſibi contradicit, non poteſt non mentiri. Dicit Bellarminus Papam tranſtuliſſe coronatione ſua in Carolum Magnum Imperium. Quod ſi verum eſt, certe omnes eius ſucceſſores legitimi Imperatores ſunt & haberi debent, etiamſi non ſint coronati à Pontificibus. Atqui Bellarminus, vt & omnes alii Pontificis paraſiti contendunt nullos ne ex familia quidem Caroli Imperatores fuiſſe, qui non fuerunt à Papa coronati. Quod ſi primum verum eſt, falſum eſt poſterius, & contra. Sic igitur Papa transfert Imperia, & non transfert, nō transfert & tamē transfert. In aliis quoq; articulis ſtudium eius calumniandi apparet. Illyricus d dixerat: *Solius eſſe Dei hoc, quod eius ſint omnia, quod ea det cui velit, ipſe transferat regna ac Monarchias de gente in gentē pro ſuo arbitrio. Idem dixerat homines poſſe transferre Imperia.* In his duabus propoſitionbus magnam inuēnit contradictionem hic argutus Ieſuita. Atqui Dei ſunt omnia: habet igitur ius vniuerſale in omnia regna, quod nulli hominum competit: Si enim ius particulare ſaltem habent in certis, regnis & Imperiis: ille habet iure Conſtitutionis & conſeruationis ius directum: hi iure adminiſtrationis ius vtile: ille abſolutum, hi limitatum, quatenus leges & conſuetudines permittunt. Huic affine eſt alterum, dixit Illyricus: *Antichriſtum eſſe, qui ſeſe Deo exæquat, & dicat ſuum eſſe, transferre Imperia ad quemcunq; velit.* In hoc magnam inuenit Ieſuita contradictionem e, dum ſic infert. *Ergo milites Leonis, Zeno & Anaſtaſius, qui transferunt Imperia, ſunt Antichriſti:* quæ contradictio calumnioſa eadem facilitate dilui poteſt. Nemo enim ex his ſeſe Deo æquauit nec dixit ſuum eſſe transferre Imperia ad quemcunq; velit. Hæc.n. verba, ſi diſputator recte concludere voluiſſet, reſumenda erant, ſed tantum ſua Imperia in quæ ius illud particulare habent, in alios transferunt, quod omnibus conceſſum eſt, alterum vero nota veri Antichriſti eſt, ſi quis dicat ſe vi ſui Vicariatus & ex cauſa longe diſſimili ius transferendorum omnium regnorū habere. Aliud ſequitur non minus elegans. Dicit Illyricum f mentiri, cum inquit, *Verbo Dei exaltatos eſſe Principes politicos ſuper omnē animā.* Mentitur igitur Paulus & Spiritus S. Nā per *ſublimiores poteſtates* quas Apoſtolus ſimpliciter & generaliter *ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις* nulla facta cōparatione appellat, Reges & Principes intelligi ipſa verba textus & circumſtantię temporū & perſonarum euidenter arguunt. Nondum.n. tum Apoſtolica illa ſedes à Diabolo excitata, quæ ſibi ius in omnes reges vſurparet, ſeſeq; efferret ſupra omne id quod dicitur Deus, g in rerum naturā erat. Qui igitur ipſe inter reos nomen habet, alios accuſandi ius non habet, nec quid ei credetur, cum à Papa Romano ad hoc conductus ſit, non ſecus atq; ii, qui ob calumniā faciendam pecuniam acceperunt, quiq; ſi ex L. Remmia notandus eſſet, iam dudum frontem nullam haberet. Sequitur alterum crimen, quod hic Antagoniſta aduerſariis ſuis Germanis obiicit, nimirū ſeditionis. Prætereo.n. obſcuritatem generis, quā aliis obiicit. Nā cum conſtet, quos maiores plerīq; Pontifices habuerint, & qui his præſto ſunt, atq; ab iis dependeant, quamq; ipſe Bella. generis ſui nobilitatē oſtētare poſſit, hęc generis obſcuritas nullius obiectionis eſt, & quia cauſam ipſam nō attingit, de ſeditione agamus. Hic fortaſſe aliquis putabit, Bellar. rem multis exemplis in forum ceu teſtibus aliquot productis more ſuo probaturum. Sed res aliter ſeſe habet: nihil audimus, nihil legimus probationum, quæ æque neceſſariæ fuerūt ad tantum crimen probandum, atq; opus erat, vt ius ſuū tranſlationis doceret. Affirmātis aūt eſt probare: nā ſi ſolum accuſare permittitur, quis innocēs erit? inquiebat Iulianus Imp. Solebant quoq; veteres Romani vtrāq; partē audire, nec nudis aſſertionib. accuſantiū credebant, quod vel Pauli exēplum demonſtrat. Quantū igitur hi noui Romani ab antiquis

a *l. 1 §. dolum. ff. de dol. mal.*

b *d. l. 1. §. Non fuit.*

c *lib. 1. cap. fin. in fin.*

d *cap. 1. lib. 1. pag. 5.*

e *Contradictione 20. c. 1. lib. 1.*

f *cap. 2. Mendacio 7.*

g *2. Theſſ. 2. verſ. 4.*

illis, quamuis Ethnicis, tamen probatę virtutis & fidei degenerarint, ſatis liquet. Illi putant iniquum eſſe cum diſcrimine alienæ exiſtimationis temere vagari: his impune licet in aduerſariorum ſuorum famam graſſari, vt eos calumniis obruant. Vere ne an falſo, nihil intereſt, dummodo bona fiat intentione & pro religione faciat, quod apud illos in laude ponitur. Videtur tamen Bellarminus tempus notaſſe, quo Germania ſeditionibus ac tumultibus operam dedit. nimirum, cum & ſectis variis agitari cœpit, id eſt, ex eo tempore ſeditioſi Germani facti ſunt, cum Lutherus aliiq; contra Pontificum religionem docere cœperunt, & à ſede Romana defecerunt, quorum doctrina an ſit hæretica vel ſectaria, aliis relinquimus. Certe cum tot Reges & Principes, & viros omnium nationum doctiſſimos & honeſtiſſimos aſſertores habeat, hactenus quoque nec vi nec dolo inter grauiſſima ſupplicia extingui potuerit, præterea eandem omnino fortunam, quam tempora Apoſtolorum & proxime ſuccedentia habuerunt, experta ſit, præſumtio in contrarium eſt. Non enim adeo ſalutis & honoris ſui immemores cenſendi ſunt. Atqui ex eo tempore quo doctrina reformata eſt, tres præcipui in Germania motus fuerunt, Ruſticorum, Anabaptiſtarum, & Bellum Smalcaldicum contra proteſtantes geſtum. Motus Ruſticorum non à Luthero eiuſq; ſectatoribus, multo minus à Principibus Proteſtantibus excitatos eſſe, ita notorium eſt, vt nec allegari quidē debeat: imo contra nihil verius eſt, quam hoc incēdium à Principibus non tantum Catholicis, ſed etiam Proteſtantibus cōpreſſum & extinctum fuiſſe, & præſertim Landgrauium Philippum ſeniorē Haſſiæ Principem ſtrenui & fortis Ducis officium feciſſe: Lutherum quoq; publica ſcriptione hanc rebellionem & ſeditionem, improbaſſe, damnaſſe: omneſq; Euangelicos adhuc hodie de iis ſentire, qui plebem & ſubditos contra Magiſtratum, cui poſt Deum primas tribuunt, audent colligere. Sed quid opus eſt multis? eodem fere tempore in Hiſpania motus fuerunt, adeo vt Caroli V. præſentia opus fuerit, vt eos comprimeret. Ipſa Italia Romani Pontificis ſedes & domicilium, non tantū ante tempora Lutheri, ſed & poſtquam docere cœpit annos plus quam triginta, grauiſſimis motibus & bellis ciuilibus, ipſis Pontificibus ſpectantibus atq; etiam partes nunc has nunc illas adiuuantibus, prout ipſis cōmodum erat, perturbata, afflicta & fere in cineres redacta eſt. Nicolaus Boerius in *Tractatu ſuo de ſeditioſis, ſummario primo*, multas ſeditiones ob vectigalia aucta vel alia onera, quæ ſubditis imperabantur, excitatas fuiſſe ſcribit. Nec Regnum Angliæ ab huiuſmodi motibus tutum fuit, nam duodecim Reges populi
a *Bodin. Metho. Hiſt. cap.* 6. ſeditione ac Principum coniuratione capti, aut Imperio ſpoliati fuere: *a* & ſi omnium Regnorū atq; Imperiorum hiſtorias peruestigemus, ſimiles fere ſingulis ætatibus caſus accidiſſe legentur, adeo vt hoc Germanis ſolis fraudi non ſit, nec vero vnum ex iis, qui ante memorati ſunt, cum Luthero aut Illyrico ſenſiſſe probari poteſt. Quod ad Anabaptiſtarum motus attinet, Principes Pontificii cum Euangelicis æquo iure, conditione & Marte contra iſtos fanaticos pugnarunt, donec nouum illud regnum funditus euerteretur, quod ex Actis & hiſtoriis planum & perſpicuum eſt.

Supereſt bellum Smalcaldicum, quod à Carolo V. Imperatore, cum aliquot Principibus Proteſtantibus geſtū eſt. ſed ne hoc quidem impiis iſtorum furoribus, temeritate & inconſtantia, vt hic calumniator loquitur, natum eſt. Seditiones .n. alienæ ſunt à viris Principibus, & Germanis præſertim, ſed *ſæuit animis ignobile vulgus*, vt Poeta loquitur. Conſtat ex hiſtoria iſtorum temporum, Euangelicos Principes Imperatori Carolo omnem honorē, reuerentiam atq; obedientiam præſtitiſſe, in publicis Imperii ſubſidiis, oneribus & contributionibus æquo iure cū aliis ſtatibus vſos fuiſſe. Quis autem belli iſtius autor fuerit, certum eſt, illud primo omnium à Pontifice ſubminiſtratum fuiſſe,
b *lib.* 17. cuius Bullam apud Sleidanum *b* legimus, cuius finis eſt: *Vt Deus exoratus bene vertat hoc bellum, quod Cæſar & ipſe* [Pontifex] *neceſſario ſuſceperint ad extirpandas hæreſes, & reſtituendam Eccleſiæ pacem.* Fatetur igitur Pontifex à ſe non à Germanis hoc bellum authoritatem ſuam habuiſſe. Et hoc tum ita in con-
c *Sleid. eodem libro.* feſſo erat, vt & ipſi milites & tribuni id ita eſſe intelligerent. Sic .n. Balthaſar *c* Cutlingus Wittenbergici Ducis conſiliarius, de reliquorum voluntate verba faciens ad ſui Principis militem. *Satanæ Vicarius*, inquit, *Pontifex Romanus, incendium excitare denuo cogitat, commilitones chariſſimi, quo Germania, quæ nobis ortum dedit omnibus, conflagret & funditus intereat. Huc nimirum impellit & illud, quo veram religionem perſequitur, odium acerbiſſimum, & vindictæ quoq; ſtudium ob acceptā ſuperioribus annis calamitatē à Germanis, quando Roma capta fuit atq; direpta. Carolum itaq; Cæſarem potentiſſimum excitauit, vt in Principes noſtros arma ſumat, & certo nuntiatur, ſuperbum & nefarium Satanæ Mancipium habere iam coactas tam equitū quam peditum lectiſſimorum copias non mediocres, quas ad Cæſarem mittat.* Et certe Paulus III. tum Pontifex Romanus, nepotem ſuum Octauium Farneſium cum decem millibus peditum & quingentis equitibus in auxilium miſerat, qui dixiſſe fertur, cum ex Italia diſcederet, ſe tantam eſſe daturum ſtragem per Germaniam, vt in Lutheranorum cruore natare poſſit ipſius equus. Sed dicet Proteſtantes huic bello cauſam dediſſe: ſicut & is occidiſſe dicitur, qui cauſam mortis dedit. Hæreticos ſeſe eſſe & tum negarunt, & adhuc conſtanter inficiantur, qui Proteſtantes dicuntur. Sed tamen ita eſſe ponamus. Atqui Apoſtoli & ex his Petrus, cuius ſe ſucceſſorem Pontifex mentitur, non armis & bellis hæreticos oppugnabant, ſed alia via inſiſtebant, quam ipſi Imperatores, (etiamſi armis decorati ſint, vt Iuſtinianus loquitur, & bella eis gerere liceat) poſtea ſecuti ſunt, Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus & alii, qui rei Chriſtianæ pie præfuerunt. Si Papa verus Apoſtolicus eſſet, ad hanc viam ineundam Imperatorem cohortari, & ſuo exemplo præire debuiſſet. Hoc quoq; optimus ille Imperator ex poſt facto ſenſit, non armis tuendam hanc cauſam eſſe, quando iis ipſis, quos inſtigāte Papa oppugnauerat, libertatē & pacem religionis concederet, quod ſine dubio minime facturus fuiſſet, ſi ſectarii, hæretici, ſeditioſi & tumultuum auctores fuiſſent, qualiter nunc à paraſito Rom. tacite de-

nigrantur

nigrantur. Huius pacis beneficio Germania hactenus quieta fuit, qua felicitate nemo nos, qui etiam exteris regnis exemplo eſſe poſſumus, ſpoliare vult, ſi poſſet, quam eius ſucceſſor, qui primi belli autor fuit, Ieſuitis & eius generis hominibus rem promouentibus, & ſolem è mundo tollere conantibus. Hæc accuſatio eſt aduerſariorum, ſequitur Depulſio. ſic enim Bellarminus pergit. *Illud certe hiſtoricorum omniũ literis ac vocibus teſtatum extra cõtrouerſiam eſt nunquã magis potentia atq; opibus floruiſſe Germaniam, quã cum illi imperarent, qui ſedem Apoſtolicam inprimis venerabantur.* Potuiſſet enim quis cogitare, etiam ſub Pontificibus imo & ab iiſdem bella geſta, Romani Imperii prouincias deuaſtatas, Imperatores ipſos à Papis oppreſſos, Germaniam miſere afflictam fuiſſe, his ita occurrit Bellarminus, vt diximus. Sed quia hęc nuda aſſertio eſt, nullas vires habet: non enim in nuda aſſertione ſed in probatione rerum momenta ſubſiſtunt. Et hæc longe petita ratio eſt. Floruit Reſp. Romana, vt & alia regna & Imperia etiam ſub Imperatorib. Ethnicis & profanis, quis inde de religione inferre velit, eamque veram & Deo gratam fuiſſe contenderet? Deus enim & hoſtibus ſuis benefacit. Sed & hoc falſum eſſe facile demonſtrari poteſt: ſequamur ſtylũ Bellarmini, & ad tempora Henrici IV. veniamus, de quo ita Bellarminus a: *Hic primus ex Germanicis Imperatoribus cum Romanis Pontificibus graues inimicitias geſſit. & ſi certis de cauſis Gregorium Septimum Põtificem oderat, auctoritatem tamen Romanæ ſedis ſuper omnes homines, atq; adeo ſuper ipſos Reges & Imperatores nunquam negauit.* At hic ipſe Imperator, qui nulla in re peccaſſe ab hiſtoricis dicitur, quod & euentus demonſtrauit, quã quod ius ſuperioritatis ſuper Pontificem & collationes Epiſcopatuum ſibi debitas defendebat, in quo ius diuinum & humanum pro ſe habuit, & omnium maiorũ ſuorum exempla tam Græcorum quã Latinorum Imperatorum, à Papis excõmunicatus, proſcriptus, ei Dux Sueuorũ Rudolphus oppoſitus eſt, vnde tot bella & diſſenſiones animorũ & virium natæ ſunt, vt ſi quis neget tum Germanię opes multũ imminutas & fractas fuiſſe, is bellorum ciuilium incõmoda neſciat, quæ etiam nunc nobis ob oculos verſantur, & tãtum credit quæ Bellarminus dicit. Idem de temporibus Fridericorum Imperatorum primi & ſecundi dictũ eſto. Quis vnquã demiſſius à Pontifice veniam petiuit quam Fridericus primus? quis Rom. ſedis ſtudioſior, quã idem Fridericus? At quot modis afflictus, proditus, à Papis fuit? Æterna memoria dignũ eſt, quod Alex. III. in eundem Venetiis admiſit, cum bonus Imp. falſa religione perſuaſus humiliter abſolutionẽ peteret, calcibus ſe feriri paſſus eſt, cũ hoc elogio aſtantium monachorũ ex Dauidis Pſal. b: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis.* Hoc certe non eſt Germaniam opibus & potentia florentem facere: quomodo. n. ſalua eſſe & florere poteſt Imperium, ſi Majeſt. Imperatoria pedibus conculcatur? ICti hoc læſæ Maieſtatis crimẽ appellant, ſi Imperatoris ſtatua conſecrata violetur, quid de ipſa Imp. perſona dicemus, quæ ſancta & inuiolata eſſe iure debet? Friderici II. tempore hoc ſchiſma in Italia natum eſt, vt qui partes Imperatoris ſequerẽtur Gibellini, qui vero Pontificum Guelphi dicerentur, quæ diſtractio adhuc in hodiernum diem durat. Dici non põt quam multo ſanguine hæc diſſenſio conſtiterit, & quæ adhuc Italiam, cuius, vt Henricus V. inquit: *Latæ prouinciæ in ſocietatem regni Germanici fraterna pace iuſtitia ac legibus cõponuntur, inteſtinis diſſidiis continet.* Philippus Imp. etiamſi Pontificum odio preſſus & fere oppreſſus, tamen Maieſt. Imperii reliquam ita conſtanter defendit vt eam etiam inuito Pontifice ad vltimum vſq; vitæ ſpiritum conſeruauerit: diutiuſq; ſeruaſſet, niſi tam fœde cæſus fuiſſet. Ludouici Bauari hiſtoria ita illuſtris eſt, vt nulla eius generis, quã hic non intexuimus. qui cognoſcere eam vult, is apud hiſtoricos obuiam habet. At quantus Imperator, cui ad ſummũ nihil defuit? Atqui vt dictum, hi omnes ſedem Apoſtolicã venerati ſunt. Sed dicet Bellarm. ſe de iis loqui, qui eam venerati ſunt *inprimis.* At quis maior honos quam Pontifici ſeſe vſque ad pedum oſcula, imo concuſſionem demittere? Quæ maior dignitas quam hominem tanquam Deum adorare, & pro Chriſti Vicario agnoſcere? eiuſq; excommunicationes tanti facere, vt abſolutionem magno ære redimas? Contra, ſi rem recte examinauerimus & cum veritate hiſtorica contulerimus, inueniemus, nullo tempore Germaniam, ſuper qua, vt Carolus in principio Aureæ Bullæ loquitur, Romani Imperii Maieſtas fundata eſt, infeliciorẽ fuiſſe & minus potentia atq; opibus floruiſſe, quã ſi imperauerint hi, qui omnia ad nutum & voluntatem Romanorũ Pontificum fecerunt. Id quod tempora Rudolphi I. Caroli IV. Wenceſlai & aliorum arguunt. Nam primus præter aliorum Cæſarum donationes immenſas, & quarum tamen Papa capax non eſt, etiam toto exarchatu ceſſit. Putabant. n. optimi Impp. ſe hoc modo rem gratã facturos Petro, qui neq; viuus neq; iam rebus humanis exemtus eiuſmodi dominia & potentiã poſtulat. Alter ita imperium afflixit, vt Imp. fere nihil reliquum ſit, adeo vt, cũ omnis potentia in Pontificem tranſlata ſit, falſo Bellarm. quem ex proprio allegato inſtrumento conuincimus, contra glorietur, Germaniã ſub Pontificibus potentia floruiſſe. His immenſis donationibus Imperium debilitatũ eſt, alio quoq; modo Imperatorum Germanorũ, & aliorũ Regum vires infregerunt. Nam bellis Aſiaticis, quæ pro recuperanda terra, quã vocant, ſanctã, ſuſcipiebantur, non tantũ multæ hominum myriades perierunt, ſed etiam abſentibus Imperatoribus, ipſi Põtifices rem ſuam fecerunt, quæ omnia ſuperſtitio confirmabat: Nam alias vix fieri potuiſſet, vt tam generoſa pectora intolerandam iſtorum hominum ſuperbiã & malitiam ferrent. Præterea cum potentia & opes ex eo genere ſint, quæ diuinitus conceduntur, quomodo probabit Bellarminus hæc tum dari, ſi Imperatores vel Reges Pontificem venerentur? Hæc nondum definita ſunt in conſilio illo, quod dicunt Romani Pontificis adulatores vicarium cum Domino ſuo commune habere, & qui maiori ſtudio ſuæ dignitatis obſeruantes ſunt quam Pontifices, & tamen hi ipſi non ſemper eodem opũ & potentiæ gradu ſubſtiterunt. Priſci enim Epiſcopi nihil huiuſmodi habebãt, quæ nunc hi ſucceſſores eorum habẽt & poſſidẽt. Pipinus Rex Galliæ primus potentiam & opes

Pontifici

a lib. 2. ca. 12.

b Pſalm. 91.

Pontifici contulit: quare ex hoc fallaci & inconſtanti concluſione nihil ſolidum ſequitur. Si noſtra videamus & conſideremus tempora, non inuenimus, eos ſemper qui ſedem Romanam coluerunt & venerati ſunt, potentia & opibus florentes fuiſſe: Exemplo eſt Regnum Galliç, cuius quatuor Reges Valeſij ordine ſucceſſiuo eximij Romanæ religionis cultores fuerunt, ſed quo & in quantas anguſtias illud continuis bellis deuenerit, nulli non notum eſt. Quinam grauius afflixerunt Regnum illud, quod nunc continuos fere quadraginta annos cum propriis ſubditis bellum irreconciliabile gerit, quam ij, qui pacis & concordię autores & ſuaſores Regibus ſuis eſſe debuerunt: id quod Chriſtus & Apoſtoli feciſſent, ſi talis caſus ſuo tempore, rebus ita ſtantibus, incidiſſent. Falſum igitur eſt quod Bellarminus ait, nam non ſolum ſtatus Imperii ab iſtis Pontificum furiis eſt debilitatus, ſed etiam in ipſas perſonas Imperatorum Pontifices impune graſſati ſunt, iiſque manus immiſerunt. Quam ſcelerate Gregorius ſeptimus Hildebrandus ante dictus, Henrici Quarti vitæ inſidias ſtruxerit, Cardinalis Benno teſtis eſt: *Imperator ſolitus erat frequenter ire ad orationem ad Eccleſiam S. Mariæ, quæ eſt in monte Auentino. Hildebrandus autem cum per exploratores ſuos omnia eius opera ſolicitè inquireret, locum in quo frequentius Imperator vel ſtans vel proſtratus orabat, notari fecit, & quendam promiſſa pecunia ad hoc induxit, vt ſupra trabes Eccleſiæ occulte magnos lapides collocaret, & ita aptaret vt de alto ſuper caput orantis Imperatoris dimitteret, & ipſum contereret. Quod miniſter tanti ſceleris cum feſtinaret implere, & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare vellet, lapis pondere ſuo eum traxit, & fracta ſub trabibus tabula & lapis & ille miſer homo Dei iudicio in pauimentum Eccleſiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus eſt.* Quis Henricum VII. Luzelburgenſem Imperatorem fortiſſimum veneno in Euchariſtia porrecto occidit niſi Monachus Florentinus, qui hanc artem à ſuo magiſtro didicerat? Recentiora habemus exempla, quæ negari non poſſunt, & non in Reges hæreticos quos appellant, ſed in Catholicos admiſſa ſunt. Nam Reges, Reginas, & Principes Euangelicos impune licere occidere, iamdudum apud illos peruulgatum, laudabile & meritorium eſt. Henricus III. Rex Galliæ an non à Monacho cultello venenato occiſus eſt? An non ij, qui ſe Clericos dicunt, & Catholicæ fidei columnæ ſunt, prius Henricum hunc è regia exturbarunt, tot tantiſque conuitiis & iniuriis affecerunt, qualibus nunquam auditum, nunquam lectum, Regem & quidem Catholicum à ſubditis affectum fuiſſe? an non ſtatuas, ſigna Regia deiecta, in terram afflixerunt? An non Monachi armati cohortes & fere legiones ſicariorum duxere, atque in excubiis ſtetere? cuius furoris flamines Romani non tantum approbatores, ſed etiam laudatores & hortatores fuerunt: imo Roma miſſi ſunt, qui factiones iſtas alerent, è quorum numero Bellarminus quoque fuit (ſi verum eſt, quod ſcribitur) ita vt iam nihil Luthero obiicere queat, quod in malos Principes durius inuectus eſt: hi vero bonos & quidem Catholicos ita tractant, vt politici & regalis ſtatus potius euerſores, quam regnorum tranſlatores habendi ſint. Quid non proditionis & inſidiarum in Henricum IV. modernum Galliæ & Nauarræ Regem moliti ſunt? Quidam è ſchola, eorum hominum, quorum non Ieſus ſed aduerſarius Ieſu caput eſt, an non in ipſa luce hominum Regi ſuo manus inferre nefarie auſus eſt, eo quod Regem, qui nondum Pontificiam excommunicationem emeruiſſet, impune occidere liceret? certe Senatus inclytus Regni Galliç perpetuam notam his regicidis inuſſerunt, (etiamſi nunc loco non tamen animo reſtituti ſunt) dum eos, à quibus hæ diſputationes proficiſcuntur, tanquam peſtes peſtilentiſſimas & pernicioſiſſimas publica ſententia à Galliæ Regno exturbarunt, & in perpetuum expulerunt. Quo graui præiudicio oſtenderunt etiam has Ieſuiticas ſcriptiones, in quibus de iure Magiſtratus Regum & Principum agunt, & neſcio quod ius Pontificum in eos defendunt, falſas, & de mendacio, imo ſeditione ſuſpectas eſſe. Et cum hæc ſententia in vno loco lata digna ſit, quç etiam in aliis omnibus, in quibus hi delinquentes reperiuntur (nam omnes idem ſentiunt & defendunt, & ſi poſſent, etiam exequerentur) executionem habeat, ſaluti quoque & paci publicæ conſultum eſſet, ſi omnibus aliis orbis Chriſtiani prouinciis exire iuſſi Romam ad Pontificem remitterentur.

Quod vt aliquando fiat, Deum, qui ordinem politicum inſtituit, & conſeruat, quique ſolus regna transfert & potentes de ſede deturbat, ex animo oramus. AMEN.

DEO SOLI LAVS ET GLORIA.

PARS

PARS X.

Continens

DISCVRSVS ET TRACTATVS HISTORICO-POLITICOS, VARIE INSTITVTOS AB AVTHENTICIS DOCTORIBVS, SVPER MAGNItudine, antiquitate, & libertate Imperii Germani.

CVM APOLOGIIS CONTRA OBTRECTATIONES Gallorum & Jtalorum, virtuti & magnitudini Germanorum, quibus originem & obſeruantiam debent, inuidentium.

DE

Anno Christi 1514.

I.

DE IMPERII GERMANICI DIVISIONE ET AMPLITVDINE, EXCERPTVM EX TRITHEMII Abbatis Chronico de Origine Francorum.

REGNI FRANCORVM DIVISIO IN DVO REgna, in Germanicum & Gallicanum.

Regnum Francorum in duo, Germanicũ & Gallicũ, diuiditur.

ANNO Dominicæ natiuitatis DCCCXLI. ab introitu Sicambrorum ſiue Francorum in Germaniam, ſedeſq; acceptas ad oſtia Rheni anno MCCLXXX. indictione Romanorum quarta: anno ab excidio Troiano, bis milleſimo triceſimo, Francorum latiſſimum Regnum tres Ludouici Regis & Imperatoris filii, cum Imperio Romanorum, inter ſe diuiſerant. In qua diuiſione Lotharius Italiam cum nomine Imperii conſecutus eſt, Ludouicus Germaniam, Carolus Galliam; & Pipinus eorum nepos Aquitaniam.

Ab illo tempore cœpta Regni Francorum diuiſio bipartita manſit iam per annos DCLXXIII. vſque in præſentem diem, manebitq; deinceps perpetua. Quæ quidem diuiſio literis & iure confirmata maiorum, ex vno Regno Francorum fecit duo, quorum alterum eſt Germaniæ, alterum vero Celticæ duntaxat & Aquitaniæ. Nam Galliæ Belgicæ maior pars, in diuiſione poſtea Regno fuit adiudicata Germaniæ. In quo Regno iſtæ ſunt prouinciæ cum ciuitatibus.

Ad Germaniæ Regnum quæ Prouinciæ & vrbes pertineant.

Alemania ſiue Sueuia tota cum vrbibus ſuis, Conſtantia, Baſilea, Birienſibus, Heluetiis, Loſanna, Sedunenſibus (qui & Valeſii) Burgundia quoq; , Biſuntini, Lotharingia, Metis, Leodium, Cameracum, Atrebatum, Flandria, Hollandia, Selandia, Brabantia, Traiectum, Colonia, Treueris, cũ Moſellanis, Moguntia, Wormatia, & Spira, cum Cynonotis, atq; Weſtraſiis, Woſegomibus, Argentina, cum Alſaciis, cæteraq; omnia his adiacentia, ad Germaniæ Regnum pertinent, dicunturq; Ciuitates Regni Germanici, & non Imperii Romani.

Deinde Germania tota huic ſubeſt Regno, in qua ſunt Phriſii, Saxones, Haſſii, Weſtphali, Hogii, (qui & Wederauii) Thuringi, Miſnenſes, Marchionitæ de Brandenburg, Pomerani, Rugii, Stetinẽſes, Holſtanij, Dani, Suedi, Nortwegij, Pruteni, Poloni, Saleſij, Sorabi, (qui & ſunt Bohemi antiquitus, & Schlaui nũcupati) Auſtrij, Carenthij, Stirij, Thiroli, Bauari, Rhetij, & quicquid his interiacet. Sed & Italia vniuerſa præter bona Eccleſiæ antiquo iure ad Regnum Francorum Germaniæ pertinuiſſe manifeſta eſt, ſub ditione Caroli Magni.

Regnũ Germania Regem habet non indigentem confirmari. Regnũ Germaniæ non dependet ab Imperio Romano: ſed econtra Imperiũ Rom. dependet à Regno Germanorum, cui annexum eſt.

Rex igitur Germaniæ, quicunque pro tempore fuerit, duo habet, Regnum & Imperium. Ad Regnum per Principes eligitur, & nullius confirmatione indiget: ad Imperiũ vero, quod eſt Regno iure annexum, per Pontificem Romanum & confirmari debet & vngi. Regnum eſt Germanorum nomine dicendum; Imperium vero Romanorũ. Confuſe loquuntur, qui dicunt MAXIMILIANVM REGEM ROMANORVM, cum Germanorum potius dicere debuiſſent. Similiter qui dicũt Coloniam, Treuerim, Leodium, Metim, vel alias vrbes Germaniæ *Ciuitates* eſſe *Imperiales*, cum ſint regales, non recte loquuntur. Nam ſi aliquando contingeret à Germanis Imperium auferri, maneret nihilominus Germaniæ Regnum, vt nunc eſt, liberum, omnes prouincias & ciuitates per omnia loca præſcripta ſibi habens, vt hodie habet, ſubiectas.

Ludouicus igitur frater Imperatoris, Ludouici ſenioris filius, & Magni nepos Caroli, Regnum Germaniæ in diuiſione aſſecutus, regnauit annis XXX. Poſt quem filius eius nomine Carolus Iunior, Rex fuit Germaniæ, & Imperator Romanorum annis XI. ſub quo regnum inter fratres ſuos fuit diuiſum. Nam ipſe cum Germania habuit Imperium. Ludouicus Oſtrofranciam. Carolus Alemaniam, & Carolomannus Bauariam, cuius filius Arnulfus poſtmodum totius regni ſimul & Imperij monarchiam obtinuit. Abhinc nomen Francorum, cum Gallia regibus Galliæ manſit, & paulatim à Germanis deficere cœpit. Nos ſumus Franci Germani: illi autem Galli.

ÆNEÆ

II.

ÆNEÆ SYLVII GERMANIA, EXCERPTA EX EO LIBRO, QVO GRAVAMINA NATIONIS GERMANICÆ, A MARTINO MEREO IVRISCONSVLTO Moguntino, ſedi Romanæ obiecta, diluit: in qua vrbes, ciuitates, Eccleſiæ, Epiſcopatus, principatus, & nobiliſſimæ familiæ Germanorum deſcribuntur.

Anno Domini 1458.

CAPVT I.

De amplitudine, antiquitate ac potentia Imperii Germani, vbi Principum tam Eccleſiaſticorum, quam Secularium opes ac vires particulatim adſert.

NVNC tempus eſt, vt ad id tranſeamus, quod tu ſecundo loco affirmas, hoc eſt, de paupertate Germanicæ gentis, quæ licet olim ditiſſima & potentiſſima fuerit, his tamen Roman. curiæ moribus ſeu rapinis, ad inopiam ſummamque impotentiam eductam eſſe videri cupis. Aduerſamur in hac re tibi, non minus quam in cæteris. Nam neque pauper eſt Germanica natio, neque impotens, neque (vt tute ais) ancilla, neque ſi ſit, Romana curia culpanda eſt, tanquam eius inopiæ cauſa. Quod vt manifeſtius declaremus, oſtendendum inprimis eſt, quænam fuerit olim Germania, & quæ ſit hodie, quo facto liquebit, nunquam Germanici nominis eas fuiſſe vires aut opes, quales ſunt hodie. Repetamus igitur vetuſta tempora, non dicimus aut Iani, aut Saturni, aut Iouis. Nec rurſus aut Romuli, aut Camilli, vel Alexandri Magni. Quibus regnantibus incompertum nobis eſt, qualis fuerit Germaniæ facies. C. Cæſaris ætatem inſpicere libet, cum ille militaret in Gallia, cum iam Chriſti noua per carnem natiuitas inſtaret, cum plenitudo temporis pene adeſſet. Quænam tum (oramus) Germanorum opes fuere, quæ vires erant, quæ poſſeſſiones? Fatemur, bellicoſi, & in armis exercitati Theutones habebantur. Cæterum vitam eorum deſcribens in commentariis Cæſar, *Germanos omnes*, ait, *in venationibus atque in ſtudiis rei militaris à paruulis inſtitutos fuiſſe, labori ac duritiei ſtudentes. In fluminibus promiſcue ſe perluiſſe, pellibus animalium pro veſtibus vſos, magna corporis parte nuda, agriculturæ non ſtuduiſſe, maiorem partem victus eorum in lacte, caſeo & carne fuiſſe, nec quenquam agri modum certum aut fines habuiſſe proprios. Sed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus cognationibusque hominum, quibus cum vna coierunt, quantum et, quo loco viſum eſt, agri attribuiſſe, atque anno poſt alio tranſire coegiſſe, ad frigora atque æſtus euitandos non ædificaſſe accuratius, Ciuitatibus maximam fuiſſe laudem, quam latiſſime circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere, vini vſum apud eos incognitum fuiſſe.* Sic Cæſar grauiſſimus auctor. Strabo quoque, qui ſitum orbis terrarum elegantiſſime conſcripſit, cum prius dixiſſet: *Statim igitur regionem trans Rhenum ad ortum vergentem Germani colunt, nationem Gallicam pauliſper immutantes, & veritatis abundantia, & proceritate corporum & colore flauo.* Poſtea tamen cum interiora Germaniæ deſcriberet, ſic inquit: *Sueuorum quidem gens ampliſſima, à Rheno ſiquidem vſque ad Albim peruenit fluuium, eorum portio etiam trans Albim loca depaſcitur, quemadmodum Eumunduri & Lancoſargi. Nunc autem iſti trans fluuium in fugam compulſi exciderunt. Commune autem eſt omnibus, qui hunc tractum incolunt, vt alio facile migrent, & propter victus tenuitatem, & propter agrorum ignauiam colendorum, & propter pecuniarum inopiam. Cumque in tuguriis habitent, in diem habent ſuppellectilem, plurimam e pecoribus trahunt alimoniam, ſicut & Nomades, eorum inſtar, qui domeſticum in carnis colentes inſtrumentum, quocumque ſors tulit, & opinio, ſua cum armentis conuertuntur.* Is igitur fuit Germanorum ſtatus Strabonis tempore quem vſque ad Tiberium Cæſarem vixiſſe conſtat. His feroci ora de Germanis ſcribit Cornelius Tacitus, quem in Adriani tempora incurriſſe perhibent. Parum quidem ea tempeſtate, à feritate brutorum, maiorum tuorum vita diſtabat, Erant enim plerunque paſtores, ſyluarum incolæ, ac nemorum. Cuiuſmodi vitam inertem ac pigerrimam eſſe Ariſtoteles auctor eſt. Nec munitæ his vrbes erant, neque oppida muro cincta, non arces altis innixæ montibus, non templa ſectis ſtructa lapidibus viſebantur. Aberant hortorum ac villarum delitiæ, nulla viridaria, nullæ conſitiones, nulla tempe, nulla vinea colebantur: præbebant largos flumina potus: Lacus & ſtagna inſeruiebant lauacris, & ſi quas natura calentes produxerat, aquæ. Parum apud eos argentum, rarius aurum, margaritarum incognitus vſus. Nulla gemmarum pompa, nulla ex oſtro vel ſerico veſtimenta. Nondum metallorum inueſtigatæ mineræ. Nondum miſeros in viſcera terræ mortales iuſſerat auri ſitis. Laudanda hæc, & noſtris anteferenda moribus. At in hoc viuendi ritu, nulla fuit literarum cognitio, nulla legum diſciplina, nulla bonarum artium ſtudia. Ipſa quoque religio

Strabo in principio lib. 8.

barbara,inepta,& (vt propriis vtamur vocabulis) ferina ac brutalis. Talis tua Germania fuit, vſque ad Adrianum Cæſarem. Quamuis iam cæteræ orbis prouinciæ, excultæ artibus ac moribus eſſent. Sub illo autem Imperatore tota Germanica natio in poteſtatem Romanorum facta eſt, poſt annos ducentos, quam Romano primum milite debellari cœpta eſt. Exinde mitior facta, ciuilem cultum accepit. Eratque tunc longe anguſtior breuiorque, quam modo ſit. Siquidem Germania vniuerſa inter Rhenum & Albim ſiue(vt alii volunt) Oderam, ſiue(vt alii rurſus autumant) Viſcellam ab Occidenti ad Orientem protenſa, ſolum ab auſtro Danubii flumine, à ſeptentrione, Britannico Oceano & mari, quod Balthicum vocant, vndique claudebatur. Hæc de veteri Germania te minime ignoraſſe putamus.

Quanta olim fuerit Germania.

CAPVT II.

Veterem cum noua Germaniam comparans, intra Rhenum Danubiumque antiquam contentam aſſerit, Quæ ad Germanos defecerunt regiones enumerat, eamque potius à germinando, quam à Gallorum fraternitate ſortitam nomen contendit.

COmparemus ergo cum veteri nouam, & primum de amplitudine dicamus. Danubius ac Rhenus, qui quondam Germaniæ limites clauſere, nunc medios Germanorum dilabuntur agros. Belgica regio, quæ Galliæ prius portio tertia fuit, nunc maiori ex parte Germaniæ ceſſit, lingua & moribus Theutonica. Heluetij quoque, gens, antea Gallica, in Germanos tranſiuere. Rethia tota & ipſum Noricum, & quicquid Vindelici nominis inter Alpes Italas, ac Danubium fuit, ad Germanos deficit. Ita vt etiam Alpes ipſas cœlo vicinas, & perpetua niue rigentes, nomen Germanicum penetrans, in Italia quoque ſedes poſuerit, Brixione, Merane, Bubranoque in valle Atheſis occupato. Auſtria, quæ apud priſcos Pannonici iuris fuit, & Norici portio, in Germanicum nomen conuerſa eſt. Stiria, quam veteres Valeriam vocauere, Theutonicum morem atque imperium ſubiit. Carni quoque, quos modo Carinthianos, Carnioloſque nominant, idem fecere, ita vt fontes Draui Sauique nominatorum fluminum, Theutonici iuris exiſtant. Neque Alpes vllæ inter Italiam atque Germaniam ſunt, quarum ſumma cacumina non poſſideant Theutonici, qui ad Orientem non modo Albim, ſed Oderam ac Viſcellam tranſmiſerunt, & in ipſa quidem occidentali Sarmatia, Vlmerigorum, & Gepidarum agros inuaſere. Nam & Auſtria trans Danubium, & Morauia & quidquid Sileſitæ vltra Oderam poſſident, Sarmatici quondam fuit ſoli, quin & in Oceano & Balthico ſinu, medias inſulas ſui iuris fecere Theutones. Adeoque veſtra natio germinauit, vt nomen veſtrum verius à germinando tractum putemus, quam Straboni conſentiamus, qui Germanos quaſi Gallorum fratres dictos arbitratus, vos forma, & moribus, & viuendi rationibus pares illis eſſe aſſeruerat, ſed tota aberrat via, quando neque ſimilitudo morum, neque vlla vos inuicem beneuolentia conciliet, qua fratres appellari poſſitis, & vetuſtis vtrinque certetis odiis, quamuis circa Rhenum in veſtitu tantummodo conformitas quædam exiſtat. Verum ne longe vagater, amplior eſt veſtra natio, quam vnquam fuerit, atque adeo magna eſt, vt nulli genti cedat, meritoque illud affirmare poſſit, quia deeſt gens tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt Germanico populo Dominus Deus noſter. Ac tantum de magnitudine nationis recenſuiſſe velimus.

Belgica regio. *Heluetii.* *Auſtria.* *Stiria.* *Auſtria, Sileſia.*

CAPVT III.

Faciem Germaniæ præſtantiorem multo quam quondam, omnem amœnitatem etiam in rure Germanus ſurrepſiſſe, nonnulla etiam oppida & vrbes nominatim deſcribendo dicit.

FAciei autem ornatum quis ignorat longe præſtantiorem eſſe, quam olim fuit? Nam agros vbique cultos videmus, Noualia, vineta viridaria, violaria, pomaria ruſtica & ſuburbana. ædificia plena delitiis, villas amœniſſimas, arces in montibus ſitas, oppida muris cincta, ſplendidiſſimas vrbes, quas plerunque maxima præterlabuntur flumina, aut amnes ambiunt limpidiſſimi, lapideis aut ligneis pontibus permeabiles. Percurramus parum per Germanici nominis memorabiles vrbes, & quanta ſit huius nationis gloria, qui nitor, qui ſplendor, manifeſtius elucebit.

Facies Germaniæ.

CAPVT IV.

De Colonia Agrippina, vbi tria Magorum oſſa ſunt ſepulta.

QVid ea Colonia, quæ de coniuge Claudii, matre Neronis Agrippina dicta eſt, & tribus Magorum oſſibus illuſtrata? Nihil magnificentius, nihil ornatius tota Europa reperias. Templis, ædibus nobilis, populo inſignis, opibus clara, plumbo tecta, prætoriis ornata, turribus munita, flumine Rheno & lætis circum agris laſciuiens.

Colonia.

CAPVT

CAPVT V.

De Gandauo etſi iuris Gallici videtur, Germanorum tamen ſermonem moreſque ampleƈtitur, Brabantiæ vrbes ſe præteriturum ait.

TRanſimus Gandauum populoſiſſimam vrbem, & totius Occidentis in Brugenſi oppido frequentiſſimum emporium. Quæ licet Gallici iuris eſſe videantur, Theutonico tamen ſermone & moribus veſtris vtuntur. Tranſimus nitidas Brabantiæ ciuitates, Bruſcellam, Mechiliniam, Antuerpiam ac Louanium. Ad Rhenum reuertimur. *Brabantia. Antuerpia.*

CAPVT VI.

De Moguntia.

MOguntia vrbs vetuſta, Variana clade inſignis, templorum magnificentia priuatis ac publicis ædificiis exornata, nihil habet, quod reprehendere queas, niſi vicorum arctitudinem. *Moguntia.*

CAPVT VII.

De Vvormatia.

DE Wormatia quoque, etſi non magnæ amplitudinis eſt, nitidam tamen, & amœniſſimam vrbem eſſe nemo negauerit. In qua ille Germanorum conuentus habitus eſt, qui Rom. Eccleſiæ Calixto ſecundo inueſtituram epiſcoporum remiſit, cum ab Ottone primo vſque in ea tempora Germanos epiſcopos ipſi Cæſares inueſtirent. In hac vrbe nos Præpoſituram cum palatio nobili obtinemus, & eius cauſa in ſchola Heidelbergenſi Cancellariatum. *Vormatia.*

CAPVT VIII.

De Spira.

NEc Spiram quiſquam contempſerit populo plenam, & magnificis ædibus ornatam. Cuius nobile templum, quamuis anno Iubilei conflagrauerit, ita tamen poſtea reſtauratum eſt, vt fœlix incendium illud fuiſſe videatur. In hoc templo non pauci iacent Cæſares, inter quos Rudolfus ſitus eſt, qui Auſtriæ familiæ auctor habetur. *Spira.*

CAPVT IX.

De Argentina.

ARgentinæ vero tantus ſplendor, tantum decus, vt non abs re id nomen ei inditum fuerit. Quæ ſimilitudinem Venetiarum exhibet, multiplicibus diuiſa canalibus, quæ naues in omnes ferme plateas vehunt, eo ſalubrior atque amœnior, quod Venetias ſalſæ & graue olentes, Argentinam & dulces & perſpicuæ percurrunt aquæ: hinc Rheni brachio, inde tribus aliis fluminibus vrbem intrantibus, & triplicem murorum ordinem ambientibus. Eccleſia pontificalis, cui monaſterio nomen eſt, ſecto lapide magnifice conſtructa, in ampliſſimam fabricam aſſurrexit, duabus ornata turribus, quarum altera quæ perfecta eſt, mirabile opus caput inter nubila condit. Sunt & alia ſanctorum delubra, & monachorum cœnobia, & amplitudine & ornatu ſplendidiſſima. Prætorium excellens, & ciuium ac ſacerdotum ædes, quas nec reges incoluiſſe piguerit. *Argentina.*

CAPVT X.

De Aquiſgrano, vbi Theutonicorum Cæſarum ſtatuæ viſuntur, Induſium beatæ Virginis oſtenditur: Vbi & Caroli Magni caput reliquiis adiectum.

OMiſimus Aquiſgranum, Germanici regni ſedem, vbi palatium illud tota Germania nobiliſſimum, Cæſarum, qui ex Theutonicis vere petiti ſunt, egregias ex lapide ſtatuas oſtentat, & delubrum inſigne, in quo reges vnguntur, ſingulis decenniis beatæ Mariæ virginis interiorem veſtem, quam camiſiam vocant, venerabile ſacrum populo viſendam exhibet, & Magni Caroli caput inter reliquias ſeruat. *Aquiſgranum*

CAPVT XI.

De Treuiri, quæ Roma vetuſtior eſt, Baſilea, quia de ea antea mentio facta eſt, hic mentionem non facit, pariter & Conſtantia, cum vtraque à Conciliis clara cenſeatur.

OMiſimus & Treuerim metropoliticam ſedem, cuius auctorem Atrebam aſſerunt, Nini & Semiramis filium, & Roma ſeniorem trecentis & mille annis affirmant. Sedente autem beato Petro ſalutiferam Chriſti religionem imbuiſſe. De Baſilea non eſt cur verba fiant, quando eius regendi modeſtia, & grauitas apud omnes peræque gentes in notitia ſit. Cum noſtra illic tempeſtate, generale concilium coactum fuit, quod totam tremefecit Eccleſiam. Pari modo & propter ſynodi receptionem nec Conſtantia prætereunda eſt, inter duos lacus conſtituta, quos Rhenus implet atque exonerat. *Treuiris metropolitica ſedes. Baſilea. Conſtantia.*

CAPVT XII.

Enumerat Heluetia oppida, quæ à ſplendore ſummopere extollit, & primo de Berna.

Turegum. Zurich. Limager See. Campidona. Memmingen. Auguſta Vindelica, Lech.

EſT memorabile oppidum in Heluetiis, quod Bernam vocant, cuius conſulatus quotiens in bella progreditur, facile in armis viginti millia pugnatorum exhibet. Turegum quoque & magnum & ſplendidum oppidum, ad lacum ſituatum eſt, quem Lemanus fluuius patrem habet. Vnde Alemannos dictos nonnulli autumant. Hunc hodie fluuium Limachium appellant, qui propter balnea tota Germania illuſtria, in agro Suitenſium effluens, non longe ab oppido Lauffenbergio in Rhenum exonerat. Tranſimus Campidonam, & Memmingam illuſtria oppida, Auguſtam Vindelicam (S. Vdalricus huic præſidet, qui Papam arguit de concubinis) ad Licum fluuium iacentem. Haud facile inuenies, quæ ciuitas altera ſuperet, ſiue nitorem vrbis ſiue populi & cleri diuitias, & Reipublicæ formam contempleris.

CAPVT XIII.

Enumerat Bauaria oppida, quæ à ſplendore ſummopere extollit.

Saltzburg.

IN Boiaria vix oppidum reperias, cuius munditias non magnopere admirere. Saltzburga, quæ de fluuio dicta eſt, cui adiacet, olim Aruniæ nomen fuit, Metropolitica ſede, & diui Roberti vetuſtiſſimo templo inſignis, nihil eſt, quod ad ſplendidiſſimæ ciuitatis magnificentiam deſideres, ſiue publica ſpectes, ſiue priuata opera.

CAPVT XIV.

De Ratiſpona, vbi diui Dionyſii corpus quieſcit, & aliis quibuſdam vrbibus.

Ratiſpona.

MAior tamen ea eſt Ratiſpona, beatiſſimi Apoſtoli Petri delubro & ponte, quo Danubius tranſmittitur lapideo, & pluribus ſanctorum Eccleſiis memoranda. Atque in primis S. Emerammi monaſterio, in quo Leo Pontifex maximus beatum Dionyſium ex Pariſiis pro furto deductum iacere affirmat. & in hac vrbe ſæpe Theutonici Cæſares habuere conuentus, & Conradus, cum iturus eſſet in Aſiam. maximus certe Monachii nitor: nec minus Strobunge. Lantzhute quoque, & Burckhuſen haud facile platearum mundicias, atque ædium magnificentias retulerimus.

Strobingen. Burckhauſen.

CAPVT XV.

De Patauia, vbi Danubius Oenuſque confluunt.

Patauia. Paſſau.

PVlchra eſt & amœniſſimo ſita loco Patauia, hic Oeno & inde Danubio perfuſa. Nam ibi maxima hæc duo flumina inuicem coniunguntur, tam pari magnitudine, vt non facile iudices, cui victoria cedat, quamuis iudicio veterum ſuperior Danubius Oeno auferat nomen.

CAPVT XVI.

Deſcribit ciuitates Auſtriæ, intra quas Noua ciuitas primas tribuit. Quanquam clariorem Viennam, quæ quondam Flauiana dicta mirabile turris ſancti Stephani ædificium adfert, Prænominataque oppida in noua contineri Germania, per Epilogum concludit.

Auſtria. Noua ciuitas. Vienna. Flauianum.

IN Auſtria complura ſunt oppida digna nomine, inter quæ Noua ciuitas non infima eſt, incolatu diui Friderici Cæſaris illuſtrata. Sed omnium præclariſſima eſt Vienna, priſci Flauianam appellauere, & hic credimus aras fuiſſe Flauianas, de quibus Ptolemæus commemorat. Hæc Ducum Auſtriæ vetuſta ſedes, & palatia digna regibus habet, & templa, quæ mirari Italia poſſit. Ex quibus diui Stephani delubrum admirabilius eſt, quam noſtris exprimi verbis queat. Cuius turrim cum aliquando inſpexiſſent Boſnenſium Legati, & tum artificium, tum altitudinem admirati eſſent, in eam ſententiam verba profuderunt, vt *turrim illam pluris conſtitiſſe* dicerent, *quam regnum Boſnæ venundari poſſet*. Tacemus priuatarum ædium ſplendorem & amplitudinem, quarum non paucas inuenias ad excellentiam faſtigiatas. Cæterum hæc vrbs, & quæ memorauimus oppida extra Germaniam illam tuam veterem in noua Germania continentur.

CAPVT XVII.

Procedit ad enumerandas Germaniæ veteris vrbes. Primoque de Vratislauia, Gendanorum miram potentiam & mari & terra enarrat. Toronenſe oppidum his adiungens.

Vratulauia. Brunna. Olmuntze. Gendanum. Dantzgen. Tornenſe oppidum.

ATque neque Germania ipſa vetus, non illuſtrata eſt præclariſſimis ciuitatibus atque oppidis. Quippe ad Orientem ſuper Oderam Vratiſlauia iacet, vrbs lateritia, non minus decora quam potens, cuius olim epiſcopatum aureum appellauere. Brunna in Morauia nobilior Olomuntio eſt, quamuis eius pontifici pateat. Inter Prutenos notiſſima Gendani fama eſt, terra marique potentis oppidi, cuius populum ad prælium exiens, haud minus quam quinquaginta millia bellatorum educere ferunt. Naues eius in Balthico pelago complures negotiatorum nauigant. Eſt & Tornetis oppidi haud vulgare nomen, quamuis ſupra Viſcellam ad Sarmatas olim pertinuerit.

CAPVT XVIII.

Bohemiam Imperio Germ. ſubeſſe, eius urbes deſcribendo probat.

BOhemia quamuis Sclauonico ſermone vtitur, ſub imperio tamen Germanico ſeſe continet, & moribus vtitur Theutonicis, & pauci ſunt inter Bohemos, ſaltem Nobiles, qui non vtramque nouerunt linguam, & vndiqe cincta eſt ea terra Theutonicis plebibus. Illud quoque Germanicam eſſe Bohemiam palam oſtendit, quod inter Eccleſias Theutonico tamen ſermone inſtruere populum ſacerdotibus permiſſum eſt modo, in cimiteriis autem Sclauonico. *Bohemia.*

CAPVT XIX.

De Praga capite huius gentis, & aliis, quas nominatim affert, & de arce Thabor.

IN hac prouincia Praga eſt gentis maxima & pulcherrima vrbs, nec Hetruſca Florentia minor, nec difformior, verum flumine interſecta cui Muldauiæ nomen eſt, multo maiori quam ſit Arnus, cuius regia inter opera Germaniæ admodum excellens. Sunt & Colonia, & Broda, & Lithomericia, & Pilſina, & Litomes, Licia & Pudewiſa (alias Pudicea) inter Bohemos inſignes vrbes. Prætérimus Thabor arcem hæreticorum munitiſſimam, & Nouam domum, & plurima illius gentis populoſa & præſtantia oppida. Prope Oceani ripam haud paucas ciuitates memoratu dignas inuenias. *Praga Bohemiæ caput. Bohemiæ vrbes. Thabor arx hæreticorum.*

CAPVT XX.

De Lubeco, & inſigni huius vrbis auctoritate.

SEd omnibus præſtat Lubecum, altiſſimis ædibus, templiſque munitum ornatiſſimis, cuius vrbis ea auctoritas eſt, hæ opes, vt ad eius nutum tria maxima regna, Daciæ, Sueciæ ac Noruegiæ, vel admittere vel excludere conſueuerunt Reges. *Lubecum.*

CAPVT XXI.

De Lunenburgo, Roſtochio, Vuerdia, & Brunſvvigia, vnde Othones Imperatores orti, & aliis.

LVnenburgum ſalinis quondam diues, nunc ad egeſtatem redactum. nam dum cleri bona affectat & dilexit, ſua amittit. Eſt Roſchauia & Magnopolis in mediterraneis, ciuitas Hildeſemenſis haud contemnenda: Werdia quoque & Brunſwicum nobile, Saxonum ſedes atque Otthonum quondam Cæſarum patria. Bremis vetus metropolis, & Danorum gentis in Chriſto mater, non ſine laude nomen habet. *Lunenburgum. Roſtoch. Brunſuuicum. Bremen.*

CAPVT XXII.

De Virginopoli ac Martinopoli, vbi Friderici tertij fit mentio.

VIrginopolis quoque magna & inſignis habetur, & ipſa inter Saxones archiepiſcopalis ſedes. Nec Martinopolim quiſquam contempſerit, quo ex loco Fridericus Barbaroſſa duos fratres de regno Bulgariæ diſſidentes, cum ſe arbitrum elegiſſent, & ad eum in Saxoniam veniſſent, concordes domum remiſit. Quis enumeret vel Phriſię, vel Holandiæ, aut Weſtualiæ, quot ſint memorabiles vrbes? *Virginopolis. Martinopolis.*

CAPVT XXIII.

De Traiecto & aliis Phriſia, Holandia, Vueſtualiaque oppidis, vbi Suſatem, vrbis obſidionem adfert.

TRaiectum quidam è Phriſiis tradunt, potentem & ſplendidam vrbem. Dodratum excellens oppidum, Holandrini ſuum dicunt. Weſtuali Monaſterio gaudent, & Oſnaburga & Mindenſi & Padelporna, ciuitatibus minime paruipendendis, & oppido Suſatenſi, quod tempeſtate noſtra cum Eccleſiæ Colonienſi rebellaſſet, magnis obſeſſum copiis, quamuis Saxoniæ Dux Wilhelmus cum potenti manu Bohemorum inter obſeſſores dies noctelque præſens paciſceretur, nulla vi ſuperari flectique potuit. *Traiectum. Dodratum. Dortrich. Vueſtualiæ vrbes.*

CAPVT XXIV.

De Ertfordia maxima Thuringiæ ciuitate, & Egra peramœno Terra aduocatorum oppido. Quæ Hypotheca Bohemorum facta, Caſparem Schlick hominem magna fama celebrat.

IN Haſſia quoque non pauca oppida commendaueris, ſed plura in Thuringia, quorum & maximum & famoſiſſimum eſt Ertfordia, populo & opibus plena. Nec aduocatorum terra ſuis laudibus caret, in qua Egra eſt vrbs peramœna, à flumine quo perluitur, nominata. Quæ quamuis iuris imperij ſit, hypotheca tamen Bohemorum facta, ad Slickenſem familiam deuenit, cuius caput fuit Caſpar Slickius, de nobis (vt noſti) optime meritus, vir rariſſimæ laudis. Nam trium Cæſarum, qui ſibi inuicem ſucceſſere, Cancellarius, & quidem acceptiſſimus fuit, & coniugio Ducali illuſtratus. *Haſſia.*

CAPVT XXV.

De Franckfordia, vbi Romani Imperatores eliguntur.

Franckfordia. *Aſchenburg.*

IN Franconia ſupra Mœnum iacet Franckfordia, inter inferiores & ſuperiores Theutones commune emporium, & vrbs, quamuis magna ex parte lignea, pluribus tamen palatiis ornata lapideis, in queis & Reges haud indigne recipiantur. Templa vero Deo ſacra ex ſecto lapide ſuperbiſſima viſuntur. Et pons ſaxeus miræ longitudinis partem vrbis trans Mœnum minorem maiori coniungit. Hic & prætorium Nobile, in quo ſæpe Principes Electores conueniunt, de rebus acturi communibus. & hic, cum vacat imperium, Cæſarem eligunt. Poſtponimus Aſchenburgiam Maguntini ui refugium, & omnium moleſtiarum laxamentum.

CAPVT XXVI.

De Herbipoli & Bamberga, in qua S. Henricus quieſcit.

Herbipolis. *Bamberga.* *Forcheym.* *Onſpach.* *Rotenburg.*

HErbipolis ad eiuſdem fluminis ripam ſita eſt, Ducalis & Pontificalis ſedes, templis & ipſa nobiliſſimis memoranda, & arce munitiſſima. Bamberga quoque illuſtris ciuitas, delubro & inſigni & peruetuſto, in quo ſanctus Henricus Imperator eius nominis ſecundus reconditus, & miraculis claret. Tranſimus Forcheym, niueo pane famoſam. Et Onſpachium, & Rotenburgam, & alia pene infinita Francorum oppida, quorum neque munitiones, neque ædificia quiſquam contempſerit.

CAPVT XXVII.

De Norberga, & eius vrbis magnificentia.

Regniſia, id eſt, Nurnberga. *Templum ſancti Sebaldi.*

NOricorum oppidum flumine Regniſia interſectum (nam hodie Franconibus datur) præterire non poſſumus. Dic, rogamus (nam hinc vxorem duxiſti caſtiſſimam æque ac pulchram) quænam facies huius vrbis, qui ſplendor, quæ amœnitas, quæ delitiæ, quis cultus, quæ forma regiminis, quid illi ad ciuitatem omni ex parte perfectam deſiderare quiſpiam poterit? Quis venientibus Franconia inferiori & procul ſpectantibus eius vrbis aſpectus, quæ maieſtas, quod decus ab extra viſentibus, quis intus nitor platearum, quæ domorum munditiæ? Quid ſancti Sebaldi templo magnificentius? quid ſplendidius diui Laurentii delubro? Quid arce regia vel ſuperbius vel munitius? quid foſſa, quid mœnibus illuſtrius? Quot ibi ciuium ædes inuenies, Regibus dignas? Cuperent tam egregie Scotorum Reges, quam mediocres Nurnbergæ ciues, habitare.

CAPVT XXVIII.

Vlmam Sueuiæ Reginam nominat, nonnulla Bauariæ oppida à ſplendore laudat. Quaſdam Italiæ vrbes noſtris anteponit. Si tamen natio nationi conferatur, non eſt, vnde poſſint Germanis ciuitatibus Italicæ anteponi.

Vlma. *Amberga.* *Nouum forum.*

HAbent Sueui trans Danubium multas vrbes, regina tamen omnium Vlma eſt, & ipſa potens, & non immunda ciuitas. Baioarii, quorum Danubio tranſmiſſo Aichſtatum, & Ambergam & Nouum incolunt forum, & alia non pauca oppida. In queis multæ munditiæ, multus nitor. Quod ſi quis ad verum loqui voluerit, nullam eſſe in Europa nationem, cuius vrbes mundiores, aut aſpectu lætiores quam in Germania ſint. Poſſis forſitan ex Italicis vrbibus nonnullas præferre, veluti Venetiam, Genuam, Florentiam, Neapolim, quibus ſummus ineſt ſplendor atque ornatus. At ſi nationem nationi conferas, non eſt quod vrbes Italiæ Germanicis anteponas. Noua quodammodo Germaniæ facies, & vrbes ipſæ veluti nudiuſquartus conſtructæ, atque erectæ videntur, quibus ex rebus conſtat nationem tuam non eſſe inopem: neque enim pauperes ædificare magnifice poſſunt. Quod ſi verum eſt, quod aiunt, ibi opes eſſe, vbi negotiatores, fatearis neceſſe eſt, opulentiſſimos eſſe Germanos, quorum pars maxima lucris inhians, mercaturis intenta, alienas longe lateque prouincias peruagatur. Ac ſicuti Flaccus ait:

Per mare pauperiem, per ſaxa, per ignes,

fugiens, non niſi diues domum reuertitur.

CAPVT XXIX.

De montibus & fluuiis, in quibus auri venæ reperiuntur, diſſerit. Ex hoc Germaniæ paupertatem tollere nititur.

Cuttenberg. *Raſzberg.* *Freiberg.*

ADde venas auri, atque argenti (quas ignorauere priſci) apud vos repertas. In Bohemia montes Cuthni, in Saxonia Ranizbergij, in Miſnia Fribergi, vulturni niualeſque montes, inhauſtas oſtenderunt argenti mineras, Duces Auſtriæ in Oeni & Anaſi vallibus, & in Stiria apud S. Leonhardum, non longe à Vuolſpergia argentum effodiunt. Rhenus aureas euoluit arenas. Et in Bohemia fluuii ſunt, in queis ad magnitudinem ciceris aurea grana Thaboritæ reperiunt. Ferrum, & aurichalcum, & æris magnam vim domi reperitis. In Vngaria quoq; aurum, quod apud Cremeciam reperitur, ipſi plerunq; contrahitis, magnaſq; domum refertis opes, quod ſuppellectiles veſtræ demonſtrant & onuſtæ argentoq; menſæ. Nam quod diuerſorium apud vos eſt, in quo non argento bibatur?

tui? quæ mulier non dicimus generoſa ſed plebeia, non auro nitet? Quid torques equitum, & equorum frena ex auro puriſſimo referamus, & tot calcaria & vaginas gemmis tectas, & annulos, & balthea, & thoraces, & Galeas auro fulgentes? Quanta in Eccleſiis precioſa ſuppellex? Quot reliquiæ, margaritis & auro veſtitæ? quis ornatus altarium ac ſacerdotum? Quid ſacrariis veſtius inueniri ditius poteſt? Pauper ipſe ingenio fuerit, qui Germaniam pauperem affirmauerit, etſi vobis non quæ cupitis omnia ſuppetant, nam ea paupertas animi, & auaritia potius appellanda eſt, quam rerum indigentia. Hæc de opibus parce dicta ſint. De potentia nationis paulolum diſſeramus.

CAPVT XXX.

Triplicem Germanorum potentiam. principes, & ſi vnum habeant caput, ſuis tamen libere imperare. Tres primos Archiepiſcopos, quid vnicuique officij dignitatiſque ſit, deſcribit. His Saltzburgenſem confert, eius ſuffraganeos inſerens.

POtentia Germanorum trifariam diuiſa eſt. Nam & prælati, & Principes, & ciuitates, quamuis vnum habent caput, in cuius verba iurant, Imperatorem Romanum, ſuo tamen arbitrio plerumq; mouentur, & quaſi libertate potiantur, ſuis imperant ſubditis. Inter prælatos tres ſunt, opibus & potentia excellentes, atq; inter Electores Imperii honoratiores: Archiepiſcopi & Archicancellarii, per Germaniam Moguntinus, & per Gallias & Regnum Arelatenſe Treuerenſis, per Italiam Colonienſis. & Moguntinus quidem Electorum decanus habetur, qui, vbi neceſſitas ingruit, eos conuocat. Treuerenſis vero in electione Imperatoris primam habet vocem. Colonienſis autem non modo Electoratus honore fungitur, ſed etiam Dux Vueſtphaliæ appellatur. His maximæ ciuitates parent, opulentiſſima oppida, multi & potentes nobiles. Nec minor his Saltzburgenſis epiſcopus eſt in ſua prouincia Legatus (vt aiunt) natus, qui vt latam diœceſim ſuam melius regeret, quatuor epiſcopatus ſuo ære fundauit, Gurcenſem, Secouienſem, Chemenſem, & Lauantinum. Hiſque curam plebium & ſacramentorum commiſit, quos ipſe ſibi aſſumere & conſeruare conſueuit. Sed Gurcenſis ei ſubtractus eſt, quem Romana ſedes (noſtra tempeſtate) aſſumpſit. In prouincia vero ſuffraganeos habet Saltzburgenſis Ratiſponenſem, Pataujenſem, Friſingenſem, & Brixionenſem, ex quibus epiſcopatibus, Pataujenſis ditior, Ratiſponēſis dignior, Friſingenſis antiquior, Brixionenſis tutior haberi ſoluerit. Poſſident tamē omnes munitas arces, & oppida plena populis, pluimosq; vaſallos habent. De potentia Germanorum.

CAPVT XXXI.

Primatem Germaniæ cum cæteris Archiepiſcopatibus deſcribit.

NAtionis vero Germanicæ primatem Magdeburgenſem archiepiſcopum eſſe tradunt, & ipſum potentem atque opibus abundantem. Bremenſis ſextus archiepiſcopatus Germanorum, & ipſe temporali dominio validus. Septimus Germanicæ nationis archiepiſcopus inter Bohemos Pragenſis eſt, qui cum eſſet olim ſuffraganeus archiepiſcopi Moguntini, inſtante Carolo Imperatore Sigiſmundi patre à diœceſi Moguntina, ad ius metropoliticum ſublimatus eſt. Sed hic nutante Regno, & Huſſitarum hæreſim admittente, ad inopiam deductus, iam pluribus annis paſtore caret. Inter Germanos epiſcopatus florentiſſimi ſunt Leodienſis, & Traiectenſis, quorum ſi alter in bellum exeat, non minus quadraginta milibus pugnatorum à ſubiectis ſibi populis in armis habebit.

CAPVT XXXII.

Herbipolenſis Eccleſiæ potentiam, Rudolphi de Scherrenberg de ea optime meriti mentionem faciendo palam facit.

FVit & Herbipolenſis quondam ditiſſimus, quem Francones Ducem ſuum appellauere. Hodie vero per Rudolphum epiſcopum de Scherrenberg ibidem ditatus & glorioſus, qui vltra viginti mille bellatores in armis bellicis, ad prælium ducere poteſt. Prouincia multis nobilibus, ciuitatibus, oppidis, caſtellis, caſtris ingentibus, villis ornata. Mœnus flumen, nauigiis regiis per medium rigans, quæ Francia orientalis nuncupata eſt, magnis & potentibus vaſallis Comitum, Militum, plurimorum Nobilium, quaſi ſine numero circumſepta eſt.

CAPVT XXXIII.

Bambergenſem Epiſcopatum celebrat. vltra quinquaginta apud Germ. epiſcopatus eſſe, quibus ſi Italici comparantur, parrochiæ nuncupandæ venient. quaſdam Eccleſias à ſuſceptione extollit.

BAmbergenſis quoque diues Eccleſia, quamuis inter Francones ſita eſt, in Carintia tamen haud parui momenti oppida poſſidet, Villachum ac Valſpergam. omittimus Auguſtenſem, Conſtantienſem, Hildeſemenſem, Heſtauienſem, & alias complures Eccleſias, ne tædium longitudo pariat. Nam ſupra quinquaginta Pontificiales Eccleſias, Germani poſſident. In quis diuites & potentes epiſcopi præſident, quibus Itali noſtri comparati, plebani potius quā pontifices dicendi videbuntur. Adde canonicatus, & prælaturas Eccleſiarū, quot Præpoſituræ, decanatus, archidiaconatus, quot in his viri nobiles, quot iuris interpretes, quot theologi reſident? In Colonia & Argentina, ad primas præbendas non admittuntur, niſi genere illuſtres. In Moguntina vetuſta & magna ei nobilitas probanda eſt, qui canonicatū expetit; In Leodio ſupra ſeptuaginta præbēdas in maiori Eccleſia numerāt, in collegiatis delubris multo plures. Vratislauienſem epiſcopatū aureū quondā appellauere, ſed hūc

Bambergenſis Eccleſia. Auguſtenſis epiſcopus. Conſtantienſ. Hildeſemenſ. Heſtauienſ.

Supra quinquaginta epiſcopatus habet Germania.

 quo-

Aureum epiſcopatus. Vratiſlanienſis.

quoque Huſſitarum veſania extenuauit. Hic canonici dum canonicas horas canunt, rubeis cappis ornati cardinalium Romanæ Eccleſiæ morem tenent.

CAPVT XXXIV.

Præterit monaſteria. Abbates & Abbatiſſas Principum fungi honore. Theutonicorum ordinem regibus parem dicit.

PRæterimus opulentiſſima monaſteria, in queis & monachi vbertim aluntur, & hoſpitalitas cuiuſuis generis hominum magnifice obſeruatur. Scimuſq; nonnullos abbates adeo in Germania potentes eſſe, vt Principatus honore fungantur, qualem & Fuldenſem, & Erberdenſem. Quid dicimus? Abbatiſſas quoq; eiuſdem honoris participes nouimus, ſicut in Stiria, & Colonia ad vndecim millia virginum; in quo monaſterio ſolam illuſtres fœminæ admittuntur. Præterimus ditiſſimas præpoſituras, opulentiſſimos Archidiaconatus, vberrimos decanatus, & parrochiales Eccleſias, Italicis epiſcopatibus præferendas. Tacemus ordinem Theutonicorum Fratrum, quos Beatę Mariæ vocant qui nunc Polonico bello vexantur, quorum potentia par Regibus eſt.

CAPVT XXXV.

Nuſquam illuſtriores reperiri familias quam apud Germanos, præcipuas enumerando teſtatur. immaturam Ladiſlai Vngariæ regis mortem mira vehementia deſcribit. gentis Venetæ inconſtantiam in Franciſcum Volſcarum collatam ingratitudinem manifeſtando deducit.

De potentia & numero Principũ Germaniæ. Domus Auſtralis. Domus Bauarica.

AD principes laicos impetus feſtinat orationis. Nam quæ natio ſub cœlo eſt, tot clariſſimis domibus, tot illuſtribus exornata Principibus, vbi tantam inuenias, aut nobilitatem, aut armorum gloriam, ſicut apud Germanos? Relinquimus militares familias, & quæ torneamento dignæ cenſentur, quorum pene infinitus eſt numerus, quamuis nulli ad id genus ludi admittantur, niſi vetuſtiſſimi nobiles, quorum progenitores ſupra memoriam hominum, & opibus & potentatu claruerunt. Eas recenſere proſapias longum eſt, quæ idcirco dici *Imperiales* queunt, quoniam ex his ſæpe lecti Imperatores fuere. inter eas clariſſimæ ſunt Auſtrales, ac Baioarica, vetuſtiſſima Brunſuicenſis mater Otthonum, de Romana Eccleſia optime meritorum. Sueuica iam defecit, & Lucenburgenſis quæ cum Romano Imperio, ditiſſimum Bohemiæ regnum, Stirienſibus inde pulſis ad ſe recepit, & ferociſſimis Europæ gentibus Vngaris imperauit. inſuper ex hoc ſanguine nobiliſſimus adoleſcens Ladiſlaus ex filia Sigiſmundi Cæſaris, & Alberto Imperatore natus. Sed hunc crudeliſſima lues VIII. Kalendas Decembris, anno ſuperiore apud Pragam, Bohemiæ metropolim immatura & acerbiſſima morte præcipuit. quo moriente, & nobis ſimul & multis gentibus obtenebratus eſt ſol. Expectabamus fœlices nuptias, & orbe toto nobiliores. Iam enim legati Margaritam accerſitum ierant, Chriſtianiſſimi regis Franciæ Caroli generoſiſſimi filiam. ſed dum altiſſimi ſanguinis coniugium præſtolamur, immaturum (proh dolor) funus extulimus. Eumq; regem ſepeliuimus, in quo ſuarum miſeriarum vnicũ ſolamen, & Vngari & Bohemi, & Auſtrales & Sleſitæ, & Moraui repoſuerant. Nec Chriſtianus erat, qui non fidelium reip. multa & magna de tanto rege promitteret. Sed illi ſua mors vita fuit, qui ex obſcuriſſimis tenebris ad candidam lucem migrauit Nobis eius obitus funeſtus eſt, & deflendus, qui tot regna, tot gentes, tot dominia, ſuo priuata domino in bello cernimus, & crudeles ſtrages. ſed leuius fit patientia, quicquid corrigere eſt nephas. Nec nos potuimus ei regi verba non conſecrare, quo cum puero diu viximus, & à quo fuimus ſupra meritum dilecti, cum inter ſcribendum eius obitus enunciaretur, Inſignis hic annus fuit, ex tanti regis interitu. & Ioannis Portugalliæ infantis filij qui à rege Ciprio gener aſcitus, & in ſpem regni aſſumptus, non ſine opinione erepti veneni diem obiit: ſimulq; Franciſci Foſcari Venetiarum Ducis, qui, cũ quinq; & triginta annos magna gloria patriam gubernaſſet, tandem (vt ſunt inconſtantes populi, & nihil niſi præſentem vtilitatem penſitantes) grandæuus ſenex abire magiſtratu iuſſus eſt, qui ea permotus ſuorum ciuium ingratitudine, & palatium ſimul & vitam reliquit.

CAPVT XXXVI.

De Sacri Rom. Imperij primatibus, Electores & ſacros & ſeculares deſcribendo, Marchionum item adſerendo dignitatem, Comites quoque Imperij habenas gubernaſſe, ex quibus Morſatenſes præcipue celebrat.

SEd iam reliqua proſequamur, quando & in regem & in aratorem par eſt mortis imperium. Diximus treis Archiepiſcopos in electione noui imperatoris vocẽ habere, ſed cum his quatuor alii concurrunt ex principibus ſecularibus. Quorum primus eſt, Rex Bohemorum; ſecundus, comes Palatinus Rheni, qui & vnus eſt ex domibus Baioariæ, id eſt Bauariæ; tertium Ducem Saxoniæ faciunt; & vltimum Marchionem Brandenburgenſem. Et in curia quidem Cæſaris, Rex Bohemiæ, pincernæ officiũ implet; Comes dapiferi; Dux Marſcalci; Marchio camerarii. Pręter has, Ducales domus quam plurimæ, Sleſiæ, Pomeraniæ, Magnipolenſes, Montenſes, Cliuenſes, Geldrenſes, Inter Marchiones poſt Brandenburgenſem clariſſimi Badenſes & vetuſtate inſignes, & opinione iuſtitiæ. Comitum quoq; claritudo inuenta eſt, vt ex his quoque Imperatores lectos inueniamus. Siquidẽ Comites de Naſſau, & de Nigra ciuitate imperauerunt, Lantgrauius Haſſiæ, qui hodie viuit (ni recuſaſſet) Imperium obtinuiſſet. Sunt & Comites Morſatenſes admodum inſignes, ex queis ætate noſtra quatuor præſtantiſſimi Principes claruere, Ioannes qui patris comitatũ adminiſtrauit, Theodoricus qui Colonienſi

Swartzenburg.

Ionienſi Eccleſiæ iam ſupra ſex & quadraginta præſidet annos, & contra Suſatenſes (qui à ſe deſciuerant) multa & magna prælia vario euentu geſſit: Henricus qui longo tempore Monaſterienſem gubernauit Eccleſiam; & Vualramus, qui cum electus ad epiſcopatum Traiecten. non admitteretur diuturno bello eam regionem afflixit.

Zoſt.

CAPVT XXXVII.

Primas Comitum Germ. Vuirtenbergenſes tenere, defeciſſe Cilienſes, Philippum, etſi Gallus, tamen Germanorum oppida obtinere, libertatem ciuitatum Imperii effert, quæ proprio marte principibus reſiſtere queunt.

SEd omnium Comitum, qui hac tempeſtate apud Germanos clarent, potentiſſimi ſunt Vuittebergenſes, nec Marchionibus, nec magnis Ducibus inferiores. Cilienſes Comites noſtro tempore defecerunt. Ipſe quoq; Philippus Burgundionum Dux, quamuis Franciæ regio ſanguine ortus, latiſſimas tamen & diuites in Germania prouincias obtinet, quorum cauſa Imperii vaſallum ſeſe fatetur. Quam igitur & qualem eſſe horum potentiam Principum, quam formidabilem, quam terribilem putas, ſi vno in loco ſe oſtenderit? Ciuitates etiam, quas vocant liberas, quoniam Imperatori ſolum ſubiiciuntur, cuius iugum inſtar eſt libertatis, nec profecto vſquam gentium tanta libertas eſt quanta fruuntur huiuſcemodi ciuitates. Nam populi, quos Itali vocãt liberos, hi potiſſime ſeruiunt, ſiue Venetias inſpectes, ſiue Florentiam, aut Senas, in quib. ciues præter paucos, qui reliquos ducunt loco mancipiorum habentur. Cum nec rebus ſuis vti, vt libet, vel fari audeant quæ velint, & grauiſſimis opprimantur pecuniarum exactionibus. Apud Germanos omnia læta ſunt, omnia iocunda, nemo ſuis priuatur bonis. Salua cuiq; ſua hæreditas eſt. nulli niſi nocenti magiſtratus nocent. Nec apud illos factiones, ſicut apud Italas vrbes, graſſantur. Sunt autem ſupra centũ ciuitates hac libertate fruentes. Nam & in Rheno & in Danubio multæ ſunt, & mari proximæ, quas appellant Stagnales, quã plurimæ, & in mediterraneis aliæ quæ ſimul fœderatę iniurias Principum proprius armis propulſant.

Comites Vuittenberg. iam Duces.

CAPVT XXXVIII.

De Germanorum militari diſciplina, & ab eis inuenta bellica arma deſcribit. Trium præcipue qui omnium capitaneorum primates dici merentur, mentionem adfert. Tres apud Germ. quibus exercituum in Turcas mouendorum prouincia tradi poteſt.

QVanta inſuper vel Principum vel Ciuitatum armorum peritia eſt, quantus vſus, quanta reipublicæ diſciplina? nati in Germania pueri, prius equitate quam loqui diſcunt, currentibus equis immobiles hærent ſellis: Lanceas dominorum longiores ferunt, frigore ac ſole durati, nullo labore vincuntur. Nullus inermis, aut Sueuus aut Franco ingreditur eques. Tam leuiter arma, quam membra fert Germanus miles. Non ſolum nobiles, ſed ciues quoq; ex plebe nati, armamentaria in domibus habent, & ad quoſuis inopinatos incurſus ſiue tumores, armati continuo prodeunt. Stupẽda res eſt, ac ferme incredibilis, quanta peritia eſt equos erigere, flectere, atq; in gyrum ducere. quanta ſagittandi ars? quantus lancearum vſus? quæ clypeorum agilitas? quæ ſtringendi verſandiq; gladiorum ſcientia? quæ machinarum, & tormentorum experientia? Rideant neceſſe eſt reliquas armorum officinas, qui publica Theutonicorũ armamentaria viderint. tot ibi maiores baliſtæ, tot catapultæ, tot arietes, tot inſolitæ magnitudinis ænea tormenta viſuntur, quas vocant bombardas, quarum & ipſi Theutones repertores habentur. Adde ſingularum copiarum duces, quos noſtra ferunt tempora. Qui ſunt apud vos claræ militiæ ductores? Quanta eſt Alberti Marchionis Brandenburgenſis gloria, ſiue fortitudinem hominis, ſiue prudentiam exigis? Is, ab ipſa pueritia in armis educatus, pluribus interfuit bellis, quam alii fortaſſe legerint. Militauit in Polonia, Sleſia, Pruſſia, in Bohemia, in Auſtria, in Vngaria, in Saxonia, in omni ferme Germania. nullus eſt angulus, quẽ non calcauit armatus. Duxit exercitus copioſos, proſtrauit ferociſſimos, cum Nurnbergenſibus nouem bella geſſit, in octo victor; in vno victus, in quo proditione deceptus, quamuis pene captus videretur, fortuitum tamen periculum ſubita ſuperauit induſtria. primus in congreſſibus iniit pugnam, victor vltimus exceſſit. De prælio ad ſingulare certamen ſæpius inuitatus, nunquam non ſtrauit hoſtem in ludo quo ſoli tecti clypeo, acutis ſeſe lanceis impetunt, ſepties & decies cucurrit, ſemper victor, & in oppugnationibus vrbium ſæpe primus murum aſcendit. Qui ex rebus non iniuria *Theutonicus* appellatur *Achilles*, nec profecto quenqam nouimus, quem nemo ſibi præferat, at ne dicamus, æquet. Neque enim in hoc homine tantum militares artes, & imperatoriæ virtutes, ſingulari quodam modo relucent, ſed nobilitas generis, proceritas corporis, venuſtas faciei, facundia linguæ, & virium robur, admirabilem eum efficit. Sunt Vilhelmus Saxoniæ Dux, & Georgius Poggiobracius Bohemiæ Gubernator, quos laborum aut tempus rerum experientia multarum, oculus in rebus ſubitis perſpicaciſſimus, incredibilis diligentia, ſolertiſſima cura, animus inquietus, & nullius ignarus artis, quas bello neceſſarias ducunt, Alberto proximos faciunt. Nec minor his Ioannes Ziska Bohemus, qui Gubernatorem Vngariæ Ioannem Huniatem fama clarum, & magnis fultum copiis, ſæpe cum paruꝭ militum manu fudit. Incipit & nunc nomen ſibi aſſumere Ioannes Comes de Pulchro monte, qui Prutenorum cauſam Fratrum defendens, magnas per hos dies Polonis ſtrages intulit. Longum eſſet quoque omnia eius glorioſa facta recenſere. Per Saxoniam, Sueuiam, Franconiamque, viri clari ſunt, numeroſos exercitus ducere idonei. Siquidem & Fridericus Palatinus Princeps Elector, & Albertus germanus Imperatoris, & Carolus Marchio Badenſis, digni omnium iudicio exiſtimati ſunt, qui copiis in Thurcos educendis præficerentur. Hæc Germaniæ tuæ potentia eſt,

De diſciplina militari Germanorum.

Alber. Marchio Brandenburgen.

Theutonicus Achilles Marchio Albertus.

Vuilhelmus dux Saxoniæ Georgius rex Bohemorum. Ioannes Huniates pater Mathiæ regis Vngariæ. Iohannes de Pulchro monte.

Mar-

Martine, quam ſi vel paruam, vel contemnendam dixeris, non deerunt, qui te contemnant potius, & parui exiſtiment eſſe iudicii. Sed quoniam de potentia ſatis dictum eſt.

CAPVT XXXIX.

In veteri Germania Deo nullum exhibitum cultum, rapinas laudi fuiſſe dicit, quæ etſi vnica ex priſca Barbarie remanſerit, nulla tamen libertate. ſed acerbiſſimo rotatu puniri, à iuſticiariis omnia recte ductu legum commendat adminiſtrari.

DEmoribus ac doctrina nonnihil dicendum occurrit, vt liqueat in hac etiam parte nouam Germaniam, veterem illam (quam tantopere laudas) haud parum ſuperare. Et mores quidem hominũ, duplici via conſideramus. Nam & quales homines inter ſeſe ipſi ſint, animaduertere ſolemus, & qualem Deo cultum exhibeant, vtramq; ſuperius vitam apud veteres Germanos, auctoritate maiorum oſtendimus, monſtrauimuſq; in natione tua nec Deo verũ cultum exhibitũ fuiſſe, nec Theutones ad ciuilitatis vſum exercitationem habuiſſe, qui & vana ſimulacra colebant, liberos ſuos dæmoniis immolantes, & rapinis cædibuſq; gaudentes, iniuriari vicinis eoſq; bonis ſpoliare, in laudẽ trahebant. Nunc vero ad vos legitima Dei noſtri ſacra deducta ſunt, & vnum cum ſancta Romana Eccleſia verum & vnicum Deum Chriſtũ colitis. Et quamuis adhuc veterum nonnulla rapinarum veſtigia maneant (nam hoc vnum eſt ex priſca barbarie vitium inter vos relictum) non tamen ea prędarum libertas eſt, quæ olim fuit, nec ciuitates veſtræ prædonibus, ſi quando in poteſtatem earum veniunt, veniam præbent, ſed eos acerbiſſimo rotarum ſupplicio enecant. Vidimus iudicia veſtra, & conciliis veſtris, quæ de Repub. gerebantur (vt ante diximus) ſæpius interfuimus. omnia & prudenter & grauiter adminiſtratis, nec facile à recto tramite deflectimini, nec vobis ciuiles leges, nec iura deſunt pontificalia, literæ quoq; & omnium bonarum artium ſtudia apud vos florent.

CAPVT XL.

Germaniam à publicis literarum gymnaſiis commendans in ea nihil præter ſermonem patrium remanſiſſe barbari, hoc dicit.

De vniuerſitatibus Germaniæ.

SCholas quoq; & in quibus iura & medicina, & liberales traduntur artes, in Germania plures vrbes habent, vt Colonia Agrippina, Heidelberga, Praga, Ertfordia, Liptzika, Vienna, Roſtauia, Baſilea, in quibus doctiſſimi viri claruerunt, & noſtra quoq; ætate non inferiores clarent. Suſcipiuntur hoſpites apud vos læto vultu, ſed meliore corde. Et primarii vrbium ciues hoſpitalitatem exercent, apud quos nulla ſuſpitio fraudis eſſe poſſit. Conuiuitis humaniſſime omnibus gentibus, tantuſq; hodie & hominibus veſtris, & rebus nitor interpoſitus eſt, vt præter ſermonem patrium nihil inter vos Barbarum remanſiſſe videatur. Quod ſi qui vos amplius appellauerint Barbaros, ipſi verius Barbariſſimi cenſendi fuerint, ſiue Gręci ſiue Latini. Atque vtinam terra Macedonia, Theſſalia, Achaia, Pelopóneſus, Epirus, & illa Italiæ ora, quam olim magnam Græciam vocauere, non minus quam Theutonia Barbarizaret. Profecto non eſt quod priſcam Germaniam quouis pacto huic præferas, quam modo videmus. Vellemus, à mortuis aliquis ex illis veteribus reſurgeret: autAriouiſtus ille, qui copias ingentes ex Germania ducens, cum Iulio pugnauit in Gallia: aut Bannaſcus, qui Claudio imperante, ferociſſimam Cauchorum gentem, contra Romanos armauit: aut Vannius, qui Druſi Cæſaris amicitia potens, Sueuis præfuit, aut Vangio & Sidio, qui Vilpium Hermundurorum regem regno pepulerunt: aut Veritus & Malotiges.

CAPVT XLI.

Friſiorum ad Neronem legationem commemorat. Priſcos, ſi reuiuiſcerent, nequaquam hanc, quæ nunc Germanorum eſt, terram, ſuum dicturos natale ſolum.

Nota hiſtoriam de Friſiis.

FRiſii, qui legationem quondam ad Neronem gerentes, cum intraſſent Pompei theatrum, vidiſſentque quoſdam cultu externo inter ſenatores ſedere, & intellexiſſent, id honoris earum gentium legatis exhiberi, ſe Germanos eſſe exclamauerunt, ac digredientes inter patres conſedere. ob quam rem ambos Nero ciuitate donauit. Nam ſi quis horum nunc audiri poſſet, audiremus eam profecto Germaniam non eſſe aſpernãdam terram, quam tam bene cultam videret. Negaret enim quiuis horum, eo ſe loco natum, in quo tantum nitoris, tantum vrbanitatis atque humanitatis, & in exercitibus Romanorũ probatus, item Ciuilis ille, qui ſub Vitellio ac Veſpaſiano res Germanicas conturbauit. Omnes iſti, ſi modo tumulis excitarentur, fortaſſe oculos attollentes, cum inde Vrſam & Triones & Cynoſuram cernerent, primo cœlum recognoſcerent, & illis ſub aſtris ſe quondam natos reminiſcerentur. At cum terram inſpicerent, hinc florentes vrbes, inde mores hominum placidos, & agrorum culturam & ſacrorum ceremonias inſpicerent, negarent ſuam eſſe patriam, cuius faciem non recognoſcerent. Quæ cum ita ſint, audes dicere nationem Germanicam ad inopiam eſſe redactam, & ancillæ formam induiſſe, quæ domina gentium fuit, & imbecillem iacere ſpretam atque contemptam? Non eſt pauper Germania, vt probauimus, non impotens, non contemptibilis, quæ tam longe lateq; dominatur, quæ tot clariſſimis vrbibus illuſtrata eſt, quæ tot Principes habet, armorum gloria, potentia ſublimes.

Imagines tuas cœleſtes.

CAPVT XLII.

Imperij vires non parum defeciſſe, etſi omnia facile recuperari poſſent, nonnihil auri quanquam Rom. mittatur, ad nos tamen redire dicit. Non illic potentiam, vbi auri abundantia latet, exemplariter deducit. E Schitia Turcarum originem exiliſſe dicit.

SEd replicabis ſub Carolo Magno veſtri generis principe, non Germaniam ſolum, ſed Galliam atque Italiam, Hiſpaniam Theutonibus paruiſſe. ſub Ludouicis, ſub Ottonibus, ſub Henricis, ſub Fridericis, altiſſime dominati ſumus: Nunc extra Theutonicam linguam nihil obtinemus, quando nec Italia iuris Imperii certiſſima prouincia imperata facit. Fatemur imperium veſtrũ non eſſe, quod ſub Carolo fuit, & potentiam veſtram poſt Fridericos non parum defeciſſe. Sed nihil eſt, quod Apoſtolicæ ſedi poſſis imputare, nec ſi velit natio veſtra, impediri poteſt, quin priſtinam gloriam recuperet. Tibi perſuaſum eſt, vnicum eſſe nationis tuæ malum, quod aurum veſtrum ad ſedem Apoſtolicam referatur. Nolumus diſſerere, quantum id ſit, & quomodo Germani hodie Rom. curiam ſectantes magnam eius partem in patriam ſuam referunt: Teſtes ſunt, Ioannes Iouianus Verchius, & Henricus Roſcopius, atq; alii complures, qui Romæ ditati ſumptuoſiſſime domi ædificauerunt. Illud te minus perite arbitratum cernimus, quod in auro prouinciarum excellentiam felicitatemq; collocas, & vbi aurum eſt, ibi credis eſſe potentiam, atq; imperium. Quod ſi ita eſſet, neq; Philippum, neque Cyrum opulentiſſimos reges Schytharum, pauper ſuperaſſet exercitus. Neq; ditiſſimum Perſem Græci profligaſſent inopes. Neq; Darium aut Porum proſtrauiſſet Alexander diuitiis inferior. Neq; Perſen Paulus Æmilius captiuum abduxiſſet. Neq; Antiochum Scipio Africanus trans montẽ Taurum repuliſſet. Stabant falcati currus, ebore atque argento nitentes, & equorum phaleras cooperiebãt gemmæ. Nulla equitis galea, nullus militis gladius, nullus baltheus, non auro ſplendebat. Quæ cum vidiſſet Hannibal, *ſatis hæc*, inquit, *Romanis erunt, etſi ſunt auariſſimi.* Significans aurum ad prædam expoſitum eſſe. Nec mentitus eſt. victo enim ſtatim Antiocho, omnis gaza in Romanorum poteſtatem educta eſt, nec magnum & opulentiſſimum regem defendere aurum potuit. Virtus hominum, non pecunia prouinciam nobilitat, vbi virtus; ibi & opes ancillantur. Sunt tamen neceſſariæ pecuniæ. & nerui reipublicæ appellantur. Memorabile illud eſt Romani hominis dictum, qui *Romanos non auro imperare velle, ſed hominibus aurum poſſidentibus*, ait. Quod ſi veterum annales reperamus, inuenimus eas plerunque prouincias, atq; vrbes aliis imperaſſe, quæ minus auri poſſederunt. Nam Romani, & Athenienſes, & Spartani, & Carthaginenſes, non opibus aut auro, ſed armorũ peritia & animorum fortitudine imperia parauerunt. Atq; idcirco Europæ gentibus Aſiam ſemper inhabitantes, inferiores habiti ſunt. Neq; Turci, quos hodie miramur, ex diuiti prouincia emerſere, cũ Aſiam occuparunt. Sed hiſpida & pauper Scythia, illis patria fuit, vnde & fortiſſimus ille Tamerlanes erupit, qui nobis puerulis Armeniam, Capadociam, Aſiam, Bithyniam, Ciliciam, Siriamque vaſtauit, & nobiliſſimam vrbem incendit Damaſcum. Viris fortibus, & animo excellenti præditis, ſæpius auri copia quam inopia nocuit. Siquidem magnas opes, & deliciæ & voluptates conſequuntur, quæ viros alioquin præſtabiles emaſculant, & vim omnem virtutis elidunt.

Pecunia nerui Reipublicæ appellantur.

Ex Scythia Turci & Tamerlanes.

CAPVT XLIII.

Duas Germanorum impotentiæ cauſas aſſignat, voluptatum exuberantiam, & Principum copioſitatem, vnde ne Cæſari (Fridericum tertium adferendo) obediatur exoritur. A Græcis ad Germanos tralatum imperium, quo pacto apud nos ſeruiri queat, hoc dicit.

ATque hæc fortaſſe cauſa eſt, quæ veſtrum Imperium exinaniuit. Nam cum veſtri maiores agendo, inſtando, vigilando, res præclaras egiſſent, latiſſimaſque prouincias, ac robuſtiſſimas & ditiſſimas gentes Germanico regno ſubieciſſent, quo fortuna victoriam impulit, eo & ſpolia & diuitias intulit, communes hominum Peſtes. Videmus enim Germaniam (vt diximus) argento & auro plenam, omnibuſque delitiis affluentem, ita ſeipſa contentam eſſe, vt arma foris nuſquam efferat: Quod ſi mos maiorum in hanc vſque diem manſiſſet, veſtroſque frequentes exercitus ſubactæ gentes in oculis habuiſſent, non eſſet minor veſtra; quam illorum potentia fuit. Siquidem *Imperium* (teſtante Criſpo Saluſtio) *iiſdem artibus retinetur, quibus ab initio partum eſt.* At patres veſtri, regni fines armis, non pecunia propagarunt. Armis igitur retinenda maieſtas fuit, quibus etſi plurimum valet veſtra iuuentus, (vt ante relatum eſt) illecta tamen domeſticis voluptatibus, extra Germaniam prodire non audet. Sed eſt alia maior ratio, quæ veſtrum Imperium comminuit & ad nihilum rediget, niſi occurretis, pluralitatem Principum philoſophi abhorrent, vos ea gaudetis. Nam quamuis Imperatorem & Regem & Dominum veſtrum eſſe fatemini, precario tamen ille imperare videtur. nulla eius potentia eſt; tantum ei paretis quantum vultis; vultis autem minimum; libertas omnibus in cõmuni placet, neq; ciuitates, neq; principes, quod ſuum eſt Imperatori præbent; nulla illi vectigalia, nullum ærarium. quiſq; ſuæ rei moderator & arbiter eſſe vult. Hinc diſcordiæ inter vos crebræ, & aſſidua bella graſſantur, ex quibus rapinæ, incendia, cædes, & mille malorum emergunt genera, quemadmodũ ibi interuenire neceſſe eſt, vbi plura dominantur capita. nam quo pacto aliis dominentur, qui ſibi ipſis neſciunt imperare? Nulla vnquã ciuitas, nulla gens, nulla natio, in aliam protraxit imperium, niſi prius imperiũ ipſa ſubiuit. Diſcant ſuo principi ſeruire oportet, qui aliis cupiunt imperare: Quod ſi vos Germani ſic diuo Friderico Cæſari obediretis, vt veſtri progenitores primo Carolo paruerunt,

nerunt, haud dubium quin priſca ad vos gloria rediret: quando viris, equis, armisq́; & rei militaris peritia, non minus quam veteres abundatis. At vos, ſi vera ſunt, quæ tua tradit epiſtola, non ſolum Imperatori ſua reddere iura non cogitatis, ſed Apoſtolicæ ſedi ſuum auferre priuilegium enitimini, ne maiori luminari minus inuideat, & vtrique gladio acies deſit, ſed de hoc poſtea diſputabimus; nunc ſatis eſt oſtendiſſe, non eſſe in culpa Romanam Eccleſiam, ſi Germanicum elãguit Imperium, quemadmodum tua ſcripta videbantur aſſerere. Nam prima ſedes (vt poſtea ſuo loco monſtrabimus) Imperium ex Græcis ad Germanos tranſtulit. Quod ſi quoquo modo conaretur euertere, ſuum opus ipſa deſtrueret & inique ageret, ei nationi nocens, quæ non ſine maximis obſequiis id honoris emeruit. Vos tamen ſi priorem cupitis eminentiam vendicare, priſcas virtutes, priſcos reſumite mores, fortitudinem ignauiæ opponite, liberalitatem auaritiæ, ſolicitudinem deſidiæ, iuſtitiam iniquitati. Et (quod eſt inprimis neceſſarium), vnitatem diuiſioni præferte: et capiti veſtro, tam ſpirituali, quam temporali, ſuos honores, ſuam obedientiam reddite. Quod ſi feceritis, haud dubium quin vetus nomen recuperantes, multis & magnis gentibus leges dicetis.

Cæſari obediendum.

CAPVT XLIV.

Tres cauſas inopiæ epiſcopatuum Germaniæ aſſignat.

VErum quia nonnullas Eccleſias in Alemannia ſuis deſpoliatas poſſeſſionibus, & ad mendicitatem pene deductas non ignoramus, vt Herbipolenſem, Vratislauienſem, Conſtantienſem, & alias: Reſpondendum illis eſt, qui huius culpam, in Apoſtolicam ſedem reiiciunt, quæ medios fructus primi anni exigere ſolet, quod ſi verum eſſet, omneis eadem calamitas oppreſſiſſet; ex omnibus enim id iuris pari modo recipitur. Sed ſunt tres potiſſimæ cauſæ, quibus & monaſteria & Eccleſiæ Germanicæ nationis, è priori fortuna exciderunt. Prima eſt, quoniam bellorum turbinibus quam frequentiſſime agitantur, in quibus, ſi quid victoriæ iure acquirũt, veluti modeſtiores, e veſtigio facta pace reſtituere compelluntur. Si quid amittunt, perpetuo apud hoſtem manet.

Tribus rebus deſtruuntur Eccleſiæ Germaniæ.

Secunda cauſa eſt, quod amicis & neceſſitudine iunctis, quam multa prælati elargiuntur: quod niſi faciant, illi ſuopte ingenio Eccleſiaſtica bona compilant.

Tertia eſt, quod omnes principum more, equos caneſque alunt, & hiſtriones paraſitoſque nutriunt, neque ſine magno comitatu eſſe volunt. Nec tu aliter, quam in aulis regalibus, apud prælatos tuos inſtrui conuiuia videbis. Quibus ex rebus non inepte hoc loco dixerimus, quod Nabúſardam princeps cocorum muros Hieruſalem deſtruxiſſe legitur, quia venter, cui cocorum multitudo deſeruit, ædificia virtutum ad ſolum redigit. Luxuria & ambitio Germanicas Eccleſias, non Romana curia exhaurit.

III.

Anno Domini 1508.

DE LAVDE, ANTIQVITATE, IMPERIO, VICTORIIS, REBVSQVE GESTIS VETERVM GERMANORVM,

Tractatus Henrici Bebelij Iuſtingenſis Sueui.

CAPVT I.

Germani habuerunt alterum Imperium, Romanis florentibus.

PRimo, Germani alterum & ſecundum à Romanis Imperium habuiſſe prædicantur ab exteris. Nazarius ad Conſtantinum de Germania: *Iacet in latere Gallorum, aut in ſinu eo fuſa barbara per ſeipſa potens natio, & poſt Romanam magnitudinem ſecunda in terris.* Ex quibus externi & hoſtis noſtri verbis, intelligimus Germanos aliud à Romanis Imperium habuiſſe, & poſt Romanos, potentiſſimos fuiſſe. Et Egeſippus, qui proxime Apoſtolorum temporibus ſucceſſit, dicit Germanos totius orbis imperium agitaſſe, de Veſpaſiano loquens his verbis lib. 2. *Romanis tamen ſuper nubes viantibus, & vltra columnas Herculis imperium propagantibus, nihil innium fuit, tanta facilitate hoſtis, & qui latebat repertus, & qui reſiſtebat victus eſt; quorum improuiſo aduentu conſediſſe montes Germaniæ credidit, Rhenum expauiſſe, qui magnitudine corporum, & contemptu mortis cæteris validiores, quæ retinaculum ante ſuum Rhenum putabant, nunc ſalutis defenſionem. Itaque non ſcopulis Germanorum repletur, ſed Romanorum lib. tenus, qua peterrantes tot vſque ad mare bicornis amnis fluentã,*

quon-

quondam liberas gentes ſeruitio premunt, vt quæ ante ſibi totius orbis imperium præſumpſerant, nunc ſeruitutis propriæ mercedem exoluant. Quod ſi quis dixerit, Egeſippus & alter dicunt Germanos eſſe victos, adeo vt contra te faciant. Ego accepto, quod primus dicit, Germanos *alterum imperium habuiſſe*, alter *totius orbis imperium præſumpſiſſe*, & *liberas* fuiſſe *gentes*. Nam non eſt timendum, quod mentiantur laudantes Romanos, quæ contra Romanos proferunt. Quis enim non crederet, Romam & Romanos laudantibus, quæ contra ſe & ſuos adducunt. Quod autem item dicunt, Germanos à Romanis victos, hoc videntur ex fauore & adulatione dicere, præſertim dum ego contrarium probabo illuſtribus ſcriptoribus, Veſpaſianum non trans Rhenum, ſed in Gallia cum Germanis, ſed varia fortuna decertaſſe: nec Conſtantinum trans Rhenum, ſed in Gallia etiam nomen ſuum illuſtraſſe, atque auxilio Regis Sueuorum ad imperium perueniſſe. Quis igitur Germanos non admiretur? quos ego clariſſimos, illuſtriſſimos atque bellicoſiſſimos oſtendam, ex his auctoribus, qui Romanis blanditi illoſque ex propoſito laudantes, Germanos eorumque laudem deprimere conati ſunt, dum nemo ſanæ mentis non facile acceptet atque credat, quod quis contra ſe atq; eos, quos laudare cupit, afferat.

CAPVT II.

Rhenus ſemper fuit terminus imperii Rom. & Romani contenti fuerunt Rheno tenus Germanos prohibere, ne in Galliam tranſirent.

MVlti Romanorum Imperatorum ſcripſerunt ſe à domita Germania *Germanicos*, ſed nemo eorum vnquam domuit Germaniam, niſi forte *Germaniam ſecundam*, vt vocat Ammianus Marcellinus, hoc eſt, Germanos, qui ſunt nobis Transrhenani, vt ſunt, Auſtraſii, Belgarumque maior pars, ſed legenti mihi Rom. ſcriptores, compertum eſt, Romanos parum tentaſſe vel profeciſſe contra Germanos, niſi in ipſa intima Gallia, in qua ſæpe Romani & victi ſunt à nobis & vicerunt, adeo vt non minus vere quam luculenter Pacatus Latinus ad Theodoſium deploret Galliam continuo barbarorum incurſiones ſuſtinentem dicens: *Vnde igitur ordiar niſi à tuis, mea Gallia, malis, quæ ex omnibus terris, quas illa peſtis inſederat, haud iniuria tibi vindicas priuilegium miſeriarum?* Quod ſi dixerim, vt veriſſime poſſum, Iulium Cæſarem nihil egregium trans Rhenum egiſſe, Germaniſq; potius arma oſtentaſſe quam intuliſſe, non mentiar, dum Pompeius apud Lucanum etiam dicat eum fugiſſe à Rheno, dum inquit:

Dant animos Rheni gelidis quod fugit ab vndis.

Quod tametſi hoſtis erat, tamen & hoſtes loquuntur veritatem, ſed Lucanus ex animi ſententia ſcripſit. Inde non probantur mihi, imo mentiuntur quidam icioli (neſcientes, dum ſuæ ciuitatis vetuſtatem & nobilitatem mentiri volunt, ſe dehoneſtare Germaniam) dum dicant multas ciuitates in Saxonia à Iulio Cæſare conditas, nam eo ipſo teſte vltra quindecim dies non manſit in Germania, nedum Saxonia, in quam nunquam venit, & quæ tunc non fuerat. Quod ſi etiam hoc nomen habuiſſet, nunquam tamen in illam venit, nedum ciuitatem vllam in tota Germania condidit trans Rhenum. quæ omnia ex *Commentariis* eius hominis in primis glorioſi & ambitioſi elicere poſſumus, adeo vt aliis non egeamus teſtibus, nec vllus hoc vetus hiſtoricus tradit, ſed ſunt meræ nugæ aniléſque ad carbones, & iuxta focum fabulæ. Dico & Auguſtum pauco tempore partiunculam Germaniæ occupaſſe, tandem amiſſo exercitu, duabuſque cladibus acceptis repulſum. Oſtendam igitur receptis auctoribus & diuerſis temporibus ſemper fere Rheno & Hiſtro terminatum Roman. Imperium vſque ad annum Domini CCCXXX. tunc enim Romanum Imperium in Occidente perijt, Romanoſque rebus integris & florentibus contentos fuiſſe, ſi intra Rhenum & Hiſtrum imperium agerent, Germanoſque ſemper fuiſſe liberos ab omni imperio, hoſteſque Romanorum ſemper egiſſe. Audiamus auctores. Domitius Vlpianus ff. de captiu. & poſtl. reuerſis, *hoſtes ſunt, in quibus bellum publice Pop. Rom. decreuit, vel ipſi populo Roman. cæteri vero latrunculi vel prædones appellantur: & ideo qui à latronibus captus eſt, ſeruus latronum non eſt, nec poſtliminium illi neceſſarium. ab hoſtibus autem captus, puta à Germanis vel Parthis, & ſeruus eſt hoſtium, & poſtliminio ſtatum recuperat priſtinum.* Seruius in 8. Æneid. *Rhenus fluuius bicornis, quia per duos alueos fluit: per vnum, qua Romanum imperium eſt, per alterum interfluit barbaros.* Ambroſius tempore Valentiniani: *Danubius de occidentalibus partibus barbarorum, atque Romanos interſecans populos, donec ponto ipſo condatur, Rhenus de iugo Alpium vſque in Oceani profunda curſus ſuos dirigens, Romani memorandus aduerſus feras gentes murus imperii.* Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico tempore Neronis loquens de Germanis: *Hunc autem limitem Rhenum habent, & octo legionibus domantur, & ſeruiunt quidem, qui capti ſunt, reliqua autem eorum gens vniuerſa ſalutem in fuga, non in armis ponit.* Idem: *Quid mirum, ſi Euphrates ab Oriente, & Oceanus ab Occidente, itemque à meridiano tractu; Libya fertiliſſima regio, & Septentrione Rhenus atque Hiſter ſunt imperii limites?* Ioſephus hæc verba in perſona Agrippæ regis ad terrorem Iudæorum dixit, non quod ita eſſet. infra enim oſtendam tempore illo Germanos non ſolum in Galliam crebras feciſſe incurſiones, ſed in Hiſpaniam vſque penetraſſe, non tamen nego Germanos interdum in Gallia victos. Claudianus de Stilicone ſub Honorio & Arcadio:

Vlla ne poſteritas credat, Germania quondam;
Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
Principibus tota poterit cum mole teneri,
Iam ſeſe placidam præbet Stiliconis habenis,
Vt nec præſidiis nudato limite tentet
Expoſitum calcare ſolum, &c.

Eutropius de Iuliano: *à quo modicis copiis apud Argentoratum Galliæ vrbem ingentes Alemanorum copiæ extinctæ ſunt, ſubmotique vltra Rhenum Germani & finibus ſuis imperium conſtitutum.* Seneca quinto naturalium: *ſub Nerone hinc qui medius inter pacata & hoſtilia fuit Danubius ac Rhenus, ac Rhenus alter Sarmaticos impetus cohibens, & Europam Aſiamque diſcriminans, alter Germanos auidam gentem belli repellens.* Panegyricus Conſtantino: *Et quid opus erat ipſi Rheno inſtructis & militibus, & claſſibus, quem iam pridem barbaris nationibus virtutis tuæ terror obſtruxit?* De eodem: *ruperat fidem gens leuis & lubrica barbarorum, & robore atque audacia, lectis eruptionis auctoribus, inſtitiſſe Rheno nunciabantur, ilico obuius aſſuiſti, & præſentia tua ne auderent tranſitum terruiſti.* Ad eundem: *neque enim iam in Rheni gurgitibus, ſed nominis tui terrore munimur.* Panegyricus Maximiano: *Tu Domine Maximiane repente Rheno inſtitiſti, omnemque illum limitem, non equeſtribus, neque pedeſtribus copiis, ſed præſentiæ tuæ terrore tutatus es.* Idem: *porrectis vſque ad Danubij caput Germaniæ Rhetiæque limitibus.* Tacitus ſub Domitiano in vita Agricolæ: *nec iam de limite imperii & ripa, ſed de hibernis legionum & poſſeſſione dubitatum à Romanis.* Claudianus de victoria Stiliconis:

Sublimis in arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhetia ſiluæ,
Quæ ſe Danubii iactat Rhenique parentem,
Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.

Cornelius Tacitus lib. 20. ſub Veſpaſiano: *Rhenus incognita illi cœlo ſiccitate vix nauium patiens, arcti commeatus, diſpoſita per omnem ripam ſtationes, quæ Germanos vado arcerent, apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipſa aquarum penuria tanquam nos omnes quoq; & vetera imperii munimenta desererent.* Ibidem: *tutor ripæ Rheni à Vitellio præfectus Iulius Sabinus.* Mamertinus ad Maximianum: *Sancte Iupiter & Hercules bone, tandem bella ciuilia ad gentes illas veſania dignas tranſtuliſtis, omnemq; illam rabiẽ extra terminos huius imperii in terras hoſtium diſtuliſtis. Etenim à ſole exoriente adusq; Mæotidos paludes ad nunc longius longiuſque protendere licet, ſi quis hoſtilem in mutua clade veſaniam toto orbe percenſeat. atenim ab ipſo ſolis ortu non modo ac citra Mæotim ſub extrema ſeptentrionis plaga, qua feruidum caput Danubius euoluit, quaq; horridus ſecat Albis Germaniam, ſub etiam ipſo lucis occaſu, qua Tingetanum littus Calpetano monti obuium latus in mediterraneos ſinus admittit Oceanum, ruunt omnes in ſanguinem ſummi populi, quibus nunquam contigit eſſe Romanis, obſtinataq; feritatis nunc ſponte perſoluunt pœnas. Gotthi Burgundios penitus excindunt, rurſus pro victis armantur Alemanni, itemq; torua gens alia Gotthorum adiuncta manu Thaifalorum aduerſum Vandalos Gepideſq; concurrunt. Burgundiones Alemannorum agros occupauere, ſed ſua quoq; clade quæſitas Alemanni terras amiſere, ſed repetunt.* Idem ad eundem: *Tranſeo limitem Rhetiæ repẽtina hoſtium clade promotum.* Panegyricus ad eundem Maximianum: *quid autem maius euenire potuit illa tua in Germaniam tranſgreſſione, qua tu primus omnium imperator probaſti, Rom. imperii nullum eſſe terminum, niſi qui tuorum eſſet,* amborum ſcilicet Diocletiani & Maximiani. *atqui Rhenum antea videbatur ipſa ſic natura duxiſſe, vt eo limite Romanæ prouinciæ ab immanitate barbariæ vindicarentur. Et quis vnquam ante vos Principes non gratulatus eſt Gallias illorum amne muniri, quando non enim ſine metu noſtro Rheni alueum minuit diu ſerena tempeſtas? quando non cum ſecuritate noſtra illius diluuia creuerunt?* Lucanus in primo Pharſaliæ:

Albis & indomitum caput Rheni.

Herodianus Græcus lib. 2. de Commodo & Nigro Imperatore: *Hæc dum agitaret leui incertaque ſpe ſubnixus, fama iam per Pannonias Illyricoſque increbuerat perque exercitus omnes, qui pro ripis Danubii Rhenique excubantes cohercendis barbaris Rom. tuentur imperium.* Seneca de mundi gubernatione: *Omnes conſidera gentes, quibus Rom. pax deſinit, Germanos dico, & quicquid circa Iſtrum vagarum gentiũ occurſat.* Idem lib. 3. de naturalibus quæſtionib. *O quam ridiculi ſunt mortalium termini. Vltra Iſtrum Dacus non exeat, Iſthmum Samothraces includat, Parthis obſtet Euphrates, Danubius Sarmatica ac Romana diſterminet, Rhenus Germaniæ modum faciat.* Nec obſtat quod in Euangelio legitur: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto in vniuerſum orbem,* nam intelligitur *in orbem Roman.* vt etiam diuus Ambroſius exponit, non autem orbem terræ, cuius minor pars Romanorum erat. poſt Theodoſium autem magnum opus eſt loqui de finibus Romanorum, dum ne domi quidem ſe potuerint tueri, imo non de finibus, ſed de ſalute tam ſua quam patriæ anxii, magnam ſunt paſſi deſolationem, & totius Italiæ cum Roma vaſtationem, innumerabiles enim Germanorum nationes, Sueui, Gotthi, Vandali, Franci, Burgundones, Rugi, Turcilingi, Heruli & alii infuſi per Italiam diuerſis temporibus & locis & Romanorum prouincias, totum imperium peſſundederunt. Et Ruffinus dicit in Scholaſtica hiſtoria, *Decium Imperatorem à Gotthis victum in præſens & futurum maximo reipublicæ interitu.*

CAPVT III.

Germani contenti habere liberum imperium intra Rhenum, etiam trans Alpes & fluuios patrios, Rhenum & Danubium, Romanorum prouincias occuparunt & vaſtarunt, inuitis Romanis.

ROmani igitur vſq; ad inclinationem imperii, ſemper ad ripas Danubii & Rheni, vt vim barbarorum ac inſultus prohiberent atq; coercerent, legiones habebant, *gaudentes*, vt dicit Panegy-

ticus

ricus in alio capite ad Maximianum, *ſi quando Rhenus inundatione aquarum auctus, barbaros tranſitu prohiberet*: è contrario conſternati, ſi penuria aquæ transuadabilis eſſet. Nihilominus tamen Germani non potuerunt contineri, quin crebras excurſiones in ipſorum prouincias, non ſine crebris Roman. cladibus facerent, vt non minus vere quam eleganter dixerit Claudianus:

Vlla ne poſteritas credat Germania quondam,
Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
Principibus, tota poterit cum mole teneri,
Iam ſeſe placidam præbet Stiliconis habenis,
Vt nec præſidiis nudato limite tentet
Expoſitum calcare ſolum, &c.

Stilico autem Germanos non vicit, ſed quia & ipſe Germanus & Vandalus, in ſocietatem belli accepit. Nam vt ſileam (quoniam de antiquitate Germanorum alibi illa dicam) quomodo Priſco Tarquinio rege Germani Italiam intrauerint, & Senones etiam Germani (vt oſtendam) in Italiam & alias prouincias, quomodo item Cimbri totum orbem inundauerint, & Teutones cum his in Galliam & Italiam tranſiuerint, & quomodo pleriq; Belgarum à Germanis ortum habuerint, quod Germani antiquitus in Galliam propter fertilitatem agri tranſiuerint, vt refert Cæſar *in Commentariis*: vt etiam omittam vaſtatam Romam, Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, Europam & Aſiam per Gotthos, Vandalos, Longobardos, Quados, Sueuos, Burgundiones, Marcomannos, Saxones, Anglos, Scotos, Turcilingos, Rugos, Erulos, Alanos, & innumeros alios Germanorum populos, iam enim eo tempore Romanorum imperium periit, præſertim in Occidente. Solum dicam, rebus Romanorum florentibus Germanos inuictos & indomitos, diuerſis temporibus Romanorum prouincias intraſſe, inuitis Romanis, ac pro gloria, dignitate, imperio atq; pro finibus proferendis nunquam pro libertate cum Rom. pugnaſſe. Adeo vt optime dixerit, quicunque ille fuerit, Galliam eſſe veterem Germanorum incurſionem, multarum cædium cauſam Germanorum & Romanorum. Primum enim bellum gladiatorum in Italia, adiuuerunt Germani in Italiam profecti, Lucullo & Caſſio conſulibus, vt teſtis eſt Oroſius in 5. & Cæſar in primo Commentariorum, in quo quid Roma & Italia paſſa ſit, deſcribit Auguſtinus *lib. 5. c.* 22. de ciuitate Dei dicens: Bellum quoque fugitiuorum gladiatorum, quamuis multis Romanorum ducibus & duobus conſulibus victis, Italiaque horribiliter contrita atq; vaſtata: tertio tamen anno poſt multa bella, conſumptum eſt. Nonne Cæſar, fœliciſſimus Imperator Rom. & qui ſolus & primus domuiſſe dicitur Germanos, dum in Gallia cum potentiſſimo exercitu ageret, non deterruit Sicambros, minimam Germaniæ portionem, quin in Galliam prædatum tranſirent, atque ipſos Romanos, caſtris eorum pene captis, non parua clade, ſed maximo metu afficerent, vt & ipſe Cæſar in 6. belli Gallici teſtatur. Nonne idem in ſeptimo, ſeipſo, vt dixi, in Gallia belligerante, dicit: Treuiros à Germanis Rhenum tranſeuntibus preſſos. Idem dicit in quarto, Germanos facile impelli, vt in Galliam tranſirent. Idem in 6. dicit, Sueuos contra ſe Treuiris miſiſſe auxilia. Nonne eodem tempore (vt dicit Hercius in additione) Germani nullis aduerſus Roman. auxilia denegabant, qui tamen ſua militia Cæſarem ſæpenumero victorioſum reddiderunt, vt poſtea dicam, quod nobis optimum argumentum eſt, Germanos parum timuiſſe Romanos. Sub Tiberio item, qui Auguſto ſucceſſit, Germani Galliam vaſtarunt, vnde Suetonius de illo: Armeniam à Parthis occupari, Mœſiam à Dacis Sarmatiſq;, Gallias à Germanis vaſtari neglexit, magno dedecore imperii, nec minori diſcrimine. Idem dicit Eutropius, Germani in Hiſpaniam penetrauerunt, tempore neſcio quo, ſed non multo poſt Tiberium. Seneca ad Albinam de conſolatione, Thuſcos Aſia ſibi vendicat, Tyrii Africam incolunt, in Hiſpania Pœni, Græci ſe in Galliam immiſerunt, in ſe Græciam Galli: Pyreneus Germanorum tranſitus non inhibuit. Hoc idem teſtatur Ioſephus libro 3. de bello Iudaico, loquens de Veſpaſiano, Claudii vt credo Duce: Et qui (inquit) Popul. Rom. iam pridem pacaſſet, Heſperiam Germanorum tumultu concuſſam. De Veſpaſiano item loquitur Egeſippus lib. 3. Veſpaſianum ſolum eſſe, cui ſumma militiæ Orientis in partibus iure committeretur, virum ab adoleſcentia militiæ triumphalis in veterarum ſtipendiis, qui in pacatas Gallias Germanorum tumultu & ferocia genuinæ temeritatis, in bellum relapſas, pace diuturna compoſuerat. Lampridius de Alexandro. Erat autem grauiſſimum reipub. atque ipſi, quod Germanorum vaſtationibus Gallia diripiebatur. Flauius Vopiſcus de Probo: his geſtis, cum ingenti exercitu Gallias petit, quæ omnes occiſo Poſthumo turbatæ fuerant, interfecto Aureliano Germanis poſſeſſæ. Panegyricus de Maximiano: tamen omnes barbaræ nationes excidium vniuerſæ Galliæ minarentur, neque ſolum Burgundiones & Alemanni, ſed etiam Chaibones, Heruliq; viribus primus barbarorum locis vltimi, præcipiti impetu in has prouincias irruiſſent: quis Deus tam imperator, ſalutem attuliſſet, niſi tu affuiſſes? Latinus pacatus de Theodoſio. Iacebat innumerabilibus malis ægra, vel potius dixerim exanimata reſp. barbaris nationibus, Germanis ſcilicet (vt ipſe poſtea declarat) Romano nomini, velut quodam diluuio ſuperfuſis. Sub Archadio & Honorio, Hiſpaniæ per Sueuos vaſtatæ ſunt. Mamertinus ad Iulianum: florentiſſimas quondam antiquiſſimaſq; vrbes barbari (Alemanni erant) poſſidebant, Gallorum illa celebrata nobilitas, aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis ſeruiebat, in hoc ſtatu imperator noſter Gallias nactus, nimium habuit aduerſus hoſtem laboris atq; diſcriminis. Nazarius Conſtantino de Francis Germanis: Franci ipſi præter cæteros truces, quorum vis, cum ad bellum efferueſceret, vltra ipſum Oceanum æſtu furoris euecta, Hiſpaniarum etiam oras armis infeſtis habebat. Herodianus de Alexandro, quippe ſignifica-

bant, Germanos Rhenum Danubiumque tranſgreſſos, Romanos in fines hoſtiliter intraſſe, oppugnareq; exercitus ripis inſidentes, perq; vrbes & vicos magnis copiis excurrere, & Illyrici milites ſuos domi cæſos à Germanis audiebant. Oroſius ſub Galieno & Valeriano, Germani alpibus Rhetia totaque Italia penetratis, Rauennam vſque perueniunt, Alemanni Gallias peruagantes, etiam in Italiam tranſeunt, Græcia, Macedonia, Pontus & Aſia, Gotthorum inundatione deletur. Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulantur, Germani vlteriores, abraſa potiuntur Hiſpania, Gallia pluſquam 20. annis, ſub Valeriano & Galieno à Germanis poſſeſſa, ab Aureliano recuperata dicitur, poſt Aurelianum Gallia iterum amiſſa, ſub Probo reſtituta ſcribitur, Idem Oroſius. Conſtantinus Cæſar in Gallia (iuxta Lingonas, vt dicit Hieronymus in Euſebio) primo prælio ab Alemannis profligato exercitu ſuo, vix ipſe ſurreptus eſt. Sub Gratino Burgundiones Germani Galliam inuaſerunt. Et Cornelius Tacitus de Germanis dicit, occaſione diſcordiæ noſtræ & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, Gallias affectaſſe. De Germanis dicit Hieronymus ſuo tempore, qui claruit ſub Theodoſio. Horret animus temporum noſtrorum ruinas proſequi, viginti & eo amplius ſunt anni, quod inter Conſtantinopolim & Alpes Iulias, quotidie Romanus ſanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Theſſaliam, Dardaniam, Daciam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctaſque Pannonias, Gotthos, Sarmata, Quadus, Alanus, Vandali, Marcomanni, vaſtant, trahunt, rapiunt. Idem ad Acherutiam, Gerontiam, & per annos 30. fracto Danubio, in medijs Romani imperii regionibus pugnatur. Idem, innumerabiles & ferociſſimæ nationes vniuerſas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyreneum eſt, quod Rheno Oceanoque includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (O lugenda reſpublica) hoſtes Pannonii vaſtarunt, ſub Valentiniano ſuperiore Quadi, Germani & Sarmatæ Illyricum vaſtauerunt.

CAPVT IV.

Romani rebus florentibus, virtute Germanorum, res magnas geſſerunt, & qui populi quibus in locis vſi ſunt militia Germanorum.

GErmanorum militum præſtantia & fortitudine Romanos fuiſſe vſos, ac victorioſos, nec Romani quicquam egregium ſine illis auxiliatoribus geſſiſſe: vnde potius oſtendam, quam ex Iulio Cæſare, qui omnes Rom. fœlicitate, rebuſque geſtis longe ſuperauit. Illius inquam triumphos & torrentiſſimum fœlicitatis progreſſum, qui adiuuarunt atque promouerunt, niſi Germani? Dum enim ſubacta, etiam Germanorum auxilio, Gallia, Germanos trans Rhenum non irritandos cenſeret: Sueuorum fortitudine perterritus, beneficiis eos & muneribus ſibi deuinxit, quibus etiam præſtantiſſimum Imperatorem in acie Pharſalica ſuperauit, toto Oriente, vel potius totius orbis militia, ſi vnos dempſeris Gallos atque Germanos, ſtipatum: Pompeium, inquam, qui Plinio referente, res geſtas non Alexandri modo Magni, ſed & Bacchi & Herculis ſuperaſſe famigeratur, Germanis vicit. Ita dicit Lucius Florus, de prælio Pharſalico: *nam cum diu æquo Marte contenderet, iuſſuq. Pompei fuſus à cornu erupiſſet equitatus, repente hic ſigno dato, Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, vt illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur.* Idem Cæſar, cum tota Gallia duce Vercingentorige in ſe conſpiraſſet, neque ex Italia interclusis itineribus ſupplementa habere poſſet, aut iuſtum exercitum, aut tanto exercitui par eſſe poſſet, vnis Germanis rebellantem repreſſit. Ita enim ille ipſe dicit in ſeptimo, de primo prælio in Biturigibus commiſſo: *Cæſar ex caſtris equitatum educi iubet, prælium equeſtre committi. laborantibus iam ſuis Germanos equites circiter* CCCC. *ſubmittit, quos ab initio ſecum habere inſtituerat, eorum impetum Galli ſuſtinere non potuerunt, atque in fugam coniecti, multis amiſſis ſeſe ad agmen receperunt.* Et ita dicit Auctor innominatus: *ne priuemus ſua laude barbariem,* CCCC. *equitum Germanorum, qui ſub Cæſare militabant, atque ab ipſo principio ſecum erant, opera fuit egregia: à Cæſare enim immiſſi, laborantibus aliis in tempore ſubuenerunt, fregeruntque Gallos repentino impetu.* Dum autem *laborantibus aliis* dicitur, intelligi non obſcure datur, in periculo rem Cæſaris futuram fuiſſe, niſi Germanica virtus enituiſſet. Quod Cæſar autem à principio belli ſecum habuit Germanos, argumentum eſt, Ariouiſtum regem Germanum à Germanis fuiſſe victum. Poſſem inſuper aliis in locis oſtendere ex Tacito, Romanos cum Germanis mercenariis profligare conatos ipſos Germanos. Proh deorum atque hominum fidem, O dolendam & execrandam Germanorum auaritiam, quos eſſe inuictos ab hoſtibus, res ipſa atque multorum auctorum teſtimonia declarant, hos ipſa pecunia vincit! quis niſi Germani Romanis tot regna & imperia conquiſierunt? quis hodie regem Franciæ illuſtrem facit, niſi Germani? quos nundinari ſolet pecunia annuiſque ſtipendiis. Quis ei Inſubriam peperit? Germani. Quis Apuliam bis ſubegit? Germani. Quibus hodie confiſus armis, Francigena tot res nouas molitur? Germanorum. Quis Genuam expugnauit? Germani. Quis rurſus illum ter Apulia deturbauit, maximis præliis fuſum, magnaque ſuorum cæde? Germani, adeo vt & illum & regem Hiſpaniæ Germani fecerint illuſtres & victorioſos: ſtulti quod aliis non ſibi regna parent. Quod ſi eſſent concordes, & Heluetii noſtri cum Imperio ſentirent, & non aduerſam partem fouerent: nihil nobis obſtare poſſet, ne Alpes quidem inacceſſæ, aut vlla maria. Sed Deorum immortalium fortaſſe ira contingit, nunquam nobis eſſe concordes. Sed vt ad inſtitutum redeam, dum contra Cæſarem tota Gallia conſpiraſſet, neque ipſe vllos milites in Galliá interclusis viis introducere poſſet, vt alibi, ita nunc iuxta Sequanos, Gallos Germa-

nis

tis vicit. Nam cum plures ex Germania equites & pedites euocaſſet, qui minus idoneos equos habebant, à Romanis ſumptos illis diſtribuit, atq; illis victoriam obtinuit. Hæc eius ſunt verba: *Germani dextro latere ſummum iugum nacti, hoſtes loco pellunt, fugientes vſq; ad flumen, vbi Vercingentorix cum pedeſtribus copiis conſederat, perſequuntur, compluresque interficiunt. Qua re animaduerſa reliqui ne circumuenirentur veriti, ſe fugæ mandant. Omnibus locis fit cædes: Tres nobiliſſimi Hedui capti ad Cæſarem perducuntur.* Et Auctor innominatus: *Germanorum equitum, quos è Transrhenanis vrbibus Cæſar acciuerat, inſignis opera, fuſo equitatu, raptiſque & Cæſari præſentatis aliquot nobiliſſimis Heduorum, qui hoſtium in acie contra eum fuerant.* Et poſtea: *Cæſar ad Alexiam oppidum virtute Germanorum vicit Gallos.* Accedat ipſe teſtis. Ita enim dicit libr. 7. commentariorum: *fit equeſtre prælium, laborantibus noſtris Cæſar Germanos ſubmittit, noſtris animus augetur, hoſtes in fugam coniecti ſe ipſi multitudine impediunt, atq; anguſtioribus portis relictis coaceruant. Tum Germani vſque ad munitionem ſequuntur, fit magna cædes. Nonnulli relictis equis, foſſam tranſire, ac maceriem tranſcendere conantur: multis interfectis, compluribus equis captis, Germani ſeſe receperunt.* Nonne in obſeſſione eiuſdem ciuitatis Alexiæ, Germani iterum pro Cæſare vincunt Gallos? hoc ipſe idem Cæſar teſtatur lib. 7. *Cum a meridie* (inquit) *prope ad Solis occaſum dubia victoria pugnaretur, Germani vna in parte, confertis turmis in hoſtes impetum fecerunt, eoſque pepulerunt, quibus in fugam coniectis ſagittarii circumuenti, interfecti ſunt.* Oroſius autem ad ſanctum Auguſtinum ita loquitur: *Vercingentorix, quem omnes conſenſu pari regem præoptauerant, ſuadet, vt ex tota Gallia, omnes qui arma ferre poſſent, huic bello præſto ſint, hoc enim eſſe vnum bellum, quo aut perpetua libertas, aut æterna ſeruitus, aut mors omnium, conſequatur. Itaque abſque eo numero, quem infinitum ante contraxerat, equitum circiter octo* M. *peditum* C.C. L.M. *contracta ſunt: Dehinc duos colles ſibi inuicem obuerſos, Romani Galli que ceperunt, vnde multis ſæpe eruptionibus, & variis prouentibus præliantes, tandem Romani, præcipua Germanorum equitum, quos ſibi iam dudum amicos, nunc in auxilium acciuerant, virtute vicerunt.* Iterum auſpicio Germanorum Cæſar Bellouacos ſuperat. Hircius ita refert: *non intermittantur interim quotidiana prælia, in conſpectu vtrorumque caſtrorum, quæ ad vada tranſituſque fiebant paludis. qua contentione Germani, quos præterea Cæſar traduxerat Rhenum, vt equitibus interpoſiti præliarentur, cum conſtantius vniuerſi paludem tranſiſſent, pauciſque in reſiſtendo interfectis, pertinacius reliquam multitudinem eſſent inſecuti: perterriti non ſolum hi, qui aut cominus opprimebantur, aut eminus vulnerabantur, ſed etiam longius ſubſidiari conſueuerant, turpiter fugerunt, nec prius finem fugæ fecerunt, quam ſe aut in caſtra ſuorum receperunt, aut nonnulli pudore coacti, longius profugerunt.* Nonne & Caninius Cæſarianus, Gallos ſupra Vellodunum oppidum, virtute Germanorum vicit? Teſtis eſt idem Hircius: *cum Caninius* (inquit) *propius hoſtem acceſſiſſet, ab exploratoribus, quos præmiſerat, cognoſcit, caſtra eorum* (*vt barbarorum fere conſuetudo eſt*) *relictis ſuperioribus ad ripas eſſe fluminis demiſſa. At Germanos equiteſque imprudentibus omnibus de improuiſo aduolaſſe, & prælium commiſiſſe. Qua re cognita, legionem armatam inſtructamque adducit, ita repente omnibus ex partibus ſigno dato, loca ſuperiora capiuntur. Quod vbi accidit, Germani equiteſque ſignis legionis viſis, vehementiſſime præliant: confeſtim cohortes vndique impetum faciunt, omnibus aut interfectis, aut captis magna præda potiuntur.* Cæſar item auxilio Germanorum vtitur in Hiſpania contra Afranium Pompeianum, vt ipſe refert *libr. 1. de bello ciuili.* Pompeius item habebat Germanos ſecum, qui in Ægypto militauerant, quos ibi Aulus Gabinius, præſidii cauſa, apud regem Ptolemæū reliquerat, hi Germani poſtea Cæſari damnum intulerunt. Nam vt ipſe ſcribit libr. 3. ciuilis belli: *Germani munitiones noſtras aggreſſi, pluribus interfectis, ſeſe ad ſuos incolumes receperunt.* Et Cæſar Alexandrinos in Ægypto vicit, auxilio Germanorum, quorum equitum Ægyptii & Alexandrini impetum adeo pertimuerunt, vt in fuga ſpem ſalutis quærerent, vt teſtis eſt Hircius *libr. 4. de bello Alexandrino.* Item Germani aliqui in Africa cum Cæſare militantes, à Labieno aduerſario fortiter pugnantes atque reſiſtentes, circumuenti trucidantur, vt Hircius *de bello Africo* tradit. Quibus omnibus luculenter perſpicimus, Romanos militia Germanorum in omnibus terris vſos, eorumque egregia opera & audentia ſæpe triumphaſſe, & Cæſarem Romanorum, qui vnquam vixerunt, præſtantiſſimum Imperatorem, ſe ipſo teſte, Germanis hoſtes ſuperaſſe, ita vt eis non monarchiam ſolum, ſed vitam etiam, toties adiutus per illos, acceptam referre debeat. Sub Caligula aliiſque omnibus ante eum Cæſaribus militauerunt, vt apud Suetonium & Tacitum inuenitur. Germani inſuper per legiones militauerunt in Syria ſub Nerone, vt teſtis eſt Cornelius *in* 13. Militauerunt item ſub Nerone, ad clauſtra Caſpiarum, pro bello quod in Albanos parabat, vt idem Cornelius *lib.* 17. oſtendit. In Ægypto quoq; apud Alexandriam, cum eodem Nerone militaſſe, refert idem *in eodem.* Nonne cum Galba in Hiſpania, & cum Iunius Vindex, vna cum Gallis à Nerone defeciſſent, Germani ſoli duce Virginio, occiſis circiter 20. millibus Gallorum, & Vindice ad mortem compulſo, ſoli illam conſpirationem diſſipauerunt: qui poſtea à Galba ſpreti, & non iuſtis ſtipendiis remunerati, cauſa fuerunt cædis Galbæ, vt dicit Suetonius. Sub Galba item Germani militauerunt, quos Nero in Alexandria prius habuerat, illi & chari Galbæ fuerunt, & in primis fideles, vt Suetonius & Tacitus tradunt. De Vitellio autem non plura dicam, quoniam à Germanis, quos in militia Gallicana habuit, eſt Imperator appellatus, atque ad imperium deuicto Othone promotus. Iidem, teſte Ioſepho, *in* 5. cum Vitellio Capitolium expugnantes, quod Domitianus inſederat, incenderunt diruerunt-que. quod ſignum mihi viſum eſt futuri ad nos Imperii transferendi. Domitianus tamen elapſus euaſit. Sed nec ſolum Vitellium Germani creauerunt Imperatorem, verum etiam Claudium. Ioſephus de antiquitate lib. 19. c. 1. *Gratus Germanus Claudium apprehendens cognouit, ſeq; ſequentibus*

 ait:

ait: *iſte Germanus eſt, eum conſtituamus Imperatorem,&c.* qui & per illos factus eſt Cæſar. & idem ad timentem Claudium: *noli* (inquit) *de tua ſalute puſillanimus eſſe, cum te magis oporteat magnanimiter de imperio cogitare, quod dij auferentes Caio, mundoq́ꝫ proſpicientes, tua conceſſere virtuti.* Conſtantinus Magnus etiam, teſte Aurelio, maxime auxilio Sueuorum imperium eſt adeptus Roman. Progrediētes ad Veſpaſianum, & inueniemus eum deliberaſſe, an imperium ſuſciperet propter Germanicarum legionum vim, famam & robur, vt dicit Tacitus. Tandem per duces ſuos ille Germanos non niſi Germanis vincendos exiſtimans, Sidonem atq; Italicum Sueuorum reges in amicitiam aſciuit, illiſque in prima acie pugnantibus Germanos vicit, vt idem teſtatur. Ioſephus item dicit, Germanos bellum ciuile Romanorum ſedaſſe, *lib.5. de bello Iudaico.* Imperator item Maximius auxiliaribus Germanis eſt vſus, quorum potiſſimum fidei confidebat, vt dicit Herodianus, & vt idem teſtatur, *Marcus pater Commodi, Germanos in ſocietatem aſciuit.* Antonius item Germanos in amicitiam conciliauit, ſub quo etiam in Oriente militauerunt. Maximinus Germanos ſępe contra ſe in bellis expertus, tandem in amicitiam recepit. Commodus item propoſitis pecuniis, Germanos in ſocietatem adiunxit. Externi etiam & longinquiores vſi ſunt militia Germanorum. Herodes enim rex eos habuit milites, de cuius ſepultura ita dicit Ioſephus lib.7. de bello Iudaico, & Egeſippus in primo: *circa lectum filij cum propinquis, præterea ſatellites agmenq́ꝫ Thracium, Germaniq́ꝫ & Galatæ, velut ad bellum inſtructi omnes antecedebant.* Atq; Mithridates rex Ponti, in ſua militia Germanos habuit, vt teſtis eſt Iuſtinus *lib.*38. Sed quid plura? Germani per Hiſpaniam, Galliam, Aſiam atq; Syriam, crebram militiam agitauerũt, de quibus ita dicit Seneca lib.2. de ira: *Germanis quid eſt animoſius? quid in curſu acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriunturque, quorum vna illis cura eſt, in alia negligentibus: Quid induratius ad omnem patientiam? vt quibus magna ex parte non tegumenta corporum prouiſa ſunt, non ſuffragia aduerſus perpetuũ cœli rigorem. Hos tamen Hiſpani Galliq́ꝫ, & Aſiæ Syriæq́ꝫ molles bello viri, antequam legio viſatur, cedunt, ob nullam rem aliam opportunos quam ob iracundiam.* Nec ego commoueor quod dicit, eos aliquando vinci & victos eſſe: niſi enim crebro victores fuiſſent, non diceret: *quid animoſius? quid in curſu acrius,* &c. Vnde non obſcure intelligis, eos inuictos, niſi aliquando *ob iracundiam.* & hodie ſunt inuicti, niſi temeritate & audacia ſine conſilio, aliquando eam prælij conditionem acciperent, qua vix poſſibile eſt eos poſſe victoriam obtinere, vt dum nuper vix mille impetum fecerunt in Venetos, pluſquam 20. millibus virorum inſtructos, ſuæ tamen temeritatis pœnas dederunt, nihilominus niſi ad iniquum pugnandi locum fuiſſent progreſſi, nec vniuerſus eos Venetorum exercitus illo die profligaſſet.

CAPVT V.

Contra Philippi Beroaldi opinionem, in Suetonio Germanicus, non Germanicianus legendum eſt.

IN Suetonio legitur ſyncera, antiqua & vera lectione, Germanicum exercitum, elegiſſe Vitellium in Imperatorem, ſæpeque eum victorem feciſſe, apud Tacitum: quod non mediocriter facit ad propoſitum meum, & laudem Germanorum. Proinde parcant mihi manes doctiſſimi viri, & meritiſſimi de lingua Latina, Philippi Beroaldi, ſi ego aliter ſentio in Suetonio legendum quã ipſe, eiuſque commentaria produnt. Legit enim bis & legendum cenſet *Germanicianus exercitus*, quaſi Italici & Romani milites, qui in Germania militauerint, non Germani. Cui lectioni (ductus laude & amore patriæ) omnino refragor, illuſtribus auctoribus adiutus. Primum enim niſi Germani fuiſſent milites, qui Vitellium acclamauerunt Imperatorem, non Germanicianus, ſed Gallicianus exercitus legendum fuit: in Gallia enim militabant, ibique Imperator creatus eſt. Mihi aſtipulatur Egeſippus in quarto, dicens: *nec ſolum Galba interfecto, ſed etiam Othone extincto, Vitellio ducibus congredientibus, quem Gallicanus exercitus creauerat Imperatorem.* Et Oroſius in ſeptimo: *igitur Ottho cum Galba & Piſone Romæ interfectis, inter tumultus cædeſque innaſiſſet imperium, ac mox creatum Imperatorem in Gallia per Germanicas legiones Vitellium comperiſſet, bellum ciuile molitus,* &c. Secundo, Vitellius habuit non Romanos, niſi forſan paucos, ſed Germanos & xxx. millia Germanorum, vt teſtis eſt Tacitus *in* 17. Oroſius item, vt iam dixi, Germanicas legiones habuiſſe dicit. teſtis etiam eſt Ioſephus in 6. de bello Iudaico: *creatus* (inquit) *Ottho Imperator, cum Vitellio imperante pugnabat, quem Germanorum manus elegerat.* teſtis etiam eſt Tacitus, ter vel quater *lib.*17. Quibus omnibus liquido oſtenſum eſt, Suetonii antiquam lectionem eſſe veram, *Germanicuſque*, non *Germanicianus* eſſe legendum, nihilominus Beroaldum habendum (vti ego profecto facio) doctiſſimum exiſtimo, hominem tamen, quem etiam contingit interdum falli & decipi.

CAPVT VI.

Germani formidabiles erant in primis Romanis, & maximo terrori, atque etiam regibus aliis potentiſſimis.

GErmani Romanis Imperatoribus formidabiliſſimi erant. Primum enim cum ſub Iulio Cæſare in Gallia belligerante Galli narrarent magnitudinem animi atque virtutem Germanorum, tantus terror Romanum inuaſit exercitum, ita totis caſtris trepidatum eſt, vt vulgo totis caſtris te-

ſtamenta

ſtamenta obſignarentur. teſtis Cæſar *in primo*. Caius Caligula adeo timuit Germanos, vt eorum aduentu vel rebellione tantum audita Romæ, deſperaret ſalutem, ſibique trans mare fugam pararet, vt dixi ex Suetonio in *Epitomate laudum Sueuorum*. Cæſar etiam Iulius domita Gallia, non cupiuit in Germaniam proficiſci, ſed Illyricum explorauit, an illic res magnas attentaret. Paucis enim diebus trans Rhenum agens timidus receſſit, pontemque ab ſe factum reſcidit. Veſpaſianus item, vt inquit Tacitus, deliberauit de imperio an acceptaret, propter vim Germanorum & robur, genus notum militari viro. Et, vt idem dicit, multæ legiones in Italia ad famam Germanici exercitus, quia Germanorum vexilla præmiſſa erant, conceſſerunt in partes Vitellii. & Mauri ipſi, teſte eodem, Vitellio conciliati ſunt, ex magna per prouincias Germanici exercitus fama. Cæteri imperatores à Veſpaſiano, aut cum Germanis fœdera percuſſerunt, aut aduerſa paſſi, vt poſtea dicam, vſque ad Conſtantinum: tunc enim non vltra magna ſpe, auctoritate & ſucceſſu fœlici de imperio Occidentis, (excepta Germania, quæ nunquam prouincia Rom. fuit) ſed potius de ſalute propria & libertate Italiæ cognouerunt. Licet enim poſt Conſtantinum, Iulianus maxime & Gratianus, contra Alemannos res magnas geſſerint: hic tamen poſtea in Gallia extinctus eſt, ille vero Alemannos expertus, fœdus cum iis percuſſit, amicitiamque conciliauit. Theodoſius etiam Magnus, feliciter de inimicis triumphauit, attamen ſub eius filiis, imperium Rom. ruinam atque inclinationem non modicam patitur, nec poſt vnquam caput alleuare potuit. hi fuerunt Honorius & Arcadius. At nec ſolis Romanis, ſed aliis etiam potentiſſimis regibus Germani formidabiles erant. De qua re ita loquitur Campanus, in oratione ad principes Germaniæ: *cum enim magnus Alexander domuiſſet Triballos, Boetiam, Thraciam, Spartanos, Theſſalos, Achaiam, Pelopõneſum, Ioniam, Lydiam, Liciam, Ciciliam, Cappadociam, Cariam, Paphlagoniam, maiorem & minorem Armeniam, Syriam, Ægyptios, Perſas, Thauros, Hircanos, Medos, Sacas, Indos: deterritus tamen eſt aſpectu, & fama Germanorum, ad Danubijque ripam ſubſtitit, & qui omnem orientem feliciter calcauerat, eius vim vna Germania repreſſit, impetum compeſcuit, audaciam retardauit. Et. vt Oroſius dicit, Gotthos qui ſunt Germani, Alexander euitandos pronunciauit, Pyrrhus exhorruit, Caſar declinauit, Darius & Cyrus potentiſſimi Aſia reges, traiecto Danubio Germanos non auſi ſunt attingere. Lyſimachus rex maximus, cum ingenti coacto exercitu, Danubium traieciſſet, à Romechete rege non modo victus, ſed etiam captus eſt. Tanta fuit Germanorum victoria, tanta eorum clades, qui Germaniam armis petierunt, vt natum ſit inter finitimos prouerbium: male qui velit pugnare, cum Germanis pugnet.* Hæc ille.

CAPVT VII.

Germani nec Romanorum potentiam, nec aliorum timuerunt.

ETſi Romani fuerint terrori pene omnibus gentibus, adeo, vt nulla tam fera gens fuerit, quæ non illos ſupplici genu adorauerit, nec vllæ tam niuoſæ alpes, quas non penetrauerint, nec tam horridi montes, quorum iuga victor Ro. non calcauerit, nec vlla flumina, vel maria eorum potentiæ obſtiterint, adeo vt rex Agrippa, teſte Ioſepho *lib. 2. de bello Iudaico*, vniuerſos qui ſub Sole incolunt, Romanorum arma venerantes fuiſſe affirmet: Germanos tamen inuenio, tametſi interdum victos, eos inquam timuiſſe. Ita enim primo apud Cæſarem loquuntur lib. 4. Vſipetes & Tencteri, *Germanos nunquam recuſare ſi laceſſantur armis contendere, quod hac ſit eorum conſuetudo à maioribus tradita, quicunque bellum inferant reſiſtere.* Quod Romanos florentiſſimis eorum rebus, non timuerint, argumento eſt, quod Hircius in additione belli Gallici dicit: *Prius præclariſſimas Cæſaris in Gallia res geſtas Germanos nemini auxilia aduerſus Ro. denegaſſe.* Argumento item Tacitus, qui ſcribit; *Caii Cæſaris minas aduerſus Germanos in ludibrium verſas.* Qui inſuper fieri poſſet, vt Romanos timuiſſent, qui vltro omnibus contra Rom. auxilium præbebant? Mithridati, & quod periculoſius, ipſis gladiatoribus in gremio Italiæ: qui inquam Germani nunquam quieti, crebris excurſionibus Italiam, Galliam, cæteraſque Rom. prouincias infeſtabant, etiam tempore Tarquinij Priſci & ante. Sed quas in Galliam Romanorum prouinciam rebus Rom. florentibus fecerint excurſiones, longum eſſet narrare, quas & ſupra narraui. Optime Claudianus, ad Stiliconem Vandalum de Germanis:

Ingentia quondam
Nomina crinigero flauentes vertice reges.
Qui nec principibus, donis, precibusue vocati,
Paruerint, iuſſi properant ſegnique verentur
Offendiſſe mora. Idem Claudianus:
Vlla ne poſteritas credat Germania quondam
Illa ferox, populis qua vix inſtantibus olim
Principibus, tota poterat cum mole teneri,
Iam ſeſe placidam præbet Stiliconis habenis.

Hæc omnia ideo hic dixiſſe volo, vt intelligatur, Germanos cum Romanis non pro libertate, ſed pro dignitate & imperio decertaſſe. Nam quod Druſus, & is ſolus, aliquandiu particulam Germaniæ in prouinciam redigere eſt annixus, propterea iuxta Bingium, vt canunt noſtræ hiſtoriæ, tandem belligerans occubuit, & ſubactam partem breui Quintilius Varus, exercitu ad internitionem cæſo, amiſit.

CAPVT VIII.

Romani ſæpius à Germanis pacem & amicitiam pecunia mercati ſunt, & Germani contra illos ſæpius glorioſiſſime triumpharunt.

Abſit à Germanis, quod Romanos rerum potitos timuerint dum econtrario Romani pacem ab eis, & amicitiam multa pecunia emerint. Claudianus de Germanis:

Illi terribiles, quibus ocia vendere ſemper
Mos erat, & fœda requiem mercede paciſci. Et alibi dicit:
Qui nec principibus, donis, precibuſque vocati,
Paruerant, &c.

Nunc ſub Stilicone, ſcilicet vt mens eſt Claudiani, ſponte ſua veniunt. Verum eſt Claudiane, ſed Stilico non vi, ſed maximis pollicitationibus ſuam nationem, quia & ipſe Vandalus & Germanus fuit, Germanos in ſuas partes traxit. Quod ſi dixerit Romanus, Claudianum in adulationem Stiliconis hæc falſo dixiſſe, bene eſt, ſi mentiuntur poetæ, & ſcriptores Romani, cum in rebus hiſtoricis, & geſtis de eorum inimicis egregia dicunt, ò quot mendacia inſtruunt, dum pro Romanis loquuntur? quantum aſſentantur? quoties ſupplantant veritatem? adeo vt omnem eorum hiſtoriam pro nugis & fabula habendam, & legendam exiſtimem. At capiamus hiſtoriographos, non poetas, & inueniemus Iulium Cæſarem fœliciſſimum Romanorum in bellis, Germanis, quos armis vincere non potuerat, in amicitiam ſuſceptis, Pompeium atque Orientem viciſſe. Germani item ſub Auguſto vſque ad Varianam cladem, ſub Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, Galba, Vitellio, maximis beneficiis affecti, ad cuſtodiam Cæſarei corporis vigilabant. Ottho etiam imperator multis modis ſtudioſiſſimeque (teſte Tacito) Germanicum exercitum lenire ſtudebat, ſicuti & Veſpaſiani duces. Atq; præter cæteros, quorum res geſtæ non vſquequaque mihi patent, Commodus imperator, Ælius Pertinax, Seuerus, Aurelius Antoninus, Marcus Verus, Alexander: omnes hi gratiam & amicitiam Germanorum quæſiuerunt, de quibus dicit Tutor ad Ciuilem apud Cornelium: *illos omnia ex libidine agere, non regi, non iuberi, ſoliſque pecunia, & donis corrumpi.* Adeo vt Herodianus dicat de Alexandro, multa illum à Germanis paſſum, nec contra illos vnquam ſuperiorem euaſiſſe, qui Rhenum Danubiumq; tranſgreſſi, Romanos in fines hoſtiliter intrauerint, tandem pecunias in magna copia illis dediſſe, fœderaque & pacem ab eis mercatum eſſe. *Sunt enim* (vt dicit) *Germani auidi pecuniæ, atque nunquam non auro pacem Romanis cauponantur.* Idem de Commodo dicit (qui tamen in hoc ſolo Commodus fuiſſe prædicatur à Romanis, quod fœliciter contra Germanos pugnauerit, ego credo non bello, ſed pecunia eum Germanos non viciſſe, ſed corrupiſſe) magnis præmiis Germanos illum ſibi in amicitiam adiunxiſſe, quod quidem, vt ipſe refert, haud difficile factu fuit. *Quippe barbari,* Germani ſcilicet, *ſuapte natura pecuniæ auidi, periculorum deſpicientes, aut incurſibus populationibuſque victum parant, aut propoſita mercede, venalem pacem habent. Quod intelligens Commodus vt pecunia quam maxime ſecuritatem redimeret, nihil videlicet petentibus denegabat.* Ex quibus ego intelligo, Alexandrum ſæpe victum, Commodum pecunia ſe confeſſum Germanæ fortitudini imparem. Nec mirum; non enim contra illos tantum, ſed contra alios Cæſares multo potentiores, victoria potiti ſunt. Nam & Iulius fortunatiſſimus bellator, non trans Rhenum, vbi nihil egregium geſſit, ſed in ipſa Gallia contra Germanos non ſemel infauſte pugnauit. De quo Eutropius ita ſcribit: *Inter tot ſucceſſus, ter male pugnauit apud Arbennos, ſemel præſens, & à Germanis bis abſens, nam legati eius Titurius & Aurunculeius per inſidias cæſi ſunt.* Quas clades Auguſtus acceperit, narraui copioſiſſime in eo libello, qui inſcribitur *Epitome laudum Sueuorum.* Tiberius Auguſti ſucceſſor, *armis Vindelicos aggreſſus,* vt ſcribit Campanus, *Germanis inſurgentibus breui è Germania diſcedere coactus eſt, neque quicquam egregium in Germania fecit.* Et Tacitus dicit, *ingentes aduerſus Germaniam Tiberij conatus fruſtra fuiſſe.* Caligula Germanos fugit, fugamque tranſmarinam cogitauit, vt alibi dixi ex Suetonio, & quos ſecum habuit pecuniarum muneribus placauerat, vt dicit Ioſephus. Claudius beneficio Germanorum in imperatorem prouectus, vt Ioſephus ſupra teſtatus eſt. Nero etſi pluſquam tyrannus, homo truculentiſſimus, Germanos beneficiis proſecutus, eoſque cuſtodes corporis elegit. Galba conſpiratione Germanorum contemptus, cæſus eſt. Otho à Germanis per duces victus, mortem ſibi ipſi conſciuit. Vitellius beneficio eorum Cæſar creatus eſt. Veſpaſianus non in Germania, ſed Gallia per ducem ſuum Cerealem, Germanis & maxime Batauis & Ciuili congreſſus, ſæpiſſime victus eſt, variaque fortuna pugnatum tradit Tacitus. tempore cuius exercitus Rom. in Gallia à Germanis cæſus, hibernaque legionum capta, vt dicit Tacitus *libro viceſimo.* Nec verum eſt, quod Campanus dicit, illum cum Germanis à Claudio miſſum, bis & tricies conflixiſſe. cum Britannis enim, non cum Germanis pugnauit. Nam, vt Suetonius dicit, *Claudius vnam omnino ſuſcepit expeditionem, eamque modicam, in Britannia ſcilicet.* Idem Suetonius ita dicit de Veſpaſiano: *Claudio principe Narciſſi gratia legatus legionis in Germaniam miſſus eſt, inde in Britanniam translatus, tricies cum hoſte conflixit.* Hoc ſignificantius Eutropius prodit: *tricies & bis cum hoſte in Britannia conflixiſſe Veſpaſianum.* Egeſippus etiam in III. *Veſpaſianus* (inquit) *Britanniam Romano imperio armis acquiſiuerat,* nullam mentionem faciens de Germanis. ſed quo milite quæſo victor Britanniam ſubegit? Germano præcipue. Legatur Tacitus *in vita Agricolæ,* vbi non obſcure inuenitur, me verum dixiſſe. Domitianus item apud Germanos exercitum ſuum incaute perdidit, de quo dicit Tacitus: *Et ea inſecuta ſunt Reipubl. tempora, quæ ſileri*

Agricolam non finerent, tot exercitus in Myſia Daciaque, & Germania Pannoniaque, temeritate, aut per ignauiam ducum amiſſi; tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti; nec iam de limite imperij & ripa, ſed de hybernis legionum & poſſeſſione dubitatum. Addo Domitianum in Capitolio obſeſſum, à Germanis cum Vitellio militantibus, fuga ſalutem quæſiſſe: cæteros Rom. qui cum Domitiano erant, & præſertim magnam partem nobilitatis, vt dicit Ioſephus, vna cum Capitolio à Germanis exuſtos & deletos. Sunt & alii imperatores Rom. contra quos Germani res feliciſſimas geſſerunt: ſufficiat tamen florentiores annumeraſſe. Alibi enim dixi, alios imperatores cum Germanis varia fortuna decertaſſe. Includo poſtremo omnes illos imperatores Rom. qui Germanos etiam cum victoria, vt loquuntur ſui hiſtorici (Iulium volo Cæſarem, Iulianum, Commodum, Maximinum & alios) experti ſunt, eorumque fortitudinem viderunt, eos tandem in amicitiam recepiſſe, fœduſque cum eis percuſſiſſe: quod nunquam feciſſent, niſi ſe inferiores animis Germanorum iudicaſſent. Nonnulli etiam imperatores rebus deſperatis, animiſque & viribus Germanorum inferiores, ad diuinumque auxilium conuolantes, ſe à Germanis redemerunt. Antoninus enim Verus diuinitus, vt ſcribunt, Germanos ſuperat, pluuia de cœlo miſſa, cum fulmina Germanos perſequerentur. Extant literæ M. Aurelii grauiſſimi imperatoris, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum forte precationibus impetrato, imbri diſcuſſam conteſtatur. Gratianus item apud Argentuariam, Chriſti fretus potentia, vt dicit Oroſius, vicit Alemannos. Conſtantius vicit, & victus eſt.

CAPVT IX.

Romani Imperatores, rebus florentibus, ſpretis aliis nominibus Germanicos ſe à Germania deuicta, falſo nominauerunt, falſoq; triumpharunt.

NEmo inueniet apud ſcriptores, Germaniam in prouinciam Rom. redactam. Druſus portiunculam eius in prouinciam redegit, ſed non manſit, adeo vt breui poſt Romani, duce Quintilio Varo ſuorum ſanguine, & maxima cæde, ſint ab illa repulſi, vel potius ibi extincti. Lego autem plurimos imperatores ſe *Germanicos* inſcripſiſſe, quos profecto poſſum non obſcure coniecturare, Germaniam nunquam vidiſſe: ſed vel falſo titulo gloriatos, vel in Gallia aliiſque prouinciis, parua aliqua ſtrage milites aliquos Germaniæ vel viciſſe, vel in amicitiam recepiſſe, vel domita modica Germaniæ portione, mox totam Germaniam domitaſſe gloriatos. Raro enim inuenies poſt acceptam cladem Varianam, in Germania Romanos militaſſe, adeo vt bene ſcribat Panegyricus de Maximiano; *hic, quod iam falſo de antiquis imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum ſigna primus barbaris gentibus intulit.* Inde ſuperius probaui, Rhenum ſemper fuiſſe limitem imperii, vſque ad inclinationem Romanarum rerum. Nulli tamen dubium eſt, ſemper Germanos excurſiones feciſſe in Galliam, Romanoſque illam ſuam eſſe prouinciam contendentes, cum eis varia fortuna decertaſſe. aliquos tantum volo, Probum, Claudium, Iulianum, paucoſque alios. Multi enim imperatores, vel negligentes, vt Tiberius, vel terrore Germanorum, vel in viſceribus Italiæ, ſalutem imperii tueri coacti, Galliam neglexerunt, vſque ad tempora Hieronymi. tunc enim non vlterius de imperio, ſed de propria ſalute, amiſſa etiam Italia atque Roma, cogitauerunt. Quam rem ita deflet diuus Hieronymus, in Epiſtola ad Gerontiam: *Quis hoc credit* (inquit) *qua digno ſermone comprehenderent, Romam in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro ſalute pugnare? immo ne pugnare quidem, ſed auro & cuncta ſupellectile vitam redimere? quod non vitio Principum, qui vel religioſiſſimi ſunt, ſed ſcelere ſemibarbari accidit proditoris, qui noſtris contra nos opibus armauit inimicos. Idem recens factum eſt, & quod ipſa audiſti, cum ad ſtridula buccina ſonum, Gotthorum clamorem, lugubri oppreſſa metu, domina orbis Roma contremuit. Vbi tunc nobilitatis ordo? vbi certi, & diſtincti illius nobilitatis gradus? permixta omnia & timore perfuſa, omni domus planctus, & æqualis fuit per cunctos pauor.* Idem ad eandem: *Et per annos triginta fracto Danubio, in mediis Romani imperij regionibus pugnatur.* Et quoniam res geſtæ Cæſarum poſt Domitianum, propter ſcriptorum penuriam, non ſunt tam claræ, & notæ, ſicut anteceſſorum, poſſum iure exiſtimare, illos ſe Germanicos appellaſſe à deuicta tota Germania, cum aliquam, vel minimam in Germanis (cum multæ & innumeræ fuerint teſtibus Romanis ſcriptoribus) nationem, vel in Galliis: raro in propriis ſedibus clade affecerunt, præſertim cum Tiberius, Claudius, Caligula, Domitianus, rebus multo florentioribus, *Germanici* dici voluerint falſo, cæteris titulis, quos ſenatus detulerat, repudiatis, falſoque de Germanis triumpharint, vt hoc titulo dignarentur, qui erat maximus apud Romanos, Germanos deuiciſſe, qui tamen ſemper inuicti fuerunt. Vnde Martialis de Domitiano:

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet,
Nobilius tribuit domito Germania Rheno.

Hunc igitur maximum *Germanici* titulum, Tiberius falſo ſuſcepit, nam, vt ſupra dixi, non ſolum fruſtra Germaniam petiit, ſed & Galliam ab illis inuaſam aſſerere neglexit. Caligula non modo falſo titulo vſus, ſed & falſo de Germanis triumphauit, quos fugit & timuit, vt ſupra dixi. Vnde Suetonius: *conuerſus hinc* (inquit) *ad curam triumphi, præter captiuos ac transfugas barbaros, Galliarum quoque proceriſſimum quemque, ac nonnullos ex principibus legit, ac ſepoſuit ad pompam, coegitque non tantum rutilare, & ſubmittere comam, ſed & ſermonem Germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre.* Quem Perſius falſo triumphantem deridet, vltima ſatyra:

O bone

O bone, num ignoras, miſſa eſt à Cæſare laurus,
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutit cinis.

Domitianus item de Germanis falſo triumphauit, ſeque Germanicum atque menſem Septembrem immerito nominauit, de quo Silius,

At tu tranſcendens Germanice facta tuorum,
Iam puer auricomo performidate Batauo.

Et Frontinus in primo ſtrategematum: *Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus, Germanicus eo bello, quo victis hoſtibus cognomen Germanici meruit.* Quod falſo triumpharit, teſtatur Cornelius Tacitus, in vita Agricolæ: *Inerat conſcientia deriſui nuper fuiſſe, falſum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captiuorum ſpeciem formarentur.* Inde quod de Dacis Germaniæ populis dicitur à Domitiano victis, falſe ex prædictis dictum deprælienditur. Idem cum ſuis in Capitolio victus à Germanis, atque Capitolium exuſtum eſt, nihilominus laudatur propter Capitolij res geſtas, & quidem ſupra æthera, Martialis in quinto:

Ad Capitolini cæleſtia carmina belli
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Non igitur triumphis Romanorum credendum eſt. ad minus enim ſemper aliquid mentiuntur, quod Strabo in III. oſtendit his verbis; *Polybius ccc. vrbes Celtiberorum, à Tiberio Graccho ſubuerſas eſſe memoriæ prodidit, quod ritu comico Tiberij Gracchi gratia dictum eſt, ab eo qui turres, vrbes appellat, vt in triumphalibus pompis fieri mos eſt.* Quod ab re nequaquam dictum eſſe crediderim. Nam imperatores, & rerum geſtarum ſcriptores, vt ornatiora efficiant negocia, ad hoc mentiendi genus efferunt. Hinc optime dicit Cornelius Tacitus, Romanus non Germanus: *Germanos magis triumphatos quam victos eſſe*, hoc eſt, de illis triumphos, & quidem falſos eſſe actos, nunquam vere victos, quod ad ſingularem Germanorum laudem, Cæſarum vero inſaniam non parum facit. Claudius etiam dici *Germanicus* voluit, qui nihil egregium in Germania egit, ſed bene à Germanis in imperatore ſuffectus, ſicut & Vitellius, qui & ipſe *Germanicus* dici voluit, & filium ita nominauit. Nec Nerua laudem eſt à Germania conſecutus. nam ante Traianum, vt Plin. *in Panegyrico* oſtendit, cis Rhenum & Danubium aduerſa paſſi ſunt Romani. & Cæſar ipſe, licet magnifica ſcribat de rebus à ſe geſtis, in Britannia tamen parum fecit, de quibus Cicero in Epiſtola ad Quintum fratrem: *de Britannicis* (inquit) *rebus cognoui ex tuis literis, nihil eſſe quod metuamus, nec quod gaudeamus.* Et Cornelius in vita Agricolæ dicit: *primus omnium Romanor. diuus Iulius, cum exercitu Britanniam ingreſſus, quanquam proſpera pugna terruerit incolas, ac littore potitus ſit, poteſt videri oſtendiſſe poſteris non tradidiſſe.* Et Panegyricus ad Maximianum dicit: *Cæſarem hoc vno gloriari in expeditione Britannica debuiſſe, quod nauigaſſet Oceanum.* Inde dicit Pompeius apud Lucanum in 2. Cæſarem fugiſſe Britannos dum inquit:

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

Quibus ex rebus credo, res Cæſaris contra Germanos tenuiores, quam ipſe prædicauerit, præſertim cum & Aſinio Pollioni & Ciceroni de veritate ſuſpectus fuerit Cæſar coætaneis. Multo minus igitur credo titulis, & triumphis recentiorum Cæſarum, qui poſt Traianum & maxime poſt Conſtantinum ſibi *Germanici* nomen arrogauerunt, cum rebus florentibus Romani pari damno cum Germanis belligerarint. De quibus rebus opto 20. *libros bellorum* Plinii, quæ Germani cum Roman. geſſerunt. Accedat tamen Cornelius teſtis, qui Romanus, tamen paucis verbis Germanorum fortitudinem inuictamque animi magnitudinem, non obſcure prodidit: *ſexcenteſimum & xl. annum vrbs noſtra agebat* (inquit) *cum primum Cymbrorum audita ſunt arma, Cecilio Metello ac Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani computemus, cc. ferme & x. anni colliguntur, tamdiu Germania vincitur, medio tam longi æui ſpatio multa inuicem damna, non Samnis, non Pœni, non Hiſpania Galliaue, ne Parthi quidem ſæpius admonere: quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Craſſi, amiſſo & ipſo, & ipſe Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone, & Caſſio & Scauro, Aurelio Seruilio Cepione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulares exercitus popul. Roman. Varum, treſque cum eo legiones, etiam Cæſari abſtulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, diuus Iulius in Galliam, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt, inde otium donec occaſione diſcordiæ noſtræ, & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere, ac rurſus pulſi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi ſunt.* Inde optime alludit Claudianus:

Cedant Druſe tui, cedant Traiane labores,
Veſtra manus dubio quicquid diſcrimine geſſit,
Tranſcurrens egit Stilico.

Et Baptiſta Mantuanus ad Robertum Seuerinatem:

Sed neque imbelles Indi molleſue Sabei,
Pigmeiue breues rapiunt, verum accola Rheni,
Gens durata gelu, genus inſuperabile ferro,
Quod toties Romam, tum cum ditione premebat

Europa Libyaque urbes Aſiamque minorem
Terruit, hi ſuperant Parthos Thracumque furores,
Quos Martem genuiſſe ferunt, hi ſpicula torquent,
Pentheſylea non inferiora ſecuri.

CAPVT X.

Propter ſcriptorum penuriam, Germanorum res præclariſſime geſtæ, venerunt in obliuionem; Romanorum autem creuerunt, propter adulationes, & mendacia ſcriptorum.

CVm igitur nullum ſcriptorem vernaculum habeamus nos Germani, qui res noſtras immortalitati commendaret, quas tantum colligere cogimur ex illis hiſtoricis, qui nunquam nos ex propoſito laudant, dum ſemper partem aduerſam fouerint: cui dubium res noſtras fœliciter & fortiter geſtas, fuiſſe illuſtriſſimas, & ampliſſimas, ſi tempore rerum geſtarum noſtri illas in commentarios ſaltem redegiſſent: præſertim cum obiter hinc inde ex ſcriptoribus alienigenis non pauca inueniamus, vnde Germani ſint laudatiſſimi. Proinde ſi *Athenienſium*, vt dicit Saluſtius, *res geſtæ ſatis amplæ magnificaque fuerunt, verum aliquanto minores quam fama feruntur, ſed quia quod prouenerint ibi ſcriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur, quod eorum qui ea fecere, virtus tanta habeatur, quantum ea verbis potuere extollere præclara ingenia*: optime intelligitur, res Græcorum & Romanorum haberi ampliores ſcriptorum copia, quam ſint; noſtras vero multo minores, dum nemo illas, non dico extollere, & magnificare, ſed ne pro meritis quidem narrare ſtuduerit. Qua in re conſolatur me, qui idem conqueritur contra Appionem Grammaticum Alexandrinum, Ioſephus. *Græcos vero & Romanos* (inquit) *qui militiam ſecuti non ſunt, figmentis, & adulationibus captos, res geſtas neſcire, atque hiſtorias auſos eas inſcribere; qui præter hoc quod nihil ſanum referunt, etiam de propoſito decidiſſe. Nam dum Romanos volunt magnos oſtendere, Iudæorum* (& ego addo pariter aliorum) *res extenuant, & in humilitatem deiiciunt. Qui vero præſto fuerint, aut Romanorum obſequio, aut odio, Iudæorum atque externorum, contra fidem rerum falſa confirmaſſe: ſcriptis autem eorum partim accuſationem, partim laudationem contineri, nuſquam vero exactam fidem reperiri hiſtoriæ. Alios item, non quod rebus interfuerint, ſed vana & incongrua narrantium ſermonibus auribus colligentes, oratorum more perſcripſiſſe.* Ex quibus omnibus, relinquo iudicio eruditorum, quanta iniuria rebus noſtris fuerit facta, per eos qui adulationibus ſtudentes, mendaciter facta noſtra extenuauerunt. Et vt dicam quod ſentio, tanta impudentia fabuloſiſque figmentis effunduntur paſſim omnes fere hiſtorici, tam veteres quam recentiores, vt nullo certo auctore (vt vtar verbis Catonis) aut ratione, ſed per ſolam inſaniam fabulentur, adeo, vt nuper quidam doctus vir mihi dixerit, omnes hiſtorias tam Græcorum quam Romanorum, ſibi videri, nec aliter habendas niſi fabulas. De Græcis eorumque fabuloſis hiſtoriis adeo conuenit inter Latinos, vt & poeta Iuuenalis dixerit fabulas, *quicquid Græcia mendax Audet in hiſtoria.* De Latinorum quis dubitet fabulis? cum Titus Liuius, & Cæſar, præcipui inter hiſtoricos, grauiſſimis viris videantur multa parum integra veritate in ſuis libris perſcripſiſſe. Philoſtratum Euſebius *fabuloſiſſimum*, Cornelium Tacitum Tertullianus *mendaciſſimum* vocat. Ille ipſe Cornelius, & Oroſius, & Strabo, & Ioſephus multorum Latinorum mendacia redarguunt. Vopiſcus dicit, *neminem hiſtoricum non aliquid mentitum eſſe.* De recentioribus ego plus quam vno in loco locutus ſum. Itali omnes fere recentiores, & præſertim Veneti, de Germanorum populis, & geſtis ſcribentes fabulantur. Et ipſe Sabellicus, homo doctus, & quem ego alioqui admiror & colo, in rebus Germanicis, ſiue fauore, ſiue (quod magis credo) aliorum temerariæ iactantiæ futilibuſque prædicationibus indulgens, ſæpe multum errat à re geſta, & præſertim in bello ducis Sigiſmundi Auſtriaci contra Venetos, in quo Veneti omnibus in locis, atque congreſſionibus cæſi, atque profligati prædicantur, ab illo rerum proſpere geſtarum, de quibus rebus alibi plura ſcribam.

CAPVT XI.

Bonis animi, & corporis Germani cunctis Nationibus excellunt, & primum fide.

SI igitur ſcriptores rerum, ex adulatione aut odio maxime ſcripſerunt vt oſtendi ex Ioſepho: qua laude celebrandi veniunt Germani, ſi ex illis ipſis eorumque teſtimonio, non vernaculorum, bonis animi, & corporis cunctis gentibus præſtitiſſe prædicabuntur, quis non, laudandos exiſtimet: quis non cunctis mundi nationibus anteponet? Loquantur igitur externi, & primum quæ Germanorum fides fuerit, explicent, ſi prius dixero, illis magnam fidem haberi, qui cuſtodes ſoli, & præ cæteris Cæſarei corporis habentur. Hos enim habuit Auguſtus ad cladem vſque Varianam, hos cæteri, Suetonius de Galba: *Item Germanorum* (inquit) *cohortem à Cæſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multiſque experimentis fideliſſimam, diſſoluit, ac ſine vllo commodo remiſit in patriam.* Idem de Claudio: *Germanorum legatis in Orcheſtra ſedere permiſit, ſimplicitate eorum, fiducia motus.* Dicebant enim legati, vt eſt apud Cornelium Tacitum, *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe, quod comiter à viſentibus exceptum.*

ptum. Hic autem oicit, non de Claudio, ſed Nerone: quod rem nihil lædit. Cai Caligulæ (vt dicit Suetonius & Ioſephus *lib.19.antiquitatum*) corporis cuſtodes Germani, nonnullos ex percuſſoribus illius, quoſdam etiam ſenatores innoxios interemerunt. Agrippina mater Neronis, cuſtodes corporis Germanos habuit, vt dicit Cornelius. & Aurelius Antonius, vt dicit Herodianus. & vt idem dicit, *Maximinus potiſſimum fidei Germanorum confidebat, quos ſolos, propter ſummam fidelitatem, percuſſores illius vindices timebant*. Cum etiam omnes milites & nationes recederent à Vitellio, ſoli Germani ad finem vſque vitæ fideles manſerunt. Ita etiam cum Galba egerunt, quem cum per tumultum iugulandum audirent, *ſoli ex omnibus militibus*, vt dicit Suetonius. *in auxilium aduolauerunt, ſed ſerius, itinere deuio per ignorantiam locorum retardati*. Vltimi receſſerant etiam à Nerone, vt dicit Tacitus. Caracalla etiam imperator, à quodam Martiale occiſus, per Germanos ſuos equites vindicatus eſt, percuſſorem enim fugam molientem multis vulneribus confecerunt. Illis vſi ſunt & alii. Vnde non obſcurum eſt, fide Germanos ante omnes mortales fuiſſe, ſicut & hodie ſunt Romæ apud Cardinales, quibus plus confidunt quam vernaculis.

CAPVT XII.

Germani animi magnitudine, & fortitudine cunctis gentibus excellunt, auctoritate illuſtrium ſcriptorum.

SEneca libro primo de ira: *Germanis quid eſt animoſius? quid in curſu acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriunturque, quorum vna illis cura eſt, in alia negligentibus. quid induratius ad omnem patientiam? vt quibus magna ex parte non tegumenta corporum prouiſa ſunt, non ſuffragia aduerſus perpetuus cœli rigorem*. Idem de breuitate vitæ dicit, Germanos *ferociſſimas gentes*: & libro ſexto naturalium, *auidam gentem belli*. Cornelius libro viceſimo: *Germani læta bello gens*. Cicero in oratione de prouinciis conſularibus contra Piſonem, dicit: *acerrimas Germanorum nationes*. Vopiſcus, Germanos *omnium gentium ferociſſimos* vocat. Titus Liuius *bellicoſos Teutones*. Lucanus dicit:

Albis & indomitum Rheni caput.

Hieronymus ad Suniam & Fratellam, *bellicoſa Germanorum pectora* vocat. Oroſius Germanos *fortiſſimas nationes*, libro ſexto. & Galli apud Cæſarem libro primo, ita loquuntur de Germanis: *qui ingenti magnitudine corporum Germanos incredibili virtute, atque exercitatione in armis eſſe prædicabant, ſæpenumero ſeſe cum his congreſſos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuiſſe*. & in eodem lib. Ariouiſtus rex dicit, *Cæſarem intellecturum, quid inuicti Germani, exercitatiſſimi in armis, virtute poſſent*. Agrippa ad Iudæos, vt ſcribit Ioſephus: *quis veſtrum* (inquit) *non audiuit multitudinem Germanorum, virtutem quoque & magnitudines corporum, vt arbitror, ſæpe vidiſtis, ſed illi quidem ita ingentem ſpaciis regionem incolentes, ſpiritus autem maiores corporibus gerentes, & animam quidem contemptricem mortis, indignationes autem vehementiores feris*, &c. Ioſephus libro decimonono antiquit. dicit, *Germanos impetu primo quibuſcunque congreſſis præualentes*. Ioſephus lib. ſecundo de bello Iudaico; *vos ne datiores Gallis? fortiores Germanis*. Cornelius libro decimonono: *duces Veſpaſiani Germanicarum legionum vim extollebant, & famam*. in eodem: *ſimul virtus Germanici exercitus extollebatur*.

CAPVT XIII.

Germani apud Rom. ſemper in prima acie conſtituebantur.

SIngulare argumentum eſt fortitudinis Germanorum, quod Rom. ſemper illos in prima acie contra hoſtes locauerunt, vtpute inuictos & qui præ cæteris fortiſſime inimicorum impetum ſuſtentarent atque infringerent. ita fecit Cæſar in Hiſpania contra Afranium: *primo trans flumen Sicorim Germanos contra hoſtes mittit*. Teſtis eſt liber eius primus de bello ciuili. & Hirtius in additione Gallici belli: *Cæſar Germanos equites ſumma velocitatis homines ad caſtra hoſtium præmittit*. Maximinus etiam imperator (vt ait Herodianus lib. 8.) *Germanos auxiliares aſciuerat, quoſque etiam præcipue hoſtibus opponere conſueuerat, vt primos ſcilicet impetus exciperet feroces audaceſque initio pugnæ viri*. Ecce cum quibus prius dura prælia & ancipitia geſſerat, nunc expertus in amicitia recipit, atque in primam aciem conſtituit, quoniam andentiſſimos eſſe nouit. Et Cornelius lib. 19. *Sido atque Italicus Sueui reges cum delectis popularium primores in acie verſantur, dum contra Vitellianos Veſpaſiani duces pugnabant.*

CAPVT XIV.

Germani robore, proceritate atque pulchritudine corporum cunctis gentibus antecellunt.

COlumella libro tertio agricul. loquens de natura: *Germaniam*, inquit, *decorauit altiſſimorum hominum exercitibus, ſed & alias gentes non in totum defraudauit, præcipua ſtatura viris & mu-*

& nuper ipſi videre potuimus Iudeæ gentis proceriorem celſiſſimo Germano. M. Manilius lib. 4. Aſtronomicon:

Flaua per ingentes ſurgit Germania partus.

Egeſippus libro 2. de Germanis; *qui magnitudine corporum & contemptu mortis cæteris validiores.* Cornelius in 20. *Germanos fluminibus ſuetos, leuitas armorum & proceritas corporum attollit.* Et Cæſar in primo, *ingenti magnitudine corporum* dicit eſſe Germanos. & Titus ad Iudæos, teſte Ioſepho libro 7. de bello: *ſed virib. corporum freti, at qui ſcitis nobis ſeruire Germanos,* Ioſephus lib. decimonono antiquit. dicit, Germanos *robuſti corporis gentem.* Hieronymus in vita Hilarionis de quodam Franco Germano: *namq, candidatus Conſtantij imperatoris rutilus coma & candore indicans prouinciam.* Idem ad Suniam & Fretellam, Germanos *Getarum rutilus & flauus exercitus, Eccleſiarum circumfert tentoria.* Herodianus dicit, *nuda Germanorum in bello capita & prægrandia corpora.* Egeſippus dicit, Germanos *magnitudine corporum & contemptu mortis cæteris validiores.* Iulius Firmicus; *Germani candidi.* Pomponius Mela de Germania: *Qui habitant, immanes ſunt animis atq, corporibus.* Solinus de eadem terra: *frequens populis numeroſis & immanibus.* Hircius in additione Gallici belli: *Germanos equites, ſummæ velocitatis homines, ad caſtra hoſtium præmittit Cæſar. Immaniſſimas Germanorum gentes* dicit Cicero contra Piſonem.

GERMANI FVERVNT LIBERI, SICVT HODIE SVNT.

CAPVT XV.

DE libertate Germanorum non eſt opus multa dicere, propterea quod ex ſuperioribus conſtat, Rhenum ſemper fuiſſe limitem Romani Imperij, ſi optime cum Romanis agebatur, Germanique quieti intra ſuos fines remanſerint, quod raro ſub pauciſſimisque imperatoribus contigerat, & quod tam formidabiles Romanis fuerant, illosque Imperatores Rom. tam delicate fouerant, nihilominus & ſcriptores libertatem maiorum produnt, & præſertim Tacitus, qui ait: *Regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Et Tencteri Germani apud eundem ad Vbios in hunc modum loquuntur: *Rediſſe vos in corpus nomenq, Germaniæ communibus deis, ſed præcipue deorum Marti grates agimus, vobisq, gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis.* Idem teſtatur, Batauos quamuis nobis Transrhenanos tributorum expertes. Quibus rebus poſſumus non obſcure intelligere, Germanos Transrhenanos à Rom. in amicitiam, non ſeruitutem receptos, & Egeſippus dicit, *fluenta Rheni vſq, ad mare liberas gentes inhabitaſſe.*

GERMANI NOBILISSIMI.

CAPVT XVI.

DE nobilitate non plura dicam, propterea quod Campanus eam rem pulcherrime ſit executus: dicam tamen omnes fere totius Europæ non modo nobiliores, verum etiam regum familias è Germania ortum auſpicari. Nec poſſum ſatis ridere, quorundam Germanorum, neſcio vanam arrogantiam an imperitiam dicam, qui dum ſe nobiles oſtendere volunt (confiſi cuidam non dico hiſtoriæ, ſed fabulæ, quæ Sueuorum nobilium originem mentitur à Curio Imperatore, qui nullus vnquam fuit) ad Romanos ſuam originem referunt. Nam nulla familia eſt in tota Germania, quæ (vt multos dicam) octingentos annos ſuam familiam duraſſe probare poſſit, ſcriptorum atque monumentorum inopia. Intra quos annos & vltra etiam, non ſolum nulla nobilitas Romæ fuit, verum etiam colluuies ex diuerſis nationibus, ſine dignitate, auctoritate & nobilitate, & plus ſerui quam liberi dicendi, imo ſeruo ſeruorum ſubiecti. Atque hi, qui ex Romanis ad nos ducti ſunt, captiui fuerunt, nulloque honore dignati, eo quod propter aliquod facinus prauum, fuerint relegati. Quare Italorum illuſtriſſimæ etiam hodie & patrum noſtrorum memoria, familiæ, nobilitatem Germanorum ſcientes, omnes fere nobilitatem ſuam trahere volunt ex Germanis: aut ſi ad antiquiſſimos Romanos aſcenderis, inuenies auctores, Rom. latrones & prædones: ſi vlterius ad Æneam & Troianos, inuenies eos qui incolumes à Troiano incendio ſuperfuerunt, fuiſſe proditores. Si vis igitur, Germane, tuos maiores eſſe nobiliſſimos, non eos ad Romanos referas, apud quos non tam natalium claritudo, quam virtus hominum humilimorum, locum habuit: Sed ad veteres Germanos, apud quos ſolos ſyncera eſt nobilitas, & fuit etiam antiquiſſimis temporibus, à quibus ſi te propagatum eſſe declaraueris, nobiliſſimum iudicabo. Ante enim natiuitatem Chriſti, tantus fuit reſpectus ſyncerae natiuitatis, veteriſque propaginis, nataliumque clarorum qualis hodie: quod aliis gentibus non contigit, quæ mores nobilitate forſan melius & fœlicius inſpicere conſueuerunt.

GERMANIA CVLTA ET FERTILIS.

CAPVT XVII.

COrnelius Tacitus, Seneca, aliique nonnulli ſcriptores, Germaniam barbaram terram, ſterilem infœcundamque omnino ſcribunt triſtem, & incultam, quam ſi hodie viderent, nihil illa cultius dicerent. Cuius ſi primum homines viderent, cultosque mores, religionemque coniunctam cum humanitate & eruditione, dicerent commutato ordine, Græciam in Germaniam commigraſſe.

Sed non eſt præſentis loci, multa de his rebus loqui, cum alibi fecerim, ſi vrbes, arces & ædificia: nihil illis pulchrius, magnificentius atque munitius iurarent. Agri autem Germanici & ſegetum omnigenarum tanta fœcunditas, vt nihil ad Cereris & vini vſum deſit omnino. Terra ſine noxiis ſerpentibus, beſtiisque venenatis, herba copioſiſſima, campique maxime paſcui. Vnde mitium pecorum multitudo innumerabilis educitur, ſyluæ etiam omnis generis arborum, non parum opportunitatis ad omnia opera & ædificia conferunt, adeo vt culta omnia atq; inculta, vel ſint fructibus plena, vel gregibus opportuna, vt nulla pars terræ neque inuia ſit, neque ab vſu hominum remota, ſed operoſa ſint omnia & vtilia: habetque regio ipſa, non vno in loco latices calidarum aquarum, ſanandis morbis opportunos, omnis item generis metallorum fœcunda. Et vt in ſumma dicam, nihil in ea vel aſperum, vel triſte, vel inuium, ſed omnia culta, aperta, florentia, atque ideo cæteris regionibus fœlicior, quod neque ſit Auſtrinis obnoxia feruoribus, neque Arctois nimium ſubiecta frigoribus, vt neque noxio atque peſtifero calore in æſtate conficiatur, neque aſperiori hyemis gelu tabeſcat, ſed media quadam temperie, atque clementia aeris, iuſtam præbeat & ſalubrem hominibus habitationem. Et licet Arctoo plus exponantur, frigus tamen tolerabile eſt, & hinc multo ſalubrior, inde corporibus hominum & propagandis gentibus aptior, quam meridionalis regio, quæ quo eſt vicinior Solis feruori, eo plus morbis redundat, peſtiferoque aere.

DE ANTIQVITATE GERMANORVM.

CAPVT XVIII.

IOſephus Iudæus, reſponſurus Appioni grammatico Alexandrino, dicit, *de vetuſtate Iudæorum nihil eſſe ſcriptum, quamuis omnium vetuſtiſſimi ſint, ob eam rem, quod Iudæi neq; maritimam regionem habitent, neque mercimonijs ſe exercuerint: quorum conuerſatio cum Græcis remotior fuerit, nihil offerebatur in antiquis temporibus, quod permixtionem Græcorum illis faceret, ſicut Aegyptijs mercimonia, quæ ab eis reijciuntur, & ad eos rurſus introducuntur. Atque hoc idem circa Europam contigiſſe, quando de Romanorum ciuitate, tam longo tempore adepta poteſtate, tantaſque cauſas belli conficiente, neque Herodotus, neque Thucydides, neque vllus qui fuit cum iſtis, fecit aliquam mentionem, ſed ſero tandem & vix ad Græcos potuit eorum cognitio peruenire. de Galatis enim & Hiberis ſic ignorauere. Hi putantur ſubtiliſsimi conſcriptores, quorum eſt Ephorus, vt vnam ciuitatem eſſe arbitraretur Hyberas, qui tantam patrem Heſperiæ terræ noſcuntur inhabitare. Quomodo ergo mirari decet, ſi neque noſtra gens plurimis erat certa, neque ad ſcribendum de ſe aliquam dedit occaſionem*: hæc ille. Cum quo ego pariter dicere poſſum, ſi Romani propiores (taceo de Gallis & Hiſpanis) fuerunt ignorati à Græcis, quanto magis noſtros non celebratos à Græcis credendum, propterea quod neque mercimoniis illos adiuimus, neque maritumam regionem habitamus? niſi forſan Cimbri Germani, quorum propterea res clariſſimæ ſunt & vetuſtiſſimæ, celebratæ non tam à Strabone & Plutarcho, quam Ariſtotele, atque ipſo etiam Homero, quorum res geſtas vetuſtas, atque expeditiones in diuerſas regiones, Strabo pluribus in locis commemorat, adeo vt Græcos olim, Gallos, Boios, Illyricum, Romanos & Hiſpanos vicerint. *Hæc gens enim* (vt Strabo inquit) *diu ſecundis rebus olim vſa eſt*, & vt idem dicit; *Cimmerij qui à Græcis ita dicuntur, à nobis Cimbri, olim potentiam in Boſphoro maximam habuere, à quibus & Cimmericus Boſphorus appellatus eſt, militia ſuæ, monumenta relinquentes, qui & militiam agitauere vſq; ad Meotida paludem, atque traiecto etiam Boſphoro, ad Ioniam vſque terram decurſarunt, Sardibus & captis & Magnetum gente à Treribus, quæ etiam gens eſt Cimbrorum, funditus deleta.* Hæc multo ante vrbem conditam facta ſunt. Tandem Romanis florentibus, vt dicit Liuius libro 64. *Cimbri gens vaga, populabundi in Illyricum, ab his Papirius Carbo conſul cum exercitu fuſus eſt.* Et lib. 65. *Ma. Iunior Syllanus conſul, aduerſum Cimbros infœliciter pugnauit, legatis Cimbrorum ſedem & agros, in quibus conſiſterent poſtulantibus, ſenatus negauit.* Et libro 67. *C. Aurelius Scaurus legatus Con. à Cimbris fuſo exercitu, captus eſt & occiſus ab iiſdem. C. Manlius & Q. Seruilius Cepius procon. victi prælio caſtriſque binis exuti ſunt, octingenta millia militum occiſa, calonum ac lixarum quadraginta millia.* Cimbri item vaſtatis omnibus quæ circa Rhodanum & Pyreneum ſunt, per ſaltum in Hiſpaniam tranſgreſſi, ibique multa loca populati, à Celtiberis fugati ſunt, reuerſique in Galliam, bellicoſis quidem ſe Teutonis coniunxerunt. Cæſar item *in primo libro commentariorum & ſeptimo* dicit, Cimbros totam olim Galliam occupaſſe (exceptis Belgis, qui eos ſuis finibus prohibuerunt, vt dicit Cæſar) Gallos in oppida compulſos, tantam inopiam paſſos, vt eorum corporibus, qui ætate ad bellum inutiles videbantur vitam tolerauerint. Iterum Liuius libro 68. *Cimbri repulſo ab alpibus fugatoque Q. Catulo procon. qui fauces alpium obſederat, & ad flumen Athesim caſtellum editum inſederat, reliquerat, vbi virtute ſua explicata fugientem procon. exercitumq; proſecuti, in Italiam traieciſſent, tandem iunctis eiuſdem Catuli atq; Marij exercitibus victi ſunt.* Romæ etiam Tarquinio Priſco regnante, vt dicit Liuius libro quinto primæ decadis, *alia manus Germanorum veſtigia priorum eodem ſaltu, fauente Belloueſo cum tranſcendiſſet Alpes*, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes ſunt, loca tenuerunt, Brixiamque à Germanis conditam, vult Liuius, Policratusque Bergomum, vbi alii Gallos Senones dicunt, quos Sueuos Germanos dicere debuerant, vt poſtea probabo. Ex quib. quidem verbis Liuij, ego non obſcure colligo, Senones, Sueuos & Cimbros Germanos, vna cum Gallis Romam incendiſſe atque poſtea in Græciam tranſiſſe. Germani enim illi ſecuti ſunt illos, quos

Gallos

Gallos Senones dicunt: ante enim nec Germani in Italiam tranſcenderunt, adeo vt non bene diceret Liuius, veſtigia priorum ſecutos Germanos, in Italiam veniſſe. Sanis igitur & irrefragabilib. perſuaſionib. oſtendam, illos Senones fuiſſe Sueuos & Germanos & Cimbros. Nam Cimbri, præſertim Mediterranei, & Senones, non longe à ſe inuicem ſedes habuerunt. Nam, vt dimittam alias rationes, quas dixi in *oratione ad Maximilianum Cæſarem*, ſi vnum diui Hieronymi teſtimonium adduxero, qui dixit, *Galatas propriam linguam eandem pene habere quam Treuiros*. Si hoc verum, quis neſcit fuiſſe Germanos? dum Ammianus Marcellinus, qui longe ante Hieronymum ſub Iuliano floruit, Coloniam Agrippinam & Treuerim, Germanos vrbes Germaniæ prodiderit. Accedat etiam teſtis Diodorus Siculus Græcus libro ſexto: *Tradunt* (inquit) *eos, qui priſcis temporibus omnem ferme Aſiam diſcurrentes Cimerij dicebantur, ipſos eſſe, qui paulo poſt corrupto nomine Cimbri ſunt appellati. Iam priſco more dant latrociniis operam, rapientes aliena, cæteris omnibus contemptu. Hi ſunt qui Roma capta, cum Delphici Apollinis templum ſpoliaſſent, magnam Europæ partem, non paruam Aſiæ, tributariam fecere, agris eorum quos ſubegerant poſſeſſis. Qui in Græciam tranſierunt, Gallogræci ſunt nominati. poſtremo plures magnosq; Romanorum exercitus attriuerunt.* Concordat Diodoro Lucius Florus inquiens: *Galli Senones quondam ab vltimis terrarum oris, cum cingerentur omnia Oceano, ingenti agmine profecti.* præſertim cum & alibi dicat, *Cimbros atq; Teutones ab extremis Galliæ profugos, cum terras inundaſſet Oceanus, veniſſe.* Ex quibus verbis hic Cimbros, illic Senones Gallos ex inundatione Oceani, & ex vltimis oris, eandem gentem intelligere poſſumus, præſertim cum etiam hic ex finibus Galliæ Cimbros & Teutones venire dicat. Nec obſtat quod dicunt Gallos, & non Germanos. Nam, vt dicit Volaterranus, *Gallos omnes ac Germanos, vno vocabulo veteres Græci Celtas, Romani Gallos, vocauere.* Nam & Germaniam *Comatam Galliam* dicebant: Inſuper cum Græcis, tempore Senonum tranſitus in eorum prouinciam, nec Germania, nec Gallia fuerit cognita, vt ſupra etiam Ioſephus innuere viſus eſt, nominauerunt illos Gallos vel Galatas, id eſt, candidos & albos: a colore enim illos nominauerunt, vt omnes ſcriptores conſentiunt. Qui autem plus quam Germani Galli, hoc eſt candidi dici mereantur, nouerunt pueri, dum hodie inter Francigenas olim ex Germania profectos, monſtri loco habebatur albus Francigena, & hoc adeo verum eſt, vt cum ſequentibus temporibus Galli priores, vel potius Germani, in Græciam profecti, colore ſimiles eſſent Germanis, quos Græci iam nouiſſe cœperunt: dixerunt noſtros Germanos, quaſi fratres Gallorum ſiue Galatarum, propter colorem & corporum proceritatem. Ob candorem enim Diodorus Siculus Germanos Galatas vocans lib. 6. inquit: *Rhenus, quem noſtris diebus C. Cæſar pontibus miro modo iunxit pedeſtribusq; copiis traductis, Galatas vltra Rhenum habitantes, in poteſtatem redegit.* Sed & Latini, propter propinquitatem Gallorum, etiam Germanos vocitauerunt Gallos. Nam Oroſius dicit lib. 5. *C. Manlius & Q. Cæpio proconſ. aduerſus Cimbros & Teutones, Tigurinos & Ambronas, Gallorum gentes miſſi ſunt.* Et Florus dicit, vt ſupra oſtendimus, *Cimbros & Teutonas* (omnium teſtimonio Germanos) *ab extremis Galliæ profugos*, cum Germaniæ, ſi proprie loqui voluiſſet, dicere debebat. Et Saluſtius in Iugurtha, dicit: *per idem tempus aduerſum Gallos à ducibus noſtris, P. Cepione & M. Manlio, male pugnatum eſt.* quos palam eſt victos & fuſos à Teutonibus & Cimbris, non Gallis. Inde dicere debuit, *cum Germanis Romanos pro ſalute, non pro gloria certare*, niſi omnia commiſceret, &c. Præterea Strabo argumentum relinquit, Brennum Gallorum ſiue ducem ſiue regem, non fuiſſe Gallum, Brennum à quibusdam Prauſum appellitatum. *At enim* (vt inquit) *neq; Prauſos ipſos, quas terras primi habitarint, dicere poſſumus.* Nec credo (vt finem faciam) Gotfridum Viterbienſem chronocarum, nulla ratione vel auctoritate ſuffultum, tam aperte Brennum & Senones Sueuos dixiſſe. Non autem opus eſt memorare res geſtas Breñi & Senonum, quas tot ſcriptores ſuis complexi ſunt libris: dicam tamen illos in Italiam veniſſe, Romanos apud Aliam viciſſe, Romam incendiſſe, & vna gentis portione in Italia dimiſſa, Illyrios peragraſſe, Pannonios ſubiugaſſe, Græciam atque Macedoniam deuaſtaſſe, ſpoliato etiam famatiſſimo Delphico Apollinis templo in Aſia, tandem aliquos conſediſſe, ſeque Gallogræcos nominaſſe, propter commixtos inter eos Græcos. Senones autem (vt alias dixi) Galli à Senonibus Sueuis, ſicuti plerique Galli à Germanis, nomen accepiſſe videntur.

CAPVT XIX.

FRANCI, BVRGVNDIONES, GOTHI, VANDALI, GEPIDÆ, RVGI, HERVLI, Turcilingi, Longobardi, Normanni, Picti, Quadi, Scoti, Angli, Sueui, Saxones, omnes Germani ſunt, contra fabulas quorundam.

GErmania & tota plaga ſeptentrionalis, quanto magis abeſt a nimio Solis feruore, tanto eſt ſalubrior animantibus, atque propagandis hominibus aptior, aque laborioſior, pulchritudiniq; corporum atque proceritati conuenientior: ſicuti econtrario, regio meridionalis, ab nimio Solis æſtu, peſtilens, gignendisque hominibus minus idonea. Vnde fit, vt dicit Regino monachus, *vt tanta populorum multitudines, Arctoo ſub axe oriantur. Vt non immerito vniuerſa illa regio, Tanai tenus vſq; ad occiduum, licet & propriis loca in ea ſingula nuncupantur nominibus, generali tamen vocabulo Germania ſæpe nominetur. Multa quoq; pro eo, quod tantus mortalium prouentus in ea germinet, quantos vix alere ſufficit, frequenter gentes eius ſint in exteras terras progreſſæ, quæ non minus Aſiam & Africam quam Europam, variis temporibus & locis afflixere. Teſtantur hoc vrbes vbiq; in Europa dirutæ, per totum Illyricum Galliamq; ſed maxime miſera Italia, quæ pene illarum omnium eſt gentium experta ſæuitiam*, vt idem monachus teſtatur. Vixit

autem circa annum Domini D.CCCC. & II. qui non obſcure oſtendit, has omnes gentes: Gotthos, Vandalos, Alanos, Gepidas vel Gipedes, Rugos, Herulos, Normannos, Turcilingos, Longobardos, Sueuos, Saxones, omnes origine eſſe Germanos. Et Beroſus *Hunum* à quo Huni veniunt, in arbore Germanorum ponit. Nec obſtat quod plurimi ſcriptores Græci & Latini, ex Scythia aliquos progreſſos narrent: primum, quia teſte Strabone in *Septimo libro* Romanis etiam rebus florentibus, multo magis Græcis, Germania trans Albim omnino incognita fuit, adeo vt Gotthos, Longobardos, & alios ex Scandinauia, Gotthia & aliis locis apud Romanos incognitis venientes, ex Scythia, id eſt, ex terra Romanis incognita veniſſe credant, maxime cum in Germaniam, teſte Plinio, Scythia vſque quaque excurrat, vt in 4. teſtis eſt dicens: *Scytharum nomen vſq, quaq, tranſit in Sarmatas atq, Germanos.* Sed hac potiſſimum cauſa decipiuntur ſcriptores recentiores, dum ex Scythia egreſſos dicant, quod Græci ſcriptores, teſte Strabone *in vndecimo*, vniuerſos ſeptentrionales olim Scythas & Celtoſcythas appellabant. Sunt igitur Germanæ, quas dixi, gentes. De Burgundionibus ac Vandalis nulli eſt dubium, qui ſaltem Plinium & illuſtres hiſtoricos legit. de aliis etiam non eſt apud eruditos dubium, niſi de Francis, Gotthis & Longobardis, de quibus nunc luculentius loquar.

Primum vt de Gothis loquar, Tacitus ante omnes in hiſtoria Germanica, Gotthinos in Germanis ponit, ſicut hodie Gotthia ſiue Gotlandia, eſt inſula maris Germanici, & Ablauius Gotthus genus ſuum ex inſula Germanici maris produiſſe narrat. Atque Iordanus Gotthus hiſtoricus, ex Scandia Gotthos exiſſe refert, in qua magnæ magnitudinis inſula, teſte Plinio, Gotthia & aliæ inſulæ repoſitæ ſunt. Quod ſi quis dicere vellet, Gotthos ante Getas dictos, nihilominus Germanos diceret, quod Hieronymus probat ad Suniam & Fretellam, dicens: *vere in vobis apoſtolicus ſermo & propheticus completus eſt: in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, vt barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus imo contendentibus Græcis, noſtra Germania Spiritus ſancti eloquia ſcrutaretur.*

Longobardos ego alibi dixi ex Sueuis deſcendiſſe, quod Cornelius Tacitus eos inter Sueuos ponat, ſicut & Anglos. Alii autem noſtrates ſcriptores, ex Scandia ſiue Scandinauia veniſſe volunt, & prius Vuimulos fuiſſe dictos, à longis autem barbis, vt hodie Germanus dicit *Longobard*, longam barbam nomen accepiſſe. Vnde Guntherus Alemannus lib. 2. de geſtis Frederici Cæſaris, loquens de Longobardis:

Hanc olim bello quam Stanzia miſerat hoſtis.
Dicitur à longis ea Longobardia barbis.

At Sueui veteres non longe à Scandia ſuos fines habuere. Quod igitur ex Germanis venerint, Tacito noſtratibusque chronocariis prodentibus, nemo hactenus repugnauit, niſi non quidam Ponticus, atque Calepinus vocabularius, qui dicit, *mixtam eſſe gentem ex Lingonibus, Germanis, & Bardis Gallis non a longis barbis, vt ſolent docti viri ridere*, vt dicit Calepinus. Vnde hæc ſomnia precor? vnde hallucinationes: qua auctoritate ſuffulti? quis vnquam audiuit Lingones in Germania fuiſſe, Galliæ Celticæ gentem? aut quis audiuit aliquam feciſſe expeditionem? vel coniunctos Bardis Gallis: vel quis neſcit longe ante auditum nomen Longobardorum in Italis & exteris excurſionibus, Bardos fuiſſe extinctos, nomenq; totum obſoletum. Quæ ratio eos adduxit in hunc errorem, anilemque illam & friuolam perſuaſionem, contra opinionem omnium ſcriptorum, niſi nimia arrogantia vt coniecturare liçet? qui profecto vt videantur in indagandis literis ſubtiles cenſores, non dubitant ſomniare vel augurari meras fabellas, atque pro veris aſtruere. Inde non probatur quorundam Italorum (quorum nunc magnus eſt numerus) ſtudium, qui non tam orationibus & poematis effingendis, quam auctorum caſtigationi, nimia audacia inuentioneque plus ſubtili, interdum quam vera intendunt. Nam dum quilibet pro captu atque augurio caſtigare vult poetas, diuerſique diuerſa, ſeu ſtudio æmulationis & contradicendi, ſeu nimiæ ſubtilitatis gloria, caſtigent: fit vt plerunq; ſenſus poetæ penitus obſcuretur, atque quid potiſſimum ſit ſequendum ignoretur. Quorum concertatione diuerſaque opinione, interdum hallucinatione, ego, niſi velim errare, cogor interdum vti & meo iudicio in exponendis poetis, & quid ſequendum opinandumue ſit, ſtudioſe inueſtigare.

De Francis poſtremo, quanquam alio loco plura dixi, nunc tamen dicam omnia eſſe falſa & fabulas merasque nugas, ea quæ dicuntur de eorum è Troianis origine, quoniam de ſolis Ænea & Antenore legitur, apud veteres ſcriptores, qui ab incendio Troiano ſuperfuerint, in exterasque nationes profecti ſint. Ita dicit Liuius: *iam primum omnium ſatis conſtat, Troia capta in cæteros ſæuitum eſſe Troianos. duobus Ænea Antenoreq, & vetuſti iure hoſpitij, & quia pacis reddendæq, Helenæ ſemper auctores fuerunt, omne ius belli Achiuos abſtinuiſſe.* Quod ſi (vt poſſibile eſt) alii etiam elapſi, in diuerſas regiones ſint profecti: hoc tamen nemo ſcribit ex veteribus, ſed ſolum quidam recentiores, fabulatores potius quam hiſtorici, dum ea aſtruant, quæ nemo ſcire poteſt, & dum ſuos volunt magnos oſtendere, ridiculo exponunt. Quorum fabulæ ex eo maxime deprehenduntur, dum ſibi non conſtant, nec vllus cum alio conſentiat, maximeq; diſcrepantia inter ſe referant. Præterea nullus vnquam ſcriptorum veterum, quibus ſolis in hac re fidem habere poſſumus, Sicambros circa Mæotida paludem habitare tradit, nec item vllam Romani expeditionem fecerunt ad illam: & Franci diu ante Valentinianum fuerunt in Germania: adeo vt omnia falſa fabuloſa & mentita luce clarius deprehendantur.

dantur. Proinde Robertus Gaguinus, *annalium Francicorum* compilator, cum multa de eorum origine contraria & abſurda repeteret, nihil eorum eſt auſus affirmare, ſciens ſe falſitatis accuſatum iri, ſed ne Germanis hoc laudis tribueret, ſuos ab illis propagatos rem in dubio relinquit. At Pius Secundus, ſatis audacter fabulatus eſt *in ſua Europa*, non tamen ex proprio ingenio, ſed fabulis Francigenarum confiſus (ne hominem veritatis ſtudioſum carpere videar) quem Sabellicus & multi recentiores ſequuntur, *Francos, Troianos ab origine, deleto Ilio, duce Priamo Priami ex ſorore nepote, per Pontum Euxinum in Maotidos paludes in Scythiam perueniſſe, ibiq; ciuitatem ædificaſſe, quam vocauerint Sicambriam, ex qua dicti Sicambri. Cumq;*, vt ipſe pergit, *Scytharum multi Rom. Imperio ſubiecti eſſent, & ipſi quoq; tributa penderunt, manſeruntq; vectigales, vſq; ad tempora Valentiniani Cæſaris, quo imperante, Alani imperium vexare cœperunt. Imperator vero propoſito edicto, libertatem in decennium eis promiſit, qui Alanorum ferocitatem compeſcerent. Allecti eo præmio Sicambri, arma ſumpſerunt, Alanosq; bello victos deleuerunt, ob quam libertate in decennium ab imperatore donati ſunt, & mutato nomine Franci appellati: quod Attica lingua ſiue feroces ſiue nobiles ſonat. Itali Francos liberos vocant. Exacto decennio cum Romani ſolita tributa repeterent, Franci ob ipſam libertatem effrenes facti, parere recuſarunt. Principes eo tempore Francis fuere, Priamus & Antenor, antiqui nominis ac virtutis, quibus copias ductantibus, prælium cum Rom. conſertum eſt, in quo Priamus ipſe, cum fortiſſimis ſuæ gentis, cecidit. Qui cladi ſuperfuerunt, ex Scythia digreſſi ſunt, & in Germaniam profecti, in partibus Turingiæ conſederunt*, &c. hæc ille. Hæc omnia meræ ſunt fabulæ, nihil eorum verum, nihil veriſimile, quibus nulla recepta hiſtoria, nullus receptus & certus auctor ſuffragatur, quibus deeſt fides rerum, & temporum. Nec verum eſt, quod Euſebius in chronographia hoc dicat, cui de Francis nihil conſtitit, aut Hieronymus ſuperaddiderit, ſed Palmerius addidit, ſuperiori tempeſtate propter prauam de angelis opinionem combuſtus. Antoninus non diuerſa dicit, cui cum cæteris in hac re nihil credo, in notitia enim vetuſtatis, atque in hiſtoria ſuperiorum temporum, quo pacto poſſumus credere illi vel alteri pro ſuo arbitrio ſomnianti, dum ſine auctoritate ea affirmet, quæ multis ſæculis eius ætatem, hoc eſt, multo plus quam duobus millibus annorum anteceſſerunt: diuinare hoc eſſet, ſed ſpiritus non tam ocioſus, aut pronus eſt, ad tam inanem diuinationem, vt vnde Franci venerint hiſtoricis prodere curet. At dixerit quis: vnde igitur ſumpſerunt illi viri ſuas hiſtorias, vel potius fabulas? vt tu aſſeris. Tantam dico eſſe mortalium ambitionem, vt nemo non ſuam ciuitatem, atq; gentem, nedum familiam, nobiliſſimam atque vetuſtiſſimam haberi velit. Hoc ipſe Liuius de Roma teſtatur: *Quæ ante conditam* (inquit) *condendamq; vrbem poeticis magis decorata fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur, ea hic nec affirmare, nec repellere in animo eſt.* Datur hæc venia antiquitati, vt miſcendo diuina humanis, primordia vrbium auguſtiora faciat, multi & alii populi nimium effuſi ſunt in prædicandis auctoribus ſuæ gentis. Vnde non dubium, quin Franci, qui vel ſuperbiſſimi prædicantur, hoc idem facere conentur, quorum tamen error vſque adeo patet, vt nemo non intelligat fabulas eſſe, ea quæ de Troianorum origine mentiuntur: præſertim cum Æneas Siluius ſcribat, *nullam eſſe gentem, quæ Gallorum ſuperet ambitionem.* In hunc autem modum, & aliter ſcribit Vincentius Gallus, *Francum quendam ſiue Franconem, ex Hectoris filijs, à quo Francorum nomen tractum, anno ante Chriſti aduentum, M. C. XVII. vna cum Antenore alijsq; Troianis, à fratribus proprijs fugatum, prius tota Aſia peruagata, ad Dannubii ripas tandem perueniſſe, ibiq; cum aliquandiu conſediſſet, mox auctore Antenore locum quæſiſſe, à communi hominum ſocietate ſeiunctum, ad Tanais fluenta, & Mæotidis paludes ſeceſſiſſe, vbi Sicambriam vrbem condiderit.* Qui cum prædictis hallucinatur, fabulator egregius, quoniam quidem conſtat Homerum non plures vno Scamandro (quem & Aſtyanactem vocant) Hectori liberos aſſignaſſe, nec Anaxicratem, nec Euripidem, quorum alter *Argolicorum ſecundo*, alter *in Andromacha*, nothos Hectori filios editos aſſerunt ex pellicibus, vſquam alicuius Franconis, vel Franci meminiſſe, Alii non Francum, ſed Francionem dicunt, ſicut Annomius monachus, qui ſcribit, *Torgorum vna cum Francione Troia abeuntem, Thraciam petiiſſe, & ab eo Torgorum gentem nomen eſſe ſortitam: à Francione vero Francos*, multum diuerſa ab aliis referens. Nec eſt vllus cum altero concordia, & pro eo quod quilibet pro ſua libidine fabulatur, nec vllus cum alio conueniat, poſſumus non obſcure deprehendere, meras eſſe nugas, quibus (vt dixi) nec vlla hiſtoria recepta, nec ſeries rerum, nec temporum quadrat, aut ſuffragatur. Et vt omnibus pateat, quam fabuloſe hæc excogitata ſint, Primo ex hiſtoriis veteribus nemo vnquam colligere poteſt, antiquitus fuiſſe, vel Francos, vel Sicambros, vel iuxta Danubium, vel paludem Mæotida. Quomodo ergo ego poſſum habere fidem, vel Æneæ Siluio, vel Vincentio Gallo, vel Antonino, qui referunt ſine vetuſto, & idoneo auctore, de rebus quæ eos duobus millibus annorum, & plus anteceſſerunt. Nec item Priami vllus veterum ſcriptorum meminit, qui filius regis Priami ex incendio Troiano in exteras profectus ſit regiones: nec item Franci mentio fit, qui peruenerit, vel ad Danubium, vel Mæotim. Manethon tamen Ægyptius ſacerdos, ſi res non mentiatur auctorem, & liber ad arbitrium aliquorum non ſit corruptus, vt multi credunt, *tempore Aſcanii Francum quendam Celtis imperaſſe* ſcribit, quod omnino contrarium ſupradictis, & cui nullus concordat. Sed ſiue verum ſit, ſiue non: ille Francus nullum nomen in Gallia, in qua regnauit, poſt ſe reliquit. Tempore enim Iulii Cæſaris, Ptolomæi, Strabonis, Pomponii, Plinii, & omnium veterum, hoc nomen in Gallia inauditum fuit. Quapropter Annius Viterbienſis, antiquitatis exquiſitiſſimus explorator dicit: *quis iſte Francus, aut quo pacto Rex à Celtis ſuſceptus fuerit, neminem legi.* Poſtea dicit: *Vincentium Gallum hiſtoriam eſſe proſecutum.* ego autem dico fabulas eſſe, quæ quis profert ex antiquitate, ſine auctore. Hæc cum omnis homo intelligat, non

quadrare,

quadrare, nec eſſe quicquam ſolidum, in quo conueniant omnes iſti fabulatores, ſequitur poſtremo, vt cætera fabuloſa intelligamus, dum luce clarius oſtendam, Francos non tempore Valentiniani, in Germaniam veniſſe, ſed multo ante nominatos in Germania, nec vlla in regione nomen habuiſſe, niſi in Germania, donec ex Germania, in Galliam tranſiuerint: adeo vt nemini obſcurum ſit, indigenas eſſe Germaniæ. Nec deſunt auctores etiam Græci. ita enim dicit Agathias Græcus auctor: *Francorum natio proxima eſt Italiæ & terminis iuncta. Veteres tamen hos Germanos dixere, nam circa Rhenum habitant, Gallorumque magnam partem occupant, qui quanquam, vt reliqui Germani, ſunt barbari, Romana tamen politia, & alijs inſtitutis vtuntur ſunt & Chriſtiani, & rectiſſimæ opinionis.* Ex quo ſatis conſtat, ex ea natione migraſſe, quæ trans Rhenum nunc quoque Franconia dicitur. Idem teſtatur Hieronymus in vita Hilationis: *Inter Saxones* (inquit) *quippe & Alemannos gens eius non tam lata, quam valida, apud hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Non igitur verum eſt, tempore Valentiniani Francos qrimum Germaniam inuaſiſſe. Hieronymus hæc ſcribit, de Conſtantii imperatoris quodam candidato, qui Valentinianum longe anteceſſit. Claudianus item ſub Theodoſio longe ante Valentinianum, oſtendit Francos eſſe Germanos, dicens:

Paſcat Belga pecus, mediumq; ingreſſa per Albim,
Gallica Francorum montes armenta pererrant.
Vt procul Herone per vaſta ſilentia ſyluæ,
Venari tuto liceat.

Legitur autem Conſtantius Flauii Conſtantini filius primus Rom. ducum Francos in patria ipſa Franconia domuiſſe. quo tempore, non ſolum in Franconia fuerunt, verum etiam cis & vltra Rhenum, Batauiam, & finitimas regiones occupauerunt. Præterea conſtat, nec Conſtantinum, nec Valentinianum vllam feciſſe expeditionem ad Tanaim, vel Mæotidis paludem, nec legi vnquam, à Romanis vllam militiam, ad iſta loca agitatam, cum Strabo dicat, in vndecimo, *Tanais oſtia ſcimus, ſupra oſtia vero nihil pene notum eſt, præter frigora.* Vnde omnia fabuloſa ſunt, quæ dicuntur de Valentiniano, & eius ad Tanaim expeditione. Præterea tempore Iuliani Cæſaris, teſte Ammiano, fuerunt Franci cis Rhenum, qui Arcuarii dicebantur. Inde dicit Oroſius lib. 7. *Valentinianum ſuperiorem Saxonum gentem, in Oceani littoribus, & paludibus inuijs ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantem in ipſis Francorum finibus, oppreſiſſe.* Hic non poteſt aliter intelligi, niſi de Francis cis & transrhenanis, propter fines Rom. qui nulli fuerunt vltra Rhenum, nedum iuxta Tanaim. Nec obſtat quod dicitur, *paludibus inuijs*, Germaniam enim Romani eis incognitam, plenam eſſe paludibus, & ſolitudine fabulantur. vnde dicit Cor. lib. 20. *eadem ſuper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, vt relictis paludibus, & ſolitudinibus ſuis, fœcundiſſimum hoc ſolum poſſiderent.* Et Panegyricus Conſtantini filio Conſtanti dicatus, pariter Francos Germanos dicit: *Quid loquitur* (inquit) *rurſus intimas Franciæ nationes, non iam ab his locis qua olim Romani inuaſerant ſed à proprijs ab origine ſuis ſedibus, atque ab vltimis barbariæ littoribus auulſas, vt in deſertis Galliæ regionibus collocatæ etiam pacem Rom. Imperij cultu iuuarent, & armis d. l. Eu.* Et vt manifeſtius intelligatur illos ex origine Germanos eſſe, poſtea dicit; *neque enim in Rheni gurgitibus, ſed nominis tui terrore munimur.* & poſt, *ſciunt poſſe Franci tranſire Rhenum, quos ad necem ſuam libenter admittas, ſed nec victoriam poſſunt ſperare, nec veniam, quid ipſos maneat, ex regum ſuorum cruciatibus metiuntur: ideoque tantum abeſt, vt amnis illius tranſitum moliantur magis vt cœpto ponte deſperent.* Quibus omnibus liquido conſtat ſub Conſtantino Francos non ſolum in Germania indigenas eſſe, ſed & ſæpius tunc Rhenum tranſgreſſos. nam & ante eum ſub Diocletiano, & Maximiniano Franci, & Saxones iuxta Oceani littora fines Rom. & Gallias infeſtabant, vt dicit Oroſius *lib. 7.* & vt Panegyricus dicit, ad Maximinianum: *Neruiorum, & Treuirorum arua iacentia letus poſtliminio reſtitutus, & receptus in leges Francus excoluit.* ſed quid iſtos commemoro? Ipſe etiam Cicero meminit cum Sueuis Francorum, *lib. 14 ad Atticum.* vnde & facile poſteriores Francos dixerunt. Fuit etiam, vt in vetuſtis Germanorum libris inuenio, *Franco* nomen proprium, & frequens apud Sueuos, & Germanos, vt ſuſpicandum ſit, ab aliquo Francone, vel Franco, ex Germania Franciam, & Franconiam factam. omnia enim alia quæ dicuntur de eorum ex Troianis origine, nec quadrant, nec vlla auctoritate, vel ratione, atque perſuaſione veriſimilia fieri poſſunt, præſertim cum tam ampliſſima gens, quæ tam totam Galliam, quam Alemanniam inundaſſe dinoſcitur nulla alia lingua inueniatur locuta, niſi Germanica: Exceptis Francigenis, qui ex Gallorum, & Romanorum commixtione tandem Italicam corruperunt. Cum igitur Franci, & Saxones fuerint gentes ampliſſimæ, atque potentiſſimæ, nec vſi niſi lingua Germanica, quis dubitat eos eſſe indigenas Germaniæ? Cum Schlaui in Boiemia, & qui inuaſerunt ſedes Vandalorum tenuis natio, Hungari, & aliæ externæ nationes linguam ſuam externam retineant, licet vndique fere ſepti Germanis ſint.

Legi inſuper nuper fabuloſas hiſtorias cuiuſdam Pelermanni Etterlin Lucernenſis vernaculo ſermone conſcriptas, qui abſurda, & futilia meraſque nugas blaterat, de origine trium pagorum apud Heluetios, ſcilicet Suitenſium, Vrienſium, atque inferiorum ſilueſtrium, quos vulgo Vnderualdenſes vocant, quos dicit cœpiſſe inhabitari aliquot, non tamen multos, annos ante Rudolfum Cæſarem, Suitenſes ſuam referre originem ad Suedos; alios duos pariter, ad Gotthos & Hunos, quibus nihil fabuloſius excogitari poteſt. Primum de Suedis, quod nullam vnquam expeditionem legantur feciſſe in noſtram terram, ſatis conſtare alibi probaui: de alijs quis non rideat? quod

quod ab Hunis,& Gotthis deſcendant,quos auctor ille rerum, & hiſtoriarum omnium imperitiſſimus vnam gentem credit,vnumq; regem attribuit,quæ fuerunt duæ diuerſiſſimæ, atque inter ſe inimiciſſimæ,atque multis ſeculis ante Rudolfum Cæſarem exploſæ & eiectæ non modo ex Germania, verum & aliis etiam regionibus,prælertim ex Italia,& Gallia , antequam illi pagi, ex illius opinione cœperunt inhabitari.Non credo inſuper,nec Gotthos , nec Hunos veniſſe in iſtas alpes, atq; tam ſiluoſos atq; aſperos montes,quoniam Baſilienſes,vt referunt annales noſtri dum Hunorum vim,& perfidiam perferre deſperaſſent,deſerta vrbe ſua Baſilea, atq; hoſtibus in prædam relicta,in montes proximos Heluetiorum fugientes tute delituerunt , ſunt autem illi montes multo magis peruii,& penetrabiles,quam alpes trium pagorum,de quibus ſuperius dixi. Vnde & non obſcure intelligitur,Hunos atq; Gotthos,nunquam illos montes inuios, atque penuria omnium rerum laborantes,aut adiiſſe,aut inhabitandos delegiſſe,aut penetrare potuiſſe.Sed quanta mutatio rerum(ſi verum dixerit auctor ſilueſtres illos incolas,ab Hunis deſcendere) dum Baſilea olim magnifica ciuitas prudentia,atq; fortitudine pollens , atque ſacratiſſimo imperio fidiſſima patrū noſtrorum memoria,vt perfidiam & immanitatem Hunorum vitaret, deſerta vrbe in montes perfugerit,nunc vero mutata mente deſerto imperio ſine omni vi atque neceſſitate, in ſumma tranquillitate & pace in ſocietatem illorum conceſſerit. Sed vt ad inſtitutum regrediar, quis hoſtes non faueat illis Silueſtribus pagis auctores ſuæ gentis Gotthos,& Hunos? Impios hæreticos , perſecutores Chriſtianorum,raptores,& latrones.Sed quo animo accipient Suitzenſes,& alpeſtres homines tam fœdam,& turpem originem? vix æquo,vt ego exiſtimare velim , legi autem has fabulas Petermanni ſumma cum indignatione,quod ſcribat falſa,ſibi repugnantia, contra omnem rerum , & tēporum ſeriem,conuitia,contumelias & compoſita mendacia.Deteſtanda profecto ciuitas foret,in qua editus,& impreſſus eſt ille fabuloſus,& famoſus liber,ſi ſciens cōſenſerit,& admiſerit.ſed multo plus chalcographus, qui libidine habendi fas & nephas iuxta æſtimans contumeliis, & mēdaciis patrocinatus eſt,vtinam dignam recipiat mercedem. Sed prudēs & magnificus ſenatus Argentinenſis optime egit,qui publico edicto hunc famoſum librum,in ſua vrbe vendere prohibuit, cuius auctor Petermannus,cum ſit fabulator & idiota,& apertiſſime contra veritatem multis in locis garriat,non placuit multa in eius nugas ſcribere,niſi quod nuperrimo Heluetiorū bello plus quam dici poteſt,mentiatur.Semper enim mille noſtrorum à ſuis interfectos refert,vbi vix C C. ſunt deſiderati,centeſimamque partem ſuorum interfectorum non commemorat, adeo vt totus ſit adulator omnia ad gratiam,& fauorem eorum,inter quos natus eſt,& hodie degit, victumque quæritat,nihil ad rem geſtam veritatemq; loquatur. Quas nugas,& fabulas adeo adulanter in laudē ſuorum,hoſtiumque apertam contumeliam confictas nemo bonus vir rerum geſtarum illius belli expertus ſine ſtomacho legere poterit, quas etiam ſuis compagenis gentilibuſque diſplicere nō ambigo,probatioribus volo,dum eos adulationibus celebrare cupit, & falſo , quos rebus vere geſtis (non nego enim Heluetios in eo bello patrios fines fortiter eſſe tutatos)poſſit illuſtrare.Cui tamē danda venia eſſet,vt Ioſephus Nicolao Damaſceno voluit,qui adulatus eſt Herodi viuenti, ſi non hiſtoriam,ſed laudem,& Panegyricum ſuorum ſcripſiſſet, niſi aperte, & falſo alios homines extraneos infamaret.Scripſit autem multa alia nec vera,nec veriſimilia, nec temporibus,nec rebus quadrantia,de quibus ſuo loco latius euagabimur.Cum igitur (vt à diuerticulis, & tranſuerſis itineribus,ad regiam viam redeamus)multis rationibus,& perſuaſionibus , auctoribuſque receptis conſtet prædictas gentes omnes eſſe nationis Germanicæ,non opus eſt enumerare res eorum in bello geſtas omnium maximas,& præclariſſimas,cum multi id copioſis ſint libris complexi, dum etiam nemo neſciat, eorum inundatione totam Europam eſſe attritam, Aſiam atque Africam afflictam, maximoſque & copioſiſſimos,tam Romanorum,quam aliorum populorum exercitus, ab eis profligatos,atque deletos. notum eſt enim Valentem imperatorem Valentiniani ſuperioris fratrem Gotthico bello ſuperatum,& occiſum, Valentinianum ſuperiorē vomitu ſanguinis ob Germanorum excurſiones,Illyriiq; per eos vaſtationem factam extinctum eſſe. Odoacrumque regem Turcilingorum,& Rugorum inuito Zenone Romam obtinuiſſe,Oreſtem & Paulum fratrem imperiū vſurpantem occidiſſe,& Auguſtulum exilio damnaſſe. Decium imperatorem à Gotthis periiſſe, Gallum Trebonianum tributa pependiſſe, Æmilianumque cæſum,omnes illos Cæſares,atque imperium vſurpantes,hæ gentes conculcarunt.Romamque ſæpius expugnauerunt, atque diripuerūt, imperiumque tam occidentale,quam orientale diſſipauerunt, atque contriuerunt,

CAPVT XX.

Peroratio ad Principes Germaniæ.

AVdiſtis hactenus, O Principes Germaniæ,fortitudinē inuictamq; animi magnitudinem veriſſimamq; laudē.& gloriā maiorū veſtrorū,licet breui epitomate. Quorū res præclariſſime geſtas æmulamini quæſo. Eſtis .n. illorū ſanguis,illorū effigies certiſſima,in vobis relucet mirifica illa maiorū veſtrorū nobilitas,atq; animi magnitudo. Turpiſsimū ducite ab illis degenerare, qui reb. fortiſsime geſtis,cūctis fere gentib. iugū impoſuerūt ſeruitutis,pulcherrimiſque orbē terrarū victoriis peragrauerūt,fueruntq; formidabiles. In primis nolite cōmittere,vt florentiſsimū hoc imperiū, quod maiores,imo patres veſtri multo ſanguine,& factis glorioſiſsimis paribuſq; ſtudiis pepererūt,vos ipſi per ſocordiā.& negligētiā amittatis, quod ne cōtingat ponite quæſo ſolū inteſtinas ſeditiones, contraria inter vos ſtudia & volūtates peſtiferaſq; factiones. vnica & maxima euertēdorū regnorū inſtrumenta,

ſtrumenta, ſatis exemplorum alienæ vobis clades præbent, hæ enim ſolæ, Macedonas mundi conculcatores, Lacedæmonas bellicoſiſſimos, Athenienſes illuſtriſſimos, Romanos poſtremo dominorum dominos reddidere ſeruos, atque penitus euerterunt, adeo vt veriſſimum ſit illud Liuii, *factiones fuiſſe eſſeque pluribus populis maiori exitio, quam bella, quam famem, quam morbos.* Quæ & vos, ô Principes Germaniæ, ô vtinam vanus ſim aruſpex, labefactabunt, in ſeruitutemque deiicient, niſi illas, atq; priuatum ſtudium cum ſocordia ſepoſueritis. Quæ enim alia res, precor, poſſet deeſſe nobis, non modo ad tutandam patriam, verum etiam ad totius orbis imperium nobis aſſerendum, niſi hæ illæ, quas dixi, diſcordiæ, diuerſa ſtudia. Non deeſt vobis animi magnitudo. Deus præſens, prudentia, militaris rei diſciplina, atq; peritia, & quicquid ad bellicum apparatum, atq; expeditionem expeti, aut deſiderari ab vllo poteſt. Quid autem bone Deus dicam de militibus Germanis, quorum inuicta manus, atq; eximia rei militaris peritia cunctis terræ nationibus eſt formidabilis, quorumq; hodie auſpicio, & virtute, omnes ferme principes Europei bella gerunt, rebuſq; arduis, & claris in bello illuſtrantur, quod hoc potiſſimum tempore, M. D. VIII. ad vos gemens atque lamentabiliter exclamo, O Principes Germani, quo hæc ſcribo, & quo Veneti (fœminis veſtris effœminatiores, & quorum cõſtat animos, niſi primus impetus ad votum ſucceſſerit, plus quam fœminarum emolleſcere) in ipſam Atheſinam prouinciam, atque Goritiam Germaniæ portiunculas graſſantur, Vos inquam Germani Principes appello, qui bonos illos, & fidiſſimos Germanos (Cæſare contra Sicambros pugnante) in ſummo diſcrimine atq; periculo ſine omni auxilio, & ope deſeritis, alieniſſimi ab inſtituto, atque moribus maiorum veſtrorum, qui ideo Germani, id eſt, fratres, ab idoneis auctoribus non ab re dicti ſunt, quod nunquam tanta laborauerint inteſtina ſeditione, quin vt fratres, amici & vnanimes, in externum hoſtem profligandum congrederentur.

Vos è contrario nulla formidine, nullis aduerſariorum opibus conterriti, verum vnica ſimultate, atque rei priuatæ ſtudio diuerſaque voluntate, ſine cura communis ſalutis vniuerſi miſeros illos deſeritis Atheſinos, & Goritianos, Venetiſque copioſiſſimo externi militis exercitu (hoc eſt, Hiſpanorum, & Galli regis auxilio, & copiis) inſtructiſſimis, in prædam derelinquitis, quorum diuiſis, & variis exercitibus noſtri ſunt multo inferiores, alioqui non deeſſet eis hodie animus, nec fortuna, & bis iam fœliciſſime periculum fecerunt, fortiter pugnantes, pro libertate, duriſſimumque ducentes ſeruire imbellibus viris. Vos autem, O Principes, adhuc ſuccurrite, & omnia damna reſarciemus. Ducite turpiſſimum veſtro tempore, & vobis Principibus veſtraque ſola culpa, dum quilibet alterum exſpectat, nec aliquis opem ferre cupit, vt Veneti (qui niſi ſcirent vos diſcordes, quemlibetque ſuis tantum rebus ſtudentem, ne vmbram quidem corporum noſtrorum intueri auderent) nunc fines Germanicos inuadant, qui nihil vnquam fortiter, nihil ſtrenua manu, & vera virtute, nihil æquo campo conati, tantam potentiam ſolo conſilio, inſidiis, & proditione ſunt conſecuti. Concutiat pectora veſtra, quod homines in laudem ſuam effuſiſſimi fabuloſis ſuis annalibus inſcribent, quamuis mendaciter, contra vniuerſos Germaniæ Principes clariſſimis triumphis veſtro tempore bellaſſe, dum nemo veſtrum adeſt, qui ſi paucis ſinguli militibus adeſſetis, nemo ne cogitaret quidem reſiſtere, aut vos alicubi expectare. Quod ſi Sigiſmundi Ducis Auſtriæ bello nuperrimo (non omnium Principum Germaniæ, vt ipſi mendaciter fabulati ſunt) ſexies Veneti profligati, quinque leuioribus conflictibus, vna cum maxima Venetorum ſtrage, turpiſſimaque fuga, glorientur, fabuloſiſq; annalibus inſcribunt, ſe res clariſſimas confeciſſe, referantque plures noſtrorum à ſe interfectos, quam fuerint vniuerſi milites Germani, qui eos in fugam (occiſis & ſubmerſis pluſquam ſex millibus Venetis, adeptiſque inter ſpolia pluſquam M.CCC. equis, pluribuſque curribus) coniecerunt, maximaq; ſtrage affecerunt, quo nunc gaudio, quibus triumphis, quanto verborum ambitu, ampulloſiſque, & phaleratis legationibus, ad omnes mundi partes perferunt, ſe mille & trecentos (quem numerum ipſi tot millibus amplificabunt) Cæſaris milites profligaſſe, licet per inſidias, & ad iniquum pugnandi locum progreſſos. Se item Romano imperatori oppida, atque arces licet per proditionem, vel vt ipſi volunt, per emptionem clandeſtinam expugnaſſe, atque abſtuliſſe, licet per abſentiam & negligentiam veſtram conſcii etiam ſimultatũ, adiuti externo milite, auxilioque & copiis Francicis, ſolitiſque artibus, hoc tentarint. Accurrite igitur vel hodie pro communi ſalute, liberateq; Goritiam veſtram, quæ prius portiuncula liberæ Germaniæ, nunc duriſſimam ſeruitutem ſub Venetis cogitur ſeruire, inferte ſigna militaria in imbelles bellatores, & quos virtus in armis inuictos reddidit, non vincamini factionibus, aut priuato ſtudio, aut futuram timeo non modo imperii Rom. amiſſionem, verum etiam totius Germaniæ ruinam, quod Deus immortalis per ſuam miſericordiam, & nos per noſtram concordiam genuinamq; virtutem auertere dignemur. nam vt alias dixi, ſi ea nobis concordia, tantumque reipublicæ ſtudium fuerit, quantum maioribus noſtris, non ſolum non timeo priſcam Germaniæ libertatem peſſum iri, verum etiam nihil nobis deeſſe omnino video, quod impedire poſſet, quo minus totius orbis imperium adipiſcamur, victriciaq; ſigna, per totum Solis ambitum circumferamus. Amen.

IV.

ORATIO

HENRICI BEBELII IVSTINGENSIS SVEVI AD AVGVSTISSIMVM ATQVE SACRATIſſimum Regem Romanorum Maximilianum de eius atque Germaniæ laudibus.

SI Pompeium Magnum, Cæſar Illuſtriſſime, ob hoc laudauit antiquitas, quod ad eum faciles aditus eſſent etiam priuatorum, quantis tu mitiſſime Imperator præconiis laudari mereris, qui omnibus etiam humilimis facilimũ das acceſſum, vt neque te Moſes apud Hebræos, neq; Titus Veſpaſianus apud Romanos, vel facilitate vel mãſuetudine vincat. Qui vt cunctos mundi Principes dignitate exuperas, ita nulli etiam ex infimis comitate debes exiſtimari inferior. Mihi igitur te adeunti, Sacratiſſime Rex, inceſſit & lætitia & timor: Lætitia quidem vel incredibilis, quod ego adoleſcens infimæ conditionis humilimoque loco natus tanti viri affandi copiam ſim nactus. Regis ſcilicet terreniq; dei, quiq; talis & tantus ſis, vt omnium iudicio non ſolum præſentes orbis terræ Reges, & in hunc vſq; diem viuentes animi magnitudine, diſciplina militari, ſingulariq; prudentia longe excellas: verum etiam in omni genere laudis, & gloriæ, omnes ſuperiores Reges, quacũq; tandem hii ætate floruerint, ſi non exuperaueris, æquaſti tamen omnino, adeo vt clemẽtia Cæſari, iuſtitia Traiano, pietate Antonino, grauitate Alexandro Seuero nunquam cedas. Neq; inter Reges tantum, verum etiam inter illuſtres viros (vt de Pyrrho tradit Iuſtinus) nec quenquam te vno, aut vitæ ſanctioris, aut iuſtitiæ probatioris inuentum iri poſſe contenderim Cuius item domi militięq;, tanta tamq; præclara ſunt facinora, vt ne inimici quidem queri, niſi de magnitudine & prudentia tua audeant. has ego tuas virtutes animo complectens diuinamque maieſtatem tuam coram aſpiciens totus contremiſco, titubat lingua, tremunt labia, totumq; corpus incompoſito quodã modo vacillat. Nec id quidem immerito, nouiſſime enim debebam coram florentiſſima maieſtate tua, hoc eminentiſſimũ dicendi genus conſequi poſſe neminem, niſi qui ſit ſummis eloquentię viribus, Tullianoq; flumine inſtructus, quiq; memoria prope diuina præditus, in primiſq; eruditione ſingulari atq; doctrina inſignis, atq; exercitatus. Quod in me nemo deſiderare debet, qui in ocioſis tãtum philoſophorũ rhetorumq; ſcholis verſatus, nunq̃ in publicũ ꝓgreſſus ſum nedũ oraui in corona Principũ. Sed recreat me ac æquiori animo eſſe iubet, Cæſar, quidã dulciſſimus afflatus, de tuo illo benigniſſimo ꝓcedẽs vultu: ſinitq; me paulo erectius loqui, in mediumq; ꝙ inſtitui effundere.

Scio itaq;, imperator ſacratiſſime, moris eſſe eorum, qui apud te oratorio munere funguntur, vt longa ſerie, maximo verborum ambitu, grauiſſimiſq; & ampulloſis ſententiis te cohortentur, ad pacem Germaniæ vniuerſaliſq; Eccleſiæ Romanæ componendam. Quiq; perſuadeant expeditiones, in Turcarum ferociſſimam gentẽ, quaq; opportunitate, & quibus adminiculis id fieri poſſit, tua manſuetudine euecti, longius æquo effuſiuſq; oratione euagantur, à quibus in præſentia longe eſt mihi aliena mens, ne ego (vt eſt in prouerbio Mineruam docere velle videar, neue mihi adoleſcenti accidat, quod euenit Phormioni iam grandis ætatis Philoſopho. Nam (vt ſcribit nobis Cicero) cum Hannibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet exul, proq; eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, vt Phormionẽ eum, quem dixi (ſi velit) audiret, cunq; ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas, de imperatoris officio, & de omni re militari. Tũ cum cæteri, qui illum audierant, vehementer eſſent delectati, quærebant ab Hannibale quidnam ille ipſe, de illo philoſopho iudicaret: Hic Pœnus non optime Græce, tamen libere reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe, ſed qui magis, quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem, neq; me hercle iniuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certaſſet, Græcum hominem, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidiſſet, nunquam denique minimam partem vllius publici muneris attigiſſet, præcepta dare de re militari? Hoc mihi omnes iſti facere videntur, Rex Maximiliane, qui tibi præcepta militaris diſciplinæ dare cupiunt, in quibus à puero vſque in hunc diem cum ſumma laude tua verſatus es, tantaq; & tam eminentiſſima de te ſtrategemata imperatoria priuatiq; militis animoſa opera præſtitiſti, vt non ſolum cum Hannibale, aut Alexandro magno, ſed cum omni antiquitate in omnium bellicarum rerũ, & peritia & virtute poſſis certare quã glorioſiſſime. Hoc idem mihi facere omnes iſti videntur, qui te longa oratione cohortari inſtituunt, ad pacem Chriſtianam, aut armare in funeſtiſſimam Turcarum gentem, cum tu cunctis Principibus Germanis dormitantibus, ſolus & idem die noctuque vigilantiſſimus, ea quæ ad ſtatum publicum pertinent, optime prouideas,

& ſolet-

& ſolertiſſime penſites, qui nihil antiquius ducis, quam cōſulere communi omnium bono, quam proſpicere publicæ Chriſtianorum omnium vtilitati, & gloriæ; eaq; te ſequi atque amplecti, quæ Romano imperio & ornamento, & ſplendori futura credas. Nec quicquam credo tam in abdito eſſe eorum omnium quæ vel profutura ſunt imperio vel obfutura, quod tibi cogitanti non ſit in promptu, quod eſt Rex Maximiliane, nobis Germanis neceſſarium in primis, nam dum ſinguli Principes, poſthabitis rebus publicis, vel commodo priuato ſtudent, vel dum eorum quidam ſimultatibus, & inteſtinis ſeditionibus ſolummodo ſunt intenti, reliqui voluptatibus tantum indulgent, quæ ſunt vel prima inſtrumenta, per quæ multa oppida, nationes validiſſimæ, ampliſſima regna atque imperia corruerunt, breui futurum timeo, niſi tu Cæſar, qui labentem iam pridem rem publ. Germanam, ab occaſu reſtituiſti, auſpicatiſſima tua ſolertia & prudentia adſis, vt totum hoc florentiſſimum imperium, quod maiores noſtri virtute, multo ſanguine & rebus glorioſiſſime geſtis nobis pepererunt, per ſocordiam & negligentiam amittamus, inque turpiſſimam ſeruitutem redigamur, quod tamen te ſoſpite nunquam pertimeſcemus, dum hoc vnum nō neglexeris, quod Virgilius monuit.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Exacta enim nocte videre videbar in ſomniis vetulæ mulieris imaginem humana grandiorem & auguſtiorem, laceris tunicis & habitu omnino deformi, adeoque macie & ſquallore confectam, vt nemini non horrorem cum miſeratione moueret, cæterum ita conſpicuo capite, vt tanto ex fulgore viſus hebetaretur, & quantum videre potui, ſerto laureo cinctum erat. Ego itaque tanto ex capitis fulgore, cæterorum autem membrorum putredine, & horrore exanimis cecideram, namque *calor oſſa reliquit* (vt cum Virgilio loquar) *& vox faucibus hæſit*, niſi illa me apprehendiſſet, filiumque inclamans conſolata eſſet. Ego ex his verbis paulatim reſumens animum agnoui matrē eſſe Germaniam. Qua ſalutata, & de tam varia membrorum valetudine, atq; conditione quæſita, illa ſingultu diu verba impediente, tandem hæc fatur lachrymans. I celer, Bebeli, ad Regem meum & filium chariſſimum, Maximilianum. non enim priuatorum dedignatur acceſſum, narra conditionem meam, narra deformitatem, narra lachrymas & aſſiduum luctum, in quo tabeſco penitus; dic ipſum vnicum eſſe matris refugium & ſolamen, in quo omnem ſpem, ab eo tempore, quo ex vtero materno produxi, repoſuerim, ipſum item omnium filiorum eſſe caput florentiſſimum; cætera membra omnia marceſcentia. dic bono animo ſit, nec deſperet meliora lapſus, vt qui ſua viriditate & vigore plura adhuc membra reficere, ac recreare poſſit. ea vero quæ nimiū putrent omnino reſcindenda curet, nec aliam ſalutis ſpem reſtare, niſi medicina medullitus adhibeatur, dic diſplicere mihi in primis conuenticula Nobilium & Procerum, qua ſe ſubtrahunt à ſancta obedientia. Dic ſecum reputet, quæ cauſa Perſas, Macedonas, Græcos pariter, & Romanos ſubuerterit; inueniet profecto proprium cuiuſque ſtudium, commodum priuatum, & inteſtinas ſeditiones, quibus omnibus maxime noſtri laborant, omnium regnorum fuiſſe deſtructionem. In ſumma dic Regem meum eſſe eum, qui confeſſo omniū ſit fortiſſimus, iuſtiſſimus, Chriſtianiſſimus. nemo illum voluptati deditum, nemo libidini, nemo ocio accuſat, nemo à recto iuſtoq; deuiantem. Sola clementia eius tanta eſt, quæ ad commodum & gloriam Germaniæ damnari debeat. nam adeo obſtinatæ ſunt omnium aures, vt non clementia, ſed tyrannide opus ſit. Hæc locuta protinus euanuit. Ego autem ne (vt præfatus ſum) ſus Mineruam docere videar, paucis dixiſſe contentus ſum, cum mihi de his rebus non ſit inſtituta oratio, ſed longe alia proſequar, cumque obiter quædam & eadem pauca ſim dicturus, ſacratiſſime Rex, de incredibilibus iiſdemque immortalibus tuis virtutibus, longe etiam mihi aliena mens eſt, ac cæteris.

Plerique enim omnes in Principum laudibus recenſendis, ad longum hærent in enarrandis maiorum ſuorum nobilitate, rebus geſtis, diuitiis, honoribus, cæteriſque id genus, quæ ego etſi vnus omnium maxime de te poſſem prædicare, qui es ex ea familia Auſtriæ ſcilicet natus inclyta, & florentiſſima, quæ tot Regum atque Imperatorum mater, ſæpe etiam Pannoniæ, ſæpe Boemiæ, quandoque Poloniæ Reges dedit, omnia tamen miſſa facio, ne aliena iactare in te videar, neue aliorum laudes tibi vſurpare iudicer, quem omnium laudum, & ampliſſimarum quarumque virtutum, veluti exemplar intuemur.

Nec item de rebus tuis glorioſiſſime geſtis, in præſentia nobis ſermo futurus eſt. Si enim fœliciſſimos tuos triumphos, fauſtiſſimaque trophęa, quæ ſummo cum honore tuo de Francis, Eburonibus, Sycambris, Batauis, Morinis, Friſiis, Hungaris reportaſti, & ſi libere per globum cæterarum rerum fortiter à te geſtarum peragrare vellem, non eſſem parua oratione contentus, ſed perpetuo quodam hiſtoriarum contextu, tua excellentiſſima præconia poſteris demandarem. At ſi me audire vis, Rex Maximiliane, multi inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia ſæculis & per aliquot ætates tuta proſternant, qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis quaſſent. multi ſunt qui ante ſe agant agmina, & tergis hoſtium graues inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentiū veniant. Sed hi quoq; vt vincerent hoſtem cupiditate victi ſunt, nemo illis venientibus reſiſtit, ſed nec ipſi ambitioni crudelitatiq; reſtiterant. Tunc cum agere viſi ſunt alios, agebantur, agebat infœlicem Alexādrum furor aliena deuaſtandi, & ad ignota mittebat. Non ergo te Maxime Rex, laudo, quia magnos duxeris exercitus, hos enim & Cambyſes (ſcribit Seneca) *furioſus ac furore feliciter vſus habuit*; ſed ob egregiā animi moderationem, continentiam, temperantiam, munificētiam, manſuetudinem, comitatē, religionem,

cæteraſque

cæteraſq; virtutes prope infinitas,& (vt cum Pſalmographo loquar) *dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortib. tuis.* Atq; vt animi mei ſenſum omnino aperiam, idem mihi de te optimo iure prædicare conceſſum eſt, quod Plinio de Traiano imperatore: *Enituit aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace; alium toga, ſed non & arma honeſtarunt; reuerentiam ille terrore, ... amorē humanitate captauit; ille quæſitam domi gloriam in publico partam domi perdidit. poſtremo adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.* Tu autem hæc omnia coniunxiſti omnium iudicio, vt inter ſe de excellentia certare videantur, & quod cui præferatur, ſit iudicatu difficillimum. Sed quid ego adoleſcens omnium rerum imperitus, tuas explicare laudes conor? de quibus honeſtius eſt tacere, quam pauca dicere, quas & de te prædicari ſola conſcientia contentus minime exigas, & mihi de hiis non ſit inſtituta oratio, vtpote minime idoneo.

At, glorioſiſſime Rex, vt tandem flectatur oratio ad inſtitutum noſtrum, omnis nobis ſermo apud ſacratiſſimam maieſtatem tuam habendus eſt, *de laudibus Germaniæ*, deque inopia ſcriptorum apud eoſdem. Libet itaque lamentari & deflere iniquam maiorum noſtrorum conditionem, quod apud Germanos reperti, ſint qui egregia facerent, plurimi; qui ſcriberet, nullus. Hoc conqueror apud te, Imperator, hoc me in lachrymas prorumpere cogit. Si enim ſcriptorum beneficio illuſtria foris domique geſta Germanorum, ad poſteros tranſmiſſa eſſent, eſſetque in recenti memoria ea fortitudo animi, ea ſtrenuitas, ea in rebus gerendis peritia, quas de ſe præſtiterunt Caroli, Ludouici, Lotharii, Fœderici, Othones, Henrici, Conradi, Rodolphi, Alberti, cæterique Germaniæ Imperatores: non ſemper Græcia mendax ſuos, Theſea, Themiſtoclem, Periclem, Miltiaden, Cononem, Epimanundam, Codrum, Pauſaniam, Alcibiadem cæteroſque: Roma vero ſuos Curios, Fabios, Cæſares, Flauios, Scipiones, Horatios, Regulos & alios ad omne virtutis exemplar opponerēt, quos noſtri non ſolum æquarunt rerum magnitudine, verum etiam longe ſuperauerūt, ex hoc vel maxime, quod hiis non æquitas, aut vlla virtutis ratio quærebatur, ſed ſola regnandi libido. Noſtrorum autem omnes labores, omnis denique militia ſuſcepta eſt, pro Deo, pro fide, proq; augenda Chriſtiana religione. Quia ſi nullus eſt defunctis (vti non dubitamus) ſenſus, profecto horum manes ingemiſcere credendum eſt, cum tot labores incaſſum ſibi fuiſſe ſuſceptos intelligant, & tot nequicquam egregia opera, non ſolum pro noſtra patria, ſed etiam pro totius Chriſtianæ religionis conſeruatione & defenſione, ſint non ſolum aggreſſi, verum etiam ſumma cum laude confecerint, vt cum ſuis ipſi ſudoribus, & auſpiciis Romanæ Eccleſiæ pepererint tale incrementum, quale non Macedo Alexander ſuis, vel Cæſares, Pompei, Scipiones & cæteri ambitioſo Romanorum imperio. Attamen omnes oratorum, poëtarum, hiſtoricorum & philoſophorum denique libri referti ſunt Romanis & Græcis ad omnem poſteritatis æmulationem. Nemo mentionem faciat Fœdericorum, Carolorum & Othonum cæterorumq;, quibus ad omne nepotum exemplar nihil reperitur omnino expreſſius. Non eſt alia cauſa, quam quod res eorum geſtæ ſcriptorum penuria venerunt in obliuionem. At ſi pro rerum dignitate laudari debet Germania, inuenies eam eſſe regionē, quæ de omni genere laudis ac virtutis, cum quauis non modo earum, quæ hac tempeſtate præclaræ habentur atque celebres, verum cum omni antiquitatis memoria contendere poſſit. Quicquid enim virtutis peculiare eſt cuiuſque regionis, hoc totum noſtri ſibi vendicant, vt non immerito dicere poſſimus: Sola Germania habet laudum, quicquid omnes poſſedimus.

Germani igitur quales ſint, ipſum nomen liquido oſtendit, quoniam nulla eſt gens ex omnibus terrarum regionibus, quarum habitatores hiſtoria cognoſcuntur, vel quorum memoria ad noſtra vſque tempora ſcriptorum beneficio peruenerit, quæ tale nomen etiam cum rerum pondere ſortita ſit, quod (nec ab re) non ſolum corporis, ſed etiam animi bonitatem complectitur. Dicimur enim *Germani* vel à *germinando*. Germania enim, teſte Solino, *diues virorum, terra frequens populis numeroſis & immanibus*, quorum corpora & procera ſunt & candida & pulchra, ſumuſque bellicoſi à natura. Et quod ſine noſtrorum laude nunquam meminiſſe poſſum, *Germani* dicimur quaſi *fratres*, nunquam enim tanta laborarunt maiores noſtri inteſtina ſeditione, quin non aduentantibus externis hoſtibus, ſumma concordia & fraternitate, vt ita loquar, coadunati, fortiter & vnanimes hoſtibus congrederentur, & manum conſererent. Nec Strabonem (parcat mihi homo Græcus & qui non vidit, in hoc loco admittam, qui voluit nos dictos *quaſi fratres Gallorum*, quod proceritate corporum, forma & morib. & viuendi ritibus, illis eſſemus ſimiles, quos ſemper proceritate & pulchritudine corporum, in omniq; virtute atq; præſtantia militari longe ſuperauimus. Id quod externi exhibent. Agrippa enim Rex Iudæorum laudans Germanos à fortitudine, Gallos non à fortitudine ſed à diuitiis comendat. Cæſar autem dicit, *Germanos multum à cōſuetudine Gallorum differre, cum eorum vita omnis in venationibus atq; in ſtudiis rei militaris conſiſtat à paruulis, duriciei ac labori ſtudentium:* Gallos autem molles eſſe dicit. *Nam vt* (inquiens) *ad bella ſuſcipienda Gallorum alacer ac promptus eſt animus, ſic mollis ac minime reſiſtēs ad calamitates perferendas mens eorū eſt*, quos alibi infirmitatis idē accuſat. Et alio loco: *Galli paulatim aſſuefacti ſuperari, multiq; victi præliis, ne ſe quidem ipſi cum Germanis virtute cōparant.* Cōfirmat & Corn. Tacit. *Treuiri & Neruii circa affectationē Germanæ originis vltro ambitioſi sūt, tanquā per hanc gloriā à ſimilitudine & inertia Gallorū ſeparentur.* Qui Galli, etſi hodierno die ſint noſtrū genus & à Germanis maiori ex parte deſcēderint: adeo tamē degenerauerūt à nobis, forſan ex mitiori cœlo, vt fratres nobis, nec à bonis corporis, nec animi poſſint iure cenſeri: præter pleroſq; Belgas, qui in noſtrū nomen & iuriſdictionē penitus tranſierunt. Belgarū enim clariſſimi Treuiri, item Heluetii, Rauraces, Triboces, Nemetes & Vāgiones, & pleriq; Belgæ ignominiæ loco acciperent ſe Gallos vocari. Nec Corn. Tacit. aſſentior, q Germaniæ vocabulū recēs eſſe dicit, tantumq; eos dici Germanos, qui trās Rhenū pulſis Gallus cōſederint, ita.n. inquit: *Cæterū Germaniæ vocabulum recens &*

nuper auditum, quoniam qui primi Rhenum tranſgreßi Gallos expulerint, ac tunc Tungri, nunc Germani vocati ſunt, ita nationis nomen eualuiſſe paulatim, vt omnes primum à victore ob metum, mox à ſe ipſis inuento nomine, Germani vocarentur. Primum quod antiquitus Germania vocitata eſt, quæ nunc Francia dicitur. Ita refert diuus Hieronymus: *Inter Saxones quippe & Alemannos gens non tam lata quam valida, apud hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Et Iulius Cæſar veros Teutones, qui duce Ariouiſto Rhenum tranſgreſſi ſunt, nominauit *Germanos*, Recens etiam nomen nego, quantum enim hiſtoriæ vel antiquiſſimę tradunt, & ab eo tempore quo lingua Latina in exteras nationes vagari cœpit, dicta eſt hæc regio Germania. Antiquituſque Germanos Rhenum traductos Belgarum in finibus conſediſſe comperimus. Et Titus Liuius Germanorum meminit tempore Brenni & Senonum in Italia, vnde & eius deriuatio explodi poteſt; nos verum dedimus Germaniæ interpretamentum.

Et vt dicam quod ſentio, Cæſar Auguſtiſſime: quæ eſt natio alia ſub cœlo, vbi tanta tamque ſyncera nobilitas Principum ſit, vti apud Germanos? vbi tot generoſi Proceres? vbi tot fortiſſimi equites? totque animoſi milites? nec eſt item ex vniuerſo terrarum orbe alia natio, vbi ſit tanta populi multitudo, vbi ſit tantum roboris atque animi, id quod etiam remotiſſimis à nobis gentibus eſt in aperto. Silentibus enim nobis confirmat (teſte Ioſepho) Agrippa Rex Iudæorum in contione. *Quis veſtrum* (inquit) *non audiuit multitudinem Germanorum? virtutem quoque & magnitudines corporum, vt arbitror, ſepe vidiſtis. Sed illi quidem ita ingentem ſpacijs regionem incolentes, ſpiritus autem maiores corporibus gerentes & animam quidem contemptricem mortis, indignationes autem vehementiores feris*, &c. Ecce quanta laus ab externis. At quid pluribus moror in re aperta, cum longe maiora reſtet. Quæ eſt demum gens alia, quæ ſuos fines adeo longe lateque in omnes mundi angulos protulerit, vt noſtra? Germaniæ enim fines, vti veteres rerum ſcriptores prodiderunt, ab oriente Viſtula fluuius & Hungariæ limes fuerunt, ab occidente Rhenus, à meridie Danubius, à Septentrione Oceanus & mare Balthicum, quod & Sueuicum appellant. Nunc quantum extra hos terminos, non ſolum victrici manu vagati ſimus, quod cum pluribus populis & Regibus poteſt nobis eſſe commune; verum etiam adhuc poſſideamus, & ea conditione, vt ſe aliud eſſe genus à nobis penitus ignorent, non obſcure datur intelligi. Ab oriente ſæpe cruento marte Hungaros percuſſimus. Noſtra eſt vltra Hungariam regio ſeptem caſtrorum, vt vulgo dicitur, cuius gentes *Iazigas* Methanaſtes, vel communiori vocabulo *Dacos* appellitauit antiquitas. Quod ſi meridiem verſus procedas; Rhetos, Vindelicos, Noricos, hoc eſt, Boioarios atque Alpeſtres circumiacentes: Auſtriam, Stiriam quondam Alpeſque poſſidemus vſque in gremium Italiæ progreſſi, magnaque ex parte Hiſtros & Liburnos, quorum regionem (vt multi exiſtimant) hodie Carni, Croatini & Carinthiani obtinent, in ditionem noſtram redegimus. Sæpe item Ligures & Inſubres, nunc Longobardos denique, quæ eſt & gens à nobis Sueuis originem ducens iuxta Cornelium Tacitum, qui Longobardos inter Sueuos annumerat. Sæpe Thuſcos, Siciliam, Græcos, totamque Italiam cruenta manu contudimus. Nonne maiori ex parte Germani fuerunt, de quibus ſcribit diuus Hieronymus ad Heliodorum: *Horret animus temporum noſtrorum ruinas proſequi. Viginti & eo amplius ſunt anni, quod inter Conſtantinopolim & Alpes Iulias quotidie Romanus ſanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Theſſaliam, Dardaniam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam cunctaſque Pannonias, Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Vandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt.* Longobardi item, de quibus ſupra diximus, Germani, quid egerint in Italia & Gallia (cuius adhuc partem poſſident) neminem latet, & qui ipſi Pannoniam olim occupaſſe prædicantur, expulſis prius Hunorum populis fortiſſimis. Ab occidente nemo eſt qui neſciat quam late noſtrum nomen protulimus, Noſtri ſunt eiectis Gallis quondam Heluetii: noſtri Rauraces, noſtri Triboces, Nemetes, Vangiones, Treuiri, Neruii, Condrui, Menapii, Mediomatrices, Vbij, Eburones, Bataui, Morini, Lepontii, Aduatici, Friſii, Ambiuariti, Maguntiaci, Allobroges, Bethaſii, Leuci, Seduſii, Segni, Sueſii, Nantuantes, Tulingi. Noſtra eſt Britannia, quam Sueui Angli, quorum meminit Cornelius Tacitus poſſidentes, *Angliam* nominauerunt. Et Ptolemæus inter Sueuos *Anglos* ponit. Dicunt alii eſſe Saxones, vti maior pars recentiorum, ſed quibus refragatur venerabilis presbyter Beda, & ipſe Anglicus *in hiſtoria Anglorum*, referens Anglos habitaſſe inter prouincias Vitarum & Saxonum, quorum ager in eorum egreſſu diu deſertus manſerit Hanc hiſtoriam ſi legeris, inuenies luculenter, aliud genus eſſe Anglos à Saxonibus, aliquotque genera Anglorum. Picti item & Scoti Germani ſunt populi. Quod ſi dempſeris Francos & Burgundiones, qui fuerunt Germani, & Germanis oriundi, nomenq; terræ dederunt; totam pene Galliam ſuſtuliſti. De cuius calamitatibus ita loquitur noſter Hieronymus: *Gens Theutonum ex vltimis Oceani atque Germania profecta littoribus, omnes Gallias inundauit, ſæpiuſque cæſis Romanis exercitibus, apud Aquas Sextias Mario pugnante ſuperata eſt.* Idem: *innumerabiles & ferociſſimæ nationes vniuerſas Gallias occuparunt, quicquid inter Alpes & Pyreneum eſt, quod Rheno Oceanoque includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Halani, Hipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & O lugenda reſp. hoſtes Pannonii vaſtarunt. Magontiacum nobilis quondam ciuitas, capta atque ſubuerſa eſt. Vangiones multa obſidione deleti. Remorum vrbs prępotens, Ambiani, Attrebata, extremique hominum Morini, Tornacum, Nemeta, Argentoracum tranſlata in Germaniam. Aquitania, Nouemque populorum Lugdunenſis & Narbonenſis prouinciæ, præter paucas vrbes populata ſunt cuncta.* Quid dicam de Hiſpania? quæ Germanorum fortitudinem multis cladibus ſenſit. Nonne & Sueui noſtri ſub Archadio & Honorio, vaſtatis Galliis Pyreneoque ſuperato Hiſpanias ingrediuntur, omnia vaſtantes ac dilaniantes, tandem in Galecia conſederunt,

runt,ibiq; ſeptem per ordinem Reges habuerunt? Si autem pergas ad ſeptentrionē, noſtra eſt *Pruſſia*,cuius habitatores antea *Hulmerigros* vel *Bructeros* dictos,ex manibus infidelium detrahētes, nobis & Chriſtianæ reipublicæ ciues fecimus. Sunt preterea *Cimbri*,quos nunc *Daunos* vel *Dacos* vocamus: *Sueti Noruegi* & *Gothi*,in vltimis orbis regionibus ſiti,per bellicoſam Germaniam Chriſtianitati donati,quos tamen omnes Germaniæ finibus contineri, conſultiſſimis coſmographis perſuaſum eſt. In *Baltico* enim mari(quod melius *Sueuicum* à Sueuis & Sueuo monte,vt poſt dicam,diceretur)inſulæ ſunt multæ,ipſius Germaniæ & præſertim *Scandinauia* omniū clariſſima, vnde Gothos exiſſe,omnes eruditi inter recentiores ſcriptores affirmant,& *Gotthia* ipſa vel hodie dicitur, vel q̃ magis credibile eſt,cum incompertæ ſit magnitudinis,pars Scandinauiæ eſſe poteſt. De inſulis igitur Sueuici maris,verba Plinii adducemus lib. 4. Nat. hiſto. dicentis: *Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingeuonum,quæ eſt prima. Inde Germania Sueuus mons ibi immenſus,nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum vſq; promontorium efficit ſinum, qui Codanus vocatur,refertus inſulis,quarum clariſſima Scādinauia eſt incomperta magnitudinis,portione tantum eius quod ſit notum Hilleuionum gente, quingentis incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat,nec minor eſt opinione Eningia. Quidam hæc habitari ad Viſtulam vſque fluuium à Sarmatis, Venedis, Scyris, Hyrris tradunt. Sinum Clylipenum vocari, & in oſtio eius inſulam Latrin. Mox alterum ſinum Lagnum,conterminum Cimbris, promontorium Cimbrorum excurrens in maria longe peninſulam efficit,quæ Hauſtiſm appellatur, 23. mille paſſuum. Inde inſulæ Romanis armis cognitæ. Earum nobiliſſima Burcana. Fabaria à noſtris dicta,à frugis ſimilitudine ſponte prouenientis. Item Gleſſaria, à ſuccino militiæ appellata,à barbaris Auſterania. Toto autem hoc mari ad Scaldin vſq; fluuium Germaniæ incolunt gentes,haud explicabili menſura.* Hæc Plinius. Ego vt ad inſtitutum redeam, *Liuonii* maioribus etiā incogniti,in fidem Chriſti & Teutonū dominium conceſſerunt. Quod ſi in vniuerſum noſtrorum illuſtria facta recenſere libet,paucæ ſunt gentes in vaſto terrarum orbe, quæ non aliqua ex parte Germanicum martem ſint expertæ,vel ſaltem noſtrum nomē non formidauerint aliquando. Romani vero terrarum domitores,etſi nobis ſæpe fuerint ſuperiores, nunquam tamen hos ſine cruenta & luctuoſa victoria domum remiſimus,quos & ſæpe vicimus,& memorabili clade affecimus. Teſtis eſt nobis Cornel. Tacit. non Germanus ſed Romanus ſcriptor: *Sexcenteſimum & X L. annum* (inquit) *vrbs noſtra agebat,cum primum Cimbrorū audita ſunt arma Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone oſſ. ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſulatum computemus, CC ferme & X X. anni colliguntur, tamdiu Germania vincitur; medio tam longi æui ſpacio multa inuicem damna,non Samnis, non Pœni, non Hiſpania, Galliaue, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Craſſi amiſſo & ipſo Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit. At Germani Carbone & Caßio & Scauro Aurelio. & Seruilio Cæpione, M. quoque Manlio fuſis vel captis quinq; conſularibus exercitibus. Po. Ro. Varum treſque cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt,nec impune C. Marius in Italia, Diuus Iulius in Gallia, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Inde ocium, donec occaſione diſcordiæ noſtræ & ciuilium armorum expugnatis legionum hybernis,etiam Gallias affectauere,ac rurſus pulſi,inde proximis temporibus triumphati magis quam victi ſunt.* Quare Florus bene dixit: *Germaniam quoque vtinā vincere tantum non putaſſent Romani; magis turpiter amiſſa eſt quam glorioſe acquiſita.* Nonne & Lollius ab Auguſto in Germaniam miſſus,maxima cum infamia bello victus eſt. Et Vannius à Druſo Cæſare Sueuis impoſitus turpiter trucidatus. Quid ſub Galeno & Valeriano Imperatorib. factū eſt: *Germani in omnes Romanorum fines inuehuntur. Alpibus, Rhetia, totaq; Italia penetratis, Rauennam vſq; perueniunt. Alemanni Gallias peruagantes etiam in Italiā tranſeunt. Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulātur. Germani vlteriores abraſa potiuntur. Hiſpania.* Hæc Paul. Oroſ. ad Auguſt. Sed quid de *Vandalis* & *Gothis*,quæ ambæ gentes fuerunt Germaniæ, habueruntq; verā originē à Germanis,qui q̃d in Gallia, Hiſpania, Sicilia, Illyride & in Pannonia egerint bellicoſa manu,nemo eſt qui neſciat. Hi toti Italiæ Romanæq; vrbi (q̃ ſæpius captā ſpoliauerunt diripueruntq;) iugum impoſuerunt,quin potius laceratā ſūt miſerrime. Græcia, Macedonia, Pontus, & Aſia. Gotthorum inundatione deletur Pannonia item & Mœſia & omnis Illyris occupatur. Huniq; ab his victi: Vandali autem omnia per vtraſque Mauritanias Numidiamq; populati ſunt. Carthago ab his capta; immo & tota Africa Ægyptum vſq; & Æthiopiam ab iiſdem late dominantibus occupata. *Huni* ſiue mauis *Hungari* poſtremum longe lateq; prædicātur,nec immerito; quorum nomen barbarusque exercitus, toto terrarum orbe formidabiliſſimus fuit. Tædet dicere quas clades,quæq; detrimenta Illyriis, Thracibus, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, etiam Germanis,cæteriſque nationibus intulerint,ſed à quibus quæſo? non ſemel & iterum, verum ſæpius victi ſunt quam à Germanis. Carolus Magnus ſuis eos in ſedibus hoc eſt,in Hungaria (ſunt enim ab origine Scythæ,vt volunt) percuſſit atque ſuperauit. Pipinus eius filius iterum rebellantes in deditionem recepit. Ottho primus iuxta Auguſtam Vindelicorum ad internitionem pene deleuit. Conradus primus dux Sueuorum *Sclauos*,quos dicunt,& ipſos Hunos compeſcuit, cuius anno primo Huni à Sueuis & Boioariis iuxta Rhenum vincuntur. Heinricus Rex Alemannorum eoſdē apud Merſpurgum,memorabili ſtrage affecit. Henricus Dux Boioariorum capta Aquilegia, Hunos Italiam inuadere conatos prope Iuſtinopolim prælio commiſſo profligauit, atque in Hungariam redire compulit. Henric. II Sueuus in propriis ſedibus vicit,atq; his Regem dedit. Nec te lateat,apud me eoſdē eſſe *Hunos* & *Hūgaros*, vt etiam Blondo viſum eſt,dum inquit: *In hoc vero fœliciores Huni,quod ſoli ex omnibus ſe. populis per terras hinc armata manu nauigantib. prouincia, quam obtinuerunt ſuū dedere nomen.* Pro *Pannonia* enim videmus ſemper poſtea *Hungariam* eſſe dictā; nec hoc incongruum, nam cum dicantur Huni,facile eorum regio in Hungariæ nomen conceſſit,quod niſi ita eſſet, hæc

tantum de Hungaris dixiſſe volo, quos conſtat ferocia animi, Scythicaque crudelitate atque ſucceſſu rerum Hunis nunquam fuiſſe inferiores, qui & ipſi Scythæ ſunt. Et Huni ſiue poſteriori & altero exercitu Scythia profecti, ſiue paulatim (vt fit ſæpe) mutato paulum, vt dixi vocabulo ſic dicti: priores autem Huni vna cum Gepidis ſuis à Longobardis Germanis victi, Pannonia exterminati ſunt, quam illis precario poſtea Longobardi inhabitandam conceſſerunt. Quadi & Turingi primos Hunos ſuaſu Oſtrogotthorum ſuperarunt filios Atilæ duos fratres, qui terrore concuſſi in Scythiam refugerunt, & patriam ſuam. At longum eſſet referre omnino, vt redeam vnde digreſſus, quas intulerint Romanæ reip. moleſtias atq; clades Germani, qui etſi Romanorum fortunæ & fœlicitati aliquando ceſſerunt, poſtea tamen & ipſi de Romanis, de Gallis, de Hiſpanis, de Hungaris atque aliis diuerſis gentibus ſæpenumero triumpharunt. Nec Romani, cum rerum potirentur, res magnas ſine Germanis auxiliantibus peregerunt. Qui enim alii quam Germani vicerunt Pompeium illum Magnum? qui Alexandri Macedonis, Herculis, Liberi Patris acta ſuperaſſe prædicatur. Citetur Lucius Florus, qui de bello Philippico ait: *Nam cum diu æquo marte contenderent Pompeius & Cæſar, iuſſuq; Pompei fuſus à cornu eripuiſſet equitatus, repente à Cæſare ſigno dato, Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, vt illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur, hanc ſtragē fugientium equitatus leuis armaturæ ruina comitata eſt.*

Et ſi liceat veritatem dicere, Imperatores Romani, candidiſſimi triumphi loco duxerūt Germanos Rheno tenus prohibere potuiſſe, ne, vt ſæpiſſime factum eſt, Germani in fines Gallorum Hiſpaniarumque & ipſius Italiæ prorumperent. Nam trans Rhenum nemo eos impune laceſſiuit, nec quiſquam externus feliciter diu apud eos, quantumcunque potentia & multitudine ſtipatus fuerit, regnauit. Obiicietur, ſcio, ſtatim mihi Cęſar, qui res magnas in Germania geſſiſſe prædicatur. At videamus quid geſſerit, inueniemus ſe ipſo referente & ſolos Sycambros adortum fuiſſe, qui cum fugiſſent Cæſarem, paucos dies in eorum finibus moratum omnibus vicis ædificiiſq; incenſis, frumentis ſuccenſis ſe in fines Vbiorum recepiſſe. At quid contra Sueuos geſſerit, referet ipſe idem Cæſar; *Vbiis auxilium ſuum pollicitus, ſi ab Sueuis premerentur, hæc ab his cognouit, Sueuos poſtquam per exploratores pontem fieri comperiſſent, more ſuo conſilio habito, nuncios in omnes partes dimiſiſſe, vti de oppidis demigrarent, liberos, vxores ſuaque omnia in ſyluas deponerent, atq; omnes qui arma ferre regionum earum, quas Sueui obtinerent. Hic Romanorum aduentum expectare, atque ibi decertare conſtituiſſe, quod vbi Cæſar comperit, omnibus his rebus confectis, quarum rerum traducere exercitum conſtituerat, vt Germanis metum iniiceret, vt Sycambros vlciſceretur, vt Vbios obſidione liberaret, diebus omnino 18. trans Rhenum conſumptis ſatis, & ad laudē & ad vtilitatem perfectum arbitratus ſe in Galliam recepit, pontemque reſcidit.* Accipio igitur Cæſarem inteſtem & requiro eius ſcripta quid fecit in Germania laude dignum? fecit pontem per Rhenum multis diebus, ſumma difficultate & maximis impenſis, vt afflictis Vbiis auxilium ferret cōtra Sueuos. At bone Cæſar, vbi audiuiſti Sueuos eſſe congregatos, Romanorum aduentum expectare, atque cum his decertare conſtituiſſe, fugis in Galliam celeriter pontem reſcindens, ne te inſequi poſſent; O miſerum auxilium quod fere Vbiis, quos in ſumma omnium rerum difficultate atq; anxietate reliquiſti. Nunc verum eſſe experiris quod prius dixiſti, *Sueuorum eſſe gentem longe maximam & bellicoſiſſimam omnium Germanorum*; nunc crediturus es Tencatheris, qui apud te dixerunt, *ſeſe vnis Sueuis concedere, quibus ne dii quidem immortales pares eſſe poſſint. Reliquum quidem in terris eſſe neminē, quem non ſuperare poſſint.* O qualem metum, quam paruum iniecisti Germanis tam iſta ſua exercitus traductione. Quod ſi Cæſar de ſe ipſo hæc fatetur, quid ſi quiſpiam ex Sueuis interfuiſſet, remque ad poſteros tranſmiſiſſet, O quam in multis diſſentiret à Iulio? Nemo enim eſt qui non magnifice de ſuis rebus loquatur, multo magis ſcribat, & aduerſariorum quantum poſſit extenuet. Quare Auguſtiſſime Rex, iuſtiſſime conqueror Germanis nunquam animos ſed ſcriptores defuiſſe. At Cæſar conſcientia forſan rerum antea trans Rhenum parum magnifice geſtarum, iterum pontē fabricat atque exercitum traducit, ipſe huius reddit cauſam eſſe, quod Germani auxilia contra ſe Treuiris miſerant, tandem reperit à Sueuis auxilia miſſa eſſe. Poſtquam Sueuos audit eſſe in armis, atque aduentum Romanorum expectare, rem frumentariam prouidet, caſtris idoneum locum deligit, Vbiis imperat, pecora deducant, ſua omnia ex agris in oppida conferant, ſperans barbaros atque imperitos homines inopia cibariorum adductos, ad iniquā pugnandi conditionem poſſe conduci. At vbi deſperauit eos inſidiis circumueniri poſſe, reducto exercitu (vt ipſe inquit) partem vltimam pontis, quæ ripas Vbiorum contingebat in longitudinem pedum ducentorum reſcidit, atq; in extremo ponte turrim tabulatorum quatuor conſtituit, præſidiumque cohortium 12. pontis tuendi ponit, magniſq; eum locum munitionib. firmat. Ecce Vbiis in ſummo diſcrimine poſitis, ipſe reſcindit pontem ex vna parte, & ex alia ne Sueui ſubſequi poſſint, præſidium locat. Vnde factum reor, vt ſucceſſu temporis Vbii à Sueuis oppreſſi & detriti, in vlteriorem Rheni partem conceſſerint, vti nemo dubitat. Quare veriſſime dicit Aeneas Siluius, *Terrarum ille calcator omniū & orbis domitor Iulius Cæſar, quamuis ſubactis Gallis ſæpe Rhenum tranſiuerit, bellicoſam tamen & aſperam Sueuorum gentem dimiſit indomitam* Auguſtus Octauianus, cui & Parthorum & Indorum Reges munera miſerunt, qui vnus omniū Romanorū fortunatiſſimus eſt creditus, ille inquā fœliciſſimus imperator, nec alibi teſte Suetonio, niſi apud Germanos ſuccubuit. nam Lollianā & Varianā cladem in Germania perpeſſus eſt. Lollianam maioris infamiæ q̄ detrimenti. Varianā pene exitialē tribus legionib. cū duce, legatiſq; & auxiliis omnib. cæſis, vnde adeo conſternatū ferunt fuiſſe Auguſtū, vt per cōtinuos mēſes barba capilloq; ſummiſſo caput interdum foribus illideret, vociferās: *Quintili Vare, legiones redde* diēq;

cladis

cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem. quod ſi viginti bellorum libri extarent Plinii Secundi, quæ geſſerunt cum Romanis Germani, pro conf[e]ſſo habeo multa & innumerabilia poſſe reperiri, quæ ad noſtrum decus & ornamentum non mediocriter facerent. quæ omnia intercepit temporum iniuria. Poſtremo ſi fidem volumus adhibere, ſicuti non immerito poſſumus, Goffredo Viterbienſi *in ſuis chronicis*, & quibuſdam aliis fide dignis ſcriptoribus, *Sueui Senones*, quorum meminit Ptolemæus, Strabo, Cornelius, Tacitus, & alii cum Transrhenanis Germanis in Belgarum finibus habitantibus, anno ab Vrbe condita X L V I I. ſupra trecenteſimum duce Brenno, qui & idem Sueuus erat, Italiam ingreſſi ſunt. Romam vaſtauerunt. Subiugatis tamen ante Gallis, & conditis à ſuo nomine Gallis *Senonibus* (Scimus enim pleroſque Gallos eſſe ortos à Germanis, Rhenumque traductos antiquitus, & propter loci fertilitatem ibi conſediſſe) in partem etiam militiæ receptis. Romam incendit pars atq; in Italia conſedit, pars eorum Illyricos ſinus per ſtrages Barbarorũ penetrauit & in Pannonia conſedit, alii Græciã, alii Macedoniam omnia ferro proſternentes petiuere. Hi ſunt Senones qui poſtea *Gallogræci*, poſtremo *Gallatæ* dicti ſunt. Eos autem fuiſſe Germanos luculentum dat argumentum diuus Hieron. li. 2. in epiſtola ad Galatas, qui dicit, *Galatas excepto Græco ſermone, quo omnis oriens loquitur, propriam linguam eandem pene habere quam Treuiros.* Conſtat autem & haud obſcurum videri debet, Treuiros longo tempore ante diui Hieronymi natiuitatem tranſiſſe in nomen nationemq; Germanicam. Hoc primum videtur probare Iulius Cæſar, qui ſcribit *pleroſque Belgas ortos eſſe à Germanis, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſq; qui ea loca incolerent expuliſſe.* Aſtipulatur & Suetonius qui dicit, Auguſtum *Sueuos & Sycambros ſeſe dedentes traduxiſſe in Galliam atque in proximis Rheni agris collocaſſe.* Cornel. item Tacit. *Treuiri & Neruii* (inquit) *circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitioſi ſunt.* Et idem *ipſam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi incolunt, Vangiones, Triboci, Nemetes & Vbii, quibus omnibus proximi ſunt Treuiri.* Et Ammianus Marcellinus, qui ante Hieronymum ſub Iuliano floruit, Coloniam Agrippinã & Treuerim, vrbes eſſe Germaniæ prodidit. Et Cornelius alibi libro 19. tempore Vitellii Treuiros fuiſſe Germanos luculentiſſime oſtendit, his verbis. *Et victæ legiones ne vincente adhuc ciuili bello ambigue agerent per Illyricum diſperſæ, in Britanniam inde & Hiſpanos, nuncios famamque in Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum præfectum cohortis quod hic Treuir, Calenus Heduus, vterq; Vitelliani fuerant, oſtentui miſere.* Nec ego accedo his qui ſcribunt *Sueuos Semnones. Senones* enim in vetuſtiſſimis libris atque etiam in noua impreſſura reperio. Quod autem Liuius & eius ſequaces tantum meminerunt Gallorum, mirum nemini videri debet, quoniam & eo tempore notiores, & proximiores erant Romanis Galli, & Sueui Senones iampridem ingreſſi Galliam ibi ſedem locauere. At ego adoleſcens ne contraire temere Liuio Latinorum hiſtoriographorum facile principi videar, referam ad ſcholam eruditorum, contentus ea dixiſſe, quæ non aliena videntur à veritate, veluti & pleriſque hiſtoricis non ita recentibus viſum fuiſſe ſcio. Sed ne hiſtoriam facere velle videar, neue tuas aures longis ambagibus detineam, Cæſar ſacratiſſime, de bellis Germanorum plura dicere ſuperſedeo, quæ non vnam & eandem paruam orationem, ſed grandia volumina expeterent.

Et ne quid nobis deeſſe videatur, video pleraſq; vrbes & populos origine & vetuſtate gloriari, in quo genere laudis noſtros inprimis excellere liquet, nos enim (vt quidam de Athenienſibus dixit) præter incrementum, etiam origine gloriamur, & honeſtiſſimis initiis. Quippe non aduenæ, neque paſſim collecta populi colluuies originem Germanis dedit, ſed in eodem nati ſolo, quod incolimus, & quæ nobis ſedes, eadem origo eſt, hoc Cornelius Tacitus confirmat; *ipſe eorum* (inquiẽs) *opinionibus accedo, qui Germaniæ populos, nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriã & ſynceram, & tantum ſimilem ſui gentem extitiſſe arbitrantur.*

Quod ſi de vetuſtate quæris inuenies Germanos à Tuyſcone filio Noë, quem alienigenæ Ianum vocitant, ortos & plantatos. Inde Teutones dicti, vulgo Tuytſch, à Tuyſcone, teſtis eſt antiquiſſimus ſcriptor Beroſus ſacerdos Babilonicus, qui refert Noë Ianum dictum ab exordio regni Babilonici, quod cœperat anno à diluuio, CXXXI. miſiſſe Tuyſconem in Europam ibiq; regem feciſſe, addit etiam primum Babilonici regni Saturnum dictum Nymbrotum, quẽ nos Nemrod vocamus, regnare cœpiſſe anno à diluuio, CXXXI. & regnaſſe annis L V I. cuius imperii anno XXV. Tuyſcon Gygas Sarmatas maximos populos fundauit, legibuſque formauit apud Rhenum anno quarto Nini, qui nepos fuit Nymbroti. Regnauit autem Tuyſcon annis C L X I V. ad cuius temporis medietatem non peruenerunt Babilonici Reges, quia *viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos,* vt teſtantur ſacræ literæ, Ex eiuſdem igitur verbis non obſcure intelligemus, *Alemannos* ab Hercule Alemanno vel à Manno filio Tuyſconis dici, quaſi ab alueo hoc eſt, fluuio Manni. *Ale* enim Scythice & *alue*, interpretantur alueum docti Talmudeſtæ, vt dicit Ioannes Annius. *Alemanni* igitur nuncupamur, tanquam habitantes cis alueum & fluuium Manni, & hic eſt fluuius Rhenus. Id quod idem teſtatur Beroſus: *apud Rheni Sarmatas* (inquit) *regnauit filius Tuyſconis Mannus.* Sarmatiã autem Germania in ſe comprehendit, eodem dicente: *In Europa regem Sarmatiæ fecit Ianus Tuyſconem à Tanai ad Rhenum.* nec his accedo, qui volunt nos dictos *Alemannos* à Lemano fluuio, quoniam hic non in Germania, ſed in Gallia Celtica fluit non longe à Rhodano, de quo nihil ad Germanos. Cæteri Alemannos ex *ala magna*, nonnulli ex vulgari *Alman* deriuantes temere hallucinati ſunt. Nec minus illi qui à *Limago* Heluetiorum (qui ſunt Galli) flumine Alemannos deriuant, aut quæ conueniẽtia Alemannorum cum Limago? ſomniare profecto videntur, qui tam impudenter hæc confingere audent, niſi Limagũ prius Lemannum dictũ velint, nulla tamen veterũ auctoritate freti.

At ſunt, Cæſar, & debent merito parua exiſtimari quæ diximus omnia, quoniam peſſimis quibuſque hæc contingere poſſunt. Sed laus optima dicenda eſt quæ à virtute proficiſcitur, in qua nos cunctis gentibus præſtare palam eſt, quæ eſt enim gens alia ſeruantior æqui omniſque iuſtitiæ? quæ conſtantior, quæ tantæ tamque ſynceræ fidei? quo autem noſtri amore & veneratione diuinũ cultum Chriſtianamq; religionem proſecuti ſint, teſtantur non ſolum templa Chriſti ſumptuoſiſſima, Cœnobia vtriuſque ſexus caſtiſſima, aræ innumerabiles, verum etiam illuſtria facta maiorum noſtrorum & bella domi foriſque pro Chriſtiani nominis conſeruatione & incremento ſuſcepta. Quod ſi quis æquus rerum exiſtimator ſecum reputet, quoties pro Romana Eccleſia, pro fide catholica, pro communi denique omnium Chriſtianorum ſalute noſtri Imperatores per totam Europam vagati fuerint, quoties Aſiam ingreſſi eam celebribus iiſdemque crebris victoriis amplecti fidem coegerint, gentilitatemque & infideles conculcauerint & depreſſerint? quæ oppida nationes, regna & imperia Chriſtianitati donauerint? quoties Hieroſolymas & terram ſanctam ex hoſtium fauce vindicauerint? quoties ſchiſma de medio Eccleſiæ ſuſtulerint? quoties Tyrannos & ſummis pontificibus rebelles domuerint, & iugum ſeruitutis impoſuerint? iudicabit profecto nullam ex omnibus terrarum regionibus gentem, quæ cum noſtra de omni laude & meritis in rempublicam Chriſtianam vlla ex parte contendere poſſit. Ne autem verbis tantummodo contendere videamur, pauca noſtrorum merita libet in medium afferre, ſi prius excuſauerim quoſdam imperatores, pontificum fulminanti cenſura notatos, quod factum eſſe tradunt homines non minus fide quam grauitate ſpectati, non tam imperatorum culpa quam pontificum auaritia atq; ambitione. Nam ſi his imperatores, quos ſuo imperio deturbare ſtuduiſſe exiſtimantur, imperium totius Italiæ permiſiſſent, nunquam eſſent ſententia excommunicationis fulminati, quod Blondus alioquin multa pontificibus blanditus, in ſecundo Fœderico oſtendit: *cuius coronationem* (vt inquit) *Innocentius tertius ea ratione renuit facere, quod is magno vir animo, ſicut Othonem prius, hunc quoque pariter quæreret Italia deturbare.* Carolus igitur qui à rerum à ſe geſtarum magnitudine nomen accepit (teſte Vrbano ſecundo, rerum experientia omnibuſque fide dignis ſcriptoribus) natione & imperio Germanus ſimul & Rex Francorum, Saxoniam magnam Germaniæ partem, & latam atq; Phryſiam prius gentilitatis ritu viuentes, ad fidem compulit. Idem multos Pannoniæ populos ſponte ad ſe venientes baptizari fecit. Idem Hiſpaniam, quæ per id temporis perditis ſcelerati Mahumeti ſectatoribus ſeruiebat, occiſis, & deletis Aphris infidelibus Chriſtianitati donauit. Et Carolus Marcellus illius auus Saracenos ad trecenta millia, & amplius interemit. Conradus ſecundus, Fœdericus primus, Henricus quintus Sueuorum Duces, & Imperatores, copioſiſſimos exercitus pro terra ſancta recuperanda, ex Alemania conflauerunt, quibus gentilium terras ſæpe ferro igniique vaſtauerunt, ac in deditionem compulerunt. Præ omnibus autem Imperatoribus formidabiliſſimus fuit hoſtibus Chriſtianorum Fœdericus primus, eiuſque interitus toti Chriſtianæ Eccleſiæ fuit luctuoſiſſimus, cuius ductu fœliciſſimo (niſi mors immatura interueniſſet) impia Turcarum & Saracenorum perfidia, toto orbe (vt ſperabatur) conſtantiſſime fuiſſet vicatim, nedum regionatim, eliminata. Secundi autem Fœderici Imperatoris, animi magnitudine præſtantiſſimi conatus, ideo fuerunt irriti, quoniã (vt ſpectatis ſcriptoribus, & qui iſtiuſmodi ætate vixerunt, viſum eſt) Aſianam expeditionem maximo apparatu exercituq; inſtructiſſimo meditantem, factioſa illa Italia, modo hunc modo illum fouere, ſubitoque deſtituere aſſueta, vel potius ipſe pontifex imperium Italicum agitans, rebuſq; imperatoris, & iuribus, vt dicitur, inſidiatus, coegerit non ſolum à piiſſimo propoſito abſiſtere, verum etiam ſaluti rebuſq; propriis, ſummis viribus conſulere. Sicut aliis nonnullis cõtigiſſe ſcribitur, quorum vires, & conatus ad maiora amplioraq; aſpirantes, Italia rebellans detinuit, variaq; hinc inde factionũ ſtudia eneruarunt. Nam vt tantum dicam de Fœderico illo, de quo mihi iam ſermo eſt: Huius nomen adeo celebre fuit, terribileq; omnibus gentibus, vt Sultanus ipſe Ægyptiorum imper. dum ille inſtructo exercitu terram ſanctam à manu infidelium aſſerturus mare traiiceret, nondum viſo tota Iudæa excederet, illamq; ſola formidine ductus Fœderico libere, & ſine ſanguine traderet, eo tamen fœdere appoſito, ne Ægyptiorũ fines vlterius ꝑgrediendo inuaderet. Quare accepto fœdere, Fœdericus Hieroſolymis totius Iudææ Rex eſt declaratus, & coronatꝰ, adeo glorioſe, vt cum Cæſare non incongrue dicere potuiſſet, *veni, vidi, vici.* At dum (proh dolor) hæc Hieroſolymis agerentur, pontifex imperatorem abſentem contemnens, Siciliam, & Apuliam eius imperio ſubditas ſubiugare, inque ſuam ditionem redigere annixus eſt, & vt iure aliquo, & iuſticia facere videretur, illius cum Sultano fœdus (quod tamẽ ſaluberimum Chriſtianæ reipublicæ fuit) turpe inq; ſuum caput machinatum (quam vere, Deus nouit) criminatus eſt. Ea de re Fœdericus, cũ maxima ſua, & totius populi Chriſtiani iactura, & ludibrio, Iudæa hoſtibus relicta coactus eſt redire domum, propriaq; tutari. Nec me quiſquam hæc commentum eſſe exiſtimet, ſed coætaneos Cæſaris viros grauiſſimos, hæc & maiora ſcripſiſſe non dubitet, de quibus rebus, & nos aliquando plura ædemus, nunc ad reliquos pergemus. Quid præterea prædicem de Ludouico Caroli filio, qui præter alia Chriſtianiſſimi imperatoris opera regem Danorum vna cum ſuis, ad fidem induxit. Idẽ regem Bulgarorum vna cum ſua gente, ad fidem capeſſendam induxit. Nonne & Henricus I. de Saxonum genere, pro fidei Chriſtianæ incremento plurimas gentes conculcauit, præcipue Normannos, & Danos? Et vt in ſumma dicam, quod Liburni, Illyrii, Dalmatæ, Morauii, Poloni, Hulmerigri Chriſtianum cultum ſuſceperunt, & omnem idolorum cultum abiecerunt, nonniſi ſtrenua imperatorum Germanorum vigilia & opera effectum eſt. Nec (ſi omnia proſequi vellem) oratione

parua,

parua,ſed denſiſſimis codicibus opus eſſet, quod non obſcure intelligẽs, ſi cogitabis imperiũ Romanum ob ſola in Eccleſiam Chriſtianam merita,ad Germanos eſſe translatum, quod ad ſingulare noſtrorum decus & ornamentum accedit. Nam etſi Aſſyrios,Mædos, Perſas, Græcos & Romanos aliquando ſibi vſurpaſſe conſtet imperium,ſola tamen libidine regnandi & violentia ſunt adepti,& vt turpiter acquiſierunt,ita turpiter amiſere, inque viliſſimam ſeruitutem ſunt poſtea redacti. Noſtri vero virtute,ac laboribus pro Deo ſuſceptis,digni viſi ſunt, vel vniuerſo Eccleſiæ Romanæ ſenatui,qui imperium orbis agerent,quique quod virtute acquiſierunt, te Rege, te auſpice in æternum ſeruabunt. Tanto igitur ſuperioribus nationibus ſuperiores exiſtimandi ſumus & digniores,quanto præſtat virtus,& religio vitiis,&iniquitati. At illorum gloria ſunt omnes referti libri, noſtros autem omnes pene,& eorum geſta tenebræ occupauerunt ſituſq; obduxit. Quod ſi quædam ab externis,& alienigenis obiter ſunt perſtricta,ſcriptorum tamen affectus,amor,odium,metus,adulatio & id genus alia, quin multa addiderint,multa ſubtraxerint, nemo aſſerere dubitauit.

Ne longe repetamus exempla, libet referre quod tempora noſtra viderunt. Scripſit ante paucos dies quidam hiſtorias Regum Franciæ,nec quicquam in medium protulit, niſi quod ornaret illos,nec vllam eorum mentionem fecit,quæ tu Rex Auguſtiſſime, vel in tenera ætate contra eoſdem fœliciſſime confeciſti. Cur item non repleat omnes annales hoc glorioſiſſimum facinus, omnibuſq; ſeculis memorabile, dum tuo ductu & auſpicio,ſubq; tuis ſignis, vix quingenti milites, & hi quidem nudi, hoc eſt,leuis armaturæ,quos nunc *Haſtarios* vocitant,iuxta Salinas Sequanorum tuæ ditionis vrbem,impetum non ſolum tulerint quatuor,vel (vt alii volunt) ſex millium loricatorum Regis Franciæ,quos *Cataphractos* nuncupamus, verum etiam in turpiſſimam fugam conuerterint,multis eorum occiſis,partim vulneratis. At nos quaſi de induſtria noſtris rebus inuidentes,omnia ſilentio tranſimus.

Quid quod alius nomine Iacobus Bergomenſis monachus, parum probe deſcripſit bellum inter Ducem Auſtrium Sigiſmundum patruelem tuum, & inter Venetos, quos dum plus æquo laudare ſtudet,læſit omnino veritatem,& ſupplantauit. Eſt enim adhuc recenti in memoria quantum gloriæ, quantumue ſplendoris ampliſſimo nomini ſuo pepererit Sigiſmundus ille Dux inclytus eo bello,dum parua manu pauciſque leuis armaturæ militibus memorabili ſtrage affecerit Venetos,ingentiſſimas eorum copias partim ferro delens,partim in turpiſſimam fugam conuertens, adeo vt dum quidam fuga ſalutem quærunt,inter quos fuit & dux militiæ,quem *Capitaneum* video à noſtris vulgo dici,in flumen Atheſim irruentes perierunt. Fuit autem dux Robertus Seuerinas, virtute,vt dicitur,& rei militaris diſciplina inter ſuos ſpectatiſſimus:in cuius marmoreo ſepulchro Tridenti (vbi corpus fuit conditum) legitur:

Ter proceres Veneti bello petiere Tridentum.
Ter victi & victus,ecce Robertus adeſt.

Taceo quæ igne vaſtauerit dux clariſſimus,haud inferior Machabeorum Iuda fortiſſimo, qui parua manu,& inferioribus longe viribus innumerabiles illius Antiochi exercitus toties conculcauit & deleuit. Et Blondus Flauius,adulanter,ne dicam mendaciter Fœdericorum geſta,cęterorumque Imperatorum,qui res magnas in Italia egerunt,vel extenuauit,vel tranſeunter effudit. Taceo de aliis multis.

Deus igitur tandem gloriæ, & rebus noſtris ſingulari quodam beneficio conſulens, dedit te nobis in lucẽ,Maximiliane Rex auguſtiſſime,cuius ductu & auſpicio noſtræ res ſpecioſiſſime poſt longam rubiginem,& ſqualorem tandem claritudine,& ſplendore decorabuntur. Nam & vigent ſtudia,proferunt ſe ingenia & oſtentant,magnumq; prouentum poetarum tua munificentia exuſcitat,quia literatos amas,quia eruditis ſuffragiis. Nec immerito:hi enim tibi cumulatiſſimam gratiam referre queunt de te ſcribentes,& tua præclara facinora celebrantes. Quod ſi beatos exiſtimauit antiquitas,quibus deorum munere datum eſt,aut facere ſcribenda,aut ſcribere legenda;beatiſſimos vero,quibus vtrunque: iure te beatiſſimum ſimul,& laudatiſſimum prædico, qui præter tot res fortiter geſtas,inter tot curas,negocia,tot domeſticas, & externas rerum maximarum occupationes,audire vis quotidie quippiam hiſtoricon,ac memorabile,immo vero tu ipſe diceris conſcribere hiſtorias,& illuſtrationem Germaniæ ſummo ſtudio meditaris,non inferior Iulio illo Cæſare, quem vel ideo ſummis laudibus effert antiquitas,pluriſq; quam alios imperatores ac principes fecit,quod præter publica prætoriaq; negocia animum etiam ſcientiarũ ſtudiis adhibuerit,quod & tu egregie de te præſtitiſti. At vt aliquando finem orandi faciam,ne nimiũ tuas pientiſſimas aures lædã, Rex ſacratiſſime tua cantata longe lateq; humanitas, atq; beneuolentia in omnes ſtudioſos me inuitauit,vt nonnihil à tua maieſtate veniam petiturus, hoc vnum ſcilicet, vt ſim maieſtati tuæ commendatus,quod ſi conſecutus fuero,me Crœſi diuitias habere exiſtimabo, Et tibi (tametſi nullam aliam remunerationis vicem exigas) hoc de me polliceri poteris, Rex optime, vt ſi quid mea carmina vnquam poſſunt,ſemper nomen tuum,laus, & gloria maneant, & nunquam intermoritura. Dixi. Ex Inſpruck. M. D. I.

V.

DEMONSTRATIO, QVOD GERMANI SVNT INDIGENÆ, AVTHORE HENRICO BEBELIO.

AD DOCTISSIMVM, SIMVL DISERTISSImum virum, Petrum Iacobi Arlunenſem, Eccleſiæ Collegiatæ Backnaugenſis Præpoſitum Canonicum Stutgardianum, Henrici Bebelii Epiſtola.

CVM nuper ad noſtram orationem Regiam plurima addidiſſem, Petre, vt te pariſſime laudem, Germanorum omnium diſertiſſime, inter cætera adieci, & Germanos eſſe indigenas, quod cum pellegiſſem Æneam Syluium *in ſua Europa*, & quaſdam alias triuiales, & plebeias hiſtoriolas, inueni in illis Francos eſſe gẽtem aduentitiam & Saxones, quod noſtræ omnino nõ quadrat hiſtoriæ. Quare congruum putaui nonnihil ad defenſionem meam ſuper hoc commentari, ne à quoquam mendacii & hiſtoriarum ignarus incuſari poſſim. Non licebat autem orationi adiungere, creſceret enim tandem in magnum volumen, nec cohærent adeo quæ addimus vel etiam ante addidimus: vſque adeo nihil eſt, quod non aduentitia mixtione non corrumpi ſoleat. Tibi autẽ præcipue dedicauimus, eo animo, vt examines, & iudices, recte nec ne ſentiam de iſtis, quos dicam, populis, cum ſis multiiugis ſtudiorum exercitamentis eruditiſſimus, & qui iam diu primas omnium ſuffragio partes in eloquentia, hiſtoriis cæteriſque humanis & terſioribus literis vendicaſti, perſpicuum hinc argumentum quod ad Hiſpanias, Britannias, cæteroſque Reges clariſſimos à Cæſare noſtro Maximiliano ſumma cũ laude tua orator mitti ſoles. Oro igitur atque obſecro pro tua inſita in ſtudioſos humanitate, tuo corrigas iudicio, quæ minus bene, & perperã nobis obrepere potuerunt *neſcio* enim *quo modo*, vt Ambroſius ſcribit. *propter imprudentiæ caliginem, quæ nos circumfundit, vnumquemque fallunt ſua ſcripta* & aurem prætereunt, atque vt filii etiam deformes (*quis enim filius non formoſus matri?* iuxta Quintilianum) delectant, ſic ſcriptorem indecori ſermones ſui palpant. Quare tu iuſto libramento trutinabis has noſtras lucubratiunculas, & errores cultiſſima tua eruditione exterminato. Vale.

GErmanos eſſe autochthones, hoc eſt, indigenas, præter cæteros affirmat Corn. Tacit. qui dicit: *Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus & hoſpitiis mixtos, quia nec terra olim ſed claſſibus aduehebantur, qui mutare ſedes quærebant, & immenſus vltra (vtque ſic dixerim) aduerſus Oceanus raru ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris Aſia, aut Aphrica, aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, aſperam cælo, triſtem cultu aſpectuque, niſi ſi patria ſit?* Hodie tamen, O Corneli, Germania eſt, non ſolum non informis terris, & triſtis aſpectu, verum etiam cultiſſima, vineiſque & omni fructuum ſegetumque genere & conſpicua & fœcunda. *Vnde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero idem omnibus truces, & cerulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora*, &c. Hæc ille. Soli igitur pene ſumus ex omnibus terrarum nationibus, qui ſine aduenarum mixtura regnauimus, & à conditis monumentis ſine iugo ſeruitutis externorum late regnauimus, atque vicinis circumquaque imperitauimus, quod vix vllis populis à condito æuo per totum terrarum orbem contigit. nam, vt paucos annumerem: Vmbri olim à Tyrrhenis eiecti, Tyrrheni à Gallis, Galli à Romanis, Romani à Longobardis, &, vt Seneca dixit ad Albinam de conſolatione: *Totum Italiæ latus quod inferiori mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuſcos Aſia ſibi vendicat, Tirii Africam incolunt, in Hiſpania Pœni, Græci ſe in Galliam immiſerunt, in ſe Græciam Galli, Pyreneas Germanorum tranſitus omnino inhibuit, vix denique inuenies vllam terram, quam etiam nunc indigenæ colant.* hæc ille. Aſſyrii inſuper, vt oſtendam omnium gentium præter Germanorum imperia corruiſſe, licet olim imperium habuerint, Mœdi, item Perſæ, Macedones & Græci, reſque magnas & egregias geſſerint, paulo poſt tamen in ſeruitutem ſunt redacti. Immo & hodie immaniſſime Turcarum libidini, & dominationi ſunt expoſiti. Romani quondam domini dominorum, hodie ſerui, & ſeruo ſeruorum ſunt ſubiecti, totaq; cum illis Italia. Vandalorum, Gotthorum, Longobardorum, & cæterorũ, qui Italiã ingreſſi ſunt quaſi poſteritas Gallorũ, nõ Imperiũ, & potẽtia modo, verum etiã nomen deletũ eſt, atq; in Frãcos Germanos translatũ. Soli Germani (in quo ſingulariter gloriari poſſumus) à nullis nationib. pulſi patria, nullis cedẽtes, nullius exteri dominiũ paſſi, nullũ occupatorẽ ſuſtinẽtes ſemp regnauim⁹. Quod ſi aliqñdo fortunæ ceſſerimus, nemo tamẽ apud nos diu fœliciter regnauit, & noſtræ inuicẽ ſimul fœlicitati, & virtuti ceſſerũt oẽs aliæ gẽtes. Hoc Romani, pſer-

um

tim Iulius & Auguſtus gentium domitores, terrarumque domini cum ſua iactura didicerunt; hoc Druſus Germanicus, qui à Germania (vt ipſi dicunt) deuicta nomen accepit, reſque omnium præclariſſimas atque fœliciſſimas apud Germanos confeciſſe famigeratur, morte expertus eſt. Quare elegantiſſime ſimul, & veriſſime cecinit Claudianus poeta:

Nobilitant veteres Germanica fœdera Druſos,
Marte ſed ancipiti, ſed multis cladibus empta.
Quis meminit victum ſola formidine Rhenum?

Hoc item Huni ſeu Hungari potius immaniſſima toto terrarum orbe gens, ad internitionem in Germania deleta cognouit. hoc omnes experti ſunt, quicunque Germanis bella inferre attentarunt. Quæ cum ita ſint, nemo perſuadebit mihi à tempore Cornelii Taciti aliquam exteram gentem, prioribus incolis deturbatis Germaniæ incubuiſſe.

Nunc mihi certamen eſt cum quibuſdam plebeiis Francigenarum hiſtoriis, & quibuſdam aliis aſſentatoribus, vt videtur, qui vel Germanorum laudi inuidentes, vel vetuſtæ originis cupidi, vt fert mortalium ambitio, Francorum ortum à Troianis auſpicantur, quibus nulla fides, nulla recepta hiſtoria ſuffragatur, quoniam Francorum nulla omnium hiſtoricorum mentio fit, niſi in limbus Germanorum. Nullo igitur modo probatur mihi Æneas Siluius *in ſua Europa.* Primum quod nullam de Sueuis, vel pauciſſimam facit mentionem, quos Oroſius *maximam & ferociſſimam* dicit eſſe *gentem.* Cornelius Tacitus *maiorem Germaniæ partem obtinere, propriis adhuc nationibus nominibusq; diſcretos.* Iulius autem Cæſar. *gentem eſſe longe maximam, & bellicoſiſſimam Germanorum omnium.* & quorundam item aliorum Germaniæ populorum, & quidem præſtantium non meminit. Secundo refragor omnino eius opinioni, dum longam connectit fabulam de Francis, dicens eſſe *Troianos ab origine, qui deleto Ilio duce Priamo Priami ex ſorore nepote, per pontum Euxinum, ad Mæotidos paludes in Scythiam peruenerint ibique ciuitatem ædificauerint. Sycambriam vocitantes, ex qua dicti Sycambri fuerint, demum tempore Valentiniani Cæſaris Germaniam intraſſe, & Francos appellatos, quod Attica lingua ſiue feroces ſiue nobiles ſonat.* Et alibi; *Saxones Græcam ſobolem eſſe affirmant, ex Macedonia claſſibus aduectam, quæ Thuringos multis bellis defatigatos paternis agris eiecerit, quod mihi* (inquit) *non ſit veriſimile. Eſt enim vetuſtiſſimum in Germanica terra Saxonum nomen, cuius omnes veteres meminere. Turingos nemo antiquorum nominat, qui Germanicas gentes enumerant. in aduentu primo Francorum, qui tempore Valentiniani Cæſaris Germaniam intrauere, Turingos nominari reperio.* hæc Siluius. Cui ego non detractionis, aut gloriæ cupiditate, ſed amore, cui nihil non debeo, patriæ ductus, contradicam, & à quo patria me Germania iure meritiſſimo pro ſua defenſione diſſentire poſtulabit, cui non nihil laudis detraheretur, ſi hæc quæ relata ſunt vera eſſent. Primum nemo ſcriptorum, quod ego ſciam, vllam facit mentionem Sycambrorum apud Mæotidos paludes in Scythia, nec item Francorum, nec *Francus* eſſe exiſtimo Atticam dictionem, quoniam præter cætera Attici non habent F litteram. At ne Æoles quidem illius litteræ inuentores vtuntur. Vnde Græcum eſſe vocabulum non facile inducar. Alii *Francos* dicunt, quaſi *feroces*, integre loquendo, quod paulo tolerantius eſſet. *Francia* etiam noſtra *orientalis* dicitur: hi autem qui in Gallia conſederunt, non Franci, ſed *Francigenæ* potius eſſent nuncupandi, vti eos appellat Roſuita monialis Saxonica, vel *Franci occidentales.* Quod autem genus Troianorum ſint Franci, ex Scythiaque progreſſi, commentum anile, ſordidamque fabellam exiſtimo, & excogitatum ab hiis, qui de magnis maxima loquuntur, & in fauorem illorum qui ſuam originem vetuſtiſſimam atque etiam quondam nobiliſſimam volunt prædicari. Quod, etſi quidem Manethon Ægyptius antiquiſſimus dicat, vel (vt alii exiſtimant) à quibuſdam in errorem ſuum deprauatus fingatur dixiſſe, *Francum* Celtis imperaſſe ex Hectoris filiis, attamen nihil mihi obeſſe debebit. Præter enim hoc quod nec Vincentius Gallus parum diſertus hiſtoricus concordat Æneæ Siluio, nec hic cæteris, nec cæteri inter ſe: Illud eſt nemini obſcurum, Francum, etſi regnauerit apud Celtas aliquando, nunquam tamen in gentem Celtarum nomen ſuum transfudiſſe, poſteritatique indidiſſe, quoniam nullus nec Græcus nec Latinus, aut Coſmographus, aut hiſtoricus (quantum ego legiſſe potui) Francorum meminit in Gallia, niſi tum demum illorum, qui ex Germania profecti totam Galliam inundarunt circa Valentiniani tempora, adeo vt inter Francum illum qui Celtis imperaſſe dicitur, & Francorum in Galliam tranſitum, anni plus quam mille & quadringenti ſint exacti. Dimiſſis igitur fabulis, Blondo Flauio aſſentior homini non Germano, ſed Italo, qui dicit (ſicut & plerique alii) Francos, Vandalos, Burgundiones, omnes vetuſtam originem habere ex Germania, deque quibuſdam Plinium citat in quarto naturalis hiſtoriæ, ex traditione Agrippæ dicentis; *Germanorum genera eſſe quinque Vandalos, quorum pars Burgundiones*; vbi nunc perperam *Vindelici* legitur, & male meo iudicio, quoniam paulo ante idem Plinius *Vindelicos* alpium accolas extra Germaniam collocat, hiſque conterminos *Rhetos* non meminit inter Germanos ſed Alpeſtres. *Germania* etiam *omnis*, teſte Cornelio Tacito, *à Gallis Rhetiisque, & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus ſeparatur.* Vnde extra Germaniam Vindelicos habitaſſe perſpicuum eſt: tametſi iam diu & multis ante ſæculis in nomen nationemque tranſiuerint Germanicam, ſicut & Rheti. Sunt autem *Vindelici* (quos hodie *Algoios* vulgo nominamus, vel potius *Algeos*, vt alibi dixi) ad quos (vt Strabo dicit) Brigantij pertinent.

Quod autem dicit Siluius, eſſe vetuſtiſſimum in Germania *Saxorum* nomen, cuius omnes veteres meminerint: *Turingos* autem tempore Valentiniani primum nominatos, non me riualem, & coaſſertorem habebit, quoniam Saxones non legi, niſi tum demum tempore Diocletiani, vel ſub Veſpaſiano, vt meminit Egeſippus. Turingi autem, teſte Cornelio Tacito, in exercitu fuerunt Vitellii Romanorum imperatoris, qui Germanicas legiones habebat in Gallia, à quibus & imperator ſalutatus eſt, ante Saxones nominati.

Cum igitur nec aduentus vllus Francorum ſciatur, quippe quos conſtat eruditorum iudicio eſſe indigenas Germaniæ, nec de Sycambris hiſtoria Æneæ quadret, quoniam quidem nullosq; vnquam legimus fuiſſe in Scythia, & item illud nomen, ſicut nec omniũ ferme Germanorũ, recens ſit: nemo mihi perſuadebit gentem eſſe aduentitiam, ſicut nec alios Germaniæ populos, quorum pariter nomen recens eſt. At quod plus de Francis quam aliis fabulatur, fecerunt bella eorum plurima, quæ gentem maxime recentis famæ extollere, & nobilitare inprimis ſolent, quoniam prius ignota & humilis in magnam homines admirationem adducit. Merum igitur commentum exiſtimo, & eo libentius etiam, quoniam nullus eſt fere populus, excutiendo etiam veteres hiſtorias, qui non vetuſtam, vel à longinqua aliqua regione (& in primis Francigenæ, qui vel ſuberbiſſimi exiſtimantur) originem prætendere gaudeat. Præſentia etenim ſordent vſque adeo, vt nulla fere ſit nobilitas apud Italos hodie, quæ non ſuos maiores Germania oriundos prædicet, econtrario nobiliſſima quæque familia Germanorum, ſuum ortum à Romanis auſpicatur.

Sed quod *Germania* quondam, nunc (vt exiſtimat Hieronymus) *Francia* vocitetur, mirandum non eſt, cum nulla natio ex tota Germania (quamuis plurimas enumeret Plinius, Strabo, Ptolomæus, Cornelius Tacitus & alii) ſuum nomen antiquum retinet, præter vnos *Sueuos* & *Friſios*, quos poſteriores Plinius & Tacitus celebrarunt, & nemo, quod ego ſciam, vetuſtior. Vnde venerunt quæſo, quos hodie vulgo *Hegoios, Algoios* vel *Algeos*, *VVirtenbergenſes, Badenſes* dicimus? vnde *Briſgaudii* (*Briſacogeani* melius) *Sungaudii*? vnde *Miſnenſes, Sleſitæ, Heſſi*, vel *Haſſones*, vt nunc dicimus? vnde *VVedreſſi*, *VVeſtuali*, *Pomerani*, *Luſatii*, & alii non pauci? quorum nemo ex ſcriptoribus meminit. Vnde perſpicis maximam eſſe in Germania nominum mutationem, quod fere ſolet fieri, dum gens aliqua, etſi primo tenuiſſima & humilima, poſtea tamen rapinis, prædationibus, vel iuſtis etiam bellis cantata, accipit vel à caſtro, oppidoue aliquo humili, vbi primum ſe continuit, vel a duce nomen, ſicut *VVirtenbergenſis* hodie florentiſſimus apud Sueuos Ducatus, à montana & vnica arce nomen accepit, vel potius arx & tandem regio ipſa, à regulis nobiliſſimis tamen cognominata eſt. Sicut Marchionatus *Badenſis* ab oppido *Baden*, & *Miſnenſis* à *Miſna*, apud maiores adeo vetuſtos, in nullo neque nomine neque memoria. Sicut etiam Alpeſtres illi, quos vulgo *Suiceros* vocamus, ſedes (vt volunt) Heluetiorum habitantes, à *Suitz* agreſti viculo videntur non obſcure appellati. Nam quod ad Suedos populos ſuam originem referunt, nihil mihi fabuloſius exiſtimatur. Ante ducentos etenim annos in nulla exiſtimatione habiti ſunt, verum paucos ante annos, à cæde ſuorum dominorum. famam vel potius infamiam auſpicati, in magnam gentem & potentiam coaluerunt; poſt hoc aliis laceſſiti bellis egregie reſtiterunt. Nec mirum videri debet: maximis enim fluminibus altiſſimisque & natura munitiſſimis montibus ſepti, expugnari difficilime poſſunt, & ſicut aſperam, inclementem & triſtiſſimam maiori ex parte habent regionem, ita gens eſt efferа, agreſtis, pertinax.

Saxones autem fuiſſe Macedonas quis credat? quis enim Græcia relicta Germaniam peteret? At non perſiſto vlterius in multa refutatione, quoniam & ipſe Æneas contradixiſſe videtur, & credibile non eſt, tantam tamque ampliſſimam Saxonum nationem, & tam multa ditione præditam, linguam tam cito moresque Germanos induiſſe.

Hinc etiam quod *Franci, Turingi. Saxones*, & poſtremum *Boioarii*, quos nunc *Bauaros* vocamus, & alii ſint indigenæ, illud eſt non omnino leue argumentum, quod nullum penitus monumentum, nulli annales, nec vllius alterius linguæ, quam Germanicæ ſignum vel veſtigium appareat per Germaniam. Nec *Bauari* mihi ab *Auaribus* deſcendiſſe videntur, ſed potius à *Boiis* nomine, vnde & *Boiemi*, quamuis mutatis cultoribus, vt Tacitus dicit. Boii enim in deſerta Noricorum conceſſiſſe prædicantur. Et Roſuita monialis, quæ tempore Otthonis ſecundi claruit, Bauaros appellitauit *Baioarios*; & Hungaros hodie, *Auares*, ſicut & Otho Sueuus, hiſtoricus clariſſimus. Nec hoc abſonum, facilime enim *Baioariorum* in Bauarum nomen, cauſa breuitatis vel corruptione potius, eſt mutatum.

Sunt igitur Saxones, vt à diuerticulis redeam, origine Sueui (quos conſtat citra & vltra Albim fluuium ſedes habuiſſe) qui & ipſi Saxones, paulatim (vt fit) in proprium nomen & potentiam coaluerunt, ſicut & nunc Wittenbergenſes. Nec hoc incongruum, aut à veritate alienum videri debet: quoniam credibile non eſt, tantam tam innumeroſiſſimamque Sueuorum nationem, vno aliquo nomine fuiſſe contentam, quæ hodie multo arctioribus clauſa limitibus, multa priuata habeat nomina, apud priſcos ignota, id quod obſcurum eſt nemini. Volo autem eſſe Sueuos, ex hoc maxime fundamento, cum Saxones ſint indigenæ habitatores antiquorum Sueuorum, quis dubitat, ſicut ex Germanis (teſte Hieronymo) Franci cognominati ſunt, ita ex Sueuis Saxones factos, à duce vel familia, prælertim propter differentiam hodiernæ Sueuiæ. Vnde ego plura dicere ſuperſedeo, contentus vera & veriſimilia, non figmenta dixiſſe. Vale candide lector, Ex Tubinga.

PARS XI.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS ET CONSVLTATIONES POLITICAS ET IVRIDICAS,

de ſuperioritate, præcellentia, prærogatiua ac priuilegio Imperatoris, Regis, ac Imperij Germanorum.

CVM RESPONSIONIBVS AD CRIMINATIONES & oppoſitiones tam Italorum, quam Gallorum, qui Romano-Germani Imperii gloriam, & Regis Romanorum prærogatiuam diſputare ac controuertere cœperunt.

APO-

I.

Anno Domini 1508.

APOLOGIA HENRICI BEBELII IVSTINGENSIS SVEVI, PRO MAIESTATE ET PRÆCELLENTIA IMperatoris & Imperii Germanorum, contra Leonhartum Iuſtinianum Venetum Imperatoris nomen extenuantem, Coronationem Regum noſtrorum inceſſentem, atque Germanos barbariæ ob id inſimulantem.

CLARISSIMO VIRO ET IVRISCONSVLTO PRVdentiſſimo, Gregorio Lamparter, Cancellario Illuſtriſſimi Principis † noſtri, Henricus Bebelius Salutem dicit.

† Ducis VVirtembergenſis.

SI omnium vel gentilium ſuffragio, eos ſummis celebrat laudibus antiquitas, certiſſimumque illis in cœlo locum definitum vult, qui pii in patriam, conſilio vel armis Rempubl. ſunt tutati: Si item non tam teſtimonio ſcriptorum, quam ratione fortiter pugnandum pro patria videatur: ſi poſtremo mors omnium ſpecioſiſſima prædicatur, imo *glorioſa & beata* (vt Cicero dicit) *eorum, qui pro patria mortem obierunt*; & Codrus Rex Athenienſium, duoque Decii, innumerabilesque alii maximis ideo efferuntur laudibus, quod ſe patriæ Saluti deuouerint. Si contrario hi, qui in patriam deliquerint atque conſpirauerint, impii parricidæque ſumma cum ignominia appellitantur, in eosque duriſſimis legum cenſuris fœdiſſimoq; cruciatus genere eſt animaduerſum: quis iure hoc meum factum improbare poteſt, quod patriam meam Germaniam iniuriis prouocatam, defenſare conabor? Cum igitur Leonhartus Iuſtinianus Venetus (cuius nec mores, nec vitam, nec eruditionem carpere mens eſt) in Germaniam, Imperatorumque Germanorum amplitudinem, & coronationem intemperanter inuehatur: quis non mihi Germano conceſſerit? quis conuenire non viderit? quis poſtremo hoc à me patriam meam iure repetere poſſe neget? vt eo pro virili portione eius honorem atque maieſtatem tuear? nemo ita deſipit, vt non credat. Quare cum ſim in eam vocatus conditionem, vt Dii immortales potius occaſionem quam mentem armis defendendi patriam negauerint, vt pius, vt gratus in illam non obſcure iudicer, quicquid & quantulumcunque eſt in me ingenii & eruditionis (quod ſentio perquam exiguum eſſe) ad eam non ab iniuria modo vindicandam, ſed ornandam etiam, ſi poſſum, cunctis viribus conabor. Quod ſi hic vel alibi contra Venetos vel Francigenas Germaniam inceſſentes, paulo commotius ſcripſero, Deus immortalis ſit mihi teſtis, me id non ſtudio mordacitatis aut propriæ laudis, verum ſolius patriæ amore (cui me omnia debere ſuperius declaraui) feciſſe, & eſſe aggreſſum. Hoc enim poſſunt conſiderare omnes hi, qui nouerint me ſcripſiſſe contra Venetos & Pariſianos, quibus me in omni liberali diſciplina, omnique genere eruditionis, non ſolum non æquandum exiſtimo, ſed etiam non niſi longiſſimo interuallo eorum veſtigia conſecuturum ſpero. Non enim tantum mihi arrogo, vt in claſſes illorum virorum referri cupiam. Vnde ſtultiſſime facerem, ſi me laudis & gloriæ aut mordacitatis etiam libidine illis opponerem, quibus me prædam, mala fretus cauſa, obiicerem. Nam dum ad gloriam niterer, omnibus eſſem futurus ludibrio, ſed iuſtiſſimæ cauſæ meritis & veritate innixus & fretus, nullam inuidiam non ſubeundam, nullas inimicitias declinandas, dum patriæ conſuluero, exiſtimo: nec ſine exemplo. Nam, vt Cicero eleganter dicit, quis eſt tam tenui cogitatione præditus, cuius animus tantis inuidiæ anguſtiis continetur, qui non hunc hominem ſtudioſiſſime laudet, & ſapientiſſimum iudicet, qui pro ſalute patriæ, pro incolumitate ciuitatis, pro reip. fortunis, quamuis magnum atque atrox

atrox periculum, ſtudioſiſſime ſuſcipiat & libenter ſubeat? Vtinam ſi quis reſcribere velit, me viuo faciat, vbi defendendi tam mei quam cauſæ facultas tribueretur. Sed ſpero conſtanter, hoc meo exemplo plures in Germania æmulationis ſtudio iri excitatum, qui hoc meum honeſtiſſimum propoſitum, & Germaniæ defenſionem & patrocinium ſint ſuſcepturi, vt non tam facile paſſim quilibet abſque rerum meritis, in nos Germanos illotis buccis debacchetur. Tibi autem, Cancellariæ, non tam iuris vtriuſque quam omnis eruditionis conſultiſſime, hanc noſtram Apologiam ſingulariter conſecrandam putaui atque dedicaui, vt non ſolum eruditione tua incredibili, quaque præ cæteris es famigeratus, hoc pulſi mum propoſitum defendendi patriæ honoris adiuuates: verum etiam cum pro tuis in me meritis ampliſſimis humanitateque ſingulari, omnia me tibi debere intelligam, volui te his meis chartaceis muneribus honorare vt intelligas me pro virili mea paratum tibi gratificari, in quibuscunque rebus mihi poſſibilibus te delectari exiſtimem, cumque non mediocriter ames humaniores iſtas literas, nec ſis alienus à Gratiis atque Muſis, vt eſt in prouerbio veterum, tibi dedicaui hanc Apologiam, quam dum nihil agere & feriari volueris à maximis & Ducalibus negociis (quibus dij boni ſumma cum integritate, ingenii acrimonia, ſingulari memoria atque prudentia præes) legito, & me commendatam habe, Vale. Tubingæ, Kalendis Iuliis. M. D. VIII.

Apologia Henrici Bebelij pro defenſione Imperatorum contra Leonbardum Iuſtinianum.

IMperator nunc eſt, qui ſummam habet & abſolutam poteſtatem, & cui monarchia aſcribitur. Nec ſum neſcius, Imperatorem appellari ſolitum à ſenatu olim Romano, vt Cicero *in Philippicis* teſtatur, qui mille aut duo millia externorum hoſtium occidiſſet. Scio præterea, ductores exercituum & præfectos copiarum militarium, imperatores fuiſſe ab hiſtoricis appellatos: Ita tamen, vt ſemper imperator inter ſuos maximus eſſet Sed nunc, ſicut Regna & Imperia (ſicut omnia in mundo patiuntur viciſſitudinem) ita nomina etiam magiſtratuum mutantur. Et Imperatorem vocamus, cui ſumma rerum commiſſa eſt.

At Leonhardus Iuſtinianus Venetus, hanc imperatoris ſummam poteſtatis appellationem improbans excandeſcenter & acerbiſſime inuehitur in Germanos Imperatores, in epiſtola ad Cyriacum ſuum dicens: *Admiratum te dicis, in hoc nouo Sigiſmundi Principis aduentu, quod qui ante coronationem ſe Regem ſcriberet Romanorum, poſt coronationem vero quaſi maius quiddam & dignius exprimere volens, Imperatorem ſe nuncupabat, non Regem, quod tu perperam factum arbitraris. Itaq. te id reprehendiſſe ais, & quæris à me, num idem ſentiam quod tu, an contra putem. Ego vero in his & in alijs permultis plurima quotidie mihi videor errata cognoſcere. Sed vtor Democriti regula: rideo enim illa, non fleo. Quid enim mea refert, quemadmodum barbari loquantur, quos neque corrigere poſſum ſi velim, neq. magnopere velim, ſi poſſim. De Rege tamen & Imperatore idem ſentio quod tu, & iam pridem videns barbariem iſtam, hoc ipſum notaui atque redargui. Tres enim gradus maiorum dignitatum apud Romanos de quorum Principe loquimur, fuere: Rex, Dictator, Imperator. Ex his ſuprema omnium poteſtas Rex eſt, poſt Regem vero ſecundum tenuit dignitatis locum Dictatura, poſt Dictaturam Imperium. Imperium tertio gradu conſequitur.* Poſt multas rationes, quas adducit, tandem concludit: *quare hanc barbariem quaſo cum ſua ignorantia valere ſinamus & nos antiquis doctiſſimorum virorum ſcriptis, quod vnicum eſt refugium, oblectemur, non curioſi quid agant iſti, aut quemadmodum loquantur.* hæc ille. Eodem in errore verſatur Robertus Valturius *de re militari*, & Antonius Florentinus, hiſtoricus parum diſertus, vitæ tamen probatioris, cuius vicem ego non parum doleo, quod non tantum cum ſuperioribus erret, verum etiam (neſcio incuria ne an odio) ſtomachoſus ægre ferat, *Italos eſſe tam ignauos, vt ſuum ſibi imperium non vindicent quaſi in libertatem, deturbatis Germanis*: dum ſcire debebat optimus pater, Germanos non eſſe inuaſores imperii tyrannice, ſed legitime, maturaque deliberatione atque ſano conſilio Romanæ Eccleſiæ electos eſſe, Romanumque imperium obtinuiſſe.

Sed vt huic ſolum acerbiſſimæ inuectiuæ paucis reſpondeam, ſi omnia ad antiquitatem vis redigere, Leonharde, immerito vt alia prætereum, vocas *Reges modernos* aut *Sereniſſimos*, quoniam nec ſeptem Reges, nec apud Iulium aut Ciceronem inueniſti, aut *modernos* aut *ſereniſſimos Rex*, ſed mitto iſta.

Secundo, ſi error eſt dicendus, imperatorem eſſe ſummæ & Regalis poteſtatis: non incuſabis Germanos, ſed Romanos & Græcos. Poſt Iulium etenim non inuenies, quenquam Romanum Principem ſe Regem aut Dictatorem nuncupaſſe, ſed *Cæſarem, Auguſtum & Imperatorem*. Cur Caligula & Nero, intoleranda ſuperbia atque luxuria notati, ſi tam humile nomen eſt, non ſe Reges potius? aut quod optime fuiſſet conceſſum, Dictatores nominauere? qui ſibi diuinitatem arrogare non erubuerunt? nam cum Caligula diadema regium, teſte Suetonio, ſumere, ſeque regem eſſe propoſuiſſet: nonne admonitus ſe regium faſtigium exceſſiſſe, diuinam maieſtatem ex eo aſſerere ſibi cœpit? Sed tu omnia ad priſcam denominationem reuocare vis, nec Cæſares dici admittis Romanorum imperatores, quod ante Iulium nemo pro ſumma poteſtate poſuit. Sed ab ipſo Iulio, omnes Romani principes ſic ſe appellari voluerunt, cum nihil faciat ad regiam poteſtatem Cæſar, & ab vno Auguſto, omnes Auguſti, cum pariter Auguſtum, id eſt conſecratum, non multum conueniat cum regno. Quare ſi admiſeris, ſicut cogeris, ſcriptorum fere omnium ſuffragio, Cæſarem & Auguſtum appellari eum, cui ſumma & abſoluta ſit poteſtas, cur non Imperatorē?

qui

qui elegantiſſime, ſignificanter & merito iure ab imperio Romano, vt à doctiſſimis dicitur, *Imperator* nominari debet? præſertim cum huius ſignificatio conformis ſit, & illorum violenter per ſolum populi conſenſum ad hoc trahatur. Si dixeris, quia Romulus & alii ſucceſſores ſex, nunquam reperiuntur ita nominati. Cur ergo vocas Neronem, Domitianum, Veſpaſianum, & alios vel Cæſarem vel Auguſtum? At ſi Cicero eloquentiæ fons, ſi alii eloquentiſſimi hiſtorici atque iurisconſulti dicunt *Romanum Imperium*, non vel raro *Regnum Romanum*, quaſi excellentius ſit imperium: cur non imperator ab imperio deſcendens, ſupremus in imperio ſit? Sed quod imperator ſuprema ſit poteſtas, teſtis eſt Plinius in liminari epiſtola naturalis hiſtoriæ, vbi Titum Veſpaſianum alloquens: *ſuauiſſime imperator*, dicit, & ne offenderet patrem Veſpaſianum excuſat ſe, quod nominauerit imperatorem, quoniam ita ſalutatus ſit in caſtris à militibus. Nam dum Titus dux & (vt ita dicam) capitaneus fuerit in exercitu Syriæ, fruſtra fuit ſalutandus imperator, ſi non maius nomen & ſupremam poteſtatem deſignare voluiſſet. Item lib. 2. inquit: *nam vt in duodecim diebus vtrunque ſidus quæreretur, & noſtro æuo accidit imperatoribus Veſpaſianis, patre tertio, filio iterum conſulibus.* Plin. iunior ad Traianum: *Imperator in titulis & imaginibus & ſignis, cæterum modeſtia, labore, vigilantia, dux & legatus, & miles.* Item; *vt reuerſus imperator, qui priuatus exierat.* Et ſæpe ad eundem. Frontinus lib. 1. ſtrategematon; *Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus Germanicus eo bello, quo victis hoſtibus, cognomen Germanici meruit.* Cornelius Tacitus in 12. *literas mittit in hunc modum. Populi Romani Imperatoribus, magnarumque nationum Regibus.* & ſæpe alias, ſicut & Suetonius, qui omnes ſuos Cæſares eo nomine honorat, quique Cæſarem ſcribit ex decreto, prænomine Imperatoris vocitatum eſſe, dicens, *perpetuam dictaturam præfecturamque morum inſuper prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ, ſtatuam inter reges, ſuggeſtum in orcheſtra, ſed & ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt.* Ita etiam Græci, Plutarchus, Herodianus, Ioſephus Græce loquens. Iulius Firmicus; *ſolus Imperator ſtellarum non ſubiacet curſibus, & ſolus eſt, in cuius fato ſtellæ decernendi non habent poteſtatem, cum enim fuerit totius orbis imperator & dominus, fatum eius Dei ſummo iudicio gubernatur.* Et Lactantius in prologo Inſtitutionum: *quod opus nunc nominis tui auſpicio inchoamus, Conſtantine imperator maxime.* Et Iuſtinus in prologo epitomatis ſui: *quod ad te, Antonine imperator, non tam cognoſcendi quam emendandi cauſa, tranſmiſi.* Nonne & Firmus imperator, teſte Vopiſco, in edictis ſuis mandauit ſe vocari αὐτοκράτορα. id eſt, *imperatorem*, & eum qui per ſe ipſum poteſt. Ita Cyprianus, ita Ambroſius, Tertullianus, Oroſius, Auguſtinus, eloquentiſſimus Hieronymus, Ruffinus, Euſebius Græcus & alii Eccleſiaſtici ſcriptores, nominitant Romanum principem, habentem & exercentem ſummam poteſtatem, non Regem, non Dictatorem aut Conſulem. Ita etiam Iuſtinianus vbique, itemque iurisconſulti, multo elegantiores Iuſtiniano. Aurelius iurisconſultus ff. de offic. præ. præ. le. prima: *Ad vicem magiſtri equitum, præfectos prætorio antiquitus inſtitutos eſſe à quibuſdam ſcriptoribus traditum eſt. Nam cum apud veteres Dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur, & magiſtros equitum ſibi eligerent, qui aſſociati principali cura, militiæ gratia ſecundam poſt eos poteſtatem gererent, regimentis reip. ad imperatores perpetuo translatis, ad ſimilitudinem magiſtrorum equitum, præfecti prætorio à principibus electi ſunt, data eſt eis plenior licentia, ad diſciplinæ publicæ emendationem.* Hic apertiſſime diſcis, ſummam eſſe poteſtatem deuolutam ad imperatores, extinctis Dictatura & aliis magiſtratibus. Ita accipiunt, Domitius Vlpianus, Sceuola, Florentinus, Caius, Pomponius, Modeſtinus, Paulus & alii Imperatorem, qui legibus moderandis & omnibus rebus præſit, ſitque dominus mundi. Ita etiam accipit Victruuius, eruditus & eloquens ſcriptor, ad Auguſtum Cæſarem ſcribens: *Cum diuina mens tua & numen, Imperator Cæſar, imperio potiretur orbis terrarum, inuictaque virtute cunctis hoſtibus ſtratis, triumpho victoriaque tua ciues gloriarentur*, &c. Ita Ruffus Feſtus; ita Vegetius *de re militari*; ita Plin. *ad Traianum*; ita Nazarius, Mamertinus, Latinus Pacatus; ita Ammianus Marcellinus; ita Helius Spartianus, Iulius Capitolinus, Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flauius Vopiſcus, Eutropius, Paulus diaconus, Aurelius Victor, qui omnes ad vnum ad Imperatores, & Imperatoribus rerum potitoribus ſcribentes Imperatores ſcribunt, Cæſares atque Auguſtos, nunquam Reges, Conſules vel Dictatores. Et vt paucis dicam, nonne ex vi nominis multo plus eſt, lautius, atque magnificentius imperare, vnde *Imperator*, quam dictare, vnde *Dictator*? quam regere, vnde *Rex* eſt? (teſte Auguſtino lib. 5. de ciuitate) quam conſulere, vnde *Conſul*? Et Conſul olim ſuprema fuit apud Romanos poteſtas. hi tamen Conſules eo etiam tempore, rebus ſcilicet florentibus & conſulatu, Imperatores dicti ſunt, niſi Saluſtius, egregius auctor, hiſtoriarumque pater mentiatur, qui dicit: *poſt vbi regium imperium, quod initio conſeruandæ libertatis atq; cauſa augendæ reip. fuerat, in ſuperbiam dominationemque ſe conuertit, mutato more, annua imperia, binosque imperatores ſibi fecere.* niſi Auguſtinus etiam, Chriſtianorum doctiſſimus, mentiatur, qui hoc idem Saluſtii repetendo confirmat. Conſulatus igitur, qui tempore regum nullius erat nominis & precii, ſi tempore creuit in ſummum, & poſtea ſub imperatoribus ſolum inane nomen remanſit, quoniam Imperatores & dabant & adimebant illum, quis non Latine fieri credat, vt Imperator ex vi propria ſummus dicatur? præſertim, cum conſul, captiuo quodam ſenſu, pro eo dicatur, qui principem ſe gerit. Nonne dictator (cuius nomen ſub regibus nunquam auditum erat, atque poſt Cæſarem omnino obſoleuit) olim magiſter populi dicebatur, vt dicit Pomponius *ff. de origine iuris*: Bene igitur dicit Liuius: *Conſules nunquam fuerant, regibus exactis creati ſunt. Dictatoris nec imperij nec nomen fuerat, apud patres eſſe cœpit. Tribuni plebis, Aediles, Quæſtores nulli erant, inſtitutum eſt vt fierent. Decemuiros legibus ſcribendis intra decem hos annos & creauimus,*

creauimus, & è rep. ſuſtulimus. hæc ille. Nonne etiam qui olim ſub regibus tribuni celerum, ſub dictatoribus magiſtri equitum, tandem ſub Cæſaribus præfecti prætorio dicti ſunt, vt dicit Feneſtella: & Aurelius iuriſconſultus, vt ſupra dixi. Auctoritas quoq; præfecti prætorio maxime creuit, nam de illo Feneſtella ita loquitur: *Poſt adeo paruis orta principiis creuit auctoritas, vt cum aliquo tempore à præfectis prætorio prouocare liceret.* Extant quoque exempla maiorum, quo pacto ab his prouocaſſent, lecta poſtmodum à principiis ſententia, à præfecto prætorio prouocatio ſublata eſt. Creuit & nunc ſub Chriſtianis ſummi pontificis auctoritas, creuit & epiſcopi auctoritas & ſignificatio, qui quid ſignificet, & quantum ſit infra ſacerdotis dignitatem, ex impoſitione nominis nouimus. Cur igitur non Latinis (non nobis Germanis, quibus ego quoque nullam ant concedendam eſſe puto latinitatis locupletandæ vel mutandæ auctoritatem) liceret vel mutare, vel augere imperatoris maieſtatem? cui præter populi conſenſum etiam ſignificatio ad hoc quadret: cum non in nominibus ſolum magiſtratuum, verum etiam in aliis fere omnibus multas paſſa ſit à primordio lingua Latina mutationes. Hoc Polybius Græcus non obſcure probat, in ſecundo hiſtoriarum, dicens: *primum fœdus inter vtrunque populum initum eſt, ſtatim poſt eiectum vrbe regium nomen. quod fœdus, quanto diligentius fieri potuit, interpretati ſumus. Tanta enim facta eſt mutatio Romanæ linguæ, ab ea tempeſtate in hodiernum diem, vt etiam qui antiquitatis peritiſſimi ſunt, pleraque non niſi difficulter intelligant.* & ſcilicet Cic. teſtatur, hanc inde locutionem ſua ætate maxima ex parte euerſam fuiſſe. Nonne, & idem Cicero, Catonis verba non aliter excuſat, niſi quod tunc ita loquerentur? Nam & M. Varro, vndecunque doctiſſimus, vt ait Terentianus, dicit: *conſuetudo loquendi eſt in motu.* & in poſtremo addit: *Verba perperam dicta apud antiquos aliquos, propter poetas ſua ætate dici recte, & quæ prius ratione dicta erant, poſtea perperam dici.* Et idem: *Quotuſquiſque iam ſeruus habetur priſcis nominibus? quæ mulier inſtrumentum veſtis atque auri veteribus vocabulis appellat?* Et Plautus in Epidico: *quid iſtæ* (ſcilicet mulieres) *quæ veſti quotannis nomina inueniunt noua.* Et Sextus Cæcilius, teſte Gellio, dicit; *nam longa ætas verba atque mores obliterauit.* Et Seneca epiſtola CXIV. *adijce nunc quod omnino certam regulam non habet, conſuetudo illam ciuitatis, quæ nunquam diu in eodem ſtetit, verſat.* Idem præterea notat eum, quem nos dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum populi vocatum. deinde tranſit ad ea, quæ conſuetudo ſæculi mutauit, &c. Et Sceuola iuriſconſultus ff. de ſup. le. l. Labeo: *nec mirum eſt moribus ciuitatis & vſu rerum, appellationem eius mutatam eſſe*, &c. Diomedes poſtremo Grammaticus ita ait: *præclare dixit Terentius. nihil dictum quod non ſit dictum prius, ſed iniecit poſtera ætas manum, & veluti diſciplinam priſtini ſæculi, ita & ſermonem faſtidire cœpit, & noua velut parturire verba quæ iuuenum ritu ipſa modo florent & vigent.*

Nonne, vt iſtam mutationem variis modis probem appellatio *domini* atque *dominationis*, apud veteres tyrannum atque tyrannidem deſignabat. Quare Auguſtus dominum dici ſe vetuit, non ob eam cauſam, quam Tertullianus aſſignauit *in Apologetico*, & poſteriores acceperunt. Nam Domitianus, vt dicit Euſebius, Suetonius, Oroſius, Aurelius Victor, ſe Deum & dominum edicto appellari iuſſit, ad exemplum etiam Caligulæ. Vnde Martialis aſſentatur: *Edictum domini deique noſtri.* & idem in octauo ad Domitium, *omnes quidem libelli mei, Domine, quibus tu famam* (id eſt vitam) *dediſti, Tibi ſupplicant*, &c. Nonne & Labeo iuriſconſultus ff. ad leg. Rho. de iactu l. deprecatio, dicit: *Domine imperator Antonine, naufragium facientes in Italia deiecti ſumus à publicanis, Cyclades inſulas habitantibus. Antonius dixit: En Dæmoni, Ego quidem dominus mundi.* Item Caligula & Domitianus ſe deos appellari iuſſerunt, & Diocletianus ſe vt Deum adorari iuſſit, vt ſcribit Euſebius, præter aliorum morem. Si illi regem magnificentius quam imperatorem exiſtimaſſent, etiam ſe Reges appellari mandaſſent, Imperatoriſque nomen ſpreuiſſent: nec populum timuerunt, quoniam domini nomen Romanis fuit inuiſum præ cæteris.

Poſtremo, ſi nolueris admittere noua magiſtratuum vocabula, etiam Latina & Græca, non dices Papa. at ita locutus eſt Hieronymus & alii Eccleſiaſtici. Non dices epiſcopus, non cardinalis, non patriarcha, non acoluthus, non ſubdiaconus, diaconus & cætera prope infinita. Tolles itaq; omnino fidei Chriſtianæ magiſtratus & dignitates, atque omnino ad gentilitatem nos reuocabis. Chriſtianus enim populus, ſicuti quælibet alia gens, ſuos proprios habet ritus, ſolennitates, ceremonias, propria magiſtratuum nomina & officia noua. Vnde ſi Germanos vocaueris barbaros, pro eo quod Imperator apud eos non ſit ſupremæ poteſtatis in temporalibus, vt dicitur: facies totam Italiã barbaram, & ipſam deniq; fidem Chriſtianam. Aut cur non Venetos tuos vides? & barbariæ incuſabis? qui ſuum magiſtratum ſupremum & principem, vocant (ſicuti & tu ipſe) Ducem? cuius quæ fuerit apud maiores, nec ita vetuſtos, dignitas, tu mihi referas, ego enim nondum legi. At imperator à Romanis & ſatis vetuſtis, Latine & vere dicitur, qui imperat & ſummam poteſtatem tenet. Vnde parum probe niteris redarguere, niſi veterum more, quorum ad conſuetudinem ſi omnia conformare volueris, tolles Chriſtianitatis nomina. Debebas igitur Liuium legiſſe, qui dicit libro quarto primæ decadis: *Quis enim dubitat, quin in æternum vrbe condita & in immenſum creſcente noua imperia, ſacerdotia, iura gentium hominumque inſtituantur?* Si enim hæc vera, vt ſunt, eſſe debent: quis dubitat etiam nouis imperiis & magiſtratibus, etiam noua nomina imponi?

Sed procedendo ad alias rationes, quibus regem imperatori præferre conaris, reſpondebo. Cum dicis, *Regem omnes ſic accipiunt, quaſi ſuprema quædam & abſoluta ſit poteſtas, ſupra quem in regno ſuo nemo ſit, ſed ipſe præſit omnibus. Ex quo fit vt Rex niſi vnus dumtaxat eſſe non poſſit. plures enim Reges ſimul eodem Regno præſidentes, ſeſe mutuo impedirent, naturamque perimerent Regis, qua non omnibus præeſſet, ſed*

haberet paritatem. Patet hoc in antiquis moderniſque regibus: neque enim Numa, neque Hoſtilius, neque alii deinceps Romani reges conſortem aut ſocium regni habuere. De Romulo & Tatio ferunt: ſed alter Sabinorumque, alter Romanorum Rex erat. In moderniſque regibus hoc idem apparet. Neque enim Francorum neque Anglorum plures ſimul reges regnum gubernant, ſed vnus & ſolus, cui fratres, cui patrui, cui propinqui omnes genua ſummittunt. Ceſſit iam quoque apud hos filio pater, ac regiam poteſtatem ſe viuo transferre in filium voluit, ipſe dimiſit, quoniam duos ſimul regiam poteſtatem habere, contra naturam eſt huius dignitatis. At imperatores ſimul plures ſæpiſſime fuerunt, non enim ſuprema poteſtas imperium, ſed ſalua rep. ſalua auctoritate ſenatus & populi, ſalua libertate, imperator creabatur. Itaque imperatore exiſtente, nihilominus conſules Prætoreſque ac cæteri magiſtatus in republ. manebant, rege autem exiſtente, manere non poterant, quod patet ex dictatura. Illa enim quod vim quandam regiæ poteſtatis habere videbatur, ſimul atque inducta fuerat in rempub. cæteri magiſtratus omnes interibant, & abrogati per creationem dictatoris cenſebantur, præter tribunos plebis. At enim cum imperatore cuncti ſimul magiſtratus in republ. præſtabant, & auctoritas vigebat ſenatus, & populi libertas ſeruabatur. Ex quo apparet, imperatorem non eſſe dominum, ſed legitimam poteſtatem. hæc Iuſtinianus. Cui reſponſurus, dicam Imperatores ſemper ſingulos Romanum imperium gubernaſſe, vſque ad Aurelium Antoninum. Verum de quo ſcribit Euſebius & alii propinquum ſuum Lucium Annium Seuerum, qui erat gener Antonini pii, noua beneuolentia conſortem imperii feciſſe, tumq; primum Rom. remp. duobus æquo iure imperium adminiſtrantibus paruiſſe, cum vſq; ad illos ſemper ſingulos habuiſſet auguſtos.

At quod imperatores acceperunt conſortes Imperii, factum eſſe propter multa negocia Rom. imperii, cui nec regna Francorum, nec Anglorum vlla ex parte comparari poſſunt. Fuit tamen adhuc noua differentia & ſuperior poteſtas. aliqui enim *Cæſares*, ſed non *Auguſti* erant, quod maius erat: hoc enim in Codice Iuſtiniani, apud Panegyriſtas & recentiores hiſtoricos videre licet. Conſtantius enim Imperator Iulianum, teſte Euſebio, Cæſarem apud Gallias conſtituit. Ex Spartiano item videre licet, qui ad Diocletianum dicit in vita Ælii Veri; *qui vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec Principes aut Auguſti fuerunt*, & poſt: *quorum præcipue de Ælio Vero dicendum eſt, qui primus tantum Cæſaris nomen accepit.*

Sed quid nobis obiicis ſeptem Regulos Romanos, quorum imperium non erat adeo propagatum, vt multis adiutoribus opus eſſet? tametſi Romulus conſortem Tatium habuerit in eodem regno & territorio. Sed nõ nouũ eſt plures eſſe in vno regno Reges. duo ſimul fuerunt Reges Sueuorum, qui Veſpaſianum contra Vitellii partes adiuuabant, vt teſtis eſt Tacitus. Nouimus item plures ſimul fuiſſe reges Francorum, Gotthorum, &c. & Hiſpania hodie regna habet quatuor vel quinque. & patrum noſtrorum memoria, Gallia quatuor regna fuerunt, Francorum, Burgundionum, Longobardorum & Belgicæ; quorum poſtremos Rexit imperator Romanus & Germanus, ſicut hodie ad illum ſpectant. & maiores Caroli Magni non fuerunt Francorum reges, attamen *Maiores domus* dicebantur, apud quos ſumma rerum verſabatur, adeo vt regibus nomen inane & ſolus titulus relinqueretur, apud illos adminiſtratio eſſet.

Sed dicat inſuper Iuſtinianus, quicquid velit, libertatem ſcilicet fuiſſe & auctoritatem S. P. Q R. ſub Imperatoribus, non habebit ſuffragatorem me. Scio enim econtrario multo maiorem libertatem ſenatus & populi Rom. fuiſſe ſub Regibus, quam Imperatoribus, niſi forſan quibuſdam. Nam cuncta imperatores ex libito adminiſtrabant, tollentes non ſolum libertatem ſenatus & populi, verum etiam è vita ſuſtulerunt aut in exilium damnauerunt, quos placuit, vſque adeo, vt nihil magis contrarium fuerit tunc ſenatui quam libertas, qui omnes magiſtratus contulerunt & ademerunt, adeo vt libertos eorum ſæpe potentiores fecerint patriciis & ſenatoribus, & omnes magiſtratus, ſi qui erant, auctoritate Principis creabantur, qui plus nomen & titulum oſtentabant, quam aliquod imperium. Scio enim fuiſſe conſules: ſed nullam illis poteſtatem fuiſſe, niſi conſentiente imperatore, compertum habeo; adeo vt Roma nunquam minus libera fuerit quam ſub Romanis Imperatoribus. Addo etiam multos non à ſenatu, ſed à militibus contra ſenatus decretum atq; populi conſenſum, imperatores acclamatos, atque manſiſſe in imperio, multoſque omne crudelitatis in patres atque plebem genus exercuiſſe, vt oſtendit Iuuenalis in quarta ſatyra, dicens:

——Sed olim,
Prodigio par eſt in nobilitate ſenectus,

loquens de crudelitate Domitiani imperatoris. Sed non laboro in re manifeſta, cum tyrannidem plus, quam imperium, imperatorum dominationem maiori ex parte, dicere & oſtendere poſſem luculentiſſime.

Reddit inſuper Iuſtinianus aliam rationem ſuæ opinionis, dicens: *Volo inſuper vnam vel alteram rationem inducere, quo maioris dignitatis regium nomen oſtendam. Imperium enim quibuſdam magiſtratibus recte tribuimus. Nam omnes qui iuriſdictionem exercent, ac punire & coercere poſſunt, imperium habere dicimus, at regnum habere illos nunquam diceremus, quoniam imperij legitimam poteſtatem ſignificat; regnum autem habere, ſupra leges eſſet.* Ego autem econtrario dicam Imperium Romanum ſummam poteſtatem, & ſi aliquando minorem: Reges autem dici aliquando diuites tantum & Regulos, qui paruam & minimam habeant poteſtatem. & *rex ſcacchorum* (vt ita dicam) etiam dicitur rex, vt habetur in *capit. venerabilem*, *Extra. de electione in gloſſa.* At vtrumque, vt regnum ſine ratione placuit antiquis eſſe ſupra leges, ita nunc imperium Romanum, & nobis pariter ſine ratione. nam eſſe imperatorem, eſt eſſe ſupra leges, & eſſe legem animatam in terris, vt dicitur in *Auth. de conſul. in*

prima

princ.collat. 4. Quod idem confirmat Vlpianus iuriſconſultus ff. de conſtitut.princ.dicens, *quodcunque igitur imperator per epiſtolam, & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat.* hoc alibi ſæpe oſtenditur.

Ille affert aliam rationem dicens: *præterea quæ Deo tribuimus vocabula, ea præſtantiſsima ſunt exiſtimanda. Cum enim Deus ineffabiliter excellat, nec vlla humana reperiri digna poßint eius maieſtate, illa Deo tribuimus, quæ apud nos ſunt maxima, quoniam maiora tribuere non habemus. Deum autem regem nuncupamus, ac regnum Cœlorum dicimus, vt ſacræ literæ poetæque teſtantur. Imperatorem vero qui Deum vocaret, vix quiſquam reperitur.* hæc ille. Ego autem facile inuenire poſſum, Deum etiam imperatorem dictum apud illuſtres ſcriptores. Cicero loquendi regula, de ſenectute: *Vetatque Pythagoras iniuſſu imperatoris (id eſt, Dei) præſidio & ſtatione vitæ decedere.* Plautus in Amphitrione, vbi Brontia ancilla loquitur: *Summus imperator diuum atque hominum Iupiter, is ſe dixit cum Alcumena clam conſuetum cubilibus, eumque filium ſuum eſſe, qui illo: angues vicerit, alterum eſſe tuum dixit puerum.* Lactantius, Chriſtianus Cicero, libro quinto capitul. vigeſimo. *Nam ſi is qui in hac terreſtri militia regi ſuo fidem ſeruat, in aliquo egregio facinore, ſi poſtea vixerit, acceptior ſit & charior: ſi perierit, ſummam conſequitur gloriam, quod pro duce ſuo mortem occubuerit, quanto magis Imperatori Deo fides ſeruanda eſt, qui non tantum viuentibus, ſed & mortuis præmium poteſt virtutis exoluere.* Euſebius, Ioſephus, Ruffinus de Herode; *dicebant ergo hi, quibus diuinandi peritia eſt, diuinitus has pœnas ab Imperatore Deo, ob multa eius impie, & crudeliter geſta depoſci.* Dicimus inſuper in ſacris literis, de beata virgine, *Imperatrix cœlorum.* Hieronymus ſuper Matthæum: *Ieſus Rex Iudæorum, hoc eſt, Imperator credentium & confitentium.* Idem in Biblis tranſtulit ſæpe *Imperium Domini Dei noſtri.* Item, *quod Deus imperauit.* Auguſtinus libr. 3. de Trinitate, capit. 4. *nihil enim fit inuiſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili atque in intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum, atque retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſsima quadam immenſaque republica.* Idem ſæpe dicit *Deum imperare.* ergo eſt imperator. Et Ambroſius, de eo quod ſcriptum eſt, *quis maior eſt in regno.*] *non enim ad imperium cœlorum peruenitur ſuperbia, diuitiis, præfectura: ſed humilitate, paupertate, lenitate,* &c. Non inſuper ſequitur; Deum nuncupamus regem, ergo rex ſummam poteſtatem propterea ſignificat. Nam & patrem vocamus, non tamen idcirco pater ſumma poteſtas eſt. vocamus & agnum, vocamus & paſtorem: non tamen illa ſupremam poteſtatem deſignant. vocamus & dominum, quod vocabulum (vt ſuperius dixi) tyrannidem ſignificabat antiquitus: Atque inter reges olim & tyrannos, nulla erat differentia, vt multi auctores prodiderunt. Virgilius in ſeptimo Æneidos:

Pars mihi pacis erat dextram tetigiſſe tyranni.

Vbi Seruius ait: *Græce dixit regis, nam apud illos regis, & tyranni nulla diſcretio eſt.* Sic Herodotus Crœſum *tyrannum* dixit. & Ariſtophanes in Lemniadibus, Thoantem Hypſiphyles patrem. Et apud Eccleſiaſticos ſcriptores, ſancti viri vocantur *Reges*, vt dicit Gregorius libro vigeſimo ſexto moralium, ſuper illud Iob: *Reges in ſolio collocat in perpetuum.* Sed apud veteres Latinos pro diuite tantum ponebatur rex. Ita apud Horatium, Iuuenalem, Columellam & Martialem inuenies. Vnde & Plautinus Menæchmus, de ſe contra ſeruum ſuum loquens ait: *meus Vlyſſes, ſuo qui regi tantum conciuit mali.* Lycus leno apud eundem in Penulo: *Rex ſum, ſi ego illum hodie ad me hominem allexero. Rex* item *ſacrorum*, qui & *ſacrificulus* dicebatur, Romæ erat, & pontifici maximo ſubiiciebatur. Et Auguſtinus libro de ciuitate quarto, *quia latrocinia quid ſunt niſi parua regna?* Vides hic, regis & regni etiam olim paruam fuiſſe exiſtimationem, & cuiuslibet fere pagi dominum regem appellatum. Nonne & in canonicis decretis, 7. *q.* 1. *in apibus*, dicitur imperatorem eſſe ſuper omnes reges, quæ Latinos, non nos, habent auctores? Vnde illam rationem bene omiſiſſet Leonhardus Iuſtinianus.

Imperatorem igitur ſummam complecti poteſtatem, iam liquido oſtendimus, atque ſupra reges eſſe declarauimus, non tam ex ſignificatione quam ex opinione publicoque omnium mortalium conſenſu, adeo vt rex multis non adeo potentibus attribuatur, ſubque imperatoribus Romanis multi olim reges fuerint, atque ab illis ſint coronati, vt Tigranes à Tiberio, Herodes ab Auguſto, & alii ab aliis: Imperator vero, quandam ſupremam in terris ac maximam oſtendat à Deo, vt cum Turcæ ſuos fines mirum in modum propagauerint, Princeps eorum, propter magnam potentiam, dicatur non niſi Imperator, etiam à Chriſtianis.

Videris tamen maxime improbare, quod primo noſtri ſcribant ſe *Romanorum Reges*, atque poſtea *Imperatores*; quod nulla vnquam gens fecerit, noſque in hoc barbariæ non parum incuſas. Ad quod ego tibi reſpondeo, omnium noſtrorum conſenſu Imperatorem maius nobis videri eſſe (vti probaui) quam Regem, non tamen *Regem Romanorum* alium exiſtimamus, quoad poteſtatis exercitium, quam Imperatorem Romanum. Nam poſtquam aliquis ex noſtris in Regem Romanum eſt electus, mox omnia Imperatoris officia exercet, & (vt loquar more leguleiorum recentium) de facto habet plenariam omnium rerum adminiſtrationem, ſupremamque poteſtatem, nec aliquid addit creatio in Imperatorem, niſi quandam ſolennitatem, & quædam ornamenta, quæ Romanus Pontifex, non nos excogitauimus. Vt igitur Rex aliquis Romanorum primum dicatur, & poſtea Imperator coronatione Pontificis, ſolum eſt Sedis Apoſtolicæ, non Germanorum, inſtitutum, vt leges in *capite venerabilem*, *Extra de electione.* Nos vero Germani, dum elegerimus aliquem in Regem Romanorum, mox etiam habetur nobis Imperator: ſed illæ tres coronationes non *Rex Romanorum eſt imperator, & ita habetur à Germanis.*

ſunt à nobis introductæ, propter maius Imperium, ſed propter conſuetudines locorum. Primum enim Aquiſgrani, pro Regno Teutonicorum & Galliæ Belgicæ coronatur: Mediolani pro conſuetudine Longobardorum, qui ſpectant additionem Romani Imperatoris: Poſtremo Romæ, pro Romano Imperio. Maiores enim noſtri (poſt Carolum noſtratem & eius ſtirpem, qui non niſi poſt Romanam coronationem, tandem ſe Romanorum Imperatores ſcribebant) vti Henricus ſecundus. Othones ante Romanam coronationem ſcribebant ſe Reges tantum Galliæ Belgicæ, & Longobardorum: tandem poſt Pontificis coronationes, ſcribebant ſe Imperatores iuxta morem maiorum. Sed poſtquam Othone tertio ſine liberis deceſſuro, & vna cum Gregorio quinto ordinante, electio Romani principis tranſlata eſſet ad ſeptem Electores: Papa Romanum Principem iuſſit primum Regem coronari, tanquam minus eſſet & multis commune, quod ſine eius auctoritate fieret, vt ipſe tandem ſupremam poteſtatem & Imperatoriam conferret. Nos vero in Rege Imperatorem, & omnem eius poteſtatem eligimus. atque tanquam Imperatori obedientiam & fidem iuramus: pauca tantum quædam ornamenta addit, nihil conferentia vel addentia Imperatoriæ Maieſtati, vt etiam Hoſtienſis confirmat, in *capitul. ſuper quibuſdam, de verb. ſignific.* vbi dicit; *Principes Germaniæ pronunciaſſe, quod promotio Imperialis non det niſi nomen Imperatoris.*

Poſtremo, tanquam nefas quoddam & piaculum obiicit nobis, cum coronemus noſtros Reges & Imperatores dicens: *Enimuero non vt Imperatores, ſed vt Reges Romani coronantur. cur ergo ſe poſt coronationem Imperatores ſcribunt, non Reges: deinde hoc totum ignorantiæ eſt, cum ne Reges quidem Romani vnquam coronari mos fuit. Romulus enim & hi qui poſt Romulum fuerunt Reges, nunquam coronam receperunt, aut geſtarunt, aut vſi ſunt. Idem quoque obſeruatum eſt à Tuſcorum Regibus, vt nunquam coronarentur, ſed trabea duntaxat & palmata tunica.* Et idem: *Coronari vbi nam gentium mos fuit? quis Imperatorem Romanum antiquis illis temporibus coronatum fuiſſe vnquam audiuit, aut legit? non Auguſtum, non Tiberium, non Caligulam, non Neronem, cum præſertim hi duo extremi, intolerandæ ſuperbiæ, ac luxuriæ forent: nemo inquam coronam Imperii vnquam ſuſcepit, aut habuit, aut auſus eſt, niſi forte lauream, cum triumphaſſet, aut roſtratam, quod claſſem hoſtium cepiſſet. quæ duæ coronæ non Imperatorum erant magis, quam quorumcunque triumphantium, aut vincentium.* Primum, Iuſtiniane, coronarum vſus antiquiſſimus eſt: non ſolum ſub Romulo, ſed Libero patre hunc fuiſſe, teſtis eſt Plinius, *in ſeptimo naturalis hiſtoriæ.* Et Romani Imperatores, olim etiam non lauro tantum, ſed & auro etiam coronabantur. Nam, vt Aulus Gellius in quinto docet, *triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem mittuntur.* ſed illæ aureæ coronæ non fuerunt in tanto precio, vt Rex vel Imperator peculiariter coronaretur, cum & ciuica precioſior eſſet, & priuati etiam ciues illa coronarentur. Dicit enim Plinius libro decim. ſext. cum de ciuica corona diceret, addit: *Cedunt his murales vallareſque, & aureæ, quanquam precio antecedentes.* Et idem libr. 33. loquens de Romanis: *Iidem, quod magis miremur, coronas ex auro dedere ciuibus. Quis primus donatus ſit ea, non inueni, ſed quis primus donauerit, à L. Piſone traditur, A. Poſthumius dictator, apud Lacum Regillum, caſtris Latinorum expugnatis, ei cuius maxime opera capta eſſet, hanc coronam ex præda dedit. Item Lucius Lentulus Seruilio Cornelio Merendæ, Samnitum oppido capto: Sed quinque librarum corona, Piſo Frugi filium ex priuata pecunia donauit, eamque coronam teſtamento reipublic. legauit.* Et Titus Liuius libro tertio. *Exercitus liberatus, & eius Conſul coronam auream Cincinato dictatori dedit.* Et ſeptimo Idem; *Samnitibus ſuperatis, conſul Aulus Cornelius Coſſus, aduocata concione, Publij Decij tribuni militaris laudes peragit, præter militaria dona, aurea corona eum donat.* Et libro decimo. *Papirius Curſor conſul, Papirium filium, quatuor centuriones, manipulumque haſtatorum, armillis aureiſque coronis donauit.* Et libro trigeſimo. *Scipio concionem aduocari iuſſit, vbi Maſiniſſam Regem primum appellatum, eximiiſque ornatum laudibus aurea corona donat.* Et Sicinius Dentatus, *aureis donatus eſt coronis*, vt dicit Gellius libro ſecund. capit. vndecimo, & Ioſephus in ſeptim. de Tito Veſpaſiano. *Confeſtim ergo eos, quorum partes ſunt iudicare, quos nam ſcirent fortiter aliquid in bello feciſſe, & nominatim ſingulos appellatos collaudat, quaſi qui domeſticis recte geſtis, nimium lætaretur, & coronas eis aureas imponebat.* Et ſicut apud alias nationes, Reges ſuis inſignibus decorati ſunt: ita apud Romanos. Nam ſicut apud Macedones, Reges diademate cingi morem eſſe ſcribit Herodianus. & Reges Perſarum tiaram geſtare conſueuerunt, in cuius ſummitate gemma erat permagna, & lucens, auro illigata. Ægypti Regibus mos fuit, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre inſignia principatus. Æthiopum vero Reges ſceptrum in aratri formam gerunt. Ita Romanis *indumentum purpuræ, ſignum erat Regiæ poteſtatis*, vt dicit Lactantius libro quart. capit. ſept. Itemque (vt tu dicis) trabea & palmata tunica. Virgilius:

Et ſellam regni trabeamq; inſignia noſtri.

Et Cicero pro Scauro: *quem purpura Regalis non commouit, cum Sardorum maſtruga mutauit.* Nonne & *prætori*, vt dicit Feneſtella, *regia inſignia conſulareſque ferme apparatus fuerant?* Quod ſi propter coronationem, Imperatorum noſtrorum, vis nos eſſe barbaros, & cuncta emendare, vel potius ridere, & redigere ad antiquitatem: facies Romam (quæ eſt domicilium, & plantatrix linguæ Latinæ) & Romanos ipſos barbaros. Nonne Pontifex Maximus triplici corona, inſtar turritæ Cybeles, inſignitur? quod omnibus temporibus antiquis, atque cunctis nationibus & gentibus eſt inauditum. Sed, bone Iuſtiniane, falſo Germanos Imperatores accuſas, quod ipſi primum ſe coronauerint; cum hoc fecerint ante Romanos, & Græci Imperatores. Nam, vt dicit Paulus

Diaco-

Diaconus, de Tiberio Conſtantino: *Hic cum auguſtalem coronam accepturus eſſet, eamque ſecundum conſuetudinem, ad ſpectaculum cum populis exſpectaret*, fuit ante illius tempus iam conſuetudo coronandi Imperatores: Nonne Iuſtinianus coronatum ſe dicit, de quadriennii præſcrip. l. bene à Zenone? *quæ ergo* (inquit) *pro Auguſto honore & cautela, res accipientium noſtra ſtatuit æternitas, hæc tam noſtra ſublimitas, quam cæteri omnes iudices noſtri obſeruare feſtinent, ex eo tempore valitura, quo nutu diuino imperiales ſuſcepimus inſulas.* Vbi Accurſius dicit; *nota Imperatores eſſe coronandos.* Nonne, vt dicit Aurelius Victor. Euſebius & alii, Aurelianus Imperator primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmiſque & aurata, omni veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus viſebatur, vſus eſt? Nonne & Conſtantinus Magnus coronatus eſt: nam, vt dicit Panegyricus eius: *merito igitur tibi, Conſtantine & Imperator, ſenatus ſignum Dei, & paulo ante Italia ſcutum, & coronam, cuncta aurea dedicarunt.* Et Aurelius Victor: *Conſtantinus pontem in Danubio conſtruxit, habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate*, vt latius poſtea dicam. Et Mauricius imperator coronatus eſt, vt dicit Paulus Diaconus. Nam vt ſcribunt Otho Friſingenſis, & alii illorum temporum ſcriptores, Heraclius coronatus eſt occiſo Phoca à Sergio Patriarcha, in oratorio ſancti Stephani, in palatio ſuo, coronata eſt, eadem die, ſponſa quoque ipſius Eudocia, in Auguſtam. Et Phocas coronatus eſt, & & Conſtantinus, filius Conſtantis regnauit cum fratribus ſuis, Heraclio & Tiberio. Sed *cum venirent aliqui orientalium partium, & dicerent, ſi in trinitatem credimus, tres coronemus: turbatus eſt Conſtantinus, qui ſolus erat coronatus.* Tiberius Conſtantinus coronatus eſt ab Euticio patriarcha, qui mittens adduxit vxorem ſuam Anaſtaſiam, & coronauit eam. Pulcheria Theodoſii filia, *ſenis Martiani Imperatoris capiti diadema impoſuit*, vt ſcribit Pomponius. Iuſtinus minor Iuſtiniani nepos, Sophiam vxorem coronauit Auguſtam, coronatus & ipſe ab Eutiсіo. Leo Beſſica ortus progenie, ab Anatholio eſt coronatus. Leo iunior cum paucis menſibus rexiſſet imperium, *propria manu*, vt dicit Pomponius Lætus in ſuis Imperatoribus, *coronans genitorem ſuum Zenonem, conſtituenſque Imperatorem, rebus exceſſit humanis.* Ita & de aliis ſcribunt omnes fere illorum temporum ſcriptores. Itemque Iulianus Apoſtata, vt ſcribunt Ammianus Marcellinus, & alii, à militibus Auguſtus appellatus eſt: cumque corona deeſſet Imperialis, torquem vnus militum ſuper caput impoſuit. & iſta coronatio etiam vetuſtior eſt, apud Romanos. Nam Claudius Druſus, ſtatua ſibi cum diademate ad Appii forum poſita, Italiam per clientelas occupare tentauit, vt Suetonius auctor eſt. Et Titus Veſpaſianus Alexandriam petens, in conſecrando apud Memphim Api boui, diadema geſtauit. Et idem, vt ſcribit Ioſephus, *in ſeptimo belli Iudaici*, cum ad Zeuma Euphratem verſus iter contenderet, huc miſſi etiam ab Rege Parthorum legati, auream ei coronam ferentes, quod Iudæos viciſſet, eaque ſuſcepta, etiam conuiuium exhibuit regiis. Et Antoninus Heliogabalus, vt ſcribit Herodianus Græcus, veſtitum vſurpauit luxurioſum, purpura intextum, atque auro monilibuſque, & armis redimitus, coronas etiam ſubſtinens, ad tiaræ modum, auro lapilliſque precioſis inſignitas. Vides igitur, Iuſtiniane, quam perperam egeris, dum Germanos Imperatores, falſo accuſaueris ignorantiæ, & barbariæ, in hoc quod iam diximus.

Sed quod addis, *nec Tyberium, nec Neronem, nec Caligulam, vnquam coronatos*, cur non addis, *nec vnctos*, vt noſtri modo vnguntur? Bone Iuſtiniane, nos Germani malumus ſimiles eſſe Chriſtianorum, & Hebræorum Regum, quam gentilium. & ſceleratorum, Neronis, Tiberii, & Caligulæ. Probes tu factum illorum, nos Chriſtorum. Nos enim gaudemus, ad imitationem Chriſti (qui pro redemptione noſtra ſpineam coronam portare non eſt dedignatus) & ſanctorum Regum Dauid, & aliorum, & Conſtantini Magni Imperatoris Chriſtiani, coronare noſtros Reges, & vngere. Nam, etſi Euſebius, Beda, & alii dicant, Ariſtobulum, qui Hircano ſucceſſit, primum apud Iudæos, diadematis ſumpſiſſe inſigne: inuenio tamen *capite primo libri Regum ſecundi*, Saul Regem diadema in capite tuliſſe. & capite duodecimo. *Dauid profectus eſt, aduerſum Rabba, cumque dimicaſſet, cepiſſe eam, & tuliſſe diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum habens gemmas precioſiſſimas, & impoſitum eſſe ſuper caput Dauid.* & Paralipo. primo, capit. vigeſimo. *Tulit autem Dauid coronam Melchon de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum. & precioſiſſimas gemmas, fecitque inde ſibi diadema.* Coronamus igitur, & vngimus Reges noſtros, ad exemplum ſanctorum, non malorum, non ad ſuperbiam (vt tu exiſtimas) & tyrannidem, ſed ad humilitatem, & pietatem. Hoc non ego, & Germani, ſed ſanctus Ambroſius dicit, noſque hunc morem accepiſſe à Conſtantino, atque accipere debere docet de obitu Theodoſij loquens de Helena Conſtantini matre: *quæſiuit Helena Clauos, quibus crucifixus eſt Dominus, & inuenit: de vno clauo frenos fieri precepit, de altero diadema intexuit. Vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Viſitata eſt Maria, vt Euam liberaret: viſitata eſt Helena, vt imperatores redimerentur. Miſit itaque filio ſuo Conſtantino, diadema gemmis inſignitum, quas precioſior ferro innexos crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret: Miſit & frenum. vtroque vſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges. Principium itaque credentium Imperatoris ſanctum eſt, quod ſuper frenum, ex illo fides, vt perſecutio ceſſaret, deuotio ſuccederet. Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum leuauit & locauit, vt crux Chriſti de Regibus adoretur. Non inſolentia iſta, ſed pietas eſt, cum defertur ſacræ redemptioni. Bonus itaque clauus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem, ac veſtit Principum frontem, vt ſint prædicatores, qui perſecutores eſſe conſueuerunt. Recte in capite clauus, vt vbi ſenſus eſt, ibi præſidium, in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, vt fides luceat: habena quoque de cruce, vt poteſtas regat, ſitque iuſta moderatio, non iniuſta præceptio. Habeant hoc etiam Principes Chriſti ſibi liberalitate conceſſum, vt ad imitationem Domini dicatur de Imperatore Romano: poſuiſti in capite*

eius coronam de lapide precioſo. Et idem Ambroſius: *Quam ſanctum ſuper frenum, niſi vt Imperatorum inſolentiam refrenaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quaſi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere, quæ Caligularum, cæterorumque probra comperimus, quibus non fuit ſanctum ſuper frenum. Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, vt frena dirigeret, niſi vt omnibus Imperatoribus ſancto dicere ſpiritu videretur: nolite fieri ſicut equus & mulus, ſed in freno, & chamo maxillas eorum conſtringeret, qui ſe non agnoſcerent Reges, vt regerent ſibi ſubditos. Prona enim poteſtas in vitium ferebatur, & more pecudum vaga ſeſe libidine polluebant. Ignorabant Deum, reſtrinxit eos crux Domini, & reuocauit à lapſu impietatis, leuauit oculos eorum, vt Chriſtum in cœlo quærerent.* hæc ille. In quibus luculentiſſime oſtenditur, Iuſtinianum iniuria debacchatum eſſe in Germanos, in quo ſe plane Venetum oſtendit.

Dum poſtremo etiam addit; *Germanos Imperatores vix quatuor iugerum poſſeſſores, coronati.* ſed profecto illa iugera habent fortes viros, dum vnus Imperatoris ſubditus, & vaſallus, vt dicitur noſtris temporibus. Dux Auſtriæ Sigiſmundus, tuos Venetos, ô Iuſtiniane, terra marique potentiſſimos, atque maximo exercitu inſtructos, pauciſſimis militibus memorabilique clade profligauerit prope Tridentum, vt prius copioſe deſcripſi. Sunt autem Veneti Germanorum antiqui & genuini hoſtes, quos noſtra patientia ad maximam iniuriam prouocat. non enim contenti, præda ſe Imperii ditatos eſſe, qui ante ducentos annos in continenti habebant nihil, nunc proditionis, atque calliditatis ope, quibus pugnare dicuntur præcipue, & ſunt maxime illuſtres, res & iura imperii inuaſerunt, atque Italiam nobis debitam, nunc illis, nunc aliis factionibus adiuti Germanorum, in Italia Imperium debilitauerunt, atque euerterunt; nec, vt dixi, contenti iuribus noſtris, & noſtrorum ſanguine olim partis iniquiſſime eſſe potitos, niſi & verbis, & fabulis nos quibuſcunque modis poſſint dilacerarent ſtudioſiſſime. Sed ſurge, ô Germanorum inuictiſſima virtus, & fortitudo genuina, vindica te ab iniuria rerum, & verborum, & repetite viri veſtrum ab his, qui maximas Imperii vrbes, & potentiſſimas variis artibus, & machinationibus in ſuam dominationem ſubegerunt. Surge tu in primis Chriſtianiſſime atque Auguſtiſſime Imperator Maximiliane, cognoſce homines, qui vt rebus ſuis conſulant dominandi libidine præcipites fidem habent temporariam, nunc illum, nunc alium deſtituere, vel fouere, vel circumuenire nunquam formidantes.

Valete omnes Germani, atque verbis & maxime armis laudem, gloriam, atque honorem noſtrum non ſinite peſſundari. nam & ego non niſi amore patriæ hæc ſcribo, nec cum latiis luctari cupio, cum contra Iuſtinianum illum ſcribo, ſine vituperatione tamen. Sed patriæ miſertus non potui vel ſaltem aliquid facere, quo prouectioribus ætate, atque doctioribus me Germanis præberem vberiorem occaſionem defendendi Germaniam. Iterum Valete.

II.

Anno Domini 1508.

QVOD IMPERATOR ROMANORVM IVRE SIT CHRISTIANISSIMVS DICENDVS,

Authore Henrico Bebelio.

MAXIMILIANVS CHRISTIANISSIMVS Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

QVOD ego in ſcriptis meis Regem noſtrum Maximilianum appellito *Chriſtianiſſimum*, exemplo diui Ambroſij, & aliorum, qui Imperatores Chriſtianiſſimos ſcribunt, exemplo Romanæ Eccleſiæ, quæ in die Paraſceues pro Cæſare orans dicit: *pro Chriſtianiſſimo Imperatore Romano.* ita habent libri ſacri tam recentes, quam vetuſti. Sunt qui minus recte factum exiſtiment, quod is titulus iure quodam hæreditario peculiariter ſit Regibus Francorum tributus, vt citra eorum iniuriam nemo alius Rex ſibi vendicare poſſet, quorum ſententiæ, neque ſuffragabor, neq; accedo; quin imo Imperatori Romano iure meritiſſimo tribuendum contendo. ſiue enim dignitatem, ſiue merita conſiderauerimus, Germanos Imperatores Chriſtianiſſimos vocabimus. primum enim cum Romanorum Rex ſit ſuper omnes Reges, atq; Eccleſiæ Chriſtianæ omnium conſenſu Aduocatus, vt ita loquar, & defenſor, eius partes erunt, omnes Eccleſiæ Chriſti ſtatus defendere eoſque in pace ac tranquillitate conſeruare, vniuerſamq; remp. fidei, vt vnicus & maximus Chriſtiani exercitus dux & imperator, pro viribus amplificare. propterea enim à Chriſto gladium accepit. quæ quidem officia, cum in primis ad Chriſti laudem, & gloriam ſpectent, non incongruenter,

gruenter, quin potius iure proprio Romanorum rex titulum ſibi *Chriſtianiſſimi* aſſumere, ac vindicare poteſt. Quemadmodum Pontifex Romanus *Sanctiſſimi* appellationem ab officio, & dignitate, cui præeſt, etiam ſi opera eius eſſent peſſima. Si autem merita inſpexerimus, ſoli Germani Chriſtianiſſimi appellabuntur. Pipinus enim Germanus & Francus orientalis, vt nemo ſanus negat, primus meruit iſtum titulum ab Vrbano ſecundo, qui ob egregiam virtutem, & inſignem amorem, quo Chriſti Eccleſiam eſt proſecutus, accepit & hunc titulum, & Regnum Francorum occidentalium, quos potius *Francigenas* appellabimus. Carolus poſtea Magnus illius filius, in quo & ſucceſſoribus continuatus eſt is titulus, quod Germanus & Francus orientalis fuit, ideo conſenſu Romanæ plebis, atque approbatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Imperium in perſona eius vtpote Germani, fuit tranſlatum in Germanos, non Gallos Francigenas. quod ſi ex hoc Chriſtianiſſimus fuiſſet dictus, vel quod Francigena eſſet, vel Francigenæ tam bene meriti de republica Chriſtiana fuiſſent, Imperium non in Francos Germanos, ſed Francigenas eſſet tranſlatum; quod nemo dicere poteſt. Carolus inſuper dictus eſt, *Chriſtianiſſimus Imperator*, non Chriſtianiſſimus Rex Francigenarum. Hoc eius ſepulchrum declarat cum tali inſcriptione; *Caroli Magni Chriſtianiſſimi Imperatoris Romanorum corpus ſub hoc ſepulchro conditum eſt.* quare Francorum orientalium Reges, qui fuerunt natione & Imperio Germani, habebantque ſub ſe Regnum Francigenarum, illi ſua virtute Imperium Germanis meruerunt, tituloque Chriſtianiſſimi decorati ſunt, ob admirandam ipſorum religionem, Eccleſiæque Chriſtianæ propagationem. Quod nemo de Francigenis & Gallis dicere poteſt.

Poſt ſtirpem autem Carolinam, quæ (vt dixi) Germana fuit, cum iam Francia occidentalis, ab orientali Imperioque Germanico eſſet diuiſa; comparemus geſta Germanorum Principum atque Imperatorum, cum Gallis cunctiſque Europeis Regibus, & nemo non dicet Germanos eſſe Chriſtianiſſimos. nam ſi paruo aliquo volumine enarrare poſſem, qua diligentia, & reuerentia noſtrates Imperatores ſint diuinum cultum proſecuti; ſi fidem Chriſti dilatatam, Regnaque & populos ad fidem per eos reuocatos atque conuerſos; ſi donationes, & priuilegia Romanæ Eccleſiæ liberaliter collata: Si item enumerare vellem conſtructiones, & reparationes multorum monaſteriorum, & ſacrarum ædium, donationeſque, & priuilegia commemorarem; intelligerentque omnes homines nullam eſſe ſub cœlo gentem, quæ poſſet vlla ex parte, cum noſtris comparari. Sed quia hoc Lupoldus Babenburgius luculenter tradidit, non eſt in præſentia opus vt plura dicam. Quis inſuper vnquam egregiam aliquam expeditionem, contra infideles proferet, in qua Germani copioſiſſimo non affuerint exercitu, clariſſimiſque virtutibus enituerint? Teſtatur hoc militia Germanorum ſub Henrico quinto, dum Gotfridus, cum fratribus, Germanus & Francus orientalis, Comes Bulionis natus, & poſtea Dux noſtratium Lotharingorum, cum Germanis ſacrum ſepulchrum à manibus infidelium eripuit, Regnumque Hieroſolymitanum conſecutus eſt glorioſiſſime. Non tamen negabo, eo tempore & alios etiam Francos ſtrenue pro fide decertaſſe. Quod ſi nunc commemorare vellem, quid egerit pro fide Chriſtiana Conradus ſecundus, Fœdericus primus Ænobarbus, Henricus ſextus, per fratrem, & Duces ſuos: itemque alii, vt ſuo tempore copioſius ſcribam, nimis longum eſſet, & ſuperfluum, dum nemo, cui paucæ hiſtoriæ ſunt cognitæ, ignoret, adeo vt nullo vnquam tempore, ſicut nec hodie, religione & meritis in fidem Chriſti credere Francigenis iure debeamus. Quare iure tam dignitatis, quam meritorum Germani Imperatores Chriſtianiſſimi dici debent. Sed quod ad nos vſque ſingulariter Reges Francorum, ita honeſtati ſunt, credo ſolam eſſe illam conſuetudinem, quæ in ſtirpe Carolina inoleuit, & quædam incuria Imperatorum quorundam, qui quod ſuum eſt, vti aliis in rebus multis, ſibi vindicare non ſtuduerunt. Ego autem quod iure fieri debere, & quod Maximilianum Cæſarem non neglecturum exiſtimo pronunciandum putaui.

Dimitto autem illam cauſam, quam hodie quidam ſuis libris complexi ſunt, quod Reges Franciæ recentiores, Carolus ſtrumoſus, de quo ante dixi, & Ludouicus, qui nunc imperat, ſuis coniugiis non parum Chriſtianiſſimi nomen obtenebrauerint. nam, vt de Carolo taceam, cuius factum nunquam, ſine dolore meminiſſe poſſum, nonne Ludouicus ille Aurelianus, contra præceptum illud Chriſtianum, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, cuius ante habuit ſororem, hac dimiſſa atque repudiata, illius mortui duxit vxorem, quod vix vſquam auditum eſt apud Chriſtianos. Quæ ego non in detractionem loquor, quoniam manifeſtaria ſunt, & Robertus ipſe tetigit, ſed diſpenſatione Apoſtolica excuſauit, quam ego nec vitupero, nec negabo; mallem tamen ſine diſpenſatione non peccare. Sed ideo dicenda putaui, vt intelligant homines, ſiue vetera tempora repetemus ſiue illa recentia, me iure ſcripſiſſe, Maximilianum Chriſtianiſſimum tam dignitate, quam meritis, quod præter alias virtutes maximas, vitæ innocentia atque religione, non ſolum hodie vix habeat inter Reges ſecundum omnium confeſſo, ſed poſſit etiam cum omni antiquitate, in omni genere virtutum, & gloriæ conferri.

III.

SERENISSIMVS ROMANORVM REX, ET CHRISTIANISSIMVS FRANCIÆ REX, VTER ALTERVM PRÆCEDAT.

AVTHORE ANTONIO QVETTA, CONSILIARIO tam Regiæ quam Cæſareæ Maieſtatis.

SVMMARIA.

1 *PRæcedentia etiam inter Clericos contenditur, & iuſte.*
2 *Poſſe nemo dicitur, niſi quod ſalua dignitate & honore ſuo poteſt.*
3 *Ordo ſcripturæ in dubio deſignat excellentiam & gradum perſonarum, quod digniora ſunt præponenda.*
4 *Sedens altius, vel à dextris incedens, honorabilior eſt.*
5 *Honoratior eſt, qui ſedet iuxta Principem.*
6 *Honoratior eſt qui ſedet magis quam qui ſtat.*
7 *Francorum Rex non eſt ſubditus Imperatori, vt ei ſubijciatur aut vt ipſum ſequatur.*
8 *Regulæ; ſi vinco vincentem te, multo magis vincam te.*
9 *Franciæ Rex an recognoſcat Imperatorem, aut ſi de iure ſaltem recognoſcere debeat, licet de facto non recognoſcat.*
10 *Imperator an ſit Dominus totius mundi.*
11 *Papa & Imperator ſunt ſupremi omnium Principes.*
12 *Imperator eſt ſuper omnes; & dicitur vicarius Dei in terris.*
13 *Regula; Quod de facto fit, inſpici non debet, ſed id quod de iure fieri debet.*
14 *Sedens altius, vel à dextris incedens, honorabilior eſt.*
15 *Gradus primus humilitatis eſt deferre maiori, & æquali ſe non præferre.*
16 *Rex Romanorum Electus ante coronationẽ Papæ an licite aſſumat nomen Regis, ac iura Imperij adminiſtrare poſſit tanquam eandem poteſtatem habens, quam Imperator in prouincijs & regnis Imperio ſubiectis.*
17 *Electio ſola in ſupremis Principibus tribuit plenum ius.*
18 *Regis filius viuo Rege dicitur Rex.*
19 *Prorogatio eſt eiuſdem qualitatis adiectio.*
20 *Imperatorem nominans nominat eum qui eſt, & qui futurus eſt Imperator.*
21 *Dictio S E V eſt dictio ſignificatiua eiuſdem perſonæ.*
22 *Primus donec viuit, non tenet eundem locum ſecundus, niſi eo mortuo.*
23 *Generaliter loquens generaliter debet intelligi.*
24 *Eadem res non poteſt diuerſo iure conferi.*
25 *Connexorum idem eſt officium.*

CHRISTVS ADSIT CVM SPIRITV Sancto ſuo.

QVæſtio, quæ forſan in hoc ſacroſancto Concilio Tridentino ventilanda & diſcutienda veniet, eſt iſta: Sereniſſimo Romanorum Rege FERDINANDO, & Chriſtianiſſimo Rege Franciæ, de præcedentia contendentibus, cuinã eorundem iure debeatur, & vter eorum alter alteri de iure præponi debeat. Scio quidem præſentis quæſtionis examinationem meis viribus eſſe imparem, quæ virum conſummatiſſimum, & iuris Canonici & Ciuilis, aliarumque ſcientiarum peritiſſimum requireret. Ne tamen meo debito defuiſſe videar, ſtatui quædam in medium afferre, quæ ad præſentis quæſtionis veritatem habendam nonnihil iuuare poterunt, omnia tamen ſubijciendo conſilio prudentum ſaniori.

Sed hanc altercationem dicent plerique extra temporis congruitatem nunc moueri. vtpote quod in hoc ſacroſancto Concilio de moribus & componenda religione, eiuſque confirmatione tractandum ſit. A quibus huiuſmodi contentiones, quæ ad gloriam & honorem mundi tendunt, alienæ eſſe deberent, & humilitati magis quam ambitioni ſtudendum. Sed cum ea res non ſit noua, neque ſacris literis repugnet, cum decem Diſcipuli Domini indignati fuerint, ex eo, quod mater filiorum Zebedæi vnum à dextris, alterum à ſiniſtris locari petiiſſet in regno Cœlorum; propterea nemini mirum videri debet, ſi etiam Sereniſſimus Romanorum Rex contendit præeminen-
1. tiam ſibi & dignitati ſuæ congruentem vendicare. Cum † etiam inter Eccleſiaſticos ſuper his ſæpius contendatur, iure approbante, vt de præcedentia refert Gl. contentioné fuiſſe inter Archiepiſcopos

Medio-

Mediolanenſem & Rauennatenſem, Gloſſa, inquam, in *leg. decernimus*, *Codic. de ſacroſanct. Eccleſ.*
qui textus admittit prærogatiuas Epiſcoporum in Conciliis & extra Concilia, ante alios reſiden-
di. Et fruſtra in iure fieret mentio de his, ſi quæſtio iuridica non eſſet; de qua habetur in Codic.
titul. *Vt dignitat. ordo ſeruetur.* Nec poſſet ſua Maieſtas hanc contentionem prætermittere ſine læ-
ſione honoris ſui & famę. Cum † nemo dicatur poſſe, niſi quod ſalua dignitate & honore ſuo poteſt, 2.
l. nepos Proculo, ff. de verb. ſign. Nec credendum eſt nos ea facere poſſe, quæ ſi fierent, verecundiam no-
ſtram & æſtimationem læderent, dicit IC. in *l. filius, de cond. inſtit.* Honoris autem noſtri curam eſſe
habendam, & non negligendam, imo omnia commodo poſtponenda, tradit IC. in *leg. Iulianus,*
Digeſt. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. Et quæ ſine rubore & verecundia fieri nequeunt, fienda non ſunt, *leg.*
penult. ff. de furt. Imo in his non tam conſcientiæ, quam etiam famæ rationem habendam eſſe, teſta-
tur text. Auguſtini in *can. nolo, 12. q. 1.* quæ etiam tradit Oldrad. *Conſil. ſuo 93. Magiſter Ordinis,* &c. Et
vbicunque eſt quæſtio honoris, dicitur cauſa eſſe ardua, *ff. de his quib. vt indign.* Et plura de hoc cu-
mulat Caſſanæus in libro, quem intitulat *Catalog. gloriæ mundi, fol. 1. verſ. prima conſideratio.* Volui hæc
pręmiſiſſe, quo vnicuiq; conſtaret, nihil contra iura fieri per hoc, quod quis præeminentiam ſibi de-
bitam vendicare contendit.

Vlterius etiam puto non incongrue ſciendum eſſe, quod ſigna demonſtratiua & illatiua præ-
eminentiæ & prærogatiuæ poſſunt eſſe diuerſa: quorum aliqua nunc ſubiicio. Vnum eſt ſignum,
quando vnus in ſcriptura vel voce, prius, quam alter, nominatur vel ſcribitur. Ordo † enim ſcri- 3
pturæ deſignat excellentiam & gradum perſonarum. Quia digniora ſunt præponenda, *Inſtit. de*
iur. nat. gent. & ciuil. §. fin. vbi Gloſſ. fin. & digniores prius debent ſcribi, *leg. 1. Digeſt. de albo ſcrib.* per
quem textum dicit Bald. in *leg. cum quidam, in 3. oppoſ. C. de verb. ſignific.* quod prior nominatus præſu-
mitur cæteris maior. Facit *lex. generaliter, §. quis ego, ff. de fideicom. libertat.* ibi: *ordinem ſcripturæ ſequen-*
dum. Et facit *lex. qui ſoluendo, de hered. inſtit.* vbi Imol. poſt Angel. dicit per illam legem, quod *ordo*
verborum deſignat & inducit ordinem prælationis. Quod etiam dicit Dominic. in *c. fin. in princ. de Offic. de-*
leg. in VI. & colligitur in *cap. veritatis, de dolo & contum.* & in *cap. 1. de reb. Eccl.* & alia multa ad hoc pro-
poſitum adducit Decius in *cap. Nicolao, de appellat.* & ibi declarat, quod hoc eſt regulariter verum, &
procedit in dubio: ſecus, quando eſſemus certi de maiori dignitate, quia tunc ordo literæ non at-
tenderetur, *leg. nec enim, de ſolut.* & ibi Imol. & Bart. in *l. 2. § prius, de vulgar. & pupillar.* Sic procedunt
iura, in quibus quandoque digniores ponuntur poſteriore loco. De iſto etiam ordine literæ multa
tradit Fel. in *c. cum dilecta, verb. Ordo ſcripturæ, de reſcript.* & Decius *Conſil. 161. col. 2.* & Gaſſan. in *Catalog.*
glor. mund. vbi ſupr. 17. conſideration. & plane per Nicol. Euerardi in libello *Locor. legal. fol. 6. in loco. Ab or-*
dine, pen. & fin. col. Facit Gl. *96. diſt. in c. bene quidem, verb. Mediolanenſem,* quæ ex textu colligit argumen-
tum ad prærogatiuam & dignitatem maiorem Eccleſiæ Mediolanenſis ad Rauennatem. De qua et-
iam quęſtione meminit Gloſſ. in *d. l. decernimus.*

Secundum ſignum eſt, ſi quis altiore loco ſedeat. Et locus altior eſt, ſi ſupremo Domino pro-
ximius ſedeat, vt eſt textus cum Gloſſ. in *§. aliam, Inſtit. de bonor. poſſeſſ. & in Catalog. glor. vbi ſupra, conſi-*
der. 12. 13. & 19. Item ſi quis ſedeat vel incedat à dextris. Nam † qui à dextris ſedet, vel à manu dextra 4.
incedit, honorabilior eſt eo, qui ſedet vel incedit à ſiniſtris. De quo eſt textus cum Gloſſ. in *d. leg. de-*
cernimus, C. de ſacroſanct. Eccleſ. vbi quando dicitur de prærogatiua in ſedendo, Gloſſa exponit, *ſi à*
dextris ſedeat, qui locus & eſt dignior. Et † qui ſedet iuxta Principem, cenſetur magis honoratus, quam 5.
alius, *C. de præpoſ. labor. l. 1.* Et ordo ambulationis denotat eminentiam honorum, vt per Imol. in *d. leg.*
qui ſoluendo. Et dicit Gloſſ. in c. quam periculoſum, 7. q. 1. quod primogeniti vt honorarentur, ſede-
bant ad dexteram Patris, vt in *Pſal. 110.* dicitur: *ſede à dextris meis,* &c. Et tradit Felin. in *rubr. de maior.*
& obedient. in 4. col. in fi. ibi: *nota etiam quod qui ſedet à manu dextra.* Et ſubiicit, † quod *qui ſedet, dicitur ho-* 6.
norari magis, quam qui ſtat. allegat Bald. in *leg. quotiens, Cod. vbi ſenat. vel clariſſ.* per illum text. in verb. *Se-*
dendi. A quo ergo aliquid primum fieri incipit, denotatur in eo honoris præeminentia, vt ſi vni pri-
mo incenſus exhibetur, vel Pax primo datur, hic cæteris honorabilior demonſtratur.

Sed & hoc aliud eſt, ſecundum quæ infra dicentur de Sereniſſimo Rege Romanorum, & Re-
ge Franciæ, vtri eorum præcedentia debeatur, quæ in præmiſſis ſignis conſiſtit. Eadem de Orato-
ribus amborum dicenda ſunt, vt honor, qui debetur Domino, idem debeatur illi, qui dominum
repræſentat. De quo allegatur text. in *c. fin. 93. diſt.* vbi dicitur, quod *Diaconus teneret locum Patriarchæ:*
tunc enim honoraretur ſicut dominus ſuus. quem text. ad hoc allegat Abba. in *capitul. ſane, de offic. delegat.*
vbi etiam Decius *1. col.* allegat Gloſſ. in *cap. de cauſa 2. quæſt 5.* dicens quod *Legâtus Papæ debet honorari,*
vt Papa, & alia plura ad hoc adducit Decius vbi ſupra & Cepolla ſuo tractat. *de Imper. eligen. decim.*
acar. ibi, *pro Imperatore vero.* Legatus enim maioris Principis debet eum, qui minoris eſt, præce-
dere, *capitulo ſi à ſede, de præbend. in ſext.* Gloſſ. in *lege reſtituenda, Codit. de adu. diuerſ. iudic.* Laudenſ. in
tractat. *de Legatis, quæſtion. vigeſim. ſeptim.* Prærogatiua enim, quæ eſt in principali, eadem eſſe debet
in Locumtenente ſuo: notat Angel. in *leg. ſi prior, ff. qui potior in pign. hab.* & Ancor. in *capitul. grandi,*
quint. notabili, de ſupplen. negligen. Præl. in ſext. Quod honor, qui debetur domino, debetur Admini-
ſtratori ſuo. quæ concluſio procedit, quando Orator vnius Principis contenderet cum Oratore
alterius Principis. Nam cuilibet locus & gradus aſſignaretur ex perſona Domini ſui. Sed vbi
ex parte vnius Principis interueniret Orator ſuus; ex alia vero parte eſſet alius Princeps in
propria perſona, tunc eſſet ſecus. Vnde perſona Regis Franciæ, etiamſi honorem debeat
Imperatori, illum tamen forte non deberet Oratori Cæſareæ Maieſtatis: ſed Oratoribus vtriuſque

conteq;

contendentibus procederent prædicta. Ita Decius declarat in *d.c. ſane*, dicens, per hoc Regem Franciæ voluiſſe in quodam conuentu, quod Dux Sabaudiæ, qui erat ibi perſonaliter, Legali Ducis Venetorum præferretur. Quod de Legatis vtriuſque factum non fuiſſet, quoniam ſinguli fuiſſent tractati ex perſonis ſuorum principalium. quod etiam refert Purpurat. in *leg. 1. de Offic. eius, numero* 633.

His ſic pro aliqua præſentis materiæ introductione præmiſſis nunc ad principalem quæſtionem deuenio, Vtrum Rex Romanorum Sereniſſimus debeat præcedere Regem Franciæ, vel econtra. Adducam primo aliqua, quæ pro præcedentia Regis Franciæ facere videntur. Et primo occurrit id, quod dicit Bald. *Conſilio. ducenteſimo decimoſeptimo. volum. terti.* incipien. *Ego puto*, (quem refert Purpurat. in *leg. prim. de iuriſdictio. omn. iudic. numero decim. tert.*) quod *nemo præſumat honorem ſuper vexilla Inuictiſſimi Regis Franciæ.* Et in *Conſil. ſequent.* dicitur, quod *de perſona Regis Franciæ nihil aliud dici poteſt, niſi quod dicitur de polo antarctico, qui non eſt noſtri Hemiſphærÿ.* Et idem Baldus *de prohibit. feudi alienat.* loquendo de Rege Franciæ, prout refertur à Purpurat. in *leg. quæcunque, de Offic. eius, numero centeſim. decim. quint.* dicit, quod *eſt ſupra omnes Reges tanquam ſtella matutina in medio nebulæ.* Et prædicta etiam refert Gulielmus Benedicti in *repetit. capit. Raynutius, de teſtament. folio, trecenteſi. tert.* dicens, quod *Rex Francorum habet immediate imperium à Deo, & nemini ſubÿcitur: nec*
7. *pro regno præſtat homagium, ſed ſoli Petro filialem obedientiam.* Et Paulo infra dicit, quod Rex † Francorum non eſt ſubditus Imperatori, vt ei ſubiiciatur, aut vt ipſum ſequatur, *capit. per venerabilem, Extr. qui filÿ ſint legitim.* vbi Pontifex de Rege Franciæ loquendo dicit, quoniam Rex in temporalibus ſuperiorem minime recognoſcat. per quem text. arguunt tenentes partes Regis Franciæ, quod ipſe eſt exemptus ab Imperatore, nec eum recognoſcat. quod plene tradit Igneus in Quæſtione ſua, *An Rex Franciæ ſubſit Imperatori*, quam poſuit poſt repetitionem *Authentica, Ex cauſa, Codic. de liber. præter.* Vnde quia non ſubeſt Imperatori, cum eo contendit de paritate, ſi non de ſuperioritate. Vt propterea dicit Guido Papæ *quæſtione ducenteſima trigeſima nona.* referens quendam, qui viderat Regem & Imperatorem ſimul incedentes, qui per portam lateraliter ſimul tranſiuerunt; non autem Rex ſequebatur Imperatorem, ne ſic colligeretur, quod eſſet ſubiectus Imperatori. Et ita refert dictus Gulielmus vbi ſupra; quod refert etiam Purpurat. in *leg. quæcunque, Digeſt. de Offic. eius, numero centeſimo vigeſimo.* & per Nicolaum Boerium tractat. *de ordin. grad. part. prim. numero duodecimo.* Per hoc poteſt inferri, quod ſi Rex Franciæ non ſubeſt Imperatori, ſed ab eo eſt exemptus: item ſi Imperator & Rex Franciæ ſimul incedunt, ita vt pares videantur: merito Regi Sereniſſimo Romanorum non poteſt Rex Franciæ cenſeri inferior: quia ſi inferior eſſet, paritatem non haberet cum Cæſare. Imo ſicut Cæſar ſuperat Regem Romanum in præcedentia, de quo nemo dubitat; & Cæſari non ſubiicitur Rex Franciæ, ſed parificatur, vt in exemplo prædicto; debet ex illa parificatione præferri Regi Romanorum, cui Cæſar
8. etiam præfertur, argument. regulæ; † qua à ſimili dicimus; Si vinco vincentem te, multo magis vinco te, *capitul. autoritate Martin. de conceſſ. præb. in ſext. leg. de acceſſion. Digeſt. de diuerſ. & temp. præſcriptio.* Et eſſet abſurdum, quod Rex Franciæ deberet vinci à Rege Romanorum, cum parificatur ei, qui Regem Romanorum vincit. Præterea Albericus de Roſate in *rubric. de ſtatu homi.* vbi deſcribit nomina omnium Regum Chriſtianorum, immediate poſt Regem Hieroſolymitanum nominat Regem Franciæ, deinde Regem Siciliæ, quarto Regem Angliæ. Et dicit hos quatuor ex priuilegio & ex antiqua ac probata conſuetudine coronari & inungi. Imo, quod plus eſt, nominat poſt hos quatuor Reges, alios ad numerum vigeſimum, quos dicit habuiſſe & extraxiſſe ex quodam libro Romanæ Eccleſiæ, qui intitulatur *Prouincialis.* Ab his ergo, quæ dicit Albericus, ſumi poteſt argumentum, quod ab ordine nominationis Rex Franciæ poſt ſaltem Hieroſolymitanum ſit cæteris dignior, per ea quæ in præmiſſis ſupra plene allegaui. Et tanto magis, quia de Romanorum Rege ne vllam quidem mentionem facit Albericus. Et quæ ſupra dixi allegando Albericum, eadem præciſe tradit Aluarotus in *libro Feudorum. titulo. Quis dicatur Dux, Comes*, & cætera. dicens, quod hæc ipſe habuerat ex tractatu cuiuſdam Rolandini ad Fudericum Imperatorem. Idem etiam tradit Anton. Corſetus *de poteſtat. regia, part. ſecunda, quæſtione decima quarta.* ponendo de diuerſis liquoribus, & diuerſitate locorum membrorum, quibus Pontifex vnguntur & Reges. Traditur etiam in *c. vnico, de ſacra. vnction.*

Et cum ex altera parte non ſint defuturi, qui velint aſſerere Regem Franciæ omnibus Regibus eſſe præponendum. de quo Rege fit mentio ſpecialis in *capitulo nouit. de iudic.* vbi appellatur *Illuſtriſſimus*, & in *capitulo hæc quippe tert. quæſtion. ſext.* vbi appellatur *Glorioſus*, & in *capitulo excellentiſſimus, duodecim. quæſtion. tert.* Conabuntur tales in medium adducere omnes prærogatiuas, quæ ſuo Regi Franciæ aſſcribuntur: quarum aliquas tangit Caſſanæus in *Comment. ſuo conſuetudin. Burgund. fol. quint.* vt ex illis adiiciant ad præcedentiam & præeminentiam ſuam, quam contenderint ſuſtinere. Et duodecim prærogatiuas eiuſdem Regis Franciæ ponit Ioh. de Selua *tractat. 6. de benefic. q. 23.* & refert Purpurat. *d. l. quæcunque, ff. de offic. eius, n. 156.* & Ioh. Feraldus 10. *volum. tract.* vbi extenſe ea ponit.

Nunc vero volens adducere rationes & fundamenta pro Sereniſſimo Romanorum Rege, contra Chriſtianiſſimum Regem Franciæ, puto neceſſarium eſſe prius oſtendere veritatem vnius concluſionis de contentione Sacratiſſimi Imperatoris & Regis Franciæ, videlicet quod in honore & in dignitate ſit ſuperior Dominus Imperator ipſo Rege Franciæ.

Hac

Hac enim concluſione firmata, fiet illatio ad quæſtionem præſentem de Rege Romanorum ad
Regem Franciæ. Certum eſt in primis, quod Rex Franciæ non poteſt contendere, nec conten-
dit, cum Imperatore de præcedentia. Nec enim poteſt dicere, quod ipſe Rex ſit ſupra Impe-
ratorem. Et quando hoc diceret, rem ridiculoſam diceret. Sed contentio, quam habet Rex
Franciæ cum Sereniſſimo Imperatore, eſt circa paritatem; quia vult ſibi eſſe par & æqualis: non au-
tem vult nec poteſt velle ipſum præcedere; ſed econtra Imperator iure poteſt prætendere præce-
dentiam, vt ante & ſupra Regem Franciæ ſit honorandus. Quæ concluſio quod iuridica ſit, multi-
pliciter oſtendi poteſt.

Et in primis poteſt iſta veritas oſtendi abſque eo, quod examinetur veritas alterius quæ-
ſtionis, de qua tamen plurimum dubitatur, videlicet vtrum † Rex Franciæ Imperatorem reco- 9.
gnoſcat, aut ſi de iure ſaltem recognoſcere debeat, licet de facto non recognoſcat. Quæ quæ-
ſtio tractatur pleniſſime per Ignenm vbi ſupra, per Albericum de Roſate in *leg. prima. Codic. de ſum-
ma trinitat.* & ibi per Ioannem Baptiſtam, de Sancto Seuerino *à numero octauo, vſque ad numer. vi-
geſim.* per Gloſſ. & Aluarot. in *capitul.* 1. *de pace iurament. firm.* per Iaſonem & Purpurat. in *dicta
leg. prima Codic. de ſumma trinitate.* In qua quæſtione tractatur etiam alia, † An Imperator ſit do- 10.
minus totius mundi. De qua Bartolus & Iaſon *in dicta lege prima.* Item tractatur alia, An Impe-
rium ſit à Deo, tam ante legem gratiæ, quam poſt legem gratiæ? An vero poſt Chriſti aduen-
tum poteſtas Imperii ſit à Papa Vicario Chriſti? De his quæſtionibus varia ſenſerunt Doctores
tam in locis prædictis, quam etiam de his plene tractatur per Reſtaurum in opere ſuo *de Impera-
tore, quæſtion. quinquageſima ſecunda.* vbi communem atteſtatur eſſe, quod *Imperator de iure ſit
Dominus vniuerſalis.* Ego iſtas quæſtiones ad ſpeciem noſtram de præcedentia non puto neceſſa-
rio eſſe tractandas, cum veritas noſtræ quæſtionis ex ſe poſſit haberi, etiamſi in illis concluſio
teneretur, quam tradunt Doctores Gallici, Regem ſcilicet Franciæ neque de facto, neque
de iure eſſe Cæſari ſubiectum, cum tamen Gloſſatores & Citramontani teneant communiter
oppoſitum, quod de iure ſubſit Imperatori. Et ſecundum concluſionem Citramontanorum
circa præcedentiam aperto iure eſſet reſpondendum, quod omnis ſubiectus ei honorem debet
& reuerentiam, cui eſt ſubiectus, *leg. ſecunda, & leg. liberto, Digeſt. de obſeq. liber.* Verum omiſſo
articulo ſubiectionis, certum † eſt, quod Papa & Imperator ſunt ſupremi omnium Principes, 11.
qui omnia poſſunt, ſi ſimul conueniunt, ſecundum Baldum in *leg. prima. columna nona, conſtitut.
Princip.* Et dicit Purpurat. in *dicta lege quæcunque, Digeſt. de offic. eius, cui mandat. eſt iuriſdictio, nume-
ro centeſimo decimo ſexto*, quod nullus Rex poteſt reperiri, in quo tanta ſit Maieſtas, ſicut in Impera-
tore. quem ideo Papa appellat *ſupremum Principem*, in *capitulo ad apoſtolicæ, de re iudic. in VI.* De quo
Imperatore habetur in *capit. ſolitæ, de maiorit. & obedient.* vbi Papa in ſuperſcriptione eum dicit
Illuſtriſſimum: in nigro vero dicitur *de excellentia. ſublimitate & celſitudine Imperiali.* Et licet in ni-
gro dicatur *de Regali poteſtate*, tamen intelligitur ex ſuperſcriptione de Imperiali, vt dicit Corneus
Conſilio ſeptuageſimo ſeptimo, penult. columna, volum. primo. Nam etiam Imperator dicitur *Rex*, in *cap.
ſolitæ, de maioritate & obedientia.* in *leg. inter claras, Codic. de ſumma trinitate.* De qua etiam celſitudi-
ne traditur in *leg. fin. Codic. de conſulibus & in Paragraph. filius, Inſtitut. Quibus mod. ius patr. poteſt. ſolui-
tur.* Et refert Purpurat. vbi ſupra, numero vigeſimo octauo, in fin. quod quidam Laurentius de
Aquilegia in libello *de Epithetis* dicit, quod *hæc nomina in gradu ſuperlatiuo, Sereniſſimus, Inuictiſſimus,
Victorioſiſſimus, Excellentiſſimus, Inclytiſſimus, Illuſtriſſimus, conueniunt Imperatori: poſitiua vero dicto-
rum ſuperlatiuorum adaptantur ad Reges.* Sequitur Corſetus *de Regia poteſt. quæſtion. vigeſima prima.*
Facit textus in *capitul. in apibus, ſeptim. quæſtion.* 1. per quem dicimus, quod de iure omnes Principes
ſubſunt Imperatori, & omnes nationes eidem ſubiiciuntur, *Sexageſima tertia diſtinct. capit. Adrianus.*
Et omnes ſunt in poteſtate Imperatoris, *octaua diſtinct. capitul. quo iure.* Et hæc adducit Speculator.
titul. de appellation. Paragraph. nunc tractemus, & Gloſſ. in *capit. venerabilem, verb. Germanos, de electione*
& Iaſon in *ſecund. lectura leg. prima Codic. de Sacroſanct. Eccleſ. numero octauo*, & ibi concludit, quod
communis Doctorum tenet, quod Imperator de iure eſt dominus totius mundi, *lege deprecatio.
Digeſt. ad leg. Rhod. de iact. lege ſi duas, Paragraph. prim. de excuſat. tut.* Licet plerique ſint, qui de facto
eum non recognoſcant, &c. Et licet hodie his vocabulis abutamur, vt etiam in iure aliquando
Imperator vocetur *Illuſtris*, vt in *dict. cap. ſolitæ*; tamen non ſequitur, quin ſemper ſit ſupra Illuſtres,
& ſupra Illuſtriſſimos. Facit text. in *auth. Vt omnes obediant iudici, Paragraph. hæc conſiderantes*, quod
Imperator præeſt vniuerſæ ditioni, quæ videt aſcendentem & deſcendentem Solem. & eſt domi-
nus Orientis, Occidentis, Meridiei & Septentrionis, in *auth. de mand. Princip. poſt princip.* Et dicit
idem Purpurat. vbi ſupra num. 36. quod licet multi ſint Principes, qui in eorum territoriis æquipa-
rentur Imperatori, vt dicit Bart. in *l. hoſtes, Digeſt. de captiu.* tamen nullus eſſe videtur, qui tanto ti-
tulo ſit honeſtandus, ſicut Imperator; quia omnes præeminet quoad ſupremam poteſtatem. Et
Baldus appellat eum *ſummum ſuperiorem*, in *leg. penultim. in princ. Codic. de bon. quæ liber.* Faciunt no-
tata per Alexandrum & Purpurat. in *Rubr. de iuriſdiction. omn. iudic.* Quod † Imperator eſt ſuper 12.
omnes, & dicitur Vicarius Dei in terris, *leg. ſecunda. Paragraph. ſed quia, Codic. de vet. iur. enucl.* Con-
firmatur ex traditis per Felin. in *capit. quæ in Eccleſiar. de Conſtitution.* vt refert Purpurat. in *leg. prim.
Codic. de ſumma trinitate numer* 14. quod poſt Papam ſummus eſt Imperator, qui omnibus Dominis
temporalibus præeſſe debet, ſaltem quoad illam ſupremam poteſtatem ab eo inabdicabilem, quem
eo reſpectu omnes recognoſcere congruum videtur. Et dicit ſibi ſemper fuiſſe viſum, quod in terris

Papa

Papa in Spiritualibus præſit omnibus, & Imperator in temporalibus, iuxta *c. ſolitæ de maiorit. & obedient.* Et eſt concluſio, quæ magis communiter tenetur, vt duplex ſit poteſtas ordinata à Deo, & deſignata per illud, quod fecit Deus in creatione mundi, creando duo luminaria, Solem & Lunam; per *Solem* deſignando poteſtatem ſpiritualem; per *Lunam*, temporalem. vt ſpirituali præeſſet Pontifex. temporali vero Imperator. Et quanto ſunt digniora ſpiritualia temporalibus, ſicut dignior eſt anima corpore, tanto etiam excellentior Papa eſt Imperatore, vt probat text. *in dict. capit. ſolitæ, de maiorit. & obedient.* Hinc etiam eſt, quod in aduentu Epiſcoporum aſſurgunt Reges & Principes; & locantur Prælati in ſede honoratiore, quæ eſt à dextris, vt dicit Ioh. Andreæ, Abbas, & alii in *d. c. ſolitæ.* Et ita factum eſt in Synodo Tridentina.

Per hoc vero, quod Papa præſit in Spiritualibus, non ideo debet intelligi, quin etiam habita ſit in eo poteſtas temporalium, quæ quidem in eo eſt ſecundum Canoniſtas in *cap. nouit, Ext. de iudic.* Et habet Papa vtrumque gladium; ſpiritualem habitu & exercitio, temporalem vero tantum habitu, quia exercitium committitur Imperatori. Et hoc in temporalibus exercitium Deus interdixit Petro, cum iuſſus fuit gladium non abiicere, ſed mittere in vaginam, vt alibi declaratur in *d. c. nouit, de iudic. ſuper Gloſſ. ſecund. quart. & quint. colum.* & cæteri omnes ibidem, & in ſuis tractatibus. Et hæc tenenda ſunt à nobis Chriſtianis, niſi alioqui velimus incurrere in illum errorem, in quem dicunt Dantem incurriſſe, quem ideo Bartol. dicit de hæreſi damnatum, in *leg. prima §. prima colum. fin. Digeſt. de requirend. reis*, per hoc quia tenuit Imperium non deſcendere ab Eccleſia, cum Eccleſia teneat contrarium. De quo etiam Dante meminit Felinus, quem Purpurat. in *leg. prim. Codic. de ſumma trinitate, columna ſecunda*, allegat. Hæc de Papa obiter ſint dicta. Sed ad propoſitum noſtrum.

Quando quæritur de honore, dignitate & excellentia Imperatoris, non eſt ambigendum, quin Imperator præcellat, & ſupra Regem Franciæ & omnes alios ſit præ cæteris omnibus præhonorandus. Sic enim ſeruat conſuetudo & ritus Romanæ Eccleſiæ, vt ex libro *Ceremonialium Eccleſiæ Romanæ* colligi poteſt, in quo Cæſar immediate poſt Papam præhonoratur. Pro qua concluſione nouiſſime adduco quendam Caſſaneum Doctorem Gallum in libro prædicto ſuo intitulato *Catalogus gloriæ mundi, in quinta part. vigeſima octaua, conſider. in fine*, vbi dicit: *Quia tamen ab Eccleſia Romana dignitas Imperatoris reputatur maior propter approbationem, quam fecit Eccleſia de Imperio illud transferendo à Gallis in Germanos, capit. in Synodo, vigeſimo tertio, diſtinct. prim. in omnibus locis indifferenter extra Regnum Franciæ Imperator ſedet à dextris, & Rex Franciæ à ſiniſtris: & ſic præfertur propter autoritatem & præeminentiam, quam habet ab Eccleſia ex vnctione & coronatione, capit. per venerabilem, de electione.* Et cum de præcedentiis perſonarum agitur, maxime eſt inſpicienda practica & conſuetudo in his ſolita obſeruari, ſecundum Baldus in *capit. primo Paragraph. Marchio, Qui feud. dare poſſunt.* in *capit. cum olim, de conſuetud.* in *leg. obſeruare, §. antequam, Digeſt. de offic. præſid.* dicens. *Vadat primo, qui prius ire conſueuit.* Et ibidem Innocent. in *capit. primo, de maiorit. & obedient.* ibi; *in his præualet conſuetudo.*

Cui concluſioni non obſtant ea, quæ ſupra adducta ſunt de Rege Franciæ, de quo ſupra retuli, quæ Bald. de eo dicat, & quod Guido Papæ refert eſſe in Francia ſeruatum. Nam ad iſta reſpondetur multipliciter. Primo, quod Bald. non probat ea, quæ in commendationem Regis Franciæ dicit. vnde ſuæ autoritati non eſt ſtandum, quando rationem non habet concluſionem ſuam probantem, *leg. illud, Codic. de collation.* Autoritas enim Doctorum eſt probabilis, non neceſſaria, Gloſſ. in *leg. prima. Codic. de leg.* Secundo, ea, quæ dicit Baldus, non dicit reſpectiue ad Imperatorem, ſed comparatione inter Regem Franciæ & cæteros Reges. Nec ideo velim, quod ſtatim inferas, quod velit ergo Baldus, Regem Franciæ præponi debere Regi Romanorum, cum eum præponit cæteris Regibus. De hoc enim infra particulariter dicetur, quando prius oſtendero & adduxero iura pro Rege Romanorum. Nunc enim tantummodo ago de Cæſarea Maieſtate.

Non obſtat, quod Rex Franciæ ſit exemptus ab Imperatore, & eum nec de facto, nec de iure recognoſcat in ſuperiorem. Huic rationi primum poſſet reſponderi, quod circa hoc verior eſt opinio, quæ tenet, ipſum Regem de facto non recognoſcere Imperatorem, ſed de iure quod eidem ſubeſſe debet, ſicut tenet Gloſſ. in *dict. capit. per venerabilem, Qui filii ſint legitimi.* Cum enim textus dicit, *quod Rex Franciæ ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcat*, dicit Gloſſa, *de facto hoc procedit*; ſentiens quod de iure debet recognoſcere. Et iſtam ſententiam tradunt Doctores omnes fere, præter illos, qui ſunt Regi Franciæ ſubditi, cui volentes blandiri illud dicunt, quod ſcilicet neque de facto, neque de iure recognoſcat. De quo vltra Igneum plura tradit Caſſan. in libro prædicto, quem intitulat *Catalogum gloriæ mundi, in quinta part. vigeſimæ octauæ conſiderat. An Imperator ſit dominus totius mundi.* Quod ſi de iure recognoſcit, ſiue debet recognoſcere, tunc pro-
15 cedit concluſio, quod iure inſpecto eidem & reuerentiam debet. Nec † inſpici debet, quod de facto fit, ſed id quod de iure fieri debet, vt eſt text. in *leg. ſed licet, Digeſt. de offic. Præſid.* Præterea pro ſuſtinenda concluſione prædicta, ſufficit ſic eſſe conſuetum fieri, vt Imperator primus poſt Pontificem, etiam Regi Franciæ præponatur; & Imperatori hoc poteſt deberi, etiamſi de facto eum non recognoſcat, quia reliquiæ Imperii Romanorum antiquæ poſſunt hoc præcipuum habere, vt qui in illo Imperio ſucceſſit, hanc habeat præeminentiam, iuxta ea quæ de reliquiis prioris ſtatus tradit Cynus in *l. 2. C. de ſum. trinit.*

Non

Non obſtat aliud, quod refert Guido Papæ, quod Imperator & Rex viſi ſint lateraliter ire ſimul, non autem Imperator præcedebat, & Rex ſequebatur. Quoniam reſpondetur,† quod etiam 14
in pariter incedentibus eſt dare præeminentiam, in eo ſcilicet, qui à dextris deambulat, vt ſupra dixi. Vnde ſi tunc Imperator deambulabat cum Rege Franciæ à latere dextro, vtique fuit ſignificatio maioris honoris. Si etiam à latere ſiniſtro erat poſitus Imperator, hoc fieri potuit ſine tamen neceſſaria conſequentia vel illatione minoris honoris, ex eo quod dicimus, quod inter duos æquales ille, qui eſt in ſuo territorio, dicitur eſſe maior altero, Gloſſ. in *l. apud eum, ff. de manum. vind.* per quem text. Anan. in *cap. 1. de raptu* refert Angelum dixiſſe, quod *quilibet minimus magiſtratus in loco, vbi gerit officium, eſt maior quocunque magno magiſtratu.* Vnde Epiſcopus in terra ſua debet honorari ab archiepiſcopo, Gloſſ. & ibi Plateanus in *l. nihil, C. de palat.* & ibi Lucas de Penna ſubnotat, *deberi reuerentiam & honorem regulariter à minore maiori, niſi maior ſit in domo minoris*, vt ibi per eum, & per Caſſan. in opere ſuo intitulato *Catalog. glor. mundi, 4. part. 22. conſiderat.* Et ideo in propoſito dicti exempli bene dicit Purpurat. in *d. l. quacunque, num. 120. de offic. eius*, quod licet vnus iſtorum alterum non præcederet, tamen poteſt eſſe, quin in altero fuerit præcedentia ratione lateris. Et refert Caſſaneus in *dicto libro, in 5. part. 30. conſiderat. pen. col. in fin.* quod in illo exemplo, quod adducit Guido Papæ de Carolo, Romanorum Imperatore, & Carolo V. Francorum Rege, quod Imperator Romanorum ſedebat à dextris, & deambulabat à dextris: Rex vero Franciæ à ſiniſtris: quod dicit quidam Guaginus ab eo ibi relatus. licet ibi ſubiiciat, quod ex quo Rex Franciæ prætendit paritatem cum Cæſare ob minoritatem, potuit Rex permittere in Regno ſuo, quod Cæſari daretur dextra. Quod ſatis pro excuſatione dici poſſet, ſi Rex Franciæ eſſet perſona plus humilis, quam elata. Quia † primus gradus humilitatis eſt deferre maiori, & æquali ſe non præferre, 15
vt dicit Gloſſ. in *Clem. 1. de religioſ. domib.* & Abbas in 1. *vol. conſil. 21. num. 5.* Sed iſta non ſolent fieri à perſonis elatis. Quare magis dixerim, Imperatorem à dextris fuiſſe locatum, quia ſic de iure fieri debuit, quam ex humilitate Regis Franciæ. Præterea non quod iſti referunt in Francia factum, ſed id quod alibi indifferenter fit, & in vſu eſt, inſpiciendum venit. In vſu vero eſt, ex teſtimonio etiam Doctoris Caſſanæi, qui eſt Gallus, quod Imperator præcedit Regem Franciæ, cum à Pontifice Romano inungatur & coronetur. Et ſic eius præeminentia ſuper omnes approbatur.

Supereſt vt adducamus fundamenta pro Sereniſſimo Romanorum Rege. Ab eo enim, quod Imperator Sereniſſimus eſt præponendus Regi Franciæ, arbitror euidentiſſime poſſe demonſtrari, eandem præeminentiam eſſe Sereniſſimo Romanorum Regi debitam, quaſi inter Imperatorem & Regem Romanorum nulla vel modica ſit differentia. Et in primis ſciendum, quod Romanorum Rex eligitur per Reuerendiſſimos & illuſtriſſimos Electores Imperij: de quibus & eorum nominibus ponit Gloſſ. *in cap. ad Apoſtolica, de re iudic. in 6. gloſſ. penul.* & plene per Reſtaurum Peruſinum in libello ſuo *de Imperatore*, in qua tractat de tranſlatione Imperij à Græcis tranſlata in Carolum, & an Gallus fuerit, an Germanus. Et *in* 8. tractat diffuſe de Electoribus, & ſingulorum qualitate, vbi videndum. Et de vnctione Imperatoris, de ſorte olei, & qua parte corporis plene in dicto libello videndum. & ſimiliter de coronis & ſignificatione coronarum, *à quæſt. 17. vſque ad 35.* Et vbi concorditer per eos eſt electus, talis dicitur REX ROMANORVM, FVTVRVS IMPERATOR, *Clem. 1. de iureiurand. & cap. venerabilem, ext. de elect. & cap. in nomine, 23. diſtinct.* Qui Rex Romanorum inungitur, & triplici corona coronatur, ferrea Coloniæ, argentea Mediolani, & aurea à Pontifice, à quo etiam confirmatur: & ex confirmatione, quæ fit per coronationem, conſequitur nomen Imperatoris: ante vero coronationem Papæ nominatur Rex Romanorum, *Clem. 1. de iureiurand.* vbi Gloſſ. ponit de iſta triplici coronatione. Sed copioſe ſatis per Reſtaurum, vbi ſupra.

Hoc præmiſſo, vna quæſtio ſubintrat, à qua pendet deciſio quæſtionis de noſtra præcedentia inter Romanorum Regem & Franciæ Regem, ex teſtimonio prædicti Caſſanei *in 5. part. 29. conſiderat.* qui poſtquam retulit de præcedentiæ contentione inter Oratores Sereniſſimi nunc Imperatoris Caroli, cum nondum à Pontifice erat coronatus, & Franciſci Regis Franciæ in oppido Caleth, Anno 1521. pro Rege Romanorum tunc interueniente Domino Mercurino Cancellario, & pro Francia Domino Antonio de Prato: relata vero iſta contentione & fundamentis, quibus vtebantur ſuper coronatione & inunctione fundatis, & nulla deciſione poſita, ſubiicit deciſionem quæſtionis pendere † ab hoc quæſito: *Numquid electus in Regem Romanorum, ante coronationem* 16
Papæ dicite aſſumat nomen Regis, ac iura imperij adminiſtrare poſſit, tanquam eandem poteſtatem habens, quam Imperator, in prouinciis & regnis imperio ſubiectis. Vbi adducit duodecim rationes, quod ante approbationem ab Eccleſia non habeat nomen, nec poſſit adminiſtrare. Pro contraria opinione, quod facta electione poſſit adminiſtrare, adducit Iacobum de Arena, Cynum, & alios *in l. bene à Zenone, C. de quadr. præſcript.* Sed ad rationes, quæ pro affirmatiua adducuntur, ibi reſpondet. Ita quæſtio, vt dicit Decius *conſilio ſuo* 194. eſt antiqua, de qua Doctores dubitant: *An Rex Romanorum, cum non ſit coronatus, & adhuc non poſſit dici Imperator, poſſit priuilegia concedere, & alia facere, quæ ab ipſo Imperatore fieri poſſunt.* Et dicit partem negatiuam firmare Oldradum *conſil.* 180. Speculatorem *tit. de reſcript. præſent.* Gloſſ. *in dict. l. bene à Zenone*, & ibi Salycet. & in *Diſputatione ſua Mediolanenſi*, &c. Et hanc quæſtionem eſſe diſputabilem, per ea quæ Præpoſit. tradit in *c. laudabilem, qui filii ſint legitimi.* Sed Decius vbi ſupra, & in *conſilio* 588. loquens de clariſſimæ memoriæ Maximiliano & Carolo V. antequam eſſet coronatus, dicit (inquam) talem diſputationem non eſſe neceſſariam: quia communis opinio ſcribentium tenet partem affirmatiuam, quod *Rex Romanorum ante coronationem*

 nem

nem Pontificis poteſt omnia, quæ poteſt Imperator poſt coronationem. & quod ita de conſuetudine obſeruatur: pro qua allegat Iacobum de Arena in diſputando firmaſſe. quam diſputationem refert & ſequitur Cynus *in d. l. bene à Zenone*, & ibi Butrigarius & Angelus idem dicit. Idem tenet Bartol. *in l. ſed & reprobari, de excuſat. tut.* & clarius *in tractat. Extrauag. ad reprimendum*, in verb. *Reges*, vbi per illum text. dicit, quod hodie ceſſat dicta diſputatio Iacobi de Arena & Cyni, cum Rex Romanorum, qui eſt Rex ante coronationem, poſt vero eſt Imperator, poteſt adminiſtrare, priuilegia concedere, condemnationes facere, tanquam Imperator. Vnde ibi probatur, quod crimen læſæ maieſtatis non minus committitur contra Regem Romanorum, quam contra Imperatorem. Et pro iſta parte etiam adducit Baldum, Calderinum, Signorolum, Paulum de Caſtro, Cardinalem, Imolenſem, & Abbatem, vt ibi videri poteſt in *dictis duobus conſiliis*. Et dicit Abbas *in cap. venerabilem, in fin.* quod olim erant variæ opiniones, ſed hodie de conſuetudine eſt receptum, quod ſtatim Rex
17 Romanorum poteſt ante coronationem adminiſtrare: quia in † ſupremis Principibus ſola electio tribuit plenum ius, vt hoc dicit Decius de Papa & Imperatore, *in cap. poſtquam, de elect.* Dicit etiam Bald. *in titul. de pace Conſtantiæ*, ſuper verb. *Nos Romanorum*, in fin. in verbo *Rex*, referendo Hoſtienſem, quod vidit in Alemannia per Principes iudicari & teneri, quod Rex Romanorum poſt electionem concordem habeat omnem poteſtatem, quam Imperator, nec vnctio aliquid addat. Et licet dicat, Hoſtienſem eſſe in contraria opinione, ſubijcit Baldus, quod quicquid dicat Hoſtienſis, illud poſſet habere locum, quando eſſet electus in diſcordia. Sed prima opinio ſeruatur in practica, & eſt ſecundum Baldum ipſa veritas. Hanc etiam quæſtionem tangit Reſtaurus in dicto opere, quæſtion. 461. numer. 4. dicit: *Communis opinio tenet, vt ſupra dixi, in omni genere adminiſtrationis.* Nam quidam, vt Salicetus, diſtinguebant actus contentioſæ & voluntariæ iuriſdictionis. Et ideo Reſtaurus dicit, *in omni genere adminiſtrationis.* Ad quam concluſionem etiam inducit Bertachinum *in tractat. de Epiſcop. in §. vltim.* & Ioannem Cirier Gallum *in tractat. de primogenitura, libr. 2.* ante Corſetum *de poteſtat. regia.* Pro qua nouiſſime conſuluit Corneus Peruſinus *conſil. 1. libr. 3. & conſil. 177. libr. 1.* vbi nititur iſta ratione, quod Reges Romanorum plerumque differunt coronationem: quod veriſimiliter non facerent, ſi antea adminiſtrare non poſſent. Pro qua poſtremo adducit Epiſcopum Gurgenſem in *libro ſuo de Coronatione, charta 27. & ſequentibus.* vbi concludit, quod Imperator futurus ex ſola electione poteſt adminiſtrare, ſi rite & legitime ſit facta. Imo plus voluit, quod verus efficitur Imperator, & omnia poteſt exercere. Et dicit etiam Reſtaurus, *vbi ſupra numer.* 8. quod ne vetuſtiora repetantur, idem Gurgenſis refert Albertum & Maximilianum non inunctos nec coronatos, & tamen munus imperij obijſſe: ita vt ex coronatione nihil noui iuris Cæſaribus accedat. Refertque conſtitutionem Ludouici Imperatoris tempore Ioannis XXI. & Benedicti XII. qua ſanciuerunt, quod ex ſola electione ſit verus Imperator cum adminiſtratione: & qui ſecus dicunt, ſint priuati omnibus iuribus, & criminis læſæ maieſtatis pœna puniendi. Reſoluendo ſe demum dicit, electionem eſſe ſubſtantiam pro ipſa dignitate; reliqua vero tendere ad ſolemnitatem, vtilem tamen, & non parui pendendam. Sed & Salycetus *in dict. l. bene à Zenoone, de quad. præſcript. in fin.* poſtquam concluſit de iure Imperatorem ante coronationem non poſſe adminiſtrare, dicit tamen ſeruandam eſſe conſuetudinem prius approbatam. In vno tamen deuiat Gurgenſis à communi, vt refert Reſtaurus, *vbi ſupra, quæſtion.* 45. quia voluit, quod facta electione rite & legitime, verus ſit Imperator, & nominari poſſit Imperator; in quo tamen reſpectu nominationis communiter tenetur, quod ante coronationem & confirmationem Papæ nominetur Rex Romanorum; poſt vero nominetur Imperator. Et ita in practica obſeruatur, vt per Reſtaurum, *vbi ſupra*, qui dicit, rationes adductas per Gurgenſem concludere quoad ius adminiſtrationis, non quoad veram & propriam nominationem. Sed hæc concluſio maxime in noſtro Sereniſſimo Romanorum Rege procedet, quoniam ab Eccleſia Romana eſt approbatus in Romanorum Regem, & ei per Pontificem ſcribitur: *Romanorum Regi.* Qui caſus minus dubitationis habet, quam ſi nec approbatus eſſet à Pontifice, vt de approbato loquitur Paulus *conſilio* 107. ſecundum antiquam ſtampam, vbi loquitur de Imperatore Sigiſmundo, antequam coronaretur. Et quia Rex noſter præterea Coloniæ vnctus & coronatus dicitur, & regalia concedit, ſceptrum & coronam habet, priuilegia donat, vt in alio, niſi in nomine, differre non videatur ab Imperatore. Qua concluſione ſtante, ex verbis Caſſanæi ſupra adducti inferri debet, quod merito Regi Franciæ eſt præponendus, ſicut eidem præponitur Imperator. Quia ex prædicta concluſione communi & approbata, Rex Romanorum habet iura imperii, & omnia adminiſtrat, ſicut Imperator. Inter autem iura imperii & iura debita Imperatoris hoc eſt vnum, quod magis debeat honorari, quam Rex Franciæ. Igitur idem ius honoris debetur Regi Romanorum, qui habet iura imperii, per dicta ſupra ſecundum opinionem communem. Confirmatur, quoniam Rex Romanorum propter ſpem à iure approbatā de ſuccedendo in imperio, *in c. in nomine, 23. diſt. & in Clem. 1. de iureiur.* ibi: *futurus Imperator*, debet honorari ad modum, quo honoratur Imperator, argumento eius, quod
18 dicit Gloſſ. *in c. fin. 24. quæſt. 1.* quod † filius Regis, viuo Rege, dicitur Rex, vt Bald. etiam dicit *in l. in ſuis, de lib. & poſthum.* plene per Corſet. *de poteſt. Regia, 24. q.* Et filius Comitis dicitur Comes, per Iaſonem *in tract. feud.* in verb. *Comes.* Ita videmus, quod primogeniti Regis honorantur præ cæteris, quia locantur à dextris Regis, *c. quam ſit, 7. quæſt. 1.* Si hæc procedunt in illis, cur non multo magis in Rege Romanorum ſucceſſuro in imperio poſt annos Cæſaris fœliciter transactos, & cuius ius ſuccedendo in imperio eſt approbatum ab Eccleſia Romana;

Tertio, quid eſt aliud eligere Regem Romanorum in vita Cæſaris, quam imperialem digni-
tam & adminiſtrationem de vno in alium prorogare, vt ſic de vno fratre prorogetur, & extendatur
in alium fratrem. Quæ quidē electio confert dignitatem, non tamen immediate Imperialem, quan-
do fit vacante imperio, *c. licet, de for. comp.* ſed quando fit viuo Imperatore, dicitur tunc eſſe proroga
tio quædam de perſona in perſonam. Prorogatio † autem eſt eiuſdem qualitatis adiectio, *l. ſed & ſi* 19
manente. ff. de precar. & intelligitur eiuſdem formæ & naturæ, *c. hi qui, de præbend.* in 6. Non poteſt
dignitas prorogata eſſe eiuſdē qualitatis & naturæ, niſi ſi regalis habeat pręeminētiam, quā habet Im-
perialis, q̄ extendi debet cum ſua natura & qualitate: cōſequenter cum ſua præeminentia & honore.

Vltimo, quod Rex Rom. debeat honorari, & reuerentiam habere, quia eſt futurus Imperator.
Hoc dicitur *in d. c. in nomine, 23. diſt.* Et tenendo hanc partem in fauorem Sereniſſimi Romanorum
Regis, reſpondetur ad quædam contraria adducta pro Rege Franciæ, ad quæ ſupra, dum de Impera-
tore agebatur, non fuit reſponſum. Sed hoc loco reſponſio fuit reſeruata, cum rationes illæ ſolum-
modo reſpiciant Romanorum Regem, & Regem Franciæ.

Reſpondetur ergo primo, quod ea, quæ Doctores dicunt de Rege Franciæ, & eius commenda
tione & pręrogatiua, poſſunt procedere' & verificari, quoad ſe, quando cōparatur cum cęteris Regib.
Chriſtianitatis præter Roman. Regem. Secus eſt, ſi quæſtio ſit inter Regem Roman. & Regem Fran
ciæ: quia quemadmodum illæ conſiderationes pro Francia non concludunt contra Imperatorem,
ſic nec etiam poſſunt concludere contra Regem Rom. propter eandem imperii adminiſtrationem
in vtroq; pari modo exiſtentem. Si enim alii Reges differunt à Rege Romanorum, quia alii ſunt puri
Reges, nullum ius nec nunc habentes, nec qui ante electionem de ſe factam in imperij ſucceſſione
ſperare poſſunt, ſpe ſcilicet iuridica & conſiderabili, quod de Romanor. Rege dici non poteſt, quem
canones dicunt futurum Imperatorem, dicta *Clem. 1. de iureiur.* Non eſt mirum, ſi Rex Franciæ com-
paratus ad cæteros Reges habet pręeminentiam, quia tam ipſe, quam cæteri Reges quoad ſucceſſio-
nem imperii ſunt pares, & de nullo eorum dici poteſt, quod de Romano Rege dicitur, quod ſint fu-
turi Imperatores. Merito Rex Roman. non poteſt poni in numero cæterorum Regum: ſed ſpeciali
nota dignus eſt, quia ad ſucceſſionem imperij eſt vocatus, vt ſupra. Et hac etiam ratione factum cre-
diderim, quod neq; Albericus, nec alij, qui ponunt nomina Regum Chriſtianorum, non nominānt
Romanorum Regem, quaſi quod perſona ſua veniat ſub nominatione Imperatoris, qui Imperator
eſt ſuper omnes Reges. Et † nominato Imperatore, nominas eum, qui eſt, & qui futurus eſt Impera- 20
tor, vt in ſimili dicit Baldus, quod pater includit filium *in l. 2. in fin. C. de ſum. Trinit.* Ita vt ſi Rex no-
ſter, tanquam Rex Hungariæ vel Bohemiæ non poſſet præcedere Regem Franciæ, eum tamen & iu-
re præcedere debebit, tanquam Rex Romanorum, futurus Imperator. Ex perſona etiam Imperato-
ris poteſt hanc præcedentiam conſequi, quam ex propria & vt ſimplex Rex Hungariæ vel Bohemiæ
non poſſet. Hoc enim iure cautum eſt, dicit text. *in l. Ariſto, in fin. ff. quæ res pignor. oblig. l. 2. §. 1.* vbi not.
ff. de adminiſt. rer. ad ciuitat. pertinent. & pulchre text. *in c. authoritate Martini, de conceſſ. præben. in 6.*

Similiter non obſtat, cum dicebatur, Regem Franciæ ante alios præter Hieroſolymitanum no-
minati, & ideo quod ab ordine literæ ſit ſuperior, &c. ſupra proxime reſponſum eſt, differentiam eſ-
ſe inter Regem & Regem. Præterea illa ratio faceret ad rem iſtam, quando poſt nominatum Regem
Franciæ nominaretur Rex Romanorum. Sed ex quo ipſe non nominatur, ordo literæ nihil infert,
præcipue cum ſupra oſtendi, quare Rex Romanorum non eſt in ordine aliorum Regum, ſed ſupe-
rior, propter ius, quod habet ſuccedendi in imperio, approbatum à ſede Apoſtolica: & propter ad-
miniſtrationem iurium imperialium, quam tanquam Imperator facit. Imo ſi ab hoc ordine velis ar-
guere, do tibi textum, in quo pro eodem ponitur Imperator & Rex Romanorum, *in c. fundamenta,*
§. proinde, de elect. lib. 6. vbi dicitur: *Imperator ſiue Rex Romanus, aut alius Imperator,* (dicit Gloſſa: *Græ-*
corum) *aut Rex, Princeps, Dux, Marchio,* &c. Pondera diligenter textum, quod ibi ponit dictionem
ſeu. Item ponit dictionem *aut.* Primam ponit, cum nominatur Imperator & Rex Romanorum, di-
cendo *ſeu*; quæ † eſt ſignificatiua eiuſdem perſonæ, iuxta illud Alexandri *in l. ad protegendam, C. de in* 21
litem dand. tut. Dum vero ponit alternatiuam *aut*, inter Imperatorem Romanorum & Græcorum,
& inter Regem Romanorum & alios Reges, vt ſignificet perſonas eſſe diuerſas, quia alternatiua *vel*
ponitur inter diuerſa, vt per Bart. *in l. ſi is qui, §. vtrum, de rebus dubiis, col. 2.* Quæ inductio ſecundum
proprietatem verborum optime concludit ea, quæ prædixi.

Non obſtat fundamentum adductum de parificatione Regis Franciæ ad Imperatorem, quo-
niam iſta paritas non eſt concedenda, ſed bene prætenditur à Rege Franciæ. At Imperator pręendit
non paritatem, ſed maioritatem, quam de iure etiam obtinet, ſedendo à dextris Papæ. Meriro cor-
ruit fundamentum ſuper parificatione Cæſaris & Regis Franciæ, quia parificatio non probatur,
cum iure de ſuperioritate Cæſaris conſtet, per ea, quæ ſupra dixi.

Non obſtat, quod Rex Franciæ ſit exemptus ab imperio. Supra dixi, exemptionem eſſe de via
facti, non de iure. Sed adhuc reſpondeo, quod licet poſſit in Rege Franciæ concedi exemptio, ſiue de
iure, ſiue de facto, tamen per hoc non poteſt inferri, quin Cæſari ſuperioritas & reuerentia debeatur.
Quod in ſimili videmus in exemptis, qui non ideo ſunt à reuerentia liberati, vt probat Oldradus &
Baldus *in l. fin. C. de bon. lib.* Felin. *in c. conquerenti, de offic. ordinar.* Gloſſ. & Doctores *in c. paſtoralis, de*
donat. Imola, Angelus & Romanus *in l. alia, §. eleganter, ſoluto matrim.* Et quod iſta exemptio non ſit
attendenda, patet ex concluſione ſupra poſita de dignitate Imperatoris præponenda Regi Franciæ.

Erunt fortaſſis aliqui, qui vt præmiſſa euitent, conſiderabunt de Rege Romanorum poſſe du-

plici modo tractari: vno modo, quando mortuo Imperatore, & vacante imperio, conueniunt in
Francofordia Electores imperii, vt eligant Roman. Regem, Imperatorem futurum. & tunc facta ele-
ctione de aliquo, ſi cum iſto contingeret haberi contentionem cum Rege Franciæ, poſſet ex funda-
mentis ſupra adductis teneri, quod Rex Rom. vbi vacat imperium, ille ſit, qui in omnibus & per o-
mnia pro Imperatore ſit tractandus. Noſter caſus non eſt iſte, ſed alius: quia nunc ſcilicet imperium
non vacat, & tamen electum videmus Rom. Regem, inter quem & illum, qui vacante imperio elige
retur, differentia eſſe videtur. Quod demonſtrari poſſe videtur ex eo, quia donec viuit Imperator,
non poteſt Rex Rom. in eius gradum & locum intrare: & ideo nec Imperator nominatur. Sed tunc
intrat locum, quando vacat imperium. Sic de patre & filio dicimus, vt viuente patre filius nõ habeat
22 nec poſſit habere locum patris. Quia † donec viuit primus, non tenet eundem locum ſecundus, niſi
eo mortuo, *l. quamdiu, ff. de acquir. hær. l. Gallus, ff. de lib. & poſth.* Sic viuente Cæſare non poteſt Rex
tenere locum Cæſaris: quia ſic eſſent duo Imperatores, quod eſſe non poteſt. Hinc dicimus, quod ſi
aliquis teneat locũ Principis in ciuitate, illum tenebit, donec Princeps abſit; ſed ſuperueniente Prin-
cipe, deſinit locumtenentia. adeo vt quibuſdam videatur, quod Cæſare in Concilio interueniente,
non poſſit Rex Rom. interuenire, quia in duobus ſubiectis eſſet vna & eadem perſona. & reſpectu
vnius dignitatis duo in Concilio eſſe non poſſunt, vnus re, alius ſpe. Vnde debet tanquam Rex Vn-
gariæ interuenire, vel Bohemiæ, non Romanorum. Sed certe ſi hoc vltimum eſſet verum, tunc ſeque
retur concluſio contraria his, quæ ſupra dicta ſunt in fauorem Rom. Regis. Si enim in loco Concilii
non poſſet ipſe, vt Rex Roman. interuenire, ſed tantum vt Rex Hungariæ vel Bohemiæ; tunc neceſ-
ſario deberet ipſe ſubeſſe Regi Franciæ, ſi vterque perſonaliter adeſſent: & idem de Oratoribus v-
triuſque. quia vt tales (Hungariæ & Bohemiæ) Reges non habent præeminentiam contra Regem
Franciæ: ſed Rex Romanorum tantummodo eam habet, & vt Rex Roman. & ſub hac qualitate in
Concilio non poteſt interuenire. Ergo nec ex ea adiuuari ad præcedentiam obtinendam. Quæ ra-
tio ſi eſſet vera, oſtenderet tantummodo præcedentiam deberi Romanorum Regi, quando eſſet e-
lectus vacante imperio, vel quando eſſet electus viuente quidem Cęſare, ſed à loco conuentus Prin-
cipum Cæſare abſente, & pro eo Oratoribus ſuis in loco non exiſtentibus.

Ego vero puto, quod concluſio ſupra facta generaliter ſit intelligenda. & ideo quod nihil im-
pediat, quin Rex noſter in Concilio adeſſe poſſit, tanquam Rex Rom. Et ſub iſta qualitate debeat
præeſſe Regi Franciæ, quia ſub aliis qualitatibus regnorum ſuorum deberet alioquin ſibi ſubeſſe.
Et pro reſolutione prædictæ difficultatis eſt aduertendum, quod tam vacante imperio, quam etiam
non vacante, poteſt eligi vnus in Regem Romanorum. Hoc patet in titulo *de pace Conſtantiæ, in pr.*
vbi dicitur: *Nos Federicus Imperator & filius noſter Henricus Romanorum Rex concedimus,* &c. Et
ex eo, quod Henricus ſimul cum patre Imperatore concedit, colligitur ibi per Baldum, quod
Rex Romanorum habeat poteſtatem concedendi priuilegia, &c. ante coronationem. *Non enim,*
dicit Baldus, *erat coronatus filius, quia pater viuebat.* Et de hoc Henrico forte loquitur textus *in ca-
pit. in nomine, 23. diſtinct.* vbi dicitur: *Saluo debito honore & reuerentia dilecti filij noſtri Henrici, qui in
præſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator (Deo concedente) ſperatur,* &c. Eodem igitur tem-
pore vides poſſe eſſe Regem Romanorum & Imperatorem: & ſic viuente Imperatore, & vacante
imperio. Nec miretur quis, quod præmiſi Regem Romanorum ipſi Imperatori, quoniam Cæſar
noſter Inuictiſſimus Carolus prius & ipſe fuit Rex Romanorum, quam per coronationem à Ponti-
fice nomen Imperatoris adipiſceretur. Et *in d. c. in nomine,* dicitur, quod in præſenti eſt Rex, qui in
futurum ſperatur fieri Imperator.

Itaque ſi recte aduertimus, poſt aduentum Chriſti & Eccleſiam Catholicam erectam, nemo
fuit per coronationem Imperator, qui prius non fuerit Rex Romanorum, per electionem Domino
rum Electorum creatus: adeo quod ſicut pater in ordine naturæ præcedit, & producit filium, ita E-
lectores per ſuam electionem prius producunt Regem Romanorum. Qui poſtea mediante vnctio-
ne & coronatione Pontificis efficitur Imperator. Et eadem dignitas, quæ in vno prius eſt regalis, in
eodem & eiuſdem perſona efficitur mediante coronatione Pontificia imperialis. Hæc vera eſſe ne-
mo in facto negabit, & probatur ex dictis iuribus, cum de Rege Romanorum, eodemq; futuro Im-
peratore dicitur. Quod plane verificatur tam in eo, qui eſt electus Rex, imperio vacante, quam non
vacante. Ruſum non reperio ego inter omnes Doctores, quos ſupra allegaui, & quos ego viderim,
aliquem eſſe, qui in quæſtione prædicta, qua quæritur de Rege Romanorum nondum coronato,
nec coronam imperij adepto, vtrum poſſit adminiſtrare ea, quæ ſunt imperii, qui faciat differen-
tiam inter Regem Romanorum imperio vacante creatum, & illum, qui eſt creatus in vita Impera-
toris. Et tamen ſi eſſe deberet differentia inter vnum & alium Regem, & quod vnus plus iuris ha-
beret altero, vtique Doctores de hoc mentionem feciſſent. Sed nullam differentiam fecerunt. Er-
23 go nec à nobis fieri debet: ſed prout † ipſi generaliter in Romanorum Rege loquuntur, ſic à nobis
generaliter intelligantur, *l. prima, §. generaliter, de legat. præſtan.* Quod vero dixi, *inter vnum & a-
lium Regem,* &c. non ideo dixi, quod ego velim ponere duos Reges Romanorum: ſed ſicut v-
nicus eſt Imperator, de quo in *l. licet,* & ibi per Iaſonem *ff. de legat.* 1. ita vnicus eſt Rex
Romanorum. Sed pro tanto dixi de vno & de alio, reſpectiue quidem adduco tempora;
quorum vnum tempus eſt vacante imperio; aliud eſt non vacante: vt ſic electus in Regem
Romanorum, imperio vacante, nunc Rex Romanorum videatur; & alius videatur, cum
viuo Cæſare eligitur, vt ſic temporis diuerſitas faciat videri diuerſos eſſe Reges. Et hoc
quoad

quoad adminiſtrationem, quam vtrum habere debeat ampliorem creatus in Regem imperio vacante, quam ſi creatur in Regem, imperio dominante, dubitari poſſet. Sed ego, vt dixi, non video, quod Doctores faciant iſtam differentiam. Imo cum adducatur textus in propoſito *de pace Conſtantie*, & ibi loquatur de Henrico Rege Romanorum viuente patre, qui ſimul cum patre conceſſiones faciebat, ſequitur, quod Doctores idem ſentiant omni tempore, cum quocunque tempore fiat, ſemper de præſenti eſt Rex Romanorum, & eſſet monſtrum, quod vnus & idem Rex Romanorum nomine & re talis deberet poſſe, & non poſſe adminiſtrare. Cum eadem † res iure diuerſo non debeat cenſeri, *l. cum qui ædes, ff. de vſucap.* & tanto magis, quia (vt ſupra dixi) de noſtro Rege Romanorum certum eſt, quod ea facit, quæ Reges Romanorum faciunt, electi, quando imperium vacat. 24
Præterea fundamentum Regis Franciæ, quod Cancellarius ſuus in oppido Caleti faciebat, vt refert Caſſanæus, *vbi ſupra*, non erat fundatum ſuper iſta differentia. Nec enim poterat fundari: quoniam ſi nunc Rex Franciæ contendit cum Rege Romanorum creato, viuente Imperatore: tunc contendebat cum Rege Romanorum, id eſt, Carolo tunc Rege Romanorum creato, imperio vacante. Quo fit, vt tempus creationis Regis Romanorum etiam ſecundum eos, qui fauent partibus Franciæ, non ſit conſiderandum. Sed ſicut volunt ipſi, quod indiſtincte Rex Franciæ præferatur Regi Romanorum etiam electo, imperio vacante, ſic nos indiſtincte poſſumus contendere, quod Rex Romanorum, quocunque tempore eligatur, viuo vel mortuo Imperatore, indiſtincte Regi Franciæ præponatur, ſub eo prætextu, quod Rex eſt Romanorum de præſenti, futurus Imperator. Quaſi honor & præeminentia futuræ qualitatis & ſperatæ qualitatis in illo Romanorum Rege habeat hoc præcipuum, vt perinde atque Imperator futurus honoretur, ſicut ſi de præſenti Imperator eſſet, honoraretur ſuper omnes, vt in Rege Romanorum non ſolum dignitas regalis inſpiciatur, ſed etiam imperialis; & quæ in eo futura ſperatur, quantum ad honorem pro præſenti habeatur, quod non ſine ratione dici debet. Cum enim, vt dixi, regalis iſta Romanorum Principum dignitas ſit præambula ad imperialem futuram, & Deo concedente ſperatam, in hoc ipſo Sereniſſimo Ferdinando debet hoc præambulum habere ea, quæcunque habet id, cuius noſcitur eſſe præambulum, *l. oratio, ff. de ſponſal.* vbi id, quod in matrimonio cautum reperitur, idem in ſponſalibus pro cauto habetur. Quia per ſponſalia deuenitur ad matrimonium: ſicut hîc à dignitate regali tranſitur ad imperialem, ſine perſona intermedia. Quia nunc cum eſt Rex Romanorum, idem erit (ſi Dominus Deus dederit) Imperator. Quæcunque ergo de Imperatore honorando & omnibus præferendo dicuntur, eadem de Rege Romanorum dici debent. Facit quod Abbas dicit *in c. tranſlato, in fin. col. 1. de conſtit.* quod quotiens duo ſic ſe habent, quod de vno peruenitur ad aliud, diſpoſitum in vno cenſetur etiam diſpoſitum in reliquo. Hoc idem confirmatur, quia iſtæ dignitates, regalis Romanorum & imperialis ita ſunt connexæ propter tranſlationem vnius in aliam, vt merito idem de vtraque ſit dicendum, *cap. quanto, de iudic.* Et ex tali cohærentia vna aſſumit naturam alterius, vt ibi dicit Gloſſa. Quo fit, vt ſi natura imperialis dignitatis ea eſt, quod omnibus præferatur, eandem naturam ſibi aſſumet regalis, non in omnibus regibus, ſed Regibus Roman. qui ſunt præambulum Imperatorum.

Ex quibus licet ad contraria ſupra adducta reſponſio ſatis colligi poſſit, ego tamen ſpecialiter ad illa reſpondeo. Dicebatur caſum noſtri Sereniſſimi Romanorum Regis debere cenſeri eſſe alium, quam eſſet, quando imperio vacante quis eligitur pro Rege Romanorum. Reſpondeo contrarium eſſe verum, tum quia Doctores loquentes generaliter, de vtraque cenſentur loqui. Item quia rex Franciæ iſtam differentiam non facit, ſed vult præcedere Romanorum Regem, quocunque tempore ſit creatus, vacante vel non vacante imperio.

Non obſtat, quod donec viuit Imperator (quem Deus nobis & Chriſtianitati diu fœlicem conſeruet) non poteſt rex intrare eius locum & gradum. Et ideo etiam nec nominatur Imperator. Reſpondetur, hæc nihil facere quoad adminiſtrationem, quam ex conſuetudine habet Rex Romanorum ante coronationem, ſicut Imperator. Vtrique enim ex conſuetudine datur adminiſtratio. Vnde non minus facere poſſunt, quoad honorem & præeminentiam dignitatis regalis Romanorum. Sit ergo verum, quod viuus Imperator non habeat ſucceſſorem de præſenti, donec viuit, nec nominetur alius Imperator; tamen non ſequitur, quin reſpectu adminiſtrationis illam habeat Rex Romanorum cumulatiue cum Imperatore, & quia Regi noſtro Romanorum debeatur idem honor, quod eſt futurus Imperator, ſicut de præſenti haberetur.

Non obſtat, quod de Locumtenente dicebatur; quoniam Rex Romanorum ea, quæ facit, & ea quæ ſibi vindicat, ea iure proprio facit, & ſibi tanquam propriæ dignitati regali debita vendicat, non tanquam Locumtenens imperii. Vnde etiam in hoc Concilio, proprio iure & nomine regio Romanorum interueniret. Nec obſtare poteſt, quin etiam Cæſarea Maieſtas poſſit interuenire. Negari enim non poteſt, quin alia ſit perſona Imperatoris, alia ſit Regis Romanorum. Si enim eſſent vnum & idem, nomina diuerſa non haberent, *l. ſi idem, C. de codicill.* Sed licet perſonæ ſint diuerſæ, ad vnicam tamen ſperantur redigi, vt regalis dignitas tranſeat in imperialem, & quæ nunc diuiſæ ſunt, ad vnicam perſonam redigantur, ſicut contingit, vbi maius lumen ſuperuenit, quia minus offuſcatur. In perſonis ergo eſt quidem diſtinctio perſonarum, ſed in dignitate non eſt alia differentia, quam quo differt præſens à futuro, ſic differt iſta, de qua agimus, regalis dignitas ab imperiali. Nam ſuperueniente coronatione Pontificia in eodem ſubiecto, quæ prius erat regalis, efficietur imperialis. Nec ideo tamen Imperator deſinit dici *Rex*, &c. quia Imperator etiam ſe appellat *Regem*; licet econtra Rex non poſſit dicere ſe Imperatorem proprie, niſi prout quemlibet dicere velles Impe-

peratorem, qui poteſt imperare, ſed eſt locutio abuſiua. Et poſt coronationem dicetur, *Imperator Romanorum*, non autem *Rex Romanorum*. quæ qualitas Romanorum ceſſabit; at non qualitas regalis. Et ita etiam patet, ſimilitudinem de patre & filio adductam non eſſe in propoſito noſtro bonam, quia gradus patris, & gradus filii ſunt diuerſi & diſtincti, nec filius poteſt id, quod pater. Et ſecundum veritatem filius ita eſt alius, quod nunquam ſperari poteſt, quod ſit futurus idem. Et ideo donec pater viuit, filius non poteſt intrare in gradum patris. Sed viuente Cæſare, & viuente Rege, etiam quod reſpectu nominis Imperator & Rex remaneant diſtincti in nomine & in perſonis: tamen ſi conſideras præſens & futurum, vnicus tantum erit in nomine & in ſubſtantia: quia qui nunc eſt Rex, erit poſtea Imperator, quod dici non poteſt de patre & filio. Et ex his bene infertur, quod dignitas regalis de præſenti, quia trahit per conſequentiam dignitatem imperialem, ab iſta futura
25 imperiali debet illuſtrari iſta regalis de præſenti. Quia † connexorum idem eſt iudicium, *l. quid ergo, §. ſufficit. ff. de contrar. iudic.* Iaſon *in l. 1. C. de tranſact.* Et hæ dignitates Romanorum Regis & Imperatoris ſunt veluti correlatiuæ, & habent relationem ad inuicem. Merito ſub eadem prærogatiua terminari debent, *l. fin. de accept. l. fin. C. de indict. viduit. toll.* & per Bapt. de Sancto Blaſio *in tract. de correlatiuis.*

Hæc mihi viſa ſunt, quæ nunc temporis ad præſentem quæſtionem facere arbitratus ſum, ſi quando de iſta contentione tractandum eſſet, quia ſic neceſſitas exigat. Fieri enim poterit, quod contentio euitetur, vt de modis euitandi poterit ſua Maieſtas informari.

PARS XII.

Continens

DISCVRSVS ET TRACTATVS NOMO-POLITICOS DE LEGE REGIA IMPERII ROMANO-GERMANI, QVA AB ARCHIPRINCIPIBVS ELECTORIBVS, NOMINE

vniuerſorum S. Romani Imperij Ordinum ſiue Statuum, omne ius omniſque poteſtas Imperatori & in eum certis præſcriptis conditionibus confertur.

I.

Anno Domini 1575.

CAPITVLATIO SIVE COMPACTATIO IMP. RVDOLPHI. II. CÆSARIS AVGVSTI, CVM IN REGEM ROMANORVM RATISPONÆ ELIGERETVR Anno M. D. LXXV.

NOs Rudolphus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Rex Semper-Auguſtus, &c. Confitemur per præſentes palam, & notum facimus ſingulis: Cum prouidentia Omnipotentis, nuper elapſis diebus, ordinaria electione Reuerendorum & Illuſtrium, Danielis Moguntini, Iacobi Treuerenſis, Salentini Colonienſis, electorum & confirmatorum Archiepiſcoporum: Ludouici Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bauariæ & Comitis in Spanheim, tanquam conſtituti Mandatarij patris ſui Friderici Comitis Palatini: Auguſti Ducis Saxoniæ, Landgrauij Thuringiæ, & Marchionis Miſniæ: & Ioannis Georgii Marchionis Brandenburgenſis, Stetini, Pomeraniæ, & Caſſubiorum Ducis, Burggrauii Norimbergenſis, & Principis Rugiæ, S. Romani Imperii per Germaniam, Galliam Regnumque Arelatenſe, & Italiam Archicancellatiorum, Archidapiferi, Archimareſcalli, & Archicamerarij, dilectorum noſtrorum fidelium patruorum & Principum Electorum, ad honorem dignitatemque Regij Romani nominis ac poteſtatem electi promotique fuerimus: eamque electionem in laudem diuini nominis, honorem ſacri Imperij, & Chriſtianæ Reipublicæ ac Germanicæ nationis publicam vtilitatem ſuſceperimus: quod proinde nos ex libera & gratioſa voluntate, cum prædictis noſtris dilectis patruis, cognatis & Principibus Electoribus, ſuper ſequentibus Articulis, in vim conditionis ac pactorum conuenerimus ac tranſegerimus, eoſdem acceptauerimus, in eoſq; conſenſerimus, & ſeruare promiſerimus ſcienter, & virtute harum literarum.

Primo, quod tempore talis noſtræ dignitatis, officii & regiminis Rempubl. Chriſtianam, & Sedem Romanam, Sanctitatemque Pontificiam & Chriſtianam Eccleſiam, ceu eiuſdem Aduocatus, commendatam nobis habere, tueri ac defendere velimus: præterea pacem cum primis, iuſtitiam & concordiam in S. Rom. Imperio plantare, & conſtituere debeamus, ſicque dirigere, ne debitus eorum curſus tam pauperibus, quam diuitibus intercludatur, ſed omnibus ac ſingulis æqualiter ſeruetur, ſecundum ordinationes, libertates & antiquas laudabiles conſuetudines. Quanquam quod hunc & ſequentem articulum, qui incipit: *cumque præter & contra*, verſ. *Quod nos debemus ac volumus*, attinet, prædicti dilecti noſtri patrui & Principes Electores ſeculares, expreſſe exceperunt id quod in iis de Sede Romana & Sanctitate Pontificia dicitur, declarantes ſe in id non conſentire, nec nos ad id obligatos eſſe velle.

Inprimis vero Auream Bullam, pacemq; tam Religioſam quam profanam, Pacem quoq; publicam & eius manutentionem, quæ in Comitiis Auguſtæ habitis anno 1555. ſancita, accepta, receſſata & repetita fuit, firmiter & conſtanter ſeruabimus, manutenebimus, neminemque contra eam grauabimus, aut per alios grauari permittemus: & cæteras quoque S. Imperii ordinationes & conſtitutiones, quatenus eæ prædicto Receſſui Auguſtano de anno 1555. non aduerſantur, confirmabimus, renouabimus, & ſi opus fuerit, eaſdem cum conſilio noſtrorum & S. Imperii Principum Electorum, & reliquorum Principum ac Statuum corrigemus, prout id quolibet tempore Imperij neceſſitas poſtulabit.

Omnimodis autem Nationem Germanicam, S. Roman. Imperium, & Principes Electores, ceu primaria eiuſdem membra, alioſque Principes, Comites, Barones, & Ciuitates, in ſuis præeminentijs, dignitatibus, iuribus & conſuetudinibus, opibus ac poteſtatibus, quemlibet pro ſtatus & conditionis ratione, relinquemus abſque vlla noſtra vel alterius cuiuſcunque turbatione aut impedimento: eiſque præterea ipſorum regalia, ſuperioritates, libertates, priuilegia, hypothecas, aliaque iura, vſus etiam bonaſque conſuetudines, quas hactenus habuerunt, vel aqua terraue exercuerunt, in bona conſtanti forma, ſine vlla recuſatione, confirmare volumus & tenebimur, eoſque in iis contra quoſcunque tanquam Electus Romanorum Rex, manutenebimus, defendemus, & tuebimur, citra tamen iuris cuiuslibet præiudicium.

Permittimus inſuper, quod memorati Sex Principes Electores, quandoq; iuxta tenorem Aureæ Bullæ, rebus eorum vel S. Imperii exigentibus, pro ipſorum neceſſitate, ſique grauamen aliquod habuerint, conuenire poſſint, deſuper deliberandi & conſultandi cauſa, nec tales eorum conuentus impediemus aut turbabimus: neq; etiam propterea vllam offenſionem vel indignationem aduerſus

eos coniunctim vel ſeparatim concipiemus, ſed tam in hoc quam aliis negotiis, Auream Bullam tenentes nos gratioſe & irreprehenſibiliter gerere debemus & volumus.

Cunctas etiam incompetentes ac odioſas confœderationes, colligationes & coitiones ſubditorum, Nobilium & plebeiorum; inſuper motus, ſeditiones & vim iniuſtam in Electores, Principes, & cæteros Status iam inſtitutas, aut in poſterum inſtituendas, tollemus, prohibebimus, & de conſilio ac auxilio ipſorum Electorum, Principum & cæterorum Statuum, eas competentibus legitimiſq; modis compeſcemus, & ne in futurum fiant prouidebimus.

Nos quoq; ipſi noſtro Electi Romanorum Regis nomine, nulla fœdera, nullamue ligam cum exteris Nationibus, vel etiam in ipſo Imperio, in rebus Imperium concernentibus, tractabimus, faciemus aut inibimus, niſi prius conſultis atq; ob id in loco cõmodo tempeſtiue conuocatis Principibus Electoribus, & obtenta vel omniũ pariter, vel ſaltem maioris eorũ partis voluntate & cõſenſu.

Quicquid etiam hactenus cuiquam Electorum, Principum, Baronum & reliquorum Statuum, vel eorum maioribus ac prædeceſſoribus Eccleſiaſticis aut Secularibus, abſq; iure, violenter ereptum ablatum eſt: nos eum debemus ac volumus in ſuo iure, quod habet, & æquitas exigit, manutenere, tueri ac defendere, abſq; vllo impedimento, dilatione vel remora.

Præterea atq; in primis S. Romano Imperio, eiuſq; pertinentiis non modo nihil abſq; ſcientia, voluntate & permiſſu omnium dictorum Electorum, & non ſingulorum, demere, diſtrahere, obligare, vel oppignorare, aut alio quouis modo alienare, vel grauare debemus. Sed vnice ſummaque ope niti, omnemq; diligentiam atq; ſtudium impendere, vt diuulſas ab eo ditiones, præſertim caducos Principatus & Dominatus, ac alias res ad ipſum ſpectantes, inſuper confiſcata & non confiſcata magni momenti bona, quorum magna pars ab exteris Nationibus iniuſte vſurpatur & detinetur, vt primum fieri commode poterit, recuperemus, Imperioq; rurſum coniungamus, eique incorporemus, & in eius proprietate confirmemus. Qua in re conſilio, auxilio & aſſiſtentia Sexuirûm Electorum, cæterorumq; Principum atque Statuum, ſemper vtemur; & quod pro tempore nobis & illis pariter conſultum, poſſibile & commodum Reipublicæ videbitur, mature exequemur: ſine tamen cuiuſquam priuilegiorum, iurium & libertatum præiudicio ac detrimento.

Quod ſi nos ipſi, aut noſtrates, quicquam, quod ad Imperium ſpectet, ſine conceſſione, aut vllo legitimo titulo nacti eſſemus, aut nacturi foremus, illud debemus ac volum⁹ vigore debitæ ac præſtitæ noſtræ obligationis, eidẽ Imperio abſq; mora, ad petitionẽ Electorũ, reſtituere, & repropriare.

Pacifice etiam & prout vicinitatis ius exigit, nos, durante noſtro regimento, erga confines & Chriſtianos Potentatus geremus; nullaſq; diſcordias, diffidationes aut bella, intra vel extra Imperiũ, nomine Imperii mouebimus nec ſuſcipiemus: neq; vllum exercitum, vel milites extraneos in Imperium ducemus, abſq; ſcientia, conſilio & conſenſu Statuum Imperii, ſin minus omnium, ſaltem Sexuirûm Electorum. Si vero aut nos cauſa Imperii, aut ipſum imperium bello impeteretur, eo caſu liceat nobis quauis ope auxilio vti.

Similiter nec Electores, alioſue Imperii Status, Comitiis, ſportulis Cancellariæ, comitatibus, profectionibus, impoſitionibus, aut collectis non neceſſariis aut ſine legitima & graui cauſa onerabimus grauabimuſq;. Neq; in caſibus licitis quamuis & neceſſariis, collectas, impoſitiones, & comitiales conuentus, abſq; ſcitu & voluntate Sexuirûm Electorum, vt ſupra dictum eſt, ad id requiſita, imponemus, vel indicemus: cum maxime autem nulla comitia Imperialia extra S. Imperium Germanicæ Nationis inſtituemus vel indicemus.

Officia etiam Imperialia, quæ conferre habemus vt Rex Romanorum, in Aula noſtra & alibi in Imperio, non alterius nationis hominibus, quam natis Germanis, iiſdemq; non infimæ conditionis vel qualitatis exiſtentibus, ſed ſpectabilibus & honoratis viris, veluti Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, aut alias natalium ſplendore inſignibus magnis perſonis committemus, qui nemini, præterquam nobis & ſacro Imperio, fide & officijs obſtricti ſint. Quin & ipſa officia in honore, dignitate, iure ac conſuetudine antiqua relinquemus, nihilque ex iis aut mutabimus, aut demi diminuiue patiemur.

Adhæc in ſcriptis & actis Imperij publicis nullo alio ſermone vel ſtylo vtemur, quam Germanico aut Latino, niſi forte iis in locis, vbi aliæ linguæ in vſu forent. Ibi enim cum nos ipſi, tum noſtri miniſtri eodem ſermone licite vtemur.

Electores quoq;, Principes, Prælatos, Comites, Barones, Nobiles, alioſq; ſtatus ac ſubditos Imperii, nullis proceſſibus iudicialibus ſeu extraiudicialibus compoſitionibus extra Germaniam, & ab ordinariis eorum iudicibus, euocabimus, citabimus, trahemus: ſed omnes ac ſingulos in Imperio, iuxta ſanctionem Aureæ Bullæ, & tenorem ordinationum ac conſtitutionum Imperialium, apud ordinarios ſuos iudices conueniri permittemus.

Cumq; præter & cõtra Concordata Principũ, & conuenta pactata inter Eccleſiam, Pontificiã Sanctitatẽ Sedem q; Romanam, & Germanicã Nationẽ, informibus gratiis, reſcriptis annatis Eccleſiarũ, per multiplicationẽ & coaceruationẽ Officiorũ in Aula Romana, reſeruationibus etiã & diſpenſationibus, aliiſq; modis, in damnum Eccleſiarum, Cleri, & priuilegiorũ ab iis obtentorum, quibus ab eiuſmodi oneribus liberati ſunt, præterea in præiudicium iuris patronatus & Dominorũ feudaliũ cõtinuo & abſq; intermiſſione manifeſte agatur: & exinde nõ tolerãdæ vetitæq; ſocietates & cõtractus ſiue comparationes, vt nobis relatum eſt, ineantur: quod nos debemus ac volumus de conſilio

Electo-

Electorum, Principum, aliorumque Statuum, cum Sanctiſſimo Patre noſtro Papa Sedeque Romana, Enixius agere, vt in poſterum caueantur & inhibeantur: adhæc videre, ne prædicta Concordata Principum, & conuenta pactata, priuilegia item & libertates, amplius violentur & præuaricentur, ſed vt in ſuo vigore ac ſtabilitate ſeruentur & manuteneantur. Quæ vero iam oborta ſunt ſuper iis grauamina, & abuſus irrepſerunt, facere vt iuxta normam tractatus in Comitijs Imperialibus anno 1530. Auguſtæ habiti & concluſi, tollantur; & ne deinceps talia inconſultis Electoribus contingant aut permittantur, præcauere.

Monopolia quoque & oneroſas ſocietates Mercatorum & negotiatorum, qui hactenus copia pecuniarum dominati ſunt, pro arbitrio cuncta egerunt, & per rerum caritatem multa incommoda Imperio, eiuſdemque incolis ac ſubditis intolerabilia damna & grauiſſima onera intulerunt, & hodieque inferre non ceſſant, de conſilio ac ſententia Electorum & Principum, ſicut iam antehac deliberatum, ſed in effectum non fuit perductum, ita nunc abolebimus & interdicemus.

Cum etiam Natio Germanica & S. Romanum Imperium tam aqua, quam terra ſupra modum iam grauatum ſit, nos in poſterum nulla telonia vel vectigalia de nouo concedemus, nec antiqua augeri patiemur, ſine ſpeciali conſilio, voluntate & permiſſione prædictorum Sexuirûm Electorum, ſicut antea ſæpe dictum eſt. Et ſi quis apud nos, pro nouorum vectigalium gratioſa conceſſione, vel antiquorum ac iam impetratorum auctione, ſupplicauerit, nos ad ea obtinenda nullam ſpem faciemus, nec vllas promotoriales vel interceſſionales literas ad Electores concedemus, vel à nobis emanare ſinemus. Quod ſi forte vnus vel plures, cuiuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtant, noua aliqua vectigalia in ſuis Principatibus, regionibus, ditionibus & diſtrictibus priuata præſumptione, præter noſtram conceſſionem & conſenſum Sexuirûm Electorum, inſtituiſſet, vel in futurum inſtituere præſumeret, eum vel eos, quam primum nobis conſtiterit, aut referetur, miſſis mandatis ſine clauſula, aliiſue mediis poſſibilibus inhibebimus, nec vllo modo feremus, vt quiſquã de facto vel propria authoritate noua vectigalia inſtituat, vel introducat.

Cum etiam multo iam tempore Electores Rhenani, multiuariis immunitatum conceſſionibus, contra ipſorum priuilegia, libertatem & conſuetudinem, per literas promotoriales alioſq; modos, requiſiti & grauati fuerint, nos ea ceu dictis Electoribus intolerabilia caſſabimus, cauebimus, & nulla conditione permittemus vt in poſterum fiant.

In primis autem, ſi quis Elector, Princeps, vel alius, cui regalia, libertates, priuilegia, vel iura imminuta, ablata, ſubtracta, arreſtata vel turbata fuerint, aduerſarium ſuum ordinaria iuris via conuenire, & in iudicium vocare volet, aut proceſſus iam inſtitutos & pendentes haberet, quo minus id agat, aut perſequatur, non impediemus, nec prohibebimus, ſed ſuum iuri curſum liberum permittemus.

Nullam etiam Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, aliiſque ſtatibus Imperij, aut nos ipſi vim inferemus, aut ab aliis inferri procurabimus, nec concedemus, nec permittemus: verum ſi nos, vel alius quiſquam contra eos, omnes vel ſingulos, actionem aliquam habuerit, inſtitueritue, quo motus, diſcordiæ, aliaque incommoda in Imperio euitentur, paxque & concordia conſeruetur, permittemus vt vnuſquiſque ad audientiam admittatur, & legitimo iudicio ſiſtatur; & nequaquam concedemus, vt in his aliiſue cauſis, quocunque prætextu, colore aut nomine intentarentur, in quibus iuſtitiam facere coram iudice ſuo non recuſat, præda, rapina, incendio, aliove modo lædatur inuadatur vel opprimatur.

Cauere etiam volumus, ac non permittere, vt deinceps quiſquam cuiuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtat, Elector, Princeps, ſiue alius quicunque, abſque cauſa, vel inauditus banniatur & proſcribatur: ſed vt ordinarius iudiciorum proceſſus, & S. Romani Imperii Conſtitutiones, ſecundum reformatam anno 1555. Cameræ Imperialis Ordinationem, obſeruentur & exequantur, ſaluis tamen læſæ partis defenſionibus iuxta ſanctionem Pacis publicæ.

Cumque Romanum Imperium valde hactenus eneruatum ac imminutum ſit, promittimus ſub fide debita, cum cæteris pariter Imperialibus, annuas quoque Ciuitatum Imperialium contributiones, alioſque cenſus & redditus Imperiales quæ in priuatarum perſonarum manus peruenerunt, aut oppignerata ſunt, recuperare, in iuſque Imperij redigere nec concedere, vt eiuſmodi reditus S. Imperio & Reipublicæ præter ius & fas ſubtrahantur, extraquam ſi legitimus Sexuirûm Electorum conſenſus ac confirmatio acceſſerit.

Feuda quoq;, quæ S. Imperio & nobis, durante noſtro regimine, aperientur, & caduca fient, ſi magni momenti exiſtant, vt ſunt Principatus, Comitatus, Baronatus, Ciuitates, & conſimilia, nemini deinceps largiemur, ſed in vſum ac neceſſitatem S. Imperii, noſtram, & noſtrorum in Imperio ſucceſſorum Regum vel Imperatorũ, vertere, reſeruare, & incorporare teneamur, donec ipſum Imperium priſtinas ſuas vires & opes recuperauerit: nobis tamen in noſtris hæreditariis ditionibus, & vnicuiq; alteri in ſuis iuribus, priuilegiis ac libertatibus ſine fraude.

Si futuro tempore contigerit aliquem Principatum, Comitatum, aliudue Dominium, qui vel quod S. Imperio ſeruitiis, miniſterijs, collectis & contributionibus, aliaue ratione obnoxius vel obnoxium ſit, eiuſque iuriſdictioni ſubiectus vel ſubiectum, defunctis eorum poſſeſſoribus, hæreditario iure ſeu alio caſu ad nos peruenire, noſq; illum vel illud aut ipſi retinuerimus, aut in alios tranſ-

tule-

ſolerimus: exinde S.Imperio ſua iura, impoſitiones, contributiones, aliaque debita ſeruitia, more antiquo & conſueto, præſtare ac pendere teneamur.

Si quid etiam conſilio & auxilio Electorum aliorumque Imperii Statuum conquiſiuerimus, vel recuperauerimus, id integrum, quicquid erit, Imperio adiiciemus, & appropriabimus.

Si quid vero tale abſq; Electorum, Principum, aliorumque Statuum ſcientia & voluntate tentaremus, tum illi nobis auxilium præſtare minime teneantur: nos vero teneamur nihilominus, quicquid ad Imperium ſpectans acquiſiuerimus vel recuperauerimus, ipſi Imperio reſtituere, repropriare & reincorporare.

Cumque hactenus propter monetam multa grauamina, multique defectus in Imperio extiterint, & etiamnum exiſtant, nos vt quantocius obuiemus hiſce incommodis, cum conſilio Electorum, Principum ac reliquorum Statuum ſuper moneta certam conſtantemque aliquam Ordinationem ac formam conſtituemus.

Nemini etiam, cuiuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtat, citra conſenſum ſex uirûm Electorum, ius vel priuilegium cudendæ monetæ concedemus.

Cum primis autem nullum ſucceſſorium vel hæreditarium ius in Imperio nobis arrogabimus, prætendemus, vlloue pacto in nos, hæredes & ſucceſſores noſtros, aut alium quemcunq; transferre conabimur: verum nos, liberi item, hæredes & ſucceſſores noſtri, ſæpedictos Electores eorumque heredes ſemper in liberæ electionis & Vicariatus iure, ſicut ab antiquo conſuetum eſt, & Aurea Bulla, ius Põtificium, aliæq; conſtitutiones & priuilegia ſanciuerunt, ſi caſus contigerit aut vbi neceſſitas & occaſio requiſiuerit; præter ea in aliis eorum ſpecialibus priuilegiis ac iuribus, quæ cauſas S. Romani Imperij cõcernunt, quietos & imperturbatos eſſe ſinemus. Quod ſi vero contra ea à quoquam aliquid tentaretur, vel Electores in iuribus ſuis turbarentur, aut moleſtarentur, (quod fieri nefas eſt) id ipſo iure nullum & irritum erit, atq; pro nullo & irrito reputari debebit.

Coronam etiam Regiam Romanorum, vt nos, ceu Electum, Romanorum Regem, decet ac par eſt, recipiemus, aliaue omnia faciemus, quæ ad id requiruntur & neceſſaria ſunt.

Reſidentiam item, præſentiam & Aulam noſtram Regiam, in S.Romano Imperio Germanicæ nationis, ad omnium membrorum, Statuum & ſubditorum eiuſdem honorem, gloriam, vtilitatem & emolumentum, maiori ex parte, quantum fieri poteſt, tenebimus & ſeruabimus. In caſu deinde vacantis Imperii Romani (quem Deus quamdiutiſſime auertat,) & non prius debeamus ac teneamur omnem operam dare, vt Coronam Imperialem competenti tempore, quam maturiſſime fieri poteſt, conſequamur: omneſque ac ſingulos Electores, officii ſui adminiſtrandi cauſa, ad eam Coronationem & ſolennitatem conuocare, noſque ea in re ita exhibere ac gerere, ne quicquam in nobis merito deſiderari poſſit.

Nullam etiam maiorem ampliorem ue regiminis poteſtatem aut adminiſtrationem in S.Romano Imperio nobis ſumemus, quam à S.Cæſarea Maieſtate nobis fuerit conceſſum ac permiſſum. Nec ipſam Cæſaream Maieſtatem, quoad vixerit, in ſua præeminentia, & dignitate Imperialis culminis, vllo modo pactoue interturbabimus, nec vſurpatiue moleſtabimus.

Nulla quoq; reſcripta, mandata, aut quid ſimile vllo modo promulgabimus, vel vt edantur permittemus, quæ huic noſtræ Promiſſioni, item Aureæ Bullæ, Imperij Ordinationibus, Paci Publicæ in cauſis religioſis & profanis, Conſtitutioni de pace publica tenenda, vel eius manutentioni, aliiſue Imperij ſanctionibus tam conditis, quam in futurum per nos, cum ipſorum Electorum, Principum & aliorum Statuum conſilio edendis, aduerſentur.

Similiter nec nos ipſi, contra Auream Bullam, & Imperij libertatem, contra Pacem religioſam & profanam, Conſtitutionem item de pace publica tenenda, eiuſque conſeruationem, ab vllo ſuperiori Magiſtratu quicquam impetrare conabimur; nec ſi quid forte nobis motu proprio à tali Magiſtratu conceſſum eſſet, vel in poſterum concederetur, eius beneficio nullatenus vtemur, fraude procul & dolo.

Si quid vero huic, & aliis prædictis articulis ac punctis contrauenientis impetratum foret, aut emanaret, id omne irritum, inefficax ac nullum eſto, quemadmodum id ipſum nunc vt tunc, & tunc vt nunc irritum, inualidum ac nullum eſſe volumus, & hoc ipſo caſſamus, irritamus, tollimus & abolemus; in tantum vt ſi opus fuerit, parti grauatæ deſuper neceſſaria documenta & literas teſtimoniales concedere ac largiri teneamur, omni dolo & fraude penitus excluſis.

Superiora omnia & ſingula nos prædictus Romanorum Rex, antememoratis Electoribus ſtipulati ſumus, ſpopondimus, & per Regiam noſtram dignitatem, honorem & verba, nomine veritatis, promiſimus: idque facimus vigore harum literarum, prout etiam corporale iuramentum per Deum & ſancta Euangelia præſtitimus, nos omnia ſuperiora conſtanter, firmiter & inuiolabiliter ſeruaturos, & fideliter executuros, nec contra facturos, vel vt contra fiat permiſſuros, vlla via vel ratione, quæ excogitari poſſit.

In cuius rei teſtimonium ac fidem, harum literarum ſex exemplaria eiuſdem tenoris confecimus, & appenſo ſigillo noſtro muniuimus, & cuilibet prædictorum ſex Electorum vnum exem-

exemplar tradidimus. Actum & datum in noſtra & S. Imperii Ciuitate Ratiſpona, Calendis Nouembribus, anno poſt Chriſti Domini ac Seruatoris noſtri natiuitatem 1575. Regnorum noſtrorum, Romani primo, Hungarici quarto, & Bohemici primo anno.

RVDOLPHVS.

Vt. Hegenmuller D.

Ad Mandatum S. Regiæ Maieſtatis proprium

A Altenſtaig.

II.

Anno Domini 1609.

DE HAC CAPITVLATIONE REGIA ITA COMMENTATVR CLARISSIMVS DOMINVS FRIDERICVS Hortleder quodam in loco.

CÆterum non *a* fuit vnquam Principis Romani immenſa & infinita poteſtas, tametſi Lege Regia conceſſum eſſet ei & in eum omne *b* populi imperium. Quod et oſtendit inſignis Plinij dicẽtis locus: *Hæc pro æternitate Imperij, & pro ſalute ciuiũ, imo pro ſalute Principũ, ac propter illos pro æternitate Imperij vota, in quæ ſint verba ſuſcepta, opera pretium eſt annotare:* SI BENE REMPVB. ET EX VTILITATE OMNIVM REXERIS. *Digna vota, quæ ſemper ſuſcipiantur, ſemperq; ſoluãtur. Egit cũ Dijs, ipſo te auctore, Cæſar, Reſp. vt te ſoſpitem incolumemq; præſtarent,* SI TV CÆTEROS PRÆSTITISSES. *Si contra, illi quoq; à cuſtodia tui corporis oculos dimouerent, teq; relinquerent, quæ non palam ſuſcipiuntur.* Et iterum; *Nam cum ita, Cæſar, excipias, vt ita demum te dij ſeruent,* SI BENE REMPVBL. ET EX VTILITATE OMNIVM REXERIS, *certus eſto bene Rempublicam regere, cum te ſeruent.* Ac denuo. *Quo maiore fiducia iiſdem illis votis, quæ ipſe pro ſe nuncupari iubet, oro & obteſtor,* SI BENE REMPVBLICAM, SI EX VTILITATE REGIT, *primum vt illam nepotibus noſtris ac pronepotibus ſerues, &c.*

Et conſimiliter, *c* nec hodie eſt in toto orbe Chriſtiano *d* vllus Rex vel ſummus Princeps, cuius maieſtatem non cõprimat & circumcidat, vel Iuſiurandum, vel inita cum Regni Ordinibus Certa Pactio. Blandiatur Regi ſuo *e* Bodinus, licet Clariſſimus Franciſcus Hotomannus, Claudius *f* Seiſellius, Matago *g* de Matagonibus, Stephanus *h* Iunius, Petrus *i* Heigius, Andreas *k* Knichen, Ioannes Althuſius, Auctorque libelli è Gallica in vernaculam linguam tranſlati, Wacht frü auff / den Frantzoſen vnd andern Benachbarten/ꝛc. acerrime obloquantur. Vt alios ſilentio prætereeam:

De antiquiſſimis Germanorum Regibus, ſic ſcribit in Germania Tacitus: NEC REGIBVS EORVM INFINITA, AVT LIBERA POTESTAS. Quod nobis videmur vere dicere, & de Imperatoribus Germanicis. Nam & horundem poteſtas veluti frænis ſiſtitur ac retinaculis, CAPITVLATIONE, ET IVRAMENTO FIDELITATIS, quod iurat Imperio, veluti Sleidanus docet in Carolo Quinto. Nec vnus eſt ex omnibus Hiſtoricis, qui de re, tanti quamlibet momenti, præter Hiſtoricum noſtrum, plenius ſcripſerit ac luculentius.

CAPITVLATIO, nihil aliud eſt, niſi Lex Germanorum Regia, vel Lex Regni, aut Lex Imperij, qua populi Germanici ſummũ Imperium, vel (vt Arcadius IC. loquitur) quã regimenta populi in Imperatorẽ deſignatũ transferuntur certis conditionib. quarũ à varijs cap. dicta quoq; eſt Capitulatio.

Igitur, quicunq; in æde Iohannis Lateranenſis, vel Capitolio Romano, antiquam Romanorũ Legis Regiæ formulam, ſolicite adhuc perquirunt, cum apud Sleidanum, ac Melchiorem Goldaſtum Haiminsfeldium, longe aliam habeant, eamq; potiſſima ſui parte obtinentem adhuc in ipſis terum argumentis: aut Cæſaris noſtri poteſtatem ad tenorem obſoletæ Legis Regiæ perpendunt, & æſtimant, næ illi non modo operã oleumq; ſuũ inutiliter conſumunt, ſed etiam perinde faciunt, atq;

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit. —

Idem iudicium eſto de aliis aliorum Regnorum Capitulationibus, etiam iis, quibus obligantur plerique omnes S. Romani Imperii Principes ordinis Eccleſiaſtici.

Quo autem tempore primum, de Imperio Cæſarum lata ſit Germanorum Lex iſta Regia, nemo eſt, qui doceat. Videmur tamen nobis colligere ex Brunone Saxone, ſub turbulento Henrici Quarti Imperatoris Imperio, natam eam primum. Deinde tractu temporis magis magiſq; *l* auctam, increſcente præſertim ſub Carolo Quarto dignitate Electoria, quoad in eam, quæ hodie in vſu eſt, amplitudinem excreuerit.

Auctores ſunt Sleidanus, & is, quem nactus ſum beneficio Friderici Metzſchy, è Nobilitate viri egregie docti, Iulius Pflugius: quod agunt in eligendo Imperatore Septemuiri, ante ratum non haberi,

a *Principibus Romanis nunquam infinita poteſtas fuit.*
b *Nec vlla amplior quam populi. Populus nunquam nullam poteſtatem habuit, vt arbitratura naturalis ageret.* Vng. cap. 3 egreſſu, quem vid. cap. 44.
c *Nec hodie vllus quam Regi eſt, vide Diſputat. noſtram ad l. nonnumm, th. 29.*
d *Sententia Stephani Iunij in Vindic. contra tyran. q. 4.*
Waremar ab Erenberg, quem ſequitur Chriſt. Beſoldus de appellat. c. 1. fol. 8
e *De Repub. lib. 1. fol. 151. & ſeqq. paſſim.*
f *De Repu. Gallor. lib. 1.*
g *In Monitorio aduerſus Italo Gallum.*
h *Vindiciis contra tyran. q. 3.*
i *Part. 1. qu. 2. num. 26.*
k *De Saxo. non prouoc. priu. c. 1. num. 29.*
Capitulatio Reg. Imperatoris hodie eſt Lex Regia Germanorum.
Stulte perquiritur in æde Laterani, Romana vetus Lex Regia Romanorũ.
Quando reperta Lex Germanorum Regia.

l *Vt Romana quoq; Stip. Gentilis de Leg. Regia, fol. 78.*

beri, quam leges in Capitulatione comprehenſas deſignatus Imperator accipiat, iuramento confirmet, fidemq; det Electoribus ſingulis, interpoſita cautione ſcripta, ab iis nullo ſe modo receſſurum. Vnde ipſi quoque omnem perrumpendæ Capitulationis poteſtatem [a] Schurffius negat.

Iurat etiam antiquo more, & iam [b] inde vſque à Carolo Magno ad nos deducto, cum inauguratur Imperator, præeunte conceptis verbis Colonienſi, bis fidelitatem imperio: [c] *attendente ſane Deo. Cui enim magis* (inquit Plinius) *quam Cæſari attendat, non ignaro, nemini religioſius, quod iurauerit, cuſtodiendum, quam cuius maxime intereſt non peierare?* Et cum iurauit, tum demum promittitur ei fides & obſequium à populo.

Cur vero [d] diligenter adeo & anxie? Præſto eſt, qui reſpondeat, Iulius Pflugius: ne durius quam oportet, regnantes aliquid contra Eccleſiam Chriſtianam, Rempubl. eiuſue libertatem faciant: vtque homines noſtri intelligant, ſe non in hominis cuiuſdam acerbioris, ſed in patris, eiuſq; perbenigni poteſtatem venire. Deinde, vt intelligamus cum Stephano Iunio, Georgio Obrechto atque Henrico Arniſæo, Imperatorem [e] eſſe minorem imperio, vt Pontificem Concilio, Epiſcopum Capitulo, Actorem Vniuerſitate, Vaſallum Domino, atque adeo quemlibet hodie Regem eo, cui iurat, Regno. Poſtremo, Imperatorem populo pure, populum Imperatori obligari ſub conditione: ſi præſtet fidem iurato datam.

[f] Quid ergo, ſi poſtea Imperatorem tamen neq; Capitulatio, neq; iuſiurandum fidelitatis reflectat ac reprimat, quo minus Eccleſiam affligat, Rempubl. laceret & euertat: libertati vim, fraudemq; faciat, denique in regno totius Europæ liberrimo tyrannidem exerceat? Multis ex Sleidano argumentis demonſtrari poteſt, eademque vetus ac vera Lutheri ac Philippi eſt ſententia, tum Electorum in primis, & cæterorum eſſe imperii ordinum, videre omnibus modis, etiam manu (ſi leniora omnia nihil proficiunt) ipſa, ne quid imperium detrimenti capiat. In eandemque conceſſerunt, editis peculiaribus hac de re libellis, Princeps quidam Anonymus, Theologi Magdeburgenſes, Iuſtus Menius, Baſilius Monnerus: præterea Conradus Lancellotus, Franciſcus Zoannettus, Albericus Gentilis, Georgius Obrechtus, Iohannes Caluinus, Iuriſconſultus, Stephanus Iunius, Iohannes Althuſius, Lambertus Danæus, Cyriacus Spangenbergius. Auctor deß Froſchmeuſelers / Auctor deß Wacht früe auff den Franzoſen vnd andern Benachbarten / ꝛc. Quorum definitionem corroborat mirifice bonus auctor cum primis, Lambertus Schafnaburgenſis. Apud quem Archiepiſcopi, Epiſcopi, & plerique omnes Præſules, Duces & Comites Saxoniæ, per Legatos ad Imperatorem Henricum IV. ſacramento ſe ei fidem dixiſſe inquiunt: *Sed ſi ad ædificationem, non ad deſtructionem Eccleſiæ Dei Rex eſſe vellet: ſi ſuum cuique ordinem, ſuam dignitatem, ſuas leges tutas inuiolataſque manere pateretur. Sin iſta prior ipſe temeraſſet, ſe iam ſacramenti huius religione non teneri, ſed quaſi cum barbaro hoſte, Chriſtiani nominis oppreſſore, iuſtum deinceps bellum geſturos, & quoad vltima vitalis caloris ſcintilla супereſſet, pro Eccleſia Dei, pro fide Chriſtiana, pro libertate etiam ſua dimicaturos.* Eiuſdemque notæ ſunt apud Brunonem Saxonem, ad eundem Henricum IV. verba Otthonis Ducis Saxoniæ.

a *Cent. 2. conſ. 53. & Bernitius de Maieſtat.*
b *A Carolo M. vſque iurare, probat* Sachſenſpiegel / *lib. 3. art. 74. in gl.* Lehenrecht / *c. 14. n. 15.* Weichbild / *art. 8.*
c *Deus obſeruat iuramentum Cæſaris.*
d *Cur lex regia Germanorum inuenta.*
e *Imperator minor imperio*
f *Quid ſi Capitulatio aut iuramentum fidelitatis non comprimant; &c.*

Neque vero meliore iure Tyrannos vllos hîc cenſendos iudico, quantumuis maieſtatis iure præfulgeant, vt quidam falſo volunt præfulgere Regem Galliæ. Eaq; in re à Bodino, Barclaio, Petro Gregorio Tholoſano, Bercheto, Auctore explicationis Gallicarum controuerſiarum, Auctore Apologiæ Catholicæ ad famoſum & ſeditioſum libellum coniuratorum in Gallia, Scipione Ammirato, Alberico Gentili, Th. Lanoio, &c. diſſentio, cum Gallis etiam ipſis, Claudio Seiſellio, Franciſco Hotomanno, Matagone à Matagonibus, Auctore deß Wacht früe auff den Franzoſen vnnd andern Benachbarten / ꝛc.

Quærat hic ergo aliquis, cum ea hodie Imperatoris noſtri, Regumq; ſit conditio, numquid ſuperſit vſus legis: *Princeps legibus eſt ſolutus?* Et ſupereſt omnino aliquis: tametſi neget Cuiacius & Caluinus Iuriſconſultus. Etiamne in Imperatore? etiam, ſi modo verum amamus cum clariſſimo viro, Antonio Gothofredo, ipſiſque adeo Imperatoribus. E quibus apud Guntherum Fridericus Primus ſic de ſe ipſo inquit:

Anne ergo ſupereſt aliquis legis, Princeps legibus eſt ſolutus, vſus?

Summus in orbe ferar, legumque immunis & expers
Non ſeruire quidem cogar, ſed condere iura
Fas habeam; veſtris cupio diſponere cuncta
Conſiliis—— Et iterum:
Nam nihil, vt verum fatear, magis eſſe decorum
Aut regale puto, quam legis iure ſolutum
Sponte tamen legi ſeſe ſupponere Regem.

Reprehenſus etiam in Concilio Conſtantienſi à Cardinali Placentino, ob verbum vitioſum, Imperator Sigiſmundus: *Si ſupra leges ſumus*, reſpondebat, *quare ſupra grammaticam eſſe non poſſumus?* Neque vero vllo modo recipienda eorum eſt opinio, qui, quamdiu penes Ordines eſt libertatis ac dignitatis aliquid, in decernendis præſertim rebus grauioribus, tamdiu maieſtate ſua Imperatorem frui pernegant, iuxta Tyrannorum omnium, etiam Ludouici XI. Galliarum Regis perditiſſimi, cantilenam. Quanto enim rectius Eraſmus Roterodamus, aureo in libello de inſtitutione Principis Chriſtiani: *Rem ita tecum expendas licebit*, inquit: *Si quis omnes homines, quos tuos vocas, Circes arte vertat in ſues, aut aſinos, nonne dices deterius factum tuum imperium? dices opinor. Atqui plus iuris ſit in ſues, aut in aſinos, quam in homines, ſi licet, quod libet, agere, licet diſtrahere, licet interimere. Proinde deterius feceris imperium, qui liberos vertis in mancipia. Quo præſtantius eſt id, quod geris, imperium, hoc*

magnificentius ac ſplendidius regnas. Conſulit igitur maieſtati tuæ, qui ciuium libertatem ac dignitatem tuetur. Deus ipſe, ne coactis imperaret, & Angelis & hominibus liberum dedit arbitrium, quo ſplendidius & auguſtius redderet imperium ſuum. Quanto prædicto in loco melius Imperator Fridericus:

> *Non ſeruire quidem cogar, ſed condere iura*
> *Fas habeam, veſtris cupio diſponere cuncta*
> *Conſiliis*——

Quanto Andreas Knichius? *Tanto quemque maiorem & illuſtriorem eſſe, quanto maioribus & illuſtrioribus præeſt.*

III.

ORATIO

Anno Domini 1609.

DE GERMANORVM LEGE REGIA, AB ILLVSTRISSIMO PRINCIPE AC DOMINO SAXONIÆ DVCE,

habita ac publice recitata in Academia Salana, Anno MDCIX.

ADMIRANTI mihi ſæpenumero, Illuſtriſſimi Clariſſimique fratres, Dn. N. ac Dn. N. Magnifici Domini Prorector & Exrector, Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Domini Conſiliarij, Reuerendi, Iuriſperitiſſimi & Humaniſſimi Patres Academici, tuq; ornatiſſima Studioſorum Corona, fideles chariſſimi: Admiranti (inquam) mihi ſæpenumero, quid eſſet, quamobrem ad gubernacula Il. reipub. literariæ in Academijs admouerentur ex illuſtribus familijs oriundi adoleſcentuli, quantumuis per ætatem rectum tenere Reipub. clauum non poſſent? Duabus tandem de cauſis inſtitutum illud non modo non vituperandum, ſed laudandum etiam imprimis ac magnifaciendum eſſe videbatur. Vna, vt qui regendis nati ſunt imperijs, ab ineunte ſtatim adoleſcentia in Academijs bonarum artium officinis, artem diſcerent bene tractandæ Reipubl. Non ex mutis tantum magiſtris, quorum præcepta ratio ſæpe arguit, communis hominum vita non admittit, repellit vſus & ingenium nationis: ſed ipſis etiam experimentis, quibus cum in omni re, tum in ea quoq;, quam diximus, arte, nihil eſt valentius. Altera, vt aſſueſierent mature, rectis ſapientum conſiliis ſeſe ſubmittere, & quemadmodum in Academicis, ſic & in Reipubl. negotiis, nihil quandoq; agere, niſi aliquos vel Neſtores, vel Papinianos, vel Gregorios Pontanos, ſuæue ditionis ordines in conſilijs habuerint.

Eſt enim nihil peſtilentius, quam cum incipiunt cum pileo duntaxat ſuo deliberare Principes, aut ita perſuadere ſibi, eum plus omnibus noſſe, qui videt ſe plus omnibus poſſe. Quod verbis beati Gregorij vſus, Henricus IV. Imperator, in Pontifice nequiſſimo, Gregorio VI L. vituperabat.

Quapropter cum hiſce & id genus alıis proculdubio grauioribus de cauſis, me quoq;, licet ætate iuuenem, inſignibus magiſtratus Academici auguſtiorem reddere volueritis, Anteceſſores fideliſſimi: quæ quidem res Deo glorioſa, mihiq; magiſtratuiq; meo, patribuſq;, ciuibuſq; Academicis proſpera ac ſalutaris ſit: faciam, quod à me mos Academicus efflagitat, ac de *Germanorum Lege Regia*, eiuſque cum Romanorum veteri differentia, origine, cauſiſque pauca dicam: clementer orans, vt æquos vos præbere velitis, & cum ſilentio animaduertere, tenenda ſit, an exigenda, quam dicturus ſum, ſententia. Vos eritis enim iudices: veſtrum erit arbitrium, veſtra exiſtimatio, ne calumnijs forte circumuentum inique iniqui iudices traducant.

Iam primum ex iure Iuſtinianeo abunde liquere arbitror, Legem Regiam nihil aliud, niſi populi quoddam [a] iuſſum eſſe, quo populi imperium, vel (vt Arcadius [b] Iureconſultus loquitur) quo regimenta Reipubl. in Principem [c] transferuntur.

Ab hac ipſa translatione regimentorum [d] *Regiam Imperii*, Legem Imperij dictam: quemadmodum ab eo, quod rogatum erat, [e] & Annaria Lex dicta fuit, & Agraria, & Frumentaria, & Teſtamentaria, & Sumtuaria, & id genus aliæ trecentæ.

Eaque cum ſic ſe habeant, quid eſt, cur dubitandum ſit, Germanorum Legem Regiam aliam non eſſe, atque eam, quam à varijs conditionum, quas Cæſari recens electo præſcribit, capitulis, *Imperatoriam Capitulationem* appellare ſolemus?

Etenim [f] hæc Capitulatio illa ſola lex eſt, qua hodie per Electores publicam in conſtituendo Cæſare vicem obtinētes, imperium regimentaue populi Germanici in Imperatorē transferri ſolent.

Hæc illa Lex eſt, quæ ſi deſignati Imperatoris iureiurando, ac tradita Electoribus ſingulis cautione

a *Genus hoc legis non modo Regiæ, ſed etiam omnino omnium, vſurpatum ab A. gellio, loco notiſſimo.*

b *L. vn. D. de off. præf. prat.*

c *Hanc definitionem colligo ex § 6. Inſt. de iur. nat. gent. l. 1. D. de conſt. Princ. §. 7. in conſt. de concept. dig.*

d *Ita videtur innuere Arcad. diſt. l. vn. verbis:* Regimentis Reipub. ad Imperatores translatis. *per legem puta Regiam.*

e *Lud. Charondas 1. Veriſim. 2. Ant. Auguſtin. in libr. de Legib. & Senatuſconſ.*

f *Huius aſſumptionis teſtes ſunt locupletiſſimi, Sleidan. lib. 2. & Pflugius in orat. de Rep. Germ. conſt.*

tione ſcripta, confirmata fuerit, & ipſi electioni vim ac robur addit, facitque vt in literas referantur, & obſignentur Septemuirorum ſuffragia, ac publice pro concione declametur Imperator.

Hæc, quæ ex populo rerum domino, populiq; Vicarijs, Palatino ac Saxone, ſubiectos: ex Principe vero ſubiecto rerum dominum & Imperatorem facit. Quarum rerum teſtem habeo grauiſſimum hiſtoricum Iohannem Sleidanum, cui illuſtriſſima noſtra familia tantum debet, quantum homini homo debere poteſt, nomini & exiſtimationi ſuæ nato. Teſtem Iulium Pflugium, Epiſcopum non incelebrem rerumq; imperij probe peritum. Teſtem ipſam Germanorum Legis Regiæ formulam, quam de imperio Caroli V. Cæſaris latam, idem Sleidanus olim, mira, qua valuit, perſpicuitate ac breuitate expreſſit: nunc vero nuper iiſdem, quibus concepta eſt, ſolennibus, Melchior Goldaſtus Haiminsfeldius in lucem protulit. Vt qui in perſcrutanda Romanorum Lege Regia multi & fuerunt & ſunt, mihi certe rem Reipubl. inutilem: at qui inuentam ad hodiernum Germaniæ ſtatum inflectere laborauit, perinde facere videantur, atque

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit ——

Quid enim Auditores? An ſi populus Romanus omne ius, omnemq; poteſtatem ſuam tranſtulit in Principem, ideo & populus Germanicus nihil ſibi iuris, nihilq; poteſtatis reliquum fecit? nullo certe modo. Quapropter? quia quæ de imperio Caroli V. lata eſt Lex Regia, luculenter demonſtrat, populum Germanicum non niſi certis ſub conditionibus habenas Reipubl. transferre ſolere.

Qui vero non niſi certa lege transfert & committit, is vtique non ita transfert, vt omni ſe imperio exuere, & quicquid poteſtatis habet, in alium transfundere velit. Non: ſed (quæ natura conditionis eſt) ſibi quoque imperium retinere, ſi qua ex conditionibus adiectis impleta non fuerit. Illudque ipſum eſt, quod ad Campegium Cardinalem [a] Eraſmus Roterodamus ſcribit: *Magnam quidem eſſe Caroli V. Cæſaris potentiam: ſed hoc nomen ab omnibus non agnoſci. Germanos vero, qui agnoſcerent, illud* CERTIS CONDITIONIBVS *ſic agnoſcere, vt imperent verius, quam pareant.*

Eſt autem (Seneca monente) longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Et ideo exempla quædam attuliſſe, è re futurum erit.

Vt ecce per Romanorum Legem Regiam Principi & condere leges, & emendare, indicere bellum, ac finire, fœdera cum quibus vellet icere. Rempubl. quouis militari præſidio tueri, de capite fortuniſque ciuium iudicare libere, indicere tributa, ſenatum habere, promittere honores, ac mandare quibuſcunque libuit, licuit, modo vt ex vſu rerum publicarum priuatarumque eſſet.

Idemne Germanorum Imperatori licebit? Minime vero. Quamobrem? quia Lex Germanorum Regia de imperio Caroli V. ſcripta, Imperatori ſic condere leges & emendare permittit, vt nihil niſi de Septemuirorum Ordinumue conſilio & aſſenſu contendat & emendet: *c.*4. Sic bellum ſuſcipere ac finire, ſi eadem Ordinum, præcipue vero Septemuirorum, voluntas fuerit, *cap.*11. Sic fœdera percutere, vt cum externis ſocietatem nullam coeat, niſi annuant Septemuiri: *cap.*7. Sic militari præſidio vti, vt intra Germaniæ fines militem externum nullum adducat, niſi adducendum cenſeant Septemuiri: *cap.*11. Sic de ciuium capite fortuniſque iudicare, vt ſi quam actionem habet in vllum Ordinem, non aliter, quam legibus, experiatur. Indicta vero cauſa proſcribat neminem, aut grauet, imprimis eum, qui ſiſtit ſe legitimæ cognitioni: *cap.*20. *&* 21. Sic imperare tributum, ſi Electores imperandum iudicent: *cap.*12. Sic denique honores promittere, & mandare, vt imperij rebus peregrinum neminem præponat: *cap.*13.

Quare cum Carolus Quintus latæ de imperio ſuo Legis Regiæ fines tranſilire, ac Ferdinandum fratrem, ſecus quam Aurea Caroli IV. Bulla præſcriptum erat, Romanorum Regem renunciare velle videretur, abauus noſter Saxoniæ Elector Iohannes, is qui Conſtans vſurpatur, proteſtando ſeſe oppoſuit, cumq; Galliarum Rege Franciſco Primo fœdus percuſſit, vt ſi qua iuri vis præualere deberet, paratum eſſet Legi Regiæ præſidium.

Quid vero proauus noſter, Saxoniæ Elector Iohannes Fridericus Magnanimus? Quid agnatus Saxoniæ Elector Mauritius? Num Imperatoris eandem atque Principis olim Romani poteſtatem eſſe putabant, cum alter bello Germanico iuſta ſe induere arma putaret, quod Cæſar contra Legem Regiam, inconſultis Ordinibus, in confœderatos Smalcaldicos bellum ſuſciperet? fœderis ſocietatem cum Pontifice Romano iniiſſet? adduceret intra imperij fines militem externum? proſcriberet indicta cauſa Auguſtanæ Confeſſionis Ordines, nihil magis, quam iudicium legitimum poſtulantes? Alter vero bello Mauritiano conquereretur grauiſſime, in Aula Cæſaris non niſi cum magna temporis pecuniæque iactura audientiam impetrari? neglecto iuris ordine præſcripto, coactum è vinculis cauſam dicere ſocerum Landgrauium? tributis illegitime indictis, neruos Germaniæ incidi? Comitia ſine vllo ſeu fine ſeu modo haberi? conſiliorum ſummam prope ab vnius, & quidem peregrini hominis, arbitrio & auctoritate pendere? & alia, quæ ex [b] libris publici iuris peti facilius, quam à me omnia enumerari poſſunt.

Quod ſi quis itaque eſt, qui Germanorum Legem Regiam à Lege Romanorum differre pluſimum, recte me credere putat, is adſcribat meæ, etiam meorum maiorum & agnatorũ ſententiam.

SEQVITVR nunc illud, vt quæ Legis noſtræ fuerit origo prima, videamus. Qua de re ego ita cenſeo: tametſi locuples auctor Tacitus, Germanorum Regibus nunquam infinitam aut liberam poteſtatem fuiſſe ſcribat, non tamen de Lege Regia, ſed illo veterum Germaniæ Regum iureiurando, in-

[a] *Meminit huius ſententiæ Sleidan. lib.* 8. *& Georg. Cœleſtin. in Hiſt. Auguſt. Confeſſ.*

Loca huc pertinentia Goldaſtus in Conſtitutionum ſuarum collectione Germanica, t. 1. in not. ad fol. 240. *diligentiſſime congeſſit, ita loquens, vt ad noſtram opinionem quam proxime accedere videatur.*

[b] *Maxime Sleidano.*

do, intelligendum Tacitum, quo inaugurationis initio generatim, & in vniuerſum fidem dabant, iuſte ſe regnaturos, facturoſque nihil, præter boni Principis officium.

At Legem ipſam Regiam, vt ante Henricum Quartum Imperatorem latam non fuiſſe ſtatuam, monet me vetus auctor Bruno hiſtoricus,[a] qui ſub Henrico Quarto Imperatore vixit. Is enim in hiſtoria belli Saxonici ſcriptum reliquit, quod in Forcheimenſibus Comitiis anno milleſſimo ſeptuageſimo ſeptimo, cum omnes Ordines Imperij Henricum IV. propter immanem truculentiam deponere imperio, & Imperatorem nouum, præſcriptis legibus quibuſdam certis, creare vellent, ibi tum Pontificius, qui forte aderat, Legatus contradicere, cumque creandi modum, vt omnino nouum & inſolitum oppugnare cœperit. Verum non obſtante hac Legati contradictione, tamen (ait Bruno) ſunt ibi cauſæ quædam ſpecialiter exceptæ, quas quod iniuſte viguerant, deberet emendare. Vna, vt Epiſcopatus nec prece, nec precio corruptus daret, ſed vt Eccleſiis electionem liberam permitteret. Altera, vt eligendi Cæſaris poteſtatem Ordinibus concedens, dignitatem imperij minime faceret hæreditariam.

a In hiſtoricis veteribus Marq. Frehert tom. 1. fol. 134.

Et hæc mihi Germanorum Legis Regiæ formula omnium prima, hæc incunabula, turbulenta ſane & exigua, fuiſſe videntur. Quæ adiectis deinceps alijs ſuper alias cautionibus, & immunitatibus Germaniæ, antiquis pariter ac recentibus, cum ætate eo accreuerunt ſimul, vt lata Lex de imperio Imperatoris Caroli V. capitulis comprehenſa ſit triginta duobus.

Quia enim effœta mundi hæc natura Principes fert nec ſemper optimos, nec, vt ſint optimi, ita lynceos ac beatos, vt in tantis, quibus circumuallantur, tenebris, nuſquam vel ipſi incurrant, vel impellantur ab ijs, quos Aula ſemper nutrit, Conſiliatijs improbis, qui vel bonum, probum, in nefas præcipitant, inſcientem imprudentemque, venduntque Imperatorem, vt non dubitet Hoſpitalius ſcribere eximius:

Meretur nemo Reges peccare, quibus tot
Peccandi auctores, tot cauſas eſſe videmus.
Natus Pannonia Cæſar dictare ſolebat:
Conueniunt multi nebulones ac paraſiti,
Vnum vt decipiant, nil prorſus tale verentem.
Securum, incautum: Non reſtitit ipſe duobus
Alcides—— —— & quæ ſequuntur.

Ideo maiores noſtri prudentiſſime ſecum perpendentes, [b] *optimo quidem Principi tuto permitti poſſe omnia: at mediocri (quales pleroſque diximus, ſeu proprio, ſeu alieno vitio) non omnia: malo autem nihil*: abſolutam illam & effrænem cæteroquin ſummi magiſtratus poteſtatem ſalubriter definiendam, & iniecto Legis Regiæ quaſi fræno ita moderandam putauerunt, [c] *nihil vt in Eccleſiam Chriſtianam, Reſpublicæ ſalutem, libertatem, ac priuilegia Ordinum Imperator committere poſſet. Vtque homines noſtri intelligerent, ſe non in hominis cuiuſdam acerbioris, ſed in patris, eiuſq; perbenigni poteſtatem venire.* Quæ elegans Iulij Pflugij ratio eſt: oſtendens non obſcure, longe aliud viſum eſſe maioribus noſtris, quam quod aut heri, aut hodie videri cœptum eſt politicis quibuſdam nouis.

b Dictum Eraſmi in lib. de inſtit. Princip.
c Verba Pflugij.

Illi enim nequaquam minui putabant Maieſtatem Imperatoriam, quantumuis ſic coarctaretur, nihil vt in vtilitatem ſubiectorum delinquere poſſet. Sed [d] quemadmodum Deus Omnipotens non idei co, quia peccare non poteſt, iudicatur eſſe minor, ſed illuſtrior fit hoc ipſo & admirabilior: ſic tanto quoque magis illuſtrem reddi Maieſtatem Imperatoriam credebant, quanto magis ab omni peccandi poteſtate abeſſet. At hi magiſtri belli peccandi licentia Maieſtatem metiuntur, negantque Monarchę iure cenſendum eum, cui relicta non fuerit ad quoduis facinus feneſtra ampliſſima. Illi ſubditorum libertate, hi ſeruitute, magis conſpicuam reddi Maieſtatem exiſtimant, atque in eo diputant, dignitati imperantis minime conſulere eum, qui ciuium libertati conſulit & dignitati; ſed qui Circes arte homines vertit in ſues, aut aſinos. Scilicet, vt domino licentia ſit, homines, ſicuti quadrupedes, quo lubitum fuerit, rapere, tundere, proſternere ac deglubere. Verum cum ſeruilibus hiſce ingenijs mihi alia quandoque futura eſt contentio. Nunc autem ſum contentus, quod cœptum de Germanorum Lege Regia orationis filum pertexuerim.

d Simile Claudij, Seſelij, Althuſij, & aliorum.

Humillime orans Deum præpotentiſſimum, cuſtodem Legum omnium Regiarum, Regemque Regum, vt Imperatoris, quem ſubiectiſſime colimus, glorioſiſſimi, populique Germanici mentem ita regere velit ac dirigere, ne vel is ad normam Germanorum Legis Regiæ, bene regere: vel hic, bene regenti obtemperare deſinat. Quo vigeat in ſacro hoc Romano Imperio vera religio, conſeruentur ſcholæ, floreant ſubiectæ Reſpublicæ, ac ſatis iam ſatis in anguſtum coactæ res imperii, ita rurſus creſcant concordia, vt vel æmulis ipſis tueri eum locum videantur, qui diuinis oraculis huic noſtro imperio attributus eſt.

DIXI.

PARS XIII.

PARS XIII.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS ET DISCEPTATIONES POLITICAS ET IVRIDICAS, SVPER MAIESTATE, POTESTATE, AVTHORITATE,

te, & plenitudine Imperatoria Monarchæ Romano-Germani, quem veteri conſuetudine Imperatorem Romanorum appellamus.

I.

DISPVTATIO POLITICA

DE MAIESTATE,

Anno Domini 1608.

HABITA A M. REINHARDO KOENIG, IN ACAdemia Gieſſena, Anno Domini 1608.

DE Maieſtate diſputaturi, ex præſcripto Sapientum à definitione initium ſumemus, quæ eiuſdem eſſentiam & naturam explicat, & ob oculos nobis ponit. Maieſtatem igitur Imperij Bodin. l.1.de Rep. c.8. à pr. ita definit, quod ſit *poteſtas politica in cives & ſubditos ſumma, perpetua, legibuſquè ſoluta.* Quam Græci ἄκραν ἐξουσίαν, κυρίαν ἀρχὴν, κύριον πολίτευμα, Latini *abſolutam poteſtatem*, *abſolutam iuriſdictionem, poteſtatis plenitudinem* dicunt. Eodem ſenſu, explicatius tamen definitur illa imperij maieſtas, quod ſit *poteſtas politica in cives ac ſubditos ſumma, perpetua, legibuſque ſoluta, ſalutis publicæ cauſa.* Vt ergo maieſtas ſit, ex poteſtate ſumma, perpetua, legibuſq; ſoluta, conſtituatur neceſſe eſt. Maieſtas enim ſalua nec fingi, nec pingi poteſt, ſi vna illarum poteſtatum deficiat: tam firmo & adamantino fortiori cognationis vinculo conglutinantur. Quanquam etiam hoc dici poteſt, neceſſarium non eſſe, vt in definitionem ipſam verbo ingrediantur duæ illæ particulæ, *Perpetua legibuſq; ſoluta.* Siquidem propria ſummæ poteſtatis (per ſe, & non precario conceſſæ) accidentia inſeparabilia ſunt: *poteſtas perpetua, poteſtas legibus ſoluta*: eidemque ita cohærent, vt ſeparati nulla ratione poſſint. Sed definitionis ſingula membra excutiamus, vt oſtendamus eſſe aliquam poteſtatem ſummam, perpetuam, legibuſque ſolutam.

Summa poteſtas eſt, quæ poſt Dei immortalis poteſtatem inter homines ſeipſa ſuperiorem non agnoſcit: quæ nulli, prætterquam Deo ſubiecta eſt atque paret, alijs parere neſcia. Si enim cuiquam ſeruire, aut imperanti parere cogantur, ſeu ſponte ſeu inuitus id faciat, maieſtatis nomen amittit. Vnde poetæ illud: *Qui Rex eſt, Regem maxime non habeat.* Hanc itaque poteſtatem ſi vnus obtinet, conſtituitur Monarchia: ſi plures, quam vnus, conſtituitur Ariſtocratia: ſi denique totus populus, aut plurimi de populo, conſtituitur Democratia.

Cæterum eiuſmodi ſummam poteſtatem cernere eſt in Imperio Romano, Hiſpanico item, Gallico, Turcico, Moſchouitico, &c. vt docent & confitentur Politici. Quanquam Turcæ & Moſchouitæ poteſtas potius eſt in ſeruos, quam in ciues; quippe qui omnes ſibi ſubiectos nullo prope diſcrimine pro mancipijs habeant, & omnem tyrannidem, omnem moderationis, modeſtiæ atque clementiæ contemptum maieſtatis obtentu velent, quod ſcribunt Ioan. Leunclauius *in Hiſtor. Muſulman. Turc.* Alexand. Guagninus *tom. 2. rer. Polonic.* Nec minus ſumma gaudet poteſtate Rex Anglorum, Scotorum, aut alius Monarcha, ſiue Reſpublica minor, quam vel Hiſpaniarum Rex, Tartarorum aut Turcarum Impp. Summa enim poteſtas, vel Regia maieſtas neque locorum ſpatiis, neq; numeroſa prouinciarum multitudine definitur. Hinc Eumenes, etiamſi fractis opibus, nihil præter arcem, in qua obſidebatur, ſuum dicere poterat; cum tamen de pace ageretur cum Antigono Aſiæ rege, qui vt potentia, ſic etiam dignitate ſuperior videri vellet: legatis Antigoni reſpondit: *ſuperiorem ſe neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret*, vt refert Bodin. *lib. 1. de Rep. c. 9. n. 144.* Ex Plutarch. *in Eumene.* Quemadmodum igitur pulex non minus animal eſt, quam vel vaſtiſſimi corporis Balæna: Sic etiam minima Reſpublica, vel Princeps tam fruitur ſumma in ſuos poteſtate, quam vel maxima Reſpubl, aut potentiſſimus Monarcha: Plus enim & minus non mutant rerum genera, vt docent Logicorum ſcholæ. Idem docet Bodin. lib. 1. de Repub. c. 2. n. 10. his verbis: *Vt elephas non magis animal dici debet, quam formica: Sic Raguſia ciuitatum fere omnium, quæ ſunt in Europa, minima, non minus Reſpublica dici debet, quam Turcarum aut Tartarorum, aut etiam Hiſpanorum, quorum imperia iiſdem finibus, quibus ſolis curſus, terminantur. Et quemadmodum exigua familia anguſtiſſimis gurguſtiis comprehenſa, eodem familiarum iure cenſetur, quo quæ ſuperbiſſimis ac late patentibus ædificiis gloriantur: ſic Vlyſſes, cuius imperium Ithacæ ſcopulo continebatur, Rex æque dicitur ab Homero atque Agamemnon.* Hæc ille.

Ex dictis à contrario ſenſu facile eſt colligere, illam ſummam poteſtatem non eſſe, quæ à maiorude-

ri dependet vel circumſcribitur. Non igitur Rex aliquis ſuperiorem recognoſcens iura maieſtatis, & ſummam habet poteſtatem. Nec quilibet alterius Principis vaſallus ſeu fiduciarius. Vaſallus enim, vt ait Bod. *lib.1.ca.9.n.113.* ſiue Imperator, ſiue Pontifex maximus, fidem, obſequium, obedientiam *Superiori*, quaſi domino, præſtare tenetur. (Feuda enim à fide præſtanda dicta ſunt: hinc F. E.D.V.M. dici videtur: quod qui fidem daret, his verbis vtebatur: FIDELIS ERO DOMINO VERO MEO: contractis autem dictionibus in literas, feudi appellationem traxerunt; niſi à fœdere vtrinque contracto, deriuari verius ſit. *nu.*107.) Intelliguntur autem à nobis illi vaſalli, qui nihil præter feuda habent, in quo poteſtate abſoluta vti poſſint, non illos, qui domi regno proprio potiuntur. Veriſſimum enim eſt illud: Rex eſſe nemo poteſt, qui nihil habet, quod non alterius nexu ac fiducia teneatur. Inſuper nec Auſtriæ Archiduces ſummam habent poteſtatem: licet ſummis & ſplendidiſſimis fulgeant priuilegijs. Petr. Mind. *de proceſſib. in cap. de priuileg. quorund. ſtat. Imp.* Ioan. Forſterus *in proceſſu iudiciario cameræ in cap. de priuileg. quorundam ſtatuum & ciuitatum*; Cuſpin. *in Auſtria*, Munſterus *lib. 3. Coſmogr.* Nec habet Dux Sabaudiæ, nec Lotharingus: nec Florentinus: nec Mantuanus: nec Mediolanenſis: nec Genuenſes &c. Hi enim omnes Imperatoris Romani ſunt vaſalli, eumq; ſuperiorem recognoſcunt, teſte Bodino *lib.1. de Rep. c.9. n.*122.124.126.127.

De Heluetiis dubitari poſſit, num abſolute ſummam poteſtatem habeant? Bodinus equidem *lib.1. de Rep. c.7. n.71.* aſſerit, Heluetiorum tredecim Reſpublicas finibus & imperiis diuiſas eſſe, & ſingulas habere iura maieſtatis. Quo minus autem in ſententiam Bodini eam, moueor inprimis hac ratione: Quia Heluetii omnem ſuam libertatem acceptam ferunt Imperio Romano, quam ſub Friderico. II. Imperatore acquiſiuerunt, & ab eodem libertatis conceſſæ diploma aureis literis exaratum impetrauerunt, vt teſtatur *Stumpffius de rebus Helueticis.* Inde eſt, vt quoties nouus creatur Imperator, ab eo priuilegiorum ſuorum confirmationem petant, vt teſtatur Munſterus *l. 3. Coſmogr.* Simlerus *de Repub. Heluet.* Quod ipſum nec Bodinus negat. *l.1. de Rep. cap.7. num.77. & cap.9 n.125.* ibi ſcribit: Heluetios adhuc Imperij Germanici maieſtatem ſic reuereri & colere, vt ab Imperatore Ferdinando libertatis acceptæ beneficium ſibi confirmari popoſcerint. Huc facit, quod paulo ante, n.123. de Florentinis ſcribit: cum ſcilicet Maximiliani I. Imperatoris copiæ in Italiam effuſæ, vna cum Ludouici XII. Galliæ regis legionibus ciuitates omnes ingenti metu terruiſſent; Florentinos, legatos ad Cæſarem miſiſſe, vt obſequium præſtarent, & imperata facerent: illum acceptis aureorum quadraginta millibus beneficia à Rudolpho indulta confirmaſſe, vt ſcilicet ſuæ Reipu. ſtatum gubernare ac regere ſibi precario liceret. Et ne longus ſim, multum ad confirmationem meæ ſententiæ facit, quod Heluetii in omnibus, quæ cum externis Principibus percutiunt fœdera, Imperij Germanici maieſtatem, atque adeo Imperatorem ipſum excipiant. Vbi conſentientem habemus ipſum Bodinum *lib.1. de Rep. c.7. n.77.* in hunc modum ſcribentem: *in fœdere octo ciuitatum Heluetiarum, Tigurini, Bernates, Suitenſes, Vndervaldi, quod antea Imperii Germanici partem feciſſent, exceperunt Imperii Germanici maieſtatem, ne Germanis fraudi eſſet, quod fœdus ſancirent.* Et lib. 2. cap. 6. num.227. *Friburgenſes eo fœdere, quod cum Bernatibus de communicanda ciuitate ictum eſt, ſuam ciuitatem Imperij Germanici membrum appellant. Vrani vero, Vnderualdi, & Suitenſes, libertatem ac Reipublicæ moderandæ ius Imperio Germanico acceptum, & quidem tabulis publicis Ludouici Bauari Imperatoris profitentur.* Quæ ſatis oſtendunt, Heluetios vere ſummam poteſtatem & veram libertatem per ſe & ex ſe non habere. Nec obſtat, quod Heluetij propria maieſtatis iura vſurpent. Id enim fit per accidens: quia propria illa non ſunt effecta propria ſummæ poteſtatis, *cuiuſcunque* ſcilicet ſeu immediate: ſed potius ſpecialis illius conceſſionis, quæ à ſumma Imperatoria poteſtate dependet. Summa Heluetii in libertate ſunt: liberi vero non vere ſunt. Differunt enim hæc *arg. l. ei quoq;* 11. *ff. ex quibus cauſis maior, l. quod autem* 10. *ff. de liberal. cauſ. l. poſſideri* 3. *§. ſi ſeruus* 10. *ff. de acquirend. vel amittend. poſſeſ.* Hinc quoque de libertate, & poteſtate Mediolanenſium, ac multarum Germaniæ ciuitatum precario conceſſa iudicium ferri poteſt, quod nimirum à ſumma Imperatoria poteſtate illa dependeat.

Quid vero de clientibus dicendum putabimus? Anne Princeps ſummus, qui ſe alterius ſummi principis clientem profitetur, & maieſtatem eius in fœdere comiter obſeruare tenetur, ſummam in ſubditos ſuos poteſtatem ſiue iura maieſtatis amittit? Sic quidem nonnullorum fert opinio, à quibus recedere nulla nobis eſt religio. Aliud ſiquidem eſt aduocatia, aliud poteſtas: alteraque cum altera confundi nec poteſt, nec debet. Quid enim? Aduocatus ſiue Patronus Regni alicuius per clientelam, aduocatiam, ſeu protectionem, nullam omnino poteſtatem in id accipit, ſed opibus & auxiliis aduerſus hoſtium copias ſine vlla mercede tuetur. Et cliens Patronum in fœdere ſuperiorem eatenus agnoſcit, quatenus perſonæ ac loci dignitas poſtulat, non quatenus poteſtas requirit, quæ nulla omnino eſt. Quid igitur? Diſtinguendi ſunt honores, honorumque cauſæ. Honorat Patronum cliens: honorat vaſallus Dominum: honorant Principem ſubditi: an eodem modo? Minime gentium. Subditorum & vaſallorum honor ex obſequio eſt. Vaſallus ſiquidem non modo ſuperiorem confitetur Dominum, ſed etiam fidem & obſequium ei exhibere cogitur, aut feudo cedere: clientum honor ex obſequio non eſt, ſed tantum ex defenſione: cui cum Imperio & obſequio nihil penitus eſt commune. Recte igitur Bod. *lib.1. de Rep. cap.7. n.68.* clientelam inter ſummos principes definit, quod nihil ſit aliud quam *fœderata conſociatio, qua alter alterius maieſtatem obſeruare tenetur, vt ab iniuria potentiorum tutior eſſe poſſit.* Et Proculus apud eundem libr. octauo Epiſtolar. *Liber autem populus, ait, eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt*

ſubiectus : ſiue is fœderatus eſt: ſiue æquo fœdere in amicitiam venit; ſiue fœdere comprehenſum eſt, vt is populus alterius populi maieſtatem comiter obſeruaret. Hoc enim adiicitur, vt intelligatur alterum non eſſe liberum.

Et quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate, neq; dignitate, neq; iure omni nobis pares ſunt: ſic eos, qui maieſtatem noſtram comiter obſeruare debent, liberos eſſe intelligendum eſt. *l. non dubito. 7. de captiu. & poſtlim. reuerſ.*

De tributariis, quos ita vocant, idem ſit iudicium. Qua de re dixmus in *diſp. de ſtatu Imp. Rom. ad argumentum 6. Bodini.*

Perpetua poteſtas eſt, quæ per ſe nullo temporis ſpatio terminatur, quæq; tam diu durat, quamdiu imperans & imperium viuit. Stat igitur Monarchia, quo vſq; imperat Monarcha: Stat Ariſtocratia, quamdiu imperant optimates. Stat Democratia, quamdiu imperat populus. Moritur quoque Democratia, quando vel Reſpu. omnino euaneſcit, vel in Ariſtocratiam aut Monarchiam commutatur. Moritur Ariſtocratia, quando itidem vel imperium interit, vel in Monarchiam aut Democratiam conuertitur. Moritur deniq; Monarchia, quando ſimul cum ipſo Monarcha imperium occidit, vel quando Democratia ſiue Ariſtocratia inde exſurgit.

Quibus igitur ad tempus ſumma in ciues poteſtas tribuitur, cum pacto, vt eiuſdem temporis decurſu poteſtatem illam deponant, rerumq; à ſe geſtarum rationem populo vel Principi reddant, ipſis nec ſumma, nec perpetua illa poteſtas conuenit, ſed potius ſummæ poteſtatis ac imperij apud ipſos quaſi depoſiti cuſtodes, tam diu ſunt, quoad ſummus Princeps populus re id repoſcat, cuius ipſi vere domini, poſſeſſores & arbitri ſunt. Et hoc eſt, quod vulgo dicunt Interpp. cumulatiue non priuatiue abſolutam poteſtatem, omnemq; iuriſdictionem ab eo, qui ſtatui præeſt, id eſt, à populo in Democratia, ab optimatibus in Ariſtocratia, à Monarcha in Monarchia ſubditis concedi.

Ex his efficitur, nec Dictatorem Romanum, neq; vllum ex magiſtratibus Romanis etiam maioribus, maieſtatem habuiſſe, quia perpetua poteſtate vſi non ſunt. Dictator equidem, vt Romanarum antiquitatum monumenta teſtantur, creari conſueuit, cum improuiſa aliqua neceſſitas eſſet oborta, puta belli gerendi, ſeditionis ſedandæ, Reipublicæ conſtituendæ, magiſtratus creandi, &c. vt ergo exiſtente neceſſitate, extitit Dictator, ita eadem neceſſitate intercidente, eius etiam Dictatura & imperium merito vna intercidit, finemque accepit: Nec fas erat, vltra ſextum menſem Dictaturam retinere *l. breuiter. 1. ff. de offic. præf. prætor l. populo 18. ff. de orig. iur.* Dicam & hoc, Dictatore creato, & ſummam poteſtatem habente, licet prouocatio ad populum ſublata, *d. l. populo, de orig. iur.* neque vllum vſquam, niſi in cura parendi eſſet auxilium, Liu. *lib. 2.* hoc ipſo tamen ſtatum Democraticum in Monarchicum non fuiſſe commutatum. Hallucinatur itaq, Bod. *qui lib. 1. de Rep. c. 8. nu. 79.* ſcribit, Q. Fabium Maximum Rutilianum magiſtrum equitum à L. Papyrio Curſore dictaturam gerente, quod contra mandatum eius dimicaſſet, capitis damnatum, ex prouocatione populi iudicio liberatum eſſe. Reclamat enim manifeſta Liuii hiſtoria. Licet enim Fabii pater tribunos plebis appellarit, & prouocarit ad populum: Dictator tamen aſſeuerabat, ſe in incœpto perſtaturum, nec ei qui aduerſus edictum ſuum, turbatis religionibus, ac dubiis auſpiciis pugnaſſet, quicquam ex iuſta pœna remiſſurum. Tandem precibus populi Rom. Tribunorum, patris & filii Fabb. victus Dictator, ſilentio facto: Bene habet, inquit, Quirites, vicit diſciplina militaris, vicit Imperii maieſtas, quæ in diſcrimine fuerunt, an vlla poſt hanc diem eſſent. Non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum Imperatoris pugnauit: *Sed noxæ damnatus, donatur populo Romano, donatur tribunitiæ poteſtati, precarium non iuſtum auxilium ferenti,* Liu. lib. 8. Diſſentit tamen Bodinus à ſe ipſo *lib. 3. de Rep. cap. 2. num. 269.* Vbi Fabium non aliter, quam Dictatore placato populi precibus ſupplicium euaſiſſe affirmat.

Ex dictis igitur patet, Dictatorem Romanum Curatorem Imperii fuiſſe, non Imperatorem aut ſupremum magiſtratum, licet ad tempus ſupremã habuerit poteſtatem. Idem iudicium facimus de iis, quos Regni Regentes, Procuratores ſeu Rectores Franci appellant, quibus vel ob infantiam, vel ob furorem, vel deniq; ob abſentiam Regis vel Imperatoris, Regni vel Imperii cauſa ſubiicitur, ſiue eorum nomine, manu ac ſigillo leges, edicta, decreta, reſcripta, iuſſa denique omnia ſanciantur, ſiue Imperatorium vel Regium nomen ac ſigillum legibus ac mandatis proponatur. Inter vtrumq; enim parum aut nihil intereſt, cum quæ à procuratore vel curatore gerantur, probante domino, & ab ipſo domino geri videantur *l. certe. §. 1. de precario. cap. mulieres, de ſentent. excommunication.* Bodin. *lib. 1. c. 8. n. 81.* Quo præſente omnia magiſtratuum & curatorum Imperia conquieſcunt. Et quemadmodum fluuiorum vis & impetus vna cum nomine abſorbetur, cum ab oſtiis in mare confuſi labuntur: & ſiderũ omnium ſtellarumq;, tum errantium, tum inerrantium lux nulla percipitur, cũ primum ſol exoriri cœpit, quaſi lumen acceptum ſoli reſtituere videantur: ita quoque Senatus auctoritas, ac magiſtratuum omnium imperia præſente Principe conquieſcunt, *lib. 3. de Rep. c. 6 n. 313.*

Præterea, ſi populus vel Princeps aliquam ſummæ poteſtatis particulam legato vel præſidi, vel alii, quouſque vixerit, precario conceſſerit, per ſe perpetuam poteſtatem non obtinebit, ſed ex accidenti tantum: Dictum enim eſt à nobis, illam tantummodo poteſtatem vere & proprie perpetuam eſſe & dici, quæ per ſe tempore non definiatur, quæque ſummæ poteſtatis adiunctum eſt *ἀχώριστον* ſiue inſeparabile, non quæ ex ſpeciali ſummæ poteſtatis conceſſione, atque ita per accidens, extitit. Aliter autem iudicandum erit, ſi populus alicui ſummam perpetuamq;, quoad vixerit, poteſtatem dederit ſiue magiſtratus, ſiue legati, ſiue Rectoris curatoriſue appellatione: nec

etiam

etiam precario dederit. Hoc caſu omnino dicendum erit, populum omnia maieſtatis iura, omnemque poteſtatem non communicatiue ſiue cumulatiue, ſed priuatiue in illum contuliſſe: Dicendum erit, populum ſe omni ſuo imperio ſua ſponte exuiſſe, idq; alteri illi ſine conditione donaſſe: non aliter, ac ſi priuatus aliquis pura donatione rei ſuæ dominium ac poſſeſſionem tradidiſſet. Tunc enim perfecta donatio conditiones nullas capit. *l. perfecta. 4. C. de donat. quæ ſub modo.* Bod. *l. 1. c. 8. n.* 82. Ad quem modum etiam lex illa Regia lata eſt in Auguſtum, cum populus *Ei & in eum omnem poteſtatem contulit*. Hæc eſt poteſtas perpetua.

Legibus ſoluta poteſtas eſt, cui à nullo homine leges (excipe leges ſtatus ſeu regni) præſcribuntur. Hæc tota profluit à ſumma poteſtate. Cum enim ſumma poteſtas ſit, quæ maiori poteſtate, maiorique imperio non definitur, quæque nemini præterquam immortali Deo obtemperat, ipſa ratio vnicuique dictitat, eſſe aliquam poteſtatem legibus ſolutam, quæ ſummæ poteſtatis adiunctum proprium dicatur. Quemadmodum igitur fama ſine propriis adiunctis non eſt, nec hoc ſine illa: ita ſumma poteſtas ſine legibus ſoluta poteſtate non eſt, nec hæc ſine illa. Nec certe fieri poteſt, quin ſumma poteſtas ſimul ſit legibus ſoluta. Quod vel ex hac ratione patet: Summa poteſtas aut eſt legibus ſoluta, aut conſtricta. Conſtricta non eſt: quia lex non eſt, niſi à ſuperiore ſiue imperante: imperare enim & leges condere ſibi inuicem reſpondent, vt cauſa & effectum. Quis vero hominũ eſt, qui ſummæ poteſtati imperet? Nemo, opinor. Hoc enim ſi eſt, ſumma poteſtas ſumma non erit. Deficiente ergo imperio in ſummam poteſtatem vlli hominum competente, deficiunt quoque leges eandem conſtringentes: Deficientibus his deficit quoque inde reſultans obligatio: obligatione autem deficiente neceſſario ſequitur ſummam poteſtatem nullam eſſe, quæ legibus conſtricta ſit.

Quid igitur cauſæ eſt, vt non minorum gentium IC. & Politici ſtatuant & credant ſummam aliquam poteſtatem, eandem vero legibus ſolutam negent? Quid eſt, inquam, vt probent antecedens, & negent conſequens? Quid eſt affirmare & probare poteſtatem ſummam habere, nullo imperio maiori definitam, & negare Principem legibus ſolutum eſſe, indiſſolubile ſiquidem vinculum eſt, ſumma & legibus ſoluta poteſtas coniungitur & conſtringitur. Verum enim vero concedunt illi legibus ab alio latis Principem ſolutum eſſe: ſuis tamen legibus ſolutum eſſe negant. At quomodo imperare & obtemperare ſibi quiſquam poteſt. *l. ſi de re ſua. 51. ff. de recept. qui arbitr.* Nec illa obligatio conſiſtere poteſt, quæ à voluntate promittentis ſtatum capit. *l. à Titio. 108. §. nulla. 1. ff. de V. O.* obligatio enim eſt iuris vinculum, quo *neceſſitate* aſtringemur ad dandum aliquid vel faciendum. *l. obligationum. 3. § 1. ff. de oblig. & act. l. 3. Inſt. de oblig. à pr.* Nullum igitur tale imperium, nullum obſequium tale, quod ex obtemperantis arbitrio & voluntate dependet. Vnde Hermogenianus *in l. 22. pr. ff. de legat. 3.* ait: *Neminem ſibi legem dicere poſſe, vt ab ea recedere ei non liceat.*

Et quas non leges & textus iuris apertiſſimos ſibi refragantes habent? vide §. *vltim. Inſt. quib. mod. teſtam. infir. l. princeps 31. ff. de legib. l. ex imperfecto 23. ff. de legat. 3. l. apud eum. 14. §. Imperator. 1. ff. de manum. l. digna vox. C. de legib. l. ex imperfecto. 3. C. de teſtam. Nouel.* 105.

Sic igitur habe, diſtinguenda eſt quæſtio de voluntate Principis à quæſtione obligationis. Obligatio nulla eſt. Voluntas ad modeſtiam, verecundiam & bonitatem Principis ſpectat, vt cogitet non omne, quod ex Imperij lege, ſiue maieſtatis iure ſibi licet, licere ſibi patiatur, vt cogitet, non omne, quod licet, honeſtum eſſe. Hoc eſt, vt cogitet, ſe Principem eſſe ex lege Imperii, bonum Principem ex honeſtate. Vis aliter? Diſtinguenda eſt ſumma poteſtas atque Imperii lex a voce regnantis: Illa facit, vt legibus ſolutus ſit Princeps, nec præter Deum vlli pareat: hæc facit, vt Princeps cogitet, ſe nolle vti lege Imperii, ſed velle ſe legibus, quibus ſolutus eſt, viuere, & ſe ſubmittere, eodemq; iure vti, quo alios vti velit. Quo ſpectat reſcriptum Impp. Theod. & Valentin. A A. ad Voluſianum præfectum prætorio: *Digna vox eſt maieſtate regnantis legibus alligatum ſe principem profiteri. Adeo de auctoritate iuris, noſtra pendet auctoritas, & re vera maius imperio eſt, ſubmittere legibus principatum. Et oraculo præſentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.* l. digna vox. C. de legib. Nimirum hoc idem eſt, quod Imp. Alexander A. Antigono ſcribit: *licet lex Imperij* (id eſt Lex Regia) *ſolennibus iuris Imperatorem ſoluerit: nihil tamen tam proprium eſt legi, quam legibus viuere.* l. ex imperfecto 3. C. de teſtam. In eundem modum diuus Seuerus & Antoninus ſæpiſſime reſcripſerunt: licet legibus ſoluti ſimus, attamen legibus viuimus, §. *fin. Inſt. quib. mod. teſt. infir.* Id etiam ſuo exemplo teſtatus eſt Seruius Tullius à Tarquinio in ſenatu accuſatus apud Dion. Halicarnaſſ. *lib. 4. antiq. Rom.* Vbi inter alia hæc quoque locutus eſt: *At ſuperbus ſum, P. C. & moroſus, neminique ferendus ob inſignem arrogantiam: Imo quis Regum ante me tam moderate vſus eſt potentia? quis tam comiter verſatus eſt in populo? non ſecus quam pater inter filios. Quippe qui ne poteſtatem quidem a ſuperiorum temporum regibus per ſucceſſionem ad me deuolutam integram retinere volui. Sed legibus latis, quas ipſi ratas feciſtis, ex earum præſcripto reddi iura inſtitui, quibus me primum ſubieci, & hactenus parui, quaſi vnus è priuatorum ciuium numero.* Hæc ille. Sic etiam à Plinio in *Panegyrico* Traianus Imp. laudatur his verbis: *In noſtris ſimili te Religione, ipſe te legibus ſubiecisti, Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit: ſed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis.* Laudatur itidem memorandum illud factum Zaleuci, qui vltro ſe ſubiecit legi à ſe promulgatæ.

Hic enim legem tulerat, vt in adulterio deprehenſus vtrumque oculum amitteret. Accidit autem vt filius ipſius, quem vnicum habebat regni ſucceſſorem, ſe eo ſcelere contaminaret, pater ſecundum legis præſcriptum cum filio ſuo omnino procedere voluit: Tandem vero conuictus populi pre-

no 1495. conſtituto, hodie propter diſuetudinem, ſeu contrarium vſum conſuetudine longi temporis introductum, excepto Electore Saxoniæ non vtuntur, qui quod in veſtigia ſucceſſit præfecti prætorij, antiquum muneris huius ius & lege Carolina renouatum, conſeruauit & præſcriptione confirmauit, ne ſcilicet liceret à iudicio & ſententia ipſius ſubditis diſcedere: Peucerus *lib. 5. Chron.* vbi hæc addit: *Ne vero cuiquam deeſſet copia iuris, data opera eſt ab Electoribus Saxoniæ, vt forma iudiciorum publicorum in his terris* (Saxonicis) *congrueret cum veteribus legibus, & à ſententia horum concederetur prouocatio, cum ad neceſſarias atque iteratas eſſet, ſi ſit opus, recognitiones declarationeſque negotiorum, tum ad Principis ipſius iudicium ac definitionem, quæ tertia & vltima eſt, vltra quam nè leges Imperatorum quidem aliam permittunt. Quod ergo iuſtiſſima eſſet & legibus maxime conſentanea hæc iudiciorum forma non approbata tantum ab Imperatore Ferdinando nuper, ſed & ſtabilita fuit atque munita auctoritate publica, ne tentare ſubditis prouocationem ad aliena iudicia liceat.* Hæc ille.

Cæterum, Bodin. *lib. 1. de Republ. cap. vltim. num.* 161. Prouocationis verbo rogationes ad Principem, quas forenſis diſciplina *ciuiles ſupplicationes* appellat, contineri ſcribit, ita quoties contra ſententiam maiorum magiſtratuum prouocare non licet, Principi tamen ſupplicare licet. *l. 5. C. de precib. Imperat. offerend. l. vnic. C. de ſent. præf. præt.* Solent vero Principes prouocationes ad ſe factas remittere ad inferiores, ad quos debuerant fieri *l. Imperatores 21. ff. de appellat.* Interdum tamen ab aliquibus Princeps, omiſſis omnibus aliis iudicibus adiri poteſt: vt à pupillis, viduis & aliis miſerabilibus perſonis. *l. vnic. C. quando Imperator inter pupillos, &c.*

Quintum maieſtatis caput ab extrema prouocatione dependet, ſcilicet poteſtas veniam delictorum concedendi, relegatos reſtituendi, capitis damnatos abſoluendi, Bodin. *dict. c. vlt. n.* 164.

Sextum caput eſt ius numi percutiendi, imagine ſignandi, eius valorem & poteſtatem conſtituendi, *l. 2. C. de falſ. monet.* Hoc vero ius, vt ait Bod. *nu.* 167. maieſtatis æque proprium eſt, ac legis ipſius poteſtas: Cuius enim eſt leges iubere, eiuſdem eſt numerorum pretium, pondus, figuram præſcribere: Nam Græca vox νόμος, id eſt, *lex, numo* videtur originem dediſſe: nihil enim poſt legem magis in Republica neceſſarium eſt, quam numorum pretium, pondus, imago: prudenter conſtituta, ſolius Principis ius illud proprium eſt.

Alia maieſtatis propria, ſi quæ ſunt, vt ſunt plurima, ea omnia ad modo relata referri poſſunt. Ad extremum hoc ſolum notandum venit, etſi maieſtatis propria eiuſmodi ſint, vt ſolius ſummæ poteſtatis propria ſint: ita, vt ſi priuatus quis Principe inferior, in iura illa inuolauerit, capitali fraude obligetur. *arg. l. ſacri afflatus 6. C. de diuerſ. reſcriptis.* Bod. *d. c. vlt. in fin.* quædam tamen, vt auctoritatem cudendi monetam, &c. iure etiam ſpeciali tam priuilegio, quam conſuetudine acquiri poſſe. *l. pen. C. de falſ. monet. l. 1. C. de vet. numiſm. poteſt arg. l. ſi quiſquam ff. de diuerſ. & tem. præſcr.* Myns. *cent. 4. obſ. 24. & cent. 5. obſ. 29.* Qua de re plenius in ipſa diſputatione.

II.

DISPVTATIO APOLOGETICA

DE POTESTATE IMPERATORIS LEGIBVS SOLVTA, ET HODIERNO IMPERII STATV, ADVERSVS HERMANNVM Vulteium I C. Marpurgenſem habita à Gothofredo Antonio, I.V.D. & Illuſtriſſimi Haſſiæ Principis Ludouici Conſiliario, Academiæ Gieſſenæ Cancellario, & Profeſſore Primario: Reſpondente Chriſtophoro Kaltio Spirenſi: A.D. 1608.

Anno Domini 1608.

THESIS I.

SCitum & tritum eſt illud Philoſophi: *Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas,* cuius amore vel propria tollere Sapientem decet.

2. Hoc ſecuti nuperrime vt libere pro more & iure Academico, ſic & cum honoris præfatione veniaque petita modeſte contra quondam Præceptorem & Collegam noſtrum Hermannum Vulteium I C. Marpurgenſem, in publica diſputatione, quam *de Iuriſdictione Cameræ Imperialis* habebamus, corollarii loco propoſuimus & defendimus, *dictu nefas eſſe,*

eſſe, non vt olim, ita hodie Principem legibus ſolutum eſſe, vt de eo, an Princeps legibus teneatur, necne, ſolicite inquirere non admodum ſit neceſſarium.

3. Ipſum Corollarium his conſtat verbis: Nefas ſit cum Dn. Vulteio in l.1.n.8.C.vbi ſenat. vel clariſſ.(quod pace tanti viri, Præceptoris noſtri obſeruandi dictum volumus) aſſerere, Imperatorem hodie legibus non eſſe ſolutum. *Vide Gail.1.obſ.14.n.6.& lib.2.obſ.58.n.2.& 9.& obſ.127.n.7.Mynſ.4.obſ.8.n.3.& cent.5.obſ.97.n.10.& reſp.21.n.69.cent.1.Hart.Piſt.2.q.40.n.40.in fi.Schneid.de feud.p.2.c.5.n.39.v.quod procedit.Ant.Hering.in tract.de fideiuſſ.c.7.n.110.Zaſ.conſ.1.n.22.in fin.lib.2.Nico.Euerhard.Iun.conſ.5.n.82.& conſ.13.n.1.& 2.vol.2 Fichard.conſ.70.n.12.vol.1.*

4. Eo nomine præter omnem opinionem grandis dica nobis ſcribitur, dum & priuatim & publice de ingratitudine & immodeſtia noſtra conqueruntur, ſeq; verbi(*nefas*) acrimonia læſos, & noſtram ſententiam ab hodierno iure alienam eſſe, nec vllo nos dignari reſponſo ex cathedra clamitant, ne per ſuum nomen inclareſcamus.

5. Profecto valde mirati ſumus hanc animi impotentiam: quam dum patienter toleramus, ecce Zoilum lumine luſcum & ſcurram ſubmittunt(ſcimus enim illic ex ſtatuto nihil typis cõmitti, niſi prius viderit & permiſerit Facultas) qui non docte dictis, ſed maledictis in nos inſurgit, atque inter innumera conuitia, quæ mendaci impioque calamo in nos coniecit, *ipſas theſes noſtras nefarias & nefaria manu conſcriptas eſſe*, ſcribere non erubuit.

6. Ita indigne prouocati, ex tempore reſponſum & defenſionẽ parare coacti ſumus, ad quam antequã deſcendamus, hominem illum ſuppoſititium hoc vno elogio: *Recipe tua in nos iacta conuitia tanquam mendax, improbus, ſcurrilis & nefarius ipſorum architectus aut architecti organum, & omni honeſtorũ conſortio, donec ea probaueris, probabis autem nunquam, indignus*) ad ſuos fautores remittimus.

7. Et vero vt clareſcere per aliorum nomina hac veri inueſtigatione non cupimus, noſtra ſorte contenti, ſic & ſciant, non ea ſe claritate fulgere, vt oculi noſtri illa perſtricti, quid recte aut quid perperam ab ipſis dicatur, nullibi videre queant, aut viſum eloqui non auſimus.

8. Cæterum querimoniam de verbi acrimonia quod attinet, ſi M.Tullius in lib.de ſenect.ſcribere non dubitauit, *dictu nefas eſſe, miſerã fuiſſe Q. Maximi ſenectutem*: nobis etiam licebit aduerſus illos, qui quid ſacræ Cæſareæ Maieſtati, de cuius poteſtate dubitare ſacrilegij inſtar eſſe paſſim Doctores ſcribunt, ſiue errore, ſiue(quod tamen non arbitramur) ſtudio detractum eunt, iſta voce vti.

9. De quo eo minus dubitare licebit, ſi quantum ex ipſorum ſententia ſacræ Cæſareæ Maieſtati decedat, paucis cognouerimus.

10. Extra controuerſiam poſitũ eſt, vt diuino, naturali aut gentium iure, ſic & legibus imperandi, quæ cum ipſa Maieſtate coniunctæ ſunt, eamq; immediate concernunt, ſiue tacite, ſiue expreſſe Principi datæ ſint, & olim obligatũ Principem fuiſſe, & etiamnũ illis teneri Bod.*li.1.de Rep.c.*8.*n.*88.*in fi.*Horom.*illuſt.q.*1. Dauth.ad *l.3.n.5.C.de teſt.*Zoannet.*de Ro.Imp.n.*171.184.*& ſeq.*Knich.*de Saxo. non prou.iur.*verb.*Ducum Saxoniæ.c.1.n.*37. Tiber.Decian.*reſp.*19.*n.*124.*vol.3.*

11. Omnes enim, omnes, inquam, Principes, Imperatores & Reges, conditionibus, quibus ad Imperium vel regnum euecti ſunt, ex conuentione quadam, ſaltem tacita, quæ ex æquo omnes mortales alligat, obſtringuntur: nec vllus etiam niſi per tyrannidẽ imperium ſiue regnum inuaſerit, ſine certis conditionibus, ſaltem illis, quæ ex communi bene imperandi ſiue regnandi natura dependent, ad Imperium ſiue regnum adſcendit.

12. Conditiones autem, quibus Principes ad Imperium, Reges ad regnum recipiuntur, non ſunt vniuſmodi, ſed vel pauciores, vel plures, prout monarchia purior eſt & liberior, vel Ariſtocratico aut Democratico temperamento reſtricta.

13. Ita noſtro tempore, vbi Monarchia cum Ariſtocratia coaluit, ſic tamen vt Monarchia prædominetur, iſtiuſmodi leges & conditiones Imperatori proponi neceſſe fuit, quibus ariſtocraticum illud temperamentum, ſalua monarchia, conſeruari & ſuſtineri poſſet.

14. Huc pertinet tota Aurea Bulla Caroli IV. huc item pertinent conditiones, in quas Imperator, ante quam inauguratur, iurat: quibus ipſum ſolutum eſſe, nullus ſanæ mentis dicet aut cogitabit.

15. Dubio quoq; omni caret, teneri Principem illis legibus, ad quarũ obſeruationem publica cũ Statibus Imperii inita conuentione ſe deuinxit. Schrad.*de feud.p.*10.*ſect.5.n.*185.*& ſeqq.*Mynſ.*conſ.*24.*n.*19. Dec.3.*cent.*1. Zaſ.*conſ.*10.*n.*6.26.*& ſeq.li.*2. Nihil enim tam congruum eſt fidei humanæ, quã pacta ſeruare, & fidem datã non fallere, *l.1.de pact.l.1.de conſt.pec.* qua lege omnes homines æqualiter tenentur, Petr.Ant.de Petra *de iur.quaſ.per princip.non tollend.c.3.q.3.n.*72.73.*&* 80. Cuno *de pact.lib.*1 *c.*24.*nu.*20.*cum ſeqq.* Menoch.*conſ.*27.*n.*23.*& ſeqq.lib.*1.

16. Cõtrouerſia igitur noſtra eſt de aliis, q̃ ſuperſunt(ſuperſunt aũt quã plurimæ) mere ciuilib. & poſitiuis legib. an illis hodie Imp. omnino teneatur, nec vlla amplius ſoluta legib. poteſtate fruatur.

17. Nam perſuadere nobis non poſſumus, quod Vulteius illas duntaxat leges intellexerit, quæ ad Imperij formam & ſtatum publicũ pertinent. Quis enim ex ipſius verbis vel hariolari illud poſſet? Nam vt oppoſitio ab ipſo facta docet, loquitur de illis legibus, de quibus olim dictũ & ſcriptum fuit: *Princeps legibus ſolutus eſt.* Oppoſitio.n. fieri intelligitur circa idẽ & eodem reſpectũ, non circa diuerſa & reſpectu diuerſo. De legib. autẽ regnandi ſiue imperandi olim nunquã fuit dictum ſiue ſcriptum, quod illis Princeps ſolutus ſit, ſed de aliis legibus mere ciuilibus & poſitiuis, quibus & ipſa Auguſta ſolui potuit, *d. l.31. D.de legib.l.23.de legat.3.l.14.§.vlt.de manumiſſ.l.3.C.de teſta.l.penult.C.de donat.int. vir.& vx.§.vlt.Inſt.quib.mod.teſtam.infirm.* Paul.4.*ſent.5.§.3.*

18. Idẽ apparet, ſi præcedentia cũ ſequentib. apud Vulteiũ cõiungamus. Dicit.n. olim Imperatores vllum

vllum iudicem non agnouiſſe, niſi id fecerint ſponte, quia ſoluti fuerint legibus pro ratione habẽtes voluntatem. Hodie vero etiam ipſum Imperatorem coram Comite Palatino Rheni, ſacri Imperii Archidapifero conueniri poſſe. Ex quo infert, non vt olim, ita hodie Principem legibus ſolutum eſſe, vt de eo an Princeps legibus teneatur, necne, ſolicite inquirere non admodum ſit neceſſarium.

19. Ita igitur argumentatur: Qui ſolutus eſt legibus, iudicem coram quo conueniri poſſit, non habet. Imperatores olim ſoluti erant legibus. Ergo iudicem, coram quo cõueniri poſſent, non habebant. Contra: Qui iudicem habet, coram quo conueniri poſſit, legibus ſolutus non eſt. Imperator noſter iudicem habet, coram quo conueniri poſſit, E. legibus ſolutus non eſt.

20. Hanc poſteriorem argumentationem vt nos omnino non admittimus: ita ex ea ſatis conſtat, quod quibus legibus Iuſtinianus olim Principem ſolutum affirmabat, iiſdem ipſum hodie teneri Vulteius exiſtimet. Non enim particulariter concludit, Principem legibus ſolutum nõ eſſe, ſed vniuerſaliter: ſicut & in priori ſyllogiſmo ab illa ſoluta legibus poteſtate non particulariter, ſed generaliter ſumpta argumentum ducit.

21. Quod ſi hæc ipſius mens non fuit, cur adiecit? ex eo, quod non vt olim, ita hodie Princeps legibus ſolutus ſit, conſequi, non admodum neceſſarium eſſe, ſolicite inquirere, an Princeps legibus teneatur, necne. Si enim legibus, quibus olim ſolutus fuit, etiamnum ſolutus eſt, vtique iſta diſquiſitio non minus hodie vtilis eſt & neceſſaria, quam fuit olim: quod tamen Vulteius negat, quia ſcilicet Principem iſtis legibus hodie teneri arbitratur.

22. Denique in ſummario his generalibus & perſpicuis verbis ſententiam ſuam exprimit: *Princeps hodie legibus ſolutus non eſt*: cui nouiſſime etiam Tobias Paurmeiſterus aſſentitur *de iuriſdict. Imp. Rom. lib. 1. c. 19. n. 6. &* 8. ſed nos contradicimus. Ac proinde ſtatus controuerſiæ hic eſt: An Princeps legibus, quibus olim ſolutus erat, hodie teneatur? Vulteius affirmat. Nos negamus. Rationes noſtræ ſunt hæ:

23. I. Quæ iure Romano Imperatoribus ſunt conceſſa, nec poſtea tacite vel expreſſe adempta, illis etiamnum gaudent & fruuntur *arg. l. 32. in fin. C. de appellat. l. 27. C. de teſtam. l. 26. 27. & 28. D. de legib.* Iure autem Romano Imperatoribus ſoluta legibus poteſtas eſt conceſſa *l. 31. D. d. tit. l. 23. de legat. 3. §. fin. Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm. Nou. 105. c. 2. in fin.* Vult. ad *§. ſed & quod Princip. num. 4. & ſeq. Inſt. de iur. natur. gent. & ciu.* nec doceri poteſt, quod illis vnquam tacite vel expreſſe in totum adempta fuerit. Ergo etiamnum illa poteſtate gaudent & fruuntur.

24. II. Cui competit Maieſtas, ei ſimul competit ſoluta legibus poteſtas. Vult. 1. *l. R.* 12. *verſ. lege ſoluta.* Bodin. *de Rep. lib.* 1. *c.* 8. Alberic. Gentil. in *diſput. de poteſt. regis abſolut. pag.* 9. Dauth. ad *l. 3. n. 2. C. de teſtam.* Imperatoribus noſtris, competit maieſtas, vt teſtantur Imperii Conſtitutiones & Ordinatio Cameræ infinitis locis, teſtantur idem indies Imperii Proceres. Ergo ſimul illis competit ſoluta legibus poteſtas.

25. III. Qui fruitur plenitudine poteſtatis, is ſolutam legibus poteſtatem habet: hæc ſiquidem per illam notari ſolet, arg. *cap. 4. & ibi Dd. ext. de conceſ. præbend.* Omphal. *lib. 2. de poteſtat. Princip. cap.* 2. Albericus Gentil. d. *diſputat. de poteſtat. reg. abſolut. pag.* 10. Gail. 2. *obſeruat.* 56. *numero* 11. 12. 13. *&* 16. Mynſ. 4 *obſ.* 8. *numero* 4. Imperatores noſtri fruuntur plenitudine poteſtatis. Aur. Bull. Caroli IV. *in præfat. circa fi. ti. 2. in pr. c. 8. t. 13. in fi. & t. 16.* Receſſ. Imp. de anno 1495 *de pace public.* rubr. Von Sachen/ſo ſich vor diſem Landfriden begeben haben. illis verbis: Von Römiſcher Königlicher Macht/ Vollkommenheit/vnd rechtem Wiſſen. & de anno 1544 §. Als wir aber. ibi: Auß vnſer Keyſerlichen Macht/vnd Vollkommenheit. & de anno 1555. § Solches alles vnnd jedes. & hac clauſula (Auß rechtem Wiſſen/vnnd Römiſcher Keyſerlicher Macht vnnd Vollkommenheit) in reſcriptis ſuis & priuilegiis vtuntur, vt probat experientia. Habent ergo Imperatores noſtri ſolutam legibus poteſtatem.

26. IV. Qui priuilegia concedit, ſoluta vtiq; legibus poteſtate vtitur. *l. 16. de legib. l. 1. §. vlt. l. 3. de conſt. Princip. §. ſed & quod Principi. Inſt. de iur. nat. gent. & ciu.* Alexand. Raudenſ. *de analog. c. 15. n. 56.* Petr. Ant. de Petra *de iur. quæſ. per Princip. non tollend. c. 24. n. 218.* Anton. Fab. in ſua *Iuriſpr. lib. 1. tit. 2. pr. 8. illat. 2.* Burſat. *conſ. 131. n. 74. lib. 2.* Imperator in hunc vſque diem priuilegia concedit, teſte experientia. Vide Tob. Paurmeiſt. *de iuriſd. imp. Rom. lib. 1. c. 4. n. 6. & li. 2. c. 1. n. 54.* Ergo, &c.

27. V. Qui reſcriptis ſuis ex certa ſcientia iure communi mere poſitiuo derogare, & legis gratiam facere poteſt; eum ſoluta legibus poteſtate præditum eſſe neceſſe eſt, argum. *l. 7. Cod. de precib. Imp. offer. d. l. 1. §. vlt. D. de conſtit. Princip. l. 1. cum* ibi not. à Goth. *C. de legib. Nou. 139. c. 1.* Vultei. *ad §. ſed & quod princip. n. 5. Inſt. de iur. nat. gent. & ciu.* Zaſ. ad *l. Princeps. n. 2. D. de legib.* Imperatores noſtri reſcriptis ſuis ex certa ſcientia iuri communi mere poſitiuo derogare, & legis gratiam facere poſſunt: indeque illa clauſula (Non obſtante iure communi, cui, quatenus contrarium eſt derogamus) ſæpe vtuntur. Exempla ſunt in promptu. Vide Zaſ. ad dict. *l. Princeps. n. 12. in fi.* vbi dicit quotidie hoc fieri. Gail. 2. *obſ. 14. n. 6.* Ergo, &c.

28. VI. Qui quando libuerit, dominium nuda voluntate citra traditionem transferre poteſt; eum iure communi non teneri, ſed legibus ciuilibus ſolutum eſſe oportet, *l. 20. Cod. de pact. l. 15. C. de rei vindic. l. 6. C. de hered. vel act. vend.* Carol. Tapia *in rubric. D. de conſtit. Princip. c. 1. num. 11. & 12.* Imperator noſter illud facere poteſt, præſertim per liberalem conceſſionem, vt in Camera Impe-

riali concluſum fuiſſe teſtatur Gail. 2. *obſ. 55. in princ. iunct. n. 6.* adde Hartman. Piſtor. 2. *quæſt.* 29. *num.* 26. Ergo, &c.

29. VII. Qui in actibus, quos gerit, iuris ſolennia obſeruare non tenetur, legibus ſolutus eſt. argum. *l.* 14. § 1 *de manumiſſ. l.* 5. *Cod. de teſtam. iunct. d. l.* 31. *de legib.* adde *l.* 34. *C. de donat. l. pen. C. de donation. int. vir. & vx. l. vltim. in fin. Cod. de quadr. præſcription.* Nou 52. *cap.* 2. Coraſ 2. *miſcell.* 25. *num.* 4. & 5. Vaſq. 1. *controuerſ.* 29. *numero* 15. Imperator noſter in actibus, quos gerit, iuris ſolennia obſeruare non tenetur, vt teſtatur ipſa praxis. Vide etiam Zaſ. ad *d. l. Princeps. numer.* 3. *de legibus.* Gail. 1. *obſeru.* 42. *num.* 1. 2. & 3 *obſ.* 87. *num.* 6. Tob. Paurmeiſt. *lib.* 2. *de iuriſd. Imp. Rom. c.* 5. *nu.* 41. Nicol. Euerhard. Iun. *conſ.* 63 *n.* 31. *vol.* 1. Ergo, &c.

30. VIII. Non eſt ſubiectus legibus, ſed ſupra leges, & illis ſolutus, qui tempus ad conficiendum Inuentarium lege præſcriptum vltra annum prorogare. *l. vlt.* § 3. & 11. *C. de iur. delib.* adoleſcenti ſeptendecim annorum ætatis veniam dare. *l.* 2. *in princ.* & § *vlt. C. de his, qui ven. ætat. impetrau.* reſcripto ſuo liberos naturales, etſi extent liberi ex iuſtis nuptiis ſuſcepti, legitimos reddere. *Nouell.* 89. *ca.* 11. § 1. reo criminis pœnam à lege indictam non tantum mitigare, ſed & in totum remittere. *l.* 1. § 4. *ad SC. Turpil. iunct. l.* 9. § 11 *in fi. de pœn. l.* 7. *Cod. de precib. Imp. offer.* & denique pactis, quibus hereditas defertur, de iure ciuili inualidis, ſua auctoritate robur addere poteſt, *leg.* 15. *C. de pact. l.* 5. *Cod. de pact. conuent.*

31. Poteſt autem Imperator noſter tempus ad conficiendum inuentarium lege præſcriptũ vltra annum prorogare, vt comprobat experientia. Vide Guidon. Pap. in *tractat. de reſcript. num.* 43. & *in tractat de inuent. num.* 12 & *deciſ.* 571. Roland. à Valle *de inuent.* § *item omittendum non eſt. num.* 6. poteſt adoleſcenti 17. annorum ætatis veniam dare, vt euincit rurſus experientia. Vide Anton. Hering. *de fideiuſſ. cap.* 7. *numer.* 110. poteſt ex communi Doctorum ſententia reſcripto ſuo liberos naturales legitimos reddere, etſi extent liberi ex iuſtis nuptiis ſuſcepti. Gail. 2. *obſeruat.* 142. *numer.* 7. & 8. Forſt. 6. *de ſucceſſ.* 37. *numero* 40. Roſenthal *de feud. c.* 7. *concluſ.* 19 *num.* 25. Ant. Gabriel. *commun. concluſ. lit.* 6. *tit. de legitim concluſ.* 6. *num.* 6. M. Anton. Peregrin *de fideicomm. art.* 25 *num.* 57. & 60. Couarr. *de ſponſalibus & matrim part.* 2. *cap.* 8. *num.* 8 *verſ. ex quo infertur.* poteſt reo criminis pœnam à lege indictam non tantum mitigare, ſed & in totum remittere, vt ſimiliter teſtatur experientia. Vide Tiber. Decian. in *tractat. crim. lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 42 & 94 Cacheran. *deciſ.* 101. *num.* 1. Teſſaur. *deciſ.* 21. Farinac. *in pract. crim. lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 6. *numero* 2. Hig. 2. *quæſt* 22. *numero* 6. & *ſeqq.* poteſt denique pactis de iure ciuili inualidis ſua auctoritate robur addere, quod itidem oſtendit experientia. Vide Gail. 2 *obſeru.* 127. *n.* 5. 6. 7. Zaſ. *conſ.* 1. *n.* 22. *lib.* 2. Nicol. Euerhard. Iun. *conſil.* 13. *n.* 1. & 2. *vol.* 2. Non eſt igitur legibus ſubiectus, ſed ſupra leges.

32. Breuiter: Si Imperator noſter legibus ſolutus nõ eſt, iuris ſolennitates inſtar priuati obſeruare tenebitur, nec pacta ſucceſſoria aliaque ſolo iure ciuili improbata confirmare, nec ante 20. annum ætatis veniam dare, nec tempus ad conficiendum inuentarium lege definitum prorogare, nec pœnam iure ciuili dictam vlli remittere, nec iuris ciuilis vlli vlla in re gratiam facere, aut illud egredi, nec priuilegia concedere poterit, nec legibus ciuilibus præerit, vt Imperii caput, ſed earum vinculis, vt ſubiectus conſtringetur, ipſaque adeo maieſtate deſtituetur. Hoccine vero dictu nefas non erit?

33. Multa alia, quibus ſententia noſtra firmari poſſet, ſcientes volentes omittimus, vel hoc vnum ſufficere debebat, quod ea in Imperio vſu recepta, iudicio Cameræ Imperialis comprobata, & apud Doctores Germaniæ in praxi exercitatiſſimos indubitata eſt.

34. Sed videamus nunc argumentum, quo Vulteius initio motus in hanc ſententiam deſcendit. Eſt autem tale, vt ſupra diximus: Qui iudicem habet, coram quo cõueniri poſſit, & reſpondere teneatur, legibus ſolutus non eſt. Imperator noſter iudicem habet, coram quo conueniri poſſit, & reſpondere teneatur. Aurea Bulla Caroli IV. *titul.* 5. *in fine.* Ergo legibus ſolutus non eſt.

35. R. Prima propoſitio abſolute vera non eſt. Olim enim in puriore Monarchia Principes non habebant iudicem, niſi quem ſponte eligerent, non ideo, quia legibus ſoluti eſſent, vt perperam exiſtimat Vulteius (non enim omnibus legibus ſoluti erant, non certe lege contractus: tum demum autem de Iudice quæri poterat, cum Principes non ab omni obligatione & iuſta petitione liberi, ſed cum alteri obligati erant,) non inquam, ideo iudice carebant, quod ſoluta legibus poteſtate, ſed quod ſuprema iuriſdictione, quæ parem aut ſuperiorem non patitur, fruerentur, inferior autem in ſuperiorem imperium exercere, ipſique ius totius dicere non poſſet. *l.* 3. *in fin.* & *l.* 4. *de receptione arbitror. leg. quinquageſimaoctaua, de iudic. leg. decimatertia,* § *quarto, ad Senatu conſultum Trebellian.* Etſi vero in poteſtate principis hæ duæ qualitates concurrunt, quod & ſuprema eſt, & legibus ſoluta, & hæc poſterior à priore quodammodo dependet: illa tamen latius patet, pluraque complectitur, quam hæc, ac proinde inter ſe confundi non debent. Quod igitur hodie ex publica fundamentali Imperii lege Imperator certum iudicem habet, eo quidem ipſius ſuprema iuriſdictio nonnihil temperatur, vt videbimus paulo poſt: ſed ſoluta legibus, qua & olim fruebatur, poteſtas ipſi non adimitur.

36. Sane

36. Sane Vlpianus ſcribit, *licet Auguſta legibus ſoluta non ſit: Principes tamen eadem illi priuilegia tribuere, quæ ipſi habent. d. l. 31. de legib.* Auguſta vero coram Imperatore conueniri poterat, cumque iudicem agnoſcebat. Nam & in eo Princeps ſupra leges eſt, quod vxori quoque & liberis ſuis ius dicit. Bart. ad *l. vn. num. 11. & ibid.* Gilken. *n. 2. C. ne quis in cauſ. ſua iudic.* Reſtaur. in *tr. de Imper. q. 91. nu. 2.* Menoch. *conſ. 2. n. 22. lib. 1.*

37. Deinde non exponit Aurea Bulla, quibus ex cauſis Imperator conueniri poſſit (hoc enim aliunde repetendum eſt) ſed coram quo iudice, & vbi hæc cognitio ſit exercenda.

38. Quænam vero illę cauſæ ſunt, ex quibus conueniri Imperator poteſt? Num ideo, quod ſoluta legibus poteſtate in illis, quæ ſunt iuris mere poſitiui vſus fuerit? quod teſtamentum condiderit ſine ſolennitatibus? vltra quingentos ſolidos donauerit ſine inſinuatione? adoptionem non iure factam confirmauerit? confirmauerit pactum de ſuccedendo? pœnam lege indictam remiſerit? legitimum tempus conficiendi inuentarium prorogarit? aut adoleſcenti minori 20. annis veniam ætatis dederit? &c. Nemo dicet, vt opinamur.

39. Relinquitur igitur, ſalua in reliquis ſuprema Principis poteſtate, ex illis cauſis illum conueniri poſſe, quibus & olim aliis obſtringi poterat: veluti ex contractu.

40. Etſi vero in eo aliquid ſupremæ iuriſdictioni, vel etiam (ponamus ita) ſolutæ legibus poteſtati detractum videri poteſt, quod non, vt olim, ita hodie Princeps nullum, ſed certum iudicē habet, coram quo conueniri poteſt, & reſpondere tenetur: inde tamen non ſequitur, hodie legib. omnino Principem ſolutum non eſſe, vt de eo, an Princeps legibus teneatur, nec ne, ſolicite inquirere non admodum ſit neceſſarium. Eo enim ipſo, quod lege illa Imperii fundamentali in vno vel altero ſupremæ vel etiā ſolutæ legibus poteſtati detrahitur, ne forte per abuſum latius euagetur, in reliquis non mutatis ea confirmari intelligitur.

41. *Et certe ipſe Carolus IV.* ſoluta legibus poteſtate vſus eſt, vt patet ex clauſula *de plenitudine Imperialis poteſtatis*, toties in aurea Bulla repetita: eademque poteſtate vſi ſunt illius ſucceſſores, & etiam nunc aſſidue vtitur Imperatoria Maieſtas.

42. Illud vero hic notari velimus, quod poteſtate legibus ſoluta tum demum Imperator vti debeat, cum maieſtatis, iuſtitiæ, æquitatis aut publicæ vtilitatis ſiue neceſſitatis ratio id requirit: extra quos caſus ſi ea Princeps vtatur, potius abuti videtur. Dauth. ad *l. 3. n. 5. v. nos vt omnē. C. de teſt.*

43. Eum enim, qui leges facit, pari maieſtate legibus obtemperare conuenit. Paul. *4. ſent. 5. §. 3.* & nihil tam proprium eſt Imperii, quam legibus viuere, *d. l. 3. C. de teſt.* dignaque vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: & reuera maius Imperio eſt, ſubmittere legibus principatum *l. 4. C. de legib. iuncto §. vlt. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.*

44. Iam vero quærimus ex Vulteio, anne Imperator, qui fidem per cōtractum datam implere recuſat, eo nomine requiſitus, iuſtitia & æquitate poſtulante, ſaltem boni viri aut Conſiliariorum ſuorum arbitrio vltro ſe ſubmittere teneatur? Num putat, hic eum vti debere, & ſalua cōſcientia vti poſſe abſoluta poteſtate, & omnem cognitionem ſubterfugere? Hoc profecto valde inuerecundum eſſet, vt loquitur Paulus in *l. 23. de legat. 3.*

45. Hoc vero cum & olim ita ſe habuerit: quid igitur miramur, quod Germania noſtra Principem ad hoc lege publica deuinxit, quod & citra vllam legē æquitas & iuſtitia ab ipſo expoſcit?

46. Nam & Interpretes iuris tradiderunt, quamuis Princeps in cauſſa propria ob ſupremam poteſtatem iudex eſſe poſſit. *l. 41.* ibi Bald. Goth. & alii. *de hered. inſtituend. l. pen. de his, quæ in teſt. delen.* Bart. ad *l. vn. n. 1. & ibid.* Gilken. *n. 2. C. ne quis in cauſ. ſua iudic.* Tob. Paurmeiſt. *lib. 2. de iuriſd. Imp. Rom. c. 5. n. 81.* rectius tamen facturum & decentius, ſi vel Conſiliariis ſuis iſtam cauſſam diiudicandam commiſerit, Iaſ. in *l. eſt receptum, num. 5. & ibid.* Zaſ. *num. 9. de iuriſd.* Sichard. *in l. 1. nu. 2. & 3. C. eod.* Roſenth. *de feud. c. 12. q. 3. n. 4. & ſeqq.* Menoch. *conſil. 2. n. 116. lib. 1.* Pruckman. *conſ. 39. n. 12. cum ſequent.*

47. Quod ex opinione Doctorum eſt honeſtatis, ex conſuetudine Germaniæ, & hanc cōſuetudinem approbante Aurea Bulla factum eſt neceſſitatis. Nam & Elector Palatinus Conſiliarius eſt Imperatoris, & quaſi pars corporis ipſius, teſte Aurea Bulla *tit. 24. in pr. & tit. 21. in pr.* idemq; Elector iudicium contra Imperatorem intentatum, non in propria, ſed in Imperiali Curia, vbi Imperator degit, exercere tenetur. Aur. Bull. *d. tit. 5. in fin.* vt ipſa Imperatoria Maieſtas in ſua Curia, & per ſuum Conſiliarium in propria cauſſa quodammodo iudicare videatur.

48. Non ergo per iſtam conſuetudinem adempta eſt Imperatori ſoluta legibus poteſtas: ſed cum alteri obligatus eſt, veluti ex contractu, iudex monſtratur, coram quo conueniri poſſit, ſic vt ſeruetur æquitas, nec eo minus tamen ſalua maneat Imperialis Maieſtas.

49. Quid vero cogitabas, Hermanne Vultei, dum & illud per tuum ſcurram obiici nobis volebas, ideo Principem legibus ſolutum non eſſe: quia leges vniuerſales ſuo arbitrio, ſine Statuum conſenſu ferre & abrogare nequeat?

50. Recollige, quæſumus, animo tuo, & in mentem reuoca, quæ in §. *ſed & quod Principi. n. 5. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciu.* hac de re ipſe literis prodidiſti. Verba tua hæc ſunt. *Quod ad Principem attinet, Vlpian. diſerte ſcripſit, principem legibus ſolutum eſſe. l. Princeps 31. D. de legib. quam legem, de abrogatione, derogatione, ſubrogatione vel obrogatione legum, itemque de confirmandis his, quæ iure facta non ſunt, vt interpretemur, ſicuti interpretatus eſt Cuiac. 15. obſ. 30. ea quæ de Auguſta ſubiiciuntur, non patiuntur. Legum enim latio, vel derogatio, aut ſi quid eiuſmodi eſt aliud, ad Auguſtam vlla ex parte non pertinent, vt Princeps illi priuilegium aliquod eo nomine tribuat, aut tribuere poſſit. Haud equidem inficior Imperatorem non tam eſſe ſubie-*

ctum legibus, vt non habeat in poteſtate ſua alias ferre leges, quod etiam Diuus Auguſtinus in Epiſtola quadam meminit. Sed quæſtio hæc ab illa, quam tractamus eſt alia. Aliud enim eſt quærere, An Princeps leges latas tollere, in earumq; locum alias ferre poſſit: aliud, an legibus latis, & in vigore ſuo permanentibus viuere teneatur. Et hæc quæſtio huius loci eſt propria. *Quam diſtinctionem probe etiam animaduertit Accurſius in d. l. Princeps. & ibid. Coraſ. in fin. idemque Coraſ. 2. miſcell. vltim. numero 6.* Solutum autem legibus intelligimus eum, qui leges ſeruare aut iis viuere neceſſe non habet: *quæ expoſitio probatur expoſitione eius, quod ſolutum eſſe dicitur in §. fin. Inſtit. quibus mod. teſtam. infirm. & in l. ex imperfecto. 23. D. de legat. 3. & ex Dionis Caßii hiſtor. libr. 53. vbi ait, legibus ſoluti ſunt Imperatores, hoc eſt liberi ſunt ab omni coactione legum, nec vlla lege ſcripta tenentur. additque Dio, illud, Legibus ſolutum eſſe, totidem verbis Latinis dici, vt videantur illa verba quodammodo fuiſſe ſolennia: & certe phraſis illa Liuio perquam eſt familiaris, vt apparet ex hiſtoria ipſius li. 10. 31. & 39. vnde conſtat etiã ante Imperatores hanc phraſin vſurpatam fuiſſe, pro eo, quod Canones dicunt, Diſpenſare, & Capitolinus in Antonio Philoſopho gratiam facere, aliosque locos huc pertinentes annotauit Budæus in dict. l. Princeps. eundemque ſequutus Zaſius.* Hactenus tua verba, Vultei. Plura non addimus ex mente noſtra: ſufficiat enim tibi in præſenti propria reſponſio.

51. Nec etiam ad rhombum quicquam facit, quod idem tuus Inſtitor nobis opponit: obligari attamen vel nobis ipſis teſtibus, Principẽ ordinatione Cameræ Imperialis. Obligatur enim vtique, ſed, vt dicebamus, ex publica cum ſtatibus Imperii inita conuentione, Ordin. *part. 3. tit. vlt. & p. 2. ti. 35. & in proœm. §. pen.* Gail. 1. *obſ.* 41. *n.* 3. & 4. Mynſ. *reſp.* 24. *n.* 19. *cent.* 1. qua an obligetur, noſtra quæſtio non eſt, ſed an legibus mere ciuilibus & poſitiuis, quibus olim ſolutus erat, hodie teneatur.

52. Mera vero principii petitio eſt, quod oggannit tuus Mango, legibus Imperii, quas fundamentales appellant (de illis enim agimus in loco, quem allegat) Imperatorem teneri: Has autem leges tales eſſe, vt Imperatorem legibus ſubiiciant. Mera, inquam, hæc eſt principii petitio. Id enim quæritur, an hodiernæ imperandi leges tales ſint, vt Principem legibus mere ciuilibus & poſitiuis, quibus olim ſolutus erat, ſubiiciant? Tu affirmas: nos negamus. Inepte igitur argumenti loco adducitur, quod in ipſa verſatur quæſtione.

53. Oſtende nobis, oſtende quæſumus, Vultei, ex ipſis Imperii legibus, ex Aurea Bulla, vel ordinatione Cameræ, principem illis legibus, quibus Iuſtinianus in *d. l.* 31. *de legib.* ſolutum pronunciat, hodie ſolutum non eſſe, vt de eo, an Princeps legibus teneatur, necne, ſolicite inquirere non admodum ſit neceſſarium. Expectamus teſtimonia, quæ antequam protuleris, proferes autẽ nunquam, noſtram theſin, vt conſcripta eſt, audacter repetimus.

54. Porro in nupera illa diſputatione hanc quoque theſin Corollarii loco adiecimus: Inuictiſſimum Romanorum Imperatorem Rudolphum II. Dominum noſtrum omnium Clementiſſimum (cuius Maieſtati pro immenſis in nos collatis beneficiis & priuilegiis Academicis vitam longæuam, firmam valetudinem, imperium florentiſſimum, victoriam & felicitatem perennem à Deo exercituum ſubinde animitus precamur) verum Monarcham eſſe defendimus conſtantiſſimė cum Petr. Heig. 1. *q.* 2. *n.* 21. *& ſeqq.* & And. Knich. *de Saxon. non prouoc. iur. verb. Ducum Saxoniæ. cap. 1. num. 1. vſque ad n. 39.* Diſſ. Bodin. *in method. hiſtor. cap. 6. & de Republ. lib. 2. c. 6. num. 223. cum ſeqq.* Aliter *Dominus Vult. in Epiſt. dedic. comment. ad tit. C. de iuriſd.* vide Peuc. *in Chronic. Carion. lib. 5. §. etſi igitur. cum ſeqq.* & confer Schleidan. *in hiſt. Carolina. lib. 1. §. vbi ventum eſt. pag.* 20.

55. Quæ noſtra mens fuerit, non tantum in ipſa diſputatione, ſed antea quoque in diſput. feud. 1. theſ. 3. lit. c. luculẽter expoſuimus. Verba noſtra hęc ſunt: *Feudũ vere & abſolute ligiũ cõferre poteſt Imperator noſter.* Dn. Vult. 1. F. 8. n. 22. Menoch. conſil. 32. num. 6. vol. 1. *quem non dubitamus appellare Monarcham & caput Romani Imperii* cum Petr. Heig. 1. q. 2. nu. 21. & ſeqq. & Andr. Knich. de Saxon. non prouoc. iur. verb. Ducum Saxoniæ, c. 1. à n. 1. vſque ad n. 39. *contra Bodinum* in method. hiſtor. cap. 6. & de Republ. lib. 2. c. 6. num. 223. cum ſeqq. *Etſi enim hodiernus Imperii ſtatus mere Monarchicus non eſt, ſed Ariſtocratia temperatus: præeminet tamen Monarchia & Maieſtas Imperatoris ita, vt Monarchæ titulus ipſi merito tribuatur.* Hæc cum aduerſarii ſe legiſſe fateantur, de mente noſtra certi fuere, nec vllam ignorantiam prætexere poſſunt.

56. Ab hac autem ſententia Vulteius non ſimpliciter, ſed quoad quid diſſentit. Ita enim ſcribit: *Hinc factum eſt, vt cum ante Carolum Magnum Imperium Romanum fuiſſet Monarchicum, idemque Monarchice gubernatum, id quidem à tempore Caroli Magni huc vſque Monarchicum manſerit, ſed cuius gubernatio ſit Ariſtocratica, quæ ab ipſo ſtatu Imperii eſt alia.*

57. Diſcrimen illud inter ſtatum ipſum & modum gubernandi hauſit ex Bodin. cuius verba ex lib. 2. de Repub. c. 2. n. 189. hic ſubiicere placet: *Illud* (inquit) *admonendi ſumus, Reipubl. ſtatum ab imperãdi ratione diſtare plurimum: ꝙ antea nemo quantum intelligere potuimus animaduertit. Nã Reipub. ſtatus Regalis eſſe poteſt, gubernatio tamẽ popularis futura eſt, ſi Rex omnia Imperia, ſacerdotia, curationes, pœnas itẽ ac præmia omnib. ex æquo diſtribuat: ſi vero Princeps imperia, honores, magiſtratus patritiis, vel diuitib. vel fortibus, vel ſtudioſis tantũ impertiat, regia poteſtas erit, & quidem ſimplex ac pura; ſed Ariſtocratica ratione temperata. Ita quoq; Optimates pauci Rempubl. populari modo regere poſſunt, ſi ciues omniũ magiſtratuum participes fecerint: aut Ariſtocratice, ſi paucis quibuſdam, qui aut virtute, aut cenſu, aut nobilitate cæteris præſtent: quæ diuerſitas eos in errorem impulit, qui Reſpublicas plures tribus, erroris opinione ſibi finxerunt.* Hactenus Bodin.

58. Vbi ꝓbe notandũ, ꝙ, dũ dicit, ſtatũ regalẽ ſiue Monarchicũ Ariſtocratice poſſe gubernari; ſoli Monarchæ iura Maieſt. ex aſſe tribuit, Optimatib. omni ex parte excluſis, quos duntaxat ad externũ gubernãdi modũ adhiberi cẽſet. Id. n. præcedẽti ca. latiſſime diſputauit, & hæc cauſa eſt, ꝙ cõtra alios ſtatũ vere mixtũ, in quo optimates de ipſis Maieſt. iurib. participẽt, dari poſſe acriter negat.

59. Quoniam igitur Hermannus Vulteius Bodini ſententiam ad noſtrum Imperium applicat, & ſtatum eius Monarchicum, ſolam vero gubernationem Ariſtocraticam pronunciat, à nobis vtique diſſentit. Ille enim ipſum ſtatum abſolute Monarchicum dicit: nos mixtum: ille Proceres proprie ad nullum maieſtatis conſortium admittit; nos ex parte admittimus: & quemadmodum in præcedenti Q. auguſtiſſimæ Cæſareæ maieſtati, ita hoc loco potentiſſimis ſacri Rom. Imperii ordinibus ab ipſo (niſi aliter ſe explicet) detractum opinamur.

60. Hoc ſignificare voluimus, dum propoſita noſtra ſententia, & Bodino, qui è diametro nobis aduerſatur, reprobato, ab vtriuſque conſortio Vulteium excluſimus his verbis: *Aliter* (ſentit) *Dominus Vulteius in Epiſtola dedicatoria comment. ad tit. Cod. de iuriſdict.* De qua noſtra mente vt eo cōſtaret manifeſtius, immediate ſubiecimus, videndum eſſe Peucerum in Chronic. Carion. *libr.* 5. §. *eſt igitur, cum ſeqq.* Is enim Vulteio diſerte contradicit; noſtram vero ſententiam amplectitur. Vt proinde planum ſit, aliter de propoſita quæſtione nos, aliter Vulteium ſentire, eoſque manifeſta calumnia & mendacio deprehendi, qui nos calumniæ & mendacii hic inſimulare non verentur.

61. Quid autem cauſſæ ſit, quod à Vulteio receſſerimus, hoc duntaxat & ſequenti ſyllogiſmo (pluribus enim hic opus non eſt, cum à proprio Defenſore oppugnetur) quaſi extremo digito indicabimus: Imperium, in quo Proceres parte aliqua iurium maieſtatis, non vt ſinguli, ſed vt vniuerſi, & quaſi collegium aliquod vere fruuntur, abſolute Monarchicum non eſt, vt fatentur omnes. In Imperio noſtro Proceres ſiue Status parte aliqua iurium maieſtatis, non vt ſinguli, ſed vt vniuerſi, & quaſi Collegium aliquod vere fruuntur, vt ex iure Comitiorum & Imperii Ordinationibus manifeſtum eſt. Ergo abſolute monarchicum non eſt.

62. Rurſus: Imperium, in quo Imperator in illis ipſis iuribus maieſtatis, de quibus Proceres participant, integrum ſemiſſem retinet, vt Imperii caput, & præterea quædam iura maieſtatis ſine Procerum collegio ſolus obtinet & exercet, ex Monarchia & Ariſtocratia mixtum eſt, & ad Monarchiam magis propendet, indeque recte denominatur. Vincentius Cabot. *libr. 2. diſputat. iur. public. & priuat. cap.* 4. Picolom. *de moribus gradu decimo, capit. nono,* Lipſ. *libro ſecundo politic. ca. ſecundo, verſ. & quicquid.* Keckermannus *libr. 2. Syſtem. politic. cap.* 4. Tale eſt Imperium noſtrum, vt patet. Ergo, &c.

63. Quid hic, luſce Boruſſe? cur deſeris tuum præſulem? An quia cauſſæ diffidis? cum enim ille ſtatum Imperii noſtri abſolute monarchicum dicat: tu ex Bodino puram putam Ariſtocratiam eſſe contendis?

64. Num vero putas nos, quos tuus Præſul, ne per nomen ſuum inclareſceremus, reſponſione indignos iudicabat, te ſcurram & tenebrionem vllo reſponſo dignari?

65. Tecum de Iuriſdictione Cameræ Imperialis diſſereremus, qui Ordinationem Cameræ vix vnquam vidiſti, nunquam legiſti? Tecum de ſtatu Imperii noſtri ſententias conferremus, qui nihil præter Bodini errationes à viris doctis toties proſtratas & conuulſas quaſi ab inferis reuocas, qui theſi tua 78 (ſi conferatur cum theſi noſtra, quam allatras) Imperatori noſtro & ius & titulum Maieſtatis impudenti ore detrahere non erubeſcis? Carcere & exilio dignus es, ſacrilege: non reſponſo.

66. Et vero cum Vulteio nobis res eſt, & dehinc quoque erit, quotieſcunque Facultas, cui præeſt, iſtiuſmodi ſcurrilia ſcripta in nos edi permiſerit: cum Vulteio, inquam, qui tuo miniſterio non vt diſcipulos & collegas, ſed vt viliſſimos lixas nos tractare non dubitauit, non in noſtram tantum, ſed & in florentiſſimæ Academiæ noſtræ ignominiam res nobis eſt & erit: non tecum Scurra. Te aſinum ſaltantem ridemus, & luſci Boruſſi recto aſpectu vitulos enectos miramur. Abi, quo trahi meritus es, abi.

67. Cæterum quoniam libertatem Academicam quaſi dictatoria voce nobis adimere ſatagunt, & theſes noſtras citra vllum affectum alios offendendi conſcriptas calumniis exagitant, & adhuc plura, atque (ſi Diis placet) executoria contra illas minantur: age, proponimus illis, non calumniandi, ſed veritatis indagandæ ſtudio, duo ſequentia Corollaria, in quibus interea temporis ingenia ſua exerceant, plura daturi (ſuperſunt enim innumera) cum ruſus in ſcenam prodierint. Proximi enim noſmet ipſi nobis ſumus, & exiſtimationem noſtram atque Academiæ noſtræ, contra quemcunque quocunque modo, iuſto tamen & legitimo, ibimus aſſertum.

III.

EXCERPTVM

Anno Domini 1609.

EX DISPVTATIONE PRIMA IN INSTITVTIONES IVRIS CIVILIS, DOMINI GEORGII MARtini Bartenſteinenſis Boruſſi, habita in Academia Marpurgenſi:

DE POTESTATE IMPERATORIS LEGIBVS SOLVTA, & hodierno Imperii ſtatu, aduerſus Gothofredum Antonium I C. Gieſſenſem:

RESPONDENTE DANIELE PATTERSONIO Dantiſcano Boruſſo, A. D. 1609.

XXV.

CIRCA §. *ſcriptum autem*; vt quædam παρέργως inferã, facit inſolentia quorundam ingratorum graculorum, & cuculorum, qui immemores ſui, veritatis, & debitæ gratiæ atque reuerentiæ, ex præceptorum incommodo ſibi commodum comparare ſtudent. Notandum igitur hic diligenter; ſpecies quas Imperator *in d.* §. enumerat, non differre forma; nam omnes formam & eſſe ſuum habent à Sanctione imperatoria: omnia enim Imperator ſua fecit, §. 4. *de Concep. Dig. &* §. 7. *de Confirm. Dig.* Poſſumus tamen, ad mutationem ſtatus Reipubl. Romanæ, & antiqua iura reſpicientes, ex enumeratis iurium ſpeciebus, formas Rerump. cognoſcere.

XXVI.

Lex enim Polyarchiam illam, quæ pantocratia ſeu ſtatus popularis proprie dici poteſt; plebiſcitum, anarchiam ſeu democratiam, vel Ochlocratiam arguit. Democratiam enim ad vitioſos ſtatus contra vulgum politicorum, cum excellentis virtutis & ingeni viro Nobili Chriſtophoro Pflugio omni reuerentia digniſſimo, referre placet.

XXVII.

Senatuſconſultum Ariſtocratiam deſignat, cui Oligarchia opponitur, ſed tamen Ariſtocraticus nunquam reuera factus fuit ſtatus in Republica Romanorum ante Cæſares; quamuis exercituum multarum poteſtatis partium extorſerint Senatores populo.

XXVIII.

Principis placitum Monarchicum ius eſt, & denotat Monarchiam, cuius fundamentum ponit in ficta lege Regia Imperator Iuſtinianus. Nunquam enim lex regia lata eſt.

XXIX.

Reſponſa prudentum, vt & Prætorum edicta, ſunt iura intermedia, & non tam ſtatum & formam Reipublicæ, quam modum adminiſtrandi deſignant.

XXX.

Arguunt iura priora etiam adminiſtrandæ Reipublicæ diuerſum modum. Quod enim rogante conſule, leges factæ ſint, argumento eſt popularem ſtatum Monarchice; quod rogante tribuno plebis plebiſcitum factum, indicio eſt Ochlocratian monarchice; ſenatus conſulta tandem quod facta ſint, argumento eſt, popularem ſtatum Ariſtocratice adminiſtrari poſſe.

XXXI.

Tribus plures non agnoſcimus veras Rerumpublicarum formas. I. Quia ſubiecta plura non dantur. II. Quia maieſtas, & cum ea coniuncta poteſtas, diuelli à ſuis ſubiectis non poteſt. III. Quia multum intereſt inter ſtatum Reipublicæ, & modum eundem adminiſtrandi.

XXXII.

Vitioſæ quamuis & tres regulariter formæ dentur; plures tamen dari poſſe non imus inficias, Quia natura propter deprauationem ad vitia pronior, quam ad virtutes.

XXXIII.

Sæpe euenit vt ſtatus Reipublicæ ſit monarchicus, modus a. adminiſtrandi Ariſtocraticus; vel vt forma ſit ariſtocratica, adminiſtrandi vero modus ſit monarchicus; vel vt ſtatus ſit popularis, habet tamen vel monarchicum, vel Ariſtocraticum adminiſtrandi modum.

Sic

XXXIV.

Sic Veneti Ariſtocratiam habent; poteſtatis enim fundamentum, & maieſtatis ius penes optimates eſt; ſed placet tamen illis adminiſtrationis forma monarchica, exercitiumque poteſtatis limitatum Principi ſuo concedunt.

XXXV.

Ita Regnum Polonicum, ſi formam internam ſpectes, Ariſtocraticum eſt; ſi modum adminiſtrandi, aliquid de Monarchia habere videtur.

XXXVI.

Tanto autem perfectior quæuis Ariſtocratia, quanto propinquius ad Monarchiam accedit, & vnionem in vno quærit; argumento eorum quæ habet acutiſſimus & celeberrimus Patriæ noſtræ communis Præceptor, B. Keckermannus *lib. 2. Syſt. polit. cap. 1.*

XXXVII.

Equidem non repugnaremus quoque modo de noſtro Imperio vel adulatorie, vel ſincere quid de eius ſtatu monarchico ſcribentibus; ſi modo ipſi id quærerent, quod patriæ vtile eſt, quod Eccleſiæ ſalutare, quodque bonum ciuem decet, & calamo, priuatum commodum, atque lingua, verbo dando, non quærerent.

XXXVIII.

Equidem proni ſumus in aſſenſum, & meliora nos edocentibus gratias referemus, non agemus ſolum. Vt igitur eaſdem quiſpiam à nobis ſperare poſſit, eundem obnixe, non priuata, ſed publica voce oramus, obteſtamur, difficultatibus, quæ non nobis ſolum, ſed & aliis, non ſcrupulum, ſed lanceam iniiciunt, ſatisfacere non grauetur.

XXXIX.

Prima difficultas occurrit circa prophetiam Danielis, ex qua vulgariter Theologopolitici ſuam de noſtri imperii monarchico ſtatu ſententiam probare conantur; ſed præmonendum; *Monarchiam* tripliciter ſumi, vt ſophiſtis elabendi præcidatur facultas.

XL.

Monarchia enim vocabulo primo venit vniuerſale orbis imperium, à quo cætera regna leges accipere debent. Hanc de monarchia ſententiam genuit otioſe curioſorum quorundam phantaſia, vel arrogantia Tyrannorum. Nemo enim talem monarchiam vel *diuinitus* ordinatam; vel per conſenſum inter homines conſtitutam; vel extitiſſe; vel exiſtere poſſe vnquam probabit. vide Coſtal. in *l. 5. de I. & I.* Cuius hæc ſunt verba: *Licitum bellum definire quod populus ſolum Romanus indixerit, furioſum eſt; quaſi cæteris populis liberis idem non liceat, aut quaſi iuſtior Romanorum cauſa in cæteris nationibus vincendis quam reliquarum nationum in ſeruitute, à ceruicibus ſuis depellenda, eſſe potuerit.* Hæc ille. Vide & ſequentia, vbi rem exemplis illuſtrat.

XLI.

Secundo venit imperium, cuius primum inter reliqua mundi regna, ſingulis temporibus inſignis eſt authoritas, & quibus deinceps populi Dei Eccleſiæque ſtatus magis quam aliis obnoxius eſt.

XLII.

Tertio venit præciſe illa politiæ ſpecies, in qua vnus aliquis abſolute imperat. In ſecunda ſignificatione ſumendum eſt vocabulum, quando de prophetia Danielis ſermo habendus. De Monarchia enim in prima, & tertia ſignificatione accepta, ne quicquam quidem prophetæ in mentem venit.

XLIII.

In ſecunda autem ſignificatione acceptam monarchiam *extitiſſe certum* eſt, & nunc aliqua adhuc exiſtit, ſed quæ illa ſit, difficile eſt definire.

XLIV.

Exiſtimant equidem magni viri, iiq; orthodoxi ignominioſum eſſe imperio noſtro, & Eccleſiæ noxium, probare velle, illam quartam & vltimam monarchiam noſtrum eſſe imperium. Inter quos eſt acutiſſimus Bruchton, cum quo aliquoties ea de re vterque noſtrum contulit; & Polanus in tractatu ad *c. 12. Daniel.*

XLV.

Ratio hæc ab illis aſſignatur, quod Imperium hoc noſtrum, ſi eſſet vel totaliter vel partialiter tantum monarchia vltima, eſſet beſtia illa, quæ contra Chriſtum pugnat, quod affirmare nobis religio, affirment, qui pro ſtatu monarchico tanquam pro aris & focis pugnant.

XLVI.

Ratio rationis eſt. Quia Daniel in ſua prophetia hoc vnice agit, vt oſtendat quæ futura ſint flagella militantis Eccleſiæ in hiſce terris. Præter enim vaticinium de Chriſto, & viſiones ad Nabuchodonoſorem priuatim ſpectantes principaliter propheta in ſua prophetia circa hiſtoriam Eccleſiæ vtriuſque fœderis verſatur, quam ita perſequitur, quatenus illa hiſtoriæ & fatis præcipuorum mundi regnorum implicatur, & ab iiſdem afficitur. Deſcribitur itaque in illa S. S. per Danieliem Imperia mundi ad æternam totius Eccleſiæ memoriam & inſtructionem; vt contra ſcandala quæ ei partim ex fælici potentia regnorum huius mundi, partim ex ſua infirmitate obiici debebant, præmuniretur.

XLVII.

Et cornu partum quidem ſibi principale obiectum eſſe voluit, ad quod reliqua omnia illarum viſionum tendunt, ea quidem ratione vt monſtri huius natales, & acta ex tertiæ & quartæ monarchiæ ceu traduce partim typice, partim hiſtorice deducat.

XLVIII.

Equidem de tribus prioribus beſtiis quid ſentiendum, nos experientia, & hiſtoria edocere poſſunt; quomodo enim ab illis Eccleſia lacerata ſit, oſtendit paſſim hiſtoria Eccleſiaſtica.

XLIX.

Quarta autem Romanorum Reſpublica ſub Nerone, Claudio, Domitiano, Traiano, Antonino Philoſopho, Seuero, Maximino, Gordiano, Gallo & Voluſino, Conſtantino, Diocletiano, Iuliano, quomodo Eccleſiam vexauerit abunde etiam ex hiſtoriis conſtat & quamuis iuſto Dei iudicio iræ diuinæ flammis ſub Irene fere conſumpta fuerit, tamen ex cineribus eius, monſtrum illud bicorne reuiuixiſſe oſtendunt Mahometiſmus & Papiſmus, quorum hic velo religionis ſuam tyrannidem tegens & vocem ſuam hyænarum inſtar componens, tyrannidem ſummam exercet. vid. *Apocal. c.* 13. *v.* 11. *&* 6. 7. *&* 8. Item *Dan.* 10. 11. *&* 12.

L.

Sunt nonnulli in ea opinione reuelationem *c.* 12. ab Angelo propterea tam cito abruptam eſſe, quod continuanda foret in *Apocalypſi*, & præcipue quidem de meretrice Babylonica, id eſt, Antichriſto.

LI.

Non deſunt qui quartam beſtiam Alexandri ſucceſſores conſtituunt, quibus non aſſentimur, & quidem propter multas rationes, quas breuitatis cauſa omittere cogimur. & vt maxime illorum ſententia vera eſſet, non tamen propterea falſa eſſet ſententia illorum, qui hoc Germanicum Imperium Monarchiam eſſe negant; ſed potius confirmaretur.

LII.

Verum paulo altius hæc repetenda ſunt, vt veritas cuique obuiam procedere poſſit. In *c.* 2. Spiritus Sanctus per Prophetam in viſione ſtatuæ Imperialis, principalia mundi Imperia depingit, & ita quidem, vt per diuerſitatem precioſitatis metallorum, quæ per gradus ſibi inuicem ſuccenturiata eſt, ordinis Politici, naturam imitantis, infirmationem & decrementum adumbret. Sic idem decrementum per differentiam membrorum humani corporis præfiguratur, caput enim præſtantius pectore; pectus ventre, &c.

LIII.

Sic quatuor beſtiæ *c.* 7. eadem deſignant imperia & quidem propterea, quod beſtialiter ferociant contra Deum & ſanctum Dei populum, & terrenis adhæreant; cum tamen creator *Os homini ſublime dederit, cælumq́ue tueri*, Arg. *Pſal.* 76. *v.* 5. *Ezech.* 14.

LIV.

Per caput ſtatuæ & Leonem deſignatur Monarchia Babylo. S. Aſſyrica Nabuchodonoſoris, qui abſolutum habuit imperium: huius ſignum caput eſt, quod reliquorum membrorum humanorum & regimen & tutelam habet: deinde Leo qui fortiſſimum, agilitateq; ſua ad pugnam aptiſſimum eſt animalium.

LV.

Per brachia & pectus, item vrſum denotatur Perſicum regnum, cuius præcipuum robur erat in brachiis, nempe Medis & Perſis libertatis auidiſſimis gentibus: quod arguunt Germani ex Perſia mari Caſpio vicina oriundi. De Ephoris tamen Perſicis tacet hiſtoria: erronea igitur eſt eos defendentium ſententia: Sic vrſus non tam capitis, quam pectoris robore valet, proinde in anteriores erectus pedes vt plurimum pugnat.

LVI.

Tertia beſtia quæ ventri & lateribus correſpondet & Pardi, cui primo vnum cornu, & eo confracto cornua quatuor & tot alæ aſſcribuntur, ſymbolo denotatur, eſt Imperium Macedonicum. Pardo enim aſſimilari poteſt propter violentiam & rapinas, Alexander, ratione alarum, quod tanta celeritate verſus quatuor mundi plagas gentes deuicerit. Per primum cornu, vnius deſignatur abſoluta poteſtas, quæ illius imperii in Alexandro fundamenta iecit; per quatuor autem quæ primo ſucceſſerunt, quatuor regna, quæ mortuo Alexandro & ſuppreſſo Arideo erecta ſunt.

LVII.

Quarta beſtia per quam quartum & vltimum ſummum Imperium denotatur, copioſiorem equidem, quam cœteræ deſcriptionem habet; dicit enim Propheta eam plane à cœteris differre, iis terribiliorem eſſe & magis metuendam, robuſtiſſimam & duriſſimam, dentes ferreos eosque magnos, & vngues æneos, atque decem cornua habere, voracitateque ſua, omnia conſumere & pedibus conculcare.

LVIII.

Idem hoc Imperium quod per quartam præfiguratur beſtiam, deſignat ferrum ſtatuæ Imperialis; ferrum ſiquidem ſua duricie omnia comminuit; qua de cauſa etiam tibiis ferrum aſſignatur, quod hominis robur propter oſſium ſoliditatem maxime in illis conſiſtat.

Hanc

LIX.

Hinc beſtiam antiquum Romanum Imperium fuiſſe demonſtrat experientia. Dentes enim eius ſunt Scipiones, Fabii, Horatii, Metelli, Marcelli.

LX.

Cornu illud paruum, cuius incrementi cauſa decreſcunt & decidunt tria cornua ex decem prioribus, eſt imperium Turcicum, Philip. Melanth. *in Chron.* & denotatur hoc cornu per beſtiam in *Apoc.* 13. v. 2. poſſidet ſiquidem Turca Macedoniam & Græciam, quod Pardi figura deſignat, Item Perſici regni partem: inde pedes vrſi habere illa beſtia dicitur. Os autem Leonis, quod habere dicatur dicta beſtia, deſignat Turcam de Aſſyrico & Babylonico regno multa habere, quod & veriſſimum, & hæc ſunt tria illa cornua quę deciderunt, vt in illorum locum paruum ſuccederet; Decem enim cornua ſunt decem prouinciæ Imperii Romani, in quarum diſtributione etiamnum Ieſuitæ myſterium quærunt.

LXI.

Non deſunt, qui per cornu paruum Antichriſtum deſignari autumant: quorum quamuis ſententia retineretur, non tamen inde, imperium noſtrum, vltimam Monarchiam eſſe probari poſſet.

LXII.

Patet ex præcedentibus Propheriam Danielis illis argumentum præbere non poſſe, qui Germanicum Imperium vltimam monarchiam conſtituunt. Tantum, & quidem ſi rem ſpectes breuiſſime, ſi inſtitutum, ſatis prolixe de prima difficultate.

LXIII.

Sequitur Altera difficultas, & oritur illa ex Legibus Regni. Vulgariter enim Bodino, per formulam iuramenti & noſtri imperii leges, Monarchicam formam deſtruere conanti, reponunt; nihil Monarchicæ decedere formæ, quamuis qui præeſt in leges Regni iurare teneatur. Regerunt hic Bodini Diſcipuli: ex legibus Rerumpubl. fundamentalibus ipſam formam Reipub. & non aliunde cognoſci poſſe. Denn ſie halten in ſich / (vt hodie loquuntur) die Verfaſſung der Policey: quando enim leges illæ vni maieſtatem & poteſtatem ita adiudicant, vt ipſi exercitium eius plene concedatur, Monarchica eius Reipub. forma eſt.

LXIV.

Quando autem propter metum abuſus limitate adiudicant, & certis, Maieſtatis exercitium, circumſtantiarum cancellis, ſpecificam tamen differentiam Monarchiæ non deſtruentibus, circumſcribunt, & procerum conſilia in arduis & Reipubl. ſtatum concernentibus negotiis, non vota, non ſuffragia requirunt, nec maieſtaticum ius cum aliis communicant, quamuis reuera ponere Monarchæ leges nemo poſſit; tamen ſecundum ius naturæ, iuramentum de legibus regni conceptum, ſeruando, is qui præeſt Reipubl. Monarchæ titulum ſibi non adimit.

LXV.

Quando autem leges Regni pugnant cum Monarchica forma, & Maieſtas vni debita plane, quamuis non plene, tamen abdicatiue multis communicant, vt non vnus, ſed multi, ſecundum regni leges iura maieſtatis exerceant, dignitatis licet præeminentia in vno manente, fit Principatus & Ariſtocratia, quæ monarchicum adminiſtrandi modum habet.

LXVI.

Exempla ſunt in Venetis & Polonis, in quorum Rebuspub. proceres non dant conſilia, ſed ferunt ſuffragia, ſanciunt leges, indicunt bellum, conſtituunt pacem & modum monetæ atque Magiſtratus ſupremos. Is autem qui præeminentiam dignitatis habet, deliberata omnium nomine exequitur, ex ſibi à proceribus per electionem conceſſa poteſtate.

LXVII.

Ea enim natura Monarchiæ eſt, vt vnum habeat, qui clauum adminiſtrationis ſuo iure teneat, & Maieſtatem cum poteſtate ſuprema coniunctam ita ſolus habeat, vt à nemine legem accipere teneatur, nullius dictis adminiſtrationem Reip. concernentibus obediens eſſe cogatur, & Deum tantum ſuperiorem cognoſcat, tantumque iuris proportionaliter habeat, quantum ille, qui habet mandatum cum libera.

LXVIII.

Quicunque igitur hæc vni adimunt, Maieſtatem, & poteſtatis exercitium ab vno diuellunt, & multis applicant; illi ſpecificam Monarchiæ differentiam, tollunt, qua ſublata tollitur ſpecies.

LXIX.

Deinde Bodino ex iure belli & legum ferendarum communicato argumentanti reſponderi ſolet, diſtinguendo inter ius & factum: de iure habent, dicunt illi, Imperatores ius belli & legum ferendarum, de facto autem non habent. Reponunt huic reſponſioni, qui à Bodini partibus ſtant; quod inde ſequatur, Electores ius belli, & pacis, & legum ferendarum &c. iniuſte exercere, ius enim & factum Iuriſprudentia noſtra facit aduerſa. Per conuentionem & liberam voluntaté ex conſenſu Imperatoris iuris Maieſtatici exercitium tranſlatum eſſe, qui arbitrantur, legant Barrium in *præfat. Sententiarum Cam. Imper.* ſeſe refutantem. Et fruſtra hic ſibi quis aſylon conſtituit Auream Bullam; habuerunt enim ante illam, Iura Maieſtatis Electores & cæteri ſtatus ſibi communicata.

Conceſſo,

Conceſſo, libere abdicaſſe Imperatorem à ſe illam abſolutam poteſtatem, & electoribus atque ſtatibus iura maieſtatis communicaſſe, quod quæſo inde aliud ſequetur, quam eum ex Monarchia Ariſtocratiam feciſſe? Non videmus tamen, inquiunt Bodini aſſeclæ, quomodo per contractum communicare iura Maieſtatis potuerit Imperator, cum in commercium non cadant, & ſint plane indiuiſibilia. Exemplum quod de Principe cum ſubdito contrahente, contra Bodinum affertur, non, inquiunt qui Bodinum defendunt, recipit natura parium, propter nimiam quæ in eo eſt diſparitatem.

LXX.

Bodino poſtmodum Palatinum iudicem, contra Monarchiæ, vt is arbitratur, naturam conſtituenti, contradicunt, & inde non ſequi ſuperiorem eſſe Palatinum dicunt. Bodini aſſeclæ contra reponunt, non id in controuerſia eſſe, an iudex ipſe ſit ſuperior, ſed an aliquid ſit ſuperius eo, de quo iudicatur, excepto Deo, ex cuius ſibi conceſſa poteſtate iudicet iudex; Illud autem ſunt ſtatus Imperii & eiusdem leges, quæ Palatinum Iudicem conſtituunt, & Monarchiæ naturam conuellunt.

LXXI.

De comitiorum natura differenti Bodino, & oſtendenti, eandem Monarchiæ aduerſatiue oppoſitam eſſe; reſpondent æquum eſſe vt in conſilium adhibeantur ſtatus & ordines quando deliberandum de eis, quæ ad ſtatum Reipublicæ in vniuerſum pertinent. Cui reſponſioni replicando opponitur; non quæri an æquum, vt conſilia ſtatuum audiantur, ſed an ſuffragia libera aduerſentur Monarchiæ: probandum igitur erat, non haberi comitia, non libera in illis eſſe ſuffragia.

LXXII.

Tertia difficultas in eo conſiſtit, quod dicant Monarchiæ Romanæ ius ad Carolum Magnum legitime non eſſe translatum: non enim iure belli illud habuit; quia ſuſceptum erat aduerſus Gothos, non aduerſus Imperatoré, & quidem defendendorum Romanorum, non acquirendi Imperii cauſa. Non ex conceſſione Pontificis: concedere enim id, quod non habuit, ipſi erat impoſſibile; nemo enim plus iuris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet. Neque ex conceſſione populi: quia ius omne vel per legem regiam, quod non puto; vel per patientiam & tacitum conſenſum in Principes & Imperatores tranſtulit; aliena autem concedere nemini licitum eſt.

LXXIII.

Quod ad argumenta attinet, quæ Monarchiam probare debent. Ad Primum reſpondent. Non eſſe Imperatoris, ſed Imperii fiduciarios Principes, Anto: Godof: *in diſp. feud. 1. th. 3. lit. b.* iurant ſiquidem Imperio. Et quamuis eſſent; non tamen inde ſequitur, Imperatorem monarcham eſſe: feuda enim concedere non eſt pars maieſtatis: Imo quod concedere poſſit, hóc habet ex reſeruatis, & conceſſione procerum. Poloniæ Rex concedit feuda Boruſſiam, Lithuaniæ Principatum, Epiſcopatum Heilsburgenſem, inde tamen non ſequitur eum Monarcham eſſe, & regnum Polonicum eſſe Monarchicum. Incolæ enim regni fatentur, & iuramentum Regis arguit, Monarcham non eſſe Poloniæ Regem.

LXXIV.

Ad illud de Regibus creandis, reſpondendum eſt Arniſæo, qui in *capite de Maieſt. in ſua polit.* imprudenter feciſſe eos autumat, qui ſummam poteſtatem habentes, ab Imperatore, vel Pontifice Reges ſalutari voluerunt: & facti hæc eſſe, dicunt, non iuris, atque ex vana perſuaſione fluxiſſe.

LXXV.

Extremam appellationem denegat Gail: Imperatori. Quæ de ſalutatione, ſceptro, ſolio, corona, pallio, pomo afferuntur, ad pompam pertinent & æque Monarchiam in noſtro Imperio arguunt ac in Repub. Venetorum.

LXXVI.

Equidem ſunt qui Bodinum defendunt, in ea opinione, ſe defendere patriam ſuam, eiusque tueri, Imperatori quæ cordi & curæ eſt, incolumitatem; arbitrantur è contra, eos adulatores eſſe, & haut bonos patriæ ſuæ ciues, qui repugnanti Imperatori, & adulationes ferre nolenti, neſcio, quæ contra fundamentales Imperii leges obtrudere conantur, minusq; politice agere, dum exiſtimant Imperatorem vel aſpectu ſaltem dignari illa ſcripta, quæ plena adulationis & veneni Electores, quibus poteſtatem ademptam cupiunt, maxime offendunt. Hac enim ratione in foueam aliis præparatam, talione iudice, detruduntur.

LXXVII.

Manet ſemper falſitas contradictioni obnoxia, quod arguunt theſes *de Iurisdictione* à quodam Kaltio, viperino huius Academiæ malo, quod etiamnum adhuc matris ſuę vterum calumnię dentibus arrodere non deſiſtit, acceptæ. Nam nihil magis monarchiæ aduerſari, quam à ſolo monarcha ſummos Magiſtratus & ſupremum iudicium non poſſe conſtitui, quamuis ſcire debuerit frigidus hic & languidus, contra Imperii noſtri genuinam formam, magno, ſi dijs placet, conatu pugnans miles; tamen non ſolum in th. 3. dicit, Iurisdictionem Cameræ imperialis lege, communi Imperatoris, & ſtatuum Imperii placito Cameræ delatam eſſe, quod in *th. 6. & 10.* repetit, ſed inſuper Imperatorem ordinatione Cameræ Imperialis obligari affirmat *th. 8.* Imo dum in *th. 14. & ſeqq.* de reſeruatis diſſerit, quid aliud agit quam quod ſuæ ipſius de monarchico Imperii noſtri ſtatu ſententiæ repugnet? Reſeruata enim arguunt ordinarium & verum maieſtatis ius abdicatiue Electoribus & ſtatibus communicatum, quædam autem in ſignum præeminentiæ dignitatis retenta eſſe.

Mirum

LXXVIII.

Miram & frigidam ſatis mihi politiæ noſtræ formam nouus hic tyro Politicus & plane noua, frigore condenſata practica profert fundamenta, ſeu potius figmenta, in *th.* 7. vbi affirmat per conuentionem conſtitutam eſſe Iurisdictionem Cameræ Imperialis ſaluo manente iure Monarchico; quaſi in commercium veniret ius Maieſtatis & diuiſibile eſſet, quaſiq; quid alienare & tamen retinere poſſimus. Certe qui dicunt voluntarie Imperatores in hanc Cameræ ordinationem conſenſiſſe, peregrinos ſe in hiſtoria hoſpites eſſe oſtendunt.

LXXIX.

Monarchicum dicis, Kalp, etiam inuito Imperatore, Imperium noſtrum eſſe & tamen eundem Pontificio ſubdis iugo, dum Clericos à Iurisdictione non Imperatoris tantum, ſed etiam Imperii liberos pronuncias *th.* 10. *&* 11.

Concilia quæſo *theſ.* 10. *&* 12. & eris mihi magnus Apollo: ſi pugnam non vides, pterigium tibi & ſuffuſionem tollant veſtri politici.

LXXX.

Quid ingratiſſime cucule, tibi, omni reuerentiæ & pietatis calore deſtituto in mentem tuam frigore impudentiæ induratam, venit, quod Præceptori, cui Europæa Iurisprudentia & omnes Themidis alumni plurimum debent, tuæque nutrici, Academiæ noſtræ Mauritianæ; tuis impiis & iniquis allegationibus odium in aula Imperatoria conciliare audeas. In ea penitus ſum opinione, te, quique tecum hac in re faciunt, vim vocabuli NEFAS, quod tua nefaria manus nefarie in chartam coniecit, ignorare.

LXXXI.

Vero aduerſatur tua aſſertio Corollarij I. Non enim ille tuus, & tuorum, quibus nunc veteris Præceptorum, Præceptor, & Promotor, negat Monarchiam eſſe Imperium noſtrum, ſed modum adminiſtrandi Ariſtocraticum eſſe affirmat. Si autem hoc affirmare nefas eſt; vide quomodo tuum Præſidem, quem parentis loco reuereris & numinis inſtar colis & honoras ab hac iniuria eidem à te illata, vindicare poſſis. Is enim eandem in theſibus ſuis feudalibus tuetur ſententiam. Verum manet igitur illud Germanorum Untrew ſchlegt ſein eigenen Herrn.

LXXXII.

Inuitum me obtorto collo ad hoc ſcribendi genus trahis. primus enim ego animi tantum gratia diſputando & perorando de ſtatu Ariſtocratico ſententiam in hac Academia publice, non tamen ſine contradictione, cui tu iniurius es. communis noſtri Præceptoris defendendi; inſuper tot huius Academiæ in me collata extant beneficia, vt eam quoquomodo pro virili ab iniuria vindicare tenear. Tu enim tenebrio indignus es qui reſponſo tanti viri inclareſcas.

LXXXIII.

Sed examinemus tuum nefarium corollarium: quæſtionis eſt; *An Princeps legibus ſit ſolutus, & quæſtio hæc de ſummo principe concepta eſt.* Tu affirmatiuam quæſtionis etiam de noſtro Imperatore veram eſſe aſſeris; probandum igitur tibi eum abſolutam poteſtatem habere, & ſupra leges eſſe, eaſdem ferre & abrogare libere, & ſolum quidem, poſſe.

LXXXIV.

Reclamant leges Imperii; reclamat Aurea Bulla, Ordinatio Cameræ; Imperator ipſe contradicit, quoties Principibus comitia denunciat: vtitur enim his verbis, Was für hochnothwendige vrſachen J. K. M. bewegt mit deß Heiligen Reichs Churfürſten ſich zuvergleichen / eine allgemeine Reichsverſamlung anzuſtellen / ꝛc. Item daß auch nach Erwegung derer hierunter verhandener erheblichen Vmbſtenden hochermelte Churfurſten jhren conſens dem herkommen gemeß einhellig dazu ertheilet/ꝛc. Reclamant iura comitiorum. Tu tibi repugnas ipſe, dum ordinationibus cameræ obligari Imperatorem in *theſ.* 10. aſſeris. Mendacem equidem oportet eſſe memorem. Diſce primum miſer tyruncule in ſchola politica, quid ſit legibus ſolutum eſſe, & deinde de hac quæſtione diſſere. Tuam adulationem apertam nunc non curat qui quam in aula Imperatoria; rident eam Camerales; & verum de te manet illud Curtii: *Qui in aliquem conjicit impenſa probra, ſibi magis quam alteri contemptum conciliat*; quippe dum viri boni ſtri miſerentur, fauere etiam incipiunt.

LXXXV.

Sed vt de calumniis tuis conſtare eo melius poſſit, ponenda omnino ſunt præceptoris noſtri, quem tu falſo traducis, verba & addenda Præſidis tui, vt ex inſtituta collatione, vter magis contra Monarchiam pugnet, cuilibet cognoſcere liceat. Allegato in nefaria tua theſi loco, hæc verba habentur. *Non vt olim ita hodie Princeps legibus ſolutus eſt, vt de eo an Princeps legibus teneatur nec ne, ſollicite inquirere non admodum ſit neceſſarium.* Tuus Præſes in Diſputat. 1. feud. theſ. 1. lit. b. hæc ponit, *Dominandi legibus, quæ Principem, qua Princeps eſt, immediate concernunt, & cum ipſa maieſtate coniuncta ſunt, ſolutus non eſt Princeps.* Annon eadem verborum ſententia? nam priora verba etiam de legibus Imperii loquuntur, quæ cum tales ſint, vt Imperatores legibus ſubiiciant, vide ſi amplius Imperatorem noſtrum omnino ſolutum legibus dixeris ne helleboro purgandum tibi veniat caput, vel ſandalio diminuendum, qui veritati, tibi, tuo Præſidi repugnas & aperte calumniaris tuum, quem reuereri debebas præceptorem. Eſto memor, memor eſto legis Rhemniæ, & SCti Turpilliani.

Impu-

LXXXVI.

Impudenter veritati reſiſtis, tuoque Præſuli, & grauius eum accuſas, quam quem accuſas. Allegato loco *Carol.* 1.15 quem tua impietas reum conſtituit, hæc habet: *Hinc factum eſt, vt, cum ante Carolum Magnum Imperium Romanum fuiſſet Monarchicum itemq; Monarchice gubernatum, id quidem a tempore Caroli Magni huc vſq; Monarchicum manſerit, ſed cuius gubernatio ſit Ariſtocratica, quæ ab ipſo ſtatu Imperij eſt alia*; accurate certe hic inter Monarchiam ipſam ſeu ſtatum & formam internam; & inter modum adminiſtrandi differentia conſtituitur. Monarchiam Imperium noſtrum eſſe diſertis verbis hic probatur: Tu pro diſſentiente id ſtatuentem allegas? qua fide, qua veritate? Sed videamus ea de re tuum præſidem. Is in teſi 2. d. Diſp. lit. c. hæc habet: *Feudum vere & abſolute ligium conferre poteſt Imperator noſter, quem non dubitamus appellare monarcham & caput Romani Imperij. Etſi enim hodiernus IMPERII STATVS MERE MONARCHICVS NON EST, SED ARISTOCRATIA TEMPERATVS, præminet tamen Monarchia & poteſtas Imperatoris ita vt monarchæ titulus ipſi merito tribuatur.* Arrige aures ſtupide, audis vtrumque. Ille modum adminiſtrandi Ariſtocraticum conſtituit, hic ſtatum ipſum. Equidem aut contraria defendit, aut tua priusque defendenda ſuſciperet non legit, aut priorum immemor fuit, aut quid reuera ſtatus ſit, non intellexit, quod non arbitror, tuus Præſes. Tu qui reuerentiæ fines non ſemel poſt terga reliquiſti, elige, quid dicere malis vt impietatem tuam minuere poſſis; effugere enim eam nunquam poteris.

LXXXVII.

Reuocandi certe Ædiles, quibus cenſura librorum olim commiſſa erat, ab Inferis eſſent, ne impoſterum tam impie & inconſiderate per mendacium quicquam quiſpiam ſcribat; non vt veritatem quærat, ſed vt ſuis diabolicis libidinibus ſatisfaciat. Equidem credo ſi Præſes tuus has theſes ad trutinam iuſtitiæ examinaſſet, eas publicæ auræ vſura indignas iudicaſſet; nam quomodo poſſet ex animo hanc violare Academiam; quæ ipſum genuit, enutriuit, honoribus, & dignitatibus ornauit & auxit, cui iuramento obligatus eſt: quomodo Præceptori ſuo, Collegæ & Conpatri talem per mendacium & calumniam iniuriam fieri permittere potuiſſet? Natura equidem ab hac impietate & malitia abhorret. Incidunt nunc mihi, charta digna, & huic loco maxime conuenientia præſtantiſſimi Coſtalii verba, quæ habentur in Paret. aduerſ. *Sunt quidam homines qui magis in aliorum ſententijs conuellendis triumphant & exultant neque ea probant, quorum laus ad alios ſit peruentura* &c.

LXXXVIII.

Proteſtor me hiſce nullum alium, quam te, & mihi, & Præceptori tuo ingratum Kaltium offenſum velle. Ea nunc tibi cenſori rigido & frigido extemporanea & ſub manu nata remitto: plura, niſi nefarie poſitum vocabulum NEFAS eraſum videro, & limatiora breui habebis.

PARS

PARS XIV.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS ET DISCEPTATIONES POLITICAS ET IVRIDICAS,

DE STATV, FORMA ET CONDITIONE IMPERII Romano - Germani,

I.

ANDREÆ ALCIATI, IVRISCONSVLTI CLARISSIMI,

Anno Domini 1529.

DE FORMVLA ROMANI IMPERII LIBELLVS.

CVm ab Octauio Auguſto conſtitutam Imperii formam tradiderimus, operæ pretium facturos nos arbitramur, ſi ea quoque recenſeamus, quæ ad recentiorum Cæſarum ius & electionem pertinent. Nam & in hoc tractatu, tam varia ab ipſis hiſtoricis, nedum à noſtratibus iuriſperitis enarrantur, vt inde appareat, neglecta rerum geſtarum fide vnumquemque ſcripſiſſe, quod ſibi commodius libuerit. Nam qui huius argumenti hactenus aliquid ediderunt barbare authores omnes à ſapientiæ ſtudiis alieni, & ambitione præcipites, & bonarum literarum ignari meras nugas chartis illinire non dubitauerunt: vt his qui rerum geſtarum notitiam ex fide tradi ſibi cupiunt, nullam opem præſtent: doctis vero & prudentibus, plane ridiculo ſint. Nos quid ex idoneis authoribus & probabilibus coniecturis repperimus, in medium ſumus adducturi.

Cum ſub Archadio & Honorio non mediocrem in calamitatem, propter Gothorum arma, res Romanæ incidiſſent: moxque ſub Valentiniano iuniore, Hunnico furori, Athilæque regi fere ſuccubuiſſent, non omnino tamen concidere: donec Auguſtulus Imperator in Italia vltimus, ab Odoacro (quem cum Imperatoris armiger eſſet, exules atque mercenariæ militum manus ſibi regem conſtituerunt) profligatus eſt. Sicque omnis Italia in eius tyrannidis & poteſtatem conceſſit. Huius audaciam vt vltum iret Zeno, qui tum Conſtantinopoli imperabat, Theodericum Gothorum & in ſuperiori Thracia regem patricium creauit: conſularibusque ornamentis & multis præterea muneribus donatum, ita perſuaſum ab ſe dimiſit, vt quamprimum cum coniugibus & liberis in Italiam ſedes ſe translaturum reciperet: quod & breui præſtitit. Sic Gothorum regnum ceu Imperatoris autoritate confirmatum, legitimum pleriſque bonoque cum iure viſum fuit.

Auguſtulus ab Odoacro profligatus.
Theodericus Gothorum rex patricius creatus.

Theodorici liberis extinctis, cum primum Vitiges, poſtremus Teias ſucceſſiſſet, armis Iuſtiniani vterque victus, ille à Belliſario, hic à Narſete, finisque eorum ditionis hic fuit: perſeuerauitque in Imperio Græcorum vſque ad Longobardorum in Italiam aduentum. Hi Sueuis oriundi, cum aliquandiu Pannoniam tenuiſſent, Alboino duce in Italiam, armis viriſque, primum bellicis calamitatibus afflictam, dein ſæuitia peſtis fere exhauſtam, cum nemo eſſet, qui eis reſiſtere auderet, peruenerunt: Græcumque Cæſarem præfectura Rauennatis, maritimæque oræ finibus incluſerunt. Nec ille quieuit: ſed fœdere quandoque cum Venetis, quandoque cum Francis, qui Galliam tenebant, percuſſo, Italoque milite adiutus, duces Longobardorum ſæpenumero vexauit. Verumenimuero maiores eorum vires erant, quam vt ab Exarcho, qui nomine Imperatoris Rauennæ ſubſidebat, ſubmoueri poſſent: ſeruabantque id decoris fata Carolo Magno, qui vltimum Longobardorum Deſiderium, diutius intra Ticinum obſeſſum, tandem expugnauit, armisque Græcum Imperatorem, Rauennateque præfectura eiecit: & eorum quæ bello ceperat, maximam partem Hadriano eius nominis primo Rom. Pontifici largitus eſt.

Longobardorũ in Italiam aduentus.
Exarchus Rauenna.
Deſiderius Longobardorum rex à Carolo Magno victus.

Qua autem impulſus cauſa Pontifex, in id belli Carolum traxerit, non vnam fuiſſe arbitror. Vulgo traditur, à Longobardis male habitum: & contra tantæ maieſtatis reuerentiam armis petitum, Cæſaris opes imploraſſe: & cum iuſtiſſimas preces negligi, planeque contemptui haberi deprehendiſſet, à Francis, quorum arma longe lateque tum in Europa pollebant, auxilium imploraſſe. Ipſe & ea ratione adductum crediderim, quod Græcam fidem ſuſpectam haberet. Nec enim Exarchi vnquam ceſſabant, quin nouas quotidie fallacias excogitarent: vt ſummum ſacerdotẽ captum Conſtantinopolim perducerent: ceſſiſſetque haud dubie ea fraus Paulo Patricio, aut Eutichio: niſi populi Rom. in Antiſtitem ſuum pietas & cura, eorum dolis obuiam iiſſent. Accedebat his, quod Cæſares ipſi manifeſtæ impietatis rei, cum orthodoxis non ſentiebant, diuorumque imagines de templis omnibus abradi iuſſerant. Igitur Carolus Maximi hac expeditione apud omnes nationes

Diuorum imagines de templis abradi iuſſa.

nomine

homine acquiſito, nulli non formidabilis, cum arma per Germaniam omnem, Pannoniasque circumtuliſſet: & non Italiam ſolum, ſed & Illyrici aliquas regiones Græco eripuiſſet, & iuſtum aliquem titulum adepto imperio prætendere poſſet, Cæſarem ſe & Rom. Imperatorem à Pontifice populoque Rom. deſignari procurauit. Fecit id lubens, qui tunc in auguſtiſſima rerum diuinarum poteſtate erat, Leo III. is indignum ratus, Conſtantini matrem Irenen in Græcia imperare, eoque rerum humanarum ſummam dignitatem perueniſſe, vt mulieris nutu gereretur: Carolum Auguſtum à populo Rom. appellatum, infulis, ceteriſque ſupremæ maieſtatis inſignibus exornauit, & inter ſacra inunxit. Ab eoque tempore exiſtimatione hominum receptum eſt, Imperii Romani ius & arbitrium penes Apoſtolicam ſedem eſſe: quæ ab omnibus concepta opinio, ſummis quoq; rationibus nititur. Nam vt ſupra à nobis traditum eſt, ſuprema rerum poteſtas, iusque Imperii omne, ad populum pertinuit, ſummaque eius fuit authoritas: cui etiam dictatorem ſubiici, exemplo L. Papirii, apud T. Liuium *lib.* 8. conſtat. Sic Auguſtus tum demum ſupremam maieſtatem conſequutus eſt, cum in eum à pop. Rom. ius omne translatum eſt. Sic & Maximinus à populi Rom. exercitu Auguſtus dictus eſt: idemque in Alexandro, Diocletiano, Iouiano, plurimiſque obſeruatum fuiſſe, in confeſſo eſt. Nam & Conſtantinopoli, vſque ad Conſtantinum Palæologum, qui vltimus Chriſtianorum in Oriente regnauit, ſemper Imperatoris appellandi ius penes exercitum populumque fuit. Sic & Leoni, qui Conſtantinopoli dominabatur, dudum iratus pop. Rom. de nouo Imperatore in Italia creando conſilia agitare cœperat: niſi Gregorii II. pontificis precibus tribuiſſet, vt in officio perſiſteret. Cæterorum ergo exemplo Carolum populus Auguſtum acclamauit, pontifexque inunxit: idque accepto de Iudæorum hiſtoria more, apud quos conſtat inungi à Pontifice Reges conſueuiſſe.

Carolus Auguſtus appellatus. Imperii Rom. ius penes Pontificem Rom. vt primo penes pop. Rom.

Carolo Ludouicus filius ſucceſſit, cui cognomen Pius: hic Lothario filio per manus Auguſtum nomen tradidit. Lotharius Ludouico II. qui Mediolani monumentum habet. huic, cum ſine liberis maſculis deceſſiſſet, Carolus Caluus patruus ſuffectus eſt. & licet imperatorium nomen hi à pop. Rom. acceperint, non tamen Italiæ regnum ipſi adminiſtrauerunt: ſed his filiis tradiderunt, ad quos proxima Imperii ſpes pertineret. Quapropter Magnus ipſe Pipinum filium, & eo defuncto Bernardum, ex Pipino nepotem, regem Italiæ deſignauit: quo exemplo & Pius Lothario primum, deinde nepoti Ludouico, Italiæ ſceptra conceſſit. id quod & carmine teſtatum eſt, quod in eius monumento legitur:

Ludouicus Pius Caroli filius. Carolus Caluus.

Hic cubat æterni Ludouicus Cæſar honoris,
Æquiparet cuius nulla Thalia decus.
Nam ne prima dies regno ſolioq; vacaret,
Heſperiæ genito ſceptra reliquit auus.
Quam ſic pacifico, ſic forti pectore rexit,
Vt puerum breuitas vinceret, acta ſenem.

Inſtituit Pipinus, vt Italiæ regia Mediolanum eſſet, quod ea vrbs Galliæ Transpadanæ princeps, & vt Græci dicunt, metropolis ſemper fuit: quodque velut ſpecula & arx totius Italiæ, Galliæ & Germaniæ haberetur, mirum in modum ſibi horum regnorum propinquitate accommoda. Ad hæc proceres gentis, Regum imperio aſſueti, ferre nõ potuiſſent, vt aliunde quam in patria ſua, iura peterent. Pipini inſtitutum & cæteri longo ordine ſecuti ſunt. nam & Bernhardus non ſolum rex Italiæ, ibi ſalutari, coronaque inſigniri voluit: ſed & ſepeliri. extat in Ambroſiano templo eius monumentum, quo tanquam ciuilitate mirabilis laudatur.

Mediolanum Italiæ regia. Bernardus rex

Poſt Calui mortem, in Italia extinctum eſt Francorum regnum: quoniam diſſidentibus inter ſe Ludouico Balbo Calui filio, & eius patruelibus ciuili diſcordia, Francorum arma mutuis odiis conciderunt: & licet Imperatoris titulo Balbus Caroluſq; Craſſus ornati, regni tamen Italiæ potentes non fuerunt. Tulerant ægre Itali proceres, quod icto inter ſe Franci reges fœdere cauiſſent, vt de Imperio extra terram Italiam dimicare fas non eſſet: triſte id miſerumque exiſtimantes, belli alieni mala Italiam pati: cum eorum regiones, qui cauſam diſcordiis dabant, omnis calamitatis eſſent immunes. Igitur aduenisſe tempus rati, quo peregrinum omne nomen exigerent, Berengarium ab Iulii foro accitum, antiqua nobilitate & Ducis titulo inſignem virum, Italiæ regem Mediolani ſalutant. Eum Archiepiſcopus more maiorum inunxit: non tamen ideo minus tranſalpinis armis obnoxia ea regio fuit. Nam plerique recentem Berengarii felicitatem æquo animo non ferentes, hoſtes illi vndique accerſiuerunt: quorum primus Spoleti Princeps Vido, Francorum regum affinitate ſubnixus, eorumq; ſubſidio fidens, deiciuit. Sed is Arnolphi Germanorum regis armis, haud ſane difficulter concidit. quem in Italiam Berengarius magno ſtipendio euocauerat. Sunt qui ex nepote hunc Pii fuiſſe tradant, ſed nothum. Cæterum quisquis fuit, ſiue ex Carolorum ſtirpe (vt fere receptum eſt) ſiue aliunde genitus, Imperatoria infula à Formoſo Pont. inſignitus, in Germaniam continuo abiit: pediculariq; paulo poſt morbo conſumptus eſt, & magno timore non ſatis ei fidentem Berengarium liberauit. Vix alium reperias, in quem toties fortuna luſerit. Quapropter cum plerumq; regno electus, plerumq; reſtitutus ſit, in cauſa rerum ſcriptoribus fuit, vt nõ eundem eſſe, ſed plures Berengarios crediderint. Nam & Lanthberti Vidonis filii armis, haud ita paulo poſt pulſus eſt. quo defuncto, Sequanorum, Heduorum, Lingonumq; rex Ludouicus in Italiam accerſitus, atrox illi bellum intulit. ſed tandem captus, & fide ſub iuriſiurandi religione data, ſe amplius non reuerſurum, abſq; alia conditione dimiſſus eſt. cumq; reparato exercitu fœdifragus rex iterum

Francorum regnum in Italia extinctum. Berengarius Italiæ rex. Vido Spoleti Dux. Lanthbertus Vidonis filius. Ludouicus rex captus & excæcatus.

Berengario arma intuliſſet, Veronæ captus, & luminib. priuatus eſt. Pertinuit & hic Ludouicus ad Carolorum ſtemma. nam Boſſone Comite & Frinengarda Ludouici ſecundi filia natum fuiſſe, apud quoſdam compertio. Sunt qui hunc Boſſonem à Caluo Papiæ ducem factum fuiſſe ſcribant. Subſtinuit & Hungarorum Berengarius aliquandiu impetum: ſed tandem prælio ab eis victus, pacem & fœdus pecunia impetrauit. Vnde rebus compoſitis, ſuperbia elatus, in Lamperti Mediolanenſis archiepiſcopi odium incidit: à quo Rudolphus eorum Germanorum, quos Burgundiones vocant, quique in Gallia Lugdunenſi ſedes poſuerunt, Rex accitus, in Italiam deſcendit: Berengariumque ſenem omnib. oppidis amiſſis, intra Veronam compulit. qua in vrbe cum aliquandiu fuiſſet obſeſſus, Flamberti cuiusdam militis ſui perfidia cæſus eſt, vacuamq; hoſti aulam reliquit. Quo tempore

Hungarorum irruptio.

reuerſi Hungari, omnia cædibus & rapinis fœdauere, Ticinumq; incendio deleuere. Quapropter idem Lamperthus Rodolphi ignauiam pertæſus, cum imparem hoſtium armis eum videret, facta

Hugo Rex.

procerum conſpiratione, Hugonem prouinciæ Narbonenſis Arelatenſisq; Comitem ad regnum

Burcardi Sueuorum ducis interitus.

capeſſendum accerſit: Burcardum Sueuorum Ducem, Rodolphi ſocerum, Nouaria egreſſum, per inſidias interficit. Sic non magno negotio Hugone aduentante, exactus Italia eſt Burgundus. At nouus Rex imperii gratia nihil omittere, ꝙ ad conciliandos procerum animos pertineret: munificentia in omnes vti, diligentiſſime ius reddere, pacem cum hoſtib⁹, fœdera cum exteris percutere:

Marozia ſcortũ.

ad hæc, vt vrbe Roma potiretur, Maroziã ſcortum impudens, q̃ ex Sergio pontifice Ioannem genuerat, in vxorem ducit. Albertum Bauarorũ Carentanorumq; Ducem prælio ſuperat, cum Rodolpho depoſitis inimicitiis ſe coniungit, & pecunia (cuius auidiſſimus erat) tranſigit, Lamperto defuncto, Hilduenum conſanguineũ ſuum Mediolani antiſtitem deſignat: & quo perpetuũ regni ius in ſuos tranſmitteret, prauasq; aliorum ſpes cohiberet, Lotharium filium in ſummæ poteſtatis conſortium admittit, ita fore exiſtimauit, vt rerum nouarũ conſilia nõ inirentur, ſi viuens ipſe ſucceſſorẽ ſibi con-

Albericus Romã potitus.

ſtitueret. Sed caſſa & irrita hæc omnia fuere. Albericus eius ex Marozia priuignus in poteſtatẽ Romã redigit: fratrẽ ſuum Ioannem, eius nominis decimum, pontificem ſalutat. Berengarius, Berengarii I. ex Giſila filia, q̃ Adelberto Eporedienſi in matrimoniũ ille tradiderat, nepos cum Arderico qui in demortui Hilduini locum ſucceſſerat, aliisq; procerib. clam conſilia ſociat, & citra aliquod prælium Hugonem regno deturbat: ſic vndiq; alia ſuper aliam calamitate Hugo affectus in Galliam redire decreuerat: ꝙ veritus Berengarius, ne ingentes quos vndiq; coegerat, theſauros aſportaret, cum eo eò venit, & Lothario regni poſſeſſionẽ permiſſurum ſe ſpõdet. Tradunt qui eius temporis res geſtas memoriæ commendauerunt, in Ambroſii phano pro venerabili crucis vexillo proſtratũ Lotharium

Lotharius rex ſalutatur.

à regni procerib. erectum, Regemq; ſalutatum fuiſſe. Erat autẽ quamplurimis ingratus, moleſtusq; Hugo, ꝙ ſuperbe nimis & auare Romanis imperaſſe exiſtimaretur: ꝙ cum Saracenis orthodoxæ fidei hoſtib. ad Fraxinetum fœdus percuſſiſſet: ꝙ duorum fratrum, alterum Lambertum oculorum vſu priuaſſet, alterum Boſſonẽ in cuſtodia haberet: ad hæc, vti ventri & libidini deditus, inter ſcorta dies noctesq; agebat, quib. nomina Iunonis, Veneris & Semeſes fecerat. Cum itaq; contemptui ſe odioq; ciuib. eſſe intelligeret, omnem inuidiam popularemq; iram euitari poſſe exiſtimauit: quietioresq; ſibi res futuras, ſi filio Lothario regiũ nomẽ permiſiſſet, pollicebatur. Sed cum Berengarius

Hugo in Gallia mortuus

ipſe omnis imperii potens eſſet, inanemq; Lothario titulum feceret: abiit Hugo in Galliam, & haud multo poſt fato extinct⁹ eſt. Nec diutius ſuperſtes patri fuit Lotharius: ſed & ipſe, cum alterũ annum vix regnaſſet, ſuum diem obiit. Sic omnis rerum moles in Berengarium, eiusq; filium Adalbertum, quem ex Iulia Boſſonis filia ſuſceperat, translata eſt: floruiſſentque eorum res diutius, niſi Valperius ſumus Mediolanẽſis eccleſiæ ſacerdos, apertas cum eis inimicitias geſſiſſet. Deiecerant eũ opulento ſacerdotio: Manaſſemq; Arelatenſem prima authoritate, quod ipſis aduerſus Hugonẽ præſto fuiſſet, ſacræ ſedi præfecerant. Is igitur in Germaniam ſuperatis alpibus contendit: ſecumq; Valdonem

Othonis in Italiam expeditio.

Comenſium præſulem, Obbertumq; Marchionem, Pontificiæ legationis titulo illuſtrem, adduxit: Otthonemq; authore Ioanne pontifice impulit, vt in Italiam aduerſus Berengarium deſcenderet.

Tribuit hoc Otho libentiſſimo animo Pontificum precibus: & ingenti comparato exercitu, Berengariũ bello ſuperauit: Romamq; profectus à Ioanne Auguſtus & Imperator inauguratus eſt: fidemq; ab ipſo Pontifice, primatibusq; Romanis accepit, vllã in reliquũ Berengario Adelbertoq; opem minime laturos. Sed omnes eius iusiurandi religionem non multo poſt illi violarunt: neceſſitatemque Otthoni fecerunt, iterum à Saxonibus in Italiam reuertendi, quam eius expeditionem ſumma felicitas eſt conſecuta. citra enim vllum periculum victor & triumphator, in ordinem Pontificem ipſum redegit, conciliique authoritate ſolio deturbat, hoſtesque egregie vlciſcitur: ſicque ab eo ad noſtra tempora Imperii iura in Germanis perſeuerarunt.

Luitprandus.

Scribit Luitprandus Ticinus hiſtoriæ, vt tum tempora ferebant, inelegans quidem, ſed multę fidei author: tantam breui tempore rerum mutationem factam, toties erectos Reges fuiſſe, hoc ipſius Italiæ proceribus ſemper agentibus, qui plures principes accerſebant, vt alterum alterius

Italici regni fatum.

metu coercerent. Ego vetuſtiſſimum fatum eſſe ex Cor. Tacito didici, non eſſe curæ deis ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem: quo fit, vt acciti principes, etiamſi primum boni ſanctique videantur, tamen aeris clementia, regionis vbertate, diuitiarum copia, mulierum pulchritudine, adulatorum ingeniis corrupti degenerent: meritoque tyrannide oppreſſi ciues aliena arma deſpiciant, nec inultum principum in ſe ſcelus vllo modo patiantur. Prudenter admonuit L. Piſonem Galba Im-

Italorum ingenia non ſeruilia.

perator, non eſſe Italorum, vt ceterarum gentium quæ regnant, ſeruilia ingenia: ſed homines eſſe, qui nec totam libertatem ferre poſſint, nec totam ſeruitutem.

Sunt

Sunt qui ſub hoc Othone Auguſtale culmen ad Germanos primum fuiſſe tranſlatum arbitrentur: ſed hi videntur nobis non omnino recte ſentire. Francos prius *Salios* appellatos fuiſſe, Ammianus Marcellinus author eſt: quod & eorum leges oſtendunt, q *Salicæ* etiam nunc appellantur. Hos conſtituit Ptolomæus in Sarmatia Dorſis, Agathyrſis & Alanis vicinos, quos vltra Ryphæi ſunt montes, vnde Tanais oritur. Antonius Monachus duplicē Francorum originē refert: aliam vulgatā à Troia ortos, duce Francione Mæotidē verſus veniſſe: & in Valentiniani Imperatoris gratiā Alanos, Cæſari vectigal denegantes armis viciſſe. Aliam nō ita tritam iiſdem locis nationem fuiſſe vnam q duos reges elegerit, Carcolū & Francionē: vnde à ducib. partim Turci dicti, partim Franci. Pomponius Mela Turcos & ipſe eorū terrarum tractu videtur collocare: vnde & primum ortos Hungaros conſtat, quos Luitprandus Turcorū gentem eſſe, non vno in loco, prodidit. quapropter opinari licet, eorum originē à Salijs Sarmatis eſſe: q vel idem, vel (quod verius arbitror) proximi Turcis fuerunt. & quoniam plerique eoſdem Turcos & Teucros crediderunt, inde errorē exortū, vt Troianos exiſtimarent, q non à Teucris, ſed à Salijs oriundi eſſent. Igitur Salij longo ante tempore, q ſedes Turci in Aſiam transferrent, ipſi patriis regionib. egreſſi, ex Sarmatis in Germaniam venerunt: diuq; cum Germanis pugnantes, & plurima oppida ceperunt & validiſſimas eorum gentes partim armis, partim fœdere ſibi ſociauerunt, vt Atthuarios & Thuringos. tandemq; factum eſt, vt quicunq; Germani imperium Rom. detrectarent, illis ſe adiungerent: Francoſq; ſe, id eſt eorum ſermone, liberos appellarent. Horum opes, oppreſſa à Gothis Italia, adeo creuerunt, vt traiecto Rheno, veterem Galliā occupauerint, ſedeſq; in ea fixerint. Eorumq; nomine bona quoq; Germaniæ pars *Francia* dicta eſt, ſed huiuſmodi nomenclaturæ diſtinctio addita fuit, vt illa orientalis: quæ vero Gallica eſt, occidentalis, vel Francia Romana diceretur, qua ratione & Germani ſe *Francos* plerumque dixerunt, Gallos vero *Francigenas*: quin & hodie vulgarem linguam ſuam Galli *Romanam* vulgo vocant, quod videlicet, quæ Germanorum erat, antiquam miſſam fecerunt. Sed ad rem reuertendum.

Franci, Salii prius.
Salii, & leges.
Francorum ortus.
Turci.
Hungari.
Turcorum origo.
Turci & Teucri iidem.
Salii in Germaniam.
Francia.
Franci
Francigenæ.

Poſt Othonem, eiuſdem nominis filius & nepos, rerum potiti ſunt. Ex his nepos, qui Otho III. dictus eſt, commentitio iure, proprioq; authoritate Gregorium V. origine Saxonem, Pontificē creauit: quam rem indigne ferentes Romani, Creſcentio duce, quem cōſulatus honore inſigniuerant, Gregorium ceu adulterinum eiiciunt: Ioannem Placentinū ad Apoſtolicæ dignitatis culmen extollunt. Erat is doctrina, diuitiiſq; perquam illuſtris. Accurrit confeſtim è Germania Otho, & Gregoriū reſtituit. Creſcentium, Ioannem, fide data impunes eos ſe dimiſſurum, de Hadriani arce eiicit: & alterum vita, alterum oculorū vſu priuat. Rebuſq; hoc facinore pacatis, in patriā reuertitur. Gregorius, ſiue vt Romanos vlciſceretur, ſiue patriæ ſuæ plurimū tribuere volens, legem *de Imperatoriis comitiis* tulit: ne ius eligendi penes pop. Rom. in poſterum eſſet: ſed vice populi, ſeptem Germaniæ proceres fungerentur: ex quib. tres initiati, Moguntinus, Treuerenſis, & Agrippinenſis, antiſtites: quatuor Principes, Brandenburgenſis Marchio, Palatinus Rheni Comes, Saxoniæ Dux, & hiſce diſſidentib. Boemiæ Rex. Hi inter ſe munera ſic partiti ſunt, vt Antiſtites ſcribarum officium ſuſciperent, vnuſq; Germaniæ, alter Galliæ, tertius Italicarū rerum à ſecretis diceretur: clypeum Palatinus, Saxo enſem ferret: at Marchio quæſtor, Boemus prægustator in conuiuio eſſet. Tulerunt hanc conſtitutionē iniquo animo Galli, quib. adempta ſpes omnis ſummi ipſis quandoq; potiundi videbatur: ſed omniū iniquiſſime Itali, & quoniam ob interregnum res Francica ad Duces deuoluta erat, ciuilib. inter ſe diſcordiis acti Galli, non potuerunt quicq ſubſidii Italis ferre: ſed nec Romani multum in ea re valuerunt, annitentib. ſemper pro Germano Pontificib⁹. quod eorū haud dubie intererat, nō ita fieri. quoniam Germani Principes pecuniæ inopes, & ab Italia longius ſubmoti ſolo titulo *Romani Reges* futuri eſſent, cum interim Pontifices ipſi rerum mancipio, nedum vſu fruerentur. Idq; ab eis conſulto factum eſſe, illud etiam argumento eſt, quod & Mediolani & Romæ cum primum ſolemni inauguratos die corona decorarent, plerique Cæſarum iureiurando adacti ſunt, ſe accepto diademate Italia continuo exceſſuros. His igitur cauſis factum eſt, vt conſtitutio illa hactenus inoleuerit & * quia quingentos propemodum annos vſu obſeruationeque probaretur.

Otho tertius.
Gregorius V. pont.
Septemuiri Imperatoris constituti.

Othone è rebus humanis ſublato, Gregoriana lege Henricus ex Gubellineo oppido Noricus, ſuffectus eſt: ſed eam Conſtitutionem nihili facientes Tranſpadani, Ardoinum Eporedienſem Marchionem Regem Italiæ creant. Sunt qui conuocatis vrbium finitimarum Principibus, atque ſacerdotum primoribus, Imperatorem quoque ſalutatum ſcribant. Is aduenienti Henrico obuiam factus, ex itinere prælium conſerit, & egregie hoſtem vicit. Repulſus Henricus, fœdere cum Euriperto Mediolanenſi Archiepiſcopo, icto, reparatoque exercitu reuerſus, Ardoinum acie ſuperat: & more maiorum coronatus, in Germaniam vnde venerat, regreſſus eſt.

Henrici cum Ardoino congreſſus.

Henricum ſecutus eſt Conradus, q Sueui fuit ſanguinis. Aduerſus hunc, ne Rex Italiæ ſalutaretur, Tranſpadani quoq; cōiurant. Cum ergo Mediolanū veniret, vrbis ingreſſu prohibit⁹ eſt. Cumq; eam vrbē fruſtra aliquandiu obſediſſet, tandem cōclamatis repente vaſis receſſit, ſiue miraculo territus (vt quidā Annales habent) ſiue ipſe ita videri voluit, quo dedecus ſuum obtegeret. Accepit is Modoetiæ (Moguntiā veteres dixerunt, agri Mediolanenſis ad decimū lapidē oppidū) Imperatoria inſignia: parum referre exiſtimans, vbi coronā redimeret, dum in Mediolanenſibus hoc fieret, cuius exemplo & alii quidam ex Cæſarib. vrbe armis excluſi, Moguntiæ ſe coronari voluerunt. Fuere &, qui cum vlterius progredi non poſſent, Alexandriæ, quæ Statilienſium Ligurum ciuitas eſt, inſulam ſuſceperunt. Sed Mediolanenſes has coronas cōtemptus cauſa *Paleas* vocant, priſco loquendi more, quo vilis res & nihili *palea* dicitur. Ex quo & Ariſtophanes, inquilinos Atticos *paleam ciuium* in Antiqua comœdia appellauit.

Conradus Imperator.
Modoetia.
Paleæ appellatio.

Imperatoria corona triplex.

Sane de triplici hac Imperatoria corona, non vna eſt apud ſcriptores opinio: ſed quæ à nobis ſuperius, ex hiſtoria ſatis indicantur. Primam, quæ in Agrippinenſibus, apud oppidum, quod Grani aquas vocant, accipitur, ad Germanorum regni ius pertinere: q́ vero Mediolani, ex Pipini inſtituto ſumitur, moderatæ Italiæ argumentum eſſe: at q́ Romæ à Pontifice tribuitur, eam ſupremam rerum humanarum dignitatem, imperatoriumq; culmen indicare. Quæ Mediolani datur, ferrea eſſe conſueuit: quoniam Romanorum regnum ferri figura, vt apud myſticum illum vatem Danielem præmonſtratum eſt, oſtenditur, * quia inde armis rem Italicam ad ſupremum culmen, quod aureum diadema ſignificat, perueniſſe. Aquisgrani ab Vbiorum præſule argentea ſumitur: vt inde ſciant, regnum Germanorum inferius Auguſtali dignitate eſſe. nam & Agathius ſcribit, proprium Imperatoris Romani fuiſſe, vt eius iconica effigies minio aureo imprimatur: cum ceteri Reges tempeſtate ſua argenteo in numiſmate ſolum id auderent.

Septem adhibenda vt iuſtus Imperator quis dicatur.

Ex formula igitur Gregorii proditum eſt, ſeptem neceſſario adhibenda eſſe, vt iuſtus Imperator quis dicatur: quorum primum, electio ipſa: ſequens, vt Pontifex Rom. ea de re certior fiat: tertiũ, vt is de vita moribusq; electi inquirat, cenſoremq; ſe ea in re pręſtet. tum vt promouendũ in imperio ꝓnunciet: ad hæc, vt inungatur ab Archiepiſcopis oportet, ſicq; ſacroſanctus fiat: poſtremũ eſt, vt coronetur. cuius rei modus is hactenus obſeruatus traditur.

Coronandi Imp. Rom. ritus.

Ante aram Pontificis veſtibus indutus Archiepiſcopus petentem ſe coronari Romanorum regem ſacro oleo dextro in humero perlinit, in medio dextræ manus digito annulum mox collocat: tumq; enſem nudum tradit. deinde capiti coronam, dexteræq; ſceptrum imponit: hæcq; omnia recte atq; ordine fieri, publicis documentis teſtatum eſſe iubet: ſceptri faſtigio malũ aureum, quo Aſiæ, Aphricæ, Europæq; breuis deſcriptio ineſt, præfigi conſueuit. Supra pomum crux ſolido ex auro inſeritur. Mediolani quandoque obſeruatum accepi, vt his peractis, qui ex Angleriæ Comitibus natu maior, dignitateq; illuſtrior eſſet, pedem dextrum: q ex Cottarum familia, ſiniſtrum oſculo libaret: Imperatoremq; vterq; humeris ſublatum, in prætorium ferret.

Cottarum familia Mediolãi.

Sane dubium non eſt, Cottarum ex genere ſummum Mediolanenſium ſacerdotem fuiſſe Ardericum, à quo Regis inſignia Berengarius II. ſuſcepit: atq; is honos ei familiæ tum haberi cœptus. Vnde tantus vir natus fuerit, qui pietate, religione morumq; ſanctitate præcipua, in diuorum album relatus, miraculis clareſcat, febresq; potiſſimum mortalium malum noti damnaris ægrotantib. etiamnum præſenti ope abigat.

Angleriæ comites.

Nam quod ad Angleriæ Comites attinet, quorum originem à Deſiderio Rege Merula & Phædrus, aliique recentiores deducunt, ipſe quæ de eis dicuntur, maiore ex parte fabuloſa, & in eorum, qui tunc potiebantur rerum, gratiam dicta fere exiſtimo. Deſiderium Leodii in Eburonibus eiusque vnicum filium Adalgiſum in Græcia fato extinctum, omnes tradunt: vt non parum mirer, quid in mentem Merulæ, Phædroque, eloquentibus alioquin & hominum memoria dignis ſcriptoribus venerit, vt neglecta veritate, infantiſſimorum hominum, ineptiſſimorumque ſcripta ſequi maluerint, quam ex eorum authoritate res geſtas poſteris tradere, qui de temporibus ſuis ante Vicecomites ſcripſerunt.

Vicecomitum familia.

Hi nullam penitus huiusmodi Comitum mentionem faciunt, Vicecomitum frequenter, quod tum ea quoque familia ſummæ inter Inſubres dignitatis eſſet: ſed quæ tamen cum hiſce Comitibus nihil vnquam commune habuerit. Angleriam ſcimus omnes ad Verbanum lacum, Mediolanenſis agri oppidum, eſſe, cuius antiquitas multis Romanorum monumentis adhuc poteſt oſtendi. Extant in eo ſtatuæ, ſepulchra, templa egregie laborata, marmora, quib. veterum manus facilime agnoſcitur. Et ex quadam vetuſtatis inſcriptione annotari poteſt, in ea quinas iudicum decurias ius reddidiſſe: Alpinarum puto gentium pręfectura. Mercurium ſummo in honore habuerunt, non tam quod mercimoniis, hortisq;, quam quod aquis quoque portuum cuſtos is deus præſideat. Poſt Gothorum & Longobardorum extincta regna, præfuiſſe illis Comitum vice aliquos veriſimile eſt: quoniam & Mediolani, & in ceteris vrbibus Comites publicam rem adminiſtrabant.

Malaſpina.

Meminit Magnifredii Luitprandus, q hoc titulo rem Mediolanenſiũ procurarit. Cuius filius Hugo, Lanthpertum Berengarii hoſtem in venatione, querceo ſtipite occiderit, vnde & *Malaſpina* vulgari voce eſt dictus. Anaſtaſiũ quendam ei oppido dominatum fuiſſe, ex veteris monumenti titulo, cum illuc me contuliſſem, deprehendi.

Vicecomitum ortus.

An igitur ab his Angleriæ præfectis, q Vicecomitum Mediolanenſiũ ius ibi redderent, originem traxerint *Vicecomites*, nobis incertum eſt: tametſi non multum id à veritate abhorrere videri poſſit, quod huius gentilis ſtemmatis tribuli maxima ex parte eam regionem inhabitent, & complurium pagorum circumcirca incolæ omnes Vicecomitum nomine æternum cenſeantur.

Henrici tres Impp.

Poſt Conradum Cæſarem, tres Henrici continua ſerie Imperatores deſignati ſunt: q licet Romam cõtenderint, & Auguſtalem coronã aſſumpſerint, Mediolani tamen (quod equidẽ ſciam) id decoris non acceperunt. Ego iuniorem Henricum armis Rodolphi in Germania, & Mathildis in Tranſpadanis ꝓhibitum, non potuiſſe regni Italiæ ſceptrum conſequi, apud aliquos authores legi.

Lotharius Saxo.

His ſucceſſit Lotharius Saxonum Dux, ex Guelphorum ab Altodorphia (oppidi in Bauaris nomen eſt) familia. Is Henricorum ex ꝓfeſſo hoſtis, quos Gubelineo ortundos ſupra diximus, magnis ſeditionib. omnem Germaniã turbauit.

Conradus II. Imperator.

Quapropter Henrici Imperatoris defuncti ſorore genitus Conradus Honorio Romano Pont. fauente, eius nominis ſecundũ ſe Imperatorẽ dixit: & ad Inſubres properans, ab Anſelmo Puſterlenſi, q tum rei ſacræ moderabatur, regni coronã Moguntiæ ſuſcepit. Formidoloſum opinor præſuli fuit, intra vrbem eum tanta cum mercenariorũ barbarorumq; militum colluuie recipere. Sed Italis armis & is multũ deinde vexatus, fere omni exercitu amiſſo, ſummo cum periculo in patriã reuertit. Subſequutus eſt & Lotharius, atq; p Rhetica Romã cõceſſit. Scribit Otho

Fiſingen-

Friſingẽſis Antiſtes, q & Ænobarbi patru' fuit, ſiue copiarũ paucitate, ſiue Cõradi amore cõtemptui Italorum populis fuiſſe: ſed deuicto Conrado, & in comitatum accito, reuerſum, magnas deinde in Ciſalpina Gallia res geſſiſſe Ab his pernicioſa factionum nomina *Guelpherum Gibellinorumque* in Italiam primum veniſſe, & ex eius lectione manifeſtum eſt, & authores quos ſequor tradiderunt.

Guelpherum & Gibellinorum factio.

Cum enim ob duas haſce familias conuulſa, ſeditionibuſq; domeſticis agitata eſſet Germania, quo eas aliquando extinguerent, decreuerunt regni Principes (aderant & plerique ex Italia) vt Federicus Sueuus, Conrado defuncto ſufficeretur: non tam, quod ex fratre illi nepos eſſet, quam q́ matre Guelpha natus, vtriuſq; factionis principes ſanguine contingebat, ſicq; futurum erat, vt omnis diſcordiarum memoria ſopiretur, vel potius exoleſceret. Potuerunt Germani rebus ſuis, paciſque ſtudiis hac electione conſulere: Italorum certe animos, ſemel eorum contagione coinquinatos, acrius & pertinacius incenſos fuiſſe conſtat. Nam exorta mox inter Imperatorẽ, Alexandrumque III. Pontificem, contentione: adhæc, quam plurimis vrbibus Federici iugum detrectantibus, atrociſſime, ſi quando alias, ad arma proruperunt. & qui pro Pontifice erant, Guelphos ſe dixerũt, quod patrui exemplo Ænobarbus ipſe ad Gibellinos attinere magis videretur: manſeruntq; harũ diſcordiarum nomina in noſtram diem. & hi quoque, qui nihil cum hiſce ſeditionibus commune habebant, in huiuſmodi tamen pertinaces animorum habitus conceſſere: dubium, cum naturaliter euenire ſoleat, vt diſſentiant inter ſe ciues, an maluerint vetuſtum id nomen ſemper durare, quam aliud nouum tam fœdo pertinaciæ malo dare: an quia principes, qui interim vrbibus moderabantur, nequaquam extingui odiorum hæc ſeminaria paſſi ſunt, quod alterius partis auxilio alteram coercerent. Nihil enim eſt, quod magis tyranni abominentur, quam ciuium concordiam atque conſenſum. Merito igitur ridiculi ſunt, qui Germanis hiſce appellationibus Hebræam adducunt originem: vt à fortitudine Gibellini, à fidei zelo Guelphi dicti ſint.

Frider. Sueuus.

Ergo Federicus non maximo ſolum Germanorum exercitu, ſed etiã vicinorum populorum ope adiutus, Mediolanum copias adducit, & ciues obſidione aliquandiu premit: denum ſex argenti millibus libris acceptis, pacem ciuibus dat, liberoſque certis conditionibus eſſe ſinit. Deinde regni Italici coronam accipit Moguntiæ (quam Radauicus, qui eius geſta ſcripſit, *Modoicum* vocat) celebritatem peractam fuiſſe authores prodiderunt.

Mediolanum à Federico obſeſſ.

Federici ingeniũ.

Erat Federicus immiti ſuperboque ingenio: ius & æquum ex commodo metiri, omnia dignitati ſuæ tribuere, adulatoribus (quod hominum genus ſolet vnicum in Regum conſilio eſſe) plurimum concedere: humanas res omnes, ſuo in arbitrio poſitas prædicare, neminem ſibi parem, nedum maiorem eſſe: ad hæc, à bonis literis (quod malum vbique gentium ſua tempeſtate inoleuerat) maxime abhorrebat. cum Pontifice Hadriano, à quo corona ſceptroque honeſtatus Romæ fuerat, ſimultates geſſit: eius verbo irritatus, quo non coronam ſolum, ſed etiam maiora, ſi fieri poſſet, beneficia libentiſſime in eum ſe collaturum, Pontifex dixerat: interpretabaturque vulgari ſermone, beneficium id eſſe, quod feudum barbari appellant: quaſi clientem Imperatorem, ſe patronum nuncupaſſet. ea fuit in Federico, eiuſque comitatu doctrina: ea cauſa, cur à ſummo antiſtite ſeceſſionem faceret, bellicique calamitatibus omnem Italiam tot per annos affligeret. morum ſuperbiam & durum ingenium, quam plurimæ ab ipſo vrbes, oppidaque, contra fas & ius diruta, manifeſto documento arguebat: cuius rei Aſta, Derthona, Cherium, Laumelum, Spoletum, lachrymabili exemplo omnibus erant.

Diſſidii inter pont. Rom. & Federicũ cauſa.

Igitur Mediolanenſes, cum & aduerſus pacem initam, violare eorum libertatem conaretur, hominis arrogantiam & mores peroſi, Hadrianoque ſuadente, rurſus arma corripiunt, bellumque renouant: quod ſeptem annis geſtum, excidio vrbi fuit. Habuiſſe quandoque in caſtris dicitur ad centum millia hominum: nec ideo fida pax ſecuta. Mediolanenſes auxilio ſociorum freti, vrbem inſtaurant, aduenientem Cæſarem prope Cenianum vicum fundunt, fugantque, qua clade territus, pacem Tranſpadanis dedit, fœduſque cum eis percuſſit. Id Conſtantiæ, quæ ad Brigantium lacum in Germania (olim *Gaunodunum* vrbs fuit) nomen ſumpſit, & inter ceteras Imperatoris conſtitutiones, ob æternam memoriam relatum, etiamnum legitur.

Conſtantia.

Fœderis cũ Tranſpadanis icti conditiones.

Eo diſerte cautum eſt, incolumi ciuibus libertate, rogabatque iura, ſi quæ prius poſſidebant, concedi: qualia ſunt, vectigalia, portoria, iuriſdictiones, palatia, mulctæ. pœnæ, flumina publica, ſalinæ, bona vacantia, ius ſignandi nummum, ius iudiciorum, ius armorum fabricandorum, idque genus ſimilia. quæ à Cæſaribus ipſis in ſupremæ poteſtatis argumentum ſolent recipi. De ceteris, quæ more vſuque ad ciuitates non pertinerent, idem iuris eſſe: dum tamen argentei beſſes (*marcas* Germani vocant) bis mille penderentur. ipſi vero Aenobarbo, eiuſque filio Henrico V. hoc nominatim tributum, vt deſignati à Rom. populo conſules, eorum authoritate (quod citra antiſtitum fraudem eſſet) confirmarentur: vt prouocationum cauſas, is quem Proregem ipſe in Italis appellaſſet, legatumue ſuum conſtituiſſet, cognoſceret: vt ciues à decimoſexto ad ſeptuageſimum annum, ſe comiter Imperatoriam maieſtatẽ obſeruaturos, in eiuſque fide futuros, tactis ſacris iurarent: vt quoties in Italiam ipſe veniret, coronarium munus præſtaretur: *Fodrum* id Germanica voce appellant. ea collatio certam ſummam non habebat, ſed decurionum arbitratu ex præſenti facultate, Cæſareique exercitus neceſſitate conſtituebatur. Henrico ſexto, Ludouicoque Bauaro Imperatoribus, qui vltimi ante dies creatos coronam Mediolani ſuſceperunt, ad quinquaginta aureorum (quos florenos vocant) millia præſtita fuere. Quid vero Aenobarbo ipſi tunc ſit donatum, quod equidem ſciam, ab authoribus traditum non eſt. & id quidem iuris eſt, quod in Liguribus, Inſubribus, Galliaque omni Ciſalpina, eo fœdere ad Imperatores ſpectaret.

Coronarium munus.

Regum ab Imperatoribus diſcrimen.

Franca vrbes.

Non enim ſumma hic poteſtate vti, ſicut in ceteras, quæ regnantur, gẽtes permiſſum eſt, hocque differunt ab Imperatoribus Reges, quod illi ſupremum ius in ciues exequuntur: Imperatores liberis ciuitatibus non niſi iuſto moderamine præſident: quo exemplo in Germania fœderatæ vrbes, quas ea ex cauſa *Francas* vocant, æternũ reguntur. Hæc vt Auguſtalẽ libentibus animis agnoſcũt excipiuntq; ita ſe tributis atteri, magiſtratibus arrodi, comminationibus concuti, minime patiuntur. Principi ſubſunt, vt honeſta imperanti pareant, non vt auare crudeliterq; agenti ſeruiant. Nam & veteres Romani Imperatores, cum populis ſuis nonniſi iure bonoq; & æquo agebant: quapropter nouas in vrbem religiones inuehi, nec Tiberius quidẽ obtinuit, neq; .n. quamuis dirum principem, in ſententiam, quæ aliis non probatur tranſeuntem, ſequutus eſt quiſquam. Extat & diui Gregorii epiſtola, qua Imp. Phocam hortatur, primum omnium ad curam ſuam pertinere ducat, *vt libertas omnibus illæſa eſſet, Reges gentium teſtatus ſeruis imperare, at Cæſares liberis hominibus.* Cuius ſententiæ ratio paulo altius repetenda eſt. Iure gentium conſtat, bella primum, captiuitatiſq; iura inuenta eſſe: vnde & regna quoq; conſtituta, limiteſq; prouinciis additi traduntur. In huſce bellis id ius faſq; erat, vt capti in bello, ad eum qui plus armis potuiſſet, pertineret. Quare & mancipia, quod manu capta eſſent, dicebantur. Iuris quoq; dicendi ea lege nõ vna fuit ſpecies: ſed id obſeruabatur, quod in vrbis deditione conuentum fuerat. Erant enim qui diuina humanaq; omnia in victoris poteſtatem traderent: erant qui fœdere tranſigerent: erant qui pari iure, incolumiq; libertate iungerẽtur. Sed Romani armis victos Italos, fœdere prius ſuis opibus addiderũt: mox & ſocietate inita, æquali eos conditione in ciuitatis quoq; communionem vocauerunt: Italiq; omnes ciues Romani effecti ſunt. Cum igitur lege regia Romanus populus Auguſto ius omne, imperiumq; conceſſit, ſupremam in ciues vitæ neciſq; poteſtatem, liberamq; ſummi iuris arbitratu ſuo conſtituendi facultatẽ tranſtuliſſe non poteſt videri: quod nec ipſi quidem Quirites habebant, cum Itali non illis dediticii, ſed fœderati eſſent, vt merito, qui ſe Auguſtos Imperatoreſq; appellant, hoc iure ipſi quoq; teneãtur: tametſi & diuina lege appareat, hominem in hominis poteſtatem atque dominium minime adduci* poſſe. *Creauit Deus cœlum & terram, quaq; his continentur*, inquit Moſes: tandemq; *virum & fœminã.* His cum mandaſſet, vt noua ſemper prole genus ſuum augerent, piſcibus quoq; maris, & volatilibus cœli, vniuerſiſque ſe mouentibus ſuper terram animalibus vt dominarentur, iuſſit: quo oſtenderet, homini in hominem ius nullum, ſed in cetera animantia, brutaque ſolum concedi.

Homini in hominem ius nullum diuinitus conceſſum.

** deſidentem.*

Et hæc à nobis diffuſius dicta ſint, tum, vt inde admonerentur Principes, ſiue ipſi ad ſummum Imperii gradum peruenerint, ſiue ab Imperatorib. Reges, Duces, Comites appellati ſint: non tantum illis in populos licere, quantum adulatores eorum auribus melle delito veneno infundũt: tum etiam, vt Martini, qui Bononiæ ius ciuile profitebatur, nihil non Imperatori concedentis, ſententiam confutarem. quem hac in controuerſia cum Bulgaro ſponſione facta, depoſitoq; penes ſequeſtrem equo* diſſidentem, Ænobarbus victorem pronunciauit, & à conſiliis habuiſſe dicitur: adeo Principibus hi potiſſimum placent, qui quam plurimum illis arrogant. quod tum iudicium tanta mox infamia flagrauit, vt prouerbio carmen celebraretur:

Duxit equum Martinus, dixit Bulgarus æquum.

Ænobarbi poſterorũ obſcuritas vnde:

Rudolph. Imp.

Florentinorum & Lucenſium immunitas.

Sublato ex humanis Ænobarbo, tam male affecti ab eo Mediolanenſes, & eius filiũ, & quam plurimos pro tempore deſignatos illi ſucceſſores, armis repulerant, vt minime corona more maiorum redimiri potuerint. Quapropter & pleriq; eorum obſcuri apud poſteros, nulla memorabili re geſta, vitam ſilentio tranſierunt. Ex his Rudolph. Auenburgenſ. Comes, cuius maiores vrbe Roma ex Auentino oriundos pleriq; cõminiſcuntur, vnus vel ex ea cauſa maxime celebrandus eſt, quod Florentinis, Lucenſibuſq;, ab omni Cæſarum iure immunitatem pretio venundedit: eoq; nomine appenſa ab alteris 6. aureorũ millia, ab alteris 12. accepit. Aſſenſus eſt Honor. pontif. ratamq; alienationem decreto ſuo fecit. tametſi enim re modica pecuniæ quantitas videretur, ſatis tamen ei iuri coemundo eſſe cenſebat, quod precario à ſe conceſſam interpretabatur, quodque abſque armis obtineri non poſſet, cum illi non niſi exercitu coacti imperata facerent.

Albert. Rudolphi filius.

Bonif. VIII. tyrannica vox.

Poſt hunc à Septemuiris Albert. eius filius Auſtriæ Dux deſignatus eſt: quem Bonifac. VIII. cum multis maximiſque incommodis affeciſſet, regia tamen ſede deturbare, ꝙ inprimis cupiebat, non potuit. tantum enim abeſt, vt authoritate eum ſua confirmare voluerit, vt receptiſſima tum fama fuerit, cum hac de re ab Alberto ad eum legati veniſſent, enſe accinctũ Pontificem, coronaque Imperatoria ornatum, tyrañico ſpiritu exclamaſſe: *Ego ſum Cæſar.* ſed nihilominus regnauit ille, Romaniq; imperii titulum in nepotes tranſmiſit: ex quibus poſt Federicum I. Maximilianumque, Carolus V. maximus omnis æui Princeps, in præſentia rerum potitur.

Henric. Lucēb.

**Triſtanus Turrianus.*

Alberto, Henricus Luceburgenſis ſuffectus eſt. is fruſtra repugnantibus Gallis, Mediolani primũ, deinde Romæ, imperii inſignia aſſumpſit. Contulit ea in Ambroſii templo* Cuſtonus Turdanus, in cuius manu tum res omnes Mediolanenſium diuinæ humanæq; erant. At Moguntiaci vetuſto ſe iure, debitoq; honore fraudari exiſtimantes, Henricum adeunt debuiſſe regni decreta in Baptiſtæ Iohannis æde, quæ apud eos opulentiſſima eſt, aſſumi contendunt: Idque ſibi Aenobarbi officio, aliorumq; Cæſarum conſuetudine tributum affirmant, ꝙ Mediolanenſium odio Aenobarbus fecerat, ipſe quinq; aureorum millibus acceptis, in poſterum conſenſu ſuo ratum fecit.

Moguntia regni Italici ſedes.

Non repugnauere ciues, quo minus Mogũtiam regni Italici ſedẽ eſſe Henricus priuilegio declararet. vſu enim didicerant, id, qualecunq; honoris eſſet, ſemper in ſummam vrbis calamitatem verti: quod intra mœnia recepti milites, feræque nationes, quas in exercitu habere Imperatores conſueuerũt, à rapi-

à rapina & cædibus temperare neſciant. conſultiuſq; paci ſit, ſi vrbe excluſus Cæſar ſua, eo in oppido inſignia accipiat, in quo propter cęſus inopiam nec diutius eſſe, nec multum damni inferre poſſit. Optaſſet Galeatius vicecomes, vt eadem Ludouici Bauari animo ſententia ſediſſet, dimiſſaque vrbe Moguntiam petiiſſet: non enim ea ingratitudinis in ſe exempla fuiſſet perpeſſus, vt ab eo, pro cuius tuenda dignitate, maxima cum rei ſuæ iactura, aduerſus Pontificem arma tuliſſet, ceu hoſtis & infidus in teterrimum carcerem traheretur.

Reliqua deſiderantur.

II.

DISPVTATIO POLITICA GEMINA: PRIOR, DE STATV IMPERII ROMANI: ALTERA DE ORIGINE Electorum; habita à M. Reinhardo Kœnig in Academia Gieſſena, A.D. 1608.

Anno Domini 1608.

DE ſtatu Imperii noſtri Romano-Germani conflictus eſt Iuriſconſultorum & Politicorum perdifficilis, quē alii Monarchicū, alii Ariſtocraticum eſſe contēdunt.

Monarchicum qui dicunt, mouentur potiſſimum infallibili Danielis prophetia, totius orbis gubernaculum à diluuio ad finem vſque mundi in quatuor Monarchias ſeu Imperia principalia diuidente, *c.* 2. per ſtatuam, *& c.* 7. per quatuor animalia de terra ſurgentia, *&* 8. per arietem & hircum. Et quidē ipſo Propheta interprete, aureum ſtatuæ caput, & beſtia prima, Regnum Babylonicum denotat. Pectus, brachiaq; argentea, cum beſtia altera, & ariete bicorni Regnum Perſarum & Medorum: Adhæc venter, femora ænea, animal tertium, ſicut & hircus vnicornis Imperium Græcorum. Denique tibiæ ferreæ, & animal quartum Romanorum: At pedes mixti & fictiles diuiſionem eiuſdem depingebant.

Præterea, ſunt alia fortiſſima Monarchici Imperii argumenta partim ex Sleidano, partim ex iure Maieſtatis & Regalium petita. Quæ vero illa inquis? inueſtitura Principalis, extrema appellatio, quod Imperator Germanus magnifica oratione ſacræ Maieſtatis à Principibus ſalutatur, quod ſceptra, regale ſolium, corona, pallium regale, pomum quod orbis figuram repræſentat, ipſi dantur. Sleidan. *lib.* 2. *com. fol.* (*mihi*) 50.

Deinde, quod omnes Germaniæ Principes ſunt vaſalli & fiduciarii Imperatoris Germanici, quod ab Imperatore inueſtituram accipiant, Imperatori fidelitatem promittant, fiduciaria obſequia præſtent. quod de Regalibus Imperii feudis ſolus Imperator cognoſcat.

Quid de Maieſtatis & Regalium, quæ à ſolo Imperat. pendent dignitatibus? Solus Imperat. poteſt creare Reges (quod Rex non poteſt. Cum enim Reges inter ſeſe quoad Regiam dignitatem pares ſint, Regem qui creare debeat, Rege maiorem eſſe omnino oportet) Duces, Principes, Marchiones, Lādgrauios, Comites, Barones, Nobiles. Solus poteſt Academias conceſſis priuilegiis cōſtituere. Solo Imperatorio nomine & auctoritate in Academiis creātur Doctores, Licentiati & Magiſtri. Ampliſſimus & Clariſſimus I.C. Dn. Gothofred. Antonii, Præceptor omni obſeruantiæ ſtudio colendus, *diſp. feud. theſ.* 6. Regn. Sixtin. *in tr. de Regal. cap.* 2. Arum. *de feud.* 4. *theſ.* 18. His quid pro Monarchica Maieſtate & dignitate dici poterat clarius?

Verum cum non oporteat ſuam modo ſententiam dicere, ſed & aliorum refutare, ad ſolutionem argumentorum Bodinianorum accingamur.

Primum argumentū, quo *li.* 1. *de Rep. c.* 8. *n.* 78. Maieſtatē Imperatoriā è ſumo dignitatis gradu deturbare conatur, petitur ex formula iuramēti, ꝙ Imperat. priuſq̄ initiatur, præſtare ſolet. ꝙ leges omnes Imperii minime violare, Aureā bullā nō ſolum cōfirmare, ſed & cum res ita feret, de ipſorū cōſilio amplificare iura, priuilegia, dignitatē Principū & ordinū Imperii minime conuellere aut imminuere, nec Electorū cōitiū impedire velit. Sleid. *li.* 1. *cō f.* 129. Nos hac ſyllogiſmi meta rē cōcludemus.

Quicunq; tenetur legib. Imperii, ille non habet Maieſtatē, ac ꝓinde nō eſt Monarcha. Nam Maieſtas eſt ſoluta legib. Imperat. Germanus tenetur legib. Imperii, vt iā ꝓbatum. Ergo. Reſpōdēo, de proſyllogiſmo ſeu ꝓbatione propoſitionis maioris nobis erit videndū. Dicam igitur breuiter qd res ſit: Maieſtas eſt ſoluta legib. ſcilicet ciuilibus, iiſq; omnibus, *l princeps.* 30. *ff. de legib* Princeps enim ſummus omnibus ciuiliter ex ſumā poteſtate imperat: omnibus imperando præſcribit: Ipſe vero à nullo leges accipit. At ſumā poteſtas non eſt ſoluta legibus diuinis & naturalibus, vt vno ore docēt & ſcribūt Dd. Dn. Gothofred. Antonii *diſp.* 1. *feud. th.* 1. *ad lit. b. cū alleg.* Bod. *li.* 1. *de Rep. c.* 8 *n.* 84. Nec eſt ſoluta legib. ſtatus ſeu regni. Vbi. n. vllū Imperiū, vllū regnū, (tyrānicū dominatū excipio) ꝙ nullis

Imperii

Imperii & regni legibus ac iuramenti religione gubernatorem ſuum ſibi adſtrinxerit,& ſibi deuinctum eſſe voluerit? Habent ſiquidem omnia regna, omnia Imperia certas leges & præſcripta, quibus omnis forma ac modus gubernationis conſtringitur & diducitur.

Quid enim aliud ſunt illæ leges, quam Imperiorum vincula, gubernationum retinacula, termini ac limites, quibus gubernatores intra muneris atque officii ſui rationem continentur, vt nihil tam neceſſarium ad tyrannidem ab Imperio amoliendam, quam certarum legum & conſtitutionum orbitam eſſe intelligamus. Sed quoniam perſequi teſtimonia ſingulorum regnorum nimis laborioſum, ac plane infinitum eſſet, pauca quædam illuſtriora ex ſcriptoribus regnorum, quaſi exempli loco ſubſcribemus.

Initium autem faciemus à regno Gallico, cuius legibus Reges Galliæ teneri, diſertis verbis teſtatur clariſs. Galliæ Iuriſconſultus Franciſc. Hotom. *in Francogallia ſua.c.25.* Vbi docet, Regibus Francogalliæ non immenſam atque infinitam poteſtatem à ſuis ciuibus permiſſam: *vt legibus omnibus ſoluti* dici poſſint: ſed eos *certis legibus & pactionibus* (quarum nonnullas infra videbimus) *obligatos eſſe.* Et *c.7.* poſtquam docuiſſet, Regum abdicandorum ſummam poteſtatem penes ordinum comitia fuiſſe, eiuſque poteſtatis documenta protuliſſet ex Annalibus Francorum, ſubiicit: Atque hoc quidem præclarum ac ſingulare maiorum noſtrorũ facinus eo diligentius notandum eſt, quod in primordiis ac prope incunabulis regni geſtum, quaſi quædam teſtificatio fuiſſe videtur, ac denũtiatio, Reges in Francogallia *certis legib. creari*: non tyrannos, cum Imperio ſoluto, libero, & infinito conſtitui. Hancq; conſtituendæ Reip. formam *c.12.* cõſentaneum eſſe ſcribit, Francos à popularibus ſuis Germanis ſumſiſſe: de quib. Tacit. in lib. de morib. Germanorum ita ſcribit: *Regibus non eſt infinita aut libera poteſtas.* Quid? quod ipſe Bod. *lib.1. de Rep.c.8.n.*88. recenſeat duas iuriſiurandi formulas, quarũ priori Philipp. I. Rex Francorum Henrici filius Regno ſeſe obligauit: poſteriorem vero ex antiquiſſimis bibliothecæ Gergobiorum archiuis excerptam, omnibus Regib. ad intuendum & ad imitandum proponit. Quin & Stephan. Iun. Brut. *in vindiciis contra tyrannos, in repet. ad qu.6.* refert iuramentum Regum Francogallicorum ex Aymonio, vbi videre licet.

Deueniamus ad Reges Hiſpanorum. Hos ſub ingreſſu ſui regni iureiurando ſe obſtringere, teſtis eſt idẽ Brut. *d.l.* vbi formulã recitat, quam Hiſpani in Regum ſuorũ inauguratione vſurpant.

Quid de Anglorum dicã? Dicam ex ipſius Bodini *lib. 1. de Rep.c.8.nu.*90. quo in loco hæc verba habet: *Reges Anglorum nõ aliter inauguranter, quã ſi iureiurando promiſerint, ſe leges patriæ minime violaturos.*

De Regibus Scotorum audiamus Georg. Buchan. *in dial. de iure regni apud Scotos.* Sic vero ille: *Reges noſtri,* inquit, *cum publice inaugurantur, populo vniuerſo ſancte promittunt, ſe leges & maiorum ritus veteraq; inſtituta ſeruaturos: eoque iure, quod à maioribus acceperunt, vſuros.*

De Regibus Vngarorum teſtatur Ant. Bonfin. *decad.4. libr.9 rerum Vngaricarum*, quod & ipſi regnum ſuum ineuntes, in leges Vngariæ iurent: ibidemque recitat formulam iuramenti regii Vladislao II. Regi Boëmorum, Vngarorum Regi renunciato à Ioanne Varadienſe Epiſcopo propoſitam, anno Chriſti 1490.

Reges Polonorum & Epirotarum patria decreta & iura ſeſe obſeruaturos iureiurando Regno ſpondere conſueuiſſe, autor eſt politicus Andegauenſis *d.l.n.* III. & ſimul proponit formulam, in quam Henricus Andium Dux, Polonorum Rex renuntiatus iurauit.

Si itaque Imperatorem Germanum Maieſtate Imperatoria ob id fraudare velis, quod certis iuramento firmatis conditionibus teneatur, neminem omnium regum Monarcham appellans, niſi illos, qui liberrima tyrannide in ſuos vtantur: quiq; voluntatem pro lege, libidinem pro iure ducunt, iuxta poëtæ illud: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.*

Ex modo igitur prolatis teſtimoniis liquet, quid iudicandum ſit de illis, quæ Bod ſcribit *d.l.n.* 94. Plerique & quidem ii, qui plus in eo genere ſapere ſibi videntur, ſtatuunt, Principem in leges Patrias iurare oportere. Quæ quidẽ diſciplinæ iura Maieſtatis, quæ ſacroſancta eſſe debẽt, omnino labefactãt & conuellunt, cũ paucorũ populiue imperio conturbant: Quaſi vero, dũ Regibus Galliæ ſalua manẽt iura Maieſt. & legum ciuilium poteſtas, aliis legibus interueniente iuramẽto eripiãtur.

Inſtat ille *n.*93. quod Monarcha, cum ſit ſum̃us princeps & omnium ſupremus, poſt Deum æternũ nullius iureiurando teneatur. Reſpondeo. Quando Imperator vel Rex in Imperii leges iurat, iurat ipſi Imperio, quod, atteſtantibus magni nominis politicis, vt antiquius Imperatore vel Rege: ita & perpetuo maius & ſuperius eſſe eodẽ. Quippe Regni Maieſt. eſt realis & ppetua: Regnãtis perſonalis, quæ cũ pſona extinguitur. Imperiũ Maieſt. à nemine hominũ habet: Rex & Imper. ab Imperio.

Argumentum ſecundum, quo aduerſarius gubernationem Monarchicam oppugnat, *libr. 1. de Rep.c.6.n.*223. ibidem petitur ex Sleid. *l.1.com.* Quod Imperator abſq; conſenſu Electorum ius nõ habeat leges dandi, nec de rebus Imperii fœdus aut pactum cum exteris faciendi: nec bellum aut pacem decernendi, vectigalia ac tributa imperandi, facultates Imperii diſtrahendi, nec oppignorandi, &c. Reſpondeo. Hæc omnia & ſingula, ſi gubernationem Monarchicam tollant, ne quidem Regnum Galliæ, nec Hiſpaniæ, nec Angliæ, nec Scotiæ, nec Vngariæ erit Monarchicum (in ſuo genere) vt ad oculum ex Regnorum illorum ſtatutis & legibus fundamentalibus demonſtrabo.

Lex prima fundamentalis Regni Gallici, referente Hotom. *c.25. in Francogallia* ſua hæc eſt: *Vt ne quid quod ad ſtatum Reip. in vniuerſum pertineat, Regi ſine publici conſilii auctoritate ſtatuere liceat. Cuius rei,* inquit, *expreſſiſſimum & euidentiſſimum vſque ad hanc ætatem noſtrã veſtigium illud manet, quod ſenatus Pariſienſis, qui veteris illius Parlamenti auctoritatem ſibi magna ex parte aſciuit, nullas Regis conſtitutiones, nulla edicta*

edicta rata eſſe patitur, niſi quæ apud ſe pro conſilio cognita, & conſiliariorum ſuorum ſententiis comprobata fuerint. Cum Hotom. conuenit Iohan. Sleidan. in illuſtrat. Rer. & Gal. deſcript. præfixa commentario Philippi Comineæ de bello Neapolitano f. 718. dum in hæc verba ſcribit: ſunt omnino ſeptem eiuſmodi ſenatus (ipſi Parlamenta vocant) à quibus prouocare non licet, & ad quos ab omnibus aliis iudiciis appellatur: ii ſunt Pariſienſis, Tholoſanus, Rothomagenſis, Diuionenſis, Burdegalicus, Aquenſis in prouincia, & Gratianopolitanus in Delphinatu. His omnibus ſtipendia Rex præbet. De cauſis omnibus & criminibus iſti cognoſcunt, & quod à ſingulis definitum fuerit, ei ſtandum eſt. Omnium autem latiſſime poteſt, ac ampliſſimam iuriſdictionem habet Pariſienſis. In eum aliquando venire ſolent ipſi Reges, quoties aliquid magni decernere volunt. Quemadmodum Franciſ. I. bellū illaturus Carolo Cæſari, venit eo, & per aduocatum ſuum expoſitis, quas ab illo ſibi factas dicebat, iniuriis, demonſtrabat, bellum ſibi neceſſario ſuſcipiendum eſſe, vt Flandriam & Arteſiam, quæ nunc illius vitio & culpa ad ſe pertineant, recuperaret, & Galliæ rurſus, è qua prodiiſſent aliquando, coniungeret. Olim iſta referebantur ad publicos conuentus ordinum. Ii quoniam aboliti ſunt, aliquod adhuc eius rei veſtigium manet, dum ad eum ſenatum itur. Hæc Sleid. Huc etiam refero illud quod habet Bod. l. 6. de Rep. c. 6. n. 595. de pacis ratione ineunda Franciſco cum Carolo. Franciſc. maior, inquit, in curiam Pariſiorum venit, ſenatum habuit, & vniuſcuiuſq. ſententiam exquiſiuit, pacis conditiones cum Carolo Imperatore ratas haberet nec ne, anno 1526. 14. Febr. Et quid illud eſt, quod ſcribit li. 1. de Rep. c. 8. n. 95. Ludouic. XI. in lege, quā de ordine equeſtri tulit, ſanxit ne regi bellum indicere, aut quid aliud quod ad Reipublicæ ſummam pertineat, ſine equeſtris collegii decreto, ſuſcipere liceret. Quo fit, opinor, vt noſtris morib. edicta regia non ante vim habere videantur, quā in curia maiore ciuiumq. prouinciæ patentibus portis promulgata, idq. rogatione procuratorū fiſci, deinde curiarum conſenſione fuerint cō[m]probata.

Cæterū cōtinuatā publici cōcilii auctoritatē Hotō. demōſtrat in Frācogallia ſua c. 18. 21. 23. vbi vide.

Lex quinta ad Regis domaniū pertinens talis eſt. Ne Regi ius ſit, vllam domanii ſui partem ſine publici cōcilii auctoritate alienare: quippe quod ei ad tuendam tantum Regiam dignitatē tuendū datum eſt, vt parem in eo poteſtatem habeat, atque marito in vxoris dote conceditur. Itaq. anno 1399. cum Rex Carol. IV. comiti Sampaulino particulam quandam ſui domanii ſiue donaſſet, ſiue alia ex cauſſa ceſſiſſet, ſenatus Pariſienſis pro vetere veterís Parlamenti iure interceſſit: ac pronunciauit, alienationē regii dominii nullius eſſe momenti, niſi cuius autor ſenatus ille Pariſienſis fuiſſet. quod decretum Papon. inter Areſta ſua retulit li. 5. ti. 10. vbi alia complura eiuſdem Senatus cōſulta commemorat, quib. omnib. definitum hoc ius eſt, alienationem dominii à Rege, ſine cauſa in illo ſenatu cognita & probata, factam, ipſo iure nullam eſſe. Audis, Regna & ditiones à principib. ſine conſenſu ſubditorū donationis titulo, vel alio quouis modo alienari non poſſe? Princeps enim tanquam tutor ſubditis prouidere debet: quod nō facit, dum bona eorum alienat & perdit. l. tutor. 27. ff. de adm. tut. l. interdum 65. §. pen. ff. de furt. Vid. Euerh. B. öch. cent. 9. ſumma noſtra aſſert. 87. Hotom. illuſt. q. 1. Nec obſtat, quod vulgo omnia principis eſſe dicūtur. Reſpondeo. n. cum Senec. li. 7. c. 4. & 5. de beneſic. omnia eſſe principis imperio, non dominio: poteſtate non proprietate: Vniuerſitatem, non ſingulatim: ſola iuris fictione, non poſſeſſione & vſu. Itaq; vendi, donari, legari à priuatis res ſuas videmus principi, aut Imper. aut Regi: quæ ſi antea ipſius propriæ fuiſſent, iterū ipſius fieri nō poſſē. Hotō. in Frācogallia c. 8. Quo pertinet illa regula iuris. Res quæ mea eſt, mea amplius effici non poteſt. l. nō vt ex plurib. ff. de reg. iur.

Quæ & quanta ſit conuentuum in Hiſpania auctoritas in ſuos Reges, docet Iun. Brut. duob. decretis: vno è quarto, altero è ſexto concilio Tolet. Vid. lib. de vindiciis contra tyran. in repet. ad q. 6. f. (mihi) 148. & ſeq. De ratione tributi exigendi apud Hiſpanos teſtatur Bod. l. 6. c. 2. nu. 656. quod non imperetur niſi ordinum conſenſu.

In Anglia eandem eſſe regni adminiſtrandi formam, teſtis eſt Polydor. Vergilius li. 11. hiſtoriarum Anglicarum. vbi ſic ſcribit: Ante hæc tempora (Regis autem Henrici XI. vitam exponit) Reges nō conſueuerant populi conuentum conſultandi cauſa, niſi perraro, facere: adeo vt ab Henrico id inſtitutum manaſſe, iure dici poßit, quod tam altis defixum, vt etiā nunc radicib. ſemper ſtetit, vt deinceps quicquid ad Rempublic. bene gerendam, eiuſq. conſeruationē deliberandū foret, illud ad Conciliū referretur: & ſi quid aut Regis aut populi iuſſu decretū factumq. eſſet, id totū pro nihilo haberetur, niſi eiuſmodi Cōcilii auctoritate foret comprobatū. At ne imperita vulgi multitudinis, cuius propriū eſt nihil ſapere, iudicio cōcilium impediretur, certa lege exceptū fuit à principio, qui ex ſacerdotū cœtu, quique, quotue ex reliquo populo vocari deberent ad Conciliū More Gallico, vulgo Parlamentum appellant. quod vnuſquiſq. Rex initio ſui regni, habere ſolet: vt ibi ſi quid ex antiquis inſtitutis, legibuſque tollendū, ac rurſus condēdum ſit, id de concilii ſententia fiat: qui & deinde quoties res poſtulat, ſuo arbitratu, illud ipſum conuocat. In eandē ſententiā, vt notat Hotom. in Francogallia ca. 12. Vetus quidam ſcriptor Angliæ Cancel. in libello cui titulus eſt Alearned. cōmendat. c. 36. Neq; Rex, inquit, per ſe aut miniſtros ſuos tallagia, ſubſidia, aut quauis alia onera imponit legiis ſuis: aut leges eorū mutat, vel nouas condit ſine cōceſſione vel aſſenſu totius regni ſui, in Parlamēto ſuo expreſſo. Sic & Philip. Comin. li. 4. cōment. de reb. geſtis Ludouic. XI. Regis Galliæ: Rex Angliæ, inquit, tributa exigendi nullam habet ſine ordinum & ſtatuū cōſenſu poteſtatē.

Scotiæ Regibus, incōſultis ordinibus, nihil quod totius regni ſtatū attinet, agere licere, teſtatur Georg. Buchanan. l. 8. rerū Scoticarum in vita Ioan. Ballioli. Idq; li. 9. declarat exēplo Roberti II. Regis Scot. his verbis. Cum anno M. CCC. XXCIIX. ex induciis in ſpēm pacis inter Francos & Anglos, per Pontificē & vicinos Principes ventum eſſet, ea lege, vt vtrorumq. amici aſſcriberentur, Anglorū videlicet Luſitani, Francorū Scoti, & Hiſpani Caſtellanenſes: Robert. Rex, omnibus ſuis repugnantibus, vnus fruſtra aſſentiebatur. Neque enim ipſe pacem, vel inducias facere poterat niſi ex ſententia publici conuentus, neque firmas polliceri, ſine publico decreto.

Quin etiam in Vngariæ Regibus idem videre licet apud Ant. Bonfinium decad. 4. lib. 9. rerum Vngaricarum in vita Vladislai II. Regis Vngar. Vbi inter cæteras leges Vngariæ Vladislao hæ proponuntur.

tur: Ne quando Maraniam, Sileſiam, & Luſatiam, quas Matthias Rex olim in prouincias redegerat, ab huius ſe
regni ditione alienari patiatur: ſed ſub Vngarica ditione retineat. Quod ſi fortaſſe ipſa (Regia Maieſtas) ſine
liberis humanis excederet, quod Dii prohibeant, ante diem extremum, ita perſpiciat, ne quo illæ prætextu abali-
enentur. Quinetiam det operam, vti ſex, quæ ſuperfuerant vrbes, veluti pacta iubent, in conuentu Olmucenſi edi-
ta, publicis literis pari iure, Vngarorum Imperio ſeſe obligent, & obſtringant, diplomataque præſtandi obſequii
ſuper ea re facta, in regni ærario recondantur. Et paulo poſt: Pecunia omnis vna cum ſacra corona in Reipublic.
vſum & vtilitatem pariter aſſeruetur, nulloque modo ſine Patrum procerumque conſenſu à rege tractari & ero-
gari queat, ſed ad extrema pericula & regni defenſionem recondatur. Præterea, ne Auſtria, cum pleriſque Styriæ,
Carinthiæ, Carniolæque ciuitatibus à Matthia in prouinciam redacta, publicoque conſenſu parta, ab Vngariæ re-
gno, inconſultis Patribus & optimatibus abdicetur: imo pertinacius pro noſtra Repub. retineatur & propugnetur:
nullaque cum Cæſarea Maieſtate, citra Senatusconſultum & auctoritatem, concordia ineatur, fœduſque percu-
tiatur: quin etiam ſi qua vltro citroque concordia iniretur & aliqua hinc oppida, poſſeſſiones, pecuniaue Regi cede-
ret, id omne Vngaricæ ditioni adſcribatur. Hactenus Bonfinius.

Habes igitur ſtatuta Gallica, Hiſpanica, Anglica, Scotica & Vngarica, quib. cautum, vt quod
ſtatum ipſius Regni attinet, nihil ſine conſiliis, deliberationibus & conſenſu procerum ac ordinũ
ratum atque firmum habeatur, ſed vt Rex & populus communicato conſilio communiter ſtatu-
ant, quod ad omnium ſalutem communiter faciat. Sicut eleganter Hotoman. in Francogallia ca. 12.
ait, quod inſtituti Regni Francogallici ſapientia & vtilitas tribus maxime rebus cernatur. Primum
quod in magno prudentum numero magnitudo conſilii ac propterea ſalus verſatur, vt Salomoni Prouerb. 11. &
15. & aliis Sapientibus placuit. Deinde quia libertatis pars eſt, quorum periculo res geritur, vt illa eorum conſilio
atque auctoritate (in vnico enim comitiorum habendorum iure libertatem politam eſſe eod. ca. affir-
mat) adminiſtretur: & quemadmodum Imperator Iuſtinianus dixit, quod omnes tangit, ab omnibus approbetur.
Poſtremo vt qui apud Regē in magna potentia ſunt, & magnis Imperiis præſunt, eius concilii metu, in quo ciuitatũ
poſtulata libere audiuntur, in officio contineantur. Nam ꝙ regna quadã vnius Regis arbitrio ac nutu gubernãtur,
quale hodie Turcicum eſſe conſtat, rectiſſime Ariſtoteles lib. 3. polit. animaduertit, non hominum liberorum, &
lumine mentis ac rationis vtentium, ſed pecudum potius & brutorum conſilii expertium eam gubernationē eſſe.
Sic enim ſe res habet: vt pecudes, non ab vno e ſuo genere: vt pueri aut adoleſcentes, non ab vno è ſuis æqualibus,
ſed à præſtantiore aliquo reguntur: Sic hominum non ab vno è ſuo numero, quo minus fortaſſe, quam alii complu-
res, videret: ſed à mente ex multis conflata, hoc eſt, coniunctis probatorũ virorũ conſiliis, regenda & gubernãda eſt.
Hæc Hotom. Nec poſſum quin huc propter ſingularem elegantiam aſcribam verba Gregorii Bu-
chan. in dial. de iure Regni apud Scotos: Singuli, inquit, habent quaſdam virtutes ac particulas, quæ ſimul colla-
tæ vnam excellentem virtutem conficiunt. In Medicorum pharmacis id oppido conſpicuum, ac præſertim in anti-
doto illo, Mithridaticum quod vocant, plures res in eo per ſe noxiæ vbi confuſæ fuerint, ſalutare aduerſus venena
remedium pariunt: ſic & hominibus aliis tarditas & cunctatio, aliis præceps temeritas obeſt, hæ in pluribus com-
mixtæ temperamentum quoddam vtile, & gratam mediocritatem pariunt. Recte igitur Ariſtoteles. lib. 5. polit.
c. 11. Quanto pauciorum rerum penes Regem poteſtas eſt, tanto diutius Regnum maneat neceſſe.
Et antiqui Philoſophi, teſte Hotom. d. l. c. 12. tres tyrannidis notas conſtituere, quarum tertia nume-
ratur, ſi non ad ciuitatis & ſubiectorum, ſed ad ipſius dominantis commodum atq; arbitrium om-
nia referantur. Siquidem vt ait ille: Nulla eſt tam immanis belua, quã homo, ſi ſibi relinquatur. vel vt Eraſ-
mus Roterdam. in adag. Nulla eſt nocentior belua tyranno. Vt non immerito Hotom. d. libr. cap. 25. politiam
Franciæ, ſeu inſtituta & mores regni, appellet frenum, quo Reges Franciæ coërceantur.

Quid? quod Imperatores veteres Romanorum circa illa quæ ſtatum publicum concernunt,
ſponte in ſalutē communis patriæ à iure ſuo quod habuere receſſerunt. Quid enim illud eſt, quod
de Auguſto ſcribit Dio Caſſius lib. 53. Hiſt. Roman. fol. (mihi) 510 Enimuero non omnia Auguſtus proprio
conſilio egit, ſed multa publice deliberanda propoſuit, vt ſi quid aliis diſpliceret, id corrigere poſſet: omnes vero ad-
hortatus eſt, vt ſuum ſibi conſilium aperirent, ſi quid rectius inuenirent, libertatem omnem eis concedens: eorumq;
motus ſententiis, quædam retractauit: Præſertim vero à conſulibus, aut ſi ipſe conſulatum gereret, à collega ſuo (ſi
tamen collega, & non potius miniſter nominandus eſt, iuxta Zonaram tomo 2. annal. in Auguſto)
hoc contendit. Ex reliquis etiam magiſtratibus ſingulos, ex Senatoribus ſorte 15. delegit, qui per 6. menſes conſilia-
rii ſui eſſent: ita vt videretur per hos etiam reliquis omnibus ea, quæ ſtatueret, communicare. De nonnullis quidem
ad vniuerſum ſtatum referebat, at præſtare tamen putabat, vt cum paucis per otium de pleriſque & maximis re-
bus conſilium caperet. Hos etiam iudiciis aliquando adhibuit, quũ nihilominus ſenatui quoque ſua eſſent, vt prius
iudicia: ac legatis & oratoribus populorum regumque reſponſa dedit. Addit: Hæc fuit Auguſto generalis Imperii
adminiſtrandi ratio. De quo tamen fol. ſeq. 515. ita ſcribit: Senatus eum omni legum neceſſitate (per legem
Regiam) liberauit, vt reuera ſui iuris & abſolutæ poteſtatis, tam reſpectu ſui ipſius, quam legum, omnia quæcun-
que vellet, faceret, quæcunq; nollet, non faceret. Vides igitur, ꝙ Auguſtus Cæſar regiam plane poteſtatem
non vſurpauerit, ſed ſua ſenatui populoq; munia permiſerit obire: id tamen ſciens prudens permi-
ſit obire, cum ſummo admirandæ prudentiæ modeſtieq; temperamento: nimirum, ne vno ictu ve-
terem Rom. Reip. gubernationem euertendo, populum tyrannide opprimere videretur: ſed vt pau-
latim populo ſua libertate deſueſcente, eo firmius & tutius ſibi atq; ſucceſſoribus imperium ſtabi-
liret. Vid. Did. Couar. pract. q. c. 1. n. 3. Dn. Vult. in Inſt. de iur. nat. gent. & ciu. ad §. ſed & quod. Pariter Thē-
odoſ. Aug. leges à ſe latas non aliter vim habere voluit, quam ſi probarentur SC. cui ſenatores om-
nes acquieuiſſent. l. humanum. Cod. de legib. Sic & Alexand. Seuer. nullam promulgauit legem, quam
Senatus prius non approbaſſet. Lamprid. in Alex.

Quid

Quid igitur mirum, ſi & hodie Imperatores Romani in legibus ferendis, in bellis indicendis, pace finienda, alijſq; ſalutem imperij concernentibus non omnia pro ſuo lubitu, ſed ad exemplum Regum Perſarum à conſilio & conſenſu ſeptem ſuorum Magorum pendentium, adhibito conſenſu atque conſilio Septemuirorum agant? Quorum deliberatio & conſenſus plane nullam facit gubernationem Ariſtocraticam, vt Bodino viſum fuit. Quæ enim de belli paciſque rationibus, tributis & vectigalibus conſultata ſunt, Imperator ſolus Imperii omnibus membris promulgat & mandat. Quod longe aliter in Ariſtocratica ſtatus alicuius gubernatione ſeſe habet.

Verum ſupradictis ſtatutis regnorum fortiter obſtare videntur duo illa capita Maieſtatis, quorum primum & præcipuum eſt: Leges vniuerſis ac ſingulis dare poſſe ſine neceſſario alterius conſenſu, *l.3. C. de legib. l. vlt. eod.* Bod. *lib.1. de Rep. c. vlt. n.*153. Alterum, bellum indicere, aut pacem inire, *l.1. C. vt armorum vſus.* Bod. *d. l. n.*155. Reſpondeo. Hic omnino diſtinguendum eſt inter ipſum ius & factū. De iure, per ſe, ex natura Maieſtatis in ſe conſiderata ſummo principi illa, vt & reliqua omnia iura Maieſtatis competunt. Sed de facto, ex pacto & conuentione, tanquam de accidenti, à iure illo ſuo ſalutem patriæ concernente, recedit. Illuſtro hanc reſponſionem exemplo huic non diſſimili. Princeps omnibus legibus, vt ſupra dictum, eſt ſolutus: At contrahens cum ſubdito, ſiue cum alio, ex pacto obligatur, & contractu illo tenetur, quia eodem in illo vtitur iure, quo priuatus, *l. in facto, 60. in fin. ff. de condit. & demonſt. l.2. ff. de aliment. leg. l. fiſcus. 6. ff. de iure fiſci.* Dn. Vult. *Iuriſp. Roman. l.1. c.* 12. Et in commutatrice iuſtitia rerum duntaxat, non perſonarum habetur ratio, Weſenb. *in parat. ff. de iuſt. & iur. n.*11. Treutl. *part.1. diſp. 6. theſ.7. cum alleg.* Quo ſpectat illud Oldendorp. *in l. princeps. 31. ff. de legib.* Quod princeps ſit ſolutus legibus à iuſtitia diſtributiua deſcendentibus, non ſit ſolutus legibus deſcendentibus à iuſtitia commutatiua. Hic itaq; recte dicimus, Principem, qui per ſe & in theſi legibus ſolutus eſt, ex conſequenti in hypotheſi ob factum aliquod antecedens legibus ſolutum non eſſe, D. Vult. *in Inſt. de I. N. G. &c. §. Sed & quod.*

Deinde exemplo Auguſti, quem abſolutæ poteſtatis fuiſſe ex Dione diximus, opponis fortaſſe illud, quod ſupra dixi, omne Regnum & Imperium gubernatorem ſuum certis imperij legibus ſibi adſtrictum eſſe velle. Reſpondeo vero, quod Imperatores olim Romani liberam poteſtatem habuerunt, id nihil facere ad eandem omnium Regum poteſtatem demonſtrandam, cum ex vno aut altero particulari non recte de vniuerſis concludatur.

Tertium argumentum Gallus deſumit à iuriſdictione Cameræ Imperialis, *l.2. c.6. n.*224. *A camera*, inquit, *manant imperia, iuſſa, executoriæ tabulæ ad principes, ad magiſtratus, ad ſenatum vrbis aut prouinciæ cuiuſq;. Hæc vero conſtat Iudicibus quatuor ac viginti: quorum prætor eſt vnus ex Principibus cum annua poteſtate: delectus autem habetur ex ordine decem prouinciarū; ſi qua Principibus aut ciuitatib. inter ipſas controuerſia oboriatur, ſiue de finibus ſiue de capite, fama ac fortunis agatur, imperialis curiæ iudices quæſtionem exercent, niſi optimatum imperii vniuerſitas, ad eos quos dixi conuentus cauſæ cognitionē reuocarit: vt quidem decretum eſt in comitiis, quæ Auguſtæ coacta ſunt, anno* M D L V. Reſpondeo. Cameræ eſt iudicium & conſiſtorium ipſius Imperatoris, Mynſ. 1. *obſ.*42. *n.*3. cum Cæſare concurrentem habet iuriſdictionem, Gail. 1. *obſ.* 121. *n.*5. & 1. *obſ.*29. *n.*3. repræſentat Cæſarem, eoq; nec ſuperiorem habet, *d. l.* & 1. *obſ.*1. *n.*7. & 1. *obſ.*41. *n.*8. Mynſ. 4. *obſ.*5. Vnde citationes, ſententiæ, mandata & pœnæ omnes, fiunt, promulgantur, ſcribuntur & ſanciuntur nomine atq; auctoritate Imperatoris, ſub cuius etiam ſigillo ex Camera prodeunt, *ord. p.3. tit.*12. §. Vnd ſo ſolche / & *p.1. tit.*27. vt notat Dn. Gothof. Anton. *in diſp. de iuriſd. Cam. Imp. th.*30. Mynſ. 1. *obſ.*14. *n.*1.

Quartum argumentum eſt, quod Imperator poſſit conueniri coram comite Palatino: Ideoq; neceſſe ſit Imperatorem non eſſe Monarcham, *d. l. n.*224. Reſpondet Otho Melander *in idea ſiue exegeſi ſtud. polit. fol.* (*mihi*) 68. Imperator conuenitur coram Comite Palatino non vt coram ſuperiore ſiue magiſtratu, ſed vt coram inferiore, qui tantum iudicium in cauſa propoſita exerceat.

Deinde falſitatem illius hypotheſeos: Coram quo quis conuenitur, eum ſemper ſuperiorē eſſe oportere illo, qui conuenitur, demonſtrat hoc modo: Princeps aliquis ex ordinatione Cameræ imperialis conuenitur coram nouem ſuis ad eam rem deputatis Conſiliarijs. Iſti tamen Conſiliarij non ſunt ſuperiores Principe. Et Princeps coram alio principe pari conueniri poteſt, quem Princeps actor ex quatuor à reo Principe propoſitis iudicem elegit, vt expreſſe ſancitur *in ordinat. Cam. Imper. p.2. tit.*2. Aſſcribo hic verba ipſius Bodini, quæ habet *lib.3. de Rep. c.6. n.*315. *Fit interdum, vt Rex ipſe depoſita quodammodo Maieſtate, de ſua cauſa magiſtratus iudicare iubeat: quia iure ipſo receptum eſt, (l. eſt receptum, de iuriſdict. l. ſi quis in conſcribendo, C. de pactis.) vt par maiorue poteſtas iudicium accipiat, ſi ſe alterius imperio ac iuriſdictioni ſummiſit: quod non modo in priuatis ac magiſtratibus, ſed etiam in ipſis Principibus locum habet: ſiue aliorum Principum, ſiue ſuorum iudicia ſubire malint.* Hæc Bodin. & quidem veriſſime. Sic enim & Reges Galliæ, vt ſupra ex Hotom. & Sleid. probauimus, iudicium Parlamenti Pariſienſis ſubeunt. Vbi par pari Bodino referimus. Sic, referente Stephano Iunio Bruto *in vindic. contra tyran. in repetit. ad quæſt. 6. fol.* (*mihi*) 186. Reges Hiſpaniæ in conuentibus triennalibus, quos vocant, apud ſuos ordines ſe ſiſtere ſolent, tum vt ſuis ius dicant, tum vt ab aliis ius ſuum recipiant. Præterea, vt ſcribit Meland. *d. l.* Electores Saxoniæ coram ſuprema ſua Electorali Lipſienſi curia, de bonis & reditibus ſui ærarij, ſiue Cameræ, vt loquuntur, ſeſe conueniri patiuntur, vt ſanxerunt in der Ordnung deß Churfürſtlichen Sächſiſchen Ober Hoffgerichts zu Leipzig. *Rub.* Wer vor das Ober Hoffgericht. Et tamen curia illa Saxonica Electoribus ſuis non eſt eſt ſuperior. Adhæc, Archiduces Auſtriæ cum ſint immunes à iuriſdictione Imperiali, in controuerſia ſeu cauſa ali-

quem è ſuis vaſallis iudicem conſtituunt, coram quo conueniantur, & ius accipiant. Cuſpinianus *in Auſtria fol. 37. edit. Francof. anni 61.* Munſterus *lib. 3. Coſmogr.* Nemo autem vaſallum ſuperiorem dicet ſuo Domino.

Quinto loco adducit I. comitiorum indictionem, quod hæc non ſit libera, ſed fiat demum ab Imperatore accedente conſenſu Electorum, *n.* 225. II. Eorundem conſultationes, quod à Principibus & ordinibus imperii leges ac decreta omnia, quæ receſſus appellantur, ſanciri, confirmari, & infirmari ſoleant, *n.* 223. Reſpondeo ad I. ſupra dixi, quod in Imperio vel Regno nihil quod ad ſtatum Reip. in vniuerſum pertinet, Imperatori, vel Regi ſine ordinum conſenſu & auctoritate agere liceat. Cum igitur comitia imperialia concernant cauſas totius ſtatus, merito & ſecundum legis publicæ præſcriptum accedit conſenſus Electorum. Quo accedente, tum Electores, tum Principes, tum reliqui ordines iuſſu & mandato ipſius Imperatoris conueniunt. Quod ſecundo loco dicebatur à Principibus & ordinibus leges imperij, quas receſſus vocant, ſanciri & confirmari: Illud ipſum ignorantiam conſtitutionis eorundem manifeſto prodit. Nam ordines quidem de propoſitis ab Imperatore capitibus conſultant, ſed conſiliis agitata ac deliberata Imperator confirmat, ſancit, promulgat & edicit, vt cuiuis patet receſſus imperii inſpicienti.

Sextum argumentum eſt, quod Imperator Germanus ſit tributarius Imperatoris Turcici, *lib. 5. de Rep. cap. 6. n.* 582. Reſpondeo. Si Imperator Romanus, Rex Mauritaniæ, aut alij, qui Turcarum Imperatori aliisue, ne regionum ſuarum fines excurſionibus infeſtent & deuaſtent, annuam ſoluunt pecuniam: hoc ipſo exciderent ſumma, quam in ſibi ſubiectos habent, poteſtate. Si inquam ex illo tributo (malim dicere penſione. *Tributum* enim à ſubditis, aut ab iis, qui potentiorem vi coacti, vt libertate ac pace fruerentur, pecuniam victoribus ſe daturos ſpoponderunt. *Penſio* vero libera eſt ſeu à cliente, ſeu ab aliis diſſoluatur, qui æquo fœdere ſocietatem & amicitiam cum iis inierunt, qui ſeſe cum hoſtibus coniunxerit: ſeu ab iis auxiliares copias vrgente populo accipiant, Bod. *libr. 5. c. 6. n. 582. & lib. 6. c. 2. n.* 684. Penſio pacis fruendæ cauſa quotannis ciuitati Principiue imperatur) Maieſtas ipſa aliquid caperet detrimenti, nec ipſe Turcarum Rex de ſumma in ſuos poteſtate gloriari poſſet, quam tamen ipſi adſcribũt politici: Cogitur enim & hic ex veteri pacto tributum ducentorum millium nummûm Æthiopum Regi ſiue pretioſo Ioanni pendere. Quod cum Selymus II. biennio non ſoluiſſet, bellum Selymum inter & Dauidem Æthiopem exarſit, anno 1572. Dauid enim propter tributum denegatum dilatumue Cairum vniuerſumq; agrum ſub imperio Turcico vicinum, emiſſis Nili aquis ſubmerſit. Eſt enim in huius Regis arbitrio, placide & moderate aquas Nili in hos agros immittere, ſolumque fœcundare, cum nec niues habeat, nec imbres, aut perforatis quibuſdam anguſtiis, vrbes & agros, homines atque iumenta fluctibus inuoluere & ſuffocare. Purpuratus Memphyticus ferro potius, quam auro, ſe inundationem hanc poſſe coercere putans, multos Arabes, Mauros, multoſque Cairi incolas accolaſq; coegit, fineſq; Æthiopum ingreſſus, omnia vaſtat. & populabundus ad Sabam & Meroen percurrit, anguſtias illas occupare & abſtruere conatus. Sed à Dauide præuentus eſt, omnes Mauri & Arabes cæſi, capti & in fugam verſi ſunt. Id cum male Purpurato ſucceſſiſſet, ſimulat ſe inſcio amici Regis agros ſpoliatos eſſe. Sed Æthiops non ignarus, cuius auſpiciis hæc geſta erant, literas purpurato mittit, & vt tributum ſoluat, ſine vlla contradictione aut prorogatione imperat: id niſi faciat, ſe finitimos Turcarum agros hoſtiliter ingreſſurum, omniaq; ferro & flamma vaſtaturum. Quod & confeſtim feciſſet, niſi cum Perſa de Arabiæ finibus bellum metuiſſet, quod paulo poſt prudenti conſilio eſt ſopitum. Hoc ita refert Michael Eyzinger *prima part. Paralipom. theſaur.* Quinetiam Turcarum Princeps illis populis, qui montes Arabiæ tenent, ſexaginta millia aureorum tribuit, vt agro Palæſtino ac Damaſceno libere fruatur, vt ſcribit Bodin. *method. hiſt. c.* 5. Amplius. Reges Idumæorum & Ammonitarum Dauidi annua ſtipendia ſoluere cogebantur. *Sam. lib. 1. c.* 3. vt Reges Iudææ Regibus Aſſyriorum abſque vlla Regiæ dignitatis diminutione. Denique probe notandum, quod ipſe Bodinus ſcribat *l. 6. c. 2. n.* 684. victo Philippo II. Regi Macedonum, ac Regibus Illyriorum ſtipendium in ſingulos annos eſſe imperatum, *ſalua cuiuſque imperij Maieſtate.*

Hactenus fuere argumenta deſumpta ex qualitatis imperij ſtatu, hoc eſt, ex modo & forma gubernationis: iam proponemus illa, quæ loquuntur de ſtatu quantitatis, hoc eſt, de magnitudine, amplitudine & potentia eius. (Hac enim duplici conſideratione in ſcholis Politicorum ſtatus regni cuiuslibet diſtinguitur & perpenditur. Sic vero ſe illa habent *in method. Hiſt. c. 7. f.* 417. I. quod hodie Imperio Romano alia Regna ſint longe maiora & potentiora, vt Turcicum & Hiſpanicum, *c. 7. fol.* 417. Reſpondeo. Vtrumque ſane Regnum eſt omnium prouinciarum & regnorum latiſſimum, verum ſylueſtre & ſterile: Vtrumque per ſolitudines & eremos exercetur: Noſtra vero Germania eſt culta hominibus, ciuitatibus, oppidis & pagis, vt merito Palæſtinam vocare poſſis. Hiſpania, vt ex Plinio *lib. 2. c. 1. & 3.* refert Bod. *l. 1. de Rep. c. 6. n.* 53. vrbes habet quadringentas ſupra octo & ſexaginta. Sed Germaniæ noſtræ quæ vrbium frequentia? quadringentas vel quingentas ſi dixero, nihil dixero: vtpote quæ decem circulos, vt hodierna ætas vocare ſolet, inſtar decem iuſtorum Regnorum complectatur. Et veriſſime Philippus Nicolai de Hiſpanorum potentia *lib. 1. de Regno Chriſti. Populus ille,* ait, *late regnans belloque ſuperbus, qui Antipodes deſpicit, Indoſque & auroræ ratriam, ſolo nominis auditu terret, vnicam Germaniarum portionem, Belgiam, in qua multis nunc annis Marte ancipiti dimicatur, edomare neſcit.* An vero putas Maieſtate & dignitate Imperium noſtrum Germanicũ cedere Hiſpanico? Nihil minus. Illius enim ſublimitatem & eminentiam ipſe Turca agnoſcit, quando

Romani

Romani Imperatoris ad ſeſe miſſos legatos omnium aliorum Regum legatis, exhibitione honoris, loco & ſeſſione anteponit. Cum enim illuſtris & generoſus Cæſaris Chriſtianorum ad Portam Oſmanicam, Dauides Vngnadius, Conſtantinopoli diſceſſurus, Sultano Muſulmanorum valedicturus eſſet, atque Legatum Perſicum primum ſibi debitum occupaſſe locum vidiſſet: inſalutato Sultano diſcedere voluit. Sed Machometes Baſſa Vezirazemes ea re animaduerſa, Perſam licet Mahumetanum inferiore loco ſedere iuſſit. Ioan. Leunclau. *in Supplem. Annal. Othmanid.* Idem contigit anno Chriſti 1582. quando Mahometes III. ſecundum Mahumeticæ legis præſcriptum circumcidebatur. *Die menſis Maii* XXVIII. ait, Leunclauius dict. loc. *cepit inaudita ſeculo noſtro celebritas circumciſionis huius, præſentibus Conſtantinopoli maximorum prope totius orbis Principum legatis: Rudolphi II. Chriſtianorum Imp. Auguſti, Henrici III. Gall. Regis (cuius tamen orator Germinius Germollaus ſecundo poſt Cæſaris legatos loco ſpectare iuſſus, cum primum adfectaret: partim per inuidiam, partim quod obtinere non poſſet, vt legati Poloniæ Regis excluderentur, quem pro rege non agnoſcebat, domi ſuæ ſe continuit) Stephani Regis Poloniæ, Reip. Venetæ, Scachi Perſici, Regum Aphricanorum, Maroci & Feſſæ, ac Tartarorum, Principum Erdelii, Moldauiæ, Valachiæ, & aliorum.* Vbi obiter notandum, labi Bodinum *libr. 1. de Rep. c. 9. n. 146.* cum ſcribit: *Turcam Francorum Reges cæteris omnibus anteferre, quos etiam Principum omnium Chriſtianorum maximos: Se vero omnium Impp. ter maximum, & quidem Muſulmanorum omnium Principem appellet.* Sed fieri non poteſt, quin Bodinus Regibus ſuis nimium tribuendo: aliorum vero, Romanorum præſertim Imperatorum laudibus nimium detrahendo, ſæpiſſime turpiter erret, quod oſtendere poſſem multis argumentis.

Deinde obijcit nobis Bod. Caroli V. tempora, *d. l. f. 418. Non video inquit, quomodo Germania Hiſpanorum ac Italorum legionibus duce Carolo V. reſiſtere potuiſſet, qui niſi Gallorum virtute reuocatus eſſet, imperium illud in prouinciæ formam redegerat.* Reſpondeo. Etſi hîc iure dicere poſſem, Carolum non contra totum Imperium, ſed aduerſus aliquos tantum imperii Principes pugnaſſe, tamen par pari ratione referens, Reſpondeo, nec me videre, qua ratione Galli Caroli Craſſi tempore Normannis reſiſtere potuiſſent, qui populi Gallicum imperium penitus deleuiſſent, ni virtute Germanorum reuocati fuiſſent. Quos etiam Gallos cum per ſe ſatis virium ad depellendam Romanorum tyrannidem non haberent, ex veteri inſtituto, mercede conductos ad ſuum auxilium euocaſſe, teſtis eſt Hotoman. *in Francogallia, c. 3.*

Concludimus igitur imperium noſtrum Germanicum à Romanis terrarum Dominis cognominatis, à Carolo M. ad Germanos translatum, eſſe vere & κατ' ἐξοχὴν Monarchicum, hoc eſt, eſſe Regnum ſupremum, eſſe caput omnium aliorum Regnorum, quæcunq; latiſſima Chriſtiani orbis orbita continentur, eſſe vere quartum & vltimum illud, quod in ſcriptura ſacra ferreum pronunciatur. Etiamſi enim ſit afflictum, & prioribus Monarchiis inſirmius (quid mirum? cum Daniel multa ſecula ante id per pedes mixtos & fictiles vaticinatus fuerit), nihilominus Maieſtatis & dignitatis ſuæ apice omnibus aliis Regnis eſſe illuſtrius, celſius ac ſublimius conſtanter aſſerimus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De origine Electorum.

LVbet & hanc quæſtionem de origine Electorum hoc loco breuibus ad examen reuocare propter varias tum Hiſtoricorum, tum Iuriſconſultorum circa ipſam diſſenſiones. Communis eſt ſententia multorum, iura ſuffragiorum ad Electores ab Othone III. eſſe delata: Alij ad Rodolphum Habſpurgenſem eadem referunt: Alij vero tempore Friderici II. Senatum illum Septemuirorum conſtitutum fuiſſe ſcribunt. Quorum ſententiæ atque inquiſitio & nobis ex Hiſtoriarum argumentis non obſcuris probanda videtur. Cum enim neque Witichindus, neq; Luitprandus, neque Lamberdus, neq; Rhegino, neque Marianus, neque Otho Friſingenſis, neq; Abbas Vrſpergenſis, neque Sigebertus, aliique veteres ſcriptores, qui tamen ante Friderici II. obitum vixerunt, vllum verbum hac de re ſcripſerunt, profecto veriſimile eſt, ſenatum Electoralem tum nondum fuiſſe inſtitutum. Nam ſi nobis ob oculos ponamus omnes Imperatores ab Othone III. vſq; ad Fridericum II. Henricum cognomento ſanctum & claudum. Conradum II. Salicum. Henricum III. IV. V. Lotharium Saxonem. Conradum III. Sueuum, Fridericum I. Barbaroſſam. Henric. VI. Philip. Othonem IV. & Fridericum II. deprehendimus, hoſce omnes tum ab vniuerſis totius imperii Principibus, Eccleſiaſticis & Politicis, tum etiam à quibuſdam populis, vt Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Bohemis, Colonienſibus & Argentinenſibus, aliisq; nonnullis eſſe electos. Huius rei teſtes adduci poſſunt Otho Friſin. *l. 6. c. 27. & 28. c. 12.* Abbas Vrſperg. *in chron. an. 1035. & 1106.* Sigebert, *in chron. ann. 1126.* Melancht. *in chron. Carion. l. 4.* Ex quo vnum atq; alterum teſtimonium à proximis ab Ottone Imperatoribus breuitatis cauſa petemus. Sic vero *d. l. 4.* de Henrico ſancto & claudo in eius vita. *Ottone III. veneno extincto, ordines Germaniæ de recenti illius conſtitutione (qua Germanis ἀξίωμα imperij attribuit atq; addixit) deſignarunt Imperatorem Henricum Bauariæ Ducem,* &c. De Conrado II. *Ad Conradum imperium delatum ſcribunt, cum poſt interregnum biennij diſcordantium inter ſe Principum ſententiæ tandem in eum conſenſiſſent, rem promouentibus Epiſcopis Moguntino & Bambergenſe, refragantibus paucis.* De Henrico III. *Hunc Conradus pater procerum conſenſu deſignauit ſucceſſorem, cum eſſet Italiam petiturus.* Hîc fit mentio Principum, ordinum & procerum Germaniæ, non Electorum. De Friderico II. circa fin. l. 4. ſic ſcribit: *Præcipui & potentiſſimi Germaniæ Principes, Rex Boemiæ, Bauarus, Saxoniæ Dux, & alii, ex Sicilia Fridericum II. euocarunt.* Vbi hic nomen & vocatio Electoralis? veri-

tati igitur Hiſtoricæ viciniorem eſſe putamus ſententiam illorum, qui Senatum Septemuirorum Friderici II. tempore conſtitutum diuinant. A qua non eſt alienus Caſparus Peucerus *libr. 5. chron. Carion. à pr.* ſcribens: *Senatus Septemuirûm in imperio, qui quibus vel initiis, vel autoribus, & quando cœperit, etſi certo non conſtat, nomen tamen inclaruiſſe, & inualuiſſe authoritatem atque potentiam a Frid. II. ex Hiſtoriarum annotatis non eſt obſcurum, vt videatur hic ſenatus poſt longos inteſtinorum bellorum conflictus conſtitutus, & hac poteſtate armatus eſſe ac circumſeptus.* Idem eod. lib. vbi agit de ſtatu imperii poſt Frid. II. de interregno, & de Friderici poſteritate ita auſpicatur: *obtinuerat Fridericus à ſenatu Imperij in Germania, vt primogenitus filius Henricus cunctis ſuffragiis decerneretur Rex Romanorum, quanquam per ætatem nondum eſſet idoneus ad imperium, quoniam vix annum exceſſerat decimum. Sed cum incitatione Pontificum & promiſſis Longobardorum in ſpem imperii pellectus, paternos amicos & ſocios hoſtiliter oppugnare cœpiſſet, Pater eum ad ſe in Apuliam inuitatum comprehendit, atque in carcerem condidit, in quo octauo ab electione anno mortuus eſt.* Et paulo poſt: *Poſt mortem Henrici Friderico filioq; ſuo Conrado de imperio deiectis, oppoſitus eſt Henricus Turingiæ Landgrauius, Ludouici frater, cui S. Eliſabetha nupta fuit, anno Chriſti 1255. qui & eodem anno, quo imperium accepit, ad Vlmam ſagitta lethaliter ictus occubuit. Cum igitur & hic occubuiſſet, Principes Electores detulerunt ſummam rerum ad Wilhelmum Hollandiæ Comitem, anno Chriſti 1247.* fol. (mihi) 38. Ac licet Melanchthon *lib. 4. chron. in Hiſtor. Ott. III.* dicat, poſt Fridericum II. & Conradum eius filium nullam reperiri mentionem ſeptem Electorum, ſed ſcriptores pleroſq; veteres vno conſenſu meminiſſe cunctorum ordinum imperij: Mox tamen in hæc verba ſcribit: *Poſt Fridericum II. & numerus ſeptenarius exprimitur, crebroque repetitur, & familiæ indicantur ſuffragantium.* Hæc Melancht.

Diſſ. Simon Schard. *lib. ſingul. de Elect. orig. c. 1*, Pet. Heig. *quæſt. iur. lib. 1, quæſt. 3.* & And. Knich. *de iure Saxonic. non prouoc. verb. Electorum, cap. 1.* Ottoni III. inſtitutionem ſenatus Electoralis aſcribentes.

Ex hiſce etiam apparet, collegium hoc ad Rodolphum Habſpurgenſem nullo modo ſuam originem referre. Succeſſit enim is in imperio Wilhelmo Comiti Hollando ſeu Batauo, cui Electores imperium aſſignaſſe modo audiuimus, anno 1273. cum per 17. vel vt aliis placet, 18. annos duraſſet anarchia. Et de hac quæſtione hactenus.

COROLLARIA.

1. Quærunt Politici: An Princeps aciei aſtare debeat? Sunt qui ſimpliciter affirmant, ſunt qui negant. Nos vna atque altera diſtinctione rem expediemus.

2. An exteri ad conſilium dandum de Republ. ſint adhibendi? Negat I. Lipſius *in Polit.* & Chriſtophorus Colerus, Politicæ quondam & Hiſtoriarum Profeſſor in Acad. Altdorffenſi *in notis ad Epiſt. 1. C. Saluſtii ad C. Iul. Cæſ.* Et apud Ant. Bonfin. *decad. lib. 9. rerum Vngaricarum*, iubetur Vladiſlaus II. vt aulicorum duntaxat Vngarorum officiis ſemper vtatur, nec in regni adminiſtratione, aut curiæ regiæque muneribus vllum ex peregrinis conſiliarium, quæſtorem, prætoremue, aut amanuenſem, cubicularium, miniſtrum, ſtructorem & architriclinum admittat. Nec de Vngaricis rebus acturus, Vllum præter Vngaros externum in Conſilium venire patiatur. Nos certis in caſibus affirmamus, locum habere poſſe illud XII. Tab. *Salus populi ſuprema lex eſto.*

3. De peregrinis quæritur: An imperium eis ſit deferendum? Hic diuerſarum nationum ſtatuta ſpectanda eſſe putamus. Vbi tamen non diffitemur, imperium peregrinorum magnum ſæpe habere incommodum, vt Hiſtorici & ſcriptores Regnorum multis exemplis idipſum demonſtrant. vid. Polyd. Verg. *lib. 3. Hiſtoriæ Anglicæ.* Ant. Bonfin. *decad. 2. lib. 9. rerum Vng.* Vnde Ericus Regneri pugilis Sueciæ Regis filius, ad Gotherum Norwegiæ Regem, Daniæ Regnum affectantem: *Patrium*, inquit, *quiſque ducem extero præfert. Prouincia omnis Regem domeſticum, quam aduenam impenſius colit*, vt refert Saxo Grammaticus *lib. 5. Hiſtoriæ Danicæ.*

4. Lege ſalica apud Gallos mulieres à ſucceſſione Regni in totum excluduntur, vid. Hotom. *in Francogallia cap. 10.* Contra Hiſpania, Luſitania, Sicilia, Neapolis, Nauarra, Anglia, Scotia, Dania & Suecia fœminas à principatu non excludunt. Quin & Hungaria anno Chriſti 1383. Mariam filiam Ludouici I. Regis Vngar. poſt obitum patris non ſolum in Reginam, ſed & Regem Hungariæ coronauit. Bonfin. *decad. 2. l. 10.* Quod argumento eſt, mulieres non natura, vt vult Bodin. ſed lege poſitiua ſceptri eſſe incapaces.

DISPV-

III. DISPVTATIO POLITICA

Anno Domini 1609.

Continens quæſtiones duas:

I. An electio, an vero ſucceſſio in Imperio ſit præferenda?
II. An peregrini ad Imperium euehendi?

HABITA A M. REINHARDO KOENIG, IN ACAdemia Gieſſena, Anno Domini 1606.

QVÆSTIO I.

An Electio, an vero Succeſſio in imperio ſit præferenda?

MVLTA paſſim à grauiſſimis viris de hac materia in vtramque partem diſceptata reperiuntur, quæ hanc quæſtionem ancipitem reddunt. Videmus enim alijs regnis ſucceſſionem, alijs vero electionem placere. Refert Thucydides antiquiſſimus ſcriptor, ſumma illa regna, Aſſyriorum, inquam, Medorum, Tyriorum, Perſarum, Ægyptiorum, Hebræorum, Lacedæmoniorum, Macedonum, Epirotarum, Sicyoniorum, Celtarum, Athenienſium, &c. per ſucceſſionem fuiſſe delata. Quam formam hodie tenent Turcæ, Indi, Africani, Tartari, Æthiopes, Moſchouitæ, Galli, Hiſpani, Angli, Scoti. Germani vero, Dani, Sueci, Poloni, Bohemi, & Vngari reges quidem in concilio gentis eligunt, filii tamen demortuorum regum prærogatiuam habent, & cæteris præferuntur, vt ſucceſſionis beneficio bellorum ciuilium ſtirpes elidantur. Vtra igitur forma ſit melior, ac Reipublicæ vtilior, non facile licet conijcere. Hoc tamen ſtatuimus: Etſi in vtramque partem firma & valida argumenta extent, firmiora tamen pro ſucceſſione militare. Deinde ſucceſſionem electioni ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, pro conſtitutis legibus cuiuſcunque prouinciæ, proque ſtatu regiminis debere præferri.

Pro electione faciunt hæc: 1. Electio fit ſecundum virtutem, & optimum quemque inuenit. In ſucceſſione vero principes frequenter ſunt ſtupidi, & rerum omnium imperiti. 2. Electio facit ad libertatem populi, quam conſeruare Reipub. magnopere intereſt. 3. Electus facilius moneri & moueri poteſt. Quod ſi igitur tyrannus euadat, & contra regnum aliquid machinetur, à ſubditis pro tyranno Reipub. ſtatum euertere conante habebitur, & tandem ab imperio deturbabitur. Hęc pro electione.

Maioris tamen ponderis ſunt argumenta, quæ ſucceſſionem ſuadent. Etſi autem ſucceſſio ſua quoque habeat incommoda, non tamen tot & tanta, quæ electio: Ideoque ex ſapientum præcepto è duobus malis minimum eſt eligendum.

Argumenta ſunt hæc: 1. Cum natura hominum auida ſit imperij, teſte Saluſt. *in Iugurtha*, & cupido potentiæ mortalibus inſita, vt dicit Tacit. 11. *hiſtor.* cunctiſque affectibus flagrantior, *l.* 15. *Annal.* per ſucceſſionem malis ob id occurrentibus prouidetur.

2. Firmiſſimum fundamentum idem Tacit. 4. *Annal.* pro ſucceſſione affert, cum inquit: Neque enim aut claſſes, aut legiones, perinde firma imperij munimenta: atque filiorum, qui in eodem ſuccedunt, copia eſſe ſolet.

3. Succeſſionem probauit ius diuinum, & à Deo ſtabilita lex in regno populi ſui, *Deut. c.* 17. *v.* 20. vt longo tempore regnet ipſe rex, & filius eius ſuper Iſrael.

4. Inſuper ex parte regis facit hoc argumentum. Rex ſi norit filium hæredem ſibi futurum, eo diligentius ipſe (natura impellente) curat omnia, putatque, ſi filium in ſolio regiæ maieſtatis relinquat, idipſum ad ſe ſuumque nomen pertinere.

5. Præterea vita principis viuentis ſic eſt tutior, nec inſidijs & conſpirationibus ita expoſita. Certus enim ſucceſſor. Nemo autem parentes facile lædit; quorum iniurias quondam liberos vindicaturos proſpicit. Tac. 1. *Annal.* Quot vero per ſuffragia quæſiti veneno periere? Venenum Ponticum Romanorum mortem eſſe, in prouerbium fere abijt.

6. Ex parte ſucceſſoris militat, quod filius, cum ab incunabulis regno ſit deſtinatus, omni cura ac diligentia enutritur, ardenti ſtudio parentum ad caſtitatem vitæ, ad veram gloriam, ad prudentiam rerum inſtituitur. Caſus *dict. loc.* Vbi tamen exclamat: optandum, vt hodie talis eſſet inſtitutio, nec tanta in educatione procerum mollities, libertas morum, & indulgentia dominaretur.

7. Ex parte ciuitatis ſeu regni dabimus has rationes: populus inſitis facilius, quam aſſumptis regibus, obtemperare cupit, cum difficulter alienigenis ſe ſubijcit.

8. Accedit & hoc commodum ſubditis in continuatione principatus per ſucceſſionem, quod nouis exactionibus non ita facile grauentur, ſed impoſitæ à patre continuentur.

9. Erubeſcunt filij & proximi ſuccedentes leges maiorum, & à ſuis factas conuertere in tyrannidem.

10. Ex mutatione principum hoc detrimentum Reip. accidit, vt ærarium & iura minuantur. Dum enim præuident electi, imperium non continuatum iri in familiam ſuam: patrimonium Reipub. exhauriunt, vt proprium & familiam in poſterum augeant. Sic Carolus IV. cum multum eſſet annixus, vt ad imperium Wenceſlaum filium extolleret: laborantibus etiam pro eo Pontifice Romano & Cardinalibus: nec tamen ſuffragia principum elicere poſſet, omnia imperij vectigalia eis conceſſit. Anno 1376. vt refert Caſp. Peucerus, *l. 5. Chron. Carion.* & Cuſpin. *in eius vita.*

11. Et ſic videmus, quod electi liberis omnes vias ad principatum muniant, libertatemque ciuium, quantum poſſunt, opprimant.

12. Solent electi negligentius ſæpe imperium tractare, quam domeſtici, cuius rei documenta in hiſtoriarum monumentis haud obſcura occurrunt.

13. Valde periculoſum & hoc: quod ipſum interregnum habeat anarchiam, ſine cuiuſquam dominatu, & in eo diſcrimine poſitam, quo Reſp. veluti nauis ſine gubernatore, ſeditionum fluctibus iactatur, ac ſæpe mergitur, cum ferociſſimis & audaciſſimis quibuſque ciuibus omnia impune facere licet. Et quas non anarchias experta eſt Germania noſtra? Wilhelmo Comite Batauorum ſeu Hollandorum cæſo, vſque ad Rodolphum I. Habſpurg: Imperium annos amplius octodecim Imperatore, velut nauis gubernatore caruit. Per interregni tempus à Septemuiris de electione diſcordantibus, creati ſunt duo Cæſares, Richardus Princeps Cornubiæ Anglus, & Alphonſus Rex Caſtellæ. Quorum hic Imperium oblatum recuſauit: Ille à potiore Electorum parte fuit reprobatus. vnde vaſtationes & magna bella in Germania fuere exorta. Anno 1346. Contra Carolum IV. Ioannis Regis Boemiæ filium fuerunt electi * Euerhartus Rex Angliæ, Fridericus Marchio Miſniæ, Guntherus Comes Swarceburgenſis anno 49. Illis imperium recuſantibus: hoc vero ſexto ab electione menſe veneno interempto, Carolus IV. per multas largitiones imperio eſt potitus. Sic etiam Abuſathite Feſſarum rege mortuo, *populus annos octo ſine regibus miſerrima conditione vixit*, Leo Afer. Id quod etiam accidiſſe fertur, cæſis pluribus Ægypti Sultanis. Nam prætoriani milites, qui *Memmeluchi* dicebantur, ſine Principe tamdiu fuerunt, quoad Campſonem Caramaniæ regem arceſſiuiſſent, Bodin *l. 4. de Repub. c. 1. n. 369.*

* *Eduardus.*

14. Adde, quod declinentur factiones & bella ciuilia, ſi ſucceſſior non ſit in incerto. Econtra vero in electione turbarum, & ſeditionum, æmulationum, contentionumque hinc inde faces & flammæ exoriuntur. Quoties enim quæſo in partes diſceſſit Germania, Principibus diſſidentibus de ſucceſſore imperij, & aliis alios depoſcentibus aut recuſantibus odio vel fauore? Vnde motus inteſtini, confuſiones, & lacerationes imperij, pericula, & quæ non mala? ante conſtitutionem inprimis Septemuirorum, quorum tamen ſuffragia de idoneo Imperatore eligendo, non raro diſcordarunt. Poſt Lotharij nepotis Caroli Magni obitum Italia pene nunquam fuit tranquilla ad Ottonem primum vſque propter grauia certamina, quibus fuit afflicta. Caroli enim poſteris excluſis, ad imperij faſtigium Itali vel ſeſe extulerunt, vel euecti ſunt Italorum opera diſſimiles, imo eodem tempore interdum plures, qui continentibus ſeſe mutuo bellis exercuerunt. Et quicquid vltra Latium verſus Apuliam & Calabriam mare attingit, direptionibus perpetuis patuit Saracenorum, negligentibus ſcilicet defenſionem illius, quibus vnum hoc curæ erat, vt ſeſe confirmarent, oppreſſis æmulis aut exterminatis. Nec longa pax Germaniæ conceſſa eſt, quam diſcordiæ agnatorum & irruptiones vicinarum gentium non ſiuerunt quieſcere. Tandem Otto primus imperium reſtituit, quod erat horribiliter laceratum, pacauit Germaniam, Galliam & Italiam. Rurſus Ottone ſecundo, primi filio mortuo, & Ottone tertio ſecundi filio per ætatem nondum idoneo ad imperium, nouæ de ſucceſſione contentiones exortæ ſunt. Otto tertius denique veneno extinguitur, vt paſſim apud Hiſtoricos videre licet.

15. Tandem hoc regibus populi ſuffragio creatis commune eſt, vt adepto principatu animos attollant. Qui autem ex humili & obſcuro loco ad imperium prouectus eſt, tyrannidem crudelius exercere conſueuit, quam qui regali ſanguine cretus eſt. Nihil enim verius quam Salomonis dictum: Serui dominationem intollerabiliorem eſſe.

16. Ad extremum ad ſubditorum vtilitatem maxime conducit non habere nouos principes, quia fieri poteſt, vt per diuerſas mutationes, mores & leges non ſint in certo. Vnde enatum illud: *Nouus Rex, noua lex.* Inſitum ſiquidem eſt omnibus fere principibus, vt populos ſub imperium ſubditos ſuis moribus & inſtitutis viuere aut aſſueſcant, aut certe cogant, vt in ſeq. quæſtione dicetur.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Peregrini ad Imperium ſint euehendi?

Vicina eſt hæc quæſtio priori, quæ fuit de electione & ſucceſſione principis in imperio. Vt plurimum enim Rex electus eſt peregrinus. Vnde quæritur: An talis ad gubernacula Reipublicæ ſit admittendus: nec res caret dubio. Nam ſumma capita & principalia argumenta Reipublicæ ſunt hæc: 1. Amor patriæ & paternus affectus erga ſubditos tanquam populares. Tribus enim naſcimur, & tribus obligamur præcipue: Deo, patriæ & nobis. Keckermannus *l. 1. Syſt. polit. cap. 2.* Vnde *neminem aliena tam diligenter curare quam ſua*, dixit Diod. Sic quamuis Ludouicus Hungariæ

gariæ Rex, Poloniæ regnum ſuffragiis populi ad ſe delatum, quia finitimum, vxore Caſimiri Poloniæ regis filia rogante recepiſſet, paulo poſt tamen, ſiue cœli Sarmatici aſperitate offenderetur, ſiue Pannoniarum deliciis alliceretur, ſiue rogationibus ac votis ſuorum reuocaretur, domum rediit, vxore vna cum Hungarorum Comitatu relicta, autore Bonfinio *decad. 2. lib. 10. rerum Vngaricarum.* Nec non Henricus Caroli regis Francorum frater ad idem imperium accerſitus, fratre mortuo ad imperium domeſticum celerrime rediit, referente Bodino *l. 6. de Repu. cap. 5. num.* 721. Homberg. *in Chronolog. & in epiſt. Henr. ad proc.*

2. Fundamentum ſeu requiſitum neceſſarium eſt: Perſpectos habere ciuium mores, quod peregrino denegatum. Cicero. 2. *de orat.* Quapropter Probum Imperatorem laudat Flauius Vopiſcus *in eius vita*, quod omnium quibus imperaturus erat, hominum mores perdidicerit.

3. His adde, quod peregrini ſubditos ſuis moribus, inſtitutis, ac religionibus viuere aut aſſueſcant, aut certe cogant, iuxta illud Bodini d. l. 6. c. 5. num. 741. *Si regina peregrino nupſerit, peregrinis legibus, peregrina religione, peregrinis inſtitutis populum imbuet, ac peregrinis honores & imperia largietur.* Cuius rei illuſtre exemplum nobis ſuppeditat Ronix, Hengiſti Saxoniæ Ducis filia, quæ nupta Vortigerio regi Britanniæ, ſuos Saxones in ſumma gratia apud maritum ponere, illis imprimis honores deferre, Britannos Principes ex domeſtico ſenatu excludere enixe ſtudebat. Polyd. Vergil. *lib. 3. Hiſtor. Anglic.*

4. Etiamſi princeps aliquis externus bene rem gerat: commode gubernet: tamen quia moribus & ingenio differt, nec etiam eam erga populum repræſentare poteſt beneuolentiam, ac ſi eſſet indigena: faciles oriuntur diſſenſionum occaſiones. Itaque fit vt ille, quo principatum ad ſe delatum, ſuaſque fortunas tueatur, eorumque ſe præſidio muniat, qui beneficiis deinde ſingulariter ab eo, & honoribus aucti magnam multitudinis inuidiam & odium in ſe concitant. Quocirca qui externæ alicuius gentis imperium ſuſcipit, niſi magna quadam & eximia virtute ſit præditus, dexteritate: multis haud dubie, & longe grauiſſimis implicabitur difficultatibus. Philip. Cominæ. *lib. 8. Hiſt. Gall.*

5. Nec poterit peregrinus Princeps à periculis tutus eſſe, niſi validiſſimo præſidio ſeipſum inprimis, deinde arces munierit, quæ ſane extrema præſidia multum incommodi ſecum trahunt, & ad tyrannidem viam parant.

6. Quod ſi peregrini principis domeſticus ciuem occiderit, aut impotente libidine quid fecerit, peregrinis omnibus exitium impendet. Sic Poloni Hungaros, quorum regem ſibi cooptauerant ob vnius Poloni interempti necem occidiſſent, niſi Cracouienſi arce tuti fuiſſent: Nec tamen tumultus ante quieuit, quam Hungari arce relicta domum rediiſſent. Bodin. *l. 6. cap. 5. num.* 743. ex Cromero *in Hiſtor. Polon.*

7. Adde quod iraſcantur ciues, & contemni ſe putent, ſi ſibi præferantur indigenæ, teſte Æmilio *lib. 3. de reb. geſt. Franc.* Multoque magis, ſi peregrinus alios ad honorum faſtigia, indigenis ad ima ſubſellia detruſis extollat. Teſtantur hoc exempla. Cum Callimachus Italus apud Iohan. Alber. Poloniæ regem in honore eſſet, cum maxima ſemper depugnauit inuidia. Aenil. *lib. 1. c. 13. ex lib.* 30. Cromeri *in hiſt. Polon.* Cum Wilhelmus, Neapoleos ac Siciliæ Rex Gallis nimium faueret, eoſq; ad honores & officia, præteritis indigenis eueheret, effecit, vt Galli vno die, omnes à Neapolitanis trucidarentur. Iun. 1. *part. quæſt. polit. c.* 15.

8. Aſſcribo huc illud quod tradit Cominæus *lib. 8. p. 625. Vix vlla natio eſt, quæ diu ferat peregrinum principem.* Et quod Ericus Regneri Pugilis Sueciæ regis filius ad Gotherum Norwegiæ regem, Daniæ regnum affectantem: patrium quiſque ducem extero præfert. Saxo Grammaticus *lib. 5. Hiſtoric. Danica.*

9. Lex Dei in populo ſuo erat, vt regnum Iudæ ad extraneos minime recideret. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus. Deut.* 17. *v.* 15. Huc referenda etiam Regnorum & Rerumpublicarum ſtatuta. Apud Germanos lege fundamentali imperii conſtitutum; ne aliquis eligatur Imperator & Cæſar, qui non ſit natione Germanus: vt videre eſt in *Aur. Bull. Caroli IV.* Vnde & apud Sleidan. *lib. 1. Comm. ſub anno* 1519. in hiſtoria de electione & coronatione Caroli V. Albertus Archiepiſcopus Moguntinus diſſuadens ſuis collegis electionem Franciſci Gallorum regis, vehementiſſime ambientis imperium Romanum, inter cætera hæc adducit: *De Gallo arbitror nos impediri & iureiurando. Eſt enim diſerte conſtitutum, ne extero, ſed Germanico principi imperium commendemus.* Sic lex Belgarum eſt: *Nullum peregrinum aut externum publicis muneribus præficiunto.* In inclyta quoq; Venetorum Republica peregrinis nullus eſt locus, inquit Patritius *lib. 3. de Inſtit. Reipublicæ tit. 2.* Idem ius fuit olim Lacedæmoniis, de quibus Plutarchus in Lycurgo ita ſcribit: *Lycurgus apud Lacedæmones omnibus viribus & legibus contendebat, ne peregrini in vrbem admitterentur, multo minus ad rerum gubernacula admouerentur.* Sic Alexander M. Peloponneſum profectus, concilio ibi habito, vt Imperator aduerſus Perſas crearetur (quod prius Philippo patri conceſſum) petiit. Id ab omnibus impetratum, præterquam à Lacedæmoniis, à quibus reſponſum: *Non conſueſſe Lacedæmonios externis Imperatoribus ſeſe ſubiicere, ſed externis ipſos exercitibus præeſſe, atque imperare.* Arrianus Nicomedenſis *lib. 1. de geſt. Alexandri Magni.*

Hactenus fuere argumenta quæ peregrinorum imperia prorſus diſſuadent, vbi tamen ſciendum, vt in aliis, ita hic quoque diuerſarum nationum ſtatuta, ſingulares cuiuſque regni tum conditiones, tum neceſſitates & circumſtantias eſſe reſpiciendas. Quandoque enim reperiuntur, qui quo-

tumuis principum imperia potius, quam ciuium & æqualium ferenda ſibi putant. Quod non modo Tacitus Armeniis contigiſſe ſcribit, qui regem, niſi peregrinum ferre non poſſent: ſed etiam ceu meminit Bodin. *l.6.c.5.n.720.* mortuo Sigiſmundo Auguſto Poloniæ rege, controuerſia inter optimates, qui regni ſpem ad ſe quiſque trahebant, coorta, ſenatuſconſultum factum eſt, quo quidem omnibus ciuibus ad regnum via præcluderetur, vt nempe æquabilitatem libertatis & paritatem inter ſe poſſint conſeruare. Quin etiam Caſimiro Rege Polonorum mortuo, Poloni Ludouicum Hungariæ Regem Caſimiri propinquum ad ſceptra Poloniæ accerſiuerunt, vt ſupra ex Bonſinio diximus. Sic poſtquam Sigiſmundus Auguſtus idem regnum liberis ac propinquis maſculis orbatum reliquiſſet, populus ad Henricum, Caroli IX. Francorum regis fratrem imperium detulit, ſed iis legibus, vt potius princeps quam rex eſſe videretur. Bodinus *d. lib. n.* 591.

In his igitur caſibus, ſi nimirum 1. neceſſitas externi alicuius præſidium requirat, 2. metuenda ciuium ſeditio. 3. vel ſtatus Reipublicæ per indigenas ipſos ita ſit turbatus, vt ab ipſis reſtaurari non poſſit. 4. æquabilitas libertatis commode ſeruari non poſſit. Vel etiam aliis in caſibus: quibus pro cynoſura debet eſſe lex illa XII. tab. *Salus populi ſuprema lex eſto.*

COROLLARIA.

1. E Scholis Politicis releganda eſt doctrina Machiauelli, quando principem hypocritam inſtituit, eiuſque virtutes non veras, ſed fictas & adumbratas eſſe vult. Vitam enim principum eſſe quaſi regulam & exemplum ſubditorum, recte dixit ille. Sic Aſtyages Medorum Rex necatum filium parenti in cœna partim aſſum, partim elixum vorandum propoſuit. Cœna peracta interrogauit parentem, nunquid laute conuiuatus eſſet, illo adſerente, iuſſit adferri reliquias, vt inde ſi quid placeret, ſibi ſumeret. Harpagus huic filii clade cognita, nequaquam conſternatus dixit: Quando hoc ita regi libuerit, non id etiam ſibi diſplicere. *Iuſtin. l.1. hiſtor.* Et Andronicus ille apud Nicetam Choniatam *lib.3. Annal. de rebus ab Imperatore Emanuel. Comneno geſtis* quoties ob inceſtum reprehendebatur, hanc ſane defenſionem, per iocum in promptu habebat: *Solere ſubditos principum mores imitari.* Quibus verbis Imperatorem Emanuelem perſtringebat, vt iiſdem aut etiam deterioribus affectibus obnoxium: qui cum fratris filia rem haberet, quum ipſe patruelis duntaxat filiam complecteretur.

2. Antiqui pingebant in ſceptro regio Ciconiam, quæ pietatis ſymbolum eſt & nota: & ſub ea hippopotami, animalis crudeliſſimi, effigiem: vt ſignificarent, ſupplicii ſeueritatem ita principi temperandam, vt in ea ſemper benignitas emineret. Sigon. *leg. 6. de occid. imp.* Nam autore Seneca *lib. 1. de clementia cap.24.* non minus principi turpia ſunt multa ſupplicia, quam Medico multa funera.

3. Eleganter & pie dixit Alphonſus Rex Hiſpaniæ: *Tantum valere debere apud regem verbum ſimplex, quantum priuatorum hominum iuſiurandum.* Panormitanus *libr. 1. de dictis & factis Alphonſi apophe.* 58.

4. Recte Augerius Busbequius, prudentiam Turcarum commendat, in libro quem ſcripſit *de re militari contra Turcam inſtituenda*: Vbi dicit, non mirum eſſe, quod Turcæ nobis in prælio ſuperiores ſint, cum illi eiuſmodi ſeminaria, & collegia bellica & gladiatoria inſtituant, in quibus adoleſcentes & iuuenes delecti atque apti vario bellicorum exercitiorum genere præparantur ad arma tractanda, & ad agilitatem ac robur corporis conſuefiunt; noſtri vero milites collecti vel ex culina, vel popina, vel illi qui aufugerunt in militiam ad deuitandam pœnam publicam à magiſtratu ipſis impoſitam, qui ideo nihil penſi habent, ſiue vincant, ſiue vincantur. Et certe, cum ne canem quidem ad venandum adhibeamus, niſi prius exercitatum, vtique valde abſurdum eſt, ſubditos ad arma tractanda & bellum gerendum adhibere velle, quos antea nunquam idoneis exercitiis præparauerimus. Hæc enim excitant vires, & animum dejectum erigunt.

5. Peſſima eſt conſuetudo hodie in Germania, atque adeo his etiam in locis obtinet, vbi cadauera eorum qui ob furta ſuſpenduntur, aut alioquin rota concutiuntur, in ipſo ſupplicii inſtrumento putreſcunt inſepulta; quod quidem & contra naturam, quæ ſuadet hominem mortuum terra tegi, & contra Dei mandatum. *Deu. 21. verſ. 22.* & exempla manifeſtiſſima ſacrarum literarum fieri certiſſimum eſt.

6. Eleganter Sigiſmundus Rex Poloniæ nobilibus ius negotiationum ab ipſo petentibus reſpondit: *oportet me in regno habere triplex genus hominum, nempe ruſticos qui agrum colant; mercatores qui neceſſaria importent, & exportent, & denique nobiles, qui me & patriam defendant; quæ defenſio patriæ cum per ſe ardua ſit, & cum aucupio lucri ac quæſtus vix conſiſtere poſſit, nolim generoſa pectora patriæ defendendæ nata mercatorum negotiis implicari, aut ſi hoc capiant, permittant mercatores in ſuum locum ſuccedere, & patriæ defendendæ curam ſuſcipere. Quod quidem cum facturi generoſi nobiles nunquam ſint, idcirco mercatoribus ſuum ſtatum permittant, & ſuum tueantur.*

PARS XV.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS, DISSERTATIONES,

ET PARÆNESES POLITICAS ET HISTORICAS, DE REFORMANDA, ORDINANDA & conſtituenda Republica Imperij Romano-Germani, in priſcum ſplendorem & vnitatem fraternam.

REVE-

Anno Domini 1560.

REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, Dn. IVLII PFLVGII, EPISCOPI NAVMBVRGENSIS

ORATIO

DE ORDINANDA REPVBLICA GERMANIÆ.

AD GERMANOS.

CVm animaduertam, Principes populiq; Germani, Rempubl. nationis noſtræ hoc tempore ſuo grauiter laborare, incredibile eſt, quanta animi ſolicitudine afficiar. Quando enim Maiores noſtri hanc nobis ſatis beatam reliquerunt, ſi ea fortè concideret, ſtatuere non facile poſſem, vtrum id miſerius futurum eſſet nobis, an vero turpius, cum præſertim nullum illius malum à nobis ſeiunctum eſſe poſſit, & talis ſe offerat occaſio hoc tempore, vt Reſpublica eadem noſtra non ſolum conſeruari, ſed etiam ornari facile poſſit. Quo minus committendum puto, vt hanc non complectamur animis omnes, nec in eam, quantum pro ſua quiſq; noſtrum virili parte poteſt, conferamus. Quod vero ad me attinet, etſi tenue eſt, quod poſſum ego, tamen ne deſim meo erga Germaniam noſtram qualicunq; officio, quæ mihi de huius commodis ornamentiſq; omnibus cogitanti in mentem veniunt, explicare conabor, vt ſi forte euentus bonus voluntati meæ atq; conſilio reſponderit, res noſtræ ſecundæ non minus me delectent, quam aduerſæ hoc tempore cruciant: ſin minus, hæc tamen vox meæ perpetuæ erga patriam voluntatis teſtis eſſe poſſit. Ac quia operam dare debemus omnes, qui charitate patriæ mouemur, vt ſtatus eius ſit longe optimus: præclare agitur nobiſcum, quod Maiores noſtri Remp. noſtram tam bene conſtituerunt, vt nunc non de noua huius forma inducenda, ſed de veteri vel retinenda, vel recuperanda conſilium nos inire oporteat.

Itaque primo oſtendam, vt illa è calamitoſo quodam ſtatu ſuo in eum, qui plane beatus eſſet, fuerit translata, cum Imperium eius initio conſtitueretur, deinde labes, quas poſtea ita contraxit, vt à beato illo ſtatu in calamitoſum recideret, monſtrabo. Poſtremo qua via & ratione non ſolum reſtitui ea in locum, vnde decidit, bonum, ſed etiam excoli atque amplificari poſſit, docebo. Attendite igitur Principes populique Germani, & id tribuite mihi, vt, ſi non inutilia dixero, ea ne repudietis.

Atque vt, quæ de ſtatu Reipub. noſtræ primo loco dicenda ſunt, afferam, conſtat Rempublicam omnem ſic inſtitui, vt vel vnus ſummæ eius præſit, vel optimates aliquot pari cum poteſtate, vel penes populum ſit eiuſdem regendæ poteſtas. Etſi autem poſtrema hæc forma in ciuitates & populos non ita magnos vtiliter cadere poteſt, magnis tamen gentibus atque nationibus non eſt ſatis accommodata. In quibus niſi exiſtant Magiſtratus, qui multitudini nobilitate atq; opibus antecellant, hæc ægre in officio contineri poteſt. Quare cum initio homines cœtus inter ſe celebrare cœpiſſent, inuenta eſt regum poteſtas, eaque talis, vt ſinguli ſingulis populis cum imperio præeſſent, ius dicerent, tuerentur bonos, & ſceleratos coercerent: Quod ad eas, quæ conſtitutæ fuerant, hominum ſocietates tuendas cumprimis aptum eſſe videbatur. Et quanquam forma hæc Reipubl. quod ad ſimilitudinem procurationis eius, qua Deus vnus vniuerſum hoc quod cernimus, moderatur, proxime accederet, fuit omnium optima: inductus eſt tamen poſtea Optimatum ſtatus, cum nec vnus, nec multi, ſed pauci, iique dignitate & poteſtate inter ſe pares, ſingulas Reſpu. gererent. Atq; hoc genus etſi per ſe bonum, & ciuitatibus liberis vtile ſemper fuit, tamen nec ipſum gentib. maioribus æque ac Regia poteſtas conducere potuit. Nam vnus in Repub. Princeps qui poteſtate ſua aliorũ omnium poteſtatem cõplectitur, nec vllum habet ſummi honoris ſociũ, concordẽ, quie-

tum

tum atq; beatũ Reip.ſtatũ facilius,quam Optimatum procuratio, retinere poteſt:Quippe cum vſu veniat,vt inter eos,qui pari ſunt cũ poteſtate, facile naſcantur ſimultates,è ſimultatibus factiones,e factionibus aũt motus graues atq; Rebuſpu.pernicioſi. Cuius quidem rei documentum ſtatuerunt Græci eo tẽpore,cum & ſapientiæ,& eloquentię,& rei militaris glória florerent maxime.Nam cum ciuitates horum ſingulæ ſuos haberent magiſtratus,qui pari cum poteſtate forent: & tñ quidam eorundẽ,vt fit,ſumam rerum appeterent,& aliis Græcis imperare cuperent:extiterunt ſæpe in natione eorũ bella inteſtina,& ipſi patriam ſuam iis armis,quibus defendere debebant,miſerandũ in modũ dilacerauerunt,cũ modo Athenienſes & Megarenſes, modo Athenienſes & Lacedæmonii, modo Lacedæmonii atq; Thebani inter ſe bella infeſtis animis gererent, & ſeipſos ita conficerent,vt fracti tandem atq; debilitati,in Macedonum poteſtatem concederent, & dura ſeruitute opprimerentur. Quo tempore viſum fuit Græcis ad Rempublicam nationis ſuæ bene adminiſtrandam hoc vnum deeſſe, quod eadem non vnius imperio vniuerſa contineretur. Et quanquam Romanorum Reſpublica,cum poſt reges exactos ab Optimatibus regeretur,& creuit mirabiliter & efflorunt:id tamẽ, cum illi intra mœnia vnius vrbis concluderentur, nec horum quiſque tam diu magiſtratum ſuum gereret,vt Rempubl. premere grauius poſſet, fuit aliquanto facilius, quam ſi locorum interuallo diſiuncti,alii aliis ciuitatibus aut populis præeſſent. Sit igitur poſitum hoc atque fixum, quod ratio ſumma atque ipſe rerum euentus declarat, gentibus magnis atque nationibus eam Reipublicæ formam,quæ vnum habet Principem,longe aptiſſimam eſſe atq; vtiliſſimam.

Nunc vero,vt hæc ad rem,de qua hoc loco agimus,conferantur:ſic habetote, remp.nationis nóſtræ primo multos Principes atq; Reges,qui pari eſſent cũ poteſtate,habuiſſe:ſed poſtea q̃ Imp. eius conſtitutum fuit, vni Imperat. procurationem huius ſummam creditam fuiſſe atq; commiſſam. Et quanquam ex iis quæ iam diximus,perſpicuum eſt, vter Reipu.ſtatus,prior ne ille,an poſterior, per ſe melior fuerit & publicis huius rationibus vtilior, tamen non puto alienum eſſe ab inſtituto noſtro,ſi de eo ipſo paulo accuratius,explicatiuſque egero.

Conſtat è veteri Annalium memoria,maiores noſtros fidei,cõſtantiæ & fortitudinis gloria ſemper floruiſſe:verũ tamen cũ necdum in vnũ quaſi corpus coaluiſſent,non modo non Imp.cõſtituere potuiſſe ſibi,ſed nec ſua,vt oportebat,tutatos fuiſſe atq; conſeruaſſe.Nam cum qui præeſſent reges, ſingulis populis pari cũ poteſtate imperarent,nec legib.nec iure ęquabili inter ſe iungerentur,in cõmune conſuluerunt minime:ſed potius horũ quiſq;ad priuata cõmoda ſua omnia retulit.Quin idẽ ob cauſ neſcio quas & iniurias, quas Reip. donare potius,q̃ cum huius damno perſequi debebant, bellis inter ſe grauib.ſæpe conflictati fuerunt.Hinc peruerſus ille mos, vt & patriã ſuam vexarent, & agros quiſq; vicinorũ,ſi poſſet,popularetur,nec ſociorum armis, in quib.nullũ præſidium ſibi poſitũ eſſet,ſed vaſta potius ſolitudine ſua munire vellet,eaq;non ſatis tuta eſſe arbitraretur,niſi à regno ſuo vicinorũ poſſeſſiones q̃ longiſſime dimouiſſet.Quanq̃ autem nationis noſtræ Reſp.in hunc ſtatum malũ atq;prauum inciderat,tñ fortitudo maiorũ noſtrorum atq;rei militaris gloria exteras gentes terruit ne eos armis facile laceſſerent.Et Romani ipſi non ante, q̃ Aſiæ, Africæ,atq; toti fere Europæ imperarent,eis bellũ intulerunt.Sed tñ cum cernerent,maiores noſtros in factiones diſtractos eſſe,arte magis atq; callida conſiliorũ ratione, q̃ vi & armis,ipſos debilitare atq; opprimere ſtuduerunt.Vt.n. Philippus Macedonũ Rex ſimultates atq; inimicitias ciuitatũ Græciæ olim aluit,eaſq; ita cõmiſit inter ſe,vt ſuis ipſæ armis frangerentur: ita Romani materiã ſeditionib. atq; inteſtinis bellis maiorũ noſtrorũ ſubiecerunt,vt gens bellicoſa ſuis ipſa virib.conficeretur.Nõ dubitarat Germanic. eo tẽpore,quo Tiberius Romæ imperabat,Cattis atq; Cheruſcis ſtrenuis atq; fortib.Germanię populis bellũ inferre. Et quanq̃ cum his prælia quædã fecerat ſecunda,tamen cũ Ariminius,qui contra illũ arma tulerat,inuicto animo bellũ ita ſemp redintegraret, vt laceſſitus eſſe potius q̃ victus videretur,& clades illa funeſta,quam Quintilius Varus ab eodem Ariminio acceperat, in memoria atq; ſenſibus Romanorum adhuc hæreret:eam conſilii rationẽ iniuit Tiberius, vt Germanicus ab armis diſcederet, & relinqueret locum maioribus noſtris conflictandi inter ſe,vt tandem debilitati, mallent in Romanorum, quorum ope indigerent,poteſtatem concedere vltro,quam vicinorum iniurias ferre. Neq; vero Imp.hæc ſpes ſua fefellit. Nam inuentus eſt non ita multo poſt Maroboduus Sueuorum rex,qui,vt Romanis rem gratã faceret,Ariminio, qui Cheruſcos atq; Longobardos ducebat,bellum inferret. Quo cõfecto, Druſus Catualdam Germanum potentem ſane hominẽ excitauit,vt in Maroboduum ob iniuriam,quam ab eo ſe accepiſſe arbitrabatur,impetum faceret.Ac cũ hic ab hoſte illo ſuo victus & regno pulſus foret,fecit Tiberius vt Rauennã migraret: & homo magnus ac nobilis à Sueuis ſuis diuulſus in hoc perpetuo quaſi exilio reliquum ætatis ſuæ conſumeret: Verum cum poſtea Marobodui factio Catualdam ditione, quam habuerat, viciſſim exuiſſet, fuit hic quidem à Romanis in Galliam Narbonenſem miſſus, & quodam modo relegatus. Atque ita Principes ambo erepti fuerunt Germaniæ, vt quanto plus præſidii in vtriuſque conſilio atque potentia nationi huic noſtræ poſitum eſſe videbatur,tanto magis vires eiuſdem extenuarentur. Secuta ſunt deinceps ea,quæ Tiberius præuiderat: vt cum Maiores noſtri inteſtinis motibus multum ſanguinis ciuilis hauſiſſent,ſeque attriuiſſent ipſos, magna ad imperium Romanum acceſſio fieret: & populi quidam Germaniæ non inuiti in Romanorum poteſtatem venirent, vt horum præſidio contra vicinos infeſtos munirentur. Et quanquam poſtea eorundem virtute magna ſæpe ac periculoſa bella feliciter confecta fuerunt:tamen ea fuit ipſorum conditio, vt cum maximas res ſub alienis auſpiciis gererent, ſibi tamen atque Patriæ communi nullum honoris atque di-

gnita-

gnitatis ſplendorē acquirerent:acquirerent dico?imo quanto magis opes alienas,eaſq; libertati ſuæ infeſtas,firmarent,tanto plus detrimenti Patria noſtra caperet, eiuſq; libertas magis labefactaretur: cum præſertim arma,quibus glorioſe vti poſſent,pro arbitratu eorū in quorum poteſtate erant non ſolū contra exteras gentes,ſed etiam contra Germanos,qui libertatē ſuam defendebant,ferrent,atq; adeo patriā ipſam oppugnarent.Sed quorſum hæc? Vt intelligi poſſit,qualis fuerit Germaniæ noſtræ ſtatus eo tempore cū non vnius,ſed paucorū imperio regeretur. Cuius calamitas documentū dedit, q̄ illa Optimatū poteſtas,aut paucorū dominatio per ſe non vtilis fuerit nationi noſtræ,vel ad libertatē retinendā,vel ad opes augendas,vel ad gloriam,& verū decus pariendum:Quippe cū gens præpotens,& ad imperiū Orbis terræ nata,ipſa ſibi plus damni,q̄ cōmodi attulerit,quoad ei nec virtus, nec rei militaris ars,ſed ea imperii forma,qua oēs illius vires contraherentur in vnū atq; iungerētur, & illa beata animorū conſenſio deeſſet. Ac Germania quidē noſtra,cū ſemel oppreſſa eſſet,non ante reſpirare,potuit, q̄ imperium Romanum ſua magnitudine ac quaſi mole laborans, ruere inciperet.

Quo tempore Maiores noſtri non ſolū in priſtinam libertatem ſe vindicarunt,ſed irruperunt ēt in exteras Romanorū Prouincias,eaſq; vi & armis in ſuam poteſtatē redegerunt. Et quanq̄ tum virtus eorū magis,quā ante,eluxit,tamen eam vim non habuit,vt Patriæ ſolidos,quos debebat,fructus ferret. Neq;.n.id quæſierunt milites noſtri,eorumq; duces,vt quas cepiſſent ciuitates,& populos gēteſq; viciſſent,adiicerent Imperio Patriæ,q nec dum conſtitutū erat,ſed vt illam inteſtinis factionib. diſſipatā fugerent,& in exteras Prouincias Romanorum tanq̄ in colonias migrarent:nec amplius de Patriæ,ſed earum potius Regionum,in quib.conſediſſent, cōmodis ornamentiſq; cogitarent. Hinc regna illa Europæ,quæ Maiores noſtri conſtituerunt: Galliæ Franci, Hiſpaniæ Gothi, Britanniæ Saxones,& Galliæ Ciſalpinæ Longobardi. Prætereo hic prudens Sueuos, Vandalos,& Burgundiones,qui ſimul ac pedes ſuos ē finib. Patriæ noſtræ extulerant,maximas res geſſerūt. Sed hos oēs peregrinæ ſedes,in quas migrarant,ita delectarunt, vt eas ipſas Patriæ,in qua geniti erant,anteponerēt. Cū tales eſſent Maiorū noſtrorū ſenſus atq; voluntates,etſi quaſcunq; Orbis terræ regiones peragrarēt,in eis veſtigia excellentis cuiuſdā virtutis impreſſa relinquerent:id tamen parū vtilitatis Germaniæ noſtræ attulit,nec ea ante,q̄ in vnum plane coiret & in vnius poteſtate eſſet,efflorescere,& verā dignitatem conſeq potuit. Quo melius de hac patria noſtra meritus fuit Carolus ille Magnus,cū Saxonū populos potentes & plane bellicoſos diuturno bello domuit:non vt delerentur,ſed vt cū aliis potius Germaniæ populis coniungerentur. Quod poſteaquā feliciter ſane euenit,ſtatuere nequeo,vtrum id victis,an victori maiorē vtilitatē attulerit. Nam hoc pulcherrimū poſt homines natos factū non minus ſalutare fuit Saxonib. atq; Germaniæ cunctæ,quā Carolo Imperatori glorioſum,cū præſertim Princeps hic optimus Saxones aliis Germaniæ noſtræ populis ita adiunxiſſet,vt non ſolum de Rep.ſed ēt de religione Dei immortalis idē,q hi,ſentirēt. Quo tēpore cū ita natio noſtra in vnū coaluiſſet,vt & vnius imperio pareret vniuerſa,& vnū Deum atq; Dom. Ieſum Chriſtū veneraretur:tanto magis omni bonorū genere aucta fuit,quanto minus ſub dominatione paucorū,eaq; factioſa,creſcere potuerat. Nā eo tempore à maiorib. horridiorib. ad eam manſuetudinē traducti fuerunt Maiores noſtri,vt legibus & iure æquabili viuerēt libenter:nec Patriā,vt ante,inteſtinis bellis dilacerarent,eiq; vaſtitatē inferrēt,ſed iuuarent potius,quibuſcunq; reb.poſſent,atq; tuerētur: nec ſolitudine delectarētur amplius,ſed cœtib. hominū iure ſociatorū,nihilq; eorū, quæ ad Remp.ornandā pertinere videbantur, prætermitterent. Itaq; vbi ante fuerāt ſaltus ferarū; congregati ſunt Maiores noſtri,& cœtus inter ſe celebrare cœperunt:vbi delubra idolorum atq; dæmonū fuerant,tēpla,ſedes atq; collegia Sacerdotū,qui nomen Dei vera cū pietate inuocarent,& p̄ vniuerſa Eccleſia ſupplicarēt,Sacris operarentur, & gregē Domini ſalubriter paſcerent, conſtruxerunt. Vbi deniq; ſolitudines vaſtæ fuerant,cœnobia religioſorū atq; Sanctorū hominū,qui quanto longius ſe à ſpinis huius mundi dimouiſſent,tāto diligētius Scripturas ſacras euoluerēt,& in res Diuinas incūberent,cōſtituerunt. Breuiter,talis eo tēpore Germaniæ noſtræ ſtatus collocatus fuit,vt in ea vigeret cōcordia,vigeret iuſtitia,vigeret pietas & religio vera:& qui ſummæ rerū præeſſet vnus tanta cū poteſtate eſſet,vt ſtatū illū Reip. beatū cōſeruare & ſeditioſos atq; hoſtes Patriæ coercere facile poſſet. Quare cū Reſp. Patriæ noſtræ tā bene cōſtituta eſſet,& vinculis illis optimis contineretur,nō potuit non mirabiles ſui amores excitare:nec inuenti ſunt amplius populi Germaniæ noſtræ,q vt ante deſererēt hāc,& peregrinas ſedes quærerēt:nec vtri alteros opprimerent,ſed vtri de Patria cōmuni melius mererentur,inter ſe magna cum gloria certauerunt. Et cum Maiores noſtri virtutes tantas cum fortitudine,cuius gloria ſemper floruerant,coniunxiſſent, Patriam non ſolum ſingulari animorum conſenſione defenderunt, ſed etiam, quibuſcunque rebus poſſent,ornauerunt,& ipſi in oculis omnium gentium viuere cœperunt.

Iam vero etſi Carolus ille Magnus Imperium,quod virtus Romanorum in Occidente conſtituerat,recuperauit idq; non ſine magno & Francorum & Maiorum noſtrorum honore,& ei vt Germano ob pręclara in Remp.merita diadema Imperatorium ſolenni ritu impoſitum fuit:tamen cum liberi eius atq; poſteri Imperium hoc tanquam hæreditatem paternā adirent, Gallia,quam iidem incolebant,ita ſibi idem imperiū vendicauit,vt poſſeſſione eius Maiores noſtros excludere conaretur. Sed cū poſt Arnulphum,qui magnū dedecus in gentem Carolinā intulerat, Imperiū rerū labaſceret, ab eoq; deficerent Prouinciæ magnę,cū nec magnum in familia illa præſidiū ſibi poſitū eſſe amplius ſentirēt,& Hunnorū,q erāt infeſtiſſimi nominis Chriſtiani hoſtes,opes in dies magis ac magis creſcerēt,& tantæ eſſēt,vt Germaniā ēt ipſam in periculū adducere viderentur:extitit Henricus Saxo,quē

Prin-

Principem *Aucupem* Maiores noſtri appellarunt, cuius tanta, tamq; excellens fuit virtus, vt non ſolum Germanorum, ſed etiam eorum, qui in Gallia domiciliũ habebant, Francor. oculi in eum eſſent coniecti, idemq; & lenire deſiderium, quod ſui reliquerant ſuperiores illi Carolini optimi principes: & damna, quæ poſt illos imperium fecerat, ſarcire poſſe videretur. Itaq; cum Maiores noſtri ſummã rerum ſuarum ei commiſiſſent, eaſdem ita ille adminiſtrauit, vt Principes nationis noſtræ certos ad officium reuocaret, & robuſtiſſimas copias Hunorum, qui infeſtis ſignis & armis Saxoniæ bellum intulerant, ad Merſeburgum prælio vinceret. Ex his quaſi fontibus cum ille ad bonam omnium Chriſtianarum gentium exiſtimationem profluxiſſet, dignitas imperatoria ad eum ſingulari earundem conſenſu delata fuit. Sed cum pro ea, quam è Spiritu ſancto hauſerat, modeſtia honorem ampliſſimum minime appeteret, nec alium è meritis erga Remp. ſuis fructum repeteret, quam vt publicis rationib. bene conſuleretur: contentus eo, in quo collocatus erat, dignitatis gradu, in altiorem illum aſcendere noluit. E quo facto eius incredibile eſt, quantum Chriſtianę virtutis eluxerit, & gloria eius, quę ipſum quaſi fugientem perſequi viſa fuit, quantum aucta cumulataq; fuerit. Huius filius Otho princeps ſumma virtute, & talis plane, vt eum Deus ad Imperium Orbis terræ recuperandum genuiſſe videretur, cum patri de Germania noſtra optime merito ſucceſſiſſet: certe quam Rempub. noſtram ab eo bene conſtitutam atq; pacatam acceperat, non ſolum conſeruauit, ſed etiam auxit, atq; mirabiliter ornauit. Qui cum Belgas prælio victos atq; fuſos in poteſtatem ſuam redegiſſet, atque imperio ſuo Boislaum Bohemorum principem & populum eius fortem atq; bellicoſum adiunxiſſet: & maximas Hunorum, qui eo tempore videbantur perhorreſcenda eſſe bellorum fulmina, copias deleuiſſet: certe virtus huius in illuſtri quaſi loco ſita, non potuit alijs gentibus obſcura eſſe. Ac cum idem omnes ætatis ſuæ Reges & fortitudine, & rerum geſtarum gloria ſuperaſſet, nec haberet, quo cum certaret amplius, ſeipſum tandem ſuperare non dubitauit: Quippe qui in maximis victorijs atq; triumphis pro ea, quã Deus ipſi inſeruerat, charitate ita moderatus fuit cupiditates ſuas, vt neminem læderet, ius ſuum cuiq; tribueret, & liberare eos, qui ſeruitute premerentur, quam vllis durior eſſe mallet. Nouerat enim ita armis ſuis vti, vt frangeret ſuperbos, oppreſſos ſubleuaret, & de omnibus, quoad eius facere poſſet, bene mereretur. Nam vbi Hugo vir nobilis atq; affinis eius, cuius magnæ in Gallia opes erant, contra Ludouicum Regem, cuius in poteſtate eſſe debebat, arma nefaria cepiſſet: etſi Otho noſter è ruinis regni illius res ſuas amplificare poſſet, maiorem tamen officij quam vtilitatis ſuæ rationem habuit. Nam exercitum quem compararat, ſatis magnum in Galliam duxit, tulit auxilium Regi, & Hugonem principis ſui dicto audientem eſſe coegit. Ac cum Berengarius & Græci Italiam vexarent, & ei nationi, quæ olim Orbi terræ ius dixiſſet, leges duriores imponerẽt: Romani perſpecta Othonis atq; Maiorum noſtrorum virtute, vt ſeruitute turpi liberarentur, fidem optimi huius principis implorauerunt. Qui cũ ſe non ſibi ſolum, ſed etiam Patriæ, nec ſibi & Patriæ tantum, ſed vniuerſis gentibus, quæ ope ſua indigerent, natum eſſe arbitraretur, Italiæ ſubuenit: Græcos in Calabria & Apulia profligauit, Berengarium autem inſolentem compreſſit ac cepit, eaſq; res in illo Orbis terræ quaſi theatro geſſit, vt omnium gentium animos in ſe conuerteret: nec facile ſtatuas, vtrum hic maiorem fortitudinis ſuæ, an iuſtitiæ atq; benignitatis fructum ceperit. Certe Itali cum beneficio ipſius ad ſpem priſtinæ libertatis reuixiſſent, hunc ipſum tanquam vnum aliquem è cœlo delapſum, qui rebus ſuis atq; Chriſtianorum omnium afflictis atq; laborantibus ſuccurreret, intuiti fuerunt atque obſeruarunt. Et quia Maiorum noſtrorum virtus illis ita affulſerat, vt exiſtimarent non modo non miſerum eſſe in horum venire poteſtatem, ſed beatum plane, ſalutatus eſt Otho à Romanis Imperator Orbis terræ, idq; ſingulari totius Italiæ conſenſu & applauſu: atque ita dignitas hæc ſumma cum regno nationis noſtræ iterum ſe coniunxit.

Habetis hic Germani primordia imperij noſtri, & intelligitis præclare hoc ornamentum non vi vlla crudeliore, ſed pietate potius erga Deum immortalẽ, fortitudine vera, iuſtitia atq; benignitate nobis partum fuiſſe: imo Deum ad nos ita detuliſſe idem, vt ab eo iam tempore ſuum quaſi domicilium in Germania noſtra collocatum habuerit. Videtis iam, videtis Principes populiq; Germani, vt Reſp. nationis noſtræ effloruerit olim: nec rationes huius ante conſtitui potuiſſe, quam penes vnum ſumma eius poteſtas eſſet. Ad quem honorem Regium cum Imperatoria & dignitas & Maieſtas accederet, talis extitit Reip. noſtrę forma, vt melior nec excogitari quidem poſſet: & Germania noſtra tanto honoris ſplendore fuit ornata, vt Sol hic nullum vnquam viderit maiorem. Et quanquam Imperium, quod Otho ille Magnus in Germaniam noſtram intulit, vel retulit potius, magnitudine ipſa non par fuit alijs Imperijs, quorum ſingula in multas gentes poteſtatem habuerunt: non minus tamen fuit honore, & beneficentia multo maius: Quippe quod ita ſe accõmodauerat pietati atq; legibus Chriſtianis, vt quas viciſſet gentes Barbaras, non ſibi magis, quam Chriſti regno adiungeret: ac Prouincias ſuas, ſocios atq; amicos ita tueretur, vt non tam Imperium, quam quoddam Orbis terræ patrocinium eſſe videretur. Cuius quidem rei cum Henricus primus fortiſſimus ille atq; optimus Princeps rationem haberet, & Sarracenos à ceruicibus Italorum depulit, recepta, quam occupauerant, Capua: & cum Pannoniæ Regem fregiſſet, maluit hunc ſecum affinitate iungi, vt ipſe atque populus eius ſacro baptiſmate initiati Chriſti regnum augerent, quam in eos, à quibus Maiores noſtri graues iniurias acceperant, durius aliquid ſtatuere. Quod Imperatoris beneficium prope diuinum quantam vtilitatem vniuerſo Orbi Chriſtiano pepererit, non facile dixerim: certe illud ſatis conſtat, Pannones non minus ab eo iam tempore rebus Chriſtianis profuiſſe, quam ante nocuerant. Nam quibus armis Chriſtianorum ſanguinem hauſerant, eiſdem poſtea Sarracenos atq; Tur-

eas ita profligarunt, vt à noſtris atq; aliis Chriſtianarum gentium ceruicibus arcerentur. Nec minor fuit beneficentia huius eiuſdem Imperatoris erga Sarmatas: erga Sarmatas dico? imo vero per Sarmatas erga vniuerſum nomen Chriſtianum. Nam cum Regem horum nouis rebus ſtudentem ad officium reuocaſſet, facile paſſus eſt à ſe impetrari, vt eidem Regi eam ferret opē, qua Rutheni victi adijcerentur regno ipſius, & à ſuperſtitione ad Chriſti religionem ſalutarem traducerentur. Quo tēpore quanta acceſſio facta fuerit ad res Chriſtianorum, & in virtute atq; potentia Sarmatarum aliis nationib. contra immaniſſimas Scytharum gentes quantum præſidii eſſe cœperit, res ipſa nobis tacentibus declarat. Sinite me hoc loco præterire Conradorum atq; Fridericorum noſtrorum res fortiſſime geſtas. Qui rebus Chriſtianorum in Aſia laborantibus ſuccurrere, & Sarracenis infeſtiſſimis Chriſtiani nominis hoſtib. ſua atq; Maiorum noſtrorū capita obiicere non dubitauerunt. Nam horum conſilia atq; facta fortia ſingulatim commemorare nimis longum eſſet: illud tamen, quod & res & locus hic poſtulat, dicendum eſt omnino, Maiores noſtros eam iuſtitiam benignitatemque cum fortitudine ſumma coniunxiſſe, vt ipſorum Imperium magis beneficentia quam vi conſtaret: Quippe cum non ad ſuam potentiam, ſed Dei gloriam & ſalutem Orbis terræ, omnia ipſi referrent. Itaque viſum fuit beatum eſſe, non ſolum à Maioribus noſtris defendi, quoties opus eſſet, ſed etiam vinci, cum libertatem priſtinam non amitterent victi, ſed vberiore potius libertate, quæ veram eis felicitatem in Domino noſtro IESV Chriſto afferret, cumularentur: nec maiorem victores ipſi, quam victi, fructum rerum ab illis bene geſtarum conſequerentur.

Nunc vero cum Reſp. noſtra tam bene conſtituta eſſet, & ei vnius Imperatoris principatus tantum bonorum pareret: ita quidem vſu venit, vt in ea plane beata atq; florente omnes omnium Ordinum homines & beatius, & coniunctius inter ſe, quam vlli vſpiam exterarum nationum homines viuerent. Quippe cum nihil eorum, quæ ad optimum Reipub. ſtatum pertinent, in ea deſideraretur: nec tranquillitas, nec honeſtas, nec honor, nec dignitas, vt, ad quaſcunq; viuendi partes ſe Maiores noſtri darent, inuenirent, quod rationibus ſuis aptum foret. Ad horum bonorum cumulum acceſſit religio Chriſtiana & ius æquabile, quibus nihil melius vel eſſe, vel excogitari poteſt. Religio, qua Chriſtum Seruatorem noſtrum Optimum Maximum ſingulari pietate colerent, & è Spiritu ſancto tantum charitatis haurirent, vt idem plane & vellent & ſentirent, & inter ſe arctiſſime iungerentur, & quod bonorum omnium caput eſt, Deum per eundem Chriſtum Dominum noſtrum perpetuo propitium haberent. Ius autem æquabile, quo ſummi & infimi æque ita tenerentur, nulli vt liceret in Republica noſtra vim ſuſcipere, ac eos, qui minus poſſent, opprimere. Et quanquam penes Imperatorem erat ſumma poteſtas, & videtur ipſe Lex eſſe quædam viua atq; loquens: maluit tamen Maiores noſtros vti iure ſcripto, eoq; optimo, quam ad ſuum nutum reuocare omnia, neque id iniuria. Eſt enim à Platone ſapienter ſcriptum: *Nullam ciuitatem atq; Rempublicam, in qua non lex magiſtratus, ſed magiſtratus legi imperat, diu conſeruari poſſe.* Ac mea quidem ſententia ius, ſi ſcriptum ſit, eò pluris faciendum eſt, quod non, vt homo, gratia aut odio vllius moueri, & ab eo, quod iuſtum eſt, flecti poteſt, ſed potius omnibus ſemper eſt æquum. Quando autem in Repub. nationis noſtræ religioni ſic fuit lex adiuncta, vt illa à maleficio auerteret volentes, hæc autem nolentes deterreret, & arma è manibus ſeditioſorum extorqueret, homines noſtri in officio facile contineri potuerunt, vt vitia fugerent, & recta officia perpetuo præſtarent. Breuiter, ita comparatum fuit, vt ſinguli ſingulorum ordinum homines in patria noſtra ſic viuere poſſent, vt nuſpiam melius beatiuſque. Nam ruſtica plebs, ſimul ac leges & iuſta Imperatorum poteſtas Germaniam noſtram latrociniis ac motibus inteſtinis repurgauerant, tueri rem ſuam familiarem, atq; agros colere melius, ex eiſque quos perciperet fructus, exportare ad alios, ac vendere tuto potuit. Ac quo minus facultates huius ab iis, quorum in poteſtate eſſet, exhauriri aut extenuari poſſent, cautum fuit, ne canon, quem in ſingulos annos pendere ſoleret, contra conſuetudinem inueteratam augeretur. Hinc plebis illius opes, diuitiæ, & vita beata. Vrbana autem ab eo iam tempore, quo Reſpublica noſtra tam bene conſtituta fuit, non ſolum, vt ante, operis rem ſibi parauit, ſed etiam mercaturam exercuit, & in patria pacata mirum in modum creuit. Quæ eadem vrbes, in quas ſe incluſerat, ſic muniuit atq; ornauit, vt in eis tuto & honeſte habitaret. Itaq; in natione noſtra tot extiterunt ciuitates liberæ atq; florentes, quot in nulla alia natione inuenias. Ac ſi quæ harum in poteſtate principum atq; nobilium eſſent, harum libertati ita conſuluerunt Maiores noſtri, vt nec ab eis vllum tributum extra ordinem exigi poſſet, niſi aut ordinum Germaniæ, aut procerū cuiuſq; regionis conſenſus accederet. De nobilium autem ordine quid dicam? Ij quidem gradibus iam inde ita diſtincti fuerunt, vt qui ſummi eſſent, ornarentur Principum dignitate: Medij, Comitum atq; Baronum: Infimi a. equeſtris eſſent loci. Ac ſi vſpiam, certe in Repub. nationis noſtræ magnæ & egregiæ Principum gentes verſatæ ſunt diu, & populis magnis præfuerunt. Comites a. ipſi atq; Barones, quamuis non tantum poſſent in Rep. noſtra, quantum Principes, tamen ita conſtitutæ fuerunt rationes eorum, vt locupletes eſſent, ac ſi non integras regiones, caſtella tamen haberent atque territoria certa, quibus imperarent. Qui autem inferioris eſſent ordinis nobiles, cum eorum virtute res militaris potiſſimum niteretur, in exercitibus Maiorum noſtrorum ſemper honeſtos duxerunt ordines, & domi etiam habuerunt, quo honeſte atq; vtiliter vitam agerent: Quippe cum ruſtica plebs & caſtella certa in poteſtate ipſorum eſſent, & ipſi in conſilia Principum & Imperatorum adhiberentur, & ciuilibus muneribus, iiſque honorificis fungerentur. Atque vt arma, quibus vterentur, haberent expedita, & equos atque familiam militarem de ſuo alere poſſent, ita inſtitutum fuit à maioribus noſtris, vt cenſu abundarent, nec pæ-

iuino-

trimonij muneribus facultates eorum extenuarentur. At cum è cenſu, agris & villis tantum, quantum cuique ad ſe familiamq; ſuam alendam ſatis eſſet, perciperent, & rem ſuam honeſte, & ſine alterius damno augere poſſent: voluerunt Maiores noſtri, vt hiſce emolumentis contenti fœnore atque mercatura abſtinerent, eoque ipſo prudenter cautum fuit, ne ſi iidem illiberali quæſtus genere caperentur, anguſtiores redderentur animi ipſorum, & ſuam priſtinam magnitudinem, ſine qua nec domi, nec militiæ res bene geritur, amitterent. Veruntamen cum illi rem ſuam familiarem non æque, atq; plebeij homines, augere poſſent, vt hoc ipſorum quaſi damnum quoquo modo ſarciretur, tributum fuit eis, vt ad honores cum ciuiles, tum vero etiam Eccleſiaſticos acquirendos, plus opportunitatis haberent. Quin patria noſtra eum approbauit morem, vt non alij quam nobiles in collegia Maiorum Eccleſiarum cooptarentur, & Eccleſia tanquam mater benigna eiſdem ſuppeditaret, vnde commode viuere poſſent, vt egentib. ſuccurrerent, Deum colerent perpetuo, & Eccleſiæ Chriſtianæ vtilem ſane operam nauarent. Ac quia ijdem in ora maris Baltici regiones magnas, Pruſſiam atque Liuoniam, ſibi atq; adeo Chriſto parere coegerant, in his & arces & ciuitates condiderunt: atque vt, quæ virtute magna & rebus fortiſſime geſtis ſibi ac patriæ peperiſſent, tuerentur, ex eiſque emolumenta iuſta caperent, inſtitutus eſt Ordo ille diuæ Virginis, qui regionum illarum potiretur, & cautum, ne in hoc veluti ſodalitium, cuius partes erant cum gentibus Barbaris, & à religione noſtra auerſis bellum continenter gerere, alijs quam nobilibus Germaniæ noſtræ aditus pateret. Quod cum initio rei Chriſtianæ propagandæ cumprimis vtile fuerit, vellem equidem à finibus Barbarorum hoſtium dimoti non fuiſſent milites illi noſtri, eoque minus negotium, quod magno cum honore nationis noſtræ, & vtilitate Reipub. Chriſtianæ ſuſceperant, intermiſiſſent: nec coacti fuiſſent conflictari cum ijs, à quibus ſi adiuti fuiſſent, haud dubie maiorem vtrique virtutis ſuæ fructum cepiſſent,

Sed vt illuc reuertar, conſtat ex ijs, quæ commemorauimus, poſteaquam Germania noſtra in vnius venit poteſtatem, & Romani Imperij dignitas in eam translata fuit, non ſolum de libertate huius deceſſiſſe nihil, ſed omnes etiam omnium ordinum homines in ea & liberius & commodius, quam vllæ vſpiam gentes, vixiſſe: Quin tantum dignitatis atq; honorum adeptos fuiſſe, quantum alij aliarum gentium homines vix optare auderent. Quarum rerum cupiditas magnis animis ita ſępe innaſcitur, vt ſine his ſe beatos eſſe poſſe minime exiſtiment. Eſt quidem ea iuſtitię ratio, quæ vni tantum tribuit, quantum alteri, ſub quam contractus atq; maleficia cadunt, ad retinendum bonum aliquem atq; tranquillum Reip. ſtatum vehementer apta, ſed non minus apta, quæ præmia decernit bonis atq; magnis viris, & dum conditionis cuiuſque virtutis, atq; meritorum rationem ducit, non tantum impertit infimis, quantum ſummis, nec tantum ijs, qui ſua, quam qui publica negotia curant. Atq; vt vtraque iuſtitiæ ratio omnem hominum ſocietatem probe tuetur, & concordiam coniunctionemq; fouet atque alit: ita ſi Reſp. vlla vel vtramque, vel alteram deſideret, nec concors hæc eſſe poteſt, neq; beata, cum præſertim in ea magnam eſſe materiam, & quaſi ſegetem odiorum atq; factionum neceſſe ſit. Quo melius conſtituta fuit Reſpub. Germaniæ noſtræ, in qua Principes viri, qui ſummum nobilitatis ſplendorem è virtute Maiorum ſuorum traherent, excelſam illam, in qua Maiores ipſorum fuerant dignitatis ſedem hæreditario iure obtinerent, nec facile hic eorum locus, cum alijs aliorum ordinum hominibus communicaretur. Qui cum ita nati eſſent, vt in patria noſtra & opibus & honore florerent, atq; cæteris omnibus antecellerent, non fuit, cur eos aut conditionis ſuæ, aut patriæ, in qua tam honorati eſſent, pœniteret: Quippe cum horum quidam in eo honoris gradu forent collocati, vt in comitijs Imperatorijs ius haberent ſuffragij ferendi: & virtus eorundẽ, cum ſumma nobilitate coniuncta, in ea ratione tantum haberet prærogatiuæ, vt ipſi ſibi ad Imperatoriam dignitatem, qua nulla poſt hominum memoriam maior in vllo regno extitit, viam patefacere poſſent. Et quanquam Comitum, ſi qui virtute excellerent, etiam ratio, aliquoties habita fuit, tamen ad illam dignitatem ſummam ſummo nobilium ordini omnia ſemper faciliora fuerunt, vt non iniuria ex ijs, quæ vulgo euenerunt, ſtatuere poſſimus, illam in hoc eodem ordine ſedem ſuam quodammodo poſuiſſe. Veruntamen ne medij atque infimi loci nobiles, à magnis patriæ honoribus excluderentur, nec deterior eſſet horum conditio, qui labores pro patria graues ſuſciperent, & ſe maximis periculis offerrent, quam eorum, qui in ocio viuerent, & illorum beneficio forent beati: id quidem tributum fuit eiſdem, ſi ad ſummam Imperatoris dignitatem adſpirare minime poſſent, alijs tamen magnis in Repub. Principibus dignitate compararentur. Inſtitutus eſt igitur in natione noſtra certus principum honor, ad quem non tam Maiorum imagines atque ſplendor, quam virtus atque pietas cuique ſua ſuffragaretur. Quem ſane honorem ita Maiores noſtri adiunxerunt muneribus Antiſtitum, vt qui inferiorum eſſent ordinum nobiles, ſi quando de more collegiorum Epiſcopi crearentur, Principum honore augerentur: & aliqui è numero horum Imperatoris deligendi poteſtatem haberent. Quo honore ſecundum Imperatoriam atque Regiam dignitatem nullus in Repub. noſtra eſt maior, nullus excellentior. Ac ne virtuti ſine nobilitate omnis ad maiores honores aditus claudi videretur, ſunt Antiſtitum ſedes certæ, nec ipſæ à principum dignitate ſeiunctæ, quas Maiores noſtri plebeiis etiam hominibus, quorum inſignis eſſet virtus atq; pietas, aſſignatas voluerunt. Quod vero ad Imperatoriam dignitatem ſingulatim attinet, quanto meliores vberioreſque fructus capiendi erant ex ea ipſa, tanto diligentius cauerunt Maiores noſtri, ne ad eam minus idonei obreperent. Quare etſi veriſimile erat, è bonis parentibus bonos naſci liberos, tamen quia res ipſa declarabat, rem ſæpe aliter euenire, Otho tertius de patria noſtra optime meritus

fuit, cum inſtitueret, vt Imperatores non naſcerentur, ſed eligerentur, & dignitas hæc virtute potiùs quam fortuna acquireretur. Quod eam etiam vtilitatem attulit Reip. noſtræ, vt cum penes Septemuiros, eoſq; dignitate præſtantes, eſſet poteſtas Imperatoris deligendi, ſi quis beneficio horum crearetur Imperator, eo ipſo patriæ noſtræ ita deuinciretur, vt niſi in hanc pectore toto incumberet, turpem ingratitudinis notam atque infamiam vitare minime poſſet. Ac quo minus loci eſſet ambitioni in comitijs Imperatorijs, cum quatuor eſſent illorum, qui non ſolum ſuffragium, ſed ipſum etiam Magiſtratum more Maiorum noſtrorum inire poſſent: his tres alij, qui ſuffragia quidem ferre, ſed tamen eligi minime poſſent, eo quod Eccleſiaſtici eſſent ordinis, adiuncti fuerunt. Qui eo minus cupiditate ſua praua ſe corrumpi & tranſuerſum agi paterentur, quod cauſam non haberent, cur diadema Imperatorium ipſi ambirent. Ad hoc inſtitutum acceſſit alterum non minus bonum atq; ſalubre, vt qui in illo excelſo honoris gradu collocarentur, ne durius quam oporteret, regnarent: antequam alijs imperare inciperent, eas leges quodammodo imponerent ſibi, nihil vt contra Eccleſiam Chriſtianam atque Rempub. noſtram, eiuſq; libertatem facerent. Nec ante ratum eſſet, quod in deligendo Imperatore egiſſent Septemuiri, quam Imperator deſignatus, cum eiſdem in leges illas certo pactorum genere conueniſſet, vt homines noſtri intelligere poſſent, ſe non in Domini cuiuſdam acerbioris, ſed in Patris, eiuſque perbenigni poteſtatem venire. Quod autem ad Principis huius facultates attinet, ne hic tenuior eſſet, & minus poſſet, quam recta ratio præſcriberet, idemq; accideret Reip. noſtræ, quod corpori humano, ſi forte caput eius imbecillius eſſet: moribus Maiorum noſtrorum inductum fuit, vt è vectigalibus, portorijs, & tributis Prouinciarum, ciuitatum, atque regionum noſtrarum tantum emolumenti caperet, quantum ipſi ad ſumptus neceſſarios & vtiles ſatis eſſet. Licuit item ei & pecuniam extra ordinem imperare, quoties opus eſſet, & euocare in militiam homines noſtros, atq; bella gerere cum Imperij noſtri hoſtibus. Quæ ſi alij Principes ſuſcepiſſent, iure communi, quo vtimur, non bella iuſta, ſed quædam potius latrocinia eſſe viderentur. Quare conſtat talem Reipub. noſtræ ſtatum collocatum fuiſſe initio, & non ita multo poſt ſtabilitum, vt melior nec à Deo, authore omnis boni noſtri, facile impetrari, nec ab hominibus peti poſſet. Ac cum vnicuiq; Ordini tribueretur, quod ſuum eſſet, & quo fieret plane beatus, certe nullus horum cauſam habuit, cur non Patriam hanc ſuam amaret, & tanto magis inter ſe iungerentur omnes, quanto plus adiumenti atq; præſidij alter alteri afferret. Quo minus loci relictum fuit aut inuidiæ vlli, aut odio, cum omnes aliorum bonis ſua contineri haud obſcure intelligerent. Plebs optimatibus atq; nobilibus ſuppeditauit, vnde laute atq; honeſte viuere poſſent: hi autem illam tutati fuerunt, & etiam cum periculo vitæ defenderunt. Ac cum Imperator omnes omnium Ordinum homines animo complecteretur, ijdem in huius imperio atque poteſtate beatiſſime conquieuerunt. Religio autem Chriſtiana, è cuius quaſi fonte omne bonum profluere conſueuit, Maiores noſtros ita excoluit, vt ad priſtinam horum fidem, conſtantiam atq; fortitudinem, quas virtutes è diſciplina Maiorum noſtrorum hauſerant, accederet pietas vera, accederet coniunctio animorum ſingularis, accederent alia bonæ vitæ officia. Itaque eis non minus omnia bene feliciterque euenerunt, quam Iudæis olim, quoad Deum coluerunt recte, nec ab alijs vitæ officijs deceſſerunt. Nam tantum bonorum ad Maiores noſtros delatum fuit Diuinitus, vt & viuerent bene beateque, & ſummo honoris ac gloriæ ſplendore ornarentur. Atq; hæc hactenus de optimo Reip. noſtræ ſtatu, in quo nec emolumentum bonum, nec ius æquabile, nec concordia, nec libertas, nec dignitas vera, nec iuſtum vnius imperium, nec denique illa ſacroſancta Dei immortalis religio deſiderari poſſet.

Nunc vero vellem, aut eadem Reſpubl. nullas poſtea labes contraxiſſet, aut mihi integrum eſſet eaſdem ipſas prætereire. Quanto enim maiore cum voluptate animi in cogitatione optimarum illarum rerum verſor, tanto acerbiore dolore afficior, quoties mihi malorum huius ætatis atq; temporis in mentem venit. Verum quia non ſolum ſuperiorum ætatum bona recenſere, ſed etiam quæ poſterioribus ſeculis accepimus vulnera aperire atq; tractare decreui, ſi quo modo & hæc ſanari, & illa recuperari poſſint, faciendum eſt profecto, quod locus hic atq; ſalus publica poſtulat. Ac primo quidem etſi Reſpublicæ eo minus labefactari poſſunt, quo melius conſtitutæ ſunt, tamen cum ita comparatum ſit, vt non minus quam aliæ res humanæ ſint mutabiles, & harum, vt Plato inquit, *conuerſiones naturales*: profecto cum diu & aliquot ſecula floruiſſet Imperium Germaniæ noſtræ, ita tulit tandem caſus rebus noſtris infeſtus, vt poſt mortem Friderici ſecundi idem duodeuiginti annos Imperatore careret. Interea cum Maiores noſtri non haberent, cui parerent vni, optimam illam, de qua egimus, Reipub. ſuæ formam prope amiſiſſe videntur. Quam etſi poſtea per Rodolphum Habſpurgium Reſpublica recuperauit, non ita tamen, vt ante interregnum, floruit. Nam quo tempore Magiſtratus Principeſque nationis noſtræ præſidio Principis ſui nudati erant, nec habebant, à quo defenderentur, opes ipſi ſuas, quibuſcunque rebus poſſent, firmarunt: & multa eorum, quæ ante Imperatorum fuerant propria, ad ſe tranſtulerunt: vt cum quiſque in ciuitate atque ditione ſua & regenda & tuenda munus Imperatoris obiret, ipſe eius neruis & quaſi viribus niteretur. Ac cum Magiſtratus Principeſq; noſtri illa vſurpaſſent aliquamdiu, nec ſine vi ab eorum poſſeſſione dimoueri poſſent, maluit Rodolphus de iure ſuo decedere, quam offendere voluntates eorum, quorum opera & domi & militiæ vtiliter vti poſſet: nec ſuſpicatus fuit vnquam fore, vt qui ex ipſo quaſi patrimonio Imperij creuiſſent, non obtemperaturi eſſent ſibi, poſteriſque ſuis vltro, nec Reipublic. gratis animis adiuturi. Et quanquam Princeps hic ſtatuebat ſe Imperium beneficijs multo facilius, quam vi atque armis tenere poſſe, deceſſit tamen non parum de publicis Imperij eiuſdem facultatibus

tibus atque emolumentis. Quin ab eo tempore indies magis ac magis extenuata fuerunt iura atque vectigalia Imperatorum noſtrorum, vt poſt Carolum IV. è publico noſtro & vectigalibus Imperij non modo non neruos bellorum, ſed ne pacis quidem ſubſidia amplius Imperatores noſtri habuerint. Debilitauit quidem ratio hæc poteſtatem, quam penes eſſe debebat ſumma rerum noſtrarum, atq; ita conuulſit, vt quibus Principibus populiſque Germaniæ imperare oportebat Cæſarem, eorum ipſe nutum intueri quodammodo cogeretur: cum præſertim ei non amplius liceret pecuniam atq; militem, ſine quibus nihil rerum magnarum bene geri poteſt, populis Germaniæ noſtræ imperare, niſi Principum atque Ordinum conſenſus publicus accederet. Quanquam autem dignitas atque maieſtas Imperatoris noſtri poſtea non iis opibus, nec ea potentia, qua oportebat, ſuſtentata fuit: tamen beneuolentia atq; virtute hominum noſtrorum nixa ſtetit, vt Reſpub. noſtra etſi foris minus glorioſe, tamen domi ſatis bene adminiſtraretur, quoad boni illi atq; antiqui mores in natione noſtra viguerunt. Nam & homines noſtri iuncti fuerunt inter ſe, & Imperatorem obſeruarunt, & Patriam ita amarunt, vt ſe pro ea grauiſſimis offerre periculis, atque vitam adeo ſuam profundere non dubitarent. Quibus vt nihil fuit antiquius, quam honeſte viuere, ac de Patria bene mereri, ita viciſſim nihil odioſius, quam turpiter viuere, & Patriam deſerere, vt Reſpubl. noſtra cum minus, quam ante, poſſet, moribus tamen bonis hominum noſtrorum ſeipſam ſatis bene tueretur: & appareret veriſſimum eſſe, 'quod ſapientiſſimi homines in ore habent, non eſſe, cur quiſquam ſtatum Reip. bonum non virtute potius ac pietate, quam pecunia, opibus, potentia metiatur, cum finis eiuſdem ſit ipſa bene beateque viuendi ratio. Verumtamen cum Princeps nationis noſtræ ſummus imbecillior foret, periculum erat, ne, quemadmodum corpus humanum, ſi aliqua potiorum huius partium langueſcat, ipſum ægrotare incipiat grauius, ita Reſp. etiam noſtra in languorem pernicioſum incideret. Itaque aui, ataui, atque Maiores noſtri cauerunt ſane diligenter, ne mores illi hominum noſtrorum boni, quibus Reſpubl. noſtra ſuſtentari videbatur, deprauarentur: & eam inierunt rationem, vt quas forte officii atque diſciplinæ quaſi habenas attenuatio Imperatoriæ poteſtatis laxaret, eas legum ſeueritas adſtringeret.

Eſt enim magna quædam inter Magiſtratum & legem coniunctio. Quare lege publica interdictum fuit, *ne quis Maieſtatem Imperatoris læderet, neue vim publicam in Rep. noſtra ſuſciperet: qui autem contra feciſſet, grauiſſima pœna afficeretur.* Atque hæc quidem lex primo ab Henrico II. lata, & deinceps ab aliis Imperatoribus ſæpe renouata fuit, vt non facile vllo tempore antiquari poſſet: Quæ cum alios fructus, tum eum attulit Reipubl. vt, qui fortaſſe nouarum rerum cupidi eſſent, ſtatum huius non facile labefactare poſſent. Ac quo minus nobiles, in quorum virtute magnū ſemper præſidium fuerat Reipub. neſcio qua licentia fierent deteriores, atque corrumperentur: non paſſi ſunt Maiores noſtri leges cenſorias è Rep. noſtra tolli: ſed quicunque nobilium grauibus ſe criminibus obſtrinxiſſet, & Rempub. eiuſque Principes læſiſſet, in certaminibus, quæ inſtar Olympiadum Græcarum inſtituta fuerant, publice, inſpectante tota fere Germania, infamia graui notati fuerunt, vt quos charitas Patriæ atque Imperatoris authoritas in officio non contineret, pœnæ atque infamiæ metus à ſceleribus deterreret: eoque minus Ordo hic Remp. armis, quibus eam ſæpe tutatus fuiſſet, dilaceraret. Cautum item fuit prudentiſſime, ne diſciplina militaris, quæ Reipub. noſtræ non ſolum vtilitatem magnam, ſed etiam ornamenta præclara pepererat, facile deprauari poſſet, neq; id iniuria. Etenim ſi vllorum hominum, certe militum vita ac mores arctiorem ſeuerioremq; diſciplinam deſiderant. Quæ ſi laxatur, hi in illa gladiorum ſuorum licentia cupiditatibus ſuis non facile vllum ſtatuunt modum: & non ſolum hoſtibus, ſed etiam ſocijs, amicis, atque Prouincialibus ſunt infeſti: nec iis, quos habent contubernales, parcunt, ab eiſque manus abſtinent. Hinc motus illi militares, hinc ſeditiones, quæ & Imperatores & magnos exercitus ſæpe euerterunt. Itaq; iure laudatur iuſta ſeueritas Aureliani Imperatoris, qui, vt milites à prauitate morum ad officium reuocaret, imperauit Tribuno ſuo, *ne pateretur militem vllum rapere pullum, ouem vllus contingere, vuam auferre, ſegetem deterere, oleum, ſal, lignum exigere:* & addidit *ſuo quemque ſtipendio contentum eſſe oportere.* Nec minus laudandus eſt noſter Fridericus ille tertius, qui vt licentia militaris reprimeretur, legem tulit de ſententia Ordinum Imperii, idque Francoforti: *ne per milites ſtaret, quo minus in Germania atque Prouinciis noſtris liceret populis cuiuſque loci ex agris atque vineis fructus natos capere ſine metu, & in villas atque domos ſuas conuehere.* Item, *ne milites igni vaſtarent villas & regiones, neue clericos, mulieres grauidas, & homines morbis grauibus affectos, peregrinos, mercatores, & aurigas, ſi qui merces deportarent, læderent, neue templa & delubra Dei immortalis violarent atq; diriperent, & res earum ſacras ad ſe transferrent.* Hi mores, leges atque inſtituta eam vtilitatem Reipubl. noſtræ attulerunt, vt quem Maiores noſtri huius ſtatum bonum atque concordem collocauerant, idem retineri poſſet: & quanto plus de poteſtate Imperatoris deceſſerat, tanto magis leges optimæ illæ Remp. noſtram iuuarent: & quod amiſerat illa, quodam modo reſtituerent. Ac quoniam Maiores noſtri intellexerunt præclare hæc eſſe illa ipſa vincula, quibus Reſpubl. noſtra contineretur, non modo non paſſi fuerunt, ea vllis improborum atque ſeditioſorum hominum conſiliis rumpi: ſed in conuentibus poſterioribus hæc eadem adſtringere etiam non dubitauerunt. Atque hoc quidem & bonum fuit per ſe, & publicis rationibus eo vtilius, quod Ordines noſtri eo, quod ipſi ſciuerant, iure, & de quo cum Imperatore quodammodo pacti fuerant, libentius vterentur. Videmus iam, vt lex muta opem tulerit Magiſtratui noſtro ſummo: qui idem eſſe debebat lex loquens, qua homines noſtri bene & vtiliter regerentur.

Atque vt illa vim ſuam haberet, conſtituit Imperator iudicium quoddam, à quo nihilo magis, quam à ſeipſo vlla eſſet prouocatio. Ac quo minus iudicium hoc iniquum vlli eſſe videretur, ea conſilij ratio inita fuit, vt qui in hoc adſciſcerentur Aſſeſſores ex omnibus regionibus nationis noſtræ, hi eſſent excellente virtute omnes præditi, & partim Iureconſulti, partim vero nobiles, quorum ſpectata & talis eſſet prudentia, vt ex æquo ac bono iudicare valerent.

Iam vero cum Reipublicę noſtræ nec leges bonę, nec iudicia, neque hominum noſtrorum ſtudia recta deeſſent, Imperator ipſe in iure publico atque voluntate Ordinum tantum habebat præſidij, vt ſeditioſos atque ſceleratos cum quadam ſeueritate coercere, & Rempublicam ipſam ſatis commode tueri poſſet.

Et quanquam huius rei ratio ſatis explicata fuit aliquandiu, tamen cum Principes certi atque ciuitates Germaniæ noſtræ ſimultates, neſcio quas, inter ſe gerere cœpiſſent: ne ea res cauſam daret fœderibus, quibus alteri contra alteros opes ſuas firmare ſtuderent, atque ita Rempubl. in factiones diſtraherent: Imperator Maximilianus fortiſſimus atque prudentiſſimus Princeps, de ſententia Ordinum lege cauit, *ne vllus Germanorum contra legem de pace publica ſe cum alijs Germanis vllo fœdere iungeret, neue bellum ſine authoritate publica ſuſciperet, aut in ſocietatem cum exteris gentibus, earumue Principibus coiret.* Magnum ſane fructum hæc lex Reipublicæ noſtræ attulit, & ad retinendum quietum huius ſtatum fuit longe aptiſſima: cum præſertim in eam Imperator & Maiores noſtri certo pactorum genere ita ſe adſtrinxiſſent, vt omnia fœdera eorum, qui nec iure æquabili ſtare, nec iniuriis abſtinere vellent, excluderentur.

Fuerunt leges, quas commemoraui, patriæ noſtræ cumprimis vtiles, & quamdiu ab hominibus noſtris legum earundem, iuris, concordiæ, pacis ratio habita fuit, tamdiu ea ſatis beata fuiſſe videtur: ſed tamen tandiu non dico beata eſſe, ſed ne ſtare quidem potuiſſet, niſi ipſam religio Chriſtiana fulſiſſet. Quippe quæ ducere ſolet homines ad fontem benignitatis diuinæ, vnde eam vim Spiritus ſancti hauriant, vt cupiditatibus ſuis improbis imperare, honeſte viuere, patriam complecti poſſint: malintque vitam amittere, quam hanc eandem deſerere. Ad Dei autem gloriam, quæ caput eſt bonorum, referant omnia, vt ſiue priuatim, ſiue publice quidquam agant, non in ſua virtute, ſed in Dei potius beneficentia ſpem ponant: ſeque miſericordiæ eius atque benignitati totos committant. His omnia ſolent eſſe ſecunda, fauſta atque felicia: & tanto id quidem magis, quanto de religione Dei immortalis minus diſſentiunt, vt mihi quidem videatur Reſpub. eorum, qui cum Chriſto eiuſque corpore, quod eſt Eccleſia, ſunt coniuncti, non minus facile diſſipari poſſe, quam impiorum atque ſceleratorum hominum greges diu conſeruari ſolent. Dederunt huius rei ſignum illuſtre gentium certarum, earumque impiarum imperia, quæ ita conciderunt, vt iam ne veſtigium quidem eorundem vllum extet. Verum Reſp. & regna certa, quorum idem de religione ſenſus ſemper fuit, & conſeruata ſunt diuinitus, & perpetuo floruerunt. Nec minus beata eſſet natio noſtra, nec minus dico? imo multo etiam beatior, ſi de religione Chriſtiana idem nos ſentiremus. Etſi enim de Imperatorum noſtrorum poteſtate ſuperioribus temporibus nimis detractum fuit, tamen quandiu hominum noſtrorum de religione ſenſus fuit concors, hi nihilominus Principibus illis ſuis paruerunt, quam ſi potentiſſimi eſſent. Quippe cum in animum ſuum inducerent, eum, qui Principi aut Magiſtratui ſuo non obedit, labi turpiter, & à conſcientia recta prorſus diſcedere. Itaque cum in poteſtate Principis ſui eſſe boni omnes vellent, vt debebant, facile compreſſerunt eos, qui contra eundem Principem aut Republic. ſe commouiſſent: atque ita mulctarunt, vt documentum daretur, quantum Germaniæ noſtræ præſidij eſſet in virtute, beneuolentia & obedientia iuſta hominum noſtrorum, præſertim cum milites etiam noſtri eam haberent rationem officii recti, vt quoties à Regibus exterarum gentium conducerentur, in ſacramento militari Imperatorem atque Imperium noſtrum exciperent: & mori mallent, quam contra patriam ac Principem noſtrum arma ferre. Quare Imperator noſter virtute atque voluntate bona hominum noſtrorum tantum potuit, vt non ſolum Rempubl. noſtram domi ſatis bene tueri, ſed etiam Prouinciis noſtris ſubuenire poſſet. Et in hoc quidem patriæ noſtræ ſtatu, quo quiſque hominum noſtrorum excelſiore erat animo, eo magis expetebat, vt imperium patriæ noſtræ in priſtinum reſtitueretur ſtatum, cumque optimum, & ita quidem reſtitueretur, vt non ſolum nationem noſtram atque Prouincias huius tueri, ſed etiam hoſtes Chriſtiani nominis à ceruicibus aliarum gentium arcere poſſet.

Ad cuius quidem rei ſpem hominibus noſtris quoddam veluti ſignum toties ſuſtolli videbatur, quoties vnus aliquis Principum Auſtriacorum, qui cum alijs virtutibus, tum pietate ſemper ornatiſſimi fuerunt, Imperator deſignaretur. Viſus fuit Rodolphus, qui primus tantum decus in gentem Auſtriacam intulerat, Rempub. Germaniæ noſtrę non ſolum conſeruare, ſed etiam amplificare poſſe, ſi ij, quos habere debebat bellorum neruos, ipſi non nimis acciſi fuiſſent. In Alberto autem tanto maior fuit ſpes, quanto fortunæ eius fuerunt ampliores: hic namq; cum ditione Auſtriaca regnum Pannoniæ atque Bohemiæ coniunxerat. Sed cum ipſe Germaniæ noſtræ ante eriperetur morte, quam ea, quæ de omnibus commodis ornamentiſq; eius cogitarat, conficere poſſet, bonis omnibus grauiſſimum ſui deſiderium reliquit. De Friderico autem tertio quid dicam? qui cum non æque potens eſſet, atque Albertus agnatus fuerat, & artibus pacis magis quam belli delectaretur: tamen conſilio, quo abundabat, viam nepotibus atque poſteris ſuis ad magnam potentiam muniuit. Etenim affinitate cum Carolo Burgundionum duce contracta, & hunc, qui antea ipſi iniquior fuerat,

con-

conciliauit ſibi, & pietate, qua excellebat, à Deo immortali impetrauit, vt idem Carolus non modo non cum eo de Imperio certaret amplius, ſed ſocietate potius atque amicitia optatiſſima iungeretur, & nepotem è filio Friderici Philippum ditionis ſuæ, quæ per Belgas ac Sequanos late patebat, hæredem relinqueret. Sic Deus Principes pios atque iuſtos iuuare conſueuit, vt hoſtes etiam, qui eis nocere volunt, mutata ſententia proſint. Nam ab eo iam tempore Auſtriaca domus mirum in modum creuit: vt enim Maximiliano matrimonium cum Maria Caroli filia vtile fuerat atque fauſtum, ita matrimonium Philippi cum Ioanna Regis Hiſpaniarum filia, ad eum, liberos nepoteſque ipſius regna Hiſpaniarum, Neapolitanum atque Siciliæ, iure hæreditario detulit. Erat quidem Maximilianus virtutibus ſummis præditus, & poſtquam ſingulari totius Germaniæ applauſu Imperator renunciatus fuerat, nihil eorum, quæ ad officium boni Principis pertinent, prætermiſit, & documenta ſtatuit illuſtria, quantum conſilio, virtute, atque fortitudine valeret: tum ea erat comitate, vt non ſolum noſtrorum hominum, ſed etiam exterarum gentium voluntates ſibi facile conciliaret. Rem autem militarem ita excoluerat, vt parua ſæpe militum noſtrorum manu maximos exercitus hoſtium deleret, & quoties ſignis collatis cum eiſdem pugnaret, toties & ſigna daret virtutis cuiuſdam excellentis, & victorias glorioſiſſimas referret. In hunc cum omnium Chriſtianarum gentium oculi eſſent coniecti: idemque nihil optaret magis, quam vt rebus Chriſtianorum pacatis, bella, quibus iidem ſeipſos conficerent, in Turcam nominis noſtri infeſtiſſimum hoſtem communi omnium conſenſu transferrentur, & iam huius rei conſilia non diſſimulanter captaret: en, tibi moritur hic optimus fortiſſimuſque Princeps ſuo quidem tempore, cum ſpiritus eius in illas cæli ſedes beatiſſimas haud dubie migraret, noſtro vero non item. Atque hunc vt Patrem patriæ Germania noſtra cuncta non ante deſtitit lugere, quam Carolus noſter quintus (quem ego Principem ſemper honoris amplitudiniſque cauſa nomino) optimo auo optimus è filio nepos ſucceſſiſſet. Qui cum & vellet pro ea, qua ornatus erat, virtute de patria noſtra atque vniuerſo Orbe Chriſtiano bene mereri, & idem poſſet, cum hoc Imperatore nullus poſt Carolum Magnum potentior ad Remp. nationis noſtræ acceſſiſſet: Deus certe illum ita genuiſſe videbatur, vt per eum Imperium noſtrum non ſolum ſtare, ſed etiam refloreſcere, & priſtinum ſuum ſplendorem recuperare poſſet. Nec Princeps hic feſelliſſet ſpem noſtram, ſi virtuti atque conſiliis eius euentus reſpondiſſet. Sed hic non ita multo poſt quam Magiſtratum illum ſummum inierat, quæ contra communes Chriſtiani nominis hoſtes capere debebat arma, eadem contra Chriſtianos certos, eoſque potentes, vt ſua defendere poſſet, ferre cogebatur. In quo tamen ipſo cauit diligentiſſime, ne minorem clementiæ, quam fortitudinis fructum caperet: & ne hoſtes magis, quam ſe ipſum vincere videtur. Nam victis illis atque captis tam benigne fecit, vt facile omnes intelligerent, malle ipſum cum iis, quos ſocios habere debebat, colere amicitiam, quam armis dimicare. Geſſit quidem Princeps hic res maximas, nec ei, qui virtute & rerum geſtarum gloria aliis regibus atque principibus Orbis terræ longo interuallo antecellebat, ad ſummum decus deeſſe quidquam videbatur, quam quod qualia de aliis Barbaris & Chriſtiani nominis hoſtibus trophæa in Africa poſuiſſet, talia in Europa conſtituere non poſſet: & quibus armis inſulas ampliſſimas, quæ ipſi e mari Occidenti quodam modo natæ fuerant, domuiſſet, eiſdem Turcas non frangeret, nec horum metu Auſtriam Maiorum ſuorum atque Ferdinandi fratris coniunctiſſimi & Regis longe optimi ſedem liberaret. Et quanquam in eam rem fortia ſæpe ac Chriſtiana conſilia inierat, tamen ita tulit caſus rebus noſtris infeſtus, vt quoties bellum ſactum ſuſcipere vellet, toties iniuria eorum, à quibus minime oportebat, conſilium illud bonum atque ſalutare mutare cogeretur. Vellem hoc loco quæ reliqua ſunt, nec ſine acerbiſſimo animi dolore commemorari queunt, præterire poſſem: ſed quia hæc à me ſuſcepta eſt oratio, non vt iniuriam vlli aut dolorem, ſed potius vt medicinam rebus noſtris languentibus, ſi quo modo poſſim, faciam, dabitis hanc veniam mihi, vt quæ ſentio, & locus hic poſtulat, libere dicam.

Atque vt ad ſecundum inſtituti noſtri locum veniam: etſi in virtute atque potentia Caroli Imperatoris multum nobis Germanis præſidii eſſe videbatur, & ſub Imperio eius ita exculta fuerunt ingenia noſtrorum hominum, & rei militaris ſcientia, quam à Maioribus noſtris quaſi per manus traditam acceperant, ita viguit, vt patriæ non ſolum adiumento, ſed etiam ornamento eſſe poſſent: tamen tanta morum peruerſitas incidit in tempora eiuſdem Imperatoris, vt patriam ipſi noſtram oppugnauiſſe magis, quam iuuiſſe videamur. Quandiu in natione noſtra de religione Dei immortalis concors & idem ſenſus fuit, homines noſtri patriam amauerunt, & communem huius vtilitatem commodis ſuis priuatis antepoſuerunt, vt cum Imperium noſtrum tenuius eſſet; his tamen moribus ſtatus eius conſeruaretur. Fuit namque religio fundamentum illud, quo idem Imperium primum niti cœpit, & poſtea ſuſtentatum fuit, quoad circa fidem ipſam idem omnes ſenſimus: ſed non ita multo poſt, quam Carolus noſter deſignatus erat Imperator, euenit, vt diſſenſio quædam de religione Dei immortalis oriretur. Quæ, vt fit, in contentionem erupit, contentio materiam ſubiecit odiis, odia autem Eccleſiam in parteis diſtraxerunt. Ac ſi vllum, certe hoc factionis genus concordiæ, ocio, atq; paci eſt inimicum. Nam alii factioſi propterea oderunt aduerſarios, quod putant eoſdem aut vitam, aut honorem, aut fortunas ſibi eripere velle. At qui de religione inter ſe litigant, eo maiore nocendi cupiditate inflammantur, quod metuant, ne ſi forte ab inimicis victi fuerint atque oppreſſi, ſalute æterna euertantur. Quod cum animaduerteret Carolus, vt magnam & à religione & ab Imperio noſtro peſtem auerteret, ſalutaria ſæpe captauit conſilia,

quibus ſchiſma ipſum tolli, & concors Germaniæ ſtatus collocari poſſet: nec prætermiſit quidquam eorum, quæ ad eam rem conficiendam pertinere viderentur. Sed tantum abfuit, vt hic optimi Principis conatus optimus nobis conſuleret, vt indies magis ac magis animi hominum noſtrorum exulcerarentur. Quin eo reciderunt omnia, vt præclare ageretur nobiſcum, ſi quæ vim habere deberent medicamenti cuiuſdam, non perniciem afferrent: Quippe cum ſchiſma ipſum non modo non ſedaretur, ſed indies magis ac magis ingraueſceret, nec religionem ſolum perturbaret, (quod tamen caput erat malorum) ſed etiam omnia Reipubl. noſtræ fundamenta conuelleret. Suſtulit id primum beneuolentiam hominum noſtrorum: & fecit, vt ruſtica plebs non ita, vt ante nobiles, quorum in poteſtate more Maiorum eſſe debebat, obſeruaret. Hinc illud ipſum belli incendium, quo tota fere Germania arſit, & quod vix tandem multo multorum ſanguine extinctum fuit. Hanc calamitatem ſecuti ſunt motus Principum virorum, qui ſpretis legibus Maiorum atque iudiciis æquis, rem geſſerunt vi, & ipſa Patriæ viſcera crudelem in modum lacerauerunt. Ac ne quid nobis deeſſet ad ſummam calamitatem, inuenti ſunt in Republ. noſtra potentes homines, qui coirent cum vicinis Regibus, iiſque infeſtis nomini noſtro, in ſocietatem nefariam vexandæ Patriæ atque Germaniæ noſtræ: idque contra, quam non ſolum Leges & boni Maiorum mores, ſed etiam ipſum naturæ ius præſcriberet. Quin extiterunt, qui cum temporibus ſe valere arbitrarentur, magna vi atque animorum impetu Maieſtatem ipſam Imperatoris imminuerent, & conarentur è manibus eius ſceptrum & gladium, qui ei à Deo quodam modo porrectus erat, excutere: & ipſum à ſede Imperatoria, in quam ſummo bonorum omnium applauſu collocatus erat, deiicere. Cætera malo vos tacitos cogitare, quam vulnera illa Reipubl. non ſine grauiſſimo & veſtro & meo dolore commemorando ipſe refricare. Quid multa? Quo tempore nos oportuit ad eam curam incumbere omnes, vt beneficio Principis noſtri, qui pro incredibili virtute ſua vellet Rempubl. noſtram conſtituere, ſalui atque beati eſſe poſſemus, nosipſi, nos inquam Patriæ, & nobis quodam modo ipſis infeſti fuimus, & ita reſtitimus eidem Imperatori noſtro, vt quod glorioſe conaretur, efficere minime poſſet. Itaque non miror equidem quid ſit, quod cum aliarum gentium, quæ in Caroli noſtri poteſtate erant, res florerent, noſtræ autem conuulſæ ſint. Nam cum illæ Principem illum obſeruarent, eiuſque dicto audientes eſſent, dignitatem eius tuerentur, & ad publica Patriæ ſuæ commoda referrent omnia, non minus creuerunt, atque ſibi ac Patriæ eidem veram gloriam pepererunt, quam nos cum contrariam vitæ rationem ſequeremur, & nosipſos & Patriam noſtram magno cum dedecore noſtro afflximus. Ac quia legum vincula, quæ potentiores in officio continerent, & præſidio eſſent Imperatoriæ poteſtati, diſrupimus omnia, & diſciplinam rei militaris ita corrupimus ipſi, vt multi militum noſtrorum malint Patriam populari, quam externos hoſtes ab hac arcere: nec ita magna habeatur ratio Imperatoriæ cum authoritatis, tum vero etiam poteſtatis: non iam miror ego quid ſit, quod non æque, atque aliæ, quibus imperauit Carolus, gentes, floreamus: ſed, quod non iam diu funditus interierimus: cum præſertim ſublata è Repub. concordia, & Imperatoria dignitate debilitata, in quo, ante quam Imperium nationis noſtræ conſtitueretur, fuit hæc ſtatu pernicioſo, in eundem quodam modo reciderit: & Imperator poteſtatem ſuam, quam ſummam vnus habere debebat, propeamiſerit. Sic enim venit vſu, vt ſimul ac vinculum charitatis, quod religio attulerat, ſublatum fuit, omnia noſtra ruerent atque dilaberentur. Quin factiones, quas diſcordia in nationem noſtram inuexit, quales ſint & quam pernicioſæ huius peſtes, declarant multi maximarum Rerumpublicarum perhorreſcendi caſus: & CHRISTVS ipſe Dominus atque Seruator noſter, qui ſumma authoritate hoc edidit oraculum, *fore vt regnum omne pereat, quod in ſe diuiſum eſt atque diſtractum.* Hinc ille impendentium periculorum metus, qui bonorum omnium animos vehementer perturbat: hinc eorum, qui de nobis nullum faciunt male cogitandi finem, exultans lætitia, dum iam quæ noſtra ſunt, ſpe atque cupiditate deuorare videntur. Ac ſi potentiores noſtri, qui tam procliues ſunt ad ſeditiones atque motus inteſtinos, ſuis ipſi armis Patriam frangere non deſierint, quid tandem, quid huic futurum erit? An cenſetis gladios Turcarum truculentiſſimorum hoſtium, ſanguine Chriſtianorum ſtillantes, conquieturos eſſe? An cenſetis alios vicinos occaſionem tam optatam nationis noſtræ dilacerandæ non arrepturos eſſe auide? An cenſetis Rutenos, poſtquam Prouinciam longe lateque patentem, nobis anno ſuperiore eripuerunt, non perſecuturos eſſe victoriam? prætereo hic prudens voluntates eorum, qui cum amici atque ſocii noſtri videri velint, Imperium tamen noſtrum attenuare, & Prouinciales noſtros in ſuam redigere poteſtatem non dubitant. Sunt hæc quidem talia, vt in clariſſima luce verſentur. Quare ſi de his longior fuero, ineptus ſim: illud tantum, quod res eſt, dico, Rempublicam noſtram languere: & quibus hæc rebus antehac nixa ſtetit, has omnes temporibus hiſce calamitoſiſſimis ita eſſe labefactatas, vt niſi primo quoque tempore vtilia Patriæ noſtræ atque ſalutaria conſilia ceperimus, periculum ſit, ne breui funditus ſit peritura. Sed quia tamen Ferdinandus Imperator longe optimus fratri optimo ſucceſſit, idemque ea cum prudentia, tum pietate præditus eſt, vt ad Imperium noſtrum inſtaurandum, & res optime gerendas natus eſſe videatur, ſaluti equidem deſperare nequeo. Nam cum hic omnia non ad ſuam, ſed Dei gloriam referat, nec pro incredibili virtute atque animi conſtantia minus ſecundis rebus efferatur, quam aduerſis deiicitur: ſpes oſtenditur, Deum immortalem tantum felicitatis ad eum delaturum eſſe, vt res noſtras labaſcentes non ſolum fulcire, ſed etiam ornare poſſit: cum præſertim ita ſe gerat ipſe, & ea beneuolentia omnes omnium ordinum noſtrorum homines ſibi deuin-

deuinciat, vt non ſolum eos, in quibus virtus Maiorum noſtrorum necdum obſoleuit, in poteſtate ſua habere, ſed etiam eos, qui antehac duriores aliquanto fuerunt, flectere, & in viam reuocare poſſe videatur. Itaque etſi imminentium periculorum metu pene frangor, & vehementiſſime doleo, quam Rempubl. noſtram Maiores noſtri magna cũ gloria conſtituerunt, & tutati fuerunt, eam culpa noſtra dilabi & quodam modo ruere: tamen non ita contraho animum, vt in rebus difficiliſimis non bene tandem ſperem: Quippe cum videam magnas dari opportunitates hoc tempore Reipublicæ eiuſdem reficiendæ, conſtituendæ, atque adeo ornandæ. Accedo igitur ad id, quod me tertio loco dicturum propoſui, & qua conſiliorum ratione rebus noſtris languentibus mederi poſſimus, oſtendam. Ac primum vt morum corruptela, diſcordia, & minor, quam par eſt, Magiſtratuum authoritas atque poteſtas faciunt, vt Reſp. non modo non florere, ſed ne ſtare quidem poſſint: ita virtus ciuium, concordia, & iuſta Magiſtratuum poteſtas eaſdem continent, tuentur, fouent. Nam Deus non minus bonos reſpicit perbenigne, quam improbos male mulctat: nec minus conſentientes & amantes patriæ amat, quam factioſos affligit: nec denique minus Rempu. eam, cuius Magiſtratus tantum poteſt quantum debet, conſeruat, auget, amplificat: quam eam hominum ſocietatem, in qua ciues peruerſo quodam more, quibus parere debent, imperant, & eorum iuſtum imperiũ recuſant, angue peius odit atque deteſtatur. Quare vt grauiſſimarum calamitatum metu nos tandem ipſos liberare, & patriæ conſulere poſſimus, peſtes illas, è quibus Reſp. noſtra hoc tempore languet, quam primum euellamus neceſſe eſt, vt quoad eius fieri poteſt, virtutem Maiorum noſtrorum, ſenſum concordem, & eam, quæ neceſſaria cum primis fuerit, Imperatoris poteſtatem recuperare poſſimus. Nam cum his rebus Imperium noſtrum partum ſit initio, non aliis commodius retineri vel inſtaurari poterit.

Sed antequam è ciuili ratione attulero, quæ ad rem pertinere videbuntur, de ſchiſmate horum temporum agam. Quod cum fons ſit & origo malorum noſtrorum, quibus hoc tempore affligimur maxime, hoc eodem ſublato, reliqua nobis haud dubie omnia ad Rempub. conſtituendam erunt faciliora. Atque idem ſchiſma tanto magis fugiendum eſt nobis, quanto magis in Domino noſtro IESV CHRISTO vnum eſſe omnes debemus. Eſt quidem Eccleſia ſponſa Chriſti, atque huius adeo corpus: vt qui eam diſſipat & ſchiſmate diuellit, quam huic iniuriam facit, eandem Chriſto ipſi inferre videatur. Quare Paulus Apoſtolus obſecrat Corinthios per nomen Domini noſtri IESV CHRISTI, *vt idem ſentiant & loquantur omnes, nec ſint inter eos ſchiſmata.* Deus autem vt ab hoc ſcelere nos deterreret, ſchiſmaticos exquiſitiore quam alios facinoroſos ſupplicio affecit: & quod ante inauditum fuerat fecit, vt Dathan & Abiron hiatus terræ modo quodam perhorreſcendo abſorberet. Extiterunt, qui corruptelas & vitia ex agro Domini euellere vellent, idque bonis omnibus applaudentibus: neque eſſet quamobrem vel conſilij, vel facti eorundem nos pœniteret, ſi non longius quam moderata ratio ferret, prouecti fuiſſent. Sed cum hi Eccleſiam quam iuuare debebant, ſchiſmate & perturbaſſent, & diſtraxiſſent, ſecuta ſunt ea, quæ vos tacita cogitatione complecti malo, quam de rebus aſperrimis aſperum aliquid proferre: illud tamen quod huius loci eſt, prætermittere nec poſſum, nec debeo, eos qui profitebantur ſe languores Eccleſiæ curare, cupiditate contentionis incitatos, fines iuſtos correctionis tranſiiſſe. Quin eo prolapſos fuiſſe, vt non tam repurgarent Eccleſiam, melioremque facerent, ſed vt eadem ſublata, nouam neſcio quam fabricarentur. Si domus aliqua adſperſa neſcio qua labe deformior ſit aliquanto, ſitum eſt in poteſtate Domini vel repurgare eandem, vt priſtinam formam bonam recuperet: vel diruere, vt aliam domum, eamque pulchriorem conſtruat, cum ſub hac noua aut melius, aut æque bene contra tempeſtatem aeris tectus eſſe poſſit. At Eccleſiæ longe alia eſt ratio: Quippe cum vna ſit ipſa, vna nimirum illa columba, de qua Salomon in *Canticis Canticorum*, & Vnum vnius capitis, videlicet, Chriſti, corpus, nec alibi vſpiam cubet CHRISTVS, & Spiritus ſanctus tanquam in templo ſuo vigeat. Itaque qui hanc deſerit, & nouam in qua viuat, quærit, ſe ipſum fallit: & ſi forte peregrino cœtui ſe adiungat, in eum locum venit, vbi nec CHRISTVM, nec Spiritum ſanctum inuenire, nec ex vtroque ſalutem haurire poſſit. Quo maiore cum pernicie ſua errant ſchiſmatici omnes, cum & Eccleſiam veram atque germanam deſerunt, & alios huic cœtus anteponunt. Quid igitur eſt? Certe vt ii, qui Eccleſiam veterem repurgandam cenſent, vt melior fiat, & priſtinam ſuam formam, eamq; pulchram recuperet, me non modo non repugnantem, ſed etiam conſentientem habent: ita conſilia eorum, qui illam non repurgare, ſed diſturbare atque oppugnare conantur, probare nec poſſum, nec debeo. Breuiter, ſchiſma non medicamentum eſt, quo Eccleſia languens curetur, ſed venenum, quo eadem tollatur. Poſitum eſt enim in ipſa natura rerum, ea, quæ diuiduntur, non minus recidere ad nihilum, quam quæ in vnum contrahuntur, firma ſunt atque ſtabilia. Conſcinde veſtem, & veſtis non erit amplius veſtis: diſiice parietes domus, & domus non erit amplius domus: diſſeca corpus humanum, & pro corpore partes quaſdam putridas reliqueris. Quod ipſum quale ſit, & quam pernicioſum, ſi in vlla alia re, certe in Eccleſia cernitur. Quidquid enim ab hoc vno vnius CHRISTI corpore auulſeris, vitam amittit, & computreſcit. Quinimmo quatenus Eccleſia in parteis diſtrahitur, eatenus CHRISTVS per ſummam iniuriam diuiditur. Nam, vt Paulus inquit, *Significatum eſt mihi ab iis, qui ſunt Chloes, quod ſint contentiones inter vos: hoc autem dico, quod vnuſquiſq; veſtrum dicit, Ego quidem ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus?* En tibi qui Eccleſiam in parteis diſtrahunt, Chriſtũ etiam ipſum, quantum in ſe eſt, diſcerpunt atque dilacerant. Ac ne quis forte putet hunc eundem in variis cœtibus, iiſque ab vno illo corpore

pore

pore ſuo, quod Eccleſia eſt, alienis, ſedem habere: monet nos Dominus ipſe, ne audiamus eos, qui dum nos in cœtus illos ducere volunt, aiunt, *Hic vel illic eſt Chriſtus.* Nolo hic aſperius agere cum vllo, nec accuſare quenquam: ſed id tamen, quod in clariſſima luce verſatur, diſſimulare non poſſum, nos Germanos, nos inquam non minus, quam Corinthios ſchiſmate in parteis Eccleſiæ, atque Reipubl. pernicioſas diuulſos eſſe: non minus dico? imo maioribus etiam de rebus, & ab eo tempore quo primum à veteri atque Catholica Eccleſia diſceſſio facta eſt in natione noſtra, ita quidem vſu veniſſe, vt vnum ſchiſma ſemper ex alio naſceretur. Hinc tot cœtus hominum religionis cauſa ſociatorum apud nos, qui cum omnes veterem Eccleſiam inſectentur, & ſint qui huic adimere conentur authoritatem Eccleſiæ veræ, quam ſibi vendicant ſinguli, non tamen multo minus acriter inter ſe, quam cum illa pugnant. Ac quoniam præter vnam hanc nulla alia ſocietatum humanarum vera & Germana Eccleſia, in qua ad ſalutem aſpirare queamus, eſſe poteſt: intelligitur haud obſcure eos, qui de religione inter ſe hoc tempore contendunt, & Patriam, & ſe etiam ipſos in grauem periculi flammam coniicere. Qui dum mores aut dogmata aliorum, quibuſcum in Eccleſia viuere debent, ferre nolint, idem eis accidit, quod iis, qui in alto nauigant, ſi quando odio eorum quibuſcum vehuntur, incitati, aut nauem communem perforent: aut vt ab his ſeiungantur, in Mare proſiliant, ſeque fluctibus huius committant. Hic quid reliqua quæritis? an non ſatius eſſet eis tolerare in naui communi, quod minus periculoſum eſſet, quam haud dubie mortis periculo ſe offerre? Quamuis enim optandum eſſet, Eccleſiam nec corruptelis vllis, nec vitiis deprauatam eſſe: tamen id quidquid eſt, iis qui idem nec probant neque imitantur, fraudi non eſt. At ſchiſma omnibus, qui in eo verſantur, pernicioſum eſt, & non minus Rempubl. quam Eccleſiam ipſam labefactat. Itaque ad eam curam incumbere debemus omnes, vt poſitis ſimultatibus, poſthac concordes ſimus inter nos, & de religione Dei immortalis idem & ſentiamus, & loquamur. Thraſybulus Athenienſis, vt ciuium ſuorum diſcordias ſedaret, legem tulit, qua omnis illarum memoria obliuione perpetua deleretur: atque hoc eius factum vno omnium bonorum ore laudatur. Quanto laudabilius foret, ſi nos, nos inquam Germani, controuerſias religionis ſuſtolleremus ipſi: & iniurias, quas nos ab alteris accepiſſe arbitramur, donaremus Eccleſiæ, donaremus patriæ, & non aliter, quam ſi inter nos nihil controuerſiæ vnquam fuiſſet, quietis animis & concordi ſenſu inter nos poſthac viueremus? Quare in conſilium adhibeamus non odium, nec arrogantiam, qui ſunt peſſimarum rerum conſiliarii: ſed charitatem, quæ ædificat, & Eccleſiæ mirum in modum prodeſt. Hac eadem ducti certemus inter nos, non vtri alteros vincamus contendendo, ſed vtri de alteris melius mereamur. Cogitemus nos non minus acres noſtrorum, quam alienorum vitiorum iudices eſſe oportere, cum ſua quenque magis, quam aliena peccata premant, & eos qui alios condemnant, dum ſuis interea vitiis indulgent, iure à Deo condemnari. Accuſemus ante noſipſos, quam alios, ſi quo modo in bono vincere malum, & eos, qui nos hoc tempore oderunt, ad æquitatem Chriſtianis hominibus dignam flectere poſſimus. Quod cum vtile fuerit per ſe, tum ad Eccleſiam repurgandam & pacem eius reconciliandam longe vtiliſſimum: cum nec nos, qui ſumus cum poteſtate Eccleſiaſtica, minus, quam officium noſtrum poſtulat, fecerimus: nec qui ſe aduerſarios conſtituerunt nobis, plus, quam recta & moderata ratio feret, fecerint. Nos igitur, nos, quos Deus in ſpecula Eccleſiæ ſuæ ita collocauit, vt Epiſcopi ſimus, excitemus nos ipſos, vt non quæ noſtra, ſed quæ Domini noſtri Ieſu Chriſti & omnium ſunt, curemus: nec defendamus corruptelas atque vitia, ſed eadem, quoad eius fieri poteſt, tanquam vepres malas, extirpemus. Aduerſarij autem noſtri ſe quoque ipſos moderentur. Cogitent quam periculoſa ſit contentio omnis, vt *quæ vim habet ad auditores peruertendos*, authore Apoſtolo. Cogitent quid acciderit Dionyſio Alexandrino doctiſſimo Patri, qui cum in refellenda hæreſi Sabelliana egregiam operam Eccleſiæ nauaſſet: tamen cum eius animus in contentione exarſiſſet neſcio quo modo acrius, & concitatior eſſet, quam oporteret, à moderata veritatis ratione eo deflexit, vt non ſolum Sabellianam hæreſim confutaret, quod bonum erat: ſed, etiam contrarium huic errorem inueheret, id quod non minus malum erat, quam hæreſis ipſa Sabelliana. Nam ex eo errore nata fuit lues illa Arriana, quæ poſtea totum fere Orbem terræ non ſine graui Eccleſiæ atque religionis Chriſtianæ pernicie peruagata fuit: vt Baſilius ille Magnus recte factum Dionyſij compararit facto eius, qui cum ſurculum in horto curuum atque prauum flectendo corrigere vellet, & in eo ipſo eſſet nimius, faceret, vt ſurculus idem in contrariam partem non minus curuus eſſet atque deformis. Cogitent denique mutationes illas, quæ vel bona æque ac mala tollunt, vel pro malis alia non minus mala inducunt, quales multæ in hæc tempora noſtra inciderunt, minime ferendas eſſe: Quippe cum à bono Eccleſiæ ſtatu tam alienæ ſint, quam quæ alieniſſimæ: nec eſt, quamobrem hic metus infamiæ quenquam moueat, & ab eo, quod recta officij ratio præſcribit, deterreat. Nam non, qui errorem ſuum agnoſcit & confitetur, cum in eo ipſo voluntati Diuinæ obediat, ſed qui eundem aut non agnoſcit, aut defendit, perperam atque turpiter facit. Aurelius Auguſtinus ſanctiſſimus atque ſapientiſſimus Epiſcopus, cum in illa opinionum temporis ſui varietate aliquoties lapſus fuiſſet, maluit errata hæc aperte confiteri, quam diſſimulare eadem aut defendere: ne eos, qui non ſatis cauti eſſent, in errorem vllum authoritate ſua induceret. Atque hic etſi lucubrationibus ſuis doctrinæ Chriſtianæ multum ſane lucis attulit, nec vllus Eccleſiaſticorum Scriptorum plura & vtiliora monumenta poſteritati reliquit: ex omnibus tamen libris eius nullus eſt honorificentior ipſi, quam is,

qui errores authoris non diſſimulanter aperit. Neque enim qui veritati cedit, ſuccumbit turpiter: ſed dum ſeipſum vincit, glorioſiſſima victoria potitur. Quæ cum ita ſint omnia, ad eam officii noſtri rationem omnes omnium partium Germani excitemus noſipſos, vt ſublato tandem ſchiſmate, concors ſit omnium de religione ſenſus: nec patiamur nos ab hac ratione vllo peruerſo animi motu deduci. Et quanquam hæc, quæ ad communem noſtram vtilitatem ac ſalutem vehementer pertinent, magnos animis omnium motus afferre debent: tamen ſi qui forte quieta conſilia repudiauerint, maluerintque litigare, quam communi conſilio Eccleſiam atque Rempublic. iuuare, nos qui publicis Eccleſiæ muneribus fungimur, nos, inquam, officium erga eandem atque Patriam noſtram prætermittere minime debemus: ne ſi forte hæc cum pernicie multorum conciderint, nos caſum hunc præſtare cogamur: & culpa noſtra non ita multo minus fraudi ſit nobis, quam ſi ipſi admotis quaſi machinis illas diruiſſemus. Quo magis elaboremus, vt ſi non cum aliis, tamen ſeorſim Eccleſiæ communi quaſi incendio conflagranti, quantum in nobis eſt, ſuccurramus. Ad quam rem bene vtiliterque conficiendam tanto plus facultatis ſuppetit nobis, quanto minus ea omnia Eccleſiæ noſtræ deſunt, quæ ad eandem vel repurgandam vel excolendam ſunt accommodata. Habet hæc verbum Dei & ſcripturas Diuinitus inſpiratas: habet illum ſanctorum Doctorum atque Eccleſiæ Catholicæ de dogmate veritatis ſenſum non obſcurum: habet denique mores inueteratos, eoſque ab omnibus Eccleſiis approbatos. Ac ſi quid forte horum alii cœtus habent, id totum ab illo noſtro veteri, vnde orti fuerunt, initio, quaſi per manus traditum acceperunt. Hæc ipſa ſi perueſtigauerimus nos, erit in procliui, vt de omnibus iis, quæ religionis ſacroſanctæ ſunt, ſine errore iudicemus: ac vera à falſis, bona autem à malis diſcernamus. Itaque cum in noſtra poteſtate ſitum ſit, vt ſi velimus, Eccleſiam ipſi noſtram ſimul & repurgare, & excolere poſſimus, cauendum eſt maxime, ne culpa officii deſerti nos poſthac premat: neue illud Spiritus ſancti in ſcripturis, *Va paſtoribus, qui paſcunt ſeipſos*, nobis iure exprobrari poſſit. Suſcipiamus igitur animos dignos munere noſtro: corrigamus ante noſtra, quam aliena vitia: atque operam demus, vt nec prauis atque peruerſis moribus, nec vlli pernicioſo errori locus in Eccleſiis noſtris relinquatur. Sed omnia ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti & ſalutem hominum ita referantur, vt in Eccleſiis eiſdem vigeat pietas, vigeat diſciplina, vigeat concordia. Hunc certe conatum noſtrum, eumque pie ſuſceptum, Deus, qui conſiliis quietis atque ſalutaribus fauet, haud dubie approbabit, eique talem, tamque bonum euentum adiunget, vt non ſolum amicis noſtris atque ſociis ſatisfacere, ſed etiam aduerſarios noſtros placare poſſimus.

Quanquam autem ſi ſchiſma illud ſublatum fuerit, in poſterum non ſolum Eccleſiæ, ſed etiam Reip. ſtatus melior erit procul dubio, tamen ne quid eorum, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, prætermittam, ciuilem etiam rationem, qua Reſp. noſtra fulciatur, ſubiungam. Ac primo quidem oſtendam, quo modo remota corruptela morum, diſciplina vetus, eaque honeſta, reſtitui tandem poſſit. Quod tanto fuerit neceſſarium magis, quanto minus, quæ non bene morata eſt Reſp. bona, tranquilla, atq; beata eſſe poteſt. Deinde de pace ipſa atq; concordia Germaniæ noſtræ afferam, quæ mihi videbuntur ad rem pertinere. Ad extremum, quo pacto Imperator noſter poteſtatem ſuã iuſtam recuperare, ac Reſp. noſtra non ſolum refici, ſed etiam ornari atq; amplificari poſſit, docebo.

Atque vt mihi quidem videtur, ea demum Reſp. optime conſtituta eſt, in qua ciues faciant ſua ſponte, quod bonum eſt, & cum officio recto coniunctum. Etſi igitur Plato ille Philoſophorum facile Princeps leges, quæ ſupplicia in ſceleratos, conſtituunt, probat: his tamen, quæ homines ad virtutem adducunt, & ita formant, vt præmio potius quam pœna digni ſint, anteponit. Eſſet quidem optandum, vt Patria noſtra hoc tantum legum genus, quo regeretur, deſideraret. Quod ſane contingeret, ſi homines noſtri charitate atque Spiritu ſancto tantum ducerentur: ſed quia cum imperfectioribus, quorum multi metu continendi ſunt in officio, viuitur, certe vt bonorum virtus alenda eſt præmiis, ita improbi à ſcelere pœnis propoſitis ſunt deterrendi. Neque enim ignotum eſt illud Solonis, *Duabus rebus, præmio & pœna, Reſpub. contineri.* Sit igitur in Repu. noſtra conſtitutum: Vt qui leges publicas violant, adulteri, ſacrilegi, calumniatores, perfidi, latrones, ſeditioſi, proditores, perduelles, non ſolum omni honoris aditu intercludantur, ſed etiam eo, quem forte obtinent honoratiorem, loco moueantur. Nec moueantur ſolum loco eodem, ſed ex ipſo etiam hominum cœtu prorſus eiiciantur: homines non digni, qui cum hominibus viuant, ipſi nimirum ab omni hominum ſocietate tam alieni. Rurſus qui Reipubl. vtilem nauant operam, hi ornentur præmiis, & in eo honoris gradu collocentur, vt quanto meliores ſunt ciues, tanto beatius viuant, & vberiorem virtutis ſuæ fructum conſequantur. Atque hæc præclara, quæ Imperator noſter in Rempubl. inducere poteſt, idque approbantibus bonis omnibus, procul dubio egregiam afferent vtilitatem rebus noſtris, & id plane efficient, nihil vt videatur in Germania noſtra miſerius eſſe, quam turpiter viuere, & patriæ nocere: & nihil viciſſim beatius, quam bene honeſteque viuere, & de eadem patria bene mereri. Quam rationem cum olim in Repub. Lacedæmoniorum conſtituenda ſibi propoſuiſſet Lycurgus homo prudentiſſimus, id quidem effecit, vt quos hæc genuiſſet ciues, vtiles eſſent patriæ, & mallent honeſte mori, quam turpiter viuere. Ex hac igitur multo plures, quam ex vlla alia Græciæ ciuitate boni atque fortes ciues prodierunt. Quo melius fecerimus nos, ſi hos, ſi hos dico? imo ſi patres atque Maiores noſtros, qui honeſtatis magnam ſemper rationem habuerunt, & non multo minus bonis legibus, quam illa Lycurgi fuit, ſeipſos deuinxerunt, imitati fuerimus. Ac ſi vlli, certe nobiles noſtri atque Principes viri, qui in oculis hominum vi-

uunt, & aliis vel bono, vel malo ſunt exemplo ad omnes recti officii partes excitandi ſunt. Quibus non ſolum fraudi ſit, contra quam leges publicæ præſcribunt, facere: ſed etiam animum ac mores non ita excolere, vt Reipubl. vſui eſſe poſſint. Nam qui hoc officium ſuum negligunt, non ſolum perperam facere, verum etiam Rempubl. cuius commodis ſeruire & conſulere debent, prodere quodam modo videntur, vt ſcriptum eſt ab Xenophonte homine doctiſſimo. Huc accedat cenſura illa, cuius à me ante mentio facta eſt, vt quo quiſque maiore ornatus eſt dignitate, eo grauiore infamiæ genere notetur, ſi forte in flagitia inciderit. Atque hoc præclarum diſciplinæ vinculum vtinam aut nunquam è Repub. noſtra ſublatum fuiſſet, aut primo quoque tempore reſtitueretur. Quod ipſum nobiles atq; Principes viri ſi dignitatem ſuam tanti faciunt, quanti facere debent, ita ipſi renouent, vt ſceleratos ordine ſuo moueant, nec patiantur horum quaſi contagione alios, qui ordinis ſui ſunt, contra quam decus commune poſtulat, infici atque contaminari. Iam vero vt non ſolum ſcelerati metu pœnæ terreantur, ſed bonorum etiam virtus præmiis acuatur: certe bene meriti de Repub. in publicis conuentibus ornentur, & extent præclara quædam in Republ. noſtra inſignia virtutum. Quod quantam vim habeat, non ſolum ad homines in officio continendos, ſed etiam ad excitandas horum virtutes & actiones laudabiles, multa omnium ætatum exempla illuſtria oſtendunt. Atque hæc, quæ de præmio & pœna à nobis poſita ſunt, non in eas anguſtias concludimus, vt ad nobiles & Principes viros tantum pertineant: ſed tam late ea patere volumus, vt vniuerſus populus præmio inuitetur ad virtutem recteque facta, & pœna à delictis atque flagitiis deterreatur. Sit igitur Reſpubl. noſtra ita conſtituta, vt in ea poſthac bonis vtile ſit atque honorificum, viuere honeſte & patriam iuuare: ſceleratis autem calamitoſum, malefacere ac patriæ nocere. Cogitemus quantum virtus Maiorum noſtrorum ipſis atque Germaniæ noſtræ exiſtimationis bonę pepererit. Qua nimirum virtute illi ita ſe exteris gentibus commendauerunt, vt cum quædam harum ciuitates conſtituere vellent, euocarint homines noſtros, eoſque gubernaculis illarum admouerint. Hos nanque tanti fecerunt, vt ab eis regi ducerent beatum eſſe: neque id iniuria. Nam in quibus ipſi & Pannonum, & Sarmatarum, & Tranſſiluanorum ciuitatibus domicilia ſua collocarunt, has ita adminiſtrarunt, vt præ cæteris earundem regionum ciuitatibus florerent. Quod ſi Maiorum noſtrorum mores boni tantum profuerunt exteris gentibus, quanto maius erit nunc dedecus noſtrum, ſi ob vitia, neſcio quæ, non modo non exteris amplius, ſed ne noſtris quidem profuerimus: cum præſertim eius rei, qua patriam iuuare poſſimus, conficiendæ non ita difficilis ſit ratio, dum modo & noſtra, & Maiorum noſtrorum inſtituta bona, quæ partim moribus inueteratis, partim vero decretis Conuentuum noſtrorum publicis continentur, cuſtodire, quam rebus nouis, & iis quidem noxiis, ſtudere maluerimus. Sed hæc hactenus de moribus hominum noſtrorum, nunc vero de pace atque tranquillitate.

Conſtat, diſcordiam & factiones eſſe grauiſſimas illas Rerump. peſtes, quibus res magnæ non minus atteruntur, quam concordia & coniunctione ciuium paruæ creſcunt. Nam illæ quandiu in ciuitatibus atque Rebuſpublicis verſantur, tandiu hæ ita agitantur, vt ſint prorſus miſeræ. Dedit huius quidem rei documentum Reſpublica nationis noſtræ antequam conſtitueretur, & in vnum quaſi corpus coaleſceret. Quæ poſtea pro ea, quæ contrariis attributa eſt, vi, tanto magis in concordi ſuo ſtatu effloruit, quanto ante calamitoſior fuerat. Et quanquam ſi ſchiſma, de quo iam egimus, ex ECCLESIA tolleretur, omnia nobis ad Pacem atque concordiam eſſent faciliora: tamen ſi qui forte cupiditatibus ſuis indulgere, quam piis atque quietis conſiliis parere maluerint, ratio certe ineunda erit, vt ſi non charitate, metu tamen pœnæ ad officium reuocentur. Nihil æque diſcordiam atque factiones alit, ac vis atque iniuria: dum qui aut pari ſunt potentia, inter ſe certant, aut potentiores, eos qui imbecilliores ſunt, conantur opprimere, hi autem ſe atque fortunas ſuas opibus aliorum tueri ſtudent: Quo magis cauendum eſt, ne leges, quas Maiores noſtri de pace publica tulerunt, antiquentur: neue locus in Republ. noſtra ſit iis, qui malunt vi agere, quam legibus: homines non digni, qui cum hominibus viuant, quando ad ipſam belluarum immanitatem ita ſeſe abiiciunt. Vigeat igitur iudicium illud, quod primum Maximilianus Cæſar ita conſtituit, vt in eo non minus facile ius ſuum infimi obtineant, quam ſummi: & hi ſi in leges publicas inciderint, non minore ſeueritate, quam illi, plectantur. Vigeant leges publicæ, & ſummos atque infimos æque teneant: id quod ad concordem Reipub. ſtatum tanto erit aptius, quando contrarium eius cauſam dat maiorem odiis, maleficiis, motibus. Ac quo maius Reipublicæ ſit præſidium in legibus ac iure contra factiones, ſeditioneſque, caueatur iterum, ne cui hominum noſtrorum liceat aut ſuo, aut alieno nomine in Germania militem ſcribere, niſi huius rei Imperator ipſe author factus fuerit, aut forte ei, qui militem ſcribit, defenſionis cauſa bellum ſit gerendum. Ac quoniam callidi homines vim, quam alteris inferunt, ſub ſpecie defenſionis excuſare ſolent, intra quos fines ius huius conſiſtere debeat, decernendum videtur: nec minor in eos, qui Legi de pace fraudem faciunt, quam in eos, qui hanc eandem non diſſimulanter violant, pœna ſit conſtituta. Ac quia leges inanes fuerint, niſi ſint qui, quod præſcribunt eædem, exequantur: renouetur illa Reipublicæ noſtræ ſanctio, vt quicunque poſſunt, iniuriam ab iis, quibus vis publica infertur, depellant, & turbulentos coerceant: & ſi moniti officium hoc ſuum non fecerint, non multo lenius, quam ij qui pacem turbant, mulctentur: quippe cum non minor ſit culpa eius, qui non ab aliis iniuriam propulſat, cum poteſt, quam qui eandem infert. Iam quia priuata quorundam fœdera, eaque ita contra omnes icta, vt ne Imperatorem quidem exciperent, factiones fouerunt ante-

hac

hac pernicioſas: & mores noſtros ita peruerterunt, vt cum ante ſeditioſi comuni omnium noſtrum conſilio atque ope coercerentur, per fœderatos illos aliquandiu ſteterit, quo minus idem effici poſſet. Quo ipſo quantum detrimenti Reſpub. noſtra ceperit, huius quaſi vulnera declarant, & ante oculos omnium ponunt. Itaque Lex illa Maximiliani, quæ, vt ante a nobis dictum eſt, vetat, ne qui fœderibus huiusmodi vel cum hominibus noſtris, vel cum exterarum gentium Regibus ſe vllo tempore iungant, reuocanda eſt. Renouandum eſt item illud ſaluberrimum Legis de pace publicæ caput, quod conſtituit, *vt communi omnium Ordinum ope, arma è manib. ſeditioſorum extorqueantur*: & eo quidem maiore cum ſeueritate, quod quidam eorum, quos minime oportet, & milites noſtri in iſta Reip. noſtræ quaſi nocte diuturna aſſueuerunt populari Patriam, ex huius præda ſibi rem parare, & in iſta ſua armorum licentia ſpem libertatis, neſcio cuius, ponere. Viuimus cum hominibus bellorum appetentibus, quos niſi pietas Chriſtiana ad manſuetudinem flectat, malunt potius rem ad arma deducere, quam æquo cum aliis iure viuere. Quo etiam minus illi, qui ſine iuſta vllius authoritate fiunt militum concurſus, ferendi ſunt, eo quod & nationi noſtræ infeſti ſunt, & magnis motibus cauſam præbere videntur. Solent quidem è malis moribus bonæ leges naſci, atque hæ tum ferri ſolent, cum laboratur maxime: verum nobis, vt peſtes illas, quæ Rempub. noſtram perturbant, tollere, atque eam in ſtatum, vnde decidit, quietum atque concordem reſtituere poſſimus, non eſt neceſſe nouas ferre leges, ſed quas habemus veteres retinere, tueri, cuſtodire. Ad quod ipſum tanto nos magis excitare debet officium noſtrum, quanto turpius atque miſerius fuerit, nos vel hanc labefactare vel deſerere, & in ea nobis ipſis tantum periculorum conflare. Quoad concordes fuimus, virtus atque arma noſtra præſidio fuerunt cum ſingulis nobis, tum Reipub. cunctæ, & hoſtibus noſtris terrori: ſed nunc ſublata concordia atque beneuolentia, nec nobis atque Patriæ hoc eius aſperrimo tempore opem ferimus: nec, vt ante, terrori ſumus maleuolis, ſed ludibrio: dum putant ſe artibus ſuis, quod conantur, efficere poſſe, nimirum vt noſtris conſiliis, noſtris armis confecti fractique concidamus. Nec eſt, cur hic quæratis reliqua, cum vobis ignotæ non ſint plagæ illæ, quas, dum hominibus, neſcio quibus, iiſque de nobis male cogitantibus, gratificamur, non ita pridem accepimus. An non hac lege nati ſumus, vt magnam noſtri partem Patria ſibi vendicet? At nunc ſunt in Germania noſtra, qui malint vim atque manum Patriæ huic ſuæ afferre, quam exterarum gentium vim atque iniuriam ab ea depellere. Hoc malum vt fugere, & maculam hanc atque dedecus, quod certorum hominum culpa contraxit, è nomine noſtro, quam primum delere poſſimus, nihil hic aliud dicam ego, quam quod à nobis omnibus ſalus publica impetrare debet: vt quas gerimus ſimultates inter nos, deponamus quam primum: & poſthac ſingulari animorum conſenſione reſiſtamus factionis illis, & Patriæ laboranti ſuccurramus. In ea incidimus tempora, vt hoſtem poſt homines natos potentiſſimum truculentiſſimumque à ceruicibus noſtris non ſine graui periculo noſtro arcere queamus, etiam ſi coniunxerimus omnes copias noſtras, & communem Patriæ noſtræ defenſionem grauiter ſuſceperimus. Itaque niſi deſierimus factiones ipſi noſtras fouere, & nobis ipſi infeſti eſſe, quid tandem futurum erit nobis? ac ſi ſtudio partium incitati, iis, qui è ruinis noſtris creſcere cupiunt, obſequi, quam idem de Rep. noſtra ſentire, eamque iuncta opera tueri maluerimus, an non hanc magna cum infamia noſtra deſerere, deſerere dico? imo prodere videbimur: Quare ſi nobis Patria, ſi ſalus publica, chara eſt vt debet, ad eam curam incumbere nos oportet, vt quacunque ratione poſſimus omnia, quæ diſcordiæ atque factionibus materiam ſubiiciunt, è Repub. noſtra primo quoque tempore tollamus, & communi Ordinum ſumptu tale in ea præſidium collocemus, vt coerceri facile poſſint, qui leges vi atque armis perrumpunt, nec æquo cum popularibus ſuis iure viuere volunt. Ac ſi qui forraſſe à quietis conſiliis abhorreant, & diſcordia magis quam pace delectentur, nec velint de ſuo ſuppeditare, vnde præſidium illud alatur: inuenientur tamen non pauci omnium Ordinum viri boni, qui quanto magis ocio atque publicis rationibus noſtris fauent, tanto minus conſilia factioſorum ferenda putant: hi certe nec Patriæ, nec ſibi deerunt, ſed quantum debebunt, conferent in eam rationem, vt præſidium, quo de agimus, pernicioſis certorum hominum conatibus opponi poſſit. Ac ſi leges apud nos tantum valuerint, quantum debebunt, & fuerint, qui defendant innocentes, ſeditioſos autem comprimant, habebimus breui Rempub. quietam ac tranquillam, & factioſi legibus ac armis bonorum territi, conſilia ſua, eaque Rempub. pernicioſa, mutare cogentur.

Sed de iis, quæ ad concordiam & pacem publicam pertinent, ſatis iam dictum ſit, ſi, quod vnum addendum eſt, non prætermiſero, nimirum rem peſſimi exempli non ita pridem in Germaniam noſtram inductam eſſe, vt leuiſſimis quibusque nebulonibus liceat honorum virorum nomina non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſcriptis conſcindere: &, quorum conſtantia, virtus, & fides erga Imperatorem noſtrum atque Rempub. perſpecta eſt, & qualiin illuſtri loco ſita, eos acerbiſſime calumniari; commendare autem in vulgus ſeditioſos, vt quantum in eis eſt, iam non tam fraudi ſit malis perperam facere, quam bonis in officio permanere. Quod quanto minus ferendum eſt, tanto maiore ſeueritate in authores facinoris tanti, eorumque fautores ſtatuendum eſſe videtur.

Verum quia ea, quæ Reip. intereſſunt, conſtitui non facile poſſunt, niſi Princeps noſter authoritatem poteſtatemque iuſtam recuperarit: de hac ipſa, quod me poſtremo loco facturum oſtendi, nunc dicam, atque hanc Orationem eo libentius ingrediar, quod ea ſe nobis offerunt, vt non ſolum poteſtas illa recuperari facile, ſed per eam Patria noſtra ornari, & Imperium feliciter ſane propagari

pagari poſſit. Et quoniam quæ afferam ego, cum ſalute Patriæ atque vniuerſi Orbis Chriſtiani coniuncta erunt, ſpero rem ipſam à vobis impetraturam eſſe, vt Orationem hanc meam non inuiti ſitis auditori. Ac primo quidem ſi concors atque quieta eſſet Reſpub. noſtra, nec exteræ nationes tot ac tanta pericula nobis atque vniuerſo nomini Chriſtiano conflarent, minus eſſet cauſæ cur in Repub. noſtra maiorem Imperatoris poteſtatem deſideraremus. Sed quia in eadem viuunt homines quidam factioſi, & tales, vt niſi poteſtate aliqua maiore à conſiliis pernicioſis deterreantur, nec legibus obediant, nec patriam perturbare deſinant: & cum Turcæ, ac quidam vicini noſtri id agant, vt Imperium nationis noſtræ, quod idem Romanū eſt, aut transferatur alio, aut funditus intereat, & nos non ſolum hoc inſigne ornamentum noſtrum, ſed etiam libertatem amittamus: certe alterutrum horum euenire neceſſe eſt, vt vel Imperatori noſtro maior poteſtas adiungatur, vel Reſpublica noſtra inteſtinis motibus & exterarum gentium armis confecta ipſa pereat. Hoc ſi accideret, (quod tamen omen Deus perbenigne auertat) non ita multo poſt reliquæ etiam Chriſtianæ gentes ruerent. Eſt enim Germania noſtra illa quaſi arx, in qua orbi Chriſtiano & opportunitate loci, & militum copia atque fortitudine tantum eſt præſidij, quantum in nulla alia natione. Nam cum Imperium in ea ſedem ſuam quaſi in medio Chriſtianarum gentium poſuerit, & vicina ſit Italiæ, Galliæ, Pannoniæ, Sarmatiæ: certe in quamcunque harum nationum hoſtes Chriſtiani nominis impetum fecerint, noſter ei miles ſubuenire ſubito atque commode poteſt. Quod quanto nationibus illis plus auxilii ferre poteſt, tanto plus periculorum eiſdem eſſet, ſi hoſtes illi Germania noſtra potirentur: Niſi quis forte putat hos eoſdem cupiditates ſuas crudeles noſtro ſanguine ita expleturos eſſe, vt tela ipſorum poſtea ſint quietura. Hoc qui ſentit, eos non ſatis bene nouit, & ignorat Mahumeticis legibus ita vinciri, vt ſi parcant vlli Chriſtianæ genti, graui ſe religione obſtringi arbitrentur. Verum illud tamen negandum non eſt, eos hoc tempore noſtrum plus, quam aliorum ſanguinem ſitire: non quod nobis oppreſſis depoſituri ſint arma, ſed vt eiſdem ſanguine noſtro imbutis, ſperent fore, vt reliquas Chriſtianas nationes facilius vincere atque opprimere poſſint. Quare non ſolum noſtra, ſed etiam omnium Chriſtianorum intereſt, Imperatoris noſtri poteſtatem, atque adeo Imperium ita conſtitui, vt vigeat, & priſtinam ſuam dignitatem recuperet. In quo nos quidem tenuiore etſi aliquandiu ſatis bene beateque viuere potuimus, non tamen in nobis Orbi Chriſtiano tantum fuit præſidij, quantū eſſe debuit, & dignitas Imperii noſtri poſtulauit: alias Turcæ Byzantium non eripuiſſent Reipub. Chriſtianæ, nec fines ſuos eo protuliſſent, vt iam è Pannonia, cuius bonam partem occuparunt, ceruicibus noſtris imminere videantur. Fuit antehac nobis atque cunctæ Europæ perhonorificum, cum iſtis in Aſia ipſa bella gerere, & è faucibus horum exteras gentes eripere. At nunc (proh Deus immortalis) res noſtræ eo reciderunt, vt non in Aſia amplius, ſed in finibus noſtris, cum eiſdem pugnare cogamur. Quo magis poteſtati Principis noſtri, atque adeo Imperio fauere ipſi, & operam dare debemus, vt eodem noſtræ atque Chriſtiani Orbis res contra communes hoſtes bene muniantur. Imperia quæ vi conſtant, & populos duriore ſeruitute premunt, minime probo: illa autem moderata, quæ populos liberos non affligunt, ſed defendunt: nec eoſdem opprimunt, ſed in officio tamen continent, & ab inteſtinis motibus auertunt, non poſſum non probare: Maxime ſi ita ferant tempora, vt neceſſe ſit horum potentia iuſta, aliorum vim iniuſtam & crudelem frangi. Vt enim mi iſtum Imperium quod ſeruitute homines opprimit, perhorreſcendum eſt: ita bonum atque iuſtum, quod liberat eoſdem atque defendit, expetendum. Inciderant in illud Iudæi cum ab Aſſyriis capti, ſeruitutis duriſſimæ vinculis conſtringerentur: ſed poſtea tamen Cyrus, quem Deus ipſe excitarat Imperatorem iuſtum, iugum hoc à ceruicibus illorum deiecit. Quo tempore animaduerſum fuit, imperia iuſta & approbari Diuinitus, & hominum generi multum conducere. Quare nolim in natione noſtra Imperium tale, quale & Aſſyriorum fuit, & hoc tempore Turcarum eſt, exiſtere: Maxime tamen volo tale Imperium, quale priſcis temporibus Cyri, & poſtea Caroli, Othonum, Henricorum, & Fridericorum noſtrorum fuit, reſtitui. Nolo nos Germanos, nos inquam, per quos alii liberi eſſe debent, libertatem noſtram priſtinam amittere. Sumus profecto, ſumus in eum locum deducti, vt ſtatuendum ſit nobis, verum hoc tempore, quo tantis procellis iactamur, malimus ſeruire turpiter aut perire, an Principem noſtrum maiore & ea cum poteſtate eſſe, vt maximorum periculorum metu nos liberare, atque dignitatem noſtram tueri aut inſtaurare recte poſſit. Ad quod ipſum ante etiam nobis opportunitates quædam bonæ fuerunt, ſed tamen nec maiores nec meliores, quam hoc tempore, vt ſi quod neceſſarium eſt rebus noſtris, & tantum commodorum afferre poteſt, neglexerimus, ipſi à noſtra atque publica Germaniæ noſtræ ſalute ſimus plane auerſi.

Principio conſtat, Imperatorem noſtrum è publico Reipub. noſtræ non habere, vnde ipſe ac familia eius commode viuere poſſit: Abundare autem ſingularum regionum noſtratum Principes atque Magiſtratus, ad eoſque tantum bonorum atque fortunarum fluere, vt non ſolum commode, ſed etiam laute atque cum quodam ſplendore viuere queant. Quod quale ſit, & quantum de Imperatoris exiſtimatione atque authoritate detrahat, non facile dixerim: certe alterutrum horum vſu venire neceſſe eſt, vt aut Imperator noſter ab iis, qui in poteſtate ipſius eſſe debent, contemnatur, vt nunc tempora ſunt & mores: aut damna hæc Imperii, patrimonio ſuo, ſi quod habet vberius, quoquo modo ſarciat. Quorum alterum non poteſt non nocere Reip. alterum vero eidem tanto minus commodum eſt, quanto diligentius ea, vnde multum emolumentorum ad nos

redit,

redit, quam tenuia, ſi quæ habemus, curare ſolemus. Quare vt Imperator noſter è publico noſtro tantum vtilitatis atque emolumentorum capere poſſit, quantum oportet, ſi ſuaderem Principibus Magiſtratibusque eiusdem Reipub. noſtræ, vt quæ vectigalia publica Imperii ad ſe tranſtulerunt Maiores ipſorum, ea reſtituerent, atque ita cenſum Principis ſui ad communem omnium vtilitatem augerent, non eſſet profecto, cur quiſquam conſilium hoc meum repræhendere deberet. Etenim ſi Longobardorum Principes cum primum regnum ſuum conſtituerent, de ſuo quod publici iuris nullo tempore fuerat, in publicum tantum contulerunt, vt Rex eorum cenſum honeſtum habere poſſet: quanto æquius eſſet, vt nos Imperatori noſtro redderemus, quæ Maiores eius aliquando habuerant? Sed quia veriſimile non eſt, Principes Magiſtratusque noſtros à iure inueterato ſponte ſua deceſſuros eſſe, & paſſuros, vt res tanti emolumenti à ſe auferantur ne detur cauſa motibus periculoſis: ſatius eſſe cenſeo inſtitui vectigalia noua ad vtilitatem Imperatoris noſtri, quam vetera reſtitui: cum præſertim populis non æque graue fuerit pendere vectigal nouum quam Principibus atque Magiſtratibus ſua, quæ multum vtilitatis afferunt, vectigalia amittere. Ac mihi quidem videtur, populis atque adeo cunctæ Germaniæ vectigal illud eo minus moleſtum futurum eſſe, quod ſingulorum rationes publicis commodis ita contineri videntur, vt quanto Imperator noſter plus poterit, tanto ſinguli Reipub. noſtræ ciues & quietius viuere, & è bonis eiusdem facilius creſcere queant. Nam quoad Imperium noſtrum beatum fuit, & Imperatorum facultates amplæ, Maioribus noſtris aditus ad magnas cum diuitias, tum dignitates non ſolum domi, ſed etiam in Prouinciis noſtris patuit. Hinc in Italia Gonzagarum, Vicecomitum, Scaligerorum, Columnenſium, Malateſtarum, & aliarum nobiliſſimarum gentium fortunæ atque ornamenta. In Gallia autem Sabaudiæ, Salutiæ, atque Montiſferratenſium Principum opes atque dignitates magnæ atque florentes. Quas ipſas gentes è Germania noſtra in illas ſedes tranſtulerunt Imperatores noſtri, & cenſu atque honoribus auxerunt. Quanto igitur ad vtilitatem etiam ſingulorum aptius fuerit in Republica noſtra, virtutum bonorum tanta propoſita eſſe præmia, quam eodem è tenuitate Principis ſui ita languere, vt in ipſa etiam Patria non modo non amplas illas honorum acceſſiones expectare quiſquam, ſed uix ægre tueri poſſit. Errat igitur quicunque putat, fore, vt quod Imperatori ſoluet vectigal perditurus ſit: & non potius bene atque vtiliter omnino collocaturus. Verum enimuero cum Reipub. noſtræ intereſt plurimum, vt non modo Princeps eius non tenuior ſit, quam oportet, ſed aliis etiam tantum poſſit, quantum dignitas eius poſtulat: certe quod ſibi Magiſtratus in natione noſtra atque Principes ſingularum regionum ſumunt, vt populis ſuis quoties volunt arma imperent, idem cur Imperatori publico nomine & totius Reipub. cauſa non liceat, equidem non video. Ac ſi illis licet imperare militem, etiamſi Imperator author non fiat: quanto æquius fuerit Imperatorem ſine conſenſu horum euocare ex omnibus Germaniæ regionibus milites, quotieſcunque vel motus inteſtini ſedandi ſunt, vel externi hoſtes arcendi? Quod cum nunc ei non liceat, niſi ante, quod agere inſtituit, Ordines Reip. noſtræ ratum habuerint, fit, more neſcio quo, vt qui Principi noſtro parere debent, eorum ipſe nutum intueri cogatur. Quod quale omnino ſit, malo vos tacitos cogitare, quam ipſe durius quidquam proferre. Incommodum certe hoc eſſe Reipub. noſtræ, quotusquiſque eſt qui non intelligit? Nam cum ad res bene gerendas ſæpe opus ſit celeritate, quam Iulio Cæſari primo Imperatori inuictas atque glorioſiſſimas peperiſſe victorias memoriæ proditum eſt, cumprimis vtile erit Reip. Imperatorem tantum in ea poſſe, vt ſine vlla mora huic eidem ſuccurrere valeat: nec ipſi neceſſe ſit tempus terere eo impetrando, quod publica ſalus exigit, auxilio, atque ita ſæpe occaſionem rei bene gerendæ amittere. Ac ſi vnquam antehac ratio illa fuit neceſſaria Patriæ noſtræ, certe hoc tempore neceſſaria eſt maxime: dum quidam eorum, qui in conſilium publicum adhibentur, maiorem ſui priuati, quam publici commodi rationem habere ſolent: nec ante probant, quod Imperator petit, quam eis rerum neſcio quarum nec ſatis bonarum atque Reipub. vtilium, licentiam conceſſerit. O tempora! Ad quam peruerſitatem hoc etiam accedit, quod cum in milites noſtros ii, qui ſingulis populis præſunt, Principes atque Magiſtratus plus quam Imperator ipſe poteſtatis habere videantur, iidem milites authoritatem huius Principis tot tantam contemnant: nec dubitent contra hunc arma ſuſcipere, & Patriæ manus nefarias afferre. O mores! Olim cum diſciplina vetus vigeret, qui in militiam peregrinam proficiſcebantur homines noſtri, ſemper Imperatorem atque ipſum adeo Imperium Patriæ noſtræ in Sacramento militari excipiebant. Sed nunc in iſta rerum noſtrarum perturbatione inuenies multos, qui nec Imperatoris, nec Patriæ vllam habeant rationem: & quorum arma non minus infeſta ſint Cæſari noſtro atque Reip. quam exteris gentibus, iisque à nobis prorſus alienis. Quod malum niſi è Repub. noſtra ſublatum fuerit quam primum, periculum eſt, ne ipſi nos atque Patriam noſtram breui funditus euertamus. Quare ſi hanc beatam, & nos in ea beatos eſſe voluerimus, eo conferamus curam operamque noſtram, vt maior ſit in poſterum Imperatoris noſtri poteſtas: nec minus hic poſſit in cunctam Germaniam, quam ſinguli Principes in ſingulos populos ſuos. Quod ſi euenerit, certe quod nunc non ſine magno noſtro damno proſtratum iacet, Imperium noſtrum eriget ſe breui, & fructus Reipub. vtiles atque ſalutares tandem aliquando feret. Ac ſi quis forte metuat, ne ſi poteſtas Imperatoris ita reſtituta fuerit, libertas noſtra in dubium vocetur: is ſic habeat, Principem non terrori eſſe bonis, ſed improbis atque ſceleratis. nec eos, qui Magiſtratui ſuo tantum tribuunt, quantum debent, ſed eos, qui iuſtum eius Imperium recuſant, contra quam veræ

libertatis ratio præſcribit, facere: quando cupiditatibus ſuis improbis turpiſſime ſeruiunt, nec eam, quam debent, rationem ſalutis publicæ ducunt. Fallitur enim, quicunque libertatem ſuam in eo conſtituit, vt quæ facere debet, non faciat: cum præſertim ea demum vera ſit libertas, quam Deus ipſe præcordiis hominum inſerit, vt non inuiti faciant, quod officium rectum præſcribit: ſed libenter & legibus bonis obediant, & Magiſtratus ſuos obſeruent: & caueant, ne contumacia ſua horum authoritatem conuellant. Quod quatenus homines faciunt, eatenus ſeruitutem carnis turpem vitant, & voluntatem ſuam voluntati Diuinæ plane vera cum libertate accommodant. Vellem equidem omnes officium ſuum præſtarent volentes: ſed ſi qui forte obiecto maioris poteſtatis metu cogendi ſint, hoc per ſe multo erit melius, quam concedere ipſis, vt ſpreta ſummi Magiſtratus authoritate, faciant quod ſibi libet: idque certe non minus, quam equo feroci injicere frenum: quam permittere, vt effrenatus currat quocunq; impetu ſuo feratur. Quod cuiusmodi ſit, & quam pernicioſum, dederunt documentum caſus perhorreſcendi, eorum qui cum Imperatorem noſtrum, in cuius poteſtate eſſe debebant, contemnere non dubitarent, eodem, quod excitarant, belli incendio conflagrarunt ipſi atque conciderunt. Sinite me hoc loco præterire reliqua, quæ ſine acerbiſſimo animi dolore ne cogitare quidem poſſum.

Et quanquam quæ de poteſtate Principis noſtri dixi, æqua ſunt per ſe, bona, & Reipub. neceſſaria, tamen ne cui ſententia hæc mea durior eſſe videatur, eam ita moderor: vt velim poteſtatem imperandi, cogendique milites, ita penes Imperatorem eſſe, vt tamen ſingulis Principibus Magiſtratibusque ea, quam in ſingulos populos ſuos habent, poteſtas non adimatur: dummodo ijdem non pluris faciant ſuam priuatam, quam publicam Principis ſui poteſtatem: nec minus huic tribuant, quam ſibi à populis ſuis tributum velint. Nec tamen repugnarim, ſi numero militum, quem Imperator euocare poſſit, certus ſtatuatur modus: vt nec minor ſit, quam res poſtulet: nec maior, quam vt huic ſine graui populorum damno ſtipendia ſolui queant. Nolo item perpetuum eſſe, quod ſuadeo, vectigal: ſed nos hoc onere leuari, ſimul ac Imperium noſtrum acceſſione aliarum gentium atque vectigalibus peregrinis auctum fuerit. Arbitror namque onus hoc ſuſtinendum quidem eſſe, ſed ad tempus tantum, vt certiore atque maiore cum immunitate viuere tandem aliquando poſſimus. Interea vero Principes Magiſtratusque noſtri, ſi libertati Germaniæ noſtræ ex animo fauent, cauebunt, ne ipſi tributo extra ordinem imperando populis ſuis duriores ſint, quam æquitas & libertas Germaniæ noſtræ ferat: vt ſi priuatum ipſorum commodum publico vt par eſt, ceſſerit, non ſit, cur populi noſtri ſe hac ratione non ſubleuari potius, quam opprimi exiſtiment. Nam non modo non ab hominibus noſtris plus quam ferre poſſint, exigetur: ſed hi etiam è Repub. bene conſtituta atque florente tantum emolumentorum capient, vt non facere iacturam, ſed lucrari potius videantur. Recte igitur, ordine, atque è Repub. nos facturos eſſe cenſeo, ſi poteſtatem Imperatoris noſtri in eum locum reſtituerimus, vt ſiue vis publica in Patria noſtra ſuſcepta, ſiue aliunde illata fuerit, militem omnibus Germaniæ noſtræ populis imperare, & prouidere poſſit, ne quid detrimenti Patria eiusque Imperium capiat: & habeat è vectigalibus ſuis tantum vnde non ſolum viuere commode, ſed etiam militibus ſuis ſtipendia ſoluere poſſit. Sperandum eſt, ſi hæc quaſi fundamenta ſalutis publicæ iacta fuerint, fore, vt Imperium noſtrum in eum, vnde decidit, locum atque ſtatum bonum breui reducatur: & idem ornamentum nobis inſigne, aliis autem Chriſtianis gentibus præſidium certum ſit allaturum: idque tanto magis, quanto nunc tenuitas Imperatoris rebus communibus plus nocere videtur.

Ac ſi non dignitas noſtra, ſi non Patriæ decus, ſi denique non officium ſummum, ipſa tamen neceſſitas nos adducere deberet, vt opes Imperatoris noſtri ad auertendam maximam à Repub. noſtra peſtem augeremus. Quippe cum exterarum gentium conſilia pernicioſa eo nos deduxerint, vt niſi Remp. noſtram ea, quam audiuiſtis, ratione primo quoque tempore conſtituerimus, futurum ſit, vt hac amiſſa, in ſummas nos ipſi ærumnas, incidamus. Et quoniam non noſtra ſolum, ſed etiam totius Orbis Chriſtiani ſalus hoc tempore agitur, dum nos, in quorum virtute atque armis tantum præſidij eſt huic, periclitamur: certe quod ego hoc loco ſuadeo, id omnes omnium gentium viri boni haud dubie approbant. Qui tum demum ſe beatos fore arbitrabuntur, ſi vos, in quos oculos ſuos iam dudum conijciunt, viderint concordes eſſe: atque ſingulari animorum conſenſione & Rempub. noſtram tueri, & contra hoſtes Chriſtiani nominis arma ferre. Quare tacita quaſi voce ſua nos rogare atque obteſtari videntur, ne nobis ipſis, ne Patriæ noſtræ, ne denique Orbi Chriſtiano hoc eius aſperrimo tempore deſimus.

Accidit huc opportunitatis tantum ad Rempub. noſtram non ſolum reficiendam, ſed etiam augendam atque ornandam, vt meliorem, maioremque ne optare quidem poſſemus: hanc ipſam niſi arripuerimus auide, nos ipſos fugere, & officium rectum, quod patriæ tribuendum eſt, prorſus deſerere videbimur. Etenim ſi ſublatis è Rep. noſtra factionibus idem ſenſerimus, nobis profecto atque exteris nationib. multum ſpei bonæ afferetur: ſed quanto plus afferetur, ſi maximæ Chriſtianorum gentes fœdere certo ac ſocietate nobiſcum coniunctæ fuerint? Talis quædam, tamq; bona gentiũ earũ coniunctio fuit, cum Carolus ille Magnus reb. noſtris cum Imperio præeſſet. Quo tempore Chriſtianorum potentia iuſta tantum terroris Saracenis, atque aliis nationibus immanitate barbaris,

barbaris, atque nomini Chriſtiano infeſtis iniecit, vt præclare ſecum agi arbitrarentur, ſi non dico Chriſtianis bellum inferre, ſed ſua tueri atq; defendere poſſent. Quo minus committendum puto, vt eam, quæ hoc tempore ſe offert, occaſionem ad talem cum multis gentibus coniunctionem amittamus, idque non ſine graui damno atque dedecore noſtro. Etenim dum nos inter nos ſimultates acres gerimus, & aliæ Chriſtianæ gentes ſeipſas inteſtinis bellis conficiunt, communes hoſtes noſtri interea magis culpa noſtra, quam virtute ſua ita creuerunt, vt hoc tempore nobis, atque toti Orbi Chriſtiano ab eis periculum ſummum impendere videatur.

E quo ipſo vt eripiamur, Deus pro clementia ſua infinita ſummam rerum noſtrarum ad gentem Auſtriacam detulit: ad eam nimirum gentem, per quam quantum tribuere vellet Chriſtianis gentibus declarauit, cum ſignum crucis è cælo oſtenderet tempore eo, cum Rodolpho, qui primus ex ea familia Imperator creatus fuerat, Aquisgrani more Maiorum diadema imponeretur. Oſtendebatur iam tum ſpes bonis omnibus fore vt imperantibus Principibus Auſtriacis gentes Chriſtianæ reſpirare tandem, & metu hoſtium crucis truculentiſſimorum liberari poſſent. Quæ ſpes ne falleret viſum, & ſi Imperium noſtrum huic domui non tantum potentiæ, quantum dignitatis, adiunxit, eandem tamen ita amplificauit, vt hoc tempore plus poſſit, quam omnes alii Chriſtiani Reges: etiamſi omnem horum potentiam in vnum conferas. Nam ab eo iam tempore, quo primum Auſtriaci Principes in ſede Imperii noſtri collocati fuerunt, mirum eſt, quantum, quamque magnis rebus aucti cumulatique fuerint: primum acceſſione Rhætorum, Valeriorum, Carnorum, tum Belgarum, deinde regnorum Hiſpaniæ, Siciliæ. Neapolitani, tum Bohemiæ atque Pannoniæ. Omitto hic prudens Marcomannorum, Quadorum, Inſubrum magnos populos. Hi populi, nationes, atque regna quam late pateant per totam Europam, & quantum poſſint, quotuſquiſque eſt qui neſcit? Quæ cum olim ab Imperio Romano diuellerentur, quo magis vires huius attenuatæ fuerunt, eo nunc magis eædem firmari atque muniri videntur: quando tot regnorum, populorum atque nationum potentia in ea domo, quæ cum Imperio rebus noſtris præeſt, in vnum quodam modo coaluerit. Amiſit temporibus illis Imperium noſtrum, quod vi atque armis ſibi olim pepererat. At nunc in ea, à qua regitur gente, id quod tum vi extortum fuit, ſine ſanguine recuperare videtur. E quo ipſo quanto minus aut militum virtus, aut hominum induſtria ſibi vendicare poteſt, tanto maius diuinæ benignitatis atque beneficentiæ lumen mentibus noſtris affulget. Nam cum Imperium Orbis terræ ab eo tempore, quo primum in natione noſtra domicilium ſuum collocauit. & Chriſtianum fuerit, & tale prorſus, vt iniuriam non faceret alteris, ſed ab eis propulſaret potius: dubitandum non eſt, quin huic Chriſtianorum ſiue præſidio, ſiue patrocinio Deus antehac ſemper fauerit. Itaque etſi Reſpub. noſtra ſæpe in magna pericula adducta fuit, tamen eam Auſtriacorum Principum virtus iam diu feliciter ſuſtentauit. Et, cum eſſent, qui genti huic inuiderent, omnesque neruos ad hanc oppugnandam intenderent, tantum tamen abfuit vt eandem euertere poſſent, vt quanto id magis molirentur, tanto illa maiore & emolumentorum, & ornamentorum acceſſione augeretur. Carolus Dux Burgundionum, Princeps fortis atque bellicoſus, cum imperante Friderico tertio Auſtriaco, victrices legiones ſuas in Germaniam noſtram duxiſſet, atque Noueſium obſidione premeret: Fridericus autem exercitum magnũ atque bellicoſum ex omnibus Germaniæ populis comparaſſet, quo Carolus reiiceretur, certe graue quoddam atque periculoſum belli incendium excitari videbatur. Verum Deus pro benignitate ſua eam felicitatem tribuit Imperatori optimo, vt non ſolum bellum hoc ſine ſanguine dirimeretur: ſed idem etiam cum eo, quem hoſtem habuerat acerrimum, affinitatem contraheret. Cuius quidem rei is fuit fructus, vt hæreditas Caroli ad gentem Auſtriacam non ita multo poſt deferretur. Acceſſerunt tum ad priſtinas huius facultates Belgarum atque Sequanorum populi diuites atque florentes: vt quod primo viſum fuerat malo eſſe Friderico, id ei poſterisque ipſius multum vtilitatis attulerit. Et quanquam inuidi quidam certos Belgarum populos concitauerant, vt contra Maximilianum Friderici filium ſeſe commouerent: tamen & hi motus ſane feliciter ſedati fuerunt, & Belgium ita pacatum, vt huius populi ab eo iam tempore erga Principes ſuos in fide nunquam vacillarint. Quid vero dicam de ea, qua idem Maximilianus affectus fuit iniuria, cum ei & ſponſa & Regio huius dotalis præriperetur? Veruntamen res ita tulit Diuinitus, vt hoc eius damnum magno Domus ſuæ commodo & quaſi lucro ſarciretur: cum regnum Hiſpaniarum inclytum, affinitatis iure veniret in poteſtatem Philippi filii eius, veniret Regnum Neapolitanum, veniret Regnum Siciliæ. Ac cum noſtra ætate fœderati quidam, iique potentes, Carolum Imperatorem à poſſeſſione Italiæ deiicere vellent, & huic graue atque periculoſum bellum inferrent: eodem tempore Pannoniæ atque Bohemiæ regna Ferdinando fratri eius, qui rebus noſtris cum Imperio nunc præeſt, accreuerunt, & noſtrorum militum virtute territi hoſtes obſidionem, qua Mediolanum cinxerant, re infecta, ſoluerunt.

Iam cum proximis hiſce annis quidam potentes conſilia contra Carolum Imperatorem noſtrum, eiusque filium Philippum neſcio quæ, & Auſtriacæ genti, & Germaniæ noſtræ pernicioſa captarent: En tibi, eidem Philippo Britanniæ Regina atque hæres nubit: & quo beneficio ſuo Deus clariſſimam ſanctiſſimamq; Fœminam, eamque iniuria eorum, à quibus minime oportebat, oppreſſam ita extulerat, vt in excelſo Dignitatis gradu collocaretur, hanc cum eodem Philippo ad perpetuam vitæ ſocietatem coniunxit. Videmus iam, videmus Principes populique Germani,

Deum antehac Auſtriacam gentem conſeruaſſe ac ornaſſe mirabiliter: & tantum bonorum atque potentiæ iuſtæ ad eam detuliſſe, vt ſi vlla, huius certe potentia, Res Chriſtianas prope ruentes fulcire poſſit. Et quanquam in ijs cogitationibus, quæ illam quietam rerum noſtrarum rationem procurationemque complectuntur, magna cum delectatione animi verſor, nihilque opto magis, quam vt eædem res ſine ſanguine & ſeruari & amplificari queant in perpetuum: tamen, vt nunc ſunt tempora, optare id facilius, quam ſperare poſſum. certe vt maiorem in modum lætor, è nationibus populiſque Chriſtianorum tantas acceſſiones ad potentiam gentis illius eo iure, quod omnes gentes approbant, factas eſſe: ita non poſſum non gaudere, Imperatores Auſtriacos ſæpe ſigna dediſſe fortitudinis cuiusdam excellentis, atque bella multa & geſſiſſe ipſos feliciter, & confeciſſe, quoties vel Barbari domandi eſſent, vel alij hoſtes frangendi. Quibus ſane profligatis, & Inſubres & Ligures, qui à nobis fuerant auulſi, recuperauit idem Imperator noſter Carolus. Regnum autem Tuneti, quod è manibus Turcæ ſingulari virtute excuſſerat, Hiſpaniarum regno adiunxit & eundem hoſtem in Pannonia ita terruit, vt armis noſtris laceſſitus, pugnandi poteſtatem non faceret, ſed ſubduceret ſeſe, ac trepidus pedem referret. Iam vero Ferdinandus, qui fratri optimo optimus Imperator ſucceſſit, & hoc tempore ſummæ rerum noſtrarum præeſt, quantum pietatis cum virtute ſumma coniunxit? Cuius iuſtitia, prudentia, temperantia, vigilantia atque fortitudo, in illuſtri loco quaſi ſitæ, omnibus bonis perſpectæ ſunt, & vno omnium ore celebrantur. Qui non ſolum in rebus ſecundis fuit ſemper animo moderato, ſed etiam in aduerſis conſtanti atque magno: vt fortunam, ſi quando iniquior eſſet ſibi, vincere videretur. Qui cum alijs in rebus de nobis bene meritus eſt, tum quod tam diu impetus Turcæ potentiſſimi atque truculentiſſimi hoſtis ſolus ſuſtinuerit, eosque à ceruicibus noſtris depulerit, meritus eſt optime. Ac quia idem ille hoc agit perpetuo, in eoq; eſt plane totus, vt rebus noſtris languentibus mederi poſſit: certe nihil æque optandum eſſe videtur, quam vt euentus optimus optimi Principis conſilijs tandem aliquando reſpondeat. De Philippo autem Caroli filio, eodemque Rege Hiſpaniarum, quid dicam? Qui ita viuit, & ſic ſe gerit, vt in eo paternæ virtutis ſpem boni omnes collocent. Ad cuius liberalitatem, prudentiam, atque iuſtitiam excellentem tantum fortitudinis ſpecimen iam acceſſit, vt eum omnes gentes admirentur, & in oculis quodam modo ferant: hic cum non ita pridem Regem potentiſſimum viciſſet, ſe tamen ipſum maiore cum gloria viciſſe videtur: cum victoria ea vteretur tam moderate, nihil vt ſumeret ſibi inſolentius, ſed omnia ad honorem Dei, vnde omne bonum proficiſcitur, more Maiorum ſuorum referret. Tali pietate qui præditi ſunt, hos Deus fouere, & ad eos plus, quam ipſi optant, deferre conſueuit. Maximilianus autem Ferdinandi Imperatoris filius & Bohemorum Rex, cum abſente Carolo Imperatore Hiſpanias regeret iuuenis, quam illuſtria virtutis ſigna dedit? quam bene geſſit omnia? vt gentium illarum voluntates ſibi conciliauit? In rebus autem Pannonicis non minor eius virtus eluxit. Nec Ferdinandum eius fratrem præterire hic poſſum. Qui & regnum Bohemiæ ſingulari prudentia adminiſtrat: & vbi ſuperiori anno exercitum in Pannoniam contra hoſtes Chriſtiani nominis bellicoſiſſimos duxerat, cum exiſtimationis bonę fructum cepit, vt ei neque conſilium neq; fortitudo ad res optime gerendas deeſſe videretur. Porro Carolus Ferdinandi Imperatoris filius, qui etſi minimus natu eſt inter fratres, non tamen in eo minorem virtutis ſpem boni omnes ponunt: Quippe cum eiusmodi, tamque excellentis ſit indolis, vt ad res maximas natus eſſe videatur. Ex his omnibus conſtat, gentem Auſtriacam tantum & potentia & virtute hoc tempore excellere, vt ad Imperium Orbis terræ, & ſummum decus genita eſſe, & Deus per hanc, quam tantopere auxit, rebus noſtris feſſis atque afflictis nunc tandem ſuccurrere velle videatur. At cum ſingula Chriſtianorum regna, vim atque impetus Turcarum ægre ſuſtinere poſſint, nec Reges illorum inter ſe ita iuncti ſint, vt alius alij opem ferat: eſt profecto, quamobrem Deo immortali magnas gratias agamus, quod hiſce difficillimis temporib. noſtris ad gentem illam, quæ cum Imperio Germaniæ noſtræ præeſt, tantum potentiæ atque iuſti Imperii detulerit, vt Turcarum potentiæ recte atque vtiliter opponi poſſit. Etenim ſi omnes nationes atque populos, qui in poteſtate ſunt Imperatoris noſtri, & Philippi Hiſpaniarum Regis, cum iis, quibus Turca in Europa, Aſia, & Africa imperat, gentibus contuleris, vt hæ vincant hominum numero, illæ tamen & virtute militum, & armorum genere his eiſdem longo interuallo antecellere videntur: niſi quis forte putat Germanos noſtros, Italos, Hiſpanos, Pannones, Bohemos, Belgas cedere Aſiatico, quo Turca potiſſimum abundat, militi: & naturam eos, qui Septentriones ſpectant, non magis ad fortitudinem animorum, corporumque robur finxiſſe, quam illos, qui cœlo viuunt calidiore. Et quanquam copias quaſdam noſtras Turcæ aliquoties afflixerunt, eas tamen victorias nec incruentas, nec ſua magis virtute, quam noſtra culpa ipſis partas fuiſſe, præclare intelligimus: Quippe cum paruæ manus militum noſtrorum maximis atque robuſtiſſimis horum legionibus, & tirones obiicerentur: vt ſi nulla alia culpa in nobis hæſiſſet, temeritatis tamen iure damnaremur. Volo equidem nos primo omnium ad Deum confugere ſupplices, & nos totos benignitati eius credere atque committere. Situm eſt enim in poteſtate eius ſumma, maximos atque robuſtiſsimos hoſtium exercitus parua noſtra manu fundere atque delere: quod Gedeoni, eiusque exercitui priſcis temporibus diuinitus contigiſſe memoriæ, proditum eſt: & Maximiliano Cæſari noſtra memoria ſæpe contigiſſe, nos ipſi teſtes eſſe poſſumus. Etſi igitur deſperandum non

non eſt, ſi forte hoſtis nos militum multitudine vincat, dum modo cætera, quæ ad rem bene gerendam pertinent, non nimis deſint: quippe cum res militaris magis virtute militum, quam multitudine niti, & victoria diuinitus concedi potius, quam humana potentia acquiri videatur: tamé ſi exercitum iuſtum, eumque bene armatum contra hoſtem educere poſſimus, an non ſatius fuerit hoc, quam paucos atq; inermes periculo offerre? Deus non ita pendet è nutu noſtro, vt quoties rem temere in diſcrimen adducamus, nos arbitratu noſtro iuuare, & inuſitata ſigna potentiæ ſuæ dare cogatur. Qui conantur Deo præſcribere quodam modo atque legem dare, certe & fallunt ſeipſos, & in leges ipſius plane committunt. Chriſtus Dominus noſter idemque Filius Dei, omnia potuit: tamen cum Satanas ei ſuaderet, vt ſe è ſuperiore templi parte ſine incommodo ſuo præcipitem daret, eaque re potentiam ſuam Diuinam declararet, id noluit, cum per gradus deſcendere poſſet. Atque hoc ſui exemplo monuit nos, ne ſi forte facultas eorum, quibus ordine certo & vſitato vti poſſimus, ſuppetat nobis, eam nos omittamus, & conuertamur ad ea, quæ inuſitata ratione eueniunt, & miraculi cuiuſdam ſingularis vim habent. Quo cautiores prudentioreſque eſſe videntur, qui cauent, ne plus ſpei quam oportet, in robore exercitus ſui ponant: & tamen cum poſſint iuſtum exercitum, eumque bene inſtructum, exercitatumque habere, ne eum, qui nec numero, nec virtute hoſtibus par non ſit, educant. Si vllus alius, ego certe ſpem omnem noſtram in Deum conferendam puto: temeritatem tamen probare nec debeo, nec poſſum: hoc præſertim tempore, cum Deus nobis tribuat, vt per Auſtriacam domum multum ſane poſſimus. Fecit antehac Imperator noſter Carolus ſæpe periculum militum, quos è Germania atque Hiſpania euocauerat: & quantum valeat vtriuſq; gentis coniuncta atque inuicta virtus, teſtimonio Orbis terræ comprobatum eſt. Neque enim in vllum locum venerunt legiones horum, in quo non ſingularis cuiuſdam virtutis ſigna dederint; vt ſpes oſtendatur in his etiam poſthac, quoad inter ſe cõiunctæ fuerint, magnum præſidium fore rebus Chriſtianis. Sed quid ſi Italorum, Pañonum, Bohemorum, & Belgarum copiæ acceſſerint? Deus quando tot, tantaſq; nationes, eaſque florentiſſimas eorum, qui nobis imperant, dicto audientes eſſe voluit, an non videtur quoddam veluti ſignum ſuſtuliſſe nobis ad bene ſperandum? An non videtur monere nos, ne, quam potentiam iuſtam noſtræ atq; omnium Chriſtianorum vtilitatis cauſa genti Auſtriacæ adiunxit, eam hiſce noſtris calamitoſiſſimis temporibus per ſummam ingratitudinem repudiemus? Hic ſi, quam Deus ipſe offert, occaſionem præclaram rerum noſtrarum conſtituendarum gratis animis arripuerimus, erit in procliui nobis, vt non ſolum communium hoſtium impetus poſthac ſuſtinere, ſed etiam frangere, & Imperium noſtrum ſane feliciter propagare poſſimus. Matthias Pannoniæ Rex etſi non tantũ habebat virium quantum Turcæ, tamen exercitu ſuo, quem patrum noſtrorũ memoria in armis habebat perpetuo, & è variis gẽtibus coẽgerat, quoties cum Turcis collatis ſignis pugnauit, toties vicit, deque eis triumphos glorioſiſſimos egit. Perſæ autem, qui equitum peditumq; numero impares quidem ſunt hoſtibus eiſdem, ſed fortitudine atq; diſciplina rei militaris ſi non maiores, tamen pares, hac noſtra ætate maximas horum copias ſæpe deleuerunt. Nos vero qui tam diu Imperium Chriſtianorum ſuſtentauimus, ſi cum tot gentibus coniuncti fuerimus tandem, certe nec minus quam vel Matthias Pannoniæ Rex, vel Perſæ hoſtem hunc communem comprimere poterimus, non minus dico? immo multo etiam magis: cum præſertim illum potentia, hos autẽ cauſa, cui Deus haud dubie pro miſericordia ſua fauet, ſuperaturi ſimus.

Quæ cum ita ſint, poſtulat officium, poſtulat neceſſitas non ſolum à nobis, ſed etiam à Principibus Auſtriacis, eorumq; populis ac Regnis, vt inter nos perpetuo fœdere ſimus coniuncti. Nam vt nunc ſunt tempora, communis eſt omnium noſtrum cauſa, commune periculum, communes item hoſtes. Nam qui inuident Principibus illis Auguſtis, iidem inuident etiam nobis, nec arbitrantur ſe vtriſque noſtrum ſaluis, viuere poſſe. Et quia animaduertunt, quoad Reſpub. noſtra ſalua eſt, ſe Principes hoc euertere nequaquam poſſe: nec viciſſim fore, vt Imperium noſtrum intereat, quam diu iidem illi tanta cum potentia huic præſunt: ſic petunt illorum iugulum, vt nos etiam confodiant: & quam nobis afferre conantur perniciem, eandem illis etiam moliuntur. Quæ cum ita ſint, videmus cum gente Auſtriaca ita coniunctos eſſe, vt nec nos corruere queamus ſine graui huius dãno, nec gens eadem ſine magna noſtra calamitate concidere poſſit. Quantum autẽ præſidii ſit eidẽ, & ipſius populis regniſq; in virtute militum noſtrorum, hæc tempora plane declarãt, cũ hi & Pannones & Belgas, quoties opus eſt, defendant. Quibus amiſſis, quid tãdem futurum eſſet Hiſpanis? quid Italis? imo quid Principibus gentis illius? Ac ſi à gubernaculis Reip. noſtræ dimouerentur hoc tẽpore iidẽ Principes, an non in iſtis procellis noſtris naufragium facturi eſſemus nos breui? an nõ noſtris ipſi armis perituri? omitto hic periculũ grauiſſimũ, quod externi hoſtes noſtri nobis cõflare non deſinunt. Quare quod Principum illorũ & noſtra, omniumq; gentium quæ in eorundẽ poteſtate ſunt, dignitas atq; ſalus publica poſtulat, vt ſimus oẽs inter nos iũcti, id oẽs ſumo ſtudio expetere atq; curare debemus. Ac primũ Principes ipſi, quorũ neceſſitudinẽ natura ita cõſtituit, vt ſi alter alteri nõ faueat, à ſe ipſo deſciſcere quodã modo, & alienus eſſe videatur, tanto arctiore ſocietatis vinculo inter ſe copulẽtur, quanto minus vnius horũ damnũ ab altero ſeiunctũ eſſe poteſt. Habent comune nominis decus, comunes Maiorum imagines, comunia iura & ſacra, & horũ alii aliorũ hæreditatem, vt proximorum genere, iure adire poſſũt. Quo facilius à ſe impetrari patiẽtur, vt nõ ſolũ ipſi inter ſe cõiuncti ſint perpetuo, verũ etiam vt inter ipſos ac nos, imo inter nationes & populos omnes, quib. imperãt, fœdus perpetuũ ſanciatur. Hoc illud ipſũ eſt, in cuius curã eo magis incũbere debemus,

 quo

quo id plus commodi cum nobis, tum vniuerſo Orbi Chriſtiano allaturum eſſe videtur. In quo ſi non defuerimus ipſi nobis, certe nec Principes illi nobis deerunt, idque tanto minus, quanto maior ſpes oſtenditur eis fore, vt ſi maximæ illæ, florentiſſimæque gentes nobiſcum in pulcherrimam tuendi propagandiq; Imperii Chriſtiani ſocietatem coierint, ſolidos virtutis ſuæ fructus capere, ac ſibi æternam gloriam parere facile poſſint. Quo magis cauendum puto, ne, quæ datur occaſio nobis in præſentia Reipublicæ noſtræ ornandæ, amplificandæque, eam non arripiamus atque complectamur. Magnum eſt, credite mihi, robur & quaſi numen conſentientis alicuius populi. at quanto maius erit tot populorum atque gentium conſentientium? Et, vt mihi quidem videtur, cœtui eorum, qui ita ſociati ſunt inter ſe, Deus qui charitas ipſa eſt, præſto erit in perpetuum: ſub cuius tutela qui latent, an hos vlla hoſtium vis vincere poteſt? Quare ſi tantum tribuimus nobis, tantum patriæ, tantum cunctæ Reipublicæ Chriſtianæ, quantum debemus, quo quiſque noſtrum magis gratia, authoritate, atque conſilio valet, eo magis elaboret, vt Reſpublica noſtra languens, primo quoque tempore recreetur, reficiatur, & in eum, vnde decidit, ſtatum bonum atque beatum reſtituatur: id quod haud dubie eueniet, ſi rationem huius conſtituendæ, atque amplificandæ, quæ ſe hoc tempore vltro offert, non repudiauerimus. Volo equidem Imperium noſtrum florere, id tamen ſine vllo incommodo aliorum Chriſtianorum populorum, immo vero magno cum commodo eorum, qui nobiſcum fuerint coniuncti, atque eam cenſeo eſſe oportere fœderis, quod probo, rationem, vt nullus horum priſtinam ſuam libertatem amittat, nec in noſtram, aut vllius alterius gentium poteſtatem concedat. Volo nos omnes idem de ſalute publica ſentire, & tanquam vnius corporis membra, ſi vnum langueat, omnes dolere: ſin vnum bene habeat, ac rebus ſecundis vtatur, omnes gaudere, vt ſingulorum bonum commune omnium eſſe videatur. Volo regna illa ſociorum non minus ſalua eſſe, quam Rempublicam noſtram. Quin rationem fœderis huius ita conſtitutam cupio, vt quæ regio laborat maxime, huic ab omnibus potiſſimum ſubueniatur, id quod vera æquitatis ratio poſtulabit: atque vt iis, quos vel inteſtini motus, vel externornm hoſtium arma premunt, ſubito poſſit auxilium ferri, idque communi omnium fœderatorum ſumptu, ſingulæ nationes illorum ſingulas legiones alant perpetuo, & copias illas iunctas in loco opportuno collocent. Accedant ad has Bohemorum atque Belgarum auxilia, ac ſi populi hi ſinguli ſingulas legiones ſuſtentare nequeant, ſuſtentent tamen tantum, quantum poſſunt. Solet quidem quod nobis atque Chriſtianis populis imminet diſcrimen à Turca grauius eſſe eo, in quod quidam Europæ Reges atque populi nos ſociosque noſtros adducere poſſunt. Nam vt hi ſeſe commoueant maxime, eſt tamen ſpes fore, vt minore negocio depellere eos, aut ita reconciliare nobis poſſimus, vt cum eundem, quem nos, ſociique noſtri Chriſtum colant, malint tandem eſſe noſtri amici, quam hoſtes, & nobiſcum atque cum tot Chriſtianis gentibus fœdere iungi, quam nos atque eaſdem laceſſere, id quod ſine grauiſſimo periculo ſuo facere non poterunt. Et quanquam hæc ſperanda ſunt, tamen ſi qui forte horum ab armis contra nos, aut ſocios noſtros ſuſceptis diſcedere noluerint, eam conſilii rationem ineundam cenſeo, vt laborantibus ſuccurratur ab omnibus fœderatis, idque pro rata cuiuſque populi parte. Magnæ enim opes ac late omnino patentes ſunt Germanorum noſtrorum, Italorum, Hiſpanorum, Pannonum, Bohemorum, Belgarum, vt quod onus bellorum gerendorum ſinguli, ſi ab aliis non adiuuarentur, ægre fortaſſe ferre poſſent, id cunctis futurum ſit leue. Et quanquam rebus Chriſtianis in virtute, robore & multitudine militum noſtrorum multum eſt præſidii, tamen ſi copiæ gentium illarum acceſſerint, quanto facilius non ſolum in Europa, ſed etiam in Aſia hoſtes communes comprimere poterunt? Muniatur ſane Pannonia præſidio maiore, eo, quod maior atque potentior hoſtis ei bellum inferre ſolet: ac quoties hic maioribus copiis in Regnum illud, aut vicinas gentes impetum facturus eſſe videtur, conſtituatur, vt communi omnium fœderatorum ope atque ſumptu idem præſidium augeatur atque firmetur, nec interea aliis auxilium iuſtum ſubtrahatur, quotieſcunque eodem eguerint: vt fœdus ipſum tanto ſit ſtabilius, quanto eius, quod per ſe æquum eſt, maior ratio habita fuerit. Hoc loco, ne vobis iſta prudentia viris præſcribere videar, prætereo, quæ præterea ſub deliberationem cadunt: nec dicam, quod, me etiam tacente, cogitabitis, atque curabitis, vt ſi quæ aliquibus fœderatorum ab hoſtibus erepta fuerint, his eiſdem reſtituantur: ſin quæ præterea fuerint, hæc noſtro imperio, ad quod iure pertinent, adiungantur. Quod cum per ſe iuſtum fuerit, tum vero etiam æquum, vt cum Imperium Romanum penes nos ſit, & res Chriſtianorum militaris noſtro potiſſimum milite nitatur, res noſtræ tanto magis creſcere debeant, quanto plus præſidii atque vtilitatis rebus communibus afferre & poſſunt & ſolent. Et quia hic tribuetur cuique genti, quod ſuum eſt, non erit profecto, cur quenquam huius noſtræ iuſtiſſimæ, vtiliſſimæ, atque honeſtiſſimæ ſocietatis pœniteat. Nos autem, nos inquam Germanos eo minus huius pœnitebit, quo magis & poteſtate & dignitate Princeps noſter cumulabitur: vt quos antehac hoſtes ægre à capitibus noſtris depulit, eos poſthac, ſi opus fuerit, aut ſedibus ipſorum pellere, aut intra fines eorundem comprimere ſumma cum gloria noſtra valeat. Ac ſi rationibus noſtris ita conſuluerimus, & ad officium atque bonum publicum reuocauerimus omnia, certe Deus, qui bonis bonorum conſiliis atque conatibus mirabiliter fauet, procul dubio ita nos adiuuabit, vt Reſpub. noſtra atque totus Orbis Chriſtianus breui reflorescant.

Habetis

Habetis hic Principes populique Germani, quæ de omnibus commodis ornamentiſque veſtris dicenda putaui: & vos rogo, obſecro, & per ſanguinem Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti obteſtor, vt ſi hæc videbuntur bona eſſe, ſi vtilia, ſi honeſta, ſi pia, ſi Reipublicæ noſtræ neceſſaria, ea tantum apud nos valere patiamini, quantum patriæ noſtræ communis atque adeo totius Reipublicæ Chriſtianæ dignitas, & publica ſalus a vobis impetrare debent. Teſtor Deum immortalem, qui ſolus abditos animorum noſtrorum ſenſus perſpicit, me conſilium hoc non alio, quam ad communem vtilitatem atque dignitatem veſtram referre, nec aliud petere, quam quod patria ipſa iure quodam ſuo à vobis flagitare videtur. Quæ ſi vna voce loqui poſſet, haud dubie in hāc ſententiam ageret vobiſcum: Ego ſi à vobis hoc poſtularem, vt mea cauſa de ſuo quiſque veſtrum priuato iure decederet, vel mortem non dubiam adiret, an non hoc iure quodammodo facere viderer? ita enim genui vos, vt ſi opus ſit, vitam ipſi veſtram pro me profundere debeatis. Sed quia tamen conſilium, quod datur in præſentia vobis, non ſolum duriora iſta excludit, verum cauet etiam, ne bona fortunaſq; veſtras amittatis, neue in vllius periculi flammam vos temere conijciatis, tanto minus id repudiare debetis, quanto idem cum commodis veſtris atque rationibus, ſiue priuatis, ſiue publicis, eſt coniunctius. Ac primum quia à vobis hoc petitur, vt ſublatis ſimultatibus, ſitis concordes inter vos, & idem de Republic. de religione Dei immortalis, deque publica ſalute ſentiatis, an non hoc illud ipſum eſt, ad quod, ſi tacerent alii, vos tamen ipſos excitare deberetis? Qui niſi deſieritis oppugnare vos ipſos, & me lacerare, non modo non germani eritis inter vos, nec ciues mei amplius: ſed inimici planeque hoſtes. Nam quatenus inteſtina inter vos bella geritis, mihi tanquam matri veſtræ manus infertis: immo vos ipſos, à quibus nullum meum malum ſeiunctum eſſe poteſt, læditis atque affligitis. Hoc loco ſi vobiſcum expoſtulare vellem, poſſem id quidem iure quodam meo: ſed quia libenter de eodem iure meo remitto, vt vobis parcam, vos hic moneo tantum atque hortor, vt animos dignos Germanis hominibus ſuſcipiatis, & in Republic. mea conſtituenda tantum tribuatis mihi quantum ſalus veſtra atque publica poſtulat. Deponite igitur ſimultates, ſi quas inter vos geritis, & in me atq; Remp. meam totis pectoribus & ſingulari animorū conſenſione incumbite. Quod ipſum & neceſſariū erit vobis, vt perniciem certā vitetis: & tale prorſus, vt mihi atq; vobis vberrimos fructus afferre queatis. Quippe cum hoc tempore tantū poſſitis, vt qua parte collapſa ſum, non refici ſolum, ſed ita etiā ornari poſſim, vt tandem non minus dico; immo etiam magis floream, quā Caroli illius magni atque Othonum tempore feliciſſimo florui. Habetis Principes Auguſtos tales, vt meliores ne optare quidem poſſitis, qui & volunt, & poſſunt me iuuare: nec ſolum tueri dignitatem, quam habeo ego, & vos in me, ſed etiam augere atque amplificare, ſi modo ipſi volueritis, & à complexu ipſorum vos ipſos veſtra culpa non diuulſeritis. Quare ſi me, me inquam, matrem, quæ vos genui, auditis, habetote rationem meæ atque adeo veſtræ ſalutis: & cauete, ne quæ hoc tempore opportunitas datur rerum veſtrarum & conſtituendarum, & ornandarum, eam amittatis. In quo ipſo ſi ita geſſeritis vos, vt officium veſtrum deſiderare videtur, de me profecto, de vobis ipſis, deque vniuerſo Chriſtiano Orbe optime merebimini. Hæc ſi Germania loqueretur vobiſcum atque ageret, Principes populique Germani, an vocem eius aſpernaturi eſſetis? Nihil arrogo mihi, ſed tamen ſi quod ſuadeo ipſe, & Patria noſtra communis flagitare videtur, impetrauero, non erit profecto, cur vos ſententiæ meæ atque conſilii pœniteat: & ex officio veſtro eos ſane fructus percipietis, qui vobis atque Germaniæ noſtræ cunctæ maximas vtilitates ac ſumma ornamenta allaturi ſunt. Quod vt eueniat tandem, pro ea, qua Patriam hanc noſtram complector, charitate optare ego maxime, & ſupplices ad Deum manus tendere, fidemque eius ac nomen ſanctiſſimum implorare non deſino.

PRO

II.

Anno Domini 1601.

PRO SACRA IMPERII ROMANI MAIESTATE,

PRO LIBERTATE, SALVTE AC GLORIA GERMANIÆ,

DISCVRSVS

ATTALARII EGENOLPHI I. V. L.

ILLVSTRISSIMIS AC POTENTISSIMIS S. Imperii Rom. Principibus ac Dominis,

Dn.	*Friderico IV. Palatino, S. Imperii Rom. Archidapifero.*
Dn.	*Chriſtiano II. Duci Saxoniæ, S. Imperii Rom. Archimarſchalco.*
Dn.	*Ioachimo Friderico, Marchioni Brandenburgenſi. S. I. R. Archicamerario.*

Principibus Electoribus.

Dn.	*Friderico VVilhelmo, Duci Saxoniæ.*
Dn.	*Henrico Iulio, Duci Brunovvicenſi.*
Dn.	*Mauritio Cattorum Princip.*
Dn.	*Erneſto Friderico, Marggrauio Badenſi.*
Dn.	*Mauritio, Naſſouienſium Comiti, Duci Fortiſſimo.*

DD. ſuis Clementiſſimis.

Q*VAM recte vates, Heroes potentiſſimi,*

——Omnia fatis

In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Imperii Rom. rerum atteſtantur declinationes. Quæ ſi veſtra magis culpa: quam fato collaberentur, non immerito commoneremur. At quia ſeculorum decurrentium periodi iam ferme circumacti ſunt, durioribus quam maiorum ætas vrgemur fatis, Ex culpa igitur Celſitates vv. facile eximunt, qui præcipiti iudicio non feruntur. Fatali tamen tempeſtati quauis ratione ſubueniendum ſuadet Cicero, eoque magis, ſi plus adipiſcare re explicata boni: quam addubitata mali. Quod permagnum eſſe negotium maximique conſilii omnes ordinum viri, vel me tacente ſentiunt. Id oneris cum Imperatore ſemper Auguſto, vos Athlantes hîs in terris ſuſtinetis, adminiſtrandi poteſtatem cum Deo communem habentes. Quam ſapiens admirata antiquitas, euectos ad illam ſalutabat Indigetes, quod Platonis iudicio, diuinæ Maieſtatis quædam in iis ſimilitudo conſpiceretur. Eo itaque videtur magnificentior princeps, quo propius ad archetypi ſui formam acceſſerit. Vti enim Deus nil non perſpicit, nil non ſentit, nullis corrumpitur affectibus, benefacit omnibus etiam indignis, non niſi raro punit, idque coactus, adminiſtrat nobis, non ſibi, hoc mundi theatrum. Item hoc & decet bonum, & bono conuenit principi, non ſua, verum vtilitatis publicæ adminiſtrandæ ratione conſulere, & tanquam præ oculis poſita cum commoda tum incommoda ſubditorum perſpicere. Nil etiam non ſentire, cum ſuis incipiat malis vulnerata reſpubl. laborare, vt tempeſtiue medicinam afferat, quæ cum ſuperari mala principio ſolent progreſſione corroborantur: nullisque corruptus affectibus ſubditorum tutelam curando ac quæuis bono publico metiendo, ita benefaciat, vt bonus ac beatus prædicari mereatur. Faciliime id obtinebit, cum exequatur, quod deceat, & quæ ſibiipſi conſcius ſit decere, minime negligat, nec potentiam ſuam, vt plerique, metiatur opibus: Sed virtute potius ac pietate, qua ſummo Triarchæ Deo conſocietur. Quapropter danda opera, vt quemadmodum orbis ſuperior ſummi ſapientia, à cuius fonte leges regendi populos promanarunt: ita hiſce hic noſter regatur & adminiſtretur. Illius conſtitutio, delectatiſſima conſenſionis pulcritudine abſoluta, inconcuſſa conſiſtit. Æque huius moderamen amica rectorum conſenſione robore inuicto efflorebit. De Germanorum reſpubl. Chalcondylas non fruſtraneam habuit opinionem, cum aiebat: Nullam noui gentem, cuius mores ſint honeſtiores, qui ſi concordes eſſent, eſſent inuicti. *Quapropter ſi patriæ ſi ſalutis propriæ rationem habere nobis eſſet curæ, certe rationibus conſulendo, ad officium bonumque publicum quietis animis arctiſſimoque conſenſionis vinculo cuncta reuocaremus. Haud hercle reuocabimus, ſi ab altero alter diſſentiat, & alienus quodammodo eſſe videatur. Si alter alteri non faueat, & nihil quicquam vel raro extremaque neceſſitatis telo exigente in commune conſulat: verum potius ad priuata commoda ſua omnia referat, aliena concupiſcat ac rapacis vulturis inſtar bonis vicini inſidietur, illorum dominium qualicunque verſura, vi, dolo, fraude acquirere ſtudioſiſſime annitatur. Augens hæc habendi*

cupiditas

cupiditas quorumuis malorum radix, fons improbitatis, iniuſtitiæ fomes, virtutumque ſicaria, rerum omnium inuertit ſtatum. nihil enim hac peſte (cum priuata vtilitati publicæ præferatur & proſtrata virtute ad opes cumulandas ditionemque ampliandam diſſluentes habeant animos optimates) nec flagitioſius, nec pernitioſius. Ita qui animati fuerint, vt diuitiis polleant, vt amplam regionem poſsideant, vel auctionantur ſuas populi lachrimis cupiditates impleri & à multis ipſorum animo delectabilia procurari. Hoc Iugurtha quondam morbo cum vidiſſet laborare ſenatores Romanos exclamauit; O venalem vrbem citoq; perituram ſi emptorem inuenerit. *Et Spartam nulla re niſi auaritia perituram conſultus Apollo reſpondit. Et quis hanc fatalem prædictionem non multis principum familiis vrbibuſque ampliſsimis ingruere videt. Siquidem ex auri fundorum cupiditate nõnulli fraudant toto die, poſcunt, auferunt, eripiunt, paciſcuntur vt prodant, ius vendant, iuſtitiam proſtituant, autores vt rapinæ exiſtant, furta committantur, cædes fiant quod omnium in mundo furorum, odiorũ diſſenſionumq; exiſtit ſcaturigo. Relegentur iſta ſi patriam in tranquillo retinere velimus & omnes in vnum conſentire. Qua inquam ſingulari iſta animorum conſenſione nihil vtilius, nihil magis profuturum eſſet Imperio. Quouis enim muro hoc firmius munimentum. Alias actum erit de eo, cum ita mutuis certamus contentionibus. Quippe magis noxium Imperiorum venenum non ſit magisq; pernitioſius & familiarum cum & vrbium ſtudium, quam ſi inter ſe principes ſimultates alant, odiiſq; prope ad arma dimicent. Sane indignum eſt & turpe iurgiis tempus illos terere, non ſanis conſiliis, quibus peræq; potius nihil conueniat: quam concordiæ ſtudium & amica beneuolentia. Sat florens eſſet: ſat felix: ſat munita Germania, ſi Status inuicem omnes conſentirent concordeſq; & res ſuas & conſilia tractarent. Lacedæmoniorum Rex Ageſilaus interrogatus, cur nõ cincta mœnibus eſſet Sparta, oſtenſis ciuibus concordibus & armatis,* hi ſunt, *reſpondit,* Spartæ mœnia. *Quoad itaq; concordiæ ſtudebunt Germani armorumque vſum non intermittent: quæ duo maxime maioribus cum fuerunt præſidio, tum terrori hoſtibus: mœnia habebunt expugnatione inſuperabilia. Nam vt felix eſt illud imperium, quod pacis tempore arma tractat, & ſat florens ſi concordiæ ſtudeat. Romani olim & vrbes Græciæ concordes perpetuo legionum ſubſidio armorumq; induſtria tot deuictis populis ſubactiſq; prouinciis ita ſeſe extulerunt potentiamque ſtabilierunt, vt orbi vniuerſo eſſent terrori. At poſtquam remiſsius arma tractare odiiſq; dimicare cœperunt, fortuna mutata prouinciæ alienatæ ſunt, & qui principio hoſtes fortiter ſuperarunt, in eorundem poteſtatem tandem conceſſerunt. Quibus quæſo ſtudiis ad tanta potentiæ faſtigium euolarunt Turcæ: nonne naua induſtriaq; rei militaris diſciplina vnanimiq; voluntatum conſenſione? Quem enim latet aſsidua Turcarum ab incunabulis fere in armis inſtitutio, iam inde ab Amurathe primo conſeruata? Cotidie magnus ac certus numerus in Ianizerorum contubernio tacis duriſsimis exercentur, iam in planitie ad imaginem veræ pugnæ exercitu bipartito ſine ſanguine concurrunt. Iam in aſperis montaniſq; locis tranſmeandis occupati ſunt, ſtudium ſuum nec æſtiuo nec Brumæ tempore intermittentes, vt cum locorum aſperitatem, tum cœli iniurias in ſiti & fame perferre diſcant, & hac ſua aſſuetudine fortitudine comparata agiliores reddantur. Et cum qui excellant tam agilitate, quam fortitudine, præferantur reliquis, præfecturis præficiantur, mutuo ſeſe, vt emergant, æmulantur, antiquius nihil exiſtimantes, quam in virtutis & victoriæ cõtentione legum Imperatoris non immemores, aut vincere, aut ſtrenue pugnando finire vitam. Ea vero latronum iſtorum concordia: ea erga duces obſequioſa reuerentia, vt in ipſorum nutum cum præſentiſsimo vitæ periculo arctiſſima concordia ad exequenda iuſſa ruant præcipites: Quo inquam conſenſionis ſtudio, qua arte armorumq; induſtria tot prouincias ſuæ effecerunt ditionis, vt potiſsimam mundi partem poſsideant, nec vltro Imperii ſui fines extendere deſinant, ſtipendiiſque perpetuis cum peditum, tum equitum legiones ad celerrimam belli præparationem in promptu habeant. Non miremur Turcarum audaciam, quod tam confirmato animo opprimendos ſubiugandoſq; adoriantur. Rei enim militaris ſcientia, multum tam audaciæ, quã feruentis ſpiritus & ipſis militibus & eorum præfectis afferre ſolet. Siquidem ſciant, quomodo ſe caute tueri & hoſtem callide ferire poſsint. Et ni hoſtes pari induſtria exercitatos inuenerint, prope iam adeptam victoriam præuideant. Si ſecus vero cum artis bellicæ nõ inexperta hominum multitudine congrediendum ſit, tam acriter non inſtant & in fugam facillime conuertuntur.*

Hoc non vano rumore ad nos relatum, multoties cum Perſis numero licet imparibus decertantes inſignem Perſarũ rei militaris peritiã faſtidientes fugatos magnaq; clade proſtratos fuiſſe. Pannoniæ rex Matthias etſi viribus potẽtiaq; Turca multo erat inferior, tamẽ quoties exercitu exiguo arma tractare nõ ignaro collatis ſignis cum illis pugnauit, toties hoſti extorſit victoriã. Quin & hiſtoriis patet, ſæpius à paucis multa millia fuiſſe cæſa. Q. Cæcidius Trib. militũ quater centũ millibus numeroſum Carthaginenſ. exercitum fortiter dimicando cecidit. Dux Leonides 300. Lacedæmoniis circiter vicies millia Perſarũ trucidauit. Tot millia Delphin Galiæ. Armoriacor. prope Baſileam à 3000. Heluetiis circũdatus, deſiderauit Dn. VValter. de Pletenburg ordinis Teutonici Magiſter in Liuonia anno 1500. exiguo peditatu, vnico tantum deſiderato homine, circiter centena millia Moſchouiorum & Tartarorum trucidauit. Singulare fortitudinis exemplum ſempiterna memoria dignum.

Quia vero exercitati & animoſi numero pauci ingentem ſæpius multitudinem deuicerint, adeo præſtaret nihil Germanis noſtris ac aſsidua armorum tractatio, vt adoleſcentes virtute militari imbuerẽtur, quo tandẽ perfecti milites euaderent. Etenim latet neminem in ea arte maxime antecellere illos qui vnice fuerunt dediti & quã præ reliquis exercuere. Hac perpetua exercitatione robuſta corpora agilitate præſtãtia cõſequerẽtur, in pugnãdiq; audacia cõfirmarentur. Et quia didiciſſent quomodo ineunda prælia, progrediundũ, in acie ſtandũ, ad omnẽ obiectam fortunã pugnãdum, acies inſtruẽda, ludũ iocumq; exiſtimarẽt cõtinuo in armis eſſe, & voluptati ipſis eſſet cũ hoſtib. manus cõſerere. Quibus ſane arte bellica inſtructis indubitatã victoriã dux facillime reportabit. Verum ſi indocta multitudine cũ hoſte congredi vellet, expectationẽ ipſius euẽtus fruſtrabit in laqueoſq; quos aliis tetendit, fatiſã ipſe cadet. Vtinã antiqua ſecula Germanorũ imitari poti⁹, q̃ cõmemorari oporteret, certe inuicti exiſterem⁹: Maximã maiorib. noſtris fuiſſe curã militaris diſciplinæ hiſtoria loquitur Vtinã & eã hoc noſtro haberem⁹, certe tẽpore periculoſiſſimo milites nõ inertes deſiderãte: Nec adeo deſides & ſecuri in diẽ viuerem⁹. Nõ eſt q̃ fiduciã ſim⁹ habituri in multitudine. Fateri cogimur Imper. Rõ. tã florere hodie frequẽtia incolarũ, quã olĩ Auguſti tẽpore. Hic

cum orbem cenſeret, vndequadragies centena & ſexaginta quatuor millia ciuium conſcriptorum inuenit. In hac tamen multitudine minimam habuit fiduciam, nec armorum tractationem à ſuis intermitti voluit, militarem diſciplinam cuſtodire maxime cogens, ad celerrimam expeditionem patriaque defenſionem quinquies centena & duodecim millia numerata. Quid facturi quæſo in periculo præſentiſsimo, cũ quod pro ſua clementia auertat Triarcha Deus Tartari vel Turcæ, vti quondam, aliquot centenis millibus Germaniam inuaderent & occurrendum eſſet, vix vnus ex centum ad arma idoneus & qui hoſtium crudeliſsimorum aſpectum non perhorreſceret conſcribi poterit. Turpem citius fugam eiuſmodi milites arriperent, quam hoſtium ictus expectarent. Digna itaq; exprobratione hominum noſtrorum deſidia atq; ſecuritas, quod ad belli exercitia ſeſe ipſos non aſſuefaciant: nec pacis ac quietis tempore iuuenes in armis exercere militarem diſciplinã inſtituant, & cum pugnandum ſit hominib. vtantur perditiſsimis, circumuagantibus & vltro ſeſe militiæ offerentibus. Hi plerunque omni turpitudine contaminati, pœna potius, quam præmio ac ſtipendio digni ſunt, ob quorum, & vel vnius ſaltem facinus ſcelerum vindex integram prouinciam ad momentaneum euerſionis trahere vltro cogeretur. Hos inquam publicis negotiis cõficiendis præficimus, quibus nemo priuatas res committeret, & patriæ conſulturi belli duces illos eligimus, de quorum violentia, rapinis & expilationibus paſſim ſunt querelæ. De publicarum calamitatum remedio in conſilium vocamus, ipſarum finem qui nunquam optarunt. De publicis negotiis illorum reſponſa expetimus, quos nemo de priuatis, propter imperitiam in conſilium adhiberet. Neque tamen de omnibus hæc affirmo: ſed de iis tantum, qui nullo præclaræ factionis encomio nobilitati, nec bellicæ virtutis exercitio clari, audacia temeraria ſuam in bellorum præparatione ac confectione operam offerunt. De quo alias.

Cattorum principis Mauritii ſapiẽs inſtitutum laudo ſingulis in pagis ſuis ac vrbibus, vti fama accepimus, nomophylaces ac cenſores Romanorum more deſignantis, vt ſint præfecti morum honeſtaq; diſciplinæ, ac ciuilis cõuerſationis cuſtodes, quorum munus, quæ cuiuſque ſit conditio, vnde viuat, quæque artis mechanicæ profeſsio, perſpectum habere, odio torpentium deſidiam notare, & vt in arte aliqua ponant operam hortatores eſſe, ad arma tractanda idoneorum delectum habere, ad concurſum informare & inſtar veræ pugnæ, quomodo cæſim vel punctim feriendum ſit, doctrinam tradere. Romanorum olim in exercitando Tyrone vſus varius, nonnulli enim ambulationi ferebant onera: alii cum armis curſitabãt: alii vero equum ligneum inſiliebant præter omnia ad palum. Æmilianus militem ſuum in opere habuit cotidie quem extra ordinem deprehendit ſi Romanum vitibus: ſi externum, virgis cædit, omneſque delitias, vinum, ſcorta a caſtris amouit. Athenienſes quotannis pro tyronum exercitio quadraginta talenta erogarunt.

Ad exemplum principis præfati Cattorum, Status Imperii ſi eum morum cenſores: tum diſciplinæ militaris magiſtros haberent deſignatos, certe magna ſpes futuræ ſalutatis effulgeret via furtis, rapinis ac latrociniis præcluderetur, & ad octiduis ſpatium per Germaniam aliquot centena millia cum armis ad pugnandum egredi parata conſcribi poſſent. Dolendum pleraq; ad optimum Reip. ſtatum ſpectantia deſiderari, nec priſtinam viuendi maiorum rationem ad viridem obſeruantiam reuocari. Romani olim dedecus infamiæ fugientes, rem corpore pertulerunt, tempuſq; cum fortuna potius per ſummam gloriam, quam deſides cũ timiditate tranſigere. Tales in patriã, quales par erat exiſtentes eundem animum tam in aduerſis, quam proſperis præ ſe ferentes, in grauibus arduiſque periculis ſuperandis, maximi præſentiſq; fortis animi. Codrus pro patria ſeſe deuouit, vt ſaluus eſſet exercitus. Curtius ſeſe in voraginem præcipitauit, vt peſte patriam liberaret. Scæuola exuſsit manum vt declararet hoſti, Romanos pro ſalute patriæ ad extrema deſcendere paratos eſſe. Camillus a Gallis euerſam reſtaurauit Romam. Scipio ab Annibalis armis fere confractam ac perditam erexit ac recreauit. Cicero ex ſcelerata Catilinæ manu eripuit. Fabius cunctando fortunam labantem Romani populi ſuſtinuit. Magna inquã æmulatio Romanorum & ad emergendum contentio, vt recte cenſeret Cato, ita maximam ſemper fore Romam, ſi illuſtres viri primas virtutum ac fortitudinis partes inferioribus non concederent: & e conuerſo plebei virtutis certamen cũ genere & gloria claris ſuſciperent. *Refert ergo ab incunabulis aſſuefacere iuuentutem virtutũ ſtudio & perferendo oneri. Nam vt in Olympia non merebatur coronam, niſi qui legitime certabat: Ita & indigni vita ſunt & honore, qui nihil parturiunt, quo vixiſſe teſtentur. Præclarus certe tyranno ſophiſtarum mos, quod impranſos abire cogebant, nullum diurni laboris fructum parentibus offerentes. Et puer antiquitus in Balearibus Hiſpaniæ Inſulis non capiebat cibum niſi quid prius ſagitta percuſsiſſet. Amaſis Ægyptiorum rex lege ſanxit,* vt qui apud præfecturæ præſidem profiteri non poſſent, vnde viuerent, extremum illis ſupplicium eſſet pœna. *Quamuis vero diuinus Plato non improbet leges ſupplicia ſceleratis irrogantes; Eas tamen ad virtutem addentes calcar & in melius formantes homines, vt præmio potius quam pœna digni ſint, illis antepoint. Itaq; optandum eſſet eo legum genere regi Imperii Rom. ſubditos, vt præmio allicerentur ad res præclare gerendas, ita qui patriæ vtilem nauaret operam, in eo honoris gradu collocaretur, vt quanto melior eſſet eius: tanto vberiorem virtutis ſuæ fructum conſequeretur. Quam rationem cum Lycurgus olim Lacedæmoniorum legiſlator iniiſſet, id effecit, vt quos eorum vrbs genuiſſet ciues, mallent vt prodeſſent patriæ honeſte mori, quam turpiter viuere. Nec quidem illi, vt & maiores noſtri ita viuebant, vt ederent: verum edebant vt viuerent, per tranſennam veluti aſpicientes nimiam ventris expletionem nihil eſſe aliud, quam viuæ mentis ſepulturam, cum non modo eiuſmodi ingluuies, valetudinis: ſed & ingenii & conſilii vires conſumat. Vt recte Plato pronunciarit,* ſapientem non eſſe, qui bis die ſatur fieret.

Hinc Solon extorſit legem, quæ principem ebrium mulctabat morte. Quoniam actionum euentus temulentorum docuit, egiſſe multa & iniuſte & præcipitanter. Macedoniæ rex Philippus aliquando ebrius præcipitanti temeritate mulierem indicta damnauit cauſſa. Illa autem prouocante, cum ad quem prouocaret interrogaretur, ad Philippum ſobrium, *reſpondit. Magna victus maioribus noſtris moderatio fuit, magna inquam viuendi temperatio. Ideoque & ingenio & prudentia valebant, de Repub. bene merebantur, præclaraque in eam virtutum extabant inſignia, honeſtatis ſobrietatiſq; maximam ſemper habentes rationem, nec multo minus bonis legibus, quam olim Romani, Athenienſes ac Lacedæmonii ſeipſos deuinxerunt. At hoc noſtro tempore adeo intemperantiæ peſtis*

inuol-

inuoluit, vt plures gulæ libidiniſq; quamuis vlla belli abſorbeat, certatur poculis ad extremũ vitæ halitus exitum, totoſq; dies potando conſumimus, quod tempus in dandis patriæ ſanis conſiliis inſumendum eſſet. Certe male. Principes noſtros ac cæteros natalium genere conſpicuos, ita in hominum oculis viuere decebat, vt aliis bono, non malo Exemplo eſſent, ad omnes recti officii partes Speculum. At plerique luxu voluptatibuſque dediti, tam diffluentem vitam gerunt, vt ad eaſdem delitias appetendas ſubditos veluti claſſico inuitent. Nam;

Regis ad exemplum vulgus ſe accommodat vrbis.

Et

Luditur in cellis, vbi, præbens futilis Abbas
Materiam, talos proiicit in medium.

Perperam inquam faciunt optimates, cum negligant, & vitæ genere & honeſtis legibus patriæ conſulere, quam vita indecenti Xenophontis iudicio prodere quodammodo videantur. Proinde ſi viri principes ac nobiles tanti dignitatem ſuam facerent, quanti deberent, non paterentur, vel qui ſui eſſent ordinis, vel etiam inferioris contagione quaſi contra quam commune decus poſtularet contaminari. Quantam enim vim habeat ſobria optimatũ vita honeſtate conſpicua, non ſolum ad ſubditorum animos ſibi conciliandos & in officio continendos, verum etiam ad actiones laudabiles excitandas, omnium ætatum exempla copioſe demonſtrant. Et hic vulgi mos eſſe ſolet, vt eos quos dignitate honeſtateq; vitæ conſpicuos cernat, ad cœlum vſque euehat, cõtra vero quos forte flagitio quodã laborare intelligat, grauiſſimo infamiæ genere notet. Ita ergo Rempub. noſtram conſtitui omnes dexterioris iudicii viri exoptant, vt in ea honeſte ac ſobrie viuere, patriamq; iuuare ſit laudabile & honorificum: Turpem vero vitam viuere, flagitioſiſſimum, carbone notandum. Ad hanc reipublic. formam cum conſtituendam, tum conſtitutam defendendam augendamq; concors principum ſtatuumq; neceſſitudo deſideratur. Quæ enim ſubditorum, quæ ciuium in Reipub. concordia ciuiliſque amicitia, cum rectores diſſentiant? Abeſſe vix poteſt, prout nunc ſunt tempora hominumq; politicorum ingenia, quod inter ſe principes alias ad quietem propenſi, conſiliariorum ſuorum ductu haud diſſideant atque diſcordent. Tam enim (vt in reſcripto Artaxerſis ſacris Bibliis inſerto habetur) ex veteribus probatur hiſtoriis, quam ex his quæ geruntur cotidie, quomodo malis quorundam ſuggeſtionibus regum ſtudia deprauentur, principum aures ex ſua natura alios æſtimantes callida fraude decipiantur: Poſſem huius rei exempla, ſi odioſa non eſſent afferre in medium, quod plurimi honore & principum lenitate abuſi maximas in Imperio excitarint turbas & ipſis Dominis inſidias vitæ pararint, vt recte Saxoniæ Elector Fridericus dixerit, ſibi à nemine plus eſſe timendum, quam qui ipſius veſtigia obſeruaret. *Quæ enim principum conſilia, præſertim in rerum arduarum conſultatione, reticeri debebant, & clam eſſe publicum deſiderabant commodum, hæc palam enunciant: vel exteris ad lucri gratiæq; aucupium ſcriptis notificant, quod hominum leuium eſt & proditorũ.*

Romani olim de rebus arduis conſulturi in conſilium neq; pedarios ſenatores, neq; ſcribas admittebant: verum ipſi ſcribarum obibant munia. Si in eo ſequerentur Germani Romanos & in vnum ad Imperii Rom. libertatem, iura, leges, tranquillitatem cum retinendam, tum augendam conſpirarent, & quando de bono publico deliberandum eſſet, animos Germanis dignos ſuſciperent, priuatas ſimultates deponerent, & res ſuas concorditer tractarent, futurum, vt ita patria noſtra reſfloreſceret, ne melior ipſius optandus eſſet ſtatus.

Ariſtides & Themiſtocles licet mutuis certabant odiis: tamen quoties ad deliberationes Reipub. adhibebantur: vel legati publice mittebantur, priuatas deponebant inimicitias, reſumturi publicis tranſactis negotiis, ſi ita viſum eſſet.

Ea nunc igitur agite; Heroes potentiſſimi; quæ Deus ipſe à vobis: quæ tam publica, quam priuata veſtra ſalus requirit.

Agite inquam, quod omnes ordinum ſtatus ſubmiſſe atque amice: quod ipſa communis patria anhelans flagitare videatur. Imo agite, conſentite, animiſq; coniunctis conſpirate, vt firmis conſiliis concordibuſque ſuffragiis Imperatoria Maieſtate conſentiente ſtatuatis, quod ad Dei gloriam, ad Eccleſiæ piorumq; hominum defenſionem, ad patriæ communis ſalutem, ad pacis tranquillitatiſq; propagationem, ad Imperii Rom. Splendorem denique ad omnium Chriſtiani nominis hoſtium ruinam conducat. Quod vt eueniat, ſupplices ad Deum manus tendere, opem auxiliumq; eius implorare Chriſtiani nunquam intermittent. Ad hæc vero conſequenda indormire non decet, & vt quiſq; in hæc diligenter vigilet, oro, opto, precor. Præſentia ſi Celſ. VV. non ingrata fuiſſe intellexero, poſthac pro tuenda conſeruandaq; Germaniæ libertate plura dicam. Valete. Dabantur 12. Martii, An. 1602. Erphordiæ.

CC. VV.

Subiectiſſimus.

Attalarius Egenolphi.
I. V. L.

LECTORI Εὐ̃ ζῆν.

PRO Sacra Imperii Romani Maieſtate: pro Libertate Germaniæ dicturus, amice lector fateor tã Athlanticum opus à me multo exilius tractari, quam ipſius dignitati conueniat. Facundiam, nitorem, grauitatemque deſiderabant pleraq;. At nulla neq; facundior, neq; grauior ad illuſtrandum illud reperiri à me potuit oratio. Ergo ſaltem incultam ſuppeditaui protaſin, Lullis artem edoctus limatam imponat cataſtrophen. Quod nonnunquam vehementius ſtylum exacuerim, rapuit me eo rei indignitas, (cum Scapham nõ niſi Scapham nominare oportuit) vt acerbius, quam propoſueram, ſcripſerim. Si paulo liberius verba fecerim, ſpectetur an vera: ſi, acerbius? an ſalu-

taria ſuaſerim. Ac tempora quidem hæc, ſi vnquam, nunc inprimis grauiori reprehenſione digna ſunt, & remediis acrioribus egent. Lectori ſi videbitur, ſcriptum non carere ſtrophis, donet aliquid homini obſcuro & ſolitario inter priuatos parietes deliteſcenti & in ærumnoſis ſuis aduerſitatibus nulla horis ſuccíſiuis meditanti. Solus eſſe hactenus volui, & à Iuris lectione me clanculum ſubduxi, vt maiorem rebus diuinis inhærendi & pro ſalute patriæ diſcurrendi occaſionem captarem. Communis vero nunc eſſe volo, vt de omnibus poßim bene mereri, vt idem communis fias, Syncere lector, meditator ſolus, quibus benemerearis. Vale.

AD

SACRI IMPERII ROM. STATVVM PROceres acclamatio.

QVoties in præſentibus Europæ trepidationibus fatalique rerum omnium impendente ruina, Reipublic. Rom. in ſtatum adeo dubium adeoque formidoloſum contemplamur, cum varias ſubinde mutationum viciſſitudines in peius ruentes: tum quibus vrgemur fata duriſſima, gliſcentemque pœnarum molem ob ſcelerum noſtrorum atrocitatem adauctam cumulatamque intuemur (labuntur enim in deteri is omnia, magiſque vt cernimus indies corrumpuntur) certe quorſum eruptura ſint: animus meminiſſe, nedum cogitaſſe horret. Neque enim hæc vt ingenioſus poëta luſit:

——Sine mente aliqua, ſine numine certo
Proueniunt fruſtra: ſignis dedit ipſa fidem res.
Et iam pœnarum ſatis, & iam cladis abunde eſt,
Sed fateor, culpæ noſtræ mala plura merentur.

Cum nemo videri velit contraxiſſe labem, ſuccedanea emendatione humiliter & corrigendam & deprecandam, Non mirum itaque iuſtiſſimum Triarcham Deum in populorum flagellis adeo rigoroſe adhuc dum perſeuerare. Sunt qui e fato cenſent & ſine numine fieri, vt factum illud, Deo nihil curante, vim neceſſitatis afferat. Epicuri hæc fuit opinio, iram habere Deum negantis, quo facultatem ei benefaciendi ademit. Quoniam videbat conſequens, ſi nimirum iram haberet, haberet & gratiam. At ne vitium illi concederet, etiam virtutis exortem fecit. Aliquanto melius ſenſerunt Stoici, gratiam, in Deo, non iram eſſe, cum ira mentis perturbatio ſit, quam a Deo alienam exiſtimarunt. Chriſtianis vero Deus eſt, cui capilli cuiuſque noſtrum numerati: cui ſortium euentus ante prouiſus: cui omnia denique toto mundo, maxima, minima, mediocria curæ, qui malis iraſcatur, erga bonos gratia commoueatur. Longanimitatem erga reprobos declarans, & quæ ipſius erga omnes miſericordiæ amplitudo, pluſquam paternis blandimentis reipſa demonſtrans. Non eſt igitur, fatum rebus in deterius ruentibus afferre neceſſitatem: verum hominum in manu conſilii ſui à Deo relictorum voluntatem liberrimam, qua rei non licitæ viuram expetant, huc illucque ferantur, ad vitam, ſicut Deo dignum eſt, inſtituendam parum ſoliciti: ſua ſorte nunquam contenti.

Magna inquam ad imaginem & laudem Dei conditorum dedecora, quod modo in ſublimia honoris vexilla nimia leuitate ferantur: modo deorſum in voluptatum paludes nimio pondere motu proprio delabantur. Quibus vitæ ſtatui contrariis factionibus & ſuſceptarum actionum exitus contrarios ſortiantur: vt præclare poëta:

Ergo tot in caſſum fundi plerunque labores
Aſpicimus, dum quiſque ſuæ contraria ſorti
Appetit infelix: nec iuſſo in munere perſtat,
Propria non curans, alienaque ſegniter vrgens:
Ah miſer, in neutro quicquam feliciter auſus.

Proinde cum omnium oculis expoſitum ſit, quam quiſque ſuæ ſorti contraria appetat: quam ſegniter Spartam nactus exornet: quam aliena affectet: propria non curet, & magis incumbat agendæ rei, quam bene adminiſtrandæ, non mirum, quod ſcelerum vindex res noſtras celeri citatas turbine verſet.

Proteſtantes, ne condemnationẽ in infirmos fratres ſibi ſumãt, ſed pacifice ad compoſitionem ſynodalem inuitent.

In melius mutatam Europæ faciem videbimus, quando quiſque ſua in ſorte pro viribus ſuaderet, impietatem expiando, precibus ac lachrymis irritati Dei animum mitigare ſuſpiraret. Religio vero ita cuiuis curæ eſſet, vt certamina, vt diſſenſiones, quibus Eccleſiam laborare palam eſt, componerentur. Et ſi de controuerſiis conferendum foret, fieret illud placide, amice, modeſte, cum libertate quadam dicendi abſque condemnatione. Etenim diſſentientes (niſi velimus ius condemnationis, quod ſuæ reſeruauit Maieſtati Iuſtiſſimus, nobis ad perniciem vendicare) tam immaturo anathematis fulmine flagellandi non ſunt, & tenera Chriſti membra contumeliis parum Chriſtiane proſcindenda.

Imo

Imo inquam in melius mutatam conſpiciemus, quando iuſtitiam rebus gerundis præſidentes ita adminiſtrent, vt nulli iniuria fiat: nulli in Republica vi agere permittant, pro tribunali ita iudicium vigeat, quo non minus infimi: quam ſummi ius ſuum obtineant, ſcelerati pœnarum metu deterreantur: boni vero ad promerenda virtutum præmia inſtigentur. vt honos alios prouocet: alios metus coherceat. Hoc ab ipſorum Statione non alieno conamine ſubiectos cum in officio retinebunt: tum ad actiones laude digniſſimas excitabunt.

Quare ad patriæ clauum ſedentes, cum in tanto dignitatis faſtigio conſtituti, vt diuino cœleſtis Maieſtatis titulo inaugurati ſitis, cogitabitis, quid tantis honoribus debeatis, quid tantis de vobis hominum opinionibus, quid tantis de vobis iudiciis.

Certe vt conſulatis Eccleſiæ, patriæ, ſubditis: vt medeamini præſentibus miſeriis: prouideatis ſaluti communi. Atque huic veſtræ voluntati ſummus ille rerum vniuerſitatis Monarcha facillime aſpiraturus: Si cum cœleſti: tum terreſtri Maieſtati; ſi dederitis patriæ, quibus ſine flore nec in tranquillo retineri poterit.

De hoc quidem, in primo declamationum noſtrarum diſcurſu, à præſenti Germaniæ ſtatu non alienas rationes in medium attuli: reſtantes annuente Ter Maximo in ſequentibus allaturus. Queis ſi ſequi nixi fueritis (abſit arrogantia dictis) omnino mihi perſuaſum habeo, Dominationes VV. tantum poſſe; quantum ab ipſis exſpectetur. Vt qua parte collapſa patria ſua non modo reficiatur: Verum vt magis floreat, columnis ſuffulciatur. Neque ſane hoc nunc contendo, vt, quod mutatu difficillimum ſit, id veluti inutilem herbam euellatis. Sed quod emendationem admittat, prouideatis rationibus, ne prorſus in immutabile occalleat. Hac via, quæ mihi videtur omnium optima, illud conſequemini, vt omnes boni, tum faueant vobis: tum à nobis omnibus obſequia prompti animi paratiſſima expectetis. Licet vero multa vos ſolicitent, cum Germaniæ impendentia pericla: tum quæ vobis ipſis intendantur ſexcenta ſint. Tamen vel declinare: vel cum patientia tolerare poteritis, quod difficile vobis viſum fuerit, ad Deum referatis; ipſo iubente Deo: ſine cuius afflatu nihil vnquam bene ceſſit, quantumuis prudenti deliberatione cœptum fuerit.

Hoc ſi feceritis, & veſtros in officio diuinitus mandato retinere ſtudebitis; ſtudia pietatis inuiolabiliter, æque iuris æquabilem tenentes rationem, non dubitetis, à ſummo ter maximo vota veſtra eſſe receptiſſima. Qui mox veſtris fauebit conatibus, contra hoſtes inſultantes pugnabit ipſe, propriosque in ipſorum iugulum ſtringet gladios. Cogitetis vos illius Imperii columnas eſſe, quod præter cætera mundi regna à ſummo Domino Dominantium & auctoritatem & firmitatem ſuam habet. Huius inquam regni, quod Danielis vaticinio ſuffultum, ad ſummi Imperatoris præſcriptum, cum orbis terrarum conflagratione finietur.

Quamuis vero hæc Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Monarchia, à priſtino robore, potentia & flore multum deflexa, arctioribus Germaniæ limitibus includatur, ideoque pedibus digitisque ex ferreo & luto mixtis comparetur, quo ſimili Spiritum Sanctum prædixiſſe patet, eandem inter ſtatus & ordines vti inter ferrum & lutum compaginem futuram, quæ pedibus luteis ac infirmis vix ſeſe ſuſtineat. Tamen quia ferrea, ad mundi excidium, etiamſi rumpantur ilia Sathanæ & huius mancipiis Turci, inuicta permanſura. Neque enim alius Germaniæ noſtræ dominabitur, quam Romanorum Imperator, minime Turca: vel alius quiſpiam graſſator, ſicuti Hilrenius ad Neſſum quondam vaticinatus. Sit ſane Imperium Romanorum in ſummas adductum anguſtias metuendumque Turcam poſt vaſtatam occupatamque Pannoniam longius progreſſurum pedemque in Germaniam fixurum.

Conſtat enim paucis ab hinc annis Ottomannicos deliberaſſe, qua occaſione Bohemiam inuaderent, vt ad Albim arcem belli haberent, & ſic in vtraque ripa Germaniæ latrocinia ſua exercerent. Citius tamen omnium opinione infecto ſibi metu ad ſpælea Mahumetis reuerſurum certo ſtatuamus. Diuinis enim enim oraculis à Daniele prolatis edocemur, hanc noſtram Monarchiam à Sacra Romana Cæſarea Maieſtate adminiſtratum iri, ac formam Imperii manſuram. donec lapis auulſus de monte ſine manibus cum flammæ incendio euertat mundi machinam. Nec ſum dubius animi, aduerſus Sarracenos maiorem habituros victoriam Athlantes Germaniæ, ſi modo Romani Pontificis lictoribus, & vti vocant Hiſpanicæ Inquiſitionis carnificibus frenum iniiceretur, ne tantis furiis in Chriſti gregem graſſarentur, petentibus ac flagitantibus cœleſtis religionis hoc in decurſu mundi vſuram & exercitationes permitterent.

Non enim plebi: Sed & ipſis Pontificiis lætioribus, inſtar erucarum foliis inſidentibus conſtat, puram Euangelii doctrinam horum delubris & templis prorſus exulare. Hanc doctrinam maxima pars Pontificiorum dominatu & Tyrannide oppreſſa, anxiis ſuſpiriis gemitibusq; clam expetit eiuſq; vſum publicum efflagitat.

Vtinam nunc Ordines Imperii tam Pontificiorum: quam Proteſtantium in hoc arduo negotio concordiæ ac paci ſtuderent, & ad tranquillitatem amicamque potius concordiam animos traducerent, quam ad tot millia piorum internecionem connicerent; Sane, longe melius res ſeſe Germaniæ haberent, alias vereor, niſi huic malo maturius occurratur, mutuis vulneribus in ſeſe ſæuiendo collapſuram.

Vtinam Sacratiſſima Imperatoria Maieſtas: Vtinam Septemuiri Germaniæ, penes quos

Mmm 2 eſt

eſt regia dignitas, haſce calamitates reſpicerent, quibus Eccleſia & communis patria noſtra eſt afflicta, & eam quæ in eiuſcemodi exacerbatis rebus eſt neceſſaria, adhiberent ſolicitudinem, certe vtrique Reipublicæ conſultum foret quam optume. Hanc ob cauſam ſanctiſſimum Septemuirorum ſenatum maiores ab Imperatoris latere ſtare decreuerunt, ipſius Maieſtati in difficilioribus vt aſſiſterent, & ſi quando futuris temporibus ſcandalorum & diſſenſionum materia ſuſcitaretur, vel bonum commune impediretur, præſentibus auctore Deo periculis ſalubriter obuiarent: vt Aureæ Bullæ reſcripto cauetur aureo.

Eaſdem calamitates quondam reſpiciens, maximus mortalium Maximilianus ſecundus, Imperator ſapientiſſimus, nobilitatis Auſtriacæ precibus permotus, decimooctauo Auguſti, Anno ſexageſimooctauo, Prouinciis Pannoniæ vicinioribus, doctrinæ cæleſtis diuinitus patefactæ, & in hiſce ruinis mundi reſtauratæ vſuram permiſit, contra quid tenderint & inſanierint Pontificii, optime intelligens, quid interſit vt doctrina cœleſtis propagetur, cuius curſus hominum furoribus ac nequitia nec impediri, nec extirpari poſſit. Accidit ſæpenumero quod in abdito diuina deliteſcant Oracula & retruſa iaceant, quo iuſtiſſimus ingratitudinem erga reuelationes vlciſcatur, quemadmodum ante hæc tempora in veteris teſtamenti Eccleſia multoties obuenerat: Tamen cum cœperint defectionem agnoſcere næuoſque ſuos pœnitere, ad nouum obſeruandæ legis iuſiurandum vocauit populos. Ita hac vltima mundi ſenecta ad veritatis diuinæ iuſiurandum reliquias electorum vocat Deus, hi publicos congreſſus & pietatis exercitia permitti ſibi ab Imperatoria Maieſtate à mundi poteſtatibus petunt. Væ ſi ad iſtas anxias lamentationes aures obſtruxerint & portas æternas ad preces fidelium non aperuerint.

Religioſiſſimus Monarchiæ noſtræ Athlas Carolus Magnus paterna quadam & tanto principe digna cura ac ſolicitudine (vt portæ æternæ cuiuis apertæ ſtarent) ſuis in Capitularibus ſancte ſtatuit, *verbum D E I populo pure ac ſyncere annunciandum abſque appenſione falſæ ſtateræ.*

Quæ ſanctiſſimi Imperatoris conſtitutio concordat cum Spiritus Sancti in Scriptis Propheticis contentis ac deſuper reuelatis programmatibus. Hoc à cœleſti & terreſtri Maieſtate publicatum edictum vrgent ſubditi, iis in locis vbi pontificiorum dominatur Tyrannis, & vt priſtinæ reſtituatur obſeruantiæ ſollicitanter petunt.

Inuictiſſimus ac feliciſſimus Imperator Carolus V. de Auguſtana Confeſſione recte ſentiens, Pacificatione Paſſauienſi (vt vera Chriſti religio ſimul ac priſca Germanorum libertas per omnia floreret & poſtlimino reſtitueretur) portas æternas aperuit, quantas etiam pontificii remoras obiicerent, ſcriptis bulliſque ſuis contra fulminarent, rabieque furenti in optimum Cæſarem & Principes pientiſſimos debacharí, brutiſſima iacularent fulmina. Moriens oſtendit probare ſeſe noſtrarum Eccleſiarum de iuſtificatione doctrinam.

Nunc Domini Imperatoris ſententiam approbans, confeſſionem eius audire ſolitus, crematus eſt. Quam hæc ſint in Principe laude digniſſima, quanti officii? quantæ clementiæ? quantæ pietatis plena? curare vt ſubditi non ſcitis ſolum & legibus: verum ſanæ religionis cultura recte informentur, & quod publicum ſeu commune ſit, publice etiam doceatur, non eſt quod pluribus perſtringam. Siquidem & recte & pie ſuo funguntur munere Poteſtates, quando pluris faciant ad publicam vtilitatem augmentumque Eccleſiæ quæ ſpectant: quam quæ in gratiam hominum furioſorum fieri poſſunt. Hic enim cum ſuum agant negotium, Chriſtianum ſubuertunt otium. Videmus & experimur plurimam multitudinem hoc in agone mundi fatali quodam affectu rapi ad ſynceritatem ac ſimplicitatem ſanæ Theologiæ, & publicas exercitationes, abrogatis cum extrema impietate coniunctis ceremoniis, poſtulare. Verum dum poſtulant, poſcunt, petunt, exilia, cruces, flammæ, crudeliſſimaque ſupplicia proponuntur.

Non fingo hæc, loquuntur Belgæ, Carinthi, Styrii, Auſtrii, & Principum Pontificiorum quorundam ſubditi.

Impiis iſtorum hominum ſtudiis ac perſecutionibus maius iugum Germaniæ aggrauatur: libertas labefactatur: dignitas tollitur, bona præſidiaque diminuuntur. Et niſi finem facient, pœnam ſibi diuinam accelerabunt, cum nullum maius argumentum ipſorum occaſus videam: quam opprimendæ veritatis & immaniter perſequendi ſtudium, quod mille modis, nunc per vim & regum opem: nunc per inſidias & conſilia moliuntur. Suaderem ipſis, ſi dignitatem: ſi potentiam, quam habent, retinere vellent, eam ita retinerent, vt cum ad gloriam Chriſti & curſum diuinitus patefactæ doctrinæ tum ad libertatem Germaniæ, ſtudium ſuum conuerterent. Ominor niſi ceſſabunt, conſilia in eorum capita tandem eſſe redundatura. Nam clariſſimas diuinæ voluntatis ſignificationes habemus, nulla conſilia: nulla bella vnquam fortunatum fuiſſe conſecuta euentum, quæ contra illos ſuſcepta fuerunt, qui propter religionis ſtudium in diſcrimen vocati ſunt.

Carolus V. Imperator ſapientiſſimus ſæpius factum ſuū querebatur, quod bellum mouiſſet Proteſtātibus, quod id ſit conſecutus, vt in actionibus poſthac ſuſceptis fortunā nouercā habuerit. Quamobrē ſi ſaperent pōtificii, tanta cæcitate ad ruinā & exitum ſuum non properarent, dū nulla

occaſione

occaſione irritati: ſed propriis ſtimulati affectibus ac odiis bella cruentiſſima ſuſcipiant. In quos apte videtur quadrare Diogenis reſponſio, ad Philippi Macedonis cum Græcis pugnaturi interrogata, num ſpeculandi gratia ad caſtra veniſſet? *Vanitatis tuæ & ſtultitiæ ſpeculator adſum*; ait vir ſapiens, *qui nullo cogente, de vita & de regno ceu ad caſum aleæ periclitatus venis.*

Hæc non eo dico, vt vellem omnium odia in Pontificiorum Laniſtas concitare: verum illorum inſaniam exprobrare, quod non laceſſiti contra fideles ſubditos & piiſſimos quoq; inſurgant, exiliis, igne ferroque macerent & ad necem vſque conficiant: & quod putent per vim, eorum potentiam & idolomaniam tueri & diſſentientes opprimi poſſe.

Bonos ac pacis amantes Pontificios nolo hiſce arrodere, deque (quod meum non eſt) ſolio præcipitare. In dignitate conſtitutos veneror, religioſos ſuſpicio, acumine ingenii & eloquentia claros admiror, ipſorum honori & præeminentiæ non inuideo: imo inuidet nemo. Imo nec opes ipſis inuidemus. De opibus non contendimus, non certamus de ipſorum potentia: de iuriſdictione & imperio.

Habeant, poſſideant, modo nobis & ſubditis ſuis religionis ſanæ exercitium permittant. Hoc Deus exigit: hoc religio deſiderat, quæ non in externa: verum mentis interiori integritate & erga Deum Synceritate deſuper gratis data conſiſtit, quod & Adimantus apud Platonem nouit. Hæc autem mentis integritas, non hominis eſt conſtitutum: non ab hominibus excogitatum: Sed diuinitus motore Spiritu S. acceptum & gratuito impertitum. Non eſt bonum temporarium, nec hominum officio vel bullis comparatum: non emptum & merce quæſitum, quid ſtolidi etiam & blaſphemi nugentur Pontificii: Nunquam fore Chriſtianum, niſi Epiſcopali confirmatione qui chriſmatus fuerit. *ca. ieiuni, de conſecr. diſt.* 5 & niſi Spiritum Sanctum per manus impoſitionem Epiſcopi acceperit, *c. omnes. ead. diſtict.* Annon horrenda hæc eſt blaſphemia, qua execrabilius nec dici quicquam: nec cogitari poterit. Verum iſta non miremur, vtut enim vir eſt, ita & eius oratio ac religio, quam ideo, quod a tot annorum conſuetudine continuauerint, ab omnibus amplecti cogunt. At cum plerunque vitiorum occultatrix ſit cõſuetudo. Ita ſub hoc prætextu, quod antiqua ſit illorum religio & conſuetudine introducta, ingentia vitiorum ſcelera & atheiſmus occultatur: pro cultu Dei venditatur, vitiiſque quibuſcunque diuerticula dantur. Agnoſcunt hæc & ipſi ſanioris iudicii Pontificii, nec erubeſcunt fateri ſtatum ipſorum pollutiſſimum & ſacra hominum fermentis eſſe conſpurcatiſſima. Verum ipſis non eſſe integrum Pontifici & Eccleſiæ Rom. contradicere, quod propter accepta beneficia inueteratamq; potentiam verentur, nec hoc patitur ambitio: non ſinit auaritia cæteræq; viuendi cupiditates. Certe ſi contra Canones, contra traditiones, quas *Apoſtolicas* vocant, meretriciamque clericorum vitam quis muſſitaret cremaretur. Et huic proculdubio eueniret, vti Dimachio Arcadii & Honorii tempore ex Oriente Romam venẽte. Videns ille bonus vir crudeliſſima gladiatorum ſpectacula plauſuſque furentes populi, quoties quis in arma caderet & truncaretur, poſtero die mortem illum concione diſſuadere cœpit. & vt aboleretur rogare. Hunc populus lapidibus obruit. Adeo conſuetudine confirmati furores placent. Et memini quondam magni nominis Principem Catholicum, cum de abuſibus Rom. Eccleſiæ corruptaque clericorum vita mentio fieret, ad me dixiſſe: *Fores abuſuum ac vitiorum tam late apertas, vt nullius conſilio, nec vi occludi poſſint.* Hoc idem faſſi ſunt delecti Cardinales, quibus Paulus III. Pontifex mandarat Eccleſiæ morbos demonſtrare. Culpam hi omnem conferunt in adulatores, Papis nimiam poteſtatẽ attribuentes, quando omnium rerum Dominos: & quiduis agendi poteſtatem habere confirmarint. Ex hoc enim fonte, reſpondent: tanquam ex equo Troiano, tam multa in Eccleſiam exundarunt mala, quibus nunc illa grauiſſime ſit afflicta: non temere tamen leges Eccleſiaſticas mutandas ſtatuunt. Legatur *lib. 12 commentariorum* Sleidani. Chryſoſtomus, Anno Chriſti 380. florens, in concione, quæ centum hominum millibus conſtabat, grauiſſime queritur auocari à curatione Eccleſiæ Epiſcopos occupationibus rei pecuniariæ. Quantas crederes hoc noſtro ſæculo eſſet habiturus querimonias ille ſanctus vir, cum pompas regias, comitatum apparatumque Epiſcoporum cerneret, & qua ſolicitudine ſecularibus intenti forent.

Certe non bene fecit feliciſſimus Romanorum Monarcha Otto I. Magnus dictus, quod Brunoni fratri Epiſcopo Colonienſi licentiam fecit muniis Reipubl. fungi. Primus hic anno 950. ſecularem exercuit iuriſdictionem. Exemplum eius imitati omnium ordinum Eccleſiaſtici ſecularibus intentiores, Eccleſiæ reiecta cura, magno cum periculo infinitæ multitudinis indignam Clerico vixerunt vitam, quos tamen diceret Epiſcopos potius eſſe: quam principes, cœlum magis quã mundum cogitantes, vt ſapienter & pie monuit Carolus V. in *Formula reformationis Auguſtæ ſtatibus Eccleſiaſticis Anno* 48. *ad deliberandum propoſita*, Sub titulo: *De ordinum Eccleſiaſticorum officiis.* Qua conſtitutione innuit piiſſimus Imperator, eos Epiſcopos eſſe eligendos qui vſque quaque fidei ipſorũ creditis, & verbo & exemplo prodeſſe valeant, vt habetur in *Decreto Gratiani c. ſacrorum diſt.* 63. verum is clericorum ſtatus in prophanum mutari cœpit Innocentii 4. tempore. Qui; referente Platina in ipſius vita; Imperatore Friderico II. deuicto, de ſpoliis dedit Cardinalibus galeros purpureos, eoſque fecit principes & cognatos regum, ita vt hodie viliſſimus mendicus Idola Romana colens, ampla poſſideat regna & more regio perſonatus vocet ſe principum regumque cognatum. O mores, ô tempora, poſſunt ſane multæ hic ſcelerum, blaſphemiarum, impietatum ac inſaniarum myriades catervæ pontificiæ annotari. At quia ſpes nulla ſit neque literis, neque libris, neq; etiam monitionibus ac rationibus, quibus vlcera illorum inciderentur, ad ſaniorem mentem & vitæ cor-

rectionem reduci poſſe, ſuperſedebo, ne crabrones irritem, operam, chartam tempuſque perdam. Nam in his cumulandis ſi voluiſſem immorari atque inſiſtere, metam nullam attigiſſem, multa ſignificare tantummodo: quam oſtendere & accurate recenſere cum tempus: tum ratio ſuaſit.

Ad vos me nunc conuertam Germaniæ Proceres, ſummo inter homines in dignitatis ſolio conſtituti, vnde tanquam ex ſpecula proſpicere veſtri muneris eſt, quomodo honorati honorem ſummo Domino Dominantium referatis, mundique ſuperioris imitatione & conſtituatis terrena & adminiſtretis.

——Haud opus iſto
Eſt mihi honore: Iouis ſed iuſtus honor mihi cordi eſt:

Ethnici Imperatoris γνωμίδιον fuit: recte intelligentis, niſi ſummo cœlorum Monarchæ debitum optimates honorem deferant, indignos eſſe vt qualicunque dignitatis titulo perfungantur. Vt itaque Deo ſuus quo dignus eſt, habeatur honor, omnes ordinum ſtatus in ditionibus ſuis de Deo aliter non permittant doceri: quam ſe nobis & verbo & miraculis manifeſtauit: & prouideant, vt verbum illud ſuum apud omnes autoritatem obtineat, & verba verbis ſacræ paginæ, non ſpiritum fanaticorum commentis confirmentur: & è conuerſo in dubium vocata iiſdem interpretentur vel refutentur. Qui contra fecerit, & vel ſua: vel aliorum Alaſtorum ſomnia pro veritate obtrudere ſtuduerit, vt blaſphemum pii totis animis execrentur. Apoſtoli conciones ſcriptis Prophetarum confirmarunt & interpretati ſunt, horum imitatores eſſe debent publicum docendi onus qui ſuſtineant.

Quando etiam in Academiis diſputationibus friuolis indigne Deo ſuus eripiatur honor, cum ingenia leuia, ex penu rationis deſumptis paradoxis ambitioſa oſtentatione quadam, myſteria ſacra & fidei articulos, qui credi, non ſciri debent, miſere contundant; ad rationis captum: vel ad nutum potentum maiorumque cœtum inflectant, frenum illis iniiciant Dominationes VV. & vt opinionum ſuarum rationem reddant, extrahantur in Theatrum: neç permittant tam audacter de religione opiniones, diſtinctiones ac loquendi formulas rationi arridentes fingere: tamq; ore blaſphemo ſacra attrectare.

Ego vt ingenue fatear, quid ſentiam, animaduerto in Academiis paſſim Theologos primarios fermento Ariſtotelico pleroſque fidei articulos conſpurcaſſe, falſarumque opinionum fœtum multiplicem parturiſſe, vt metuendum breui in chaos errorum demerſum iri Eccleſiam, ni Poteſtates tempeſtiue hiſce veteratorum ſtudiis occurrant.

De crimine falſi Ieſuitarum, orthodoxa patrum ſcripta deprauantium infra monui, horum coruſcationes tenebras denſiſſimas parient. Et quia impunita quiduis audendi licentia. impiiſſima & patriæ noſtræ pernitioſiſſima moliantur, inopinatam Germaniæ mutationem accelerabunt, Cui enim ignotæ ſunt artes iſtorum hominum? cui ignota conſilia peſtilentiſſima? cui ignotæ ſunt conſpirationes & confœderationes, quibus ſeſe in patriæ noſtræ pernitiem, quam ſuæ Tyrannidis Oeſtro vnice obſtare arbitrantur, deuinxerunt. Certe diuturna illa in agro Belgico & aliquando in Gallia bella funeſtiſſima his autoribus ſuſcepta ſunt. Ad nutum eorum fœdera pangunt reges, & viciſſim frangunt. Etiam quibuſcunque machinationibus admittuntur, vt pacem Germaniæ (quam propter potentiam non debilitandam: ſed quacunque ratione opprimendam olim Gregor. IX. Pontifex ſuaſit) irritã reddant atq; peſſundent. Hanc enim Europæ partem multis nominibus ipſis maxime opportunam ducunt, vt hic atque illic nidulos ſuos inſtar regiorum palatiorum conſtruant, variiſque aucupiis patriam noſtram opibus emungãt, quas partim ad amplificandum dominatum ſuum: partim ad oppugnandam Germaniam accumulant. Quamuis itaque conſtet multiſque hactenus demonſtratum ſit ab otioſo hoc monachorum genere maximam vim fieri Roman. Imperio, cum apud Cæſareã Maieſtatem ac reges Catholicos, quibus poſſunt occaſionibus optimos principes ac ſtatus Proteſtantium in odium adducere confeſſionemq; noſtram ementitis diffamationibus criminari occupati ſint: Germanorumque opes ad ſe conuertere: Tamen nemo eſt, qui ex euentu technas hasce (quod clanculum in Germania principatum conſtruant, vaſallorum animos à Iuramento fidelitatis alienatos in ſui commercium trahant, ac ſanctam ligam proteſtantibus maxime ſuſpectam, à Clemente VII. Pontifice in odium Imperatoris Caroli V. quondam fœdere confirmatam mirabiliter augeant) ponderari velit. Si feudo priuarentur in Spelea iſtorum hominum, ad perdendas animas noſtras coniuratorum liberos ſuos qui detruderent, tanta ad numerum illorum, quem in immenſum aſſurgere videmus, non fieret acceſsio. Quapropter ſi impune ipſis permittatur, obſcuris fraudibus artibuſque obliquis Germanos ſeducere, in ipſorum ſocietatem pubem innocentem pertrahere, cotidie numerum augere, bona ac opes cumulare, turbas concire, Eccleſias perdere, templa prophanare, recte docentes ſub religionis prætextu in exilium coniicere, fiet tandem, neminem fore ab hæreſeos crimine liberum, neminemque à tortura Hiſpanicæ Inquiſitionis tutum, niſi ad illorum nutum ac voluntatem qui ſe accommodarit.

Et quid futurum putatis. quod contra leges quibus illorum ſocietas tenetur implicata, ad Cardinalatus dignitatem aſpirent, mox ad Pontificatus aſpirabunt. Hæc quo ſpectent, & quid boni ſint apportatura, cogitetis optimates Germaniæ. Miror nec immerito Germanos noſtros tam excæcatæ mentis eſſe, poſtquam eis veritas diuina illuxerit & impietas Antichriſti

Rom.

Rom. detecta ſit, clariſſima veræ pietatis luce reiecta, malint in tenebris Pontificiis ac Ieſuitarum ſpeluncis cæcutire, & recta ad orcum præcipiti amentia ferri: quam in monſtrata & agnita ad cœlum ducente via conſiſtere. Vas electum gentium Apoſtolus monet, ne ſimus amplius pueri, qui fluctuemus, & circumferamur quouis vento doctrinæ, quem ne afflati eius ſpiritu ſuccumbamus: verum tutius euitemus, recta incedentes via vocem illius ſequamur, qui cum veritas ſit, mentiri: via, ſeducere: vita, in mortem præcipitare nequeat. Cogitemus tempora præſentia ac mundi agoniſantis periodum. Certe tempora periculoſiſſima, quæ pluunt hęreſes & ex omnibus mundi cardinibus pſeudochriſti proſiliunt, qui partim inanis ſcientiæ fideique perſuaſione: partim ſimulata pietatis hypocriſi animos Chriſtianorum varie ad decipiendum ſollicitant, vt vel ſuæ impietatis colluſores habeant: vel ſuſpenſos & incertos reddant. Huius farinæ ſunt Ieſuitæ, præter cæteros mundi ſeductores famoſiſſimi, piiſſimos quoſque eandem cum ipſis cantilenam vlulare reſpuentes, imperioque Pontificis Rom. parere detrectantes (eo quod denuo diuinitus accenſa luce Euangelii ad illius Antichriſti eiusque impietatum cognitionem peruenerint) grauiſſime hæreſeos nomine, quod humili patientia perferunt, innocentes onerent, mirisque modis excarnificent. *Ephes. 4.*

Furori iſti velum religionis obtendunt, & conatuum ſuorum, quod homines ad cultum Idolomaniæ Pontificiæ cogendi ſint, rationes afferunt, at ſine autoritate ſacræ paginæ, quas infra diluimus.

Hoc ipſorum conamine, cum apud cordatiores & ſinceriori theologia informatos parum proficiant, (quia conuicti Pontificii iniuſtam tueri cauſam, craſſiſſimos ac intolerabiles errores non verbo: verum armata violentia propugnare lateque diſſeminare, quibus religionem ſanam ſuffocare ſtudent) alia eſſe ingrediundum via putant, vt amiſſum in Germania dominatum recuperent, cum inſtanter vrgeant cœnobiorum, Epiſcopatuum ac bonorum beneficialium reſtitutionem, allegantes conſuetudinem, canones, autoritatemque Pontificis, citra cuius conſenſum in Eccleſiaſticis attentari nihil debeat, multo minus alienanda beneficialia, cum abſque eius autoritate omnis alienatio ſit inualida, Archid. *in c. non licet.* 12. *q.* 2. Tancr. in *gloſſ. cap. cum veniſſent. De iudic.* niſi in caſibus permiſſis, de quibus plene in *gloſſ. cap.* 1. 12. *q.* 2. Quoniam Pontifici competat ius prouidendi & diſpenſandi circa beneficia Eccleſiaſtica, Archid. & dd. in *c. pia mentis.* 16. *qu.* 7. *& c. hortamur. diſt.* 81. quæ ad ipſius nutum concedantur ſub conditione & ad tempus, text. in *cap. ſi gratioſe. De reſcript. in 6. cap. veniens. De fil. presbyt. cap. quamuis ſi triſte. & cap. peſtis.* 7. *q.* 1. cum maximam habeat poteſtatem in beneficialibus etiam circa patronos laicos. Felin. in *tract. ſuo. Quando lit. Apoſt. noct. pat. laic.*

Pro his & infinitis aliis eiusdem tenoris adulatorum Papæ enunciatis, quæ vti cuculus coccyſmum ſuum iterum atque iterum ingeminant, ſpecioſa ſatis nec ratione carentia argumenta proferuntur. At illa omnia facile corruunt, cum æſtimentur in quem vſum ſint collata beneficia & fundata templa.

De eo audiamus regii vatis teſtimonium inquientis: *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Quia ædes ſacræ ad Dei miniſterium ſunt conſecratæ. *§. ædes ſacræ, Inſt. de acquir. rer. dom. l. in tantum.* 6. *§.* 2. *ff. eod.* nam & throni dicuntur, à quibus procedunt fulgura miraculorum, voces mandatorum, & ſuaſionum atque tonitrua comminationum, Dur. in *princ. proœm. Speculi ſui.* Et his ædibus beneficia ſunt collata, vt eſſent ſtipendia miniſtrorum, *c. paſtoralis. de his quæ ſunt à prael. cap. fin. De reſcript. in 6. Deut.* 18. Quorum munus eſt cuſtodire commiſſam ſibi plebem, vt ante tribunal æterni iudicis ex omnibus ſibi commiſſis rationem reddant, & non iudicium: ſed gloriam pro ſuis actibus percipiant, *c. Eccleſias.* 13. *q.* 1. Emergit inde primarium prouentus Eccleſiæ percipientium munus populum verbo prædicationis inſtruere.

Etenim inter cætera quæ ad ſalutem populi Chriſtiani ſpectant, pabulum verbi Dei permaxime dicitur eſſe neceſſarium. *c. inter cætera. De offic. ordin.* Deo itaque acceptos cultus ad ſalutem piorum neceſſarios diuinitus mandatos peragentibus reditus Eccleſiarum deberi, ſacræ teſtantur literæ, atque leges ac canones: Nequaquam vero perſonis nullum nec in templis: nec in ſcholis munus pietati inſeruiens obeuntibus: verum de Eleemoſynis helluantibus. Siquidem iniuſtum eſſet, vt quæ fideles ad vſus pios & neceſſarios in honorem Dei contuliſſent, in impios erogari, de quibus Epiſcopi altari ſeruientes viuere non luxuriari debent, D. Gregorii reſponſo, cuius autoritas allegatur *in ſumma diſt.* 44. & contenti ſint victu ac amictu, gloſſ. & text. in *cap. Epiſcopus.* 12. *quæſt.* 1. vacantes commeſſationibus & ebrietatibus, *cap. commeſſationes, dict. diſt.* 44. vbi per totum vide. Si quid ergo præter victum atque amictum lucrentur, inter pauperes diſtribuant, *cap. de monachis, vbi* gloſſ. *de præb.* Quæ enim habent clerici, pauperum ſunt, *cap. quoniam* 16. *quæſt.* 1. Proinde conuincitur ſecundum Hieronymum aliena rapere vltra neceſſaria retinens, *in ſumma, diſt.* 42. Quod ſignum eſt auaritiæ, propter quam ſæpe conſurgunt odia; hinc lites principum: hinc detractionis cauſſa: hinc origo criminis. *cap. Diaconi. diſt.* 93. Sequitur ergo beneficia eſſe collata, vt celebretur Deus, quod rite peragitur, quando pabulum verbi diuini ſonent in Eccleſiis Clerici, ac de eius reditibus procurent, vt egeſtate & aduerſa valetudine laborantes inde viuant & amiciantur, alias male poſſident, qui male vtuntur. *c. quid dicam* 14. *quæſt.* 4.

Quare poſtquam illuxerit veræ doctrinæ cognitio & deprehenſi ſint errores cum vitæ: tum doctrinæ Pontificiorum ad impietatem & luxum bonis Eccleſiaſticis abutentium, Principes Proteſtantes ac ſtatus religionis bona conſcientia tolerare non potuerunt, vt à maioribus, ad pios vſus, verum cultum Dei pauperum Eccleſiæque miniſtrorum inopiæ ſubleuandæ curam collatis bonis male vterentur Romanæ impietatis miſſificarij. Palam enim eſt, Danielis Prophetæ ac Chriſti Apoſtolorum vaticinio omniumq; recte ſentientium teſtimonio, Pontificatum Romanum Antichriſti regnum eſſe. Hoc quod cum ex vitæ genere: tum moribus: tum furiis: tum Idolomania apparet. Igitur non ipſorum eſſe facultates Eccleſiæ, cum in Chriſti non Antichriſti laudem conſecratæ ſint.

Pie itaque fecerunt Principes communitatumque magiſtratus, poſtquam veritatem Euangelicam agnouerint, vt falſam religionem prorſus abolerent, & prouiderent, vt bona Eccleſiæ in ſacerdotes egenos Euangelium prædicantes adoleſcentesque rei literariæ deditos erogarentur, & ita priſtino vſui beneficia reſtituerentur, de quibus poſſunt meliorem Deo reddere rationem: quam tonſurati illi, qui falſo ſibi titulum Eccleſiæ ſumunt. Cum enim prælatus negligat ea facere, quæ debet, ſubditi poſſunt ſupplere, non vitio præſumptionis: ſed officio charitatis. arg. *cap. principalem 9. q. 3.* Neque videtur carere ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto deſinit obuiare facinori. *cap. negligere. 2. q. 7. cap. 7. error. diſt. 83.*

Et Canonibus ſtatutum legitur, contra Papam propter hæreſin vel peccatum ex qua vniuerſalis Eccleſia ſcandalizatur attentari poſſe. *cap. nemo iudicet, cap. aliorum. 9. q. 3.* multo magis bona quibus abutuntur in Dei blaſphemiam noſtrarumque animarum perniciem vendicari, quia ius prouidendi Eccleſiis ac bonis beneficialibus tranſit ad hæredes fundatoris (fundatores autem Parœciarum & beneficiorum ſunt maiores noſtri) etiamſi nihil de eo in fundatione dictum ſit. text. & gloſſ. *in cap. filius. 16. q. 6.* Ioan. Andr. in *cap. quod alicui. De reg. iur. in 6.* Non enim naſcuntur Eccleſiæ: ſed præſumuntur per alios ædificatæ ad quos tranſit ius prouidendi etiam quod expreſſe non reſeruatum fuit.

Licet vero iura ſpiritualia ſecundum Canones non cadunt in laicum: tamen ratione continentiæ vel annexionis optime poſſunt, ſecundum Archid. poſt Hugutionem *in cap. piamentis. 16. q. 7.* Et ratio eſt, quod Laici propter fundationem Eccleſiæ, ius præſtandi, & propter beneficiorum collationem ius habeant conferendi, quæ iura proprie non ſunt ſpiritualia. Quare facile tranſeunt in laicum, vt ad fundationem & collationem inuitentur. Arch. in *d. c. piamentis.* Abb *c. 1. De præb.* Idem in *c. quanto de iudic.* gloſſ. in *c. cum dilectus. Extr. de iur. patron.* Rochus de Curt. ſuper verb. *ius, in 2. colum. de iure patr.* Non eſt igitur quod ſibi blandiantur pontificii, conſuetudinem ac Canones pro reſtitutione cœnobiorum allegantes, quam adeo vrgent, cum multas grauiores, pro eorundem retentione, habeant & rationes & auctoritates, cum ſacræ paginæ: tum vetuſtatis: tum ſaniorum canoniſtarum Principes & Status Proteſtantes, à quorum maioribus quicquid habent Eccleſiæ & monaſteria in laudem Dei, vt miniſteria diuina rite peragerentur, Iuniores in pietatis articulis erudirentur, contributa ſunt. His abuti cœperunt, maximo iuuentutis, pauperum ac Eccleſiæ incommodo, monachi ac clerici homines parum frugi, moribus prauiſſimis dediti, & cum Eccleſiæ: tum Reipub. inutiles. Et iam olim ſancte conſtitutum fuit, monachos incorrigibiles expellendos eſſe & reformanda monaſteria. *Extr. per totum. de vit. & hon. cler.* Et hanc reformationem ad eos ſpectare, meliori zelo qui innitantur procurare bonum & vtilitatem Eccleſiæ, *c. alienus 30. q. 1. c. ſane. diſt. 65. c. Nicena diſt. 21. & c. placuit. 56. q. vlt.* late Can. in *c. 1. De treuga & pace.* Nam perſonis ſingularibus ob negligentiam Metropolitani & Collegii permittitur pro intereſſe Eccleſiæ ſupplere quæ negliguntur. Petr. de Monte in libr. *de poteſt. Papæ colum. 16. verſ. 6.* quem refert Felin. in *c. ſine litteris.* in verſ. *an ſua ſit Iuriſdict. de reſcript.* Abb. in *c. olim colum. 4. de teſt. & in c. dilecti. colum. 3.* poſt Hoſtienſ. *de Maior. & obed.* gloſſ. in *c. conſtituitur 16. q. 1. & in c. quia contingit.* in verb. *indebite. De relig. dom.* Quanto magis permittitur principibus ciuitatumque magiſtratibus ea ſupplere ad laudem Dei, quæ faciant pro intereſſe totius prouinciæ, argum. *c. vti periculum. De Elect. in 6.* & pro hoc poſſunt allegari text. in *l. omne delictum.* in verb. *ſegnities crimen. ff. de re milit. l. 1. §. nunc tractemus. ff. de tut. & rat. diſt.* gloſſ. in *c. ea quæ. de offic. archid.* Et tam intereſt Eccleſiæ: quam Reipublicæ templa reformata beneficiaq; Antichriſti Rom. miſſificariis non reſtitui. Nam hoc modo duplici iniuria afficeretur Deus: duplicique blandimento Sathanas delectaretur.

Deus quidem, quia præter ſeueriſſimum ipſius mandatum Idolomania manifeſta cultus eius contaminaretur, quam omnibus ætatibus pii principes ſubuertunt. Moyſes Idolum vituli comminuit, *Exod. 32.* Saul hariolos de terra abſtulit & qui habebant Pythones, *1. Reg. 28.* Euerterunt Excelſa, Ezechias. *2. Reg. 18.* Ioſias *4. Reg. 22. 2. paral. 34.* Aſa. *3. Reg. 15.* Iehu. *4. Reg. 10.* Ioſaphat. *2. paral. 17. & 19.* Iudas Maccabæus. *1. Macc. 4.* Et noui teſtamenti Imperatores ac magiſtratus hæreticorum falſa dogmata repreſſere. Conſtantinus, Carolus I. Otto I. Theodoſius, Conſtantius, &c. de quibus Theodoretus *lib. 1. cap. 19. lib. 5. cap. 2. & 23.* Ruffinus *lib. 1. cap. 19.* Sozomenes *lib. 2. cap. 24. lib. 4. cap. 14. & lib. 7. cap. 6.* Socrates *lib. 5. cap. 7.* Euſebius *lib. 3. De vita Conſtantini.* Dein iniuria afficeretur Deus, quod honor ipſi ſoli debitus deferatur Mariæ & Sanctis, noſtræq; iuſtificationis efficacia operibus & miſſæ auditui tribuatur.

Sathanas vero delectatur litatis victimis à pontificiis ſeductorum: tum miniſtrorum Eccleſiarum noſtrarum perſecutione: & plus quam Turcica in trucidandis piis Tyrannide. Et vt

verbo

verbo dicam, non ſatis eſt pontificiis in errorem homines deducere, templa diripere, Euangelium docentes eiicere: veram religionem omnem prophanare, Deum contumelioſiſſime blaſphemare, & Chriſtum magis quam Turcam oppugnare. Imo nec Sacræ ſcripturæ auctoritatem: nec recte ſentientium admonitiones ferre, & admoniti de erroribus & furiis ſuis prorſus in rabiem agi. Et cum apud Sacratiſſimam Imperatoriam Maieſtatem, quibus poſſunt occaſionibus religionem noſtram criminentur eandemque grauiſſimis calumniis opprimere contendant, atque in grauem inuidiam cum hæreſeos: tum extremæ impietatis nomine adducant, vt ſacratiſſimæ Maieſtatis ac regum catholicorum odia inflamment, exaſperent, furioſum militem aduerſus Euangelicam veritatem arment, inſtigent, vt tot martyrum innocentium ſanguine terram polluant, putantes Doctorum ſuorum perſuaſione, rem eo gratiorem Deo præſtitiſſe quo pro neruo regni Pontificii plures mactaſſent. Inuigilate Germani quæſo, vt mature occurratis. Studium licet rebellium caſtigandorum his ſuis furiis ac crudelitati prætexant, & ad fidelitatem ſi coegerint: vel ad extremum oppreſſerint, tandem arma eſſe depoſituros prætendant. Nemo tamen ſperet conquieturos eſſe poſt oppreſſos, quibus bella iam multis annis mouerunt: Sed multis retro ſæculis cruentiſſima cœpta conſilia de Proteſtantium ſtatibus opprimendis continuaturos.

Hunc Germaniæ tanta phrenetide laborantis ſtatum turbulentiſſimum ſane agnoſcamus. Et quia horum turbinum cum auctores: tum cauſſæ ſunt perſpectæ, ſalutaria, tum illis opportune occurrendo: tum his curandis, & conſilia & remedia adhibebimus.

Vereor namque, niſi primo quoque tempore de ſalute communi conſulamus, quod maximum felicitatis lucrum, fore patriam multis aduerſariorum technis petitam debilitatamque vix reſpiraturam. Hæc cum in clariſſima verſentur luce, certe ſi de his longiorem declamationem inſtituerem, ineptus eſſem. Quare vt ſuccurrant omnes ordinum proceres, fatiſcens Eccleſia, laborans Reſpub. anhelansque patria tacite rogat, flagitat, obteſtatur. Dixi.

Pro Libertate Germaniæ Declamatio Prima.

SI tantum quisque, Principes Illuſtriſſimi; in commune conferat boni, quantum acuminis facultate præ cæteris poſſet: tantum æque pro ſalute Patriæ, oborta tempeſtate, dum tempus ferret, tanquam in publico incendio laboraret, ſuasque & vires & facultates, ſine exceptione: ſine mora: ſine cunctatione conferret, naſcentiaque mala quibuscunque modis, vt ſtrumas publicas, non ſolum legum præſidiis: verum etiam ſi neceſſe eſſet, exacuato mucrone: vel quacunque Martis alea deleret, non tantis moleſtiis, tamque duriſſimis periclis morbusque implicaretur, & haud dubie in veterem, vnde decidit, reſtitueretur ſtatum.

Si cum in togatæ: tum in armatæ militiæ rectoribus eſſet, in quibus maxime debebat eſſe fides, non adeo inteſtinis diſſidiis ac tumultibus arderet Europa, eiusque partes florentiſſimæ (hac inmutata veterum ſeculorum felicitate, qua & ætatis infirmitate & pœnarum mole vrgemur) ſeditionum ac diſcordiarum procellis iactatæ, grauique perſecutionum tyrannide oppreſſæ, properante ruina caderent.

Si nouis molitionibus ac obſtantibus difficultatibus (prius tamen bona conſcientia ardentique pectore humiliter exorato Deo) tempeſtiue, & prudenti: & communicato conſilio occurreretur, quod totius rei, & bene gerendæ: & fæliciter conficiendæ finem continet, nec adeo præpoſteris conſultationibus, vt Pomponius, Cato, &c. negotia corrumperent homines βέβηλοι, non adeo difficile foret natam flammulam extinguere. Siquidem experientia magiſtra edocemur, ſæpius cunctationem regnis & imperiis diſpendioſam fieri, & interiecta mora malum vires ſumere in altumque ſurgere, cui poſt adhibere remedia ſi velimus, non modo multum habeat difficultatis & laboris: verum ſat pericli (cum, vt vulgo dicitur, ex paruo ſemine ignis exiliens totam vaſtet ſyluam) quod tamen impetus maiores ſuſtinere non potuiſſet, ſi occurſu communi, tempore oportuno, obuiatum fuiſſet feſtinanter. Quamprimum itaque & prudenti deliberatione: & viribus coniunctis, paruo malorum, diſſenſionum, belli tumultuumq; incendio occurrendum, ne in maius procedat, quod difficilius tunc, & maiori cum periculo extingui vix poterit.

Themiſtocles aiebat *celeritate ſeſe viciſſe hoſtes, patientia ſocios.* Et interrogatus Iulius, quomodo tantas perfeciſſet res, reſpondiſſe fertur: *μηδὲν ἀναβαλλόμενος.* Nam mox vbi conſilium ceperat, mature facto opus eſſe exiſtimans, celeritate comite, latiſſimas reportauit victorias. Eadem celeritate, qua ſibi nihil duxit antiquius, vſus fuit Alexander M. Darium enim citius oppreſſit & Perſidis regnum ſubegit prius, quam adeſſe conſtaret incolis. Celerius imo orbis prouincias ſuæ ditionis fecit, quam expeditus viator peragrare potuiſſet. Duces iſti orbis domitores, non ſine maxima deliberatione rem aggreſſi, ſi quid ſolerti prudentia freti agere inſtituerint, maximopere feſtinandum putarunt, ſequentes in eo conſilium Biantis, recte monentis: *Tarde aggredere, quod aggreſſus fuiſti, perſeueranter proſequere.*

Imo inquam; Si de prudenter conſultatis & laborib. ſuſceptis, in medio rurſus non remitterent viri Heroici, vti Hanibal, capta Capua caſtris Romã cingere ac hoſtiliter aggredi, morã interponens, in quo multum reprehenditur: cuius tamen neglectæ occaſionis rationem ipſum hanc reddidiſſe

ferunt,

ferunt potiundæ ſibi vrbis Romæ modo mentem non dari,modo fortunam: nec intempeſtiuis voluptatibus vt Antonius: nec ignauia & metu vt Caſſius,abducere ſeſe paterentur, non tam dubiis incertiſque implicarentur euentibus res Romani Imperij.

Verum enim vero ſi ita quiſque,vti Argonautæ,ſuo fungeretur officio, felicibusque ſublatis rectoribus ſuperſtites non adeo animum deſponderent: ſed vrgente neceſſitate duriſſima quæuis adirent,operaq; debita,præeunte Boio,duriſſima quęuis adirent,ſecundi forte ex aduerſis ſperandi euentus eſſent. Poſtquam enim vellus aureum petituri,per Helleſponti anguſtias Cyaneosque ſcopulos latum Euxini pontum nauigantes, apud Myſos amiſiſſent Herculem,non tam acerbe obitum eius ferebant,nec adeo conſternabantur animo,quam cum paulo poſt Idmonam vatem, Typhimq; rectorem nauis feliciſſimum inopinata morte ambo vidiſſent extinctos. Et ſane nauigationem abrupiſſent,niſi abſoluere Oraculo fuiſſent moniti & Iunonis Deæ reſponſo confirmati.

Eandem fere omni tempore experiuntur fortunam mortales,quia communes omnium calamitates,eademq; natura,fortuna,fatum Et ſicuti cœleſtes orbes ſublunariaq; ſuas habent circumgyrationes eaſq; continuas: ita humana negotia ſuis cum miſeriis veluti per gyrum reuolui conſtat, vt tota noſtra vita ſit inſtar Tragœdię,vbi perſonæ & actores fabulæ,ſingulis ætatib. noui ſuccedant, & mutato nomine de re narretur fabula,vt inquit Horatius. Tam ancipites enim humanæ contentionis exitus: tam lapſus triſtiſſimi: tam infelix fati curſus nunquam fuit,quin non idem ſeculo reuerſo redeat. Ita vt nulla domus tam felix,nulla familia tam laudata: nulla inquam gubernatio tam exiſtat inculpata,in qua non punctim memorabiles accidant mutationes, & ſemper aliquid eueniat, quod conſilium deſideret. Imo cum optime: tum ſapienter cogitata dubium ſortiantur euentum. Etenim pleraq; & ſapientiſſimis præter ſententiam euenerunt, quibus modo malum alto bono: modo bonum extremo malo repente permutatum fuit. Fortuna nobis tanquam cyathos exiccantibus,ſi vnum bonum infundat,tria mala affundit: Diphilus recte ſentit.

Quod itaq; prudenter conſultata optimeque cogitata ſæpius aliter cadant, quam putetur: quod regna & Imperia euertantur,non fatum,verum fatuitum,& error in conſiliis fortunam mutans: non Triarcha Deus eſt in cauſſa,verum ex rerum proſperitate nata Luxuries,& cum hac coniuncta aduerſus Deum impietas,furor atque ſecuritas ac ἀναλγησία quam Ilias malorum plerunque ſequi ſolet,nutricem habens temeritatem eiusq; pediſſequam ſuperbiam, extollentiæ ſuæ nullam attingentem metam,inque ſui ipſius amore ac æſtimatione veluti in idolo decumbentem, perturbantem euertentemq; rerum florentium ſtatum.

—— Nam cætera regna
Luxuries vitijs, odijsq, ſuperbia vertit.

Lucanus canit. In mente hæc ſi conſederit,inflatos Spiritus animumque elatum parit,admirantem ſeſe, cæteros contemnentem,ſibimetipſi multorum ſcelerum licentiam impunitatemque ac optatiſſimum rerum euentum permittentem. Superbus inquam rerum proſperitatem non Deo: verum aſcribens ſibi,in ore plerunque habet; *Hoc ego feci*, ſicuti pro concione Athenienſium Dux Timotheus,ſuperbe admodum: Poſt quam vocem nec fauſte nec feliciter res euenerunt. Superbus enim,Platone teſte,*in 4. de ll.* à Deo deſeritur,deſertus perturbat omnia,& paulo poſt pœnam ſuperbiæ pe. ſoluens,ſibiipſi,& familiæ,& vniuerſæ reipubl. peſtem perniciemq; accerſit.

Aiax Telamonius ad patris ſapienter monita, vt ſtudeat nimirum virtute & auxiliante Deo vincere,& ſtulte & ſuperbe reſpondit: *Adiuuante Deo & ignaui vincere ſolent: Ego vero vel abſq, auxilio diuino euadam victor.*

Locrenſis ille Aiax,domum rediturus,in mari periit,quod etiam inuitis ac renuentibus Diis ſe domum rediturum incolumem gloriabatur.

Nabogdonoſor,ſplendorem gloriæ ac Babylonis magnificentiam aſcribens ſibi, è veſtigio de ſolio deturbatur,vt Daniel annotauit.

Crœſus ſuperbus a Solone beatiſsimus omnium prædicari ambiens, Herodoti teſtimonio, miſerrime periit.

Et ſunt in promptu præſtantiſsimorum ſane caſus triſtiſsimi, factuoſam elationem ſecuti, vti Herculis,Theſei,Eteoclis,Miltiadæ,Themiſtoclis,Darij,Alexandri,Xerxis,Dionyſij,Pyrrhi regis Epiri, Mithridatis regis Ponti,Marci Craſsi,Pompeij,Herodis,Antonij,Franciſci Sfortiæ,& aliorum, quibus res ſecundiores occaſionem ſecuritatis dederunt,cum tamen meminiſſe debuiſſent, felicitatem raro diuturnam,& ad vnum bonum duo mala impertiri mortalibus Diuos, iuxta Pyndarum *in Pythia.*

Et quia futura,quorum conſideratio maxima felicitas,ſua ſponte ſeſe recte habitura & ex voto ceſſura opinabantur,conſecuta illa non ſunt, & præſentia cum dedecore amiſerunt. Ita varius rerum euentus docuit,fortiſsimos quosque laxiſsimis voluptatum habenis in gurgitem vitiorum demerſos,fortunam nouercantem expertos fuiſſe. Quoniam in vna ſorte temporis aliquando etiam aliæ ſpirant auræ,nam:

Nunc pluit,& claro nunc Iuppiter æthere fulget.

Et: *Ipſa dies quandoq, parens,quandoq, nouerca eſt;*

Aliaque etiam aliis fortuna impertit,quæ ſæpius ab ignauo fortem, à malo virum bonum, & vi,& fraude circumueniri facit. At hæc illa miſera (ambitionem puto & inſolentiam) peſtis eſt & toxicū mortales ad quæuis facinora in præceps agens,inprimis vero maximos & heroicos animos ſplendidiſsimaq;

diſsimaq; ingenia, in quibus plerunque honoris, gloriæ, potentiæ, Imperii cupiditates ſeſe exerunt: Et ſi quid horum conſecuti ſunt, in eum attolluntur faſtum, vt & ipſam ſuis fortunis anteire fortunã ſomnient, mortales immortalitatem polliceantur ſibi, viuant quaſi nunquam morituri ſint, vt recte Herodotus lib. 3. dixerit: *virum optimum in magna potentia corrumpi.* & quadrat huc illud Ouidianum: *Luxuriant animi rebus plerunq; ſecundis.* Ingens itaq; humanæ fragilitatis torpor eſt, & obliuio plus quã ſupina, hominem ſortis futuræ neſcium, totum ſeſe tradere voluptatum illecebris, eamque quam viuat vitam, vnice beatam expendere ac magni æſtimare, quam tamen ita ſeſe habere conſtat:

Vt puer accumulans multum per litus arenæ,
Vnde ſibi fingit per multa, ſed omnia ſtatim
Confundit manibus ludens pedibusq; repulſat.

Ita Deum oculi ictu & momento confundere & diſſipare conſilia ac conatus ipſo inuito ſuſceptos, tragicus multorum docet exitus. Qui dum ſuperbe ſpirant alta & ad ſumma contendunt, mox in infimis & extremis laborant, quod omnibus ambitioſis & ſuperbis viu venire ſolet, ſibi ſuisque exitiale malum attrahentibus, ſicuti de Arato Sicyonio Achæorum potentiſſimo prodidit vetuſtas, quod Macedones patriæ attraxerit, eorumq; barbariem in Græciam inuexerit, Acrocorinthum Illyricis ac Gallicis armis impleuerit.

Quid ergo non Arato ſolum: verum omnis temporis heroibus florentiſſimorumque Imperiorum Monarchis profuit, ad ſumma, Deo non annuente, conſcendiſſe, mox in infimo aduerſæ fortunæ luto hæſiſſe, & longo tempore parta vnico amiſiſſe die, de quo apud Euripidem Hecuba ſapienter diſſerit.

Præſtantiorem non oportet iniuſte dominari,
Neq; fortunatos putare, ſemper ſe tales futuros,
Nam & ego olim fortunata eram, nunc non ſum amplius:
Sed opes omnes vna mihi dies abſtulit.

Etenim hic ſolet eſſe fortunæ luſus, quod nullis infeſtius iraſcatur, quam quos indulgentiſſime fouit, fitq; ex matre ſubito nouerca mater. Sabellicus *lib. 7. Exempl cap. 8.* Male itaque ſibi conſulunt, ſucceſſionibus fortunatioribus elati, inſolentiores negligentioresque facti præſentium tantum: non conſequentium rationem habentes (cum idem ſit Socratis iudicio: *in ſecunda fortuna altum ſapere, & in lubrica via curſu certare*) futura ſuperbe negligentes: præſentique fortunæ nigro dedecorantes. *In ſecundis rebus*; grauiter dixit Liuius Dec. quinta, lib. 5. *nihil in quenquam ſuperbe et violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ, cum quid veſper ferat, incertum ſit.* Et recte Philippus Rex Theſſalis reſpondet: *Nondum omnium dierum Solem occidiſſe.* Idem, *Dec. 4. libr. 9.* Nam in multos annos nonnulli feliciter licet cœpta protrahant, ſe tamen ſciant, cum multa eueniunt mala, maioribus eſſe reſeruatos. *Quem enim ſæpe tranſit caſus*; inquit Seneca in Hercule: *aliquando inuenit.* Quemadmodum Theramenem vnum triginta Tyrannorum exclamaſſe fertur, cum ſolus incolumis euaſerat domo in cœnantes illapſa, *O fortuna*, inquit: *cui me occaſioni ſeruas?* Vtinam qui ſecundiori vterentur fortuna, & Theramenis illius & regis Macedonum fortunatiſſimi Philippi mentibus infixam haberent ſententiam. Cui cum tria lætiſſima vno eſſent allata die, quod Tethrippo vicerat in Olympiis; Quod Dardanenſes in prælio fuderat Parmenio: Et quod Olympias ipſi maſculum erat enixa fœtum: ſublatis in cœlum manibus exclamauit: *O fortuna, tot tantisq; bonis paruum aliquod admiſce malum.* Vir iſte cordatiſſimus non inſolenter geſtiit ob rerum ſucceſſum: ſed fortunæ indulgentiam ſuſpectam habuit, optime proſpiciens magnam illam fati Deam, iis quibus exitium molitur prius noua rerum proſperitate & copioſa felicitate blandiri. Vt non minus vere: quam terſe dixerit I. Cæſar lib. 1. bell. Gall. *conſueſſe Deos immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, his ſecundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere.* Nam *ſi qua venit ſero magna ruina venit*: Propert. Et Pindarus in Olympia, *Dilationem vberiori fœnore perſoluere ſuperos.* *Quippe qui agnoſcant, quali ſint digna & obnoxia ſorti mentes humanæ*: Idem in *Pythia.* Cum ea ita ſint, videant viri Principes, vt tales aberrationes vitent, cogitantes circa negotia humana innumeros errores pendere vitamque aliud nihil eſſe quam temporis miſerrimi propagationem, ſecundum Ciceronem *in Lel.* Et fortunati quidem, Periandri monitu agant modeſte, infortunati vero ſapienter ex præteritis conſilia capientes præteritorumque exemplis diſcentes, quid petendum, quidue fugiendum ſit. Quoniam qui multorum retro actorum cognitionem perceperit probe cognoſcet, quid ad degendam vitam ſit conducibile. Et cognitio ex aliorum, tum ſecundis: tum aduerſis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem: Nam vbi multa rerum variarum cognitio, ibi non infelix turpium ac honeſtorum diſcretio, quæ legem bene beateq; viuendi, nec alteri nocendi, ſuumq; cuiq; tribuendi monſtrat:

Vtinam has mundi poteſtates, inprimis vero Eccleſiæ Rom. defenſores perpenderent: Vtinam ipſe ſummus Pontifex ita ſeſe talium Exemplorum indagationi penitus traderet, certe inde intelligeret, & naturali æquitate ita comparatũ & ciuili iuſtitia ita conſtitutũ, vt ſua quiſq; ſit contentus ſorte, & aliis nequaquam damnum inferat. Imo inquam ſi eorundem indaginem altiorem ſuſciperet, non dux & autor eſſet emiſſarios ſuos concilii Tridentini executores, tam rabioſa inſania

in nomen

in nomen, fortunam, opes, vitamque denique ipſam Chriſtianorum inſurgere, tamque ſathanice furere ac bachari in Chriſti membra, & nacti concupitam impietatis ſuæ licentiam optimos quosque homines pientiſſimos, vinculis, cruce flammisque ſuo pro arbitrio mulctare ſanctiſſimum quemque turpiſſima ignominiæ labe hæreſeosque nota afficere: tamque immaniſſimam & plus quam Turcicam Tyrannidem exercere, quæ horret animus memorare.

Quis enim non habet cognitum, omnes illarum peſtium conatus eo dirigi, in hoc ſudare, vigilare, laborare, vt Chriſticolas cæteramq; generis humani multitudinem à Dei alienatam, a ſanctorum communione abductam, orco mactent, modo vt ipſorum nugæ & cultus Maauſim in pretio habeatur. Quorum omnia facinora quæ pro ipſorum religione defendẽda ac propaganda obeunt, patrant, ſuſcipiunt, tam atrocia: tam in humana: tam inquam truculenta & ſathanica ſunt, vt non mirum quod ſub pedibus illorum terra dehiſcat, eosq; viuos abſorbeat: aut iuſtiſſimus gloriæ ſuæ vindex cœlitus ictu fulminis has generis humani peſtes, Chriſto ac Euangelicæ veritati hoſtes infeſtiſſime inimiciſſimos deflagret. Imo tam impia eorũ facinora, in quib. omnia nefaria abominiaq; & contineri: & ineſſe vel puer intelligit. Non mirum ergo quod omnium animos in ipſorum odium reuocarint, inflammarint, vetereſque ſint inter ipſos & Euangelicos inimicitiæ.

Etenim ſcintillulam habens veritatis ſaluificæ in mente, Papæ eiusque defenſoribus amicus eſſe non poteſt, audiens aniles fabulas populo obtrudi pro Euangelio, & noſtræ iuſtificationis efficaciam operibus tribui ac meritis, miſſæ auditui, ſanctorum inuocationi, ciborum diſcrimini, cœlibatui, veſtium diſtinctioni, horarum precationis obſeruationi. Imo legens anathematum bruta fulmina, ridiculoſam bullarum fatuitatem, conciliorum contrarietatem: videns ordinum diſſimilitudinem, regularum ac obſeruantiarum diuerſitatem.

Qui pudorem, inquam, pudicitiamq; colit, certe amicus eſſe non poteſt ſanctiſſimi patris Papæ & ſatellitum ſpurciſſimæ libidini ac ſodomiæ, quam nominare nefas, vbi ſcelus eſt id, quod non proficit ſcire, vbi venus mutuatur in alteram formam, vbi amor quæritur nec videtur, vbi ſexus perdidit locum cum vir in fœminam nubit, quam papicolarum caſtitatem, verbis piis auribus non abſone tinnientibus, recte Imperatores arguunt, & vltore gladio perſequendam ſtatuunt in *l. cum vir.* 31. *C. ad l. Iul. de adult.* Taceam cotidiana clericorum adulteria: ſpurciſſimam Ieſuitarum mollitiem: domeſtica lenocinia monachorum, meretriciamq; monialium diſciplinam.

Certe qui colit humanitatem ac miſanthropiam, is Papæ & Ieſuitis inquiſitoribus non niſi infeſtiſſimus, imo plus etiam quam inimicus eſſe poteſt, cum cruces, cum flammas intuetur ad Chriſticolarum ſupplicia fixas: cum, quod ſine lacrymis altisq; ſuſpiriis fieri nequit, recordetur, quam inaudita crudelitate pios Euangelicam veritatem profitentes excarnificant, liberos à parentibus, vxores à maritis, lactantes ab vberibus maternis alienent, virgines tenellulas ſtupratas, impuberes pueros flagitioſiſſima Sodomiæ pollutione corruptos, imberbes iuuenes ac ſenes decrepitos, homines innocentiſſimos diriſſimis cruciatibus affectos contrucident, templa incenſa & euerſa profanent, aras Deo dicatas cæde maculent, in ſummos Mundi Monarchas ac Poteſtates cum bombos ipſius & crepitus olere reſpuant: nec fœdiſſima ſpurciſſimaque ſcorti Babylonici menſtrua lambire ſatagent, non ſolum ſtomachentur, nubes, tonitrua ac fulmina anathematum minitentur: verum etiam armis externis oppugnent, dignitatibus quibuscunque expollient, legibus ac priuilegiis exuant, proſcribant, populos totos ac prouincias à ſe diſſentientes Bullis ſcitisque ſuis venenoſis opprimant, libertatum iure priuant, in earumque incolas immaniſſimam crudelitatem exercent, ſacra omnia profanent, iura violent, ſocietatem coniugatorum reſcindant, charitatis neceſſitatisque vincula euertant, & tam barbarica feritate gerant omnia, quod Turcam quemuisq; Scytam crudeliſſimum facilẽ vincant.

Certe qui fidem Chriſtianam, verum cultum Dei & Sacramentorum vſum incorruptum retinere ſtudet, Papæ eiusq; cultoribus amicus eſſe non poteſt, cum iis pietas hæreſis ſit, quorumque religio Epicurea impietas & ſuperſtitio Ethnica. Cultus illorum nundinationes ſunt & pecuniarum emunctiones. Baptiſmum enim idololatriç ſuæ maculis conſpurcatum non conferant niſi nummus detur. Corpus Chriſti & Sacramentum ab ipſis impiiſſime mutilatum non communicant, mercede non data. Miſſam omnium abominabilium abominationem profligatiſſimã ac perditiſſimam non murmurant pretio non oblato. Decimas niſi exolueris, nec orant, nec pſallunt, nec circuitus peragunt. Sacra ſua antitheica adminiſtrant omnia, prout conducti, perinde ac officia diuina aliud nihil ſint: quam negotiationes, de omnibus, de quouis carnis bono, de butyro, ouo, oleo, caſeo, de leguminibus, vt reliquam diſpenſationum, indulgentiarum mercaturam taceam, magnam ſementem faciunt, & quod turpiſſimum, de nocentum facinoribus flagitioſiſſimis capitaliter puniendis non mediocrem quæſtum colligunt, legibus ac canonibus ceu retibus vtentes. Omnibus inquam; vti dixi; Papiſtarum religio quæſtuoſa eſt, ſacrilega, Simoniaca, Epicurea, Ethnica, omnes æque leges & Canones paparum cuniculi ſunt ad capienda laicorum bona & illaqueandas mortalium conſcientias, cauſſæ non ſolum furtorum & rapinarum: verum etiam interitus animarum.

Hæc ego non auderem proferre, niſi plura alia ab aliis de Papæ eiusque cucullatorum tonſurorumq; ſceleribus publice extarent annotata. Quæ enim poſſunt in hominibus perditis nefariisq; eſſe vitia, hæc omnia in papæcolis deprænenduntur. Nullum eſt iudicium blaſphemæ impietatis, immaniſſimæ Tyrannidis, ſpurciſſimæ libidinis, damnatiſſimæque auaritiæ, quod non in iſtorum vita perſpici poſſit, homines iam dudum iudicio Spiritus S. omniumque recte & pie ſentien-

ſentientium opinione damnati. Cum in illis nullus humanitatis ſenſus ſit, inſatiabilem crudelitatem ſuam in pie Chriſtum colentibus exterminandis exercentes, & in perdundis Eccleſiis, in turbandis Imperijs non inertem nauātes operam, quod Eccleſiæ Rom. Antiſtitibus, eiuſdemq; defenſoribus ſempiternam inauditæ immanitatis notam inurit, qui tantæ innocentiſſimæ multitudinis cæſæ, combuſtæ, excarnificatæ ſanguine ſe contaminant, vt inde appareat, nec humanitatis, nec religionis, nec diuini cultus habere rationem, & nec vnicum iota in ſacris recte intelligere, nec vllum Eccleſiæ purioris decretum: verum ſua ſequi ſomnia, ſuaſque in pretio habere nugas. Superat res ipſa & verba & fidem, vincitque omnem eloquentiam. Sane Nilus exundans eloquentiæ Ciceronianæ prorſus deficeret, ſi mores, ſi facinora, ſi religionem, opiniones illorum hominum ſuis depingi coloribus debebant. Antichriſti caterua eſt, cui pro caſtitate libido placet & indiſcretus Veneris vſus, pro frugalitate luxus, pro vero cultu Dei & pietate Idolomania, mundum vniuerſum veneno ſuo intoxicans, & ſuperſtitionum plauſtris replens, quæ vult potius perire, quam corrigi, in qua Deus huius ſeculi excæcauit ſenſus, ne illuceſceret illi lumen Euangelij gloriæ Chriſti, 2. *Corinth.* 4. nec his in terris meretur veniam Tyrannidis & blaſphemæ ſuperſtitionis ſuæ. Indigna enim eſt temporali vindicta, quæ Chriſti aduentui reſeruatur, cui ſe aduerſarium conſtituit. Sic enim perire debet, aduerſum Chriſtum qui inſurgit. Hæc ſi penitius perpenderent Principes Catholici, & Romanæ impietatis defenſores, intimiſque ſuſpirijs à Deo cor rectum & ſpiritum ſanum flagitarent, certe immaniſſimam piorum perſecutionem non approbarent, iuuarent, nec omnem mouerent lapidem, vt à vero cultu Dei ad quiſquilias & feces ſuperſtitionis Rom. deducerentur pie Chriſtum colentes. Et ſi ductum ſequi nollent, eijcerentur ſedibus ſuis extorreſque à ſolo patrio facti mendicatim ſtipem colligerent, vel ad rogum vſque proſequerentur.

Furijs iſtis & machinationibus occurrere illorum eſt officij, in ſummo qui conſtituti ſunt, Imperij clauum tenentes. Quod, inquam, præſtare poſſent, ſi ſeriam de ſalute Germaniæ, de fide æque ſaluifica cogitationem ſuſciperent, nec plus de ſuo, quam de communi eſſent ſoliciti. Tunc demum non timendum, ipſis in limen Germaniæ iamdudum fixum crudeliſſimum Hiſpanicæ Inquiſitionis ſpectaculum, Mahometicæque œſtrum Tyrannidis mox in omnibus angulis noſtræ patriæ (niſi hanc flagellationis iuſtiſſimæ auertat Lærnam) conſpiciendum. Et in hoc parati circum circa, à tergo, à facie aſtant Ieſuitæ, & præter cæteros, qui vnquam à mundi initio ad præſens vſque crudeliſſimæ carnificinæ encomio nobilitati ſunt, coniurati Ligiſtæ, quorum conſilia & conſpirationes amplius non occultæ, ſed detectæ & patefactæ ſunt. Quas enim in Italia, Gallia, Polonia, Sueuia, Liuonia, Lithuania, Anglia aliquando, Hiſpania, in multis mediterranei maris Inſulis remotiſque Indis, inſidias & peſtes moliti ſint, Scythicaſque carnificinas tyrannicis temporibus maxime nunquam exæquatas ſubierint: quæque hodie in agro Belgico, in Styria, Carinthia, Auſtria moliti ſint, vbi mox expulſo Chriſto & eiectis pie Chriſtum docentibus: ſi ita Imperatoris patientia furere pertexerint Iſoſuitæ: Turca dominabitur. nam hoc vſuuenire ſolet iuſtiſſimoque Dei iudicio, Euangeliſtas Chriſti eiectos habere ſucceſſores Mahometiſtas, & eiuſdem farinæ hæreſiarchas famoſiſſimos. Taceam hic, quæ paſſim in Principum Germaniæ domibus ac ciuitatibus moliantur, earundem factionum fere quilibet notionem habet.

Et hæc ipſorum opera, Eccleſias nimirum perdere, concionatores pie docentes eijcere, innocentum ſitire ſanguinem, exquiſitiſſimiſque carnificinæ inuentis pios contrucidare, omnibus bonis ac facultatibus ſpoliare, hæreditates inſontium trucidatorum ab agnatis per ſummum nefas ad ſe auertere, fiſco adiudicare, bonæ fidei creditores iuſtis ſuis nominibus fraudare, humanitatis ius euertere, Chriſtianæ charitatis diuinitus præceptæ officia tollere, reluctantibus prouincijs ac ciuitatibus tanquam iuratis hoſtibus funeſtiſſima inferre bella, ijſdemque omnia libertatis iura, inſtituta ac priuilegia eripere, Principes Proteſtantes inter ſe armare, ſacri Romani Imperij maieſtatem labefactare, Germaniæ pacem, concordiam turbare, libertatem à maioribus certe ſummam acceptam de medio tollere, & vniuerſam Germaniam depopulare: opera iſta, inquam, Chriſtiana & Deo placentia non ſunt, verum ſathanica. Rector enim eorum Sathanas opera illorum vtitur, vt rapiant, diſpergant ac mactent oues Chriſti, *Luc.* 11. *Ioann.* 10. ſtruant illis inſidias, tententque mille dolis ac artibus, *Matth.* 4. 1. *Corinth.* 7. 1. *Theſſal.* 3. impediant pietatis ſtudia, & ſanctorum pijs conatibus pertinaciſſime obſiſtant, 1. *Theſſal.* 2. mentiuntur vt decipiant, *Ioann.* 8. 2. *Theſſ.* 2. nam pater eorum mendax in veritate non ſtetit, Apoſtata, homicida ab initio. per hos inquam miniſtros Sathan ſaluti Chriſtianorum inſultat, quos ſic extirpandæ veritatis cura agitari extimulat, vt inhumani prætermittant nihil, non tentent, non moliantur nihil. Perſathanizata monſtra ſunt, & plus quam perſathanizata, quorum furores nullius oratione ſatis explicari poſſunt, non homines ſunt, verum humana incedentes ſpecie dæmones.

O Cæſar inuictiſſime, cuius poteſtas proxime ad Deorum immortalium numen accedit, Ciceronis teſtimonio, quem Spiritus S. Deum ſalutat, Cæſarei muneris memor eſto: Et Inuictiſſima Maieſtas Tua ſeſe vincere non patiatur à papæcolis iſtis cucullatis & monſtris quadricornutis Iſoſuitis.

Imo nec moueri ſeſe iſtorum ſuaſionibus, & errores Pontificios abominabiles & libidines fœdiſſimas ſtabiliat, & antichriſticæ ſæuitiæ gratificetur, cogitans in hoc ſeneſcente, & mox ruituro ſeculo generi humano innumeras confuſiones impendere, lenitate ac ἐπιεικείᾳ, quam armis mode-

rabiles. Plus cedendo quam aduerſando proficitur, cum experiamur fata improba nos vrgere. Siquidem noſtra ætas in vltimam periodi fatalis mundi mutationem incidit. Imo ſane Maieſtas Tua fidem non habeat blandiloquentiæ iſtorum hominum, iuſti vindicis metu iam pridem proiecto, maieſtatem tuam contemnentium, Procerum Statuumque Germaniæ dignitatem, Regni Romani gloriam ac libertatem conculcantium, ſibique & authoritatem, & ius, & iudicium ſumentium, in Imperij Romani ſubditos Germanos liberos (quorum aliquos, veneno tollunt, quoſdam in vinculis necant, reliquos barbariſſima crudelitate lacerant, cædeſque infinitas faciunt, vt in cæde & ex cæde viuere videantur) debacchantium rabioſiſſime. Hi mox fractis repagulis & libertatis Germaniæ arcis apertis valuis in Principum Proteſtantium familias, eorumque ſubditos ſæuient, niſi tempore, Imperatoriæ Maieſtatis authoritate ac principum ſapientia, hominum illorum audax impietas coerceatur. Nam vt verbo dicam, deterrima hæc eſt hominum perditiſſimorum natio, vere venenatæ ac perſathanizatæ viperæ progenies, anguis ſub herba latitans, hæc ſi quando omnium opinione celeriorem aſſecuta fuerit maturitatem, & patrem, & matrem deglubet, excoriabit, deuorabit. Patrem Papam habet, matrem Clerisiam. Et ſunt in promptu exempla quotidiana, quod quæ regio? quæ prouincia? quæ cathedralis communio haſce viperas in ſinum receperit, mox de optimo ſtatu ad extremas calamitates, dignitas eorum ſit deuoluta. Etenim quo in regno, quo in Epiſcopatu aluntur, in hoc ſunt occupati, vt inibi pro ſuo arbitrio, Epiſcoporum, Regum, Principum animum authoritatemque ad libidinem ſuam flectant, ad nutum eorum reges eligantur: ſecundum placita & voluntatem illorum cum humana, tum diuina regantur, ac ſoli ipſi ſaperent, nihilque ſit ſapientiæ cæteris.

Fateri inquam cogor, Ieſuitas omni virtutum genere laruatos eſſe, quod humani admodum, modeſti, humiles, religioſi apparent, ſuis in collegijs & conuictorijs, prout ipſe vidi, à patris ſolicitudine, à præceptoris diligentia alienum nihil agunt, & ſuos ita ad moralem Idæam conformant, vt nihil diuerſum in illis appareat huic Perſonæ quam ſuſtinet. Ideo etiam tum attidentis ſanctimoniæ nomine cupiunt ſalutari Ieſuitæ, quaſi vitæ formam Saluatoris exprimant, ſintque illorum & Ieſu, cum vitæ, tum dictorum conformationes conſentaneæ. O ſcelera, O blaſphemias plus quam diabolicas. Incedunt quidem pallio oblongo, modeſtiam præ ſe ferente, incedunt humilime, at intus homines immundiſſimi ſunt & crudeliſſimi. Greſſus videtur ſanctus, nam ſuper omnia pietatem egregie mentiri nouerunt, vt non modo fictitia ſua ſanctitate magnas opes, verum maximam religionis ſincerioris opinionem conſecuti ſint, at calceati ſunt hypocriſi. Mores vero adeo ad cuiuſuis vitam, quem decepturi ſunt, pietatis, humilitatis, caſtitatis & paupertatis ſimulatione conformare norunt, vt angelos diceres, & hominum, qui vnquam vixerunt, ſanctiſſimos. Ita enim ſeſe diurnis nocturniſque precationibus, vigilijs, ſtudijs, laboribus exhauſtos eſſe oſtendunt, vt mille iuramentis quis contenderet, & per plures Deos iuramentis iuraret, cœlitus vt Ancyle ſcutum delapſos eſſe, & nil niſi cœleſtia reſonare, cœtuſque eſſe angelicos.

Hanc vt de ſe opinionem augeant, vides in templis genibus flexis ſuſpirioſe preces recitare, capita eleganter in vnam partem inclinata habere, inſtar Chriſti in cruce pendentis: & quod crucis Chriſti confeſſores ſint, ſingulis valuis collegiorum, ſcriptis & libris ſuis cruces appingunt, cum tamen conſiliorum illorum exitus & cultus Idolomanicus longe aliud doceat, non eſſe crucis Chriſti confeſſores, verum perſecutores. Id quod iam multis abhinc annis indicat miſerabilis laniena, & caſus triſtiſſimi hominum piorum, quod Belgæ anhelantibus quiritationibus delachrymant. Et hoc quidem immunitatis furore, non ſolum in viuos, verum æque in pie defunctos inſultant, ad quorum turbandos manes, buſta omni gentium iure, hominumque barbariſſimorum legibus tuta violant, & quem vitæ terminum miſerarum natura hinc migrantibus conceſſit, luculentarum ſuâ more ſubuertunt, oſſa, imo integra corpora effodiunt, eaque ad plus quam abominandam ſæuitiam trahunt, igne concremata in auras diſpergunt, omniaque & cædibus, & incendijs miſcent? Certe bellos homines & humanitatis encomio, ni fallor, nobilitatiſſimos. Imo hercle modeſta charitas illorum patrum, ex iſtis laudatiſſimis facinoribus abunde elucens, ab eorum religione haud alienis. Nec alia hos patres ſanctiſſimos decet charitas, nec alia ipſorum religio exigit opera.

At dixerit forſan aliquis, inſectari & inuehi in aliquem acerbius eſſe facile: imo etiam cuiuſuis præſentem rerum ſtatum formidoloſiſſimum querelis deplorare, verum inuectiuas probare, & quid in iſtis rebus laborantibus ſtatuendum ſit, definire, id eſſe ingenioli & ſapientis.

Ad illud quod attinet, probatione nulla indiget, & vera ſunt, quæ de furijs Romanenſium perſtrinxi breuiter, & in ore omnium verſantur quotidie. In hoc autem arduo negotio, cum mihi nec illud ingenium, nec ea ſit ſapientia, qua certe quid ſtatuere poſſim, difficile etiam admodum, Plutarchi teſtimonio, ijs conſilium dare, qui ſunt in Imperio, cum regium non putent ad aliorum præſcriptum viuere. Verum cum ſæpe etiam olitor valde opportuna locutus ſit, vbi ea, quæ in ſapientum recte dictis, & ſobrie reſponſis obſeruarit, in medium proferat, certe non vitio vertetur, vt quicquid diſſimulem, quod è re patriæ noſtræ ſalutare futurum eſſe ducam, & quod alii ſapienter ſenſerunt, idem ſuadeam.

Quippe cum non minor ſit culpa eius, qui cum poteſt, ſua non confert in commune conſilia, quam qui malum patriæ communi infert. Certare nos oportet: Ariſtides, quando occidit Themiſtoclem, aiebat: omni tempore, non priuatis ſimultatibus & odiis, ſed vter noſtrum melius de patria

mereri,

meseri,& plura in eandem beneficia conferre poſſit, Herod. *in Vran.* Etſi vero tenue ſit, quod poſſim ego,tamen ſi ea,quæ mihi de ſalute & Maieſtate Imperij Rom.conſeruanda cogitanti & ſapientum ſcripta peruoluenti in mentem venerunt, in medium protulero, eiuſdem argumenti,maiori eruditione, experientia rerum ac ingenij acumine præcellentibus & capere & conferre conſilia auctor ero. Nam ad hoc charitas patriæ quemlibet mouere debet, de eo eſſe ſolicitum, vt ſtatus eius longe ſit optimus. Et extant orationes,declamationes,ac ſapienter de vita communi ac Repub.ſcripta Philoſophorum & Oratorum,quæ ſunt ac Lesbia regula de rebus dubijs coniectura recte augurari,quid euenturum,deque præſentibus ac ſubitis,tanquam maturata deliberatione ſtatuere,quod maxime profuturum ſit. Et hæc ſunt ſumma vitæ regendæ organa, *φρόνησις* nimirum ſeu prudentia recte de rebus iudicandi: ac *δύναμις ἑρμηνευτικὴ* facultas bene de iiſdem dicendi.

Quanquam vero & natura ſint ingenia excellentia,quæ mentis acie abſque Doctorum ductu rectiſſime de dubiis poſſint conijcere,tamen cum quid melius,aut quid deterius ſit, in obſcuris ſine prudentum longa experientia annotatis aſſequi vix valeant, conſiliis Doctorum & Sapientum vtantur aliis,qui præſunt. Et mortuorum quidem conſilia,quos *optimos eſſe conſiliarios* aiebat Alphonſus, deſignans libros, tutius erit ſequi, ad quorum lectionem Ptolomeum Demetrius Phalereus inſtimulabat,cum plerique in rebus dubiis conſulti non ratione dicant ſententiam: Verum ad affectus inflectant, vt mereantur gratiam. Multi proprij emolumenti cauſa promercalem ferunt linguam. Multi timidi admodum,ſententiam magis profuturam & domino ſalubriorem ſupprimunt, quod formidant offenſas, quæ ex fidelibus admonitionibus & ſobriis conſiliis ſæpius exoriuntur. Multi auro corrupti,quid è re communi reticent: vti Demoſthenes accepta pecunia ab Harpalo,de quo Athenas veniente ſententiam dicere in concione iuſſus, vocem ſibi interciſam annuebat. Quem fucum aduertentes nonnulli non Angina: verum argentangina correptum Demoſthenem aiebant. Multi temporiſando placentia dicunt. At

Hoſtis ille mihi ſimul vſque ad limina Ditis
Qui ſimulans aliud menti contraria fatur.

Hom. Iliad. 9. Aliud igitur loqui,aliud mente occultare magnarum calamitatum cauſa ingentiumque familiarum pernities fuit. Quare & Principes & belli duces libros legant libere diſſerentes de vita bene politeque inſtituenda,deque rebus bellicis ſapienter ſuſcipiendis,& feliciter conficiendis. Et ſi quando nacti fuerint,qui ſalubria ſuadet, licet rara talium meſſis ſit,habeant theſauri loco tantam virum,vti diuinitus ipſis adiunctum. Nam ſi eius conſilia cum pietate & timore Dei coniuncta fuerint, magnam incommodorum molem vel ſolus propulſare poterit, & cum Principi, tum ipſius ditioni & Reip. multum proderit.Si vero minus teneatur pietate,nimis magnas vires ad confuſionem ſerendam,ad vim faciendam,ad vitia propaganda obtinebit.

At hoc eſt rariſſimum,cum plerique tantum ſecundum carnem ſapientes ſint,& carnalia conſulant, ſicuti Gilonites Achitophelus, 2. *Reg.* 15. & Regis Robeami conſiliarii iuuenculi. 2.*par.*10. Nam ita humanitus eſt comparatum, vt apud potentes iucunda quiſque mauelit loqui, quam ſalutaria,ſuæq; rei magis,quam publicæ profutura. Hinc ſæpius vſu euenit, vt vnius impij vel blandientis conſiliarij ſuaſu, totam amittat ditionem Princeps, vel ad minimum corrumpatur. Sunt enim illorum orationes inſtar veneni, quod ad inficiendum exhibetur mellitum.

Raro habentur Zopyri,quorum vnum & integrum ſe malle dicebat Darius,quam centum capere Babylonas. Agamemnon non Achillis aut Aiacis: verum Neſtoris decem ſimiles optabat,quo facilius potiretur Troia. Et Xerxes Perſarum rex in tot mille millibus armatis præter Damaratum reperit nullum, à quo amicius & liberius moneretur.

Quamobrem cum viri Principes ſæpius habeant à conſiliis doctiſſimos: at in conſiliis dandis, præſertim in rebus arduis ac formidoloſis timidiſſimos, mortui,ſine adulatione rectiſſima quæque quam fideliſſime monſtrantes, ſunt conſulendi, in quorum ſcriptis, tanquam in ſpeculo polito intuemur res geſtas fortiſſimorum,ad quas in adminiſtratione & mentem conformare,& noſtra conſilia dirigere valeamus. Obuiis itaque vlnis illorum ſane ac ſapienter monita amplectantur,& deoſculentur viri Heroes. Nam hoc illud eſt præcipue, teſtimonio Liuii *Dec.* 1.*lib.* 1. in cognitione rerum ſalubre & frugiferum: *omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, vnde tibi tuæque reipubl. quod imitere,capias: Vnde fœdum inceptu,fœdum exitu,quod vites.*

Etſi vero muti doctores naturam & affectus acerrimos prorſus mutare nequeant: tamen latentem quandam energian habent, vehementiam animi reſtringere, affectus vitioſos reprimere, oculos,aures, linguam & manus ipſas flectere,vt fiant manſuetiores alias ſua natura ferociſſimi, & diſcant vitare aberrationes in conſultationibus & vita communi. Et hic præcipuus vſus & fructus eſt ſapienter dictorum atque ſcriptorum. Nam præteritorum exemplis informamur, & cum quid ſequendum,tum fugiendum,tum quid ad degendum vitam conferat,monemur.

Iliadem Homericam Alexander M. virtutis bellicæ viaticum nominare ſolebat, quam adeo in delitijs habebat,vt eam ſcrinio, auro, gemmis ac margaritis artificioſe perpolito condebat,atque vna cum pugione ſubſtratam puluino cuſtodiæ dabat. Hic idem ille Heros ab Harpalo mitti curauit medios inter armorum ſtrepitus, Sophoclis, Euripidis atque Æſchyli tragœdias,cum libris Philiſti ac Philoxeni, ſecundum quorum ſapienter monita ſua regebat conſilia, rerumque dubiam viciſſitudinem inde colligebat vel euitandam,vel cum forti patientia ſuperandam.

L. Lucullus rei militaris plane rudis ad Mithridaticam expeditionem à Senatu miſſus, lectione rerum præclare geſtarum & peritorum conuerſatione optimus Imperator factus, talem ſe in illo bello geſſit, vt ipſe Mithridates fateretur à ſe maiorem poſt Alexandrum non cognitum eſſe ducem.

Dux Philopœmenes, præter libros de ordinibus militaribus, res Alexandri die noctuque terebat manibus, non vt de ijs otioſus ſermones haberet, verum in magnis deliberationibus conſilium peteret.

De Africano legitur παιδείαν Cyri Xenophontiæ de manibus nunquam depoſuiſſe.

Auguſtus Cæſar, Tranquillo teſte, ex vtriuſque linguæ ſcriptoribus excipere ſolebat, ad Rempublicam adminiſtrandam quæ pertinebant.

Ptolomæus Philadelphus hortatu Demetrij Phalerij quoſcunque de regno conſcriptos libros peruoluit, vt ea inde hauriret, quæ reges admonere amici vererentur.

Feliciſſimus ille Imperator Vlpius Nerua Traianus Plutarchum à latere nunquam dimiſit, vt ſecundum ipſius conſilia omnes actiones ſuas dirigeret.

Achilles Phœnicem Homericum familiariſſimum habuit, vt ab eo rerum adminiſtrandarum rationem cognoſceret.

Scipio Africanus Panætium & Polybium, homines omni literatura clariſſimos familiares Comites & Conſiliarios habuit. Hannibal toto bello publico Spartanum quendam.

Hercules quamuis magna vi ingenij erat præditus, & in eo acres ad virtutem impetus elucebant: tamen adoleſcens literas ac Muſicam didicit, & ſeneſcens Athlantis doctrinæ de ſiderum motibus ſtudioſiſſimus fuit.

Carolus V. ſtudioſe legit Thucydidem, cuius habuit Gallicam interpretationem ab Epiſcopo Maſſylienſi factam, vt inde rationem rerum gerendarum diſceret. Nam ille totius humanæ vitæ theatrum ob oculos ponit, ad omnia mundi tempora congruens.

Taceam hic Scipiones, Craſſos, Marcellos, Antonios, Lucullos, Hortenſios, Brutos, Fabios, Cicerones, Romanæ Reipub. columina. Taceam Græciæ lumina, Epaminondam, Themiſtoclem, Demoſthenem homines literatiſſimos, qui non ſolum eruditionis encomio nobilitati, verum bellicis laudibus mirum in modum commendati ſunt.

O beata itaque illa Reſpubl. imo Imperium beatiſſimum, vbi diuini Platonis iudicio illud vel Philoſophi regant, vel qui Imperij clauum teneant, philoſophentur. Cum quis melius quam literatus non imperet, ſicuti à S.P.Q.R. in laudem Taciti Imperatoris acclamatum fuit. Quippe cum conſtet ſæpius labantes Reſpub. ſapientum ratione & oratione erectas, & in integrum reſtitutas fuiſſe, ſæpius in fugam conuerſos ac deficientes exercitus eorundem voce reuocatos. Quod de Demoſthenis grandiloquentia Philippum Macedonem gloriari legimus, quando dicebat, ſe magis illam reformidare, quam Athenienſium exercitus, arietes, catapultas, alioſque belli apparatus.

Valerius ſuauiloquentia ſua plebem à patribus ſeditioſe diſſentientem ad ſanitatem reuocauit, & vrbem vrbi iunxit.

Et quis neſcit M. Antonij blandiloquentiam, qua milites ad ipſum obtruncandum miſſos à Mario, & Cinno, deterret ab imperata cæde; & vt diſtrictos gladios vaginis redderent, verbis cogit. Miles Lacedæmonicus Tyrtæi verſibus inflammatus, fuſis Meſſenis glorioſam victoriam reportauit.

Quid dicam de Philoſophis & hominibus eruditiſſimis? qui bellicis laudibus claruerunt. Socrates, Xenophon, Demoſthenes, Plato, Cicero apud Iſſum Imperator ſalutatus, vt ipſe ad Atticum ſcribit, Reſpublicas & ciuibus ſuis in bellis periculoſiſſimis non inutilem præſtiterunt operam.

Archita Tarentius ſexies legit militem & deduxit. Meliſſus victorijs naualibus agendis clarus fuit. In ſumma: Soli literati & Mineruæ ſapientia clari, modum recte norunt, quomodo populi ſint regendi, vrbes expugnandæ, hoſtes repellendi, iniuriæ illatæ æquo animo accipiendæ & reponendæ. Quomodo, inquam, hominum inter ſe diſſentientium animi ſint conciliandi, & quocunque, prout ma[illegible] conducat, flectendi, vt non minus vere, quam præclare dixerit Cicero, ſe omnium malorum radicem ſtirpitus philoſophia extracturum eſſe. Proinde vere regia vox Alexandri M. hæc fuit: *Malle ſe diſciplinis antecellere, quam opulentiis.* Et Arragonum Alphonſi regis: *malle ſe perdere quæ poſſidebat omnia, quam vt tantillum eruditioni ſuæ decederet.*

Carolus IV. Rom. Imperator in horas 4. audiens diſputantes ſcholæ Pragenſis magiſtros, purpuratis ſuis id ægre ferentibus, & cœnæ tempus inſtare annuentibus, *mihi*, reſpondet, *tempus eſt nunc, nam hæc mea cœna eſt.*

Vehementer itaque errant, qui regium non eſſe putant diſcere literas (quas πηγὰς καλῶν Xenophon nominabat, eo quod ſint omnium actionum in vita communi præſidia & humanæ conſociationis nerui) principum ſoboles, vti olim Regis Galliæ conſiliarium quendam reſpondiſſe fertur, ſufficere Regibus ac Principibus literatos habere à latere & conſilijs. Quod reſponſum Rex aiebat *bouis eſſe, non hominis*, addens, *nobiles & diuites ſine literatura eſſe vellus aureum, & Reges illiteratos coronatos aſinos.* Eos non eſſe homines, qui literas ignorarent. Hungariæ ac Bohemiæ Rex Ladislaus, cum Romæ verſaretur, dicere ſolebat. Nam ſola ſcientia perfectos reddi vno ore fatentur omnes. Et ita ſeſe habere rem ſatis acute perſpexit Theodoſius Imperator, qui cum Arſenio viro doctiſſimo filios erudiendos commendaſſet, hac admonitione eos eſt adhortatus:

Si tales

ſimiler ſeſe praeberent, vt mores vitamque ſuam ad diſciplinam & leges Dei componerent, propenſum foret, vt eis Imperium in manus tradat ad ſubditorum commodum: Sin minus, conducibilius eo eſſe, vt priuati vitam agerent, quam doctrina nulla praediti cum periculo imperarent.

Perſæ, vt habeant Reges omni virtutum genere & literatura claros, quatuor futuro regi adhibere ſolent Doctores; vnum, qui in iuſtitiæ præceptis ſeu legali ſcientia eum inſtituat. Alterum, qui veritatem doceat. Tertium, qui ad temperantiam moneat. Quartum, qui in exercenda fortitudine ei calcar addat.

Diuus Maximilianus Imp. quando Philippi ſui filium Carolum præceptori commendabat, dicebat grauiter: *Turpe eſſe magno Principi neſcire literas.* Hic tantus vir, Carolum V. puto, licet tam ardua Imperij ampliſſimi gubernatione occupatus erat, tamen tam domi, quam militiæ contemplationibus Aſtronomicis adeo fuit deditus, vt multa etiam, quæ docti ignorarent, diſputarit. Idem ille ſæpius in ore habebat, *ſe eo rem eſſe perducturum, vt poſthac ipſe & præſes eſſet & auditor diſputationum.*

Matthias Hunniades puer adhuc duodecim annorum, nomine patris ſermone Latino legatis erudite reſpondit. Qui ſæpius ætate confirmata in caſtris & armorum ſtrepitu grauiſſimis in negotijs non præmeditatus, & longas & elegantes orationes habuit.

Iacobum Badenſem Marchionem Epiſcopum Treuerienſem nequaquam prætereamus, in comitijs Anno 1505. peractis, Imperij nomine legatis Pontificijs Latine, Germanis Germanice, Gallis Gallice, Venetis Italice reſpondentem.

Et optima ratione cautum legitur in Conſtitutione Caroli IV. anno 1356. publicata, quæ ſub nomine Bullæ Aureæ circumfertur, vt filij Electorum præter modo citatas linguas Sclauica ſeu Heneta inſtruantur, *vt cum ipſius Imperij columnæ & latera ſint, plures intelligant, & intelligantur a pluribus, quique plurimorum neceſſitatibus releuandis Cæſareæ ſublimitati aſſiſtant in partem ſolicitudinis conſtituti.* Sæpe enim in conſilio Romani Imperij de rebus arduis eſt conferendum & decidendum in hominum doctorum diſſenſione. Sæpius leges ferendæ & refigendæ. Sæpiſſime iudicandum de cauſis grauibus & conſtituenda iuſtitia. Imo ſæpiſſime & hoc inprimis ruinoſo ſeculo de ſalute Reipubl. deliberationes incidunt, abſque literarum cognitione ac multiplici doctrinarum & hiſtoriarum notitia inexplicabiles.

At hic amplius non exaggerabo vim, virtutem & facultatem linguarum & ſapientiæ: ne agam de modo Inſtitutionis Principum, quod mei iam non eſt inſtituti: nec in cumulandis exemplis ero occupatus. Nam citius me tempus deficeret, quam verba huic negotio inſeruientia.

Vnico tamen dicam verbo, laceras illas eſſe Reſpub. & cito ruituras Ciceronis teſtimonio, vbi literati à conſilijs ſint excluſi, & literis imbuti non imperent, nec ſcholarum & Muſarum habeatur ratio. Id quod optime Mitylenæi intellexerunt, præcipuam nimirum eſſe in Repub. vim literatum, vel hinc inde apparet, quod populis à ſe bello deuictis pœnam aliam nullam irrogarent, quam ne liberos ſuos literas edocerent.

Optime ſane Nero Tyrannus: quantum interſit ab ineunte ætate iuuentutem ſtudiis imbuere, intellexit, qui dum frigide docere animaduertiſſet Profeſſores, alios conduxit, ſtipendia è ſuis redditibus illis conſtituens.

Veſpaſianus Imper. annua centena Rhetoribus vtriuſque Linguæ dedit.

Antonius Pius per omnes prouincias magiſtros publicos eſſe voluit.

Sartorius in Iberia publico ſtipendio magiſtros aluit.

Traianus Cæſar ex omni Imperio multa millia adoleſcentum erudiendorum congregauit.

Alexander M. ex omni Perſide delectos adoleſcentes vno in loco erudiri curauit.

Et mos antiquus ſemper fuit honeſtus æque ac à pietate profectus, publica literarum ſtudia inſtituere, ad quater ferme mille annos continuatus, ſi Beroſo fidem habeamus, qui auctor eſt Sarron apud Celtas: Ingeuon apud Tuyſcones publice docuiſſe. Et quis ignorat Perſarum Magos? Gallorum Dryadas? quis Ægyptiorum Prophetas? Indorum Gymnoſophiſtas? quis Latinorum Augurum, Flaminum, Saliorum Pontificumque greges?

Hac laude digniſſima vetuſtatis Muſarum obſeruantia & alij cum Principes, tum populi inuitati ſunt, vt communem rationem tam in formandis, quam reformandis ſtudijs ſuſciperent.

Apud Thuſcos, Perſas, Maſſilienſes, Thurios, & per totam fere Græciam cautum fuit, vt Magiſtri eſſent impenſis publicis iuuentuti præfecti.

Hinc tanta præcellentium ingeniorum copia, quorum laboribus Herculeis omnis magnanim rerum ſcientia ad nos promanauit. Et quis veteris memoriæ haud ignarus, non habet cognitum? vas electum D. Paulum è Tarſorum Academia prodiiſſe, quam & Alexandriam & Athenas, ſi non excelluiſſe, tamen æquaſſe, vetus eſt fama.

Rhodiis fingit Pindarus Iouem aureo pluiſſe imbre, quod primi in Europa Mineruam editam excepiſſent. Vtraq; illarum & Tarſus & Rhodus populi Rom. conſenſu propter ſtudiorum celebritatem *αὐτονομίαν* retinuit. Vtraq; immunitatibus donata eſt. Tarſus ab Antonio Triumuiro, Rhodus à Tiberio Cæſare. Et hic mos multis ſeculorum ætatibus cum laude retentus fuit, vt vbi aperirentur ſcholæ, extruerentur Academiæ, ab Imperatoribus priuilegijs, immunitatibus & ampliſſimis redditibus

buſ dotarentur, cum ſciant & ſcire debeant, ſcholarum Eccleſiarumque nutritionem ad ipſos pertinere. Et ſiue bene, ſiue male rationibus illarum ab ipſis proſpectum ſit, aliquando iuſtiſſimus rationem repoſcet. *Cognoſcant*, inquit Iſodorus lib. 3. c. 53. de ſum. bono: *Principes ſeculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam* (cuius ſcholæ ſeminaria ſunt & fundamentum) *quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſiue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam credidit Eccleſiam.*

Quod ſane optime intellexit veræ religionis ſtudioſiſſimus Imperator Leo, ante annos 1140. clauum Imperij Roman. tenens, ad ſe nimirum pertinere ſcholarum & Eccleſiæ curam. Hic cum forte reprehenderetur, quod maxima largitate theſauros ſuos in pias cauſas erogaret, & non potius in militum ſtipendia conferret. *Vtinam*, inquit, *ea felicitas diuinitus meæ gubernationi concederetur, vt quæ iam ſuſtentandis militum præſidiis tribuuntur, collocari poſſent in Eccleſiæ miniſtros & cœtus ſcholaſticos, qui Deo grata & reipub. ſalutaria diſcant & faciant.*

Et vt vetera Muſarum pietatiſque columina taceantur, recentiori memoria præ cæteris laudatiſſimos, vnos eſſe video Auſtriæ Archiduces, humanitatis, pietatis ac iuſtitiæ, imo omnium virtutum nominibus nobilitatiſſimos Principes, ſub quorum præſidio quamprimum Rudolphus Romanis faſcibus omnium primus ex illorum familia auctus & huculque ordo Imperatorum continuatus fuit, Germania mirum in modum, non ſolum potentia, gloria & opibus: verum & Academiarum multitudine creuit, & hominum doctiſſimorum flore claruit. Nam illius primi Rudolphi ſapientia, virtute & felicitate, bellis ciuilibus reſtinctis odiiſque inteſtinis ſublatis, patria perturbatiſſima tranquilla conſtituta fuit, ac publicis legibus munita, quas poſtea Carolus IV. in vnum collegit, & *Bullæ Aureæ* titulo decorauit. Et in præſenti flore permanſuram patriam auguror, quamdiu Imperatoriæ poteſtatis habenas capeſſent illa domo oriundi. Cum enim memoria repeto, & mentis oculos per antiquos, honeſta laudeque digniſſima Imperatorum ex honorificentiſſima prędicta familia oriundorum facinora circumfero, non vbi incipiam, verum vbi deſinam, difficile videtur. Quæ enim ab aliis mundi Monarchis ac Imperatoribus laudabiliter geſta ſunt, ea omnia ſi in vnum cumularentur aceruum, & cum ijs, quæ Rudolphi, Ferdinandi, Maximiliani, & ſummus ille Carolus V. cui nullus poſt Carolum M. & potentia & conſilio par fuit, geſſerunt; compararentur, non ęquarent modo, verum multis modis ſuperarent. Tanta enim rerum ab iis præclare geſtarum magnitudo, tanta in adminiſtrandis negotiis ſine feſtinatione prudentia, & ſine tarditate grauitas, tanta in regendis hominibus humanitas, tanta erga obedientes clementia, & in conferendis dignitatibus viris virtuti deditis, in concedendis cum principibus, tum ciuitatibus immunitatibus: in communicandis priuilegijs, Gymnaſiis, & bene conſtitutis Academijs tanta beneuolentia, vt quis maiora niſi mentiri velit, neq; poſſit confingere, neq; breui oratione perſtringere. Tantus, inquam, in patriam amor, vt citius mori millies expetant, quam vt aliquid detrimenti Germaniæ accedat. Quoticunq; enim ab emiſſariis Papæ data ſunt conſilia, vt noſtris bellum inferatur, & Euangelicis ægre fiat (nam coram Carolo V. iactaſſe multos palam eſt, ſeſe fortunam omnem & facultatem impenſuros, vt è medio tollantur Proteſtantes) ſapientiſſime, graui & ad tempus accommodata Oratione animos furioſorum hominum ita mitigarunt, vt omnem ſtruendarum inſidiarum præripuerint, naſcentiſq; mali occaſionem ſuſtulerint. Cuius rei inſigne de Carolo V. proſtat elogium. Huic cum in Comitiis Auguſtanis non abſque ratione conſilia varia darentur de armis ſumendis aduerſus proteſtantes, & magni nominis princeps catholicus aliquando aſperius loqueretur, *Cæſarem habere alia regna, etiamſi Germania eſſet vaſtata*, grauiter hunc interpellat, inquiens: *Hæc non iuſſi te dicere. Nolo enim fieri vaſtitatem in Germania, quia & patria eſt, & ab ea ſummum decus accepi. Et Imperator ſaluti orbis terrarum quantum poteſt, Deo iuuante, conſulere debet.* Idem ipſe tunc in congreſſu & conſeſſu principum cum frementes quidam maius certamen eſſent moturi, interfatur & reſpondere iubet, *ſe facturum eſſe, quod Chriſtianum Imperatorem facere iuſtum ſit.*

Quo quidem æque omnes domus Auſtriacæ principes animo ſunt & fuerunt hactenus, qui potius clementia quam vi & armis imperare ſtuduerunt, vt Germania hodie illorum beneficio magis, quam vi coniuncta ſit, & ita eiuſdem Reſpubl. conſtituta quod rebellantes ſubditos, neceſſitate extrema excepta, non armis, verum legum aculeis facile reprimere poſſint. Ideoque cum hiſce legum vinculis contineatur patria noſtra, mirabiles ſui amores inter incolas excitauit, nec inuenti ſunt amplius Germanię populi, qui quamdiu Auſtriacorum Imperium conſtitit, vti ante, deſererent hanc, ſedes peregrinas quærentes. Nec inter ſe principes, vti ante, ſtuduerunt inuicem ſeſe opprimere, verum vtri de patria melius mererentur, inter ſe magna cum gloria certare, mutuas vires coniungere, & vnanimi animorum conſenſione patriam communem defendere, & qualicunque modo poſſent ornare, iuuare, nihilque, quod ad exornandam eam pertineret, prætermittere.

Hinc tanto magis omni bonorum genere aucta fuit, quanto minus inteſtinis diſſenſionibus exitioſa mala gliſcerent. Et quia hactenus is ſtatus patriæ noſtræ fuerit, vt in ea vigeret concordia, vigeret pietas, vigeret iuſtitia, vigeret eius, qui ſummæ rerum præeſt, Imperatoris nimirum, reuerentia & obſeruantia, certe & poſterum vigebunt ea omnia, ſi quæ ſint Dei, reddantur Deo, quæ vero Cæſaris, Cæſari. Et ſic Germania, quæ ſemper fuit habita inuictiſſima, vinci minime poterit. At ſi ſimultates inter ſe principes & ſtatus geſſerint, animique in factiones diſtracti fuerint, quod triſtiſſimorum caſuum fomentum ac pernicioſarum factionum bellorumque inteſtinorum incrementum,

mentum, tunc de patria noſtra actum erit & quæ ab aliis vinci non poterat, à ſeipſa victa ſuiſq; viribus confecta & propriis armis quibus defendi debebat, miſerum in modum dilacerata corruet, quod olim Græciæ vſu venit. Quamdiu enim ſociata concordia inter ſe pacifice vixerunt ciuitates, tandiu patriam inconcuſſam retinuerunt: verum cum ſtudio Macedonum regis Philippi ſimultates alere inciperent, & modo Athenienſes & Lacedæmonii: modo Lacedæmonii atque Thebani, modo Athenienſes & Megarenſes inter ſe bella animis infeſtis gerere, ſe ipſos ita confecerunt, vt propriis armis fracti atque debilitati in Macedonum poteſtatem concederent. Eodem ſtrctagemate maiores noſtros Tiberius Imperator ſibi ſubiugauit. Cum enim animaduertiſſet vi cogi non poſſe ad ſubiectionem & obedientiam gentem bellicoſiſſimam, reuocato ab armis Germanico, locum dedit inter ſeſe confligendi, & res ex voto ceſſit. Nam ſuis viribus debilitata & confecta maluit opis egens in Romanorum poteſtatem concedere: quam vicinorum ſuorumq; iniurias perferre.

Idem accidit mundi domitoribus. Et valde metuo ne idem nobis eueniat: vel ad minimum hoc noſtro ſæculo ſint ea tandem excidenda, quæ anteceſſores & iam noſtrorum nonnulli varie coquinando mirabiliter miſcent & confundunt. Inprimis ſi vti cœpimus factiones inter nos foueamus & nobis ipſis infeſti ſimus. Siquidem experientia docuit, maluiſſe nonnullos rem potius ad arma deducere: quam æquo cum aliis iure viuere, quibus illud Iulii arridere videtur: *Dominandi gratia etiam contra patriam agendum aliquando.* Et niſi Clementiſſimus auertat (vti tanquam ex ſumma ſpecula facem flammamque tumultuum impetuoſe irruere conſpicio) ſimultatibus concuſſa patria noſtra mox in extremis laborabit. Et ad has magis magiſue inflammandas factioſas ſimultates, ſuis cum folliculis parati aſtant Ieſuitæ buccis ampulloſis ſufflantes Eridis œſtia, Anguis iſta blandiloquens, quæ iam in ſinu Germaniæ fouetur, ſi quando ad maturitatem deuenerit, ceu cuculus erga nutricem gratitudinem exercebit. Hoc enim illorum hominum ingenium, vt ſi eam quam expetant conſecuti fuerint ſummam, furore celerrimo agunt omnia, vt non ſolum conſilii capiundi: ſed ne quidem reſpirandi ſpatium relinquant, quos opprimere adoriuntur.

Currit enim magnis progreſſibus iſta Hybrida, vrbes, prouincias, imo integra regna euertens obuia, quæ tanquam in ſpeculo conſpicienda nobis ſunt, in vrbium ac prouinciarum florentiſſimarum ruina inferioris Germaniæ.

Iiſdem technis aliquando Angliam aggreſſi, infeliciter ipſis cecidit alea: Nam cum primum ſeſe apud Auguſtiſſimam Reginam, ſæpe ab ipſis veneno & inſidiis appetitam, obſeruanter ac demiſſe geſſiſſent, mox & inopinato tanquam turbine rapti, cum conſpiratoribus ſumtis armis in concionem proſiliunt, omnis generis mēdaciis funeſtiſſimiſq; orationibus animos plebis ſolicitantes, quibus imperitam rerumq; nouarum cupidam, facile ad partes & ſectam ſuam verture adiungerent.

Verum vt aliquoties iuſto Triarchæ Dei iudicio, iiſdem ruinis, quarum autores extiterunt homines ſeditioſi, fuerint oppreſſi: ita proditores iſti, vt æquum, ſupplicio affecti ſunt & pax regno reſtituta.

Quas in Scotia: Regina indigniſſimo mortis genere ſublata; turbas populares excitarint, quas in Heluetia; quas in Styria & Carinthia, triſtis rumor nunciat.

Et quia hominibus iſtis multarum calamitatum architectis, inſidiatoribus ac hoſtibus Romani Imperii (quod propter potentiam non debilitandum ſolum: verum etiam opprimendum, Georgius IX. Pontifex olim monuit) tentare quæuis, turbas concire, templa prophanare, euertere, Eccleſias perdere, ſectas è ſectis ſerere: Chriſtianos & recte docentes ſub religionis prætextu in exilium conijcere & vita priuare, impune omnia liceant, imo animas atque vitam Germanorum non oppugnare tantum: verum pretio vendere. Videant optimates Germaniæ ne faces cruentæ circum circa ab ipſis proditoribus accenſæ ipſorum domibus ex vibratis ſcintillulis ruinam, quam impendere video, accelerent.

Videant, vt vulnera Germaniæ à coniuratis inflicta adhuc ſanabilia curent, ne facta lethifera deinceps medicinam nullam admittant. Experimur enim cotidie machinaria multa, quibus Germania funditus perdi poſſit, niſi precibus noſtris exoratus Deus, nos noſtro interim fideliter fungentes officio, ipſe medicinam afferat.

Si tunc ſtatim à limitibus Germaniæ excedere iuſſi fuiſſent, vti aliquando in Gallia, quæ nec hodie ipſorum conuenticula patitur, virus ſuum nunquam tam plauſtratim intuliſſent, nec familias honeſtiſſimas intoxicaſſent, imo nobis omnibus non timendum, quod vitæ noſtræ pararentur inſidiæ.

Hæc dum conſpicimus, mature remedia adhibebimus, cum non extra: verum intra fines noſtros mox cum iſtis pugnandum nobis erit. Itaque & maiori cura in id innitendum, cum captare occaſionem ipſos experiamur, nos per Regni Romani addictiſſimos perdere, quod indignius eſt: quā ſi ipſi aperto Marte nos bello peterent. Ita imo cum ratione, qua facilius aduerſa propulſare: quam ſecunda tutari poterimus; rem cum illis agamus eſt neceſſum. Siquidem quæ ſecundum rationem geruntur, ſtabiliora ſunt: quam quæ præter eam ſuſcipiuntur. Et cum morbum multiplicem curare velimus, pedetentim agendum, ne repentino quodam ſtudio medendi grauior excitetur motus. Subitas enim tam in Eccleſiaſtico: quam politico foro ſuſceptas mutationes periculi eſſe plenas conſtat ſecundum vetus illud, quod prouerbii loco dici ſolet. *Emni qui nimium emungit elicere ſanguinem.*

Quamuis vero rationes ſupponere non meum ſit: tamen grauius animaduertendum eſſe in eos

ſtatuo, qui nulla iniuria irritati ad nos delendos veniunt. Refundenda ergo eadem in iſtos pœna: quam ſi victores euaderent, credendi ſunt nobis iniuncturam eſſe: Vereor etenim niſi radices amputentur, vnde malum omne in patria noſtra repullulartt, ſit aliquando maiori cum periculo eruptutum. Seditionis conflandæ & bellorum inteſtinorum autorem me clamabunt. At iniuriam immerenti offerunt, nam animus non eſt, nec ſeditionem concitare. Negotium rationibus expediendum ſuadeo. Quod vero verborum aſperiori inuectiua vtar, rapit me rei indignitas & perturbat vt acerbius quam propoſueram ſcribam. Et hanc meam de Chriſti repub. tuenda commonitionem non hoſtilem eſſe declamationem: verum neceſſario de eius ſtatu conſeruando ſuſceptam rationem. Et in hoc teſtor omniſcientem Deum, & cum à nobis omnibus factorum rationem ipſe poſcet, teſtabor: & ipſe cardiognoſtes teſtabitur me nihil aliud ſpectaſſe, quam ipſius gloriam: Eccleſiæ patriæque ſalutem. Quam enim & inprimis cordi mihi ſit Eccleſiaſticæ Reipub. ſalus, ſimplicitatis, atque veritatis ac purioris Theologiæ in ſacris contentæ amor, quam vnice amplector, teſtis eſſe poterit. Non enim poſſum non execrari Theologiam Ieſuiticam ex lacunis Ariſtotelicis, mandatis, Decretis, conciliis ac bullis Pontificum conſarcinatam. Non poſſum non amare veritatem ex fontibus Iſraelis ſcaturientem, & in his ſedem ſuam ac fundamentum habentem, vnde omnia promanant, vbi omnia inueniuntur quæ fidem continent moreſque viuendi, Spem ſcilicet & Charitatem. Aug. *de doct. Chriſt. lib. 2. cap. 9.* Et ab his recedere non debemus, ſi volumus peruenire, quo tendimus: Idem *de corrept. & Grat. cap.* Cedamus igitur & conſentiamus autoritati Sacræ Scripturæ quæ neſcit fallere nec falli: Idem *de peccat. mer. & remiſſ. lib. 1. cap. 22.* Huic, etiamſi totus fremat orbis, obtemperemus: nec in vllo terreri patiamur ab aduerſariis adiuuando decertantem fidem Euangelii, quæ illis eſt cauſſa perditionis: nobis vero ſalutis. *Phil.* 1. Itaque non curabimus clamores & furores Pontificiorum, quorum religio cum à protopapæ, Petri doctrina ex diametro diſcrepet & manifeſtiſſime cum S. Scriptura pugnet, vti Sathanam, fugiamus. Male itaque faciunt propriæque ſaluti male conſulunt Imperatores ac principes, quod pro obſtruenda iſta papiſtica antitheologia permittunt iniuſte exerceri crudelitatem contra pios, ſuaque conniuentia ac patientia adiuuent iſtam ſæuitiam, & contra conſcientiam ſæpius vel metu odii ac periculi: vel ignauia: vel ſpe certarum vtilitatum religionem & Chriſtianos produnt. Si cædis ille reus peragitur lege Moſaica, qui homicidium viderit nec magiſtratui fugientem detulerit: quanto magis ille æternæ damnationis peragetur reus, qui iuuat piorum hominum ſicarios & aſſaſſinos, nec defert eos diuinæ maieſtati, quod terreni magiſtratus eſt officium, ne ſcandalizentur infirmi, idque edictis & legibus, iuxta doctrinam D. Pauli dicentis legem iniuſtis poſitam eſſe & in Deum contumelioſis. Et hunc legis vſum vocat Paulus politicum, cum magiſtratus externa diſciplina coherceat vitia & flagitia, cum prima & ſecunda tabula pugnantia. Et lege cauetur puniri blaſphemos *Leuit. 23.* Et idola tolli edictorie mandatur. *Deut. 12. Leuit. 23.* ne veniant ſcandala. Quod tunc procedit in maximum infirmorum lapſum, quando principes defendunt Idolatriam, ſacerdotum libidines & alia ſcelera: vel permittunt ſuis in ditionibus paſſim vagari ad ſeducendum paratos Pontificiæ blaſphemiæ Alaſtoras: vel colludunt cum ipſis & in ipſorum gratiam multa impie ſuadent, vt auertant conſpirationes & ne quid grauius in eos moliantur. Sicuti olim Demades Athenienſibus ſuaſit, vt ſolicitante Caſſandro Alexandrum inter Deos referrent, eumque certis ſacrificiis colerent. Hoc licet pleríque execrabantur: tamen vt fieret, rationes affert Demades, ne videlicet bellum eis inferatur, ac inquit: *Videte ne terram amittatis, dum cœlo iniuriam fieri non prohibetis.* Ita hodie Germaniæ Poteſtates cœlo iniuriam fieri malunt: quam propter veritatis defenſionē pro patria ſeſe & Eccleſiæ ſalute offerre periculis. At hi ignaui principes ſunt & nequaquam digni illo cœleſti titulo, *ego dixi: Dÿ eſtis.* Summus enim moderator ſui nominis communionem ob rerum diuinarum defenſionem tribuit, vt Eccleſiam ſuam contra furores defendant: Et cum gratificentur Papæ, fore vt lædant conſcientiam, Deum grauiter offendant ſuæque peſſime ſaluti conſulant.

Daniel regi Babyloniæ concionatur ac promittit peccatorum remiſſionem per cultum iuſtitiæ, quem eſſe præcipuum conſtat Eccleſiæ defenſionem, & ſi honore Deus diuinitus mandato in ſimplici & laica fide colatur. Fides enim Chriſtiana in ſimplicitate conſiſtit ac in plebeia & Idiotica aſſenſione, quam Spiritus S. in cordibus fidelium ſimplicitatem amantium operatur. Spiritus enim ille ac Paracletus è ſupernis procedens, nulli ſeſe libentius impartit, quam animis ſimplicibus, Euangelii lacte illos alens, fouens & ad perfectionem vſque ſuſtinens. Nam quo quis in ſimplicitate fidei infantior: eo in pietate ad ſalutem perfectior. Cum ſimplex illa credendi pietas doctorem ſpiritum ſuppeditet. Non ergo moueamur ſathanicis iſtis blaſphemiis, elogia Spiritus S. eſſe obſcura, ambigua, imo craſſa, mortuamque literam. Hic ſane idiotiſmus plus profecit, tot regna, tot gentes in ſui admirationem & obſeruantiam protrahens: quam omnis mundi vis omniſque Philoſophorum caterua poterat. Et hodie vſque plus poteſt ille ſimplex credendi idiotiſmus: quam arma Turcarum & Papæcolarum, quibus illum in recte credentibus oppugnant.

In hoc tamen Papa infinite infinities Turcis eſt improbior, quod ſaluti piorum & animæ inſidietur, quam erroribus cæcari anxie laborat & cupit omnes in conſortium blaſphemæ ſuæ ſuperſtitionis rapere, quaſi de ſua & multorum perditione habiturus ſolatium.

Et hoc efficere ſtudet non ratione aliqua & ſermone: verum vi & tormentis. Si ſua diuinis teſtimoniis confirmare poſſent vti recte credentes, non eſſet vi opus & iniuria, quia fides & religio cogi non poteſt: verbis potius, quam verberibus res eſt agenda. Noua enim atque inaudita eſt iſta

præ-

prædicatio, quæ verberibus fidem exigit. *capit. quid autem. diſtin. 45.* cum ad fidem nemo cogendus ſit, gloſſ. *d. cap. ad verb. fidem. & cap. ad fidem. 23. quæſt. 5.* Qui ergo ſincera intentione extraneos ad fidem rectam cupiunt perducere, blandimentis debent, non aſperitatibus ſtudere, ne quorum mentem reddita ratio à plano poterat reuocare, pellat procul aduerſitas. *capit. qui ſincera. diſt. 45.*

Proinde ita agendum eſt, vt potius ratione & manſuetudine prouocati ſequi nos velint non fugere. *cap. eod.* cum aſperitatis nimiæ increpatio nec increpationem recipiat nec ſalutem *capit. cum B. Paul. d. diſt.* Quia plus erga corrigendos agit beneuolentia quam ſeueritas, plus exhortatio; quam criminatio: plus charitas; quam poteſtas. Nam molli manu admota oportet vlceris vulnera ſanare. Pind. *in pythia, od. 4.* & Lutherus *Tom. 3. lat. fol. 36.* recte ſentit: *Humanum affectum præſertim in culpa deprehenſum magis trahi & corrigi lenitate quam cogi minis & terrore.* Poteſt quis quidem enſe, igni, aqua è medio tolli: verum vt aliter credat cogi non poteſt. Fides enim non ſanguine non tormentis acquiritur, nec defenditur: ſed magis polluitur & violatur. Nihil enim tam eſt & eſſe debet voluntarium, quam fides, à qua ſi mens ſit alienata & auerſa, iam ſublata, iam nulla eſt.

Quid ergo ſæuiunt Pontificii? longe diuerſiſſimæ ſunt, carnificina & pietas, nec poteſt veritas cum crudelitate coniungi. In fidei cauſis ratione ſacris conueniente, veritatē & argumentis eſt agendum, ad fidem neminem cogendum, habemus de eo ipſius Chriſti Saluatoris noſtri teſtimonium. *Sinite*, inquit, Matth. 13. *vtraque creſcere ad meſſem vſque.* Et paulo poſt: *Meſſis eſt conſummatio ſæculi.* Cum itaque Chriſtus tam pios quam impios in Eccleſia eſſe permittat, ſicuti parabola de inuitatis ad nuptias *Matth.* 20. oſtendit. Imo Iudam hominem nefarium & proditorem ſuum paſſus ſit: Et alibi inquit: *ſicuti factum eſt in diebus Lothi: ſic erit qua die filius hominis reuelabitur:* Luc. 12. Non ferro, non lanceis, non baliſtis opus erit, vt fidelium numerus creſcat, infideliumque minuatur: verum voce Euangelii. Nec vult Chriſtus his in terris defendi armis Euangelium, ſicuti ait Petro, *conuerte gladium in locum ſuum. Nam qui gladium acceperit, gladio peribit.* Iuſtitiam ſpiritus Euangelium tradit, quæ voce verbi reuelari non gladio, vi & vi armata extorqueri debet. Gladius ciuilem tuetur iuſtitiam & regit homines ciuiliter: verum Euangelium regit ſpiritualiter. Et prudentia humana conſiliiſque rationalibus non regitur Chriſtianorum cætus: verbi Dei miniſterio, quod eſt vox Euangelii, qua colligitur cœtus ille & ad vitam æternam vocatur. Cui, Chriſti Dei, & hominis omnipotentis Regis regum, Domini dominantium. 1. *Tim. 6. Apoc. 17. & 19.* ſeculorum regis immortalis, 1. *Tim.* 1. regni regalia, iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto *Roman.* 14. dantur gratis, vt ſit viuus lapis ſuperſtructus ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum in ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto. *Ephes.* 2. In quo fundamento norma iuſtitiæ de rebus ſingulis eſt expreſſa, *Rom. 15. Eph. 2. 2. Pet.* 1. eaque obſignata magno æterni Dei Sigillo in Chriſto, qui pro nobis corporaliter moriens, dixit, conſummatum eſt. *Ioan.* 19. Omnis ergo naturalis ſpeculatio, omniaq; conſilia ex carnali prudentia proficiſcentia in regno Chriſti ſunt fatalia. Nam quæ religionis fideiq; negotium reſpiciunt: Quæ ſalutem hominum, omnino dependent à verbo Dei, ordinatione, prædeſtinatione & prouidentia diuina: & non ab alia quacunq; cauſa ſecunda. Gratia Dei ſeruamur per fidem, idque non ex nobis *Ephes.* 2. Et Deus antequam iacerentur fundamenta mundi elegit nos in Chriſto, vt eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram illo per charitatem *Ephes.* 1. Et quod quis ad agnitionem Dei veniat, iuſtificetur & ſaluetur, ſolius Dei eſt opus quod ſibi reſeruauit. Id quod deſignare videtur vates regius cum inquit: *Pſalm.* 113. cœlum cœli Domino: *Terram autem dedit filius hominum.* Hoc inquam cœlum cœli, quo intelligitur doctrina veræ religionis diuinitus reuelata, ſoli ſuæ diſpoſitioni & ordinationi in verbo ſuo incluſæ reſeruauit Deus. Totum inquam iuſtificationis noſtræ opus.

Terram vero dedit filijs hominum, veluti regna & negotia temporalia. Quæ licet à Deo ſupremo Rege & Domino dominantium dependeant, partim tamen dependent etiam à diſpoſitione hominum & fato cauſarum ſecundarum.

Si ergo Deus (Zelator gloriæ ſuæ, vindex in ira ſua contra eos, qui non recipiunt nec amplexantur filium à ſe datum *Pſal.* 2.) ſolus ordinationi & diſpoſitioni verbi ſui præſit, eamque ſibi ſoli reſeruet, non niſi voluntate ſua verbum ipſius curret, creſcet & multiplicabitur in profectum Eccleſiæ Dei ſanctæ, & ſalutem animarum noſtrarum, laudem & gloriam nominis Dn. noſtri Ieſu Chriſti, qui ſeipſum dedit pretium redemptionem pro omnibus 1. *Tim.* 2. Et proprio ſanguine redemtionem parauit *Hebr.* 9. Eoſque vnica oblatione effecit perfectos qui ſanctificantur. *Hebr.* 10. delens Chirographum nobis per decreta contrarium atque è medio tollens, affixus cruci, expoliatoſque principatus ac poteſtates palam oſtentans ac triumphans per ſemetipſum *Coloſſ.* 2. per quod mortem aboleuit, vitam ac immortalitatem in lucem produxit 2. *Tim.* 1. Solus ipſe deducit nos ad Patrem, vnica via noſtra, vita & veritas. *Ioan.* 14. 1. *Pet.* 3. Et vt tute in via ambulemus, ipſe nos & per ſe & ſanctos angelos cuſtodit. *Hebr.* 1 *Pſal.* 34. *Matth.* 18. Vt in veritate perſiſtamus, ipſe paſcit gregem ſuum vt Paſtor, agnos colligit in brachio tuo, & in ſinu geſtat & ſuauiter ducit fœtus. *Pſalm.* 40: Ipſe ſolus bonus Archipaſtor, ille oues perditas quærit, abiectas reducit, confractas alligat. *Ezech.* 34. *Ioan.* 10. infirmas conſolidat, pingues & fortes cuſtodit. Et vt vitam habeamus, vocat inquiens, Matth. 25. *venite benedicti Patris mei ab initio mundi.* Iudicaturus itaque veniens, tunc iuſti ipſius iuſtitia ibimus in vitam æternam 2. *Theſ.* 1. credentibus paratam. Nam quotquot ſuſceperunt

Chriſtum

Chriſtum inquit Ioannes Ioan. 1. *dedit poteſtatem filios Dei fieri ijs qui credunt in nomen eius.* Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt. *Roman. tertio.* Qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, *prima, Corinth.* 1. Nec aliud nomen datum hominibus, quo nos oportet ſaluos fieri *Actorum* 4. vt item concionatur *Ierem.* 23. cum dicitur: *Et hoc erit nomen eius quo vocabunt eum, Dominus iuſtitia noſtra.*

Hanc autem iuſtitiam Euangelium tradit verbi reuelati voce: non gladio, vi vique armata extorquendam. Gladius ciuilem tuetur iuſtitiam & regit homines ciuiliter: Euangelium vero regit ſpiritualiter. Itaque maxime omnium curat Deus, vt miniſterium Euangelii conſeruetur, per quod religio conſeruatur. Cuius ſumma à veritate Chriſto hoc enunciato eſt expreſſa, cum inquit Matthæ. & Marc. vltim. *Euntes docete omnes gentes & baptizate eos in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Tota enim vita hæc eo fine viuitur, vt baptizemur, vt credamus, vt ſanctificemur, vt ſalui fiamus. Et cum fides non tubarum clangore, non vi armorum in hominum mentibus excitetur: verum auditu verbi diuini, ſicuti dicitur *Roman.* 10. Fides eſt ex auditu: auditus autem per verbum Dei, per quod datur Spiritus Sanctus, in iis efficax, qui reguntur verbo vt credant ad ſalutem. Sequitur non per hominis prouiſionem, non prudentiam & poteſtatem ſecularem: ſed per Dei prouidentiam ipſiuſque gratuitam miſericordiam ad ſalutem prædeſtinatis in Chriſto Ieſu, motore Spiritu S. ex auditu verbi diuini dari. Ideo mandat Chriſtus Apoſtolis, omni creaturæ annunciare lætum Euangelii nuncium. Quia eius annunciatione fides in animis auditorum excitatur. Quod Chriſti mandatum omnibus adhuc hodie fidelibus Epiſcopis & presbyteris ſacra Scriptura & Canonibus atteſtantibus ſub pœna tam temporalis: quam æternæ excommunicationis iniunctum eſſe nouimus. *Iram namque,* vt ait B. Gregorius, *contra ſe occulti iudicii excitat ſacerdos, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit.* Etenim prædicatio ſeu verbi miniſterium & ſacramentorum eſt officina Spiritus S. in qua ſuam vocandi efficaciam colligendique Eccleſiam potentiam exercet, auerſos, perditos & conuertendos voce legis arguens, ſenſu aculeiſque iudicii diuini, maledictionis legis, mortis & æternæ damnationis perterrefaciens, torquens & affligens, vt dolores mortis & inferni veri ſentiant, defectionem agnoſcant, ſeſeque perditos peccatores ſerio deplorent. Ac rurſus læto Euangelii nuncio de gratuita peccatorum remiſſione, de imputatione ſolius iuſti iuſtitia, concepta fiducia miſericordiæ diuinæ propter Chriſtum promiſſæ ſtatuant, ſe eſſe in gratia, & hac fide Deum inuocent denuo, & in nouitate vitæ ambulantes vero timore colant eumq; vere glorificent.

Hæc Chriſti blandimenta: Hæc via, ratio & modus ad ſe conuertendi populos, quæ conuerſio non à cura & hominis conſilio: verum Dei prouidentia pendet, id quod teſtatur Iſaias. cap. 30. inquiens: *Ipſius populi contritio ſubito dum non ſperatur veniet & comminuetur; ſicuti conteritur lagena figuli contritione perualida.* Neque enim vlli falſum videri poteſt, quod veritas ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, & niſi traxerit:* Ioan. 6. Ergo cum ſolius Dei opus ſit ad ſe homines conuertere, oues perditas quærere, abiectas reducere, confractas alligare, infirmas conſolidare. Certe etiamſi ob mundi ſecuritatem ἀδείαν deteſtabilem, & plus quam ſupinum in fidei cauſſis ſtuporem dirumperemur: tamen voce diuina perhibente nulli permiſſum eſt cordis abſcondita & abdita conſcientiæ inquirere: multo minus homines vi & vi armata ad fidem cogere. Non operis minacibus & moroſis verbis corrigendi in rectam viam redire monendi ſunt, vt ſuper monuimus: verum blandis verbis dilectionem paternamque charitatem ſpirantibus, quæ Chriſti præcepta, Petri Paulique pectus & doctrinam referant. Et quæ non modo titulum præ ſe ferant Apoſtolicum: verum Euangelicam reſipiant ἐνέργειαν. Quam B. Paulus in arguendo, obiectando, increpando in omni patientia & doctrina ſitam atteſtatur.

Quis furor ergo ad cultum velle homines cogere, quem non mandauit Deus, nec à ſacris auctoritatem ſuam habet: verum ab hominibus eorumq; decretis, cum oraculo diuino palam ſit neminem niſi ſua culpa damnari: neminemq; niſi Dei beneficio ſaluari. At ita decet eos Mauſim defenſionem ſuſcipere, ſuoſq; vi externaq; coactione in illius cultu retinere, ne ſi lux Euangelii inualuerit, ipſi cum ſuis ludibriis deſerantur. Et recte ludibriis ipſorum cultus obnoxius videtur, cum in illo aliud nihil appareat, quam ritus ad ſolos digitos pertinens in recitandis tot Aue Maria: tot pater noſter, & in obſeruandis horis precationum & miſſificationum, vt cætera ludibria taceam. Cur itaque tam crudeliter excarnificant, quos ſua opinione ſaluos volunt. Cur tam miſeris milleq; modis perdunt, quibus eſſe conſultum cupiunt.

Quod tam ſtricte & furioſe antitheologiæ ſuæ obſeruationem ab omnibus ſuſcipiendam exigant: vel propter hoc ſolum non eſt ſequendum nec conſentiendũ, quod gemitus: quod ſanguinem ſuis libent Diis, ſanctis nimirum, quos colere: quos adorare cogunt. At veri Chriſtiani contra non cogunt quemq; vt vnum Deum, qui eſt omnium, colat inuitus, nec ſi non colat, ei iraſcantur. Nouerunt enim bono potius adducendos eſſe homines ad bonum, non malo. Et quia Pontificiorum coactiones malæ ſunt, illorum etiam religio bono caret. Idem iudicium eſto de quorundam *Liber Concordiæ.* Principum Proteſtantium Theologis, ſubinde alias ſuper alias Confeſſiones, Concordiæ & Pacificationis formulas ſcribentes, eaſdemq; inuicem repetentes, declarantes, ſuperdeclarantes, ſuper Apologiſantes, & tamen audacter iactant, vnos ſeſe eſſe ſanę religionis præcones, Auguſtanæ confeſſionis conſtãtes protectores, ac ne quidem latum vnguem ab eius litera & intellectu genuino exorbitaſſe. Si non exorbitarint: ſi non deſciuerint, cur derident, ſubſannant, damnant; cur anathematizant:

rant: cur eiiciunt & in exilium pellunt; prædictæ confeſſionis incorruptum ſtylum & ſenſum retinentes: nec eorum confeſſionibus ac formulis, non abſque piis rationibus ſubſcribere eaſque ratas habere nauſeantes. Certe inde non ſequitur errare quem, à vero & bono exorbitare, cum non in cuiuſuis fidem conſentiat. Si enim retineat in Eccleſia graui auctoritate approbatas & Spiritus S. ſtylo conſentaneas loquendi formulas, & nouas; propterea quod iſta phraſium, ſicuti & adiaphorarum mutatio, errores, ſcandala & diſſidia pariat, recipere nolit, ob id non dicendus: verum verbo diuino reuincendus eſt hæreticus.

Si hodie eſſet ea vti in primitiua Eccleſia myſteriorum reuerentia, nec cuiuis ſpiritui haberetur fides, ſuiſque ſomniis articulos fidei conſpurcare permitteretur, & eſſet modus diſputationum Theologicarum in Academiis, tot ac annuæ ferme reformationes, votorum ac ſubſcriptionum extorſiones non obtruderentur. Certe tantæ contentioſæ maledicentiæ non eſſent; non eſſent ſcandala: non eſſent recte ſentientium perſecutiones. Nec opus eſſet annuatim confeſſiones ſcribere, quaſi vero fides non ſit: nec eſſe poſſit, quam quæ literis deſignetur.

In corde fides, non in membranis ſedem ſuam habet: Et ſi alias atque alias Baſilij teſtimonio, *Epiſt.73.* licet confeſſiones & pro temporum varietate mutare, falſa eſt ſententia dicentis: *Vnus Dominus: vna fides: vnum Baptiſma.* Annuas, inquam, atque *menſtruas de Deo fides decernimus* Hilarius inquit: *fides deinde quæritur, quaſi fides nulla ſit, fides ſcribenda eſt quaſi in corde non ſit.* Vnde idem ad Imperatorem Conſtantium: *Quod fides ſit facta temporis potius, quam Euangeliorum, dum ſecundum annos ſcribitur & ſecundum confeſſionem Baptiſmi non tenetur.* Et periculoſum admodum ſit atque miſerabile, tot tunc fides exiſtere, quot voluntates, & tot doctrinas, quot mores.

Hos fidei nouatores cum Auguſtino alloquor: *Aperte dicite vos credere Euangelio Chriſti. Nam qui Euangelio creditis, quod vultis, & quod non vultis, non creditis.* Quod eſt propriis ſomnijs credere, & Idolum cordis ſui adorare. *Apoſtolos Domini habemus auctores;* inquit Tertullianus; *qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, haberent: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignarunt.* Itaque etiamſi angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis.

At prohdolor perplurimi noſtratum hodie Theologorum multa ex ſuo cerebro & rationum naturalium penu deprompta admiſcent ſacris, ſuum non Chriſti agentes negotium, Philoſopho Theologia ſubuertentes Eccleſiæ ſtatum, quibus hic animus, vt ipſi modo ſint eorumque Theologia in pretio, quid interim de ſalute Eccleſiæ & animarum fiat. Hos ego moneo vt meminerint non boum & ſuum: verum ſanguine Chriſti vnctorum eſſe paſtores, & ita ſeſe gerant, vt cum laude titulum illum habere poſſint, eſſe angelos Domini exercituum: voluntatis diuinæ non propriæ interpretes: Apoſtolorum ſucceſſores, quos iubet Paulus eſſe typos fidelium *in ſermone, in ſpiritu, in fide;* & attendere lectioni, exhortationi & doctrinæ, vt ſane & ſobrie loquantur, & eo quo Paulus ipſe conſueuit modo.

Hæc Chriſtiano Principi curæ & cordi eſſe debent, proſpicere, vt ſana doceant Theologi, nec permittant verborum ſpinoſitate ludere & ex cerebro deprompta pro Apoſtolicis venditare: nec in diſputationem vocare, quæ indubitate oportet credere. Periculoſa namque & temeraria viſa eſt de rebus diſputatio & controuerſia, quas certo credere fas eſt. Et hanc Martianus Imperator ſeuere interdixit *L. nemo clericorum. C. de ſum. Trin. & ſid. Cathol.* Nam non licet ſemper de Deo contendere: Nazianzenus inquit *in lib. aduerſus Arrianos.* Quoniam contentione & pax Eccleſiæ turbatur & veritas amittitur. Idemque prohibet publicari palamue fieri ſacra & diuina. *de moderat. diſput.*

Conſtantinus M. per literas Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum & Arrium grauiter obiurgando, vertit eis vitio quod quæ latere & ſimpliciter credere oportuerat, in medium protulerint & nimium ad contendendum declinarint, eaque vulgarint perperam, quę neq; mouere neq; in dubium trahere debuiſſent, ægre ferens quod quæſtiones Eccleſiæ euulgarentur, in qua vna fides & nunc eſſe debeat conſenſus, refert Nicephor. Caliſt. *lib. 8. cap. 12. 13. & 14.* Idem ſentit Euſeb. *libr. 4. de præparat. Euangel.* Apuleius *lib. 11. de Aſino aureo.* Phurnutus in *lib. de nat Deor.* Et in Gorgia ſapienter Plato ſtatuit: *in vulgus non eſſe efferenda veritatis dogmata.* Sic enim inquit: *Caue ne hæc committas rudibus. Hi enim derident quæ ſapientes admirantur.* At quia plerumq; ſuperbiæ ambitioniſque vitio laborant Theologi hoc noſtro ſæculo, ideo licentius præſertim in ſummis myſterijs ingenij acumine ludendo vagantur, & ea quæ ſimpliciter credi debebant, multipliciter gloſſematibus ſuis depravant, inſanientes circa quæſtiones ac diſputationum pugnas, *1. Tim. 6.* ex quibus Diuus Paulus ibidem ait, *naſci inuidias, contentiones, maledicentias, malaſque ſuſpiciones.* Et fideliter adhortatur Timotheum, haſce vocum prophanas inanitates deuitare, ſtultas & ineruditas quæſtiones reſpuere, cum pugnas pariant. 2. *Timoth.* 2. *Tit. 3.* Formamque ſanorum verborum retinere, quam ab eo audierit, cum fide & charitate. 1. *Tim. 1.*

Verum hoc noſtrum ſæculum eſt illud tempus, de quo Chriſtus prædixit, futurum vt parum fidei ſit inter mortales.

Ideo & maioribus, cum in Eccleſia: tum in Imperiis, confuſionibus vrgemur, quarum in illa quidem hanc vnicam eſſe cauſam ſtatuo, quod Doctores Theologi formam ſanorum verborum non retinuerint, & multa quibuſcunq; argumentis; vel ab ipſis hæreticis petitis, manifeſta impietate

pietate defenderint. Et licet errare conuicti fuerint: tamen potius vſitata hæreticis pertinacia ſua defendere ſomnia malunt: quam veritati credere, infirmitatem ſuam lapſumque confiteri ac palinodiam canere. Vehementer graue putantes eſſe, etiamſi in errore verſentur & deprehendantur, vt quid opinioni multorum applauſu acceptæ contrarium dicant. Habet & ſuas politia Harpyias confuſionum autores, de quo ſuo loco.

In præſenti ſaltem hoc Chriſtianos Principes monere volo, vt ſui officij non ſint immemores, ſcientes Deum aliquando ab eis rationes exacturum eſſe, quomodo filium ſuum ſint oſculati & portas æternas aperuerint. Oſculantur ſane, quando auctoritate ſua iuuent Eccleſiam officiaque ſua conferant ad ornandam Dei gloriam: impios Doctores remoueant: pios & ſane docentes ſubſtituant. Et quando neceſſitas poſtulet Eccleſias reforment, cum hac tamen ſolicitudine, ne minimum puſillorum ſcandalizent: & ſit eorum reformatio potius deformatio. Non curantes ſpermologorum quorundam clamores, curam omnem Eccleſiarum earundemq; reformationem, Papæ eiuſque cucullatis vel Academiis referentium.

Hoc qui prætendunt, & iram ſibiipſis accerſunt & Principes cum populo peccare faciunt & cum interitu pœnam parant. Quare dicere hoc non ſpectare ad Regum & Principum officium, non aliud eſt, quam derogare auctoritati, Deo acceptam ferenti. Et hoc eſſet contradicere Spiritui S. curam Eccleſiæ populi Principibus demandanti. Hanc diuinitus nacti Spartam Pii Reges & Magiſtratus laudabiliter exornarunt.

Dauid Rex piiſſimus ſola regia auctoritate per 24. claſſes ſacerdotes Leuitaſque diſtribuit, vt miniſterio vicibus alternis perpetuo fungerentur. 1. *Par.* 23. 24. 25. & 26. *Eccl.* 27.

Salomon filius ipſius ſapientiſſimus ſummum ſacerdotem Abiathar, deſtituit, in locum eius præficiendo Sadochum. 3. *Reg.* 2. benedictione populi templum Domini omni Eccleſiæ dedicans. 3. *Reg.* 8.

Ezechias Religioſiſſimus ordinis ſacerdotij Dauidici conſtitutionem reformando confirmauit. 4. *Reg.* 18. 2. *Par.* 2. iubens conuocatis Leuitis & Sacerdotibus puram Dei legem reſumere, 2. *Par.* 29. miſſis ad omnem Iſrael Epiſtolis ac curſoribus iuſſa Domini prædicantibus. 2. *Par.* 20. Excelſa idololatrica: lucos Dei Ethnicis dicatos, ſtatuas more diuino honoratas ſerpentemq; æneum Moiſis, quo populus abuti cœperat, confregit atque ſuccidit. 2. *Reg.* 18.

Ioſias Rex laudatiſſimus, lucis Idolo Baalim ſacratis ſucciſis & ſtatuis Idololatricis demolitis, templum Ieroſolymæ refecit. 4. *Reg.* 22, 23. & 2. *Par.* 34. & 35.

Ioſaphatum prudentiſſimum non prætercam, vt habetur 2. *Par.* 19. Is non ſolum iudices ciuilium cauſſarum conſtituit: verum politiæ Eccleſiaſticæ ſacerdotes familiarumque Principes, vt eiuſdem cauſas iudicarent.

Iudas Maccabeus Dux bellicoſiſſimus ſacra violata templumque prophanatum purgans, verum Dei cultum reſtituit. 1. *Macch.* 4.

Hæc pietatis veſtigia veteris teſtamenti Eccleſiæ ſecutus Tyberius, vt referunt Euſebius & Tertullianus, voluit Chriſtum à S.P.Q.R. adorari.

Alexander Seuerus, qui optimus Imperator habitus fuit, Chriſti numen inter maximos & delectos Diuos in Sacrario ſuo ſeu vt Lampridius vocat Larario habuit.

Conſtantinus M. ab Arrianiſmo repurgauit Eccleſiam & incorruptam Euangelii doctrinam doceri curauit, ſanciens ne Chriſtiani vlla iniuria propter confeſſionem afficerentur, nominatim vero excepit hæreticos.

Idem ille idolorum templa claudi & publice doceri Euangelium edixit, Doctoribus ſtipendia conſtituens: minime curans quod iſtam cum in Eccleſia: tum in Imperio reformationem & mutationem acerbe quidam odiſſent, ingentiaque aduerſus eum mouiſſent bella Maxentius & Licinius collegæ. Hos ipſius conatus mirabiliter rexit Deus ad Eccleſiæ tranquillitatem & Conſtantini victoriam.

Carolus I. Ludouicus Pius, Henricus Auceps, id idem præſtiterunt, vt doctrina cœleſtis propagaretur in Cymbrica Cherroneſo, repreſſis Henetis ac Hungaris.

Otto I. infuſos in Germaniam Hungaros profligauit, multis ſeditionibus oppreſſis, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, cum in foro fori: tum foro poli pacem reſtituit.

Henricus Bambergenſis Saracenos in Italia graſſantes deleuit, pacauit Belgicum, propagauit doctrinam Euangelij in Elyſiam, quæ nunc partim Sileſia eſt, partim Luſatia. Hungaros repreſſit & cum regi dediſſet ſororem Gyſælam, flexit animum eius ad agnitionem veræ religionis.

Conradus, Francos & Burgundos maxime religionis gratia debellauit.

Lotharius Saxo Sarracenos in Italia graſſantes deleuit, & perfecit in pace propagari veram Eccleſiæ doctrinam.

Iuſtinianus, Valentinianus, Theodoſius & cætera Chriſtianorum Auguſtorum cohors, inprimis Conſtantinus M. quem canoniſtæ laudibus ad cœlum vſque vehunt, non ſolum leges Eccleſiæ antiſtitibus dederunt, de ſacris rite peragendis: verum etiam ciuilibus ſeſe negotiis non immiſcendis, vti habetur de modo nominato Auguſto Conſtantino, de cauſis Eccleſiaſticis præſertim Epiſcoporum iudicialiter cognouiſſe, non ſolum in prima inſtantia per ſuos præſides, proconſules & alios prouinciarum rectores: verum etiam in Appellationis inſtantia maxime interiecta à ſente[illegible] concilii ſeptuaginta Epiſcoporum. De quibus Appellationibus cognoſcebat Imperator,

rator, nunc per ſemetipſum, nunc per ſuos delegatos, modo Papam delegatum conſtituens, qui etiam acceptauit & exercuit iuriſdictionem delegatam, à cuius ſententia cum appellatum eſſet, detulit appellationem ad Imperatorem, coram quo proſecuta fuit.

Idem ille Conſtantinus ſola autoritate regia, ex omnibus Romanis prouincijs conuocauit Nicæam Bithiniæ vrbem. Tripart. *lib.2.c.14.* Theod. *lib.1.c.9.* Item Tyriam. *lib.eod.c.29.*

Primitus enim Imperatores religionem Chriſtianam amplexi recte exiſtimarunt ſui eſſe officij conuocare conſilia, ſicuti à Monarchis Imperij Rom. generalia fere omnia indicta fuerunt, & ipſos, vel ipſorum officiales habuerunt præſides.

Conſtantius Conſtantini filius idem ius vſurpauit, indicens Synodum Sardicenam in Illyria. Trip. *lib.4.c.22.23.24.25.* Theod. *lib.2.c.4.* Item Antiochenam. Trip. *lib.4.c.9.10.* Theod, *lib.2.cap.31.* Item Syrmienſem. Trip. *lib.5.c.6.7.8.9.*

Valentinianus Imperator iuſſit eadem imperatoria autoritate in Illyria celebrari ſynodum; cuius meminit Theod. *lib.4.c.7.*

Theodoſius iunior Epheſinam ſynodum 1. vniuerſalem tertiam indixit anno Chriſti 433. præſide Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, non Romano. Trip. *lib.12.c.4.5.* Item Epheſinam 2. præſide Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino.

Iuſtinianus coegit Conſtantinopolitanam V. anno Chriſti 551. Euagrius *libr. 4. c.38.* Niceph. *libr. 17.*

Toletana 3. anno Chriſti 600. à rege Gothorum Recardo edicta præſidem regem & Reginam habuit.

Conſtantinopolitanam VI. congregauit Conſtantius Prognetus, anno Chriſti 680. contra Monothelitas.

Toletana 4. anno Chriſti 603. præſidem Iſidorum Epiſcopum Hiſpalienſem habuit.

Conſtantinopolitana vniuerſalis 8. anno Chriſti 860. autoritate Imperatoris Baſilij patris & filiorum Conſtantini ac Leonis inſtituta fuit.

Et quæ paſſim in primitiua Eccleſia ſunt habitæ, iis nec Romanus Pontifex interfuit, nec conuocauit, taceam quod primas obtinuerit.

Hoc vero conſtat à Carolo M. eiuſque ſucceſſoribus ſola Imperatoria autoritate & edictas fuiſſe ſynodos, & eorum permiſſione celebratas. Conſtat imo, Romanos Epiſcopos ſubmiſſe admodum ab Imperatoribus impetraſſe, vt fieret conuentus Epiſcoporum. Extant Leonis Epiſtolæ *ad Theodoſium Epiſt.6.& 12. Ad Flauianum,* 14 15. *Ad Pulcheriam Auguſtam* 17. in quibus efflagitat conuocationem, eamque impetratam collaudat.

Et olim Pontifices Romanos, ſanctitatis ſyncerioris nomine commendatos paruiſſe Imperatorum legibus mandatiſque præceptiuis, canonis programmate palam eſt, *c.de capitulis, diſt.10.* Vbi Leo IV. Lothario Caroli M. pronepoti omnem obedientiam extunc & in æuum promittit, de præceptis imperialibus irrefragabiliter cuſtodiendis & conſeruandis. Et cum dicti capituli clauſula ſpiritu cenſorio adiecta eum mendacem deſignet, qui aliter dixerit, vel dicturus fuerit, inſignem mendacii notam Pontificibus ſucceſſoribus, canoniſtis æque inurit Archidiacono & Cardinali Alexan. qui præfatum Leonem arguere timiditatis ignauiæque non ſunt veriti. Quos omnes tamen Leo mendacij præarguit.

Idem vti *ex ipſius vita* refert Platina, cum in magno & præſentaneo periculo vrbis Romæ contra Sarracenos ex improuiſo impetum facientes arma ſumſiſſet, & feliciter collatis ſignis illos debellaſſet, ne videretur Imperatoris iuriſdictionem vſurpaſſe, rationem rei in neceſſitate geſtæ reddit Imperatori, miſſis ad eum expiatoribus, text. eſt in *c.ſigitur, & c.ſeq.23.q.8.* Et cum ab æmulis idem ille læſæ maieſtatis accuſaretur, imperij nempe ad Græcos referendi, coram Imperatore iuri ſtetit, cauſam dixit eiuſque iudicio noxæ exemtus eſt, *c.Nos ſi incompetenter, 2.q.2.*

Non minorem earundem legum obſeruantiam Ioannes VIII. Papa, abſque omni aſſentandi ſuſpicione eidem Imperatori profitetur, *c.fides, diſtinct.10.*

Eadem ſubmiſſionis reuerentia etiam Gelaſius, *c.quis autem, & c.ſeq.ead.diſt.& c.quis aut leges, diſtinct.54.*

De Bonifacio I. eſt notorium. Honorio Imperatori ſupplicem direxiſſe libellum, quo rogat, vt lege perpetua ſanciret, quatenus Romæ nunquam poſt obitum antiſtes ordinetur. Quod Honorius faciens ſanxit legem de Electione Rom. Pontificis, vetans omnibus Clericis ceſſare ab ambitione. De quo videbis *c.Eccleſiæ, & c.victor. diſt. 79. c. ſi duo diſt. 79.* vbi ponit Gratianus hanc legem, ſuppreſſis tamen & omiſſis verbis diſpoſitiuis.

Et ſi Papæ Gregorii M. hiſtoriam perſtringo, ipſi non minori fuiſſe curæ colligo, leges imperiales digna obſeruantia recognoſcere, ſicuti patet ex *Epiſt.3.lib.1.Epiſtolarum* ſuarum, quæ eſt canoniſata in *c.legem, diſt.53.* Et paſſim conſtat ex dictis Epiſtolarum libris, officiales & præfectos Imperatoris, quos *dominos* ſuos vocat, in magna apud eum fuiſſe æſtimatione. Huic tam pio viro, quantum diſplicuerit prædeceſſorum ſuorum: aut de futuro ſuccedentium dominatus, ex multinarijs in illam Paparum arrogantiam inuectionibus, multis locis epiſtolarum ipſius videre licet. Ita enim ad Mauritium Imper. Epiſt. 30. lib. 16. *Ego fidenter dico, quod quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.* Eiuſdem argumenti leguntur *lib.6 Epiſt.188.& 194.& lib.4. Epiſt.3.74.& 80.*

Hinc propter Paparum, Epiſcoporum ac Clericorum ſubiectionis reuerentiam Principi Romano exhibitam & exhibere de iure diuino mandatam, multæ adeo Imperatorum leges & conſtitutiones, quibus ius ciuile redundat. Quomodo ſecundum iuris communis diſpoſitionem collatio prælaturarum, diſpoſitio ordinum, dignitatum & quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum fieri debeat. De numero Clericorum determinato habemus Conſtitutiones. *Nou.*3. De Monaſterijs & Monachis. *Nou.*5. De ordinatione & expenſis Eccleſiarum. *Nou.*6. De non alienandis rebus Eccleſiæ. *Nou.*7. & 46. De centenaria Eccleſiæ Rom. præſcriptione. *Nou.*9. De priuilegijs Archiepiſcopi Iuſtin. *Nou.*11. De menſura ordinandorum. *Nou.*16. De receptione nouorum Clericorum, & fideli rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione. *Nou.*56. 59. & 67. De fori priuilegio in ciuilibus clericis indulto. *Nou.*83. Quam Canoniſtæ ſuis decretis inſeruerunt, *c. ſi quis cum clerico*, 11. *q.*3. ſicuti & alias Conſtitutiones. Vt *in c. ſi ſeruus ſciente, diſt.*54. *Nou.* 23. factum ſuper diuerſis capitulis Eccleſiaſticis, & *c. de illicita*, 24. *q.*3. ad verbum refertur. *Nou.*124. quæ iterum repetitur & renouatur, *c. Nemo Epiſcopus*, 2. *q.*1. vbi interdixit Imperator Epiſcopis & presbyteris, ne quenquam prius excommunicent, quam cauſa probetur. Sunt & aliæ Conſtitutiones, quibus Iuſtinianus dat regulas conuerſationi monachorum & monialium. *Nou.*133. Itidem & Iudæis quomodo oporteat eos Scripturas legere. *Nou.*146.

Porro quantum hiſtoricus ex ipſis legum fontibus, & rerum geſtarum veritate colligere poſſum, conſtat Pontifices Rom. Imperatorum legibus obediſſe, & penes Imperatorem, imo quemuis pium Principem & magiſtratum eſſe reformare Eccleſiam, templa, altaria ædeſq; ſacras profanatas repurgare, de nouo parochias fundare, ordines clericorum inſtituere, falſa dogmata & impios cultus è medio tollere, ſubſtitutis à Deo mandatis pietatem promouentibus.

De fundatione parochiæ per Imperatorem habemus præceptum in *c. principali, diſt.* 63. Nam cum milites præſidiales apud Sontoncelles, quod oppidum erat Italiæ, ab Imperatore poſtularent parochiam & miniſterium Eccleſiaſticum, mittit Imperator Pontifici Rom. diplòma præceptiuum, vt illud exequeretur, quo accepto paruit Papa, ſicuti reſcribit ſe voluntati ipſius pariturum electumque Paſtorem conſecraturum, quam primum à ſolertia imperiali licentiam & imperatoriam directam Epiſtolam perceperit, *c. lectu. diſt.* 63.

Hanc fundandi, imo reformandi Eccleſias poteſtatem ad Chriſtianos Imperatores, principes legitimoſque magiſtratus ſpectare nemo niſi catholicus negabit. Et quod iure & laudabiliter fecerint, qui curam Eccleſiæ habuerint, elogijs Spiritus S. palam eſt. Nam Eccleſiæ nutritij encomium ſunt emeriti, & ſacra pagina ita illos collaudauit, quod fecerint, quæ erant bona coram Domino. Vnde Auguſtinus *Epiſt.*50. ſicuti canoniſatum *c.*1. *diſt.*9. Nam à temporibus Prophetarum, inquit: *omnes reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerunt inſtituta, culpantur, & qui prohibuerunt & euerterunt, ſuper aliorum merita laudantur.*

Hac diuinitus authoritate conceſſa fretus Carolus M. Princeps religioſiſſimus, Epiſcopos & parochos ad verbi diuini prædicationem veluti claſſico inſtruit, mandans iiſdem, referente Anſegiſo Abbate *lib.* 1. *de ll. authoribus, cap.* 76. vt non ſinant aliquos noua ex ſuo ſenſu, & non ſecundum Scripturas ſacras fingere & prædicare, verum vt ipſimet ad vitam æternam ducentia prædicarent. Subiungens ſanctam exhortationem: *Ideo dilectiſſimi*, inquit, *toto corde preparemus nos in ſcientia veritatis, vt poſſimus contradicentibus veritati reſiſtere: & diuina donante gratia verbum Dei currat, creſcat & multiplicetur, in profectum Dei Eccleſiæ & ſalutem animarum noſtrarum, & laudem gloriamque nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti. pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria noſtro Ieſu Chriſto.*

Idem ille Carolus ruinam Eccleſiæ præuidens, pro repurganda Eccleſia, quæ iamdudum fecibus & anatergiis impoſtoris Romani conſpurcata erat, quinque Synodos congregauit. Primam Moguntiæ. Secundam Rhotomagi. Tertiam Rhemis. Quartam Cabilonæ ad Ararim fluuium. Quintam Arelatæ, vbi Clero leges & ritus ordinati ſunt. In Moguntinenſi Epiſcoporum auaritiam & turpe lucrum ablatum coercuit, quæ conſtitutio canoniſata habetur in *c. vlt.* 20. *q.*3.

Gratianus quoq; Papa ex Caroli M. & filii Ludouici Pii in conſortium imperii aſſciti: itemque nepotis Clotharii, dicti Ludouici primogeniti conſtitutionibus, multas leges Decreto ſuo inſeruit, vt *c. ſacrarum, diſt.*63. *c. volumus*, 11. *q.*1. alias inde mutilatas tranſſumpſit pro ſuis vendicans.

Conſtitutiones iſtas Caroli M. & filiorum, quos *Capitularia*, ſeu *Capitula* vocabant, vt eſt textus in *d. c. volumus*, Abbas Anſegiſus in duos libellos comportatas certo quodam ordine diſtinxit. Conſtitutionum illarum titulos paucos ſaltem recitemus, vnde conſtabit ius Eccleſias & Clerum reformandi, iiſdemque leges dandi eſſe de præeminentia faſtigii imperialis, quod cum imperio ad Germanos à præfato Carolo translatum fuit.

De libris Canonicis veteris & noui Teſtamenti tantum in Eccleſia legendis vero ſancta & aurea eſt conſtitutio, quæ habetur in dicti Anſegiſi *lib.*1. *c.*19.

De Epiſcoporum & parochorum officio, *eod. lib. c.*76. Eodemque *libr. c.* 3. ſanctiſſimam legem edidit de prædicatione verbi diuini, cuius verba hæc ſunt: *Epiſcopi vero, vt ſiue per ſe, ſiue per vicarios, pabulum verbi diuini ſedulo populis annuncient (quia, vt ait B. Gregorius, iram contra ſe occulti iudicis excitat ſacerdos, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit) Clerum ſibi commiſſum in ſobrietate & caſtitate nutriant, ſuperſtitiones, quas quibuſdam in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent.* De illis ſuperſtitioſis Ceremoniis ſtatutum legitur in actis Concilii Toletani 3. cap. 22. Ne nimirum

in ſe-

in ſepulturis Chriſtianorum fierent aliæ ceremoniæ, niſi cantio Pſalmorum, omnibus ceremonijs & precibus funebribus prohibitis, & quod canantur Pſalmi in ſpem reſurrectionis & ſpei teſtimonium. Tandemque idem concilium ex autoritate patefacti Euangelij & doctrina B. Pauli concludit per orbem vniuerſum ita corpora Chriſtianorum eſſe inhumanda. Pium ſane & ſanctum concilij decretum monens non diutius mortuis inhærendum, ſed illis tantummodo, quantum ſatis officij deferendum. Quod ſtatutum authoritatem habet ex legibus Moſaicis, *Leuit.21.* Chriſti Saluatoris, *Luc.9. B. Pauli, 1.Theſſ.4.*

De diſtributione bonorum Eccleſiaſticorum *d.lib.3.c.8.* vt nimirum quicquid à fidelibus Eccleſiæ ſponte eo latum ſit, in ditionibus quidem locis duæ partes in vſus pauperum cedant; tertia in ſtipendia clericorum. In minoribus vero locis æque inter clerum & pauperes fore diuidendum, niſi forte à datoribus, vbi ſpecialiter dandæ ſint, conſtitutum fuerit.

De immodica rerum oblatione, qua liberi & propinqui hæreditate ſua priuentur, *eod.lib.1.c.85.* qua cautum legitur, *vt nullus Eccleſiaſticus ab his perſonis res deinceps accipere præſumat, quarum* (ſcilicet perſonarum) *liberi hac inconſulta oblatione poſſint rerum propriarum exhæreditari. Quod ſi aliquis deinceps hoc facere tentauerit, à Synodali vel Imperiali ſententia modis omnibus feriatur.*

De Sacroſanctæ Cœnæ Dominicæ Sacramento *lib.2.c.38.*

De Concilio, ſi non frequentius, ter tamen in anno communicandi, *eod.lib.c.43.*

De integro Sacramento laicis conferendo, *ibidem.* Et teſtatur Vadianus quidem, in Æolo & Troade acta ſynodorum à morte Caroli M. citans, ab illo tempore vſque ad Concilium Conſtantienſe integrum Sacramenti vſum retentum fuiſſe in Eccleſia, qui deinde per concilium Baſilienſe iterum permiſſus fuit Bohemis & regioni adiacenti. Qui vſus etiam indifferenter per Paparum decretales eſt conceſſus, & ſpecialiter iniunctum erat ſacratis cuiuſcunque parochiæ, vt hanc ſolicitudinem haberent, ne infirmi viri vel fœminæ carerent adminiſtratione Sacramenti in vtraque ſpecie, vt expreſſe continetur, *c.2.& 3.de offic. Archipresbyt.* Decretales iſtæ non adeo corruptiores ſunt, quam liber IV. *Clementina* & *Extrauagantes*, quæ poſtea ſuperuenerunt.

De ordinatione presbyterorum, & eorundem examine, & de reijciendo Simoniaco, *libr.1.c.20.& lib.7.capitulorum Caroli M.*

De Electione Epiſcopi ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligendi, vt nimirum exemplo & verbo ſibi ſubiectis vſquequaque prodeſſe valeat, Anſ.*lib.1.cap.114.* Quæ conſtitutio canoniſata habetur in *c.ſacrorum, diſt.63.*

De vita Sacerdotum, vt ſint irreprehenſibiles, turpibus lucris nequaquam deſeruientes, nec ſe ſecularibus implicantes, iuxta doctrinam B.Pauli, *1.Tim.3.* Anſeg. *lib.2,c.36.*

De ſubiectis à prælatis miſericorditer tractandis, *eod.lib.c.39.*

De modo tonſurandi pueros & velandi puellas, ne illi ſine voluntate parentum tonſurentur, puellæque velentur, antequam eligere ſciant, quid velint, *lib.1.c.95.v.209.*

De homicidis ad Eccleſiam fugientibus, immunitate non danda, quibus mori legibus cautum *lib.2.c.29.* quibus concordat *§.ceterum homicidis, Nou.17.*

Ex his aliiſque innumeris cum Caroli M. tum aliorum Imperatorum conſtitutionibus, quarum ſupra mentionem fecimus, conſtat omnem curam negotij Eccleſiaſtici ad Imperatores & pios magiſtratus ſpectare, imperium in clerum habentes, ac penes ipſos eſſe diſciplinam ac politiam Eccleſiaſticam ordinare: ſacra tamen myſteria non attrectantes, veluti Sacramenta conferre, baptizare, excepto neceſſitatis tempore, cum qui friuole Sacramenta attrectauerit, impune nunquam fecerit. Exemplum in Ozia lepra percuſſo habemus, qui præhenſo thuribulo nitebatur incenſum adolere, ſuper altare Thymiamatis, *2.par.26.*

Haud itaque impune feret, ſiue Papa, ſiue balneator fuerit, non dans Cæſari quæ Cæſaris ſunt, neque quæ Dei Deo. Quod & Ethnici Sacerdotes ex naturæ lumine agnouerint dandum nimirum eſſe Cæſari quæ ſint Cæſaris, Diiſque quæ Deorum, vel hinc inde conſtat, quod reſpondiſſe refert Liuius *lib.9.* Cum de cauſis religionis controuerteretur, ad eos non pertinere de cauſis proſpicere, nec de ſumptibus iudicare, pro eorum religione & votis Dijs ipſorum factis exequendis erat inſumendi. Et in *oratione pro pro domu ſua ad Pontifices* teſtatur Cicero, nullam contentioſam iuriſdictionem in rebus religionem concernentibus habere Sacerdotes.

Papa ergo eiuſque cucullatis probiores, religioſiores, imo magis pios cum in Deos, tum magiſtratum fuiſſe Ethnicæ Idololatriæ Sacerdotes, ex vita illorum, moribus, actis & reſponſis patet. Quibus ne quidem in mentem venit, quæ plauſtratim eructat, adeo blaſphema, adeo impia in Dei maieſtatem Rom. Pontifex. Qui quidem Pontificis perſonam præ ſe ferreat Tyrannum agitat, quod quondam in faciem Pontifici Nicolao I. dixiſſe fertur Archiepiſcopos Colonienſem & Treuerienſem, ſuo aliorumque prælatorum nomine, cum hac deteſtatione, *ſub habitu & cultu paſtoris lupum ſentimus, libidine dominandi in præceps abis: Quicquid tibi libet, licet: fucus factus eſt Chriſtianis.* Hunc detegens fucum Fridericus Imperator in querimonia ſua contra Papam, quam refert Petrus de Vineis, *Epiſt.lib.1.cap.1.* hiſce inuectiuis vtitur. *Tu tanquam vir ſanguinum ad hoc ſolum inuigilas, vt facta ſtrage viuentium ſanguis innoxius effundatur, & de te Sacerdos male, optime dici poteſt. Quod tuo tempore Deo diſplicere propenis, & per excellentiam tuam iracundia turpis es imitator, dicens: Guerram veni mittere in terram, & quid aliud volo, niſi vt inter ſe homines prælientur.*

Taceam conſpirationes, truculenta conſilia & rabioſam Tyrannidem, in Chriſti vnctis & bonis Imperatoribus, regibus & principibus extirpandis & è medio tollendo Euangelii Miniſterio. Memorabilis Bonifacij VII. ſuperba eſt impietas, in populorum concurſu, anno milleſimo trecenteſimo celebrati Iubilæi tempore, magna voce proclamantis: *Ego Pontifex & Imperator, terreſtre cæleſteque imperium habens.* Hæc belua Imperatorem Albertum confirmationem ab eo petentem, non prius confirmare voluit, quam data promiſſione, ſe fore bellum indicturum regi Francorum, regnum eius in prædam & victoriæ præmium condonaturus. Cuſpinianus *in vita Alberti.* Fulminationis iſtius in Francorum regem Philippum cauſa fuit, quod recuſaſſet pendere imperatam pecuniam ad bellum ſacrum, Peuc. *in Chron. lib. 5. fol. 16.*

Multos hic Bonifacius anteceſſores habuit Papas, eandem crudelitatem exercentes, imitatores autem omnes ſibi inuicem ſuccedentes. Vti enim iſte mundo vniuerſo terrorem potius, quam religionem inijcere ſuperbe crudeliterque conabatur, in regnis vni ablatis alteri conferendis, turbis in orbe concitandis, accendendis bellis funeſtiſſimis, attractis ſæpenumero militibus externis; dein nactis concupitis, bellis componendis. Ita vniuerſa Paparum caterua ab hinc mille annis, paucis exceptis, mundum vniuerſum feralibus compleuit diſcordijs, factiones exitiales ſeminans, ad defectiones ſubditos impellens, modo reges, modo Imperatorem Roman. interdum turbam Mahometiſticam attrahens, vt illorum opera vteretur ad ſtabiliendum & amplificandum dominatum ſuum, nec prius pacificationis & bellorum compoſitiones permittens: quam ex voto ſi res ceſſiſſet, omniaque vel potiora extorſiſſet. Reges vero & Imperatores cum operam ſubſidiumque recuſarent, nec bella ad iuſſa ſuſciperent gerenda, anathematis fulmine impellere cœpit, & niſi morem gererent, ex regno & ſolio deturbare, excommunicare. Exempla ſunt in promptu.

Heinricus IV. perfidioſiſſimis Pontificum Paſchalis II. inprimis vero Gregorij VII. machinationibus, cum domeſticis, tum externis bellis vexatus, religioſa licet humilitate, crimina, quibus erat prægrauatus, expiaturus, ad valuas & limina templorum ſeſe volutaret, nihilominus tamen Papali decreto proſcriptus excidit imperio, regno, miſſa corona aurea Rudolpho Sueuorum Duci, à Papa oblato.

Rudolphus ille prælio Pontificis & Epiſcoporum ſuaſu, contra Heinricum Imperatorem inito, dignas perfidiæ fideique violatæ pœnas luit, cum dextra præciſa fuit. Peuc. *in Chron. lib. 4. in geſtis Heinrici IV.*

Henricus V. à Paſchali II. homine ſeditioſiſſimo, eo quod vetera iura conferendorum Epiſcopatuum vendicaret, excommunicatus, ac mirum in modum pertinacibus machinationibus expugnatus, in Pontificis & Epiſcoporum poſtulata conſentire coactus fuit, vt nimirum contra patrem arma ſumeret, in cuius cadauer mortuum quam rabioſiſſime ſęuijt Papa, iuſſitque per literas exhumari, extra templum proijci, & quinquennio carere Chriſtiana ſepultura. *Ibid. in geſtis Henrici V.*

Fridericus I. dictus Barbaroſſa, Pontificum Hadriani IV. & Alexandri III. perfidioſa conſpiratione ſepties cum exercitu in Italiam protractus fuit, & cui plus negotij exhibuerint, quam huic bono Imperatori, cum inuiderent Pontifices ſucceſſus fortunæ fortunatiores (tribus enim magnis prę-lijs Turcas ad Iconiam Lycaoniæ vicit & fudit, Sadalino, deleto milite Sarracenico, Siciliam eripuit, Aſiamque omni periculo liberauit, & ſi diutius ſuperſtes fuiſſet, penitus Turcas & Sarracenos extinxiſſet) omnia eo direxere conſilia, quo viderent ſublatum, ne nimirum perfidiam, quam expertus erat bonus Imperator, vindicaret. Nota enim eſt Alexandri illius perfidia, qui miſſa ad Soldanum Imperatoris effigie literis proditoriis, incluſa, vti Iudas Chriſtum prodidit. Soldanus vero Papa probior & integrior, captum à ſe humaniter excepit, liberaliter tractauit, tandemq; perſpecta Friderici integritate, animi induſtria & prudentia, à ſe donis muneratum, certis tamen prius initis pactis, dimiſit, Peuc. *in vita Friderici I. lib. 4. Chron.*

Philippus Friderici I. filius, fratre Heinrico II. potu veneni extincto, vigore Teſtamenti paterni in imperio ſuccedit, quem quam falſis criminationibus calumnioſe Innocentius III. apud ordines imperij prægrauarit, & anathematis fulmine onerarit, in locum eius depoſcendo Ottonem Principem audacem & temerarium, vide Peuc. *d. lib. 4. in ipſius vita.*

Ottho IV. Philippi ſucceſſor eandem fortunam eſt expertus. Nam Innocentius tertius ſtatim poſt coronationem anathemate perculſum priuari imperio præcepit. Peuc. *ibid. in vita Otthonis IV.*

Fridericus ſecundus ad imperium ex Sicilia euocatus, cum ſeſe opponeret proceribus Thuſciæ & Apuliæ hæreditarias prouincias Imperatoris occupantibus, varias Gregorij noni fraudes, machinationes, conſpirationes, tandemque triplex fulmen excommunicationis eſt expertus. Peuc. *libr. 5. Chron. in vita Friderici.*

Conradus Quartus, cui Henricus Thuringiæ Landgrauius oppoſitus, ab Innocentio IV. excommunicatur. Etenim vrbes, morte Patris ad Pontificem quæ deſciuerant, auxilio Tancredi receperat, à Manfredo veneno perimitur. Peuc. *d. lib. 5. ſub tit. de ſtatu imperii poſt Fridericum II.*

Ludouicus Bauarus à Ioanne XXII. excommunicatur, quod Imperatorem ſeſe nominarit, non prius ſalutato Papa.

Cordatiſſimi iſti Imperatores licet magnis conatibus ſeſe oppoſuiſſent Paparum machinationibus, proſcriptionibus & anathematum fulminibus, vt auctoritatem, & diuinitus conceſſa regalia ſancta tutaq; retinerent, eligendi nimirum, conſtituendi ac confirmandi Eccleſias, tamen nihil vel parum effecerunt. Semper enim ſublatis cordatioribus, cæteros habuerunt ſuffragatores, quorum deſpo-

deſperata permiſſione ad diu exoptatam Tyrannidem euolarunt Papæ. Cum & Reges Duceſque aliarum prouinciarum, inprimis Franciæ, factiones iſtas Paparum oppugnaſſent, eandem fortunam ſunt experti.

Philippus Pulcher à Bonifacio VIII. excommunicatur, & regno priuatur.

Carolus VI. à Martino V. & Benedicto XIII.

Florentini à Sixto IV.

Henricus Rex Vngariæ & Regni Neapolitani ab Vrbano IV.

Sigiſmundus Dux Auſtriæ à Pio II.

Veneriani, Florentini, Columnenſes & Siciliani à Sixto IV.

Henricus Rex Angliæ, à Paulo III.

Elector Moguntinus Ditericus ab Eyſenberg à Pio II.

Fridericus Victorioſus Palatinus ad Rhenum: Ludouicus Bauarus Diues, & alij, qui ſeſe coniunxerunt pro iuſta cauſa Iſenbergij defendenda, ab eodem. Cauſa illa fuit, quod ſeſe prædictus Elector iniuſtis Pontificum exactionibus, prætextu belli Turcici oppoſuiſſet, quibus prouinciæ expilabantur.

Wilhelmus Rogerij filius Dux Apuliæ ab Adriano IV. excommunicatur.

Gregorius Rex Bohemiæ à Paulo II.

Rex Nauarræ & Condæus Princeps à Sixto V.

Et quis omnia anathematum fulmina recenſeret, quæ in omnis temporis non ſolum Hiſtoriarum voluminibus, verum hominum Doctorum & ICtorum ſcriptis decantata reperiuntur. In ſumma, vt dicam breuiter, nullus fere orbis vniuerſi angulus, qui non cruore à Pontificibus miſere proditorum Regum, Imperatorum conſperſus ſit, vrbs nulla, nulluſque pagus, nullus inquam Imperator, Dux nullus, vel Princeps vnquam fuit, qui non aliquando, licet non adeo aperto Marte Pontificum rabioſam Tyrannidem ſit expertus. Nulla ciuitas, nulla regio, quæ non aliquid detrimenti ex conſilijs decretiſque Pontificum acceperit, tam furioſe, tam tumultuoſe, tam crudeliter omnia egere, vt nihil inde reſultarit, quam laniena, cædes, bella & ſtrages horribiles: Rerumpublicarum optime conſtitutarum euerſio, iuſtitiæ omnis violatio, ordinum omnium confuſio. Vt ego hos impoſtores poſt hominum memoriam vnos eſſe arbitrer, quibus damnari, & ex hominum conuerſatione tolli expediret. Rapiunt eos ad ſupplicium pœnæ piorum Imperatorum & Regum, quos de ſolio Maieſtatis deturbarunt, & millenariis anxietatibus vexarunt. Vocant eos in iudicium Principum Regumque poſteri, quorum domus & poſſeſſiones per ſcelus eripuerunt, ciuitates prouinciaſque per latrocinium occuparunt, per vim religionis ſubornatæ ſceleratius etiam ædificarunt, quam euerterunt. Quibus non ſine maxima familiarum ignominia & ſtemmatum euerſione carere oportet. Adducunt eos in iudicium Chriſtianæ cohortes, quod non modo pietatem omnem ex animis hominum extirparint, religionemque funditus ſuſtulerint, verum ſacra omnia obliterarint, ſcripturam ſacram & Dei Optimi Maximi, omnis boni auctoris & largitoris Maieſtatem conculcarint pedibus.

Cum itaq; Pontif. Rom. peruerſor fidei, Chriſti eiuſq; fidelium hoſtis infeſtiſſimus, omnium in mundo malignitatum auctor, cædium, lanienarum, bellorum turbinumque antesignanus, pacis ſanctionumque cum piarum, tum generis humani ſalubrium turbator, pacem communem enormiſſime lédat, & nihil non moliatur, ad animos recta ſentientes expugnandos & Euangelicos, quos vocant, de medio tollendos, enormeſque & execrabiles carnificinas in noſtros Chriſtianæ religionis adiunctos exerceat. Certe non ſimulanda ſilentioque prætereunda tam atrox Tyrannis, auxilia ſubſidiaque ferenda, & vnanimi animorum affectione irruentes exterminationes, deuaſtationes, erunt propulſandæ, & contra vim publicam publice etiam viribus coniunctis pugnandum.

Pro auctoritate ſatis ſunt exempla, Mathathiæ, Iudæ Maccabæi contra Antiochum. Conſtantini contra Licinium, aliorumque Principum Zelotypicorum, pro defenſione cœleſtis doctrinæ & Dei populi ſuſcepta bella. Quod & ſacra Biblia, & rerum Eccleſiaſticarum hiſtoriæ multis Triumphis canunt.

Proinde ne omnium duriſſima tyranniſantis Papæ ſeruitute opprimerentur boni Principes, & iugum illud furiale à ceruicibus deiicerent, iniurias illatas vindicarent, ſuiſque ſubditis libertatem reſtituerent, Germanus animoſiſſimus armata manu: Gallus vero ingenioſiſſimus edictis & arreſtis tentarunt. Quod vt quodammodo conſtet hiſtoriæ percupido, breuibus attingam: & vrbis, & agri Romani depopulationem. Et primo quidem, Roma capta eſt & vaſtata per Alaricum Regem Gothorum, Anno Chriſti 414. Phil. Mel. *lib.3. Chronic. in vita Honorij.*

Secundo per Genſericum, Anno 459. Idem *d. lib.3. in vita Theodoſii.*

Tertio per Odoacrum, Anno 480. *dict. libr.3. in vita Iuſtinian.* Meminit etiam Blondus & Sabellicus.

Quarto per Theodoricum Regem Gothorum, Anno 488. Ioan. Magnus *lib.9. c.21.*

Quinto per Totilam, Anno 548. qui fere penitus deſolatam ac ſine vllo habitatore dereliquit. Meminit Pomponius Lætus. Matthæus Palmerius.

Sexto per Totilam ſecunda vice, poſtquam eam Beliſarius deſertam occupaſſet, & incredibili celeritate muniſſet, Anno 551. Ioan. Magnus & Matth. Palmer.

Septimo per * Carolum Regem Bauarorum Anno 877. Papam Ioannem IX. ob tyrannidem eiicientem. Auentinus & Palmerius.

Octauo per Arnolphum Bauarum Imperat. anno 896. Ioan. Auentinus.

Nono Imperator Otto primus anno 964. ob Ioannis Papæ perfidiam, Roma in deditionem poſt diutinam obſidionem accepta, ius eligendi Pontifices Rom. ad Imperatorem reuocat, & depoſito Ioanne XII. Leonem VIII. Pontificem creat. Benedictum vero V. quem Romani pulſo Leone conſtituerant, mulctatum exilio Adalgaro Hamburgenſi Epiſcopo tradit cuſtodiendum, vbi & mortuus eſt. Peuc. *lib.* 4. *Chron. in vita Ottonis I.* Albert. Cran. *lib.* 3. *c.* 20.

Decimo per Ottonem III. Mirabilia mundi dictum anno 991. qui Creſcentium, ob eiectum Gregorium V. vrbe capta, vili iumento facie auerſa impoſitum per vrbem circumduxit, tandemq; poſt multos cruciatus ad portam cum 12. alijs ſeditionis ſocijs ſuſpendit. Ioannem vero Placentinum naſo, manibus pedibuſque truncatum & exoculatum præcipitauit de Capitolio. Peuc. *lib.* 4. *Chron. in vita Ottonis III.* Lampert. Schaffenb.

Vndecimo per Conradum II. dictum Saliquum, à Francis Saliis veteribus acolis Salæ amnis, eo quod Francici ſanguinis & originis eſſet, Anno 1026. Cum enim poſt coronationem per aliquot dies ibi commoraretur, ciues Romani in Cæſarianos impetu quodam irruunt: At Germani victores vrbis potiebantur. Cyriacus Spang.

Duodecimo per Heinricum III. anno 1046. cum enim tria deterrima monſtra Benedictus IX. Syluester III. & Gregorius VI. de Pontificatu contendebant, & alter alterum depellebant, vi Romam Imperator occupat, Pontificem conſtituens Suidigorum Epiſcopum Bambergenſem, qui Clementis ſecundi nomen aſſumpſit. Peuc. *lib.* 4. *Chron. in vita Henrici III.* Franſc. Irenic.

Decimotertio per Henricum IV. Anno 1083. qui poſt biennalem obſidionem vrbem cepit. Albert. Crantz. *lib.* 5. Blondus, Naucleɾus.

Decimoquarto per Henricum V. Qui cum Romam proficiſceretur, & vetera iura conferendorum Epiſcopatuum vindicaret, Paſchalis Papa tantam in eum concitauit ſeditionem, vt de vita ſua dimicare ipſum oportuerit. Verum exercitus ipſius multa ciuium cæde rerum potitus fuit. Peuc. *lib.* 4. *in vita Heinrici V.* Hiſtoria de pugna Guelphonica, *c.* 2.

Decimoquinto, idem Henricus Anno 1118. irritatus tot perfidioſis iniuriis Paparum, iterum Italiam ingreditur, Romam obſidione capit, Gelaſium, qui Paſchali ſucceſſerat, de Pontificatu deiectum vrbe pepulit, ſuffecto Burdino Hiſpano Epiſcopo Bracharenſi, Peuc. *libr.* 4. *Chronic. in vita Heinrici V.* Ioan. Stumph *lib.* 2. *c.* 24.

Decimoſexto per Fridericum I. Barbaroſſam anno 1155. poſtquam enim Romæ coronatus eſſet, ſeditioſæ multitudinis tumultu laceſſitus, dimicauit cum ciuibus in ipſa vrbe, multis cæſis & captis, pluribus in Tyberim demerſis. Peuc. *d. lib.* 4. *in vita Friderici I.*

Decimoſeptimo per eundem Barbaroſſam anno 1167. trucidatis Romanorum ciuium duodecim millibus, qui infeliciter ad Tuſculum occurrerunt, vrbem primo intuitu cepit, & Calixtum Pontificem conſtituit. Peuc. *d. loc.* D. Robertus Barus.

Decimooctauo cum Alexander eundem Barbaroſſam ſecundo anathemate eſſet execratus, & vniuerſam Italiam ac præcipue Venetos aduerſus eundem inflammarat, Romam contendit anno 1177. eamque capit. Alexander vero habitu nautico deceptis cuſtodibus Venetias euaſit. Peuc. *ibidem.*

Decimonono Heinricus Septimus anno 1312. vt coronaretur, iter Romam ſuſcipiens, profligatis Vrſinis, & Rege Siciliarum Ruperto, ingreſſum impediente, non ſine magna ſtrage vrbem capit. Conradus Vecerius.

Vigeſimo per Ludouicum Bauarum anno 1327. cui oppoſitus erat, nonnullorum ſuffragiis, Alberti Auſtriaci filius Fridericus. Ille Alpibus traiectis pede celerrimo Romam aduentans cum intromittere nollent, cohortibus Germani militis quibuſdam ex ipſius peditatu clam receptis, portis reſeratis Imperatori parant ingreſſum. Ioan. Stumphius *lib.* 2. *c.* 32.

Vigeſimoprimo anno 1527. per Carolum Principem Barboniorum & Gregorium à Fronſperg. Duces militum Caroli V. in Italiam traiecti, vt turbarent conſilia Pontificis & confœderatorum, quorum confœderationem *Ligam ſanctiſſimam* appellauit Papa. Nota eſt illa oppugnatio & à multis decantata. Schleidanus *lib.* 6. Iouius, Caleacius Capella.

Taceam hic, quoties alias ab aliis gentibus crebriſque decurſionibus per milites non Roma ſolum, verum tota Italia ob idolomanicas blaſphemias vaſtata & direpta ſit. Et licet emendationem debitumque obedientiæ obſequium Imperatoribus multotiens Papæ promiſerint: tamen tandiu pœnituere, quamdiu pœnas iuſtiſſimas flagellationes ſenſerunt. Mox enim, vt Pharao & Ægyptij, poſtquam dignam ſcelere pœnam ſuſcepiſſent, ea ſublata redierunt ad ingenium, deteriores & induratiores facti. Machinationibus iſtis Paparum, Tyrannide, iniuſtiſſimis exactionibus aliiſque grauaminibus, cum ſeſe oppoſuiſſent, armis Germani, Gallus reſcriptis fecit.

Rex Ludouicus Beatus dictus in quadam conſtitutione ſub Tit. de Taliis. *Exactiones*, inquit, *& onera grauiſſima pecuniarum per curiam Romanam Eccleſiæ Regni noſtri impoſita, quibus regnum miſerabiliter depauperatum extitit, ſeu etiam imponenda, leuari & colligi nullatenus volumus, niſi inevitabili neceſſitate, ac de expreſſo & ſpontaneo conſenſu noſtro, & ipſius Eccleſiæ Regni noſtri.*

Idem

Idem ille Anno 1238. Legem edidit, qua veſtigiis deceſſorum inſiſtendo & ſacros Canones antiquos imitando, ſtatuit aduerſus admonentiones, reſeruationes & nouas nouorum Pontificum artes quæſtuarias, quæ conſtitutio habetur in *Stylo parlamenti Pariſienſis part. 3. tit. 2. §. 3.*

Anno 1239. dictus Ludouicus aduerſus Simoniæ crimen aliam edidit conſtitutionem, quæ habetur in præfato ſtylo, dicta *parte 3. tit. 39.*

Et ab eodem Anno 12. 68. comitiis celebratis, conſenſu celebri legem ſtatuit, dictam *Sanctionem Pragmaticam S. Ludouici*, qua & inter alia vetuit curiæ Rom. exactiones impoſitas: vel imponendas.

Iuxta hanc ſanctionem Anno 1463. latum eſt Areſtum in ſenatu Pariſienſi contra collectores Papæ, & iniunctum fuit omnibus Regiis officiariis, ne quicquam ſinerent exigi.

In hac cauſſa & Philippus Pulcher Anno 1303. *Philippinam* dictam conſtitutionem edidit, qua perſonis Eccleſiaſticis nouarum decimarum & onerum inſolitorum exactionem prohibet, cuius tenor habetur in *Stylo Parlamenteo, parte 3. tit. 34. §. 1.*

Anno 1369. primo die Ianuar. Carolus V. conſtituit, ne Epiſcopi eorumq; officiales cenſuras aliquas interdicti vel excommunicationis in vrbes ferrent.

Anno 1388. Carolus VI. eiuſdem argumenti edictum publicauit, iubens Eccleſiaſticis Regni ſui à Papæ collectoribus bona præhenſa libera reddi. Habetur in *Stylo parlam. part. 3. titul.* 37. §. 1. Meminit huius edicti Baldus & refert contigiſſe Anno 1390. Cauſſa conſtitutionis fuit, quod Papæ officiales beneficia Regni Franciæ poſſidebant, fructus exportabant, & reditus Eccleſiarum, Cardinales & qui extra Regnum morabantur obtinebant. Mandauit itaque ſuis officialibus Rex vt repulſis collectoribus Papæ, bona heredibus & Eccleſiis ad quas iure ſpectabant, ſeruarent. Et ex tunc omnem obedientiam denegauit Benedicto XIII. ſedenti Auenioni, atque Bonifacio IX, ſedenti Romæ. Quod recte fecerit Rex, defendit Baldus *in c. 1. de nat. feud. in verb.* FF.

Anno 1418. menſe Maio in comitiis actis Lutetiæ communi decreto antiquæ conſtitutiones contra Paparum grauamina renouatæ ſunt. Huic renouationi cauſſam dedit Papa Martinus V. qui non contentus ampliſſimis reditibus, conatus fuit omnes Eccleſias ſtipendiarias facere aliaſq; antehac damnatas reſeruationes in viridem reſtituere obſeruantiam. Præfatas iſtas conſtitutiones cum Martinus Papa acceptare nollet ſeſeq; opponeret, per Arreſtum Parlamenti decretum fuit, vt non obediretur dictæ Papali ſententiæ.

Acta ſunt iſta Anno 1422. quo tempore contra quoſdam ſeditioſos Papiſtas, inquiſitio, maxime vero contra Vniuerſitatis Rectorem, qui ab Edictis regiis ad Papam appellabat, tanquam contra læſæ Maieſtatis criminoſos facta eſt.

Anno 1401. die 10. Iulii annis abhinc 21. in duos bulliſtas Papæ decreta fuit inquiſitio, vt tanquam rei læſæ Maieſtatis punirentur.

Et quinto poſt anno cautum fuit à ſereniſſimo Parlamenti ſenatu, vt Papa & officiales ſui ceſſarent ab annatarum exactionibus aliorumq; redituum ac pecuniarum, nec pateretur, vt efferrentur exactæ pecuniæ.

Eiuſdem generis Regum Franciæ ſenatuſque Pariſienſis multæ, cum apud rerum Scriptores: tum & inprimis in *Regeſtis & Stylo Parlamenti Pariſienſis*, leguntur Conſtitutiones & Edicta rationibus non carentia.

Legitur Edictum Caroli 7. Anno 1434. publicatum, quod Anno 1439. renouatum fuit.

Anno 1440. aliud Edictum habetur, in quo fuit prohibitum bullas admitti, publicari: vel exequi.

Anno 1464. Ludouicus II. publice vetuit pecunias & exactiones impoſitas Romam deferre.

Anno 1478. illud Edictum repetitum & cum aliis, quæ Philippus Pulcher plus 60. annis ante ediderat renouatum.

Prudenti ſane conſilio Gallus ſenatuſq. Pariſienſis negotium cum Romanenſium emiſſariis geſſit, quod edictis maluit, quam armis ſe ab illorum onere expedire. Plus etiam literis: quam reliqui baliſtis effecit. Et multo iniquiores fuerunt euentus lancearum: quam literarum. Id quod docet Hiſtoria Carolorum: Ottonum: Fridericorum Imperatorum: Philippi Sueui: Adolphi Naſſauienſis: Alberti Auſtri: Ludouici: Sigiſmundi & vltimo Maximiliani Imperatoris. Non in cauſſa fuit, quod imprudenter & iniuſte bellum contra Papam ſuſceperint: verum gentis Italicæ perfidia, Pontificumque factioſæ coniurationes, conſpirationes, ſuauiuenenatæ ſimultates & illuſiones, quibus bonos Imperatores deceperunt: & poſtea diras machinationes anathematumque fulmina in principes Germaniæ iacularunt; nationum exterarum reges aduerſus eos armarunt: & nunquam bellorum ſemina omniumq; in Germania turbinum cauſſas non miniſtrarunt: Imo, quod dolendum, ſæuiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem ſuis perſuaſionibus ipſi factis; interdum fœdifractionibus attraxerunt, modo vt ægre facerent illis, quibus infeſti eſſent.

Id ſapiens Imperator Rudolphus Habſpurgus Romanis faſcibus omnium primus ex domo Auſtriaca auctus, non minus pace: quam bello clarus, rogatus, cur petere nollet Italiam & ſceleratiſſima facinora Pontificum iniuriasq; bonis Principibus vindicare, per Apologum Æſopi:

Olim quod vulpes ægroto cauta Leoni,

Reſpondit; referam: Quia me veſtigia terrent,
Omnia in aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Chimæra multorum capitum Roma eſt, & decornuta illa beſtia *in Apocalypſi* deſcripta, quam Dominus conficiet Spiritu oris ſui 2 *Theſſ.* 2. & quæ ſine manu conteretur. *Dan.* 9. Quia *fortis Dominus Deus eſt, qui iudicabit illam*, Apoc. 18. Nam *ad tempus datum eſt illi bellum facere cum ſanctis & eos vincere.* Apoc. 13.

His autem in terris vt haberet Pontifex Rom. Tyrannidis ſuæ ſocios & promptos defenſores, more regum & Imperatorum, cucullatos ſuos, alienis veſtibus & habitu regio perſonatos in Eccleſiæ euerſionem exornauit. Vt homines iſti auro corrupti, præmio perditi, & ſpe allecti ipſius Idolomaniæ fauerent, eumque veluti Deo dedicatam ſtatuam Moloch adorarent. Sicuti enim Imperator ordinis equeſtris hominibus, aliis etiam virtute heroica, fortitudine & magnanimitate præſtantibus, pro emeritis ſtipendijs, dat feuda: prouincias, comitatus, principatus confert: ad præcipua dignitatum veſtigia euehit: (primitus quidem erant Principes, Comites, Duces, &c. Capitanei ſubſidiarij prouinciarum quibus erant præfecti, nunc illarum Domini, & liberi iure hæreditario ſucceſſores fiunt, vt non nudis ſicuti olim, ſpecioſiſque dignitatum nominibus: verum certæ dignitatis & poteſtatis legibus munerati pro ſalute patriæ curarent, dimicarent, & Imperatori neceſſitatis tempore, pro Maieſtate ipſis tuenda & conſeruanda fidelitatis ſeruitia præſtarent.) Ita ille D. Petri Baſilicæ adituus, vt haberet comparatum ſatellitium, velut exercitum; impietatis ſathanicæ, prædationis ac furtiuæ autoritatis defenſores, Epiſcopos & Cardinales, qui erant olim parochi & presbyteri, vt habetur *c. 2. & 3. extra de offic. Arch.* datis iiſdem galeris purpureis, de ſpoliis belli Anno 1247. cum Innocentius IV. Fridericum II. Imper. deuicerat, fecit principes, vt autoritate pari: vel maiori politicis eſſent inſtructi, ita vt nunc viliſſimus mendicus, fœtidus & pediculoſus monachus, idola Romana colens, pro ſalario ampla poſſideat regna, vocet ſe amicum principum & regum magnorum. Nam vt non minori potentia valerent clerici: quam ſeculares, regna mundi inter ipſos diſtribuit Papa. Inſuper vt orbis vniuerſi prouincias (oblitus prorſus Petri protopapæ inopiæ, qui nihil habuit niſi rete) exueret; emungeret, in ſumtibus bellicis ſuſtinendis: quia bellator Papa eſt, non prædicator: fur & latro, atteſtante ſacra pagina; varia aucupia excogitauit, vt egregios & famoſiſſimos in mundo falſarios, & turpiſſimos quoſque inſtitores multum ſuperaret, cum ex re quauis monetam cuderet.

Cæterum quo poſſem hoc loco Pontificis Rom. ſuorumque mores perſtringere: Quomodo nimirum Imperatores & Principes pientiſſimos paciſque amantiſſimos, pro bellis ſuſcipiendis & Eccleſiæ tranquillitate perturbanda inflammarint. Quomodo & quibus ſtudiis Ieſuitæ Antitheicam ſuam cauſam tegere, palliare, imperitis fucum facere & ruinoſam Mauſim ſui domum columnis ſuffulcire ſtuduerint. Quomodo; quod omnium eſt ſceleſtiſſimum, non ferendum; verum deuouendum diris & criminis falſi pœna proſequendum, orthodoxa patrum ſcripta falſo deprauarint, & quæ non arriderent, obliterarint, delerint, adulterina ſuppoſuerint (qua verſura ingens chaos impiarum nugarum in Eccleſiam Chriſti & Germaniam noſtram inuehunt, ſanctiſſimis patribus affingentes, quæ nec ipſis ſomniauit nec in mentem venit) ſuperſedebo. Si legem Corneliam incidat & falſi pœna coerceatur qui nummos aureos raſerit, tinxerit vel finxerit *l. quicunque ff. de l. Corn. de falſ.* quanto magis falſi pœna plectendus erit, qui hominum piorum cum Sacris Bibliis concordantem & Orthodoxam ſententiam raſerit, ſuiſque fermentis tinxerit, & nouum ſenſum nouo & Ieſuitico ſtylo affinxerit.

Cogitent Chriſtiani Principes, quomodo coruſcatoribus iſtis ac veteratoribus obuiandum: ac laboranti Eccleſiæ ſubueniendum ſit. Nolo hic aſperius accuſare quenquam, verum quæ ſunt aperta & notoria diſſimulare non poſſum. Optandum vt quis quidem ſuo genio viueret: at interim ne vel Patrum ſcripta: vel ſacra Biblia deprauaret: vel confratres diſſentientes excarnificaret, & Germanus Germano ob religionis diſſenſionem inſidias ſtrueret. Catholici Proteſtantium confeſſionem non arroderent. Proteſtantes Catholicorum religionem non impugnarent. Cum, vt antea dictum & demonſtratum ſit, non ex hominis prouiſione: verum Dei arcana diſpoſitione ſalus credentium pendeat, & nemo niſi ſua culpa damnetur: nemo niſi Dei beneficio ſaluetur.

Quanquam vero nemo catholicorum, tum Proteſtantium confeſſionis patronos, Epiſcopos & Principes. qui doleant tantam poteſtatem Sathanæ zizaniam ſuam prauarum opinionum & ſcandalorum in Eccleſia ſeminandis. Doleant æque non idem credere, quod ipſi credant, & ſtudioſe enitantur, vt eradicent ſecus credentes. Verum his Chriſti reſponſum interrogantibus Apoſtolis datum: *Viſne Domine abeamus & colligamus*, obijcio. *Sinite*; inquientis; *vtraque creſcere.* Quaſi diceret, Vos veſtro fungimini officio, docendo: Reliqua committatis Deo. Non enim veſtrum eſt eradicare: non veſtrum de conſcientijs iudicare, ſeu religionem inquirere. Hæc meæ reſeruaui Maieſtati. Et quicunque fecerit talia, maieſtatem ſcrutabitur ipſiuſque iudicium inſcrutabile inueſtigabileſque Domini vias inquiret.

At nonne hæc tentantes, conſumentur ab ea? non conſumens ignis Deus eſt? Et quid reſpondet Chriſtus Iacob & Ioanni *Luc.* 9. Qui cum vidiſſent, à Samaritanis Chriſtum non recipi dicunt: *Domine vis dicamus, vt ignis deſcendat de cœlo & conſumat illos, quemadmodum Helias?* Conuerſus increpauit illos, dicens: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis vos. Filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum: ſed ad ſeruandum.* At quomodo ſeruat? voce Euangelii inquam non armis brachio-

que

que ſeculari. Quia regnum eius non conſiſtit in externa coactione: verum ſpontanea interiori ad Deum conuerſione, quam in cordibus noſtris ſpiritu ſuo ſancto accendit, mouet ac regit per fidem ad ſalutem. Eſtq; regnum fidei inuiſibile, quod in fide ac ſpe verſatur. Tolerat namq; Chriſtus blaſphemos, verbi ſui contemtores, præuaricatores, impios: tolerat Sathanam decipere, ſeducere & electos variis calamitatibus; tentationibus vexare. Tolerat mortem graſſari ſine diſcrimine in bonos æque ac in reprobos, quia nondum adhuc venit hora illa, qua regnum Deo patri reſignaturus eſt. Sequitur ergo quam grauiſſime peccare (non imitando Chriſtum, ſicuti Paulus *Epheſ.4.* monet, inquiens: *ſitis igitur imitatores Dei, vt ſibi dilecti & ambuletis in dilectione, quemadmodum Chriſtus dilexit vos:* verum ſuo indulgendo genio) aduerſantes Chriſti mandatis, ſibique iudicium quod maieſtati & inſcrutabili voluntati ſuæ reſeruauit Chriſtus, ſumentes rapto.

Cur etiam, qui commune Chriſtianorum nomen gerimus: qui capitis vnius membra ſumus, in confratres vel minimam crudelitatem exercemus? & populi Chriſtiani regnum omni gentili mille millies excellentius Tyrannide polluimus? Quod cum miſericordiſſimo Domino dominantium, Dn. noſtro Ieſu Chriſto communionem habere putamus, qui terrena cœleſtibus: Ethnica Chriſtianis confundimus? Deniq; ſi ii Chriſti opibus ſint ornati, qui foueant æmulationes, iras, habeant continuas concertationes, alant inuidias, perpetrent cædes, peſtilentiſſima nebulonum latronumq; colluuies Chriſti opibus ditata erit. Abſit cogitare talia, multo minus affirmare. Nam qui Chriſti membra facti ſumus & ſpiritu eius dotati incedemus. Et cum ſummam felicitatis noſtræ in vnico Chriſto ſitam eſſe perſuaſum habeamus, fructus ſpiritus exerceamus, qui ſunt B. Paulo atteſtante, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. Sine quibus nemo Chriſtiani cognomen promereri poterit.

Harum abſque virtutum carentia ſi quis Catholicus & Chriſtianus eſſe velit, & poſſit: fabula Chriſtus eſt, & nugæ ipſius verbum veraciſſimum. Sin itaq; Chriſtus vere ſit, vt eſt quam veriſſime; via, vita, veritas: Cur in viis eius non ambulamus, cur non vitæ noſtræ rationem ipſius exemplari conformamus? Cur non in veritate ipſius immobiliter perſiſtimus? Cur verbis ſolum, titulis & inſignibus: non re & facto Chriſtianiſmum noſtrum exprimimus? Et titulo tenus verbo tenuſque quod eſt Hypocritarum, non re Chriſtianos eſſe palam oſtendimus? At nos hunc in extremum ſæculorum agonem incidimus effœtumq; mundi ſenium, vbi hoſtis communis Sathanas Chriſtianos in Chriſtianos ita perbacchari extimulat. Manſuetis, non tam truculentis adnitendum eſſet rationibus, ſi in partem noſtram ſint trahendi diſſentientes. Anne hoc eſt Chriſtianum eſſe, è ſedibus eiicere & patria fugare: imo trucidare? qui eodem baptiſmate Eccleſiæ initiati Chriſtoq; incorporati ſunt: qui iiſdem vtuntur ſymbolis, in quibuſdam ad ſalutem non pertinentibus diſſentientes? Et ſane ne Apoſtoli eorumq; diſcipuli per omnia ita ad amuſſim conueniunt, vt non eſſet ex aliqua parte diſſenſio. Ita non modo præſtantiſſimorum in Eccleſia doctorum errata fuerunt & næui: verum repugnantes contradicentiæ. Quod certe miſericordiſſimi Dei prudentiſſima prouidentia ſic comparatum fuit, vt noſtri ingenii hallucinante infirmitate cognita, in vno verbo Dei ac ſimplici in Chriſtum fide acquieſceremus. Neq; vel hominum authoritatem: vel noſtrum iudicium authoritati verbi diuini anteponeremus: ſed alteri alterorum portarent onera, errata; lapſus; infirmitates charitate tolerarent & tegerent. Si enim Chriſtum Dominum noſtrum, caput & Archipaſtorem agnoſcimus, qui & charitas eſt & amans pacis, & aliud docuit nihil quam charitatem & pacem: Cur non ipſius imitatores eſſe qui cupimus, charitatem atq; pacem ſectamur? Charitatem quidem, vt benemereamur, quod fieri poteſt de omnibus: pacem vero, vt malefacientes toleremus & benefaciendo iniuriam compenſemus adeoq; ab omnibus vitiis puri ſimus. Virtutibus iſtis ſi Chriſtianus & Catholicus, quantum in ipſo ſit non ſtudeat, aut re, dicto, facto contra delinquat, nullam ipſi hæreditatis æternæ partem ſperandam Chriſti veracis teſtimonio profitemur.

Anne & hoc putatur facinus homini Chriſtiano dignum: ſi non laceſſitus quis & prouocatus confratrem ſuum ab ipſius confeſſione licet alieniſſimum trucidet? Non inquam: Cum enim & pro impiis ſeruandis & inimicis ſuis mortuus ſit Chriſtus; nos ipſos, hanc præripiendo gratiam, merito non priuabimus. Et hoc facto Deo abominabili gratiſſima Sathanæ offertur victima, biſq; hoſtis delectatur, & quod occiditur, & quod occidit Chriſtianus. Quo inquam facto ſe reum legis diuinæ facit, & ſitiendo ſanguinem proximi aduerſatur Chriſto, qui eſt Pacificus: ſeipſum à corpore Chriſti temeritate ſua ſeiungit.

Sed res eſt miſera, quod alios eſſe cogamus Catholicos & Chriſtianos perfectos, cum ipſi interea nec Catholici: nec Chriſtiani ſimus. Imo nec vitia noſtra corrigamus. Primum noſmet ipſos: deinde proximos debemus corrigere, canon inquit: *c. poſtulatus 3. q. 7.* Et ille de alterius errore iudicet, qui non habeat in ſeipſo, quod condemnet. Iudicet ille qui non agit eadem, quæ in alio putauerit punienda. Ne cum de alio iudicet, in ſe ferat ſententiam. Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offenſione, nulla leuitate ducatur. Et in iudicando magis cordi cuſtodia veritatis: quam obedientia voluntatis, *c. iudicet, 3. q. 7.*

At quid fit? in alios ſeuere inquiritur & morum correctio exigitur, ipſi vero corrigi recuſamus: Aliorum libertas Chriſtiana diſplicet, ipſi interim liberi eſſe cupimus. Alios patrum ac conciliorum præceptis coerceri volumus: ipſi nos amplius cohiberi minime patimur. Siquidem Deo Opt. Max. ita viſum ſit, vt onera alterius alter ferre diſcat; quippe cum nemo vitii: nemo expers oneris: nemo ſibi ſatis ſapiat. Cur non feremus? cur non Chriſti ſaluificis monitis obtemperamus, qui vult vtra-

que

que creſcere, hoc eſt bonos æque atque improbos vita coniuncta frui. Id quod & naturæ lex: Imperatorum Conſtitutiones: omneſque cum pacis conſeruandæ: tum non turbandæ, ſanctiones poſtulant & contra delinquentes læſæ pacis accuſant.

Nonne hoc eſſet magis Christianum, donare aliquid proximo: donare quid Eccleſiæ, vt ſimultatibus iſtis antiquis, obſcuris partim, apertis partim, depoſitis; poſthac quaſi nihil vnquam controuerſiæ inter nos fuiſſet, animis pacatis concordi coniunctionis vinculo, ſine quo nullum regnorum vnquam diu conſtare potuit: verum diſſipatum ac deſolatum ſit; & viueremus, & poſteris noſtris ſi non firmius: tamen pacatius relinqueremus? At ſi alius alium iuxta doctrinam B. Pauli *Gal. 5.* viciſſim mordebit ac deuorabit, videant, ne viciſſim alius ab alio conſumatur: vel attrahant communem nominis Chriſtiani hoſtem plenis velis inſultantē nobis, qui iſta contentioſa diſſenſione motus ob ruptum vinculum concordię cathenatum, liberum ingreſſum habens, & per apertas fores ingrediens, non ſolum in fortunas & facultates: ſed in vitam ac ſanguinē graſſetur rabioſiſſime. Et cogitent modo Catholici Romani alienorum vitiorū iudices, dum ſuis indulgentes vitijs condemnēt alios à Deo iure condemnari. Sua prius corrigere neceſſum erat, cum honeſtius ſit ſeipſum corrigere: quam corrigi. gloſſ. *ad verb. noſtrat. in Authen. vt frat. fil. ſucc.* Dein alios: operam dare debebant, ne moribus prauiſſimis: ne erroribus impijſſimis locus relinquatur.

Quare oro & obteſtor omnes odia fouentes, vt concorditer viuant & animi rancorem remittant, ne quando cum ſimultates alant aliiſque foueam fodiant ipſi incidant, ſecundum prouerbiale: *Malum redundabit in caput authoris:* & illud Pſalmiſtæ Pſal. 9. *In rete quod abſconderunt captus eſt pes eorum:* Vti Achitophelo, Abſolomi: proditori Iudæ, &c. accidit. Et in eorum capita aliis paratæ redundant pœnæ. Oro, inquam & obteſtor vt remittant quaſcunque ſimultates, & certent inter ſeſe, non vt alter alterum vincat contendendo & de medio tollendo: ſed vter de altero melius mereatur, & quomodo optimus Germaniæ ſtatus conſeruetur.

Qua ſane ratione validiſſimum concordiæ propugnaculum comparabunt. Vnde quam feliciſſime hoſtem externum; cum quo proh dolor, fere in noſtris finibus pugnare cogimur; propulſabunt & profligabunt. Nam Deus Opt. Max. concordiæ charitatiſq; vinculo delectatur maxime. Et cum ipſe Charitas ſit, charitatem colentibus præſto eſſe ſolet, inprimis ſi illud non ſit vinculum iniquitatis: ſed Chriſtianæ dilectionis, pro legitima defenſione confirmatum.

Oro itaque vt ſint vnum ſtatus Imperij, tanquam illius corporis membra, quorum alterum ſi langueat; alterum ſuccurrat. Si doleat, mitigationis remedia afferat. Et ſit ſingulorum tam bonum: quam malum commune.

Cogitantes hac lege nos natos potiſſimum, vt maximam noſtri partem ſalus patriæ ſibi vendicet. Nec ſint in ea opinione, ſua vnius negligentia nihil vel parum ſaluti patriæ decedere: vel bonum commune ipſorum viribus ac induſtria non multum iuuari poſſe. Dum ſic falſo opinantur (grauiſſimæ comminationis diuinæ immemores: *Maledictus qui opus Dei negligenter facit*) & multum eorum incuria decedit patriæ, eorumque & negligentia & tarditate publicum bonum perit. Quia vero noſtram tarditatem non expectabit Turca (inprimis cum noſtris diſcordiis inteſtinis ac domeſticis pugnarum ludis opportunitatem non negligendam ipſo offeramus) cognitum habens, alteram Imperij Rom. partem ab altera deſeri, adiuuare tertiam, quod vel putent longius adhuc abeſſe hoſtem: vel habere adeo arces inexpugnabiles oppidaque munitiſſima vt proprio Marte facile defendi poſſint. In quo tamen multum falluntur, nam potentiſſimus eſt Turça & milites habet ſolertiſſimos, bellatores non ſpernendos.

Attamen ſi tandem eſſet communis omnium deliberatio: omnium concors conſenſio, & quilibet ſtatus pro rata virium & opum parte ſuccurreret: pro ingenij acumine & ſapientia data conſilia aliorum recte monitis coniungeret: Tunc & felicior conſiliorum actionumq; noſtrarum ſperandus eſſet exitus, tunc & confidentius miles noſter præliaretur, quo & maiorem hoſti metum incuteret, fugaret eundem & cum gloria amiſſa recuperaret regna.

Sed interea, dum frigide tam conſenſionis: quam defenſionis cauſam agimus, & tarde de bono publico conſultaturi conuenimus, & in conuentib plus temporis tribuimus priuatis controuerſiis quam publicis, heluemur, quaſi noſtro abdomini non patriæ nati ſimus, voluptati tribuentes, quæ ſaluti patriæ tribui debebant, certe vereor miſerabilem cataſtrophen.

Cum itaque tantum corporis priuatæque rei patriæ curam habeamus, ſatis commodas occaſiones & amiſſa recuperandi: & hoſtes vincendi, negligimus, vt plus noſtra culpa: quam hoſtium virtute ſuccumbamus.

Quamquam vero & aliæ ſubſint cauſæ ſuccumbentiæ noſtræ, quas ſupra attigimus; tamen ſi conſilia noſtra inprimis ad gloriam Dei quæ omnium bonorum caput eſt retulerimus: nec in proprijs viribus: ſed in Dei clementia ſpem poſuerimus eiuſq; benignitati nos totos commiſerimus, tunc & omnia fauſta & felicia eſſent expectanda.

Verum ad gloriam Dei quomodo noſtra referamus conſilia, & quam bene inter nos conueniamus, patet omnibus. Tam perfidi enim difficileſq; inter nos ſumus, vt plus ciues & vicinos: quam hoſtes metuant incolæ; plus domeſticos quam peregrinos. Non frater à fratre tutus. Alter alterum fraudulose circumuenit, ſemper aliquid à fundo vicini, à terminorum finibus decerpitur, depopulantur & onerantur vrbes, villæ redduntur vacuæ, Reip. adminiſtratio peruertitur, leges contemptiſſime diſſoluuntur. Ab omni adeo humanitate honeſtaq; conuerſatione facti alieni, vt in mare

potius

potius ſuas proiiciant opes diuites, aut terræ condant: quam egentibus impertiant. Egeni vero & exoptant magis nihil quam omnia fieri communia.

Hæc cum primatibus & viris principibus ſint quam notiſſima, curare debebant, vt inprimis iratus & irritatus Deus vltor ſcelerum iuſtiſſimus placaretur, vt pœnarum eſſet mitigatio. Poſt ſubditorum incommodis medeatur.

Miſericordiſſimi hæc inquam bonitas eſt, vt licet ſecundum Pſalmiſtam: *gladium ſuum acuerit arcumq; intenderit, tela mortis parauerit, & iam iam armatus ac paratus Deus ſtringat gladium, ſagittas expellat & mortem executorem mittat*: tamen humili & ardenti deprecatione, vitæ morumq; emendatione furor ipſius ita mitigari ſacris palam eſt, vt implorantibus non modo opem ferat, hoſtes illorum humiliet: Verum vbertiſſima benedictione pœnitentiam compenſet. *Si populus meus audiſſet me*, inquit ipſa veritas Pſalm. 81. *Iſrael in vijs meis ambulaſſet, breui inimicos eorum humiliaſſem & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.*

Quare ſi Dominum audiuerimus: ſi vitam noſtram omni vitiorum laſciuia conſpurcatiſſimam correxerimus: Si bona conſcientia ac ardenti pectore omnipotentem implorauerimus: Spectandum exoratum Deum præſentiſſimum auxilium exoptataſq; ſuppetias allaturum eſſe. Sane ſi ita rationibus noſtris conſuluerimus, ſi ad bonum publicum ita neceſſaria reuocauerimus, certe miſericordiſſimus ac iuſtiſſimus, qui bonis bonorum conſiliis, qui concordiſſimis in vnum conſenſionibus mirabiliter fauet, ita noſtros iuuabit conatus, vt Imperium noſtrum mox in tuto collocetur.

Nam hac via, ſi mores corrigantur: ſi Deus placetur: ſi ſublatis ſimultatibus animi inuicem iungantur, & ſint concordes ſtatus, neceſſe eſt vt priſtinus adueniet Germaniæ decor: aduerſæ factionis conſpirationes diſpergantur, hoſtes à finibus noſtris arceantur.

Et quo minus quid ad ſummam felicitatem Germaniæ deſit, ad Monarchiam æque cum florentiſſimam: tum inuictiſſimam retinendam, Imperatoria Maieſtas cogitet, quibus conditionibus ſit obligata patriæ, & ſtudioſe enitatur, vt pactis fidem annexam inuiolabiliter ſeruet. Et quia publico decreto cautum ſit, vt ſua cuique religio permittatur, perſuaderi ſibi nunquam patiatur Imperator Auguſtus, vt vel latum vnguem à litera diſcedat. Neq; enim ſapientis, pii, iuſtitiamq; colentis Principis eſſet, violare, quæ pacis retinendæ cauſſa per multam deliberationem pacta ſunt, & tam ſignis, quam iuramentis confirmata. Cogitans fidei violatæ & pactorum vindicem eſſe Deum, deteſtari fœdifractionem, grauiſſimisq; affligere pœnis fidem qui violent.

Hoc idem ſtatus imperii ſecum perpendant ſub pœna violatæ ac fractæ pacis in conſtitutione Caroli V. expreſſa, obligatos eſſe, Imperatori tanquam capiti obedientiam ac Reuerentiam exhibere debitam. Ad cuius nutum neceſſitatis tempore ferant ſuppetias, ſine quibus nihil rerum magnarum bene geri poteſt.

Et quia optimus Imperator, propter perpetuatos ſumptus bellicos longe maximos, theſauros ſuos exhauſerit, & tantum opus commune ſuſtinere vix potuerit, niſi ſinguli ad communem omnium ſalutem quietemq; ſumptus maiores conferant, animo ſint paratiori, ſi tamen prius ipſis conſtiterit, quod propter intus hoſtilem vim metuendam ſint ſecurati. Ne ſub ſpecie exactionis contra hoſtem publicum conferendæ, præſidia neceſſaria ipſis detrahantur, ac veluti nerui incidantur, vt tandem & viribus & opibus exuti, dignitas eorum ac libertas Germaniæ in dubium vocetur. Nam, vt antea dictum, palam eſt multos, & inprimis inquiſitionis Hiſpaniæ exſecutores, turbandæ Germaniæ cupiditate ardere, à quo tamen optimum noſtrum Imperatorem plurimum abhorrere conſtat.

Pro horum conſiliis diſſipandis nullum habemus, quod opponi poſſit præſentius remedium præſidiumq;, quam ſi Imperator, ſi ſtatus inuicem in retinenda libertate ſint conſentientes: ſi in propulſanda quauis iniuria ſint concordes. Quod ſane omnium conditionum viri anxie exoptant. Et tum demum ſe beatos & patriam in tuto collocatam arbitrantur, ſi viderint concordes eſſe eos, ſine quorum ſingulari animorum conſenſione nec ſe beatos eſſe: nec patriam tutari poſſe: nec hoſtes Chriſtiani nominis fugari poſſe credunt.

Et ad hanc conſenſionem fouendam, ſi quem non amor patriæ: ſi non dignitas: ſi demum non officium moueret: Ipſa tamen neceſſitas mouere deberet. Quippe cum non propria eorum: verum totius orbis Chriſtiani ſalus periclitetur.

Quare ne inuicem viri Principes & ſibiipſi & patriæ ſuo deſint officio, ita alter alterum foueat: ita alter alteri faueat, vt quid mali acciderit vni, æque omnibus accidiſſe putent. At quia vſu venire ſolet, vt inter eos facilime naſcantur ſimultates, in pari dignitate qui conſtituti ſunt, vnde mox oriantur factiones, è factionibus pernitioſi motus, ſapiens Princeps non ſummo iure & rigore aget cum pari, multo minus inferiori, magis rerum turbulentiſſimarum communium: quam propriarum rationem habens, & de ſuo iure propter communem pacem remittens quæpiam non indulgens genio. Vix enim vnquam feliciter receſſit, quod pro turbanda communi pace patriæ ſuſceptum fuit.

Extremum itaq; eſt, ſi ſint ſimultates: ſi odia inteſtina, in aliud tempus illa reſeruate, modo patriæ noſtræ conſulatur.

Hactenus Germanorum virtus & arma non ſolum Imperio Romano fuerunt præſidio: verum & hoſtibus noſtris terrori. At nunc ſublata amica conſenſione præſidium langueſcit & noſtris aduerſariis non terrori, ſed ludibrio ſumus, dum noſtris conſiliis fracti noſtriſq; confecti armis inuicem concidamus & de optimo in abiectiſſimum delabamur ſtatum.

Pru-

Taceam conſpirationes,truculenta conſilia & rabioſam Tyrannidem,in Chriſti vnctis & bonis Imperatoribus, regibus & principibus extirpandis & è medio tollendo Euangelii Miniſterio. Memorabilis Bonifacij VII. ſuperba eſt impietas, in populorum concurſu,anno milleſimo trecenteſimo celebrati Iubilæi tempore,magna voce proclamantis: *Ego Pontifex & Imperator, terreſtre cœleſteque imperium habens.* Hæc belua Imperatorem Albertum confirmationem ab eo petentem,non prius confirmare voluit, quam data promiſſione, ſe fore bellum indicturum regi Francorum, regnum eius in prædam & victoriæ præmium condonaturus. Cuſpinianus *in vita Alberti.* Fulminationis iſtius in Francorum regem Philippum cauſa fuit, quod recuſaſſet pendere imperatam pecuniam ad bellum ſacrum, Peuc. *in Chron. lib. 5. fol. 16.*

Multos hic Bonifacius anteceſſores habuit Papas,eandem crudelitatem exercentes,imitatores autem omnes ſibi inuicem ſuccedentes. Vti enim iſte mundo vniuerſo terrorem potius, quam religionem inijcere ſuperbe crudeliterque conabatur,in regnis vni ablatis alteri conferendis,turbis in orbe concitandis,accendendis bellis funeſtiſſimis, attractis ſæpenumero militibus externis;dein nactis concupitis,bellis componendis. Ita vniuerſa Paparum caterua ab hinc mille annis,paucis exceptis,mundum vniuerſum feralibus compleuit diſcordijs,factiones exitiales ſeminans,ad defectiones ſubditos impellens,modo reges,modo Imperatorem Roman.interdum turbam Mahometiſticam attrahens,vt illorum opera vteretur ad ſtabiliendum & amplificandum dominatum ſuum,nec prius pacificationis & bellorum compoſitiones permittens: quam ex voto ſi res ceſſiſſet,omniaque vel potiora extorſiſſet.Reges vero & Imperatores cum operam ſubſidiumque recuſarent, nec bella ad iuſſa ſuſciperent gerenda, anathematis fulmine impellere cœpit, & niſi morem gererent,ex regno & ſolio deturbare,excommunicare.Exempla ſunt in promptu.

Heinricus IV. perfidioſiſſimis Pontificum Paſchalis II. inprimis vero Gregorij VII. machinationibus,cum domeſticis, tum externis bellis vexatus, religioſa licet humilitate,crimina, quibus erat prægrauatus,expiaturus,ad valuas & limina templorum ſeſe volutaret, nihilominus tamen Papali decreto proſcriptus excidit imperio, regno, miſſa corona aurea Rudolpho Sueuorum Duci, à Papa oblato.

Rudolphus ille prælio Pontificis & Epiſcoporum ſuaſu,contra Heinricum Imperatorem inito,dignas perfidiæ fideique violatæ pœnas luit,cum dextra præciſa fuit. Peuc. *in Chron. lib. 4. in geſtis Heinrici IV.*

Henricus V. à Paſchali II. homine ſeditioſiſſimo,eo quod vetera iura conferendorum Epiſcopatuum vendicaret, excommunicatus, ac mirum in modum pertinacibus machinationibus expugnatus,in Pontificis & Epiſcoporum poſtulata conſentire coactus fuit,vt nimirum contra patrem arma ſumeret,in cuius cadauer mortuum quam rabioſiſſime ſæuijt Papa,iuſſitque per literas exhumari,extra templum proijci,& quinquennio carere Chriſtiana ſepultura. *Ibid. in geſtis Henrici V.*

Fridericus I. dictus Barbaroſſa,Pontificum Hadriani IV. & Alexandri III. perfidioſa conſpiratione ſepties cum exercitu in Italiam protractus fuit,& cui plus negotij exhibuerint,quam huic bono Imperatori,cum inuiderent Pontifices ſucceſſus fortuna fortunatiores (tribus enim magnis prælijs Turcas ad Iconiam Lycaoniæ vicit & fudit, Sadalino, deleto milite Sarracenico, Siciliam eripuit,Aſiamque omni periculo liberauit, & ſi diutius ſuperſtes fuiſſet, penitus Turcas & Sarracenos extinxiſſet) omnia eo direxere conſilia,quo viderent ſublatum,ne nimirum perfidiam,quam expertus erat bonus Imperator, vindicaret. Nota enim eſt Alexandri illius perfidia, qui miſſa ad Soldanum Imperatoris effigie literis proditoriis,incluſa,vti Iudas Chriſtum prodidit.Soldanus vero Papa probior & integrior,captum à ſe humaniter excepit,liberaliter tractauit,tandemq; perſpecta Friderici integritate, animi induſtria & prudentia, à ſe donis muneratum, certis tamen prius initis pactis, dimiſit, Peuc. *in vita Friderici I. lib. 4. Chron.*

Philippus Friderici I. filius, fratre Heinrico II. potu veneni extincto,vigore Teſtamenti paterni in imperio ſuccedit, quem quam falſis criminationibus calumnioſe Innocentius III. apud ordines imperij prægrauarit,& anathematis fulmine onerarit,in locum eius depoſcendo Ottonem Principem audacem & temerarium, vide Peuc. *d. lib. 4. in ipſius vita.*

Ottho IV. Philippi ſucceſſor eandem fortunam eſt expertus. Nam Innocentius tertius ſtatim poſt coronationem anathemate perculſum priuari imperio præcepit. Peuc. *ibid. in vita Otthonis IV.*

Fridericus ſecundus ad imperium ex Sicilia euocatus,cum ſeſe opponeret proceribus Thuſciæ & Apuliæ hæreditarias prouincias Imperatoris occupantibus, varias Gregorij noni fraudes,machinationes,conſpirationes,tandemque triplex fulmen excommunicationis eſt expertus. Peuc. *libr. 5. Chron. in vita Friderici.*

Conradus Quartus, cui Henricus Thuringiæ Landgrauius oppoſitus,ab Innocentio IV. excommunicatur. Etenim vrbes,morte Patris ad Pontificem quæ deſciuerant,auxilio Tancredi receperat, à Manfredo veneno perimitur. Peuc. *d. lib. 5. ſub tit. de ſtatu imperii poſt Fridericum II.*

Ludouicus Bauarus à Ioanne XXII. excommunicatur, quod Imperatorem ſeſe nominarit, non prius ſalutato Papa.

Cordatiſſimi iſti Imperatores licet magnis conatibus ſeſe oppoſuiſſent Paparum machinationibus,proſcriptionibus & anathematum fulminibus, vt auctoritatem, & diuinitus conceſſa regalia ſancta tutaq; retinerent,eligendi nimirum, conſtituendi ac confirmandi Eccleſias, tamen nihil vel parum effecerunt. Semper enim ſublatis cordatioribus, cæteros habuerunt ſuffragatores, quorum

deſpe-

deſperata permiſſione ad diu exoptatam Tyrannidem euolarunt Papæ. Cum & Reges Duceſque aliarum prouinciarum, inprimis Franciæ, factiones iſtas Paparum oppugnaſſent, eandem fortunam ſunt experti.

Philippus Pulcher à Bonifacio VIII. excommunicatur, & regno priuatur.

Carolus VI. à Martino V. & Benedicto XIII.

Florentini à Sixto IV.

Henricus Rex Vngariæ & Regni Neapolitani ab Vrbano IV.

Sigiſmundus Dux Auſtriæ à Pio II.

Veneciani, Florentini, Columnenſes & Siciliani à Sixto IV.

Henricus Rex Angliæ, à Paulo III.

Elector Moguntinus Ditericus ab Eyſenberg à Pio II.

Fridericus Victorioſus Palatinus ad Rhenum: Ludouicus Bauarus Diues, & alij, qui ſeſe coniunxerunt pro iuſta cauſa Iſenbergij defendenda, ab eodem. Cauſa illa fuit, quod ſeſe prædictus Elector iniuſtis Pontificum exactionibus, prætextu belli Turcici oppoſuiſſet, quibus prouinciæ expilabantur.

Wilhelmus Rogerij filius Dux Apuliæ ab Adriano IV. excommunicatur.

Gregorius Rex Bohemiæ à Paulo II.

Rex Nauarræ & Condæus Princeps à Sixto V.

Et quis omnia anathematum fulmina recenſeret, quæ in omnis temporis non ſolum Hiſtoriarum voluminibus, verum hominum Doctorum & ICtorum ſcriptis decantata reperiuntur. In ſumma, vt dicam breuiter, nullus fere orbis vniuerſi angulus, qui non cruore à Pontificibus miſere proditorum Regum, Imperatorum conſperſus ſit, vrbs nulla, nullusque pagus, nullus inquam Imperator, Dux nullus, vel Princeps vnquam fuit, qui non aliquando, licet non adeo aperto Marte Pontificum rabioſam Tyrannidem ſit expertus. Nulla ciuitas, nulla regio, quæ non aliquid detrimenti ex conſilijs decretiſque Pontificum acceperit, tam furioſe, tam tumultuoſe, tam crudeliter omnia egere, vt nihil inde reſultarit, quam lanienæ, cædes, bella & ſtrages horribiles: Rerumpublicarum optime conſtitutarum euerſio, iuſtitiæ omnis violatio, ordinum omnium confuſio. Vt ego hos impoſtores poſt hominum memoriam viuos eſſe arbitrer, quibus damnari, & ex hominum conuerſatione tolli expediret. Rapiunt eos ad ſupplicium pœnæ piorum Imperatorum & Regum, quos de ſolio Maieſtatis deturbarunt, & millenariis anxietatibus vexarunt. Vocant eos in iudicium Principum Regumque poſteri, quorum domus & poſſeſſiones per ſcelus eripuerunt, ciuitates prouinciaſque per latrocinium occuparunt, per vim religionis ſubornatæ ſceleratius etiam ædificarunt, quam euerterunt. Quibus non ſine maxima familiarum ignominia & ſtemmatum euerſione carere oportet. Adducunt eos in iudicium Chriſtianæ cohortes, quod non modo pietatem omnem ex animis hominum extirparint, religionemque funditus ſuſtulerint, verum ſacra omnia obliterarint, ſcripturam ſacram & Dei Optimi Maximi, omnis boni auctoris & largitoris Maieſtatem conculcarint pedibus.

Cum itaq; Pontif. Rom. peruerſor fidei. Chriſti eiuſq; fidelium hoſtis infeſtiſſimus, omnium in mundo malignitatum auctor, cædium, lanienarum, bellorum turbinumque antelignanus, pacis ſanctionumque cum piarum, tum generis humani ſalubrium turbator, pacem communem enormiſſime lędat, & nihil non moliatur, ad animos recta ſentientes expugnandos & Euangelicos, quos vocant, de medio tollendos, enormeſque & execrabiles carnificinas in noſtros Chriſtianæ religionis adiunctos exerceat. Certe non ſimulanda ſilentioque prætereunda tam atrox Tyrannis, auxilia ſubſidiaque ferenda, & vnanimi animorum affectione irruentes exterminationes, deuaſtationes, erunt propulſandæ, & contra vim publicam publice etiam viribus coniunctis pugnandum.

Pro auctoritate ſatis ſunt exempla, Mathathiæ, Iudæ Maccabæi contra Antiochum. Conſtantini contra Licinium, aliorumque Principum Zelotypicorum, pro defenſione cœleſtis doctrinæ & Dei populi ſuſcepta bella. Quod & ſacra Biblia, & rerum Eccleſiaſticarum hiſtoriæ multis Triumphis canunt.

Proinde ne omnium duriſſima tyranniſantis Papæ ſeruitute opprimerentur boni Principes, & iugum illud furiale à ceruicibus deiicerent, iniurias illatas vindicarent, ſuiſque ſubditis libertatem reſtituerent, Germanus animoſiſſimus armata manu: Gallus vero ingenioſiſſimus edictis & arreſtis tentarunt. Quod vt quodammodo conſtet hiſtoriæ percupido, breuibus attingam: & vrbis, & agri Romani depopulationem. Et primo quidem, Roma capta eſt & vaſtata per Alaricum Regem Gothorum, Anno Chriſti 414. Phil. Mel. *lib. 3. Chronic. in vita Honorij.*

Secundo per Genſericum, Anno 459. Idem *d. lib. 3. in vita Theodoſii.*

Tertio per Odoacrum, Anno 480. *dict. libr. 3. in vita Iuſtinian.* Meminit etiam Blondus & Sabellicus.

Quarto per Theodoricum Regem Gothorum, Anno 488. Ioan. Magnus *lib. 9. c. 21.*

Quinto per Totilam, Anno 548. qui fere penitus deſolatam ac ſine vllo habitatore dereliquit. Meminit Pomponius Lætus. Matthæus Palmerius.

Sexto per Totilam ſecunda vice, poſtquam eam Beliſarius deſertam occupaſſet, & incredibili celeritate muniſſet, Anno 551. Ioan. Magnus & Matth. Palmer.

Septimo per * Carolum Regem Bauarorum Anno 877. Papam Ioannem IX. ob tyrannidem eiicientem. Auentinus & Palmerius.

Octauo per Arnolphum Bauarum Imperat. anno 896. Ioan. Auentinus.

Nono Imperator Otto primus anno 964. ob Ioannis Papæ perfidiam, Roma in deditionem poſt diutinam obſidionem accepta, ius eligendi Pontifices Rom. ad Imperatorem reuocat, & depoſito Ioanne XII. Leonem VIII. Pontificem creat. Benedictum vero V. quem Romani pulſo Leone conſtituerant, mulctatum exilio Adalgaro Hamburgenſi Epiſcopo tradit cuſtodiendum, vbi & mortuus eſt. Peuc. *lib.4. Chron. in vita Ottonis I.* Albert. Cran. *lib.3.c.20.*

Decimo per Ottonem III. Mirabilia mundi dictum anno 991. qui Creſcentium, ob eiectum Gregorium V. vrbe capta, vili iumento facie auerſa impoſitum per vrbem circumduxit, tandemq; poſt multos cruciatus ad portam cum 12. alijs ſeditionis ſocijs ſuſpendit. Ioannem vero Placentinum naſo, manibus pedibuſque truncatum & exoculatum præcipitauit de Capitolio. Peuc. *lib.4. Chron. in vita Ottonis III.* Lampert. Schaffenb.

Vndecimo per Conradum II. dictum Saliquum, à Francis Saliis veteribus acolis Salæ amnis, eo quod Francici ſanguinis & originis eſſet, Anno 1026. Cum enim poſt coronationem per aliquot dies ibi commoraretur, ciues Romani in Cæſarianos impetu quodam irruunt; At Germani victores vrbis potiebantur. Cyriacus Spang.

Duodecimo per Heinricum III. anno 1046. cum enim tria deterrima monſtra Benedictus IX. Sylueſter III. & Gregorius VI. de Pontificatu contendebant, & alter alterum depellebant, vi Romam Imperator occupat, Pontificem conſtituens Suidigorum Epiſcopum Bambergenſem, qui Clementis ſecundi nomen aſſumpſit. Peuc. *lib.4. Chron. in vita Henrici III.* Franſc. Irenic.

Decimotertio per Henricum IV. Anno 1083. qui poſt biennalem obſidionem vrbem cepit. Albert. Crantz. *lib.5.* Blondus, Nauclerus.

Decimoquarto per Henricum V. Qui cum Romam proficiſceretur, & vetera iura conferendorum Epiſcopatuum vindicaret, Paſchalis Papa tantam in eum concitauit ſeditionem, vt de vita ſua dimicare ipſum oportuerit. Verum exercitus ipſius multa ciuium cæde rerum potitus fuit. Peuc. *lib.4. in vita Heinrici V.* Hiſtoria de pugna Guelphonica, *c.2.*

Decimoquinto, idem Henricus Anno 1118. irritatus tot perfidioſis iniuriis Paparum, iterum Italiam ingreditur, Romam obſidione capit, Gelaſium, qui Paſchali ſucceſſerat, de Pontificatu deiectum vrbe pepulit, ſuffecto Burdino Hiſpano Epiſcopo Bracharenſi, Peuc. *libr.4. Chronic. in vita Heinrici V.* Ioan. Stumph. *lib.2.c.24.*

Decimoſexto per Fridericum I. Barbaroſſam anno 1155. poſtquam enim Romæ coronatus eſſet, ſeditioſæ multitudinis tumultu laceſſitus, dimicauit cum ciuibus in ipſa vrbe, multis cæſis & captis, pluribus in Tyberim demerſis. Peuc. *d. lib.4. in vita Friderici I.*

Decimoſeptimo per eundem Barbaroſſam anno 1167. trucidatis Romanorum ciuium duodecim millibus, qui infeliciter ad Tuſculum occurrerunt, vrbem primo intuitu cepit, & Calixtum Pontificem conſtituit. Peuc. *d. loc.* D. Robertus Barus.

Decimooctauo cum Alexander eundem Barbaroſſam ſecundo anathemate eſſet execratus, & vniuerſam Italiam ac præcipue Venetos aduerſus eundem inflammarat, Romam contendit anno 1177. eamque capit. Alexander vero habitu nautico deceptis cuſtodibus Venetias euaſit. Peuc. *ibidem.*

Decimonono Heinricus Septimus anno 1312. vt coronaretur, iter Romam ſuſcipiens, profligatis Vrſinis, & Rege Siciliarum Ruperto, ingreſſum impediente, non ſine magna ſtrage vrbem capit. Conradus Vecerius.

Vigeſimo per Ludouicum Bauarum anno 1327. cui oppoſitus erat, nonnullorum ſuffragiis, Alberti Auſtriaci filius Fridericus. Ille Alpibus traiectis pede celerrimo Romam aduentans cum intromittere nollent, cohortibus Germani militis quibuſdam ex ipſius peditatu clam receptis, portis reſeratis Imperatori parant ingreſſum. Ioan. Stumphius *lib.2.c.32.*

Vigeſimoprimo anno 1527. per Carolum Principem Barboniorum & Gregorium à Fronſperg. Duces militum Caroli V. in Italiam traiecti, vt turbarent conſilia Pontificis & confœderatorum, quorum confœderationem *Ligam ſanctiſſimam* appellauit Papa. Nota eſt iſta oppugnatio & à multis decantata. Schleidanus *lib.6.* Iouius, Galeacius Capella.

Taceam hic, quoties alias ab aliis gentibus crebriſque decurſionibus per milites non Roma ſolum, verum tota Italia ob idolomanicas blaſphemias vaſtata & direpta ſit. Et licet emendationem debitumque obedientiæ obſequium Imperatoribus multotiens Papæ promiſerint: tamen tandiu pœnituere, quamdiu pœnas iuſtiſſimas flagellationes ſenſerunt. Mox enim, vt Pharao & Ægyptij, poſtquam dignam ſcelere pœnam ſuſcepiſſent, ea ſublata redierunt ad ingenium, deteriores & induratiores facti. Machinationibus iſtis Paparum, Tyrannide, iniuſtiſſimis exactionibus aliiſque grauaminibus, cum ſeſe oppoſuiſſent, armis Germani, Gallus reſcriptis fecit.

Rex Ludouicus Beatus dictus in quadam conſtitutione ſub Tit. de Taliis. *Exactiones*, inquit, *& onera grauiſſima pecuniarum per curiam Romanam Eccleſiæ Regni noſtri impoſita, quibus regnum miſerabiliter depauperatum extitit, ſeu etiam imponenda, leuari & colligi nullatenus volumus, niſi ineuitabili neceſſitate, ac de expreſſo & ſpontaneo conſenſu noſtro, & ipſius Eccleſiæ Regni noſtri.*

Idem

Idem ille Anno 1258. Legem edidit, qua veſtigiis deceſſorum inſiſtendo & ſacros Canones antiquos imitando, ſtatuit aduerſus adinuentiones, reſeruationes & nouas nouorum Pontificum artes quæſtuarias, quæ conſtitutio habetur in *Stylo parlamenti Pariſienſis part.* 3. *tit.* 2. §. 3.

Anno 1259. dictus Ludouicus aduerſus Simoniæ crimen aliam edidit conſtitutionem, quæ habetur in præfato ſtylo, dicta *parte* 3. *tit.* 39.

Et ab eodem Anno 12.68. comitiis celebratis, conſenſu celebri legem ſtatuit, dictam *Sanctionem Pragmaticam S. Ludouici*, qua & inter alia vetuit curiæ Rom. exactiones impoſitas: vel imponendas.

Iuxta hanc ſanctionem Anno 1463. latum eſt Areſtum in ſenatu Pariſienſi contra collectores Papæ, & iniunctum fuit omnibus Regiis officiariis, ne quicquam ſinerent exigi.

In hac cauſſa & Philippus Pulcher Anno 1303. *Philippinam* dictam conſtitutionem edidit, qua perſonis Eccleſiaſticis nouarum decimarum & onerum inſolitorum exactionem prohibet, cuius tenor habetur in *Stylo Parlamenteo, parte* 3. *tit.* 34. §. 1.

Anno 1369. primo die Ianuar. Carolus V. conſtituit, ne Epiſcopi eorumq; officiales cenſuras aliquas interdicti vel excommunicationis in vrbes ferrent.

Anno 1388. Carolus VI. eiuſdem argumenti edictum publicauit, iubens Eccleſiaſticis Regni ſui à Papæ collectoribus bona præhenſa libera reddi. Habetur in *Stylo parlam. part.* 3. *titul.* 37. §. 1. Meminit huius edicti Baldus & refert contigiſſe Anno 1390. Cauſſa conſtitutionis fuit, quod Papæ officiales beneficia Regni Franciæ poſſidebant, fructus exportabant, & reditus Eccleſiarum, Cardinales & qui extra Regnum morabantur obtinebant. Mandauit itaque ſuis officialibus Rex vt repulſis collectoribus Papæ, bona heredibus & Eccleſiis ad quas iure ſpectabant, ſeruarent. Et ex tunc omnem obedientiam denegauit Benedicto XIII. ſedenti Auenioni, atque Bonifacio IX, ſedenti Romæ. Quod recte fecerit Rex, defendit Baldus *in c.* 1. *de nat. feud. in verb.* FF.

Anno 1418. menſe Maio in comitiis actis Lutetiæ communi decreto antiquæ conſtitutiones contra Paparum grauamina renouatæ ſunt. Huic renouationi cauſſam dedit Papa Martinus V. qui non contentus ampliſſimis reditibus, conatus fuit omnes Eccleſias ſtipendiarias facere aliaſq; antehac damnatas reſeruationes in viridem reſtituere obſeruantiam. Præfatas iſtas conſtitutiones cum Martinus Papa acceptare nollet ſeſeq; opponeret, per Arreſtum Parlamenti decretum fuit, vt non obediretur dictæ Papali ſententiæ.

Acta ſunt iſta Anno 1422. quo tempore contra quoſdam ſeditioſos Papiſtas, inquiſitio, maxime vero contra Vniuerſitatis Rectorem, qui ab Edictis regiis ad Papam appellabat, tanquam contra læſæ Maieſtatis criminoſos facta eſt.

Anno 1401. die 10. Iulii annis abhinc 21. in duos bulliſtas Papæ decreta fuit inquiſitio, vt tanquam rei læſæ Maieſtatis punirentur.

Et quinto poſt anno cautum fuit à sereniſſimo Parlamenti ſenatu, vt Papa & officiales ſui ceſſarent ab annatarum exactionibus aliorumq; redituum ac pecuniarum, nec pateretur, vt efferrentur exactæ pecuniæ.

Eiuſdem generis Regum Franciæ ſenatuſque Pariſienſis multæ, cum apud rerum Scriptores: tum & inprimis in *Regeſtis & Stylo Parlamenti Pariſienſis*, leguntur Conſtitutiones & Edicta rationibus non carentia.

Legitur Edictum Caroli 7. Anno 1434. publicatum, quod Anno 1439. renouatum fuit.

Anno 1440. aliud Edictum habetur, in quo fuit prohibitum bullas admitti, publicari: vel exequi.

Anno 1464. Ludouicus II. publice vetuit pecunias & exactiones impoſitas Romam deferre.

Anno 1478. illud Edictum repetitum & cum aliis, quæ Philippus Pulcher plus 60. annis ante ediderat renouatum.

Prudenti ſane conſilio Gallus ſenatuſq. Pariſienſis negotium cum Romanenſium emiſſariis geſſit, quod edictis maluit, quam armis ſe ab illorum onere expedire. Plus etiam literis: quam reliqui baliſtis effecit. Et multo iniquiores fuerunt euentus lancearum: quam literarum. Id quod docet Hiſtoria Carolorum: Ottonum: Fridericorum Imperatorum: Philippi Sueui: Adolphi Naſſauienſis: Alberti Auſtri: Ludouici: Sigiſmundi & vltimo Maximiliani Imperatoris. Non in cauſſa fuit, quod imprudenter & iniuſte bellum contra Papam ſuſceperint: verum gentis Italicæ perfidia, Pontificumque factioſæ coniurationes, conſpirationes, ſuauiuenenatæ ſimultates & illuſiones, quibus bonos Imperatores deceperunt: & poſtea diras machinationes anathematumque fulmina in principes Germaniæ iacularunt; nationum exterarum reges aduerſus eos armarunt: & nunquam bellorum ſemina omniumq; in Germania turbinum cauſſas non miniſtrarunt: Imo, quod dolendum, ſæuiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem ſuis perſuaſionibus ipſi factis; interdum fœdifractionibus attraxerunt, modo vt ægre facerent illis, quibus infeſti eſſent.

Id ſapiens Imperator Rudolphus Habſpurgus Romanis faſcibus omnium primus ex domo Auſtriaca auctus, non minus pace: quam bello clarus, rogatus, cur petere nollet Italiam & ſceleratiſſima facinora Pontificum iniuriaſq; bonis Principibus vindicare, per Apologum Æſopi:

Olim quod vulpes agroto cauta Leoni,

Reſpondit; referam: Quia me veſtigia terrent,
Omnia in aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Chimæra multorum capitum Roma eſt, & decornuta illa beſtia *in Apocalypſi* deſcripta, quam Dominus conficiet Spiritu oris ſui 2 *Theſſ.* 2. & quæ ſine manu conteretur. *Dan.* 9. Quia *fortis Dominus Deus eſt, qui iudicabit illam.* Apoc. 18. Nam *ad tempus datum eſt illo bellum facere cum ſanctis & eos vincere.* Apoc. 13.

His autem in terris vt haberet Pontifex Rom. Tyrannidis ſuæ ſocios & promptos defenſores, more regum & Imperatorum, cucullatos ſuos, alienis veſtibus & habitu regio perſonatos in Eccleſiæ euerſionem exornauit. Vt homines iſti auro corrupti, præmio perditi, & ſpe allecti ipſius Idolomaniæ fauerent, eumque veluti Deo dedicatam ſtatuam Moloch adorarent. Sicuti enim Imperator ordinis equeſtris hominibus, aliis etiam virtute heroica, fortitudine & magnanimitate præſtantibus, pro emeritis ſtipendijs, dat feuda: prouincias, comitatus, principatus confert: ad præcipua dignitatum veſtigia euehit: (primitus quidem erant Principes, Comites, Duces, &c. Capitanei ſubſidiarij prouinciarum quibus erant præfecti, nunc illarum Domini, & liberi iure hæreditario ſucceſſores fiunt, vt non nudis ſicuti olim, ſpecioſiſque dignitatum nominibus: verum certæ dignitatis & poteſtatis legibus munerati pro ſalute patriæ curarent, dimicarent, & Imperatori neceſſitatis tempore, pro Maieſtate ipſis tuenda & conſeruanda fidelitatis ſeruitia præſtarent.) Ita ille D. Petri Baſilicæ adituus, vt haberet comparatum ſatellitium, velut exercitum; impietatis ſathanicæ, prædationis ac furtiuæ autoritatis defenſores, Epiſcopos & Cardinales, qui erant olim parochi & presbyteri, vt habetur *c. 2. & 3. extra de offic. Arch.* datis iiſdem galeris purpureis, de ſpoliis belli Anno 1247. cum Innocentius IV. Fridericum II. Imper. deuicerat, fecit principes, vt autoritate pari: vel maiori politicis eſſent instructi, ita vt nunc viliſſimus mendicus, fœtidus & pediculoſus monachus, idola Romana colens, pro ſalario ampla poſſideat regna, vocet ſe amicum principum & regum magnorum. Nam vt non minori potentia valerent clerici: quam ſeculares, regna mundi inter ipſos diſtribuit Papa. Inſuper vt orbis vniuerſi prouincias (oblitus prorſus Petri protopapæ inopiæ, qui nihil habuit niſi rete) exueret; emungeret, in ſumtibus bellicis ſuſtinendis: quia bellator Papa eſt, non prædicator: fur & latro, atteſtante ſacra pagina; varia aucupia excogitauit, vt egregios & famoſiſſimos in mundo falſarios, & turpiſſimos quoſque inſtitores multum ſuperaret, cum ex re quauis monetam cuderet.

Cæterum quo poſſem hoc loco Pontificis Rom. ſuorumque mores perſtringere: Quomodo nimirum Imperatores & Principes pientiſſimos paciſque amantiſſimos, pro bellis ſuſcipiendis & Eccleſiæ tranquillitate perturbanda inflammarint. Quomodo & quibus ſtudiis Ieſuitæ Antitheicam ſuam cauſam tegere, palliare, imperitis fucum facere & ruinoſam Mauſim ſui domum columnis ſuffulcire ſtuduerint. Quomodo; quod omnium eſt ſceleſtiſſimum, non ferendum: verum deuouendum diris & criminis falſi pœna proſequendum, orthodoxa patrum ſcripta falſo deprauarint, & quæ non arriderent, obliterarint, delerint, adulterina ſuppoſuerint (qua verſutia ingens chaos impiarum nugarum in Eccleſiam Chriſti & Germaniam noſtram inuehunt, ſanctiſſimis patribus affingentes, quæ nec ipſis ſomniauit nec in mentem venit) ſuperſedebo. Si legem Corneliam incidat & falſi pœna coerceatur qui nummos aureos raſerit, tinxerit vel finxerit *l. quicunque ff. de l. Corn. de falſ.* quanto magis falſi pœna plectendus erit, qui hominum piorum cum Sacris Bibliis concordantem & Orthodoxam ſententiam raſerit, ſuiſque fermentis tinxerit, & nouum ſenſum nouo & Ieſuitico ſtylo affinxerit.

Cogitent Chriſtiani Principes, quomodo coruſcatoribus iſtis ac veteratoribus obuiandum: ac laboranti Eccleſiæ ſubueniendum ſit. Nolo hic aſperius accuſare quenquam, verum quæ ſunt aperta & notoria diſſimulare non poſſum. Optandum vt quis quidem ſuo genio viueret: at interim ne vel Patrum ſcripta: vel ſacra Biblia deprauaret: vel confratres diſſentientes excarnificaret, & Germanus Germano ob religionis diſſenſionem inſidias strueret. Catholici Proteſtantium confeſſionem non arroderent. Proteſtantes Catholicorum religionem non impugnarent. Cum, vt antea dictum & demonſtratum ſit, non ex hominis prouiſione: verum Dei arcana diſpoſitione ſalus credentium pendeat, & nemo niſi ſua culpa damnetur: nemo niſi Dei beneficio ſaluetur.

Quanquam vero nemo catholicorum, tum Proteſtantium confeſſionis patronos, Epiſcopos & Principes. qui doleant tantam poteſtatem Sathanæ zizaniam ſuam prauarum opinionum & ſcandalorum in Eccleſia ſeminandis. Doleant æque non idem credere, quod ipſi credant, & ſtudioſe enitantur, vt eradicent ſecus credentes. Verum his Chriſti reſponſum interrogantibus Apoſtolis datum: *Viſne Domine abeamus & colligamus*, objicio. *Sinite*; inquientis; *vtraque creſcere.* Quaſi diceret, Vos veſtro fungimini officio, docendo: Reliqua committatis Deo. Non enim veſtrum eſt eradicare: non veſtrum de conſcientijs iudicare, ſeu religionem inquirere. Hæc meæ reſeruaui Maieſtati. Et quicunque fecerit talia, maieſtatem ſcrutabitur ipſiuſque iudicium inſcrutabile inueſtigabileſque Domini vias inquiret.

At nonne hæc tentantes, conſumentur ab ea? non conſumens ignis Deus eſt? Et quid reſpondet Chriſtus Iacob & Ioanni *Luc.* 9. Qui cum vidiſſent, à Samaritanis Chriſtum non recipi dicunt: *Domine vis dicamus, vt ignis deſcendat de cœlo & conſumat illos, quemadmodum Helias?* Conuerſus increpauit illos, dicens: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis vos. Filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum; ſed ad ſeruandum.* At quomodo ſeruat: voce Euangelii inquam non armis brachio-

que

que ſeculari. Quia regnum eius non conſiſtit in externa coactione: verum ſpontanea interiori ad Deum conuerſione, quam in cordibus noſtris ſpiritu ſuo ſancto accendit, mouet ac regit per fidem ad ſalutem. Eſtq; regnum fidei inuiſibile, quod in fide ac ſpe verſatur. Tolerat namq; Chriſtus blaſphemos, verbi ſui contemtores, præuaricatores, impios: tolerat Sathanam decipere, ſeducere & electos variis calamitatibus; tentationibus vexare. Tolerat mortem graſſari ſine diſcrimine in bonos æque ac in reprobos, quia nondum adhuc venit hora illa, qua regnum Deo patri reſignaturus eſt. Sequitur ergo quam grauiſſime peccare (non imitando Chriſtum, ſicuti Paulus *Epheſ.4.* monet, inquiens: *ſitis igitur imitatores Dei, vt filii dilecti & ambuletis in dilectione, quemadmodum Chriſtus dilexit vos:* verum ſuo indulgendo genio) aduerſantes Chriſti mandatis, ſibique iudicium quod maieſtati & inſcrutabili voluntati ſuæ reſeruauit Chriſtus, ſumentes rapto.

Cur etiam, qui commune Chriſtianorum nomen gerimus: qui capitis vnius membra ſumus, in confratres vel minimam crudelitatem exercemus? & populi Chriſtiani regnum omni gentili mille millies excellentius Tyrannide polluimus? Quod cum miſericordiſſimo Domino dominantium, Dn. noſtro Ieſu Chriſto communionem habere putamus, qui terrena cœleſtibus: Ethnica Chriſtianis confundimus? Deniq; ſi ii Chriſti opibus ſint ornati, qui foueant æmulationes, iras, habeant continuas concertationes, alant inuidias, perpetrent cædes, peſtilentiſſima nebulonum latronumq; colluuies Chriſti opibus ditata erit. Abſit cogitare talia, multo minus affirmare. Nam qui Chriſti membra facti ſumus & ſpiritu eius dotati incedemus. Et cum ſummam felicitatis noſtræ in vnico Chriſto ſitam eſſe perſuaſum habeamus, fructus ſpiritus exerceamus, qui ſunt B. Paulo atteſtante, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. Sine quibus nemo Chriſtiani cognomen promereri poterit.

Harum abſque virtutum carentia ſi quis Catholicus & Chriſtianus eſſe velit, & poſſit: fabula Chriſtus eſt, & nugæ ipſius verbum veraciſſimum. Sin itaq; Chriſtus vere ſit, vt eſt quam veriſſime; via, vita, veritas: Cur in viis eius non ambulamus, cur non vitæ noſtræ rationem ipſius exemplari conformamus? Cur non in veritate ipſius immobiliter perſiſtimus? Cur verbis ſolum, titulis & inſignibus: non re & facto Chriſtianiſmum noſtrum exprimimus? Et titulo tenus verbo tenuſque quod eſt Hypocritarum, non re Chriſtianos eſſe palam oſtendimus? At nos hunc in extremum ſæculorum agonem incidimus effœtumq; mundi ſenium, vbi hoſtis communis Sathanas Chriſtianos in Chriſtianos ita perbacchari extimulat. Manſuetis, non tam truculentis adnitendum eſſet rationibus, ſi in partem noſtram ſint trahendi diſſentientes. Anne hoc eſt Chriſtianum eſſe, è ſedibus eiicere & patria fugare: imo trucidare? qui eodem baptiſmate Eccleſiæ initiati Chriſtoq; incorporati ſunt: qui iiſdem vtuntur ſymbolis, in quibuſdam ad ſalutem non pertinentibus diſſentientes? Et ſane ne Apoſtoli eorumq; diſcipuli per omnia ita ad amuſſim conueniunt, vt non eſſet ex aliqua parte diſſenſio. Ita non modo præſtantiſſimorum in Eccleſia doctorum errata fuerunt & næui: verum repugnantes contradicentiæ. Quod certe miſericordiſſimi Dei prudentiſſima prouidentia ſic comparatum fuit, vt noſtri ingenii hallucinante infirmitate cognita, in vno verbo Dei ac ſimplici in Chriſtum fide acquieſceremus. Neq; vel hominum authoritatem: vel noſtrum iudicium authoritati verbi diuini anteponeremus: ſed alteri alterorum portarent onera, errata; lapſus; infirmitates charitate tolerarent & tegerent. Si enim Chriſtum Dominum noſtrum, caput & Archipaſtorem agnoſcimus, qui & charitas eſt & amans pacis, & aliud docuit nihil quam charitatem & pacem: Cur non ipſius imitatores eſſe qui cupimus, charitatem atq; pacem ſectamur? Charitatem quidem, vt benemereamur, quod fieri poteſt de omnibus: pacem vero, vt malefacientes toleremus & benefaciendo iniuriam compenſemus adeoq; ab omnibus vitiis puri ſimus. Virtutibus iſtis ſi Chriſtianus & Catholicus, quantum in ipſo ſit non ſtudeat, aut re, dicto, facto contra delinquat, nullam ipſi hæreditatis æternæ partem ſperandam Chriſti veracis teſtimonio profitemur.

Anne & hoc putatur facinus homini Chriſtiano dignum: ſi non laceſſitus quis & prouocatus confratrem ſuum ab ipſius confeſſione licet alieniſſimum trucidet? Non inquam: Cum enim & pro impiis ſeruandis & inimicis ſuis mortuus ſit Chriſtus; nos ipſos, hanc præripiendo gratiam, merito non priuabimus. Et hoc facto Deo abominabili gratiſſima Sathanæ offertur victima, biſq; hoſtis delectatur, & quod occiditur, & quod occidit Chriſtianus. Quo inquam facto ſe reum legis diuinæ facit, & ſitiendo ſanguinem proximi aduerſatur Chriſto, qui eſt Pacificus: ſeipſum à corpore Chriſti temeritate ſua ſeiungit.

Sed res eſt miſera, quod alios eſſe cogamus Catholicos & Chriſtianos perfectos, cum ipſi interea nec Catholici: nec Chriſtiani ſimus. Imo nec vitia noſtra corrigamus. Primum noſmet ipſos: deinde proximos debemus corrigere, canon inquit: *c. poſtulaſti 3. q. 7.* Et ille de alterius errore iudicet, qui non habeat in ſeipſo, quod condemnet. Iudicet ille qui non agit eadem, quæ in alio putauerit punienda. Ne cum de alio iudicet, in ſe ferat ſententiam. Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offenſione, nulla leuitate ducatur. Et in iudicando magis cordi cuſtodia veritatis: quam obedientia voluntatis, *c. iudicet, 3. q. 7.*

At quid fit? in alios ſeuere inquiritur & morum correctio exigitur, ipſi vero corrigi recuſamus: Aliorum libertas Chriſtiana diſplicet, ipſi interim liberi eſſe cupimus. Alios patrum ac conciliorum præceptis coerceri volumus: ipſi nos amplius cohiberi minime patimur. Siquidem Deo Opt. Max. ita viſum ſit, vt onera alterius alter ferre diſcat; quippe cum nemo vitii: nemo expers oneris: nemo ſibi ſatis ſapiat. Cur non feremus? cur non Chriſti ſaluificis monitis obtemperamus, qui vult vtraque

que creſcere, hoc eſt bonos æque atque improbos vita coniuncta frui. Id quod & naturæ lex: Imperatorum Conſtitutiones: omneſque cum pacis conſeruandæ: tum non turbandæ, ſanctiones poſtulant & contra delinquentes læſæ pacis accuſant.

Nonne hoc eſſet magis Chriſtianum, donare aliquid proximo: donare quid Eccleſiæ, vt ſimultatibus iſtis antiquis, obſcuris partim, apertis partim, depoſitis; poſthac quaſi nihil vnquam controuerſiæ inter nos fuiſſet, animis pacatis concordi coniunctionis vinculo, ſine quo nullum regnorum vnquam diu conſtare potuit: verum diſſipatum ac deſolatum ſit; & viueremus, & poſteris noſtris ſi non firmius: tamen pacatius relinqueremus? At ſi alius alium iuxta doctrinam B. Pauli *Gal. 5.* viciſſim mordebit ac deuorabit, videant, ne viciſſim alius ab alio conſumatur: vel attrahant communem nominis Chriſtiani hoſtem plenis velis inſultantē nobis, qui iſta contentioſa diſſenſione motus ob ruptum vinculum concordię cathenatum, liberum ingreſſum habens, & per apertas fores ingrediens, non ſolum in fortunas & facultates: ſed in vitam ac ſanguinē graſſetur rabioſiſſime. Et cogitent modo Catholici Romani alienorum vitiorū iudices, dum ſuis indulgentes vitijs condemnēt alios à Deo iure condemnari. Sua prius corrigere neceſſum erat, cum honeſtius ſit ſeipſum corrigere: quam corrigi. gloſſ. *ad verb. noſtras. in Authen. vt frat. fil. ſucc.* Dein alios: operam dare debebant, ne moribus prauiſſimis: ne erroribus impijſſimis locus relinquatur.

Quare oro & obteſtor omnes odia fouentes, vt concorditer viuant & animi rancorem remittant, ne quando cum ſimultates alant aliiſque foueam fodiant ipſi incidant, ſecundum prouerbiale: *Malum redundabit in caput authoris:* & illud Pſalmiſtæ Pſal. 9. *In reti quod abſconderunt captus eſt pes eorum:* Vti Achitophelo, Abſolomi: proditori Iudæ, &c. accidit. Et in eorum capita aliis paratæ redundant pœnæ. Oro, inquam & obteſtor vt remittant quaſcunque ſimultates, & certent inter ſeſe, non vt alter alterum vincat contendendo & de medio tollendo: ſed vter de altero melius mereatur, & quomodo optimus Germaniæ ſtatus conſeruetur.

Qua ſane ratione validiſſimum concordiæ propugnaculum comparabunt. Vnde quam feliciſſime hoſtem externum; cum quo proh dolor, fere in noſtris finibus pugnare cogimur; propulſabunt & profligabunt. Nam Deus Opt. Max. concordiæ charitatiſq; vinculo delectatur maxime. Et cum ipſe Charitas ſit, charitatem colentibus præſto eſſe ſolet, inprimis ſi illud non ſit vinculum iniquitatis: ſed Chriſtianæ dilectionis, pro legitima defenſione confirmatum.

Oro itaque vt ſint vnum ſtatus Imperij, tanquam illius corporis membra, quorum alterum ſi langueat; alterum ſuccurrat. Si doleat, mitigationis remedia afferat. Et ſit ſingulorum tam bonum: quam malum commune.

Cogitantes hac lege nos natos potiſſimum, vt maximam noſtri partem ſalus patriæ ſibi vendicet. Nec ſint in ea opinione, ſua vnius negligentia nihil vel parum ſaluti patriæ decedere: vel bonum commune ipſorum viribus ac induſtria non multum iuuari poſſe. Dum ſic falſo opinantur (grauiſſimæ comminationis diuinæ immemores: *Maledictus qui opus Dei negligenter facit*) & multum eorum incuria decedit patriæ, eorumque & negligentia & tarditate publicum bonum perit. Quia vero noſtram tarditatem non expectabit Turca (inprimis cum noſtris diſcordiis inteſtinis ac domeſticis pugnarum ludis opportunitatem non negligendam ipſo offeramus) cognitum habens, alteram Imperij Rom. partem ab altera deſeri, adiuuare tertiam, quod vel putent longius adhuc abeſſe hoſtem: vel habere adeo arces inexpugnabiles oppidaque munitiſſima vt proprio Marte facile defendi poſſint. In quo tamen multum falluntur, nam potentiſſimus eſt Turca & milites habet ſolertiſſimos, bellatores non ſpernendos.

Attamen ſi tandem eſſet communis omnium deliberatio: omnium concors conſenſio, & quilibet ſtatus pro rata virium & opum parte ſuccurreret: pro ingenij acumine & ſapientia data conſilia aliorum recte monitis coniungeret: Tunc & felicior conſiliorum actionumq; noſtrarum ſperandus eſſet exitus, tunc & confidentius miles noſter præliaretur, quo & maiorem hoſti metum incuteret, fugaret eundem & cum gloria amiſſa recuperaret regna.

Sed interea, dum frigide tam conſenſionis: quam defenſionis cauſam agimus, & tarde de bono publico conſultaturi conuenimus, & in conuentib plus temporis tribuimus priuatis controuerſiis quam publicis, heluemur, quaſi noſtro abdomini non patriæ nati ſimus, voluptati tribuentes, quæ ſaluti patriæ tribui debebant, certe vereor miſerabilem cataſtrophen.

Cum itaque tantum corporis priuatæque rei patriæ curam habeamus, ſatis commodas occaſiones & amiſſa recuperandi: & hoſtes vincendi, negligimus, vt plus noſtra culpa: quam hoſtium virtute ſuccumbamus.

Quamquam vero & aliæ ſubſint cauſæ ſuccumbentiæ noſtræ, quas ſupra attigimus; tamen ſi conſilia noſtra inprimis ad gloriam Dei quæ omnium bonorum caput eſt retulerimus: nec in proprijs viribus: ſed in Dei clementia ſpem poſuerimus eiuſq; benignitati nos totos commiſerimus, tunc & omnia fauſta & felicia eſſent expectanda.

Verum ad gloriam Dei quomodo noſtra referamus conſilia, & quam bene inter nos conueniamus, patet omnibus. Tam perfidi enim difficileſq; inter nos ſumus, vt plus ciues & vicinos: quam hoſtes metuant incolæ; plus domeſticos quam peregrinos. Non frater à fratre tutus. Alter alterum frauduloſe circumuenit, ſemper aliquid à fundo vicini, à terminorum finibus decerpitur, depopulantur & onerantur vrbes, villæ redduntur vacuæ, Reip. adminiſtratio peruertitur, leges contemptiſſime diſſoluuntur. Ab omni adeo humanitate honeſtaq; conuerſatione facti alieni, vt in mare

potius

potius ſuas proiiciant opes diuites, aut terræ condant: quam egentibus impertiant. Egeni vero & exoptant magis nihil quam omnia fieri communia.

Hæc cum primatibus & viris principibus ſint quam notiſſima, curare debebant, vt inprimis iratus & irritatus Deus vltor ſcelerum iuſtiſſimus placaretur, vt pœnarum eſſet mitigatio. Poſt ſubditorum incommodis medeatur.

Miſericordiſſimi hæc inquam bonitas eſt, vt licet ſecundum Pſalmiſtam: *gladium ſuum acuerit arcumq́; intenderit, tela mortis parauerit, & iam iam armatus ac paratus Deus ſtringat gladium, ſagittas expellat & mortem executorem mittat*: tamen humili & ardenti deprecatione, vitæ morumq; emendatione furor ipſius ita mitigari ſacris palam eſt, vt implorantibus non modo opem ferat, hoſtes illorum humiliet: Verum vbertiſſima benedictione pœnitentiam compenſet. *Si populus meus audiſſet me*, inquit ipſa veritas Pſalm. 81. *Iſrael in viis meis ambulaſſet, breui inimicos eorum humiliaſſem & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.*

Quare ſi Dominum audiuerimus: ſi vitam noſtram omni vitiorum laſciuia conſpurcatiſſimam correxerimus: Si bona conſcientia ac ardenti pectore omnipotentem implorauerimus: Sperandum exoratum Deum præſentiſſimum auxilium exoptataſq; ſuppetias allaturum eſſe. Sane ſi ita rationibus noſtris conſuluerimus, ſi ad bonum publicum ita neceſſaria reuocauerimus, certe miſericordiſſimus ac iuſtiſſimus, qui bonis bonorum conſiliis, qui concordiſſimis in vnum conſenſionibus mirabiliter fauet, ita noſtros iuuabit conatus, vt Imperium noſtrum mox in tuto collocetur.

Nam hac via, ſi mores corrigantur: ſi Deus placetur: ſi ſublatis ſimultatibus animi inuicem iungantur, & ſint concordes ſtatus, neceſſe eſt vt priſtinus aduentet Germaniæ decor: aduerſæ factionis conſpirationes diſpergantur, hoſtes à finibus noſtris arceantur.

Et quo minus quid ad ſummam felicitatem Germaniæ deſit, ad Monarchiam æque cum florentiſſimam: tum inuictiſſimam retinendam, Imperatoria Maieſtas cogitet, quibus conditionibus ſit obligata patriæ, & ſtudioſe enitatur, vt pactis fidem annexam inuiolabiliter ſeruet. Et quia publico decreto cautum ſit, vt ſua cuique religio permittatur, perſuaderi ſibi nunquam patiatur Imperator Auguſtus, vt vel latum vnguem à litera diſcedat. Neq; enim ſapientis, pii, iuſtitiamq; colentis Principis eſſet, violare, quæ pacis retinendæ cauſſa per multam deliberationem pacta ſunt, & tam ſignis, quam iuramentis confirmata. Cogitans fidei violatæ & pactorum vindicem eſſe Deum, deteſtari fœdifractionem, grauiſſimisq; affligere pœnis fidem qui violent.

Hoc idem ſtatus imperii ſecum perpendant ſub pœna violatæ ac fractæ pacis in conſtitutione Caroli V. expreſſa, obligatos eſſe, Imperatori tanquam capiti obedientiam ac Reuerentiam exhibere debitam. Ad cuius nutum neceſſitatis tempore ferant ſuppetias, ſine quibus nihil rerum magnarum bene geri poteſt.

Et quia optimus Imperator; propter perpetuatos ſumptus bellicos longe maximos, theſauros ſuos exhauſerit, & tantum opus commune ſuſtinere vix potuerit, niſi ſinguli ad communem omnium ſalutem quietemq; ſumptus maiores conferant, animo ſint parationi, ſi tamen prius ipſis conſtiterit, quod propter intus hoſtilem vim metuendam ſint ſecurati. Ne ſub ſpecie exactionis contra hoſtem publicum conferendæ, præſidia neceſſaria ipſis detrahantur, ac veluti nerui incidantur, vt tandem & viribus & opibus exuti, dignitas eorum ac libertas Germaniæ in dubium vocetur. Nam, vt antea dictum, palam eſt multos, & inprimis inquiſitionis Hiſpaniæ exſecutores, turbandæ Germaniæ cupiditate ardere, à quo tamen optimum noſtrum Imperatorem plurimum abhorrere conſtat.

Pro horum conſiliis diſſipandis nullum habemus, quod opponi poſſit præſentius remedium præſidiumq;, quam ſi Imperator, ſi ſtatus inuicem in retinenda libertate ſint conſentientes: ſi in propulſanda quauis iniuria ſint concordes. Quod ſane omnium conditionum viri anxie exoptant. Et tum demum ſe beatos & patriam in tuto collocatam arbitrantur, ſi viderint concordes eſſe eos, ſine quorum ſingulari animorum conſenſione nec ſe beatos eſſe: nec patriam tutari poſſe: nec hoſtes Chriſtiani nominis fugari poſſe credunt.

Et ad hanc conſenſionem fouendam, ſi quem non amor patriæ: ſi non dignitas: ſi demum non officium moueret: Ipſa tamen neceſſitas mouere deberet. Quippe cum non propria eorum: verum totius orbis Chriſtiani ſalus periclitetur.

Quare ne inuicem viri Principes & ſibiipſi & patriæ ſuo deſint officio, ita alter alterum foueat: ita alter alteri faueat, vt quid mali acciderit vni, æque omnibus accidiſſe putent. At quia vſu venire ſolet, vt inter eos facilime naſcantur ſimultates, in pari dignitate qui conſtituti ſunt, vnde mox oriantur factiones, è factionibus pernitioſi motus, ſapiens Princeps non ſummo iure & rigore aget cum pari, multo minus inferiori, magis rerum turbulentiſſimarum communium: quam propriarum rationem habens, & de ſuo iure propter communem pacem remittens quæpiam non indulgens genio. Vix enim vnquam feliciter receſſit, quod pro turbanda communi pace patriæ ſuſceptum fuit.

Extremum itaq; eſt, ſi ſint ſimultates: ſi odia inteſtina, in aliud tempus illa reſeruate, modo patriæ noſtræ conſulatur.

Hactenus Germanorum virtus & arma non ſolum Imperio Romano fuerunt præſidio: verum & hoſtibus noſtris terrori. At nunc ſublata amica conſenſione præſidium langueſcit & noſtris aduerſariis non terrori, ſed ludibrio ſumus, dum noſtris conſiliis fracti noſtriſq; confecti armis inuicem concidamus & de optimo in abiectiſſimum delabamur ſtatum.

Præ-

Præſens quidem rerum conditio ea eſt, vt ſtatuendum nobis ſit, vtrum malimus dignitatem cum patriæ: tum familiarum noſtrarum tueri: aut turpiter perire & cum ignominia ſuccumbere. Opportunitates ſane ſunt perplurimæ, vt dignitatem inſtauremus & periculorum metu animos Germanorum liberemus. Si nimirum maiorum noſtrorum ſapienter inſtituta, partim moribus inueterata: partim Conuentuum Receſſis contenta cuſtodiamus, nec nouis vicinoq; noxiis ſtudiis pacem communem turbemus ac noſtris indulgeamus cupiditatibus.

Imo dignitatem Germaniæ inſtauremus, quando maiorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, pertinaci exercitatione diſciplina militari, ab ineunte ſtatim ætate delectos iuuenes imbui curemus, inter eos cæteris præcellentes præferamus, turmas, imo integras legiones ipſis demandemus, & ita vetus Germanorũ diſciplina denuo floreat ac vigeat. Sin ſecus, ac voluptatum delitiis, vti ſolemus, nos ipſos eneruemus, nihilo tamen audacius hoſtilia diſcrimina adire audeamus, in eam tandem neceſſitatem detrudemur, vt multa eaq; grauia ferenda nobis ſint, quæ induſtria noſtra optime euitari potuerint.

Si quis erit qui meum iudicium de diſciplina militari deſideret, ſequenti declamationis diſcurſu, annuente Deo, audiet, nunc id quod facturi ſitis Athlantes Gemaniæ, ea ratione facieris, vt hominum furioſorum patriæ noſtræ mille modis inſidias ſtruentium, malitiæ quam maturrime occurratis, quo concordi prudentia, coniunctis viribus, arteq; vbi opus eſt noua, aduerſariorum conſilia, ſummi Triarchæ auxilio, diſſipetis, quod omnium conditionum viri fieri in votis habere, & neceſſario fieri intelligunt. Dixi.

PARS XVI.

PARS XVI.

Continens

DISCVRSVM POLITICVM ET TRACTATVM ELEGANTEM, DE REVNIONE IMPERII Germani, per quam, ſub capite Sacratiſſimi Imperatoris MATTHIÆ Cæſaris Auguſti, in vnum corpus recoaluerunt Prouinciæ Germanicæ, Hungaricæ & Bohemicæ.

TRINVBIVM EVROPAEVM,

HOC EST,

Anno Domini 1612.

DE SOCIETATE IMPERII CHRISTIANI INTER GERMANOS, HVNGAROS ET BOHEMOS

IN SACRATISSIMO ET INVICTISſimo Impe . tore ac Domino D.

MATTHIA

GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE, CROATIAE, DAL. &c.

REGE MATTIA SECVNDO

S. ROMAN. IMPER. ARCHIPINCERNA, Principe Electore.

FÆLICISSIMIS AVSPICIIS ELECTIONIS ET coronationis vnanimi Septemuirorum coelectorumque Imperii Romani conſenſu

REDINTEGRATA, SANCITA, SACRATA

DIE IVNI XIV. ET XXIV. ANNO M.DC. XII.

AVTHORE

ELIA BERGERO A. G. POETA CÆSARIO L. HIſtorico Regio & aulæ familiari.

D. O. M. A.

SACRVM MEMORIÆ ÆTERNVM

SACRÆ ET GLORIOSISS. ELECTIONIS & coronationis Sacri Romani ImperI

INVICTISS. GERMANORVM MONARCHIÆ GENTIum populorumque Dominatricis fortiſſimæ,

PER

PER SERENISSIMOS ET ILLVSTRISS. VIIVIROS ELEctores & Principes Dominos D.

IOHANNEM SCHWICHARDVM ARCHIEP. MOG.
FERDINANDVM ARCHIEPISC. COLONIEN.
LOTHARIVM ARCHIEPISC. TREVIREN.
IOHANNEM COMITEM PALATINVM RHENI.
IOHANNEM GEORGIVM DVCEM SAXONIÆ.
IOHANNEM SIGISMVNDVM MARCH. BRANDEB.

Sanctiſſ. votis, feliciſſ. Auſpicis

VERA ANIMORVM CONSPIRATIONE, & conſenſu mirando

FACTÆ, SANCITÆ, PERFECTÆ POST

CORONATIONEM GEMINAM REGNORVM Hungar. & Bohem. abſoluto, abſumptoque Bellicoſiſſ. tempore: VICTORIA vbique ſancita: PACE AC LEGE vbique ſtata: quatuor Hung. annorum proſperrima gubernatione obita: Bohemia belli anguſtIs domeſticis liberata: vindicata, in quietem compoſta.

FATIS CONCESSO: ET ATHANARIAE DIVAE CONSECRATO diuo Rudolpho II. Imperatore,

AVGVSTISSIMÆ DOMVS AVSTRIACÆ

TRIBVS SECVLIS PLENISS. ET FAVSTISS. DECEM AVGVſtorum Cæſar. Imperio

MERITORVM VERO BELLI, PACIS CÆLESTISſimorum ſuffragio: VIRTVTVM omnigenarum patrocinio: maximo omnium patriæ, concordiæ, pacis Religionis amatorum deſiderio:

REGNORVM DVVM MVLTARVMQVE PROVINCIARVM conſortio vtiliſſ. & optatiſſ.

INVICTISS. AC POTENTISSIMO CÆSARI Auguſtiſs. ac D. D. Matthiæ Imperatori Romanorum: Germanorum, Hungariæ, Bohemię, Croatię, Dalmatię, &c. Regi,

Iiſdem votis & feliciſſ. Auſpicis

AVGVSTAE, SERENISS. ET POTENTISS. IMPERATRICI AC D. D. Annæ: Germ. Hungar. Bohem. Reginæ pari decore, gloria, coronatæ.

SERENISS. ET ILLVSTRISS. VIIVIRIS ET ELECTORIBVS, PRINCIpibus, ſtatibus & ordinibus Sacri Romani Imperii,

GLORIÆ, LAVDI, IMMORTALITATI, PACI ET SALVTI FLORENTISS. Sanctiſſ. pulcherrimæ, perpetuæ, æternæ.

Ipſis diebus ſacris XIV. XXIV. XXV. Iunii. Anno Chriſti M. DC. XII.

Lub. merito pie D D. C.
Elias Berger. A. G.

EPIGRAMMA SVMMAM TRINVBI CONTINENS I.

INcluta Germanis, fauſtis Trinubia, fatis
Anne fide freti pandimus ingenua?
Religio cum Pannonica ſociato numine gente,
Fœderis, & Fidei condidit imperium.
Mox mage cognatas, Charitum commercia, leges
Connubio ſtabili Cinxia diua dedit.
Bellaces palmas Bellona Triuna miniſtrat,
Dat virtute pari nobile pancratium.
Pone oleas virides Irenes vna maritat
Atque trium ſimili conſecrat aſtimio.
Vnus honor morum, lætoq; Lubentia vultu,
Indigitant terris vtile Trinubium,
Ter Rex Matthia es: vne, inclyte, Cæſar
Imperium Europæ trinus & vnus habes.
Religione, thoro Bellona, pace, theatro
Europes vna es: vnius imperio.

II.

DVM polico nuper cœleſtia numina ritu
Romani Imperii ſata viceſque librant:
Teutonidum Nemeſis varius inuiſa Triumphis,
Romano haud quaquam læta decore frui.
Romanas aquilas. Pæoni robora Ligni,
Quod Socium per tot ſecla Leonis erat.
Diuidam, ait: vero careant Trinubia amore.
Nec mage concordi vincula lege ligent.
Incluta Pannoniis caritura Europa triumphis,
Ceſſabunt placida, mitia ſecla, toga.
Diua Poli Mater Nemeſin caſtigat inertem,
(Pannonia ſiquidem Dia Patrona cluet)
Deſine ait: Volucrem, lignumque ſacrumque leonemque
An carpes? Latium corruet Imperium?
Incluta Matthias ſtatuat Trinubia Cæſar,
Vna ſit in Regnis Imperioque Trias.

ERGONE ſancito, & ſacrato connubio Hungariæ & Bohemiæ (quo nomine ſocietatem imperii felicisſime in potentiſſimo Rege Matthia II. initam intelligo) quo tandem animo affecti? Quo animati affectu? Inuictiſſimi Germani, Minime ne vobis cõuenit impræſentiarum maiorem ſuæ incolumitatis prouidentiam facere, quam quod ſummo orbis Chriſtiani imperio & decorum ſit & expediat? Quid enim amplius quæretis, ſiue ad imperii decus & gloriam? ſiue ad domeſticum virtutum togatarum ſtudium & ocium? niſi vt *cælum veſtrum terræ noſtræ coniungatis*, & pulcherrimam coniugii Hungaro--Bohemici conſortionem iuſtiſſima Sacri Imperii ſuffragatione confirmetis. Exiſtimare enim Germani fortiſſimi, debetis præter cætera, quæ par eſt à vobis expendi, hoc imprimis: Hungariæ gentem Martialem, & bellicoſam Bohemiæ in hanc ſaluberrimam regni coiiſſe vnitatem, cælesti diuinæ prouidentię fato: vt iura diuina & humana conſeruẽtur, vt belli & pacis arbitria tractẽtur: vt iucundiſſimo quietis ocio perfruantur honorum omniũ emolumentorumq; cauſa, quæ Chriſtiani ſanctitate fœderis quæ:ũtur. Etenim quomodo Chriſtiana virtus expergefieret? & ad cõmune vinculum excitaretur? Quomodo ad veritatem numinum, naturæ, legumq; vigorem viueretur? Quomodo ad tranſuerſa hominũ ſtudia, ne quid contaminarent, aduigilaretur? Quomodo obſoleſcere libertatem, veteraſcere virtutem prohiberetur? Quomodo hoſtiũ conatus & vires retunderentur? Illud eſt illud connubii fundamentum, illud firmamentũ. In quo quidẽ negocio ſi iuſtitio & feriatione, gens inuicta Germaniæ ac imperialis, vti decreueris, Quanam ratione, vel honeſtum vel pium videatur. ſpes tot gentiũ & populorum, qui maieſtatem tui imperii colunt ac obſeruant, vanas ac irritas reddere? Ac ne rem nouitiam & ignotam vrgere videar & nec tua maieſtate dignam, neue *inuita veritate* tãquam infeſta Iunone ad Trinubium hoc ſacrum inuitare audeam feliciſſimis auſpiciis Romanæ Electionis & clementia S. T. M. Rex glorioſiſſime ſolatus, inſiſtam veſtigiis, & argumentorum Connubii prioris ſimilitudine ex annalibus gentium oſtendam, nihil ad maieſtatem Imperii Germanici antiquius, nihil honeſtius, nihil vtilius, quam ſi fortiſſimarum, de quibus agitur, gentium ſub imperio fæliciſſimi Regis Matthiæ II. degentium, Societatem, amicitiam, clientelam, præſtiteris.

Et primum quidem Societatis Germanicæ & Pannonicæ eo illuſtrius eſt documẽtum, quod cum ipſo Imperii Romani ad Germanos translati flore erupit adoleuitq;. Nec, n, arceſſere hãc animus

mus eſt ab Attila, qui dum affligeret Romanum imperium, Germanorum etiam, inter quos Oſtrogotthi eminuerunt, armis vteretur. (Qua ratione ipſo imperio Germanico eſſet antiquior). Nec vero etiam firma illa & integra erat Hungarorum neceſſitudo, quæ neceſſitatem victoriæ fortunamque Caroli Magni Gallorumq; proſperrimam ſequuta erat. Multo minus credibile eſt hanc veram ac viuam fuiſſe, quando ſub ſeptem ducibus Hungari Germaniam afflixerunt, quæ etſi Romanis aliquando formidabilis erat: Hungaricæ tamẽ ſæuiciæ, vaſtationis & rapinarum fuit gymnaſiũ. Vtinam hæc minus vere, quam affectate dicere liceret. Itali ſæpius Græcique incurſantibus Hungaris pependere ſtipendia, aut eorum pacem carioris mercati ſunt, quam ſati liceret. Galli præſertim Europæ populi haud quaquam ignobiles propter Hungarorum incendia, vaſtationes, & excidia vix poſt multa tempora reſpirarunt. Fit enim quãdo apud nobiles pleraſq; nationes virtus elanguit, ardorq; gloriæ tepuit, quum omnium ſit viciſſitudo rerum, à peregrinis quandoq; gẽtibus, ſi qua geſtarum rerum gloria pollent, æquo animo ſe ſuperari patiantur. Nulla igitur hactenus cum Hungaris quies aut neceſſitudo, quos haud aliter quam Anthropophagos omnes gentes abominabãtur, Nulla coli potuit Societas, illa immanitate Scythica ex indigniſſimo prophanæ Dæmonum religionis nutrimento in ipſis viuente. Vt merito poſt tot ſecula celebrãdus ſit Otho illius nominis Primus, qui pro domandis Germaniæ hoſtibus multa fæliciter geſſit, & dum armis Hungaros obſtinatiſſimo animo depugnantes in amicitiam & ſocietatem reducere non poſſet, clementia & comitate conabatur. Hinc factum, vt ob hanc calamitoſam & cruentam Othonis victoriam ex Hungaro, neque fuſo plane, neq; cedente relatam imperii quoq; Pannonici titulos vſurparet. Nec mihi apud Bonfinium futilis autor eſt Palmerius, qui refert ſanctionem illam de Electione Imperiali, quæ per annos 600. diligentiſſime ſeruatur, eſſe ita ampliatam: vt in futurum non tam per ſanguinis ſucceſſionem diceretur Imperator: ſed præcipui in Germania principes vna cum quibuſdam Pannoniæ proceribus eligendi Imperatoris poteſtatem haberent. Quod.n. ab antiquo cultæ Societatis inter Germanos & Pannonios nobilius documentum? Acceſſi tandem Hungaria à Carolo Magno Catholicæ fidei rudimenta habuiſſet: (Quod caput eſt fœlicis amicitię) à paucis tamen imbibita eſt, cuius poſt obitum prægustata apud illos Religio exoleuit. & ſi qua eius veſtigia remanſere, in tanta feritate abolita ſunt. Diuus Stephanus Rex & Apoſtolus Hungariæ religioſiſſimus diuino ductus ſpiritu Henrici Imperatoris, cuius ſororem in matrimonio habuit, ſtudio & auxilio incitatus, trucem feramque gentem contra maiorum gentilium inſtituta, paulisper à belli ſtudiis, & rapinis auertit, ad manſuetudinem Chriſtianam cultumq; diuinum reuocauit. Quid vero hac memoria dignius? gentem illam immaniſſimam, Martem Herculem, patrios Deos, quorũ falſis numinibus res Hungaricas tantopere adoleuiſſe exiſtimabant, auſpiciis & conatibus Germanicæ neceſſitudinis aboleuiſſe? Quod pulchrius veræ Societatis, & ad ſeram poſteritatem colendiſſimum Sacramentũ? diuinum illud Catholicæ Religionis lumen Hungaris illuxiſſe Germanici imperii ſtudio & auxilio?

Nec ſcio ſanctiore ne vnquam profluxit Affinitas hæc prima omnium origine? quæ ab omnibus Annalium Scriptoribus affirmatur, diſſentientibus Hungaris, Henric. II. ſanctitate, religione, geſtorum gloria conſpicuus Stephani I. præſtantiam, & ingenitam pietatem non ignorans nihil duxit antiquius, quam aliqua cum eo affinitate vinciri, qua infeſtiſſima vtraq; natio, quæ tot annis cruentiſſima bella geſſerat, reconciliaretur, cuius ſapientia & ſtudio factũ erat: vt Hungari in Chriſtianæ fidei peculium aſſerti, & vicinis & Chriſtianæ Reip. ſalutares forent. Proinde poſtulatam ab Hungariæ Rege ſororem, cui Geiſela nomen erat, vltro Henric. coniugauit: vt perpetuã inter Germanos & Hungaros pacem & amicitiam paciſceretur. Hac Affinitatis memoria poſt obitum Sancti Regis bellicis tempeſtatibus fluctuante, ac variis factionibus tanquã inter Martis filios obſoleſcente, Henric. III. maximam armorum molem in Hungaros mouens, inſigni arte victoria fraudatus Sophiam filiam, quam paulo ante Philippo Henrici Regis Franciæ filio ſacra aſſeuratione ſpoponderat, reſciſſa affinitate coniunxit in arctiſſimum æternæ pacis vinculum, teſtimoniumq; amicitiæ grauiſſimũ. Nec.n. hic mihi Veritatis profeſſio temere prodenda aut occultanda eſt, quum pleriq; Hiſtorici hac ipſa expeditione Henrici III. Hungariã Rom. Imperio vectigalem faciant, & Hungaros ab eodem Henrico perdomitos ſtipendiarios factos eſſe prodidere. Illud profecto exiſtimandum, Hungaros illius ætatis plurimum mouiſſe, ne inani hac gloriatione Germanorum, Hungariam inuictiſſimam ab antiquiſſima gloria deficere, & ſuo more legeq; viuendi libertatem tam facile antiquiti concederẽt. Etſi vero ſumma illa imperii Romani maieſtas, virtus, ac poteſtas in Othonibus ac Henricis prioribus inſigniter refulſit: vt facile gentem Hungarorum indomitam tot expeditionibus ſub iugum mittere potuiſſent: eluſit tamen vires illorum Hungariæ fatum excellẽs. Vnde & hanc victoriæ proditæ aut perditæ Germanor. imperii Rom. non tam diuina magis quam humana opera inuſtam obliterari potuiſſe hæc Affinitas procuIdubio effecit interpoſito pignore præſtantiſſimo: vt nec deſponſatam Regi Galliæ filiam inſigni fælicitate fraudaſſet, niſi aliqua vehementi neceſſitate adactus ad has Hungaricæ affinitatis conditiones deſcendiſſet. Hanc affinitatem tertio Ludouic. I. Rex Hung. cui parem nunquã eſt ſortita Hungaria ducta Margaretha Caroli IV. Imperatoris Román. filia ſedulo excoluit, tanquam pacis & ſocietatis fidiſſimam tutelã. Et vt præterea Hungariæ conſuleret Rex ſuo ſeculo potentiſſimus noua lege velut materia coaleſcente futuræ felicitatis Sigiſmund. Brandenb. Regem Bohemiæ adoptaſſe dicitur, quẽ & Auguſtali Germanorum genere, & excellentiſſima virtute eſſe intelligebat, iacturam liberorum reſarcire non niſi Germanico ſtemmate placuit, ne abs re quidem, quando Princeps ille prudentiſſimus Hungariæ fælicitati,

neq; commodius, neq; honeſtius conſulere potuit. Et ſicut rerũ exitus comprobauit, iſtã Germanici ſanguinis in Maieſt. Hungar. conſortiũ, adoptionem, Quis eius viri ſapientiam non admiretur? qui longe ante futura ꝓſpexit, ſuorumq; ſaluti multo ante, q̃ res ipſa poſtularat, rite conſuluit. Eiuſdem profecto diuinæ in Reges Hungariæ prouidentiæ, & Regũ ſapientiæ argumentũ affinitas, dũ Sigiſmund. Imperat. Archiducem Auſtriæ Albertum V. filiæ ſuæ Elizabethæ maritũ, ſibi generum atq; ſucceſſorẽ in Regnis ac Imperio eſſe voluit. Atq; hoc pacto Romani illius imperii Auguſtalis illata Maieſtas Regno Hungariæ geminãte hac affinitate optimis Succeſſionis rudimentis confirmata eſt. Dum vero hoc Auguſtũ genus in Ladiſlao deficeret, & fatũ illud Hungariæ beatiſſimum intra obſoleti generis Hungariæ latebras opificio virtutis excelſæ Matthiam I. rimaretur, ſiquidem iam antea Diuorũ Hungariæ Regũ ſancta propago in Maria Ludouici I. deficeret, dimidio fere ſeculo externæ Germanorum poteſtati ſubiecta in ſuo Matthia indigena reſpirauerat fæliciſſimo ſui faſtigii ſplendore. Quo ſublato inuida fortuna Hungaricæ hæreditati Vladiſlaum Bohemũ & Ludouicũ filium inſeruit. Quo ſimiliter, inſtar pulcherrimi Hungariæ piaculi in bello cæſo ſubuentum eſt Auguſtiſſimæ affinitatis Lege, & in domũ inclytam Auſtriacorum, vbi erant Tabulæ iuris & ſucceſſionis Hũgaricæ repoſitæ, deuentũ eſt per Connubia Ludouic. II. R. H. & Mariæ Regis Hiſpaniarũ filiæ, nec non Ferdinand. Imperat. & Annæ Vladiſlai filiæ. Nec. n. ſine inſigni admiratione felicitatis Hungaricæ, ſine crimine abſurdæ illorũ, qui Germanicas exhorreſcũt laudes ambitionis celebrare nequeo. Hungariã fæliciſſimã hac affinitatis lege, quæ toties ob diuerſos Regni candidatos fata ingemuit aduerſa, toties infeliciſſimam Interregum deplorauit diſcordiam. Hæc Aſylum pacis & belli condidit. Hæc tot principum ac Regum Chriſtianitatis amicitiæ ac neceſſitudinis contubernium. Hæc deniq; Germanicæ & Hungaricæ ſocietatis vinculum æternum.

At quod attinet ad Belgicæ Societatis laudem, Quis dubitet Germanos Marte, & arte militari eſſe Monarchas & Principes, atq; tam Auguſtũ Romanæ Maieſt. imperiũ obtinere tutela & præſidio Bellicæ virtutis? Germania illa omnium gentiũ ꝓfecto fœcũdiſſima, an plus Auguſtali autoritate? an viribus illuſtrior? Magiſtra belli, artiũ omnigenarũ parẽs, Sagatæ & Togatæ vitæ exẽplar perfectiſſimũ, humanarũ deliciarũ mater, virtutũ officina, q̃ totius orbis caput Roma cum ſuo imperio tot annis multo ſanguine vix domitare potuit. Vbi Cæſar? Vbi Auguſtus adhuc à Varo Quintilio gemebundus cæſas ad internecionẽ legiones Roman. repetit. Bohemia vero omniũ horum impari quidẽ ratione cõſors triumphationib. pleriſq;, cum gente Germanica certare poteſt. Quid enim de Hungaria (præter veterem illã incõparabilem) dicã? nũ vſitatũ illud elogiũ. Martis aream, belli officinã, Paradiſum terreſtrem, ſed iniuria perpetuæ hoſtilitatis obſcurũ obſoletumq;, caligini (ſi veterẽ lucem & florem ſpectes) ſimile imperiũ, & vt pleriq; acrius magis q̃ verius ſentiunt, & dicunt, macellũ hominũ, numorum voraginem. Agedũ vero, ſumariam quandã tot ſeculorum virtutis Bellicæ in ſocietate Martiali Germanorũ apud Hungaros reddã per numerũ ſeptenariũ Regib. nimirũ ſacrum per ipſos ex ordine Reges cõputatum, in quo arcanã ne Belli virtutumq; naturã? an vitæ, hominũ, imperiorumq; regnorumq; fælicem, & facilem mutationũ Regulã mirer? neſcio. Omiſſa vero gentis illius Hunnicæ ꝓdigioſiſſima crudelitate dum Attila, Hungariq; Europam furore bellico funeſtarũt. A Regni initio & ſimul moderato Catholicæ Fidei imperio ordiamur. Steph. I. Rex Hũgariæ Sãctus merito appellatus armis ne? an pietate Catholica, ad q̃ Hungaros cõuertit, inſignior? vtrumq; abunde pſtitit, & cultu vero fidei Chriſtianæ cõmunit & pio Marte Maieſtatẽ regni acquiſiuit, quomodo imperia & regna optime, & cõſeruãtur, & cõſtituuntur. Illibatã Germanicæ ſocietatis gloriã his Regni Pañoniæ quaſi incunabulis fuiſſe ſatis cõſtat: quantumuis Henric. III. ꝓ defenſione generi ſui Salomonis [illegible] illico Martis iudicio de Sceptro diſceptaturus concordiæ partæ gloriamq̃ belli victoriã de Hungaris retuliſſe fertur. Septimus ipſe Ladiſlaus Sanctus facile virtute ſacri numeri & regnũ, & principatũ bellicoſæ fortitudinis non ſolum in Hungaria: ſed etiã Europa obtinuit, vnde Chriſtianiſs. appellatus ab Imperio Germanico in ducem belli contra hoſtes in Aſiã ꝓnunciatus erat, optime memoriã bonæ ſocietatis bellicæ hac ipſa ſumã ſancti belli teſtatus. Hunc ſecuti oẽs bellicoſo nomine & vigore, exceptis quibuſdã Belæ cognomine, qui Hungariã iuſtitiæ legibus, & pacis morib. excoluerũt, & Martialẽ vigorẽ blandiſſimis vincire ſtuduerũt, ſed fruſtra, gratis. Virtus hæc Septenaria p tot Regum & Interregũ viciſſitudinẽ partim inter ſe per ambitũ, partim cum externis ob adſertã ſuæ gentis libertatẽ, & vicinorum iniurias caſtigata, tandẽ in ipſo Andrea Rege Hieroſolymitano dicto reuixit, qui ſummo Germanici imperii conſenſu & cõſilio ꝓ recuperatione ſanctæ Terræ ſocia armorum mole ꝓtectus vigorem illũ bellicũ in Germanis & Hungaris, ne in ſe conſeneſceret, vel in patriæ viſcerib. cõſumeretur, in lõge diſſitã mundi partẽ Aſiã tranſtulit, & patriã illã ſanctam pientiſſimo Germanorũ & Hungarorũ ex poteſtate infidelium aſſeruit ſanguine, arcaniſſimo ꝓculdubio augurio, q̃ militiã Germani & Hungari longe à patria inter hoſtes Chriſti triũphis illuſtraſſent, breui eam tempore intra penates proprios, & patriæ pomæria excolere deberẽt. Nihil igitur hoc ſeculo mirabilius, dũ vtraq; gens feruentib. animis veluti rerũ ſuarũ oblita coluit ſacramentũ ſanctiſſimi belli q lõga cõcordia quietus Oriẽs exhorreſcebat. Ac intra Septenariũ cũ Hungaria cũ parte Germaniæ acerrima circulãtis & ꝓpulſi aliis alia ſati ex Tartarorũ incurſione, colluctatione decertaſſet. Septenaria illa potẽtia incidit in Ludouic. I. cum Sigiſmundo quorũ ille ſumã Hungaricæ militiæ decora in Italia & Neapoli acquiſiuit: Hic præter Romani Germanorũ imperii maieſtatẽ q̃ primus in Hungariæ regnũ intulit, primus quoq; inter Germanos Imperat. cũ nouo Europæorũ Chriſtianorũ hoſte Turca in alieno adhuc cõflixit ſolo, princeps quoq; militiã hãc ſanctã ab An. Chriſti 1286. inuenit, & Germanicæ Hungaricæq; gẽti quaſi ꝓpriã, peculiarẽ æternãq; cõſecrauit. Ac ſane maxime mirandũ, dũ ſemel crudeliſſima illa Excetra Florã Hũgariæ appeti;

iſſet, quanto furore illā huc vſq; perſequitur, iſ[illegible] tum gente illa Othomanica dirum illud caput, & blaſphemias in Chriſtū euomens ſupra modū efferente, & imperiū orbi [illegible] minante. Quod quidē vel ex illa fatali ad Varnam pugna in hoc Septenario commiſſa patet, vbi Hungaria pulcherrimum gentis florē vna cum Rege acerrimo in ipſa acie occumbente amiſerat. Quid .n. in tam clade funeſtiſſima, præter inſanam querimoniam Tyranni fidem Chriſtianam pie magis, quam temerarie violatam, pulchrius commendatione ſpirituum, & virtutis Hungaricæ bello illo conſumtæ? Quid ſocietate hac gentium vno belli puluere & campo ſanguineo deſudantium pro totius orbis Chriſtiani ſalute auguſtius? Quartus Septenarii ordo benigniſſimo diuinæ prouidentiæ fato in ipſum Matthiam incidit, in quo quidem vel ex ipſa natura huius numeri perfectiſſima & abſolutiſſima virtutis bellicæ effulſit imago: Conſummata Regni potentia, ad ſublime illud fortunæ humanæ faſtigium euecta ad quod nimirum plerumq; imperia & gubernia dum pertingunt, magnitudine ſua grauida vel lento quodam defluere fato, & dilabi, vel magno interdum turbine & impetu ruere ſolent. Verum inteſtina, & ciuilis gentium inuidia tempore Diui Matthiæ I. vna cum gloria gliſcens, non ſiuit ſocietatis huius illibatum & intentatum decus eſſe; Verum tot Triumphorum victoriarumq; in communi parta de communib. hoſtib. decora, priuatis æmulationis affectib. abiecit conculcanda. At priuatum hoc odium, & imperantium arcanis productum cauſis communi ceſſit concordiæ. Et poſt Diui Matthiæ fatalem occaſum Quintus Regni Septenarius inclinationem quandā aut conuerſionem Hungariæ attulit, dum generis Scythici innata illa belli fortitudo cum ipſo Matthia fere abſumta eſt, & gubernamentum virtutis bellicæ ad externos translatum, qui cum quod natiuam ferociam & militarem animoſitatem, ſi quam habent, contra morem Hungarorum ab ipſis pueris remittere, & mollire ſtudent: tum certe quod Harmoniam Deam, quam Marte & Venere ferunt prognatam, armis velut Tutelarem conſecrarunt, quod ibi ſtrenuitas, & vis bellica delicata quadam venuſtate, & gratia ſit commixta, omniaque ad decentiſſimam & modeſtiſſimam pacis commoditatem comparentur. Hanc ob cauſam inexperto Marte pulcherrimo Hungarico Rege Ludouico II. contra bellicoſiſſimum hoſtem occumbente. Rediit rurſus ad ſocietatem Regni Hungariæ Imperialis Germanorum Maieſtas, & domus Auguſta Auſtriacorum omnium Europæ regnorum Regina ita belli contra Turcas acriter ac fæliciter geſti gloriam ac triumphos in Hungaria continuat: vt facile omnium gentium laudes & victorias ſuperet, vt & ipſi maximo cum rubore confiteantur hoſtes, ſubacta Hungaria, & Auſtriaca virtute depreſſa, nulla gens reſtet, quæ vinci Turcarum armis erubeſceret. Quanto vero motu in hac feliciſſima in domum Auſtriæ inclytam Coronæ Hungariæ translatione Hungaria concuſſa eſt hucvſque ſæuiſſimi fati veſtigia ſuperſunt, dum Ioannes Tranſyluanus ambitione intemperatiſſima priuatisq; ſimultatib. ſocietatem hanc Germanicam cōuellere, ac antiquam miſera ſeruitudine infeſtiſſimorum Turcarum implicatā præferre non eſt veritus. Nec quiſquam adeo rerum humanarum immemor? quem non commouiſſet illa facies, Hungaricam gentem victricem paulo ante hoſtium non ſine arcana Dei permiſſione triſtiſſimum mendicantem auxilium expauiſſe voces Tyranni Turcarum vnius hominis fælicitatis futuræ imperii Auſtriaci ignorantia: vtpote, quod per ambitum ſe ſolutum Religione ſocietatis Germaniæ putabat, in aleam tanti caſus ſe Regnumque florentiſſimum præcipitauit. Hæc erat ſors Hungariæ. Hoc fatum vexit patriam ex infeliciſſimo gentis Germanicæ & Hungaricæ diſcidio, cum ſtatim in prædæ inſanam & infortunatam magnitudinem Buda ſedes regia, cum maximo & delicatiſſimo Hungariæ orbe hoſtibus, nulla belli oblata victoria ceſſerat, & Tranſyluania antiquiſſimi iuris Hungariæ à regno diuiſa, donec rapidiſſimus proruentis Pannonici imperii curſus parumper ſocietate Germanicæ Auguſti nimium Capitis ſupprimeretur. Quod tempus Hungariæ neſcio? Vtrum clade funeſtius: an vero fælicitatis futuræ experimento ſpecioſius? Ea certe vis calamitatis fuit: vt in experientiam illatum putem, diuinitus ſcire volentibus numinibus: An Germanica & Hungarica ſocietas ſalua fide, & integra ſocietate aduerſus hoſtes fidei Chriſtianæ conſiſteret? Nam dum in hac ſexta regni ætate tyranni Turcarum Diis manibus ſe deuouiſſent: vt reliquias Hungariæ conficerent, & bellum plusquam vicennale ducere ſtatuiſſent: vt ſubacta Hungaria ad adyta ſacri Germanorum imperii penetrarent. Quid non effecit indomitum robur Hungariæ coniunctis Germanorum viribus? Ab ipſo Ludouici II. fato pientiſſimo, & Diui Ferdinandi regimine Principes plerique, pulcherrimaq; imperii nobilitas æmulatione militiæ inducta, non aliter quam ad nobiliſſimum Martis ſacri gymnaſium commeabant. Hic non pugilum ludicra certamina tractabant, non pompoſa Hippodromi belli ſimulacra ciebant. Verum marte ſacro ita pignerari auebant: vt aut victoriam cæſo ab hoſte ſuo ſanguine cruentam referrent: aut egregie depugnādo pulcherrima occumbant morte. Nec vetera illa ac prima in Fano Memoriæ nomina nunc commemorare operæ precium eſt, dum ſyncera adhuc & magis innoxia iſtius ſocietatis integritas inter Pannonios & Germanos eſſet, neque Turcarum vicinorum metus diſciplinam veteris neceſſitudinis in vigore, & ſtatu ſuo contineret. Quis enim ignorat bellicam ſocietatem contra Aſiaticos ſub Andrea II.? Quis Friderici III. contra Ludouicum Bauarum? Quis Rodolphi I. cōtra Bohemos? Quis iterū Friderici IV. (Quem iure Quartū, ſi Fridericū Pulchrū numeremus, appellare licet) Imperatoris & Matthiæ I. contra Bohemos? Noua & Recētia ac noſtræ proxima memoriæ facillime occurrerēt cuilibet, cui mediocris tēporū cū ætate ſeriore cōtigit cognitio, aut ſaltem, cui continui Turcarū belli plenior acquiſita experientia. Solimaño à Turcis ob rerū celeriter & feliciter geſtarū gloriā Fulmē appellato, inqiſſima Hungariæ diſcordia inuitato, ac Budā fraude doloq; occupāte, nihil antiquius imperii Germanici principes duxerūt, quā vt Hungariæ tamquam ſociali regno communi veluti calamitate laboranti ſuccurrerent. Iuuant igit ſacramēto militiæ ſub auſpiciis Ferdinandi

Regis Hungariæ plurimi, inter quos Ioachimus Brandenburgenſis, & Mauritius Saxo etiam apud hoſtes egregiam belli famam adſequuti erant. Quid porro acerrimam illam Viennæ obſidionem extra bellicoſiſſimum Hungariæ agonem in limitibus ipſius poſitæ attingam? vbi laudatiſſimæ memoriæ Philippus Palatinus cum plurimis aliis variis hoſtem circum mœnia inſultantem artibus eludit, & cum immortali præclaræ memoriæ ac victoriæ monumento profligat. Quid referam de militia Lazari Suuendii, Nicolai à Salmis Comitis & ipſorum inſigni commilitio? qui conſilio, celeritate, ac militari diſciplina, ne Turcarum furor penitus in Hungaria debaccharetur, præſtiterunt. Quid præterea Vicennale Bellum regnante Rodolpho II. fuit? quam vnum Martis Germanis & Hungaris contubernium? in quo tot duces fortiſſimorum Germanorum & bellicoſiſſimorum Hungarorum in acie Mars ſibi pignerauit, vbi pulcherrima virtutis bellicæ æmulatione arma Germani Hungaris, Germanis Hungari præcipiebant, nullo profecto illuſtriori argumento, quam quod in abolitione & ſanguinis profuſione fortiſſimarum ac pientiſſimarum animarum pro fide Catholica Bellica illa fortuna ſuo iudicio ac iure vteretur. Hinc ſacra illa nomina Ferdinandi, Maximiliani, Rodolphi II. in Templo Victoriæ aureis depicta litteris, quorum virtute barbariem Turcicam ſuſtinuimus, repulimus, profligauimus, niſi demum ſæuiſſima Ciuilis procella inuidiam magnam Hungariæ conflaſſet, in qua etiam de ſacris patriis Diisque velut captiuis hoſtibus triumphatum, nedum de hominibus. Et iam fæliciter Diuus Rodolphus ad Septenarii fortunatam adſpirabat victoriam, nec contingere potuit, dum Septimus à Matthia Primo Matthias II. quaſi luminibus Rodolphi officiente fatorum potentia emerito illo ſucceſſit, quod virtutis bellicæ rebus à puero fere inter Hungaros exercitæ & ſucceſſu victoriarum maxime polleret, & quod aſperrimis temporibus Hungaricam Rempubl. ſuſciperet, & excitaret abiectam. Adeo vis & virtus Septenarii in hoc Sacro genere firma & fortis eſt: vt cum alium quendam libarent duces militiæ, & multitudinis adminiculante Turcarum Tyrannide, illico ſublato eo, inuidioſam illam motus tempeſtatem debilitatam armis, conſilio, pace oppreſſit, & quod ſanctum Regni Inſtrumentum Coronam, nempe ignaro quidem, ſed à fato inuicto animo acquiſiuit. Nec vero in hoc dignissimo commilitio arma armis, duces ducibus, milites militibus comparauero. Omni ſiquidem comparatione maior nec æquilibrio populari ponenda Virtus eiusdem fortiſſimi & inclyti Regis Matthiæ II. qui ſuam Hungariam omnibus excoluit triumphis, omnibus exornauit tropæis, & præclare geſtorum florentiſſimam gloriam immortalitati pridem conſecrauit.

Alterum illud lumen & fulmen belli Pannonici Maximilianus Archidux: vt fidiſsimum ſe eſſe cultorem ſocietatis Hungaricæ oſtenderet, cum ipſo Turcarum Imperatore in campis Kereſtes fortunam bellicam tentauit victoria in manibus repoſita, quam inanimaduerſum fati numen, & prædæ cupido infælix militum noſtrorum extorſit. Ingemuit ac indoluit profecto Summum illud Aſiæ faſtigium ad fugam, & metum ſui capitis, ſatisque Victoria hæc ambigua admirationis apud Turcas habuit, Fugiſſe ex prælio Cæſarem Turcarum, apud nos habitura potius, ſi non fugiſſet. Quid reliquorum ſuccenturiatorum ducum in obeunda hac militia dexteritatem ac fortitudinem perſequar? Inter quos Mansfeldius ille principem habet locum, qui in ducis imperio ſtrenuitate, & fortitudine præditus noſtris admirabili, hoſtibus formidabili, diſciplinam illam militarem antiquatam fere apud gentes in theatrum reduxit, & qui ſolus ad ſacrum hoc bellum bonas attulit artes. Nec vero infinitam illam ducum Germanorum multitudinem enumerare libet, qui nec mente ambigua, nec manu ocioſa fortunam belli contemplabantur: Verum egregie animati omne virtutis decus illinc apiſci, illinc conſequi gloriam auidius plerumque quam audacius properabant. Bellum (vt ſummatim dicam) profecto atque arma pro Hungaria tanquam clypeo totius Chriſtianitatis quam fortiſſimis honeſtiſſimia, tam eadem & ignauis pulcherrima quolibet ſeculo viſa ſunt. Hæc fuit conſideratio ſocietatis bellicæ, quam gloria immortalis cum incomparabili nomine Germanorum merito conſequitur. Propria vero Hungaris laus, propria memoria, dum fatali quadam Virtutis ipſorum Experientia abſque Germanis aut celebres contra Turcas obtinere victorias, aut ingentes accepere clades. (Nec enim in controuerſiam Noua Belli Decora Hungarorum vocabo: Vetera pauca notabo.) Præter enim Iohannis Coruini Triumphos meritos hanc gloriam: vt nullius alterius gentis conſortium admittant, & veluti peculia Hungarorum æternum conſecrata celebrentur. Præter quoque Matthiæ illius inuictiſſimi ducis Hungariæ bella & victorias, quas abſque auxilio Germanorum (cum quibus fatales geſſit inimicitias) opera & virtute fortiſſimorum Hungarorum, quos ætas illa bellicoſiſſima protulerat, perpetrauit. Duo Fatalia Bella Hungariæ teſtantur, Varnenſe, & Mohacienſe, in quibus vt obiectu corporum Hungarorum procella funeſtiſsima totius Chriſtianitatis depulſa atque ablata eſt: Ita ſi non fuiſſet; Quid Europa tota fuiſſet? Fuit profecto Germania tunc in armis. Fuit inuictum Romanum Imperium. Cæterum pientiſsimo Rege noſtro Vladislao tanquam ſacra victima belli in conſpectu crudeliſsimi hoſtis iacente, iacentibus in ſanguine Hungaris: Gaudebat Germania vmbris. Gaudebat theatris. Gaudebat deliciis. Ac magis hoc in Ludouico II. eluceſcit. Ille flos Regum Europæ. Ille Hymen & vinculum Germanicæ (quandoquidem per eum Affinitas & ſucceſsio Auſtriacorum firmata eſt) neceſsitudinis & Hungaricæ, dum Solimannus tantis copiis inuaſerat Hungariam, vt illis eſſet anguſta, Danubius equis modicus, multum ſpe-

ratus

tatis petitiſque: ſed fruſtra ex Germania auxiliaribus, tandem propriis paucisſimisque ſidens copiis, quod certum hoc bello regnum quæreret æternitatis, incertum relinqueret Hungariæ, non equidem fælicius mortem oppetiit pro patria facilimam, quam exiſtimauit pulcherrimam. Interim Principibus imperii inter magna de auxiliis diſceptatione deliberandum erat. Vtrum ſcilicet, iam in acie Hungari magis ſpem auxilii, quam animum præſentem inueniſſent, quod non fuit facile, adferre etiam difficile. Illi idem & ſecum attulerunt, & ſecum abſtulerunt. Vnde quidem Hungari bellico hoc merito æuum immortalitatis non ſolum priuati votis & conſenſionibus: verum etiam publicis nuncupationibus acquiſiuerunt. Vos vero, Inuicti Germaniæ Principes, Quid niſi memoriam Seri Conſilii & Neglectæ Calamitatis in tanta Regis ſocii, & amicorum Germani nominis Hungarorum clade (vt Romani quondam Saguntinorum) apud poſteros recolitis? Cuius quidem Rei ampliſſimum teſtimonium perhibent Literæ illæ, quas Annales ſeruant Hungariæ, perhibent doloris & mæroris indices, niſi mæror hic inanis & indignus fuiſſet. Neque enim illi qui ſeruituris barbaricæ mærorem ſuſtulere, mærorem cupiunt: ſed cuius lucis vſum fortiter amiſere, eum vobis iucunde habendum reliquere. Quo ſicut illi hoſtilium vulnerum: Sic vos inanium affectionum victores ſitis. Etſi vero operoſum & audax facinus eſt Bellicæ Virtutis inter Germanos & Hungaros colligere diſcrimina, atque illam inuictam militaris nominis gloriam ocioſi cuiusdam ſpectatoris arbitrio ſubiici æque cuiusdam ambitionis inconſideratæ eſt: Illam tamen haud dubie prærogatiuam Germanica natio habet inſignem & iuſtam, ſcientiæ & fortitudinis apud illos eſſe principatum, atque etiamnum in re militari tanto maiores facere progreſſus, quanto pulcherrimus atque inuictiſſimus ipſius ſtatus maiore concordiæ vinculo, & bellicæ conſumatur inſtitutionis experimento. Nec bellicoſæ Hungariæ bellicæ ſcientiæ & virtutis laurea eſt detrahenda. Quis enim tam ignarus eſt, qui neſciat: vt gens Hungarica bello aſpera, ita inſtitutis, ductu, & auſpiciis Matthiæ Primi accreuerat: vt quæ non modo paternam à Pannonia glebam poſſideret: ſed vix intra propria pomæria ſe ſine ſanguine tueretur, tantum faceret acceſſionis: vt à Sarmatis ad mare vſque Adriaticum, & à Myſis atque Macedonibus ad Noricos vſq; ditionis ſuæ imperium propagaſſet.

Cæterum beneficio Dei viuit vigetque adhuc in Hungaris virtus Martialis à maioribus illorum infuſa, omni fructu gloriæ aucta, nec præliorum exitu terminata videtur. In theatro Martis ſæuiſſimo dulcia nomina Bellum. Mors, vt militibus, vt Hungaris, & aduerſus barbarorum monſtra & pro libertate, religione, dignitate. Gaudent aliæ gentes vmbris, gaudent ambulacris ocii mancipia turgida. Hungaris puluis placet, agon. Hungari rerum bellicarum nerui adeoque anima ipſa, quæ in illorum ſedens ſanguine non ſolum ſecuram ab hoſtibus ſpirat libertatem: verum etiam Turcis metum, imo etiam nec Pace ſtatuta fortibus durum, magnanimorum nepotibus notum! nec obſoletum recenti hoſtium ſanguine oblitis ſeruare ſtationes, vigilias obire! hoſtium inſultus, fraudes, artes attendere! æſtum geluque iuxta pati! Nec enim vnquam vacatio militiæ Hungaris conceditur viuente vicinoque Turca, in pace arma gerant neceſſe eſt, cuſtodia finium ac limitum Chriſtianorum æterna illis incumbit, quam claudit militis dies vitam, militia exauctorat: Vt non ſaltem Virtus emeritos belli conſequatur honores, ſed etiam Natura, fortuna, Fatum ipſum. Quod ſi propria & genuina Hungarorum militia, quæ vt maxime armorum variorum expedita celeritate, eruditiſſimis velitationum artibus ac ſtratagematibus, ſplendidiſſimis equitum peditumque Leuioris Armaturæ ornamentis cum Germanica illa Auguſta armorum dignitate Grauitateq; : Iam audacia & magnanimitas, cum illa Statariarum pugnarum dexteritate, ac rerum inſtruendarum peritia accuratiſſimaque diſciplinæ militaris inſtitutione coniungatur conſocieturque: Quod ſymbolum ad gloriam Chriſtianorum pulchrius? Quod ad ſalutem & ſecuritatem antiquius?

Ac tam diu bella aduerſus Turcos geſta, victoriæque Germanorum & Hungarorum nullam fortunæ relinquent cum ſcientia rei militaris controuerſiam, quamdiu hæc neceſſitudo bellica inter ipſos viget vigebitque, cuius rei maxima tot annis exiſtunt documenta. Habent enim ſummi bellatores Turcæ quandam armorum cum Hungaris ſimilitudinem, ob quam cum paria ſint cætera, palmam non niſi virtute obtinere, qui vincunt, poſſunt, nec facile diuerſitas hæc militiæ inter Germanos & Turcas ad fælicem proficeret Chriſtianorum victoriam, niſi per arma Hungarorum tanquam belli habentium ſymbolum facilior eſſet tranſitus. Et iam de ſocietate hac bellica loquendi finem faciam, ſi, ne finem hæc vnquam habeat votum faciendo, de eiusdem cum aliis vicinis gentibus fortuna ac perpetuitate paucis hæc concluſero. Non licuit (vt opinor) hanc ſocietatem colere per fata maximo Orientis & Græcorum imperio quantumuis Regno Hungariæ vicino & quondam confœderato, quod nimirum externo & barbaro armorum lenocinio deceptum, eodem fere tempore, quo ſocios belli Turcas hoſtes imperii recepit, non bello reuera pro fide Chriſtiana ſuſcepto, non geſto, & continuato, viſo prius in viſceribus hoſte, non audito libertatis finem ac imperii recepit. Ita velut Deorum hominumq; conſenſu & arbitrio Hungaria facta eſt clypeus Chriſtianitatis, & theatrum, in quo & de cauſa fidei Chriſtianæ, & ſalute totius populi Armis diſceptaretur, Hoc inſigne illud Geminæ Crucis nō aliquo fortunæ artificio, nō humano arbitrio: ſed diuinæ cuiusdā mentis augurio datū, & conceſſum abunde teſtatur. Quæ Hungariæ Profeſſio & gloriatio ad virtutem bellicam ſex ætatibus congruens Sacroſanctæ Cruci velut Deo Tutelari iuſtam in ipſius hoſtes iram mutuo quaſi exhibet, nec ante religione Chriſtiani ſacramenti ſe poſſe

ſolui

ſolui credit, donec cum priuata ſua cauſa publica totius Chriſtianitatis periclitaretur ſalus. Præſens quoque adhuc ſub inclyto Rege Matthia II. felicitas in futurum exigit omnium mortalium animos: vt velut ſigillum Victoriæ Chriſti hoc ſanctum Lignum, & ad vindicandam Hungariam à Deo latum veneretur, & cuſtodia armorum firmiſſima muniat: quantumuis modica hæc per quietem inquietam reſpiratio commodiſſima erit ad bellum, quod facilime cum hoſte illo legum diuinarum & humanarum contemptore renaſcetur, meditatio. Hæc erat hactenus, Bellicæ Societatis inter Germanos & Hungaros, tenuis conſideratio. Nunc de Pacis Neceſſitudine agendum. At Sagata eſt ſemper Hungaria, nec facile inuenietur, quando hæc ipſa, vel modica pacis vſurpatione quieuiſſet, Fateor, cum nemo vires ſuas in pace cognoſcit, & vbi bella deſunt, virtutum experimenta haud proſunt, arma Hungarorum nunquam adhuc ſitu ac ferrugine fœdata ſunt, naturamque bellis natam, nutritam, ac educatam inter tot bellorum nimbos haud facile iugum ſubire pacis, ideo continuam armorum indolem circumferens aſpero ob vicinitatem hoſtis bellicoſiſſimi ſemper vitæ genere indiget, & diſciplina militari. Quia vires armis & robore conſtant, quæ vbi deferbuerint, & à conſuetudine ſua deſciuerint, opprimentur, niſi opprimant. Interim vero Bellante Hungaria, Germani fortiſſimi, An non iucundus Tranquillitatis ſtatus ad hoc vſque tempus ad ſummum beatæ vitæ culmen vos perduxiſſe viſus eſt? Contemplemur enim Imperium illud Germaniæ potens & prævalidum, atque nulla parte Romanis rebus ac viribus inferius. Fælicitatis ille cultus æquali parte belli Hungarici præſidio, & ſapientiæ Germanorum erogatus, bonum ſocietatis Hungaricæ argumentum eſt. Contabuit fere Germania in conſortione deliciarum, dum Hungaria tot ſeculis duræ atque aſperæ conditionis ſolatio carens, ipſo bellicarum miſeriarum experimento enituit. Etenim (liceat rem adhuc inconfeſſam exquirere) ſi domeſtica quies inteſtinis ſeditionum fluctibus agitata non eſt, intemptatum Reipubl. veſtræ ſtatum cuius numinis tutela, niſi Pacis præſidio, retinuiſtis? At hanc eandem quis alius ſuæ ſalutis impendio defendit, propugnauit, conſeruauit? niſi propugnaculum illud inuictum Hungariæ euidentiſſimus exhauſtum cladibus, hoſtilibus ſeipſam gladiis obieciſſet, ſanguine ſuo meritas ab hoſtibus victorias tantum non poſt fata ſua in ſinum veſtrum cruentis tropæorum titulis retuliſſet. Vigebat. Vigetque vndique Templis diuinarum rerum cura ſtudiumque, neque Religioni ſuus honor ſuaque obſeruatio deeſt, neque profeſſorum eius iniqua vtilitas, & contextus rerum proſperarum. Iuſtitiæ quoque ſancta penetralia, in quibus iura & leges religioſa obſeruatione ſeruantur, inuiolata perſiſtunt, nec armis barbarorum, quæ promptiſſimam malorum omnium licentiam ſubminiſtrant, legum publica maieſtas violata eſt. Non agrorum ſolitudo, non vrbium orbitas, non generis interitus, non vitæ amittendæ perpetua ſollicitudo, contextus luctuum & lamentationum, non oppidorum ac pagorum deſertorum deformitas, non arcium tanquam humanarum cladium conſeptorum miſerandorum, quæ in Hungaria conſpiciuntur, vaſtitas amariſſimam hoſtium iniiciunt memoriam. Certa ac compendiaria eſt vobis omnibus Viuendi voluptas, dum fertiliſſimæ deliciarum tot egregiæ vrbes ægerrime intra legum diſciplinam coercitæ nouas ſubinde genii ac ſaginæ palliatas robore ciuilitatis ac humanitatis excogitant factiones. Viuitur, habitatur apud vos intra focos luculentos, intra foros magnificos, præclaram me hercule, pacis conſuetudinem, ac delicioſiſſimi huius imperii liberrima animorum corporumque lauticiarum fruitione vſque ad æmulationem decertatur. Nec mihi hoc loco prætereundum (ſi modo veritatis profeſſio libera eſt) Quis fortis miles, vel domeſtica gente, vel barbarorum natura firmiſſimus? Qui veſtra Vrbana Caſtra id eſt Ludos Gladiatorum æquiore animo contemplabitur? vbi pleraque ventris & Veneris mancipia ignauiſſimo animo, corpore flagitioſiſſimo, artis notiſſimæ contagio, ad ipſius gloriæ militaris ingratiſſimam ſugillationem penetrant: vt nullum genus ad virtutis bellicæ præmia eſſe ineptius hoc ipſum etiam experimento Romanæ cladis optime conſtat.

His ipſis nonnunquam animoſæ veſtræ acies inſtruuntur Vrbani Germani, nempe inter cultus Deorum ſacros eiuſmodi theatra ocii blandiſſimi delectationis cauſa excogitaſtis, ac non ſine ingenti Pacis rubore voluptatem & Religionem infeliciſſima copula ſcenicorum portentorum gratia maculaſtis. Quis deinde vos, Inuicti Germaniæ Principes, potentiæ Togatæ clariſſima lumina, in illo pacis fœliciſſimo domicilio non miretur? Quis non militaris diſciplinæ tenacisſima vincula, in cuius ſinu ac tutela ſerenus tranquillusque beatæ pacis ſtatus acquieſcit, non obſtupeſcat? Quod ſi olim Aureum ſeculum priſci illi iactitarunt, ſi ſacras illas cœleſtisſimarum ſcientiarum ſedes & Theoſophorum cathedras, ſi Lycæa Philoſophorum, Academias Philologorum, omnia omnium Muſarum myſteria aut magiſteria fœlicisſima hac pacis vſura florentisſima perſcrutari fas eſſet. Quid aliud vniuerſum orbem veſtrum, quam Aureum eſſe conſpiciat? In diuite illo, ac præpotenti Naturæ regno Germaniam contemplari, ac per ſublimes veſtri imperii titulos conſiderare fas erit. Auſtriam regalem & diuitem. Bauariam laborioſam & ferocem. Saxoniam bellicoſam & populoſam. Sueuiam validam, & exultam. Noricum auguſtum & ſolers. Palatinatus fœcundos, & ſerenos. Et præterea inſignes prouinciæ quouis nomine in tanta imperii veſtri amplitudine gaudentes variis pignoribus ac muneribus naturam ac pacem naturæ miniſtram obſtrictisſimam habent. Neque in numerum veſtrum

veſtrum cogam celeberrimum illud Romani imperii quondam municipium Belgium, neque Heluetiam illam per diſcordias, lites, bella ſociorum & vicinorum Principum in hanc libertatem ſpecioſiſſimam quaſi triumphat euectum. Illud enim quamuis præclaras res maximeque vtiles ſuæ Reipub. ciuili bello geſſit: neque tamen vero Triumphi honore dignæ. Quin lugubres & impiæ ſemper exiſtimatæ victoriæ hæ fuerunt: vtpote non externo: ſed domeſtico & Chriſtiano partæ cruore. Hæc vero ingloriam pacis gloriam, ac illaudatam otii domeſtici laudem habet, dum ardente bello Turcico Hungaria horrida armorum rubigine bellicam virtutem obſoleſcere patitur, præſertim cum miſeræ fortuna Hungariæ longam præſtandi huiuſce auxilii & muneris aduocationem adſequi poterat. Quid enim domi prodeſt eſſe ſtrenuum? ſi foris nihil agitur. Expugnentur circa vrbes, corripiantur viciniæ gentes, & regni ſociorum inuicentur manus, & quis eſt furor & rabies Turcarum diuina humanaque penitus aboleantur, niſi communi gentium Chriſtianarum lege, more, am citiaque ſuccurſum fuerit, partarum rerum pace æquatus otio cumulus ſedem ſtabilem non habebit. Quid igitur tam excellens & opulentum? Quid tam fœlix & pacatum? quam Bellans Hungaria Imperium veſtrum & diuitias tutata eſt. Delicias & vitam protexit, Pacis emolumenta omnia & præmia conſeruauit, quorum omnium vſus veſter honeſtiſſimus tanto plus delectationis attulit Hungariæ, quanto plus moleſtiæ illorum carentia. Diuites eſtis, Germani fortiſſimi, Hungarorum iacturis, locupletes calamitatibus, viuaces funeribus, cum totius Thraciæ, Tartariæ, Barbariæque Tyrannorum, cæterarumque illius tractus gentium nunquam fida pace quieſcentem feritatem à finibus liminibusque veſtris fortiſſime repulerunt.

Nec enim tam remota eſt Hungaria, vt ſi in finibus ac liminibus ſuis aliquid periculi aut detrimenti patiatur, ſubinde eadem ad vos peruolet calamitas. Illud vero omnino vnicum ſolatium habet eadem Pannonia vos omnium illorum vices habere iucundiſſimas, quorum inimicas vires experiri coacta eſt. Nõ enim (ſic plurimi rerum Hungariæ gnari opinantur) coloniæ illæ imperii veſtri ampliſſimæ, non ſplendida municipia Togatæ vitæ feliciſſima ornamenta oſtentarent. Non in hoc luxu & mechanicarum artium accuratiſſima indagine Athenæ illæ Germanicæ Norimberga floreret! Non Lacedæmonia Argentina tam læta lumina Curiæ & ornamenta fori oſtentaret! Non Auguſta illa Tiberia cum Auguſta illa Vindelicorum patrii nominis Regiæ autoritatis impari æmulatione decertarent! Non Francofurtũ Emporiũ tot gentib. frequentiſſimũ, & mercib. alienis nobiliſſimum exiſteret! Non Spira apud Nemetos: Nõ Vormatia apud Vangiones amœniſſima pacis gloriatione fruerentur! Non Vlma Sueuorum celebri ſimilis Corintho ad Danubiũ captura lætentiũ lucro ſe conſideret! Nõ reliquæ innumeræ, opulentiſſimæ vrbes, & clariſſimæ Reſpub. vberrimos inter fructus Pacis ocio & imbellia veteraſcerent! Nam ipſa Viẽna pacis huiuſce meritiſsimã conſortionem ſibi iure vendicat, cui pari inclytæ victoriæ contra Turcas auſu par Gloriæ, & Pacis portio auferenda eſt. Nec enim fruſtra maiorẽ cladis vim, quam victor æ inſignem à ſuperis accepit lauſẽ, quum totius imperii Germanici incolumitatis præſidiũ ſummo periclitari periculo noluerunt. Viẽnæ enim obſeſſa in extremis Europæ finib. tumultuarũ eſt. Quod enim amplius miſeræ Hungariæ donum, quã quod tot annorũ periculis vacui, participes ipſius beneficiorũ eſtis. Iam igitur quæro à vobis, Inuicti Germani: Num porro Regni Hungariæ fortuna cõmunis vobis nõ eſt belli gloriosiſsima, pace vtiliſsima? num amicorũ, vicinorũ confœderatorũ titulos æquiſsimos non habetis? Regis veſtro Vnius ac eiuſdem magis quã ſuum diuerſorũ ſubditi eſſe non deſideratis? At veſtrã antiquã quiete & nouam cum fœlicitate diuturna etiam atq; etiam attentius conſiderate. Quum vos domi Auream Pacẽ habetis: Foris nemo laceſſit. Aut ſi quis hoc audeat, nemo impune laceſſit. Regni vero Hungariæ quæ adhuc fortuna eſt? Denuo anno viginti externo colluctata bello ſub Rodolpho II. Imperatore, demum ciuili incendio arſit, videtq; & ita æſtuat flãmis furentibus: vt niſi Diuus Matthias Rex noſter inuictiſsim⁹ felicib. auſpiciis accurriſſet, iam vltimũ dicere, ac funeſtiſsimo gemitu Maronianũ illud lamentari potuiſſet. *Fuimus Troes: Fuit Ilium. Fuimus Hungari. Fuit Pannonia.* Si enim quid Hungaria in flore ſuo pulcerrimo quondã fuerat, cognitũ habetis? ſi opes illius, ſi maieſtatẽ, fortitudinẽ? ſi triumphos? ſi *Nouem Regnorum*, quæ ipſius imperiũ conſtituebant, potentiam vnquam audiſtis? quæ è monumentis veterum, quid eadem ipſa à mille annis gentilis, à ſexcentis Chriſtiani imperii efferetur, didiciſtis? & quis præſens ſtatus? quæ ſors? dum *in media Pannonia Pannoniam* ipſam requirimus fieri nequaquam poteſt quin vehementiſſime commoueamini, & ex animo cupiatis illam veſtræ ſaluti ſaluam, incolumitati incolumen, ſi modo neceſſitudinibus Pacis huius diuturnæ perſtui omnino cupiatis, quibus ita certare vobiſcum cuperet Hungaria, vt nihil à vobis accipere vellet, quod non cum inſigni fœnore rerum omnium in ea naſcentium cumulatiſſime referre poſſit.

Quæ enim de fœlicitate Hungariæ feruntur etſi meliori ſua parte partim ab hoſtib. & fertilitate poſſeſſa eſt, partim ex belli calamitate vaſtitatem contraxit inamœnam & horridam: Nihilominus tamen & nunc à natalibus ſuis non degenerans, nominis & laudis ſuæ antiquæ æmula in his ſuis anguſtiis, aut (vt noſtro more loquar) reliquiis commodis Germanorum vicinorum etiam ſuo ſeruit incommodo, omnia naturæ munera, quæ Promo Condoue imperantur, aliis viciniis liberaliſſime impartitur, id quo alio quam Societatis ac munificentiæ nomine appellemus? Experitur illud Auſtria, Sileſia, Bohemia & reliquæ vobis cognatæ prouinciæ: vt quod toti veſtro imperio denegatur, in parte partibus eiuſdem compenſandum eſt. Cæterum quid aliud eſt Veſtra inuicta Germania, quam perfectiſſimus quidam orbis, qui nullius rei aut ſapientiæ eget. Omnes enim Naturæ dotes opulentiſſimæ vobis liberaliſſimæ, & ad veſtram voluntatem munificentiſſimæ datæ ſunt, quibus ita contenti eſtis: vt nec Hungariæ tanquam longinquam & obſoletam concupiſcatis

vbertatem, & veſtra domeſtica commodiſſime perfruamini pacis opulentia. Hungari è contra vtcunque belli difficultatibus, & hoſtium armis artibusque obnoxiam & afflictam patriam poſſideant: eadem tamen non ſaltem dubia immorari vita: ſed etiam certa immori morte cupiunt. Illi ſane, dum aliam patriam nec habere, nec ſperare poſſunt, ab hoſtibus expugnari nequeunt: pro veſtris vero virtutibus vel amari à bonis vel timeri ab infeſtis poſſunt. Sed vt de externa Germanorum ſocietate quæ Togata dici & eſſe ſolet, Sociis Cultoribusque ipſius ſinceris paucis dicendo ſatisfaciam, indignaque ſunt acri verborum ſale maſtygia illa, quæ vel veteris leges neceſſitudinis antiquare, vel nouæ iura amicitiæ odio & inuidia prægrauare ſtudent, ipſam Hungariam Germaniam eſſe, Lares publicos, patrios, antiquos eoſdem habere Gentem Triunam Hungaros, Germanos, Slauos, cuius verſato in Hungaria ſatis conſtat. Quæ enim Reſpub. eſt in Hungaria, quæ à Martiali illa feritate in ſocietatem ciuilis vitæ penitius coaluit, quam Germanica natio non compleuit? Hungari Heriles Heroicique rureſtres Montanique habitant, locorum difficultatibus, montium & ditionum præſidiis præclara munimenta poſſident, apertiſſimo ad omnia bellorum euenta loco Martem obſeruant, virtutem nullis includi carceribus volunt. Germani ſuccenturiatis Slauis vrbicarum plerumque deliciarum aptiſſimi cultores, inſtitutis artibusque politicis excolunt patriam, domibus & ſuperbis exornant ædificiis, Mercurium colunt ob ſolertiam artium mechanicarum ſtudio eo progreſſi: vt & ad ſedes inferas paulo progreſſi metalla, tum neceſſitatis humanæ nutrimenta: tum cupidinis irritamenta eruant, manibusque eripiant. Ita, vt fatear aut bello obſcuratam obſoletamque ſine Germanis fore Hungariam: aut certe nos ſine vrbibus, pellibus, caſtris, antiquo more ſpelæisque ferarum ritu victuros, nullum vitæ amœnioris cultum, nullum popularis humanitatis decus, nullum vrbicæ voluptatis adminiculum ſine Germanis habituros. Quid pulchrius in Hungaria Regiis ac liberis ciuitatibus? Quid ditius Montanis vrbibus? Quid in Tranſyluania fortius ſeptem Saxonicæ gentis munimentis? In illis omnibus Germani ſunt non precario, non noui, non hybridæ adſcriptitii: ſed ciues, pariter Domini. Duo fortiſſima Hungariæ propugnacula Iaurinum & Comarinum ſua quadam veteri lege principatum militiæ Germanicæ à Diuo Ferdinando poſſident Germani, Hungaris eadem lege ſuccenturiatis. Vt taceam de Auguſto Capite, quo imperamur, eoſdem, vtrinq; habemus ciues, iudices virtutis noſtræ, commilitones, laudatores, hoſtes formidatores. Quid quod Illuſtres in Hungaria familiæ, aut Germani participes ſanguinis, aut Germanicæ iuri affinitatis noua Hungariæ lege ita coaleſcunt: vt ſi bellum ingruat, inteſtinum omnino Martem exercere cogantur. Age vero quod Hungari non inuidi ſuæ naturæ & virtutis admiratores, morem hunc quoq; laudatiſſimum antiqua conſtitutione conſtitutum à maioribus habent: vt Germanos ſuarum expeditionum comites, laborum ſocios, victoriarum autores, aut alias pace conſilioq; bene meritos, nō toga aut prætexta (quæ blandimenta ſunt ætatis) nec ſcuto aut framea ſaltem (quod vnum prælii & ſimplex eſſet teſtimonium) publice donant: ſed communi gentium amore & conſenſu in ſuam adſciſcunt Rempublicam, ius honorum ac officiorum bellicoſæ donant Hungariæ, ſuis adſcribunt legibus: Quod profecto ſummum virtutis ſignum, quo & fortiſſimi iam, & fortiſſimorum patria digniſſimi eſſe poſſe cenſentur.

Bohemia præterea Romano Germanorum imperio plurimis obligata nominibus, quantum gloriæ ex data quondam Regum libertate ſibi vendicat, tantum laudis Germanicæ facit acceſſionis. Nam quid primum illud commemorem? Germani, Bohemorum ſummi Magiſtratus etiam hodie veſtratum Cæſarum nomine ſacroſancti ſunt? ſic quondam Vratislaus ab Henrico III. Cæſare diademate regio donatus eſt. Vladislaus I. Friderici Barbaroſſæ beneficio axioma regium conſequitur. Premislaus interpolatam Regiæ dignitatis exiſtimationem à Philippo Cæſare recipit, à quo indemptam ſerie Reges habent, & beneficii habent loco. In ipſo Romano imperio quid excellentius Sacro Septemuiratu? Vna cum Regni rudimentis Gloriam huius Bohemia accepit illibatam, incontaminatamque in hodiernam vſque diem poſſidet. Itaque quum à ſummis Cæſaribus ſummam regiamq; dignitatem accepiſſet, eam quoque iiſdem hoc ſacro Electionis iure acceptam referendam in more habet. Affinitas cum tot ſeculis varia ac multiplex contigit, vel propria & germana Bohemiæ, vel communis cum Regno Hungariæ, diuino beneficio tandem Domus Auſtriaca hac lege Affinitatis vtriusque Regni obtinuit ſucceſſionem, ius, hæreditatem. Cæterum qui Aborigines Bohemorum ex Pannonica Coruatia aut Slauonia ignorant aut negant, maximam & nobiliſſimam Germaniæ partem Bohemiam audacter dicunt. Dum vero conſiderat quis iam Reipub. conſtitutionem, communicatum vtrinque robur, animorum temperatam vim, diſpartitos mores, humanitatem, manſuetudinem, neceſſitudinum affinitatumque leges, clientelas, commercia victus opumque domi, foris petita, Germanorum an Bohemorum ſit Bohemia? hallucinabitur. Si repetet quispiam cum veteri, tum recenti memoria virtutem vtriusque gentis parem, conſtantiam, fortunam, redditas clades, receptos triumphos, vindicatam libertatem, vltro citroque pacatum ardorem adeo: vt ſatis ſibi acceſſionis putent factum, ſi æmulationis iugum, depuliſſet, abundeque alteri cenſeat imperare ſeſe, ſed ſi ei non ſeruiret. Quis Germaniam in Bohemia non mirabitur? Quod ſi non Sola Virtute, quemadmodum plerique ſapientum, vitæ noſtræ rationes deſcribamus. Fortunæ Bona breuibus commemoranda conciliabimus. Siue igitur telluris opulentiam, ſiue metalla, ſiue aliarum rerum copiam, quib. vſui ac decori quantum natura exigit, indulgemus, Bohemi Germanis habent communia, Equorum armenta, vrbes ingentes, bene munitas, frequentes, bonarum artium pleniſſimas, ampliſſimos ſenatus, iam ipſum vber agri lætiſſimum, feraciſſimumque

numque vno eodemque iure gens vtraque Communi fruitur Bono: vt profecto excepto hoc nominum diſcrimine, quæ nomina mortalium caſibus, locis illis contigerunt, excepta linguæ varietate, quam (inuitis Germanis dicam) à priſca, & glorioſa gente Slauonica non ſine decore & admiratione ita excoluerunt, vt Græcam Attici aut Iones, pro hac ipſa neceſſitudine & coniunctione Natura ipſa pari conatu ſtudioſe certaſſe videatur.

Hæc erat Pacis & Togatæ inter gentium Triumuiros Societatis conciliatio, eritque, modo ſummã Pacis numina faueant, modo ſit perpetua domus inclytæ Auſtriacorum poteſtas, qua imperamur, & ciuilis cura concordiæ quam imprecamur.

Morum quædam parilitas aut ſimilitudo ſequitur, quæ ſi à laudabili naturæ fomite, aut à delectabili conſuetudinis vſu promanat, rata firmaque ſit, neceſſe eſt Societas: Sin horum duum illicio quaſi aut glutinio caruerit, fluxa infirmaque ſemper exiſtit. Nec enim exiſtimo vel in ipſis ſedibus Deorum Immortalium plenam eſſe morum conformitatem: vt Poetæ miris nos opinionibus percellunt, & ſuis dementant fabulis, dum locum, quem incolere Deos aiunt, *ſecuras ſedes vocant & tranquillas, non turbinibus & tempeſtatibus obnoxias: ſed ſerenitate molliſſima & puriſſima perpetuaq; eque circumfulgentes luce.* Quod ea beatis & Immortalibus maxime conueniat conditio: ipſos vero Deos diuerſorum Morum ac inſtitutionum vnde diſſenſionum, offenſionum, iræ atque aliarum perturbationum fontes ſunt abhorrentium ab hominibus etiam noſtri generis cordatioribus, introducti. Inſitam præterea eſſe natura animis hominum vim quandam ſimilitudinis diſſimilitudinisque: tum ad amorem, & ad odium, qui Philoſophi voluerant, nihil à veritate ſenſiſſe alienum mihi videri ſolent. Quid enim obſtat, quo minus nos quoque hoc idem in noſtro gentium Triumuiro experiamur morum diſparem varietatem, quam vel à natura, vel cœlo, aut conſuetudine, aut denique vario fortunæ euentu in tanta vitiorum affinitate in tantam creuiſſe lucem. Quid mirum eſt? Nec enim fortiſſimi Germani, plenioribus velis prouehar in Mores veſtros, nec mihi in hac re diuina, quum verſandum eſt in terra, autoritate cenſoria commorandum erit. Leuiter enim, quod ad laudem vſumque noſtri Trinubii eſſet attingam. Omnes igitur perfecti animi dotes vobis à Principe Naturæ vel ſuo iudicio liberaliſſime adfluxerant: Omnium maxime ádmirabor in ſumma opulentia miram frugalitatem, in ſuprema fortuna æquabilitatem, in maxima potentia humanitatem, in ſimplicitate prudentiam, parcimonia temperantiam, in audacia fortitudinem. Religionem profecto Germani lentius recipiunt, acrius fouent ac retinent, pertinacius defendunt. Bellum & ſuſcipiunt fortiter, & adminiſtrant conſtanter, & debellant fœliciter. Cæterum vitæ temporisque Leges non ad immanitatem in bella: ſed ad bella pro pace conferunt. Luxum dum caſtigant augent. Delicias iterum omnis generis augendo magis vitant: vt luxurioſas alias nationes frugalitate ſua præſtent. Ebrietatis elogium amant, ſed non laudant. Mortis metum quia contemnunt, formidant mortem, virtutem quia colunt, meritis fortunam obtemperare dum cogunt faciunt. De Bohemis quid dicam? Quantum gloriæ ex his omnibus illi ſibi vendicant, tantas faciunt Germanis laudium ſuarum acceſſiones. Plurima etiam quæ à natalibus ſuis munera genii ac ingenii habent conſuetudine venuſta, & humana & ſplendidiora & delicatiora efficiunt, æmulationeque Germanica nimis ſibi indulgent: vt beatiſſimæ agricolarum vitæ officinam excipias Albim Bohemicum mediam ſecare Germaniam (vt ex quibusdam Geographis liquet) quiuis comperiet, ambigantque hodie quidam Bohemi, intra quos gentis limites ſubſiſtant, an vbi per initia ortus ſui ſeminio nati ſunt? an vbi aduentitij Germanicæ terræ acquiſiuerunt imperium? quam etiam ſuo ſanguine quæſitam ab hoſtium vi optime tutari poſſunt. Hungarorum natura tota Martialis, ſupercilium ipſorum aſſiduis procellarum fomentis corrugatum, ſolitudinis peruicaciam (vt Plato ait) habet contubernalem, moribus aſperis cœlo mitiſſimo bellum indixiſſe putantur, libertatis amorem dum ſequuntur, vindicant, iuſtitiæ ſtudium & culturam, dum nimis vrgent, ſpernunt, ſi copulatam cum ſolertia potentiam habent ægre Tyrannidem, quam omnes horrent vitant, crudelitas in vita, ſaltem extra Martis theatrum, aut vbi vindictæ cupiditas qua ardent, imperat, caſtimoniam ſeuerius colunt, quam cuſtodiunt incautius, Ebrietatem & crapulam compenſant abſtinentia & parſimonia. Quid vero ſpecioſius ad Vnius Imperii ſocietatem? aut ſocietatis Imperium dignius? quam tot gentium diuerſitas, tot morum diſparitas in æquilibrio poſita, & iucundiſſimo concordiæ temperamento moderata, vbi ſolæ virtutes miſcentur illibatis viribus. Non attenuabo, inclyti Germaniæ Principes, Romani Imperii receptam Gloriam. Obeamus eius terminos, quorum latiſſima ſpatia maximis bellicoſiſſimisque gentibus habitata octoginta amplius ſecundum veteres Chorographos explent prouincias: ſed quales quantasques Aliquarum profecto eo vſque diffunduntur vt ingentis regni vel iuſtum nomen retinere, vel veram magnitudinem obtinere poſſint. His ſi coniurgamus Hungaros, Bohemosque atque ſub eorum imperio Croatas, Dalmatas, Slauos, Myſios, Siculos, VValachos, Moldauos, Morauos, Quados, Luſaitos, (quos omnes ſummatim repeto neglectis mediis aut minoribus) à mari nimirum Adriatico ad Oceanum illum, quem immobilem fabulantur. Quid ni vaſtiſſimi illius Imperii Romani molem, tot gentium, tot populorum infinitam multitudinem adæquabit aut exuperabit? Quid præterea in officio ac ordine retinere poterit? niſi Vnius Imperatoris Maieſtas & autoritas? Quid in ſocietate Imperii & Vnius Imperatoris obedientia & obſequio confirmabit, niſi gentium hæc diſparitas, ex qua, vel amoris incitamenta vel timoris irritamenta parient æmulationem quandam (vt fieri aſſolet) Fidei ac Integritatis, non diſſimili ratione aut opinione illius Philoſophi, qui

Vniuerſitatem hanc, q̃ Mundum appellamus per Litem & Amicitiã componebat. Sic Imperiũ Diui Matthiæ I. Imperatoris concordem diuerſiſſimarũ centum fere gentium conſtituet Triumuiratum.

At commode mihi hic non tam quærendi, quam commonendi, Gens Imperialis occaſio eſt: vt ne eos audias, qui tibi iſtam gentium amicitiam inuident, & dum pleraque de tuo inuicto robore ac viribus gloriantur, vt te mutuis odiorum venenis inficiant, hoc denique agunt, Hungaris Barbariem, hoſtilitatem: Bohemis inſolentiam, luxum obiiciunt. Non hæc Hungaris Bohemi, non Bohemis Hungari, non Bohemis ac Hungaris Germani obiiciunt: ſed concordiæ communis hoſtes, qui cum tranquillis rebus humi ſerpunt, in Rerumpublicarum incendiis ſuas quærunt fortunas, & diſcordiarum fomenta diſſeminant. At cenſores: Morum oportet eſſe probos, prudentes, & in Rebuspubl. beneficos homines, non vicia, ſed virtutes obſeruant, non quod reprehendant: ſed ſed quod laudent, quodue ad ſalutem Reipubl. conferat, habent. Cenſent igitur in Hungaris acres animos, magnanimos contemptus inſcios. In Bohemis candoris humanitatis ſtudium, aperta, & fraudis neſcia pectora, quum mores longe facilius nutrimento ætatis & temporis coaleſcunt, quam ſi ita à natura formati ac educti ſunt. At ſi in eorum Moribus quid, vel à communi gentium conſuetudine vel a veteri integritate defluxum ac aberratum eſt, id non malignitati vtriusque gentis adſcribendum, ſed in altera bello huic externo & ciuili, & vicinitati Turcarum, quæ ſecum non tantum fortunarum iacturam, ſed & morum perniciem trahere ſolet. In altera longæ ac diurnæ Paci domeſticæ, in qua vigor ille naturæ animorumque militarium diſciplina obſoleuit obtorpuitque. Quantum enim bellicoſiſſimis Hungaris bellum funeſtiſſimum mutuæ diffidentiæ & ferociæ ingeſſit: tantum Bohemis fortibus ac ingeniis licentiæ ac lubentiæ peperit tranquillitas: vt vere dici poſſit, Hungariam nimio bello: Bohemiam nimio ocio, vtroque malo domeſtico dilapſam eſſe. Equidem experientia teſte, Gladii ſunt fundamentum Fortitudinis. Itaque fortium hominum non in domo: ſed in campo, non in thalamo, ſed in bello: non in menſa, ſed acie neceſſitudinem eſſe quærendam. Vt etiam apud Thebanos de acie quadam iactatum eſt, cuius robur ex amicorum coniunctione hoſtibus eſſet formidoloſum, vel ab Homero præſcriptum, vt per Tribus & familias cognatorum ordines ac manipuli componerentur. Tanto magis in hoc gentium Auguſto Triumuiro abiectis domeſticis affectibus & repertum, & poſitum in more eſſe debet. Neque enim vitia gentium, quæ tantum liuor obſeruat, vnde infeſtiſſimum naturæ odium plerique ex induſtria commentantur, confero: ſed virtutum ac morum communem quandam Harmoniam conſidero. Iſtæ enim non ſaltem naturales & gentiles: ſed etiam à ſacris Chriſtianæ Religionis ritibus & apparatibus profectæ ſimilitudines & morum imagines ſunt. Amor & obſeruatio Regum & principum, inſtitutio Reipublicæ, munimenta vrbium, curiæ ſenatusq; dignitas, generoſitas, bellicoſitas, impatientia contumeliæ, mortis contemptus, laudis amor, & fuga dedecoris per mortem & vulnera, libertatis acerrimum ſtudium & propugnatio, minus metu quam beneuolentia in officio permanſio. Omnia denique ad iuſtitiam, dignitatem, pacem, fidem, religionem conſeruandam inſtituta: Hæc eſt vera illa vt eſſe debet gentium ſimilitudo, & ὁμόνοια quam in noſtro gentium Triumuiro homines non excordes, non mali cenſores facile reperient. quæ quidem eo gratior eſſe debet, quo eſſe poteſt antiquior, quam nimirum Aborigines veſtri, Gothi, Hunni, Vandalique (vt Annales tradunt) vna eademque militia, victoria, conſuetudine, imperio feliciſſime excoluerunt. Faceſſant igitur denique indigniſſimi odiorum architecti. Faceſſant diſcordiæ artifices, quam vnam, & rem Chriſtianam perdidiſſe, & hoſtium auxiſſe palam eſt: Vtrum vero tandem, Germani fortiſſimi, exiſtimatis fœdiorem hoſtem vos? Turcamne inuadentem lares noſtros? an odium & diſcordiam aſſilientem animis hominũ? ſane hæc illi fauet, ſine hac ille nihil eſt: O Turca, Turca: Fac nos diſſidere odio, inuidia! Et Vinces, concordia vigere! & Vinceris, iam noſtris te moribus Victum, noſtris inuictum moribus facimus. Satis, opinor, dixi contra opinionem quæ inueteratam gentium huius Triumuiri odium fingit, & quæ ex paucorum vecordia, ac maleuolorum iactantia nata eſt, vulgataque diuina humanaque munia, quantum in ſe eſt, confundere conatur.

Vos itaq; Germani inuictiſſimi, ſi nec Exemplis maiorum veſtrorũ in tuenda ſocietate Hungariæ & Bohemię moneri ac moueri poteſtis, nec tot ſeculorum neceſſitudinis excultæ monumenta afferre aliquid momenti videntur, At Maieſtas veſtri imperii id omnino requirit: vt bellicoſiſſimorum Hungarorum & Bohemorum neceſſitudinẽ colatis, fœlicitatẽ tueamini. Nec enim volo commemorare, ad quantum rerum faſtigium quondam euectum erat Romanũ Imperiũ, Auguſta ipſius mole incumbente Aſiæ & Africæ iugum paſſæ. In Europa q̃ nunc ampliſſima & potentiſſima Regna florent? Hiſpania, Gallia Anglia non ſaltem vulgari Imperii nomine, ꝙ cuiuis obtingere poteſt: ſed eo iure, cu[9] neceſſitatẽ patauos, & proauos viros fortiſſimos ceruicib. impoſuiſtis, Romanæ poteſtatĩ famulabantur. Vnde & honores, reditus, opes, & ſocietates acquirebat ampliſſimas. Nunc vero Romani decus Imperii æmulationi illarum gentium inuidiæque obnoxium, ꝙ tanto prouinciarum ſplendore honoreque veluti denudatum ægre maieſtatem ſuæ vetuſtatis tuetur, intra Germani nominis magnitudinem conſiſtens, ſacra quadam religione terrorem magis incutit, quam periculum infert. Nam hæc quoque quid attinet ſingula recenſere. Pulcherrimum illud Romani Imperii municipium Belgium, tot inclitarum gentium patria, tot principum germana patrimonia, & ſi pro antiquo Germanorum decore, & recenti libertate acerrime decertat: tamen alienæ gentis imperii timor, ſuique confeſſionem haud inuitum exprimere debet. Si igitur eidem fortunæ Hungaria ac Bohemia committenda erit, quæ vltro ſponteque ſua maioribus veſtris adhæſerant,

veſtri

veſtri communione imperii firmatæ. Quantum acceſſionis decrementum! Quantum Gloriæ detrimentum! Enimuero, ſi quis Deus vobis ſpondeat, etiam abſque Hungaria & Bohemia inuiolata veſtri imperii iura diuina & humana, illibata belli & pacis decora poſſe conſiſtere: tamen fore, vt gratiæ pars Hungaris referatur, qui in periculum dietim pro vobis veniunt, vtque conatus hoſtium, qui Hungaros in ſocietatem ſuam variis artibus ac lenociniis pelliciunt, auertantur. An auditum apud vos aut proditum memoria eſt? Solimannum illum Aſiæ fulmen ac prodigium maxima animi voluptate & delectatione Hungarorum aucupatum eſſe clientelam, dum Ioanni II. Deorum ira, & fortunæ aſperitate eo prolapſo: vt ſe in nefandum Othomanicæ Tyrannidis patrocinium abiiceret, Hungariam totam, quantacunque ſecundum veteres Terminos deſcribitur, reddere purpuratos ſuos abſque puluere & ſanguine ſerio mandaſſet. Iſte quidem hanc Barbarorum ſeruitutem clariſſimo recepit pignore: ſed euentus Reſtitutionis ſtipulatæ ob genus barbaræ ſuperbiam & perfidiam conſequi haud potuit. Quod nouum aſſentationis hoſtilis, aut ambitionis Barbaræ documentum adferre libet? dum Stephano Bockaio, qui fato quodam inexputabili acerrimo remedio res Hungariæ prolapſas ſe vindicare gloriabatur, poſt tot affectatæ Barbarorum munificentiæ aucupia. Regium illud & diuinitus contingens axioma, adulterina ex Græcorum aut vicinorum Chriſtianorum reliquiis Corona data, Barbarico faſtu & adulatione conferendo, Sacræ Hungariæ Coronæ illudebat, vt quauis ſaltem ratione Hungaros in clientela ſua & obſequio retineret. Et vnde *Ilias* illa *malorum Tranſyluaniæ* in Hungariam propagatorũ, & furor ciuilis debacchantis inſaniæ in patriam? dum pleriquc acrius mentem in fouenda Turcarum ſocietate defigunt, & tanquam *malo dæmonio conſecrant.* Quid igitur dicam? Quid futurum augurer? Dicam, inquam, inuictiſſimi Germani, & bona veſtra venia: Si Hungarorum imperii ſocietatem neglexeritis, quando veſtris conſiliis fatum aliquod prodigioſiſſimum imminere videtur, deſeret vos veſtra illa Hungaria, clypeus & propugnaculum Chriſtianitatis. Deſinet eſſe vobis illa murus ille aheneus, (Dij Immortales hoſtibus omen hoc & augurium) & ſeruitutem ſeruiet alienam, non ſua culpa: ſed quod iniquiſſima conditione, ex veſtra Chriſtianorum lentitudine perfecta imperioſa neceſſitas adegit: vt abſque fiducia veſtræ neceſſitudinis, & auxilii toties fruſtra deſiderati ſemel ſecure periclitaretur. Tradet igitur tibi, *Germania*, in tuas manus æternum illum Martis Turcarum ludum, & ſæuiſſimam *Aſiæ* Tyranni procellam in tuas tranſmittet ſegetes, Hoſtis acerrimi furorem, quem extra belli aginem ſola nominis mentione horrebas, inteſtino marte in tuis viſceribus furent m experiere. Nolite igitur, quæſo, Germani hac abrogatione neceſſitudinis ac ſocietatis imperij calamitoſum, & æternale bellum nunc inire, & tempeſtiuum imperii imperio præoccupare occaſum! Nullum equidem maius veſtri imperij Inſtrumentum, vel ad ſalutem & gloriam, vel ad perniciem & ignominiam, quam hæc Hungariæ (de qua toties agimus) & Bohemiæ Societas. Quas vero poſt fatum tuum inuictiſſimum Diue Cæſar Rodolphe ferias condam? Quæ parentalia ſacrabo? ſub cuius imperio fauſtiſſimo Societas hæc omnibus feliciter numeris exculta eſt. Hæreditaria illa quidem & ſanguinis Regalis in tuo capite ſacrato diuina ſuff agatione ſtabilita fuit. Bellica vero vnanimi ducum, gentiumque vſibus retenta, ex cuius ſinu omnes illi hoc continuo contra Turcas bello Triumphi promanarunt, qui non tam numero, quam gloria Triumphationum excelſiſſimum Societatis Decus conciliarunt. Etiam diuina tua merita, inclite Cæſar ad altiſſimum diuinitatis faſtigium fulgebant, dum pro Pacis quo animi tui ſapientia collimabat, complemento, amariſſima Belli Ciuilis tempeſtas ſequuta ſocietatem hanc adflixit, veriore an miſeriore cauſa, quod violatis huius legibus efferata Barbarorum conſpiratione errore ne conſilij? an iniuriæ propulſandæ cupiditate præclariſſima Belli decora felici pacis conſummatione abſolui minime poterant.

Cæterum nihil pro Rodolphi Auguſti laude inclyta, nihil pro Maieſtate Romani Imperij & ſalute Hungariæ, (in quibus ſeruandis dicam ac militũ gentium ab hac ſocietate diuerſarũ irritamentis maxima & digniſſima Rerũ expectatio vacillabat) prætermiſit Matthias II. auctor, & tutela noſtræ incolumitatis, ne iura excellentiſſima ſocietatis Pannonicæ & Germanicæ totius orbis Chriſtiani ruina collaberentur, diuinis prouidit cõſiliis, peſtiferas illas patriæ ſeditionis flam̃as extinxit, necesſitudinis huius leges reuocauit, inuidiæ titulos iniquiſſimos antiquauit. Itaque Viget adhuc puſſimum Societatis huius & animoſi ſpiritus Contiguum, ſtat pax firma, leges Mutuæ florent, ſincerus priuatorum ac publicorum officiorum tenor ſeruatur. Quod vnicum meritum, inclitiſſime Rex, nonne multiplex ad Axioma Imperij conſequendum argumentum? Nec enim, Diue Rex Matthia, vel vetuſtatis vel noſtri ſeculi Exempla ad comprobandam & exornandam Imperialem Succeſsionem deeſſe poſſunt. Fingam ego primum, conſilij tui fidiſsimum ſequeſtrum, Rex Glorioſiſſime, aut animi tui arcaniſsimum colloquium. *In eodem domicilio tecum, Cæſar Diue antequam naſcerer, habitaui, in eiſdem incunabulis beata illa pueritiæ tempora tranſegi, eoſdem appellaui parentes, eadem teneras aures* næniæ *permulſerunt, eadem pro me cura excubuerunt, parem ab auorum & atauorum imaginibus Gloriam traxi: eundem Succeſsionis* paternæ fontem *& fomitem accepi, me proximus fraternæ beneuolentiæ gradus excepit, eandem ad ſpem honorum & gratiarum Imperij educatus ſum. Quod ſi diuina prouidentia efficí poſsit vt mihi in manus proſpera parentum veniant vota, ac virtutibus ac meritis meis in Rempubl. iuſta merces æſtimationis accedere debeat. Quid optabilius? Quid ſpecioſius? Patriæ Summi decus Offcij felicitate oblatum Virtute accipere?* Hæc tua Generoſi ſpiritus acumina! hi diuinitatis ſtimuli propter quos iuuandæ Reipub. Chriſtianæ, & promerendæ Imperij gloriæ cupiditate, Rex inclyte flagraſti!

ingraſti? Quem enim à diuina tua natura? Quam ab inuicta tua mente peregrinam? inſignes titulos meritorum & magnū tuarū prætextu ambitus amplificare? aut Imperandi honores meritiſſimos, & ſucceſſionis Iure tanquam Teſtamento cautos ſola dominandi cupidine acceptare! Quid contra tuo animo magis genuinum ac inſitum? quam feliciter erogatis Reipub. beneficiis late poſſe cenſeri? Hungariam illam bellicoſam primitiis Imperii conſecrari? Bohemiam ſociali fœdere ſuccedere? & tot fortiſſimorum populorum faſces ac imperia tantum non ab Auguſtiſſima Domo Auſtriaca peregrinantia retinere? & totius orbis Chriſtiani libertate vindicata infandiſſimo ſeruitutis barbaricæ metu liberare, reſtituere, conſeruare. Quibus vero iambis? quib. procellis verborum impia illa capita obrui merentur? quorum conſiliis infeliciſſimi diſſidij Agema natum erat? iniectoq; in domum Auguſtam motu Dandi & Accipiendi fraterni Imperij commercium turbarunt? His enim gradibus officiorum, his meritorum ſcalis ad tot Regum faſtigia more maiorum tuorum graſſando peruениſti, Ipſa adhuc Hungaria priuatim, & publice gratiſſimi animi pignoribus refertiſſima, cum poſt Cæſarem Rodolphum Gloriæ Principatum, Rex inclyte, & Imperator Inuictiſſime obtineres facilimam & pulcherrimam ſuæ in colendo Auſtriæ imperio virtutis, & Amoris in virtutibus tuis habet in toto orbe exiſtimationem, habebitque æternum. Cum enim plurima S. M. V. decora bello & pace in Hungaria fulſerunt, duum tamen conſummatæ gloriæ clariſſimum obſeruatur exemplum. Et quod admirabili Virtute ne ſocietas Germaniæ & Hungariæ extingueretur prouidit, pietatemque in abolitione ipſius fraude Turcarum, non ſolum ipſe exhibuit pleniſſimam: ſed etiam ex pectoribus Hungarorum abeuntem reuocauit. Et quod S. Coronæ Hungariæ, quæ vnicum felicitatis & perpetuitatis ipſius eſt documentum, cœleſtes iniecit manus. Nec diſſimili modo Bohemia ſuſtentata temporum ac rerum difficultate, libertatis rigida cuſtos, pro diſciplina ſua & legibus æque grauis rediit ad ſocietatem inclyti Regis, & variis ſolata malis labantes perditasque vires correxit, reſtituit. Quæ cum ita ſint, Magnanimi & fortiſſimi Germaniæ principes. Quid potius aut antiquius eſſe debet vobis? quam vt hanc fœlicitatem maximam, tanquam materiam ſalutis & gloriæ ſempiternam vobis diuinitus oblatam, ambabus, quod dicitur manibus amplectamini, & mutuis officijs & ſtudijs veſtris, mutua beneuolentia veſtra vobis, & poſteris veſtris conſeruetis. Exigite ſocietate veſtra prodigia & portenta Reipub. quæ hanc amicitiam, & vnitatem Regnorum Hungariæ & Bohemiæ artibus varijs labefactare, & diuellere conantur, Relinquite fraudes has ignauiæ mancipiis, quæ intra animi ſui idola ac lenocinia, ac intra ſuas priuas latebras, bella & magnas res gerunt, vos totis animis ad veram gloriam, famam & ſalutem publicam incumbite ac inuigilate. Regem Hungariæ & Bohemiæ atque aliarum prouinciarum principem potentiſſimum Matthiam II. talem habetis, talem vobis Hungariæ fortuna præuidit, talem Bohemia commendauit: vt omnia vobis de eo, quæ de optimo, fortiſſimo, & conſtantiſſimo Principe polliceri iure, & poſſitis, & debeatis, in hoc præſertim tum virtutis & gloriæ, tum fortunæ curſu pulcherrimo. Ea eſt iuſtitia & æquitate inſtructus, vt quid vobis Imperii proceribus debeat, probe cognoſcat. Ea fortitudine, & animi magnitudine firmatus; vt inuicti veſtri Imperij molem recte moderaturus, honoribus publicis & oneribus ſatisfacturus eſſe videatur. Ea prudentia pollens: vt omnibus ſuæ ætatis principibus hanc laudem præripuerit, maturiorem autem aſſequutus ſit. Ea moderatione animi: vt omnia in eo temperata, omnia placida & tranquilla. Nihil autem violentum, nihil temerarium, quod ab hac ipſius ætate valde ſolet eſſe alienum, videantur. Adeo vt ſciat & poſſit & velit pro Maieſtate Imperij veſtri tam ſaluti præſidia, quam Honori veſtro ornamenta comparare omnibus his quæcunque à ſuis quisque propriis Regibus laudatiſſimis, que expectare poſſit. Sic Viſum fuit Deo Opt. Max. vt Matthias Secundus ex Auſtriaco Archiduce Rex Pannoniæ, deinde Bohemiæ Rex, Imperator Matthias Primus crearetur, vtriusque nationis veſtra tertio ſumma gloria fieret, Vtrumque cum tertio feliciſſime euenit. Vtrumque & Tertium mundus ſtupet, & gratulatur vniuerſus. Hæc enim tibi, inclyta Germanorū natio, vt ſunt, maxima eſſe debent. Hæc tanti æſtimanda, vt pro hac Gloria Regis tot Regnorum ac prouinciarum, pro his vinculis & neceſſitudinibus tuendis, conſeruandis, pro Gloria Veſtri Imperatoris & veſtro Imperio Inuicto confirmando, augendo & illuſtrando omnia conſilia, omnes conatus ſuſcipere debeas.

Et quoniam tam ſanctæ Societatis tot argumentis firmatæ, inter Germanos, Hungaros, Bohemos, robur, & ſtabilitas in vobis, ſereniſſimi Germaniæ Septemuiri, ac ceteri Principes inclyti, tanquam in quibuſdam cardinibus verſatur: Quibus Gratiis aut gratulationibus proſequetur Vniuerſus orbis Chriſtianus hoc Auguſtum veſtrum Conſilium, cum nimirum mentium veſtrarum inclitarum ad tranquilliorem habitum inclinatio, in aſpero & difficili temporum articulo, & nouæ cuiuſdam conuerſionis, quæ fatalem plerumque affert mutationem, deſiderio multorum, & expectatione Sacrum Electionis Ius & Ordinem ita dextre & feliciter perfecit: vt veſtri Imperii Maieſtas maxime eluceſceret, tum veſtra diuina Concordia, tum ſapientia maxima, Concordia quidem, dum vnanimi conſenſu, cæleſtium quaſi numinum influxu, Rem Pulcherrimam & qua nihil in orbe Chriſtiano Auguſtius confeciſtis, non ſine admiratione & ſumma quadam ratione: Quod priuatorum hominum diſcordia, intentatus eſt Reipub. ſtatus ceterum principum & Regum diſſidiis, non ſolum priuorum domus ſed & Regum Auguſtos penates corruere neceſſe eſt. Digna profecto, cui perinde atque cœleſti numini templa extruantur, aræ conſecrentur, caput eſt omnis ſpei, tutela omnium honeſtorum conſiliorum, magiſtra omnis ordinis, pacis & fœlicitatis nutrix fi-

deliſſima

delisſima.Sapientia vero, quod coniuncti, veluti Deorum Immortalium conſiliis Matthiam II. Regem Hung. & Bohemiæ potentisſimum in ſacrum hoc Imperii faſtigium, in ſublimem Auguſtorum ſedem conſtituiſtis. Illum nimirum, qui non tam humano ſuffragio, quam diuino beneficio duum in Europa regnorum celeberrimorum, multarumque gentium potentiam in veſtrum attulit conſortium, qui Auguſtorum Domus Auſtriacæ Neruum ac Cæſarum trium ſeculorum infatigabili & interminata ſerie ſpiritum Romano Imperio ingenerantiū legitimus ſucceſſor, virtutum ac meritorum incomparabilis hæres: Qui declamatam illam Inclinationem Imperii Romani, quam tantopere Fatum & Vetuſtatem vrgere dicitur, non ſolum ſuffulciet: ſed & maieſtatem augebit, nobiliſſimisq; tot gentium reliquiis inſtaurabit, Quiue imperandi artem probiſſime callens, imperaſſe ſe non imperare in Imperio Veſtro oſtendet. Quem deniq; Hungaria belli & pacis Triumphorum auctorem, meritiſſimum. Croatia gloriæ poſſeſſorem iuſtiſſimum. Dalmatia iuſtitiæ & Religionis defenſorem digniſſimum. Bohemia auctorem libertatis iuſtiſſimum. Auſtria virtutū Auguſtæ gentis hæredem pulcherrimum. Morauia ſalutis præſidem fortiſſimum. Sileſia Legū ac pudicitiæ conſeruatorem optimum. Luſatia clementiæ & benignitatis cultorem fœliciſſimum vnanimi voce prædicant. Neq; enim ſine ſummo numine potuiſſe hæc Omnia Omnibus à mortali præſtari manu, quæ Vniuerſo Orbi communi Omnium fœlicitati Vnus Omnium præſtare valuiſſet.

At tu Romani imperij domina Germania, in communi tot gentium ac populorum fœlicitate, vera imperii Matthiæ II. gloriatione, Quid ni primum gloriæ ducis principatum? dum poſt fatum inuictum & fælicem Athanaſian Diui Rodolphi II. Imperatoris, tunc magna rerum (vt fieri plerumq; aſſolet) conuerſione, ſine alicuius Fati violentia Ecce derepente tibi Lux Noui Regis ac Imperatoris affulſit. (Quod Dii Immortales fauſtum, fœlix, ac perenne faxint) quæ omnes nubes, tempeſtates, ac noctes huius temporis ſereniſſima irradiatione diſpellet. non humanum, medius fidius ſed diuinum & cœleſte Bonum in Nouo Imperatore datum eſſe exiſtimo: vt nimirum ſancte, quiete ac feliciter degas ac ſacri imperij decantatam illam Inclinationem ſuſtentes atque reſtaures, deniq; poſt opus hoc Sacræ Electionis & Coronationis feliciſſima ac diutiſſima guberni Matthiæ Diui continuatione floreſcas. Illud enim inclita Germania cogitare debes. quantum decus tuum, quantaue gloria: Vnam hanc Germanorum nationem diuinitus delectam eſſe, quæ non tantum imperij ſui curam gerat: ſed præſidio ſit ceterarum omnium gentium, & pro communi ſalute Chriſtiani Nominis præcipuam ac perpetuam teneat ſtationem. Hoc decus inquam, hanc gloriam magna virtute partam à maioribus, & annis fere octingentis in hac natione conſeruatam, nunc concordia, & ſapientia VII. virorum Principum in Electione & Coronatione Regis Romanorum incliti denuo confirmatam. An non inclita Germania pace, tranquillitate, ſalute, ſartam tectamque æternum conſeruabis? Quidni tandem videris vera animi lætitia triumphare? & Nouum Imperatorem ſanctiſſimis compellare vocibus? Salue & viue Rex Glorioſiſſime. Salue Imperator Inuictiſſime. Rector orbis Chriſtiani incliti ſſime. Noua hæc & fauſta, vetuſtiſſimis Legibus: Vetus vero nouis ac feliciſſimis Auſpiciis inita Romani Imperii Maieſtas, data diuinitus vnanimi Electorum meorum concordia ac ſapientia delata! Quantam animo meo voluptatem attulit! & in quam lætiſſimam fortunæ melioris decoris, pacis & tranquillitatis ſpem extulit! non ſecus me affici experior quam cum ſollicitæ matris curam de ambiguo rerum ſucceſſu, lætiſſimæ vero ſpeciem ex inſperato gaudio in ſummum imperii faſtigium elato filio exprimere cupio. Etſi vero virtutum tuarum diuinarum Gloria, & cæleſtiſſima tuorum meritorum exiſtimatio, quæ non ſolum Pannoniæ & Bohemiæ iam mam reddidit ſalutem, ſed etiam totius orbis Chriſtiani optatam conciliauit fælicitatem, dudum promeruit hanc Romani Imperii dignitatem: tamen ſuperis ita volentibus: vt clariſſimum ſit vtriuſq; documentum, non prius hoc ſublimiſſimum Auguſtorum culmen conſcendere poteras, quam cum Diuo Rudolpho fatis conceſſo, & Immortalitatis adſcripto conſortio, non ſine Dei O. M. benignitate, ſummo totius orbis conſilio, & ſacri VII. viratus Senatus ſuffragiis legitimo more datis condecorareris, quod omnes nimirum non ſolum paternarum, & auitarum virtutum hæredem, & digniſſimum Auguſti generis ſucceſſorem: ſed etiam meritiſſimum orbis terrarum Principem dari diuinitus exiſtimarent. Fateor equidem Imperator Auguſte inſignem illam beneficiorum tuorum in Rempub. Chriſtianam exiſtimationem, & pulcherrimam tuarum virtutum gloriam plerosque lenius quam verius æſtimaſſe atque expendiſſe, plerosque pro admiratione diſſimulationem alienæ inuidiæ occupaſſe: Vicit tamen tua inſignis, & numeris omnibus abſoluta fælicitas: Vicit & non ſaltem, temporis, fortunæ: ſed etiam animorum humanorum mutatione fauſtiſſima triumphauit. Proinde, Cæſar inclyte, habes Romanum Imperium auguſtiſſimum, iuxta & antiquiſſimum, inter immortales ſecundum, primum inter mortales. Habes Germaniam orbis Chriſtiani faſtigium, in quo omnia omnis Europæ imperia ac regna tanquam in quodam domicilio concluſa, vita, gloria, proſperitate, fruuntur. Habes igitur materiam perpetuæ ſalutis, theatrum laudis & gloriæ. Habes auorum & atauorum patrum Auguſtorum clariſſimam aream, in qua omnia omnium laborum ac negociorum præclara molimina reliquerunt imitanda, omnia virtutum elogia deſcripſerunt æmulanda, omnia belli & pacis decora conſecrarunt conſectanda: Vt nimirum Auguſta tua Maieſtate, inclytam tui nominis famam non ſolum intra ampliſſima Europæ pomæria: ſed etiam intra Quadruplicis Orbis ſinus propagares, ſiue reconditarum in Auguſto tuo pectore, auguſtarum tuarum virtutum opes ac operas panderes feliciſſime.

Nulla hic aduerſaria amplius offertur, quæ curſum tuum pulcherrimum, & ſanctiſſimum

remoretur propoſitum, pientiſſima de vniuerſa Christiana Repub. merita augendi & excolendi datur poteſtas ampliſſima. Hoc enim modo maiorum tuorum Auguſtorum gloriam nedum conſequi: ſed & ſuperare poteris. Hic Rodolphi I. ſapientiam ac magnanimitatem in pacando ſtatu patriæ: Alberti I. prudentiam & fidem in amplificando: Alberti II. potentiam & virtutem in conſeruando: Friderici IV. dexteritatem & veritatem in exornando: Maximiliani I. Victoriam & fælicitatem in protegendo: Caroli V. fortitudinem & iuſtitiam in illuſtrando: Ferdinandi religionem & zelum in illuminando: Maximiliani II. pietatem, & clementiam in perficiendo: Rodolphi II. denique moderationem, & conſtantiam in conſumando, Inclite Cæſar Matthia, omniũ exacta imitationis virtute Decimus nimirum Auguſtæ Domus Imperator myſterio decimi numeri expreſſo ſummo fælicitatis complemento æmulaberis. Te hac ætate plena, & virtutum omnium capaciſſima, iuſtum, ſanctum, te integerrimum ac pientiſſimum eſſe ſcio, non humanum Regem & Imperatorem: ſed cæleſtem, & ad ſalutem publicam & æternum ocium natum eſſe reputo. Nec enim ignara plane ſum, quomodo Hungaria illa meum, & totius Chriſtianitatis propugnaculum externo & interno furore diu multumq; vexata, chara & firma quiete perfruatur, dum illi Matthias II. vere Pacificus veluti θεὸς ἀπὸ μηχανῆς affulſiſſet. Concurrebant ad auctorem libertatis, ſalutis præſidem, pudicitiæ conſeruatorem ſuum vicinæ quæque nationes, quibus præſentis liberatio periculi futuræ ſecuritatis opinionem faciebat. Neq; enim ſine peculiari Dei numine & conamine id à Mortali potuiſſe præſtari Patrono, quod vniuerſo orbi Chriſtianorum communem calamitatem impendentem Vnus omnium auertiſſet. Igitur neque Turcarum Tyranni, qui ferrum ipſorum nunquam non noſtro optant calere ſanguine, neq; Hungarorum nouæ & veteres ſimultates, neq; diuerſa ſtudia plus potuerunt: vt à Chriſtianis disiungerentur: quam fortuna Regis Matthiæ atq; ſapientia: vt denuo in Vnum corpus coaleſcerent. Sed nec Ferdinandus auus huius ſanctiſſimus! Nec Maximilianus II. pater pientiſſimus! Non Rodolphus II. Cæſar fæliciſſimus æſtuantiſſimo, & turbulentiſſimo Hungariæ Regno auream hanc pacem (quam inuiolatam diuturnamque velint ſuperi) conſecrarunt. Habes igitur apud me, Cæſar Inclite, Pacis Triumphum, gloriam, habes memoriam non diſſimilem Auguſti Cæſaris qui Templum Martis Romæ clauſit, Pacis aperuit, ideo nullo profecto aliorum Regum adminiculo, aut Principum Chriſtianorum adiumento admirabilem, incomparabilem, immortalem. Nam de Bellicis Laudibus tuis, quas omnes omnium gentium Scriptores iam pridem Templo Memoriæ conſecrant, Quid actum agam? Iaurinum tua virtute defenſum, Neogradium recuperatum: Albaregalis cum pulcherrimo Triumpho & victoria tua poſſeſſa: Buda ſedes Regia toties fæliciter oppugnata: Quid niſi ſublimes Triumphorum tituli? Quid niſi inſignium victoriarum Elogia? Hungariam tuam, Rex florentiſſime, ita excoluiſti: vt in te omnem omnium ornamentorum & meritorum bellicorum gloriam numeris omnibus abſolutam oſtenderes: Solus vero præ reliquis Principibus Chriſtianis armorum, & victoriarum iure optimo obtineres? Pancratium Viuit Vigetque. Viuet Vigebitq; Gloria Sagi & Togæ Matthiæ Imperatoris ſacrata Muſis omnium gentium, & ſuperata omni humana inuidia altiſſimo Immortalitatis conſiſtet faſtigio. Agite igitur, O Ciues Principes Populi, Votis primum apud Aras Deorum Immortalium operemini, piis & aſſiduis precibus fatigate Deum O.M. *Qui dat Salutem Regibus, qui fælicia facit imperia*: vt hæc auſpicia Imperii ſint fauſta, fælicia. Ingeminate animis illud Diuini Prophetæ Regis. *Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur.* Deinde quod proximum eſt, Munis ſacræ obedientiæ & ſubiectionis proſequimini Regem Nouum, quem Imperatorio nomine, genere, natura, virtute, lege & poteſtate Imperatorem eſſe conſtanter agnoſcemus, præſertim cum illum non obſtinata dominandi cupidine, non inueterato ambitu: ſed cupidiſſimo virtutis veſtræ & honoris animo, ſed Heroico veſtræ gubernationis amore prouectum eſſe ad imperium, & pulcherrima modeſtia iudicium veſtrum & concordiſſima ſuffragia expectaſſe cognouimus. Et quemadmodum Maximates Imperij Electores cuſtodes ſalutis noſtræ & gloriæ in Sacra Electione præſtiterunt, ne Leges Concordiæ turbaſſent: Ita vos propter Imperij tranquillitatem, gloriam Dei, animos ad imitandum ipſorum Exemplum componite, pijs mentibus, & ſtudiis Inclito Auguſto Regi, Cæſari Matthiæ obtemperate, quem leges diuinæ & humanæ talem conſtituunt, quem Virtutes probant. Quem Honor, gloria belli pacisque circumfulgent. Amplius alacres & excitati ad hanc certiſſimam laudem gloriamq; atq; hoc tam optandum expetendumq; decus imperii aut mihi vobiſcum, aut vobis mecum vt permaneat, elaborate. Deniq; illa Voti mei Summa eſto: Vt Deus gubernet Matthiæ Cæſaris animum, conſilia, actiones ad gloriæ Chriſti illuſtrationem, ad Religionis, legum, iuſtitiæ, diſciplinæ conſeruationem, ad patriæ, pacis & Imperij defenſionem. Nec exiſtimo, Cæſar inuictiſſime, in ſacris his Coronationis ferijs, meam interpellationem quæ iam matris loco eſt iniquo feres animo. In te enim vita, ſalus, incolumitas mea conſiſtit. In te oculos, mentes, ſpes, fiducias collocamus. Atque vt priua & peculiari lege Reges in tutela Dei eſſe exiſtimo, atque ad imperium nati, imperium naturæ indulgentiſſimum ſortiti, peculiarem Dei gratiam & culturam aſſequuntur: Sic Robur adhuc & poteſtas tibi eſt apud meos ſummates Principes & populos, qui autoritatem imperij etiam viribus tueri poſſunt, qui Tuæ Maieſtati fidelem nauabunt operam in defendendo imperij decore, in excolenda Maieſtate, in pace conſeruanda. Vnde nullus ſub te metus Tyrannidis crudeliſſimorum fatorum, nullum externi aut interni hoſtis periculum aut reformidatio, ſi modo concordiam iſtam Principum Gratiis tuis magis ac magis deuinxeris, ac beneficiis auxeris, eamque non minus Sacræ Tuæ Monarchiæ, quam Vicariæ tuæ Electorum Ariſtocratiæ (qua-

rum

tum lege vnita, & iucundiſſimo ſymbolo Rempublic. meam ab antiquo ſancitam optime cuſtodiri optime intelligo) conſiliis, viribus, ſtudiis ſartam tectamque conſeruaueris. Quod ſi etiam inanimaduerſam fati alicuius inopinati calamitatem hiſce bonis noſtris inuidam, à ſucceſſu hoc gloriæ & vſu pacis deſideratæ auertere contingeret, non auxilium Dei deerit, non Principes mei ſuſceptam grauiſſimi Imperii molem deſerent, non tot gentium & populorum meorum vires, & auxilia deficient. Atque ſi quid externis fidendum auxiliis, non Bohemia ſocia mei imperii, non Hungaria cuſtos meæ libertatis & ſecuritatis deerunt, præſertim, ſi Turca inſita nunquam quieſcendo feritate, infidam pacem bello aperto mutare, & claſſicum canere pertexerit. Denique Cæſar Auguſte, cum reliquarum omnium virtutum ſunt nutrices Religio, Veritas, Manſuetudo, quarum culturam in Auguſto animi tui penetrali pulcherrimam eſſe intelligo, merito earum nomine te compellare non erubeſco. Religio Catholica fidei tuæ domina magiſtraque ſanctiſſima primum ſollicite à te expetere videtur: vt quantum diuina Maieſtas ſapientiæ & gratiæ conceſſerit, Leges ipſius ſacras hominum fatali contemptu, & incuria in deſuetudinem abeuntes, ad vſum & Lucem reuoces, quæque hactenus apud hoſtes ipſius infenſos irritamenta iratum odiorumque extiterunt: eædem ſint apud cultores ipſius concordes vincula Charitatis Chriſtianæ, atque inuictiſſimæ armis Germaniæ fluctuantiſſimæ auris opinionum gubernationem ita auſpicare, continuaque: vt nulla re magis quam Religione maxime obſtrictos habeas mortalium animos.

Veritas altera moderatrix animi tui cupidiſſima implorat patrocinium: vt Leges patriæ tanquam ciuilis concordiæ ac pacis iam pridem inter gentes, labefactatæ perpetuum ſtabilimentum ſuo decori & ſplendori reſtituas, illarum auaritia & iniuſticia interpolatarum vigorem reddas, ac vniuerſæ Politiæ meæ ordinem conſtituas, iuſiurandum ipſiuſque religionem, cuius violationem tanquam ſummum deteſtaris ſcelus, ſacram inuiolatamque præſtes, pactorum iuſtorum decus defendas, iniuſtorum inſidias extermines, & excindas, diſſidentium componas animos, matura extinguas odia, molitiones reiicias anhelantes. Et omnia ad ipſius Sacram amuſſim.

Manſuetudo deniq; affectus tui cultrix fideliſſima obſecrare illud præcipue videtur: vt communibus omniũ ſuccurras calamitatibus, belli ciuilis atres ac ſeditiones aut in herba ſuffoces, aut nutrimento validiore, manu quoque validiore excindas. Nec te hoc apud cardinem mei ſermonis latere velim, ſi modo latere poſſit, Imperator inuictiſſime, gentis Germanorum bellicoſiſſime & fortiſſimæ habenas te ſumſiſſe, quam nimirum huius Moderationis id eſt clementiæ indulgentiæque, & ſeueritatis æquilibrio verſari nihil magis ad Imperii maieſtatem, ad imperantis autoritatem nihil magis proficuum aut ſalutarius eſt, atque adeo veterem illam conſtitutamque Imperii formulam renouando hoc vere diuino & cœleſti Trigono reformes atque totam Auream pulcherrimo Pacis adiuncto ſatellitio reddas, æternumque habeas.

AD SERENISSIMVM, ET POTENTISSIMVM PRINcipem ac D. D. Ferdinandum, Archiepiſcopum Colonienſem, Septemuirum Electorem, Sacri Rom. Imperii per Italiam, Archicancellarium, Epiſcopum Leodienſ. & Monaſterienſ. &c. Comitem Palatinum Rheni, & Ducem vtriuſque Bauariæ, &c. Dominum meum, ac Patronum clementiſſ.

Etſi nec huius Trinubi Europæi Sereniſſime Princeps Elector, Domine, Domine clementiſſime, quo nomine ſocietatem gentis Triumuiralis Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ intelligo, quantumuis à ſublimi materia deprompti, Tenuitas, nec perſonæ humilis dicantis ingenuitas hoc mereri potuit, vt inclito nomini Ser. V. addicaretur. Non enim Decoro cuilibet decorum hoc, aut conueniens videtur, illi, cui omnes omnium doctrinarum Coryphæi præclara rerũ diuinarum ac humanarum lamina voluminaque, & vt ita dicam, ſacras ſcientiarum officinas conſecrant, meo στωμαζῶν ἐγὼ πυχολᾶς ſcripto obſtrepere audeam. Verum ſi quid in prætextum, aut excuſationem meæ audaciæ idoneum afferri poſſit, fateor apud me inueniri nihil, præterquàm ingenuum, ac ſincerum in admiratione S. V. virtutum ſtudium & amorem, quę prius ab inſigni fama nominis S. V. nunc in hoc loco veluti ipſarum theatro ab vſu accepi. Nec enim mihi hoc ſingulare, & præter humanum, aut inuictæ opus fortunæ videtur, ad ſublimem hanc Septemuiratus dignitatem aſcendere: ſed via Sacra & Regia fortitudine, & pietate ad illam graſſari, atque in ipſius acquiſito faſtigio ad quem virtutibus ſuis aditum patefecit, ſapientia ſumma, pietate, prudentia, vitaque ab omni faſtu aliena, tueri, ornare eandem, ac conſeruare, illud vero præter humanum, & omnino vel diuinum, vel diuinitus homini datum eſſe exiſtimo. Habes equidem, Sereniſſime Princeps Elector, plurimos, qui laudes tuas meritas ebuccinent, viros optimos allectos nimirum, non ſolum laudandi ſtudio: ſed quod virtutum S. V. lætiſſimum prouentum & ſucceſſum tanto magis cupiunt quanto ſincerius vident commodum. Mihi externo, &

barbaro, ne videar in Legem Internam peccare, admiratio ſaltem conuenit, cui ſane ſi omnes Rhetores lateant, ſufficit Auguſtiſſimi ac Inuictiſſimi Cæſaris Matthiæ, Virtutum omnium cenſoris eximii atq; grauiſſimi ampliſſimum de S. V. teſtimonium qui eandem ſacro Septemuirorum numero, & cætu digniſſimum & vtiliſſimum autoritatis Imperii adſertorem eſſe iudicauit, maxime dum in hoc Sacræ electionis ad Imperium Romanum negocio vna cum aliis Septemuiris Electoribus ſententiam ſuam in eligendo Monarcha Matthia II. Rege Hungariæ, & Bohemiæ, non priuato amore, ſtudio, aut fortunæ reſpectu: ſed ex publica tempeſtate, & neceſſitate tanquam prudens nauclerus nauigium ſuum moderabatur. Quantum ad præſens Trinubium Europæum attinet! Neceſſario quærendum mihi erat, in hoc inclyto Imperio ſummæ poteſtatis & autoritatis Principis Patrocinium, ſub cuius potentia & defenſione vigere ac viuere poſſit, id eſt, cuius autoritate & ſapientia Principes, ac populos eo cogi fas eſſet, vt accuratiorem de hac ſocietate gentium conſiderationem ſuſciperent, & ſynceriorem de fatis, & meritis Hungariæ æſtimationem admitterent. Quæ Clypeus, & Scutum Chriſtianorum eſſe ac dici ſolet. Video enim Sereniſſime Princeps Elector in hac inclita Germania, in tanto rerum iuſtitio, ſtupendo armorum ſilentio, & dulciſſima Pacis feriatione inane quoddam Idolum eſſe ſtatum rerum Hungariæ, exiguam curam amoremque huius Trinubi, ac ne quidem ferre poſſe quoſdam, dum experientia ſtultorum Magiſtra Clypeum & Scutum Germaniæ eſſe Hungariam dicimus, vt nimirum malis ſuis futuris hac indiligentia veri, aut iniuria illudant. Quantum ſane Græci Legem illam excolunt Lacedæmoniorum, de Clypeo Militari? Quantis iterum laudibus cumulatur prærogatiua hęc voce illa Spartanę mulieris? Aut cũ hoc aut in hoc. Quanta admiratione venerantur ſpiritum illum Epaminondæ ſupremum! Ecquid Scutum in hoſtium deueniſſet poteſtatem? Quod vbi negatum eſt; tum vero Vir fortiſsimus, qui prius contemptor mox etiam ſecurus mortis ſpem futuræ æternitatis concepit. Quanto vero verius & melius conſideratio ſimilis de Hungaria à Principibus Chriſtianis ſuſcipi poſſit, qua ſalua & incolumi, ſaluos ipſos ac incolumes eſſe conſtat. Quod vt ſimul ſperemus & optemus, Ser. V. autoritas & patrocinium Trinubi efficere poteſt: vt nimirum Germani, quid iam in poteſtate ſua habeant, intelligant, in hac pulcherrima Pacis ſolemnitate, & ocio, de negocio, & ſumma belli, quod facile cum infidiſſimo pacis cultore Turca exoritur, cogitent. Hungariam denique, Clypeum & Scutum ſalutis ſuę pręſidio ſeruent, & obſeruent. Nec mihi velut extra oleas accedit pia & debita Memoria Sereniſſimi, & Potentiſs. Principis ac D. D. Erneſti Archiepiſcopi Colonienſis & Electoris S. V. anteceſſoris, dum ante biennium autoritate ſequeſtra, & fideiuſſoria, fatalem illam cõtrouerſiam inter Cæſarem Rodolphum, & hunc nouum Cæſarem Matthiam diuina ſapientia & moderatione prudentiſſima ad leges concordiæ & pacis redegit: Tum vero inſigne pietatis, & humanitatis erga gentem Hungaricam argumentum oſtendit, quod Hungaros ſumma ſapientia & virtute viros, qui in ſanctiore conſiliorum ſenatu Regis illorum inclyti, teſtes & arbitri quoque huius concordiæ verſabantur, & ipſi de præclaro hoc conatu, & ſumma laude Reconciliationis Monarcharum gratulabantur, non ſolum accepit, & audiuit humaniſſime: ſed etiam de ſtatu Hungariæ ſollicite exquirendo, multis nominibus ſe ad curam, & prouidentiam ſalutis ipſius obligauit. Cuius beneficii memoriam, & veræ humanitatis in ſummo Principe gloriam eo libentius recolo, & celebro, quod eundem amorem Regni Hungariæ, & rerum ad eius ſalutem pertinentium curam, in arcano penetrali S. V. reſidere exiſtimo, quandoquidem ſua quoque conſilia ſancta & pias actiones ad optatum Electionis & coronationis Matthiæ II. Regis Hungariæ in Auguſtiſs. Regem Romanorum & Cæſarem complementum contulit optatiſſimum. Hoc & ad ſolidiſſimam virtutum S. V. compaginem & gloriam, & æternam meritorum famam memoriamq; nihil antiquius. Clementiſſime igitur feret S. V. hanc meam quaſi in Triumpho ex Triuio Acclamationẽ; & quia Deorum Immortalium, qui paruo thure placantur, nec minima quæque operantium munuſcula abominantur, ſtrenua eſt imitatrix, & quia externi hominis Hungari in illa gente æternum foret obſeruantiæ monumentum, Deus O. M. conſeruet S. V. ſaluam & incolumem ad gloriam Dei & totius Germaniæ ornamentum.

Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ

cliens deditiſſimus

Elias Berger.

PARS

PARS XVII.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS, EXPLICATIONES, VEL VERIVS PHANTASIAS, DE

vnitate Imperii vniuerſalis in toto terrarum orbe à Reformatis Chriſtianis reſtaurandi, & inſtituendi.

DE

I.

DE CIRCVLO OPERVM ET IVDICIORVM DEI,

Qui

A lapſis primis Hebræis trahi inceptus, in erectis vltimis Hebræis finietur.

Et,

De prodromis conuerſionis Orientis & Meridei, cuius initia apud Hungaros *&* Venetos *cœpta.*

Et

De ratione ineundæ ſanctæ pacis inter omnes Chriſtianos, qui verum illum Deum, eſſentia vnum, ſed tribus diſtinctum perſonis inuocant.

Theſes XLI. ad meditandum & elaborandum propoſitæ, omnibus piis, qui Eccleſiæ Chriſti ædificationem; ſalutem *Imperatoris* & *Imperii ſacri*, aliorumque *Regum* & *Regnorum*, *Principum* & *Rerumpublicarum Chriſtianarum*: in ſumma, commune *orbis Chriſtiani* bonum, pacem & tranquillitatem huiſce perturbatis temporibus, & legitimam contra turbatores pacis defenſionem expetunt.

Autore

STEPHANO PANNONIO BELLOGRADENSI.

Actor. 15. ℣. 18.


Nota ſunt Deo ab omni æuo omnia opera ſua.

MVNDVS SPECVLVM SAPIENTIÆ DEI,

Homo microcoſmos & domicilium Spiritus ſancti.

In lapſis Hebræis, primis illis parentibus initium Eccleſiæ in terris militantis. A

B In erectis vltimis Hebræis finis Eccleſiæ militantis.



Creauit mundum Deus quando voluit.

Finiet quando volet.

2. Petri 3.

Vnus dies apud Dominum vti mille anni, & mille anni vti vnus dies: Non tardabit Dominus ſuis promiſſis.

CAPI-

CAPITA HVIVS TRACTATVS.

I.

INITIVM huius circuli operum & iudiciorum Dei Iudæis incœptum, in iiſdem finiendum.

II.

Iudæos qui in ἀπειθείᾳ id eſt, contumacia nunc verſantur, Rom. 11. *vbi plenitudo gentium introierit conuertendos ad fidem Chriſtianam*, id quod fiet ante vltimam mundi ἀπιστίαν, id eſt, incredulitatem; quæ demum ſub finem mundi poſt conuerſionem Iudæorum ſequetur.

III.

Reformationem Chriſtianiſmi in Oriente futuram, prodromus conuerſionis Iudæorum.

IV.

Zelum Religionis Euangelicæ in Hungaria eſſe prodromum zeli Orientis & Meridici, & apud ipſos etiam Venetos in cineribus igniculos zeli Dei non extinctos, ſed ad tempus latitantes.

V.

Cauſam motuum in Hungaria eſſe Pontificem Romanum. Nam finem belli in Hungaria contra Turcas fuiſſe per Ieſuitas pontifici ſub hoc pallio belli Turcici & adhuc eſſe, futurumque eſſe propoſitum extirpandi Euangelicos, & atterendi imminuendiq; Germanorum imperium, & euehendi ad illud Iberum, filium ſuum vnigenitum & dilectiſſimum.

VI.

Quam aſtute hoc à Pontifice actum, dum ad templa Euangelicis eripienda, & proſcribendos in obedientes Imperatorem hortatur.

VII.

Quam ſubtiliter Pontifex per ſuum Monachum pacem inter Status Belgici & Hiſpanorum erigere nunc conatur, vt ſcilicet ad alias occaſiones & ſui Regni Hierarchiæ Romanæ augendæ ſit magis attentus, & paratus & potens; ſapienti ſat dictum.

VIII.

Nullius Imperatoris feliciora & initia & progreſſus belli fuiſſe contra Turcas: ad nullum Imperatorem etiam remotiores & ſplendidiores legationes miſſas, quam ad hunc noſtrum Rudolphum II. quamdiu libertas Religionis Hungaris & aliis relicta fuit, & quamdiu de proſcriptionibus vrbium Euangelicarum in Germania auditum, multo minus executio adminiſtrata non fuit, & quamdiu Cancellaria vtriuſq; religionis hominibus dignis permixta & temperata fuit. Quę ſane conſilia Imperatori nemo niſi ſummus Imperatoris inimicus dare potuit. Ac quia hæc conſilia per Ieſuitas Papa dedit, ergo *Ieſuitæ* & *Papa* ſunt Imperatoris & Imperii inimici.

IX.

Conſiliariis, qui Ieſuitarum conſiliis reguntur, vt plurimum hos motus Hungaricos & vicinorum eſſe imputandos, qui male informando Imperatorem & actores, & iudices, & executores contra Euangelicos ſeſe fecere: prohibendo & occludendo omnes aditus, ne à male informato Imperatore, ad melius informandum appellare liceat.

X.

At cum ob eiuſmodi conſilia non modo Hungariæ ſtatus, ſed & vicinarum Regionum ipſi vſque imperii in ſummo periculo verſetur, huic malo, Deo iuuante, duobus remediis mederi poſſe.

XI.

Primum medium eſſe, vt S. Cæſ. Maieſtas. Dominus & Rex noſter clementiſſimus, ſumpto à Rege Galliarum exemplo, Conſiliarios & officiales Aulæ ſuæ regnorum & prouinciarum ſuarum ſecundum hæc tempora temperet: permixtis vbique Euangelicis conſiliariis & officialibus, & in primis vbi res ſummæ deliberandæ ſunt. Idem feciſſe ſanctæ memoriæ *Ferdinandū* & *Maximilianum* Imperatores. Secundum, vt quod ſemel tranſactum fideliter, conſtanter & ſincere ſeruetur; & ſancta pax & libertas Religionis cum ἀμνηστίᾳ, id eſt, iniuriarum obliuione erigatur.

XII.

Non audiendum Pontificem, *Hæreticis non eſſe fidem ſeruandam* dicentem: Talia enim periuria non modo populus Dei, ſed ipſi Ethnici & Barbariſſimæ quæque gentes abominatæ ſunt. Quod ſi hoc paradoxon Papæ valere debet, Ergo nullam pacificationem cum Papa, ſed cum Catholico Romanis ineundam.

XIII.

Eos qui pacta fidemq; datam fregere, ſemper inſignes calamitates, imo Regum & Regnorum euerſiones ſubſecutas.

XIV.

Tria quæ Rom. Pontif. præ cæteris ex pacificatione Hungarica exēpta cupit; illa eſſe, animam pacis & trāquillitatis publicæ neruos, & vincula, quib. non firmatis, multo magis vero ſublatis, & Hungariæ & Imperio ruinam & mortē iminere.

XV.

Ea ſunt, vt primo Catholicis Roman. & alteri parti Euangelicis, qui Auguſtanæ & Heluetiorum confeſſioni adhærent. libertas Religionis nullo excepto concedatur; Secundo in eueheñdis ad officia & munera publica hominib. ne religio ſed dignitas perſonæ attendatur. Tertio, Ne Ieſuitæ Ferreſtria bona poſſideāt, neue forum ciuile, vbi non agitur de ſpiritualibus rebus, decernent.

XVI. Impe-

XVI.

Imperatoris officium eſſe, ne patiatur hæc ſanctiſſima Regnorum & Imperii ſui vincula labefactari, multo minus aſturia Romani piſcatoris, qui in turbatis aquis non Imperatori, ſed ſibi piſcari conſueuit, deſtruere.

XVII.

Itaque Imperatoris, Regum & Principum authoritate adigendus, vt ſeſe intra cancellos ſuæ Diœceſis Italicæ contineat, & alibi non imperet.

XVIII.

Imperator, Reges & Principes in ſuis Regnis & prouinciis ſint ſecundum leges diuinas ſupremi directores & inſpectores Eccleſiarum, erectis conſiſtoriis & presbyteris, ſeu Superintendentibus, ſeu prouincialibus eorum, & conceſſa illis libertate, vt alii alios libere monere, docere, non autem alii aliis imperare; vtq; & Magiſtratum Politicum officii ſui monere queant, vtentes clauibus Chriſti, non ad conquirendas ſibi Regiones, ſed ad lucrandas animas Chriſto. Similiter & cōcilia, ſeu ſynodos ipſi, vbi opus erit, conuocent. & magiſtratus Politicus cōſilia cum Eccleſiis communicato.

XIX.

Eccleſiæ tam Catholicæ Romanæ, quam Orthodoxæ Euangelicæ ne dependeant ab vno capite Eccleſiaſtico, ſeu exemplo Apoſtolorum ſint presbyteri.

XX.

Sūmo Sacerdotio, quod in Eccleſia veteri fuit typus Chriſti, iam ſublato, á Chriſto & Apoſtolis eius inſtitutam non monarchiam, ſed ariſtocratiam, teſte ipſo Petro, qui ſe συμπρεσβύτερον nominat. Quod ſi Papa cum clero ſuo Leuitas imitari cupit, ſequatur expreſſum Dei mandatum, *ne Leuitis in diuiſione terræ Iſrael aliqua portio detur.*

XXI.

Tum á Græcis, tum a Latinis Patribus reclamatum fuiſſe primatui in Eccleſia, eo quod erecto illo, Eccleſia & monendi libertatem alios, & Religionis puritatem amitteret.

XXII.

A ſcriptis polemicis, ſicuti Pontificii, ita Euangelici omnes, authoritate Imperatoris, Regum & Principum & Rerumpublicarum interueniente, tam contra ſe, tum inter ſe abſtineant; ſed per didaſcalica ſcripta alii alios, vbi opus eſt, doceant, moneant; non autem dominentur alii in alios.

XXIII.

Electorum ſpiritualium in Imperio Germanorū maiorē eſſe dignitatem & authoritatē, quā Romani Epiſcopi; quia illos ius habere cū ſecularib. Electoribus eligēdi Imperatorē, q̄ Roman. Epiſcopus nō habet. Quod aūt nonnulli Imperatores paſſi ſunt ſe á Pontif. Romano, ſub emendicato dandæ illis benedictionis prætextu cōfirmari, id de facto & non de iure actum. Nec exēpla in leges trahenda, niſi quis *Caroli V.* exemplum imitari velit, vt imperet pontifici, & non Pontifex illi.

XXIV.

Imperatoris poteſtatē eſſe & Romanū Epiſcopū & alios Imperii Regnorumq; ſuorum Epiſcopos ex conſilio illorū conſiſtoriorū, vel capitulorū, quibus illi Epiſcopatus reguntur, cōfirmare, & ab officio remouere, paremq; poteſtatē alios, Reges, Principes & Reſpubl. Chriſtianas in ſuis regnis & prouinciis habere.

XXV.

Vnitatem Eccleſiæ Romanæ per Regna & prouincias Chriſtianas Catholicos Romanos colere poſſe, modo ne vnus illis dominetur, aut alii aliis imperent.

XXVI.

Ac cū Rom. Catholici iñumeros ordines, ritus & ceremonias & traditiones diuerſas habeāt, & tamē vinculo vnitatis ligentur;

XXVII.

Idē Euāgelicis faciendū, ne patiātur, ꝓpter minutiores inter ſe differētias, quę vix vmbra Papalium ſunt, ſanctū inter ſe vnitatis fraternæ vinculū ob adiaphora quædā & diſciplinæ diuerſitatem, quæ res ſemper in libertate Eccleſiæ fuerunt, ſunt, & erunt, ob quorundam inquieta ingenia & inutiles quæſtiones eorum, quibus magis ſuam, quam Chriſti gloriam quærunt, diſiungere.

XXVIII.

Catholici Romani & Euāgelici-Catholici, cum vtriq; verum illū vnū eſſentia Deū in tribus perſonis adorēt, ſancto quoq; politico vinculo ſint inter ſe cōtra Turcas & Arrianos, omneſq; pacis huius ſanctæ turbatores ligati, vniti, cōfœderati:

XXIX.

Ex hoc Imperatori, Regibus Principibuſq; authoritas & augmentum, Eccleſiæ ſalus, ædificatio, & libertas, & zelus pietatis, populi erga magiſtratum ſuum amor, & coñune vbiq; pacis vinculum ſequetur.

XXX.

Neminē vere Auguſtū Imperat. Chriſtianū fieri poſſe, nec Turcas genteſq; debellare poſſe, ſiue is ſit Pōtificiæ, ſiue Euāgelicæ Religionis, niſi cōceſſa Chriſtianis, qui nomē SS. Trinit. veri illius Dei inuocāt, Religionis libertate.

XXXI.

Turcas tamē, Iudæos & alias gētes impoſſibile eſſe, vere ad Deū per Miſſam papalem, in qua quotidie totus Chriſtus, verus Deus & homo creari, & ꝓ viuis & mortuis offerri & adorari dicitur, cōuerti poſſe; ſiquidē hęc vnico Chriſti ſacrificio ſemel in cruce peracto detrahūt, & nullo verbi Dei fundamēto nitūtur; ſed potius ſcādalo ſunt vere cōuerſuris ad Chriſtū: verā aūt ad Chriſtū cōuerſionē fieri nō poſſe, niſi per verbū Dei, *quod eſt potentia Dei ad ſalutē omni credenti.* Miſſa in primitiua Eccleſia Chriſtianos & Martyres nō fuiſſe Chriſto lucratos, ſiquidē hoc ſacrificiū quotidianum reale propitiatorium, pro viuis & mortuis, ignorauit Eccleſia vſq; ad annū Chriſti 1200. teſte omni puriori, & non deprauata aut ſuppoſititia antiquitate.

XXXII. Hæc

XXXII.

Hæc dici veritatis & ædificationis cauſa, non autem ad condemnandos homines Papali doctrinæ adhærentes: nam Papiſmum, non Papiſtas; doctrinam, non homines fugimus: cum inter hos, ſicut inter Iſraelitas, traditionibus humanis pollutos tempore Eliæ Prophetæ Deus ſuos electos habeat, & *nouit qui ſint ſui*.

XXXIII.

Americanos non verbo Dei, ſed enſe ad Chriſtianiſmum adigi, non ad fidem, ſed ad ceremonias Romanæ Eccleſiæ, teſte ipſo Ioſepho à Coſta Ieſuita, qui de Americanis rebus & docte & pie ſcribit: *futurum tamen vt Americanis purum Dei Euangelium ante finem mundi prædicetur*.

XXXIV.

Certo certius eſſe appropinquante Orientis & Meridiei reformatione, inſignem aliquem Imperatorem, cuius typi *Conſtantinus & Theodoſius* vterque *Magnus* fuere, palam proditurum, & erecta libertate Religionis iis, qui nomen SS. Trinitatis profitentur, verum ſublata prius ſeditioſiſſima Ieſuitarum ſecta, aliquid magni ad gloriam Dei & Eccleſiæ ædificationem, ruinamque Babylonis in mundo peracturum: quod tamen ſeculum inſtar maieſtatis Salomonicæ, & Ezechiæ, Ioſiæque reformationis non diu eſt duraturum. Eccleſia enim Chriſti, ne rebus ſecundis luxuriet, & ne lucis gratia Eclipſin in illa patiatur, eam ſubinde ſub crucis exercitio exerceri oportet: quia plures pereunt Chriſtiani in pace & ſecuritate, quam in perſecutionibus.

XXXV.

Operum & iudiciorum Dei circulus, & ſol ille iuſtitiæ Chriſtus progreſſus ab Oriente ad Occidentem, quo vicinior eſt extremitatibus initialis lineæ circuli ab Oriente tracti, eo vicinior factus Orienti in concluſione circuli lineæ Occidentalis: magis quoque radijs ſuis illuminabit Orientem tunc, cum duæ Solis Eclipſes in Occidente, & duæ in Oriente conſummatæ fuerint: quarum occidentales duæ ſunt in Italia & Hiſpania, & duæ Orientales in Græcia & Iudæa, cum vicinis remotioribusque regionibus.

Curſus Solis Iuſtitiæ Chriſti.



XXXVI.

Chriſtiani Orientales zelo Chriſti ardentes, & in ipſam Aſiam penetrantes, prouocabunt ad zelum Iudæos, *Rom.* 11. & Babylon Spiritualis erit præda omnibus gentibus.

XXXVII.

Hanc reformationem luſtratio militum Dei, de qua *Zach.* 13. *v.* 8. id eſt, tentationes præcedent, vt ex cruce lux Dei oriatur.

XXXVIII.

Facta reformatione cæſoque in montibus Iſraelis *Gogo Magogoque*, & ruinata Babylone, quæ demum illuſtri aduentu Dei totaliter abolebitur, aurea ſecula hic in terris Chiliaſtica aut Theophraſtica, corporum humanorum & rerum omnium per lapidem Philoſophicum renouatio, ſeu metamorphoſis non ſperanda, ſed in vita æterna, in illa [illegible] per Alchimiam Dei, cœli terræq; reſtauratione, & corporum noſtrorum glorificatione. Hic itaque militiam cum mundo, carne, diabolo & antichriſto, crucem & fletum, in cœlo vero gaudium & coronam nobis Spiritum ſanctum proponere, & attendere iubere ipſum filium Dei ad vltimam mundi [illegible], & horrenda illa ſigna vltimum Chriſti diem præceſſura.

XXXIX.

Aſteria illa vltima à Chriſto prædicta, & vltimi illi irriſores à Petro deſcripti prodibunt tunc: cum mundus ob ſummam rerum opulentiam in ſumma mundi pace, ſecuritate & licentia carnis ad Epicureiſmum & Atheiſmum prolabetur, omneſque Religiones, ipſumque aduentum Chriſti ludibrio habebit.

XL.

Manſuram tamen Eccleſiam Dei militantem ad finem mundi, & finem militiæ ſuæ habituram, completo electorum Dei numero, quia Eccleſia Chriſti eſt cor mundi, primum in mundo viuens, & vltimum in mundo moriens, itura, quæ tunc ſuperſtes erit, obuiam Chriſto in nubibus aduentanti, & ſic in omnem æternitatem cum Deo ſuo, & omnibus electis cum angelis, tum hominibus futura.

XLI.

Circulo operum & iudiciorum Dei in mundo clauſo finitoque, neque initium, neque finis in eo conſpicietur; ſed ſequetur Electis Dei beatiſſima illa, reprobis vero horrenda & triſtiſſima æternitas.

O ÆTERNITAS.

Æternum, Æternum, quanta hæc duratio!

O Cœlorum Gaudia, O Gehennæ Tormenta inenarrabilia!

ERGO

DEO viuendum, cœleſtia quærenda, terreſtria à tergo relinquenda, non è mundo exeundum, quod fieri non poteſt; ſed ſic mundo vtamur, ne abutamur. Cum enim hîc & militandum, & conſilio multiformique illi ſapientiæ Dei, quam ipſi Angeli intueri deſiderant, inſeruiendum ſit: Ergo non ociandum, ſed ad negotiandum nos tam politicos, quam Eccleſiaſticos in noſtris vocationibus conſtitutos credamus: *Nemo enim coronabitur*, inquit Apoſtolus, *niſi qui legitime militauerit.*

II.

ARGVMENTATIO

DE

SANCTO ET SVMMO IMPERIO MONARCHICO DVPLICI, IN QVA MAGNVM PATEFIT MYSTERIVM.

Anno Domini 1610.

Auctore

GWILHELMO EO Neuheuſer

PRIMVM EDITA.

DEDICATA

SErenissimo & Inuictiſſimo Principi ac Domino Dn. Rodolpho Secundo huius nominis Electo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ & Croatiæ Regi, Archiduci Auſtriæ, duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comiti Tyrolis & Habſpurgi, &c.

Omnibuſque Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis, Potentiſs. Illuſtribus, Generoſis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, & Prudentiſſimis ſacri Romani Imperij STATIBVS & Dominis:

Clariſſimis denique Reuerendis, Conſultiſs. & Doctiſs. viris, Dominis Doctoribus, Magiſtris, literariſque ſingulis & vniuerſis, cuiuſcunque facultatis & vocationis in toto Chriſtianorum orbe

ideo nuncupata,& luci commiſſa,vt omnes pij Chriſtiani conſideratis his argumentis noſtris, ex literarum ſacrarum prædeſtinatione conſtructis mature & ſerio deliberare poſſint, quæ media & remedia ſummæ rerum noſtrarum ſaluti adhibenda ſint, imprimis cum plura & maiora alia confecta habeamus, quæ imperij Rom.Germanici ſumptibus omnino publicari neceſſitas,& ſummum ius poſtulat. Regium enim & diuinum opus eſt, ex cuius concilio & magnificentia noui, ſancti & ſummi imperij poteſtas vniuerſa oritur & pendet. Datum Marpurgi Cattor. Calendis Maij, Anno Chriſti 1607. & ſancti ſummique imperij primo, in hoc vero 1610. quartus ipſius eſt annus.

Omnibus ſupradictis Maieſtati, Celſitudinibus & excellentiis,

FIDISS.

Guuilhelmus E O Neuheuſer Sancti Imperij Auctor.

ARGVMENTATIO PRO SANCTO ET SVMMO *Imperio.*

IMperium Romano-Germanicum dicitur Monarchia eſſe: Atque illud quartum capitale & ſummum Regnum ſecundum Prophetam Danielem *c.* 2. & 7. Ergo imperium Rom.Germanicum omnium imperiorum totius orbis terrarum caput eſt ſupremum atq; generale ſecundum quid, quod ea ratione verum eſt, quatenus ex ſacris probatur, vt ſi iam pateſiat prouidentia diuina.

Imperium enim Rom. Germanicum dicitur mutabile eſſe ſecundum quid hodierno die, ob res videlicet controuerſas: Teſte ſigno ſuo in prophetia Danielis *c.* 2. Ergo ſi Imperium Rom.Germanicum omnium imperiorum temporalium caput mutabile eſt, omnia etiam imperia, quæ in illius capitis corpore Monarchico membra ſunt, mutabuntur ſecundum quid vel a capite vſque ad pedes, ſicut caput, à quo reguntur ſpiritu & ratione temporis, vel vnico ſeculo parato à prouidentia diuina.

Vnde fit, quod Imperium Rom.Germanicum, atque eius STATVS à Germanis ad alios populos ab hodierno die non transferetur, nec voluntarie, nec iure bellico, quanquam ſunt extranei, qui putant, imperium illud Monarchicum ad ſe tandem transferri poſſe: certe ij ipſa ſpe fruſtrati ſunt, dum eorum imperia ſimul mutantur ab ipſo capite Monarchico ſuo, cui ſubiecta ſunt omnia cum periodo ſua à prouidentia diuina, à ſpiritu prophetiæ Danielis *c.* 2. & 7.

Imo vnicum eſt, quod Imperium Rom. Germanicum omnium imperiorum caput periodicum & Monarchicum mutabile eſt vſque ad melius & maius imperium, ſecundum Danielem Prophetam *c.* 2. & 7.

Ergo imperium Rom. Germanicum per omnia ſui corporis membra, imperia ſcilicet ad maius & melius imperium mutatur, ab initio vſque ad vnicum ſummum imperium. Quod igitur imperium dupliciter ſummum eſt in vniuerſa omnium imperiorum Monarchia ſancta & glorioſa.

Germani igitur harum rerum primi Proceres potentes deliberent bene inter ſe conuenire, in iſto maxime ſummo ac nouo imperio Monarchico. conſulo itaque omnem maleuolentiam & diſcordiam expurgent, aliorum quoque peruerſa conamina auertant, ne pericula extrema ex iis guſtareac reportare, ſed Monarchiam vniuerſalem inter Germanos & vniuerſos populos pleno gaudio celebrare poſſint. Eam enim omnia ſequuntur imperia, vno videlicet iure monarchico ſancto fœdere obſignato, in Germania incepto, vbi caput Regnorum eſt antiquum ac ſummum medio ſancti fœderis, vnde mutatio fit in capite ad omnia corporis membra. Nouum item corpus inſtruitur potens omnium membrorum, quorum caput, inquam, Monarchia eſt vniuerſalis, & regens, vt ab ipſa regatur, quodcunque regimen in iuſtitia ſua: Teſte Daniele Propheta *c.* 2. *v.* 44. *in diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & alteri populo non dabitur* [quam ſancto.] Quod talibus quoque mediis & mediatoribus fidelibus erigitur, vt ſupra dictum eſt. vnde & de omnibus dictis rebus in *propoſitione mea vniuerſali,* & eius ex ſacris probatione ſatis dilucide, ſicut & in *quæſtione mea* aliaque ſeorſim, poſtremo vero in ipſo opere meo *politico* dicto, pro lege iure & iudicio etiam ſingulariter & luculenter hac de re tractatur. Quæ omnia in ſeculo hoc fieri neceſſe eſt.

SCRIPTAS ARGVMENTATIONES PRIORES SEquuntur *poſteriores.*

AB EODEM EO AVCTORE.

BOdino in rebus politicis de Imperio Rom. Germanico, qui prorſus negauit illud eſſe Monarchiam, plane nihil credendum, quia ex ſacris literis nihil probauit, & de ſancto & ſummo imperio in Germania initium ſuum ducente, nihil cognouit. Cum igitur imperium Rom.Germanicum à Deo & ex ſacrarum literarum conſtitutione Monarchicum hinc capitale ſit imperium, in effigie videlicet ſancti & ſummi imperij vtriuſque ſenſus, Daniel. *c.* 2. & 7. de quatuor ſummis Regnis pro-

 batur,

batur. Et nemo aliter quam ſpiritus ſanctus debet loqui. nam reprobari non poteſt id, quod eſt in ſacris literis ſemel affirmatum.

Qua de re & cauſa ideo miratus fuit Bodinus, quod abſque ſacræ ſcripturæ cognitione intelligere, & credere non potuit, Rom. Germanicum imperium Monarchicum eſſe Regnum, veluti capitale & ſummum in ſacris appellatur. Intelligitur hoc & omne myſterium in ipſius figura prophetica Dan. *c.* 2. Vbi in quarta parte ipſius magnæ imaginis ſunt tibiæ ferreæ puræ, quæ ſignificant, imperium Romanum ab initio à Iulio Cæſare & Octauiano Auguſto, multorum Regnorum tum in Europa, tum in Aſia, tum in Africa fuiſſe fortiſſimum & potentiſſimum, reſpectu Monarchiæ & Monarchici imperij. Hiſtoriæ quoque tradunt tam Machabeorum, quam Romanorum, vſque ad Paleologum vltimum Imperatorem Conſtantinopolitanum. Quia in iſta prima fortitudine & diuiſione Monarchica Romanum Regnum duo habuit imperia, duoſque Imperatores: Occidentalem videlicet & Orientalem. Ad quos Aquila duobus capitibus refert inſignia. ad annum vſque Chriſti 1300. quo tempore Ottomannus Turcarum Imperator primus ortus eſt, qui iure bellico Paleologum vicit, & totum Conſtantinopolitanum in ſuam gubernandi poteſtatem ſubegit, quo & in hodiernum vſque diem potitur; Vnde prima fortitudo & diuiſio imperij Romani elapſa eſt. Secunda vero incepit diuiſio ſub Rudolpho fere primo, Rom. Germanorum Imperatore, quæ in prophetia Danielis *cap.* 2. figuram habet propheticam, quia pedes ſub tibijs ferreis puris in iſta imagine partim ſunt ferrum, partim vero lutum, & ſic multo debilius erat imperium Romanum in iſta ſecunda diuiſione, qua diutius pergebat in deterius vſque ad præſentem annum Salutis 1610. in tertiam diuiſionem illius figuræ propheticæ, in ipſius imaginis & pedum digitis luto & ferro permixtis, in quam figuram iam dudum imperium Romano Germanicum elapſum eſt, Daniel. *cap.* 2. Quæ igitur tertia extrema eſt diuiſio ſummæ debilitatis. Diuiſum & exile enim eſt ipſum imperium ad omnia formalia verba, Dan. *cap.* 2. Potentialiter igitur Roman. Germanicum Regnum, monarchicum imperium non eſt, quia in ſimilitudine primæ fortitudinis non eſt: Prouidentialiter vero ex ſacris literis & à Deo illud Regnum monarchicum eſt imperium, quoad veram effigiem in iſtius SEPTEMVIRATV, & alia quadam præeminentia, vt eſt Aquila & nomen ipſius imperij ſupremum, ex gratia & authoritate quoque ſublimiori data, in quibus præeminentijs nullum aliud viget Regnum. in quibus igitur præeminentiis ipſius Rom. Germanici imperij ſacra ſcriptura omnia ſua myſteria obſignata habet ab initio, iam vero ibi reuelat, explicat & iudicat, Ratione veri loci & temporis conſtituti. Ratione etiam veræ legis & regiminis omnium regnorum aliorum in eorum quoque periodo perfecta ex illa tertia & extrema diuiſione prophetica totius imaginis Dan. *c.* 2. fit definitio.

Imperium Rom. Germanicum hodie quum mutatur, veluti diuiſum & exile eſt, alia etiam Regna totius orbis terrarum ſecundum illud mutantur, ob legum videlicet correctionem ſelectam & neceſſariam, veluti in ipſius ſunt periodo, & iudicio tam initiali quam finali, ex ſententia & prouidentia diuina.

Imperium Romano Germanicum idcirco per ſe atque per ſuammetipſam prudentiam & potentiam antiquam non reſtituetur in priſtinam formam, quod fieri non poteſt vnquam, niſi in ſanctum & ſummum imperium transformetur cum alijs omnibus Regnis totius orbis terrarum, ex Dei Optimi Maximi voluntate & data ſcientia. Cuius enim ſancti & ſummi imperij forma Virtutibus optimæ legis, iuris & iudicij multo præſtantior & magnificentior eſt, ex ſententia & prouidentia diuina. Et hoc eſt dogma non exiguum, in quo conſiſtit veritas, quæ antehac Bodino & aliis multis politicis defuit. Eam in ipſa prædicta effigie omnium præeminentiarum ad ſacram ſcripturam ſic ſe referentium, Rom. Germanicum Regnum ex illa extrema diuiſione Monarchicum reſpicit imperium verum & perfectiſſimum: Idq; pro initio & omni certitudine in Germania. Quod non fit in vllo alio regno, vbi talis non eſt ſimilitudo, nec definitio rerum diuinarum. Ergo Rom. Germanicum imperium quo magis hodie diuiſum & exile eſt, eo potentius & fortius prouidentialiter eſt, quia proximius eſt ſancto & ſummo imperio, præ alijs Regnis omnibus. Idcirco hoc vim Monarchicam antiquam in hac ſua mutatione ex vltima diuiſione, in qua quidem grauiter patitur per breue temporis interuallum, totaliter non amittet, ſed ſancto & ſummo imperio eam manu quaſi tradet. Altiſſimo Deo noſtro itaque obediet, & iterum eam recipiet, magnoq; augmento, cum ipſam Monarchiam perfectiſſimam & glorioſiſſimam receperit, medio videlicet iuſtorum comitiorum ex ſententia & prouidentia diuina.

Imperium itaque ab omnium rerum & cauſarum malarum facie optime purgatum, ſeparatum & informatum, vt Monarchiæ ſuæ omnia vincet Regna, ex eademque prouidentia. In iſta ſimilitudine iſtius lapidis reſecti abſque manibus, Dan. *cap.* 2. Qui lapis percuſſit imaginem in pedibus ferreis & fictilibus, comminuitque eos. *Et lapis, qui percuſſit imaginem, factus eſt in montem magnum, impleuitque vniuerſam terram.* Idque omne adhuc futurum eſſe vltima diuiſio probat. Nam iſta ſimilitudo & percuſſio huius lapidis, eademque reuelatio diuina eſt, quæ fit in Germania hodierno certo tempore iam præfinito. Eadem quoque directio eſt ſancti & ſummi imperij, cuius fortitudo etiam eſt initialis, ex vera ſacræ ſcripturæ cognitione & voluntate altiſſimi. Non enim antehac hoc factum eſt, neque ſub incarnatione Chriſti, veluti Theologi quidam olim commenti ſunt ſine fundamento, cum eo tempore Imperium Romanum inchoabatur. Nec fit in conſummatione Mundi hæc deſtructio per iſtum lapidem, ſicut alii quidam recentiores Theologi, ex ignorantia tamen, ſtatuunt. Id certo tempore, quando iam peracta ſunt illa quatuor Regna capitalia & tempo-

ralia

talia prædicta in finem ſcilicet vſque pedum illius magnæ imaginis digitos argilla & ferro totaliter permixtos, eoſque tunc percuſſit lapis, *Dan. c. 2.* Et ſignificat directionem Regni ab altiſſimo, *Eod. cap. 2. & 7.* pleno textu affirmato. Ideo Neoterici quidam[j], quando dicunt, illud Græcorum Regnum ab Alexandro Magno primum inſtructum, & poſtea ab ipſius Succeſſoribus & Principibus in quatuor Regna Seleucorum, ſcilicet diuiſum, quartum imperium capitale fuiſſe; ſecundum *Danielem cap. 7.* idque in nullo ſacrarum literarum volumine fundamentum habet. Cum tertium Regnum illud Seleucorum fuerit ad figuram tertij animalis inſtar auis, quatuor alas in dorſo ſuo habentes, *Dan. cap. 7.* Et ſignificabat illa quatuor Regna principum Alexandri, quæ Romani ante & paulo poſt natum Chriſtum, iure bellico totaliter deuicerunt, & ſibi ſubegerunt. Quod probat Romanum illud Imperium quartum veriſſimum eſſe Regnum Monarchicum, *Daniel. cap. 2. & 7.* quod prædicto modo à nato Chriſto gubernauit in hodiernum vſque diem. Tota etiam analogia veteris & noui Teſtamenti in vno quaſi fœdere idem demonſtrat, *Apocalypſ. Iohan. cap. 12. & 13.* in ipſa magna beſtia atque dracone habente capita ſeptem, & cornua decem, & *Dan. cap. 7.* in quarta ſimili fere beſtia iiſdem decem cornibus prædi[illegible]: vnde cognitio rerum quoad vera loca applicationis & omnis veritatis pendet. Regnum itaque illud ſanctum vtriuſque regiminis fœdere & pace, ſub toto cœlo dirigetur, *eodem cap. 7.* id eſt, ſub ſole & lucente ſole in cœlo, ante conſummationem mundi hoc fit, omnis terminus huius prophetiæ Dan. *iiſdem cap.* ſtatuit, aliæ multæ etiam prophetiæ in veteri & nouo Teſtamento, maxime *in Apocalypſi Iohan.* ſimiliter omnia teſtantur.

SEQVITVR SENTENTIA DE SANCTI ET SVMMI QVOque Imperij annua calculationis principio & poteſtate.

AB IPSO EO AVCTORE.

QVod ſanctum & ſummum Imperium initium ſummum iam habere neceſſe ſit, videmus ex conſtituto tempore, & annorum ſuorum calculatione omnis veritatis & præeminentiæ, à prima reuelatione ſui operis & Auctoris.

Si quis enim magnatum ac virorum literatiſſimorum diſputaret hac de re, dicens: Quare & quomodo ſanctum imperium hodie inceperit, cum anno ſuo primo, ſecundo, tertio & quarto auctor, ſicut in prioribus argumentationibus dicit, cum tamen in orbe terrarum in multitudine hominum nondum viſa ſit eius Gubernatio? neque eius ordo, lex, IVS & Iudicium apud Reges, Principes, Iudices & Dominos terræ, non ſunt in vſu? Reſpondetur ex ipſius rei veritate, Sanctum & ſummum imperium à primo puncto, ſiue die & anno ſuæ dominationis, inuentionis & definitionis initium ſuum accepiſſe & duxiſſe. Sanctum & ſummum enim Imperium à potentia prima ſpiritus ſui ſapientia & vera cognitio eſt, qua prius inchoatur & definitur doctrina eius, quam ordo, lex, ius & iudicium hominibus traditur, qua, vt ſecundo loquar, traditione Dominatio eius tum Eccleſiaſtica, tum politica potentialiter patefacienda & inſtruenda eſt, tanquam à magiſtratu eius. Ex ſpiritu igitur, & quo incipit eius ſancti & ſummi Imperij definitio & doctrina, in qua vnio eſt, & ipſummet imperium incipit, cum primo anno patefacto illi. *Deus* enim *Cœli ſuſcitabit imperium* ſiue *Regnum hoc*, vt Daniel cap. 2. v. 44. teſtatur. Deum vero altiſſimum Cœli, imperium in terra non dirigere hodierno die, niſi medio alicuis hominis ex ſpiritu & verbo ſancto ſuo conſtituti & docti. Idque verum eſt. ex quo etiam ſpiritu doctrina eſt eius cum omnibus principijs & præeminentijs gubernationis ſuæ, vt ſupra. Reges, principes, iudices, omneſque Domini, & viri prudentiſſimi, literatiſſimique, ſi ex omni vocatione gubernare & docere in ipſo ſancto imperio plane & recte volunt à voluntate altiſſimi, Opus ipſius poſtulat, vt prius ex ſpiritu habeant cognitionem & ſapientiam eius in doctrina ſua: ac deinde facilime creditur, vt tandem fiat. Omnes ideo iam dicti ex omni hominum vocatione illas præeminentias iam habentes, in eo ſancto & ſummo imperio ſimul incipient gubernare, vi ſcilicet vnionis, & potentia ſpiritus, annorum quoque ſuorum calculationem à primo anno ab authore nominatam, ſimul habebunt. ſic illius numeri perpetua & laudabilis habebitur memoria ad gloriam Dei noſtri ſanctiſſimi. hoc verum & ſolutum ſit argumentum ſententiæ noſtræ. Quapropter commendatum & in honore habeatur illud diuinum opus, ſicque auctori auxiliatrices manus dentur, à prima traditione, ex ſpiritu ſcilicet, neque intermittant omnes pij magiſtratus, ſed deliberent de hac re. Nam illos hoc facientes ſalus ſequetur abundanter, vt ſeruari poſſint cum regnis & regionibus ſuis, ne in mutatione præſentis temporis damno aliquo afficiantur ſicuti alij fortaſſis extranei & inobiedientes in verbo ſancto, tanquam per pœnam diuinam, ſed prudentes ſalutem hac ratione ſibi cautius acquirant.

III.

VERA

Anno Domini 1612.

TAM ILLIVS SANCTI ET SVMMI IMPERII, QVAM OMNIVM REGNORVM CONDITIO, ET POteſtatis originalis diſtinctio, quæ neceſſaria intelligenda.

AB IPSO EO SANCTI JMPERII AVCTORE PRImum conſcripta, Anno S. 1612, Sanctique Jmperii VI.

1 PRIMVM omnis regni diuini conditio, & poteſtatis originalis diſtinctio, atque ipſa poteſtas certa aliqua lege & doctrina à Deo data incepit, atque adhuc incipit & pateſit, vt olim Iudaicum regnum ex lege Moſaica per quadraginta annos populo Iſraelitico in deſerto promulgata & præſcripta, initium accepit, & vtraque legis eius doctrina in effectum regiminis potens erat, quod *Libri Moſis, Ioſua, Iudicum & Regum* manifeſte teſtantur.

2 Similiter Chriſti regnum per ſapientiam legis diuinæ à Deo & ſpiritu prophetiæ, imo ab ipſo Chriſto Deo & viſibili homine nato cum doctrina ſua Euangelij, Eccleſiæ, & vſu eius instructum erat, vt nouum Teſtamentum docet.

3 Multo magis vero hodierno tempore poſt apoſtaſiam à fide, & in Eccleſia Antichriſtum ortum illud ſanctum & ſummum Imperium ex ſacrarum prophetiarum vltima impletione, cum ſimili vtriuſq; legis diuinæ ſapientia, & myſteriorum ſacrorum reuelatione doctrinaque inſtaurari & inchoari debet, dum etiam illud ſanctum & ſummum imperium ſacerdotij Chriſti & fidei vnionem generalem ſecum affert, reuelat & inſtituit: Quod fieri non poteſt nec debet ſine ipſa fidei Chriſtianæ ex ſacris literis vera doctrina, in qua omnia Dei & Spiritus Sancti dona comprehenſa ſunt. Spirituali igitur modo per ipſam fidei doctrinam & ſapientiam illud ſanctum & ſummum imperium inter homines à parte ſacerdotij primo incipit, & viris literatiſſimis & Theologis colloquia præbet; & eo incipiendi ſimili fere modo doctrinam ſuam politicam legis & iuris, cum fide vnitam habet, & hominibus reuelat, qua tanquam primatum, & regiminis politici poteſtatum multis bonis conciliis & deliberationibus, & vtraque regiminis vnione potens in actum atque effectum gubernationis ſuæ deducitur.

Non igitur aliquis miretur tractationem auctoris E O, in qua ſcripſerit, ſanctum & ſummum imperium incepiſſe cum annua calculatione ſua, videlicet 1. 2. 3. 4. 5. & 6. anno, quia verum eſt, ſanctum & ſummum imperium cum doctrina & ſapientia ſuæ legis, in qua regimen eſt, ac oritur, incepiſſe, & nunquam retrahi poſſe, ſed potenter & ſummarie in effectum deducendum eſſe. Nam nec illud, nec alia prædicta regni diuini conditio, ac poteſtatis diſtinctio more Ethnicorum regnorum incipit, ſed vi intelligentiæ & bona doctrina regiminis, item cum fide & gloria Dei, qua omnes in gubernatione vincentur, & ſancto imperio ſubigentur; Ethnicorum vero regna olim vel hodie, quæ bonis legibus & doctrinis magis carent, cum magno furore, bello, & horrenda ſanguinis effuſione inceperunt, ideo valde mutabilia. Nam bellis ſimilibus, quibus inceperunt, deſtruuntur: Quia carent bonis & ſtabilibus doctrinis, quapropter vi fere tyrannica inchoata per tempus ſaltem durant, & mox abſoluta periodo ſua, deuaſtantur & deſinunt. Exempla in Aſſyrica, Perſica, Græca & Romana Monarchia apparent. Et Romanum imperium bonis legibus gentilibus inſtructum ab initio, & poſt melioribus iuribus, ac virorum prudentum doctrinis auctum eſt, mox vero poſt cœlitus patefactam & acceptam fidem Chriſtianam, eius periodus diutius durauit, vſque ad magnam hodiernam diſcordiam, quæ mutationem ſingularem & periodum eius peractam ſatis demonſtrat. Non dubium eſt, quin iam ſanctum & ſummum imperium in Germania adſit, ſiquidem vnius regni deſtructio alterius inſtauratio eſt, veluti ex Daniel. c. 2. & 7. quoque conſtat.

Turcicum & Ottomannicum regnum nunquam tamdiu durauiſſet, niſi ipſum Alcuranum atque legem Mahumetis habuiſſet, ex qua Turcæ certum fauor fortunæ & veritatis ſpecimen in concordiam, quam inter ſe inuicem alunt, quaſi obſeruant: cum tamen ſacras prophetias plane ignorant, & regnum ipſius mordicus defendunt.

Quemadmodum autem lex Mahumetis in ſacris nullum conſenſum habet: ita & hodie coram ſancti & ſummi imperij conſenſu patefacto mutabilis eſt. Turcia vero ſancto noſtro imperio ſubigetur: Quia per ſacrarum literarum & prophetiarum doctrinam vincetur. Regnum adeo ſanctum in ea doctrina legis diuinæ, qua incipit, vrget, vt cuiuſuis conditionis homo, qui in iſto ex diuina data poteſtate alios recte docet, atque doctrinam diuinam promouet, ſimul guberner, quoad obedien-

obedientiam & regiminis vnionem. Ergo potentes hac ratione erunt qui docent & Iudicant, & regnum ſanctum per illos admodum potens euadet. Quia poteſtas regiminis glorioſiſſimi in doctrina legis incipit, & perpetuo manebit, ſi igitur ſanctum & ſummum imperium vi & gladio contra hoſtes ſuos pugnat atq; pugnabit, hoc non faciet per ſe ſed iuſſu diuino, & quando præliatur, pro ſancta lege & patria, quæ fratrum concordiam complectitur defenſionem quærit & inueniet. Quæ vera conditio & poteſtas ſancti & ſummi imperii probe obſeruanda, & ab aliorum regnorum conditione & poteſtate diſcernenda eſt.

I V.

IVDICIVM SIVE

IVDICII GENERALIS SECRETVM, MAXIME AD HODIERNVM SANCTI ET SVMMI IMPERII STATVM INCEPTVM SPECTANS, ET DE EODEM declaratio neceſſaria.

Anno Domini 1612.

AB IPSO EO SANCTI IMPERII AVCTORE CONSCRIPTA. Anno ſalutis 1612. ſanctiq; imperii VI.

MVlti quidem excellentes & perdocti viri myſteriorum amantes, longe ante hac in vocabulo IVDICIVM, ſingularem quandã ſignificationem temporis obſeruauerunt, atq; etiam num obſeruant, maxime in eius nominis literis quas certum aliquem numerum ſcilicet 1613. monſtrant & præbent, quia eius M. primum mille, D. vero 500. C. Centum & duæ V. 10. faciunt, deinde I. ter ponitur, ideo tres literæ I. trinum numerum exhibent, & ſic omnis numerus collectus reſpectu temporis 1613. annos à nato Chriſto repræſentat, quia verum eſt, Iudicium illud ſingulari aliquo modo, hoc præfinito tempore ex ſacris determinari. Quapropter ipſe 1612. annus ſummi Iudicii exiſtimatur, & annos quoſdam præcedentes & ſequentes habet pro impletione ſua, ſimul intelligitur. Alii autem ſupputant & explicant, in hoc anno 1612. Mundi finem & extremum iudicium nulli creaturæ cognitum, determinatum eſſe. Alii aliter ex ſacris literis ſtatuunt & probant, Mundum quidem in iſto anno 1613. finem habere non poſſe, Iudicium tamen nihilominus paratum eſſe, propter actiones maiores, partim neceſſarias, partim controuerſas, de quibus multi homines litigant & alios coram Iudice, conueniunt.

Qua de re explicatio & Iudicium auctoris ſequitur.

ET quidem hic auctor ſtatuit & probat, conſummationem mundi cum extremo Iudicio, iſto prædicto anno 1613. fieri non poſſe, quia mundus hac ratione non peribit, niſi prius omnis ſacra prophetia completa ſit, quod etiam ex Chriſti verbis probatur, quando inquit, *oportet omnia compleri quæ ſcripta ſunt*. Maiores autem ſacræ prophetię, vt *Dan. c.2.7.& 11.* de interitu quartæ beſtiæ, & aduerſarii, *Ieſaia ca.2.19.& 32.* ſimiliter *Ieremia c.31.* de pace generali, *Heſechiel cap.38.& 39.* de Gogh & Magogh & eius clade in montibus Iſraelis accipienda eiuſdem aduerſarii interitu, de quo etiam *Apocalypſeos cap. 17. 18. 19.* & cæteris multis ſacræ ſcripturæ locis extat. quæ omnes prophetiæ ab hodierno die pro ſancti ſummiq; myſterii inſtauratione, & vtriuſq; tam eccleſiaſtici quam politici regiminis vnione implebuntur.

Ideo ſanctum imperium veluti ſummum eſſe dicitur, dum vniuerſum mundum doctrina ſua veriſſima vincet: ſic quoque ſummum ſecum affert Iudicium, quo ſimul totum terrarum orbem vincet; quod recte dicitur verbi diuini Iudicium, quia Chriſtus in illo ſpiritu oris ſui ſecundum D. Paulum Apoſtolum in *Epiſt. 2. ad Theſſ. cap. 2.* tanquam in præſentia omnem aduerſarium eccleſiæ ſuæ Iudicat, aut reformat aut plane necat, vt veram fidem ſpiritu vnionis accipiat, & nullus aduerſarius nec eccleſiæ perſecutor diutius ſuperſit, ſed vel cum ipſa quarta beſtia *Dan. c. 7.* vel cum Gogh & Magogh intereat & radicitus exterminetur. Iudicium igitur Iudicando hodie inceptum & de die in diem valde creſcit, & futuro Anno 1613. potenter in actum atq; effectum deducetur. Nam ſicuti nullus Theologus Chriſtianus in eccleſia Chriſti homines recte docere & ad ſalutem ducere nedum conſeruare poteſt, niſi ipſe Iudicium hoc Domini atq; diuini verbi ſciat, quia neminem hominum aut bonum aut malum Iudicare, nec quicquam veri à falſo diſcernere ac ſeparare ſine hoc cognito Iudicio veritatis poteſt: Ita nec Eo illius ſancti & ſummi imperii auctor, omnia ad vtriuſque regiminis vnionem, ſine hoc Iudicio ex prophetiis & omni ſacro fundamento reuelare, nec vllus alter magiſtratus politicus, hæc & omnia Iudicare, ac diutius ſalubriter pacificeq; abiq; Iudicio ma-

gno hoc & vero, à quo omnis Iuris prudentia pendet, atque illiq; adiungi debet; gubernare poteſt. Nam omne id quod adhuc, ſiue ex ſacris literis, ſiue à natura & hominum negociis patefit, atq; verbis & factis accidit, facilime Iuris eſt, Iuri & Iudicio in quouis loco (vbi patefit,) adhibetur. Siquidem illa omnia inter litigantes & rixas hodie mouentes pro diuerſa varia hominum exiſtimatione patefiunt, & accidunt. Ergo, nullus Iudex ac magiſtratus hac ratione Iudicio carere poteſt, Nam ipſa maior à Deo & ex ſacris literis vnionis, ſanctiq; imperii doctrina hodie patefacta, maius ac perfectius apud omnes Iudices ac magiſtratus poſtulat Iudicium, dum omnem veritatem & contrarietatem, vel antehac hominibus cognitam, vel hodie prius reuelatam tanquam in ſpeculo viſionis continet, vnde ſequitur quod verum à falſo diſcernitur, quo peracto plane nihil aliud quam Iudicium eſt, ac dicitur, quia cum vero Iudicio ea fit ſeparatio, & de ea docetur & Iudicatur vt omne regimen veritatis ab inſtitutione fiat purum, certe in hunc finem illud diuinum & humanum Iudicium ex dicta prophetiarum impletione & prudentum ſupputatione, determinatum cum ſancto imperio quidem in Germania incepit, ſed omnes alios terrarum fines atq; nationes cum doctrina ſua adhuc transferetur, quia res illa Iudicialis magna ſine veri Iudicii effectu & fructu non euadet, dum in dies Creſcit, in annum vſque 1613. quo ſine vlla interpoſita mora non tantum vniuerſæ Germaniæ, & ipſo ſacro Rom. Imperio, ſed etiam Europæ & toti fere terrarum orbi prorſus innoteſcet.

Propterea hæc prudentum obſeruatio cum hac interpretatione non eſt vana ſed valde vtilis, quia ſacra prophetia omnia pro illo Iudicio teſtatur. Vnde percipitur illud verum eſſe, ſiquis in dubium Iudicium hoc variat, attamen non retrahitur à ſuo præfinito tempore. Nam Daniel cap. 7. de antiquo dierum inquit, *Et Iudicium ſedit, atq; libri ſunt aperti.* Ideſt, libri cum prophetiis & ſigillis antehac clauſi & obſignati, nunc per ſpiritum & gratiam Dei cum Iudicio & præfinito tempore aperti ſunt, vt ex illa apertione prædicta fornicatrix cum omni ſpecie ac ſimilitudine eius iudicetur, quia ſuum præfinitum vnum tempus, duo tempore & dimidium temporis vocatum nunc completur, & in ſancti imperii doctrina cum aliis pluribus ſecretorum temporum calculationibus cognoſcitur, non autem ſemel & ſimul per vniuerſum mundum iſto ſolo anno 1613. omnia prædicta impleri poſſunt, ſed Iudicium & verbi diuini poteſtas atq; fidei vnio ab hodierno die & proximo anno 1613. per multa prudentum colloquia & concilia in terra paulatim creſcit, & ita potens fiet, vt paucis poſt annis totus terrarum orbis reformari, couniri, & ſic ſanctum imperium inſtaurari poſſit. Hæcq; gloria Dei & victoria Chriſtianorum vocatur.

PARS XVIII.

PARS XVIII.

Continens

DISCVRSVS, TRA-
CTATVS, VATICINIA ET
EXEGESES DE MVTATIONE, RE-
FORMATIONE, RVINA ET FINE
Romani Imperij.

ENGEL-

I.

Anno Domini 1310.

ENGELBERTI ABBATIS ADMONTENSIS IN AVSTRIA, LIBER ADMODVM INGENIOSVS, AC PLANE PHILOSOPHICVS, DE ORTV ET FINE Rom. Imperij.

CONſedentibus & colloquentibus mecum aliquando quibuſdam familiaribus, viris prudentibus ac maturis, contigit inter cetera, Romani Imperii, ſiue regni, & ſtatus ipſius fieri mentionem: quibuſdam aſſerentibus, in tantum iam ipſum Imperium ſiue Regnum in ſuis iuribus & viribus defeciſſe, quod veriſimile eſſet, in breui ipſum in totum deficere & ceſſare oportere: aliis dicentibus, quod ſicut à principio ſui ortus Romanum Imperium illicite & iniuſte regna mundi & populos diuerſarum nationum & gentium ſubegiſſet armorum violentia & bellorum: ita & ipſum Imperium iam dudum & quotidie deinceps à diuerſis regnis & principatibus & nationibus impugnandum & imminuendum eſſe donec in breui totaliter deleatur. Hac ergo hincinde collocutione & collatione habita, ab aliquibus tunc præſentibus rogatus, & conſideratione ipſius rei etiam incitatus, ſubſequens Opuſculum *de ortu, progreſſu & fine regnorum, & præcipue regni ſeu imperii Romani*, adiunctis rationibus & authoritatibus ac exemplis ipſam materiam contingentibus, compoſui & collegi, credens legentibus nonnullum ſolatium, neq; id inutile, ex iſtius materiæ indagine ac notitia poſſe prouenire.

CAPVT I.

AD videndum itaque, vnde & qualis ab initio fuerit ortus regnorum & principatuum: videtur, potiſſimum vtendum eſſe regula & proceſſu Philoſophi, ſecundum quod ipſe dicit *in principio Politicorum*: quod ſi quis acceperit res velut à primo principio ſuo natas, ſic optime contemplabitur vnumquodque. Attendendum eſt ergo, quod ſicut in natura rerum inſenſibilium inuenitur in omnibus & ſingulis quædam maioritas & minoritas, ſecundum quam alia aliis ſunt meliora, & per conſequens digniora: ſicut patet in corporibus cœleſtibus, quæ ſunt meliora & digniora rebus inferioribus: & in inferioribus ad ſe inuicem comparatis, in quibus agens ſemper nobilius eſt patiente: & per conſequens inferiora neceſſario reguntur à ſuperioribus & patientia ab agentibus & è contrario inferiora neceſſario ſubiecta ſunt & obedientia ſuperioribus & paſſiua actiuis. Eodem modo habet idem ſe in animalibus, & præcipue in his quæ non ſunt efferata, ſed gregalia: id eſt, quæ per greges ſibi cohabitant, coambulant, & ſimul viuunt, vt in gregibus ouium & arietum, pecorum & equorum, & in gregibus pullorum & apum: quod videlicet in ſingulis generibus ipſorum meliora præferentur & præſunt deterioribus, vt fortiora debilibus & magis induſtria ſimplicioribus & antiquiora iunioribus: & vltimo, vnum de toto grege præfertur & præeſt omnibus, tanquam omnium ceterorum maius, fortius, ac magis induſtrium: vt minora & debiliora & ſimpliciora vel regantur, vel etiam ſaluentur per maiora, fortiora, & magis induſtria. Quia natura omnibus, quæ fecit, prouidit ad ſalutem & conſeruationem, vnicuique pro ſuo modo. Hoc ipſum etiam in ſylueſtribus feris patet, & in auibus, quia gregem ceruorum cuſtodit & ducit vnus. Similiter in capreis & ibicibus, & inter aues in ciconiis & gruibus: in ſylnis item & ſaltibus leo eſt rex ferarum, & in aere aquila eſt rex auium. Sic etiam inter homines, ratio imitata naturam, præfecit maiores minoribus & ſubiecit ad obediendum & obſequendum minores maioribus, ad ſalutem & conſeruationem minorum per maiores. Sed quia homo conſtat ex anima & corpore, anima autem dignior eſt & melior corpore, & ita bona animæ digniora & meliora ſunt bonis corporis: per conſequens homo etiam alius alio melior ac dignior eſt homine: ſcilicet quod vnus homo excellit alium, vel vnus multos, aut omnes alios, ſecundum id quod potiſſimum eſt in homine, ex parte animæ: hoc autem eſt ratio & intellectus. Ergo homo naturaliter excellit hominem, ſecundum quod vnus homo melior eſt alio, vel multis aliis, intellectu & ratione. Et hoc eſt, quod dicit Philoſophus *in principio Politicorum*; quod homines magis vigentes intellectu & ratione naturaliter ſunt domini aliorum: & iſti qui intellectu ſunt inferiores, naturaliter ſunt ſubiecti & obedientes illis tanquam melioribus & dignioribus & potentioribus, ad ſaluandum ſe & conſeruandum per ipſos.

Aristotelem innuit.

CAPVT

CAPVT II.

PRimus itaq; ortus regnorum & principatuum, ſecundum hunc ordinem & modum naturæ, ab initio talis fuit: quod homines primæ ætatis mundi, quaſi natura inſtigante, & ratione, ac experientia naturalis indigentiæ compellente, in locis & terminis ſecurioribus (in quibus ſub conformitate linguæ & vitæ ac morum ſimul in vnum congregati cohabitabant) vnum aliquem ex ſe magis vigentem ratione & intellectu, ad ceteram multitudinem regendam, ſaluandam & conſeruandam omnibus præficiebant: & illi ſub pacto & vinculo ſubiectionis, ad ſe regendos, ſaluandos & conſeruandos obediebant & intendebant: ſicut Tullius præclare ſcribit, *in principio primæ Rhetoricæ*. Hunc autem primordialem regnorum ortum, Iuſtinus hiſtoriographus, ſequutus Trogum Pompeium, in principio ſuæ Chronicæ ſic declarat, dicens: *Principio rerum, gentium, nationumq; imperium penes reges erat: quos ad faſtigium huius maieſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat: populi adhuc nullis legibus tenebantur, fines imperii tueri magis quam proferre mos erat, intra ſuam cuiq; patriam regna finiebantur*, &c. Ex prædictis verbis huius hiſtoriographi, primæua regna ab initio ſui ortus apparent commendabilia ex quatuor.

Quare commendent Regnum: & quibus artibus & rationibus conſtiterint prima regna mundi.

Primo, ex Regum bonitate: quia non per ambitionem poteſtatis, ſed per electionem virtutis & probitatis promouebantur in reges.

Secundo ex populorum libertate: quia nullis diſtrictis legibus tenebantur, ſed ſolis rectis moribus vtebantur, quod laudabile equidem fuit plurimum: quia ſicut dicit Macrobius in Saturnalibus, *Niſi peſſimis moribus ab hominibus viueretur. opus ferendis optimis legibus non fuiſſet, quia leges bonæ ex malis moribus procreantur.* Et propterea dicit Valerius Max. in reprehenſione Athenienſium, quod videlicet Athenienſes ideo fuerint deprauati, quia *cum peſſimos mores & optimas leges haberent, ſuis moribus magis quam legibus viuere voluerunt.*

Tertio, ex bellorum æquitate: quia fines regnorum magis defendere quam dilatare ſtudebant. quod Cicero *in Officiorum libris* approbat, dicens, quod *bella non ſint inferenda, niſi pro ſua re & patria defendenda, aut recuperanda.*

Quarto ex ipſorum regnorum ſecuritate: quia ſingulorum regna intra patriam vnius cuiuſque finiebantur. Secundum ipſum etiam Ciceronem enim, *iuſtius eſt tenere, & ſecurius defendere vnumquemque quod ſuum eſt, quam inuadere & poſſidere alienum.* Et notandum hic, quod prædicta quatuor (ex quibus laudantur primæua regna mundi) ſeſe inuicem cauſali ordine conſequuntur, & fecerunt ab initio regna bona & iuſta, reges item bonos & iuſtos, quia ex populi libertate (qui magis rectis moribus quam diſtrictis legibus vtebatur) conſequenter cauſabatur regum bonitas, & bellorum æquitas, ac ipſorum regnorum ſecuritas: vt per oppoſitum intelligamus, quod, vbi populus iniquis moribus vtitur, quamuis æquas leges habeat, tum præualet ambitio poteſtatis, non electio bonitatis in regum ſeu principum promotione: & per conſequens, iniuria & iniquitas in bellorum illatione, & violentia ac cupiditas in iniuſta vicinorum inuaſione, ac occupatione: quæ præbent cauſam & occaſionem regnis & regibus malis, ac iniquis. Vnde de regnorum ſucceſſu & proceſſu ſubſequenter eſt dicendum.

Quid regnum maxime debeſſet, & euertat etiam.

CAPVT III.

QVoniam igitur homo conſtat ex anima & corpore, quarum duarum hominis partium anima corpori dominatur, tanquam melius & dignius deteriori & indigniori: ſic etiam in anima, cũ plures ſint partes ipſius, melius & dignius ipſius animæ naturaliter dominatur deteriori & indigniori. Sunt autem apprehenſiuæ meliores & digniores partes ipſius animæ, quæ ſunt, ſenſitiua, imaginatiua & rationalis: inter quas rationalis tanquam dignior & ſuprema, naturaliter dominatur inferioribus, videlicet imaginatiuæ & ſenſitiuæ, quia per illam anima non ſolum apprehendit res, ſed etiam iudicat, quid ſit verum vel falſum, & bonum aut malum in ipſis vel de ipſis rebus, tenendum vel fugiendum.

Sed quoniam (vt dicit Philoſophus *in tertio Ethicorum*) tria ſunt in anima, ſcilicet paſſiones, potentiæ, & habitus: paſſiones dicuntur fortiores motus ſenſuum interiorum, ſecundum quas afficitur anima circa res apprehenſas, vt bonas vel malas, gaudendo vel triſtando, & appetendo vel fugiendo. Circa res vero apprehenſas & iudicium earum, contingit error & defectus propter paſſiones, quæ ſolum illud, quod ſenſum vel animum delectat, faciunt videri eſſe bonum, licet ſæpe ſit malum: & ſolum illud quod ſenſum vel animum contriſtat, faciunt videri eſſe malum, licet ſæpe illud in veritate ſit bonum.

Quia vt dicit Philoſophus, in paſſionibus ratio non eſt recta: & propter hoc circa vere bonum & malũ ratio practica aliquando impeditur, præualent paſſiones: aliquando vero in aliquibus hominib. ratio præualet & dominatur paſſionibus. Paſſiones vero dico concupiſcentiã & irã, quando non obtemperant rationi, nec ſequũtur regnũ & regulã ipſius. Propter hoc, ſicut circa alia agibilia, ita & circa ea q̃ pertinẽt ad officiũ & actũ regẽdi & regnãdi, aliquãdo & in aliquib. dominatur ratio paſſioni-

Reges optemperantes ra-

... ſioni potius quam rationi regentes ... bonum regnantur ...

ſionibus. & cum hoc ſit in regibus & principibus, tunc erunt ipſi reges & principes boni, bene regentes & regnantes. Aliquando vero & in aliquibus paſſiones præualent rationi, & ſecundum qualitatem & quantitatem & modum illius præualentiæ erunt reges & principes non ſimpliciter boni: ſed vel ſimpliciter mali, vel mediocriter boni aut mali.

CAPVT IV.

Dum regnabat ... bona erant regna: cum vero ſuccederent ... regna deteriora facta ſunt.

QVoniam autem in omnibus illud quod eſt ſecundum naturam, prius eſt eo, quod non eſt ſecundum naturam: bonum autem eſſe, prius eſt ſecundum naturam, eo quod contra naturam eſt, malum eſſe: propterea veritatem narrare videntur, & maxime ſecundum naturalem ordinem ſeſe habere hiſtoriographi, dum ſcribunt, quod ab initio ortus regnorum fuerint reges boni, & regna bona & iuſta: & quod deinceps quaſi ſuccedente & præualente eo, quod eſt contra naturam, ei quod eſt ſecundum naturam, ratione videlicet in hominibus ſuccumbente paſſionibus, vel cedente: quia, ſicut in partibus, ita & in toto, temporis ſucceſſus facit res mundi deficere à ſuo principio: per conſequens etiam illa primæua bonitas & æquitas primorum regum & regnorum ac populorum, mutata ſit in proceſſu deinceps in malitiam & iniquitatem malorum regum & regnorum, vnde prædictus hiſtoriographus Iuſtinus poſt prædictam deſcriptionem ortus bonorum regnorum, & regum primorum, ſubdit de proceſſu & de ſucceſſu mutationis illius primæuæ bonitatis & æquitatis ſuccedentium regum & regnorum in malitiam & iniquitatem. Et hoc in primo maximorum mundi regnorum, vbi prima monarchia totius orientis incœpit, videlicet in regno Aſſyriorum exemplificat, ita dicens: *Primus itaq; omnium Ninus, rex Aſſyriorum, veterem & quaſi auitum gentium morem noua Imperii cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, terminos aduſq; Libyæ perdomuit.* Ac paulo poſt, de proceſſu & ſucceſſu violentæ dominationis ac tyrannidis ipſius dicens addit: *Ninus magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmauit. Domitis enim proximis quibuſq; cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret, & proxima quæq; victoria inſtrumentum eſſet ſequentis, totius orientis populos ſubegit.* Hæc Iuſtinus. Quia vero (ſicut Auguſtinus quinto libro de Ciuitate Dei inquit) *differentia eſt inter regere & regnare*, quia *regere* dicit *beneuolentiam conſulentis & prouidentis, regnare vero* dicit *faſtum & ſuperbiam dominantis*: patet quod non beneuolentia regendi, ſed faſtus & ſuperbia dominandi & regnandi fuit prima cauſa mutationis regnorum in tyrannides, & regum in tyrannos: quia conſequebatur primo violenta inuaſio & oppreſſio vicinorum, & iniqua dilatio terminorum, & occupatio exterorum: deinde diſcordia ipſorum ciuium inter ſe & cum ipſis regibus, & vlterius à maioribus oppreſſio minorum.

Ninus cupiditatibus magis quam ratione obtemperans ... in tyrannidem ... imperia. Regere, regnare.

CAPVT V.

Quomodo creuerit Roman. Imperium.

EVndem quoq; fuiſſe modum & ordinem ortus & proceſſus ac ſucceſſus regni, ſiue imperii Romani, vltimæ & ampliſſimæ Monarchiæ mundi Saluſtius deſcribit dicens: *Igitur ab initio reges diuerſi, & pars ingenium, alii corpus exercebant, & vita hominum ſine cupiditate agebatur, ac ſua cuiq; ſatis placebant.* Quatuor virtutes hic commendantur in illis antiquis Romanorum regibus & populis. Primo, ſtudium artium liberalium, cum dicit, *quod pars eorum exercebant ingenium*, &c. quia ſicut dicit plenius, optime tunc reſpublica agebatur, cum reges philoſophabantur, & philoſophi regebant. Secundo militare exercitium, ſcilicet quo vtebantur ad defendendum ſua, non ad inuadendum aliena. Vnde tertium ſequitur, quod *vita hominum ſine cupiditate agebatur*: ſcilicet in eo, quod nemo concupiuit aliena. Cuius cauſa erat illud quartum, quod ſubdit, vnicuiq; ſua placuiſſe. Talis autem ſtatus regni Romani ſub ſolo Numa Pompilio, ſecundo poſt Romulum rege Romanorum fuit: cuius toto tempore clauſis portis Iani, Roma in pace regnauit. Erant enim Romæ duæ portæ, quæ dicebantur Iani, conſecratæ deo Iano, à quo Ianuarius menſis Iano conſecratus dicebatur: quæ non aperiebantur, niſi tempore belli: vna per quam exercitus prodibat: alia, per quam redibat ad vrbem poſt adeptam victoriam cum triumpho. Toto autem tempore pacis claudebantur. Deinde proceſſu temporis è ſucceſſu rerum ſecundarum (ſicut dicit idem Saluſtius) cum Roma ex longa pace & tranquillitate, ſub prædicto Numa Pompilio, ſecundo rege ſuo, legibus & moribus, rebus item ac hominibus ſatis proſpere ſe habentibus augmentata fuit: primo ex ipſa rerum opulentia, auaritia & inuidia in vicinos orta eſt, iuxta illud Iuuenalis poetæ:

Nota hoſtilitudinum.

Iani portæ.

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi confregit ſecula luxu.

Reges abundantes mundi ſuis opibus contenti, aliena etiam appetunt.

Vnde ſuccedentes reges cum populo Romano, vicinos cœperunt bello petere & tentare: vtq; hoc ſecurius poſſent & efficacius adimplere, vires ſuas artibus inſtaurarunt, vt ſic artibus ſimul ac viribus implere poſſent, quod cupiebant. Alios itaq; vicinos, ſibi ſocios, quaſi ad commune præſidium faciebant & vna cum illis alios impugnabant: & pro libertate patriæ ſuæ & regni ſe pugnare aſſerentes, ne aliis ſeruirent, hoc potius intendebant, vt alios ſibi ſeruire facerent: & alios remotiores ſibi ſocios iungentes, prioribus diffidebant, quorum auxilio vicinos ſubiugarant: & ipſos quoque prius ſocios, nunc ſubditos ſibi faciebant. Sic ſub ſeptem regibus ſuis primis, Roma his artibus & viribus per CCXLII. annos ſemper magis ac magis creuit ad Tarquinium vſq; Superbum, qui primorum regum Romanorum ſeptimus & vltimus fuit: qui ideo Superb. vocatus eſt, quod faſtu regali primus vltra ſuos anteceſſores ſuperba dominatione vtebatur: cuius filius Lucretiam, nobiliſſimam pudiciſſimamq; matronam, Collatini ſenatoris vxorem, violenter oppreſſit: propter quod ſenatus cum popu-

Artes Romanorum, quibus ... pugnabant.

Tarquinius Superbus.

populo Romano patrem & filium ſimul de regno & vrbe expulit, & annuos deinceps ſibi conſules, vnum, vel duos aut tres creauit, qui patriæ & Reipub. potius conſulendo prouiderent, & prouidenter conſulerent, quam regnarent. Hi conſules annui deinde per CCCCXLIV. annos, vſque ad Octauianum primum Imperatorem Rom. Rempubl. gubernabant.

Exacti reges.

CAPVT VI.

POſt primos itaq; reges expulſos conſules de anno in annum creati, cœperunt vna cum ſenatu & populo Romanam Remp. quaſi ad primum ortum ſuum reducere, & à corruptis regum moribus de nouo in melius reformare, de quibus Conſulibus & ſenatoribus dixit Ennius Poeta:

Moribus antiquis ſtat res Romana, viriſque.

Quam poetæ ſententiam commendat Tullius dicens: quod bene dixerit Ennius, creuiſſe & ſtare Romam etiam per illos viros & mores, quia vtique non fuiſſent illi mores, ſi non fuiſſent illi viri: neq; illi tales viri, ſi non habuiſſent illos tales mores. Illi. a. mores hi fuerunt, quos Cato laudauit in oratione ad populum ac ſenatum Rom. ſicut ſcribit Saluſtius, ita dicens: *Nolite putare, maiores noſtros ſolis armis rempubl. Romanam ex parua feciſſe magnam, ſed alia fuerunt, quæ illos magnos, & illam magnā faciebant: videlicet domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, nec libidini, nec delicto obnoxius.* Erant enim illi antiqui laudati inter Romanos, domi in re ſua priuata parci & modeſti, foris liberales, habebant ærarium publicum opulentum, & tenues res priuatas: cupidi magis gloriæ quam pecuniæ, amantes Remp. & patriam magis quam ſe vel ſua, cui ſoli patriæ laborare & viuere voluerunt, pro qua mori etiam non timuerunt. Vnde omnib. neruis ſtuduerunt, vt bellorum & periculorum pro ipſa patria ſuſceptorum laboribus primo facerent eam liberam, vt nulli ſeruiret: deinde dominam, vt cęteris gentibus imperaret. Tales itaq; fuerunt primi antiqui Romani: Deinde proceſſu temporis, ex ſucceſſu rerum ſecundarum, illis moribus antiquis abolitis & deletis, iterum ſuccreuerunt mali & corrupti mores, peiores prioribus. Quia ſicut ſub regibus prius ex rerum opulentia orta fuerat auaritia & inuidia ad vicinos, quos incœperũt bello petere & impugnare: ita poſtmodum ſub conſulib. ex dilatata potentia ſuper exteros & remotos fere omnes iam ſubactos, orta eſt ſuperbia & violentia in conciues, & in ſuos. Vnde ſcribit Saluſtius, poſt reges primos Romanos, vt prædictum eſt, expulſos ſub primis conſulibus creatis: quamdiu metus impugnationis Tarquinij pro recuperando ſibi regno durauit, æquo & modeſto iure & more actum eſſe à Conſulibus & ſenatoribus cum plebe. Metu vero illius impugnationis ceſſante, & reſtituta tranquillitate, cœperunt primo validiorum iniuriæ contra plebem excreſcere, & ipſi conſules ac ſenatores plebem ſeruili imperio premere, & regio more verberibus punire ac agris ſuis & rebus priuare, & ſoli in imperio agere, quaſi domini, non quaſi patroni reip. & ipſius patriæ, ſicut prius aliquandiu conſueuerant. propter quod plebs armata manu collecta, ſeceſſionem in Auentinum montem fecit: vbi tandem populus ſic fuit cum ſenatu concordatus: vt videlicet contra iniurias & violentias ſenatorum populus ſibi crearet Tribunos plebis, qui populi cauſas contra ſenatum defenderunt, ſi quando ſenatus ſimili quadam violentia populo contrairet. Ex quo notandum eſt, quod illi ſunt mali mores, qui reges & principes faciunt fieri, & eſſe tyrannos: primo, liberos homines ſeruili iugo opprimere, vt ſi miles vel nobilis compellatur ſteuras vel exactiones cum plebe ſoluere. Secundo, corporaliter caſtigare liberum aut nobilem hominem, vel punire, quia hoc pertinet ad conditionem ſeruorum & ruſticorum, & non itidem ad ſtatum nobilium ac liberorum. Tertio, rebus ſuis ac honoribus ipſos priuare, quia nobilium & liberorum res ac honores debent cum perſonis ipſorum gaudere pari iure. Quarto, contra verecundiam, petulantiam aut iniuriam vxoribus vel filijs ipſorum inferre; quia liber hominis liberi animus magis eligit mortem pati, quam contra verecundiam, confuſionem aliquam in illis cauſis & rebus, in quibus ſummus honor, & ſumma hominis libertas conſiſtit, experiri. Vltimo itaq;, cum iam fere omnibus gentibus & regnis ſubiugatis, & in prouincias redactis & ſubactis, Romani felici pace, & pacata felicitate, gaudere in ſuę dominationis imperio potuiſſent: Senatus, ſicut prius contra plebem, ita tunc contra ſemetipſum, & inter ſemetipſos diuiſi ſenatores, pro obtinenda conſulatuum, & aliarum dignitatum dominatione, ſolius iactantiæ & gloriæ cupiditate atrociſſima ac crudeliſſima bella ciuilia excitarunt & exercuerunt: quorum tria famoſa fuerunt; primum Syllæ & Marij, ſecundum Cæſaris & Pompeij, tertium Antonij & Auguſti Octauiani, qui ſolus & primus deuicto Antonio obtinuit Romani Imperij monarchiam, cuius ſucceſſores deinceps ad hæc vſq; tempora, ſub Monarchia, id eſt, ſub vnius Imperatoris ſingulari principatu Rom. Imperium tenuerunt.

Veteres Romanorum mores.

Ex imperio violento ſeditiones oriuntur.

Haud facile eſt æqua commoda mente pati.

Bella ciuilia Romæ

CAPVT VII.

HIs igitur de primo ortu & proceſſu ac ſucceſſu regnorum, & principatuum breuiter præhabitis & præmiſſis, de ſtatu ipſorum ſubſequenter eſt agendum. Circa ſtatum vero regnorum & principatuum quatuor ſunt inquirenda & ſcienda; Primo, de regno felici & infelici: ſecundo, de regno iuſto vel iniuſto: tertio, de regno magno & paruo: quarto, de combinatione & comparatione ſtatuum trium conditionum, & ſtatuum regnorum ad inuicem. Neceſſitas autem conſiderationis huius, & ſufficientia etiam perſcrutationis eſt, quia, cum ſecundum Philoſophum primo Ethicorum, *Omnes actiones humanæ ad finem vltimum referantur, qui eſt felicitas tanquam ſummum bonum, ad quod omnia alia bona humana ordinantur:* bonum autem regni ſit maximum, quia bonum, quod quæritur in prima communitate ſiue communicatione, aut ſocietate hominum ad inuicem, eſt domus con-

tioni petius quam rationi regentes, & horum regna etiam bona censentur.

ſionibus. & cum hoc fit in regibus & principibus, tunc erunt ipſi reges & principes boni, bene regentes & regnantes. Aliquando vero & in aliquibus paſſiones præualent rationi, & ſecundum quantitatem & quantitatem & modum illius præualentiæ erunt reges & principes non ſimpliciter boni: ſed vel ſimpliciter mali, vel mediocriter boni aut mali.

CAPVT IV.

Dum regnabat ἀγαθοῖς ... bona erat regna: tum vero ſuccedentes ... regna deteriora facta ſunt.

QVoniam autem in omnibus illud quod eſt ſecundum naturam, prius eſt eo, quod non eſt ſecundum naturam: bonum autem eſſe, prius eſt ſecundum naturam, eo quod contra naturam eſt, malum eſſe: propterea veritatem narrare videntur, & maxime ſecundum naturalem ordinem ſeſe habere hiſtoriographi, dum ſcribunt, quod ab initio ortus regnorum fuerint reges boni, & regna bona & iuſta: & quod deinceps quaſi ſuccedente & præualente eo, quod eſt contra naturam, ei quod eſt ſecundum naturam, ratione videlicet in hominibus ſuccumbente paſſionibus, vel cedente: quia, ſicut in partibus, ita & in toto, temporis ſucceſſus facit res mundi deficere à ſuo principio: per conſequens etiam illa primæua bonitas & æquitas primorum regum & regnorum ac populorum, mutata ſit in proceſſu deinceps in malitiam & iniquitatem malorum regum & regnorum, vnde prædictus hiſtoriographus Iuſtinus poſt prædictam deſcriptionem ortus bonorum regnorum, & regum primorum, ſubdit de proceſſu & de ſucceſſu mutationis illius primæuæ bonitatis & æquitatis ſuccedentium regum & regnorum in malitiam & iniquitatem. Et hoc in primo maximorum mundi regnorum, vbi prima monarchia totius orientis incœpit, videlicet in regno Aſſyriorum exemplificat, ita dicens: *Primus itaq; omnium Ninus, rex Aſſyriorum, veterem & quaſi auitum gentium morem noua Imperii cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, terminos adusq; Libyæ perdomuit.* Ac paulo poſt, de proceſſu & ſucceſſu violentæ dominationis ac tyrannidis ipſius dicens addit: *Ninus magnitudinem quæſita dominationis continua poſſeſſione firmauit. Domitis enim proximis quibusq; cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret, & proxima quæq; victoria inſtrumentum eſſet ſequentis, totius orientis populos ſubegit.* Hæc Iuſtinus. Quia vero (ſicut Auguſtinus quinto libro de Ciuitate Dei inquit) *differentia eſt inter regere & regnare*, quia *regere* dicit *beneuolentiam conſulentis & prouidentis, regnare vero* dicit *faſtum & ſuperbiam dominantis*: patet quod non beneuolentia regendi, ſed faſtus & ſuperbia dominandi & regnandi fuit prima cauſa mutationis regnorum in tyrannides, & regum in tyrannos: quia conſequebatur primo violenta inuaſio & oppreſſio vicinorum, & iniqua dilatio terminorum, & occupatio exterorum: deinde diſcordia ipſorum ciuium inter ſe & cum ipſis regibus, & vlterius à maioribus oppreſſio minorum.

Ninus cupiditatibus magis quam rationi obtemperans ... fit tyrannus ... augendo ... regna, deſtruit imperia.

Regere, regnare.

CAPVT V.

Quomodo creuerit Roman. Imperium.

EVndem quoq; fuiſſe modum & ordinem ortus & proceſſus ac ſucceſſus regni, ſiue imperii Romani, vltimæ & ampliſſimæ Monarchiæ mundi Saluſtius deſcribit dicens: *Igitur ab initio reges diuerſi, & pars ingenium, alii corpus exercebant, & vita hominum ſine cupiditate agebatur, ac ſua cuiq; ſatis placebant.* Quatuor virtutes hic commendantur in illis antiquis Romanorum regibus & populis. Primo ſtudium artium liberalium, cum dicit, *quod pars eorum exercebant ingenium*, &c. quia ſicut dicit Plato, optime tunc reſpublica agebatur, cum reges philoſophabantur, & philoſophi regebant. Secundo militare exercitium, ſcilicet quo vtebantur ad defendendum ſua, non ad inuadendum aliena. Vnde tertium ſequitur, quod *vita hominum ſine cupiditate agebatur*: ſcilicet in eo, quod nemo concupiuit aliena. Cuius cauſa erat illud quartum, quod ſubdit, vnicuiq; ſua placuiſſe. Talis autem ſtatus regni Romani ſub ſolo Numa Pompilio, ſecundo poſt Romulum rege Romanorum fuit: cuius toto tempore clauſis portis Iani, Roma in pace regnauit. Erant enim Romæ duæ portæ, quæ dicebantur Iani, conſecratæ deo Iano, à quo Ianuarius menſis Iano conſecratus dicebatur: quæ non aperiebantur, niſi tempore belli: vna per quam exercitus prodibat: alia, per quam redibat ad vrbem poſt adeptam victoriam cum triumpho. Toto autem tempore pacis claudebantur. Deinde proceſſu temporis è ſucceſſu rerum ſecundarum (ſicut dicit idem Saluſtius) cum Roma ex longa pace & tranquillitate, ſub prædicto Numa Pompilio, ſecundo rege ſuo, legibus & moribus, rebus item ac hominibus ſatis proſpere ſe habentibus augmentata fuit: primo ex ipſa rerum opulentia, auaritia & inuidia in vicinos orta eſt, iuxta illud Iuuenalis poetæ:

Nota baſtiludium.

Iani porta.

Reges abundantes mundi ſuis opibus contenti, aliena etiam appetunt.

> *Prima peregrinos obſcœna pecunia mores*
> *Intulit, & turpi confregit ſecula luxu.*

Vnde ſuccedentes reges cum populo Romano, vicinos cœperunt bello petere & tentare: vtq; hoc ſecurius poſſent & efficacius adimplere, vires ſuas artibus inſtaurarunt, vt ſic artibus ſimul ac viribus implere poſſent, quod cupiebant. Alios itaq; vicinos, ſibi ſocios, quaſi ad commune præſidium faciebant & vna cum illis alios impugnabant: & pro libertate patriæ ſuæ & regni ſe pugnare aſſerentes, ne aliis ſeruirent, hoc potius intendebant, vt alios ſibi ſeruire facerent: & alios remotiores ſibi ſocios iungentes, prioribus diffidebant, quorum auxilio vicinos ſubiugarant: & ipſos quoque prius ſocios, nunc ſubditos ſibi faciebant. Sic ſub ſeptem regibus ſuis primis, Roma his artibus & viribus per CCXLIV. annos ſemper magis ac magis creuit ad Tarquinium vſq; Superbum, qui primorum regum Romanorum ſeptimus & vltimus fuit: qui ideo Superb. vocatus eſt, quod faſtu regali primus vltra ſuos anteceſſores ſuperba dominatione vtebatur: cuius filius Lucretiam, nobiliſſimam pudiciſſimamq; matronam, Collatini ſenatoris vxorem, violenter oppreſſit: propter quod ſenatus cum popu-

Artes Romanorum, quibus maxime vtebantur pugnando.

Tarquinius Superbus.

populo Romano patrem & filium ſimul de regno & vrbe expulit,& annuos deinceps ſibi conſules, *Exacti reges.*
vnum,vel duos aut tres creauit,qui patriæ & Reipub.potius conſulendo prouiderent,& prouidendo conſulerent,quam regnarent.Hi conſules annui deinde per cccc xliv.annos,vſque ad Octauianum primum Imperatorem Rom. Rempubl.gubernabant.

CAPVT VI.

POſt primos itaq; reges expulſos conſules de anno in annum creati,cœperunt vna cum ſenatu & populo Romanam Remp. quaſi ad primum ortum ſuum reducere, & à corruptis regum moribus de nouo in melius reformare, de quibus Conſulibus & ſenatoribus dixit Ennius Poeta:

Moribus antiquis ſtat res Romana,viriſque.

Quam poetæ ſententiam commendat Tullius dicens:quod bene dixerit Ennius,creuiſſe & ſtare Romam etiam per illos viros & mores, quia vtique non fuiſſent illi mores, ſi non fuiſſent illi viri: neq; illi tales viri, ſi non habuiſſent illos tales mores. Illi.n.mores hi fuerunt,quos Cato laudauit in oratione ad populum ac ſenatum Rom.ſicut ſcribit Saluſtius,ita dicens:*Nolite putare,maiores noſtros ſolis armis rempubl. Romanam ex parua feciſſe magnam,ſed alia fuerunt,quæ illos magnos,& illam magnã faciebant:videlicet domi induſtria,foris iuſtum imperium,animus in conſulendo liber,nec libidini,nec delicto obnoxius.* *Veteres Romanorum mores.* Erant enim illi antiqui laudati inter Romanos, domi in re ſua priuata parci & modeſti,foris liberales,habebant ærarium publicum opulentum,& tenues res priuatas:cupidi magis gloriæ quam pecuniæ,amantes Remp.& patriam magis quam ſe vel ſua.cui ſoli patriæ laborare & viuere voluerunt, pro qua mori etiam non timuerunt. Vnde omnib.neruis ſtuduerunt,vt bellorum & periculorum pro ipſa patria ſuſceptorum laboribus primo facerent eam liberam, vt nulli ſeruiret: deinde dominam,vt cęteris gentibus imperaret. Tales itaq; fuerunt primi antiqui Romani:Deinde proceſſu temporis,ex ſucceſſu rerum ſecundarum,illis moribus antiquis abolitis & deletis, iterum ſuccreuerunt mali & corrupti mores, peiores prioribus. Quia ſicut ſub regibus prius ex rerum opulentia orta fuerat auaritia & inuidia ad vicinos,quos incœperũt bello petere & impugnare:ita poſtmodum ſub conſulib. ex dilatata potentia ſuper exteros & remotos fere omnes iam ſubactos, orta eſt ſuperbia & violentia in conciues,& in ſuos. Vnde ſcribit Saluſtius, poſt reges primos Romanos, vt prædictum eſt,expulſos ſub primis conſulibus creatis: quamdiu metus impugnationis Tarquinij pro recuperando ſibi regno durauit,æquo & modeſto iure & more actum eſſe à Conſulibus & ſenatoribus cum plebe.Metu vero illius impugnationis ceſſante,& reſtituta tranquillitate,cœperunt primo validiorum iniuriæ contra plebem excreſcere,& ipſi conſules ac ſenatores plebem ſeruili imperio premere, & regio more verberibus punire ac agris ſuis & rebus priuare, & ſoli in imperio agere, quaſi domini,non quaſi patroni reip.& ipſius patriæ,ſicut prius aliquandiu conſueuerant.propter quod plebs armata manu collecta,ſeceſſionem in Auentinum montem fecit: vbi tandem populus ſic fuit cum ſenatu concordatus: vt videlicet contra iniurias & violentias ſenatorum populus ſibi crearet Tribunos plebis, qui populi cauſas contra ſenatum defenderent, ſi quando ſenatus ſimili quadam violentia populo contrairet. *Ex imperio violento ſeditiones oriuntur.* Ex quo notandum eſt, quod iſti ſunt mali mores,qui reges & principes faciunt fieri,& eſſe tyrannos: primo,liberos homines ſeruili iugo opprimere, vt ſi miles vel nobilis compellatur ſteuras vel exactiones cum plebe ſoluere. Secundo,corporaliter caſtigare liberum aut nobilem hominem, vel punire,quia hoc pertinet ad conditionem ſeruorum & ruſticorum, & non ſiidem ad ſtatum nobilium ac liberorum. Tertio, rebus ſuis ac honoribus ipſos priuare, quia nobilium & liberorum res ac honores debent cum perſonis ipſorum gaudere pari iure. Quarto, contra verecundiam,petulantiam aut iniuriam vxoribus vel filijs ipſorum inferre; quia liber hominis liberi animus magis eligit mortem pati,quam contra verecundiam,confuſionem aliquam in illis cauſis & rebus,in quibus ſummus honor, & ſumma hominis libertas conſiſtit,experiri. Vltimo itaq;, cum iam fere omnibus gentibus & regnis ſubiugatis, & in prouincias redactis & ſubactis, Romani felici pace,& pacata felicitate,gaudere in ſuę dominationis imperio potuiſſent:Senatus,ſicut prius contra plebem, ita tunc contra ſemetipſum, & inter ſemetipſos diuiſi ſenatores, pro obtinenda conſulatuum,& aliarum dignitatum dominatione, ſolius iactantiæ & gloriæ cupiditate atrociſſima ac crudeliſſima bella ciuilia excitarunt & exercuerunt: quorum tria famoſa fuerunt;primum Syllæ & Marij,ſecundum Cæſaris & Pompeij, tertium Antonij & Auguſti Octauiani,qui ſolus & primus deuicto Antonio obtinuit Romani Imperij monarchiam, cuius ſucceſſores deinceps ad hæc vſq; tempora,ſub Monarchia,id eſt,ſub vnius Imperatoris ſingulari principatu Rom. Imperium tenuerunt. *Haud facile eſt æqua commoda mente pati.* *Bella ciuilia Romæ.*

CAPVT VII.

HIs igitur de primo ortu & proceſſu ac ſucceſſu regnorum, & principatuum breuiter præhabitis & præmiſſis,de ſtatu ipſorum ſubſequenter eſt agendum .Circa ſtatum vero regnorum & principatuum quatuor ſunt inquirenda & ſcienda; Primo,de regno felici & infelici: ſecundo, de regno iuſto vel iniuſto: tertio, de regno magno & paruo: quarto,de combinatione & comparatione iſtarum trium conditionum, & ſtatuum regnorum ad inuicem. Neceſſitas autem conſiderationis huius,& ſufficientia etiam perſcrutationis eſt, quia, cum ſecundum Philoſophum primo Ethicorum, *Omnes actiones humanæ ad finem vltimum referantur, qui eſt felicitas tanquam ſummum bonum,ad quod omnia alia bona humana ordinantur:* bonum autem regni ſit maximum,quia bonum, quod quæritur in prima communitate ſiue communicatione, aut ſocietate hominum ad inuicem,eſt domus con-

ſtituta ex viro, vxore, liberis ac ſeruis, ordinata ad bonum ciuitatis, tanquam minus bonum ad maius, & pars minor ad maiorem: Bonum vero ciuitatis ordinatur ad bonum regni ſiue principatus, tanquam maius bonum ad maximum, & principalis pars ad ſuum totum: patet inde, quod felicitas regni ſiue principatus eſt maximum bonum, tanquam id, cuius gratia omnia ſunt & fiunt, quæ in regno vel principatu diſponuntur, & ad quod omnia cætera particularia ordinantur. Et ita de neceſſitate oportet eum, qui præeſt regno vel principatui, ſcire, quid ſit, & in quo ſit regni vel principatus finis, vel felicitas conſtituta. Sed quia, ſicut patet per Philoſophum *in principio Ethicor.* felicitatem humanam alii poſuerunt in virtute, alii in voluptate (quæ eſt duplex, ſc. cupiditas honorum, quam multi quærunt propter auaritiam & luxuriam, propter quod dicit Philoſopus ibidem, quod vitæ actiuæ famoſæ inter homines ſint tres: videlicet vita virtuoſa, quæ felicitatem & ſummum bonum ſibi conſtituit in virtute, & in actione ſecundum virtutem: & vita voluptuoſa, quæ felicitatem ſuam & ſummum bonum ſibi ponit vel in humana gloria & honore, propter delectationem ſuperbiæ & vanæ gloriæ: vel in diuitiis & in pecunia, propter delectationem auaritiæ & luxuriæ) regnum autem iniuſtum appetitur propter ſuperbiam, quia ſuperbos magis delectat violentia, quam iuſtitia, quia putant ſe magis excellere faciendo iniuriam, quam obſeruando iuſtitiam, quia iuſtitia eſt æquatio & æqualitas quædam. Regnum autem magnum appetitur propter auaritiam & luxuriam, quia auaros & luxurioſos magis delectat multarum rerum & vſuum ipſarum immoderantia, quam modus & temperantia: propterea reges & principes cupientes feliciter regere & regnare, neceſſe eſt diligenter conſiderare & ſcire, vtrum iuſte vel iniuſte regere & regnare, faciat ad felicitatem regni vel principatus, vel ad eius contrarium: & vtrum regni & principatus dilatatio & magnitudo, aut eius moderata limitatio, faciat felix regnum, & felicem principatum.

Duplex vita. — *Quid regem maxime ſcire oporteat.*

CAPVT VIII.

De regno felici & infelici. — *Felicitas quid.*

PRimo igitur conſiderandum & ſciendum eſt, quid ſit felicitas, ſimpliciter & communiter accipiendo, deinde, quæ ſit, & in quo ſit felicitas regni vel principatus, conſtituta? Secundum Philoſophum itaq; in *principio Ethic.* felicitas dicitur duobus modis. Vno modo felicitas hominis, in quantum homo ſimpliciter: & hæc conſiſtit in delectabili actione, ſecundum optimam & perfectam virtutem hominis, in quantum homo, quæ eſt actio eius ſecundum Intellectum & rationem. Alio modo dicitur felicitas vniuſcuiuſq;, in quantum talis, vt hominis bellatoris, in quantum bellator: vel hominis ciuilis, vel politici, in quantum politicus vel ciuilis: & hominis regis vel principis, in quantum rex vel princeps. Et felicitatem ſic acceptam deſcribit Philoſophus in primo Rhetoricæ, quod *felicitas eſt delectabilis operatio boni cum virtute, & propter virtutem,* &c. Hæc eſt definitio felicitatis, vel potius deſcriptio eius, in quantum eſt in animo, quo ad complementum delectationis, & fruitionis virtutis, & operis ſecundũ virtutem. Iterum deſcribit ibidem felicitatem aliter, dicens: Quod *felicitas eſt vita per ſe ſibi ſufficiens, cum delectatione infallibili,* &c. & hæc deſcriptio fere cedit in eundẽ intellectum cum priori. Iterum aliam deſcriptionem eius ponit, dicens: Quod *felicitas ſit potentia acquiſitiua, & conſeruatiua eorum, quæ faciunt ad vitã ciuilis hominis bona interiora & exteriora, ad virtutis vſum & fructum ordinata.* Et hæc deſcriptio proprie conuenit felicitati vitæ politicæ, cuius ſpecies eſt felicitas regalis & principalis, ſicuti dicitur in 4. *Politicor.* Quæ ergo ſit, & in quo conſtituta ſit felicitas regni & principatus, videlicet in fine, ad quem ordinatur officium regiminis, nunc videndum eſt. Ad hoc autem inueniendum & ſciendum, dat egregiam viam & introductionem, illud quod dicit Philoſophus *in ſecundo de Anima*: Quod idem eſt accipere & videre in toto, quod in partibus. Vnde quia regnum eſt quiddam totum, cuius primæ partes ſunt ſinguli homines in regno habitantes: propterea ſicut Auguſtinus dicit *libr. 4. de Ciuitate Dei,* non ex alijs, ſed ex eiſdem cauſis felix eſt regnum, & quilibet homo in regno. Ex quibus vero cauſis quilibet homo priuatus ſit, & dicatur felix homo in rebus ſuis priuatis, Auguſtinus ibidem, facta poſitione per ſimile declarat, dicens: *Ponamus duos homines, vnum mediocrem ſtatu ſuo, & rebus: alium vero prædiuitem, & magnum ſtatu & rebus. Et ponamus illum mediocrem hominem, ſe & ſua recte regentem & æſtimantem, ſua ſibi bene ſufficere, & pro tanto ſuis eſſe contentum, & alienis rebus non intentum, mente quietum, ſuis charum, vicinis gratum, omnibus æquum & placidum, ac nulli moleſtum, & ſic ſemper liberum & ſecurum. illum vero prædiuitem & magnum, ſe & ſua non recte regentem, ſuis non eſſe contentum, & per conſequens alijs inuidentem, & alienis rebus & honoribus inhiantem, & ſic animo ſemper turbidum, mente inquietum, laboribus & inſidijs plenum, occupatum corpore, & animo vexatum, ſemper formidoloſum, ſuis grauem, & extraneis inuiſum, & vtriſque odioſum, ac idcirco nunquam tutum, & nuſquam ſecurum. Nemo autem ſanæ mentis & rationis particeps ignorat vel dubitat, vter horum duorum gaudeat felicitate, & vter eorum torqueatur miſeria & infelicitate.* A ſimili itaque illud regnum, & ille principatus in veritate poterit dici felix, cuius rex vel princeps ſe & ſuos recte regens, ſuis honoribus, iuribus, rebus ac terminis eſt contentus, illis bene prouidens, & ipſis bene vtens: ſuos in ſuis non lædens, alienos iniuſte non inuadens, pacificus cum vicinis, gratus & gratioſus ſuis: qui per conſequens, ſemper erit animo ſerenus, mente tranquillus, vbique tutus, & ſemper ſecurus, vita incolumis, fama laudabilis & laudatus, & in gloria delectabilis & iucundus. E contra vero infelix dici poterit illud regnum, & ille principatus, cuius rex vel princeps ſe & ſuos non recte regens, & ſuis non recte prouidens, & ipſis male vtens, cogente neceſſitate, ſuis non eſt contentus, & aliorum rebus rapiendis intentus, ſuos opprimens, vicinos inuadens, cum nullo pacificus, amicis ingratus,

De regni felicitate. — *Simile, vel collatio.* — *Quod regnum vere ſit felix.* — *Quod regnum vere ſit infelix.*

exteris

cæteris odioſus, omnibus formidabilis & formiduloſus, mente turbidus, animo inquietus in ſemetipſum fremens, in alios amarus, ſpiritu vexatus, corpore tribulatus, timoribus anxius, ſolicitudine dubius, inſidijs perplexus, alijs grauis, ſibi oneroſus, & omnibus terribilis, nulli amabilis, nec iucundus.

CAPVT IX.

QVod autem prædictæ conditiones illius hominis mediocris, ſint partes conſtituentes & integrantes felicitatem ipſius, & his contrariæ conditiones alterius hominis, prædiuitis & magni cauſentur infelicitatem & miſeriam illius: ſic patet, quia ſicut ſecundum Philoſophum *in primo Ethicor.* tres ſunt conditiones, vt partes felicitatis, quæ faciunt hominem felicem ac beatum, videlicet ſufficientia nullo indigens, & tranquillitas nihil dolens, & ſecuritas nihil timens: ita per oppoſitum tres ſunt perturbationes mentis, quæ faciunt hominem miſerum & infelicem, ſcilicet concupiſcentia ſemper indigens, & qui eam conſequitur dolor ſemper premens: quod ſic oſtenditur. Si enim felicitas eſt ſufficientia bonorum, quę iam vt præſentia & exiſtentia ab homine poſſidentur, & quibus homo iam fruitur cum delectatione infallibili, vt prædictum eſt, delectatio vero infallibilis, in eo quod eſt delectatio, caret dolore, & in eo quod infallibilis, caret timore: patet, quod indigentia (quę cauſatur ex inſatiabili concupiſcentia, & opponitur ſufficientiæ) & dolor ipſam cõſequens (qui contrariatur delectationi) & timor (qui cauſatur ex rerum inſtabilitate, quæ opponitur infallibilitati & ſecuritati) erunt cauſa miſeriæ & infelicitatis. Si enim felix eſt, qui habet ſufficientiam, iccirco quod nihil eo quod habet, amplius concupiſcat, & qui in ſeipſo delectatur & quieſcit, eo quod nihil habet quod doleat: & qui ſecurus eſt in ſeipſo, eo quod nihil expectat quod timeat. Per oppoſitum infelix & miſer erit, qui ſemper indiget, ex eo quod ſemper ei reſtat aliquid, quod concupiſcat: & nunquam eſt in ſe quietus, eo quod ſemper habet aliquid quod doleat: & nunquam in ſemetipſo ſecurus, eo quod ſemper expectat aliquid, quod timeat. Omnes autem prædictæ conditiones illius viri mediocris indicant ipſius ſufficientiam cum tranquillitate & ſecuritate: & omnes conditiones illius magni & prędiuitis, augent in eo inſatiabilem concupiſcentiam, & per conſequens indigentiam cum dolore continuo & timore. Ergo illæ faciunt illum mediocrem felicem & beatum: & iſtæ faciunt prædiuitem iſtum, infelicem & miſerum. Et idem eſt accipere & videre conſequenter in rege vel principe, habente in ſe conditiones illius magni & prædiuitis, vel alterius hominis mediocris. Ex hoc patet etiam vlterius, quod ſola vera & plena libertas eſt, ſola vera & plena felicitas, & per oppoſitum, vera & plena ſeruitus eſt, vera & plena infelicitas. Libertas autem vera intelligitur, quæ eſt libertas animi à malitia concupiſcentiæ infeſtante, & à dolore indigentiæ cruciante, & à timore inſufficientiæ contriſtante. Similiter vera ſeruitus eſt, quæ ſeruit inſatiabili concupiſcentiæ, vt expleatur, & timori inſufficientiæ, vt repleatur: & dolori indigentiæ, vt impleatur.

Quid felicem faciat hominem aut contra.

Quis felix aut infelix.

Applicatio hactenus dictorum.

Vera libertas.

CAPVT X.

VIſo igitur, & habito ſermone ex prædictis, de regno felici, & infelici: conſequenter dicendum eſt de regno iuſto, vel iniuſto. Sciendum igitur, quod duabus de cauſis ſoleat dici rex vel princeps, aut dominus, iuſtus vel iniuſtus: videlicet, vel ex adeptione, vt ſi iuſte vel iniuſte regnum, vel principatum ſeu dominium eſt adeptus: vel ex adminiſtratione, vt ſi iuſte vel iniuſte regit, & adminiſtrat regnum, vel principatum, ſeu dominium adeptum. Et circa hoc inueniuntur quatuor differentiæ, ſeu diuerſitates. Poteſt enim aliquis regnum & dominium iuſte adipiſci, & iuſte adminiſtrare, aliquis vero iniuſte adipiſci, & iniuſte adminiſtrare: alter autem iniuſte adipiſci, & iuſte adminiſtrare, alius quoque iuſte adipiſci, & iniuſte adminiſtrare. Primo igitur dicendum eſt de adeptione. Adeptio regni, vel principatus fit tribus modis: videlicet vel per electionem, vel per ſucceſſionem, vel per occupationem. Per electionem adipiſcitur quis regnum, vno duorum modorum: ſcilic. aut ſine ſucceſſione, ſicut fit in Regibus Romanis, quibus electis, in regnum filij vel hæredes eorum de iure non ſuccedunt, niſi eligantur: aut cum ſucceſſione, ſicut fit in aliis regnis, & regibus multis, vt in Francia & Hiſpania, & conſimilibus illorum, in quibus primus rex ſolus per electionem peruenit ad regnum, & deinceps filij & nepotes per ſucceſſionem. Per ſucceſſionem. v. adipiſcuntur regnum, primogeniti regum, & ſeniores per gradum: ita quod primogenito mortuo ſine herede, ſemper ſenior inter reliquos ſuccedit. Per occupationem vero adipiſcitur quis regnum, ſimiliter vno duorum modorum. Aut quando aliquis regum aliquam gentem non habentem regẽ, & non rebellem, ſed ſpontaneã ſibi ſubiecit: vel rebellem bello deuicit, & ipſam vel regno ſuo adiecit, vel regnum per ſe (conſtituto ſe ibi rege) fecit, ſicut fecerunt olim Longobardi de prouincia Ligurũ, quam bello ſubegerũt, & ſibi regnum ex ea conſtituerunt. Et ſicut fecerunt Gothi in Hiſpania, cuius quandam partem bello obtinuerunt, & in ea ſibi regnum Arragoniæ conſtituerunt. Vnde dicta eſt Arragonia, quaſi arra Gothorum, quia à principio dixerunt, ſe illam partem Hiſpaniæ, de poteſtate Imperij Romani, pignoris nomine occupare, quaſi arram quandam, id eſt, partem ſuorum ſtipendiorum ab imperio ſibi promiſſorum. Aut quando regem iuſto bello victum interfecit in bello cum filijs & heredibus ſuis, & regnum ipſius iure belli poſſedit: ſicut interfecto Sardanapalo, vltimo Aſſyriorum rege, translatum fuit Aſſyriorum regnum ad Medos & Perſas: & interfecto Dario cum ſuis filiis ab Alexandro Magno, translatum fuit regnum Perſarum ac Medorum ad Græcos. Iſti autem modi adipiſcendi regnum, patent ex primo Officiorum Ciceronis, vbi dicit eloquentiæ Romanæ parens, quod cum *antiquis temporibus, ſub rudibus adhuc populis, eſſent omnia communiter adhuc omnium, facta ſunt.*

De regno iuſto vel iniuſto.

Duabus cauſis dici regem iuſtum vel iniuſtum.

De adeptione regni.

Electio.

Succeſſio.

Occupatio

Longobardi ex Liguria fecere regnum.

Gothi in Hiſpania eodem ſibi & regnum fecerunt.

Arragonia vnde dicta.

poſtmodum ſingula ſingulorum, aut veterum occupatione, quia quod nullius erat, concedebatur occupanti: aut iure belli, aut ſorte, aut ſucceſſione. Et quia eadem eſt cauſa & ratio in toto, quæ in partibus: proinde ſicut ſinguli in regno à principio adepti ſunt ſingula ſua, ita & Reges à principio adepti ſunt ipſa regna, vt prædictum eſt.

CAPVT XI.

Alia quæſtio.

QVoniam ergo inter prædictas quatuor differentias regnorum ſeu regum, iuſtorum vel iniuſtorum, de illa prima differentia nullum eſt dubium, niſi ſimpliciter dicatur, & ſit rex iuſtus, & regnum iuſtum, quando quis regnum iuſte adeptus eſt, & iuſte etiam adminiſtrat & regit ipſum regnum. Similiter & de ſecunda non eſt dubium, niſi ſimpliciter ſit & dicatur Rex iniuſtus, & regnum iniuſtum, quando quis regnum iniuſte adeptus eſt, & idipſum nec iuſte nec bene regit aut adminiſtrat. De alijs duab. differentijs videndum eſt: Vtrum videlicet dici poſſit iuſtus rex, qui regnum iniuſte adeptus eſt, etſi bene idipſum regat, ac laudabiliter adminiſtret, vel qui iuſte quidem adeptus eſt, ſed non bene, neq; etiam iuſte regit & adminiſtrat. Ad hoc.a. ſoluendum & ſciendum, eſt conſiderandum, quod cum ceſſante fine, ceſſent etiam ea, quæ ſunt propter finem, & regni ſeu principatus adeptio ſit propter ipſius regni, vel principatus regimen, & adminiſtrationem, vt propter finem. Ergo ceſſante regimine & adminiſtratione, nihil faciet adeptio tanquam vacua & inanis, carenſq; ſuo fructu & effectu. Regnum vero malum & nullum, & adminiſtratio mala & nulla, æquipollent. Ergo quamuis iuſte aliquis ſit adeptus regnum, vel principatum, ſi tamen vtitur malo regimine, & iniqua adminiſtratione regni, non erit neq; dicitur rex iuſtus. Quod patet ex eo, quod quamuis aliquis iuſte adeptus ſit regnum, ſi non bene regit, aut intolerabilis eſt in regendo, malitia ipſius iuſte deijcitur, & de regno deponitur. Reſtat ergo videre de quarta differentia, videlicet vtrum dici poſſit rex iuſtus, qui iniuſte adeptus eſt regnũ, licet iuſte vel bene regat, & principatum adminiſtret. Et videtur, quod non, quia dicit lex, quod id quod à principio non valuit, ex tempore non conualeſcit. Ergo qui iniuſte à principio adeptus eſt regnnm, ex tempore non conualeſcit, vt poſtmodum ſit & dicatur rex vel

Imperium Roman. non eſſe iuſtum.

princeps iuſtus. Sed in contrarium eſt, quod ſcilicet hoc regnum, vel imperium Romanum non ſit, nec dici poſſit, eſſe regnum vel imperium iuſtum, quia certiſſimum eſt ex hiſtorijs, quod Romanum regnum & imperium ab initio conditæ vrbis, non creuit, neq; peruenit ad ſuum ſtatum, niſi vicinos primo, & deinde remotos, ac remotiſſimos vſque ad fines orbis inuadendo, expugnando ac ſubijciendo, & interfectis vel remotis regibus, eorum regna in prouincias redigendo, & ſub ſuum iugum & imperium cohercendo. Tali autem modo per violentiam, non per iuſtitiam, adipiſcitur quis re-

Romanum imperium tribus modis ſubiecit ſibi cætera mundi regna

gnum, & dominium. Circa huius dubij ſolutionem ſciendum eſt, quod regnum Roman. ab initio & deinceps triplici iuſtitia adeptum eſt dominium & imperium aliorum regnorum ſibi ſubiectorum. Primo per iuſtitiam bellicam, quia illa regna, quæ iuſto bello deuicta ſibi ſubiecit, iuſte ſub ipſius imperio & dominio permanſerunt: & per hunc modum ac cauſam primo in Oriente ſuper Pontum & Aſiam bello Mithridatico Romani iuſtum imperium ſunt adepti. Similiter Macedonia, Græçia & Epirus iuſto bello habito cum Pyrrho & Philippo regibus illorum regnorum, Romano imperio iuſte acceſſerunt. Eodem modo in Meridie, iuſto bello habito cum Hannibale, & Haſdrubale, & & Iugurta, Carthago & Africa: & in Occidente, Hiſpania tota ex bello habito cum Hannibale, Romano imperio eſt adiecta. Et ſicut deuictorum iſtorum iniquitas, & Romanorum vincentium iuſtitia, iuſtum ſuper eos imperium eis fecit: licet, ſecundum Auguſtinum, melius fuiſſet Romanis, habuiſſe vicinos concordes, quibus collætarentur, quam rebelles, quibus victis dominarentur, quod non potuit fieri ſine magna cæde ſuorum. Secundo adeptum eſt Rom, imperium alia mundi dominia per diſpoſitionem teſtamentariam: ſicut in Oriente, ex teſtamento Nicomedis regis, tota Brthynia & Paphlagonia, & in Africa, tota Numidia & Mauritania, ex teſtamento Maſiniſſæ regis acceſſit imperio Romanorum. Quod etiam de pluribus aliis regnis ita factum eſſe in *Chronicis* Eutropii, Saluſtii, & aliorum plurimorum inuenitur, quia cum Romani antiquitus inceperunt eſſe potentes, multi reges ac duces ſocietati eorum ſe contra vicinorum ſuorum inſultus & moleſtias coniunxerunt, quibus ipſi Romani ſocietatis pacta & fœdera fideliter & fortiter ſeruauerunt: Vnde ipſi reges vel duces morientes, ac beneficiorum ſibi collatorum memores, ipſos Romanos ſuorum regnorum & terrarum heredes ex teſtamento inſtituerunt, quaſi magis potentes illa regna & terras defendere contra vicinos. Ex qua etiam cauſa legitur Iudas Maccabæus fœdus ſocietatis & amicitiæ feciſſe cum Romanis, contra malitias & moleſtias Antiochi regis, Iudæos tunc fortiter opprimentis. Vnde etiam (vt habetur *in hiſtoriis*) M. Publius miſſus Iudæis in auxilium à Romanis, cum de naui ad littus applicuiſſet, & exiuiſſet, Antiochus eidem, ad ſalutandum & excipiendum eum, occurrit, cui cum Publius Romanorum nomine diceret, vt ab obſidione Iudæorum recederet: Antiochus deliberaturum ſe prius id reſpondit. Statim itaque Marcus conſul cum virga (quam manu tenebat) circulum in ſabulo faciens, & eidem circulo Antiochum quaſi concludens, ait: *Hoc tibi Antioche Senatus ac populus Romanus dicit, vt hunc circulum, quo te in puluere circumſcriptum vides, non exeas, niſi prius reſponderis.* Reſpondens itaque Antiochus: *Si ſic viſum eſt* (inquit) *Senatui ac populo Romano, ego etiam ab obſidione recedendum cenſeo.* Obſidionem igitur ſuos illico ſoluere iuſſit. Tertio conſequutum eſt Romanum Imperium alia mundi regna ac dominia, per ſubiectionem voluntariam: quia ſicut aliquis etiam ſolo animo poſſidendi, fit & eſt dominus ac poſſeſſor rei alicuius, quamdiu habet, & non deponit animum poſſidendi: ita etiam aliquis animo ſe ſubijciendi, fit poſſeſſio alterius, in eo quod vel aſſumit, vel aſſumptum non depo-

ſuit

fuit animum, vt ſit poſſeſſio alterius. Et per hanc cauſam & modum illis, qui à principio vi bellica ſunt ſubacti, poſtquam ſenſerunt Romanum imperium ſuper ſe tolerabile, & modeſtum & ęquum, neceſſitas ſubiectionis conuerſa eſt in voluntatem: ita quod non iam coacti, ſed voluntarij facti ſunt obedientes & ſubiecti, & Romanas leges ſibi impoſitas ſponte ſuſceperunt, quas ſuſceptas de iure tenebantur in reliquum obſeruare. propter quod etiam Dominus in Euangelio iuſtam Iudæorum ſubiectionem attendens, dixit eis: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*: & quia tributum numiſmatis voluntarie recepti à Cæſaris poteſtate, de iure reddere tenebantur Cæſari, à quo ſuum numiſma acceptauerant, & in vſu habebant. Patet ergo ex prædictis, quod duo ſunt, quæ faciunt iuſtum regem & dominum, & iuſtum regnum & dominium: videlicet iuſta poſſeſſio, & iuſta adminiſtratio regni vel dominij alicuius. Et quod regnum & imperium Romanum ſuper regna & prouincias taliter ſibi ſubiectas eſt iuſtum, in quantum regna ac prouincias taliter, vt prædictum eſt, adeptas & ſubiectas inceperunt iuſte poſſidere, & iuſte adminiſtrare ipſas, videlicet non tyrannicis moribus ac motibus, ſed æquis & iuſtis legibus gubernantes.

Quid faciat iuſtum regnum.

CAPVT XII.

De regnó magno & paruo.

SImiliter quoq; videndum eſt de regno magno & paruo, videlicet qualiter ſit & dicatur regnum magnum & paruum. Sciendum ergo, quod ſicut ſecundum Philoſophum in libro *de Motu animalium*, aliquid magnum & paruum dicimus duobus modis, ſcilicet vel mole, vel virtute: ita & in propoſito, regni vel dominij alicuius magnitudinem poſſumus intelligere dupliciter, videl. vel quantitate, vel virtute: Vnde notandum, quod quantum ad magnitudinem quantitatis, diſtinguit Philoſophus 4. *Politicorum* communitatem regni ab alijs communitatibus tanquam maximam à minoribus, & totum à partibus in hunc modum: quod ſicut prima communitas, quæ eſt domus, conſtituta eſt ex viro & vxore, liberis ac ſeruis, tanquam ex ſuis partibus: & ſecunda communitas, quæ eſt vicus, conſtituta eſt ex pluribus domibus, vt ex ſuis partibus: & tertia communitas, quæ eſt ciuitas, conſtituta eſt ex plurib. vicis, villis & agris, vt ex ſuis partibus coniunctis & vicinis, non diſtantibus à ſe inuicem, aut remotis: & quarta cómunitas eſt, gens tota, quæ eſt communitas vnius linguæ & patriæ, & morum ac legum, per vicos ac ciuitates diſtantes à ſe inuicem, & remotas, habens multitudinem hominum ſegregatam: ita & communitas quinta, eſt communitas regni, habens per vicos & ciuitates, & gentes diſtantes ac remotas, ſub vno rege & domino ſubiectorum multitudinem ſegregatam. Auguſtinus vero 19 *libr. de Ciuitate Dei*, comprehendens vicum ſub ciuitate, & gentem ſub regno, tanquam partem ſub toto, ponit tres communitates tantum, ſcil. domus, & vrbis, & orbis, &c. Et ſic patet, quod magnitudo & paruitas regni ſecundum quantitatem molis cóſideratur ex amplitudine & dilatione longitudinis & latitudinis, ſpacij terræ vel terrarum, per quod vici & ciuitates, & gentes ſub vno rege & domino ab inuicem ſunt diſtantes, & ſub vna lingua & eiſdem moribus ac legibus conſiſtentes. Et ſecundum hoc maius vel minus regnum dicitur, cuius dominium per longiores vel breuiores, per latiores vel arctiores terræ terminos extenditur & limitatur. Secundum quantitatem vero virtutis forte magis proprie dicitur regnum magnum vel paruum: ſicuti non ſecundum quantitatem corporis, ſed ſecundum magnitudinem ſcientiæ & artis dicimus magnum Medicum, vel magnum Architectum, vt dicit Philoſophus *quarto Politicor.* Et ſecúdum hoc, magnum vel paruum regnum dicitur, à magnitudine vel paruitate virtutis regalis, per quam omne regnum habet regi & adminiſtrari: quæ virtus duplex eſt, videlicet iuſtitia & potentia: ita quod iuſtitia potentiam dirigat, & potentia iuſtitiam in iudicium conuertat & defendat: vt iuſtitia dirigat & decernat, quid ſit iuſtum: potentia vero exequatur & defendat id, quod iuſtum eſt. Et ſecundum hoc, maius regnum, vel maior rex dicitur, vbi viget maior virtus iuſtitiæ ad iudicandum, & maius robur potentiæ ad exequendum & defendendum, quod eſt iuſtum. Vtrum autem magnitudo quantitatis terrarum, & multitudinis hominum, ad iſtam magnitudinem regalis virtutis cooperetur, vel contrarietur regibus & regnis, poſtmodum eſt dicendum.

Domus. *Vicus.* *Ciuitas.* *Prouincia.* *Regnum.* *Virtutes regia.*

CAPVT XIII.

HAbito igitur ex his, quæ prædicta ſunt, eo, quod felicitas regni eſt finis intentus in conſtitutione & adminiſtratione, ſiue regimine regum & regnorum: & quod ipſam felicitatem faciunt & perficiunt iſta tria, videl. bonorum regni ſufficientia ſine indigentia, & tranquillitas ſine turbatione & ſecuritas ſine timore. & quod per oppoſitum infelicitaté regnorum cauſant iſta tria, videlicet indigentia, ſemper plus cupiens: & turbatio, ſemper aliquid dolens: & inſtabilitas, ſemper aliquid timẽs: licet infelicior ſit, qui ideo ſemper indiget, quia ſemper plus cupit, quam qui ideo plus cupit, ꝙ plurib. indiget: quia illud eſt cupiditatis, iſtud. v. eſt neceſſitatis. Et habito etiam hoc, quid ſit regnú iuſtum vel iniuſtum, & regnum magnum vel paruum: videndum nunc eſt, quæ ex his differentiis combinatæ & coniunctæ faciant ad regni felicitatem vel infelicitatem. Cum igitur ſex ſint combinationes prædictarum quatuor differentiarum, quarum duę ſunt impoſſibiles ſimul ſtare, ſcil. regnum iuſtum & regnum iniuſtum, regnum magnum & paruum. Quatuor vero ſunt poſſibiles ſimul eſſe: ſcil. regnum iuſtum & magnum, & regnum iniuſtum & paruum, & regnum iuſtum & paruum, & regnum iniuſtum & magnum. Manifeſtum eſt, quod regna parua carent ſufficientia: & ſic ſemper habent indigentiam: & per conſequens, timorem, propter ſuam inſufficientiam. Regna vero iniuſta carent tranquillitate, iccirco, quod ſunt ſemper in turbatione. Turbatio vero eſt debiti ordinis diſſo-

Regnum paruum. *Iniuſtum.*

Felix.

lutio: debitum autem ordinem ſola iuſtitia conſtituit & cuſtodit in regno. Felix autem regnum eſt, quod habet in ſe, & ex ſe, ſufficientiam ſine indigentia, tranquillitatem ſine turbatione, & ſecuritatem ſine timore. Ergo regnum iniuſtum & paruum nequaquam poterit dici aut eſſe felix regnum: imo iſta combinatio harum duarum differentiarum, ſc. iniuſti & parui, videtur tollere totam felicitatem regni, & omnes partes & conditiones ipſius, quia tale regnum nec eſt ſibiipſi in ſe ſufficiens, nec tranquillum, nec ſecurum. Ex hoc videtur ergo, quod oppoſitum regnum iuſtum & magnum ſolum poſſit eſſe felix regnum ex eo, quod tale regnum ſolum poſſit eſſe ſibi ex ſe ſufficiens & ſecurum, ideo quia magnum & tranquillum in ſe, & ideo quia iuſtum. Videtur etiam per conſequens, quod ſi iſtæ duæ combinationes, ſcil. iuſtum & magnum, ponunt omnes partes felicitatis in regno, & ſic faciunt perfecte & ſimpliciter felix regnum: & aliæ duæ combinationes his oppoſitæ, ſcilicet iniuſtum & paruum, tollunt omnes partes felicitatis, & ſic faciunt ſimpliciter, & in totum infelix regnú: idcirco iſtæ duę combinationes aliæ, quæ reſtant, ſcilicet iuſtum & paruum, & iniuſtum ac magnum, aut non compatiuntur ſe ſimul, aut ſi poſſunt ſimul ſtare, quod non faciunt ſimpliciter & perfecte felix regnum, ſed ſecundum aliquam partem tantum: quia regnum iniuſtum nequaquam poteſt eſſe in ſe tranquillum, & regnum paruum non videtur eſſe ſibi ex ſe ſufficiens, & ſecurum. Et de hoc amodo iam plenius eſt dicendum. Ad declarandum itaque veritatem in prædictis inquirendum eſt primo de iſtis quatuor combinationibus, ſc. iuſto & iniuſto, magno & paruo: vtrum aliqua ex eis, & quæ, & qualiter compatiantur ſe ſimul ſtare, videlicet vtrum regnum magnum poſſit vel non poſſit eſſe iuſtum. hoc enim declarato, patebit per conſequens, vtrum regnum paruum poſſit vel non poſſit eſſe iuſtum. Et notandum, quod hic agitur de regni magnitudine vel paruitate, ſecundum quantitates virtutis, non ſuæ dilatationis aut extenſionis, quia magnitudo regni ſecundum quantitatem virtutis, ſemper facit ad augmentum felicitatis ipſius. Quod igitur regnum magnum non ſit de neceſſitate iuſtum, & quod per conſequens nec regnum paruum de neceſſitate iniuſtum, videtur ex hoc, quod Auguſtinus quarto libro de ciuitate Dei refert, quod videlicet tempore Alexandri Magni captus fuit quidam Pirata, id eſt, princeps prędonum in mari, & pręſentatus Alexandro, & ab eodem interrogatus: *Quid ſibi commune eſſet, & mari, propter quod ipſe infeſtaret mare, & laborantes in mari?* Reſpondit Alexandro dicens: *Dic tu, quid tibi commune eſt & toti orbi, propter quod tu infeſtas totum orbem, & habitantes in orbe?* addiditque: *Numquid ergo ego recte vocor latro, ac prædo, quia mare infeſto cum parua nauicula, & cum paucis ſociis: tu vero ideo recte vocaris rex & Imperator, quia infeſtas vniuerſum orbem cum magna multitudine, & exercitu copioſo? Nonne maior eſt iniuria, vbi maior eſt potentia?* Ex hoc ergo videtur, quod regnum magnum non de neceſſitate ſit iuſtum, & per conſequens nec regnum paruum de neceſſitate ſit iniuſtum. Vnde Auguſtin. ibidem ſoluendo illud concludit, dicens: quod regnum magnum ideo poteſt eſſe potens, quia magnum: ſed non ideo neceſſe eſt eſſe iuſtum, quia magnum. Si enim à regnis mundi tollatur iuſtitia, & relinquatur ſola potentia ſine iuſtitia, tunc ipſa mundi regna non ſunt niſi magna quædam latrocinia. Ex hoc etiam vlterius patet, quod ſi Romanum Imperium orbem terræ, & eius dominationem obtinuit, & tenet ſola potentia, ſine iuſtitia: tunc iam non erit imperium, ſed improperium: & non patrocinium, ſed latrocinium orbis. Vtrum ergo regni magnitudo faciat ad ipſius iuſtitiam, ita vt ideo ſit & dicatur regnum iuſtú, quia magnum, ſicut ille pirata arguebat, & opponebat Alexandro: Et per conſequens, regnum paruum ideo non poſſit eſſe iuſtum, quia paruum; Ad hoc, ſoluendo dicimus, quod nullum regnum ideo eſt vel erit de neceſſitate iuſtum, quia magnum, ſed de facilitate. Quia cum iuſtitia neceſſariam habeat ſibi comitem & coadiutricem potentiam: proinde quanto regnum maius & potentius, tanto poterit eſſe iuſtius, ſuppoſito amore & diligentia iuſtitiæ in regnante: & quanto maius & potentius, tanto iniquius, ſuppoſito odio, & negligentia iuſtitiæ in regnante. Ex hoc inſuper patet, quod paruitas regni, ſicut non habet neceſſitatem ad hoc, vt efficiat regnum iuſtum, ſuppoſita negligentia vel odio iuſtitiæ in rege: ita etiam habet difficultatem ad hoc, vt faciat regnum iuſtum, quamuis exiſtente amore vel diligentia iuſtitiæ in regente. Manifeſtum eſt igitur ex prædictis omnibus, quod iuſtitia per ſe operatur ad felicitatem regum & regnorum: magnitudo vero potentiæ & regni ſecundum dilatationem & amplitudinem ipſius, cooperatur ad felicitatem, non per ſe, ſed per accidens, ſcilicet mediante amore & diligentia iuſtitiæ in regnante. Parua vero regna, licet poſſint eſſe iuſta, non tamen propter hoc ſtatim felicia, quia iuſtitia non eſt tota felicitas, ſed potior pars felicitatis regum & regnorum, cum iuſtitia requirat ſufficientiam & ſecuritatem ad ſui executionem. Parua vero regna non poſſunt eſſe ſibi ex ſe ſufficientia, nec ſecura, niſi bonitas vicinorum regnorum præſtet eis ſufficientiam, & æquitas ipſorum concedat ipſis ſecuritatem. Vbi vero parua regna ex ſe poſſent gaudere ſufficientia & ſecuritate: ibi eſſet melius habere regnum paruum & quietum, quam magnum & latum, ſemper turbidum & inquietum, ſicut melius eſt habere corpus paruum & ſanum, quam magnum, & ſemper debile & infirmum. Vnde Solinus ſcribit, quod inter multos reges & regna (de quibus Hiſtoriæ ſcribunt) ab omnibus ſapientioribus illius temporis, ſolus Aglaus rex Arcadiæ felix eſt iudicatus, qui cum regnum paruum, & ſibi ſufficiens ac ſecurum haberet, nunquam ſui regni terminos eſt egreſſus, neque ipſius terminos quiſquam eſt ingreſſus ad eos inuadendos. Vtrum autem, & quibus modis paruum regnum iuſte poſſit augmentari, vt fiat magnum, ſicut factum eſt de regno Romanorum, iam eſt in præcedentibus declaratum.

Iuſtum & magnum regnum felix regnum eſſe.

Elegans dictum Piratæ.

Paronomaſia.

Iuſtitia facit regnum felix, per ſe, potentia per accidens.

CAPVT

CAPVT XIV.

ISTis omnibus de ſtatu regnorum & regum præhabitis, & præcognitis: nunc conſiderandum eſt
de finibus regnorum, ſcilicet propter quos regna ſunt conſtituta. Cuius gratia primo videndum
eſt de illa quæſtione, quam tangit Auguſtinus *quinto libro de Ciuit. Dei*: vtrum melius ſit omnia vel *Alia quæſtio.*
plura regna mundi ſubeſſe vni regno vel imperio, ſicut Romano, vel ſingula regna per ſe ſub ſingu-
lis ſuis regibus, ſicut olim erant ante ortum Imperii Romani, & ſicut hodie adhuc ſunt multa regna
per ſe ſub ſuis regibus conſtituta? Et notanda eſt modificatio quæſtionis: quia Auguſtinus non quæ
rit, vtrum iuſtius ſit hoc vel illud: ſed vtrum melius eſſet, hoc vel illud: licet etiam de hoc quæri poſ-
ſit, vtrum illud, quod eſt vel eſſet melius, ſit etiam iuſtius: quia ſi omne bonum eſt iuſtum, quod ne-
mo negat, per conſequens omne melius erit etiam iuſtius. Vnde dato eo, quod hoc vel illud in præ-
ſenti quæſtione ſit melius: ſimul patet, quod hoc idem eſſet etiam iuſtius: & ſimiliter è contrario,
quod eſſet iuſtius, id etiam eſſet melius. Vt autem ad rationes pro vtraq; parte abundare poſſimus
in iſta quæſtione, & eius veritatem facilius inuenire, ab altioribus & remotioribus principiis, & ſub-
poſitionibus, & finib. ſuper quos conſtitutio & adminiſtratio, & duratio regnorum & regum fun-
data eſt, erit forte commodius inchoandum. Sciendum itaq;, quod licet ſuperius diſtinguendo feli-
citatem per partes ſuas, dictum ſit, quod felicitas regnorum & regum cōſiſtat principaliter in tribus,
ſcil. in bonorum regni ſufficientia ſine indigentia, & tranquillitate ſine turbatione, & in ſecuritate
ſine timore: omnia tamen iſta ſub vna ratione, & ſub vno nomine pacis includuntur, quæ eſt finis
vltimus & principalis, ad quem tendunt omnes hominum communitates, paruæ & magnæ, maio-
res & maximæ: vt puta communitas domus, cōmunitas vici vel villæ, communitas & ſocietas gen-
tis & regni, ſicut dicit Auguſtinus 19. *lib. de Ciuitate Dei*. Pax .n. eſt finis, propter quem omnis homi- *Pax præcipuũ*
num communitas & ſocietas eſt conſtituta: & forma ſecundũ quam regitur, & ratio ſiue cauſa pro- *omnium regno*
pter quam durat & conſeruatur, & fructus in quo complete felicitatur. Vnde Auguſtinus ibidem, *rum ſuſtentacu-*
vnicuiq; conſtitutioni & ſocietati humanæ ſpecialiter tribuit, & diſtinguit, & diffinit ſuam pacem: *lum.*
primo pacem corporis & animæ, & pacem voluntatis cum ratione in ipſo homine, quæ eſt ordinata
ſubiectio corporis ad animam, ſecundum ipſius animæ rationabilem voluntatem: deinde pacem
domus, quæ eſt viri & vxoris, & liberorum & ſeruorum ad ſe inuicem ordinata conſenſio: & pacem
ciuitatis, quæ eſt ordinata concordia populi ſub vna lege: & pacem gentis ac regni, quæ eſt ordina-
ta obedientia multitudinis, gentiſq; ſub vno rege: & vltimo pacem ſupernæ ciuitatis Hieroſolymi-
tanæ, & ipſius regni cœlorum, quæ eſt ſub Deo ad Deum ordinata perpetua concordia & charitas
beatorum. Pax itaq; generaliter ſumendo, ſic deſcribi poteſt, quod pax eſt ordinis iuſtitiæ tranquilli *Pacis defini-*
tas inconcuſſa: vel ſic, quod pax eſt omnis diſcordiæ & diſconuenientiæ finis, cum tranquillo & ſe- *tio.*
curo ſtatu in propriis. Vnde recte dicit Saluſtius, aſſignans cauſam primordialis augmenti Romani
imperii: *Concordia* (inquit) *paruæ res creſcunt, diſcordia vero res maximæ dilabuntur.* Et Terentius poe
ta deuicta Carthagine captus & ductus Romam, cum interrogaretur in Senatu, quæ fuiſſet maior
cauſa expugnationis Carthaginenſis: *vtrum vires Romanorum, vel impotentia Carthaginenſium? re-* *Terentii re-*
ſpondit quod neutrum: ſed, quod ſicut concordia ciuium conſeruabat ſtatum, ita diſcordia cauſabat excidiũ *ſponſum.*
Carthaginenſium. Pax igitur vnius cuiuſq; gentis & regni conſiſtit in duobus, ſcil. in habendo con-
cordiam inter ſe, & in non habendo diſcordiam cum extraneis. Cauſa vero concordiæ inter ſe eſt, *Cauſa concor-*
mutuo ſibi placens vnitas eiuſdem patriæ, eiuſdem linguæ, eorundem morum, & earundē legum. *diæ.*
Cauſa vero non habendi diſcordiam cum extraneis, qui ſunt diuerſæ patriæ, diuerſæ linguæ, diuer-
ſorum morum, & diuerſarum legum, eſt duplex: ſcil. voluntas animorum in eo, quod neutri ipſorũ *Cauſa diſcor-*
volunt tanquam iuſti & pacifici, vel non audent tanquam inualidi, ad inuicem aduerſari: & oppor- *diæ.*
tunitas temporum, & locorum, quia forte termini eorum & limites contra ſe mutuo ſunt firmati &
concluſi montibus & fluminibus, vel paludibus vel aliis locis inuiis & deſertis, quod non poſſunt
ſibi inuicem propinquare, & per conſequens nec nocere.

CAPVT XV.

HIs ergo prænotatis, quæritur, *vtrum iuſtius & melius ſit, Omniane regna ſubeſſe vni regi vel impe-* *De Monar-*
ratori tanquam monarchæ totius mundi: vel ſingula regna per ſe ſtare & ſub ſuis regibus nullum ſupe- *chia.*
riorem habentib. gubernari? Et videtur, quod iuſtius & melius ſit omnia regna & omnes reges ſubeſ-
ſe vni monarchæ, quia prima inuentio & conſtitutio regnorum & regum emanauit à natura, ſicut *1. Argumen-*
patet in feris, in quarum genere leo eſt rex omnium ferarum, & in auib. aquila eſt rex ceterarũ volu- *tum.*
crium omnium. Ars vero & ratio imitatur naturam. Inuentio vero & conſtitutio regnorũ & regũ in
ſocietate hominum venit ab arte & ratione, quæ ſunt principia directiua actuũ humanorum. Ergo *Secundum ar-*
& in regno hominum vnus erit rex, & dominus omnium. Item, in omni ordinata multitudine plura *gumentum.*
ſubalternãtur paucioribus donec veniatur ad vnum, cui omnia cetera ſubalternantur, tanquã ſuo pri-
mo & principio: ſicut patet in exercitib. bene ordinatis, vbi decem milites ſubalternantur vni de-
cano, & decem decani vni centurioni, & decem centuriones vni chiliarchæ, & decem chiliarchæ ſo-
li regi, qui eſt vnus tanquam vltimus & maximus omnium. Et iſta ordinatio in omnib. regum exerci
tibus, & in curiis, & in aulis regalib. bene ordinatis eligitur ac tenetur quaſi tanquã optima. Sicut au-
tem ſe habet ratio in partibus, ſic & in toto. Ergo ſi in ſingulis regnis hoc eſt ita eligendum velut o-
ptimum, iccirco & in tota multitudine regũ & regnorum ſic erit optimum: vt omniũ fiat ſubalterna *3. Argumen-*
tio vſq; ad vnum regem & dominum omnium. Item bonum commune melius eſt, & magis curan- *tum.*

dum bono ſingulorum,& reſpublica plus quam res priuata : quia bonum ſingulorum,& res priuata,quæritur & ordinatur ad bonum commune, & ad rempublicam : ſed bonum domus ad bonum ciuitatis, & bonum ciuitatis & populi ad bonum gentis & regni, habet ſe, ſicut bonum minus ad maius, & bonum ſingulare ad bonum commune, & res priuata ad rempublicam. Cum ergo in multitudine ordinata non ſit ſtatus & finis ordinationis in pluribus & ad plura, ſed in vno, & ad vnum : & in mundo ſint multa regna : idcirco ſicut multæ domus ordinantur ad vnam ciuitatem, & ad bonum ipſius : & multæ ciuitates,& populi ciuitatum ad vnam gentem & regnum,& ad bonum ipſius,tanquam bonum particulare & priuatum ad bonum commune & publicum,& tanquam bonum minus ad maius, & naturaliter tanquam pars ad totum : ſic etiam multa regna mundi, & bonum ipſorum,ordinantur ad vnum naturale regnum & imperium,tanquam bonum particulare ad bonum commune omnium gentium & regnorum, & bonum priuatum ad publicum, & bonum maius ad maximum,& naturaliter tanquam partes ad ſuum totum. Ita ſcribit Auguſt. 19.*lib.de Ciuitate Dei*, ex verbis Ciceronis in *lib. de Republica* : quod reſpublica eſt res populi, populus autem eſt

4. Argumentum.

multitudo hominum communi conſenſu diuini & humani iuris ſociata in vnum, &c. Ergo vbi eſt vnum ius diuinum & humanum,& vnus & concors conſenſus populi in illud vnum ius diuinum & humanum : ibi erit vnus populus, & vna reſpublica. Vbi autem eſt vnus populus & vna reſpublica, ibi de neceſſitate erit & vnus rex, & vnum regnum. Sed eſt vnum ſolum in toto mundo verum ius diuinum,videl.vnus cultus verus veri Dei : & ſolum vnũ verum ius humanum, ſcil. Canones & leges conſonæ iuri diuino : quia ius humanum ſumit authoritatem & principiũ à iure diuino, & non è contrario. Et eſt vnus ſolus conſenſus populi in illud ius diuinum & humanum,ſcil.fides Chriſtiana : & vnus ſolus populus,ſcil. Chriſtianus populus,fide conſentiens in illud ius diuinum & humanum : & per conſequens, vna ſola reſpublica totius populi Chriſtiani. Ergo de neceſſitate erit & vnus ſolus princeps & rex illius Reipublicæ, ſtatutus & ſtabilitus ad ipſius fidei & populi Chriſtiani dilatationem & defenſionem. Ex qua ratione concludit etiã Auguſt.19.*lib.de Ciuitate Dei*, quod ex-

Extra eccleſiã non eſſe poſſe Imperium.

tra Eccleſiam nunquam fuit,nec potuit, nec poterit eſſe verum imperium : etſi fuerunt imperatores qualitercunq;,& ſecundum quid, non ſimpliciter, qui fuerunt extra fidem Chriſtianam & Eccleſiam. Item, tota mundana conſtitutio,quæ eſt ex diuerſis, diſſimilibus & contrariis,non ſtat niſi per concordiam diuerſorum,& diſſimilium ac contrariorum. Concordia vero non fit neq; ſtat per concordantia, ſed per concordantem, qui de neceſſitate eſt vnus tantum,& alius ab ipſis concor-

5. Argumentum.

dantibus : ſcil.ipſe Deus author & princeps vniuerſitatis,iuxta illud Iob xxv. Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis, &c. quæ ratio ſecundum Damaſcenum,eſt quaſi neceſſaria probatio & demonſtratio,quod Deus ſit : quia videl.in conſtitutione mundanæ machinæ ſuperiora ſuo motu & impetu deſtruerent inferiora,& in ipſa elementari regione actiua ſua virtute vincerent & corrumperent paſſiua,& maiora conſumerent minora,ſi non eſſet aliqua virtus omnipotens,ſeparata ab omnibus

6. Argumentum.

quæ omnia ad inuicem concordaret,& eorum concordiam conſeruaret. Sed ſicut ſuperius dicebatur,regna mundi ſunt diuerſa ad inuicem,ſecundum diuerſitatem vnius cuiuſq; patriæ & linguæ,& morum & legum. Hæc autem diuerſitas gentium & regnorum,vbi non eſt liminata & ſeparata magnis montibus & fluminibus locis ſue aliis inuiis ac deſertis,vt vnius gentis ad aliam non facilis ſit acceſſus : eſt cauſa & occaſio aduerſitatis & diſcordiæ, gentis contra gentem,& regni aduerſus regnũ. Ergo de neceſſitate erit aliqua poteſtas maior ac ſuperior, quæ habeat authoritatẽ & virtutem concordandi,& concordiam ordinandi & conſeruandi inter regna & gentes diuerſas ad inuicem,& aduerſas : aut prouidentia diuina ſuper ordinando & conſeruando ſtatu regnorum mundi erit inſufficiens & incompleta. Hoc autem eſt inconueniens dicere vel ſentire,contra illud Pſaltis dicterium : *Quis ſicut Dominus Deus noſter,qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? &c.* Propter quod ſicut dicitur in alio loco, *In manu eius ſunt omnes fines terræ,& altitudines montium ipſe conſpicit* : id eſt,excellentes poteſtates,& dignitates regum & principum terræ. Ex quo ſequitur, quod iterum alibi dicitur : *Dominus diſſipat conſilia gentium, & reprobat cogitationes populorum,& conſiderat principum*,&c. Ergo ex diuinæ prouidentiæ ordinatione erit de neceſſitate aliqua vna poteſtas, & dignitas ſuprema & vniuerſalis in mundo,cui de iure ſubeſſe debent omnia regna,& omnes gentes mun-

Aliud argumentum.

di,ad faciendam & conſeruandam concordiam gentium,& regnorũ per totum mundum. Præterea ea quæ ſunt & fiunt in mundo,non raro vel ſemel, ſed ſæpe & frequenter,non fiunt neq; ſunt à caſu vel fortuna,ſed vel à natura,vel ab arte & ratione humana,vel à prouidentia diuina : Sed monarchia per totum mundum, vel maiorem partem mundi non extitit ſemel aut raro, ſed ſæpe,& continuo

Monarchia mundi.

& frequenter,vt patet, quia primo & ab initio fuit monarchia regni Aſſyriorum in oriente,quæ ſecundum Auguſtinum *quinto libro de Ciuitate Dei*, durauit à tempore Nini, primi regis Aſſyriorum per mille ducentos annos,vſq; ad interfectionem Sardanapali, qui fuit vltimus monarcha Aſſyriorum,per cuius interfectionem translata fuit monarchia mundi ab Aſſyriis,primo ad Chaldæos ſiue Babylonios,deinde per Darium & Cyrum in Medos & Perſas: deinde à tempore Darii primi & Cyri,regum Perſidis & Medorum, fuit monarchia apud Perſas & Medos per ducentos ac triginta tres annos,vſq; ad interfectionem Darii vltimi, per quam ſub Alexandro Magno translata fuit monarchia à Perſis & Medis ad Græcos,quæ ſub regib.Græcorum,ſucceſſoribus Alexandri magni, diuiſis ad Meridiem,& ad Aquilonem,& ſemper fluctuans hinc & inde, non ſtetit, ſed in modũ rapidi fluminis decurrit per trecentos annos, vſq; ad Cleopatram & Antonium,ſub quibus regnum Græcorum ceſſauit in totum,ſub bello Actiaco deuolutum ad Octauianum,primum monarcham Romanorum,

norum, qui regnis Aſſyriorum & Perſarum & Græcorum ſunt ad occidentem. Ergo conſtitutio & ſucceſſio & continuatio monarchiarum in mundo, ab oriente incipiens, & per meridiem & ſeptentrionem tendens in occidentem, non eſt facta, neq; fit à caſu vel fortuna, ſed ab ipſa Prouidentia diuina, cui ſubiacet & obedit rerum mundi curſus & natura, & omnis ars & ratio humana, quæ imitatur naturam, & ſubſequitur Prouidentiam diuinam. vnde recte Auguſtin. *li.6. ſuper Geneſim ad literam*, diſtinguit duos modos ſiue effectus diuinæ Prouidentiæ, ordinantis ea, quæ ſunt & fiunt in mundo, videlicet rerum naturam, & artem ac voluntatem humanam: quibus duobus mediantibus, Deus omnia & omnibus prouidet in mundo.

CAPVT XVI.

De ſingulis regnis, ſine Monarcha.

IN contrarium quoq; videri poſſet, quod vtilius eſſet omnia regna per ſe ſtare ſine monarcha, quá ſubeſſe vni, ſicut Romano regi, vel Imperatori. Dicit .n. Auguſtin. *5. lib. de Ciuitate Dei*, quod feliciores eſſent res humanæ, ſi ſingula regna per ſe eſſent, non ſubiecta vni monarchæ, ita quod regna ſingula pacifica vicinitate ſibi inuicem congauderent: ſicut in multis locis ſunt multæ domus à ſe inuicem diſtantes, & in ſe quietæ, & pacificæ, quæ non faciunt vnum vicum: & multi vici à ſe diſtantes, & pacifici, ac quieti, qui non faciunt vnam ciuitatem. Ergo eodem modo ſingula regna poſſent per ſe ſtare pacifice & quiete, abſq; eo quod ſubeſſent vni imperio. Ergo, &c. Item dicit ibidem, quod regnum Monarchiæ, ex eo quod omnibus regnis aliis prælatum eſt, oportet etiam omnib. aliis regnis ſibi ſubiectis eſſe plus dilatatum: quanto autem plus aliis eſt dilatatum, tanto plus aliis etiã inquietũ: quia ſicut dicit Philoſophus ſeptimo Politicorũ, *ſolius diuinæ virtutis eſt immania & enormia poſſe regere*. Ergo ſicut quilibet ſanæ mentis magis eligeret habere corpus paruum, & ſanum ac quietum quam corpus magnum, morbidum & inquietum: ita etiã magis eligendũ eſſet quodlibet regnum in mundo, per ſe paruum eſſe, & quietum, quam vnum maius omnibus & in ſe magis omnibus ſemper turbidum & inquietum, quale nunc eſt & ſemper fuit regnum Romanorum. Item ſecundum Philoſophum ſecundo Phyſicorum, *fruſtra eſt, quod non conſequitur finẽ ſuum*: finis autẽ propter quem Monarchia eſt conſtituta, eſt, vt monarcha ille cetera regna ſibi ſubiecta debeat ad inuicem aduerſa pacificare, & diſcordantia concordare, & concordiã confirmare, & reſiſtentes paci ac concordiæ coercere & comprimere, & obſeruantes pacẽ & concordiam, ſibiq; obedientes & fideles, in tranquillo & ſecuro ſtatu conſeruare, & fouere. Hunc autem finem raro legimus in hiſtoriis, & nunquam audiuimus, nec vidimus temporibus modernis, aliquem Romanorum regum & Imperatorum perfecte pro ſuo tempore aſſequutum, ſed eos potius quotidianis & inceſſabilibus ciuitatum & populorum, principum, gentiũ & regnorum rebellionibus ad bella continua prouocatos: ita quod excepto Numa Pompilio (qui fuit ſecundus poſt Romulum primum regem Romanum) & Octauiano (qui fuit primus Romanorum imperator) portæ Iani ſub nullis aliorum regib. vel imperatorib. diu clauſæ fuerunt, quarum clauſura ſignum fuit pacati & quieti totius orbis Romani imperii, tempore concluſionis earum. Imo à tempore Octauiani primi Auguſti vſq; ad Henricum huius nominis ſeptimum, qui noſtro tempore ad imperii clauum ſedet Imperator 97. ab ipſo Auguſto, maior regum & imperatorum Romanorum numerus vel in bellis ſunt occiſi, vel per inſidias ferro aut veneno extincti. Videtur ergo, quod imperium ſiue regnũ Romanorum, ab initio ſui vſque in hodiernum diẽ frequentius fuerit toti orbi terrarum, magis cauſa turbationis & bellorum, quá pacis & quietis, ſibi ipſi & aliis principatib. atq; regnis pernicioſum. Et ſic fruſtra eſt regnum & imperium Romanum, quod nunquam conſequutum eſt, nec forte vnquam in futurum conſequetur finem ſuum, qui eſt, omnia regna pacifice & concorditer ad inuicem ſe habentia, ſub ſui imperii obedientia gubernare. Item de ſimilib. ſimile eſt iudiciũ. Sed videmus alia regna, quæ non ſubſunt Romano regno ſeu imperio, bene & concorditer in maiori parte & tempore ſe ad inuicem habuiſſe, & cum aliis regnis Romano imperio ſubiectis, vel non ſubiectis. Ergo quod poſſibile & cõueniens eſt in illis, & non inutile, nec iniuſtum, ſc. quod non ſubſunt Rom. imperio, à ſimili eſt poſſibile & cõueniens in omnib. aliis regnis & principatib. & non inutile nec iniuſtum. Præterea vt dicit Philoſophus quarto politicorũ, *rex eſt lex animata*, &c. Exinde ſumitur differentia inter regnum regis, & regnum politicum: quia politia regit populum ſecundum legem ſcriptam: rex vero regit regnum ſecundum vtramq; legem, ſcilicet ſcriptam, & non ſcriptam: quia, vt dicit Philoſophus ibidem, non eſt ſimpliciter rex dicendus, qui non regit niſi ſecundum legem ſcriptam, & nihil ſecundum voluntatem & rationem propriam. Sed lex ſiue ſcripta, ſiue non ſcripta, non poteſt eſſe vna diuerſis gentibus ſecundum diuerſas linguas & patrias, & patrios mores & ritus: Ergo nec vnus rex vel imperator poteſt eſſe diuerſis gẽtibus ſecundum linguas vel patrios mores ac ritus patrios, ad inuicem diuerſificatos. Idem videtur, quod non debeat etiam eſſe nec poſſit eſſe vnus Monarcha omnium gentium & regnorum per mũdum: quia vbi non poteſt eſſe vna Reſpublica omnium, ibi nec eſſe poteſt monarcha omnium. Sed Iudæorum & gentilium & Chriſtianorum non eſt neque poteſt eſſe vna reſpublica: ergo nec vnus Monarcha. Minor patet, quia vbi non poteſt eſſe vnus populus, ibi non poteſt eſſe vna reſpublica, cum reſpublica nihil ſit niſi communis res totius populi. Sed ex Iudæis & gentilibus & Chriſtianis non poteſt eſſe vnus populus: ergo nec vna reſpublica: & ſic per conſequens, nec vnus eorum Monarcha. Minor huius ſic probatur: quia populus eſt multitudo ſub communi & concordi conſenſu diuini & humani iuris in vnum ſociata: ſed Iudæi & gentiles & Chriſtiani non conſentiunt in vnum ius diuinum: quia ius diuinum eſt vera fides, & verus cultus diuinitatis, in quibus duobus Iudæi & gentiles & Chriſtiani ab inuicem diſſentiunt & diſcordant: Ergo Iudæi, & gentiles & Chriſtiani

Aduerſus Monarchiam. Argumenta obiecta.

Incommoda Monarchia.

Secundum argumentum Monarchia obiectum.

Porta Iani quoties clauſa.

3. Argumentum

4. Argumentum.

5. Argumentum.

ſtiani

Sextum argumentum. Imperium Rom. detruncatum.

ſtiani non poſſunt facere vnum populum: ergo nec facient vnam rempublicam, nec vnum regem, nec vnum regnum. Item videtur, quod regnum & imperium Romanum licite & iuſte poſſit tolli in totum: quia eiſdem cauſis exiſtentibus, poſſibilis & conueniens eſt idem effectus. ſed Imperium Romanum temporibus antiquis quaſi licite & iuſte duabus de cauſis eſt detruncatum, & diminutum: videl. prim[illegible] ab Adriano, qui imperauit circa annos Domini ccxxiii. qui cauſa commoditatis finis Romani imperii ſtatuit, vſq; ad fines regni Perſarum: quia non videbatur commodum, neq; poſſibile, Perſas etiam deuictos ſub iugo Romani imperii, manu tenere aut defendere, propter illius regni diſtantiam & inacceſſibilitatem: licet alii hiſtoriographi dicant, quod fecerit hoc Adrianus, eo quod inuideret victoriæ & gloriæ Traiani, optimi illius imperatoris, qui Perſas debellando adiecerat Romano imperio. Secundo vero, à Iouiniano, qui regnauit circa annos Domini ccclxiii. & ex temeritate Iuliani anteceſſoris ſui, Romanum exercitum circa fines Perſidis in deſperati belli anguſtiis derelictum, liberauit per pactum, quo ex cauſa neceſſitatis Perſis ceſſit, & fines Romani Imperii vſq; ad Euphratem conſtituit. Ergo videtur, quod à ſimili adhuc vlterius, ex cauſa commoditatis, vel neceſſitatis (quæ ſunt cauſæ iuſtæ) poſſent fines Romani imperii diminui, & detruncari: maxime ex quo iſtis temporib. ipſum Imperium ſatis eſt in ſuis virib. & iuribus debilitatum. Quod autem poteſt ſemper plus & plus minui, poteſt ad vltimum in totum deſtrui, & auferri. Ergo ſi imperium poteſt ex aliquibus cauſis iuſte diminui, poterit etiam eiſdem cauſis inualeſcentibus in totum deſtrui, & auferri. Item regna Hiſpaniæ, & regnum Franciæ, regnum Angliæ, & regnum Hungariæ, cum regnis Sclauorum, Bulgariæ, & Græciæ (quæ olim ſuberant Romano imperio, in ſtatu prouinciarum, vel regnorum) modo de iure non ſubſunt imperio: in Africa vero & in Aſia vltra mare iam imperium nihil habet. Ergo ſicut illa ex cauſis (quæ iuſtæ & licitæ videbantur) ſunt ab imperio abalienata: ita ex eiſdem cauſis adhuc poſſent etiam illa (quæ adhuc ei ſubſunt) alienari, ſiue ſint regna, ſiue principatus. Et ita videtur, quod imperium etiam de iure poſſet in totum deſtrui, & auſſerri, ſi prædictæ cauſæ veluti conſimiles ſeſe offerrent.

De diminutione & deſtructione imperii.

CAPVT XVII.

Felicitas duplex.

AD explanandum itaq; quantum poſſumus, difficultatem huius quæſtionis, & ad veniendum in ipſam, & ad aliquod veſtigium veritatis: præſupponenda & prænotanda ſunt tria. Primo, quod felicitas (quam beatitudinem appellamus, & quam omnes optant & inquirunt) eſt duplex: ſcilicet præſens, quæ eſt temporalis & tranſitoria: & futura, quæ eſt vera & æterna, & quod felicitas præſens à quibuſdam quæritur propter ſe, & vt finis vltimus: à quibuſdam vero non propter ſe, & vt finis vltimus, ſed in ordine ad futuram felicitatem, vt ad vltimum finem. Secundo, quod felicitas præſentis vitæ ſimpliciter eſt imperfecta reſpectu æternæ veræ felicitatis: & perfecta ſecundum quid, id eſt, quantum eſt poſſibile ſuo modo: & quod ad futuram felicitatem ipſam non poſſunt peruenire, niſi perfecti ſuo modo. Tertio, quod ratione iſtorum duorum prædictorum, ſcilicet quod felicitas ab omnibus inquiritur & optatur: & quod ad ipſius perfectionem qualemcunq; non poſſunt venire, niſi perfecti ſuo modo: communis ſtatus præſentis vitæ de neceſſitate exigit ordinem, & gradum prælationis & ſubiectionis.

De primo.

Primum patet, quia cum (ſicut dicit Auguſtinus *octauo libro de Ciuitate Dei*) omnem creaturam rationalem neceſſe ſit eſſe vel miſeram, vel beatam: proinde ſicut eſt duplex vita, ſcil. præſens, quæ de ſua conditione eſt mutabilis, & tranſitoria: & futura, quæ eſt immutabilis, & perpetua beatitudo, vel miſeria.

De ſecundo. *Vita præſens.*

Secundum etiam patet, quia cum de conditione felicitatis ſimpliciter ſint tria, ſecundum Philoſophum *in primo Ethicorũ*: ſcil. quod ſit ex ſe ſufficiens vita ſibiipſi, & quod per conſequens illa ſufficientia non ſit quærenda in rebus exteris: & quod ſit durabilis, nec facile permutabilis in hac vita: & præſens vita & conditiones ipſius ſint repugnantes vel diſconuenientes prædictis tribus conditionibus, felicitatis ſimpliciter acceptæ: quia præſens vita non habet ex ſe ſufficientiam, ſed multimodam indigentiam: propter quod (ſecundum Philoſophum *ibidem*) felicitas huius vitæ indiget rebus exteriorib. ad operationes felicitantes: ſicut amicitia, pecunia, patientia, ſanitate & huiuſmodi multis. Item non eſt ſtabilis præſens vita, ſed mutabilis à natura, & à caſu, & fortuna, Item non eſt durabilis, ſed tranſitoria: quia eſt vmbra quædam, & tranſitus, & via ad futuram vitam, quæ eſt immutabilis & perpetua. Propter hoc, præſentis vitæ felicitas eſt imperfecta ſimpliciter, & perfecta ſecundum quid ſolum, ſcilicet quantum eſt huic vitæ & eius conditionibus poſſibile ſuo modo.

Felicitas huius vitæ.

Quod attendentes Philoſophi, poſuerunt felicitatem hominis in hac vita in eo, quod eſt intus in homine, non extra: ſc. in animo & in virtute animi, & operatione ſecundum virtutem: videntes, quod fortunæ malitiam (quam extra in rebus & à rebus non poſſumus ſubterfugere, nec auferre) poſſumus tamen intus virtute animi, tolerando mitigare: & naturæ defectibilitas & indigentia, quæ in rebus, & à rebus extra, non poteſt conſequi ſtabilem & durabilem ſufficientiam, ſola virtute animi poteſt habere ſufficientiam, vt nihil cupiendo, vel cupiditati menſuram & terminum imponendo. Vnde recte dicit Seneca, quod *felices non ſumus in hac vita, niſi æquanimiter tolerando, quod eſt neceſſarium: & ſecundum quod eſt nobis poſſibile faciendo, quod eſt optimum.* Propter quod Philoſophus in 1. Ethicorum dicit, quod *ſicut bonus calcifex dicitur ſecundum artem ſuam, non quod ſemper optimos calceos faciat, ſed quod de quocunq; corio ſibi dato optimos facit, qui de illo corio fieri poſſunt: ita felix dicitur quis, non quod ſemper & in omnibus optime ſe habeat, & optimum faciat: ſed qui ſecundum præſentem ſtatum ſuum, & conditionem exteriorum optime, ſicut poteſt ſe habet, & optimum facit, quod poteſt.*

De tertio.

Tertium quoq; ſic patet, quia cum ad felicitatem quamcunq; præſentis vitæ omnes homines tendant & intendant, & ad ipſam conſequendam humana omnia ordinentur: & ſtatus hominum ipſa natura ordinauerit ſecundum gradum minus perfecti & magis perfecti: felicitas autem ſit

ſem ſit ſtatus perfectionis humanæ vitæ quam nemo attingere poteſt niſi perfectus: imperfectus autem, vel minus perfectus, non poſſit fieri perfectus, niſi per aliquem perfectiorem: proinde omnis ſtatus & conditio hominum in præſenti vita, exigit ſubalternationem eſſe in ſingulis & omnib. hominibus ſecundum gradum ſubiectionis, & prælationis, vt ſubditi & ſubiecti per prælatos tanquam perfectiores, ad perfectionem felicitatis huius vitæ perducantur, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatib. ſublimiorib. ſubdita ſit*, &c. Sicut ergo eſt felicitas aliqua ſingulorum hominum à ſingulis inquiſita, ſicut illa quæ ad felicitatem domus ordinatur & conducitur, mediante ordine ſubiectionis & regiminis, vxoris ad virum, & liberorum ad patrem, & ſeruorum ad dominum, & prælationis viri ad ipſos: & ſicut eſt alia felicitas maior & communior, quæ eſt ciuitatis, id eſt, omnium ciuium communis, ad quam ordinatur felicitas ſingularum domorum, mediante ordine ſubiectionis & regiminis totius populi ad rectorem politicum, id eſt, ciuitatis principem vel dominum: & ſicut eſt iterum alia felicitas maxima, videlicet regni, ad quam ordinatur felicitas ciuitatum & populorum, mediante ordine ſubiectionis & regiminis totius regni ad regem: ita vltima & excellentiſſima eſt felicitas imperii, ad quam ordinatur felicitas gentium & regnorum, mediante ordine ſubiectionis, quam habent & habere debent omnia regna ad imperium, in cuius felicitate tanquam vniuerſali, & pro tanto vna & vltima ac optima, conſiſtit ſalus & felicitas omnium.

Applicatio hactenus dictorũ.

CAPVT XVIII.

Suffragatur monarchiæ.

HIs igitur præſuppoſitis & prænotatis, ad quæſtionem iſtam reſpondendo dicimus, quod melius & iuſtius eſt, ſemperq; erit, quamdiu ſecundum prouiſum à Deo curſum rerum mundi ipſi Deo placuerit, omnia regna & omnes reges ſubeſſe vni imperio & imperatori Chriſtiano, quantum de iure, vel conſuetudine rationabili & præſcripta competit & conuenit vnicuiq; regno ſubeſſe, & obedire imperio, quam ſi ſingula regna & reges per ſe ſtarent, ſine omni ſubiectione, & obedientia Imperii, tanquam multa capita in vno corpore Chriſtianæ reipublicæ, quæ eſt vna & vnius populi Chriſtiani, & pro tanto habens vnum caput omnium: niſi de illa Republica, & vno populo Chriſtiano, quis velit facere multorum capitum vnum monſtrum. Concedimus ergo rationes adductas pro iſta parte, quę ſumuntur ex quatuor cauſis commendantibus & approbantibus conſtitutionem & ſtatum vnius Imperii, & capitis vnius in mundo: primo ab exemplo vniuerſalis naturæ, ſecundo ab ordine totius communitatis politicæ, tertio ab vnitate corporis Eccleſiæ & totius Chriſtianæ reipublicæ, quarto à rectitudine & pulchritudine ordinis diuinæ prouidentiæ & gratiæ. Ad rationes vero in contrarium, reſpondendo ad primam dicendum eſt, quod Auguſtinus dicens, *melius eſſe vt ſingula regna per ſe ſtarent non ſubiecta vni regno vel imperio, ſicut plerunq; locorum multæ domus ſunt per ſe non conſtituentes ciuitatem, nec pertinentes ad aliquam ciuitatem: & multæ ciuitates per ſe manentes & ſtantes, quæ non pertinent tanquam partes ad aliquod regnum*, &c. Intelligit hoc ex ſuppoſitione illius conditionis, ſi illa regna poſſent pacifica vicinitate perpetuo ad inuicem ſe habere, ſicut in regno cœleſti futuræ gloriæ, omnes beati ſocietate pacifica ſibi perpetuo congratulabuntur, propter quod etiam in futuro ceſſabit omnis poteſtas & prælatio. Hoc autem non eſt poſſibile contingere felicitati præſentis vitæ, quæ eſt mutabilis & terminabilis in ſuo ſtatu & conditione: & propter hoc ad concordanda regna inter ſe, & pacificandum orbem, & defendendam ac dilatandam Chriſtianitatem, melius & iuſtius eſt omnia regna ſubeſſe vni imperio, vnumquodq; ſecundum quod de iure debet, & in quantum debet: quam ſingula per ſe ſtare ſine omni reſpectu ad imperium. Quia dato, quod tota Chriſtianitas contra totum paganiſmum, vel maior pars contra maiorem, bellum haberet hodie, ſicut ſæpius factum fuit, cum bellum tale non poſſet proſpere procedere, niſi omnes ſub vno capite vnirentur: iuſtius & dignius vnirentur ſub vno capite Imperii, & Imperatoris, quam alterius cuiuslibet electi capitanei, ducis vel regis tunc præſentis. Ad ſecundum quod obiiciebatur, quod regnum ſiue imperium Romanum ſit fruſtra, quia nunquam conſequatur finem ſuum, qui eſt pacificare omnia regna, & ſub ſe pacifice gubernare, & pro tanto nunquam fieret, nec vnquam fieri poterit felix regnum, ſiue imperium, &c. Reſpondeo, quod ad felicitatem ſiue beatitudinem ſolius futuri regni cœlorum pertinet, perfecte & ſimpliciter omnia ſua pacificata in ſe & ſub ſe habere, quando ceſſabit omnis prælatio & poteſtas, & Deus ſolus erit omnia in omnib. cum Chriſtus vniuerſale & æternum regnum cœlorũ, ſuo ſanguine emptum & redemptũ, pacificatum & coadunatum tradiderit Deo patri, ſicut dicit Apoſtolus. Ad præſentis autem regni felicitatem, quæ nec eſt, nec eſſe poteſt, ſimpliciter perfecta, ſed ſecundũ quid tantum, ſufficit regem ea quæ ſunt ipſius regni pacificare, quantum poteſt, & quãdiu poteſt, nec ideo fruſtratur ſuo fine. Quia ſicut finis & fructus veræ & perfectæ felicitatis futuri regni cœlorũ, eſt perfectæ & æternæ pacis ſuæ gaudiũ iam habere & poſſidere iuxta illud Pſalmi, *Qui poſuit fines tuos pacem*, &c. ita finis & fructus felicitatis præſentis regni temporalis, eſt in ordinanda pace ſua & ſuorum, cum ſtudio & cũ gaudio continue laborare, etiamſi ipſam pacẽ nunquã poſſit realiter obtinere. Quia ſicut futura felicitas regni cœlorũ (quæ eſt perfecta) hoc habet proprium, quod illa ſola eſt in ſecuro ſtatu & quiete ſuæ pacis: ſic præſentis regni proprium eſt, quod felix ſit non ex eo quod ſit in quiete, ſed ꝙ ſemper ſit in actu & in motu tendendi & intendendi, quantum poteſt, ad ſuã pacem, in quo meretur æternã pacem. Tantum autẽ poteſt, quantũ temporũ conditio permittit: & faciendo quantũ poteſt, nihilominus felix eſt & erit omnis rex & princeps etiã huius mundani regni, ſicut optimus calcifex eſt, nõ qui ſemper optimos calceos facit, quod vtiq; nullus eorũ facere poteſt: ſed optimos, qui de nunc dato ſibi corio fieri poſſũt, ſicut ſuperius dicebatur. Ad tertiũ quod opponebatur, ꝙ ſicut illa regna, quæ ſunt libera & exẽpta à Rom. imperio, vide-

Reſpondet ad ſuperiora argumenta aduerſus monarchiã prolata.

videmus vt plus pacifice ad inuicem ſe habere, nec ad pacificationem ſui inter ſe, Romani imperii ope aut opera indigere & eorum libertatem & exẽptionem nihilominus eſſe vtilem, poſſibilem atq; iuſtam: eodem modo eſſet poſſibile & vtile atque iuſtum, reliqua regna libera per ſe ſtare, &c. Reſpondeo: Quod ſubiectio omnium regnorum reſpectu imperii non ſolum ideo eſt vtilis & neceſſaria ac iuſta, vt regna per ipſum imperium ad inuicem pacificentur, & concordentur, quod etiam in regnis & principatibus imperio iam ſubiectis, per alios vicinos inter reges vel principes diſcordãtes, præter opem & operam imperii fieri iam vidimus & videmus: ſed præcipue ideo iuſta vel vtilis ac neceſſaria eſt ſubiectio regnorum ad imperium, vt contra eos qui ſunt extra Eccleſiam & extra fidẽ, & contra Eccleſiam, & contra fidem, ipſa Eccleſia atque fides ab omnib. ſuis membris, ſub vno ſuo proprio capite concordantibus, & vnitis defendatur, & ad dilatandum locum ſui tabernaculi ſines ſuos faciat longiores. In quo caſu & cauſa nullum regnum Chriſtianum à ſubiectione & obedientia Imperii credimus eſſe liberum, vel exemptum. Nec ideo, quia aliqua regna ſunt libera & exempta ab Imperio, vtile eſſet, vel iuſtum, alia omnia eſſe exempta vel libera in futurum: quia illa quæ nunc ſunt libera & exempta ob aliqua merita ſingularia, vel obſequia egregia ad perpetuam vtilitatem Rom. imperio præſtita, prærogatiua huiuſmodi ſunt ab Imperio honorata: ſicut Valentinianus imperator gentem Fancorum ex cauſis huiuſmodi libertate donauit, vt ſcribit Gregorius Turonenſis: & Anaſtaſius gentem Gothorum (conceſſa ipſis illa Hiſpaniarum parte, quam nunc obtinent) etiã liberos eſſe conſtituit, qui Arragones nunc vocantur, vt ſcribit Iordanus. Sed priuilegia paucorum, non faciunt legem communem, nec ſi omnia regna eſſent libera & exẽpta ab Imperio, iſta eſſet vel dici poſſet exemptio ab Imperio, ſed potius perẽptio, & totalis deſtructio Imperii, qualis futura eſt ſecundum prophetiam Pauli Apoſtoli, quando appropinquante tempore aduentus Antichriſti, veniet diſceſſio primum regnorum omnium ab Imperio, deinde eccleſiarum ab obedientia ſedis Apoſtolicæ, & vltimo fidelium à fide, ſicuti poſtmodũ dicetur. Tunc.n. Eccleſia ſic acephalata & vacante, & membris influentiam ſuorum capitum in temporalib. & ſpiritualib. non capientib. & per conſequens motu ac ſenſu gratiæ priuatis, locum & facultatẽ habebit deceptio, & dominatio Antichriſti: vnde illi, qui ſtudium & ingenium ſuum adhibent ad deiectionem & detruncationem imperii, videntur directe feſtinare ad hoc, vt locus & facultas præparetur tyrannidi Antichriſti. Ad quartum, quod obiiciebatur, quod non eſt poſſibile, nec conueniens gentib. à ſe diuerſis, ſecundum diuerſas linguas ac patrias & mores & ritus patrios eſſe vnam legem: ergo nec vnum regem, & per cõſequens, ergo non eſt conueniens, neq; vtile, neq; iuſtum, omnib. gentib. præeſſe vnum Imperatorem, &c. Reſp. quod alia ratio attenditur circa hoc in rege, & alia in Imperatore, qui eſt ſuper reges: quia ſicut lex (generaliter ſumendo nomen legis) diſtinguitur in ius naturale, quod eſt ius commune omniũ gentium: & in ius poſitiuum, quod variatur ſecundum diuerſitatẽ gentium, iuxta diuerſas patrias & mores ac ritus patrios: ita ſingulæ gentes ſingulos habent reges, vnamquamq; gentem ſecundum ſuas leges proprias, conuenientes ſuæ patriæ, & morib. & ritib. ipſius, regentes & gubernãtes. Omnia vero regna ſimul ſecundum ius naturale, cõmune omnib. gentib. & regnis, vel ſecundũ ea quæ ex ipſis legib. Romanis poſſunt omnib. gentib. & regnis iuſte & vtiliter conuenire: & quæ omnes gentes & regna omnia tenentur intra ſe, & ad vicinos & ad extraneos obſeruare, non ſolum poſſibile, ſed etiam neceſſarium & vtile eſt, vni Rom. imperio obedire, vel ad pacem & quietem vniuſcuiuſq; regni & gentis intra ſe ſimul & extraneos obſeruandam, vt in regnis Chriſtianis, vel ſaltem ad ipſa regna Chriſtiana ab ipſis non inuadenda, nec perturbanda, vt in regnis infidelium & paganorum, quæ (quantum ad hoc) Rom. Imperio ſubeſſe tenentur, quia non ſolum eſt ius Chriſtianorum, ſed etiam ius gentium, & omnium hominum (in quantum homines) ius ſuum vnicuiq; tribuere & ſeruare, & alterum iniuſte non lædere: ad quod Chriſtianis regnis obſeruandũ, poſſunt & debent ipſi infideles & pagani de iure per Imperium coherceri. Ad quintum, patet ſolutio ex iam dictis: quia licet Iudæi & pagani non faciunt vnam Remp. nec vnum populũ cum Chriſtianis, quoad ea quæ (quantum ad diuerſitatem ſuarum ſectarum, & noſtræ fidei ſingularia, & alia) ſunt nobis & illis. Quoad ea tamen quæ nobis & illis cõmunia eſſe poſſunt iure naturali, vel gentiũ, ſc. vt vnicuiq; ſua tribuantur & ſeruentur, & neutri ab aliis iniuſte lædantur, ſubeſſe debent imperio, & obedire. Ad ſextum, quod obiiciebatur, quod termini imperii Rom. priſtinis temporib. per aliquos Imperatores, vel ex decreto, vel ex pacto cum aliis gentib. ſunt quaſi licite & vtiliter limitati & anguſtati, qui tamen imperatores (quod ad hoc) tunc non Auguſti ab augendo, ſed anguſti ab anguſtando fines Romani imp. poterant appellari: & quod tunc quaſi licite & vtiliter factum eſt ab illis imperatorib. adhuc fieri poſſet licite & vtiliter etiã vſq; ad exhauſtũ totum imperium, & ablatum, &c. Reſpondendum: quod nequaquam licuit Adriano imperatori, vel Iouiniano, fines Imperii ſimpliciter & cum renunciatione tradere, & Imperium citra fines debitos limitare: nec vlli imperatori vnquam licuit, vel licebit: quia tum caderet à nomine & dignitate Auguſti, quod ſignificat, imperium debere ſemper augeri, & nunquam minui. Nec Adrianus, aut Iouinianus, ſimpliciter ſine cauſa vrgente pro tẽpore hoc fecerunt: ſed cum Traianus debellatum regnum Perſarum feciſſet Romanam prouinciã, præſidem ibi ponendo, & faciendo eos vti legibus Romanis: Adrianus videns propter longam diſtantiam terræ Perſarum non bene neq; commode poſſe ibi prouinciam obtineri, prouinciam reſtituit in regnum, priſtinos fines concedens regno Perſarum, cum ſubiectione, quam ipſi Perſarum reges Octauiano primo imperatori promiſerant & ſeruabant: propter quam ſubiectionem Perſis denuo rebellantibus, & promiſſa non ſeruantibus, poſt Adrianum ſinguli fere imperatores bella continua

Franci libertate donati.
Gothi.

tinua

tinua intulerunt; vſq; ad Iulianum apoſtatam factum imperatorem: qui cum eſſet contra Perſas in bello conſtitutus,& Romanus exercitus prælĩu contra Perſas aggredi differret, meliorem opportunitatem ſperãdo & expectando: Iulianus diuino iudicio in ſe furens,& in exercitum ſuũ, naues (quæ Romanis victualia apportarãt) iuſſit incendi, vt ſic exercitum victualia de cetero non habentẽ, nec habere valentẽ, vltro in prælium prouocaret. Vnde ſtatim prælio cõmiſſo, Iulianus in prælio primus eſt interfectus, Perſis quidem adhuc non vincentib. ſed paulum deſcendentibus & exercitum Romanorũ (dimiſſo prælio) in gyrum circundantibus,& in locis magis arctis & anguſtis obſidentibus, ne ad prædas propter victualia cõportanda diſcurrere poſſent. Qua neceſſitate coactus exercitus, ſtatim Iouinianum Impe. ſibi acclamantes fecerunt, & vna cum illo, licet coacto & inuito, pactum fecerunt:& pacẽ cum Perſis, vt ab eis diſcederent, obſidione exercitus ſoluta: & vt deinceps verſus Perſas fluuius Euphrates Rom. Impe. finis eſſet. Vnde quia tale pactum tanquam coactum non habuit firmitatem, ſed indicabat, vel in Imperatore, vel in exercitu, vel in vtroq; deſperatam quandã animi vilitatem potius quã virilitatem, eo ꝙ contra legem & morem Romanorum mori pro conſeruando honore,& augmento Imper. non audebant. poſteriores Imperat. illud pactum & illam limitationẽ Imperii ratam habere nullatenus voluerunt. Vnde plures Imperat. poſtmodum iterum contra Perſas pro ſubiectione illius regni bellarunt, ſicut legitur *in Chronicis* de Theodoſio,& Heraclio,& Iuſtiniano magno,& aliis pluribus. Ad ſeptimum, patet ſolutio & reſponſio, per ea quæ dicta ſunt in reſponſione ad tertium argumentum, ſuperius poſitum: quia obiectionis & ſolutionis eadem eſt cauſa ratio, hic,& ibi.

CAPVT XIX.

PRædictis igitur ad maiorem intelligentiam de conſtitutione & ſtatu & fine Romani regni ſiue imperii præmiſſis, nunc videndum eſt de finib. regnorum & regum in communi. Vnde notandũ eſt, quod licet ordine naturali rex ſit propter regnũ,& non e contra: propterea naturali ordine idem debet eſſe finis in intentione regis, qui eſt finis regni, propter quem ſc. regnum ſimpliciter eſt à principio conſtitutum. Finis autem propter quem regna ſunt à principio conſtituta, eſt ordinatio & cõſeruatio pacis & iuſtitiæ inter regnicolas, quã ordinationem & conſeruationẽ etiam rex debet principaliter intendere tanquam finem, & ad hanc omnia cetera referre, quę in regimine regni fuerint diſponenda. Cum aũt, ſecundum Philoſophum, duplex eſt finis in operibus humanis, ſc. finis operis, ſicut Medicinæ finis eſt ſanare:& finis operantis, ſicut alicuius Medici forte finis eſt, ſanando lucrari pecuniam, vel amicitiam, vel gloriam, non in quantum Medici, ſed in quantum Ioannis vel Petri: contingit enim aliquando, eundem eſſe finem operis & operantis: ſicut cum medicus non ſanat niſi propter hoc, quod gaudet & delectatur ſe ſanaſſe,& finem artis aſſequutum eſſe:& cum rex vel princeps bene regit propter hoc, quod gaudet & delectatur in ordinatione pacis & iuſtitiæ. Aliquando vero contingit alium eſſe finem, quem intendit operans, à fine propter quem eſt ipſum opus: ſicut architectus facit domum, non vt domus inhabitetur per ipſum, ſed vt ipſe domificationis & architecturæ ſuæ pretium aſſequatur. Eodem modo rex vel princeps aliquando in actu & officio regendi mouetur ex amore pacis & iuſtitiæ,& communis boni totius patriæ: ſicut mouebatur A. Torquatus conſul, de quo Virgilius canit:

Finis regnorum.

Duplex operum finis.

Vicit amor patriæ, laudumq; immenſa cupido.

Aliquando amore gloriæ vel famæ, quod tandem vitium (ſicut ait Saluſtius) propinquius eſt virtuti, quando gloria deſideratur propter opinionem virtutis, cui ſoli debetur gloria, vel delectatione potentiæ & iactantiæ ſicut Iulius Cæſar: vel luxuriæ, ſicut L. Catilina: vel auaritiæ, ſicut Craſſus mouebatur, cui in bello capto, rex Parthorum aurum liquefactum infudit in os dicens, *aurum ſitiſti Craſſe, aurum bibe.* Sicut igitur tres ſunt fines intenti in actu & officio regendi, videlicet vnus ſimpliciter bonus, qui eſt amor patriæ & pacis & iuſtitiæ: alius ſimpliciter malus, qui eſt libido luxuriæ, vel cupiditas auaritiæ:& tertius, qui eſt communis mediocriter bonis & malis regibus, licet non ſecundum eandem intentionem, ſcil. ambitio gloriæ: quia, vt Saluſtius dicit, *Gloriam bonus & malus æque optant*, ſed bonus bona & vera via ad eã intendit, malus vero (cui deſunt bonæ artes) ad ipſam obtinendam malitia & dolis contendit. Ita (inquam) tres ſunt etiam diuerſitates intentionum & finium. Quidam.n. regum, in officio regendi & poteſtate regnandi quærunt & intendunt commune bonum patriæ,& iſti mouentur amore iuſtitiæ & bonæ conſcientiæ: & hi ſunt reges ſimpliciter boni. quidam vero intendunt ſatietatem, & expletionem auaritiæ & luxuriæ:& iſti ſunt reges ſimpliciter mali, quia ad exatiandam & explendam auaritiam & luxuriã ſuam, mouentur cupiditate & crudelitate. Quidã vero quærunt vanitatem gloriæ, & quia gloria præmium virtutis eſt, ipſi ſectantur opera virtutum, non propter conſcientiam, ſed propter famã & gloriam.& iſti ſunt reges mediocriter & mixtim mali & boni: quia virtus talium non eſt vera virtus, ſed ficta. Vera.n. virtus eſt illa, quæ ad illum finem reſpicit, quo in bonis humanis nihil melius eſſe poſſit. Vnde vere boni reges honorem pro virtutis præmio non petunt, ſed ſubditi ipſis non petentibus ex condigno offerunt: cum ẽ contrario ficti reges pro expletis virtutum aliquibus operibus gloriam ſibi oblatam appetant, non oblatam vero improbe extorqueant, vt dicit Seneca. quod vere bonus fructum virtutis ſibi ponit in cõſcientia, ſtultus vero in gloria: quæ ſine vera virtute eſt ventus,& inane quiddã, iuxta illud Poetæ:

Gloria quantalibet, quid erit, ſi gloria tantum eſt?

Ttt Vnde

Vnde patet, quod tales reges faciunt aliqua virtutum opera non vere, ſed ficte: quia verum finem virtutis non intendunt, non reſpicientes in illis operibus ad conſcientiæ veritatem, ſed ad famæ & inanis gloriæ vanitatem.

CAPVT XX.

Duplex rerum finis.

QVIA igitur dictum eſt de fine conſtitutionis regnorum, propter quem conſequendum regna & reges ſunt à principio conſtituti: vltimo nunc ſciendum eſt, quod ſicut dicit Auguſtinus 19. *libro de ciuitate Dei*, duplex eſt finis rerum, videlicet cõſummationis, id eſt, perfectionis vniuſcuiuſq; rei: qui eſt finis ad quem perducitur & peruenit res & perfecta fit: & finis conſumptionis, id eſt, defectionis rei, ad quem perducitur & peruenit res, vt deficiat, & vltra non ſit. Finis igitur conſummationis, id eſt, perfectionis regni ſeu Imperij Romani, quo perductum eſt multorum bellorum & laborũ ſudoribus ad hoc, vt ad ſummam perficeretur, & ſummum ſtatum ſuum poneretur, fuit tempore Octauiani Imperatoris, ante quem & poſt quẽ ſub nullo regum vel imperatorum, Romanorum regnum ſeu imperium ad tantum culmen peruenit: cuius anno 42. Dominus noſter Ieſus Chriſtus natus fuit, toto Romano orbe ſub vno principe pacato, & deſcripto ad cenſum: ad ſignificãdum, quod ille rex cæli & terræ natus eſſet in mundo, qui cæleſtia & terreſtria ad inuicem concordaret, & æterna pace ac gaudio pacificaret, & electos ad æternum regnum cælorum libro vitæ adſcriberet: vt dicit Gregorius *in Homelia ſuper Euangelium, Exiit edictum à Cæſare Auguſto*. quoniam illa temporalis pax tũc vigens, ad myſterium æternæ pacis regni cœlorum ſignificandum, illi tempori diuina prouidentia fuerat reſeruata. Sed quia omne temporale & mutabile & tranſitorium, iuxta illud eccleſiaſtici, Omnia tempora tempus habent, & certis ſpaciis tranſeunt vniuerſa, &c. quia nihil permanens eſt ſub ſole: propter hoc illa vniuerſalis pax totius Romani orbis & imperii, ſicut ante tempora prædicti Auguſti, nunquam ad talem & tantam plenitudinem & perfectionem peruenerat, ita & poſt tempora ipſius Auguſti deinceps nunquam peruenit, ſed ipſum imperium Romanum deinceps ad defectionem & diminutionem ſui in ſuis iuribus & viribus ſemper plus ac plus in hodiernum vſque tempus eſt collapſum, ita quod ei non reſtet amodo quicquam aliud, niſi finis quotidianæ conſumptionis & defectionis, vſq; dum ſic totaliter conſumetur ac deficiet, quod amodo iam non amplius erit. licet olim aliqui diuinatores magis quã veri prophetæ, adulando Rom. imperatorib. & imperio, aſſerere auſi fuerint, quod Romanũ imperium eſſet æternum, ex eo quod bene vel male, & nunc cũ augmento aliquo, nunc vero cum diminutione & detrimento, longiori tempore durauerit, quam alia magna regna mundi, vt Aſſyriorum & Medorum & Græcorum regnum.

Imp. Auguſti ſummus ſtatus Rom. Imperii, quam conſummationem mox conſumptio ſequuta eſt.

Natiuitas Chriſti.

CAPVT XXI.

Finem Rom. Imperii anteceſſurum finem mundi.

QVOD ergo Rom. Imperium non cum fine & conſummatione mundi, imo ante finem & conſummationem mundi deficere oporteat, & ceſſare, his rationibus & cauſis inſcriptis videri poterit. Primo, ex temporali rerum mutatione & defectione generaliter: quia idem eſt attendere & videre in toto, ꝙ in partibus. Sed videmus in ſingulis rebus temporalibus quod ſucceſſu temporis deficiunt in ſemetipſis: cuius cauſa eſt, quia vt dicit Philoſophus 7. Phyſicor. *tempus eſt plus cauſa corruptionis, quam generationis: quia diſtare facit res, & elongari à ſuo principio originali.* Quanto autem plus diſtat aliquid, & elõgatur à ſuis principiis originalibus, tanto plus debilitatur. Ergo temporalia omnia ex ipſo ſucceſſu temporis deficiunt in ſeipſis, iuxta illud ad Hebræos 4. *Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Cui ergo alia regna mundi tanquam temporalia ſucceſſu temporis defecerint, & ceſſauerint in ſemetipſis, vt patet in regno Aſſyriorum & Medorum & Græcorum, & in aliis regnis minoribus: ergo & de regno ſiue Imperio Rom. (cuius appẽdicia ſunt regna minora, tanquã partes ſui totius) eſt idem ſentiendum & tenendũ, quod ſucceſſu & antiquitate temporis ceſſet & deficiat in ſeipſo. Secundo hoc etiam attendi poterit, & videri ex fundamenti ipſius imperii inſtabilitate. Fundamentum, n. originale & radicale ipſius Imperii Rom. ſicut ceterorum regnorũ minorum, eſt cauſa illa, propter quam aſſequendã ſunt omnia regna cum ipſo Imperio conſtituta: videl. pax omnium, quæ ſunt in regno & ſecuritas eorum. Super illud fundamentum ſunt omnia regna cõſtituta & erecta mediantibus duabus columnis, ſc. iuſtitia & potentia. Quia iuſtitia eſt, quæ ſingulis pacẽ ordinat, & procurat, diſtribuendo vnicuiq; quod ſuum eſt, & faciendo vnumquemq; ſuo eſſe contentum. Potentia vero eſt, quæ iuſtitiam defendit & conſeruat, conuertendo ipſam in iudicium. Sed circa hæc tria, ſc. circa pacem habendam, & iuſtitiam conſeruandam, & potentiam recte gerendam, animi hominum cõmuniter ſunt mutabiles, & ad eorum contraria procliues: videlicet ad diſcordiã, ad iniuriam ac violentiam aliis inferendam: & maxime eorum animi, qui ſunt in poteſtatib. & imperiis conſtituti, cum illi maiora tractent, & circa maiora magis afficiatur animus, ſiue bene vel male afficiatur: & hoc tanto plus & fortius, quanto vicinius ad ſuum finem, cum ipſo lapſu temporis labitur mundus. Ergo ex ipſa ſui fundamenti inſtabilitate neceſſe eſt Romanum imperium, ſicut & alia regna, ſucceſſu temporis, & curſu mũdi ad ſuum finem deficere & ceſſare. Tertio patet hoc præcipue ex Prophetica, & Apoſtolica veritate: quia ſicut aliorũ regnorum deſtructiones & ceſſationes ſunt in ſacra ſcriptura prophetatæ, prædictæ, & tandem etiam impletæ, vt patet de regno Aſſyriorũ ſiue Babyloniorum *Eſaia decimo*, & de regno Ægyptiorum *Ezechiel*. 29. & de regno Perſarum ac Medorum *Danielis quinto*, & de regno Græcorum *Danielis ſecundo*: ita & de regno Romanorum, *Danielis eodem* loco habetur, ſimiliter & Num. 24. *Venient* (inquit) *in trieribus de Italia, & ſuperabũt Aſſyrios & vaſtabunt*

Regnorum fundamentum.

Vaticinia de interitu regnorum

vaſtabunt Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt. Quod Origenes ibidem exponit de regno Romanorum. vnde Hieron. ſuper illud Danielis 2. *Ex parte erit regnum illud ſolidum, & ex parte contritum,* &c. dicit: quod *ſicut in principio, Rom. regno nihil durius, ita etiam in fine nihil erit eodem debilius.* Apoſtolus quoque 2. Theſſ. 2. loquens de aduentu Antichriſti, dicit quod *nequaquam veniet ille iniquus, niſi venerit diſceſſio primum.* de qua diſceſſione dicitur in Gloſſa ibidem, quod *triplex diſceſſio præcedet aduentum Antichriſti, videlicet primo diſceſſio regnorum à Rom. Imperio, ſecundo Eccleſiarum ab obedientia ſedis Apoſtolicæ, tertio vero diſceſſio fidelium à fide:* quia ſtante adhuc capite Eccleſiæ in ſpiritualibus ſcilicet Apoſtolica ſede, & capite in temporalibus ſcilicet Imperio Rom. & ſtantibus adhuc fidelibus in fide, locū & commoditatem non habebit deceptio & dominatio Antichriſti, capitibus prædictis & membris ipſorum ei reſiſtentibus. Cū vero corpus Eccleſiæ factum fuerit acephalum, & per conſequens mēbra ſingula ſine motu & ſenſu, quantum ad veritatem & vnitatem ac ſi mitatem fidei, tunc locum & effectum habebit aduentus Antichriſti, & malitia ipſius: ſicut dicit Glo. ſuper illud Prophetæ, *Inclinabit ſe & cadet, cum dominatus fuerit pauperum:* id eſt, membrorum Eccleſiæ tunc infirmorū, & deſolatorum, quia *in errorem inducentur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Et dicit, *ſi fieri poteſt,* à ſenſu contrario: quia fieri non poteſt in totum, cum Eccleſia & fides poſſit periclitari, ſed nequaquam ſubmergi, iuxta illud Luc. 22. *Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua.*

CAPVT XXII.

CVM igitur conſtans ſit, & indubium, quod non niſi ante aduentum Antichriſti futura ſit prædicta triplex diſceſſio: ſcil. primo regnorum à Romano Imperio, per quam diſceſſionem ipſum Rom. Imperium deficiet, & ceſſabit in totum. ſecundo Eccleſiarum ab obedientia ſedis Apoſtolicę, quæ ad prædictam primam diſceſſionem cauſali ordine conſequetur: quia gladio temporalis ſiue ſecularis poteſtatis ſublato, gladius ſpiritualis carebit finaliter tandem ſuo defenſore contra ſchiſmaticos & hæreticos. tertio fidelium à fide, quæ diſceſſio ſimiliter conſequetur ad duas primas diſceſſiones: quia nec poteſtate ſpirituali vel ſeculari tūc valente cohercere homines ſchiſmaticos, ſub Chriſtianæ fidei vnitate & obedientia, ſicut prius ſinguli ſecundum ſuas affectiones & voluntates cōfingent & eligent ſibi diuerſos errores, quos teneant & defendant, & ſecundū quos (ſicut volūt) viuant & agant: ſecundum prophetiam Apoſtoli 1. *Timo.* 4. vbi Spiritus ſanctus manifeſte dicit, quia *in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum,* &c. propter hoc, quibus cauſis & occaſionibus facientib. contingat prædicta triplex diſceſſio, ex parte diſcedentium, ſc. ſubditorum: & eorum à quibus ſubditi diſcedent, ſcil. ſuperiorum & prelatorum, Apoſt. 2. Tim. 3. declarat dicens: *Hoc autē ſcito, quod in nouiſſimis temporib. inſtabunt tempora periculoſa, quia erunt homines ſeipſos amantes,* ſcil. quantum ad voluptatem & luxuriam ſectandam & proinde erunt *cupidi,* quantum ad auaritiam: *& elati* quantum ad ſuperbiam. Ad hæc aūt tria vitia capitalia, & quaſi principalia, ſc. ad auaritiam, quæ tunc plus regnabit in poteſtatibus ſpiritualibus more Scribarum & Phariſæorum, quos Dominus reprehendit ſpecialiter de auaritia & hypocriſi, quibus duobus vitiis circa tempus ſubuerſionis Hieruſalem & diſſipationis loci & gentis & ſanctificationis ſuæ principalius inſeruiebant: & ad ſuperbiam & violentiam, quæ tunc plus regnabit in poteſtatibus ſecularibus, ſicut olim in regno Iudææ & Hieruſalem, circa vicinum tēpus deſtructionis Hieruſalē ac tranſmigrationis Iudæorum in Babylonem. & reges & principes eorū ſuperbiæ & violentiæ circa iniqua iudicia & oppreſſiones pauperum intendebant, iuxta illud Eſaiæ 10. *Væ his qui condunt leges iniquas, & iniuſtitias ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent,* &c. Vnde ſtatim ſequitur de pœna eorum: *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt: ad gentem iſtam fallacem mittam eum, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam eorum,* &c. Ad iſta, inquam, vitia tunc regnantia in ſuperioribus & prælatis tam ſpiritualibus, quā ſecularibus; conſequuntur tam in ipſis quam in ſubditis, luxuria & voluptas vtriſq; communis. Et ne videar & reprehendar in cælum ponere os meum, iſta dicendo, quaſi ex motu & ore proprio: neceſſe eſt adducere teſtimonia ſacræ Scripturæ, & ſanctorum expoſitorum ſeu interpretum de iſta materia aſſerentium omnia prædicta.

Digito compeſcit labellum. Veritas ſiquidem odium parit.

CAPVT XXIII.

QVOD ergo diſceſſio Eccleſiarum ab obedientia ſummi paſtoris Eccleſiæ, & regnorum ab Imperio Rom. & fidelium vltimo à fide, ex parte diſcedentium futura ſit prima & principaliter propter ſubditorum voluptatem & luxuriā, probatur ex verbis Apoſtoli prius inductis, qui 2. Tim. 3 *Erunt* (inquit) *homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſcelesti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem pietatis, non opera,* &c. Et notandum, quod ſicut dicit Gloſſa, *licet prædicta vitia omnia frequenter regnauerint in malis: tamen circa illa tempora regnabunt amplius, cum plures mali per affectatam malitiam tūc ipſis ſe ſubdere non ceſſabunt.* Quod vero etiam ea ipſa diſceſſio futura ſit propter prælatorum ſimulationem & auaritiam, qua ſubditos tunc acrius inuadent & rodent, patet ex ipſa litera Ezechielis 34. *Requiram & reducam gregem meum de manu paſtorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant gregem meum, ne amplius paſtores paſcant ſemetipſos,* &c. Ibi dicit Hier. in Commento lib. 11. ſuper Ezechielem: *Hoc proprie pertinet ad ſupercilium illorum, qui operibus dedecorant in ſe epiſcopalis nominis dignitatem, & in ſuperbia ſimulant humilitatem, & alios quos viderint in Eccleſia præpol-*

lentes, opprimere nituntur. Hæc igitur eorum pœna maxima, vt vltra non paſcant gregem Domini, ne ſub occaſione paſcendarum ouium paſcant ſemetipſos, &c. Maxima autem pœna eſt quæ infligitur & infertur, tanquam non iam medicinalis, ſed mortalis. Talis autem maxima pœna eſt etiam vltima. Ergo, &c. Quod etiam diſceſſio regnorum à Rom. Imperio, futura ſit principaliter propter Imperatorum & regum iniquam potentiam & violentiam, & abiectionem iuſtitiæ & veritatis, in republica gubernanda, ex hoc patere poteſt. Legimus tres reges iniquos & reprobos in veteri Teſtamento: vnum à Deo reprobatum propter inobedientiam, videlicet Saulem, de quo dicitur 1. Reg. 15. *Pro eo, quod abiecisti ſermonem Domini abiecit te Dominus, ne ſis rex.* Item alium, cuius regnum fuit detruncatū propter ſuperbiam, videlicet Roboam, de quo dicitur 3. Reg. 12. quod per ſuperbiam contempto conſilio ſeniorum, & vſus conſilio iuniorum populo dure & ſuperbe reſpōdit, & populus prouocatus dixit: *Non eſt nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Iſai: Reuertere Iſrael in tabernacula tua*, &c. Item tertium, cuius regnum fuit ab eo, & à ſua ſucceſſione in totum ablatum propter ſuam auaritiam & violentiam: ſcilicet Achab, de quo legitur 3. Regum 21. *Occidiſti, inſuper & poſſediſti*, &c. Vnde ſequitur: *Ecce ego demetam poſteriora tua, & omnes hæredes tuos abiiciam de ſucceſſione regni.* Quia ergo mundo ad finem tendente, & per conſequens prædictis vitiis, ſcilicet inobedientia & ſuperbia, ſiue violentia & auaritia creſcente in hominibus, iuxta prædicta verba Apoſtoli: & quia vt dicit Hier. ſuper illud Dan. 3. *Congregati ſunt omnes principes regionum ad ſtatuam adorandam*, &c. *diuites & potentes, dum timent carere diuitiis & potentia, illis vitiis maxime occupantur, per quæ credunt iſta retineri poſſe. Iſti autem tunc credent ſe magis per violentiam, quam per iuſtitiam proficere, & habenas Imperij retinere, & ſecundum ſuam voluntatem circumducere.* Ex his ergo & ex eis, quæ iam facta ſunt tranſactis temporibus, prædictis cauſis & vitiis exigentibus, videlicet quod Imperatorum & Regum Romanorum quidam reprobati ſunt propter ſuam inobedientiam, eo quod fuerint inobedientes & rebelles Eccleſiæ, cum tamen extra Eccleſiam non ſit, nec poſſit eſſe imperium: Quorundam vero temporibus, propter Imperatorum & regum ſuperbiam & inuidiam eſt detruncatum regnum Romanorum, ſicut ab Adriano, vt ſuperius dicebatur: aliis vero temporibus propter ipſorum Imperatorum vel regum temeritatem & auaritiam, vel ignauiam, eo quod exercitui neceſſaria & militibus ſtipendia vel denegabant, vel dare nō habebant. & ideo à diuerſis nationibus & gentibus, vtputa à Saracenis, à Longobardis, à Gothis, à Vandalis, ab Hunnis, à Sclauis & Græcis, & demum à Francis & Hiſpanis, prouinciæ Imperij ſeu regni Romani ab imperio ſunt diſtractæ, & in principatus & regna per ſe reuerſæ & redactæ: ſicut prius ab ipſis Romanis iidem illi principatus, & ea ipſa regna debellata & ſubacta, in Romanas prouincias fuerant redacta: patet, quod propter Imperatorum & regum inobedientiam, quoad Eccleſiam, & propter ipſorum ſuperbiam & auaritiam, ignauiam & malitiam (quoad gubernationem reipub. iuſte gerendam) poterit fieri ipſorum depoſitio, & regni ac Imperii diminutio, & diſtractio, redactio per partes ad priuatos principatus: ita & plus nouiſſimis temporibus, ſicut præcedentibus, vt eadem via tunc currat ad finem, ipſius Imperii debilitatio & deſtructio qua ab initio ſui ortus currebat ipſius conſtructio & productio, vſq; ad ſuum ſtatum conſummatum: quia omnis res, per quaſcunq; cauſas naſcitur, per eaſdem, ſcilicet contrario modo ſe habentes, diſſoluitur. Sed per coactionem & bellicam ſubiectionem regna mundi & principatus & prouinciæ olim ſunt ſubactę, & compactæ quaſi in vnum corpus Romanæ reipub. ſicut dicit Hieronymus ſuper illud Danielis ſeptimo, de quarta beſtia, *quæ habebat dentes ferreos magnos, comedens atque comminuens, & pedibus ſuis conculcans reliqua omnia*: quod idem ſignificat, omnes nationes vel interfectas à Romanis, vel tributo & ſeruituti ſuæ ſubiugatas. Ergo diſſolutio & deſtructio regni ſiue Imperii Rom. futura eſt per receſſum & diſceſſionem illorum regnorum ab Imperio, quæ prius in vnum corpus ipſius Imperii taliter coacta fuerant, & ſubacta.

Quibus artibus creuit, iisdem etiam peribit Rom. imperiū.

CAPVT XXIV.

CVM itaque ſecundum prophetiam Danielis ſeptimo, & ſecundum expoſitionem Hieronymi ibidem, & aliorum doctorum & ſcriptorum eccleſiaſticorum: inſuper iuxta prophetiam Apoſtoli 2. *Theſ.* 2. & ſecundum Gloſſam ibidem, prædicta diſceſſio regnorum à Rom. Imperio certiſſime ſit futura ante aduentum Antichriſti. Quo igitur modo & ordine ſit futura, videndum eſt. Methodius martyr, cuius opera & dicta Hieronymus in *lib. virorum illuſtrium*, & in *Commento ſuper Danielem* tanquam eccleſiaſtici ſcriptoris monumenta approbat & commendat, ſcribit in illa prophetia & reuelatione, quæ ſibi de ortu & ſucceſſu ſeu proceſſu ac fine gentium & regnorum mundi in carcere poſito facta fuit: quod *filij Iſrael, videlicet gentes de heremo, & inſulis & littoribus Oceani venientes, Chriſtianorum regna & terras deuaſtaturi ſunt ante aduentum Antichriſti. Quibus vltimus Imperator Romanus de gente Francorum tunc exiſtens obuiabit: & reſiſtere non valens, ſceptrum & coronam Imperialem, ac clypeum ad arborem ſiccam vltra mare deponet, & ſic commendatum Deo ſpiritum ibidem emittet. Quo facto Antichriſtus veniens terras Romani Imperij inuadet & ſubijciet*, &c. Quam prophetiam ſiue reuelationem Methodii in hac parte doctores Eccleſiaſtici non multum ſequuntur, ſed tamen pro reuerentia martyris non repellunt: quum ſatis conuenienter poſſit ſtare cum prophetia Danielis & Apocalypſeos, & ſublata qualibet repugnantia concordari. Vnde quid de perſona vltimi Imperatoris ſit futurum, non multum attendunt expoſitores: ſed potius quid de ipſo Imperio, id eſt, de regnis & principatibus, qui ſubſunt & ſubeſſe debent Imperio, ſit futurum, poſt ipſorum diſceſſionem, vel ipſa ſua diſceſſione ab Imperio memorato: quia, vt dicit Hieronymus ſuper ſextam viſionem Danielis de quatuor beſtiis, *in vno Imperio Romanorum omnia illa regna ſimul intelligere*

Vaticinium.

intelligere debemus, quæ prius fuerant ſeparata. Quoniam igitur certior & cautior eſt via in talibus tractandis & indagandis, ſanctos & expoſitores originales ſequi, nec aliud quicquam dicere, aut ſentire, vel etiam diuinare, verba Hier. de hoc ponamus, ſuper ſextam viſionem Danielis, qui exponens myſterium beſtię quartæ, ita dicit: *Dicamus ergo, quod omnes ſcriptores eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi (quando deſtruendum eſt regnum Romanorum) decem reges futuros eſſe, qui orbem Romanum inter ſe diuidant: & vndecimum ſurrecturum, regem paruulum, id eſt, Antichriſtum, qui tres reges primo de ipſis decem regibus ſuperabit, id eſt, regem AEgypti & Africæ & AEthiopiæ: quibus ab eo interfectis, etiam alij ſeptem reges victori Antichriſto colla ſubmittent:* Cum igitur de prædictis decem regibus (qui ſignantur in Daniele per decem cornua beſtiæ quartæ) ſoli tres reges per nomina ſuorum regnorum ab expoſitoribus ſint expreſſi, videlicet rex Ægypti, & Africæ, & Æthiopiæ, qui ſecundum ſitum terræ ſanctæ (vbi erit ſedes regni & dominatio Antichriſti) ſunt eidem terræ ſanctæ ad meridiem collaterales: reſtat vt alios ſeptem reges, ad ſeptem partes reliquas Imperii totius Rom. poſt diuiſionem & diſceſſionem regnorum ſiue principatuum ab ipſo Imperio referamus: ſiue in Oriente, ſiue Occidente, aut Aquilone fuerint illæ partes, olim ad corpus Rom. Imperii pertinentes. Quare autem illi tres reges ſint per nomina ſuorum regnorum expreſſi, & non itidem alii ſeptem: id in ſcriptura aliqua authentica nondum hactenus legi, niſi per quandam conſequentiam dici poſſit: quod ideo iſti tres reges nominatim per expoſitores ſunt expreſſi, quia illa regna viciniora ſunt terræ ſanctæ, vbi dominabitur Antichriſtus: ſicut etiam Hieronymus *ſuper Danielem ibidem* hoc addit, quod de manibus Antichriſti ſaluabuntur hæ ſolæ tres terræ, quæ ſunt etiam ad Orientem vicinæ ſanctæ, videlicet deſerta Idumeæ & Moab & Arabiæ. Sancti enim Antichriſto reſiſtentes ad deſerta confugient ſupradicta, vt electorum reliquiæ ſaluæ fiant.

Hieronymi ſententia de regnis mundi.

II.

PROGNOSTICON M. ANTONII TORQVATI ET MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS, CLARISSIMIQVE ASTROLOGI, de euerſione Europæ.

Anno Domini 1480.

QVOD SERENISSIMO MATTHIÆ VNGARIÆ Regi anno ſalutis M. CCCC. LXXX. direxit, vſque ad annum M. D. XXXVIII.

MVLTA ſunt, Sereniſſime Rex, quæ diuinos homines efficiunt, virtutis primum excellentia, vt *in ſeptimo* teſtatur Ariſtoteles. Secundo Deitatis contemplatio, claraque ſubſtantiarum ſeparatarum notitia, ſicut *ex decimo* eiuſdem habetur. Sed inter cætera nihil tam ſimiles Deo mortales reddit, quam contingentium præſcientia futurorum, quam omnes Dei propriam eſſe confirmant, nec ſine diuinitatis participatione adipiſci poteſt. Quod ad conſilia præbenda & ad prouidentiam eorum, quæ ventura ſunt, plurimum prodeſſe atque conducere, experientia fidem faciente, conſpicitur. Et propterea regnorum, prouinciarumque, nec non & ciuitatum dominis, rectoribus atq; gubernatoribus permaxime noſcuntur neceſſaria.

Et quoniam feſtinant tempora, in quibus DEVS per aſtra tanquam per ſecundas cauſas mirabilia multa ſingulariaque plurima horribilia viſu, audituque tremenda, & euentu ipſo ac effectu terribilia, quibus ſimilia per longa ſæcula facta fuiſſe non legimus, quæ licet plurima climata, orbiſque prouincias ſint afflictura, & reges, dominia, ſtatus, leges, mores, religiones, ſectas, doctrinas mutatura, & variatura, pro certo ſint: Tamen quoniam maiori ex parte huiuſcemodi euentus noſtra apparebunt in Europa, dignum duxi eadem annotare, & tuæ Maieſtati deſtinare. Quia vir diuinus es, & non paruam ipſius Europæ partem cum prudentia regis atque gubernas, Chriſtianamque rempublicam ab infidelibus tueris & defendis. Et id ad conſolationem tuam addere non vereor. Futurum eſſe, vt poſt nonnullas ſtrages & depopulationes Vngariæ ab Otthomannis factas, Otthomannorum Regem in manus cuiuſdam Vngariæ Regis, & Vngarorum, Imperiique Romani, & Germanorum agentibus Hiſpanis caſurum eſſe. Interficienturque ab eiſdem, antequã anni M.D.XXXVIII. finientur. Et Otthomannorum domus, Imperiumque Conſtantinopolitanum deficiet. Et Imperator Germanus vnicus, ſuper duo regnabit Imperia, & Vngariæ gloria ſuper ſydera ſcandet.

Et vt iudicium noſtrum hoc Chriſtiano more bonum ſortiatur exordium, Diuinum prius inuocabimus auxiliũ. Primo & ante omnia tria ponderoſorum cõuentuum annis M.D.III. & M.D.IV. futura prænotabimus, & in M.D.IV. anni biſextilis Febr. 5. die menſis 21. Virginis gradu, annalis reuolutionis erit, præuentio. Quæ non parum ponderanda venit. Quoniam luna defectum patietur. Secundo conſiderandum accedit, non ſolum trium ponderoſorum, ſed etiam omnium pene erraticarum ſtellarum coitus in piſcibus, qui anno ſalutis M.D.XXIV. Februarij continget menſe, ſed & lunæ ſoliſq; defectus, qui contingent, ac maxime de aquea, terreaq; triplicitate, & in angularibus ſignis, angularibuſue ſchematum, ac præcipue primo & decimo fient, geminorumq; tetragonis maiorum duorum ſupernorum ponderoſorum & oppoſitiones, & qui coitus ſequentur.

Ex præfatis igitur cæli conſtellationibus primo dicendum eſt, ab Italia exordium tantorum malorum naſciturum eſſe. nam præuiis malis diſpoſitionibus, quę orientur ex ſimultatibus Aragonum Sfortiadumq; domorum, accitis ab altera earum in Italia, Gallis, Europæ, diſcordiæque ruinæ virus diffundetur, & ſemina iacientur, ex quibus inter Chriſtianos reges & principes maxima naſcentur bella, & ad hęc mala augenda Turcarum auxilia etiam contra Chriſtianos, ab ipſiſmet Chriſtianis implorabuntur. E regno Neapolitano agentibus Gallis Arragones non ſemel pellentur, ſed è Mediolano per eoſdem pellentur etiam Sfortiadæ. Et ab vtroq; regno vel dominio ab Hiſpanis Germanis & Italis, pluries vel ipſi expellentur Galli, & mutationes magnæ orientur in Italia, in qua nonnulli mox in altum eleuabuntur, moxque decident.

Potentes Veneti ac Eccleſia Romana in præfatis fortunæ ludis commiſcebuntur, qui vtinam abſtinerent. Nam cum maiora lucrari credent, etiam quæ habebunt, amittent, nec ſemel id duntaxat eueniet eis.

Orientur quoq; res ob Italicos inter Romanum Germanumq; Imperatorem, & Gallorum regem prima poſt conſtellationem multa odia, & inimicitiæ non paruæ, ſed agentibus etiam Eccleſiaſticis Principibus dicti reges in vnum inient fœdus, & in Venetorum pernitiem conſpirabunt, diſſimulata potius inter eos pax concordiaque fiet quam vera, & ideo poſt aliquot annos ſecretis & occultis effectibus, alter alterum deuciet, neq; alto animi conſilio inuicem bene conuenient. Galli ſuperabũt Venetos, & omnia pene terreſtria ab eis auferent, & ad cuſtodiam Venetiarum Veneti ipſi deuoluentur. Sed hęc initia dolorum eiſdem erunt, non finis. Nam humiles facti, contra Gallos non modica recipient auxilia, & amiſſa recuperabunt, & animos apponent ac maiora adquirenda. Quæ res totalem interitus libertatis, atque ſtatus ac eorum dominii ruinam pariet, parumque aberit, quin & Venetiarum ciuitas quoque euertatur.

Poſt hæc inter Eccleſiaſticos prælatos, inter Galloſque atrox bellum inſurget, & nonnullæ ciuitates Venetorum antea à Gallis ſubactæ, ipſis nouiſſimis dominis rebellabunt, quãobrem bellis acribus ac diris interfectionibus & depopulationibus affligentur, & modo Galli, modo Eccleſiaſtici vincent, varia vtriuſq; & anceps fortuna eueniet, & in bello vtrinq; multi cadent. Eccleſiaſtici Germanorum, Hiſpanorumq; auxiliis freti fortiores erunt, Galloſq; cladibus & prælìis affectos vi tandem ab Italia pellent. Eoque tempore Angli contra Gallos tunc magna neceſſitate compulſos bella ex Hiſpania mouebunt, ſed hæc bella parum durabunt. Poſt quæ exurget in Gallos rex nouus, in cuius ſpe plurimi peribunt, quoniam Gallos iterum in Italia ducet. Hic humili cum gente dimicãs, magno tamen cum diſcrimine vincet & Inſubrum ciuitatibus potietur, & cum Papa duratura fœdera inict. Nam circa ſalutis annos, M.D.XIX. vel M.D.XX. noua iterum prælia inter Gallos Papamq; conſurgent, & agentibus Imperatore Romano, Romanis, Hiſpaniſq; Papa ſolicitante, ruſus Galli Italia pellentur. Et Sfortiada domus (parum duratura) tertio in Mediolanenſium ducatum redibit. Verum obſtinati Galli obſeſſum Mediolanum reuertentur, ſed re infecta calamitatibus oppreſſi fugam arripientes, vix in patriam ſuam ſe recipiẽt. Sed nedum Galli obſtinatiores effecti, quin tamen domi bellis fuerunt vexati, ab Italis ſeducti, Italica ruſus bella tentabunt, & in annis M.D.XXIII. M.D.XXIV. infeliciter pugnabunt. & eorum rex, vel capietur, aut interficietur. Qui liberatus immemor præteritæ fortunæ ad maiora diſcrimina ſubeunda animum ponet, nec deſinet tam diu Romanum imperium contra prȩlia miſcere, donec confractis viribus, regnum, vitam, filios, duces, & omnia ſimul amiſerit, ſed alio me reuocant cœleſtia fata.

Per hæc fere tempora tumultus in Germania orientur atque Internitiæ multæ. Ignobiles cõtra nobiles inſurgent, ſed prius hæc labes in Vngaria naſcetur, in qua viri Eccleſiaſtici plurimorum cauſa malorum fient.

Sed ad omnium prouinciarum particularia quædam veniam, & ad nonnullarum domorum ac gẽtium & ſtatuum ſeu dominia ſpecialia procedam, in quibus plura diſtinctius enodabo futura.

Futurum eſt enim poſt hæc, vt Papa, Galli, Angli, Veneti ac Sfortiada domus, cum nonnullis aliis contra Romanum Imperium conſurgant, & noua prælia mouentes vno animo in illud ferantur. Mediolanum obſidione cingent, & Inſubres diuerſis cõmiſcebunt malis, intus ac foris, & cum Hiſpanis male res agentur, & eorum militia circumdetur, ſed noua auxilia ex Germania venient, viroſq; anxios releuabit, & ad meliorem ſpem euectos conſolatione nõ modica faciat lætari. Sed hæc [illegible] lætitia

M. CCCC. XCIV. Lud. Sfort. pro duce Ioh. Galeaz. nepote ſuo ex fratre, Mediolanum gubernans, ob Zelotypiam, Carolo Gallorũ rege contra Alphonſum Arragoniæ regem prouocante qui relicto Neapolitano regno in Siciliam fugiens.

M. CCCC. XCIX. Lud. Gallorum rex, expulſo Lud. Sfort. duce Mediolani, & capto Mediolano, poſtq; menſes ſex, iterũ derelicto, & expulſo.

M. D. I. Lud. Sfort. Mediolan. dux à Gallis Nouariæ capitur, atq; in Franciam perducitur. Incidit in foueam quã fecit.

M.D.VIII. Cæſar Maximilianus cũ Iulio Pont. & Lud. Gallorum rege contra Venetos conſpirant.

M.D.IX. A Cæſare Maxim. Pon. Iu. & Gall. Rege ſubactis, debellatis, cæſis & profligatis Venetis, Cæſar capit Veronam, Patauium. Galli Bergamum, Brixiam & Cremonam, cũ aliis oppidis, locis & caſtris tollunt.

M. D.XV. Franciſc. Rex Gall. menſ. Septẽ. cæſis hoſtib. Mediolano potitur.

M.D.XXI. Fran. II. Sfort. Dux Mediol. potentia Caroli V. Cæſ. in paternũ ſoliũ reducitur.

M.D.XXIV. Ingenti milite Franc. Rex Galliæ menſe Septembri Papiã, capto primo Mediolano circumuallat, & M.D.XXV. Febr. 24. apud Papiam in Barchucii palatium Mirabelli infeliciter pugnans, Rex cum ingenti Baronum, & procerum & copiarum cæde capitur. Per totam fere Germaniam vulgus contra potentes, nobiles ſuperioreſq; cœpit ſæuire, ob innumerabiles aggrauationes, naſcitur ſeditio magna, fuſio ſanguinis maxima ab vtriſq; M D.XXVI. Papa Climens VII. Henricus Angliæ, parlamẽtum Franciæ, & Veneti aduerſus Cæſar. copias tam Germ. quam Hiſpanas, vt ab Italia eas depellerent coniurant, agentes Cæſ. ſub conſp. rationis colore fucato, obnexium, Franciſc. Sfort. II. Mediolani Ducem contaminant laborantem in agone.

læritia diutius non durabit. Nam iterum ruina eadem pene Inſubres, Hiſpaniq; maiori calamitate, nec diſſimili prementur.

Per hæc fere tempora atque hæc ob bella Chriſtianorum & ad nonnullorum forte Chriſtianorum inſtantiam immaniſſimus Turcarum exercitus capiet Belgradum & Rhodum munitiſſima Chriſtianorum locá. In Vngariam traiiciet. Et potius Vngarorum ſeditionibus quam vi ſua vincet. Vngariæ Rex, qui tunc erit, neſcio vi an dolo, aut caſu, eo morietur in bello.

Creditur Venetos, ut ſe ſuaque tutarentur facilius, Turcã contra Chriſtianos incitaſſe, Qui M.D.XXI. Vngariam inuadit, proditione Albe regalis capto.

Quamobrem non modica inter Vngaros de regno orietur contentio, atq; hi vnum, alii alium ſibi depoſcent in regem. Turcarum gens Pannoniam pene totã depopulabitur, incendet, deſtruet, & prædam multam, viros ac mulieres captiuas abſque numero ex ea abducet. Et duo reges in Vngaria eligentur, vnus per ambitionem & contentionem, alius canonice atque mature, & forte ex antiqua regni Hungariæ ſtirpe veniet. Hic ille erit Rex, in cuius manu Othomannorum Imperator interficietur. In ea ſiquidem re Vngarorum aderit non modica laus & Germanorum: ſed aſtra etiam Regem quendam magnum Hiſpanum, ac Hiſpanorum ingenium affuturum pronunciant, & Imp. Roman. auxiliares copias promittunt, & forte ipſe quoque aderit Cæſar. Sed Regis Vngariæ prima laus & ſingularis in hac erit opera. Nam & ſecretum tibi ſereniſſime rex, & ſtellarum fata aperiam, inter annos Domini M.D.XXXVI. & M.D.XXXVII. hæc oculata fide cernent Chriſtiani. Antequam præfati finiantur anni, Imperium Conſtantinopolitanum diſſoluetur & debellabitur. Turcis ipſis crudeliſſimis ſtragibus effectis, & non ſolum ab alienigenis hæc fient contra Turcas, verum ettiam à diſcordia inter ſuos principes orta. Nam interfecto Turcarum Impe. tanta orietur inter duces eorũ diſcordia atque diſſenſio, quod & ab inuicem, & ab externis crudeliſſimis bellis lacerabuntur, & diris bellis per totam Græciam excitatis, atque Marte per Græcos, & Aſiam minorem furente, & eoſdem populos ſæuiſſima peſte cruciante. Ex Otthomannorum familia, atque à Turcarum gente Conſtantinopolitanum Imperium abſque dubio cadet, de quibus in fine libelli noſtri longior à nobis fiet mentio.

M.D.XXII. Poſt longã Rhodi defenſionem menſe Decemb. tandem in Turcarum ditionem venit.

M.D.XXVI. Lud. Vngariæ Rex in ſtratagemate contra Turcas, 28. Auguſti perijt. Eodem anno pars Vng. Ferdinandum regem Boemorũ, pars altera Ioan. Vayuodam in reges eligunt, duo illi pro regno diſceptant.

Tempus eſt enim vt ad Chriſticolas reuertar, & de Eccleſiaſticis Diis hominibuſque vniuerſis cantum lugubrem canam. Nam in annis M.D.XXVI. vel annis M.D.XXVII. capitibus Eccleſiaſticorum prælatorum aduerſa fortuna incipiet cõminari, fietque pluribus annis fortuna nouerca & Eccleſiaſticis Romaniſque dura contingent mala. Roma vi expugnabitur, & exercitui Imperatoris Romani præda fiet, & in ea interficientur multi. Papa vel fugabitur, vel capietur. Cardinales & Eccleſiaſtici prælati ſpoliabuntur, & priuabuntur bonis, & Cardinales triſtabuntur, & prelatorũ Eccleſiaſticorum diuitum atque potentium incipiet ruina. Horrendum quidem & extremiſcendum Eccleſiæ Romanæ futurum dicam. Eccleſia namque Romana diuitiis vltra modũ aucta ad id deueniet, vt poſthabita rerum ſpiritualium cura, de rebus temporalibus dũtaxat cogitatura ſit, atque curam habitura, & regnum cœlorum cuius claues ſibi datas creditur, in temporale terrenumque regnum commutabit. Propter quod Deus eos abiiciet à ſe, atque diris ac crudeliſſimis flagellis eos percutiet. Quoniam nihil cæleſte tunc diuinumque meditabuntur, & armis hoſtium, cum fidelium, tum Chriſtianorum, belliſq; multiplicibus expugnabuntur, & tam acriter quidem, vt diſperſi prælati in fugam conuerſi profugique varia ſint ad loca acceſſuri. Nec in tribulationibus illis maximis alicubi tuti erunt, & à Chriſtianorum tandem auxilio deſtituti miſerias ſuas amare flebunt, Quoad omnes ſolum CHRISTVM Dominum honorantes, rebus factiſque contemnentur atque vexabuntur, & ad priſtinam religionem reducti ſub ſpirituali fient poteſtate. quoniam neque Deum, vt Deum, neque ſanctos eius, ſed ſeipſos tantum glorificabunt.

M.D.XXVII. Pro Cæſare belli Imp. Carol. Borbon. Dux Romã circumuallat, & vi. Maij eam capit, ingrediendo illũ bellica tormentis tã gloriofiſſime quã victorioſiſſime cecidit. Papa Clemens VII. cum aliquibus Cardinalib. ad arcem S. Angeli aufugiens, tandem ſe dat, captus diſperſiſque cæteris.

Et in hypocriſi loquentes mendacium, populos decipientes, atque fallentes ſpe virtutis, & vmbra, Eccleſiam Dei profanabunt, & multorum malorum inter principes & populos Chriſtianos & gentes exiſtent cauſa; Quorum nonnulli nominis Chriſtiani hoſtes occulte erunt, & quoniam tales peſtes nunquam dignatus eſt Chriſtus habere ſeruos; de futuris malis dico, non de bonis. nam multos, & Eccleſiaſticos nedum bonos, verumetiam optimos fore cerno. Verum tamen de malis duntaxat intendo loqui. Quoniam propter eos veniet ira Dei ſuper Eccleſiam, & malos hic incipiens de medio tollet, qui futuri ſunt in malo obſtinati, alios ad ſe conuertet. Bonoſque ſicut argentum & aurum præfatis flagellis ac veluti per ignem purgabit, & ſic ex malis Deus eliciet bona, & Eccleſiæ ſtatum reformabit. Nam plures erunt mali, & boni pauciſſimi, Quoniam tunc inſurgẽt Hypocritæ multi & Pſeudoprophetæ, & pauci in veritate Chriſti ambulabunt. Miſer ille Papa & infelix, de quo dixi, dolis ꝓprius capietur, & alios credẽs decipere ipſe ſe decipiet, & ab aliis decipietur.

Poſt capturam aut fugam eius non diu ſuperuiuet, obiturus breui aut animi dolore aut veneno, aut ferro, vel à ſemetipſo neſcio. Cardinales in futuri Papæ electione diſcordes, magni ſchiſmatis cauſa erunt, plures Papæ creabuntur, quo fiet, vt Eccleſiaſtici viri odio omnibus hominibus; tum infidelibus tum fidelibus, & in hæreſin venient, & abominabiles cunctis erunt. Religiones omnes perturbationibus plurimis ac diſcordiis agitabuntur, & præcipue minorum religio. Omnes Eccleſiaſtici viri tam preſbyteri ſeculares, quam clauſtrales, à via veritatis diſcedent, ſanctimoniales à dono caſtitatis & regulis ſuis decident, & cuncti pene à via veritatis auertentur, multa ſimulatio ſanctitatis regnabit & dominabitur, adeo vt veri boni Religioſi non valentes habitare cum malis; ad montes tunc fugere cogantur.

*Veniet à ſeptentrione Hæreſiarcha magnus, ſubuertens populos contra vota Romanæ ſedis, cum magnorũ Principum Septentrionalium auxilio, qui faciet ingentia, & magna loquetur, & ap-

** An de Luthero hoc dixiſſe velit an de alio neſcio. Circa tempora Luth. Pont. Leonem X. increbere de poteſtate clamare incepit pro indulgentiis.*

M.D.XXIX. Omniu de Zyps dicti Waywode fauore nutuque Turca potentiſſimo exercitu, immodico damno Vngariam intrans Buda capta, aliiſque oppidis. Deinde in Auſtriam amnium pontis Viennam innadit, atq; obſidet.

parebunt tunc temporis multi Hypocritæ, quærentes ſibi exaltationes & honores, & dignitates Eccleſiaſticas ambient, & erit confuſio & perſecutio maxima in Eccleſia, tam diu, donec interfectis Eccleſiaſticis in malo obſtinatis, atque vi maximarum tribulationum ad Deum conuerſis, & malis moribus in bonos mutatis, & iniquis legibus ac prauis conſuetudinibus ſublatis, & ritibus peſſimis deletis & in ſanctas & æquas leges conſuetudineſque ac ritus pios conuerſis, Eccleſiæ ſtatus renouabitur totus, & velut ſol oriens claro ſereno formoſus, & decorus refulget in terra, ſed nondum ſtatim finis. Nam fere annis octo Petri nauicula fluctuabit, ſed fluctibus non opprimetur. Quin imo melior emerget, & ſolidior ac ſolito ſplendidior, & precioſas merces in cœlum vehet.

M.D.XXXII. Innumerabili exercitu Turca ſecundo Auſtria pergraſſatur incendiis, ruinis, atq; deprædat. infectare, ludibrioſe recedit.

Sed & alio ſermonem meum conuertere me oportet, & ad Chriſtianorum bella redire, demum ad externa me conuertam. Erunt enim in diebus illis bella ſæuiſſima inter Francos tunc maxima calamitate compulſos, & inter Germanos, Anglos, Hiſpanoſq;, necnon inter Pannonios & Italos, & Italiam, & tanta quidem, vt genus humanum tantam mortalitatem vix poterit pati. Galli cum Hiſpanis, Anglis Germaniſq; manus miſcebunt. Sed & inter quoſdam eorum primos inuicem bella, & diſcordiæ videbuntur. Itaque ab externis, & à ſuis affligentur. Germanique & domi, & foris, & ad inuicem & cum externis & maxime cum Gallis & Italis præliabuntur. Angli modo cum Gallis, modo cum finitimis Scotis, ac etiam cum Hiſpanis bellabunt. Itali & ab inuicem & ab externis opprimentur & interficientur, & in area Italiæ maior pars huius lugubris ludi fortunæ fiet. Nam in ea peſtes ſæuiſſimę, quæ eam conſument, euenient, ac præcipue Roma, Venetiæ, Mediolanum, Florentiæ, Ianuæq; pene totaliter conſumentur, licet & aliæ ciuitates plurimæ eo morbo plurES adeo affligentur, vt hominibus quaſi vacuæ ſint remanſuræ. Inauditi morbi naſcentur in eis, quibus Medici neſcient remedia propria conferre. Penuria quoq; Italiæ populos ciuitateſq; plus quam credi poſſit aggrauabit. Ciuitates nonnullæ, villæ caſtraque partim comburentur, partim deſtruentur, & æquabuntur ſolo.

M.D.XXIX. Perhorrendum inauditum quo vrinæ morbus, Anglicus ſudor appellatus increbuit, Medicis incognitus, quam plures citiſſime abſtulit.

Timeant Inſubres, & Longobardi, qui ad mortem vſque & internitiem grauiſſimis & diris & variis affligentur malis intus & extra. Quæ omnia eis propter inteſtinas diſcordias ac delicta, & propter ſtatus Mediolani contentiones contingent. Poſt Mediolanum Roma, poſt Romam Florentia, poſt Florentiam Ianua, Venetiæque conſimilia timeant fata. Nam eadem fortuna & aduerſa ipſos omnes moratur, vt deuoret.

Eodemq; anno penuria ingentiſſima non tam Italiam quam etiam Germaniam peruagata, permulti fame perierunt.

Sed & Neapolitanum regnum anguſtias & aduerſas fortunas ſuſtinebit, in quo Galli cum Hiſpanis pluries longoque tempore pugnabunt.

Poſt Turci cum Hiſpanis, quibus omnibus tandem Hiſpani ſuperiores erunt. Omnia extrema viſura, paſſiraque miſella eſt Italia, ſed præcipue Longobardi, bellicus furor omnia maligne in Italiam effundet, pluſque Italiæ quam cæteris prouinciis aſtra minantur. Appellabit namq; fortiſſimus princeps à ſeptentrione, qui populos debellabit, & vrbes & dominia, & potentatus, horribili cum terrore ſæuiſſimiſq; bellis, expugnabit, vniuerſos vi ſibi ſubiiciet.

M.D.XXVIII. Franc. Gall. rex cum Venetis caſtra cōtra Neapolim ponunt, eāque obſidione cingunt.

Aquarum diluuia nedum in Italia, verum etiam in aliis quoque prouinciis exundabunt, & humiliora operient loca, & ciuitates & caſtra ſubmergent.

Futurumq; & mare pirans & claſſibus plenum, qui magno cũ terrore ciuitates maritimas oppriment, & ſpoliabunt, vnde fleant expectantes, fleantq; permaxime Romani Imperii hoſtes. Quot dominia mutabũtur, quotq; illuſtres familiæ antiqua amittent dominia, haud facile narrari poteſt, & hoc permaxime in Italia continget. Quot Reſpub. per vim & cum dolore ſuos ſtatus & libertates amittent, & aliis dominiis & externis ſubiicientur, Florentina, Luca, Ianua, Venetię, & aliæ quęcunq; Italiæ Reſpub. præfato fato erunt ſubiectæ, neq; euadere poterunt, & quo tardius id fiet, eo durius miſeriuſq; atq; infelicius eueniet eis, & eo fato premẽtur. Circa namq; annos M.D XXVIII. & M.D.XXIX. & M.D.XXX. tam ardua, diraq; atq; ſæuiſſima bella inter Gallos atq; Germanos & Hiſpanos, & inter eorum reges oritura ſunt, inter quos Angli, Italiq; miſcebuntur. & etiam Turci ad ea Chriſtianis in auxilium vocabuntur. Ita quod tunc videbitur, quod ſtatus orbis ſit ruiturus, & omnes præ confuſione rerum, timebunt vltimam ruinam.

M.D.XXX. Die 8. Octobr. hora 11. noctis Tybris fluuius excreuit, non modico damno Romā ſubmerſit.

Eodemq; anno 5. Nouemb. Selandia & Holandia maxima fuit aquarum inundatio ſubmerſione multorum locorum.

Hoc idem Antwerpia, in Flandria vtriſque oppidis accidit.

Multi contra Romanum Imperatorem & ſuos ferentur & ibunt, ſed Romanum Imperium tanta vi repente contra hoſtes ſuos pręter omnium ſpem & opinionem inſurget, ꝙ contra omnium iudicium opprimet eos, ſuperabit, ac vincet. & Gallorum regem aut interficiet, aut ſecũdo eum capiet, tamen gladio concidet, & amiſſo regno, filiis calamitatibus oppreſſis, Ducibus ſuis interfectis vitam finiet, & tunc vltima Gallorũ laus, ſub aquila volabit. tum Galli infelices erũt, M.D.XXVIII. M.D.XXIX. & M.D.XXX. M.D.XXXI. ſed in armis M.D.XXVII, & in principio. M D.XXVIII, ipſorum Iupiter cauſam fouebit & permeabit ingentem gloriæ famam, mox interituram amittet, & poſt ſubito totaliter extinguetur. interea feliciter impugnabit.

Anglus quoque Rex Gallicis ruinis non longe diſſimilia pertimeſcat infortunia, poterit & ipſe cum ſuis aduerſam experiri fortunam, & ingenti ſtrage proſterni, quia tutum non eſt contra fata niti. Verum ſi ſapiens fuerit, dominabitur aſtris.

Hiſpani multis victoriis augebuntur, gemina Hiſpanorum regna ſub vno rege conuolabunt. Auaritia fœdabuntur, & eos in Italia grauiter peſſundabit. Multas Italiæ partes Aphricamque totam ſuo ſubiicient imperio.

Romanorum Imperator, Germanuſque, & Vngarus indiſſolubili iungentur amicitia, & inuicem auxiliantibus armis ſe iuuabunt.

Angli

Angli modo cum Imperio, modo cum Gallis, nuncque cum his, nunc vero cum illis erunt, firmam ſtationem non habebunt, ſed videant ne ſtudio aut opinione fallantur.

Germani cum Vngaris mediante rege firmius cohærebunt.

Veneti nunc his, nunc illis adhærebunt, adeo vt perfidi reputentur, & magna ſuper eos veniet, & inſperata ruina. Nam deſtructis Gallis, & eorum rege interfecto, Florentia, Ianuaque occultorum ac manifeſtorum criminum ſuorum crudeles pœnas dabunt.

Mediolanum in ipſa Gallorum concidetur ruina, poſt Venetias manent crudelia fata, peſtibus ſæuiſſimis conſumentur, & nouis bellandi artibus, & inaudito exercitus genere ipſæmet Venetiæ expugnabuntur, & alieni ditioni fient ſubiectæ.

Aſtra quidem monent virorum bellatorum ingenia, nec crudeli fato obuiam venire poterũt. Clamabunt nec exaudientur, neque quiſquam eorum miſerebitur. Et adducet Dominus ſuper eos omnem ruinam, quam ipſi ſuper alios actibus induxerunt, & *potentes potenter tormenta patientur*. Concludet eos dominus in manus inimici, & ſapientiam eorum perdet, nec ſcient vulneri ſuo remediũ aliquod afferre, propter grauiſſima eorum peccata, quæ in Chriſtum & rempub. Chriſtianam commiſſuri ſunt, & quæ commiſere. Tunc ad Turcarum auxilia non ſecrete ſed palam manifeſte confugient, & Otthomannorum Imperatorum familiam, gentem ſecum in ruinam trahent. Verumtamen victis hoſtibus huius velint nolint, tradent manus, & decantus Hieremiæ atq; lamentatio cantabitur: *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.*

Cumque eorum interitum abſque lachrymis prædicere nequeam, cum de me bene meritos non amare non poſſim: Hoc illis tamen prædicere volui, vt non ignorent, quam viam ad eorum ſalutem capere valeant. Si tamen obcœcatũ non fiat cor eorum, ꝙ ſæpe contingit. Quia neſcimus credere cælo materiamq; magnę ſtruimus per vota ruinæ, & à Deo ſæpe ducimur, atq; cũ peruenerimus, peccatorum pœnitentes, futuris ac imminentibus malis remedium aliquod afferre non valemus.

Ad immaniſſimos Turcas iam ſermonem meum conuerto. Quos longum latumque ac magnum imperium, diuitiarum magnitudo, & frequentium gloria victoriarum, tantum attollet animum eorum ac ſpem, vt eis non putent ipſum poſſe reſiſtere cœlum, atque idcirco ad totius Orbis Imperium aſpirabunt. Aſſyrios, Ægyptios magnis prælis fractos ſuperabunt. Armenios, Parthos & Perſas continuis præliis infeſtabunt.

Cum his variam ſortientur fortunam, nunc eos ſuperabunt, nunc ab illis ſuperabuntur, pluries victores atque ſuperiores euadent, & quandoque ſuccumbent magna ſtrage ſuorum. In Chriſtianos arma mouebunt, Venetis multa inferent damna, poſt amici eorum facti, Belgradum in ditionem ſuam recipient, ſuperabunt Pannoniam, Vngariamque multis cladibus afficient, tandem in eam intrantes, aut regem eorum bello laceſſentes, ſimul & imperium Romanum, Germanoſque bellis duriſſimis tentantes, eorum Imperator in ipſorum manus cadet. Annos tunc Chriſti M. D. XXXIV. vel M. D. XXXV. ſed prius Apuliam intrabit, & Siciliam, & Galliæ Hiſpaniæque littora claſſe ſua, nec non & Italiam moleſtabit & affliget, terrorem magnum Chriſtianis incutiet. Sed Chriſtus tandem ſuorum ſtragem diutius non feret, Furorem Germanorum, Vngarorumque militiam, & Hiſpanorum atque Italorum ingenia contra eum adducet. Et tandem ſuperatus interficietur, in quo prælio, ac negotio Regis Vngarorum laus erit prima. Nam vt aſtra prædicunt dicti regis auſpiciis ingenio induſtriaque ac ductu perficientur omnia.

Hæc de morte immaniſſimi Imperatoris Otthomannorum, & victoria contra eum per Chriſtianos habenda prædixi. Othomanna namque domus in XIII. vel XV. capita deficiet, neq; illum excedet numerum, neq; anno ſalutis. M. D. XXXVI. tranſibit. Tunc omni horrendo concidet caſu. Ex hac Turcarum Imper. morte tanta orietur inter Otthomannos diſcordia, quod ab inuicem & ab externis interficientur & deſtruentur, & tota Græcia inermis & in externis bellis feruefcentibus in ea affligetabitur, peſteque ac fame laborans ſæuiſſima, vltra modum excruciabitur, nec ſibi paulũ reſpirandi præſtabitur tẽpus aut locus, donec pene tota corruerit. Tunc Chriſtiani omnes vno animo, vnoque impetu alacres mare tranſibunt, & tanta velocitate ac tot & tantis copiis, vt quaſi totã terram Chriſtianorum in orientem non ire, ſed potius volare credendum ſit. Sed prius Veneti & ipſi malis omnibus afflicti ſuccumbent, quam hæc fiant. Tunc videbis Turcas ad Chriſti fidem conuolare. Tunc Chriſtiani, qui Chriſtum abnegauerunt, ad eius ſuaue iugum læti reuertentur, & gemina imperia ſub vno Imperatore conuolabunt, & ab vno regentur.

Aphrica quoque ſanguinolentis bellis deuaſtabitur, peſteq; ſæuiſſima laborans, & multis afflicta calamitatibus, & ipſa Hiſpano regi victas manus dare cogetur. Ad hoc accedit ſtultiſſimi Pœnorum regis ſtultiſſima proles diſcordiis agitatura, & de Numidia, Aphricæque contendens Imperio, dum quiſq; ſummam Aphricę conabitur habere, atque regere, viribus nititur, regnum diſſipans amittet, & ad tantam prorumpet inſaniam, vt malit externo ſubiici regi quam præfati & paternum regnum ad Hiſpanos peruenire potius quã apud ſuos permanere. Hæc odia proxima ad annos Chriſti 1536. & 1537. inter fratres oriri incipient, & aliquandiu diſſimulata erunt, in principio parum contendent ad inuicem, poſt in apertas inimicitias deuenientes ad inſaniam & extremam anguſtiã ducentur, & furore ad inuicem agitati, vel relinquent ſtatum, quod ad perniciem fraternam facere arbitrabantur, ſicque dum externa ad auxilia confugient, & à ſuis & ab alienis vi cõpulſi cadent. Et in manus Chriſtianorum Aphricæ perueniet Regnum, nec deſinent Hiſpani ad vlteriora procedere,

donec

donec omnia meridiana ad extremam Indiam vſque ſibi ſubiiciant: ſed gloriam ſuam auaritia luxuriaque aliquantulum denigrabunt, prædaque ingentiſſima ab omni parte genteque domum adducta, ſupra quam credi poteſt ditabuntur. Sicque Domini noſtri Ieſu Chriſti vexillum ad Orientales partes cum gloria portabitur. Et Machumethana ſecta ceſſabit, & paſſim Machumethani & Indi, ad Chriſti baptiſmum conuolabunt, cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Hæc dixiſſe ſcripſiſſeque voluerim, Sereniſſime Rex, & tibi direxiſſe, vt nonnullam ex hoc caperes voluptatem, & in eo tanquam in ſpeculo futura proſpiciens, etiam quæ ventura erunt poſt te prænoſcas, vt beneficiorum a te receptorum non immemor, dictum vaticinium gratiarum loco referendarum Maieſtati Tuæ mitterem. Qui obſecro non donum, ſed mittentis cor aſpiciens benigne accipias, & Torquati tui ſemper in bonum ſis memor.

III.

Anno Chriſti 1510.

IN ASOPHVM PSEVDOPROPHETEN DE INTERITV IMPERII GERMANICI VATICINANTEM, HENRICI BEBELII CARMEN.

DESINE falſidica vulgum ſeducere lingua,
O Aſophe, occultum non tibi Dij reſerant.
Allatras populum gaudens miranda profari,
Vt ſis conſpicuus famigerumque decus.
Et niſi mentita eſt ſcriptura Theologa cuncta,
Iudicium extremum dicis adeſſe breui.
Declamas publice mendax & Pſeudoprophetes,
Vt ſis de cœlo præcipitatus heri.
Imperium ſenas intra Germania fortis
Perdet olympiadas, fronte ſeuerus ais.
Quod ſi non intra hoc tempus deperdet, habebit
Mille annos, vltra vel tuere ipſe nego.
Vnde ſuperſtitio hæc, aut Spiritus iſte profanus,
O Aſophe, inflatur, Dæmonicuſque furor?
Namque ſuis Chriſtus, momenta & tempora ſcire
Non, ait, eſt veſtrum, ſcire nec vllus habet.
Conſiliumque Dei nec perſcrutabile cuiquam eſt,
Vt bene ſcripturæ te docuiſſe ſolent.
Iamque diu ſancti mundo ceſſere Prophetæ,
Queis cum Dij ſoleant myſtica verba loqui.
Nunc niſi merdoſi naſcuntur in orbe Prophetæ,
His Pluto inſpirat præſtigioſa, σοφαι.
De IMPERIO dicam; meritis virtuteque pactum eſt,
Conſenſuque pari Catholicique gregis.
Et quod relligio peperit, quod denique virtus,
Hoc durare quidem poſſe perenne reor.
Aſſyrios, Medos, Perſas, vel regna Philippi
Allegas fruſtra, cum Cecrope Æneadas.
Quos non relligio traxit, ſed vana libido
Regnandi, & ſortis luxuriantis opes.
Interitum quod ſi nobis fortuna minari
Poſſit, & ignaui ſeditione duces:
Hoc tamen incertum eſt cunctis mortalibus vnquam
Immineat, vel quo poſſit adeſſe die.
Vade cacatum igitur, falſe & merdoſe Propheta,
Elleboro & merdis ablue ſæpe caput.
Inſuper immemorem non eſſe decere memento
Mendacem, verbis verba quadrare decet.
Stare diu Imperium iam narras poſſe apud ipſos
Teutonicoſque viros, Teutonicamque domum:
Affore qui pridem ſupremi iudicis horam
Dixti. Dic poſſunt quæ ædificare fidem.

IV. IN-

IV.

INVECTIVA MAGISTRI IOHANNIS VIRDVNGI DE HASFVRT MATHEMATICI AD ILLVSTRISSIMVM POTENTEMQVE PRINCIPEM ET DOminum, Dominum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, Bauariæ Ducem, Sacrique Romani Imperii Archidapifferum, Principemque Electorem, Contra ſomniatum Prognoſticon, quod delirus ipſe Lucas Magni Regis Perſarum Philoſophus & Medicus ſuper Anno milleſimo quingenteſimo duodecimo edidit.

Anno Domini 1512.

ILLVSTRISSIMI DOMINI, DOMINI LVDOVICI Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Sacroſancti Romani Imperii Archidapifferi, Principiſque Electoris Mathematico inſigni Magiſtro Ioanni Virdungo Hasfurdenſi peritiſſimo,

Petrus Wernherus Temarenſis S. P. D.

CVNCTVS terrifica populus prognoſtica legit,
Quæ Treuerim miſit Perſeus ille Lucas
Ille Lucas quis ſit, nobis (vtinam ſit inanis
Vates) diluuium qui ſupereſſe canit
Illius oblitus, certo qui fœdere pactus
Vt ſic non pereat omnis in orbe caro
Fœderis En ſignum (ne nos dubitemus in illo)
Apparere irim Conditor ipſe dedit
Hoc contra ne audent ſolem dum libra tenebit.
Si quæ conuenient lumina magna poli?
Vt canit hic vates, qui cauſam gurgitis huius
Fatidica vndiſoni ſidera noſſe putat.
Tu ſi pondus habent veri hæc prognoſtica, Noſtræ
O Specimen patriæ, diſcute, pande, refer.
Tu quoque præſagas inhiando conſule ſphæras
Atque magis læta fata futura cane
Necchatus & Rhenus, Cancroſique accola Werthæ
Et qua tu rutilas, hoc tua fama petit.
Neu tacitus tranſi, vanum diſplode timorem,
Si vanum incutiunt terrifica illa noua.
Crede Palatino Rheni domino Ludouico
Quod facies, gratum, dulceque fiet opus.
Sicque tuum vaſto clareſcens nomen in orbe
Nubila tranſcendet, aſtraque celſa petet.
Bene Vale. Raptim ex noua ciuitate Rhenana XXIII.
die Iunij 1512.

ILLVSTRISSIMO POTENTIQVE PRINCIPI ET DOMINO, DOMIno Ludouico Comiti Palatino Rheni, Bauariæ Duci & Sacri Romani Imperij Archidapiffero, Principique Electori, ſuo domino gratioſo, Magiſter Ioannes Virdungi Hasfurdenſis Mathematicus ſeſe plurimum commendatum facit.

¶ MAgnifice ac Illuſtriſſime Princeps, ſcias prognoſticon, quod ad me è Treueris vrbe Heidelbergam verſus miſiſti, compilatum per quendam bonum virum Lucam Magni regis Perſarũ Philoſophum & Medicum, omnino nugis & fictitiis plenum, nec in Aſtronomica diſciplina fundatum, ſed potius Melancolico & veſano quodam furore, in detrimentum omnium Philoſophorum tum præcipue aſtronomiæ, necnon & in omnium hominum terrorem exaratum. Errauit enim hic quidẽ bonus vir in aſtronomiæ principiis, ſuper quibus ſua ſtabiliuit dicta, vti in ſequentibus abũde oſtendam. modo ſi in principiis errauit, neceſſario ipſum in effectibus erraſſe pręſupponitur. opinor tamẽ ipſum hæc inerti & ſtolido ſuo ingenio finxiſſe excogitaſſeq; vt aliquid noui, inauditum ridiculoſumq; in Magnum Inuictiſſimum Potentiſſimumq; dominum noſtrum gratioſiſſimum Cæſarem

ſem Maximilianum,& in totam congregationem Principum Electorum Romani Imperii,aliorumque Dominorum & nobilium vna cum inuictiſſimo Cæſare iam Treueris vitam degentibus ſeminaret, quo ipſi poſt multos feſſos labores eorum oblectarent animum. Et vt tua Illuſtris Magnificentia huius deliri hominis nugas & fictitia intelligat, articulatim ſingula ſua dicta telis aſtronomicis & antiquorum Philoſophorum ſententiis impugnem.

Lucas. *Articulus primus, quo dicit, quod anno Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo in Septembri, ſole exiſtente in Libra, conuenient omnes Planetæ inſimul cum Sole in cauda draconis in ſignum mirabile.*

Eſt res ficta & contra omnia aſtronomiæ principia. In venere enim aſtrorum periti ex veris & certis tabularum Calculationibus erratica ſidera in Septembri non in vno ſigno (ſicut voluit iners ipſe Lucas) ſed in diuerſis. Et Saturnum quinta die derelinquere Libram ingrediq; ſcorpionem, Iouem exire arietem & poſſidere piſces, Martis quoq; aſtrum Capricornum luſtrare, Venerem autem 20. die dimittere virginem & adhærere libræ, Mercurium quoq; vndecima menſis ſeparatum à virgine libram intrantem volunt, & demum ſolem ſimiliter virginem obmittere & tredecima menſis libram illuminare. Caput inſuper draconis libram & Caudam arietis poſſidere ſignum, vti quiuis in aſtronomia edoctus in ſeptẽbri cernere poteſt. Nunc ſi cauda draconis in ariete reperitur, & omnes planetæ in eo conuenire debeant inſimul (vti finxit ipſe bonus iners Lucas) oportet vt omnes Planetæ etiam in ſigno arietis comperiantur. Conuentio enim ſeu coniunctio planetarum non fit, niſi planetæ reperiantur in vno ſigno & in vno gradu. Conſtat aũt ex præhabitis planetas volui in ſignis diuerſis, cum vnus luſtrat ſcorpionem, alter capricornum, tertius piſces. &c. Nũc cum ſic aſtra diuerſis voluantur ſignis, vti omnes aſtronomi profitentur, concluditur erroneum & fictum eſſe articulum primum, qui dicit anno 1512. omnes planetas in menſe ſeptembri in ſimul conuenire in cauda draconis.

Lucas. *Articulus ſecundus, Quo aſſerit fieri Eclipſim Solis & Lunæ à tertia vſque ad vndecimam ante meridiem ignei ſiue rubicundi coloris.*

¶ Oſtendit inertiam aſt mentis cæcitatem huius proterui viri Lucæ nedum in hoc, quod eclipſim ſolis & lunæ aſſerit futuram, verum etiam quod ipſam à tertia hora vſq; ad 11. duraturam dicit. Nam conſtat omnibus aſtronomiæ amatoribus nullum hoc anno fieri ſolis & lunæ Eclipſim, quod & vulgum experientia credulum faciet, nec ipſam ad tot horas duraturã. Naturaliter enim & aſtronomice loquendo inter centum eclipſes vix vna comperietur vltra quatuor horas durans quod noſcunt qui ſciunt quid ſit minuta, caſus, Dimidia mora, diuerſitas Lunæ in longitudine & latitudine, ſimiliter & ſolis, & quid dimidia duratio, quod Mathematice & demonſtratiue docuit Ptolomæus *6. lib. Almageſti.* Conſpiciamus etiam ſingularum coniunctionum argumenta latitudinis lunæ inuenientur omnia extra Eclipſium metas, tum pręcipue ſolis, quod iuxta Philoſophos aſtronomię nullam Eclipſim ſolis ſaltim naturaliter loquendo futuram indicat, orientales tum & qui circa orientẽ morantur in oppoſitione ſeptembris à ſecunda fere hora vſq; ad quintam poſt meridiem lunam eclipſatam conſpicient, quæ nobis occidentalibus hoc tempore ſub terra ocultabitur, neq; apparebit. propter quod ego iſto anno de hac lunæ eclipſi meis in ſcriptis nullam mentionem feci. Luna enim ſub terra eclipſata paucæ aut nullius actiuitatis erit. Nunc ſi nulla eclipſis ſolis erit, nec omniũ Planetarum in Cauda draconis cõuentio, friuole aſt in docte & furioſo animo delirus ipſe Lucas tot horrenda ſtupendaq; mala de ventis aſt aquarũ inundationib. & diluuio & terræmotib. promulgauit. Omnis enim effectus arguitur à ſua cauſa, & ſi cauſæ, ex quibus bonus iſte Vir ſuos arguit effectus, in rerum natura non ſint, ſicuti probatum eſt, neceſſe eſt & impoſſibile effectus illarum cauſarum fieri, quos inſipidus ipſe Lucas futuros exiſtimet.

Lucas. *Articulus tertius, Quo dicit, fietque diluuium per Saturnum.*

¶ Non ſolum aſtronomiæ dictis, verum quidem & Chriſtianæ fidei repugnat, quæ firmiter credit nunquam amplius vniuerſale diluuium futurum. Scribitur enim in Geneſi: *arcum meum* (iridem intellige) *ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & terram, cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiſcum, quod non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem.* Et hoc aſtronomi tali roborant medio. Coniunctiones Planetarum effectus ſuos in locis ſubiectis ſigno coniunctionis, vt in plurimum manifeſtant. vnum autem ſignũ toti orbi dominari non poteſt, nec totus orbis vni ſubiicitur ſigno, ſed duodecim. Ergo impoſſibile eſt fieri tantam inundationem aquarum, vt vniuerſum irrigaret orbem. Et ſi ex Conuentione omnium Planetarum in cauda draconis ſequeretur diluuium, & horridi Ventorum flatus quemadmodum veſanus Lucas finxit, hoc contingeret vt in plurimum in terra Turcorum Affrica, Armenia, Græcia, & in nonnullis locis quinti climatis libræ ſubiectis, cuius circa finem nonnulli Romam ſituatam dicunt, & non in omni tractu terrarum, cum, vt dictum eſt, libra non omnia loca terrarum reſpiciat. Item ſi debeat fieri diluuium, oportet quod maior pars Planetarum, præcipue ſuperiorum, ſit in ſignis aquaticis, quorum potiſſima ſunt Cancer, Scorpio, piſces in angulo terræ coniuncti. Sol etiam, Saturnus, Iupiter & cauda draconis, ſi fuerint in aliquo ſignorum aquaticorum, timendum erit illa in parte ſigni de pluuiis multis cum torrentibus corrumpentibus ciuitates. Saturnus etiam, cũ fuerint radij eius in ſignis primarum coniunctionum & aſcendentibus earum adducent aquas ſimiles diluuio. Et quando ipſe & Iupiter, Sol, Venus & Cauda draconis in ſigno humido fuerint, faciunt aquas, quæ ciuitates deſtruunt, in quorum teſtimonium aſſumo

Albu-

Albumaſſarem, Alkindum, Meſſahalle, Leopoldum, Guidonemq; Bonati, alioſq; aſtrologiæ Profeſſores, qui & æquo animo nullum illorum fieri hoc anno proteſtantium, & per conſequens nullum diluuium menſis ſeptembris. Ego tamen cum multis aliis haud negabo, quin aliquorum aſtrorum influxus in principio autumni maximam aliquibus in locis adducant pluuiam, ſine tamen notabili nocumento, vt in *Prognoſtico* meo, quod edidi anno Milleſimo Quingenteſimo duodecimo, *capitulo ſexto*, aliquantulum tetigi.

ARTICVLVS QVARTVS.

Lucas. *Quo dicit: Erit ventorum tanta conflatio quod conflabunt omnes in ſimul, & obſcurabunt totum aerem, ſonoſq; dabunt horribiles, corpora hominũ diſſipantes & ædificia ſubuertentes.* Poſtea ſuperadit in ſine: *prouideatis vobis vbi habitabitis dum venti dominabuntur & flabunt menſe quo ſupra, quia vix inuenietis habitationes ſecuras, parate igitur cauernulas montium, & ſumatis vobiſcum inſtrumenta ſeu neceſſaria pro triginta diebus, ex quibus viuetis.*

Partim eſt tollerandus, partim damnandus. Tollerandus quidem in hoc, quod poſſibile eſt, quod multis in locis ſigno libræ ſubiectis, ſicut Turcia, Affrica &c. de quibus *articulo tertio* mentionem feci exorientur venti, qui dabunt ſonos horribiles ædificia deſtruentes, quod & noſtris in terris ſępius factum fuit, & hanc intentionem ego aliqualiter *in Prognoſtico meo, Capitulo Sexto* his Verbis tetigi. *autumnus initium ſumens tredecima die Septembris poſt meridiem hora Quarta mite. Sed ob multorum aſtrorum influxum multos dies humidos conſumet, haut tamen exceſſiue, alicubi vero maximus ſtridor ventorum & horridus in nubibus audietur.* Sed eſt damnandus in hoc, quod dicit, omnes ventos conflare in ſimul, oportet omnes Planetas in vno ſigno conuenire, ipſi enim ſeparatim & in diuerſis partibus Cœli diſiunctos exagitant Ventos. nam Saturnus Septentrionales, Iupiter Meridionales, Mars cum ſole Orientales, Venus vero & Luna Occidentales. Mercurius demum ventos Centrales terræ mouent. ſi modo hii venti in vnum conflare debeant, oportet quod omnes Planetæ ſint coniuncti in vna parte Cœli, quod hoc anno in ſeptembri non continget. ergo imprudenter aſſerit ipſe Lucas omnes ventos in vnum conflare. Sed quod dicit, tantum ſtridorem fieri ventorum, quod homines vix ſecuras inuenire poſſent habitationes. Contradicet præceptis Aſtronomiæ, tenent enim omnes Philoſophi Aſtronomiæ, quod ſi debeant fieri venti, qui eradicant Arbores, & ſubuertunt ædificia, & homines diſſipant, oportet quod fiant per coniunctionem plurimorum Planetarum in ſignis aeris, ſicuti ſunt Gemini, Libra, Aquarius: Aut quod ad minus ponderoſi repetantur coniunctioni in his ſignis: aut quod Sol, Mercurius ſunt iuncti in reuolutione anni: Aut quod tres ſuperiores ad minus, aut aliqui inferiores cum eis vnientur in Geminis. Nam ventus, qui interficit homines in regione Addramich fuit propter conſtellationem erraticorum ſiderum in Geminis. Nullum autem iſtorum hoc anno apparebit, ergo nullo modo erit timendus tantus horrendus & ſtupendus ventorum flatus, ſicuti furioſus ipſe Lucas ſomniauit. Poſſibile tamen eſt, vt fient tempore autumni venti ſatis horridi in nubibus multisque in locis cum tollerabili damno, vti prætactum eſt.

ARTICVLVS QVINTVS.

Lucas. Quo dicit fieri terræmotum vniuerſalem, cum dicit: *Præterea erunt pericula multa, & occiſiones in diuerſis partibus terræq; motus vniuerſalis, &c.*

Oſtendit fatuum huius deliri hominis ingenium ab omni Philoſophia ſeparatum, dicunt enim Philoſophi, quod nunquam erit Terræmotus vniuerſalis, Nam cauſa terræmotus eſt Ventus ſubterraneus impulſus ad vnum locum & expulſus à loco alio, & idoneo non poteſt terra vbique tremere ſimul. Sed tantum in loco tam ſtricto, in quo ventus poſſet reflecti ſuper ſe ipſum & compulſus locum mouere. Dicit etiam Albertus *tertio meteororum*, quod quædam regiones vix vel nunquam terræmotum patiantur, quædam autem frequenter. Dicit enim Pindarus, *vix vel ſemel ipſam tremuiſſe, & quando tremuit, parum quaſſata fuit.* Rarius etiam dicit fieri Terræmotum apud nos in ſeptimo Climate quam verſus meridiem. Etiam in locis montoſis frequentius fieri magnum terræmotum, quam in plano. Et in locis planis frequentius fieri Terræmotum paruum, quam in locis montoſis. Nunc ſi terræmotus fortior fit & maior in montibus, quam in plano, male & indocte ille bonus vir Lucas nos iubet parare Cauernulas montium, & ſumere neceſſaria pro triginta diebus. Dicit etiam Ariſtoteles, quod in ſyluis multum remotis à terra circundatis pelago magno & lato minus fiunt terræmotus, quam in aliis magis propinquis terræ, quorum omnium rationes hic amore breuitatis obmiſſas dabo ad diſcutiendum ipſis philoſophis. Sed quod dicit in Septembri fieri terræmotum, Contradicit Philoſophiæ naturali, quæ dicit terræmotum plus fieri in tempore ſicco, quam humido, September autem iuxta eius fatuitatem abundabit humiditatibus propter vniuerſale diluuium, quod autem terræmotus plus fiat in tempore ſicco, quam humido eſt Ariſtoteles *ſecundo meteororum*, vbi dicit, terræmotum contingere ex aliquo accidente magnam multitudinem exſalationis Calidæ & ſiccæ propelli interius ad ipſam terram, quæ propulſa petens poſtea abſcendere à loco, quæ eſt ſub terra, ſupra terram, & non potens, mouit & agitat terram, & fit terræmotus, hæc de terræmotu philoſophice ſufficiant, pro nunc Aſtronomice autem hunc articulum his deſtruo mediis. Si debet aliquo anno fieri terræmotus, oportet quod maior pars Planetarum

ſit iuncta in ſigno terreo in tauro, virgine, capricorno & maxime Superiores; aut quando iunguntur duæ infortunæ in ſigno Terreo, & fuerint impediti, & Luna cum ipſis: aut quando Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Luna & Venus iunguntur in Cancro, Etiam Saturnus in reuolutione anni in triplicitate terrea in angulo terræ recipiens diſpoſitionem domini aſcendentis, ſignificat multos homines morituros cauſa terræmotus, item Saturnus, Iupiter & Mars iuncti in gradu puteali, vel Saturnus & Iupiter tantum, vel Iupiter & Mars tantum, aut Saturnus & Mars tantum in hoc gradu inuenti, erit terræmotus. Neutrum autem iſtorum hoc anno continget, ergo apud nos nullus terræmotus timendus, ſed ſi fiet, erit in regionibus ſubiectis ſigno Libræ, vti ſomniator iſte Lucas ſuo *in Prognoſtico* finxit.

ARTICVLVS SEXTVS.

Lucas. Quo dicit: *Orientur dubitationes inter Saracenos, & relinquent patriam, & vnientur Criſtianis, & efficientur Chriſtiani in redemptionem animarum ſuarum.*

Magni facit ſtultitiam & inertiam in quadruuialibus huius nugatoris Lucæ. Aſtronomi enim periti, qui nouerunt Coniunctionem Saturni, Iouis & Veneris in Scorpione, ſectam Sarracenorum præfiguraſſe, dicunt maiorem partem ſiderum hoc anno plus agere pro confirmatione & roboratione huius ſectæ, quam eius deſtructione & interitu. quod his mediis probant. Ambæ profectiones aſcendentis puto anni tempore coniunctionis Sarracenorum, & ſigni in quo facta fuit coniunctio, cadunt anno præſenti in domum martis in ſignumque ſuæ exaltationis, quod indicat Sarracenorum ſtatum firmum, fortem, exaltatum, & ſeipſos plus Turcis, Tartaris & Scitis, quorum Mars ſignificator eſt cum ſigno Scorpionis, quam nobis Chriſtianis vnire & coniungere. Mercurius item principalis ſignificator Chriſtianorum hora reuolutionis inimico vultu Capricornum intuens, potius controuerſiam inter Sarracenos & Chriſtianos, quam vnionem & Concordiam notat. Venus quoque, vti Hermes inquit & Albumaſar, principalis Sarracenorum ſignificator in ſexili Iouis aſpectu reuolutionis hora aſt in ſuis oppoſitis radiis in Septembris reuolutione plus etiam Saracenos à Chriſtianis ſeparabit, quam coniunget & vniet. Quod demum confirmat profectio ſigni aſcendentis Natiuitatis Chriſti Cadens in inimicos radios ſigni profectionis coniunctionis Saracenorum. His præſcitis concluditur bonum iſtum blateratorem Lucam melancolico furore & veſana mente, nulla firma ratione motum dixiſſe, Saracenos relinquere patriam, & vnire ſe Chriſtianis.

ARTICVLVS SEPTIMVS ET VLTIMVS.

Lucas. *Quo dicit eclipſim ſignificare mirabilia magna qua hominibus & videre & audire ſufficit, & fieri mortalitates Gentium, diuiſiones regnorum, & quod poſt flatum ipſorum Ventorum & diluuium pauci Homines remanebunt, & viuentes habebunt maximorum diuitias.*

Eſt correlarium præcedentium. Nam ſi fieret conuentio omnium Planetarum in ſimul in vno ſigno, Eclipſiſque Solis & Lunæ, Terręmotus vniuerſalis, diluuium, venti in vnum conflantes, ſicuti furioſe ipſe bonus vir Lucas ſuſpicabatur & finxit, oporteret neceſſario illa fieri, quæ hic *articulo ſeptimo* ponuntur, Sed iam probatum eſt, nullam fieri planetarum vnionem in cauda draconis, nec eclipſim ſolis & lunæ, nec Ventos tam horridos, neque terræmotum & diluuium. Ergo nec & ea quæ Septimus articulus includit fieri poſſibile erit, cum omnis effectus à ſua dependet cauſa: qua ignorata neceſſe eſt ignorari effectum illius cauſæ.

CONCLVSIO.

Habes itaque Illuſtriſſime aſt magnifice Princeps, ſecundum quod tua Illuſtris clementia à me affectauit breuia, quæ mea pro virili ex Aſtronomicis diſciplinis in confutationem nugarum & fictitiarum huius blateratoris & inertis hominis Lucæ Magui Regis Perſarum philoſophi & Medici, collegi, non vt publice proteſtor animo iniuriandi, ſed pro omnium aſtronomiæ philoſophorum defenſione, in quorum detrimentum & nephas, nec non & in vulgi totius communis terrorem hæc magiſtralia deliramenta edidit. propter quod dignus eſſet condigna remuneratione: cum omnis mercenarius dignus ſit ſua mercede. Quare rogo atque hortor ex parte omnium Philoſophorum Aſtronomiæ, Inuictiſſimum Potentiſſimumque Cæſarem Maximilianum, tutorem & defenſorem omnium bonarum artium & diſciplinarum, omnes quoque Principes Electores Imperij aloſque Dominos iam Treueri præfato Cæſari adhærentes (in quorum ſubſannationem, ſi fas eſt dicere, potius quam vtilitatē hæc deliramenta excogitata ſunt) vt hunc bonum virum Lucam laudabili munere remunerare dignentur, tum maxime eo quod Glorioſi Magiſtri diſciplinarum, quos vulgus * Lectores appellat, dictauerint. Nephas enim eſt hos, qui tot ſtupendas & horridas nugas in terorrem hominū ex fictis cauſis propalant, pati ſuper terram. Quare eiiciantur è Regno, & virgis cædantur in aliorum terrorem, ne tam facile in nugas & fictitia prorumpant publicanda in vulgum. Vale Illuſtriſſime Princeps, & has meas lucubrationes, quas ego ſuper nugas huius boni viri Lucæ ex Aſtronomorum principiis ob tuæ illuſtris magnificentiæ optata exarauerim benigno ſuſcipias animo rogo, & in meliorem (vti aſſoles) interpreteris partem. Heidelbergæ, Anno Domini 1512.

* al. liſtores.

FRAG-

V.

FRAGMENTVM DE MIGRATIONIBVS ET MVTATIONIBVS GENTIVM IN OCCIDENTIS IMperio: Siue Oratio de Gentibus,quæ Imperium Romanum in Occidente lacerarunt,publice recitata Witebergæ à Ioanne Bugenhagio Profeſſore.

Anno Domini 1546.

VNA eſt Conſolatio, & Portus vnus piæ menti ſpectanti dilacerationes triſtiſſimas Imperiorum, & gentium inter ſe confuſiones tetras, firma fide ſtatuere eſſe Deum conditorem rerum & generis humani, qui ſe patefecit miſſo filio Ieſu Chriſto, qui per ac propter hunc filium ex genere humano, quanquam oppreſſo miſere ruinis imperiorum, diſperſoque tamen eidem excerpit & colligit æternam hæreditatem Euangelij Voce in miniſterio ſonante, celebraturam ipſum poſt his ingentes ærumnas, in æterna lætitia & vita, quæ plena Deo, plena erit luce diuina, qui denique ſeruat, protegit ac tuetur Eccleſiam. Etſi ex numero eorum, qui ſunt vera ac Viua membra Eccleſiæ, ſæpe multi præſtantes viri, & donis ſpiritus ſancti excellentes, crudeliſſime interficiuntur ab immaniſſimis Tyrannis ac ſpurciſſimis & teterrimis beluis, vt ab Herode Iohannes Baptiſta, à Nerone Petrus & Paulus, à Diocletiano Laurentius, ab alijs alij. Hanc veram Eccleſiam cum omni tempore, tum vero maxime, cum mutationes impendent, ac ruinæ imperiorum, quæramus atque ad illam nos vna fide & inuocatione adiungamus, certa diuinarum promiſſionum fiducia ſtatuentes futurum, vt nunquam illa, donec erit genus humanum, intereat, quæcunque caſus imperia perpetiantur, nunquam in ea vox miniſterij conticeſcat. Nec moueamur potentia hoſtium Eccleſiæ, qualis eſt Pontificia aut Mahometica, nec ipſius Eccleſiæ vel imbecillitate vel deformitate: vt propterea aut illos hoſtes filij Dei acceptos Deo, nos abiectos ac deſertos eſſe exiſtimemus, ſicut multi de religionibus ex ſucceſſibus Imperiorum iudicant. Sed diſcernamus Eccleſiam à profanarum & barbararum gentium concurſu atque colluuie, & cauſſas inueſtigemus in fontibus Iſrael, id eſt, in doctrina Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum, cur Eccleſiam in hac vita Deus non potentia politiis ſimili armatam, ſed cruci ac ſeruituti ſubiectam eſſe voluerit: ac precemur aſſiduis & ardentibus votis, vt mitiget calamitates, quas ruentia Imperia adferunt & infligunt Eccleſiæ, nec ſinat effici infinitam vaſtitatem. Conſideremus & in ipſis mutationibus Imperiorum, finem arcanorum iudiciorum Dei & conſiliorum. Nam harum occaſionibus ſæpe latius propagatur Eccleſia & ad ſocietatem agminis ſancti perducuntur externæ gentes efferæ, & indomitæ, quæ paulatim exuta immanitate miteſcentes efficiuntur electa vaſa miſericordiæ, ſicut ab excidio Hieroſolymitano Eccleſia captiuitate Babylonica è Palæſtina traducta in Aſſyriam, multas Imperij Babylonici ac Perſici gentes ad veram Dei agnitionem conuerſas ſuo cætui adiecit: quæ conſeruata memoria ac poſſeſſione promiſſionum & vaticiniorum cœleſtium de futuro Meſſia, vſque ad Chriſti aduentum manſerunt Eccleſiæ membra. Et confirmatis in occidente viribus, Franci poſt longa bella reſtituerunt Eccleſias & Imperium.

De his rebus commonefactus fatalium mutationum, quas orbi terrarum & prodigia plurima, & commouentes ſeſe gentes diuerſæ, & inclinata ad ruinam regna portendunt, cum hoc tempore cogitarem, quo vſitato ſcholæ more aliquid in hac ſolenni & publica feſtiuitate dicendum eſt: exiſtimaui me non facturum rem ingratam auribus veſtris, ſi quædam ex hiſtoriis repeterem de ijs gentibus, à quibus Romanum Imperium in occidente conuulſum atque euerſum, ac viciſſim inſtauratum, legibusque ac iudicijs præclare conſtitutum ac munitum, ſedes fuit deinceps multis annis non tantum ſapientiæ, iuſtitiæ, doctrinæ artium honeſtarum, ac diſciplinæ ſanctioris & ſeuerioris, ſed & religionis veræ, ac pietatis: præſertim cum ab vna pene, aut cognata ſaltem origine prouenerint eæ gentes omnes, quæ ex oriente in occidentem infuſæ noſtram primum patriam & gentem condiderunt, indeque velut colonijs deductis reliquas prouincias Romani Imperij complerunt: vt vna Germania vicinarum gentium quaſi parens cenſeri poſſit. Et virtus eſt & diligentia digna eruditis, quærere gentium ac præſertim maiorum ſuorum ſtirpes: Cum quia στοργὴ inſita animis natura inuitat ad cogitationem de parentibus, tum quia exempla virtutum in maioribus imitationis cauſſa intueri vtile eſt. Etſi enim in dilaceratione imperij Romani à maioribus noſtris magnæ vaſtationes effectæ ſunt: punit enim Deus peccata omnium gentium mutationibus talibus: tamen & in ipſis bellis fortitudo atque induſtria, & confectis bellis ſapientia ac iuſtitia eorum in regnorum conſtitutione ac gubernatione conſpicitur. Non enim, vt hodie Turcæ, deleuerunt leges, iudicia, doctrinas, religionem, ſed in occupatis prouincijs harum rerum ſtudia excitarunt, & magna cura diſciplinam honeſtam texerunt ac retinuerunt.

Non inſtituam diſputationem de cauſis terribilium illarum migrationum quæ omnium pene prouinciarum in Europa colonos vel mutarunt vel confuderunt, viciſſitudine crebertimis nouarum gentium ſucceſſionibus admirabiliter variata: ſed prorſus fatales fuiſſe, atque ad regulam Danielis referendas eſſe ſtatuo, qui inquit: Deum conſtituere & ſtabilire Imperia. Neque opus eſt vt procul quæramus vel abditas atque occultas in prouidentia diuina, vel cœleſtes cauſſas in aſtris proximas aſpiciamus. Cur fiant translationes Imperiorum, docetur dicto Salomonis: βασιλεία ἀπὸ ἔθνους εἰς ἔθνος μετάγεται, διὰ ἀδικίας καὶ ὕβρεις καὶ χρήματα δόλια.

Huc conferatur ſpecies Romani imperij poſt Auguſtum. Quam tetra monſtra ſederunt ad ſumma gubernacula in eo faſtigio, in quo lucere & conſpici debebant virtus ac ſapientia? Quantæ & quam aſſiduæ ſecutæ ſunt ſeditiones, quam multa & atrocia ciuilia bella? Nobilitas deleta eſt partim à tyrannis, partim in ciuilibus bellis. Exercitus ex barbaris gentibus collecti cæteras ampliſſimæ prædæ ſpe, ceu ineſcatas pellexerunt ad prouincias Romanas appetendas, & quaſi fores eis aperuerunt. Diſciplina vetus extincta eſt: Magiſtratuum & militum in prouinciis rapacitas & libidines creuerunt in immenſum. Gottos primum ad inuadendas prouincias Romanas exciuit & impulit ſumma occaſio, ex viribus imperii fractis tot bellis ciuilibus. Francica auxilia in Galliam accerſita ad expellendum Lucium præſidem Honorii, qui rapuerat vxorem Viri nobilis, occupata primum vrbe Treuirorum, reliquam mox Galliam ſubiugarunt. Sed non integras mihi propoſitum eſt hiſtorias recitare. Idcirco præciſis his ad inſtitutam de gentibus commemorationem venio.

Etſi magna fuit negligentia ſcriptorum, qui res Romanas quomodo diſcerptæ ſint, literis monumentiſque commendarunt, ita vt vere ab Antonini Philoſophi ætate hiſtoria cum imperio ex aurea cœperit fieri ferrea, horrida, inculta, rudis: tamen ſi quæ exſtant, peruestigemus & euoluamus accurate, Romanas in Europa vires à tribus præcipue gentibus acciſas & euerſas eſſe reperiemus.

Has gentes origine & linguis diſtinguo. Primam eam pono, quam ὁμογλώττους fuiſſe, & noſtra vſam eſſe lingua, dialecto tamen varia, non obſcuris hiſtoriarum teſtimoniis conſtat. Sub hac comprehendo Dacos, Ietas, Alanos, Vandalos, Sueuos, Burgundos, Herulos, Rugios, Tyrigethas, Gepidas, Saxones, Francos, Longobardos, Boios, Anglo-Saxones. Altera Scythica fuit effuſa è vaſtis ſolitudinibus Orientis, inſtar torrentis aut procellæ: Hunnos eam nominant. Tertia Heneta ſeu Sarmatica prædictis noſtris gentibus inde vſque à vetuſtiſſimis temporibus, quantum colligi ex annotatis hiſtoriarum poteſt, contiguas ſedes ſemper habuit, & earum veſtigus, quocunque illa ſeſe verterunt, promotis domiciliis, aſſidue inhæſit atque inſtitit.

Vandalis & Sueuis exceptis reliquæ ante Antoninorum tempora, vel potius ante diſtractionem ſub Galieno factam, quæ quod reliquum fuit de imperio, domeſticis diſcordiis, & mutua inter ſe dudum laniena prorſus diſcidit atque diuulſit, reliquæ ergo inter Germanicas gentes veteres à nullo ſcriptore memorantur. Sed cum Baſtarnis Vandali & Suevi verſus ortum conſtituuntur poſtremi propemodum ad Boryſthenem vſque ad pontum Euxinum, atque Iſtri oſtia. Burgundos Ptolomæus iam Henetis anumerat: etſi dubium non eſt, diuerſam ab Henetis gentem, ac noſtris communis linguæ ſocietate, & morum atque originis ſimilitudine cognatos fuiſſe.

Proceſſiſſe has gentes paulatim ex Aſia in Europam, tandemque intra Iſtrum & Tanaim flumina, ad pontum & Mæotidem vltra citraque iuga Carpathi montis conſediſſe, Græcæ Romanæque docent hiſtoriæ, & oſtendunt monumenta in Aſia gentium & locorum ὁμωνύμων. Dacorum ſedes fuit ad Carpathi radices intra eos montes, qui hodie Transſyluaniam cingunt, qua hæc ex concluſis vndique, & anguſtis Vallibus, in apertum ac patentem Muldauiæ Wallachiæque planitiem verſus Iſtri ripam Boream ſeſe expandit.

Hi primi Romana irritare arma, & tentare infeſtareque prouincias Decebalo duce præſtante & exercitato fuerunt auſi, cum ſtaret adhuc & floreret robur Imperii. Eoſdem, cum deuicto Decebalo nihil ſe profecturos experirentur, verſus occaſum paulatim iuxta Carpathi iuga ad Sueuicum mare proceſſiſſe, & via vi facta, ſeu pulſis ac ſummotis ſeu oppreſſis Sueuis, qui omnem eam regionem, quæ nunc Ruſſorum, Polonorum, Sileſiorum, Pomeranorum & Marchiæ eſt, pertupiſſe, atque in Germaniam hanc noſtram ad littus Balthicum peruaſiſſe, vbi condiderunt in Cimbrica Cherſoneſo, & gentem potentiſſimam Danicam, & regnum florentiſſimum ac vetuſtiſſimum, Cimbris, Teutonibus, Ambronibus ac Marſis excluſis, non eſt cur dubitemus.

Sueuorum pars è veteri ſede vltra Balthicum mare relecta, Sueuicæ genti originem dedit. Pars ſub Imperio Valeriani & Galieni, peruaſtata Gallia in Hiſpaniam penetrauit, & Gallætiam obtinuit, quam ſeptimus è Sueuica gente rex adminiſtrauit, vſque ad Gotticas irruptiones. Pars intra Meridionales limites Germaniæ, & ad Noricorum, Vindelicorum ac Rhetiorum fines Romana arma exercuit, vſque ad Alemannorum aduentum.

A Dacis proximi Getæ, qui poſtea Gotti ſunt nominati, Romanas prouincias Decio imperante inuaſerunt. Ab Iſtro enim progreſſi acceſſerunt ad Thraciam, & poſtea eundem, quem antea Daci, tractum à Pannonia vſque ad littus Balthicum, & vicinas inſulas, vbi Oſtgottorum & Weſtgottorum reliquiæ ſunt, compleuerunt, Dacis intra Cimbricam Cherſoneſum compulſis. Inde rurſus ſeu ſponte egreſſi, ſeu eiecti, primum Pannoniam & Myſiam occuparunt, regno ibi excitato, Valentis tempore. Deinde pars eorum Italiam occupauit ſub Honorii imperio, quæ tandem pace

facta

facta cum Honorio, & affinitate iuncta, diſceſſit in Galliam, & inde in Hiſpaniam, cuius magna pars interea à Sueuis, Vandalis & Alanis occupata erat, quos è Gallia Conſtantius pepulerat. Hæc regnum in Hiſpania condidit, quod attracti ex Affrica Saraceni contra Rodericum regem, poſt annos circiter quatringentos, deleuerunt. Vocantur autem in hiſtoriis Oſtgotti.

Pars multo maxima remanſit in Pannonia Weſtgottorum nomine. Hi rurſus deinceps Theodoſio imperante Italiam obtinuerunt, ſed eadem rurſus exciderunt ſub Iuſtiniano, victi deletique à Narſe Eunucho, auxilio Longobardorum. Francos ex veteribus colonis Germaniæ, Cimbris, Chamauis, Caycis, Teutonibus, Sicambris, Cheruſcis, coiſſe, & ob depulſum à ceruicibus ſuis iugum alieni imperij, quod nouarum gentium irruptiones intentarunt, glorioſum vindicatæ defenſæque libertatis nomen vſurpaſſe multis coniecturis moueor. Et gentis & nominis in Galieni hiſtoria primum fit mentio, contra quem Poſthumus, qui Galliam rexit, triginta Francorum millia armauit. Nec vetuſtiorem reperio. nam Strabonis locum ſuppoſititium eſſe vereor. Excellentem fuiſſe huius generis virtutem, teſtatur magnitudo rerum geſtarum. Nam & in Gallia regnum conſtituerunt, quo multis ſeculis nullum eſt magis ornatum legibus, doctrinis & iudiciis, & rudera conuulſi imperii inſtaurarunt, & cuſtodes fuerunt totius Europæ præcipuè contra barbaras gentes. Ad Rhenum vero & Mænum flumina primum eos hoc nomine claruiſſe minime obſcurum eſt. Ab Alemannis cur Alanos diſcernam non video. Hos Getarum ſobolem facit Dion. Innotuerunt Germaniæ ſub Valerio probo, & omnem inter Alpes & Moguntiam regionem Rhetiorum nomine abolito tenuerunt, ſuisque paruerunt regibus, quibus cum Franci ſtabilito in Gallia regno longa bella geſſerunt, donec exciſa regum ſtirpe, & domitis ſubditis, regionem redegerunt in formam prouinciæ. Inde efferre ſe cœpit ſum Sueuorum nomen, qui eis adnixu fuerunt, & Alemannos obſcurare cepit, donec in Germania horum pene memoria exoleuit.

Exteræ gentes enim, Gallica præſertim & Italica, nomen Alemannorum conſeruarunt. Pars Alanorum ſociis Sueuis & Vandalis, percurſa ac direpta Gallia, ſedes in Hiſpania fixit. Vandali enim Beticam Honorio imperante occuparunt, regno conſtituto: cuius rei argumentum eſt Vandaluſiæ nomen, in tractu circa Hiſpalim ad Betim fluuium. Suevi Gallætiam, vt dixi, ſubegerunt. Alanorum reliquiæ ſubſtiterunt cis Iberum fluuium in Celtiberorum veterum patria, vnde catalauniæ nomen ſupereſt, quod vel à Gottis & Alanis, vel à Cattis & Alanis, profectum coniicio. Oppreſſerunt has gentes Gotti occidentales. Sed Vandali Hiſpania pulſi, traiecerunt in Africam: ibique Theodoſio imperante, cæſo Bonifacio exercituum Romanorum duce, & Carthagine occupata, regnum excitarunt, quod deinceps Sarraceni deſtruxerunt.

Vandalos à Plinio antiquiſſimis Germaniæ populis accenſeri notum eſt, nec coniecturas improbo quorundam, qui Flandros Vandalorum progeniem faciunt. Burgundi ex confinio gentis Henetæ ab Oriente progreſſi ſecundum littus Balticum, circa Megapolenſem regionem primum deinceps ad Nicium & Rhenum innotuerunt. A Gottis enim profligati, ſedes quæſiuerunt nouas apud Alemannos, ſub Valentiniani principatu. Inde traiecti tranſierunt in Heduos & Veromanduos: & reges eorum aſſiduis bellis cum vicinis Francis contenderunt de finibus, vario euentu, donec redacto ſub Francos imperio Occidentis Burgundica potentia concidit.

Saxones rei nauticæ peritia celebres fuiſſe Sydonij Apollinaris carmen teſtatur:

Iſthic Saxona Cæruleum videmus,
Aſſuetum ante ſalo ſolum timere.

Nomen apud Ptolomæum legitur inter Aſiaticas gentes, inter quas & Sacas Herodotus numerat, quæ appellationes affines inter ſe ſunt. Primus cum his infra Coloniam Agrippinam in Tungris dimicauit Valentinianus. Poſtea & alii tanto quidem cum diſcrimine, vt de Saxonibus Sidonius Apollinaris ſcribat; *Nullus hoſtis hoſte Saxone truculentior, nec robore tantum & audacia, ſed etiam conſilio & arte vincit.* Gottis & Dacis pulſis occuparunt eam regionem quæ Saxoniæ nomen ſibi ab ea gente vendicauit.

Attilam & Hunnos Genſericus Vandalorum rex attraxit in Hiſpaniam contra Gottos: Progreſſum in Galliam ad Toloſam vſque deuicit Aetius Romanus præſes auxilio Gottorum & Francorum. Trucidata ſunt in eo prælio centum & octoginta millia hominum, ſub Marciani Imperio. Oppreſſerat autem Attila Gottos Orientales in Pannonia: ſed eo mortuo Ardaricus rex Gepidarum regnum filiis Attilæ ereptum recuperauit, trucidatis triginta millibus Hunnorum. Hos reuerſi poſt centum annos Iuſtiniani tempore Hunni, ſed aucti ſocietate vicinorum Auarum, rurſus oppreſſerunt.

Gepidas autem Gotticam gentem eſſe, vnde Cepuſij reliqui ſunt, ex Iornande conſtat.

Cæpit hoc tempore irruptionis Attilæ regnum Boiorum in Norico & Rhetia, conditum ea gente, quæ Bohemiam antiquitus incoluit. Non poterant enim eas prouincias Romani amplius defendere. Odoacer Rugianus poſt Zenonis mortem abduxit in Italiam ingentem exercitum ex Rugiis, Gepidis, Herulis, & Turingis collectum, atque in ea graſſatus eſt totos

annos quatuordecim. Turingi ijdem ſunt qui Tyrigethæ : pars harum gentium multo maxima ſeſe verſus occaſum vertit & ſucceſſit Saxonibus. Originis Gotticæ ſunt omnes. Rugij vero & Heruli eam oram maris Baltici obtinuerunt, quæ hodie eſt Pomeranorum. Turingi ſeu Tyrigethæ mediterranea inter Sudetes montes, & iuga Herciniæ. Hos finitimi ad Iſtrum Myſi comitati, in his etiam regionibus prope eos conſederunt, Myſorum gente ex ſeſe propagata. Thuringorum in Germania Regnum potens atque opulentum, tandem abſumpſit potentia Francica. Longobardi ad medim Albis antiquas ſedes habuerunt. Inde terribilibus his gentium migrationibus fugati, acceſſerunt cum familiis ſuis ad eam Pannoniæ oram, quæ Italiæ propior eſt, vnde aduerſus Gottos inuitati ſub Iuſtiniano à Narſe Eunucho, illis domitis Ciſalpinam Galliam occuparunt, regno inchoato peculiari inter Alpes & Apenninum, quod annos ducentos quatuor durauit.

Anglo Saxones Britanniam Auſtralem, eiectis colonis veteribus ad quorum fuerant defenſionem conducti : Picti vero & Scoti, cognatæ cum Saxonibus originis borealem crebris ante incurſionibus fatigatam tandem edomuerunt.

Hæc de noſtris gentibus commemorare viſum fuit, vt inuitarentur Scholaſtici ad legendas integras hiſtorias, & origines harum gentium exactius cognoſcendas. Sunt autem è veſtigio has noſtras gentes inſecuti Sarmatæ & Heneti, qui & in veteri patria ad Tanaim & Iſtrum ijsdem aſſidue incubuerunt. Hæ verſus occaſum omnem à Tanai flumine ad Albim vſque & mare Balticum, regionem noſtris inde ſummotis ſubiugarunt & Soraborum ac Vinedorum diſtinctos populos procrearunt, quibus cum ex parte vna Turingis initio, deinceps victoribus Francis, ex parte altera Saxonibus bella difficilia & longa fuerunt. Mature enim præſidia limitibus contra Sorabas impoſita eſſe legimus.

Verſus meridiem vero per Thraciam, Myſiam & Macedoniam, Bulgaros, quibus Wolga fluuius nomen fecit, Raſcios item ſeu Roſſos, Seruios ſeu Sorabos & Croatas, Dalmatasque diſſeminarunt, miſere lacerata diſcerptaque ea parte imperij Conſtantinopolitani.

Cum autem tantas in genere humano confuſiones intuemur, deploremus ingentes miſerias humanas, & ſimul cogitemus, non tamen vniuerſum genus humanum tantum ad hæc horrenda mala, & ad has mactationes mutuas atque confuſiones naſci, ſed vere filium Dei miſſum eſſe, vt inde excerpat æternam Eccleſiam, cuius efficiamur ciues, & protegi ac ſeruari nos in ea petamus, præſertim in hac poſtrema & delira mundi fatiſcentis ſenecta, quam prædictum eſt maiores ac deteriores religionum & imperiorum confuſiones perpeſſuram eſſe.

Te itaqua æterne, viue, vere, omnipotens, iuſte, miſericors Deus, æterne pater domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, conditor generis humani, & Eccleſiæ tuæ angelicæ & terreſtris, toto pectore oro, vt per & propter æternum filium tuum colligas tibi inter nos ſemen ſanctum, voce doctrinæ tuæ, & ſanctifices nos ſpiritu ſancto tuo, mitiges calamitates publicas, & fac nos organa ſalutaria nobis & multis aliis in genere humano, vt tu honore afficiaris.

DE MI-

V I.

DE MIGRATIONIBVS POPVLORVM SEPTEMTRIONALIVM, POST DEVICTOS A C. Mario Cimbros; Anno Domini 1560.

Item

DE RVINA IMPERII ROMANI LIBER,

Nicolai Machiauelli Florentini: factus ex Italico ſermone Latinus;

Per

HIERONYMVM TVRLERVM I. V. D. Subiecto rerum & verborum INDICE.

GEORGIVS NIGRINVS AD LECTOREM.

Si cupis Imperii caſus, cauſaſque ruinæ
Noſcere, & in Latio prælia mota ſolo:
Hæc lege, Pontificum vireſque doloſque videbis,
Omne per Imperium qui peperere malum.
Hinc Latii procerum res geſtas, ſtemmata bella,
Multaque cum fructu diuite facta leges.
Autorem commendat opus: ſcripta erue Lector,
Plus quam forte putas, vtilitatis habent.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. AVguſto, ſacri Roman. Imper. Electori ac Archimareſcalco, Duci Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, & Burggrauio Magdeburgenſi, domino ſuo clementiſſimo.

ILLVSTRISSIME *Elector, Domine clementiſſime, Omnium temporum hiſtoria teſtantur, Monarchias & imperia ſingulari Dei voluntate conſtitui ac gubernari. Vt autem nullum maius aut potentius fuit Romano illo, ita nullum habuit tã mirabiles mutationes ac* μεταβολὰς *Nam ſi quis ſingula ea conſideret, quæ in iis conſiderare iubent homines ſapientes & politici, originem, progreſſum, partes, formam, & declinationem ſeu interitum: intelliget vtique, cætera Imperia & Monarchias Romana huic admodum diſſimiles fuiſſe. Vt enim nihil dicam de incunabulis eiuſdem, quæ & initium aliud habuerunt, quam priores illæ, omneſque Rerumpubl. formas ac partes, propter Regiam, Conſularem ac Tribunitiam poteſtatem ferendarum legum; vbi tempus aderat, vt Deus filium ſuum mitteret in hunc mundum, qui, quemadmodum initio nos creauit è nihilo, ita ad regenerationem vocaret, & ex filiis tenebrarum filios lucis faceret, regnumque ſacerdotale conſtitueret: an non tunc accidit mira rerum omnium metamorphoſis, longe diſsimilis initiis aliarum monarchiarũ? Cœptum præterea eſt non per vnum aliquem conſuli orbi, neque per optimates, neque per omnes, vt antea conſueuerat fieri, ſed per Pontifices ſimul ac Imperatores; quorum alteri diuinis, alteri humanis rebus præeſſent. Ac initio quidem magis eminuit* Imperatoria, *quam* Pontificalis *dignitas, in hac gubernatione orbis, cum Romæ ſub Imperatoribus vigeret ciuilis ſapientia, quæ tamen partim ſcribentium multitudine, partim hoſtilibus barbarorum incurſibus mirum in modum confundebatur. Poſtea Iuſtiniano Principe Conſtantinopoli potiſſimum imperante, æqualibus ferme auſpiciis regnarunt Pontifices & Imperatores, factumque per eundem Iuſtinianum, vt poſt orbem arctius pacatum leges quoque haberemus ad certum modum ac legitimum ordinem reuocatas. Poſtquam autem ſumma rerum ad Germanos noſtros venit, certa quadam ac prope diuina ratio eligendi Imperatoris inuenta eſt, obtinuitque, vt partim Pontificiis, partim Iuſtinianeis legibus in hunc vſque diem viueremus.*

Sed ſi quis expendat tempora, quæ inciderunt inter tres iſtas mutationes gubernationis huius Monarchiæ, intelliget, ni fallor, CCCCC. ferme annis ſingulas accidiſſe. Sunt enim ab ætate Iulii Cæſaris vel Auguſti, à quo omnes hiſtorici quartam hanc Monarchiam ordiuntur, anni circiter CCCCC. vſque ad Iuſtinianum Imperatorē: ab hoc iterum totidem ferè vſque ad Electorum inſtitutionem in Imperio; & totidem denique vſque ad Patrum noſtrorum memoriam, annum Chriſti 1500. ſumusque iam ingreſſi nouam periodum ad annos 64. quæ quid futurum ſit, ſoli Deo cognitum eſt, quem etiam atque etiam oramus, vt id quod ipſi, non nobis, optimum videtur, benigne ac clementer largiatur. Ita breue hoc annorum curriculū quaſi terminus eſt, & limes eorum, quæ vel conſtituuntur & fiunt, vel mutantur in hac Monarchia Romana, quemadmodum etiam in reliquis Monarchiis & Imperiis poſſumus animaduertere, ſingulis CCCCC. annis illuſtres mutationes factas. Nam Herodotus ſcribit vltra CCCCC. annos Aſſyrios non tenuiſſe primam Monarchiam, ſed in ipſo pene annorum iſtorum momento incidiſſe in ea mutationem, captaque Babylone ad Medos translatum eſſe Imperium. Quid? quod multa regna & Reſpubl. non attigerunt illam periodum, vt Athenienſium, quæ à Cecrope ad Codrum vſque floruit tantum annos 490. Lacedæmoniorum, quæ totidem tot annos, nimirum à Lycurgo vſque ad Alexandri Magni ætatem; & Æneæ poſteritas Albæ imperauit, annos non plus 430. quibus peractis, Roma eſt condita, factumque initium nouæ Monarchiæ & Imperii. Paucula denique regna, Monarchiæ aut Reſpub. terminum huius periodi exceſſerunt, quin inſignis aliqua fieret in iis mutatio; & experientia teſtatur, ſolere plerunque in ipſo articulo illius fatales mutationes accidere.

——Sic omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere pondera gentes,
Concidere has, inquit ille.

Sunt autem duo, quæ exitium pariunt omnibus Imperiis aut Regnis: Propria voluntas, & vis externa; hoc eſt, vt clarius dicam, ruunt illa, cum vel ipſa ſe conficiunt, vel vi externa premuntur. Prius accidit multis modis: veluti cum vulgus res nouas cupit & qui vulgo præſunt, ignauia torpent, nec tam publicæ vtilitati, quam priuatis commodis ſunt addicti. Vnde vel in religione oritur mutatio aliqua, vel in forma adminiſtrationis. Externa vi labefactantur, cum peregrinæ gentes in ea ſe effundunt, nouas ſedes, noua domicilia quærentes: Vt cum Vandali Africam, Gothi Italiam inuaſerunt cumque Romanis à Gallis, Longobardis, & tandem à Germanis ereptum eſt imperium. Peſſime autem fit, ſi vtrunque hoc malum concurrit in regni alicuius mutatione, hoc eſt, ſi ipſum ſe conficit, ſimul & externa vi premitur. Quæ enim poteſt eſſe ſpes diuturnitatis ac potentiæ, vbi ſumma eſt animorum diſtractio, & priuatum commodum præfertur bono publico, vbi veſtigia maiorum relinquuntur, noua placēt, & res veteres non tam delent conſulto, quàm furenter euertuntur? Hoſtis autem & vis externa eo minus queunt reprimi, ſi intus iſta gerantur in Repub. ſique is, qui, vt dicitur, pro focis & aris aduerſus communem hoſtem, cum ciue ſuo in acie pugnare debet, cum eodem ipſe acerrimam foueat ſimultatem, & digladietur fide. Nulla maior aut acerbior inimicitia eſt inter ciues vnius eiuſdemque Reipubl. hac ipſa, quæ ex religione oritur. Nam vt diuinū quiddam eſt religio, nec fuit vlla vnquam gens tam barbara, quam illa non commouerit: ita ſua cuique maxime chara eſt, etiamſi mala ſit, ac mutata nouos & inſolitos motus gignit in animis hominum, amorem mutuum extinguit, & pulcherrimum illud vinculum nexumque ſocietatis humanæ diſſoluit. Sin etiam ciuilia mala accedūt, fieri non poteſt, quin extremum exitium immineat ei, ſiue Respub. ſiue Imperio, quod hiſce morbis & ſymptomatibus eſt infectum: & plerunque ſequitur tertium illud malum, nimirum, vt & ipſum ſe conficiat intus, odio ac opinionum varietate, & foris ab hoſte opprimatur. Nihil opus eſt commemorare exempla veterum, cum vel ſola Græcia illuſtre, at horrendum exemplum nobis ſe præbeat: Quæ cum contentionis eſſet amantior quam pacis, nec tam veritatis ſtudioſa quam opinionum, mutaretque in dies multa, quæ olim ſummo labore & prudentia conſtituta eſſent à maioribus: foris quoque reperit hoſtem, qui eam premeret, fecitque ſua hac contentione ac diſcordia, vt & ipſa tandem funditus periret, & quod omnes nunc dolemus, ſtupenda quadam Dei permiſſione Oriens ab Occidente auelleretur. Sunt igitur illa, quæ iam dixi, cauſæ & media, quibus omnia Imperia concidunt, ſecundum Ethnicos ſcriptores, paucis demptis. quæ caſu aliquo, vel potius diuinitus interierunt, diluuio, conflagratione, aut ſimilibus miſeriis. Sed ſi quis rurſum quærat cauſam harum cauſarum, maxime in Repub. Chriſtiana, nullam aliam inueniet, opinor, quam peccatum. Sæpe etiam ob vnius hominis tantum delicta tota regna perſoluerunt pœnas. Quod Priami regnum deleretur, non erat in cauſa Palladium furto ſublatum ab Vlyſſe, & à Palamede proditū, vt Phrygius ſcribit: ſed ſcelus Paridis erat in cauſa, iniuſte rapientis alterius coniugem, & hoſpitii iura violantis: poſtea accedebant peccata aliorum, tam procerum quam ſubditorum in eodem regno, & animi Græcorum accendebantur ad vindictam, cum Menelaus raptam coniugem ſine armis recipere non poſſet. Oriebatur igitur hac occaſione bellum diuturnum inter Græcos & Troianos, vere, quod aiunt, Ἰλιὰς κακῶν, non Troianis tantum, verum aliis quoque populis, Aſiæ ac Europæ. Hanc cauſſam malorum non nouit Ethnicorum doctrina, nec indicat primam ac præcipuam cauſam mutationis regnorum hominum ſcelera eſſe: ſed arcanum & fatalem naturæ ordinem, materiam variè miſcentem, & omnia paulatim præparantem ad interitum. ſicut Cratippus dicebat Pompeio, conquerenti, quod in cauſa iuſtiore à Deo deſertus eſſet, multas eſſe cauſas, partim phyſicas ac fatales, partim morales, & harum alias propiores, alias remotiores, cur Imperia mutentur.

Certiſſimum autem eſt, mutationes iſtas varia præcedere indicia, veluti horrendas eclipſes ſolis, cometas, terræ motus, omnis generis prodigia, & ſummorum virorum interitum. Quanquam enim pleraque ex his efficiantur certo quodam ſiderum congreſſu, vel alias naturali quadam ratione & commixtione Elementorum, ſub Lunæ globo, vt iſti docent, qui ſecreta naturæ ſcrutantur: Scriptura tamen diuina expreſſe teſtatur, eſſe ea imminentium periculorum notas,

maxime

maximè ſi metas vſitatas excedant, aut inſolito tempore fiant. Cum initio belli Peloponneſiaci tanta eclipſis ſolis conſpiceretur in medio die, vt aues deciderent in terram ex aere, tenebris pulſis, manifeſte deſignabatur Græcia calamitas, Periclis tempore. Sic cum vrbis Hieroſolymitanæ excidium inſtaret, totiuſque Iudaicæ politiæ, poſt Meſsiam interfectum, annos circiter 40. ſcribit Ioſephus, grauis autor, præter eclipſes, cometas, & horrenda meteora, etiam miſerabiles eiulatus canum armorumque ſtrepitum auditum fuiſſe. Plane eodem modo vaſtationē Italiæ denunciarunt multa ac varia prodigia, conſpecta ſunt igneæ acies in aëre inter ſe dimicantes, ſanguis e terra & parietibus ſcaturiens, & alia multa eius generis. Atque vt iterum dicam de Græcia, quod illa indicium ex his aut ſimilibus non vidit, antequam anorum noſtrorum memoria opprimeretur à Turcis. Nec minus ornata erat illa viris ſummis in re militari, ac optimarum artium diſciplinis, qui tamen omnes fere ante auferebantur è viuis, ne calamitatem & interitum patriæ viderent, vel in ipſo interitu interficiebantur: pauci ex his euaſerunt, vt Gaza, Beſſarion, Trapezontius. Ac eſt profecto digna memoria notatio, ſummorum virorum mortem plerunque trahere ſecum magnas Imperiorum ruinas: non ſolum quia ſcriptum eſt, pios præcipi impendentibus malis, verum etiam, vt morte eorundē admoneamur, mirabilis ſapientiæ Dei, qui calamitatibus publicis has ſimileſq; notas ac indicia præmittit, velut προδρόμους quoſdam, quibus mala impendentia præuideamus, vocemur ad meliorem vitæ frugem, nec confidamus noſtris viribus aut prudentia. Obiit ad diem Alexander Magnus, exercitum magnum relinquens Philippo filio, interim regna parta ab eo deficiebant, & vires Imperii relictæ ſtatim debilitabantur. Sin piorum exempla requirimus, notum eſt Stiliconis dictum, poſt mortem Ambroſii ſecuturas magnas calamitates: id quod accidit deinceps. Mortuo enim Ambroſio Gothi inuaſerunt Italiam, & horribiliter eam deuaſtarunt. Sic mortuo Auguſtino, Africa potiebantur Vandali, & plantarunt in ea prouincia horrendam hæreſin.

Iam vero ſi quis conſiderat præſentem rerum ſtatum in Imperio Romano, & Germania noſtra, reperiet profecto in ea mirabilem confuſionem rerum ſimul ac perſonarum. Quotuſquiſque enim eſt, qui officium ſuum recte faciat & exequitur? Non dico de perfectione illa, quam Plato ſomniat in ſua Repub. & quæ in hac corruptæ naturæ imbecillitate eſſe non poteſt, de politicis virtutibus loquor, quæ ciuili quadam ratione ab vno quoque requiruntur, propter vinculum ſocietatis humanæ. Tanta enim eſt nequitia multorum, vel perfidia potius, vt paucos admodum reperias non ſolum Pyladas, Oreſtas, Theſeos, Perithoos, Scipiones aut Lælios, verum eos quoque, à quibus rebus in aduerſis rectum conſilium capere, uſque animi tui cogitationes tuto concedere poſſis. Sunt autem mala hæc maiorum malorum in Rebuſpubl. initia & fontes. Itaque nihil mirum, ſi hoc tempore diſſenſiones oriuntur alibi, alibi manifeſta bella ciuilia. Sed certe nihil eſt pernicioſius Imperiis, quam tali morbo laborare. Nam vires opeſq; ciuium hoc pacto facilius franguntur, & externis populis occaſio præbetur, dilatandi Imperium ſuum, quam ſi ſapiunt, negligere non ſolent. Græciam Mahometes ſubegit, dum Hiſpani de Sicilia & Neapoli certantes totam turbarent Italiam, & Germaniam Huſſitæ. Baiazetes Venetis ademit Methonem, Naupactum ac Dyrrachium, dum Maximilianus ardens bellum gerebat contra Heluetios. Quid autem Selymus? Nonne illa arma in Ægyptū tranſtulit, victiſque duobus Sultanis, Campſone ac Tomembeio totam Ægyptum occupabat eodem tempore, quo Maximilianus bellum internecinum habebat cum Venetis, & Sigiſmundus Rex Poloniæ, Boruſſiam eriperet Imperio. Solymannus Belgradum tunc cepit, quādo Carolus Imperator recuperauit Mediolanum, Franciſco rege Gallorum ad Ticinum capto. Breuiter nihil aliud Turcarum Imperatorem in Hungariam primum omnium pertraxit, quam quod videret incolas illius regni inteſtino odio ac ſimultate inter ſe flagrare, & Carolum Imperatorem bello Gallico implicatum, Ludouico Regi auxilio eſſe non poſſe. Deinde tanta eſt quorundam impudentia & temeritas hoc tempore, vt ſtudioſe negligant officium ſuum, ac præclare ſe facere exiſtiment, ſi quid faciant præter id, quod ipſos decet, ſi magiſtratui ſuo totis viribus ſe opponant, ſi viros ſummos atque optime meritos de Republic. lingua pariter ac calamo proſcindant; ſi virus ſuum veneno ſiſſimum in omnes expuant; ſi ad ſeditionem moueant plebem, eandemque egregie præparent ad barbariem. Sed quoniam ipſi nobis acceſſiuimus hoc malum, dum omnibus hactenus impune licuit ſcribere & loqui quoduis, vel debacchari in quemuis, eo difficilius poterit eradicari. Loquor autem de politicis rebus. Nam quod ad religionem attinet, magna gratia habenda eſt Deo opt. max. qui veræ doctrinæ lucem nobis iam reſtituit, traditionibus humanis antehac mirum in modum obſcuratam. ſed dolendum interea eſt, paſsim reperiri aliquos eruditos quidem, eo tamen animo præditos, vt ſiue animi acerbitate moti, ſiue vanæ gloriæ cauſa ea moueant in dubium, in ſacroſancta fidei noſtræ doctrina, quæ aut damnata olim, aut eius generis ſunt, cuius illa, quæ à I. C. [illegible], à Rhetoribus ἄπορα ſeu inexplicabilia vocantur, ſæpe etiam non neceſſaria aut vtilia: Quod equidem zelo ne religionis, an vero ſpiritu Pythonis ab illis fiat, pii, ac qui contētiones non amant, facile diiudicant. Vna enim veritas eſt, inquit Paulus, vnum baptiſma, vnus Chriſtus, nec in alium finem incipiunt multi dubitare de fide, quam vt nulla tandem vera exiſtat: quod etiam de ſua ætate conqueritur Hilarius. Non lubet recenſere alia vitia & incommoda Reipubl. cum multa videamus indies, at tanta ſit turpitudo morum in quibuſdam, vt Cynicorum more nihil exiſtiment eſſe turpe, & ornatus loco turpitudinem etiam in veſtitu quærant. Scribunt Magos aliquando Perſis prædixiſſe, breui ipſis Macedones imperaturos, quod eo anno, qui proxime præcedebat pugnam commiſſam inter Darium & Alexandrum Magnum, Darius gladium quem geſtare ſolitus erat, Macedonum more ornaſſet: & Auguſtus Imperator conſpiciens quendam è ſuis ciuibus palla indutum, fertur exclamaſſe illud Vergilii:

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Quid diceres, Auguſte, ſi hoc tēpore in Repub. noſtra videres homines nō modo palliatos, aut armis Perſicis, verūetiā Turcicis ornatos, & capite criſtatos, pedib. bracatos alatoſue? Ita nimirū vetera aſpernamur, ſtudemꝰ nouis. ſimultate mutua & diſſeſione ipſi nobis inferimꝰ bellū, ac intus nos priꝰ letaliter vulneramꝰ, q̄ ab hoſte trucidamur foris. Porro paucorū ānorū ſpacio tot horrēdas vidimꝰ eclipſes vtriuſq; luminis cæleſtis, tot cōetas, pdigia, terræ

motus

motus & portenta, vt nihil vnquam iſtorum omnium acciderit vllo tempore apud veteres, cuius non inſignia aliqua exempla fuerint conſpecta, ſitque integer liber conſcriptus de his ac ſimilibus naturæ miraculis, quæ recenter acciderunt. Vidimus etiam multos præclaros Duces, & inter hos Imperatorem D. Carolum V. *ſcientia rei militaris, virtute, autoritate & felicitate præſtantem, optimumque Principem: Vidimus item viros ſummos in omni diſciplinarum genere qui omnes propemodum nobis ſuperſtitibus euocati ſunt ex hac vita ad cæleſte illud animorum concilium, vbi quiete ſumma fruuntur. Nec vlla ætas à Theodoſii temporibus tulit ſimul tot eruditos viros, vt noſtra illa ſub Imperatore Carolo: Vidimus denique multa alia diuerſorum generum partim præclara atque vtilia partim ſtupenda & inuſitata, quæ ſi quis temere facta arbitratur, is mihi videtur non tam extimeſcere caſus humanos, quam cæleſtem iram aſpernari. Sin εἰκότα dixerit eſſe, hoc eſt ſigna non neceſſaria, ſed quæ communiter ſoleant accidere, vereor ne erret: habent enim τεκμήρια certiſſimum coniunctionem, vitæ diſſolutionem, & honeſtatis omnis interitum. Non ſunt igitur inania hæc ſigna aut ludibria fortunæ: ſed aut Diaboli opera in corrupta hominum voluntate, aut naturæ dolentis quodammodo caſum noſtrũ, & diſſolutam viuendi rationem, monſtrantiſque calamitates, quæ ceruicibus noſtris impendent, ac mirabiles rerum mutationes minantur. Fortaſſe etiam eo maiores, quo maior eſt perturbatio & ἀταξία omnibus in rebus, quo ſecurius viuimus ac indies magis magiſque concitamus aduerſum nos iram Dei, & iuſtum eius iudicium; quo artes ſimul ac vitia omnia ſunt in ſummo loco poſita: plerunque enim fit, vt cum res ad ſummum deuenere, in proximo ſit ruina. Cum Theodoſii tempore artes omnes florerent, ac in omni doctrinarum genere eſſent homines excellenter docti, Theologi, Iureconſulti, Poetæ: mortuo illo, ſequebatur barbaries, & profeſſiones pariter ac humaniores diſciplinæ cœperunt negligi. idemque verendum ne accidat noſtra hac tempeſtate. Sed & periodus ſecundum quam oſtendi fieri mutationes in Imperiis, eadem de re nos admonet: cumque ſeculum initio ſtatim attraxerit mutationem magnam in religione, & diſtractionem animorum maximam inter homines: non obſcure indicat, opinor, quid porro nobis exſpectandum ſit, quemadmodum etiam eclipſes & magnorum planetarũ coniunctio. Nunquam enim ſine illuſtri aliquo effectu fuerunt tales eclipſes: & experientia teſtatur ſuperiorum planetarum congreſſus in rebus humanis tanto maiores mutationes decernere, quanto tardior eſt illorum motus. Certo igitur ſtatuamus imminere nobis varia & magna mala, eaque ex vita noſtra metiamur. Vt autem parum prodeſt ægrotis, morbi quo laborant cauſas habere cognitas, niſi quoque medicinam adhibeant, quæ cauſas illas tollant, vel ſaltem impediant aliqua ex parte: ſic non ſatis fuerit nobis noſſe, quidnam minitentur iſta ſiue εἰκότα ſiue τεκμήρια vt illa vocant, niſi etiam ſciamus, qua ratione & modo futura pericula vitare poſſimus, aut certe aduerſus ea nos munire, ne Stoici videamur, & ineuitabilem quandam neceſſitatem in rebus humanis ponere, quam ne Ethnici quidem ſcriptores ſapientes probarunt, vt Plato, Cicero & alii. Et quamuis Plato, vbi de mutationibus Imperiorum tractat, aſſerit eas fieri fato quodam, cum quinarius ſeſquitertius in generatione iunctus duas efficit harmonias; nam vltra has naturam non poſſe progredi, quin gignat deinceps deteriores: non tamen de fato Stoico, aut de neceſſitate quadam abſoluta loquitur, ſed cæleſtem, arcanam & moralem cauſas coniungit in mutationibus Imperiorum, & vult aliquantiſper gigni bonos ac præſtantes gubernatores, quorum virtute Imperia conſeruentur, deinde paulatim gigni alios non ita præſtantes, eorumque negligentia Imperia iterum corruere. At quemadmodum numerorum finis in natura ordinatus eſt, cum planus numerus fit ſolidus; non enim ſequuntur cubici, aut cum harmonia Muſicali ventum eſt ad [illegible] quæ ſit iunctis [illegible] & [illegible] Sic (ait Plato) legibus fatalibus ſubinde oriri noua Imperia, ruentibus prioribus, præſtantioribus ſcilicet, donec rurſus fatali aliqua lege fiat inſtauratio; hoc eſt, affirmat diuina prouidentia ſic ordinatam eſſe rerum ſimul ac hominum naturam, vt ruentibus prioribus Imperiis alia conſtituantur, licet debiliora: quæ ſententia pia eſt, nec à religione noſtra abhorret. At multa certe traduntur paſſim ab eodem Platone præclare & ſapienter, quibus vel perſonæ in Republica iuuari poſſunt, vel res, vel denique iudicia: explicatur etiam, quomodo ratio habenda ſit perſonarum ac rerum, iuxta Arithmeticam aut Geometricam proportionem, ne iniuſtitiæ locus aliquis fiat, cum idem illa efficiat in Republic. quod in corpore humano morbus. Traduntur & alia præcepta ab aliis, perſonis atq; rebus inſeruientia, pro temporũ ac locorum varietate, qualia multa peti poſſunt ex Thucydidis hiſtoria, vt cum [illegible] ſuadet aliquis in Republic. Cretenſium, vel [illegible] Thraſybulus in Athenienſium Republic. & Chryſippus fertur integros libros ſcripſiſſe de Reipubl. ad hominem collatione. Verum vt præclare, quod aiebam, ac ſapienter hæc atque alia dicuntur à viris ſummis, & recte accommodantur communi Reipubl ſaluti, non tamen omnibus eius partibus male affectis mederi poſſunt; quia cauſam ac radicem malorum non tollunt. Eſt autem vera cauſa ſeu αἰτία peccatum, quod in corrupta noſtra natura hæret, quemadmodum antea oſtendi. Hanc cum non agnoſcat Plato aut alii, nec ſciant voluntatem iraſcentis Dei aduerſus peccatum, ignorant etiam quo pacto is placari velit, vt pœnas impendentes mitiget, humana ſapientia nituntur tantum, eaque exiſtimant rem omnem ad meliorem ſtatum reduci poſſe. Doctrina autem cæleſtis exclamat ruinas Imperiorum accerſiri humanis furoribus, non fato aliquo Stoico, aut ineuitabili aliqua neceſſitate, has ait eſſe atrocium ſcelerum pœnas, &, vt Syracides inquit,* transferri Imperia à gente ad gentem, propter iniuſtitiam ac dolos. *Quare audiamus illam doctrinam, nec præferamus ei noſtras cogitationes ac conſilia. Scriptum enim eſt,* auxilium à Domino expectandum in tribulatione: *& Prophetas omnes videmus populos illos, quibus interitum vel alioquin grauem aliquam calamitatem prædixerunt, non tam ad mœnia reficienda, conſtruenda propugnacula, aut humana arte ac conſilio infecta membra Republic. ſananda, hortatos eſſe, quam ad agnitionem peccati, emendationem vitæ, & ad veram Dei veri inuocationem. Quemadmodum igitur totum hoc vniuerſum partim à diuina mente, partim a neceſſitate eſt profectum: ita Reſpublic. & Imperia duo præcipue habent, quibus vel ab initio recte conſtituuntur, vel morbo aliquo infecta ſanantur, vel ruinam*

minitantia adiuuantur: Pietatem ſeu iuſtitiam, ac ea quæ humanis neceſſitatibus inſeruiunt. Sed aliam, vt dixi, pietatem vel iuſtitiam tradit doctrina cœleſtis, aliam Ethnici ſcriptores. Atque vt mentis eſt illa longeque præſtantior, quam altera; ita quoque prior cura illius eſſe debet: ea vero ſalua etiam externa iuſtitia rectè vrgetur à politicis viris, & vtraque coniuncta ſummo ſæpe adiumento fuit laborantibus Imperiis aut regnis. Neque enim Deus piorum preces non exaudit, nec prohibet, quo minus humanis quoque conſiliis vtamur, modo ab eo petamus fœlicem eorum ſucceſſum.

Primum itaque ac optimum remedium eſt laborantibus Rebuſpublicis Imperiis aut regnis, vt agnito malorum omnium fonte, peccato ſcilicet, à Deo petatur auxilium: Iuſtitia mentis reſtituatur tam in gubernatoribus, quam in ſubditis, tollatur idololatria, & ita colatur Deus, quemadmodum ipſe ſe verbo ſuo patefecit, alioqui Si deeſt agnitio æternæ & incomparabilis veritatis, falſa virtus eſt in moribus. Proximum deinde huic, vt hi, quibus ſumma rerum eſt commiſſa, videant, quo conſilio & ordine creator mundi Deus ex mente ſua ac diuinitate, mundum hunc vniuerſum crearit, eodemque exemplo tanquam minores Dii vtantur in ſanandis languidis Reipublic. membris. Ciuilem iuſtitiam reſtituant, & virtutes iuſtitiæ coniunctas, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam. Sed quoniam notitia virtutum mentibus noſtris inſita, vna cum natura noſtra ſunt corrupta, & in incultis ac plebeis hominibus vix excitari queunt; ſatis fuerit, ſi in genere, quod aiunt, reſtituantur actiones harum virtutum in Republica; nam ad perfectam illam & primam rerum naturam reſpicere, atque ad illius præſcriptum leges omnes conformare velle, monſtro ſimile eſt, & vt nunc ſunt homines, obtineri nullo pacto poteſt. Quod ad veteres leges attinet, certum eſt, eas aliquando mutari debere à prudentibus gubernatoribus, pro ratione temporis, locorum ac perſonarum: ſed niſi modeſtia quadam id fiat, res eſt æque periculoſa, ac ſatius eſt interdum errata legulatorum ferre, quam corrigere. quod mutatio legum tantam vtilitatem non adferat ſecum, quantum mali, hominesque paulatim aſſueſaciat non obedire Magiſtratui. Cauendum præterea eſt, ne inquietis ingeniis licentia detur prætextu quodam pietatis ſerendi in vulgus nouas opiniones, & debacchandi in quoslibet. Dici enim non poteſt, quantum licentia illa mutuum amorem inter homines diſtrahat, & quam multis ſeditionibus præbeat occaſionem: Verum magna cum autoritate & vnanimi conſenſu defendenda ea, quæ cum expreſſo Dei mandato non pugnant, nec ſine graui cauſa conſtituta ſunt à maioribus noſtris in religione ac politia. Adhortandi ciues ad concordiã, vt in cõmuni periculo communis ſit deliberatio: [illegible] præferenda [illegible] Boni præmiis ac honoribus afficiendi, mali pœnis. Denique quemadmodum in corpore humano aliter curatur caro, aliter inteſtina, aliter nerui, ita per omnia cauendum bonis gubernatoribus, ne vnam omnibus, ſed ſingulis Reipublic. partibus ac membris peculiarem & conuenientem adhibeant curationem: &, ſi non omnes, ſaltem præcipuas vitiorum fibras è Republica excindant. Quod quidem qua ratione fiat, eorum libri oſtendunt, qui hac eadem de re præcepta tradiderunt, quæ quam neceſſario hoc tempore vrgeantur in Republic. noſtra adeoq; vniuerſo Imperio Romano, omnes videmus, & multi boni viri deplorant.

Laboramus inter nos ipſos odio inteſtino, & diuerſarum rerum ſtudiis: cum vicinis noſtris, ſi non aliam ob cauſam, certe de religione diſceptamus: à Septemtrione Moſchi iugulum noſtrum petunt, homines Barbari, & ad idololatriam vſque ſuperſtitioſi: In Oriente vero res nobis cum eo hoſte eſt & tyranno, qui totius Aſiæ ac Aſſyriæ, totius Ægypti regnique illius floren-tiſſimi Sultanici dominus eſt; qui Græcorum Imperiũ tenet, Bulgariam, Vallachiam, Seruiam & Thraciam occupauit; Hungariam pene vniuerſam vaſtauit, ac potiſſimam partem illius nobis eripuit. Quare ſi vita noſtra & communis patriæ ſalus nobis chara eſt, nec malumus breui turpiſſimam ſeruitutem diſcordes, quam libertatem concordes ferre; demus operam, vt, ſepoſita omni ſimultate, vnanimiter deinceps pugnemus aduerſus communes hoſtes. Id ſi fecerimus, præſenti rerum ſtatui rectè conſulemus, neruum Republic. noſtræ non leuiter laxatum atque conuulſum, iterum corroborabimus aliquantulum, & optime merebimur de poſteritate. Dabit etiam Deus fœlicem ſucceſſum his conatibus noſtris, cum autor ſit pacis ac concordiæ, ac ipſemet polliceatur opem ſe laturum his, qui fide firma eum inuocant, & auxilium ab eo petunt in afflictis rebus. Et quanquam nemo ſanæ mentis negat, quin magna mala impendeant ceruicibus noſtris, tamen poteſt ille, ſi vult, non ſolum mala illa pro clementia ſua mitigare, verum quoque omnino tollere, & aureum quoddam ſeculum reſtituere, in quo nos poſterique noſtri viuamus, donec dies eius adueniat. Non poteſt autem ille, longe abeſſe hinc: nam, vt erudite quidam ſcripſit ante annos viginti quatuor, Omnes Monarchias incepiſſe videmus, cum centrum excentrici Solis in aliquo inſigni loco Epicycli fuit. Vt cum Solis eſſet maxima excentricitas paulo ante Chriſtum natum, Romanum Imperium ad Monarchiam declinauit; &, quemadmodum illa decreuit, ita & hoc tanquam conſeneſcens defecit, atque adeo euanuit. Cum perueniret ad quadrantem terminumque mediocrem, lata eſt lex Mahometica, incepit itaque aliud magnum Imperium, & velociſſime ad motus rationem creuit. Iam 100. annis, cum minima futura eſt excentricitas, hoc quoque Imperium ſuam conficiet periodum, vt circa noſtra tempora in ſummo ſit faſtigio, à quo æque velociter, Deo volente, lapſu grauiore ruet. Centro vero excentrici ad alterum terminum mediocrem perueniente, ſperamus adfuturum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nam hoc loco circa creationem mundi fuit, &c. Siue igitur hæc ita futura ſunt, quemadmodum erudite coniiciuntur, ſiue prius [illegible] piis omnibus optatus iudicii dies, ſemper orandus nobis eſt Deus, vt pœnas quas commeruerimus [illegible] colenda diſciplina morum & modeſtiæ: denique pro virili cuique enitendum, vt re ſimul & conſilio [illegible] lapſa iuuetur.

Cum autẽ valde proſit ad recta & ſalubria conſilia hiſtoriæ cognitio, propter exempla [illegible] *& tranſtuliſſem ante annos duos fere ex Italico ſermone in Latinũ, librum primum Nicolai M*[illegible] historia Florentina; *in quo ille eleganter admodum & ſuccinctè oſtendit ruinam Imperii Roma*[illegible] *nos mille, ex Ruffino, Socrate, Euagrio, Caſſiodoro, Procopio, Marcellino, Iornande,* [illegible] *Volaterrano, ac aliis probatis autoribus; volui illum auſpiciis tuis dare in lucem, Illuſtriſſime* [illegible]

dem, vt exilem hunc laborem meum dignum arbitrer quem tibi viro Principi dedicem ſed cum dicandus eſſet alicui, putabam nulli potius offerendum quam tibi; quod & optimus Princeps ſis, & patriæ meæ parens. Feliciter vale. Marpurgi Haßiæ, prid. Cal. Februarii. Anno Chriſti M. D. LXIV.

Celſ. tuæ
ſubditus
Hieron. Turlerus I. D.

DE MIGRATIONIBVS POPVLORVM SEPTEMTRIOnalium, poſt deuictos à Mario Cimbros: &, De Ruina Imperii Romani LIBER, factus ex Italico ſermone Latinus.

Septemtrionales populi, qui vltra Rhenum & Danubium habitant, quoniam in regione populoſa naſcuntur, & quæ aërem habet ſaluberrimum, ſæpe excreſcunt in eam multitudinem, vt pars aliqua illorum patria relicta, nouas ſedes nouaque domicilia quærere cogatur: Quod cum faciunt, vniuerſam multitudinem partiuntur in partes tres, quarum ſingulæ è nobilibus ſimul ac plebeis, è locupletibus item & egenis hominibus conſtant. Ex his partibus ea, quam ſors definierit, emigrat & fortunam ſuam experitur in quærendis nouis ſedibus: reliquæ domi remanent, & ſolæ perfruuntur patriæ commodis. Hæ igitur illarum gentium emigrationes, cauſa fuerunt ruinæ Imperii Romani. Sed occaſionem ei rei dedere ipſimet Imperatores, qui relicta antiqua Imperii ſede vrbe Romana, vbi Conſtantinopoli cœperunt habitare, partem occidentalem Imperii debilitarunt. Nam & ipſi deinceps negligentius eam adminiſtrarunt, & expoſuerunt auaritiæ & rapinis cum præfectorum, tum etiam hoſtium. Vt autem euerteretur tantum Imperium, ſanguine & virtute præſtantiſſimorum hominum partum, non equidem oportebat ſegnes & ignauos eſſe principes, infideles miniſtros, denique neque inconſtantes, neque animi abiecti eos, qui exitium illi machinarentur. Itaque non vnius tantum, ſed multorum populorum migrationes in perniciem eius conſpirarunt. Verum ex Septentrionalibus populis, poſt deuictos à Mario Cimbros, primum omnium illud oppugnarunt Veſtrogothi, ſeu Gothi occidentales, qui bello in confinibus moto, pace ac permiſſu Imperatorum, multis annis ſedes ſuas habuerunt ad Danubium. Et quanquam variis ex cauſis, ſæpe & diuerſis temporibus bellum mouerint Imperio, fuere tamen ſemper repreſſi ab Imperatoribus: tandem glorioſiſſime eos deuicit Theodoſius: ita redacti ſub illius poteſtatem viuebant ſine rege, & ſtipendiis ac armis ſuis contenti, ſub Imperio militabant. Cum autem è viuis excederet Theodoſius, relictis Arcadio & Honorio filiis, hæredibus quidem Imperii, virtutis autem & fortunæ nequaquam: omnis rerum ſtatus ſimul cum principe mutabatur. Erant tres Imperii partes tribus præfectis mandatæ, Ruffino Orientalis, Occidentalis Stiliconi, Gildoni Africana, qui mortuo Imperatore, partes illas non tam gubernabant, quam ceu proprias poſſidebant. Sed Gildo & Ruffinus in ipſo ſtatim initio gubernationis opprimebantur: Stilico egregius nequitiæ ſuæ diſſimulator, in hoc ſvnum incumbebat, vt gratiam nouorum Imperatorum ſibi conciliaret, omnem tamen rerum ſtatum perturbabat, quo facilius deinde ipſe Imperio potiretur. Quo igitur Veſtrogothos ab amicitia Imperatorum ſeiungeret, autor erat, ne ſtipendia ſolita in poſterum iis exoluerentur. Præterea, quoniam arbitrabatur eos ſolos non ſatis virium habituros; ad perturbandam tanti Imperi tranquillitatem, efficiebat vt Burgundi, Franci, Vandali, & Alani, populi item Septentrionales (qui etiam tum nouas ſedes quærebant) prouinciis Imperii bellum inferrent. Sic Veſtrogothi ſtipendio priuati, vt iniuriam illatam vlciſcerentur, Regem eligebant Alaricum, & hoſtiliter oppugnantes Imperium, poſt varios rerum euentus, depopulabantur vniuerſam Italiam, vrbemque Romam expugnabant. Hac victoria potitus Alaricus diem obit, cui ſuccedebat Adaulphus, qui vxorem ducebat Placidiam, Imperatorum ſororem: qua affinitate contracta, conueniebat inter eos, vt Galliæ ſimul & Hiſpaniæ prouinciis opem ferrent, quæ à Vandalis, Francis, Burgundis, & Alanis erant occupatæ, propter cauſas ſupra recitatas. Ac Vandali quidem ex Hiſpania Bætica eiecti per Veſtrogothos, in Africam vocabantur à Bonifacio, eius regionis præſide; qui cum rebellis fuiſſet Imperatori Romano, metuebat ne machinationem iſtam ſuam Imperator reſciſceret: Ideoque faciliores erant Vandali ad illius preces, ac duce Genſerico Africam occupabant.

Cauſa & occaſio ruinæ Imperii Romani.

Gothorum occidentalium irruptio.

Theodoſ. I. Imp.

Arcadius & Honorius Imp.

Genſericus Vandalorum Rex.

Theodoſ. II. Imp.

Succeſſerat interea in Imperio Theodoſius, Arcadii filius: is cum exiguam admodum curam haberet rerum occidentalium, ſpem maximam faciebat deuaſtatoribus iſtis, retinendi prouincias, quas occupauerant. Itaq; in Africa Vandali, in Hiſpania Veſtrogothi regna ſibi cōſtituebant: Franci & Burgundi non modo Galliam omnem tenebant, verum etiam regiones quas occupauerant, ſuo nomine appellabant, alteram Franciam, alteram Burgundiam. Porro horum populorum felix ac fortunatus ſucceſſus, nouam deuaſtationem peperit Imperio: Nam alii populi, quos Hunnos appellant, occupabant Pannoniam regionem ad Danubium ſitam, quam etiamnum hodie vocamus Hungariam: Imperator vero ex omni parte oppugnatus, quo pauciores haberet hoſtes, nunc cum

Francia.
Burgundia.

Hungaria.

cum Vandalis, nunc cum Francis pacem inibat: Quæ res vires & potentiam Barbarorum adaugebat, Imperii imminuebat. Nec vero Britannia inſula, quæ *Anglia* hodie eſt, tuta erat ab eiuſmodi incurſionibus. Nam cum Britones ſibi timerent ab iis, qui Franciam occupauerant, & viderent ſe ab Imperatore iuuari non poſſe, Anglos Germaniæ populos in auxilium vocabant, qui etiā Rege & Duce Vortigerio, patrocinium illorum ſuſcipiebant. Ac primum quidem defendebant eos, deinde expellebant ex ea inſula, ipſi eam occupantes, & ſuo nomine Angliam appellabant. Sic eiecti è patria Britones, neceſſitate ferociores reddebantur. Ac licet proprias ſedes defendere non potuiſſent, ſpem tamen optimam concipiebant de alienis potiundis. Itaque traiecto mari, cum vniuerſa familia, vicina littoris loca occupabant, vocabantque ex nomine ſuo Britanniam. Sed & Hunni, qui, vt ſupra dictum eſt, Pannoniam occupauerant, Gepidis, Herulis, Turingis & Oſtrogothis, ſeu Gothis orientalibus ſeadiungebant, atque iterum quærebant nouas ſedes. Cumque Franciam occupare non poſſent, quod illa ſe egregie tutaretur aduerſus vim Barbarorum: impetum faciebant in Italiam, Attila duce, qui vt ſolus potiretur regno, paulo ante interfecerat fratrem Germanum Bledam nomine, eoque ex parricidio factus erat potentiſſimus. Reliqui, vt Audaricus Gepidarum, & Valamir Gothorum Orientalium Rex, ſubditi magis eius erant in eo negotio quam ſocii. Italiam ingreſſus Attila Aquileiam obſidebat toto bienio, & depopulabatur omnem agrum vicinum, incolis eiectis, quæ res vrbi Venetæ initium dedit, vt inferius dicemus. Potitus Aquileia multiſque aliis ciuitatibus, Romam ſe conferebat cum exercitu: ſed exoratus precibus Pontificis Maximi, nihil damni dabat vrbi: quin etiam tanti apud eum valebat illius autoritas, vt Italia relicta, rurſum ſeſe in Auſtriam reciperet, vbi tandem expirauit. Eo vita defuncto, Valamir Oſtrogothorum Rex, & aliorum populorū principes, bellum mouebant filiis Attilæ, Tenrico & Eatio, interfectoque altero illorum, eo alterum redigebant, vt cum Hunnis ſuis flumen Danubii tranſire & in patria ſeſe recipere cogeretur. Pannonia ab Oſtrogothis occupabatur, Gepidi, Heruli ac Turingi ad ripam Danubii conſidebant. Iam vero liberata Italia ab Attila, cum hoc agebat Valentinianus Imperator vt in priſtinum ſtatum eam reduceret: quod quo rectius efficere poſſet, & vt commodius eam defenderet ab incurſionibus barbarorum, relicta vrbe Roma, Rauennam transferebat Imperii ſedem. Omnium igitur malorum, & ruinæ Imperii Occidentalis, cauſa & occaſio fuit, quod Imperatores Conſtantinopoli habitantes ſæpe illud aliis conceſſerant gubernandum, vtpote rem difficilē factu, & quæ ingenios maximos requireret: Sæpe etiā ciues Romani inter ſe ipſi creabant Imperatorem, quando videbant aliorū auxilio ſe deſtitutos: Sæpe aliquis illorum propria autoritate vſurpabat ſibi titulū Imperatoris, vt Maximus poſt mortem Valentiniani, qui etiam Eudoxiam demortui Imperatoris vxorem cogebat, vt ſibi nuberet; qua re illa commota vt eam iniuriam vlciſceretur, cum ex Imperatoria ſtirpe eſſet prognata, ac priuati hominis coniugium ferre non poſſet, Gentericum accerſebat in Italiam, Vandalorum & Africæ Regem, monſtrabatque ei quam facile ſit regione illa potiri, quam item vtile & commodum. Hac præda pellectus Gentericus, impetum faciebat in eam, & vrbem Romam omni defenſione ac patrocinio deſtitutam ſpoliabat, manſitque in ea per quatuordecim dies. Occupabat præterea multa alia Italiæ loca, poſt ſpoliis opimis onuſtus, reuertebatur in Africam. Ciues qui ex vrbe aufugerāt, rurſum ſeſe in eam recipiebant, & Maximo interfecto, Imperatorem creabant, Auitum nomine. Quæ omnia dum partim in ipſa Italia, partim extra eam geruntur, poſt multos & varios caſus, & poſt multorum Imperatorum mortem, deuoluebatur Imperium Conſtantinopolitanum ad Zenonem: Romanum, ad Oreſtem & Auguſtulum filium Oreſtis. Sed hi fraude & dolo occupabant illud, cumque vi conarentur retinere Heruli & Thuringi (quos dixi mortuo Attila ad Danubii ripam conſediſſe) confœderati, duce Odoacro impetum in Italiam faciebant, & quæ illi non occupabant loca, ea Longobardi populi quoque Septentrionales, iuſſu & ſtipendiis Godoghi regis ſui ſubigebant, fueruntque vltima Italiæ peſtis, quemadmodum ſuo loco dicemus. Odoacer vbi in Italiam venit, prælio vincit Oreſtem, eumque interficit ad vrbem Ticinum, Auguſtulum coniicit in fugam. Ea victoria potitus, vt vrbis Romæ nomen ſimul cum potentia mutaret, neglecto Imperii titulo, Romæ & Italiæ Rex appellari volebat, ac primus omnium inhabitabat Italiam, ex earum gentium principibus, quæ tum vagabantur in orbe, atque nouas ſedes quærebant. Alii depopulati tantum fuerant, quia animaduertebant facile eam defendi poſſe ab Imperatoribus Orientalibus, vel aliam fortaſſe ob cauſſam, poſt in alia loca ſe receperant, in quibus ipſi quoque tuto & tranquille commorarentur. Ad eum modum ſeruiebat vetus Imperii Romani dignitas & ſplēdor, principibus exteris. Ac Zeno quidem Orientale imperium tenebat; Oſtrogothi Myſiam & Pannoniam: Veſtrogothi, Sueui, & Alani, Galcouiam & Hiſpaniam; Vandali Africam; Franci & Burgundi Franciam; Heruli & Turingi Italiam.

Peruenerat autem regnum Oſtrogothorum ad Theodoricum nepotem Valamiris, qui cum Zenoni eſſet amicus, per literas ei ſignificabat, rem indignam videri ſuis Oſtrogothis, nullam admodum aut exiguam rationem illorum haberi in Imperio, cum & virtute & re bellica alios longe antecellerent, nec poſſe illos ſeſe intra limites Pannoniæ continere. Itaque cum, quemadmodum eos cohiberet, rationem non inueniret, quominus nouas ſedes quærerent, ſuadere ſe illi, vt rebus ſuis conſulat, & regionem aliquam concedat, in qua honorifice & cum venia ipſius habitēt. Tum Zeno partim metu, partim vt Odoacrum ex Italia eiiceret, permittebat Theodorico bellum alteri moueret, & ipſe occuparet Italiam. Ille igitur relictis in Pannonia Gepidis amicis, vbi in Italiam

Anglia.

Britannia.

Gothorū Orientalium [illegible]

Attila Hunnorum Rex.

Valamir Oſtrogothorum Rex.

Valentinianus Imp.

Maximus Imp.

Auitus Imp.

Oreſtes ac Auguſtulus Imp.

Odoacer Rugianus.

Theodoric. Gothorum Rex.

Xxx venit,

venit, Odoacrum ſimul cum filio interficiebat, eiuſque exemplo ſumebat ſibi titulum regis Italiæ, ſede regia in vrbe Rauenna conſtituta, eadem ex cauſa qua Valentinianus Imperator. Fuit hic Theodoricus vir egregius in ſago pariter & toga: Nam & feliciſſimus erat in bello, & optime proſpiciebat ſubditis. Diſpertiebatur etiam ad eum modum Oſtrogothos ſuos, cum illorũ præfectis, vt & belli tempore imperare iis poſſet, & pacis, ſi opus eſſet, eos in officio continere. Vrbem Rauennam amplificabat, Romam inſtaurabat, omnibus priſtinæ dignitatis titulis reſtitutis ciuibus, vna militari diſciplina excepta. Arcebat præterea ſola autoritate ſua Reges barbaros, Imperii hoſtes, denique munitiones aliquot conſtruebat intra fauces Alpium ac maris Adriatici, vt omnem occaſionem irruendi in Italiam nouis barbaris intercluderet. Ac niſi ille tot egregias virtutes, quibus præditus erat, contaminaſſet crudelitate, cum ſuſpectos haberet nonnullos affectati regni (quemadmodum Symmachi & Boëtii innocentiſſimorum hominum mors & interitus oſtendit) digna me hercule erat eius memoria ſumma & perpetua laude. Non modo enim vrbem Romam & Italiam vniuerſam, verum cæteras quoque prouincias Imperii occidentalis à continuis illis barbarorum incurſionibus, quas tot annis à tam immani colluuie illorum ſuſtinuerant, liberauerat virtute & probitate ſua, & in ordinem ſtatumque ſatis felicem reduxerat. Certe ſi quę vnquam tempora miſera & calamitoſa fuerunt Italiæ, atque aliis prouinciis, quæ à barbaris vexabantur, fuere illa, ab Arcadio & Honorio ad hunc vſque.

Mutatio in Imperiis periculoſa.

Nam ſi quis perpendat, quam pernicioſum ſit Rebuſp. aut regnis mutare principes formamque gubernationis, non ob extraneam aliquam potentiam vel vim, ſed ob leuem aliquam diſcordiam & ſimultatem, videatque quam vel exigua aliqua mutatio nocere poßit, quantumuis potentißimis opulentißimiſque, facile intelliget, quantum mali eo tempore Italia, aliæque prouinciæ Imperii Romani ſint perpeſſæ, cum non ſolum formam gubernationis mutarunt, verum etiam leges, inſtituta, mores, religionem, linguam, veſtitum, nomina, quæ vel ſingula per ſe fortißimum quemque mouere poſſent, ſi audiat ea facta eſſe, nedum ſi videat, aut ipſe experiatur. Fuit præterea hæc perturbatio rerum multis ciuitatibus exitio, multis cauſa vt extruerentur, multis denique vt ampliarentur, fierentque opulentiores. Inter eas quæ deuaſtabantur, erat Aquileia, Luna, Cluſium, Populonia, Feſula, aliæque multæ. Quæ à nouo extruebantur, Venetiæ, Sena, Ferraria, Aquila, multæque aliæ ciuitates & oppida, quæ breuitatis cauſa omitto. Quæ ampliſſimæ & potentiſſimæ ſunt factæ, Florentia, Genua, Piſæ, Mediolanum, Neapolis, Bononia, quibus omnibus vrbis Romæ reparatio annumerari poteſt pluresque aliæ ciuitates, quæ nunc deuaſtatæ fuerunt, nunc reædificatæ. Nata etiam eſt ab iſtis exteris noua & inuſitata lingua, quemadmodum certum eſt, linguam, qua vel Galli & Hiſpani, vel Itali nunc vtuntur, factam eſſe ex antiqua illa Romana, & ea qua Barbari iſti vtebantur. Nec vero prouinciarum tantum nomina fuere mutata, ſed etiam ſtagnorum, fluminum, marium & hominum: eſtque Gallica ſimul & Italica, ac Hiſpanica lingua, refertiſſima huiuſcemodi nouis ac peregrinis rerum vocabulis, quæ prorſus ignorauit antiquitas. Atque vt alia infinita propemodum omittam, videmus hoc in vocabulo Po, Garda, Archipelago, quibus longe alia in ſignificatione vſi ſunt veteres. Sic loco Cæſarum & Pompeiorum habemus Petros, Ioannes, Matthæos. *Omnium vero maxime deploranda eſt religionis mutatio. Vbi enim conſuetudo religionis veteris pugnat cũ miraculis recentis aut nouæ, fieri non poteſt, quin grauißimæ diſſenſiones oriantur inter homines.* Et licet tranquillus fuiſſet ſtatus religionis Chriſtianæ, non tamen defuiſſent aliæ diſſenſiones: Sed cum etiam inter ſe contenderent, Eccleſia Romana, Græca, & Rauennenſis, præterea ſectæ hæreticorum cum Catholicis, non mirum ſi ea res perturbationem maximam peperit in vniuerſo orbe.

Schiſmata & hæreſes.

Teſtis eſt eius rei Africa: quæ plus mali & incommodi capiebat è ſecta Arriana, qua infecti erant Vandali, quam vel ab auaritia eorundem, vel crudelitate iis innata. Igitur in tanta rerum confuſione & tumultu, omnium animi metu maximo erant perculſi. Præterquam enim, quod nullus eſſet finis ciuilium malorum, in plurimis etiam ſtudium religionis extinguebatur, & vera Dei inuocatio in qua tamen alias afflicti omnes ſpem ſuam & fiduciam ponere ſolent. Nam & propter diſſenſionem in religione, incerti erant multi, quem nam Deum inuocarent, & diuino pariter ac humano auxilio deſtituti, miſerrime vitam cum morte commutabant. Quare, vt ante dixi, laudem maximam meretur Theodoricus, quod primus omnium remedium adhibuerit huic malo, & in eum ſtatum reduxerit Italiam iis XXXVIII. annis, quibus ei imperauit, vt ex ruinis omnibus, & deuaſtatione, qua barbari eam affecerant, vix amplius veſtigium aliquod conſpici in ea poſſet.

Attalaricus Gothorum Rex.

At vero eo mortuo, cum ei ſuccederet in gubernatione Attalaricus, nepos ex filia Amaloſuintha, paucos poſt annos ad priorem ſtatum reuertebantur res Italiæ, nondum etiam adhuc ſatis confirmatæ recẽti fortuna ac felicitate. Nam & Attalaricus paulo poſt annum moriebatur, & mater in eo regno ſuccedens trucidabatur à Theodato, quem ideo acceiſiuerat in aulam, vt ope & conſilio ipſius in gubernatione vteretur. Itaque hic, quod & regina è medio ſublata fuerat, & ipſe ſe gereret pro rege, exoſus Oſtrogothis, occaſionem præbebat Iuſtiniano eiiciendi ipſum ex Italia,

Iuſtinian. Imp.

eamque ad rem Beliſarium conſtituebat ducem Iuſtinianus, qui Africam antea deuicerat, reſtitueratque Imperio, Vandalis eiectis. Ac principio quidem Siciliam occupabat Beliſarius, inde Italiam ingreſſus, Romam ſimul ac Neapolim. Ea re intellecta Gothi Theodatum interficiebant, cauſam nimirum tanti mali, & Vitigem ſubrogabant in illius locum, qui & ipſe poſt conflictus aliquot, obſeſſus à Beliſario, Rauennæ in illius veniebat poteſtatem.

Vitiges Gothorum Rex.

Vix autem potitus erat hac victoria Beliſarius, cum Iuſtinianus eum reuocat, ſubrogatis ei Ioanne & Vitali, admodum diſſimilibus priori: ſiue de virtute loquamur, ſiue de moribus, aut fortuna. Quapropter animum recolligebant

Ildoadus Gothorum Rex.
Totila Gothorum Rex.

bant Gothi,& rurſum ex ſe eligebant Regem Ildoadum vrbiſ Veronæ præfectum : quo ſimiliter interfecto, ſuccedebat in illo regno Totila. Hic rupto exercitu Imperatoris, Thuſciam ac Neapolim recuperabat,iterumque certis ſuis præfectis diſtribuebat loca,quæ Beliſarius occupauerat. Cogebatur itaque Iuſtinianus Beliſarium nouo cum exercitu in Italiam remittere; verum cum is infirmus admodum eſſet,plus obſcurabat eo Beliſarius gloriam & authoritatem antea partam , quam vt nouam aliquam ſibi compararet: namque Oſtiæ conſederat,cum eo inuito & conſpiciente quodammodo vrbem Romam Totila expugnaret. Et quamuis captam iam difficulter relinqueret, tamen quia deſperabat eam ſe retinere poſſe,deuaſtata ea maxima ex parte , eiectiſque inde hominibus plebeis. & ſenatoribus ſecum adductis, nihil metuens Beliſarium,in Calabriam exercitũ ſuum ducebat, vt copias,quæ è Græcia auxilio veniebant hoſti,impediret. Romam præſidiis deſertam Beliſarius occupabat,mœnia reficiebat, ciues qui vel ipſi inde aufugerant,vel eiecti erant , in eam reuocabat. Sed ſtatim aduerſabatur fortuna tam laudabili eius cœpto: reuocabatur enim à Iuſtiniano, cui Parthi mouerant bellum,& Italia egreſſus cogebatur eam Totilæ relinquere, à quo iterum occupabatur vrbs Romana,licet non ita deuaſtaretur vt antea , imo aliqua ex parte inſtauraretur. Tantum nimirum valebant apud eum preces Benedicti Abbatis,qui cum maximam habebat opinionem ſanctitatis. Interea pacem faciebat cum Parthis Iuſtinianus, vt Italiæ ſuccurreret,ſed impediebatur à Sclauis,quo minus id præſtare poſſet, nouis populis Septentrionalibus,qui traiecto Danubio Illyriam ſimul,ac Thraciam bello infeſtabant , & Totila vniuerſæ propemodum Italiæ imperabat.

Teias Gothorũ Rex.

Mittebatur deinde à Iuſtiniano, poſt deuictos Sclauos, in Italiam Narſes eunuchus , homo exercitatiſſimus in re militari. Hic cum Totilam in pugna interfeciſſet , quæ ex Gothis manſerant reliquiæ. Ticinum ſe recipiebant,& Teiam quendam conſtituebant Totilæ ſucceſſorẽ. Hac victoria potitus Narſes, vrbem Romam recuperabat, poſt commiſſa ad Nuceriam pugna, Teiam quoq; interemit,cæſo fugatoq; illius exercitu. Ita prorſus extinguebatur nomen Gothorum in Italia , in qua illi à Theodorico ad Teiam vſq; annis LXX. regnauerant. Vix autem liberata erat à Gothis , cũ Iuſtinianus quoque diem ſuum obibat,relicto filio Iuſtino hærede & ſucceſſore in Imperio , qui Sophiæ vxoris ſuæ conſilium ſecutus,Narſen ex Italia reuocans , Longinum in illius locum ſubrogabat. Habebat is Rauennæ ſuam aulam,anteceſſorum exemplo,ac nouam formam adminiſtrationis conſtituebat in vniuerſa Italia : neque enim prouinciis tantum certos imponebat præfectos, quemadmodum Gothi fecerant antea , verum ſingulis quoq; ciuitatibus & locis præſtantioribus, quos duces appellabat, nec pluris faciebat vrbem Romam in ea diſtributione,quam aliam quamcunque. Abrogabat conſules & Senatum,qui tamen ſemper manſerat in ea vrbe, ac ducem quendam in illius locum ſubſtituebat, quem ſingulis annis Rauenna miſſum eo,*ducem Romanum* appellari volebat,ſicuti illum qui Rauennę commorabatur,& vniuerſæ Italiæ præerat,*Exarchum*. Verum enimuero plus oberat Italiæ, quam proderat hæc gubernandi forma : Nam & occaſionem dabat Longobardis,vt eo facilius eam occuparent,& auferebatur ab illa ratio gubernandi lõge pulcherrima,more ac virtute multorum hominum comparata. Denique non ſatis erat Sophiæ,vt Narſen ex ea reuocaret,ſed domum reuerſum probris quoque afficiebat,dicens,ideo ſe eum reuocaſſe , vt ipſe quoque cum cæteris Eunuchis fila columque traheret.

Alboinus Longobardorũ Rex.

Quare ita percitus Narſes , Alboino Longobardorum Regi,Pannoniã eo tempore tenenti , autor erat,vt ipſe Italiam occuparet. Nam vt ſuperius dictum eſt,conſederant Longobardi iis in locis ad Danubium , quæ ab Herulis & Turingis derelicta erant, cum ſub Odoacro illorum Rege militarent in Italia. Iamque ea inhabitauerant ad huius Alboini vſque gubernationem, hominis ferociſſimi audaciſſimique, vbi Danubio traiecto bello ſuperabant Cunimundum Gepidarum Regem, Pannoniam tenentem : cumque etiam Roſimunda Cunimundi filia prædæ loco iis contigiſſet,in vxorem eam ducebat Alboinus , ſimulque Pannonia potiebatur. Erat is, vt dixi , natura admodum ferox,& motus ea ferocia, poculũ faciebat è cranio capitis Cunimundi , è quo biberet deinceps in memoriam partæ de illo victoriæ. Vocatus igitur à Narſete Alboinus,cuius amicus fuerat bello Gothico, relicta Pannonia Hunnis, (qui,vt ſupra dixi, Attila demortuo in prouinciam hanc,patriam nimirum,erant reuerſi) & Italiam ingreſſus inteſtino bello laborantem,& in factiones ſciſſam,illico potiebatur Ticino, Mediolano, Verona,& Vicentia,præterea vniuerſa Thuſcia , ac bona parte Flaminiæ,quam Romandiolam hodie vocant. Et quoniam perſuaſum illi erat,tota iam Italia ſe potiri,regium conuiuium inſtituebat in vrbe Verona;in quo cum bene potus eſſet, ex nimia ingurgatione , vxori Roſimundæ , quæ è regione ſumebat cibum,craneum Cunimundi vino repletum perferri iubet,& addit(ita vt exaudiri ab ea poſſet) vellet ſe,vt in tanta omnium hilaritate & lætitia , ipſa quoque bibat cum ſuo patre. Hac voce quaſi vulnus infligebatur pectori Roſimundæ, deliberat igitur , quo pacto iniuriam tam grauem vlciſceretur. Cumque ſciret nobilem quendam Longobardum,cui Helmechildi erat nomen, iuuenem & ferocem,vnam ex pediſſequis ſuis amare , agebat cum eadem,aſtu efficeret,vt Helmechildis loco ipſius rem ſecum haberet: Quod cum feciſſet,& iuuenis in eum locum , quem ei pediſſequa deſignauerat,veniſſet, cum Regina concubuit, quod & locus obſcurus eſſet, & ancillam eam eſſe arbitraretur: Sic regina illius amore potita,omnem ei rem & conſilium aperiebat, oſtendens quam in illius manu ſit poſitum,vt interfecto Alboino ſe ſimul ac regno potiretur : ſin aliter faciat,fore vt ipſe interficiatur ab Alboino , & ſtupri illati pœnas perſoluat. Gerebat morem

reginæ Helmechildis, & Alboinum interficiebat: ſed cum videret regno ſe potiri non poſſe, & metueret ne viciſſim obtruncaretur à Longobardis, quibus admodum charus fuerat Alboinus, collecto omni regio theſauro, Rauennam confugiebat, vna cum vxore adultera ad Longinum, à quo honorificentiſſime excipiebantur. Iam vero diem ſuum obierat Iuſtinus Imperator, & Tiberius, qui in locum illius ſucceſſerat, bello Parthico impediebatur, quo minus Italiç opem ferret. Itaque Longinus, ratus occaſionem ſibi oblatam potiundi theſauro illo & toto regno Longobardorum, denique vniuerſa Italia, ſuadebat Roſimundæ, vt interfecto marito ſibi nuberet. Placebat mulieri hoc conſilium, & poculum vino venenoque mixtum, Helmechildi è balneis exeunti atque ſitienti porrigebat: cuius mediam partem vbi ille ebibiſſet, iamque cruciatus ſentiret in corpore, & rem intelligeret, vi adigebat Roſimundam, vt quod reliquum erat in poculo, ipſa exhauriret. Sic paucas poſt horas ambo extinguebantur, & Longinus quoque fruſtrabatur ea ſpe & expectatione, quã do potiundo regno conceperat. Elegerant interea Longobardi Clephem Regem in vrbe Ticini, quæ regia illorum erat. Is Imolam reædificabat, quam Narſes ante deuaſtauerat. Occupabat & Ariminum, totumque illum tractum ab eo loco, fere Romam vſque: tandem in medio curſu victoriæ florentiſſimæque fortunæ, moriebatur: Erat autem natura crudeliſſimus non erga exteros tantum, verum etiam in ſuos. Quare partim ſeueritate illius territi Longobardi, partim regiæ poteſtatis pertæſi, interfecto eo, nolebant amplius vnius alicuius imperio & poteſtati ſubeſſe. Duces inter ſe conſtituebant XXX. numero, quæ res deinde detrimento maximo iis fuit, fecitque vt nunquam vniuerſa Italia potirentur, nec imperium ſuum vnquam vltra Beneuentum extenderent: denique vt & vrbs Romana, Rauenna, Cremona, Mantua, Patauium, Mons Silius, Parma, Bononia, Fauentia, Forum Liuii, item & Ceſena vrbes, diu admodum ſe aduerſus eos defenderent, vel omnino non ab iiſdem occuparentur. *Quia enim rege tanquam capite deſtituebantur Longobardi, minus procliui erant ad militiam: atque licet nouum aliquem ex ſuis eligebant, tamen aſſueti iam per aliquod tempus libertati, minus ei obediebant, quã par erat, diſſenſionibus vexabantur & odio inteſtino, quæ res victoriam omnem illis adimebat & tandem ex Italia eiiciebat.* Cum igitur is eſſet Longobardorum ſtatus, ea lege pax inibatur inter eos, Longinum & populum Romanum, vt depoſitis ex vtraque parte armis, ea quiſque retineret, quæ occupauerat.

Tiberius Imp.

Clephes Longobardorum Rex.

Tyranni XXX.

Initium dignitatis Pontificiæ.

Cœperunt hoc tempore Pontifices Romani maiori eſſe in dignitate, quam antea fuerant: Prius enim poſt Petrum Apoſtolum propter vitæ ſanctimoniam, & miracula ſolummodo obſeruabantur, ac tantum proderãt exempla illorum fidei Chriſtianæ, vt vellent nollent principes cogerentur amplecti illorum religionem quo confuſionẽ illam, quæ in mundo erat, e medio tollerent, & ad meliorem ſtatum reducerent. Etſi autem negari nõ poteſt, tum ſtatim adauctam Pontificum autoritatem, cum Imperatores Romani Chriſtianam fidem amplexi, relicta Roma, Conſtantinopoli cœperunt habitare, quo tempore & ruina Imperii Romani cœpit, vt iam antea demonſtrauimus: quia tamen ad hanc Longobardorum vſque ætatem ſemper habuit Italia Imperatores, vel Reges, vix alia erat Pontificum dignitas & æſtimatio præter eã, quam vt dixi, vitæ ſanctimonia ſibi parauerant, & doctrina. In aliis rebus Imperatoribus aut regibus obediebant, ſæpe etiam ad ſupplicium ab iiſdem rapiebantur. Ac ſi quid vnquam dignitatis Pontificibus in Italia antea acceſſit, id omne à Theodorico venit Gothorum Rege, cum is Rauennam regiam ſuam transferret. Tum enim Roma ſine principe relinquebatur, & ciues Romani eo libentius ſuberant Pontificibus, quod tuto & tranquille commorari ſub iis poſſent. Sed nihil aut perparum illud erat, & hoc vnum obtinebant, vt Eccleſia Rauennenſis Eccleſiæ Romanæ eſſet ſubiecta. Cum autem Longobardi quoque in Italiam iam venirent, & illa in factiones plurimas ſciſſa eſſet, adaugebatur Pontificia poteſtas hoc illorum aduentu. Cum enim Pontifex caput eſſet & princeps vrbis Romanæ, Imperator vero Conſtantinopoli præeſſet, ita ſe tempori & præſenti rerum ſtatui accommodabant Longobardi, ac Longinus, vt mediante Pontifice, populum Romanum ſibi deuincirent, non vt ſubditus illorum eſſet, ſed ſocius, & nunc horum, nunc Græcorum partes ſequentes Pontifices, mirum quam adaugebant ſuam dignitatem. Quinetiam hæc potentia illorum cauſa erat ruinæ & interitus Imperii Orientalis, cœpitque illud corruere ſub Heraclio Imperatore, cum Sclaui (quorum ſupra fecimus mentionem) rurſum bellum inferrent Illyriæ, eamque occupatam ſuo nomine Sclauoniam appellarent: quo etiam tempore idem Imperium ex altera parte à Perſis oppugnabatur, poſt à Sarracenis, qui ex Arabia venerant duce Mahomete, poſtremo à Turcis. Quoniam igitur Syria, Africa, & Ægyptus ademptæ erant huic imperio, fruſtra implorabat opem & auxilium illius Pontifex Romanus, ſi quando moleſtaretur ab aliis: in Italia vis & potentia Longobardorum augebatur. Quare nouam ſibi amicitiam contrahendam ratus, cũ Gallorum rege eam inibat. *Sic omnium propemodum bellorum, quæ ab eo tempore in Italia geſta à barbaris ſunt, cauſa & occaſio fuere Pontifices & ipſimet vt plurimum attraxerunt in eam barbaros, idemque adhuc ſolent facere: denique hæc vna res robur atque vires Italiæ fregit, frangitque noſtra hac ætate.* Quapropter in recitandis iis quæ poſt ea tempora geſta ſunt, ad noſtra vſque nihil dicam amplius de Imperii Romani ruina & interitu; id enim iam humi proſtratum iacet. De Pontificibus ſermo habendus erit, deque aliis qui Italiam gubernarunt, vſque ad Caroli VIII. Galliarum regis ætatem, eiuſque in eam aduentum. Ita enim intelligetur, quomodo Pontifices cenſura primum omnibus iniecerint metum, poſt cenſura & armis ſimul, quibus tandem indulgentiæ fuerunt admixtæ, quam abuſi ſint vtroque illo, quomodo item prorſus amiſerint alterum, alterum ita retineant, vt aliorum iudicio & cenſuræ ſint ſubiecti. Vt igitur eo redeam, vnde ſum digreſſus: Cum ad Pontificatum veniſſet

Ruina imperii in Oriente.

Sclauonia.

Pontifices Rom. cauſa omnium malorũ in vtroque Imperio.

Gregori-

Aſtulfus Longobardorum ...

Gregorius III. occupabat Rauennam ciuitatem Aſtulfus Longobardorum Rex, contra fœdera pacis, bellumque mouebat Pontifici. Itaque Pontifex Imperatoris orientalis auxilio diffidens, & perfidia Longobardorum adductus, in Galliam diſcedebat ad Pipinum II. eius nominis regem, qui cum Auſtriæ antea & Brabantiæ imperaſſet, tunc etiam ad illius regni gubernacula peruenerat, nō tam propria virtute, quam parentis ſui Caroli Martelli, & Pipini aui. Commiſerat enim hic Carolus illam memorabilem ſtragem ad Turonem vrbem in flumine Era, qua vltra C C M. Saracenorū perierant, & ſpes maxima erat, filium non minus vtilem futurum patriæ, quam parens olim fuerat. Huius igitur Pipini opem & auxilium implorabat Gregorius Pontifex, aduerſum Longobardos, & Pipinus promittebat, ſi prius illum vidiſſet, ac honore debito affeciſſet, quamobrem nulla interpoſita mora, proficiſcebatur in Gallias Pontifex, per hoſtiles Longobardorum regiones, nemine impediente, tantus nimirum honos habebatur eo tempore religioni. Vbi in Galliam venit, multis beneficiis afficitur à rege, poſt in Italiam remittitur cum exercitu, eoque Longobardos cingit obſidione Ticini. Hic neceſſitate coactus Aſtulfus, pacis conditiones petebat à Gallis, eaſque impetrabat adiuuante Pontifice, qui negabat ſe cupere mortem & interitum hoſtis ſui: ſed vt conuerteretur, ac viueret. Promittebat autem Aſtulfus ſe redditurum Eccleſiæ Romanæ regiones quas occupauerat, ſed fregit fidem datam, quam primum Galli ſe in patriam receperunt. Quare rurſum petit Pontifex copias militares à Pipino, quas cum rex mitteret, cædebantur ab iis Longobardi, vrbs Rauenna recuperabatur, & Pontifici donabatur à Rege, vel inuito Imperatore Græcorum, donabantur quoque eidem aliæ ditiones, Exarcho ſubiectæ. Præterea ager Vrbinenſis, & Marchia Anconitana: quæ omnia dum Aſtulfus Pontifici tradit, moriebatur, & Deſiderius Thuſciæ dux militem colligebat, vt regnum illud defenderet. Petebat autem opem à Pontifice ad eam rem, & amicum ſe illi fore pollicebatur, daturumque ea quæ Aſtulfus promiſerat. Cumque Pontifex petitioni eius annueret, aſſentiebantur & cæteri principes, regnumque ei concedebant. Ac initio quidem fidem datam ſeruabat Deſiderius, tradebatque ea loca Pontifici, de quibus inter Pipinum & Longobardos conuenerat: Nec amplius Exarchus è Conſtantinopoli mittebatur Rauennam, nutu & voluntate Pontificis gubernabatur ea vrbs.

Pipinus Galliæ Rex.

Gregor. III. Pōt.

Deſiderius Longobardorū Rex.

Mortuo Pipino, ſuccedebat in regno Carolo filius, cognomento *Magnus*, propter res egregie geſtas: in Pontificatu vero ſucceſſerat Theodorus I. inter quem ac Deſiderium cum lites ortæ eſſent, Deſiderius Romam obſidebat, Pontifex Carolum in auxilium vocabat, qui per Alpes Italiam ingreſſus, conſtringebat Deſiderium Ticini, captumque cum filiis in Gallias mittebat; deinde Romam proficiſcebatur, vt Pontificem inuiſeret. Quo cum veniſſet, decernebat, ne Pontifex Dei in mundo vicarius, vllius hominis iudicio in poſterum eſſet ſubiectus. *Quam ob rem à populo Romano Imperator ſalutabatur, cœpitq; Roma iterum habere Imperatorem Occidentalem. Et cum antea Pontifices ab Imperatoribus ſoliti fuiſſent confirmari, ipſi nunc cœperunt opus habere Pontificum confirmatione & autoritate; perdiditque exiſtimationem ſuam Imperialis dignitas, acquiſiuit Pontificia: & his artibus deinceps principibus politicis ſe prætulit.* Fuerant iam in Italia Longobardi annis CCXXXII. & nomine tantum ac origine erant exteri, re nequaquam. His igitur Carolus, cum tempore Leonis III. Italiæ regiones in certum ordinem redigeret, permittebat, vt ea loca inhabitarent, in quibus nati ac enutriti eſſent, eamque regionem à nomine ipſorum *Longobardiam* appellarent. Aliam Italiæ partem, vicinam huic, & quæ Exarcho Rauennenſi fuerat ſubiecta, *Romandiolam* appellari volebat, vt Imperii Romani nomen in honore eſſet apud vicinos Longobardos, & metueretur. Creabat præterea Pipinum filium ſuū Italiæ Regem, deſignata ei iuriſdictione Bonauentum vſque. Quod reliquum in Italia, Imperatori Græcorum concedebat, cum quo pacem & amicitiam inierat.

Carol. Magnus Galliæ Rex & Imperator ... Occidentis ...

Leo III. Pont.

Longobardia.

Pipinus Italiæ Rex.

Peruenerat ſub id tempus ad Pontificatum Paſchalis, eius nominis I. *Vbi paſtores Eccleſiarū vrbis Romæ, Pontifici vicini, & in electione eius præſentes, quo munus ſuum ornarent ſplendido aliquo titulo, Cardinales ſe vocabant, & ipſi ſibi dignitatem maximam arrogabant*; iam enim excluſerant populū Romanum ab electione Pontificis; fiebatque vt raro alius quiſpiam eligeretur ad eam dignitatem, quam qui Romam inhabitabant. Paſchale itaque mortuo, creabatur in Pontif. Roman. Eugenius II. tituli S. Sabinæ, & Italia in manu Gallorum exiſtente, iterum nonnihil mutabatur forma gubernationis, quia Pontifex opulentiſſimus erat factus, & iidem Galli, Comites & Marchiones cōſtituerant in ea, quemadmodum Longinus Exarchus, duces. Tandem poſt aliquot Pontificum è vita diſceſſum, perueniebat ad Pontificatum quidam patria Romanus, qui cum *os porci* vocaretur, mutato nomine, *Sergium* ſe appellabat, quod prius nomē eſſet obſcœnum, deditque hic anſam ſequentibus Pontificibus, cur electi nomina mutare ſoleant. Sed & Carolus interea mortuus erat, & hæredem Imperii reliquerat, Ludouicum filium. Quo ſimiliter vita defuncto, tantæ lites oriebantur inter liberos ipſius, vt nepotum deinde temporibus, Imperium Romanum à Gallis ad Germanos transferretur, fuitque primus Germanorum Imperatorum *Arnolphus* dictus. Nec vero Caroli familia Imperium Romanum tantum amittebat ob diſcordiam & odia inteſtina, verumetiam regnum Italiæ. Nam & Longobardi iterum animati, bello laceſſebant Pontificem populumque Romanum; & Pontifex cum neminem haberet, cuius ope & auxilio niteretur, neceſſitate coactus regem Italiæ creabat Berengarium, Fori Iulii Ducem. Addebant & Hunnis, qui in Pannonia commorabantur, animum iſtæ rerum vices, vt rurſum bellum mouerent Italiæ. Sed à Berengario repreſſi, in Pannoniam ſe recipiebant, ſeu Hungariam, ſic enim eam prouinciam ſuo nomine appellauerant.

Paſchalis I. Pōt.

Initium dignitatis Cardinalitiæ.

Eugen. II. Pont.

Sergius Pont.

Ludouic. Imp.

Imperium Rom. à Gallis ad Germanos translatum.

Arnolphus I. Imp. Germanus

Bereng. Italiæ Rex.

motus & portenta, vt nihil vmquam iſtorum omnium acciderit vllo tempore apud veteres, cuius non inſignia aliqua exempla fuerint conſpecta, ſitque integer liber conſcriptus de his ac ſimilibus naturæ miraculis, quæ recenter acciderunt. Vidimus etiam multos præclaros Duces, & inter hos Imperatorem D. Carolum V. *ſcientia rei militaris, virtute, autoritate & felicitate præſtantem, optimumque Principem: Vidimus item viros ſummos in omni diſciplinarum genere qui omnes propemodum nobis ſuperſtitibus euocati ſunt ex hac vita ad cæleſte illud animorum concilium, vbi quiete ſumma fruuntur. Nec vlla ætas à Theodoſii temporibus tulit ſimul tot eruditos viros, vt noſtra illa ſub Imperatore Carolo: Vidimus denique multa alia diuerſorum generum partim præclara atque vtilia partim ſtupenda & inuſitata; quæ ſi quis temere facta arbitratur, is mihi videtur non tam extimeſcere caſus humanos, quam cæleſtem iram aſpernari. Sin* [illegible] *dixerit eſſe, hoc eſt ſigna non neceſſaria, ſed quæ communiter ſoleant accidere, vereor ne erret: habent enim* [illegible] *certiſſimum coniunctum, vitæ diſſolutionem, & honeſtatis omnis interitum. Non ſunt igitur inania hæc ſigna aut ludibria fortunæ: ſed aut Diaboli opera in corrupta hominum voluntate, aut naturæ dolentis quodammodo caſum noſtrũ & diſſolutam viuendi rationem, monſtrantiſque calamitates, quæ ceruicibus noſtris impendent, ac mirabiles rerum mutationes minantur. Fortaſſe etiam eo maiores, quo maior eſt perturbatio &* [illegible] *omnibus in rebus, quo ſecurius viuimus ac indies magis magiſque concitamus aduerſum nos iram Dei, & iuſtum eius iudicium; quo artes ſimul ac vitia omnia ſunt in ſummo loco poſita: plerunque enim fit, vt cum res ad ſummum deuenere, in proximo ſit ruina. Cum Theodoſii tempore artes omnes florerent, ac in omni doctrinarum genere eſſent homines excellenter docti, Theologi, Iureconſulti, Poetæ: mortuo illo, ſequebatur barbaries, & profeſſiones pariter ac humaniores diſciplinæ cœperunt negligi, idemque verendum ne accidat noſtra hac tempeſtate. Sed & periodus ſecundum quam oſtendi fieri mutationes in Imperiis, eadem de re nos admonet: cumque ſecum initio ſtatim attraxerit mutationem magnam in religione, & diſtractionem animorum maximam inter homines: non obſcure indicat, opinor, quid porro nobis exſpectandum ſit, quemadmodum etiam eclipſes & magnorum planetarum coniunctio. Nunquam enim ſine illuſtri aliquo effectu fuerunt tales eclipſes: & experientia teſtatur ſuperiorum planetarum congreſſus in rebus humanis tanto maiores mutationes decernere, quanto tardior eſt illorum motus. Certo igitur ſtatuamus imminere nobis varia & magna mala, eaque ex vita noſtra metiamur. Vt autem parum prodeſt ægrotis, morbi quo laborant cauſas habere cognitas, niſi quoque medicinam adhibeant, quæ cauſas illas tollant, vel ſaltem impediant aliqua ex parte: ſic non ſatis fuerit nobis nôſſe, quidnam minitentur iſta ſiue* [illegible] *ſiue* [illegible] *vt illa vocant, niſi etiam ſciamus, qua ratione & modo futura pericula euitare poſſimus, aut certe aduerſus ea nos munire, ne Stoici videamur, & ineuitabilem quandam neceſſitatem in rebus humanis ponere, quam ne Ethnici quidem ſcriptores ſapientes probarunt, vt Plato,* Cicero *& alii. Et quamuis Plato, vbi de mutationibus Imperiorum tractat, aſſerit eas fieri fato quodam, cum quinarius ſeſquitertia in generatione iunctus duas efficit harmonias; nam vltra has naturam non poſſe progredi, quin gignat deinceps deteriores: non tamen de fato Stoico, aut de neceſſitate quadam abſoluta loquitur, ſed cæleſtem, arcanam & moralem cauſas coniungit in mutationibus Imperiorum, & vult aliquantiſper gigni bonos ac præſtantes gubernatores, quorum virtute Imperia conſeruentur, deinde paulatim gigni alios non ita præſtantes, eorumque negligentia Imperia iterum corruere. At quemadmodum numerorum finis in natura ordinatus eſt, cum planus numerus ſit ſolidus; non enim ſequuntur cubus, aut cum harmonia Muſicali ventum eſt ad* [illegible] *quæ fit iunctis* [illegible] *&* [illegible] *Sic (ait Plato) legibus fatalibus ſubinde oriri noua Imperia, ruentibus prioribus, præſtantioribus ſcilicet, donec rurſus fatali aliqua lege fiat inſtauratio; hoc eſt, affirmat diuina prouidentia ſic ordinatam eſſe rerum ſimul ac hominum naturam, vt ruentibus prioribus Imperiis alia conſtituantur, licet debiliora: quæ ſententia pia eſt, nec à religione noſtra abhorret. Ac multa certe traduntur paſſim ab eodem Platone præclare & ſapienter, quibus vel perſonæ in Republica iuuari poſſunt, vel res, vel denique iudicia: explicatur etiam, quomodo ratio habenda ſit perſonarum ac rerum, iuxta Arithmeticam aut Geometricam proportionem, ne iniuſtitiæ locus aliquis fiat, cum idem illa efficiat in Republic. quod in corpore humano morbus. Traduntur & alia præcepta ab aliis, perſonis atq; rebus inſeruientia pro temporũ ac locorum varietate, qualia multa peti poſſunt ex Thucydidis hiſtoria, vt cum* [illegible] *ſuadet aliquis in Republic. Cretenſium, vel* [illegible] *Thraſybulus in Athenienſium Republic. & Chryſippus fertur integros libros ſcripſiſſe de Reſpubl. ad hominem collatione. Verum vt præclare, quod aiebam, ac ſapienter hæc atque alia dicuntur à viris ſummis, & recte accommodantur communi Reſpubl ſaluti, non tamen omnibus eius partibus male affectis mederi poſſunt; quia cauſam ac radicem malorum non tollant. Eſt autem vera cauſa ſeu* [illegible] *peccatum, quod in corrupta noſtra natura hæret, quemadmodum antea oſtendi. Hanc cum non agnoſcat Plato aut alii, nec ſciant voluntatem iraſcentis Dei aduerſus peccatum, ignorant etiam quo pacto ſe placari velit, vt pœnas impendentes mitiget, humana ſapientia nituntur tantum, eaque exiſtimant rem omnem ad meliorem ſtatum reduci poſſe. Doctrina autem cæleſtis exclamat ruinas Imperiorum accerſiri humanis furoribus, non fato aliquo Stoico, aut ineuitabili aliqua neceſſitate, has ait eſſe atrocium ſcelerum pœnas, &, vt Syracides inquit,* transferri Imperia à gente ad gentem, propter iniuſtitiam ac dolos. *Quare audiamus illam doctrinam, nec præferamus ei noſtras cogitationes ac conſilia. Scriptum enim eſt,* auxilium à Domino exſpectandum in tribulatione: *& Prophetas omnes videmus populos illos, quibus interitum vel alioquin grauem aliquam calamitatem prædixerunt, non tam ad mœnia reficienda, conſtruenda propugnacula, aut humana arte ac conſilio infecta membra Republic. ſananda, hortatos eſſe, quam ad agnitionem peccati, emendationem vitæ, & ad veram Dei veri inuocationem. Quemadmodum igitur totum hoc vniuerſum partim à diuina mente, partim à neceſſitate eſt profectum: ita Reſpublic. & Imperia duo præcipue habent, quibus vel ab initio recte conſtituuntur, vel morbo aliquo infecta ſanantur, vel ruinam*

ff

minitan-

minitantia adiuuantur: Pietatem ſeu iuſtitiam, ac ea quæ humanis neceſſitatibus inſeruiunt. Sed aliam, vt dixi, pietatem vel iuſtitiam tradit doctrina cœleſtis, aliam Ethnici ſcriptores. Atque vt mentis eſt illa longeque præſtantior, quam altera; ita quoque prior cura illius eſſe debet: ea vero ſalua etiam externa iuſtitia recte vrgetur à politicis viris, & vtraque coniuncta ſummo ſæpe adiumento fuit laborantibus Imperiis aut regnis. Neque enim Deus piorum preces non exaudit, nec prohibet, quo minus humanis quoque conſiliis vtamur, modo ab eo petamus felicem eorum ſucceſſum.

Primum itaque ac optimum remedium eſt laborantibus Rebuſpublicis, Imperiis aut regnis, vt agnito malorum omnium fonte, peccato ſcilicet, à Deo petatur auxilium: Iuſtitia mentis reſtituatur tam in gubernatoribus, quam in ſubditis, tollatur idololatria, & ita colatur Deus, quemadmodum ipſe ſe verbo ſuo patefecit, alioqui Si deeſt agnitio æternæ & incomparabilis veritatis, falſa virtus eſt in moribus. Proximum deinde huic, vt hi, quibus ſumma rerum eſt commiſſa, videant, quo conſilio & ordine creator mundi Deus ex mente ſua ac diuinitate, mundum hunc vniuerſum crearit, eodemque exemplo tanquam minores Dii vtantur in ſanandis languidis Reipublic. membris. Ciuilem iuſtitiam reſtituant, & virtutes iuſtitiæ coniunctas, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam. Sed quoniam notitiæ virtutum mentibus noſtris inſitæ, vna cum natura noſtra ſunt corruptæ, & in incultis ac plebeis hominibus vix excitari queunt; ſatis fuerit, ſi in genere, quod aiunt, reſtituantur actiones harum virtutum in Republica; nam ad perfectam illam & primam rerum naturam reſpicere, atque ad illius præſcriptum leges omnes conformare velle, monſtro ſimile eſt, & vt nunc ſunt homines, obtineri nullo pacto poteſt. Quod ad veteres leges attinet, certum eſt, eas aliquando mutari debere à prudentibus gubernatoribus, pro ratione temporu, locorum ac perſonarum: ſed niſi modeſtia quadam id fiat, res eſt æque periculoſa, ac ſatius eſt interdum errata legulatorum ferre, quam corrigere, quod mutatio legum tantam vtilitatem non adferat ſecum, quantum mali, homineſque paulatim aſſuefaciat non obedire Magiſtratus. Cauendum præterea eſt, ne inquietis ingeniis licentia detur prætextu quodam pietatis ferendi in vulgus nouas opiniones, & debacchandi in quoslibet. Dici enim non poteſt, quantum licentia illa mutuum amorem inter homines diſtrahat, & quam multis ſeditionibus præbeat occaſionem: Verum magna cum autoritate & vnanimi conſenſu defendenda ea, quæ cum expreſſo Dei mandato non pugnant, nec ſine graui cauſa conſtituta ſunt à maioribus noſtris in religione ac politia. Adhortandi ciues ad concordiã, vt in cõmuni periculo communis ſit deliberatio: [illegible] præferenda [illegible]. Boni præmiis ac honoribus afficiendi, mali pœnis. Denique quemadmodum in corpore humano aliter curatur caro, aliter inteſtina, aliter nerui, ita per omnia cauendum bonis gubernatoribus, ne vnam omnibus, ſed ſingulis Reipublic. partibus ac membris peculiarem & conuenientem adhibeant curationem: &, ſi non omnes, ſaltem præcipuas vitiorum fibras è Republica excindant. Quod quidem qua ratione fiat, eorum libri oſtendunt, qui hæc eadem de re præcepta tradiderunt; quæ quam neceſſario hoc tempore vrgeantur in Republic. noſtra adeo & vniuerſo Imperio Romano, omnes videmus, & multi boni viri deplorant.

Laboramus inter nos ipſos odio inteſtino, & diuerſarum rerum ſtudiis: cum vicinis noſtris, ſi non aliam ob cauſam, certe de religione diſceptamus: à Septemtrione Moſchi iugulum noſtrum petunt, homines Barbari, & ad idololatriam vſque ſuperſtitioſi: In Oriente vero res nobis cum eo hoſte eſt & tyranno, qui totius Aſiæ ac Aſſyriæ, totius Ægypti regnique illius florentiſſimi Sultanici dominus eſt; qui Græcorum Imperiũ tenet, Bulgariam, Vallachiam, Seruiam & Thraciam occupauit; Hungariam pene vniuerſam vaſtauit, ac potiſſimam partem illius nobis eripuit. Quare ſi vita noſtra & communis patriæ ſalus nobis chara eſt, nec malumus breui turpiſſimam ſeruitutem diſcordes, quam libertatem concordes ferre, demus operam, vt, ſepoſita omni ſimultate, vnanimiter deinceps pugnemus aduerſus communes hoſtes. Id ſi fecerimus, præſenti rerum ſtatui recte conſulemus, neruum Reipublic. noſtræ non leuiter laxatum atque conuulſum, iterum corroborabimus aliquantulum, & optime merebimur de poſteritate. Dabit etiam Deus felicem ſucceſſum his conatibus noſtris, cum autor ſit pacis ac concordiæ, ac ipſemet polliceatur opem ſe laturum his, qui fide firma eum inuocant, & auxilium ab eo petunt in afflictis rebus. Et quanquam nemo ſanæ mentis negat, quin magna mala impendeant ceruicibus noſtris, tamen poteſt ille, ſi vult, non ſolum mala illa pro clementia ſua mitigare, verum quoque omnino tollere, & aureum quoddam ſeculum reſtituere, in quo nos poſterique noſtri viuamus, donec dies eius adueniat. Non poteſt autem ille, longe abeſſe hinc: nam, vt erudite quidam ſcripſit ante annos viginti quatuor, Omnes Monarchias incepiſſe videmus, cum centrum excentrici Solis in aliquo inſigni loco Epicycli fuit. Vt cum Solis eſſet maxima excentricitas paulo ante Chriſtum natum, Romanum Imperium ad Monarchiam declinauit; &, quemadmodum illa decreuit, ita & hoc tamquam conſeneſcens defecit, atque adeo euanuit. Cum perueniret ad quadrantem terminumque mediocrem, lata eſt lex Mahometica, incepit itaque aliud magnum Imperium, & velociſſime ad motus rationem creuit. Iam .ↄↄ. annis, cum minima futura eſt excentricitas, hoc quoque Imperium ſuam conficiet periodum, vt circa noſtra tempora in ſummo ſit faſtigio, a quo æque velociter, Deo volente, lapſu grauiore ruet. Centro vero excentrici ad alterum terminum mediocrem perueniente, ſperamus adfuturum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nam hoc loco circa creationem mundi fuit, &c. Siue igitur hæc ita futura ſunt, quemadmodum erudite coniiciuntur, ſiue prius nos opprimet piis omnibus optatus iudicii dies, ſemper orandus nobis eſt Deus, vt pœnas quas commeruerimus mitiget, excolenda diſciplina morum & modeſtiæ; denique pro virili cuique enitendum, vt re ſimul & conſilio Reſpublic. collapſa tueatur.

Cum autẽ valde proſit ad recta & ſalubria conſilia hiſtoriæ cognitio, propter exempla, quæ inde peti poſſunt, & tranſtuliſſem ante annos duos fere ex Italico ſermone in Latinũ, librum primum Nicolai Machiauelli de hiſtoria Florentina; in quo ille eleganter admodum & ſuccincte oſtendit ruinam Imperii Romani per annos mille, ex Ruffino, Socrate, Euagrio, Caſſiodoro, Procopio, Marcellino, Iornande, Platina, Sabellico, Blondo, Volaterrano, ac aliis probatis autoribus; volui illum auſpiciis tuis dare in lucem, Illuſtriſſime Elector: non equidem, vt

dem, vt exilem hunc laborem meum dignum arbitrer quem tibi viro Principi dedicem ſed cum dicandus eſſet alicui, putabam nulli potius offerendum quam tibi; quod & optimus Princeps ſis, & patriæ meæ parens. Feliciter vale. Marpurgi Haſſiæ, prid. Cal. Februarii. Anno Chriſti M. D. LXIV.

Celſ. tuæ

ſubditus

Hieron. Turlerus I. D.

DE MIGRATIONIBVS POPVLORVM SEPTEMTRIOnalium, poſt deuictos à Mario Cimbros: &, De Ruina Imperii Romani LIBER, factus ex Italico ſermone Latinus.

SEptemtrionales populi, qui vltra Rhenum & Danubium habitant, quoniam in regione populoſa naſcuntur, & quæ aërem habet ſaluberrimum, ſæpe excreſcunt in eam multitudinem, vt pars aliqua illorum patria relicta, nouas ſedes nouaque domicilia quærere cogatur: Quod cum faciunt, vniuerſam multitudinem partiuntur in partes tres, quarum ſingulæ è nobilibus ſimul ac plebeis, è locupletibus item & egenis hominibus conſtant. Ex his partibus ea, quam ſors definierit, emigrat & fortunam ſuam experitur in quærendis nouis ſedibus: reliquæ domi remanent, & ſolæ perfruuntur patriæ commodis. Hæ igitur illarum gentium emigrationes, cauſa fuerunt ruinæ Imperii Romani. Sed occaſionem ei rei *Cauſa & occaſio ruinæ Imperii Romani.* dedere ipſimet Imperatores, qui relicta antiqua Imperii ſede vrbe Romana, vbi Conſtantinopoli cœperunt habitare, partem occidentalem Imperii debilitarunt. Nam & ipſi deinceps negligentius eam adminiſtrarunt, & expoſuerunt auaritiæ & rapinis cum præfectorum, tum etiam hoſtium. Vt autem euerteretur tantum Imperium, ſanguine & virtute præſtantiſſimorum hominum partum, non equidem oportebat ſegnes & ignauos eſſe principes, infideles miniſtros, denique neque inconſtantes, neque animi abiecti eos, qui exitium illi machinarentur. Itaque non vnius tantum, ſed *Gothorum occidentalium irruptio.* multorum populorum migrationes in perniciem eius conſpirarunt. Verum ex Septentrionalibus populis, poſt deuictos à Mario Cimbros, primum omnium illud oppugnarunt Veſtrogothi, ſeu Gothi occidentales, qui bello in confinibus moto, pace ac permiſſu Imperatorum, multis annis ſedes ſuas habuerunt ad Danubium. Et quanquam variis ex cauſis, ſæpe & diuerſis temporibus bellum mouerint Imperio, fuere tamen ſemper repreſſi ab Imperatoribus: tandem glorioſiſſime eos *Theodoſ. I. Imp.* deuicit Theodoſius: ita redacti ſub illius poteſtatem viuebant ſine rege, & ſtipendiis ac armis ſuis contenti, ſub Imperio militabant. Cum autem è viuis excederet Theodoſius, relictis Arcadio & *Arcadius & Honorius Imp.* Honorio filiis, hæredibus quidem Imperii, virtutis autem & fortunæ nequaquam: omnis rerum ſtatus ſimul cum principe mutabatur. Erant tres Imperii partes tribus præfectis mandatæ, Ruffino Orientalis, Occidentalis Stiliconi, Gildoni Africana, qui mortuo Imperatore, partes illas non tam gubernabant, quam ceu proprias poſſidebant. Sed Gildo & Ruffinus in ipſo ſtatim initio gubernationis opprimebantur: Stilico egregius nequitiæ ſuæ diſſimulator, in hoc vnum incumbebat, vt gratiam nouorum Imperatorum ſibi conciliaret, omnem tamen rerum ſtatum perturbabat, quo facilius deinde ipſe Imperio poriretur. Quo igitur Veſtrogothos ab amicitia Imperatorum ſeiungeret, autor erat, ne ſtipendia ſolita in poſterum iis exoluerentur. Præterea, quoniam arbitrabatur eos ſolos non ſatis virium habituros; ad perturbandam tanti Imperii tranquillitatem, efficiebat vt Burgundi, Franci, Vandali, & Alani, populi item Septentrionales (qui etiam tum nouas ſedes quærebant) prouinciis Imperii bellum inferrent. Sic Veſtrogothi ſtipendio priuati, vt iniuriam illatam vlciſcerentur, Regem eligebant Alaricum, & hoſtiliter oppugnantes Imperium, poſt varios rerum euentus, depopulabantur vniuerſam Italiam, vrbemque Romam expugnabant. Hac victoria potitus Alaricus diem obit, cui ſuccedebat Adaulphus, qui vxorem ducebat Placidiam, Imperatorum ſororem: qua affinitate contracta, conueniebat inter eos, vt Galliæ ſimul & Hiſpaniæ prouinciis *Genſericus Vandalorum Rex.* opem ferrent, quæ à Vandalis, Francis, Burgundis, & Alanis erant occupatæ, propter cauſas ſupra recitatas. Ac Vandali quidem ex Hiſpania Bætica eiecti per Veſtrogothos, in Africam vocabantur à Bonifacio, eius regionis præſide; qui cum rebellis fuiſſet Imperatori Romano, metuebat ne machinationem iſtam ſuam Imperator reſciſceret: Ideoque faciliores erant Vandali ad illius preces, ac duce Genſerico Africam occupabant.

Theodoſ. II. imp Succeſſerat interea in Imperio Theodoſius, Arcadii filius: is cum exiguam admodum curam haberet rerum occidentalium, ſpem maximam faciebat deuaſtatoribus iſtis, retinendi prouincias, quas occupauerant. Itaq; in Africa Vandali, in Hiſpania Veſtrogothi regna ſibi cōſtituebant: Fran- *Francia. Burgundia.* ci & Burgundi non modo Galliam omnem tenebant, verum etiam regiones quas occupauerant, ſuo nomine appellabant, alteram Franciam, alteram Burgundiam. Porro horum populorum felix ac fortunatus ſucceſſus, nouam deuaſtationem peperit Imperio: Nam alii populi, quos Hunnos *Hungaria.* appellant, occupabant Pannoniam regionem ad Danubium ſitam, quam etiamnum hodie vocamus Hungariam: Imperator vero ex omni parte oppugnatus, quo pauciores haberet hoſtes, nunc

cum Vandalis, nunc cum Francis pacem inibat: Quæ res vires & potentiam Barbarorum adaugebat, Imperii imminuebat. Nec vero Britannia inſula, quæ *Anglia* hodie eſt, tuta erat ab eiuſmodi incurſionibus. Nam cum Britones ſibi timerent ab iis, qui Franciam occupauerant, & viderent ſe ab Imperatore iuuari non poſſe, Anglos Germaniæ populos in auxilium vocabant, qui etiã Rege & Duce Votigerno, patrocinium illorum ſuſcipiebant. Ac primum quidem defendebant eos, deinde expellebant ex ea inſula, ipſi eam occupantes, & ſuo nomine Angliam appellabant. Sic eiecti è patria Britones, neceſſitate ferociores reddebantur. Ac licet proprias ſedes defendere non potuiſſent, ſpem tamen optimam concipiebant de alienis potiundis. Itaque traiecto mari, cum vniuerſa familia, vicina littoris loca occupabant, vocabantque ex nomine ſuo Britanniam. Sed & Hunni, qui, vt ſupra dictum eſt, Pannoniam occupauerant, Gepidis, Herulis, Turingis & Oſtrogothis, ſeu Gothis orientalibus ſe adiungebant, atque iterum quærebant nouas ſedes, cumque Franciam occupare non poſſent, quod illa ſe egregie tutaretur aduerſus vim Barbarorum: impetum faciebant in Italiam, Attila duce, qui vt ſolus potiretur regno, paulo ante interfecerat fratrem Germanum Bledam nomine, eoque ex parricidio factus erat potentiſſimus. Reliqui, vt Audaricus Gepidarum, & Valamir Gothorum Orientalium Rex, ſubditi magis eius erant in eo negocio quam ſocii. Italiam ingreſſus Attila Aquileiam obſidebat toto biennio, & depopulabatur omnem agrum vicinum, incolis eiectis, quæ res vrbi Venetæ initium dedit, vt inferius dicemus. Potitus Aquileia multiſque aliis ciuitatibus, Romam ſe conferebat cum exercitu: ſed exoratus precibus Pontificis Maximi, nihil damni dabat vrbi: quin etiam tanti apud eum valebat illius autoritas, vt Italia relicta, rurſum ſeſe in Auſtriam reciperet, vbi tandem expirauit. Eo vita defuncto, Valamir Oſtrogothorum Rex, & aliorum populorũ principes, bellum mouebant filiis Attilæ, Tenrico & Eatio, interfectoque altero illorum, eo alterum te[illegible] bant, vt cum Hunnis ſuis flumen Danubii tranſire & in patria m ſeſe recipere cogeretur. Pannonia ab Oſtrogothis occupabatur, Gepidæ, Heruli ac Turingi ad ripam Danubii conſidebant. Iam vero liberata Italia ab Attila, vnum hoc agebat Valentinianus Imperator vt in priſtinum ſtatum eam reduceret: quod quo rectius efficere poſſet, & vt commodius eam defenderet ab incurſionibus barbarorum, relicta vrbe Roma, Rauennam transferebat Imperii ſedem. Omnium igitur malorum, & ruinæ Imperii Occidentalis, cauſa & occaſio fuit, quod Imperatores Conſtantinopoli habitantes ſæpe illud aliis conceſſerant gubernandum, vtpote rem difficilẽ factu, & quæ ſumptus maximos requireret: Sæpe etiã ciues Romani inter ſe ipſi creabant Imperatorem, quando videbant aliorũ auxilio ſe deſtitutos: Sæpe aliquis illorum propria autoritate vſurpabat ſibi titulũ Imperatoris, vt Maximus poſt mortem Valentiniani, qui etiam Eudoxam demortui Imperatoris vxorem cogebat, vt ſibi nuberet, quare illa commota vt eam iniuriam vlciſceretur, cum ex Imperatoria ſtirpe eſſet prognata, ac priuati hominis coniugium ferre non poſſet, Gensericum accerſebat in Italiam, Vandalorum & Africæ Regem, monſtrabatque ei quam facile ſit regione illa potiri, quam item vtile & commodum. Hac præda pellectus Gensericus, impetum faciebat in eam, & vrbem Romam omni defenſione ac patrocinio deſtitutam ſpoliabat, manſitque in ea per quatuordecim dies. Occupabat præterea multa alia Italiæ loca, poſt ſpoliis opimis onuſtus, reuertebatur in Africam. Ciues qui ex vrbe aufugerãt, rurſum ſeſe in eam recipiebant, & Maximo interfecto, Imperatorem creabant, Auitum nomine. Quæ omnia dum partim in ipſa Italia, partim extra eam geruntur, poſt multos & varios caſus, & poſt multorum Imperatorum mortem, deuoluebatur Imperium Conſtantinopolitanum ad Zenonem: Romanum, ad Oreſtem & Auguſtulum filium Oreſtis. Sed hi fraude & dolo occupabant illud, cumque vi contenderent retinere Heruli & Thuringi (quos dixi mortuo Attila ad Danubii ripam conſediſſe) conſœderati, duce Odoacro impetum in Italiam faciebant, & quæ illi non occupabant loca, ea Longobardi populi quoque Septentrionales, iuſſu & ſtipendiis Godoglii regis ſui ſubigebant, fueruntque vltima Italiæ peſtis, quemadmodum ſuo loco dicemus. Odoacer vbi in Italiam venit, prælio vincit Oreſtem, eumque interficit ad vrbem Ticinum, Auguſtulum conîicit in fugam. Ea victoria potitus, vt vrbis Romæ nomen ſimul cum potentia mutaret, neglecto Imperii titulo, Romæ & Italiæ Rex appellari volebat, ac primus omnium inhabitabat Italiam, ex earum gentium principibus, quæ tum vagabantur in orbe, atque nouas ſedes quærebant, alii depopulati tantum fuerant, quia animaduertebant facile eam defendi poſſe ab Imperatoribus Orientalibus, vel aliam fortaſſe ob cauſſam, poſt in alia loca ſe receperant, in quibus ipſi quoque tuto & tranquille commorarentur. Ad eum modum ſeruiebat vetus Imperii Romani dignitas & ſplẽdor, principibus exteris. Ac Zeno quidem Orientale imperium tenebat; Oſtrogothi Myſiam & Pannoniam; Veſtrogothi, Sueui, & Alani, Gaſcouiam & Hiſpaniam; Vandali Africam; Franci & Burgundi Franciam; Heruli & Turingi Italiam.

Anglia.

Britannia.

Orientalium Gothorum imperium.

Attila Hunnorum Rex.

Valamir Oſtrogothorum Rex.

Valentinianus Imp.

Maximus Imp.

Auitus Imp.

Oreſtes ac Auguſtulus Imp.

Odoacer Rugianus.

Peruenerat autem regnum Oſtrogothorum ad Theodoricum nepotem Valamiris, qui cum Zenoni eſſet amicus, per literas ei ſignificabat, rem indignam videri ſuis Oſtrogothis, nullam admodum aut exiguam rationem illorum haberi in Imperio, cum & virtute & re bellica alios longe antecellerent, nec poſſe illos ſeſe intra limites Pannoniæ continere. Itaque cum, quemadmodum eos cohiberet, rationem non inueniret, quominus nouas ſedes quærerent, ſuadere ſe illi, vt rebus ſuis conſulat, & regionem aliquam concedat, in qua honorifice & cum venia ipſius habitẽt. Tum Zeno partim metu, partim vt Odoacrum ex Italia eiiceret, permittebat Theodorico bellum alteri moueret, & ipſe occuparet Italiam. Ille igitur relictis in Pannonia Gepidis amicis, vbi in Italiam

Theodoric. Gothorum Rex.

venit, Odoacrum ſimul cum filio interficiebat, eiuſque exemplo ſumebat ſibi titulum regis Italiæ, ſede regia in vrbe Rauenna conſtituta, eadem ex cauſa qua Valentinianus Imperator. Fuit hic Theodoricus vir egregius in ſago pariter & toga: Nam & feliciſſimus erat in bello, & optime proſpiciebat ſubditis. Diſpertiebatur etiam ad eum modum Oſtrogothos ſuos, cum illorũ præfectis, vt & belli tempore imperare iis poſſet, & pacis, ſi opus eſſet, eos in officio continere. Vrbem Rauennam amplificabat, Romam inſtaurabat, omnibus priſtinæ dignitatis titulis reſtitutis ciuibus, vna militari diſciplina excepta. Arcebat præterea ſola autoritate ſua Reges barbaros, Imperii hoſtes, denique munitiones aliquot conſtruebat intra fauces Alpium ac maris Adriatici, vt omnem occaſionem irruendi in Italiam nouis barbaris intercluderet. Ac niſi ille tot egregias virtutes, quibus præditus erat, contaminaſſet crudelitate, cum ſuſpectos haberet nonnullos affectati regni (quemadmodum Symmachi & Boëtii innocentiſſimorum hominum mors & interitus oſtendit) digna me hercule erat eius memoria ſumma & perpetua laude. Non modo enim vrbem Romam & Italiam vniuerſam, verum cæteras quoque prouincias Imperii occidentalis à continuis illis barbarorum incurſionibus, quas tot annis à tam immani colluuie illorum ſuſtinuerant, liberauerat virtute & probitate ſua, & in ordinem ſtatumque ſatis felicem reduxerat. Certe ſi quę vnquam tempora miſera & calamitoſa fuerunt Italiæ, atque aliis prouinciis, quæ à barbaris vexabantur, fuere illa, ab Arcadio & Honorio ad hunc vſque. *Nam ſi quis perpendat, quam pernicioſum ſit Reb. aut regnis mutare principes formamque gubernationis, non ob extraneam aliquam potentiam vel vim, ſed ob leuem aliquam diſcordiam & ſimultatem, videatque quam vel exigua aliqua mutatio nocere poſſit, quantumuis potentiſſimis opulentiſſimiſque, facile intelliget, quantum mali eo tempore Italia, aliæque prouinciæ Imperii Romani ſint perpeſſæ, cum non ſolum formam gubernationis mutarunt, verum etiam leges, inſtituta, mores, religionem, linguam, veſtitum, nomina, quæ vel ſingula per ſe fortiſſimum quemque mouere poſſent, ſi audiat ea facta eſſe, nedum ſi videat, aut ipſe experiatur.* Fuit præterea hæc perturbatio rerum multis ciuitatibus exitio, multis cauſa vt extruerentur, multis denique vt ampliarentur, fierentque opulentiores. Inter eas quæ deuaſtabantur, erat Aquileia, Luna, Cluſium, Populonia, Feſula, aliæque multæ. Quæ à nouo extruebantur, Venetiæ, Sena, Ferraria, Aquila, multæque aliæ ciuitates & oppida, quæ breuitatis cauſa omitto. Quæ ampliſſimæ & potentiſſimæ ſunt factæ, Florentia, Genua, Piſæ, Mediolanum, Neapolis, Bononia, quibus omnibus vrbis Romæ reparatio annumerari poteſt pluteſque aliæ ciuitates, quæ nunc deuaſtatæ fuerunt, nunc reædificatæ. Nata etiam eſt ab iſtis exteris noua & inuſitata lingua, quemadmodum certum eſt, linguam, qua vel Galli & Hiſpani, vel Itali nunc vtuntur, factam eſſe ex antiqua illa Romana, & ea qua Barbari iſti vtebantur. Nec vero prouinciarum tantum nomina fuere mutata, ſed etiam ſtagnorum, fluminum, marium & hominum: eſtque Gallica ſimul & Italica, ac Hiſpanica lingua, referti ſſima huiuſcemodi nouis ac peregrinis rerum vocabulis, quæ prorſus ignorauit antiquitas. Atque vt alia infinita propemodum omittam, videmus hoc in vocabulo Po, Garda, Archipelago, quibus longe alia in ſignificatione vſi ſunt veteres. Sic loco Cæſarum & Pompeiorum habemus Petros, Ioannes, Matthæos. *Omnium vero maxime deploranda eſt religionis mutatio. Vbi enim conſuetudo religionis veteris pugnat cũ miraculis recentis aut noua, fieri non poteſt, quin grauiſſimæ diſſenſiones oriantur inter homines.* Et licet tranquillus fuiſſet ſtatus religionis Chriſtianæ, non tamen defuiſſent aliæ diſſentiones: Sed cum etiam inter ſe contenderent, Eccleſia Romana, Græca, & Rauennenſis, præterea ſectæ hæreticorum cum Catholicis, non mirum ſi ea res perturbationem maximam peperit in vniuerſo orbe. Teſtis eſt eius rei Africa: quæ plus mali & incommodi capiebat è ſecta Arriana, qua infecti erant Vandali, quam vel ab auaritia eorundem, vel crudelitate iis innata. Igitur in tanta rerum confuſione & tumultu, omnium animi metu maximo erant perculſi. Præterquam enim, quod nullus eſſet finis ciuilium malorum, in plurimis etiam ſtudium religionis extinguebatur, & vera Dei inuocatio in qua tamen alias afflicti omnes ſpem ſuam & fiduciam ponere ſolent. Nam & propter diſſenſionem in religione, incerti erant multi, quem nam Deum inuocarent, & diuino pariter ac humano auxilio deſtituti, miſerrime vitam cum morte commutabant. Quare, vt ante dixi, laudem maximam meretur Theodoricus, quod primus omnium remedium adhibuerit huic malo, & in eum ſtatum reduxerit Italiam iis XXXVIII. annis, quibus ei imperauit, vt ex ruinis omnibus, & deuaſtatione, qua barbari eam affecerant, vix amplius veſtigium aliquod conſpici in ea poſſet.

Mutatio in Imperiis periculoſa.

Schiſmata & hæreſes.

At vero eo mortuo, cum ei ſuccederet in gubernatione Attalaricus, nepos ex filia Amaloſuintha, paucos poſt annos ad priorem ſtatum reuertebantur res Italiæ, nondum etiam adhuc ſatis confirmatæ recẽti fortuna ac felicitate. Nam & Attalaricus paulo poſt annum moriebatur, & mater in eo regno ſuccedens trucidabatur à Theodato, quem ideo acceſſiuerat in aulam, vt ope & conſilio ipſius in gubernatione vteretur. Itaque hic, quod & regina è medio ſublata fuerat, & ipſe ſe gereret pro rege, exoſus Oſtrogothis, occaſionem præbebat Iuſtiniano eiiciendi ipſum ex Italia, eamque ad rem Beliſarium conſtituebat ducem Iuſtinianus, qui Africam antea deuicerat, reſtitueratque Imperio, Vandalis eiectis. Ac principio quidem Siciliam occupabat Beliſarius, inde Italiam ingreſſus, Romam ſimul ac Neapolim. Ea re intellecta Gothi Theodatum interficiebant, cauſam nimirum tanti mali, & Vitigem ſubrogabant in illius locum, qui & ipſe poſt conflictus aliquot, obſeſſus à Beliſario, Rauennæ in illius veniebat poteſtatem. Vix autem potitus erat hac victoria Beliſarius, cum Iuſtinianus eum reuocat, ſubrogatis ei Ioanne & Vitali, admodum diſſimilibus priori: ſiue de virtute loquamur, ſiue de moribus, aut fortuna. Quapropter animum recolligebant

Attalaricus Gothorum Rex.

Iuſtinian. Imp.

Vitiges Gothorum Rex.

bant Gothi, & rurſum ex ſe eligebant Regem Ildoadum vrbis Veronæ præfectum: quo ſimiliter interfecto, ſuccedebat in illo regno Totila. Hic rupto exercitu Imperatoris, Thuſciam ac Neapolim recuperabat, iterumque certis ſuis præfectis diſtribuebat loca, quæ Beliſarius occupauerat. Cogebatur itaque Iuſtinianus Beliſarium nouo cum exercitu in Italiam remittere; verum cum is infirmus admodum eſſet, plus obſcurabat eo Beliſarius gloriam & authoritatem antea partam, quam vt nouam aliquam ſibi compararet: namque Oſtiæ conſederat, cum eo inuito & conſpiciente quodammodo vrbem Romam Totila expugnaret. Et quamuis captam iam difficulter relinqueret, tamen quia deſperabat eam ſe retinere poſſe, deuaſtata ea maxima ex parte, eiectiſque inde hominibus plebeis, & ſenatoribus ſecum adductis, nihil metuens Beliſarium, in Calabriam exercitũ ſuum ducebat, vt copias, quæ è Græcia auxilio veniebant hoſti, impediret. Romam præſidiis deſertam Beliſarius occupabat, mœnia reficiebat, ciues qui vel ipſi inde aufugerant, vel eiecti erant, in eam reuocabat. Sed ſtatim aduerſabatur fortuna tam laudabili eius cœpto; reuocabatur enim à Iuſtiniano, cui Parthi mouerant bellum, & Italia egreſſus cogebatur eam Totilæ relinquere, à quo iterum occupabatur vrbs Romana, licet non ita deuaſtaretur vt antea, imo aliqua ex parte inſtauraretur. Tantum nimirum valebant apud eum preces Benedicti Abbatis, qui tum maximam habebat opinionem ſanctitatis. Interea pacem faciebat cum Parthis Iuſtinianus, vt Italiæ ſuccurreret, ſed impediebatur à Sclauis, quo minus id præſtare poſſet, nouis populis Septentrionalibus, qui traiecto Danubio Illyriam ſimul, ac Thraciam bello infeſtabant, & Totila vniuerſæ propemodum Italiæ imperabat.

Ildoadus Gothorum Rex.

Totila Gothorum Rex.

Mittebatur deinde à Iuſtiniano, poſt deuictos Sclauos, in Italiam Narſes eunuchus, homo exercitatiſſimus in re militari. Hic cum Totilam in pugna interfeciſſet, quæ ex Gothis manſerant reliquiæ, Ticinum ſe recipiebant, & Teiam quendam conſtituebant Totilæ ſucceſſorẽ. Hac victoria potitus Narſes, vrbem Romam recuperabat, poſt commiſſa ad Nuceriam pugna, Teiam quoq; interemit, cæſo fugatoq; illius exercitu. Ita prorſus extinguebatur nomen Gothorum in Italia, in qua illi à Theodorico ad Teiam vſq; annis LXX regnauerant. Vix autem liberata erat à Gothis, cũ Iuſtinianus quoque diem ſuum obibat, relicto filio Iuſtino hærede & ſucceſſore in Imperio, qui Sophiæ vxoris ſuæ conſilium ſecutus, Narſen ex Italia reuocans, Longinum in illius locum ſubrogabat. Habebat is Rauennæ ſuam aulam, anteceſſorum exemplo, ac nouam formam adminiſtrationis conſtituebat in vniuerſa Italia: neque enim prouinciis tantum certos imponebat præfectos, quemadmodum Gothi fecerant antea, verum ſingulis quoq; ciuitatibus & locis præſtantioribus, quos duces appellabat, nec pluris faciebat vrbem Romam in ea diſtributione, quam aliam quamcunque. Abrogabat conſules & Senatum, qui tamen ſemper manſerat in ea vrbe, ac ducem quendam in illius locum ſubſtituebat, quem ſingulis annis Rauenna miſſum eo, *ducem Romanum* appellari volebat, ſicuti alium qui Rauennę commorabatur, & vniuerſæ Italiæ præerat, *Exarchum*. Verum enimuero plus oberat Italiæ, quam proderat hæc gubernandi forma: Nam & occaſionem dabat Longobardis, vt eo facilius eam occuparent, & auferebatur ab illa ratio gubernandi lõge pulcherrima, more ac virtute multorum hominum comparata. Denique non ſatis erat Sophiæ, vt Narſen ex ea reuocaret, ſed domum reuerſum probris quoque afficiebat, dicens, ideo ſe eum reuocaſſe, vt ipſe quoque cum cæteris Eunuchis fila columque traheret. Quare ira percitus Narſes, Alboino Longobardorum Regi, Pannoniã eo tempore tenenti, autor erat, vt ipſe Italiam occuparet. Nam vt ſuperius dictum eſt, conſederant Longobardi iis in locis ad Danubium, quæ ab Herulis & Turingis derelicta erant, cum ſub Odoacro illorum Rege militarent in Italia. Iamque ea inhabitauerant ad huius Alboini vſque gubernationem, hominis ferociſſimi audaciſſimique, vbi Danubio traiecto bello ſuperabant Cunimundum Gepidarum Regem, Pannoniam tenentem: cumque etiam Roſimunda Cunimundi filia prædæ loco iis contigiſſet, in vxorem eam ducebat Alboinus, ſimulque Pannonia potiebatur. Erat is, vt dixi, natura admodum ferox, & motus ea ferocia, poculũ faciebat è cranio capitis Cunimundi, è quo biberet deinceps in memoriam partæ de illo victoriæ. Vocatus igitur à Narſete Alboinus, cuius amicus fuerat bello Gothico, relicta Pannonia Hunnis, (qui, vt ſupra dixi, Attila demortuo in prouinciam hanc, patriam nimirum, erant reuerſi) & Italiam ingreſſus inteſtino bello laborantem, & in factiones ſciſſam, illico potiebatur Ticino, Mediolano, Verona, & Vicentia, præterea vniuerſa Thuſcia, ac bona parte Flaminiæ, quam Romandiolam hodie vocant. Et quoniam perſuaſum illi erat, tota iam Italia ſe potiri, regium conuiuium inſtituebat in vrbe Verona; in quo cum bene potus eſſet, ex nimia ingurgitatione, vxori Roſimundæ, quæ è regione ſumebat cibum, craneum Cunimundi vino repletum perferri iubet, & addit (ita vt exaudiri ab ea poſſet) vellet ſe, vt in tanta omnium hilaritate & lætitia, ipſa quoque bibat cum ſuo patre. Hac voce quaſi vulnus infligebatur pectori Roſimundæ, deliberat igitur, quo pacto iniuriam tam grauem vlciſceretur. Cumque ſciret nobilem quendam Longobardum, cui Helmechildi erat nomen, iuuenem & ferocem, vnam ex pediſſequis ſuis amare, agebat cum eadem, aſtu efficeret, vt Helmechildis loco ipſius rem ſecum haberet: Quod cum feciſſet, & iuuenis in eum locum, quem ei pediſſequa deſignauerat, veniſſet, cum Regina concubuit, quod & locus obſcurus eſſet, & ancillam eam eſſe arbitraretur: Sic regina illius amore potita, omnem ei rem & conſilium aperiebat, oſtendens quam in illius manu ſit poſitum, vt interfecto Alboino ſe ſimul ac regno potiretur: ſin aliter faciat, fore vt ipſe interficiatur ab Alboino, & ſtupri illati pœnas perſoluat. Gerebat morem

Teias Gothorũ Rex.

Alboinus Longobardorũ Rex.

reginæ Helmechildis, & Alboinum interficiebat:ſed cum videret regno ſe potiri non poſſe, & me-
tueretne viciſſim obtruncaretur à Longobardis, quibus admodum charus fuerat Alboinus, colle-
cto omni regio theſauro, Rauennam confugiebat, vna cum vxore adultera ad Longinum, à quo
Tiberius Imp. honorificentiſſime excipiebantur. Iam vero diem ſuum obierat Iuſtinus Imperator, & Tiberius,
qui in locum illius ſucceſſerat, bello Parthico impediebatur, quo minus Italię opem ferret. Itaque
Longinus, ratus occaſionem ſibi oblatam potiundi theſauro illo & toto regno Longobardorum,
denique vniuerſa Italia, ſuadebat Roſimundæ, vt interfecto marito ſibi nuberet. Placebat mulieri
hoc conſilium & poculum vino venenoque mixtum. Helmechildi è balneis exeunti atque ſitien-
ti porrigebat: cuius mediam partem vbi ille ebibiſſet, iamque cruciatus ſentiret in corpore, & rem
intelligeret, vi adigebat Roſimundam, vt quod reliquum erat in poculo, ipſa exhauriret. Sic pau-
cas poſt horas ambo extinguebantur, & Longinus quoque fruſtrabatur ea ſpe & expectatione, quã
Clephes Longobardorum Rex. de potiundo regno conceperat. Elegerant interea Longobardi Clephem Regem in vrbe Ticini,
quæ regia illorum erat. Is Imolam reædificabat, quam Narſes ante deuaſtauerat. Occupabat &
Ariminum, totumque illum tractum ab eo loco, fere Romam vſque: tandem in medio curſu vi-
ctoriæ florentiſſimæque fortunæ, moriebatur: Erat autem natura crudeliſſimus non erga exteros
tantum, verum etiam in ſuos. Quare partim ſeueritate illius territi Longobardi, partim regiæ po-
teſtatis pertæſi, interfecto eo, nolebant amplius vnius alicuius imperio & poteſtati ſubeſſe. Duces
Tyranni XXX. inter ſe conſtituebant XXX. numero, quæ res deinde detrimento maximo iis fuit, fecitque vt nun-
quam vniuerſa Italia potirentur, nec imperium ſuum vnquam vltra Beneuentum extenderent:
denique vt & vrbs Romana, Rauenna, Cremona, Mantua, Patauium, Mons Silius, Parma, Bo-
nonia, Fauentia, Forum Liuii, item & Ceſena vrbes, diu admodum ſe aduerſus eos defenderent,
vel omnino non ab iiſdem occuparentur. *Quia enim rege tanquam capite destituebantur Longobardi,*
minus procliui erant ad militiam: atque licet nouum aliquem ex ſuis eligebant, tamen aſſueti iam per aliquod
tempus libertati, minus ei obediebant, quã par erat, diſſenſionibus vexabantur & odio inteſtino, quæ res victoriam
omnem illis adimebat & tandem ex Italia eiiciebat. Cum igitur is eſſet Longobardorum ſtatus, ea lege
pax inibatur inter eos, Longinum & populum Romanum, vt depoſitis ex vtraque parte armis, ea
quiſque retineret, quæ occupauerat.

Initium dignitatis Pontificiæ. *Cœperunt hoc tempore Pontifices Romani maiori eſſe in dignitate, quam antea fuerant: Prius enim poſt*
Petrum Apoſtolum propter vitæ ſanctimoniam, & miracula ſolummodo obſeruabantur, ac tantum proderãt ex-
empla illorum fidei Chriſtianæ, vt vellent nollent principes cogerentur amplecti illorum religionem quo confuſionẽ
illam, quæ in mundo erat, e medio tollerent, & ad meliorem ſtatum reducerent. Etſi autem negari nõ poteſt,
tum ſtatim adauctam Pontificum autoritatem, cum Imperatores Romani Chriſtianam fidem am-
plexi, relicta Roma, Conſtantinopoli cœperunt habitare, quo tempore & ruina Imperii Romani
cœpit, vt iam antea demonſtrauimus: quia tamen ad hanc Longobardorum vſque ætatem ſemper
habuit Italia Imperatores, vel Reges, vix alia erat Pontificum dignitas & æſtimatio præter eã, quam
vt dixi, vitæ ſanctimonia ſibi parauerant, & doctrina. In aliis rebus Imperatoribus aut regibus o-
bediebant, ſæpe etiam ad ſupplicium ab iiſdem rapiebantur. Ac ſi quid vnquam dignitatis Pontifi-
cibus in Italia antea acceſſit, id omne à Theodorico venit Gothorum Rege, cum is Rauennam re-
giam ſuam transferret. Tum enim Roma ſine principe relinquebatur, & ciues Romani eo libenti-
us ſubeſſent Pontificibus, quod tuto & tranquille commorari ſub iis poſſent. Sed nihil aut perpa-
rum illud erat, & hoc vnum obtinebant, vt Eccleſia Rauennenſis Eccleſiæ Romanæ eſſet ſubie-
cta. Cum autem Longobardi quoque in Italiam iam venirent, & illa in factiones plurimas ſciſſa
eſſet, adaugebatur Pontificia poteſtas hoc illorum aduentu. Cum enim Pontifex caput eſſet & prin-
ceps vrbis Romanæ, Imperator vero Conſtantinopoli præeſſet, ita ſe tempori & præſenti rerum
ſtatui accommodabant Longobardi, ac Longinus, vt mediante Pontifice, populum Romanum ſi-
bi deuincirent, non vt ſubditus illorum eſſet, ſed ſocius, & nunc horum, nunc Græcorum partes
ſequentes Pontifices, mirum quam adaugebant ſuam dignitatem. Quin etiam hæc potentia il-
Ruina imperii in Oriente. lorum cauſa erat ruinæ & interitus Imperii Orientalis, cœpitque illud corruere ſub Heraclio Impe-
ratore, cum Sclaui (quorum ſupra fecimus mentionem) rurſum bellum inferrent Illyriæ, eamque
Sclauonia. occupatam ſuo nomine Sclauoniam appellarent: quo etiam tempore idem Imperium ex altera
parte à Perſis oppugnabatur, poſt à Saracenis, qui ex Arabia venerant duce Mahomete, poſtre-
mo à Turcis. Quoniam igitur Syria, Africa, & Ægyptus ademptæ erant huic imperio, fruſtra implo-
rabat opem & auxilium illius Pontifex Romanus, ſi quando moleſtaretur ab aliis: in Italia vis &
potentia Longobardorum augebatur. Quare nouam ſibi amicitiam contrahendam ratus, cũ Gal-
Pontifices Rom. cauſa omnium malorũ in vtroque imperio. liarum rege eam inibat. *Sic omnium propemodum bellorum, quæ ab eo tempore in Italia geſta à barbaris*
ſunt, cauſa & occaſio fuere Pontifices & ipſimet vt plurimum attraxerunt in eam barbaros, idemque adhuc ſo-
lent facere denique hæc vna res robur atque vires Italiæ fregit, frangitque noſtra hac ætate. Quapropter in re-
citandis iis quæ poſt ea tempora geſta ſunt, ad noſtra vſque nihil dicam amplius de Imperii Roma-
ni ruina & interitu; id enim iam humi proſtratum iacet. De Pontificibus ſermo habendus erit, de-
que aliis qui Italiam gubernarunt, vſque ad Caroli VIII. Galliarum regis ætatem, eiuſque in eam
aduentum. Ita enim intelligetur, quomodo Pontifices cenſura primum omnibus iniecerint me-
tum, poſt cenſura & armis ſimul, quibus tandem indulgentiæ fuerunt admixtæ, quam abuſi ſint
vtroque illo, quomodo item prorſus amiſerint alterum, alterum ita retineant, vt aliorum iudicio
& cenſuræ ſint ſubiecti. Vt igitur eo redeam, vnde ſum digreſſus: Cum ad Pontificatum veniſſet
Gregori-

Gregorius III. occupabat Rauennam ciuitatem Aſtulfus Longobardorum Rex, contra fœdera pacis, bellumque mouebat Pontifici. Itaque Pontifex Imperatoris orientalis auxilio diffidens, & perfidia Longobardorum adductus, in Galliam diſcedebat ad Pipinum II. eius nominis regem, qui cum Auſtriæ antea & Brabantiæ imperaſſet, tunc etiam ad illius regni gubernacula peruenerat, nõ tam propria virtute, quam parentis ſui Caroli Martelli, & Pipini aui. Commiſerat enim hic Carolus illam memorabilem ſtragem ad Turonem vrbem in flumine Era, qua vltra C C M. Saracenorũ perierant, & ſpes maxima erat, filium non minus vtilem futurum patriæ, quam parens olim fuerat. Huius igitur Pipini opem & auxilium implorabat Gregorius Pontifex, aduerſum Longobardos, & Pipinus promittebat, ſi prius illum vidiſſet, ac honore debito affeciſſet, quamobrem nulla interpoſita mora, proficiſcebatur in Gallias Pontifex, per hoſtiles Longobardorum regiones, nemine impediente, tantus nimirum honos habebatur eo tempore religioni. Vbi in Galliam venit, multis beneficiis afficitur à rege, poſt in Italiam remittitur cum exercitu, eoque Longobardos cingit obſidione Ticini. Hic neceſſitate coactus Aſtulfus, pacis conditiones petebat à Gallis, eaſque impetrabat adiuuante Pontifice, qui negabat ſe cupere mortem & interitum hoſtis ſui: ſed vt conuerteretur, ac viueret. Promittebat autem Aſtulfus ſe redditurum Eccleſiæ Romanæ regiones quas occupauerat, ſed fregit fidem datam, quam primum Galli ſe in patriam receperunt. Quare rurſum petit Pontifex copias militares à Pipino, quas cum rex mitteret, cædebantur ab iis Longobardi, vrbs Rauenna recuperabatur, & Pontifici donabatur a Rege, vel inuito Imperatore Græcorum, donabantur quoque eidem aliæ ditiones, Exarcho ſubiectæ. Præterea ager Vrbinenſis, & Marchia Anconitana: quæ omnia dum Aſtulfus Pontifici tradit, moriebatur, & Deſiderius Thuſciæ dux militem colligebat, vt regnum illud defenderet. Petebat autem opem à Pontifice ad eam rem, & amicum ſe illi fore pollicebatur, daturumque ea quæ Aſtulfus promiſerat. Cumque Pontifex petitioni eius annueret, aſſentiebantur & cæteri principes, regnumque ei concedebant. Ac initio quidem fidem datam ſeruabat Deſiderius, tradebatque ea loca Pontifici, de quibus inter Pipinum & Longobardos conuenerat: Nec amplius Exarchus è Conſtantinopoli mittebatur Rauennam, nutu & voluntate Pontificis gubernabatur ea vrbs.

Aſtulfus Longobardorum Rex. — *Pipinus Galliæ Rex.* — *Gregor. III. Pon.* — *Deſiderius Longobardorũ Rex.*

Mortuo Pipino, ſuccedebat in regno Carolo filius, cognomento *Magnus*, propter res egregie geſtas: in Pontificatu vero ſucceſſerat Theodorus I. inter quem ac Deſiderium cum lites ortæ eſſent, Deſiderius Romam obſidebat, Pontifex Carolum in auxilium vocabat, qui per Alpes Italiam ingreſſus, conſtringebat Deſiderium Ticini, captumque cum filiis in Gallias mittebat; deinde Romam proficiſcebatur, vt Pontificem inuiſeret. Quo cum veniſſet, decernebat, ne Pontifex, Dei in mundo vicarius, vllius hominis iudicio in poſterum eſſet ſubiectus. *Quam ob rem à populo Romano Imperator ſalutabatur, cœpitq; Roma iterum habere Imperatorem Occidentalem. Et cum antea Pontifices ab Imperatoribus ſoliti fuiſſent confirmari, ipſi nunc cœperunt opus habere Pontificum confirmatione & autoritate; perdiditque exiſtimationem ſuam Imperialis dignitas, acquiſiuit Pontificia: & his artibus deinceps principibus politicis ſe prætulit.* Fuerant iam in Italia Longobardi annis CCXXXII. & nomine tantum ac origine erant exteri, re nequaquam. His igitur Carolus, cum tempore Leonis III. Italiæ regiones in certum ordinem redigeret, permittebat, vt ea loca inhabitarent, in quibus nati ac nutriti eſſent, eamque regionem à nomine ipſorum *Longobardiam* appellarent. Aliam Italiæ partem, vicinam huic, & quæ Exarcho Rauennenſi fuerat ſubiecta, *Romandiolam* appellari volebat, vt Imperii Romani nomen in honore eſſet apud vicinos Longobardos, & metueretur. Creabat præterea Pipinum filium ſuũ Italiæ Regem, deſignata ei iuriſdictione Bonauentum vſque. Quod reliquum in Italia, Imperatorii Græcorum concedebat, cum quo pacem & amicitiam inierat.

Carol. Magnus Galliæ Rex [...] Imperator [...] Occidentis. — *Theodor. I. Pont.* — *Leo III. Pont.* — *Longobardia.* — *Pipinus Italiæ Rex.*

Peruenerat ſub id tempus ad Pontificatum Paſchalis, eius nominis I. *Vbi paſtores Eccleſiarũ vrbis Romæ, Pontifici vicini, & in electione eius præſentes, quo munus ſuum ornarent ſplendido aliquo titulo, Cardinales ſe vocabant, & ipſi ſibi dignitatem maximam arrogabant*; iam enim excluſerant populũ Romanum ab electione Pontificis; fiebatque vt raro alius quiſpiam eligeretur ad eam dignitatem, quam qui Romam inhabitabant. Paſchale itaque mortuo, creabatur in Pontif. Roman. Eugenius II. tituli S. Sabinæ, & Italia in manu Gallorum exiſtente, iterum nonnihil mutabatur forma gubernationis, quia Pontifex opulentiſſimus erat factus, & iidem Galli, Comites & Marchiones cõſtituerant in ea, quemadmodum Longinus Exarchus, duces. Tandem poſt aliquot Pontificum è vita diſceſſum, perueniebat ad Pontificatum quidam patria Romanus, qui cum *os porci* vocaretur, mutato nomine, *Sergium* ſe appellabat, quod prius nomẽ eſſet obſcœnum, deditque hic anſam ſequentibus Pontificibus, cur electi nomina mutare ſoleant. Sed & Carolus interea mortuus erat, & hæredem Imperii reliquerat, Ludouicum filium. Quo ſimiliter vita defuncto, tantæ lites oriebantur inter liberos ipſius, vt nepotum deinde temporibus, Imperium Romanum à Gallis ad Germanos transferretur, fuitque primus Germanorum Imperatorum *Arnolphus* dictus. Nec vero Caroli familia Imperium Romanum tantum amittebat ob diſcordiam & odia inteſtina, verumetiam regnum Italiæ. Nam & Longobardi iterum animati, bello laceſſebant Pontificem populumque Romanum; & Pontifex cum neminem haberet, cuius ope & auxilio niteretur, neceſſitate coactus regem Italiæ creabat Berengarium, Fori Iulii Ducem. Addebant & Hunnis, qui in Pannonia commorabantur, animum iſtæ rerum vices, vt rurſum bellum mouerent Italiæ. Sed à Berengario repreſſi, in Pannoniam ſe recipiebant, ſeu Hungariam, ſic enim eam prouinciam ſuo nomine appella-

Paſchalis I. Pon. — *Initium dignitatis Cardinalitiæ.* — *Eugen. II. Pont.* — *Sergius Pont.* — *Ludouic. Imp.* — *Imperium Rom. à Gallis ad Germanos translatum.* — *Arnolphus I. Imp. Germanus* — *Berengar. Italiæ Rex.*

 uerant.

uerant. Præerat tum temporis Imperio Græcorum Romanus quidam nomine, qui Conſtantino illud ademerat, cum præfectus claſſis illius eſſet. Huic in ea commutatione & viciſſitudine rerum, Apulia ſimul & Calabria rebellabant, regiones Imperio illius ſubiectæ, vt ſupra demonſtrauimus. Itaque ira & indignatione percitus, Sarracenis permittebat, vt bello eas regiones impeterent: quas cum illi occupaſſent, Roma quoque potiri conabantur. Interim tamen Romani vrbem defendebant ſub Alberico Thuſciæ Duce, quem præfectum elegerant ad eam rem, quod Berẽgarius cum Hunnis eſſet occupatus. Soluta obſidione caſtellum extruebant Sarraceni in Gargano monte, vnde Apuliæ ſimul ac Calabriæ imperare poſſent pro arbitrio, reliquas Italiæ regiones depopulabantur. *Sic triſtis a- nodum facies erat Italiæ ea ætate, & ſtatus miſerrimus. Ab ea parte, qua Alpes reſpicit, ab Hunnis vexabatur: ab altera, qua Neapolim, à Sarracenis: durabatque ea calamitas per annos multos, ſub tribus Berengariis, qui ordine ſibi inuicem ſuccedebant.* Sed & ſtatus Pontificis, & Eccleſiæ maxime erat perturbatus, nec ab vllo habebat patrocinium, propter diſſenſionem principum, in Imperio Occidentali, & quod vires imperii Orientalis fractæ eſſent. Deuaſtabatur & vrbs Genua ab iiſdem Sarracenis. Piſæ incrementum ſumebant; quia multi è patria eiecti paſſim ad eam vrbem confugiebant, ſub annum Chriſti DCCCCXXXI.

Ottho I. Imp.
Agapet. II. Pōt.

Poſt vbi ad gubernacula Imperii Romani perueniſſet Ottho, Henrici & Mathildis filius, Saxoniæ Dux, homo prudens, rogabat eum Agapetus Pontifex, vt Italiam à tyrannide Berengariorum liberaret. Erat autem ad hunc modum diſtributa eo tempore: Longobardia regebatur à Berengario tertio, eiuſque filio Alberto: Thuſcia & Romandiola à præfecto quodam, quem Imperator Occidentalis ad eam rem deſignauerat: Apulia & Calabria partim Imperatori Græcorum ſuberant, partim Sarracenis. Romæ annuatim duo Conſules creabantur ex equeſtri dignitate, hi more maiorum Rempublic. illam gubernabant. Erat & præfectus quidam conſulibus adiunctus, qui rationem adminiſtrationis redderet populo: præterea collegium iudicum duodecim horum cura, vt ſingulis annis nouos præfectos conſtituerent locis Reipub. ſubiectis. Pontificis autoritas Romæ & in Italia magna erat, vel exigua, prout eum amabant Imperatores, & potentiſſimi quique. Ottho igitur Italiam ingreſſus, regnum Berengariis adimebat, quod illi iam LV. annos tenuerant, priſtina autoritate Pontifici reſtituta. Habebat hic Imperator filium & nepotem eiuſdem ſecum nominis, qui ordine in Imperio ei ſuccedebant. & tempore Otthonis III. Roma expellebatur à ciuibus Gregorius Pontifex. *Hunc quoniam idem Ottho reſtituebat priſtinæ ſuæ dignitati, cum in Italiam veniſſet, vt iniuriam ſibi illatam vlciſceretur Pontifex, omne ius & poteſtatem eligendi Imperatoris populo Romano adimebat, eamque ſex Principibus Germaniis concedebat, nimirum tribus Epiſcopis, Moguntinenſi, Treuerenſi, & Colonienſi, tribus item politicis principibus, Marchioni Brandeburgenſi, Palatino Rheni, & Duci Saxoniæ,* circa annum ſalutis MII. Quare Otthone tertio mortuo eligebatur ab electoribus in Imperatorem Henricus Bauariæ Dux, qui poſt annos XII à Stephano Pontifice, eius nominis VIII. imperiali diademate ornabatur. Vitæ autem innocentiſſimæ erant Henricus & S. Meuntha vxor illius, quod ex multis templis apparet, quæ vel de nouo ab iis ſunt extructa, vel liberaliter dotata: eſtque ex eorum numero templum S. Miniati iuxta Florentiam. Moriebatur anno ſalutis MXXIV. ſuccedente ei Cunrado Sueuo, cui rurſus Henricus ſecundus ſuccedebat: Qui Romam veniens, cum ſchiſma eſſet exortum, & tres eſſent numero Pontifices, remotis iis, Clementem in Pontificem eligebat, eius nominis II. à quo etiam Imperii diadema tulit. Regebatur eo tempore Italia partim democratia, partim à Regulis, partim denique ab iis, quos ad eam rem Imperator deſignauerat, quorum primus, & in dignitate maxima cōſtitutus, Cancellarius vocabatur. Inter principes omnium potentiſſimus erat Godefredus quidam, cui vxor erat Mathildis, nata ex Beatrice ſorore Henrici ſecundi. Tenebat enim Lucam, Parmam, Regium, Lepidum, Mantuam, totumque illum tractum, quem hodie *patrimonium Petri* vocant. Pontificibus ambitio ac faſtus populi Romani multum oberat. Cum enim populus vltro ſeſe antea ſubieciſſet illorum poteſtati, vt iugum ab Imperatoribus impoſitum excuteret, vrbis Romanæ dominium nactus, etiam eos inceperat odiſſe, & plus iis damni dabat, quam quiſquam alius princeps Chriſtianus. Iam vero Pontifices cenſura ſua toti Occidenti erant terrori, & hoc vnum agebatur inter eos & populum Romanũ, vt alter vires alterius frangeret, ſuas adaugeret. Quemadmodum itaque Gregorius V. Ius omne eligendi Imperatoris populo antea ademerat, ſic cum ad Pontificatum perueniſſet Nicolaus II. cauebat, ne in Pontificum quidem electione idem populus Romanus deinceps iuris aliquid haberet, omni illa autoritate Cardinalibus conceſſa. Quin etiam à Calabriæ & Apuliæ ducibus adiutus, eos qui nomine populi Romani magiſtratu aliquo fungebantur, iuramento obſtringebat, ad obedientiam Pontificibus præſtandam, nonnullos eorum ab officiis ſemouebat. Extincto hoc Pontifice, ſequebatur ſchiſma in Eccleſia. quia Clerus Longobardiæ negabat ſe ſubiectum eſſe Imperio Alexandri II. & alium ſibi creauerat Pontificem, Gadolum Parmenſem. Sed oderat Henricus potentiam Pontificum, & ab Alexandro petebat, vt Pontificatui renunciaret, deinde Cardinales in Germaniam proficiſci iubebat noui Pontificis creandi cauſa: Itaque Henricus ille primus omnium ex Imperatoribus Romanis, vim & potentiam gladii ſpiritualis experiebatur. Cogebat enim Concilium Pontifex in vrbe Roma, eumque priuabat tam imperio, quam regno, & alii Italiæ populi Pontificis ſequebantur partes, alii Henrici: deniq; ea res Guelphis & Gibellinis occaſionem dabat,

Grego. V. Pont.
Electorum in Imperio origo.
Henric II. Imp.
Steph. VIII. Pōt.
Conrad. II Imp.
Henr III. Imp.
Schiſma.
Clem. II. Pont.
Nicol II. Pont.
Dignitas Cardinalium confirmata
Schiſma.
Alexand. II. Pōt.
Imperator dignitate ſua priuatus à Pont. Romano.

ſtabat, & vt Italia alioquin à colluuie barbarorum libera inteſtino bello conficeretur, ſeque ipſam peſſundaret. Ad eum modum excommunicatus Henricus, cogebatur à ſubditis, vt in Italiam profectus ſupplex fieret Pontifici, veniamque peteret admiſſi erroris, Anno Chriſti M.LXXX. Paulo poſt iterum oriebatur diſſenſio inter illum & Pontificem, rurſumque excommunicabatur Henricus, vt antea; verum nihili faciebat fulmen hoc Pontificium: imo filium, cui ſimiliter Henrico erat nomen, Romam mittebat cum exercitu, vbi adiutus à populo Romano, tantiſper obſidione premebat Pontificem in caſtro eius vrbis, donec Robertus Guiſcardus ex Apulia obſeſſo ferret opem: hoc enim adueniente Henricus in Germaniam ſeſe recipiebat. Cum autem populus Romanus nihilominus ſuo in propoſito perſeueraret, iterum deuaſtabatur Roma à Roberto, & ad priſtinas redigebatur ruinas, à quibus vixdum multis à Pontificibus ante fuerat vindicata. Et quoniam hic Robertus nouam formam gubernationis inſtituit in regno Neapolitano, haud præter rem me facturum exiſtimo, ſi familiam eius & res geſtas expoſuero aliquanto diligentius.

Quo tempore inter ſe rixabantur hæredes Caroli Magni, vt ſupra demonſtratum eſt, occaſionem ſumebant noui populi Septentrionales, *Normandi* nomine, impetum in Galliam faciundi, & partem illius occupabant, quæ iam *Normandia* dicitur. Poſt aliqui illorum venerunt in Italiam, cum Berengarii, Sarraceni & Hunni eam prouinciam deuaſtarent, & Romandiolæ partem occuparunt, in qua etiam toto tempore illius belli ſtrenue ſe ſunt tutati. Erat inter principes iſtorum Normandorum quidam *Tancredus* nomine, plures habebat filios, quorum vnus Guilielmus appellabatur, cognomento *Ferabar*, alter Robertus Guiſcardus. Peruenerat autem gubernatio ad Guilelmum: iamque magna ex parte pax erat reſtituta Italiæ, niſi quod Sarraceni adhuc Siciliam tenebant, & Italiam littoralem infeſtabant. Itaque fœdere inito inter Guilelmum & Capuæ Ducem, itemque Ducem Salernitanum, & Meloreum Græcum, qui Græci Imperatoris titulo, Apuliæ & Calabriæ præerat: conueniebat inter eos, vt bellum Siciliæ inferrent, & ſi victoria potirentur, cuique illorum prædæ & regionis acceptæ pars quarta cederet. Reſpondebat conſilio euentus, & Sicilia occupabatur, Sarracenis eiectis; Sed Meloreus è Græcia clam accerſito milite, paulo poſt eam inſulam totam in clientelam Imperatoris ſui accipiebat, prædam tantummodo diuidebat cum ſociis. Hanc eius diſtributionem etſi indigniſſime ferret Guilelmus, vindictam tamen in commodius tempus differebat. Nam poſtea è Sicilia diſcedens cum Duce Salernitano & Capuano, vbi illis iam valedixiſſet, ſeque domum illi reciperent, non in Romandiolam reuertebatur ipſe, ſed Apuliam verſus ducebat exercitum ſuum, & Amalpha occupata, inde exiguo temporis ſpacio vniuerſa fere Apulia & Calabria potiebatur, vel inuito Imperatore Græcorum. His igitur prouinciis tempore Nicolai II. imperabat Robertus Guilelmi frater, cumque multas lites habuiſſet cum nepotibus illius, actione familiæ hereiſcundæ, vſus eſt ea in re arbitrio Pontifice, eoque facilior erat Pontifex ad agendas Roberti partes, vt & contra Imperatores Germanos, & aduerſum inſolentiam populi Romani ab eodem defenderetur, quemadmodum & paulo ante oſtendi, quo pacto inuitatus à Gregorio VII. Henricum coegerit, vt vrbem Romam, quam obſidione cinxerat, relinqueret, & quo pacto populum Romanum redegerit ſub iugum. Succeſſere Roberto Rugerius & Guilelmus filii, quibus ſe coniungebant Neapolitani, totusque ille tractus, qui eſt à Neapoli Romam vſque præterea Sicilia, quam occupabat Rugerius. Capiebatur deinde Guilielmus à Rugerio Conſtantinopolim proficiſcens, nimirum vt filiam Imperatoris in vxorem duceret, ac ſpoliabatur omni dominio & iuriſdictione, eaque re tantopere efferebatur Rugerius, vt principio Rex Italiæ vocari voluerit, poſt titulo Regis Apuliæ & Siciliæ contentus, primus omnium eam gubernationis formam introduxit in eo regno, qua etiamnum hodie vtitur, antiquis ſuis finibus & limitibus concluſum, tametſi ſæpe admodum mutauerit cum familias, tum etiam gubernatores. Cum enim ſtirps Normandorum principum in eo finem haberet, gubernatum fuit primum à Germanis, poſt à Gallis, præterea à regibus Arragoniæ: noſtra denique ætate à Belgis regitur. Peruenerat interea ad dignitatem Pontificiam Vrbanus Secundus, qui exoſus populo Romano, cum arbitraretur ſe vix tuto degere poſſe in Italia propter diſſenſiones ac bella inteſtina, dignam laude rem aggrediebatur. Nam in Galliam profectus, cum vniuerſo clero, diuerſiſque populis conuocatis, Antuerpiæ comitia celebrabat: vbi elegantiſſima oratione eos hortabatur ad bellum infidelibus inferendum. Atque ita ſane ea commouebat omnium animos, vt protinus deliberaretur de ducendo exercitu in Aſiam aduerſus Sarracenos, fuitque expeditio hæc cum aliis ſimilibus, *Crucigerorum* appellata, quod omnes qui in ea militarent, rubram crucem haberent, vel in armis vel in veſte. Principes eius erant Godofredus, Euſtachius, Alduinus Bulgenſis, Comites Bononiæ, ac Eremita quidam, nomine Petrus, vitæ ſanctimonia & prudentia clarus, multique reges ac populi liberaliſſ. contribuebant ad eam, multi etiam priuati gratis & ſine ſtipendiis militabant, tantum nimirum poterat eo tempore in animis hominum religio, præterquam quod & eorum exemplo mouerentur, qui autores erant huius expeditionis, & duces. Ac initio

Normandia.

Vrbanus II. Pont.

Expeditio Marianorum contra hoſtes fidei Chriſtianæ.

Militum Hieroſolymitanorum & Templariorum ordo.

quidem glorioſiſſima erat expeditio hæc: tota enim Aſia minor, Syria & Ægypti pars, Imperio Chriſtianorum per eam acceſſit; fuit etiam cauſa & occaſio conſtituendi ordinis equitum Hieroſolymitanorum, qui hodie adhuc ſuperſunt, Rhodumque tenent, vnicum obſtaculum aduerſus vim & potentiam Mahometanam. Naſcebatur quoque inde Templariorum ordo: ſed is propter vitæ & morum turpitudinem, paulo poſt extinctus eſt. Denique multa & varia ſunt ſecuta ex hac expeditione, diuerſis temporibus vel à totis populis, vel à certis quibusdam hominibus, laude & poſteritate digna. Ferebant ad eam opem Galliarum & Angliæ Reges, præterea Piſani, Veneti, & Genuenſes: ac ſatis feliciter pugnabatur vſque ad tempora Saladini Sarraceni, cuius tandem virtus, vna cum diſcordia Chriſtianorum omnem laudem atque gloriam adimebat militibus iſtis, quam glorioſe ſibi initio comparauerant, fueruntque poſt annos XC. omnibus ijs regionibus eiecti, quas tanto cum honore & felicitate conſecuti erant.

Paſchalis II. Pont.
Henricus IV. & V. Imp.

Vrbano Pontifici ſucceſſit Paſchalis II. in Imperio Henricus IV. Is Romam veniens, initio ſimulabat mira beneuolentia ſe complecti Pontificem, poſt illum cum vniuerſo clero coniiciebat in carcerem, nec prius inde liberabat, quam ei concederetur, vt de Eccleſijs Germaniæ ſuo pro arbitrio & voluntate ſtatuere poſſet. Moriebatur quoque ſub id tempus Comitiſſa Mathildis, bonis omnibus Eccleſiæ Romanæ relictis. Mortuo deinde Paſchale & Henrico, plures ſequebantur tum Pontifices tum Imperatores,

Alexander III.
Fredericus I. Barbaroſſa cognomento, Imp.

vſque ad Pontificatum Alexandri III. & imperium Frederici Sueui, cognomento *Barbaroſſæ*. Fuerant autem (vt oſtenſum eſt) ab hinc multis annis maximæ ſimultates & diſcordiæ inter Pontifices, Imperatores, & populum Romanum: Hæ igitur ſub hoc Imperatore magis atque magis adaugebantur. Erat is exercitatiſſimus in re militari, ac indigniſſime ferebat Pontificum autoritatem: Electus tamen in Imperatorem, Romam veniebat, vt diademate Imperiali ornaretur, reuertebatur etiam inde pacifice in Germaniam. Sed non diu admodum perſeuerabat in eo animi propoſito, quin mox redibat in Italiam, vt de Longobardis quibuſdam ſumeret ſupplicium, quod imperium eius detrectaſſent. Peropportune eo tempore Cardinalis S. Clementis, patria Romanus, ab Alexandro ſe ſeiunxerat, fueratque à nonnullis Cardinalibus in Pontificem creatus.

Schiſma.

Itaque cum ad Parmam ciuitatem in caſtris degeret Fredericus, conquerebatur apud illum Alexander de Antipapa, cui hoc reſponſi dabat Fredericus, vt ambo ſimul Antipapam quærerent, poſt ſe definiturum, vter illorum verus eſſet Pontifex, necne. Hoc reſponſum cum Alexandro diſpliceret, Imperatorem excommunicabat, tanquam ad noui Pontificis partes inclinatum, ipſe ad Philippum Regem in Gallias confugiebat. Sed nihilominus cœptum bellum proſequebatur in Longobardia Imperator, & Mediolanum expugnabat. Veronenſes, Patauini, ac Vincentini, vires ſuas coniungebant, quo ſe aduerſus eum defenderent. Deinde nouus Pontifex extinguebatur, eiusque in locum ſubrogabat Fredericus Guidum Cremonenſem, iamque ſeſe aliquantulum recollegerat populus Romanus, Pontifice abſente, & Imperatore bello Longobardico occupato, eamque autoritatem receperat in vrbe, vt iterum ſub poteſtatem ſuam vocaret eas ciuitates, quibus olim imperauerat: Et quoniam Tuſculani detrectabant imperium illius, vi eos conabatur ſub iugum reducere: verum cum Tuſculanis auxilium ferret Fredericus, reprimebatur ab ijſdem tanta ſtrage, vt Roma deinceps nunquam adeo fuerit populoſa atque potens. Dum hæc geruntur, reuerſus erat in vrbem Alexander Pontifex, exiſtimans tuto ſe in ea poſſe commorari, quod inimicitiæ eſſent inter populum Romanum ac Fredericum, & quod ille plures alios in Longobardia haberet hoſtes: verum nihil mouebatur Fridericus iis rebus, quin recta caſtrametabatur ad vrbem Romam. Quare Alexander in Apuliam fugiebat ad Guilelmum, regem & hæredem regni illius, poſt obitum Rugerii. Fredericum peſtis cogebat ſoluere obſidionem, atque in Germaniam reuerti. Qui ex Longobardis Frederici hoſtes erant, quo Ticinum & Tortonam vrbes imperio ſuo ſubiicerent, Imperatoris partes ſecutas, & tunc etiam militem ipſius in præſidijs habentes, nouam vrbem extruebant, receptaculum vniuerſi illius

Vrbis Alexandriæ initium.

belli, quam Alexandriam nominabant, partim in honorem Alexandri Pontificis, partim in ignominiam Frederici. Moriebatur autem & Guido Antipapa, cui ſubrogabatur Ioannes de Firmo, deſignata ei ſede Pontificia in monte Faliſco, ab iis qui Imperatoris ſequebantur partes. Alexander Pontifex Tuſculum conceſſerat, vocatus ab inquilinis eius ciuitatis, vt autoritate ſua eos aduerſum populum Romanum tutaretur.

Hoc igitur in loco eum reperiebant Henrici Angliæ Regis Legati, miſſi ad eum, vt ſuſpicionem, qua Rex illorum grauabatur ob interfectum Thomam Cantuariæ Epiſcopum, amouerent, vtque oſtenderent regem extra culpam eſſe. Itaque Cardinales duos cum iis mittebat in Angliam Pontifex, qui rem omnem, vt geſta eſſet, cognoſcerent. Et quanquam non deprehendebant regem in manifeſta culpa, quia tamen magnum ſcelus erat admiſſum aduerſus tantum virum, pœnitentiæ loco illi iniungebant, vt conuocatis regni vniuerſi baronibus, iureiurando ſe coram iis purgaret, non eſſe tale homicidium commiſſum ſuo inſtinctu aut voluntate. Præterea vt milites CC. ſine mora mitteret Hieroſolymam, numerato ijs ſtipendio vnius anni, & ipſe deinde collecto quando poſſet exercitu, intra annos tres etiam eo proficiſceretur, vt reſcinderet omnia quæ in eodem ſuo regno, in inuidiam & præiudicium libertatis Eccleſiaſticæ conſtituiſſet: poſtremo, vt ſubditis quandocunque vellent, prouocandi ad Pontificem Romanum copiam poteſtatemque concederet. *Quæ omnia rex pollicebatur ſe facturum, ſeque iudicio iſtorum hominum ſubmittebat, quorum hodie ne priuatim quidem*

ciuitati ſe ſubmitteret. Etſi igitur magna erat tum autoritas Pontificis apud exteros principes, non tamen poterat populum Romanum ad obedientiam reducere, nec vlla ratione ab eodem impetrare, vt in vrbem reciperetur: tametſi promitteret, nullam aliarum quam Eccleſiaſticarum rerum curam ſe habiturum. Plerunque enim fit, vt ea magis metuamus, quæ remotiora à nobis ſunt, quam quæ propinqua, & ob oculos quodammodo verſantur. Reuertebatur etiam in Italiam Fridericus, bellumque mouebat Pontifici: ſed admonebatur à proceribus ſuis, vt in gratiam Eccleſiæ rediret, futurum enim alioquin aiebant, vt ipſi quoque eum desererent. Sic coactus Fridericus in vrbem Venetam ſe conferebat, vbi pace cum Pontifice inita, omni autoritate & iuriſdictione, quam habebat in vrbe Romana, ab eodem priuabatur: & Pontifex Guilelmum Siciliæ ac Apuliæ regem fœdere ſibi iungebat. Erat autem ea natura Fridericus, vt quiete & ſine bello viuere vix poſſet. Quare vt cupiditatibus ſuis ſatisfaceret, in Aſiam expeditionem parabat, contra Mahometanos, cum aduerſus vicarios Chriſti non potuiſſet. Verum in ea expeditione, cum ad Cydnum flumium veniens aquæ limpiditate pellectus, lauiſſet, morbumque ſibi inde contraxiſſet, vitam amiſit, & plus proderat Mahometanis illa aqua, quam Chriſtianis excommunicatio: hæc enim tantummodo coercebat iram ac cupiditatem hoſtis, illa prorſus extinguebat. Mortuo Friderico, teſtabat Pontifici, vt populum Romanum iterum ſub imperium ſuum & iuriſdictionem redigeret, cumque multum inter eos diſceptaretur de creatione conſulum, placuit tandem, vt iuxta veterem morem populus eos eligeret: ita tamen, ne illi magiſtratum inirent, niſi præſtito prius iuramento, ſe Eccleſiæ fidem defenſuros, feceruntque hæc pacis conditio inter eos, vt Ioannes Antipapa in montem Albanum ſe reciperet, quo etiam in loco poſtea expirauit. Moriebatur & ſub id tempus Guilelmus Neapolis rex, & Pontifex Romanus conabatur occupare illud regnum, quia Guilelmus nullum reliquerat hæredem, præterquam Tancredum filium illegitime natum: Interim proceres illius regni Pontifici ſe opponebant, & Tancredum eligebant regem. Quo igitur Tancredo regnum eriperet Pontifex Celeſtinus, eius nominis III. efficiebat, vt in Imperatorem Romanum eligeretur Henricus, Friderici demortui filius, eique regnum illud promittebat, ſi eas regiones reſtitueret Eccleſiæ, quas pater abſtulerat. Atque vt facilius perficeretur ea res, Conſtantiam Guilelmi demortui filiam, Deo dicatam, & iam ſenio confectam, è cœnobio vocabat, eamque in matrimonium locabat Henrico. Quo facto auferebatur regnum Neapolitanum Normandis, & ad Germanos perueniebat. Statim igitur vt res ſuas compoſuit Henricus in Germania, veniebat in Italiam cum vxore Conſtantia, & filiolo quatuor annorum, Friderico nomine, occupabatque regnum Neapolitanum, nemine propemodum repugnante. Iam enim diem ſuum obierat Tancredus, relicto infante filiolo, cui nomen Rugerio. Annis deinde aliquot interiectis moriebatur quoque Henricus in Sicilia, filium & hæredem eius regni relinquens Fridericum, in Imperio ſequebatur Ottho Saxoniæ Dux, ope & amicitia Innocentii III. Pontificis. Sed is malam gratiam referebat Pontifici: quamprimum enim diademate imperiali ab eo fuit ornatus, præter omnem expectationem bellum ei mouebat: occupabat Romandiolam, & hoc vnum agebat, vt Neapoli quoque potiretur. Quamobrem à Pontifice fulmine excommunicationis ictus, ab omnibus deſerebatur, & Electores illius in locum eligebant Imperatorem Fridericum, Neapolis regem. Hic licet Romam veniret, vt Imperator coronaretur, negabat tamen Pontifex ſe id facturum, quod potentiam eius metueret. Quin etiam Italia eum expellere conabatur, quemadmodum Otthonem antea eiecerat. Quare ita percitus Fridericus in Germaniam ſe recipiebat, commiſſiſque cum Otthone aliquot pugnis, tandem victoria potiebatur. Interea diem ſuum obibat Innocentius Pontifex, qui præter alia multa, quæ viuens laudabiliter geſſit, etiam Xenodochion S. Spiritus conſtruxit in vrbe Roma, eique ſuccedebat in Pontificatu Honorius III. ſub quo ordo Dominicanorum & Franciſcanorum habuit initium. Anno M.CC.XVIII. Ab hoc igitur Pontifice diadema imperiale conſequebatur Fridericus: ac Ioannes ex Baldouini ſtirpe prognatus, & Hieroſolymæ Rex dictus, quod iis, qui in Aſia doctrinam Chriſti adhuc profitebantur, præeſſet, vnam ex filiabus ſuis in vxorem dabat Friderico, & ſimul cum dote titulum gubernationis eiusdem regni, vnde omnes poſtea Reges Neapolitani titulum Regis Hieroſolymæ ſibi vendicarunt. In Italia is ſtatus rerum erat eo tempore, Romæ deſierant eſſe conſules, & loco illorum nunc vnus aliquis tantum ſenator creabatur, nunc plures, quorum eadem erat autoritas, quæ conſulum ante fuerat. Durabat fœdus, quod ciuitates Longobardiæ inierant aduerſum Fridericum Barbaroſſam, puta Mediolanum, Brixia, Mantua, cum maiore parte ciuitatum Romandiolæ, Verona præterea, Vicentia, Padua & Teruiſium. Cæſaris partes ſequebantur Cremona, Bergamum, Parma, Regium, Mutina, Tridentum. Aliæ ciuitates & oppida Longobardiæ, Romandiolæ ac Marchiæ Teruiſianæ, neutri factioni penitus addictæ erant: ſed vt occaſio ferebat, modo huius ſequebantur partes, modo alterius.

Ius quod in vrbe Roma habebat Imperator, per Pontificem ei adimitur.

Celeſtinus III. Pont.

Henricus VI. Imp.

Monialis nubit.

Ottho IV. Imp. Innocentius III. Pont.

Neapolis Reges ſunt etiam Reges Hieroſolymæ.

Venerat in Italiam tempore Otthonis III. Ezelinus quidam, cui adhuc nepos erat ſuperſtes ex filio eodem nomine, homo potentiſſimus opulentiſſimusque. Hic quoniam Friderico à Pontifice excommunicato ſe adiunxerat, vbi in Italiam veniebat Fridericus, ope illius Marchia ſimul ac Verona potiebatur. Deuaſtabat Vicentiam, Patauium occupabat, profligabat exercitum

citum confœderatarum ciuitatum, poſt ſuum in Thuſciam ducebat. Interea Ezelinus ex altera parte ſubiugabat Marchiam Teruiſianam, vna Ferraria excepta, quæ ab Azone Eſtenſi defendebatur, iiſque militibus, quos in Longobardia adhuc habebat Pontifex. Quod quidem ob beneficium, ciuitas illa obſidione liberata, in feudum concedebatur a Pontifice eidem Azoni, à quo etiam noſtra hac ætate Ferrariæ duces originem ſuam deducunt. Fredericus igitur in Thuſciam profectus cum exercitu ſuo, confidebat Piſis, firma ſpe & opinione, poſſe ſe vniuerſa Thuſcia potiri. Atque vt intelligeret, quinam in ea regione eſſent partium ipſius, vel non, ſpargebat ſemina diſcordiæ inter incolas, vnde maxima calamitas ſequebatur, & totius Italiæ ruina. Adaugebantur enim ob eam, & incrementum maximum capiebant Guelphorum & Gibellinorum factiones, & Guelphi vocabantur, qui Eccleſiæ Romanæ ſequebantur partes: Gibellini, qui Imperatoris, primumque omnium Piſtorii fuere audita hæc eorum nomina. Educebat deinde exercitum ſuum ex vrbe Piſana Fredericus, & depopulabatur ditiones Eccleſiæ ſubiectas. Itaque Pontifex quia nullum aliud habebat remedium, quo malum hoc depelleret, ſpem certiſſimam ſalutis faciebat his, qui aduerſus hunc eius hoſtem arma ſumerent, quod idem anteceſſores illius aduerſus Sarracenos fecerant. Contra Fredericus ne ex improuiſo à milite deſereretur, quemadmodum Barbaroſſæ olim acciderat, & aliis Imperatoribus, Sarracenos quamplurimos conducebat, quos vt fide & beneuolentia ſibi deuinciret, & vt munimentum conſtitueret in Italia aduerſus Pontificiam dignitatem, quodue nihil metueret excommunicationis fulmen, Nuceriam regni Neapolitani vrbem iis donabat, quo certum aliquod firmumque refugium nacti, diligentius & ſecurius partes illius defenderent. Peruenerat iam ad Pontificatum Innocentius quartus, is, quoniam a Frederico ſibi metuebat, Genuam proficiſcebatur, inde in Galliam, vbi concilium cogebat Lugduni. Statuerat & Fredericus eo proficiſci, verum impediebatur obſidione Parmenſi, & coactus eam ſoluere, in Thuſciam ſe recipiebat, ex qua porro in Siciliam cum claſſe profectus, moriebatur, relicto in Sueuia Cunrado filio legitimo, in Apulia Manfredo ex concubina nato, quem Beneuenti Ducem fecerat. Ex his regnum occupaturus Cunradus, vbi Neapolim appulit, ipſe quoque deſinit eſſe in humanis, filium infantem relinquens in Germania Conradinum nomine. Itaque Manfredus primum vt legitimus tutor Conradini, regnum illud occupabat, poſt affirmans mortuum eſſe Conradinum, ipſe ſibi retinebat illud inuito Pontifice, & cogebat incolas regni vt ſe pro rege agnoſcerent. Dum hæc geruntur, ingens bellum oritur in Longobardia inter Guelphos & Gibellinos. Stabat à partibus Guelphorum legatus quidam Pontificius, à parte Gibellinorum Ezelinus, cuius ſub dominio & iuriſdictione erat tota illa Longobardiæ pars, quæ vltra Padum fluuium extenditur. Et quouiam etiam vrbs Patauina aduerſabatur huic Ezelino, eo bello interficiebantur XIIM. Patauinorum, ipſe quoque expirabat nondum bello finito, anno ætatis ſuæ XXX. & loca quibus imperauerat, libertatem iterum conſequebantur.

Origo Ducum Ferrariæ.

Guelphorum & Gibellinorum factio.

Innocentius IV. Pont.

Perſequebatur Manfredus Neapolis Rex, inimicitiam aduerſum Eccleſiam Romanam, more maiorum ſuorum, & miſere vexabat Pontificem illius temporis Vrbanum quartum, qui cruce (vt vocant) contra illum data, Peruſiam ſe recipiebat, copias auxiliares præſtolaturus. Cum autem illæ exiguæ eſſent, nec admodum inſtructæ, & tardius venirent, quam ab eo expectarentur, ratus maiore milite opus ad opprimendum Manfredum, è Galliis eum petebat: creatoque in regem Siciliæ ac Neapolis Carolo Angio, Ludouici Galliarum regis fratre, eundem hortabatur, vt primo quoque tempore arriperet iter in Italiam, & regnum illud occuparet. Sed priusquam Carolus Romam veniret, Pontifex erat mortuus, eique ſucceſſerat Clemens quartus, quando Carolus Oſtiam appellebat triremibus XXX. reliquo exercitu terreſtri itinere adducto: cumque Romæ aliquantulum commoraretur, ſenator creabatur à populo Romano, amoris & beneuolentiæ ergo, & Pontifex ei in feudum concedebat regnum Neapolitanum, ea tamen lege & pacto, vt ob hoc beneficium annis ſingulis perſolueret Eccleſiæ Romanæ Florenorum millia L. Cauebat præterea decreto, ne vel ille vel alius quiſpiam regum Neapolitanorum deinceps in Imperatorem Romanum eligeretur. Carolus igitur commiſſa pugna cum Manfredo, exercitum illius ſuperabat, interfecto ipſo ad Beneuentum vrbem, & Sicilia ſimul & regno Neapolitano potiebatur. Sed & Conradinus, cui ex teſtamento paterno regnum illud ceſſerat, Germanum militem ducebat in Italiam aduerſus Carolum, & de ſumma rei certans primum coniiciebatur in fugam, poſt cognitus interficiebatur. Rurſum itaque pax & tranquillitas reſtituebatur Italiæ, vſque ad Hadriani V. Pontificatum. Cum enim tunc Romæ degeret Carolus, atque vt Senator eam vrbem gubernaret, indigniſſime ferebat imperium eius Pontifex, ac Viterbium aulam ſuam transferens, Rudolphum Imperatorem vocabat contra Carolum. Ita ſemper attraxerunt in Italiam exteras gentes Pontifices Romani, religionis vel ambitionis ſtudio impulſi, & nouorum bellorum fuere autores. Sed ſtatim vbi aliquem principem ditaſſent, facti eos pœnitebat, omnemq; lapidem mouebant, vt ab eo dignitatis gradu, quem collocarunt, eundẽ rurſum deiicerent. Nec vnq̃ permittebant, vt q̃ illi prouinciã vi & potentia ſua defendere nõ poſſent, ea ab alio quouis tuto ac tranquille poſſideret. Deniq; nihil metuebãt alios principes, & vel armis ſibi cõſulebãt, vel fuga niſi dolo forte opprimerent, q̃madmodũ Bonifa-

Vrbanus IV. Pont.

Clemens IV. Pont.

Reges Neapolis non poſſunt eſſe Imp. Romani.

Hadrianus V. Pont.

Rudolphus Imp.

Bonifacio VIII. accidit, aliisque multis, qui amicitiæ quodam prætextu ab Imperatoribus ſunt capti. Cæterum non veniebat in Italiam Rudolphus, quia bello Bohemico impediebatur.

Mortuus erat interea Adrianus Pontifex eiusque locum in ſucceſſerat Nicolaus III. ex Vrſinorum familia, homo audax & ambitioſus, qui cum modis omnibus tentaret Caroli potentiam frangere, efficiebat, vt Rudolphus Imperator indigne ferret Carolum in Thuſcia habere gubernatorem, Guelphorum nomine poſt mortem Manfredi eo miſſum. Quare Carolus præfectos ſuos reuocabat, & Pontifex Cardinalem quendam ex nepotibus ſuis ſubrogabat, qui Imperij nomine ei regioni præeſſet. Imperator vero ne ingratus videretur erga Pontificem, ob beneficium ab eo acceptum, iterum reſtituebat iuriſdictioni illius Romandiolam, quam anteceſſores eius abſtulerant, & Pontifex Ducem ei regioni præficiebat Bertoldum Vrſinum. Iamque occaſionem nactus experiundi fortunam ſuam cum Carolo, dignitate ſenatoria eum priuabat, decreto facto, ne quis regia ſtirpe prognatus, dignitate illa Romæ amplius frueretur. Quin etiam Siciliam ei adimere conabatur, eamque ob rem conſilia inibat cum Petro Arragoniæ Rege, quæ poſtea ſub ſequenti Pontifice effectum ſuum conſequebantur. Volebat præterea creare duos Reges ex familia ſua, alterum Longobardiæ, alterum Thuſciæ, quorum potentia & ope Eccleſia Romana defenderetur à Germanis, qui iam diu impetum facere conabantur in Italiam, & à Gallis, qui regnum Neapolitanum tenebant. *Quæ omnia aliaque dum moliebatur, diem ſuum obibat, fuitque hic primus omnium Pontifex, qui ambitionem ſuam palam ac aperte oſtenderet, quique hoc vnum agebat, vt familiam ſuam eueheret titulo & prætextu Eccleſiæ.* Ac quemadmodum antehac nulla vnquam facta eſt mentio nepotum aut cognatorum alicuius Pontificis Romani, ſic deinceps plena erit hiſtoria noſtra illorum hominum, ita vt etiam de filiis ipſorum operæ precium fuerit nobis verba facere. *Neque enim in alio quoquam magis laborabant Pontifices, noſtram vſque ad ætatem, quam vt huiuſmodi cognatos ſuos principes poſt ſe relinquerent, & Pontificia dignitas iure hereditario ad eoſdem deuolueretur.* Nunquam tamen diu durarunt iſti principatus & dignitates Pontificiorum cognatorum, vel quod ipſi Pontifices plerunque deſinerent eſſe in viuis, antequam eos confirmarent, vel etiamſi confirmaſſent, eo tamen in ſtatu relinquerent, vt aduerſus potentiam & impetum aliorum ſeſe defendere non poſſent. Sequebatur Nicolaum Martinus IV. qui cum Gallus eſſet natione, Caroli partes defendebat. Carolus vt contra illi gratificaretur, exercitum mittebat in Romandiolam, quæ iam rebellauerat aliquantulum Pontifici, cumque ad Forum caſtra eſſet metatus, Guido Bonatus Aſtrologus certum horæ momentum deſignabat ciuibus ſuis, quo cum illi excurrerent, & in hoſtem impetum facerent, Galli omnes ab iis interficiebantur vel ducebantur captiui. Sortiebantur & eodem tempore effectum ſuum conſilia Nicolai Pontificis demortui, & Petri Arragoniæ Regis: nam huius ope & auxilio ſimiliter interficiebantur à Siculis Galli omnes, qui in ea inſula erant, eamque occupabat Petrus, ac iure optimo ad ſe pertinere aiebat, quod Conſtantiam Manfredi filiam haberet vxorem. Colligebat & Carolus exercitum, vt eam inſulam recuperaret, verum morte præueniebatur, relicto filio Carolo ſecundo, qui in eodem bello ante in Sicilia fuerat captus, & vt liberaretur captiuitate, fidem dederat redìturum ſe in Siciliam, niſi intra annos tres impetraſſet à Pontifice, vt regibus Arragoniæ ea inſula in feudum concederetur. Rudolphus Imperator in Italia expectabatur, vt veterem Imperij dignitatem in ea inſtauraret, ſed oratorem tantum mittebat eo, cum mandatis, vt omnes ciuitates quæ ſe in priſtinum Imperii ſtatum vindicaſſent, liberas & immunes pronunciaret. Ita plures iugum ab aliis ſibi impoſitum excutiebant, & cum libertate priorem Reipub. formam permutabant.

Nicolaus III. Imp.

Martinus IV. Pont.

Veſpera Sicula.

Succedebat Rudolpho in Imperio Adolphus, Pontifici Petrus de Murone, *Papa Cæleſtinus* dictus: Hic cum eſſet Eremita, & vitæ ſanctimonia clareret, poſt menſes VI. dignitati Pontificiæ renunciabat, eiusque in locum ſubrogabatur Bonifacius VIII. Iam vero in fatis erat, vt Italia Germanis & Gallis liberata à ſuis adminiſtraretur tantum, ac Pontifex vltra montanorum auxilio deſtitutus, potentia ſua vti amplius non poſſet. Quare incipiebant in vrbe Romana florere duæ potentiſſimæ familiæ, Columnenſes & Vrſini, qui & vicinitate ſua & potentia dignitatem Pontificiam intra limites ſuos continerent, prohiberentque ne in immenſum excreſceret. Quod cum Bonifacius vereretur eos facturos, conabatur omnibus modis familiam Columnenſium extinguere, nec ſolum eam excommunicationis fulmine terrebat, verum etiam crucem (vt vocant) contra eum dabat. Quæ res etſi moleſtiſſima erat Columnenſibus, plus tamen Eccleſiæ Romanæ oberat, quam ipſis. Nam & arma illa, quæ ob amorem fidei Chriſtianæ plurimum potuerant antea apud omnes, vbi propria ambitione & faſtu, Pontifices aduerſus ipſosmet Chriſtianos iis vterentur, hebetabantur & officium ſuum recuſabant. *Denique nihil ita fregit Pontificum autoritatem & imperium, quam propria libido & dominandi cupiditas.* Priuabat præterea Bonifacius duos ex eadem familia Columnenſium dignitate Cardinalitia. Cumque Sciarra quidam, præcipuus ex ea familia, prius Pontifici ignotus, fugam arriperet, captus in ea à piratis Catelanis, & ad triremes condemnatus, cognitus à nautis, è Maſſilia Philippo Galliarum regi mittebatur. Qui cum ipſe quoque excommunicatus eſſet à Pontifice, & regno Neapolitano priuatus, haud ignora-

Adolphus Imp. Cæleſtinus V. Pont.

Columnenſium & Vrſinorum familia.

ignorabat, quam difficile eſſet belligerari aduerſus Pontifices Romanos, quod qui id faceret, ſuccumberet plerumque: aut ſi vinceret, magno tamen cum periculo potiretur victoria: & aſtu quodam agendum ſibi putabat, quaſi in gratiam cum Pontifice rediturus. Sciarram igitur in Italiam clam ablegabat; qui cum Anagniam veniſſet, & Pontificem in ea vrbe reperiret, conuocatis aliquot amicis noctu eundem capiebat. Et quanquam rurſum liberabatur Pontifex à ciuibus eius vrbis, ita tamen grauiter moleſteque ferebat caſum hunc, vt ſummo cum dolore ac furibundus diem ſuum obiret. Fuit hic *Bonifacius* autor anni Iubilæi, Anno M.CCC. ſtatuitque vt ſingulis centenis annis ſemel celebraretur. Incidere deinde multæ & variæ diſſenſiones, inter Guelphos & Gibellinos. Adhæc, quoniam Italia ope & auxilio Imperatoris deſtituebatur, multæ vrbes & regiones ſeſe in libertatem vindicabant, multæ à tyrannis occupabantur. Succedebat autem Bonifacio Benedictus, is purpuratam dignitatem Columnenſibus reſtituebat. Philippum Galliarum Regem ab excommunicatione abſoluebat. Benedictum ſequebatur Clemens V. Hic quod Gallus eſſet natione, ſedem quoque Pontificiam transferebat in Gallias, anno ſalutis humanæ M.CCC.VI. Deſierat interea in viuis eſſe Carolus II. Neapolis Rex, eique ſucceſſerat Robertus filius. Imperio præerat Henricus Lucenbergenſis, is eo animo proficiſcebatur Romam, vt diadema Imperii à Pontifice acciperet, tametſi haud ignorabat Pontificem in vrbe non eſſe, & perturbationem maximam pariebat eius aduentus in Longobardiam. Nam & omnes ex ea proſcriptos in integrum reſtituebat, ſiue Guelphi eſſent, ſiue Gibellini: qui cum rurſum ſeſe mutuis cladibus conficerent, ita ea regio implicabatur bello, vt ne Imperator quidem ipſe toto cum exercitu ſuo ſufficeret ad ſedandum eorum tumultum. Quin Longobardia relicta per vrbem Genuam Piſas contendebat: quo cum veniſſet, vnum hoc animo verſabat, vt Thuſciam adimeret Roberto. Sed quia conſiliis illius non reſpondebat euentus, iterum petebat Romam, è qua paucos poſt dies ab Vrſinis ope & fauore Roberti eiectus, Piſasq; reuerſus, Fredericum Siciliæ Regem in Thuſciam vocabat, nimirum vt ab eo adiuuaretur, ac minore cum difficultate eam regionem Roberto adimeret. Verum dum hæc aliaq; molitur, vitam cum morte commutabat, Ludouico Bauaro ei in Imperio ſuccedente.

Author & initium anni Iubilæi.
Benedictus XI. Pontif.
Clemens V Pont.
Sedes Pontificia in Galliam transfertur.
Henricus VII. Imp.
Ludouicus IV. Imp.

Ioannes XXII. Pont.
Viſcontiorum familia, & de origine ducum Mediolanenſiū.

Peruenerat ad Pontificatum Ioannes XXII. Nec minus perſequebatur Guelphos ac Eccleſiam Romanam nouus Imperator, quam ſuperior fecerat: Defendebant tamen illi ſe aduerſus impetum illius, ope Florentinorum & Roberti regis adiuti. Inde bella multa in Longobardia à Viſcontijs contra Guelphos, in Thuſcia à Caſtrutio Lucenſi contra Florentinos. Et quoniam Viſcontiorum familia cauſa fuit ducatus Mediolanenſis, vnius ſcilicet ex quinque ijs ducatibus, qui totam deinde Italiam gubernarunt, paulo altius repetam eius originem. Cum fœdus iniuiſſent aliquot Longobardiæ ciuitates, quemadmodum ſupra dictum eſt, vt aduerſus Fredericum Barbaroſſam ſe tutarentur, vrbs Mediolanenſis iam tum à ruinis inſtaurata, illis ciuitatibus ſe adiungebat, reprimebaturque Barbaroſſæ impetus eo fœdere, & Eccleſiæ partes per aliquod tempus in Longobardia erant ſuperiores, poſt ijs in bellis & calamitatibus quæ ſubſequebantur, in eadem vrbe Mediolanenſi, cœpit florere familia Torrenſium, & magis magisque adaugebatur eius æſtimatio, quandiu in illa regione nulla aut exigua Imperatoris fuit autoritas. Cum autem in Italiam veniret Fredericus II. & Gibellinorum factio ab Ezelino adiuuaretur, fieretque potens, æque vt altera, paſſim reperiebantur qui huic quoque factioni fauerent. Itaque cum & Mediolani ex eorum numero eſſent Viſcontij, eiiciebantur ab ijſdem ex ea vrbe Torrenſes: Sed haud diu exulabant; quam primum enim pax eſſet conſtituta inter Imperatorem & Pontificem, ipſi quoque reſtituebantur priſtinæ dignitati. Sede deinde Pontificia in Gallias translata, cum & Henricus Lucenbergenſis per Italiam faceret iter, vt Romæ diadema imperatorium acciperet, hoſpitio excipiebatur Mediolani à Maphæo Viſcontio, & Guidone Torrenſi, viris præcipuis & primariis in ijs familiis, ea tempeſtate. Hic Maphæus exiſtimans ſe rem gratam Imperatori facturum, ſi Guidonem rurſum eijceret ex ea vrbe, idque eo facilius perficere poſſe, quod is Guelphorum ſequebatur partes: occaſionem ſumebat ad eam rem, ex querela plebis de veſtitu Germanorum militum. Poſt caute ſingulos hortabatur, vt armis arreptis imperium barbarorum hominum excuterent, ſeque in priſtinam libertatem vindicarent. Hoc conſilium cum recte & ex animi ſententia ei ſuccederet, curabat vt à confœderatis quibusdam tumultus excitaretur, vtque vniuerſus populus arma arriperet aduerſus Germanos. Nihil tamen hoſtiliter agebatur, antequam Maphæus cum filiis ſuis cæteriſque omnibus, qui eius factionis erant, armati ad Imperatorem accurrerent, & culpam omnem ſeditionis in Torrenſes reijcerent: nam & illis dolere inter priuatos eſſe in ea vrbe, & occaſione data voluiſſe illum ex improuiſo opprimere, vt Italiam Guelphis ſubijcerent, & ipſi principatu eius vrbis potirentur. Interim bono animo debere eum eſſe aiebant: Si enim copiis illorum ipſe ſuas adiungeret, nulla in parte ſe ei defuturos. Credebat Henricus vera eſſe ea quæ Maphæus dixerat, ſuasque vires illius viribus iungebat, poſt impetum faciebant in Torrenſes qui hinc inde erant ſparſi in ciuitate, vt ſeditionem exortam reprimerent, & quoſcunque ex eorum numero adoriebantur, interficiebant, aut omnibus fortunis exutos in exilium mittebant. Ad eum modum efficiebatur Maphæus Mediolani dominus, quem ſecutus eſt poſtea ex ea familia Galeazius & Azo; hos Luchinus & Ioannes; ac fuit Ioannes Archiepiſcopus in ea vrbe. Luchinus qui prius moriebatur

quam

quam Archiepiſcopus, Barnabam & Galeazium relinquebat: tandem etiam Galeazius obibat diem, relicto Iohanne Galeazio Comite, cognomento Virtuoſo. Hic, mortuo Archiepiſcopo, fraude interficiebat Bernhardum patruelem ſuum, & ſolus potiebatur Mediolano, fuitque primum omnium eius vrbis dux appellatus. Moriens relinquebat hæredes duos, Philippum & Iohannem Mariam Angelum, qui cum à plebe Mediolani interficeretur, ſolus rerum potiebatur Philippus, in quo tandem etiam deſijt adminiſtratio illius ducatus in familia Viſcontiorum, quia nullos hæredes maſculos relinquebat: & ad Sforzas transferebatur, quemadmodum ſuo loco exponemus. Vt igitur reuertar, vnde ſum digreſſus: Cum Ludouicus Imperator in Italiam veniſſet, vt diademate Imperiali ornaretur, atque eos confirmaret, qui partium illius eſſent, Mediolani commorans, & occaſionem nactus, vt ciuitatem illam argento emungeret, ſimulabat ſe eam reſtituturum priſtinæ libertati, & Viſcontios in carcerem conijciebat, quos tamen paulo poſt Caſtrutius Lucenſis liberabat. Romam deinde profectus, quo facilius Italiam vniuerſam turbaret, Antipapam creabat Petrum Cornaram, eiuſque authoritate & potentia Viſcontiorum fretus, exiſtimabat haud difficile ſibi futurum, vt quos vel in Longobardia vel in Thuſcia haberet hoſtes, eorum omnium vires & potentiam frangeret. Verum moriebatur Caſtrutis, fuitque eius mors cauſa & initium calamitatum Ludouici. Nam Piſæ & Luca vrbes ſtatim illi rebellabant, & Piſani Antipapam captum mittebant in Gallias, ipſe de rebus Italicis deſperans in Germaniam reuertebatur. Vix autem egreſſus erat inde, cum in eam veniebat Iohannes Bohemiæ Rex, accerſitus ab ijs, qui in vrbe Brixienſi Gibellinorum factionem ſequebantur, eamque vrbem occupabat, præterea & Bergomum. Et quoniam conſentiente Pontifice venerat, tametſi Pontifex id negaret, iuuabatur à Legato Bononienſi, qui hoc optimum cenſebat remedium, ne in Italiam reuerteretur Imperator, fecitque hic diſceſſus illius in ea maximas mutationes. Cum enim Florentini & Rex Robertus viderent Gibellinos adiuuari à Legato Pontificio, omnes eos habebant pro inimicis, quibus vel Legatus Bononienſis vel Bohemiæ Rex amicus eſſet: & multi alij Italiæ principes his ſe adiungebant, nullo vel Guelphorum vel Gibellinorum habito reſpectu, vt Viſcontij, Scaligeri, Philippus Gonzaga Mantuanus, Carrarienſes item & Eſtenſes, quos omnes excommunicabat Pontifex. Rex, quod fœdus illud metueret, domum proficiſcebatur maiores copias collecturus. Quas etſi paulo poſt adducebat in Italiam, tamen cum difficile illi eſſet vincere, diffidens rebus ſuis, contra voluntatem Legati Pontificij rurſum ſe in Bohemiam recipiebat, Regio & Mutinæ tantum præſidio impoſito. Parmam commendabat Marſilio & Petro Roſſenſi, viris potentiſſimis in ea ciuitate. Rege ex Italia egreſſo, Bononia quoque confœderatis ſe iungebat, & ita conueniebat inter illos, vt ex quatuor illis ciuitatibus, quæ adhuc Eccleſiæ ſequebantur partes, Parma Scaligeris cederet, Regium Gonzagæ, Mutina Eſtenſibus, Luca denique Florentinis. Sed multa bella ſequebantur ex ea ciuitatum diſtributione, quæ tamen maxima ex parte ope & prudentia Venetorum ſunt ſopita.

Origo ac hiſtoria conditæ vrbis Venetæ.

Ac ne mirum alicui videatur, cur in his tantis & varijs mutationibus, quæ in Italia acciderunt, nullam vnquam hactenus Venetorum fecerim mentionem, cum Rempublicam habeant cæteris Italiæ ducatibus forma ſimul ac potentia præſtantiorem, dicam aliquid de origine illorum, & oſtendam, cur ante ſe non immiſcuerint rebus Italiæ afflictis. Quo tempore Attila Hunnorum Rex Aquileiam obſidebat, qui in ea erant ciues, cum iam diu ſe defendiſſent, & de ſalute ſua deſperarent, quantum occaſio patiebatur, omni cum ſupellectile & theſauro ſuo confugiebant ad ſcopulos æſtuariorum maris Adriatici, vacuos alioquin & à nemine inhabitatos. Patauini quoque hoc vicino malo perterriti, & quod metuerent, ne Aquileia potitus Attila, eos quoque opprimeret, res ſuas, quæ momenti alicuius eſſent, aſportabant in eadem æſtuaria maris, in locum quendam, cui nomen erat Riuo alto. Quinetiam infantes ſuos mittebant eo, fœminas item ac homines ſenio confectos, iuuentute ad vrbis defenſionem ſeruata. Illi præterea, qui montem Silium vicinoſque colles inhabitant, æque metu perculſi, ad eoſdem maris ſcopulos ſeſe recipiebant. Capta itaque ab Attila vrbe Aquileia: & deuaſtato Patauio, monte Silio, Vicentia & Verona, Patauini & potentiſſimi quique, paludes Riuo altum ambientes incolebant. Sed & illi populi, qui loca huic prouinciæ, quæ Venetia olim appellabatur, vicina tenebant, in eaſdem paludes ſeſe receperant, ijſdem de cauſis, quibus alij, & amœniſſimis fertiliſſimiſque locis relictis, neceſſitate vrgente, ſterilia, inamœna, omniſque commoditatis expertia inhabitabant. Erat illorum ingens numerus, & ex varijs populis collectus. Quare intra paucos annos ita ab ijs excolebantur ea loca, vt non ſolum commode inhabitari poſſent, verum etiam vt eſſent amœniſſima. Condebant & leges inter ſe, ac in illa Italiæ deuaſtatione tranquilliſſime viuebant. Denique exiguo temporis ſpatio potentia ſimul ac authoritate augebantur: Nam & alij multi ſeſe ijs adiungebant ex Longobardiæ ciuitatibus, propter Clephi Regis crudelitatem, eaque res maximo adiumento erat vrbi Venetæ, & tanto quidem, vt cum poſtea Pipinus Galliarum Rex, inuitatus à Pontifice, Longobardos ex Italia eijcere conaretur, facta inter eum & Imperatorem Græcorum pace, Veneti & Beneuenti Dux eo in ſtatu relinquerentur ab iiſdem, vt neutrius cogerentur ſequi partes, intermedij inter illos ſua libertate gauderent. Quemadmodum autem neceſſitas initio coegerat eos, vt in ijs maris lacunis & æſtuarijs ſedes ſuas figerent, ſic cum nullum aut exiguum in continenti terra haberent imperium, eadem plane neceſſitas cauſa illis erat cogitandi, qua ratione atque modo ſe familiaſque ſuas honeſte ſuſtentarent. Itaque ad diuerſas orbis partes nauigantes, varijs mercium generibus vrbem ſuam

adimplere cœperunt. Quibus cum alii opus haberent, qui continentem inhabitarent, neceſſum erat iis ad vrbem hanc confluere, illarum comparandarum cauſa. Ac diu quidem nulla alia de re magis ſoliciti erant Veneti, quam vt quam facilime poſſent merces illas ad vrbem ſuam perferre: ideoque portus complures occupabant in Græcia ſimul & Syria. Poſtea cum Gallos in Aſiam irruentes claſſe ſua adiuuarent, præmii loco Candiam Inſulam conſequebantur. Ad eum modum viuentes longe lateque dominabantur in mari, in ipſa autem Italia tam venerabile erat illorum nomen & authoritas, vt ſæpe maximarum controuerſiarum, quæ inter alios incidiſſent, arbitri eligerentur. Vt in ea confœderatorum diſſenſione, qua de iurisdictione locorum quorundam diſceptabatur. Nam & hæc componebatur à Venetis, & cenſura ac iudicio illorum, Bergomum & Brixia ciuitates Viſcontiis tribuebantur. Cum vero temporis progreſſu Patauium, Vicentiam & Teruiſium dominio ſuo adiecisſent, nec ita multo poſt Veronam, Bergomum & Brixiam, multaſque alias ciuitates in Romandiola & in regno Neapolitano, ſtimulati cupiditate imperandi eo creuit illorum faſtus ac ambitio, vt non Italis principibus tantum, ſed vltramontanis regibus terrori eſſent: Fecitque idem hic illorum faſtus, vt exteri iſti, fœdere contra eos inito, vno die omne illis imperium adimerent, quod vix multorum annorum ſpacio ſumptibus maximis parauerant. Et quanquam noſtra hac ætate partem aliquam illius recuperarint, tamen neque ita potentes ſunt, vt olim, neque tanta in authoritate apud alios, & more aliorum principum Italiæ nunc viuunt. Peruenerat ad Pontificatum Benedictus Duodecimus, is cum intelligeret omnem ſibi poteſtatem imperandi in Italia ademptam, cumque vereretur, ne Ludouicus Imperator eam acquireret, cogitabat ſe poſſe amicitia ſibi deuincire in ea iſtos, qui occupauerant loca Imperatori ſubiecta, ſi anſam illis præberet metuendi Imperii, ſeque coniungendi cum ipſo ad defenſionem Italiæ. Quare edicto facto, omnibus, qui Longobardiæ partes occupauerant, concedebat, vti eas retinerent, modo iuſto aliquo ac honeſto prætextu id feciſſent. Quod dum agit, moritur, ſuccedente Clemente VI. vbi cum Imperator videret, quam liberaliter aliis donaſſet Imperij vrbes Pontifex, ne ipſe minus liberalis eſſet in donandis rebus alienis, quam ille, eadem plane ratione permittebat, vt quod quiſque occupaſſet ex Eccleſiæ Romanæ bonis, iuſſu & authoritate ipſius retineret. Sic Galeottus Malateſta, eiuſque fratres Arimino potiebantur: Piſauro item & Fano. Antonius Monteſeldrenſis Marchia Anconitana, & Vrbino oppido, Gentilis Varanius Camerino, Guido Polentus Rauenna, Sinibaldus Ordelaffus Foroliuii & Ceſena, Iohannes Manfredus Fauentia, Ludouicus Alidoſus Imola. Multi præterea aliis in locis loca multa conſequebantur, vt ex omnibus iis, quæ Eccleſiæ fuerunt ſubiecta, pauca admodum reſtarent, quæ principem aliquem non agnoſcerent. Sic fractæ vires Eccleſiæ Romanæ manſere debiles vſque ad Alexandri Sexti tempora, qui noſtra hac ætate tandem recollegit eas, magna cum infamia ſuorum ſucceſſorum. Commorabatur autem Tridenti Imperator, cum hæc concederet, ſeque in Italiam venturum ſimulabat, vnde bella multa & diſſenſiones in Longobardia, quibus Parma ciuitas in Viſcontiorum venit poteſtatem ac imperium.

Benedictus XII. Pontifex.

Clemens VI. Pontifex.

Imperator feu da conſtituit in Italia. Fuit autem Carolus IV.

Eodem tempore diem ſuum obibat Robertus Neapolis Rex, relictis poſt ſe duabus nepotibus ex filio Carolo iam dudum antea mortuo. Cauerat autem teſtamento, vt maior natu, Ioanna nomine, in eo regno ſuccederet, noberetque Andreæ Regis Hungariæ filio, nepoti illius. At non diu in matrimonio habuerat eam Andreas, cum ab ea interficitur, & illa alteri cuidam nubit, cognato ſuo, Ludouico principi Tarentino. Quamobrem vt tantum facinus vlciſcerentur Ludouicus Hungariæ Rex, eiuſque filius, Andreæ extincti frater, ducto in Italiam exercitu reginam ſimul cum marito è regno Neapolitano eiiciebant. Accidit ſub idem tempus res mira in vrbe Romana, & digna, quæ memoretur: Nicolaus quidam, *Laurentius* cognomento, Capitolij Cancellarius, eiectis ex vrbe ſenatoribus, Tribunum ſe faciebat, caput nimirum Reipublicæ Romanæ, eamque ad antiquum ſtatum reducebat tanta cum opinione iuſtitiæ & virtutis, vt non ſolum loca vrbi vicina, ſed vniuerſa propemodum Italia ei gratularetur per legatos, & prouinciæ, quæ olim ſubiectæ vrbi fuerant (quia iam renatam quodammodo eam videbant) ſpem maximam de eo concipiebant. Denique alii metu, alii ſpe quadam & expectatione alicuius emolumenti eum honorabant. Interim ille nihil mouebatur iſta authoritate, quin ſtatim ſe abdicabat magiſtratu, & negotiorum mole fatigatus, neue ab aliquo opprimeretur, clam ad Carolum Bohemiæ Regem confugiebat. Qui cum in odium & inuidiam Ludouici Bauariæ Ducis à Pontifice Imperator eſſet electus, vt viciſſim rem gratam faceret Pontifici, Nicolaum illi mittebat captiuum. Interiecto deinde aliquot annorum ſpacio, exemplo huius, de quo iam diximus, alius quidam Franciſcus Baroceglius nomine, idem officium Tribunatus ſibi ſumebat in vrbe Romana, ſenatoribus eiectis: Quare vt huic malo remedium adhiberet Pontifex, liberatum à carcere Nicolaum, priſtinæque libertati reſtitutum, Romam redire iubebat, & vt ante dignitate Tribunitia perfrui. Ac ſane recuperabat eam Nicolaus, interfecto Franciſco: verum cum in odium Columnenſium incidiſſet, ipſe quoque haud ita multo poſt interficiebatur, & munus gubernandæ Reipubl. Romanæ poſt obitum illius iterum demandabatur ſenatoribus. Eiecerat interea è regno Neapolitano Ioannam Reginam, vt dixi, Hungariæ Rex, iamque domum reuertebatur, vbi Pontifex Romanus (quod Reginam potius quam ipſum Romæ cuperet vicinum) agebat, cum eo, vt regnum ademptum reſtituturum ſe reginæ polliceretur, ſi maritus eius titulo Ducis Tarentini contentus, Regis Neapolitani carere vellet. Agebatur autem tum annus Chriſti, M C C C L. & commodum vide-

Annus Iubileus à 100. ad 50. annum redactus.

videbatur Pontifici, vt annus Iubilæus à Bonifacio VIII. inſtitutus, è centeſimo ad quinquageſimum quenque annum reduceretur. Quare decreto ea de re facto, Romani ob hoc beneficium illis præſtitum, conſentiebant, vt Pontifex Cardinales quatuor ad vrbem mitteret, qui ſtatum Reipublicæ collaſpæ emendarent, quique ad arbitrium Pontificis ſenatores conſtituerent. Reſtituebat inſuper hic Pontifex Duci Ludouico titulum Regis Neapolitani: contra Ioanna eius vxor ciuitatem Aueniоnem donabat Eccleſiæ Romanæ, quam iure hereditario poſſidebat. Iam vero mortuus erat Luchinus Viſcontius, ac Ioannes Archiepiſcopus ſolus potitus Mediolano, bella maxima mouebat in vniuerſa Thuſcia, præcipue vicinis, fiebatque potentiſſimus. Quo ſimiliter mortuo, erant ex ea familia ſuperſtites Barnabas & Galeazius eius nepotes, ſed paulo poſt Galeazius quoque extinguebatur, relicto filio Ioanne Galeazio, qui omnem ſtatum ac imperium familiæ illius cum Barnaba diuidebat.

Præerat adhuc ea tempeſtate imperio Romano Carolus Bohemiæ Rex, ſedi Apoſtolicæ, Innocentius VI. Is Cardinalem quendam Hiſpanum, Ægidium nomine, in Italiam ablegabat, *Innocentius* qui virtute & prudentia ſua non in Romandiola tantum ac in vrbe Roma, verum in vniuerſa Italia *VI. Pontifex.* collapſam Eccleſiæ auctoritatem reſtituebat, ciuitatem Bononienſem recuperabat, quam (vt ante admonui) Archiepiſcopus Mediolanenſis occupauerat. Cogebat inſuper populum Romanum, vt Senatorem peregrinum ſuſciperet, eum ſcilicet, quem annuatim mitteret Pontifex. Iubebat honeſtiſſimas conditiones pacis cum Viſcontijs: Denique Iohannem Argutum Anglum 4000. Anglorum partes Gibellinorum defendentem, in Thuſcia capiebat. Itaque cum poſtea ad Pontificatum perueniret Vrbanus Quintus, atque intelligeret tot victorias illius, & res laudabiliter ab *Vrbanus V.* eo geſtas, ipſe quoque auidus videndi renouatum Italiæ ſtatum, Romam contendebat cum Impe- *Pontifex.* ratore Carolo: vbi per aliquot menſes ambo commorati, Carolus in regnum Neapolitanum reuertebatur, Pontifex Aueniоnem. Mortuo hoc Vrbano, creabatur in Pontificem Maximum Gregorius Vndecimus. Sed quoniam Ægidius Cardinalis è viuis erat ſublatus, iam rurſum diſſen- *Gregorius XI.* ſionibus feruebat Italia: cuius illi erant authores, qui aduerſus Viſcontios conſpirauerant. Qua- *Pontifex.* renouus Pontifex primum omnium Legatum in eam mittebat cum exercitu 6000. Britannorum: *Schiſma.* Ipſe deinde Legatum ſecutus ſedem Pontificiam in vrbem Romanam reducebat, Anno Chriſti, MCCCLXXVI. cum annis LXXVI. eadem fuiſſet in Gallijs. Succedebat huic Pontifici Vrbanus Sextus, nec ita multo poſt creabatur Clemens Octauus. Fundi, à Cardinalibus 10. qui negabant, Vrbanum legitimo more electum eſſe. Genuenſes diu iam Viſcontiorum imperio ſubiecti, ſub id fere tempus rebellare illis cœperunt, ſeque in priſtinam libertatem aſſerere. Quin etiam inter hos & Venetos bellum maximum mouebatur ob Tenedon Inſulam, vnde nouæ factiones in vniuerſa Italia, vbi primum omnium conſpectæ machinæ bellicæ, quas *Bombardas* vocant, recens *Bombarda primum omnium* Germanorum inuentum. Ac quanquam in eo bello initio ſuperiores eſſent Genuenſes, vrbem- *in Italia con-* que Venetam per aliquot menſes obſidione premerent; poſtremo tamen Veneti victoria potie- *ſpecta.* bantur, & pax firmata eſt inter eos & Genuenſes per Pontificem, anno Chriſti MCCCLXXXI. Orto in Eccleſia ſchiſmate, vt ante dixi, Ioanna Neapolis Regina ſequebatur noui Pontificis partes, quare Vrbanus Pontifex inſtabat, vt regnum Neapolitanum à Carolo Duretio occuparetur, homine ex antiqua Regum Neapolitanorum familia prognato: Quod cum hic faceret, & pro ſuo vteretur, illa in Gallias fugiebat. Ferebat autem indigniſſime hoc factum Galliarum Rex, & Ludouicum Angium in Italiam ablegabat, qui & regnum Reginæ recuperaret, & Vrbanum Roma eijceret, ſurrogato Antipapa in eius locum. Verum dum hoc molitur, Angius fato cedit, diſſipatur eius exercitus, & milites in Gallias ſeſe recipiunt. Interea Pontifex Neapolim proficiſcebatur, vbi in carcerem conijciebat Cardinales nouem, Galli & Antipapæ partes ſecutos, poſt etiam regi incipit iraſci, quod is recuſaſſet quendam ex nepotibus ipſius ducem Capuæ creare: diſſimulabat tamen iram ſuam, & petebat, vt Nuceriam vrbem ſaltem ei concederet, quam cum obtineret, ſtatim eam muniebat, & hoc vnum moliebatur, vt regem ex eo regno eijceret. Re intellecta exercitum colligebat Rex aduerſus Pontificem, eique bellum denunciabat. Pontifex Genuam ſe conferebat, vbi ſublatis e medio Cardinalibus captiuis, Romam reuertebatur, rurſumque creabat Cardinales XXVIII. numero, ſcilicet, vt authoritatem nouam ſibi compararet. Carolus relicta Neapoli vxore, & Laodislao ac Ioanna liberis, in Hungariam proficiſcitur, eoque regno inauguratus, paulo poſt diem ſuum obit. Dum hæc ita ordine geruntur, interfecerat Iohannes Galeazius Viſcontius nepotem ſuum Barnabam, & ſolus Mediolano potiebatur. Nec ſatis erat illi ducem eſſe vniuerſæ Longobardiæ, quin etiam Thuſciam occupare volebat: quod dum agit, potiundæ totius Italiæ ſpe, ipſe quoque moritur. Vrbano VI. ſuccedebat Bonifacius IX. Clementi VII. Antipa- *Bonifacius* pæ Aueniоne Benedictus XIII. *IX. Pont.*

Erat tum Italia referta milite peregrino, Anglo, Germano, & Britanno, qui ſub variis principibus externis in eam venerat: partim etiam à Pontificibus miſſus, cum Aueniоne degerent. Eo igitur tunc vt plurimum vtebantur in bellis Italiæ principes, vſque ad Ludouici Conii tempora. is enim poſtea rurſum ex Italo milite exercitum conſcripſit ſub titulo Sancti Georgii, cuius tanta fuit virtus & diſciplina militaris, vt exiguo temporis interuallo omnem gloriam militibus externis adimeret, ſuam Italis reſtitueret, eoque ſolo vſi ſunt deinceps Italiæ principes, ſi quod bellum inter eos gerebatur. Cæterum male conueniebat Pontifici cum populo Romano: Qua-

re Aſſiſium profectus commorabatur ibi, donec annus Iubilæus inſtaret Chriſti M C C C C. Vbi vt
in vrbem rediret Pontifex, Romani vltro recipiebant externum ſenatorem, quem ipſe vellet. Per-
mittebant etiam ei, vt Caſtrum S. Angeli muniret. His pactionibus reuerſus Pontifex, quo opes
Eccleſiæ augeret, decretum faciebat, vt omnium vacantium beneficiorum reditus ad annum v-
num fiſco Pontificio cederent. Vita functo Iohanne Galeazio Mediolani duce, ſtatus eius duca-
tus in partes plurimas ſcindebatur, tametſi duos reliquiſſet filios, Iohannem Mariam Angelum, &
Philippum. Nam in his diſſenſionibus, quæ mortem eius ſequebantur, etiam Iohannes Maria
Angelus, vitam cum morte commutabat, Philippus captus Ticini in arce detinebatur aliquan-
diu, ſed fide & auxilio præfecti euadebat. Inter alios multos, qui ciuitates illas & oppida occupa-
uerant, quæ pater olim ipſorum poſſederat, erat Guilelmus Scaligerus: Hic proſcriptus confugie-
bat ad Franciſcum Carraram Pataui j dominum, & adiutus ab eo, ciuitate Veronenſi potiebatur.
Verum non erat diuturnum hoc Imperium illius & poteſtas: necabatur enim à Franciſco vene-
no, ac vitam ſimul cum ciuitate amittebat. Vicentini, qui hactenus ſub Viſcontijs tranquille &
pacifice vixerant, ne potentia Reguli Patauini ipſis quoque noceret, in clientelam Venetorum ſe
dabant. Sic adiuti à Vicentinis Veneti, primum vrbem Veronam occupabant, poſt etiam Patauio
potiebantur. Iam vero deſierat in humanis eſſe Bonifacius Pontifex, eratque in locum illius ſuf-
fectus Innocentius Septimus. Huic ſenatus populuſque Romanus ſupplicabat, vt caſtrum ante

Innocentius VII. Pont.

ablatum & munitum ſimul cum libertate priſtina illis reſtitueret, ſed fruſtra hæc canebantur Pon-
tifici, & populus Romanus Ladislai Regis Neapolitani implorabat opem: Lite deinde inter eos
ſopita, in vrbem redibat Pontifex, è qua metu & terrore ciuium Viterbium confugerat, eoque in
loco nepotem ſuum Marchiæ Anconitanæ fecerat Comitem, nec ita multo poſt extinguebar-
tur. Creabatur eo mortuo in Pontificem Maximum Gregorius Duodecimus ea lege & conditio-
ne, vt ſi Antipapa renunciaret dignitati Pontificiæ, ipſe quoque eidem renunciaret. Ac ſane tan-
tum laborabatur eo tempore à Cardinalibus in reducenda ad vnionem Eccleſia, & tollendo ſchi-
ſmate, vt Benedictus Antipapa ad portum Veneris veniret, Gregorius XII. Lucam: cumque mul-

Gregorius XII. Pontifex

ta hincinde inter eos tractarentur, nec tamen certi quicquam decerni poſſet, vtrumque ſemoue-
bant Cardinales dignitate Pontificia, & Benedictus in Hiſpaniam proficiſcebatur, Gregorius Ari-
minum. Suaſu deinde ac hortatu Balthaſaris Coſſæ Bononiæ Legati iJdem Cardinales Concilium

Alexander V. Pontifex.

cogebant Piſis, in quo Pontificem Maximum creabant Alexandrum Quintum. Qui ad eam di-
gnitatem euectus, regnum Neapolitanum Ludouico Angio concedebat, excommunicato La-
dislao: præterea bellum eidem Ladislao mouebat, pacto fœdere cum Florentinis, Genuenſibus,
Venetis & Legato Bononienſi, vrbem Romam capiebat, tandem moriebatur in medio belli ardo-

Ioannes XXIII. Pont.

re, eiuſque in locum ſubrogabatur Balthaſar Coſſa, *Iohannes* XXIII. appellatus. Hic Bononiæ e-
lectus ſtatim ad vrbem contendit, vbi cum Ludouicum Angium reperiret iam tum è Marſilia re-
uerſum cum claſſe, & in eum caſum ambo inciderent, vt cum Rege Ladislao manus illis conferen-
dæ eſſent, perrumpebant quidem illius exercitum, ſed quod haberent parum exercitatos naucle-
ros, victoria cadebant. Ita Rex paulo poſt iterum potiebatur vrbe Romana, Pontifex Bono-
niam confugiebat, Ludouicus in Prouinciam. Vt autem Ladislai Regis potentiam frangeret Pon-

Sigiſmundus Imper.

tifex Romanus, omnem lapidem mouebat, vt Sigiſmundus Hungariæ Rex Imperator creare-
tur, eoque in Italiam accerſito, Mantuæ cum eo agebat de Concilio generali indicendo, quo ad
concordiam redacta Eccleſia, ab hoſtibus ſuis facilius defenderetur. Erant itaque eo tempore
Pontifices numero tres, Gregorius, Benedictus, & Iohannes, quorum odio & diſſenſione valde
frangebantur Eccleſiæ vires, ac imminuebatur authoritas. Locus Concilio deſignabatur Conſtan-
tia, Germaniæ vrbs, præter expectationem & voluntatem Iohannis Pontificis. Et quamuis inopi-
nata Ladislai morte omnis ſpes & emolumentum adimebatur Pontifici, quod ex eo Concilio ac-
cepturum ſe ſperabat, quia tamen iam conſenſerat in illud, non poterat facere, quin ipſe quoque
eidem intereſſet. Itaque Conſtantiam veniens, & poſt aliquot menſes ſerius (vt dici ſolet) quam
decebat, errorem ſuum agnoſcens, fugamque inde meditans, captus cogebatur dignitati Pontifi-

Tres Pontifices Romani ſimul dignitate priuati.

ciæ renunciare. Renunciabat & Gregorius eidem per Legatum quendam. Benedictus, qui renun-
ciaturum ſe negabat, primum pro hæretico declarabatur, deinde cum etiam ab ijs Cardinalibus
deſereretur, qui partes illius hactenus ſecuti erant, tandem ſimiliter adigebatur ad renunciatio-
nem, & creabatur à Concilio Pontifex Maximus Ottho Columnenſis genere, eique nomen inde-

Martinus V. Pontifex.

batur Martino V. Hac via atque ordine ad vnionem & concordiam reducebatur Eccleſia, cum an-
nis XL. diſtracta ſciſſaque in plures & varios Pontifices fuiſſet.

Sub hæc tempora fere Philippus Viſcontius in arce Ticini detentus, vt ante dixi, fortu-
na maxima augebatur. Cum enim diem obiiſſet Fantinus Canis, qui in iis, quas recenſui, Lon-
gobardiæ calamitatibus & ærumnis, Vercellas, Alexandriam, Nouariam & Tortonam ciuitates
occupauerat, ac liberos nullos reliquiſſet, ad quos bona eius deferrentur, Beatricem coniu-
gem ſuam inſtituerat hæredem, caueratque, vt illa poſt obitum ſuum eidem Philippo nube-
ret. Hoc igitur matrimonio Mediolani dux fiebat Viſcontius, & vniuerſa Longobardia potie-
batur. Ac initio quidem ſummam beneuolentiam & amorem ſibi conciliabat apud omnes mu-
nificentia & liberalitate ſua, vt plerumque ſolent tales principes: poſt ſtupri accuſabat Beatricem
coniugem, eamque interfici iubebat. Ad eum modum factus potentiſſimus cogitabat, quo pacto
Thuſciæ quoque bellum inferret, & Iohannis Galeazii parentis ſui veſtigiis inſiſteret. Reliquerat

Ladiſlaus Neapolis Rex, è viuis decedens, ſorori ſuæ Ioannæ maximum exercitum, eique præſtantiſſimos quoſque Italiæ præfecerat, inter quos principem locum obtinebat Sforza Cantignolus, homo ea ætate peritiſs. in re militari. Hic Regina, vt ſuſpicionem omnem à ſe amoueret, in quã incidere poterat, ob Pandolphum quendam, quem in aula ſua habebat à pueritia in eadem educatum, nubebat Iacobo Marchiæ Comiti, Gallo natione, & ex regia ſtirpe prognato, ea lege & pactione, vt is titulo Principis Tarentini contentus, regni Neapolitani titulum, omnemque eius adminiſtrationem ſibi ſoli relinqueret. Verum ſtatim vt Neapolim appulit Iacobus, rex ab exercitu ſalutabatur, vnde bellum inter eum & vxorem plane dubio euentu. Ac vincebat quidem regina, regnoque ſeruato Pontifici quoque indicebat bellum: Sed Sforza, vt eam in periculum conijceret, ſtipendio ſuo renunciabat, cum illa nihil tale facturum eum cogitaret. Qua ſane re damno maximo afficiebatur, & quia nullum aliud remedium reperiebat, quo malum hoc repelleret, ad Alphonſum Arragoniæ & Siciliæ Regem confugiebat, eoque in hæredem adoptato, Braccij de Montone operam conducebat, qui & par Sforzæ iudicabatur peritia rei militaris, & hoſtis capitalis erat Pontifici, quod is illi vrbem Peruſinam ademiſſet. Quanquam autem pax iterum deinde facta eſt inter Reginam & Pontificem, metuebat tamen Alphonſus, ne eodem quoque modo ſecum ageret Regina, quo cum marito egerat antea, & operam dabat, vt munitiſſima quæque regni Neapolitani loca aſtu occuparet. Illa contra non minus aſtuta atq; ſagax arcem Neapolitanam muniebat. Cum igitur magis magiſq; inter eos augeretur ſuſpicio ac ſimultas, ad arma deueniebatur, & vincebat Alphonſum regina, duce Sforza: is enim iterum iam militabat ſub ſtipendijs illius: Victum regno eijciebat, adoptione priuabat, Ludouicum Angium eius in locum adoptabat. Vnde nouum bellum inter Braccium, qui Alphonſi partes erat ſecutus, & Sforzam reginæ præfectum. Quod dum geritur inter eos, dumque Sforza ad Piſcaram flumen traijcit, in aquis perit. Iterum igitur deſtituebatur regina præfecto, ac paululum aberat, quin regno eijceretur, niſi ope & auxilio Philippi Viſcontij Mediolani ducis fuiſſet adiuta: hic enim eo redigebat Alphonſum, vt in Arragoniam ſe reciperet. Interim Braccius nihil mouebatur eo Alphonſi diſceſſu, & bellum ſemel cœptum aduerſum Reginam vrgebat. Iamque Aquilam occupauerat, cum Pontifex præuideret, quanto in periculo verſaretur Eccleſia Romana, ſi potentia Braccij augeretur. Quare exercitui ſuo præficiebat Franciſcum Sforzæ filium, qui ad eandem deinde ciuitatem Braccium ſimul interficiebat, & exercitum illius in fugam vertebat. Reſtabat adhuc à parte Braccij Ottho eius filius, cui Peruſina vrbs ante à Pontifice erat adempta, Montone relicta: verum hic quoque interficiebatur paulo poſt in Romandiola, cum Florentinorum defenderet partes, omniſque Braccianorum defenſio & adminiſtratio rei militaris ad Nicolaum quendam deuoluebatur, cognomento Paruum.

Igitur ex præcipuis Italiæ regionibus eo tempore regnum Neapolitanum obtinebat Regina Ioanna II. eius nominis: Marchia Anconitana, patrimonium Petri, vt vocant, & Romandiola partim Eccleſiæ Romanæ erant ſubiecta, partim ab alijs tenebantur: qui cum aliquando præfecti fuiſſent illorum locorum, eadem tyrannide ſua occupauerant: Ferrariam, Mutinam & Regium Eſtenſes: Fauentiam Manfredij, Imolam Alodoſii, Forumliuij Ordelaffii, Ariminum ac Piſaurum Malateſtæ, Camerinum denique Varanij. Suberat Longobardia partim duci Philippo, partim Venetis, erantque eiectæ ex ea omnes familiæ illuſtres, vna Gonzagarum familia excepta: hæc enim Mantuam adhuc retinebat. Thuſciæ bona ex parte dominabantur Florentini. Luca tantum & Sena veteri iure vtebantur: ſed Luca à Guinicis regebatur, Sena libertate ſua gaudebat. Genuenſium, quod nunc libertate priſtina vterentur, nunc regum Galliæ, aut Viſcontiorum imperio eſſent ſubiecti, nulla erat authoritas, & inter minores Italiæ ſtatus numerabantur, denique præcipui quique Italiæ Principes ac familiæ, armis propriis erant exuti. Latebat domi Dux Philippus, & quæ gerebat bella, ea per alios adminiſtrabat. Veneti in continenti dominium quærentes, omnem gloriam amittebant, quam bello nauali comparauerant, & vt reliqui Italiæ Principes exercitus ſuos aliorum gubernationi committebant. Pontifex Romanus & Ioanna Neapolis Regina, partim ſexu, partim religione impediebantur, quo minus arma ſumerent, & neceſſitate quodammodo cogebantur, vt id facerent, quod alii ſpe vana ac inani fecerant. Quin etiam Florentini eadem neceſſitate vrgebantur: Cum enim ob frequentem mutationem ſtatus maior pars nobilitatis illorum interiiſſet, & Reſpublica ab ipſis adminiſtraretur, qui à teneris, quod aiunt, ad mercaturam potius, quam ad arma eſſent adſuefacti, ipſi quoque eandem fortunam experiebantur, quam alii. Breuiter, ac vt vno verbo dicam, omnis Italiæ vis belli & poteſtas, aut à Regulis pendebat, aut ab iis, quorum nulla fere erat potentia vel authoritas. Reguli nulla gloria accendebantur, ſed toti in eo erant, vt tranquille vterentur rebus ſuis, vel ſi poſſent, eas augerent: Alii non admodum verſati in magnis & arduis rebus quæſtui inhiabant, aut cum quæſtu ſimul authoritatem aliquam ſibi parabant. Erat ex eorum numero Carmignolus, Franciſcus Sforza, Nicolaus cognomento *Paruus*, alumnus Bracci, Agnolus de Pergula, Laurentius ac Michael Attenduli, Tartaglius, Iacopaccius, Ceculinus Peruſinus, Nicolaus Tollentinus, Guido Torellus, Antonius de Ponte ad Hieram, multique alii, quorum ſupra feci mentionem. Adiunxerant etiam ſe his Vrſini & Columnenſes, vrbis Romæ Barones, & complures alii nobiles, Neapolitani & Longobardi, atque ita conueniebat inter eos, vt & tempori inſeruirent omnes, & ex iis, à quibus bellum aliquod gerebatur, raro admodum alter altero eſſet ſuperior, æquali propemodum fortu-

Vires Italiæ fractæ.

na diſcederetur. Denique is erat ſtatus rerum in Italia ea ætate, vt ſi quis vel mediocriter in re bellica exercitatus eſſet præfectus, & in quo ſaltem vmbra aliqua veteris virtutis militaris eluceret, eum ſinguli admirarentur.

VII.

Veriſſimum,

ET PARTIM EX DIVINORVM ORACVLORVM DETECTIOne: partim ex infallibilibus veræ Aſtrologiæ fundamentis deſumptum

Vaticinium,

Anno Domini 1604.

DE IMMINENTE ECCLESIASTICI ET POLITICI STATVS MVTATIONE MVLTARVM IN EVropa, præſertim Germaniæ, Prouinciarum,

Ab Anno 1604. in Annum 1623. deductum.

ET AD OMNES IMPERII ROMANI PARTES ET Ordines, fideliſſimæ præmonitionis cauſa, conſcriptum,

PER

SYBALDM BRANDINVM, EX HELVETIA, PVRIOris Mathematicæ diſciplinæ artificem.

Da pacem Domine, in diebus noſtris.

Bella colant alij, tumidos numerentque triumphos,
Nos Chriſte optata fac bone pace frui.
Scilicet vt longum placidos tibi dedita poſſit
Turba ſub vmbroſa viuere vite dies.
Annue Chriſte pius votis. At ſi qua futura es
Poſteritas, pacem tu quoque poſce Deum.
Irrita pax eſto, Pacis *ſine* Principe *facta;*
Quæ Chriſtum *tollit, pax maledicta fuat.*

Precabar & imprecabar

Saul-Erneſtus Iunius.

PROGNOSTICON AB ANNO 1604. AD ANNVM 1623.

De Cæſare, Ducibus Auſtriæ, & Vngaris.

FRVSTRA hominum ſortes explorat, qui aſtra non conſuluerit: Vt à Romano Imperatore (iuxta illud: *A Ioue principium*) hunc meum ſecretioris Aſtrologiæ diſcurſum exordiar, dicam: Quid ipſius Maieſtati cum ſuis fratribus & cognatis breui annorum ſpacio ſit expectandum.

Et primo formidabilem Turcæ incurſum annis futuris 1605. & 1606. imo multarum ciuitatum, propugnaculorum, caſtrorum & arcium occupationem tota Vngaria, ſuperior præſertim, experietur.

Terræmotus ingens erit, & ſubditorum à ſuo Cæſare defectio. Vnde ipſi Cæſari ob maiorem

animi mærorem mors non longe abfutura. Cuius dignitatem & ſucceſſionem in regno vnus ex fratribus affectabit: ſed fruſtra. Imo Dii ſphæratum errantes & totus ſiderum poſitus huic lineæ ex ſanguine ſuperiorum Cæſarum procreatæ interitum, & prouinciarum translationem in alium longe ignobiliorem & ſanguinis peregrini principem minatur.

Reliquorum Auſtriæ Ducum in Stiria viuentium ſtatus propter adhibitam in Chriſtianos ſubditos tyrannidem & alia grauia delicta erit anno 1607. omnium Germaniæ Principum miſerrimus. Cotidiana enim Turcæ incurſione, crudelitate, deuaſtatione & incolarum in perpetuam ſeruitutem abductione, omnes illæ regiones deſolabuntur, vt iſtis in locis Saluatoris dictum adimpleatur, *eo modulo, quo menſi fueritis remetietur vobis*; Et Solomonis; *Super terram, cuius rex puer vel fatuus eſt, Deus iram ſuam effundet.*

De Italia.

SEcundo Italia mihi perluſtranda venit, in qua Cæſare & Pontifice mortuis tantæ erunt ſeditiones, turbæ & inteſtinæ cædes, vt niſi Hiſpaniæ & Galliæ regis ope ſubleuetur, verendum ſit, ne tota nobilitas Italorum funditus euertatur. Sed nouo Pontifice creato florebit regni tranquillitas, & diuulgabuntur ſceleratiſſima demortui Clementis Octaui Pontificis conſilia aduerſus quoſdam Imperii Romani Proceres, de quibus tamen noſtrum hoc tempus omnino non tacet. Interim Magnus Hetruſcorum Dux, item Parmenſis à Simoniacis inſidiis huius Pontificis noui & Cardinalium ſibi conſulto caueant.

De Gallia.

AD Galliam me conuerto, cuius ſtatum hoc rege viuente Aſtra pronunciant moderatum & placidum: Audientur tamen anno 1606. horribiles in ea & proximis Germaniæ partibus terræ motus & montium quorundam diſruptiones, quæ ſine dubio magnatum diſſenſiones ob dignitatem in quoſdam collatam & inuidiam exortas pronunciant. Hic rex Romani Imperii ſceptrum (demortuo hoc Cæſare) variis technis, imo palam poſtea perſuaſu vel conſilio nonnullorum Germaniæ Principum flagitabit; ſed inutiliter & cum damno Belgicæ nationis, quæ ipſi omnes ſuas vires fruſtra pollicebitur.

De Germania.

NVnc in Germaniam redeo, cuius conditio vacante Imperio erit plane formidabilis. Duorum enim ſuperiorum Planetarum coniunctio in ſagittario facta quibuſdam Principibus Electoribus, imo vniuerſæ Germaniæ populo, inprimis autem Miſniæ nationi mutationem Religionis & aliarum leuia pericula portendit. Et reuera magnum erit Electorum in noui Imperatoris creatione diſſidium. Quidam enim ex Eccleſiaſticis valde fauebunt vel Regi Francorum, vel familiæ Auſtriacorum, vel domui Bauariæ: Secularium autem votum inclinabit potiſſimum ad partes Regis Daniæ: Nonnullorum ad ipſum Electorem Saxoniæ, cuius Electionem vehementer vrgebunt Ordines, vel ipſe Rex Poloniæ. Et erit ſane eo tempore magna eius nominis autoritas partim propter dignitatem Septemuiralem: partim ob diuitias, quibus ipſe Saxo omnibus Imperii Principibus antecellit. Quod ſi fatale foret, vt vel Franciæ Rex, vel Daniæ, vel vnus ex Germaniæ Principibus eligetur, non tamen ſine ſanguine & cæde multorum Imperii Romani regnum eſt occupaturus.

De Boemia.

MOriente Cæſare Romano moritur & ſimul Rex Boemiæ, ex cuius obitu omnibus regni iſtius Ordinibus grauiſſima calamitas, Priuilegiorum & libertatis amiſſio, item totius Reipublicæ conquaſſatio imminebit. Tres enim Germaniæ ex diuerſis & contrariis Boemiæ Procerum votis poſtulati de vetuſtiſſima generis proſapia oriundi Principes, Saxo nimirum Bauarus & Auſtriacus, huius regni ſceptrum ſibi deſcribent. Hinc variis in locis exuſtionem & inflammationem pagis, euerſionem vrbibus, depopulationem agris, & deuaſtationem prædiis ſunt allaturi: Pactis tamen legibus & conditione, de qua inter hos tres Principes conueniet, facta, regium diadema Duci Saxonum ex antiquo cum hoc regno inito fœdere, illico manebit.

De Ieſuitis & Auguſtana Confeſſione.

NOuo Cæſare creato (ſit quicunque velit) nouæ leges, vt fit, exoriri ſolent. Itaq; fiet, vt mutato eccleſiæ cultu, Germanorum quamplurimi reformatæ Religioni, vt vocant, nomina ſua ſint ſubſcripturi. Hoc tempus Ieſuitarum ordini in Germania propter exercitam in aulis Principum πολυπραγμοσύνην plane erit letale, vt qui fuga ſibi matura non conſuluerit, in grauiſſima pericula ſit ruiturus.

Ordines Auſtriæ, quibus inuitis Romanæ Eccleſiæ ritus in Religione contra datum Cæſaris promiſſum fuit obtruſus, iſto perículoſæ ſeruitutis iugo ſe liberabunt, & priſtinam Auguſtanæ Confeſſionis fidem in templa & in ſcholas iterum introducent.

De Ducibus Bauariæ, & Comitibus Palatinis Rheni.

IVpiter ingreſſus ſignum geminorum, & cum ♀ & ☉ iunctus, quod circa annum 1610. continget, Duci cuidam Bauariæ ingenii virtutibus excellenti, cuius in noua cœli domo horæ genituræ dominator fuerit, mutationem priſtinæ religionis itemque maiorem dignitatis euectionem prædixit, Vetus illa & antiqua ſimultas Comitum Palatinorum Rheni & Ducum Bauariæ, quæ hactenus

vnius bonitate delituit, tunc temporis grauiter recrudeſcet. Hinc cruenta conſilia, machinationes & inſidias inuicem molientur, donec coniunctis ab vtraq; parte copiis, per ſanguinolentum conflictum, negocium, de quo diſceptarunt, non Cæſare auctoritatem ſuam interponente, componatur.

De Domo Brandeburgica, & Polonis.

DOmus Brandeburgica anno 1607. caueat ſibi ab incurſione & barbara Polonorum crudelitate, Boruſſiam affectantium. Facile enim totam hanc prouinciam pulcerrimam in curia & negligentia amittere poteſt. Dubium ſiquidem nullum eſt, quin res, Poloniæ rege præſertim in pertinacia ſua perſiſtente, ad arma tandem perueniat. Idem Rex quorundam regni ſui Procerum ſentiet infidelitatem ex inita cum ſuſpectis in vicinia habitantibus Principibus amicitia orta. Sed (proh) quantam omnium rerum penuriam & caritatem per hunc annum 1607. & ſequentem annum vniuerſa ſentiet Germania, potius conticere malo, quam in recenſendo hoc miſerrimo patriæ ſtatu commorari. Probos tamen optimoſq; præmonitos volo, vt in tempore frumentatum eant, & de colligenda frumentorum multitudine & copia mature & annis frugiferis ſibi proſpiciant.

De Belgis & Hiſpanis.

EXoptata tandiu à Belgis & Hiſpanis pax honeſtis vtriuſq; partis conditionibus ex Cæſaris noui bonitate tandem ſtabilietur & ſic in omnibus inferioris Germaniæ Prouinciis tranquillitas publica efflorefcere de nouo incipiet. Sed innata Hiſpanorum à cunabulis ad perfidiam educatorum malitia non diu pax illa ſtabit. Hi enim dominandi cupiditate inflammati aliud operibus agent, aliud corde ſimulabunt, donec ex iuſtiſſima & promerita Dei vindicta ob ſtupendas Idolomanias, ſcortationes, & crudelitates, impietatis ſuæ pœnas, quas anno 1623. quando duo ſuperiores Planetæ in ſigno Leonis congregabunt certiſſimi experientur, & Deo Cœlorum & Turcæ regi Aſiæ, cum magna totius orbis terrarum admiratione, ex profeſſo dederint.

De Epiſcopo Salisburgenſi, & Pontificiis tam regularibus quam irregularibus.

ANno 1611. Epiſcopus Salisburgenſis nouos non admodum ſibi optatos hoſpites, in Archiepiſcopatu ſuo excipiet, quorum ſtudium erit deprædari ruſticos, & quicquid ſubditi ex pecorum paſtu lucri cauſa corraſerint, de induſtria depeculari. Nonnulli ex primariis Tributum imperabunt Canonicis & Clericis & ſic multorum Gazophylacia euacuabuntur, imo ipſius Epiſcopi ærarium à ſpoliatoribus non bene tutum erit. Iuſſu tandem noui Imperatoris per Bauariæ Ducem expellentur. Idem annus etiam reliquorum Pontificiorum Senatui propter varias Aſtrorum conſtellationes erit admodum inuiſus. Nam expulſis ex Germania Ieſuitis, quidam ex Proceribus Imperii conabuntur etiam reiicere monachos præſertim Ordinis Franciſci, quos quidam Capuccinos appellant; ſed interceſſione Pontificis eis longius degendi ſpacium dabit. Ex qua occaſione Pontifex deſolatam & plane ſputam Romanæ Eccleſiæ fidem iterum de nouo reſtaurare laborabit, ſed fruſtra. Germanica enim natio cæteris populis in rebus fidem concernentibus longe per Dei gratiam oculatior erit, & præſtigias Miſſaticas pertæſa, amplius ſe geſticulationibus iſtis decipi non patietur.

De Milite Turcico, eiuſq; cæde.

AD finem dum properat meum vaticinandi ſtudium, cupio vniuerſo populo Chriſtiano lætabilem & glorioſam victoriam, quam de Turcico exercitu annis fere 1614. & 1615. felicitate prius inaudita, ſunt reportaturi, prænunciare. Circa hoc enim tempus hoſtis iſte Chriſtianitatis ingentes militum copias ex omnibus ſuis propriis & alienis regnis conſcribet, cum quibus in has Germaniæ partes cum impetu irruet, cupiens Patriam noſtram funditus euertere, & quidem primo aggreſſu ſuis reſpondebit votis euentus. Totam enim Vngariam, Sclauoniam, Croatiam, Carinthiam & Striam percurrens deuaſtanſq; veniet vſq; ad ſuperioris Auſtriæ plagas, vbi Romanus Imperator exercitu equitum & peditum ſelectiſſimo ei ſe obuiam ſiſtet, & conflictione facta, tantas in Turcicum militem edet ſtrages, quantas pro redimenda patriæ libertate & ſumta de hoſte tyrannico ob dominandi libidinem vltione ſat & laudabile erit.

PARS XIX.

PARS XIX.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS, RELATIONES,

ET MISSIVAS HISTORICO-POLITICAS

DE COMITIIS, DIETIS ET CONVENTIBVS GENEralibus in Imperio Romano-Germano celebratis.

DE CO-

Anno Domini 1471.

DE COMITIIS IMPERII SVB FRIDERICO III. IMP. APVD RATISPONAM CELEBRATIS ANNO M. CCCC. LXXI. AVGVSTI PATRICII COMMENTAriolus.

ITEM:

IOAN. ANTONII CAMPANI, AD IACOBVM CARDINALEM PApienſem, ex eiſdem Comitiis de rebus ibi geſtis, epiſtolæ familiares.

AVGVSTINVS PATRITIVS REVERENDISSIMI CARDINALIS Senenſ. Legati in Germania ſecretarius, Iacobo Cardinali Papienſi ſal. & commendationem.

CVm in Germaniam veniſſem nuper cum hero meo Franciſco Piccolomeo Cardinali Senenſi, Apoſtolicæ ſedis legato, viderem'q; ad conuentum Ratiſponenſem multos magnoſq; Principes vndiq; confluxiſſe, & maxima quæq; ibi tractari, quod res viſæ ſunt relatione digna, vtque interrogantibus in meo reditu amicis ad verum reſpondere poſſem, ſtatui omnia literis annotare. Adhibui itaq; exactiſſimam diligentiam, vt rerum omnium quæ ibi agerentur, veritatem ac ſeriem cognoſcerem, partem per me ipſum audiens, cum latine loquerentur (interfui enim fere ſemper in concionibus) partem ex aliis qui aderant cognoſcens. Quin & legatus ipſe cum epiſtolas ad Pontificem atq; amicos mihi dictaret, omnia aperiebat. Fuit ſane conuentus hic Ratiſponenſis frequentiſſimus, & omnium (vt ſeniores aiebant) noſtra ætate maximus. In quo Cæſar cum quinque Electoribus, & Principibus compluribus, duobus legatis Apoſtolicis, altero Cardinale, altero Epiſcopo, & Regum ac Ciuitatum oratoribus permultis conſedit. Redegi igitur omnia quæ in conuentu geſta ſunt, ſed & quæ vbique locorum per Germaniam egit legatus, & totius huius noſtræ peregrinationis iter deſcripſi, cum & pulcherrima ſæpe vrbes, & res memoratu digna interdum occurrerent. Eſt Germania (vltra quam noſtri homines credant) magnifica, & pulchra, & illi antiquæ, quam Cæſar, Strabo & Tacitus aliique deſcribunt, fortuna & moribus valde diſſimilis: ita vt multæ ſint inter eos Vrbes quæ multitudine populi, pulchritudine ædificiorum, templorum magnificentia, & ciuitatis ſplendore noſtris Italicis haud multum cedant, interdum etiam ſuperent. Atque cum mecum cogitarem, cuinam potiſſimum dicarem has meas lucubratiunculas quamuis tenues, tu ſolus occurriſti qui ſine inuidia gentilis tui Cardinalis Senenſis res geſtas perlecturus videreris, & meam hanc inſulſam incomptamque narrationem pro tua innata manſuetudine, & conſueta in me indulgentia æquo animo eſſes laturus. Mitto igitur ad te libellum hunc vt cum per otium licebit illum perlegas, in eo tamen præter nudam ac veram rerum explicationem nihil quod te detineat inuenies, oro vt boni conſulas, & mihi ignoſcas, ſi dignationem tuam rebus maximis occupatiſſimam his meis ſcriptis vexare ſum auſus. Vale. Romæ Nonis Ianuariis, anno ſalutis 1471.

POſt captam à Turcis Conſtātinopolim, & Græcorum imperium deletum, ſæpe Romani Pontifices, & Fridericus Cæſar, qui reipublicæ Chriſtianæ Gubernacula tenent, conati ſunt reliquos noſtræ religionis principes ac potentatus, contra ſæuiſſimos hoſtes in arma cogere. Et Cæſar quidem cū externi dicto minus parentes viderentur, inter ſuos Germanos crebros celebrauit conuentus, vt quātum in ſe eſſet, ſaluti Chriſtianorum conſuleretur, nunc Francofordiæ, nunc Ratiſponæ, nunc Norinbergæ, nunc Viennæ, nunc aliis in locis eos conuocans: nec prætermiſit interea cæteros Reges ac Principes literis ac nunciis hortari, vt communi conſilio expeditionem ſumerent in communes hoſtes. Pontifices vero Romani qui per hæc tempora præfuere, Nicolaus, Caliſtus, Pius, & Paulus nunquam deſtiterunt Chriſtiani orbis præſides literis & aſſiduis legationibus hortari, monere, rogare, obſecrare, vt relictis inteſtinis odiis in religionis ac libertatis noſtræ hoſtes arma conuerterent. Nullus eſt habitus conuentus ad quem non miſerint legatos, oratores ad ſingulos Principes ſæpe tranſmiſſi, laborantes bello noſtri qui Turcis proximi ſunt, conſilio, milite, pecunia, frumentoque adiuti. Pulſi ab hoſtibus auitis ſedibus benigne ſuſcepti, & ad vitam præbita neceſſaria, claſſes ſæpe in orientem miſſæ ad comprimendos hoſtes, Hungaris (qui murus Chriſtianæ ciuitatis hactenus fuerunt) magna vis auri data, miſſi prædicatores ad exhortandos populos: promiſſa pugnantibus æterna præmia, nihil prætermiſſum quod illis fieri aut excogitari poſſet. Et vt de reliquis taceam, diuus Pius, Romanæ ſedis perpetuum decus, à principio ſui Pontificatus indicto Mantuano conuentu & modis omnibus perquiſitis cum nihil ſuccederet, ipſe per ſe, vt nihil intentatum relinqueret, ho-

ret, homo morbis anniſq; confractis in expeditionem ſtatuit proficiſci, non ætati, non dignitati, non valetudini, non vitæ deniq; ſuæ parcens. Sed peccatis noſtris id exigentibus ante nobis ſubtractus eſt, & in cœlum relatus, quam ex portu Anchonitano in hoſtes ſoluere potuiſſet, ſic tanti conatus paruo momento in irritum redacti, ſic ſæpe magnæ exortæ telæ volente Deo ſuccisæ. In Germania autem quamuis ſæpe bellum in Turcos communi ſententia decretum ſit, ſiue quod Cæſar hoſtili arte impeditus conuentibus raro interfuerit, ſiue Principum diſcordiis & priuatis commodis rempublicam impedientibus, nunquam in hoſtes eſt itum. Semel tantum cum Turci Belgradum oppugnarent, excitus populus Prædicatorum vocibus tumultuarie in hoſtes ruit, atq; zelo potius religionis quam armis pugnans, ſoluit obſidionem ac fugauit hoſtem.

Mahometes vero Turcorum Princeps fretus noſtrorum deſidia, & continuis victoriis animo eleuatus, dum noſtri tempus longis conſultationibus terunt, Peram primo expugnat Conſtantinopoli oppoſitam, deinde protenſis viribus Bulgariam, Raſciam, Seruiam, & quicquid à mari Pontico, ad amnem Sauum, & ab Ægæo pelago ad Danubium interiacet, armis doloque occupat. Sed neque Danubius Valachos, neque Sauus Hungaros omnino tutatus eſt. Nam & Valachiæ partem rapuit, & Hungariam ſæpe populationibus afflixit: ex alia parte Peloponneſum, & Græciæ olim arcem Achaiam, Atticam, Bœotiam, Acharnaniam, Macedoniam, Epirum, Boſnam, & Illyrii magnam partem redegit in poteſtatem, Lesbum & Cycladas fere omnes ſubegit, & in Ponto Synopen ac Trapezuntem, & demum anno ſuperiori Euboeam (Nigropontem appellant) expugnauit, magno Venetorum quibus parebat inſula, & communi Chriſtianorum damno. Verum cum neq; his contentus anno ante captam Euboeam ex Boſnia in Carnos penetraſſet, & regionem omnem cædibus, incendiis atq; rapinis longe lateq; fœdaſſet, Fridericus Cæſar, cui vt Duci Auſtriæ hæreditario iure prouincia paret, quiq; prius pro Reip. ſalute tantum ſollicitus erat, nunc propriis atq; auitis prouinciis timens de ſubditorum defenſione intentius cogitare coactus eſt. Is cum viribus hoſtium imparem omnino ſe eſſe cognoſceret, Germanorum Principum auxilia poſtulare ſtatuit. Anno igitur ſalutis 1471. conuentum principum indixit Ratiſponæ ad 8. Kalend. Maii. Is dies Chriſtiano more D. Georgio Martyri ſolennis habetur, vocauitque omnes Germaniæ Principes ad eum locum ſuis literis, de Reip. ſalute cum eis conſultaturus. Pontificem vero ſummis precibus orauit, vt & ipſe aliquem ex ſacro Senatu, qui nomine Apoſtolicæ ſedis in conuentu præſideret, legatū mitteret. Has dicunt huius Ratiſponenſis conuentus fuiſſe cauſas. Cæterum qui altiora quærunt, & Eccleſiaſtici & ſeculares, ſi quando à militia vacat, voluptati atq; otio plerunq; incumbunt, moleſtas ac graues cogitationes raro admittunt, literarum autem & ſapientiæ ſtudia attingunt fere nunquam: omnia igitur conſiliariis credunt, eorumq; iudicio cuncta geruntur. Horum nonnulli qui doctiores ſunt, & ingenio atq; aſtutia pollent, pro arbitrio omnia verſant, his glorioſiſſimum eſt vocari ad conuentus, rogari ſententias, conſuli à principibus, & eorum ſermones atq; reſponſa tanquam Delphica oracula haberi: gaudent rerum mutatione, & contentionibus atq; diſcordiis principum creſcunt, procurant aſſiduo nouis artibus, vt principib. ſuis libertatem parare videantur, & à reuerentia Apoſtolicæ ſedis (quam *durum atq; aſperum iugum* appellant) ſed etiam Romani Imperii eos nituntur auertere. Cogitauerunt igitur ſi tales iam pridem imperium Friderico Cæſari abrogare, illudq; quando alius animo & viribus potentior in Germania non videretur, Georgio hæretico Boemiorum Regi deferre: reuerentiam deinde ſummo pontifici eius nomine polliceri, Imperii confirmationem & coronam petere, quæ ſi modo darentur, nationi interdicere ne amplius Romano Pontifici auſcultaret. Iamq; inter ſe ac Principes ſuos diuiſerant præfecturas, ac munera hæc vt legitime fierent, aſſenſum omnium Germaniæ Principum neceſſarium putabant. Sperantes itaq; ſi conuenirent Principes, facile quæ cogitarant perfici poſſe, ſubtili arte Cæſari perſuadent, vt Ratiſponæ principum conuentum indicat: aiunt Cæſarem, quoniam ſpretis Imperii ciuitatibus in auitis moretur prouinciis, omnibus neglectui eſſe, à nemine venerari, agitari vbiq; latrocinia, ac tota Germania iuſtitiæ formam eſſe nullam: ſi ad ſuperiora aſcenderet, vt priſca redeat reuerentia & fides, parituros omnes ſuo Imperatori, & eius timore ab iniuriis temperaturos, affuturosq́ ei omnes Principes, & certatim obſequia exhibituros. Et quoniam Imperii cenſus ita ſunt diminuti, vt inde Cæſar viuere non poſſit, ſe iam reperiſſe vias, quibus facillime & volentibus cunctis ducenta aureorum millia quotannis corraderet. Tentauerat hoc idem Cæſar alias in quibuſdam conuentibus, quippe prouentus imperii ita minimi ſunt, vt vix legationibus ſuppetant. Sed illi non tam ſuadebant vt Cæſari conſulerent, quam vt occaſionem nanciſcerentur patrandi quæ cogitarant. Hiſne igitur perſuaſionibus commotus Cæſar conuentum indixerit, aut vt Reipubl. ſuiſue prouinciis, quos à Turcis iam deuaſtari videbat, ſaluti conſuleret, illis diiudicandum reliquimus qui altiora cognoſcunt. Certe Georgii Bohemi obitus, qui medio tempore accidit, effecit vt conſiliariorum cogitata effetti non potuerint. Sunt etiam qui aſſerunt hunc conuentum indictum eſſe ipſius Georgii ſolerti opera, qui aſtutia ſua id effici poſſe ſperabat, vt decreto omnium Principum eius abſolutio (nam iam pridem, vt noſti, extra Eccleſiam propter hæreſin fuerat factus) à ſummo pontifice impetraretur, etiam ipſo permanente in damnata opinione. Cæterum in tractatibus ipſius conuentus Cæſar oſtendit, rem ſuam priuatam non neglexiſſe: Romanus autem Pontifex Paulus ſecundus, vt & Cæſari & ſuo officio ſatisfaceret, legatum ad conuentum mittere ſtatuit. Sed cum diu inter patres diſceptaretur, quiſnam videretur aptior, Franciſcus Cardinalis Senenſis diui Pontificis Pii maximi nepos communi conſenſu deſignatus eſt, qui prouinciam ſuſciperet, tum ob ſummam hominis integritatem,

tatem,& vltra eius ætatem, prudentiam, atque modeſtiam (nondum enim quartum & trigeſimum annum impleuerat) tum propter auunculi ſui memoriam, quæ adhuc recens apud Germanos erat, apud quos priuatus diu vixerat, non ſine magna virtutis opinione, & in pontificatu illius prouinciæ hominibus facilem benignumq; ſe ſemper præſtiterat. Accedebat ad hæc quod ipſe Cardinalis, vt qui apud auunculum in Germania à puero fuerat educatus, Germanorum linguam, & mores callebat, & propterea omnibus fere Germanis gratus, & notus. Vndecimo igitur Calendas Martii legatus deſignatus ex curia Pontificis vetuſto more à Patribus domum deductus eſt, iuſſuſque vt quoniam dies dicta inſtaret, ad profectionem quam primum ſeſe accingeret. Breui itaque compoſitis domi rebus, & paratis quæ ad tam longum iter erant neceſſaria, X V. Kalend. Aprilis diſceſſimus ex vrbe poſt ſecretum conſiſtorium, media ferme Quadrageſima, ſacer Senatus legatum extra portam deduxit. Continuato deinde itinere per Pientiam Senas venimus: in publicis diuerſoriis apud Paleam flumen Oratores Ducum Saxoniæ offendimus, qui Romam petebant, annuente Cæſare, compoſitionem rerum Bohemicarum Pontifici ſuaſuri, qui diu cum legato locuti ſunt. Senas ingreſſi ſumus ante horam qua à ciuibus expectabamur, nam legatus aſtu eos decepit, ne cum pompa introduceretur, quantum tum per anguſtiam temporis licuit pompa & ciuium & cleri magnifice ducta eſt. Hic crucem accepit legatus principium legationis inſigne. Senis iuſſis valere cognatis atque amicis, poſt tertium diem diſceſſimus, venimuſq; Florentiam ſummo mane inſequentis diei introducti ſumus magna pompa & ingenti populi concurſu. Legatus ſub vmbraculo ductus eſt nouiter facto, excepti ſumus apud monaſterium S. Mariæ Nouellæ in pontificali palatio, vbi admirabilis fuit locorum apparatus. Poſtridie per pontem Sieuæ Apenninum, tranſcendentes deuenimus Florentiolam in valle Saterni fluminis ſitam. Saternus in orientem vergens forum Cornelii (Imolam vocant) præfluit, & in Padum exoneratur, hincq; aquæ omnes feruntur in Adriaticum. Sequenti die per montes ipſos Lollianum primo, deinde Planorum peruenimus, oppidum in radicibus montium ſitum: & hic quidem eſt finis Apennini in latitudine, qui mons à Genua Ligurum emporio incipiens Italiam omnem diſterminat. Hinc ad Alpium conuallem iuxta Volaruam planities ſemper patet, quam Ciſalpinam Galliam priſci dixere, Togatam quidam, vltra Padum vero Tranſpadanam. Iacet enim Togata ſub ipſis montibus (vt Ptolomæus ait) quæ à Placentia Rauennam vſq; protenditur. A Planoro ſummo mane Bononiam petiuimus, nihil prius ciuibus ſignificantes, ne ſacra perturbarentur. Planorum enim neq; celebritati diei, neq; victui noſtro ſufficiebat, eam vrbem ingreſſi occurrerunt magiſtratus intra mœnia, adiuimus templum, ibiq; ſacris interfuimus, erat enim dies dominicus (qui paſſionis vocatur) quintus decimus ante reſurrectionis Saluatoris noſtri. Diſtat Bononia à Senenſi vrbe millibus paſſuum quatuor & octoginta. Ciues & iucunde & magnifice nos exceperunt publicis ſumptibus, ſequenti die quæ Kalend. Aprilis fuit, circa meridiem vrbe egreſſi, apud oppidum S. Ioannis pernoctauimus, & inde pluuioſo cœlo iter agentes, Panarum flumen, quod ex Apenino Padum influit, apud Bonportum nauigio tranſuecti per aggeres Siculæ amnis venimus Mirandulam. Hic Blanca Maria, Borſii Ferrarienſium Ducis ſoror, vxorque Galeotti Mirandulæ tyranni abſente viro magnifice nos excepit, iunxitq; cum legato ſpiritualem affinitatem, commater enim facta eſt, erat namq; prægnans & partui vicina. Datus eſt curator, qui vice legati partum ex ſacro fonte leuaret. Mulier ipſa prudens & elegans ſermone viſa eſt, clauda dextro pede aliquantulum, alioquin honeſtiſſima: vir eius Galiotus, quem poſtea Mantuæ vidimus, iuuenis pulcherrimi corporis eſt, & prudentiæ non contemnendæ. Is tamen non multis ante menſibus fratrem ſuum minorem natu in carcerem coniecerat, tanquam res nouas contra eum moliretur. Adhuc in vinculis eſt: ſupplicium de complicibus ſumptum. Altera die agrum Mantuanum ingreſſi iuxta Quiſtellum oppidum ſitulam ſcapha tranſiuimus, petiuimuſq; D. Benedicti venerandum ditiſſimumq; cœnobium. Hincq; digreſſi emenſis circiter 20. ſtadiis, per Padum fluuiorum Italiæ maximum nauigio Tranſpadanam Galliam ingreſſi ſumus. Hic filii Mantuani principes Fridericus primogenitus, Ioannes, Franciſcus, & Rodolphus Gonzagæ obuiam legato facti Mantuam vſq; nos deduxerunt, vbi per totum inſequentem diem quieuimus: Princeps ſumma hilaritate, & regali rerum omnium ſplendore & copia nos ſuſcepit. Mantuam & Veronam inter Inſubres ponunt: Ptolomæus autem Cenomannos hos populos appellat. Poſtridie per Campeſtria Veronam profecti vrbem intrauimus circa meridiem, inſperantibus eo tempore ciuibus, qui ad vltimam veſperam nos expectabant. Obuiam tamen intra mœnia, & magiſtratus qui Venetiis præſunt, & ciues cum clero & populo dati ſunt, magnificeq; ac reuerenter nos exceperunt, quoniam Palmarum dies ſolennis inſtabat (biduo enim antea illuc appuleramus) coegerunt nos ibi commorari vſq; ad eam celebritatem. Dominica vero die peractis ſacris inde diſcedentes, tranſmiſſo per pontem Atheſi in vrbe Valerni, venimus villam millibus paſſuum L X X I I.

Iacobus Cardinal. Papienſis Campano ſuo.

GAudeo tibi & tuo Mæcenati ſecunda euenire, quæ facitis. Puto communia quæ in vtramq; partem accidunt vobis. Iter legationis veſtræ Senam vſq; agnoui. Cura vt à prima Germania reliquá Italiam diſcam, Id nos, qui vos votis proſequimur, non minus expectamus quá petimus. Noſtra vrbana noſces ex multis. Ex pompis Mutinenſibus ea ſola fuere: Magni appatatus, magnæq; expectationis Borſii Eſtenſis ingreſſus. A Flaminia in Pontificiatn medius inter Aquilegienſem & Mantuanum traductus eſt, In comitatu plurima ſtomachi tui, non tuorũ tamen, hoc tempore oculorum,

Primo

Primo venienti eſt datus Senatus: Oratio eius nulla: lætitia vultus multa. Receptus ſeſſum poſt diaconos Cardinales eſt. inde domum dimiſſus: aduentus huius nondum patuit cauſa, cum patuerit, ſcies. Palatina quoq; ſi quæris, pauca ſunt. Poſt diſceſſum auditi Cypri oratores, quorum fuit deprecatio, vt Princeps eorum Iacobus Rex appelletur. Sunt & quædam à Cæſare, & Saxonum Ducibus breui ad vos peruentura, ex eorum genere, quorum cauſa petita eſt legatio. Exercebunt nos (vt cerno) Boemica. Tu perge, & forticulum te in laboribus præbe. Pro epiſtola & epigrammate non tibi gratias ago, qui enim digne vt poſſim. Vincuntur gratiæ omnes gloria diuini ingenii tui, quod cum ætate & beneuolentia creſcit. Ex metu ſaluta Romagnanum noſtrum, & Patricium, & Montanum. Vale Romæ V. Aprilis, 1471.

Ioan. Antonius Campanus Iacobo Cardinali Papienſi.

I.

Literas tuas, quæ ſcriptæ fuerunt Eugubij ad 4. Kal. Aprilis, Ratiſponæ accepi pridie Kal. Iunias. Legit eas non minus iucunde legatus, cuius mentionem faciebas, quam ego, cui dirigebantur. Memoria tui apud me ita reſidet, vt tamen ſæpe inter tot negotia ſubdormiat, nunquam moriatur. Accelerabimus reditum, vt quantum in nobis erit, breui abſoluamur. Diſceſſum ex Vrbe 18. Martij, ingreſſi ſumus Ratiſponam Kalen. Maiis, tribus & 40. diebus in itinere conſumptis. Subſtitimus diem vnum Viterbii, triduum Senæ, Florentiæ, Bononiæ, Mantuæ ſingulos, Veronæ, Tridenti, Bolſani binos, ad pontem Oeni cum Sigiſmundo Duce Auſtriæ, triduum, ad Lantshutum cum Ludouico Duce Bauarorum biduum, vbique ſupra vſitatam magnificentiam excepti, Ratiſponæ ſolos inuenimus Oratores Allobrogum, qui hodie Sabaudienſes appellantur. Conuenerunt poſt diem tertium Moguntinus & Marchio Brandenburgenſis, vterque maximus in Germania Princeps, & quibus ius ſit cum quatuor Cæſaris eligendi. Moguntinus vir ingenii manſueti, & qui neque aſpectu, neque manſuetudine præ ſe ferat. Marchio vir acer, eloquens, vafer, & quem Vulpem Germanici vocant, bellicoſiſſimus & pugnaciſſimus omnium, qui in Germania laudantur (* Pius Achillem appellauit) cicatricibus totus in manibus, pedibus, vultu, collo excauatus, ſæpe ſingulari certamine dimicauit, quo genere pugnæ nunquam victus eſt, prælio ſemel à Ludouico Bauaro eius conſobrino. Oratores Burgundorum cum eo venere ad viros triginta, ciuitates Germanorum fere omnes, Duces multi miſere legatos. Imperatorem circa Pentecoſten expectamus, ſi venerit, aderit & Principum magna frequentia, etiam eorum, qui legatos præmiſere. In aduentu illius tota ſpes eſt: abſente eo refertu de nullis, deliberari nihil aut exiguum poterit. Scribam tibi ordine, quæcunque in conuentu peragentur. Vale.

* Æn. Sylu. Europ. c. 19. & in Germania.

Eidem.

II.

Viuimus, ſi modo vita eſt aliqua, viuere extra Italiam. Cæſarem iam prope menſem expectamus. Moram hoc leuat, quod ſcribit ſe venturum. Moguntinus & Marchio Brandeburgenſis, & alii quidam nobiſcum ſunt, at Cæſarem præſtolamur. Treuirenſis & Spirenſis ſunt in itinere. Res omnis in Cæſare ſita eſt, niſi venerit, necquicquam laborabitur. Eum principes omnes intuentur, conuenientq; omnes, ſi ipſe aderit. Dico ego tecum, quod ſentio, fieri omnia poſſe in ſalutem Chriſtianam, ſi Cæſar volet, nihil ſi tergiuerſabitur. Factioſa Germania eſt, amici eum facillime conſequuntur cæteri, quod magnum eſt in hac gente Cæſaris nomen, & multa poteſt, cupiunt reconciliari, & rei communi adeſſe. Bohemica diſſident: vtinam non ad cæteram felicitatem Turci hæc quoque accedat, quod eſt Bohemia vires & Hungaras & Germanas ad ſe pertractura omnes: quod ſi acciderit, peribimus funditus. Vale.

Eidem.

III.

Miraris, quod pauca de rebus Germanicis ſcribam, præſertim quæ in conuentu noſtro aguntur. Sed perſuade tibi, aut exiguum, aut nihil eſſe, quod agitur. Multa & magna quæ cogitantur, omnia pendentia in aduentu Cæſaris. Frequentia principum atque oratorum indies fit maior: ſed pars maxima aut domi adhuc manent, aut cognita mora Cæſaris in itinere ſubſtiterunt: omnes tamen, vbi de Cæſare intellexerint, venturi exiſtimantur. Ego legatum non deſero, dignitatem veſtram, id eſt, ſedis Apoſtolicæ, inter ſurdos eloquentia tueor. Fama increbuit Cæſarem iam ſoluiſſe, & per Danubium adnauigare: hoc exploratum ad verum nondum eſt: multi terra cum equitatu venturum arbitrantur. Magna eſt eius auctoritas in prouincia vndiq; factioſa: verum ita magna tamen, vt multum vmbræ, non tantum corporis habeat. Si quæris ſententiam meam, illud ſentio magnam ſpem propoſitam eſſe nobis, ſi Cæſar inſtabit, exiguam, ſi lenteſcet, nullam, ſi tergiuerſabitur. Bohemia tripartita eſt omnis, Alii cupiunt Polonum, magna pollicentem præſidia, ad hunc diem nulla præſtantem. Ii ſunt hæretici quidam, ſperant impune ſe victuros ſub eo Rege, in cuius regno infinitæ prope ſunt hæreſes. Catholici Hungarum, cui iuſiurandum præſtiterunt, magna ex parte ſequuntur. Promiſcue vtrinque multi, & Catholici, & hæretici Albertum Saxonem amplectuntur. Germani adhuc inclinant omnes, & metu Hungari, & quod fere omnes intima affinitate iunguntur, quanquam hactenus multum conſilij, nihil auxilii miſere: nec dubium, ſi conijcere de mente Pontificis poſſent, quin auxilia vndique ſubminiſtrarent. Vale.

Eidem.

IV.

CVm ſcribat legatus ad te quotidie, ſuperuacuum eſſet aliquid per me ſignificari tibi de rebus Germanicis; & literæ ad caſum committuntur. Hoc vnum velim ſcribas, legatum nihil facere, nihil cogitare aliud, quam quo pacto & honorem ſedis Apoſtolicæ, & gratiam inter Principes augeat. Ego quoq; etſi idem facere cupio, tamen eo ſum in loco, vt neq; intelligam quenquam, neque intelligar. Si Cæſar veniet (quemadmodum ſperamus) fortaſſis vtilis fuerit opera noſtra: alioquin & operam perdidimus & impenſam. Nam niſi is venerit, exigua erit hæc diæta, Principes ægre & pauci conuenient, omnes Cæſarem intuentur, & quia periculum factum eſt ſæpe, non videntur ſe moturi, niſi prius ille ſe mouerit. Qui iam venerunt, & pauciſſimi ſunt, & ad ſolam ſpem Cæſaris detinentur, quæ ſi euaneſceret, ſtatim euolarent. Tædia Germanica infinita ſunt, verum omnia ferenda ſeruis pro domino, filiis pro patre, membris pro capite. Oratores Veneti adhuc Patauiæ, quæ eſt ad ripam Danubii, metu latronum ſe continent, ibiq; Cæſarem præſtolantur: diſtant à nobis minus quam trium dierum itinere. Scribunt inſidias ſibi vndique ſtructas eſſe. nam (vt vno verbo dicam) patentiſſima Germania eſt, & potentiſſima, & nobiliſſima; ſed ea tota nunc vnum latrocinium eſt, & ille inter nobiles glorioſior, qui rapacior. Apud Principes ſolos ſecuritas eſt: ſed duntaxat eum promittunt. nam niſi publica fide accepta, eorum quoque fines infeſti ſunt omnibus. Sed hæc querela in Italia erit iucundior. Vale.

Eidem.

V.

QVarto decimo Kal. Iun. roſam primam legi Ratiſponæ, adeo ſerum eſt in Germania florere. Iam ſi maturari noſtrum reditum putas, præcox iudicium habes. Cæſarem tam nunc expectamus, quam cum venimus. Aquilæ ad gruem rediere. Profectionem noſtram perſcripſi tibi omnem, idem faciam de moribus gentis. At quid, inquies, in Germania ingenio dignum noſtro? Multa quidem, ſed illud inprimis, quod & mortui viuunt, nec putes cœli clementia fieri, fit moribus. Ego qui miracula noſtri temporis non odi modo, ſed horreo, nuſquam verſatus ſum omni vita mea faſtidioſius. Sed dices, perpulchrum eſt mortuos viuere, perpulchrum, ſed malim ego & viuos mori, nam cum fœteant, qui ambulant, ſi fœterent mortui, non ambularent. Anceps fortuna mea eſt. Quanta calamitas nata, tanta auribus felicitas ineſt, dum omnes ſentio, intelligo neminem, O epigrammata:

Tu ſortem miſerere meam, fugere repulſa
Pierides, Iſtrum Flora Venuſque bibunt.
Arce ſedet Bacha: ceſſit neglectus Apollo.
Non heic eſt aliud viuere, quam bibere?

Vale felix, nec accuſes breuitatem, mox reſarcientur omnia, nunc comparo me in aduentum Cæſaris, habiturus orationem, qualem Italia legat, Germania non capiat, incredibilis eſt his ingeniorum barbaries, rariſſimi norunt literas, nulli elegantiam. Vale iterum. D. Antonius de Romagnano, Patricius, & Montanus ſe D. V. plurimum commendant, Ratiſponæ 24. Maii 1471.

delicatum Ligurem.

Eidem.

VI.

CVpimus ambo, & tu ſcire, & ego ſignificare; quid in Germania faciam. Dicam, facio nihil, dico parum, meditor vnum, Italia, Italia eſt, reſonat mihi dulcis in ore Italia, in animo mihi fixa eſt Italia. Ampliſſimum conuentum ſperamus, vt fere ſemper altius creſcunt arbores, quæ tardius. Habemus Treuirenſem, Spirenſem, Aichſtatenſem: nam de Moguntino iam pridem audieras. Venus, ſed noſtram cunctando deſtituit rem, & quantum perſpicio, grus illa non perſtat, tranſiit iam in cornicem. Scribit Cæſar ad triduum ſe venturum: ſed hoc triduum iam centiduum eſt, in mora fuit Pancherij inſignis latronis & conſpiratorum quorundam ſupplicium, aut ſupplicia potius: nam Pancherius auctor coniurationis ſecuri percuſſus eſt, & cum eo, qui proxime ſequebantur. Tertius flumine neſcio an Danubio ſubmerſus. Magna res, & minime opportuna conſiliis, ſed tamen magna. Cæſarem tam mitem Principem aliquando incaluiſſe: nam incrudiuiſſe, tam iuſta cauſa non dixerim, Principes qui adſunt, eo videntur animo, vt aſpirante Cæſare ſperare non pauca poſſimus. Sed quid dicam, tarditas & cunctatio ipſa deſperatio quædam eſt, vt raro acriter inſurgunt, quę lente ſe moueant. De Boemicis iam puto ad te eſſe perlatum, filium Poloni, ex Ladislai (qui veneno adoleſcens perijt) natum ſorore Regem appellatum, ſed aliis duntaxat, qui & religioni & Hungaro aduerſantur, & cum Georgio ſentiebant. Nec refert, Georgium num habuerint Regem, an num habeant Polonum. Tam ſe impunes futuros ſub hoc Rege vident, quam ſub illo iam fuerant, & periculum eſt, ne contagio ſerpat, & augeantur viribus, qui deſtituti videbantur. Cæſar cui faueat incertum eſt, niſi quod Hungaro propter veterem contentionem & Pancherij cauſa putatur infenſus. Non poſſum de omnibus certa perſcribere, & multa ſic pendent, vt minentur potius quam cadant: quædam contra caſum exiſtimentur, quæ nondum inclinauere. Vale.

His

Hic deſideratur inſignis epiſtola de Cæſaris aduentu.

Eidem.

VII.

PErſcripſeram tibi * de aduentu Cæſaris, & apparatu eorum, qui Cæſarem ſequebantur, & quæ ſpes eſſet propoſita nobis de ampliſſimo conuentu, & quantum nec ætas noſtra vidit, nec grandiſſimi natu Germanorum recordātur. Deinceps hæc acta ſunt. Ad VIII. Cal. Iul. poſt peractam rem diuinam, in prætorium ſecuti Cęſarem conſcendimus, quem in locum conuenire Principes conſueuerunt de rebus Germanicis acturi. Hic Antiſtes Tridentinus nomine Cæſaris prodijt in medium oratione Germanica: quam è veſtigio, vt externi quoque oratores intelligerent, latine eſt interpretatus. Primum Cæſaris moram excuſauit, quod ad diem non veniſſet, & capita contentionum, quę domi poſt indictum conuentum exortæ eum detinuiſſent, enarrauit, egitq; gratias & Principib. & Oratoribus, quod non ſine iactura rei familiaris & ſumptibus grauiſſimis alterum prope menſem expectaſſent. Cauſam deinde aperuit, quæ ad indicendū hoc in loco & tempore conuentum impuliſſet: præteritas Chriſtianorum calamitates, & recentem Carniolæ cladem deplorauit, potentiam crudelitatemq; immaniſſimi hoſtis, quam breui tempore quantum occupauerit finium noſtrorum, quantum Chriſtiani ſanguinis fuderit, & in Europa & in Aſia, oſtendit, repetitaq; eleganter veterum non vna hiſtoria, clariſſimas ac prope innumerabiles Germanorum expeditiones, & pro religione Chriſtiana, & pro Imperio Germanico ſuſceptas commemorauit: hortatuſq; eſt Principes omnes oratoreſq; ciuitatum Germaniæ, partam à maiorib. gloriam conſeruarent, occurrerent imminentibus periculis, & religionem, in qua patres eorum vixiſſent, & ipſi eſſent nati atq; instructi, tuerentur. Addidit poſtremo Cæſaris preces, auxilium & communi libertati, & priuato ſuo periculo implorantis, reſponſumq; poſtulauit. Poſt Trident. legatus graui & ipſe oratione propoſitum Cæſaris & principū aduentum commendauit, egitq; gratias Pontificis nomine vniuerſis, hortatus, vt quam ſpem Chriſtianis ex conuentu porrexiſſent, eam ſumendis armis exhiberent, nec ſe carpi ſingulos paterentur, qui vniuerſi non modo reſiſtere, ſed profligare hoſtem quam facilime poſſent. Conuentus multos repetiit nequicquam in Germania factos, vbi ſi obtemperatum fuiſſet conſilijs eorū, qui futura pericula præuidiſſent, non eo diſcriminis ventum fuiſſet, vt quem facile tunc potuiſſent ex omni depellere Europa, nunc in ipſa Germania perferrent, dum extrema eſſent neglecta, ad intima hoſtē penetraſſe, adiecit & preces ac verba, vultum animumq; legato, & tantis neceſſitatib dignum accommodauit. Principes Germanico more paululum ſegreſſi, atq; inter ſe locuti, gratias Cæſari egerunt, q̄ aliquando Germanicæ libertatis & publicæ ſalutis curam ſuſcepiſſet, ſe paratos per omnia vitæ fortunarumq; diſcrimina illius Imperium ſequi; ituros in expeditionem, ſi ipſe aut eat, aut iubeat ire; miſſuros ſi iubeat mitti. Lætus eo reſponſo Cæſar, laudatis principib. conuenire ſequentem in diē iuſſit. Poſtridie pari frequentia reditum in prætoriū eſt: ſed initium conſultandi à controuerſia ortum, omen belli futuri an impedimenti potius fuerit, ſuſpenſum me habet. Oratores Burgundi cum poſt Legatos Electorum collocati, atq; ideo deſpecti priore conſeſſu viderentur, redire in ſubſellia recuſabant. Electores abſentib. collegis qui aderant, quanquam ſumma cum modeſtia, dignitatem tamē communem tuebantur. Burgundi potentiam ſui Principis, & in Gallia & in Germania maximam: Electores parem nobilitatem ac vetuſtum morem obijciebant, ſeq; è corpore Cæſaris cum eſſent, ne Regib. quidem, ſi qui adeſſent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio cum tres prope horas conſumpſiſſet, non antea eſt ſublata, quam Burgundi alteris ſubſellijs ad frontem Cæſaris inter oratores regios locarentur. Tum demum & ipſi auxiſſe principis ſui dignitatem, quod in ordine abſentium regum ſederent; & Electores ſeruaſſe æſtimationem ſuam, quod excluſi à primis ſubſellijs Burgundi eſſent, videbantur. Vbi omnes conſedere, primi Burgundi ſurrexerunt, quorum vnus locutus eſt oratione ideo parum accommodata, quod plus in criminando Rege Gallorum, quam in propoſito iuuandi belli viſus eſt occupari. Regem rupiſſe fœdera, violaſſe publicam fidem, media pace oppida Burgundi expugnaſſe conqueſtus eſt. Pauca quædam adiecit ad rationem belli, & quæ nunc ibi potius excogitata quam domo adducta viderentur. Altera fuit oratio Pauli Morecini Venetorum oratoris breuis & collecta. Certaſſe cum Turcis Venetos annos iam ducentos, eorumq; vires atq; impetus ſolos & in Thracia & in Illyrio ſuſtinuiſſe. Enixius tamen octo proximis annis mari cum iis ac terra geſſiſſe bellum, propugnatoreſq; noſtros fuiſſe, iam nō tam defatigatos aut exhauſtos, quam à cæteris Chriſtianis deſtitutos eſſe. Communi ad eam diem ſolos periculo excubaſſe, creuiſſe nunc hoſtem, factumq; ex aliena ſomnolentia magnum, & quantum iam perferre Chriſtiani vtinā vigiles poſſint. Inſtare illum ab Illyrio, à Pannonia, à ſinu Adriatico; non mari, non terra quietos noſtros ſinere, Genus belli quale eſſet, ipſos perſpicere, ſenes occidi, ſtrangulari infantes, cęterā multitudinem ſine ſexus ætatiſq; diſcrimine in ſeruitutem Aſiaticam trahi, conflammari templa, viros Dei intra templa concremari, igni & ferro ad excidium vltimum vaſtari omnia. Incipere etiam Germanos intelligere, quid fuerit Venetis tam diu bellum geſſiſſe cum Turco. Nec tamen deſperandū eſſe, modo eo ſint animo Germani, quo quiſq; eſſe debeat ad vitam ſuam libertatemq; ſuorum defendendam. Habere ſe permagnam claſſem & præſidia per Illyrium Græciamq; diſpoſita ſtipendio eorum militare ad hominum quinq; & viginti millia, iuuari & à Ferdinando Rege maritimo bello, ſi iuuentur terreſtri à Germanis, breui & futuros ipſos in tuto, & cæteros extra periculum poſituros. Miſiſſe Ferdinandum tres & viginti triremes, quatuorq; naues onerarias in aduentum claſſis, & alias

* *Hæc epiſtola non extat, quod dolemus.*

Tridentinus pro Cæſare.

Seſſionis quæſtio inter Electores & Burgundum.

Veneti.

propediem eſſe miſſurum, ipſos triremes ſexaginta, naueſq; aliquot inſtruxiſſe, & putare iam eſſe deductas. Centum triremibus ac duodeuiginti roſtratis nauibus bellum maritimum aggreſſuros: ſi terra quoq; diſtrahatur hoſtis, vtrobiq; laboraturum. Poſt eum legatus magnificis verbis & rem Venetam, & Pontificis diligentiam, & Ferdinandi apparatum complexus, parem Germanorum curam, quorum non diſpar eſſet periculum, poſtulauit. Secundum legati verba præſul Ayſtetenſis iuſſu Cæſaris progreſſus in medium hæc poſtulauit. Primum vt decem millia ad præſentem neceſſitatem, quarta pars equites, cæteri pedites cogerentur, qui per fines extremos Germaniæ diſpoſiti hoſtem ab incurſionibus prohiberent. Alteram deinde manum ſubſidiariam ac paratam in omnem belli euentum, & ad quamuis hoſtium impreſſionem compararent. Poſtremo vt de ſumma totius belli, quantum geri vniuerſis viribus Germaniæ poſſet, in annum ſequentem conſtituerent. Ad hęc Principes, quod digna conſultatione res eſſet, ſpatium poſtularunt, reſponſuroſq; in diem ſequentem polliciti, præſentibus quoq; verbis ſpem Cæſari addiderunt. Magna viſa eſt omnibus Cæſaris poſtulatio, nec minus neceſſaria quam magna, ſed meo & multorum iudicio præpoſtera, nec legatus ordinem poſtulatorum approbauit. Laudare ſe dixit conſilium Cæſaris de auxilio præſenti, de ſubſidio parato, de expeditione futura, ſed eum ordinem non placere. Primum quod cum fama potiſſimum bella conſtent, nec minora in re bellica terrore quam prælio conficiantur, irriſuri eſſent hoſtes tam exiguam manum, & vires Germanicas ex decem millibus militum æſtimaturi: ac tanquam omnem expreſſam Germaniam in tanto conuentu nihil plus præbere virium, quam decem millia potuiſſet, aut ſi poſſet, ægre reliquos in caſtra venturos aliquando eſſe, qui nunc, vt darent nomina, compelli non potuiſſent. Deinde ſpem omnem ereptam iri ciuitatibus noſtris finitimis Turco: concaſuros omnium animos cum primum de numero audierint tam exiguo, & quicquid nunc præſente Cæſare, aſtantibus omnibus Germaniæ Principibus, tanto habito conuentu, in eorum ſalutem factum non ſit, fieri poſſe amplius deſperabunt. Poſtremoq; vbi decem millia contulerint Germani Principes, contuliſſe ſe, quantum opus fuit, exiſtimabunt; vt fere ſemper grauius eſt quod additur ponderis, quam quod imponitur, eo maxime imputatur, quod primum exactum eſt. Proinde ſuam eſſe ſententiam, vt ante omnia de ſumma vniuerſi belli deliberetur, vires omnes Germanorum inſpiciendas, nomina militum quotquot & vbi vbi ſunt conſcribenda. Habendum, quantum habere maximum poſſent, ex omni Germania delectum. Ac tum demum ex ea ſumma primum decem millia educenda, præſidiumq; ad impreſſiones ex eadem ſubmittendum. Cæteras copias deſtinatas conſcriptaſq;, & primo quoque tempore paratas habendas eſſe, vt ſit ita futurum, vt hoſtibus terror, ſpes noſtris adijciatur, & illi ſe contineant, noſtri ad reſiſtendum confirmentur, & cuique exploratum ſit, quo tempore quid facere, quorſum aut qua manu ire iubeatur, magnam vim habere, & animi & rerũ apparatum. Laudata eſt magnopere Legati ſententia, non tamen Cæſaris propoſitum immutatum. Vnde orta ſuſpicio eſt nobis, remiſſiorem eum futurum ad hanc expeditionem, quam ſperabamus, & conſulere velle præſentibus periculis, futura non cogitare. Quanquam legato reſpondit: Bono eſſet animo, ſe niſi re ad ſummam vniuerſi belli perducta, Ratiſponæ non diſceſſurum. Principes quod erant politici, ſequenti die reſponderunt, ſe ad omnia, quæ Cæſar poſtulaſſet eſſe paratos: vnum orare, ſimultates Principum, ciuitatumq; diſcordias (quod facile authoritate ſua poſſet) è Germania tolleret, magnam partem virium Germanicarum occupari Principum ſeditionibus, quibus ſublatis vno robore, communi manu, copijs vniuerſis inferri bellum poſſe. Cæſar ſtudioſum ſe ait ſemper fuiſſe concordiæ Principum, & nunc quæ ad pacandam Germaniam pertinerent, omnia eſſe facturum. Nouiſſime deſignati ſunt quinq; viri ex familia Cæſaris, ac totidem ex conſiliarijs Principum, qui cum Moguntino (cui eſt primus inter principes locus) de cogendis ſtatim decem millibus, & præſidio ſupparando, & de numero copiarum Germaniæ in annum ſequentem, præfiniendo & de præficiendo Imperatore, ac de omni ratione non mouendi ſolum belli, ſed etiam continuandi inter ſe agant, & vbi deliberauerint, ad Cæſarem & Principes referant. Hoc in ſtatu res ſunt. Legatus nihil neque excitandis Principibus, neque Cæſare incendendo prætermittit. Ego ea ſum nunc ſententia, qua nuper fueram, cum primum de conuentu ad te ſcripſi, pendere omnia ex Cęſaris voluntate: qui niſi omnia velit, quæ ad ineundum bellum pertineant, nihil dicam aliud, quam fato malo perituram rem Chriſtianam. Depopulata Carniola & igni ferroque vaſtata niſi excitetur, non video, quid ſperare poſſimus ab eo auxilij calamitatibus noſtris, qui ſuis non moueatur. Auctus conuentus eſt incredibili multitudine Principum. Nudiuſtertius venit Lantgrauius Haſſiæ cum equitibus quadringentis. Heri Antiſtes Colonienſis exiguo comitatu. Fratres Saxones, quorum eſt magna in Germanos auctoritas, ad triduum expectantur. Conueniſſe feruntur ad ** paulo plus minuſue, quam equitum decem millia. Pulcherrimum ſpectaculum nobilitatis, vtinam æque profuturum. Feliciter vale Ratiſponæ, III. Non. Iul. MCCCCLXXI.

Ayſtetenſis pro Cæſare.

Principum reſponſum.

Eidem.

VIII.

POſtridie Nonas Iulij, quo die opinio fuerat quinque viros de Principum decretis relaturos, Wolſgangus Bauarus frequentiſſimo conſeſſu querelam noui ſceleris intulit de Chriſtophoro fratre, qui ab Alberto & ipſo quoque eorum fratre in vinculis detineretur, orauitque Cæſarem tam immani & inaudito ante eum diem exemplo impietatis clementia ſua & pro dignitate Imperij occurre-

Albertus Bauarus.

curre-

curreret, vt quem naturæ charitas non teneret, ſecuritas iudicij à maleficio cohercerer. Breuis accuſatio, ingens vulnus viſum eſt, perculitq; omnium animos, fratrem aduerſus fratrem pro fratre contendere, nec cauſa modo, ſed promiſſa barba, & mutatio veſtis, & lachrymarum immodica effuſio certare pro duobus fratribus, altero captiuo, altero ſponte ſua exule videbantur. & habetur alioquin Albertus ſumma inter Germanos Principes gratia, dignitate corporis & facundia, quantam capere gens poteſt, nonnihil & literis præditus. Altera fuit contentio Spirenſis Epiſcopi, qui primum nomine Colonienſis acceptus in conuentu inter Oratores electorum conſederat, ſed vbi Colonienſis *aduenit, iam Palatini loco ſe gerens, vetitus à Cæſare eſt, ne vbi prius (hoc eſt, Electorum gradu) locaretur, quod nec decreto ſuo Palatinum * Electorem eſſe contenderet, nec oportere duos ſimul fratres poteſtatem habere Cæſaris eligendi. Iam vides, quæ ab eo pacis tam neceſſariæ fundamenta iaciantur, & quantum de concilianda Germania cogitet, qui exortas contentiones non comprimat, nouas exuſcitet. Vereor, Papienſis mi, ne ad vnguē diuinaueris. Memini, quo die locutus ſum tecum de profectione Germanica, dixiſſe te nullam ſpem habere in Cæſaris mente, dubij & latebroſi conſilij homine: ti nihil ad communem ſalutem, omnia ad ſuam vtilitatem reuocare. Poſt hæc lectæ ſunt literæ Carniolanorum plenæ efficaciſſimæ immanitatis, nullum relictum templum, nullam agreſtem caſam à Turcis in Carniola; iacere paſſim cadauera occiſorum ſenum atque infantium, & iam cœlum fœtore corrumpi. Abrepta præterea eſſe ad millia hominum ferme XX. Communiſſe Turcos loca quædam: vnde excurrere quam latiſſime, ac recipere ſe incolumes cum præda facilime poſſint, implorare Cæſaris & Principum, & omnium mortalium opem. Recitatæ etiam Strigonienſium & optimatum Hungariæ, quibus ſignificabatur diuiſum eſſe bifariam Turcorum exercitum, partem Carniolam in fines Cæſaris contendere, partem ad ripam Saui fluminis conſediſſe, eo conſilio, vt exitu aliquo explorato, & communito excurrerent, & depopulati Hungariam poſſint. Centum iam annis pugnatum ab Hungaris cum Turcis eſſe, exinanitum iam & viris & viribus regnum, niſi ope quoque iuuetur externa, non poſſe diutius tam aſſiduum tamque potentem hoſtem ſuſtinere: Communem cauſam agi. Se, etſi propinquiores ſint periculo, non tamen ſolos perituros, monere & orare Cæſarem, vt conuentu prope omnium Principum Germaniæ, & quantum nunquam antea, ampliſſimo remedium aliquod Chriſtianis vulneribus adhiberet. Oportere eum præcipuum eſſe Chriſtianorum propugnatorem, qui idem Chriſtianorum ſit Imperator. Idem quoque à Principibus poſtulabant. Cæſar & ad contentionem Wolffgangi, & ad vtraſque has egregie dormit. Reſpondit Moguntinus nomine Principum, hoc vnum agi, præterea nihil, vt & Carniolis & Vngaris ſuccurratur. Hoc in ſtatu res eſt. Vale. Ratiſponæ, die x. Iulij MCCCCLXXI.

* Rupertus Palatinus.
* Fridericum.

Eidem.

IX.

SCripſi ad omnem nuntium: inquietos dies, inſomnes noctes ducimus. Parietes noſtri te ſomniant, menſæ tecum vigilant, vnus vbique & nobis. Redeuntibus Balthaſare & Luca doctiſſimis clientulis tuis, nihil eſt quod ſcribam de rebus Germanicis: omnibus interfuerunt. Habemus hic oratores Hungaros, Bohemos, Polonos. Magnis verbis, maioribus ventis res agitur: ſed Cæſar immotus ad omnia. Rediſſe Turci feruntur in agrum Carniolanum, & rediiſſe manu maiore quam antea. Et tamen poſſumus etiam interdiu querelis medius indormire. Vale.

Eidem.

X.

QVæ ante nonas Iulias acta ſunt in conuentu, binis ſimul literis iiſque longiſſimis, quas tabellario Mantuano deferendas ad te dederam, accuratiſſime ſcripſeram. Ad decimam Iulij Principes Saxones, quos propediem expectari dixeram, aduenerunt cum equitibus paulo minus ſeptingentis, armatis fere omnibus, magnificentiorem ingreſſum eorum Cæſaris occurſus fecit. Poſtridie quam venerunt, vocati Principes non quidem amplius in Prætorium, ſed in domum Cæſaris, quæcunque acta eſſent, ordine Saxonibus enarrarunt. Saxones contra quæ in Boemia egiſſent, & moram excuſarunt. Continuis deinde multis diebus acta eſt cauſa Palatini,* graues diuerſæque accuſationes, æque magnis defenſionibus auditæ. Albertus Saxonū alter, Otho Bauarus, Antiſtes Ayſtetenſis, miſſi à Cæſare pro educendo vinculis Chriſtophoro Bauaro, nihil profecerunt, & opinio eſt omnia ex Palatini contentione pendere, quam breui ſublatum iri ſperamus. Deſignati ad eam tollendam Legatus, Erneſtus Saxonum fratrum maior, Ludouicus Bauarus cognomento Diues, & Sigiſmundus Dux Auſtriæ. Interea Cæſar mutata (vt videbatur) in deterius ſententia, ex decem millibus, quos ad præſentem neceſſitatem poſtulauerat, ſex millia detraxit, affirmans ſatis nunc futura quatuor millia. Magna vndique murmuratio exorta, & conſiliares deſignati ad rationem cogendi exercitus, nequicquam dies multos in prætorio conſumpſerant, quod grauari multi videbantur. Heri XIX. Iulij à quinta hora diei ad multam noctem conſultatum eſt de ſumma expeditionis, & demum conſenſu omnium ita decretum eſt: *Vt in ſumptus belli quiſquis prouentus annuos mille aureorum habeat, is equitem vnum conducat, peditem, qui quingentos.* Cæteri pro portione fortunarum ad eam ſummam. Cæterum vbi de prouentibus habeti ea ratio nequeat, de capite habeatur: *Vt cui*

* Friderici.

 mille

mille ſint aurei, quinquaginta habere in prouentibus cenſeatur, atq; ea computatione contribuat. Fieri poſſe hoc modo ingentem exercitum aiunt, & facilime ſuſtineri etiam longiſſimum bellum: & ſunt qui affirment, ſi ad vnguem res exigeretur, ducenta prope hominum millia cogi poſſe. Nos erimus minus octoginta contenti. Principes miro aſſenſu conditionem receperunt. Vale. Bohemi hæretici filium Poloni acciuerunt, quem fama eſt cum XXXII. millibus armatorum ingreſſum Bohemiam ad diem S. Iacobi coronam accepturum. Cras Oratores regios expectamus, ſcilicet Regis Ferdinandi. Hungari quoque propediem. Ratiſponæ XX. Iulij, MCCCCLXXI.

Eidem.

XI.

O Solis, ô cœli, ô Deorum domicilium Italia! Quando, quando? Papienſis mi, hoc grauiſſimum eſt nobis carere Italia. Sed illud multo grauius in maximis negotijs fieri nihil. Ægre, lente, ſegniter procedunt omnia. Hoc tamen non deſperandum, quia procedunt omnia. Significaui proximis literis, quæ 17. Iulij acta in conuentu fuerant, de ratione cogendæ pecuniæ, & exercitus comparandi. Poſt id tempus dormitum egregie eſt. Conuentus Noribergam propter rerum copiam transferetur. Hic cœlum paulo grauius eſt. Ægrotant multi, nec omnia ad conuentum tam magnum tam longum ſuppeditant. Cæſar clauſis oculis optimo eſt propoſito. nihil tam ſonorum, tam ſtrepens, quo illi excitentur. Nihil tam magnum atq; arduum, quod is ſe facturum non prædicet. Si tam bene olim pugnabit, quam tunc ſtertit, vicimus. De Bohemicis rebus nugæ fuerunt, quæ ſcripſeram: tametſi minantur Poloni, ſe quamprimum venturos ingenti manu ad regnum capeſſendum: & ſunt, qui confingant adoleſcentem illum veſte diſſimulata in Bohemia viſum. Grauia ſunt odia in nos, ſed hæc literis non plane committenda, & aſtu Legati, qui omnia ſubodorat, facile opprimuntur. Cauſa Palatini * ad hunc diem nequicquam diu multumque acta interturbat omnia: & rumor eſt, coegiſſe eum quantum nunquam antea exercitum. Is multa petit. Cæſar pauciſſima videtur conceſſurus, ſpes tamen eſt in neceſſitate Cæſaris aliqua. Habet qui auribus inſtillent, & plane referta eſt hæc natio malis pulmentariis. Data ſunt regalia nudiuſtertius Lantgrauio Haſſiæ. Fuit operæ pretium aſpicere Cæſarem coronatum, pulcherrima eſt illi tyara, ſed nihil ad noſtram, aut multum fortaſſe. Gemmæ ſunt magnæ, diuerſi colores, perlucidæ & multæ. Sed quantum ego hac in re ſapio, Germania vincitur, nec diſſimulatur omnino contentio. O tempora! O Imperium! O lumina! O beatos, qui ſuccedent, miſeros qui gloriantur, ſtultos qui conquirunt! An te quoque non miſeret conditionis humanæ? Sed properat tabellarius. Ratiſponæ XXVIII. Iulij, MCCCCLXXII.

* *Friderici.*

Inueſtitura Lantgrauij.

Ioh. Anton. Campanus Cardinali Rauennati.

XII.

NIſi literis Ferrarienſis ſtatum rerum Germanicarum tibi cognitum eſſe putarem, ſcriberem ad te ordine, ſcripſiſſemque hactenus omnia. Sed inculcatio laboris eſſet, non officium obſeruantiæ aures occupatiſſimi Principis ſæpe iiſdem de rebus obtundere. Conuentum habemus omnium, qui vnquam memoria patrum noſtrorum habiti ſunt, & præſentia Cæſaris & Principum multitudine maximum. Agitur grauiſſimis de rebus, nec ignoramus exſpectationem omnium nihil minorem eſſe conuentu. Sed ſpes ea proponitur nobis, quæ haberi ex mente Cæſaris poſſit, vtinam is ſit, qui debeat eſſe, non qui conſueuit, nihil lenti calamitates noſtrorum patiuntur. Carniola vna ex prouinciis auitis eius ſuperiore menſe direpta, depopulata, incenſa eſt, nunc maiore manu redire hoſtes feruntur, & vlteriorem facturi impreſſionem, & oppida, quibus nuper vaſtato agro abſtinuerunt, oppugnaturi. Magno in diſcrimine vt ſimus, non tam hoſtium vires, quam noſtrorum tarditas, ne dicam ignauia, facit, & cunctatio Cæſaris. Nunc quoq; in tanto conuentu Principum nihil æque diſplicet quam lentitudo. Principes ea ſunt mente ad expeditionem ſuſcipiendam, vt qui periculi intelligant magnitudinem, occurrere niſi vniuerſi non poſſint. Pacem Germaniæ Cæſar omnibus pronunciauit, nulli dedit, & (quantum licet perſpicere) nec deponit inimicitias, nec exercet. Legatus ad omnia deſudat, non menſa illi, non nox libera eſt, omni fomite, omni materia Cæſarem conatur accendere, ſed neſcio an vnquam accendi poſſit is, qui nunquam incaleſcit. Decretum eſt proximis diebus de ſtipendio militum: *Vt qui mille habent in prouentibus, equitem vnum conducant, peditem, qui quingentos. Qui prouentus non habent, ex capite computatio ſic fiat, vt quibus mille ſint ex capite, iis quadraginta eſſe ex prouentu cenſeantur, agreſtes duos de viginti denarios viritim ſoluant.* Summam fieri permagnam hoc modo, & ingentem poſſe confici exercitum putant. Sed facile eſt Cæſari decernere, exequi Friderico difficile, vt vno dicam verbo. Niſi pacem Germaniæ vniuerſæ confecerimus, omnino nihil fecimus, huic vni intenditur. Capita ſunt diſcordiarum Palatinus * & Cæſar, hic verbis, ille armis rem interturbat: cum alter maxima petat, alter nec minima quidem videatur conceſſurus. Hos Germani omnes & propinquitatibus & ſtudio partium ſequuntur. Multum Cæſari auctoritatis & virium eſt. Palatino plus animi. Quanquam nec vires habet, qui ſic habet, vt non habeat. Etiam auctoritas exigua eſt, etiam quæ magna, ſi miniſtrum deſideret. Traducemus conuentum Noribergam, ſi perſtabit in propoſito Cæſar. Ibi aut abſoluemus, quod erit reliquum, aut abrumpemus. Vale.

* *Fridericus.*

PARS XX.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS, MISSIVAS PVBLICAS, DISCEPTATIONES, ET APOLOGETICOS, POLITICE, HISTORICE ET IVRIDICE INSTITVTA,

habita, diſputata & actitata, nomine Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Sacrique Imperii Romano-Germani, eiuſdemq; ordinum ſiue ſtatuum, Cum Rege Chriſtianiſſimo & Corona Regni Gallo-Franciæ.

I.

SERMONES CONVIVALES CLARISSIMI VIRI CONRADI PEVTINGERI, IN QVIBVS QVAMPLVRIMA AD ILLVSTRATIONEM GERMANIÆ SPECTANTIA explicantur, & libertas Germaniæ contra Gallos reſtituitur; ſcripti Anno Domini M.D.IV.

VDALRICVS ZASIVS LEGVM DOCTOR FRIBVRGENſis Thomæ Vuolphio Juris Pontificii, literarumque humanarum, & integritatis adſertori celeberrimo, Felicitatem.

QVos Sermones conuiuales clariſſime Thoma, ingenio, & vigiliis omnium noſtra ætate abſolutiſſimi viri Conradi Peutingeri elucubratos, mihi oſtendiſti, dici non poteſt quantum mihi placuerint. Eſt enim in eis non ſolum eruditio rerum Germanicarum remotior, vtpote quibus & rara & in hunc diem incognita prodierint, ſed etiam copioſa ſummoque artificio elaborata traditio. Quantum, Dii boni, Germania non quota portio doctiſſimo huic viro debeat? Quæ (menſoribus ante hac, neſcio quem falſum modum dicentibus) fruſtrata ampliſſimis & finibus & territoriis fuit: Nunc Conrado iudice peritiſſimo in re præſenti & velut manu conſerta agitatam litem dirimente ſit reſtituta. Error vulgaris, Triboces, Nemetes, Vangiones, Vbios, & bonam Ciſrhenanorum partem Galliæ tribuit: At Conradus (id quod ante eum Iacobus Vuympfelingus communis amicus noſter, vir doctrina, moribus, ætate, integritate, virtute, venerabilis & conſpicuus, non mediocriter attigit) ſuo quonſq; loco, ſuæ conditioni, ſuæ origini ita repoſuit, vt Germania noſtra (quod a quadringentis annis, & eo amplius non potuit) in corpus ſolidum coiiſſe iure optimo glorietur. Mira eſt huius viri exquiſitio, ingenii promptitudo incomparabilis, memoria tenaciſſima, qui infinitis prope negotiis, tum Regiæ Maieſtatis, apud quem potiores partes agit, tum etiam ſuæ vrbis Auguſtenſis, quæ ab eius auſpiciis non modice pendet, tum deniq; amicorum ſuorum, quibus omnia ſe debere putat, impeditus, tam varia tam a communi cognitione recedentia, & quæ anxiſſimos labores, continentiſſima ſtudia, multiiugam lectionem requirant, colligere potuerit. Quis itaq; noſtræ ætati non gratulabitur? Quis Sueuorum inclytam nationem? Quis Auguſtenſes præcipue, non maximi fecerit? qui eo decorantur viro, quem vnum veteſtati obiicere quam veriſſime valeamus. Taceo hic ex induſtria ſuam incredibilem humanitatem, qua & vocare vltro ipſe, nedum deſiderantes recipere in ſuam amicitiam conſueuit. Mitto ſuam affabilem comitatem, munificentiſſimam liberalitatem, qua ædes ſuæ non quidem affectata elegantia conſpicuæ: ſed Heroica dignitate venerabiles literatis omnibus, velut quondam Cymonis poſſeſſiones peregrinis pateſcunt. Prætereo alias ſuas virtutes plurimas, quæ vel ſingulæ ſingulos claros efficerent, in Conrado coagminatim ſplendentes. Eas, inquam, tametſi proprio experimento, didici, vidi, noui, mitto tamen, quando epiſtolaris breuitas tam diffuſa non patitur, & ſatius eſt de magnis viris ſilere quam modica dicere. Tu igitur, mi Thoma, nihil potuiſti facere, vel conſultius, vel quod virum bonum plus deceret quam eam deſumere operam, qua Sermones tanti viri typis faceres informari: Rem Germanam (quã antehac in Vuympfelingi noſtri operibus & defendiſti animoſe, nedum luce adiuuiſti) iſtiuſmodi conuiualibus publicandis ita demerebere, vt cum ipſa omnem ſuum ſplendorem, dominatum, fines, agros Conrad. noſtro maxime, nec minus Vuympfelingo debeat, tibi proximas beneficii partes ſit conceſſura. Addo literatorum omnium vicem, quibus hoc labore mirifice commodabis. Facis quidem pro ingentibus animi tui dotibus, quas etſi ſeminariis quibuſdam ingenitas, exercitio tamen in optimis diſciplinis iam ab adoleſcentia deſudato mirifice illuſtraſti. Tu Italiam vniuerſam peragraſti, & præceptoribus in toto orbe illuminatiſſimis Bartholomæo Soccino, Vincentio Paleoto, Iuris profeſſoribus, præterea Philippo Beroaldo, eiuſdem Vincentii genero,

Anto-

Antonio Codro Reipublicæ literariæ principibus, operam impendiſti, præclaris conſociatus maximique nominis diſcipulis, Ioanne Baptiſta pio, Philippo Beroaldo iuniore, Henrico Caiado Luſitano, Mutiano Ruffo Germanorum doctiſſimo, & qui alter Varro in omnigena ſit doctrina perſpectiſſimus: Ad hoc etiam Theoderico Greſmundo, Ioanne Eſticampiano Academiæ Moguntinæ illuſtratoribus primariis. Tu cum iuuenis ſtudii cauſa Romæ ageres periculo te vitæ ſubiecisti, vt abſtruſa ignotaq; Romanæ vetuſtatis monimenta, quæ propediem proditura ſperamus, eruens, poſteritati conſuleres. Quo minus mirum fecerim, ſi omnem tuam operam, omnes vigilias, omnem laborem, in eo abſumas, quo & multis profis & literatos præcipue adiuues. homo enim ad optima quæq; natus, quid niſi beneficias? Duo ſunt præcipua, quibus velut alis in veram gloriam mortales ſubuehuntur: Literatura & liberalitas: Quæ vtraque, ita in te admiramur vt periculum ſit, vtra excellas. Illa quippe ingenii tui opulentiſſima fœtura, caſtiſſimaque eruditione eluceſcit. Hæc vero vſque adeo & ſæpe comprobata eſt, & quotidie comprobatur, vt Franciſcus Picus Comes Mirandulanus omnium doctrinarum lumen, nuper cum Conrado Peutingero illo noſtro Collaurioque viris ſplendidiſſimis tuo exceptus hoſpitio Sympoſium ſapientum, domum tuam, teque Philoſophorum eſſe hoſpitem prædicauerit. Probat id non domeſticorum modo, ſed externorum concurſus. Baptiſta Mantuanus nulli ex maioribus poſterior, ſuis te operibus celebrat. Vuymphilingus tibi eſt coniunctiſſimus, Gallinarius, Aucuparius, Phileſius literarum humanarum ſacramentarii adſertores, te vt patronum obſeruant. Quid dicam quantum in te momenti collocet Mutianus Ruffus noſtræ ætatis Cicero? Quid Maternum Piſtorienſem hominem ex aſſe formatum? Quid Petrum Eberbachium Erdfordienſem adoleſcentem, ſupra quam ſua ætas ferat eruditum, qui accepta à parentib. optione, cui potiſſimum peſtis tempore cohabitaret, te tantum ignotum elegit? De me vero quantulas inter eruditos partes habeam (neq; enim in tuo ſum albo) quid loquar? qui tot à te ſum officiis affectus, vt omnia tibi me debere putem. Quæ cum ita ſunt, non poſſum non iure optimo deteſtari, & velut luem quandam abominari ſenectiones quoſdam, extrema iam ætate confectos, quos nutu ſignifico, qui cum tibi & ſint gentiles quoque, ne dum cognomines, prouentibuſque opulentiſſimis pronisi, vtpote numeroſis præbendis, canonicatibus, ſacerdotiis (quæ beneficia vulgus vocat) conſarcinati, te tamen virum optimum, iuſtum, humanum, & doctiſſimum, odiſſe, rebus tuis inſidiari non ceſſent. Habet hoc auaritiæ ſordes, vt nummos tanquam idola colat, in eoſque ſolos, ſpem, vitam, quin & humana diuinaque omnia ponat, virtutem oderit, bonos laceſſat, perſequatur pios, & præcipue conſanguineos euiſcerare velit. Sed exitus acta probabit: Illos pernicies, te manet ampla ſalus. Hac tamen aliquando pluribus. Tu ſicut cœpiſti perge, Conuiualeſque illos ſermones à viris peritiſſimis approbatos, & proinde pro Platonis ſententia luce digniſſimos, fac formis exprimas. Sicut enim auctorem ſcribentem immortalis laus, ita te publicantem magnifica gratulatio comitabitur. Vale.

Eiuſdem Vdalrici Zaſii ad auctorem pro liberata Germania.

Rhenus vtrumq; latus Germana gente vetuſta
  Cinxit: & armigeris ſe extulit vſq; viris,
Perfidus abſtulerat fines tibi Rhene receſſos
  Hoſtis, fraudoſa & corripit arua manu.
Germanam ſolus Conradus reſtituit rem,
  Hoſtibus oppreſſis iuſta trophæa locans,

PETRVS EPISCOPVS TERGESTINVS REVERENDO PATRI, DOmino Matthæo Lang Præpoſito Auguſtenſi, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, S. P. D.

LEgi nudius tertius libellum tibi dicatum, quo Conradus Peutinger conterraneus tuus multiplicis eruditionis vir, Genialis conuiuii veſtri ſermones varios luculentiſſime complexus eſt. Vbi etſi pleraq; alia obſcura prius, & recondita, in lucem edidit, quæ paucis admodum noſtri temporis hominibus cognita fuerant. In eo tamen imprimis apud mortales immortalem gratiam conſequi merito debet, quod dum communis Sympoſii fabulationes, ſcriptis referre ſtudet, non modo te, ac munificentiſſimam hoſpitalitatem tuam, poſteritatis memoriæ commendauit. Sed quod debet eſſet digno viro iucundius, Patriæ ac natiui ſoli gentiſq; veſtræ nobiliſſimæ abſciſſam à deſertoribus propriæ veſtis laciniam, acerrimus aſſertor occurrens, ita vendicauit, vt nemo poſthac detrahere quidpiam poſſit, quin oculis quamprimum omnium manifeſte furtum appareat. Pro quo quidem beneficio nequaquam mihi dubium eſt, quin his laboribus ſuis Conradus Peutinger, ſi minus apud præſentes (qui plerunq; vitio malignitatis humanæ viuentium ſcripta, etſi lectio placeat, faſtigio tamen quodam prætereunt) apud poſteros non paruam laudem & gloriam ſit adepturus. Non accedo Operis huius adulator apud te, qui ingeniorum noſtri temporis es ſolertiſſimus cenſor. perpendes ipſe inter legendum, quo ſtudio, qua induſtria, quot citatis, & noſtri, & priſci temporis autoribus, quot inquiſitis Marmorib. & veterum Nomiſmatis, Germaniæ patrē non ignobilem citra Rhenum, quam ſibi Galli quidā ſeu potius Germaniæ deſertores adſciſcere auſi ſunt, Imperio & nomini noſtro reſtituerit. Dignus profecto, cui non minus Germania tota debeat, occupatæ Regionis aſſertori, quam iis obnoxia eſt, qui fines ſuos vltra præfixos à natura terminos in Gallias antiquitus protulere. Videbit igitur dignatio tua ex ſcriptis Conradi noſtri, quibus indubitatis argumentis occurrere poſſis iis, qui aliquando Argentoratum, Nemetes, Vangiones, Moguntiacum, Agrippinenſes & pleraq; loca alia citra Rhenum Germanos, Galliæ inſcribere populos ſunt auſi. Nihil enim omiſit, quod ad rem attinet, quod ſummo labore, ſumma diligentia, & fide non adduxerit, in paruo hoc libello ſuo. Neq; id profecto mirari ſatis poſſum, quomodo vir arduis ac continuis Reipubl. ſuæ negotiis

gotiis occupatus, bonarum literarum ſtudiis tantum opera impendere, tot autorum volumina euoluere potuerit, quæ ſi recte quanti momenti ſint tecum æſtimes, ſingula ſibi totum requirere hominem reputabis. Eſt tamen ita celeris, ita præſentis ingenii noſter Peutinger, vt in maximis etiam Reipublicæ occupationibus, veterum ſemper ſcriptorum quidpiam legat, & ne in aliquo deſit patriæ commodis, dum ſibi ex agendis negotiis otium ſuppetit, immortalibus ſcriptis ſuis, patriæ decus, tuatur & excolit: Hanc breuem epiſtolam, Reuerende præpoſite, eo tibi iucundiorem futuram certo ſcio, quod & libenter audis amiciſſimi hominis præconium: Et is es, qui inter cæteros excellentis ingenii viros, virtutem colis, magnifacis, amplecteris, & quamuis ſacratiſſimi Cæſaris Maximiliani maximo negotiorum pondere deprimeris, vt vix e laboribus reſpirare liceat, nihil tamen tibi dulcius eſt, nihil ſuauius, quam cum viris doctis verſari & literarum amatoribus oblectari plurimum. Inter quos (mihi aliorum pace dixiſſe liceat) primam arcem poſſidere videris. Vale noſtri memor, ex Oeniponte XV. Kalend. Ian. M. D. IV.

REVERENDO IN CHRISTO, PATRI AC DOMINO Matthæo Lang Eccleſiarum Gurcenſis Adminiſtratori, Auguſtenſis Præpoſito, ſacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, Domino ſuo in primis obſeruando, Conradus Peutinger iuris vtriuſque Doctor, S. P. D.

VRbs Auguſta Vindelicorum (vnde nobis origo eſt) gaudet plurimum, & hac præcipua voluptate afficitur, ſibi te eum ex Patritia gente ciuem natum, atq; datum eſſe, qui naturæ bonis omnibus refertiſſimus, continuuſq; apud Imperat. Cæſarem Maximilianum Auguſtum, Patrem patriæ degeres, & vniuerſitati tui natiui ſoli, & Eccleſiaſticæ & ſeculari præeſſes. Obtines quidem poſt Reuerendiſſimum Epiſcopum dignitatis gradum primum, primus item Patriæ patronus, vtriuſque honor atq; decus, quibus potiſſimum accedit ſingularis illa tua bonarum literarum eruditio, atque humanitas, iis enim circa te fortuna mutauit nihil, nec (vt plæriq; ſolent) quicquam ſuperbe, tumideue, nihil denique cupide vel libidinoſe agis, ſed omnes ad te ingredientes beneuolentiſſime excipis, comitaris, prope eos ſubſiſtis, omnibus & occurris, hæremus lateri tuo, quique accedimus, quod etſi emines, ambulas tamen inter nos quaſi pares tibi eſſemus. De inſigniis militaribus ordineque equeſtri, tibi patriis omnes gratulantur, dum pridie idus Septembris, noſter inuictus Cæſar Bohemorum 4. milia in campis Noricis non longe à Ratiſpona Danubiana ſua, & Imperii Rom. libera ciuitate, primus ante ſuos haſta congreſſus, fudit, profligauit, occidit, & plæriſque captiuis vitam elargitus, ſarciniſque armis & vniuerſis eorum impedimentis in prædam conceſſis, cum exercitu, ouans atque triumphans Ratiſponam eſt reuerſus: Vbi tu etiam vna tuis ſtipatus iuſtum ſacri Imperii bellum fouens armatus inſidens equo, quid Marte fremente, valida manus poſſit, conflictu facile expertus es. Admirandum & illud profecto, quod inuictus Cæſar tam incunctanter celeritateque nimia apud Rhenum ſita oppida, arces, gentes, & prouincias ſubiugauerit. Danubium deinde petens Bohemica victoria potitus, ad fines alpium tandem Rheticarum oppidum Kueffſteinium munitiſſimum, ſuper Oenum flumen, ab accolis *Inum* appellatum, in Baioarico Ducatu non longe ab illuſtris Comitatus Tirolenſis finibus ſitum, per dies continuos decem, quibus id, & arcem eius, obſidione cinxerat, tormentis minaciſſimis (quas à ſono *Bombardas* nuncupant) adeo conquaſſauit, vt muris ſolo æquatis, facilem ſibi ingreſſum aperuit, oppidoque V. idus Octobris in deditionem coacto ad XVII. Kalendas Nouembris ipſam denique arcem quaſi inoppugnabilem muris laceratis atque fractis cepit. Deo itaque Maximo Optimo adiutore, Maieſtatem eius in dies maiora aggreſſuram ſperamus. Sed vt tandem ad te redeam, qui virtutibus tuis perpollentibus, eam tibi famam conquiſiuiſti, vt omnes in amore tuo, quotidie deuincas, & ne ſplendori (qui tibi accumulatiſſime ac edit) quicquam deeſſet, ad ſeptimū idus Octobris Ioannem Caprum diuinarum humanarumque rerum interpretem doctiſſimum, nobiles & venerandos Eccleſiæ tuæ canonicos, Bernhardum Vualchirchium & Hieronymum Lochner, ſimul quoque Sebaſtianum Ilſungum patritia domo Auguſtenſi natum, iuriſconſultos diſertiſſimos, Ioannem Iung ſeniorem, & Ioannem Othonem, artis medicæ, & ſyderalis ſcientiæ expertiſſimos profeſſores & etiam me, prandio tuo præſentes eſſe voluiſti, ad conuiuium inuitati conuenimus, recte ſcilicet inſtructum, atque lautiſſimum & accumbentibus nobis, ſeueritate omni poſtpoſita, de variis & admirabilibus ipſius naturæ & aliis rebus, inter nos iucundiſſimus, plenuſq; voluptatis, & vt Seneca ad Lucilium ſcribit: *Nullam rem vſque ad exitum adducens, ſed aliunde alio tranſiliens*, Sermo habebatur.

CAPVT I.

Oſſa diui Dionyſii non in Gallia, ſed Ratiſponam tranſlata, ibique ad ſanctum Emeranum condita eſſe.

OMine optimo euenit, vt de diuo Dionyſio Athenienſium Epiſcopo diceremus (eo enim die feſtum eius agebatur) qui vna cum Apollophane Sophiſta in Ægypto Heliopoli, quando Chriſtus

Chriſtus Ieſus paſſus eſt, ſolem vidit præter naturam obſcuratum, & tetram noctem ſubito terris obductam, cognouitque mox verum omnium Deum, eodem Sophiſta reſpondente (vt ipſe ad Policarpum ſcribit) *rerum has Diuinarum viciſſitudines eſſe.* Tunc Caper nobis referebat, Gallos hunc, vt eorum Apoſtolum, venerari, & credere oſſa eius, ad ſecundum lapidem à Pariſienſium vrbe ad ædem ſacram ſepulta eſſe; contra tu mira ſuauitate recenſebas, te atque R. D Epiſcopum & Comitem Tergeſtinum Petrum Bonomum bonarum literarum ſtudioſiſſimum, compertum habuiſſe, oſſa hæc ex Gallia Ratiſponam ad ſanctum Emmeranum translata, ego vt ea comprobarem exemplar literarum Apoſtolicarum, mihi à monaſticis eiuſdem Monaſterii datum, Capro poſtea perlegendum miſi, in eo enim Leo IX. Pont. Maxi. Bruno antea vocatus, Tullenſium epiſcopus, procurantibus Gallorum Legatis Imperatore Cæſare Henrico ſecundo Auguſto præſente (cum beatum Wolffgangum in diuos retuliſſet) declarat diuinum Dionyſium Areopagitam Ratiſponæ quieſcere, & hæc acta eſſe anno Chriſtianæ ſalutis M. L II. Anno pontificatus ſui IV. Indictione V. Nonas Octobris.

CAPVT II.

De coniugio Pauli Apoſtoli ex Ignatio Antiochia Epiſcopo.

SErmo noſter ſequens erat de coniugio, domeſticaque rixa, atque pugna, multæ tunc Apoſtolorum principis ſententiæ afferebantur: tum Caper rem nobis omnibus penitus incognitam aperuit. Ignatium Martyrem Marci Euangeliſtæ diſcipulum referre, Diuum Paulum coniugatum fuiſſe, ego poſtea domi conſidens, epiſtolas eius diligenter perſpexi, & in vna, quam ad Philadelphenſes ex Troia dedit, ita ſcriptum comperi: *Non detraho autem cæteris beatis, qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc memini, opto enim Deo dignus, ad veſtigia eorum in regno ipſius inueniri, ſicut Abraham & Iſaac & Iacobus, ſicut Ioſeph & Eſaias, & cæteri Prophetæ, ſicut Petrus & Paulus & reliqui Apoſtoli, qui nuptiis fuerunt ſociati, qui non libidinis cauſa, ſed poſteritatis ſubrogandæ gratia, coniuges habuerunt.*

CAPVT III.

De Luſitanis nautis qui in Indiam nauigant.

NOn vnus, ſed varius nobis erat ſermo, & collocutione vlteriori ad ipſum etiam Oceanum, eiuſque receſſum atque refluxum, & Luſitanici Regis fortunatiſſimi nauigationem Indiam verſus compertam deuenimus, qui ex Indis aromata, cæteraſque merces ad nos aduehit, ſperamuſque propediem auſpicio inuicti Cæſaris noſtri, & adſenſu Luſitani Regis, noſtros Auguſtenſes, nauibus propriis atque mercibus Indiam petituros. Res profecto admiranda eundem Regem, ea gratia diuina adfectum, vt ſolus illuc primus noſtro ſæculo ex occidentalibus penetrauerit, egoque mihi facile perſuaderem, eam transfretationem, vel etiam ſimilem, maioribus noſtris penitus incognitam, & priori ætati intentatam fuiſſe, niſi C. Plinii Secundi verba me ambiguum parumper redderent, inquit enim ipſe, libro ſecundo capite LXIX. *in Sinu Arabico Caio Cæſare Augusti filio res gerente, ſigna nauium ex Hiſpanienſibus naufragiis fuerunt agnita. & Hanno Carthaginis potentia florente circumuectus a Gadibus ad finem Arabiæ nauigationem eam prodidit ſcripto. Præterea Nepos Cornelius auctor eſt, Eudoxum quendam ſua ætate cum Lathyrum Regem fugeret, Arabico Sinu egreſſum Gades vſque peruectum, multoque ante eum Cælius Antipater vidiſſe ſe ait, qui nauigaſſet ex Hiſpania in Æthiopiam commercii gratia. Idem Nepos de Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranii in Conſulatu collegæ, ſed tum Galliæ Proconſuli, Indos à Rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercii cauſa nauigantes, tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti.* Pomponius Mela *libro tertio* poſt deſcriptionem Germaniæ, non Sueuorum, ſed *Bohemorum* regem refert. Pliniana tamen lectio ſimilior vero, Hermolao Barbaro placuit & nobis placet, quæ nauigationes, per altum fieri commode non poterant, niſi per eum Oceanum, quem Luſitani nautæ hodie transfretant. Idem Mela, vnde in eas terras deueniſſent, requirendo, *cognoſce, vi tempeſtatum ex Indicis æquorib. abreptos emenſoſque intererant, tandem in Germaniæ litora exiuſſe.* Pius ſecundus Pontifex Maximus in ſua Aſia præmiſſis ſubiungens ait: *Nos apud Othonem legimus, ſub Imperatoribus Teutonicis Indicam nauim & negotiatores Indos in Germanico littore fuiſſe deprehenſos, quos ventis agitatos ingratis, ab orientali plaga veniſſe conſtabat.* Verum propter nitorem ferculorum varium, non dico triuialem abundanteſq; vinorum propinationes, ſermonibus proximis non contenti, ſed tua conuiuali comitate acrius admoniti, ad alia prouocati ſumus fabulandum.

CAPVT IV.

Quod Ciſrhenanæ ciuitates ab Agrippina ad Argentinam & aliæ à Cæſaris Iulii Dictatoris & ſuperiore tempore, non Gallis, ſed vel Germanis, vel Rom. Imp. Cæſaribus Aug. vel Regibus ſemper paruerint.

AT quia Rhenus fluuius Oceano ipſo miſcetur, pro Germaniæ noſtræ laude Ammianum Marcellinum referre dixi, *ambas Germanias primam & ſecundam*, eas ita appellat, *inter Belgas & Rhenum ſitas eſſe*, tunc Sebaſtianus noſter Iacobi Vuymphelingi Germaniæ illuſtratoris memor factus eſt. Is enim contra Germanos quoſdam Patriæ deſertores, pugnam ſubiit, & vna cum ſuis peritiſſimis commilitonibus Thoma Volphio iuniore & aliis vicit. Tu vero pro

ſolita

ſolita tua manſuetudine, iniunxiſti mihi, vt ſi quæ huic rei conducibilia ſcirem, adnotarem tibique tranſmitterem, quibus facilius non ſolum iis deſertoribus, ſed etiam Gallis (ſi qui eſſent) Germanias haſce affectantibus, obuiam ire poſſemus. Sed quia eruditione tua & rerum experimentis excellis, quinimo apud inuictum Cæſarem noſtrum, affluentibus quotidie ex omnibus nationibus diſertiſſimis viris, ſingula comprehendis, prout tenes vberrime, non video, quomodo ex vacuo in plenum calicem aqua influere debeat. Verum tibi nihil denegandum, imo verius Patrono atq; ductori optimo eſſe obtemperandum cenſeo, præſtareq; obſequium debebo, facio quantum poſſum. Mola enim ſalſa litant, qui thura non habent.

Cæſar Dictator Commentariorum libro ſecundo de bello Gallico, refert *Remos Belgas vicinos Germanis Ciſrhenanis, per primos ciuitatis ſibi renunciaſſe, cum Belgæ contra P.R. coniuraſſent, cæteros in armis eſſe Germanos qui cis Rhenum incolunt ſeſe cum his coniunxiſſe. Belgas item pleroſque à Germanis ortos, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſq;, qui ea loca incolerent expuliſſe.* Quod M. Antonius Sabellicus libro quinto Enneadis ſextæ apertius (vt mihi videtur) declarat. Inquit enim: *Ex his cognitum eſt à Germanis Belgas ortos, qui ſoli feracitate allecti, alii alio tempore Rhenum tranſgreſſi, eam terram, quæ Belgica diceretur, occupaſſent.* Idem etiam Cæſar eodem libro: *Condruſos, Eburones, Cereſcos* & alios vno nomine *Germanos* appellat. Præterea Rhenus non ex omni loco Gallos à Germanis, verum (ſi Claudio Ptolemæo credimus) Germaniam magnam à ſuperiori & inferiori, à prima & ſecunda ſeparat, ſuperi & inferi Germani Belgas à Rheno diuidunt. Idem Regionem circa Rhenum à Mari vſque ad Obrincam fluuium, in deſcriptione ſua, *Germaniam inferiorem* appellat, & ab Occidentali parte locat, poſt alios, *Agrippinenſem, Bonnam, Moguntiacum, & ſupra verſus meridiem, Germaniam ſuperiorem, vbi Vangiones, Nemetes, Tribochi, Argentini* & alii. Caius etiam Plinius Secundus qui bellorum Germaniæ XX. libros: quibus omnia quæ cum Germanis Romani geſſerunt collegit, inchoauitque, cum in Germania militaret, vt C. Cæcilius Plinius de auunculo illo ſuo ad Marcum ſcribit libro quarto, capite decimoſeptimo, naturalis hiſtoriæ, ita ait: *Rhenum autem accolentes Germaniæ gentium in eadem prouincia, Nemetes, Tribochi, Vangiones, Gubi, Colonia Agrippinenſis, Guberni, Butans, & quos in inſulis diximus Rheni, hi ſunt Batauì, Cannefaces, Phriſii, Chauci, Phriſiaboni, Sturii, Marſatii.* hæc eodem libro capite decimoquarto & decimoquinto. Enumerat etiam *Germanorum genera quinque, Burgundiones, Varinnas, Charinos, Guttones, Vindelicorum partem.* Germaniæ vnum genus aſſerit, proximos Rheno *Iſtæuones* appellat, quorum pars *Cimbri mediterranei. Hermiones*, quorum *Sueui, Hermunduri, Chatti, Cheruſci.* Cæſar ergo & Plinius & Ptolemæus Ciſrhenanos non Gallos, non Belgas, ſed Germanos Rheno proximos dicunt.

Et quia Rheno proximos Plinius *Iſtæuones* appellat, non incongruum erit de Iſtæuonibus, aliis pleriſque Germanorum nominibus latius euagari. Cornelius Tacitus de ſitu Germaniæ ita inquit: *Celebrant carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoria & animalium genus ſit, Tuiſconem Deum, terra editum, & filium Mannum originem gentis, conditoreſque. Manno treis filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingæuones, medii Hermiones, cæteri Iſtæuones vocentur. Quidam autem licentia vetuſtatis, plureis Deo ortos, plureſque gentis appellationes: Marſos, Gambriuios, Sueuos, Vandalos affirmant.* Verum Beroſus (vt Ioſephus Matthiæ filius contra Appionem Grammaticum refert) genere Chaldæus fuit, notus autem eis qui doctrinæ eruditionique congaudent. Quoniam de Aſtronomia, de Chaldeorum philoſophia, ipſe Græcas conſcriptiones expoſuit, antiquiſſimas ſecutus hiſtorias de facto diluuii, & hominum in ea corruptione, ſicut mos eſt conſcripſit. Is libro primo hiſtoriæ ſuæ, ita ait: *Ante diluuium vnus inter gygantes erat, qui Deorum venerátior & prudentior cunctis in Syria, Noa nomine cum tribus filiis Samo, Iapeto, Chem, & vxoribus Titea magna Pandora, Noela & Noegla, & cum omne genus aquis ſuffocatum eſſet, ipſe cum familia ſua quæ naui erepta eſt, in Gordyæ montis vertice quieuit.* Idem quoque ſecundo libro: *Siccato ab aquis orbe non fuiſſe niſi dictos octo homines in Armenia Saga, & ab his omne genus hominum in terris ſeminatum, atque ob id Schytas recte dicere & appellare Noam omnium Deorum patrem maiorum & minorum, & gentis humanæ auctorem, & chaos & ſemen mundi, Tyream vero Aretiam, id eſt, treram, in quam ſemen & chaos poſuit: & ex qua tanquam ex terra cuncti prodierunt.* Ipſeque Noa, vt idem libro tertio refert, *Ianus ob vitis inuenta beneficium, quod Arameis ſonat, quod vinifer ſiue vitifer, item Cœlum & Ogyges cognominatus eſt.* Genuitque poſt diluuium filios plures, inter quos Tuiſconem Germanorum & Sarmatum patrem, & cum partitus eſſet terram omnem, eundem in Europa Sarmatiæ præfecit, vt *libro quarto* docet. Ipſius quoque termini erant, Tanais atque Rhenus. Tuiſconi etiam iuncti ſunt filii Hiſtri, & Moeſæ cum fratribus ſuis, ab Adula monte Mæſembriam vſque Ponticam. Adulam autem à filio Hiſtri ſic cognominatum, Moſes Aduram vocat. *Tuiſcon* autem, Beroſo docente, apud Sarmatas, populos multos fecit. Moeſa cum filiis Hiſtri Priſcos Mœſios ab Adula ad Mæſembriam protendit. Idem Tuiſcon Gygas anno Nini quarto apud Rhenum Sarmatas leges docuit, genuitque *Mannum*, qui Semiramidis anno ſexto regnauit apud Rhenum. non ergo improbamus à Tuiſcone Teutſchen nuncupatos. Manno autem ſucceſſit Ingæuon filius, vnde prædicti Ingæuones. Alterum à Plinio Germanorum genus, continens Cimbros Teutóneſque, quos Ingæuones Annius *ſuper Beroſum* ex Talmutiſtis ædiculum incertum interpretatur, quaſi ex genitore Schytico more edocti, ædes vagas habitauerint. Cornelius

nelius Tacitus ait: *Nullas Germanorum populis vrbes habitari ſatis notum eſt, nec pati quidem inter ſe iunctas ſedes, colunt diſcreti, atque diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus, placuit: vicos locant non in noſtrum morem connexis & cohærentibus ædificiis, ſuam quiſque domum ſpacio circundat, ſiue aduerſus caſus ignis ſiue inſcitia ædificandi.* Ingæuoni apud Tuiſcones, vt idem Beroſus refert, ſucceſſit Iſtæuon, à quo Iſtæuones. Iſtæuone defuncto filius eius Hermon ſubrogatur. Vnde Hermones, de quibus dictum eſt ſuperius. Poſt Hermionem, Marſo filio eius relicto, Tuiſconum regnum delegatur. A verbo Arameo Mareſus, quod principem ſiue ducem conſiliorum, vt diuo Hieronymo placet, ſignificat, *Marſus* vocatus. vnde Marſi populi, de quibus Strabo Cappadoces, ſiue Gnoſius Amaſinus lib. 7. ſic inquit: *Quædam vero in profundam regionem tranſmigrans peruenit, vt Marſi.* poſtea Tuiſconibus præfuit Gambriuius, id eſt, coronatus, à quo Gambriuii, genuitque filium Sueuum, cuius regni tempore Oſiris & Iſis ad Germanos naue per Rhenum portati ſunt à Sueuo appellati Sueui. Idem Tacitus libro decimo nono hiſtoriæ Auguſtæ: *Trahuntur in partes Sydo atque Italicus Reges Sueuorum, quibus vetus obſequium erga Romanos, & gens fidei commiſſæ patientior.* Cæſar quoque libro quarto de Gallico bello inquit: *Sueuorum gens longe maxima & bellicoſiſſima Germanorum omnium.* Horum pars, eodem Tacito autore, Iſidi ſacrificabat. ea cauſa mihi perſuadeo, noſtrates Auguſtenſes, falſo *Ciſam deam* appellare, templumque hoc quod fuiſſe credunt, vbi nunc Auguſtæ Prætorium conſpicimus, non Ciſæ, vt quidam dixerat:

Quem male polluerat cultura nepharia dudum:
Gallus monticulum hunc tibi Ciſa tulit.

Sed Iſidis fuiſſe, colliſque ibi publici cæteris, non *Ciſen*, ſed *Iſenberg*, quaſi Iſidis montem appellant. Nec ego apud doctos legi, niſi forte pro *Ciſa* Cererem putaueris. noſter Adolphus Otho Phriſius Auguſtam prius *Ciſroim*, à Vindæ & Lici confluentia dictam credidit, noſtri *Ciſaram* à Ciſa, antequam Vindelica diceretur fuiſſe cognominatam aſſerunt. Inter ſcribendum hæc, aduenit ſororius meus Chriſtophorus Welſer, linguæ Latialis non ignarus, & me ſuper iſta effigie lapidea vetuſtiſſima ædibus ſacris diui Vdalrici Auguſtenſium Patroni affixa admonuit, eam non eſſe *Ciſæ*, vt vulgus credit, ſed *Meduſæ*. Sculptos enim habet crines groſſos vipereos, collum eius plectentes, & in eius gemmam, quam nobis monſtrauit, hoc epigramma protulit:

Exemptum media de Pallados Aegide dicas,
Gorgona quam paruo claudit in orbe lapis.
Quin & monſtrifici præſtant miracula vultus,
Vidit & innumero palpitat angue caput,
Tam ſimilis non ipſa ſibi eſt, ſe forſitan illa
Vidit, & a ſpeculo ſaxea facta ſuo eſt.

Hanc eandem refert M. Ann. Lucanus Cordubenſis, Pharſaliæ libro nono.

Finibus extremis Libyes: vbi feruida tellus
Accipit Oceanum demiſſo ſole calentem,
Squallebant late Phorcynidos arua Meduſæ,
Non nemorum protecta coma, non mollia ſulco:
Sed dominæ vultu conſpectu aſpera ſaxis,
Hoc primum natura nocens, in corpore ſæuas
Eduxit peſtes, illis e faucibus angues.
Stridula fuderunt, vibratis ſibila linguis,
Fœminea qui more coma per terga ſoluti,
Ipſa flagellabant, gaudentis colla Meduſæ.
Surgunt aduerſa ſurrecta fronte colubræ,
Vipereumque fluit depexo crine venenum.

Item P. Ouidius Naſo Metamorph. libro quarto, —*tamen excipit vnus*

Ex numero procerum quærens, cur vna ſororum
Geſſerit alternis immixtos crinibus angues.
Hoſpes ait, quoniam ſcitaris digna relatu,
Accipe quæſiti cauſam, clariſſima forma,
Multorumque fuit ſpes inuidioſa procorum
Illa, nec in tota conſpectior vlla capillis,
Pars fuit, inueni, qui ſe vidiſſe referrent.
Hanc pelagi rector templo viciaſſe Mineruæ
Dicitur, auerſa eſt, & caſtos Aegide vultus
Nata Iouis texit, neue hoc impune fuiſſet,
Grogoneum crinem turpes mutauit in hydros.
Nunc quoque, vt attonitos formidine terreat hoſtes,
Pectore in aduerſo quos fecit, ſuſtinet angues.

Et quia Germania vitibus tunc inepta erat, docuit Oſiris ex hordeo potum fieri, haud multum virtute guſtuq; vini inferiorem, vt Diodorus Siculus *libr. primo* atteſtatur. & idem Tacitus ait: *Potui humor ex hordeo, aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptus eſt.* Domitius Vlpianus Iureconſultus ait, *Certe Cerauiſum vel in quibuſdam prouinciis ex tritico, vel ex hordeo, vel ex pane conficitur, non*

continebitur. Simili modo nec Camum, nec Cereuiſia. Virgilius tertio Georgicorum:

Et pocula laeti fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Sueuo deinde ſucceſſit *Wandalus*, à quo idem Ioannes Annius certis argumentis Vindelicos eſſe ortos docet, quod non ſatis probo, cum Wandali & Vindelici longe differant. Wandalum poſtea in regno Tuiſconum ſecutus eſt, *Teutones*, qui Mercurius Germanorum traditur fuiſſe. Hic ſacrificos ritus indidit. De quo Lucanus:

Et quibus immitis placatur ſanguine diro,
Teutanes, horrenſque feris altaribus eſus.

Ab eodem *Teutonicos* dictos exiſtimo. refert etiam Beroſus, *Herculem Almannum* regnauiſſe apud Tuiſcones. Hic eſt ille Hercules, de quo Tacitus ait: *Germani apud eos Herculem fuiſſe commemorant, primumque omnium virorum fortium ituri in praelia canunt.* Annius putat hunc Almannum dictum, vel quod Manni filius fuerit, vel ei in regno ſucceſſerit. Noſter Ladiſlaus Regius Capellanus me certiorem reddidit, aedem ſacram Inſulae Rhenanae Augiae maioris à Deo ipſo, *Alman* ab accolis cognominatam. Hinc Sueuos *Alemannos* dictos credant. hos Fl. Vopiſcus in Proculo commemorans ita inquit: *Nam Alemannos, qui tunc Germani dicebantur, non ſine gloria ſplendore contriuit.* niſi Alemanni (vt plerique credunt) à Lemanno lacu nomen habuerint. quodcunque ſit, diutius in Germanorum nominum vetuſta conquiſitione euagati, ad rem redeamus. *Germaniae vocabulum recens* eſſe dicunt, libro ſeptimo Strabo & Tacitus, *nuperque additum, quoniam qui primi Rhenum tranſgreſſi ſunt, Gallos expulerint: at nunc Tungri, nunc Germani appellati ſunt: ita nationis nomen, non gentis eualuiſſe paulatim, vt omnes primum à victore ob metum, mox à ſeipſis inuento nomine Germani vocarentur.*

Ego autem id magis vetuſtum credo. Priſco enim Tarquinio Romae, & Ambigato ſupra Gallos regnante, in Italiam Gallorum tranſitum T. Liuius *libro quinto primae decadis* deſcribit, & de Bellouefo Ambigati ſororis filio, cui augurio quodam Dii laetiorem in Italiam viam dabant, vt inquit: *Alia ſubinde manus Germanorum Elitouio Duce, veſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu fauente Bellouefo, cum tranſcendiſſet alpes, vbi nunc Brixia ac Verona ſunt.* Retuli etiam prius, *Belgas à Germanis pleroſque ortos Rhenum antiquitus traductos*, vt Caeſar Dictator ait. Habet autem ab Oriente Germania Dacos: à Meridie Italiam, ab Occidente Gallos, à Septentrione Sarmatiam prope Oderam. Idem Strabo libro quarto: *Poſt Heluetios Sequani & Mediomatrices Rhenum incolunt, in quibus Tribochi natione Germani, relicto natali ſolo Rhenoque traiecto ſedes poſuerunt.* Tribochos autem noſter Caeſareus Poeta Conradus Celtis Protucius, *à tribus quercubus antiqua religione Nymphis conſecratis* nuncupatos affirmat, *Triboteſque* vocabulo corrupto cognominatos nunc Argentinenſes. de quibus etiam poſtea Suetonius Tranquillus ſcribit: *Germani ab Auguſto Caeſare vltra Albim fluuium ſubmoti, ex quibus Sueui, & Sicambri dedentes ſe, traducti in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocati ſunt.* Idem Strabo libro ſeptimo; *Germaniae portionem quandam ad Galliam traduxere Romani.* Si igitur Belgae plurimum à Germanis orti, Germani etiam ante Caeſaris Dictatoris tempora Ciſrhenum habitarunt, & inter Belgas ac Rhenum medii ſunt: Gallos quoque expulerunt, ipſiſque imperauerunt: non video quomodo antiquitus Gallis Germani paruerint. Ammianus Marcellinus, hiſtoriae Auguſtae conſcriptor diligentiſſimus, qui & ſub Imperatore Caeſare F. Claudio Iuliano Auguſto F. Conſtantii, fratris Conſtantini Maximi filio militauit, diuque in Gallia atque Germania fuit, libro ſuo decimo quinto, ſic inquit: *Superiorem & inferiorem Germaniam Belgaſque duas iuriſdictiones iiſdem temporibus rexere, at nunc numerantur Prouinciae per omnem ambitum Galliarum, Secunda Germania, Prima ab occidentali exordiens cardine. Agrippina & Tungris munita ciuitatibus amplis & copioſis: dein prima Germania, vbi praeter alia municipia, Moguntiacus, Vangiones, Nemetes, & Argentoratum barbaricis cladibus nota. Poſt has Belgica prima Mediomatricos protendit, & Treuiros domicilium Principum clarum. huic annexa eſt ſecunda Belgica, qua Ambiani ſunt, vrbs inter alias eminens fuit, ex illa diuiſione dilucide compêrimus, Germanias* ciſrhenanas olim fuiſſe, & hodie eſſe. quod Strabo eodem libro quarto confirmat inquiens: *poſt Mediomatricos & Tribochos Treuiri Rheno adiacent, apud quos Roman. Imperatores contra Germanos belligerantes hac tempeſtate pontem aedificant. loca hac trans Rhenum incolebant Vbii, quos ad interiorem ripam traduxit Agrippa, nec multos quidem. Contigui Treuiris ſunt Neruii & hi quoque natio Germanica. nouiſſimi ad vtrumque fluminis ripam habitant Menapii, hi per paludes & nemora domus ſunt, non procera quidem materia, ſed denſa & dumoſa. Secundum iſtos & Sicambri Germani conſiſtunt. huic fluuiatili regioni toti ſupereminent Germani alii, quos Sueuos appellant, qui potentia & hominum frequentia caeteros antecellunt.* credebam verbum *Vbii* ſupra poſitum, in Strabone minus emendate impreſſum eſſe, ſed cum Hermolai Barbari caſtigationes Plinianas perlegiſſem, comperi eum referre: *Strabo Vibios appellat, credo tamen Vbios dici.* ipſe quoq; dicit viculum eſſe contra Coloniam Agrippinenſem vltra Rhenū *Vbium* cognominatum. ſed de Vbiis alia ſubiungemus. Idem Tacitus ait: *ipſam Rheni ripā haud dubie Germanorum populi colunt. Vangiones, Tribochi Nemetes, Vbii quidem Rom. Colonia eſſe meruerint, ac libentius ſui conditoris nomine vocantur, origine erubeſcunt, tranſgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati ſunt vt arcerent, non vt cuſtodirentur.* Tranquillus in Otthone Caeſare inquit: *Sub idē vero tempus Germanicianus exercitus in Vitellii verba iurauit, quod iuramentum factum eſſe conſtat, Agrippinae per Fabium Valentem, quem ſecuti ſunt exercitus ſuperioris Germaniae.* Idem Tacitus libro duodecimo. *Sed Agrippina Auguſta Claudii Caeſaris coniunx, quo vim ſuam ſociis nationibus oſtentaret, in oppidum Vbiorum, in*

quo ge-

quo genita erat, veteranos Coloniamque deduci imperat. cui nomen inditum ex vocabulo ipſius. ac forte acciderat, vt eam gentem Rheno tranſgreſſam auus Agrippa in fidem acciperet. Vnde Iulius Paulus Iureconſultus, qui vna cum Domitio Vlpiano aſſeſſor Papiniani fuit, ab Antonio Heliogabalo Cæſare (qui ſe *inuictum & ſummum Solis ſacerdotem* appellauit, vt clare ex eius nomiſmatis perſpectum habui) vel à Marco Aurelio Seuero Alexandro Cęſare Præfectus factus, ita ſcribit: *In Germania inferiori Agrippinenſes, Italici ſunt Iuris.* Extat adhuc oratio apud Tacitum libro 20. hiſtoriæ Auguſtæ, qua *Tencteri Rheno diſcreti gens miſſis legatis mandata apud Concilium Agrippinenſium edi iubet, quam feroci ſſimus vnus è legatis in hunc modum protulit: Rediſſe vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis, ſed præcipuè Deorum Marti grates egimus, vobiſq. gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. nam ad hunc diem flumina ac terras & cælum quodammodo ipſum clauſerant Romani, vt colloquia congreſſuſque noſtros arcerent, vel quod contumelioſius eſt, viris ad arma natis inermes, & propè nudi ſub cuſtode & precio coiremus, ſed vt amicitia ſocietaſque noſtra in æternum rata ſint, poſtulamus à vobis, muros Coloniæ munimenta ſeruitij detrahatis, etiam fera animalia ſi clauſa teneas, virtutis obliuiſcuntur. Romanos omnes in finibus veſtris trucidetis. haud facile libertas & domini miſcentur, bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quicquam, aut ſegregare cauſam ſuam poſſit, liceat vobis nobiſque vtramque ripam colere, vt olim maioribus noſtris, quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Inſtituta cultumque patrium reſumite abruptis vectigalibus, quibus Romani plus aduerſus ſubiectos quam armis valent. Sincerus & integer, & ſeruitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut alijs imperitabitis. Agrippinenſes conſultandi ſpacio ſumpto in hunc modum reſponderunt: Quæ patriæ libertatis facultas data eſt, auidius ſumpſimus, vt vobis cæteriſque Germanis, conſanguineis noſtris iungeremur, muros ciuitatis congregantibus ſe tum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quam diruere tutius eſt. Si qui ex Italia aut Prouincijs alienigenæ in finibus noſtris fuerant, eos bellum abſumpſit, vel in ſuas quiſque ſedes refugere. Deductis olim & nobiſcum per connubium ſociatis, quique mox prouenere, hæc patria eſt, nec vos adeo iniquos æſtimamus, vt interfici à nobis parentes, liberos noſtros velitis. Vectigal & onera commerciorum reſoluimus, ſint tranſitus incuſtoditi, & diurni, & inermes, donec noua & recentia iura in vetuſtatem & conſuetudinem vertantur, arbitrum habebimus Ciuilem & Velledam, apud quos pacta ſanciantur.* Velleda autem qui fuerit, Tacitus ibi declarat. Hanc orationem & Agrippinenſium reſponſionem ideo referendas cenſui, vt etiam ex iis Agrippinenſes Germanos eſſe cognoſceremus, ſic de Moguntiaco ſatis conſtat, de quo diuus Hieron. & etiam aliis ad Geronciam ita ſcribit: *Moguntiacum nobilis quondam ciuitas capta, atque ſubuerſa eſt, & in Eccleſia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obſidione deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebates extremique hominum Morini, Tornacum, Nemetes, Argentoracum tranſlatæ ſunt in Germaniam.* De Nemetibus Sebaſtianus Brand optimæ eruditionis vir & communis amicus noſter ad Marcum:

Inter Germanos, Nemetum celeberrima Spira
Quondam erat, a nobis nomen habere ſtudent.

De Moguntia Celtis noſter ad ſuam Vrſulam cecinit.

Moguntiacæ quæ ſtant in mœnibus vrbis
Sollicitas oculos vnica cura meos,
Inter quæ Druſi ſtant ardua buſta Neronis,
Clara à Germanis nomina primus habens,

Idem Celtis ad Rhenum.

Argentoracos, Nemetes &, Vangionaſque
Abluit irriguo fons tuus ille vado,
Iamq. Moguntiacam vaſtus te flectis ad vrbem,
Quæ prima impreſſas tradidit ære notas.

De hac arte impreſſoria idem Brand:

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis, & arte
Librorum emerſit copia larga nimis,
Et qui diuitibus, vix Regi obuenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur eſſe caſa,
Gratia Dijs primum, mox impreſſoribus æqua
Gratia, quorum opera hæc prima reperta via eſt.
Quæ doctos latuit Græcos, Italoſque peritos,
Ars noua, Germano venit ab ingenio.

Mouit mihi ſtomachum præceptor meus, rerum vetuſtarum alioquin ſolertiſſimus inquiſitor Pomponius Lætus. voluit enim nobis Germanis, inuentæ artis impreſſoriæ laudem præripere, ad Auguſtinum Mapheum ſcribens, ita ait: *Imprimendi facultatem, multis ſæculis intermiſſam paulo ante renouatam eſſe.* Vnde hoc diceret, ego plurimum cunctatus ſum, tandem ex Franciſco Cardulo Narnienti didici, eum diui Cypriani ſententia fretum fuiſſe. is enim de Idolis ſcribens inquit: *Saturnus literas imprimere & ſignare nummos in Italia primus inſtituit*, qui licet rarus apud Pomponium vetuſtatis inueſtigandæ Chriſtianus teſtis eſt, fidem tamen non facio, Diuum Cyprianum de ea impreſſoria arte (qua nunc vtimur) locutum fuiſſe, ſed & Saturni tempore calami vel pennæ vſus non erat, literas forte ferro vel lignis impreſſit, cęteroſq; docuit, non coniunctim, verum ſingulas particulatim imprimendo debito ordine locare: Vel vt idem noſter Epiſcopus Tergeſtinus opinatur, Saturnum

docuiſſe literas imprimere eas, quæ in nomiſmatis expreſſæ ſunt, non quæ nunc papyro imprimuntur. Signauit enim æs primum in Italia cum Iano monetam, & in æs impreſſit literas. Sic Deus etiam verus apud Hieremiam capite XXXII. ait: *Agri ementur pecunia, & ſcribentur in libro, & imprimetur ſignum.*

Reditum facio ad vtramque Germaniam. Idem Tacitus libro duodecimo hiſtoriæ Auguſtę: *iis temporibus in ſuperiore Germania trepidatum aduentu Chattorum latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones & Nemetes, addito equite alario, monuit, ante vt irent populares.* Idē lib. XX. *Spreto Flacco inferiorem Germaniam petiuere, vt Claudio Ciuili iungerentur. erat enim regia ſtirpe Batauorum princeps. Herennius Gallus Bonnam obtinuit.* Titus Liuius lib. CXXXVII. L. Floro in epitomate teſte: *Ciuitates Germaniæ cis Rhenum & trans Rhenum poſitas à Druſo oppugnatas fuiſſe.* Idem Florus libro tertio Epitomatum de bello Gallico: *Druſus miſſus in Germaniam prouinciam, primus domuit Vſipetes, & Marcomannorum ſpoliis inſignibus, quendam editum tumulum, in trophæi modum excoluit: inde validiſsimas nationes, Cheruſcos, Suenos & Sicambros pariter aggreſſus eſt.* Germani poſtea, Quintilii Vari libidinem & ſuperbiam, haud ſecus quam ſæuitiam, odiſſe cæperunt, & Arminio duce armis correptis occiſæ ſunt Vari tres legiones. Nihil ea cæde per paludes, perque ſyluas cruentius, nihil inſultatione Barbarorum intolerantius, præcipue tamen in cauſarum Patronos. aliis enim oculos, aliis manus amputabant, vnius os conſutum reciſa prius lingua, quam in manu tenens Barbarus, tandem, inquit, vipera ſibilare deſiſte: ipſius quoque Conſulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effoſſum, aquilas etiam duas Barbari poſſederunt: tertiam ſignifer, priuſquam in manus hoſtium veniret, euulſit, merſaque inter baltei ſui latebras gerens, in cruenta palude latuit. Hac clade factum, vt imperium Rom. quod in littore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret. Tunc ea Vari clade ſiue Titi Ennii prætoris cæde, legione Martia emiſſa, Ciuitas noſtra plurimum nobilitata forum publicum apud nos *Perlauem*, à perdita legione cognominant, vbi aliquando inſcriptum fuit:

Indicat hic collis Romanam nomine cladem,
Martia quoq; legio ſimul periit.

Ceciditque ea pugna cum equitatu Macedonico Auar Græcus Bogudis filius, ruſtici ex eo domus non longe ab Auguſta adhuc *Chriechſauar* appellantur,

Hic nomen terris Bogudis dat regia proles
Græcus Auar pecudis de Sueuis more litatus.

Ex vrbis tunc principibus occubuere, Habino à quo collis *Habinberg* inſcriptus eſt:

Præfectus Habino ſe victum atque ſepultum
Perpetuo montis nomine notificat.

Et Cacchus, qui villæ *Cacchingo* nomen dedit, auxit hanc ſoli noſtri natiui nobilitatem. Decimus Druſus Tiberii Neronis filius Cæſaris Auguſti ex Liuia Druſilla priuignus reſtituit quidem vrbem ædificiis, & arce contra Pannones munitiſſima, cuius veſtigia in campo Burgi in ſuburbiis portæ Virgineæ adhuc conſpicimus. Amplificaturq; in dies ab inuicto Cęſare Maximiliano Auguſt. Pio felice Patre patriæ. Supra ſcriptos itaq; auctores, teſtes inculpatæ vitæ ſummæ doctrinæ, & experientiæ, fide nulla vacillantes referre volui, vt tua Dominatio aperte perſpiceret, Germanias ambas, inferiorem & ſuperiorem, primam & ſecundam, inter Belgas & Rhenum antiquitus, etiam ante Cæſaris Dictatoris tempora fuiſſe, Gallos expuliſſe fixiſſeque ibi ſedes ſuas, & quod Rhenus eaſdem à magna Germania ſepararet.

Contra nos forte patriæ Germaniæ deſertores teſtes eoſdem proferrent, quibus ſi poterimus, ſatisfaciemus. Dicunt ipſi: Idem Cęſar libro primo de bello Gallico ait: *Belgæ proximi ſunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt.* Idem Tacitus, *Germania omnis à Gallis Rhetiiſque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Daciſque mutuo metu aut montibus ſeparatur, cætera Oceanus ambit.* Idem Tranquillus in Dictatore: *Geſſit autem nouem annis, quibus in Imperio fuit, hæc. Fere omnem Galliam, quæ à ſaltu Pyrenæo Alpibuſque, & monte Gebenna, fluminibus, Rheno & Rhodano, continetur.* Idem Plinius ſuprascripto capite decimo ſeptimo: *Agrippa vniuerſarum Galliarum, inter Rhenum & Pyrenæum, atq; Oceanum ac montes Gebennam & Iuram, quibus Narbonenſem Galliam excludit, longitudinem CCCCX. M. paſſuum latitudinem CCCXIII. computauit.* Et Solinus de mundi mirabilibus inquit: *Galliæ inter Rhenum & Pyrenæum, item inter Oceanum & montes Gebennam ac Iurã, porriguntur fœlices.* Paulus Oroſius: *Gallia Belgica habet ab Oriente fluminis Rheni Germaniã.* Item Eutropius lib. 10. de geſtis Romanorũ ait: *A Iuliano Cæſare Conſtantii Cæſaris ſororio, atq; patruele, modicis copiis apud Argentoratum Galliarum ingentes Alemannorum copiæ extinctæ ſunt.* Paulus etiam Diaconus in additionibus ad Eutropium cap. 3. *Gratianus apud Argentariam, oppidum Galliarum formidoloſiſſimum bellum incredibili fœlicitate confecit.* Ex iis autoribus, noſtriſq; teſtibus Germaniæ deſertores, argumentari volunt, Prouincias oẽs ciſrhenanas ad Gallos ſpectare debere, quod inficiari volumꝰ. Et id approbamus. Vetuſtiſſimos Galliæ terminos aliquãdo ad Rheni fluminis partem protẽſos fuiſſe, ex eoq; Germani ciſrhenani, ad Gallos non pertinent, ſed Gallis repulſis, Germani ciſrhenum ſedes proprias fixerunt, ibique Germaniæ, ſuperior atque inferior, appellatæ nunquam Gallis, ſed vel Romanis, vel Cæſaribus Auguſtis, vel etiam Regibus vera origine Germanis paruerunt, & multo etiam tempore liberi fuerunt; præſcripti etiam teſtes, vt certo perſuaſum duco, cum de Rheno loquuntur; non proximum hunc terminum, ſed magis notiorẽ ſignificant. Illud tamen non nego, veteres Heluetios & Rauracos ad Nantuates vſq;, quos appellãt

Con-

Conſtantienſes, olim Gallos, nunc autem Germaniæ ſuperioris eſſe. Plinius quidem Nantuates non meminit, verum poſt Rauracos à Cæſare Rauracios dictos. Principium Tribochorum, ad Germaniam ciſrhenanam ſuperiorem porrigitur. nec Oroſius Galliam eo loco vſq; ad Rhenum deſcribit, ſed ad Germaniam Rheni fluminis, hoc eſt, ciſrhenum, vt Ammianus docuit. Præterea ſi Gallia Belgica aliquando vſq; ad Rhenum, non tamen in omnes ipſius fluminis partes protenſa fuit, quod ſatis docet Strabo libro eius quarto, ad cuius initium ita inquit: *Belgas vero nominabant, reliquos Oceano confines, vſq; ad oſtia Rheni, & nonnullos Rheni & Alpium vicinos incolas.* & etiam per hoc certo conſtare non poterit, Germanos ciſrhenanos Gallis paruiſſe, niſi victor victo paruerit. Galli enim ſunt victi à Germanis atque expulſi.

Quod autem Heluetii antiquitus fuerint Galli, & quod eoſdem à Germania magna diuidat Rhenus, docet Cæſar *libr. 1. de bello Gallico.* & Cornelius Tacitus libr. 17. ait: *Irritauerunt turbidum ingenium Heluetij gens Gallica ſoli in armis.* Nunc autem ab Alpibus Italiæ imminentibus, & Rheni origine, ſiue is ex Lepontiis (vt idem Cæſar *lib. 4.* inquit) oriatur, ſiue Rhetos Tacito auctore & Noricos interfluat, ſiue, vt idem Strabo prædicto libro ait: *Et Nantuante lacuſq; Pelemena, per quem Rhodanus effertur, & fluminis ipſius fontes. non longe autem ab iſtis ſunt Rheni fontes, & mons Adualla, ex quo in Septentrionem Rhenus excurrit, & diuerſa ex parte Adua in lacum Larium iuxta Comum intrans.* Verbum *Adualla* credo legi debere *Adula*, Heluetii non ſunt Galli, ſed Sueui Germani, ſcribuntque ſe *Iuratos veteris confœderationis Sueuiæ*, de quibus noſter Celtis ad Vrſulam ſuam:

Pulcher Heluetias vbi Rhenus concoquit vuas
Gallia Germanis proxima rura ſecans.

Rurſus quibus controuerſia eſt, nobis obiiciunt; ſi Germani ciſrhenani non paruerunt Gallis, quid de Franciæ regibus, Clodoueo ſcilicet, qui Argentorati, vt audio, Eccleſiam maiorem & diui Petri erexit. Dagobertus Clotharii ſecundi filius fundauit ciſrhenana monaſteria Albiburgium, qui tamen non Latino, non etiam Gallico, ſed Germanico nomine, anno Chriſtianæ ſalutis DCXXIII. die XI. Maii, anno regni ſui XXIII. ex loco *Wiſſenburg* appellauit. Inſeruitque eiſdem fundationis literis alia plura locorũ ciſrhenum Germanica vocabula, & domum nouã prope Wormaciam *Nevvhuſen* cognominatam: confœderatque Rubiaci, vbi arcem munitiſſimam Germanico nomine appellatam extruxit. Idem aliis Pippino & eius filio Carolo Magno cæteriſque eorum poſteris, quibus totus Rhenus paruit, & ſub eorum iugo fuit. Argentinenſes vtuntur lilio in nomiſmate, inſigni ſcilicet regum Franciæ: ergo eis ſubeſſe debent. proh fortiſſimum argumentum!

Ego reſpondeo, ſi Germanus Romanorum Cæſar, ſiue Rex ſupra Gallos, Francoſque occidentales regnaret, eidem iure, non ſolum Rhenus, ſed & Germania vniuerſa ſubeſſet, & ſic Franciæ occidentalis Rex, vt Germanus Romanorum Cæſar ſub ditione ſua Rhenum & Germaniam haberet, vti habet. Rogo ex patriæ Germaniæ deſertoribus, qui fuerunt Franciæ reges, Rhenum poſſidentes? certe non Galli, non Hiſpani, ſed vera origine Germani. olim enim & antiquitus, Francia non erat pars Galliæ, ſed Germaniæ. Blondus Flauius Foroliuienſis hiſtoriarum ab inclinatione Imperii lib. 1. ſic inquit: *Sed Franci & ipſi Germani ex ea Prouincia, quæ nunc etiam Franconia appellatur, oriuntur. Nunc erant in Galliis, eos autem primus Romanorum Ducum domuit in patria Conſtantius Flauij Conſtantini filius, atq; accepta clades tum effecit, vt ſemper poſtea vſq; ad Honorij & Arcadij tempora fuerint in Patria quietiſſimi. Eorundem vero Imperatorum anno ſeptimo mutandi melioris ſoli gratia, patrijs ſedibus relictis Rhenum tranſmiſerunt, & apud Treueros, Mediomatricos & Medenſes, ac Leucos qui & Tullenſes Veredunenſeſque conſederant, quos Sueuis ob vetuſtas ſimultates inſtigantibus, Vandali, Burgundiones, atq; Alani, per vim & arma, in Franconiam ſe recipere cõpulerunt. Francis vltra Rhenum pulſis, Vandali, Alani & Sueui, ad diripiendas vaſtandaſq; Gallias ſunt profecti, Burgundiones autem ſedes illico capere conſtituerunt, eaſq; delegerunt apud Heduos, Heſuntios, Ligonas, Cabilonenſes & Matiſconenſes, in quibus proximiſque ciuitatibus ad hæc vſq; tempora manſere, vt ipſis in locis, pars eius regionis, quæ prius Gallia Belgica fuit dicta, annos iam mille Burgundia nominetur. Vandali autem, Sueui & Alani interea eam Galliæ partem, quæ Aquitania appellatur, à Ligeri ad Pyrenæum, Britannicumq; mare pertinet, populationibus incendijſq; fœdarunt, fuitq; ijs Barbaris animus Pyrenæo tranſmiſſo in Hiſpanias irrumpere, ſed ab eius montis ſalebris repulſi, in Galliæ mediterranea ſeceſſere, licet poſtea incolarum viribus deturbatis, intra Hiſpanias admiſſi ſint. Vandali, Sueui, & Alani, pleriſq; vrbibus expugnatis, ad Luſitanos contendentes, Vlixbonenſes pecuniis mulctarunt, qui diuiſis inter ſe prouinciis interioris Hiſpaniæ, Vandalis Betica, Sueuis atq; Alanis Luſitania obuenit. poſtea ſorte iterum inter Alanos & Sueuos ducta, hi Vlixbonam & quicquid vltra pertinet ad Beticam, illi Emeritam cum omni Gallitia habuerunt: ſoli Cantabri & Aſtures Gallitiæ prouinciæ populi Romanorum iudices conſeruarunt.* Hæc de Sueuis noſtris inſeruiſſe placuit, quod olim Luſitanos armis oppugnabamus, nunc eos negotiationibus perimus maiores noſtri exteros aggreſſi, nos bellis atque ſeditionibus inteſtinis, inuicem atterimur, & ſæuitiis mutuis obruimur. Sed ad Francos redeo. *Etius Patritius Gaudenſii Mœſii ex Doroſtana vrbe filius, Exercitus Romani dux inſignis, Francos iterato Rheni ripas inſidentes, irrumpenteſque in Galliam magna ſuperatos cæde in Germaniam repulit.* Idem Blondus libro ſecundo inquit: *Diximus ſupra Francos vetuſta origine ex Franconia Germanos, à Vandalis, Burgundionibus & Alanis primo, & poſt ab Etio fuiſſe ex Galliis in patriam repulſos. His ergo temporibus Valentiniani tertij Conſtantij & Placidiæ filij Cæſaris, Etium in bello Burgundionum implicatum, & Imperatorem amiſſis in Africa copiis, eneruatum viribus audientes, Clodione & Meroueo filio ducibus ex Franconia ſunt profecti, & Rheno tranſmiſſo nullis, jam qui reſiſterent reliquis, in Senonum prouincia ſedem apud Aurelianenſes Pariſioſq; ceperunt.* tunc ea pars Galliæ Sennonenſis Pariſiorum ab Imperij inclinatione, anno XXVI. ſubie-

cta eſt Francis, id eſt, Franconibus Germanis, iterum Gallos ſub iugum ſuum mittentes. M. Antonius Sabellicus libro nono, Enneadis ſeptimæ, ita inquit: *Erat per id tempus præter Sueuos altera Germanorum gens in Gallia, Francos ſe à Franconia dixerunt Germaniæ parte, vnde aliquot ante annos fuerant profecti.* Idem præterea libro primo Enneadis octauæ ſuperiorem Blondi hiſtoriam comprobat. Si ergo Clodouei, Clotharij, Dagoberti, & cæteri ad Pippinum vſque ex ſtirpe atque ſanguine Clodionis & Marouei Germanis Franconibus procreati Orientalis, & Occidentalis Franciæ Reges, Rheno dominati ſunt, propterea Germani ciſrhenani, non ſub Gallis ſed Francis Germanis erant. Idemque Dagobertus ſecundus non ſolum Francis rex conſtitutus erat, ſed & ſupra Burgundiones & Auſtraſios regnabat, qui tunc ſub Germanis ciſrhenanis computabantur, non vt occidentalis Franciæ, ſed vt Rex Auſtraſiorum, quos modo Lotharingos & ex Lotharij regno dicimus, & ex quibus Brabantini Principes, Duces, ſe ex Lotharii regno ſcripſerunt, ex Auſtraſia ſcilicet inferiori. ſuperior enim circa Metas eorum, eorundem Regnorum diſtinctionem noſter Sebaſtianus Brand in vita diui Germani declarat:

Tempore quo Francis Dagobertus rex venerandus
Præfuit Auſtriæ, & Gallica ſceptra tenens.

Et quia vniuerſa tunc Germania Franconibus ſubiecta erat, Germanis ciſrhenanis imperitabant. Quorum ciuitates in ſignis & eorum armis, coloribus non Regum Franciæ occidentalis, non etiam ranis nec liliis, ſed Francorum Germanorum albo ſcilicet & rubeo vſi ſunt hodieque vtuntur. Vetuſta Coloniæ Agrippinenſis arma, Ducatus Franconiæ, acies triangulariæ albæ & rubeæ, quibus etiam diuis Magis tribus eo translatis (acie ſemotis) & iiſdem colorib. retentis Coronæ tres additæ ſunt. Habet Moguntia rotas duas albas in campo rubeo. Wormacia clauem albam, in campo ſimilis coloris. Spira Eccleſiam rubeam in campo albo. Argentina campum albũ, quem (vt vulgi vocabulo vtar) Strata per medium ſcindit, à Straſburgio deſumpta. Tholoſſæ etiam regnum tunc in Gallia ſeparatum Ariberto & Chilperico filio regibus defunctis, Dagoberto ceſſerat. Supra etiam mille & centum annos, illuſtris Maſo Sueuorum dux Monaſterium quod Maſſonis appellant, apud Sungoios non longe à Rheno erexit, ibiq; cum filio tumulo conditus eſt. Eberhardus eiuſdem prouinciæ dux Eccleſiam Morbacenſem Alſatiæ Chriſtianæ religioni dedicauit, adeo quod etiam antiquitus non omnis Rhenana regio ſub Francis Germanis fuit. Et Leone quarto Cæſare Auguſto Conſtantinopolitano Childericus X X I. & vltimus Merouei Germani Frãci prolapiæ ex clerico rex, qui Euconem diuæ Otiliæ patrem conſanguineum ſuum Alſatiæ Ducem creauerat, alias cum à prædeceſſorum ſuorum moribus deſciſceret, & regibus Germanis Francis ob vitia, quibus immerſus longe abſimilis opportunum neceſſariumq; eſſet vt iterum Gallis Germanus rex præficeretur. idcirco cõſilio Zachariæ Pont. Max. Pipinus Dux Brabantinus, & Auſtraſiorum, etiam Germanus, Maiorque domus Franciæ (agebat enim in Palatio Treuirenſi) per proceres Franciæ Rex declaratur, cuius poſteri Germani origine vſque ad Ludouicum Arnulphi Cæſaris filium ſupra Gallos regnarunt, vt poſtea latius declarabimus.

Francorum modo originem altius repetamus. Pius ſecundus Pont. Max. in Europa ſua inquit: *Franci quidem Troiani Ilio deleto, Priamo duce, Priami ex ſorore nepote per Pontum Euxinum in Meotidas. & in Scythiam peruenere, ibiq; Sicambriam condiderunt, à qua dicti Sicambri, & manſerunt ibi vectigales, ad Valentiniani Cæſaris tempora, cuius iuſſu quod Alanos rebelles in deditionem eius coegiſſent, in decennium libertate donati ſunt, & mutato nomine Franci appellati, mox effrenes facti, iugum Romanum recuſantes, Scythia digreſſi, & in Germaniam profecti, Turingia conſederunt: & Pharamundum Marcomedi filium Antenoris nepotem ſupra ſe Regem conſtituerunt, cuius filius Clodoueus Crinitus, ſiue Clodio & Franci tranſmiſſo Rheno Romanos fugauerunt, & aucti potentia, ſubiugatiq;, Moguntia, Treueri. Agrippina, Tornaco, Cameraco, Remis, Sueſſona, & Aureliano, regnum eorum ab Aquitanis vſq; in Batoariam extenderunt. Clodoueo ſucceſſit Meroueus filius, à quo Franci dicti ſunt Merouingi.* Rupertus Gaguinus in Francia ſua, Meroueum hunc, non meminit Clodionis filium, ſed ſibi ſanguine propiore iunctum. ego mihi perſuadere non poſſum, nec credo, ſub Valentiniano Cæſare, Sicambros primum Francos appellatos, in Germaniamque profectos fuiſſe. Miror etiam eundem Gaguinum Francos germanos ſubticuiſſe, ſed forte non mirandus, cum alias rerum ordinem non ſatis complexus eſt. Sicambri ante Cæſaris Dictatoris tempora, ſedes ſuas fixas apud germanos habuerunt. Libro enim quarto de gallico bello inquit: *Vſipetes & Tenchateri ſe trans Rhenum in fines Sicambrorum receperunt. quare ipſe ponte ſupra Rhenum extructo, in fines Sicambrorum contendit.* de quibus M. Val. Martialis ad Domitianum Cæſarem.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Et Iuuenalis Satyra quarta:

Tanquam de Getis aliquid tortiſque Sicambris.

Et Celtis noſter ad Rhenum ait:

Ad Lobicas arces mox incipis ire tricornis,
Cum trifido ſcindens flumine Rhene caput.
Iſſula ad Arctoas gentes, ſed Balus in Auſtros,
Rhene ſed in medio gurgite nomen habes.
Hac Bataui, madidique habitant loca nota Sicambri,
Quos modo Gelrenſes Flãminoſque vocant.

Hollan-

Hollandoſque cauis habitans qui littora terris,
Suſpenſos dubio per freta ſæua metu.

Sic ergo longe ante Valentinianum Cæſarem Sicambri Germani fuerunt, & etiam Franci in Germania appellati, à vocabulo Germanico *Francken*, quod liberum interpretatur, quaſi iugo Romanorum ſepoſito, Germani in libertatem proclamabant, de quibus Flauius Vopiſcus ait in Aureliano Cæſare: *Idem apud Moguntiacum Tribunus Legionis ſextæ Gallicanæ Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam ſic afflixit, vt CCC. ex iis captos, ſeptingentis interemptis, ſub corona vendiderit.* Vnde iterum de eo facta eſt cantilena: *Mille Sarmatas, mille Francos ſemel, & ſemel occidimus, mille Perſas quærimus.* Et in Floriano Cæſare reſponſum eſt ab Aruſpicibus, *quandocunq; ex familia eius, & Taciti Cæſaris fratris ſui Imperat. Rom. futurum, ſeu per fœminam ſeu per virum, qui det iudices Parthis ac Perſis, qui Francos & Alemannos ſub Romanis legibus habeat.* Et idem in M. Aurelio Probo: *Enimuero quæ mundi pars eſt, quam ille vincendo non didicerit. teſtes ſunt Marmaridæ in Africæ ſolo victi, teſtes Franci inuiis ſtrati paludibus*, & quod idem de Francis in Proculo refert prætermittere volui. Quare Blōdus, vt præmiſſum eſt, iure optimo Francos Germanos ſcripſit. Sic etiam Eutropius libro 10. inquit: *Conſtantinus Maximus Maximiani Herculij gener in Galliis & militum & Prouincialium ingente fauore regnabat, cæſis Francis & Alemannis.* Scriptumque eſt in Panegyrico eiſdem Cæſaribus dicto: *Fortitudinem autem illius iam tum in principiis, conſecutus es, multa ille Francorum milia qui & Batauiam aliaſq; cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit, depulit abduxit.* Ammianus præterea Marcellinus ait: *Francos petit, quos conſuetudo Salatios appellauit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam, locum, habitacula, ſibi figere.* De Toxandris Plinius lib. 4. cap. 17. ſcribit. Ego autem puto *Salatios* à Sala flumine Franconiæ dictos, quod in monte Vichtilberg à pinis vulgo appellato oritur, celebratum à Celti noſtro.

Francia Germano mihi ſtirps & origo poetæ
Hercinia medio cincta beata ſinu,
Quam Mœnus mediam perlambit vitifer oram,
Cuius quadrifluuio naſcitur vnda iugo
Piniferis, cuius de vertice flumina quatuor,
Quatuor in partes orbis amœna cadunt,
Mœnus ad occaſum Francorum fertur in oras,
Sola ſed Arctois perditur Albis aquis
Egra ſed Eoi petit ardua regna Boemi,
Sed Nabus Hiſtrinis inſinuatur aquis.

Inde *Salicam legem* à Salatiis dictam, quæ incipit: *Moſes gentis Iudæorum.* & ſubiungitur, *Theodoricus Rex Francorum cum eſſet Caralonis, ipſo dictante, iuſſit ſcribere legem Francorum, Alemannorum, Baioariorum, vnicuiq; genti, quæ in eius poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem ſuam addidit, quæ addenda erant*, & ſequitur: *Quicquid Theodoricus Rex propter vetuſtiſſimam Paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſt hæc Ildebertus rex inchoauit, ſed Clotharius rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſimus per viros illuſtres, Claudium, Codoniâum magnum, & Agilufum renouauit.* Et iterum ſequitur: *Dictauit legem Salicam, Proceres ipſius gentis, qui tunc aderant, Rectores, id eſt, Wiſogaſte, Salegaſte, & Widogaſte, Arogaſte, Bedogaſte, Vironadi, in loco cognominato, Salechamne, Bodecamne & Widocamne.* neſcio cur Gaguinus hanc *Saliquam* appellet. Verum ſi ſupputabis Cæſares à Valeriano vſque Valentinianum III. ſub quo Franci Germani regnum ſuum in Gallos extenderunt, inuenies illos non ſolum ſub Valentiniano, ſed etiā antea Francos Salatios Germanos dictos fuiſſe poſſumus coniectura admittere, cum Sicambrorum pars ad Germaniam inferiorem concéderit, etiam ante Cæſaris Dictatoris tempus, reliquos in Germania (vbi nunc Franconia eſt) conſediſſe. quorum reliquias Cæſar Auguſtus, vltra Albim adhuc conſtitutas. Sicābros Germanos ſubmouit, & ad Rhenum collocauit. ſic Francis Germanis, Gallis in deditionē coactis, regni ſui auctis finib. ab Occidente à Rheno, Ligeri atq; Oceano, vltra Danubiū & ad Salā, Sorabes à Thuringis diuidentem, Carolus Martellus, Magni Caroli auus, Euronicus Alſatię ducis nepotes, Lunfridū & Eberhardum expulit. Magnus vero Carol. paterno regno adiecit Hiſpanos pene omnes, Aquitanos, Vaſcones, Britones, & Italiæ partem quæ Longobardorum erat. Item Saxones qui à flumine Albi Veſerā vſq; à ventorū nominibus (quæ idem Magnus Cæſar linguā ſuā natiua Germanica primus indidit) Oſtueldi, hodie etiam Saxones, & à flumine Veſera ad Rhenum Weſtueldi, nunc Weſtuali appellati, quaſi Saxones Oſtrocampeſtres, & Viſocampeſtres, Bilcos ſuo nomine Veletabos, Nortmános nunc Nortwegios dictos, Danos, Auares, Buhemos, vtroſq; Pannones, Hiſtrienſes, Liburnos, Dalmatiam terreſtrem, & Germaniam omnem, intra Rhenum, Viſtulam & Oceanum ſitam, quare ſatis perſpeximus, Germanorum Franciam duplex fuiſſe Regnum, ſc. Orientale & Occidentale, quod & multo tempore apud Francos Germanos coniunctū fuit. Verum Ludouico ſeniore, Ludouici pij filio Caroli Magni nepote, auitum paternumq; regnum cum fratribus diuidente, Lotharius primus Cæſar & frater ſuus rex Carolus poſt Cæſar Occidenti præfuerunt, Ludouicus ſenior, & filius Ludouicus iunior ſupra Orientales regnauerunt, quod literis erectionis Eccleſiæ Wyſenſtaig, Auguſtenſis diœceſis, comprobamus. in quarum calce ita ſcriptum eſt: *Acta eſt hæc traditio in ipſo loco Wiſontesſteiga ſub die 8. Idus Decembris, Anno ab incarnatione Domini DCCCLXI. indictione 10. regnante Domino Ludouico ſuper orientales regiones, Anno XXVIII. regni eius.* Præfuerunt tunc Imperio & Franciæ occidentali Ludouicus 2. Lotharij primi Cæſaris filius, & Carolus Caluus 2. Cæſar Ludouici ſenioris prædicti ex Ludouico Pio Cæſare Auguſto frater. Item in literis

donationis monaſterij ſanctorum Felicis & Regulæ in Turego factæ, ita continetur: *Ludouicus diuina fauente clementia rex. qualiter pro ſereniſsimi Imperatoris aui Caroli & præſtantiſsimi Ludouici Augusti domini & genitoris noſtri, necnon & ſempiterna rememoratione, ac pro coniugis & prolis noſtræ chariſsima perpetua mercede, Curtim noſtrā Turegum in Ducatu Alamanico, in pago Turgarenſi, &c. actum 32. Regni noſtri, in Orientali Francia regnante. Datum Reginſpurg in ciuitate regia.* Licet poſtea Ludouicus iunior huius ſenioris filius, Baioarico regno contentus fuerit, vt ex literis Gotzwaldi Abbatis monaſterii Altacenſis, cognoui, quibus rex Ludouicus iunior ita ſcripſit: *Ludouicus gratia Dei rex Bauarorum ex quo regalis dignitas, &c. Datum Heligbrun in noſtro palatio regali, ab incarnatione Chriſti anno D.CCCL. die XVIII. Augusti regni noſtri 7.* De hac orientali Francia Ottho diui Leupoldi Auſtriæ Marchionis filius & Friſingenſis Epiſcopus ita ſcribit: *Per idem tempus Ludouicus rex orientalium, occidentalia regna vocatu quorundam Principum regniq; terminos occupans, Senonas vſq; progreditur.* Præterea eodem tempore regnū Galliæ a Franciæ regno diuerſum erat. Carolus enim 3. ob corporis proceritatem Groſſus appellatus, Cæſar Auguſtus in literis ſuis in monaſterio ſuperiori Ratiſponæ datis ita inquit: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Carolus diuina fauente clementia Imperator Auguſtus: Si mēbra Chriſti, &c. data 14. Kale. Martij, anno Dominicæ incarnationis D.CCCLXXXVI. indictione 4. anno Imperij piiſsimi Imperatoris in Italia 6. in Francia 5. in Gallia 2. actum in villa quæ Rotuile vocatur.* Item Arnulphus Ludouici Senioris nepos, Carolomani ex illuſtri fœmina filius naturalis, primum Carentaniæ Dux (Groſſo ægrotante) Rex, mox Cæſar Auguſtus declaratus, omnem orientalem & poſtea Franciā occidentalem in deditionem ſuā accepit, regnauitque ſupra Gallos plures annos. Vnde idem Friſingenſis ait: *Arnulphus totam orientalē Franciam, quod modo Theutonicum regnum appellatur, id eſt, Baioariam, Sueuiam, Saxones, Thuringiam, Phriſiam, Lotharingiam rexit. Occidentalem vero Odo ex eius auctoritate habuit.* Præterea diuus Henricus Bambergij tumulo conditus antequam Cæſar coronatus fuiſſet, ſe illius Franciæ regem ſcripſit, vt eius literæ apud monaſterium Weiſſenburgenſe atteſtantur, quibus inquit: *Data XVIII. Kalen. Febr. anno incarnationis Dominicæ M.III. Henrici glorioſiſsimi regis regni in Francia primo, indictione prima, actum Drodēhoff.* Sic etiam Carolus Magnus, & poſteri eius proſapiæ, qui ſupra Gallos regnauerunt, Germani origine fuerunt. noſter Brand de tranſlatione Imperij cecinit:

> *Tranſlato imperio à Græcis Germana repente*
> *Natio ſuſcepit regia ſceptra, & opus.*
> *Germanus, quia nam, noſtro quoq; natus in orbe*
> *Carolus, & vero ſemine Teuton erat,*
> *Nempe orientalis Francus fuit, vnde recepit*
> *Francia Gallorum, quod modo nomen habet.*

Defunctis autem Carolonis, & plerisq; per ignauiam regno Franciæ abdicatis, Henricus primus rex Auguſtus Magni Otthonis pater, ob frequentem animi aucupationem *Auceps* appellatus, primus idem libera poteſtate in Saxones vſus, ſuaſu generi ſui Giſberti Belgici Ducis, cum Francis orientalibus à Carolo occidentalis Franciæ rege deſciuit, eoq; adſentiente, Galliam Belgicam quaſi vniuerſam cum palatio Aquiſgrani, Regno Burgundionum excepto: omnem ſcilicet Auſtraſiam, quæ Franconibus Germanis Regibus occidentalis Franciæ huc vſque paruerat, Germaniæ imperio adiecit, & in ſignum perpetui pacti atq; fœderis, diui Dionyſij Areopagitæ manum dono accepit. Ea cauſa Lotharingia ipſa atq; Lothariæ regnum cæteræq; prouinciæ Belgarum cum Germanis cis Rhenum ſuperiori & inferiori, in hunc vſq; diem ſub Romanorum Imperatoribus Cæſaribus Auguſtis fuerunt. Idem Ottho Magnus Ludouicum Caroli prædicti filium Belgas repetentem arce Briſacenſi capta fugauit, & Prouinciam eam iterum ſubiugatam Germanico imperio pacatam reddidit: Primumque Alſatiæ ſuperioris prouincialem Comitem creauit, Kiburgenſem Comitem, cuius familia poſt deficiente, inuicti Cæſaris noſtri maiores Hapſpurgenſes, in ea dignitate ſucceſſerunt. Sic idem Ottho in prædicto Henrico Aucupe ait: *Otthonem Magnum in Decretis Pontificum primum regem Theutonicorum vocatum, quod regnum modo Romanum eſſe cernitur, partem eſſe regni Francorum,* deniq; vt oſtenſum eſt, tempore Caroli regnum Francorum tota Gallia, id eſt, Celtica, Belgica, Lugdunenſis, totaq; Germania a Rheno ad Illyricum vſq; terminus fuit. Dehinc diuiſo inter filios filiorum regno aliud orientale, aliud occidentale, vtrumq; tamen regnum Francorum dicebatur. In orientali ergo quod Theutonicorum dicitur, deficiente Caroli ſtirpe, manente adhuc in occidentali Francia ex ſucceſſoribus Caroli, Carolo, primus ex gente Saxonum, ſucceſſit Henricus, cuius filius Otho, qui etiam Imperium à Longobardis vſurpatum reduxit ad Theutonicos orientales Francos, forſan dictus eſt primus rex Theutonicorum nō quod primus apud Theutonicos regnauerit, ſed quod primus præter eos, qui à Carolo Caroli vel Carolingi, ſicut à Meroueo Merouingi dicti ſupra, ex alio, id eſt, Saxonum ſanguine natus, imperium ad Theutonicos Francos reuocauerit, ſicut Merouingis deficiētibus. A Carolis ſuccedentibus regnum tamen manſit Francorum, ſic & Carolis decedentib. ex alia familia in vno tamen regno Otthones ſubintroiere, quæ varietas humanarū rerum defectum prodens, ab vtero mundi vſq; in præſentem diem alternatur. Preterea Imp. Cęſar Fridericus primus Auguſtus Sueuus, proſapiæ Hohenſtauffen, ſcripturis & monumentis ſuis publicis, quibus (obtenta vt vulgo appellant canoniſatione) Carolum magnum Cæſarem in diuos retulit: Aquiſgrani datis, anno Dominicæ incarnationis M.CLXIV. indictione XIV. ſexti Idus Ianuarij, anno regni eius XIV. Imperij vero XI. Eiuſdem Caroli de Aquiſgrani reſtauratione documenta inſeruit inter cætera referentis: *Non ſecus qualiter ad locum qui Aquis, ab aquarum calidarum aptatione traxit vocabulum, egreſſus ſo-*

lito

lito more cauſa venandi & perplexione ſyluarum, erroreq; viarum à ſociis ſequeſtratus inueni thermas calidorum fontium, palatiaq; reperi. quæ quondam Granus, vnus de Romanis principibus, frater Neronis & Agrippæ, à principio conſtruxerat, nunc vero vetuſtate longa, frutetis & vepribus occupata renouaui, & ibidem monaſterium ſanctæ Mariæ matri Ieſu, cum labore & ſumptu, quo potui, ædificaui, pignora quoq; ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum ac Virginum à diuerſis terris & regnis (& quæ præſertim Græcorum) ibidem recollegi, vt eorum ſuffragio regnum Romanorum firmetur, ac peccatorum indulgentia condonetur. Præterea à Domino Leone Romano Pontifice huius templi conſecrationem & dedicationem fieri impetraui, præ nimia deuotione quam erga idem opus habui, præſentibus vna nobiſcum Romanis Cardinalibus, multis Epiſcopis quoq; Italiæ ac Galliæ, Abbatibus, Clericis & principibus diuerſis, vt ſunt Romani Duces, Marchiones, Comites, Principeſque regni Italiæ, Saxoniæ, Bauariæ, Alemanniæ, Franciæque vtriuſq;, tam orientalis quam occidentalis in omnibus voto & deſiderio meo obſequentes. Obtinuiq; ab omnibus vt in loco præfato Regia ſedes locaretur, ac eſſet caput Galliæ trans Alpes, quod ab omnibus eſt annutum, & hoc à Domino Papa Leone præfato confirmatum, &c. Ecce Carolus Cæſar noſter Romanum Regnum & eius ſedem Regiam, etiam in Galliis trans Alpes, & citra Rhenum, Aquiſgrani conſtabiliuit, ſi ſaltem concedimus, quod ciſrhenani Galli fuerint, neceſſario eos etiam tunc, ſub Germano Cæſare fuiſſe. De Aquiſgrano, Celtis 3. Amorum:

Vrbs vbi fumat aquis Chranco ab Apolline dictis,
Corpora quæ morbis tincta liquore leuant,
Quaque patent celſæ Genetricis templa tonantis,
Sanctius in noſtro quo nihil orbe micat.
Hanc caput Imperij ſtatuit rex Carolus olim,
Dum Gallos noſtro ſubderet Imperio.

Ortho præterea 2. Cæſar Magni & diuæ Adelheidis filius, Lotharium, Ludouici filium regem Franciæ, iterum in Auſtraſios noua molientem eam prouinciam iureiurando abdicare coegit. Gotfridus Bullionus Euſtachii ſenioris Comitis & Idæ filius Soceri ſui in Ducatu regni Lotharii ſucceſſor, & primus ex Germanis Hieroſolymitanus rex, eundem Comitatum Bullionis, vt ſcriptor Colonienſis refert, Sperto Epiſcopo Leodienſi M.CCC. Marchis argenti vendidit. Vnde eius ſucceſſores, ſe Bullionis Duces ſiue Comites ab Imperatoribus Germanis inueſtitos appellant. Tunc Henricus 4. Rex, Cæſar Aug. 3 Henrico Limburgii Comiti, regni Lothariæ Ducatum contulit. ſed poſtea eodem capto, à Henrico V. Rege Cæſare Augusto 4. idem Ducatus, Gotfrido Barbaro Bruxellarum & Louaniæ Comiti, ex proſapia Caroli Magni & Gebirgæ Othonis Ducis Brabantini ſorore progenito datus fuit. Ex eo ſcilicet certo comperimus, quod vtraq; Auſtraſia & ſuperior & inferior, (quibus pleræq; ciuitates ciſrhenanæ compræhenſæ erant) à Carolo Magno vſq; in hunc diem, ſub Cæſaribus Germanis & ditione Germanica fuit. Item Archiepiſcopus Treuerenſis *ſacri Romani Imperij per Galliam & regnum Arelatenſe Archicancellarius* ex eo eſt, quod illa Gallia & Arelatenſe regnum, imperio ſubeſſe debent. Præterea quot Epiſcopi, quot Principes, quot alii Eccleſiarum Prælati, Comites & Barones cis Rhenum, Cæſarem & ſacrum Rom. Imp. veriſſimam ſuam dominationem venerantur, obſeruant, & eidem fidelitatem præſtant, quod per annos plures ſupra DC. ita obſeruatum eſt. *Sic publica auctoritas & memoria vetuſtas cauſa eadem ambulant*, vt inquit Paulus Iureconſultus Caſſium referre. Nec etiam video, ſi Germani Franci imperauerunt Gallis, quomodo Germania cis Rhenum ipſis ſubeſſe debeat. Si inuicti Cæſaris noſtri nepotes, Carolus ſuper Gallos, & Ferdinãdus ſuper Hiſpanos regnarent, propterea Archiducatus Auſtriæ, cæteriq; prouinciæ huius nobiliſſimæ domus, à mari Adriatico, ad Oceanum vſque Germaniæ inferioris protenſæ, ſub iugo Gallorum vel Hiſpanienſium non eſſent. Sed Illuſtriſſimi Auſtriæ Archiduces, Gallis [illegible] Hiſpanis imperarent.

Quod de lilio Argentinenſium, in eorum nomiſmatis referunt Patriæ Germaniæ deſertores: non ex hoc Argentinenſes, quod Gallis parere debeant conuinci poſſunt: quia non omnes ſubiecti Gallis, liliis vtuntur, & non omnes vtentes liliis, Gallis ſubiecti ſunt. Florentini habent lilium in nomiſmate, & tamen de iure Gallis parere non debent. Cætera vrbi Argentinenſi argumenta contra blaterones, noſter Iacobus Wimpfelingus, accommodatiſſime expreſſit. Hæc ſunt, quæ dignationi tuæ referre volui Gallos nunquam fuiſſe dominatos Germanis, quod ne in poſterum fiat, Germani maiorum ſuorum exemplis, animorum magnitudine, ſimultatibus intraneis longe ſepoſitis, innata fortitudine militari. & vt iure naturæ patriæ aſtricti ſunt, conatu omni, ſtudere, eniti, & efficere atq; curare debent. Valeat tua Dominatio, cui me plurima humilitate commendo. Datum Auguſtæ in Taberna noſtra libraria XIV. Kalen. Nouemb. Anno ſalutis M.D.IV.

VENERANDO ET NOBILI VIRO, DOMINO MATTHEO Mareſcalco, Iuriſconſulto, Auguſtenſis Eccleſiæ Canonico, Domino ſuo inprimis obſeruando, Conradus Peutinger S. P. D.

Legi nudiuſtertius eum Iuniani Maii locum, quem tu, tuique Canonici nobiles & doctiſſimi viri Bernhardus & Conradus Adelmanni, mihi de Brenno oſtendiſtis, vbi inquit, *Bergomum Gallicum verbum à Sennonibus Brenni Milit condita, quorum lingua Monta vrbs ſignificatur; Inde Bergomenſes.* quod etſi auctorem non nominet, ego tamen diligentius inueſtigando compertum habui, ad eandem Bergomi interpretationem Iohannem Tortellium Polycratum referre, nobiſque ex vocabulo Germanico *Berg*, quod montem ſignificat, ea interpretatio placet. Fortulimũ enim ex vocabu-

li nomine argumentum, etiamſi id in Latinam linguam effluxerit coalueritque. Bergomum non à Gallis, verum à Germanis conditam vel reſtitutam fuiſſe. Refert enim Strabo de orbis ſitu libr. 7. *Sennones Sueuorum natio, vt ſuperius dixi, partim intra, partim extra ſyluam habitant, Getarum contermina gens.* Et Cornelius Tacitus de Germaniæ ſitu, *vetuſtiſſimos ſe nobiliſſimoſque Sueuorum Sennones:* ſed credo Sennones Sueuos ſicut alios Germanos, in Galliam conceſſiſſe antiquitus. Reddit tamen me ancipitem Cæſar Dictator, qui de bello Gallico lib. quinto ait: *Sennones ciuitas firma & magna inter Gallos auctoritatis,* quam Plinius in Lugdunenſi Gallia locat. Item *Brennum* Plutarchus in Camillo *regem,* Titus Liuius *Regulum,* & ex Trogo Pompeio Iuſtinus, Valerius quoque Maximus, *Ducem Gallorum* appellant, qui poſteà quã Galli Celtici (Priſco Tarquinio ſupra Romanos, & Ambigato ſupra Gallos regnantibus) ſiue ex inteſtinis diſcordiis, & aſſiduis domi diſſentionibus, ſiue Belloueſi Ambigati ſororis filii augurio, ſiue optimi vini admiratione allecti, in Italiã veniſſent. Romanos integros, & nondum tactos apud Alliam flumen victoria inſigni profligauit. Vrbem Romam captam incendit, & etiam vt idem Iuſtinus ait, vna Gallorum portione in Italia dimiſſa, per Illyricos penetrans, Pannonios domuit, & diuiſis agminibus, per Belgium Ducem Macedoniam depopulatus, Ptolomæum eius prouinciæ regem interemit, ipſe Græcia deuaſtata, & cæteris regibus vltro non laceſſitis, pecunia pacem mercari coegit. Victoria tamen inſolenter vſus, in Macedoniã contendens, Delphos ciuitatem & templum Apollini dicatum, ob ſpem prædæ ingentis, oppugnare conſtituit, ſcurriliter tunc in deorum cultum iocatus ait: *Locupletes Deos largiri hominibus oportere, ipſoſque opibus nullis egere, cum eas præſtare aliis ſoleant,* quare per Delphos Deo ſupplicantes, viribus etiam minores, repulſus, & montis portione ex terræmotu abrupta, cum ſuis ſtratus, diſſipatus, & etiam ſaucius, vulnerum dolore (quem ferre non poterat) oppreſſus, pugione ſibi mortem conſciuit. hic Brenni exitus. Strabo quoque lib. 4. eundem Delphos incurſauiſſe, & à pleriſque *Pranſum* appellatum, quodque tunc ſacrilegio contaminatos, & etiam ſequenti tempore, caſibus aduerſis iactatos fuiſſe. Idem: *Maximus Brennus Gallorum Dux, Delphis Apollinis templum ingreſſus, Dei voluntatem ſe manus vertit.* Refert idem Liuius, *ſolum Elitonium cum manu Germanorum (fauente Belloueſo,) cum tranſcendiſſet Alpes, Gallorum veſtigia ſecutum, eo ſaltu vbi nunc Brixia atq; Verona ſunt, in Italiam veniſſe.* Præterea Iuſtinus ait: *Tuſcos à Gallis eiectos, auitis ſedibus amiſſis, Alpes occupauiſſe, & eorum Ducis nomine Rhæti, gentem Rhætiorum, condidiſſeque Gallos, Mediolanum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, & Vincentiam.* Sed ad Bergomum reuertamur, quam Plinius refert & Comum, & Liciniforum, ex Catone, & Cornelio Alexandro, Orobiorum ſtirpis, ſed originem eius gentis Cato ſe ignorare fatetur. Alexander vero eſſe e Græcia docet nominis interpretatione vitam in montibus degentibus. Ego relegi Catonis de originibus fragmentum, quod in manibus habeo, qui ait: *Qui cum Orobiis colonis, ibi primus inſedit, quorum origo incerta eſt, Comi, Bergomi, Licinifori, & aliquot circa populorum.* vocabulum ergo aduentitium quod non ſolum vnam, ſed linguas diuerſas recepit, incertum eſt. Alexandri idcirco argumentatione negata, de ortu incerto modeſtius locutum fuiſſe Catonem, commentator eius credit. Græce quidem *Oros* mons & *bios* victus ſiue viuens dicuntur, quaſi in mõtibus viuentibus. Verum non ſolum Græcum, ſed Orobium, Sagum, Arameum, vocabulũ eſt, quarum linguam idem commentator, Sagos, Lanigenas, vſos exiſtimat, apud quos & Hebræos Talmutiſtas, *Oros* etiam mons dicitur, *Bi* filius vel filia, hinc Orobii filii montis quẽ incolunt. Orobii ergo, Comenſes & Bergomenſes, conuenæ Tuſcorum Alpium incolæ, quod ſi tum Catoni vel etiam Alexandro credendum, nec Galli nec Germani Bergomum condiderunt, ſed conjiciendum erit, cum oppidum Orobiorum Barra interiſſet, vt Plinius ſcribit, nomine e[illegible] montis retento, Germanos Sueuos, Sennones, tunc ſub Brenno militantes Bergomum reſtituiſſe potius, & à verbo ſuo Germanico Vocabulo *Berg* eam Bergomum cognominauiſſe. Cæterum tuæ D. officium erit, ſi quid habes, vnde Brennus coniectura ſaltem Germanus comprobetur, me doceas, quod vt facias non ſolum efflagito, ſed diligentia ea qua poſſum, rogo. Vale & me tui obſequentiſſimum diiudicato, ex taberna noſtra libraria 4. Nonas Martii, Anno Chriſtianæ ſalutis M. D. V.

II. LI-

II.

LIBERTAS GERMANIÆ, QVA GERMANOS GALLIS, NEMINEM VERO GALLVM A CHRISTIANO NATALI, GERMANIS IMPERASSE, certiſſimis claſſicorum ſcriptorum teſtimoniis probatur.

HIERONYMO GEBVILERIO AVTORE, IN SINGVlare totius Germaniæ, & Alſatiæ præconium congeſta, Anno Domini M. D. XIX.

CAPVT I.

ORIGO FRANCORVM GERMANORVM, AC EORVNdem victoria in Germanos, & Gallos.

DVBIA, & Gordii nodis intricatior, iamdudum pleriſque vel doctis ſuboritur contentio, imperarint ne Galli vnquã Alſatis, Argentinenſibus, cæteriſq; Rheni accolis? Quibuſdam omnem Rheni tractum, imo totam ferme Germaniam, Thuringiam, Sueuiam, Saxoniam, & Bauarorum fines, Francorum Regibus audiuiſſe, pertinaciter cõtendentibus: Aliis vero, quaſi Germanicæ gloriæ id notam quandam inureret, Teutones & Alſatas Gallis nunquam fuiſſe ſubditos: verum Germanos vltra quinq; ſæcula ei genti & Reges, & Principes dediſſe, certiſſimis argumentis probare adnitentibus. Illis relictis, claſſicorum ſcriptorum teſtimonio conuictus, iis faciliùs ſubſcribo. Nam ſi Gallorum Regum (quos nunc ex vſu *Francigenas* dicimus) originem, & ſtemmata oculatius inſpexeris, Germanos, quos tunc communi vocabulo *Francos* appellabant, 550. annos Regio faſtigio Celtis præfuiſſe, clarius luce reperies. Sed ne fabulam dixiſſe videamur, à Francorum orientalium exordio negotium altius repetendum duximus.

Deſtructo iam Ilio, Troianorum reliquiæ patria orbatæ, nouas quærere colonias coactæ, pars Italiam petentes, Ænea duce, vrbi Romæ initia dedere: Alii ad Mæotidas paludes nauigio delati, ſubductis nauibus Sicambriam ciuitatem, à qua & *Sicambri* dicti, extruxerunt: vbi vſque ad Valentiniani Cæſaris tempora degentes, in magnum creuere populum. Qui vt cæteræ prouinciæ Romanis vectigales annuum cenſum exoluunt, donec Valentiniani iuſſu Alanos populos tunc Romanis rebellantes, ac tributum dare negantes, bellica virtute priſtino cenſuali iugo ſubdidiſſent. Qua victoria contra Alanos obtenta, Valentinianus Imperator Sycambris, Troiano ſanguine natis, in laborũ compenſam ad decennium tributarium onus remiſit. Vnde & *Franci*, hoc eſt, liberi, appellati fuerũt; etſi hoc nomen à quodam *Francone*, Hectoris, ſeu Priami filio ei genti inditum nonnulli adſtruant. Quo non ſoluendi cenſus decennio completo, Quirites decennali tributariæ libertati ſatisfactum eſſe contendentes, Francos de ſoluendo cenſu denuo ſollicitant, qui dulcedine conceſſæ immunitatis illecti, vectigale iugum omnino renuentes, ſe prorſus nihil daturos pertinaciſſime conſtituunt: alacriorem propoſiti ſui fiduciam capientes, quod Romanorum potentiam prouinciatim in occidente, ob Imperatorum ſegniciem iam torpeſcentem cernerent. Vnde conſilio inito, ad Iſtri fluminis ripas per Pannoniam irruentes, Germaniam copioſo milite inuadunt: complures ciuitates traiecto Danubio capiunt. Demum * Franconis vadum, clariſſimum Germaniæ emporium extruunt. Sunt qui Gratiano Imperatore nonnulla contra hos Germanis auxilio miſſa fuiſſe, ac propter Argentarium Galliæ oppidum, pernicioſam iis Francis cladem intuliſſe aſſerant. Alii Theodoſio Imperatori hanc pugnam adſcribunt: quod is Nantie & Quintino militum præfectis, Francos Germanos inuadentes, adoriri præceperit. In qua pugna cum ad Francos inclinaſſet victoria, tot cum Romanorum, tum Germanorum deſiderata fuiſſe milia, vt ex eo tempore Franci omnibus finitimis terrori eſſe cœperint, eoque faciliùs collimitias Germaniæ ac Galliæ regiones ſuæ ditioni ſubiecerint. Ordinatis igitur ducibus, quibus cæteri auſcultarent, Simone, Genebaudo, & Marcomiro, vtramq; Rheni ripam ſuo potentatui adiiciunt. Vnde magna Germanorum parte illorum iugo ſubiecta, qui prius *Germani* ſeu *Teutonici*, nunc per Francorum admixtionem *Franci* dicebantur: nomine profecto ei genti congruentiſſimo, quæ libertatem auro, & gemmis hodie præferens, tyrannidem morte duriorem iudicat: quocirca *Francus* & *Germanus* ſolo nomine, (cum res eadem ſit) diſcrepabant. Ea tempeſtate Tribotes, ſeu Alſatæ, ipſa quoque Argentinenſium clariſſima ciuitas, à Diui Iulii temporibus Romanis tributarii, Francorũ dominatui ac nomini ſeſe ſubiecerunt,

* *Francofurtum.*

runt. His finibus martialis Frācorum populus non contentus, principatum ſuum ampliorem reddere cupiens, Treuerim vrbem Belgarum, tunc quoque Romanis ſubiugam cuiuſdam Lucij patricii Romani (cuius vxorem Lucius Galliæ præſes ſtuprauerat) proditione cepit. Qua capta, cum anguſtiores ſedes haberent, proferre terminos ſtatuentes, trium & viginti milium copias, Hybro duce, in penitiorem Galliam tranſmittunt. Qui ad Sequanam vſq;, Pariſiorum Leuteciam circumfluentem, percurrentes, ea[illegible] animo quoq; obtinent. Vbi amœnitate loci, agrorum fertilitate, aeriſque ſalubritate permoti, & ad Se[illegible]e videlicet ripas ſubſiderunt. Erat autem ante hanc Francorum Germanorum irruptionem [illegible]ia Romanis etiam tributaria. Francis itaq; Germanis magnam & Galliæ, & Germaniæ portion[illegible] occupantibus, Marcomirum Ducem, cuius nunc meminimus, Francū Germanum, quem longa propagine à Troianorum rege Priamo ſatum, ſumma obſeruatione colebant, Principem, cui omnes obediant, conſtituunt: qui pręterquam vallo, & mœnibus vrbes cingere, præclari geſſit nihil. Huic erat filius corpore ac animo præſtans, cui Pharamundo nomen, quem patris conſilio Franci communem ſibi Regem, plenaria regendi poteſtate illi permiſſa, humanæ ſalutis anno quadringenteſimo eligunt. Quæ Francorum ſeu Germanorum progenies ad annos ferme quingentos quinquaginta Gallis Reges ſine vlla interruptione protulit. In duabus namque ſtirpibus, Merouęorum videlicet, & Carlingorum, vſque ad Hugonem Capetum perſtitit. Longe igitur hallucinantur, Gallorum quempiam Germaniæ Argentinenſibus, ſeu Alſatis, poſt Diui Iulii tempora imperaſſe credentes, cum certo certius Francos Germanos ad aliquot ſæcula Gallis dominatos fuiſſe probetur. Cuius rei veritatem, (ne fabulam recitaſſe videamur) clariorem fieri cupientes, Francorum Regum originem ac nomina à Pharamundo vſque ad Hugonem Capetum, quem Gallum fuiſſe aſſerunt, strictim oculis ſubiiciemus.

CAPVT II.

FRANCORVM GERMANORVM REGVM SEries à Pharamundo vſque ad Chilpericum.

PHaramundus Marcomiri Ducis filius, natione Germanus, primus (vt dixi) Francorum Rex conſtitutus, cum vndecim aňnis regnaſſet, vitam morte commutans, filium reliquit Clodium, cognomento Capillatum, ſeu Crinitum, qui patri hæres ſuccedens, augendi regni deſiderio, cum adhuc in Germania anguſtis finibus arctaretur, Thuringos ſibi finitimos ditioni ſuæ adiecit: occupato Tuiſchburgo oppido, quod Tuiſconis primi Teutonum Regis olim regia fuit. Vbi regni ſede conſtituta, Gallos poſtea inuadens, quatuor luſtris Francorum regni habenas moderatus, ſine liberis diem clauſit extremum. Quocirca Merouęus Princeps, & Francogermanus illi ſanguine coniunctior, regio diademate inſignitur, in cuius progenie faſces vſq; ad Pipini Puſilli tempora continuantur. Hic Merouęus etſi ab Hunis, Gallias tunc depopulantib. grauiſſima perpeſſus fuerit pericula: Etii tamen Patricii Romani præſidio in campis Cathaluniacis aduerſus Athilam Hunorum Regem feliciſſime pugnauit. In eo namq; prælio centum & octuaginta millia occubuiſſe traduntur. Horum Clodii & Merouei ductu, Francos Germanos Rhenum tranſgreſſos, Gallias occupaſſe, ac temporis progreſſu Francorum nomen tota Gallia auctum fuiſſe, Sabellicus teſtatur. Quare Merouęus pro genuina Germanici ſanguinis indole Regno commodiſſimus, decennio Principatus ſui completo, naturæ debito ſatisfaciens, vnicum filium Childericum regni reliquit hæredem. Qui à paternis moribus prima adoleſcentia degenerans, libidine ac adulterio apud ſuos penitus vileſcebat: maturiore tamē accedente ætatula lubricum & petulans ingenium bellica virtute permutans clariſſimis nobilitatus victoriis, Baſinam Thuringiæ regis vxorem (quæ inuito marito diſceſſerat) conſortem tori accipiēs, Clodoueum primū, non citra portentoſorum inſomniorum apparitionem ſuſcepit, qui ob corporis elegantiam Pulcer cognominatus, parenti ſuo poſt vigeſimum quartum adminiſtrati ſceptri annum fatis ſublato, hæres ſucceſſit. Hic vt egregia forma erat, ita & magnanimitate, præclariſq; moribus facile gratiam omnium ſibi comparans, ethnicus adhuc, Crotildim Burgundionum regis filiā Chriſto initiatam, coniugem duxit: cuius perſuaſu à Beato Remigio Remenſium Archiflamine ipſe quoq; luſtrali baptiſmatis vnda emaculatus, olei vaſculum, quo Francorum reges inunguntur, pannum item ſericeum, quē Auriflāmā dicunt, peculiare cōtra hoſtes Francorum præſidium; & tria lilia diuinitus cœlo ſibi demiſſa videre meruit. Quare iis donis ſuperne miſsis Gallia nihil glorietur, cum Germanorum Francorum regi Clodoueo hæc prærogatiua contigerit qui fidei lumine illuſtratus, in Diuinorum honorem templa erexit, quibus primaria Chriſtiparæ virginis Mariæ Argentinenſis ædes connumeratur, quam ligneam à ſui initio, non viuo marmore, vt nunc cernitur, extructam fuiſſe ait. Quo Clodoueo poſt trigeſimum optime adminiſtrati regni annum, morte ſublato, quatuor virilis ſtirpis ſuperſtitibus liberis, in Francorum regno Clotharium ſeu Lotharium primum habuit ſucceſſorem, cæteris tribus aliorum Principatuum gubernamine ac emolumento prouiſis. Lotharius patriæ virtutis imitator, quum quinquaginta ferme annos regio ſolio conſediſſet, naturæ ſatisfaciens, quatuor item maſculei ſexus relictis hæredibus, Chilpericum Francorum regno præfecit.

CAPVT III.

FRANCORVM GERMANORVM REGVM SERIES *ab Hilderico vſque Pippinum Puſillum.*

CHilpericus ſeu Hilbericus ſucceſſionis iure & Francorum regno potitus, inſidiis ac dolo Fridegundis vxoris ſuæ, adulterii nota diffamatæ, à venatu domum rediens crudeliter trucidatur, poſt viginti trium annorum regni ſui moderamen, Lothario ſecundo ex ſe genito regios faſces relinquens. Hic Lotharius martis, ac bellorum ſtudioſiſſimus, compluribus victoriis nobilitatus, conſortis regni impatiens, fratribus ſuis regia adminiſtratione vi repulſis, ſolus dominabatur. Tandem ex duarum vxorum connubio totidē filios ſuſcipiens, ex priore Berendruda Dagubertum Magnum, ex altera vero Richilde Haibertum genuit: mortuus anno regni ſui 44. Cuius regalis tyaræ Dagubertus ille magnus, legitimus hæres, primum Auſtraſiæ, hinc Burgundionum ac Francorum monarchiam adeptus eſt. Quem dum ſoli Auſtraſiæ regio moderamine præeſſet, Alſatiam crebrius, velut cæteris regiis ſuis gratiorem, inhabitaſſe legimus. Arcem præcipue Illenburgo oppido Rubeaquenſi adiacentem, extruxit & aliam prope Marlen, quam Troiam nouam dici voluit, vulgo Kircheym appellatam, cuius duntaxat diruta hodie videntur mœnia. Quo zelo diuinum cultum proſecutus fuerit, Benedicti ordinis diuerſa & in Germaniis & Galliis magnifice extructa cœnobia facile arguunt, quę annuis cenſibus, nemoribus, paſcuis, curtibus, ac decimis in Deo illic famulantium ſuſtentationem reddidit locupletiſſima. Teſtimonio ſunt Willenburgenſe, Sarburgenſe, Haſeloçenſe, Erdfordienſium Scotorum cœnobia, quorum nonnulla ſummi præſulis indulto, poſtpoſita cuculla, in ſecularis cleri collegia transmutata ſunt. Hic inſignem Argentinenſem Eccleſiam epiſcopali ſedis faſtigio ſublimans, redditibus, emolumentis, villarum, pagorum dominiis dotauit magnificentiſſimis. Tunc quoque præclara Argentinenſium ciuitas, Intemeratæ virgini Mariæ dono tradita creditur, ſub cuius numine, ſi digne colatur, periclitabitur nunquam. Francorum igitur Reges, ſi Epiſcopia ſeu cœnobia per Germanias erexiſſe legeris, tales non Gallos, verum Teutones, ac Germanorum Francorum reges extruxiſſe ſuſpiceris. Vſus eſt hic Dagubertus familiariſſime ſacerdotibus, ſanctimonia vitæ, ac doctrina celeberrimis, Amando, Arbogaſto, & Florentio, quos Argentinenſi Eccleſiæ paſtores præfecit. Tandem ſedecimo monarchiæ ſuæ anno ſpiritum exhalans, Diuorum rationario inſcriptus habetur. Quem filius Clodoueus ſecundus in Francorum regno ſecutus, ſedecim annis ſceptra gubernans, mortem oppetiit, regium diadema filio ſuo Lothario tertio commendans, qui nulla prole auctus, quarto ſui principatus anno extinctus, Theodoricum fratrem ſuū natu iuniorem habuit ſucceſſorem, cui vel ſine prole mortuo alius fratrum Childericus Auſtraſiæ rex Francorum regni hæres inſtituitur. Quē citra ſobolem è viuis excedentem, tertius fratrum Clodoueus in regio ſolio ſubſequitur, qui liberis carens, naturę debitum exoluens Childebertum regni Francorum habuit hæredem. Qui nihil clari gerens, regno exautoratus, vnicum filium, cui Daguberto ſecundo nomen erat, principatus ſui reliquit ſucceſſorem, quem eius ſtirpi vltimum regem fuiſſe aſſerunt. Præfati ſex vltimi Francorum reges, quanquam Germani, ac Germano ſanguine eſſent geniti, diuitiis tamen, voluptatibus, & ocio (quibus pręclaro ingenio pernicioſius nihil) ineſcati, omnem regni ſui adminiſtrationem Maioribus domus permittentes, ad id contemptus deuenere, vt totius populi ſollicitatione regale ſceptrum ab illorum, Merouęorum videlicet, gente penitus (vt ſequenti capite dicetur) ſublatum ſit.

CAPVT IV.

QVI MAIORES DOMVS DICEBANTVR, ET QVAlis fuerit ſub illis regum Francorum conditio, ac quo pacto, Merouęorum ſtirpe deficiente, Pippinus Puſillus Francorum regno primus ex Carlingorum ſtirpe potitus eſt.

M*aiores domus* appellabantur, quos ex nobilioribus regni primatibus, palatiique præfectis, ſeu cubiculariis eligebant, omnem liberam regni adminiſtrationem illis permittentes. Hinc principum permiſſione ac ignauia euenit, vt Regibus titulo tenus honoratis, vel nulla, vel modica eſſet imperandi poteſtas. Nam opes & regni potentia penes Maiores domus conſtitutæ, nihil reliqui fecere Principi quam vt regio tantum nomine contentus, crine profuſo, barbaque ſubmiſſa ſolio reſides, dominantis vultum præ ſe ferendo, legatos vndecunque venientes audiens, abeuntibus reſponſa, quæ vel ipſe doctus, vel iuſſus erat, veluti ſe ipſo autore redderet. Siquidē pręter inutile regis nomen, ac precarium vitæ ſtipendium, quæ præfecti aulæ miniſterio exhibebantur, nihil aliud poſſidebat præter perexigui reditus villam, qua & domum, & pauciſſima obſequia famulitio habebat præſentia. In regiam quod *palatium* dicitur, ſemel duntaxat in anno, Calendis videl. Maii admiſſus, congregato illic populo videndus producebatur, mox in villam ſuam redire iuſſus, inertia torpebat. Regni etenim gubernacula, & omnia, quæ vel foris, vel domi agenda, ſeu diſponenda erant, Præfectus aulæ, Maior, inquam, domus procurabat. Quo honore Pippinus Puſillus hæreditario iure ſub Hilderico in Auſtraſia, & demum ſub Theodorico in Francorum regno functus, deſidia, torpore, ac octo regum attentis, totius populi conſenſu, Zachariā primum tunc Romanę Eccleſiæ antiſtitem literis conſuluit, vter illorum regio faſtigio dignior habendus, ſine qui regio nomine gaudens, nec cōſilio,

neque opera ſubditis quicquam prodeſſet, aut qui omnem regni adminiſtrationem occupans, præter maieſtatis nomen, & pacis & belli conficiundi plenarium ius poſſideret? Zacharias hunc potius regem habendum decreuit, penes quem ſumma regiæ adminiſtrationis citra nomen cõſtitueretur. Quare Childerico detonſo, ac monaſterii clauſura ſepto, Pippinus Puſillus in Francorum regno ex Carlingorum ſtirpe primus Rex eligitur, quem ex nobiliſſima Francorum Germanorum ſtemmate ortum traxiſſe ſequenti capite deducemus.

CAPVT V.

DE STIRPE ET ORIGINE PIPPINI PVſilli, & Caroli Magni.

LOthario primo Francorum regno præſidente, Anſbertus vir nobilis Francogermanus, diuitiis ac virtute in Auſtraſiæ finibus celebris, præfati regis filiam, Blydilt nomine, vxorem ducens, tres filios & vnam filiam genuit, quorum Arnoldus iuuentutis annos adeptus, coniuge accepta, Arnolphum poſtea Metenſem epiſcopum procreat, qui adultior factus, & pubertatis annos egreſſus, maritali capiſtro frenatus tres filios propagauit. Tandem thori delicias pertæſus, mundo renuncians, eremi receſſu carnis & mundi illecebras peruigilio, ieiuniis, ac perpetua corporis flagellatione domitans, in Mediomatricum prçſulem, electus ſanctimonia vitæ & doctrina cõmiſſum gregem vberrime paſcens, mortuus cœlitum albo inſcribitur. Cuius filius Anchiſus ex Begga vxore Pippinũ Maiorem ſeu Groſſum generat, virum ob excellentem audaciam, prudentiam, ac conſilium, Dagubertο Magno gratiſſimum, ac Maioris domus honore eo nomine ſublimatum. Huic Pippino duos fuiſſe filios nonnulli aſſerunt, Carolomanum & Carolũ Marcellum, Marcellus ferrea & robuſta natura homo, defuncti parentis præfecturæ palatii honorem, compluribus etiam cruentoſis prælus, candidatos & competitores retundendo, forti manu obtinuit. Longe lateq; bellando gentis gloriã auxit, Saxones, Sueuos, & Alemannos Francis rebelles vicit. Saracenis Pictauorum fines irruentibus, cum Eudone occurrens Principe, nõ citra funeſtiſſimam cædem hoſtes profligauit, eo quippe prælio trecenta & ſeptuaginta Saracenorum millia deſiderata ſunt: ex Francis mille duntaxat & quingentis occiſis. Hic Marcellus cum Francorum rem per annos viginti quinq; fœliciter adminſtraſſet, obita morte in diui Dionyſii templo conditus eſt, ante tamen liberis diſtributo imperio. Carolomano conceſſit Auſtraſiam, Sueuiam, Alemanniam, & Lotharingiam: Pippinum Gallis præfecit, Gryphonem natu minimum teſtamento præteriit: quocirca fratribus maximum bellum, Saxones in eo ſollicitando, Grypho intulit. Quibus marte contritis, Carolomanus gloria fortiter ac præclare geſtarum rerum ſatiatus, ſeceſſit in cœnobium ad Soracte: quod & ipſe conſtruxerat: religioni ac diuino cultui mãcipatus, omni rerum cura Pippino Puſillo fratri relicta. Pippinus Puſillus, Francorũ regno maior domus, in patris locum conſtitutus, Imperii ſui limites paterno more amplians, hoſteſq; ſingulos victorioſiſſime conterens, viſa Francorum regum, qui ex Merouea gente deſcenderant, inertia Samuelem quendam olim cucullatum, ac in Daguberti ſecundi demortui locum mutato nomine à regni proceribus regio ſolio intruſum & Chilbericum appellatum, pontificis Zachariæ (vt diximus) decreto totius cleri, ac populi conſenſu deiicieos, & ad monaſterij clauſuram denuo tonſum redire compellens, regio inſignitus diademate à diuo Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo, vnctione (vt moris eſt) conſecratus: hinc tranſcenſis Alpibus laboranti Stephano Romano pontifici cõtra Longobardos opem ferens nauantiſſimam, primus Francorum regum *Chriſtianiſſimi* cognomentũ adeptus eſt. Tantum prçter ea ſingularis prudentiæ Germani huic ſuo Pippino tribuere, vt ſagaciſſimum ac ſolertiſſimum quenq; nunc etiam *Pippinum*, Teutonice *Künig Pipis* appellent. Quem procul dubio Germanum fuiſſe genus indicat, atq; patre Teutonico Carolum Magnum editum, fideliſſimi ſcriptores in literis retulerunt. Tandem 17. regni ſui anno vita functus, duos principatuum ſuorum legitimos habuit ſucceſſores Carolomannum & Carolum Magnum, qui ambo reges procerum decreto deſignati, ſed paucis exinde diebus Carolomanni fabula vitç exacta, ſumma rerum ad fratrem Carolum relata eſt.

CAPVT VI.

DE CAROLO MAGNO, IMPERIIQVE IN eum à Græcis tranſlatione.

CArolum ex magnifice rerum geſtarum ſuperabundantia Magni cognomine decoratum, Germano patre Pippino inter Germanos in regio palatio Ingelnheym duobus à Moguntia ciuitate miliaribus diſtante genitum, Lupoldus *de imperij iuri. c. 5.* teſtatur. Hic à Stephano Papa in Francorum regem Pariſii conſecratus. Adriano pontifice maximo per legatos implorante copias in Italiam duxit: Deſiderii vltimi Longobardorum regis, in pontificem tumultus reprimens, omni bellica virtute deſtitutum, tandem in deditionem coegit. Hinc tota ferme ſubiugata Italia, Romam petit, Reſurrectionis feſtum cum pontifice celebraturus. Platina in Adriani pontificis vita, *Franconiam* Caroli Magni natale ſolum fuiſſe aſſerit, quocirca eos Teutones nemo dubitabit. Vrbanus item Papa ſecundus in concilio Claremontenſi hunc Carolum Magnum Germanum fuiſſe commemorauit, cui Æneas Syluius in Europa ſua adſtipulatur; *Carolus* (inquiens) *quamuis Galliæ potiretur imperio,*

Germanus

Germanus tamen fuit, in Germania natus alituſq́, cuius ſedes plerunq́, Aquiſgrani fuit, quæ ciuitas Teutonica eſt. Leone præterea tertio impie verberibus affecto, ac pontificio pallio ſpoliato, Carolus indignitate rei permotus, Romam cum maximo exercitu reuertitur, Leoni ſedem, & honorem reſtituit. Quare ipſi de Eccleſia meritiſſimo, pontifex aliquam gratiam relaturus, cum videret Imperatores Conſtantinopolitanos ægre id nomen tueri, & eo nomine vrbem Romam, ac totam Italiam multis torqueri calamitatib. Populi Romani ſcito & precibus, vniuerſi cleri conſenſu, in diui Petri Baſilica ipſum Carolum Stentorea voce Imperatorem decernens, imperiali diademate donat, ter acclamãte Pop. Rom *Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, vita & victoria.* Hinc ab Italia ſoluens, ad Francos repetebat: Saxones Chriſtianæ pietatis hoſtes manu forti debellans, Hiſpanos tũc fidei lumine carentes vltimos deuicit, cuius ſingularem pietatis zelum, magnifica ipſius expenſis extructa cœnobia, complurium item Eccleſiarum donationes magnificentiſſimæ liquido cõprobant, præcipue nobiliſſimum Chriſtiparæ parthenices templum Aquiſgrani extructum. Quo theſauris auri & argenti, diuorum quoq; reliquiis liberaliſſime locupletato, mortuus ſepeleri voluit. Nec in huius Caroli perſonam duntaxat imperium à Græcis tranſlatum arbitremur, verũ & in Caroli Teutonicam poſteritatem, ac eo deficiente in ſolos Germanos, quod Franci Germani oppreſſam Eccleſiam, non citra ſanguinis ſui profuſionem crebrius erexit. Quocirca nemo Gallus Imperii Romani faſces vnquam poſſedit. Tibi igitur haud parum gratuleris inclyta Germania, martialium virorum fœcundiſſima, tot clariſſimis Illuſtrium, ac generoſum Principum & Comitum ſtemmatibus refertiſſima, e quibus vacanti Cæſareæ ſedi prudentem & paciferum Auguſtum, largiloqua Gallorum gente procul repulſa, præficias: ne quæ cæteris hactenus imperaueris, quamuis exteræ nationes cum tremore quodam ſuſpexerint, extorri quopiam, non Germano ſanguine progenito, hoc inſigni adornato, veluti mancipium ſeruire cogaris. Sed ad Caroli heroica geſta reuertamur, quæ tot, tantaq; fuiſſe fido teſtimonio percepimus, vt hunc Germanorum *Numam*, Herculem, ac Hectora merito appellemus. Quorum legendorum deſiderio ſi quiſquam capiatur, Turpinum, & alios hiſtoricos reuoluat, hac in re exactiſſimos. Exuit hominem Carolus ſeptuageſimo ſecundo ætatis ſuæ anno, regni quadrageſimo ſecundo, Imperii Romani decimo quarto, Salutis vero humanæ octingenteſimo, & quinto decimo: Ludouico Pio regni & Imperii ipſius potiente.

CAPVT VII.

DE LVDOVICO PIO, CAROLI FILIO, LOTHARIO, Carolo Caluo, & Ludouico Bauarorum rege primo, & Ludouico ſecundo Lotharij filio.

LVdouicus à clementia morum, & religione Pii cognomentum adeptus, etſi multa præclara liberaliter, & ſancte geſſerit: haud tamen ad eandem vitæ amuſſim filios traducere potuit, ſingulare inconſtantis & lubricæ fortunæ ludibrium. Nam ſub patris mortem ab Aquitania Aquiſgranũ contendens, diuerſarum gentium legationibus auditis, concilium ibidem congregans, Epiſcopos nouarum rerum autores, mitius cum eis agendo, cœnobiis incluſos vita donauit. Tandem à filiis captus, tanquam in Carolum natu iuniorem propenſior eſſet, Imperium eiurare cogitur. Sunt qui prodigalitatem illius in cauſa fuiſſe dicunt. Alii Iudith vxoris ſuæ impudiciſſimæ adulterium incuſant. Quicunq; igitur nouercantis fortunæ inſultu concuteris, huius regis calamitate attenta, patientiæ facilius ſtudebis: quem maximum Imperatorem & regem omni virtute nobilitatum, cum cõiugis adulterium, tum filiorum ſumma impietas immodice ſugillauit. Verum quod ignis auro, id tribulatio præſtat viro iuſto. Virtus etenim in infirmitate perficitur. Eueniunt item plerunq; maximi æſtus, vt gratior ſubſequens habeatur ſerenitas. Tandem tumultuante optimo quoq; Ludouicus à filiis facti pœnitentibus, è cuſtodia liber dimiſſus, honori & autoritati reſtituitur. Quibus non multo poſt functus, partito prius filiis imperio & regno, anno imperii 27. Moguntiæ vita migrauit, Metis ſepultus, cuius mortẽ ſolis deliquium, ac cometes præceſſiſſe dicitur. Tres ſuperſtites liberi huic Ludouico fuere, Lotharius natu maximus, quem viuẽs adhuc pater, Imperii ſocium ſibi deligens, præter Italiæ & Romanum Regnum ea Auſtraſiæ regni portione, quæ Moſæ ac Voſago interiacet, potitur, quã à ſuo nomine Lotharingiam vocauit. Carolus natu minimus à Moſa flumine vſq; ad mare Gallicũ Francigenis imperat: Ludouico tota Germania, Sueuia ſcilicet, Bauaria, Carinthia, Styria, Auſtria, Carniola, Miſnia, Thuringia, Haſſia, Morauia, Bulgaria, Saxonia, & Selandia, vſq; ad mare Librzenſe hæreditati ceſſerunt. Neue vllus ipſorum regio titulo careret, conuentum eſt inter eos, vt Lotharius Romanorum Imperator, & Carolus Francorum Rex, Ludouicus vero Germanorum, ſeu Bauarorum Rex diceretur: item quod poſthac futuris temporibus, qui Galliæ Celticæ dominaretur, Francorum regio nomine gauderet. Ad eam quippe ætatem ſoli *Francorum*, id eſt, Teutonicorum ac Germanorum reges eo titulo gloriabantur, quod *Francorum* & *Germanorum* voculæ re ipſa nil diſcordabant, iidem enim *Germani* qui & *Franci* Celtæ præterea ſi exactius intueri voluerimus, non *Franci*, ſed & *Francigenæ* nominentur. Vnde legentes Sigebertum Francorum regem diui Galli monaſterium erexiſſe, Gallum quendam id egiſſe arbitrantur, cum tamen is Germanus, & Germanorum Francorum rex fuerit. Ludouicus primus & vltimus rex Bauarorum, nulla prole auctus moriens, Lotharium regni ſui inſtituit hæredem, qui in complures Principatus, Marchionatus, Langrauiatus, & Comitatus eas terras (vt hodie cernitur) diuidens, diuortio ab vxore ſua Himel-

garde in pago Erſtein ſepulta ſeparatus, monachali habitu, tædio rerum aduerſarum (vt opinantur) affectus, diem clauſit extremum. Ludouicus II. Imp. Lotharii filius viuenti patri conſors regni, imperiique efficitur. quare defuncto genitore cum fratre ſuo Lothario, cui ex patris teſtamento Auſtraſiæ pars, quæ *Lotharingia* dicitur, obediebat, imperii gubernacula adminiſtrantes, quum ſine liberis diſcederent, Carolum Caluum patruum, Francorum regem habuere imperii ſucceſſorem.

CAPVT VIII.

DE CAROLO CALVO IMPERATORE, LVDOVICI CALVI FILIO, BALBI cognomento, Ludouico Nilfaciente, ac Carlone, Carolo Groſſo Imperatore, Carolo Simplice, Ludouico ſine prole, illius filio, Lothario, & Ludouico Francorum regibus.

LVdouico ſecundo mortuo, ſumma Imperii ad Carolum Francorum regem, minimum Ludouici Pii natum, redierat, quanquam Ludouici Bauarorum quondam regis filij, hunc bello laceſſentes, ſibi Imperium vendicare conarentur. Quibus contritis, Carolus Caluus à Ioanne Pontifice coronatus, veneno à Sedechia medico Iudaici ſanguinis dato, obiit anno regni Francorũ 34. Nobilitatur hic Carolus multorũ exſtructione monaſteriorũ, quæ in diuini cultus augmentum ſparſim in Galliis & Italia ſumptuoſe erigi curauerit. Ludouicus Calui filius, patre fatis ſublato, Francorũ regni habenas obtinuit, qui Balbus à linguæ impedimento dictus eſt. Is apud Cõpendium naturæ cõcedens anno ſalutis 888. relictis duobus filiis, Ludouico Nilfaciente, & Carlone, quos ex honeſta puella, ſed non ex iuſto matrimonio ſuſceperat. Huius Ludouici interitum ſecuta eſt varia Francorũ ſeu Francigenarum mutatio, tumultuantibus hinc atq; illinc diuerſarum partium ſtudioſis. Ludouicus etenim & Carlon Ambiani conuenientes, paternum regnum inter ſe partiuntur: Ludouico Francorum regnum cum omni Neuſtria, Carloni Burgundia cum Aquitania conceſſa eſt. Ludouicus poſt aliquot bella Turonis morbo correptus, ſine liberis moriens, fratrem Carlonem regni habuit ſucceſſorem. Quo regnante Normanni ex Germaniis Campaniam inuadunt, multis vrbibus ac templis direptis ac incenſis. Quibus incommodis indignatus Carolus Imperator eius nominis tertius, cognomento Craſſus aduerſus hos barbaros & Chriſtiani nominis hoſtes, ex Warmatia, vbi palatium regium habebat, inſurgit, & egregio nixu prælians, Normannos ſternit, occidit, fugatq;. Carlone ab humanis exempto filius eius Ludouicus paternum decus accepit, hunc ab inertia, Nihilfacientem appellabant. Nulla.n. re inſignior habitus eſt, quam quod veſtalem virginem, cuius amore deperiebat, e cœnobio quodam abductam, vxorem accepit. Cuius inertiſſimi regis ætate, Normanni denuo Franciam crudeliter inuadunt. quæ cauſa fuit pleriſq; ſacerdotibus, & viris religioſis oratoria ſua relinquendi, & alio transferendi. Hoc Ludouico mortuo Carolus Simplex regio Francorum diademate inſignitur, quem nonnulli iam dicti Ludouici filium fuiſſe aſſerunt: alii ex Ludouico Balbo genitum affirmant, qui quum ſine fuco & fallaciis viueret, Simplicis cognomẽtum meruit. Hic Alginam, Anglorum regis filiam, vxorem ducẽs, ex ea Ludouicum ſuſcepit. A Rollone Normanno Deorum cultore, bello laceſſitus obtulit ei Stiliæ filiæ matrimonium ea cõditione, vt ab armis diſcederet, & dogma Chriſtianum ſuſciperet. Accepit Rollo conditiones pacis, & in dotem Neuſtriam, quę mox à Normannis colonis, *Normannia* dicta eſt. Francorum regno tot, tamque atrocibus incurſionibus deſolato, Proceres regni regis inertiam, ac puſillanimitatẽ accuſantes ac ab eo deficientes, quaſi regem non haberent, de alio eligẽdo conſulunt. Eligitur Radolphus Burgundiæ Ducis filius. Carolus ſimplex ab Heberto in vincula conijcitur. Ludouico Caroli Simplicis filio, cum Algina matre, ad Anglos confugientibus, Carolus Simplex in carcere moritur. Radolpho item, poſtquam duodecim annos regnaſſet, è vita migrante, Franci Ludouicum, Caroli Simplicis filium, ad regni gubernacula reuocant, redeuntem regiis faſcibus adornant. Qui Otthonis Rom. Imp. primi eius nominis, filiam vxorem ducens, duos ex ea ſuſcipiendo liberos, Lotharium & Carolum variis bellorum agitatus procellis, raro proſperã fortunam ſentiens, Remis extremum diẽ clauſit, anno ſalutis humanæ 960. ſuperſtitibus quibus dixi filiis. Quorum Carolus priuatam vitam Bruxellis egit. Lotharius, qui nihil illa perſona dignum geſſit, niſi quod contra Normannos, & Othonẽ auum profectus reduxit exercitum parum decore. moritur nulla prole auctus, ac Remis in eadẽ æde, qua pater, ſepelitur. Robertus Gaguinus Lothario filium fuiſſe, Ludouicum nomine, adſtruxit, patrique in regno ſucceſſiſſe, breui tamen ſine liberis mortuum. Quocirca Carolus iam dicti Lotharii frater regni gubernacula, tanquam legitimus hæres, recuperare tentauit, ſed ab Hugone Capeto cuſtodię mancipatus, propoſito fruſtratur, nec aliquis poſt Lotharium ex Carlingorum ſtirpe, regio Francorum ſceptro admittitur: Hugone Abbate, cum cæteris Regni Proceribus, in nobilium Francorum Germanorum ſtirpem, quæ ad annos ferme quingentos & ſeptuaginta bellicoſiſſimos, ac victorioſos, diuini honoris cælatores Reges & Principes Gallos ediderat, conſpirantibus. Hic Hugo animi magnitudine, & rebus potens, & natione Gallus (quem Pariſiorum Comitem fuiſſe aiunt) quũ nemo conatus ſuos reprimeret, animo tumens, vt peculiare Gallorum ingenium eſt, vi atq; armis regni ſe diademate inſigniri extorſit: primus Francorũ regum natione Gallus. Quotquot. n. hunc præceſſerunt, ex Francorũ Germanorũ ſtirpe originẽ, veluti diximus, traxere. Hunc Hugonẽ quidã Abbatẽ cognominarunt, ꝙ cũ Roberto Pariſiorũ Comite, primus relicta monachis & ſanctimonialib. prædia, prouentuſq; occupauerint, ea ſibi, ſuiſq; militib. attribuẽtes, ſeq; Abbates appellãtes, atq; impartientes

tientes monachis prout volebant, adhibito victus ac veſtitus moderamine. Quod ingeniũ in Gallis quibuſdam nec hodie deeſſe audiuimus, cum aureis & argenteis Diuorum ſtatuis, calicibus, cęteris præterea precioſis vaſis, ſacro vſui deputatis belli tempore parcatur nuſquam, omnia in æs conflantur, quo martialis populi ſtipendiis ſatisfiat. Abſit procul hæc tyrannis ab inclyta Germanorum natione, quorum inuictiſſimi Imperatores, ac reges, Dei cultum potius augere, quam diminuere ſatagentes, magnificentia, pietate, clementia, æquitate, ac fortitudine Romanum Imperium à Græcis tranſlatum, poſthac perpetuo habere meruerunt. Quod ſuæ ditioni nemo Gallus armis, auro, ſeu fauore adipiſci confidat. Sit Galliarum Rex ſuis limitibus contentus, ne plus æquo petenti, quemadmodum Æſopino cani contigerat, quod habuerat, auferatur. Liberum namque & ferox Germanorum ingenium ſeruitutis impatiens, Regiam Gallorum tyrannidem ſuſtineret nunquam.

CAPVT IX.

TESTIMONIA PRO SVPRADICTORVM *approbatione.*

SED ne Siculis gerris, aut Perſicis nugis vaniora ſcripſiſſe videamur, dictorum noſtrorum teſtes citabimus haud repellendos. Fauet in primis ſententiæ noſtræ Lupoldus in eo, quem *de Imperij iuribus* ſcripſit, libello, Francorum reges Germanos fuiſſe, teſtimoniis perſuadens luculentiſſimis. Nec deſunt opinioni noſtræ Euſebius, Rhegino Abbas Godefridus, Francorum Annales, Platina, Sabellicus, Robertus Gaguinus, & quotquot Francorum Germanorum meminere. Firmiſſimo demum munimento nobis futurus Chriſtianus ille Maro Mantuanus Baptiſta, quem Cyclopædiã abſoluiſſe nemo dubitat, cui quoque nihil non hiſtoriarum perfectiſſimum fuiſſe liquido conſtat, qui in Diui Dionyſij vita de Francorum Germanis Regibus ita cecinit:

Poſtquam Roma diu Gallos poſſederit, arma
In noua iurabunt Franci, Germanica proles,
Si genus inſpiciat hominum, Troiana propago:
Regnaq; tranſmiſſo venient in Gallica Rheno.
Hos inter regale decus Pharamundus habebit
Primus, & hinc veniet ſeries longiſſima rerum.
Quintus ab hoc Clodoueus erit, qui falſa relinquens
Numina, noſtrates primus libabit ad aras.
Hic erit ille, Deus cœli cui mittet ab alto
Carulei breue vas olei, quo tempora regum
Gallia profundat, pater hoc dignabitur illos
Munere præ reliquis venturi regibus æui.
Quartus ab hoc magna tibi relligione ſuperbum
Ponet opus, nomen regi Dagabertus. & amplis
Sumptibus educet cœlo ſublimia templa.
O quantos olim, qualeſq; habitura triumphos
Iſta ſub Imperio Chriſti Germanica proles,
Semper clara quidem ſed tum clariſſima, quando
Regia Pippinus ſumens inſignia, priſcos
Excludet regni Ephoros. & liber habenas
Pacis & armorum plena ditione tenebit.
Carolus hinc cui maieſtas non regia ſolum,
Sed titulus auguſta nouus, cui nomine Magno
Maior erit virtus cui ſumma potentia, & ingens
Relligio, qui res hominum clementer, & æqua
Lance gubernabit.

Et reliqua carmina, quæ in Caroli Magni laudem eadem pagina ſcribuntur, ſedulus lector requirat. Libro item tertio eiuſdem carminis Hugonem Capetum Gallorum ſtirpe creandum, electum iri prædicit:

Sed tamen hac regum ſeries inſecta redibit
Ad Gallos tandem, cum ſceptra receperit Hugo,
Non genus à Francis ducens, ſed origine Gallus,
Illuc vſque dabit tellus Germanica reges.

Quid hoc carmine propoſito noſtro accommodatius? quo manifeſtario omnes Francorum reges vſque ad Hugonem Capetum Germani fuiſſe perhibentur! Nec ſuſpitionis alicuius Mantuanum facile argues, cum Italus Gallo & Germano æque faueat, nudæ veritatis aſſertor.

CAPVT X.

ENCOMIVM SACRÆ ROM. REGIÆ, AC CATHOLICÆ *Maieſtatis, illuſtriumque Romani Imperij Principum Electorum.*

QVIS igitur tam ſecors, adeoque conſilij inops, qui Illuſtres & Nobiliſſimos ſacri Romani Imperij Electores, non habere aurum, ſed habentibus imperare petentes, Germanæ libertatis amantiſſimos, ea vel impudentia, temeritate, aut conſideratione arbitretur, vt vllis pollicitationibus, pecuniis, aut fauore corrupti, iuriſiurandi ſacramento poſthabito, quempiam Gallum ſuffragiis ſuis vacanti præficiant imperio? Genuinum certe Alemannorum in Gallos odium vehementius renititur. Nobilis inſuper Germania, multo cruore iampridem aſſertæ libertati aſſueta, ſeruile Gallorum iugum ſubiſſet nequaquam. Quantam etenim crudelitatem hæc Gallorum gens in victos exerceat, Alſatia olim ſub Ludouico Delphino experta, obliuiſcetur nunquam. Qua inſuper iniuria victores Galli victos afficiant, multi Germanorum ſub eius gentis ſtipendio militantium perdidicere. Sunt prætetea Germanis Illuſtriſſimæ, ac Generoſæ domus Principum, ac Comitum fœcũdiſſimæ, è quibus Romani regni vacantis Regem deligere queant, quas & prioribus ſæculis Auguſtos non pœnitendos dediſſe, Germanorum ephemerides indicant. Quis Archiducalem Auſtriacorum Principum ſobolem hac maieſtate indignam cenſebit? quæ à Rudolpho ex Comitibus de Habſpurg, eius familiæ primo Romanorum Rege non paucos Teutonibus auguſtiſſimos & Imperatores & Reges proferens,

ferens, diuum quoque Maximilianum nuper, non citra totius Germaniæ ſingularem luctum, terris ereptum, ad triginta ferme tres annos Romani ſceptri gubernatorem enixa eſt: cuius obitum grauius ferendum cenſeremus, ni Illuſtrium Principum ſacri Romani Imperii Electorum Germanæ Reip. optime conſulentium, ſolerti prudentia & integritate, diuino inſpirante numine, potentiſſimũ dominum Carolum Archiducem Auſtrię, &c. dum hæc ſcriberemus, in aui paterni regium decus electum, accepiſſemus, cuius regnorum, potẽtatuum amplitudini nemo Chriſtianus Rex confeратur. Quem toto Chriſtiano orbe pacato, & Romanæ Eccleſiæ monſtroſo ſtatum in melius reformato, ferociſſimam immanium Turcarum gentem oppreſſurum, ac Chriſtianæ religionis ſuauiſſimo iugo facile ſubditurum dubitamus minime: modo nec veneno, nec alio quouis morbo immatura morte (quod Dii prohibeant) inimicorum inſidiis hominem exuat. Cui procul dubio Caroli Magni veſtigiis innixuro, totus orbis olim acclamabit: *Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & victoria*, cuius Romani regni ſolium ſublimationi nemo Germanorum non congratulatur, quod ab auita probitate ipſum nequaquam degeneraturum ſperemus. Magno itaq; præconio ſacri Romani Imperii, Illuſtrium Principum Electorum adamantina fidei integritas toto orbe extollatur, qui ambientis Gallorum regis, auro, & pollicitationibus poſthabitis, Germanæ libertatis memores, Teutonici ſanguinis Principem, Romano (vt decuit) prælecerunt Imperio, cuius nutu, auſpiciis, & remigio Chriſtianæ Eccleſiæ, iam aliquot annis variorum fluctuum procellis agitatę, tutiſſimo nunc portu ſuccurſum iri nihil hæſitamus.

CAPVT XI.

NANTVANTES, HELVETIOS, RAVRACOS, TRIBOTES SEV ALSATAS, *Nemetes, Vangiones, Moguntiacos, ac Vbios, non Gallos, ſed vere Germanos eſſe.*

NON deerunt ſcio Germaniæ maſtiges, naſum Rhinocerotis in morem torquentes, cur Gallos Reges tam procul à Romani Regni faſcibus abigendos clamitemus oblatraturi: primatus triũ Archiflaminum ſacri Romani Imperii Electorum ſedibus: Nantuantibus item, Heluetiis, Rauricibus, Tribochiis, Nemetibus, Vangionibus, Moguntiacis, & Vbiis ſatis ampla Romanæ ditionis portione Galliarum nomini ſubiectis. Indignum quippe videri, Gallum Regem vſq; adeo à Gallis contemni. Quorum frigidiuſcula argumenta, probatiſſimorum ſcriptorum teſtimoniis circũſepti, facile diluentes, præfatos Moguntiacos, Vbios & cæteros non Gallos, imo vere Germanos eſſe oſtendemus, quando omnes Germanica lingua vtentes ſemper Germanos fuiſſe apertiſſime indicat Agathius, aſſerens illos Galliarum maximam poſſediſſe partem, non propriam, ſed vi, & in poſterum occupatam. Tranſtulerunt igitur Teutones Galliam in Germaniam, partim ſubmotis, partim occiſis habitatoribus, quod diuus quoq; Hieron. in epiſtola ad Gerontiam iis verbis teſtatur: *Remorum*, inquiens, *vrbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremiq; hominũ Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, tranſlati ſunt in Germaniã*. Adſtipulatur diuo Hieron. Eutropius, qui *Atrebates, Ambianos, Menapios, Veromãduos, Conduenſes, Eburones ſuo æuo Germanos fuiſſe* affirmans, *Auguſtum quadringentas captiuorum Chiliades ex Germania tranſtuliſſe, & ſupra ripam Rheni in Gallia collocaſſe* teſtatur. Cui rei maiorem fidem cõciliauit, quæ in ſecundo belli Gallici libro Cæſar in literas retulit: *Germanos*, dicens, *cis Rhenum Belgis vicinos, & pleroſq; Belgas ortos eſſe à Germanis. Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſq; qui ea loca incolerẽt, expuliſſe*. Subſcribit opinioni noſtræ Strabo quarto Geographiæ ſuæ libro: *Tribochi*, inquiens, *natione Germani, relicto natali ſolo Rhenoq; traiecto ſedes poſuerũt*. Imperator præterea Agrippinenſes, qui & Vbii, in Germania inferiori dicit Italici iuris eſſe, vt eſt apud Iuriſconſultos. *l. 1. ff. de cenſibus*. Ammianus item Marcellinus Coloniam Agrippinam ampli nominis vrbem eſſe in Germania refert. Hoc item de Treueri, quam *domicilium principum* appellat. Inſuper & in prima Germania, pręter alia municipia Moguntiacos, Vangiones, Nemetes, & Argentoracos locat. Denium Cornelius Tacitus *de ſitu Germaniæ*, Tribotes, qui & Alſatæ, Germanis interſerit, quibus Nemetes, hodie Spirenſes, Vangiones, hodie Wormacienſes, Vbios quoque, nunc Colonienſes, annectit. Quod ſi minus apud quoſdam verba mea habuerint locum, doctiſſimorum ac integerrimorum virorum Iacobi Wimpfelingij præceptoris noſtri *Germaniam*, *Sermones* item *conuiuales de mirandis Germaniæ antiquitatibus* Conradi Peutingerij pellegant, procul dubio, niſi deſipiant, ſcriptis noſtris aſſentient.

CAPVT XII.

VNDE PRIMVM GALLIA DICTA: GERMANOS *quoque Gallorum nomine olim comprehenſos fuiſſe.*

NON neſcimus veteres Romanos, communi Gallorum nomine, cum Germanos tum Gallos compræhendiſſe, ad Galatæ regis dominatum fortaſſe reſpicientes quem Hercules Ægyptius aliquot ſæculis ante Troianum excidium bello aduerſus Gerionem moto, in Celticam veniens Aleſia ciuitate ibidem condita, genuit, qui Galatæ adultior iam factus coæuos ſuos tam animi virtute, quam viribus excedens, virilem ætatem ingreſſus, paterno regno ſuſcepto plures, propinquas oras ſibi ſubdidit, ſicq; præclaris rebus geſtis, omnes à ſuo nomine *Galatas* appellauit. Vnde & omnis ea regio illi ſubiecta, *Galatia* dicta eſt, quam Romani figurate, at ſyllaba intercepta, *Galliam* dixere. Teſtis eſt Diodrus Siculus *lib. 6.* vbi & magnos fluuios per Galatiam, id eſt, Galliam labentes enumerãs,

nominatim

nominatim Danubii ac Rheni meminit, quaſi in Galatiam profluentium. Huius Galatarum Regis Beroſus quoq; in *libr.* 15. mentionem facit. Herodotus præterea *Danubium in Celtis oriri* ſcribit, quem tamen ex ſupremis Herciniæ ſyluæ montibus deriuari conſtat, quod Græci *Celtarum* vocabulo germanos & gallos indiſcriminatim nominauerint, quæ tamen contra nos contorta iacula, vt minus valida, reiicimus, quod in noſtris lucubratiunculis, vetuſta & abolita illa *Galliarum* appellatione reiecta, de ea duntaxat loquamur, quæ Rheno flumine cæteriſque limitibus à Diuo Iulio præſcriptis contenta, germaniam à ſe diſcretam habens, in tres partes, Aquitaniam videlicet, Celticam, & Belgicam ſecatur, pro vulgi opinione, quotquot Gallias inhabitant, ac illorum duntaxat lingua vtuntur, Gallos appellando, quorum neminem Germanis vnquam imperaſſe iamdudum probauimus. Studeat igitur ſummo conatu hæc Gallia, bellicoſum Germaniæ populum, ſine quo nihil glorioſæ victoriæ vnquam ex hoſte retulit, maxima beneuolentia ſuſcipere, nulla verborum contumelia, veluti & hactenus ſacræ Cæſareæ Maieſtati, feliciſſimæ recordationis, & germaniæ plebei, mendicitatis probrum crebrius obiectum fuit, exacerbare, ſeque de illorum vel Imperio vel Regno nihil prorſus ingerere, ne oculatiſſimi pauonis, inuictiſſima Iouis alite obumbrati, ductu & auſpiciis tota denuo in germanias transferatur. Huius quidem potentiſſimæ ſacræ Romanorum Regiæ ac Catholicæ Maieſtatis victricibus Aquilæ ſignis, nihil eſt, quod obſtare poſſit, modo diuina prouidentia triſæclis Socratica valetudine nobis ſuperſit.

III.

IOANNES FILIVS REGIS FRANCIÆ PROMITTIT PROFECTVM ET HONOREM REGIS CAROLI Bohemiæ, & filiorum ſuorum fideliter procurare.

Anno Domini 1346.

IOANNES primogenitus filius Regis Franciæ, Dux Normandiæ & Wienniæ, Comes Pictauiæ, Andegauię, &c. omnibus has literas viſuris ſalutem. Scire volumus, quod nos promiſimus & iurauimus, & promittimus, quod in quocunq; ſtatu ſumus, aut eſſe poterimus, nos erimus verus & legalis amicus noſtri cariſſimi & bene dilecti fratris Domini CAROLI de Bohemia, Dei gratia regis Romanorum, & puerorum ſuorum, præſentium & futurorum, & honorem eorum, profectum & augmentationem procurabimus omnibus modis, quibus facere & procurare poterimus, bono animo. Et ſi nos ſcientes, aut ſcire poterimus quocunq; modo, quod aliquis eorum damnum procuraret, nos impediemus toto noſtro poſſe, & eos adiuuabimus & fortificabimus omnibus modis, quibus poterimus, contra omnes illos, quicunq; eſſent contra eorundem verecundiam, &c. In cuius confirmationem apponi noſtrum magnum ſigillum ad has literas curauimus. Datum in tentoriis noſtris ante Aquilon. penultima die Maij, anno Domini 1346.

IOANNES FILIVS REGIS FRANCIÆ PROMITTIT Domino Regi CAROLO *profectum ſuum cuſtodire, impedireque grauamina ſua, &c.*

Anno Domini 1347.

IOANNES primogenitus filius Regis Franciæ, Dux Normandiæ & Vuienniæ, Comes Pictauiæ & Sonoman: facimus ſcire, quod nos conſiderantes amorem, affinitatem & genealogiam, quæ ſunt & eſſe debent inter excellentem & præpotentem Principem, Dominum CAROLVM Dei gratia Regem Romanorum & Bohemiæ, noſtrum cariſſimum fratrem, ab vna parte; & nos, & noſtros pueros, ſuos nepotes, ab altera, promittimus bona fide, & iuramusq;, quod nos cuſtodiemus pro noſtro poſſe honorem, profectum & ſtatum dicti noſtri fratris. Et ſi nos ſciemus, quod aliqui eundem vellent grauare in perſona vel in bonis, nos ipſos eis opponemus, & impediemus toto noſtro poſſe. In teſtimonium huius nos fecimus ſigillari has literas de ſigillo noſtro ſecreto. Datum in noſtris tentoriis probe Lemberies, die 4. Aug. Anno Domini 1347.

IV.

Anno Domini 1355.

LIGA INTER DOMINVM CAROLVM IMPERATOREM ET REGEM FRANCIÆ, ET QVOD DELPHINATVS ET BVRGVNDIÆ DVCATVS ab Imperatore in feudum recipiatur.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS FELICITER Amen. Carolus IV. diuina fauente clementia, Rom. Imperator, ſemper auguſtus, & Bohemiæ Rex, &c. Notum facimus tenore præſentium, vniuerſis, quod ſicut pridem animo deliberato, dum adhuc eſſemus in minoribus cõſtituti, cum Sereniſſimo principe Domino Iohanne Rege Franciæ illuſtri, fratre noſtro præchariſſimo, ante tempora multa, dum adhuc Normandiæ Dux exiſteret, cum ratione genealogiæ & affinitatis, tum ratione Syncerissimę dilectionis, qua perſonam eius ex affectu Syncero proſequimur, fœdera certa, colligationes & vniones iniuimus prout literæ vtrinq; datæ deſuper, clarius atteſtantur: Sic nunc eadem promiſſa & colligantias nobis vtrobiq; ad amplioris gloriæ faſces rite promotis, in Dei Saluatoris noſtri nomine pro conſolatione regnorum, & grata ſalute ſubiectorum nobis ex vtraq; parte fidelium, ſicut virtute promiſſionum veterum rite quidem teneri dignoſcimur, pręſentibus innouamus ſub tenoribus infra inſertis. Inprimis quidem promittentes bona noſtra fide ſine omni noſtro dolo, loco præſtiti iuramenti, pro nobis, heredib. & ſucceſſorib. noſtris Regib. Bohemiæ, præfato Domino Iohanni Franciæ Regi clariſſimo, fratri noſtro, nec non heredibus & ſucceſſoribus ſuis, Frãciæ regibus quodãmodo in antea, ac etiam in perpetuum, ipſorum & cuiuſlibet ex eis, legales & boni ac perfecti amici erimus, & honorẽ, vberem ſtatum, cõmodum, augmentum ac profectum eorũ ſemper procurabimus, omnibus modis, adiutoriis & ingeniis, ſicut vnquã melius poterimus bona fide ac vniuerſum damnum ipſorum, quod eis in perſonis honore vel rebus irrogari poſſet, dum ad noſtri notitiam peruenerit, diligenter & fideliter auertemus, ipſoſque & eorum quemlibet, ad reſiſtendum omnib. eorum aduerſariis & hoſtibus, qui talia damna contra eos, ſeu eorũ alterum, aut in pręiudicium honorum, ſtatus, & conditionis eorum quẽlibet molientur, adiuuabimus & fortificabimus noſtra potentia, ſub ordine & modo, ſicut poterimus, meliori.

Et realiter & effectiue aduerſabimur & opponemus nos omnibus illis, qui ipſorum diſpendium, iacturam ſeu verecundiam, vt præmittitur, procurarent, & honorẽ perfectum & ſtatum eorum cuſtodiemus legaliter iuxta poſſe, & ne poſt amicabilis huius vnionis & amicitiæ ſynceræ gratam concordiam aliqua dubia inter nos quacunq; ratione conſurgant, & vt futuris ſcandalis via ſeu materia præcludatur, ſupradicti noſtri chariſſimi fratris regis Franciæ deliberatio infra ſcripta declaranda prouidit. Inprimis ſiquidem, quod Vidurienſ. & Cameren. ciuitates, & caſtellum in Cametſio, cũ earum & eius territoriis, appendiciis, diſtrictibus & pertinentiis, de mero dominio, ac ẽt de mera proprietate Sacri Rom. Imperij rite conſiſtunt, quodque ipſas cum de omnibus ſuis pertinentiis, vt pręmittitur, ad nos tanquam Roman. Imp. verum & ordinarium ipſorum Dominum dignum duxerit libere ac voluntarie remittendos. Et ꝙ Illuſtris Carolus Delphinus Viennens: primogenitus eius nepos noſter chariſſimus, Delphinatũ eundẽ, & omnia ab ipſo depẽdentia, quæ prædeceſſores Delphini Vienens: antiquitus à præfato Rom. Imp. in feudum tenuerunt, nunc etiam in feudum à nobis, tanquam à Rom. Imp. & vero ſuo domino cum ſolennitatib. & ceremoniis conſuetis tenebitur, & debebit ſuſcipere, nobiſq; præſtare vaſallagii, fidelitatis & obedientiæ ſolitum iuramentũ, ac ciuitate Viennens: ad nos tanquam Imp. & ſacrum Imperium ſine qualibet difficultate remittere, vt nobis tanquã Imperatori conſtanter obediat, & ad nos, nec non ſacrũ Imperium fidelitatis & obedientiæ reſpectũ habeat, vt tenetur ſaluis iuribus comitatus ſui Viennens: qui a præfato Imperio in feudũ dependet, & ꝙ ad complementum omnium prædictorum dictus Delphinus tenebitur quando noſtræ Maieſt. ſerenitas ipſum de conſumatione talium duxerit requirendũ, & quod ſub forma ſimili Illuſtris Comes Burgundiæ comitatũ ſuum Burgundiæ, à nobis tanꝗ Romano Imperatore in feudũ ſuſcipere teneatur, & poſt declarationẽ huius præfatus Rex Franciæ frater noſter chariſſimus nobis fide, quã ſupra promiſit, ꝙ omnia prædicta effectualiter compleri debebunt, & ad finẽ realẽ perduci ſub omnib. illis conditionibus & modis, prout ſunt ſuperius declarata & ad abundantem cautelã ſimiliter promiſit, bona fide ſine omni dolo, loco præſtiti iuramenti, ſicut pręmittitur, quod ipſe nos in poſſeſſione dictarũ Viennens: & Cameracens: ciuitatũ, & caſtelli in Camerſio & omni ab eis dependentia, nec non aliarũ & ſingularũ ciuitatum terrarum, caſtrorũ, iuriſdictionũ, dominiorũ, pertinentiarum, ac iurium, ad præfatũ ſacrum Imperium qualitercunq. ſpectantium, vbicunq; talia fuerint cõſtituta, non impediet ſeu inuadet eadẽ ſeu de ipſis ſe intromittet, vel inuadi, moleſtari, aut de ſe eis intromitti cõſtituet, patietur, ſeu quolibet ſuſtinebit verbo, facto vel ſuggeſtu, imo verius nos ad manutenendũ prędicta & eorũ quibus toto poſſe fideliter promouebit. Ideoq; nos qui ſupra Rom. Imp. vice verſa promittimus, fide qua ſupra prædictũ Dñ regẽ Franciæ in omnib. ciuitatibus,

bus, & ſingulis earum dependentiis, nec non caſtris, terris, iuriſdictionibus, dominiis, pertinentiis & iuribus ad regnum Franciæ ſpectātibus, & in earū ſeu eorū poſſeſſionibus non impedire ſub omnib. conditionib. antedictis. Et nihilominus pro nobis, heredibus & ſucceſſoribus noſtris, Regib. Bohemię, ꝓmittimus, bona noſtra fide, ſine omni dolo, loco præſtiti iuramenti, vt præfertur, præfato Domino Iohan. Regi Franciæ, chariſſimo noſtro fratri, heredib. & ſucceſſorib. ſuis Franciæ Regibus dūtaxat ipſi & eorū cuilibet, dum eius interfuerit, & dum per eos ſiue alterum ipſorum fuerimus requiſiti, dictā vnionē, confœderationem, & colligantiam ſub omni modo & forma, ſicut in tenore præſentium videtur expreſſum, innouare, & de nouo conſcribi facere, & ſigillorū noſtrorum appenſionibus legitime cōmuniri. Teſtes huius ſunt venerabilis Erneſtus Pragenſ. Archiepiſ. Ioan. Olmucēſ. Ioan. Zathomius: Theodoricus Mindens. Eccleſ. Epiſcopi: nec non illuſtres Bolko Schwinicens: Conradus Olnicen: Bulcko Falckenbergens: Bolko Opol: & Przimſel. Teſchicenſis Duces principes regni noſtri Bohemiæ: nec non religioſus Simon ordinis fratrum prædicatorum S. The. Magiſter & honoris hrālls pchōnem præpoſitus, Magiſter, conſiliarii & ſecretarii noſtri & alii quā plures fide digni præſentium, &c. ſub bulla aurea typorum noſtræ Imp. Maieſtatis impreſſa teſtimonio literarum. Datum Pragæ ad Domini M.CCC.LV. Indictione VIII. ſept. Calend. Sept. Regnorum noſtrorum anno, Romani X. Bohemiæ IX Imperij vero primo, &c.

LITERÆ REVERSALES PRÆDICTI REGIS Franciæ ſuper Ligam.

IOhannes Dei gratia Rex Franciæ. Notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod ſicut pridem animo deliberato, dum adhuc eſſemus in minoribus conſtituti, cum ſereniſſimo ac inuictiſſimo principe ac Domino, Domino Carolo Rom. Imperat. ſemper Auguſto, & Bohemiæ Rege, &c. fratre noſtro perchariſsimo ante tempora multa, dum adhuc Romanorum Rex exiſteret, ad imperialis dignitatis faſtigia promouendū tum ratione genealogiæ & affinitatis, tū ſynceriſsimæ dilectionis qua perſonā eius ex affectu ſincero proſequimur, fœdera certa colligationis & vnionis iniuimus prout literæ vtrinq; datæ deſuper atteſtantur, ſic & nūc eadē promiſſa & colligantias nobis vtrobiq; & amplioris glorię faſces rite promoueus, Dei ſaluatoris noſtri nomine pro conſolatione regnorum & grata ſalute ſubiectorum nobis ex vtraq; parte fidelium ſicut virtute promiſſionū veterum rite qdē teneri dignoſcimur, præſentib. innouamus ſub tenorib. infra ſcriptis. Inprimis quidem promittentes bona noſtra fide ſine omni dolo, loco præſtiti iuramenti, pro nobis, heredib. & ſucceſſorib. noſtris Regib. Franciæ prędict. Domino Imp. chariſſimo noſtro fratri, nec non heredib. & ſucceſſorib. ſuis, Bohemiæ Regib. quodā modo in antea, & ēt in perpetuum ipſorum & cuilibet ex eis legales & boni atq; perfecti amici erimus & honorē vberem ſtatum, cōmodum, augmentum & profectum ſemper procurabimus, omnib. modis, adiutoriis & ingeniis, ſicut vnq̄ melius poterimus bona fide, ac vniuerſum dānum eorum, quod eis in perſonis, honore, vel rebus irrogari, poſſet dū ad noſtri notitiam peruenerit, diligenter & fideliter auertemus, ipſoſq, & eorum quēlibet ad reſiſtendum omnib. eorū aduerſariis & hoſtib. qui talia dāna contra eos, ſeu eorum alterū aut in præiudicium honoris, ſtatus, & conditionis eorū quēlibet molirentur, adiuuabimus & fortificabimus noſtra potentia ſub ordine & modo, ſicut poterimus meliori. Et realiter & effectiue aduerſabimur, & opponemus nos omnib. illis, qui ipſorū diſpendium, iacturā ſeu verecundiam, vt præmittitur, procurarent, & honorē, profectum & ſtatū ipſorum cuſtodiemus legaliter iuxta poſſe. Et ne poſt amicabilis huius vnionis & amicitiæ ſynceræ gratā concordiā inter nos quacunq; ratione dubia conſurgant, & vt futuris ſcādalis via ſeu materia præcludatur, infraſcripta rite prouidimus declaranda. Inprimis ſiquidē Viennenſ. & Cameracenſ. ciuitates & caſtellū in Cameſio cum earū & eius territoriis & appendiciis, diſtrictibus & pertinentiis de mero dominio, ac ēt de mera ꝓprietate ſacri Rom. Imperii rite conſiſtunt, quodque ipſas cu omnib. ſuis pertinentiis, vt præfertur, ad præfatum Dñ Imp. tanquam verum & ordinarium Dñ ipſorum, voluntarie & libere duximus remittēdos. Et quod Illuſtris princeps Dñs Carolus Delphinus Viennenſ. primogenitus noſter, Delphinatū eundē & omnia ab ipſo dependentia, quæ prædeceſſores ſui Delphini Viennenſ. antiquitus ab ipſo Imperio in feudū tenuerunt, nunc ēt in feudū, à præfato Dño & Auunculo ſuo Dño Imp. cum ſolennitatibus & ceremoniis conſuetis tenebitur & debebit ſuſcipere, ſibiq; præſtare vaſallagij, fidelitatis & obedientiæ ſolitū iuramentū, ac ciuitatem Viennenſ. ad ipſum Dñ Imper. & imperium ſacrum ſine qualibet difficultate remittere, vt præfato Imper. conſtanter obediat, & ad ipſum nec non ſacrū Imperium fidelitatis & obedientiæ reſpectū habeat, vt tenetur ſaluis iurib. comitatus ſui Viennenſ. qui à præfato Imperio in feudū dependet, & ꝙ ad implementū omnium prædictorum dictus Delphinus tenebitur, qñ per præfatum Dominum Imp. fuerit requiſitus, & ꝙ ſub forma ſimili Illuſtris Dux, Comes Burgundiæ comitatum ſuum Burgundensē à præfato Dño Imper. in feudum ſuſcipere teneatur, & poſt declaratione huius dicto Dño Imp. promittimus fide qua ſupra, ꝙ omnia prædicta effectualiter cōpleri debebūt, & ad finē intentū perduci ſub omnib. illis cōditionib. & modis, prout ſunt ſuperius declarata, & abundanti cautelam ſimiliter promittimus bona fide ſine omni dolo loco præſtiti iuramēti, ſicut præmittitur, ꝙ nos, qui ſupra Rex Franciæ dictum Dñ Imperat. & ſacrum Rom. Imp, in poſſeſſione Viennenſ. Virdunen. & Cameracenſ. ciuitatum & caſtelli in Cameſio, & omniū ab eis dependentium, aliarumq; & ſingularum ciuitatum, terrarū, caſtrorum, iuriſdictionū, dominiorum, pertinentiarum & iurium ad præfatum ſacrum Imp, quomodolibet ſpectātium, vbicunq; talia fuerint cōſtituta, nō impediemus, aut inuademus eadē, ſeu de ipſis nos intromittemus, vel inuadi, moleſtari aut nos de eis intromitti cōſtitue-

ſtituemus, patiemur vel ſuſtinebimus verbo, facto vel ſuggeſtu, imo verius, ipſos ad manutenẽdum prædicta, & eorum quodlibet, promouebimus toto poſſe, & id ipſum pręfatus Dominus Imperator ſuper poſſeſſione ciuitatum noſtrarum, nec non caſtrorum, terrarum, iuriſdictionum, dominiorum & pertinentiarum ac iurium ad regnum noſtrum Franciæ quomodolibet ſpectantium fide & modo conſimili promiſit facere, vice verſa promittimus etiam, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Regibus Franciæ, in perpetuum, & bona fide loco præſtiti iuramenti ſpondemus, præfato Domino Imperatori, heredibus & ſucceſſorib. ſuis Bohemiæ duntaxat regib. ipſis & earũ cuilibet, dum eius interfuerit, & dum per eos, ſiue alterum eorum fuerimus requiſiti, dictã vnionem, confœderationem & colligantiam, ſub omni modo & forma, ſicut in tenore præſentium videtur expreſſum, innouare, & de nouo cõſcribi facere, & ſigillorum noſtrorum appenſionib. noſtri minoris ſigilli teſtimonio literarũ.

V.

Anno Domini 1492.

LEGATIO HENRICI VII. ANGLIÆ REGIS AD MAXIMILIANVM REGEM ROMANORVM, ET IMPERII ORDINES, in Comitiis Confluentiæ habitis, Anno M. CCCC. XCII.

SERENISSIMO ROMANORVM REGI SEMPER AVguſto, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Regi, ac Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis Principibus Electoribus, cæteriſque Principibus Sacri Romani Imperij, Sereniſſimi Regis Angliæ Orator offert ea quæ collegit, ad magis cognoſcendum & colligendum falſitates, fraudes & proditiones Francorum, vt ab eis magis caueatur.

PRIMO dicit, vnumquemque ſcire debere, quod fides vnius Franci eſt deterius pignus domus ſuę. Quia quidquid iurant vel promittunt, hoc ſemper ſit in fraude & deceptione, nec aliquid, niſi pro arbitrio & placito ſuo tenent vel obſeruant: cum aliæ Chriſtianorum nationes fidẽ ſeruare ſoleant, imo & Thurci & Saraceni promiſſa ſeruent. Et vt vnuſquiſq; id magis intelligat, notorium eſt Francos multa iureiurando promiſiſſe & ſigillaſſe, ac ſigillata dediſſe Sereniſſimo quõdam Eduardo Angliæ regi, tam ſuper coniugio regis Francię præſentis cũ filia ipſius Eduardi, quam eidem dandi & perſoluendi in ſua ciuitate Londonenſi 50000. ſcutorum aureorum quotannis, quod deciſum fuiſſet in cauſa in qua ipſe Eduardus ad coronam Regni Franciæ prætendebat, & ad Ducatum Normandiæ & Guiennæ: quod per ſeptennium ipſi Franci obſeruarunt, & poſtmodum viſa opportunitate à præmiſſis & iureiurando defecerũt. Vlterius quis ignorat pactiones, promiſſiones & iuramẽta atq; ſigilla quæ ipſi Franci fecerunt tam illuſtriſſimo Carolo quondã Burgundiæ Duci, quã etiam Franciſco Duci Britanniæ, vt cũ eis in pace viuerent, & bellũ de medio Franciæ tollerent, vt eos hoc pacto à dicto Eduardo Rege Angliæ ſepararent. Tamen nihil obſeruarunt, niſi vſquequo neceſſitas eos coegit, quia manifeſtũ eſt Francos contra illa promiſſa exercitũ miſiſſe contra dictum Ducẽ Carolũ ad Nanſe in Lotharingia caſtra metantẽ: vbi eorum perfidia occubuit. & poſtmodũ dicti Frãci magnis ẽt iuramentis atq; ſigillis quæſiuerunt coniugiũ Regis Frãciæ præſentis cum filia ſereniſſimi Rom. regis, relicta & repudiata filia regis Eduardi, quæ paulo poſt mortua fuit. Præterea dicti Frãci ſuis cautelis & fraudib. adeo ſubtiliter laborarunt, vt Barones & proceres Britanniæ corruptionibus & penſionib. & regium ordinẽ illis dando in ſuum fauorẽ attraxerint, adeo vt illi theſaurum Britanniæ Ducis interceperunt, & in perſonã ſui illuſtriſſ. principis violentas manus impoſuerunt, vt hoc mõ ipſi Franci facilius & mortẽ ipſius ducis viderent, & ipſius ducatũ lucrarentur: quod ſuis muneribus, corruptionibus, penſionibus & ordinis Regii donationibus tandem ſunt conſecuti. Quia plurimi Britanniæ proceres illis cautelis, promiſſionibuſque deuincti, Francos in Britanniam introduxerunt contra ipſum Franciſcum, qui dolore talium proditionum magis quam ſenio vitam finiuit. Deinde notum eſt, poſt mortem Eduardi regis Anglię, ducem Gloceſtrenſem eius fratrem, principem ſtrenuiſſimum, electum in tutela atque regimine pupillorum Eduardi regis fratris ſui, vt regnum regeret ac gubernaret, illis pupillis exiſtentib. adeo à Francis ſollicitatũ & promiſſionibus obſecratum fuiſſe, vt crudeliſſime nepotes ſuos extinxerit, vt ſe regẽ faceret: in quo Deus eũ puniuit, licet Frãcorũ punitionẽ hactenus diſtulerit. Itẽ quis ignorat maxima iuramenta, pacta atq; ſigilla nõ ſolũ regis Franciæ ſed ẽt omniũ Principum, ciuitatũ, vniuerſitatũ, cõmunitatum totius regni data eſſe in perficiendo coniugio inter præſentẽ regem Carolũ & filiã ſereniſſimi Rom. Regis: quod ad eum finem fecerunt, vt in poſſeſſione occupatæ Burgundiæ & aliarũ patriarũ permanerent, vt interea Flandrẽſes ſub vmbra pacis ſollicitarent, & in ſuam partẽ attraherent, vt ipſam filiã ſereniſſ. Rom. regis in ſua poteſtate haberent, vt ſi fortaſſis Illuſtriſſ. Philippus Archidux deceſſiſſet, & illas occupatas patrias & alias oẽs ipſius obtinerent. & ſub vmbra ipſius coniugii oẽs querelas & lites ſopirent & de medio tollerent, quas ſereniſſ. Roman. Rex aduerſus eos de iure mouere poterat. Quibus rebus ſic exiſtentibus ipſi clanculũ Britanniæ Ducatum (vt dictũ eſt) occuparunt, nec alia ratione ipſum coniugium cum ſereniſſ. Rom. Regis filia quæſierunt, & non aliqua dilectione aut affectione erga ipſum Rom. Regẽ aut ſacrum Imperium: quinimo ad ipſum Imper. dicunt & iactant ſe ius habere, & præſertim ad eas patrias quæ ſitæ ſunt circa Rhenum.

Et vt

Et vt facilius tam ſereniſſ. Roman. Rex, quam illuſtriſſ. principes, Gallorum fallacias memoriã teneant, quis ignorat eorum promiſſa & iuramenta tam Fránckfordiæ quam Vlmæ præſtita ſereniſſ. Roman. Regi, quorum colore & vmbra ipſum Rom. Regem & principes Imp. retardarunt ac reuocarunt ab auxilio in Britanniam mittendo, & 6000. Anglicorum pugnantium extra Britanniã dimiſerunt, quæ pro illius patriæ defenſione ſereniſſ. Rex Angliæ modernus propriis expenſis ibidem tenebat: quibus fraudib. ipſi Franci Britanniæ Ducatum ſunt conſecuti, eiuſq; Duciſſam ſponſam & coniugem ſereniſſ. Rom. Regis (vt quiſq; nouit) ipſe Rex Franciæ in cõiugium fraudulenter accepit, & cum ea concubuit, derelicta & repudiata illuſtriſſima Margareta ſereniſſ. Rom. Regis filia, ſibi autem per verba de præſenti deſponſata contra ordinem & ſtatum diuinũ ac ſanctæ matris Eccleſiæ, ad maximam dederunt ignominiam, infamiam & ſcandalum religionis Chriſtianæ, & in pernicioſum exemplũ totius mundi: quod tam ſancta mater Eccleſia, quam ſacrum Imp. Rom. omneſq; Reges & Principes orbis nec ferre nec tolerare deberent, ne deteriora eius exemplo conſequantur, ſi tam deteſtabile facinus impunitũ omittatur. Itẽ cum ipſi Franci & iuramentis & ſigillis & ſub pœna cenſurarum Apoſtolicarũ ſe obligauerint, caſu quo dictũ coniugium ſolueretur, ad reſtitutionẽ tam ipſius filię ſereniſſ. Rom. Regis quam patriarum in dotem ei datarum: tamen hactenus in maximam iniuriam, contemptum, ignominiam & infamiam totius Romani Imperii, & Sedis Apoſtolicæ, ac totius nobiliſſimę nationis Germanicæ, ipſe Rex Francię dictam reſtitutionem denegat: licet per Oratores ſuos tam Sereniſſimo Imp. quam Rom. Regi, ac illuſtriſſimo Archiduci Philippo huiuſmodi reſtitutionẽ obtulerit, ad obumbrandũ & tegendum ſui ſceleratiſſimi facinoris incredulitatem: cũ nuper Oratoribus ſereniſſ. Rom. Regis & ipſius Archiducis Philippi, domino ſcilic. Engelberdo de Naſſau ac cæteris dictã reſtitutionẽ denegauerit. Ex quibus vnicuiq; notorium eſt quam ſit confidẽdum in ipſorum Gallorum promiſſionib. quantaue earum ſit veritas aut fides. Qui etiã in præſentiarũ ſollicitant, ac omni diligentia quæritant ſeparare ac diuidere, ſi poſſint, ſereniſſ. Rom. & Angliæ Reges magnis ſuis promiſſionib. atq; muneribus, vt eos auertant à bello in Franciam aſſumendo, & vt impediant principes & cõmunitates ſacri Imp. ab auxilio dãdo ſereniſſ. Rom. Regi in tam iuſta cauſa, acerbaq; iniuria vleiſcenda. Quinimo iactant Franci, ſe eſſe ſeruos ꝙ per diſcordias principũ Germaniæ ad optata peruenient, & ꝙ facile ipſum Imp. conſequentur: quod Deus auertat. Quia omnes Imp. principes ac liberas ciuitates in maiori ſeruitute ac paupertate tenerent ac collocarent, quã alii hactenus fecerint, vt omnib. eſt manifeſtum. Item ſcire põt vnuſquiſq; Gallorum potentiã per occupationẽ Britanniæ tam in potentia pecuniarũ quam militantium valde auctã fuiſſe: quia ex Britannia tẽpore illuſtris bonæ memorię Ducis Franciſci circiter ſex aut octo centena millia Florenorũ aureorũ ordinarie ſine vllius iniuria ad ipſius principis vtilitatem quotãnis extrahebantur & exigebantur, & idem Dux circiter duodecim aut quindecim millia pugnantium cum paruo onere patriæ poterat congregare. Itẽ quia tã in vna parte Britanniæ iuxta Franciã, quam etiam in ipſa Francia, ſalem naturale habetur; ex nouo quodam theloneo per ipſos Francos in ipſis ſalinis impoſito, Britanniæ reditus ordinarii ad 100000. florenorum iam æſtimari dicuntur. Item conſiderandum eſt in ducatu Britanniæ circiter decem millia hominũ maritimorũ haberi, qui negotiis maritimis verſari & viuere ſolent. Item in eodẽ Ducatu circiter duo millia nauiũ communiter inueniuntur, vt aliquando in vno portu trecentæ magnæ naues reperiãtur: quæ patria & portubus, & acceſſibus naualibus, ac etiã nemoribus & ſiluis pro materia nauium valde copioſa eſt: Vt ibidem naues mille, imo mille quingentarũ amphorarũ fieri poſſint. Qua cõmoditate ipſi Frãci dominos ſe maris facere quæritãt. Nec dubitandũ eſt, niſi eorũ violentis progreſſib. obuietur, quin breui tempore Franci tã Angliam quã Flandriã, & ſic paulatim liberas Imp. patrias, ipſoſq; principes per eorũ ſubtiles & fallaces violẽtias in ſuam ditionẽ & ſeruitutẽ ſubiiciant: prout iam de Britãnia eos feciſſe conſtat, à qua cæteri exẽplũ capere poſſunt. Licet aũt ipſi Franci ipſum Britannię Ducatũ occupauerint, nondum tamẽ corda hominũ eorumq; animos ſunt conſecuti: qui nec volũt, nec poſſunt ſeruitutẽ ſubiectionemq; Gallorũ perferre, cum ipſi Galli natura feri atq; ſuperbi omnemq; aliam nationem ſint contemnentes. Et licet Francorũ Rex ipſorum Britannorũ dominam in vxorẽ acceperit, ipſi tamen populi cõſiderantes malitioſum & violentum ac perfidum modũ & viam, quibus ipſam Duciſſam obtinuerit, & quõ ipſi Britanni per ipſos Frãcos decepti fuerint, & quot mala & iniurias ab ipſis Francis patiantur, conſiderantes etiam oẽs Britannię diuitias & rerũ copias ac proſperitates ex maritimo cõmercio cũ patriis Angliæ, Hiſpaniæ, Flandriæ, Holandriæ, Selandiæ, ſibi euenire cõſueuiſſe, quib. ſemper amici & confœderati Britanni eſſe ſolebant, & mõ propter bella illis cõmodis careant, cũ maxime cupiant emergere à ſeruitute in qua Galli eos oppreſſos tenere contendunt, cũ ſemper ipſe Ducatus Britanniæ fuerit liber, omni libertatis iure & ſuperioritate vſus; ipſi Britanniæ populi nondum niſi coacti Francorũ Dominiũ admittunt, nec eis per mare aut per terrã pręter admodũ paucos ſeruire volunt: ſperantes ac confidentes, ꝙ per fœdera ac colligationes & auxilia potentiſſimorũ Regum Rom. & Angliæ ac illuſtriſſimorũ principum ſacri Imp. à talib. oppreſſionibus & ſeruitutib. debeant liberari, & in priſtina libertate reponi, & eo pacto Gallorũ potẽtia ſubtrahetur ac diminuetur. Ad cuius quidẽ Britanniæ recuperationẽ vnuſquiſq; eo magis animũ adhibebit, ſi conſiderauerit quantũ incommodũ in eius amiſſione ſereniſſ. Rom. Rex ſit cõſecutus, quantãue iniuriã & ignominiã ſuæ Maieſt. & ſacro Rom. Imp. & omnibus regibus & principib. eis confœderatis & alligatis, & ipſi Franci intulerint, per ſuas fraudes & proditiones Britanniã occupando, ipſiuſq; Duciſſam verã ſponſam & coniugem Rom. Regis capiendo & ſubtrahendo, quæ per parentes ſuos ſereniſſ. Rom. Regi, velut totius Chriſtianitatis potentiſſimo Principi, fuerat deſponſata ne in Gallorũ manus & ſubiectionẽ perue-

niret

niret: quum etiam ipſa Ducilla poſt parentum ſuorum mortem multos alios reges ac principes coniugium eius petentes ſpreuerit ac recuſauerit, ſolum ipſum Rom. Regem præ omnib. eligens. Quæ quidem iniuria ac violentia ſi inulta relinquatur, in maximũ dedecus ac ſcandalum & ignominiam infamiamq; non ſolum ipſius Rom. Regis, ſed etiam ſacri Rom. Imp. omniumq; eius principum cæterorumq; Regum & Principum eis confœderatorum cedet & remanebit: præſertim ipſis Francis nondum ſua perfidioſa malitia contentis, iactantibus & publicantibus multa in maximam Sacri Rom. Imperii ac omnium confœderatorum dedecus & ignominiam.

Quibus omnibus conſideratis cum sereniſſ. Rex Angliæ vehementer doleat, propter ingentem amorem, amicitiam & confraternitatẽ ac confœderationẽ inter ſeipſum & ſereniſſ. Rom. Regẽ ac Illuſtriſſ. Archiducẽ Philippũ, decreuit atq; concluſit perſonaliter cũ magno ac potenti exercitu mare traiicere, imo iã traiecit, ad bellũ gerendũ, perſeuerandũ & continuandũm aduerſus Francos, per bienniũ & diutius ſi opus fuerit, & ad auxiliũ opemq; ferendũ tam corpore quam bonis, omniq; regni ſui potentia, ſereniſſ. Ro. Regi fratri ſuo chariſſimo, ac Illuſtriſſ. Archiduci eius filio, vlciſcẽdo & vindicando violentas & acerbas iniurias illatas tam ipſi quam ſacro Rom. Imp. & omnibus eis confœderatis, amicis ac ſubditis, quam Deum creatorem noſtrum & ſanctam matrem Eccleſiam & Catholicam fidem: ſperans atq; confidens ipſe Rex Angliæ, quod ipſe ſereniſſ. Rom. Rex ac Illuſtriſſimi principes ita ſuas vires, copias atq; potentias exhibebunt, vt reparationem atq; vindictam tantarum iniuriarum cum Dei auxilio ſimul omnes conſequi valeant, ad maximam diuinam laudem, & ipſorum Regum ac Principum honorem & gloriam atq; triumphum, totiuſq; Chriſtianitatis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltationem in perpetuum poſterorum exemplum atque memoriam.

Quapropter humillime ſupplicat idem Orator tam ſereniſſ. Rom. Regi, quam ſupradictis Illuſtriſſimis Principibus, Dominis & cõmunitatibus S. Rom. Imp. ea omnia ſupradicta velle animaduertere, ponderare & mature cogitare, ac ſuper his omnibus citiſſime ac diligentiſſime prouidere, & de eorum deliberatione ſibi reſpondere: vt cum ipſe ſereniſſimus Rex Angliæ iam mare traiecerit, ipſe Orator de eorum apparatu, diligentia ac reſponſione omnique intentione, cum diligentia ſereniſſimum Regem ac Dominum ſuum certiorem facere poſſit.

ROMANORVM REGIS, ET IMPERII ORDINVM, Reſponſoria.

MAXIMILIANVS diuina clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, &c. Wilhelmus Epiſcopus Eiſtetenſis, ac Fridericus Comes de Zollern, Capitaneus Dominii Hohenberg, S. Imperialis Maieſt. in hoc generali conuẽtu Confluentiæ habito vices gerentes, nec non S. Rom. Imp. Electores, ac alii Principes vtriuſq; ſtatus, in eodem conuentu perſonaliter comparentes, aliorumq; Imp. principum & cõmunitatum Oratores ac vices gerentes, ſereniſſ. principi Domino Hainrico regi Angliæ & Franciæ ac Domino Hiberniæ, &c. Nobis Rom. regi fratri cariſſimo, nobiſque aliis Dño & amico obſeruandiſſimo, ſalutem, & proſperitatis incrementa. Sereniſſime ac potentiſſime princeps: Cum egregius vir, magiſter Franciſcus de Puys Orator ac Secretarius veſter, nobis omnib. in hoc imperiali conuentu congregatis indicauerit, veſtram Serenitatem non ſolum ob fraternã confœderationem qua nobis Rom. Regi conſtanti fide coniungitur, verũ etiam ob ſingularẽ affectum & amicitiam, qua S. Rom. Imp. omnibuſq; principibus eius, & vnice Illuſtriſſ. Archiduci Philippo Imper. ac regni filio vehementer afficitur, cũ magna ac potenti claſſe mare traieciſſe, multaq; armatorũ millia cum machinis ac cæteris quibuſcũque caſtrenſib. inſtrumentis traduxiſſe, tã in maximarũ iniuriarum nobis Regi ac S. Imp. per Francorum regẽ (vt noſtis) illatarum vltionẽ, quam in ipſius Illuſtriſſ. Archiducis patriarumq; eius defenſionẽ: iam omnes, vt debuimus, ſũmopere gauiſi ſumus. veſtræq; Serenitati ex tam ſtrenuiſſimis ac præclariſſimis geſtis nos oẽs plurimum debere cenſuimus, atq; propterea ingentes gratias agimus, non inferiora cum vſus feret pariter reddituri. Eandem veſtrã Serenitatem cum ſtudio exhortantes, vt ſecundum iamdiu concepta perſeuerare & continuare, vt eam facturã confidimus, nõ deſiſtat. Nos autem Rom. Rex noſtros iam antea in limitibus hoſtium ad præoccupandas anguſtias miſſos totis copiis ſequimur, tot ſuſceptarũ iniuriarum iuſtam vltionem Deo propicio proſecuturi. Speramus, n æquiſſimos ſuperos tam æquæ cauſæ noſtræ minime defuturos. Nos vero tam Imperialis Maieſtatis vices gerentes ea iniuria præfato Dño noſtro regi illata affecti perciti q; quam non immerito moleſte ferimus eidem celerem expeditionẽ tam equitũ quam peditum in præſentiarũ fecimus, ac præterea omni cura, fide, ſolertia, omni deniq; ſtudio apud vniuerſos & ſingulos S. Rom. Imp. ac Germanicæ nationis noſtræ ſubditos pro longe ampliori ac cõmuni per Imp. auxilio ferẽdo nos laboraturos ſollicitaturoſq; polliciti ſumus: non dubitantes veſtræ Serenitatis ſimul accedentib. copiis, omnipotẽtem Deum, exercituum Dñ, de tam deteſtabilibus iniuriis manifeſtam vindictã iuſtumq; triũphum conceſſurum. Qui veſtram Serenitatem indies feliciorem conſeruet. Ex Imperiali conuentu generali Confluentiæ habito, ſub ſigillis regiæ noſtræ, & Wilhelmi Epiſcopi Eiſtetenſis Cæſarei Oratoris ac vices gerentis, noſtrorum quoq; Berchtoldi Dei gratia Archiepiſcopi Moguntini principis electoris ac S. Rom. Imp. in Germania Archicancellarii, & Sigiſmundi eadem gratia Marchionis Brandenburgenſis, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſuborum ac Sclauorum Ducis, Burggrauii Nurenbergenſis, ac Rugiæ principis, nomine principum electorum aliorumq; principum, totiuſq; illius præmemorati conuentus, die 8. menſis Octobr. anno Domini MCCCCXCII.

VI.

LEGATIO

GALLICANA DE EXPEDITIONE ITALICA REGIS FRANCORVM CAROLI VIII.

AD PONTIFICEM ROMANVM, REGEM NEAPOLITANUM, Principes ac Liberas Ciuitates Italiæ.

CVM EDICTO IPSIVS REGIS DE BELLO TVRCIS poſt liberam Italiam inferendo, & recuperando Orientis Imperio.

ORATIO HABITA AD VENETOS A MAGNIFICIS CAROLI, Francorum Regis Oratoribus, Anno M. CCCC.XCV. die quinta Aprilis.

VTEREMVR magna verborũ ambage, quanta beneuolentia & amore Chriſtianiſſimus Francorum Rex hunc florentiſſimum Statum proſequeretur, ſi non conſtaret & palam eſſet, quam arctis amicitiæ vinculis tenerìſque fœderibus, ab antiquis Galliarum Reges, Senatuſque Venetus fuiſſent coniuncti.

Ea omnia modernus Rex non modo ſtuduit conſeruare, ſed ampliſſime adaugere. Eum ſe ſemper in conſeruatione dignitatis, diffuſione nominis, promotione decoris & vtilitate huius ſplendidiſſimæ Reipublicæ præbuit, vt melior amicus, fidelior ſocius à vobis non dico expeti, ſed ne optari quidem poſſet. Veſtra in eum & anteceſſores merita tam ſunt munifica, vt prius dies me deficiat, quam minimam eorum partem enumerem. Sed iam omnium maximum præbere poteritis, & velle vos pro veſtra integritate, Serenitas ſua non diffidit.

Quam enim arroganter, quam nefarie & iniuſte Arragonum Reges, Neapolitanũ regnum occupauerint, minime vos fugit, vt puta qui omnia quæ induſtria, ingenio, ſagacitate & ſtudio ſciri poſſunt, noueritis. Cum eam rem volatilis fama toto late diffuderit vniuerſo. Ad eius recuperationem Rex noſter non diſſimulanter aſpirat, & cum abunde æquitas & iuſticia ſuffragentur, vicisſe ſe credit, ſi vos tales erga ſuam ſerenitatem exhibueritis, quales variis locis & tẽporibus maiores ſui, veſtros anteceſſores ſæpe ſunt experti; & qualem ſe maieſtas ſua erga hunc ſtatum exhibuit multoties, præbereque voluiſſet, ſi caſu ita ferente ſimilia vel maiora à ſerenitate ſua petiuiſſetis. Conſilium imprimis à vobis (in re tam ardua) rogat, dehinc fœderis opem, auxiliumq; veſtrum implorat, vt ei commeatum præbeatis, militum robore augeatis vires, & ſumtibus tam longinquæ expeditioni neceſſariis adiuuetis. Quæ ſi feceritis (vt ſua ſibi Maieſtas indubitanter perſuadet iuſq; amicitiæ expoſtulat,) & optimus maximus eum iuſtiſſimi deſiderii ſui effecerit compotem, ſentietis, (diis bene iuuantibus) maximo veſtro cum commodo & decore, quam ſint Galliarum Reges in colendis amicitiis fideles, conſeruandis fœderibus tenaces, quam, inquam, ſint acceptorum beneficiorum memores.

Reſponſio Venetorum ad eandem.

SVperuacaneum eſſet ſi explicare niteremur, quanta pietate & obſeruantia Chriſtianiſſimos Francorum Reges maiores noſtri ſemper proſecuti ſint, & nos in hunc vſq; diem proſequimur; cum omnia tam late, tam copioſe & eleganter Magnificentia veſtra expreſſerit, vt nihil nobis videatur reliquiſſe loci, quo nunquam defituram huius ſtatus deuotionem in Chriſtianiſſimos Reges recenſeremus. Pauca tamen à vobis dicta & à nobis dicenda perſtrinxiſſe iuuabit, & vno explicaſſe verbo ſat erit. Obſeruantiam, quam anteceſſores noſtri ad nos transfuderũt nedum eam eſſe, quam accepimus. Sed eo creuiſſe, vt addi plane poſſit nihil: ob id à diis precabimur, vt ea ad vltima ſeculi tempora conſeruetur illæſa; nec quantum humano conſilio fieri poterit, non erimus cõtenti, ſi noſtris temporibus quam ſanctiſſime cuſtodiuerimus, ſed poſteris eã noſtris omni cura commendabimus colendam, precamurq; iſtam noſtram deuotionem, quæ talis eſt, vt verbis non poteſt exprimi. Sed vix ab ingenioſiſſimo imaginari regiæ ſerenitati, noſtro nomine declaretur. Sed quod ſerenitas ſua à nobis conſilium, auxilia, & opem expetit, lubentes alacreſq; præſtaremus, ſi id ſine noſtræ æſtimationis læſione poſſet fieri. Nam ſicut inique ageremus ſi Serenitati regiæ in iu-

gratiſſimis ſuis expeditionibus (vt hanc quoque fore non inficiamur) deeſſemus: Sic iniquius nos agere quilibet ſanæ mentis neceſſario dixerit, ſi pro conſeruatione vnius fœderis aliud læderemus non minus vetuſtum, pium aut ſanctum, quorum alterum non eſſet grauitatis Venetæ, alterum perfidiæ immenſæ. Arragonum enim Regum ampliſſima merita in hunc noſtrum ſtatum & maiores noſtros, non eſt, qui ignoret. Talia namque ſunt, vt nulla temporis annoſitas ea ſit delatura. Omiſſo namque quoties cum Piſanis, Genuenſibuſque, perpetuis Veneti nominis hoſtibus, terra marique arma contulerint, quas de eis reportauerint victorias, vti contuderint vires, ita quod eorum inimicitiæ in æuū nō ſunt nobis extimeſcendæ, vnum pro conſumata amicitia facinus, ſat erit enumeraſſe:

Non multa ante tempora, cum perfidus Turcus tanto tumultu & horrore ingrueret, extructiſſima claſſe, maximis copiis, totæ immineret Europæ, præcipue ſtatui noſtro, (quem ſcutum & antemurale eſſe Chriſtianæ religionis certum eſt) poſt multas preces, quibus fere vniuerſos Chriſtianitatis principes nequicquam contudimus, opem implorantes, ſolas nobis ſenſimus Arragonum vires adeſſe, quibus nedum à nobis, ſed ab vniuerſo Chriſtianorum orbe ingens periculum propulimus. Quæ eorum merita nunquam apud nos intermorientur, vtinam aliis Chriſtianis Principibus eſſent tam accepta, quam fuere frugifera. Allecti itaque tam pulcherrimo beneficio, ſuæ Serenitati nos in æuum addiximus, indiſſolubilique colligauimus fœderis nexu; quod turpiter deſerere aut petulanter interrumpere non modo eſſet turpe, ſed flagitioſum & ſceleſtum; ad quam labi ingratitudinem non velle nos maieſtatem regiam, non ſimus incerti. Cæterum vt clare perſpiciat Serenit. ſua nos eos eſſe, qui nunquam defuimus confœderatis, nec defuturi ſumus; non nos recentia & ſpecioſa Arragonum merita, non ampliſſima Francorum Regum commemorata beneficia & reintegratæ preces ad violationem alterius compellent, quiete perfruemur, tacitiq; tam dubiæ rei præſtolabimur euentum, quem talem optamus, vt neutri obſit & officiat.

Quod ſi vllæ poſſent pacis conditiones labore inueniri, aut induſtria excogitari, non nos pigebit ſubire pericula, perferre damna, facere impenſas, quo tam pernitioſum bellum aut ſufferri poſſit penitus, aut ſi nequit, ſaltem differri, non dubitantes Seren. ſuam iſtis noſtris pollicitationib. contentiſſimam fore, nec preces alternaturam; cui nos cupimus quam diligentiſſime cōmendari.

Eorundem Oratio ad Ludouicum Sfortia Ducem Mediolanenſ. die 15. April.

VEnimus ad te Ludovv. Sfortia, dux illuſtris, à Chriſtianiſſimo Francorum Rege miſſi legati, non pro amicitia aut fide (quæ certo Rex noſter, ſcit tibi affutura) ſollicitaturi; ſed in tantarum rerum tanquam prægnantium mole, tuam ſentētiam excepturi. Nam ſicut es huius rei conſultor, promotor & origo; ſic non iniuſte te conuenimus, rogantes principia huius expeditionis diſcernas, mediis conſulas, fini præuideas. Nihil enim Rex noſter te inuito incipiet aut abnuente attentabit; Omnia tuo nutu adminiſtrabuntur; nedum copiæ ipſarumque duces iuſſibus tuis parebunt. Sed & ipſa maieſtas regia conſiliis deferet, voluntati morem geret. Proin rumpe moras, iubeque; ſi ita cēſes, legionēs hyemalibus (iam inſtante vere) educi. Cernes nō tyrones, calones aut lixas, ſed quemlibet expertiſſimum veteranorum gentis Celtiberiæ Hiſpaniarumque, tum florem Galliarum potiſſimum equitum, peditum Alamannorum robur eximium; quibus mors fortiter quęſita ludibrio eſt, nullius periculi terror, non laboris ſatietas, non algoris æſtuſque tædium. Non, inquam, diſcriminis alicuius æſtimatio, his ipſis, non animus aggrediendis in rebus, aut conſilium in gerendis deeſt. Fides quam ſit ipſis ſingularis, præcipua & impolluta ab antiquo perſpectiſſimum eſt, ita vt ſi ſolo eo præſidio fulciretur, vicifſe iam diceres. Quid fiet, ſi vnitas copias, ſi mentem eandē, ſi idem videris placitum & conforme in omnibus conſilium? Non Alpium ſaltuoſi vertices, non vrbium extructiſſima mœnia, non turres nubibus imminentes, non aggerum moles, non arces natura & arte munitæ, non ingenioſa machinarum inuentio aut horridus bombardarum fragor, ipſorū conatus repellet & obſiſtet voluntati. Quare victor, quocunque voles, cum inuicto ibis exercitu. Nec dico Neapolitanus Rex poterit reſiſtere, ſed ne vniuerſæ non modo Auſoniæ, ſed Europæ vires in vnum collatæ obluctabuntur. Tu pro tua integritate & ſingulari prudentia regem (qui tuæ ſe ſubmittit fidei) a perfidia tutum reddes, & ſenties eū non tam ſibi, q̄ tibi & Sforciadis omnibus, viciſſe.

Eiuſdem Reſponſio.

NIl vnquam audiuimus libentius, nil voluptuoſius potuit euenire aut iucundius, q̄ quod Regia maieſtas (cuius nos non profitemur amicum, ſed clientulū) tantum in nobis depoſuit ſpei, tantum fiduciæ & fidei. Faciemus (ſi quicquam in terris fidei eſt) ne ſerenitatē ſuam concepta de nobis fallat opinio, pulchrumq; videbitur exuperare magnitudine operum ſuamet ſponte gliſcentē opinionē, poſteriſq; hęc res erit monimēto liberaliter creditæ, fideliterq; inuētæ fidei. Legiones quamprimū traiiciendas cenſemus, quas tantæ eſſe eminentiæ tantæq; virtutis Regi gratulamur, & lætamur nobis. Negocium.n. etſi regiæ Seren. ſit propriū, non tamen minus ob ſingularē obſeruantiam inclinationemq; non vulgarem, noſtrū iudicamus; vellemuſq; fauſto fine tranſigi, quod maxime celeritate poſſe fieri arbitramur. In ambiguis namq; rebus quæq; fortiſſima cōſilia tutiſſima eſſe conſueuerunt. Ad hoc maior ignotarū rerū terror, maior inſuper animus inferentis, q̄ propulſantis iniuriā; Præterea fama multorū ſæpe bellorū conſueuit eſſe gubernatrix: Sic & nobis non diffidimus poſſe euenire, priuſq̄ hoſtis militum numerū, exercitus amplitudinē reſciuerit; fama omnia adaugebit, gemina ex ſingulis faciēs, Prius ſe ſentiet viciſſe, q̄ applicuiſſe in regnū: Singula ſalubrius euenient, quam aut ſperare poteſt Rex, aut aliquis animo percipere. Hoc enim nobis pauor tyrañi, & regnicolarum feruens deſiderium libertatis, auidaque voluntas excutiendi iugi ſuggerunt. Nos Se-

rea

ren. Regiæ non deerimus. Habita namque fides plerunque ipſam obligat fidem. En vrbem hanc, & municipia Maieſtatis ſuæ arbitrio expoſitas; gazæ & quicquid nobis pecuniarum eſt; nec purpurati eum comitabuntur noſtri, ſed hoc noſtrum corpus mille ſubiicere periculis & certæ morti exponere in animo eſt, ob id non tam in noſtra cõmoda quã in ſua decora nos ſentiet anhelantes.

Præfatorum Legatorum Oratio ad Bononienſ. die 26. April.

ABeuntibus nobis hæc ab inuictiſſimo noſtro Rege mandata ſunt iniuncta, vt cum alios Auſoniæ populos, potentatus, & vrbes accederemus, tum vos, potentiſſimi viri Bononienſes, denunciaturi Regiæ Maieſtatis inſtituta, quæ vendicare ſibi Neapolitanum regnum (quod auito hæreditarioque iure ad eum ſpectat, & iniuſte ab Arragoniæ poſſidetur Regibus) in animo habet. Et cum ad eam rem peragendam fautoribus amicíſque egeat, vos dignos cenſuit, quos tali munere honeſtaret, non dubitans, quin ipſius perſpecta beneuolentia, clementia, & pietate veſtra ſponte in ipſius effectus amicitiam conceſſuri, potius experturi humanitatem animique ſui placiditatem, quam conſternationem & iram. Præſtat itaque diſcere viri Senatorii, à quo mortalium amicitia veſtra expetatur, & amplum vobis eſt ſimul & ſpecioſum, rogare eum qui cogere cuncta poſſet. Ob id ſi vultis conſultum rebus veſtris, ſuademus amice, ei vos fœdere coniungite, qui amicus ſolo nutu eleuare vos vltra alios Latii populos poterit, aut ira percitus in perpetuum ſufferre & deprimere. Vtrum iſtorum experiri malueritis iam in veſtra poteſtate eſt; Paulo poſt in offerentis voluntate erit. Proin dum tempus eſt vobis conſulite. Præteruolat namque perſæpe occaſio, quam paulo poſt nequicquam fruſtra omiſſam quæretis: Nos vobis volentibus certam & perpetuam pacem damus, quam ſi libidine, ignauia, aut negligentia contemſeritis, omnia nunciamus aduerſa; iamque igne, hanc veſtram ornatiſſimam vrbem, mucrone cædes videbitis caſuros, iure belli veſtros ante oculos, in coniuges liberoſque ſæuietur; quæ ſi mente perceperitis, non immerito animus exhorreſcet, incertumque euentum certæ ſtabilique tranquillitati non anteferet.

Reſponſio Bononienſium.

AVdiuimus mandatorum veſtrorum ſummam, quæ, ni magnifica veſtræ gentis verba, animi plus elati quam vtiles, noti nobis eſſent, non immerito terrorem incuterent. Ita enim locuti eſtis, ac ſi vrbem hanc noſque omnes in veſtra haberetis poteſtate, eaq; iã in nos decreuiſtis, quæ in captis hoſtibus exerceri ſolent; Vrbis excidium, ciuium interitum, matronarum infantiumque caſus oculis ſubieciſtis noſtris; quæ ſi omnia eſſent perferenda nobis, noſtriſque ſubeunda, nõ tamen deceret viros in armis & ad arma natos, fumoſis verbis deterreri. Sic namq; temere & imprudenter ageremus recuſare regiæ Seren. amicitiam & fauorem, ſi eum, decentibus nobis verbis, detuliſſet. Sic non iniuſte quilibet fatebitur nos agere, ſuperbi Domini, inſolentis ſocii, tam illicitis mandatis, non parere. Licebit namq; arroganter loquentibus, non meticuloſe reſpondere. Quis Regi, vobis, aut genti Gallorum huius noſtræ vrbis tribuit imperium? quis ei portas aperuit? quis intra pomærium accepit? quæ ſicut nõ facta neceſſario dixeritis: ſic ſubire ea graue vobis erit, difficile, & infauſtum. Dulcis namque libertas eſt, nec, niſi ab inſano, deſeritur; Eam nemo bonus niſi cum vita ſimul amiſit; quæ maiorum noſtrorum ſanguine parta, noſtro cõſeruata. Non verbis veſtris, ſed ne quidem opera auferetur. Quod ſi experiri volueritis, intelligetis (veſtro infelici fato) nobis & ſpiritus & animos eſſe, dignos viris Romanis (à quibus hæc vrbs defluxit) dignos gentis Italæ, dignos, dico, atauorum noſtrorum claritudine. Nec libertas nobis ſpirantibus periclitabitur, nec mœnia, aggeres, aut propugnacula huius ciuitatis, inuictæ dexteræ ferrum præacutum, nos à vobis periclitari ſinent. Quare ſi amice veneritis tranſitus per municipia noſtra minime (bene ſoluentibus) denegabitur: Quod ſi in tumida hac veſtra ſuperbia perſtiteritis, & amicos & inimicos, vtrum elegeritis, perferre vos poſſumus.

Ad Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem Oratio, habita 4. Maii.

FIt partim natura, partim inſtinctu ſidereo, partim præcedentibus officiorum meritis, vt homo homini plus inclinetur; Quorum neutrum inter te, Hercules Eſtenſis, Chriſtianiſſimumque Francorum Regem, deſiderari poteſt. Virtuoſus namque plerumq; virtuoſo coniungitur; Et morũ conformitas præcipuum & tenaciſſimum amicitiæ conſueuit vinculum eſſe; quæ ſicut Lælium Scipioni, Pomponium Graccho; ſic Herculem Carolo iunxit. In vtroque enim emicat animi magnitudo ſingularis pietas, inſignis comitas, præcipua ſanctimonia, aurea æquitas, liberalitas, prudentia, prouidentia. Et virtus merito extollendæ, quæ tanta vos firmitate colligarunt, vt veſtro ſeculo non poſſit diſſolui. Quod ſi vltra iſta merita deſideras, neſcio an vnquam eſſe, aut extare poſſunt maiora, quæ inter vos ambos maioreſque veſtros queunt recenſeri. Quæ ſicut notiſſima & cognita omnibus populis, quando annales omnes ipſis ſunt referti, prætereo. Cæterum ad rem veniendo, hoc Regis noſtri nomine à te rogamus, velis Seren. ſuæ in hac ſua iuſtiſſima expeditione, auxilio contra ſæuiſſimum tyrannum eſſe, vt eum deturbare, vendicare ſibi regnum ſuum poſſit. Sua namque ſæuitia & crudelitas & Deo & hominibus eſt inuiſa, qui Chriſtianiſſimum Regem excitauit, vt mulctam irroget, vt ſua iuſtitia violentiſſimam tyrannidem eradicet & extirpet. Cui ſi pro virili affueris, non te officio & beneficio priorem certauiſſe, pœnitebit.

Eius Reſponſio.

NOn ignorarimus, quæ familiaritas vel potius neceſſitudo inter priſcos Francorum Reges, noſtroſque maiores fuerit. A quorum inſtituto, ſicut in cæteris, non degenerauimus; ſic in hac re haud quaquam, inferiores reputabimur. Regiæ maieſtati cuncta noſtra patebunt. Nec nos inoffi-

cioſi erga eam erimus; omnia haud cunctanter ſubibimus, quæ iuſſerit ipſe, aut quæ grata ei fore intellexerimus; quæ ſi nos animaduerterit verboſius iactantẽ, quam virilius exequẽtem, filius (quem ob fidem ſuæ maieſtati dedimus) perfidiæ pœnas luet; is ſuo ſupplicio noſtrum delictum expiabit. Nec nos deprecamur quo minus in nos fiat animaduerſio; quod ſi conſtantes nos viderit, firmos & fideles, vt certo faciet, credimus non vanas ſuas pollicitationes futuras.

Ad Franciſcum Gonzaga Marchionem Mantuanum, die 12. Mart.

NOn æquo fert animo Rex noſter, Franciſce Gonzaga, Princeps illuſtris, ita ferre diſpenſatricẽ rerum humanarum fortunam, prius enim tibi oneri quam vſui eſſe, prius petere quã conferre beneficium. Sed cum hanc quoque nouit amicitiæ ſpeciem eſſe, vt confidenter ab amicis res quæq; neceſſariæ expetantur, eam hoc tempore amplecti non erubeſcit, rogatq; cum anni tibi ſint militię habiles, compacta membra, corpus ſolidum, ſtatura iuſta, & à militari cultu non abhorrens; inprimis experientia bellica & rei militaris non mediocris cognitio, velis ipſius auſpicio contra Neapolitanum ſubditiтium Regẽ militare. Quæ res cum honori, tũ vtilitati tibi erit non modicæ. Æs enim menſtruum, & tibi, & tuis ex ærario numerabitur. Et ſi Opt. Max. optatum finem rebus impoſuerit, & te, tuoſque ſpes & alta & indubia manet. Experiere namque quam ſint Galliarum Reges in eos, qui eorum inſequuntur fidem, liberales, aduerſis in rebus conſtantes, ſecundis propitii.

Eiuſdem Reſponſio.

SEriẽ veſtræ legationis intellecta optaremus poſſe deſideriis Regiæ Maieſt. nos condeſcendere & obtemperare voluntati. Sed cum fides inprimis ſit exoluenda, eam Venetis Senatorib. obſtrictam, illæſam præſtare conuenit. Annuam namq; operam auro à nobis emerunt. Quare nõ poterimus ſimul Regiæ Maieſt. morem gerere & ſatisfacere pollicitationibus, quod ſi Regia dignitas eos anteuertiſſet, inclinatiores fuiſſemus ipſi gratuitam, quam illis mercenariam operam exhibere.

Oratorum Regiorum ad Florentinos 21. Maii.

ILluxerunt tandem optati dies quibus inuictiſſimus Francorum Rex amorem pietatemq; in vos ſuam, vos, fidem & obſeruantiam in maieſtatem ſuam, declarare poteritis. Quadrageſimus namque fere circumagitur annus, cum anteceſſor ſuæ Seren. in recuperationem regni ſui aſpiraret; vos memores quod Galliarum Reges, hanc veſtram pulcerrimam vrbem (quæ à finitimis populis deleta & diruta fuit) ſuis opibus reſtaurarunt, & ſemotis ruderibus cõdiderunt à nouo. Ita ipſi affuiſtis, vt veſtro auxilio & potiſſima opera, ficticium Regem, regno eiiceret. Quam ſuam & veſtram victoriam tam claram, cum Papa Pius ingenio plus quam viribus dehoneſtaſſet, ita quod non fugienti, ſed cedenti ſimilis, reſiduas copias in Galliam traducere cogeretur, non modo eum ſpe ſua, ſed & vos veſtra fraudauit, idq; effecit, vt regia Maieſt. vobis bene merentibus nihil, (quod tamẽ maxime cupiebat) pro tali munere talique merito boni refunderet; quod ne medio quidem tempore ob ingentem locorum diſtantiam, maximam viarum intercapedinem fieri potuit. Sed non tam remouiſſe, quam diſtuliſſe vobis iniqua ſors tam iuſtam mercedem videri poteſt. Quod enim Rex Carolus ei expeditioni ſe accingat, certe vobis cõſtare ſcimus, vt puto, qui millies ex literis ciuiũ veſtrorum (in Emporiis Galliæ commorantium) contractum exercitum, collectos milites, collegeritis. Et cum iam copias credamus alpes exuperaſſe, facile conicietis, eas quam primum vos apud futuras, quibus ſibi regnum, vobis dominium Etruriæ eſt vendicaturus. Quare non tam ipſi opem feretis, quam vobis ipſis conſuletis. Nam ſi non pudor, certe tædium vobis deberet irrepere, q vos iniuriis Pontifices, aliq; molliſſimi Sacerdotes (qui rebus præſunt) affecerint, q̃ impie laceſſiuerint, terruerint ſæpe, quibus merito vos terrori eſſetis. Ob id expergiſcimini, & arma capeſſite, regi regnũ, vobis non ſolum immunitatem & perpetuam libertatem, ſed maioris partis Italiæ dominium parturi.

Reſponſio Florentinorum.

FVit huic ordini acceptiſſimum & iucundum auditu, quod tandem (etſi ſerius quam volumus) Chriſtianiſſimus Rex è ſomno ſit experrectus; quod id petere intendit, quod omni iure Pontificio. Cæſareo & ciuili, ad eum ſpectat. Nos anteceſſoribus ſuis non defuimus, nec ipſi, quoad poterimus, defuturi ſumus. Hoc enim merita (quæ partim recenſuiſtis) expoſtulant, partim ingruentia pericula quibus ſubfuimus, & quorum ſperamus finem, nobis perſuadent. Poſt eum namq; diem (quem expreſſiſtis copioſe) quo Regiæ Ser. contulimus quicquid virium nobis & pecuniæ fuit, vt leuius à ſolio Ferdinandum detruderet, nihil nobis in tota Italia amicum fuit, nihil non aduerſum. Pontifices namq; omnes, nos eos deſeruiſſe, exteræ adhæſiſſe nationi, queſti ſunt. Hoc Rex ipſe, hoc Duces, vrbes, Potentatus & populi. Cuilibet inuiſum fuit Florẽtinum nomen, omnes in noſtram pernitiem anhelarunt: quilibet gloriæ ſibi aſſcribebat, ſi nos ciueſq; noſtros inſigni quadam læſiſſet offenſa. Hæc omnia ea animi æquitate tulimus, vt nemo ſe Regi veſtro in amicitia prælatũ poſſit dicere, ſemper id, quod nunc caſus offert ſperantes. Quod ſi longius fata diſtuliſſent, non tamẽ nos pœnituiſſet quæque duriora perferre propter Regem & ipſi adeſſe, inimicis obeſſe exiſtimaſſemus decorum. Aduentus gratus eſt & optatus, quem pro virili noſtra conabimur (licet in ſe ſit luculentiſſimus) auguſtiorem reddere, vrbem ſingulaque in ea contenta ſuo arbitrio ſubiicientes, & nos in ſuam offerentes poteſtatem.

Ad Senenſes Oratio, vlt. Maii.

DEclaraturi breuibus Regis noſtri voluntatem & noſtri aduentus cauſam, hoc vos, Præſides huius inclytæ vrbis, rogamus, vt patiamini Regis noſtri copias per veſtra caſtella deduci,

duci, vt ipſis pacifice venientibus tranquillus ſit aditus, ſecurus diſceſſus. Non ciuem non municipem, non colonum offendent. Vltra ea Regis eſt animus, vt omnia quæ ipſis venduntur ſoluantur ad vnguem: Quod ſi quis non fecerit, ſentiet ſe Regis indignationem & ſui corporis pœnam incurriſſe, quam maximo ſuo cum malo diluet & exſoluet. Præterea optat maieſtas Regia vt frumento, quo maxime abundatis, alatis copias. Nam ſicut horreum Romanorum Sardinia & Sicilia fuerũt; ſic in neceſſitate hac veſtram vrbem Serenitas regia elegit; Cui ſi ex fide affueritis, cumulatius olim tantorum meritorum fructum refundet.

Reſponſio Senenſium.

IVxta deſiderium Regis veſtri, pollicemur tranſitum copiarum ſuarum, tutum fore & ſecurum; Frumenta ad vſum neceſſaria, ſumus precio vendituri; gratuita namq; contribuere, nec ex re ſacri Imperii (cui ſubeſſe nos fatemur) nec ex fide noſtra eſſet. Vectigal enim pendere, ſubiectionis eſt ſignum. Et cum nulli præterquam Cæſareæ Maieſtati ſubſimus, eo inſcio quicquam polliceri, ſicut illi eſſet infructuoſum; ſic nobis inhoneſtum. Horrea alibi Rex veſter quæret, nec in meſſem alienam inmittet falcem. Imperio namque ſerentibus, eidem metere conuenit & æquum eſt.

Ad Alexandrum VI. Pontif. Oratio Legatorum Caroli Francorum Regis. 12. Iul.

SÆpe Oratoribus, ſæpius literis, apud te, Alexander Sexte, ſollicitauit Rex noſter, quod annueres auxilioque eſſes, vt Regnum ſuum Neapolitanum (quo multe eum ſpoliarunt Reges Arragonum, eoque in hunc vſque diem, contra ius faſque & honeſtum potiuntur) conſequeretur. Credebat te tam licitis ſuis deſideriis obtemperaturum, & id agere ne Chriſtiani principes bello implicarentur. Sed cum plane videat ſe omnia ſurdis auribus cecinilſe, ferro decreuit curare vulnera, quæ non ſentiunt beneficia medicinæ; Noſq; iterum ad te miſit præcipiens, te admoneremus, vt S. ſuæ voluntati non incautius reluctareris: Quod ſi non poſſemus perſuaſionibus apud te efficere, vt tibi & tuis denunciaremus bellum; quod Regem noſtrum non minori animo, quam nos denunciamus, geſturum confidas. Nec tibi perſuade, eam gentem, quæ florentes Romanorum res ſæpe perturbauit & ſubuertit, vrbem hanc diruit, populi orbem terrarum dominii inuictum exercitum fudit, deuicit Lucium Papirium, Torquatum, illuſtres Fabios, cæteroſque præſtantiſſimos belli duces, puſillanimes Sacerdotes (qui molliciei & deliciis inſueti, bella timet) euerſuram. Pet ne ſperare te & effœminatos tuos complices, poſſe contueri explicatos regis noſtri ordines? quorum cõgreſſum Camillus, Marcellus Fuluius & Africanus ipſe Scipio exhorreſcerent? Quid dixero ſi manus conſerere inceperint? qui ſi iaculis eminus, cominus gladiis res gerunt? quid, inquam, ſi inſita gentis more ferocia quem libet obuium proſternent? paſſim mortes mortibus accumulabunt? cadaueribuſque cadentium explebunt aceruos? hocne viri illecebris dediti, inter exoletorum ſcortorumq; gregem enutriti, perferent? Tu crede, non primum ſuſtinebis tu multum, votiſque Deos venerabere ſeris, tunc cum omnia perſtrepere armis cernes, pacem ſæpe tibi oblatam petes, quam non daturus eſt aliquis, aut vllas conditiones eius auditurus. Quare proteſtamur, volumuſque omnibus Chriſticolis palam eſſe, Regem noſtrum non contra Eccleſiam, quam ſanctiſſime colit, humiliter reueretur, ſed contra te, tuamq; te obſtinatam petulantiam, arma moturum. Bello itaque te accinge, quoniam pacem perferre non potuiſti.

Reſponſio Pontificis.

SEdulo legimus, multoties audiuimus, legatos I. G. tutos eſſe debere; quod ni ſciremus à priſcis obſeruatum & tranſfuſum ad hæc noſtra tempora, iam ſceleſtam linguam, quæ tot nos iniuriis laceſſiuit, faucibus fueremus euelli veſtris.

Sed vincet modeſtia, humanitas noſtra veſtro errori conſulet & auxilio erit. Nam longe pulcrius nominus ſeipſum vincere, motuſque animi reprimere, quam de hoſtibus reportare triumphum, quod hodie facere in animum inducemus, ea tamen lege, vt poſthac verbum dicatis nullum nobis contrarium; alioquin ſtulticiæ veſtræ & proteruitatis congruentem pœnam cum fœnore reportabitis. Minas floccifacimus, ſcientes hoc natura vobis inſitum, quod ventoſi tumidique ſitis, omnia agentes virilius verbis quam opere. Nam quod fortia recenſeris maiorum facta, turpius vobis eſt quam honeſtius, & plus dedecoris quam decoris in ſe habet. Nihil enim ab his quam nomen accepiſtis, gloria, fama, hono. & virtus, cum ipſis expirauere, & tumulis ſunt incluſa. Gallos quis vos fuiſſe, recte dixerit, nunc effectos gallinas, ſi maiorum magnanimitatem, veſtram ſocordiã & torporem conſideret. Sicut enim Camilli apud nos eſſe deſierunt, ſic & Brennus apud vos inuenietur nullus, niſi quis crapula, gula aut libidine gloriam quæſierit. Quibus vos maxime artibus præcellere, conſtat & clarum eſt, in pace tumultuoſi, in bello ſegnes, verbis magnifici, facto ignaui. Si enim Rex veſter ad nos venire decreuit, non dehortamur quo minus faciat. Nuſquam namque legitur diuturnam veſtræ gentis victoriam fuiſſe, quæ ſemper turpius victa eſt, quã glorioſe vicit. Vos nec vincere nec vti victoria ſcitis, in eo maxime à parentibus differentes, quod illi vincere aliquoties; Vos nec vincitis, nec hoſtibus incutitis terrorem. Proni venite modo; quod quatriduo venientes expleſtis iter, vno die fugientes perficietis, nec prius à cedentibus manus continebimus, quam ad internecionem deleti omnes ſitis, &c. Furentem ira, pluraque & atrociora conantem dicere, circumſtãs Cardinalium cœtus precibus deliniens, cœpto mouit.

Ad Vrſinos Oratio.

TAntæ bonitatis eſt Rex noſter, vt quemlibet vel inimiciſſimum ad amicitiam hortari non poſthabeat. Sic nos ad vos miſit, ſpectabiles Vrſini, præcipue ad te, Virgili, qui ſicut caput es gentis,

ita periculo propior, vel (ſi reſipueris) vtilitati vicinior; rogatq; non Regem Neapolitanum (qui titulo caret fraudulenter potitus poſſeſſione) ei vero legitimo & naturali regi in amicitia anteferatis. Hoc toti veſtræ genti ampliſſimum erit, & fructuoſum; Totum namq; Capuanum Ducatū poſt victoriam quæ haud ſegnis erit) vobis gentiq; Vrſinorum daturus eſt, quem conſequi Regis pietate, veſtra opera & virtute conſultius erit, quam omnia à maioribus parta obſtinatius amittere & veſtræ gentis videre interitum graue vobis erit cum augmentum oculis proponent.

Reſponſio Vrſinorum.

CONſilium veſtrum non reprehendimus vt inutum, nec Regis pietatem incuſabimus; ſed ſicut gloriæ ei eſt, condonare iniurias, ignoſcere errori, parcere inſcitiæ; ſic nobis nō in poſtremis laudum numerabitur, non minus ſancte exoluiſſe q̄ fideliter obſtrinxiſſe fidē. Regi nos Neapolitano adhęrere certum eſt, nec prius deſerturos quā ſorores vitæ noſtræ præſciderint ſtamina. Quæ noſtra fides ſicut Neapolitano Regi erit accepta; ſic Regi veſtro pro ſua prudentia, non debet eſſe ingrata. Nihil enim ſcelestius, nil flagitioſius ingrato homine; à quo vos vitio (cum multa inſignia Neapolitani regis in nos extent beneficia) penitus volumus alienos, morique honeſte, quam viuere turpiter ſatius erit.

Ad Ferdinandum Arragoniæ & Neapolitanum Regem Oratio, habita 26. Iulii.

IVre gentium eſt inſtitutū, vt bella per feciales populis Regibus & Principibus (qui hoſtes eſſent) indicerentur. Sed cum te non fugiat, Ferdinande, Chriſtianiſſimum Galliarum Regem hoſtē tibi eſſe, perpetuoq; futurum quoad non ceſſeris poſſeſſione regni ſui, quod contra ius faſq; violenta manu vſurpaſti; Vltra ea te non fallit quam inuiſus ſis tuis, quam à populis circumiacentibus deteſteris, quam inſuper potenti manu, forti & præcelſo brachio contra te Carolus Rex noſter veniat, vt non, ſi ſum̄um Iouem habueris propiciū aut Martem adiutorem, cōſulere rebus tuis poſſis. Ex re tua eſſe cenſemus vt clementiā venientis quam iuſtam iram vincētis, experiaris. Fortaſſis ſi te ſupplex ſibi ſubmiſeris, ſi pronus genua amplexaberis, veniāq; rogaueris, an quæ poſſint inueniri pacis conditiones, quæ ſuæ maieſtati non nocituræ ſint, tibi vtiles. Aut enim regni tibi dare poſſet partē, aut tributo impoſito, toti præficere. Reſiſtendi ſpes nulla eſt, veniæ aliqua; quam ſi non petieris priuſquā copias adduxerit, poſthac nequicquā implorabis. Rara enim parta victoria deſeritur, ſperata aliquando conditionibus immutatur. Quanti igitur ſit momenti ſubmiſſio, Maſiniſſa exēplo eſſe deberet, qui exutus regio decore, fama, & fortunis omnibus per Romanos (quorum ante hac inimicus fuerat) reſtituitur; à quibus veniam ſupplex rogando eo vſq; creuit, vt nullus ei Rex ex coætaneis veniret æquandus. Porus, videns res ſuas vergere ad occaſum, victori Alexandro detulit, à quo omni immunitate donatur; quod ſi vires fuiſſet expertus, Dario ſimilis occubuiſſet miſere, aut exulaſſet in æuum. Quid de Antiocho, quid de aliis Regibus dicemus, qui id præſidii inuenerunt inermes ſupplices, quod ſperare armati non potuiſſent; Quorum ſi exemplis inniteris, prudenter rebus tuis conſules. Quod ſi non feceris, iam vaticinamur, te caſurum, vt nullus ex poſteris tuis extollat caput. Non enim ſi omnes Auſoniæ copias contraxeris, Regi noſtro poteris reſiſtere, qui tanta eſt militum virtute circumcinctus, tali vallatus præſidio, vt ne ſæuus Hannibal, durus Hector, aut immitis Achilles ei poſſent obſiſtere. Quare vnum fac è duobus, aut regno ſponte cede, aut ora veniam, quorum alterum ad minus vitæ tuæ conſulet. Quæ ſi omiſeris, nec fuga tibi expedita erit, nec reſiſtendi copia; Et ſero laudabis conſilium noſtrum, & tibi imprecabere.

Neapolitani Regis Reſponſio.

FAceſſite hinc omnium mortalium flagitioſiſſimi, cum funeſtis veſtris & ſceleratiſſimis conſiliis. Vix enim nobis imperamus, vt à vobis abſtineamus manus, aut mille vos ſubiiciamus tormentis. Tantum enim petulanti lingua effudiſtis ſcelus, vt præter ius gentium vitæ veſtræ nihil conſulat. Vos ne ſuadere audetis, eo nos regno cedere, quo nos omnes Chriſtiani Principes (vel Dii ipſi irati) ſpoliare non poſſent? Creditis nos veſtri eſſe ſimiles, qui omnia fortiter incipitis, ignauiter perficitis: magnum diſcrimen in Italos, Galloſq;, ipſa natura voluit, quæ alios ad acquirēdam gloriam, ad amittendam cæteros progenerauit. Sicut namq; Itali principio & rerū aggreſſu fortes ſunt, mediis fortiores, fine fortiſſimi; Sic Galli principio quandam magnanimitatis oſtendunt ſpeciem, quę medio languet, fine conſeneſcit. Et ſicut in primo conflictu, viros æquatis, vel ipſis eſtis præſtantiores; ſic fœminis durante prælio molliores. Nec confidite nos ob eam rem vos extimeſcere, quod gloriamini veſtros maiores ſubegiſſe Italiam, diruiſſe Romanam vrbem. Nihil namq; conducit, parentum memoriam claram, filiorum deformem & ſpurcam eſſe.

Non enim non vincere daremus vitio, ſi id modo caueretis, vt vos non vinceremini. Sed quoties Britannorum Rex, Burgundiorum Dux, aliiq; accolæ vos noſtris temporibus vicerunt? qui etiam caput regni veſtri Pariſium corona cinxere, vrbem preſſerunt grauiſſima obſidione, Regē mœniis includentes, quarum ſe altitudine eſt tutatus. Sed vetera fortaſſis nimis recēſemus, quæ noſtro tamen æuo euenerunt. Videamus quot Gallorum equites, à paucis admodum Diui Maximiliani peditibus ſunt deleti? Conſideremus quot ex gentilitiis veſtris, Albert. Dux Saxonū inclytus, ſubmiſerit orco, qui parua manu toties vos coniecit in fugam, tot de vobis reportauit trophæa & egit triumphos; hæcne ſunt facta viris extimeſcenda? hæcne gloria tanta pompa prædicanda? Cum fœminis vix poſſitis reſiſtere, viris vos ſperatis poſſe incutere terrorem? Digni Sardanapalo rege, cui ſicut ignauia, mollitie & illecebris pares eſtis, ſic animo inferiores. Proni agite, veniat regulus veſter, cuius perſonam animi veſtri æquant, Et nobis pera eſt, quæ captum eum excipiet; Vos cæteri ſcalis gemoniis addicemini, gulæ ſingulorum laqueo infringentur, artuſq; collidet rota. Edi-

Edictum Regis de Expeditione ſua in Italiam.

CArolus Dei gratia Francorum Rex, vniuerſis Chriſti fidelibus patentes (fort. præſentes) litteras inſpecturis, zelum Catholicæ fidei & ſalutem in Domino ſempiternam. Conſiderantes attentius, & intra noſtræ mentis arcana ſæpenumero reuoluentes innumerabilia damna, & incommoda, cædes & ſtrages, ac nobilium ciuitatum, & fidelium populorum deſolationes & deuaſtationes, ac plurima alia horrendiſſima facinora, quæ ſpurciſſimi Turci in ſanguinem Chriſtianum inceſſanter debacchantes à quinquaginta añis citra, vt à maioribus noſtris profecto fide dignis viris didicimus, inhumaniſſime perpetrarunt: cupientesque more progenitorum noſtrorum, Francorum Regum Chriſtianiſſimorum, tantis ſceleribus, quæ ipſi perfidiſſimi Turci religioni Chriſtianæ continue minantur, pro virib. occurrere, ac eorum ſitibundam rabiem totis conatibus reprimere, poſtquam placuit Altiſſimo in Regno ac Dominiis noſtris ſuam pacem ponere, & illa tranquillitate potiri: propoſuimus pro repellendo Turcorum eorum furore rabido, & recuperandis Terra ſancta & aliis Dominiis, per eos Chriſtianis Principibus & populis, ablatis, propriis perſona ac laboribus facultatibusq; non parcere. Quin imo dilectiſſimis vxore, ac vnico filio noſtris, Regnoque ampliſſimo, pacifico & opulentiſſimo, etiam præter voluntatem Principum & Procerum Regni noſtri relictis, ſtatuimus cum adiutorio Dei, cuius cauſam amplectimur, ac Summi omnium Chriſtianorum Pontificis & Paſtoris, nec non Principum & aliorum Chriſti fidelium præſidio, hoc ſanctiſſimum opus fideli deuotione & magno animo aggredi.

Quod quidem ſanctum propoſitum diuina credimus inſpiratione noſtro cordi fuiſſe infixum; nec arbitretur quiſpiam, vt ad occupandum quorumcunque Principum vel populorum dominia, aut ciuitates opus hoc tam ſanctum, tamque laudabile aggrediamur, ſed vt ipſe Deus ineffabilis verus teſtis eſt, hoc ſolum ad eius laudem & gloriam, ſuæque fidei & Chriſtianæ religionis exaltationem & ampliationem amplectimur, ſperantes in ipſo Deo, à quo omnia perfecta opera perfectionem ſuſcipiunt, nos hoc ſanctum deſiderium noſtrum ad optatum effectum perducturos.

Sed quod Regnum Siciliæ, quod Neapolitanum appellatur, ſæpius per progenitores noſtros à manibus infidelium, & aliorum Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis hoſtium ereptum, & eidem Eccleſiæ reſtitutum fuit, & de quo ipſi progenitores noſtri viginti quatuor inueſtituras, videl. viginti duas à diuerſis Romanis Pontificibus, & duas alias à duobus ſacris generalibus Conciliis receperunt, & quod ad nos iure hæreditario pertinet. Quamuis Pius Papa II. volens ſuos ex humili plebe natos ad Principatus faſtigium extollere, Regnum ipſum noſtris contra iuſtitiam abſtulerit, & illud quondam Ferdinando de Aragonia conceſſerit, ad oppugnandum dictos perfidiſſimos Turcos præcipue per portum Valonæ, & nonnulla alia loca nobis facile ingreſſum præbere poterit, illud Deo opitulante intendimus recuperare, vt nobis & noſtris facilis ingreſſus & egreſſus, ac tutum præſidium eſſe poſſit.

Nec intendimus propterea almæ vrbi Romæ, prout modernus Alfonſus de Aragonia, & ſui prædeceſſores, alius Alfonſus & Ferdinandus, magna temeritate & rebellione eam obſidendo fecerunt aut aliis terris Romanæ Eccleſiæ præiudicium aliquod ſeu damnum inferre, ſed illam & ipſius Eccleſiæ ſubditos pro illius & Apoſtolicæ Sedis honore & reuerentia, ab omni damno & iniuria pro poſſe noſtro illæſos conſeruare, more dictorum progenitorum noſtrorum, quantum cum Deo poterimus, potius adaugere.

Quia vero pro dicto Regno recuperando, & noſtro ſancto propoſito exſequendo, pro faciliori & breuiori via ad Vrbem prædictam veniendo, per nonnullas terras dictæ Eccleſiæ tranſitus ſit nobis faciendus. Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Alexandrum diuina prouidentia Papam Sextũ, ac Sacroſanctũ Romanæ Eccleſiæ collegiũ, nec nõ quarumcunq; ciuitatum, oppidorum terrarũ & locorum eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Rectores, Gubernatores, Poteſtates, Officiales, ciues, incolas & habitatores quoſcumq; in Domino requirimus, & hortamur, & obteſtamur, ſaltem, quemadmodum hoſtibus noſtris, & in hoc ſacro propoſito nobis aduerſantibus, fauores & auxilia, quæ potuerunt, præſtiterunt, & præſtant, ita nobis & noſtris liberum ingreſſum & egreſſum per ciuitates, oppida, terras & loca prædicta, ac victualia neceſſaria noſtris ſumptibus & expenſis exhibere dignentur. Niſi enim nos in hoc ſaluberrimo opere impediuiſſent, credimus iam vrbem Neapolim & magnam Regni partem expugnaſſe; & in principio veris proxime futuri fines hoſtium ingredi potuiſſe.

Si vero ingreſſus & egreſſus, ac liber tranſitus, & victualia, nobis & noſtris ſoluendo debita precia, fuerint, quod non credimus, denegata, nihilominus conabimur totis viribus meatum inuenire, & capere, & victualia neceſſaria, quibus poterimus mediis, proteſtantes ſolenniter de nobis, ad culpam non debere imputari, ſed potius illis, qui perfida iniquitate de fide noſtra non recte ſapientes, noſtrum pium & ſanctum propoſitum voluerint impedire.

Proteſtamur inſuper de iniuriis Deo & nobis faciendis, damnis quoque & intereſſe per nos propterea iam incurſis, & ſi quæ in futurum incurſuri fuerimus. Quas proteſtationes proſequemur coram vniuerſali Eccleſia, ac Principibus totius Chriſtianitatis, quos conuocare intendimus pro hac ſanctiſſima expeditione Deo duce feliciter ad implenda.

In quorum omnium fidem patentes literas fieri, & per Notarium publicum ſubſcribi & publicari, noſtrique Regalis ſigilli appenſione muniri fecimus. Datum Florentiæ, die 22. menſis Nouembris, Anno Domini 1494. & Regni noſtri 12.

VII.

Anno Domini 1507.

ACTA INTER MAXIMILIANVM I. IMPERATOREM, ET REGEM FRANCIÆ LVDOVICVM *XII.* coram Papa Iulio *II.*

ANno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Rex Romanorum Maximilianus ſcripſit Domino Iulio Papæ II. & cætui Cardinalium, ſe aduenturum in Italiam, vt damnatis Ludouici Francorum Regis XII. deſideriis occurrat, qui & Imperio Italiæ inhiare, illudque affectare, nec non Summum Pontificatum in Franciam, quo temporalibus ſpiritualibusque pro voluntate vti poſſet, transferre conaretur: idque agere Cardinalis Amboſiani, Sedis Apoſtolicæ Legati, iuaſu, qui ſedem Apoſtolicam, Summo Pontifice non ſolum ſuperſtite, ſed vi prius expulſo, ambiret: idque Regem Franciæ tot milibus armorum coactis facile effeciſſe, niſi rumor aduentus Regis Romanorum terrori illi fuiſſet.

Ad hæc Rex Franciæ per Dominum Guilhelmum Ludonienſem Epiſcopum & Albertum Principem Carpi, eleganti oratione reſpondit: Quod Rex Romanorum Oratoribus Regis Franciæ non quidem vulgaribus, ſed quibus ſecretiora committuntur, ſæpius Imperium Italiæ obtulerit, & cum eis inſtantius egerit, quatenus Rex Franciæ huic animum adiiceret: Electores Imperii minime refragaturos: ſe quoque daturum operam, vt in eam ſententiam deſcenderent. Cui Chriſtianiſſimus Rex ſua ſorte contentum, nihilque præterea ambire, Regnum Franciæ & hereditaria alia dominia ſua ſatis ſuperq; ſibi eſſe reſpondit; nullaque ratione illi perſuadere potuit, vt animum ad id inflecteret &c. Non nullos etiam Potentatus ditioni ſuæ ſeſe dedentes non admiſerit.

Scripſit præterea Rex Romanorum, Regem Franciæ frequentem exercitum Sedis Apoſtolicæ cauſa in Galliam transferendæ coegiſſe, & Cardinalem Amboſianum nec abnuentem in Papæ etiam viuentis locum ſufficere voluiſſe.

Reſpondetur pro Rege Franciæ: Quod & Regio titulo & ſuis in Sanctam Sedem Apoſtolicam ſtudiis vere ſit Chriſtianiſſimus, & filius Eccleſiæ primogenitus. nec velit affectu, deuotione, amore, obedientia & fide anteceſſoribus cedere, verum illos non æquare modo, ſed & longo interuallo anteire. Et ne fruſtra gloriam ſibi aſcribere videatur; fuitne alicuius rei admonitus, Beatiſſime Pater, quo foret quieti, gloriæ, dignitati, nec non & incremento imperii huiuſce Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, pro qua non omnes vires & neruos intenderit? Poteſtne è regione vel tantula quidem in te notari, vbi ab amore, affectu & fide deflexerit, aut vacillauerit? Vocatus à te, Beatiſſime Pater, anno ſuperiore, vt Bononiam ab ſuis maioribus ærario Apoſtolico donatam in fidem Eccleſiæ redigeret. quanta celeritate & animi promptitudine, oportuno etiá tempore id egerit, quid recenſere opus eſt, de iudice & tot Reuerendiſſimorum Dominorum teſtimoniis? Fertur Sereniſſimum Romanorum Regem tunc temporis ſuppetias pariter Bononienſibus ferre voluiſſe. tria namque Germanorum milia Tridentum præmiſerat; quos victoriæ certior effectus ad ſe recepit. Sedine Apoſtolicæ, an vt Bentiuolis & complicibus conſuleret, alii iudicent: mearum non erit partium nunc diſcutere. In mentemne venit, Beatiſſime Pater, quod cum in minoribus ageres, te vt amicum non dilexit ſolum, ſed & coluit & obſeruauit: nunc autem vt patrem, & quidem beatiſſimum, & Saluatoris Ieſu Chriſti Vicarium, totiusque Catholicæ Eccleſiæ præſidem, veneratur & ſuſpicit. Cuius pedibus aliquando obuolutus in te petram illam vnicam baſibus Eccleſiæ ſubſtratam, reprobatam prius, ſed à Domino mirabili diſpenſatione in caput anguli compactam recognouit; ac obedientiam præſtitit. Tibi (inquam) ergo inſidiari ne potuit is? cui prouiſio tua diu ante in deſideriis, & quæ illi ſupra vota fuit, vbi reſciuit, eamque omni honoris genere proſecutus eſt.

Quid ineptius & à vero alienius dici excogitariue poteſt, Regem Franciæ ea mente exercitum coegiſſe? quaſi in domandis Liguribus res nouas molientibus nullum illi negotium eſſet. Quodque timore Romanorum Regis exercitum diſſoluerit? quaſi ſcilicet bello confecto, & ante vanum hunc rumorem, id factum non ſit. Nulla Romanorum Regis domi foriſue tam præclara geſta ad hanc vſque diem extitere, ob quæ non ſolum Regi Francorum, qui contra terrori illi ſemper fuit, ſed ne aliis quidem non conferendis Principibus timori eſſe debuerit. Non ea belli gloria excellit, vt iure gloriari poſſit, Regem Franciæ aduentus ſui rumore perterritum exercitui commeatum dediſſe, niſi forſan ea eſſet natura Chriſtianiſſimus Rex, atque infantes, quibus matres aduentum lupi aut lamiæ minitantur, vt illos ad earum ſinum alliciant ac pertrahant. Quod ſi verebatur Rex Franciæ, cur exercitum remiſiſſet, cum ſciret illum hoſtili animo Italiam petere? debuerat ſibi potius & rebus ſuis conſulens exercitum non ſeruare ſolum, ſed & augere. Quæ autem cogendi exercitus cauſa Chriſtianiſſimo Regi fuerit, Genua indomita domita & inuicta victa teſtatur. An vt Pontificem à ſede dimoueret? Quod ſi eo fuiſſet animo Chriſtianiſſimus Rex, parta victoria,

Ronanorum

Romanorum ne Rex obſtitiſſet? huius non tam præſentanea ſunt auxilia, vt vel ſuos finitimis in locis iuuare tutariq; poſſit. Non conſueuit Chriſtianiſſimus Rex tam frequentibus ventis aut nubeculis Regis Romanorum, à quibus non facile imbres defluunt, moueri. nec ſunt illæ nubeculæ, vt Fabiana nubes. nam nec cunctatio eadem illi, quæ Fabio.

Præterea vnde hæc tam repens & momentanea mentis immutatio Chriſtianiſſimo Regi, vt in Sanctitaté tuam armare manus voluerit? quid cauſæ interceſſit? quæ ſimultatis & odii ratio? Paulo ante ſuo beneficio Bononia te recepit. quid noui obrepſit, vt vel Sanctitaté tuam ab paterno in eum amore immutare, aut Maieſtatem ſuam ab filiali deuotione auocare compulerit? Quid tu illum interpellaſti, illeq; te rogauit, ꝙ non vterq; vltro conceſſerit? vt viſa fuerit inter patrem & filiũ mutua beneficiorum concertatio. Non eſt, non eſt, beatiſſime Pater, Regum Franciæ, tam inexpiando facinori manus dare; quibus proprium eſt omni humilitatis officio exules Pontifices aut Eccleſiæ columnas recipere, reſtituere & alere. Quibus autem contrarium aliquando cordi inſederit, videre licet. Negatum eſt omnibus, quid bonæ memoriæ Carolus VIII. in Alexandrum VI. egerit: q abalienatæ in Regem voluntatis, vel ſui conſcius, aut ꝙ æmulis ſuis nõ ſatis ſe credere auderet, in molẽ Adriani ſe receperat: & cum diuerſæ (prout ſunt varii hominũ affectus) de eo ſententiæ dicerent, Clementiſſimus Rex, & ſi grauiora ab aliis in perniciẽ ſuæ Sanctitatis ſtatuerentur, vno aut altero tantum ex Aulicis in ſuã ſententiã venientib. Pontificé metu liberat, eius pedib. decidit, filialé obedientiã præſtitit, nec abnuit aq̃ abluendis manibus Pontifici exhibere. Hieron. teſte, ſola Gallia monſtris caruit.

Quis laboranti Eccleſiæ ſub Gregorio III. & Adriano I. ſuppetias tulit? Lilium. Stephani II. & IV. Leo III. Vrbanus II. Gelaſius II. Innocentii II. & IV. Alexander III. & plures alii Sanctiſſimi Patres, & ab ſuis, ſed præcipue ab exteris, cum variis caſibus acti, innumeriſque iniuriis & ſeditionibus affecti eſſent, vbinam tandem hii quieuere? ſub Lilio.

Sit autem tibi perſuaſum, Beatiſſime Pater, deuotionis & fidei in Sanctitatem tuam & ſanctiſſimum Collegium, cum diem Chriſtianiſſimo Regi vltimum fore, qui & vitæ, vt cum te obſeruare & reuereri deſinet, deſinet ſimul & viuere.

Supereſt, Beatiſſime Pater, vt manifeſtum fiat, aduentum Romanorum Regis in Italiam alio ſpectare, quam vt afflictis Chriſtianiſſimi Regis conatib. occurrat, atq; Sanctitaté tuam & ſanctiſſimum hoc Collegium tuetur, & ab Chriſtianiſſimi Regis iniuria vindicet. Quam bene rebus tuis & Sedis Apoſtolicæ conſultũ erit, Beatiſſime Pater, ſi ab ſua ipſius iniuria Sereniſſimus Romanorũ Rex te eximat? Præſtat aliquando ſolum eſſe potius, quam his cuſtodibus committi, quib. nonnunquam aliis cuſtodib. opus eſt. Eſtne, quæſo, Beatiſſime Pater, voſq; Catholicæ Eccleſiæ firmiſſimę columnę, Eccleſiam tutari & defendere, illam ſuis terris, poſſeſſionib. & dominiis ſpoliare? Ibitne inficias Sereniſſimus Romanorũ Rex, multis Oratorib. Chriſtianiſſimi Regis, & haud infimæ ſortis, frequenter dixiſſe atque aſſeruiſſe, terras Eccleſiæ, Romã videlicet, & Emiliam, quam dicunt Romandiolã, agrum Picenum, quem vocant, Marcham Anconitanã, & complures alias ſuas eſſe, ad ſe ſpectare & pertinere. Id non fictum aut commentitiũ eſt, ſed veriſſimũ, Beatiſſime Pater, & ꝙ nulla ratione tergiuerſari poſſit. Eſtne ergo tueri Eccleſiam, ius in controuerſiam deducere, & ſibi aſſcribere terras & dominia ditionis Eccleſiæ, atq; illam primitiuæ ſuæ formæ reddere cum baculo & pera mendicantem? Hæc confirmaſſe videtur Orator Maieſtatis ſuæ, qui menſe Martio Chriſtianiſſimum Regem Lugduni conuenit: cui inter alia Sereniſſimi Romanorum Regis nomine retulit, ꝙ Sanctitas tua & ſacratiſſimũ Collegiũ ad hoc erant in terris, vt Maieſtatem ſuam Imperialem repræſentarent. Et cum tãta dicti nouitate aſtantes ſuſpenſi hærerent, exiſtimarentq; id verbũ caſu & nõ animi iudicio Oratori excidiſſe, atq; imperitiæ illius ſolum aſſcriberent, ſubintulit Orator, ſe id nõ temere aut caſu, ſed ex Sereniſſimi Romanorũ Regis mente depromere & aſſerere, Cõmentaria ſeu inſtructiones ſuper ea re à Maieſtate ſua habere, quas & ꝓtulit. Quod videns & audiens Reuerendiſſimus Domin⁹ Cardinalis Amboſian⁹, vt eſt pia mente & deuota, ſe cõtinere nõ potuit, qn ſancto & religioſo motu incaleſcens Oratori ſuccenſeret, in verba ꝓrumpens, ꝑſumptuoſe inſolenterq; id ꝓlatũ eſſe, & q eo impietatis laberet, vt ꝑtinaci obſtinataq; mente id aſtruere vellet, aperta hæreſeos labe nec ferenda laboraret, cum Sanctitas tua, Beatiſſime Pater, & hoc Sacratiſſimũ Collegiũ Eccleſiam triumphanté & Maieſtaté diuinam, cuius tu verus & ſolus es Vicari⁹ ſignarent, non a. Imperialẽ. Nec deſtitit propterea Orator eadem iterum atq; iterum ingerere. Reuerendiſſimi Domini Cardinales Baiocenſis & Finarii, Orator etiam Sereniſſimi & Catholici Regis, compluresq; alii Prælati & Nobiles tantæ nouitati aderant. Vna cum aliis aſtans eadem, vt inquit ille, hiis auribus hauſi.

Ex duab⁹ hiis ꝑmiſit, videlicet terras & dominia Eccleſiæ ad Romanorũ Regẽ ſpectare, & Papã cum Cardinalib. Imperialem Maieſtaté in terris repſentare, cõtremiſcit horreſcitq; animus referre, qd inde ſequat᷑. Verendũ eſt, ne Sereniſſimi Romanorũ Regis in Italiã aduentus id palam faciat & cõcludat. Ex duab. illis præmiſſis vero ſyllogiſmo concludit᷑, Papã ſeruũ euaſurũ Imꝑatoris. Quid. n. aliud eſt, Maieſtatẽ Impialẽ repræſentare, q̃ vicariũ eſſe viceſq; agere Imperatoris? Nonne q Vicari⁹, idem eſt & ſeruus? Quis a. pura ſinceraq; mente ꝑferat, & caſtis aurib. audiat, vt Dei viuentis Vicari⁹ mortalis hominis vices agat? Nonne pleraq; orbis Regna, Franciæ ſcilicet, Hiſpaniarum, Angliæ, & alia nonnulla, Papã vt verum Chriſti Vicarium iure ſuſpiciunt, atq; pedib. eius in obedientiæ & ſubiectionis ſignum obuoluuntur? quib. tamen cum Imperio cõmune nihil eſt; nec id facerent, ſi Papa Imperialẽ Maieſtaté, vt ait ille, ſignaret. Cum etiã, q paſcit, natura & ratione ſuperior ſit eo, q paſcitur, neſcio an ab ouium numero, q̃ à Chriſto Petro & ſucceſſorib. ſuis paſcendis traditæ ſunt, Sereniſſimus Romanorũ Rex ſe eximat, aut vt nonnullis primis Impp. cõtigit, dignitaté quandã ſibi vendi-

care velit, qua te Maieſtatem ſuam referre aſſerat. Si parem in ſuum parem imperium non habere triuiale ſit, minus certe poterit Vicarius in eum, cuius vices agit. Quomodo ergo Anaſtaſius II. Anaſtaſium Imperatorem Eccleſiæ gladio ferire: Gregorius III. Leonem III. Imperatorem Imperio ſimul & communione fidelium priuare: Gregorius item VII. Henricum bis anathemate plectere & Imperio deſtruere potuit? Quid citare opus eſt, quæ Alexander III. Honorius III. Gregorius IX. & Innocentius IV. in Fridericos Imperatores egere? quos ab Eccleſia Imperioque depulere, &c. Scis, Beatiſſime Pater, quod præterita futurorum quaſi conſiliarii quidam ſint: Ex præteritis prudentiæ tuæ erit caſus expendere futuros.

Non abnuit Chriſtianiſſimus Rex, Mediolanenſis Ducatus ratione, vt vaſallus Imperii, quicquid honoris poterit & virium illi eſt, exhibere, & quas vltro ſe daturum pollicetur, modo non hoſtili animo Italiam petat, nec ſit eam daturus in prædam.

Proinde ſi impias & temerarias in ſanctam ſedem Apoſtolicam, ſanctitatem tuam, beatiſſime Pater, & hoc ſacratiſſimum Collegium, aut in patrimonium & dotem Eccleſiæ, Sereniſſimus Romanorum Rex quouis quæſito colore manus admouere voluerit, aderit Chriſtianiſſimus Rex non tanti criminis (quod abſit) ſerus vltor, ſed potius propulſator acerrimus, & perfidis auſibus ſe vt ſcutum & murum opponet, & hijs quæ bono Eccleſiæ, quieti, vnioni & tranquillitati Chriſtianitatis conferre arbitrabitur, ita conſulet &c. Et vt eſt propitium peculiareque Regis Chriſtianiſſimi & filii Eccleſiæ primogeniti, quicquid eſt illi virium, fortunarum & bonorum omnium, corpus denique, etiam animam ipſam pro Dei, Eccleſiæ ſuæ, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Sanctitatis tuæ, & huius ſacratiſſimi Collegii, honore, quiete, conſeruatione, tuitione & fide, deuota prius iterum deuouet, vt etiam pro his, ſi neceſſitas ingruat, lubens obeat.

Parta de Liguribus victoria Rex Francicæ Oratorem ſuum illico ad Papam miſit, tanquam ad patrem, quo Sanctitati ſuæ tam fælicem ſucceſſum communicaret, vt conſueuimus lætioris fortunæ amiciſſimos quosque certiores reddere. Huic tam beniuolæ menti ſuæ Papa reſpondens, Reuerendiſſimum Dominum Cardinalem Sanctæ Praxædis ex primoribus huius ſacratiſſimi Apoſtolici conſeſſus ad Regem Legatum deſtinauit. qui quo honore ob reuerentiam & deuotionem Sanctitatis tuæ & huius ſacratiſſimi Senatus ab Maieſtate ſua exceptus fuerit, quamque comibus verbis & beneuolis cum eo contulerit, qua mente, affectu, amore, & fide in Sanctitatem tuam, Maieſtatem ſuam eſſe cognouerit, & an eorum, quæ detulit Sereniſſimus Romanorum Rex, etiam veſtigium quidem vllum inuenit, qua eſt ſagaci nare olfacere potuit, ipſe referat. Tuus eſt, à te miſſus. Concordi deinde mente Chriſtianiſſimo & Catholico Regibus Sione conuenientibus, horum conſiliis ſecretioribus admiſſus quam honorifice & religioſe de Sanctitate tua habitus ſit ſermo, & quam ſit vterque tibi addictiſſimus, à Dominatione ſua Reuerendiſſima ſciſcitare, &c. *Cætera deerant in Manuſcripto exemplari.*

PRO

VIII.

PRO INVICTISSIMO CÆSARE CAROLO AVGVSTO HISPANIARVM REGE CATHOLICO, EPISTOlæ Franci Regis ad Principes Imperij tranſmiſſæ, ac Apologiæ Madritiæ conuentionis diſſuaſoriæ Refutatio.

EPISTOLA DIVI CAROLI CÆSARIS AD REVERENdiſſimos & Illuſtriſſimos Principes, Sacri Romani Imperij Electores.

CAROLVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus.

REuerendiſſime in Chriſto Pater, ac venerabiles Illuſtres Principes, amici, & conſanguinei chariſſimi. Quę noſtra hactenus de Reip. ſalute, (*a*) pace, quiete, & tranquillitate fuerint conſilia, adeo omnibus notum arbitramur, vt nulla hominum, malicia, fama, honorue noſter vlla ex parte lædi poſſe videatur. Semper enim eius animi fuimus, (*b*) vt non fucatis verbis, & à veritate prorſus alienis (vt à plærisq; fit) ſed reipſa actiones omnes noſtras non apud paucos, eosq; omnis recti iudicii expertes, ſed apud Deum O. M. qui corda etiam ſcrutatur, & apud vniuerſam Remp. Chriſtianam comprobaremus. Hinc.n. (ne vetuſtiora repetamus) dum proprii cōmodi, atq; etiam gloriæ obliti, Reip. ſaluti, & præſertim Germaniæ quieti ex animo conſulere optamus, (*c*) Gallorum Regē, quem (vt omnib. notum eſt) optimo iure captiuum penes nos detinebam⁹, poſtquam omni benignitate & clementia in his noſtris Hiſpaniarū regnis excepimus, magnoq; honore à ſubditis noſtris tractatus extitit, tot eum beneficiis affecimus, vt ſi ſuæ ipſe felicitati non inuidiſſet, in Ticinenſi conflictu nō modo non cecidiſſe, ſed viciſſe ab omnib. videri potuiſſet. (*d*) Hoſtis erat, illi chariſſimam ſororem noſtram natu maximā, & in tantorum Regnorum ſucceſſionis gradu ſecundam matrimonio collocauim⁹, vt ex hoſte Soror⁹ fieret. Chriſtianæ tranqllitatis turbator cōmuni omniū iudicio habebatur, communis ſalutis gloriam illi impartiri voluimus. (*e*) Multa à prædeceſſorib. noſtris tum Hiſpaniarum Regibus, tum Burgundionum Ducibus violenter occupauerat, & præter ius, faſq; detinuerat: iura in his noſtra illi conceſſimus, ſolumq; ab eo petijmus, quæ citra honoris & dignitatis noſtræ diminutionē, ac ſubditorum noſtrorum perpetuā indignationē omittere nequimus, & q̃ ipſemet vel non rogatus (ſi merito Chriſtianiſſimus nuncupari vellet) nobis reſtituere deberet. (*f*) Hiſq; beneficiis affectum regē captiuū regiæ dignitati reſtituimus, atq; (multis licet diſſuadentib. q minus eius fidei credendum aſſeuerabant) illi in Galliā abeundi copiam fecimus, maluimusque eius fidem experiri, ac illi de iure noſtro aliquid potius cedere, q̃ vt vlla Chriſtianæ Reipu. mala ſi q̃ forſan euenirent, quouis modo crimini noſtro, noſtræue culpæ aſcribi poſſent. Dumq; inteſtinis ſeditionib. pacatis, iter noſtrum (vti inter nos conuentum erat) ad Italiam paramus, armaq; noſtra in ſempiternos religionis noſtræ hoſtes communib. auſpiciis cōuertenda diſponim⁹, quib. & Hungaria defendi, & hoſtes ſubmoueri potuiſſent, ſuam fidē ex noſtro metiēres animo, ille ſæuiſſimū bellū in nos parat, initoq; (*g*) cū Romano Pontifice, aliiſq; nōnullis Italiæ Potentatib. fœdere offenſiuo, diuiſoq; inter eos Regno noſtro Neapolitano, dum alter vanis pollicitationib. omnia q̃ nobis ꝓmiſerat ſe p̄ſtiturum aſſeuerat, alter vero ad Hungariæ defenſionem nos inuitat, vt nos inuaderent incautos, noſtra ac ſacri Rom. Imp. dominia hoſtilib. armis aggrediuntur, nullaq; noſtri nec amoris, nec beneuolentiæ, nulla Chriſtianæ Reip. ſalutis, nulla religionis noſtræ honoris ratio in his habita eſt. Quorum conatus, quum ex eorum ſententia iuſto Dei iudicio minime ſuccedant, (*h*) Gallus ipſe Rex non contentus armis nobiſcum congredi, conuitia in nos iactat, (*i*) eaq; cum Regio priuilegio typis excuſa vbiq; circumferri curat, nihil veritus omnino, contrariis operib. ſuamet verba irrita facere. (*k*) Nos vero (tametſi nobis inſciis ad illā Apologiā, ſeu potius inuectiuā, q̃ ſuperiorib. diebus cum decreto Regio Lutetiæ tum latine, tum etiā Gallorū communi idiomate excuſa fuerat, abunde ſatis reſponſum extitit) noluimus, immo expreſſe ꝓhibuimus, ne quid tale in Regnis, Dominiiſue noſtris imprimeretur, maluimusq; ipſum virtute, q̃ conuitiis vincere, ſperantes fore, vt moleſtia noſtra ſuam petulantiam compeſceret. (*l*) Nunc vero quum exemplū literarū, quas Rex ipſe ad vos, cæterosq; ſacri Romani Imp. ſtatus ſcripſit, ex his quas ad ipſum ꝓ obtinenda libera ad nos veniendi, atq; hinc recedēdi facultate ꝓ nunciis Imperii nomine ad nos deſtinādis literas dederatis, occaſione aſſumpta, huc allatū ſit, nō certe manu deſcriptū, ſed Lutetiæ typis excuſum, in eoq; ipſum Gallorū Regē ſuis ꝓpriis verbis in nos, noſtramq; dignitatē atq; honorē citra modeſtiam inuehi videamus, tametſi eo certe animo ſim⁹, vt in his turbatis, atq; adeo difficilimis temporib. publicā potius q̃ priuatā cauſam agere cupiamus, ne tamē noſtra nimia taciturnitate falſis huiusmodi cōuitiis, atq; iniuriis fidē quodammodo p̄ſtare videamur, velimus, nolimus, omnib. veritatē aperte cogimur, atq; actionū noſtrarum rationē reddere. (*m*) Ad vos igit Apologiā illā, ſeu verius inuectiuā vna cum eius refutatione ꝓ iuſtificatione noſtra edita his añexā mittimus, vt plenius, diffuſiusq; pernoſcatis quo iure rationeue

Anno Dominī 1526

a *Cæſar Carolus pacis & tranquillitatis ſemper ſtudioſiſſimus.*

b *Cæſar Carolus re nō verbis animum ſuum teſtari voluit.*

c *Galli regis ... Cæſar Carolus ...*

d *Conditiones Regi Franco præſcriptas victori ... captiuo præſcriptas Cæſaris Caroli humanitate fuiſſe.*

e *Iudicium magnū pacis à Cæſare Carolo ... eſſe, quod in quibusdā & à iure quoq; imo neceſſ...*

f *Carolus Cæſar quanta ciuilitate cum Franco Rege egit.*

g *Fœdus offenſiuū à Franco Rege immemore omnium beneficiorū cum Pont. Rom. ictum eſſe.*

h *Gallus Rex omnib. aliis reb. inferior, inde paſſim conuitiis pugnat.*

i *Rex Gallus nugas quas ... pacē ... cdita ... excudi publice ... fecit.*

k *Attende o lector ... animū Caroli Cæſaris qui ne calumniis quidē reſpondere ... ſtimauit.*

l *Vt omnē ſtatū Reip. inuerteret Rex Francus ad Germanos ſcripſit, multa aduerſus Caroli Cæſaris innocentiā. ad quæ etiā typis excuſa reſpondeatur.*

m *Apologiā ſeu potius inuectiuā Madritia conuentionis ad Principes mittit Carolus.*

Gallus ſuam fidem atq; iuſiurandum violatum excuſare queat: qua ratione ſe pacis cupidum oſtendat, honeſtaq; pacis media ſe nobis obtuliſſe prædicet, dum nō modo pactis ſtare noluerit, ſed contra fidem vltro citroque datam atque acceptam, offenſiuo fœdere contra nos percuſſo, cuius etiam exemplum cum his transmittimus, dominia noſtra hoſtilibus armis inuaſit. Quo affectu Chriſtianā Rempub. noſtræq; religionis ornamentum, atq; Chriſti nominis gloriam proſequatur, qui dum ſæuiſſimum Turcarum Tyrannum cum magna militum, atq; inſtrumentorum bellicorū copia Pannoniam inuadere audiuit, ille in nos bellum mouet, (a) viresq; noſtras ad Hungariæ defenſionē deſtinandas intra fines noſtros ꝓ ſubditorum noſtrorum protectione continere coegit? Quo factum eſt, vt cū maxima Chriſtiani nominis ignominia hoſtis voto ſuo potitus ſit, firmiſſimo illo religionis ꝓpugnaculo ſuæ impiæ ditioni ſubijciēdo, florētiſſimo rege extincto, Chriſtiq; cultorib. à ſuis ædib. profligatis, tot templis ꝓphanatis, fuſoq; tot innocentium ſanguine, quod certe non abſq; ſummo cordis dolore referre cogimur. Et quum his cæterisq; Reip. calamitatib. atq; infortuniis ille cauſam dederit, nunc ſe ea moleſte tuliſſe prædicat, quaſi ſuis verbis maiorem quam illius operibus, ꝓpriiſque cuiuſuis oculis fidem haberi velit. (b) Hoc tamen animo hæc illum ſcripſiſſe arbitramur, vt obſtrueret ora his, q eius literis interceptis, ſua opera, ſuoq; conſilio Turcas Hungariam tanto impetu inuaſiſſe non ceſſant aſſeuerare. Verum aliorum verba omittamus, ad ipſiuſq; regis literas tam ficto, ſimulatoq; dolore ſcriptas veniamus. Si Chriſtianæ religionis periculum timebat, ſi Rempub. ſaluam cupiebat, ſi ferrum ꝙ in fidei hoſtes ſtringendum erat, ſi vires, q in ipſos vertendæ, ſi conſilia ad eos ſubmouendos exercenda in noſmetipſos conuerti, ſi Chriſtianam manum Chriſtianum ſanguinem effundere tantopere execrabatur, cur ipſemet nouis bellorum tumultib. excitatis, Remp. in diſcrimen adduxit? cur pacatam turbauit? (c) cur armis dominia noſtra inuaſit, à Chriſtianiq; ſanguinis effuſione regni ſui initium auſpicatus eſt: cur vires, & conſilia noſtra ſæpius contra comunes religionis noſtrę hoſtes deſtinata ſuis machinationib. ſuiſq; conatib. à comuni ſalute prorſus alienis ad ſubditorum noſtrorum defenſionem reuocare coegit? quur toties victus diuina iuſtitia iuſtæ noſtræ cauſæ fauente, toties aduerſam mauult experiri fortunam cum Chriſtiani ſanguinis effuſione, quam Chriſti gloriæ, ſuoq; honori, ac dignitati conſulere? Hæc tametſi omnibus omnino nota ſint, nihil tamen veritus, an vera, an falſa loquatur, omnem in nos culpam connertere conatur, dum multo ſanguine exiguum terræ ſpacium nos quærere ait. (d) Exiguo profecto terræ ſpacio pro tanti regis redemtione, Burgundiæ videlicet Ducatu contenti fuimus, quem etiam nunquam petiiſſemus, niſi ius noſtrum quod in eo habemus, prout ex Gallorum Apologiæ reſponſione clare videre licebit, omnibus notum eſſet, illiuſque contemptus ignauiæ potius, quam aut religioni, aut liberalitati nobis aſſcribendus eſſe videretur. (e) Et licet rex ipſe tum in fœdere, tum etiam extra fœdus, ſuis propriis verbis ex ſuomet ore prolatis, ſanctoq; iureiurando confirmatis, promiſerit ſeſe illum nobis reſtituere velle, deindeq; à captiuitate liberatus in ſuo regno cōſiſtens, ſæpius & verbo & literis propria etiam manu ad nos ſcriptis, ſe omnia in fœdere contenta ex integro implere, ſeruareq; velle profiteretur, ac demū mutata ſententia huiuſmodi reſtitutioni intendere noluerit, nunquā tamen violati fœderis iniuriam pſequi, eiuſue dominia inuadere, nouiſue ſimultatib. publicā tranquillitatem turbare voluimus, verum tum literis, tum nunciis eius induratū animum ſollicitari fecimus, vt promiſſa obſeruaret: & ſi non Reip. ſuo tamen honori, atque dignitati conſuleret. Ille vero dum mauult Chriſtianam Remp. in manifeſto diſcrimine adducere, ſuæq; fidei, & iuriſiurandi obliuiſci, ea q̄ ipſe comemorat mala conſequuti ſumus (f): intereaq; quam falſe apud nos pro Chriſtiana pace amplectenda ſe proteſtatū fuiſſe, dicere non veretur: hiſquemet verbis vtitur, quibus nos ſæpe illum hortati ſumus, ne fidem, iuſiurandumq; violaret. (g) Quod igitur variis dilationibus tempus inane conſumitur, ꝙ Chriſtianorum agri vaſtantur, quod vrbes diripiuntur, quod incendia vagant, quod cædes comittuntur, quod hoſtium fines propagantur, eorumq; vires in dies accreſcunt, debet certe hoc Chriſtiana Reſp. regi Franciſco, qui in meditullio Chriſtianitatis conſtitutus glorians, ac iactans ſe ab hoc Chriſtianitatis incēdio, imīnentiq; periculo longe abeſſe, nihil non interturbat, nullum in pace viuere pmittit, mittenda in Turcas arma in ſuum caput conuertere conat: nuncios ad iuuandam Remp. deſtinatos in regno ſuo detinet, atq; inter ſuos triumphos, Turcarū in Sororij noſtri regno irruptionē annumerat, ſibiq; hoc ſatis eſſe credit, ſi à ſuis Chriſtianiſſim⁹ nuncupetur; (h) ſororiiq; noſtri ſortem miſerrimā prædicat, q pro fide, pro religione, pro patria, ac pro Dei gloria, Chriſto Deo O.M. vitam ſuā deuouit, ad fœliciſoremq; vocatus, optimi, ſtrenui, atq; magnanimi principis laudem apud poſteros reliquit. Hæc enim ſors cuiuis ſanę mentis homini non miſerrima, ſed fœliciſſima videri debet: (i) Quanto tamen ipſiuſmet Franci regis ſors miſerior ſit, viderit ipſe. Nos certe noſtram longe magis tum Hungaro, quam cum Gallo comutare vellem⁹, licet impudenter adeo toties inculcet, ſeſe omnia tentare velle, quib. Chriſtianæ Reip. tranquillitati conſuli poſſit. Si eam ſaluam cupit, quis eum ad bellū prouocat? quis eius dominia inuadit? quis cum eo contendere vult? quis talem cuperet mouere Camarinam? Si ſuos liberos quos nobis obſides dedit, recuperare optat, cur impoſitas leges non ſeruat? Si quod poteſt, impoſſibile aſſerit, cur ipſemet (vti pollicitus eſt) ad captiuitatem nō reuertitur? (k) Inueniet profecto nos publicę ſalutis, ſuæq; dignitatis quam ſtudioſiſſimos. Verū ſi arma illi continuare libet, erimus vſque adeo noſtri honoris obliti, vt tantum hoſtem ingregem nobis commiſſum debachari permittamus? Hæc igitur admonitio, hæc proteſtatio, quam nobis fieri vult, illi certe longe magis conueniret. Veruntamen pudet profecto nos

a *Animum pium Caroli Cæſaris pro regno Hungariæ defendendo, Francum Regem impediuiſſe perfidia ſua. Hinc tot paſſim calamitates obortas eſſe.*

b *Turcas Hungarorum conſilio Franci Regis inuaſiſſe idq; eius literis interceptis conſtare.*

c *Authorem regni Franci Regis à bello Chriſtianis illato fuiſſe, ſanguineq; exinde animum ſuū oſtendiſſe & declaraſſe.*

d *Recte profecto. Nam ſi exiguū terræ ſpacium petit Carolus, cur id non reddit Franciſcus, ſi pacis tam ſtudioſus eſt?*

e *Regem Francum & verbis & literis tam liberum fœderi illo Madriti conſenſiſſe.*

f *Callide ſane Francum Regē his verbis admonuiſſe Carolū Cæſarem vti quando ille eum aliquando ad pacem ſtimularit. O ingenium Gallicum.*

g *Franciſcum Francorum Regem quod in meditullio conſiſtat Europæ, ideo ſe immunem à cōmuni hoc incendio exiſtimare. ex quo Chriſtianiſſimum animum Chriſtianiſſimi regis perpendi poſſe.*

h *Ludouici Hungariæ Regis exemplum omnibus principib. Chriſtianis imitandum eſſe.*

i *Feliciorem mortuum Hungarū Regem pro fide defendenda, q̄ Franciſcū Francorum fractā ſua & deploratā viuere.*

k *Carolum Cæſarem pacem ſemper deſideraſſe & adhuc deſiderare. cæterum ſicis rebus minime illum defuturum.*

nos ad has nugas, inaneſq; fabulas tot verbis reſpondere. (a) Si procul ab omni periculo diſtat, ſi iucunda quiete, ac pace intra ſui regni fines fruitur, eam certe fœlicitatem nequaquã illi inuidemus, imo potius ei ex animo gratulamur, magiſq; gratularemur, ſi dum ſua ipſe fruitur quiete ſuos etiam finitimos in pace viuere ꝑmitteret, nec tot bellorum ſemina vbiq; iactaret, nec tot clandeſtinis conſpirationib. omnia niteretur turbare. Hæc licet adeo omnib. nota ſint, vt nulla penitus atteſtatione egere videantur, tamen ad vos ſcribenda duximus, ne quis exiſtimaret huiuſmodi garrulitati fidem aliquã adhibendã eſſe, neue tot maligna vlla ex parte immaculatã famã noſtrã lædere poſſent: atque vt ſciatis, ꝑ ipſummet regem Gallum ſtetiſſe, quo minus inſtitutum iter, de quo ſuperiorib⁹ dieb. ad vos ſcripſeramus, ꝑficere quiuimus. Speramus tamen fauente Deo O. M. nos ita res noſtras diſpoſituros, vt eo etiã reluctante, ſuiſq; conatib. irritis ac ſuperatis, noſtro de Repu. benemerendi, de religione purganda, & ꝓpaganda ſtudio omnino ſatisfaciamus. (b) Ad id enim die vigeſimo proximi menſis Ianuarii in hoc noſtro Caſtellæ Regno, in oppido noſtro Valliſoleti, quo nunc tendim⁹, generalem conuentũ celebrabimus, vbi tractabitur de mittendo cum ea, qua decet celeritate ad Germaniã auxilio, quo non modo ipſam defendere, ſed hoſtiũ conatus infringere, eosq; à Chriſtianorũ ceruicib. ſubmouere valeamus. (c) Hiſpanorum nanq; animi hac iniuria comoti, & expergefacti; vires, opes, ꝓpriumq; ſanguinem iam vltro offerre cœperunt: noſq; ad hanc expeditionem ſtimulant, ꝓ qua (ſi expodire videbitur) non regna tantum, ac dominia omnia noſtra, ſed perſonã ſanguinem, atq; animam ipſam noſtrã Chriſto Deo O. M. nos deuouiſſe ꝓfitemur. (d) Si vero interea Gallorum regi (Deo inſpirante) reſipiſcere contigerit, ad noſtramq; amicitiã redire voluerit, nos certe omne illius comodum, honorem, atq; dignitatem ex animo ꝓmouere curabimus, illiq; iniuriã hanc libenter cõdonabim⁹, atq; de iure proprio illi cedere parati erimus: vt ſedatis cõtentionib. communibus auſpiciis hoſtes profligare, illosq; à ſuis ſedib. ſubmouere, vel (ſi Deus conceſſerit) in ouile Chriſti redigere facili⁹ valeamus. Latere vos minime arbitramur, amice, & cõſanguinei chariſſimi, ꝑnicioſiſſimas Gallorũ artes, q̃ quo ſuum negotium agant, diſcordias ſeminare nõ ceſſant. Veſtrum nunc erit, eã ipſorum verbis fidẽ ꝓſtare vt intelligãt tantorum principum animos ſeſe fruſtra ſolicitare. Datum in ciuitate noſtra Granatæ. die penult. Nouembris. Anno Dom. 1216. Regni noſtri Romani octauo.

a Regis Franci conatus omnes tum demum bonos futuros, ſi cum ipſe nihil benefacere nolit, alios tamen permittat de re Chriſtiana benemereri.

b Conuentum indictum a Carolo Cæſare Valliſoleti, in quo de ſuccurſu faciendo agetur, & Turcarum viribus reprimendis.

c Hiſpanorum ſtudium in rebus ſuis defendendis.

d Caroli Cæſaris voluntas qui in cauſa communi paratus eſt omnia hoſti condonare

Apologia Madritæ conuentionis inter Carolum Imperatorem, & Regem Gallum, diſſuaſoria, per Gallum edita.

SI qui forte ſunt, qui Chriſtianiſſimi Regis fidem in dubium adducant, quod initum cum electo Imperatore fœdus minime ſeruarit, rogatos eos velim, ne prius quicquam animo concipiant, ſiue iudicium proferant, quam veritatem, reiq; ipſius geſtæ ſeriem cognouerint. Quam vt planius intelligerent, operæprecium facturum me exiſtimaui, ſi ea omnia his ſcriptis mandarem. Cum primum Rex ipſe Chriſtianiſſimus Gallici regni adminiſtrationem ſuſcepit, nihil vnquã aut propenſi⁹ optauit, aut diligentius curauit, quam vt contracta cum cæteris Chriſtianis principib. amicitia, florentes regni, atq; ætatis ſuæ vires in ſæuiſſimos Chriſtianæ fidei hoſtes conuerteret. Quod vt tandem aſſequeretur, nullis laborib. nulliſue impenſis pepercit, variaq; cum eiſdem principibus præſertim cum electo Imperatore fœdera ꝑcuſſit. Quæ cum ad comunem Chriſtianæ Reip. ſalutem, ſubditorumq; vtriusq; comodum ac vtilitatem pertinerent, firma ſemper atque inuiolata apud eum fuere. At vero non eadem ſibi fides ſeruata. denegatus ſiquidem Neapolitani regni cenſus, neglecta Nauarrenſis regni reſtitutio, clandeſtinis conſpirationib. inſidiatum Mediolanẽſi dominio, iuramentum q́ pro Arrheſii ac Flandriæ comitatibus ad dictam diem, q̃ in ſe certã hominis interpellationem continet, non modo non præſtitum, ſed ne oblatum q̃dem, ac plæraque alia commiſſa, q̃ ſuperioritatis iura ad eundem Chriſtianiſſimum Regem in ipſis Artheſij ac Flandriæ comitatib. pertinentia aperte lædunt. Quod vero longe grauius fuit, Carolus Borbonius ſubiectionis ac fidelitatis iure eidem regi obſtrictus, multis pollicitationib. ad defectionem impulſus. Denique, poſtquã hæc ac plæraque alia, q̃ ſigillatim recenſere longum eſſet, in ipſius Regis ac Regni perniciem tentata ſunt, tandem ad arma ventum eſt, bellumque diutius geſtum in Mediolanenſi Ducatu, ſibi hæreditario iure & ſedis Apoſtolicæ decreto ſpectante, quemque fœlicis recordationis Maximilianus Imperator, huius Caroli auus iure feudi conceſſerat. Eiecto dehinc non multo poſt ab ipſo Mediolanenſi ducatu Chriſtianiſſimi regis præſidio, cum tandem electum Imperatorem quieturum, bellique tam graue incendium extinctum iri arbitraretur, tunc potiſſimum ab eo ſuſcitatum eſt. Nimium enim aſpiranti ſibi fortunæ confidens. Comitatum Prouinciæ Francorum regum antiquũ patrimonium cum exercitu inuaſit, Maſiliamque obſidione circundedit. Hac neceſſitate adductus Chriſtianiſſimus rex, vires ſuas collegit, exercitum comparauit, quo ſuos fines ita tutatus eſt, vt hoſtes relicta obſidione, ſpem ſalutis in fuga ponere coegerit. Fugientes perſecutus, Mediolanenſem vrbem recepit. Poſtremo dum ad Ticinenſem vrbem obſidendam animum intendit, malo quodam fato aduerſante potius fortuna quam hoſtium virtute, aut rei militaris ſcientia. dum prœlium ipſe ſuſtinet, aliosque ad reſiſtendum excitat, in hoſtium manus incidit. Quo ſucceſſu cum non tam viciſſet electus Imperator, quam in maius periculum incidiſſet, ſiquidem integris fere adhuc regis viribus, q̃ diſiectæ potius quam fractæ erant, concitataque in electũ Imperatorem ipſum vniuerſa Italia, q̃ creſcentes eius vires horrebat, tumultuantib. Germanis militib. nec tam Imperium detrectantib. quam defectionem ſpectantib. ob non præſtita longi temporis ſtipendia, quæ nec præſtari poterant, non conſtabat quo in loco ipſum regem cuſtodire poſſet. In hac igitur rerum perturbatione, cum illuſtriſſima Ludouica regis mater, cui vniuerſam Galliam adminiſtrandam commiſerat, ſaluberrimum conſilium pro eius filio ac totius Italiæ ſalute cepiſſet, vt diſſidentem Cæſaris exercitum

(quod facillimum erat) opprimeret, ſicque regem ipſum in libertatem vindicaret: Cæſar vt imminenti periculo occurreret, plurima per nuncios ſuos polliceri, pacem, amicitiam, atque affinitatem Regi offerre non deſtitit.

Præterea qui cum ipſo Rege erant, Cæſaris animum in eum exploratum habere aſſerebant, illius clementiam commendabant, vnum ſupereſſe vt ad ipſum Cæſarem ſe conferret, facile non modo libertatem aſſecuturum, ſed etiam fidem perpetuamq; ſibi ac vniuerſæ Chriſtianitati ſalutarem pacem compoſiturum.

Quibus rationibus idem Rex Chriſtianiſſimus animum induxit, vt ſua claſſe, quando aliter fieri non poterat, in Hiſpaniam traiiceret, vbi rogando, atque ſuadendo ſummopere contendit, vt ſimultatibus tandem depoſitis, labenti Chriſtianæ Reipublicæ ſubueniretur: ſatis ſuperque ſanguinis effuſum, direptam prorſus ac vaſtatam eſſe Italiam, paſſim neces, paſſim incendia conſpici: Factum his contentionibus eſſe, vt potentiſſimus atque acerrimus hoſtis Chriſtianæ religioni quotidie inſultet. Quod ſi religione, ſi pietate non moueretur, ſaltem ſciret Deum optimum maximum horum omnium rationem exacturum. Quantum autem ad ſe attineret, paratum eſſe ad perpetuum fœdus, atque amicitiam cum eo ſanciendam, eamque pecuniarum ſummam pro libertate ſua redimenda, exoluendam, quæ captiuo Gallorum regi conueniret. Hæc Cæſar cum aſpernatus eſt, tum Chriſtianiſſimo regi eas propoſuit conditiones, quas etiam ſi maxime vellet præſtare non poſſet, quippe qui ſe regem ipſum aliter dimiſſurum negauit, quam ſi Burgundiæ ducatum in ſe tranſtuliſſet. Alias præterea iniquiſſimas conditiones adiecit, quas enarrare longum eſſet. Ad hæc perpetuos carceres, ac plæraque alia grauiſſima incommoda non modo regi, ſed cuiuis alii indigna comminatus eſt. Quibus rex ipſe Chriſtianiſſimus illuſum ſe, ac variis pollicitationibus circumuentum facile cognouit. Longa itaque animi, corporiſque moleſtia vexatus, in grauiſſimum ac periculoſiſſimum morbum incidit. Tunc veritus Cæſar ne quod mente conceperat, easque Gallici regni prouincias, quas iam Imperio ſuo adiicere deſtinauerat, inopinato regis interitu amitteret, ſicque publicum odium in ſe conuerteret, ad Regem Chriſtianiſſimum vltimum ſpiritum vix trahentem acceſſit, neque hortando, aut pollicendo deſtitit, donec in meliorem conſequendæ libertatis ſpem eum induxerit. Cum vero is Dei Opt. Max. voluntate conualuiſſet, legatos ſuos ſororemque chariſſimam Cæſarem oratum acciuit, vt honeſtis pactionibus, quas obtulerat, contentus, ſe libertati remitteret. Illud rurſus attenderet quod etiam in Italia ſuis teſtatum reliquerat, ſi iniquas aut eas quas præſtare non liceret, conditiones extorqueret, minime obſeruaturum, quin ſi daretur occaſio, iniuriam quandoque vindicaturum. Cum itaq; multa duri atq; infenſi animi ſigna in Cæſare cognouiſſet, facile perſpiciebat ſe nunquam niſi expleta Cæſaris immenſa cupiditate libertatem adepturum. Veritus igitur ne valetudine nondum ſatis cõfirmata, ex hac animi indignatione in exitialem morbum incideret, neue tumultus aliquis in regno ſuo, ipſo diutius abſente, ſuboriretur, quod aliis temporibus accidiſſe repetebat: Iuſto etiam perpetuæ ſeruitutis metu permotus, cum nulla alia ratione carceres euadere poſſet: animo præterea reuoluens, in hoc fælici rerum ſucceſſu, atque ob potentiſſimas Cæſaris vires, neminem eſſe qui vel armis, vel auctoritate obſeruandas illas Chriſtianorum leges adducere cum poſſet, quæ bello captum perpetuis carceribus addici vetant, tanquam indignum, minimeque Chriſtianæ religioni conuenientes, verum ad precium pro redemptione paciſcendum admittunt. His omnibus de cauſis, ad eas rex Chriſtianiſſimus conuentiones deuenit, quas Cæſar optauit ac voluit non tam quidẽ turpes, ſiboque regno perniciosas quam indignas vt ab ipſo Cæſare poſtularentur. Cæterum & ſi Chriſtianiſſimo regi perſpicuum eſſet eiuſmodi pactiones, inhoneſtis atque indignis conditionibus initas, & firmatas eſſe, nihilominus vbi primum regni ſui fines attigit, proceres ac ſenatores ſuos conuenire iuſſit. Quos omnes re diligenter prius enarrata, quid iure, quidue ex dignitate ſua faciendum eſſet conſuluit. Hi vero matura conſultatione adhibita, in hanc ſententiam reſponderunt.

Fœdera & conuentiones inſolitas, quæ maximum in ſe promittentis damnum continent, cum potentiore initas, iure vi extortas cenſeri, atque ideo minime ſeruandas. Inſuper regem ipſum, de more in Remenſi ciuitate inter conſecrationis ceremonias iureiurando obſtrictum, ne regni patrimonium alienaret. Ideoque, ſi quid contra iuſiurandum pollicitus fuerit, nequaquam obſeruandum. Iure preterea cautum eſſe, non licere ciuitatem, aut prouinciam inuitis repugnantibuſque ſubditis, in quempiam transferre: Non igitur abſque eorum conſenſu ad huiuſmodi alienationem deuenire potuiſſe. Rurſus poſtquam teſtatus fuerat ſi iniquas conditiones Cæſar extorqueret, minime ſeruaturum, ſatis ſibi, honorique ſuo conſultum. Quin potius mirandum, quonam pacto cum de regis ipſius libertate poſtea ageretur, hæc aut neglecta fuerint, aut Cæſaris memoria exciderint: Ita vt fatendum neceſſe ſit, ea Dei optimi iudicio contigiſſe, cui regis Chriſtianiſſimi libertas curæ erat.

Et vt alia multa omitterentur, quis erat adeo rerum Gallicarum ignarus, qui non intelligeret fieri nunquam vlla ratione poſſe, vt ſenatus (quos ipſi *Franciæ parlamenta* vocant) quorumque conſenſus omnino ſecundum conuenta habendus erat, alienationem huiuſmodi admitterent, aut obſeruari paterentur, cum graui iureiurando ſint ad ipſius regni tuitionem ac conſeruationem obſtricti? Quid vero ſubditas regno nationes, quid populos cæteroſque Galliæ conuentus agitaturos aut dicturos fuiſſe opinari liceret, cum animo reuoluiſſent antiquum ac potentiſſimum quondam hoſtem in ipſius regni viſcera recipiendum, tutiſſimumq; ac firmiſſimum Galliæ propugnaculum,

quod

quod diu regno annexum fuerat in exteras nationes transferendum. An igitur eorum conſenſus ſicuti regi cum Cæſare conuenerat, ſperandus foret? præſertim cum illud in mentem veniret, ipſum electum Imperatorem nunquam regem propriæ fidei commiſiſſe, ei noctu atque interdiu aſſiduo custodes adhibuiſſe, donec charíſſimos eius liberos, iis quibus illorum ſuſcipiendorum negotium mandatum erat obſides tradidiſſet. Quo fit vt libertatem quam ex eorum captiuitate adeptus fuerat, iure belli retinere poſſit. Illud quoque adiiciebant, aperti iuris eſſe nullam datæ fidei rationem habendam, vbi vel mortis aut perpetuæ ſeruitutis, vel carceris periculum impenderet. idque potiſſimum, ſi vi ac metu extorta fuerit promiſſio. Iam vero neminem non fateri regi Chriſtianiſſimo licuiſſe, cum iam oblatas conditiones, & quæ iure ſperni minime poterant, nihil proficerent, quoquomodo libertatem quærere, præſertim cum nullus eſſet ad quem pro illata iniuria prouocaret, quique ſibi regnoque ſuo periclitanti opem ferre poſſet. Denique alia etiam ratione fieri nullo modo poſſe, vt Burgundiæ ducatus ſicuti conuentum fuerat alienaretur, aut in Cæſarem tranſiret. Siquidem ducatus ille per Ioannem Francorum regem cum Normaniæ ducatu, ſic annexus atque (vt eorum vtar vocabulo) regno incorporatus fuerat, vt diuidi nullo pacto aut ſeparari poſſit. Cum itaque eiſdem gubernetur legibus quibus & vniuerſum Galliæ regnum, cui annectitur, illudque proculdubio aut in fœminas, aut qui ab eis deſcendiſſent, lege Salica tranſire prohibeatur, eodem iure nec ducatus ipſe transferri potuiſſet. Hæc cum longiori ſermone dicta fuiſſent, non tamen Chriſtianiſſimo regi viſum eſt in eam ſententiam prius inclinare, quam exteris etiam principibus, amicis ac fœderatis ſuis rem omnem per nuncios ac oratores aperuiſſet, vt in hac re quid ſentirent intelligeret. Horum autem omnium illud fuit iudicium, tam inhoneſtas, tam iniquas regnoque pernicioſas pactiones minime obſeruandas. Etenim præterquam quod ducatus Burgundiæ alienationem continebant, feudo comitatuum, Artheſij & Flandriæ cedendum erat: Matiſconenſem comitatum Auxoniæque Vicecomitatum cum feudo, comitatum Carcellenſem cum ſuperioritatis iure ac reſorto transferendum erat. Cedebatur Neapolitano regno Mediolanenſique ducatui, cæteriſque omnibus quę iure ad eundem Chriſtianiſſimum regem, eiuſue regnum trans alpes & in Italia ſpectant, remittebatur maxima pecuniarum ſumma, qua idem electus Imperator iampridem regi obſtrictus erat. Quod vero omnino indecens cuique videri debet, rex ipſe Chriſtianiſſimus cum exercitu mille cataphractorum equitum, ſex millium peditum, quibus integra ſex menſium ſtipendia quam primum exoluenda erant, Cæſarem ad coronam Imperii Romæ ſuſcipiendam comitari tenebatur. Inſtruenda pariter erat Regi ad eandem expeditionem claſſis, cuij tantum præeſſent, qui ab electo Imperatore ipſo deligerentur, ita vt ne fideiuſſionibus quidem Regi cautum eſſet ad claſſem ipſam recuperandam. Quocunque præterea proficiſceretur Cæſar, illuc etiam maxima cum militum manu Chriſtianiſſimo regi eundum erat. Poſtremo vſque adeo nullam amicorum ſuorum, eorumque qui partes ſuas ſecuti fuerant, rationem habuit, vt ex his nonnullos relinquendos voluerit. Hæc cum inhoneſta omnibus his viſa fuiſſent, atque etiam indigna vt ab ipſo quidem Cæſare peterentur, minime obſeruanda cenſuerunt. Vt tamen nihil rex intentatum relinqueret, euocari ad ſe plæroſque ex præſtantioribus, ac primatibus Burgundiæ viris iuſſit, quibus cum rem omnem explicuiſſet, ſe in eiuſmodi cauſa, niſi congregato totius prouinciæ concilio, quicquam reſponſuros negarunt. Quantum vero ad eos attineret, nullo vnquam pacto huic alienationi aſſenſuros, quin potius apertum ſuarum fortunarum, ac vitæ periculum ſubituros. Itaque cum ad concilium illud (ſiue vt ipſi *ſtatum* appellant) congregatum ex familiaribus ſuis aliquos deſtinaſſet, qui hortarentur ac ſuaderent, ne huiuſmodi alienationi aduerſarentur, vnanimes in hanc ſententiam reſponderunt: ſe potius quodcunque vitæ, aut bonorum diſcrimen ſubituros, quam in alienam ditionem tranſire, quod ſi in eadem opinione rex Chriſtianiſſimus perſiſteret, vnum illud efflagitabant, quod negari minimee poterat, vt eis coram Franciæ paribus ac ſenatu auditis id agerent, quod illi iure agendum cenſerent. At velle experiri quid ſtatus, quid ſenatus Franciæ in hac cauſa ſentirent, ſuperuacaneum omnino viſum eſſet Chriſtianiſſimo regi. Siquidem per vicos, per compita iam vulgo omnes alienationem hanc maxime deteſtabantur, ſeque nullo modo aſſenſuros prædicabant. Tandem ne quid rex Chriſtianiſſimus prætermitteret, Carolum proregem, qui aliquot dies apud eum fuit, cuique facile erat omnia hæc oculis ſubiecta cernere, rogauit ſic apud electum Imperatorem ageret, vt ea quæ non tam inhoneſta erant, quam quæ minime præſtari poterant, tollerentur, quorum in locum conueniens pro redemptione pecuniarum ſumma ſubrogaretur, componereturque inter Chriſtianos prius, iamdudum optata pax ac concordia, liberiq; ſui obſides ſibi reſtituerentur, neque impedimento eſſet Aleonoræ coniugi dilectiſſimæ quod traducendam in regnum dederat, cum primum regni fines ingreſſus fuiſſet, quominus ad eum venire liceret. Quod tametſi ſæpius literis nunciiſque ab eo efflagitatum fuiſſet, nec tam diuino quam humano iure negari poſſet, aſſequi tamen in eam vſque diem minime potuerat. Quæ cum fruſtra ſæpius tentata fuiſſent, ad extremum hoc, quod ſupererat, pro ſua communique Chriſtianorum ſalute, remedium deuentum eſt, vt cum ſanctiſſimo domino Papa Illuſtriſſimoque duce ac ſenatu Veneto fœdus percuteret. Cuius ſereniſſimus Angliæ Rex protector ac defenſor eſſet, per quod vt facilius ad vniuerſalem omnium Regum ac Principum pacem, atque concordiam deueniretur, relicta Imperatori libera eſt facultas, habita dignitatis ſuæ ratione, qua fœderi huic ſe adiungat, ſi tamen liberam, quietamq; Italiã dimiſerit, ſi infectas conditiones libertati regis adiectas habuerit veluti inhoneſtas, iniquas, atque impoſſibiles, liberoſque obſides reſtituerit, precio tamen pro

redemptione ſua exoluto. Cum hæc itaque per eum acta fuiſſent vt nihil tamen omnino omitteret, quo honori ac fidei omni ex parte ſatisfaceret, beatiſſimum Pontificem, Reuerendiſſimos præſules, firmiſſimos eccleſiæ cardines, ipſamque ſanctam ſedem Apoſtolicam, quam in primis ſemper veneratus eſt, cæteros denique reges ac principes Chriſtianos, & eorum quemlibet rogauit atque obteſtatus eſt, per eum qui rex regum eſt, quique nos precioſiſſimo ſanguine ſuo redemit, vt hanc ſuam cauſam ſuſciperent ac defenderent, pariter & indicarent quid ſibi agendum eſſet, quid leges, quid iura, quid æquitas ſuadeant, quidue à Francorum rege bello capto exigi Chriſtiana religio concedat. Ea enim omnia obſeruaturum ſe, nec vllo tempore violaturum, Deo Opt. Max. ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, cæteriſque principibus aſſeruit ac pollicitus eſt.

Hæc cum ita ſint, liberum ac facile iam vobis eſt reges ac principes iudicare, iuſtior ne fuerit electi Imperatoris, qui duras atque impoſſibiles leges impoſuit, an Chriſtianiſſimi regis cauſa, qui cum eas obſeruare minime teneretur, nihil tamen quantum in ſe fuit, vt firmam atque inuiolatam fidem ſuam præſtaret, prætermiſit.

Agite igitur Chriſtianiſſimi regis eiuſque liberorum cauſam, quæ omnium regum ac principum communis eſt, ne ſacroſancta hæc dignitas exoleſcat, Chriſtianæque leges peruertantur, ſuſcipite, obſecro, & adiuuate.

Tetraſtichon ad Lectorem.

Fœdera vana putes, ratio ſi deſit, iniqua
Pactio, nec ſtringit quod ſacra iura vetant.
Ergo vbi vis cogit, pacti conuentio nulla.
Compulſum, ſalua non negat ire fide.

Apologiæ Madritiæ conuentionis inter Carolum Imperatorem & Regem Gallum diſſuaſoria Finis. Sequitur eiuſdem Apologiæ Madritiæ conuentionis diſſuaſoria &c. (præmiſſa quadam epiſtola ad Lectorem) erudita refutatio.

LECTORI S.

CVm nuper allata eſſet Apologia Madritiæ conuentionis diſſuaſoria, qua prima ſtatim fronte interdicebatur, ne quis fidem regis Franci in dubium reuocaret, nemini non mirum viſum eſt, eo impudentiæ gentē illam prorupiſſe, vt nondum exiſtimaret fraudes ſuas orbi notas eſſe, ſed rem omnium quæ eſſe poſſunt maxime ridiculam, oculis atq; auribus huius ſeculi non omnino infœlicis, ſubiiciat: ideoq; paucißimis viſum eſt reſponſionem mereri. Tametſi enim rhetor ille quiſquis author fuit, ita cauſam hanc niſus ſit palliare, vt ad eam rem nihil omiſerit quod ſibi profuturum vlla ex parte exiſtimaret: tamen neq; tantum aſſequutus eſt, vt admodum metuendum ſit habiturum qui ſibi patrocinetur, & ad illud ipſum quicquid id eſt, quod de iure regni Neapolitani, Ducatus Burgundiæ, ſuperioritate comitatuum Artheſii Flandriæq; interſerit, alias covioſe reſponſum eſt. Superſunt loci aliquot inſulſi, diuerſiones item nonnullæ, quibus legendis, ſi iudicium adhibeas, facile viſurus es neq; ſecum quoq; conſtare quid dicat. Cum illud imprimis conetur, vt rem magis per tranſennam oſtentet, quam in publico videndam conſpiciendamq; exponat, nuſquam perfecto non trepidet anxiusq; ſit. Et modo neſcio quas proteſtationes obtrudat, quas Regij iuris conſeruatiuas appellat, modo alio deflectens tanquam ſibi ne hoc quidem ſatisfaciat, violentiæ metusq; actionem, & ridendam magis quam refellendam legis Salicæ autoritatem, vnionem per Ioannem regem factam, & ius Appenagij inculcet: demum neq; his immoratus, rurſus ad primum regrediatur, iniquas ſcilicet conditiones fuiſſe, quæ Franciſco Regi imperata ſunt. E quibus omnibus facile conſtare aiebant, ad cauſæ huius refutationem nemine alio quam illomet authore opus eſſe. Enimuero ex quo ne à ſacratiſſimo quidem Principe Carolo Cæſare quinto temperauit, illiq; & cupiditatis nimiæ, & inhumanitatis notam inuſſit: id vero non ferendum ratus eſt huius refutationis author, ſtatuitq; ob id planißime reſpondere, operæpretium facturum ſe eſſe ratus, ſi quemadmodum argumento, ita genere quoq; ſcribendi contrario vteretur. Cumq; in Gallo ſtudium id eſſe vidiſſet, vt non quam vere, ſed quam appoſite ſcriberet, poſterius hoc ſibi ſtatuit non magnifaciendum: in illud autem totis viribus ingenij prudentiæq; incubuit. Quod vt in corporibus quæ natura formoſa ſunt accidit, ſi ceruſſam adhibeas, non modo non adijcias quicquam decori, verum nonnihil quoq; detrahas gratiæ venuſtatisq;, ita in cauſis vſuuenire exiſtimarent. Qua in re meo iudicio paucißimis locum reliquit: adeo legibus exemplisq;, & perpetuo contextu hiſtoriæ vaniſſimi hominis argumenta elidit. Dignus ſane labor, qui à prudentißimo quoq; in manus aſſumatur: ita etiam vetera illa Gallicæ tyrannidis propugnacula. L. Salicam, ius Apennagij, adoptionem Ioannæ Neapolitanæ, venditātam Burgundiæ poſſeßionem, atq; alia multa amolitur, vt pudere poßit tandiu his præſtigijs ab illa gente nobis illuſum fuiſſe. Sed ne ego te multis morer amice lector, ad ipſum nucleum eruendum, quod tibi fauſtum fœlixq; ſit, accingere, & Vale.

APOLOGIÆ MADRITIÆ CONVENTIONIS DISSVASORIÆ pro Franciſco Francorum Rege emiſſæ refutatio.

A*Dulatorum peſtis (teſte Iſidoro) virulentiſſima cenſetur, quæ ſemper ab amicitia relegatur, ab ipſaq; veritate longe abeſſe cogitur.* Hinc Seneca eius rei inopia laborare dicit magna faſtigia, ac *omnia poßidentibus id deeſſe, qui ſcilicet verum dicat.* Vna enim horum eſt contentio, qui blandiſſime fallant, & quodcunque dixeris receriſue, ſine diſcrimine laudant, & aſſentando extollunt, vultum fingendo & nutum, non autem mentem & voluntatem obſeruando, nil ad veritatem, ſed ad voluptatem loquentes. Aſtat enim (teſte Terentio) turba gnathonum, *ait quis, aiunt, negat is, quoque negant.*

Et vt

Et vt ex Plutarchi moralibus legitur, *hi Cameleonis naturæ aſſimilantur.* (*a*) *Is enim omnem imitatur naturam præter album, ſic adulator in turpibus nihil non imitatur, ſolum quod honeſtum eſt, imitari non poteſt.* Vt etiam pictores illuſtrant lucida, appoſitis vmbris & obſcuris, ſic adulator laudans diuerſa vitia nutrit ac fouet quæ adſunt. Et vt aſpides quem percuſſerunt, torpere, ſomnoque necant, quum harum virus ſit omnium maxime inſanabile, ita certiſſimam perniciem afferunt adulatores, qui ſic inficiunt hominis animum, vt illi ſenſum ſui adimant. Vt igitur peſtiferum hunc morbum quis effugiat, ab his illecebris animum ad rationem traducens, ex Thaletis Mileſii ſententia *ſeipſum noſcat.* Hac enim ratione perfacile intelliget, verumne ſit quod illi prædicant, quo cognito, adulatores huiuſmodi ignominia notatos, quiſquis ſanæ mentis extiterit, abigendos cenſebit.

Quum itaque nuperrime prodierit è manibus oratoris Gallici in curia Cæſaris reſidentis, & in manus meas delata ſit ſcriptura quædam, (*b*) quam (etſi inuectiua potius dici poſſit) apologiam vocitant, incerto tamen, aut potius ſuppreſſo ipſius ſcripturæ autore, omni quidem adulatione, aſſentationeque referta, in qua nil veri, nil recti, nilque honeſti conſpici poteſt. ne tantum virus in publicum prodiens, multorum aures inficiat, non potui me continere quin ſcuto veritatis protectus, eiuſque præſidio, qui eſt lux mundi, via, veritas & vita, (*c*) huic morbo antidotum præpararem, ac communi audientium ſaluti conſulerem ſola rerum geſtarum veritate: ſubmouendo ea ſimulata, confictaque mendacia, quibus is adulator tot regum, ac principum animos circumuenire, inficereque conatur, ac à veræ fidei & religionis cultu retrahere. Conatur enim is adulator ſuis blanditijs, ſimulationibus, aſſentationibus, confictiſque commentis ſuadere, ne quis in dubium adducat Chriſtianiſſimi regis fidem, quod initum cum Imperatore fœdus minime ſeruarit. id ſuadens, ne prius quicquam animo concipiant, ſuumque iudicium proferant, quam veritatem, reique ipſius geſtæ ſeriem cognouerint, quam (licet falſo) ſe præſtiturum ſcriptiſque mandaturum polliceatur. Is (*d*) tamen ſe proprio ligone percutiens, in ſui ſermonis exordio ore proprio profitetur fœdus minime ſeruatum per eum, cuius violatam fidem tueri ſatagit, ſic quaſi monſtrum in natura producere volens, potiuſque infidelitatis ſpeciem præ ſe ferens: Non animaduertens adulator ille nihil eſſe quod lumine clariore præfulgeat quam recta fides in Principe, nihil quod ita nequeat occaſui ſubiacere quam vera religio: quæ quum autorem vitæ, vel luminis veraque reſpiciant, tetras & tenebras reſpuunt, & neſciant ſubiacere defectui. Vnde his cauendum eſt, ne ſi tem quouis modo violari patiantur, quia (vt ſcribit Cicero) *nil eſt ſtabile quod infidum ſit.* (*e*) Et inquit Seneca, *vbi non pudor, nec cura iuris, ſanctitas pietas fides, inſtabile regnum eſt.* vt enim placet Polycrato, *tria fecerunt Romanos eſſe gentium victores, ſcientia, exercitatio, & fides.* (*f*) Graue enim eſt fidem fallere, quam etiam hoſtibus ſeruandam iura teſtantur, ſacrique Canones imitantur: (*g*) quod feciſſe legimus M. Regulum vnicum inuiolatæ fidei exemplum: is enim Carthaginem redire maluit ad certam pœnam ſubeundam, quam datam fidem violare. (*h*) Huic non diſſimilem fuiſſe conſtat Ioannem Francorum regem qui ab Anglis captus, indeque in regnum ſuum inito fœdere remiſſus, data fide, quod ſi conuenta implere non poſſet, in Angliam captiuus rediret, maluit liber factus potius in captiuitatem redire, ac ibidem vitam finire, quam fidem fallere. (*i*) fides enim iuſticiæ fundamentum exiſtit, qua deficiente, ſtatim diſſoluitur ea pars iuſticiæ, quæ in ſocietate humana repoſita eſt. Agit autem is aſſentator dum perfidiam vt fidem prædicat, dum periurium vt religionis obſeruantiam commendare ſtudet, (*k*) velut is qui in lutum inciderit, ſi ſine recto præſidio ſe erigere conetur, magis ſe inuoluat, magiſque inquinetur. Amplectitur enim, vt ab huiuſmodi palude poſſit emergere, quoſcunque poteſt ramos qui primo ad manus occurrant, quorum aliqui aridi & putridi, aliqui etiam tenues & debiles in illius manu confracti, exurgere volentem magis in lutum demergant; aliqui etiam adeo ſcabroſi atque ſpinoſi comperiantur, vt ſolo contactu manum inde ſtatim retrahere cogatur, nec his amplius liceat inhærere.

Sumit (*l*) itaque huius fabulæ exordium, quod *cum primum rex Chriſtianiſſimus Gallici regni adminiſtrationem ſuſcepit, nil vnquam aut propenſius optauit, aut diligentius curauit, quam vt contracta cum cæteris Chriſtianis Principibus amicitia, florentes regni atque ætatis ſuæ vires in ſæuiſſimos Chriſtianæ fidei hoſtes conuerteret.* (*m*) At hunc aut non nouiſſe rerum geſtarum ſeriem, & ſubſtantiam, aut horum quæ geſta ſunt, oblitum eſſe fatendum eſt. qualiter enim Chriſtianiſſimus Rex pacis amator, & cultor extiterit, quid in Regni ſui primordiis tentauerit, quis Chriſtianæ pacis autor fuerit, quis primus quinquennales inducias à Leone Decimo Pontifice maximo pro Chriſtianorum quiete indictas ſuſceperit, grataſque habuerit, quis à Chriſtianorum cæde manus mundas ſeruauerit, quis primus in hoſtes fidei claſſem parauerit, hiſque bellum indixerit, ac eorum promontoria tentauerit, teſtis eſt is qui nihil ignorat: teſtantur id fœdera poſt ſui regni initium facta. (*n*) teſtis eſt prima illa expeditio eiuſdem Chriſtianiſſimi regis ad occupationem ſtatus Mediolani cum tanta Heluetiorum, aliorumque Chriſtianorum cæde, Duce Maximiliano Sfortia inde ad deditionem coacto. (*o*) Teſtes ſunt binæ claſſes, quas Cæſar ante Imperii adeptionem ex Hiſpaniæ regnis contra hoſtes fidei paraſſe dignoſcitur, quarum poſtrema Menicem Inſulam, quam Algerbum vocant munitiſſimum piratarum infidelium promontorium, ad deditionem coegit. Et quum hæc adeo notoria exiſtant, vt nulla tergiuerſatione cælari queant, ſanctius & conſultius prætereunda videbantur, quam ab his initium, ac fundamentum ſumere, (*p*) vbi nulla efficax ſuperficies queat ædificari.

a Adulatorum natura.

b Apologia Gallorum [illegible]

c [illegible]

d Infirmus [illegible] *apologia* [illegible] *ſtatur* [illegible] *Regem* [illegible] *non* [illegible]

e Fidem [illegible]

f Fides [illegible] *manda.*

i [illegible] *iuſtitiæ fundamentum.*

k Bene comparatio apologiſta ad hominem in luto demerſum, & ſurgere conantem.

l Exordii Apologiæ Gallicæ refutatio.

m Falſum eſſe quod in principio apologia Gallus ait, Franciſcum Regem in principio adminiſtrationis regni nil prius optaſſe quam vt arma in Chriſtianæ fidei hoſtes conuerteret.

n Primus conatus Regis Franciæ, primaque arma aduerſus Chriſtianos, nempe Heluetios & Mediolani ducem fuere.

o Carolus Cæſar duas claſſes ex Hiſpania aduerſus Saracenos miſit ante Imperii adeptionem.

p Fundamenti Gallicæ narrationis imbecillitas.

Hoc itaq; corruente fundamento, nouum inſtaurat, ſuper quo poſſit hiantes, & fere ruentes parietes incruſtare ac dealbare, apparentesque defectus tegere atque occultare. Adducit enim fœdera cum ipſo Imperatore percuſſa, quæ quum (vt ait) ad Chriſtianæ Reipub. ſalutem, ſubditorumque vtriusque commodum ac vtilitatem pertinerent, firma ſemper, atque inuiolata apud eum fuere. (a) *At vero non eandem ſibi fidem ſeruatam* inquit: *denegatum* ait *Neapolitani regni cenſum, neglectam Regni Nauarræ reſtitutionem, clandeſtinis conſpirationibus inſidiatum Mediolanenſi Dominio: Iuramentum quod pro Flandriæ & Arthesii comitatibus ad dictam diem* (vt aſſerit) *debebatur, non modo non præſtitum, ſed nec oblatum, ac pleraq; alia commiſſa, quæ ſuperioritatis iura ad eundem Chriſtianiſſimum regem, vt prætendit, pertinentia aperte lædunt.* Sed profecto ſanctius fuiſſet etiam hæc reticere, hancque ſentinam hinc nouo motu continere, ne aſtantibus maiorem fœtorem afferat, neue ſublatis veterum parietum cruſtis & dealbationibus, illorumque ſciſſuris ac vitiis detectis, omne corruat ædificium, ipſumque ædificantem obruat. (b) Sat enim eſſe debebat, quod de ipſorum fœderum vitibus, deque ipſorum violatione, cuinam culpa eſſet impingenda ſuperabunde diſputatum, ac non verbis ſolum, ſed effectu deciſum extiterat in conuentu Caletano, dum orta quæſtione, cuinam duorum contendentium Sereniſſimus Angliæ rex ex vi fœderum aſſiſtere deberet, an Cæſari, an Regi Chriſtianiſſimo, iſque organo Reuerendiſſimi Cardinalis Eboracen. Angliæ legati tunc eius vices agentis, mediatoris partes aſſumens, prius diſcutiendum ſtatuiſſet, quis primus fœderum violator, primusque belli prouocator, ac inuaſor extitiſſet, vt contra illum arma ſumeret, ac iuxta fœderum formam obſeruanti, prouocatoque & inuaſo aſſiſteret: tandem recognita, (c) ac etiam proprijs literis propriaque confeſſione ipſius Chriſtianiſſimi regis comprobata, illum ſcilicet primum fœderum violatorem, inuaſoremque fuiſſe. Rex ipſe ſereniſſ. Angliæ, iuſtitiæ, ac æquitatis partes amplexus, Cæſarem velut fœderum obſeruatorem, prouocatumque & inuaſum, fouendum cenſuit, ſeque apertum Gallorum hoſtem declarauit, prout iuſticia ſuadebat, Londonienſisque fœderis forma exigebat. Verum ne quis forſan putet hæc non ex æquo & iuſto, ſed potius ex fauore proceſſiſſe, ſtudebo ſigillatim ſingula obiecta apertius eneruare.

Quod enim apud Gallum non ſemper firma, ac inuiolata fuerint fœdera, ſatis liquido conſtare poteſt. (d) Primo namque anno, quo Franciſcus rex Chriſtianiſſimus regnare cœpit, viuente adhuc Ferdinando rege Catholico, Caroloque ex eius filia nepote nondum ad regna Hiſpaniarum admiſſo, ſed duntaxat Principis Caſtellæ titulum obtinente, inito inter Chriſtianiſſimum, & Carolum tunc principem fœdere, *Pariſienſi* nuncupato, in quo de præſidiis ad obtinenda Hiſpaniarum regna, ſi mors Catholici regis emergeret, deque matrimonio inter Carolum & Regnatam Ludouici regis filiam agebatur: ſuccedente paulo poſt morte ipſius Catholici regis, dum de ipſius Pariſienſis fœderis obſeruantia, & exequutione quæſtio foret, placuit Chriſtianiſſimo fœdus illud pro infecto haberi quo ad ea quæ matrimonium, & dictorum regnorum ſucceſſionem concernebant: (e) & pro his, mutata prioris fœderis ſententia, voluit nouum fœdus inſtaurari, quod *Nouiodumenſe* vocitant, quod etiam per ipſum Chriſtianiſſimum nunquam ſeruatum conſtabit, ſed potius omni ex parte violatum. Dum enim Chriſtianiſſimus Carolum filium appellat, illiusque amplitudinem blandiendo pollicetur, vt ſerpens cauda ferit, huncque omni ex parte deprimere, illius quoque vires minuere ſtudet. (f) Et quo facilius id efficere queat, nititur omni conatu per phas & nephas impedire ne vita functo Maximiliano Cæſare, Carolus ad Imperium aſſumatur (g) Cumq; eius conatus irriti facti forent, nouas exquirit cauſas, vt ab amico diſcedat, petit obſides pro ſecuritate conuentorum in Nouiodumenſi fœdere, qui promiſſi non fuerant: petit regni Nauarræ reſtitutionem, de qua actum non erat: hæc ſi non præſtentur, cenſeri vult fœdera rupta. Hinc tractat de ſubtrahendis omnibus Cæſaris amicis ac fœderatis: ſollicitat (licet fruſtra) ſacri Imperij Electores, ac Principes vt conuentum Wormacenſem protrahant, ac infructuoſum reddant, diutiusq; Cæſarem occupatum detineant. (h) Conuenit interea cum Leone Decimo de occupandis vtriusque Siciliæ Regnis, ac protectionibus Italiæ inter ſe diuidendis. (i) Concitat & literis & nunciis turbatos Hiſpaniæ populos, vt à Cæſaris obedientia deficiant. (k) Mouet tandem arma tum in Gallia Belgica, tum in Hiſpania: regnum Nauarræ occupat, non impune tamen, quum inde Hiſpanorum virtute non ſine magna ſuorum cæde expulſus fuerit. Hæc quippe per Chriſtianiſſimum, prius quam Cæſar arma ſumeret, ſeu à fœderum obſeruantia reſiliret, tentata ſunt, quæ ſi firma ſemper, ac inuiolata per eum fœdera oſtendant, quum etiam proprijs ſuis literis comprobentur, iudicet quisquis mentis compos, ac à paſſione alienus, qui non lippientibus, nec caliginoſis oculis cuncta rimetur.

Videamus (l) nunc in quibus hic nouus athleta Chriſtianiſſimo Regi *fidem non ſeruatam* contendat, qui etſi, vt aſina Balaam prophetizans, vere dicat, non eandem fidem ſeruatam, quum in nullo contrauenerit Cæſar, vt ille, (m) tamen dum ſubdit denegatum Neapolitani regni cenſum, ſe pe-

a *Falſum eſſe Regi Franco ſeruatam fidem à Carolo Cæſare non fuiſſe.*

b *Fœdera cum Franco Rege principio adminiſtrationis inita, à Carolo Cæſare ſeruata, ab illo violata fuiſſe, iam probatum eſſe in conuentu Caletano, effectuq; deciſum acceſſione ſereniſſimi Angliæ Regis arbitri ad id aſſumpti in partes Cæſaris.*

c *Proprijs literis & propria confeſſione Franciſci Regis probari, eum primum fœderum violatorem eſſe.*

d *Fœdus Pariſienſe inter Carolum adhuc principem Caſtellæ, & Franciſcum Regem initum à Franciſco Rege pro infecto habitum.*

e *Fœdus quod Nouiodumi inter Carolum Cæſarem & Franciſcum initum eſt, ab ipſo Franciſco violatum eſſe.*

f *Franciſcus Rex omni ſtudio conatus Imperium Carolo auertere.*

g *Franciſci poſtulata pro ſecuritate Nouiodumenſis fœderis, in eo non comprehenſa.*

h *Conſpiratio Franciſci Regis cum Leone Papa decimo de occupando Siciliæ regno.*

i *Franciſcus Rex Hiſpaniæ turbatos populos nuncijs & literis ad ſeditionem inuitat.*

k *Franciſcus Rex Nauarram, quum primum cepit & in Galliam Belgicam arma tranſtulit, priusquam Carolus vnquam arma aſſumeret.*

l *Vere dicere Gallum non eandem fidem ſeruatam regi Franciſco, quam is ſeruauerit, bonam ſiquidem Carolus, malam Franciſcus, vt patet, etiam nunc obſeruat.*

m *Reſponſio ad id quod Gallus ait denegatum Regni Neapolitani cenſum Regi Franciſco fuiſſe.*

ſe penitus ignorantem oſtendit, qui de cenſu loquens, cenſus naturam nõn nouit. Vnde vt detegamus quid ſentiat, ad Nouiodumen. fœderis conuentionem eſt recurrendum (a) in quo Carolus minor annis, qui nondum in Hiſpaniam venerat, nec ab Hiſpanis ad regnorum gubernacula receptus erat, minimeque de ipſorum regnorum iuribus inſtructus, nulloſque etiam penes ſe habens conſiliarios eorum iurium conſcios, quorundam conſultorum ſuaſu prætendentium non patere illi tutum ad Hiſpaniam aditum, niſi prius cum ipſo rege Gallo pro eius voto conueniret, nouumque fœdus percuteret: circumuentus tandem, iuriſque & facti ignorantia ductus, eorundem conſultorum organo, qui talia, incaute tamen, ac iurium ignari moliebantur, ſimplici Gallorum aſſeuerationi, ac prætenſioni credendo, conuenit ſponſalia, ac inde matrimonium debitis temporibus contrahere cum Ludouica ipſius Chriſtianiſſimi regis filia, annicula vix nata: & ea deficiente, cum altera ſi ia non nata, inde forſan naſcitura, vel ambabus deficiẽtibus, iterum cum Renata: cunq; tunc Carolus Neapolitani regni poſſeſſor exiſteret, illudque iure hæreditario, ac ex inueſtitura Apoſtolicæ ſedis, de cuius feudo tenetur, obtineret, ipſe autem rex Chriſtianiſſimus ius in eodem regno prætenderet, (b) licet in effectu nullum prætendere poſſet, prout per ipſum feudi dominum declaratum extiterat, vt apertiſſimis conſtare poterit documentis, qui etiam, ſi quod ius habuiſſet Ludouic. rex eius anteceſſor, prout habere non poterit (c) illud prius quam ad ipſum Franciſcum regem Chriſtianiſſimum perueniret ſucceſſio, conceſſum erat in dotem dominæ Germanæ de Fuxo illius nepti reginæ Aragonum adhuc viuenti. Nihilominus quum agentes pro ipſo Sereniſſ. rege falſo aſſererent Catholicum quondam Regem Ferdinand. pro eo iure, quod in dicto regno Chriſtianiſſimus prætendebat, quotannis ſoluere obnoxium centena millia aureorum, licet obligatio valida nõ appareret, quæ ſi oſtenſa fuiſſet, extincta doceretur: actum ac conuentum extitit, vt illud ius quod Chriſtianiſſimus ad dictum regnum prætendebat, in dotem cederet matrimonii, vt præfertur, cum Carolo Rege contrahendi. (d) Et interim vſque ad ipſius matrimonii conſumationem quotannis eidem regi Chriſtianiſſ. centena ſcutorum millia per dictum Carolum Regem ſoluerentur, pro ipſius ſponſæ alimentis, & ſtatus ſui ſuſtentatione. Si igitur autor ille hunc cenſum diiudicet, qui non niſi directo domino debetur, aut errorem, aut ignorantiam fateatur oportet. At ſi errorem corrigendo debitũ (quod abſit) fateremur, non profecto recte dictaret denegatam fuiſſe debiti ſolutionem, (e) quandoquidem ex ipſius Chriſtianiſſ. regis chirographis ac confeſſionibus liquido conſtet, huiuſmodi centena millia aureorum tam diu fuiſſe ſoluta quamdiu ipſe Francorum rex fœdera ſeruãda cenſuit: quo non ſeruante, quum autore Legiſlatore ab omni prætenſo iure, & actione cecidiſſe cẽſeretur, perderet data, reſtitueret accepta, ac ipſius fœderis commodo omnino cariturus eſſet, non ſolum vlterius ſoluendum nõ erat, ſed etiam quod iam ſolutum erat, licite repeti poterat: (f) quinimo etiamſi rex ipſe inuiolabiliter fœdus illud Nouiodumenſe ſeruaſſet, prout minime ſeruauit, quum tamen liqueat promiſſionem illam fuiſſe indebitam, & per circumuentionem à minore in ius alterius ſuccedente, & iuſtiſſimam ignorantiæ cauſam prætendente, potuiſſet iure merito non ſolum denegare quamcunque ſolutionem fieri promiſſam, ſed etiam per condictionem indebiti, quicquid ſolutum eſſet, repetere. Licet aliunde talis ſolutionis defectus, etiamſi iuſtum fuiſſet debitum, non propterea ipſorum fœderum rupturam, ſeu violationem argueret, quũ ex ipſo fœdere Nouiodumeñ. aliter ſuper huiuſmodi ſolutionis defectu prouiſũ eſſet, rato manẽte pacto fœderis.

Qualiter (g) nunc arguat inuector noſter *neglectam regni Nauarræ reſtitutionem*, (h) quã nullus vnquam promiſſam oſtendet, nec ex Nouiodumenſi, nec ex alio quopiam fœdere? Si enim Nouiodumenſis fœderis verba & ſententiam ſpectemus, nullum ibidem verbum de ipſius regni reſtitutione legitur. (i) ſed duntaxat permittitur Chriſtianiſſi. vt ſi Cæſar demonſtrato ſibi per Nauarrum iure in regno illo prætenſo, ipſoq; iure per eum audito & intellecto, non contentauerit Nauarrum iuxta rationem, ita vt rationabiliter deberet contentari, liceret in eum caſum eidẽ Chriſtianiſſimo opem & aſſiſtentiam præſtare. Sed non conſtabit illa iuris demonſtratio facta, quæ rei liquidæ neceſſariam oſtenſionem importet, nec pariter conſtabit Cæſarem cuiuſuis iuris aduerſarii notitiam, ſeu intellectum habuiſſe, quum id demum intelligere dicamur, quod mentali ſenſu cognoſcimus atq; percipimus. Sicq; non poteſt inferri, quod Cæſaris culpa non debuerint rationabiliter eſſe cõtenti, nec quod Cæſar rationem non fecerit, ni prius appareat ius liquidum oſtẽſum ac demõſtratũ, indeq; aperte cognitũ fore, quid iuſticia & ratio ſuaderet. Vnde huiuſmodi præſtandarũ ſuppetiarũ cõditio nunq̃ purificari potuerit, quæ etſi purificata foret, quod abſit, inepte tamẽ ac ſtolide neglectã regni illius reſtitutionẽ aſſereret, ad q̃ nullo iure Cæſar vrgebatur, (k) imo ex ſubſequẽti fœdere Lõdonienſ. tuẽdus erat Cæſar in ſua poſſeſſione, tenebaturq; rex Gallus cõtra inuadẽtẽ ſuppetias ferre.

Quomodo (l) autem *clandeſtinis conſpirationibus inſidiatum* inquit *Mediolanenſi dominio*, videamus, vbi nil niſi palam, apertoq; marte tentatũ extitit: iuſte quidẽ violatis iam à Gallo fœderib. eoq; contra Cæſarem directum eius feudi dominum arma mouẽte, ipſum quoq; ſacrum Imperium contẽnente, (m) quum rex ipſe Franciſc. nec à Maximiliano Cæſare, nec à Carolo moderno Roman. Imperatore inueſtiturã petere vnq̃ dignatus fuerit. Ex quo contemptu, etiamſi ius in eo feudo habuiſſet, prout non habebat, indignus, ingratuſq; reddebatur, ac ipſo iure priuatus cenſebatur: vtili dominio conſolidato cum directo, vt ſic licite Cæſar ipſe Carolus quibuſuis mediis tam iuris quam facti ipsũ ſtatũ Mediolani indebite occupatũ recuperare potuerit, nec id fœderũ violationi aſcribi poſſit.

a Caroliũ minor annis à conſiliariis quibuſdam inductum vt ſponſalia contraheret cum Ludouica Franciſci Regis filia [illegible] & [illegible] nondum nata ſed, forſan naſcitura & [illegible] iterum q; cum Renata.

b Franciſcũ Regẽ in regnum Neapolitanum nullum ius prætendere poſſe.

c Ludouicum XII. Francorum Rex ius quod in regnum Neapolitanum habere potuit, conceſſit in dotem Dominæ Germanæ de Fuxo, vnde Franciſco regi nu[illegible] patet.

d Conuentum fuiſſe annuum cenſum pro alimentis ſponſæ ſoluendum eſſe.

e Ex Franciſci Regis chirographis conſtare cẽſum tam diu fuiſſe ſolutum [illegible] Franciſcus Rex [illegible].

f Etiam ſi nõ ſolutus fuiſſet cenſus Neap. [illegible] nihil a [illegible] actũ fuiſſe.

g Reſponſio ad [illegible] Apologiſta ait [illegible] fuiſſe regni Nauarræ reſtitutionem.

h Regnum Nauarræ vt reſtitueretur nunquam conuentũ fuiſſe.

i Quemadmodũ in conuentis Nouiodumenſ. ſit habita mentio [illegible] de regno Nauarra.

k Fœdere Londonienſi tenebatur Rex Gallus Carolo aduerſus inuadentes regnum Nauarræ ſuppetias ferre, vnde facile conſtiterit falſo hic conqueri apologiſtam, regnum Nauarræ reſtitutum nõ eſſe.

l Refutatur id quod apologiſta Gallus ait Cæſarem Carolum inſidiatum eſſe Mediolanenſi dominio. *m Mediolanenſem ducatum ad tractatum Gallorum Regem non pertinere, vt qui ad eum ſpoliarit, ſpoliatum iure eſſe quod inueſtituram à domino feudi minime ſumpſerit.*

poſſit.(*a*)Et qui inquit huiuſmodi Mediolanenſem ſtatum ſibi hæreditario iure, ac ſedis Apoſtolicæ decreto, ſpectare, pariterq; ex conceſſione diui Maximiliani Cæſaris, plane oſtendit ſe minime intelligere quod refert, quum nec feudi natura id admittat, vt hæreditario iure tranſmittatur, nec Apoſtolicæ ſedis decretum ad alterandum feudorum Imperialium naturam fomentum aliquod præſtare valeat, nec Maximiliani Cæſaris conceſſio id ſonet, quod ex aduerſo prætenditur, (*b*) quæ etiam variis conditionibus ex Cameracenſ. fœderis diſpoſitione perſtricta, quæ minime ſeruatæ fuere, his non purificatis, penitus corruiſſe cenſetur: ex qua etiamſi conditiones impletæ forent, nō propterea tolleretur deuolutio ipſo iure, vt præfertur, ex contemptu, & felonia procedens.

At (*c*) videamus q̄d autor is garrit *de iuramento aut ſuperioritate prætenſis pro comitatib. Flandriæ & Arthesii, pro quibus inquit ad dictam diē, certā hominis interpellationē continentē.* Nō (*d*) aduertit incaut⁹ nō prius ceſſaſſe diē illū, quin Rex ipſe Gallus prius fœdera violaſſet: quo caſu nec præfixus dies interpellabat ꝑ homine, nec homo eius obligationis cōmodo ipſo iure priuatus, validā interpellationē facere poterat, quæ Cæſarē in quauis mora cōſtitueret: quinimmo quū interim antequā dies cederet, Cæſar velut noua perſona ad Imperii faſtigia euectus eſſet, ipſa quoq; Imperialis dignitas neminē in temporalibus ſuperiorem admittat, non tenebatur Cæſar, nec quouis iure diſtringi potuiſſet, vt Francorū regi etiam pro his quæ antea poſſidebat, fidelitatis iuramentum præſtaret, aut illum in ſuperiorem recognoſceret, quū omnis illa prætenſa ſuperioritas ſub ipſa ſuprema imperiali poteſtate ſuppreſſa cenſeretur, vnde prius digreſſa videbatur: Ab Imperio enim tanquam à fonte vt iura teſtantur, omnes iuriſdictiones velut riuuli prodeunt, indeq; fluunt, & refluunt. facile enim res quælibet ad priſtinam redit naturam.(*e*)Et id quippe tanto facilius admittendum eſt, ſi antiqua monumenta ſpectemus, quibus talis ſuperioritas nequaquam regno Franciæ debebatur: licet dux Philipp. primus le Hardi nuncupatus, Ioannis Francorum regis vltimo genitus, vt ſubditos illos nouiter iure matrimonii acquiſitos auctoritate regia melius contineret, huiuſmodi ſuperioritatis iura in quibuſdam caſibus introduxerit: non tamen ita paſſim, quinetiam aliquos caſus intactos dimitteret, ob quod in ſequentibus inueſtituris non niſi de conſuetis actum extitit. Et quum Rex Gallorum modernus etiam ad non conſuetos caſus manū extendere conaretur, fimbrias ſuas cupiens dilatare, licuit merito eidem non parere:(*f*) & tanto magis, quum ex fœdere inter Ludouicum XI. Francorum regē, & Carolum moderni Cæſaris proauum Burgundionum ducem, in oppido Peronæ percuſſo conuentum eſſet, quod niſi id fœdus, & aliud de Conflans ſimul & Attrebatenſe obſeruarentur, emanerent dux ipſe Carolus, ſuiq; ſucceſſores ſubditi, ac patriæ, ab omni ſuperioritate & reſſorto regni Francorum omnino exempti & liberi, ſicq; dux Carolus præfatus non ſeruatis per Gallorum regē fœderibus, purificataq; conditione, huiuſmodi patrias, & ſubditos quamdiu vixit, liberas & exemptas à ſuperioritate, & reſſorto regni Franciæ ſeruauit: (*g*) & ſi quid poſt illius mortem ſecus tentatum extiterit, id violentum ac inefficax fuiſſe conſtabit, ac etiā contrariis fœderibus ſublatū oſtendetur, vt merito omni ex parte ad priſtinam libertatem redire licuerit, iugumq; prætenſæ ſuperioritatis gallicæ excutere. Quo fit, vt ex his omnibus luce clarius conſtare queat, emiſſa in Cæſarem iacula de priorum fœderum violatione in caput iaculantis remittenda ac retorquenda, (*h*) quæ tamen magis huiuſce malorum conſultorum ac interpretum culpis, qui aſſentando & adulando verum in falſum, & è contra transformare nituntur, vt etiam optimorum animos quandoq; inficiāt, quam regio animo ſuapte natura potius ad bonum quam ad malum procliuo aſcribenda cenſuero.

Quod autem longe grauius aſſerit, (*i*) *Carolum* ſcilicet *Borbonium ſubiectionis, ac fidelitatis iure eidem regi obſtrictum, multis pollicitationibus ad defectionem impulſum,* non minus à veritate deuium cenſetur, quandoquidem nulla ad id pollicitatio talis principis animum vere regio ſanguine decoratū, ad defectionē impellere potuiſſet, ſed coegit hunc iuſticiæ denegatio in his, quæ ſibi iuſte deberi prætendebat, manifeſtaq; anhelatio & ambitio ſui ſtatus, ac dominii iure, aut iniuriæ occupādi, mota eidem totius ſtatus lite, non quidem in ordinario tribunali, ſed extra ordinem, contra ſuſpectis iudicibus ex particulari delegatione congeſtis, vt nuſquam pateret aditus ad iudices ſuſpitione carentes obtinendos.(*k*)Impulerunt & illum perſequutiones multæ, quæ in eius caput, dignitatem, & ſtatum moliebantur, quæ à directo feudi domino longe abeſſe omnino debuiſſent. quum non minus directus feudi dominus Vaſſallum ab oppreſſionibus ſeruare teneatur, quam vaſallus domino ſeruire, & ex quibus cauſis vaſſallus feudo priuatur, ex eiſdem dominus directum perdit dominium. Eſt enim is contractus vltro citroq; obligatorius. (*l*) ſicq; merito poterat illum dux Borbonii ſine metu pœnæ in libertatem proclamare, iugumq; tam iniquæ ſubiectionis excutere, ne, quod iure in eum tentari non poterat, violenter, ac tyrannice in eum exequi cōtingeret. Quo ſic in libertatem proclamante, & aduerſus tot iniuſtitias à Cæſare præſidium petente, non poterat Cæſar, qui & illi ſanguine iunctus erat, & ex Cæſarea dignitate oppreſſis, quantum fas eſt, ſuccurrere debet, & qui iam ipſorum Gallorum regem apertum hoſtem habebat. præſidium ab ipſo duce Borbonii petitum, aliqua iuſta ratione denegare, minuſq; ipſum ducem omnibus ſuis bonis indebite, vt præceſſit, ſpoliatum, ad ſe tanquam ad tutum refugium conuolantem non recipere, protegere & fouere, vbi maxime de matrimonio per eum cum ſorore Cæſaris contrahendo ſermo habebatur: cui propterea Cæſar vices ſuas in Italia merito committendas cenſuit. Quo augurio fretus & vicit, & exercitum

a *Abſurdum eſſe quod apologiſta ſubdit hæreditario iure & ſedis apoſtolicæ decreto Mediolanenſem ducatū ad regem Francum ſpectare, nihilq; pro Gallo facere quod Maximilianus illū iure feudi conceſſerat.*

b *Ex vi Cameracenſis fœderis non poſſe Franciſcum regē ius in ducatum Mediolanenſem vendicare.*

c *Reſpondet ad id quod Gallus ait iuramētum pro comitatibus Arthesii & Flādriæ præſtitum non fuiſſe.*

d *Diem interpellationis non prius ceſſiſſe quā rex Francus fœdus violaſſet, vtq; ceſſiſſet, Cæſarem, quia Cæſar eſſet obligatum ad id iuramentum minime fuiſſe.*

e *Flādriæ comitatum tametſi feudum coronæ Franciçæ ſit, ſuperioritatem tamen quam reſſortum vocant ad Franciæ regni parlamentum nō habuiſſe ante nuptias Philippi le Hardy cum Margarita Ludouici Flandriæ comitis filia alio tempore ab autore oſtenſum eſt, vnde hic breuiter præterit.*

f *Ex fœdere Peronenſi inter Ludouicum XI. & Carolum Burgundiæ ducem huius Cæſaris proauum [illegible], ditiones illius ab omni ſuperioritate Francica recognoſcenda exemptas eſſe reque ipſa & de facto exemptas fuiſſe.*

g *Non obſtare quod poſt mortē Caroli Burgundi quid ſecus tentatum fuerit: quoniam id violentum ſit &* *contrariis fœderibus ſublatum, idq; tum alias tum Hagenoæ præſente & ad id miſſo legato Cardinali Rhotomagenſi cū domina D. Claudia cum Carolo Cæſare declararetur, prout hic autor alibi latius.* h *Excuſatur Rex Francus ſed culpantur adulatores qui tū ſe ſe promulgare non dubitant.* i *Mentiri Gallum apologiſta cum Carolum Borbonium ſollicitū ad defectione impulſum ait.* k *Illuſtri Carolo Borbonio multas perſequutiones ita ad tormentorū ipſius diminutionē quā dignitatis & ſtatus detrimentū Francia illatas eſſe, priuſquam Gallia excederet.* l *Duci Borbonii iuſte potuiſſe ſe in libertatē vēdicare.*

citum Gallicum non ſolum à Mediolanenſi ſtatu, ſed etiã ab vniuerſa Italia eiecit non ſine maxima ipſorum Gallorum ſtrage, omniumq; tormentorum amiſſione. (a) Qua victoria obtenta, quū nec adhuc belli incendium per ipſummet regem Gallum, vt præfertur, ſuſcitatum, extinctum dici poſſet, ſatiſq; innoteſceret ipſum Francorum regem nouos belli motus parare ad Italiam denuo turbandam, prout inde exitus demonſtrauit: nec interim exercitum deceret ſoluere, hoſtiq; tam facile adoriendi materiam præbere, minuſq; conueniret integrum exercitum in ocio continere, duxq; Borbonii, ſub cuius auſpiciis Deo fauente, victoria obtenta fuerat, (b) ad occupati ſtatus ſui recuperationem tendens, ac etiam prætendens ſibi ius eſſe aſſequendi comitatus Prouinciæ, petiiſſet à Cæſare illius exercitus partem ſibi ad id concedi, non potuit id Cæſar honeſte denegare, licet Cæſar in ipſo Comitatu Prouinciæ potiora iura habere cenſeretur, quam ipſe dux Borbonii, aut ipſe Francorum rex, (c) qui nequaquam recte dicere poſſet *antiquum* illud eſſe *Francorum regũ patrimoniũ.*

Conſtabit enim ex antiquiſſimis titulis, ac documentis quod (d) Girberga comitiſſa Prouinciæ, vnicam habens filiam nomine Dulciam, eandem matrimonio copulauit Raymundo comiti Barchinonenſi, cui dedit in dotem comitatum Prouinciç, aliaq; plura dominia ſibi tam ex ſucceſſione paterna, quã materna obuenta. Dulcia ſic nupta donauit hæc omnia Raymundo marito, vt ſecum quamdiu viueret poſſideret, & inde ſuccederet ſoboles, quæ ex eodem matrimonio ſuperſtes foret, aut ſobole deficiẽte, ipſius Raymundi mariti hæredes ſuccederent; idq; anno 1112. actum legitur. Effectus Raymund. maritus huiuſmodi dominiorũ poſſeſſor, defuncta Dulcia vxore ſine ſobole, ſibi in his ſucceſſorem delegit Raymundum Berengarium eius ex fratre nepotem, qui etiam viuente Raymundo patruo à vaſſallis, & ſubditis dicti comitatus Prouinciæ, vt futurus ſucceſſor, iuratus, ac receptus extitit, annis ſcilicet 1146. & 1151. Defuncto inde primo Raymundo Comite Prouinciæ, & eidẽ ſuccedente dicto Raymundo Barengario nepote iam, vt præfertur, facto poſſeſſore, qui etiam & Barchinonẽ. Comes, & regni Arragoniæ Princeps erat, copulata ſibi vxore Richarde Federici Imperatoris nepte ab eodem Federico anno 1162. Inueſtituram dicti Comitatus Prouinciæ obtinuit à Durantia (e) vſq; ad mare, & ab Alpibus vſq; ad Rhodanum, vna cum ciuitate Arelatenſi, & comitatu Foricalcerii, & quicquid ad ius Imperiale pertinebat in Auinione, ſeu aliis caſtris. Poſtquã quidem inueſtituram, idem Raymund. Barengar. quamdiu vixit, dictum comitatũ Prouinciç obtinuit, eoq; vita functo Beatrix filia in eo comitatũ ex paterna diſpoſitione ſucceſſit. Quæ inde matrimonio copulata (f) Carolo Andegauiæ comiti, primo vtriuſq; Siciliæ regnorũ eius nominis acquiſitori, qui vt Manfredũ intruſũ eiiceret, ab Vrban. IV. vocatus, inde à Nicol. III. illius ſucceſſore inueſtitus extitit, cuius matrimonii prætextu comitatus Prouinciæ diuturnis temporibus ad vtriuſq; Siciliæ reges delatus eſt. ¶ Qua ratione, vt apertius ius dicti comitat⁹ diſcernatur, cogor etiam ius dictorũ vtriuſq; Siciliæ regnorũ incidẽter, ac mixtim attingere. Ex hoc. n. matrimonio Caroli I. de ipſis regnis, vt p̃mittitur, inueſtiti, ac (g) Beatric. Comitiſſæ Prouinciæ natus eſt Carol. II. qui ex Maria filia, & hærede regis Hungar. 14. habuiſſe legitur liberos: 9. maſculos, & 5. fœminas: inter quos fuit Ioan. Princeps Amoreæ, & Dux Durachii, qui genuit filiũ Ludouic. ex quo Ludouic. genitus eſt Carol. III. de quo infra dicetur. Sed vt ad Carolũ I. vnde digreſſus ſum, redeam; quũ is Neapolit. regnũ ingreſſus, apud Beneuentũ cum (h) Manfredo pugnaſſet, cadenteq; Mãfredo regno potitus eſſet, captoq; inde Conradino vero Regni ſucceſſore, & dicti Caroli I. iudicio ſecuri percuſſo. (i) Petr. Rex Arragon. qui ingẽti claſſe parata in Africã contra Saracenos mouerat, a Siculis, qui Gallorũ mores inſolentiã fere inauditam ferre negabant, opera et á Dñi Ioann. de Procyda poſt veſperas (vt aiunt) Siculas accerſitus, quũ regnũ iure hæreditario (k) Conſtãtiæ ſuæ vxoris Manfredi regis filiç ſibi p̃tinere prætẽderet, claſſe vectus Panormũ applicuit, rexq; acclamatus eſt. Itaq; Carol. ipſe primus Beatricis maritus qui Meſſanã obſidebat, ipſa obſidione ſoluta, ſe in Calabriam recipere coactus eſt: quẽ inſequutus (l) Roger. de Loria Aragonẽſ. claſſis præfectus, partẽ claſſis dicti Caroli cepit, partẽq; fugauit, & in portũ vſq, Neapolitanũ delatus eſt, conſerto prælio cũ Carol. II. illius primi filio, qui nouã claſſem parauerat vt patri opẽ ferret, Carolus ipſe II captiuus in Siciliam ductus, & inde in Aragoniã miſſus extitit. (m) Et hinc emerſerunt prima fomenta bellorũ inter Aragonenſes & Gallos, inter quos tandẽ mortuo dicto Carolo I. & pariter vita functo Petro rege Aragonũ, & Nanfo eius filio primogenito, Iacobo ſecũdogenito in illius regna ſuccedẽte, inita eſt pax, qua Carol. II. è carcerib. liberatus, (n) dimiſſa Sicilia vltra Farũ eidem Iacobo regi Aragonũ, retinuit (o) ipſe Siciliã citra Farũ cum dicto Comitatu Prouinciæ, ex perſona Beatricis eius matris. Huius autẽ liberorũ primogenitus, ex ſucceſſione Mariæ matris, regnum Hungariæ aſſequutus eſt, qui etiã in ipſo regno Neapolitan. ex inueſtitura paterna erat ſucceſſurus: & vitã obiit duobus ſuperſtitibus liberis, Ludouico primogenito in Regno Hungar. ſuccedente, & Andrea ſecundogenito, de quo infra dicetur. (p) Robert. autẽ dicti Caroli II. filius tertiogenitus, excluſis nepotibus ex dicto Carolo eius fratre rege Hungar. præmortuo, à Clemente V. Auinione coronã, & inueſtiturã regni Siciliæ, & Apuliæ obtinuit, qui prius comitatũ p̃uinciæ ex paterna ſucceſſione obtinebat. Is vnicũ habuit filiũ (q) Carolũ Calabriæ Ducẽ, quo præmoriente, duæ eiuſdem Roberti neptes ex præmortuo filio fuere ſuperſtites, Ioañ., & Elizabeth. Has duas neptes dictus Robert. rex cõſcientia motus, vt regnũ ipſũ Sicil. citra Farũ, q̃ iure primogenituræ ad Carolũ ei⁹ fratrẽ regẽ Hung. & ad eius deſcẽdẽtes legitime p̃tinebat, ei⁹ liberis reſtitueret matrimonio iũxit Elizabeth eius neptẽ ſecũdogenitã Ludouico eiuſdẽ Caroli Marcelli primogenito regnũ Hung. obtinẽti: Ioannã aũt neptẽ primogenitã ipſi Roberto in regno Neapolit. ac comitatu Prouinciæ ſucceſſurã, matrimonio copulauit (r) Andreæ ipſius Caroli Marcelli ſecũdogenito. Hæc (s) Ioañ. huius nominis prima, mortuo rege Rober. eius auo paterno, ſuccedẽs in regno cũ Andrea ei⁹ marito (t) ſpiritu diabolico incẽſa, factione pluriũ puellarũ aſtãtiã, Andreã virũ ſuũ laqueo in feneſtra ſuſpẽdit. (v) Quæ inde timẽs aduentũ Ludouici regis

a *Victoria Caroli Borbonii de Gallis, vnde aperte oſtend. iuſ dom. æquitati non deſſe.*
b *Cur illuſtris Borbonii dux arma in comitatũ Prouinciæ intulerit.*
c *Comitatũ prouinciæ non eſſe antiquum patrimonium regum Gallorum, ſed iure ad Cæſarẽ Carolum pertinere.*
d *Vnde deductũ ſit ius comitatus prouinciæ.*
e *Limites Comitatus prouinciæ.*
f *Carolus Comes Andegauen.*
g *Beatrix Comitiſſa prouinciæ.*
h *Manfredus Rex Neapolit.*
i *Petrus Rex Aragonum.*
k *Conſtantia Manfredi filia nupta Petro Aragonũ Regi.*
l *Rogerius de Loria præfectus claſſis aragon.*
m *Vnde fomenta bellorum inter Aragonenſes & Gallos.*
n *Sicilia vltra Farum quomodo in ius Aragonenſium primũ peruenerit.*
o *Carol. ſecũdus.*
p *Robertus Caroli ſecundi filius tertiogenitus à Clemente V. Auinione in Regẽ Siciliæ & Apuliæ coronatus.*
q *Carolus Roberti filius.*
r *Andreas.*
s *Ioanna prima.*
t *Ioanna prima crudelis facinus.*
v *Ioana Andrea mariti interfectrix ob vindictam profuga Ludouicum Andegauenſẽ adoptauit vnde ſubortum illud ius quod Galli reges in comitatum prouinciæ vendicant.*

Hungariæ, qui ad vindicandam mortem fratris cum magno exercitu properabat, in Comitatum Prouinciæ, quem cum dicto regno obtinebat, aufugit, ibiq; dicitur adoptaſſe Ludouic. Andegauẽſ. huius nominis I. confirmata adoptione per Clementem Antipapam, à quo etiam Antipapa inueſtitus legitur anno 1382. Et hinc ſumit initium ius per Andegauenſ. & inde per Duces Lothoringię, ac demum per reges Franciæ prætenſum, (a) habens originem à viricida regni exule, Romanæ eccleſiæ hoſte, nullũ in regno, nec in dicto Comitatu Prouinciæ ius habente, cui adoptandi ius non erat, cui Antipapæ autoritas ſuffragari non poterat, (b) cui obſtabat priuationis, ac declarationis ſentẽtia per Vrbanum VI. verum Pontif. contra dictã Ioannam prolata: Et qui propterea iure, merito año 1381. Inueſtiturã conceſſit (c) Carolo huius nominis III. qui vt ſupra oſtenſum fuit, erat de deſcendentib. dicti Caroli I. & Beatricis eius vxoris comitiſſæ prouinciæ per mediũ dicti Caroli II. eorum filii, & Ioannis ac Ludouici inde gradatim deſcendentium, qui Carol. III. omnino comprehenſus cenſebatur in inueſtitura conceſſa Carolo I. Vnde iure merito ipſe Carolus II ſic inueſtitus, mirabili curſu victoriæ, capta regina Ioanna, quæ Hungaris recedentibus in regnum redierat, eiuſque ducibus ſuperatis, regnũ obtinuit: (d) ſuperato etiã dicto Ludouico Andegauẽſi adoptato, qui ingenti manu Gallorum biennio conatus dictũ Carolum III. debellare, in Apulia interiit. Mortuo exinde dicto Carolo III. ſuperſtitibus Ladislao, & Ioanna eius nominis ſecunda, eius liberis, (e) Ludouicus II. Andegauenſis filius dicti I. Ludouici adoptati, ex vi prætenſæ adoptionis, quæ, vt præfertur, nulla erat, & aliunde corruebat præmortuo adoptato ante ipſam reginam Ioannam adoptantem, potius in armis quã in iure confiſus, dictũ regnum Neapolitanum magna manu inuaſit, ipſiuſque regni partem occupauit, (f) qui poſteà à Ladislao prædicto Caroli III. filio expulſus fuit, & auxilio Caietanę ciuitatis, ac Bonifacii noni pontif. Maximi regnum paternum recuperauit, & quamdiu vixit obtinuit annis circiter triginta. Defuncto inde Ladislao ſine filiis (g) ſucceſſit Ioanna ſoror huius nominis ſecunda, quæ inueſtita fuit à Martino V. Hæc poſt adoptionem regis Alphonſi prius per eam factam dicitur adoptaſſe Ludouic. III. Andegauenſem filium Ludouici II. qui à Martino V. dicta Ioanna adhuc viuente ita inueſtitus extitit, vt deuoluto regno ad Romanam eccleſiam id feudum obtineret, eoq; ſine prole decedente, Renatus, & inde Carol. eius fratres ſuccederent, ſexus, & ordine genituræ ſeruatis. Quæ inueſtitura ideo effectũ non habuit, quia & inueſtitor, & primus inueſtitus ante dictam Ioannam ſecundam adoptantem mortui ſunt, & ſic ante conditionis euentum. Vnde Alphonſus Aragonenſ. primo ab ipſa Ioanna adoptatus, iure merito regni poſſeſſionem adeptus eſt: licet (h) Renatus Andegauenſ. ipſius Ludouici III. frater ex priore fundamẽto inualido, ab Eugenio IV. ſub certis tamen cõditionibus minime impletis, aliam inueſtiturã ſubrepticie obtinuiſſet, (i) quam inde ipſemet Eugen. IV. cauſa cognita reuocauit, eundemq; Alphonſum regem poſſeſſorem, omniſq; gratitudinis, & obſequii erga Roma. eccleſiã officioſiſſimũ inueſtiuit. (k) derogando ex iuſtis cauſis omni prætenſo iuri Andegauenſium, cum clauſula plenitudinis poteſtatis, pro ſtatu & beneficio Roman. eccleſiæ. A quo quidem Alphonſo, ſublato, vt præmittitur, prætẽſo Andegauenſium iure, ab vtraq; Ioanna ex tam infectis, inualidiſq; titulis prodeũte, excluſaq; linea deſcendentium ex (l) Ferdinando I. eiuſdem Alphonſi filio illegitimo, tanq̃ ex infecto ſtipite prodeuntium, legitima eiuſdem regni ſucceſſio ad (m) Ferdinand. vltimũ regem Catholic. inde medio Ioannæ III. eius filiæ, Caroli Cæſaris matris perpetuo morbo impeditæ, ad ipſum Carolum modernum poſſeſſorem deuoluta extitit. Adeo, quod ſiue à Petro rege Aragonũ, & Conſtantia eius vxore Manfredi filia, ſiue à Carolo I. & Beatrice vxore initium ſumamus, clara ſtat ſucceſſio dicti regni Neapolitani, & per conſequens comitatus ꝓuinciæ pro diuo Carolo Cæſare. (n) Licet, n. poſt ipſam Ioannam ſecundã hi qui regnũ Neapolitanũ obtinuere, ex indebita Andegauenſium, & inde Gallorũ regũ occupatione ac detentione dictũ Prouinciæ Comitatũ aſſequi nequiuerint, non ꝓpterea ius dicti Comitatus eidẽ Carolo Cæſari ex lege, ac prouidẽtia primi cõcedentis quæſitũ, cuiuſuis temporis curſu tolli potuiſſet, prius quã ius illud ad eũ deuolutũ eſſet, vt ſic iure merito poſſet Carolus Cæſar iure dicti Comitatus ad eum iure ſucceſſionis deuoluto ad illius aſſequutionẽ contendere.

Cupiens tñ ipſe Cæſ. Carol. eidẽ Duci Borbonii contẽplatione matrimonii prælocuti gratificari, quũ is etiã ex prætenſo Andegauenſiũ iure ſi quid fuiſſet, (o) ex ceſſione Renati Lothoringiæ ducis, poſt mortẽ Caroli vltimi eius nominis Francorũ regis in Annam eius ſororem Borbonii ducisſam, eiuſq; inde hæredes, ac ſucceſſores facta, prætẽderet dictũ comitatũ prouinciæ ſibi deberi, nulloq; iure ad coronã regni Franciæ pertinere: Conſenſit ipſum ducẽ Borbonii cũ parte ipſius Cæſaris exercitus, ad ipſius comitatus prouinciæ recuperationẽ contendere ex iure inde hinc prætenſo. Vnde ex huiuſmodi ꝓuinciæ ingreſſu per ducem Borbonii facto, rebus ſic ſtantibus, non erat Cæſar arguendus, ſed potius laudandus, qui non tã aſpiranti, vt ait, fortunę, quã ſuæ iuſtitiæ confiſus, Borbonium ad id ſuis præſidiis tanq̃ benemeritũ iuuãdum cenſuit. & ſi Deus Opt. Max. à quo omnis victoria procedit, quandoq; iuſtũ pati permittat, nec omnia ꝓ voto concedat, ſed plærunq; iuſtam executionẽ ſuſpendat, vt inde iniuſtum acrius puniat, & maiori afficiat ſupplicio: (p) nõ ita gloriandum eſt, ſi obſeſſa per Borboniũ Maſſilia ciuitate munitiſſima, re infecta, cõmuni ducum conſilio [illegible] obſidio

a Viricida, exul, iniuſte poſſidens, & muliebri nullũ fuiſſe ius adoptãdi vnũ fundamentum Gallorum corruit.
b A vero & legitimo pontifice Vrbano VI feudi domino priuatã fuiſſe Ioannam declaratione ſẽtentia prolata. vnde nec ſic licuiſſe ei adoptare.
c Carol. tertius.
d Ludouic. Andegauenſis qui ratione adoptionis Ioanna regnum Neapolitanũ & comitatum prouinciæ inuaſerat à Carolo III ſuperatus priuſque mortuus quam Ioãna quæ eum adoptauerat, vnde etiã ſi vere potuiſſet adoptare, tamen id ius ad eius liberos non poterat iure peruenire.
e Ludouic. ſecũdus primi Ludouici Andegauẽſis filius vi prætenſæ adoptionis paterna regni Neapolitani inuaſor.
f Ladislaus Caroli tertii filius Neapolis Rex Ludouicum vicit auxilio Bonifacii IX. Pontificis maximi.
g Ioanna ſecunda Caroli tertii filia à Martino V. inueſtita primo Alphonſum Aragonum Regẽ adoptauit, deinde & Ludouicũ III. Andegauẽſ. adoptaſſe dicitur. Tametſi Ludouic. III à Pontif. inueſtitus ſit, tamen quia mortuus eſt ãte adoptatricem Ioannam ſecundam legitimum ius Alphonſo Aragonũ Regi fuiſſe.
h Renatus Andegauenſis qua cõditione ab Eugenio quarto inueſtitus.
i Renocatio inueſtitura Renato conceſſa, eiuſdemq; in Alphõ-

quarta collatio. k Iuri Andegauenſium ꝓtenſo, ab Eugenio quarto feudi domino derogatum eſſe, vnde nullũ ius Gallis eſſe. l Ferdinandus I illegitimus Alphonſi filius. m Ferdinandus Catholicus Rex verus ſucceſſor Neapolitani regni, ex ſimulanti ſtipite ex Ferdinando I. deſcendentium ſiue à Conſtantia Manfredi filia ſiue à Carolo Leutio deſumatur, verus etiam comes prouinciæ. n Nihil iuri Caroli Cæſaris derogare quod Galli comitatum prouinciæ armis tenuerint. o Carolus Borbonii dux ex ceſſione Renati Andegauẽſis, Annæ Borboniæ facta, ius in comitatum prouinciæ prætendẽs à Cæſare qui tamẽ in eum comitatum ab Eugenio tantum maliuit ius habet, copiis adiutus. p Non gloriãdũ eſſe admodũ Gallis, quod illuſtris Borbonii dux Maſſiliã nõ expugnarit.

obſidionem ſoluerit, exercitumq; in Italiam illæſum ac integrum reduxerit, nõ quidem fugiendo, vt adulator prædicat, nec etiam inſequente Chriſtianiſſimo, (*a*) ſed potius vt regem ipſum per a. . à viam breuiorem in Italiam cum valido exercitu properantem, ſi fas eſſet, præuenire poſſent, illique obuiam eſſe, priuſq́ iterum Mediolanenſ. ſtatum inuaderet. Qui Borbonius cum dicto Cęſareo exercitu non tantum accelerare potuit, quin prius Rex ipſe Gallus Mediolani ciuitatem improuiſam, nihilq; tale metuentem occupauerit, nemine reſiſtente. (*b*) At Borbonius cæteris Cæſarei exercitus ducibus, ac militibus comitatus, fœlici duplomate vſus, non quidem timidus, nec animo defeſſus, cum dicto exercitu integro ſuperueniens, cæteras Mediolanenſ. ſtatus ciuitates adeo repente muniuit, (*c*) vt rege ipſo Gallo Ticinenſem vrbem (quã debiliorem putabat) obſidente, ac vltra ſemeſtre in propria perſona cum validiſſimo exercitu detento, toties fruſtra expertis viribus, non ſine egregia ſuorum clade, ſuæq; oſtentationis diminutione, dum non ſolum difficilia, ſed etiam impoſſibilia tentare videretur, ſemper repulſus extitit, exercitu Cæſareo in ſuo ſemper robore permanente. Quo inde nouis etiam copiis aucto & inſtaurato, rex ipſe Gallus in ſuis ꝓpriis caſtris etiam munitiſſimis, foſſa & vallo tũ vi, tũ arte dejectus atq; diruptis, impetitus, inuaſuſq; exercitu partim cæſo, partim in captiuitatem & fugã redacto: (*d*) is non quidẽ, vt ait, prælium ſuſtinens, nec ad reſiſtẽdum excitans, ſed vt par erat, à maioribus, ac principalioribus ſui exercitus ducib. comitatus, cum his ſalutẽ quærens, ſalutis loco in proregis Neapolitani manibus, Cæſaris nomine captiuus eſt redditus, cæteris cum eo exiſtentibus principibus ac ducibus captis, aut cæſis. (*e*) Quod etſi hic noſter adulator id *malo quodam fato, aduerſantiq; fortunæ* potius quam Cæſareorum *virtuti, aut rei militaris ſcientiæ* tribuendũ cenſeat, conuincitur tamen ex ipſo rerũ exitu: quũ antea ſæpius ipſe rex Gallus Cæſareorũ virtutẽ, reiq; militaris ſcientiã maximo eius dãno, & dedecore expertus eſſet, toties victus, totieſq; ſuccũbẽs, vt ſi victores à virtute, & rei militaris ſcientia excluderet, ſeipſũ magis offenderet, ſuumq; magis honorẽ læderet, ꝙ à talibus ſe totiens vinci paſſus eſſet: (*f*) ꝙ ſi fato tribuat, id quippe aduertendũ eſt, ne inde Dei cõtẽptus arguatur, à quo (vt præfertur) (*g*) omnis victoria prodire dignoſcitur. *Non. n. in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt*, & vt inquit D. Aug. *donabit certanti victoriã, qui certandi dedit audaciam.* Non. n. nos hoſtiũ turba, non bellantiũ forma, non quaſi fulgẽs vitrea terreat armatura. Goliã magnũ, robuſtum, armis terribilem, ingenti turba munitũ, Dauid ſolus paruus, atq; inermis vno lapidis ictu proſtrauit, totaq; Allophylorũ caſtra turbauit, atq; fugauit. Deo igitur debetur hæc victoria, nõ fortunæ, nec fato, ni fortunã & fatum ethnicorũ, ac gentilium more, deos faciamus, ꝙ longe abſit, oportet. Deo. n, optimo maximo nil potius, nil glorioſius, nil quod magis animos noſtros excitet, nil quod plus nos in bellis ac contentionibus audere faciat, inueniri, excogitariue poteſt. ſicq; (*h*) impertinenter adducitur ꝙ non tam viciſſet Imperator, quam in maius periculũ incidiſſet, quandoquidem Deus ipſe ſit qui vicit, nullumq; periculũ grauius niſi ipſo Deo permittente contingere poſſet, Nec vero ita (*i*) integræ remanſerant ipſius regis vires, vt inde periculum timendũ eſſet, Ducibus omnibus aut captis, aut cæſis, ac tanta cæterorum clade, vt ſi qui fuga ſalutẽ ſibi quæſierant, nulla pecunia, nulliſq; artibus ad nouũ conflictum contra Cæſarianos victores conduci poſſent: nec arguat is adulator (*k*) vniuerſam tunc Italiam in Imperatorem concitatam, quæ etſi tremeret, ac timeret victrices aquilas, victriciaq; arma, & inſignia in eos conuerti qui fidem violauerant, qui nequaquã pacta conuenta ſeruauerãt, profecto tam ſubito in Cæſarem concitata non fuit, ideoque & Cæſaris benignitatem, & clementiam experiri potuit, qui victricem exercitũ in ocio continuit, paciſq; media totis conatibus ſectatus eſt. (*l*) Nec adeo Germanorum militum decus, & fama huius adulatoris figmẽtis, falſiſq; aſſertionibus lædi, aut grauari debuit, vt hos tumultuantes, Imperiũ detrectantes, ac ad defectionem ſpectantes ob non præſtita ſtipendia aſſeueret, quũ potius ſuæ integritatis & fidei, ſuiq; honoris, & famæ milites ipſi Germani apertum præbuiſſent teſtimoniũ, dum in Ticinenſi vrbe obſeſſi, vbi ſolutionis forma non aderat, 7. ſtipendiorum menſualiũ ſolutionibus his debitis, audacter ipſius obſidionis pondus ſuſtinuerunt nõ ſine maxima hoſtium ignominia, vt ſic potius victores effecti, nullaq; vrgente neceſſitate, ſuperueniente poſt victoriam abundanti pecunia, (*m*) qua eis ſtipendia ſoluerẽtur, prout ſoluta fuere, in priſtina fide & integritate, prout fecerunt, ſe conſeruare debuerint. (*n*) Nec ꝓpterea defuit, nec defuturus erat locus, in quo rex ipſe captiuus tam valido & victrici exercitu circumſeptus, tute cuſtodiri poſſet: Nec adeo paratum erat maternum illud, ꝙ ſaluberrimũ inquit, conſilium Cæſaris exercitũ opprimendi, vt regem filiũ in libertatem vindicaret, quinĩ tentatũ fuiſſet, non facillimum, vt ait, ſed omnino difficillimũ, ac potius impoſſibile compertũ eſſet, prout inde exitus demonſtrauit. (*o*) At ſi Cæſar victor hoſtẽ captiuum detinens, pacis media offerri fecit, id non, vt ait, ad occurrendũ prætexto iminenti periculo, ꝙ nullum erat, ſed potius vt rectum eius animũ ad Chriſtianorũ quietẽ, ad quoq; comunia arma in Chriſti hoſtes cõuertenda ꝓpiuum oſtẽderet, ꝓ quo officio potius laudãdus q̃ arguẽdus eſſet. Et ſi qui cũ eo erãt, hũc Cęſaris animũ exploratũ habere aſſeruerint, illiuſq; clementiã comendauerint, nõ quidem à veritatis tramite deuiabãt, prout ab experto patere licuit.

Verũ ꝙ inquit hos ſuaſiſſe, vt ad Cæſarẽ ſe conferret, hiſq; conditionib. regem ipſum animum induxiſſe, (*p*) vt ſua claſſe, quando aliter fieri non poterat, in Hiſpaniã traiceret, ſatis ab ipſa rei veritate deuiare cenſetur, quũ parata iã claſſe Cæſarea, qua rex ipſe Neapolim vehendus erat, cũ prorege Neapolitano ipſius claſſis præfecto 15. ad id triremibus bene inſtructis, quum iam ex littore Ianuenſi ſoluiſſent, recto itinere verſus Neapolim tendentes, (*q*) Rex ipſe ſua ſponte, ne eius liberatio in conſultationibus habendis cum Cæſare ob longam nauigationem, itineriſque diſtantiam diutius differretur, rogauit proregem, vt cœptum iter diuerteret, eundemque regem

ſed vt ſtudium ſuum erga tranquillitatem publicam Chriſtianæ Reip. comprobaret. p *Qualiter rex Francus ſua claſſe in Hiſpanias vectus ſit. Hic adnotetur ambitionem Gallicam & rei exaggerationem quam in Apologia ſua Gallus rhetor facit.* q *Rex cum Neapolim veheretur, ſe tamen in Hiſpanias transferri ſua ſponte, ne ſua liberatio differretur.*

a *Qualiter illuſtris Borbonius dux obſidionem Maſſiliæ ſoluerit.*
b *Illuſtris Borbonius dux diligentia ſua munierit oppida Mediolanẽſis ducatus.*
c *Obſidio Papiæ à Gallo fruſtra tentata.*
d *Qualiter ad Ticinum Rex Francus captus ſit.*
e *Inepte Gallum apologiſtam fabulari nulla virtute aut rei militaris ſcientia Gallos à Cæſareanis victos eſſe, cum victi ſint toties ſtupendo in Gallico nomine quod à talibus victi ſint accreſcere.*
f *Fato victoria ſi aſcribatur Dei potentia imbecilla.*
g *A deo victoriã eſſe, non à fato fortunaq;.*
h *Impertinentis eſſe quod apologiſta ait ea victoria Cæſarem in maius periculum incidiſſe.*
i *Integræ vires Gallorum quales poſt victoriã fuerint, morte captiuitateq; Gallicorum ducum facile conſtare poſſe.*
k *Italiam tam ſubito non conſpiraſſe.*
l *Falſum eſſe Germanos ad defectionem ſpectaſſe, magnum eorũ ... patientia ... obſidione Ticinẽſi ... eſſe.*
m *Germanis militibus 7. menſium ſtipẽdia poſt victoriam ſoluta: vnde mentiri Gallum cum ait ſtipendia ſolui non potuiſſe.*
n *Falſum eſſe defuiſſe locum in quo rex cuſtodiretur, neq; tam facile vt Gallus ſomniat fuiſſe illuſtriſſimæ Ludouicæ regis matris conſilium ad finem perducere de opprimendo Cæſaris exercitu.*
o *Cæſar quod pacem obtulit nullo id timore fecit*

ad Cæſarem tranſduceret. Annuit Vicerex ea lege, quod Rex ipſe ad ſe vocaret, & ad poteſtatẽ Viceregis conſignaret (*a*) ſex ex triremibus Gallicis, quibus tutius in Hiſpaniam vna cum 15. triremib. Cæſareis vehi poſſet: indiciis interim in mari ſtabilitis. Re ſic inter eos concluſa, ſubſtitit Vicerex cum claſſe Cæſarea in portu Tino, vbi aduentantibus ſex illis triremibus Gallicis, illiſq; vt decebat, milite Hiſpano inſtructis, fœlici duplomate vſus, inconſulto etiam, ac inſcio Cæſare in Hiſpaniam transfretat (*b*) vbi quanto cũ honore Rex ipſe acceptus fuerit, quamq; benigne, honeſte ac luculenter vbique pertranſiens tractatus fuerit, multiplicibus ipſius Gallorum Regis literis propria etiam manu conſcriptis oſtendi poterit, nec creditur regem ipſum etiam nunc ea negaturum.

Minus autem veritati ſubnititur, quod (*c*) *rogando atq; ſuadendo ſummopere contenderit, vt ſimultatibus tandem depoſitis, labenti Reipub. Chriſtianæ ſubueniretur, ſatis ſuperq; ſanguinis effuſum; direptam prorſus ac vaſtatam Italiam, paſſim neces, paſſim incendia conſpici, factum his contentionibus eſſe, vt potentiſſimus atque acerrimus hoſtis Chriſtianæ religioni quotidie inſultet. Quod ſi religione, ſi pietate non moueretur, ſaltim ſciret Deum Opt. Max. horum omnium rationem exacturum.* Hæc enim ordine peruerſo per ipſum ſcribentem relata ſunt: quæ ſi recto ordine relata forent, & ſecundum veritatem annotata, non ipſi regi, ſed Cæſari adſcribenda fuiſſent, quandoquidem & hæc maiora pro publica quiete, pro vniuerſali pace, pro Chriſtiana religione Cæſar ipſe eidem regi ſuaſerit, æquiſſimas pacis conditiones ad id tendentes proponens: (*d*) At è conuerſo Rex ipſe, ſi Cæſar antiqui Burgundianæ familiæ patrimonii reſtitutionẽ non peteret, ſiq; eius ſororẽ primogenitã eidẽ regi matrimonio copularet, ipſumq; Burgundię patrimoniũ illi in dotẽ conſtitueret, obtulit ſuis ſumptib. vniuerſam Italiã ditioni Cæſareæ ſubiicere, Venetos, Florentinos, reliquoſq; omnes Italiæ Potẽtatus debellare, ac ad ipſius Caroli Cæſaris obedientiã cogere, ius ducatuũ Mediolani, & Ianuæ ad opus Cæſaris, ac ſuorũ hæredum, & ſucceſſorum cedere & renunciare: ſimul & ius regni Neapolitani, ac ciuitatum Tornaci, & Atrebati, nec non ſuperioritatis Flandriæ & Artheſii, ſe aſſociaturum: Cæſarem in Italiam ad coronã Imperii de more ſumendam, ſuamq; claſſẽ ad id Cæſari præſtaturũ, ſiq; Cæſar bellũ aliud ſumpturus eſſet, aut pro fide, aut pro Imperio, ſe dimidiam impẽſæ exhibiturum, ratificationem, ac approbationẽ ſtatuum Franciæ & parlamenti offerendo. (*e*) Has enim oblationes cum aliis pauci momenti, quæ ad rem nõ faciunt, obtulit Rex ipſe, tum adhuc in Italia detentus, tum etiam poſt illius in Hiſpania aduentum. (*f*) Cui ex parte Cæſaris reſponſum extitit, nõ eſſe eius mentis patrimonium Burgundiæ ſibi iuſte debitum pro alia quauis re dimittendum, ſed potius eidem reſtituendum, & nullatenus pro dote ſororis concedendum, matrimonium propoſitum cum ipſo rege non fiendũ, ni prius Borbonii dux, cui Cæſar illam ſpoponderat, ad id præſtaret aſſenſum, nolleq; Cæſarem nouos in Italia motus ſuſcitare, ſed illam potius quietam ſeruare, & vnitam contra hoſtes fidei conuertere, ad idq; dũ tempus coronationis ſe offerret, oblatam claſſem non recuſaturum cum oblatis ad id præſidiis. In reliquis oblatis, quum ea omnia per Cæſarem poſſiderentur, nullumq; in his ius eidem regi pertinere dignoſceretur, dixit Cæſar ſe fore contentum, vt reſtituto Burgundiæ patrimonio, eo modo quo Carolus dux huius proauus poſſidebat, remitterentur hinc inde omnes querelæ, & actiones, quæ prætendi poſſent in terris, ac dominus hinc inde poſſeſſis, vt omnibus querelis radicitus extirpatis, vera, ac perpetua pax inter eos ſtabiliri poſſet. (*g*) Non diffiteor regem ipſum tunc tentaſſe, ſi pecunia abſolui poſſet, ac à reſtitutione Burgundiæ excuſari. At Cæſarem reſpondiſſe, ſe nil velle pro illius redemptione niſi quod ſuum erat, & vnde tot bella orta fuerant, vt inde hæc malorum radix penitus extirparetur. Nec debuit videri iniqua, (*h*) ſeu impoſſibilis conditio reſtitutionis rei indebite occupatæ pro pace firmanda (*i*) ac pro liberatione iuſti carceris obtinenda, pro qua nullo iure cogebatur Cæſar pecuniariam (vbi nollet) redemptionẽ acceptare: nec in hoc certa regula dari poteſt, quum id totum ab arbitrio & voluntate detinentis dependere cenſeatur, qui non cogitur hoſtem captiuum iuſto bello captum, ac iure ita diſponente in ſeruitutem redactum, non diſcuſſo iure rei de qua contenditur, & pro quo nouum bellum poſſet inſtaurari, quouis pacto relaxare. Licet (*k*) quantum ad ipſum regem attinet, nullam iuſtam carceris querelãm, quæ metum tali viro incuteret, ſeu corpus affligeret, quouis modo allegare poſſet, quippe quum Rex ipſe licet debite comitatus, & caſtrum, & oppidum in quo reſidebat libere exire, & in agris, viridariis, ac monaſteriis deambulare ac equitare poſſet, dum ſibi expedire videbatur, vt ſic ceſſaret timor ille perpetui carceris, non profecto ſic comminati, vt ait, qui propterea rectam illationem facere non poteſt ſe ex his illuſum, aut quibuſuis pollicitationibus circumuentum, (*l*) Qui ſi etiam Dei flagella moleſte tulerit, & horum impatiens animi anxietate ſeipſum cruciare voluerit, ob idq; in morbum, vt ait, grauiſſimum ac periculoſum inciderit, non id Cæſaris culpæ aſcribendum eſt, in cuius poteſtate non erat has animi & corporis paſſiones auertere, quæ in ſolius Dei poteſtate conſiſtunt, vt nedum captiui, & moleſtiis afflicti, ſed etiam liberi dum magis ocio ac voluptate fruuntur, dum manus domini eos contingit, & ad eos corrigendos porrigitur, ſæpius in huiuſmodi ægritudines & morbos incidant, & plærunq; deteriora patiantur. (*m*) Et ſane longe magis redarguendus eſt huius tragœdiæ autor, qui etiam quod ſoli Deo tribuitur, ſibi ipſi nititur vſurpare, quaſi ſit ipſe ſcrutator cordium qui de intrinſecis animi affectibus audeat iudicare: præſumens tamen in partem deteriorem, volenſq; lapidare Cæſarem de bono opere, licet ignorare non deberet, quod omni iure tam diuino quam humano melior ſemper præſumptio in rebus dubiis ſit amplectenda. At

a *Triremibus quindecim armatis inſtructiſque vt regem Francum Neapolim veherent ad petitionem proregis Neapolitani verum eſt ſex Gallicas adiectas eſſe. ſed milite Hiſpano inſtructas neq; id neceſſitati Cæſaris aſcribẽdum eſt ſed prudentiæ ſuorum, qui cum ſcirent oram Galliæ prætereundam eſſe, dubitare potuere ideo à rege peti, vt in Hiſpaniã veheretur, quo vel caſu vel fortuna à ſuis liberaretur, ideoque in omnem euentum ex triremes hoſti adimendas & ſuis iungendas eſſe decreuere.*

b *Regem Francum honorificẽtiſſime in Hiſpania tractatum fuiſſe ex eiuſmet literis doceri.*

c *Falſa & commentitia eſſe, quæ Apologiſta ſubdit Regem Francum contẽdiſſe ad pacem vniuerſalem faciendam. Ea etiam quæ ab illo narrantur à Cæſare non à Rege facta eſſe.*

d *Oblatio regis Franci facta Cæſari Carolo, quod ad ducatũ Burgundiæ & matrimonium cum Illuſtriſſima D. Aleonora ſorore eius primogenita contrahẽdum pertinẽt.*

e *Hæc omnia à Rege Franco oblata Cæſari dum adhuc in Italia teneretur, & poſtea.*

f *Reſponſio Cæſaris ad oblata Regis Franci.*

g *Rex Francus tentauit ſi pecunia à Burgundiæ ducatu reddenda abſolui poſſet obligatum ... ſed minime admiſit Cæſar.*

h *Ridiculum eſſe quod apologiſta ait conditiones impoſſibiles propoſitas eſſe regi Franco cum qui ſua indebite ab alio occupata ſibi reſtitui petit, impoſſibile petere non dici recte poſſit.* i *Ad pecuniam acceptandam pro liberatione regis Franci hoſtis non obligatum fuiſſe de iure Cæſarem.* k *Perpetuos carceres regi Franco Cæſarem Carolum minatum non eſſe ideoque ſomniare apologiſtam.* l *Carolo Cæſari non imputandum, quod Rex Francus in morbum inciderit.* m *Præſumptionem in bonam partem fieri debere, ideoq; impudenter agere apologiſtam qui de intrinſecis affectibus iudicat.*

At is blaſphemat de tanto principe, obloquendo, quod [a] is *veritum ne, quod mente conceperat, tas Gallici regni prouincias, quas iam Imperio ſuo adijcere deſtinauerat, inopinato regis interitu amitteret, ſicque publicum odium in ſe conuerteret, ad regem ipſum, vltimum ſpiritum vix trahentem acceſſerit, neque hortando, aut pollicendo deſtiterit, donec in meliorem conſequendæ libertatis ſpem eum induxerit*. O lingua maledica, ô mens peruerſa, ô ingenium venenoſum, quam ſubtili arte conaris tuum virus, tuæque adulationis falſiſſimas ſuggeſtiones auribus infundere ac inſtillare, & bene ſentientium animos peruertere, ac in ſiniſtram opinionem tuæ detractionis maledicentia deducere. Nunquam enim mens Cæſaris (quæ ſuapte natura omnem cupiditatem & auaritiam, ac ambitionem abhorret) quidquam concepit, quod à iuſtitia & honeſtate declinare videretur. Nunquam cogitauit aliquas Gallici regni prouincias ſuo Imperio adijcere, ſolum cogitauit ſua repetere, pro quibus etiam reintegrato prius ſpolio, [b] obtulit de proprietate coram competenti iudice, aut coram arbitris communiter eligendis reſpondere, ac iuſtitiæ parere: nec vnquam in eius mente ſedit, quod ipſius [c] regis interitu quicquam iuris ſui amiſſurus eſſet, ne quod ob id maius odium in ſe conuerteret, quum eſſent adhuc illi priores vires nequaquam diminutæ, quibus & ius ſuum aſſequi, & odium repellere liceret. Verum quum de ipſius regis ægritudine Cæſar certior factus eſſet, & quadam Gallorum, ſeu Gallicantium arte fingeretur morbus grauior eſſe, hique ſimul & phyſici, qui ægritudinis curam habebant, aſſererent morbi cauſam ex ſola animi triſtitia procedere, nullumque melius antidotum præſtari poſſe, quam ſi contrario euentu aliqua inopinatæ lætitiæ cauſa eidem regi offerretur. [d] Idque Cæſarem præſtare poſſe contendebant, ſi ſua præſentia Regem conſolaretur, hæc miſericordiæ opera cenſeri, ægrotos viſitare, triſtes conſolari, quod ſi non faceret, & Rex ipſe mortem obiret, aſcribendam Cæſari culpam, eumque crudelem & inhumanum cenſeri. Etſi [e] nonnulli Cæſarem ab ea viſitatione auertere conarentur aſſerentes non conuenire Cæſareæ dignitati, Regem captiuum videre, ni illum ſtatim libertate donaret, idque etiam adducentes, [f] magnorum Principum ac Regum conuentum raro fructuoſum fuiſſe, quum inde maiora odia ſoleant concitari, idque vt plurimum experientia rerum magiſtra effectu comprobauerat, cuius rei multa etiam noſtri temporis exempla in medium adducebantur. Elegit tamen bonus ipſe Cæſar humaniorem ac mitiorem partem, opuſque pium amplexus eſt, viſitauit ægrotum Regem, [g] hortatus eſt, vt nil aliud quam de ſalute cogitaret, reliqua negotia, quæ inter eos agenda eſſent, in ſalutis tempus reſeruaret, ac pro tempore obliuioni traderet: eo enim conualeſcente cuncta recte componi poſſe, quum Cæſar ipſe nil iniuſtum aut iniquum eſſet petiturus. [h] Si igitur Cæſar opus pium exercendo *vltimum*, vt ais, *ſpiritum trahentem* Regem ſua viſitatione diuino accedente præſidio, ab ipſo fere vltimo vitæ ſpiritu ad veram valetudinem reuocauit, cur damnas opus tam bonum? cur peruertis beneficium tuo Regi collatum, nullo certe theſauro æquandum? cur impugnas virtutem, & ex ea præter naturam vicium elicere conaris? Abſit igitur tanta peſtis, ne corda hominum inficiat, ne tantum virus in horum aures diſtillet. At non ceſſat adhuc is blatero, tantum Principem ſuis mordacibus commentis vrgere, dum inquit: [i] Quod quum is *conualuiſſet, legatos ſuos, ſororemque ad Cæſarem miſit oratum, vt honeſtis pactionibus, quas obtulerat, contentus, ſe libertati remitteret, illud rurſus aduerterat, quod etiam in Italia teſtatum* aſſerit, *ſi iniquas, aut eas, quas præſtare non liceret, conditiones extorqueret, minime obſeruaturum, quin ſi daretur occaſio, iniuriam quandoq; vindicaturum.* Sed profecto in hoc etiam veritatem peruertit tacens exprimenda, exprimenſque tacenda. Si enim veritatem exprimeret, diceret, quod Legati, & inde ſoror ad Cæſarem miſſi, non quidem ad offerendum prius oblata, ſed ad retractandum & minuendum conditiones, quas ipſemet Rex in Italia adhuc exiſtens, priuſquam in Hiſpaniam veheretur, ſua ſponte obtulerat, ac ſcripto referenda commiſerat Don Hugoni de Montecateno cum credentia propria etiam ipſius regis manu conſcripta: quæ retractatio ex eo proceſſit, quod iam feruerent molitiones factionum, quæ cum Pontifice ac Italiæ Potentatibus tractabantur, omnino delendi exercitum Cæſareum, quæ inde prodierunt in lucem. Cuius rei indignitate percitus Cæſar, cui hæc, quæ in Italia agebantur conſilia non erant incognita, [k] ægre ferens, quod ſoror & Legati ab ipſius regis oblatis reſilirent, & his artibus putarent cogendum Cæſarem ad libertatem ipſi condonandam: renuit reſtrictas illas conditiones, nouaſque conditiones obtulit: priores ſuas mitigando, ſuper quibus etiam parte ipſius Regis reſponſum fuit, aliquid de nouo addendo ex primis conditionibus retractatis, prout hæc omnia ſcripto videre licebit. Et quum ſuper his aliquot diebus diſputatum ac altercatum foret, tandem ipſius Regis ſoror & legati, re infecta, diſcedentes ad ipſum Regem reuertuntur. [l] Detegitur interim machinatio quædam, qua Rex ipſe ſororis, ac ſuorum conſilio ſibi liberationem cum fuga mirabili quadam arte parare curabat: capiuntur aliqui factionis conſcij, qui ſine ſaluo conductu in Hiſpaniam venerant, fatentur molitionem & præparamenta, tres fuerunt in his conteſtes, accedunt alia indicia, quibus veritas magis comprobatur. Cenſet Cæſar id tacendum, potiuſque diſſimulandum, ipſum tamen Regem diligentius cuſtodiendum ſanxit. Hinc Regis ſoror ſuſpicans rem detectam, expeditis per equos diſpoſitos cæteris factionis authoribus, obtentoque pro ſe, & comitiua nouo ſaluo conductu, ſuum ad Galliam regreſſum prôperat, remiſſis ad Cæſarem legatis, qui cum illa, vt præfertur, ad Regem redierant, vt inde pacis practicas continuarent. [m] Nuſquam tamen conſtare poterit, quod coram Cæſare facta fuerit proteſtatio, quæ ex aduerſo narratur: quæ ſi in ipſius Cæſaris notitiam deueniſſet, melius forſan ac ſecurius rebus ſuis conſultum fuiſſet, quamuis etiam aliunde talis proteſtatio robur non obtineret ad inualidandum actum inde ſequutum,

a Refutatio ſtius quod Gallus Apologiſta ſomniat Carolum Cæſarem veritum ne prouincias, quas ſuo imperio adijcere ſperauerat ad regem Francum ægrum acceſſiſſe.

b Ca.arem de *proprietate prouinciarum ſibi debitarum coram competenti iudice reſpondere paratum obtuliſſe.*

c *Interitum regis nihil futurum fuiſſe in præiud.cium iuris Cæſarei.*

d *Qualiter Cæſar ad Regem Francum ægrotum acceſſerit.*

e *Multis conſilijs Cæſarem deturbatum, ne regem Francum inuiſeret: poſtremo humaniorem & mitiorem partem elegiſſe.*

f *Conuentus principum raro fructuoſos fuiſſe.*

g *Cæſaris Cæſaris vere Chriſtiana adhortatio*

h *Apologiſta Gallus tam inepta præſumenti reſpondet.*

i *Menstri Apologiſtam Gallum in narratione de vocata ſorore, de proteſtatione in Italia facta.*

k *Quid ſoror Francis regis in Hiſpania egerit.*

l *Conſilia inita de rege Franco ſecrete liberando, inque eam rem inuenta præparamenta.*

m *Nunquam coram Cæſare factam proteſtationem fuiſſe talem, qualem Apologiſta innuit.*

 quinimo

quinimo [a] per ipſum actum contrarium ex longo interuallo tolleretur talis proteſtationis effectus, prout iura diſponunt.

Sed adhuc magis acuit detractionis aculeos in ipſum Cęſarem, inquiens,[b] quod cum rex ipſe *multa duri atq; infenſi animi ſigna in Cæſare cognouiſſet, facile perſpiciebat ſe nunquam niſi expleta Cæſaris immenſa cupiditate libertatem adepturum.* At enunciet quæ intenſi animi ſigna conſpexerit, quæ recte incuſari poſſent. Si antiquum hoſtem, à quo tot mala Cæſar acceperat, tot bellorum inſultibus vexatus fuerat, cuius culpa tot damna totq; impenſas paſſus erat, iuſto bello captum ad æquas pacis conditiones inducere non poterat, non aliter liberandum cenſuerit, quam quæ indebite occupabat, reſtitueret: [c] qualiter arguatis immenſam cupiditatem Cæſaris, qui nil aliud, quam quod ſuum erat, expoſcebat? qui etiam pro pace, proq; quiete non vulgarem indebite occupatorum partem relinquebat. [d] Hæc enim immenſa cupiditas rectius in aduerſarium retorqueri poſſet, qui nunquam niſi de alienis occupandis viſus eſt cogitare, prout ex fœderibus omnibus per eum, poſtquam regnare cœpit, hincinde percuſſis apertiſſime patebit.

Quas autem enumerat metus cauſas, quibus ſuſceptas pacis conditiones pro voto, vt inquit, Cæſaris nititur impugnare, [e] adeo friuolas & inanes, quiuis ſani capitis iudicabit, vt ſanctius fuiſſet has nugas reticere. [f] Et vt id paſſim demonſtretur, quam leuis eſt cauſa illa metus, ſi ex ſui animi indignatione in exitialem morbum incideret, quum id potius ſuæ culpæ aſcribendum foret, qui noller eius animum cũ diuina voluntate conformare, ſed ſeipſum ſua impatiẽtia affligere, ſicq; ſuo facto ſe in neceſſitate conſtituere, quum iura his non ſubueniant, qui ſeipſos in tali neceſſitate cõſtituunt.

Enimuero leuior eſt ea timoris cauſa, [g] ne tumultus aliquis in regno ſuo, ipſo diutius abſente ſuborirerur, quod aliis temporibus accidiſſe repetebat. Hinc enim non metus arguitur, qui in conſtantem caderet virum, cuius abſentia ſua voluntate ab ipſo initio cauſata, licet ex poſt facta neceſſitate cogẽte, vltra quam rex ipſe forſan putabat diuino iudicio potius quam humano protracta fuerit. Potuit tamen rex ipſe etiam abſens, & forſan melius, quam præſens, per miniſtros idoneos, quoſcunque tumultus auertere, rectam iuſtitiam populis exhibendo, oppreſſiones, iniuſtitias, & dolos ſubmouendo, quibus diuina prouidentia regna de gente in gentem transferre ſolet.

Minus quoque ſubſiſtit cauſa alia, [h] quod iuſto perpetuæ ſeruitutis metu permotus, cum nulla alia ratione carceres euadere poſſet, ita conuenerit. id enim potius puſillanimitati quam magnanimitati adſcribendum foret, quod à tanto rege longe abeſſe debet. Data enim iuſtitia belli, ipſoq; rege iuſto bello in captiuitatem deducto, in quo etiam licite occidi poterat, ac multo fortius in ſeruitutem redigi, non poteſt inde ex tali actu licito iuſtus metus reſultare, qui actum reſcindere valeat. [i] Non datur enim metus actio, ſeu exceptio iuſte carcerato, etiamſi cum eo, qui illum detinet captiuum, pro ſui liberatione contrahat, etiamſi vniuerſam ſuam erogaret ſubſtantiam, [k] multo minus conceditur huiuſmodi metus actio, ſeu exceptio ei, qui per metum reddit id quod debet, aut agit id, ad quod iuſte cogendus eſſet, vbi maxime iuriſiurandi accedit religio, quæ omnem metus cauſam excludit.

Et ſatis friuolum cenſetur, quod ait [l] *in hoc felici rerum ſucceſſu, ob potentiſſimas Cæſaris vires neminem eſſe, qui vel armis, vel auctoritate ad obſeruandas illas Chriſtianorum leges adducere eum poſſet, quæ bello captum perpetuis carceribus addici vetant, tanquam indignum minimeq; Chriſtianæ religioni conuenient: verum ad precium pro redemptione paciſcendum admittunt,* [m] quandoquidem tales leges in rerum natura reperiri non valeant, nec in viridi obſeruantia conſiſtant, ſed potius iuxta ipſam militarem diſciplinam, liceat hoſtem iuſto bello captum aut retinere, aut dimittere, aut etiam ſi libet, occidere. [n] Et ſi is ad compoſitionem admittatur, dum tamen talis ſit compoſitio, quę illius ſubſtantię vires non accedat, cogitur omni iure captiuus ſuæ liberationis conditiones implere, ac compoſitionem quantumcunq; in carcere factam ſeruare, prout omnia iura teſtantur. [o] Quod autẽ aſſerit Chriſtianiſſimum ad eas deueniſſe conditiones, quas Cæſar optauit ac voluit, non tam quidem turpes, ſuoq; regno pernicioſas, quam indignas vt ab ipſo Cæſare poſtularentur, ſatis ex prædictis oſtenſum eſt, rem longe aliter ſe habere, quum nec Cæſar quicquam optauerit ſeu vo uerit, quod cuipiam turpe ſeu pernicioſum, aut indignum videretur, nec quicquam iniuſtum aut iniquum obtinuerit, quod reprehendendum videatur. quinimo eas conditiones amplexus fuerit, etiam de proprio patrimonio relaxando, ac ſororem primogenitam, ſecundam perſonam in ſucceſſionis gradu tot regnorum ac dominiorum eidem regi copulando, vt profecto Cæſar ipſe nedum captiuo, ſed etiam regi libero, & æque armis inſtructo ampliores non fuiſſet conceſſurus, quas rex ipſe recto fretus conſilio, nullo iure reſpuere debuiſſet, nec illarum implementum detrectare, ſed potius conuenta ex integro pro ſuo & Chriſtianæ Reipublicæ commodo exequi & obſeruare debuerat.

Quod ſi [p] regni proceres, & Senatores ab ipſo rege, vt ait, conuocati, matura, vt inquit, conſultatione adhibita, in eam ſententiam adeo iniuſtam, & ab omni humano conſortio abigendam proruperint, vt auſi ſint dicere, huiuſmodi fœdera, & conuentiones velut inſolitas, maximum in ſe promittentis damnum continentes, cum potentiore initas, vi extortas cenſeri, atque ideo non obſeruandas, præcedente potiſſime iuramento in còronatione præſtito, ne regni patrimonium [illegible] alte-

a Per actum contrarium ex longo interuallo tolli pro iure proteſtationẽ, etiamſi qua facta fuiſſet, quæ tamen nõ fuit.

b Reſpondet ad id, quod Apologiſta ſubdit vidiſſe Regem Francum multa infeſti animi ſigna in Carolo Cæſare.

c Non fuiſſe immenſam cupiditatem in Cæſare, ſiquidem nil niſi quod ſuum eſt petiiſſe, neque adhuc omnia, ideoq; falſo id ab Apologiſta obijci.

d Regem Francum immenſæ cupiditatis accuſari iure poſſe.

e Friuolas & inanes cauſas metus eſſe, quas Gallus nugator enumerat.

f In exitialem morbum ſi rex Francus incidiſſet ex animi indignatione, prout Gallus nugatur, eius culpa id aſcribendum fuiſſe.

g Leuem cauſam timoris eſſe, ne interea tumultus in regno oriretur, id quod Gallus ſubiungit.

h Ridiculum & hoc eſſe, quod Gallus ait iuſto perpetuæ ſeruitutis metu permotum regem, vt carceres euaderet, ita conueniſſe.

i Metus actionem exceptionemq; non dari iuſte incarcerato, etiam ſi pro ſua liberatione omnẽ ſubſtantiam impendat, ideoque Gallum Apologiſtam plane communis legum ignarum fuiſſe, & nihil hunc metum excuſare, quominus Rex Francus fœderi ſtare debuerit. *k Lege leſtes hanc rem optime digeſt. ſup.* *l Reſpondet ad id quod Gallus, addit à nemine Chriſtianorum principum Carolum impelli potuiſſe, vt regem Francum liberaret.* *m Leges, quas Gallus ait vetare captos perpetuo detineri in rerum natura non eſſe.* *n Captiuus de iure omnes conditiones implere tenetur.* *o Falſum eſſe regem Gallum ad iniquas conditiones coactum fuiſſe.* *p Ad confirmationem Gallicam reſpondet, vbi agitur de ſententia procerum Gallorum conuocatorum lata, quantum ad obſeruationem fœderis attinet.*

alienaret, profecto hæc non iuri, non dignitati, non conſcientiæ, nec honori ipſius regis conuenire videntur, [a] nec cenſerentur tales conſultores tali munere digni, qui ad tanti principis latus in rebus tanti momenti aſſiſtere deberent, ni forſan & ipſi adulatione, blandicijs, aſſentatione, detractione, fallacijs, ac maledicentia eum locum adepti fuerint, & eiſdem artibus peſtiferis altiorem forſan gradum aſſequi contendant, vt inde altius euecti facilius & ſeipſos, ac alios quos regunt, præcipitent, omneſque in profundum ruant. Non enim cenſerentur conſultores illi tales, quales docet aſſumendos altitonantis ſententia, dum per os ſerto ſeruo ſuo Moyſi loquens, inquit: *Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, &c.* [b] Qualis enim in his ſapientia, qualis Dei timor, qualis veritas, quam integra ſeu incorrupta intentio, ex horum conſilio, inconſiderataque ſententia facile colligi poteſt. Non enim hic ſapientia Solomonis, non Numæ Pompilij, Theodoſiiue religio, non M. Reguli conſtantia ac fides, non Scipionis integritas ac temperantia: Non hic veritas vitæ, nec veritas doctrinæ, nec veritas iuſtitiæ, licet his tribus veritatibus tales conſultores præditi eſſe deberent. [c] Vbi, dic, adſunt tales conuentiones inſolitæ, quum in eo fœdere nil niſi iuſtum & ſolitum inueniri poſſit? vbi maximum illud eſſe comperies promittentis damnum, qui nihil promittit, quod debitum non appareat? & qui etiam promittendo partem eius quod iuſte debet, libertatem acquirit, quæ cunctis temporalibus rebus eſt præponenda: [d] vbi nam potentiorem allegas, quem iam antea adeo paruipendere viſus es, cum quo etiam rex tuus maiori, vt aiebat, potentia fretus, armis contendere toties auſus eſt? Fatebor tamen Cæſarem ipſum potentiorem, qui Dei nutu regitur, qui diuino fretus præſidio toties vicit, toties de hoſte triumphauit, & tandem in captiuitatem deduxit, indeq; medijs pacis conditionibus liberum reddidit. Fatebor etiam eas pacis conditiones vi extortas, ſed non quidem vi iniuſta, vbi iuſto detinebatur carcere, [e] vbi quod iniuſte detinebat (iuſto Dei iudicio captus) reſtituere cogi poterat: vbi etiam liber & vi, & armis licite, ac omni iure permittente ad id vrgeri potuiſſet, ac etiamſi id non faceret, impune occidi, prout iura teſtantur.

Iuramentum [f] autem in coronatione præſtitum, ad caſum noſtrum impertinenter adaptatur, vbi patrimonium regni non alienatur, ſed de indebite occupatorum reſtitutione agitur. Et eſto quod alienatio fieret de re prohibita alienari, non propterea infringeretur alienatio, licet alienans incideret in periurium, prout iuris eſt notiſſimi. Si enim in re tali iuramentum coronationis, fœdera reſtitutionis fiendæ infringeret, præcluderetur omnis via veræ pacis ineundæ, ſi fœdus validum ſuper his iniri non poſſet, præſtareturque occaſio, vt non pace, ſed armis recuperarentur ea, quæ etiam vi & armis occupata fuiſſent, vt ſic vis vi repelleretur, quod etiam ex longo interuallo permiſſum eſſet, vbi citius recuperari non potuiſſet.

Quod [g] autem inquit iure cautum eſſe, non licere ciuitatem, aut prouinciam inuitis, repugnantibuſque ſubditis in quempiam transferre, ſicque non licuiſſe abſque ſubditorum conſenſu ad huiuſmodi alienationem deueniri, ſatis ex præcedentibus liquet, non hic agi de alienatione, ſed de reſtitutione, in qua nec ſubditorum conſenſus exigitur, nec eorum contradictio talem reſtitutionem impediret. [h] Et eſto quod de alienatione ageretur, non tamen exigeretur ſubditorum conſenſus, vbi alienatio fieret in maiorem vel ſuperiorem, quia tunc ſubditorum contradictio nullum præſtaret impedimentum. [i] quinimo ſi hoc admittamus, eodem ictu, eademque ſecuri tolli, ac radicitus præſcindi poteſt potiſſimum ipſius Gallorum regis fundamentum prætenſæ vnionis, ſeu incorporationis ducatus Burgundiæ coronæ Franciæ, quam deuoluta ſucceſſione ducatus prædicti ad regem Ioannem ſubditi, qui ius dictæ coronæ detrectabant, propriumque ducem habere contendebant, taliter vnioni contradixerunt, vt illam reuocari ac retractari, ſeu verius annullari fecerint; [k] hincque proprium ducem obtinuerint Philippum le Hardy, ipſius Ioannis regis filium, cui facta fuit eiuſdem ducatus conceſſio pro ſe, & hæredibus ſuis ex legitimo matrimonio procreandis perpetuo hæreditario, ac pro omni ſua poſteritate, à quo recta linea deſcendit Cæſar noſter, qui ſic de illius poſteritate cenſetur, & cui merito ducatus ipſe debetur, vt ſic aduerſus indebitam ſpoliationem omni iure reſtituendus cenſeatur.

Ruſus redit ad proteſtationem illam, [l] *ſi iniquas conditiones Cæſar extorqueret, minime obſeruaturum*, ex qua aſſerit *ſatis ſibi, honorique ſuo conſultum. quin potius mirandum*, inquit, *quonam pacto, quum de regis ipſius libertate poſtea ageretur, hæc aut neglecta fuerint, aut Cæſaris memoria exciderint, hincque fatendum* dicit, *ea Dei iudicio contigiſſe, cui regis Chriſtianiſſimi libertas curæ erat.* Ad hæc iam antea dictum extitit, talem proteſtationem Cæſari nequaquam factam eſſe, nec in eius notitiam perueniſſe, vt ſic nec neglectā, nec memoria excidiſſe dici poſſit, quæ etiam, vt præfert, actu contrario ex longo interuallo facto ſublata fuiſſet. Et inſuper deficiente talis proteſtationis conditione, [m] vbi nullæ extortæ apparent conditiones iniquæ, corrueret per ſe eiuſdem proteſtationis effectus: & ſi aliter non conſulatur [n] tanti regis honori, magno quidem in diſcrimine honor ipſe ſuus verſaretur, quod profecto de tanto principe credere non poſſem, vt his tam friuolis, confictiſque, & mendoſis potiuſque venenoſis adulatorum ſuaſionibus generoſum animum adeo infici pateretur, vt à recta fide, à iuriſiurandi religione, ab omnique iure diuino & humano, ac à rectis ſuorum prædeceſſorum

a *Iniuſtiſſimam Gallorum fuiſſe ſententiam, eoſq; qui hanc tulerint peſtilentiſſimos adulatores fuiſſe, & non cōſiliarios.*

b *Quales conſiliarii regum & principum eſſe deberent.*

c *Nullam conuentionem inſolitam fuiſſe propterea, quod nihil promiſſum ſit, quod idem nō debitū fuerit.*

d *Cæſarem, quem nunc Apologiſta maiorem & potentiorem vocat, ſæpe a Gallis minorem & imbecilliorem eſſe creditum.*

e *Omni iure permittente rex Francus cogi poterat reſtituere ea, quæ iniuſte ademerat.*

f *Reſponſio ad id quod Gallus ait de iuramento in coronatione præſtito, ob quod non teneri Francum regem ad reſtitutionem, quoniam quæ iniuſte poſſidentur, illa quo minus iniuſte detineantur prohiberi nō poſſe.*

g *Ad id quod ait iure cautum eſſe non licere ciuitatem aut prouinciam abalienare inuitis & repugnantibus ſubditis. Hic enim de alienatione non agitur, ſed de reſtitutione.*

h *Vbi alienatio fit in maiorem vel ſuperiorem, non exigi ſubditorum conſenſum.*

i *Si ſubditorum conſenſus aliquid efficit, tolli fundamentum incorporationis ducatus Burgundiæ ad coronam Franciæ.* k *Lege hanc partem lector.* l *Ad Apologiſtæ regiam proteſtationem reſpondet, neq; neglecta hæc fuiſſe Dei iudicio, ſed à rege Franco non audita, vtq; etiam audita ſint, actu contrario & longo interuallo ſublata eſſe.* m *Nullas conditiones iniquas extortas fuiſſe, ideo etiam corruere proteſtationem, ſi qua facta fuiſſet.* n *Regis Franci honori non bene ab Apologiſta conſultum eſſe.*

rum veſtigijs in re tam nota, tamque aperta declinare vellet, fidemque fallere, ac fœdera violare. ª vbi potiſſime rex ipſe non quidem captiuus, ſed liber factus, ac in regno ſuo conſiſtens, & verbo & ſcripto oratoribus Cæſareis teſtatus ſit, ſe omnia obſeruaturum, ac impleturum, quæ conuenerat & promiſerat, in nihiloque defecturum: id quoque etiam ſuis literis propria manu ad Cæſarem conſcriptis, quæ optime cuſtodiuntur, declarauerit, ac denuo ſe integre conuenta ſeruaturum pollicitus ſit. ᵇ Demumque ſuperuenientibus Burgundionibus ad id vocatis, illiſque inſtructis, non à ſubditis ducatus, ſed à miniſtris regijs, quid dicturi, quidue acturi eſſent: dum rex oratorem Cæſareum his audiendis præſentem eſſe iuſſiſſet, ipſeque orator ſatis perſpiciens artem negotiationis, oſtendiſſet ea geſta verbis præambulis minime conuenire, ᶜ reſpondit rex, minime curandum, quin poſſet exequi quæcumque volet, etiamſi ſubditorum conſenſus non accederet, quum potiſſime arces in eius poteſtate conſiſterent, & ad nutum ſuum haberi poſſent, quibus Cæſari conſignatis, nulla eſſet in cæteris exequendis difficultas. ᵈ An igitur hæc in libertate, ex longo interuallo, facta in proprio regno, nullo ad id cogente Imperio, ſua ſponte ac libera voluntate geſta, vbi nulla vis, nulluſque metus interuenire poterat, liberum ipſius regis conſenſum demonſtrent, an cuiuſuis proteſtationis præambulæ effectum tollant, an etiam quamcunque prætenſam vim, iuſtumue metum etiam iniuſti carceris, aut cruciatus corporis (eſto quod talis eſſet, qui in conſtantiſſimum virum caderet) omnino excludere, ac purgare videantur, iura ſunt in aperto, quum clariſſima ſit iuris determinatio, ᵉ metum dumtaxat durare, quamdiu durat ratio metuendi. Vnde conſenſus, ceſſante cauſa timoris, adhibitus purgat metum præambulum, ſublataque cenſetur omnis timoris præſumptio, vt ſic actus præcedens nequaquam meticuloſus iudicetur. Hincque clare liquet, nullam iuſtam ſubeſſe cauſam, qua licuerit fœdus infringere, ſeu violare, aut à fide data reſilire. ᶠ Et licet omnia Dei iudicio contingere fatendum ſit, cui non ſolum dicti regis libertas, ſed & omnium ſalus curæ eſt, id tamen fateamur oportet, quod non ea ſit Dei cura, vt quis ſua libertate, ſuoque libero arbitrio abutatur, ſeu à recta fide deuiet, quia ſine ipſo factum eſt nihil, id eſt, peccatum, cuius cura dæmoni potius, ac humani generis hoſti, quam ipſi Deo aſcribenda videtur. ᵍ ſed potens eſt adhuc Deus, qui liberum in captiuitatem ob præcedentes forſan culpas redegit, & inde in libertatem reduxit, vt ſuum agnoſceret creatorem, ſi iterum ad vomitum redeat, conſterque induratum cor Pharaonis hunc non ſolum in nouam captiuitatem deducere, ſed forſan etiam ad longe deteriora cogere. ʰ Nec ad rem facit parlamentorum autoritas, quorum iuſiurandum ad rectam iuſtitiæ adminiſtrationem diſponitur, ſicque pro iuſtitiæ debito in confeſſum, ac ſponte condemnationem ſubeuntem nullæ eſſent eorum partes, niſi in condemnando iuxta obligationis formam, & qui ab ipſius regis voluntate, à qua eorum dependet authoritas, nequaquam auderent reſilire. ⁱ Itidem de ſubditis & regni conuentibus dicendum eſt, vt nequaquam ipſius regis voluntati auſi eſſent contradicere, quorum inuiolatam obedientiam & obſeruantiam rex ipſe etiam in libertate conſiſtens toties iactaſſe ac prædicaſſe dignoſcitur, ᵏ vt etiam ſibi fas eſſe iactitaret ſingulorum bona pro ſuæ libertatis arbitrio auferre, ſeque nedum publicarum functionum, iuriumque regalium, ſed & priuatorum bonorum, particulariumque perſonarum abſolutum eſſe dominum, poſſeque pro ſuæ voluntatis libito collectas, & onera quæcumque tam regalia, quam perſonalia ſub talearum nuncupatione indicere ac extorquere, nemine refragante, contendens ex his neminem tam audacem cõpertum eſſe, qui ipſius regis voluntati auderet contradicere, ne inde amplioribus grauaretur incommodis. ˡ His itaque rationibus fretus rex ipſe, dum in Italia detineretur, ac de ſecuritatibus eorum, quæ per ipſummet pollicebantur, quæſtio emergeret, obtulit idem rex ſua ſponte Don Hugoni de Montecateno per eum ad Cæſarem miſſo, eidemque ipſi Cæſari referendum per inſtructionem in ſcriptis redactam commiſit, quod omnes pacis conditiones, quæ cum eo concluderentur, vltra obſides propterea dandos pro maiori ſecuritate approbarentur, & ratæ ac gratæ haberentur, tum per ipſius regni parlamenta, ſuprema ſcilicet tribunalia, tum per generalem omnium ſtatuum dicti regni conuentum, vt ſic inciuile cenſeatur in his difficultatem ſeu impoſſibilitatem arguere, quæ ipſemet velut facilima, & in ſua poteſtate conſiſtentia, ſua ſponte obtulerat.

Verum enimuero eſt ᵐ inciuilior ea coniectura non recipiendi antiquum, ac potentiſſimum hoſtem in regni viſcera, tutiſſimumque ac fortiſſimum Galliæ propugnaculum in exteras nationes transferendi, quandoquidem in incertis, non autem certis iura coniecturas admittant. ⁿ Porro certum ac clarum eſt Burgundiam nequaquam de regni viſceribus, ſed nec de regno ipſo dici poſſe: nec inde Galliæ propugnaculum cenſendum eſt, niſi prout eorum, qui alienis ſe induunt armis, ac alieno ſcuto ſe cooperiunt, qui domino recuperante quod ſuum eſt, inermes inde ſe reperiunt, cum tamen ob id nulla ratio, ſeu coniectura ſuadeat, quin vnicuique ſit reddendum, quod ſuum eſt.

At nunc adulator noſter videns ſe iure communi tueri non poſſe, quominus omnia illius cor- [illegible] ruant

a Regem Francum poſtquam iam liber factus eſſet, & in regno ſuo conſiſteret, oratoribus Cæſaris teſtatum eſſe ſe omnia obſeruaturum, quæ in Hiſpania promiſerat, deinde literis propria manu conſcriptis ad Cæſarem id quoque ſe facturum declaraſſe.

b Burgundiones vocatos ſubornatos fuiſſe à miniſtris regiis, vt dicerent ſe nolle à regno alienari.

c Regem Francum, non obſtante ſubornatione Burgundionum, reſpondiſſe ſe fidem ſeruaturum, ideoque cum iam liber & in regno conſtitutus id fecerit, tolli omnem præambulam proteſtationem.

d Lege hoc ô lector.

e Metum tamdiu durare, donec durat ratio metuendi, ideoque conſenſum ceſſante cauſa timoris adhibitum, tollere purgareque metum præambulum, ex quo liquere nullam cauſam fuiſſe fœderis non ſeruandi.

f Omnia Dei iudicio contingere, ſed eo abutendum non eſſe, neque ſolam libertatem regis Franci Deo curæ fuiſſe.

g Timendum regi Franco Dei iudicium, ſi ad vomitum redeat.

h Parlamenti Francici autoritatem nihil ad rem facere, eſſe enim ad iuſtitiam ordinatum, non vt regi iuſte reddenti, quæ iniuſte poſſedit, reſiſterent, neque vero reſiſturos etiam eſſe, ſi rex velit. i Idem neque Gallici regni conuentus facturos, modo regis voluntas acceſſerit. k Regem Francum ſua ipſius voce teſtatum non ſolum publicarum functionum, ſed priuatorum bonorum eſſe dominum, ideoque apertum eſſe illum, à ſuis cogi non poſſe, ſi velit, quominus fidem datam obſeruet. l Oblatio regis Franci facta dum adhuc in Italia eſſet, Don Hugone de Montecateno ob id ad Cæſarem ab eo miſſo, per quam & parlamenti & conuentuum authoritati reſponderi poteſt. m Inciuile eſſe, quod Apologiſta ait non recipiendum in viſcera regni antiquum & potentiſſimum hoſtem. n Burgundiam de regni Francici viſceribus non eſſe, vtque ſit nihil ad rem facere, quominus vero domino quæ ſua ſunt, reddantur.

ſtant fundamenta, [a] nititur militari iure ſuum ſuſtinere mendacium, [b] Mahometi præcepta ſectatus, qui non diſputationibus, ſed armis ſectam ſuam tuendam iubet. Inquit enim *Imperatorem nunquam regem propria fidei commiſiſſe, immo aſſidue cuſtodes adhibuiſſe, donec liberos obſides tradidiſſet*, hincque infert libertatem, quam ex captiuitate adeptus fuerat, iure belli retinere poſſe, in qua re ſatis oſtendit ſe non minus rei militaris expertem, quam Legum & Canonum, ignorans penitus terminos quæſtionis, de qua agitur. Neque vero creditur has nugas ex præcordiis ipſius Gallorum Regis prodiiſſe, [c] qui optime nouit rei militaris peritiam, belliq; iura ac conſuetudines, quæ ad hunc caſum nequaquam adaptari poſſunt. [d] Non diffiteor enim, quod ſi quis iure belli captus fidem dederit non recedendi ex caſtris, locis vel dominiis capientis, vel ex aliquo determinato loco, ne in arctiori carcere detineretur, aut onere & impenſa cuſtodum grauaretur, vt eidem libere per ea loca ire liceret, [e] tunc ſi dominus, qui fidem accepit, non patiatur captiuum libertate frui iuxta conditionem fidei datæ, ſed aut illum in carcere recludat, aut cuſtodibus grauet, quum captiuo fidei conditio non ſeruetur, non tenetur ipſe fidem ſeruare. [f] Verum longe differt caſus noſter, in quo fides præſtita eſt ſuper obſeruantia eorum, quæ in fœdere promiſſa ſunt, conferturque ipſius fidei exequutio in id tempus, quo rex ipſe datis prius obſidibus, in regno ſuo liber intraſſet: in quo fœdere tam cuſtodiæ, quam liberationis forma & tempus decernitur, ipſiuſque libertatis conditio, fideique obligatio ita perſtringitur, vt non prius libertatem haberet, quam obſides illos præſtitiſſet: ita vt ſi liber factus, inde infra tempus præfixum non poſſet, aut nollet Burgundiam reſtituere, aut ratihabitionem ſtatuum, approbationemque Parlamentorum dicti regni obtinere, in quolibet horum caſuum ex fidei, ac iuriſiurandi religione [g] teneretur ſe in poteſtate Cæſaris, vbicunq; adeſſet, captiuum exhibere, ac in captiuitatem redire, tuncque Cæſar obſides reſtitueret iuxta fœderis formam. [h] Quod ſi rex ipſe non potuerit, aut noluerit ſeruare conuenta, potuit tamen, ac velle debuit in hoc fidem ſeruare, in poteſtatem Cæſaris redeundo. Et ſi quiſpiam Regem ipſum ad id non teneri contendat, aut fallitur, aut tergiuerſatur, aut calumniatur, aut delirat, vel prorſus inſanit. [i] Inficiari enim non poteſt, quin validi ſint contractus cum captiuo iuſte detento initi: Valentque pacta & fœdera pro talis captiui liberatione percuſſa, quæ nec vis, nec metus cauſa quouis modo poteſt infringere. [k] Quod ſi aliter diceremus, ex duobus abſurdis alterum neceſſario ſequendum eſſet, aut bella deinceps ita cruenta futura, vt nuſquam hoſtis hoſtem captiuum, ſed potius mortuum habere vellet: aut ſi quiſpiam caperetur, nunquam ſub fide, nec ſub quauis obligationis forma relaxandus eſſet, ſed continuis carceribus macerandus, donec integre pro voto detinentis, quod conueniſſet, perſolueret, quorum vtrumque durum profecto videretur. [l] Et ſi tale ius belli, quod ex aduerſo prætenditur, per Cæſareos victores contra victos ſeruatum eſſet, nequaquam in dubium vocaretur fides regia, quæ profecto etiam ſine iuriſiurandi religione, pro inuiolabili lege habenda foret, ne à prædeceſſorum veſtigiis declinare videretur. [m] In qua re quum in fœdere adſit dies, & pœna interpellans pro homine, non debuiſſet rex ipſe interpellationem aliam præſtolari, adeo vt rebus ſic ſtantibus, nec mortis, nec perpetui carceris, nec vis, nec metus cauſæ, nec nouæ conditiones oblatæ (recte quidem reſpuendæ) [n] nec allegatio illa, quod nullus eſſet, ad quem prouocaret, quæ friuola, imo falſa cenſetur, quouis modo, aut quocunque iure ipſum Regem excuſare poſſent ab ipſa fidei violatione, ni Cæſare ipſo conſentiente, prout iam conſenſit, ad moræ purgationem admitteretur.

Rurſum redit is adulator ad vomitum, inquiens alia ratione nullo modo fieri poſſe, vt Burgundiæ ducatus ſicut conuentum fuerat, alienaretur, aut in Cæſarem tranſiret, quum (vt ait) Ducatus ille per Ioannem Francorum Regem cum Normaniæ ducatu ſic annexus, atque regno incorporatus fuerit, vt diuidi ſeu ſeparari non poſſit. [o] Eſto enim quod ita eſſet, non propterea tolleretur ius per Cæſarem prætenſum in dicto ducatu ex perſona dicti ducis Philippi le Hardy, ex qua Cæſar, vt dictum eſt, recta linea deſcendit. Et ne facta totiens mentione huiuſce iuris ducatus Burgundiæ videat illotis, vt aiunt, manibus pertranſire, aut, vt nouus iſte athleta, ſomniare in re tanti momenti, attingam, quam breuius potero huiuſce difficultatis nucleum, vt clare liqueat Cæſarem ad ducatus Burgundiæ reſtitutionem tendentem nil iniuſtum petere. Res igitur ſic ſe habet. Ducatum Burgundiæ ſui natura ad fœminam [p] ſucceſſibilem, anno M. CCCLXI. mortuo Philippo iuniore vltimo maſculo ex recta deſcendentia Ducum Burgundiæ, [q] Rex Ioannes filius Philippi de Valeſio ex Ioanna de Burgundia ipſius ducis magna amita genitus, dicta Ioanna eius matre tunc præmortua, velut proximior eidem duci in gradu ſuccedendi, ex perſona ipſius Ioannæ matris obtinuit, declarans expreſſe, quod non iure coronæ, ſed iure proximitatis in eo ſuccederet, quum antea alii etiam ex linea fœminina in eo ſucceſſiſſent. Tenuit is ducatum vix per annum cum dimidio, inde

a Apologiſtam Gallum, vbi ſe communi iure tueri non poteſt, ad militare confugere, ſed nec eo quoque ſe tutari poſſe.

b Mahometi præcepta ſectatum eſſe Gallū qui armis non diſputationibus ſectam tuetur.

c Regem Francum militaris rei peritiſſimū ideoq; ex eo non prodiiſſe has nugas credi poſſe.

d Reſpondet ad id, quod Apologiſta ait regi Franco poſt conuenta cuſtodes à Carolo Cæſare fuiſſe appoſitos.

e Qualiter ius militare locū habet, & in quibus caſibus.

f Libertatem regis Franci ſub iſta conditione fuiſſe, ideo iure militari adhiberi illi cuſtodes potuiſſe.

g Regem Francum promiſiſſe non ſubſequente ratihabitione parlamenti ſe captiuum exhibere atq; in captiuitatem rediturum.

h Regem Francum ex vi fidei & iuriſiurandi obligatum, ſi cætera non poſſet, at ſaltē in poteſtatem Cæſaris redire.

i Contractus cum captiuo iuſte detento validos eſſe, nec vis nec metus allegationem illis obſtare poſſe omni iure & legibus.

k Alias nullam captiuitatem militibus inter ſe, ſed præſentem mortem captis futuram.

l Si tale ius, quale Galli conantur inducere in regem & captiuos obſeruatum fuiſſet à victoribus, fidem nunc in dubium non opus fuiſſe reuocare.

m In fœdere fuiſſe diem & pœnam interpellantem pro homine, ideoque non debuiſſe Regem Francum aliam interpellationem præſtolari.

n Regem Francum non excuſari, eo quod Gallus ait defuiſſe ad quem prouocaret, nihilque prodeſſe promiſſionem vi extortam, cum captiuo, vti dictum eſt, nihil faciat vis aut metus actio.

o Oſtendit ius, quod Cæſari Carolo competit in Ducatum Burgundiæ.

p Ducatum Burgundiæ ex muliere in coronam Franciæ veniſſe, ideoque nihil facere legem Salicam.

q Ioannes Francorum Rex Ducatum Burgundiæ ratione matris ſuæ obtinuit, & ex eo poſtea illum Philippus le Hardy filius obtinuit, à cuius linea directa prodiit Carolus Cæſar ius prætendens.

inde contulit dicto [a] Philippo le Hardy eius filio vltimo genito, modo ſuperius enarrato: à quo primo deſcendit [b] Dux Ioannes filius, [c] inde Philippus cognomento Bonus ex ipſo filio nepos, & poſtremo [d] Carolus ex nepote pronepos, qui ordine ſucceſſiuo dictum ducatum in vim conceſſionis prædictæ tenuerunt, [e] ab anno MCCCLXIII, quo fuit facta conceſſio per dictum Regem Iohannem, vſque ad annum MCCCCLXXVI. quo dictus dux Carolus mortem obiit, [f] qui temporibus vitæ & mortis ex præambulo fœdere cum Rege Ludouico XI. initio tenebat dictum ducatum, ac alia omnia eius dominia libera & exempta ab omni ſuperioritate regni Franciæ, nullum recognoſcens ſuperiorem. [g] Per cuius mortem ſucceſſit Maria ipſius Ducis Caroli vnigenita, quæ ducatum obtinuit, ac mox ſpoliata fuit per Ludouicum vndecimum Gallorum Regem, ſe gerentem pro tutore dictæ Mariæ tunc pupillæ, quæ inde per ſtatus patriarum Flandriæ fuit matrimonio copulata [h] Maximiliano Cæſari, ex eoque coniugio natus [i] Philippus Rex Caſtellæ pater [k] Caroli Cæſaris nunc prætendentis dictum ducatum Burgundiæ tanquam indebite occupatum ad ſe legitime deuolutum, ſicque omnino reſtituendum his modis & formis, quibus ipſe Dux Carolus, & ſucceſſiue domina Maria eius auia ante ſpoliationem tenebant, ac tenere poterant ac debebant: [l] quum nulla ratio ſuaderet, vbi ducatus erat ſui natura in fœminas tranſmiſſibilis, vbi conceſſio etiam fœminas comprehenderet, ac omnem primi acquiſitoris poſteritatem, vbi ducatus erat iam exemptus à corona Franciæ, [m] vbi ipſemet Rex ſe pro tutore dictæ Mariæ pupillæ in ipſius ducatus adeptione geſſiſſet, prout ſuis literis conſtabit, inde poſſeſſionem interuerteret, dictam dominam Mariam ſpoliando, & pariter illius ſucceſſores excludendo. [n] Aduerſus hæc dum de hoc iure Burgundiæ diſceptaretur, tria pro parte Gallorum principalia adducebantur obiecta, aliter tamen quam hic noſter adulator proponere videatur. Primo enim adducebatur vnio ducatus Burgundiæ per Regem Ioannem, vt aſſeritur, facta cum corona Franciæ. Secundo ius appennagii, quo, vt aiunt, ea quæ ſunt coronæ vnita, etſi in liberos deſcendentes iure appennagij conferri permittantur, non tamen niſi ad lineam maſculinam transferri poſſunt, lineam fœmininam penitus excludendo. Tertio lex Salica per [o] Pharamundum Regem, vt aiebant, inſtituta, qua prætenditur diſpoſitum, vt nulla fœmina terram coronæ regiæ obtineat, nec in his, quæ à corona Franciæ dependent, ſuccedere valeat.

[p] Ad primum obiectum reſpondebatur [q] vnionem ipſam, vbi de ea conſtaret, minime obeſſe poſſe, quum poſt coronam adeptam de re propria iure ſucceſſionis, & non iure coronæ obuenta diſponere videretur ſine conſenſu eorum, quorum intererat: illis potius, vt antea dictum extitit, renitentibus ac impugnantibus, vbi nullius in re quæſitum fuerat, ſed in ſpe tantum, quo caſu ſola acquirentis voluntate ius prætenſum auferri poterat, eo quod omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluatur, [r] potiſſime accedente eius conſenſu, qui ex prætenſa vnione ius in ſpe prætendere potuiſſet, qui fuit Carolus quintus ipſius Iohannis Regis filius, qui & viuente patre, & eo mortuo Rex factus, conceſſioni dicti Iohannis Regis eius patris in Philippum le Hardy dicti Caroli fratrem, ac reuocationi prætenſæ vnionis annuit, illiuſque priuilegia ad opus dicti Philippi le Hardy amplificauit. quum itaque Ioannes Princeps alias ſuperiorem non recognoſcens ex eius certa ſcientia ac poteſtatis plenitudine ius prætenſæ vnionis non in re, ſed in ſpe quæſitum, cum conſenſu etiam eius, qui in ſpe erat ſucceſſurus, reuocauerit, faciendo expreſſam reuocationem dictæ vnioni contrariam, & reducendo rem ad ſtatum priſtinum, non eſt dubium prætenſæ vnionis reuocationem, etiamſi vim legis talis vnio obtinuiſſet, tanquam legem contrariam inducentem viribus ſubſiſtere. Poteſt enim Princeps ſupremus alteri non obſtrictus ſuperiori diſponere, reſcribere ac ſancire, legemque condere, & inde contrario Imperio reuocare & derogare. [s] Poſteriores enim leges prioribus derogant, & præcedentium robur extinguunt, adeo quod etiam ſi in ipſa vnione interueniſſet iuramentum de non alienando, [t] non propterea infringeretur conceſſio ipſi dicti Philippo le Hardy facta, eſto quod concedens periurium incurriſſet, vt ſic de viribus dictæ conceſſionis non fuerit hæſitandum, & tanto magis, quum ex prætenſæ vnionis reuocatione, ac ex ipſo titulo conceſſo per dictum Regem Ioannem Duci Philippo le Hardy fuerit per ipſum Ducem Philippum eiuſque ſucceſſores [u] tentus & poſſeſſus ducatus ipſe Burgundiæ, à corona Franciæ ſeparatus annis centum & tredecim continuatis ſine quacunque interruptione, quo temporis curriculo, etiamſi nullus adfuiſſet titulus validus, prout aderat, reſultaſſet inde iuris præſumptio, qua quicunque titulus allegatus, etiam non probatus, validari potuiſſet.

[x] Ad ſecundum autem obiectum iuris appennagii reſpondebatur, quod [y] *appennagium* ſecundum ipſorum Gallorum diſſinitionem cenſeretur *portio bonorum coronæ regiæ data filiis regum in ipſa corona non ſuccedentium per modum prouiſionis, & non per modum diuiſionis*, [z] ita vt ſecundum

hanc

a Philippus le Hardy filius Ioannis Regis.
b Ioannes filius Philippi le Hardy.
c Philippus Bonus filius Ioannis.
d Carolus filius Philippi Boni.
e Anni, quibus Ducatus Burgundiæ obtentus fuit.
f Carolus filius Philippi Boni, ducatum Burgundiæ & alia dominia exempta ab omni ſuperioritate Francica ex fœdere cum Ludouico XI. toto tempore vitæ ſuæ obtinuit.
g Maria Caroli filia à Ludouico XI. ſe gerente pro tutore ſpoliata fuit.
h Maria Caroli filia nubit Maximiliano Cæſari.
i Philippus filius Maximiliani & Mariæ.
k Carolus Cæſar filius Philippi.
l Ducatum Burgundiæ, quia in fœminas fuit tranſmiſſibilis, deinde quia per Ludouicum XI. à corona Francica ſuperioritate exemptus, nullo modo ad Francum pertinere.
m Ex Ludouici XI. Francorum regis literis conſtare, cum tutorem fuiſſe Mariæ filiæ Caroli, ideoque nequaquam illam ſpoliare debuiſſe.
n Tria pro parte Gallorum adducta obiecta pro iure ducatus Burgundiæ: Vnio cum regno: Ius appennagii: Lex Salica. o *Pharamundus Rex.* p *Reſponſio ad primum obiectum, ſcilicet vnionis cum regno Ducatus Burgundiæ.* q *Non potuiſſe Ioannem regem vnire Ducatum Burgundiæ ſine conſenſu ſubditorum. Illos vero tunc, vt prius dictum eſt, vniri noluiſſe, ſed ducem poſtulaſſe.*
r *Poſt mortem Ioannis Regis Carolum eius filium Francorum Regem, Ducatus Burgundiæ conceſſionem à patre factam Philippo le Hardy confirmaſſe, reuocationique prætenſæ vnionis annuiſſe.* s *Poſteriores leges prioribus derogare.* t *Bona ratio.*
u *Annis centum & tredecim continuatis fuiſſe Ducatum Burgundiæ poſſeſſum ſeparatum à corona Francica, ideoque ius etiam vnionis infringi.* x *Reſpondet ad ſecundum obiectum de iure ſcilicet appennagii.*
y *Quid appennagium.*
z *Ducatum Burgundiæ non eſſe appennagium coronæ Francicæ, quia nec à corona prouenit, & quo tempore facta fuit Ioannis coronatio nondum coronæ aduenerat, ideoque filio Philippo le Hardy non eſſe datum per modum appennagii.*

hanc diffinitionem ducatus Burgundiæ, qui tempore coronationis regis Ioannis nondum peruenerat, nec inde iure coronæ peruenit, nequaquam appennagium cenſeretur. [a] Adducebatur etiam, quod etſi pro appennagio haberetur, prout haberi non poterat, non propterea fœmineam ſucceſſionem excluſam cenſeri, quum ipſius conceſſionis tempore ita capaces cenſerentur fœminæ ſicut & maſculi, nullumq; eſſet ius appennagii fœminas excludens, quod multiplicibus edocebatur exemplis: [b] quum inde poſt ipſam conceſſionem regis Ioannis Carolus V. à duce Ioanne de Berry iure donationis, & non iure appennagii acceperit partem bonorum, quæ rex Ioannes communis pater illi contulerat; reliquas bonorum partes tum in filias, tum in fratrem diſpoſitas ratas habuerit, cuius diſpoſitionis prætextu ducatus Aluerniæ in alteram ipſius ducis de Berry filiam duci Borbonii tunc copulatam peruenit. [c] Ducatus etiam Normaniæ per regem Ludouicum cognomento Simplicem datus fuit in dotem Gilliæ filiæ ſuæ, quæ nupſit Rodulpho Dano primo duci Chriſtiano Normanorum, cuius Gilliæ liberi, & ſucceſſores pro maiori parte fuerunt reges Angliæ; [d] & tenuerunt dictum ducatum ſic ex linea fœminina delatum per annos fere trecentos vſq; ad tempus regis Philippi Conquirentis, qui dictum ducatum Normaniæ occupauit, & ab Anglorum manibus eripuit. [e] Ducatus Aquitaniæ, quum illius ſucceſſio ad fœminam perueniſſet, ea nupta [f] Gulielmo Comiti Pictauienſi, qui inter ſanctos numeratur: quum inde ex eo matrimonio vnica ſupereſſet filia nomine [g] Eleonora, ea nupta [h] Henrico ſecundo Angliæ regi & Duci Normaniæ, peruenit huiuſmodi ducatus ad dictum regem Angliæ, ex quo matrimonio nati fuerunt plures liberi: quorum tres, Henricus, Richardus, & Ioannes ordine ſucceſſiuo fuerunt reges Angliæ, ducesq; Normaniæ, & Aquitaniæ, vſq; ad occupationem dicti regis Philippi Conquirentis [i] Comitatus Flandriæ & Artheſii toties ad fœminas ſucceſſerunt, quod plus laborioſum quam vtile cenſeretur has fœmineas ſucceſſiones ſingulatim recenſere. ſat erit nouiſſimam referre, quæ fuit in perſona dominæ Mariæ auiæ maternæ ipſius Caroli Cæſaris, quæ non minus in ducatu Burgundiæ quam in dictis Comitatib. erat ſucceſſura. [k] Comitatus Campaniæ expreſſa iuris determinatione ad fœminas tranſmiſſibilis decernitur, in quo etiam [l] Ludouicus Huttinus ex perſona Ioannæ matris vxoris Philippi pulchri ſucceſſiſſe dignoſcitur, & inde iterum peruenit ad Ioannam ipſius Ludouici Huttini filiam. [m] Comitatus Toloſæ ſæpius ad fœminas tranſiuiſſe dignoſcitur, potiſſime tempore regis [n] Ludouici Sancti nuncupati, cuius frater Alphonſus Comes Pictauien. ex matrimonio contracto cum filia Comitis Toloſani, dictum Comitatum obtinuit. [o] Quum igitur omnes ducatus, & comitatus titulo parium Franciæ decorati, ſui natura in fœminas tranſmiſſibiles edoceantur, non videtur hæſitandum de ſucceſſione ipſius ducatus Burgundiæ, qui nequaquam cenſebatur de corona Franciæ, minusque de aliis feudis dignitatum. [p] Ducatus etiam Britanniæ noſtris temporibus binam ſucceſſionem fœmineam admiſit. Et antea per ſententiam Parlamenti fuerat adiudicatus prouiſionaliter vxori Caroli de Bleſis. [q] Ducatus inſuper Borbonii & Aluerniæ cum Comitatibus Belliioci, Claremontis, & Foreſtæ, quæ iure antiqui Appennagii à corona Franciæ, vt aiunt, proceſſerant, etiam ad fœminam tranſiuere, & potiſſime ad vxorem Caroli moderni Ducis Borbonii nuper vita functam. [r] Ex cuius morte domina Loyſia de Sabaudia moderni Francorum regis mater prætendens ſe propinquiorem in iure ſuccedendi, mouit pro his litem contra dictum ducem Borbonii adhuc indeciſam, quam non intentaſſet, ſi iure Appennagii ſe putaſſet excludendam. [s] Nunquam enim conſtabit etiam in his quæ appennagia vocitant, fœminas fuiſſe excluſas, niſi ex lege & pacto concedentis id cautum eſſet, prout in ducatibus Aurelianenſi, & Bericenſi actum extitit. Et ſane non immerito, [t] quum etiam, vt teſtantur doctores Gallici, appennagium æquipararetur legitimæ debitæ iure naturæ, & ſuccedat loco alimentorum, quæ de æquitate canonica etiam ſpuriis deberentur non ſolũ maſculis, ſed & fœminis. [u] Ad tertium autem obiectũ legis Salicæ reſpondebatur, talem legem nunquam fuiſſe in viridi obſeruantia, [x] ſed potius contrario vſu, contrariaue conſuetudine abrogatam cenſeri, quod ex exemplis prænarratis ſatis liquide oſtenditur. Quodq; ipſa lex, quæ primo per Auſtrales fuerat lata, quum localis eſſet, non potuiſſet eius vires extra illud territorium extendere. Et licet dicatur Pharamondus eam legem dediſſe Francis, id verum Francis Germanis, qui Franconiam incolunt, non his Francis quos Gallos dicimus, qui tali lege ſe tueri nequeunt, quum etſi de nouo per ipſos Gallos promulgata foret, nequaquam ad præterita extenderetur. Ecce igitur, [y] quam clara, & quam aperta ſunt Cæſaris iura ad ipſum ducatum Burgundiæ iure proprio repetendum, quamue friuola ſint ex aduerſo obiecta, vt ſic nulla violatæ fidei iuſta excuſatio afferri poſſit.

Quod igitur ſubiungitur, [z] regem ipſum in eam ſententiam non prius inclinaſſe, quam exteris etiam principibus, amicis, & confœderatis ſuis rem omnem per nuncios, ac oratores aperuiſſet, vt in hac re quid ſentirent, intelligeret: horumq; omnium illud fuiſſe iudicium, tam inhoneſtas, tam iniquas, regnoq; pernicioſas pactiones minime obſeruãdas. Hinc verũ elicitur adagium, quod quum

a Etiā ſi Burgundia ducatus appennagium eſſet: idem non derogare iuri eius Carolo Cæſari, quoniam appennagium fœmineam ſucceſſionē non excludit.

b Probat exemplis ius appennagii non excludere fœminas.

c Ducatum Normanniæ à Ludouico Simplice conceſſum Gilliæ filiæ in dotem, vnde conſtare & in mulieres transferri appennagiū à corona poſſe.

d Ducatum Normaniæ ex ſucceſſione fœminina trecentos annos poſſeſſum fuiſſe.

e Ducatum Aquitaniæ etiā ex ſucceſſione fœminea prouenisse.

f Gulielmus Comes Pictauienſis.

g Eleonora.

h Henricus ſecundus Angliæ rex.

i Comitatus Flandriæ & Artheſii etiā in fœminas perueniſſe, vt clarum eſt.

k Comitatum Campaniæ expreſſa iuris determinatione ad fœminas tranſmiſſibilem eſſe.

l Ludouicus Huttinus.

m Comitatū Tholoſæ ad fœminas ſæpius tranſiuiſſe.

n Ludouicus Sanctus.

o Ex quo omnes alii comitatus & Ducatus parium Franciæ tranſmiſſibiles & de iure & de facto ſunt in fœminas, ſequi & ducatum Burgundiæ nullo particulari obſtaculo intermedio. *p Ducatum Britanniæ noſtra tempeſtate bis fœmineam ſucceſſionem habuiſſe & prius fœminea etiam ſucceſſione adiudicatum à parlamento Carolo Bleſis fuiſſe.* *q Ducatus Borbonii & Aluerniæ: Comitatus Belliioci, Claremontis & Foreſtæ. omnes hos antiqua appennagia coronæ fuiſſe & in fœminas tamen tranſlata.* *r Argumento eſſe appennagia etiam in fœminas tranſmiſſibilia eſſe litem à Loyſia Franciſci regis matre aduerſus illuſtrem Borbonis ducem motam nondum deciſam.* *s Nunquam fœminas ex appennagiis excludi niſi ex lege & pacto concedentis.* *t Appennagium à Gallis æquiparari legitimæ debitæ iure naturæ, & ſuccedere loco alimentorum, quæ cum ſpuriis debeantur longe magis fœminis legitimis conuenire.* *u Ad tertium obiectum de lege Salica reſponſio.* *x Legi Salicæ derogatum eſſe multis exemplis paulo ante monſtratum eſſe.* *y Ex prædictis facile rationibus conſtare iuris æquitatem quam in ducatum Burgundiæ Cæſar Carolus prætendit, vnde nullam violatæ fidei rationem afferri etiam poſſe.* *z Reſpondet ad id quod Gallus apologiſta ait Franciſcum Regem prius exteros amicos & principes conſuluiſſe quam in ſententiam violandæ fidei iret.*

cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt. Hinc etiam patet, quod vt litigans ſuæ cauſæ patronum, ægrotusue phyſicum, veritate ſuppreſſa decipere conantes, ſeipſos decipiunt, ita rex ipſe tali ductore, taliq; conſultore fretus putans forſan principes amicos, & fœderatos tam ſiniſtra, erroneaque ac potius falſa informatione circumuenire, vt eorum imploraret auxilia, ſeipſum merito circumuentum, ac deceptum reperiet, [a] quum non ſit veriſimile quempiam recti animi & intellectus qui hæc nouerit, ac rei veritatem aperte didicerit, tam iniuſtæ cauſæ opem præſtiturum, nec ſe huiuſmodi violatæ fidei autorem, conſultorem, aut fautorem oſtenſurum. vnde ſi ab his rectum conſilium, rectumq; iudicium habere cupit, veritatem detegat oportet. Qui enim medicantis operam expectat, opus eſt vt vulnus detegat. [b] Et quum cauſarum merita partium aſſertione pandantur, teſte legislatore, vt inde rectum iudicium elici poſſit, conſequens erit, vt pro recto conſilio, ac iudicio ab exteris Principibus habendo, non prius hi iudicent, eorumue iudicium admittatur, quam vtriuſque partis aſſertiones audierint, ac intellexerint, [c] quibus facillime cognoſcent nullas profecto inhoneſtas iniquaſue conditiones, nullasq; pernicioſas pactiones in eo fœdere, quod cum Gallo percuſſum extitit, interueniſſe, quæ iure merito obſeruandæ non fuerint. Quod enim de ducatus Burgundiæ, comitatuumq; Flandriæ, & Artheſii alienatione ſeu conceſſione obiicitur, ſatis oſtenſum legitur, nullum ex his ius ablatum à corona Franciæ, ſed reſtitutum duntaxat Carolo, quod antea indebite fuerat occupatum. Itidem cenſendum eſt de ceſſione regni Neapolitani, Mediolanenſiſque ducatus, aliorumq; omnium, quæ ad ipſum Chriſtianiſſimum regem in Italia ſpectare dicebantur, quæ iniuſte quidem, vt ex præſcriptis clare liquet, prætendi videbantur. pariter & de ea pecuniarum ſumma, quam idem rex ſibi ex his cauſis deberi prætendebat, quæ, vt antea oſtenſum fuit, nequaquam debebantur, ſed ſolutæ reſtitui debuerunt. [d] De Auxonæ Vicecomitatu ac Carolenſi, vt ait, qui Quadrilegii comitatus debuit nuncupari, ſatis ex oſtenſis titulis clare liquet, ea non minori iure Cæſari deberi quam ipſe ducatus, quum comitatus Quadrilegii ad feudum ducatus Burgundiæ reſpondeat: [e] Vicecomitatus vero Auxonæ velut conſiſtens extra limites Galliæ, & intra limites Comitatus Burgundiæ, ad ipſum Burgundiæ comitatum pertinere dinoſcatur, vt ſic eodem ſuperioritatis iure tenenda cenſerentur. [f] At Matiſconenſis comitatus cum Altiſiodorenſi, ac dominio Barri ſupra Sequanam, licet Cæſari deberentur ex fœdere Atrebatenſi, quo etiam non ex linea maſculina tantum, ſed ex fœminina ad ipſum Cæſarem peruenire debuerunt, dimiſſi tamen fuerunt in dotem eidem regi Franciæ pro matrimonio cum Eleonora Cæſaris ſorore contrahendo, & pro liberis inde naſcituris, vt ſic plus Cæſar de proprio reliquiſſe, quam inde recuperaſſe dignoſcatur.

Quod autem indecenter dicit hæc beſtia, mille Cataphractorum, ac ſex millium peditum præſtationem cum claſſe inſtructa pro imperii corona adipiſcenda, [g] & ſi is equitum ſummam Gallorum more duplicare videatur, non tamen, etiam ſi omnia quæ ait, præſtarentur, adeo aſpera cenſeri deberent, vt propterea à fide reſilire liceret, quum potiſſime multo maiora pro his Cæſar præſtare videretur, [h] qui vltra libertatem perſonæ regiæ, quæ, vt præfertur, nullo precio comparari poterat, remittebat & alia plura indebite occupata per Gallum, quæ in ipſo fœdere ſatis ample enumerantur, & quæ ad ipſum Cæſarem iuſtis titulis pertinere dignoſcuntur, à quibus pro pace concedenda, ac aſſequenda libens recedebat. Remittebat & inſuper ea, quæ iure pignoris Carolo proauo ſuper flumen Summæ, ac alia quæ ex fœderibus Atrebatenſi, & Peronenſi conceſſa fuerant, vna cum occupatorum fructibus indebiteq́; perceptis, quæ vltra liberationem perſonæ regiæ ad multo maiorem ſummam progredi videbantur.

At quod inquit, [i] *quocunq; proficiſceretur Cæſar, illuc etiam maxima cum militum manu regi eundum erat*, hic profecto ſe proprio gladio percutit, quum potiſſime rex ipſe id obtulerit, vt ſi Cæſari aduerſus hoſtes fidei eundum eſſet, aut in Lutheranos mouendum, is dimidium impenſæ ſuſtineret, & ſi Cæſari gratum eſſet, tum eo perſonaliter adeſſet, quam oblationem Cæſar pro Chriſtianæ religionis augmento reſpuendam non cenſuit.

Quod autem inquit, [k] *nullam amicorum ſuorum, eorumque qui partes regias ſequuti ſunt, rationem habitam, vt ex his nonnullos relinquendos voluerit*, ſatis falſum oſtenditur, quum ex fœderis forma omnes hinc inde captiui relaxari debuerint, in qua re Cæſar nullā pro parte ſua excuſationē adhibuit, quin omnes captiuos relaxari fecerit, prout relaxati fuere, [l] potiſſime Petrus Nauarrus, & Florenges Roberti filius, qui tamen fœderis legem minime ſeruarunt, qua non niſi naturali domino in bello ſeruire tenebantur. Decretum eſt inſuper ex ipſo fœdere, vt citra montes reſtituerentur omnes hincinde ad ea, quæ ante bellum poſſidebant, paruit his Cæſar, quantum in ſe fuit, ſed nōn ſic econtra. Vltra montes autem reſtituti ſunt [m] Antonius Marchio Salutiarum, & [n] Fredericus de Gonzaga, alias de Bozolo nuncupatus. [o] In reliquis captatum eſt tempus, quo inter Cæſarem & regem de bonis extorrium decerni poſſet, informatione præhabita. Interim ipſorum extorrium perſonæ, quæ non niſi de aſſiſtentia alteri parti in his bellis facta culpabantur, libere & impune in patriam remitti deberent, cui conuentioni Cæſar ipſe, quantum in ſe fuit, omnino ſatisfecit, licet non ſic econtra.

Quos autem [p] ex præſtantioribus, ac primatibus Burgundiæ viris plæroſq; ad ſe euocari iuſſerit, ſatis plane conſtat, eos duntaxat vocatos, qui non niſi ad contradicendum accerſiti fuerant, & quos

rex

a *Neminem principē Chriſtianum tam cæcum eſſe qui ſit frangendæ fidei cōſultor, ſi rectè de re ſit informatus.*

b *Partium aſſertione cauſarum veritatē pandi.*

c *Neminē principem rectè informatum aliud iudicaturū quā quicquid à Cæſare petitum ſit iure merito potuiſſe præſtari.*

d *Comitatum Carolēſem ad Ducatum Burgundiæ feudū pertinere, ideo nihil iuris eſſe Gallo.*

e *Vicecomitatum Auxonæ extra regnum Franciæ in comitatu Burgundiæ eſſe.*

f *Matiſconenſis comitatus cum Altiſſiodorenſi & dominio Barri ſupra Sequanā promiſſi in dotem cum illuſtriſſima domina Eleonora.*

g *Mentiri Apologiſtam cū ait mille Cataphractos eſſe, cum ſolū quingenti ex fœdere eſſe debuerint, eaq; etiam ſponte à rege Franco auxilia oblata ſint.*

h *Cæſarem Carolum multa remiſiſſe, quæ iuris ſui eſſent, vt ex fœderis articulis patet.*

i *Regem Francum vltro obtuliſſe Cæſari comitaturum, ſi in Turcas aut Lutheranos bellum moueret.*

k *Mentiri Apologiſtam cū ait nullam amicorum Regis Franci rationem habitam: cum omnes captiui ſoluti ſint, & in his Florentius à Marca, & Petrus Nauarrus, qui iure ſolui non debuerant, vtpote qui aduerſus dominum naturalem ſteterant.* l *Qui captiui in Italia reſtituti.* m *Marchio Salutiarum* n *Fredericus de Gonzaga.* o *Tempus ordinatum, quo de exulibus conſuleretur.* p *E primatibus Burgundiæ viris neminem vocatum niſi qui regi Franco ſtipendiarius eſſet, ideoque nihil ex eorum aduentu ſententiaq; ſequi.*

rex ipſe antea ſtipendiarios, & iuratos habebat, qui non niſi quod is iuberet acturi forent. Quid autem tunc rex ipſe oratori Cæſareo detexerit, ſupra dictum eſt: ſed an vero, an ficto animo id actum ſit, operibus credendum puto [a] Verum quod inquit illud hos efflagitaſſe, quod negari minime poterat, *vt eis coram Franciæ Paribus, ac ſenatu auditis, id agerent, quod illi iure agendum cenſerent*, hic profecto non iuſtitiæ, ſed iniuſtitiæ color exquiritur, quum ita demum ad iudicium parium ſit eundum, vbi de feudo, ſeu feudi proprietate agitur. Sed vbi non ſubeſt feudum, vel ſi ſubeſſet, non de proprietate, ſed de ſpolio feudi agitur, non ad pares Curiæ, ſed ad ordinarium iudicem eundum eſt. [b] Quinimo etiam vbi de feudi proprietate ageretur, quæ ad iudicium parium pertineret: Vbi tamen pares curiæ tales apparent, qui nil domino ingratum eſſent auſuri, vel domino fauorabiles, aut parti contrariæ ſuſpecti cenſerentur, eorum tunc iudicium licite detractatur, vt iura teſtantur.

At quod ait *rogatum Carolum proregem, ſic apud Imperatorem agere, vt ea quæ non tam inhoneſta erant, quam minime præſtari poterant, tollerentur, quorum in locum conueniens pro redemptione pecuniarum ſumma ſubrogaretur, componereturq; inter Chriſtianos principes iamdudum optata pax ac concordia, liberiq; ſui obſides ſibi reſtituerentur, neq; impedimentum eſſet Eleonora coniuge, quam traducendam in regnum dederat, quum primum in regni fines ingreſſus fuiſſet, quominus ad eum venire liceret, quod tametſi ſæpius literis nunciiſq; ab eo efflagitatum fuiſſet, nec tam diuino quam humano iure negari poſſet, aſſequi tamen in eam vſq; diem minime potuerat.* [c] Hæc profecto etſi prima fronte fucatam quandam coloris ſpeciem præ ſe ferre videantur, nihil tamen ad ſuſtinendam fidei violationem conferre poſſunt. Quum enim Vicerex ad obſeruantiam duntaxat fœderis per eum cum dicto rege Cæſareo nomine percuſſi miſſus eſſet, nec illi nouandi facultas data foret, fruſtra petebatur ab eo nouatio, qui pacta conuenta nouare non poterat, cui etiam inhoneſta videri non poterant, quæ pro tanti regis libertate conceſſa fuerant, cuiq; impoſſibile videri non debebat, quod per reciprocam fidei præſtationem, rem ad priſtinum reducendo, ad poſſibile reduci poterat, & ab illius mera voluntate dependere dignoſcebatur, [illegible] etiam Eleonora, non niſi ratificato fœdere, ac impletis his, quæ ad obtinendam obſidum reſtitutionem conuenta fuerant, cum ipſiſmet obſidibus, ex fœderis forma tranſmittenda erat. Annuit tamen Vicerex Cæſarem de his monere, prout & monuit, cui, vt debebat, reſponſum extitit, [d] Cæſarem nil impoſſibile à rege Chriſtianiſſimo exigere velle, ſi non poſſet, ſeu nollet conditiones fœderis ſeruare, ſaltim eam fidei partem ſeruaret, quæ ab eius ſolo dependeret arbitrio, vt ſcilicet in priſtinam rediret captiuitatem, ſic obſides recuperari poſſe, tuncque de nouis fœderibus, prout conueniret, agi poſſet. [e] Eleonoram autem coniugem iuxta fœderis formam, & non aliter tranſmittendam, quæ profecto nec diuino, nec humano iuri repugnare cenſentur.

An igitur hæc iuſtam eidem regi cauſam præbuerint, *ad illud extremum*, vt ait, *remedium deueniendi*, [f] vt cum Pontifice, ac Venetis fœdus tam ab omni ratione, iuſtitia, & æquitate alienum percuteretur: An id ad ſuam, communemque Chriſtianorum ſalutem conuenire videatur: an ad vniuerſalem omnium regum ac principum concordiam hæc congruant: An [g] sereniſſimus Angliæ rex, quo inſcio, vt ipſe teſtatur, res geſta eſt, nuſquam per eum acceptata, merito poſſit tam iniqui, ac iniuſti fœderis protector cenſeri: An Imperatori libera cenſeatur facultas, quo habita dignitatis ſuæ ratione, licite tam iniquo fœderi ſe adiungere poſſet: An conditiones ad id adiectæ, quæ duriores, acerbioreſq; quam iſte prædicet, comperiuntur (vt ipſius fœderis lectura demonſtrat, cuius copiam penes me habeo) tales ſint, quæ videantur Cæſarem ad id fœdus alliciendum, an potius penitus alienandum, iudicet is, qui nihil ignorat, cui etiam præterita, ac futura præſentia cenſentur, quiq; hominum corda ſcrutatur, & intrinſeca de longe cognoſcit. Si iniquum enim, ac pernicioſum fœdus illud, quod *Sanctum* appellant, recte intueamur, non aliter recipiendus eſt in eo Cæſar, [h] niſi prius Chriſtianiſſimi regis filios, quos tenet obſides, reſtituerit, Mediolani ducatum duci Franciſco liberum, cæteroſq; Italiæ potentatus, & dominia, ſicuti erant ante bellum, reliquerit. Italiam pro corona, aut alio quouis modo non ingrediatur, niſi cum comitatu per Pontificem, aut Venetos taxando. Et quod regi Angliæ, ſi intra trimeſtre fœdus ingrederetur, ſolueret Cæſar quicquid illi debebat. Sed & priuſquam hæc Cæſari intimentur, [i] pararetur exercitus in Italiam omnibus fœderatorum impenſis, duorum millium, & quingentorum equitum cataphractorum, & trium millium leuis armaturæ, peditum vero triginta millium, qui exercitus iter arriperet, & pecuniæ mitterentur in craſtinũ ſequuta ratihabitione fœderatorum, tum ad defendendos fœderatos, inter quos dux Franciſcus, tũ ad illos cohibendos, qui eas pacis conditiones accipere nollent, Italiamue turbarent, in hoc Cæſarẽ nutu, & ſignis demonſtrando, quem ita vrgendum cenſuerunt, vt aut Cæſareus deleretur exercitus, aut ita extenuaretur, vt reliquiæ in aliquam ciuitatem redactæ, inde caſtrametari non poſſent. interim etiam rex Gallus exercitum paratum haberet citra montes duorum millium cataphractorum cum ſufficienti peditum numero ad diuertendas, & occupandas tum terra, tum mari hoſtis vires, valida etiam fœderatorum claſſe congeſta, ne nouas copias in Italiam tranſmittere poſſet. [k] Cum his præambulis requirendus erat Cæſar, ac ad pacem inuitandus. quod ſi renueret, ei denunciandum, fœderatos nil prætermiſſuros quo vſque id effecerint. His etiam ſic confectis, regnum Neapolitanum cum eodem exercitu inuadendum & occupandum, de eoque ſimul & de ducatibus Mediolani & Ianuæ, ac de vniuerſo Italiæ Imperio ita ex eo fœdere diſponitur, ac ſi Imperium penitus ſupprimendum, extinguendumque foret, nihil ibidem Cæſari reſeruando, niſi eorum iniquis conditionibus

a Imperialem eſſe quod Apologiſta ait primates Burgundiæ petiiſſe corã parib. Franciæ audiri, cũ ad eos ſit recurrendum in feudalibus vbi feudum ſubeſt vel illius proprietas non cũ de ſpolio agitur.

b Parium iudicium in certis caſibus licere detrectare.

c Proregi Neapolitano non fuiſſe datã facultatem nouas conditiones accept[illegible], ſed ſolum ad obſeruantiam promiſſi miſſum fuerat: ideo que nihil facere quod Rex Gallus cum eo egerit de danda pecunia.

d Caroli Cæſaris reſpõſum ad petitionem regis Franci de dãda pecunia.

e Illuſtriſſimã Eleonoram nõ fuiſſe tranſmittendam ex fœdere, niſi cõditionibus omnibus adimpletis: ideo ridiculũ eſſe quod Gallus ait, diuino nec humano iure negari potuiſſe Regi Franco Eleonoram.

f Rex Francus cum Papa & Venetis fœdus percutiens ab omni ratione alienum, ante ille fecerit, ab omnibus Chriſtianis facile iudicari poſſe.

g Sereniſſimũ Regem Angliæ quem protectorẽ vocat, ignarum huius rei geſtæ fuiſſe.

h Summam fœderis quod ſanctiſſimum vocãt eam eſſe vt Carolus excludatur pro[illegible] ex his [illegible] ſtare poteſt.

i Conditiones ſanctiſſimi fœderis, vt aiunt, inter pontificem, Francum & Venetos. *k Articuli fœderis ſanctiſſimi.*

a Nullum locum Cæſari fuiſſe relictum ad fœdus illud ingrediendū.
b Deum vindictam exercituꝛum in hos vniuerſalis pacis perturbatores.

ditionibus annuat: immò etiam illis annuendo, taliter per binos articulos à fœdere diſcretos, quos ſecretos eſſe putarunt, res Neapolitana, & Florentina diſponitur, vt Cæſar omnino ab ipſorum fœderatorum voto pendere videretur. a Ecce igitur quam decens locus Cæſari ad ingrediendum id fœdus fuerit reſeruatus: Ecce qualiter Cæſareæ dignitati, ſacroque Rom. Imperio conſulatur, ecce quam bene res ad vniuerſalem pacem diſponitur, ecce quale præſidium contra hoſtes fidei præparatur, vniuerſa Chriſtianitate turbata, talique incendio congeſto, vt vix ad illius extinctionem pateat aditus. b Sed caſtigabit hos Deus, qui tali incendio cauſam dedere, quique initæ pacis violationi, à qua vniuerſorum concordia pendebat, occaſionem præſtiterunt, quo potius de ipſa vniuerſali pace deſperandum, quam fidendum cenſeatur, ni dominus his manum apponat, & peruerſorum corda conuertat, illorum animos de malo in bonum commutet, & ad reſipiſcentiam, rectamq; mentem reducat; quod vtinam exaudire dignetur.

c Reſpondet ad obteſtationem regis Franci, quæ in fine Apologiæ eſt.
d Si Rex Francus Chriſtianiſſimus dici vult, fidem ſeruet quam maiores illius ſeruaſſe leguntur, eumq; promiſerit ſi conditiones implere non poſſet in captiuitatem redire ſaltem huius rationē habeat.
e Omnium principum iudicio cauſam ſuam Carolum Cæſarem ſubiicere non dubitare, tametſi aliquos ex his partium magis quam iudicū officio fungi ſciat.
f Nihil veri tota Apologia contineri quā quod Gallus Rex fœdus nō ſeruarit.

Quod autem ſubiungit, c quod *quum hæc per eum acta fuiſſent, vt nihil omnino omitteret quo honori, ac fidei omni ex parte ſatisfaceret, Beatiſſimum pontificem, Reuerendiſſimos præſules, firmiſſimos eccleſiæ cardines, ipſamq; ſedem Apoſtolicam, ac cæteros reges & principes Chriſtianos rogauit, atque obteſtatus eſt per eum qui eſt rex regum, & qui nos ſuo precioſiſſimo ſanguine redemit, vt hanc cauſam ſuam ſuſciperent ac defenderent, pariter indicarēt quid ſibi agendum eſſet, quid leges, quid iura, quid æquitas ſuaderent, quidue à Francorum rege bello capto exigi Chriſtiana religio concedat, ſed ea omnia obſeruaturum, nec vllo tempore violaturum, Deo Opt. Max. ſanctæ ſedi apoſtolicæ, cæteriſque principibus aſſeruiſſe, ac pollicitum eſſe.* Hæc profectò an honori, an fidei, vt ait, omni parte ſatiſfaciant, aliud quippe exquirendum eſſet, quam huius adulatoris conſilium: qui ſuis falſis ſuggeſtionibus diuina, & humana iura peruertere conatur, falſum pro vero, malum pro bono, iniuſtum pro iuſto, iniquum pro æquo, coactum pro libero, infidelitatem pro fide, periurium pro religione ſatagens transformare, cuius tamen malignitas, arrogantia, atque præſumptio adeo ſe ipſam confundit, vt id etiam lippis pateat videatur. d At ſi rex Chriſtianiſſimus, cui etiam Cæſar (vt audio) moræ purgationem conceſſiſſe videtur ad fidem ſeruandam, eaq; implenda quæ in ſua poteſtate conſiſtunt, ac ab illius ſolo dependet arbitrio, ſi ſe ita re, & effectu, prout nomine Chriſtianiſſimum velit oſtendere, ſi ſuorum anteceſſorum Francorum regum bello captorum veſtigia inſequi cupiat, eaque præſtare quæ illi pro libertate, pro honore, pro fidei, ac honoris obſeruantia præſtitere, redeat prius vnde digreſſus eſt. Tunc enim ſi iniuſte, ac inique cum eo agi putet, imploret tunc eorum, ad quos pertinet, protectionem & iudicium, nec reperiet Cæſarem à iuſtitia, & æquitate alienum. e Quinimmo ſatis mihi perſuaſum puto, quod etſi nonnulli ex his qui huiuſce rei iudices, vt præfertur, nominantur, potius partis quam iudicis officio fungi videantur, ſi tamen hi omnes eo, quo decet, ordine in vnum corpus fuerint congregati, non dedignaretur Cæſar pro communi Chriſtianæ Reipub. ſalute rem hanc, ac ſe, & ſua omnia horum iudicio ſubiicere: tuncq; licite, auditis partibus, req; diligenter diſcuſſa, iudicari poterit, iuſtiorne fuerit Imperatoris, an Chriſtianiſſimi regis cauſa. Non autem id ex huius nebulonis falſo ſuggeſtu recte decerni poſſet, f qui nihil aliud veri in hac ſua anili fabula profeſſus legitur, quam quod in eius exordio aſſeruit, quod rex ipſe initum cum Imperatore fœdus minime ſeruarit. Super quo vero fundamento nixus eſt incompatibilem prorſus materiam congerere, ac ſuperædificare, vt inde omne ædificium per ſe corrueret, ni forſan illius ſcripta prout Euangeliſtarum ad ſanum ſenſum congrua interpretatione reducentes, dicamus illam eius fuiſſe mentem, vt in dubium fides regia non adduceretur, quod de illius violatione ſatis aperte conſtaret, eſſetque ipſius fidei violatio adeo clara & notoria, vt nulla tergiuerſatione celari poſſet, ſicque in dubium reuocanda non eſſet.

g Ad concluſionem Galli Apologiſtæ reſpondet.
h Quid regib. faciendum ſit.
i Quale principum munus eſſe debet.
k Dei potentia.

Quo g tamen caſu abſurda, ac inhoneſta cenſeretur vltima huius Gnathonis inuocatio, ac exhortatio ad reges ac principes directa, quibus agendam ſuadet *Chriſtianiſſimi regis ſuorumque liberorum cauſam, quam* inquit *omnium regum, ac principum communem eſſe*, quaſi velit ſua virulenta adulationis ac detractionis labe ita omnium regum ac principum animos inficere, vt & hos à recta fide, & religione diuertere ſatagat, hoſq; violatæ fidei, ſpretæque religionis iuriſiurandi fautores, ac participes (ſi poſſit) efficiat. h Quibus vt id virus congruo antidoto repellere queant, his cum Pſalmiſta dicendum, ac commemorandum puto: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite domino in timore, & exultate illi cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur dominus, & pereatis de via iuſta.* i Congruit enim regibus omnibus, ac principibus, vt & Deo, & hominibus ſatis faciant, vt munus eis à Deo iniunctum recte exequantur, vt honori, conſcientiæ ac iuſticiæ conſulant, vt ſe inuiolatæ, immaculatæq; fidei & religionis cultores oſtendant: ne tam iniuſtam, tam iniquam, tamque ignominioſam, ac pernicioſam cauſam violatæ fidei protegendam, tuendam, aut fouendam aſſumant, neue prius de ea iudicare præſumant, quam debita, ac recta acceſſerit cognitio veritatis. Id quoque Regibus ipſis, ac principibus memorandum cenſetur, quod iuſtus ille ſupremus iudex, k qui etiam ſæpius parua militum manu magnas cohortes, immenſoſque exercitus conflixit & proſtrauit, prout geſta Machabæorum plane teſtantur: qui Goliam per paſtorem deuicit, qui Holofernem potentiſſimum per mulierem deſtruxit, qui Pharaonem in mari ſubmerſit, vt populum electum liberaret atque ſeruaret: qui etiam regem ipſum de cuius fide nunc agimus, toties minoribus copiis vincendum præbuit, ac inde in Cæſaris captiuitatem deduxit: qui demum tot & tanta alia miranda peregit, iuſtam ipſius Cæſaris cauſam pro fide, pro religione, pro quiete publica, pro

conteg

conſeruanda Petri nauicula ne pereat, neue naufragium patiatur, proque tanti incendii extinctione nequaquam indefenſam derelinquere debeat: [a] ſed potius illi aſſiſtere, illiuſque iuſtitiam protegere, fouere ac defendere, prout hactenus tutatus eſt, & prout in ipſius diuina clementia merito ſperandum cenſetur, qui etiam tantam accepti beneficii ingratitudinem merita coertione compeſcet: quod etſi quandoque differendum cenſeat, vt errantem ad correctionem, quacunque hora ſuperuenerit velut filium prodigum pœnitentem recipiat, & admittat. Si tamen induratum, ac obſtinatum animum inuenerit, nequaquam impunitum relinquat. *Lento* [b] enim *gradu diuina procedit ira, tarditatemque ſupplicii grauitate compenſat.* [c] Vnde caueat rex ipſe, ne talibus conſultoribus, immo verius nebulonibus confiſus, in maius forſan diſcrimen Dei iudicio incidere cogatur, & abiſſus forſan abiſſum inuocet. Conſultius igitur faceret rex tanti nominis, ſi mora violatæ fidei purgata, ad ipſius fidei obſeruantiam rediens, iterum Cæſaris clementiam experiretur, qui vt cenſeo, [d] tam integri eſt animi, vt regem ipſum nequaquam ad rem impoſſibilem, vel iniquam vellet vrgere, & ita pro eo auderem polliceri, de illius bonitate confiſus, qui potius publica quam priuata ſpectat commoda.

a Deum partibus Caroli haud defuturum, vt qui iuſtitiæ nunquam non aſſiſtat.

b Dei iram lento gradu aliquando quidem procedere, ſed eam tarditatem grauitate ſupplicii compenſare.

c Quid regi Franco faciendum, ſi honori ſuo conſultum velit.

d Caroli Cæſaris mitis ingenium.

In Apologiam Gallicam & fœderis ruptorem.

QVod violata fides, quod fœdera pactaq; rupta,
 Patronum, quis non iſta ſtupeſcat? habent.
Inuenere ſuas lactucas labra, probatur
 A cæco lippus, cum nihil ambo vident.
Fertur in authorem vicium quod prodit ab ipſo,
 Et male defenſus fit magis inde reus.
Fœdera ſic cum tu non obſeruata tueris,
 Non bene ſuſcepti cauſa clientis habet.
Debet enim promiſſa fides & in hoſte morari.
 Hanc ab amicitia tu procul eſſe iubes.
Nonne fidem rex iſte tuus iam factus amicus,
 Et poſt coniugii vincula, ſponte dedit?
Pactio nulla valet, verum eſt, vt dicis, iniqua,
 Hic ſed iniqua refer pactio qualis erat?
Rex bello captus, promiſit reddere, iure
 Quod nunquam tenuit, dic ſacra iura vetant?
Sic poſtliminio liber dimittitur, hæc ne
 Vis tanta eſt, liceat quod violare fidem?
Non noſcis ſiquidem perfricta fronte pudorem,
 Rex etiam quem non nouit & iſte tuus.
Dedecus hinc ſemper ſi non reſipiſcat habebit,
 Et tecum æternam quam facis ipſe notam.
Iniuſtæ ſi quis defendit crimina cauſæ,
 Qua forſan voluit parte iuuare, nocet.
Et vento & foliis quanquam plus ponderis eſſe,
 Quam verbis conſtat rex modo France tuis.
Eſſe tamen vana hæc cum dicis fœdera, credo
 Hic ſaltem poſſum dicere, vera refers.
Idem etenim es facti, atq; idem ſermonis es author,
 Idem qui dicis fœdera vana, facis.
Cum ſubdis, ratio quia defuit, hoc quoque credo,
 Miretur quis non tam bona verba tibi?
Sis animi compos, ſis non rationis egenus,
 Non credas teſtes fœderis eſſe deos?
Qui te vltro inſtantem, qui te videre rogantem,
 Vota æques rapidis nunc licet illa notis.
Pactio iniqua fuit, fateor, nam dicier æqua,
 Incolumem quod te fecerit eſſe, nequit.
Nec ſtringit quod iura vetant ſacra, te quoq; poſſe
 Cum ſacra ſint ſtringi, Gallica iura vetant.
Et ſacra ſunt certe, nam quid ſacratius illis
 In quibus omnis abeſt cum ratione pudor?
Et prohibent ſtringi, quia ne ſtringaris, id à te
 Nunc totis fieri viribus, illa vident.
Sed vis cogebat, verum eſt vt fallere poſſes,
 Hæc vbi adeſt, nulla eſt pactio, cedo tibi.
Rhetoribus quantum debes Franciſce? videris
 His ducibus, verum iam didiciſſe loqui.

Si re-

Si reſponderent iſtis alia omnia verbis,
Hannibalem nemo, te Latiumq; vocet.
Quis neget è Phrygio prognatos ſanguine Francos,
Iam bene cum proauum Laomedonta refers?

Refutationis finis. Sequitur nunc (præmiſſo quodam epiſtolio ad pium lectorem) Conuentio quæ fuit inter Papam & regem Gallorum &c. Epiſtola item regis Francorum ad principes Germaniæ.

Habes ecce lector fœdus, cui à Beatiſſimo Patre Clemente ſeptimo, nomen vniuerſali ſanctiſſimoq; inditum eſt: id quale ſit, profecto non admodum arbitror ex opera precio eſſe pluribus recenſere. Quum enim conſyderaturus es à quibus initium habuit, cum quibus progreſſum cepit, & quo potiſſimum tempore, quibusq; occaſionibus inductum ſit, ſane iudicaturus es non paci, aut vniuerſali tranquillitati, ſed acerbiſſimis odiis, & ſæuiſſimo bello materiam & fomentum ſubiectum eſſe. Nam quis mediocris Princeps æquo animo ferat pacis ſibi leges, conditioneſque à Veneto, Mediolanenſique praſcribi? Quis item non tacitus ſecum conqueratur Remp. Chriſtianam eo redactam eſſe, vt in illius conſpectu fidem datam debite, legitimeque, & promiſſiones iuſtiſſime factas, regi Franco (cuius maiores Chriſtianiſſimorum nomen diu aſſequuti ſunt) Breue vnum apoſtolicum fallere, frangereque, commodum, liberumque faciat? Plurima ſunt hic animaduertenda lector, quandoquidem ſi vniuerſalis quietis ratio habita ſit, cur tam iniquæ & abominabiles conditiones Carolo Cæſari præſcripta, cuius ſine vnius principis acceſſione pax, tranquillitaſque induci non poteſt? Iuſſus eſt liberos Franci regis obſides reddere, quaſi non ſatis fuiſſet Gallicam fidem ſemel expertum fuiſſe: Iuſſus Italorum Potentatuum tyrannidem non perferre modo, ſed & tueri: Iuſſus Italiæ ingreſſu abſtinere, in eam ſolum familiam induceret, quæ ſcilicet Pontifici maximo & Venetis apta conueniensque videretur. Iuſſus maieſtatis accuſatis noxam omnem inaudito remittere, & hæc omnia prius, quam in tam ſanctam & religioſam conuentionem admitteretur: Iſtuc ſi modeſtiæ, æquitatiſque limites non eſt excedere, tute diligenter perpende. Parte alia oculis obiice ingentem illum bellicum apparatum, ni indictis protinus conditionibus nomen det: Mare triremibus obduci, hiſque etiam pontificiis, quaſi vero hac tempora his auſpiciis Apoſtolicam ſedem auguſtam, venerabilemque eſſe ſinant. Terra magnas omnis generis equitum, peditumque copias præſcribi, tam deductis rationibus, vt ad ſumptus belli aſperrimi, ſæuiſſimique nihil defuturum vnquam eſſe poſſe videatur: Innocentem hunc principem Carolum Cæſarem nullis non artibus oppugnari: Nam integritatem ſereniſſi. Angliæ regis, & Reuerendiſſi. Cardinalis Eboracen. largitionibus Italicis pertrectari, Gallis abiectam iam ſpem reſtitui virium recuperandarum, regnum Neapolis haſta, ſectionique ſubiici, iam non de bello cogitari, ſed ante victoriam nihil non in partes datum eſſe, & tam inſignis huius tragœdiæ anteſignanum inuentum eſſe, qui ſe profiteatur Clementem ſeptimum. Quando vnquam magis periclitatam eſſe rem Chriſtianam partim domeſticis opinionibus, partim externo hoſte potentiſſimo, ſæuiſſimoque? Et tamen velut hæc paſtorem gregis Chriſtiani non concernerent, nil aliud, quam de alendis inteſtinis inter principes diſcordiis cogitare? Quum hæc es perpenſurus, vitio ſane non reor te Carolo Cæſari daturum, quod iuſtitia fretus, vnus ille ſuum omnibus his caput obiecerit, oſtenderitque plus ſibi ſpei in innocentia ſua poſitum eſſe, quam illis virium in tot armatis triremibus, equitibusq;. Simul facile intelliges, Clementino huic fœderi, vniuerſali minime eſſe licere, neq; ſanctiſſimum fortaſſe æquo iure dici, niſi ab autore poſſe arbitraberis. Vale.

CAPITVLA FOEDERIS, QVOD SANCTISSIMVM VOcant, inter Romanum Pontificem Clementem ſeptimum, regem Gallum, Venetos, ducem Franciſcum Sforciam, ac Florentinos, aduerſus Cæſarem percuſſi.

Qvum multos iam annos diutinis & continuis bellis vexata Chriſtiana Reſpub. tam fracta, ac debilitata conſpiciatur, vt niſi omnipotentis Dei aſpirante numine, tot ſæuiſſimis bellis imponatur finis, & Reſpub. ipſa pacata, tandem aliquantiſper reſpirare valeat, non longe abeſſe à ſummo periculo ſit iam omnibus perſpectiſſimum: quum præſertim non ex vno confecto bello, quaſi abſumpta incendii materia, malis finem imponi, immo ex vno plura ſuboriri, flammamque magis ac magis inualeſcere videamus. Quod perpendens, atque animo reuoluens Sanctiſſimus dominus noſter Clemens ſeptimus Pontifex maximus, ac paſtor vigilantiſſimus, nihil prætermittere, atque omnia experiri decreuit, quo Reipublicæ Chriſtianæ ſaluti, ac ſecuritati conſuleret, veramque & ſtabilem pacem inter Chriſtianos principes conſtitueret, nihilque ab eo prætermiſſum eſt, vt eam rem tam ſalutiferam, tam neceſſariam ad optatum perduceret finem. Quum autem multa tentaſſet, tandem certior factus, ſereniſſimum ac potentiſſimum principem Franciſcum Francorum regem Chriſtianiſſimum à captiuitate, qua ab Imperatore detinebatur, liberatum fuiſſe: magnificum virum Capinum de Capo equitem auratum, eius nuncium ad eum deſtinauit, non modo vt ob priſtinam libertatem recuperatam ſibi congratularetur, verum etiam vt de pace vniuerſali inter Chriſtianos principes componenda ageretur. Quod vt breuius aſſequeretur, generale, ac ſpeciale mandatum præfato ſuo nuncio dedit, cuius quidem tenor in fine

Pontifex pro fœdere percutiendo nuncium ad regem Gallũ deſtinauit.

in fine præſentis capitulationis inſeretur, vt huius medio ſuper dicta pace vniuerſali, vel particulari pactiones, capitula, tractatus, & concluſiones neceſſariæ fierent. Quod animaduertens illuſtriſſimus Venetiarum dux Andreas Gritti, inclytumque Venetorum dominium, nec non illuſtriſſimus Princeps Franciſcus Sfortia Mediolani dux, pacis iſtius percupidi, attendenteſque, quot commoda ex illa orientur, prædicti etiam ſummi Pontificis exemplo ducti, magnificum virum Andream Rubertum, illuſtriſſimi ipſius ducis, inclytique Venetorum dominij ſecretarium, eius nuncium cum mandato, cuius etiam tenor in fine præſentis Capitulationis inſeretur, ad eundem Chriſtianiſſimũ regem deſtinarunt, ad eos fines, eademque de cauſa, qua ſummus Pontifex: quibus tandem per Chriſtianiſſimum regem auditis, qui Chriſtianitatis pacem vniuerſalem tanti ſemper fecit, vt eandem modis omnibus, quibus potuit, aſſidue perquiſierit, nullis parcens laboribus & impenſis. Quo factum eſt, vt læta facie, ac prompto animo hanc rem per dictos nuncios ſibi tam facile perſuaſam habuerit, vt continuo procuratores generales ac ſpeciales conſtituerit, quorum quidem poteſtas in fine præſentis capitulationis pariter inſeretur, ſuper iam dicta capitulatione fienda. Omnibus demum rebus rite ac recte conſideratis, prædicti nuncij & procuratores pro & nomine ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, Chriſtianiſſimi Francorum regis, illuſtriſſimi ducis, inclytique Venetorum dominij, nec non illuſtriſſimi Mediolani ducis, pacis tractatum inierunt, & concluſerunt, etiam pro Imperatore. rege Angliæ, alijſque Chriſtianis Principibus ac potentatibus. qui hunc tractatum ingredi voluerint, honorabilem iuxta eorum ſtatus locum relinquentes. Quod igitur felix fauſtumque ſit prædictis Principibus contrahentibus, ac vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, diuino nomine inuocato, ad ipſius omnipotentis Dei honorem & gloriam, atque vniuerſorum Chriſtianorum pacem & ſalutem, non ad alicuius iniuriam, à qua cogitatione longiſſime abſunt, ſed ad commune commodum, tutelam, & quietem ſupradictæ pacis tractatus fuit in hunc, qui ſubſequitur, modum concluſus.

Imprimis conueniunt & promittunt prædicti contrahentes ſeſe nullo modo directe vel indirecte, palam vel occulte lædere, aut perturbare, neq; vllum auxilium, aut fauorem directe vel indirecte, quouis modo præſtare aliquibus ſuis eorum hoſtibus, aut inimicis, imo illorum reſiſtere conatibus, ac ſeſe inuicem, ſuaque regna & dominia defendere, quæ de præſenti tenent, poſsident, & occupant. Verum hac in clauſula generali non intelliguntur comprehenſa dominia, quæ ſanctiſsimus dominus noſter Papa, Illuſtriſsimus dux, inclytumque Venetorum dominium habent extra Italiam: vt bonos, veros amicos, & confœderatos decet, & conuenit, ac illis viribus, copijs, quæ inferius explicabuntur, pollicenturque omnes prædicti ſanctiſsimo domino noſtro Papæ aſsiſtere, eiuſque dignitatem ac perſonam defendere aduerſus quemcunque illam perturbare, aut offendere volentem, authoritate, conſilio, viribus, quibus infra dicetur, velut vnuſquiſque præfatorum propriam ſalutem ac dignitatem defendere ac tueri conaretur.

Item conuentum eſt, vt relinquatur honorificus locus ingrediendi hoc ſanctiſsimum fœdus, ſi libuerit, imprimis ſereniſs. ac potentiſs. Principi Carolo Imperatori electo, & ſereniſsimo Angliæ regi, non modo vt contrahenti, ſed etiam vt præſentis fœderis protectori, ſi aſſenſum præbuerit: atque illuſtriſs. domino Ferdinando Auſtriæ Archiduci, cæteriſque regibus, principibus ac potentatibus Chriſtianis. non recipietur tamen, neque in hanc confœderationem ingredietur ſupradictus Imperator, niſi prius illuſtriſsimos Chriſtianiſsimi regis filios, quos tenet obſides, reſtituerit, ſoluta nihilominus competenti, honeſta & rationabili talea, & Mediolani ducatum duci Mediolanenſi prædicto reliquerit liberum, ac cæteros Italiæ potentatus, & dominia, ſicuti erant ante proximum bellum præteritum: neque Italiam ad ſe coronandum, aut aliquouis modo ingrediatur, niſi cum tali ſtatu & comitatu, qui videbitur aptus & conueniens tum ſanctiſsimo domino noſtro Papæ, tum illuſtriſs. duci, inclytoq; Venetorum dominio, habito reſpectu ad ipſius ſummi pontificis, totiuſq; Italiæ ſecuritatem, nec non ad Imperialis maieſtatis ſuæ dignitatem & ſecuritatem, & quod regi Angliæ præſens fœdus infra tres menſes à die ſigillationis huius tractatus ingredienti ſoluetur ea pecuniæ ſumma, quæ ſibi ab ipſo debetur Imperatore.

Conditiones Carolo Cæſari impoſitæ ſi in hoc fœdere admitti voluerit

Item conuentum eſt, vt ab ipſis confœderatis paretur & agatur exercitus in Italiam communibus ſumptibus triginta millium peditum, duorum millium & quingentorum equitum cataphractorum, & trium millium leuis armaturæ, vna cum machinis, & artelarijs conuenientibus & requiſitis pro tali exercitu tam ad oppugnandas, quam ad defendendas ciuitates & arces. Qui quidem exercitus iter arripiet, & pecuniæ mittentur in craſtinum: quo præſentis tractatus ratificatio tradita fuerit in manibus Chriſtianiſsimi regis, tum ad defendendos præfatos confœderatos, tum ad illos cohibendos, qui ad pacem condeſcendere nollent, aut res Italicas perturbarent aduerſus præſentem confœderationem. In quo exercitu agendo ſanctiſsimus dominus noſter Papa pro parte ſua contribuet cataphractos equites octingentos, & leuis armaturæ ſeptingentos, & peditum octo millia. Chriſtianiſsimus autem rex impendet ſingulis menſibus quadraginta millia nummum aureorum ſolis, tantummodo pro ſtipendijs peditum, & alijs ſumptibus, præterea quingentos cataphractos equites more gallico inſtructos, qui mille leuis armaturæ equites comprehendunt. Illuſtriſſimus vero dux, inclytumque Venetorum dominium dabit mille ſeu octingentos grauis, & mille leuis armaturæ equites, peditumque octo millia. Mediolani dux pariter contribuet quadringentos grauis, & trecentos leuis armaturæ equites, peditum vero quatuor millia: quem numerum ſi quo caſu impeditus dux ipſe præſtare non poſſet, præſertim circa belli principia, ſancti-

Exercitus aduerſus Cæſarem parandus à Pontifice, Rege Gallo ac Venetis.

tas ſua, inclytumque Venetorum dominium ſe obligauit ad præſtandum etiam illa quatuor millia, quæ illuſtriſſimus dux contribuere teneretur: hac tamen conditione, vt cumprimum prædictus dux illa quatuor millia præſtare poſſe iudicabitur, ſanctiſſimus dominus noſter Papa, inclytumque Venetorum dominium non teneantur niſi pro ſuis octo millibus, vt ſupra declaratum eſt. Sumptus vero ac impenſæ machinarum artelariæ deferentur per dictos ſummum pontificem inclytumque Venetorum dominium, & Mediolani ducem ad rationem cæterarum rerum, quas contribuent. Exercitus autem iſte conſeruabitur integer vſque ad confectum Italiæ bellum, vel quoad profligati fuerint, qui Italiæ quietem perturbauerint, aut eorum exercitus delectus ſit penitus, aut ita debilitatus & deſtitutus, vt reliquiæ ſe in aliquam ciuitatem, aut locum munitum ad ſe tuendum recipere cogantur, nec valeant amplius exire, ſeu in campo conuenire, aut caſtrametari. Quo caſu confœderatorum exercitus reſolui poterit, reſeruatis tantummodo copijs neceſſarijs ad illas reliquias abolendas, arceſque, ſi quæ erunt maioris momenti, capiendas, & hoc ad arbitrium eorum, qui exercitui præerunt: Ad quas copias alendas contribuet vnuſquiſque collata ratione ad id, quod antea contribuebat, quantum ſatis erit.

Exercitus confœderatorum conſeruandus quouſq; Cæſareæ copiæ in Italia extinctæ fuerint.

Paratur etiam citra montes bellum aduerſus Cæſarem.

Promittit inſuper ipſe Chriſtianiſſimus rex confœderatis bellum in Italia gerentibus præfatis de cauſis, ſe pariter citra montes contra quemcunque, qui præfatorum hoſtis eſſet, habiturum exercitum paratum ad diuertendas & occupandas illius hoſtis vires, ne nouas copias, vel auxilia aduerſus confœderatos in Italiam tranſmittere valeat, illiuſque ſtatum inuaſurum eodem tempore, quo bellum in Italia inchoabitur, cum valido exercitu, qui ad minus ſit duorum millium cataphractorum equitum, & peditum ſufficienti numero, nec ſolum terreſtribus, ſed maritimis viribus bellum terra marique aduerſus quoslibet confœderatorum hoſtes geſturum.

Conducentur Heluetij

Item conuentum eſt, vt in præfato exercitu conflando ipſi confœderati eum numerum Heluetiorum peditum conducant, qui ipſis conducendus videbitur: qua quidem in re Chriſtianiſſimus rex fauore autoritateq; , qua apud eos pollet, præſtabit omnem operam, vt honeſtis conditionibus, conuenienti ſtipendio quamprimum accedant.

Monendus Cæſar vt Francis regis liberos reſtituat.

Item cum hoc ſanctiſſimum fœdus, vt ſuperius dictum eſt, iudicetur tum ad ſalutem, ſecuritatem, & quietem ipſorum principum contrahentium, eorumque ſtatuum & dominiorum, tum ad vniuerſam Rempublicam Chriſtianam pacandam: conuentum eſt, vt à præfatorum confœderatorum oratoribus cumprimum præſens tractatus ratificatus fuerit, eorum omnium verbis requiratur, & rogetur sereniſſimus princeps in Imperatorem electus, vt pro vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ ſalute & pace, illuſtriſſimos Chriſtianiſſimi regis filios maieſtati ſuæ benigne reſtituere velit, modo quo ſupra dictum eſt, ac cum eo, dimiſſis omnibus ſimultatibus, veram, honeſtam ac voluntariam pacem ſtabilire: cuius quidem ita conſtituendæ pacis, vt firma ac ſtabilis credi poſſit, nulla alia ratio inueniri poteſt, nec vllis arctioribus vinculis ligari valeat rex ipſe cum Cæſarea Maieſtate, quam eo beneficio reſtitutionis filiorum. Quod ſi facere renuerit, ei denunciabitur præfatos principes nihil eſſe prætermiſſuros, quouſque id effecerit. Quamobrem ad id exequendum, pariter conuentum eſt, quod confectis in Italia rebus, quæ per præſentem capitulationem deſignantur, modo contento in tertio præſentis fœderis articulo, ad omnem requiſitionem Chriſtianiſſimi regis præſtari debeant per ipſos confœderatos auxilia decem millium peditum, mille cataphractorum, & mille quingentorum leuis armaturæ equitum, aut pecuniæ ſufficientes loco ipſarum copiarum, ad electionem Chriſtianiſſimi regis, ad omnem operam præſtandam, bellumque peragendum quouſque maieſtati ſuæ illuſtriſſimi eius filij libere dimittantur.

Præterea pollicentur ſibi inuicem, videlicet confœderati Italiæ ex vna, & Chriſtianiſſimus rex Franciæ ex altera parte, mutuo ſibi auxiliari, ac ſeſe perpetuo defendere contra quietum & pacificum eorum ſtatum perturbare, aut inuadere volentem, mittendo ſibi inuicem auxilia decem millium peditum, mille grauis, & mille leuis armaturæ equitum, diſtributo inter ipſos Italos ſumptu pro viribus cuiuſcunque ad taxam ſuperioribus articulis commemoratam.

Paratur claſſis maritima communi fœderatorum impenſa.

Item cum ad prædictas peragendas res requiratur non ſolum terreſtres, verum etiam maritimas vires paratas habere, conuentum eſt, vt claſſis inſtruatur ad minus viginti octo triremium, & aliarum nauium onerariarum vſque ad eum numerum, qui ipſis confœderatis opportunus iudicabitur, ad quam claſſem parandam Chriſtianiſſimus Rex Franciæ præſtabit duodecim triremes proprijs ſumptibus inſtructas & armatas. Quæ etiam præſto ſint intra ſuperius declaratum tempus, ad nauigandum ad quamlibet Italiæ partem, qua ipſis confœderatis opus eſſe videbitur, paratas & inſtructas illis triremibus, & naues onerarias quotquot commode poterit, ſumptibus tamen ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, illuſtriſſimi ducis, inclytique Venetorum dominij: tredecim alias triremes ſuis ſumptibus inſtructas & armatas præſtabit illuſtriſſimum Venetorum dominium: reliquas vero tres ſanctiſſimus D. noſter Papa præſtabit. Contribuet tamen Mediolani dux ad eum ſumptum in progreſſu belli perferendum, quod honeſtum videbitur. Poſſet autem is numerus aliquantulum diminui, caſu quo ciuitas Ianuenſis cæteris confœderatis adhæſiſſet, præſtante etiam ipſa ſuas triremes in huius belli gerendi vſum. Hæc autem claſſis præſto, & parata ſit ad quamcunque Italiæ partem ipſis confœderatis opportunum videbitur pro ratione belli gerendi. Aletur vero eadem claſſis à nominatis partibus, videlicet duodecim triremes à Chriſtianiſſimo Rege, tredecim ab illuſtriſſimo Venetorum dominio, reliquæ vero tres à ſanctiſſimo domino noſtro Papa vſq; ad per-

ad perfectum bellum, & quoad ipſis confœderatis neceſſarium & conueniens eſſe videbitur: Hac tamen conditione præſtabit Chriſtianiſs. Rex duodecim triremes prædictas, vt ſi neceſſe fuerit, eaſdem reuocare poſſit ad res ſuas defendendas, caſu quò bellum maritimum ab hoſtibus ſibi inferretur in prouincia, vel aliis locis maritimis, illis coniunctis. In quo caſu ſi duodecim illæ non ſufficerent, magnitudoq; periculi maritimi maiorem claſſem poſtulare videretur, niſi triremes cæteræ pro bello confœderatorum in Italia occupatæ fuerint, etiam illæ in auxilium ei mittantur, exceptis tribus ſanctiſſimi domini noſtræ Papæ, ſi ei neceſſariæ eſſent pro cuſtodia littorum Italiæ ab infidelibus piratis. Cæteræ omnes triremes ipſi Chriſtianiſſimo Regi ſeruient tam ad illius, ac Regis Franciæ hoſtes è prouincia, aut alijs locis, vt dictum eſt, propulſandos, rebuſque, prout opus fuerit, ſuccurrendum, quam ad liberandos illuſtriſſimos Chriſtianiſſimi regis filios, vt inter amicos & bonos confœderatos ſibi inuicem adeſſe, atque auxiliari conuenit.

Ducatus Mediolani.

Item ad omnem ſuſpicionem illuſtriſſimo duci Mediolani tollendam ob ea, quæ præteritis temporibus contigerunt, promittit rex Chriſtianiſſimus ſe nullo tempore quicquam moturum, geſturum nec aduerſus ipſum ducem ſeu Mediolanenſem ſtatum, ſed permiſſurum, vt libere ac pacifice gaudeat illo, ac fruatur abſque vlla perturbatione aut moleſtia: imo & ipſum ſe omni tempore defenſurum, ad id pariter concurrentibus Italiæ confœderatis, ſi à Romanorum Rege, ſiue à ſereniſſimo Principe eius fratre bellum ei ab illis inferretur, & à quibuſuis alijs regibus ac potentatibus, illis copijs atque auxilijs, quæ pro bello Italico in ſuperioribus promittit articulis, auxiliante etiam ipſo duce regno Franciæ, ſi ei bellum inferretur, eiſdem auxilijs & copijs, quas ad bellum Italicum contribuere tenetur. Hæc tamen omnia ea conditione & lege, quod prædictus Mediolani dux ipſi Chriſtianiſſimo Regi tum ratione iurium, quæ in ipſo ducatu tam maiores ſui, quam ipſi obtinuerunt & prætenderunt, tum magnorum ſumptuum, ac impenſarum ipſius cauſa factarum, annuum cenſum, ſiue penſionem in ciuitate Lugdunenſi perſoluere debeat, quæ conueniens videbitur tum ſanctiſſimo domino noſtro Papæ, tum illuſtriſſimo duci, inclytoque Venetorum dominio, ſed non minus quinquaginta millium nummûm aureorum, pro quibus annuatim ſoluendis dabit ſufficientem ſecuritatem. Si vero cautiones nunc præſtare minime poſſet, reſpondebunt pro eo ſanctiſſimus dominus noſter Papa, inclytumq; Venetorum dominium. Tenebitur præterea ipſe Mediolanen. illuſtriſ. fratrem eius Maximilianum condecenter pro eius dignitate alere, eidemque penſionem aſſignare, & ipſum Chriſtianiſſimum regem ab annua penſione illa liberabit, quam dicto Maximiliano ſoluere tenetur.

Penſio Franco regi in Ducatu Mediolanenſi aſſignata.

Item cum præſens capitulatio fœduſq; ſpectet non modo ad conſtituendam in præſenti tempore pacem, & Italiæ libertatem, ſed vt firma ac æterna permaneat, liceatq; omnibus huius felicitatis eſſe participes, quæ Deo auxiliante futura eſt, conuentum eſt, vt reſtituantur libere vniuerſa bona ſua cum plena remiſſione amicis, qui ea amiſerant quomodocunque, & qui partes regias ſecuti fuerant, ac etiam in patriam ſi redire voluerint, & præſertim magnificus dominus Albertus Carpenſis Comes.

Item promittit Chriſtianiſſimus rex ad magis declarandam bonam voluntatem ſuam erga ipſum Mediolani ducem, ad eum pariter ſecurum prorſus reddendum, in affinitatem ſibi illum coniungere, tradendo ſtatim ei in vxorem vnam de regio ſanguine progenitam, quam ſanctiſſimus dominus noſter Papa opportunam, atque ei condecentem iudicabit. Ruſus ad eundem omnino confirmandum, atque in ipſo Mediolani ducatu retinendum, pollicetur ſe curaturum, & omnem operam daturum, auctoritatemque ſuam interpoſiturum apud magnificos dominos confœderatos Heluetiorum, vt cum illuſtriſſimo ipſo Mediolani duce iungantur ad præfati ducatus defenſionem & tutelam ea forma, conditionibus & modis, quibus iuncti erant ſibi, cum dictum Mediolani ducatum obtinebat: quo caſu pollicetur & ſe liberaturum dictos dominos Heluetios ab obligatione illa, quam ſecum habebant, quo ad defendendum pro maieſtate ſua ipſum Mediolani ſtatum. Quo caſu præfatus Mediolani dux Heluetijs penſiones generales, ac particulares perſoluere tenebitur, quas ſingulis annis in feſto Purificationis præfatus dux mittet Heluetijs, apud quos comperiet vnum ab ipſo Chriſtianiſſimo Rege deputatum, quorum manibus perſoluentur dictæ penſiones ipſis Heluetiis: atque eo quidem modo ac pari forma fient dictæ penſiones, eo caſu, quo præfati Heluetii recuſarent ſuſcipere dicti ducatus defenſionem, ipſe autem dux permittet eoſdem Heluetios gaudere omnibus immunitatibus & exemptionibus in ſtatu Mediolanenſi, quibus gaudebant tempore, quo ipſe Chriſtianiſſimus ſtatum illum poſſidebat: & de hoc obſeruando cum prædictus illuſtriſſimus dux in præſentia dare non poſſet fideiuſſiones in Francia à Chriſtianiſſimo rege requiſitas, promittunt iam dicti nuncii, quod ſanctiſſimus dominus noſter Papa, illuſtriſſimus dux, inclytumque Venetorum dominium effectualiter procurabunt, quod promptiſſime dabit eas, cum primum liber erit ab his anguſtiis, quibus nunc opprimitur: Caſu autem, quo id non faceret, erit ille quidem à præſentis tractatus beneficio excluſus: attamen prædictus rex Chriſtianiſſimus haudquaquam vult, nec vllo modo intelligit, ſe ab amicitia illa & confœderatione ſeparare, quam ob cauſam regni Franciæ cum ipſis Heluetiis habet.

Item promittit idem Chriſtianiſſimus rex cæteris confœderatis Principibus eadem præſtare, & concedere domino Maximiliano Sfortiæ, quæ promittit & pollicetur moderno duci illuſtriſſimo eius fratri caſu, quo ipſe decederet, aut à prædicto ducatu ſubmoueretur.

Ffff 2 Item

Comitatus Aſtenſis.

Item conuentum eſt, vt ipſi Chriſtianiſſimo regi reſtituatur comitatus Aſtenſis, vti res ſeiuncta à Mediolanenſi ducatu, & antiquiſſimi iuris hæreditarij illuſtriſſimorum ducum Aurlienſ. & ſi aliqua fortaſſis de cauſa confœderatis non videretur opportunum, vt ipſe Chriſtianiſſimus rex ad eum comitatum reſtitueretur, ad minus tradetur illuſtriſſimo duci Aurlienſi eius filio gubernandus comitatus ipſe à quo maieſtati ſuæ placuerit, quod ipſe dux eius filius ad legitimam ætatem peruenerit.

Ianuenſis.

Item conuentum eſt, vt in ciuitate Ianuenſi, qui nunc eſt illuſtriſſimus dux dominus Antoniotus Adurnus, dux relinquatur, ſi ad confœderatorum deuotionem, qui hoc comprehenduntur fœdere, ſeſe conuerterit, vel mutetur quidem eius ciuitatis ſtatus in eam formam, quæ ipſis confœderatis ad quietem & ſecuritatem Italiæ maxime conueniens eſſe cenſebitur, reſeruato tamen regi Chriſtianiſſimo titulo & iure ſupremi dominij, eo modo, quo habebat idem Chriſtianiſſimus, cum eam poſſideret ciuitatem.

In regnum etiam Neapolitanum bellum paratur.

Item promittunt & pollicentur prædicti confœderati, quod ſi Imperator electus denegaret aut protelaret peragere, aut exequi ea, quæ in ſecundo præſentis capitulationis articulo continentur, quod ſtatim & cumprimum prædictum bellum pro pacanda Italia finem acceperit: qui quidem finis intelligitur & erit, quando exercitus hoſtium profligatus ſit penitus, aut ita debilitatus ac deſtitutus, vt reliquiæ ſe in aliquam ciuitatem aut munitum locum ad ſe tuendum recipere cogantur, nec amplius exire, in campo conuenire, aut caſtrametari valeant: iam dicti contrahentes inuadent, & offendent regnum Neapolitanum cum viribus tam terreſtribus quam maritimis, quibus ſupra declaratum eſt, demptis tamen his, quæ eorum arbitrio dimittentur ad obſidendas hoſtium reliquias, quæ ſe in aliquem locum munitum ad ſe tuendum receperint, vt ſuperius commemoratum eſt. Quod ſi Imperator electus ab ipſo regno Neapolitano pellatur, eius exercitus illinc eijciatur,

Pontifex & Gallus Rex Neapolitanū regnum inter ſe diuident.

manebit quidem illud regnum ad ſanctiſſimi domini noſtri Papæ arbitrium, vti de regno, & re ad eccleſiam pertinente. Nec vero ipſe Chriſtianiſſimus rex, aut reliqui confœderati quicquam diminuent de illa auxiliorum ſumma, quam quilibet præſtare debet, quouſque Imperatoris exercitus fuerit deletus, aut ita debilitatus, vt in aliquod caſtrum, ſeu munitum locum ſeſe tuendi cauſa receperit. quo caſu communi eorum qui bellum gerunt arbitrio, deligentur tales copię, quæ aptæ, & ſufficientes exiſtimabuntur ad prædictam reliquiarum expugnationem. Alentur pariter præfatæ copiæ communi confœderatorum impenſa pro rata ſubſidij tradendi facienda, donec locus ille expugnatus fuerit, quemadmodum in ſimili caſu explicatum eſt ſuperius. Hac tamen lege & conditione Neapolitanum regnum apud ſummum pontificem manebit, ſi idem pontifex ſe, ac ſuos ſucceſſores de conſenſu Reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium obligauerit, ſecuritateſque in Francia ſufficientes dederit, quod ſingulis annis Chriſtianiſſimo regi, ſuiſque ſucceſſoribus ratione iuris, quod ſibi in illo regno competit, eum annuum cenſum penſitabit, qui arbitrio ſuo conueniens videbitur, dummodo non ſit minor ſeptuaginta quinque millium nummorum auri ſolis. Hæc autem promittit Chriſtianiſſimus rex ſolummodo caſu, quo, vt ſupra dictum eſt, illius regni ſtatus immutaretur. Quod ſi ſecus fieret, aut eueniret, permanebit eidem Chriſtianiſſimo regi ſalua & integra omnino ſua actio, & priſtinum ius ac facultas agendi vt libuerit.

Item conuentum eſt, quod caſu quo contingeret, quod Deus auertat, vt prædictorum fœderatorum aliquis decederet, vel ab hoc fœdere diſcederet, nihilominus fœdus ipſum inter reliquos confœderatos firmum ac ſtabile in ſuo robore maneat & perſiſtat, ſucceſſorque defuncti illud ingredi poſſit. Quod quidem ſanctiſſimus dominus noſter Papa promittit approbari facere per reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium collegium.

Protectio familia Medicorum

Pariter conuentum eſt, vt ab omnibus dictis confœderatis aſſumatur, atque ex nunc aſſumpta eſſe intelligatur protectio & defenſio illuſtriſſimæ domus & familiæ Medicorum, videlicet hæredum ac ſucceſſorum ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, illamque fouere, ac manu tenere debeant in illo ſtatu, primatu ac dignitate in excelſa Florentinorum Repub. quam ex antiquo obtinuit, ac de præſenti obtinet. Pollicetur pariter ſanctiſſimus idem D. noſter cæteris confœderatis, excelſam ipſam Florentinorum Rempub. nullo pacto quicquam acturam, geſturamue aduerſus ſanctiſſimum hoc fœdus, ſiue in eo contenta, neque inſeruiendo inimicis ſuis quouis colore de pecunijs, aut alijs quibuſcunque fauoribus, imo fore eam beatitudini ſuæ ſemper obedientiſſimam, vti obſequentiſſimos ac deuotiſſimos decet filios, quod quidem ipſa Florentinorum Reſpub. ſuis patentibus literis ratificabit.

Anglorum etiam regi ſua portio in regno Neapolitano aſſignatur, ſi huius fœderis protectionem aſſumere voluerit.

Item conuentum eſt, quum sereniſſimus ac potentiſſimus Angliæ rex fidei defenſor pacem tranquillitatemque ſemper ſpectarit, quod maxime hoc argumento nouiſſimæ pacis cum Chriſtianiſſimo rege firmatæ comprobauit, omnes pariter animi ſui affectus, & rationes ad fidei Chriſtianæ tempora accommodarit, ſediſque Apoſtolicæ ſtatus, & Eccleſiaſticæ dignitatis tum ipſe, tum felicis recordationis pater eius acerrimus defenſor extiterit, neque vlla cuiuſquam auctoritas grauior interponi poſſit, vel ad bene ſentientes in officio continendos, vel ad eos, qui pacem perturbare vellent, reprimendos: conuentum eſt, vt maieſtas ſua huius ſanctiſſimi fœderis protector ſit & conſeruator, quod ſyncere & inuiolabiliter ſine vlla exceptione obſeruabuntur omnia & ſingula in præſenti capitulatione contenta. Hac enim ſpe freti, atque eius hortatu præfati principes ad hoc ſanctiſſimum fœdus firmandum conuenerunt, quod ipſius fœderis non modo protector, ſed principalis contrahens futurus ſit: Ad quæ facienda & acceptanda à cæteris

conſe-

confœderatis interpellatur, ac inſtantiſſime requiritur. Qui quidem confœderati ad amoris ſui declarationem erga maieſtatem ſuam, conueniunt, quod ingrediendo ſanctiſſimum hoc fœdus poſt conſtitutas res Italicas, vt ſupra explicatum eſt, gratum animum ſuum teſtificabuntur, dabuntque maieſtati ſuæ, ſiue illuſtriſſimo eius filio naturali pro ſe, ac ſucceſſoribus ſuis vnum dominium in regno Neapolitano, titulo ducatus, aut principatus, annui cenſus ad minus triginta millium ducatorum: alterum pariter dominium in Italia annui cenſus decem millium ducatorum pro ſe, ac ſucceſſoribus ſuis Reuerendiſſimo domino Cardinali Eboracenſi, cuius quidem prudentiæ, labori ac vigilantiæ multum debet vniuerſa Chriſtianorum Reſpublica. *Nec Reuerendiſſ. Cardinalem Eboracen. ſine præmio defraudare volunt.*

Item conuentum eſt, vt poſt præſens fœdus initum nemini ex confœderatis liceat vllum fœdus, pacem, intelligentiam aut inducias firmare cum quouis alio principe, aut potentatu, qui præſenti confœderationi vlla ex parte præiudicare poſſit ſine aliarum partium conſenſu: vt ipſe quoq; in eadem intelligentia comprehendi poſſint, ſi velint, præſertim quantum attinet ad eum, qui ſupra dictus eſt, Italiæ ſtatum conſtituendum, imo ſi iam fœdus aliquod initum eſſet cum aliquo alio Principe, vel potentatu, id nullius eſſe momenti intelligatur, quatenus præſenti vnioni præiudicium afferre poſſet.

Item conuentum eſt, vt ante ratificationem liceat cuique parti ſuos adhærentes & confœderatos nominare, dummodo in illis non ſint aliqui ſubditi, vaſalli, aut inimici cuiuſq; aliarum partium. Iam vero ex parte ſanctiſſimi domini noſtri Papæ nominatur sereniſſimus ac potentiſſimus Princeps Henricus Rex Angliæ, & illuſtriſſimus Marchio Mantuæ, reſeruando ſibi nominare, quos voluerit alios infra tempus. Ex parte autem Chriſtianiſſimi Regis pariter nominatur Angliæ, Scotiæ, Nauarræ, Luſitaniæ, Poloniæ, & Hungariæ Reges sereniſſimi: Sabaudiæ, Lothoringiæ, & Gueldriæ duces illuſtriſſimi: Strenui ac magnifici viri domini Heluetij tredecim Cantonum altæ ligæ Alemaniæ Chriſtianiſſimi Regis compatres. Similiter ex parte illuſtriſſimi ducis, inclytique Venetorum dominij nominatur ſereniſſimus ac potentiſſimus Princeps Rex Angliæ, reſeruando etiam ſibi nominare quos voluerit alios infra ſtatutum tempus. *Nominantur confœderati.*

Pariter conuentum eſt, quum non poſſit tantum negotium vel aſſumi, vel peragi, niſi parata ac præſto ſit pecunia, quod Chriſtianiſſimus Rex teneatur pecunias numeratas mittere, prout ſupra declaratum eſt, quas contribuere promiſit in vrbe Roma, ſiue in ciuitate Venetiarum, aut Florentiæ, pro vno menſe, & dare cautiones idoneas in Banchis, quod per ſex dies ante finitum primi menſis tempus pecuniæ pro ſecundo menſe ſoluentur per eoſdem fideiuſſores in ciuitate Venetiarum, aut alibi, & ſic ſucceſſiue de menſe in menſem, quamdiu bellum durauerit, vt ſuperius declaratum eſt. *Paratur pecunia ad bellum.*

Item conuentum eſt, quod infra menſem prædictum fœdus ratificari & approbari debeat cum ſingulis ſuis clauſulis, & articulis à partibus contrahentibus. Si vero caſu aliquo impeditus illuſtriſſimus Mediolani dux pro parte ſua approbare & firmare non poſſet, ſanctiſſimus dominus noſter Papa, illuſtriſſimus dux, inclytumque Venetorum dominium pro ipſo Mediolani duce illuſtriſſimo præfata promittunt.

Item cum in præſenti tractatu de illuſtriſſimo Mediolani duce fiat mentio, quamuis præfatorum Principum procuratorum aut nunciorum nullus ab eo mandatum habeat: nuncij igitur, & procuratores ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, illuſtriſſimi ducis, inclytique Venetorum dominij promiſerunt pro & nomine prædictorum dominorum ſuorum, quod ipſi effectualiter procurabunt, vt præfatus Mediolani dux ratificet, gratoſque habeat, & approbet dictos articulos, ſuaſq; ſuper hoc neceſſarias literas in forma authentica mittat infra menſem, ſi fieri poteſt, ſin minus, infra trimeſtre ſpacium.

Item conuentum eſt, quod neutra contrahentium partium nullo modo ad ſtipendia, & ſeruitia ſua conducet capitaneum aliquem tam terreſtrium, quam maritimarum gentium, qui ſit ad ſeruitia alicuius alterius partis ſine conſenſu, & bona licentia ipſius partis. Quum vero ſanctiſſimus dominus noſter Papa magnificum virum Andream Doriam Ianuenſem iam conduxerit, qui hucuſq; fuit ad ſeruitia Chriſtianiſſimi Regis, requiſituſq; fuerit eiuſdem ſanctiſſimi domini noſtri Papæ nuncius, vt in præſentia prædictus Andreas Doria dimittatur ad ipſius Regis ſeruitia, ille quidem reſpondit non habere ſe ſuper hoc facultatem obligandi ſanctitatem ſuam, non dubitare tamen, quin ſanctitas ſua Chriſtianiſſimo Regi ſit in omnibus morem geſtura, idcirco pollicentur præfati nuncij, & procuratores ſanctiſſimi domini noſtri, illuſtriſſimique Venetorum dominij ſub beneplacito prædictorum dominorum ſuorum, quod ſanctiſſimus ipſe dominus noſter præfatum Doriam in ſuum ſeruitium nequaquam recipiet, & ſi de facto iam receperit, eundem relaxabit, procurabitq; effectualiter, vt ad ſeruitium Chriſtianiſſimi Regis reuertatur. In quarum rerum teſtimonio præfati procuratores & nuncij hanc præſentem chartam propriis manibus ſubſcripſerunt, ſuiſque ſigillis obſignarunt. Actum Cognaci, die 22. menſis Maij, 1526.

Quum vero eadem capitulationis die fuerint concluſa certa capitula inter nuncios & procuratores ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, Chriſtianiſſimi Francorum Regis, illuſtriſſimi ducis, inclytique Venetorum dominij, inter quæ capitula ſunt duo, videlicet vnum, quod de Florentinis, alterum, quod de regno Neapolitano mentionem facit, ſuper quo fuerunt nonnulla addita, quæ inter ipſos contrahentes ſecreta eſſe debent: idcirco conuentum eſt inter eos, vt prædicti duo articuli hic ſeparatim & ſeorſum ab aliis ponerentur. Is autem, qui de regno Neapolit. mentionem facit, legendus

gendus eſt in fine xv. articuli ipſius capitulationis, cuius quidem tenor ſequitur, & eſt talis, videlicet.

Iam hic Anglorum rex à Neapolitana pertinent excluditur.

Hoc addito, & expreſſe declarato, quod præfato regno è manibus Cæſaris in totum, vel in partem ablato, & ſi pariter auferrentur per exercitum Chriſtianiſſimi regis alij ſtatus, vel loca ipſius Cæſaris in finibus regni Franciæ, & contentaretur ipſe illuſtriſſimos Chriſtianiſſimi regis filios reſtituere, atque alia in ſuperioribus articulis contenta facere, dummodo ei pariter reſtituerentur, omnia in hoc capitulo expreſſa ſic armis ablata, facta diligenti experientia per menſes quatuor, quod ipſe de parte dictorum ablatorum contentetur, hoc caſu reſtitutio fiat pro rata. Si vero nollet aſſentire, fiat integra, reſeruando tamen ſanctiſſimo domino noſtro Papæ in præfato regno Neapolitano pro annuo cenſu ſuo vnum ſtatum redditus ducatorum quadraginta millium ſingulis annis, vel per ipſum Cæſarem ſoluatur in numerata pecunia Sanctitati ſuæ præfatus cenſus ad optionem ipſius Cæſaris, dando in vrbe Roma, vel Florentiæ ſufficientes fideiuſſiones per triennium de huiuſmodi ſolutione. Quæ quidem fideiuſſiones ſingulis annis renouari poſſint remanendo ſemper firmis primis fideiuſſionibus, quoad aſſignatæ fuerint ſecundæ, & ſic de triennio in triennium.

Pontifex priuatum commodum non amittet.

Item quod caſu præfatæ reſtitutionis ipſius regni remanere habeant integræ regi Chriſtianiſſimo actiones, quas in ipſo regno habet.

Sequitur articulus de Florentinis.

Florentini licet occulte, expreſſe tamen in fœdere pro contrahentib. nominantur.

Item quum, vt prædictum eſt, excelſa Florentinorum Reſpublica approbatura ſit, Sanctiſſimus dominus noſter Papa eius nomine promiſerit, conſentaneum quoque videtur, eandem à confœderatis amplecti, & fauoribus ita proſequi, ac ſi pro vno ex contrahentibus in hoc tractatu nominaretur. Quod quum non poſſet fieri ſine maximo ſuorum ciuium damno, ob eorum negotiationes, & bona, quæ diuerſis in locis sereniſſimo Imperatori electo ſubiectis ſemper habent: idcirco promiſerunt confœderati omnes, ipſam Florentinorum Rempubl. eiuſque ſtatum ſe ita ſemper defenſuros à quibuſcunque eam offendere volentibus, ac ſi ex principalibus eſſent confœderatis. In quarum rerum teſtimonio præfati procuratores & nuncij hanc præ'entem chartam proprijs manibus ſubſcripſerunt, ſuiſque ſigillis obſignauerunt. Actum in loco & die ſupra ſcriptis.

Epistola

FRANCISCI REGIS GALLORVM AD ELECTORES, cæteroſque Romani Imperij ſtatus apud Spiram congregatos.

a Vide quam [illegible] Galle, aut ad Germaniæ Principes, ſcribens, [illegible], [illegible] cum deſtinanda [illegible] eſſet, [illegible] vos in partem, &c.
b Ad quid hæc, ò Rex Francorum, ad eos, qui tua opera Turcas Hungariam inuaſiſſe non ignorant.
c Tu certe auxilio deſtitutã quis neget? Noli tamen de Chriſtianorũ [illegible] [illegible] Cæſar, & Anglorum rex [illegible] & Eccleſia deſtituta.
d Si exiguum terræ ſpacium Cæſar quærit, cur ille [illegible] & [illegible] pollicitus [illegible] ſtituta?
e Imo te autorem pudeat.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum Rex, &c. Chariſſimis ac dilectiſſimis conſanguineis, ac confœderatis noſtris Electoribus, cæteriſque Principibus Sacri Romani Imperij apud Spiram congregatis, Salutem. Redditis à tabellario veſtro literis, nihil magis ex animo nobis faciendum putauimus, quam vt primum petitioni veſtrę annueremus, liberamque nuncijs veſtris eundi ad deſtinatum iter, ac redeundi facultatem concederemus. Deinde optaremus, vt qua nobis eundum eſſet, [a] eam vos in partem, quæ non multum ab itinere veſtro aberit, conferretis. Multa etiam ſunt ex vſu Chriſtianæ Reipublicę, quæ vti cognoſcimus, ita eorum vos participes facere communi vtilitati contentaneum eſſe arbitramur. Cæterum poſteaquam nunciatum nobis fuit, [b] acerrimum fidei noſtræ hoſtem Pannoniæ fines cum validiſſimo exercitu ingreſſum, expugnatiſque aliquibus oppidis, rege ingenti prælio ſuperato atque extincto, vniuerſum illud pene regnum occupaſſe, equidem, vt par erat, tantam Chriſtianæ Reipulbicæ iacturam grauiter ac moleſte tulimus. Animo ſiquidem reuoluebamus, quantum Chriſtiana religio noſtris temporibus detrimenti acceperit. Occurrebat (vt priſca omittamus) muniſſima Belgradi ciuitas proximis annis expugnata, nobiliſſima Rhodiorum Inſula vi capta nunc maximum quod ſupererat Chriſtianæ Reip. propugnaculum in hoſtium manus deueniſſe. Facile eſſe proſpiciebamus potentiſſimo hoſti ex Pannonia in Auſtriæ ducatum victorem exercitum traducere, quem neque præſidia, quæ nulla ibi ſunt, nec validæ, munitæque vrbes, quas prouincia illa nullas habet, retardare poterant. Quam ſi (quod Dij nolint) occuparet, quid de vniuerſa Germania ſperandum nobis eſſet, diſſentientibus inter ſe populis, animiſque multorum noua religione imbutis? Illud vero longe magis animum noſtrum angebat, quod in tanta rerum noſtratum perturbatione nutantem iam Chriſtianam religionem omni prorſus auxilio [c] deſtitutam intuebamur: Ferrum quod in immaniſſimos hoſtes ſtringendum erat: validiſſimas vires, quæ in ipſos vertendæ forent; ſapientiſſima conſilia, quibus non pro noſtrarum rerum tuitione tantum, ſed ad ipſum penitus debellandum vtendum eſſet, in noſmetipſos conuerti, ſæuiri in noſtrameτ viſcera, Chriſtianum ſanguinem effundi, ſic vt validiores in nos hoſtium ipſorum vires ſentiamus odijs ſimultatibuſque pugnari, vt concordes inimicorum animi noſtra eripiant, bello, armiſque [d] exiguum terræ ſpacium multo ſanguine quæri, ve is interim Regna, Inſulas, Prouinciaſque noſtras occupet: Quodque longe grauius exiſtimabamus, [e] pudetque dicere, quo magis Chriſtiana religio periclitatur, quo propius periculo accedimus, eo magis grauioribus inter ſeſe odijs animi concitantur. Equidem nos, qui longe hæc proſpiciebamus, nihil omnino prætermiſimus, quo afflictis re-

ctis rebus noſtris remedium adhiberetur. [a] Cæſarem deſignatum Imperatorem hortati diligenter fuimus, rogauimus, atq; obteſtati ſumus, vt depoſitis ſimultatibus Chriſtianorum principum concordiæ ſtuderet: Suum eſſe, ſi vellet, [b] honeſtis conditionibus, quas proponebamus, communem omnium pacem componere. [c] Proſpiceret ne dum aliena cupidius appeteret, ſua amitteret, Deiq; optimi indignationem contraheret. Quod ad nos attineret, ne quid nunc Chriſtianorum tranquillitati impedimento eſſet, quicquid iure optimo in Italia ad nos pertinebat, remittebamus. At is tametſi æquas pacis conditiones nullas aſpernari ſe dixerit, dum tamen variis quotidie dilationibus tempus teritur, interea [d] vaſtantur Chriſtianorum agri, deprædantur vrbes, vagantur incendia, cædes committitur, hoſtium fines propagantur, validiſſimæque eorum vires in dies augentur. [e] Quæ omnia quum in hanc vſq; diem fruſtra à nobis tentata fuiſſe cognouiſſemus, nihil nobis occurrebat, quod amplius cum eo experiremur. Etenim ſi imminens Auſtriæ periculum, quæ ex antiquiſſimo progenitorum ſuorum patrimonio ad eum deuenit, ſi vniuerſa Germania, quæ in aperto diſcrimine verſatur, ſi miſerrima ſororis, Sororiiq; ſui conditio, quibus regno Pannoniæ pulſis, [f] victus ſibi apud exteros principes quærendus erit: [g] ſi Chriſtiana deniq; religio, Chriſt. fides ac ſalus, cuius ſe patronum, ac defenſorem prædicat, non excitant, [h] quid tandem in noſtris hortationibus, ac precibus ſpei relinquitur? Non tamen eius ſententiæ fuimus, vt [i] Chriſtianam Remp. deſereremus, quin tentanda omnia eſſe, ne penitus dilabatur. Voſq; igitur, quos fidei, religioniſq; noſtræ obſeruantiſſimos ſemper nouimus, [k] hortandos, ac rogandos duximus, vt ſic cum ipſo Imperatore deſignato agatis, quo intelligat ab exitiali, ac pernicioſo rebus ſuis, noſtræq; religioni propoſito diſcedendum ſibi eſſe. Scimus quam prudenter admonebitis eo ventum eſſe, [l] vt nullam res noſtræ dilationem accipere poſſint. [m] Sæuit morbus, iamq; intra viſcera ac medullas penetrauit: non de ſua tantum, ſed communi cæterorum principum, populorumq; omnium ſalute agitur. Quod ſi fortaſſis moras iniecerit, ſi excuſationes adduxerit, ſi vires ſuas extulerit, metumq; magis ſimulauerit, quam excuſſerit, admonendum à vobis arbitramur his iam dilationibus tactum, vt in aperta hæc diſcrimina inciderimus. Iam non eſſe, [n] qui non videat vix breue Chriſtianis principibus ſpacium dari, quo inter ſe conueniant, vires colligant, quibus ſe, ſuaque ab imminenti periculo tueantur: nihilq; aliud excuſationes has ſibi velle, quam vt immenſum animi ſui deſyderium expleat. [o] Si pro gloria, pro honore cum Chriſtianis principibus certat, ſi ſua ſe tueri velle dixerit, quid per Deos immortales ad immenſam eius gloriam offerri ſibi fœlicius poterat, [p] quam vt iunctis cæterorum principum armis, infenſiſſimum hoſtem non à ſuis tantum repellamus, ſed & victum, & debellatum vſq; adeo perſequamur, donec quæ Chriſtiani iuris ſunt, receperimus: Facile eſſe dum exiguum tanto ſanguine dominatum quærit, ſi collectas iam in Italia vires, quæ Inſubriam omnem deuaſtant, atque in Chriſtianos ipſos ſæuiunt, in hoſtes immiſerimus, eos conterere, ſororium in regnum reponere, ſua tueri, immenſa regna, opulentiſſimaſque ciuitates acquirere, Chriſtianam religionem augere, infœlices animas, quæ Chriſtum abnegare coactæ ſunt, liberare: meminerit priſcos, maioreſque noſtros quotiens relictis ſedibus, ipſam etiam Aſiam ingreſſi ſint, truculentiſſimum hoſtem fuderint, ſacroſanctumq; illum locum, vbi Chriſtiana fides initium ſumpſit, ab hoſtium faucibus eripuerint. [q] Quod ſi, vt bene ominamur, ac maxime cupimus, in hanc ſententiam deſcenderit, [r] facile nos, cæteriq; omnes principes æquis illis conditionibus, quas iam propoſuimus, atq; aliis ſi forte honeſtiores dicentur, conueniemus, ac tum demum ad optatam hanc, ac iamdiu deſyderatam à nobis prouinciam totis viribus deſcendemus: illudq; vobis, Deoq; Opt. Max. pollicemur nullos labores, nullaſue impenſas, ac ſi ita è re exiſtimaueritis, omnes regni noſtri opes, noſq; metipſos pro Chriſtiana religione tutanda augendaq; exponemus. At ſi (quod Dii auertant) [s] in ſententia perſtiterit, atq; oblatam pacem non amplectetur, quæ magis ab ipſo expetenda, quam à nobis offerenda erat [t] qui procul ab omni periculo diſtamus, iucundaque quiete, ac pace intra regni noſtri fines fruimur, Deum ipſum qui omnium ſcrutator eſt cordium, obteſtamur, nihil nos prætermiſiſſe, [u] quo ſanctiſſimas leges ſuas, veramq; ac ſaluberrimam fidem & religionem ſuam tueremur: liceretq; ideo armis experiri, ſi, [x] quæ honeſta ſunt nobis denegentur.

Subinde.

Chariſſimi, ac dilectiſſimi conſanguinei, & confœderati noſtri, [y] Deum optimum maximum precamur, vt eam vobis mentem ſua ineffabili diuinitate tribuat, qua Chriſtianæ reip. ferme periclitanti bene ſit conſultum. Ex Bulgenciaco, die ſexta Menſis Octobris. M. D. XXVI.

Nunc ſequitur Reſponſio Cæſaris ad ea, quæ fœderatorum nuncii & oratores illi ad generalem pacem componendam ante ſeptimum Idus Februarias propoſuerant.

a Bona verba Princeps Chriſtianiſſime, nõ pudet mendacii?

b Compoſuit quidem Cæſar pacem honeſtis conditionibus [illegible] quam tu perniciosiſſimo [illegible] periuro ſide, & iureiurando [illegible]

c Quin tu potius vide ne Deus quem [illegible] hanc tuam nequitiam diutius tolerare nolit.

d Tu profecto Rex Franciſce, tuiq; fœderatis autoribus, hæc mala patitur Chriſtiana Reſpub.

e Quum tibi bellum [illegible] quis te armis [illegible] plum pro obtinenda [illegible] petendum [illegible]

f Tu, [illegible] certe apud alios [illegible], quod tu [illegible] deberes

g Egregia Principis conſtantia, dixiſſe modo Hungariæ Regem extinctum fuiſſe, nunc [illegible] victum ſibi apud cæteros Principes quærendũ [illegible], quis non vides elleboro tibi opus eſſe?

h [illegible] tibi cordi eſſet Chriſtiana tranquillitas, quam Cæſarẽ [illegible] deſerẽ-[illegible]

i Nihil profecto tuis hortationibus relinquitur, quũ [illegible] tua

credendum eſſe docueris. k Immo nullum non moues lapidem, quo illam perditum eas. l O ingenium [illegible], [illegible] quia pudeant ſimulationis & mendacii, quem non tui [illegible] perfidia? m Ita tane, atq; id ex animi tui ſententia. n Vide Rex Franciſce quales conſultores habeas, [illegible] quod minime intelligunt. o Qui fieri poterit, vt Chriſtiani Principes conueniant vbi tu [illegible] perturbator. p [illegible] certe eſt Cæſaris pro Dei gloria ac publica ſalute deſiderium, idq; forſan expleret, niſi tua perfidia obſtaret. q Hæc ne fiant, tu ipſe Gallis omnia [illegible]. r Si pacem optas, cur non potius Ioannem Regem, quam Lacædemonia referre conaris? s Vtinam hæc ex animo [illegible] quis tibi hæc credat? t Proculdubio Cæſar in iuuanda reſpub. ſententia perſiſtet, pacemq; libenter amplexabitur [illegible] u Videris tibi o galle, procul ab omni periculo diſtare, [illegible] cauendum erit. x Qui fieri poterit, vt leges, fidem, ac religionem tueatur qui legem, fidem ac religionem tam impudenter violauit? y Honeſta profectio tibi [illegible] o Rex Franciſce, [illegible] honeſtum for[illegible] quod ſpreta fide, & iuriſiurandi religione violata, armis [illegible] conaris. z Orandus eſt Deus, o Chriſtiana plebecula, vt meliorem mentem Regi Franco tribuat, qua illum bono publico, & tranquillitati ſalubrius conſulatur.

PRO INVICTISSIMO ROMANORVM IMPERAtore Carolo huius nominis quinto, Hiſpaniarum Rege Catholico, ad ea, quæ per oratores Romani pontificis Clementis ſeptimi, ac Franciſci regis Francorum, & Venetorum ad generalem pacem componendam nuper propoſita fuerunt, Reſponſio.

Per actum publicum promulgata in oppido Valliſoletano, die XII. Februarii, Anno Domini M. D. XXVII.

IN Chriſti nomine Amen. Nouerint vniuerſi præſentes literas inſpecturi, quod anno à natiuitate eiuſdem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo, quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione quinta decima, die vero duodecimo menſis Februarii, Imperii autem Sacratiſſ. ac inuictiſſ. Principis & domini Domini Caroli huius nominis quinti Romanorum Imperatoris, ac Hiſpaniarum regis Catholici, Domini noſtri Clementiſſ. anno octauo, illuſtris ac excellentiſſ. dominus Mercurinus Gattinariæ, Valentiæ, & Sartiranæ comes, Cæſareæ maieſtatis, ac omnium regnorum & dominiorum ſuorum ſupremus Cancellarius, propriam ipſius Cæſareæ maieſtatis perſonam agens, atque ab ipſo Romanorum Imperatore habens ad infraſcripta ſpeciale & expreſſum mandatum, & commiſſionem, illuſtrib. Reuerendo ac magnificis viris, domino Henrico comite in Naſſavv, Marchione de Zenette, ac domino de Breda, &c. ſupremo Camerario, Don Ioanne Emanuele, ambobus militibus ſacri ordinis velleris aurei, domino Garcia de Loayſa Epiſcopo Oxomen. noui orbis ſenatus præfecto & confeſſore, domino Ludouico de Flandria, domino de Praet Camerario, omnibus præfati inuictiſſ. Imperatoris, eiuſque ſupremi ſenatus conſiliariis: & notario publico infraſcripto, ibidem præſentibus & aſtantibus, ad hoc vocatis & requiſitis ex vna, & Reuerendo ac magnificis viris, domino comite Baldaſſare Caſtilioneo protonotario & nuncio Apoſtolico, ac beatiſſ. Domini domini Clementis ſeptimi Roma. pontificis oratore, & domino Ioanne de Colulmont ſecundo præſide Burdegaliæ, & domino Gilliberto Bayard Cameræ ſereniſſ. Gallorum regis ſecretario, ipſiuſque regis oratoribus, & domino Andrea Nauagerio dominii Venetorum oratore, partibus ex altera: In horum omnium præſentia intimauit, & exhibuit quandam ſcripturam, in qua reſpondebatur pro parte ipſius Cæſareæ maieſtatis ad ea, quæ prænominati oratores, dominorum ſuorum nomine pro pace vniuerſali tractanda eidem maieſt. Cæſareæ tum verbo, tum ſcripto expoſuerant & declarauerant: cuius quidem ſcripturæ tenor ſequitur in hæc verba.

Reſponſio Cæſaris ad fœderatorum propoſita.

SAcra Cæſarea Maieſtas quæ ſemper Chriſtianorum pacis & quietis cupida & ſtudioſa extitit, vt communia Chriſtianorum arma in perfidos Chriſtianæ religionis hoſtes conuerti poſſent, hactenus totis viribus pro vniuerſali pace elaborauit, ad eumq; effectum pacem & fœdus cum Chriſtianiſſ. rege percuſſit: hunc ex captiuo & hoſte fratrem & ſororium reddens, in regnum ſuum iuxta fidem datam redire permiſit, non credens illius fidei quicquam detractum iri, ſed potius eius ope & miniſterio cæteros Chriſtianos principes & potentatus, qui vnam, aut alteram partem fouere videbantur, ad ipſam vniuerſalem pacẽ ineundam, ad hoſtes publicos repellendos, Chriſtianæq; religionis ſaluti conſulendũ arbitrans induci poſſe: Dumq; ſe ſua ſpe omnino fruſtratũ ſenſit, & loco pacis nouum bellorũ incendium inter Chriſtianos parari, præſidium in hoſtes fidei parandum impediri, regnum Hungaricum propterea labi, ac illius rege interempto, in poteſtatẽ hoſtium cum tanta Chriſtianorum clade tranſire, hæreticorumq; ſectas inualeſcere & inde ſub colore vniuerſalis pacis perniercioſum fœdus contra ſuam Maieſtatem percuti, non pacis ſed belli fomentum cõſpicit; cuius vox Iacob, manus autẽ Eſau: non propterea deſtitit ipſius vniuerſalis pacis media proſequi, ac ad ea totis viribus anhelare. Miſit enim imprimis ſua maieſtas in Vrbem mandata ampliſſima, vt ſi ibidem de huiuſmodi pace tractari contingeret, prout Sanctiſſ. dominus noſter offerre videbatur, non deeſſet ad id ſuæ maieſtatis poteſtas, nec per eum ſtare videretur, quo minus pax huiuſmodi ea, qua decebat celeritate concludi poſſet. Deinde quum ſereniſſimus Anglorum rex defenſor fidei, ipſius vniuerſalis pacis ſtudioſus, operam ſuam ad illam componendam & tractandam obtuliſſet, & propterea mandatum ſuæ maieſtatis cum ampliſſimis inſtructionibus in Angliam tranſmitti petiiſſet, aſſerens cæteros contra Cæſarem fœderatos itidem facturos: annuit ſua maieſtas illius voto, ſtatimque mandatum cum inſtructionibus ad huiuſmodi effectum ample reſolutis, æquiſſimiſque conditionibus ſuffultis tranſmiſit. Nouiſſime vero dum vos Sanctiſſ. domini noſtri nuncius, ipſiuſque Chriſtianiſſ. regis, ac Venetorum oratores, aſſerentes ampliſſima habere mandata ad huiuſmodi vniuerſalem pacem in hac curia componendam, apud ſuam maieſtatem inſtetiſſetis, vt ſui parte deputarentur perſonæ cum quibus de ea re tractari poſſet, prouidit id ſua maieſtas Cæſarea putans horum effectus verbis ipſis correſpondere, id tamen fruſtra: Viſis enim veſtris mandatis, nullum ſufficiens inuentum eſt ſuper quo firmum tranſigendi, ſeu paciſcendi fundamentum ſtabiliri poſſet. Mandatum enim ſanctiſſimi domini noſtri, vltra id quod peccaret in narrationis ſubſtantia, aſcribens culpam præſentium bellorum, & imminentium Chriſtianitatis periculorum ipſi Cæſari, qui profecto ab omni culpa immunis exiſtit, & qui verius, ac rectius culpam ipſam retellere,

ac in

ac in aliorum caput reflectere poſſet: peccabat etiam in ſubſtantia diſpoſitionis, quandoquidem nulla in eo poteſtas dabatur de ipſa pace tractandi, niſi accedente conſenſu ſuorum confœderatorum, quos tamen in ipſo mandato nequaquam nominat, nec declarat. Et quum plures poſſint eſſe quos is pro confœderatis habeat, qui ſuæ maieſtati Cæſareæ ſunt incogniti, pluresq; etiam pro confœderatis ſint publicati, de quorum conſenſu non apparet, redditur propterea ipſius mandati diſpoſitio inanis & confuſa, ita vt nullum inde validum fundamentum ſumi poſſit. Mandatum autem regis Chriſtianiſſimi non ſolum aliorum confœderatorum, ſed ſpecifice ſereniſſ. Angliæ regis conſenſum exigit, de quo tamen non apparet, nec creditur apparere poſſe: Quandoquidem is tam ſuis literis, quam nunciis & oratoribus eidem Cæſari deſtinatis expreſſe ſignificauerit ſe nequaquam id fœdus acceptaſſe, nec acceptare velle, ſed potius ſe pacis autorem, & tractatorem exhibere, ac in ea re Cæſar non reſpuit, ſed gratiam habuit. Ob quod talis conditio reddit omnino huiuſmodi mandatum inefficax, niſi de ipſius conditionis purificatione conſtaret. Licet etiam aliunde corrueret, & inefficax cenſeretur mandatum ipſum gallicum ob illius generalitatem, ſub qua nec prioris fœderis innouatio, nec iuramenti, & fidei tranſgreſſio comprehendi poſſunt, niſi de his nominatim ac in ſpecie diſponatur, vt ſic in vim talis mandati non liceret à priori fœdere recedere, nec quidquam illi contrarium ſtabilire. Mandatum autem Venetorum, quod primo loco exhibitum fuit, exigebat, illuſtris Franciſci Sfortiæ, ac Florentinorum conſenſum, de quo non apparet. Quod vero poſtremo exhibitum extitit, etſi in ſpecie cuiuſpiam conſenſum non exigat, in genere tamen omnium fœderatorum conſenſum expoſtulat, ſicq; eodem laborat morbo, quo mandatum Sanctiſſ. domini noſtri, de quo ſupra facta eſt mentio: Quo fit, vt omnia huiuſmodi mandata corruant, nec ad ipſam pacem ſtabiliendam ſufficere videantur, quum etiam vnius ex huiuſmodi mandatis inſufficientia aliorum mandatorum vires eneruaret, vbi vnius fœderatorum validus conſenſus non adeſſet. Eſto tamen quod mandatorum adeſſet ſufficientia, quæ non adeſt, aliena profecto ab omni rationis tramite cenſentur media, quæ organo veſtri reuerendi Baldaſſaris Caſtilonei Apoſtolici nuncii pro parte fœderatorum omnium propoſita fuere, quæ non ad ipſam vniuerſalem pacem, pro qua hic conuentus celebratus videtur, ſed ad particulare intereſſe tendere videntur: & potius ipſam vniuerſalem Chriſtianorum pacem differre & impedire, quo nil pernicioſius Chriſtianæ Reipublicæ contingere poſſet, hoc potiſſime tempore quo perfidus, ac immaniſſimus hoſtis Turca Chriſtianorum inſidet ceruicibus. Quod enim proponitur de quiete Italiæ, armorumque ſuſpenſione per aliquod breue tempus, quod de particularibus tractetur, etſi Cæſar non ſolum Italiæ ſed totius Chriſtianitatis quietem præ cæteris cupiat, non tamen ſibi, nec etiam vtilitati publicæ conſultum iri putat ex breui armorum ſuſpenſione, ex qua nec arma in hoſtes fidei conuerti, nec exercitus ipſius Cæſaris tute diſſolui poſſet, toties illi violata fide, ruptiſque fœderibus, cui etiam diſpendioſum foret exercitum integrum in ocio continere, diſpendioſius autem ob maximam locorum diſtantiam cenſeretur, ſi huiuſmodi exercitibus diſſolutis nouos parare, ſeu inſtaurare cogeretur, ipſa armorum ſuſpenſione ceſſante. Verum vt res in tuto omni ex parte collocetur, & ipſius Italiæ quieti, Chriſtianæque reipublicę conſulatur, contentabitur ſua maieſtas Cæſarea generales inducias ſaltem triennales, aut longioris temporis inter omnes contendentes contrahi, atque concludi: quibus durantibus horum omnium exercituum vires in communem hoſtem conuertantur, intereaque de ipſa vniuerſali pace, deque particularibus diſcordiis componendis ſecurius, ac ſine cuiuſpiam diſcrimine agatur. Quod autem proponitur de reſtituendo illuſt. Duce Franciſco Sforcia in ſtatum Mediolani, ad fœderatos pertinere non videtur, quum is ſe ſacri Imperii Vaſſallum prætendat, arguaturque de læſæ maieſtatis crimine, cuius cognitio ad Cæſarem pertinet, qua pendente feudi dominus ſub ſua cuſtodia, iure permittente, feudum ipſum retinere poteſt, & potiſſime arces pro executionis tutela, ne iudicium redderetur illuſorium. Contentabitur tamen ſua maieſtas ad pacandos fœderatorum animos, ſi ipſe illuſtr. dux Franciſcus ſui copiam fecerit, ſeque paratum exhibeat accuſationi reſpondere, ac ſuas defenſiones iuxta iuris tramites adducere, eidem ſuper his iuſticiæ complementum impartiri, ac pro ipſa iuſtitia breuiter miniſtranda iudices idoneos, omni ſuſpicionis labe carentes decernere, qui rem ipſam debito fine terminent. Quod vero de reſtitutione & liberatione filiorum ipſius Chriſtianiſ. regis propoſitum extitit, quum nec id rationi, iuri, nec æquitati congruat datam fidem, præſtitumque iuramentum violare, impertinenter profecto propoſitum cenſetur. Nam etſi oratores ipſi haberent ad id mandatum ſpecificum, & ſufficiens, alterum ex tribus aſſerere cogerentur, aut illum non poſſe fœdus ſeruare, aut non debere, aut nolle. Si aſſerant non poſſe, licet id poſſe prætendatur, ſuccederet tamen loco impoſſibilitatis ea poſſibilitas quæ à ſua mera voluntate, liberoque illius arbitrio dependet, vt ſcilicet in priſtinam captiuitatem redeat, per quam nouo fœdere ineundo recte tranſigi poterit ſine cuiuſpiam iniuria. Si dicant fœdus non debere ſeruari, deberent rationes adduci quibus optime reſponderetur, quum nec allegatus metus, nec emiſſa, vt aſſeritur, proteſtatio, nec bellici iuris diſpoſitio, nec alia quæuis cauſa regem ipſum excuſare valeat, quo minus datam fidem, præſtitumque iuramentum pro captiuitate redimenda, proque libertate obtinenda ſeruare teneatur. Si autem ipſum nolle ſeruare aſſeuerent, tam quæſtio eſſet voluntatis, non rationis, nec iuſtitiæ, nec deinceps tute cum eo contrahi poſſet. Et licet ex his omnibus ſatis iniuſta, irrationabiliſque videatur homini petitio, tanta tamen eſt ipſius Cæſaris affectio ad quietem publicam, ad pacemq; vniuerſalem, ac ad infidelium repulſionem, quod ſi adſint, aut ſuperueniant mandata ad id ſufficientia cum debitis cautelis, quibus

res ip

res in tuto collocari poſſit, dilucide patebit, quod ſua maieſtas non ſolum æquas ac iuſtas conditiones ſubire pro publico Chriſt. religionis commodo parata erit, ſed etiam ad eum effectum de proprio condonare, nec quauis ratione per ipſum Cæſ. ſtabit quo minus pax ipſa vniuerſalem ad optatum deducatur ac debitum ſortiatur effectum. Quod ſi tanta eſſet contendentium pertinacia vt inuicem de particularibus conuenire non poſſent, non dedignabitur Cæſar æquum ſubire iudicium ab omni labe ſuſpicionis penitus alienum: ea tamen lege, ne interea vniuerſalis conuentio, communiſque in hoſtes fidei expeditio vlla tenus protrahatur. At quod poſtremo per ipſum Apoſtolicum nuncium propoſitum extitit, vt ſereniſſ. Anglorum regi ſatisfiat pro his, quæ ſibi debentur, innuens id vniuerſali paci difficultatem afferre, profecto abſonum, & omnino mirandum videtur: quum, vt præfertur, nec ipſe ſereniſſ. rex Angliæ in fœdere interuenerit, nec illud acceptauerit, nec mandatum ad id petendum eius nomine fœderatis conceſſerit, nec oratores ſui qui penes Cæſarem exiſtunt, in hoc conuentu interueniant, nullaq; ſit inter ipſum Cæſarem & regem Angliæ controuerſia, ſed tanta ſit & amoris, & ſanguinis coniunctio, vt nulla res pecuniaria horum amicitiam valeat perturbare: quum potiſſime apud ipſum ſereniſſ. Angliæ regem adſit orator Cæſaris cum amplo mandato de his, & aliis tranſigendi & conueniendi, ita vt hæc petitio in huiuſmodi conuentu facta, omnino fruſtratoria videatur, non quidem ad pacem tendens, ſed potius ad coloranda pacis impedimenta. Vnde ne in poſterum eidem Cæſ. maieſtati culpa aliqua impingi poſſit, quod pacis media non amplectatur, quodq; imminenti Chriſtianæ Reipub. periculo non occurratur, cupiens ſe ab omni labe exemptum reddere, & vt omnibus clare innoteſcat ipſius Cæſaris ſynceritas, optimæq; eius intentionis integritas, ad bonum publicum potius, quam ad priuatum tendens, ita vt omnes ſciant, effectualiterq; intelligant quod per ſe non ſtetit, nec ſtabit quo minus ipſa pax vniuerſalis fiat: iuſſit ſua Maieſtas vobis Dominis nuncio & oratoribus prædictis hic aſtantibus, in his ſcriptis ad ſingula reſponderi, ipſamq; reſponſionem vobis intimari, & de omnibus in ea contentis proteſtari, eam eſſe ipſius Cæſaris mentem: & de his omnibus fieri publicum Inſtrumentum per notarium hic aſtantem. Quam quidem reſponſionis ſcripturam præfatus illuſt. dominus ſupremus cancellarius nomine quo ſupra, per me notarium infraſcriptum alta & intelligibili voce legi & recitari fecit. Qua lecta, & per præfatos dominos oratores audita & intellecta, prænominatus dominus comes Baldaſſar Caſtilioneus Apoſtolicus nuncius, & ſummi pontificis orator, ſuo & præfatorum omnium dominorum oratorum nomine reſpondit, rem adeo arduam, atq; difficilem eſſe, vt ad reſpondendum ad ea, quæ illic expoſita, lecta, & intimata fuerant, matura opus eſſet deliberatione. Et propterea re prius inter eos perpenſa, die craſtino, vel alio quodam die ad id reſpondere velle. Super quibus omnibus & ſingulis præfatus illuſtris Dominus ſupremus cancellarius nomine quo ſupra, iuſſit & requiſiuit à me notario publico infraſcripto, tanquam publica & authentica perſona, vnum, aut plura, publicum ſeu publica edi, atq; confici inſtrumentum vel inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in oppido Valliſoletano regni Caſtellæ, in hoſpitio præfati illuſtris Domini ſupremi cancellarii, Anno, die, menſe, indictione, & Imperio quibus ſupra, prædictis illuſtribus Reuerendo & magnificis dominis Cæſareæ maieſtatis ſupremi ſenatus conſiliariis, teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis, & requiſitis.

Et ego Ioannes Alemanus dominus de Bouclans, publicus notarius, nec non ſacræ Cæſ. & Catholicæ maieſtatis primarius ſecretarius, quia prædictis omnibus & ſingulis dum ſic, vt præmittitur, agerentur, vna cum prænominatis teſtibus interfui, eaque ſic fieri vidi & audiui, atq; egomet legi & recitaui: Idcirco hoc præſens publicum Inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, ſignoq; & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui, in fidem, & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum legitime requiſitus.

IX.

ORATIO AD PROCERES GERMANIÆ IN CONVENTV RATISPONENSI HABITA PER LEGATVM Regis Galliæ, Anno M. D. XXVII.

Anno Domini 1527.

Conceptum originale vnde hæc exſcripſimus, videtur eſſe à manu Guil. Budæi, ſi ductus literarum non fallit, qui Budæana manu plane genuinus germanus eſt.

SErius omnino, quam Rex Chriſtianiſſimus cupiebat, Principes Illuſtriſſimi, cum vos omnes qui potentatus Germaniæ intra fines Auguſti Imperii obtinetis, tum vero ipſius Auguſtæ Maieſtatis tuendæ conſtituendæq; arbitri Septemuiri, quibus Auguſtum ipſum cooptare ac deligere antiquiſſimo inſtituto conceſſum eſt: ſerius (inquam) quam exoptauit, certior nec ita pridem Rex factus eſt conuentus celeberrimi in hanc vrbem indicti, de re hoc tempore omnibus curis negotiiſq; præuertenda. Etenim qui ita ſe compararat inito ſtatim Principatu, vt domeſticis rebus interniſque compoſitis, robur ætatis florentiſſimæ, ampliſſimi Regni vires, copias, opes, in eiuſmodi poſſet expeditionē quampiam expromere, & ſi ita rei ſumtuæ ſeruandæ ratio popoſciſſet, accidere & conterere;

quæ

quæ expeditio Chriſtianæ ditionis fines amplificatura, Turcarum Imperii imminutura videretur. Antiquiorem is vtique curam nullam, nullam cogitationem iucundiorem habuit & crebriorem, quam quomodo id ſtruere vel efficere poſſet, Deo beneuolente, aut conflata omnium Principum occidentis amicitia, omnis animorum contentio, ſpiritus omnes illi Martiales, omnis armorum crepitus, in impiorum aciem ſignaq; conuerteretur, vt conflatis inteſtini belli claſſicis, concordiæ iam tuba exaudibilior bellicum in exteros hoſtes ſceleratoſq; occineret. Quod niſi animi eius alacritatem tum piam, tum generoſam bellorum quædam ſeries perpetua excepiſſet, importuna quorundã cupiditate conſerta (vt ſunt hominum mores) ſceleſtaq; libidine fines ſuos promouendi alienis circumcidendis; incredibilem vim pecuniæ anniuerſariis exercitib. exhauſtã libentius ipſe in bello pio feliciuſq; occupaſſet: nunc tot ſimultatum cauſas, tot apertarum diſcordiarũ anſas inter Reges potẽtiſſimos teterrimus ille Genius tenebrarũ ſatelles cõmentus eſt, vt aſſolet in articulis rerum omnia permiſcere, tantam bellorum ſementẽ fecit & religioni exitialẽ, immanis vt impietatis excurſus paucis hiſce annis ſanctiſſimæ fidei pomeria luculenter retroegerit, conniuente (vt credibile eſt) prouidentia, atq; ab importuna cupiditate mortaliũ diraq; contentione auerſa, nuncq; cũ ſolennib. cladibus piarũ partium opes frangi, impiarũ corroborari repente videamus, proh ſupreme ſeruator, quid eſt, ſi hæc amentia non eſt? in tam atroci terribiliq; tumultu, ab inteſtina dimicatione manus armatas in eos non cõuertere, qui à tergo iam ipſi iamq; adorturi ſunt, atq; ad internicionẽ animarum deſæuituri? adeo viua videnſq;, vt aiunt, religio interire ſe non ſentit, aut, quod * verius eſt, cũ ſentiat negligit, non conſertis illa quidem, vt dicitur, manib. præ inertia cedens impietati ferocius exultanti, ſed dira pertinacia ſæuiens in ſua ipſius & membra & viſcera. * al. ſerius

Quandoquidem autem huius fœditatis culpam, tam deformati, vere dixerim, mundi crimen & ſcelus deniq;, proditæ religionis noſtræ alii in alium, alter etiam in alterũ refert, vt à ſe ſummoueat, operæ erit precium, vt opinor, nobis quidem certe neceſſarium, rem totam altius hoc loco, ſed paucis, repetere. Quam mihi expoſituro attentis aurib. veſtris atq; propenſis, Principes Illuſtriſſimi, opus eſt. Sic autem ipſe à principio exordiar, vt ſtatim finem complexurus ſim.

Audiſtis & probe noſtis, vt Regi Franciſco Regnum Chriſtianiſſimum poſt obitũ Ludouici Regis legib. noſtris obtigerit. Is igitur ſimul vt regno inauguratus eſt, ſpecimen ſui facere inſtituit in Ducatu Inſubriæ recipiendo: quem per iniuriam ablatum ſocero ſuo ſciebat. Cuius incepti non longa & proſpera expeditione compos, imprimis libens fecit, quod ante conſtituerat, vt quib. cum Principibus & nationibus belli cauſas fuiſſe cum Rege, nuper mortuo cõperiiſſet, eos vt Principes ſibi, eaſq; nationes, & pace compoſita & icto fœdere coniungeret. Qua re ſatis ex ſententia ſuccedente, confeſtim cum ſummo agere Pontifice, cum Imperatore, & cum Rege Hiſpaniæ inſtitit, ab eiſq; contẽdere, vt illa in Turcas expeditio, quam iamdiu in animo habuerat, primo quoq; tempore quam inſtructiſſima ſuſciperetur. ad quã inſtruendã & exornandam, & operã ipſe & copias benigne ac prolixe ita delaturũ ſe ſpondebat, vt diẽ etiam ipſius terra mariq; ineundæ ex compacto conſtitutum cuperet & poſceret. Quum autẽ eo iam proceſſum eſſet, vt indictus ob eam rem conuentus Imperialis Vormatiæ, conſultandæ eius rei cauſa, cõſediſſet, bellũ incommode exortum diſturbauit omnia reſque præclare cœpta, irrita ſtatim abiit & euanida, ingenti detrimento Chriſtianarũ partium, Chriſtianiſſimo Regi imprimis luctuoſo. tamen, ò ſuperi immortales, vanitatẽ perditam & ſceleratam, inuenti ſunt homines ea iniquitate præditi, vt eam inuidiã ciere Regi ipſi non veriti ſint, veneficiſque nunciis quoq; gentiũ peruulgare, quaſi accitu Regis fluctus illi barbaricæ multitudinis Pannonias inundauerint. Conſentaneũ vero commentũ & veri ſimillimum! ſc. clariſſimæ prouinciæ, Regni copioſiſſimi omniumq; rerũ facultate beati, quæ prædonũ ſunt eſca & illecebræ, non intereſt eam peſtem, illã belli procellam, eas hominũ intemperias quã longiſſime ab ſe abeſſe! ſc. Chriſtianæ perſuaſionis ſplendor non illuſtrat eam regionẽ imprimis, quæ iam inde à ſeruatoris noſtri cultu plane atq; vniuerſe recepto, ita Chriſti nomen ſtudiũq; circũplexa eſt & retinuit, vt inde cognomentũ meruerit & conſeruarit! Quod ſi quando veneratio (ꝙ Deus omẽ auertat) barbarico furore conculcetur, ſi pietatis maieſtas, ſi cultus diuini ritus abiiciatur & peſſumdetur, qui fieri poteſt vt noſtri cognominis decus nõ vna quoq; concidat & euileſcat? Neq; vero ſi Germania, ſi Italia, aliæq; fortean prouinciæ ꝓpius abſunt ab eo periculo, non ideo ſenſim gliſcens incendiũ ad nos tandẽ euaſurũ eſt: atq; ita euaſurũ, vt tum ſit inflam̃atius. Et alioquin ecquẽ credere par eſt ea vecordia præditũ, tantis, tam cæcis, tam præcipitib. actũ intemperiis, qui rebus ſuis non dico nõ afflictis, non magnopere laborantib. vt nunc ſunt res Gallicæ, verũ acciſis etiã & deploratis, ſubſidiũ mutuari ſuſtinuiſſet ab inexpiabili ac tragico ſcelere & auerſando? Atqui ſi in quenquã Regem cadere poteſt hoc ſcelus, in Chriſtianiſſimũ Regẽ minime. Et ſi in quoquã eorum, qui fuerunt, aliquando huiuſcemodi ſuſpicio hærere potuit, in eo, quo de nunc verba facimus, ne tantulũ quidem poteſt. Sed vereor, Principes Illuſtriſſimi, ne ſubabſurdum vobis videatur de hac immanitate vaniloquentiæ plura nunc verba feciſſe, quæ ſuapte ipſa confidentia atq; abſurditate ſatis refellitur & exploditur apud iſtiuſmodi iudices.

Quod vero ab Regni huius auſpicatu bella prope cõtinentia perpetuaq; geſſimus, id vt infelicitati tribui fortaſſe, ſic in crimẽ verti nõ poteſt, ab eo quidẽ certe, qui recte rẽ æſtimarit. Siquidem ſecundum bellũ in Inſubria, vt ſupra dictum, eſt, geſtum. Quodà prædone vindicãdæ ſuæ rei cauſa Rex intulit. bellũ vbiq; propulſaſſe comperietur, nuſquã bello laceſſiſſe, vt omnia bella ab eo geſta percenſeantur. Finibus.n. ſuis atq; auitis dominandi ille voluptatẽ ſibi circumſcribendã cenſuit: aliena nec appetiuit, nec plane controuerſa. Niſi vero ſi quis erit, qui poſt tot tantaq; præiudicia, quæ iudiciorum inſtar habent, quæſtionem referat Ducatus Inſubriæ, quem cum Rex Ludouicus à Maximilia-

no Auguſto, more maiorum acceperit mancipatu Imperiali: tum poſteaquam ille è Regno ſimul vitaq; exceſſit, Rex Franciſcus, ſimul vt rerum potitus eſt, ſucceſſorio iure ab eodem Auguſto eodemque mancipii iure poſſedit & vſus eſt. His talibus præiudiciis, non ambitioſis ipſis, non generoſis, non perperam ablatis, accedit etiam iuſtum legitimumq; iudicium. Nam cum Ludouico adhuc Rege, ampliſſimum Collegium Imperiale ſtatuiſſet cognoſcendam ſibi cauſſam eſſe Ducatus ſupradicti, eiuſq; controuerſiæ diſceptationem ad ſeſe reuocandam: eius rei cauſa legatos, viros grauiſſimos, tres numero miſerunt. Qui cum ex mandatorum ſuorum commentario ab Rege ſciſcitari inſtitiſſent, quidnam id foret, quod agrum Mediolanenſem atq; Inſubres ſui iuris eſſe dominatuſq; contenderet? hi reſponſum in hanc ſententiam tulerunt ab iis, quibus eam rem inſpiciendam is Princeps, & cum Legatis vna diſceptandam mandauerat: Valentinam olim puellam, ortam gente Mediolanenſi, enupſiſſe in Franciam Aurelienſi Duci, eaq; lege deſponſam, vt qui vnicus erat tum eius puellæ frater ſuperſtes familiæq; ſubſidium, is ſi prole carens maſcula moreretur, Ducatus Mediolanenſis ad Valentinę dotem accederet, vt hæredis eius gentis legitimæ, idq; tum legatis planum factum eſt, prolato pacto ſponſalitio, quod in ſcriniis Regiis aſſeruatum eſt. Cum ad ea Legati obiecissent, Inſubriæ potentatum beneficiarium eſſe, in fideq; Imperii & clientela poſitum. At lege aut inſtituto fiducias clientelares ad fœminas deferri non ſolere: Ibi tum Regii ſubiicere, quod legibus clientelariis exceptum eſſet, ne fœminis ius eſſet hæreditates huiuſmodi fiduciarũ cernere, id ita ius ac ratum eſſe debere, niſi legibus, derogatũ eſſet ab eo, cui ſecus iiſdem de rebus ſtatuendi ius & poteſtas fuiſſet. Atqui cũ eiuſce rei paciſcendæ tempore ita forte contigiſſet, vt Imperiũ ad Interregnũ rediiſſet, Pontificem Romanũ translatitio iure facere vtiq; potuiſſe (id ꝗ alias fuerat Auguſtæ poteſtatis) vt ſponſalitiũ illud pactũ lege beneficiaria & clientelari ſolueret. Id quod ita actũ eſſe cum doceretur in re præſenti, auctoritate certe & conſpicuę fidei, acceſſionẽ ſc. illam dotalitiam ab eo Pontifice, qui tum erat, ſanctam eſſe & cõprobatam, nimirum cauſæ iam nihil eſſe, quin Ducatus Inſubriæ optimo iure obtineretur à Rege, qui à Valentina Inſubri, vt conſtabat, generis ſtemma duceret. Legati ſecundum eam diſceptationẽ cum ad Collegium ſeptemuirale, quæ audierant & viderant, renunciaſſent, (ob id .n. Conſiliũ indictum coactumq; fuerat) Rex ita cauſam ſuã approbaſſe Collegio viſus eſt, vt actutum ab Imperatore ſupradicto Ducatum ſibi emancipatum vtendum acceperit & fruendum. Ex ſupradictis, Principes Illuſtriſſimi, liquido oſtendiſſe me ſpero, adhuc Regem Franciſcum in eo eſſe, vt iure damnari aut etiam inſimulari nequeat eo nomine, quaſi cupiditate inſtinctus iniuſta arma mouerit.

Venio nunc ad illud carmen aduerſarii, quod maiorem habet accuſationis anſam; quoq; Regem Chriſtianiſſimũ Imperator à vobis deſignatus Rex Hiſpaniæ ſpecioſe magis, vt opinor, quã ex animi ſui ſentẽtia in inuidiam perfidiæ coniicere conatur, credo vt cauſæ ſuę alioqui iure lapſæ hoc crimine patrocinetur. Id quod cuiuſmodi crimen ſit, quo colore tinctum, quam bona fide intentum ab probo alioqui Principe, paucis vt arbitror, quæ dicturus ſum, cognoueritis, & ita cognoueritis, vt præſidium numinis * præſentiſſimi Regi noſtro affuiſſe mire exiſtimetis, hoſtili inclementia oppreſſo. Verum hoc habent videl. ſupra modũ res ſecundæ, immemores vt homines humanæ ſortis faciant, Regiæ iuxta populariſq; caſibus obnoxiæ. Hic mihi quæſo, Principes Illuſtriſſimi, facite cognoſcendæ vt cauſſæ voluntatẽ attentionemq; renouetis, ꝗ̃ rem ſum peroraturus. Non ita pridẽ, vt audiſtis, Rex Chriſtianiſſimus bellũ à finib. arcere nõ poſtremum cupiens, cũ hoſtium cedentiũ veſtigia perſequeretur, indignitate illati vltro belli percitus, cũ ſuperatis Alpib. ad Ticinũ conſediſſet, aliquãdo (vt ſunt bellorũ fortuita) aduerſo marte conflixit. Quo in certamine cõſpiciens ipſe dimicans, atq; equo deſtitutus in manus tandẽ deuenit ordinũ ductoris primarii, qui ab Imperatore Regnũ Neapolitanũ pro Rege obtinere iuſſus eſt. Aliquandiu ibi fuit, quoniã firmiorẽ munitioremq; cuſtodiã eo loci Imperatorii nõ habebant. Quo in loco Regis animũ multa variaq; verſabant. Rem ita natã videbat, vt quamuis copias ſuas fractas aut diſiectas ſuſpicaretur, vi tamen ſociali inde eripi tandem, aut, ſi ſe transferendum alio cuſtodes præſidiũq; cenſuiſſent, facile vt intercipi ab amicis ſuis poſſet, quos in eã occaſionẽ intentos eſſe & imminere nõ neſciebat. Cuius rei reputationẽ intelligebat magnopere anxios habere cuſtodes & ſollicitos. In ea cõditione exiſtenti cũ pacis nequicquã expetitæ ac tentatæ recordatio animũ ſubiiſſet, mira inceſſit cupiditas iterũ rẽ eandem aggrediendi. Exiſtimabat .n. illã belli calamitatẽ in bonum tandem verſurã, ſi, vt ipſe pro re nata paratus erat ad omnes conditiones nõ iniquiſſimas deſcendere, ita Imperator ipſe deſignatus ſecunda ſuorũ vti fortuna & inſperata, nõ inhumaniſsime ſtatueret. In ea animi conſtitutione & voluntatis defixus, Duces Præfectoſque Imperatoris, qui ſummæ rerum in Italia præerant, acerſendos mandauit, his conſilii ſui rationem pedetentim aperit. ait ſibi aduerſo caſu religionem oblatam, quod optimam ætatis partem in bellis inteſtinis verſatus eſſet: id quod iam ſe perſpicere Deo cordi non eſſe: exoluere ſe ea religione cupere primo quoq; tempore, ſi per Imperatorem liceat, id eſt, ſi ſecum agi ſinat & diſceptari nõ indigniſſima conditione, in animo enim ſibi eſſe, ætatis ſuæ robur ſacro iam bello dicare & conſecrare, ſi id ſibi diuinitus humanituſq; liceat, tempus autem veniſſe, cum id & tempeſtiue ſuſcipi & percommode poſſet. Cæterum ad id ipſum rato conſilio aggrediendũ, compoſito primum fœdere cum ipſo Imperatore opus eſſe, deinde vniuerſæ cõcordiæ vinculo, & amneſtiæ lege in celeberrimo quodã cõuentu promulgata. Qua lege & cuncti & ſinguli Principes, & nationes & populi teneãtur, qui quidẽ partiũ Chriſtianarũ ſtudio teneri ſe, ꝓfiteantur. Enimuero Præfecti hoc audito, Regis cõſiliũ collaudare, de Imperatoris humanitate magnifice ſpõdere, deniq; ad exitũ rei ex ſentẽtia Regis tradu-

* Potentiſſimi.

tranſigendæ expectationem eius confirmare & erigere: proinde iubere animo bono eſſe. Re deinde amplius inter eos agitata, ſæpiuſq; conſulta, aliquando de eorum ſententia viſum eſt, regem non aliud maius ac certius operæ pretium poſſe facere, quam ſi ſe deportandum in Hiſpaniam curaret & mandaret. Si enim coram ipſi Principes diſceptaſſent, verecundius rem & benignius haud dubie actum iri. Id autem fieri non poterat, niſi accerſita claſſe Regia, quæ mare Liguſticum Gallicumq; obtinebat. Placuit hæc ſententia Regi: in Galliam ad matrem & ad ſuos, quæ viſum eſt illis, ſcripſit. Claſſem, quibus locis placuit, ijſdem deducendam mandauit. Ita rex captiuus candida & recta mente fretus, palam eo conuentu præ ſe ferre ac dicere, ſeſe Imperatoris olim ſui amici ac neceſſarij humanitate confidentem, & propoſiti pij conſcium, in eam deſcendiſſe conditionem, vt in manus aduerſarij ſui ſe totum permitteret, fideiq; crederet. Quod ſi (vt ſunt hominum mores inter ſe non explorati) eo ſibi conſilium recideret, vt non tam æquo, vt ſperabat, homine vteretur, vt aut Burgundiã ab eo auferre quoquo pacto, aut aliam à ſe exprimere conditionem inſiſteret conſpicuæ acerbitatis, neceſſitati vtiq; ceſſurum in re præſenti: cum autem neceſſitatis vinculis exemptus eſſet, è re tum demum ſui diadematis, è iuriſiurandi formula, quod ineundo principatu conceptis verbis præire regib. Antiſtes inaugurator ſolet, deniq; ex ſua exiſtimatione, religioneq; antiquiore conſilium eſſe capturum. Id quod in eam ſententiam conteſtari diuino quodam numine in mentem regi venit, & captiuo & ſoli deſtitutoq;, & ſimul tot hominum verſutorum coitione circũuento. Nam cum ab eo conſilio capto, aliquanto poſt claſſe ipſe ſua, à ſuis inſtructa & ornata, tranſportandum ſe dediſſet in Hiſpaniam, ſentire mox cœpit, quam incommode conſuluiſſet ipſe de ſeſe. Fides enim illic non præſtita eſt, quæ fuerat promiſſa in Italia. Et quidem cum pro eo, vt apud Imperatorem verba faceret, coramque ab ipſis principib. de redimenda ſua captiuitate ageretur, vt ei ſpes trans alpes oſtentata fuerat, Madrillium compulſus in cuſtodiam nec amœnam nec ſpei ſuæ reſpondentem, in ægrotationẽ ſtatim incidit & vehementem admodum & diuturnam. ex qua propius nihil factum eſt, quam vt pro exanimato aliquando conclamaretur. Inde tamen emerſus contra hominum expectationem, cum recreari cœptus eſſet, nunciuſq; in Franciam ſolicitam & anxiam aduolaſſet, Margaritha ſoror eius inter principes fœmina electiſſima, quæ nuper cum Nauarrorum Rege nupta eſt, iter ad fratrem illico atq; adeo curſim contendit (ſic enim & ipſi & regis ipſius matri placuit, fœminæ cordatiſſimæ, quæ regio tum imperio regnum, filio finibus egreſſo regebat) ſimul vt ſororia molliq; manu fratri adhuc ſemianimi officia exhiberet, moroſæ eius infirmitati blandius ancillantia: ſimul vt apud Imperatorem de redimendo fratre paceq; eadem opera ſancienda tentaret conditiones, quando legati, viri grauiſſimi atq; ornatiſs. ab initio ea de re eodem miſſi, nihil æqui boniq; ad eum diem impetraſſe ab imperatoria maieſtate nunciabant. Verum ipſius quoq; ſororis ſolicita & accurata, & virilis propemodum opera, ad extremum fruſtra fuit. Cum interim ad comitatum Imperatoris, à quo quatridui ſpatium, aut amplius Madrillium aberat, indeq; ad Regem, & ipſa & legati vltro citroq; commeare non deſtiterint. Quare pacis ſpe deplorata, frater ſororem inuitam genibuſq; ſuis nequicquam aduolutam in Franciam retro ad matrem redire iuſſit, quoad aliud prouidentiæ de ea re viſum eſſet. Ea autem erat inclementia ferendis ab Imperatore conditionibus, vt propemodum regijs Imperatorii, abiecta exigendi verecundia, vetus illud: *Væ victis*, dicere viderentur, vſq; adeo ſecundi prœlii fructum immodicum Imperator percipiendum ſibi cenſuit: quod ſuis tantum auſpiciis in loco ab eo diſiunctiſſimo geſtum eſt.

Aliquanto vero poſt rex tum comitum ſuorum precib. tum matris ſororiſq; literis ſolicitatus, ad recordationem Penatium, quos inanes regia perſona diutius videri tum deforme, tum plenum diſcriminis intelligebant, animaduertere attentius inſtitit, quo eſſet tandem ſua euaſura cunctatio, ſi perti naci tolerantia certare cum aduerſarii acerbitate pergeret. Videbat eo ſibi vertiſſe pacis deſiderium, vt pro ſperata ſibi in Italia exiſtenti, iactataq; à præfectis & ducib. comitate & æquitate Imperatoris, qui cum ſibi multiplex neceſſitudo intercedebat, in tam duram præciſamq; neceſſitatem incidiſſet, ob eam vnam cauſam, ꝙ in eius plagas penitus inſinuare ſe non dubitarat. Itaq; quod facere prudentiores ſolent vndiq; deprehenſi, vt quodcunq; ſubſidium ſalutis obuiũ accipiant quaſi tabulam è naufragio, & ipſe tandem facere non renuit. Accepit quicquid conditionis tulerant Hiſpanienſes illi pacis atq; amicitiæ duri conglutinatores. Ibi tum quoq; non immemor in futurũ conteſtandi ob expreſſam ſibi æqua iniqua paciſcendi neceſſitatem. Hac.n. pace conglutinanda filium natu maximum, regni Cæſarẽ; & alterum natu illi proximum, ſummæ indolis pueros, vades pro parente exigere Imperatoris intimum Conſilium ſuſtinuit. Quos parens ipſe à ſuo cõplexu diuelli in confinib. regni coactus eſt, vt pateretur. Cõplexu, dixi? imo vero à conſpectu. Vix.n. parenti per tranſennam aſpicere pignora ſua chariſſima licuit, pignori pro ijs pactis oppoſita, quorum fides præſtari ſine piaculo non poteſt, citraq; inexpiabilem perniciem & patris & liberorum. O ſortem triſtem & miſerandam! pater orbare ſe chariſſima proie, & tenerrima, necdum per ætatulam mala ſua ſentiente, coactus eſt, ne patriæ & populi deſiderium fruſtraretur, exoptatum ſibi caput cum fremitu poſtulantiũ. Quo in loco patrius amor cum patriæ charitate dimicans, ad extremum manus dedit. Etenim, ô patrem nimium ſui, parum liberorum amantem, dicat aliquis. At id volens inuitus, triſtis hilarus vt faceret, cunctus bonorum ſapientiumq; conſentus non auctor modo fuit, verum etiam exactor populus & efflagitator. O crudelem, O improbandam, O capitalem victoriã, quæ ſibi huiuſcemodi leges condere, tam duriſq; nexibus pactionum eum aſtringere permiſerit, qui ex ſuo ipſe animo alienum æſtimans, fidei tanti principis permittere ſe non veritus eſt. cui fraudi capitali fuit, quod prin-

cipis ſibi neceſſitudine deuincti, iiſdem Penatibus orti, periclitari æquitatem non noluerit, pacificationis ſpecie attractus feſtiuæ & illectricis, ſpeiq; oſtentatricis. Et queri non pudet talem Principem, ob pactum huiuſmodi, quod Rex Chriſtianiſs. mitigandum poſtulauit, vel redimendum potius, quatenus præſtari nequit: Qui ſi in ius vocare Principem, non ſibi ius dicere violenter inſtituerit, nunquam ex ea ſyngrapha actionem ſibi dari ſperabit, duntaxat æquis vtrique Principi iudicibus, ex eaque poſſe, quaſi lege agere cum Rege Chriſtianiſſimo, qui non niſi ex neceſſitatis inexorabilis vinculis pactorum aſſenſionem præbuit? niſi vero fas & iura ſinunt ea promiſſa à Rege exigere, quæ nec bonis moribus nec Principum conueniunt & religione inexpiabili alligant, ſi præſtentur.

Tu me cum intra tua ſepta teneas quoquo modo perlectum, Gordio nexu pactionum obſtringas quaſi dedititium, non Regio more habeas? vt aut mihi tabeſcendum ſit, ſi ius æquumq; poſtularo, aut cum me in hanc compedem pactitiam compegeris, ſperes eius iniquitatis fructum te ablaturum æquiſſimorum Principum iudicio iuriſq; bellici conſultorum? Quenquam ne horum, ad quos orationem habeo, inuenturum ſe putauit princeps ille alioquin eximius, tam ſeuerum fidei vtcunq; extortæ vindicem, tam firmum quamlibet iniquarum pactionum aſtipulatorem, qui aduerſus ex ſponſu actionem, præſcriptionem non admittendam cenſeat violati iuris maiorum (vt ita dicam) gentium? Eſt enim, eſt ius quoddam eximium, maioris gentilitatis moribus receptum & conſtitutum, quo iure diſceptari Principum controuerſias moris eſt. Hoc ius non rogationib. populi, non plebiſcitis, non perſcriptis ſanctionib. non eorum reſponſis conſtat, qui iuriſprudentes conſultiq; vocantur. Conſtat illo æquo & bono, atq; inter Principes honeſto decoroq;, cuius vos imprimis interpretes & antiſtites eſtis Septemuiri Imperiales, iidem Electiſſimi Principes, ſummiq; Principis Electores, quorum eſt videre iam ac prouidere, ne hoc ſtatuatur exemplum in Regem Chriſtianiſs. vt ipſi Imperatori liceat in ſua cauſa ius dicere, aduerſus quod dignitatis atq; amplitudinis iſtius collegij refert. atq; ita ius dicere, vt non Auguſtorum legib. non Imperatorijs, non Imperij, ſed ſuis & imperioſis & Hiſpanienſibus iudicet. Id vero quo pertineat, quo breui erupturum ſit, niſi nunc cohibeatur, veſtræ erit ſagacitatis odorari & proſpicere, etiam me tacente. Itane vero Imperatori, conueniente Imperialis Collegij dignitate atque exiſtimatione, legibus omnibus diuinis humaniſq; licebit eſſe ſoluto, cum ipſius Imperij priſci conſtitutores etiam ciuili iure teneri non reſpuerint? Verum eſto, ſit ius Imperatori ab iſto Septemuirali Collegio creato & deſignato, necdum tamen plane Auguſto, ipſos Septemuiros, cunctumque adeo iſtum conuentum ſplendore Principum virorum atq; amplitudine viſendum, non alias in conſilium ſua de cauſa miſſurum, quam ſi in leges, quas ipſe ſibi ſanxit, iurauerit, iuſq; ex ea ſyngrapha Hiſpanienſi dicturos, quæ coitione hominum callidorum conflata eſt pro arbitratu ſuo, pro imperio cauentium & excipientium, quæ è re ſua viderentur, Rege vtiq; ad ſingula & vniuerſa digitum tollere iuſſo. Sit ſane hoc ius Imperatorium (ſi tamen ita vobis cordi eſt) non etiam Imperiale, ex ea pactione imperioſa agere, atq; etiam quidlibet exigere, quæ in prauum & iniquum inhoneſtumq; concepta eſt, atq; etiam in ius Rhadamanthico durius. Vt igitur ei omnia quaſi ſuo iure dicere, legibuſq; ſoluto permittatis, non illud quoq; vobis profecto probauerit, Principes Illuſtriſs. qua eſtis æquitate & prudentia, vt conteſtatio contra vi extortas pactiones valere non debeat, non vna, ſed altera, eademque clare non ſummiſſim aut clam edita.

Hac indignitate rei in Hiſpania tranſactæ permoti Romanus Pontifex & Veneti: (quam indignitatem res ipſa præferebat & clamitabat: neq; enim in obſcuro eſſe poterat, quum Imperatorij nuncijs quoquo gentium dimiſſis peruagatas pactiones confeſtim voluerint & cupierint, gaudio ſe triumphantes ob expreſſam Regi neceſſitaté quoquo modo depaciſcendi) Pontifex igitur & Veneti legatos ad Regem domum iam reuerſum mittunt, belli ſocietatem cum eo fœduſq; vltro depoſcunt: addunt, id ſe petere non tuendorum modo finium ſuorum cauſa, ſed vt vim, ſi qua intra fines cuiuſquam ſociorum inferretur, ſocij communib. armis arcerent, vtq; vltro bellum Imperatori deſignato inferrent, ſi, vt ius æquumq;, Rex Chriſtianiſs. obſidum liberandorum ergo poſcere viſus eſſet, Imperator id abnuiſſet: id modo fœdere exceptum velle, vt in Imperatorem id fœdus ita demũ valeret, niſi ſocius eſſe fœderis maluiſſet, ita vt honeſtiſſimo loco ſyngraphæ nomen eius perſcriberetur. Hanc conditionem vltro ſibi delatam, tantiſper accipere Rex Chriſtianiſſimus ſuſtinuit ac cunctatus eſt, dum Legatis rurſus miſſis in Hiſpaniam vltimum experiretur, ecquid ad tolerabiles conditiones pacis imperator deſcendere in animum induxiſſet, atq; ea capita ex Hiſpanienſi pactione circumſcribi permittere, quæ Madrilliana neceſſitas adſcribenda mandaſſet. Ad quod Regis poſtulatum nihilo mitius Imperator reſpondendum cenſuit, Regi eſſe poſtliminium negans, ſi teruncij deceſſionem poſceret. Quo nuncio accepto, Pontificem ipſum Roman. aliquotq; Reges & Principes externos ſibi conſulendos idem Rex eſſe duxit, compluteſq; homines Francos ſumma prudentia atq; eruditione præditos: de quorum ſententia atq; autoritate oblati fœderis ſocietatem coijt. è qua bellum illud enatum eſt, quod iam per Italiam ita longe lateq; excurrit, vt tantos ſumptus exhauſerit, atq; exhauſturum ſit & abſorpturum, quantis certe ſumptibus altus eſſet, aleretur q; exercitus bellico apparatu inſtructus, quo propulſari Turcarum impetus potuiſſet, qui infeſtam non ſpernendam partem regionum Chriſtianarum iam reddidit.

Tantam piarum partium cladem atq; deformitatem Rex Chriſtianiſs. tandem perpendens, cernenſq; in exitium mox eualuram, niſi obuiam quamprimum conſpirantibus animis itur; perfungi officio ſuo nunc quoque concepiuit in ea re apparanda & exornanda. Quæ vt ad vniuerſos attinet, ita in commune conſulenda atq; proſequenda eſt. Quem animi ſui motum propoſitumque

quo

quo teſtatiſſimum ad nationes Germaniæ faceret, ad quos ea res maxime pertinere videbatur, ad Collegium ampliſſimum Septemuirorum Imperialium haſce iam alteras literas ſcripſit, noſq; Legatos ſuos eam ob cauſam miſit, vt apud hunc conuentum & multitudine celebrem, & dignitate Principum amplitudineq; ſpectandum, tantæ rei cauſa indictum, verbis ſuis conteſtaremur, quam prona mens eius eſſet, quam prolixa voluntas, ad commune illud incendium, quod ſic ſerpit, extinguendum & opprimendum. Eius igitur mandato pollicemur, ſpondemus, promittimus, expromptas liberaliſſime atque (vt ita dicam) in numerato fore copias ad ſupplementum terreſtris maritimique exercitus communi collatione conflandi, cum primum licuerit per concordiam Principum nationumque conſpirantibus animis eodem incumbentium. Quam conteſtationem loco & tempore idcirco factam oportuit, vt ſuperi mortaleſq; intelligerent, voſq; imprimis Principes illuſtriſſimi, Germaniæ Principes, eius partis dominatores, quæ in fronte collata primos impetus exceptura eſt furoris barbarici, nihil exoptatius ipſi Regi fuiſſe, quam vt ſibi tandem datum eſſet domeſticis curis vacuo, inteſtini belli ſecuro, omni iam ope, omni pectore ad eam curam incumbere, vt supplere, vt inſtruere, vt ornare copias non mediocres poſſet ad conflandam expeditionem & piam & ſacroſanctam. Ad id porro inceptum quamprimum aggrediendum, illud quidem ſemper probabile & honeſtum, ſed nunc eo amplius neceſſarium, & vos quidem & ipſum hortantur maiorum exempla alia atque alia literarum monumentis ad illuſtrem memoriam prodita: ſed tumultus euocat & vrget indies propinquior. Proinde veſtræ erit ſapientiæ, apud quos præcipue Princeps noſter eo nomine purgatum ſe vult & cupit, belli inteſtini vnicum alimentum è medio ſubducere. Quæ eſt animorum contentio pertinacior iam atque exitiabilior, quam vt ſine auctoritatis veſtræ interpoſitu dirimi atque extingui poſſit. Qui ſi hoc ſtatueritis, Collegio Septemuirali clariſſimo atque exiſtimatiſſimo, id decus appetendum & promerendum, vt ſi alias vnquam ſacri Imperij arbitri Imperatorumque creatores, moderatores etiam eſſe duxerunt oportere Auguſtorum impotentiæ vltra modum inſoleſcentis, vos quoque in hoc rei ſummæ ſeruandæ articulo in Imperatorem deſignatum ius antiquæ poteſtatis hactenus vſurpatis, vt quoad in rem eſſe famamque Imperij videritis, Imperatorem ipſum in auctoritate & poteſtate habeatis. Id ſi in animos veſtros, Principes illuſtriſſimi, induxeritis, tum attemperandis inter duos dimicantes Principes conditionibus pacis, qua ratione viſum vobis fuerit, Regi liberos, orbi pacem, vobis ius veſtrum reſtitueritis; tum ingentis operæ precij remora è medio ſublata, armorum omnem crepitum, omnem tumultum belli in pietatis hoſtem memorabili in omne æuum facinore conuerteritis.

X.

FRANCISCI REGIS GALLIARVM, ACTITATA PER LEGATOS ET LITERAS CVM IMPERII PRINcipibus vniuerſis, atque etiam Fœderatis Smalcaldicis, in Comitijs præcipue diuerſis in locis celebratis.

CHRISTIANISSIMI REGIS AD IMPERII ORDINES epiſtola, menſe Februario data, Anno M. D. XXXIV. calumniarum in eum diſſeminatarum refutatoria.

Anno Domini 1534.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM Rex, &c. Reuerendiſſ. Illuſtriſſ. inclytis, generoſiſſ. ſplendidiſſ. ampliſſ. ſpectabilibus, & prudentibus S. Rom. Imperij Electoribus, Principibus, Comitibus, equitibus, ciuitatibus, ciuiumque magiſtris, ac cæteris ordinibus, amicis, fœderatis, & ſociis chariſſimis S.

VELLEM, Ampliſſimi ordines, eam haberent omnes illuſtri & excelſo loco nati, veritatis honeſtique rationem, vt quum aliquem neque vere, neque per ſe ipſi honeſte accuſare poſſunt, indignum ſua exiſtimatione ducerent clam ſummiſſis calumniatoribus, falſos & commentitios rumores diſſipare: profecto non inuenirentur, qui tam licenter apud vos in circulis omnibus & conuiuijs (vt nunc fieri audio) meo nomine abuterentur ad inuidiam. Qui ſi tamen rationis eſſent atque *Meminit Sleidan. lib. 9.*

 ſen-

ſenſus vllius participes, plane intelligerent, longe aliam & maiore artificio fuiſſe in me inſtruendam accuſationem, & quæ ſimilitudinem veri ſaltem aliquam præ ſe ferret: ſi nos modo iactis inde diſcordiarum ſeminibus committere, ſi communis inter nos originis, ſi tot ac tantorum inuicem collatorum & acceptorum beneficiorum memoriam poſſe ſperent aliquando conuellere. Solimanni Turcarum Regis & Chriſtianæ religionis hoſtis Legatos, apud Chriſtianiſſimum Galliarum Regem honorifice ac liberaliter aiunt excipi: Germanos ad eundem Regem aditu prohiberi: per huius aulam, per vicos & fora, per compita omnia, volitare homines cultu ac veſtitu Turcico: Germanico incedere, flagitij loco eſſe: Germanis omnibus, nullo diſcrimine impingi violatæ religionis crimen, vt huius obtentu capi, vapulare, cædi, & ad omne ſupplicium rapi poſſint: plena eſſe in Gallijs eiuſdem generis hominum ergaſtula, quibus ſpei nihil iam ſit reliquum, niſi vt publico Germaniæ conſilio comparetur ad eos vinculis eximendos numeroſus, idemque inſtructiſſimus exercitus. Quænam iſta (malum) eſt hominum amentia & ſtupiditas? Si quum nihil habent, quod in me poſſint vere iacere, neque aperte meam famam atque dignitatem apud vos oppugnare audent, ob idque eam ſubuertere per cuniculos & fraudem moliuntur, cur non fingunt aliquid ad eam rem vel aptius vel ſolidius? Cur in iſtis hærent male concinnatis & frigidis calumnijs? Adeone vos vecordes arbitrantur ac ſtupidos, vt temere huiuſmodi rumorum & concionum ventis agitemini? vt conſiderare neſciatis, quid, in quem, à quo vobis proponatur? vt à ſuppoſititijs vera, à translatitijs propria, tanto rerum vſu, prudentia præditi, ſecernere nequeatis? Proculdubio amici, ſocij, ac fœderati veteres, ſi quid eorum criminum, quorum intentatione ab iſtis ego vapulo, non eſt omnino commentitium, id iſti calumniarum artifices ab ijſdem ipſis, à queis mihi ſubornati ſunt, in me tranſtulerunt. cui ſane non criminationi (eam enim ne texere quidem poſſunt) ſed conuitio potius atque petulantiæ, non tam ad reſpondendum adducor, vt ne famam negligere videar, quæ ab iſtis apud vos, hoc eſt, ab impudentiſſimis & leuiſſimis hominibus, apud grauiſſimos & prudentiſſimos viros detrimentum accipere nequeat: quam ne hanc in eorum authores aliquando recaſuram inuidiam diutius velle videar alere ſilentio, ac taciturnitate mea. Quos nimirum pro ea, quæ cum illis mihi intercedit affinitate, proque eius Imperij maieſtate quod gerunt, honoris tantum atque amicitiæ gratia nominari à me poſſe velim. Id quod ego quum videam à me perfici nulla ratione poſſe, quod hæc inprimis ad eos pertineat oratio: ſic enitar tamen more ac modo reſpondere, vt ſi dicenda quædam mihi erunt (vti erunt profecto) quæ ſint eorum aures offenſura, perfacile intellecturi ſitis incidiſſe me in ea potius, quam ex induſtria deſcendiſſe.

Atque hoc primum magnopere velim ex ijs quærere, quum ad Turcarum Regem ijdem ipſi abhinc annos aliquot iterum atque iterum Legatos miſerint, & ab eo viciſſim acceperint, cum literis & mandatis fortaſſe minus honorificis, idque inconſultis & inſcientibus ijs, quos maxime conſuli oportebat, quorum ſcire quidnam rerum illi molirentur, intererat: cur id mihi de re omnium maxime ad vniuerſorum decus, & ſingulorum quietem (vti ſtatim audietis) pertinente non liceat? Egone ſic ad eorum ſim factus arbitrium, vt mittere ad neminem, à nemine accipere Legationem audeam, niſi impetrata prius ab ijs venia? vt Legatos, quos omnia omnium gentium iura, vel ab hoſte venientes eſſe ſacroſanctos volunt, ego pro illorum arbitrio debeam violare? *Solimannus.* Hoſtis autem appellatione Solimannum vt cenſeam (ſepoſita interim religionis cauſa) veſtræ quietis, ampliſſimi ordines, vna ratio, meumque in vos præcipuum ſtudium effecit, dum eidem ſcilicet in vos armato, mei capitis & fortunarum periculo bellum indixi: dum accito in ſocietatem eius belli Sereniſſimo Britanniæ Rege, qui cum omnia ſoleo habere communia, ego me in illum, ſi vnquam in vos bellum moliatur, ducem fore & anteſignanum recepi: dum equitum cataphractorum tria millia, peditum quinquaginta, atque ex eorum numero, ad triginta Germanorum millia, per literas ad vos, ad Cæſarem, ad Pontificem, ad vniuerſos, quarum exemplaria etiam ad Solimannum ipſum perlata ſint, auctoraturum me ſum profeſſus. Et interim tamen criminabantur iſti, quaſi contuliſſet, atque adeo communicaſſet ille mecum ſua conſilia: imo quaſi ego illum eſſem, vt in Germaniam armis inuaderet, adhortatus. Hoc eſt ſcilicet, Solimannum in vos excitare, quod illi me ipſe atque meas opes omnes opponam, quod in illum vos armare, quod alere meo ſumptu non recuſem? At is (inquiunt) Legationem ad me miſit hoc tempore. Miſit ſane. Atqui ſi nos omnes ſano vti conſilio voluerimus, ab Optimo Maximo Deo primum, deinde mea ſimul induſtria, ſimul in religionem eximia pietate, factum eſſe intelligetis, vti ex communi piorum omnium vſu ac dignitate, quam chariorem ſemper habui meis omnibus commodis & rationibus, eandem ad me Legationem miſerit. Etenim quum ii pacem ab eo tam indignis ambirent legibus, vt eius fieri vectigales non erubeſcerent, quo ſcilicet expeditionem eius ſecuti, minore vſurparent negotio affectatam in Chriſtianos omnes tyrannidem: ego eam mihi ab Solimanno vltro oblatam pacem, minime quidem reiiciendis conditionibus: tamen conſtanter ac diu accepturum me pernegaui, niſi pios cæteros eriperem mecum omnes ab eiuſdem hoſtis iniuria. Neque vero aliam ille ob cauſam in mora eſt, quominus eam à ſe pacem impetrari quamprimum ſinat, quam quod iſtos intelligit, monarchiam in nos obſcure, ac veluti certa propemodum ſpe complecti: quibus ſi res (dum nobiſcum ille pacem colet) ex animi ſententia ſucceſſerint, inuidioſa illi futura ſit eorum potentia. Quod ſi bello inter nos cenſuerimus omnino abſtinendum, & quæ iuſte quiſque poteſt,

poteſt, ea retinere tantummodo voluerit; nihil ille magis cupiat, quam vt ſibi liceat, omnis item bel-
li à nobis ſecuro, extra noſtros fines adornare alios, aut perſequi armorum apparatus. Itaque in ma-
nu habemus noſtra poſitum, vtrum ſine cæde & ſanguine potentiſſimum hoſtem longiſſime à no-
bis continere, an vt priuatam vnius aut alterius alamus ambitionem, (cuius neque finem vllum
prouidere, neque fidam potentiam diutius ſperare poſſumus) rempublicam noſtram incertiſſi-
mis bellorum euentis, & ancipiti vel poſt victoriam fortunæ malimus exponere. Quid cæteris eſ-
ſe optimum factu videatur, in medium ipſi afferant. Ego quidem ſi quis vllam honeſtæ pacis, vel
induciarum duntaxat cum eo conditionem eſſe repudiandam cenſuerit, illum officij ſui parum eſ-
ſe memorem (ne quid grauius dicam) exiſtimo: hoc præſertim difficilimo tempore, quo afflicta
bellis ciuilibus, atque peruerſis non paucis in religionem inuectis opinionibus ſaucia Reſpublica,
nihil magis ſpectare videatur, quam vel tantillum in ſecura pace laxamenti, dum ſe ipſa reficiat
& recreet, dum coacto vniuerſorum Concilio, ſtatuamus in his pugnantium inter ſe dogmatum
fluctibus, quid dignitas Eccleſiæ, quid temporum ratio, quid ſuæ cuiuſque in præſens ſalutis, & in
futurum quietis cura poſtulet. Atque vtinam Numinis benignitate ſuperſtitem annos aliquot ad-
huc habere nobis licuiſſet Clementem VII. Pontificem Maximum: vidiſſetis profecto, idque per- *Clemens VII. P. P.*
breui, nos iterum omnes in vnum velut corpus coaleſcere. Intellexiſtis enim prope omnes, certe
multi, ex Legato ad vos noſtro, quid iam eſſemus ego & ille inter nos ea de re commentati, ac pro-
pe iam pacti: atque ne tunc indiceretur Concilium, vnum hoc nobis impedimento fuiſſe, quod
is Cæſari, eum ſe conuentum in Italia habiturum, receperat. Contra ego contendebam efficaciſ-
ſimis (vt mihi videbar) rationibus quum haberent ipſe ac Cæſar in Italia nulli non formidoloſos
exercitus, illos magis vt in decreta ſua nos cogerent, quam adducerent, eo nos quodammodo vel-
le pertrahere, pro certo haberi oportere. Addebam (id quod erat) tot initis à Cæſare fœderibus,
quo videlicet me acceſſu Italiæ procul ſummoueret, at inatum citra rerum nouandarum ſuſpicio-
nem, inermem citra periculum, committere illis me locis non poſſe: atque adeó non ſublatis in
ea belli atque diſſenſionum cauſis, debere potius ad veſtræ Germaniæ limites, quæ vix illi Chri-
ſtianorum inimiciæ ſuſpecta ſit, hoc tempore indici Concilium: cuius ſane indictionem, ſicut
Chriſtianæ Reipublicæ neceſſariam, modo loco libero, neque conuenturis infido, ita diuerſo
in loco, ne aliud oriatur ex alio diſſidium, metus & periculi plenam eſſe iudicabam. Sed quod
Clemente Pontifice perficere non licuit, faxit Deus Optimus Maximus, Paulo Tertio Pontifice vt *Paulus III. P. P.*
liceat. Is, quantum intellexi ex omnibus ijs, quicunque bene cognitum hominem habent, ſem-
per ab omni diſſentione inter pios abhorruit. In quo quidem Pontifice creando ſic fuere libera ſuf-
fragia, ſic eſt ab omni ambitu & largitione, ſic ab omni vi temperatum, cenſuram nullius Synodi
vt timere poſſit, quæ fortaſſe conſcientia quoſdam ſuperiores Pontifices hoc infœlici ſeculo reuo-
care ab indictione Concilij potuit. Et hæc ſane conſtans de illius eximia virtute opinio, quodque *Concilii indictio.*
nullarum eſſe partium diceretur, ſic apud me valuit, vt quum penes eos Cardinales, qui meam
hactenus ſecuti ſunt authoritatem creandi quem vellent, poteſtas eſſe, & eorum comitiorum car-
do in eorum verti calculis videretur; ego tamen non vt meæ gentis aut factionis hominem (quod
facile quidem factu erat, & nonnulli adhuc ſumma ope ac ſtudio perfecere) verum vt hunc ipſum
deligerent, omnis mihi adhibita eſt cura & diligentia. Quodque profiteri palam auſim, vt qui e-
ius rei teſtes locupletiſſimos habeam omnes omnium partium Cardinales, vnum hoc in deſigna-
tionis eius gratiam impetrare volui, vti primo quoque tempore piorum omnium Concilium in-
diceret, opportuno omnibus atque tuto loco, vtque vnius Dei (quod feciſſe antehac ſemper dici-
tur) ſpectaret inprimis decus & cultum, ſarciendæque & reſtituendæ inter omnes concordiæ ra-
tiones. Habetis de Legatione Turcica. In qua vobis exponenda, quum ego tam apposite in hanc
inciderim Chriſtianorum concilij & publicæ tranquillitatis mentionem, magnopere vos etiam
atque etiam rogo, cum vt veſtros quiſque Concionatores moneatis, vt quam de mitigandis ijs, *Concionatores*
quæ circa religionem inoleuerunt controuerſiis, cogitationem & curam ſuſceperunt, eandem ne
abiiciant: tum vt me certiorem faciatis ſuper hac indicendi Concilij ratione, quid perfici à me,
quid apud hunc Pontificem curari maxime cupiatis. Ego quicquid gratia apud eum valeo, & quan-
tum ipſe per me poſſum, id omne ad hanc rem vnam perficiendam collaturus ſum & conſumptu-
rus. Iam de veſtratium cæde aut captiuitate (quod iſti alterum caput conflandæ mihi inuidiæ con-
ſtituunt) res omnis quomodo geſta, vnde collecti rumores, & ab ipſis calumniæ anſa quæſita ſit
& arrepta, intelligite. Superiore Autumno ſub Legati mei à vobis reditum, quum is ab ijſdem
veſtris Concionatoribus quoſdam velut Iſagogicos libellos de ſedandis ijs controuerſiis attuliſſet,
& cur non ſpe imbueret optima initio, nihil eſſet: ecce nobis diſſenſionum & mendacij parens,
veritatis & quietis hoſtis, quoſdam excitauit furioſos magis quam amentes, qui omnium expe-
tendarum rerum ſubuerſionem haud dubie molirentur ac tentarent: quorum ego paradoxa ma-
lo ijſdem ſepeliri tenebris, vnde ſubito emerſerant, quam apud vos, ampliſſimi ordines, hoc eſt,
in orbis terrarum luce memorari. Tantum hoc dico, ſi qui vnquam inter vos eorum ſimiles, aut
longo etiam ab ijs interuallo ſuperati extiterunt, abominati (vt debuiſtis) illos atque execrati
eſtis omnes. Quæ nimirum contagioſa peſtis, atque ad deterrimam ſpectans ſeditionem, ne la-
tius in Gallia ſerperet, omni ſolicitudine, induſtria, opera reſtiti. In conſcios omnes quicun-
que fuere deprehenſi, vti more maiorum ac legibus animaduerteretur, effeci, nulli hominum ge-

neri parcens aut nationi. Quod ſi aliquis inter hos fuiſſet Germanici ſanguinis homo deprehenſus, certe in eum (pace hoc eſſe dictum veſtra velim) eadem oportuiſſet me lege vti, qua niſi viciſſim ego, vt in meos vtamini, concedam, ſi (quod nolim) vllum huiuſce genus piaculi apud vos aliquando admiſerint, indignus ſim & amicitia veſtra & Chriſtianiſſimi Principis cognomento. Sed quod mihi periucundum accidit, nemo veſtri generis homo (vtinam neque noſtri) inter deprehenſos inuentus eſt, ad quem vel vlla ſuſpicio, nedum affinitas huius culpæ pertineret. Igitur niſi (quod improbe iſti videntur velle) hæretici omnes pro Germanis habeantur, nemo veſtratium in Gallia cæſus eſt, nemo ad vllum ſupplicium raptus, nemo (quod ſciam) habetur in vinculis. Patet aula, patent fora, patent omnia deniq; loca Germanis in Gallia omnibus. Germanici nominis aliquot Principes, multi equites, ſcholaſtici complures, mercatores, & opifices quamplurimi inter nos tuti agunt: quibus (vt abſoluam) in Gallia liberum eſt, quicquid Gallis, quicquid ipſis meis liberis eſt liberum. Ego vero, amici, ſocii, ac fœderati veteres, ſatis credo, vos dudum illuſtribus argumentis perſpexiſſe, quam inſidioſa ſit, & quo tendat hæc in me perquam impudens & commentitia criminatio: qua me deferri qui volunt, proculdubio infenſiores mihi non ſunt, quam ipſis vobis, quam ipſi toti Germaniæ. Quandiu autem hæc duratura eſt, Gallogermanorum & Germanogallorum inter nos (ita enim loqui placet) germanitas, infirmiores futuros ſeſe perſpiciunt, quam vt ſimul vtroſque poſſint opprimere. Sunt igitur in hoc toti, vt collidi nos mutuo faciant, vtricunque parti male ceſſerit ſuam fore occaſionem rati, quo inualidioribus vtriſque effectis, in alterutros maiore compendio bellum capeſſant, & minore negotio conficiant. Sed hæc inter nos amicitia (quod ponere ſoleo inter Dei Opt. Max. in vtramque gentem, Gallicam dico & Germanicam, immortalia & maxima beneficia) hæc inquam amicitia, quam adeo ſubuertere connituntur, longe firmioribus innititur radicibus, quam vt machinis huiuſmodi conuellere eam poſſint, aut vos in amicum & ſocium Regem concitare, cuius nulla in vos niſi ficta commemorari poſſit iniuria: imo vero qui maiorum ſuorum exemplo, ornamento ſemper eſſe vobis ſtuduerit, atq; vſui, quemque nemo ſit mortalium, infirmum experturus vel hoſtem vel amicum.

Germanorum & Gallorum coniunctio.

Reuerendiſſimi, illuſtriſſimi, inclyti, generoſi, ſplendidi, ampliſſimi, ſpectabiles & prudentes, amici, fœderati ac ſocij, Deum Optimum Maximum deprecor, opes ac dignitates veſtras vt tueatur, atque etiam augeat. Datum Lutetiæ Pariſiorum, Cal. Febr. Anno Domini MDXXXIV.

Anno Domini 1534.

AD IMPERII ORDINES DE INDICENDI COMMVnis Chriſtianorum omnium Concilij ratione, Chriſtianiſſimi Regis epiſtola.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, &c. REVERENdiſſimis, Illuſtriſſimis, inclytis, generoſis, ſplendidis, ampliſſimis, ſpectabilibus, & prudentibus Sacri Rom. Imperii Electoribus, principibus, equitibus, ciuitatibus, ciuiumque magiſtris, ac cæteris vniuerſis & ſingulis ordinibus, amicis, fœderatis, & ſociis chariſſimis, S.

SVperioribus ad vos literis, quum ad quaſdam reſponderem paſſim apud veſtrates in me diſſeminatas calumnias: obiter vobis, Ampliſſimi ordines, meum ſemper indicendo communi Chriſtianorum Concilio, ſenſum, animum, & expectationem ſignificaui: id quod fortaſſe tum feciſſem accuratius ac diligentius, ſi vel leuem coniecturam habuiſſem, fore vnquam, vt (quod poſtea & literis multorum, & ſermone omnium ad me perlatum eſt) iſta quorundam obtrectatione ſugillarer, me ſcilicet ad eam rem vltro ſeſe accingenti Pontifici moram vnum attuliſſe, atque etiam (ſi CHRISTO placet) tam ſanctæ, piæque voluntati eius me interceſſorem obtuliſſe. Vt nunc autem ſe res habent, hoc eſt, quum iam dubitari apud omnes deſiſſe debeat, quo ego ſim in eandem rem animo, atque teſtes habeam locupletiſſimos, & grauiſſimos omnes omnium partium Cardinales, nihil me ab ipſo Pontifice contendiſſe obnixius atque efflagitaſſe, quam vt primo quoque tempore omnes conueniremus. nihil ſane hoc tempore optare potui accommodatius, vel ad eorum, quibus ſolo vitæ meæ curſu offenſis, quæuis ſemper viſa eſt ſatis iuſta mei criminandi cauſa, vobis prodendam audaciam & impoſturam, vel ad meam apud vos ipſos ſartam tectam ab eorundem iniuria conſeruandam dignitatem, quam, vt rumores de me ſererent huiuſmodi, & ſermones, quos res ipſa confeſtim eſſe falſos quum arguat, nullam iſtis in poſterum non modo credulitatis & fidei, ſed ne exiſtimationis quidem partem relictura ſit: id quod illis contigiſſe ſpero, atque plane confido. Sub id enim tempus, quo ii ad me rumores ſunt perlati, ſuſpenſum quidem & expectantem, quid Pontifex ſtatueret, & quem ipſe locum indicendo Concilio capiendum deſignaret, commodum aduenıſſe nunciatur ab eodem ad me miſſus Rodulphus Pius, Faucntiæ Epiſcopus, ſingulari vir ingenio, iudicio atque doctrina, communicaturus videlicet mecum his ipſis de rebus, ad quas eundem ego Pontificem ſuapte incenſum natura, meis quotidianis precibus & flagitationibus inflammatam. Quum igitur res per ſe ſatis ipſa loquatur, nihil poſthac futurum video, cur iſtorum ego animos, qui me tam grauiter ſuis

Rodulph. Pius Ep. Fauentinus.

ſet ſuis maleuolentiſſimis obtrectationibus premere voluerunt, vel leuiter debeam, quamuis laceſſitus, repungere. Animi vero mei magnitudinem, & in religionem ſtudium vt inflectam, nulla vnquam cuiuſquam faciet iniuria, quin communi conſilio (quoad eius fieri poterit) affectæ reipub. Chriſtianæ & afflictæ remedium, atque opem præſentem vna vobiſcum afferamus. Facturos porro nos operæ precium exiſtimo, ſi (quod veſtro fieri velim arbitratu) aut vos ad me, aut ego ad vos virum mittam, rem totam edoctum, vt facilius inter nos omnium cogitationum noſtrarum rationes explicemus. Multa certe vobis & quod ad rem, & quod ad conuentus ipſius locum ac tempus attinet, non æquo modo animo, ſed libentes etiam dabimus, quo certatim ad noſtras inuicem voluntates (quantum nobis per Deum ipſum licebit) aggregemur. Pium vero interim apud me retinendum cenſui, dum certum nobis, quid actum, quid conſtitutum à vobis fuerit, quid curari per me, quid perfici, cupiatis, referatur. Dabitur autem ſemper omnis omnino à me opera, vt nec vniuerſa reſpub. vere Chriſtiani à me animum, nec vos amici, deſideretis.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, inclyti, generoſi, ſplendidi, ampliſſimi, ſpectabiles, & prudentes, amici, ſocii & fœderati, chariſſimi, Deum Optimum Maximum deprecor, dignitates & amplitudines veſtras vt tueatur, atque etiam augeat. Ex Laiano ſaltu, die XXV. Februar. M.D. XXXIV.

CHRISTIANISS. REGIS LITERÆ, DE RATIONE CONſtituendæ inter Chriſtianos omnes Eccleſiaſticæ concordiæ, ad Imperii ordines Eslingæ conuentum habentes. Anno Domini 1535.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, &c. VNIVERSIS & ſingulis inclytæ Germaniæ ordinibus, conuentum Eslingæ nunc habentibus, amicis, ſociis, & fœderatis chariſſimis, S.

QVantopere ſemper hactenus elaborauerimus, vt pro iis opinionibus quæ in Chriſtiana Eccleſia controuerſæ factæ ſunt, vnum in ſenſum ac decretum ad omnipotentis Dei cultum & gloriam reducendis, celebrando vniuerſorum concilio indiceretur locus ac tempus: nemini veſtrum non ſatis eſſe compertum exiſtimo. Sed quum horum conditione temporum viderem multorum promptam ad hoc voluntatem retardari, dum de loco ac tempore idoneo non plane conſtat, decreueram (& nunc totus in eo ſum) Gulielmum Bellaium conſiliarium & cubicularium noſtrum intimum iſtuc ad vos mittere, certas quaſdam rationes executurum, à me pridem ſuper hoc omnium inter mortales pulcherrimo ſanctiſſimoque inſtituto iam initas, ac per eum vobis aut pleriſque veſtrum meo antea quidem iuſſu propoſitas, vt pro ea ſcilicet quæ Franciçæ meæ genti vetus cum veſtra intercedit communis originis & ſubinde renouatorum fœderum memoria, conuentum inter nos piorum & doctorum vtriuſque gentis hominum ageremus, quæ veluti conſultatio quædam eſſet rerum ad religionem pertinentium, cuius interuentu ſcilicet ac diuinæ bonitatis auſpicio, iam nunc etiam, ne hoc nobis tempus fruſtra pereat, dum Eccleſiæ iuſta Synodus rite cogitur, ab omni recedentes controuerſarum inter nos opinionum contentione, ad amicam veniamus earundem opinionum pacificationem & concordiam. Quod ipſum vtique, ſi quibus expectamus à vobis conditionibus, & veſtra iam mitigata dogmata nos ſperare iubent, aliquando tandem conſtiterit, nihil dubie ſperamus quod inter nos ea in re conſtitutum fuerit, id cum à Sanctiſſimo Paulo tertio Pontifice, tum à futura illa iuſta Synodo, laudatum omnino atque approbatum. Sed quum iſtius apud Eslingam veſtri conuentus ſero admodum ad me fama perlata ſit, verendum mihi vt ſit ne Legatus ad vos noſter tempeſtiuus eo non perueniat: committere tamen nolui, quin his ſaltem meis literis, & per hunc expeditum curſorem, teſtatum hoc vobis facerem, ſimul omni ratione confirmarem, nullum eſſe nos vnquam vel laborem detrectaturos, vel ſumptum recuſaturos, quo eandem vna omnes aſſequamur rectæ religionis atque vitæ rationem: ſimul nulla vos alia in re de nobis mereri poſſe melius, quam in eo quod hanc in rem præſtiteritis officio ac ſtudio, prout fuſius ex eodem noſtro legato intelligetis, cui nos hunc curſorem breui ſequuturo noſtram omnem ſuper eo inſtituto mentem, animum, ſenſum & cogitationem aperuimus, & cui vos tantundem habere fidei volumus iis omnibus in rebus, quas meo nomine vobis expoſiturus eſt, quantum nobis præſentibus & rem vna tractantibus haberetis. Quod reliquum eſt, amici, ſocii ac fœderati chariſſimi, Deum Optimum Maximum deprecamur, vt fortunas, dignitates, ornamentaque veſtra omnia tueatur ſemper, atque etiam augeat. Ex Gynuilla Campaniæ Gallicæ oppido, die decimo Septemb. M.D.XXXV.

Gul. de Bellayi

LEGATI REGII ORATIO AD EOS IMPERII ORDINES HABITA, qui conuentum Smalcaldiæ habuerunt menſe Decembri. Anno M. D.XXXV. Anno Domini 1535.

LEgationis meæ teſtimoniũ, Illuſtriſſ. & excellentiſſ. Principes, voſq; cæterorũ ordinũ ampliſſ. & præſtantiſſimi viri habetis ex his quas affero à Chriſtianiſſimo Galliarũ Rege ad vos literis. Cauſas q́ omnino duæ ſunt, ſi me (quod ſpero, & vos aliis conuentib. adhuc feciſtis) attente ac beneuolẽ audie-

audientis, fideliter ex eius verbis ac breuiter expoſiturus ſum: & earum quidem vna in eiuſdem apud vos purgatione, altera in gratulatione verſabitur, & commendatione ſanctiſſimi veſtri inſtituti, conuentuſque huius quem ad conſtituendam vnanimem inter vos, tam de religione, quam de tuenda veſtra dignitate conſenſionem eſſe à vobis indictum intelligit. Priore dum probari vobis cupit ſua omnia inſtituta & conſilia, quanta & quam ſancta ſit apud eum veſtra omnium exiſtimatio, declarabit. Poſteriore intelligetis, ſi eam quam erga ſe adhuc habuiſtis, voluntatem retinetis, eandem & ſe, quam erga Germanos omnes ſemper habuit, retinere velle, vt quam veluti per manus à maioribus ſuis ſibi traditam acceperit: quorum ipſorum ductu ac virtute, Germaniam hanc veſtram, domicilium atque ſedem Imperii conſtitutam eſſe, vos ex Annalibus veſtris recordamini. Atq; ad rem vt veniamus, Superiore hyeme, illuſtriſſimi & ampliſſimi viri, Chriſtianiſſ. Rex cum in Germania pleniſſimi calumniæ rumores de ſe, verbo, ſcriptura diſſiparentur, quibuſdam authoribus, qui quoniam aliquem per ſe aditum ad aures veſtras habere poſſe diffiderent, ideo credulitatem ambiebant ex ementitæ legationis titulo, reſpondere coactus eſt, diuiſis paſſim & euulgatis literis, ne ſilentium eius iniqui rerum æſtimatores conſcientiæ aſſignarent. Et eæ quidem literæ quum ad ipſum dimanaſſent (cuius iſti abutebantur nomine) Auguſtiſſimum Cæſarem: nihil ille antiquius habuit quam vt illuſtriſſimo & excellentiſſimo Principi, Palatino Comiti Friderico, vtriuſ-
Frideric. II. Pal. poſtea Elector. que Bauariæ Duci, tum ex Hiſpania in Germaniam per Gallias properanti hoc mandaret, vti Regi ſuis verbis fidem faceret, atque prolixe confirmaret, nihil horum aut volente, aut laudante, aut ſciente ſe vnquam in illum eſſe factum. Quod Cæſaris de ſeipſo & in iſtos luculentum adeo teſtimonium, quum abunde coarguat licentioſam, & impudentem eorum audaciam & petulantiam, plane ſperat & confidit Rex Chriſtianiſſimus, recentiores eorundem obtrectationes, quas denuo iſti ad ſplendorem eius maculandum, ad vocandum eum in inuidiam adornarunt, fidem auribus veſtris non feciſſe. Quæ vt valeant quidem apud imperitorum aures, tamen ab ingeniis prudentum, hoc eſt, veſtri ſimilium, refutandæ omnino ſunt atque repudiandæ. Duo ſunt autem quæ in eum iſti conſtituunt, inuidiæ capita: alterum à religione, alterum à Legatorum ad vos miſſione deriuatur. Atque horum duorum prius illud, quo miſcere cœlum terræ conati ſunt, hoc vno videtur niti, quod in ſuorum quoſdam Rex animaduertendo, quos iſti ſentire vobiſcum aiunt, inuidioſum de vobis præiudicium ferre, atque in eis cauſam veſtram reprehenſione tacita condemnare quodammodo videatur. His ego eos quidem commoueri pro ſua intemperantia & ſtultitia nihil miror: veſtram prudentiam eo vſque deſpexiſſe, vt vos ſecum ſperauerint permouere poſſe, hoc demiror. nam vt doctrinæ veſtræ Rex non faueat, non ignoratis hoc illi eſſe cum pleriſque aliis & Principibus & nationibus commune. Sunt profecto & in hac veſtra Germania multi, qui à iudicio veſtro partim magnopere abhorrent, partim non omnino iiſdem verbis ei ſubſcribunt: atque inter vos ipſos qui eandem profitemini doctrinam, non fuit ſemper idem omnium ſenſus. Quod autem iam in vnum coiiſtis, hoc ipſe Rex vobis, hoc boni & pii omnes gratulantur. Non eſtis porro vos eiuſmodi, neque præ vobis hoc vnquam tuliſtis, vt omnibus velitis præſcribere, aut hoc vobis arrogare, vt volentes nolentes ad eam quam velitis omnes religionem adigatis. Et ſane de vobis ſolet ipſe amanter & perhumaniter loqui: agnoſcit quædam à vobis eſſe ſanctiſſime declarata, ſed moderatius quædam fieri voluiſſet. Videt plane atque perſpicit, interuallo temporum & humana imbecillita-
Abuſus in Eccleſia. te, fortaſſis & præfectorum Eccleſiæ iniuria, vel ſuperſtitioſa præpoſteraque pietate (grauius enim loqui non placet) irrepſiſſe in Eccleſiam inutiles quaſdam, & antiquatione, vel moderatione dignas ceremonias. Si quis tamen omnes ideo ceremonias auertendas putet, ſi quis iis omnibus pro vniuſcuiuſque ſiue voluntate, ſiue opinione & clamore multitudinis imperitæ, ſine vllo publico vel decreto, vel conſilio, interdictum nobis iri velit, abhorrere illum putat à maiorum conceſſis, ſi dicere non libet inſtitutis. Eſt & fuit ſemper (quod nobiſcum & vos agnoſcitis) ceremoniarum traditio Chriſtianæ comes & adminiſtra religionis: quando enim ceremoniæ in Eccleſia non fuere? quando reprehenſæ? quando non permiſſæ? quando denique fuit, vt licet, temere damnantes, imo quæ ſi retenta non iuuant quidem, at non obſunt tamen, arbitratu ſuo conuellentes, atque ob id in pacata republi. tumultuantes, ſupplicio digni non haberentur? aut non comprimenda
Ruſticana ſeditio. duceretur temeritas concitatæ multitudinis, & occurrendum perditorum audaciæ? Si vos autem ea prudentia, humanitate, clementia præditi, fortiter pro eo ac debuiſtis, ruſticorum ſceleri
Anabaptiſtica. atq; tumultui reſtitiſtis, ſi vindicandam Anabaptiſtarum inſaniam indicaſtis, ſi de vobis cogitari vultis, vt ſine cauſa nihil facere velle videamini; cur non æquum eſt idem & vos de amico Rege cogitare: aut cur eum, quoties aliquid ſine vlla vobis cognita & aperta cauſa aliter egerit atque vultis, ideo ſine cauſa id feciſſe cogitabitis? Proculdubio neſcitis, vt eſt nobis in prouerbio, qua parte illi calceus pedem premat. Cogitare debebatis potius ab iis eſſe tentatum aliquid, quare fuerit eorum conſiliis, antequam latius malum ſerperet, occurrendum, & debilitanda illorum audacia. Egerit fortaſſis cum bonorum aliquo dolore, & propter multorum delicta peruenerit etiam aliquando ad minus nocentum pericula ſupplicium: verum, vt id fieret, non cauſa ſolum, ſed & neceſſitas eſſe potuit, quæ quanta fuerit, aut quæ ſingulorum flagitiorum capita, nihil eſt hic dicere neceſſarium. Quædam enim plerunque fiunt, quæ ne cum facta quidem fuerunt ſciri ab omnibus expedit, quare facta ita ſint: neque vobis ignotum eſt, quædam vno tempore vel diſſimulanda, vel admodum leui caſtigatione reprimenda eſſe, quæ alio eadem tempore

nullo

nullo ſatis ſeuero ſupplicio cohiberi poſſunt. Et prudenti Regi in tam late patente regno non quod agitur tantummodo videndum eſt, verum & prouidendum quid poſtea futurum ſit: & quod agitur, quo ſit tandem, & quo conſequentiæ periculo erupturum. Hæc ſi vobiſcum expendentes bene cognitum huius Regis ingenium habeatis, agnoſceretis hunc eundem ipſum artes quidem lenitatis & miſericordiæ ab ipſa fuiſſe natura edoctum: verum horum iniquitatem temporum ſeueritatis ei perſonam impoſuiſſe, quam vt ſuſtineret ad tempus, neceſſitate naturam vinci oportuit. De hoc enim ſic habete, Si quis ei cum ratione quicquam profert, attente hic illum audit: iis ſuccenſet, qui temere quicquam moliuntur, & ad eos non referunt, ad quos diſſerendi atque definiendi authoritas iure pertinet. Quare ad ſupplicium eo ſciente qui ſunt rapti, non (quod iſti aiunt) ſentiebant ii vobiſcum, ſed à veſtra plane aberrabant ſententia. Nam quæ ipſi ſtatuiſtis aut feciſtis, exiſtimare vult Rex Chriſtianiſſ: ea vos omnia communi conſilio feciſſe atque ſtatuiſſe: recte autem an ſecus feceritis aut ſtatueritis: nihil hic à ſe vult videri præiudicatum: ſed ne quid ſentiat quidem ipſe, in medium eſſe prolatum. Nam ſi magna eſſe res omnino videri debet, de rebus tam magnis dicere, multo omnium maximum eſſe cenſet de iis ſtatuere: temerarium vero, ſe iudicem præ aliis conſtituere. Habet vtraque pars aliquid, & quod probari, & quod reprobari poſſit. Verum iidem ſi iudicent qui & diſſerunt etiam vt pii ſint atque eruditi, euenire poſſe putat, vt ſi minus conſilio, tamen caſu lapſi falſum aliquando iudicent, & quod non eadem ratione ſtatutur, eodem eſſe iure debere non exiſtimat. Sed ego fortaſſe nimis multum de re minime dubia loquor, quaſi vos aliquid in hac cauſa de ſe temere credidiſſe, aut imminutum de ſe veſtrum iudicium ſuſpicetur. Igitur venio ad aliud inuidiæ caput. Cauendum eſſe vobis denuntiant ſagaces iſti patriæ conſiliarii, ab externis Regum & Principum legationibus, qui aliud in ſpeciem agere ſimulent, aliud interim obſcure moliantur: & cum Legationem Gallicam non duxerint eſſe nominatim excludendam, quod hoc ſibi inuidioſum fore arbitrati ſunt, ita deſignarunt tamen homines ad ſuſpicionem vitandam ingenioſi, vt quod verbo non exprimunt, indicare digito videantur. Vos autem ego hic appello, quicunque adeſtis illuſtriſſimi, & ampliſſimi omnium ordinum viri. Quænam vnquam ad vos vniuerſim, ad ſingulos priuatim, ab hoc Rege Legatio de re vlla profecta eſt, quæ non eſſet cum publico totius Germaniæ, ſacroſanctique Imperii Romani vtilitate, dignitate, ornamentis coniunctiſſima? Scio equidem de qua ipſi queri maximopere legatione ſoleant. Sed cum eius reprehenſio tam ſit refutatu facilis vt Cæſaris ipſius debilitetur, aut frangatur potius teſtimonio, qui literis ſuis vt ea fierent, quæ legatione illa quærebantur, intereſſe publicæ Germanorum pacis & otii teſtatus eſt. Quidnam igitur iſti moliantur, aut quo hæc animo dicant & faciant, vos pro veſtra prudentia perſpicere atque intelligere iam poteſtis. Ego fortaſſe, niſi iuſtis de cauſis ſtatuiſſem hic mihi breuiter eſſe dicendum, oſtenderem ad abalienandos à vobis ſociorum Principum & populorum animos pertinere: docerem eos in re fortaſſe iudicio ſuo parua, meo autem magna patientiam veſtram tentare voluiſſe: vt ſi hoc exemplum à vobis non eſſe refutatum intelligant, progrediantur audacius ad cætera veſtræ libertatis conuellenda præſidia. Conuincerem ex hoc nihil aliud quæri, quam vt vobis nullum relinquatur ab exteris poſthac ſocietatibus præſidium contra improborum hominum audaciam, & maligna conſilia: vtque ab amicis nudi & inopes, nullaque fœderum ſocietate muniti, opportuniores eorum ſitis iniuriæ. Deprehenderem iſtorum deploratam, amentiam dicam, an impudentiam pari cum ſtupiditate coniunctam? qui vos adeo eſſe putent rudes & ignaros rerum, adeo expertes ingenii & conſilii, vt tutores vobis veluti pueris, vel vt mentis impotibus curatores dari oporteat: quaſi diſcernere ipſi nequeatis, ſi à quoquam ad vos decernuntur Legationes, accommodatæ ne ſint vobis atque vtiles: aut tam oblitos eſſe vos libertatis veſtræ (cuius propugnatæ nomine longe cæteris nationibus antecellitis) vt hoc pro nihilo habeatis, quod in Germania iſti regnum conſtituant, libertatem veſtram tollant. Etenim plane ſeruitus eſt, ab alterius nutu pendere, nec licere quem velis admittere, aut quem colis repudiare. Sed hæc vobis oſtendere, quæ ſunt vobis perſpicua, inutile cum ſit & ſuperuacaneum, hoc ego tantum breuiter hic attingam, nullius tantas opes atq; vires eſſe, vt ſine multorum amicitiis diutius ſtare poſſint: Legationibus vero & mutuis officiis retineri veteres amicitias, nouas allici, placari turbatas. Ad hæc vicinitatis & originis coniunctione, & alterius alteri vtili auxilio, amicitiæ quum alligentur; vos nec habere hodie poteſtis, nec antehac vllum habuiſtis, in quem iſta magis quam in regem Galliarum conueniant. Nam quis vnquam Germanici nominis dignitatem Gallis Regibus induſtrius, quis alacrius, quis fœlicius honeſtauit, amplificauit? Contra, cuius vnquam nationis miles quam Germanicæ, paratior aut promptior fuit in diſcrimen ſe offerre pro Gallorum Regum ſtatu, tranquillitate, pace, otio? Quæ gens altera alteri vel ſedium ſitu vicinior, vel generis, ſiue Gallum & Germanum, ſiue Francum & Alemannum ſpectes, origine coniunctior? cuius alterius calamitas ab alterius magis calamitate pendet? quæ inuicem altera alteri nationes, maiori vel in pace ornamento, vel in bellis ſubſidio eſſe poſſunt? Itaque cum intelligat Rex Chriſtianiſſimus in concordia veſtra & virium veſtrarum conſeruatione, ſuarum ipſius magnum firmamentum eſſe repoſitum, atque ideo vtilitatibus veſtris patere viciſſim ipſe velit; proculdubio quot es inter vos minus conuenire audit, nihil ducere prius ſolet (id quod eius pleriſque ad vos literis, & Legatorum eius ſermonibus, & re ipſa, vti ego exiſtimo, didiciſtis) quam vt ſuam ad vos vna reconciliandos interponat authoritatem, curam, operam, diligentiam, ſtudium, Atq; adeo cum iamdiu intelligeret, circa religionem vos diſ-

Coniunctio Germ. & Gal.

vos diſſidere, ac piorum interim affligi conſcientias, ancipiti contentione diſtractas, dum dubitant quid fas, quid nefas, quid liceat, aut expediat; maximopere ſemper eſt veritus, ne diſsimilitudo iſta rituum & diſtractæ ſententiæ diſiunctionem etiam animorum, ea vero diſiunctio diſſenſionem inter vos pareret, quæ vt tacitis initio contineretur diſcordiis, tamen erumperet tandem in domeſticum aliquod bellum, in quo vincere quam vinci paulo minus eſſe duceret parti victrici luctuoſum. Sed (quæ altera eſt Legationis meæ cauſa) poſtea quam Regi Chriſtianiſſimo de hoc conuentu renunciatum eſt, in eo vos ſtatuiſſe inuicem veſtrum ſtudium ad communem retinendam dignitatem profiteri, neque ſi quis in religione ſit diſiunctus, coniungi nihilominus amicitia velit, in animum vt repellatis induxiſſe: tum vero magnam in ſpem ingreſſus eſt, & quemadmodum confidit veriſſimam, optimum hoc iaci fundamentum ad diſſenſionum vias omnes intercludendas, & conſtituendam inter vos concordiam, muniendaque præſidia quietis & pacis veſtræ: quinimo futurum, vt quos opinionum diſſenſio diſiunxerat, conſenſus & ſocietas conſeruandæ dignitatis ad opinionum etiam & doctrinarum concordiam reuocet & coniungat. Quocirca per literas à quibuſdam admonitus (qui aliqua ſunt in hoc conuentu dignatione) viris, ad hanc veſtram animorum inductionem ex ipſius autoritate nonnihil acceſſionis fore, ſi Legationẽ ad vos eam in cauſam decerneret, oſtenderetq; non abhorrere à ſocietatis eius veſtræ (cuius nunc ſatagitis) coniunctione: neq; illorum ipſe deſiderio non ſatisfacere voluit, neque committere, vt hoc vobis non gratularetur ſanctiſſimum inſtitutum & conſilium. Quod ipſum quidem vt cæteri amplectantur inter ſe Chriſtiani omnes, quemadmodum eſſe votis omnibus optandum exiſtimat, ita quum videat infœlicia hæc tempora moram afferre quominus in præſentia id perfici poſſe ſperet, diſſidentibus inter ſe Chriſtianis Principibus & populis: dum qui locus indicendo communi piorum omnium Concilio, hoc maxime ſi alio vnquam tempore neceſſario, vnis & alteris arrideat, aliis ad hunc peruenire tutis, ſubſiſtere ſecuris; & (quod eſſe præcipuum videtur ad res rite conſtituendas fundamentum) ſententiam libere dicere non liceat: eam rem è totius Germaniæ commodo fore ducit, atque ad perficiendi facilitatem pertinere, conuentum vt Germani omnes inter vos interim ipſi habeatis, in quo in vnam omnes ſtudeatis conuenire ſententiam: id quod facile quidem factu erit, ſi quæ quiſque propoſuerit, quum à diuerſæ partis rationibus eſſe falſa conuincantur, aut aliquanto minus rectæ cæterorum opinioni accommodata, ſequatur is alterius ſententiam, & mutet conſilium: neque à ſua quiſque dignitate vel conſtantia eſſe alienum putet, aliquid alteri condonare, potius quam obſtinatione etiam rectæ ſententiæ diſſenſionem hanc alere. Ad hoc, illuſtriſſ. Principes & ampliſſimi viri, ſanctiſſimum & pulcherrimum opus ſi (quemadmodum Rex Chriſtianiſſimus intelligit) accingimini, id quod maximopere ad publicam Germaniæ pacem retinendam, atque adeo veſtræ nationis conſeruandam amplitudinem pertinere putat, ipſum vos ad eam rem ſocium fideliſſimum, adiutorem fortiſſimum experiemini. Ipſe etiam Paulus tertius ſummus Pontifex ſæpe ab eo per nuntios ea de re interpellatus, inficiando non eſt, non eandem ſemper ab iiſdem humanarum traditionum eſſe retinendam rationem, ſed quamcunque temporum inclinatio & publicæ quietis vſus poſtulare videbitur. Ipſe idem, modo rite omnia atque ordine fiant, multa ſe profeſſus eſt temporibus, multa communi concordiæ permiſſurum. De ſe autem Rex Chriſtianiſſimus vobis & Germanico nomini ſpondet, quicquid vobis æquum eſt polliceri, id ſe omni cura, ſtudio, opera grauiter eſſe præſtaturum. Quod ſi vobis ex vſu fore videbitur ad decidendas controuerſias, vt ſuffragia quoque noſtratium accedant, ſiue vobis ſelectos ex veſtratibus doctos aliquot & pios viros mittere placuerit, ſiue ad vos vt ex ſuis mittat malueritis, habituros eum vos paratum & alacrem, & qui vobis pene ſit in hoc omnium ſanctiſſimo inſtituto præcurſurus. Interim vos adhortari atque admonere non deſiſtit, quam inter vos ſocietatem inibitis, eam vt colatis omnes ſanctiſſime, memineritiſque munimenta hæc mutuæ inter vos defenſionis, vincula eſſe pacis externæ, quod qui ſingulos quidem aggredi, idem etiam faceſſere vniuerſis negotium fortaſſe non audeat. Et ne incertis ſignificationibus teſtatam vobis Rex faciat ſuam adiuuandi huius conſilii voluntatem, hoc vobis ego eius verbis palam ac dilucide polliceor, atque omni ratione confirmo, nulli eum veſtræ ſocietatis, aut veſtrum vllius priuatim hoſti, ope, auxilio, fauore, conſilio eſſe affuturum: modo vt feciſtis adhuc, parem à vobis in ſe reſpectare veſtri animi voluntatem iubeatis. Quam inuicem vobis inter vos vltro delatam amicitiæ confirmationem, ſicut ſibi ipſi, ita & ſereniſſimo Britanniæ Regi Henrico, quicum habere omnia ſolet bello & pace communia, iiſdem legibus vt impetrarem, mandauerat. Sed quum eius adſint Oratores, ego æquum eſſe, vt hac illis cedam prouincia, exiſtimo. Carolum vero Geldriæ Ducem, Regis item mei neceſſarium, fœderatum, & ſocium, ſi à vobis eadem vt amplectamini amicitia impetrauero, rem omnium ipſi Regi gratiſſimam feceritis: ac pariter vtrumque ſemper ab omnibus inimicorum veſtrorum conſiliis alieniſſimum, amicorum amiciſſimum habebitis.

Diſſenſiones perniciosæ.

Pauli III. confeſſio.

Henricus VIII Rex Angliæ.

Carolus Dux Geldriæ.

LITE-

LITERÆ CHRISTIANISS. GALLIARVM REGIS AD ordines ſacri Romani Imperii. Anno Domini 1536.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, REVERENDISSImis, Illuſtriſſimis, ampliſſimis, inclytis, magnificis & ſpectabilibus ſacri Romani Imperii ordinibus, amicis & fœderatis chariſſimis S. P. D.

MIttimus iſtuc ad vos ex nobilibus cubiculariis noſtris, Gulielmum Bellaium Langium, noſtrum Baillivum Ambianenſem, vobis noſtro nomine certa quædam expoſiturum. Ei fidem ſi adhibeatis, rem nobis feceritis gratiſſimam.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, &c. Altiſſimus vos conſeruet. Datum Lugduni die XXX. menſis Maii. Anno M. D. XXXVI. Sign. FRANCOIS. & paulo inferius à ſecretario, *Bayard.* In ſuperſcriptione autem. *Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis, &c. Sacri Rom. Imperii ordinibus, conſanguineis, amicis, & fœderatis chariſſimis.*

AD EOSDEM LITERÆ SERENISSIMORVM EIVSdem Regis liberorum. Anno Domini 1536.

FRANCISCVS DEI GRATIA, CHRISTIANISSIMI GALLIARVM REgis primogenitus, Delphinus Viennenſis ac Britanniæ Dux, &c. Henricus Aurelianorum, & Carolus Engoliſmorum Duces, &c. eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis etiam filii: Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis, generoſis, magnificis & ſpectabilibus Sacri Romani Imperii ordinibus, conſanguineis, amicis, & fœderatis chariſſimis S.

GVlielmo Bellaio Langii Domino, Chriſtianiſſ. Regis patris ac Domini noſtri ſemper obſeruandi conſiliario & intimo cubiculario, ad vos de arduis ac magnis rebus nunc Legato, quædam etiam ad vos mandata communiter dedimus, ſuper hæreditariis quibuſdam noſtris rationibus: quarum nomine quum eiuſdem Sacri Rom. Imperii beneficiarii & clientes ſimus, viſum eſt nobis, apud alios quam apud veſtros ipſos ampliſſimos ordines conqueri non debere de iniuſta ac violenta noſtrarum rerum occupatione. Cuius indignitatem vobis coram expoſituro, eandem à vobis fidem adhiberi velimus, quam nobis ipſis, ſi præſentes vobiſcum vna loqueremur, haberetis.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, &c. Deus Opt. Max. ſacroſanctum iſtud veſtrum Imperium tueatur ſemper atque etiam augeat. Datum Lugduni Calendis Iunii M. D. XXXVI. Sign. FRANCOIS, *Henry, Charles*: & paulo inferius à ſecretario, *Clauſſe*, & in ſuperſcriptione, *Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis, &c. Sacri Rom. Imperii ordinibus, conſanguineis, amicis, & fœderatis chariſſimis.*

LITERÆ A LEGATO CHRISTIANISSIMI REGIS, ET SERENISSImorum eius liberorum, ad Principes Electores & alios Sacri Romani Imperii Principes, Data menſe Iulio, M. D. XXXVI. Anno Domini 1536.

REuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, & excelſo loco nati Principes, &c. Quo tempore venturus in Germaniam à Chriſtianiſſimo Rege dimittebar, is & Sereniſſimi eius liberi, quum & literis & ſermone multorum accepiſſent, atque ita perſuaſi eſſent, ampliſſimos Sacri Romani Imperii ordines conuentum inter ſe hoc tempore habituros, literas & mandata communiter ad eum conuentum mihi dederant, vt ſenatum ſibi dari flagitarem, quo vos libere ac tuto, cutaque omne offenſionis vllius periculum, tam de ſuis ad Inſubres atque alias hæreditates rationibus abs ſe per vim atque iniuriam abſtractas, per Legatos earum actionum peritos edocerent, quam apud hoc ſacroſanctum Imperium, in quo dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere ſemper cupiunt, ſui facti rationem probarent, & ſingula in ſe intentata maledicta potius quam crimina diluerent. Verum poſtquam in Germaniam perueni, ſimul didici, neque in præſens haberi, neque propediem habitum iri Concilium: ſimul mihi minime tutum fore, veſtras ſingulatim adire atq; appellare Amplitudines: quin à pleriſque ſumma dignatione viris amice ac ſerio ſum admonitus, mihi extrema omnia intentari, ſi vſpiam in Germania publice apparerem. Commotus ſum ex eo ſane non mediocriter, neq; meo tantum & Regiæ cauſæ periculo (quanquam & eo quoq;) ſed ipſius etiam rei nouitate, ſimul & indignitate, quod non magis Regem meum violari, quam vos ipſos, quam ſacroſanctam huius Imperii & Germanicæ nationis authoritatē intelligebam, quib. olim cum diuina clementia eam animi & roboris excellentiam impertierit, vt non ſua tantum, verum aliena quoq; ab omni iniuria vindicare, propugnare, tueri, in animum inducerent ſuum: quis non dignum omni commiſeratione iudicauerit, huc iam veſtram recidiſſe libertatem, vt hoc vobis ferentibus atque conniuentibus, admittere quiſquam, aut repudiare vos pro ſuo arbitrio, Regum & Principum legationes iubeat? quibus velit, aditum ad vos patere, aut intercludi edicat? & iis edicat nominatim, qui authores generis eoſdē habent, quos habetis Imperii, ſiue Francos eſſe, ſiue Francogermanos malueritis; quique hoc ipſo Francorum Imperium.

vobis

vobis conciliato, & veluti poſtliminio ad Latinos è Græcia reducto Imperio ſupra ea quę in Germania & Italia, & vbiuis gentium vobis multo ſuo ſudore ac ſanguine pepererunt ornamenta eius Imperii, & præſidia libertatis veſtræ, iis etiam quas per amplas ex ſuorum antiquo patrimonio proprias ad vtramque Rheni Ripam obtinebant prouincias, liberaliter auxerunt nomen, atque fines Germaniæ, honeſtarunt hoc Imperium: tum res ſuas ita vobiſcum ſemper amice conſtitutas habuerunt, vſu, ratione, concordia, vt ne in grauiſſimis quidem & pertinacibus bellorum, inter Reges ſuos & Cæſares veſtros incendiis (quod non ita pridem experti eſtis) veſtra cum illis ſocietas, & mutua inter vos communicatio diſſoluta vnquam aut diſſipata fuerit? Ab iis (inquam) ius

Legati ſancti.

gentium in hoc imperio, vt ſociorum Legati ſint apud vos ſacroſancti, quorum nomen eiuſmodi eſſe debet, vt etiam inter hoſtium arma verſetur incolume, deſiderabitur? Sed hanc, Principes ampliſſimi, & alias tam indignas quam inſolitas ſibi factas iniurias permittit Rex æquiſſimo Dei omnipotentis arbitrio. Ego vero, qui me videbam ab illo, & ſereniſſimis eius liberis nullam magis ob aliam cauſam in Germaniam eſſe miſſum, quam vt vobis quibus vt ius deſignandi Cæſaris; ita permiſſa ſunt beneficiorum & clientelarum Imperii iudicia, controuerſas illorum cauſas explicarem, & eorum patrimonii occupatores ex iure manu conſertum vocarem, de quo patrimonio iudicium detrectaſſe deferuntur, & quo proculdubio eo carent ægrius, quod illius cauſa inter huius imperii ampliſſimos ordines haberi enumerarique poſſunt, atque adeo glorioſum ſibi eſſe ducunt. Ego, inquam, ne omnino mea illis legatio fruſtra eſſet, quod me coram facere ſummo ſine periculo non poſſe admonitus eram, per literas id exequi conſtitui, atque ad Illuſtriſſi. Princi-

Ludouicus Pal. elect.

pem Ludouicum Comitem Palatinum, quod is Galliæ finitimus quum eſſet, in Galliam ab eius ditione receptus, minus habere videbatur periculi; quas à Rege meo & liberis eius habebam literas, adiecta illis mandatorum ſumma, per nuntium diligenter miſi, enixe orans, vt cum ſuis collegis, & cæteris item imperii ordinibus, ad quos eius rei iudicaret notionem pertinere, communicare de cauſa vellet, deque iuſtis illorum poſtulatis ſtatuere. At is mihi per literas ſignificauit, ſe ad ſereniſſimum Regem Ferdinandum omnia miſſurum eſſe, per quem ad Cæſarem de iis referretur; qui ſe quemadmodum ea in cauſa debeat gerere, probe norit. Sed quid ego ſapientiſſimi Principes, à Cæſare aut Ferdinando ſperem, niſi vt mandata cum literis ſupprimant? Alter enim eorum Principum ornatus eſt ſpoliis, auctus patrimonio. Vterque dum id agunt, id cogitant, in eo laborant, vt Regem apud omnes traducant: ſtudioſiſſime (vt videtis) ne quid ipſe de inuidia deponeret, quod in eos traiiciat, itinerum obſeſſione curant: & hunc interim criminantur nunc Inſubres ſine iure repetere, per iniuriam prius occupaſſe, nec ſubire vllius vnquam iudicium voluiſſe: quum nihil ho-

Mediolanum.

rum ſit tamen, contra vero ſint omnia. Nam in poſſeſſionem Inſubrium, Ludouicum Regem, & hunc generum & propinquum eius, ex hæreditario, auito, & proauito (vt ſic loquar) iure, Maximilianus Cæſar re quæſita & deliberata miſit, in fidemque & clientelam Imperii more maiorum ac de procerum conſilio accepit. Tum Rex meus, huius Imperii ordines, totius controuerſiæ diſceptatores non modo nunquam recuſauit, ſed vltro etiam ac ſæpe depopoſcit: tantum abeſt, vt vel in hac, vel in Sabaudienſi cauſa (quæ aliter etiam vobis atque habet expoſita eſt) conflictari iudicio detractauerit. His ego igitur tot ac tantis difficultatibus affectus, vt offenſionem negligentiæ vitare tamen atque effugere poſſim, & pro eo officio, quod Chriſtianiſſimo Regi meo, & ſereniſſimis eius liberis debeo, illorum mandatis ſi non plene, ſaltem aliqua ex parte ſatisfaciam, & aliquid certi atque teſtati referre ad illos poſſim, ecquod in æquitate veſtra paratum habeant perfugium. Ecce, Principes æquiſſimi, communiter ad vos vniuerſos has literas per proprium hunc tabellarium ſcribo, & priuatus ſingulos nominatim appello, veſtram omnium & ſingulorum fidem imploro. Reſpicite regni noſtri, atque Regum eius, cum hoc ſacro Imperio antiquiſſimam

Gallia & Germania coniunctio.

fœderis ſanctitatem, & cum veſtræ Germaniæ Principibus renouatæ toties cognationis, neque vnquam intermiſſæ amicitiæ neceſſitudinem. Cogitate qui ſitis, quo loco, quod ſit antiquæ veſtræ veræque Germanicæ libertatis officium. Expendite quid vos dare huic imperio, quid authorum eius memoriæ reddere, quid præſtare reipubl. Chriſtianæ debeatis. Ne ſinite concuti ac debilitari præcipua eius capita, quorum ex amplitudine præſidia periculis, & adiumenta honoribus quærere ac ſperare poteſt: quorum maiores præ cæteris ſemper, res, corpora, vimque omnem ſuæ poteſtatis, incommoda eius & incrementa conſumpſerunt. Hoc enim vnum omnium maximopere vos oro & obſecro. Hæc eſt Regiorum ad vos mandatorum ſumma, vt omnia deponatis, ſi qua ex falſis auditionibus iam omnino concepiſtis præiudicia: vt à quo ſtant iura omnia, ad eum tranſire opinionem iuſtitiæ patiamini: vt in memoriam redeatis iuris eius hæreditarii, iam inde à proauis atque atauis certi ac teſtati, tamque luculento Maximiliani Cæſaris teſtimonio

Maximilian. I. Imp.

ac iudicio comprobati: vt conſideretis cum animis veſtris voſmetipſi, Maximilianum ab huius ſocero pro ea (quam vocant) inueſtitura, ſupra centena quinquagena nummum aureorum millia extorſiſſe: neque ita multo poſt coacto exercitu, (atque iiſdem fortaſſe diuiſis in eum vſum pecuniis) eundem ipſum exegiſſe. Meum Regem ab eodem Maximiliano Mediolani Ducem agnitum, quum iam multos annos receptum ab occupatore Principatum poſſediſſet, à Carolo Cæſare etiam indicta cauſa deturbatum: cum hoc tamen iure & maiores veſtri, & vos ſemper vſi

Feuda Imperii.

fueritis, vt Imperii veſtri beneficium ab altero in alterum transferendi ius & facultas in lege, non in vllius conſiſtat voluntate atque audacia. Cuius legis, cum veſtrum ſit, æquiſſimi Principes, proprium

proprium ac peculiare iudicium, conſtituite iam apud vos, quid ſit vobis ad hæc ſereniſſimorum Principum æquiſſima poſtulata reſpondendum: qui vos orant, vt ſe quoque (ſicut cæteros ſacri huius Imperij Principes) dignos exiſtimetis, quorum cauſam intelligere non aſpernemini. Mihi proculdubio, ſi vos eſſe, qui eſtis, recordamini, hoc eſt, Imperii Romani liberos ordines, & ſupremos eodem in Imperio controuerſiarum iudices, ſerio videtur à vobis vrgendus Cæſar, vt ſenatum illis dari, vt parere iudicato malit, quam vt in illa permaneat quam neſcio an ſatis digne iactat opinione, vt conferre ſe vires ſuas omnes, & in Regem meum experiri malit, quam in Turcam ipſum, in Chriſtiani ſanguinis & nominis hoſtem hæreditarium: ſeque profiteatur dimoueri nulla re ab hac ſententia poſſe, quin omnia potius, atque ſuas ipſius omnes prouincias, quas à tergo relinqueret, expoſiturum prædæ Turcicæ, quam à bello caput auerſurum, ſemel in eum Regem cœpto, cuius à maioribus ea profecto acceſſerunt familiæ Auſtrianæ opum & facultatum incrementa, quibus maxime in hoc, quo nunc eam videtis, eluctata eſt culmen atque faſtigium. Quod ſi maluerit in hac perſeuerare voluntate & in noſtros fines ſemel (vt aperte minitatur, & iam fortaſſe aggreſſus eſt) impreſſionem fecerit; nihil ſane Rex Chriſtianiſſimus, aut liberi eius omiſſuri ſunt, atque Deo propitio iam ad omnia egregie inſtructi ſunt, quæ ad eum intrepide excipiendum ſpectant, & curari debent à patriæ ſuæ atque ciuium ſuorum amantibus ac vigilantibus patronis. Sed antequam tanta excitetur in republ. tempeſtas, ex qua ipſi, quicquid Chriſto audiens eſt, ad exitium & vaſtitatem vocari non ignorant, iam inde ab initio vt iniretur via, qua ſanguini parceretur, aut aliquid ſaltem adhiberetur temperamenti, hæc me apud vos commemorare voluerant: vt intelligatis, ſi ad arma cum Cæſare veniant, non ſuam eos voluntatem, ſed tuendi ſe, atque iniuriæ propulſandæ neceſſitatem adduxiſſe. Quod quum præſenti mihi perficere non licuerit (multa enim fruſtra & apud multos ſum expertus) ad extremum literarum ſubſidio eſſe vtendum duxi, Amplitudines veſtras interim obſecrans, vt quid ſuper hac æquiſſima Regis mei ac liberorum eius petitione ſtatueritis, mihi per hunc nuntium reſcribere ne grauemini. *Auſtria incrementa.*

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, &c. Deus Opt. Max. eaſdem amplitudines & dignitates veſtras tueatur & fortunet, atque in hoc graui & vrgente negotio, vereque ad vniuerſos pertinente, tam ea vobis inſpiret conſilia, quæ veſtri officij ratio poſtulat, quam quæ Chriſtianæ rei exigit neceſſitas.

CHRISTIANISSIMI REGIS EPISTOLA AD ELECTORES Imperij, data menſe Decembri Anno Domini M. D. XXXVI. qua conuentum ad diſceptandam de Mediolano controuerſiam, & ſe aduerſus maleuolorum calumnias purgandum, indici poſtulat.

Anno Domini 1536.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX &c. REVERENDISſimis atq. Illuſtriſſimis Principibus ſacri Romani imperij electoribus, conſanguineis, amicis, & fœderatis chariſſimis, S.

Satis ſuperque ampliſſimi Principes, amici veteres, fœderati, & conſanguinei chariſſimi, intellexiſſe vos exiſtimo, quibus, quoties, & quam inuidioſis criminibus, ex quo primum in fortunas meas hoſtiliter inuaſit Cæſar, acceſſitus oppugnatusque fuerim. Quanta vero idipſum iniuria, vt iniquorum meorum refutatis calumniis aliquando vobis conſtet: atque vt controuerſias meas & liberorum meorum cauſas vobis explicem, quarum eſt propria notio iudicii veſtri: quemadmodum ego mea quidem intereſſe duco, ita veſtri fortaſſis officij fuerit, ſenatum iis de rebus mihi dare cum pro ea quæ vobiſcum intercedit mihi antiqua, & quantum in me fuit, ſancta ſemper amicitia: tum vt incommodis occurratis indies eo ex bello gliſcentibus, quod earum occaſione rerum ſubinde renouatum eſſe conſpicitis. Id quod ego ſub initia renaſcentis huius belli, quum à vobis diligenter efflagitauerim (dolenter hoc, non contumelioſe in vllum dicam) minorem mihi habuiſſe videmini, ac par erat, poſtulationis meæ rationem: vt qui nondum mihi tanto iam interuallo ſignificaueritis, quid ab æquitate veſtra ego ac liberi mei ſperare debeamus perfugii atque præſidii. Eam ob rem vt ne temere forte, neque tam ex animo quam perfunctorie poſtulaſſe id à vobis videamur, idem in præſentia ego etiam atque etiam eo quidem accuratius efflagito, quod ſubinde atrocioribus affectus iniuriis atque indignitatibus, extare apud vos cupio (quicunque poſtea caſus conſequetur) & petitionum mearum & conſcientiæ teſtimonium aliquod ſempiternum. Enimuero non ignoratis, quemadmodum Cæſar, vbi me ſatis in inuidiam rapuiſſe ſibi viſus eſt, longa illa & intemperante oratione, qua publice Romæ apud ſummum Pontificem, & conſeſſum Patrum, eorum in me culpam deriuare conatus eſt, quæ contra me ipſe multa egerat: tum ad eam ſe accingens prædam, quam opinione ac ſpe velut explorata deuorabat: improuiſo, atque adeo cum de firmanda inter nos pace, conciliandaque ſanctiore amicitia, cum Legatis meis tranſigere ſimulabat, inſtructiſſimis terra marique exercitibus, quadripartito me inuaſerit: eo etiam animo & conſilio, nunquam vt bello facturus finem eſſet, donec me, cæteris interim poſthabitis

habitis cum priuatis tum publicis commodorum atque incommodorum cogitationibus, imperio ac fortunis omnibus (vt publice iactabat) exuiſſet. Neque vero defuere, qui vt expeditius illi foret, hoc re ipſa præſtare, quod ipſe iam ante Neapoli ſcriptum, meditatum, cogitatum attulerat, Romæ non iracunde minus quam inſolenter effutierat, facinus auſi ſunt, omnium poſt homines natos deterrimum & crudeliſſimum, quod iam dimanaſſe ad aures veſtras puto. Ego vero tractare nequeo ſine refricatione doloris, ex patrio ſenſu, & acerba recordatione miſerabilis & indigniſſimæ necis, natu maximi filij mei, cum quo quanta conciderit huius florentiſſimi regni expectatio, non patitur mœror vt referam. Et ſane id teſtificari poſſunt externi & domeſtici, quicunque egregiam adoleſcentis indolem recordantes, temperare ipſi lachrymis non poſſunt. Huius ego nefandiſſimi ſceleris, ampliſſimi Principes, nolim cuiuſquam, nedum tanti Principis famam perſtringere crimine, quod ſuſpicionibus tantum & coniectura poſſit coargui. Verum ipſe tam execrandi facinoris adminiſter, cuius ex nominis recordatione totus horreo, Sebaſtianus Comes à Montecucullano, priuatim & publice, etiam in ipſo ſupplicij atque mortis articulo profeſſus eſt, authores ſibi fuiſſe patrandi huius atrociſſimi ſceleris, Antonium Leuam, & Ferdinandum Gonzagam, Principes in exercitu Cæſariano viros, ſeque primum à Ferdinando multis oneratum promiſſis, quo tollendos viros aliquot primarios ſuſciperet, ad Cæſarem eſſe introductum: à Cæſare multa interrogatum, de mea cibi atque potus ratione, ad Antonium vt quæ ille imperaret exſequeretur, eſſe miſſum. Antonium, vt me primum, & ex meis item aliquot veneno tolleret, hoc mandaſſe. Si hæc amici veteres fœderati, & conſanguinei chariſſimi, tam atrox accepta iniuria digna vobis non videtur, quæ hominem poſſit à vitæ ſuo ſtatu deducere, quænam tandem eſſe digna poſſit, non video. Tametſi ego quidem tantis affectus indignitatibus, maledictis & contumelijs laceſſitus, petulantibus libellis (indigniſſimo Regibus exemplo) traductus, clientum meorum ad defectionem ſollicitatione oppugnatus, crudeliſſimo bello abſque denuntiatione vexatus, talis filij crudeli & miſerabili morte afflictus, cum me ad vlciſcendas has iniurias efferret animi quidam dolor neceſſarius, occaſionem afferrent Cæſariani exercitus, vbicunque poſuerunt veſtigia, mutilati & affecti: tamen vt ſanguini Chriſtiano parcerem, & quod authorem huius victoriæ Deum dominum exercituum agnoſcerem, quo nimirum vlciſcente Cæſar ab audaciſſimo cœpto abſtractus eſſet, potius quam humanarum virium auxilio: venienti ad me Legato Pontificis, de pace cum hoſte denuo coagmentanda, lubens parui: etiam meas liberorumque meorum res interuerſas eiuſdem hoſtis beneficio accipere non recuſaui. Contra hoſtis ne Fortuna quidem fractus minuit inſolentiam, & Legati ad ſe Pontificij orationem, vt antea fecerat, inſtructiſſimis & promittentibus ſibi victoriam exercitibus ſic afflictis & profligatis, contumaciter & ſuperbe repudiauit, ſeque in Italiam recepit ardens & cumulatus ira, inueteratoque odio noſtri nihil quicquam niſi de pernicie noſtra cogitans. Atque adeo ſeſe de integro reparaturum vires minitatur, & eam vlturum in me de qua conqueritur iniuriam, quæ à me profecto nulla (quod ſciam) in eum eſt profecta: niſi hoc aſcribere iniuriæ voluerit, quod me ſupra quam voluerit aut ſperauerit, eius obſiſtente conatibus, vel numine potius eius vlciſcente contumaciam, effectum eſſe intelligit, vt inuectus in me iracundius, quam fortius exequutus videatur. Quorſum hæc tandem omnis, dicetis, ſpectat oratio? nempe vt quam obſtinato cum hoſte bellum habeam, intelligatis: & cum iam is mecum agat, non quam late regnaturus, ſed regnaturus ne ſim, eius etiam adminiſtri an victuras; mirum vt ne vobis videatur, ſi me poſthac mea cautio adigat (vti adiget, ſi ab æquitate veſtra nihil impetrauero) mihi ac rebus meis vt capiam vndecunque dabitur conſilium: id quod mihi antea quidem licuit ſemper, & nunc neceſſe eſt etiam, loquatur licet in me hoſtis quicquid ſibi libuerit. Ego vero ſemper habiturus ſum (quod habui adhuc) præ oculis, tum vt ne vllo ſcelere me aſtringam, tum vt cuiuſcunq; armis vtar, ſi erit neceſſe vti, ſiue ad propulſandam iniuriam, ſiue ad res meas & liberorum meorum repetendas; tamen ij quibus ſine noſtra reprehenſione non poſſint, ea arma ne noceant.

Delphini interitus.

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principes, amici veteres, fœderati & conſanguinei chariſſimi. Deus Optimus Maximus ſacroſanctum hoc veſtrum Imperium vobis ac reipubl. Chriſtianæ tueatur, atque etiam augeat: & ea vobis inſpiret conſilia, quæ poſtulare videbitur horum temporum occaſio & neceſſitas.

EXPO-

EXPOSTVLATORIA CHRISTIANISSIMI REGIS EPISTOLA, DE violato tabellario, ad ampliſſimum Cardinalem Moguntinum: qua conuentus item ad diſceptandam Mediolani controuerſiam poſtulatur: tum alia quædam explicantur, ad retinendæ publicæ concordiæ rationem facientia.

Anno Domini 1536.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, &c. Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi Alberto, eadem gratia Eccleſiæ Moguntinæ Archiepiſcopo, ſacri Roman. Imper. Electori, atque in Germania Cancellario ſummo, ſacroſanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinali digniſſimo, &c. conſanguineo, amico, & fœderato chariſſimo, S.

QVVM proximam ad Septemuirale iſtud ampliſſimum veſtrum collegium à me ſcriptam epiſtolam tabellario ad te dabam, per te virum eo ipſo in Collegio Principem cum collegis tuis communicandam; tum equidem oſtendebam vehementer me demirari, neque id certe immerito, nihil iam tanto interuallo reſponſum à vobis fuiſſe ad priores Guilielmi Bellaij Legati ad vos noſtri literas: quibus videlicet vbi aditus eo perueniendi ſibi comperiſſet ipſe omnes eſſe interclusos, poſtulata noſtra detuliſſet, de priuatis illa quidem noſtris rationibus, ſed tamen ad officium propriè iudiciumque veſtrum, & publicorum auerſionem incommodorum (vt quæ maxime) pertinentibus. Interea vero dum me reſponſionis expectatio veſtræ ſuſpenſum ac ſollicitum habet, ecce tibi non admirationis nouæ tantummodo, ſed expoſtulationis quoque oblata cauſa eſt, & ea profecto non minima. Etenim quum iam tabellarium dimiſiſſem, tum mihi è Germania prior ille tabellarius, cui literas ſuas Bellaius ad vos perferendas crediderat, præſto fuit: à quo ego quum itineris ſui rationem acciperem, varie profecto & pro eo ac debui affectus ſum. Initio enim quum ex eo audiebam, fuiſſe à pleriſque veſtrum humaniter & acceptum & dimiſſum, reſcripſiſſe item nonnullos ad Legati mei literas: quoſdam promiſiſſe paratas literas ſe ad reditum eius habituros; mirifice (vt par erat) ea in me beneuolentiæ ſignificatione recreabat. Verum vbi, quam pro redditis literis ab Illuſtriſſimo Ioachimo Brandeburgenſi Marchione, tui fratris filio acepiſſet iniuriam, intellexi; tum vero hac contumelia grauiſſime non commoueri non potui: eiuſmodi enim ea fuit, nullam vt rem in hoc genere poſt hominum memoriam, inſigniorem aut indigniorem non modo ad vos vnquam delatam, ſed ne à quoquam quidem auditam eſſe arbitremur. Nam quid veteres illas commemorem Regum & populorum expoſtulatas grauius inter ſe, ac vindicatas acerbius iniurias? Ego enim adhuc nullam audire memini, quæ tam ſine vllo exemplo quidem ea ſit, magis tamen ad exemplum pertineat. Berlinum tabellarius cum literis Legati mei, & mandatis ad Marchionem venerat: tabellarius ille inquam Principis, nec id tantum, ſed (vt mihi hoc meo iure dicere liceat) Chriſtianiſſimi Galliarum Regis nuntius, credo & amicitiæ noſtræ, & veteris ſocietatis authoritatem aliquid valere alioqui debuiſſe. Sed vide, quam pro nihilo ea mihi omnia fuerint, quo minus ab eo quidem (à quo minime debui) indigniſſime contemneret ac violaret. Venit ad Marchionem cum literis ac mandatis nuntius meus. Marchionem, vt fit, honorifice ſalutauit: reddidit etiam quas ad eum habebat literas. Accipitur ſane, quod ad ſpeciem & ſimulationem attinet, non omnino inhumaniter. diuertit, nec id iniuſſu Marchionis, in cauponam: vnde commodius poſſet, quandocunque liberet, accerſiri. Nec erat quicquam quare ſecus ſuſpicari poſſet is, quem conſuetudo inter nos, ac fides mutua, & libertas ad vtroque vltro citroque commeandi, ſecurum præſtabat: ita vt nihil omnino doli, nihil inſidiarum vel periculi ſubeſſe videretur. Atque non multo poſt reuocatus ad arcis ipſius ingreſſum, humaniter in vaporarium eſt deductus, ibidemque cum aulicis aliquot iuſſus diſcumbere. Quo poſt paulo ingreſſi viri quinque primarij, ex quibus duos tantum ſe noſſe dicit, alterum Marchionis magiſtrum equitum (Mareſcallum vocant) alteri Euſtachio Schlebello nomen eſſe: cæteros, quinam eſſent, ignorare. Eos inquit meus nuntius, vbi ex ſe de ſuo primum, deque Legati mei toto itinere, atque vbinam ille tum ageret, & quo ſtipatorum numero iter faceret, quæſiſſent: deinde ad incutiendum terrorem & trepidationem, minaciter eſſe percontatos, Quonam ipſe in loco, & quibus cum cædem eam feciſſet, cuius reus ageretur: poſtremo nunquid ex eorum eſſet incendiariorum numero, qui tum Germaniam nocturnis incendiis deuaſtarent & perderent. Cum negaret, vllius ſe homicidii aut incendii ſibi conſcium eſſe: ſe nuntium noſtrum affirmaret: eius mandati adminiſtrum, à quo cum nihil diſceſſiſſet, nihil in quenquam hominum ſcienter feciſſe, quod ab vllo reprehendi poſſe arbitraretur. Tum ij nihilo hac reſponſione facti æquiores, dum nuntium noſtrum, vt latronis ſatellitem excutiunt, in earum exemplaria literarum incidebant, quas Legatus meus communiter ad vos dederat, & formis vt excuderentur ea tantum gratia curauerat, vt quam ego ad æquas me demiſiſſem conditiones, vniuerſi per Germaniam intelligerent. Ea quidem exemplaria & aliquot præterea literas Legati mei, nondum ijs ad quos mittebantur redditas, tum vnius atque alterius veſtrum ad Legatum eundem meum epiſtolas, tabellario

Ioachimus M. Brandenburg.

noſtro per ſummam contumeliam abſtulerunt: ſubinde ſciſcitantes, Annon ſatis ſciret, quam inter me & Cæſarem belle conueniret? annon edicto publico Gallos omnes, & quicunque Gallicæ ditionis eſſent, regionis illius aditu prohiberi? quæ tanta illi fuiſſet confidentia, vnde iſte contemptus eſſet, vt non impetratis publicæ fidei literis eo per ſe venire auſus eſſet, vbi libellos diſſiparet huiusmodi, quo vno facto incendiarius vere dici poſſit atque debeat? vtpote qui Cæſari, ac rebus eius plus inde incommodi atque periculi attulerit, quam ſi pagos duodecim igne immiſſo aliquando conſumpſiſſet. Quum iterum ille mandata patroni excuſaret, cum nihil offenſionis à ſe prudente fuiſſe oſtenderet, cum teſtaretur antiquiſſimam Imperii veſtri cum hoc Regno meo ſocietatem, quæ publicæ fidei literarum loco eſſe ſibi debuiſſet; quo etiam nomine & abs te Marchionis patruo, & à cæteris quos ante adiiſſet Principibus, & acceptus & dimiſſus fuiſſet humaniter: illi miſerum hominem diuina humanaque iura atque auxilia implorantem, onuſtum grauibus catenis, quas tum collo, tum ſiniſtro brachio inuolutas miſerabili aſpectu geſtabat, ſpreta Dei religione, ac humana ſocietate, gentiumque omnium iure violato, in cuſtodiam crudeliſſime & inhumaniſſime coniecerunt. Habes hactenus quam honeſta & iuſta cauſa nuntium meum fœderatus, & amicus in vinculis habuerit. Iam venio ad reliqua. Ibi cum ille totos dies quinque, grauiora morte ſupplicia expectaſſet, rurſus iidem ad eum ingreſſi, diligentius exquirunt, quidnam rerum toto itinere feciſſet, dixiſſet, audiuiſſet: minari etiam, ſe de eo quæſtionem habituros, niſi vltro confiteatur omnia. Addunt illum à patrono ſuo iis periculis fuiſſe de induſtria expoſitum, & Principes illos, qui ſe dixerant reſcripturos, hoc ideo promiſiſſe, quod ſcirent eum nunquam ad ſe reuerſurum. Quibus ille minis tam præſens certumque ſibi ſupplicium capitis ſignificari ac promitti intelligebat, vt ne nunc quidem dubitet, eas pœnas ſe daturum fuiſſe, niſi diuino potius beneficio quam humano ſubductus fuiſſet conſilio. Quo in loco mira Marchionis in me iniquitas, & improbior quædam maleuolentia & iniuria extitit. Nam cum miſer ille forte fortuna elapſus eſſet è vinculis, ac tum fuga, tum latebris, ſibi ſalutem quæſiiſſet: Marchio edicto ſuo florenos quingentos præmium ei propoſuit, qui ad ſe fugitiuum illum retraxiſſet incendiarium (ita enim tabellarium ille deſignabat meum) quem Rex Galliarum ad vaſtandam igne Germaniam ſummiſiſſet, quique magicis artibus & præſtigiis è carcere aufugiſſet. Dignumne per Deum immortalem edictum, quod in Regem Galliarum, à Germano Principe, hoc eſt, à fœderato in fœderatum non temere tantum, ſed (ne quid durius dicam) tam maligne emitteretur? Quid enim, patiensne, an diſſolutus hoc in edicto videar, ſi æquo animo diſpendium hoc famæ, hanc atrocem iniuriam, à Marchione illatam paterer? præſertim cum non modo nulla eſſet à me prouocatus iniuria, ſed non obſcura etiam mea in eum voluntate, officiis etiam meis, vel in hoc ornatus, quod ego ad eum quoque inter cæteros cauſam meam vltro detuliſſem. Ad quam tantam contumeliam & hoc quoque accedere voluit, quod miſer ille hoc edicto ruſticorum obiectus eſt furori, qui cum iacturam (vt audio) magnam ab incendio fecerant, tum etiam præmio inuitabantur ad illius perniciem. Cuius ſi innocentia nihil commouebat Marchionem, nihil miſerrimi hominis & peregrini apud exteros ſolitudo, nihil afflicti & plane perditi calamitas; an etiam illum nihil noſtri nominis, nihil Imperij veſtri maieſtas, nihil noſtræ ſocietatis & amicitiæ reuerentia, nihil humanæ communitatis leges, nihil religionis ac pietatis obſeruantia debuit commouere? Dimanarant ad me quidem antea clientum aliquot meorum aliæ querimoniæ, qui ſe dicerent aliena quædam à commodis ſuis in Germania eſſe paſſos: audiebam apud vos agi, & traduci honorem meum & opinionem in circulis & conuiuiis: neque ignorabam quoties in Germaniam Legatos mittebam, ſiue ad refutandas aduerſariorum in me calumnias, ſiue ad alia quæcunque procuranda negotia, eos paſſim intercludi, obſeruari, obſideri. Poſtremo & hoc etiam intelligebam, de quo ego ſic vobiſcum expoſtulandum eſſe duco, vt quam ab æquitate veſtra ſit, & à noſtra coniunctione alienum, volmetipſos cogitare, proque ſocietatis inter nos & fœderis ratione ſtatuere, maximopere cupiam & flagitem. Intelligebam (inquam) nihilo mitius hodie cum veſtratibus agi, qui mihi ad retinenda vel obtinenda mea nomen darent, quam ſi vobis, imperio veſtro templis, delubris, calamitatem omnem & ſolitudinem attuliſſent. Hæc tametſi omnia vt indigna erant, ita mihi videbantur, quod Rex amicus, quod ſocius, quod in legitimo atque hæreditario regno more maiorum conſtitutus, quod alieni nunquam appetens, quod maiorum meorum in omnes officiis, meis etiam in plurimos, mihi viderer eſſe meo iure commendabilis: tamen ea (quoad eius fieri poterat) ſic ferebam moderate, nulla vt mihi oblata ſit interim de vobis bene merendi occaſio, in qua non experti ſitis, ſicuti & in poſterum (niſi vobis aliter videbitur) experiemini ſummam meam in commoda eiusdem imperii veſtri communia diligentiam, in ſingulos ordines benignitatem, in omnes homines beneuolentiam & fidem. Nam nec ego meopte ingenio tam libenter de amicis bene mereri deſino, quam grauate nuntium illis remitto: nec eas omnes iniurias arbitrabar, aut à vobis, aut ab vllo in quem ſtatuendi ius eſſet vobis, ſed à maleuolis meis atque aduerſariis tantummodo proficiſci: qui quum ipſi nihil intentatum vellent relinquere, quo antiquam illam inter nos conſuetudinem dirimant, ſibi vero perſuaderent futurũ, vt ſi noſtris hominibus iniurioſe in Germania habitis, ego Germanis paria in hoc regno meo rependerem, tum inter nos tandem cõmitteremur: hac vtiq; perſuaſione moti, & ſpe imbuti, curauiſſent clientes & Legatos meos male in Germania excipi & haberi. Tum quæcunq; ad me inuidia obruendum maledicta iudicabant accommodatiſſima, quum ex conſcientia ſuorum in me factorum & conſi-

conſiliorum ſceleratiſſime deprompſiſſent; neque vellent aut purgandi mei, aut quod deonerarem de inuidia, in eos traiiciendi à quibus ſtaret inuidia, locum mihi ac facultatem vllam supereſſe: tum vero illos ad vim arbitrabar animos intendere, atque in eo laborare, vt quos nullis poterant artibus diſiungere, acerbitate certe ſuppliciorum ab eadem auerterent coniunctione, atque mutua inter nos beneuolentia. At poſtremam hanc iniuriam tantum abeſt vt eodem quo priores gradu ponam, vt ne diſſimulare quidem eam poſſim: nempe qua ſim ab eo affectus, à quo minime debui: & in eo Imperio, quod à maioribus meis acceperit præcipua pacis ornamenta, & libertatis ſuæ in periculis præſidia tutiſſima: liceat enim hoc mihi ſine inuidia dicere: in eo (inquam) Imperio, qui cum amice ſemper vixerim, quod quo ſponte offenderem, ne minimum quidem vnquam in me fuit: in eo meum nuntium, & ab eo Principe, quocum ego Rex ſocius & amicus de ſumma reipubl. Chriſtianæ velut cum arbitro agerem (coniuncta eſt enim eiusdem reipub. periculis qua de nunc agitur controuerſia) inſidioſe capi, contumelioſe haberi, vinciri, cuſtodiri, veſte, zona, pecunijs, armis, equo, ſarcinis, meis ad Principes imperij, & Principum ad me literis ſpoliari, & quo mihi grauior conflaretur inuidia, pro ſummiſſo incendiario, atque à me ſubornato, capitali ſupplicio deſtinari: ad hunc retrahendum, trucidandum, efferatum vulgus, & perſuaſione iniuriæ, & præmio propoſito concitari. Ego ſane, dum ille miſer etiam tum iniuriæ illius ac violentiæ immanitatem, pallore, macie, trepidatione præ ſe ferens, catenarumque adhuc impreſſa oſtendens veſtigia, flens apud me miſerabiliter caſum ſuum deploraret: cum hoc ipſo commotus ſum vehementer, tum edicto illo inſolenti eſſe me inſigniter violatum, grauiſſime doleo. Tuam vero, ampliſſime Princeps, hic appello conſcientiam & memoriam, ecquid aliud Legati mei ad vos literæ, ecquid mandata continebant, præter meam de iniuriis, deque itinerum inſeſſione querimoniam, cum poſtulatione iuris coniunctam? idque præſertim apud eos, à quibus vt non poſtulaſſem, expectare tamen debueram. Marchionem porro auditis, nunc quoque ſe hac vna ratione defendentem, quod diſperſa circum Germaniæ ciuitates earum literarum exemplaria, plus Cæſari attulerint incommodi, quam ſi opulentiſſimi pagi duodecim incendio illi periiſſent. Quodnam vero eiusmodi eſſe poteſt incommodum, niſi quod iis literis aduerſus maleuolorum & obtrectatorum noſtrorum *Cæſaris poteſtas* calumnias, aliquando eſt defenſa veritas? Sed hæc ratio non video quid habeat in quo poſſit conſiſtere, niſi forte vnus hic fuit ab Imperio ad vos translato Cæſar, cui non modo iura imperii omnia tradidiſſe Germania videatur, ſed à cuius etiam præſcripto nihil audeatis recedere: cuius vel iniuriis omnibus patrocinari vos oporteat; qui ſi cuiusuis exiſtimationi notam inurat, ſi quem de poſſeſſione vi eiciat, ſi clam, ſi dolo malo in alienæ rei poſſeſſionem obrepat, eam vos confeſtim eſſe eius propriam atque legitimam iubeatis: quicunque autem re aut verbo eidem reſtiterit, vel ad vos prouocarit, quorum eſſe debet earum rerum peculiaris ac propria cognitio, hunc vos in hoſtium publicorum, hunc incendiariorum in numero habere cogamini. Neque enim adduci poſſum, vt voluntate vos potius adductos, quam impotenti eius tyrannide adactos, hæc videre ac pati poſſe putem. Veruntamen ſi acceptam à maioribus veſtris libertatis, æquitatis, ac religionis gloriam retinere vultis, cur alios potius, quam vos ipſos reſpicitis? Cur non aliorum ſecuti, veſtri memores eſtis in æqui bonique iudicio? aut ſi patimini æquo animo, diuina humanaque iura impune violari, cur non libenter etiam de antiqua illa laudis poſſeſſione deceditis? An cum apud vos toties, nunquam tamen niſi iuſte querar, nunquam animos veſtros, nunquam æquas aures habeam? à pleriſque repudier? Senatum petens violer? cum hoſte interim bellum habeam, qui omnes cum omnibus reconciliationes gratiarum in meam vnius ambiat perniciem? Cur igitur mihi non liceat iam tot annos, & has, & alias multas indignitates paſſo, contumeliis omnibus onerato, amicitijs, clientelis, contra fœderum leges nudato, bello crudeliſſimo abſque denuntiatione vexato, legatorum offenſione, per eum etiam à quo ius expectari oportuit, violato, rariſſima indole filii, crudeliſſima & indigniſſima necati morte afflicto, veneno ipſe quoque vt tolleter, appetito, à vobis denique neglecto, deſerto, derelicto: cur non liceat (inquam) mihi ac rebus meis aliunde capere, vndecunque dabitur conſilium? modo tamen vt quam ego mihi ac rebus meis adhibebo cautionem, ita eam adhibeam, vt ſi maledicta quidem non potero, certe crimen effugiam. Sed redeo ad poſtremam hanc, qua de nunc agitur, iniuriam: de qua prius quam ego apud iſtud ampliſſimum veſtrum Septemuirale collegium publice conqueror, mihi viſus ſum facturus operæpretium, ſi apud tuam familiariter Amplitudinem expoſtulauero. Etenim cum tu primas iſto in Collegio feras, ſis in Germania iſtius Imperii Cancellariorum ſummus, ingenij grauitate polleas, ijs dotibus fueris in ordinem patrum Eccleſiæ cooptatus, ijs nominibus abhorrere omnium maxime debeas (vti mea quidem ſententia facis) ab ijs omnibus quæcunque vi ac iniuria tentari, agiue à quocunque contigerit: maxime vero eidem Marchioni cum ſis patruus à quo violari ius gentium, & quantum in eo fuit, diſturbari vitæ ſocietatem, moleſte (vti pareſt,) ſis laturus; non dubito quin omnem ſis operam, omnem curam atque ſolicitudinem adhibiturus vt ille in ſalutaribus tuis monitis acquieſcens, memoriam huius offenſionis, cum animi æquioris atque reſipiſcendi ſignificatione, tum inſigni aliquo deleat officio. Quod ſi pro ea, qua valere apud eum debes authoritate perfeceris proculdubio pro eius perſonæ quam ſuſtines officio, pro mutua inter nos fide ac neceſſitudine, pro maiorum opinione noſtrorum, pro Chriſtiana pietate, pro communi

omnium & in præſens & in futurum otio, pace, tranquillitate laudabiliter ac ſanc͂te feceris. Summa igitur meæ apud te poſtulationis hæc erit, vt de Marchionis facto ita ſtatuas, meam vt dignitatem poſſim apud omnes integram obtinere: deinde vt communicato cum ampliſſimis iſtis & prudentiſſimis tuis collegis conſilio, illam ſeueritatem moderemini (nolo enim grauius quicquam dicere) qua in Germania paſſim (vt dicebam) animaduerti audio in veſtrates omnes, quicunque mihi meruere milites: poſtremo vt iiſdem iſtis de rebus, deque eo quod ſperari vultis mihi ac liberis meis eſſe relictum in æquitate veſtra, perfugio, dilucide mihi & ſignificantibus verbis aliquando reſcribatis. Ego ſane nihil rerum omnium inter homines magis ex animo cupio, quam publice ac priuatim ſic inter nos conuenire, nonnihil vt potius ad amicitiam noſtram coniunctionemque priſtinam accedat, quam vel tantillum de ea decedat.

Reuerendiſſime, Illuſtriſſime Princeps, conſanguinee, amice, atque fœderate chariſſime, Deus Optimus Maximus Amplitudinem tuam tueatur ſemper, atque etiam augeat.

Anno Domini 1536.

AD VNIVERSOS IMPERII ROMANI ORDINES, CHRIſtianiſſimi Regis de indicendo conuentu, deque ſibi oblatis per Solimanum Turcarum Regem pacis conditionibus Epiſtola.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, &c. REVERENDISſimis, Illuſtriſſimis, generoſis, inclytis & ſpectabilibus ſacri Rom. Imper. ordinibus, conſanguineis, amicis, & fœderatis chariſſimis S.

QVVM per hoſce dies crebris amicorum ad me literis, mihi ſignificatum fuerit, Cæſarem Carolum certos homines miſiſſe, qui à vobis auxilia peterent, tum ad noſtros aduerſus ſacrum veſtrum Imperium conatus (vt dicebat) reprimendos, tum vt Solimano Turcarum regi occurreret, quem aiebat etiam inuitatu atque hortatu noſtro exercitum in vos comparare: viſum eſt mihi pro antiqua illa inter nos iam inde à prima gentis vtriusque origine contracta coniunctione & amicitia, non temere ferendum eſſe, vt inter vos inauſpicata hæc de mea erga vos omnes voluntate opinio, taciturnitate mea diutius ſeneſceret: quin potius veſtram duxi omnium & ſingulorum æquitatem & prudentiam etiam atque etiam implorandam, vt ne continuo fictis huiusmodi & commentitiis accuſationibus aures veſtræ pateant: quas accuſationes non modo me refutaturum, ſed traiecturum etiam in eum ipſum accuſatorem ſpero & confido: modo vt vos nihil grauemini, ſenatum iis de rebus mihi dare, quemadmodum ego id à vobis, & ante hac ſæpe ac diligenter petii, & nunc denuo etiam atque etiam efflagito: tum vero officii veſtri & quam ſuſtinetis perſonæ ratio mihi videtur, vt concedatis, exigere. Atque vt ad primum accuſationis eius caput veniam, prætermiſſis iis omnibus quæ contra me Cæſar nulla fœderum habita ratione multa egit, & quæ tametſi quidem tuendæ noſtræ integritatis ratio vt exponam, hoc loco poſtulat, quia tamen non flagitat, præterire malo. Ego, ampliſſimi ordines, quinam ii ſint mei conatus, quos apud vos Cæſar tantopere vt à commodis Imperii veſtri alienos criminatur, quos publico Germaniæ conſilio vindicandos quiritatur, non video. Enimuero ſi poſteaquam omnes fruſtra ſum aggreſſus retinendæ atque ſtabiliendæ pacis inter nos & concordiæ rationes, ea tandem armis recuperare tentauero, quæ mihi per vim atque iniuriam ablata Cæſar retinet; vel ſi ſanguinem vlciſci meum aliquando in animum induxero, quem vos quibus artibus quamque crudeliter & ſcelerate iſti appetierint, audiuiſtis: ego vero neque non recordari, neque recordari ſine lachrymis vnquam poſſum: vel ſi bellum in Cæſarem hoc tempore ſuſcepero, quo is ſcilicet (poſtquam ab eius me inſidiis liberauit Deus Optimus Maximus cauſæ meæ complexus æquitatem & innocentiam) iactitare publice non erubeſcit, ſe nullius gentis aut hominis auxilium aut fauorē aſpernaturum, dum eam vlciſcatur, quam in ſe queritur à me profectam eſſe iniuriam: an me ideo Ampliſſimi ordines continuo perduellionis reum eſſe, continuo veſtri Imperii hoſtem iudicabitis? Tametſi ego quidem huius de me querimoniæ nullam agnoſco omnino cauſam, niſi forte quod obuiam illi cum exercitu in me irruenti, ſupplex & reuinctis à tergo manibus, non prodierim, neque me ad eius pedes illico abiecerim: quemadmodum ipſe ſibi perſuadebat fore: certe apud ſummum Pontificem, apud Cardinalium Eccleſiæ Romanæ ſacrum ordinem, apud omnes omnium Principum, ciuitatum, populorum Legatos, ita ſe facturum dictitauerat, ſi ſe habere militem exiſtimaret, adeo & rudem & inexercitatum, atque me iudicio quidem ſuo habere prædicabat. Verum ad rem vt redeam, Ego, Ampliſſimi ordines, etiam vt vindicaturus ſim aliquando tam atroces eas, neque homini vel diſſoluto ferendas iniurias, tantum abeſt tamen vt aduerſus veſtrum iſtud Imperium moliri ac tentare quicquam velim, vt è contrario nihil minus cupiam eius cauſa laborum ſuſcipere, quam maiores olim mei ſuſceperunt, quamque ego me ſuſcepturum antehac ſæpe obtuli. Iam quod Cæſar addidiſſe fertur, Solimanum ſe hortatu atque impulſu meo, ad inferendum Chriſtianis atrox bellum accingere: equidem de illius apparatu non ita pridem ex multorum ad me literis intellexi, in quibus erat etiam, adornare Solimanum eos exercitus quanta maxima vnquam feciſſet cura, celeritate, diligentia, idque (vti vulgo ferebatur) ad vlciſcendum id quod in Africa proxime damnum acceperat. Cur id autem exiſtimabitur meo feciſſe vel hortatu, vel conſilio, ſi quum olim à Cæſare vocaret in eiusmodi ſuſpicio-

Solimani conatus.

ſuſpicionem criminis, æque atq; nunc etiam vocor, exitus adhuc fidem fecit me fuiſſe purum plane atque innocentem? Aduerſus autem hunc tanti hoſtis apparatum, vt ſe potius compararet Cæſar, quam vt bellum in me (quod nunc omni conatu facit) de integro inſtauraret, æquum proculdubio vel hac vna ratione foret, quod cum illi cauſam dedit arma in nos conuertendi, dum pro Rege Afro bellum intulit, tum vero id longe audacius & maiore ſpe aggrediendi, occaſionem vnus affert, miſera inter nos virium noſtrarum acciſione, ex hoc tumultu inteſtino: quem non minus obſtinate nunc tuetur, quam eiuſdem prius voluntarius author fuit. Sed veretur, opinor, atque refugit leuitatis & inconſtantiæ ſibi notam inurere, ſi contra quã ſe publice teſtatum meminit, non omnia ſuſque deq; ferat tum priuata ſua, tum publica rei Chriſtianæ incommoda, potius quam vt caput ſit vnquam à ſuſcepto ſemel in me bello auerſurus. Quin & plerique mihi nuntiant, etiam quidam à Conſtantinopoli recentes (ego vero temerè vobis affirmare non auſim) eundem ipſum veſtrum Cæſarem hoc nunc vnum agere, hoc cogitare, in hoc laborare, vt quibus ego Solimani eiuſdem viribus & opibus, antehac mihi ne cogitanti quidem oblatis, vti nolui, non modo ad inferendã, ſed ne ad arcendam quidem iniuriam; illis ipſe (inquam) Cæſar viribus vltro & ambitioſe expetitis, ad me vnum exercendum, diuexandum, conficiendum abutatur. Sane vero vtcunq; ſe res habet, mire inſtat Solimanus, atque inter hos apparatus mihi iam aperte denuntiat, nullum ſe amplius dubitationi locum reliquum eſſe velle, quin aperte ſignificem, pacatone me, an hoſte, in re præſertim nihil ad me præcipue, nihil ad Chriſtianorum commune pertinente vti ſibi ſperandum ſit. Cogitate porro voſmetipſi cum animis veſtris, Ampliſſimi ordines, conſanguinei, amici, ſocii, atq; fœderati veteres, quorſum tandem hæc mihi proponatur optionis, hoc maxime tempore neceſſitas, quo ego ſcilicet in extrema ſum poſitus fortunarum omnium, ac vitæ, ſalutiſque noſtræ dimicatione. Cogitate (inquam) ac redite quæſo in memoriam eorum omnium, quæ tum iis ipſis ad vos literis, tum aliis non vnis, ad eos Principes, ad quos deſignandi Cæſaris cura pertinet, commemoranda duxi. Recordamini me iam ſtatim ab initio, cum res adhuc in apparatu magis quam in adminiſtratione belli verſaretur, Legatum ad eos miſiſſe cum mandatis ampliſſimis, petitum atq; oblatum Cæſari juris noſtri ex moribus & exemplis diſceptationem. Qui cum ipſi hortari me ad id, atque in primis vrgere debuerint, tamen poſtulata mea non repudiarunt modo, ſed Legatos etiam & nuntios meos violari paſſi ſunt: neq; id tantummodo, ſed accurrere ſuos clientes, & certatim ei nomina dare, qui me indicta cauſa, contraq; ius & fas omne opprimendum, exigendumque regno ſuſceperat: neque id tantum etiam, ſed in eos quoque animaduertere, quicunq; mihi ad propulſandam iniuriam atque perniciem, adducti coniunctionis noſtræ memoria meruiſſent: atque ita animaduerti, quaſi Imperio illi veſtro, aris, focis templis, periculum, vaſtitatem, ſolitudinem attuliſſent. Quæ cũ ita omnia ſe habeant, quæſo vos, ſi vt implacabili, ſi vt contumaciſſimo omnium hoſti facilius poſſim obſiſtere: ſi vt de altero ſim ſecurus, æque formidabili quidem ipſo, ſed neque adeo vel iniquo vel implacabili: ſi vt ne cum illo hic ſe coniungat (à quo illo intelligo non iam fortunas meas, vt antea, ſed vitam hanc atque animam peti) cum hoc ego pacem fecero: addite ſi placet, nulla interim eorum habita ratione, qui nullam ipſi periculorum & incommodorum meorum habuerunt: quæſo vos (inquam) ecquænam mihi aſſignari eo nomine culpa, vel conflari iuſte inuidia poterit? Vel ſi poterit, annon illam iuſtus dolor excuſabit atq; diluet? Mihi vero, dilectiſſimi conſanguinei, amici, ſocii, atq; fœderati veteres, cogitata diu ratione conſtitutum eſt, pertentare malle omnia, quam vt noſtram antiquam illam coniunctionem non omnino retineam: aut ſi minus retinere poſſim, teſtatiſſimum certe non relinquam, omnem à vobis eius rei culpam, à me partem illius nullam extitiſſe. Vos itaq; re integra commonefaciendos eſſe duxi, quidnam ego in præſenti rerum mearum acerba ea quidem & anxia, ſed inculpata difficultate, mihi capiendum eſſe conſilii exiſtimẽ. Cuius ſane conſilii, atq; adeo cautionis, & vos quoque, niſi per vos ſteterit, participes fore velim & confido. Etenim ego ita omnino conſtitui, ſi quo Solimanus apparatu contendere dicitur, eo contẽdat: neque animum ſuum Cæſar ad clementiorem inclinauerit ſententiam: cæteri vero Chriſtianæ reipubl. ordines incommodorum meorum interim ſpectatores, quidam etiam impulſores, authores, fabricatores eſſe perſeuerauerint; quaſi ſalus illius in mea vnius conſiſtat pernicie, cuius in ſalute conſiſtere potius bonam partem & ſalutis & ornamentorum illius exiſtimo: ego (inquam) omnino ita conſtitui, cum eo me depacturum, ſi quas aliquando potui, etiamnum impetrare poſſim pacis aut induciarum conditiones. Veſtrum porro erit de iis omnibus (ſiquidem ita placet, & videtur) mihi per literas reſpondere, atq; voluntatem ſignificare veſtram, gratumne vobis futurum ſit, ſi quanto vos huic incendio propinquiores video, propter loca quædam in limitibus veſtris ab illo iam capta, tentem ego apud illum, vt ipſi quoq; ad me eiſdem pacis ac induciarum conditionibus adiungamini. Atque vtinam cæteri omnes Chriſtiani nominis ordines eo eſſent affectu, ea voluntate, ea denique propenſione, & animorum inclinatione ad pacem, vt vnuſquiſque rationi obediendum ſibi duceret: atque alter alteri vt ne nocere vellet, quo nos ſimul omnes, quicunque Chriſto eidem Domino militamus, communi animorum cõſenſione viam inueniremus, qua ille ab inuaſione deflecteret: atque in alienas à fide noſtra gentes tantummodo, vires ſuas & inſtructiſſimorum exercituum robur conuerteret.

Rex Tunetanus

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, generoſi ac ſpectabiles, conſanguinei, amici & fœderati chariſſimi. Deum im̃ortalem enixe precor. veſtrum vt Imperium vobis & reipublic. Chriſtianæ perpetuo conſeruet ac tueatur. Lutetiæ, die XXII. Ianuar. M.D.XXXVI. ad calculum Gallicum.

CHRISTIANISSIMI GALLIARVM REGIS, AD PRINCIPES & alios Imperii ordines Wormaciæ conuentum habentes Epiſtola, qua Senatum de Mediolanenſi controuerſia ſibi dari poſtulat, & alia quædam ſuper Solimani expeditione ſignificat.

FRANCISCVS DEI BENEFICIO FRANCORVM REX, &c. VNIuerſis & ſingulis ſacri Romani Imperii ordinibus fœderatis, ſociis, & amicis chariſſimis S.

Anno Domini 1537.

QVanquam ego, Ampliſſimi ordines, ex ſuperioribus non paucis meis ad vos literis, (quæ vt ad
vos vniuerſos & ſingulos aliquando peruenirent, quoquo modo potui, operam dedi) cõſtare
omnibus arbitror, nihil prorſus intentatum nos reliquiſſe, vnde imminentibus ex renouato inter
me ac Cæſarem bello, reipubl. incommodis occurri poſſe ſperauerim: quia tamen ex amicorum ad
me literis conuentum à vobis Wormaciæ Vangionum propediem eſſe habendum intellexi; con-
quieſcendum adhuc mihi non putaui, quin eadem quoque ipſa repeterem, quæ prioribus illis Epi-
ſtolis non poſtulaueram modo, ſed enixe etiam flagitaueram: nempe vt pro eo quem geritis magi-
ſtratu, pro eo quod in commune Chriſtianorum nomini, quod maiorum noſtrorum inter nos cõ-
munium memoriæ, quod mutuis viciſſim inter nos acceptis & collatis beneficiis, debere videmi-
ni officio, conuentum tandem indiceretis, ad quem mihi Legatos actionum mearum omnium pe-
ritos libere ac tutò ſecuroſq; offenſionis omnis mittere liceat: qui tam aduerſariorum meorum re-
fellere poſſint maledicta (ſi quod forte ſupereſt eiuſmodi, cui virorum illuſtrium famam eſſe ſub-
iiciendam arbitremini) quam etiam noſtræ liberorumq; noſtrorum cauſæ rationes ad eas res con-
firmare, quibus rebus ſub Imperii quidem veſtri clientela poſitis, ad nos vero pertinentibus, nullo
noſtro merito ſumus, nullo neq; more neque exemplo ſpoliati: qui tamen quemadmodum earum
rerum cauſa inter eiuſdem Imperii veſtri clientes enumerari, diciq; non inglorium nobis eſſe duci-
mus: ita nos vobis neq; incommodo neq; dedecori futuros arbitramur. Et Legatos quidẽ noſtros,
Ampliſſimi ordines, quanquam accipere à me legationem vlla de re, Imperiis atq; edictis prohibe-
amini; iam nunc tamen veſtra nixus æquitate dimitterem, niſi ſerius de indicto conuentu veſtro ac-
cepiſſem: quẽ fortaſſis, & (vt ego exiſtimo) eo animo, deq; induſtria Cæſar improuiſum & inexpe-
ctatum indici voluit, ne indictionis ad me perueniente fama, cauſæ mihi per legatos eo in conuen-
tu exponendæ explicandæq; (vt qui in tenebris ipſe verſari, quam in luce malit) occaſio daretur &
facultas. Duo porro percrebuiſſe iam video, & in ore atque ſermone omnium eſſe, de quibus refe-
rendum Cæſar eſſe ducit, ac de quibus à nonnullis conſultus iſtius veſtri ordinis non infima autho-
ritate viris, quidnam ipſis ducerem eſſe reſpondendum: quoniam ad me quoq;, atque ad eã quam
apud vos petitionem inſtitui, pertinere puto, viſum eſt noſtri eſſe officii, noſtram vt vobis iis de re-
bus ſententiam aperirem. Conqueritur apud vos Cæſar de impenſarum immanitate, quas gerẽdo,
vno eodemq; tempore tot diſiunctiſſimis in locis bello, ſuſtinere cogitur: accedere ad id nouum à
Solimano Turcarum Rege in Chriſtianos omnes præcipueq; in Germanos bellum: imparemque
ferendo ei oneri ſe teſtatur. Proinde cupit vt interim Imperii veſtri ſenatoribus ſalaria, vt militi ad-
Comitia Imperii. uerſus Solimani apparatum ſtipendia, veſtro ære perſoluantur. Horum primum, Imperii veſtri ſena-
tum videlicet profitetur (vt eſt reuera) dirimendis clientum inter ſe controuerſiis, iuri omnibus di-
cundo, tuendæ proborum innocentiæ, cohibendæ improborum audaciæ, præ cæteris rebus omni-
bus accommodatiſſimum: atq; ob id multis ante ſæculis à priſcis illis Imperatoribus ſanctiſſime in-
ſtitutum. Alterum, vt Solimanni occurratur conatibus, Chriſtianis inquit in vniuerſum omnibus,
priuatim vero imperio veſtro, vt ſi vnquam alias, hoc tempore maxime neceſſarium. In vtroq;, vt
video, idem ſpectatur Cæſari ſcopus, idem finis: nimirum vt ad nummos veſtros celeriter perueni-
at. Ad vtrumq; ita reſpondebo, viam vobis vt aperiam, qua impenſis vt quam minime grauemini,
atq; honoribus interim veſtris & dignitatibus fruamini ſine periculo. Tametſi ego quidẽ non igno-
ro ad Cæſarem debere hoc potius pertinere, vt quem exiſtimem eo fuiſſe priſcis illis Imperatoribus
ſuffectum, vt qua illi olim, eadem nunc ipſe ſolertia, cura, vigilãtia, ius vnicuiq; reddat, imperium-
que veſtrum non tueatur modo, ſed augeat etiam. Quo magis mirari ſubit, Ampliſſ. ordines, aude-
re Cæſarem ad vos ſcribere, ſibi ad ius reddendum, ad tuendum imperium, hoc eſt, ad officiũ pro-
prie ſuum, pecunias deeſſe: quæ abunde tamen illi ad inferendam iniuriam, ad interuertendas im-
perii opes ſuppeditant. Nam hoc bello, quod cauſatur, ſicut iniuſto illo quidem, ita voluntario (vt
Mediolanum. excuſationem hanc prætexere nequeat) vtrumque per eum agi confirmare liquido poſſum. Sed
quum mearum quoq; partium eſſe ducam, & Imperio prodeſſe, cuius me clientem agnoſco Inſu-
brium principatus ergo, & auertere omnia quæ inimica eſſe videantur veſtro nomini, atq; dignita-
ti: ego ad poſterius hoc ita profiteor, quoniam aliquo ſuſpicionis odore à quibuſdam eſt deprehẽ-
ſum, qui eius me rei admonitum voluerunt, hanc à Cæſare denegationẽ ſalariorum aliqua in cauſa
eſſe, quo minus ego quum ſæpenumero conuentum indici, ſenatum mihi dari, exemplis ac morib.
me deduci petierim, & eo tempore quo Cæſar nobis in ſpem veræ pacis obtinendæ ingreſſis, de
integro eam ſubuertit, & quo iam volente Deo, incitatos impetus eius retardaueram, adhuc tamen
id impetrare potuerim, quod negari mihi certe ſine ſummo Cæſaris, ſine famæ atque nominis ve-
ſtri aliquo detrimento non poteſt: profiteor (inquam) me potius quam vt hæc veſtro decori dene-

gatæ

gtæ vel dilatæ iuſtitiæ nota inſideat, vel de veſtro ſalarium dare iudicibus cogamini, id me quamdiu noſtra cauſa Senatus habebitur, deque noſtra controuerſia diſceptabitur, ſuppeditare de meo velle: tantum vt diſceptatore imperii populique Romani ſenatu (qui vſpiamne ſit, haud ſatis ſcio.) Imp. P. Q. R. Senatus.
non Caroli Cæſaris redemptorum iudicium concilio decidatur. Tametſi ego quidem (vt plane loquar) nihilo leuioribus ad me defendendum, quam Cæſari ad me offendendum impenſis opus eſſe mihi cenſeo. Sed cum videam eo rem adductam eſſe (bonam in partem accipi hoc à vobis velim, quemadmodum dico animo amiciſſimo) non grauabor, vt exemplum hoc in me Cæſar inſtituat, ſi qui poſthac (veſtris Cæſaribus ærarium publicum ad opprimendos eos exhaurientibus, quos tueri magis deceat) ius ab Imperii Senatu poſtulaturi ſint, ſalaria iudicibus vt præbeant. Iam vt ad alterum petitionis Cæſareæ caput veniam: Ego, Ampliſſimi ordines, quum viderem Cæſarem (qui occupaſſe adeo poſſeſſionem Fortunæ ſibi videatur) ardentem odio atque in me plus quam hoſtili animo, publice teſtari auſum, ſua omnia prædæ Turcicæ permiſſurum, potius quam vt bello in me abſtineret (quod ipſum ſane aliud nihil erat, quam Solimanum ad paratam & indefenſam prædam inuitare) quum viderem Cæſaris orationi reliqua conuenire, id pugnare illum ſcilicet, id agere, vt me (quantum eſſe in eo potuit) fortunis omnibus euerteret: ad apparatus Turcici famam, ad vtriuſque Siciliæ trepidationem, ad populorum ſuorum diuina humanaq; auxilia implorantium obteſtationem & obſecrationem nihil vel parum commoueri: poſtremo cum viderem ita me à Solimano vrgeri, vt differre non poſſem, quin vel illi pacatum me fore promitterem, vel hoſtem ex profeſſo experirer, quo pacato vti poteram & quo vti erat neceſſe: adactus ſum ea neceſſitate, quum iā vel minima dilatio temporis plena eſſe periculi mei videretur, cum altero placabiliore ſcilicet hoſte Solimano depaciſci inducias, vt aduerſus impotentem, implacabilem hoſtem Cæſarem facilius me tuerer ac defenderem. Verum iſtas inducias tamen ea ratione ſum depactus, vt quoad eius fieri potuit, non vni mihi tantummodo, quaſi veſtra cæterorum Chriſtianorum pericula pro nihilo mihi habenda eſſe ducerem, ſed Chriſtianis in vniuerſum omnibus conſulere prouidereq; ſtuduerim. Cuius rei vos ego teſtes appellare poſſum, ſi quidem ad vniuerſos meæ literæ peruenerunt, quemadmodum eas proximo Ianuario menſe ad ampliſſimum Cardinalem Moguntinū, vt cum cæteris communicaret, dedi: ad quem eas perueniſſe certo ſcio. Vtcunq; eſt, etſi reſponſi nihil à vobis tulerim, Legatus tamen meus hanc ipſius Solimani vocē excepit, *Nihil ſe, niſi prouocatus fuerit, Germaniæ nociturum*. Ac tum fortaſſe factu facile fuerat, vt vos mecum ad eaſdem pacis aut induciarum conditiones adiungeremini, idque vt mihi relinqueretur integrum, quantum per obſtinationem hoſtis importuniſſimi licuit, curaui atq; prouidi. Porro autem veſtrum erit ea de re (dum eſt integrum) ſtatuere, meque, ſi vobis ita videbitur, conſilii veſtri atque voluntatis admonere. Vos me ſane ad eam rem (vt quam maxime omnium velim) interprete fideliſſimo, ſponſoreq; officioſiſſimo vtemini: vt qui perſiſtere cupiam in illa ipſa eadem erga vos animi beneuolētia, vobis meo iudicio non incognita. Viciſſim vero & hoc à vobis Ampliſſ. ordines, quod non ſemel antehac feci, diligenter etiam atq; etiam poſtulo, & veluti meo quodam iure debitum efflagito, vt qui è veſtratib. milites ad me tuendum, ad conſtituendum aut recuperandum fortunarum mearum ſtatum, ſtipendia mihi fecerint: eo apud vos eſſe velitis loco, quo ii eſſe debent, qui mutuæ originis, ſocietatis, neceſſitudinis, amicitiæ memores, depellere decuit à cognatis, à ſociis, à neceſſariis, ab amicis iniuriā voluerunt. Tum pueri huius, per quem vobis hæ redduntur literæ, tutum itum & reditum, non à veſtra ipſorum quidem (à quibus ea timere nolo, quæ ne Barbaris quidem in mentem, vt committant venire debeat) ſed ab eorum præſtetis iniuria, quibus nihil eſſe ſanctum experior, & fortaſſe non nemo veſtrum intelligit.

Reuerendiſſimi, illuſtriſſimi, inclyti, generoſi, ſplendidi, ampliſſimi, ſpectabiles, & prudentes amici, ſocii, fœderatiq; chariſſimi, Deum Opt. Max. veneror, vt quod iſto conuentu ſtatueritis, decreueritis; fœlix, fauſtumq; ſit vobis, cunctæ Germaniæ, Imperio veſtro, & Chriſtianis in vniuerſum omnibus. Medone, Pariſiorum agro, Pridie Cal. Aug. M.D.XXXVII.

FRANCISCVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, &c ILLVSTRISſimis & excellentiſſimis Principibus Ioan. Friderico eadem gratia S. Rom. Imperii Archimareſchallo, & Principi Electori, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, &c. & Philippo Landgrauio Haſſiæ, Cattorumq; Comiti, &c. conſanguineis, amicis, & fœderatis chariſſimis, S.

REdditæ ſunt mihi literæ, veſtro fœderatorumq; veſtrorum nomine quibus cum Schmalcaldię Anno Domini
tum conuentum habebatis, tertio Non. Mart. ad me datæ. Quarum tria potiſſimū eſſe capita 1537.
animaduerto. Primum quidem excuſatis quod ſuperioribus eodem in loco conuentibus habitis, Orator noſter non quam expectabam reſponſionem tulerit: cauſam etiam affertis quare ne nunc quidem decerni à vobis Legati ad nos potuerint. Deinde poſtulatis vt hæreditariam illam beneuolentiam ac fidem, qua Germanos omnes ſemper ſumus proſecuti, perpetuo tueamur ac retineamus: neq; vos & qui vobiſcū eandē in ſocietatē coierunt, à nobis deſtitutos velimus, quin ſingulari eorum atq; veſtræ in Eccleſiæ concordiam & Chriſtianæ reip. otiū animo voluntatiq; ſuffragemur. Poſtremo, quid conſilii de Synodo ceperitis, ſignificatis copioſe, oſtendiriſque ſcire velle, quæ ſit ea de re mens noſtra. Quod ad primū attinet, multo gratiſſimū fuit intelligere, quicquid ſuperiore cōuentu omiſſum eſt, id neq; à culpa veſtra, neq; abalienato à nobis animo profectum fuiſſe, Quamobrem qui rerum ſummæ apud vos præſunt, ſi (quemadmodum conſtitutum vobis eſſe videt)

deo.)Legatos ad me ſunt miſſuri,hos ego humanitatis genere omni ſic accipere cogito, vt ſi literæ illis(quemadmodum ſcribitis)ſuaues ſunt viſę,conſpectus noſter nihilominus iiſdem iucundus ſit futurus. Ad caput alterum ſic habetote:Scire vos opinor,viri ampliſſimi, gentem quidem Germanicam,ex qua velut ſtirpe genus meum duci non ſolum libenter profiteor,ſed magno etiam in honore pono,tanta neceſſitudine ſemper cum Francica coniunctam fuiſſe, vt maiores noſtri vtranque fere pro vna eademq; gente habendam cenſuerint.Quod ſiqui adhuc ſunt, qui non ita exiſtiment,vehementer meo quidem iudicio falluntur, manifeſteq; originem noſtram ignorã ſibi eſſe præ ſe ferunt.Itaq; mirum videri minime debet,ſi quæ inter cæteras nationes pacta ſunt atque inita fœdera,literarum monimentis & quam validiſſimis fieri potuit cautionibus nitantur:qua vero inter nos neceſſitudine vincimur,ea demum vna ſit,quæ cum ex ſeſe ipſa conſiſtit,tum in populi vtriuſque pectoribus impreſſa longa temporum ſerie egiſſe radices altius,inſeuiſſeq; hanc non iã conſuetudinem,ſed potius naturam videtur,& ita inſeuiſſe, vt quantumuis corruptis vetuſtate ac ſitu (ſi id forte aliquando contingat)mutuæ beneuolentiæ velut tabulis,ipſa tamen amicitiæ inueteratæ vis non idcirco labefactetur,ac ne in dubium quidem vocetur:nec illa præteriti temporis ab omni prope æternitate memoria nobis à maioribus noſtris per manus tradita,ſatis ad legem & authoritatem non futura ſit.Deum enim hominesq; teſtor,quantum ad me attinet,viri ampliſſimi, me hac in re non modo ad maiorum meorum ingenium accedere voluiſſe,verum etiam,vt præcederẽ, elaboraſſe.Quod mea quidem ſententia ita eſt vniuerſo orbi teſtatum & cognitum,vt nihil hoſtes meos.eoſdemq; veſtros(quales,eſtis experti)amicos,peius his proximis annis habuerit, quam q; ſenſerint viri ſagaces,nullum aliud propugnaculum aduerſum ſuos ad immodeſtum illud immodicumq; totius orbis imperium conatus, firmius noſtra amicitia opponi poſſe. Quare nihil eſt cur miremini,ſi omnes omnium temporum calumniatores comminiſcendis diſſeminandiſq; calumniis,mendaciis,confictiſq; in me criminibus arte & diligentia ſuperarunt: quam ſolam inierunt labefactandæ amicitiæ noſtræ rationem. At Dei benignitate,veſtra vero prudentia, noſtra item erga vos fide,de qua præmiis nullis,nulla aureorum montium pollicitatione deturbari vnquam potuimus,repulſi fractiq; ſunt.Qua ex re iudicium ego quidem facio,magiſq; in dies aduerto, quam iſti male operam ſuam ponant,communes(cur enim non ita eos appellem?)aduerſarii noſtri, cum inſidias eorum vel pueris(quod dicitur)infantibus detectas,ac manifeſtas eſſe conſtet. Nihilominus tamen quoniam literis multorum ad me perfertur eos eandem vſquequaq; cantionem(vt in prouerbio eſt)occinere, nec proximo conuentu vllo eſſe pudore cohibitos, quominus odii ſui virus omne in me iamdiu conceptum,in tanta tamq; celebri virorum ampliſſimorũ corona euomerent; ſtatui mihi faciendum,vt certa quædam atrociorum criminum capita,quibus nomẽ meum abſentis deferunt.& nos vulgo traducunt,diluenda,& cauſam meam agendam curarem: nimirum vt re cognita,veritatis ipſius luce,mendaciorum iſtorum tenebræ diſcuterentur. Non quod iſtos tamẽ, qui ea in me maledicta effuderunt,tanti faciam,vt illis reſponderi à me oportere iudicẽ:cum neq; illi,ſi id ſua ſponte faciunt,ſint eiuſmodi,quibuſcum mihi rem vllam eſſe velim: & ſi authorẽ ſuum ea de re laudant,ille non neſciat,quid ſibi,quum quid de me ſecus dicere auſus eſt, reſpondere ſolitus ſim.Quid ergo?an hoc à me agitur,vt vobis innocentiam meam probem?Nequaquam. Neq; enim mihi cognitu facile quidem videtur,vtris maiorem iniuriam facerem;vobiſne,ſi de veſtra erga nos amicitia,quæ à recta bonaq; opinione ſeparari nequeat,dubitem; an nobis ſi apud vos, hoc eſt,viros integerrimos,nec alia exiſtimatione ſimus,verearmur. Quorſum igitur hęc ſpectat defenſio?Eo ſane,vt qui genere ipſo rerum poteſtis omnem ex omnium animis,& iuris noſtri, & aduerſarii iniuriæ dubitationem tollere,nunc ſit vobis in promptu ſingulas partes,quibus alter abſoluatur, alter condemnetur, explicare quod omnino facturos vos pro veſtra erga me beneuolentia mihi ipſe promitto ac recipio.Porro autem hoc vos pro certo habetote,cum Apologiam quandam recognoſcerem, quam ad refellenda iſtorũ in me crimina & conuitia curaui ad vos perferendam, in ea me nihil deprehendiſſe,quod vel tranſuerſum(vt aiunt) digitum à rei geſtæ veritate diſcedat, quodq; pro vero ab vniuerſo orbe recipi non debeat:& vt ita vobis perſuadeatis,velim. Quod ad tertium attinet totius epiſtolæ veſtræ caput,breue eſt quod reſponſurus ſum:atq; eo breuius, quod ad ea,quæ ſcribitis,nihil addi aut debere,aut poſſe videatur.Reliquum eſt,vt calculum meum ponam.Hoc igitur ſuffragium meum breuiter obſecro accipite. Eum me ſemper ſenſum in hac re habuiſſe,vt quemadmodum temporibus noſtris perutile,vel potius neceſſarium arbitrarer, publicũ Chriſtianorum conuentum loco haberi libero minimeq; ad alterius partium iniuriã opportuno, eumq; rite ac diuini illius Spiritus inſtinctu & nomine, more maiorum agitari,in quo ageretur de publica & vtilitate & Eccleſiæ totius conciliatione & cõſenſu;ita, ſi quid horum deeſſet,nullo modo coitionem eiuſmodi probarem:& vt quod res eſt dicam, & ante hac quidem, & nunc maxime in ea ſum opinione,vt non aliter recte atq; ordine concilium haberi poſſe mihi perſuadeam, & ita perſuadeã vt cõtrariæ ſententiæ authoribus aures nunquam ſim in poſterum patefacturus.De Scotorum Rege,cuius & mentionem facitis,curabo diligenter,vt quod velle oſtẽditis,literæ cum illo veſtræ cõmunicentur: Neq; eſt quod dubitetis,quin ille authoritatem meam ſit ſequuturus, pro ſuo in me ſtudio & obſeruantia,quam eandem filii pietatem in patrem interpretari poſſum, præſertim cum ipſe mihi conſcius ſim,eum à me inuicem non ſecus,quam liberos amari & obſeruari.

Illuſtriſſimi & excellentiſſimi Principes,conſanguinei, amici,& fœderati chariſſimi, Deus Opt.Max.ornamenta veſtra tueatur atq; augeat. Farræ,X.Cal.Iun.M.D.XXXVII.

Francię Germanus.

Qua ſequitur.

APO-

APOLOGETICA EPISTOLA DE SENTENTIA CHRISTIAniſſ. Regis ad Ampliſſimos S. Rom. Imperii ordines ſcripta.

Anno Domini 1537.

QVod chriſtianiſſimi Galliarum Regis apud vos vel opinionem, vel gratiam, vel authoritatem maledictis eleuare obtrectatores ſtuduerunt, iampridem, viri Principes, ampliſſimi ordines, inclyti conuentus conciliaq; Germanici nominis, animaduerſum eſt, id eos quidem morbo quodã animi, ac linguæ petulantia magis quam iudicio egiſſe: at dediſſe tamen operam, quacunque id ratione tentare potuerunt, vt temporum noſtrorum omnem inuidiam in nomen Gallicum, atque in Gallorum Regem ipſum transferrent: deniq; vt vos nominis noſtri, ac generis totius Francici authores, vel verius parentes, à nobis abalienarent, qui veſtri & eſſe & dici contendimus. ac tametſi eorum iniquitas ſe in nonnullorum è veſtris aures nimis familiariter inſeruit, ſperaui nihilo ſecius Ampliſſ. viri pro veſtra æquitate & ſapientia, me facile apud vos veritati locum eſſe inuenturum, apud quos ſeſe ipſa non tueri modo atque per ſe conſiſtere, ſed refellere etiam calumniam & explodere poſſit. Eam autem veritatem, dum breuiter expono, me ſane beneuolis & attentis vobis vſurũ eſſe confido. ſpero quidem certe. tantum enim abeſt, vt omnes iſtorum omnium calumnias pertimeſcendas putem, vt etiam non dubitem quin nobis, tam ſit cauſæ æquitas profutura apud vos, q̃ illis ſua impudentia vobis hanc controuerſiam diſceptantibus, obfutura. Eoque id futurum magis credo, quod anno ſuperiore itineribus per hoſtium inſolentiam quoquouerſum obſeſſis, tabellariis, qui ad vos hinc mittebãtur, partim interceptis, partim interfectis, eorum etiam edicto (quo res indignior ſit) quorum iniquum imperium diſſimulare cogebamini, cum interim nos ea ipſa cauſa noſtri apud vos purgandi locum nonniſi anguſtiſſimum haberemus, veſtra tamen æquitate factũ eſt, vt vna velut Apologia, quæ ad vos & authore incerto, & itineris ratione incomperta perueniſſet, tantum valuiſſe exiſtimetur, vt conflatæ in nos inuidiæ pars non minima in calumniæ retorqueretur autores: vos etiam vt & Francorum genti, hoc eſt generi veſtro, & ipſi etiam Regi gentili atq; conſanguineo, veritate comperta, eſſe cœperitis æquiores. Hæc vero quum ita ceſſerint, quid nunc tandem ſperare non poſſim? quippe non modo repreſſa, verum etiam Dei primum immortalis benignitate, deinde Regis Chriſtianiſſimi incomparabili & virtute & felicitate, labefactata hoſtium noſtrorum, veſtrorum etiam aduerſariorum (ne quid grauius dicam) inſolentiæ & arrogantiæ priſtinæ cauſa, adituque nobis ad vos ſummo veſtro beneficio, nec minori animorum veſtrorum magnitudine patefacto, Eſt certe, niſi me longe fallit opinio, cur mihi de veſtra humanitate & beneuolentia quippiam non mediocre promittam, vt qui neque mea ſponte, neq; item temere cuiuslibet hominis inſiſtens veſtigiis, ſed Regis optimi, integerrimi, vobis amiciſſimi, ac propinquiſſimi autoritate fretus, vobis eadem illa confirmanda, atque iis etiam grauiora exponenda quædã ſuſceperim; quæ ante ex aliis, qui nec cõmendatione pari apud vos, nec gratia valerent, non ſine magna tamen animi attentione ac voluptate accepiſtis. Quanquam ne id quidem quod nunc agimus, tale eſt, vt in eo inſtructam valde, aut exactam, numeriſue omnibus abſolutam defenſionẽ ordiar: quin potius id à nobis agitur, vt ſi qui forte adhuc ſunt, qui ſuperioris illius Apologeticæ epiſtolæ vel authoritatem, vel fidem in dubium vocent, quod ea iſtuc exierit, nec ſcriptoris nomine, vtpote incerti, nec cuiuſquam ſubſcriptione commendata: nunc tandem Regis confirmationem ſecuti, quam ipſius ex literis videre eſt, ſatis ea de re factum ſibi eſſe intelligant. Nec. n. ex ea ipſa Apologia (quiſquis hominum tam egregia in patriam ac principem voluntate fuit, qui negotii huius rationem totam vobis exponens, innocentium cauſam ſuſcepit ſuapte ipſe ſponte) eſt quod demere vel velim vel debeam. nam pauca ſunt fortaſſe, quæ pro rei ipſius magnitudine addenda cenſeam. Eam itaque in partem hoc noſtrum, quicquid eſſe videbitur, accipiatis velim, vt quod vobis hic legendum traditur, illius eiuſdem eſſe partem Apologiæ exiſtimetis: tametſi non eodem eſſe filo attexta videbitur. Minime vero offenſum iudicium veſtrum velim, ſicubi res aliqua in priore illa defenſione leuius perſtricta, eadem in hac velut appendice vel repetetur ad refricandam memoriam, vel copioſius aliquanto de Regis Chriſtianiſſ. ſententia & voluntate pertractabitur. Habetote igitur Ampliſſ. viri, ex hac noſtra, vt rudi fortaſſe & impolita, ſic minime fuc ita atq; ſubdola defenſione, mentis atq; animi Regis, eiuſq; conſiliorum ſummæ, imaginem & ſimulacrum, iconice (vt ita dicam) & ad viuum expreſſum: quod prudentiæ veſtræ pro ſpecimine erit voluntatis probæ atq; plane regię, vt ſignificantiſſime loquar. Id autẽ à me eam in partem dictum eſt, vt ex eius Principis ingenio facile iudicare poſſitis, conficta fuiſſe illa crimina, ſcelerata aduerſariorum impudentiq; vaniloquentia. Qui dum ipſi quidem neq; pares ferre queunt, neq; armis tamen de virtute contendere audent, ad conuicia ſe & calumnias, ſua opinione firmiſſimum improbitatis præſidium & propugnaculũ, conferunt: vnde atrociſſima probra in nos, in Regem, in nomen vniuerſum Francicum, velut infecta & recocta tela importuniſſimi homines, animo pluſquã fas eſt hoſtili, iaculãtur. Enimuero ex multis, & (ſi Deo placet) appoſite ad ſpeciem confictis criminibus, tria eſſe video pręcipue animaduertenda, quæ & maximam nobis inuidiam apud imperitos excitare queant, & quæ inter nos quidem, qui iam olim, atq; à conditis propemodum nominibus & veſtræ & noſtræ gentis, ſanguine, moribus, fœderibus, ſumus quã coniunctiſſimi, vel grauiſſima odia vel funeſtiſſimas ſimultates ſerere, atq; alere poſſint. certe quidem eiuſmodi ſunt, iis vt iſti ſe concordiã facile noſtrã direpturos, ac publicã cauſã iugulaturos confidãt. Imprimũ Carol. Cæſarẽ à Rege, bello indicto, interpellatũ ac reuocatũ ab expeditione Turcica tumultuoſe vociferãtur. Deinde ab eodem Rege incitatum euocatumque in Chriſtianos Regem Turcarum ſcelerato commẽto (vt interdum eſt maleuolentia cum amentia coniuncta) proferre nõ veriti ſunt. Tertiũ illud de bello Sabaudienſi vel crimen vel male-

dictum huiuſmodi eſt, atque iis argumentis inſtructum, pariterque (vt iam dicta) ſic ieiune ac frigide tractatum, indignum vt mihi videatur, in quo refellendo contendendum mihi ſit vehementius.

Solimanus irrumpens repreſſus.

Horum igitur criminum primum eſt illud, & ſerie temporis vetuſtiſſimum, quo clamitant Carolum Cæſarem à bello Turcico regis armis reuocatū. Hæc qualia moleſtiſſimi homines arma fuiſſe intelligant, cum nulla fuiſſe notum: quodnam illud ſit bellum Turcicum, denique vnde ſit Cæſar reuocatus, cum diu mecum reputauerim: nulla poſſum ſuſpicione aſſequi. Non me latet Solimanum iam ante quinquennium magno tumultu, magnaque conſternatione omnium, ac perturbatione in vtramq; Pannoniam inuaſiſſe: Cæſarem maximas aduerſus illum & floretiſſimas copias coegiſſe, vt quidem fama fuit. Verum vt hæc omnia vera eſſe non inuitus credidi, quum maiora veris iactata eſſe, & ſermone celebrata memini, ita explicare non queo quid in cauſa fuerit, cur trepide (vt iſti volunt) ſe è Germania recipientem hoſtem, plane etiam profligatum, fugientiq; ſimilem Cæſar non ſit perſequutus, cur occaſionem illam tantæ gloriæ, tantiq; ad rempubl. Chriſtianā momenti neglexerit: cur deniq; victoriam iam partam de manib. amiſerit. An vt nos ſæpius cum terribiliſſimo hoſte de ſalute, de vita, de libertate, de fortunis omnibus dimicaremus? Num etiam tum ſeſe interpellatum eſſe ac retractum à Rege dicere ipſe audebit? cum id omnibus ſatis innotuerit, adornanti expeditionem illam Cæſari Regem ipſum obtuliſſe peditum millia quinquaginta, maiorem multo partem (ne quid incommodæ ſuſpicionis eſſet) è Germania delectam, equitum Gallorum millia ſex, adhæc tormentorum vim ingentem, nec vero tantum haſce copias ſuas opeſque in expeditionis illius & periculi ſocietatem ei detuliſſe, ſed proficiſcentem etiam ad bellum, ſimul ipſo in bello res gerentem, ſuſceptis publice pro ipſius ſalute atq; exercitus votis, & more noſtro ſupplicationibus indictis, inſuper proſequutum eſſe fauſtis ominibus, vt aſſolet, abſentiſq; rebus perinde atq; ſuis ipſius fauiſſe: poſtremo redeunti Cæſari precioſiſſimam illam, atq; (vt ferebatur) laborioſiſſimam victoriam gratulatum miſiſſe. Iis ſi officiis Rex Cæſarem ab expeditione reuocauit, faciendum illi quid fuit vt retineret? Illa profecto ſi hominem interpellauere, ſi à perſequendo hoſte Regis liberalitate atq; eius generis beneficiis retractus eſt, quibus nos maxime incitari ſolemus: cauſæ nihil eſt, cur vel hunc credere poſſim Solimano hoſtem fuiſſe; vel ſi fuit, neceſſe eſt iis aſſentiar, qui Cæſarem negant tam obſtinato implacabiliq; eſſe in ſuos hoſtes animo, quam homines pleriq; conqueruntur: qui ſi (vt reliqua perſequar) tanto ſtudio tenebatur, quanto iſti prędicant, Turcicarum rerum funditus euertendarum, ac non potius ſic ſuis cupiditatibus velificabatur, vt ſub obtentu pietatis ac religionis ſacra æque ac profana raperet & auerteret, & vero (vt plane loquar) vt hoc præclarum Imperatorii muneris tyrocinium ad miſeræ atq; exanguis & ſpoliatæ Europæ iniquam poſſeſſionem verteret, ſi tanta (inquam) animi contentione in hoſtem Chriſtianę pietatis ferebatur, neq; hac ſimulatione religionis tot nationum, tot populorum dominationi imminebat; ſi noſtræ denique libertati, ac fortunis omnium non inhiabat auidiſſime; quid accidit cur auxilia noſtra tantopere neceſſaria, ad id bellum & vltro & hilariter delata, Imperator repudiaret? atque is Imperator qui minime tardi aut negligentis ſpeciem præ ſe ferat. Sed operæ pretiū eſt audire, quid ad conditionem eam ſibi oblatam reſponderit. Ait ad id bellum quod ſuſceperat iam non ope, ſed opibus; non equitibus, ſed argentariis; non vi tormentorum, ſed copia nummorum; non denique ſibi prompto, expedito, numeroſo milite; ſed prompta, ſed expedita, ſed confeſtim numeranda pecunia opus eſſe. Et hæc cum ita perſpicua ſint omnibus & cognita, vt negari ne ab illo quidem ipſo poſſint, vel ſi omnium impudentiſſimus eſſe ſuſtinuerit: tamen cum à ſingulari bonitate & liberalitate eximia proficiſcerentur; videte quæſo, viri ampliſſ. hoc Regis tam liberale officium, tam opportunum, tam appoſitum, quam maligne, quam peruerſe, quam ſiniſtrorſum Cæſar ipſe interpretatus fuerit. Deus immortalis! non veritus eſt dicere, Italiam liberalitatis ſubdolæ, & officii ſpecie repetere nos tentauiſſe, & oſtentatione delectus Germanici ipſius Germaniæ vires imminuere & exhaurire: atq; ea ratione illam inermem & nudam, nec alienis tantum, ſed domeſticis etiam præſidiis ſpoliatam infenſiſſimis hoſtibus obiicere conculcandam. Qua in re ſi quæ in Regem maledicta edita voluit, nunquam vera eſſe cenſuit, (id quod facile ideo mihi perſuadeo, quod & Regis vniuerſa anteacta vita, & recentia eius in Cæſarem ipſum officia longiſſime ab iſtiuſmodi flagitii ſuſpicione abſunt) ſi non, inquam, pro veris habuerit, quali ingenio, quali ſit integritate & ſanctitate Cæſar, qui innocentiæ noſtræ hæc crimina affinxerit, apud vos ipſi cogitatote. Sin vera ea fuiſſe putauit, quam ex Regis ingenio coniecturam facere non potuit, eam de ſuo hac in calumnia feciſſe, quæſo vt arbitremini. Verum illa fuit, ſcilicet belli Turcici ſpecies, magnifice adumbrata, in quo iſti cum ſibi ob hoſtem (vt loqui ſolent) deletum mirifice placent: tum vero de nobis ipſis, quos quo iure, quaue iniuria ſemper hoſtium numero habuere, multo magis (vt quidem eſt eorum ſenſus) triumphant, quam de hoſte atrociſſimo Chriſtiani nominis. Niſi vero cum bellum Turcicum iactant, & Cæſarem reuocatum inde, ac vi extractum quiritantur, non illud in Germania geſtum, tanquam momenti exigui, verum poſterius alterum inſigne Africanum, cuius beatos illos & plauſibiles triumphos à Diuo (ſi Deo placet) Carolo agi vidimus, ſignificant. nullum enim video tertium eſſe, nec præterea vllum. Tametſi quod ad triumphum illum attinet, non dico, quam ſit nugatorium. Sed.n. nullum iudicio meo Carolus in omni vita aut geſſit, aut geſturus eſt bellum, quod verius Turcicum nominari aut debeat, aut poſſit, quam quo bello gentem illam alio tum intentam ad bellum Chriſtianis inferendum prouocauit. Vtinamq; ea falſa ſint, quæ tamen

Triumphus Africanus.

Bellum Turcicū

ſunt

ſunt veriſſima, quæ quotidie cum ex Genuenſibus & Venetis, tum ex aliarum omnium nationum hominibus audiuimus, qui in Africa aut mercaturam faciunt, aut alia ob negotia illuc commeant, imo vero quæ ex procuratoribus ipſius Cæſaris accepimus. Nemo eſt enim eorum quin affirmet Solimanum, cum ex Perſica expeditione rediret, publice apud omnes dicto eius audientes populos per literas, (quarum exemplum legimus,) queſtum eſſe, quod, cum Tunetani ciues Regis ſui tyrannidem ac violētiam pertæſi, Ænobarbum Turcicæ claſſis præfectum ad ſe aſſerēdos aſciuiſſent, ſeq; eius commiſiſſent fidei; illum poſtea ſecurum & nihil minus quam vim à Carolo Hiſpaniarum Rege (ſic.n.eum appellant) metuentem, repentino bello oppreſſum de Tunetis poſſeſſione Carolus deturbaſſet, id tum demum, quum ipſe Solimanus in longinquam expeditionem profectus eſſet, auſus facere, contra fidem ab oratoribus datam nihil eum interim rerum nouaturum. Proinde admonere Solimanū, rogare, hortari ſingulos & vniuerſos, ſibi in vlciſcendo hoſte, vti ne deeſſent. Siquidem certum ei omnino eſſe, vires ſuas omneis & copias quam primum in eum, à quo eſſet violatus, conuertere. Quare fabricandis nauibus, rei nauticæ inſtruendæ, ſociis naualibus vndecunq; cogendis animu intenderent: ipſum, quod ſui eſſet officii, in reliquis curaturum. Hæc ſi vera ſunt, vt ſunt veriſſima, equidem non video cur nō recte (atq; vtinam non tam vere) calūniatores homines bellum hoc poſterius, bellum Turcicum nominare poſſint: quo quidem bello Cæſar Turcarū gentem in Chriſtianā remp. ꝓuocarit, incitarit, elicuerit. quippe cum illa gens dubio ꝓcul nihil motura in Occidentē fuerit, niſi prius laceſſita, vt video perſuaſum omnibus: ſed impetus ſuos omneis, in res Perſicas conuerſura. Et eorum quidem conſilii vel hoc inter cætera fidem faciet, ꝙ Solimanus cum à nonnullis, quos nō imprudens rerū taceo, quorumq; maxime intererat mare hoc noſtrū minime nobis fieri infeſtum, rogaretur, vt ab his noſtris finibus abſtineret, animū potius ad Orientis opes, q̄ ad Europæ vires adiiceret; reſpōdit ille, *ſe non inuitum, vt quieſceret facturū, duntaxat quod poſſet integra ſua exiſtimatione facere: pateretur modo Carolus Ænobarbū ſuæ claſſis præfectum Tunetem, vnde erat depulſus, repetere: cæterū de controuerſiis facile tranſactum iri.* Deus Optimus Maximus faceret, vt latā conditionem rationib. Chriſtiani nominis accommodatiſſimā acciperemus, nec tam improbe atque impie vel gloriæ noſtræ vel cupiditati ſeruiremus, vel deniq; obſtinato animo vſque adeo obſequeremur: melius ꝓfecto & commodius rebus Occidentis conſuluiſſemus, ac de Chriſtiana religione ſalutarius ſtatuiſſemus. Nam per Deū imortalem, quid cauſæ fuit, cur non eadem de Tunete, id eſt Mahumetanorum latebra magna cum noſtra laude & compēdio faceremus, quæ paulo ante de Methone arce ac præſidio Chriſtianorū illuſtriſſimo ipſis Chriſtianis, qui nos inuocarēt, ꝓditis maximo quidem cum noſtro diſpēdio, ſed maiore multo dedecore & ignominia feceramus? Hocne illud eſt tandem ꝙ iſti perhibēt, de quiete & ſalute Reip. ſemper ſe cogitare: ſemper eſſe ſollicitos? ſua opera, ſtudio, diligentia, virtute, fide illa omnia ſuſtineri & ſeruari? præ illis priuatarū ſe rerū omnium & vtilitatum ſuarū rationem nullā habere? An etiam id eſt Herculem alterum orbis liberatorem eſſe? alterum eſſe Cæſarē Romani aſſertorem imperii? Hoc eſt religionis Chriſtianæ ꝓpugnatorē ſe vnicum velle videri, atq; eo nomine apud omnes inclareſcere? Quod ſi Rex, quem iſti tam pii homines neglectæ religionis, quid dixi neglectæ? imo vero proditæ & afflictæ inſimulant, hac occaſione oblata aut alia eiuſmodi, illud neſcio ꝙ ꝓpugnaculum aut caſtellum ad fauces Tunetis poſitum Solimano non reſtitueret: ſi non tyranno omnium quos terra ſuſtinet, impuriſſimo (de Rege oppidi illius loquor) amicitiam renuntiaret: ſi non ab inhoneſto fœdere, ſi non à cōſenſu Chriſtianæ pietati pernicioſiſſimo recederet: niſi iniurias omnes, ſi quas ab hoſte accepiſſet, Reip. quieti benigne remitteret: niſi Africanum omne imperium & inanes illos Europæ, Aſiæ, Africæ titulos otio Chriſtanorum condonaret: niſi deniq; omnia faceret, vt iam ingruentem noſtris ceruicibus tempeſtatē auerteret: quid tum, obſecro vos, quid (inquam) non eſſent rigidi iſti cenſores ꝓloquuturi? Nonne cupidum, nonne inſolentē, nonne impotentem animi, nonne iam motib. præſentibus intolerandū parum illis eſſet eum dicere? Sceleſtum medius fidius, nefarium, ſacrilegum, impium, humanitatis, pietatis, religionis euerſorem, aris fociſq; infeſtum Regem eſſe clamitarent: idq; non iniuria. Neq;.n. vllum opprobrii, vllū contumeliæ tam inuidioſum genus eſt, quo non digniſſimum eum homines merito iudicarent. Verum in hoc bello quidnam eſt tandē, in quo Regis benignitatē, humanitatē, æquitatē poſſit Cæſar deſiderare? quid q̄obrem Regē ſugillare iure poſſit? Cœpit ipſe hoc trieñio claſsē parare in noſtri litoris vicinitate, omniū quas noſtra vidit ætas, atq; audiuit, tū robore copiarū numeroq; tū omni apparatus genere longe inſtructiſſimā. Excipiebātur eius interim voces minarū pleniſſimæ, q̄ ad Regē ſolū non dubie pertinebant, deprehēſi & conuicti viri nefarii aliquot, qui tantā Cæſaris claſſem in Maſſilienſem portū accipiendā, quiq; Andreæ Auriæ (quem vos & de fide & de nomine ſatis noſtis) Maſſiliā ipſam vrbem omniū nobis maritimarū opportuniſſimā, tradendam ſuſceperant & redemerant. Detectæ iam erant inſidiæ, patefacta erat ſceleſtæ expeditionis adumbratio. nec dubium erat quin verbo quidem ad Punicæ oræ oppugnationem tanta claſſis, re autem vera ad Chriſtianæ expugnationem occupationemq; vrbis iam dictæ parata eſſe videretur. Tā inſigni iniuria Rex laceſſitus, ne ſic quidem ab vetere inſtituto ſuo diſcedendū putauit. Satis tum habuit ab inſidiis cauere, reiq; euentum operiri: nec in cauſa tamē fuiſſe facile affirmauerim ſceleratam hanc perditorum hominum coniurationem, cur tandiu Cæſar ſuam ꝓfectionem diſtulerit: nec ei moram attuliſſe eam ſpem, ꝙ de capienda per proditionē Maſſilia aliquid aut cogitauiſſet ipſe, aut ſperauiſſet. Nam id licet veriſimillimum multis viſum ſit, quia tamen nihil vobis ex vano hauſtū tradere inſtitui, neq; quenquam niſi comperta te fraudis ac per-

Barbaroſſa.

Tuneti.

Methon.

And. Auria Maſſilia proditor.

fidiæ

fidię incuſare, veſtro ſapientiſſimorum virorum iudicio rem totã arbitrandam relinquo. Id demum
aſſeuerare iure poſſum, ſimul vt detecta eſt ꝓditio atq; oppreſſa, Cæſarem qui diu nullã ob cauſam
manifeſtam cunctatus Barcinone in anchoris ſteterat, illico cum ingenti illo apparatu ſoluiſſe. Qui
iam in altum ꝓuectus id Regiis oratoribus, ꝙ eos perſæpe antea ſciſcitantes celauerat, conſiliũ ex-
peditionis ſuæ tandem aperuit, & hactenus tamen aperuit, vt Regi amico, Regi ſororis viro, id de-
mum ſignificari vellet, ſeſe in expeditionem quandam Chriſtianæ reipub. gratia proficiſci, ſuiſque
verbis per ipſos Oratores rogari, vt abſenti ſibi Regis fides atq; amicitia perinde vt præſenti cõſta-
ret, nec quicquam rerũ interim in Italia moliretur. Hoc poſterius tametſi durum, (nam ſuperiora
cum à Rege ſponte ſemper exhibita eſſent, nihil attinebat poſtulare) verum hoc tametſi durum, &
præter æquum videbatur additum, pro ingenio Regis tamen & perpetua voluntate in remp. ab eo
non eſt recuſatum. *In Italia vt nihil nouaretur*, poſtulabat Cæſar. id contra ius æquumque iniungi ſibi
probe Rex intelligebat, indignariq; eam ob rem iure poterat, idq; eo etiam magis, quod præter he-
Fr. Sfortia. reditarias in agro Inſubriũ poſſeſſiones, quas repetere debebat, recentẽ Franciſci Sfortiæ iniuriam
Mediolanenſium tyranni, nullam moram admittere, nullam cunctationem perferre intelligebat
hominum opinione. quippe pro contumeliæ acceptæ magnitudine è Regis tanti dignitate non e-
rat, Tyrannum illum ſinere diuturnum fructum violati iuris gentium carpere. Et nihilo ſecius tamẽ
Rex placidiſſimus, cũ vellet reip. potius q̃ vel dolori ꝓprio vel dignitati morem geſtũ, pedem domo
non extulit, q̃diu in Africa Cæſar belligerauit. Hæc ſi ad examẽ æquitatis veſtræ perpendentur, viri
ampliſſimi, nec futilia eſſe videbũtur, nec Cæſaris oſtentationib. ſimilia. Cæſar. n. maluit alienæ tyrã-
nidi in Africano negotio, quam ſuo officio, quam otio Chriſtiani nominis & ſecuritati conſulere.
Rex vero (vt cæteras cauſas, quæ & plurimæ erant & iuſtiſſimæ, prætercam) dolorem propriũ, vin-
dictæ occaſionem cum æquitate coniunctam, publicæ tranquillitati, Chriſtianorum quieti atque
Legatus violatus vtilitati poſtpoſuit. Neq; vos latet tamen Sfortiam hac patientia Regis, hac animi æquitate indi-
gnum fuiſſe: qui in Legato Regis violando omnem barbarorum feritatem ſuperauerat. Nam pri-
mum Regis Chriſtianiſſimi Legatum comiter admiſſum, deinde crebro & familiariſſime acceptũ,
ad extremum contra ius gentium trucidauerat. Tyrannus videlicet nulla virtute nec corporis nec
animi præditus; ne inglorius moreretur, innoteſcere facinore immanitatis concupiuit. Et vero Dio-
medis illius Thracis & Buſiridis Ægyptii, qui necandis hoſpitibus ſuorum nominum memoriam
ab obliuione vindicauerunt, æquare gloriam contendit. etſi hoc illis præſtitit in eodẽ genere cru-
delitatis, quod illi in aduenas & viatores, hic in ciuem & popularem: illi in quoslibet & ignotos ho-
mines nulliuſq; nominis, hic in virum nobilem, & legatione Regia functum, ſpecimen dare inge-
nii barbarici voluit. Quod inauditum ſcelus & in primis nefarium, Rex & indignitate contumeliæ,
& iuſtiſſima doloris cauſa percitus, vltum ire properabat: à quo etiã, cum diu hac de re ſatisfieri ſibi
poſtulaſſet, fruſtra habitus contemptuſq; erat. Neque ea tamẽ omnia Regium animum à commu-
nis vtilitatis atq; humanitatis ſtudio abduxere, vt publicæ commoditati vel iuris ſui vel iniuriæ per-
ſequutionem præferret. Id quod tamen ſine vlla cuiuſquam offenſione aut reprehenſione facere
poterat. Erant. n. tum Regi ad manum omnia, quæ ad vindictam nefarii facinoris viam munirẽt ac
rationem expedirent, tempus, res, occaſio, copiæ bonorum omnium, populi totius in optima cauſa
conſenſus. quæ quãuis & viderentur, & eſſent maxima, non tamen tantũ apud eum valuere, vt reip.
ratio ac vitæ conſuetudo non multo plus potuerit. Vos itaq;, vos appello, Ampliſſimi viri, veſtrum-
que iſtud collegium, cuius, cuius (inq̃) dignitate & gloria imperio Romano ſua conſtat adhuc pri-
ſca & Auguſta maieſtas; vos quæſo atq; obteſtor, vt in re veſtra contra veritatem atq; æquitatem, ca-
lumniæ & vanitatis patroni & defenſores eſſe ne ſuſtineatis: præſertim cum apud Cæſarem ipſum
ne dignitatis quidẽ iſtius illuſtriſſimi collegii ius obtinere potueritis. Quanquam quid dico digni-
tatis? qui & ſaluti & incolumitati veſtræ, affectatæ ſibi quoquo modo tyrannidis, etſi iniquiſſimæ,
tamen tutelam propugnationemq; anteponere nõ dubitarit. Verum quoniam omnia ſibi ignoſci
poſtulat & permitti, aliis contra nihil de ſumo iure remittere conſueuit; hoc etiam in illius gratiam,
vt æquum eſt, fateamur, in contentione humanitatis & beneficentiæ nimis inique Carolũ Cæſarẽ
cum Franciſco Rege cõponi. Sit. n. ſane huius Regis Chriſtianiſſimi, non iſtius Imperatoris Rom. de
Chriſtiano nomine bene & ſentire & mereri. Itaq; hactenus de illo & de illius in remp. voluntate
dictum ſit. Hoc certe ꝙ ſequitur, Regii plane fuit animi & moris, ꝙ aliquanto poſt Africanum bellũ
confectũ mortuo Sfortia, ne tũ quidẽ Regem de ſentẽtia caſus appoſitiſſimus & tanq̃ cælitus obla-
tus deduxit. Siquidẽ ea mors Sfortiæ omnẽ aditũ in vacuã poſſeſſionẽ veluti caducã remigrãdi Re-
gi aperuerat, abſente præſertim, hoc eſt è Sicilia nondũ egreſſo Cæſare: vbi tũ . . . tiã & incõmoda va-
letudine & rerũ inopia omniũ ex Africa reuerſus, premebatur. Neq; vero erat tum in re improuiſa &
Ant. Leua. repentina, vnde auxiliũ facile mitteretur Anton. Leuæ, qui tum forte Mediolanũ cũ imperio ille q̃-
dẽ, verũ ſine exercitu obtinebat. Contra Regi præſto erant populorũ ſtudia, ſi ius vti in animũ indu-
xiſſet, pleræq; arces præfectorum voluntate, permulta oppida Inſubriũ munitiſſima patebãt: iã vero
Rex ipſe ad radices Alpiũ verſabatur, cũ ab reb. cæteris omnib. tũ vero maxime ab exercitu paratiſ-
ſimus: cũ tot tamẽ tãtarumq; rerũ copia atq; opportunitas in idẽ tempus illud incurriſſet, nihilo ille
ſecius tẽperãdũ ſibi eſſe duxit, adhucq; expectãdũ, ecquid Dux ille Sabaudiæ pateretur ad æqui-
tatẽ ſe adduci, apud quem iam decennium erat, cum aſſidue per internuntios Rex ageret, vti ablata
per vim & retenta, moribus ſibi reſtituerentur. Quæ cum ita eſſent, ecquis crederet Regem vi-
ribus, opibus, ſtudiis, cauſa denique ipſa ſuperiorem, adde etiam (ſi ita videtur) & animo &
rerum vſu, nihilo (vt leuiſſime dicam) Cæſare inferiorem, ne ad hanc quidem occaſionem loco

ſe fuiſſe moturum? Nemo opinor. Atqui ne ſignificationem quidē vllam huiuſmodi dedit. Et quā-
quam toties ante expertus in ſe Cæſaris animum, & vero certior factus, Cæſar Regiæ ſuæ primorib.
iureiurando illo ad oſtentationem Imperii exquiſito affirmaſſe, potius extrema ſe exempla paſſu-
rum, quam vt in Italia Regi vel tantulum retinere, in quo veſtigium figere poſſit, per ſe liceat: atta-
men iterum atque iterum & ſæpius tentandum eſſe iudicauit, ſi quo pacto hominis ingeniū mol-
liri poſſet & mitigari: & ſi minus illum æquitatis & officii reſpectus, at hominum certe exiſtimatio,
& temporum communium ratio eo adducere poſſet, vt aliquando non inuitus faceret, vt Medio-
lani poſſeſſione ſibi cederet, id autē erat, vt alienum, quod per ſummam iniuriam occuparat, iuſto
domino redderet, nō armis (quæ ſi in armis ius poneret) prōptiſſima erant, ſed iure, ſed legib. repe-
tēti: hoc eſt, vt Chriſtianorū quieti prouideret, cuius rei cauſa velle ſe omnia præ ſe ferebat, tū quidē
certe: nam nunc, ne ſimulat quidem. Neq; vero fuit vlla tam iniqua cōditio, q̄ non pro æqua, ſi mo-
do ratio ſui aliqua haberetur, Rex fuerit amplexurus. Acta aūt res inter vtrumq; per Oratores fuit,
ita vt fieri aliquid poſſe ſperaretur. Quidnam igitur ille? Diem de die ex induſtria ducere, Regē pa-
cis cupidiſſimum, ſtudii eiuſdem ſimulatione fruſtrari, dum ſacramento quoſcunq; poteſt, adigit,
exercitus comparat, dum pecuniā ad ſtipendia militum vndecunq; cogit, dū locis opportunis mu-
nit oppida, dum quacunq; poteſt ratione, quorumuis hominū animos ſibi cōciliat, alios etiam per
fraudem ab Rege alienat. deniq; dum populos Regi audientes ſolicitat ad defectionē, & Regis ve-
ro familiares qua ſpe, quibus præmiis, quibus pollicitationib. poteſt, calcata iuſti, æqui, honeſtique
reuerentia, corrūpit. ac ne pluribus, dum omnia omnium ingenia, qui vnq̄ arte, diligētia, induſtria,
labore ad ambitionem valuere, non æquat modo, verumetiam vincit. Vbi autē hæc ex animi ſen-
tentia omnia ſucceſſere, tum impetu ſane incredibili, viribuſq; poſt hominum memoriā formido-
loſiſſimis Regem vndiq; à fronte, à tergo, à lateribus adoritur: Galliam ipſam, quid Galliam dixi?
imo Europā potius atq; Aſiam & Africam ſpe quadā infinita & libidine dominandi inexplebili de-
uorat, ne id quidem obſcure ferēs, ſe non ante quieturū, q̄ Regem, nec tantūmodo Regem, ſed Re-
gem Chriſtianiſſ. Regem fœderatum & ſocium, Regem cognatū, prætereaq; Regem ſibi ex ſororis
ſuæ matrimonio ante alios affinem factum, de Rege priuatū, de locupletiſſimo egentiſſimum om-
nium, & ſi natura pateretur, de propinquiſſimo alieniſſimum reddidiſſet. Proh Deum im̄ortalem! *Mithridates R. Ponti.*
quo tandē iſta animi impotentia erruptura eſt, niſi prouidentia cæleſtis frænos impoſuerit? Mithri-
datem olim Regem Ponti, cum à Populo Rom. iuſtiſſimis armis premeretur, q maximis contume-
liis ciues Roman. in Aſia ſocioſq; affeciſſet, antiquorum monimentis traditū eſt poſt grauiſſimas
clades acceptas, Fortunæ ſuæ miſericordia non victnos modo Reges ac neceſſarios ſibi populos cō-
mouiſſe, verumetiam nationes illas, quæ ſupra Euxinum pontum incolunt, im̄anes & barbaras, &
ab omni ppemodū humanitatis ſenſu remotas, Regii nominis ſanctitate atq; reuerentia ſibi auxi-
lium extremiq; caſus ſocietatē adiunxiſſe: vt cum illo quidem, quocū nulla alia cauſa aut neceſſitu-
dine iungebantur, tamen pericula ſua omnia ac fortunas com̄unicari voluerint. Tute vero populi
(vt vis) Chriſtiani Imperator, nō tantū Chriſtianū, ſed Chriſtianum Regē, Regem etiam Chriſtia-
niſſ. & quo nunc affinitatis iure vtimur, Regem fratrem tuum, poſt illas tot tantaſq; à te illatas in-
iurias, homo barbaris inhumanior, nullo nec dicto nec facto laceſſitus, bello atrociſſimo atq; ſcele-
ratiſſimo incautū opprimere conatus es: & quē amare, quē tueri, quē defendere, ſiquis alius violaſ-
ſet, debueras, omni dignitate ſpoliare, omnib. fortunis euertere, ſpiritū eius haurire & ſanguinem
exorbere voluiſti. O ingenium truculentum, o mores ab humanitate Chriſtiana abhorrentes, iſti-
q; Maieſtati tuæ minime conſentaneos! Atqui illa vis violati numinis, illæ ſunt animi conſcelerati
tenebræ ad lucem illuſtrem caligantis, vt qui ſe in grauiſſimum aliquod & nefarium induunt flagi-
tium, iis conſilii acies & mentis ipſius oculi in illa veſana concitatione animi, velut tenebris intus
offuſis, iam ſui impotentes ſint. Illas, illas inq̄ voces ab omni humanitatis more, & ſocietate com-
munis vitæ diſſonas & diſcrepantes, non prius emiſit ille in publicum, quā apud ſeſe ſtatuiſſet, ita ſē
diſtrictum Regem & irretitū tenere, vt nullas iam recipiendi ſui locus ei ſupereſſet: id. n. ſibi nec p-
uidentiſſime nec intelligentiſſime perſuaſerat. Nā Romā quidem cum paulo ante veniſſet, vbi ad
eam perniciem accōmodatiſſimos hominum ſenſus inuenerat, illiuſq; ſuæ ſententiæ non fautores
modo, verumetiam authores nequaq̄ aſpernandos, illo tamē in Pontificio ſenatu, illo principe or-
bis terrarū conſenſu, negare non auſus erat, ſua nihil intereſſe, q Rex Duci Sabaudiæ bellum face-
ret: nec ſe ea re bello ab Rege laceſſitum, nec fœdera ideo violata videri. Equidē etſi (vt pleriq; au-
diſtis) nihil Regem tū phibere poterat, quin exercitum, ſi vellet, in quoſuis promoueret Italiæ an-
gulos: id tamen vt faceret tantum abfuit, vt etiam copias Vercellis oppido illius agri munitiſſimo, &
momenti ſine dubio ad obtinendū Mediolani dominatū maximi, ſed tum imparato retraheret, dū
de omni controuerſia, Cæſare ipſo rogante, & Pontif. Paulo vrgente tranſigeretur, idq; ſum̄i illius
ordinis vel potius Imperat. ipſius) vt poſtea cognitū eſt) arbitratu. Et vero tum quidē eā ſpem nobis
Cæſar iniecerat, vt pax conuenire poſſe videretur, quo facilius, dū pacis cōſilia ſimulabat, occulta
belli ſtudia diſſimularet: q totum fallendi genus ſic ab iſto eſt adminiſtratum, vt certas etiā ipſas cō-
ditiones tota de re pponeret, quæ ſi reciperentur, de Mediolani poſſeſſione ſe confeſtim deceſſu-
rum oſtendebat. Quas conditiones poſteaq̄ Cardinalis Lotharingus, vſus ad ipſum incredibili cele-
ritate itineris, & ad eā rem miſſus ab Rege Legatus, accepiſſet p poteſtate, & cōprobaſſet; Carolus,
qui illa omnia ad fallendum compoſuiſſet, qui videret noſtras copias occaſionem rei gerendæ non
minimā amiſiſſe, ſuas pcedere cœpiſſe, qui etiam (ſi Deo placet) à Marchione Saluſſiorum homine *M. Salutiarum.*

 perfi-

perfidiſſimo, quem pollicitationib. aureorum (vt dicitur) mōtium corruperat, ſe milites omnes dé-
ditos ac vinctos, & prouinciā ad q̄ ſciebat eum pro Rege mittendum, breui recepturū ſperabat. Qui
igitur hæc omnia in ſinum ſibi ceſſura certa iam & geſtiente ſpe confidebat, & præſertim qui de ſu-
periori rerū ſucceſſu in poſterum coniecturam non dubiā faceret, ſententiam ſe mutaſſe perfrictâ
neq; ſatis auguſta fronte (nequid amplius dicā) reſpondit. nec id tamen (bone Deus) quum diceret,
erubuiſſe fertur. Negauit ſe ad eaſdem, quas ipſe paulo ante tuliſſet, conditiones deſcēſurum, quin-
imo nec ad alias quidem nobis iniquiores, quas Cardinalis pacificator miſſus, pacis publicæ ꝓ Re-
gis more cupidus, alias atq; alias in medium afferebat: nihilq; iam niſi arma, cladem, excidium, ex-
tremam vniuerſæ Galliæ perniciem loquebatur. diceres eum iuſiurandi ac ſocietatis & fœderis fi-
dem non officio & honeſtate, ſed cōmodo atq; vtilitate metiri. Atque ea fuit ad illa tempora, viri
Principes, pacis toties fruſtra deſideratæ à nobis, fruſtra toties tentatæ, & Cæſaris conditionum ty-
rannicarum ſumā. Nec vero quæ ſecuta ſunt, aut æquiora, aut commodiora nobis à Cæſare fuerūt:
piget, enim referre quæ toto illo tempore, deinde caſtris ad Aquas Seſtias Romanorum quondam
An. Montmorentius. in ꝓuincia poſitis fecerit, quū ad eum etiā tum de pace referretur. Quo tempore cū Annas Mom-
morentius præfectus Aulæ regiæ, quem caſtris ad Auennionem poſitis Rex ſibi legauerat, ſumam
ſibi rerum creditam ac mandatā vt prius in pace ſapiētiſſime, ita tum illic in bello fortiſſime admi-
niſtraret, nihil ipſe quidem prætermiſit ꝙ ad pacem ſalua Regis ac gentis dignitate ſpectaret. Hic
per Deum immortalē, quæ dubiis adhuc vtrinq; rebus, quæ iam perditis Cæſaris, dicta, facta fuere?
quale hoc tandem eſt, ꝙ iam fugam circumſpectans per Pontif. Pauli internuntios, Regi iam plane
victori ea ipſe imperaret, quæ vel victo haudquaq̄ eſſet imperaturus, niſi videri vellet & crudelis &
impudens. Sed hæc & his ſimilia permulta prudens prætereo, ſimul ne in eundem maledicentiæ
ſcopulū, ad quem aduerſarii naufragiū iamdiu fecerunt, ipſe quoq; impingam: ſimul vero ne non
ſecutus mei Regis exemplum videar qui nihil vnq̄ tam alienum nobilis aut egregii hominis inſti-
tuto duxit, q̄ hoſtem maledictis non modo laceſſere, verum etiam ꝓpulſare. Cum quo vtinā ipſo
Rege hoſtes, quam facile maledicendi libidine & inſania tranſuerſi rapiuntur, tam eſſent parati vel
de pacis ſtudio, & placabilitate, vel de belli gerendi ratione, & magnitudine animi contendere: aut
in has miſerias in quibus hodie verſamur, non eſſemus coniecti: aut in his diutius opes non conte-
reremus. Nā alterū, ad arma ne iretur, facile impediſſet: alterum poſtq̄ eo ventum eſt, pacem, vel
alterutrius fortaſſe interitu nobis, hoc eſt, Chriſtianæ reip. reddiſſet. Proh Dei hominumq; & veſtrā
in primis fidem! tantamne eſſe hominū iniquitatem, tantā rei indignitatem, tam præpoſteram iſto-
rum voluntatem, vt qui ſe publicæ quietis & ſalutis vindices, nos contra, vtriuſq; hoſtes, vtriuſque
turbatores appellant: tamen quocunq; in rerum ſtatu poſitos videas, neque rem pace componere,
neq; dirimere bello velint? Hoc enim poſterius plane expeditio illa ipſorum Maſſilienſis docuit,
nonnihil hæc etiam Belgica, in qua Rex hoc tempore ius ſuum armis repetere, & ſe ſuaq; aduerſus
infeſtiſſimos hoſtes munire coactus eſt; cum in neutra hactenus progredi in aciem, & de ſumma re-
rum prælio decernere auſi ſunt, facta toties à nobis pugnandi poteſtate. Nam ſuperius illud omni-
bus abunde probatum eſſe confido, conſilia iſtorum videlicet ſemper à concordiæ ſtudio ac pacis
mentione aliena fuiſſe. Nam ꝙ arrogantiæ genus, quod ſuperbiæ, quod autem exemplum crudeli-
tatis & contumeliæ florentibus eorū rebus non ſumus experti, & perpeſſi? quos non dolos & vafri-
cias dubiis adhuc rebus eius, quam non obſtinationem animi iam afflictis ſenſimus? Qui quamdiu
illum fortuna in ſinu veluti Iunonium puerum & partum matris ſuæ (vt ait ille) aureum geſtauit,
vix nos congreſſu aut colloquio dignatus eſt: tantum abfuit vt nos noſtra repetentes æquis auribus
audiret. Age poſtea quam de rerum ſucceſſu & communi belli Marte dubitari cœptum eſt, quanto
ille æquior factus eſt aut humanior? Qui etiam amiſſo ad Aquas Seſtias, & pene deleto exercitu, in
eadem animi acerbitate amarulentiaque permanſerit. quum eſſent tamen qui ſperarent, hac offen-
ſione belli, hominis animum ad æquitatem aliquam perduci poſſe: idque ſibi haud dubie aliiſque
polliceri & ſpondere auderent, non mediocris illi quidem neque iudicii neque authoritatis viri,
quos ea de re Pontifex Paulus, Chriſtiano nomini proſpiciens, miſerat: atque hoc illi ita futurum
iudicabant, ea ratione maxime adducti, quod Regis Chriſtianiſſimi maximus natu filius, in quo
prius controuerſiæ pars non minima reſediſſe certas ob cauſas putabatur, eſſet de medio ſublatus.
Hoc vnum modo verebantur, ne Rex præſente fortuna elatus eas recuſaret conditiones (ſi iterum
offerrentur) quas rebus adhuc dubiis Cæſar Regi latas, ab eoque acceptas, ipſe qui tuliſſet & præ-
ſcripſiſſet, improbarat ac fecerat irritas: haud facile dixerim, minorene fide, an maiore animi impo-
tentia. Verum eaſdem illas ſi viciſſim à Rege quoque ferrentur, Cæſar ipſe pro rerum euentu ma-
gni beneficii loco arrepturus putabatur, & amplexurus cupidiſſime. De Regis animo qualis tum (vt
dixi) in pacis conditiones futurus eſſet, in tanto rerum ſucceſſu erat non paulo magis incertum. Vi-
dete nunc igitur obſecro, viri Principes, & apud vos ipſos perpendite. q̄ præter multorum veſtramq;
Fortuna. fortaſſe opinionē accidit, quantoq; natura magis quam fortuna in vtramuis partem humanus in-
clinatur animus. Mutata erat in vtroq;, neq; hoc paruo momento Fortunæ, i. e. rerum apud mulros
omniū moderatricis ratio: idē ingenii habitus, idē animus, eadē vtriuſq; volūtas remāſerāt, vt neq;
Franciſcū ab humanitate ſecūdæ res, nec Carolū aduerſæ ab immanitate deterrerēt. Nā ille quidem
conditiones quas aduerſante Fortuna, tamen vt iniquas ſibi, nec dignitati ſuæ conuenientes, ſuo
iure poſſet ab ſeſe amoliri, eaſdē obſecundante rerū curſu, velut æquas ac dignas amplitudine ſua,
publicę

publicæ concordiæ amore & Chriſtianæ pacis ſtudio amplexus eſt. Hic contra, populi Rom. Imperator, nominis Chriſtiani vindex (vt quidem videri cupit) & Cæſar & Auguſtus, quod in medio victoriarum plauſu, pacis cauſa, vt quidem ipſe dictabat ; verum vt res erat, ſimulandi ac decipiendi conſilio obtulerat; dũ ipſe ſublimi illo ſtatu grauiſſime inclinato, cum nullus vltra fraudi locus relictus eſſet, ob publicæ quietis tædiũ ſequi noluit. Itaq; Rex ſuperiores illas de pace leges, quas iure poterat repudiare, recepit: Cæſar, quas à ſe latas, ſine iniuria ac ſcelere imutare ne verbo quidẽ poterat, abrogauit. Qua in re nec exiſtimationi ſuę cõſuluit, nec fidei, nec humanitatis, nec deniq; reip. rationẽ habuiſſe dici poteſt: nec vero in Pontif. maximi authoritate eſſe ſuſtinuit: poſtremo nec religionis metu, nec vllius aut diuini aut humani iuris reuerentia flectere animi duritiã potuit. Is vero cum nec humanam in hac re ſocietatẽ violari vereatur, cũ nec diuina apud eum iura interdictaq; ſancta ſint, cum omnia incredibili cupiditate miſceat, & honeſti, boni, & æqui rationẽ cõculcet: nos deniq; cũ tot iam nimis æquo animo iniurias illius nec ſine contumelia paſſi ſimus, nihil otii ciuilis cauſa antea non tulerimus, nihil porro ferre indignitatis recuſemus: ille ſe publicæ pacis authorẽ, ſe Patrẽ patriæ, ſe conſeruatorẽ publicę dignitatis: nos iuris omnis violatores, nos hoſtes publicos, nos turbatores otii cõmunis eſſe clamitat nunc etiam (o ſummam indignitatem!) cum Rex in ſententia pacis, ipſe Cæſar in belli pertinacia conſpicue permaneat, cogitate apud vos ipſos quæſo, Illuſtriſſ. Principes, & ſecũ quiſq; expendite, quid ſit nobis, quid nomini Chriſtiano, quid vniuerſo orbi noſtro de huius cõtumacia, quid de animi effrenata libidine ſperandũ: tũ Franciſci facilitatẽ ex diuerſa parte in remp. cui priuatas omnes iniurias ac regni ſui publicã contumeliam non inuitus faceret vt condonaret, ſi per aduerſarium liceret, iſtius peruicaciæ opponite, ſicq; amborũ ingenia, inſtituta, conſilia cõparate. Non habeo, fateor, inſignes illos Africanos titulos, quos vobis pro Rege amiciſſimo & officioſiſſimo ſcribens in præſentia venditem. Quibus nugis, ſi iſti non ambitionis fructũ magis q̃ Dei immo talis gloriam in victoria illa, ſeu Turcica ſeu Africana, quæſiiſſent, ſi non hoc nomine ſatis à ſe Chriſtiano nomini factum putarent, ꝙ Solimano Turcæ rerũ geſtarum gloria & magnitudine atq; numero victoriarum minime ceſſerint, nimirum non eo nobis rei ſumma rediiſſet, vt tam male, tam incõmode Chriſti Dei immortalis religio audiat apud exteras nationes ac gentes. *Africanæ expeditionis finis.*
Id ꝙ etiam ipſum eo magis indignum eſt, ꝙ à Getis & Sarmatis Romani homines (ne dicam Chriſtiani) in religionis ac pietatis diſputatione hodie reprehendimur: quippe qui hoc nobis clare exprobrant, bellum illud non Chriſtianæ pietatis propagandæ gratia, ſed imperandi ſtudio ac libidine, atq; aliena potius diripiendi ſuſcepiſſe: id quod exitu fortaſſe nõ obſcuriſſimum fuit. Multo certe plures numerantur ex iis qui Cæſarem in Africã ſunt ſequuti, qui à Chriſto ad Mahumetem deſciuerint, q̃ qui ad Chriſtum tranſierint ab ipſo Mahumete. Porro autem vel apud Aſios ipſos, in quos eatũ belli procella incubuit, is ſermo peruagatus eſt, Cæſarem Chriſtianorum omnium (vt gloriatur) Ducẽ, pro rerũ ſuarum amplificatione expeditionẽ ſumpſiſſe, religionis ſuæ illuſtrandæ curam aut nullam aut minimã certe habuiſſe. Quæ dum inter ſe homines barbari quidẽ illi, ſed rerũ tamen non omnino imperiti æſtimatores proloquuntur; qua tandẽ nos infamia apud ipſos, qua iſtos apud omnes inuidia flagrare iudicatis? vt minime mirum ſit, in contemptum veniſſe religionẽ noſtram, quæ à nobis ipſis ſperni publice & pene irrideri videatur. Quæ cum diligentius omnia & attentius mecum reputo, nihil profecto in iſta gloria ineſſe video, quare præclaros iſtos triumphos Cæſari inuidendos eſſe cenſeam: aut cur egregiæ Regis noſtri in remp. voluntati, & propenſo ad publicum compendiũ animo anteponendos putẽ. Quam voluntatẽ tametſi non tã ex tota oratione mea, quam ex ipſius vita & inſtitutis intelligere potuiſtis: tamen quando nos eo rapuit aduerſariorum iniuria, qui ob ea quæ audiſtis, nomine nunc eius atrocius & inhumanius obtrectãt, ad ea, quæ iam à me expoſita ſunt, pauca etiam nunc addere, ad iſtorum calumniam refellendam & conuincendam, pro eiuſdem innocentia cogimur.

Et priore quidẽ illa accuſatione, viri ampliſſimi, quo nomine Regẽ de interpellato Cæſaris in Turcas bello apud vos in inuidiã vocent, intellexiſtis: q̃ ad accuſationem, non dubito quin à nobis ſatis pro conſcientia veſtra & prudentia animi ſit reſponsũ. In qua tamen, ꝙ facile ſubſcriptores inuenerint homines ſui ſimillimos, eos maiore animi fiducia, vel cõfidẽtia potius, alterã illã eamq; longe vehementiorẽ ſunt aggreſſi: ꝙ membrũ totius cauſæ ſecundũ eſt. Non. n. ſatis habuerunt impudenter & proterue falſoq; obieciſſe, Cæſarẽ à bello Turcico Regiis armis eſſe retractũ, niſi (vt ſunt audacia proiecta) ad id hoc etiã, vt priori crimine affine & ſatis cõſentaneum, adderent. Turcarũ Regem à Chriſtianiſſimo Rege in Chriſtianos ipſos accerſitũ de induſtria & euocatũ. Equidem vt credam, tã flagitioſi mendacii caput eſſe authoremq; Cæſarẽ, ægre adduci poſſum: vt ne illud quidem mihi fidẽ faciat, ꝙ pleriq; tamen vt teſtatum, vt compertũ, vt confeſſum affirmant, hominẽ Cæſarẽ & Auguſtũ tã atroci ac præcipiti ira fuiſſe percitũ, vt Regem patrẽ filio chariſſimo orbare tanto famæ ſuæ diſpendio voluerit. Id. n. non ſolum à viri in Republ. Principis ſenſu, verũ ab hominis eiuſmodi, cuiuſmodi Cæſarẽ eſſe cupimus, ingenio eſt abhorrentiſſimũ. Tametſi (verum vt fatear) permagna res non caret ſuſpicione. ſiquidẽ conſtat, & eos qui venenum filio curauere, dum idẽ telum patri quoq; intentarent, & eorũ plæroſq; qui in eum tam inhumaniter hodie inuehuntur, tantaque linguæ procacitate, tanta maledicendi libidine efferuntur, Cæſari fuiſſe pridem & etiamnum eſſe omniũ qui viuunt, gratiſſimos atq; iucundiſſimos: ex iiſq; qui nihil non poſſunt apud Cæſarẽ, nullos adhuc maiore beneuolentia q̃ iſtos, nullos amplioribus præmiis, dignitatibus, honoribus Cæſarem eſſe & ante & poſtea proſequutum. Quorum factum ſi ipſe Cæſar (vt par erat, & ego quidem

peruelim) fuiſſet deteſtatus; proculdubio neq; tanti ac tam nefarii flagitii, neq; eorum quæ partim iam commemorauimus criminum, atque artificiorum authores eo apud eum loco, eo numero eſſe debuerunt. Quorũ vel flagitiorũ vel certe artificiorũ ſi Cæſar ipſe (vt multi exiſtimãt) vel author eſt vel fabricator; tam aſtute, tam veteratorie negotiũ tractat, hominẽ vt manifeſti facinoris cõuincere aut tenere non poſſis. Quid tũ.n. facturũ Regem non fuiſſe putatis, quo non deſcenſurum, ſi vel authorẽ flagitii, vel huius ſe maledicentiæ Cæſar non modo præſcriptorẽ eſſet ꝓfeſſus, verũ etiam ſi vel ſubſcriptorẽ? Sed ita ſe res habet, vt eiuſmodi calumniæ, ꝙ nec teſtibus, nec argumentis, nec bonorũ hominũ opinione cõfirmari poſſint, ab huiuſmodi criminationũ artificibus, velut per cuniculos in hominum mentes inſinuentur ac ſerpant, neque ex his ſit quiſq̃, qui ſe earũ authorem eſſe fateatur. Neq; tamen cum ſint eiuſmodi, vt & patrono careant & aſſertore iuſto, non fautores quoslibet interdũ inueniunt, aureſq; pronas ad maledicta exaudiẽda. Quo fit vt ſenſim quaſi per manus hominũ tradita cõmenta maleuolorum, ꝓ veris & exploratis cedant. Atq; illa quidem etſi minime ſunt tanti (ꝙ ad fidem attinet) vt graues homines & experientes magnopere mouere debeant; Rex tamen ꝓ ſuo in vos affectu, officii ſui eſſe duxit, intereſſeq; exiſtimationis ſuæ, ea quanquam nulla, aut contemnenda authoritate nixa, tamen non contemnere: ſed ꝓ eo quanti veſtram de ſe opinionẽ facit, diluere: & ꝙ vos quoq; ꝓ ſe aliis reſpondere poſſitis, tractare atq; abſoluere. Et prioris quidẽ totius tragœdiæ argumentũ, & ſupradicti cõmenti cauſam à Cæſare ꝓfectam eſſe, vobis (ſi prudentiã veſtrã & intelligentiam bene noui) Apologetica illa epiſtola pro Rege ſcripta, criminum refutatrix, fidẽ fecit: ſatis vero ex iis literis, ſi modo eas omnes accepiſtis, quas ꝓximo menſe Ianuar. ad veſtros iſtos ordines Rex dedit, perſpectum eſſe vobis exiſtimo, qui eius ſit animus ad res Turcicas capeſſendas, quanta in Chriſtianã rempublicã fide conſtet. Neq; .n. ſi ſibi ſuiſq; liberis & Galliarũ populis conſultum cupit, continuo reipublicæ Chriſtianæ (à qua nomen clarum atq; illuſtre ſortitus eſt) incommodare contendit: quod Deus omen auertat. Neque ideo ſe aut impium aut nefariũ videri debere putat, quod ſalua Chriſtianæ reipublicæ non modo quiete, verum etiam (quod ad eum attinet) dignitate rebus ſuis proſpicit: quid ſuis dixi? imo vero dum Chriſtianæ pietatis, ſalutis & religionis incolumitati conſulit. Cum autem apud vos purgatum ſeſe voluit, tum vero animi ſui ſententiam teſtandam eſſe duxit. Turcarum igitur Regem neq; ſe excitaſſe teſtatur, neq; cum eo ab aduerſariis excitato ſtatuiſſe rerũ ſuarũ ſummã coniungere: cæterum prætetita fortuna, & præſenti adhuc rerũ ſtatu admoneri, ne hoſtem temere ſibi illum (quo ſibi pacato opus ſit) ad ſuperiora incõmoda, ad ſuperiores clades, velut additamentum inteſtinorũ hoſtium aſciſceret, in ſeſeq; ꝓuocaret. Sed illarum literarum tamen exemplar ſimul cum hac Apologia idcirco ad vos perferendũ modo curauimus, ꝙ incertũ nobis eſſet, an illæ vobis redditæ fuiſſent, an (vt ſæpe de cęteris contigit) in itinere interceptæ. Nec dubito quin quo iudicio & prudentia polletis, qua rerum peritia & vſu omnia perſpicitis, ipſius Regis conſilia minime improbetis. Nam qui in rerum veſtrarum conſiliis agitandis prudentia & circũſpicientia vti ſoletis, circumſpecto Regi prudentiaq; prędito nõ conuenire iudicabitis, hoſtem talem tantumq;, quantus Solimanus eſt, vltro in ſeſe irritare, vt Principis non modo minime ſibi amici, verumetiã hoſtis infeſtiſſimi atq; acerbiſſimi imperium conſtituat, vel tyrannidẽ potius ſtabiliat: præſertim cum nec adhuc vſq̃ Rex in ſua cauſa apud amicos & ſocios ſatis iuſtum modum æquitatis interpretandæ inuenerit, nec vllã apud hoſtes immẽſæ cupiditatis, arrogantiæ, crudelitatis moderationẽ, ex iis quæ ante ceſſerunt, ſe in poſterum inuenturum ſperare debeat. Solimanũ vero quid fuit quamobrẽ in caput ſuũ & fortunas conuerteret? Habet ille (vt perhibetur) nauales apparatus ingentes, claſſemque, vt ſi qua vnq̃, in Græco mari inſtructiſſimam & numeroſiſſimam, q̃ claſſem in noſtram orã ſe appulſurũ non obſcure fert. Nos autem dum à Cæſare grauiſſimo bello & periculoſiſſimo diſtinemur, quid nauiũ tantæ claſſi opponamus, certe in promptu non habemus. Quin & littus noſtrum, ꝙ hoſti plus minus milia paſſuum ad quadringenta eſt expoſitum cũ per ſeſe ſit portuoſiſſimum, eoque magis iniuriæ obnoxium, tum vna excepta Maſſilia, nulla in parte tractus totius ſatis ad tantos impetus excipiendos munitũ eſt. Hæc quum ſit rerum noſtrarum conditio, nunquam vobis diſſimulandum eſſe iudicauimus, pacem ab hoſte in primis omnium formidabili oblatam minime repudiaſſe: quam ſi vltro tum appetiiſſemus, tamen conſilium noſtrum præſentium temporum ratio deberet comprobare. Sed pacẽ hanc tamen (ne forte hoſtium noſtrorum importuna obtrectatio vobis obrepat) nec ab vtilitate cõmuni nec ab honeſtate noſtra remotam reperietis, & vero ſummopere temporibus noſtris neceſſariã. Quanquam ne Cæſareæ quidem ambitionis pœnas luere, ſi id in rem futurum Chriſtianæ religionis videretur, recuſandam eſſe putaremus. Verum ita ſuum animum antehac dictis factiſq; ſuis Cęſar, omnibus qui modo aliquid vident patefecit, vt amicitiam cum quouis mortalem fortaſſe, inimicitias certe nobiſcum immortales ſibi eſſe conſtituerit: vt nihil ipſius ratione cum æquitate pugnantius, nihil quieti publicæ & ſaluti infenſius exiſtimemus; in eiuſque ſententiam ire, id vero arbitremur eſſe perniciẽ publicam ac bellum ciuile perpetuũ indicere. Enimuero ſi præclari illi Cæſaris conatus, ſi bella ab eo ſuſcepta eo ſpectabant, vt Orientis populi eius armis ad religionis noſtræ partes adiungerentur: quin igitur ſubacta iã Africæ parte, in Aſiam ipſe (ꝙ palã iactabat facturum) tranſibat: atq; id fieri quũ deberet multorũ iudicio ac opinione? Nonne id & conducibilius in vniuerſũ fuiſſet, & nomini Auguſto ſplendidius, q̃ cupiditate detecta atque animi impotentia, repente nullam ob cauſam ſatis dignã aut luculentã Chriſtianas copias in Chriſtianiſſimã gentẽ vertere?

Quæ ſequitur.

Solimani potentia.

Maſſilia.

Fœdus Franc. cum Turca.

Quod

Quod quid aliud fuit accurate rem expendentibus, quam collectam ſuperioribus annis ex Fortuna gloriam paucis menſib. effundere? Quid vero ſi ne nos quidem, quos nunc in inuidiam rapit, quum eum illud facturum alii ſperarent, voluntati hominum & poſtulationi defuimus? equidem memini Romæ hac de re conſilium haberi, in quo conſilio quum multas ob cauſas, tum vero maxime ob vicinitatem loci (nam erat tum Cæſar ad Neapolim) multis magniſq; de rebus tractatum eſt. In eo conſilio præfuit ſummus Pontifex, affuit ampliſſimus Cardinalium ordo, Legati Ferdinandi Regis, Legati Luſitanorum, Florentinorum, Genuenſium, Lucenſium, Iudæorum denique qui magno numero trans inauditos quoſdam & incognitos Arabiæ (vt fertur) vlterioris montes incolunt: quin & Venetorum ipſorum Legati, certatim ad eam expeditionem ſuſcipiendam nomina dedere. Nemo erat omnium quin vires, opes, facultates, vitam etiam ipſam & ſanguinem, in tam pium bellum ſe profundere velle diceret, præ ſe ferret. Tum rogatus ſententiam Cardinalis nomine Bellaius, quem maxime conſcium Regis conſiliorum eſſe conſtabat, ecquid pro Rege Chriſtianiſſimo polliceretur, reſpondit, Regem ad ea quæ iam diximus, in Pannoniæ tumultu oblata eſſe, additurũ etiam triremes quinquaginta, & nauium quæ ex Oceano maximæ & inſtructiſſimæ adducerentur, numerum ingentem: ac ne ipſum quidem Regem, ſi ita videretur, ab expeditione abfuturum. æquũ proinde eſſe, vt ratio eius haberetur. Id quod poſtea re intellecta ipſe Rex protinus confirmauit, ſeque ea lubenter præſtaturum eſſe, quæ pro ſe Cardinalis ille recepiſſet, promiſit. Hic enimuero peruelim, vt hoc mihi lepidi iſti criminatores vnum explicent, quæ cauſa fuerit, cur ad egregiam tot populorum, tot Regum, tot ciuitatum voluntatem, aut potius pro repub. ſingularem animorum deuotionem, Cæſar id quod ſe tantopere depoſcere oſtendebat & dictitabat, (præſertim quum illi factu facile eſſet, & vltro etiam obuium) non exequeretur. Quid à nobis amplius, quid ab vniuerſo orbe vel ſperare vel deſiderare potuit? Quod ſi hanc animi noſtri egregiam promptitudinem in capitis crimen ac iudicium iſti adducunt, ſi omnia ad arbitrium ſuum collata à nobis, cauſam fuiſſe exiſtimant, quare inuiſi omnibus & offenſi eſſe debeamus, quaſi ab expeditione Turcica Cæſarem reuocarimus, quaſi Solimanum in finium Chriſtianorum depopulationem ac vaſtationem vocauerimus: iam ego quid potiſſimum in cauſa ſequar, quid fugiam, quid defendam, & quid refellam, quo me vertam ignorare fateor: cum iſti rationem omnem officii & culpæ, omnem æqui & iniqui naturam peruerterint, vt quid apud eos bonum ſit, quid malum, quid rectum ſit, quid prauũ, quæue iis rebus vocabula apta ſint, iam intelligere non poſſim: niſi hoc forte agunt, vt nos pro rebus iuſtis, pro officiis præſtitis, pro ingentibus meritis cauſam dicere cogamur. Quid ita? nempe quid ad rem Cæſaris faciat, hoc in iudicio iuſtitiam accuſari & probitatem, iniuriam & nequitiam defendi. Hic locus eſt quiritandi (vt videtur) & Dei hominumque implorandi, & veſtram maxime, viri integerrimi, æquitatis & iuſtitiæ ſtudioſiſſimi, fidem in tam inaudita inſolentia. Sed quoniam id è moribus gentis noſtræ atque dignitate Regis minime viſum iri intelligo, non eo me vehementiæ iſtorum indignitas impellet: non committam, vt iſtorum improbitate percitus, non ſimilis eſſe mei, noſtrorumque non meminiſſe videar. Quanquam in hac controuerſia diſceptanda non ſatis conſtitutum habeam, quid potiſſimum, quid primum, quid ſecundum ac deinceps defendam: nec vero quid in primis accuſent: imo vero, quid omnino accuſent, quid querantur, quid in nobis deſiderent, quid à nobis abeſſe velint, ignorem: cum ipſi in ſuis criminibus nihil conſtitutum habeant & definitum, niſi quod ſummam accuſationis ſuæ eo referunt, vt maledictis, iiſque falſo excogitatis Regem Franciæ ac gentis ipſius nomen cooperire obruereque poſſint. Qui cum noſtra benefacta in malefacta obtrectandi iniquitate vertant, etiam ſua ipſi maleficia pro egregiis in vniuerſum religionis nomen vobis venditant. tanta eſt confidentia inſtitutæ calumniæ. Verum etiam ſi inſolentiæ ſuæ finem nullum faciunt, ego pro noſtra conſuetudine tamen, ne veſtra facilitate atq; æquitate in cauſam noſtram abuti videar, finem hic ſecundæ faciam refutationis. In qua probaſſe nobis videmur, non modo nos hac modeſtia, hac animi perpetua liberalitate gentem Turcarum in rempubl. non concitaſſe, verumetiam ſua arrogantia iſtos & cupiditate rem Chriſtianam communibus hoſtibus & domi & foris prodidiſſe & perdidiſſe.

Quod tertium ex diuiſione fuit, idq; poſtremum, quæſo viri Ampliſſimi, paucis ex me intelligere attente ac beneuole, ne grauemini. Hoc vero ab eadem mente profectum, qua ſupradicta, congruentis quoq; cum illis eſt vaniloquentiæ. Quippe Regem eundem tot aliunde calumniis oneratum, apud vos in inuidiam adducere hoc quoq; nomine conantur, quod in Mediolanenſem, quod in Sabaudienſem agrũ, veſtro, hoc eſt, Principum Senatus Imperiiq; Romani iniuſſu inuaſerit, eaq; re ſic Imperii veſtri ius atq; authoritatẽ læſiſſe vociferantur, cum ii populi in veſtra ſint fide, ac veſtri (vt iſti dicunt) beneficiarii: vt Rex vel hoc ipſo maieſtatis reus apud vos agi peragiq; & poſſit & debeat. Quo in accuſationis genere mirari ſatis non poſſum iſtorum hominũ incredibilem ſtupiditatẽ ſumma cum impudentia coniunctã. Qui enim Regẽ maieſtatis poſtulant, illi quo maxime crimine apud omnes laborant, eiuſdem eum qui ab hoc q̃ longiſſime abeſt, inſimulant: nec interim, credo, ſentiunt à vobis viris perſpicaciſſimis ea non poſſe non animaduerti, ſicq; proinde in hoc crimine ſe iactant, ſic exultant, quaſi veſtrum ſit aliquis, q neſciat neminem poſt Caroli magni tempora fuiſſe (qui primus Imperium Rom. inuexit in Germaniã) qui hunc Cæſarẽ non dicã ſuperare, ſed æquare quidem potuerit in dignitate Imperii ornamentis omnib. ſpolianda, euertenda fortunis omnibus ne dicam interuertenda; iis qui Imperii adminiſtrationi & maieſtati atque grauitati moderandæ præfecti ſunt, in ordinem redigendis, ærarii opibus & facultatib. exhauriendis, atque dilapidandis.

Concilium Romæ.

Card. Bellaius.

Imperii diminutio.

Auſtria. Cui enim non dico Auſtria ipſa,(cuius vos poſſeſſione atque clientela maiores eius defraudarunt) ſed facta eius recentia non inſident animo, vel potius verſantur ante oculos? quæ ſi ego non ſingula quidē illa (nam infinitum eſſet ea commemorare) ſed ſi ex tam multis ea ſaltē vulnera commemorabo, quæ in Italia, Florentia, & Piſæ: in Germania, Vltraiectum & Wittenberga ab eo acceperunt: & ſi vos ea (vt facitis) recordamini, diſſimulate nunc ſi poteſtis, populo Florentino, atque Piſano, libertatem à Carolo magno Imperatore veſtro & ciue datam, aliorum deinceps Imperatorum beneficio omnium conſeruatam, his proximis annis nulla veſtri habita ratione, vtrique populo per vim Cæſarem ademiſſe, & mox Tyranno contra iuſiurandum, contra Imperatoris fidem & officium mancipaſſe, deinde pretio accepto eidem in numerum dotis attribuiſſe. nam res Vltraiectenſis, quando ea quidem palam eſt, & oculis veſtris expoſita, eo leuius attingenda mihi eſt: neminem enim veſtrum latere puto, qua arte Vltraiectenſi Epiſcopo patrimonium omne ſubduxerit, nō quidem vt inopi & mendicæ plebi, vel certe ijs qui præ egeſtate literarum ſtudia tueri nequeunt, erogaret: ſed vt totum hoc in priuatum ſinum auerſum ſibi ſumeret, aut potius conſumeret. In cauſa ſane Wittembergenſi, mirum, ni quod egit, ſatis animaduertiſtis: opinor enim quale fuerit, vos vidiſſe: atque à vobis eſt hoc pro rei natura & authoris ipſius ingenio perſpectum. Et tamen id facinus nec prohibuiſſe vos, nec admiſſum vindicaſſe, certū eſt: ſi quidem ea vera ſunt, quæ multorū ſermone, rumoribus etiam ad nos & fama perlata ſunt. An vobis hoc parum viſum eſt, dignitatis Imperii, & vtilitatis publicę cupidiſſimis, tantam prouinciam ac tam nobilem de Imperii clientela oblique eſſe iſtorum artificio exemptam? cuius Imperii beneficium eo iure erat, vt aut ſi quid forte eſſet à cliente contra fidem beneficiariam admiſſum, aut ſi ad eum caſum res deueniſſet, vt in familia clientelari mas nullus ſuperſtes eſſet, ager ille fieret publicus populi Romani. At id ius omne ita eſt interuerſum à Cæſare, vt totum in gentilitatem Auſtrianam ijsdem conditionibus tranſcriptum ſit, pacto an peccato dicam, neſcio: certe quidem contra ius, contra æquum & bonum, contra morem maiorum. Id quod eo eſt & indignius, & multo etiam minus tolerabile: quod ea fraus in captionem Imperij conflata, in acceſſionem Ducatus Auſtriæ futura ſit. Quæ Auſtria cum ante Maximilianum Cæſarem in fide Imperii Romani eodem, quo Wittembergenſis ager, iure eſſet, ab illo ipſo Maximiliano fide liberata, clientelæ immunitatem ſumma fraude & flagitio Imperatoris veſtri conſequuta eſt. Quæ tum iura Imperii veſtri, non ab exteris nationibus, non ab hoſtibus tentata, ſed ab Imperatoribus veſtris, nimia omnino (quod pace veſtra dixerim) ac plane diſſoluta conniuentia, erepta ſunt Imperio. Quo in ſcelere exiſtimo vos, Ampliſſimi viri, minime eſſe hallucinatos: ſed ea temporum ratio ſuperiorum extitit, vt facilis fortaſſe fuerit eius improbatio, ſed difficilis interceſſio. Nam illud inſigne in Comiti Carpenſi iniuria facta (quod nunc, vt arbitror, magnitudine iam dictorum obſcuratum vos effugit) non modo aut Imperii veſtri maieſtatem violaſſe, aut Chriſtianæ religionis authoritatem, ſocietatem, pietatem contempſiſſe, verum humanitatem etiam omnem (quod in Cæſare fuit) deleuiſſe videtur. Erat vir ille, vt noſtis, nō modo gentis imaginibus, opibus, vitæ innocentia, & morum probitate, ac doctrina ſingulari, tota prope Italia clariſſimus: verum etiam ætatis iam grauitate, & quod ſartum & tectum ab omni violentia præſtare eum debuerat, valetudinis perpetua infirmitate, membrorum omnium debilitate, minime ad iniuriam opportunus, indignuſque omnino, qui vllo inhumanitatis genere afficeretur. Verum, vt credo, cum hæc omnia Cæſarem minus inhibere potuerint, vt manus à grauiſſimo & ſanctiſſimo viro, propter tot cauſas abſtineret, non vulgaris aliqua ratio eum induxit, vt vim nobiliſſimo illi homini nihilominus inferret. Obſecro vos igitur viri Principes, rem vt totam cognoſcere velitis. Fuerat ille inter clientes Imperii Romani in primis nominatus, cum apud Romanum Pontificem Regis Chriſtianiſſimi legatione fungeretur. Apud quem Pontificem, per Deum immortalem, cui populo, cui nationi, cui Regi, cui denique Chriſtiano homini, legatum habere, aut cui denique homini & nunc, & antea non ſit, non fuerit, non olim futurum ſit oratori eſſe liberum? At in hoc viro tamen, exempla maiorum & inſtituta, Carolo minime ſequi viſum eſt. Siquidem quaſi violato hoc vno nomine iure publico, authoritate Imperii Romani ludibrio habita, grauiſſime ille tulit, vel ſimulauit potius, quod cum in fide populi Romani eſſet Carporum Comes, iniuſſu Imperatoris pro Chriſtianiſſimo Rege legationem ſuſcipere auſus eſſet. Eo de homine quid futurum eſſet, huiusmodi de crimine quid ipſe ſtaturus, non magnopere quiuis anxius eſſe debebat (vt quidem ipſe reor) qui & Cæſarem nouiſſet, & culpæ genus intelligeret, crederes obiurgatione contentum hominem fore, & verborum caſtigatione, ſi non qualibet, certe ſeueriuſcula. At id aliter homini viſum eſt. Neque enim ſatis habuit, aut Imperatore dignum eſſe cenſuit, admonere hominem durius, & grauius reprehendere, comminari etiam inſolentius deſiſteret, ac nequid tale moliretur in poſterum. Hoc ille quidem parum ad iniuriam iuris communis, parum ad libertatis contumeliam eſſe iudicauit: tametſi id omnes merito iniquiſſimi, & arrogantiſſimi Imperii eſſe exiſtimarent: videlicet id ab iſto reprehendi, quod non tantum moribus omnium & inſtitutis receptum & vſitatum eſſe probaretur, verum laudandum etiam eſſe ſummopere inter omnes conſtaret. Exiſtimo vos, viri Ampliſſimi, nihil grauius in huiusmodi culpa, ſeu crimine ad ſpeciem exaggerato expectare, quam vt rem ab omnibus receptam atque probatam, Cæſar quamlibet infenſus ſuis decretis & condemnarit & abrogarit. Hoc vero quanto grauius eſt, quanto ad iniquitatis memoriam inſignius, quod vir in Italia Princeps, vir ſumma nobilitate, ſumma authoritate, ſumma dignitate præditus, vir cuius vel humanam quamuis culpam valetudinis (vt modo dicebam) imbecillitas, debilitas membrorum omnium,

Florentia. Piſa.

Vltraiectum.

VVirtenberg. Ducatus.

Carpenſis Comes.

omnium, ætas ante annos affecta, & ea ipſa tamen canitie matura venerabilis, deprecari debuiſſet: vir (inquam) ille, qui & ingenii & morum ornamentis, qui vitæ per virtutem actæ patrocinio meritæ quoque pœnæ eximendus erat: qui ob ſenectutem iam confectam & emeritam ſacroſanctus huiuſmodi legum ſanctionibus eſſe debebat, (proh ſancte Ieſu) è lare ſuo familiari, ex auitis ſedibus, è patriis poſſeſſionibus, fortuniſque omnibus in Regis inuidiam eiicitur, exigitur, deturbatur: quo innocentior & indignior tam fera crudelitate, eo non meo tantum, ſed aliorum multorum iudicio miſerior: tumque ex omnibus fortunis, imo vero ex ipſa luce communi & ſpiritu eiicitur, quum nullo exemplo, nulla probabili ratione, indicta cauſa damnatus eſt. Quo autem iniuria eſſet cumulatior, noxa caput (quemadmodum apud iuriſperitos dicitur) ſequuta eſt: caput nunc, ipſum Cæſarem voco, qui Carpenſem Principatum publicatum Imperio Romano adiudicauit, vt litem ſuam faceret, quam homini inſonti ſpecioſe intentandam curarat. Iam non ego quidem miſeri illius Comitis fortunas, nec priſtinam gentilemque dignitatem per ſummam indignitatem ereptam, nec acceptam illam miſerabilem calamitatem deploro, neque gentis noſtræ, neque Chriſtianiſſimi Regis propinquiſſimi odium conqueror: verum hac tota de re iuris gentium calcati inſignem contumeliam, Imperio Romano maculam inuſtam, & labem Chriſtianæ pietatis neceſſario dolore concitatus profero. Nam totum illud, quod ſequitur, multo impudentius & tetrius, licet ad omnes quidem homines vniuerſum, verum quadam in parte tamen præcipue ad vos pertinere arbitramur. Siquidem ager ille cum factus eſſet publicus, vis illa quidem tanquam veſtri Imperii acerbitas quædam & iniuria, tametſi nemini vnquam toleranda eſſe viſa eſt, tamen quod eſſet nomine veſtro adumbrata, quod Imperii Romani authoritate ſubnixa, leuior ea cauſa tolerabiliorque videbatur. At vero cum eſt à Cæſare quaſi auctionante, non obſcuro bonorum & grauium omnium gemitu, ſi non publice, at domi tamen, proſcriptus & addictus licenti potentatus; dici non poteſt, ne cogitari quidem, quanto altius omnium in viſceribus ſenſus ac dolor indignitatis illius inſederit: cum eo ventum eſſe videretur, vt nihil tam ſuum cuiuſquam, tam mancipio quæſitum eſſet, quod non precarium eſſe cœpiſſet, ad quod libidini Cæſaris & rapinis aditus eſſet aliquis patefactus, intra cuius parietes diuinorum omnium rerum & humanarum, domeſtico quidem illo & familiari ſcelere, nundinæ eſſent inſtitutæ. Verum id quod ad vos præcipue attinet, viri Principes, vos mihi locupletiſſimi teſtes eſtis, an pecuniam illam ex miſeri illius hominis viſceribus & cruore redactam, poſtea expenſam reipubl. tulerit, aut acceptam, vobis ipſique Imperio retulerit. Id quod ſi ipſe faciendum duxiſſet, facinoris grauitatem aliquantum eleuaret: quaſi non ſibi iniquus & crudelis, ſed Imperio & maieſtati Auguſtæ eſſe meditaretur. Sinite igitur vos hac de re interrogari, ecquid vobis ille viſus ſit ex calamitoſiſſimi ſenis manubiis reipublicæ commoda aut reditus Imperii auxiſſe. Sed enim moleſtus eſſe nolo: non exprimam vocem inuitis & verecundantibus, ipſe pro vobis reſpondebo. Non retuliſſe illum: nec ſi retuliſſet, ſi innocentiam veſtram bene noui, hanc tam ignominioſam, tam funeſtam & quaſi miſeri & innocentis ſanguine redundantem pecuniam punctum temporis apud vos reſidere pateremini: ſed tanquam ad vos inauditæ illius & incredibilis inhumanitatis labes & contagio quædam delata eſſet, aſpernaremini. Quod igitur non veſtra ille authoritate, ſed ſua ipſius audacia partum eſſe cognouerat, id nec vobiſcum communicandum eſſe duxit, ſed ſibi vni aſſignandum. Quanquam quis hoc vnquam non dicam Chriſtianus, ſed Romanus Imperator auſus eſt? Si quis vnquam de publico auertere conatus eſt, id ille nec per ſe, nec palam, nec in manifeſto facinore, ſed per magiſtratus cupiditatis ſuæ adminiſtros, ſed occulte, ſpecie aliqua vel honeſtatis vel neceſſitatis obtenta tentauit. At vero hic nummarius Populi Romani Imperator ducenta illa aureorũ ducatorum millia, vel plus etiam aliquanto, q̃ ex miſeri illius Comitis capite redegerat, ſub publici nominis velamento, ſibimetipſe quaſi ſuo iure vendicauit. Quare hac in parte ſaltem huius cauſæ, in eoque crimine diſceptando, non ſeueritatem tantum iudicum, ſed inimicorum etiam & accuſatorum acerbitatem & vehementiam ſuſcipere debetis. Neq; enim quo animo eſſe huius criminis iudices debeatis, dubitare poſſum, cum ad vos potiſſimũ Imperii Romani ſanctitas, & publici iuris tutela dignitaſque pertineat: quos etiam apud alium iudicem actiores, q̃ ego ſim, actores & accuſatores eſſe oporteret. Hoc loco fortaſſe reclamabunt aduerſarii noſtri, vehementioreſq; aſſurgent: enimuero nos nec lege, nec moribus agere, qui accuſationem pro Apologia ſcribamus, inſtitutamq; defenſionem obiectorum nobis criminum inchoatam derelinquentes, in recriminationẽ ſenſim delapſi ſimus. Et nos quidem, quoniam æquum eſſe exiſtimamus, non aduerſariorũ exemplis huiuſmodi cauſam noſtrã tueri, quanquã ſummorũ patronorum exemplis receptum ſit & legitimũ, vna cum defenſione referre aduerſarius criminũ quæſtionem, tamen innocentiæ argumentis & ſignis exponendis & explicandis libentius indulſerim, vt nihil tale à nobis ne cogitatũ quidẽ eſſe doceamus, nec in Mediolanenſi cauſa Regem Chriſtianiſſimũ quicquã, quod vos offendere debeat, eſſe aggreſſum facere. Neq; n. in eum agrũ (quod iſti pro ſolita maledicendi & mentiendi cõſuetudine affingunt) inuaſit, vt conſtat: nec ſi inuaſiſſet, quicquã vos cum illo eo nomine expoſtulare potuiſſetis. Iure n. hæreditario ipſi obueniſſe illius agri dominiũ, altera illa Apologia mihi quidem abunde probaſſe videtur. Atqui per vim & iniuriã rapta, vi & armis repetere iure tum gentiũ, tum ciuili Romanorũ, tum Pontificũ licet. Hæc autem iura tam nota ſunt, tam cuilibet vel imperito audita & comperta, vt nulla re magis q̃ communi omnium perſuaſione, & ſenſu poſſint confirmari. Quod porro ad Ius Imperii attinet, ſiue id clientela, ſiue beneficiũ Populi Romani

appella

Mediolanum feudum Imperii.

appellandum eſt, quod iſti inueſtituram ſuo vocabulo appellant, vtinam autem quale id eſt cunq; aut quodcunque vocari debet, non tanti pridem nobis Maximiliano Imperatore conſtitiſſet: aut ſi id factum oportuit, vtinam (inquam) dum ius noſtrum toties, & pacem publicam ab Imperatoribus veſtris immani pretio redimimus, eius pecuniæ portio aut in reipublicæ, aut in veſtra ceſſiſſet commoda: ſi tamen hoc veſtra amplitudine veſtraque virtute non indignum exiſtimatis. Non enim vniuerſum illud nobis, quo iure quaue iniuria ablatum pretium confeſtim in noſtri capitis & regni huius noſtri perniciem vertiſſet. Verum enim vero huiuſmodi rerum nobis quidem pœnitendarum, illis autem pudendarum commemoratio in querimoniarum formulam aptius concipi poteſt, quam in verba vota facientium. Quare voce iam optantis non vtar: neque enim in præteritum aut illis aut nobis ius eſt, vt ea induci Senatusconſulta, & facta infecta fieri poſſint. Cur autem nunc

Sabaudienſe bellum.

de bello Sabaudienſi nobis moleſti eſſent homines iſti ſapientiſſimi, prorſus nihil fuit. Neque hac de re mihi magnopere apud vos laborandum eſſe exiſtimo. Quid enim tam ridiculum eſt, quam quoties bellum cum aliquo de finium vel hæreditatis controuerſia neceſſario ab aliquo ſuſcipitur, hoc ſtatuere? *Qui Senatus iniuſſu digitum vnum commouerit, vt illius nomen vel abſentis ita recipiatis, vt apud vos capitalis rei, apud vos perduellionis reus ſit, aut hoſtis à vobis iudicetur.* Id cum neque moribus vſquam receptum eſt, nec maiores veſtri tam iniquam legem, tam duram, tam contumelioſam ſanxerunt: tum profecto exiſtimo vos, ſi res integra ad vos delata fuiſſet (quæ veſtra eſt æquitas) ſecundum Regem omnino ſententiam fuiſſe laturos. Itaque Rex ereptam progenitoribus ſuis per vim maternam hæreditatem, vi quoque, quando aliter non poterat, cenſuit repetendam: cui ſi facultas fuiſſet controuerſiæ iudicio dirimendæ, iamdiu cum Duce auunculo, iudicio expertus eſſet. Longe enim illi fuiſſet optabilius recuperatoribus ab eo datis, cui dandi ius fuiſſet, re iudicio concertata ad pacatam hæreditatem integramque peruenire, citra cædem & ſanguinem, quam belli laboribus, ſumptibus & iacturis vexatum ad eandem illam direptam & exhauſtam, atque omni belli clade deformatam Marte non incruento irrumpere. Age nunc, viri Principes, iudices illi feramus, quoſcunque æquitas veſtra prudentiaque cenſuerit, ni per eum factum ſit, quominus res nobis repetere iudicio non licuerit: neminem vt iniquum nobis, reiiciemus, qui æqui boni conſultus magis, quam iuris iſtius Imperatorii ſit, id eſt iuris, quod Cæſar ſibi dixit: neque vero vos nobis eum iudicem eſſe debere cenſebitis, qui Mediolanum nobis per ſummam iniuriam abſtulit, & maiore etiam nunc iniquitate retinet; nec vllum à nobis reditum in Italiam in hæreditatem noſtram non modo poſtulari, ſed ne ſperari quidem permittit. Nam quid eo eſſet iniquius? Verum quid faceremus? ad vos, cum id maximopere cuperemus, Legatos mittere non poteramus. Quid quod ne tabellarium quidem? cum itinera nobis obſtructa, cum omnes ad vos aditus nobis intercluſos comperiſſemus, vos certe mihi teſtes optimi eſtis, viri Ampliſſimi, hoc toto triennio Regẽ tentare non deſtitiſſe, ſi quo modo tandem ſuæ ad vos iuſtiſſimæ querimoniæ perferrentur, ſi quo poſſet modo fieri, vt de omnibus controuerſijs, quæ ſibi cum Cæſare intercederent, diſceptationem ſuſciperetis. Quod ille non modo ne fieret obſtitit, ſed ne ad vos querelarum noſtrarum, ſuarum iniuriarum nuntius perferretur, omni ope atque opera vt prohiberet, enixus eſt: veſtram nimirum æquitatem ſapientiamque veritus: id quod ſatis, vt ſpero, comperiſtis. Neq; hic libet labores commemorare, pericula recenſere, quæ quidam ex noſtris hominibus, quæ Oratores ea de re ad vos miſſi adiere. Vetera illa, quorum ſine dolore & acerbo quodam contumeliæ nobis illatæ ſenſu meminiſſe non poſſum, prætermittam. Hoc vnum tantum etſi maxime dolet, tamen operæ puto eſſe pretium exponere, quod paucos ab hinc menſes accidit. Id fere eſt eiuſmodi: Cum literas ad ſingulos ordinis veſtri Rex dediſſet, quibus literis Senatum ſibi media in Germania dari flagitabat, apud quem ageret, partim de controuerſijs priuatis ſuis, partim de ſumma reipub. nominis Chriſtiani (nam rerum ſuarum controuerſiam, non minus quam vniuerſitatis, per vos diſceptari concupierat, veſtræ tum ſapientiæ tum æquitati confiſus) videte nunc etiam atque etiam, obſecro, quam ſemper, quum æquiſſima poſtularemus, iniquis aduerſariis noſtris vſi ſimus: qui noſtras tali ac tanta de re, tam neceſſaria, tam iuſta, literas ferebant, eorum partim aut Cæſaris aut Ferdinandi edicto finibus veſtris prohibiti ſunt & excluſi: partim (vt non vaniſſimis cognitum eſt teſtimoniis) crudeliter necati. Sed hoc ab iſtis ex more ſuo perfectum: quod etſi non grauiſſime ferre, in re publicæ vtilitati tam idonea non poſſumus, hoc nobis tamen multo grauius fuit, & inſolentius viſum eſt, quod ex ordine veſtro, vnde nihil tale futurum neque in nos, neque in rempub. Chriſtianam timueramus, inuentus ſit, qui nuntium Regis Chriſtianiſſimi, qui literas ei de re ad communem reipu. Chriſtianæ vtilitatem pertinente reddiderat, mox in carcerem teterrimum, vinculis grauiſſimis oneratum, inhumaniſſime coniiceret, prius tamen capitis denuntiato ſupplicio. Sed & cuſtodia illa, (vt dicitur) loci ipſius horrore & illuuie atq; ſitu, crudeliſſimi cuiuſdam Tyranni carnificinæ accomodata videbatur. Quam inhumanitatem, non dubitamus iſtum veſtrum in Cæſaris gratiam ſuſcepiſſe. Itaque ab illo miſero, qui in carcere erat, nihil leuius morte expectabatur: omnia in ſe tormentorum genera exquiri intelligebat. Sed eo ipſo die, qui ad ſupplicium illi erat conſtitutus, nec miſericordia cuiuſquam, nec vlla humana ope aut conſilio, ſed ſingulari potius Dei immortalis beneficio ſeruatus eſſe iudicatur. Deum ipſum immortalem teſtor, viri Ampliſſimi, libenter me pro inſtituto noſtro facturum fuiſſe vt nomen eius ſilentio prætermitterem, qui flagitium hoc commiſit. Verum & officio meo & fide quam huic cauſæ præſtare plane debeo, ne hoc prætermittam, inhibitus ſum, & multo vero magis cauſa veſtra: nempe vt vos exemplum hoc deteſtati, diligentius poſthac, ne liquid fiat ſimile, prouideatis

deatis

deatis. Brandenburgenſis Marchio nulla à nobis re laceſſitus, ne verbo quidem vllo, eadem qua vos nobiſcum, neceſſitudine coniunctus: ille inquam Marchio (quando nomen eius prodi-tum oportuit) quantum in ſe fuit, Regium nuntium omni genere tormentorum excruciatum necauit, nullam aliam ob cauſam, quam quod ad eum de repub. Rex, & Rex Chriſtianiſſimus, de re etiam priuata ſcribere per eum auſus eſſet. Ille quod honoris maximi cauſa factum erat, quod neceſſitudini ſummæ datum & beneuolentiæ, pro iniuria & maleuolentia habendum eſſe cenſuit. Quo facto, non modo antiquiſſima fœdera inter maiores veſtros Franciæ Regum progenitores, & Reges ipſos Francos icta, tot annos ſanctiſſime ſeruata violauit: verum etiam jus ipſum gentium quod idem naturæ ius eſt, in tabellario Regio in vincula coniiciendo, & omnes humanitatis leges infregit: eo quoque etiam crudelior & inhumanior barbaris omnibus, quod poſtquam miſer ille forte diuinitus oblata è vinculis ereptus eſt, nó plus apud eum Fortunæ illius diuinæ benignitas quam humanitatis eius ratio authoritatis habuit. Sed præmia multiplicia propoſuit, q latitantem, & fame ac frigore (vt coniicere eſt) exanimatum hominem ad ſe retraheret: eamq; in conquirendo diligentiam adhibuit, vt niſi prouidentia rerum huiusmodi arbitra, hominẽ calamitoſum furori eius ſubduxiſſet, exemplo ille quopiá abominando ſublaturus eum fuerit. Affuit miſero mite numẽ diuinũ, fugitansq; & pauore exſanguis, non mortem, quam optabat, ſed Tyranni Principis iram fugiens in latrones incidit, vel ſeruatrices potius latronũ manus inuenit. Sed enim facinus deteſtandũ abunde eſt quoquomodo indicaſſe: quare digreſſiunculam parum feſtiuam abrumpam, vt eo q agebatur, redeam: ne ſcilicet in re Mediolanenſi vel Sabaudienſi diſceptanda cuiusquam, modo non iniqui, iudicis arbitrium refugiſſe Regem Chriſtianiſſimũ putetis, cum ne ad vos res integra deferretur, ſi deferenda fuiſſet, & temporum & hoſtium iniquitate factum eſſe videatis. Nam quos tandem iudices aut arbitros Rex inuenire tum poſſet, quibus æquis vteretur, aduerſario Cæſare, ob res paulo ſecundiores terram cœlumque territante? Cæterum quod in direptione oppidi Montis lucelli inita inter nos fœdera violata eſſe obiiciunt, quod res nonnullæ mercatorum veſtrorum à militibus direptæ ſunt: id vero totum eſt eiusmodi, vt ab homine quopiam vaniloquo & ſycophanta confictum eſſe videatur, aut mendacio permixtum: & vero q exacte quæſitũ non fraudi nobis apud vos, ſed laudi futurum ſit. Quem enim ea in re expoſtulandi locũ Rex videri poteſt reliquiſſe, cum quicquid fuit vel mercatoribus illis, vel negotiatoribus in direptione ereptum, id ſicubi compareret, integrum, Rex vt reſtitueretur curauerit: quicquid deperierat, vel fuerat corruptum, vt cuiusque de ſuo æſtimatio ad nummum perſolueretur: denique vt quicquid eſſet detrimenti acceptum, quanti cuiusque intereſſet, tantum ille auferret, vt meo quidem iudicio nec conſuetudini ſuæ, nec animo ſuo in vos, nec fidei ſuæ, nec conſtantiæ, nec grauitati potuerit cumulatius ſatisfacere.

Abſoluta ſunt tandem aliquando illa tria, viri Principes, quæ ab initio ſuſceperamus refutanda, ex quibus vobis (vt opinor) conſtitit, nihil fuiſſe aut opera, aut mandato Regis factum, quominus Cæſar in rebus aduerſus Turcas gerendis operam nauaret bonam, ſtrenuam, & vtilem reipubl. Chriſtianæ, religioni ac pietati à Seruatore noſtro nomen, authoritatem originemq; habenti. Contra vero, Regẽ ipſum religionis ipſius cauſa omnia cupientẽ, ſic animo comparatũ fuiſſe, eam egregiæ voluntatis ſignificationem nó obſcuram dediſſe, ſic palam teſtificatum eſſe, vt ſi per Cæſarem licuiſſet, omne ſtudium, omnem curam, omnes copias, in cauſam communem optima fide collaturus fuerit. Tantum abeſt, vt ſciens ac prudens Rex Chriſtianiſſimus tam præpoſtere de ſemetipſo, de penatibus Franciæ clariſſimis, de liberis, de hæredibus tanti regni, de nepotibus, de nomine denique Francorum pietatis retinentium in primis atque reuerentium mereri inſtituerit. Tantum vero Rex ab ea voluntate alienus fuit, vt vlla in re Imperii Romani maieſtatem atque authoritatem veſtram violare contenderit, vt etiam omni obſeruantiæ, officii, fidei, diligentiæ genere, & ſemper coluerit, & in poſterum, quoad per vos licuerit, colere conſtituerit. Vos itaq; per libertatem communem, per fidem & amicitiam atq; neceſſitudinem tum Chriſtiani nominis, tum generis ac ſanguinis noſtri obteſtor, vos per Chriſti religionem, per pietatem obſecro, viri Amplisſimi, ne Regis hic tantummodo nomen, aut Francorum opinionem tentari exiſtimetis, ſed rem etiam agi veſtram arbitremini, exiſtimationis hic veſtræ, æquitatis, honeſtatis, vtilitatis iudicium fieri. Hoc denique nunc ſollicite expectari, publicane conſilii veſtri autoritate, importuniſſimi homines iniquitatũ ſuarum atque iniuriarum authoritatem conſtituant & ſanciant, atque innocentiæ præſidia vobis conniuentibus intercludant; an potius iſtic more à maioribus veſtris prodito, non nobis tantum, ſed reliquis Chriſtianis nationibus, ſed conſenſui & concordiæ bonorum & fidei, denique & æquitatis cultoribus, ſpes aliqua iuris ſui obtinendi reliqua ſit. Hac etiam in cauſa exiſtimetis impotentiam iſtorum & inſolentiam per fortunarum noſtrarum ſtrages ad libertatis veſtræ ruinam, gradum ſibi facere, aditum & viam munire conſtituiſſe. Ac multa quidem recenſere poſſem, ſi neceſſe putarem, quæ nobis iure communi omnibus vobiſcum intercedunt, quibus tanquam retinaculis charitatis, vniuerſum nomen Chriſtianum complecti æquabili nexu ſoletis. Eſt autem noſtrum id iam non commune, ſed peculiare & ſingulare, quod & de vobis, & de communi gentium Chriſtianarum meritos nos eſſe bona veſtra venia (niſi fallor) vel gloriari vel prædicare poſſumus. Et quidem quod item ſtemma regium ad maiorum veſtrorum originem ſuam refert, & generis propinquitate aliaq; neceſſitudine arcte coniunctum, id vero ad vos priuatim viri Principes, attinet. Quod vero & maiores Regis & Rex ipſe, ex quo diuina benignitate regno auctus eſt, libentiſſime fecit, atque cupidiſſime, quandocunque res communis poſcere viſa eſt, & tempora eius ita tulerunt, vt bene ac pro-lixe

Marchio Brandeburg.

Mons lucelli.

Origo Francica.

lixe de nomine Chriſtiano mereretur, id iam communem cauſam habet & latiſſime patentem. Et Chriſtianiſſimi quidem Regis ea ſemper fuit æquitas, eaq; moderatio animi, vt neminem vnquam cum poſſet, atque incitaretur à nonnullis, per occaſionem vllam iniuria affecerit. Certe ipſum Carolum in ipſius regni auſpiciis cum facile deturbare de vtriusque Siciliæ regnis potuerit, noluit: quin & illum rebus eius male pacatis protexit, ornauit, auxit, filii loco habuit: a quo poſtea rerum potito, & proſperis rebus elato contemptus, nullum damnum, nullam contumeliam acceptam ab eo, non humanius fortaſſe quam par erat, & negligentius tulit: videlicet Rex æquus & bonus, in dignitatis atque amplitudinis veſtræ gratiam, neceſſitudinisque reuerentiam ſibi vobiſcum intercedentis, & alioqui rei Chriſtianæ affectus ſuos dedens, quod parum ſibi ceſſurum honori videbat, honeſtiſſimum nihilominus ac velut decorum eſſe duxit. Idem Rex, quo Solimanus Chriſtianorum hoſtis à noſtris ceruicibus communi omnium conſenſu depelleretur, apud eos, qui poſſent in republ. plurimum, aſſidue inſtitit, opes ſuas omnes, vitam etiam non ſemel in tam piam ac ſalutarem expeditionem obtulit: nunquam non dignitatem veſtram ac Romani Imperii nomen coluit, fœdera tot ſæculorum à maioribus noſtris accepta, quæ illi vobiſcum intercedunt, ſanctiſſime ſeruauit: ſingulorum etiam Germanorum ita coluit amicitiam, vt nullum honoris, nullum obſeruantiæ genus, in quenquam eorum quos ornare potuit prætermiſerit, quod poſſet à Rege omnium humaniſſimo proficiſci. Hoc poſtremo perficit, vt non tantum maiorum ſuorum apud vos authoritate & gloria, ſed ſua potius virtute & beneficiis niteretur, vt ſe & vobis & optimis quibusque auito illo & Regis Chriſtianiſſimi nomine quam digniſſimum probaret. Agite dum conferte eorum facta cum noſtris, iam inuenietis omnia iis contraria. Iſtorum enim proprium eſt (ne plura dicam) quod hæc omnia pro nihilo ſemper habuerint, contempſerint, calcauerint. Hoc igitur a vobis, viri Principes, impetrandum habemus & exorandum, vt ſi ij erga vos fuiſſe videmur, qui fuimus, & quales eſſe debuimus: ſi nos iam olim quaſi coloni veſtri, nunquam ab ingenio veſtro, ſi nunquam à virtute atque indole auorum communium degenerauimus, ſi ſemper in officio fuimus, neque vnquam ab honeſto declinauimus: ſin contra illi alieni à vobis, ſi barbari, nihil veſtri ſimiles, nihil quicquam dignum vobis præ ſe ferunt: hunc Regem vobis conſanguineum & ſocium, vobiſcum idem ſentientem, pro ſuis officiis & meritis, proque veſtro more generoſo amplectimini, veſtris inquam ſtudiis ac fauore proſequimini: antiquam inter nos amicitiam, quemadmodum ille, ita vos quoque viciſſim religioſiſſime colitote: neue vt exteris indulgeatis, neceſſariis & propinquis duros & acerbos vos exhibetote: neue nos vobiſcum arctiſſimo ſanguinis pignore, & originis eiusdem vinculo coniunctos, alienis hominibus proditote: quod omen Deus auertat. Quos ſi nullam aliam ob cauſam, certe auitæ, atque (vt ſic dicam) proauitæ, vlteriorisque memoriæ gratia tueri & protegere debetis, atque iſtius amplitudinis & authoritatis ſcuto ſartos ac tectos ab omni noxa præſtare. De nobis autem hoc vobis ipſi perſuadete, ita nos animo comparatos eſſe, vt ſi quando etiam (id quod ominari nolim) incommoda aliqua ſuſpicio, aut obtrectatorum noſtrorum factio, in perniciemq; noſtram coitio, aures nobis veſtras obſtruxerit, aut beneuolam iſtam mentem à nobis auerterit, nunquam tamen immemores futuri ſimus, vt antiquæ & auitæ, ita viciſſitudine officioſa obſequioſaque confirmatæ neceſſitudinis atque amicitiæ.

Franci. Hiſpani.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, inclyti, magnifici, ſpectabiles, & prudentes, ſacroſancti Romani Imperii ordines, Deum Optimum Maximum deprecor, opes ac dignitates veſtras perpetuo vobis vt fortunet. Ex caſtris ad Contæum Belgicæ vicum. Die VII. Maii. M. D. XXXVII.

APOLOGETICA CVIVSDAM FAMÆ REGIÆ STVDIOSI Epiſtola, qua de rebus inter Regem & Cæſarem controuerſis ad interrogationem amici reſpondetur.

Anno Domini 1537.

TAmetſi mihi, amice optime, tuis ad me literis, quibus de imminente aut cœpto iam potius inter Regem meum ac Cæſarem bello, quæ ſint veſtrorum hominum iudicia, ſignificas, ſicut varie ita vehementer affecto, viſus es cauſæ Regiæ paulo atque vellem iniquior, tui tamen te ſimilem ſemper in omnibus præbuiſti, hoc eſt, ſincerum ſemper & plane candidum. Et ſane quod Cæſari tuo propenſius faueas, non admodum quidem ego commouebar, vt qui probe ſcirem, fere vſu eſſe ac natura comparatum, vt quorum quis ſub Imperio ac ditione vitam degat, iiſdem ipſe vt plurimum faueat, & eorum cauſas enixius amplexetur. Sed quod eſſe tibi quodammodo perſuaſum intellexi, omnem omnino culpam abeſſe à Cæſare, contra, Regem meum eorum criminum affinem eſſe, quæ obiici illi ad me ſcribis; hoc vero tam me commouit initio, quam poſtea recreauit, quod tu de ijs omnibus, quemadmodum à principio geſta & contracta ſint, percontandum eſſe me duxeris. Ex eo enim cœpi conijcere, ſi qua in animo tuo inſederit de Regia voluntate minus æqua perſuaſio: eam tamen haud perinde valuiſſe, neque velut radices altius egiſſe, quam vt veritate patefacta euelli atque eradicari poſſe ſperem. Alioqui enim ſi quoniam Carolus dixerit, continuo Franciſcum ſine vlla dubitatione nocentem eſſe iudicares, fruſtra earum rerum explicationem, atque vt ſe habeant quæſieris. Quum igitur omnia eius non facta tantummodo, verum etiam conſilia, tibi tuique ſimilibus probari cupiam, quorum ope apud omnes conſtaturum illi ſpero innocentiæ ſuæ fructum, nihil libentius hoc tempore facturus ſum, quam vt tibi more in hoc geram,

atque

atque ad ea capita ſigillatim reſpondeam, ex quibus præcipuam illi conflatam eſſe ſcribis inuidiam. Etſi enim nulla mihi huiuſmodi prouincia exiſtimationis Regiæ à falſa criminatione defendendæ à quoquam eſt mortalium demandata, atque ob id non ſum perinde inſtructus ex libellis, chirographis, & literis Regijs, vt hæc rata & firma eſſe poſſint: tamen ipſe per me ſatis abundeque paratus eſſe mihi videor, & hoc Regi meo me debere intelligo, pro eo quanti eum facere ſcio, bona eſſe apud veſtrates exiſtimatione. In hac itaque parte deſiderio tuo ſatisfaciam, nec officio deero meo: quin confido etiam ita me rem tractaturum, vt niſi longe me fallit opinio, demonſtraturus ſim, quæcunque tu in eum intendi ſcribis, omnia illa quidem vel omnino commentitia, atque morbo quodam animi potius, quam iudicio ſceleratiſſime conficta eſſe, vel non ita certe criminoſa.

Iam primum quod ex me ſcire cupis, ex tam varijs, nec inter ſe conſentientibus, quæ miſiſti ad me, quaſi conteſtationis cuiuſdam Cæſareæ exemplaribus, qua in Regem Cæſar ipſe apud ſummum Pontificem & Senatum Cardinalium inuectus eſt, quod eorum accedere proxime ad veram eius orationem exiſtimem: ego proculdubio, quoniam eo tempore Romæ non fui, nihil tibi, quod pro certo habeam, reſpondere poſſum: neque vllum eius exemplar adhuc legere memini, in quo veritati nihil quicquam vel detractum, vel additum affirmare auſim: adeo mihi valde multi videntur in ijs omnibus pro ſuo quiſque & ingenio, & libidine quædam immutare, quædam amplificare, quædam imminuere voluiſſe. Inueniuntur enim hoc præſertim infœlici ſeculo, homines (vt aiebat ille) inimici otij, fama naufragi, qui quoniam nullæ in tranquilla & ſana Republica eius adminiſtrandæ partes eorum eſſe poſſunt, ægri ſemper aliquid eſſe veliat, & tempeſtatem aliquam excitari, vt fit, cuius ad curationem adhibiti ſibi nomen parent, vel in Reipublicæ procellis & turbulentis rebus portum ipſi aliquem ex priuatis ſuis malis inueniant. Id quod accidiſſe in hac cauſa (meo quidem iudicio) tempus declarabit. Etenim permulta legi paſſim nomine Cæſaris euulgata, quæ, vt credam, in mentem illi vnquam veniſſe, vt tam falſo ſcilicet atque impudenter in quemquam affingeret mortalium, nedum in Regem & affinem ſuum, nulla prorſus adduci ratione poſſum. Verum, vt ne ad tuam hanc petitionem prorſus nihil reſpondeam, hoc habeto: legiſſe me quidem aliquando literas, quas ad Regem Chriſtianiſſimum duo eius Oratores, alter apud ſummum agens Pontificem, alter apud ipſum Imperatorem, ea de re communiter ſcripſerunt: quæ literæ, ſi Germanicum exemplar, quod miſiſti typis excuſum, fideliter mihi expoſitum eſt ab interprete, non admodum mihi videntur ab eodem exemplari diſcedere. Regis autem defenſio, quæ vulgo habetur, & typis excuſa eſt, quantum ego memoria poſſum repetere, mihi videtur fœliciter eſſe verſa. Eius vero (vt ne poſthac dubitare poſſis) vbi primum in Galliam me recepero, deſcriptum exemplar ex ipſo (vt ſic dicam) autographo tibi me curaturum recipio. Sed iam ad crimina ipſa veniamus, ex quibus in primis eſſe Regi meo conflatam inuidiam amice atque ingenue admones: & quod eſt omnium primum, clamitant Ludouicum Regem Franciſci ſocerum fidem Maximiliano Cæſari fefelliſſe, quod Carolo eius nepoti Claudiam filiarum ſuarum natu maximam non dederit in matrimonium; quam vt illi ſcilicet deſponderet, Mediolani principatum à Maximiliano impetrauerat beneficio Populi Romani (quod veſtrates vocabulo nouo inueſtituram vocant) ſibi tradi. Proinde iuſta indignatione motum fuiſſe Maximilianum, vt pro eodem principatu aduerſus Ludouicum arma caperet. Ego, amice optime, mirari ſatis nequeo iſtorum impudentiſſimam procacitatem, & maleuolentiam pari cum amentia & ſtupiditate coniunctam, qui cum hunc Regem velint etiam repetito iam inde à maioribus eius criminandi principio, in inuidiam trahere, non ferendo illo quidem atque vſitato longe minus exemplo, haudquaquam animaduerterint, quam ſit promptum, atque omnibus expoſitum intelligere, in eo non modo ipſa re, ſed etiam temporibus illos erraſſe. Etenim ignorare non debuerunt, hodie quoque multa supereſſe hominum millia, qui pro teſtimonio poſſunt dicere, natu maximam Ludouici filiam non modo eo tempore, quo in Ludouici principatum Maximilianus arma intulit, verum vno etiam atque altero poſt anno nemini collocatam, atq; adeo apud patrem adhuc fuiſſe: ipſum vero Maximilianum Cæſarem iam antea deſpondiſſe Carolo Mariam, Britannorum Regis Henrici VII. filiam. *Claudia Ludouici XII. F.*

Præterea & hoc aliunde in promptu eſt coarguere mendacium, nempe ex illius ipſius Imperialis beneficii diplomate: quo nimirum & is Ludouicus, & quicunque ſuperſtites ei forent liberi, nulla prorſus conditionis adiecta mentione in clientelam accepti ſunt imperii Populique Romani: tum hinc ipſi Franciſco Valeſiorum & Engoliſmorum id temporis Principi, Galliarum nunc Regi, ſuccedendi ius ad eundem principatum eodem ſiue clientelæ, ſiue beneficii nomine aſſertum eſt, atque teſtimonio luculentiſſimo confirmatum, ad quod ipſe proculdubio Ludouico ſine liberis maribus vita functo, ex publicis tabulis & conſignato Populi Romani beneficio vocatus eſt. Dum ex hoc igitur Ludouicum iſti perfidiæ inſimulant, nihil mihi aliud videntur agere, quam quod redire nobis in memoriam faciunt, Maximilianum Cæſarem parum ſancte (ne quid dicam acerbius) Ludouico fidem ſeruaſſe: cuius ope cum ampliſſimas in Italia recepiſſet ciuitates, proque illo ſuo quod dicebam Imperialis beneficii diplomate magnam vim pecuniarum, certe ſupra centena quinquagena nummûm aureorum millia, paulo ante à Ludouico accepiſſet: eadem mox pecunia vſus eſt ad cogendum exercitum, quo principatum eundem inuaderet, cuius nomine Ludoui- *Inueſtitura Mediolani.*

Kkkk

douicum in fidem re cauſaque intellecta, deque Principum Sacri Romani Imperij conſilio accepe-
rat. Iiſdem porro ex tabulis nullo negotio refelli poſſunt, qui (vt ſcribis) Regem meum aiunt ſo-
la ditionem amplificandi cupiditate adductum, nullo alioqui vel iure vel præiudicio, ad hunc du-
catum aſpiraſſe, atque Maximiliano Sfortia per vim atque iniuriam ſpoliato, & antea quidem oc-
cupaſſe, & nunc etiam magno publicæ quietis incommodo repetere. Enimuero ingenue ac li-
quido Maximilianus ijs tabulis agnoſcit & fatetur, neque gratioſas eas fuiſſe, neque perperam a-
lioqui ablatas, ſed ad Regem meum hunc principatum vſque ab auis & proauis hæreditario iu-
Io. Galeatii, poſteritas. re pertinere, Atque, vt rem altius repetam, Ioan. Galeatio Mediolani Duci liberi mares duo tan-
tum (ſi forte neſcis) fuere, Iohannes & Philippus, cognomento Mariæ: quorum vterque ſine
legitimis liberis vita functus eſt. Soror eis inter cæteras fuit Valentina: ea nupſit Ludouico Aure-
liorum Duci Caroli Quinti, Galliarum Regis filio, & Caroli Sexti fratri: ea lege matrimonio ad-
„ iecta, vt ſi Iohannis Galeatij liberorum marium ſeries interiret, ex Ludouici autem & Valentinæ
„ nuptijs ſupereſſent mares, illis ipſi in principatum Mediolani ſuccederent. Eam legem (quæ ſi
adiecta non fuiſſet, conciliatum alioqui non fuiſſet matrimonium) comprobauit ſummus Ponti-
fex, ad quem erant faſces Imperij, qui tum ad interregnum redierant, translatitio iure deuoluti.
Ex eo matrimonio tres nati ſunt filij, Carolus Dux Aureliorum, ex quo is Ludouicus, cuius nuper
meminimus, qui ad regnum Galliarum hæreditarium, mortuo abſque liberis Carolo eius nomi-
nis octauo eſt vocatus: Philippus Comes Virtutenſium, cui liberi non fuere, & Iohannes Engo-
liſmorum Comes, ex quo natus Carolus huiuſce Franciſci Regis pater. Vides igitur Franciſcum
Regem huius principatus, hæreditatem creuiſſe antiquo auito atque proauito (vt ſic loquar) iu-
re. Mortuo enim Philippo Maria, quamuis Franciſcus Sfortia, qui Philippi notham filiam in ma-
trimonio habebat, ipſum ducatum occupauerit, nunquam tamen nec ipſe, nec eius liberi in fidem
ſunt Imperij Romani eo nomine recepti, donec tandem Maximilianus Cæſar, adductus neſcio
Lud. Sfortia. quorum importunis ſuaſionibus, Ludouicum Sfortiam, verum abſque cauſæ diſceptatione, prin-
cipatus huius cauſa in clientelam accepit Romani Imperij. Quem eundem principatum aliquan-
to poſt re intellecta & deliberata, deque Septemuiralis collegij conſilio, reiecto Sfortia in Ludo-
uicum ipſum Galliarum Regem, eo, quod nunc dicebam, diplomate tranſtulit: huic autem Lu-
douico abſque liberis maribus decedenti, Franciſcus iure ſanguinis vt Regni Galliarum, ita Me-
diolani principatus hæres fuit: atque à Maximiliano Cæſare (id quod minime tamen illi fuerat
neceſſarium) in fidem & clientelam Imperij Populique Romani principatus eiuſdem nomine ac-
Imperii feuda. ceptus eſt: ex quo per vim atque iniuriam, indicta cauſa, præter morem maiorum & feudorum im-
perialium iura (vt nunc loquuntur Romanarum legum interpretes) à Carolo Cæſare deiectus eſt.
Sed hic nobis obijcitur, Regem noſtrum, qui ſe ac liberos ſuos captiuitate liberare vellet, ſi
Renunciatio ducat. Mediol. quid iuris in hoc principatu habuerit, id Cæſari ex pacto & tabulis conceſſiſſe. Ego vero, amice
optime, nihil hic pertinere ad rem exiſtimo, de ijs rebus diſputare, de quibus ille aduerſario po-
teſtatem optionemque facturus ſit, eligat vtrum velit, validam fuiſſe renunciationem nec ne.
Minus autem de hoc diſputare, quo iure, qua humanitate Cæſar ſupra ſummam pecuniæ maio-
rem, quam qua olim ſe Galliarum Reges à Saracenis hoſtibus redemerint, ſupra traditam illi ſi-
ne dote ſororem, ſupra duriſſimas alias conditiones hactenus apud Chriſtianos inauditas, hanc
à Rege meo extorſerit auiti principatus ceſſionem, ſuperſtitibus præſertim filijs, ad quos ille non
ex patris tantum, ſed ex paterni proaui & materni aui cauſa pertineret. Hoc contendo, & me pro-
baturum omnibus confido, nedum veſtris hominibus, qui æquitatem apud ſe valere, vulga-
tiſſimaque clientelarum iura ſinunt, Regem hac ceſſione huic liberorum ſuorum cauſæ nullum
præiudicium afferre potuiſſe: quibus quod ex auito illo atque ſucceſſionis iure quæſitum eſt, nulla
auferri ab illis ratione poteſt. Quare vehementer miror, hanc ceſſionem Regi meo ab homini-
Feudorum iura. bus veſtris obijci, apud quos alioqui hæc clientelarum iura ſancta eſſe ſoleant, eaq; diligentia & re-
ligione ſeruari, vt pro impijs habeantur, quicunque non omnia impendere parati ſint potius, quam
in alias transferri patiantur familias, etiam ſi quid præter ea iura vel ceſſione (vt fit quandoque)
vel venditione, vel alio quouis pacto, admiſſum extiterit. Familiarum enim, & non perſonarum
beneficia & iura ſunt, atque ipſis adeo familijs addicta: vt ſi non ipſe tantummodo Rex meus, ſed
ipſi etiam eius liberi, paternis (quæ vocatis) nedum his auitis beneficijs eo viuo cederent, inualida
nec efficax eorum ceſſio ex iuris iſtius viu, ac more veſtro futura ſit. Quo procul dubio magis miror,
veſtrum Cæſarem, qui ſe adeo ſtudioſum pacis & publicæ concordiæ haberi velit, innocentes hos
principes ſpoliando, vt eorum ſpolijs ſpuriæ mulieris hæredem augeret atque ornaret: florentiſſi-
mamq; regionem ereptam veris & honeſtiſſimis dominis, acceſſito atq; turpiſſimo inquinaret poſ-
ſeſſore, futuram tamen hanc certam ac ſolidam pacem ſibi perſuadere voluiſſe. Nam vt in eis ex pro
prio incommodo nullus dolor inſideat, tamen illa ſupereſt cogitatio, in abiecti hominis prælatione
ſe deſpectos, dignitatemq; ſuam eſſe contemptam: habet autem (vt ille ait) habuitq; ſemper contu-
melia quendam velut aculeum, quem diutius pati, cum generoſi homines, tum præterea excelſo &
illuſtri loco nati, difficilime poſſunt.

Addis, male apud veſtrates audire meum Regem, quod cum feſta pace Chriſtiana frue-
retur Reſpublica, ipſe vnus & hoc, & priore bello, prouocando ad arma Cæſarem, ſummam
Reipublicæ tempeſtatem excitarit, eo maxime tempore, quo alioqui Cæſar (vt inquiunt) expeditio-
nem erat ſuſcepturus propagandæ CHRISTI religionis cauſa. Ego vero dico, & priore bello,

& eo

& eo quod accendi hoc tempore videmus, non minore in præſens Reipublicæ incommodo, quam in futurum periculo, ſemper Cæſarem fuiſſe prouocatorem: contra, Regem ſemper illa tantummodo bella propulſaſſe, id quod æquis & iniquis omnibus perfacile probaturum eſſe me confido.

Atque vt de priore bello prius dicam, quod cauſatur Cæſar bellum in ſe à Roberto Marchiano natum, conflatum, ſuſceptum Regis impulſu & opera fuiſſe: oſtendam nihil horum eſſe, contraque habere omnia. Etenim ita res habuit: ſimultatem & litem primum, deinde bellum fuiſſe ortum, inter hunc Robertum & Emerianum Regulum, idque de eius caſtelli controuerſia, cui nomen eſt Hyergiæ. Contigit vero, vt Marchianus, qui Francico regno eſſet finitimus, cuius etiam liberi & maximas haberent opes in Gallia, & honores gererent quam ampliſſimos, ei bello gerendo & ſuſtinendo, ſibi militem ex Gallia eduxerit: ſed hoc proculdubio & inſciente, & tum grauiter ægrotante Rege fecit, qui poſtquam è morbo recreatus id reſciuit, nihil prius habuit, quam vt Cæſaris ad ſe Legatum vocaret, ſeque non modo apud eum diligentiſſime purgaret, verum aduerſus Marchianum quoque profiteretur, ſeſe, vbi rogaretur, auxilio Cæſari affuturum. Nec cunctatus (id quod omnibus, qui rem modo inueſtigare voluerint, ſatis conſtat) miſſo confeſtim, idque diſpoſitis equis, nuncio, Gallicum militem edicto grauiſſimo reuocauit, cum iam Viritonum oppidum, quod tum Marchianus oppugnabat, prope vt dederetur, aut vi caperetur, eſſet. Quo milite reuocato, Marchianus non tantum obſidionem ſoluere, ſed ſaluti ſuæ conſulere adactus eſt: neque multo poſt oppida non pauca, & ex ſuis arces haud ignobiles, vi aut deditione captas amiſit. Tum Carolus Cæſar, qui forraſſe ſuſpicatus eſt, vel volente, vel impulſore Rege, bellum hoc Emeriano ſibi merenti homini à Marchiano Regi merente illatum, ad ſe quoque pertinere; vel ab Emeriano ita perſuaſus, qui ſe imparem Marchiano ſentiens, alliciendum in partes ſuas Cæſarem eſſe duxerit: copioſum interim exercitum magna vi, celeritate, diligentia comparauit. Siue igitur de Franciſco iamdiu male cogitabat, & occaſionem affectabat ſuſcipiendi aduerſus eum belli; ſiue quod exercitum omni adeo apparatu inſtructum dimittere, neque vllo edito inſigni operæ pretio diſſoluere, atque impenſas tantas ſibi fruſtra eſſe ac perire, nec decorum, nec vtile arbitratus eſt; progrediendum longius, & tentandam eſſe belli aleam iudicauit. Vtcunque certe cogitauerit, eius milites non contenti Marchiani mulctatione, in Galliam irruperunt: & antequam Rex ſibi eſſe de bello cogitandum arbitraretur, Moſonem oppidum ad deditionem compulerunt, Macerias oppidum obſederunt. Rex, qui publicæ pacis ſtudio ſerius omnino, quam hoſtilis apparatus fama poſtularet, aliquando tamen exercitum & ipſe comparare cœperat. Macerias ſubitario immiſſo milite eo vſque tutatus eſt, dum ad eas obſidione liberandas tempus ſupplendo exercitui ſuffecerit: eo ſuppleto, fatemur eum obſidione ſoluta, & in agros Cæſareæ ditionis incurſiones feciſſe, & traiecto amne Schalde, vi aliquot oppida cepiſſe: Cæſaremque ipſum, vt ſe periculo ſubduceret, compuliſſe. Sed hoc nemo ita vnquam interpretabitur, vt Cæſarem à Rege prouocatum audeat affirmare, qui non ſua voluntate, ſed adductus aliena vi & iniuria, & tuendi ſua neceſſitate compulſus, arma ceperit. Atque ideo qui hunc authorem belli faciunt, hac omiſſa criminatione, ad aliam confugiunt nihilo minus frigidam & inualidam, ſed quam tamen probari facilius imperitis rerum exiſtimant. Adhuc enim non in cauſa, ſed in perſuaſione, ſpes eorum omnis fuit: ac dum ſummo artificio accuſationes confingunt, quam poſſunt ſuis rationibus accommodatiſſimas, dum quæ comminiſcuntur, quibus volunt, affingunt crimina, atque dum magnitudine horum animos occupant multitudinis; nullum interim omittunt inſidiarum genus, quo aditus omnes ad vos perueniendi intercludant, ne quem apud vos ſemel accuſauerint, is purgare ſe vobis, & in illos retorquere falſæ accuſationis poſſit inuidiam.

Itaque obijciunt Regem meum aduerſus Cæſarem ſuppetias Henrico tuliſſe, quem Albreti dominum Cæſar contumelioſe vocat, non dignatus eum appellatione Regia. Cuius rei hiſtoriam quæſo (ſi forte neſcis) intellige. Maximilianus Cæſar cum diu nimis ac fruſtra tentaſſet Iulium ſecundum Pontificem Maximum, vt Concilium publicum Chriſtianorum indiceret, adducere, ipſe tandem vel nolente Pontifice indicendum duxit. Sequuti ſunt illius ſententiam Ludouicus Galliarum, & Iohannes Nauarræ Reges, aliquot item Reges & Principes, Epiſcopi & Cardinales non pauci. Iulius eos omnes anathematis illius Apoſtolici fulmine percuſſos, Schiſmaticos & Hæreticos eſſe pronunciauit. Reges & Principes regnis & principatibus, ſacerdotes ſacerdotijs, quo iure, quaue iniuria eſſe indignos iudicauit: Regna, principatus, ſacerdotia, primi cuiuſque occupantis fore iuſſit. Occaſionem hanc arripiens Ferdinandus Hiſpaniarum Rex, Caroli Cæſaris auus maternus, Rege Nauarræ tum abſente, qui Ludouici partes ſequebatur, ex improuiſo regnum eius ſibi finitimum inuaſit, occupauit, præſidio firmauit, & moriens Carolo nepoti per manus tradidit. Hoc iure (ſi ſumma iniuria iuris nomine cenſenda eſt) Carolus Cæſar Nauarræ regnum obtinet. Quod ſi fuiſſe iure occupatum, & nunc retinere iure contendit, prius neceſſe eſt fateatur, Maximilianum Cæſarem auum ſuum paternum, cuius ad cauſam Rex Nauarræ tantummodo ſe adiunxerit, multo magis Hæreticum & Schiſmaticum fuiſſe. Is igitur Nauarræ Rex cum eo tempore, quo Ludouici (vt diximus) in partibus erat, regno ſuo deiectus fuiſſet: Ludouicum ad ſe in regni recuperatione adiuuandum, ex fœdere obſtrictum habuit. Defuncto

Robertus Marchianus.

Hyergia.

Viritonum.

Emerianus.

Moſon.

Maceriæ.

Henricus Rex Nauarræ.

Iulii II. anathema.

Nauarræ regnum.

vtroque, cum Franciſcus in Galliarum, & Henricus aliquanto poſt in Nauarræ ſucceſſiſſent regnū; & eaſdem fœderis conditiones inter ſeſe pepigiſſent: contigit, vt Ferdinando ipſo quoque è vita ſublato Hiſpani Carolum eius nepotem vt principem quidem, & futurum Regem agnoſcerent; interim autem viua nec conſentiente matre Ferdinandi filia, Regem ſalutare detrectarent. Carolus igitur Franciſci præpotentis, ac vicini Regis authoritatem magno ſibi vſui fore intelligens, quo ab Hiſpanis ſtatim admitteretur in regnum, cum eodem fœdus atque amicitiam inire voluit: à quo nimirum ea fide receptus eſt, vt interim tamen Franciſcus admonendum eſſe illum duxerit, prioris eius fœderis, quo Nauarræ Regi obſtrictus eſſet. Pepigit Carolus, ſe ante conſtitutum certum diem cum Henrico tranſacturum: alioqui fore Franciſco liberum, ſuppetias Henrico ferre, ſaluis nihilominus noui fœderis legibus, inuiolataque amicitia. Quo tempore pridem exacto, & Carolo ſæpe ac fruſtra interpellato, neque cum Henrico decidente, appellatus ex fœdere Franciſcus, non potuit petitas ac tot nominibus debitas Henrico ſuppetias denegare: in quo ſi criminari quiſquam eum poteſt, Henricus potius quod ſerius, quam Carolus, quod tulerit, ſuo iure criminari poteſt. Liquido igitur conſtare iam omnibus arbitror, qui Franciſcum quidem ante quam armis à Cæſare peteretur, Henrico, qui Cæſari bellum inferret, opem tuliſſe nouerant: ſed id officio integro inuiolatoque fœdere potuiſſe ignorabant, Franciſcum hac auxiliorum præſtatione, neque Cæſarem prouocaſſe, neque prioris illius belli authorem dici aut haberi vlla ratione poſſe.

Iam ad bellum, quod nunc geritur, aut imminet, veniamus, per quod Cæſar ab expeditione Turcica interpellatum & reuocatum ſe fuiſſe quiritatur. De Allobrogum inuaſione querimonia profertur, inuaſionis ratio non expenditur: iurene an iniuria inuaſerit, hoc non quæritur: & quod in nullius aut modici pretii fundis primum & maxime quæritur, quo iure quis poſſideat, quo iure quis eiectus ſit: id veſter Imperator in tam amplo patrimonio, in tot agris, vrbibus, populis, quæri non putat oportere. Cumque ſine controuerſia omni & Romano, & gentium omnium, & naturæ iure, omnibus liceat, licueritque ſemper, occupata per iniuriam, & per legatos fruſtra repetita, iuſtis armis repetere; hoc vult idem veſter Imperator vni Franciſco Regi non licere. Sed operæ pretium eſt, rem altius paulo repetere, vt intelligas, Regem meum ſicut in cæteris, ita in hac etiam cauſa, finibus ſuis atque auitis, dominandi cupiditatem ſibi circumſcribendam cenſuiſſe. Philippo Amædei Sabaudiæ Ducis filio nupſit Margarita Borboniorum filia, ſub ea conditione, vt ſi forte accideret Amædeum, ſuſceptis aliis maribus liberis, Philippo ſuperſtitem eſſe, ex eoque matrimonio Philippus liberos ſuſtuliſſet, ii Philippi patris loco, Amædeo auo ad eas opes ſuccederent, ad quas Philippus ſi vixiſſet, ætatis prærogatiua ſucceſſurus erat, ipſius ordine prærogatiuæ ſeruato, cui naſcendi conditioni atque ordini præcipuus honor habetur. Nati ſunt ex eo matrimonio Philibertus & Ludouica: Philiberto, cui nupſerat Margarita Maximiliani Cæſaris filia, nulli fuere liberi. Ludouica Carolo nupſit Engoliſmorum Comiti, ex qua hunc Franciſcum Galliarum nunc Regem ſuſcepit. Ea igitur naſcendi prærogatiua ſuccedit Franciſcus, cum in omnia Margaritæ maternæ auiæ bona, tum vt Ludouicæ matris, Philibertique auunculi, & ex eorum cauſa, Philippi materni aui hæres, ad omnia quæcunque cenſentur eo iure, vt cadere in fœminas, atque inter hæredes diuidi poſſint: & hac conditione Amædei materni proaui hæreditatem creuit, & ciuili, & naturæ, & pactionis præterea ſponſalitiæ iure. Adhæc Nicia & Villa Franca Narbonenſis Galliæ oppida, Taurinorum item, ſiue (vt nunc vulgus vocat) Pedemontanæ Galliæ principatus, tanto iam tempore, vt ab hominum memoria initium eius rei ſit propter vetuſtatem remotum, veterum Prouinciæ Comitum in fide ſemper fuere. Hic etiam idem principatus mancipij lege, ita vt eximi aut mitti nequeat, addictus eiuſdem Prouinciæ principatui. Quæ omnia Sabaudiæ Duces vi, fraude, clientum ad defectionem ſolicitatione, certe per iniuriam occuparunt, dum Comites Prouinciæ alijs eſſent bellis impliciti, & vehementer occupati. In quorum ius cum Franciſcus partim ab inteſtato, partim ex inſtitutione ſucceſſerit, atque aliunde iniuriam à Sabaudis acceperit, qui nonnullas arces & vicos ex Salaſſiorum Marchionatu, qui Delphinatus Viennenſis eſt in clientela, multos annos vſurparunt, inſigni iuris Delphinatium imminutione, atque iactura minime vulgari, nec ipſe tam multis ac tam magnis iniuriis affectus, quicquam ſua repetendo proficeret; tum demum omnibus antea fruſtra tentatis, neceſſario bellum intulit. Sed hoc bellum ad Cæſarem (niſi ad ſe ipſe pertinere putet, quicunque in Franciſci bona inuadant, eos vt in poſſeſſione tueatur iniuſta) non video, quo modo pertineat: præſertim cum initio huiuſce belli Franciſcus edictis grauiſſimis interdixerit: ne quid miles ſuus vel attingeret, quod in Cæſaris quouis modo eſſet re, iure aut poſſeſſione. Nam quod Sabaudo ait Cæſar Samarobrinenſi fœdere cautum ac proſpectum eſſe, abunde Rex ſua in defenſione oſtendit, eo fœdere non caueri, vt quæ Sabaudus aliena poſſideret, præſertim vero illa, de quibus nulla omnino mentio aſſcripta eſt in fœdere, nunquam ea reſtituere debeat, nec ipſe ab eo ſpoliatus ablata per iniuriam repetere. Sed hanc tamen occaſionem arripiens belli Franciſco faciendi, Cæſar exercitum coegit, in præſidia regia inuaſit, clientes eius & beneficiarios (vt vocant) ad defectionem ſolicitauit. Hoc ſi eum non conuincat belli authorem eſſe, non video, cuinam tandem belli cuiuſuis cauſa poſſit ferri accepta. Sed quid, Amice optime, cogitare hic putas cordatos & rerum æquos expenſores, quum audiunt Cæſarem ea principe authoritate, flagitium vt ſit apud eum mentiri,

præ-

Prouincia Comites.

Sabaudia Duces.

prætexere ipſum ſibi ius legitimæ defenſionis Sabaudi, aduerſus affinem Regem: quibus conſtat, vt cognatos ſuos, Ludouicum & Chriſtiernum, hunc Danorum, illum Pannoniarum Reges, vt vnicum fratrem Ferdinandum, vt auitam ditionem, ipſamque adeo Romani ſedem Imperij Germaniam, à Turcica defenderit iniuria? Nemo proculdubio, qui modo rem voluerit ad examen veritatis perpendere, non iam intelliget Imperatorem hunc veſtrum, adeo ſibi ex innocentia ſua placentem, bellum hoc aduerſus Regem meum, non modo qualicunque ſibi oblata occaſione ſuſcepiſſe, ſed etiam vltro appetiuiſſe: ſiue perditum iri (vt publice iactitauit) Regem cupiat, ſiue id commodum ſibi fore putarit initium ad alia, quæ molitur, ac de quibus malo quoſuis potius apud ſe cogitare, quam ex me referente accipere. At inquiunt Cæſariani, eo Regem animo & conſilio in Allobroges mouiſſe, vt hoc adumbrato, maiora conſequentis belli momenta tegeret, commodioremque ad inuadendos Inſubres expeditionem inde ſuſciperet. Hoc vero diuinare eſt, & ex fana & futili coniectura, vbi deeſt argumentum & cauſa, ſuſpicionem quamuis pro veriſimili crimine intendere. Nihil enim de Inſubrium ditione miles Francicus attigit, neque aliud quicquam in hac cauſa, quod offendere Cæſarem debuerit, aggreſſus eſt facere. Eſto vero & hoc demus aduerſarijs, voluiſſe Regem Allobrogum & Taurinorum agros ad ſe iure pertinentes occupare, atque Inſubrium finibus imperium ſuum coniungere: idque potiſſimum eo tempore, quo ſperare ſuo iure potuit, vt cum tyrannus & prædo Sfortia è prouincia occupata, è vitaque ſimul exceſſiſſet: pacato & volente Imperatore veſtro (qui ſe toties id facturum fuiſſe confirmarat, niſi iam obſtrictam antea Sfortiæ fidem habuiſſet) Mediolanum facile reciperet: ſi non ſibi qui ceſſiſſet, at liberis certe ſuis, qui nec renunciarunt vnquam ſuo iuri, neque non ad ſua recuperanda ſancte iuuari à parente potuerunt. Quid in eo contra eundem ipſum Imperatorem veſtrum? quid in fœdera peccatum eſt? Nihil ſane. Sed maleuolis quibuſdam, qui nolint in Italia aut Regem, aut eius liberos quicquam habere, vbi pedem in ſuo ponere poſſint, maluit ipſe veſter Imperator, cum & fidei & famæ ſuæ detrimento morem gerere, quam toties datam fidem principibus adoleſcentibus liberare. Nam hanc illorum voluntatem aliquando excuſauit Cæſar, quo minus Regi aut liberis eius Mediolanum redderet. Vtcunque autem res habet, certe Mediolani fines miles noſter ne attigit quidem, æquis tantum legationibus, non armis (quæ promptiſſima ipſi erant) cum Carolo Franciſcus egit, vt liberis ſuis, ſi non ſibi, pecunia ſaltem numerata impetraret id, quod omnium conceſſu, quicunque ſunt prudentes iuris, pertinere ad illos intelligeret. Et quæ obſecro cauſa fuit, vt non ſperare debuerit à Cæſare tam (vt videri vult is) æquo, à Cæſare cognato, à Cæſare ſibi religione fidei obligato, hoc facile impetrare, quod antea prædo Sfortia impetraſſet? quem perſæpe tamen conqueſtus Cæſar eſſet, in ſe fuiſſe proditorem & perfidum. *Sfortia prædo.* Nulla igitur, vir amice, cauſa iuſta quidem data eſt Cæſari à Rege meo, vt tam atrox ei bellum inferret, nulla dum ipſe laceſſitus iniuria. Sabaudi namque cauſam nulla conſtante ſatis ratione ſuam facit, qui antea ſororum viros, vnicum fratrem, auorum incunabula, Germanicum imperium haudquaquam hiſce conatibus vindicare vnquam in animum induxerit. Mihi vero crede, alio ſpectant (vt nobis eſt in prouerbio) alio tendunt remiges. At inquiunt decuiſſe, Regem omnem cauere occaſionem interpellandi & auertendi Cæſaris, cum à publico Chriſtianorum conuentu, tum à religione aduerſus eiuſdem hoſtes propaganda: quam in curam (vt illi aiunt) mente & animo totus incumberet.

Hic ego, vt plane loquar, ſatis aſſequi coniectura nequeo, tametſi diligenter & accurate omnia perpendi, quid in cauſa eſſe potuerit, quare occaſionem illam tantæ gloriæ, tantique ad religionem momenti negligeret, tamque facile tam ſancto propoſito, ad alienarum rerum tam iniquam inuaſionem deflecteret, atque omnes adeo vires ſuas ab impio in Chriſtianum, ab hoſte in cognatum conuerteret, à quo fateatur neceſſe eſt nullam ſe accepiſſe iniuriam, niſi hoc iniuriam eſſe voluerit, quod liberis ſuis ius auitum, & per Maximilianum Cæſarem luculenter adeo confirmatum, reddi poſtulauerit, idque legationibus tantum, nulla penitus vi. Ergo apud æquos iſtos veſtros homines ij perturbant Chriſtianorum pacem, ij bella excitant, ij procellam Reipublicæ inuehunt, qui legitima via ſua repetunt? Contra qui aliena occupant, & quæcunque quacunque vi, vel iniuria ſemel occupauerint, de ijs nolint partem vnquam aliquam amittere, quinetiam occupata repetentibus continuo bellum inferunt: ij conciliatores publicæ quietis, ij publicæ ſalutis habebuntur vindices. Finge vero Regis ipſius filios ita Cæſarem appellare, „
Patrem noſtrum, Carole Cæſar, patrimonio, quod ſecundum eum nobis eius liberis debebatur, „
nihil de te male meritis, id quod omnibus adeo in promptu eſt, vt negare ne tu quidem poſſis, „
eieciſti: & eo patrimonio, quod iam olim per maiores noſtros, multo ſuo ac ſuorum ſudore at- „
que ſanguine, à Longobardis potentiſſimis hoſtibus aſſertum, Imperioque Romano liberaliter „
donatum, multis ſubinde ſeculis, ad proauos noſtros eiuſdem Imperij beneficio redierat: hoc in- „
quam patrimonio patrem noſtrum, vt cederet, compuliſti, & à nobis, eorum poſteris, qui hoc „
florentiſſimum Imperium, cuius adeo creuiſti viribus & opibus, poſtliminio in Europam redu- „
xerunt, per indignitatem ſummam & iniquitatem ablatum, ad nepotem calonis & ſpuriæ tranſ- „
tuliſti: eo mortuo, per vim adhuc retines. Id quoniam abs te iure fieri non fatemur, quoniam in- „
dignitatem & iniuriam ponere gratificationis loco recuſamus: quoniam apud patrem, vt nos pie „
iuuet, inſiſtimus: quoniam is ſpem fortaſſe nobis aliquam præbet: maternam hæreditatem quo- „

» niam fruſtra tentatis omnibus,tandem armis adeundam cenſuit: ideo nos, ideo illum accuſas,qua-
» ſique nobis ipſe ad recuperanda noſtra parare gradum, & munire viam ſtuduerit (id quod ita ſi fie-
» ret, tamen crimine ac reprehenſione carere debeat) violatæ pacis & fidei apud rerum imperitos
» reum agis, fanaticis ſpiritibus animum ad nefanda hæc audendum, quæ noſtra videt ac patitur æ-
» tas addidiſſe, Turcarum Regi ad inuadendos pios viam paraſſe ac ſtrauiſſe, atque adeo illum in
» nos euocaſſe vociferaris. Vſquequo demum & quos tandem ad fines iſtud crimen, iſtam queri-
» moniam diſturbatæ pacis extenſurus es, aut quibus es certis limitibus circumſcripturus? An non,
» etiamſi nos hoc auitum regnum, hoc natale noſtrum ſolum ac ſolium inuaſuris obſiſtamus, eo vſ-
» que proferes querimoniam? & hanc nobis legem præſtitues, tibi, vt quantum accipere libuerit,ce-
» damus,alioqui pacis, alioqui Reipublicæ, alioqui religionis proditores, Turcarum,hæreticorum,
» impiorum,nefariorum, & fanaticorum omnium fautores, euocatores, authores habeamur? Ad hanc,amice optime, liberorum regiorum expoſtulationem, quid obſecro reſpondere Cæſar poſſit,quod apud æquum vllum iudicem valere, aut grauiſſimæ expoſtulationis huius aciem poſſit vllo pacto retundere? An non, ſi qui erunt (vti certe erunt) æqui rerum exiſtimatores, perpenſuri ſunt diligentius, quidnam olim Francorum reges Chriſtianæ præſtiterint Reipublicæ, vt Romani Imperij dignitas ad Germanos primum per Carolum Magnum, gentilem eum quidem veſtrum, ſed tamen & Francum & Francorum Regem inuecta, ac per eum & poſteros eius aucta atque exornata fuerit, vtque per ipſos eoſdem Reges noſtros imperio veſtro acceſſerint tam multa, quæ prius ad eos vel publice Regio,vel priuatim hæreditario iure pertinerent: plane vt multo ſit futurum longius, quæ ab illis, quam quæ aliunde, Imperio accreuerint numerando percenſere.

Auſtrianorum incrementa.

Contra vero Auſtrianos iſtos ab Imperio, non ab Auſtrianis Imperium creuiſſe facile perſpicient. An non hoc quoque putas exiſtimaturos, Auſtrianam familiam ea hodie de Francorum ditione poſſidere, quibus maxime in hoc eluctata eſt & peruenit, quo nunc eam videmus, faſtigium? Profecto, vir amice,recte hæc expendentes tanta iſta iniquitas, ne dicam crudelitas, in Regios adoleſcentes, hac generis nobilitate, hoc ætatis flore plauſibili,hac innocentia erga omnes, tamque dedecentibus hanc dignitatem moribus, magnopere debet commouere: quodque præter hanc adeo violentam hæreditatis eorum auerſionem, ipſi quoniam de auxilio patrem appellent, pater quoniam eis pie faueat, tam indigne traducantur accerſanturque inuidioſiſſimo violatæ pacis ac proditæ fidei crimine,& impij præterea nefarijque fauoris in Turcas: idque ab eo, qui præter affinitatis & cognationis iura, tam multa debeat noſtræ Galliæ. Nam vnde Auſtrianis opulentus ille, ac Regius comitatus Flandriæ? vnde Sequanorum, vnde Atrebatum, vnde Hannoniæ, vnde Hollandiæ, & alij plerique principatus? Vides igitur, quam ſit facile non tantum accuſari aliquem, ſed apud rerum imperitos reum etiam peragi, dum delatori ſufficit accuſaſſe: atque modis omnibus (vt dicebam) prouidetur, ne apud quos reus conſtituitur, ad illos defenſio eius perueniat.

Veritatis vis.

Sed veritas ipſa tamen cum diu calumniæ tenebris merſa delituit, emergit tandem aliunde in lucem, atque erumpit: & quo maiore artificio, ne in lucem prodiret, depreſſa fuerat, eo cum ſe prodit, ſicuti maiorem parit ei, qui ſit calumniam paſſus, gloriam, ita grauiorem affert calumniatoribus invidiam. Id quod ego in hac cauſa vſu venturum confido, ſpero quidem certe. Age vero, concedat Rex accuſatoribus ſuis, ſe ſuorum liberorum ad eorum fortunas etiam armis vendicandas flagitationibus,non modo non defuturum,ſed nec etiam,niſi reſtitutis ijs finem bello ſe facturum. Vter tandem pacem turbat? vter impetui Turcico viam ſternit? An qui res fruſtra motibus repetitas,iuſto bello recuperare contendit? an potius qui negligit pacem Reipublicæ aliena reſtituendo redimere,imo vero ſua repetenti bellum infert: nec ſi Turca in nos inuaderet,à ſententia ſit diſceſſurus ſua? Nam hic veſter Imperator eo ipſe animo bellum intulit,& hoc ipſum auſus eſt apud ſummum Pontificem publice conteſtari, non ab initio quidem belli, dum in promptu Regi erat, in Italiam arma importare, & cum ipſe ad eludendum Regem conſilia pacis ſimulabat: verum poſtquam reuocato Regio exercitu, ita ſe illum tenere implicitum iudicauit, nullum vt aufugiendi locum eſſe reliquum arbitraretur: hoc tum (inquam) ipſum auſus eſt conteſtari: ſi vel o-
„ mni collecto ſuorum exercituum robore, Turca bellum Chriſtianis inferret,nihil eſſe de bello Gal-
„ lico ſe remiſſurum: hoc eſt, Christo audientes prouincias ſeſe proditurum potius, quam vt
„ eum Regem non perderet, eam familiam non deleret, cuius fide ac virtute terribilior eſt, fuitque ſemper impijs nationibus Chriſtiana Reſpublica, & iuſtitia longe commendatior. O digniſſimam vocem eo, qui ſe pro pace inter Chriſtianos componenda deuouere velle, qui pro pace redimenda ſua ſe permiſſurum alijs gloriatur.At vero nihil opus eſt neque ad componendam,neque ad redimendam pacem, vt vel mactandum ſe ipſe præbeat, vel de ſuo quicquam amittat: tantum aliena, quæ per ſummam iniuriam detinet, iuſtis dominis reſtituat. Quod ſi Mediolani principatum, in quo præcipua videtur harum cauſa ſimultatum conſiſtere, ad Franciſcum Regem, aut liberos eius pertinere non exiſtimat;cur non ſubit ea de re cum ipſis iudicium commune clientum Imperij? Cur

Iudex competens cauſa Mediolan.

eos iudices reijcit,ad quos ea proprie cognitio pertinet? Nam ad Regem meum &liberos eius quod attinet,hoc ego confirmare tibi poſſum, eos non modo conſeſſum illum Principum Imperij diſceptatorem & recuperatorem non eſſe recuſaturos, verum hoc etiam vltro & vehementer quidem depoſcere.

Qua de cauſa & hoc menſe Iulio, ſub naſcentis huius belli exordia, legationem, qua petebant conuentum indici, ſibi Senatum dari, deque Mediolani cauſa diſceptari,ad principes illos de-

creue-

creuerant. Sed eorum Legatus à grauiſſimis & authoritate ſumma viris eſt monitus, ſibi extrema intentari, ſi vſpiam locorum apprehendi eum in Germania contingeret. Huc igitur veſtra, ô Germani, recidit libertas? Hoc pati poteſtis? Hoc imperii eſt veſtri terre, vt Legati tanti Regis, cuius maiores de Chriſtiana tota repub. deque veſtro imperio tam egregie ſunt meriti ius gentium apud vos, quo ſacroſanctum ſit legationis munus, requirant? & ſiqui ſunt qui ſanctum eſſe illud velint, vix audeant tamen Legatos ad ſe Regios admittere, & cum illis de re vlla communicare? Ac ne me putes, Amice optime, hæc falſo comminiſci, Is Legatus cum per intentatas ſibi ab hoſte inſidias, peruenire non potuiſſet ad Septemuiros illos, Cæſareæ maieſtatis non conſtituendæ modo arbitros, ſed tuendæ quoque authores; literarum id ſubſidio, quantum in ſe fuit, ſupplere conatus eſt: *Electores.* quarum exemplar ab eo qui has tibi redditurus eſt accipies: quæ cum tuto vt perferrentur ad eorum vnum curauiſſet, qui ad collegas ſuos referret, eadem de re vt Senatus Regi ac liberis eius daretur, & ii ſemel vel ab infeſtatione Mediolanenſis agri, iure ac moribus ſummouerentur, vel ab omni vindicarentur iniuria: ita ſe res iam apud vos habebant, vt is princeps auſus non fuerit cum collegis ſuis communicare: tantum ſe ad Ferdinandum de re tota referre velle dixit, fratrem ſcilicet ipſius Cæſaris, à quo nihil illi quidem poſſunt in poſterum ex præteriti temporis comparatione, niſi vim atque iniuriam expectare. Sed iam ad Cæſarem redeo. Hic ſi quantum videri, tantum ex animo velit, quieti & paci prodeſſe & conſulere in publicum; cur non à ſuſpicione ſe remouet, aliud ſe priuatum ac proprium ſub obtentu pacis publicæ ſpectare interim atque moliri? Cur non ſatis illi eſt, eius pacis ad alios fructum, ad ſe gratiam peruenire: aut cur eiuſdem pacis, cum iis ſaltem, quibus eam tanti vult vendere, non aliquod emolumentum communicat? Cur illius de qua ſtatim ago, Chriſtianiſſimi Regis diuturnæ, atque ſine vllo in hunc diem exemplo memorabilis patientiæ, non aliquam habet rationem? Sed quid patientiæ dico? Imo vero tam liberalis officii, aut potius beneficii. Nam quo ego alio nomine hoc appellem, neſcio; quod cum pulcherrimam haberet Rex occaſionem, ſimul ſuas & liberorum opes vindicandi, à tam indigno atque iniuſto occupatore Sfortia, ſimul pro ſumma indignitate & iniuria ex Legato ſuo immaniter cæſo, illum eundem vlciſcendi; quum præſertim ab optima ducatus eius primariorum hominum parte vltro inuocaretur, & exercitus in promptu illi eſſet, qui tum in Germania conſcriptus, reque feliciter & facile confecta, cuius cauſa conſcriptus fuerat, vltro ante quam dimitteretur, nomen illi deferebat, atque vt in id bellum authoraretur flagitabat: quum (inquam) ita Rex eſſet ab exercitu, ab re nummaria, ab ſociis, ab rebus omnibus, quæ ad bellum celeriter conficiendum pertinent, paratiſſimus & inſtructiſſimus; tamen rogatus à Cæſare, tum expeditionem in Africam adornante, *ne quid moueret interim, aut nouaret in Italia*, morem gerere non recuſauit, atque omnium indigniſſimæ iniuriæ vltionem & dolorem diſſimulauit ac diſtulit, tantum ne moram conatib. Cæſaris vllam afferre velle videretur. Quanquam ego (vt ingenue ac vere loquar) neque illa ex Africana victoria, in qua mirifice adeo ſibi Cæſar placet, amplificatam aut illuſtratam eſſe religionem, neque latius quam antea prædicari CHRISTVM video; *Africana victoria.* tantum abeſt, tam plauſibiles triumphos inde agere debeamus. Nam quid noſtra intererat, à Turcane an ab Afro Machometana prædicetur in Africa ſuperſtitio? At expulſum è ſedibus ſuis Tunetis Regem Cæſar in regnum magnifice reſtituit: Sit illud ſane magnificum & imperatorium. at hoc magis magnificum & imperatorium fuerat, pluris non feciſſe, Regem vt impium periculo atque ſanguine piorum vtilium Chriſtianæ reip. militum imminutioneque Chriſtianarum virium in regnum reſtitueret, reſtitutioneq; illius Solimanum in nos à Perſicis rebus, noſtro omnium communi periculo, ſuæ vnius ambitionis cauſa reuocaret, quam vt (quod etiam homines harum rerum inſolentes facile intelligere poſſunt) Chriſtianum Nauarræ Regem, regno ſuo per iniuriam eiectum, propterea quod ex ſtudio corrigendæ quaſiq; reformandæ Eccleſiæ, cum Francorum Rege Ludouico, & Maximiliano Cæſaris auo, ad cogendum Concilium conſenſiſſet, quo Eccleſiæ tentaretur neceſſaria illa (vt dixi) reformatio; aut Chriſtianiſſimum Galliarum Regem, & liberos eius, ampliſſimis patrimoniis fortuniſque per vim ſpoliatos, in ſua (quod poterat citra cædem & ſanguinem, & virium Chriſtianæ reipub. damnum & detrimentum) reſtituere. Sed coniunctas habere fortaſſe mauult rationes cum Machometanis Afris, quam Regibus Chriſtianis: cum interea tamen Franciſcum Regem non minus falſo quam inuidioſe, quaſi communia habeat cum Turcarum Rege conſilia, criminetur. At hoc ego, quum ipſe verbo tantum arguat, nihil proferat, nihil literis, aut teſtimoniis probet, ſed inani & nugatoria quadam maleuolentia, criminis inſimulet, verbo duntaxat refellendum duco: tum quod accuſatoris ſit crimen probare, tum quod neminem eſſe tam profligato vel potius perdito deploratoque iudicio exiſtimem, qui præſertim in tanti re momenti, putet ſatis eſſe vt quis reus peragatur, temere accuſari, vel qui conuitiationi iſti fidem habeat. modo tamen meminerit, Regem eundem per literas & nuntios quinquaginta militum millia vt minimum per id temporis obtuliſſe, quo Viennam Turca cum exercitu obſideret, atque (vt dicebam nuper) ad Africanam expeditionem profecto Cæſare, tanta in occaſione atque gerendæ rei opportunitate, pedem domo non extuliſſe. Etenim ſi ſpem Franciſcus in Turcarum viribus poſuiſſet, tum certe pro recuperandis ſuis rebus, bellum potius ſuſcepiſſet, cum illi victore exercitu longe lateque dominabantur, quam vt in hoc diſtuliſſet tempus incommodum, quo Rex eorum Solimanus, præter quas in Africa & Germania clades accepit, toties in Perſide fuſus ac fugatus fertur, iam vt Cæſariani dictitent, non de inuadendis alienis, ſed de tutandis ſuis finibus, neceſſario ca-

piendum illi eſſe conſilium. Et vero poterat tum quidem Rex, minore impendio ac periculo ſua arma capeſſere, vt non duobus in locis diſiunctiſſimis maximeque diuerſis, à potentiſſimis hoſtibus bellum vno eodemque tempore gereretur; tum ancipiti contentione diſtractus Cæſar, ad difficillimam de imperio toto ac ſalute dimicationem vocaretur. At Legatos Franciſcus à Turca (inquiunt) accepit, atque ſuos ad eum viciſſim ipſe miſit. Ego vero facile patior, id accuſatorem obiicere, quod ego defenſor poſſim ſine periculo confiteri, & quod accuſatus nunquam neque crimiuoſum, neque diſſimulandum eſſe vobis iudicauit. Acceperunt item & miſerunt ipſi etiam Cæſar & Ferdinandus, vt mirum ſit quod licere ſibi putant, cur in alio reprehendi velint. Neque vero illi Legatos acceperunt tantummodo, verumetiam munitiſſimas in Peloponneſo vrbes, quæ vt CHRISTVM Seruatorem liberius profiteri poſſent, ſeſe vltro Cæſari dediderant, ipſi iidem Solimano Turcarum Regi, vt aliquam ab eo bonam inirent gratiam, tradiderunt, aut potius prodiderunt. Quæ quidem poſtea tam immaniter à Solimano ſunt habitæ, vt nemo ſatis vnquam earum deplorare poſſit & commiſerari calamitatem. In quibus tamen ipſis vrbibus, poterant Chriſtiani ad Græciam ſeruitute liberandam, appoſitiſſimam gerendo bello arcem conſtituere. Sed redeo ad Turcicam legationem.

Solimanus pacis cupidus.

Dico igitur ſæpe Solimanum cum Francis pacem, vt à quibus omnium maxime gens Turcica ſibi ſemper timuerit, vehementius expetiuiſſe. Dico eundem Solimanum vt Chriſtianiſſimum Regem aliquo ſibi demereretur beneficio, atque pacem eo facilius impetraret, ſuppetias ei & captiuo, & mox datis obſidibus filiis liberato, etiam atque etiam obtuliſſe; ita vt neminem vnquam Rex infeſtiorem ſibi habuiſſe videatur Cæſare, conſanguineo ſuo, & cognato. Illud vero contenderim tam eſſe Regi glorioſum, quod in tantis rerum difficultatibus tam ſæpe conſtitutus, alienorum à religione auxilia non admiſit, quam eſt alteri cuidam (cuius ego nomini parco) ignominioſum, ſtudioſe ambiuiſſe, nec vt ſe in clientelam ille acciperet impetraſſe, quin potius ab illo magnifice deſpectum fuiſſe atque reiectum. Quod ſi eo loco, quo Rex meus, Cæſar veſter eſſet: atque is à quo tam indigne ac tot afficeretur iniuriis, tantopere iſtam illi coniunctionis Turcicæ mentionem exprobrando inculcaret: ipſe interim & præteritis incommodis, & præſenti periculo, & publica tam potentis aduerſarii profeſſione premeretur: à cæteris vero Chriſtianis principibus ſe videret derelictum, ac veluti prædæ expoſitum: vel neſcio, vel non dico, an ad ſuperiores calamitates, ad alia præſentia pericula, tantum ſibi hoſtem vellet, quantus eſt hic Solimanus, aſciſcere: quo pacato tamen vti promptum ſibi eſſet atque expoſitum, idque maxime cum Abrahamus, Dauid, Salomon, Machabæi, & alii permulti ſancti & religioſi duces, ab hoc fœderum genere non abhorruerint, non dico (inquam) an à Turcarum Rege tam liberaliter oblatas ſuppetias eſſet repudiaturus, qui non ignoret, iure Pontificio licere Chriſtiano principi, ſua per iniuriam ablata & occupata, ſi viribus ſuis nequeat, impiorum auxilio recuperare, vbi piorum illi auxilia denegentur. Vides itaque, Amice optime, quam hoc loco Regem meum traduxerint eleganter, cui cum id crimino ſum eſſe velint, quod illi tamen licuerit; id ipſum etiam quod affingunt, nemo falſum eſſe neſciat, qui res duntaxat iſtas mediocriter vnquam inueſtigauerit. Verum hæc omitto, cum ſit omnibus longe certiſſimum, nullam in orbe terrarum eſſe Regiam, ab hac ſuſpicione tam alienam atque puram: vt quæ plures ab hoſtibus noſtræ religionis triumphos numerat quam Reges: quorum regum & maiorum ſuorum veſtigiis inſtitiſſe ſemper hunc Franciſcum Regem, etiam ipſos mea ſententia, qui tam atrociter eum deferunt, ſi iurati dicerent, agnituros non dubito. Sed quoniam intelligunt, queſtum eſſe apud ſuos Salimanum, quod quum Ænobarbo ſuæ claſſis præfecto à Tunetanis euocato, ii in clientelam ſe illius dediſſent, hunc poſtea inſperato bello à Cæſare oppreſſum qui aduerſus eum non pro religione bellum ſuſceperit, quod ſolenne fuit priſcis Imperatoribus: non pro tuenda vel amplificanda ditione, quorum altera ſemper omnibus, altera pleriſque magno & excelſo animo viris iuſta belli gerendi occaſio viſa eſt: ſed pro impio Rege, de ſe nihil merito, & fide fortaſſe Punica beneficium agnituro, proque ſola vel gloriæ cupiditate, vel ſtudio contentionis, quam videntur inter ſe de monarchia ſuſcepiſſe, difficillimo tempore arma ſumpſerit: artificioſe hoc diſſeminant, & quantum in ſe eſt, ante rei euentum, in aures imperitorum inſinuant, vt ſi poſtea (quod eſt credibile futurum, & ipſi ad rationes ſuas & concilianda Cæſari publica Chriſtianorum auxilia accommodatiſſimum eſſe putant) his duobus ſummis principibus inter ſe pertinaciter conflictantibus, occaſionem eſſe ſuam ratus Solimanus rex (vt eſt magnanimus, gloriæ cupidus, in vindictam ardens, necdum adeo fractis viribus, vt nos fortaſſis eum eſſe comminiſcimur) in Cæſaris ditionem impetum violenter faciat: hoc tum ipſi habeant iactum fundamentum, atque apud ignaros veri, & iam ante falſis auditionibus occupatos, veriſimilitudinis ad credulitatem argumentum: quo tum Regem traducentes, quaſi ab eo ſit Solimanus auxilii gratia in Chriſtianos euocatus, ceterorum in eum Chriſtianorum arma concitent.

Solimani ingenium.

Neque alio conſilio exiſtimandi ſunt perſuaſiſſe Cæſari, vt ea vteretur apud ſummum Pontificem publica teſtatione, cum auditu crudeliſſima, tum indigniſſima Chriſtiani Cæſaris probitate ac virtute. At clamitant Cæſariani, viſa fuiſſe in Africa tormenta Francorum Regum inſignibus inſculpta, ſignaque militaria iiſdem inſignibus non pauca in Ænobarbi fuiſſe poteſtate. Hoc ego ſicut verumne ſit, plane neſcio: ita magnopere refutandū eſſe non arbitror. Nam triremes plus minus quindecim Andreas & Antonius Auriæ, vexillis, armis, tormentis, & remigibus Regiis inſtructiſſimas, à Rege ad Cæſarem deficientes abduxere: quarum ego aliquas cum omnibus ſuis impedimentis in Ænobarbi

barbi veniſſe poteſtatem intellexi. Quod ſi vt mihi renunciatum eſt, ita contigit, neq; tam in Regiis triremibus ſuo Cæſari ſeruandis, Auriæ diligentes fuerunt, quam in iiſdem ab Rege ad Cæſarem furtim abducendis flagitioſi; non mirum eſt fuiſſe, hoc tempore viſa in Africa & vexilla & tormenta Gallica. quæ nonnunquam alias tamen, & olim, & hoc Rege, iiſdem in locis fuiſſe viſa conſtat: verum ad religionis noſtræ illuſtrationem & amplificationem, & maiore ſiue fructu ſiue gloria, quam hoc tempore Cæſar intulerit.

Sed pene iam præterieram imprudens id, quod iſti tam pertinaciter (vt ſcribis) inclamant, ſeſe Regem ita in laqueos adductum & implicitum tenere, vt elabi nulla ratione poſſit, quin ſit illi confitendum, ſe in Samarobrinenſe fœdus offendiſſe, atque Imperatori veſtro iuſtam in ſe arma capiendi occaſionem præbuiſſe, qui ſcilicet Huldarico Wittembergæ Duci bellum aduerſus Cæſarem ſuſcepturo pecuniis ſuis affuerit. *Vlricus Dux VVirtemberg.* Aureis enim nummis Gallicis (quod negare nemo poſſit) eo in bello perſolutum eſſe militi ſtipendum. Ego vero ne hoc loco Camarinam (vt aiunt) mouere cogar, ac Cæſaris male de Imperio meriti conſilia detegere, maxime vellem contentos eos fuiſſe ipſa Regis mei ſuper ea re defenſione. Neque enim diſſimulandum vobis eſſe duxit, pecunias ab ſe fuiſſe numeratas, ſed pro montis Pellicardi Comitatu quem ex Huldarico Rex emerat. *Montbeliard.* At quos in vſus venditori placuerit pecuniam ab emptore numeratam vertere, hoc vero non putauit ſua vt percontaretur, intereſſe: quemadmodum neq; venditoris, quo animo emptor, aut quem ad finem emerit.

Sed quoniam iſti tam cupiunt eſſe diligentes, introſpicere vt velint Regis mei non facta tantummodo, ſed cogitationes etiam & conſilia; ego ſic viciſſim illos rogare velim. Inter Galliarum Reges & hoc ſacroſanctum Imperium, intercedit vetus defenſionis mutuæ ſocietas. Multo poſt initum eſt nouum fœdus inter hunc Galliæ Regem & Cæſarem, ſed quo nec genere ſit ipſo, nec partibus, vlla ratione, antiquo illo fœderi derogatum neque vt derogaretur, flagitare veſter Imperator debuit; eo ipſo appellatione imperatoria ſe indignum præbiturus. Imperator idem veſter, Huldarico imperii cliente, ab ea paterna hæreditate deiecto, quæ tum propria & peculiari exceptione ſic addicta, & iam inde ab initio affecta erat illius gentilibus, vt iis ſuperſtitibus nequeat in aliam tranſire familiam: tum eidem iſti veſtro imperio ita eſt clientelæ iure obnoxia, vt extincta ea familia, ad Imperii ærarium, cuius beneficium eſt, redire debeat, neque pacto vllo mitti abalienariue poſſit: veſter (inquam) Imperator, Huldarico deturbato, eandem hæreditatem illius gentilibus (quod facere iuratus debuerat) non tradidit, quin potius, ſpreta iterum iuriſiurandi religione vſurpauit ac retinuit, imo vero ne non ſatis grauiter contempſiſſe iuſiurandum videretur, Imperii iure interuerſo, vel euerſo potius, vſurpatam ab eodem exemit, ac veluti emancipauit imperio: vt iam nihil minus, cum tantus ſit imminutor Imperii, quam Auguſtus dici mereatur. Huldaricus *Auguſtus.* igitur lauto illo atque amplo patrimonio ſuo ſpoliatus, Regem appellat ſuo & veſtri imperii iure, vti ex fœderis antiqui formula non modo ſibi, quod non mediocrem quidem ad impellendum cauſam, ſed imperio veſtro, quod maiorem multo vim habeat, opem ferre velit: neque patiatur opulentam prouinciam ærarii veſtri propriam, ab eo per iniuriam abalienari & diſtrahi. Finge nunc Cæſarem contra, ex nouo fœdere (per quod tamen illud vetus induci non potuit) obteſtari Regem, vt ne aduerſum ſe defendendam imperii Romani authoritatem ſuſcipiat: alioqui præter fœdus facturum eum pronuntiare. Cedo hoc loco quemuis arbitrum. vincam equidem (vt ille ait) quocunq; iudice, etiam curioſo illo inueſtigatore, imperione an Imperatori morem gerere, antiquum publicum, an priuatum recens fœdus Rex debeat reſpicere. Vbi ad hoc ille mihi reſponderit, tum de facto Regis mei conſtituam, quid me oporteat reſpondere. Verum ego ipſum veſtrum Imperatorem hoc me onere liberaturum ſpero, imo etiam exiſtimo ipſius in Regem criminationi & conuitiis fuiſſe hoc accuſationis caput ab aliquo malitioſe additum, eoque de induſtria conſilio & ſtudio, vt huic anſam daret in Cæſarem aliquid dicendi: quod, vt facile credam eo adducor magis, quod tam ipſe Cæſar quam etiam Ferdinandus ſuis aliquando literis, quarum ad me quoq; exemplaria peruenerunt, ſicut vere, ita ingenue teſtati ſunt, fuiſſe omnino è re Germaniæ, ſua vt reſtitueretur Huldarico Wittemberga. Quod ſi agnouerunt & ipſi, non eſt quare fraudi hoc eſſe Regi velint, ſi ad eius reſtitutionem Germanicæ quietis ac pacis cauſa conſenſerit.

Subdis, & hoc nomine male audire Regem, quod Ducatum Burgundiæ, qui Cæſaris eſſe (vt *Burgundia.* inquiunt) hæreditario iure debeat, tanto iam tempore, ac tam iniuſte detineat. Sed hoc loco vt perſpicias quam frigida nitantur iſti, neque ſubſiſtente ratione, rem explicabo tibi fortaſſe non intellectam. Eudoni Duci Burgundiæ filia fuit vnica (ſi bene memini) Adella. Quæ cum Galliarum Regis filio nupſiſſet, is Ducatum Burgundiæ, velut vxorium ac dotalem Eudone mortuo ſtatim occupauit, & aliquot annos nullo intercedente pacatum tenuit, donec alter quidam extitit, eques ille quidem & nobilis, ſed peregrinus, neque admodum opibus aut viribus pollens, qui in ius eum vocarit, diſceptatoremque patrem eius Regem petierit: apud quem contendens cum dixiſſet, ad Burgundiæ Ducatum fœminas non admitti, ſe vero ab antiquis eius gentis Ducibus, idque haudquaquam intermiſſa maſculorum ſerie progenitum: permiſſa eſt cauſa parium Franciæ iudicio, qui ſunt in regno noſtro principes duodecim, proxima ſecundum Regem ac velut pari (vnde & nomen traxerunt) in ſummarum diſceptatione rerũ authoritate præditi. quibus cum cauſam ille probaſſet ſuam, re diligenter quæſita, hi expulſo Regis filio, ſecundum illum equitem pronuntiarunt;

& Du-

& Ducatum illi, accedente Regis ipſius authoritate, more maiorum vtendum fruendum tradiderunt: quo Ducatu & ipſe, & qui ab eo mares nati fuerunt, nullo ipſis poſtea controuerſiam faciente, potiti ſunt. Poſſem & alia in rem præſentem afferre huiuſmodi exempla: ſed hoc vnum exiſtimo ſatis eſſe, vt quod ab omni ſit corruptorum iudiciorum ſuſpicione tutum: veriſimile cum ſit, iudices illos facilius à ciue ſuo prædiuite, Regis filio, quam à peregrino tenui, atque ab amicis inopi corrumpi gratia, pecuniis, metu potuiſſe. Hoc ego inquam vno exemplo ſatis conſtare arbitror, non potuiſſe Cæſarem eius Ducatus hæreditatem aſſequi, cuius pater Philippus, filius fuerit Mariæ Caroli filiæ: ad quam peruenire Ducatus ſuperiore illo iure minime potuerit. Vnde autem is Ducatus ad Philippum alterum, in hac familia primum Burgundiæ ducem, & Caroli, quo de agitur, abauum, peruenerit: & quanto Rex Carolus quintus eius frater ſtudio, labore, familiaris & publicæ rei diſpendio, quamque profuſa & immodica liberalitate eas nuptias illi conciliarit, aut redemerit potius, ex quibus hodie Cæſar amplas illas & opulentas habet in Gallia Belgica & inferiore Germania prouincias, longum eſſet, neque hic neceſſarium dicere. Ego vero perquam lubens prætermitto, ne hanc velut anſam arripuiſſe de induſtria videar, declamandi hoc loco aduerſus poſteriorum illius Philippi Ducis in benemeriti Caroli Regis poſteros, ingrati animi conſcientiam.

Francisci in captiuitate tractatio.

Nam cum iſti hoc etiam Regi meo crimen obiiciant male agnitæ Cæſaris, primum in ſe, qui captiuus eſſet, deinde in liberos ſuos obſides, humanitatis & liberalitatis ſummæ: malo crimen iſtud diluere, quam vel recriminatione, vel (vt loquuntur hodie) culpæ compenſatione, quodammodo crimen agnoſcere. In quo ego, vt ignoſcas, velim, ſiquid mihi vel iam exciderit, vel nunc dicturus ſim, quod fortaſſe de Imperatore veſtro dictum nolis. In hac enim contentione, in quam tuæ me literæ adduxerunt: ſi quidem excuſatum Regem meum volo (vti velle debeo) verſari hoc in genere non poſſum abſque accuſatoris contumelia: verum adeo id modeſte adhuc feci, & faciam, quantum rei patitur atrocitas, vt intelligas me nolentem eſſe pertractum in hoc argumenti genus, non ſtudio atque affectatione deſcendiſſe. Tractauit (inquiunt) Cæſar Regem captum liberaliter atque humaniter. Ego vero ſi hoc vocatis humaniter hominem tractare, quod confecto bello, atque armis longiſſimo iam interuallo poſitis, non occiderit, quodque magno ſuo ex redemptione commodo dimittere, quam inedia pædoreque conficiendo ſimul redemptionis pretium amittere, ſimul famæ periculum ſubire maluerit (quorum vtrumque nullis vnquam Barbarorum tyrannis in mentem vt committerent venit) non diffitebor ſane humaniter fuiſſe tractatum Regem à Cæſare. Sed cum memoria ipſe repeto, Cæſarem ſupra redemptionis pretium immanius (vt dicebam nuper) quam quo antea Francorum Reges ſe ab hoſtibus Saracenis redemerint, ampliſſimis Regem patrimoniis ſpoliaſſe, ornamentis regni quam plurimis mulctauiſſe, atque alias adieciſſe conditiones partim quæ ignominioſæ ſint, partim quas ipſe Rex præſtare nec ſi debeat poſſit, nec ſi poſſit debeat, quaſque nemo ſimul ac intellexit, non iniquas, vt reuera ſunt, iudicauit: ego humaniter eum fuiſſe tractatum nego. Mitto, quod nec dimiſſurus erat, quamuis iniquis iis conditionibus, niſi medici quibus ægroti Regis cura à Cæſare ipſo commiſſa erat, diligenter eum admonuiſſent, vix futurum vt Rex (etiam ſi ad tempus recreari videretur à morbo) plene tamen conualeſceret, aut diuturnioris vitæ foret. Itaque ſummopere Carolum hortabantur omnes qui conſultum illius commodis volebant, vt acceptis obſidibus duobus liberis natu maximis, Regem ipſum dimitteret: qui ſi forte in vinculis moreretur, tum aliquod inde ſubiturus eſſet Cæſar famæ ſuæ periculum, tum omnis illi ſpes expectatæ prædæ peritura. Contra vero ſi liberatum Regem datis obſidibus liberis, è viuis excedere contingeret, tum alterum eius loco Regem: atque ſi etiam is moreretur, alterum item demortui loco ſubſtitutum habiturus Cæſar videretur. Quibus demum hortationibus motus ac perſuaſus eſt (vt tum ego ex Cæſarianis intellexi, qui hoc palam dictitabant) longe cautius ſibi proſpectum fore, ſi duobus adoleſcentibus quaſi Regibus valetudinarium vnum permutaret, qui & ipſe ſi conualeſceret, nihil minus pro filiorum quam pro ſua ipſius liberatione ac ſalute, pro paterno animo humanique ingenii ſenſu ſolicitus ſemper foret. Habes igitur qua vſus ſit Cæſar in captiuum Regem humanitate atque liberalitate. Cui ſi conſilii illius in mentem veniſſet, quod Samnitum Imperatori ſenem patrem dediſſe Liuius tradit, intellexiſſet inter clementiam & crudelitatem quæri medium non debere. Iam erga Regis liberos vt ſe geſſerit, intellige. Optimates viros & matronas aliquot nobiles, qui formandæ ac dirigendæ illorum ætati traditi erant, atque ipſum etiam eorum pædagogum à quo literis inſtituebantur, procul ab illis amandauit, cæteros omnes minoris authoritatis miniſtros, & in iis plæroſque non ignobiles, quibuſcum in Hiſpaniam accepta fide publica venerant, à famulatu illorum per vim atque iniuriam abſtractos, contraque ius gentium ferreis compedibus & catenis vinctos in triremium ſuarum dedidit remigia: audio etiam minimum abfuiſſe, quin & pumilionem abſtraherent, quem vnicum apud illos Gallum hominem reliquerunt: eum (vti fertur) quod vix cubitalem excederet altitudinem, remo trahendo imparem fore arbitrantes. Eos cum in triremibus duriſſima quæque & indigniſſima diu paſſos, ſaltem pretio pro dominorum ſuorum liberatione perſoluto, vna liberari decuiſſet: idque vt fieret, cautum fuiſſet ex fœderis formula: tamen rogatus Cæſar, & per nobilem virum eius rei cauſa illuc à Rege miſſum appellatus, non dimiſit: neque aliud cauſatus interim eſſe dicitur, quam triremes ſuas, ſi tum eos dimiſiſſet, ab remigum penuria adduci poſſe in periculum: quaſi vero non honeſtius fuiſſet mercenarios conducere, quam hanc ipſis tam inſignem iniuriam

facere,

facere. Verum eæ triremes, quibus miſeri illi, non vt Regiorum liberorum miniſtros decuit, ſed vt noxæ dedititii, tranſtris alligati vehebantur, à piratis Mauris captæ ſunt, & illi ipſi ex Chriſtianorum vinculis, in Maurorum inciderunt manus: apud quos fœde quidam perierunt, quidam adhuc miſerabiliorem morte vitam trahunt, procul à parentum, ab vxorum, à liberorum ſuorum complexibus. quibus fœlicius cecidit, ii Tunete oppido à Cæſare capto, ſeſe in Galliam ſemiuiui, atq; ſtipem emendicantes receperunt: ne quadrante quidem à Cæſare (cuius per iniuriam tam indigna paſſi erant) quo ſe domum reciperent, ſubleuati. Hæc eſt illa, quam adeo magnifice Cæſariani iactant, Cæſaris humanitas: niſi hoc addere forte velint, atq; humanitatis loco ponere, quod ſereniſſimam noſtram Reginam, ſororum eius natu maximam, quæ nec bello capta, nec alioqui obſes erat, multos annos vi tenuerunt, ne ſe ad Regem virum ſuum optatiſſimum reciperet.

Reſpondi meo iudicio ad omnia literarum tuarum capita: ſed hæc velim tibi tantum, non vniuerſis eſſe ſcripta exiſtimes: quod hæc mihi à Rege meo demandata non ſit prouincia: per quem ego quidem plenius edoceri atque inſtrui tota de re potuiſſem. Quicquid tamen, Amice optime, his literis tibi expoſui, ita mihi Deum eſſe propitium velim, quemadmodum bona fide, vt ſe habent omnia, expoſui, in quo ego te fidem mihi habiturum haud dubito, vt quem adhuc nulla in re vanum eſſe deprehenderis.

EXEMPLVM RESPONSIONIS CHRISTIANISS. GALLIARVM REgis, ad orationem, qua Cæſar in eum Romæ inuectus eſt, Latinitate donatum, in gratiam eorum qui Gallice non nouerunt.

Anno Domini 1537.

MAxime vellem, Beatiſſime Pater, ampliſſimi Cardinales, & diuerſarum gentium clariſſimi Legati, tum præſenti mihi adeſſe contigiſſet, quum iſtic Carolus Cæſar, quæ illi ſint rationes & cauſæ mecum, longa oratione vobis expoſuit. Commodius enim ad ſingula capita reſpondiſſem, neque ſuſpenſi, vt nunc, alterius tantum actione percepta, iudicia veſtra tenerentur. Sed quoniam id mihi per abſentiam non licuit, exiſtimaui mihi eſſe ſcripto ſatisfaciendum, ad ea duntaxat, in quibus honos meus agitur, & veritas inuoluitur ac tegitur: quo vos ipſa re vobis ante oculos propoſita, facilius in quo totum contineatur negotium, intelligatis. Quanquam idipſum quoque, quam mihi ſit futurum difficile, non ambigo: quod nec Cæſar Legatis apud ſe meis, illius ſuæ orationis exemplum tradere, nec Legatus eius, quæ de ſcripto recitauit, eorum deſcribendorum copiam facere voluerit. Itaque ad ea tantum reſpondebo, quæ vel ipſe memoriæ vtcunque commendaui, vel meorum ad me literis ſunt perſcripta. Sed me in his difficultatibus tuæ (Beatiſſime Pater) æquitatis rectiſſimique iudicii perſuaſio, & quam de illo veſtro ampliſſimo conſeſſu opinionem concepi, plane recreant ac reficiunt: magna vt me ſpes teneat fore, vt nudæ veritatis cauſa, etſi propter has difficultates iniquo in primis loco conſtituta, tamen aditum ad omnium & ſingulorum animos omnium affectuum vacuos inueniat. Ac ne diutius expectatione vos teneam, ſane Cæſar dum quæ à ſe fiebant, amplificare oratione, contra quæ à nobis aut ſubterfugere reticendo, aut obſcurare dicendo voluit; mihi eius quam texendam ſuſcepit hiſtoriæ dimidiam tantum partem attigiſſe viſus eſt: atque ex tota cauſa id quod ſibi commodum eſſe iudicauit elegiſſe. Ac primo quidem, dum ab eo exorditur loco, quod cum ego primum ad regni hæreditatem ſum vocatus, illuſtriſſimum virum Anaxonenſem Comitem ad me miſerit, retinendæ confirmandæque inter nos amicitiæ gratia: ſimul meminiſſe debuit, ſe à nobis reiectum eo tempore non fuiſſe, quo potiſſimum hæc amicitiæ inter nos conciliatio, magno ei futura erat (vti certe fuit) præſidio, vt ſcilicet (quod maxime omnium rerum cupiebat) è manibus ſe ſubduceret Margaritæ amitæ ſuæ, & ab aui ſui Maximiliani (qui tum eius tutelam inuiti & ingrati adminiſtrabat) poteſtate atque imperio ereptum aſſereret. Atque dum adiicit (id quod ego etiam tum ex literis mei apud eum Oratoris intellexeram) ſe acceptis de victoria mea, deque Inſubrium receptione nuntiis, non minorem cepiſſe animo voluptatem, atque ex alia quacunque re fuiſſet accepturus: cur me ſperare non debuit, ſi par illi ſucceſſus contigiſſet, æque in ſe beneuolo futurum animo? qui quam illi eius rei memoria obſtrictum eſſe me ſentirem, nunquam præ me diſſimulanter tuli. Magis autem miror ſubiecisse illum, ſe quum ab auo ſuo Maximiliano vrgeretur, vt dum ego Inſubrico bello implicitus eram, aliunde mihi bellum inferret, morem ei tamen in gratiam meam non geſſiſſe: quaſi vero neſciat, obligatum ſe iuriſiurandi atque exiſtimationis periculo, ne id aggrederetur, fuiſſe: vt taceam quod eodem ipſo illo tempore, ego egregiam illi, & ex animo nauabam operam: neque mihi prius eſſe conquieſcendum putaui; quam ille Hiſpanias omnes (quæ non adeo lubentes illum Regem accipiebant) dicto ſibi audientes habuerit. Nec cuiuſquam ego præterquam ipſius vnius ſtare velim teſtimonio, quid tum ego, quid Legatus meus à me ita iuſſus, ex ipſius commodo vtilitateque ſuſceperit atque perfecerit: fauorque meus & coniunctionis noſtræ authoritas, quantum ipſius rebus opis atque incrementi attulerit. Addit ſubinde pacti ſibi cum altera filiarum mearum matrimonii mentionem. Ego vero perſancte me aſſeuero, cum ad me de obitu earum allatum eſt, non maiorem ex patrio ſenſu dolorem cepiſſe, quam quod ereptam mihi hanc videbam arctioris cum illo amicitiæ conciliationem. At cum ſubdit, eo tempore quo ego & ille ad Imperii dignitatem vna vterque aſpiraremus, ſubortam primum inter nos fuiſſe quandam veluti zelotypiam, & ſimultates ſubinde natas: quanquam ego tamen eius apud me Legato ſæpenumero profeſſus eram,

Comes Naſſouienſis.

Imperii ambitus.

eram, me perinde hanc honorum petitionem exiſtimare, atq; ſi eaſdem vterq; nuptias ambiremus: me adeo (vtcunque res caſura eſſet) in eadem velle cum ipſo amicitia integra inuiolataque permanere. Ego proculdubio iis me verbis apud eius Oratorem vſum eſſe non negabo: neq; tum certe orationi meæ voluntas non conſentiebat. Quod vero queritur, vbi Cæſar fuit renunciatus, me obſides ab ſe flagitaſſe, non contentum ad amicitiæ noſtræ firmamentum ſuperioribus fœderum vinculis: adhæc nouam ſibi matrimonii mentionem cum Renata meæ vxoris ſorore inieciſſe. Agnoſco equidem omnes à me initas eſſe rationes, vt hæc nobis amicitia ſancta eſſe poſſet atque ſempiterna. Atq; adeo, ſi cum filiarum mearum natu maiorem hi fato erepta, altera tam tenera ætate eſſet, vt nuptiarum expectatio diuturnior eſſet futura: ego nihil mihi humanarum rerum prius agendum eſſe iudicaui, quam de renouanda (nam ea res noua erat) cum Renata matrimonii mentione: perſpicuum eo ipſo facere Carolo volui, me quacunque fieri poſſet ratione, retinendæ eius amicitiæ ſtudioſiſſimum fuiſſe. Nec alio ſpectauit, quam hic ipſe obiectat, obſidum eflagitatio, Etenim quod annua centena ſolatorum nummum aureorum millia, quæ mihi Neapolitani regni ergo ex fœdere pactus erat, diu ſoluere differebat: ego, ne concidente fide ob dilatam multorum annorum penſionem, amicitiæ quicquam decederet, obſides aut potius prædes eſſe mihi flagitandos duxi. Quos vtique petiturus non eram, ſi ad conſtitutam diem mihi Carolus nomen diſſoluiſſet. Cuius procraſtinatio tametſi paulo mihi diuturnior viſa eſt, non adeo tamen ex ea commotus ſum, vt (quod ipſe quiritatur) ego vel in Germania quenquam aduerſus eum per Legatum meum ſolicitauerim, vel Robertum Marchianum vlla ratione in eum concitauerim. Mandaueram equidem Legato meo, vt ſacri Romani Imperii ordines, quibuſcum me tum peruetus amicitia, tum principatus Mediolani ratio ſociarat, per occaſionem mihi ſalutaret, meque oſtenderet non ignarum eſſe, quænam mea eſſe deberet & cum illis ſocietas, & erga illud ipſum ſacroſanctum Roman. Imperium obſeruantia. Et Legatus quidem ille meus in comitatu etiamnum agens meo, ſanctiſſime deierat, ſe præterea nihil quicquam in Germania molitum eſſe. Quod ſi ſecus feciſſe conuincatur. proculdubio nec volente, nec ſciente me, nec impune laturus id fecerit. In Robertum autem ego Caroli Oratori etiam auxilium, ſi rogarer, ex fœdere me laturum obtuli: & militem quem Robertus in regno meo inſciente me conſcripſerat, ſtatim vbi ad aures meas permanauit, grauiſſimis edictis reuocaui: nec id ſine magno Roberti incommodo, qui præter ſpem ab eo milite nudatus, haud ignobiles arces non ita multo poſt vi ac deditione captas amiſit. Nauarrorum autem Regi Henrico, quod tulerim ſuppetias, mihi hoc criminoſum eſſe minime poteſt. Etenim iis fœderibus quæ Carolo mecum intercedebant, accurate hoc exceptum erat; Niſi certo præfinito tempore, cum Henrico illi conueniret, ego quas alio ex fœdere Henrico debebam ſuppetias, rogatus ferre poſſem: idque etiam fide in Carolum integra, & inuiolatis quæ inter nos icta eſſent fœderibus. Itaque ſuppetias Henrico tuli, ſed Carolo præmonito: atque ita tuli, magis vt mihi verendum ſit, ne Henrici conqueſtio, quod ſerius, quam Caroli accuſatio, quod tulerim, improbitatis ſit maculam allatura. Quibus ex rebus Beatiſſime Pater, voſq; ampliſſimi Cardinales, & clariſſimi Legati, ſatis (mea quidem ſententia) intelligitis, nullius nos culpæ ex hoc priore bello affines dici aut haberi

Madrilienſe fœdus. poſſe. De fœdere autem Madrilienſi (quod vocant) apud Mantuam Carpetanorum icto iam toties ac tam abunde à nobis dictum eſt, vt hic quicquam repetere ſuperuacaneum eſſe mihi videatur. Tantum hoc conſtanter affirmabo, virum bello captum (id quod apud omnes conſtat) ſi poſteaquam de redemptione pepegit, adhibita cuſtodia obſeruatur, liberandæ fidei, cum habita ei non fuerit, reum non eſſe: ego vero non modo toto itinere, ex quo id fœdus ictum fuit, ſed etiã ad Fontem rapidum, quo primum ex loco ſum dimiſſus, etiam maiore quam dum eſſem Mantuæ, præſidio ac diligentia obſeruabar, adeo vt obſtrictam illis fidem habuiſſe, qui diligentiæ ſuæ potius quam fidei meæ confidebant, nullo iure condemnari poſſim: imo libera fide atq; ſine vlla obligatione me ad meos receperim. Quare quod addit Cæſar, fuiſſe ſibi antequam ego dimitterer indicatum, ex me plæroſq; audiuiſſe, non ſeruatum iri eius pacis & fœderis conditiones: equidem id me dixiſſe non diſſimulabo. Videbam enim eiuſmodi eſſe conditiones, quas ſeruare, neq; ſi poteram debuiſſem, neq; vt vellem, potuiſſem. At fœderis Italici ſocietas, à qua ſibi Cæſar, vt liberos mihi meos reſtitueret, denuntiatum fuiſſe inquit, eo contracta fuerat, vt per eam ipſe ad æquiores adduceretur conditiones, & pro redemptione mea contentus pecunia eſſe vellet.

Lautrecanam vero expeditionem, ſicut omni aſſeueratione confirmo, ad liberandum captiuitate Pontificem initio ſuſceptam fuiſſe, ad quod maiorum meorum exempla me inuitabant: ita fateor me liberato eo, & Cæſare ita pertinaciter omnes recuſante conditiones, omnis vt ſpes pacis iam ſublata eſſet: opportunitatem hanc ex adornati iam exercitus occaſione amplexum fuiſſe. In quo bello ſi (quod obiectat Cæſar) occubuit Lautrecus Dux ſtrenuus, imo (quod diſſimulare nequeam) bona pars exercitus fœde periit; tamen negare non poterit, quin ſi Deo Optimo Maximo viſum fuiſſet, ita meum exercitum à peſtilenti clade, ſicut ab hoſtium vi adhuc fecerat, defende-

Samarobrienſis conuentus. re: alio atque inclinauerit, rem omnino inclinaturam fuiſſe. Porro Samarobrienſis conuentus indictus cum fuiſſet, ad ea mitiganda, quæ in Madrilienſi pactione iniqua nimis, neq; tolerabilia videbantur, non modo non remiſſum aliquantum & relaxatum eſt, ſed iniquis conditionibus iniquiores etiam ſunt adiectæ: quas ego tamen accipere ſum coactus, quod me tæderet indignæ ac diuturnæ liberorum captiuitatis, quorum calamitas ex dulciſſima commendatione naturæ, mea mihi calamitas eſſe videbatur.

Qua

Quæ cum ita ſint, nunquam vel in maximis rei gerendæ opportunitatibus, vt à pactione diſcederem, aut in eam quicquam offenderem, adductus ſum: imo vero quo tempore Turcarum exercitus bellum in Auſtriam circumtulit (ad cuius me rei mentionem Cæſar reuocat) ego Balanſono, qui ab eo miſſus catafractos equites, & pecuniarium à me flagitabat ſubſidium, *Balanſoni.* quanquam de pecunijs quidem non aſſenſi, quod nummularius non ſim, à quo pecunias flagitare Cæſar debeat: cui tum ſatis eſſe oportuit, quod vicies centena millia nummum aureorum à me recens accepiſſet: tamen obtuli liberaliter, quod maiores mei (quibus nihil vnquam eſt præſcriptum, vbi de ipſorum aduerſus hoſtem religionis ageretur officio) præſtare ſunt ſoliti, id me perlubentem eſſe Chriſtianæ Reipublicæ præſtaturum: vt copias ſcilicet meas omnes (etſi multæ mihi tum proponebantur à bello quieſcendi occaſiones) tamen ipſe præſens, vel ad tuendam Italiam, cui tum etiam Turca imminebat, vel alio quocunque rei poſtularet neceſſitas, educerem: ita tamen vt Cæſari nihilominus Principem ea in expeditione locum non grauarer ex officio cedere, ac ne ſuſpectæ cuiquam eſſent vires meæ, potiorem exercitus mei numerum ex milite Germanico conſcribere. Quo vocatus ſi fuiſſem, eo proculdubio deſcenſurus eram apparatu, bonam vt partem eo ex bello accepturus fuerim vel gloriæ vel periculi. Iam quod attinet ad Bononienſe fœdus *Marauillia.* atque cædem Marauilliæ, mei apud Franciſcum Sfortiam Legati: non video, quare horum mentionem Cæſar hoc loco facere voluerit. Nam Bononienſe quidem fœdus, quem ad finem ictum fuerit, plane omnes recordamini. At Marauilliæ cædes, etiam vt ille quicquam aliter molitus ſit, atque illum decuerit, (id quod minime mihi perſuadeo, certe nullum à me huiuſmodi habuiſſe mandatum ſcio) tam indigna tamen fuit, tam ſceleris & nefandi flagitij plena, vt antea nunquam exiſtimauerim Sfortiæ factum iſtud à Cæſare probatum iri: qui quo amplius habet atque latius patens Imperium, eo plurium Legatorum opera atque apud plures vt indigeat neceſſe eſt: quanquam (vt verum ingenue fatear) vbi me intellexi de tam immani ſcelere apud ipſum Cæſarem, affinem & fœderatum meum, Sfortiæ vero dominum, à quo tam atrocem acceperam iniuriam, fruſtra querimoniam detuliſſe, commotus ſum ſane: neque diſſimulabo, nihil quicquam vnquam mihi accidiſſe tam improuiſum ac inopinatum, quam hoc turpiſſimum Sfortiæ facinus, laudatorem Cæſarem habuiſſe. Quod ſubinde Cæſar obiectare auſus eſt, à me præter Samarobrinenſe fœdus, quædam aduerſus ſe in Germania eſſe conſtituta atque inita conſilia; maximeq; bellum Wirtenbergicum meo ære fuiſſe geſtum: profiteor hoc ego iterum, atque agnoſco, me in Germaniam ſæpenumero Legatos miſiſſe: nam & ego & maiores mei, coniunctas ſemper habere voluimus cum Germanis Principibus & ciuitatibus rationes: noſtra etiam memoria viſum eſt, quamuis inter ſe nonnunquam Cæſares & Galliarum Reges bello contenderent, Germanicæ tamen & Gallicæ nationum amicitiam ac ſocietatem non ideo fuiſſe diſſolutam. Tum à me pecunias eſſe Wittembergæ Duci numeratas, nunquam ire inficias volui: ex quo Duce Montis Pel- *Montbeliard.* licardi oppidum emeram, quod is tamen anno vertente (vt inter nos conuenerat) refuſa pecunia redemit atque recepit, me non perlubente profecto, qui oppidum illud quam pecuniam mihi maluiſſem. In quos autem vſus ille pecuniam eſſet conuerſurus, nunquam ad me pertinere, vt ſciſcitarer, arbitratus ſum. At hoc magis miror, non fuiſſe hoc loco à Cæſare prætermiſſum, (de quo ego, quam honeſte queri poſſit, non video) aliquot videlicet eius ex ditione bello à meis captos homines, diutius fuiſſe in triremibus aſſeruatos: ſimul enim meminiſſe illum oportuit, quam indigne meos triremium ſuarum addixiſſet remigijs, præter æquum & honeſtum, ac per ſummam iniuriam à liberorum meorum obſidum famulatu comitatuque vi abſtractos: ſimul ſuos quum fateatur ipſe Cæſar ſtatim meis à ſe miſſis per me quoque fuiſſe liberatos, ignorare non potuit, à ſeipſo moram fuiſſe, quominus ipſe ſuos quoque maturius ex me reciperet. Quod adijcit, quoſdam in ſe Principes Italiæ viros, à me fuiſſe per Dinteuillanum ſolicitatos: ego id mihi certe non facile perſuaſerim: etenim neque vllum à me Dinteuillanus mandatum ea de re acceperat, neque vllum mihi cum Cæſare bellum id temporis intercedebat. Quod ſi mihi aliquot inſignes ex Italica nobilitate viri mereant, haud video, quemadmodum Cæſar initorum in ſe conſiliorum aut violatorum fœderum inſimulare me hoc obtentu poſſit. Qui ſi voluerit, dum tam creber eſt in commemoranda libertate Italiæ per ſe reſtituta, hoc interim Italicæ nobilitati iugum imponere, vt ab eo cum receſſerint, nulli hominum dare nomen audeant: hoc certe fuerit libertatem eorum ſimulatione propugnationis expugnare, ac re ipſa ſeruitutem ementito nomine libertatis imponere.

Atque vt iam ad Mediolani Principatum veniamus, ſæpe mihi Cæſar per legatos ad me ſuos *Mediolani Ducatus.* ſignificauerat, niſi fidem ipſe Franciſco Sfortiæ iam obſtrictam habuiſſet, eum ſe Principatum mihi omnino traditurum fuiſſe. Itaque mortuo Franciſco, ſublataque ea excuſationis cauſa, quum veniſſe tempus viderem, deeſſe mihi ea in occaſione nolui, miſi, qui eum principatum mihi à Cæſare repeterent: ſignificauit ille ſeſe vni ex filijs æquiore animo traditurum. Aureliorum Ducem nominaui, in quem, vt ego potius quam in aliorum quemuis hunc transferri principatum cuperem, multæ me & magnæ rationes inuitabant: quas quoniam ego non ad regni mei pacificationem tantummodo, ſed ad totius etiam Chriſtianæ Reipub. pacem, otium & quietem pertinere maxime arbitrabar, Cæſari commemorandas & explicandas curaui, etiam atque etiam rogans & obſecrans, vt quæ ſua eſſet ea de re mens & cogitatio, mihi aperte atque ingenue indicare vellet: quemadmodum & ego mea omnia conſilia candidiſſime, citraque omnem diſſimulationem eius Oratori expoſueram.

Tandem poſt multas vltro citroque nunciorum & literarum miſſitationes, Orator eius acceptis (vt aiebat) ea de re mandatis, mihi aſſeuerauit, poſtulatis eſſe meis aſſenſum: tantum vt principatus eius vſufructu cederem, quem deberi mihi contendebam. Nolui hanc vnam vſusfructus controuerſiam retinendæ inter nos amicitiæ moram illam afferre. Ceſſi, renunciaui, Cæſarem de animo ac ſenſu meo certiorem feci: plane vt iam nihil videam, quod pacem inter nos atque amicitiam impedire poſſit, modo quæ Legatus eius eſt pollicitus, ea duntaxat præſtare Cæſar, & caueri ſibi æquis tantum & honeſtis conditionibus velit; quemadmodum ipſe quidem eo tempore, quo hæc inter nos tractabantur, ſe facturum affirmabat: quippe qui fateretur, ſi alias proponeret conditiones, ſatis ſigni ſe daturum, nolle omnino vt inter nos conueniat. Igitur dici non poteſt, per me ſtare, quominus pax inter nos fiat, quum in eaſdem ipſas conditiones, quæ mihi ſunt ab eius Legato propoſitæ, deſcenderim, à quibus ipſe ſi deceſſerit, omnis in eum neglectæ pacis culpa, nulla in me reſidebit. Ego enim retinendæ pacis tam ſum & fui ſtudioſus, vt etiam ſuperiori tempore, quo nec mihi Cæſar, nec liberis meis Mediolani principatum reſtituit, nihil aduerſus eum molitus ſim, imo quo tempore Turcicus exercitus in Auſtriam mouit, non modo à bello quieui, ſed copias etiam meas (vt nunc dicebam) obtuli. Et cum Cæſar expeditionem adornaret in Africam, ego, vt ipſe voluit, cum omnibus pacem colui; & quod facere tum poteram minore quam nunc, obtinente Italiam Cæſare, impendio meo, & periculo, à repetendis & recuperandis meis abſtinui: qua in re tuam inprimis conſcientiam, Paule Pontifex Maxime, implorare mihi libet. In cæteris vero omnibus, quæ ad Chriſtianæ Reipublicæ quietem & commoda pertinent, nulli concedere velim Chriſtianorum Principum, vt eam maiore quam ego, proſequatur affectu ac ſtudio: cuius mei inſtituti eſſe poſſunt indicia ſolida ſatis & expreſſa, Gallorum meorum mores ac diſciplina. *Gallorum mores.* Quamobrem Beatiſſime Pater, voſque ampliſſimi Cardinales, & clariſſimi Legati, ea omnibus nota patientia, qua mihi factas iniurias hucuſque tuli, hæreditaria mea, & meorum filiorum bona tot iam annos me ferente per alios occupata: interdictum, ne quid mei quod in re aut poſſeſſione Cæſaris eſſet, attingerent, copiarum mearum à Vercellis de medio quaſi iam deſponſæ ac deſtinatæ victoriæ curſu reuocatio, & ſtatiuis in caſtris ne quid tumultus excitaretur collocatio, conſtituendæ pacis ampliſſima & libera facultas Cardinali Lotharingio permiſſa: vſusfructus, de quo memini, ceſſio, ſatis declarant, pacene an bello recuperare noſtra maluerim. Neque vero ſanctitati tuæ mirum hoc loco videri debet, ſi quod ſentio, liberius profiteor. Nam ſi occupator alieni quiritari audet interim ac dolere; ego quid facere debeam, qui tam ampla patrimonia videam mihi ac liberis meis per iniuriam auferri, & noſtra cum ignominia retineri? *Sabaudienſis controuerſia.* Quod vero ad Sabaudiæ Ducem pertinet, non video, qua ille ſe tueri aut defendere ratione poſſit, apud quem toties expoſtulatum ſit, à quo toties flagitatum, vt decidere iudicio mecum vellet, de ijs rebus, & quas à maioribus ſuis nullo iure occupatas, meo damno poſſidebat, & quas hæreditario iure pertinere ad fœlicis memoriæ matrem meam ambigere non poterat. Quæ ipſa quidem mater mea dum viueret, ſæpe ad eum certos viros repetitum ſua quum miſerit cum mandatis (vt ſororem decebat) humaniſſimis: ego quoque ab ipſius morte viros meæ cauſæ peritiſſimos, quique vel diſceptatoribus ijs, qui ſunt illi à conſilio, eandem in iudicium deducerent, legauerim, neque quicquam in legationibus tamdiu profecerimus, neceſſario mihi veniendum ad arma fuit. Qua in re vero nihil à me peccatum eſt in ea fœdera, quæ cum Cæſare mihi intercedunt: quibus etſi prohibeor, vt ne cum vllo Italiæ Principe aduerſus illum conſilia communicem: non video, qua ratione bellum iſtud Allobrogicum ad ſe ſpectare Cæſar arbitretur, vel ad eam cauſam vllo modo pertinere, quum interim exercitus meus (vt nunc dicebam) nihil earum rerum prorſus attigerit, quas intellectum ſit ab eo quo iure quaue iniuria poſſideri: atque vt ne id faceret, diligenter omnibus à me fuerit interdictum. Neque enim ſi fœdere Samarobrinenſi Sabaudiæ Ducis mentio inter Cæſaris fœderatos iniecta eſt, continuo tamen earum rerum, quas is ad me pertinentes occuparet, ius in eum eſſe tranſlatum intelligo: quum nec eo in fœdere nomen eius, vt nobiſcum tranſigentis, aſcriptum ſit; nec vox de rebus meis, quæ ab illo tenebantur, vlla eo in conuentu emiſſa. Itaque fœderis eius tabulæ, me ceſſiſſe iure meo, nulla coarguere ratione poſſunt. Atqui ego & antea ſperaui ſemper, & nunc etiam ſpero fore, vt Carolus pro neceſſitudine affinitateque noſtra, meam potius iure ac legibus nitentem, quam iniquam Sabaudienſis cauſam, ſibi eſſe ſuſcipiendam ducat. Quanquam hoc ego tamen video (id quod ſatis mirari non poſſum) cæterorum factum, qui & ipſi armis in Sabaudienſis bona inuaſerint, à Cæſare non reprehendi: duntaxat reprehendi meum, qui cum illo ſim maximis vinculis & propinquitatis & neceſſitudinis coniunctus: neque vendicare quicquam in quo perſpicuum ius, & clarius ipſa luce non habeam, voluerim: neque niſi rite repetitis rebus arma ceperim. Atque adeo, Beatiſs. Pater, paratus ſum Sanctitati tuæ, ſi hoc ita libuerit, rationes omnes meas ex tabulis authenticis comprobare: vt quæcunque dixerim, nihil omnino diſcrepare à vero intelligas. Quod ſi ille animum induxerit, mea mihi reddere: viciſſim ego, ſi quid mei præterea occuparunt, non grauabor illi reſtituere. Iam quod Cæſar inquit, ſi de pacis inter nos retinendæ conditionibus conuenire non poſſit, è re atq; commodo fore Chriſtianæ Reipubl. noſtras vt controuerſias ſingulari certamine hoc dirimamus; ego quum hactenus (ſi quis vitæ meæ ſplendori notam vllam allinere tentauerit) abunde mihi ſatisfeciſſe videar. & quum hæc duelli à Cæſare commemoratio, voluntatis tantum declaratio, non etiam prouocatio eſſe videatur, aut decoris atque honeſtatis noſtræ oppugnatio: ego (inquam) breuiores eſſe noſtros enſes, quam vt tanto interuallo diſiuncti co-

Eti coſ:-

cti congrediantur, exiſtimo. Quod ſi nos propius occaſio aliqua ſtiterit (id quod mihi credibile eſt futurum, ſi res ad arma redierit) atque ſi tum Cæſar eandem retineat, quam nunc ſe habere oſtendit, decertandi mecum voluntatem: meque tum ipſe ad certamen prouocare velit, non recuſo, quin ſi exiſtimationis meæ defenſioni defuero, probi me atque graues viri inter profligatæ famæ homines repudient. id quod mihi tamen acerbius multo futurum eſſet, quam cum illo ſingulariter armis decertare, formidoloſius. Quod ſubinde declarauit, neque à ſe quicquam accuſandi, aut ſugillandi mei cauſa dictum, neque dicta ſua velle à quoquam ita accipi, quaſi ſpe pacis omni ſublata, iam claſſicum veluti cecinerit: ego vero non minimam ex ea re voluptatem me cepiſſe profiteor. Hæc ſunt porro Beatiſſime Pater, ampliſſimi Cardinales, & clariſſimi Legati, quæ apud vos commemorare volui, non accuſatorie id quidem, aut lædendi cuiuſpiam animo, ſed purgandi mei cauſa: vt omnes intelligant, quam ego in publicæ pacis ſtudia & commoda Reipubl. propenſa ſim voluntate: perſpiciantque omnes ad arma cum Cæſare deueniendi culpam, ſicut à me adhuc abfuiſſe, ita ſemper abfuturam: id quod omnes ſine vlla dubitatione iudicaturos ſpero, & confido, quicunque ſecum accurate reputauerint, ad quas ego me continendæ pacis ſtudio demiſerim conditiones.

ORATIO DE SENTENTIA CHRISTIANISSIMI REGIS, ſcripta ad sereniſſimos, reuerendiſſimos, illuſtriſſimos, excellentiſſimos, magnificos, ſpectabiles viros, vniuerſoſque ſacri Imperij ordines Spiræ conuentum agentes, Anno 1543. Anno Domini 1543.

JOANNES CARDINALIS BELLAIVS EPISCOPVS PARIſienſis, Franciſcus Oliuarius in Senatu Pariſienſi Præſidens, & Africanus Malleius Balliuus Diuionenſis, Legati Regis Chriſtianiſſimi Sereniſſimis, Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis, Excellentiſſimis, Magnificis, Spectabilibus viris, vniuerſiſque ſacri Imperij ordinibus Spiræ conuentum agentibus S.

VTinam, Ampliſſimi ordines, non tam valuiſſet quorundam in iſto Germaniæ longe frequentiſſimo conuentu authoritas, vt quæ à Rege, & nomine, & reipſa Chriſtianiſſimo ad vos mandata de ſumma Republica habebamus, ea proferre inaudita vi quadam, & more inter homines maxime barbaros, nedum Chriſtianos nunquam antea recepto prohibiti eſſemus. Niſi enim veſtram aliquorum humanitatem illorum acerbitas, veſtram modeſtiam eorum impotentia ſuperauiſſet: erat profecto ea de iis malis, quæ hoc tempore vniuerſum terrarum orbem complectuntur, paruo temporis momento de nobis audituri, quæ neque pronunciata à nobis eſſe, neque à vobis ſuo tempore intellecta, erit aliquando (niſi nos Dei bonitas reſpexerit) non vobis modo ipſis, quibus natura non eandem conceſſit ætatis & animorum æternitatem, non veſtris liberis ac nepotibus ſed noſtris quoque, ſed omni Chriſtianorum poſteritati maxime dolendum. Nos certe, quos cum Reipublicæ charitas, tum Regis obſeruantia, communis huius vitæ rationem habere prohibuerat, effeceratque, vt omni poſthabito periculo per infeſtos hoſtium gladios, atque inſidias ad veſtros vſque fines, ipſumque prope conſpectum perrumperemus, veſtra fieri æquitate videlicet, veſtraque veteri illa cum germanitate, tum libertate: quid nunc ab amicis & fœderatis excluſi, quid noſtra omni de vobis ſpe deiecti moliamur, quid capiamus conſilij, non ſatis perſpicimus: præſertim quum & inſperato nos id malum perculerit (quis enim hoc ante ſperare vnquam potuit, aut vlla ratione prouidere?) & exploranda in tam acerbo nuncio Regiæ voluntatis facultatem hinc temporis anguſtia nobis ademerit, inde hoſtium iniuria per ſummum nefas eripuerit, qui & vias circumquaque omnes obſident, & nos ipſos his mœnibus, quibus continemur, pedem efferre non ſinunt. Quid, quod ipſe caduceator & ſanctus & pacificus, qui Regis nomine literas cum Cæſari, tum vobis ipſis redditum iuerat, quibus literis aditus nobis ad veſtrum conſpectum quæreretur, ab iis, qui veſtræ libertatis ſeſe ſtudioſos prædicant, ſic eſt acceptus, quaſi patriam veſtram non recreatum, ſed inflammatum veniſſet? Quaſi vero non ſatis eſſet, tot itineris pericula veſtra inprimis cauſa, hoc eſt, veſtræ quietis, veſtræque ſalutis curandæ gratia, eum adiiſſe, niſi poſt blandas ſupplicesque appellationes, vix tandem cum incredibili minarum acerbitate, cum crebra carnificis ac ſupplicij oſtentatione, denique cum atrociſſimo reſponſo, tremens ac prope exanimis dimitteretur. Ne tamen hac rerum difficultate animum deſpondiſſe videremur, cauſamque vel priuatam Regis ipſius, quæ nobis apud vos credita fuerat, prodidiſſe: vel veſtram etiam, quam præcipue tractaturi eramus, deſeruiſſe: nobis omnia animo luſtrantibus illud tantum venit in mentem, quod viros olim ſapientiſſimos feciſſe legimus, quum è ciuitate, de qua erant optime meriti, eiicerentur: vt quæ ſuis ciuibus de Republica propter inimicorum impotentiam coram exponere prohiberentur, ea ad ipſos quoquo modo peruenire curarent. Ita quæ vobis coram expoſituri eramus, eo conſilio, vt inde ad ampliora quædam (ſi res ita tuliſſet) aditus pateſieret: ea dedimus operam, vt verbis iiſdem, quibus concepta a nobis fuerant, ad vos, ſi fieri vllo modo poſſet, perferrentur. Tametſi non neſciremus, vel rerum ipſarum argumenta, vel res ac ſententias ipſas nouis quibuſdam & paulo breuioribus commentariis facilius nos complecti potuiſſe. Verum ab ea nos cogitatione illud auertit, quod ne hac quidem parte voluimus aduerſariorum patere inſidiis: quo verbo quid ſignificemus, diuinare perfacile poteſtis, qui iſtorum morem & ingenia

iam eſtis pridem maximis veſtris incommodis experti. Nudam igitur ipſam orationem atque ſimplicem, qualem de Regis Chriſtianiſſimi mente deſumptam adferebamus, viſum eſt ad vos mittere: tantumque in ea mittenda interponere temporis, quantum ſibi ad eam deſcribendam librarius minime piger depopoſciſſet. Sic enim denique aduerſariis omnem calumniandi viam præcluſiſſe videbimur: qui ſi iactauerint, confictam eam derepente fuiſſe, & ad noſtras rationes accommodatam: facile cum ſummis noſtri temporis anguſtiis, tum grauiſſimis ampliſſimorum virorum teſtimoniis refelli poterunt. Ad huius autem ſenſum orationis (ſi quidem oratio appellanda eſt, ſimplex & minime fucata rerum expoſitio) ſi illam ingeniorum aciem, quæ in pleriſque veſtrum ſumma eluceſcit, acriter intenderitis, facile & earum calamitatum, quæ Rempublicam hodie vexant, imago ſeſe vobis ſubiecerit: & Regis Chriſtianiſſimi ad eas depellendas egregia quædam & prope diuina voluntas apparuerit. Quam ipſam quandoquidem vt ex animi ipſius ſententia vobis coram exponamus, nulla poſſumus ratione impetrare: officii noſtri eſſe duximus, cum in ipſum Regem, tum in vniuerſam Rempubl. teſtatum hic vobis quocunque licuit modo relinquere, nihil eum, quod vel ad veſtram ſalutem pertineret, vel ad communem Chriſtiani nominis quietem, prætermittere voluiſſe. Deum Optimum Maximum quæſumus, Ampliſſimi ordines, vt veſtris animis ea conſilia, eas cogitationes inſpiret, ſic vniuerſæ Reipublicæ ſalutares, vt ea incolumi & honeſtiſſima (quod hoc rerum ſtatu minime nobis ſperandum eſt) quamdiutiſſime frui vtrique poſſimus. Nantis, III. Non. Martij, MDXLIII.

LEGATORVM CHRISTIANISSIMI REGIS ORATIO, ſcripta ad ſereniſſimos, reuerendiſſimos, illuſtriſſimos, excellentiſſimos, magnificos, ſpectabiles viros, vniuerſoſque ſacri Imperij ordines Spiræ conuentum agentes.

PErincommode nobis accidit, Sereniſſimi, Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Magnifici, Spectabiles viri, quod quum à Francorum Rege miſſi eſſemus, de rebus maximis, & vobis Reique publicæ Chriſtianæ pernecesſarijs apud vos verba facturi; acerbiſſimos de eius & erga Rempublicam, & erga vos ipſos fide rumores, de quibus adhuc in itinere politi inaudieramus, poſtquam huc frequentes conueniſtis, plus apud quoſdam valere intelleximus, quam adhuc opinione percepiſſemus. Quod vulnus in eius cauſæ, quam tractaturi ſumus, viſcera receptum, dici non poteſt, quantam attulerit noſtris animis perturbationem. Nam quum permultæ res ſunt, quæ omnem Legatorum gratiam facile conuellant, hæc vero eſt potiſſima, quum pro eo dicendum eſt, qui de ſua exiſtimatione grauiter apud auditores laboret. Quare ab ipſo ſtatim exordio venia à vobis petenda eſt, Viri humaniſſimi, quod de noſtra oratione, hoc eſt, de ijs rebus, ad quarum narrationem nos de Regis Chriſtianiſſimi voluntate comparaueramus, partem aliquam reſecantes, ea ſubſtituere cogamur, quæ propria ſunt criminum excuſationi: illam autem quæ ſuperſit, ſed propius Reipublicæ rationes attingat, in ipſum orationis calcem reſeruemus. Vtrumque enim nobis imponere videtur, hinc amici vobis ante omnia reconciliandi ratio, inde veſtrarum occupationum, quibus tales Legatos non inſeruire turpe ſit, magnitudo. Neque vero id à vobis quoque eſt, Viri optimi, mediocriter petendum, vt quoniam nos, ita vti diximus, à noſtro & meditato orationis curſu ſubito depulſi, diuerſo argumento ad aliud quoddam, & prope extemporaneum dicendi genus neceſſario delapſi ſumus: vos ſi quid minus aut cultum ingenio, aut induſtria elaboratum huc attulerimus, eo libentius ignoſcatis, quod vt ſumma quadam dicendi facultate præditi eſſemus, qui intra mediocritatis laudem conſiſtimus, tamen in eas temporis anguſtias ſumus coniecti, quæ vel optimo cuique oratori ſint pertimeſcendæ. Id ſi à vobis pro veſtra humanitate, germanoque iſto animorum candore impetrauerimus, tum illud nos aſſequutum iri apud vos ipſos, quamuis aliorum præiudicijs occupatos, confidimus, vt ex noſtra oratione, & omnem de Rege amico, conſanguineo, vetuſtiſſimo fœderis iure vobis coniuncto, ſuſpicionis offenſionem facile deponatis, quod eſt hominibus Chriſtianis digniſſimum, & cum ad veſtri otii rationem, tum ad religionis conſtitutionem viam munire poſſitis, quod hoc tempore adprime vobis eſt neceſſarium. In his autem explicandis rebus, ijſque refellendis criminibus, quæ nos in Regis gratiam oportet refellere, quæcunque hic dixerimus, in eam partem quæſo accipiatis, vt non lædendi cauſa (neque enim quenquam noſtra ſponte læſuri ſumus) verum tuendæ eorum innocentiæ, qui à culpa longiſſime abſunt, ea nos in medium attuliſſe exiſtimetis: vtique quoties nobis tritum illud aduerſariorum nomen in ore verſabitur, ne illos (ſi quid forte erit acerbius) peti iudicetis, quos authoritas cum veſtra, tum ſua ipſorum ab omni contumelia vendicat: ſed eos potius appellari, qui & ſiniſtræ cuiuſque de Rege ſuſpicionis authores illis fuere, & huius, quam vobiſcum execramur, Reipublicæ perturbationis. Qua in re ſi vobis paulum modo attentis beneuoliſque vtemur, nemini obſcurum eſſe poterit, vnde ægritudo illa, quæ totum Reipub. Chriſtianæ corpus occupauit, originem duxerit, incrementum acceperit, vires acquiſierit: tum autem longe facilior vobis apparebit curatio, quorum eſt inprimis egregia voluntas, & ſumma in ea re potentia. Bellum igitur (vt inde ordiamur) poſt hominum memoriam maximum, atque in omneis partes quam latiſſime propagatum videmus. De eius initio non ambigitur: recens eſt enim. de origine, de cauſa, de authore, de tota deniq; eius ratione varie inter multos, pro cuiuſque vel ſenſu, vel animi affectu diſputatur. Ita fit, vt tradendis eius

Bellica tempeſtas.

belli

belli authoribus, eoque reprehendendis, variæ ſint pro ſtudiis partium ſententiæ. De cæteris orbis partibus non deerit nobis ſuus ad dicendum locus: de Germania vere hoc dicere poſſumus, & omni aſſeueratione affirmamus, quod illa hodie pene omnis fluctuet, quod foris, hoc eſt, in ſuis finibus, bello: quod intus diſſenſionibus vexetur; nemini eſſe quam Regi Chriſtianiſſimo acerbius. *Germania.* Quur enim non illi doleat, lacerari in ipſius pene oculis atque conſpectu, regionem orbis terrarum nobiliſſimam, vnde ipſe genus, vnde originem traxerit: quam primum priuatus, poſt ad Regni faſtigium euectus, plus mortalibus reliquis coluerit; pro cuius dignitate ipſius maiores tantum periculorum adierint, tot bella geſſerint, toties depugnauerint: pro cuius libertate nunquam ſuis opibus, nunquam ſuo ſanguini pepercerint? Neque hæc de Prouincia tantum Germania, ac Germanica in vniuerſum natione dicimus, qua euerſa natio Gallica ſalua eſſe non poſſit: de ipſo Imperio, de (inquam) veſtro hoc Imperio, hoc eſt, de veſtra dignitate, deque veſtra libertate dicimus, Viri maximi, atque inuictiſſimi, qui ipſi regendo Imperio, vna cum his *Imperium.* Auguſtiſſimis Cæſaribus hic præſideris. Nam Carolus Magnus idem Gallorum parens, & idem *Carolus M.* veſter, omnium confeſſione afflictum illud, propeque collapſum vnus erexit: vnus de nefariorum hominum faucibus eripuit: vnus è Græcia, vbi exulabat abiecta eius dignitas, non minus fortiter huc quam fœliciter inuexit. Nunc igitur partam tot ſuorum laboribus & periculis dignitatem vobis extorqueri, illa veſtræ maieſtatis iacta à ſuis maioribus fundamenta conuelli, Rex maiorum ſuorum ſummus admirator, inſtitutorum, quæ ab iis profecta ſint, tenaciſſimus obſeruator voluerit? Cur ita tandem? Qua per Deum immortalem aut veſtra iniuria commotus, aut ſua vtilitate adductus, de veſtra pernicie cogitare debuit? Quis vnquam vel in media barbaria natus, vel inter gentes efferatiſſimas educatus, non ad amicorum miſerias ingemuit? aut ſi tam fuit ferreus, vt ingemiſcere nequiret, tamen eorum calamitatem, gratis & nullo ſuo commodo appetiuit? Quid ſi oſtenderimus, veſtram perniciem non ſolum Regi profuturam non eſſe, ſed multo ei plus quam cæteris Chriſtiani nominis Regibus obfuturam? Omittimus illa communia, tempeſtatis vim, quæ in finitimorum agros incumbat, ex quadam velut contagione tibi pertimeſcendam: tunc rem tuam agi, quum ignis vicino parieti ſit immiſſus, atque eiuſmodi quamplurima. dicam ea, quæ proprie ad nos ipſos, hoc eſt, ad gentem Franciçam, ad ipſumque Francorum caput pertinent. An nos hoc neſcire putatis, nullam procellam poſt homines natos in Germaniam ingruiſſe, quæ non confeſtim ad nos perueniret? Fuere patrum memoria, qui Galliam debellarent, vincerent, opprimerent; abſtinere tamen à Germania cogerentur. qui Germaniam vicerit, qui non idem Galliam quoque ſubegerit, nemo adhuc inuentus eſt. Quid ita? noſtrum hic non eſt dicere, ne vel veſtræ laudi nimium aſſentari, vel detrahere maiorum noſtrorum virtuti videamur. Attamen neminem latet, minimeque omnium Chriſtianiſſimum Regem, qui tum in rebus gerendis annos plus triginta exercitatus, tum omnis vetuſtatis eſt periti ſſimus: quantum ſibi periculi, quantum liberis, quantum patriæ (quæ ei vita ipſa eſt charior) impendeat, tentata ſemel Germaniæ libertate, ne dicam euerſa. Intellexit iam pridem (vt eſt hiſtoriæ Germa- *Fr. Rex Philiſtor.* nicæ, non minus quam Gallicæ ſtudioſiſſimus) maiores ſuos, quum vtrique prouinciæ imperitarent, diligenter cauiſſe, ſuum vt ius Galliæ, Germaniæ ſua libertas conſtaret: neque ab re in gentis vtriuſque finibus, & ad ipſius Rheni ripas, viros aliquando collocaſſe vtrique genti ſacroſan- *Epiſcopi.* ctos, qui & Imperij maieſtate & ſacrorum religione patriam in officio vtrinque continerent, eſſentque Galliæ iuxta ac Germaniæ præſidio ac ſaluti. Quid ſi nunc Franciſcus quæcunque finibus ſuis propugnacula, quaſcunque arces Pipini, Ludouici, Caroli, illa orbis miracula poſuere, volens ipſe ac ſciens reſcindat, diſſipet, conuellat, num eum inſanire dicatis? Sed non inſaniet, non deſipiet, non hoc molietur, quomodo veſtra libertate oppugnanda ſuam ipſe euertat, ſibique ac ſuis ruinæ periculum ſtruat. Equidem non exiſtimamus quenquam eſſe (eorum duntaxat, qui Chriſtiano nomine cenſentur) tam profligatum, tam ab omni honeſtate relictum, vt veſtram illam libertatem labefactatam velit, iuſque & nomen auguſtiſſimi huius Imperij, quod vos ſuſtinetis, imminutum, ſed ſi forte eſt quiſpiam, is proculdubio Franciſcus non eſt: nullius enim (nobis credite) vel quieti, vel etiam ſaluti minus id conducit. Dicat aliquis, non ſatis eſſe, turbare non debuiſſe, Regem Francorum oſtendere: non turbaſſe, doceri oportere; propterea quod inuenti aliquando ſunt, qui in ſe ipſi ſæuirent, nedum manus ab amicis & neceſſarijs abſtinerent. Quæ ſi vox, Viri ampliſſimi, loci tantundem apud vos habitura ſit, quantum apud rerum imperitiores ſibi vendicaſſe dicitur; conditio certe nobis durior imponitur, quam vt vel veſtra æquitas hoc ferre queat, vel vſu ac moribus adhuc, ne inter priuatos quidem, ac litigantes in foro fuerit receptum. Semper à maioribus obſeruatum audiuimus, quoties accidit in ius aliquem vocari, vt ſummo iure cum eo agatur: qui reum egerit, qui vel capitis, vel famæ arceſſerit, neceſſitatem illi probandi impoſitam: huic inficiandi poteſtatem datam. Nos (vt penitus in cauſam ingrediamur) hoc nomine ab aduerſarijs apud vos inſimulamur, nec inſimulamur modo, ſed aperte, ſed vehementer, ſed atrociter impetimur: quod quieta quum eſſet, velutique in portu aut ſtatione Reſpublica Chriſtiana, eam in vaſtum bellorum ac ſeditionum pelagus coniecerimus, quodque gentem Turcicam Chriſtiano infeſtam nemini, in eandem Rempublicam immiſerimus. Si nihil eiuſmodi nos non modo feciſſe, ſed ne cogitaſſe quidem dixerimus: ſi Regi propinquo, ac fœderato veſtro id vnquam in mentem veniſſe negauerimus: ſi nos ad ea, quoties obijcientur, refellenda obtulerimus: quid eſt quod præterea vel noſtri accuſatores à nobis exigere, vel vos

de Regis nomine atque exiſtimatione grauius ſtatuere poſſitis? Sed non erimus vobis tam importune in tergiuerſando moleſti, neque in tantis occupationibus, quantas res veſtræ recipiunt, ſic aſtute cauſam tractabimus, quaſi videamur, diem dicendo eximere voluiſſe. Quare & cauſæ ipſius bonitate, & veſtra freti æquitate, non dubitabimus de noſtro omni iure illo, quod defenſoris eſt proprium, decedere, quo vobis rei pernoſcendæ cupidis, veritas ipſa nuda atque aperta ſtatim appareat. Quæcunque enim Chriſtianiſſimo Regi obiecta apud vos eſſe, memoria nobis ſuppeditarit, ea quantum per modeſtiam licebit, in præſentia refellemus: de cæteris, quæ cæco quodam rumore circumferuntur, non ita valde laboramus. Si qui tamen ſunt, qui ſe authores profiteri velint, prodeant: detur nobis Senatus iterum, regnet in hoc ſanctiſſimo orbis terrarum concilio illa, quæ regnare debet, æquitas, rectum illud animorum iudicium locum ſibi vendicet: niſi tenebras, ſi quæ artibus neſcio quibus veſtris forte mentibus obductæ ſint, depulerimus; niſi calumniæ præſidia de veritatis arce deturbauerimus, facile patiemur eo apud vos loco haberi, quo iſtos ſpero habebitis, ſi aut certamen iſtud detrectauerint, aut ex æquo nobiſcum contendere recuſauerint. Primum igitur dicimus, hoc maledictum, quod ab aduerſarijs crebro iactatur, Regem Chriſtianiſſimum bellum in Republica bis excitaſſe, minime in eum conuenire. Neque enim ſi arma initio laceſſitus, pro patriæ ſalute ſuſcepit: ſi eadem illa de manibus abiecta, aliquanto poſt repetere coactus eſt, continuo earum tempeſtatum, quæ Rempublicam exercent, author appellandus eſt: nec veremur, quo minus re per vos intellecta, ipſum hoc crimine facile ſitis liberaturi. Ignoſcendum vero hic nobis maxime eſt, Viri humaniſſimi, ſi in ijs rebus commemorandis, quas niſi præuaricatores ſimus, præterire non poſſumus, leuiter eos viros, quos & veneramur ipſi, & quorum nomen vobis iure eſt ſacroſanctum, perſtrinxerimus. Vtinam, Cæſar, vel huius initio belli, quod adhuc viget, tua illa in Sabaudiæ Ducem indulgentia, in armis aduerſum Regem affinem tuum capiendis non fuiſſet: vel illis poſtea Pauli Pontif. Maximi opera intermiſſis, ipſum Regem ad ea reuerti tuorum ſcelerata audacia non compuliſſet: maneret hodie, maneret illa toties inter vos data acceptaque fides, illa iuriſiurandi religio, illa coniunctio animorum: neceſſet tanto bonorum omniū mœrore, tanto Reip. malo labefactata. Nam aliud profecto, niſi contumeliæ acerbitas, labefactare illam non poterat, quę tam firma eſſet, quæ talem ſe & tam illuſtrem omnium oculis iam iterum exhibuiſſet, quæ eos plauſus, eas acclamationes, eam hominibus Reip. cupidis alacritatem attuliſſet. Quis eſt enim, cui ſi proponatur tuus ille, Cęſar, in Narbonenſem Galliam pacificus adpulſus, non omnibus gaudijs exultet? Contra, ſi oſtendatur calamitas, ex iſta inter vos ſuborta immutatione, in orbem terrarum inuecta, non ad eam ingemiſcat, non perturbetur? Quod ad nos attinet, quoties ſubit animos temporis illius recordatio, quo tempore viſus eſt Rex maximus è continente ad tuam claſſem ſtadia quatuor in ſcapha adnauigare, tu confeſtim è triremi in ſcapham deſilire, in eius municiſſimum oppidum inermis, incomitatus ingredi, fraterne ilico, nedum amice inter vos conuenire, vnam de officiorum mutua gratia eſſe contentionem; & huius miſerias temporis cum illius felicitate comparamus: non poſſumus non valde commoueri. Quis enim non libenter intueatur, duos orbis terrarum potentiſſimos Principes, vno Dei clementiſſimi (vt erat credibile) adflatu repente inimicitiarum oblitos, de optimo Reipublicæ ſtatu, de eius perpetua quiete, tam familiariter, quam tunc feciſtis, inter ſe colloqui, mala pręterita abominari, optime in poſterum ominari? Quum hic ſoror tua, fœmina ſanctiſſima, viri pene aduoluta genibus, lachrymis effuſis, quas illi lætitiæ magnitudo expreſſerat, nunc fratri ſuam fidem, nunc marito ſuum candorem, vtrique ſuam pietatem gratularetur: inde Franciſci ſoror: vt ſanctitate morum tuæ ſorori comparanda, ita præſtantia ingenij cæteris facile anteponenda, ſic te obſeruaret, vt controuerſiæ, quæ de Regno Nauarræ ſumma eſt, oblita videretur? Quum te Regis liberi, paternæ in Rempublicam fidei perpetui obſides, nunc tanquam orbis terrarum principem colerent, nunc veluti parentem alterum venerarentur? Quum denique quicunque aderamus, arctiſſime inter nos complexi, iſtam noſtrorum principum amicitiam, illas Bellonæ ac Martis (vt tunc rebamur) exequias, votis omnibus proſequeremur? Neque vero fuit inexpectatus quidem ille amicitiæ radius, cuius nobis conſpectum exortæ repente nebulæ adimerent, neque parua ſui diu potiundi ſpe nos impleuerat, quod biennium totum ſe maius indies ac præclarius orbi oſtenderit, quam initio exhibuiſſet. Veſtrum enim neminem latere arbitror, poſteaquam vtrinque diſceſſum eſt, vt nullum prætermiſerint tempus amice inter ſe ſalutandi, placide appellandi, omnibus officijs, omni humanitate ſeſe inuicem proſequendi (mirum id forſitan vobis videbitur, quod vere dicam, nec hyperbolice) conſilia etiam pleraque omnia inter ſe perfamiliariter communicandi. Nam vt illa attingam verius, quam commemorem, quæ ſunt recentibus adhuc veſtigijs in hominum memoria impreſſa: quæ maior vnquam viſa eſt vel inter fratres, vel inter parentes ac liberos, voluntatum paritas, quam toto illo per Galliam Cæſaris itinere inter iſtos fuerit? De Rege perſancte confirmare hoc omni vobis aſſeueratione poſſumus eum de rebus ad ſe duntaxat pertinentibus nihil Cæſarem celauiſſe: de pleriſque etiam eius conſilium ſequutum eſſe. Miſit Marchionem Vaſti ea tempeſtate Venetias Cæſar, qui de rebus grauiſſimis ageret: iuſſus eſt Ennebaldus in ſubalpinis gentibus Prorex eo quoque vna proficiſci, quæ Vaſto è Republica Chriſtianna eſſe viderentur, ijs aſſentiri: ſiue ea nominatim agerentur, quæ res Orientis reſpicerent, ſeu ea, quæ intra noſtros ipſorum cardines verterentur: & ſic iuſſus eſt, vt ad Vaſti ſententiam, hoc eſt, ad Cæſaris arbitrium, omnia referrentur.

Cæſar in Gallia.

Caroli & Franciſci congreſſus.

Marchio Vaſti.

Fuere

Fuere alibi alia vel dicta, vel agitata, vel facta, quæ ſic ad ipſum (vt ita dicam) nutum Cæſaris, Rex ſui hoſpitis cultor benegniſſimus, accommodauit, quaſi non iam Franciſcus regni Francici habenas regere, ſed illas Carolus pro iudicio ſuo flectere ac reflectere videri poſſet. Omitto gratulationes, ſupplicationes, pompas, ferias, ſummum illud Regis ſtudium, ac diligentiam, nequid quomodocunque forte accideret, quod amici animum vel angere poſſet, vel leui aliqua offenſione adficere. Neque illud ſane mediocri fuit omnium voluptate acceptum, quod ſpectaculorum quippiam quum artificis errore male ſucceſſiſſet, diceretur que Cæſari aliquid perturbationis incommodæ attuliſſe; ſuborta eſt inſignis quædam ac memorabilis inter duos principes contentio, quum Rex ad rei nuntium commotus, miſerum artificem ad ſupplicium rapi iuberet, Cæſar contra niteretur: iretur interim vltro citroque, & apud alterum dolor amoris ac officii plenus locum ſibi vendicaret: apud alterum vigeret miſericordiæ coniuncta humanitas: atque id veniret in controuerſiam, quod ingreſſo Galliam Cæſare vſque à finibus Hiſpaniarum non venerat, vt in reo liberando, de ſumma Galliæ poteſtate inter iſtos contenderetur. At enim fuit illa perbella quædam inter vtrumque foris amicitiæ ſimulatio, intus inimicitiæ latebant. Non ita eſt, Viri ampliſſ. itaque mihi contingat Deo vti propitio, vti ego de altero perſuaſum habeo, de altero etiam penitus cognitum, candorem illum, qui in amborum vultu, in ſermone, in ore ſe oſtendebat, fuiſſe in ipſorum animis, atque intimis ſenſibus penitus defixum. Quid ergo eſt? Dicam plane, neque me, quominus id faciam, eius perſonæ, quam vna cum his clariſſimis viris collegis meis ſuſtineo, ratio deterrebit. Equidem exiſtimo, Viri ſapientiſſ. Deum Opt. Max. tantorum ſcelerum, quibus vrgemur, perpetuæque noſtræ in ſe impietatis pertæſum, facile paſſum eſſe homines & rerum nouarum cupidos, & ſeditionis amantes, id facinoris audere, quod facinus iſtorum principum alterum ad vltionem accenderet alterum ad iram: nos miſeri de publicæ quietis & ſempiterni otii arce, quam ante obtinebamus, illorum odiis deturbaremur. Tua illa, Cæſar, à multis deprædicata, nobis facile aliquando perſpecta virtus, animique moderatio: ille Regis Chriſtianiſſ. candor nemini non ſatis cognitus, illa integritas, nos aliter de vobis apud nos ſtatuere minime patiuntur. Sed vt aliquando ad rem redeamus, ſummatimque (diſerte tamen, vt ſumus polliciti) reſpondeamus iniquorum vel calumniis, vel cæteris maledictis: De huius belli primis initiis, cuius (ita vt dixi) nomine apud vos, Viri maximi, in inuidiam rapimur, nihil eſt quod ad ea adiiciamus, quæ vobis quandoque in Ratiſponenſi conuentu, poſt hic Spiræ à Regiis oratoribus demonſtrata ſunt. Hos enim vobis commemoraſſe audio, vt Rex Chriſtianiſſ. poſtquam crebro ad Sabaudiæ Ducem, ius ſuum hoc eſt hæreditatem quæ ad ſe pertineret, repetitum miſiſſet: quum totum decennium nullum tempus, nullam rationem prætermiſiſſet ipſius interpellandi, nec quicquam tamen impetraſſet: poſtquam ab eodem duce etiam ſe vltro laceſſitum, ſuorum equitum turmam, nondum etiam renuntiata amicitia, per inſidias circumuentam, conciſam vidiſſet; inſignia ſcepteri Gallici iis locis, quæ maiores ne attingere quidem audebant, paſſim per vim & contumeliam detracta audiuiſſet, ad extremum ſibi ad arma confugiendum duxerit? quæ ſic tamen tractarit, ſic ſe in illis geſſerit, vt neminem, vno excepto Duce, læſerit: nemini, ne Cæſari quidem ipſi nocuerit: cuius duces, inque iis Antonius Læuianus, qui Mediolanum cum imperio obtinebat, haud obſcure Sabaudo non fauerent modo, verum hominem ſatis alioqui in æquo bono denegando peruicacem, tamẽ peruicaciorem ſuis promiſſis, ſuis opibus, ope, authoritate milite redderent. Audiſtis etiam, quanta tum fuerit nihilominus eiuſdem Regis animi moderatio, vt ab agro omni Mediolanenſi, qui ſuus & eſſet, & ſibi pateret maxime, tanquam à re ſacra ſeſe abſtinuerit: vt de reconciliatione (ſi qua modo interceſſerat illi cũ Cæſare offenſio) cum per ſuos oratores, tum per virum clariſſimum Cardinalem Lotharingum, quin & per Pontificem ipſum Max. toto illo tempore ſerio ac ſedulo egerit. Meminiſtis autem, vt derepente quadripartito terra marique, præſertim duobus poſt hominum memoriam maximis exercitibus ſic petitus ſit, propius vt nihil fuerit, quam vt opprimeretur, antequam ſpatii ſatis ad ſe colligendum, ad vires comparandas, ad munienda oppida, ad conſcribendos exercitus haberet. Quare ea, quæ vobis tam nota opinor, quam quæ ſunt notiſſima (partim enim vidiſtis ipſi, partim, vt diximus, ex aliis audiſtis) in præſentia non repetimus: præſertim quum ne ii quidem, qui acerrime cauſam aduerſariorum tuentur, eius belli cum Cæſare initia Regi adſcribant: ſatiſque habeant hoc tempore, ei obiicere altero capite ſuæ accuſationis, quod extinctas eius incendii faces exuſcitauerit, pactas cum Cæſare & ſanctas inducias violauerit. Qua in controuerſia, ſi vſitatum quoddam certaminis genus ſubirem, æquiore certe animo cauſam hanc omnem in diſcrimen deducerem. Nunc vero quum is, pro quo nunc depugnare cogimur, velit ea lege certari, vt inimicorum petulantiam alia re nulla frangamus, quam modeſtia, ab omni paulum modo atrociore dicto abſtineamus, quam hunc ſecurim inieciſſe putatis defenſioni apud vos ſuæ? Quid enim hac re aliud fecit, quam nobis ſui defenſoribus arma de manibus excuſſit? Nam niſi id feciſſet, id eſt, niſi nos in hoſtem tela omni impetu vel vibrare, vel regerere noluiſſet, niſi in ipſius arcem calumniæ penitus inuadere prohibuiſſet, Deus immortalis, quæ nobis eſſet dicendi copia ex aduerſariorum maledictis ſubminiſtrata? qui eſſent orationis aculei, quos in iſtos defigeremus, ſuppeditati? Verum quia gerendus ei mos fuit, complura ad calumniæ confutationem prope neceſſaria compreſſimus, ſed ita compreſſimus, vti mucronem vagina reconditum, in quo ſtringendo, ſi Rex iuſſerit, aut ſi aduerſariorum nos importunitas coegerit, nullam moram ſumus interpoſituri. Interim ea in primis proferemus, quæ

Antonius Læua.

quæ quia ſunt omnibus notiſſima, minime accidet iis viris, qui ſunt apud vos in honore, de improuiſo commoueri. Hoc enim iſto accuſationis capite tantum defendemus, quicunque ii ſunt, quorum (vt ſupra diximus) ſceleris atrocitate, & magnitudine contumeliæ Rex ad arma reuerti coactus eſt, iis potius violatarum induciarum culpam aſſignari oportere, quam in hunc reiiciendam.

Legatorum violatio. Quid faceret Rex nobiliſſimus, quum viros dignitate conſpicuos, ſuos legatos, illuſtri apud ſe loco, dum iter in pacato faciunt, crudeliter contra ius gentiũ interfectos audiuiſſet? non excandeſceret? non vlciſceretur? non pœnas ſceleris repoſceret, quacunque ratione repetere ſe poſſe arbitraretur? an potius periculum honoris, atque exiſtimationis non adiret modo, ſed eius perpetuam iacturam faceret? Ecquæ tandem fuit vnquam natio in terris, quæ non ſuos legatos, non dicam interfectos nefarie, ſed violatos, ſed pulſatos perinde vlta ſit, atque parentum aut liberorum ſolemus iniurias? Verum hac in re non deeſſe dicuntur, qui eam religioſius tractandam fuiſſe exiſtiment, putentque omnem hanc iniuriam condonari Chriſtianæ Reipub. oportuiſſe. Quaſi vero ſi Res ipſa publica loqueretur, iuberet Regem ea inter cæteros dignitate, ea apud omnes mortales opinione, tale in ſe recipere ad poſteritatis memoriam ignauiæ exemplum, quale ſi è veſtra nobilitate priuatus quiſpiam recipiat, non pateat illi poſthac ne ad infimos quidem militiæ ordines aditus: quaſi (inquam) vellet eadem Reſp. noſtra iſta patientia, & tacito quodam conſenſu, hunc morem in nomen Chriſtianum introduci, vt per cuius fines iter exteri legati facere inueniantur, ab eiuſdem milite ad hanc rem comparato, palam, in luce hominum, impune trucidentur: iis autem interfectis, ad miſerarum coniugum eiulatus, ad infantium liberorum (quales erant iſtorum) vagitus, ad illas innoxii ſanguinis lachrymabiles voces eius Regis aures occludantur, cuius ignominiæ hoc fuerit ſanguine litatum. An vos hoc, viri nobiliſſimi, Rempub. voluiſſe, an ipſum Reipub. caput CHRISTVM hanc hominibus legem ſanxiſſe putetis? Triennium ante hanc cædem Franciſcus Sfortia Mediolani tyrannus, in regione eadem eodem prope exemplo, Marauillium Regis eiuſdem apud ſe Legatum, qui frequens illi & aſſiduus interdiu eſſet, de media nocte in ſuo lectulo comprehenſum occidi, eius cadauer poſtridie proiici in forum in Regis contumeliam iuſſerat.

Fr. Sfortia. Nemo Chriſtianorum Regum, nullus Princeps, nullus aliqua dignatione vir inuentus erat, qui quum ad ſeſe hoc exemplum (quando res ita ferret) pertinere facile intelligeret, inauditum hoc & incredibile facinus acerrime vindicandum non arbitraretur, quique Regem Chriſtianiſſ. ad arma non hortaretur; vno excepto Cæſare, cuius in fide Franciſcus Sfortia eſſet, cuique ſororis ſuæ filiam paulo ante in matrimonium dederat. Cœpit igitur Cæſar à Rege ea re grauiter commoto, omni ratione, precibus omnibus, omnibus pollicitationibus contendere, (cauſam Reipub. ſuis precibus prætexens) vt ſceleris vltionem in ſuum ex Africa reditum, quo ſe comparabat, differret: & ita contendit vt impetraret. Quid enim tum illo pietatis nomine, tum altero neceſſitudinis, Cæſar à Rege, & amico, & Chriſtiano non impetraſſet? vel quid potius ſemper ab ipſis & ætatis & amicitiæ incunabulis non impetrauit? Interim Tyrannus moritur, & moritur ſummo noſtro dolore, quibus vlciſcendæ iniuriæ ratio omnis adempta eſſet: magno autem Cæſaris commodo, qui illo ſuperſtite in Mediolani poſſeſſionem nondum penitus ſe immiſerat. Quis non hoc facile iudicet, Viri prudentiſſimi, ſi tam acriter perfecta eſſet vltio, quam fuerat diligenter ſuſcepta (iam enim moturus erat Rex, iam progreſſurus, quum iſtis precum & amicitiæ compedibus retentus eſt) quis non (inquam) iudicet, hanc poſteriorum Legatorum cædem, de qua nunc tantopere laboratur, ſuperiori ſucceſſuram non fuiſſe? Illa enim profecto poſteriori huic veluti gradum fecit, ad hancque moliendam impuris hominibus animos, atque audaciam ſumminiſtrauit, neque ad eam ſolum, ſed ad alias porro cædes ex aliis ſerendas, veluti ſementem ac materiam præbuit, maiorem item indies præbitura, niſi hanc vlciſci velle Rex apud ſe ſtatuiſſet. Sed expoſtulare primum debuit, ſed admonere, ſed tentare potius omnia, quam ad arma decurrere. Ille vero non admonuit? non expoſtulauit? Teſtis eſt hæc ipſa Germania, in qua agentem id temporis Cæſarem Franciſcus aliquando tum ſuis promiſſis, tum loci genio ac religione adductum exiſtimauit, animum adiecturum fuiſſe ad facti animaduerſionem.

Italia. Et credo adieciſſet, vel ſua ſponte, vel veſtris impulſus conſiliis, niſi abeuntem de ſinu veſtro Italia excepiſſet, prouincia & multiplici ingeniorum varietate abundans, & in qua plurimum poterant ii, qui exiſtimabantur ab eo ſcelere, cuius quærebatur vltio, non eſſe alieni. Vbi Italiam Cæſar attigit, num Franciſcum ceſſaſſe putetis? num cœpta poſtulatione deſtitiſſe? At perſtitit, appellauit, vrſit: neque vnquam obteſtari, rogare, hortari deſiit, nunc per communes amicos, nunc per legatos, & homines certos, qui apud ipſum tanquam obſignatis tabulis agerent, futuros rerum motus, ingruere bella, niſi ſatisfactum eſſet, demonſtrarent: qui Paulum Pont. Max. appellarent, quo ius hac in re ſuum apud præſentem Cæſarem tueretur: quum prius author (vt diximus) reconciliandæ gratiæ, & paciſcendarum induciarum fuiſſet. Quid, quod ſimul ac ipſos Lucam conueniſſe audiuit, diſerte iiſdem denunciauit, niſi breui de interfectis legatis, & violato iure gentium ſibi ſatisfactum eſſet, aut in culpæ authores animaduerſum, ſeſe pacta irrita, violatas inducias ex eo tempore habiturum? Hoc erat amico inſidiari? hoc velle virum maximum, ſuum neceſſarium nec opinantem aggredi? Cogitate quæſo apud animos veſtros, Viri ampliſſimi, atque ante oculos vobis hoc proponite, ſi ea mens fuiſſet, Francorum regi, ſi ea voluntas, Cæſarem incautum, implicatum, irretitum, opprimere (quod iſti eum voluiſſe faciunt) quando vnquam facilius potuerit quam tum, quum traiecit in Africam, eo fortunarum ſuarum

rum

tum diſcrimine, vt aliquando in Gallia, in Italia, in hac ipſa Germania apud pleroſque omnes, vel pro profligato, vel pro naufrago (vt certe erat naufragium paſſus) vel etiam pro extincto haberetur? Quum Neapoli, Mediolani, Genuæ ſupplicationes ad omnes aras pro eius ſalute (ſi forte eſſet ſuperſtes) decernerentur. Quum pro mœnibus vrbium, pro ſtationibus, pro propugnaculis, qui vim hoſtium, quæcunq; ſe oſtendiſſet arcerent, vix vlli inuenirentur: à pleriſq; etiam Rex ad ea inuitaretur? Erat illi proculdubio ſi honoris, ſi fidei obliuiſci vellet, minus aliquanto futurum negotii, vel in ſuo repetendo, vel iniuriis tunc perſequendis, quam poſtea illo præterito tempore, quod induciis conſtitutum diximus, fuerit: tantumque intelligebat, in re altera ſibi fore impendii, quantum haud dubie compendii in altera fuiſſet. Igitur (vt vno tandem verbo abſoluam) quamdiu abeſſe Cæſar dictus eſt Reip. cauſa, vel quamdiu aliquid fuit ſpei purgandæ abſque perturbatione rerum ignominiæ, quieuit Rex, nec quicquam interea vel mouit, vel à ſuis moueri eſt paſſus: tametſi in hoſtem imparatum, impeditum, fortaſſe etiam exhauſtum, ipſe à viris, ab armis, à machinis, à pecunia, quantum antea nunquam fuerat, paratus & inſtructus eſſet. Quæ ſi ita ſunt (vt certe ſunt, & ita eſſe planum vobis fecimus) non video quid iam aduerſariorum criminibus relinquatur loci: niſi quod de Turcis (vt ſuperius attigimus) ad diripiendam Rempub. per nos inuitatis tantopere vociferantur. Quo in crimine refutando, ſi vobis vtemur tam benignis, quam adhuc vſi videmur, profecto vobis hoc recipimus, Viri optimi, nos cum noſtræ rationes innocentiæ facile eſſe explicaturos, tum nihil vel alienum, vel confictum vel aſtutum, vel denique ex vano hauſtum huc eſſe adlaturos. In hac præcipue cauſa, quam ſumus, quam breuiſſime fieri poterit, tractaturi, duo nobis obiici videmus: Veniſſe cum Solimano in fœdus, & belli ſocietatem: Tum eum ipſum ad nos euocaſſe, & in Vngaros, Germanoſque concitauiſſe. Quod ad fœdus attinet, licet hic nobis, ſi volumus, communi quodam omnium gentium iure recepto vſque à parente illo Chriſtiani ſeminarii Abrahamo, paruo nos negotio tueri: neque nobis defuerit aut Dauidis authoritas, aut Salomonis, nec Pineæ, nec Tobiæ liberorum, nec denique ducum Macchabeorum exempla: quorum nemo, nec à prophanorum hominum commercio in priuatis rebus, nec in publicis à rei bellicæ ſocietate abhorruit, ne ſi quidem cum ſuæ religionis hominibus bellum gerendum eſſet. Taceo prudens Chriſtianorum quorundam exempla: ne mihi ſtatim obtrudatur, non iſta eorum eſſe hominum, qui neque falli potuerint, neque voluerint fallere. Sed tamen licebit hic nobis opinor, ea quæ ſunt aduerſariorum veluti propria, & vere domeſtica, bona eorundem venia in medium adferre. Non Federicus ſecundus Imperator, Sarracenorum humeris in Italiam, vnde illum Pontificum authoritas eiecerat, reportatus eſt? Non Luceriam eius gentis ingentem coloniam deduxit, cuius ope ac potentia tum gentes finitimas compeſceret, tum eos qui res nouas molirentur, per vim in Romani Imperii fide atque officio contineret? Sed non longe abierimus: non eorum ſententia, qui iuris Pontificii (quod vobis credo eſt ſacroſanctum) peritiſſimi ſunt, licet iis quibus aliunde auxilium defuerit, ad impiorum opem, pro rerum ſibi ablatarum vendicatione, confugere? Neque vero hæc dicimus, quo vobis hac in re vel opus ſit veterum, recentiumue hominum patrocinio: vel quo nos eorum exempla ſequutos eſſe, in ope ab impiis imploranda fateamur. Quinimo vt intelligatis, quam plane, quamque præciſe inficiemur: negamus Franciſco Francorum Regi cum Solymano fœdus vllum intercedere, interceſſiſſeue, præter vulgare illud commerciorum, & quietis publicæ ergo: quale Venetis, Polonis, & aliis quibuſdam Chriſtiani nominis gentibus eſſe omnes ſcimus, vel quale à quibuſdam maximis & præclariſſimis hoc tempore viris appetitum, nec impetratum eſſe audimus. Neque ſatis perſpicimus, quid in eo aut à vobis, aut ab vllo mortalium improbari debeat, ſi fœdus ſancimus eorum exemplo, quos probatis maxime: ſi in eo ſanciendo nemini nocuimus, ſed contra, vel aduerſariorum confeſſione, certe ipſorum rogatu, nonnullis profuimus: ſi nihil clam, ſed palam, ſed in luce hominum: ſi nihil precario fecimus, quin ad id ineundum ſimus non ſemel inuitati, fortaſſis etiam (vt mox dicemus) coacti: ſi viris in Repub. principibus, neque reclamantibus, quum præmonerentur, neque inuitis, ſed omnibus approbantibus, pleriſque etiam ſuadentibus. Et fieri quidem poſſit, vt non ad omnes, qui hic adeſtis, omnia hac in re Francorum Regis conſilia peruenerint: (eſtis enim prohibiti) ſed quicunque ex hoc ordine eſtis, quibus eorum cognitionem aduerſariorum impotentia adimere non potuit; vel quos, adempta adhuc facultate, cognoſcendi tenet cupiditas: facite pro veſtra benignitate, vt rerum præteritarum apud vos pauliſper verſetur recordatio. Inde vtrique conſequemur, vos, vt cognoſcere poſſitis quid inter maledictum & certum crimen interſit: nos, vt noſtri apud vos tam ſolicite purgandi vitemus neceſſitatem. neque enim ad rem mediocriter pertinet, intelligere vos, nihil in cauſa hac omni Turcica Regem Chriſtianiſſ. molitum eſſe vnquam, nihil geſſiſſe, nihil tractaſſe, cuius antequam quicquam vel gereret, vel moliretur, vel tractaret, aut frequenter hoſce ampliſſimos ſacri Imperii ordines non admoneret, aut ſententiam communiter omnibus ſuam, ſingulatim autem iis, ad quos aditus ſuis legatis patuerit, non diligentiſſime atque amiciſſime aperiret. Extant credo per vniuerſam Germaniam (vt multum ſuppreſſa ſint) non vnatum ad ipſos Imperii ordines exempla literarum, quarum in quibuſdam demonſtrabat, vt Solymanus fœdus, vt amicitiam, vt opem ſibi vltro detuliſſet, quum eſſent qui eandem magnis oblatis conditionibus ambirent, eiuſq; vellent eſſe in clientela: vt idem poſtea Solymanus eadem illa, ſed ampliore argumento iterum ac ſæpius repetiſſet: vt ſe demum dubitationi locum relinquere nolle pronuntiaſſet; *Franco vel pacato*

Fœderum vſus.

Frider. II. Imp.

Fœdus cum Turcis.

pacato iam ſibi vtendum eſſe, vel aperto hoſte, nihil eſſe tertium. Hanc ſibi imponi reſpondendi neceſſitatem, Rex aliorum minime ſecurus, quum vobis ſignificaſſet, iiſdem videre licet exemplaribus vt vos ſtatim interrogarit, *Velletis, cuperetis communes ſecum inducias honeſtas, veſtri otii & retinendæ dignitatis gratia, cum hoſte, qui vobis immineret, paciſci?* Quæ quum ad vos ſerio, neque ſemel tantum ſcripſiſſet, dicimus aliis ſubinde literis vobis eum oſtendiſſe, vti ad eiuſmodi demum inducias cogeretur, niſi oram ſuam omnem maritimam, quæ latiſſime in Narbonenſi Gallia pateret, hinc vicino minime pacato expoſitam eſſe vellet, illinc hoſti ſupra modum nautico apparatu inſtructo. Dicimus præterea Regem, quæcunque prioribus literis vobiſcum de communicandis induciis egerat, eandem his poſtremis iterum detuliſſe: vobiſque Ordines ampliſſ. tam crebro quam hic recitauimus admonitis, tum denique de induciis cum Solymano tranſegiſſe. An hoc per Deum immortalem, fuit Solymanum in vos concitare? an cum gente Turcarum de Chriſtiani nominis pernicie paciſci? Veſtram hic conſcientiam appello, ordinis iſtius Ampliſſimi principes, atque delectiſſimi conſiliarii, ſi quicquam in hoc facto eſt, quod Regi Chriſtianiſſimo ſiniſtræ vllius ſuſpicionis notam inurat, qui & ea egerit, quæ ſibi erant neceſſario agenda, ſi conſultum vellet ſuorum ſaluti: & rationem veſtri habuerit, qualem eum habere oportuit, qui fœderatorum quieti vellet conſulere. Tum hoc magnopere à vobis poſtulo, vt redeatis in memoriam eorum, quæ iis malis in quibus hodie (quod ad rem Turcicam attinet) verſamur, cauſam atque originem dedere.

Lis de regno Vngariæ.

Scitis vt illa nunquam ſatis deploranda de regno Vngariæ controuerſia, principio Solymanum in Vngariam ipſam, mox in Germaniam quoque immiſerit. In hac ſedanda controuerſia vtinam tantum, Viri optimi, Regis Chriſtianiſſimi gratia apud partium alteram valuiſſet, quantum apud ſe valituram eſſe altera præ ſe ferebat. Nam ſi ſunt qui adhuc dubitent, quantum in ea pacificanda curatum, quantum laboris impenderit: ſi neque literis, neque chirographis, quæ permulta ſunt, fides habeatur: at certe Legatis vltro citroque frequenter miſſis, quorum nunc etiam nonnulli ſunt ſuperſtites: at viris quibuſdam in Repub. principibus, quin & Regibus quoque aliquibus credi oportet. Et Rex quidem Chriſtianiſſ. tametſi non tantum ſe interdum minus, ac volebat, proficere videret: non tamen facile vnquam deſpondit animum, nec deſtitit initiis illis, quandiu poſtea valuit ipſius apud Ioannem Regem authoritas, commonefacere, precari, hortari, denique omnia facere, quo eius animum ad Solymanum (vt videbatur) reſpicientem inde auerteret: & auertit non ſemel, tandiuque in officio retinuit tum ſua, tum Pontificis Clementis, tum illuſtri Regis Britanniæ opera, qui in id quoq; incumbebant maxime, quoad neceſſitas (cui dicebat ille ne Deos quidem immortales repugnare poſſe) Regem miſerum ac calamitoſum ad extrema omnia deſcendere coegit. Itaque deſcendit, vt vidiſtis, Solymanumque Rege Chriſtianiſſ. partim neſcio, partim reclamante, ad ferendam ſibi opem aſciuit. Quæ poſtea ſunt conſequuta viuo Ioanne, poſtea etiam mortuo, vendicante ſibi regnum per tutores pupillo infante, tam libenter omittimus, quam cætera quoque (ſi liceret) prætermitteremus. Hoc quidem certe quod ſequitur, quia de eo mendacii ſumus inſimulati, præterire ſilentio ſine ſcelere non poſſumus: Quod Solymanus & Vngariam rurſum inuaſit, & vexauit Germaniam, ipſum eſſe ſolitum vni Tunetanæ expeditionis iniuriæ acceptum referre, affirmantem cõtra promiſſorum religionem, ſuos hoſtes id bellum ſuſcepiſſe. Verum earum rerum ſit penes authorem fides: conſtat certe, Solymanum id diſperſis quam latiſſime per orbem terrarum literis teſtatum reliquiſſe: quumque Regii apud ipſum oratores, pro ſuo in Remp. officio, hominem ab inſtituto reuocare omni ſtudio contenderent, vna illis expeditio Tunetana ſemper obiecta eſt,

Tunetana expeditio.

cuius ignominiam diceret ſe ſalua exiſtimatione ferre non poſſe: quæ tantum in ſuam contumeliam, nec in noſtræ religionis propagationem excogitata ſuſceptaque eſſet. Neque vero hæc in eam partem accipi velimus, vt nos exiſtimetis vel bellum illud Africanum, aut ſi aliud quoduis Chriſtianæ dignitatis cauſa ſuſceptum ſit, improbare. Nam ſi ea mente fuiſſet Franciſcus vt improbaret, illud idem adornanti, opemque aduerſus Solymanum imploranti Cæſari peditum quinquaginta millia (quorum pars maxima eſſet è veſtratibus) equitum millia ſex, cum vi tormentorum ingenti, ad eiuſce belli ſocietatem non detuliſſet, vti & eo tempore liberaliter detulit, & inſequente anno per noſmetipſos Romæ in Pontificio illo Senatu iterum, & ſæpius confirmauit. Nec mirum videri debuit, ſi is faceret iis rerum motibus, qui ſæpe antea, tum per ſeipſum, tum accepto in partem eius muneris Rege Anglo, qui libens ad id ferebatur, idem ſe facturum, non ita valde neceſſario tempore recepiſſet. Non igitur adhuc Franciſcus Solymanum in Germaniam pellexit: non in veſtra reique publicæ viſcera eius acciti hoſtis graſſatus eſt. De reliquo tempore nunc eſt dicendum. Ad hanc rem autem diligenter quæſo animos veſtros, Viri ſapientiſſ. attendite, vt eam vere, perſpicue, exacteque cognoſcere poſſitis. Præter Pannonicas expeditiones reliquas, vnam Solymanus ſuperiore æſtate ſuſcepit: aliarum culpæ ſat oſtendimus nequaquam nos eſſe affines: quare ſuprema in nos transferatur potius, cauſæ nihil eſſe dicimus.

Franciſca Legatio ad Solyman.

Nam quod aiunt miſſum Rinconum in Orientem, qui apud Othomanum hanc contenderet: non confecit tamen. At enim ſi in itinere non eſſet interfectus, confeciſſet. quis hoc diuinare poſſit? Quid ſi hoc dixero, & vere dixero, & vobis hic profiteor eſſe veriſſimum, habuiſſe in mandatis, vt prohiberet, vt omni & Regis, & priuata ſua gratia contenderet, quo à Germania, ab Vngaria, à cunctis Reip. Chriſtianæ finibus ſe abſtineret, aliorſum impetum omnem belli, ſi tanta armorum flagrabat cupiditate, conuerteret? Redarguant aduerſarii ſi mentiar, quod ſane ſit illis facillimum. Nec enim homicidas illos

Illos arbitror, quum de trucidatis Legatis nuntium adferrent, in mandatis, quæ Legatis à Rege di-
ſcedentibus ſcripta ſignataq; data eſſent, reddendis, negligentes fuiſſe. Et profecto quoſcunque in-
dices de miſerorum nece adhuc habuimus (habuimus autem multos) eoſdem de interceptis ipſo-
rum mandatis, ac literis habuimus. Neque ſi non habuiſſemus, eſſet tamen credibile, quum ve-
ſtem, quum torques, quum annulos, quum ipſam animam eripuiſſent; cui rei præcipue inſidiaban-
tur, quam maxime petebant. mandata, literas, commentarios, ei rei ſponte ſua (quum nemo eſſet
qui intercederet) homines verecundos ſcilicet pepercisse. Quo magis iſtorum admiror improbi-
tatem dicam, an perfidiam? qui cum hæc ita eſſe ſciant, quum apud ſe habeant, tamen non profe-
runt, non fatentur; patiuntur autem illos interim Principes de Rege affine, & conſanguineo ſuo
male exiſtimare, voſipſos, aut veſtrum aliquos in eodem forſitan errore verſari. Obiiciat nobis hic
aliquis Paulinum Regis miniſtrum, qui Rincono in iſta Legatione ſucceſſerit, apud Ænobarbum *Barbaroſſa*
præfectum claſſis Turcicæ fuiſſe conſpectum: permagnam inde ſuſpicionem colligi, quod venerit
Ænobarbus, id Regis opus fuiſſe. De Paulino mox dicemus. De claſſe, vnum eſt, quod veſtris ani-
mis omnem facile ſuſpicionem detergat. Scitis opinor, quantus noſter terreſtris exercitus anno ſu-
periore agrum Ruſcinonenſem, ad maris Hiſpanici oram ingreſſus ſit, vtique ibi Parpinianum ob-
ſederit. Quod re infecta domum redierit, omnes exiſtimant in cauſa fuiſſe vires Cæſaris maritimas, *Parpiniani ob-*
quibus noſtra claſſis erat inferior. Si de Ænobarbo Rex cogitauerat, ſi accerſere voluerat, quando *ſidio.*
potius accerſere debuit, quam illo tam neceſſario tempore, quo per eum maris imperium hoſti ad-
imere potuit? at conſtat, tunc non feciſſe. Dicat aliquis, accerſiſſe ſane, ſed vt eo anno veniret, effi-
cere non potuiſſe. Quid tam ſit ridiculum? Nam ſi in annum inſequentem expectabatur, quod
ſciri oportebat, non Regem putatis in eundem quoque annum illos Ruſcinonenſes conatus dila-
turum fuiſſe? Sed non diſtulit, ſed claſſem Turcicam non expectauit, neque poſteaquam anno in-
ſequente ea venire dicta eſt, inſignem vllum apparatum terreſtrem, cum illo maritimo (quum faci-
le poſſet) coniunxit. Relinquitur ergo vt non accerſierit, vt quidem non accerſiſſe, & nos hic aſſe-
ueramus, & quo exaudire omnes facilius poſſitis, clariſſima voce profitemur. Nunc de Paulino eſt
reſpondendum. Fatemur ſucceſſiſſe Rincono, fuiſſe in claſſe Ænobarbi: ipſum per mare noſtrum *Rinconus Pau-*
nauigantem ab vſque Thracio Boſphoro proſequutum eſſe. quid multa? etiam hoc addemus (ſi *linus.*
placet) cum ipſo nonnullis de rebus nonnulla conſilia, ſed ea optima ac ſalutaria communicaſſe.
Nec enim Rincono interfecto noluit Franciſcus ſuum morem retinere, qui ab omnibus probare-
tur, in quo vel veſtros Cæſares imitaretur, de Legato apud Othomanum habendo. Miſit igitur Pau-
linum: nec ita repente miſit, dum init apud ſe rationem, quomodo ſitim iſtam inexhauſtam, & re-
dundantes ſuorum Legatorum ſanguine gladios, aliqua ludificatione fruſtretur: quæ mora vtinam
non eam attuliſſet iacturam Reip. dum interim nemo apud Solymanum eſt, qui vel ipſam Remp.
(quod Rinconum facturum fuiſſe diximus) ſapienter tuendam ſuſcipiat, vel animum mitiget ho-
minis, de interfectis qui ad ſe mitterentur Legatis accenſi. Hic Paulinus igitur, poſtquam aliquando
ſenſit parum illic ſibi eſſe negotii, bellum hic terra mariq; aperte geri, commerciis quæ in Ægypto &
Syria nobis eſſent, per Cæſarem, qui mare Liguſticum, Sardoum, Siculum obtineret, facile interdi-
ctum eſſe: Ænobarbum naualem apparatum in prouincias Cæſaris moliri: pro magno habuit, poſ-
ſe huic ſe comitem adiungere. Itaq; adiunxit, ab eoq; vſq; dum appulit Maſſiliam, ne veſtigium qui-
dem diſceſſit. Hoc puto minime à viris bonis reprehendendum: illud vero etiā commendandum,
quod quacunq; nauigauit Ænobarbus, factum eſt Paulini diligentia, ac fide (qui ad iſtius apparatus
famam id erat curare iuſſus) vt quæcunque littora, quaſcunq; oras ille attingeret, dempto tantum
hoſtico, manus ab omnibus abſtineret. Quod vero in Niceæ obſidione, quæ poſt paulo conſecuta *Niceæ obſidio.*
eſt, iſti tantopere de nobis triumphant, audite quæſo vt ſe res habuerit, nihil enim affingam: nec re-
cens modo eſt, verum & præſens quoq; eorum, quæ dicturi ſumus, memoria. Ænobarbus vbi pri-
mum mare Liguſticum ingreſſus eſt, nihil habuit antiquius, quam vt Andream Auriam Cæſarianæ
claſſi præfectum, qui ſecum de rei naualis gloria certare vellet, opprimeret. Igitur hominem omnib.
tanquam veſtigiis perſequitur: vbi videt conſequi non poſſe, ait conſtare ſibi rationem quomodo
Niceam occupet, arcem (quod nemo neſcit) ad Imperium maris Liguſtici maxime accōmodatam.
Id Griniano viro prudentiſſimo, qui pro Rege noſtræ prouinciæ præerat, demonſtrat: rogat vt quā- *Grinianus.*
diu in arcis obſidione diſtineretur (quam ſi occupet, ſibi habere velit) loca mediterranea interim
tuta ſibi præſtet ab omni hoſtiū iniuria: aut ſi malit Grinianus munus obſidionis in ſe recipere, polli-
cetur ipſe viciſſim ſeſe, qui claſſe valeret, omne maris periculū præſtaturum, neq; impediturum quo
minus capta à noſtris Nicea Rex Chriſtianiſſ. potiatur. Quid obſecro vos, Grinianus faciat, homo tū
pius, tū minime ad inſidias apertus? patiatur munitiſſimum maris Liguſtici propugnaculum, q̀ ve-
tus ſit patrimoniū Regis, indubitatumq;, vbi ſit portus mille nauiū capax, quo poſſit, quoties neceſ-
ſitas ingruat, Othomanus nominis Chriſtiani hoſtis, naues, viros, arma, cōmeatum in ſupplemen-
tum abuſq; toto Ægæo mari, & Æolico mittere, venire in Ænobarbi poteſtatem? Nonne in hac Ni-
ceæ obſidione, quæ à nobis eo nomine ſuſcepta eſt, vt culpa aliqua fuerit (quæ tamen nulla fuit) ſa-
tius erat nos & obſidionis tædia, & pericula oppugnationis ſubire, cū nonulla ſpe eius expugnandæ,
quam ſpem eandem, qualiſcunq; ea eſſet, Ænobarbo relinquere? Atenim neutrum faceremus: ar-
ceremus hominem ora noſtra maritima, igni, aqua, tellure interdiceremus. Licebatne eū arcere, qui
pacatus & minime hoſtis, ipſo induciarū tempore veniret? & ita veniret inſtructus, vt prohibendi nō
eſſet facultas, quum in apparatu nauali pares illi eſſe non poſſemus? Fuiſſet hoc extremæ amentiæ,
quum

quum illo in mari inferiores aliquanto ſint noſtræ opes, vel vnius Cæſaris opibus, Othomanum inſuper nobis ad rationem inimicitiarum adiungere. Quare negamus in hac obſidione quicquam eſſe à nobis commiſſum in Chriſtianam Rempublicam: in nos quidem ipſos à nobis peccatum eſſe, facile fatemur. Niſi enim Reipub. in auertendo ab oppugnatione Ænobarbo tam ſtudioſe proſpexiſſemus, iactura à nobis tanta facta non eſſet, quanta virorum, armorum, commeatuum fecimus. Neque eſt aliud quod ea in re nobis præterea obiici queat, niſi tritum illud, & iam toties decantatum. Quod arma cum prophana gente aduerſum Chriſtianos (hoſtes quidem illos, ſed tamen Chriſtianos) communicauerimus. Verum id quam innocenter, quam moderate, quam religioſe, ſuperius vobis expoſuimus. Quanto amicorum beneficio, teſtis eſt Italia prope omnis, quæ prætereuntem Ænobarbi claſſem tantum de littore ſalutauit. Quanto etiam inimicorum, Genuenſes in fidem quodammodo Cæſaris recepti, tamen ipſi quoq; fatentur. At licebit hic, credo, per veſtram modeſtiam nobis in cauſæ defenſione, optime quidem, ſed forſitan apud vos propter inimicorum calumniam dubiæ, id vſurpare, quod vel in maxime aperta cauſa nemini vnquam vitio datum eſt, vt vel clauum clauo truderet, vel ſuum factum de aduerſarii facto iudicibus probaret. Obſecro igitur vos, Viri perſpicaciſſimi, vter magis reprehendendus eſt, iſne quum iuſtiſſima arma ceperit, in eis armis exercendis milite barbaro, non in rem militis, verum in ſuam ipſius vſus ſit: an is qui generi hominum eidem, barbarorum ſcilicet, in cauſa armorum longe diſſimillima ipſorum commodo militauerit: vter magis culpæ obnoxius, iſne qui in ſuo repetendo ſuorum, hoc eſt, Chriſtianorum ſanguini pepercerit, alienorum periculis ſua pericula texerit: an is qui alieniſſimarum gentium gladiis Chriſtianorum vitam, pro homine maxime & à religione & à fide alieno, obiecerit? Si qui hæc fecit, non reprehenditur, imo ſi omni laude à ſuis fautoribus cumulatur; vos æquiſſimi cauſarum ac rerum æſtimatores, ſaltem hoc dabitis alteri, vt de ſuo facto illo minime reprehendatur? Verum hæc nolite exiſtimare, Ampliſſimi ordines, nos perſtringendi Cæſaris gratia (quem honoris cauſa nominamus) in medium proferre. Neq; enim ſi proferenda non eſſent, ſi ſupprimenda ea ipſe duceret, Africanam illam expeditionem, quam pro Rege Tunetano cum ſuſcepiſſe vidiſtis, inter res à ſe præclare geſtas locum ſibi vendicare fineret: nec in reditu, aut Vrbem terrarum dominam ouans ingreſſus eſſet, aut ab Vrbis eiuſdem principe omni exquiſitiſſimo apparatu excipi voluiſſet. Quod ad Regem Chriſtianiſſ. attinet, equidem non dubito quin ſit facile paſſurus, factum illud Cæſaris vel in cœlum (ſi ita placet) extolli: modo ſibi ab ipſo interim concedatur, ſuum viciſſim minime, vti ab imperitis fit, vituperari. Nam quid tandem, Viri nobiliſſimi, Rex iſta rerum perturbatione faciat? Bellum ab ipſo neceſſarium geritur cum principibus totius Europæ longe potentiſſimis, & iis principibus, qui non diſſimulent, quinimo (quod vos ſcitis) palam profiteantur, nunquam ſe conquieturos, etiam vt Germaniæ omni pereundum ſit, donec funditus hominem euerterint: vt interim taceam conſenſum illum Regulorum, ciuitatum, conuentuum, qui quia vnius auctoritatem ſequantur, in eandem Regis perniciem ex illius decreto coniurauerunt. Hæc cum ita ſint, videte quæſo quam iniuſte, quam nullo aut veterum, aut recentium exemplo nobiſcum agatur. Regnum illud

Francorum regnum.

Francorum florentiſſimum, nobiliſſimum, firmamentum (quandiu à finitimis vexatum non eſt) Reip. Chriſtianæ, vobis, Proceres Germani, vetuſta neceſſitudine, & propria quadam (vt ſic dicam) germanitate coniunctum, hoc tempore, hoc (inquam) tempore, à fronte, à tergo, à lateribus, ab hoſtibus infeſtiſſimis petitur, obſidetur, vallatur: nobis ad ferendos tantos, & tam incredibiles impetus non ſatis eſt militum domeſticorum, propterea quod plebem Gallicam maiores noſtri agriculturæ magis aſſueſcere, quam rei militari voluerunt. Itaq; pedite extero nobis opus eſt, vt multis ante

Cæſaris edicta.

ſeculis opus fuit, quoties bellum maximum gerendum fuit. Hoc Cæſar qui ſat cognitum haberet, propoſuit edicta (vt leuiſſime dicam) ſeueriſſima, *Nequis Germanus miles Franco militet: qui militauerit, capite luat*: cum vxore quidem, ac liberis mitius aliquanto agatur: Italis autem, quod fere his nitamur duabus nationibus, pœna prope conſimilis infligitur: quicunq; aut in Galliam, aut in quaſcunq; Regis ditiones patent militi aditus, omnes magnis diurnis nocturniſq; præſidiis circūſepſit: quicunq; in itinere deprehenſi adhuc ſunt, trucidari omnes iuſſit, neminem ad Regem penetrare, quoad potuit, ſiuit. E diuerſo gentem, quam vt prophanam atq; impiam decennium fere eſt exſecratur, nunc poſteaquam ſeſe in nos incitari paſſa eſt, ad militem euocandum, ad Germaniam in veſtro conſpectu omni iuuentutis robore ſpoliandam, ſummis præmiis inuitat. Neq; interim licere nobis vult, omni Europæ ope atq; auxilio exutis, aliunde, neq; ex Africa, neue ex Aſia militem euocare: ſi euocauerimus, ſceleratos, impios, inteſtabiles pronunciat. Deus immortalis, quæ lex grauior feratur, quæ atrocior pœna ſtatuatur, quam quæ in nos ſtatuitur, aduerſus eum, qui victus, qui profligatus, qui bello captus vitam precario agere cogatur? Si & noua iſta pluſquam imperatoria aduerſum nos edicta locum habeant, & omni externa ope nihilo ſecius excludamur, quid nobis deniq; fiat? quid miſeris & infelicibus Francis, cognatis veſtris ſuperſit, niſi vt ferreis manicis vincti, compedib. adamantinis obſtricti, iugulum irato hoſti hauriendum, ceruicem victori (quod ipſe iam præ ſe fert) implacabili feriendam præbeant? Maiores veſtri, Viri præſtantiſſimi, illi, ſæpe pro iniuria arcenda,

Auxilia ab infidelibus.

nonnunquam & pro vlciſcenda, non dubitauerunt gentes, non modo prophanas & à religione abhorrentes, ſed exleges, ſed impias, ſed efferatas, in homines & Chriſtianos, & aliquando morum ſanctitate claros, magnis ad ſe pollicitationibus, quum tamen aliorum ope non excluderentur, allicere. Sic Federicus Ænobarbus homines impios, eoſdem alter Federicus, cuius ſupra mentionem fecimus, ſibi in auxilium aſſumpſere: idem ante hos fecerant Honorius, Conſtantinus Conſtantis

parens,

parens, Theodoſius iunior, Iuſtinianus ſecundus, Palæologus, Leo, omnes Imperatores, & pii, & à bonis omnibus optimi habiti. Poſſem adducere Hiſpaniarum Regem Maurogatum, & eundem Iuſtinianum facile principem, alios item viros pios, qui aliis locis vel regnarunt, vel imperitarunt: ſed eorum malo vobis exempla propoſuiſſe, quorum exiſtimatio iſtius ſit ordinis exiſtimationi coniuncta. Ne Carolus quidem ille ob res in Republ. geſtas, Magni cognomentum adeptus, veſtri huiuſce Imperii idem author & propagator, hoc exemplo interdum abſtinuiſſe traditur. Nos, vt maledictum, quod in nos hoc nomine confertur, aduerſariis concedamus, nimus tamen veſtris Imperatoribus fecimus, Inducias cum Solymano, honeſtas tamen, & nemini pernicioſas, à viris maximis ambitas, bona veſtra venia, qui ſpe à nobis ſententias (vt ita dicam) rogati non improbauerunt, pacti ſumus. Eidem aduerſum hoſtem communem noſtrum bellum gerenti copiolas noſtras quaſdam; & triremes paucas ad menſes aliquot, tum in noſtri patrimonii vendicationem, tum vt hac via Republic. caueretur, adiunximus. Si vobis, Viri præclariſſimi, ea re digni videmur, quos communi veſtra amicitia, antiquo veſtro fœdere arceatis: quorum Principem Regem Chriſtianiſſimum ex hoc ordine, cui iure adnumerandus eſt (nam Dux Mediolani eſt, pro eiuſque repetitione fidem veſtram ſæpe implorauit, ſæpe Senatum, quo omnis controuerſia à vobis ipſis decideretur, ſibi dari petiuit) ſi inquam æquum videbitur, vt quemadmodum ab aduerſariis de Mediolani poſſeſſione, ita à vobis de ordinis iſtius dignitate eo nomine Rex Francorum deturbetur: multum procul dubio maiorum veſtrorũ, quos commemorauimus, dignitati, multum illorum memoriæ, quæ ſancta vobis eſſe debet, detrahetis: magnam denique apud omnes mortales perfidiæ notam illorum nomini inuretis. Quo ſcelere ne eos obſtringatis, neue illa labe perfundatis, qua vos quoque pro ea perſona, quam in huius amplitudine Imperii ſuſtinetis, ſi id fiat, aſpergamini, veſtræ grauitatis eſt, Viri prudentiſſimi, veſtræque ſapientiæ, prouidere: neque id tantum prouidere (quod eſt tamen maximum, vobiſque & huius Maieſtati loci pernecesſarium) verum id quoque, ad quod noſtræ orationis vos hortabamur exordio, vt memineritis quo in ſtatu Reſpubl. Chriſtiana ſit, vt ægrotet, vt angatur, vt iaceat, vt medicinam aut à vobis hoc tempore, aut aliunde nullam expectet. Quod præterea ſumus polliciti, vt vi omni ac ratione morbi explicata, nonnulla proponeremus quæ & ad veſtras iſtas cogitationes pertinerent, & ad medendi rationem non vulgare quidpiam adferrent: ea videlicet Regis Chriſtianiſſimi verbis vobis proponimus: vt ſi in retinenda Germaniæ Imperiique iſtius dignitate partes ipſius eſſe aliquas iudicabitis: ſi in ſananda Republic. in tollendis de medio contentionibus ipſum poſſe aliquid putabitis (vt quidem certe videri debet poſſe plurimum) cogitetis ipſi, quid ſuper iis rebus ab aliis fieri oporteat potiſſimum, quid ipſe præſtare queat, quid efficere ſuo omni officio, honore, exiſtimatione, quam imminutam, aut ab amico neglectam eſſe nolitis. Faciet enim vt intelligatis, ipſum & veſtrum de rebus omnibus maximis, mediocribus, minimis, iudicium plurimi feciſſe; & quominus quieta, florentique Republic. frui poſſitis, per ſe minime ſtetiſſe. Aut ſi parum exiſtimatis generatim hæc proponi vobis, niſi ſpeciatim aliquid expromamus, quod magis veſtræ expectationi reſpondeat: ineatur, Sanctiſſimi ordines, apud vos ratio quomodo funeſta bellorũ ſeminaria illa, quæ toties referre piget, de medio tollantur, hoc eſt, patiatur, qua eſt animi in vos propenſione Cæſar, aut vos à ſe hoc impetrare, aut ipſam Rempublic. vt quarum rerum in poſſeſſione verſatur, ad Chriſtianiſſimum Regem pertinentium, vti quæ optimo iure, ſed vnde caſibus (vt ſæpe audiſtis) deturbatus eſt, ſibi illis rebus vti frui per Cæſarem liceat, eaſdemque ipſo tradente obtineat, vt ſane ipſorum vtrunque ſuum obtinere, neutro impediente, æquum eſt. Hoc ſi fueritis aſſequuti, eadem opera effeceritis vt Rex communicatis inuicem [quod aiunt] Fortunæ euentibus, vires ſuas, opes, facultates, vitam denique ipſam ad Germaniæ quietem, ad vim omnem externam, quæ ei infertur, arcendam, repellendamque, libenter vobiſcum & bona fide coniungat. Quo beneficio haud ſcio an maius aliud aut Germanica natio à populo omni ſibi neceſſitudine coniuncto expectet, aut vobis, Ampliſſ. ordines, quicquam proponi à quoquam queat, in quo aut dignitas veſtra magis acquieſcat, aut veſtra libertas. Quid eſt enim quod in poſterum ab omni gentium exterarum tumultu coniunctis ſemel Galliæ atque Germaniæ viribus pertimeſcatis? aut quæ eſt natio quam ſola ſpiciat, quæ vobis vim adferre cogitet, ſi intellexerit, eiuſdem in caſtris eſſe, iiſdem ſub ſignis militare, eidem parere imperio? hinc Germanici peditatus robur incomparabile, hinc florentiſſimas equitatu noſtri, & Francæ nobilitatis copias? Vel quid eſt quod de vobis cogitaturus ſit quantumcunque formidabilis hoſtis, ſi tantum auditu perceperit, Francos atque Germanos, quæ gens aliquando eadem fuerit, nunc repetita memoria prioris ætatis, iterum in vnam veluti ſtirpem coaluiſſe, copias, opes, facultates, vires communis ſalutis cauſa in vnum contuliſſe? Quum autem maiores noſtri [Germanos dico, ac Francos] non ita multis ſeculis Thraciam, Macedoniam, Cappadociam, Græciam omnem, omnem Aſiam, Syriam, Armeniam vtramque, ipſam Ægyptum [quæ prouinciæ partim ab infidis ſociis tenebantur, partim ab infeſtiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus occupabantur] anni prope vnius, & alterius ſpatio, vel debellarint, vel ad ſuam authoritatem adiunxerint: Perſarum, Medorum, Parthorum tyrannos toties fuderint, quoties illi in aciem prodire auſi ſint: plus ſexcenta millia hoſtium & ſempiternorum, & in bellis exercitatiſſimorum plerumque parua manu, prœliis ſemper maximis cæciderint, eundem victoriæ terminum, quem ſui progreſſus ac voluntatis, fecerint: nos eorum ſoboles, ſi cauſam, ſi arma, ſi pe-

Carolus M.

Fr. Rex inter ... [illegible] Imperii

Coniunctio Galliæ cum Germania.

 ricula,

ticula, illorum exemplo inter nos communicauerimus, ſi vni Imperatori CHRISTO vnanimes, alacres vna militauerimus, erit credo verendum, ne minus fœlices ſimus in aris ac focis noſtris tuendis (quod vos tantum cogitare audiuimus) quam illi in aliorum inuadendis fuerint? Niſi ſiqui forte ſunt, qui vel noſtris exercitibus imperatores deſiderent, vel in imperatoribus fortunam. Sed ſiqui adhuc ſunt, qui de ea re dubitent, ij profecto neque ſatis intelligunt qualem Imperatorem Germania habeat, qualem Regem Gallia, quam ſapientes, quam fortes, quam & fœlices, & rei bellicæ peritos: quorum ducum apud ipſos conſilia valeant, qui flos iuuentutis, quæ librorum propago illis ſuccreſcat: quorum liberorum in aliquibus paternarum laudum, gloriæque æmulatio haud obſcura iam appareat: in aliis, quibus nondum ætas id conceſſit, tamen indoles quædam eluceſcat clariſſimæ virtutis. Sed eorum bonorum, quæ commemorauimus quietis iſtius, quam propoſuimus, tantæ ac tam indubitatæ ſpei fructus ad vos vt perueniat, in vobis ipſis ſitum eſt, Ampliſſimi viri atque ſapientiſſimi. Neque enim ſi ita vt debetis, in negotium hoc incubueritis, exiſtimo Cæſarem [de cuius egregia in Rempublic. voluntate dubitare nos vetat congruens factis pleriſque, aſſidua eius & quotidiana oratio] non inquam exiſtimo Cæſarem illa, quæ ſi tantis comparentur rebus, pro nihilo habeantur, quum iuſte, quum religioſe, quum hoc loco petieritis, non libertati veſtræ, non Germaniæ quieti, non Chriſtiani nominis ſaluti eſſe condonaturum. Acceſſimus proxime ad veſtram de nobis ſpem, Viri optimi, niſi forte etiam eam ſuperauimus, quum vltro Regis Chriſtianiſſim. verbis [ſic enim in mandatis habebamus] ea vobis detulimus, quæ forſitan eratis verecundius ab illo poſtulaturi. Nihilominus, quoniam ad aliquid de morum quoque conſtitutione, & concordia religionis audiendum ipſo vos orationis exordio erexiſſe videmur: pauca hic quædam ea de re ſubiiciemus. Scitis vt Rex Chriſtianiſſim. tum pietate animi quadam, tum ſua in vos adductus beneuolentia, nullum adhuc tempus intermiſerit veſtri rogandi, obſecrandi, monendi, quo tandem aliquid ſiue inter vos ipſos, ſiue communi ſuo veſtroque conſenſu conſtitueretur: vtque apud quoſdam ex hoc ordine Illuſtres viros, non vno in conuentu, nec modo eodem, nunc per litteras, interdum per oratores ſua omni ratione id inſinuauerit: denique vt illud idem ab cunctis Imperii ordinibus, Eslingæ, Wormaciæ, Haganoæ, atque hoc ipſo in loco perſæpe, non contenderit modo, verum efflagitauerit, ſuaque ad vnum id omnia detulerit. Nunc quum eadem tempeſtate, iiſdem ſeditionum procellis, illis fluctibus ſchiſmatum agitetur Reſpublic. Chriſtiana, quibus tum agitabatur: proſpicite animis veſtris, Viri prudentiſſimi, num vel Regis eiuſdem opera, vel induſtria eorum, qui ipſius fidem atque authoritatem ſequuntur, vobis opportuna videatur aut neceſſaria. Quæcunque enim Rex pius, & amicus, vel in vniuerſum omnibus, vel ſingulatim aliquibus adhuc alibi ſuper ea re detulit, quæ videntur eſſe maxima, eadem ipſa, animi affectu eodem, iiſdem verbis deferenda hic vobis putauit. Pro quo ſingulari in vos ſuo amore, inque maieſtatem ordinis iſtius vetere ſua obſeruantia, ſi viciſſim eo ipſum loco habueritis, quo amicum fidum, vicinum pacificum, charum fœderatum, ac conſanguineum haberi oportet, maximam exiſtimabit ſibi vos gratiam retuliſſe.

XI. BEL-

XI.

BELLI INTER FRANCISCVM GALLIÆ REGEM, ET CAROLVM V. IMP. ANNO M. D. XLII. INchoati hiſtoria, Apologo expreſſa, à Ioanne Fraxineo.

Anno Domini 1544.

CVm graue admodum bellum inter Oues & Lupum exarſiſſet, reliquaque animalia ſollicitarentur, vt huic vel alteri parti auxilium ferrent; cum ad Ceruorum gregem Luporum legati acceſſiſſent, ſic eos locutos accepimus: Iuſtum nec vobis minus vtile bellum ſuſcepimus, Cerui, quod Oues Canibus, infeſtis propemodum toti animalium generi, ſe adiunxerint, eorumque auxilio fretæ, nobis quoque bellum indicant. In quo cum communem cauſam & veſtram maxime ſuſtineamus; æquum eſt, vos pro rei magnitudine decernere, vt communibus viribus Oues illas aggrediamur, quibus ſublatis, longe facilius erit, nos à Canum quoque iniuriis vindicare. Audita ea legatione, itum eſt in conſilium, variæque à Ceruis, vt quiſque adfectus erat, dictæ ſententiæ: tandem omnibus fere eo declinantibus, vt dicerent, non eſſe ferendam Ouium ſuperbiam, quæ cum Principem locum inter mitia animalia obtinuiſſent, nunc Canum (qui cum omnium ferarum tum Ceruorum maxime hoſtes eſſent) auxilio & armis vterentur: feroxq; illud & immite genus aduerſus alia animalia prouocarent; Senex quidam, qui vſu plurimum & prudentia reliquis præſtabat [vt ſunt viuaces] iuniores his verbis, à tam leui & temeraria ſententia reuocauit: Infeſtum quidem eſt & hoſtile canum genus, O Cerui, ſed non minus lupi noſtræ quoque vitæ & libertati inſidiantur, quod vel ex eo apparet, quod cum ante annos viginti de finibus & paſcendi ritu variæ inter nos controuerſiæ exortæ fuiſſent, domeſticum illud & ciuile diſſidium ſemper aluerunt: quo nos poſtea facilius diuturnis prælus attritos opprimerent, neque nobis vnquam ante hanc diem, aliquam pacati & ſincere erga nos adfecti animi ſignificationem dederunt.

Pacem autem ſic nobiſcum ſeruabant, vt ſi errantem forte ille noſtrum aliquem aut à grege remotum conſpicarentur, crudeliſſime ſtatim iugularent: Oues per nos, quarum vitæ & ſanguini iamdudum inhiant perdere cupiunt: aut eo vi & armis cogi, vt Canes, (quibus reſiſtere ipſi non poſſunt) perſequantur: quo tandem graui illo & ferociſſimo hoſte liberati, nos ſimul & ipſas ſub iugum mittant. Si autem rem vere perpendere volumus, etſi intoleranda ab vtriſque patiamur, lupis tamen magis iraſci debemus, qui cum eadem vitæ ſocietate nobiſcum in ſyluis degant, in me autos & nihil tale timentes crudeliſſime ſæuiunt: Ita vt ſæpius [proh dolor] eueniat, vt cum noſtri alioquin ſe ex eorum faucibus eripere non poſſint, [dum fuga vitæ ſuæ conſulunt] in Canes incidant, aut retibus intercipiantur.

Quid autem eſt ab Ouibus contra nos factum? Lupos Canibus, id eſt, hoſtes hoſtibus commiſerunt; graui nos iniuria adfectos [ſi Diis placet] exiſtimamus, quo nihil magis optandum eſt, vt ſic eorum contra nos odium & impetus comprimatur. Permittite eos, ô Cerui, de Belluino illo [quē ipſi non apperunt) principatu digladiari, maliſque tam ſuperborum & crudelium hoſtium ſanguine vos impendente ab ipſis periculo defungi, quam leui quadam & improba bellandi cupiditate oues, quæ nobis amicæ ſemper fuerunt, laceſſere, quo lupis tādem in ipſas & nos ſtatuere liceat, quod inexhauſta ſanguinis & vitæ noſtræ ſitis impetrabit. Quid autem eſt, quod ſe canes ita odiſſe inſectēt? Cum nocturnos cum illis congreſſus habeant, ex quibus Lyciſeæ & Crocutæ ex cane & lupo mixti fœtus naſcuntur? Hoc illud eſt ô Cerui, aliud non habent, quo innoxias oues criminentur, illudq; in aliis reprehendunt, quod ipſi facere concupiuerunt. Itaque cenſeo, re infecta Legatos dimittendos, atque ad noſtrum nunc conſilium referri, vt ouibus fœdere & amicitia nobiſcum iunctis, rationem aliquam cum cæteris animalibus ineamus, qua nos & noſtra ab eorum fraudulenta cupiditate liberemus.

Quæ cum dicta fuiſſent, varieq; reliqui tumultuarentur, è iunioribus vnus rem maiorem eſſe dixit, quam vt de ea ſubito decerni aliquid oporteret. Diem igitur diffundi iuſſit, remque eo vſque comperendinari, donec quo ſe modo vulpes gereret, intellexiſſent. Vt enim Cerui & naturæ dotibus & formæ dignitate vulpi longe præſtent, neque ingenio cedant, & animo quoque ſint ſuperiores: Eam tamen eiuſmodi eſſe prædicam induſtria, vt conſilia omnium felicius reliquis odoretur.

In eam igitur ſententiam cum pedibus omnes iuiſſent, Luporum Legatis reſponſum eſt, placere quidem ceruis, bellum [ſi fieri quoq; modo poſſet] æquis conditionibus dirimi, ſin minus, pro eo fœdere, quod ipſi ante annos aliquot cum lupis percuſſiſſent, vt qui eoſdem hoſtes haberent, daturos ſe operam, ne quid ab Ouibus detrimenti acciperent. Oues igitur, quibus cum Ceruis

fœdus quoddam antiquum intercedebat, vt viderunt, parum ex animi ſententia res procedere, eo que paulatim animos delabi, vt contra quam fere omnes exiſtimabant in Luporum partes Cerui propenderent: diſquiſitis omnium ſententiis decreuerunt, rem eſſe pecunia tentandam, ſe enim opibus lupos longe ſuperare, vt quæ lacte & velleribus abundarent, cum illi contra nullum, niſi mortui, fructum adferrent.

Cum igitur arietes precibus & precio Ceruorum quoſdam in ſuas partes pellicerent eſſentq; nonnulli qui ſiue certo & conſtanti iudicio, ſiue incredibili cum Luporum omnium, tum maxime Aquiliferorum odio, ſponte, nec tamen gratis, operam ſuam ouibus pollicerentur, exortum eſt graue inter Tragelaphos (qui & ipſi è Ceruorum genere ſunt) & canes bellum: quod vtriq; Onagrorũ paſcua & Imperium ſibi vendicarent. Legati autem Tragelaphorum regis, qui lupo & adfinitate & amicitia ſingulari coniunctus erat [quod vterque rapto viueret] non ſolum ſibi ceruos propter neceſſitudinis iura & commune periculum adiunxerunt: ſed & lupis etiam (quantum quidem ab illis præſtari poterat) opitularentur, oues publice criminari cœperũt, quod canũ arma in Tragelaphos, atq; inde in ceruos quoq; immiſiſſent, quo grauibus ipſi bellis diſtricti auxilium lupis ferre non poſſent. Oues contra Deos Deaſq; omnes, Panaq; ipſum maxime bicorni infula & pedo ornatum (quo maius numen in terris eſſe non putant) obteſtabãtur, ſeq; & fœtus omnes diris deuouebant, ſi quicquam eiuſmodi tentaſſent. Exponebant vero, quanta ipſis per vim lupi quondam abſtuliſſent. Et nunc ſe intolerandis iniuriis ad bellum vel inuita accendis, quod contra animalium iura Veruеces duos (dum legationis publicæ munere funguntur) interfeciſſent. Sed quid facias, vbi altius in animis hominum opinio, quamuis falſa, inſedit? eam neq; veritas conuellere, neq; ratio labefactare poteſt, maxime ſi periti artifices adhibeantur, cuiuſmodi inter lupos ſunt, qui ceruarii vulgo appellantur: Ii cum effœminatiores ſint, quam naturæ decor & corporis venuſtas præ ſe fert, callida conſilia arteſq; cõminiſcuntur, quibus (cum eo, quod pretioſis etiam pellibus amicti ſunt) Ouibus ſe hactenus ſemper æquarunt. Vulgus itaq; Ceruorum (vt paucis tota res explicetur) lupis adhæſit, vel quod verum eſſe crederent, quod Ceruariorum Regina & Tragelaphorum legatio diſſiparat, vel id tutiſſimum eſſe rati, quod ab ouibus nihil, à lupis periculi ipſis multum impenderet. Sed tunc (vt nemo eſt omni ex parte infelix) forte fortuna accidit, vt Luporum Rex, qui & Ceruis imperitabat, ſubditorum quoſdam grauius premeret, eiſque exilium, niſi fortunis omnibus & libertate cederent, ferox minitaretur. Inter quos Hinnulus quidam & formæ dignitate & generis adfinitatum potentiæque magnitudine præſtans, cum aliud effugium nanciſci non poſſet, ad oues confugit, à quibus benigne liberaliterq; acceptus ſic ſe geſſit, vt vltra quam quod minores quoſdam Ceruorum ouibus reddidit, magnam præterea Ceruariorum partem prælio vicit, eorumq; paſcua cæde & incendio vaſtauit. Varie ex hoc inter Ceruos tumultuari cœptum, aliis intolerandam eſſe rem dicentibus, quod is contra cõmune omnium decretum in lupos, grauiſſimi contra canes belli Imp. arma ſtrinxiſſet, fœduſq; & amicitiam cum iis iniuiſſet, à quibus nunc cõmune Ceruorũ genus abhorreret. Alii ſupra quam id impium eſſe querebantur, ad ſupplicium etiam tanquam patriæ & ſociorum proditorem depoſcebant. Quibuſdam vero indigna principe res viſa eſt, fortunis ſubditos euertere; atq; ex eo totum illud Luporum Imperium conuitiis inceſſere, & abominari cœperunt. Quorum opinio, vix cuiquam credibile fuerit, quantum oratione Hinnuli confirmata eſt: qui cum atrociter à Ceruariis accuſaretur in publico omnium conſeſſu, cui & Tragelaphorum Rex & Luporum delegati Oratores aderant, iracunde reſpondens: Tunc demum verum eſſe comperi (inquit) quod nuper prudentiſſimus ille ſenex longa oratione proſequebatur, inexhauſtam eſſe luporum ſitim, iniuſtiſſimã ambitionem, crudeliſſimum Imperium, & inſidias eiuſmodi, quæ niſi à fortibus propulſari, à ſapientiſſimis præcaueri non poſſint. Neq; nunc dubito, quin humana ingenia, vir ileſq; animi in hęc ſe luporum corpora & pelles induerint [vt vulgo fertur] ita ſupra omnium ferarum conſilia, ingenitamque nobis ſimplicitatem eorum fraudibus irretiri tenemur. De quibus hodie, quoniam video mihi à vobis factam eſſe dicendi potestatem, per maiorum noſtrorum, gentiſq; noſtræ decus & ſalutem vos obteſtor, vt ſi quam de me falſam opinionem concepiſtis, eam ſi ius, ratio, & veritas extorquebit, lubenter deponatis. Quid enim eſt alioqui futurum in hac miſera, fragili & caduca animalium fortuna, ſi prout quiſque potentior aut callidior fuerit, ita falſis ſermonibus aures aucupabitur, videntes nos & ſentientes fallet, affines, ſocios & confœderatos diſſipabit? quin cerui cum in cornua illa reſpicitis [quæ fortitudinis haud dubie inſignia vobis natura dedit] mirandam pedum pernicitatem, totiuſque corporis robur, cogitare vos conuenit, excitandum eſſe ex graui veluti ſomno caput, attollendum ex diuturna ſeruitute animum vt tãdem quam inhoneſtum ſit tam turpibus dominis ſeruire, conſideretis. Vt igitur ab eo incipiam, quod eſt cauſæ noſtræ proprium, lupos ſiue mirabili quadam Iouis optimi prouidentia, ſiue fato in Imperium aſciuimus, quo aduerſus hoſtes ferociſſimos tuti vitam hanc [quantulamcũq; nobis natura dedit] in ocio & tranquillitate tranſigeremus. Neq; vero exiſtimare quemquam oportet, nos aut virium imbecillitate, aut formidine & inertia coactos tales dominos quæſiuiſſe: ſed cum oues nihil non molirentur, quo ſe tandem ab iſtorum tyrannide & faucibus eriperent, vulgoque diceretur [etſi falſum id eſſe luce clarius oſtendam] in belli ſocietatem canes nobis infenſiſſimos euocari, atque etiam vbique Tragelaphorum legatio obſtreperet, omnia Ceruarii miſcerent: adducti tandem ſumus vt huic voraciſſimæ beſtiæ ſummam rerum committeremus.

Ex quo tempore quid non malorum perpeſſi ſumus? quæ dies non illuxit priore infelicior? quan-

quantæ nos diſſenſiones, turbæ, inteſtina odia circumdederunt? dum mite aliquid & pacificum præ ſe fert voraciſſima luporum natio, dum ambitionem Melancholia tegit, veſtiumq; & victus frugalitate famam vulgi aucupatur, in potentiorum etiam animos ſimulatione quadam irrepit, quid non molita eſt, quo nos libertate, fortunis, imo cubilibus etiam noſtris & latebris exturbaret? nunc huic, nunc illi ſe fauere ſimulans, eo noſtrorum quoſdam adduxit: vt ſuppoſitis clam ignibus, collocatis vbiq; inſidiis, ſed veneno etiam, ô Iupiter & ſol, oues primum deinde gentiles ſuos opprimere conarentur. Canibus bellum inferre volunt, (ſi diis placet) quo ſemper armis noſtris & potentia ſepti, illud, quod ſomniant, imperium ſibi comparare poſſint. Quod vel ex eo clariſſime oſtendi poteſt, quod cum ante annos aliquot conficiendi belli poteſtas fieret, neq; difficile eſſet, tam conſentientibus noſtrorum animis, ſubito Imperium noſtrum repreſſerunt: ne hoſte illo ſc. liberati ab iniuſtiſſimo nos imperio poſtea vindicaremus. Oues autem, quid eſt, quod publice criminentur? Cũ eę, dum impendente ab his periculo opera noſtra tutę ſint, fœdus antiquum renouare, eoſdem nobiſcũ hoſtes habere, imo ſocia etiam arma nobiſcum iungere polliceantur? Tu autem Ignauiſſime Tragelaphorum rex, non erubeſcis, nõ commoueris, dum illa publice prædicas, cum omnes ſciant, te torpore quodam & veterno, vel, ſi mauis, ſtupiditate & inertia, ſuperba tamen & crudeli præditum, animalia omnia fere, Ceruorum etiam non paucos (quorum Imperium dolo nactus eras) perdidiſſe. Deinde pacem turpiſſime (oblato etiam tributo) poſtulaſti, nullumq; non mouiſti lapidem, miſer & famelice, quo lætiſſima Onagrorum paſcua vel canibus ſeruiens retineres. Apage infelicẽ genium, remoue & aufer à nobis tuum iſtud inferis deuotum caput, ne nos vel fortunæ tuæ contagione pereamus. Lupus autem ille tuus, quẽ tantopere diligis, quem in ſinu geſtas, quid canum auxilia & fœdus nobis exprobrat? ne enim eodem cũ ouibus loco habet, cum & id falſiſſimum eſſe ſciat, & ſi maxime verum eſſet, meminiſſe tamen deberet, ſerpentes ſe ex Africa, belluas ex Indis, ex Perſia Tigridas & Pantheras conquiſiuiſſe, quo oues primum perderet, Ceruorum poſtea & inde reliquorum animalium Imperium vſurparet. Is ceruarios ſuos adornauit, qui, quod noſſent, me libertatis cupidum, turpiſſimæ beſtiæ Imperiũ amplius ferre non poſſe, paſcua quędam maiorum meorũ, quæ nec vi, nec clam, nec precario ſed iuſtiſſima agnationis ſucceſſione poſſideo, ad ſe pertinere, contenderent: Atq; poſtea cum ſatis eſſe cauſę ad inferenda in ſedes meas arma non putarent, variis me calumniis onerarunt, quibus hoc tantum breui reſpondebo: Me iudicio veſtro, ô cerui ſteriſſe hactenus, neq; nunc recuſare, quin de eo ſententia feratur, ſed ſi præter ius & æquum, ſpreta veſtri concilii auctoritate, armis rem, vt iam fecerunt, aggrediantur, efficiam & præſtabo, vt omnes intelligant, eos non minus eſſe ignauos & impotentes ad id, quod adipiſci volunt, imperium, quam indigni omnium animalium iudicio cenſentur.

Si quæ igitur ſunt reliqua antiquæ libertatis veſtigia, ſi nos maiorum res geſtæ, earumq; memoria delectat, expergiſcimini, & mentes veſtras erigite, quo tyrannidem hanc tandem aliquando excutiatis, ad quod vel id nos potiſſimum mouere debet, ꝙ cum omniũ animalium amici antea fuerimus, nullumq; meminiſſe poſſumus ab ipſis contra nos ſuſceptum vnquam bellum, imo contra vtrinque culta diligentiſſime fœderum & amicitiæ iura: Quidquid eſt nunc inter oues, earum adfines & nos odii, Luporum ambitione contractum reperietis. De me a. ſic ſtatuite, me authoritatem veſtram aliis in rebus obſeruantiſſime ſequuturum, ſed tam impotentis belluæ imperium nec pati poſſum, nec è dignitate veſtra eſſe puto, vt amplius perferatis.

Audita Hinnuli oratione etſi pleriſq; contumax & paulo elatior cum verbis, tum ſententiis videbatur: In multorum tamẽ animis hæſit, quod ab ipſo poſtremo loco dictum erat: Ceruos antea non ouium tantum, quarum tunc ſe hoſtes ꝓfitebantur, ſed omnium fere animaliũ adfines, amicos & confœderatos fuiſſe, cum nunc contra, propter delatũ lupo imperium, ab hoc amittendę libertatis periculum, ab illis æternum & inexpiabile odium impenderet. Veniebat illis ſane in mentem, canes ipſorum paſcuis & ceruicibus imminere, Ducibuſq; lupis bellum illud conficiendum fore, aut ſe in grauiſſimum vitæ diſcrimen adductum iri: ſed ſimul & id cogitabant, auctores omnium malorum eſſe lupos & Tragelaphorum regem, qui priuato odio & incredibili quadam imperandi cupiditate oues à Ceruis disiunxiſſent: Cum nullus interea eſſet, qui tam ingenti morbo remedium adferre polliceretur. neq; ignorabant, futurum, vt Oues bonam animalium partem ſecum traherent, eoq; rem peruenturam, ſi aliter ius à lupis aut ceruis conſequi non poſſent, aut ſe hoſtes ſimul & amicos perſundarent. Videbant item, ouium Imperium diuturnum fore, quod legitima agnatorum ſucceſſione quæratur, Luporum autem nunc ad hæc, nunc ad alia animalia transferri; ex eoque ratiocinabantur, graue admodum eſſe, propter fugacem & breui interiturum Imperat. validiſſimam à ſe gentem abalienare, à qua olim longe plura quàm à lupis ipſis beneficia accepiſſent. Sed valuit tamen puerilis ille metus quod ſuam dignitatem imminui cerui exiſtimabant, ſi præſente aliqua vtilitate adducti, relicto duce, aliorum animalium fidem ſequerentur. Quod igitur tunc fieri poterat, ita variantibus animalium ſtudiis, ad pacem omnes Hinnulum adhortari cæperunt, ſi honẽſtis conditionibus res componi poſſent. Collocanda vero contra canes præſidia, bellumque cõmuniter cum Tragelaphis gerendum omnino cenſuerunt. De ouibus quoniam non ſatis liquebat, ad concilium relatum non eſt, ſicque rebus infectis legati diſceſſere. Priuatim tamen non pauci Hinnulum macte virtute eſſe iubebant, illiq; clam omne ſtudium & operam pollicebantur, ex quo ita omnia exarſere, vt nec extrema ſeptentrionis frigora martius ille calor intacta reliquerit, ſed Vros, Bubalos, & Alces, (incognitum prius animal) excitarit. quid cauſæ autem fuerit, breuiter exponam.

Rex Vrorum, clemens alioquin & pacis auidus etſi in Ceruarios nihil hoſtile molitus fuerat, ab his tamen [quod infeſtam aquationem redderet] ſeditionibus primum, bello deinde aperte petebatur. Cauſam autem prætexebant Ceruarii, quod iure ſibi deberi contendebant liberum per ipſius paſcua iter: & quod premi ſeruitute gentem illam non vellent, quæ inuita & repugnans ipſius iugum accepiſſet. Cum ergo omnes ipſius ſubditos in eo perſeuerare cernerent, vt neque Regis Dominationem excutere, neque liberam ipſis aquationem permittere vellent, periculum autem eſſet, ne Alces quoque ex fœdere Vris ſe adiungerent: Ingentibus pollicitis bonam eorum partem in ſpem recuperandæ libertatis erexerunt, ex quo tumultus ſubinde varii apud eos cooriri ſolebant; quos cum fide & diligentia ſingulari Vrus repreſſiſſet, ne quid inde ſibi impedimenti in tam graue bellum intento obiiceretur, ſic res ſuas conſtituit, vt teſtes non Deos tantum, ſed ipſa animalia haberet, ad neceſſariam ſe defenſionem vel inuitum cogi. Proinde diſquirebat, vnde ſibi auxilia & ſocios comparare poſſet. Communis ergo vtilitas [quæ maximum in fœderibus vinculum eſſe ſolet] eum ſtatim, ad ouium & Hinnuli amicitiam pertraxit, ſicque res inter eos compoſita eſt, vt omnem belli molem à lupis in Ceruarios ipſos conuerterent. Refugerat enim Luporum Rex in denſiſſima nemora, in quæ facile impetus fieri non poterat, vulgoque credebatur eum fame, aut peculiari lupis morbo mania percitum furere, vel quod ex natura animalis facilius coniectare poſſum, ſyluis ipſe, tamdiu continebat, donec prædæ ſpes aliqua commodior ex inſidiis appareret. Oues igitur adiunctis tot animalium auxiliis non eſſe diutius cunctandum ratæ, omnes cogitationes & conſilia in belli apparatum conferebant. Viſumque eſt ipſis omnibus poſt varias conſultationes optimum, vt externo milite partim Hinnuli & Ceruorum opera, partim etiam ab Vris comparato, contra Ceruarios rem gererent, ipſe autem ſcriptis ſui generis legionibus quatuor, adiunctis caprarum (quæ proximos ſaltus incolunt) cohortibus decem, & aprorum legione vna [qui ex fœdere auxilia ſubmittebant] nemora illa, quæ lupus inſederat, obſiderent, quo ei via omnis & aditus ad opem Ceruariis ferendam intercluderetur: quod quamuis lupum ipſum latere non poſſet, ita diu in legendo milite, & firmandis aliorum animis res extraxerant: tanta tamen eum ex priori fortuna fiducia cepit, vt prius, facto ab Hinnuli paſcuis impetu, de Ceruariorum clade audierit, quam ad vllam ſe defenſionem compararet. Sed vbi rem ſerio agi non intellexit, nihil prolatandum ratus, Luporum duo millia in patentem quandam planitiem (quam rupes inuiæ & confragoſa quædam nemora excipiebant) dimiſit: Eiſq; imperatum, vt leuioribus præliis oues tentarent, donec paſcuorum interiora operibus & præſidio firmaſſet.

Quod etſi diligenter exequi ſtatuerant lupi, bipartitoque agmine incompoſitos ouium ordines, (dum quiſque metandis caſtris figendiſque tentoriis intentus erant) magnis viribus turbaſſent: Vt ſe tamen arietes collegerunt, auxilioque ſtatim expeditiſſima Caprarum ala adfuit, fuſi fugatique in ſaltum proximum ſe abdiderunt, quo ſtatim à capris expugnato, magnaque ibi cæde facta, ducenti tantum ad ſuos incolumes euaſere, qua clade accepta, lupos maiore cura & ſtudio frondibus & congeſtis tenacioris terræ ceſpitibus anguſtiſſimas fauces interſepiuit: quibus aditus ad ipſius paſcua patebat, ſed oues magna ex ea Victoria ſpe accenſę, præmiſſis leuis armaturæ veruecibus, cum totius exercitus robore ſubſequutæ ſunt: nec mora illa interpoſita eſt, quin ſtatim eos, qui imminentes faucibus colles occupauerant, exturbarent: adituque ſine magno certamine potirentur. In quo cum caſtra metarentur, atque cohortes quatuor vallum ferrent, reliquæ in foſſa ducenda collocandiſque è regione montium impedimentis occupatæ eſſent (ne quid noctu tumultus oriretur, ad quem oues maxime expaueſcunt) exploratores ab ariete præmiſſi renunciant, Luporum decem millia in denſiſſima quadam valle conſediſſe: Vt oues, ſi ſe commouiſſent, à tergo adorirentur qua re audita aries fluctuare, variaque animo conſilia agitare cæpit; mouente hinc rei bene gerendæ occaſione, reuocante autem metu inſidiarum & militum ſuorum Tyrocinio, quod eum vel in re apertiſſima remorari potuiſſet. Neque enim tutum erat parua manu rem aggredi, neque parum item momenti ad ſummam belli acceſſurum putabat, ſi tali facinore militum ſuorum animos confirmaſſet, quod tunc fieri à ſolertiſſimo Duce poterat. In vtrumque euentum cauit, ne aut nudata præſidio caſtra ſi fortiſſimos inde milites abduceret, ab irruentibus vndique lupis expugnari poſſent, aut pręſentem rei gerendæ occaſionem cum prætermiſiſſet, animi multum hoſtibus adderet. & rationem ſibi totius belli efficeret ex hoc difficiliorem. Conuocatis igitur legionis primę centurionibus, & Caprarum Tribuno, quid fieri velit, exponit: eoſq; paucis (vt tum res patiebatur) adhortatus in ſubiectos altiſſimis montibus agros dimittit, vt locū inſidiis caperent, datoque ſigno à latere hoſtes adorirentur. Ipſe circa primam fere noctis vigiliam cum cohortibus quatuor expeditiſſimis proficiſcitur, vt ab iis hoſtes auerteret, aut ſi cuſtodes fallere, atq; in caſtra irrumpere poſſet, per ſe ipſe rem exequeretur. Sed fortuna, quæ cum aliis in rebus plurimum valet, tum in bello maxime dominatur, ea conſilia & cogitationes mirabili quodam euentu peruertit. Coorti enim ſubito imbres tantam vim aquarum ex montibus effudere, vt torrentes [quorum ne veſtigium quidem extabat] maximorum inſtar fluminum haberent, idq; in improuiſa re fallebat, quod non prioribus alueis, ſed temere [vt obiectæ rupes curſum auerterant] in medios campos ferebantur.

Erat eo anno propter Solis deliquium, quod in Tauri octaua parte acciderat, & Martis cum Saturno coniunctionem, ſæuiſſima tempeſtas, quam circa Pleiadum exortum Mercurio Saturnum ex aduerſo reſpiciente ſic auſter exaſperauerat: vt diſiectæ arbores, deturbata tentoria, iacentiaque paſſim

paſſim animalium corpora conſpicerentur. Quodue oues grauius adflixit, cum ita plena illuuie eſſent omnia, vt terra ingredientium veſtigia falleret: in cœno exanimes volutabantur. Lupi igitur per exploratores vt rem eam, quemque locum collocandis* inſidiis præmiſſæ ab ariete cohortes cepiſſent, intellexerunt: diluculo aciem educunt, nec magno negotio oues nocturno frigore & pluuia confectas fudere. In capris plus aliquando laboratum: ſed ipſæ quoque & numero & viribus impares in proximos colles refugerunt.

Aries autem etſi id, quod erat, ſuſpicari ſatis poterat, ita tamen aquis vtrinque cingebatur, vt neque ſuis opem ferre, neque in caſtra redire poſſet. Quod ſi eum non eadem fortuna, quæ in extremum prope diſcrimen adduxerat, ſeruaſſet: debellatum eo die fuiſſet. Tranſitum enim iunctis trabibus & congeſtis frondibus lupi moliebantur, cum reducta ſingulari Deorum beneficio ſerenitas & ouium corpora paululum refecit, & ita impetum aquarum repreſſit, vt vado traiici poſſent. Ex ea clade etſi vix ducentę perierunt, tantum tamen terroris ouibus iniectum eſt, quod ſibi cum Diis & tempore pugnandum videbant, vt obſidendarum faucium conſilium abiecerint. Vixq; erat ad vaſa conclamatum, cum ſe omnes itineri, in ſedes ſuas rediturę accinxerunt. Maior eas poſtea cogitatio cepit, cum delendæ ignominiæ, tum belli, quod in annum ſequentem haud dubie augurabantur futurum: Vt ad alia omnia, quæ quidem conſilio prouideri poterant, diligentiæ multum, nec cautionis minus adhibuerunt, ſic de vulpe ſerio cogitare cæpere, quod ad eam miſſos à lupis legatos intellexiſſent. Duobus itaq; veruecibus maturare iuſſis, lupos præuerteret, id tantum eſt à ſenioribus mandatum, vt eam, ſi fieri quoquo modo poſſet, à Luporum ſocietate dehortarentur, In eo enim eſſe poſita omnia. qui cum eodem fere tempore, quo lupi ad Vulpem perueniſſent, & vtrique peterent, vt quam primum mandata ipſis ſua exponere liceret, Ouibus propter antiquũ fœderum & amicitiæ coniunctionem facta eſt ante lupos dicendi poteſtas. quę breuiter antiquum fœdus, ſuaq; in eam beneficia commemorando, ſic tandem orationem clauſerunt, vt magis eam à Luporum ſocietate deterruiſſe, quam ad ſuam inuitaſſe videri vellent. Iis ipſe (vt ſolet) ambigue ad hũc maxime modum reſpondit: non minus ei, qui accepit, quam qui confert beneficium, laus eſt liberalitatis tribuenda, ſi recte & ſerio rem perpendere volumus: nam eo ipſe, quod obligari ſe patitur, facilem ſe oſtendit, atq; perpetuæ & conſtantis amicitię argumentum quæſiuiſſe videtur, eo autẽ diligentius cauendum eſt, nequid in repetenda gratia peccemus, quo turpius eſt, id non ſequi & efficere, quod in alio probaris. quæ vt altius repetita videantur, rerum ea conditio eſt vt tum demum me gratam oſtendam, cum cautius & timidius de mea erga vos voluntate vobis pollicebor. Video enim exaſperatum alioquin animum veſtrum me magis ac magis inflammaturum, ſi veluti incendio materiam, ita vobis, perſpecta beneuolentia & fide mea ſingulari, iraſcendi cauſas præbeam. In quo difficillima eſt deliberatio, cum propter, inexplicabiles rerum euentus, tum ob id maxime, quod quidquid in cauſa ſuaſero, vereor ne in veſtram aliquando perniciem vergat. Nam belli incõmoda vt enumerare non eſt neceſſe, vt quæ ſint omnibus notiſſima, ita ad rem maxime pertinet, etiam atque etiam expendere, bellone an alia quauis ratione illatas vobis iniurias vindicare ſit neceſſe. Principibus quidem graue eſt, contumeliam ferre, & eo maxime nomine, quod exemplum in ſe ſtatuunt nõ minus pernitioſum quam inhoneſtum, at ſupra vires conari iniuriam vlciſci, & potentiorem laceſſere, periculi plus habet, & doloris non minus. Vellem tam mihi exploratum eſſe, quid vobis maxime conducat, quam certo mihi perſuadeo, vos temere hoc bellum non indixiſſe, & in hoc ſic me gerere cupio, vt conteſtatam poſteris grati animi erga vos ſignificationem relinquam; Ite ergo bonis auibus, & res veſtras conſtituite: me neque Luporum promiſſa, neque Ceruariorum querelæ à iuſta ſententia vnquam depellent. Interim ſic mea conſilia dirigam & moderabor, vt cuilibet, non tam in eo quod maxime poſtulat, quam quod vtiliſſimum puto, fideliter obſequuta videar. Quæ cum dicta fuiſſent, etſi oues non latebat, quorſum Mæandri & anfractus orationis pertinerent: Id tamen, quod mutare non poterant, ſic excepere, vt magnas eo nomine gratias egiſſe viderentur, ſicque datis vltro citroque donis ingentibus domum redierunt. Ibi relata ad concilium diligenterq; explicata legatione, ſenioribus plena omnia perfidiæ & ſimulationis viſa ſunt, eoq; magis cauenda quo tectius & quaſi veteratorie ancipiti eos reſponſo vulpes eluſerat. Vt itaque in omnes caſus ſibi proſpicerent, quodq; magnum in vtramq; partem momentum adferebat, vulpem à bello inferendo auerterent, ad Bubalos legationem mittendam cenſuerunt: Vt pro antiqua inter eos ſocietate & amicitia darent operam, ne quid interea periculi ipſis immineret. Paſcua. n. eo loco poſſident, vt non tantum vulpis terga cædere, ſi ſe commoueat, ſed bonam ipſius regni partem [ita ſupra vicinos belli gloria præſtant] occupare facile poſſint. Quod ſtatim atq; Bubalis innotuit: veluti bellicum oues cecin iſſent, ad arma prorupere: ſicque ſe compararunt, vt præclaras admodum res gerere potuerint, ſi non eos in medio veluti curſu nuntiata regis ipſorum mors impediuiſſet. Ad Vulpem ergo vt redeam; Luporum Legatos introduci iuſſit, eiſque, cum benigne inuicem amplexi fuiſſent, dicendi poteſtatem, ſi quid vellent, fecit. Vt ouium ſedata & diſſolutior, ita horum vehemens & concitata plenaque ſuſpicionum & iræ fuit oratio: deſpondiſſe ſibi ignauiſſimum pecus orbis terrarũ Imperium, cuius magnitudinem præ ſtupiditate neq; animo quidem conciperet: Nullam fœderum aut iuriſiurandi rationem habere, nihil ſanctum apud eas eſſe, quæ canes in omnium animalium exitium armaſſent, nihil virtute aut recto conſilio, ſed inſidiis agi omnia, dum hebeti & ignauę cupiditati inſeruiant. Exiles illas & anguſtas ouium animas, veluti furias, faces bellorũ immittere, cœlumq; terris miſcere non vereri, dum aliquo eſſe apud vicinos loco poſſint, à quibus

reiectas & repudiatas (vt homines in ſumma rerum deſperatione ad venena & gladios) ſic ipſas ad Alces ad Bubalos confugiſſe: Rigentia Gelu & niuibus belluarum ſimulachra: Quæ vt fortaſſe furore & immanitate quadam percitæ ſæuiant, ita nobiliorum animalium robur, & impetum ſuſtinere non poſſint. Ridiculum eſſe, quod vulpem prudentiſſimum animal ſe fallere poſſe confidant, & in eius perniciem cum Bubalos ingentibus promiſſis erexerint, amicitiæ & fidei meminiſſe non pudeat: Quarum numina & ſuperos omnes ita aduerſos ipſas habere, vt neque lingua neque mente conſiſtant. Nullam tamen tam paruam eſſe flammam, quæ, ſi longius ſerpendo vires acquirat, magnum incendium excitare non poſſit. Obſtare Ceruarios & Vulpem, quo minus ſe cum Alcibus & Vrſis coniungant: Idque haud dubie agi, vt cum diutius eos aquatione prohibuerint, fluminibus ipſi potiantur: Alios rerum omnium inopia coactos ſibi parere cogant. Non eſſe tam potenti Principi aſpernandum, quod Inuictiſſimus luporum Rex, qui tantum non polos & aſtra regit, fundos multos & maria poſſidens, ſed vulpis auxilio & opera incolumem eſſe velit, tantumque ab ea beneficium accipere non grauetur. Ad quæ renidens vulpes ſic reſpondit: omnes ſibi malunt bene eſſe quam alteri: nec propterea tam ouibus iraſcor, quod ſibi præſidium contra me comparant, quam gaudeo demerendi mihi potentiſſimi Imperatoris occaſionem dari, cui vt me meaque promptus offerant, facit ouium ſimulatio, quæ cum magnam erga me amicitiæ ſpeciem præ ſe ferant, metu me potius quam beneuolentia in fide & officio retinere conantur. Contra quas etſi vos iracundia prouectos video, paulo acerbius dixiſſe: Cum tamen diligentius mecum reputo, quanto ſatius erat periculoſiſſimo tempore paci & otio conſulere, mirari ſatis non poſſum quid illis in mentem venerit, vt quietum regionis noſtræ ſtatum perturbare non reformident, niſi verum eſſe credam, quod nuper dicebant, atrocibus vos eas iniuriis, vel inuitas ad hoc bellum extimulaſſe. Quod mihi propterea non ſit veriſimile, quod vos non ſatis inſtructos ad tantam belli molem ſuſtinendam videam. Nunc itaque rem ad conſilium meum referendam cenſeo, vt qua parte vobis potiſſimum commodari poterit, in ea propenſiſſima erga vos voluntate, & non indignum à quo beneficium petatur, oſtendam. Quæ cum dicta fuiſſent, vulpes ſe in antrum interius recepit: Legati ad præparata ad hoc cubilia diuertere, vbi lauta illis præbita, beneque ſperare in diem poſterum iuſſi curando ſe corpori dederunt. Vulpes ad duos ex intimis, quibus occulta omnia credebat, rem ſedulo retulit, ſuamque inde tamen reuocans ſeſe & cunctabunda, ſententiam ad hunc modum protulit: Difficile eſt amici, dum à duobus gratiam inire vis, alterum non offendere, propterea vereor, cum oues ſimul & lupum amplecti me ſimulo, ne vtrique ſuſpecta eos mihi reddam infenſiſſimos. At maxime ad me pertinet, vt facta vtrique auxilij ſpe bellum inter eos alam. Quod ſi Bubalorum Rege mortuo, confici poſſet, vt Ouium ipſi amicitiæ renunciarent, longe facilior nobis ratio foret: Nunc autem, etſi lupos odi, propter incredibilem ſuperbiam & ambitionem, nec ignoro, quo erga me ſint animo: Tamen danda eſt diligenter opera, ne ouibus in tam graui bello ſuccumbant. Pecunia quidem clam iuuare poſſum: Sed nonne de nobis ipſis cogitare eſſet vtilius? Hoc ſeruire eſt ſi ad aliorum nutum pecuniam conferas. Inuiſi ſumus Hinnulo: Nec minus nos Cerui oderunt. Mea igitur hæc eſt ſententia. . . . .

Cætera legi non poſſunt.

Anno Domini 1559.

XII.

RESPONSVM S. CÆS. MAIESTATIS, ORDINVMQVE IMPERII GALLICIS LEGATIS DATVM IN COMITIIS AVGVSTANIS; CVM IPSOrum Legatorum Replica: de Anno M. D. LIX.

SACRA Cæſarea Maieſtas, Reuerendiſſimi Illuſtriſſimique, Reuerendi, illuſtres, generoſi, ſpectabiles & magnifici ſacri Romani Imperii Electores, principes, cæterique ordines & abſentium conſiliarii atque oratores, Mandata Chriſtianiſſimi Francorum Regis ex oratione veſtra, Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini, ſuperioribus diebus habita ac ſcripto oblata intellexerunt: Quidque conſiliariis Electorum, principum cæterorumque ordinum regis Chriſtianiſſimi voluntatem ſciſcitantibus, de reſtitutione Metenſis, Tullenſis, Verdunenſis, Leodienſis, Epiſcopatuum, Principatuum & ciuitatum, aliarumque ab Imperio auulſarum ditionum, inexpectati reſponſi dederitis, intellexerunt.

Ac quod Rex Chriſtianiſſimus ad hunc conuentum vos miſit Cæſareæ maieſtati congratulatum, & eiſdem, quibus ipſius Maieſtatem beneuolentiæ officiis Electores, principes, ſtatuſq;, proſequutum, Quodq; lege à maioribus ita accepta Legationem hanc ſuam cum Germaniæ Imperiiq; rationi-

rationibus coniunctam eſſe velit. Iſta Cæſareæ Maieſtati Imperiique ordinibus ex Regis mandato audire pergratum fuit: Quumque erga ſe ipſius Regis ex hac legatione beneuolentiam cognoſcãt, viciſſim eidem ſalutem, felicitatem ac omnia auſpicata precantur. Ac parem inſuper beneuolentiam & amicitiam ſuæ benignæ voluntatis ſtudio coniunctam deferunt. Præterea, ſi res ita poſtulabit, Cæſarea Maieſtas Imperiique ordines de rebus, quæ ad communem ſalutem ac tranquillitatem pertinere videbuntur, cum rege Chriſtianiſſimo aliiſque regibus & populis Chriſtianis conſilia ſua conferre non detrectabunt.

Germaniam ſuperioribus annis domeſtico bello exagitatam fato temporique tribuendum, adeoque obliuione delendum eſſe putatur. Quod vero fatalis illa bellorum lues ad Francos permeauit, & Reges potentiſſimi tanto armorum apparatu contenderint: certe Cæſareæ Maieſtati ordinibuſque Imperii ſummopere ſemper doluit, vel eam maxime ob cauſam, quod ex hiſce bellorum motibus ad Germaniam & reliquum Chriſtianum orbem non exigua detrimenta redundarint. Quæ enim occaſio & opportunitas Chriſtianiſſimis nationibus bellum inferendi exteris à fide noſtra alienis præbita ſit, dum ipſi inter ſe Reges potentiſſimi ciuilibus quodammodo armis conflixerunt, ſenſit cum bonæ partis florentiſſimi olim Chriſtianiſſimique Regni Hungariæ internecione, aliorumque ſtrage & clade reſpubl. Chriſtianorum. Quæ ſane ſine maximo cuiuſque pii & recte ſentientis mœrore ac gemitu vix commemorari poſſit.

Ac optandum erat deletis animorum offenſionibus Reges coniunctis viribus ab impia exterorũ violentia deflendoque interitu Chriſtianos populos vindicare. Certo ac vere affirmari poteſt Germanos nil maluiſſe quam pacem inter ipſos Reges dudum firmatam fuiſſe. Et Electores principes ab initio conatos exorientem inter Carolum quintum ac Franciſcum Regem primam bellorum flammam extinguere. Quod literę ad Franciſcum regem id temporis ſcriptæ teſtantur. Electores quoque principes ſuperiori anno in flagranti bello ſtudium ſuum ad pacem conciliandam vtrique Regi deferre conſtituiſſe, qui dum qua via res explicandæ deliberarent, nuntiatum regios vtrinque commiſſarios de pacificatione inter ſe tractare. Vnde id temporis Germania in ſpem ampliſſimam erecta poſſe per ipſos commiſſarios res abſque ſua opera ad quietem reduci. Quæ ſpes ne ipſos falleret, vehementer exoptarunt. Quum itaque pax firma nunc inita ſit, Deo optimo maximo gratias agunt, vtrique regi adeoque omnibus Chriſtianis nationibus gratulantur, & lætantur magnopere, pacem cunctis rebus anteferendam tandem factam eſſe. Ad hanc pacem fouendam, ſtabiliendam & retinendam quicquid Cæſarea maieſtas Imperiique ordines poterunt diligentia ſua prouidere, ac ſtudio ſuo efficere, haud quaquam vllo tempore prætermittent. Sperant enim hac confirmata deinceps coniunctis animis auxiliiſque quod reliquum eſt regnorum populorumque Chriſti nomen profitentium à crudelibus exterorum armis liberari ac amiſſa pro virili recuperari poſſe.

Commemorata amicitiæ vincula, ſanguinis neceſſitudinem, & vtriuſque gentis paria ſtudia Cæſarea Maieſtas Imperiique ordines inter regna ac prouincias vicinas ad alendam conſeruãdamque amicitiam non minimi momenti exiſtimant, & per ipſos quidem non ſtabit quo minus concordia inter Germaniam Franciamque conſiſtat.

Eam orationis partem, qua Regis Chriſtianiſſimi erga Cæſaream maieſtatem Imperiique ordines amicitia commonſtratur, & de Imperii Romani totiuſque orbis Chriſtiani incrementis prouehendis promptus Regis animus oſtenditur, Cæſarea Maieſtas Imperiique ordines amice intellexerunt, gratiſſimaque eſt hęc Regis propenſa voluntas. Idcirco eidem amanter & perquam officioſe gratias agunt. Et cum exteri Chriſtiani nominis infeſtiſſimi Pannonia deuaſtata Germaniæ excidium meditentur, Caſtra, arces & oppida occupent, villas exurant, prędas agant, quicquid hominibus charum ac neceſſarium abigant, homines ipſos cæde & ſanguine prius exſatiati in deplorãdam ac probroſam ſeruitutem abripiant, pollicentur ſibi Cæſarea Maieſtas Imperiique ordines regem eo ſua auxilia conſiliaque collaturum, vt à Chriſtianis nationibus iſti & remoueantur ac penitus repellantur.

Quod ad poſtremum legationis veſtræ caput attinet, eandem vobis petentibus ſecuritatem & fidem publicam non denegabunt, qua hactenus aliorum Regum exterarumque nationum legatis, cum quibus certare non tantum beneuolentiæ humanitatiſque officiis, ſed & omnino in hoc genere ſtudij paria facere, ſi facultas detur, maxime cupiunt, ſacri Romani Imperii conuentus adire conceſſum eſt. Neque enim dubium vobis eſſe debet Cæſaream Maieſtatem ſtatuſque Imperii & coniunctionis veteris & amicitiæ memores facturos, quæ grata pariter & commoda Regi veſtro futura perſpexerint. Si, quod Regis veſtri nomine ſancte recipitis, conſilia ſacro Romano Imperio non aduerſa, ſed ad publicam Germaniæ tranquillitatem conſeruandam & imperii fines non minuendos ſed amplificandos, augendos tutandoſque pertinentia in medium afferatis ac dirigatis. Quam enim à neceſſitudinis amicitiæque toties repetito fœdere alienum, quamque procul ab ingenuis promiſſis poſitum futurum ſit, ſi magnifica quis amicitę prædicatione verborumque ſplendore quam ipſa rerum præſtatione vti malit, à prudentibus facile æſtimari poteſt.

Nihil itaque dubitant Regem Epiſcopatus ac ciuitates Metenſem & Tullenſem, Verdunenſem & Leodienſis bonam partem, aliaſque ab Imperio auulſas ditiones ſuperioribus annis occupatas pro Cæſareæ Maieſtatis ac Imperii ordinum voto ac poſtulatis Imperio reſtituturum. Quod ipſum facturum eſſe regem, cum eius animus ſit, quemadmodũ nuper de eo teſtati eſtis, nolle eum

Imperii

Imperii dignitatem in aliquo labefactare ac imminuere, plane confidunt. Quod ſi fuerit explicatum, Rex Chriſtianiſſimus quæuis amica beneuolaque de Cæſarea Maieſtate Imperiique ſtatibus ſibi polliceri poterit: Verum, Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini, quia de hac reſtitutione nullum vos mandatum habere aſſeritis, Cæſarea Maieſtas Imperiique ſtatus ac ordines porro apud Regem Chriſtianiſſimum, quod res ipſa, æquitas atque Imperii neceſſitas expoſtulat, agere non prætermittent.

REPLICQVE.

RESponſionem ampliſſimi ſanctiſſimique huius ordinis iuſſu veſtro recitatam, ſcripto etiam traditam, ad eam orationem, quæ ante dies aliquot in hoc celeberrimo conuentu Regis Chriſtianiſſimi nomine à nobis habita eſt, ea qua par eſt obſeruantia ſuſcepimus & boni cõſulimus. Inprimis vero caput illud amplectemur, quo Regis Chriſtianiſſimi amicitiam vt antiquiſſimam, ita chariſſimam vobis eſſe veſtro omnium conſenſu teſtamini, quod vt iucundum auditu, ita re vtiliſſimum omnis ætas confirmabit. Interea Regis animo abunde ſatisfactum iri ſperamus, quando eam, quam de vobis concepit, opinionem penes vos quoque de ſe hærere intelliget. Porro ad alia quæ diffuſius hoc ſcripto continentur ſingulatim reſpondere Inſtituti noſtri non eſt, tum quod grauiſſimas pro Repu. occupationes veſtras diutius interpellare nolumus, tum quod mandati Regii ratio vlterius progredi non ſinat. Omnia ad Regem Chriſtianiſſimum deferenda officioſe curabimus. Nec dubitamus quin ille pro ſua prudentia perpendat, & quid ſuper iis quæ à nobis propoſita ſunt addendum aut vobis reſpondendum ſit mature conſtituat. Veſtrum erit interea, viri optimi, ea de Rege Chriſtianiſſimo vobis promittere, quæ de Rege potentiſſimo, conſanguineo & amiciſſimo, & publice & priuatim bene merito à vobis expectari poſſunt, quibus incognitum non eſt quantum conſilia illius & vires Germaniæ rationibus commodare poſſint.

PARS

PARS XXI.

Continens

TRACTATVS, DISCVRSVS, ORATIONES PVBLICAS, ET DISQVISITIONES,

QVAS CVM SACRA CÆSAREA ROMANO-GERmanorum Maieſtate Ordinibuſque Imperii, tractauerunt, habuerunt & egerunt

SERENISSIMVS DVX, SENAtus Populuſque Venetiarum.

I. ORA-

I.

Anno Domini 1452

ORATIO GRATVLATORIA NOMINE REIPVBLICÆ VENETÆ HABITA AD FRIDERICVM III. ROMANORVM IMPERATOREM, à Thadeo Quirino Patricio Veneto.

CVM multa ſint, Glorioſiſſime Cæſar Auguſte, quæ ab immortali Deo noſtra reſpublica ſummis aſſiduiſque precibus ac votis ſibi dari optaſſet, nihil profecto maius, nihil optabilius ei contingere poſſe exiſtimauit, nihil ardentius appetiuit, quam vt Tu & Auguſtiſſima Imperatrix vxor tua eam inuiſeretis, & veſtri nominis ſplendore ornare ac illuſtrare dignaremini. Dici .n. non poteſt, quantopere non modo ſenatus ipſe ac princeps, ſed omnis ſexus, omnes ordines vos intueri, ſuſcipere, cum cultu, & obſeruantia proſequi concupiſcat, vt ad declarandã animi lætitiam non ſatis vultus, non oculi, non notæ ſufficiant vires. Nã cum ſuapte natura noſtra Reſp. omne hominum genus, tum imprimis principes & reges munificentia, humanitate & amore proſequuta ſit; vos qui principum principes & Chriſtiani nominis ſplendor eſtis, quibus honoribus, quib. lætitiæ ſignis, quibus humanitatis & munificentiæ modiſ proſequetur, cõplectetur, extollet? Quod cum ita ſit, sereniſſ. Imp. quo gaudio, qua lætitia aduentũ hunc veſtrum expectaſſe nos exiſtimatis? qui honores, quę dona, quæ munera principum, regum, populorum cum hoc noſtro ſtudio cõparari poſſunt? Nã ſi ſuperioribus temporibus prima illa tua ætate (quod meminiſſe debes) libentiſſime te vidimus, cum in Syriã euntem omni indulgentia & honore proſequuti ſumus; quo ſtudio vidẽdi tui ciuitatẽ flagrare exiſtimas, cũ eundem te inſignibus Imp. ornatum ac condecoratũ, & tãta affinitate auctũ; principem Chriſtianæ religionis, ac defenſorẽ huius noſtræ ciuitatis à ſtirpe antiquiſſima amiciſſimũ, non ſolum viſura, ſed etiam acceptura ſit. Sed cũ omnibus de cauſſis noſtra ciuitas merito exultet, ac lætitia diffluat, (auide .n. quę ſumma ſunt, ab omnib. expectantur. nihil aũt maius humanis in rebus tuã Maieſtate oẽs exiſtimant:) tum vero nulla re tantopere cõmouetur ac ſtudio tui incenditur, quam ꝙ ſummã tuam erga remp. noſtrã voluntatẽ ac propẽſiſſimum ſtudium recognoſcit. Videt .n. ac intelligit inuictiſſime Cæſar, te cætera Italiæ loca, vrbes, regiones neceſſario acceſſiſſe, in hanc tñ Vrbem ſtudioſe ac libenter diuertiſſe: & cũ alia via in patriam redire poſſes, indignum vetere neceſsitudine & antiquiſsima amicitia exiſtimaſſe, conſpectus ac regiæ Maieſtatis tuæ fructũ quẽ libẽter omnib. impartiſſes, illiſ potiſsimũ denegare, qui laudis, decoris, honoris, gloriæ, magnitudinis, amplitudinis, maieſtatis tuæ cupidi fautores ſemp extitiſſent. Quod quidẽ tuum erga remp. noſtrã ſtudium, animũ, voluntatem quanti cum ab omnib. tum vero à Senatu atq; ipſo principe fieri putas? Deum quendã mihi crede è cœlo hodie delapſum & ad ſe demiſſum noſtra reſp. arbitratur. Quid quod auguſtiſsimã vxorem tuã, quam tecum per ea quæ adiecas Italiæ loca ſemper duxiſti, ſeparatim ad nos præmittere ſtuduiſti. Quod illud & quantũ amoris, fidei erga nos ſignum? Maiorum tuorũ conſtantiæ, beneuolentiæ, fidei erga hanc remp. permulta monumentis atq; animis noſtris ſigna & documenta repoſita conſignata habemus: ſed hoc certe maximũ, quo cætera cõfirmata ſunt, quod quos principes tui in Italiã aduentus exceptores habuiſti, eoſdẽ gloriæ, ſplendoris, ornamentorũ tuorum, & conſummatæ felicitatis ſpectatores, & congratulatores poſtremos eſſe voluiſti. Huius igitur cõmunis gaudii & publicę lætitiæ nuntij ſenatorum num. 10. ad Imperat. Maieſt. tuam pręmiſſi ſumus, tibiq; & fortunæ ac ſerenitati tuæ non ſolum pro confirmato & aucto Imp. publice cõgratulamur, ſed omni laude proſequendũ putamus. Quod .n. ſeculum, quæ poſteritas non celebrabit, non recordabitur Fridericũ III. Imp. maximum ita in Italiã deſcendiſſe, vt cũ omnis Italia diſcordia & bello flagraret, adeo tranquille, adeo quiete atq; amicẽ ab omnib. populis, principibus, regib. acceptaretur, vt non rex æternę gentis ac nationis, ſed eiuſdẽ regionis dominus, & quodãmodo cõmunis quidã omniũ gubernator ac rector charus acceptuſq; veniſſe videretur? Atq; hoc nõ eo dico, ꝙ non ita fieri debuerit (nam Imp. Ro. tuum eſt, aut quorũ maiores tui, aut tu eſſe voluiſti) ſed quod raro ſuperiorib. temporibus, memoria certe noſtra & parentũ noſtrorum nunq̃ accidit. Nã cæteri reges cum in Italiã veniſſent exercitu adducto aut quaſi hoſtes eã diripuerunt atq; incenderũt, aut diſcordia flagrantib. rebus cum alteri parti ſe adiunxiſſent, ſeditionẽ potius in Italiã attuliſſe quam cõmuni otio & Imp. ſaluti conſuluiſſe viderentur. Quod cũ abs te ſecus factum ſit, sereniſſ. Imper. quis vel non ſapientiã tuam laudabit, vel fortunã admirabitur? Equidẽ ſic cenſeo, atq; adeo cenſent ciuitatis noſtræ principes religionis tuæ conſcii & pędicatores, factũ hoc fuiſſe diuinitus, vt qui tantam animi pietatẽ ab initio ætatis præ te tuliſſes, qui religionis ſtudio curſus ac nauigationis periculũ, tot

diſcrimina

diſcrimina hominum locorumq; ſponte excepiſſes, ei potiſſimum Imperio præficere, quod nominis Chriſtiani ſalutem ac magnitudinem, cultum, religionemq; meretur: & cũ tranquille ac leniter nomen tuũ conſtituiſſes, tum ſi quid rerũ humanarũ vitio aut tẽporis vetuſtate prolapſum eſſet, quiete ac ſine vllo belli ſtrepitu, Chriſtianeq; (vt ita dicã) reſtitueres. Nihil. n. Chriſtianum non modo Imp. ſed hominẽ magis decet, quã humanitas lenitas, clementia, pietas, fides, caritas, quæ omnia quũ ita in te eluceant, vt à natura, inſita atq; innata eſſe videantur; quis te, niſi forte inuidus & obtrectator, ſummis laudib. non efferat? quis non admiretur? Quis (ſi fieri poſſet) nõ modo perpetuo videre, ſed in Italia retinere cupiat otii, quietis tranquillitatis ſtudioſiſſimũ, improborũ, irreligioſorũ, ſeditioſorũ inimicum? Nos vero nõ ſolũ te laudamus, ſed vehementius admiramur, nec hoc fortunæ tuæ tribuimus, ſed diuinæ prouidẽtiæ aſſignamus, quæ talẽ te eſſe voluit, ita inſtituit, eũ, delegit, qui & cõmuni Chriſtianorũ ſaluti & decori cõſulere, & eius honorẽ ac cultũ tueri ac conſeruare velles ac poſſes. Sed ne multus ſim atq; aliquando concludã, ſacratiſſime Imp. ita tibi perſuadeto ꝙ ab initio dixi, lætũ ac fauſtũ hunc diem huic ciuitati illuxiſſe, quo te ab omnib. infimis, mediocribus, ſummis ſic celebrari, ſic videri, ſic accipi cernes, vt non alias te vidiſſe, ſed Deũ quendã in Vrbẽ noſtrã acceſſiſſe putent, atq; oẽs ita iudicent, te cũ cæteras Italiæ ciuitates libẽter adieris, huic vni potiſſimũ ac maxime indulſiſſe, quã duplici lætitiæ genere afficere volueris, & auguſtiſſimo vxoris aduẽtu, qui nobis optatiſſimus eſt, & tuo. Veni igitur, sereniſſ. Imp. læto animã in eã Vrbẽ, quæ etſi amplitudinẽ tuã capere vix põt, at certe voluntate cõplecti poteſt. Vbi ſi quid deſideraueris, ſi nõ omnia quæ Maieſt. tua meretur, ſuppeditata eſſe videbũtur; id nõ volũtati, ſed imbecillitati noſtræ aſſignabis. Omnia certe quæ noſtra ſunt, ſũma, parua, mediocria, tua eſſe volumus: hæc tibi publice offerimus, atq; omnia deferimus. Vnum illud certe perſuaſum tibi eſſe volumus, quod minime dubitamus, cæteris rebus fortaſſe ab aliis nos potuiſſe vinci, ſtudio certe erga te, animo, voluntate, non modo cæteris non ceſſiſſe, ſed cum tuis etiam contendiſſe.

II.

HERMOLAI BARBARI ZACHARIÆ F. LEGATI VENETI, AD FRIDERICVM IMP. & Maximilianum Regem Rom. Principes Inuictiſſimos, Oratio gratulatoria.

Anno Domini 1486.

I. CARONDELETO SVPREMO REGIS ROMANOR. Secretario, Hermolaus Barbarus S. D.

AD Principes orationem à me nudiusquartus habitam, amplitudini tuæ mitto recognoſcendã caſtigandamq;. Quamquam enim mei moris eſſet, nihil vnquam temere, nihil non diu conditum atq; preſſum emittere quum primum tamen deſiderari eam a te ſubodoratus ſum, intuli mihi vim & perviui tandem, vt inſtituto meo decederem, ratus id quod erat, minus eſſe malum adire periculum famæ, quam moram deſiderio tuo facere. Quæris, vnde tanti ſis apud me, quem ne de facie quidem norim? Perſpecta ſunt omnibus eruditio, fides, integritas tua. Compertum nobis eſt, quantum Veneti nominis ſtudioſus ſis; exploratum habeo, quantum me diligas parum merentem, quantum orationem & actionem meam commẽdes. Sed heus tu docte vir obſecro ne mirere, ſi qua leges in hoc libello quæ tunc dicta non fuerunt. Nec enim addidi nunc ea, ſed detraxi tunc, admonitus ab aulicis extemplo quam limen attigi, ne longus eſſem, ambitioſa reciderẽ, optima quæq; dicerem; patientiſſimis omnino, ſed occupatiſſimis tamen Principibus parcerem. Amputaui ſubito conſilio multa. Quanquã quod poteſt conſiliũ fuiſſe, ſi ſubitum? Ea quæ tunc reſecui, modo ſunt annexa. Verumq; veterum exemplo facimus, quos F. Quintiliano teſte conſtat longe aliter ſcripſiſſe, quã egiſſent. Exulanti Maſſiliæ A. Miloni quidã orationem M. Tullij, non quam habuiſſet pro eo, ſed quam ſcripſiſſet, attulit. Tunc ille ſi ſic egiſſes, inquit, M. Tulli, non eſitaret Maſſiliæ barbatos piſces Milo. Ceterum non dubito, quin (niſi te amor fallat) vt audiendo tunc, ita nunc legendo non parum multa tibi diſplicitura ſint. Sed æquum te, quæſo, nobis & cognitorem & iudicem præbe; conſiderans hoc & æſtimãs, quod ſeſquihoram antequam Principes adiremus ſignificatum nobis fuerit, non duas orationes ſeorſum, vt cogitabamus atq; paraueramus, ſed vnam duobus iunctim habẽdam & recitandam eſſe. Plena difficultatis, plena diſcriminis res erat. Tota mihi ratio dicendi puncto temporis immutanda fuit. Orationis vniuerſæ filum retexui, atq; [vt breui rem complectar] & cutis & facies ipſa interpolata eſt. Vale decus noſtrum, & me Principi nobiliſſimo [cuius es inter eos, qui ſunt à ſecretis, merito ſupremus] commendatiſſimum rogo facias. Vtinam aliquando tanti ſim, vt res ab illo fortiter & magnifice geſtas poſteritati commendare poſſim. Tam facturus ſim id libenter, quam qui maxime deſideret. Ex Brugis. Pridie Nonas Auguſti, milleſimo quadringenteſimo, octogeſimo ſexto.

Poſtquam literæ tuæ, Sacer Imperator, iocundiſſimum reipublicæ noſtræ nũcium attulerẽt Maximilianum celſitudinis tuæ filium, principem celeberrimum & fortiſſimum admirabili populorum & optimatũ conſenſu lectum & ſalutatũ eſſe Regem Rom. Senatus & vniuerſa ciuitas noſtra non contenta id per epiſtolã feciſſe, congratulatum vtriq; nos miſit & in mãdatis adiecit, vt magnitudinẽ gaudii ſui, ꝙ pro tanta re merito concepiſſet, non duob. modo vobis principes inuictiſſimi, ſed Galliç & Germaniæ, ſed omnib. gentibus, omnibus nationibus teſtatiſſimã & conſpicuã faceremus. Quũ quia nihil tam amplũ, tam glorioſum ſacratiſſimæ maieſtati veſtræ poteſt contingere, ꝙ ſibi quoq; pro ſua in vos obſeruantia, fide, beneuolentia cõmune non putet: Tũ vero maxime quia

quum Chriſtianum nomen, & Romanum imperium hoc altiſſimo prouidentiæ veſtræ conſilio diuinitus amplificatum ſit; hoc tanto & tam communi bono ſic afficitur vniuerſa noſtra reſpu. vt ſollicita ſit admodum, ne lætitiam incredibilem ſuã oratione conſequi valeamus. Quanquam enim Cæſar glorioſiſſime [vt à te primum incipiam] nihil eſt eſt fere, quod vel à natura vel à virtute, vel à fortuna ſit expectandũ, quin cumulatiſſime conſecutus eſſe videaris: Et iã pridẽ eas res geſſeris artib. pacis & belli, quę nomen tuum ęternitati cõmendare poſſint: Hinc tamen opinione noſtra fructum omnis anteactæ vitæ tuæ maximum cepiſti, quod filium generoſiſſimũ, qui nobiliſſimas gentes, ferociſſimos populos, bellicoſiſſimas nationes non minus armis quam ſapientia viciſſet, Regem Romanorum te viuo renunciari permiſeris. Multa ſunt maiorum tuorum Cæſar egregia tũ bello tum pace monumenta, quorum perſecutio neq; loci neq; temporis huius eſt: ſed omnia ea vt per ſe magna ſunt, & immortali memoria digna; ita cum hoc vno facto cõparata, multo repeтiuntur eſſe minora q̃ præ ſe ferunt. At geſſerunt quidem illi rem Romanã tam præclare, vt nihil addi potuerit. Sed quam diu vixerunt, & vtiq; ſibi. Tu aũt filio tuo ad gubernacula tantarum rerum promoto, poſteritati quoq; conſulis: & pluribus in futurum ſæculis prouides, ratione inuenta, quẽadmodum curam publicæ ſalutis retinere videaris, etiam poſt mortem: ratus id quod eſt, Imperatoris eſſe boni proſpicere, ne poſſit eſſe malus Imperator: Principem eſſe malum, quem vitia ſucceſſoris cõmendent, & bonum videri faciant. Nam quotuſquiſq; princeps non bonus ſit, ad alterum collatus. Congratulatur ergo tecum ſibi & ſecum tibi, princeps eminentiſſime, non reſpub. modo noſtra, ſed Chriſtianus orbis vniuerſus: ꝙ principem eum quem certatim oẽs efflagitabant, & tibi facere, & ſibi habere cõtigerit. Rara & viſenda felicitas tua, Cæſar beatiſſime, filium genuiſſe, quem Galliæ, quẽ Germaniæ, quem Barbari, quem Romani, quem populus Chriſtianus Imp. optare te viuo, te reluctante nõ erubeſcunt. Dixi te reluctante. Nam hæc tua diue Federice propria laus eſt; non minus tibi quã cæteris moderari. Verebaris (audio) modeſtiſſimus & grauiſſimus Imp. ne ſi precibus populorũ & principũ omnium protinus annuiſſes, aut charitati patris in filium, aut ambitioni datũ eſſe iudicaretur. Parum tibi videbatur præſtare Cæſarem in alios, niſi aduerſus teipſum quoq; præſtitiſſes: immo qui clemẽtiſſimus, humaniſſimus, & facillimus es in cæteros [id ꝙ ego non famæ credo, ſed expertus loquor] in te parum æquus, & duriuſculus eſſe voluiſti. Nil erat apud te fuga voluptatũ, & continentia: quas virtutes vno te nullus ante magis cõmendauit; niſi & paternũ affectum, quo nihil eſſe cõſtat in homine potentius, nihil tã legitimũ, caſtigaſſes & cõpreſſiſſes. Nec.n. vitiũ erat in Cæſare, liberos ſuos [qui & ipſi ſunt Cæſares protinus, q̃ naſcuntur] Reges eſſe cupere: quandoquidem non magis honeſtũ eſt regem vocari, quam Cęſaris eſſe filium. Iã patris in filios indulgentia popularis, & plauſibilis quoq; ſolet eſſe: nedum vt vel inuidioſa ſit, vel probroſa. Nã in Cæſare cõmẽdabilis ſemper fuit, nunc vero etiã expetitur, quaſi debita. Nec iam indulgentiæ nomẽ habet: ſed iuris & æquitatis. Quis enim eſt filio tuo, vel bello vel pace clarior? quẽ res aduerſæ magis exercuere? Quis proſperis & ſecundis minus intumuit? quis in vtraq; fortuna conſtantior: in labore pertinax: in remiſſione diligens, ac pręcictus? Mitto bellicas virtutes: quæ vt in eo præſtabiles & eximiæ, ita nec temporum ſunt omnium, nec locorũ. Attingantur pacis artes, quæ ſemper & vbiq; ſunt vſui, ſapientia, temperantia, placabilitas, innocentia, religio, frugalitas. Hæ in iuuene vno tam præclaræ, tam eminẽtes eſſe perhibẽtur, vt ne in ſene quidem Imperatore maiora deſiderari poſſe videantur: futuræ prorſus incredibiles, niſi eum ex Auſtria gente celebratiſſima, & filium tuum eſſe meminiſſemus. Quæ quũ ita ſint, immortales tibi gratię prouinciatim, oppidatimq; habentur, & ſemper habebuntur, Imperator conſultiſſime: ꝙ pro cõmuni bono verecundiã & modeſtiam tuam expugnari paſſus es. Ergo bis teipſum viciſti, Cæſar inuictiſſime: Primo quum oblatũ filio tuo regnũ minime diſſimulãter auerſatus, & deprecatus es: naturaléq; patris in filios pietatem virtute plus quã heroica, immo diuina quadã mentis & animi magnitudine ſuperaſti. Secundo quum hanc ipſam virtutem, qua modo te viciſſes, vtilitatis publicæ contemplatio peruicit, & impetrauit à Cæſare, quod impetrari non potuiſſet à patre.

Sed iamdudum mihi Cæſar innuit, Maximiliane Auguſte princeps generoſiſſime, vt à ſe digreſſus, orationẽ ad te conuertã. Obtemperabo lubens atq; lætus: quum quia laudes tuas pater æquiore animo, quam ſuas audit: tum quia per hunc modũ imperio Senatus & deſiderio reipubl. melius & & vberius ſatisfecero. Ergo maieſtatis tuæ nomen apud nos tam celebre ſemper fuit, vt ad diligendũ, amandumq; te propenſos & colendum & obſeruandum impulerit. Eſt hic mos reip. noſtræ peruetus atq; ſanctus, pernitioſos & improbos Tyrannos exitialiter odiſſe: Principib. bonis & fortibus non ſolũ fauere, ſed etiam obſequi: dignitatem eorum & amplitudinem omnib. modis tutare, tueri, defendere. Ætate porro noſtra nemo de regum & principum numero fuerit, quẽ collidi tecum, & cõparari poſſe iudicemus: omnino talis & tantus es apud nos, in quo vel plura, vel maiora præ te ferẽtas, optare, cõminiſci, deſiderare pudor ſit: vt nemo mirari debeat, ſi lætitiã immortalem, gaudium incredibile, voluptatem incõparabilem, quã te Rom. Rege declarato concepimus, dicendo repræſentare nullo modo poſſumus. Enitent ac prælucent in vno te, ſed iuuene [mirum dictu] virtutes omnes imperatoriæ, iuſtitia, liberalitas, animi magnitudo, clementia, placabilitas, abſtinẽtia voluptatum omniũ, & [vt complectar vno verbo multa] quã immaturum æui te cernimus, tam maturũ imperii te cognoſcimus. Peruidit hanc indolis altitudinẽ Carolus rex Belgarũ, experientiſſimus belli dux, & acerrimi vir ingenii: qua vſq; adeo exarſit, vt nihil prius habere videretur, quã vt vnicam ſibi filiam virginẽ magnæ ſpei fœminam lectiſſimam, hæredẽ multarum gentium nationumq; futuram, & omnino quam reges appeterent, obſeruarent, ambirent; tibi vni fere puero, nec vxorio, nec quęrenti deſponſare poſſet. Vndeuigeſimo aũt ætatis anno, quum princeps ille cui mox aſciſcendus gener eras

nereras, ab Leucis & Heluetiis interceptus eſſet: ſoceri tui regnum à Gallis occupatũ ingreſſus, parua manu fuſis & trucidatis ingẽtibus hoſtium copiis ſeruitute liberaſti: vxorẽ defuncti ducis & filiã, fortunatiſſimas modo fœminas, tum miſerrimas & exangues, nec plus mœrore quã metu confectas, omni diuina & humana ſpe deſtitutas erexiſti, ſubleuaſti, redemiſti: vitam earum & dignitatẽ & pudicitiam conſeruaſti. Hoc mater, hoc prouinciæ tanto & tam immortali beneficio deuinctę, virginẽ ope tua recreatam, virtute tua defenſam, tuis armis inimicorum ereptam iniuriæ, deſponſatã à patre prius animo, tunc certatim opere tibi collocant: videlicet vt eundem generum atq; virum haberent, quem habebant & aſſertorem & vindicem. Hactenus rudimẽta virtutis & fortitudinis tuę diximus. Quid illa quæ mox egiſti quam famigerata? quam mira? quam viſenda? nato tibi filio ciuiles ortæ ſeditiones ſunt, Morinis auctoribus: quorũ opera factum eſt, vt chariſſimũ tibi pignus, neſcio quo prætextu, cuſtodiendum & aſſeruandum eriperetur. Fuit hoc eorũ non perfidia, non defectio, princeps glorioſiſſime: ſed fati vis hoc agentis, vt per inteſtina quoque bella clarior & celebrior fieres. Nec.n. plus eos amat fortuna, quos indulgenter habet, & quibus parcit: ſed quos exercet: alioquin clari nec bello nec pace duces intelliguntur, quibus omnia proſpere cedunt: ſed quibus cõtingit per labores, per ærumnas, per incommoda ſplendeſcere. Nam vt ſecundæ res fœlicem, magnũ certe faciunt aduerſæ. Alexandrum illum Macedonem, ſunt qui minus egregium bello ducem fuiſſe prædicent, ꝙ ei nullius pugnæ non ſecunda fortuna fuerit: quodq; in ipſo rerum incremento nondũ vertentem fortunam expertus, vita deceſſerit. In te vero, quem certa ſyderum decreta ſceptro patris & ſolio deſtinauerant, quid mirum: ſi aliqui operam dederunt, vt triſtiora tibi tẽpora inciderent: ne aut virtus quiete lãgueſceret, aut parum dignus imperio fuiſſe videreris: qui omnino futurus eſſes imperator.

Itaq; continuos nouem annos in caſtris agens difficillima quinq; bella profligaſti, Gallicum ſiue Francicum, Eburonicum, Sicambricum, Batauicum, Morinicũ: quod quidem poſtremũ haud facile iudicari poteſt, vtra tibi re glorioſius fuerit, eo ne, quod filium tam diu tibi ademptum auulſumquẽ recepiſti: an eo, ꝙ nobiliſſimas gentes, ſcientiſſimos bellicæ rei populos, vrbes opulentiſſimas ad deditionẽ & pœnitentiam cõpuliſti: id quod nec Carolus ſocer, nec proſocer Philippus, excellentiſſimi duces, hic bello, ille ſapientia conſequi potuiſſe memorantur. Non cogito Panegyricum, rex clariſſime: non laboro verborũ ambitu, nihil amplifico, nihil alleuo. ſed decurro per capita, & nudas rerũ à te geſtarum ſummas attingo. Mirantur tamẽ hæc omnes, mirantur etiam citra fucum & negligenter effuſa: plus mirentur ſi qui te propius introſpicerent, & virtutes eas intuerentur, quarũ præſidiis munitus tot inſignes victorias, tam multa belli decora conſecutus eſſes. Videretur iſtud os tam probũ, tam facundum, hæc tracta de cælo ſpecies, iſta lacertorum & pectoris firmitas, hic totius corporis vigor, hæc animi tempeſtiuitas & volucritas, hic imperatorius ardor oculorum: præterea quam ferox in prælio, mitis in contubernio, effuſus aliis, tibi parcus. In caſtris non veſte, non menſa præcipuus: aguntur hyemes cum cætero milite ſub pellibus, ſudantur æſtates æqualiter. Epulæ modico & caſtrenſi cibo contentæ. Iam quis te ſolertius caſtris locum capiat? cõmeatus expediat? Hoſtem ludificetur? pugnę tempus eligat? aciem inſtruat? vrbes obſidione cingat? Neq; vero partes imperatoris, & optimi ducis imples: militis non imples. Nullũ tibi caſtrenſe munus ſordet: non ſtare pro ſignis, non excubias ſorte agere, non vallum ferre, non ſpeculatum egredi: primus inire prælium: poſtremus excedere: Vtrumq; iuxta doctus: opere militem & conſilio ducem agere: nullã tibi vel principalis fortuna, vel maieſtas imperii functionem remittit: nihil tibi parcis, nihil blandiris: indulgentiſſimus cæteris, tibi parum lætus: & omnino nihil gregario plus habes, niſi quod plus laboras: ratus id quod eſt, non tam honorẽ quam onus eſſe, quod regnas. Imperatoris hoc eſſe munus, vt opes & magnitudinem ſuam non ad ambitum quem priuatum, ſed ad ſalutem & cõmoda reip. conuertat: vtiq; non imperium ſibi, ſed ſeipſum imperio dedititium faciat. Sed & illa tibi peculiaria ferũtur: diligere quidem oẽs, ſed amicos ẽt diligere: nõ oblatos iſtos & paſſim obuios, de palæſtra, de ſphæriſterio, de fritillo. Sed quos ad innocentiam, patientiam, continentiã: ad algores, ad æſtus, ad opera militaria ſæpius exploraueris. Nec.n. amici ſunt quicunq; vos ſequũtur: alioquin tam multi, quã ſunt [vt Plutarchus inquit] in culina muſcæ, quę cum ipſo nidore confluunt & recedunt. Sed quos amicitia dignos eſſe iudicaueritis, eos debetis vos vltro ſequi. Itaq; cum iis qui ſe tibi aliquando virtute cõmendauiſſent, conſuetudine delectaſſent, vtilitate demeruiſſent, in omnia familiaritatis officia deſcendis: & Cæſarem obliuiſceris, vt amicum præſtare poſſis. Neq; vero poſtremum inter laudes tuas poſuerim, ꝙ literas & ingenia [ſicut audio] tã impenſe diligis: quodq; bonas artes nõ foues modo, ſed alis atq; promoues. Imperatorium & hoc decus: quũ quod in nullo plus emicat hic nitor, & hoc lumen doctrinæ quam in regibus, vnde natum ſit illud ex Homero Platonis interpretatione: *diſcipulos Deorum non alios eſſe quam reges*. Tum vero maxime quod præcepta ſapientiæ non habentibus modo proſunt, ſed in alios [etiam vere dixerim plus] redundãt. Quis ignorat Anaxagoram in Pericle? Platonem in Dione multos inſtituiſſe? Non nauigaſſet ab exercitu Cato Rhodon, vt Athenodorum audiret: nec Panætium Scipio videre concupiſſet, niſi tantum in ea re vel ornamenti, vel fructus ineſſe iudicauiſſent. Prętereo multa prudens atq; conſcius: nihil me fugit, quam religioſe, quam innocenter, quã ſancte iuuentutem tuam exigas. Patet omnibus obſequentiorem te patri filium, nec eſſe nec fuiſſe quenquam. Scio quam præclaræ, quam magnificæ cogitationes tuæ ſint omnes. Non ignoro, quæ pridem vota conceperis, nuncupaueriſq;, digna principe Chriſtiano, digna moribus tuis, digna Cæſare, digna teipſo. Hæ virtutes illæ tuę ſunt, Imperator vnice, propter quas ducem ſuum te bellicoſiſſima terræ Galliæ pars, Belgæ non mõ non dedignantur aduenam & Germanum [quibus alioquin tã ſunt infenſi quã proximi lingua, cœlo moribuſq; diſiũcti] ſed appetunt vt indigenã, venerãtur vt

principē, diligunt vt parentē. Hæc ingentia tua merita, propter quæ Fridericus pater, innocētiſſimus & grauiſſimus Imp. adduci perſuaderiq; potuit, vt te regem Rom. ſe viuo renunciari pateretur. Ac differebat quidem ille primū, & cunctabatur: ſimul vt verecundiam, & modeſtiam ſuam [quēadmodū prę diximus] ab omni labe ſuſpitionis aſſereret; ſimul vt exploraret, aſſentarenturne patri, qui pro filio tam enixe laborarent: an conſultum ſaluti ſuæ vellent. Sed extēplo patuit, acclamationes illas atq; preces, non adulantiū voces fuiſſe, ſed ſtudentium. Nam adulatio ſemel eliſa protinus infringitur atq; langueſcit: Studia quo plus arcentur, eo magis gliſcunt & ardeſcūt. Quanto nunc diue Federice gaudio perfunderis: q̄ filius tuus te incolumi placere poteſt Imperator? quam iucundum tibi, quod te comparari filio tuo ſentis? Et quoniam controuerſa res videtur, modo vincis, modo vinceris: Cæterū quid prouidentia tua dignius: amplitudini glorioſius, clementiæ, pietati, felicitati conuenientius facere potuiſſes, quam vti quē ex vtilitate publica fuit, vt genuiſſes: eidem quoq; per patrē & decus & nomen imperatoris accreſceret? Macte ingēti vtroq; in rem pub. merito: etiam ſi difficile percipitur [vt inquit* ille] pulchrius & honeſtius fuerit genuiſſe talem, an cooptaſſe. Non multo minor tñ veſtra laus, Germani principes integerrimi, quorum ius id eſt, regem Rom. mox futurum Imper. eligere. Nec enim poſſunt non optimi cenſeri, qui principes ſibi optimos proſpiciunt. Proinde quum talis & tantus eſſet is, quem legiſtis, vt & omnib. anteponi meruerit, & ab omnibus: ſcitote vos vtrunq; cumulatiſſime conſecutos fuiſſe. Et vt gratiæ vobis ab omnib. imortales & incredibiles haberentur, & vt nomen veſtrū æternitati cōmendatum & conſecratū eſſet. Etenim vt nomine Vitellij vel Othonis ſubinde admoneremur eorū, qui faces illas, atq; peſtes ad diſſipandū & incendendū orbē intuliſſent: ita hęc optimi principis electio nunq̄ memorię hominū ſine vobis recurret: quotienſq; poſteri veſtri res ab illo fortiter geſtas incognoſcent, totiens laudabunt, qui talē Imperio præfecerint. Sed redeamus vñ nos contēplatio patris & eorū qui te legerūt abduxit. Magna per ſe res erat omnib. punctis, omnib. ſuffragiis, & [vt ita dicā] tributim centuriatimq; declaratū eſſe Regē Rom. Sed fecit occaſio maiorē. Ea ſunt enim reip. Chriſtianæ tempora, is habitus Imperii, vt non tā ſpecioſum fuerit te regē creari, quā neceſſarium: nec ad futura mō, ſed ad præſentia rerū momēta ſalutare: Omitto ſingillatim enumerare publicas clades, omitto percenſere quā luxata, quā conuulſa ſint ōia religionis Chriſtianæ mēbra: omitto bella, quib. imperium hoc diſtinguitur: ſit .n. piaculum in tā feſta pręſentiū gaudiorū luce miſceri triſtia. Illud ſine periculo violatæ publicæ lætitiæ dicetur: hoc q̄ principes Germani de creando te ſibi rege cogitauerunt, non tā conſiliū fuiſſe, quam remediū. Ergo non ad ocium, non ad remiſſionē, non ad quietem [alioquin tibi debitā poſt tā multos labores] ſed ad nouas expeditiones, noua bella, nouas difficultates, imperium tibi traditur: omninoq; per hoc nō ſolatium tibi, ſed aliis quæritur. Nihil .n. aliud cogitaſſe video ſum̄os viros qui te patri tuo principi nobiliſſimo, ſed annorū pleno ſocium addidere; quam vt ille conſilio temp. tu laborib. & operib. adiuuare poſſes. Quid illud quā glorioſum tibi, quam lætum patri, quā omnib. in tempore: vt regē decerni tunc demū te contingeret, quum opem tuā non imperium, ſed imperator; nec imperator, ſed pater expectaturus eſſe videretur. Acceſſit hoc ad cumulū amplitudinis & fortunæ tuæ, rex pręſtantiſſime, vt qui filium infantē è penitiſſimis hoſtium munimentis eripuiſſes, apud eundē patris quoq; recreati gloria ſtaret. Duos omnino legimus cognomento Pios fuiſſe: nec argumentum ignoratur vnde ſic appellari meruerint. In te poſteritas ambiget, vter euentus hoc nomen tibi conciliauerit: quod pius in parentem, an quod pius in filium appatueris. Sed iam tempus eſt, vt vela retraham: neu longius me quam volo, aut quam partes legati ſunt, laudum veſtrarum ſplendore, numero, magnitudine detineri patiar. Quamobrem ſi nihil eſt in rebus humanis principe Romano maius & auguſtius, ſi talis & tantus eſt filius tuus Cæſar, vt ab omnib. legi debuerit; & ex omnib. deniq; ſi nihil vel nobilius ad gloriam, vel certius ad ſalutem excogitari poterat, quam vt ille remp. difficillimo tēpore capeſſeret: nemini mirum videri debet, ſi [q̄ per initia teſtatus ſum] ad huius magnitudinem lætitiæ nullius hominis facundia, nullius vis ingenii peruenire poteſt. Sed hęc trāſlatiua ſunt, cōmunia ſunt omnibus. Illæ peculiares Veneto cauſæ, quod neq; gens eſt vlla, neq; natio [abſit verbo inuidia] cuius vel plura vel maiora, & in Chriſtianam rempu. cuius vos caput eſtis, & in Rom. imperium argumenta beneuolentiæ, fidei, pietatis appareant. Non auderem iſta profiteri, Cæſar optime, niſi & vera eſſe conſtaret, & tu vera libenter audires: alioquin ſciebam ſcelus eſſe coram te parum certa dicere, nedum falſa. Sunt & illa nobis propria, Maximiliane rex fortiſſime, quod clariſſimum nomen Auſtriæ familiæ, qua nulla fuit vnquam Regum imperatorumq; fœcundior, religioſum & venerabile ſemp habuimus, q̄ Federico patri tuo principi ſaluberrimo, quæcunq; ſe res tulerūt, enixe ſtuduim⁹, quibuſcunq; eū locis & temporib. ſingulari ſignificatione voluntatis & obſeruātiæ proſecuti ſumus, q̄ ipſum & te ſemp à teneris vnguiculis inductione quadā animi nō occulta impēſiſſime coluimus, auctoritati tuæ fauimus, amplitudinē quantū vires fuere defendimus. Iā qui principib. Luſitaniæ nobiliſſimis & fortiſſimis, vñ maternū tibi genus eſt, q ſocero tuo Carolo duci generoſiſſimo, qui Philippo eius patri ſapientiſſimo principi chariores vnq̄ fuere quā Veneti? Tot modis copulati cum ſublimitate veſtra ſumus: tā multiplici nexu vincti, vt qui hæc nō videt, nihil omnino videat, qui plus deſiderat, nihil omnino deſideret. Gratulatur ergo p̄. ſuis in vobis ſibi, & in ſe vobis Senatus & vniuerſa ciuitas noſtra, nō quantū cæteri fecere, ſed quantū nulli: nec quantū dici vel cogitari pōt, ſed quātū nec dici nec cogitari phas eſt. Et quoniā ambo vos celeberrimi principes, hinc pater, inde filius ita mutuo creuiſtis, vt neq; tu maior, neq; tu felicior eſſe poſſis: reliquū eſt, vt Deū optimū maximū cōditorē huius & ſeruatorē imperii, publica vice cōprecer & obteſter, vt qn̄ rem Romanā principum

duorum

*Plin. panegyr.

duorum patris & filii, huius maturitate ſenioris, illius virtute iuuenis florentiſſimam eſſe voluit; beneficio ſuo faueat, pietatemq; ſuam & voluptatem conſeruandi per optimos Principes generis humani ſanciat, & perpetuam eſſe iubeat. Poſtremo vt illuſtriſſimum Ducem noſtrum, & inclytam Rempub. incolumitatis & gloriæ veſtræ cupidiſſimam, quæ te Cæſar ſemper & patrem & principem Chriſtianæ religionis agnouit, coluit & ſuſpexit, ſacroſanctæ Maieſtati tuæ quanta maxima poſſimus veneratione, religione, deuotione commendemus: opes noſtras omnes atque vires ad ornamentum & incrementum Imperii, dignitatem & amplitudinem ſacratiſſimi nominis veſtri promptas, expoſitas & dicatas eſſe docemus.

III.

Anno Domini 1509.

AD DOMINVM MAXIMILIANVM ROM. IMP. ANTHONII IVSTINIANI PATRITII VENETI ORATIO

Habita 25. Martij, An. ſalutis 1509.

NON aberraſſe veteres Philoſophos, & Primarios Gentilitatis viros, Inuictiſſime Cæſar, liquido certoque conſtat: qui eam veram, ſolidam, ſempiternam, & non interituram gloriam aſſeruere, quam quis ſeipſo victo conſequeretur. Eam regnis, orationibus, trophæis, & clariſſimis triumphis, anteponēdam decantarunt. Hoc ipſum Scipioni maiori, tot clarenti victoriis, laudi datur; pluſque ſplendoris, quam victa Aphrica, perdomita Carthago, adiecit. Macedoni illi Magno, nonne eadem res immortalitatem peperit? quando Darius ingenti ab eo victus prælio popoſcit à Diis immortalibus, vt ſibi ipſi regnum ſtabiliretur: Quod ſi aliter Diis cordi eſſet, non alium petiit ſucceſſorem, quam tam æquum hoſtem, mitemq; victorem. Cæſar Dictator, cuius habes nomen fortunam, liberalitatem, munificentiam cæteraſq; amplecteris virtutes: nonne condonando, remittendo, & ignoſcendo, Deorum meruit adſcribi numero? Senatus denique Populuſq; Rom. Orbis illius domitor, cuius ſolus in terris Imperium tenes, amplitudinem, maieſtatem repræſentas, ſubegitne plures populos, & Prouincias, pietate, clementia, æquitate & manſuetudine: quam viribus, armis, aut bello? Quod cum ita ſit, non in poſtremis laudum tuarum numerabitur, ſi tua Maieſtas, quæ partam in manibus de Venetis habet victoriam, fragilitatis memor humanæ, moderate ea vti didicerit, plus ad pacis ſtudia, quam antiquos bellorum euentus inclinabit. Quæ enim rerum humanarum ſit inconſtantia, quam incerti caſus, dubius, inſtabilis, lubricus & anceps mortalium ſtatus, non externis aut priſcorum exemplis edocendum erit; ſat ſuperque Veneta Reſpubl. documenti adfert quæ paulo ante florens, ſplendeſcens, clara, pollenſque, vt eius nomen celebriſq; fama, non Europæ contineretur limitibus: Sed Africam, Aſiam, inſigni pompa peragraret; reboantique in vltimis orbis terminis laſciuiret: Ea vno aduerſo prælio, & eo quidem leui, claritudine rerum geſtarum orbata, diuitiis ſpoliata, lacerata, obtrita, & euerſa, omnium rerum, imprimis conſilij egens, concidit: ita vt conſenuerit totius priſcæ virtutis imago: omniſque belli feruor tepeſcēs refriguerit. Sed aberrant, inquam, errant Galli, ſi eorum hoc virtuti adſcripſerint, cum multis antehac maioribus adfecti incommodis, maxima percuſſi ſtrage, & clade contertiti nunquam animum remiſerint Veneti. Et tum potiſſime, cum ingenti periculo cum ſæuiſſimo Turcorum Tyranno multis annis bella gererent. Qui ſemper pro victis victores euaſere. Id idem in præſens indubie ſperaſſent adfuturum: ni audito T. M. metuendo nomine, audita copiarum tuarum viuida inuictaque virtute ita animi omnium concidiſſent: vt nulla, ne dixero, vincendi, ſed ne reſiſtendi quidem ſpes ſuperfuerit: Abiectis itaq; armis, in ſola T. M. clementia, inenarrabili vel potius diuina pietate, ſpem depoſuimus. quam non diffidimus acciſis noſtris rebus adfuturam.

Principis, itaque, Senatus, Venetique Populi nomine, ſupplices humili deuotione precamur, oramus, obteſtamur: dignetur T. M. miſericordiæ oculis adflictas res reſpicere, & ſalubri antidoto mederi. Amplectemur, quaſcunque præſcripſeris pacis conditiones: eas æquas, honeſtas, æquitati & iuri conſonas, cenſebimus.

Sed fortaſſis digni ſumus, qui nobis ipſis multam irrogemus: Redeant, nobis annuentibus, ad te, verum & legitimum Dominum, quæcunq; maiores noſtri à S. Rom. Imp. Ducatuque Auſtriæ abſtulerunt: Quibus vt decentius veniamus, omnia quæ in continenti poſſidemus, adiicimus. Quorum iuri, vtcunque quæſitum ſit, renunciamus.

Præterea quotannis T. M. legitimiſq; in Imperio ſucceſſoribus, quinquaginta millia Aureorum, perpetuo ex ærario deponemus. Alia tua iuſſa, decreta, ſanctiones & præcepta, lubentes amplectemur. Tueare quæſo, ab eorum inſolētia, quibus cum paulo ante ſocia arma iūximus, quos nunc ſæuiſſimos hoſtes experimur: qui nihil æque cupiunt & deſiderant, quam Veneti nominis euerſionē. Tua ſeruati clementia, te Patronum, parentem, & Vrbis noſtræ fundatorem, appellabimus; Annalibus inſcribemus, & filiis denique noſtris, ea tua ingentia merita, ſedulo ingeremus.

Nec parua tuarum laudum fiet acceſſio, quod primus es omnium, cuius pedibus Veneta reſpu. ſupplex ſe proſternit: cui ſubmittit ceruicem, quem, vt cœleſte quoddam numen, veneratur, colit, obſeruat.

 Quod

Quod ſi ſummus Maximus Deus, eam noſtris maioribus mentem indidiſſet, vt ſuis contenti limitibus alienas contrectare res non eſſent auſi: iam ſplendeſcens noſtra Reſpub. alias Europæ vrbes anteiret: quæque iam in ſqualore ſita, taboque marceſcens, ignominia & dedecore deformis, plena ludibrio, conuiciis & cauillationibus, omniū partarum victoriarum decus, vno momento profudit.

Sed vt tandem eo redeat oratio, quo fuerat digreſſa, poteris hoc, remittendo condonandoq; tuis Venetis, nomen decuſq; parare, quo nec maius, nec ſplendidius quiſquam vllo tempore vincendo eſt conſecutus: Id nulla veſtutas, non longior annoſitas, aut temporum vlla curricula cæcis morſibus abolebunt. Sed te omnia ſecula, pium, clementem, glorioſiorem cæteris principem, dicent, prædicabunt, & fatebūtur. Nos, tui Veneti, quod viuemus, quod ætherea aura veſcemur, quod hominum commercio perfruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati, & Clementiæ adſcribemus.

IVDICIVM V. CL. DOMINI, JACOBI TRETERI V. J. D. & Conſiliarii Ducalis Pomerani Sedinenſis Aulici.

ADiungere viſum eſt orationem aliquam Antonii Iuſtiniani Patritii Veneti, in celebri illa, quæ, vt ais paulo poſt infructuoſa, victoria Imperatoris Maximiliani Primi contra Venetos anno 1509. obtenta, Ducis, Senatus, Populiq; Veneti nomine habitam. Et vt verum exemplar, eademq; orationis à Legato habitę verba fuiſſe credam, inducunt me rationes nonnullæ, quas referre placet. Cōparaui mihi forte fortuna hiſce in locis Iacobi Philippi Bergomenſis Chronicon, quod ille *Supplementum* vocitauit, Venetiis excuſum anno 1503. Ligatura ipſa Italica eſt, vt ipſo aſpectu iudicare poſſis. Huic Chronico libri dominus, fortaſſe Venetus vel certe Italus quidam, folio vacuo orationem illam inſcripſit, vti ſolent hiſtoriarum quidam ſtudioſi, magnas & memorabiles rerum mutationes libro cuipiam præ aliis charo, ſuum in vſum connotare. Præterea ductus literarum eſt plane iuxta illa tempora vetuſtus, multis abbreuiationibus conciſus, vt hærere alicubi neceſſe fuerit, antequam veram lectionem adſequerer. Amanuenſis equidem meus, cum legere non poſſet, ego ipſe deſcribere coactus ſum. Nullibi, quantum quidem ego hiſtoriarum legerim, hanc orationem, Germanicę virtutis teſtem, clariſſimamq; buccinam, typis deſcriptam exſtare autumo. Etſi enim Guicciardinus *lib. 8. Hiſtor.* eundem ſenſum Italica lingua retulerit, certo tamen certius eſt, Latine eſſe pronunciatā. Imo Guicciardini Italica verſio huic plane conſentiens, eo magis eumcit, hoc eodem modo fuiſſe recitatam orationem, vt Guicciardino copiam eiuſdem Latinis verbis conceptæ factā fuiſſe, apud me nullum ſit dubium. Cælius ſecundus Curio, qui Guicciardinum latino ſermone loquentem nobis dedit, longe ab hiſce genuinis Iuſtiniani verbis, imo & à ſenſu, ne dixerim ab elegantia, recedit. Et vt duriorem ſeculi illius lexin, delicatas aures offendere poſſe alicubi concedam, gratius tamen exiſtimo ipſiſſima oratoris ſeu legati verba legere, & quaſi pręſentē audire, quā alium paraphraſtē, vel tędioſum interpretē admittere. Veruerbium enim eſt, hiſtoriam quolibet mō ſcriptā delectare.

Niſi dubito, Nobiliſſimum Marquardum Freherum, hanc orationem, ſi copiam habuiſſet, *Tomis ſuis Germanicæ hiſtoriæ*, præſertim circa Maximiliani Impera. tempora, inſerturum fuiſſe. Coccinij ſiquidem [qui bello iſti Veneto interfuit] *libros tres priores* quia deſideramus, *quartum* autem Freherus prælo iterū ſubiecit, qui ab anno demum 1511. incipit, nil mirum, ſi oratio illa genuina tamdiu latuit: Tibi itaq; mitto, & iudicii tui facio, an eam inter particularia Imperatorum reſcripta, quæ nobis iam promiſiſti, recenſere velis, & publicis typis committere. Orationes enim tales commode interſeri poſſe non diffido, &c. Dabam Sedini Pomeran. 15. Septem. Anno 1613.

IV.

LVDOVICI HELIANI VERCELLENSIS, REGIS FRANCORVM ORATORIS IN CONVENTV GERMANORVM Principum apud Auguſtam anno M. D. X. Oratio in Venetos inuectiua.

Anno Domini 1510.

EX IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIM. ANNALIVM Hirſaugienſium volumine II. nondum edito, deſumpta.

ANno M.D.X. Indictione Romanorum XIII. conuentus Principum apud Auguſtam Rhetiorum anno præcedente per Maximilianum Regem indictus, ad feſtum Epiphaniæ celebratus lente cępit, ſed diu durauit, à principio videlicet menſis Ianuarii ad finem vſque menſis Maii. Conuenerunt illuc Germaniæ Principes multi, oratores quoq; Ludouici Regis Gallorum, Ferdinandi Regis Arragoniæ, Vladiſlai Regis Vngariæ & Bohemiæ, aliorumq; & Regum & Principum, ac regni ciuium plurimorum. Multa in eo cōuentu contra Venetos tractata fuerunt, quorum ad-

ium adhuc indomita rebellio contra Imperium durabat. Dixit in eo conuentu Principum, orator Regis Gallorum vnus nomine Ludouicus Helianus Vercellenſis ſenator, aſſerens eos primum fuiſſe piſcatores numero paucos, deinde ex piſcatoribus inſtitores atq; nauicularores eſſe factos, ex his mercatores, ex mercatoribus per latrocinia, per cædes & venena, & nefandiſſima ſcelera dominium ſibi vſurpaſſe plurimarũ vrbium, ciuitatum atq; [illegible]ratum. Magna, inquit, eorum potentia eſt. Nã eos* qui æſtate præcedente quatuor potentiſſimos principes Chriſtianorum in patentibus campis expectare ſunt auſi, & collatis ſignis aperto Marte dimicare, profecto potentiſſimos homines æſtimare & iudicare debemus. Sed iam ſunt victi, ſunt diminuti, ideoq; facilius poterũt extingui quam ſi eſſent integri. Sed niſi veſtræ, o principes, peregrinẽtur aures, intelligere debetis quid iam recuperauerint, vt ſe iam refecerint. Quod ſi eos paululum reſpirare permiſeritis, vt hanc vnã calamitatem euadant, vereor ne crabrones [vt aiunt] irritaueritis. Niſi ergo huius venenoſiſſimæ ac ſugentis viperæ, dũ adhuc titubat, ceruices perfregeritis, prædico vobis, ſi non tam cito, at profecto quandoq; tamen, & ſi non vos, certe veſtros ſucceſſores ſuo veneno inficiet ac ſpiris circumdabit. Et prǽterea illis cõſilium domi, & ars ſenatoria. Deligũt ex callidiſſimis & verſutiſſimis ſenatorib. oratores, quos cum retibus, hamis, & viſco peregre mittunt, non ad piſces aut aues irretiendas aut ineſcandas, ſed ad fallendos atq; decipiendos principum animos. Tot & tales ſunt laquei Venetorum, quos principibus miſeris parant, vt eos dinumerare nemo queat, quin etiam niſi cautus euadere. Auctoritatem, pecunias, vrbes, ac prouincias multas Veneti perdiderunt, ſuperbiã, dolos, vaframenta non amiſerunt. Age vero præ deſiderio & cupiditate dominandi, ſi iuſtitiæ aut honori ſuo, ſi vlli homini, aut ipſi Deo vnquam pepercerunt. Teſtis eſt Iacobus Rex Cypri, quem accepta prius in vxorem filia ſancti Marci [ali amara filia, & infauſtum matrimonium] cum filiolo veneno ſuſtulerunt, vt Cypri regno & inſula nouem quondam regnorum capace potirentur.

Verba [illegible]

Teſtes ſunt Franciſcus Comes Carmignola, & Bartholomæus Bergomeres cognomento Coleo, Venetorum copiarum duces duo tunc in re militari præſtantiſſimi, quorum alteri propter facetum ſeu cauilloſum dictum in media curia reorum more caput ſecuri amputari fecerunt: alterũ vero Bartholomæum propter ingentes opes bellica virtute quæſitas, veneno necarunt. Teſtis eſt patriarcha Gradenſis, qui & Aquileienſis, quem Iſtria & dimidia parte Venetiæ priuauerunt. Teſtes ſunt iterum duodecim Canonici Aquileienſes, quos parum * multis opulentis caſtellis, & oppidis quæ poſſidebant, ſimul ſpoliaſſent cum vita, niſi pro memoria tanti ſacrilegii duodecim porcos pingues abraſo collo die Iouis ante quadrageſimam ſingulis annis in arena populo ſpectante gladiatoribus confodiendos obiiciant. O feſtum truculentum ſceleratorum. Teſtis eſt Rex Hungariæ, cuius prope trecentas inſulas, decem ciuitates Epiſcopales, duas prouincias Dalmatiam & Liburniam, tot portus, quingenta circiter millia paſſuum maritimi littoris occuparunt.

Anno 1475.

Teſtis eſt Imperator Conſtantinopolitanus, multiq; proceres eius, & finitimi Itali. Carrarienſes, Scalenſes, Mantuani, Ferrarienſes, & Mediolani Duces: quorum alios magnis vrbibus, inſulis ac prouinciis, alios dimidia parte; alios omnibus bonis, alios etiam vita mulctarunt, nullam habentes iure cauſam niſi dominandi ambitionem. Teſtes ſunt Germani Reges, Imperatores Romanorum; anteceſſores tui Rex Maximiliane, quos Patauio, Vincentia, Veronaque deiecerunt. Teſtes ſunt Auſtriæ Duces, quos Taruiſio Feltro; Concordia, Vtino, Tergeſto, Goricia, & omni poſſeſſione Italiæ penitus expulerunt, & conantem te ad Imperatoriam coronam Romam proficiſci per annos iam quatuor & viginti armis retinuerunt.

Teſtis eſt deniq; Romanus Pontifex, & ipſe ſanctus Petrus Apoſtolus, cui ne ſe cæteris vicinis feliciorẽ putaret, Forũ Liuium, Forũ Corneliũ, Fauentiam, Arminũ ſimul atq; Rauẽnã dolo, fraude, ſed nullo iure abſtulerunt. Et vt regno Siciliæ potirẽtur, quinq; vrbes in Apulia, Salentiniſq; in laboribus * regum. Neapoleos interceperunt, inter quos Hydruntũ & Brundusium celeberrimo portu fuere principaliora. Qua deniq; arte, quibus dolis & fraudibus Piſam vſurpauerint, vt per eam alterum Italiæ latus inferi maris affligerent, Florentiamq; paulatim attererent, Genuam ad primos motus cum vna ex factionib. ingrederentur, ac deinde Siciliam, Corſicam, Sardiniam, Baleares, Narbonenſem prouinciã, omniaq; littora Hiſpaniæ vſq; ad fretum Herculeum claſſibus percurrerent, fatigarẽt, infeſtarent, affligerentq;. Quanta vero ſit Venetorũ arrogantia, ſuperſtitio, & leuitatis manifeſtæ fatuitas, ex eo patet, ꝙ ſe maris Dominos gloriantès, & ſiue mariti Thetidis ſint, ſiue vxores Neptuni, ſingulis annis ſibi illud deſpondent annulo iniecto aureo. Arrogãtia nuſquã prius audita, elementa deſponſare. Romani homines quondam ſapientiſſimi, tres vrbes tantæ potentiæ, ꝙ pondus Imperii ſuſtinere potuiſſent, propter tria maxima vitia deletas eſſe voluerunt, Carthaginem propter perfidiam, Capuam propter ſuperbiam, & Corinthum propter auaritiam. Quæ crimina qualiter ſint in Venetianis, diligenter attendite, vt hæc & multa alia quæ vix in ſingulis reperiantur huic vni ciuitati propria vitia ſint & peculiaria, fartores ſartoreſq; ſcelerũ, inuentoreſq; ac nouarum artifices machinarum, quorum cellæ & meatus corporis nihil aliud ſunt quã ſpiramenta proditionum. Nemo cum eis cõmercatur, quem ad extremum ad lachrymas non cogant. Nullum bellum à multis ſeculis inter Chriſtianos geſtum eſt, cuius ipſi auctores non extiterunt. Nemo Venetias diuertit, ſit acutus, ſit circumſpectus, ſit ſapiens, qui non decipiatur aut aliqua fucata merce, aut aliqua falſa gemma circumuenitur, aut à publicanis ſyngrapham non accepit, aut exploratorum in numero eſt.

** Locus [illegible]*

Maris Domini.

Denique eſt ſemper aliqua mala crux, quæ deprehenſos meritos torqueat excruciétq;: nec habet inter eos perfidia modum, vel locum æquitas. Et quæ poteſt Venetorum par inueniri oratio

ſuperbiæ? Hi ſunt homines qui aiunt apud ſe natam nobilitatem eſſe, qui ſoli diuites ac modeſti, ſoli ſapientes ſibi videntur eſſe in oculis ſuis. Nos autem, qui non vt draçones erecto pectore tumidi, & elata ceruice incedimus purpurati, qui multa millia non cuſtodimus in arca, ſermonem in digitis nõ conſtituimus, argentea fercula non comedimus, eis Barbari ſumus, intemperantes, ebrii, dementes ac væſani, Principes autẽ omnes vno nomine Tyranni, hominũ mendicabula cenſentur ab eis. Nos oderunt, nos contemnunt, nos ſumus illis materia ad ridendum vberrima, nos Galli multũ, ſed certe vos Germani non longe minus. Nã quæ nuptiæ, quę comœdia aut fabula Venetiis vnquam acta fuit, in qua primatum partium Germanus homo non fuerit introductus? veſtri mores, ſermo, victus, habitus, inceſſus, per mimos, hiſtriones repræſentatus ridere & gaudere Venetianos facit, exultare quoq;, triumphare & geſtire. Tanta eſt eorũ ſuperbia, tantus Germanorũ contẽptus ac irriſio, quaſi non ſint homines, ſed monſtra, vel bruta ſine ratione, omnes quicunq; naſcuntur extra Venetiam.

De auaritia Venetorum profundiſſima melius eſt tacere quam parum loqui. Hoc tamen vnum non ſilebo, quod cum Germania liberam ſe & immunem à tributo eſſe putet, ſicut & eſſe debet cum armis adhuc non potuerint aſtutiſſimi Sophiſtę, bene inuenerunt artem qua ſibi tributariã fecerunt. Locant. n. mercatoribus veſtris domum, *lo fundico de Todeſchi*, triginta ſuper centum ducatis in ſingulos dies: non dico ſingulis annis, quod quidem ſatis eſſet, ſed dico ſingulis diebus, quæ quidem ſumma facit annua florenorum Rhenenſium paulo minus ſexaginta millia. Hoc tributum penditis, ô Germani, ſingulis annis Venetorum inſatiabili auaritiæ, quam orbis non ſatiaret.

Ad memoriam reducite Principes, quæ vel quanta vobis ac militibus veſtris contra fidem intulerint mala, & auribus obturatis nolite voces audire perfidorum. Ecce poſt tanta in rem veſtram publicã perfidorum ſcelera commiſſa, quomodo veniunt audentque lugubri veſte, torto collo, flebilibus oculis, ſubmiſſaque voce poſcere: qui ſuperioribus diebus comprehenſi ſunt cum ſcalis & exercitu magno ſub mœnibus Veronenſibus, vt vrbem noctu inuaderent, & pręſidia veſtra iugularẽt: & nunc audent dicere: *Vultis o principes Venetiam alterum Italiæ oculum effodere, penituſq; delere?* Non eſt tam dementium principum illos ingenioſos artifices, illos honeſtos mercatores, illas ædes admirandas velle ſubuertere. Quæ quanquã ex ruinis & trophæis Romanorum & Græcorum, multarumq; vrbium vetuſtate conſtent, tamen quoniam ſenſu carent, nec aliquid cõmiſerunt mali, non ſunt dignæ tantorum principum ira. Clamant iam nunc Venetiani ſuperbia contumelioſi & pertinaces: *Quid fecimus? quid cõmeruimus?* O perfidi, quid niſi penitus extingui cõmeruiſtis? Iam petitis pacẽ, qui fidem nunquam ſeruare didiciſtis. At non ita dicebatis ante biennium, quando alpes tranſgreſſi Danubium ac Viennã Auſtriæ ciuitatem infeſtis ſignis petere ſtatuiſtis? Bononiam, Vrbinũ, & Mediolanũ ſuperiore anno ante finẽ menſis Maii in veſtram poteſtatẽ venturas fore iactabatis quãdo Romanum Pontificem Maximum, paruum capellanum & minimũ vobis miniſtrum altaris vos facturos prædicabatis, & regem Gallorũ Venetias catenatum trahere minabamini, & Cæſ. Auguſt. deformiſſimis picturis, atq; inhoneſtiſſimis Comœdiis & ſpectaculis ignominioſiſſime referebatis, cum titulo & cauſa: *Hic eſt Maximilianus Auguſtus, Imper. Rom.* Deteſtanda Venetorum ſuperbia. Viri non eſtis o Germani, Cæſareo animo tuo ſolito Maximiliane amplius non es Cæſar, ſi poteſtis tolerare has rapaces Harpyias, has venenoſiſſimas aſpides, tam varias tam verſipelles lynces, tamq; ſanguinarias tygrides, ſanctiſſimæ Imperatoriæ maieſtatis veſtræ calumniatrices, nomini Germano infeſtiſſimas infenſiſſimaſq;, amplius dominari, & in Chriſtianos exercere tyrannidem.

Supereſt vt de his quæ Veneti contra & aduerſum Chriſtanos, contra religionem, imò contra Deum ipſum commiſerunt, pauca ſubiiciamus. Quidquid enim habent, alienis calamitatibus adepti ſunt. Quotiens deniq; Cruciata, id eſt, deuota Chriſtianorum coniuratio in Turcas tentata eſt, & totiens à Venetis interrupta, præcipue ſub Pio Papa II. qui paratis omnibus vbi ſenſit, ſanctiſſimã expeditionem artibus Veneticis diſſolutã, vir acris ingenii, Chriſtianæ religionis deuotiſſimus cultor, ex animi dolore nimio interiit. Rhodus terra marique periculoſiſſima obſidione premebatur à Turcis, quã cymbã aut ſcapham in auxilium Veneti miſerunt? Certe niſi Genuenſes religioſa pietate Rhodianis miſiſſent auxilia, ſicut Conſtantinopolis Venetianorum perfidia, ita & Rhodus in deditionem Turcarum deueniſſet. Hiſtoria cunctis eſt nota, quemadmodum Veneti plurimis annis vario temeritatis ingenio tentauerint, ſi quouis modo ſiue per fas ſiue per nefas Conſtantinopolim ſuo potuiſſent ſubiugare dominio. Quod vbi viderent, ſe tantæ vrbis potiundę nullam poſſe inuenire facultatem, Turcis maluerunt quam Chriſtianis eſſe captam.

Conſtantinop. capta An. 1453. Enimuero cum Turca in manu ſuorum grauiſſima Conſtantinopolim terra mariq; duriſſime oppugnaret, & claſſis Venetianorum otioſa reſideret in proximo, Conſtantinus Palæologus Imper. Græcorũ obſeſſus per nuncios occultos lachrymabiles deprecationes Venetæ claſſis præfecto miſit, obſecrans illum per Deum, qui ſedem illic patriarchalem conſtituit, per virginem quoq; Dei parentem, cuius nomini ciuitas ipſa fuerat conſecrata, vt vltimo regni orientalis excidio ſubueniret, & ex tanta Venetorum claſſe vel duas in ſubſidium naues tranſmitteret. Sed o inueterata fraus piſcatorum, reſpondit nuntio Imperatoris Venetianorum præfectus, *Non eſſe moris Venetorum aliena defendere. Proinde ſi ſe ac vrbem dederint*, hoc eſt, ſi Venetis ſe ſubmiſerint, *cum tota claſſe venturum ac obſidionẽ ſoluturum.* Adiecit deniq;, ſe cõmiſerari tam diræ Chriſtianorum calamitati, ſed ab Senatu tale habere mandatum, quod ſine periculo capitis nulla ratione tranſgredi poſſet. Interim Conſtantinopolis capitur, & crudeliſſime diripitur, ſi vnquã ciuitas direpta fuit, ita vt gemitus cadentium Chriſtianorum, & mulierum eiulatus è Veneta claſſe perfecte exaudirentur. At iam Venetiani ſpe potiundæ

vndæ vrbis amiſſæ, ſpolia ciuitatis & prædam à Turcis coemerunt, & plenis nauibus Venetias remigarunt, reliquias Romani imperii ſecum vt perfidiſſimi deportantes.

O perditiſſimi hominum Venetiani, quomodo tam inſignem ciuitatem in manus hoſtium crucis Chriſti deuenire paſſi eſtis, quam faciliime liberare potuiſſetis? O laniis, imo dæmonibus crudeliores, qui tot millia Chriſtianorum, tot monachos, tot ſacerdotes, tot virgines, tot mulieres, tot ſenes, tot iuuenes, tot paruulos & innocentes perire crudeliſſime gladio impiorum maluiſtis quã ſaluare. Quot præterea proceres, quot ciuitates Thraciæ, Macedoniæ, Græciæ, Illyridiſq; fidei Veneticæ [ac ſi dicerem perfidiæ Punicæ] tradiderunt: Quos omnes aut præcipitauerunt, aut Turcis vendiderunt. Clamabant illi miſeri cum Turcis dederentur: *Ita Veneti, Chriſtiani ſanguinis mercatores, o Chriſtianæ religionis deſertores & proditores, quam impie perfidiſſimeq; nos tradidiſtis.*

Et quo ſermone, quibus verbis, o Hieroſolyma, & tu Iudæa ſanctiſſima terra, quoue dicendi ordine vos deflebo? Nolo amplius mihi credi, res iam eſt annalibus memorata. Credatis Blondo, hiſtoriographo ab omnibus approbato. Fama quondam erat Saladinum Ægyptiorum Regem Hieroſolymam obſidere. Nunquam religio noſtra caruit defenſoribus: quanquam nunc ita principes delicati ſunt, vt ſi limites regni ſui, quamuis exigui, vſq; peruenerint, expeditionem orĩẽtalem ſe feciſſe arbitrentur. Ad hanc famam multi proceres Venetias cum magnis copiis armatorum conuenerunt, pro fide Chriſtiana & ſancta terra mori parati poſtulantes à Venetianis in Syriam nauibus pro mercede tranſduci. Veneti accepta mercede ventos contrarios ſimulauerunt, in Dalmatiamq; peregrinos expoſuerunt, & eorum opera vſi ſunt ad Ladram & alias ciuitates, quæ rebellauerant, à Venetis recipiendas. Interim Hieroſolyma capitur à Saladino Ægyptiorum, non quidem Chriſtianorũ negligentia, vt pleriq; arbitrabantur, ſed dolo & proditione Venetorum. Quis hic non vociferaretur, excandeſceret, ingemiſceretque? O venenati Veneti, quantam calamitatem veſtra induxit perfidia Chriſtianitati? Piſani quam diu floruerunt, & Genuenſes, omni tempore Chriſtianis in oriente laborantibus ſuis claſſibus ſubuenerunt. At Venetiani ſemper infidi ac fraudulenti, ſemper impii & crudeles, omnes Chriſtianorum neceſſitates tumidi contempſerunt.

Hierosolyma capta.

Hic multa prætereo de Sopho Perſarum rege moderno, qui maximum cum Turcis bellum gerit, cuius oratores ad Germaniæ principes miſſi pro implorando ab iſta parte bellico apparatu Chriſtianorum contra Turcos, cum veniſſent nauigio ad perfidos Venetianos, retrocedere infecto legationis ſuæ officio compulſi ſunt. Fuiſſet tum facile Chriſtianis Conſtantinopolim cum toto imperio Græcorum ſeu orientis recuperare, ſi Venetis innata perfidia non obſtitiſſet. Nam Sophi cum innumerabili multitudine Perſidem egreſſus, Turcam impugnabat, contra quem ſi Chriſtiani ab occidente proceſſiſſent, ſicut ille ab Oriente, fuiſſet omnino deletus.

Omitto longe plura de Emanuele Rege Luſitanum ac Portugalenſium, qui cum à Tergo Libyæ in mare rubrum claſſes miſerit iam multas, & Ægypti, Arabiæ, Perſidis, Caramaniæ, Indiæ ac Taprobanę fines populatus fuerit, magno à Venetis odio habitus eſt, quod eos in ſocietatem illius cõmercii recipere noluit, ob eamq; cauſam, fabros, materiam & arma Soladino Ægyptiorum tyranno miſerunt, vt ædificata & inſtructa claſſe Portugallenſes à tantis inceptis ſubmoueret. o perfidia, o inſatiabilis auaritia Venetorum, quorum tanta eſt inuidia, & crudelis ambitio, vt infidelibus arma miniſtrent contra Chriſtianos.

Tranſeo quæ in Cypro, quæ in Creta, in Ponto, in Peloponneſo, & in omnibus Cycladibus aduerſum Chriſtianos perpetrarunt mala, ne prolixitas tędium parturiat. Hydruntum ciuitas eſt Salentinorum in extremis in oris Italiæ, quam Turcæ grauiſſima obſidione terra mariq; adorti ſunt, illamq; Italiæ regionem, quæ certe & magna & fertiliſſima eſt, ad Garganos vſq; montes totam flammis exurebant, & iam non regno Siciliæ tantum, ſed Romæ ſanctuario Dei, ſed Italiæ ac toti Chriſtianitati timebamus. Quis tum Chriſtianorum non ingemuit? Quis opem non tulit? Cum ab Vngaris, ab extremo Septentrione atq; ab occidente vndiq; auxilia conueniſſent, & non ſolum Principes & vrbium ciues, ſed etiam familiæ Fratrum Mendicantium ſubſidia præſtarent. Soli Venetiani, qui tum claſſem paratiſſimam inſtructiſſimamq; in anchoris Corcyræ tenebant, qui ſoli obſidionem ſoluere potuiſſent, ſoli ſpectatores, non auxiliatores eſſe maluerunt. Quid auxiliatores dico? imo proditores nefandiſſimi innocentium Chriſtianorum extiterunt.

Cum enim ſimultates gererent cum Ferdinando rege Neapolitano, propter Alfonſum eius filium, qui tunc Hetruriam bello vexabat, timentes ne maior fieret, cum ipſi non poſſent, per Turcas iniurias ſuas vlciſci maluerunt, atq; ita ſpurciſſimam gentem Turcarum in Italiam à ſuis ceruicibus in Chriſtianos concitarunt. Recordamini temporis illius, cum ab omnibus fere Chriſtianis laboratum eſt, & morte Turcæ Regis vix ægre obtinuimus vt deditionem Hydrunti facerent. Quot millia Chriſtianorum tunc manib. Turcarum trucidata ſunt? quantum ſanguinis Chriſtiani fuſum? quot nobiles matronæ, quot virgines, quot pueri in miſeram ſeruitutẽ rapti ſunt? quorum alii adhuc Turcis fide abnegata ſeruiunt, alios ego vidi, qui cũ iure poſtliminii reuerſi vix à parentibus poterant recognoſci. Non memini Chriſtianos maiorem cladem pertuliſſe, o Venetiani, quam vobis auctorib. perpeſſi ſunt. Sed ſi homines obliti ſunt, non tñ Deus tantæ proditionis vltor obliuiſcetur. Sanguis clamat ſuper vos, & ſuper filios veſtros, ante tribunal iuſti iudicis domini Dei noſtri Ieſu Chriſti. Vos o Veneti proditores, vos, non Turcæ, ſanguinem illum effudiſtis. Tempus erit quo vos illorum cædes, atq; vtinam non cum veſtris Venetiis, veſtro ſanguine rependeritis. Quis non omni odio, omni pœnâ, omni ſupplicio Venetos exiſtimat dignos? Sed hic magno, forti ac vehementi oratore foret opus, aut aliquis eorum è numero, qui pleni Spiritu Sancto ad populum concionari ſolent. Qui ſi

adeſſet,

adeſſet, quantas lachrymas, quantam inuidiam, quantamue indignationem excitaret auditorum omnium contra Venetos, propter eorũ ſuperbiam, auaritiam, ambitionem, crudelitatem, corruptelas, furta, rapinas, oppreſſiones, ſacrilegia, proditiones, im̃anitates, impietates, & ſcelerum immanitatẽ. Iam .n. Venetiani tam indomabiles facti ſunt, vt cum quatuor Chriſtianorum potentiſſimis principibus, de ſumma rerum auſi ſint decertare, & ne victi quidem quieſcere poſſunt. Qui expilando, ſubordinando & corradendo magnũ ex vicinorum vrbibus imperium ſibi conflauere, qui omne argentum, aurum, gemmas, vaſa, ſigna, tabulas, & quicquid pulchri, quicquid pretioſi in toto terratũ orbe reperiri potuit, id totum malis artibus Venetias cõportarunt, & congeſſerunt. Qui mare ac terras intercludentes, mercatores cũ mercibus intercipientes, nauarchos cum nauibus demergentes, venenando, necando, excruciando, omnia cruore, omnia lachrymis & funeribus cõpleuerunt, omnia gabellis, datiis & portoriis tyrannica ſeruitute fœdarunt, ſubdiderunt, & nimium aggrauarunt, manus ſacrilegas in ſacroſanctos Domini ſacerdotes miſerunt, torquẽdo eos ſine reuerentia dignitatis, bona Eccleſiæ Deo dicata prophanarunt, ſummum Chriſti vicarium Pont. Rom. vt vile mancipium contempſerunt, per vulnera & mortem fidelium, & propter cõmoda eorũ priuata ſiue propria Chriſtianam religionem ad has exiguas Europæ anguſtias ac latebras deductam pene ſubuerterunt: vt cum Turcarum impiiſſimo rege taciti conſpiraſſe ac partiti eſſe videantur, vt ſcilicet illi orientali, ipſi autem occidentali tandem ſoli potiantur imperio. Sed Venetiani extinctores & inimici nobilitatis, contemptores Principum, direptores & incendiarii vrbium, ſpoliatores prouinciarum, hoſtes ſacrorum, depopulatores & incẽdiarii vrbium, ſpoliatores prouinciarũ, hoſtes ſacrorum, depeculatores reip. Chriſtianæ, oſores cleri, labes & pernities humani generis, cum [proh pudor] neq; Turcæ ſint, neq; vere Chriſtiani, vtinam aut veri Chriſtiani fuiſſent, aut veri Turcę. Nam ſi veri Chriſtiani fuiſſent, & Hieroſolymam & Conſtantinopolim, & totum orientem, vt quondam, etiã hodie Chriſtiani poſſiderent. Aut ſi veri Turcæ fuiſſent, nunquam paſſi fuiſſemus tam malas herbas omni aconito peſtilentiores in noſtris penetralibus, in noſtris viſcerib. ac inteſtinis tam alte radices ponere, quin eos funditus extirpatos facto agmine vltra portas Caucaſeas reieciſſemus. Nunc autem cum & mali ſint Turcæ & peiores Chriſtiani, atq; modo cum ambobus bella gerant, modo cum vtroq; ſocietatem ſimulent, nunc harum, nunc illarum partium, nemini ſint fidi, nemini tuto fidentes, nemini amici, Chriſtianam religionem ad paruas Europæ anguſtias deductam, & pene deſtructam [ſicut diximus] mancam ac debilem concluſerunt, & quæ audiſtis mala fecerunt.

Siccine dormitis, o Germani Principes? parumper expectate, & dum vos conſultationibus vacantes differtis negotium, Veneti nocturnis ſcalis Veronam aggredientur, vos potentia magni, vos armis inclyti, vos deniq; viribus & fortitudine cunctis nationibus metuendi, tantam ignominiam, contra maiorum veſtrorum cõſuetudinem tolerabitis, quas vix ignaui ac vmbratiles, vix muliercul{æ} medius fidius tolerare poſſent? O ſi nunc viuerent illi Cimbri ac Teutones bellicoſiſſimi, qui cũ Mario de orbis imperio dimicauerunt, & illi qui cum Iulio Cęſare, cũ Traiano, cum Antonino, cum Fuluio, cum Seuero, cum Conſtantio, & cum aliis pluribus Imperatoribus bella geſſerũt. Illi quoq; Teutones ſiue Germani, qui Quintilium Varum, Romanum conſulem cum tot legionibus occiderunt. Et illi Germani, Saxones, qui Britãniam [quæ nunc eſt Anglia] Scotiam, Hiberniam, Orcadas, Galliam, Franciam, Hiſpaniam, Wandaliciam, Longobardiam magnam Italiæ partẽ, tot bellis deuictas ſuo dominio potenter ſubeſſe cõpulerunt. O vos Germani Principes & Proceres, penes quos imperium eſt non ſolum Romanorum, ſed totius quoq; orbis, iure tam diuino quã humano, cur tãtundem à virtute degeneratis auorum? Cur non pręitis contra hos Chriſtianæ religionis inimicos, hoſtes, & deſtructores? Cur non præfertis victrices aquilas, vt & reliqui Chriſtiani vos ſequerentur, contra Venetos primum, qui ſunt ſeges & materia tantorum malorũ, ac deinde aduerſus ipſos ſpurciſſimos, immaniſſimoſque nominis Chriſtiani hoſtes, inimicos, & perſecutores Turcas? Venetianam, precor o proceres, deiicere peſtiferam molem properate, perfringite oro Chriſtianæ ſalutis obſtaculum, obſtruite hanc peſtilentiſſimã Mephitum, ſentinã, præcipitium & ſcaturiginem omniũ vitiorum; vindicate & vos & orbem Chriſtianum in libertatem, ſoluite vos à tanto metu perfidorũ, eradicate genus improbũ, quando & tẽpus vos iuuat & fortuna. Tuti eſſe non poteritis quã diu ſub tyrannide Venetorũ manent Iſtria, Liburnia, Dalmatia, Corcyra, Cephalenia, Zazynthus, Creta ſimul & Cyprus. Patefacite iſtas execrabiles & diras portas Venetianas, quæ tam diu Chriſtianos aduerſus infideles progredi laborantes cõtinuerunt. Poſtea Deo auctore, aperto marte maioribus auſpiciis Turcas aggreſſuri.

His & multis aliis memoratus orator Gallus in Venetianos fulmina ſui detorquens ſermonis, maximo quidem enitebatur ſtudio, ſicuti manifeſte patet omnib. illos reddere odioſos & principũ armis conterẽdos. Quod quidẽ non tam ſua ſponte, quã regis Gallorum Ludouici, à quo fuerat miſſus, feciſſe putandus eſt. Sic enim in orationis ſuæ principio dicit: *Ego qui multos defendere, neminem lædere conſueui, in has anguſtias deductus ſum, vt aut ab officio legationis mihi ſit recedendum, aut de improbitatibus, de dolis, de male meritis Venetorum neceſſario non ſine magno dolore mihi ſit dicendum. Quod ſi aliquorum aures offenduntur, debetis id neceſſitati temporis, ac malignitati illorum, non mea cõſuetudini tribuere, quanquã videor, in propoſito defenſionis propemodum perſeuerare. Nam cum Venetos accuſo, defendo infinitos mortales, Italiam totam, multaſq; alias prouincias, à quorum faucibus in libertatem reuocandæ ſunt. Defendo Chriſtianos orientales, quos ad manus Turcarum peruenire ac in morem pecudum mactari permittunt Venetiani. Defendo Eccleſiam Romanam, ad quam ſubuertendam, vt ipſi ſua deſideria conſequantur, vocare Turcas, & quaſi porrigere manus videntur. Innocentes defendo, cum impios, ne creſcant, dico ſupprimendos.*

PARS XXII.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS, APOLOGIAS, INFORMATIONES, ORATIONES, ET COHORTATIONES, QVÆ NOMINE SACRÆ

Cæſareæ Maieſtatis, Ordinumque Imperii, in defenſionem auctoritatis & libertatis ſacri Romano-Germani Imperii, habita, tractata & actitata fuerunt

CVM PONTIFICE MAXIMO ROMANO, quem Papam vocamus; & contra eiuſdem vſurpationes.

I.

Anno Domini 1526.

PRO DIVO CAROLO, EIVS NOMINIS QVINTO, ROMANORVM IMPERATORE INVICTISSIMO, PIO, FELICE, SEMPER AVGVSTO, PATRE patriæ, in ſatisfactionem quidem ſine talione eorum, quæ in illum à Pontifice Romano ſcripta, ac pleraque etiam in vulgum ædita fuere, Apologetici libri nuper ex Hiſpaniis allati.

PRIVILEGIVM CAROLI CÆSARIS.

CAROLVS diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, &c. Vniuerſis & ſingulis Principibus eccleſiaſticis & ſecularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Præfectis, Procuratoribus, Officialibus, Sculteтis, Burgimagiſtris, Conſulibus, Ciuibus, Communitatibus, & omnibus aliis noſtris & Imperii ſacri ſubditis & fidelibus dilectis cuiuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis, præeminentiæ, aut conditionis fuerint, Gratiam noſtram Cæſaream & omne bonum. Quum famæ & exiſtimationis noſtræ ratio, atque plurimarum rerum indignitas nos ad hanc prouinciam dignitatis, & innocentiæ noſtræ ſcriptis defendendæ compulerint, etſi ab hoc armorum genere, vt minus digno maxime ſimus auerſi, atque ſi per eos, quos præter publicæ tranquillitatis, quam nullo non loco interturbant, fatale etiam noſtri odium tenet, licuiſſet, in totum maluiſſemus abſtinere: tamen quum hoc non potuerit impetrari, ſtuduimus ſaltem, vt illud quam modeſtiſſime per nos tractaretur. Etenim vt commemoremus breuiter cauſas quibus ad id coacti ſumus: quum pacatis iam rebus omnibus, nobis cum Gallorum Rege pulchre conuenire arbitraremur, vt quē præter alia beneficia libertate donatum, & regiæ dignitati reſtitutum in affinitatis coniunctionem admiſeramus, de Pontifice vero nihil plane ſuſpicaremur, quin & cum ipſo Gallorum Rege ac cæteris Chriſtianis principibus [vt in fœdere conuenerat] remp. contra comunes hoſtes nobiſcum ſuſcepturum crederemus, ecce vterque capitale in nos bellum contra fidem datam, contra ius & fas, præter omnem opinionem noſtram, atque adeo in mediis Reipu. periculis molitur: In quo cum parum videretur armis nos, ſtatum & dignitatem noſtram impeti & labefactari, contumelioſis etiam literis, libris & orationibus in famam noſtram ita debacchatum eſt, vt palam fieret omnia illorum conſilia in noſtram perniciem recta tendere. Itaque quo congeſta in nos conuicia & criminationes refelleremus, cum viciſſim pro noſtræ cauſæ ſatisfactione conſcripta in publicum dari conſenſerimus, atque in hoc eam moderationem quam in cæteris armis [quæ ita hactenus à nobis tractata ſunt, vt palam teſtatum reliquerimus, pro rei atrocitate propitia, pro belli inſania ac furore incruenta, nullaque alia quam rerum noſtrarum præſidij cauſa ſuſcepta fuiſſe] præſtare cupiamus, ne vlla modeſtiæ pars in nobis deſyderetur, & quos cauſa vincimus, & hac in parte vincamus: quo ea omnia ſyncere adhibere citra vllius iniuriam, aut contumeliam in publicum exeant, neque illorum exemplo cuiuis quæ vel dolor ſuadet, vel odia dictant, pro libidine liceat admiſcere, eorum excudendorum curā noſtro & Imperii Sa. fideli dilecto Ioanni Schoefer chalcographo Moguntino demandauimus, ità vt ea ſolum quæ in his noſtris Hiſpaniarum Regnis excuſa, in duos libellos redacta ſunt [quorum primus binas Pontificis literas, quibus nos binis quoque reſpondemus, noſtram præterea epiſtolam ad ordinem ſeu collegium Cardinalium, * alter vero literas noſtras ad dilectiones veſtras, ac cæteros Imperii Status, qua Gallicis ſatisfacimus, Gallicæ itē apologiæ, quæ conuentionē apud Marchiā

Hoc ſecundi libri tractatum contra Galliam Regem retulimus infra ſuo loco, part. 20 tract 8.

Carpen-

Carpentanam factam eludit: refutationem, capitulaque fœderis, cui Sanctiſſimi titulus prænotatur, cum literis Gallorum Regis complectitur, quibus vltimo loco reſponſio noſtro nomine, Pontificis, Galli & Venetorum nunciis & oratoribus data accedit, citra vllam additionem excudere, & in publicum dare poſſit & valeat, abſq; vllo impedimento: Statuimuſq; & decernimus auctoritate noſtra Cæſarea, ac inhibemus, ne quis alter in vniuerſis ditionibus ac terris nobis & ſacro Roman. Imperio quoquo modo ſubditis, prædictas literas ac libellos infra Quinquennium à prima eorundem ædit one, excudat, aut alibi excuſos vendat publice vel occulte ſub pœna grauis indignationis noſtræ, amiſſionis librorum, quos ipſi Ioanni Schœffer per præſentes conſignamus, & quinq; marcharum auri puri ærario noſtro, totidemq; præfato Ioanni Schœffer irremiſſibiliter perſoluẽdarum. Vobis præterea omnibus & ſingulis mandamus, vt præfatam noſtram iuſſionem, voluntatem & decretum obſeruantes, & obſeruari facientes nihil in contrarium faciatis, vel fieri permittatis, quatenus vobis & cuilibet veſtrum gratia noſtra chara eſt, & pœnam prænarratam quilibet veſtrum voluerit euitare. Hoc tamen edicto noſtro nolumus inhibitum sereniſſimo Principi D. Ferdinando regi Hungariæ & Bohemiæ, Archiduci Auſtriæ &c. Fratri noſtro chariſſimo, quo minus ſua Serenitas eadem in ſuis regnis & dominiis excudi facere ſeu permittere queat. Hæc eſt noſtra ſeria voluntas. Datum in oppido noſtro Vallisoleti die 2. Martii. Anno Domini M.D.XXVII. Regnorum noſtrorum Romani octauo: & aliorum duodecimo.

Carolus

Mandato Cæſ. & Cathol. Maieſt.

Alphonſ. Valdeſius
Secretarius ſubſcripſit.

Vt. Waldkirch.

PROLOGVS AD PIVM LECTOREM, IN QVO *præter alia, cauſæ expilationis Vaticani narrantur.*

CVm nuper Romana curia, eiuſque ſummus Monarcha Clemens ſeptimus Pontif. Max. non nulla emiſerit monitoria, Bullaſque (vt vocant) pro Oceano tumidiores perhorrendi anathematis, & æternæ maledictionis (quibus fulminibus vniuerſum orbem terrere ſolent) aduerſus Reuerendiſſimum in Chriſto patrem dominum Pompeium Columnæ, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Sacræ Roman. eccleſiæ presbyterum, Cardinalem & Vicecancellarium, atque illuſtriſſimos Veſpaſianum, & Aſcanium Columnæ. Traiecti & Albi duces aliosque dominos Columnenſes: atque in his nuper illuſtrem Carolum de la Noy Sulmonæ principem, Viceregem Neapolitanũ expreſſe nominauerit, eaque non tam aduerſus Columnenſes, quam in Chriſtianiſſimum Romanorum Imperatorem Carolum huius nominis quintum, eiuſque ſubditos vt nullo nõ loco ſe male meritum de Cæſare & Columnenſibus oſtendat, emiſſa videantur: tametſi videam ea à multis contemni, à plurimis merito (vt plane iniqua) irrideri, adductis cauſis alias forſan commodius promulgandis: Quo tamen nonnullis pie (pene imp edixeram) ſuperſtitioſis ſatisfaciamus, qui huiuſmodi fulminibus ſeſe pice nigriores iam redditos putant, ni his monitoriis plane etiam iniquis obtemperent, ac timeãt vbi nullus eſt timor: hæc omnia, tum quia iniqua, tum quia ante eorum æditionẽ Cæſaris nomine tam pro ſe quam pro regnis, dominiis, ſubditis, atque agentibus ſuis à Romano pontifice ad futurum generale concilium legitime appellatum, ipſaque generalis Chriſtianorum conuentus congregatio per actum publicum poſtulata fuerat, nullius eſſe roboris, vel momenti omnes edocere, ab hocq; te ſcrupulo quoſuis ſuperſtitioſos liberare cogimur. Habes igitur optime lector, Clementis literas, vel ſi mauis (vt ipſi aiunt) Apoſtolicum Breue contumelioſe in Cæſarem ſcriptum, in quo excogitatas omnes comminationes aduerſus Cæſarem eiuſque in Italia agentes cõgeſſit: quæ an veræ, an falſæ ſint, Apologetica Cæſaris epiſtola nulla non verius paraphraſi explanabit. Quam non Ciceronianam eloquentiam, ſed meram veritatem præ ſe ferentem magna (crede mihi) cum voluptate, atque etiam vtilitate legeſ ita vt nunc admiratione, nunc indignatione, nunc riſu, nunc planctu ſæpius lectionem ſis interrupturus. Vbi vero ad conuocationem Concilii perueneris, agendi Cæſari gratias nullum nec modum, nec finem facere poſſe tibi videaris. Quid etiam ſanctius à clementiſſ. principe fieri vnquam potuiſſet, quam Reip. miſeriis enarratis, id à Pontifice petere, quo vno commemoratis malis antidotum adhiberi queat? Quid ſapientius, q̃ à vna appellatione tot Clementis monitoria, priuationes, maledictiones, & anathematizationes eludere? Iam etiam non modo Cæſaris prudentia ab his fulminibus erepti ſumus, verum eius clemẽtia, & benignitate à Deo Optim. Maxim. præcipuam aliquam commoditatem rebus mortalium ſemper in deterius prolabentibus ſperamus. Supereſt vt quæ in Clementino bello acta ſunt paucis ex me accipias, vt confidentius obtrectatorum linguas compeſcere, ſuperſtitioſorumque impiã pietatem retundere valeas, ac Cæſaris innocentiam & veram pietatẽ apud omnes teſtificeris. Indicto

à Clemente bello, Vgo à Moncada, qui illi quas optabat fœderis conditiones attulerat, quique à Cæſare in mandatis habebat, vt ſi (quod nefas eſſe credebatur) eas acceptare nollet, hoſtilibuſque armis Inſubriam inuadere tentaret, nec tentatis omnibus eum aliter à conſilo turbandæ armis Italiæ auertere poſſet, alia aggrederetur via, qua Clementis arma ab Inſubria infeſtanda facilius diuertere liceret: dum videt Clementem olim patrem, nunc apertum Cæſ. hoſtem declaratum nō modo Inſubriam, ſed Ianuenſes ac Senenſes armis adoriri, dum videt Clementinum fœdus cum rege Gallo admodum probatæ fidei homine, ac Venetis percuſſum in eoque non ſolum de profligando ab Inſubria Cæſare, ſed de Neapolitano regno contra ius, faſq; occupando, atque inter fœderatos diuidendo, impudenter agi, eoq; Clemente ſeptimo autore, collectis clam copiis vna cum Columnenſibus Cæſaris ſubditis atque ſtipendiariis Romam eo animo inſperatus intrat, ne & ab imparatis iniuriam accipere poſſet, & renitentibus damnum inferre cogeretur, ſed abſque magno tumultu, quod blandiciis impetrare non poterat, vi (ſi fas eſſet) obtineret, hoc eſt, ne Clemens his pecuniis in maximum Chriſtiani nominis & Apoſtolicæ ſedis dedecus aduerſus Cæſarem vteretur, quæ ſui prædeceſſores publico Chriſtianorum conſenſu, Imperatorumque priuilegiis pro ſubuentione pauperum, ac communi Reipubl. ſalute obtinuerūt, impium (opinor) ratus, ſi piorum facultates (atque vt ita loquar) eleemoſynas in ſuam ipſorum perniciem abſumi pateretur. Verum malo quodam fato dum Clementis milites Vgoni & Columnenſibus reſiſtere ſtudent, ad arma deuentum eſt, ſuperatique hoſtes dum in ſacro Vaticano Palatio ſeſe recipere, & ſaluti quiſquis ſuæ conſulere contendit, victores victis admixti, Ducibus nequicquam prohibentibus Vaticanum adoriuntur, & quæ à Clemente in Adriani mole recluſo ibi relicta fuerant diripiunt. Ea enim eſt militum inſolentia, vt parta victoria quæ natura inſolens ac ſuperba eſt, difficile à ſuis ducibus cohiberi valeant. Sedato tandem tumultu, Clemens oblatis obſidibus Hugonem ad ſe venire iubet: Ille (vt Principis ſui animum pacis ſtudioſiſſimum oſtenderet) obtemperat. Componuntur inter Clementem Pont. & Vgonem Caroli Cæſaris nomine hac lege per quatuor menſes induciæ, vt imprimis Pontifex Columnenſibus, Cæſariſq; militibus huiuſmodi aggreſſionis, & quamcumq; aliam iniuriā cōdonaret. Copias Inſubriam infeſtantes, maritimamque claſſem Ianuam obſidione premētem reuocaret, intereaq; de vniuerſali Chriſtianorum pace ageretur: quibus firmatis, ac fide & iureiurando hinc inde ſtabilitis, dimiſſo exercitu Vgo & Columnenſes Neapolim ſe recipiunt. Pontifex vero copiis, quas in Inſubria habebat, ad ſe vocatis, ſimulans ſeſe pacta ſeruare velle, iuſtoque comparato exercitu, induciis violatis, Columnenſiū terras adoritur: nonnulla caſtra occupat, hiſque ferro & igne deuaſtatis, ac aliis nefandis ſceleribus perpetratis, vt nullum nocendi genus intentatum relinqueret, ipſum Reuerendiſſimum Cardinalem Columnæ ſua dignitate priuat: & ne eſſet qui Columnenſibus ſuppetias ferre auderet, eos hæreticos & ſchiſmaticos pronuntiat, monitoriumque perhorrendi anathematis, & æternæ maledictionis in eorum fautores emittit quaſi Clementis Papæ ſit tot tonitruis & fulminibus perdere velle, quos ſola clementia ſeruare poterat. Interea vero Vicerex Neapolitanus cum claſſe Cæſarea inſperatus Caietam applicat, Columnenſes arma parantes offendit, atque vbi rei geſtæ ſeriem audiuit, noluit Illuſtri & præclaræ Columnenſium familiæ, immo ipſi Cæſari, cuius negotium agebatur, deeſſe deductiſque è nauibus copiis, vna cum ipſis Columnenſibus, egregiaq; Principum, ac nobilium Neapolitanorū manu Clementis conatus infringere parat: Cuius inopinato aduentu ſtupefactus Clemens, nouo monitorio eum perterrefacere credens, contumelioſam (vt ipſi aptiſſime vocant) Bullam aperte in ipſum Viceregem, tacite vero in Carolum Cæſarem cuius vices gerit, typis excuſam emittit, quaſi cum beluis ſemper ille negocium eſſet, vniuerſuſque iam orbis à ſomno expergefactus, quis his fulminibus præter æquitatem iactatis, præſertim vbi de profana ditione agitur, tribuendum ſit neſciat. Quare vniuerſos Principes Chriſtianos per communem Chriſti gloriam, perque nomen Chriſtianum quo toties gloriamur, per magnificos titulos, ſi quæ vera pietas eſt, ſi malint perfectiores reddere titulos, ſi Sanctiſſimi, ſi Beatiſſimi, ſi Chriſtianiſſimi, ſi Catholici, ſi Eccleſiæ, hoc eſt totius Chriſtiani populi defenſores, ſi fidei protectores vere dici volunt, quando hæc in rem ſunt Chriſtianam, ad idque à Cæſare iter apertum eſt, precamur vt quod eorum eſt muneris ac officii, quam accuratiſſime præſtent. & vnico orbis conſenſu antiquatis omnibus controuerſiis, vniuerſalem conuentum parent Chriſtianorū. Quod nullo fiet negocio, ſi Chriſtianam adhibuerint diligentiā, ſi id in pectore eorum ſynceriſſimo inſederit: huic conuentui præerit Chriſtus Opt. Max. dicentur liberrimæ ſentētiæ, collatis omnium iudiciis ad vnum lumen euangelicum, fiet tandem vt oculatius rem Chriſti proſpiciamus, qui hactenus ad eandem fœdiſſime conniuebamus. Nemini poterit eſſe fraudi ſenatus, cui Chriſtus ipſe præerit: at quis dubitat affuturum Chriſtum ſi viderit huc omnes confluere optimo incremento Reipub. Chriſtianæ? Verum noſtræ præfatiunculæ finem faciamus: tuque optime Lector, quid legas attende, Deumq; Opt. Max. nobiſcum ora, vt excuſſis orbis tenebris, ſedatiſque tumultibus Chriſti regnum vbique floreat. Vale.

Sequuntur litteræ ſiue vt ipſi vocant, Breue Clementis Papæ VII. &c.

CLEMENTIS SEPTIMI LITERÆ SEV VT IPSI VOcant, Breue, in quo omnes, etiam falſiſſimas quas ponit criminationes aduerſus Carolum Cæſarem huius nominis V. congeſſit.

CLEMENS PAPA VII.

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem. Non opus eſſe arbitramur,apud Serenitatem tuam multis verbis vti ad demonſtrandum , quo iam per tres annos ſtudio,quibus nos curis, & actionibus,à noſtri videlicet Pontificatus initio, tum pacem communem totius Chriſtiani nominis , tum priuatim tuam amicitiam , & coniunctionem nobiſcum procurauerimus, atque appetierimus : Sunt enim omnia acta, cogitataque noſtra tibi propemodum æque nota, ac nobis. Sumus nos quidem conſcii, nihil prætermiſiſſe, quod vel ad boni paſtoris officium erga vniuerſum gregem , vel ad fidelis amici animum , in tuam Serenitatem ſpeciatim pertineret.Quorum tamen bonorum operum , atque amoris erga te noſtri eum ſumus exitum conſecuti,vt repulſi iam totiens à beneuolentia,& coniunctione tua,cum nullam æquitatem conditionum, nullum indicium veri amoris apud te inueniremus: ſiue eorum artibus & dolis,qui nos cum Serenitate tua nunquam coniunctos eſſe voluerunt : ſiue tua mente oppreſſionem Italiæ , & imminutionem noſtræ dignitatis meditante,ad ea conſilia,à quibus & natura,& voluntate ſemper abhorruimus, neceſſario ſumus compulſi: ſerius quidem multo , quam aut plurimarum rerum indignitas, aut honoris noſtri,& publici Italiæ boni ratio poſtulabat. Sed cum ad extremum ventum eſſet, cum patientiæ noſtræ diuturnæ atq; magnæ , iam nomen, atque opinio ad negligentiam rerum publicarum conuerteretur,coacti ſumus tandem ea capere arma , quæ & iuſticiæ & Italiæ libertati,& nobis ipſis poſſent eſſe præſidio.non offendendi cuiuſquam cauſa,ſed tuendi, & conſeruandi honoris,atque officii noſtri. Etenim vt commemoremus breuiter cauſas, quibus adacti ſumus ita facere,meminiſſe poteſt Serenitas tua nos cum in Cardinalatu eſſemus , tibi ſumme addictos,atque coniunctos,& viuo fe.re.Leone X.fratre noſtro patruele,& deinde etiam mortuo,quo rerum tuarum is exitus eſſet,& ea gloria, quam tum et optabas,non laboribus,non periculis noſtræ perſonæ propriæ,non impenſis peperciſſe. Cunque deinde diuina prouidentia ad Pontificatus honorem vocati fuiſſemus,tuique tunc hoſtes in Italia magnas copias haberent ,etſi pro paſtoralis officii debito,ab illis armis abſtinendum nobis erat,tamen ne rationes tuas impeditas relinqueremus:non ſolum Florentinorum auxilia,ſed ſanctæ etiam Romanæ eccleſiæ copias in tuis ſubſidiis & caſtris verſari permiſimus:nec vero pecunias ſuppeditare ceſſauimus , nec antequam depulſum illud periculum fuit,deſtitimus Ducibus tuis fauere & iuuare. Poſtea vero cum hic Pontificatus honor,communis in nobis patris perſonam expoſceret,decreuiſſemuſque abeſſe ab armis,& bellis, exercituſque & milites noſtros, tuis iam bene conſtitutis rebus,& non modo non inferioribus, ſed ſuperioribus etiam,quam hoſtium tuorum,reuocauiſſemus, tamen armis à nobis depoſitis, neque ita fideli conſilio Ducibus tuis in Galliam tranſeuntibus,neque inde pedem referentibus , pecuniarum auxilio pro rerum noſtrarum tenuitate adfuimus.Succeſſit ex illo intempeſtiuo in Galliam tranſalpinam tuorum tranſitu celerior,& grauior in Italiam Gallorum irruptio, Rege maximi nominis exercitum ducente,ac vrbis opulentiſſimæ Mediolani ab illis receptio.Quo tempore quum Duces tui de defenſione illarum regionum ſpem totam poſuiſſent , ac de earum inſuper , quæ tuæ erant propriæ,periculo commouerentur , nos vero in magno etiam noſtrarum rerum metu eſſemus,eis conuentionibus occurrere coacti fuimus imminenti periculo, quas tu optime noſti. Ex quibus vidiſti tu profecto,& cognouiſti,quæ nobis eſſet cura,quæ cautio rerũ tuarum, cum nihilominus tibi rebuſque tuis , quam & nobis & noſtris caueremus.Hęc tu ſi noſti,quæ ad te certe peruenerunt,nihil opus eſt illius temporis actiones noſtras apud te , ſingulareque quoddam ſtudium noſtrum ſtatus,honoriſq; tui oſtendere,facile enim hoc tibi res ipſa declarabit. Sin autem vel non cognouiſti,vel oblitus es,erit tempus commodius,quo iſta exponamus,qui & Gallorum tranſitum in tui regni fines multis rebus remorati fuimus,& cum ſi ſocietatem eorum voluiſſemus ſequi,maxima nobis præmia non ſolum proponerentur,ſed etiam eſſent parata, ab inſtituto noſtro non diſceſſimus,pluſque apud nos amicitiæ tuæ memoria,quam præmium vllum valuit. Secuta eſt victoria tuorum aduerſus Gallos, qua adepta,cum omnis nobis ſublata contentio videretur,tunq; iam ſine cupiditatis,& partium ſuſpitione tibi videremur etiã fœderis vinculo hærere poſſe, magnumque in eo beneficium Italiæ,& Chriſtianitatis totius poſitum arbitraremur, non fœdus ſolum facimus,ſed quo tui Duces egentes pecuniæ,alere & ſuſtinere exercitum poſſent , eumque ab noſtris finibus abducerent,centum illis dedimus Ducatorum millia,conditione appoſita , vt ſi de fœdere aliqua dubitatio tibi oriretur,illæ nobis pecuniæ reſtituerentur. Eo fœdere abs te non plane accepto,nec probato,cum propter æmulationes quorundam ex Ducibus tuis, & ingrata cæteris conſilia bonæ memoriæ Piſcariæ Marchio nonnulla iactare,tractareque cœpiſſet,quæ in detrimentum tui ſtatus intendi videbãtur,noſq; illa etiam conſilia audiuiſſemus,neque fœdere abs te reiecto,eſſemus penitus aſpernati,quærentes videlicet ſi tu nobis deeſſes,ſicuti iam deeras , vbi poſſemus niti,atque confidere,tamen neq; à verbis ad facta aditum vllum tentauimus,& vincente tuam in nos duritiam amore erga te noſtro,recordamur te admoneri mãdaſſe,vt Duces tuos in Italia, quorum

in manu res tuæ eſſent, curares de te eſſe contentos. Quo certe officio tibi probare debuimus, eſſe nobis vehementer curæ quietem & ſtabilitatem rerum tuarum. Deinde vero maximo cum gemitu & dolore noſtro atq; Italiæ totius, cum iidem Duces tui ſtatum Mediolani occupauiſſent, atq; arcem, in qua Franciſc. Maria reſidebat, circumuallare inſtituiſſent, tum poſtulante à nobis curam & ſeueritatem aduerſus indignitatem tantam Italiæ periculo, omnibus notis, atq; ignotis flagitantibus, paratis qui arma & auxilia conferrent, cunctis prope Chriſtianitatis Regibus nos animantibus, quum non videremur poſſe reſiſtere monitis, querelis, precibuſque illorum, cum nos officii noſtri debitum, Italiæ calamitas, & periculum commune commoueret, tamen aduenientę per eos dies dilecto filio Commendatore Herrea à te ad nos tractandi cauſa (vt ipſe ferebat) miſſo; relapſi in priſtinam ſpem & cupiditatem beneuolentiæ tuæ nobis quoquo modo conciliandæ, dimiſſis conſiliis, conſpirationibus, oblationibuſque cunctorum, graui omnium indignatione, & querela, qui ſe à nobis deſertos conquerebantur, ad te denuo confugiẽdum putauimus: quærenteſque tibi cõparare gloriã pacandæ Chriſtianitatis, & moderationis tuæ omnibus declarandæ, meminimus ea conuentionũ capitula, quæ dictus Herrera attulerat, paucis in locis leuiter immutata remiſiſſe ad te comꝓbanda, ſcripſiſſeq; manu noſtra literas, quibus te per Dei miſericordiã obſecrantes, vt depellere velles hanc ſuſpicionem, quæ de tua nimia cupiditate omnibus adhærebat, & perpetuitatem, ac fructũ amicitiæ noſtræ tibi pollicebamur, & conſiliũ fidele dabamus, & quæ petenda erãt, omni cum humanitate & beneuolentia abs te petebamus. ſecuritatem videlicet Italiæ, Duci Mediolani ſiquo pacto erraſſet, clementiam, nobis ipſis amorem. Quæ tot noſtra opera atque officia erga Serenitatem tuam, nec non alia q̃ plurima, quæ tibi quotidie à nobis poſtulanti prompte ſemper cõcedebamus, ex quibus tibi commodum atq; honor quotidie accreſcebat, quemadmodum à te accepta & recompenſata ſint, in promptu eſt cognoſcere. Primum omnium tuorum in Italia agentium iniquitati, & contumeliis ita fuimus expoſiti, vt cum non omnia ſtatim ex illorum præſcripto & cupiditate egiſſemus, de noſtra fide & voluntate obloquerentur, noſq; apud te ſuſpicionibus ſiniſtris onerare non deſinerẽt: nec reputãtes quid officiũ noſtrũ, honorq; depoſcerent, vellent nos ſecum in omne conſiliũ ꝙ illis placeret, ruere præcipites, atq; vbi primum moderatius, & circumſpectius nos contineremus, omniũ præteritorũ officiorũ periret gratia, quibus tu ꝑfecto fidei multo plus, q̃ conueniebat, habebas. Deinde in Senenſi ciuitate omnes nobis amicos & beneuolos tanta tuorum acerbitas & iniquitas inſectata eſt, vt exterminata pene omni nobilitate, cędibuſq; multis factis, nihil fieret apertius, q̃ eas contumelias & opprobria nobis ipſis impingi, cum nos patientia, & diſſimulatione, atq; vt omnes modeſtiæ partes erga te ſeruaremus, nullum aliunde remedium tot innocentium calamitatibus, niſi à te ipſo quæſiſſemus, ꝙ tantum abfuit vt præſtaretur, vt quotidie peius, atq; acerbius illi in clades beneuolorũ noſtrorũ, & noſtrum dedecus graſſarentur. Fœderis autem ipſius tua reiectio, ꝙ nos cũ tuis oratorib. & facultatẽ habentibus ictũ, & à dilecto filio nobili viro Carolo dela Noy Vicerege Neapolitan. comprobatum, & ratificatum ꝓ firmiſſimo habebamus, cũ eius non tã ratificatio abs te, q̃ executio ſola expectaretur, quid tandẽ tibi erga nos animi eſſe oſtẽdit? cũ ſiquid in illo ꝓ te eſſet, id libenter aſciſceres, in quo vero aut dignitati noſtræ, aut cõmodo inſeruiretur, id infectũ irritumq; dimitteres, ſicut in iis quæ ſeparatim ſtipulata fuerãt, (polii videlicet terrarũ, & locorum ſedis Apoſtolicæ, & aliorũ quorundã repudiatio tua declarauit. Quo etiã euentu, non ſolum pecunias noſtras ex pacto conuento non recuperauimus, verumetiã contra promiſſum, & fidem datã, exercitus tui bona pars in ſanctæ Roman. eccleſiæ locis, & terris prope aſſidue verſata eſt, tantis & tam grauibus iniuriis, & detrimentis ſubditorũ noſtrorum vt crudelitatis, & auaritiæ, & innumerabiliũ ſcelerum, ac inauditæ ĩmanitatis horribilis ſit, & aurib. humanis intolerãda cõmemoratio. Acceſſit in eis cõditionibus, quæ inter Serenitatẽ tuã, & Chariſſimũ in Chriſto filium noſtrũ Franciſc. Regẽ Chriſtianiſſimũ apud te exiſtentẽ tractabãtur, vt de illis noſtri Legati & Nuncii aut penitus celarentur, aut vix atq; ægre, quũ ipſi ſtudioſe inquirerent, de leuiſſimis docerẽtur, & neq; ea, quæ auditu, aut cõiectura aſſequebantur, ad nos ſcribere permitterentur. Quo quidẽ tempore maximum dabatur ſignum tuæ & à nobis alienæ, & fidei noſtræ derogantis voluntatis. Mittimus innumerabilia alia in quibus nulla vnquam habita eſt ratio nec honoris nec voluntatis noſtræ. Ad illas ipſas literas, quas ad te tam humane, & tam liberaliter ſcripſimus, ita reſponſum à te eſt, vt vbi clementiam Duci Mediolani petebamus, tu rigorem iuſticiæ offerres, ita tamen, vt nequaquam ex ordine iuſticiæ, iudicium, atque ſententiam pœna antecederet, vbi eorum quæ tunc aduerſus rationes tuas à tuis Ducibus iactata, & ad nos delata etiam fuerant, culpam in quibuſdam eſſe dicebamus, tu quo nos quodammodo criminarere, illos immunes criminis faterere. Quæ tibi benigne, & large pollicebamur, ea tu tanquam tibi debita & obligata flagitares. In quo vero perſpicuum indicium conſtitit nos abs te illudi, & pro nihilo haberi. Ipſa capitula Herreræ remiſſa ad te, vt comprobarentur, cum illi facultas primo conceſſa vberior eſſet, quod iam confectam concordiam cum Chriſtianiſſimo Rege habebas, tu reſtrictiora multo, quam prius, & ieiuniora tranſmiſiſti, apertiſſime indicans nos poſtremos eſſe, & contemni abs te, vt tibi cum aliis amicitia conueniſſet. Quibus tot animi tui erga nos non bene diſpoſiti ſignificationibus animaduerſis, cum, ſiue ea tua propria eſſet voluntas, tuæ in nos voluntati vehementer diffidere cepiſſemus, ſiue quorundam ex tuis, quod magis credimus, peruerſitas, & maligna ſuaſio, tantum tamen illos apud te poſſe vehementer periculoſum intelligeremus nobis, totiq; Italiæ: perſtitimus tamẽ in ſtudio, & amore pacis, & ꝑſtitiſſemus perpetuo, ſolitaq; noſtra arma patiẽtiæ induẽtes, permiſiſſemus

Deo

Deo omnes actiones, cogitationeſque noſtras, ſi non tuorum pertinacia in obſidenda arce Mediolani, illiuſque vltimum prope diſcrimen nos ad ſuſtentandam libertatem Italiæ, diſcernendumque facta à verbis prope ſupremo tempore excitauiſſet. Præſertim cum quo minus de tua voluntate dubitare poſſemus, tua in Hiſpania ad deprimendam authoritatem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Summi Pontificis dignitatem infringendam propoſita pragmatica edicta Eccleſiaſticæ facultati, & libertati derogantia, quibus in Regno Neapolitano Eccleſiæ Romanæ Feudo ſimilia alia conſequuta ſunt: ſupradicti quoque Viceregis Neapolitani, qui ad nos veniret, electus fuerat, apud Chriſtianiſſimum regem remanſio, & cum ea nouarum tecum conuentionum occulta, & à noſtris ibidem agentibus abſcondita tractatio, fixum in te illud conſilium noſtræ auctoritatis deprimendæ, & amicitiæ omnino repudiandæ, perſeuerantemque in ea opinione ſententiam indicaret. Quod confirmauit nobis etiam magis dilecti filii Hugonis de Moncada ad nos firmandæ amicitiæ cauſa cũ amplis mandatis (vt ferebatur) miſſi in Regno Franciæ mora, tanquam euentum ſpeculantis, vt ſi illæ res tibi ex ſententia confectæ eſſent, nos tum penitus poſthaberemur, ac deinde eodem animo cũ Duce Mediolani potius paciſci contendentis. cum quidem interea tui in Italia agentes, vt omnia & extra, & intra appareret contra nos quoque & Sanctæ Romanæ eccleſiæ ſtatum iniri conſilia, Parmam vrbem noſtram proditione occulta eripere nobis tentauiſſent. Quibus tot & tantis iniuriis & cauſis, inuiti quidem & gementes de re deſperare, & diffidere ſumus coacti, noſtramque amicitiam & beneuolentiam, quam tu totiens repudiaſti, multis & magnis regibus adiungere, quorum optimum in Chriſtianam rem, & Sedem Apoſtolicam animum ſi aſpernati eſſemus, non iam paſtoris, & communis patris laudem, ſed ſuperbi & inſolentis nomen acquiſiſſemus. Quod cum eſſet à nobis iam factum, & fides inuicem data, fœdereque conſtricti cum eis Regibus eſſemus, acceſſit tum demum itineribus lente & tarde confectis dictus Hugo nobis tecum coniunctionem & conditiones eas offerens, quas nos cupidi tuæ amicitiæ, & vt nobis quidem videbatur, cum communi Italiæ & Chriſtianitatis commodo, tui etiam & commodi, & honoris priuatim appetentes, tam ſæpe abs te, tamque vehementer quum requiſiſſemus, fuimus totiens repudiati, ac repulſi, quarum nunc accipiendarum occaſio & tempus præteriere. Atque vt impediens Italiæ graue ſeruitutis periculũ, ac turbationem vniuerſæ Chriſtianitatis, quantum in nobis eſt, propulſemus, armis & exercitu Sedem Apoſtolicam munire ſumus compulſi, abhorrentes quidem ab ipſa armorum tractatione, ſed tamen nullam aliam viam defendẽdæ iuſtitiæ, & pacis inter omnes æquis conditionibus ſperandę nunc cernentes. Habes rationem noſtrorum actorum, & cõſiliorum, quæ idcirco ſummatim à nobis tibi explicata eſt, vt iuſtificemus non ſolum coram Deo (is enim inſpector cordium eſt) ſed etiã coram omnibus hominibus actiones noſtras: & nunc eo animo ſumus, atque ita coram Deo & te teſtamur, ſi Serenitas tua ad æquitatem, & humanitatem referre ſe voluerit, noſtra arma non ſolũ non aduerſa tibi, ſed etiam ad res vere glorioſas propicia futura. Sin autem in occupanda quotidie magis Italia, & aliis partibus Chriſtianitatis perturbandis tu non tam naturæ tuæ (quam nos probam eſſe ſemper exiſtimauimus) quam cupiditati & conſiliis tuorum obſequi perſeueraueris, nos neque iuſticiæ, neque libertati Italiæ, in qua huius quoque ſanctæ Sedis tutela continetur, defuturos, ſed iuſta, & ſancta arma moturos, non tam ad offenſionem tuam (tibi enim omnia ſemper honeſta, & proſpera optamus) quam ad defenſionem noſtrorum, & patriæ ſalutis, communiſque dignitatis. Quod vt ne nobis nimium ægre, & inuite hæc ipſa tractantibus facere neceſſe ſit, obſecramus te fili chariſſime, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri & per eam ſpem, quæ de tua virtute, tanquam futura Chriſtiano nomini ſalutari, omnium mẽtes occuparat, vt prouidere velis, quo immoderatis cupiditatibus repulſis, & aliquid potius publico Chriſtianitatis bono condonando, quam omnia nimium ad te trahere conando, hæc Italiæ, & Chriſtianitatis incommoda, & pericula tua moderatione ſedentur. Eſt enim tibi profecto huius curæ onus commune nobiſcum, & ambo à Deo in hanc ſollicitudinem pro commiſſis nobis honoribus ſumus vocati. In quo nos officio, & debito noſtro neq; defuimus, nec quantum Iuſticiæ patrocinium nobis permiſerit, defuturi ſumus. Tu vero ſi quæ de tua in pacem generalem voluntate paſſim ferebantur, veras prudentiæ & pietatis radices habebant, habes occaſionem declarandi, quæ ſentiebas, omnia vere te, & ex animo ſenſiſſe, atque operibus verba comprobando, ſingularem optimi Principis laudem tibi acquirendi. Qui ſi tum nobis vere amorem tuum cupientibus, in liberãda Italia, quam fœderatis noſtris in ſuis iuſtis, & plenis humanitatis æquitatiſque petitionibus, ſatisfacere inſtitueris, erit id Serenitatis tuæ, famæ, & ſapientiæ melius multo accommodatum, & paci vniuerſali, ſecuritatique tam rerum tuarum, quam totius Chriſtianitatis magis conſentaneum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Iunii. M.D.XXVI. Pontificatus noſtri anno tertio.

Ia. Sadoletus.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo electo Imperatori,
Hiſpan. &c. Regi Catholico.

EPISTOLA CAROLI CÆSARIS, IN QVA HVIVSMOdi falſis criminationibus diffuſe reſpondet, à Pontifice Romano appellat, generaleque Concilium Chriſtianorum congregari petit.

IN nomine Domini amen. Nouerint vniuerſi hoc præſens publicum inſtrumentum viſuri, lecturi, ſeu audituri, quod anno à natiuitate eiuſdem Milleſimo Quingenteſimo Viceſimo ſexto, Indictione decimaquarta, die Menſis Septembris decimaſeptima, hora circiter nona ante meridiem, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Clementis, Diuina prouidentia Papæ Septimi, anno tertio: in mei Notarii publici, teſtiumque infra ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtitutus Illuſtris, & excellens Dominus Dominus Mercurinus Arborienſ. Gattinariæ, Valentiæ, & Sartiranæ Comes, Baro ozani, Terriculæ &c Sacratiſſimique & Inuictiſſ. Principis & Domini Domini Caroli eius nominis quinti, Diuina fauente clementia, electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſt:, Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſq; Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Regis, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, & Brabantiæ, &c. necnon comitis Habſpurgi, & Flandriæ &c. Clementiſſimi domini noſtri, per Sacrum Roman. Imperium, cæteraque omnia ſuæ Cæſ. & Catholicæ Maieſtatis Regna, & Dominia ſupremus Conſiliarius & Cancellarius, gratioſus Dominus meus, nomine, & ex mandato (vt aſſeruit) eiuſdem Cæſareæ, & Catholicæ Maieſtatis, habuit, & tenuit in ſuis manibus vnam quandam epiſtolam apertam, in papyro conſcriptam, viginti duo folia in ſe continentem, quam eſſe affirmabat Sacratiſſ. Cæſar. & Catholicæ Maieſtatis reſponſiuam ad vnum quoddam Breue, de data diei Vigeſimi tertii, menſis Iunii, anni præſentis, à dicto Sanctiſſimo Domino noſtro, Reuerend. Domino Domino Comiti Balthaſſari Caſtilioneo Apoſtolico prothonotario, & nuncio apud Cæſaream & Catholicam Maieſtatem, in ſua Curia Imperiali agenti, & legationis munere nomine præfati Sanctiſſ. Domini noſtri fungenti, tranſmiſſum, & per eundem nuncium ſuæ Maieſtati redditum, cuius quidem epiſtolæ tenor ſequitur, & eſt talis.

BEatiſſime Pater, Domine Reuerendiſſime, eramus profecto in magna mentis noſtræ anxietate, communem totius Chriſtiani populi calamitatem nobiſcum tacite deplorabamus, ob ea, quæ Sanctitatem veſtram contra nos, ſtatumque noſtrum, & Sacri Roman. Imperii dignitatẽ moliri audieramus. Verum hanc noſtram anxietatem mirum in modum auxerunt veſtræ Sanctitatis literæ, quas viceſima die elapſi menſis Auguſti, eiuſdem Sanctitatis veſtræ Nuncius viceſima tertia Iunii expeditas nobis legendas tradidit: quum nihil ex his perſpicere liceat, quam iuſticiæ ſuæ, vt inquit, laudem, noſtræ vero, ac noſtrorum cauſæ acerrimam damnationẽ, arma, bella, minas, cædes, pecuniæ, auaritiæ, & ambitionis ſtudium, regnandi, dominandique cupidinem nobis impingi. Quæ profecto nec verum paſtorem decent, nec noſtræ in Apoſtolicam Sedem, veſtramq; Sanctitatem, ac illius dignitatem, deuotioni, pietati, ac filiali obſeruantiæ conuenire videntur: quinimo ab eo affectu, & ſtudio, quo Chriſtianam Rempub. ab ipſis ineuntis Principatus noſtri annis ſemper complexi fuimus, quo illius pacem, quietem, ac incrementum omni conatu concupiuimus, ac pro viribus curauimus, prorſus aliena cenſentur, ac nos talibus afficiunt ſpiculis, quod ni honori proprio, tacendo detrahere, immaculatamq; famam noſtrã tacita obiectorum approbatione lædere velimus, cogimur emiſſa in nos iacula refellere, noſtramq; innocentiam purgare, ac ab his calumniis exemptam & immunem oſtendere. Nos enim Pater beatiſſime nobis ipſis côſcii, noſtræq; etiam conſcientiæ arcanis perluſtratis, nullam obiectorum culpam fateri, nullamq; horum nobis calumniam aſſcribere poſſumus. Teſtamur .n. Deum, nos nihil antiquius vnq̃ habuiſſe, quam veſtram Sanctitatẽ, poſt illius ad Sacri Apoſtolatus apicẽ, felicem aſſumptionẽ, velut Chriſti in terris Vicarium, ex innata nobis filiali obſeruantia colere & venerari. Quem etiam, dum in minoribus ageret, ſingulari amicitia, & beneuolentia cõtinue cõplexi ſumus, prout & Leonis, & Adriani temporibus, Sanctitas V. ſatis experta fuit, vniuerſoq; orbi notũ extitit, nullo modo exiſtimantes, gradus, & dignitatis augmentũ (poſt Deum, noſtrorũ etiã aſſiſtentia quæſitũ) id poſſe efficere, vt quicquam ab eadem Sanctitate procederet, quod à priſtinis ſuis moribus, atq; inſtitutis alienum videretur: etſi multa in nos moliri audiuerimus, vt dignitati, æſtimationi ac autoritati noſtræ detraheretur, vt fœlicitas, poteſtas, & magnitudo Regnorum, ac principatuum nobis à Deo Opt. Max. collatorũ minueretur, & ſi fas eſſet, penitus ſupprimeretur. Hæc tamen neq; Sanctitati veſtræ aſcribenda cenſuimus, nec etiam contrarium affirmantibus fidem dedimus, nec ideo minus pacis vocem æquo animo ſemper audiuimus, veſtramq; etiam Sanctitatem ad illam proponendam, & amplectendam, velut rectum paſtorem monuimus & incitauimus. Semper enim in quacunque fortuna, pacis, ac quietis cupidi eſſe ſtuduimus. Ad quam noſter animus ſuapte natura inclinatur, nec vnquam inter Chriſtianos (niſi prouocati, coactiue) bellũ geſſimus, neq; tentauimus. Quum .n. claſſem in hoſtes diſpoſitam haberemus, Menice inſula ad deditionem coacta, maiora pro fide catholica tentaturi, Gallorum arte & copiis vndique inuaſi, ad propria tuenda reducimur, veſtræq; etiam Sanctitatis opera, ac miniſterio, cum Leone Decimo fœdus percuſſimus, ac pro Apoſtolicæ Sedis, Sacrique Imperii viribus ac dignitatibus tuendis, ipſius Paſtoris autoritate & impulſu, in Inſubria, ac Liguria arma mouimus, noſtrumq; exercitũ Pontificio (cum tũc veſtra Sanctitas in minorib. agẽs,

nunciũq;

muneréq; in Legationis fungens, præfectus erat) adiunximus, quam prouinciam profectò non niſi recta, & iuſta intentione pro ipſius Chriſtianæ reipubl. quiete, proque Italiæ liberatione non ex cupiditate, ſuſcepimus. Teſtis eſt noſtrorum operum Deus, verus ſcrutator cordium, qui intima proſpiciens à longe cognoſcit, & qui noſtram ob id iuſtam cauſam ſemper tutatus eſt, totque inſignibus victoriis comprobauit, ac iuſtificauit. Teſtis erit Sanctitas. V. ſi præteritorum rationem ac memoriam habeat, veraque in lucem promere libeat. Teſtes ſunt eiuſdem veſtræ Sanctitatis miniſtri, ſæpius ad pacis, ac induciarum media proponendæ transmiſſi, qui aperte experti ſunt, nos ſemper, rebus etiam noſtris ſecundiſſimis, quaſcunque honeſtas pacis, ac induciarum conditiones ſuſcipere paratos, quibus & honoris noſtri, & fœderatorum iuſta, æqua, ac ſecura ratio haberetur. Teſtantur id etiam multiplicia mandata noſtra, tum Adriani, tum veſtræ Sanctitatis temporibus per nos in Vrbem miſſa, variæque legationes ad id pro tempore diſpoſitæ, ac deſtinatæ, vt nihil à nobis de his, quæ ad pacem attinent vllo vnquam tempore prætermiſſum arbitremur: qui non minus æquæ ac honeſtæ pacis ſtudioſi, ac zelatores fuimus, ſumusque, quam iniuriarum alacres, ac prompti propulſatores, ac etiam vbi ratio ſuadet, clementiſſimi remiſſores, hilaresque bonorum pro malis, & conuitiis retributores.

Ait veſtra Sanctitas *ſe conſciam nihil prætermiſiſſe, quod vel ad boni Paſtoris officium erga vniuerſum gregem, vel ad fidelis amici animum in nos ſpeciatim pertineret.* Nolumus in hoc veſtræ Sanctitatis officium impugnare, nec de illius conſcientia, & animo contendere, ſed operibus credere, reliqua Deo perſcrutanda relinquere. Licet autem ſic eſſet (vt ait) id potius diuinæ benignitati, cuius gratuito munere id fit, quam humanis viribus, aut cuiuſpiam induſtriæ tribuendum foret: eſto quod multa nobis ſecus relata fuerint, quæ apertius inferius reſpondendo detegentur.

Quod autem veſtra Sanctitas ſubiungit, *ſuorum bonorum operum, ſuiq; erga nos amoris eum exitum conſequutum eſſe, vt repulſa toties à beneuolentia, & coniunctione noſtra, nullum indicium veri amoris apud nos inuenerit, ſiue eorũ artib. et dolis, qui eandẽ Sanctitatẽ nunquã nobiſcũ coniunctã eſſe voluerint, ſiue noſtra mente oppreſſionẽ Italiæ, & imminutionẽ dignitatis Sanctitatis veſtræ, meditante.* Miramur hæc quidem ab eiuſdẽ Sanctitatis veſtræ præcordiis emanaſſe, adeoq; intempeſtiue, rei veritate non cognita, ab ipſo ſummo iudice, qui Chriſti vices gerit in terris, tam ab ipſa facti veritate prorſum alienã pronunciationẽ factam. Non. n. h. ſumus, qui bonorum operũ ingrati eſſe didicerimus, nec qui pro amore odium, ſeu repulſam rependere ſoleamus: quinimo potius reciprocas vices reddere, ac etiam pro acceptis beneficiis maiora, dum licet, impendere, amoriſque & beneuolentiæ viciſſitudinem abunde referre ſolemus. Nec quippe tantæ imbecillitatis cenſendi ſumus, vt cuiuſpiam artibus, ſeu dolis à vera coniunctione, & amicitia diuelli valeamus, vbi perfectus amicitiæ nodus interceſſerit; qui contrario operum laqueo non diſſoluatur. Minusque nobis oppreſſio Italiæ, minutioque Sedis Apoſtolicæ dignitatis aſcribi poteſt, qui teſte Deo, nihil horum tentauimus, nec vnquam cogitauimus. Verum omnem conatum, omnemque ſtudium adhibuimus, vt Italiam liberam, ac quietam redderemus, vt Apoſtolicam Sedem in ſuo decore velut illius protector & defenſor ſtabiliremus, ac ſeruaremus, vtque pacata Chriſtiana repub. communia Chriſtianorum arma in perfidos Chriſtianæ religionis hoſtes communi conſilio verterentur. Vbi igitur oppreſſionis actus non interceſſit, nil ſiniſtri de nobis præſumendum fuit, cum in dubiis meliorem præſumptionem ſumendam omnia iura teſtentur, quæ etiam neminem ex præſumptionibus damnant, niſi euidentiſſimæ accedant probationes, aut talis eſſet præſumptio, aduerſus quam iura probationem non admitterent. quod profectò hoc in caſu omnino alienum patebit, quum non ſolum nulla talis nobis obſtet præſumptio iuris, vel facti, verum omnis ſiniſtræ ſuſpicionis labes à recta noſtra intentione, noſtriſque operibus omnino abeſſe videatur. Nec quippe hanc noſtram ſynceram mentem, noſtramue æſtimationem lædere potuit Mediolanẽ. ſtatus per noſtri exercitus Duces captus, &, vt aiunt, occupatus. Hanc enim technam omnium recte ſentientium iudicio à nobis repellendam curabimus, dum ſuo loco de re veſtræ Sanctitatis obiectis particularius reſpondebimus, omnem rei geſtæ ſeriem, non palliatam, nec obumbratam, ſed mera veritate ſuffultam, aperte, ac palam diſſerentes, ab omnibus recti iudicii capacibus videndam, inſpiciendam, ac recto intellectus oculo iudicandam.

Si igitur ex his Sanctitas veſtra *ſe compulſam* (vt ait) prætendat *ad ea conſilia, à quibus & natura, & voluntate ſemper abhorruiſſe aſſerit, idq; ſerius actum dicat, quam plurimarum rerum indignitas, aut honoris ſui, & publicæ Italiæ ſaluis ratio poſtulabat, arma ſcilicet capere, quæ & iuſticiæ, & Italiæ libertati & ſibi ipſi poſſint eſſe præſidio:* videat quæſo Sanctitas veſtra quibus fundamentis moueatur, conſideret an hæc paſtorali congruant officio, an hic ſit gladius per veſtram Sanctitatem euaginandus, exercendusue, quem Chriſtus in vaginam potius recondendum cenſuit, & qui etiam in hoſtes fidei ab ipſo Chriſtiani gregis Paſtore regulariter exerceri prohibetur. Animaduertat veſtra Sanctitas an ex his honoris ſui, atq; publici Italiæ boni ratio habeatur, an hæc iuſticiæ conueniant, an Italiæ libertati, ſeu quieti conſulatur, an potius ex oppoſito ſuggilletur Summi paſtoris honor & autoritas, iniuſte agatur cum ipſo Apoſtolicæ ſedis protectore, & defenſore, turbetur Chriſtiana Reſpub. vniuerſæque eccleſiæ ſtatus, incendatur quoque ignis, qui tam facile extingui nequeat, vt inde Chriſtianorum viribus debilitatis, hoſtes perfidi velut lupi rapaces, paulatim Chriſtianum abigant gregem, nouique errores indies pullulent, ac demum hæreticorum dogmata magis, atq; magis inualeſcant, Chriſtianæ quoq; religioni irreparabile afferant detrimentum.

At proteſtatur veſtra Sanctitas in ipſo exordio, *id non offendendi cuiuſpiam cauſa, ſed tuendi, ac conſeruandi honoris, officiique ſui.* Sancta quippe hæc proteſtatio, ſi per actum contrarium non tolleretur, ac inefficax redderetur, ſi in ipſis defenſionis terminis ſtaretur, nec ad ea quæ offenſionem ſapiunt, tranſitus fieret. Qualiter enim defendendi cauſa parantur arma, vbi nullus adeſt offenſor, qui veſtram Sanctitatem, illiusque honorem aut dignitatem lædat? quam potius ſi offenſor apparuiſſet, omni conatu, totisque viribus tueri, atque protegere ſtuduiſſemus, nil antiquius in animo habentes, quam ea in Apoſtolicam Sedem officia exhibere, quæ ad officium Chriſtianiſſimi Imperatoris pertinent, quæue Imperiali congruunt dignitati. At ſi, vt ipſa veſtra Sanctitas proteſtatur defendendi duntaxat erat animus, cur prius, quam proteſtatio illa in lucem prodiret, ad manusque noſtras ſcripta veſtra peruenirent, tentata eſt offenſio in ſtatu Mediolani, ſacri Imperii feudo, Laudenſi ciuitate occupata, & è noſtrorum (nil tale cogitantium) manibus erepta? Cur veſtræ Sanctitatis, ac fœderatorum copiis & viribus, nulla etiam præcedente monitione, ſeu diffidatione, exercitus noſter apud Mediolanum (non impune tamen) impetitur, ac inuaditur? Hæc ſi defenſionem, an potius apertam offenſionem ſapiant, lippis etiam pateret. Verum veſtra Sanctitas hanc notam putans euadere, longam exorditur tragœdiam, narrans quæ ſuo congruunt propoſito, his tacitis, quæ magis ad veram rei ſeriem decernendam facere videntur.

Vnde vt altius repetendo, tota facti ſeries in lucem prodeat, liceatq; vnicuique animi noſtri ſynceritatem inſpicere, ſi ea quæ Sanctitas veſtra nobis, rebusque noſtris dum in Cardinalatu eſſet officia præſtitit, animaduertamus, id quidem anteceſſiſſe dignoſcitur, quod vita functo Maximiliano Cæſare auo noſtro paterno fœlicis recordationis, dum is viuens cum ſacri Imperii Electoribus fundamenta ieciſſet, quibus eidem in Imperio ſucceſſor effici poſſemus, tuncq; cum Gallorum Rege, qui filiam ſuam nobis poponderat, fœdere arctiſſimo iuncti eſſemus, vt & nos filium nuncuparet, nilque ab eo, quod à paterno amore alienum, ſeu indignum videretur, prodire putaremus, is taliter ad Imperii aſſequutionem allectus, incitatusque extitit, vt etiam cum taxatione perſonæ noſtræ propoſita inhabilitate ipſius Imperialis dignitatis capeſſendæ, conatus fuerit variis modis inducere Electores, vt illum eligerent, Imperatoremque deſignarent (quod non ad ipſius Gallorum Regis promotionem tentatum extitit, ſed vt per huiusmodi Galli concurrentiam, vtroque noſtrum excluſo, noſtroq; ſoluto fœdere, tertius ſubintraret minori potentia præditus, cui potius imperaretur, quam imperare poſſet) nihil prætermittendo, vt ab ipſius Imperii adeptione penitus excluderemur. Et quum huiusmodi conatus irriti facti forent, viciſſetque ipſius Sacri Imperii Electorum virtus, qui nec vi, nec metu, nec vllis artibus dimoueri potuerunt, qui Sancto afflante Spiritu, ab omni præambula promiſſione prius liberati, vnanimi omnium conſenſu, ac nemine diſcrepante, eorum electionis vota vniformiter in nos contulerint, noſque Imperatorem ſolito more deſignauerint, quam quidem electionem non tamen voluimus prius acceptare, quam ipſius Leonis Summi Pontificis veſtræ Sanctitatis patruelis conſenſus, & autoritas accederet, cum ea diſpenſatione, vt cum Imperio nobis etiam Neapolitanum Regnum retinere liceret, lege inueſtituræ minime refragante. Hinc noua cogitantur media, vt ipſius Imperii Sacri dignitas illudatur, vt illius authoritas deprimatur, viresque noſtræ minuantur, præter id tamen, quod tentatum extitit & literis, & nunciis, variisque practicis, vt noſtra Coronatio apud Aquiſgranum differretur, impediretur ue, ac inde Wormacienſ. Conuentus protelaretur, ſeu potius inutilis, inefficaxque redderetur. Fuit etiam organo, ac medio Alberti Pii Carpen. Comitis, non ſine veſtræ Sanctitatis miniſterio & opera, vt fertur, percuſſum fœdus inter Leonem & Gallum, quo etiam de auferendis à nobis vtriusque Siciliæ Regnis deq; protectionibus Potentatuum ac ciuitatum Italiæ inter ſe diuidendis, Imperioq; Italico penitus vſurpando, ſeu verius eneruando, & ſubuertendo agebatur, prout hæc ex nonnullis interceptis literis, quas originaliter in manu noſtra ſeruamus, liquido conſtare poterit. At quum Gallus rex huius ſpe fœderis fretus, cupidus ſuæ ditionis fimbrias ampliandi, violato fœdere, quod prius nobiſcum inierat, per Robertum de Marchia rebellem ſubditum noſtrum ad ipſius Gallorum regis ſtipendia conductum, arma in Dominia noſtra Galliæ Belgicæ mouiſſet, ipſiusq; Galli regis Duces, & milites in Italia agentes, etiam ipſius Apoſtolicæ Sedis Dominia tunc poſſeſſa, Vrbem ſcilicet Rhegiũ clanculum occupare conati fuiſſent; fatemur tunc Sanctitatis veſtræ opera diuum ipſum Leonem Gallorum amplitudinem magis, quam noſtram potentiam perhorreſcentem, de ipſorumque fide hæſitantem, in partes noſtras adductum eſſe, nobiſcumque fœdus iniiſſe, quo ſuam Sanctitatem in ſua Apoſtolica dignitate tueri, & Romanam eccleſiam ad occupata per Gallos reſtituere, & redintegrare, necnon illuſt. Franciſcum Sfortiam in paternum ſolium & ſtatum à Rege Gallo detentum reducere conuenimus. quod quidem adeo alacri animo ſuſcepimus, poſtergatis, oblitisque anterioribus geſtis in ſtatus, honoris, ac dignitatis noſtræ præiudicium molitis, vt nil aliud putaremus, quam duo magna orbis luminaria veſtræ Sanctitatis opera adeo inſeparabiliter coniuncta cenſeri, vt inde mutua horum correſpondentia orbis vniuerſus illuſtrari poſſet, ad perpetuamq; vnionem, & quietem reduci. Hoc itaque fœdere freti, cum ipſius Diui Leonis copiis noſtris adiunctis, &, vt antea retulimus, ſub veſtræ Sanctitatis præfectura, & legatione per nos actum, executumq; extitit, vt Parma, & Placentia eccleſiæ reſtitutis, ipſoq; illuſtri Franciſco Sfortia in paterno ſolio ſtabilito, Galli etiam non ſine magna illorum ſtrage, Ducum noſtrorum virtute, illuſtrium videlicet Proſperi Columnæ, Marchionisq; Piſcharıæ, ac aliorum noſtri exercitus Ducum, & militum, ab Italia omnino expulſi fuerint.

fuerint. Et hæc ſunt quæ Leonis tempore veſtra Sanctitas pro nobis egit, quæ tamen non ita paſſim irremunerata fuere, quum & ipſa Romana eccleſia ſuum ex his auxerit patrimonium, non ſolum Parmæ, & Placentiæ recuperatione, ſed etiam noui cenſus onere Regno noſtro Neapolitano iniuncto. veſtra quoque Sanctitas (quod non improperandi cauſa ſit dictum) aureorum decem millium penſionem annuam ſupra Metropoli Toletana, noſtra quidem liberalitate obtinuit.

Quid autem Adriani tempore geſtum fuerit, diſſeramus. Nouit Sanctitas veſtra quibus tunc fauoribus Adrianus in eius gratiam ſuſcepiſſet Cardinalem Vulterranum veſtræ Sanctitatis æmulum, acerrimumq; aduerſarium, quid illius artibus, & mediis in veſtræ Sanctitatis caput moliretur ac qualiter eandem veſtram Sanctitatem à Florentinæ Reipub. adminiſtratione excludere conabatur. Nouit etiam nos ita ſuarum rerum, ſuæque familiæ, ac ipſius Reipub. Florentinæ protectionem, ac patrocinium ſuſcepiſſe, etiam cum ſtatus ſui, ac ſuorum nepotum incremento, vt hinc Adrianus ipſe noſtro fauore, noſtrique intuitu, non ſolum veſtram Sanctitatem in gratiam tunc ſuſceperit, verum tanta gratia proſequutus fuerit, vt nihil in rebus ſtatus, quæ alicuius momenti cenſerentur, veſtra Sanctitate inconſulta tentaret. Hincque Vulterranus veſtræ Sanctitatis aduerſarius, quum indignatus nonnulla cum Gallis (ſuis interceptis literis) moliri videretur, Adriani iuſſu capitur, in vinculaque conicitur, debitas pœnas daturus, ni Adriano morte præuento, autoritate ſacri Cardinalium Collegij pro noui Pontificis electione liberatus fuiſſet, & inde electione facta, eorundem Cardinalium intuitu, à veſtra Sanctitate veniam obtinere meruiſſet, licet paulo poſt dies ſuos clauſerit extremos. Non diffitemur tamen, ipſo Adriano viuente, poſtquam in illius gratiam Sanctitas veſtra reducta extitit, illius operam non modicæ frugi nobis fuiſſe in alliciendo eundem Adrianum ad fœdus illud defenſiuum: Quo medio Galli iterum in Italiam redeuntes, Mediolanumque obſidentes, fœderatorum præſidiis denuo victi, repulſique fuere. Quod etſi in veſtræ Sanctitatis Pontificatu fuerit exequutum, id tamen ſub vexillis, & copiis eiuſdem Adriani, in vimque præambuli fœderis actum extitit, quod veſtra Sanctitas opus manuum ſuarum deſpiciens (nouus homo factus, nouaque dignitate aſſumpta) nequaquam approbandum, ſeu innouandum cenſuit: licet ipſius fœderis exequutionem, in qua cæteri fœderati tunc firmiter inſiſtebant, concurrentibus etiam Venetorum copiis, prout ratio ſuadebat, nequaquam impediendam cenſuerit, quum etſi præſidia eccleſiæ eo tempore ceſſaſſent, non ideo minus noſtrorũ victoria in manu eſſe videbatur. Non tamen ob id veſtræ Sanctitatis auxilia, atq; conſilia tunc præſtita paruipendenda cenſemus, verum pro his & gratias tunc egimus & adhuc agimus ſimulq; nos veſtræ Sanctitati debere, & obnoxios eſſe profitemur, qui etiam vices non ſolum reciprocas, ſed & multiplicatas, & longe maiora præſidia, ſi caſus ſe obtuliſſet, veſtræ Sanctitati ipſiq; Apoſtolicæ ſedi, per illius tutela, & augmẽto ſemper exhibere parati fuimus, & vt filius patri correſpondere: à quo etiam propoſito, quicquid in nos falſo ſuggeſtu molitum videatur, nequaquam animum noſtrum alienauimus, nec alienaturi ſumus, ni maior nos vrgeat neceſſitas in occupandis noſtris viribus ad rerum noſtrarum tutelam, & defenſionem, quam tamen ita moderatam ſumpturi ſumus, vt ab offenſionis limitibus, quantum fas fuerit, abeſſe videatur. Hoc enim moderatum temperamentum nos Chriſto, cuius veſtra Sanctitas vices in terris gerit, debere profitemur.

Reprehendit veſtra Sanctitas quod *non fideli conſilio exercitus noſtri Duces in Galliam tranſiuerint*, inferens quod *ex eo intempeſtiuo*, vt ait, *tranſitu ſucceſſerit celerior & grauior in Italiam Gallorum irruptio, Rege maximi nominis exercitum ducente, ac vrbis opulentiſſimæ Mediolani ab illis receptio.* Nos, Beatiſſime Pater, nec excuſamus illius tranſitus conſilium, nec impugnamus. Id tamen nobis inconſultis actum non extitit, qui id nulla iuſta ratione negare poteramus Illuſtri conſanguineo noſtro Carolo Duci Borbonii Anglicis etiam præſidiis freto, pro ſui ſtatus recuperatione, quo eo quod noſtris ſe addixit obſequiis, priuatus extiterat. Durum enim, ac prorſus inhumanum viſum fuiſſet, ſi eo Duce, vicesque noſtras in Italia agente, obtenta de communi hoſte victoria, eiectisque inde Gallis, victricia arma eidem denegaſſemus ad rerum ſuarum noſtri cauſa, vt prætendit, occupatarum conſequutionem, vbi potiſſime ex eo exercitus noſtri in Galliam tranſitu Italia quietior, ac liberior remanere videbatur, à militum quoque grauaminibus & inſolentiis, quibus plerumque victores milites vti ſolent, magis exonerata & exempta reddebatur. Sed quum aliter res tunc ſucceſſerint, quam putabatur, non quidem noſtra, ſeu Ducum, culpa, ſed belli ſorte ita ſuadente, vt victoria quæ à Deo eſt, non ita paſſim pro voto hominum valeat obtineri, valuit ſaltem Ducum prudentia, audacia, ac magnanimitas in reducendo opportuno tempore exercitum illæſum in Italiam, quo ipſius Gallorum Regis impetus compeſci poſſet, illiusque conatibus obſiſti: qui profecto, vt à fide dignis nobis relatum extitit, à veſtra Sanctitate eiusque miniſtris ad id perſuaſus, & incitatus (quod tamen pro certo non habemus, nec ita paſſim credendum putauimus) eam prouinciam belli Italici tam acriter, impetuoſeque tentauit, vt fauente altiſſimo iuſtæ cauſæ noſtræ, victus cum maxima ſuorum clade, nobis per Viceregem noſtrum Neapolitanum captiuus ſit redditus, & inde à nobis ſub conditionibus veſtræ Sanctitati notis liberatus.

Excuſat veſtra Sanctitas, quod *quum Duces noſtri de defenſione illarum regionum ſpem totam poſuiſſent, ac de earum inſuper, quæ noſtræ erant propria, periculo commouerentur, eademq; Sanctitas veſtra in magno etiam ſuarum rerum metu eſſet, eis conuentionibus occurrere coacta fuerit imminenti periculo, quæ ait nos optime noſſe.* Nos tamen earum conuentionum veram notitiam habere non poſſumus, quæ nobis inſciis tranſactæ ſunt, quasque nunquam vidimus ſeu legimus, quæ etiam miniſtris noſtris nunquam

oſtenſa

oſtenſæ fuere, ni ipſorum Gallorum relationi ſtare vellemus, qui aliter rem geſtam aiunt, quam veſtra Sanctitas ſuis nobis literis nunciauerit. Volumus nihilominus potius veſtræ Sanctitatis aſſertioni confidere. Recolimus enim dum eadem Sanctitas nos de huiusmodi conuentionibus (rebus adhuc ſub ancipiti Marte laborantibus) ſuis literis monuiſſet, aſſerens nil inde eidem Sanctitati quæſitum, quam fidem, & ſecuritatem, id exigente, vt aiebat, neceſſitate, eliciens inde futuræ pacis auſpicium, quum ipſa Sanctitas de conſueto ſuo erga nos animo, atq; voluntate nihil omnino remiſiſſe aſſeueraret, cepimus tunc hæc in benigniorem partem, veſtræ Sanctitatis culpam nequaquam arguentes, nec de eiusdem, vt aiebat, erga nos animo & voluntate diffidentes. Id enim potius quorundam ſuaſionibus tribuendum cenſuimus, qui vires noſtras ſua detractione deprimendo, hoſtiumque potentiam extollendo, veſtræ Sanctitati ſuaſerant, res noſtras in ſummo diſcrimine conſiſtere, hoſtium vero robur in excelſo culmine florere: ſic priſtinam veſtræ Sanctitatis voluntatem in quandam depictam neceſſitatem transformantes, licet reuera nulla vigens neceſſitas ſubeſſe videretur, nec tanta erat in ipſis noſtri exercitus Ducibus deſperatio, aut trepidatio, prout Sanctitati veſtræ inſinuabant illius fœderis autores, qui Sanctitatem veſtram terrere ſtudebant, quod ex ipſo rei exitu ſequuta victoria clarius enituit, ex qua potius, quam ex eo fœdere pacis auſpicium ſumendum videbatur, ni quorundam malignantium artes ſuis potius paſſionibus, & cupiditatibus, quam ſaluti Reip. intentæ, ſanctum id opus perturbaſſent.

Commemorat veſtra Sanctitas, *quæ ſibi fuerit cura, quæ cautio rerum noſtrarum*, aſſerens *tunc rebus noſtris non minus quam propriis caviſſe, Gallorum tranſitum in Regni fines multis rebus remoratam fuiſſe.* Merebatur quidem noſtra in veſtram Sanctitatem deuotio, vt Sanctitas ipſa tali officio tangeretur, idque expoſcebat Reipub. ſalus, ne vbetior ignis incenderetur, licet ex ipſo effectu potius patuerit Gallos ipſos tunc aliquandiu in itinere detentos, vt à Sacri Imperii ciuitatibus Lucenſi, & Senenſi pecunias ac tormenta ad bellum contra nos, ac Regnum noſtrum diſponendum extorquerent, vt quietum ipſius Senen. ciuitatis ſtatum tunc turbarent, tyrannos intromitterent, ac pro eorum voto eius ciuitatis gubernium mutarent, eam ciuitatem à Sacri Imperii deuotione omnino diuertere ſatagentes, nouas interim copias in terris ac patrimonio Romanæ eccleſiæ ex ipſis pecuniis ab Imperialibus ciuitatibus extortis congerentes, quibus ad Regni noſtri inuaſionem munitiores, ac potentiores eſſe poſſent, ni Deus Optimus Maximus victoria noſtris apud Ticinum collata, eorumque Rege captiuato, tantum his terrorem incuſſiſſet, vt non amplius de inuaſione, ſed potius de eorum ſalute & fuga cogitare viſi fuerint.

Sed ait Sanctitas veſtra, quod *ſi ſocietatem eorum ſequi voluiſſet, maxima eidem præmia non ſolum proponebantur, ſed etiam parata eſſent.* At quæſumus, quæ ratio? quæ iuſta cauſa? quis honeſtus color veſtram Sanctitatem directum eius feudi dominum mouere debuiſſet, ad iuuandam inuaſionem contra proprium feudatarium nil tale merentem, nec tale facinus cogitantem, abſentemque, nec monitum, nec impetitum, nec de aliqua iuſta cauſa ſubtrahendi feudum conuictum? Tenebatur enim veſtra Sanctitas iure feudi, tanquam directus illius dominus, potius nos in feudo tueri, quam inuaſoribus aditum præbere, aut ſe ſocium inuaſionis præſtare. Eodem enim ordine, quo tenetur vaſallus pro feudo Domino ſeruire, eodem ordine Dominus vaſallum in feudo tueri: & ex quibus cauſis vaſallus feudum amittit, ex eiſdem cauſis Dominus directa proprietate feudi, illiusque directo dominio priuatur. Eſt enim ipſius feudi natura, vt vltro citroque obligationem pariat. Facile quidem fuiſſet, improuiſum regnum, ac ad defenſionem non paratum, nil tale metuens aggredi, & forſan in parte occupare, ſed an id fieri licuiſſet, an hæc paſtoris officio conueniſſent, cogitet Sanctitas veſtra. Quæ enim præmia offerri poterant, quæ Chriſti Vicarium ad tam immane facinus induxiſſent? Sanctius itaque tunc conſultum extitit veſtræ Sanctitati, vt præmiis illis neglectis, non tentaret, quod forſan pro voto non ſucceſſiſſet, nec tentatum, ceptumue conſummari potuiſſet, ſicque merito, vt veſtra inquit Sanctitas, plus apud eam valuiſſe debuerunt amicitiæ noſtræ merita, quam præmium vllum. Verum etſi meliorem præſumptionem amplecti velimus, nilque de intrinſecis veſtræ Sanctitatis cordis iudicare præſumamus, quod vero Chriſti Vicario non congrueret, non tamen pro comperto habemus, quid ceſſante victoria Sanctitas veſtra actura fuiſſet, quæ iam ſub ancipiti Marte ſtatum Mediolani colore ſequeſtri, ac depoſiti, a noſtrorum Ducum manu, & protectione eripere, ac in ſuam poteſtatem, quamdiu de pace tractaretur, reponere, ac reducere conabatur: quæ etiam, vt ad id nos, & Duces noſtros cogeret, illorumque vires minueret, ac neceſſitatem induceret, aſſerens anteceſſoris fœdus ſucceſſorem non ligare, curauit, vt aiunt, non ſolum Florentinorum, aliorumque Potentatuum præſidia, quæ ex Adriani fœdere ad contributionem defenſiuam debebantur, ſubtrahi, & denegari, verum & noſtris Venetorum præſidia, ad quæ particulari fœdere tenebantur, ſuſtuliſſe dicitur, his ſuadendo ne copias ſuas, vt tenebantur, noſtris iungerent, vt ſic noſtri omni fœderatorum auxilio deſtituti, priusquam in campum prodirent, hoſtesque adorirentur, coacti fuerint non ſine ſummo labore, & noſtris, ac Sereniſſimi Archiducis fratris noſtri impenſis nouas tum equitum tum peditum copias ex Germania educere, & cum his exercitum noſtrum augere, quo bellum aggredi, ſperatamq; victoriam nanciſci poſſent.

Subdit eadem Sanctitas, quod *ſequuta noſtrorum victoria contra Gallos, quum omnis ſibi ſublata contentio videretur, ſineq; cupiditatis & partium ſuſpitione nobis hærere poſſet, magnumq; in nobis Italiæ beneficium, & Chriſtianitatis totius poſitum arbitraretur, non ſolum fœdus firmauit, ſed quo noſtri Duces egentes pecunia,*

exercitum

exercitum alere, ac ſuſtinere poſſent, centum illis dederit Ducatorum millia, conditione appoſita, vt ſi de fœdere aliqua nobis dubitatio oriretur, illa Sanctitati veſtræ pecunia reſtituerentur. Fatemur quidem, Beatiſſ. pater, victoriam illam, omnem ſibi cõtentionem merito ſuſtuliſſe, ſineque cupiditatis (à qua ſemper fuimus alieni) partiumque ſuſpitione, cuius nulla ſuberat cauſa, nobis hærere potuiſſe, omnique ratione arbitrandum fuiſſe, ea in re totius Italiæ, ac Chriſtianitatis beneficium repoſitum, ni zizaniorum ſeminator illius fructum ſuffocaſſet. Diffitemur tamen eam in fœdere conditionem appoſitam, quod ſi dubitatio oriretur, pecuniæ noſtris Ducibus ſolutæ veſtræ Sanctitati reſtituerentur, quandoquidem ipſius rei geſtæ ſeriem longe aliter ſe habere conſtet, nec de tali conditione vlla in ipſo fœdere mentio facta appareat, verum in quodam articulo ſeparato, & à capitulis fœderis penitus excluſo narretur: quod quum veſtra Sanctitas ad ſatisfaciendum exercitui noſtro in Italia exiſtenti, ciuitatesque & oppida Sacræ Rom. eccleſiæ ſubiecta ab oppreſſionibus militum ſubleuanda, ſalutemque & tranquillitatem Italiæ conſtituendam, ſummam pecuniæ inter veſtram Sanctitatem, noſtrosque Oratores expreſſam, ſuo & excelſæ Reipub. Dominorum Florentinorum nomine ſe ſoluturam promiſiſſet, quæ pro tunc ad ſexaginta millium ducatorum auri erat aſcenſura, oratores noſtri eidem veſtræ Sanctitati ſub iuramento promiſerunt, quod caſu, quo fœdus cum ipſis noſtris oratoribus percuſſum, & capitula in ipſo fœdere contenta non approbaremus, nec ratificaremus, omnis ſumma pecuuiæ, quæ per veſtram Sanctitatem & dominos Florentinos ſoluta fuiſſet, eidem Sanctitati & Florentinis integre reſtitueretur, cum ea adiectione, quod donec reſtitutio integre & plane facta foret, fœdus interea, & omnia ipſius fœderis capitula ad vnguem obſeruarentur. Quum itaque fœdus ipſum, ac ſingula capitula in eo fœdere comprehenſa quamprimum ad nos delata fuere, rata & grata habuerimus, noſtræque ratificationis literas cum ipſorum capitulorum fœderis inſertione, in forma debita expeditas veſtræ Sanctitati exhiberi fecerimus, quas & vidit, & legit, & palpauit, & dando ſuas reciprocas, retinere potuit, inficiari non poteſt, quin purificata fuerit per nos conditio illa, qua deficiente, pecuniarum reſtitutio erat fienda. Quæ quidem conditio, & particularis conuentio, prout illius verba ſonant, nequaquam nos vrgebat ad alia extrinſecus à fœdere, aut ſeparatim geſta, vel tractata, quinimo potius, etiam ſi pecuniarum reſtitutioni locus eſſet (cuius tamen contrarium oſtenditur) ſeruandum tamen erat fœdus interim à quo iuxta ipſius ſeparati articuli ſeriem, ſine pollicitorum violatione excedi non potuit, nec ad contraria fœdera licite deueniri valuit, ſicq; ſatis erronee, & (ſalua pace ſit dictum) prçter veritatẽ refertur, quod id fœdus non plane à nobis acceptum, nec probatum fuerit, qui & plane, & integre, vt præfertur, omnia in fœdere contenta, probauimus, rataq; habuimus, nihil penitus de contentis in eo, nec etiam ſyllabam, aut literã omittentes. Quod ſi veſtra Sanctitas huiuſce noſtræ ratificationis literas recipere, ſuasq; reciprocas, vt par erat, tradere renuit, ni ſimul traderetur ratificatio duorum aliorum articulorum, de quibus extra ipſum fœdus per ſcripta particularia, nobis tamen inconſultis, ſeparatim, & ad partem tractatum fuerat, ad quorumq; approbationẽ ex vi fœderis, vt præmittitur, non adſtringebamur, nil eſt ꝙ culpæ noſtræ aſcribi valeat, ſi fœdus illud minime ſeruatũ, ſed potius inde violatũ extiterit. ab hac. n. culpa & labe omnino alieni ſumus. Et vt id plane liqueat, placet illorum duorũ articulorũ extrinſecus tractatorũ ſubſtantiam referre, cauſasq; differere, quibus non ita paſſim per nos approbandi viderentur. Ex his enim duobus articulis ſeparatis, alter ſalis in ſtatu Mediolani diſtribuendi, quum id à noſtris Oratorib. ſua Sanctitas expoſceret, vt iuxta fœdus per nos cum Leone percuſſum curaremus cum Duce Franciſco Sfortia ſal eiſdem modis, & conditionib. à Sede & Camera Apoſtolica recipi, noſtriq; Oratores ad id reſpondiſſent, non eſſe amplius nobis ius vtilis Dominii Ducatus Mediolani, prout ante fuerat cum Leone, data iam per nos eidem Duci Inueſtitura, ſicq; rem cum ipſo Duce neceſſario decidendam eſſe: Tandem ipſi Oratores noſtri, non expreſſo ꝙ id noſtro nomine agerent, ſimpliciter veſtræ Sanctitati medio eorum iuramento promiſerunt, quod Illuſtris Vicerex curaret, vt Illuſt. Dux Mediolani cum veſtra Sanctitate pro huiusmodi ſale conueniret. Si igitur hæc promiſſio, quæ non niſi factum tertii pollicetur, de ipſoque tertio nil vltra promittit, quam tertium illum curaturum, vt Dux ad concordiam veniret, nil certi decernendo, nos vrgere videatur, vt hanc promiſſionem præciſe ratam habere debeamus, ita vt ſine ea fœderis per nos approbati & ratificati obſeruantia euaneſcat, iudicet id quicunque mentis compos. Quandoquidem noſtra ſententia, & vt peritorum conſilio freti didicimus, nos nequaquam ad ipſius promiſſionis obſeruantiam aſtrictos cenſebamus. reſpondimus tamen in hoc modeſtius veſtræ Sanctitati. Quod ſi huiusmodi Sanctitatis veſtræ deſiderium nobis prius innotuiſſet, quam de ipſa ſalis diſtributione in ſtatu Mediolani ad opus Sereniſſ. Archiducis, fratris noſtri cum ipſo illuſtri Franciſco Sfortia tranſactum eſſet, noſtram libenter operam nauare ſtuduiſſemus, vt veſtra Sanctitas huiuſce voti compos fieret. Verum etſi fratri deeſſe non poſſemus, nos tamen cum eo curaturos, vt mediante aliqua honeſta recompenſa pecuniaria, ipſe frater noſter ius huiusmodi diſtribuendi ſalis veſtræ Sanctitati ad illius vitam concederet. Id enim æquum, ac iuſtum videbatur, ne ius illud, quod eidem fratri noſtro pro recompenſa præſidii per eum præſtiti ad defenſionem ſtatus Mediolani, deficientibus viribus, ac copiis veſtræ Sanctitatis aliorumque fœderatorum, eidem infructuoſum redderetur. Alter vero ex ipſis duobus articulis id continebat, quod ad tollendam difficultatem, quæ inter veſtram Sanctitatem & nos incidere poſſet ſuper controuerſia Mutinæ & Rhegii, offerebant noſtri Oratores, vt veſtra Sanctitas cõſequeretur vtile ipſarum ciuitatum dominium, ſuperioritatis, & directi dominii iure nobis ſemper ſaluo, ita vt veſtra Sanctitas & tunc recognoſceret & acceptaret huius-

huiuſmodi directum noſtrum dominium, ac ſuperioritatem, veſtraque Sanctitas nobis, aut agentibus noſtris centena millia ducatorum aureorum (poſt recuperatam poſſeſſionem earum, quæ illuſtris Dux Ferrariæ à tempore obitus Leonis decimi eccleſiæ ſubtraxerat) perſoluere deberet. Huic propoſitioni, & oblationi reſpondebat veſtra Sanctitas pro ſe & ſede Apoſtolica, huiuſmodi oblata acceptare, prout proponebantur, excepta ſuperioritate, & directo dominio noſtro ſuper dictis ciuitatibus, quam veſtra Sanctitas recognoſcere renuit, ne iuribus & ſuperioritati ab Apoſtolica ſede prætenſis præiudicium fieret: offerente tamen veſtra Sanctitate ſe contentam eſſe, vt ipſius ſuperioritatis controuerſia videretur, & decideretur infra tres menſes tunc proximos, per veſtram Sanctitatem & illuſtrem Viceregem, aut alios, qui ab vtraque parte ſimul eligerentur. Et ſi huiuſmodi ſuperioritas nobis adiudicaretur, Apoſtolica ſedes recognoſceret, prout ab agentibus noſtris fuerat propoſitum. ſi vero Apoſtolicæ ſedi adiudicaretur, veſtra Sanctitas ex ſua liberalitate, & ex eo amore, quo nos proſequi profitebatur, nobis condonaret recompenſam, de qua deberemus eſſe contenti. Hanc veſtræ Sanctitatis reſponſionem, & oblationem ipſi noſtri agentes ita demum acceptarunt, vt ſalua eſſent nobis omnia iura ſuperioritatis, & dominii directi in ipſis ciuitatibus competentia, & pertinentia, quibus ob talem acceptationem præiudicium afferre non intendebant, conſentientes nihilominus de huiuſmodi iuribus cognoſci modis, & formis per dictam veſtram Sanctitatem propoſitis. Si hæc igitur tam difformiter, tam irreſolute, extra fœderis capitula deſcripta in ea eſſent forma, quæ vel nos ad ratihabitionem (quam noſtri noſtro nomine non promiſerunt) obligaret, vel in nos actionem pareret, qua ad id vrgeri poſſemus, nulla accedente valida ſtipulatione, nec pacto formiter veſtito, vbi etiam tempus deciſioni præfixum illam impoſſibilem redderet, conſulat in his veſtra Sanctitas peritos, & comperiet nos nec ad huiuſmodi particularem ratihabitionẽ aſtrictos, nec ex huius defectu percuſſi nobiſcum fœderis, & per nos indifferenter, ac plane approbati obſeruantiam fuiſſe differendam, nec contrario fœdere fruſtrandam, ſeu irritandam. Vt tamen moderatius cum veſtra Sanctitate pro ſuæ perſonæ qualitate ageremus, oſtendimus ea, quæ per noſtros Oratores in hac re tractata fuerant, nequaquam in noſtra poteſtate conſiſtere, qui nec Imperii iuribus præiudicare, nec ius tertii auferre deberemus, nec in noſtra eſſet poteſtate illuſtrem Ducem Ferrariæ vrgere ad reſtitutionem petitorum, niſi is armis offenſibilibus coerceretur, qui ſe Imperii Vaſallum profitebatur, & ea quæ reſtitui petebantur, de Sacri Imperii feudo tenere recognoſcebat: durumque videretur, pro ea re bellum in Italia inſtaurare, ſupplicauimus veſtræ Sanctitati, vt pro Italiæ quiete, & ne inde noui motus ibidem cauſarentur, dignaretur eadem Sanctitas conſentire, vt res ipſa aut per iuſticiæ tramites, aut per compoſitionem amicabilem cum ipſo Duce Ferrariæ fiendam terminaretur. Et quum huiuſmodi oblata veſtræ Sanctitati non placuiſſent, superueniente poſtea Reuerendiſſimo Sanctitatis veſtræ Legato Cardinale de Saluiatis ad nos tranſmiſſo, & veſtræ Sanctitatis mente percepta, non recedentes à recto iuſticiæ tramite, cupientesque nihilominus, quantum fas eſſet, veſtræ Sanctitati gratificari, obtulimus eidem nos operam daturos cum effectu, quod ſine præiudicio iurium Sacri Rom. Imperii, ſeu alterius cuiuslibet, poſſet veſtra Sanctitas dum ſibi expedire videretur, ſine cuiuſpiam reſiſtentia, ſineque armorum apparatu, ſua ſponte, per ſe, aut ſuos ad id deputandos recuperare poſſeſſionem Rhegij, & Ruberiæ, cum ſuis pertinentiis tenendam & poſſidendam, prout antea tenebat, & poſſidebat. quod tamen Sanctitati veſtræ non placuit. Licet credere non poſſemus, eum qui Chriſti vices in terris gerit, vel vnius guttæ humani ſanguinis iactura quamcunque ſæcularem ditionem ſibi vendicare velle, quum id ab Euangelica doctrina prorſus alienum videretur. Quid igitur rebus ſic ſtantibus, nobis impingi poſſit, quod fœdus à nobis non plane acceptum, ſeu approbatum fuerit, quo colore noſtræ ratificationis literæ receptæ non fuerint, quo iure ipſius Veſtræ Sanctitatis reciprocæ literæ nobis fuerint denegatæ, qua fronte fidei religio, quam veſtra Sanctitas in verbo Romani Pontificis ſuper ipſius fœderis obſeruantia perſonaliter præſtitiſſe dignoſcitur, ſpreta fuerit, ac neglecta, cogitet Sanctitas veſtra, ac de ipſa iudicet, an ſic decuerit ab eo fœdere, diſcedere, penitusque repugnantia paciſci, cum his potiſſime, qui eo tempore pro hoſtibus habeantur contra quos potius paranda erat defenſio ad eorum conatus repellendos.

Quod autem Sanctitas veſtra ad id ſubiungit, *quum propter æmulationem quorundam ex Ducibus, & ingrata cæteris conſilia, Piſcharia Marchio nonnulla iactare, tractareq; cœpiſſet in noſtri ſtatus detrimentum, veſtram Sanctitatem illa etiam conſilia audiuiſſe, ne fœdere à nobis reiecto, penitus aſpernata, eidem Sanctitati deeſſet, vbi niti, ac conſidere poſſet.* Non poſſumus profecto non mirari, quæ in hoc veſtra Sanctitas ſuis literis profitetur, quæ & ſi nobis ſæpius à noſtris Ducibus, aliisque quampluribus ſcripta, relataque fuiſſent, nuſquam tamen à nobis credita ſunt, nec adhuc crederemus, ni veſtra Sanctitas id aſſeueraret, cuius confeſſione, & aſſertione, in his potiſſime, quæ proprium factum concernunt, nulla plenior, liquidiorque probatio eſſe poteſt. Qualia autem fuerint ea, quæ Marchio Piſchariæ in noſtri ſtatus detrimentum iactare, aut tractare dicebatur, & quæ veſtra Sanctitas audiuiſſe fatetur, quum in veſtræ Sanctitatis literis non ſpecifice declarentur, ſed ſub verborum inuolucro res tam nephanda tegi videatur, comprobanda res erit per ipſius Marchionis literas, quæ penes nos ſeruantur, ac per aliorum quorundam adhuc viuentium teſtimonia, qui huiuſce facinoris conſcii, participesque fuere, quibus ſatis aperte detegitur ipſum Piſchariæ Marchionem non ita proprii honoris, ac conſcientiæ immemorem fuiſſe, quod quidquam in ſtatus noſtri detrimentum moliri cuperet, ſed potius aliter finxiſſe, quam in animo haberet, vt aliorum in nos, ac ſtatum noſtrum molientium

factiones

factiones, ac incendia parata, quorum iam fumum ſenſerat, verioribus indiciis, ac argumentis detegeret, hincque facilius nobis præmonitis, extingui poſſent: ſicque finxit ſe de nobis male contentum, vt inde liberius in molientium partes vocaretur, omnemque rei ſeriem audire, ac funditus intelligere poſſet. Hincque Marchio ipſe ad eam tragœdiam vocatus, ſimulata fide, in eam conſpirationem cum cæteris illius autoribus conuenit, atque conſenſit: perluſtratisque omnibus ad tantum facinus patandum diſpoſitis, atque paratis, ac totius negotii ſerie plane perſpecta, & intellecta, cum in his veſtræ Sanctitatis principalis eſſet authoritas, audiuiſſetque Marchio nuncium ad id per veſtram Sanctitatem tranſmiſſum, eidem ſui parte, vt ait, offerentem ſub cuiusdam Apoſtolici Breuis credentia, Regni noſtri Neapolitani Inueſtituram, & poſſeſſionem, ſi is in eiusdem Sanctitatis ac fœderatorum partes cum copiis noſtri exercitus eidem Marchioni magis affectis tranſiret, atque tranſiugeret, vt inde communibus fœderatorum copiis, inter quas etiam Gallorum copiæ cum ingenti Heluetiorum manu ad ſui Regis liberationem anhelantes, & Venetorum præſidia concurrere debebant, vt etiam populis ad liberationem Italiæ concitatis, vno ictu, atque contextu noſtrum exercitum prorſus delerent, noſque non ſolum à ſtatu Mediolani, ſed etiam à regno Neapolitano, ac ab omni Imperio Italico excluderent, vt inde Sanctitas veſtra nos etiam ab omni Imperiali dignitate deponeret: Finxit Marchio ſe contentum his annuere, ſi id cum honore ſineque incurſu criminis læſæ Maieſtatis exequi liceret: & vt ſuper ea a peritiores conſuleret, petiit quindecim dierum dilationem, quibus pendentibus, illi erat in animo nobis rei ſeriem conſcribere, prout & fecit, nec ideo minus ſe à practicis abſtinuit, qui etiam ad hanc factionem magis colorandam habuit ex Vrbe conſilium peritorum, quo eidem Marchioni perſuadebatur, eundem licite poſſe, ac ſine honoris, ſeu fidelitatis præſtitæ læſione, ſeu præiudicio, ſineque incurſione criminis læſæ maieſtatis, in partes veſtræ Sanctitatis tanquam ſupremi domini illius Regni tranſire, feudumque ab eadem Sanctitate ſuſcipere, vbi potiſſime ipſius Sanctitatis iuſſus accederet. Sed hæc igitur, Pater Sancte, [illegible] prout narrat Marchio, qui vſque ad vltimum vitæ ſpiritum in ea ſemper ſententia [illegible] ta, atque tractata conſilia, quæ veſtra Sanctitas etiam audiuiſſe fatetur, videat [illegible] ante ſuis oculis, ſi hæc tanto paſtore digna cenſeantur, inſpiciat qualis [illegible] quale ſcandalum, quantusque tumultus ex his in eccleſia Dei, ac in vniuerſa Chriſtiana Republ. naſceretur. Miſeranda quippe res eſſet, ac ab omni fideli catholico deploranda, in quanta occupabatur mentis noſtræ iudicium, vt quaſi ſomnium illuſorium putemus, cui fides tribui non deberet: quum potiſſime, vt antea aliquando oſtendimus, ceſſet fundamentum illud ſatis manifeſte erroneum, immo penitus falſum, de fœdere à nobis reiecto, quod nunquam reiectum, ſed plane acceptatum conſtat. Sed ait veſtra Sanctitas ſe à verbis ad facta nullum aditum tentaſſe: vtinam ſic ſe res haberet, nilque de facto tentatum eſſet, quia facilius pro verbis verba reddi poſſent, facta autem pro infectis haberi nequeunt. At quod veſtra Sanctitas ſe de officio commendat, nos admoneri mandaſſe, vt Duces noſtros in Italia, quorum in manu res noſtræ erant curaremus de nobis eſſe contentos, hanc probationem eliciens, eidem eſſe curæ quietem, & ſtabilitatem rerum noſtrarum: noluiſſemus id officium à Sanctitate veſtra præſtitum, eo tamen tempore, quo idem Marchio totis fere [illegible] nobis aperte diſſeruerat. Cur autem tunc veſtra Sanctitas re iam detecta, id nobis innuendum cenſuerit, id eius iudicio ac conſcientiæ commendamus. Volumus tamen hoc in benigniorem partem ſuſcipere. At ſubiungit veſtra Sanctitas quod maximo cum gemitu, & dolore ſuo, atque Italiæ totius, quum Duces noſtri ſtatum Mediolani occupaſſent, atque arcem, in qua Franciſcus Martia tendebat, circumuallare inſtituiſſent, poſtulante à ſe curam, & ſeueritatem aduerſus indignitatem tantam Italiæ periculo, omnibusque notis, atque ignotis flagitantibus, paratis qui arma, & auxilia conferrent, cunctis prope Chriſtianitatis Regibus veſtram Sanctitatem animantibus, quum non videretur poſſe reſiſtere monitis, querelis, precibusque illorum, quum vos officii veſtri debitum, Italiæ calamitas, & periculum commune commoueret: tamen adueniente per eos dies ad veſtram Sanctitatem Commendatore Herrera nuncio noſtro tractandi cauſa miſſo, relapſa eadem Sanctitas in priſtinam ſpem & cupiditatem beneuolentiæ noſtræ ſibi quouis modo conciliandæ dimiſſis conſiliis, conſpirationibus, oblationibusque cunctorum, graui omnium indignatione & querela, qui ſe à veſtra Sanctitate deſertos conquerebantur, ad nos denuo confugiendum putauit, quærendo nobis comparare gloriam pacandæ Chriſtianitatis, & moderationis noſtræ omnibus declarandæ: ſicque ea conuentionum capitula paucis, vt ait, in locis leuiter immutata remiſiſſe ad nos comprobanda, ſcripſiſſeq; manu ſua literas, quibus per Dei miſericordiam obſecrando, vt depellere vellemus eam ſuſpicionem quæ de noſtra nimia cupiditate omnibus adhærebat, perpetuitatem, & fructum amicitiæ ſuæ nobis pollicebatur, conſiliumq; fidele dabat, & quæ petenda erant, omni cum humanitate, & beneuolentia à nobis petebat, ſecuritatem videlicet Italiæ, Duci Mediolani, ſi quo pacto erraſſet, clementiam, veſtræ Sanctitati amorem. Quæ tot illius opera, atque officia erga nos, aliaque quamplurima, quæ nobis quotidie poſtulanti concedebat, ex quibus nobis commodum, atque honor quotidie accreſcebat, vt ait parui pendimus: his multiplicium querelarum, accuſationum, & criminationum faſciculum adiungit. Quibus tot, & tantis, vt inquit, iniuriis, & cauſis inuita veſtra Sanctitas & gemens, de nobis deſperare, & diffidere eſt coacta, ſuamque amicitiam, & beneuolentiam, quam totiens, vt aſſerit, repudiauimus, multis, & magnis Regibus adiungere, quorum optimum in Chriſtianam rem & ſedem Apoſtolicam animum, ſi veſtra Sanctitas aſpernata eſſet, non iam paſtoris, & communis patris laudem, ſed ſuperbi, & inſolentis nomen

acquiſiuiſſet. Hæc pater Sancte, horrenda quidem, & penitus abominanda cenſerentur, niſi ſcuto veritatis circundati, huiuſmodi calumnias, conuitia, improperia, crimina, facinoraque nobis obiecta refellere, ac ſingulatim ſuo ordine extirpare, & eneruare ſtuderemus. Non quidem hæc Chriſtiano principe digna (ſi vera forent) ſed potius apud inferos recondenda cenſerentur. Vt igitur huiuſmodi calumniarum nobis falſo obiectarum faſciculum dirumpamus & colligata ſpicula in nos coniecta, ſeparatim, ac gradatim eneruemus, cogimur hiſtoriam, nõ fabulam recenſere, qua rerum geſtarum veritas in lucem prodeat. Et quum ab occupatione ſtatus Mediolani, arcisque obſeſſione, huiuſmodi calumniarum principalior ſumatur occaſio, hincq; pendere videantur leges & prophetæ horum omnium, quæ in nos moliuntur & tentantur, conſequens eſt, vt pro noſtræ villicationis debita ratione reddenda, & nequid occulti remaneat, neue ſerui nequam nobis nomen, & famam comparemus, ſed potius ſerui fidelis, & boni, qui in regnum domini intrare valeamus, ab ipſo ſtipite initium ſumamus, & à capite rationem reddamus oportet, nihil quod ad rem faciat, omittentes. Res igitur, vt aptiſſimis oſtendetur argumentis, ſic ſe habet.

Poſtquam Franciſcus Sfortia huius nominis primus, & moderni Franciſci auus paternus ducatum, ac ſtatum Mediolani nactus eſt, ſeu verius occupauit, quum is non intraret per oſtium, ſed per feneſtram, nec deſcenderet à linea vicecomitum ducum Mediolani, ſed ex perſona vxoris ad tale feudum incapacis ius dicti ducatus prætenderet, & tanquam ſtrenuus, prudens, ac fortunatus belli dux non habuerit in ipſius ducatus aſſequutione contradictorem, nunquam tamen is, neq; eius filius primogenitus Galeacius Maria Sfortia, nec ex eo primogenito nepos Ioannes Galeacius Sfortia ipſius Ducatus Mediolani Inueſtituram à Sacro Imperio obtinere potuerunt. Succeſſit his Ludouicus Sfortia moderni Franciſci pater, q affinitate cum Diuo Maximiliano Cæſare auo noſtro contracta, primus ex Sforcianis Inueſtituram obtinuit pro ſe, & filiis, ac deſcendentibus ſuis ordine ſucceſſiuo, gradu primogenituræ ſeruato. Quo Ludouico primo inueſtito adhuc viuẽte inſurrexit aduerſus eum Ludouicus Aurelianeñ. Dux, inde Francorum rex, eius nominis duodecimus, prætendens, quod ſi ex fœminina linea quiſpiam in eo Ducatu recte ſuccederet, ipſe præferendus foret, qui ex deſcendentia Valentinæ Philippi Mariæ Vicecomitis veri Ducis filiæ legitimę ortum trahebat, pacto etiam in contractu matrimonii adiecto, vt deficientibus maſculis, ipſa Valentina ſuccederet, quod vacante Imperio à ſede Apoſtolica approbatum dicitur: de cuius tamen approbationis viribus nunc diſceptandi occaſio non offertur: ipſa autem familia Sforciaca ab illegitima poſteriore genita originem duceret. Ortum eſt hinc bellum inter ipſum Ludouicum Aurelianenſem, inde Francorum Regem, & dictum Ludouicum Sfortiam, qui Gallorum viribus, & potentia non ſolum à Ducatu, & ſtatu eiectus extitit, ſed etiam captiuus in Galliam ductus eſt, vbi tandem dies ſuos clauſit extremos. Hinc Ludouicus Rex intelligens ſe non eſſe tutum in Ducatu Mediolani, niſi à ſacro Imperio Inueſtituram obtineret, inito fœdere cum diuo Maximiliano Cæſare auo noſtro recolendæ memoriæ, dictoque de matrimonio, ſeu ſponſalibus contrahendis inter nos, & Claudiam ipſius Ludouici regis primogenitam, reuocataque per dictum Diuum Maximilianum Inueſtitura eidem Ludouico Sfortiæ, & liberis antea conceſſa, Inueſtituram dicti Ducatus obtinuit pro ſe, & dicta Claudia eius filia, caſu quo nobiſcum nuberet, ea lege adiecta, de expreſſo ipſius regis Ludouici, ſuorumq; Oratorum conſenſu, quod ſi ſine culpa noſtra, dictum matrimonium inter nos, & Claudiam quouis modo effectum non haberet, prout non habuit, redderetur ipſa Inueſtitura dicto regi, & Claudiæ filiæ conceſſa, penitus inefficax, nulliusq; momenti, verum omne ius dicti Ducatus, & ſtatus Mediolani ex ipſa inueſtitura conceſſum, in nos recta via tranſiret conceſſa ex tunc illis conſentientibus in eum caſum noua inueſtitura, in noſtri perſonam, præſente ad id, & noſtro nomine ſtipulante & acceptante reliquaque ad id requiſita ſolennia peragente Sereniſſimo, felicis memoriæ, Philippo Caſtellæ Rege, patre noſtro. Quam inueſtituram in ſolenni forma conceptam, & p ipſum Diuũ Maximilianum tunc expeditam, adhuc hodie penes nos habemus. Et licet eo fœdere p regẽ Ludouicum violato, dictaq; Claudia eius filia matrimonio copulata cum tunc Duce Angolemenſi Franciſco moderno Francorum rege, ſicq; conditione purificata, Inueſtitura nobis, vt præfertur, conditionaliter conceſſa validum robur & effectũ obtineret, vt ius dicti Ducatus, & ſtatus Mediolani in nos translatum cenſeretur. Ipſe tamen Diuus Cæſar Maximilianus tum quia publicã potius, q̃ priuatam vtilitatem curabat, tum quia putabat ius nobis ex Inueſtitura prædicta quæſitum, ſaluum eſſe, nullumq; præiudicium nobis tunc poſſe afferri, qui in pupillari ætate conſtituti, ſub illius tutela regebamur: quo tutelæ officio fretus, ius illud liquidum, quod nobis competebat, nec tacite, nec expreſſe remittere poterat, nouam eidem Ludouico Gallorum regi pro ſe, & dictis Claudia filia, & Franciſco genero inueſtituram conceſſit, nonnullis etiam conditionibus nequaquam obſeruatis aſtrictam, a. à nobis, q ius potiſſimum prætendere poteramus, minime approbatam. Qua de re Diuus ipſe Cæſar Maximilianus violati fœderis vindictam proſequens, expulſo ab ipſo ducatu Mediolani dicto Ludouico Francorum rege, ſub colore prioris Inueſtituræ Ludouico Sfortiæ conceſſe, &, vt præmittitur, reuocatæ, nobis iterum in pupillari ætate, ac ſub illius tutela degentibus Maximilianum Sforciam eiuſdem Ludouici Ducis filium primogenitum, ad ipſum Ducatum & ſtatũ Mediolani admiſit & induxit. At is poſſeſſor effectus, imemor beneficii in eum collati, plura cum Gallis hoſtib, in Sacri Imperii dedecus, & detrimentum molitus eſt, indeque inito, ac percuſſo cum his fœdere, prodidit eiſdem arces, & ſtatũ, ac ad hoſtes tranſiuit, ceſſitque Ducatu. Ex eius ſelonia, ſi quod ius in eodem Ducatu habuiſſet, ad Sacrum imperiũ deuoluebatur. At quũ modernus

rex

rex Francorum tum ex prætenſo iure inueſtituræ Ludouico Regi eius ſocero conceſſæ, tum etiam ex iure ceſſo per dictum Maximilianum Sfortiam, ipſius Ducatus poſſeſſionem poſt Ludouici Regis mortem nactus eſſet, nulla per eum, ſeu alium eius nomine noua inueſtitura ab ipſo Maximiliano Cæſare, nec à nobis petita, ſeu obtenta, ſic nos & ſacrum Imperium contemnendo, pleraque etiam contra decus & honorem noſtrum, & ipſius ſacri Rom. Imperij moliendo, & in nos eiusdem feudi Dominum ceruicem eleuando, armaq; mouendo, prout ſuis propriis literis, ac notoriis geſtis innotuit, etiamſi validam antea Inueſtituram habuiſſet, prout non habuit, omni illius commodo, omnique iure, ipſo facto priuatus extitit, idque totum ad nos, & ſacrum Rom. Imperium deuolutum fuit, vt ſic Illuſtris Franciſcus Sforcia in eodem Ducatu Mediolani nullũ ius poſſet prætendere, niſi id ex noſtra liberalitate & gratia conſequeretur. Non enim ex Inueſtitura paterna ius aliquod habere poteſt, ſtante reuocatione, vt præmittitur, facta per ipſum met concedentem, eo ſcilicet tempore, quo nondum eidem Franciſco Duci ius in re quæſitum dici poterat ſed duntaxat in ſpe, quod facilius tollitur, vbi potiſſime plenitudo accedit poteſtatis cum certa ipſius concedentis, ac reuocantis ſcientia. Non etiam ex ceſſione, ſeu renuntiatione dicti Maximiliani eius fratris primogeniti, qui nullam de eo ſtatu habuit inueſtituram, ſed ſimplicem detentionem nullo iure ſuffultam, cui pariter obſtabat paternæ inueſtituræ reuocatio, ſicque illius ceſſio nullius fuit effectus. Nemo enim plus iuris in alium transferre poteſt, quam ipſe habeat. Sed demus inueſtituram eidem Ludouico patri conceſſam, in ſuo robore permanere, ipſumque Ducem Franciſcum iuxta illius ordinem ad ſucceſſionem vocandum, non vocatur ex ea niſi poſt mortem primogeniti, qui adhuc viuit, ſicque non euenit caſus qui ipſum Franciſcum admittat. Non enim primogenitus ſimpliciter refutauit feudum ante feudi adeptionem, vt fieret locus ſequenti in gradu, ſed adepto feudo, vbi de fructibus pro libito eius vita comite diſponere poterat, etiam inuito propinquiore ſucceſſore, ceſſit, ac renunciauit. Et quum id egerit paciſcendo cum hoſtibus & delinquendo in Dominum feudi, totum illud ius, quod eidem Maximiliano primogenito competiiſſet, ad ſacrum Imperium deuolutum extitit, ſicque nos nullo iure cogebamur, etiam firma ſtante illa prima inueſtitura huiusmodi Ducatum Mediolani concedere ipſi illuſtri Franciſco Sforciæ, ſaltem vita comite ipſius Maximiliani primogeniti, quinimmo iure merito poteramus Ducatum ipſum penes nos retinere, eoque interim vti, frui. Obiicietur nobis fœdus percuſſum cum Diuo Leone, ſuper quo tamen nullum validum fundamentum in fauorem dicti Franciſci Sforciæ ædificari poteſt, res eſt inter alios acta, nihil ibidem cum Duce Franciſco tractatum eſt, nec quiſpiam pro eo ibidem interuenit, nullusque pro eo ſtipulatus extitit, cui ius ſtipulandi eſſet. Et ſi inter contrahentes res ageretur, emergeret quæſtio, an is qui ex eo fœdere ſe fundaret, pro parte ſua impleuiſſet quod debebat. Sed fateamur omnia ſolenniter geſta, & impleta, ipſumque fœdus percuſſum & ſtipulatum, cum ipſomet Duce Franciſco, non datur illi ex eo fœdere plus iuris, quam ante haberet. Sic enim ſonant illius fœderis verba. *Item quia Illuſtris Franciſcus Sfortia Dux Barri, prætendit Ducatum Mediolani ſibi deberi ex vi inueſtituræ per fœlicis memoriæ Maximilianum Cæſarem factæ, attenta renunciatione fratris ſui primogeniti per quam ſe primum ſucceſſionis locum aſſerit obtinere: actum extitit, & conuentum, quod ſi idem Illuſtris Franciſcus Sfortia Ducatum ipſum recuperauerit, præfati contrahentes eundẽ in ſuis iurib. conſeruare curabunt, ac ab omni violentia tueri nitentur.* Ecce igitur, quod hic nullum aliud ius prætendebat Dux Franciſcus, quam quod prædictum eſt, alias de tamen eneruatum: ecce quod hic eſt conuentio conditionalis, *ſi ipſe Dux Ducatum recuperauerit*, quæ conditio implenda erat in forma ſpecifica, eaque non impleta, prout ipſe implere non poterat, obligatio illa euaneſcit. Et eſto, quod foret ipſa conditio formiter impleta, & purificata, ecce obligatio illa non diſponit niſi de eo conſeruando in ſuis iuribus, quæ vt antea oſtenſum eſt, nulla ſunt, nulliusque momenti. Si igitur nos tot titulis, totque iuribus fulti (qui Ducatum ipſum fœderatorum noſtrorum præſidiis freti, noſtra tamen vt plurimum impenſa, non ſine magna noſtrorum iactura, tot præclaris ducibus, ac militibus amiſſis cum tanta Chriſtiani ſanguinis effuſione, ex hoſtium manibus recuperauimus, ab eorumque faucib. eripuimus, & toties illis redeuntibus, repulſis, ac victis ſeruauimus, ac tutati ſumus) nulla nos ad id vrgente neceſſitate, ac munificentia iuribus noſtris tam claris, tamque apertis, omnino poſtpoſitis, ac poſtergatis, conſenſimus eundem Illuſtrẽ Franciſcum Sforciam, tanto munere dignum facere, eundemque ad dictum Ducatum admittere, ac eidem ipſius Ducatus inueſtituram concedere: quisnam vir ſani capitis nos de cupiditate, de ambitione, de indebita occupatione recte arguere poterit? quisnam ex his geſtis poteſt elicere ſiniſtrã aliquam ſuſpitionem, quod non recto animo intuenti videamur ad ea omnia, quæ Reip. Chriſtianę quietem & tranquillitatem, Italiæque libertatem concernere videntur? At hæc non verbo tantum obtulimus, ſed & effectu præſtitimus. Fecimus enim ipſum Ducem Franciſcum totius ſtatus poſſeſſorem, fecimus in eius poteſtatem reponi, & conſignari omnes arces, omnesque ciuitates, autoritatem, & adminiſtrationem omnimodam eidem permiſimus, vt non ſolum regere, & pro libito adminiſtrare poſſet, fructus percipiendo, ſed etiam alienando, vendendo, ac pro eius voto diſponendo: cuius etiam alienationes, dum ad id requiſiti fuimus, tanquam à vero Duce factas, confirmauimus, & approbauimus. Fecimus in fœderibus per nos initis tum cum Adriano, tum cum Venetis, tum etiam cum cæteris, cum quibus tractauimus, eundem tanquam Mediolani Ducem nominari, & includi, de eiusque tutela & conſeruatione tranſegimus, conceſſimusque tandem inueſtituram dicti Ducatus & pertinentiarum in forma ampliſſima, quam ad manus Equitis Billiæ ipſius Ducis Franciſci oratoris realiter conſignauimus, ſub certis conuentionibus & obligationibus per ipſum

Ducem implendis pro parte impenſarum per nos in eius beneficium factatum pro adeptione, & conſeruatione dicti ſtatus: in quibus tamen nos ita moderate habuimus, vt nec vix quartam ipſarum impenſarum partem per annorum terminos eſſemus recuperaturi. Hæc profecto ſcripto patent, nullaque tergiuerſatione celari poſſunt, quum iam in notorietatem tranſiuerint.

Inſuper quum de ipſius Illuſtris Franciſci morte dubitaretur, phyſicique de illius ſalute deſperarent, hincque noua oriretur in nos ſuſpicio veſtræ Sanctitatis, Venetorum, ac aliorum Italiæ Potentatuum, ſi ſtatum ipſum Mediolani, per mortem dicti Ducis Franciſci ad Sacrum Imperium recta via, rectoque ordine iuſticiæ deuoluendum, aut in noſtra poteſtate retineremus, aut Sereniſſimo fratri noſtro chariſſimo Ferdinando Archiduci Auſtriæ concederemus, quum & noſtram, & ipſius fratris noſtri potentiam exoſam, & formidabilem habere viderentur, potius Deo (qui nobis hæc ſua clementia & benignitate contulit) ipſique fortunæ inuidentes, quam aliqua alia iuſta cauſa perciti, placuit veſtræ Sanctitati nos per dictum eius legatum monere, & hortari, quatenus pro Italiæ quiete, ac ad ſubmouendum cuiusuis ſuſpitionis ſcrupulum, in caſum mortis dicti Illuſtris Franciſci Sforciæ, Ducatum ipſum Mediolani nequaquam in noſtra poteſtate retineremus: nec pariter ipſi Sereniſſ. fratri noſtro concederemus, ſed ipſum Ducatum tali perſonæ traderemus, de qua Italiæ Potentatus nullum metum, nulliusque ſuſpitionis obiectum habere poſſent: ad eumque effectum veſtra Sanctitas per dictum legatum, alterum duorum nobis ad id proponi fecit, aut Ducem Borbonii, aut Don Georgium de Auſtria Cæſaris Maximiliani naturalem filium. Annuimus tunc, licet ad id nullo iure aſtringeremur, quod Ducatus ipſe in caſum deuolutionis minime penes nos retineretur, nec etiam ipſi Sereniſſ. fratri noſtro concederetur: obtulimusque in eum caſum, dictum Ducatum conferre in perſonam iure merito gratam, & acceptam veſtræ Sanctitati, & de qua nihil ſuſpicari poſſet, quod ad turbandam Italiæ quietem tendere videretur: licet etiam id à veſtra Sanctitate acceptatum non fuerit, nec etiam aliis Potentatibus gratum extiterit, niſi perſonam, cui in eum caſum Ducatum conferre vellemus, prius nominaremus, vt diſcerni poſſet, an grata & accepta foret: non fuimus ab hac inſtantia alieni, nominauimus in eum caſum ipſum Illuſtrem Borbonii Ducem, quem veſtra Sanctitas primo propoſuerat, in eum quidem inueſtituram conferre parati, non pro commodo, aut augmento noſtro, ſed pro tollenda ea ſuſpitionis rubigine, qua veſtræ Sanctitatis ac Potentatuum animi angebantur, pro ſubmouenda ea vmbra noſtræ magnitudinis, qua intrinſecus premebantur, proque ipſius Italiæ quiete, quæ ſemper nobis cordi fuit, vt potius Chriſtianæ Reipubl. cauſam quam noſtram priuatam tueremur. Quid igitur cupiditatis nobis ex his aſcribi poſſit, ſi Ducatum, & ſtatum Mediolani tanti momenti, tantique valoris, vt præmittitur, per nos recuperatum & quem licite retinere poteramus tot titulis, totq; iuribus ſuffulti, ſemel Illuſtri Franciſco Sforciæ conceſſum iterum ſi per illius mortem ad nos deuolueretur, ad veſtræ Sanctitatis nutum alteri concedere annuerimus? ei videlicet, quem veſtra Sanctitas prius nominauerat, atque tam iuſtis iuribus, tamq; amplo & importanti dominio ſuffulti (pro quo ſi Iulius Cæſar reuiuiſcens noſtram perſonam indueret, aut hi qui nobis cupiditatem impingunt, forſan etiam iuſiurandum violandum cenſerent) nos ipſi, non coacti, nulloque iuramenti, ſeu cuiusuis obligationis vinculo aſtricti, noſtra ſponte, pro ipſa Repub. ius noſtrum tam liquidum abrogare, & à nobis auferre conſenſerimus, excluſo etiam proprio fratre, qui iure merito poſt nos cæteris omnibus anteponendus videbatur, quum hunc loco filii haberemus in ſuccedendi gradu proximiorem, cui nulla ratione, nulloque iure diuino, naturali, vel ciuili, extraneus quiſpiam anteferendus erat. Fateamur neceſſe eſt, non hic cupiditatem, non ambitionem, non auaritiam, non dominandi, ſeu aliena occupandi appetitum ineſſe, ſed potius ampliſſimam, vberemque largitatem, munificentiam, ac ſi dicere fas eſt, prodigalitatem, dominandique contemptum argui. Quod tamen publicæ rei cauſa, læto, hilarique animo vltro ac ſponte præſtabamus.

Sed nunc ſubmouenda reſtat cauſa illa gemitus, & doloris Sanctitatis veſtræ ac totius Italiæ qua veſtra Sanctitas affligitur, occupationis ſcilicet ipſius ſtatus Mediolani inde per noſtros Duces factæ, cum obſeſſione arcis, in qua Dux erat. In qua re licet nos ab omni culpa excludere, & liberare poſſemus, illam, ſi qua foret, in Duces belli referendo, quibus, dum nos monuiſſent de practicis, & molitionibus, quæ aduerſus nos fiebant, & in nos, ac ſtatum noſtrum parabantur, Marchioq; Piſchariæ, vt præfertur, rei conſcius, nobis illius ſeriem radicitus detexiſſet, affirmans ipſum Ducem Franciſcum huiuſce facinoris reum, vt ſe, ſtatumque illum à noſtra obedientia ſubtraheret, ac fœderatorum viribus, non habita ratione Inueſtituræ, nec fidelitatis per eum præſtandæ, nec impenſarum, quæ nobis erant reſarciendæ, in eo ſtatu de facto potius quam de iure tueretur, vtque etiam eo decedente, fœderatorum præſidio, nobis excluſis, ſubintraret in eo ſtatu eius frater Maximilianus Sfortia, quem iam ipſo iure priuatum diximus, conſentiente etiam Gallorum Rege cui ius dicti Maximiliani, ſi quod habuiſſet, ceſſum erat, vt quoque exercitus noſter tumultuantibus populis, ad ipſiusmet Ducis Franciſci, ſuorumque agentium, & fœderatorum inſtantiam, & ſollicitudinem deleretur, & in ruinam, ac præcipitium deduceretur, &c, & ſi fieri poſſet, omnes ipſius exercitus Duces, ac milites trucidarentur: eo etiam ſignanter adiecto, quod quum ipſe Illuſtris Marchio Piſchariæ, habito de ea re cum ipſo Duce Franciſco colloquio, vt magis illius intrinſecum animum tentaret, an firmus in ea factionis practica remaneret, eidem Duci perſuadendo dixiſſet, quod poſtquam iam à nobis Inueſtiturā obtinuerat, eratque de ſuo ſtatu ſecurus, non oporteret amplius eam practicam proſequi: idem Dux reſpondiſſe fertur, firmius, & cōmodius eſſe, quod iam practicatum

erat,

erat, atque concluſum, quam quod ex inueſtitura aſſequi poterat occurrente ibidem publica Italiæ ſalute, quæ etiam rei priuatæ anteferenda cenſeretur. Inſtabant propterea Duces ipſi, vt ad has molitiones repellendas, neue maiora ſcandala inde ſequerentur, his licentiam præberemus, vt de ipſo Duce Franciſco, & ſtatu Mediolani ſe noſtro nomine aſſecurarent pro noſtri exercitus tutela, vtque exercitum ipſum, quem minuendum, & pene diſſoluendum (nil tale metuentes) iuſſeramus, non ſolum ſuſtineremus ſed etiam augeremus, ni penitus ab Italia excludi vellemus. Nos autem, qui hæc non facile credebamus, ſed potius conficta ſimulataque putabamus, eo quod qui bella tractare ſolent, potius belli, quam pacis media cogitant, illisque libentius animos eorum adaptant, arbitrabamur enim quod ſub eo colore putaſſent nos cogere, & vrgere ad ipſum noſtrum exercitum integre ſeruandum, ſuſtinendumque. Dubitantes itaq; ne velut belli cupidi, in id præcipites ruerent, ac arma præter noſtram voluntatem mouerent, quum etiam nil aliud quam pacem, & quietem cuperemus, mandauimus eisdem nequid noui tentarent in dicto ſtatu Mediolani, niſi in tribus caſibus, ſi Dux Franciſcus moreretur, ſi Galli cum Heluetiis Italiam intrarent, vel ſi factionum prædicatarum executio ex aduerſo tentaretur, vt hi prius arma contra nos, exercitumque noſtrum mouerent. In quolibet enim horum trium caſuum, conſenſimus, quod pro tutela exercitus noſtri, & rerum noſtrarum, ſe aſſecurarent de dicto ſtatu Mediolani. Verum quum Hieronymus Moronus primarius ipſius Ducis Franciſci Conſiliarius, ac eius factionis, vt fertur, principalis miniſter, multiplicatis ſuis literis monuiſſet dictum Marchionem Piſcharię, quem putabat factionis participem habere, vt rem ſuam diſponeret, eidem affirmando reliquos factionis ſocios iam diſpoſitos, paratosque eſſe, vt in octo vel decem dierum ſpacio in noſtros irruendum eſſet: idem Marchio participato cum cæteris Ducibus noſtris conſilio, captiuatoque Morono, illius habita confeſſione totam ſeriem negotii complectente, ſatis conformi ad ea, quæ Marchio nobis ſuis literis inſinuauerat, collecto exercitu noſtro, vndiq; ſparſo aliquot ciuitatibus munitis Mediolanum progreditur, Ducem Franciſcum interpellat, vt pro ſecuritate noſtra, noſtriq; exercitus, arces, & caſtra dicti ſtatus in noſtrorum manu reponeret, idque cuſtodibus illarum exequendum committeret. Annuit Dux ipſe, vt omnia noſtris traderentur, prout effectu tradita fuere, duabus duntaxat arcibus principalioribus, quas ipſe muniuerat, Mediolanenſi ſcilicet, in qua ipſe recludebatur, & Cremonæ exceptis. Has enim duas ſibi reſeruandas cenſuit, donec de noſtra voluntate certus fieret, offerens interim illas noſtro nomine tenere, ac etiam obſides dare, ac per ſe, & per præfectos arcium iuramentum præſtare, quod ex ipſis arcibus nullum exercitui noſtro damnum, ſeu præiudicium fieret. Non placuit hæc ſecuritas ducibus noſtris: vident periculum in mora, ſi arces illæ magis munirentur, liberæque permanerent, poſſe inde exercitus noſtri ruinam ſuccedere, resque noſtras in euidenti periculo manere. Interpellant denuo, ac iteram, atque iterum requirunt ſub rebellionis pœna, & læſæ maieſtatis criminis confeſſi, & conuicti, quatenus ipſa arce Mediolani in poteſtate noſtra ac noſtrorum poſita, exiret, ſuique copiam faceret, & aduerſus ea, de quibus culpabatur, defenſiones, ac iuſtificationes, ſi quas habebat proponeret, dictosque eius rei conſcios, quos penes ſe habebat in arce recluſos, dimitteret interrogandos ad ampliorem rerum geſtarum dilucidationem. At quum Dux ipſe his non annueret, niſi à nobis mandatum haberet, noſtri arcem circumuallant, interimque nos de geſtis admonent, neceſſarias cauſas, per quas ad hæc coacti fuerint, enarrant: approbationem geſtorum à nobis expoſtulant, inſtant, vt eidem Duci Franciſco reſcribamus, mandemusque, vt arcem nobis, aut noſtris tradat. Nos ægre ferentes rem hanc præter mentem noſtram tentatam, nunquam voluimus nec illorum geſta approbare, nec Duci, vt petebatur, mandare, quod caſtrum dimitteret. Semper enim in animo habuimus, eam accuſationem, quæ in Ducem ferebatur, debito iuris ordine tractare ac terminare. Verum nunc perſpecto eius rei exitu, ex quo præteritorum veritas elici poteſt, præparatæ iamdiu factionis effectus illuxerit, quo magis deinceps eisdem noſtris ducibus credere debeamus, non poſſumus non laudare & approbare eorum prudentiam, & fidem in conſeruatione dicti ſtatus, ipſiusque noſtri exercitus, illiusque arcis aſſecuratione, ne amplius muniri poſſet, neue inde maioris mali & incommodi occaſio præſtaretur: Nec id quidem ita perperam, & iniuſte geſtū videtur, prout veſtra Sanctitas ſibi perſuadet. Dato enim fundamento, quod ipſe Dux Franciſcus læſæ maieſtatis reus accuſaretur, etſi vnius duntaxat teſtis adeſſet depoſitio, vbi pluriū tamen adeſt teſtimonium, ex quibus, etiam ſi eſſent ſocii criminis, ac factionis participes, poterat iuramentō contra ipſum ducem procedi & ad capturam, & ad torturam, & cogi vt ſui copiam faceret, ac in vinculis cauſam diceret, ſuasque defenſiones & iuſtificationes carceratus adduceret; non autem in arce recluſus audiri debuit, quinimo contra eum vocatum, & non comparentem, ac ſe ſubtrahentem, & reſiſtentem potuit in eius contumaciam pronunciari, vt pro confeſſo, & conuicto haberetur. Sed & priusquam id fiat, accuſato non comparente, nec ſui copiam faciente licite ad manus Curiæ reducuntur illius bona, quæ etiam à die ingreſſi criminis, ipſo iure publicata, confiſcataque cenſentur. Sed hinc non tanta cauſa gemitus, & doloris veſtræ Sanctitati parata videtur, ſi dominus vaſallum ingratum, & læſæ maieſtatis reum puniendum cenſeat, ni forſan (quod in mentem noſtram cadere non potuiſſet) id gemendum, dolendumue putent, quod eidem hanc foueam, in quam incidit, ſub charitatis ſpecie parauerint, ipſumque ad huiuſmodi diſcrimen deduxerint: Sed potius ingemiſcere, ac dolere deberet non ſolum veſtra Sanctitas, ſed vniuerſa Reſpub. quod ſine iuſta cauſa, ſineque culpa noſtra, tam ingens excitetur incendium, quo & turbatur vniuerſus eccleſiæ ſtatus, & tota ſcandalizatur Chriſtiana religio.

Nec ſane intelligere poſſumus, quod cuncti Chriſtianitatis Reges id, vt veſtra Sanctitas ait, efflagitauerint, nec parati fuerint in re tanti præiudicii arma, & auxilia conferre. Scimus enim ac pro comperto habemus, nec Hungarum, nec Polonum, nec Portugallenſem, nec Danum huiuſce conſilii participes, ſeu conſcios nunquam fuiſſe. Anglus autem etſi eius fœderis conſeruator, & protector nominetur, nobis tamen aperte ſuis literis ſignificauit, ſe nequaquam in id fœdus conſenſiſſe nec mandatum dediſſe, nec talem protectionem acceptaſſe, nec acceptare velle, licet ad id parte veſtræ Sanctitatis interpellatus, ac inſtanter requiſitus extiterit, ſe pacis, quam ſemper efflagitauimus, mediatorem offerendo. Gallus vero etſi cum veſtra Sanctitate ac aliis Italiæ Potentatibus fœdus percuſſerit, vt eo medio mitiores ſi poſſit, quam iam ex noſtro fœdere obtinuerit, à nobis pacis conditiones exhauriat, liberosque obſides recuperet: retulit tamen aperto ore, quod veſtræ Sanctitatis impulſu, ac ſuaſu, etiam prius, quam liber in regnum ſuum remitteretur, de ipſo nouo fœdere ineundo ſollicitabatur. Et ſunt qui affirment, vt ex quibusdam literis percepimus, quod veſtra Sanctitas, ipſo etiam Gallorum rege non petente, eidem iuramentum relaxauerit, quod nobis præſtiterat pro fœdere nobiſcum prius inito (quod tamen credere nolumus, quandoquidem res talis omnino à paſtore Chriſti vicario aliena eſſe deberet, ne ipſius iurisiurandi ſine cauſa ſpreta religio ad deteriora incentiuum præberet) merito tamen veſtra Sanctitas his verbis vtitur, *dimiſſis conſiliis, & coſpirationibus*, ſi verbis addatur effectus, ſi vere omnis conſpiratio dimittatur, quum ſecundum rectam intelligentiam crimen denotet.

Quo autem ad ea conuentionum capitula, quæ attulit Herrera, videamus qualiter veſtra Sanctitas prætendat illa paucis in locis leuiter immutata. Si enim bene cuncta rimentur, omnes articuli, qui cum ipſius Legato ſic compoſiti, remanſerant cum veſtra Sanctitate concludendi, licet ipſam concluſionem veſtræ Sanctitati reſeruandam aſſeret, eius poteſtate, poſtquam ad nos peruenerat, reſecata atque reſtricta, mutati penitus ad nos remiſſi fuere, ita vt nullus fere remaneret intactus, qui non aliam ſubſtantiam, aliumque ſonum præ ſe ferret. Omnes tamen huiusmodi mutationes, non quidem leues admiſimus, in quatuor duntaxat articulis huiusmodi conuentionum, duodecimo, decimotertio, decimoquarto & decimoquinto moderationem petentes. In duodecimo enim ipſorum articulorum, qui rem Ducis Ferrariæ complectebatur, licet omnis ſubſtantia vltra quam tractatum eſſet, mutari videretur, conſenſimus tamen nos affecturos cum effectu, quod eadem Sanctitas veſtra intra præfixum tempus, dum ſibi expedire videretur, ſine cuiuſpiam reſiſtentia, ſineque armorum apparatu, recuperare poſſet poſſeſſionem Regii & Ruberiæ, tenendam, & poſſidendam, prout antea tenebat, ita vt non intelligeretur præiudicatum iuribus Imperij, aut cuiuslibet alterius, prout eadem Sanctitas admittebat: id ſolum addidimus, quod ad alliciendum ipſum Ducem Ferrariæ ad ipſius fœderis contributionem, vt nulla ſubſiſteret in Italia turbationis cauſa, veſtra Sanctitas eidem Duci concederet inueſtituram Ferrariæ, remittendo eidem quaſcunque pœnas, & ius commiſſi, ac abſoluendo eum à cenſuris forſan incurſis: quod profecto non niſi ad maiorem quietem Italiæ petebamus, non ignorantes ipſum Ducem non aliter ſine armis cogi poſſe, vt Regium, & Ruberiam dimitteret, ac Sanctitati veſtræ reſtitueret, in quibus & iure feudi Imperialis, & ratione prioris ſpolii ſe potius tuendum cenſebat. Vnde ad præcidendos nouos belli tumultus, & ne remaneret cuiusuis incendii ſcintilla, ſed vniuerſa Italia in eo fœdere ſine quouis ſcrupulo concurreret, id ita agendum neceſſario cenſentes, ni, prout nunc agit veſtra Sanctitas, nos etiam ſub ſpecie defenſiui fœderis iam percuſſi ad ipſius Ducis Ferrariæ offenſionem aſtringere voluiſſemus. In qua re nouos bellorum tumultus timebamus, quos tamen effugere nequiuimus, qui dum ab offenſione nos abſtinere curamus, defenſioni ſtatus, dignitatis, & autoritatis noſtræ intendere cogimur, & inuiti trahimur. Qua de re huiusmodi noſtram additionem nequaquam reſpuendam à veſtra Sanctitate reputabamus. In hoc enim nec veſtræ Sanctitatis autoritati derogabatur, nec à veri Paſtoris officio declinabatur, ſed potius publicæ quieti conſulebatur.

In tertiodecimo ipſius fœderis, ſeu Capitulationis articulo illam ſalis diſtributionem in ſtatu Mediolani continente, ex quinque correctionibus per veſtram Sanctitatem factis, omnes admiſimus, eo duntaxat excepto, quod vbi veſtra Sanctitas deleri fecerat illa verba, *ad eius vitæ decurſum*, ſatagens illud ius ſibi & ſucceſſoribus perpetuare, nos qui duntaxat perſonæ Sanctitatis veſtræ, eius vita comite, gratificari volebamus, non autem ſtatum ipſum Mediolani, ſacri Imperij feudum perpetuo eccleſiæ Romanæ aſtringere, & tali onere ſemper grauatum remanere ſine ſpe libertatis, nolentes, etiam ipſum Sereniſſ. Archiducem fratrem noſtrum iure ſibi in ea re conceſſo, perpetuo excluſum remanere, noluimus illam cancellationem approbare, ſed verba illa, ad eius vitæ decurſum, prout in capitulatione, quam attulit Herrera, firma manere cenſuimus. Ex vltima vero ipſius articuli correctione admiſimus eam partem additionis ibidem per veſtram Sanctitatem factæ, vt eſſet illa conuentio abſque præiudicio iurium ſedis Apoſtolicæ. Ea autem verba, quæ his ſubiungebantur, videlicet *de ſale ipſo in Ducatu Mediolani diſtribuendo*, quum viderentur relatiua & ſubſequentia ad iura ſedis Apoſtolicæ, videremurque fateri ius eſſe Apoſtolicæ ſedis illius diſtributionis, noluimus admittere, ne fateremur quod non erat: ſicque ex huius articuli correctione nulla veſtræ Sanctitati fiebat iniuria, ſed potius nos, & fratrem noſtrum, ac ſacrum Romanũ Imperium ab iniuria eximebamus, & non ſub verborum inuolucro diſceptationis cauſam relinquere volebamus, ſed clare, & [illegible] dubium omne tollebamus.

In quæ

In quartodecimo autem articulo ipſius Capitulationis vnde illæ lachrymæ, illæ anguſtiæ prodiere, addiderat veſtra Sanctitas in fine ipſius articuli diſponentis de ſtatu Mediolani, & de Duce Franciſco Sfortia, hæc verba formalia. *Et quia ipſi Franciſco Mariæ Duci nonnulla imputantur, contra Cæſarem, aut à ſua maieſtate ſibi conceſſam inueſtituram, & feudum perpetrata, cupiens eadem maieſtas quantum in ſe eſt, fouere Italiæ quietem, quæ ſeruari non poſſe creditur cum eiuſdem Ducis à ſtatu, & Ducatu remotione, ideo conuentum eſt, quod idem Dux in ſtatu ipſo permaneret, & quatenus opus ſit, in eo per Cæſarem de nouo confirmetur, non obſtantibus quibuſcunque per eum contra maieſtatem ſuam, vt ſupra dictum eſt, attentatis, etiamſi ſaperent crimen læſæ maieſtatis. Cæſar namq; Ducem ipſum pro innocente haberi vult, & ex mera liberalitate ſua, ac totius Italiæ intuitu, totum ſibi remittit, & indulget, ſi etiam plus, quam dicitur aut creditur, erraſſet.* Videat quæſumus Sanctitas veſtra quam lenis exiſtimanda foret hæc immutatio, q̃ iuſta, & quam honeſta petitio, quã optimum eſſet exemplum ad Reſp. bene gerendas, ad vaſſallos, & ſubditos in debita fide, & erga dominos obedientia continendos: Quam egregiã præberet formam augendi, ac conſeruandi Sacr. Rom. imperium à Deo inſtitutum, à ꝓphetis prædictum, ab Apoſtolis prædicatum, & ab ipſo dño naſcente, viuente, & moriente approbatum. Nos tamen qui nil aliud, quam pacem, q̃ quietem Chriſtianæ Reip. cupiebamus, & quantũ fas eſſet, veſtræ Sanctitati ſatisfacere, nullumque rectæ noſtræ intentionis teſtimonium intactum, aut dubitationis ſcrupulum in veſtræ Sanctitatis mente relinquere putabamus, reformauimus dictum quartum decimum articulũ ipſius capitulationis in hæc verba. *Vt autem nihil dubietatis, ſeu ſuſpitionis in hoc fœdere relinquatur, ſed omnis ſcrupulus de medio tollatur, quum in priori fœdere potius ſub nomine proprio, quam appellatiuo includi videatur Illuſtris Franciſcus Sfortia Dux Mediolani, qui aliquibus iam menſibus graui vexatus ægritudine, & in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutus: fuit etiam de felonia, ac læſæ maieſtatis crimine accuſatus, ſeu inculpatus, & ſi hunc aut naturali morte, aut ciuili (iuſticia præuia) ab ipſo Ducatu Mediolani excidere contingeret, haſitari poſſet, an fœdus ipſum ad alium in eodem Ducatu ex Cæſaris conceſſione vel diſpoſitione, ſuccedentem protenderetur: Ideo ad ampliorem ipſius fœderis declarationem, actum extitit, quod ſiue ipſe Illuſtris Franciſcus Sfortia vitam obierit, & ab hoc ſeculo migrauerit, ſiue per viam iuſticiæ dicto Ducatus fuerit priuatus, in eum caſum Cæſarea maieſtas pro Italiæ quiete, & contemplatione Sanctiſſimi domini noſtri, ipſius Ducatus Mediolani inueſtituram concedit illuſtri Carolo Duci Borboniæ & Aluerniæ, ita vt Sanctiſſimus dominus noſter, ac cæteri confœderati, qui in hoc fœdere voluerint comprehendi, ſint & cenſeantur aſtricti ad defenſionem ipſius ſtatus Mediolani, etiam ad opus dicti Illuſtris ducis Borbonii, dum de ipſo Ducatu Mediolani fuerit inueſtitus. quo caſu quantum ad omnia in fœdere contenta, tanquam ſuffectus in locum dicti Illuſtris Franciſci Sfortiæ, fungatur omnibus honoribus, & oneribus, quibus ille viuens, & in tali ſtatu permanens fungi debuiſſet.* Hæc eſt immutatio, quam in hoc articulo fecimus, quam velut iuſticiæ, & æquitati conſonam approbandam, & nequaquam reſpuendam cenſebamus, minimeq; in mentem noſtram cadere poterat ſummum Paſtorem vices Dei gerentẽ in terris adeo pertinaciter inſiſtere debuiſſe: quod ſi Dux Franciſcus tanti criminis reus appareret, impune inuaderet, cogeremurque inuiti illi indulgere, ac eum in ſtatu illo conſeruare, ſic incẽtiuũ maioris ingratitudinis, maioriſq; delicti illi præſtando. Arbitramur enim veſtræ Sanctitati ſat eſſe debere, ſi Ducatu illo ad nos & ſacrum Imperium deuoluto, conſentiebamus veſtræ Sanctitatis intuitu, vt nec illum retineremus, nec proprio fratri concederemus, ſi perſonam quam veſtra Sanctitas antea ad id gratam habuerat, nobiſque nominauerat, moriente Duce Franciſco prouidendam, non minus gratam eſſe putaremus ipſo Duce Franciſco per iuſticiam priuato, vt quid in naturali morte conſenſerat, in illius etiam morte ciuili recuſatura non eſſet,

In quintodecimo vero ipſius Capitulationis articulo continente prætenſas nouitates tentatas contra eccleſiaſticam libertatem in regno noſtro Neapolitano, quum veſtra Sanctitas fere totũ articulum in verbis diſpoſitiuis deleuiſſet, & cancellaſſet, his duntaxat verbis pro diſpoſitione dicti articuli additis, & commutatis, quod *circa huiuſmodi obſeruentur, quæ in inueſtitura Regni Neapolitani ipſi Cæſari conceſſa continentur.* Nos hanc etiam correctionem & mutationem pro Sanctitatis veſtræ nutu admiſimus, additis duntaxat in fine articuli verbis ſequentibus, *his modis & formis, quibus per Ferdinandum Regem catholicum eius anteceſſorem obſeruata fuere, & iuxta ipſius Regni priuilegia, ac iura.* Quid enim in hoc immutatum, quod reſpuendum videretur, ſi anteceſſoris rectos tramites inſequendos putamus, ſi iura, ac priuilegia Regni noſtri ſeruare ſtudemus? Qualiter autem ex his mutationibus tam iuſtis rationibus ſuffultis, ſumat veſtra Sanctitas illud perſpicuum, vt ait, indicium ſe à nobis illudi, & pro nihilo haberi, qualiter inferat ex his facultatem primo conceſſam Herreræ vberiorem fuiſſe, & quod facta concordia cum Chriſtianiſſimo, reſtrictiora, & ieiuniora tranſmiſerimus, qualiter & quo colore ex his prætendat indicari eandem Sanctitatem poſtremam eſſe, & à nobis contemni, vbi nobis cum aliis amicitia conueniſſet: quicunque recti ſenſus, & à paſſione alienus facile iudicare poterit. Nos enim ſemper recti, integrique propoſiti remanſimus, prius cum veſtra Sanctitate quam cum quouis alio conueniendi. Nos & ante, & poſt fœdus cum Rege Gallo initum, ſemper in eodem propoſito permanentes, veſtram Sanctitatem eiuſque miniſtros pro huiuſmodi fœdere ineundo ſollicitauimus, pulſauimuſque, nec quicquam vnquam habuimus in ore, quod non haberemus in corde. Nos Herreram ad veſtram Sanctitatem pro eo fœdere ineundo miſimus longe ante, quam cum ipſo Rege Gallo concluderemus, citiuſque illum, aut alium miſiſſemus, ni veſtræ Sanctitatis legatum Reuerendiſſimum venientem, vt aiebant, cum ampliſſimo mandato nobiſcum concludendi, præſtolandum cenſuiſſemus: ni etiam poſt illius ad nos aduentũ, viſo mandato, quod à veſtra Sanctitate habebat, & confiſi, ꝙ illo vti poſſet, diutius cũ

eó de ipſius fœderis capitulis tractantes, tempus inaniter conſumptum eſſe cognouiſſemus, vbi capitulatione iam formata, & cum eo prope concordata, dum de concluſione ageretur, nobis inſinuauerit, quid ex quo poſt eius à veſtra Sanctitate receſſum, mutata eſſent negocia, intenderet concluſionem differre, donec veſtram Sanctitatem conſuluiſſet: ob quod ſanctius putauimus, capitulationem ipſam, prout formata fuerat, ad veſtram Sanctitatem per Herreram tranſmittere, putantes: rem ibidem celerius poſſe concludi, licet ſpe noſtra fruſtrati fuerimus, veſtra Sanctitate ad alios fines tendente, prout exitus demonſtrauit.

Nunc ad literas manu Sanctitatis veſtræ conſcriptas, de quarum reſponſione conqueritur, deueniendum eſt, vt etiam inde omnem à nobis repellamus culpam. Ea enim per veſtram ſanctitatem eius reſponſionis culpa nobis in tribus impingitur. primo quod vbi Sanctitas veſtra clementiā Duci Mediolani petebat, nos rigorem iuſticiæ obtulerimus, ad quod ſatis diffuſe reſponſum dedimus, dum ipſius Ducis negocium antea diſcuſſimus, vt ſic repetitione non egeat: id ſolū hic adiiciendum cenſemus, non videri in hoc iuſtam veſtræ Sanctitatis querelam ſi iuſticiæ viam amplectendam cenſuimus, ſine qua vera pax eſſe non poteſt, quum iuſticia & pax ſe inuicem deoſculentur. & vt ad clementiam deueniatur, prius veritas eſt habenda. Sunt enim (teſte Pſalmiſta) quatuor ſorores concatenatæ. Iuſticia & pax oſculatæ ſunt, miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: Qui igitur miſericordiam expectat, reatum fateatur oportet: qui pacem vult, iuſticiam amplectatur: nec ita paſſim vtendum eſt clementia, vt delinquendi incentiuum præbeatur, ſed potius ad bonum regimen ſpectat, *parcere ſubiectis & debellare ſuperbos*. Non enim indulgendum videtur his, qui contumaciter in rebellione perſiſtunt, his qui in arcibus munitis ſe continent, his qui iuſticiæ exequutionem ſatagunt euitare.

Secundo redarguitur noſtra reſponſio, quod pro culpa, quam veſtra Sanctitas in quibuſdam eſſe dicebat, veſtram Sanctitatem quodammodo criminaremur, illos immunes criminis fatendo. Sed abſit tantus error, quia nil in ipſa reſponſione, quam propria manu conſcripſimus, legi poterit, quod criminationem ſapere videatur, ſed potius venerationem, & obſeruantiam veſtræ Sanctitatis, quam ſemper velut in verum patrem & paſtorem præcipuam habuimus. At ſi id veſtra Sanctitas criminationem putet, quod ea aſſerente Ducem Franciſcum in aliquem forſan errorē, alios quoſdam in veram, vt aiebat, ribalderiā incurriſſe, ex quibus aliquis forſan iam Deo computum reddebat, nos intelligentes hæc à Sanctitate referri ad criminandum Marchionē Piſchariæ tunc vita functum, qui, vt præfertur, antea viuens nobis illius factionis practicas detexerat: reſpōdimus de mortuis modeſte loquendum eſſe, ac in dubio potius bene, quam male præſumendum, hominemque mortuum qui per ſe reſpondere non poterat potius laudandum, q̄ accuſandum, ſeu culpandum: noſq; cupere mortuum viuere, vt de ſeipſo rationē redderet. In Duce autē non errorē, qui in facto proprio cadere non poterat, ſed ſi ea quæ illi erant obiecta, vera apparerent, crimen potius acerrimū, ac exemplari punitione dignū cenſeri. Hæc quippe nullam in veſtram Sanctitatem criminationem afferūnt, niſi forſan veſtra Sanctitas ſeipſam diiudicans, fateri vellet (quod non credimus) ſe eius factionis conſciam, auctoremq; fuiſſe, prout Marchio viuens nobis retulerat: quem forſan ob id de ribalderia arguendum cenſeret. quod præter fidem datam, illius factionis ſecreta detexiſſet, quæ tamen ex eo fidelitatis debito, quo nobis prius aſtringebatur, tacere nō poterat, quin ſeipſum eiuſdem criminis reum faceret, vbi propalando tale facinus, veniam, pręmiumq; & laudem, iure ita diſponente conſequebatur.

Tertio redarguitur eadem noſtra reſpōſio, quod quæ veſtra Sanctitas nobis benigne, & large pollicebatur, ea nos tanq̄ debita, & obligata flagitaremus. Sed videamus qualia eſſent eiuſdem Sanctitatis pollicita, qualiſq; fuerit reſponſio noſtra, vt etiā hanc culpam diluamus: Hæc enim veſtra Sanctitas in ſuis literis ſub ſilentio pertranſit, aliis cauſam deterius cogitandi relinquens. Vt igitur horum veritas clare pateat, offerebat nobis veſtra Sanctitas, ſi illius votis, quo ad ipſum Ducē Franciſcum annueremus, ſe nobis non ſolum decimas & cruciatas, ac pileos, & quicquid per ſpiritualē, ac temporalē poteſtatem facultatis haberet, præſtiturum, ſed etiā ſanguinē, & vitam ad noſtram exaltationem & ſatisfactionē exhibiturū: reſpondimus non cōuenire Chriſtianæ Reip. cruciatā tali conditione perſtringi, ſed potius libere, ac ſponte offerendā, nec congruū videri, vt illa differretur: Petieramus. n. illam in noſtris his regnis concedi eo ordine, quo noſtri prædeceſſores illam ſemper à veſtris anteceſſoribus obtinuerant, pro propugnaculis in Aphrica quæſitis aduerſus hoſtes fidei tuendis, ac propugnandis, quibus ad effectum nunq̄ fuerat denegata, & minus nobis huiuſmodi eccleſię theſaurum à veſtra Sanctitate denegandum, ſeu differendum cenſebamus, qui vltra res Aphricanas, prout veſtræ Sanctitati inſinuauimus, cupiebamus etiā cū ea pecunia, quæ ex ipſa cruciata colligeretur, rebus Hungaricis aduerſus Turcas ſuccurrere, prout & religionis, & officii noſtri, & ſanguinis ratio nos incitabant, pollicebamurq; eā pecuniam nequaq̄ in alios vſus implicandā. Quod ſi ex ipſius cruciatæ denegatione, ſeu dilatione quid ſiniſtri Chriſtianitati contingeret, hoſteſq; fidei quicq̄ molirentur, quū iam tot bellis contra nos, & ſtatum noſtrū tentatis, exhauſti eſſemus, ne ſine ipſa cruciata occurrere poſſemus, proteſtati ſumus id nequaq̄ noſtræ culpæ aſcribendū, ſed potius eidem imputandum, qui id denegaret, q̄ ſibi non noceret, & toti Chriſtianæ Reip. ſumme prodeſſe poterat. De pileis autē diximus vnū duntaxat à veſtræ fœlicis promotionis exordio à nobis petitum, quē non putabamus tandiu differendum, quum eſſet prima gratia à veſtra Sanctitate manu etiam noſtra conſcriptis literis petita, ac inſtanter flagitata. Alter vero pileus petitus non fuerat, ſed

vltro

vltro à veſtra Sanctitate oblatus, noſtroq; conſenſu acceptatus: ſicq; alienum cenſebamus, eos nũc pileos tali conditione perſtringi, quos tamen veſtræ Sanctitatis arbitrio tunc relinquendos putauimus, pollicentes nos de cætero pro his, nec pro aliis quibuscunque pileis vllam facturos inſtantiam. Reliquas autem ipſius Sanctitatis veſtræ oblationes non ſolum gratas, & acceptas habuimus, ꝓ hiſq; gratias, vt decebat, egimus, ſed etiam reciproce quicquid facultatis haberemus, vitam quoq; & ſanguinem ꝓ veſtræ Sanctitatis honore, & incremento libere obtulimus. Hæc ſunt, Pater ſancte, quæ illis literis veſtræ Sanctitatis manu conſcriptis, noſtra etiam manu in effectu reſpondimus, quas in lucem ꝓdire cupimus, vt vtriuſq; noſtrum ſcriptis bene perſpectis, plane diſcerni poſſit, an iuſta ſit culpa, quæ de his nobis aſcribitur, anne huiuſmodi noſtra reſponſio talem redargutionem & criminationem mereatur.

Ad eam autem accuſationem & querelam, q̃ vt præſertur, veſtra Sanctitas proponit de noſtrorum in Italia agentium iniquitate, & contumelus, ac obloquutionibus: id teſte Deo affirmandũ cenſemus, nil tale à nobis, nec noſtro iuſſu prodiiſſe, nec ſub generali noſtro mandato comprehendi potuiſſe quicquam, ꝙ crimen, ſeu delictũ ſaperet. Quod ſi tale quid nobis legitime conſtitiſſet, fuiſſemuſq; de his, vt decet, edocti, vel etiam adhuc edoceremur, nõ remanerent hęc impunita, taliterq; ꝓ iuſticiæ cultu prouideremus, vt nulla nobis horũ culpa aſcribi poſſet. De re autem Senenſ. non recte taxamur, nulla.n. iuſta culpa nobis impingi poteſt, qui ad ipſius ciuitatis quietẽ ſtabiliendã, ac bene regendã egimus, quicquid vero ac iuſto Principi conuenire videretur. Eſt.n. ciuitas illa antiquiſſima, illiuſq; Reſpub. Imperiali ditioni ſubiecta, & ſupra alias omnes Italiæ ciuitates adeo ab omni æuo ſacro Imperio Romano addicta, illiuſq; deuotioni affecta, vt nil vltra deſiderari queat: habetq; propterea ab ipſo ſacro Imperio, à noſtriſq; prædeceſſoribus ampliſſima priuilegia etiã per nos confirmata, quibus ipſa Reſpub. regenda, ac gubernanda conceditur. Et quũ pluribus iam annis, præter ipſorũ priuilegiorum mentẽ, eiuſdem Reip. regimen & gubernũ eſſet à tyrannis vſurpatũ, qui nõ amore, ſed timore, non iure, ſed potentia, ac potius vi illius ſubditos continebãt: quorum primus Pandulphus Petrucius, inde eo mortuo, Borgheſius eius filius, ac eo poſtea autoritate Leonis pontificis à regimine expulſo, falcem in alienã meſſem immittentis, cum ſua Sanctitas nouũ tyrannũ imiſiſſet Cardinalẽ Petruciũ, qui eo prætextu quotãnis decem aureorũ millia eidem Sanctitati perſoluere cõuenerat, ſic eandẽ Remp. Senenſ. vnire ſatagendo Reipub. Florentinæ, vt inde magis Imperii vires in Italia debilitari, ſeu verius eneruari poſſent. quem Cardinalẽ tyrannum nos etiã quamdiu vixit, vt potius Leoni & ipſi veſtræ Sanctitati, q̃ nobis & ſacro imperio, ac illi Reipub. ſatisfieret, in eodem regimine paſſi ſumus. Eo autem Cardinale mortuo, dũ inter noſtros eſſet contentio, quid magis illi Reip. conueniret, an ſub ſolo gubernatore forent regendi, an ſub ordine ciuium ex montib. dictæ ciuitatis erigendo, rẽ veſtræ Sanctitatis conſilio & ordinationi remittendã cenſuimus, vt noſtrorum contentionem tolleremus: quorum pars vna ad vnum illius ciuitatis regimen deferendũ putabat, altera vero pars ciuib. & populo id cõmittendum ſatagebat. electa eſt tandem inter eos media via, vt nec vnus ſolus, nec reliqui ſine capite gubernarent, ad idque per ciues noſtrorum autoritate præfectus extitit primo Franciſcus Petrucius Borgheſii patruus. Et quũ is veſtræ Sanctitati minus idoneus ad id munus eſſe videretur, veſtra Sanctitas cum Fabio Petrucio Borgheſii fratre affinitate contracta, hunc ipſius ciuitatis regimini præficiendum putauit, vt Franciſcum Petrucium illius patruum excluderet, illamque Rempubl. ad ſuæ voluntatis libitum in manu haberet. Conſenſerunt in id noſtri, qui nil aliud quam veſtræ Sanctitati in his, & aliis omnibus occurrentibus noſtro iuſſu morem gerere ſtudebant. Admiſſus eſt Fabius ipſe Petrucius veſtræ Sanctitatis intuitu, qui intrans vt agnus, & cum omni humanitate receptus, tandem adueniente Duce Albaniæ Gallorum Duce, illius præſidiis fretus, ſe non agnum, ſed lupum oſtẽdit, ipſamque Rempublic. non Imperiali, ſed Gallicæ factioni adiicere conatus eſt: eam cogendo, vt Gallis & pecuniam & tormenta bellica ad regnum noſtrum Neapolitanum inuadendum erogarent, ipſique Duci Albaniæ contra nos, & ſtatum noſtrum fauerent, ac ad illius nutum extorres, ac ſeditioſos Gallicæ factionis autores in ciuitatem reducerent. At quum annuente altiſſimo, de noſtrorũ victoria certiores effecti Senenſ. ipſi à iugo huiuſmodi ſeruitutis ſe excutere curarẽt, Franciſcus & Fabius, eorumq; adhærentes, ciuium, ac populi intentione perſpecta, ciuitatem cum regimine pro derelictis habent, ſeque ab ipſa ciuitate abſentant. Proceditur contra culpabiles, aliqui (vt aiunt) iuſticia præuia plectuntur, aliqui certis limitibus proſcribuntur, & confinantur, reſque eò deducitur, vt ciuitas, & Reſpublic. Senenſ. per ſe ipſam in libertatem proclamet, Reipublic. quieti iuxta ſuorum priuilegiorum formam intendat, noſtræq; ditioni (vt par erat) ſe totaliter deuoueat. His veſtra Sanctitas, vt aiunt percita, conqueritur ſuos turbari, maleq; tractari, remedium à nobis expoſcens. Nos qui nihil aliud cupiebamus, q̃ veſtræ Sanctitati in his, & longe maioribus ſatisfacere, noſtrorumq; in Italia agentium opiniones ꝓ debito iuſticię concordare, cõmiſimus commendatori Herreræ, quẽ ad veſtrã Sanctitatẽ, vt præmittitur, mittebamus, vt is per dictã ciuitatẽ Senenſem tranſeundo, in acceſſu, aut reditu ſe informaret de ipſius ciuitatis gubernio, & regimine tã antiquo, q̃ moderno, tam cum ipſis ciuibus in ciuitate manentibus, quã cum extorrib. ante expulſis: quid magis ciuitati, & Reip. conuenire videretur, an vni ſoli regimen conferendum eſſet, an pluribus ciuibus ex Decurionum decreto huiuſmodi regimen eſſet concedendum, vt huiuſmodi informationibus ſecrete ſumptis, & ſub debito Sigillo ſecreti ad nos tranſmiſſis, opportune ꝓuideremus. Interea tamen extorres ad ſuorũ bonorum poſſeſſionem & fructus, prout prius tenebãt, reſti-

tuendos

mendos cenſuimus. Adimpleuit Herrera quod ei comiſſum fuerat: ſumpſit informationes ab vtriſque tam ciuibus, quam extorribus, prouidit extorribus ſuper ſuorum fructuum perceptione, iuribus Reipub. ſaluis. Miſit ad nos informationes omnes clauſas, & ſigillatas, comperimus melius Reipubl. conuenire præſens ciuium gubernium, quam vnius tyrannide viuentis: Duximus nil immutandum, donec aliter rebus omnibus bene perſpectis, ordinandum cenſeremus. Interim in lucem prodeunt aliquorum factiones, qui pecunia corrupti, & ciuitatem prodere, & extorres, ac factioſos in eam inducere, & ipſam Rempub. ſubuertere conantur, viam per ſubterraneos cuniculos, perque alia media hoſtibus & rebellibus ad ciuitatis ingreſſum præparantes: inter quas tres apertiſſimæ conſpirationes, & vt aiunt, proditiones detectæ ſunt, compertis in factioſorum domibus, meatibus, foueis, ſcalis, armis, munitionibus, ac aliis omnibus ad id facinus perpetrandum diſpoſitis. Deprehenduntur, vt audiuimus, hic facinoroſi in flagranti crimine, capiuntur, fatentur delictum, detegunt factionis practicas, damnantur iuſticia præuia, debitoq; plectuntur ſupplicio. Si hos veſtra Sanctitas inter ſuos amicos, & beneuolos annumerandos cenſuerit, ſi pro his quæ in eos geſta ſunt, querelas prætendat, ſi ex his ſibi contumelias, & opprobria impingi putat, ſi cum his omnem nobilitatem exterminatam cenſeat, quæ potius in ipſa virtute conſiſtit, animaduertat veſtra Sanctitas ne grauius pondus humeris ſuis imponat, neue huiuſmodi factionum ſe conſciam tacite fateatur, quod nequaquam illius dignitati, & officio conuenire videretur, quum potiſſime autore Deo, cuius nutu cuncta reguntur, ipſa Reſp. Senenſis ſuæ iuſtæ cauſæ apertum præſtiterit teſtimonium, à tot inuaſorum congreſſibus ſe ſuis ſolis viribus liberando.

Ad illam autem querelam, quam veſtra Sanctitas profert, quod contra promiſſum, & fidem datam, tot mala per noſtros in ſanctæ Roma. eccleſiæ terris & locis, vt ait, patrata fuerint: etſi noſtrorum militum inſolentias, reſque iniuſte geſtas ſi quæ ſint, nequaquã approbare nec excuſare velimus, quin potius vbi fas erit, debita caſtigatione compeſcere, non poſſumus tamen non mirari, quod hic veſtra Sanctitas ſe promiſſis & fide data iuuare velit, quibus antea contradixit, & quæ etiam per nos ratificata veſtra Sanctitas reſpuit, atque reiecit, noſtram ratificationem impugnans, ſuamque vt prædiximus, denegans, indeque ad fœdus omnino contrarium tranſitum faciens. In quo caſum non tantum exacerbandum videtur, ſi noſtri Duces & milites, qui ſua virtute & viribus Parmam, & Placentiam eccleſiæ reddidere, ac ab hoſtium faucibus euulſere, totienſq; tutati ſunt, in illis victum quærerent, ac de his, prout de reliquis ab hoſtibus recuperatis diſponendum cenſerent, potiſſimum quum ita hæ ciuitates eſſent eccleſiæ ex fœdere Leonis conſignatæ, tenendæ duntaxat eo iure, quo ante per ipſum Leonem tentæ fuerant: quod ius nullum erat, quandoquidem ad feudum pertinerent Imperii, eſſentq; pars Ducatus Mediolani, & de illis nullum eccleſia Romana validum titulum nec ab Imperio, nec ab eo qui dare poſſet, obtinuerit.

Quæ autem de Legato, & nuncio obiiciuntur, quantum illa à veritate diſtent, etiam ex ipſorum Legati & nuncii aſſertione patebit. Quamprimum enim Legatus in curiam noſtram peruenit, quum iam nuncius ſe mandatum non habere profiteretur, vt in pace cum Gallo ineunda, & tractanda interueniret, interrogatus Legatus, ſi ad id mandatum haberet, reſpondit ſe non habere mandatum tractandi niſi nobiſcum, cum Gallo autem non habere quid tractaret, niſi vt ſe mediatorem inter nos & Gallum pro pace componenda interponeret, ſi ita nobis expedire videretur. Egimus illi gratias, nec eius operam vbi opus eſſet, refutandam cenſuimus, & cum illo de fœdere ineundo inter veſtram Sanctitatem & nos ineundo, vt prædiximus, tractantes, non ceſſauimus inter conſilia noſtra, & ea quæ inter nos & Gallum dietim gerebantur, ipſis Legato & nuncio communicare, vt de his veſtra Sanctitas moneretur: in quo profecto non ſecus, quam in patre plene confidebamus, nihil omnino ei occultandum cenſentes, fecimuſque primo eidem Legato copiam fieri earum pacis conditionum, quas nos primo obtuleramus, dum adhuc ipſe Rex Gallus in Italia detineretur, ſimul & earũ quæ parte ipſius Gallorũ Regis per Don Hugonẽ de Montecateno nobis allatæ ſunt, quibus Rex ipſe Gallus in Italia nouos belli motus ad noſtrum, vt aiebat, commodum, ſuſcitare ſatagebat, quos tamen reſpuimus, nil aliud quam vniuerſorum pacem, & quietem appetentes. Dedimus illi pariter copiam aliorum pacis articulorum moderatius noſtri parte propoſitorum, poſtquã Rex ipſe in Hiſpaniam deductus fuerat, & poſtquam rem cum Duciſſa Alanzonii eius ſorore communicauimus, ſimul & copiam reſponſionum, nouarumq; oblationum parte ipſius Regis factarum. Communicauimus etiam eidem Legato diſputationes & fundamenta noſtra, & Gallorum Regis circa ius ducatus Burgundiæ, & aliarum rerum noſtri parte petitarum, vt ſane intelligeret nos optimo iure ſuffultos eſſe, nilq; iniuſtum petere. Et inde quum eius negocii concluſio delata fuerit vſq; in tertium decimum diem Ianuarii, omni negociatione interrupta ob receſſum ipſius Duciſſæ Alãzonii, non deſtitimus, quin mox ipſum Legatum de ſingulis moneri faceremus, omnem ſubſtantiã negocii eidem detegendo. Et quidem ſi deſideraſſet originaliter videre omnia capitula fœderis per nos cum dicto Rege Gallo initi, & copiam eorum omnium, quæ ſibi viderentur, extrahi facere, id nequaquam ei denegatum fuiſſet. Et ſi adhuc veſtra Sanctitas, ad omnem tollendam ſuſpicionẽ, cuperet ipſius fœderis capitula videre, erimus adhuc nunc contenti, huiuſmodi fœdus originaliter communicare veſtræ Sanctitatis nuncio, & illius etiam copiam eidem ex integro concedere veſtræ Sanctitati tranſmittendã. Non enim erubeſcimus, ſed potius ſumme cuperemus, vt fœdus ipſum in lucem prodeat, vtque actiones noſtræ omnibus palam fiant, ex quibus etiam clare liquebit, nil ibidem actum, tractatum, vel cogitatum, quod tum veſtræ Sanctitatis, tum noſtræ & aliorum dignitatibus

gnitatibus non congruat, nil quod tendat ad Apoſtolicæ ſedis, Chriſtianæque religionis incremẽtum, infideliumque & hæreticorum extirpationem, nil etiam quod non dirigatur, & diſponatur ad vniuerſalis pacis, & quietis beneficium: nec vnquam conſtare poterit, ipſos Legatum, aut nuncium impeditos, ſeu prohibitos fuiſſe, quin pro eorum libito ad veſtram Sanctitatem quicquid eis videretur, perſcriberent, quum de his nil mali ſuſpicaremur, veſtræque Sanctitati in omnibus deferre cuperemus, vt in nobis nullum vnquam ſignum alienæ voluntatis, ſeu fidei derogationis elici potuerit. Ad illa igitur multa alia, quæ veſtra Sanctitas dicit ſe omittere, non poſſumus diuinando reſpondere, licet tanquam noſtrarum actionum conſcii, nil putemus nobis obiici poſſe, quin te intellecta, congruum reſponſum, prout in ſuperioribus obiectis, accommodare valeamus. Non habet igitur ex his veſtra Sanctitas ſignificationem aliquam noſtri erga eam animi non bene diſpoſiti, non cauſam iuſtam de noſtra in eam voluntate diffidendi, non rectam rationem præſumendi, quod aliquorum ex noſtris peruerſitas, ſeu maligna ſuaſio tantum apud nos poſſit, vt nos à recto tramite deuiare compellat: Hæc enim rectius, & rationabilius (ſi fas ſit dicere) in eandem veſtram Sanctitatem nos, vel illius miniſtros retorquere poſſemus.

Minuſque potuit veſtra Sanctitas de noſtra voluntate dubitare ex pragmaticis in Hiſpania edictis, quæ, prout à noſtris etiam conſiliariis accepimus (quibus in his quæ iuris ſunt, merito credere debemus) confirmari videntur & antiquis Regnorum noſtrorum priuilegiis, moribus, & conſuetudinibus, ac etiam Bullæ Adriani nobis pro patronatibus ipſorum regnorum conceſſæ, vt his prouideretur ne in ipſa Rom. Curia ipſa iura noſtri patronatus, prout ĩdietim tentabatur, ſupprimi poſſent. Erat tamen in illis capitulis, quæ attulit ad veſtram Sãctitatem Herrera, vnus articulus per Legatum, & inde per veſtram Sanctitatem approbatus, in quo deputabantur Iudices, ſeu arbitri, qui de huiuſmodi pragmaticarum viribus, deque forma conſeruandi patronatus Regios cognoſcerent, atque componerent. Quam viam etiam ſine fœdere ſemper libenter amplectemur, parati ſemper æquitati, & rationi iura noſtra ſubiicere, itidem facturi de his, quæ ad Regnum Neapolitanum pertinent, pro quibus nec ab inueſtitura, nec à priuilegiis Regni quouis modo recedere intẽdimus, nec illis derogare. Viceregis etiam in Gallia remanſio, quicquid veſtræ Sanctitati perſuaſũ fuerit, non ad tractandum quicquam nec occultum, nec publicum, ſed ad perſiſtendum in obſeruatione promiſſorum: & licet noua per Gallos media proponerentur, vt fieret nouatio, nunquam tamen id admiſſum fuit, nec à priori fœdere recedendum putauimus. Et ſi idem Vicerex ad veſtrã Sanctitatem venire nequiuerit, id quia noluit Gallus eidem tranſitum per regnum ſuum permittere, ſed eum ad nos redire coegit, quod prout ipſemet rex Gallorum, ſuiq; miniſtri teſtati ſunt, actum dicitur, ne fœderati in ſuſpitionem aliquam inducerentur, quod rex ipſe non ita ſyncere in fœdere procederet, ſi talem Ducem, cui tanti regni ſarcina incumberet, qui inde pecunias ex eo regno ad noſtri exercitus ſuſtentationem colligere poterat, in id regnum ire permitteret, vbi totius expeditionis in nos paratæ turbari, aut impediri poſſet exequutio. Atuntque quod veſtra Sanctitate & Venetis, eorumue miniſtris id flagitantibus, & ſollicitantibus impeditus fuerit ipſius Viceregis in Italiam tranſitus, qui etiam vt fertur, ſi Don Hugo intra limites ipſius Regni Franciæ eo tempore repertus eſſet, illum pariter detineri curabant, vt ad veſtram Sanctitatem peruenire nequiret ſicque magis colorari poſſet animi Sanctitatis veſtræ à nobis alienatio, & apertius incuſari poſſet ipſius Don Hugonis tardatio, quam etiam veſtra Sanctitas ſine iuſta ratione accuſare nititur, vbi biduo duntaxat in curia Regis Gallorum apud Viceregem ſe continuit, ad quem miſſus erat ad eũ duntaxat finem, vt ipſum, ſi fas eſſet, ad iter illud Italicum ſecum peragendum excitaret. Quod ſi illum ad id diſpoſitum, ſeu præparatũ non reperiret, reciperet ab ipſo Vicerege vberiorem inſtructionem de his, quæ in Regno Neapolitano poſt expeditum cum veſtra Sanctitate negociũ acturus eſſet, & inde ipſo Don Hugone Vicerege dimiſſo, ſolus ad exequenda comiſſa in Italiã tranſiret vt ſic non recta videatur illatio, quod ibidem ſe continuerit, vt rerum ſpecularetur euentũ. Minuſq; incuſanda videtur ipſius Don Hugonis mora in Mediolano facta, quæ 5. diem non exceſſit, cuius etiam mora potius coacta cenſetur, quam voluntaria, quum in illius ad Mediolanum primo acceſſu apparuerint ipſius Ducis Sueſſæ vices noſtras in Vrbe agentis literæ, quibus nunciabat fœdus iã per veſtram Sanctitatem cum cæteris eſſe concluſum, eamq; non potuiſſe induci, vt ipſius Don Hugonis aduentum per aliquot dies præſtolaretur: quinimo reſolute reſpondiſſe, quod nec per diem, nec per horam ipſius fœderis concluſionem differret: nunciabat etiam arma iam parata, exercitum ad iter diſpoſitum, vt noſtros adorirentur. Erat quoque rumor publicus & fama, quod clauſi eſſent paſſus, & aditus ad Vrbem, quod noſtri curſores ſiue euntes, ſiue venientes vbiq; detinebantur, nulluſq; erat tutus acceſſus ad veſtram Sanctitatem. His rationibus coactus fuit Don Hugo ibidem ſuperſedere, ac iter ſuum per eos dies differre donec à veſtræ Sanctitatis Ducibus, ac miniſtris ſaluum conductum impetraſſet, prout fecit. Qui ſic interim cum Duce Franciſco tractare viſus eſt, vt ſi poſſet illum induceret noſtris, vt tenetur, obediret mandatis vtq; omni rebellione ceſſante, ſe noſtræ iuſticiæ & gratiæ, vt par erat, ſubiiceret: nolq; & duces noſtros de arce in qua continebatur, ſecuros faceret, ne inde rebus noſtris, ac exercitui noſtro damnum aliquod emergeret, ſeu incommodum afferri poſſet: Non eſt igitur cur de his veſtra S. conqueri debeat, cui nulla ob id fiebat iniuria, quin imo ipſo duce nobiſcum, vel cũ dicto Don Hugone, noſtro nomine tranſigente, facilior reddebatur noſtra cum veſtra Sanctitate conuentio, tollebaturq; principalior difficultas illius noui fœderis quod inter nos tractabatur, & quod cum veſtra Sanctitate inire putabamus, ni forſan veſtra Sancti-

tas

tas ſuis cogitationibus atq; conatibus obuiam iri putaret, ſi Franciſc. Sfortia ſine veſtræ Sanctitatis autoritate in gratiam noſtram reciperetur, illumq; ſibi obnoxium non haberet.

Quod autem aſſeritur noſtros interim Parmam occulta proditione eripere tentauiſſe, id quum nobis penitus ignotum ſit, nec arbitremur Duces noſtros rem tam arduam nobis inconſultis auſos fuiſſe tentare, credimus potius ab aliquo maligno ſpiritu ad diſcordiam ſeminandam adinuentum atque confictum: quandoquidem vbi nos Parmam, ſimulque Placentiam recuperare, feudumq; Imperii, prout antea fuerat, reunire, & redintegrare voluiſſemus, id non occulta proditione, ſed palam, & iuſte, ac per iuris tramites exequendum fuiſſet: licet nos ſemper ita à cupiditate alieni fuerimus, vt potius noſtra, & Imperii iura negligere, quam publicam quietem turbare maluerimus, & potiſſime illam Sanctam apoſtolicam ſedem, & Catholicam eccleſiam, cui ſemper, vt par eſt, deferre conati ſumus. Sicque noſtros à prætenſa proditione omnino immunes cenſemus, quum potiſſime nihil aliud, quam de eorum defenſione cogitare viderentur aduerſus inuaſionem contra eos præparatam, prout rei exitus demonſtrauit.

Vnde ex his omnibus criminationibus, & querelis in nos adductis, recto ſuper his ſumpto iudicio, reſultare non poſſunt tales iniuriæ, ſeu cauſæ, quibus veſtra Sanctitas inuita, ac gemens, vt ait, de nobis deſperare, aut diffidere debuerit, nec ob id, vt aſſerit, ſuam amicitiam & beneuolentiam à nobis repudiatam cenſere, quam potius ſemper in ſummo precio habuimus: nec propterea neceſſe fuerat veſtræ Sanctitati ſe tot magnis, vt ait, regibus adiungere, nec hos in odium noſtri cõuertere, qui non his minorem in Chriſtianam rem, & ſedem Apoſtolicam animum ſemper habuimus. Et profecto ſi veſtra Sanctitas ab his fœderibus, & colligationibus contra nos & ſtatum noſtrum, ac dignitatem tentatis abſtinuiſſet, non propterea Paſtoris, ſeu communis patris laudẽ amiſiſſet, ſed potius magis atque magis confirmaſſet & auxiſſet, ſicq; merito cum Pſalmiſta dicere poſſumus, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus*, non inquam Dominum, & Chriſtum, ſed aduerſus miniſtrum, & agnum diuinitus inſtitutum ab ipſomet Chriſto, à quo omnis noſtra pendet autoritas & poteſtas, qui propterea *diſrumpet vincula* & ligam *eorum, & proiiciet à nobis iugum ipſorum*. prout in ſua diuina benignitate, & clementia, recta noſtra intentione & conſcientia freti, plene confidimus.

Subiungit veſtra Sanctitas, quod quum eſſet res geſta, & fides inuicem data, eademq; Sanctitas fœdere aſtricta cum eis regibus, acceſſit tum demum itineribus lente, & tarde confectis, dictus Don Hugo, eidem Sanctitati coniunctionem, & conditiones eas offerens, quas quum veſtra Sanctitas tam ſæpe, tamque vehementer petiiſſet, toties, vt ait, repulſa & repudiata fuerit, quarum tunc accipiendarum occaſio & tempus præterierant. Duo hic, Pater Sancte, conſideranda intuendaq; videntur, quæ profecto non nos tantum, ſed omnes recte ſentientes in ſummam admirationem debent inducere, & pro quibus nos in Sanctitatem veſtram iuſtiores querelas poſſumus prætendere. Alterum quod veſtra Sanctitas ſciens Don Hugonem præſto venturum, & tamdiu ad iter accinctum cum amplo mandato, & grata reſolutione, noluerit per aliquot dierum ſpacium, noſtris id ſumme flagitantibus, ac cum omni inſtantia requirentibus, illius aduentum præſtolari, ſed ſolam illius tarditatem incuſando, non habito reſpectu, quod is etiam curſoris more, per equos ad id diſpoſitos, quantum illius ætas, ac perſonæ qualitas ferre poterat, die noctuque iter ſuum feſtinabat, adeo voluntarie proruperit in huius damnoſi, ac ſcandaloſi fœderis præcipitationem. Alterum vero, quod eodem Don Hugone iam ad veſtram Sanctitatem perueniente, & (vt veſtra Sanctitas profitetur) optatas eidem conditiones noſtro nomine offerente, priuſquam aliqua armorum executio tentaretur, eadem Sanctitas veſtra illas ita reiiciendas cenſuerit, vt earum accipiendarum occaſionem, & tempus præteriiſſe aſſereret, nec animaduertens, quam difformiter nobis egiſſet, fœdus quod antea cum noſtris oratoribus defenſiuum inierant, iam hinc inde publicatum, & per nos ratificatum, ac approbatum reſpuendo, ſineque vlla iuſta ratione eius literas ratificatorias noſtris reciprocas concedere denegando: nunc è contrario fœdus aliud illi repugnans, ſub defenſionis nomine penitus offenſiuum, ſub colore vniuerſalis pacis diſponendæ, pacem iam vbique contractam diſrumpens, atque perturbans, & loco pacis bellum, ac arma commouens, adeo inuiolabiliter ſuſtinere conetur veſtra Sanctitas, vt etiam optatas, vt fatetur, conditiones, armorum cauſam ſubmouentes recipere recuſauerit. Dura quidẽ hæc difformitas in ipſo Paſtore, & communi patre, qui omnibus æqualis eſſe debuiſſet. Eſto enim quod in nobis, noſtriſue miniſtris mora aliqua argui potuiſſet, prout reuera non poterat, non tamen ipſius moræ purgatio in re tanti momẽti erat deneganda, vbi potiſſime nullum erat ad id tempus præfixum, nec dies qui interpellaret pro homine, nullaque pœna ad id adiecta, quæ moræ excluderet purgationem; nec etiam aderat contrahentium intereſſe, vbi armorum motibus nondum exequutis, radix præcidebatur, vbi publica quies facilius parabatur. Hæc enim Beatiſſime pater, non ad propulſandum, vt ait, Italiæ ſeruitutis periculum, Chriſtianitatiſque turbationem, ſed potius ad effectus penitus contrarios diſpoſita videntur: non pro ſede Apoſtolica armis, & exercitu munienda, quæ illis non indiget, vbi nullus adeſt offenſor, ſed potius pro ipſius Apoſtolicæ ſedis monitionibus profundendis, eccleſiæque theſauro exhauriendo, & effundendo contra ipſummet Chriſtum, ac in Chriſtianæ Reip. detrimentum inuenta ſunt non ad iuſticiæ & pacis viam, vt inquit, inter omnes æquis conditionibus parandam, ſed potius ad omnem iuſticiam perturbandam, pacemq; tam partam infringendam, ac quaſi deſperandam. Non etiam videntur hæc cõſilia, ſeu geſta, quibus veſtra Sanctitas nec

coram,

coram Deo, nec coram hominibus rectam iuſtificationem recipere debeat, ſed potius, ſi fas eſt dicere, ſcandalum, eccleſiaſticique ſtatus grauem turbationem peperiſſe videntur: At ſi omnia veſtra Sanctitas recto intellectus ſui oculo, diligentique circumſpectione perluſtrauerit, comperiet profecto nullum eſſe Regem, aut Principem nobis recto ordine anteferendum, nullum, cui Apoſtolica ſedes magis debeat, quemue magis tueri, fouereq; deberet, nullum à quo plus filialis obſeruantiæ, ac deuotionis ipſa Apoſtolica ſedes receperit, ſeu recipere poſſit, nullum, qui magis Romanam eccleſiam, Apoſtolicamque ſedem ſtabilire, conſeruare, ac augere cupiat, nullum ex cuius regnis, ac Dominijs magis honoris, commodi ac pecuniæ ad Apoſtolicam ſedem, Romanamque curiam affluat. Si enim ad ea recte aduertat veſtra Sanctitas, comperiet, quod ex Imperio regniſque ac Dominijs noſtris Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Germaniæ, Galliæ Belgicæ, ac ſuperioris Burgundiæ, pluſquam ex cæterorum omnium regnis, & Dominijs ſimul iunctus, lucri, ac commodi ſedi Apoſtolicæ, ac Romanæ curiæ accedit. Non enim patiuntur reges alij ita paſſim & laute eccleſiarum ſpolia, & annatas ex eorum regnis ad Romanam curiam deferri. Qualia autem ſint ea lucra, ex *centum illis Grauaminibus nationis Germanicæ* colligi poterit: quibus tamen ex ea deuotione, & obſeruantia, qua ſemper veſtræ Sanctitati ac Apoſtolicæ ſedi affecti fuimus, nuſquam aures præſtare curauimus, nec his animum adijcere. Quod ſi iuſta aliqua ratione, vel cauſa, Apoſtolica ſedes his lucris careret, non eſſent claues aureæ, quæ bellorum archinia pro libito aperire, ac claudere ſolent, nec veſtra Sanctitas ex regnorum noſtrorum pecunijs, atque redditibus exercitum in nos conflaret, nec temporalia arma moueret, quibus potius iuſtum videretur ad noſtram defenſionem vti.

Quod igitur veſtra Sanctitas teſtatur ſe nunc etiam eo animo eſſe, vt ſi ad æquitatem & humanitatem nos referre voluerimus, illius arma non ſolum nobis non aduerſa, verum etiam ad res vere glorioſas propitia ſint futura. Sin autem in occupanda quotidie magis Italia, & alijs partibus Chriſtianitatis perturbandis, nos non tam naturæ noſtræ, quam cupiditati, & conſilijs noſtrorum obſequi perſeuerauerimus, veſtram Sanctitatem neq; iuſtitiæ, neq; libertati Italiæ, qua illius ſedis tutela continetur, defuturam, ſed iuſta & ſancta arma moturã, non tam ad offenſionem, quam ad defenſionem: Sancta quidem eſt hęc proteſtatio, ſi verbis facta reſpondeant. Habet enim veſtra Sanctitas ex illis iuſtificationibus, quas ſuperius aduerſus ea, quæ nobis obiecta fuerant, retulimus, noſtrã & æquitatem, & humanitatem, ſimulque admixtam iuſtitiam, vt ſi talis eiuſdem Sanctitatis ſit animus, primam ipſius proteſtationis partem ad effectum deducere valeat, Quod ſi fecerit, & à nobis gratias, & à Deo præmium reportabit. Habet etiam ex eiſdem iuſtificationibus late oſtenſum, nos ab occupatione Italiæ, ac Chriſtianitatis turbatione, ab omnique cupiditate alienos eſſe, nilque vnquam iniuſtum, nil Italicæ libertati contrarium, nil quod Apoſtolicæ ſedis tutelæ non conueniret, per nos tentatum, imo nec cogitatum fuiſſe: ſicq; merito ceſſabit ſecunda ipſius proteſtationis pars, vt nec arma iuſte in nos moueri poſſint, nec offenſione, aut defenſione opus eſſe videatur. Nos enim, vt omnis à nobis abſit ſuſpitio, ſi veſtra Sanctitas, eiuſq; fœderati pro illorum parte arma deponere conſentiant, erimus pariter ad ipſorum armorum depoſitionem promptiſſimi: Veram quippe hanc & rectam viam cenſentes, vt veſtra Sanctitas in his, quę per viſcera miſericordiæ Dei obſecrat, & per ſpem, quam de nobis, vt inquit, concepit, obuiam eat immoderatis cupiditatibus, & magis publico Chriſtianitatis bono condonet, quam vt nos ad id attrahendos putet. Hæc enim ipſius Chriſtianitatis incommoda & pericula, ſic non noſtra moderatione, ſed rectius veſtræ Sanctitatis clauibus oleo charitatis delinitis ſedabuntur. & ea cura, quam veſtra Sanctitas nobis dicit eſſe communem, quum ambo à Deo, vt recte inquit, in hanc ſolicitudinem pro commiſſis nobis honoribus ſimus vocati, ſic agendo, faciliime poterit expediri. in quo pariter officio, & debito noſtro non minus, quam veſtra Sanctitas, nos etiam neq; defuimus, neque defuturi ſumus, quinimò totis viribus atque conatibus anhelamus, vt hæc duo magna luminaria à Deo inſtituta, ita ſibi inuicem debito ordine correſpondeant & miniſtrent, vt inde orbis vniuerſus rectam illuſtrationem recipiat, nec per ipſorum luminarium obiectum eclipſis in Chriſtiana religione & doctrina cauſari & generari, ſeu diutius ſuſtineri valeat in maximum Chriſtianæ Reipubl. detrimentum.

At quod veſtra Sanctitas in ſuarum literarum calce ſubiungit, ſub conditione tamen, quaſi rem dubiam, ſeu incertam proponens, dum inquit, *quod ſi, quæ de noſtra in pacem generalem voluntate paſſim ferebantur, veras prudentia & pietatis radices habebant, habemus occaſionem declarandi, quæ ſentiebamus*, omnia vere nos, & ex animo ſenſiſſe, atque operibus verba comprobando, ſingularem optimi principis laudem nobis acquirendi: qui ſi tam veſtræ Sanctitati amorem noſtrum cupienti, in liberanda Italia, quam ſuis fœderatis in eorum iuſtis petitionibus ſatisfacere inſtituerimus, fore id noſtræ famæ, & ſapientiæ melius multo accommodatum, & paci vniuerſali, ſecuritatiq; tam rerum noſtrarum, quam totius Chriſtianitatis magis conſentaneum. Putamus, Pater Beatiſſime, ſatis dilucide & aperte oſtenſum eſſe, qualis fuerit noſtra in pacem generalem voluntas, vt nec illa in conditione ponenda, nec de ea dubitandum videretur: qui nullo vnquam figmento, nullaue ſimulatione vſi ſumus, nil vnquam in ore habuimus, quod in mente ac voluntate non ſederet, omnia vere ex animo ſentientes, quæ loquebamur, operibus verba comprobaturi, ſi hi, quos res tangebat, & ſine quibus pax generalis obtineri non poterat, iuſtæ noſtræ inclinationi, vt decebat, correſpondiſſent. Sed quum ea ſit vniuerſalis pacis natura, atque ſubſtantia, vt in ea omnium conſenſus vniuerſaliter exigatur, omniumque voluntas neceſſario debeat concurrere, & è conuerſo ab vno ſolo ex contendentibus, quicunq; fuerit, dependeat, & in ſolius poteſtate ac voluntate cõſiſtat, ipſam vniuerſalem

pacem impedire, & etiam ſi facta foret, turbare, bellumque mouere, & partem alteram etiam inuitam ad ipſum bellum trahere, non potuit ob id, alijs renitentibus, noſtra optima voluntas operibus comprobari, qui propterea (tanquam omni culpa carentes) non putamus illam optimi principis laudem à nobis auferendam, ſeu cuiuſpiam maledicentia ſubtrahendam. Si igitur Sanctitas veſtra prout flagitare videtur, conſulere intendat publicæ quieti, iuſtæq; Italiæ libertati, deponat arma, reponatque gladium Petri in vaginam, idque efficiat, vt etiam ſui fœderati arma deponant: Quod & nos, vt prædiximus, viciſſim facturi ſumus, vt ſic iuxta canticum Zachariæ: *Sine timore ab inimicis noſtris liberati ſeruiamus illi.* Hoc enim iacto fundamento, poterit facilius veſtra Sanctitas eam ſuperficiem pacis vniuerſalis ædificare, & laborare (vt inquit pſalmiſta) In congregando populos in vnum, & reges vt ſeruiant domino. Et quum ea quæ Dei ſunt, cunctis rebus ſint anteponenda, & inde publica priuatis iuſta ratione præferantur, ne priuatorum paſſio perturbet ea quæ Dei ſunt, & quæ ad publicam ſalutem pertinent, conſentaneum videtur, vt prius de hoſtibus fidei à Chriſtianorum ceruicibus propulſandis, & ſi fas ſit, ad ouile Chriſti adducendis, deque Lutheranorum aliorumque hæreticorum ſectis & erroribus comprimendis, corrigendis atque ſedandis, & ſi licuerit, ad gremium Eccleſiæ reducendis, de illis quoque omnibus, quæ Romanæ Eccleſiæ, totiuſque Chriſtianæ Reipubl. ſtatum, ſalutem, conſeruationem & incrementum concernere poſſunt, tractetur & conueniatur. Demum de iuſtis, vt ait veſtra Sanctitas, ac à ratione & æquitate non alienis priuatorum, ſeu fœderatorum querelis & petitionibus merito tranſigi aut conueniri poterit. In quibus tam publicis, quam priuatis, ſi veſtra Sanctitas recto ordine intendere, ac ad ea animum adijcere velit, veri patris, ac paſtoris officium aſſumendo, comperiet nos velut deuotiſſimum, ac obſeruantiſſimum filium illi obtemperantem & obſequentem, ita in omnibus iuri, rationi, ac æquitati ſubnixum, vt nil iniuſtum, indebitumue petituri ſimus, quin potius iuſtis aliorum petitionibus ſatis facturi, ac ſi expedierit, de proprio daturi, & dimiſſuri pro ipſius Chriſtianæ Reipubl. commodo, proque Chriſtianæ religionis augmento, pro quo etiam Imperium, Regna, Dominia, & quicquid nobis Deus & natura conceſſit, ac denique vitam ipſam expoſituri ſumus: rurſus pollicentes, nos hæc verba noſtra (ſi veſtra Sanctitas rem paterno amore complectatur) factis & operibus comprobaturos, nihilque omnino pro parte noſtra omiſſuros, quod ad rem ipſam recte diſponendam, ac peragendam facere videatur. Quod ſi ſecus quam putamus euenerit, veſtraque Sanctitas iuſtas noſtras rationes & requiſitiones obaudiat, proteſtamur coram Deo & hominibus, quod ſi quid inde ſiniſtri Chriſtianæ religioni euenerit, id nequaquam noſtræ culpæ aſcribi poſſe, à quo omnino nos immunes ſeruare curabimus, nil tamen prætermiſſuri de his, quæ ad noſtram neceſſariam defenſionem videbuntur pertinere, quam totis viribus atque conatibus perſequi cogemur, omnibus illis vijs ac medijs, quibus & diuino & humano iure nos & noſtra tueri licebit, & quibus honor, ſtatus, & dignitas nobis ſalui ac illæſi permaneant, & integre conſeruentur. Obſecramus igitur veſtram Sanctitatem ea reciproca obſecratione, qua erga nos vtitur, per viſcera videlicet miſericordiæ Dei noſtri, & per eam ſpem, quam de veſtra Sanctitate ad Chriſtiani nominis ſalutem conceperamus, obſecramus etiam per claues illas, quas Dominus noſter Ieſus ad parandam Chriſticolis viam in regnum cœlorum Petro commiſit, quarum etiam adminiſtrationem veſtra Sanctitas, vt eiuſdem beati Petri ſucceſſor, aſſumpſit, illis, vt decet, vtendo, dignetur hæc Chriſtianitatis incommoda & pericula ſua moderatione ſedare, ipſamque vniuerſalem pacem dirigere, diſponere, ac perpetuo fundamento ſtabilire.

Habet nunc veſtra Sanctitas veram & apertam actorum & conſiliorum noſtrorum rationem, habet legitimas excuſationes noſtras aduerſus crimina & opprobria, quæ nobis iniuſte quidem obijciebantur, habet noſtram ſanam rectamque intentionem, ac voluntatem ad bonum publicum, ad pacem generalem, quietemque vniuerſalem: Habet filialem noſtram deuotionem & obſeruantiam, ſi veſtra S. paterno amore nos vt filium complectendum cenſuerit, ſi ipſas excuſationes, ac iuſtificationes noſtras tanquam veras & legitimas, ratas & gratas habeat, hiſque ſe contentam reddat, ac ſibi de culpis nobis obiectis ſatisfactum putet, noſq; his culpis carere profiteatur, & ſua pronunciatione declaret. Id demum ſupplicantes, vt veſtra Sanctitas non putet, cogitet, ſeu recordetur iniuriam, ſeu offenſam nobis fuiſſe illatam, nec arbitretur nos præteritorum memoriam habituros, ſed veſtra Sanctitas eorum omnium obliuiſcatur, vt ſic recedant vetera, nouaque ſint omnia, quum & nos itidem facturi ſimus, ſi veſtra Sanctitas id, prout ſupplicamus, admiſerit. Verum ſi veſtra Sanctitas nos ab his culpis & obiectis immunes non cenſuerit, noſtraſq; excuſationes & iuſtificationes pro veris & legitimis non habuerit, ſi arma contra nos continuauerit, & illorum diſpoſitioni non conſenſerit, ſi vniuerſalem pacem amplecti nolit, quum tunc non patris, ſed partis, non paſtoris, ſed inuaſoris officium aſſumeret, ſicq; rectus horum iudex non cenſeretur, nullo alio ſuperſtite, cui nos & noſtra ſubijcere deberemus, ea omnia, quæ nobis obijciuntur, aut in poſterum obijci poſſent, vel tentari, ſiue perſonam, ſiue Imperium, Regnaq; & Dominia concernant, ſimul & ea omnia, quæ nos ex aduerſo pro noſtra iuſtificatione, & innocentia ad Chriſtianæ Reipubl. quietem prætendimus, & prætendere poſſumus, ad ſacri generalis concilij totius Chriſtianitatis cognitionem & iudicium remittenda cenſemus, illiq; nos, & omnia, quæ cum veſtra Sanctitate habere poſſumus, aut deinceps habituri ſumus, omnino ſubijcimus. Supplicantes propterea eidem veſtræ Sanctitati, illamq; in domino hortantes, quatenus pro ſuo paſtorali officio, proque cura & ſolicitudine gregis ſibi commiſſi, dignetur ipſum ſacrum generale concilium indicere & conuocare in loco tuto & con-

gruo, cum debita termini præfixione. Nos enim quum ex his & alijs ſatis notorijs cauſis turbari videremus vniuerſum eccleſiæ & Chriſtianæ religionis ſtatum, vt vobis ac ipſius Reipubl. ſaluti conſulatur, pro his omnibus ad ipſum Sacrum vniuerſale concilium per præſentes recurrimus, ac à futuris quibuſcunque grauaminibus, eorumue comminationibus prouocamus, appellamus, & ſupplicamus à veſtra Sanctitate ad dictum ſacrum concilium, cuius etiam officium per viam querelæ, his de cauſis implorandum cenſemus: petentes cum ea qua decet inſtantia, Apoſtolos & literas dimiſſorias, ſemel, bis, ter, & pluries nobis concedi, & de harum præſentatione teſtimoniales literas fieri, ac expediri in ea qua decet forma, quibus ſuis loco & tempore vti valeamus. Et quum ad hæc ſolenniter peragenda eiuſdem Sanctitatis veſtræ præſentiam nunc habere nequeamus, vt inde futuris fortan grauaminibus occurramus, has noſtras eius nuncio Apoſtolico penes nos agenti, & legationis munere nomine veſtræ Sanctitatis fungenti, per actum publicum coram notario & teſtibus exhibendas intimandaſque cenſuimus. Datum in noſtra ciuitate Granatæ, die decimaſeptima menſis Septembris, Anno Domini milleſimo, quingenteſimo, viceſimoſexto, Regnorum noſtrorum Romani octauo, aliorum vero omnium vndecimo.

CAROLVS *diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, &c.* Eratque eadem epiſtola in ipſius calce de propria manu, & conſueta nota dictæ Sacratiſs. Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis ſubſcripta & ſignata: videlicet hiſce Hiſpanicis verbis, *El Rey.* & inferius per ſuæ Maieſtatis Secretarium ordinarium, ſic, *Alphonſus Valdeſius.* Demum vero ita ſubſcripta:

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino CLEMENTI *Septimo, Diuina prouidentia Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Domino Reuerendiſſimo.* Quam quidem epiſtolam præfatus illuſtris & excellens Dominus, Dominus Cancellarius (præbito mihi Notario infraſcripto, quodam eiuſdem conformi exemplo) eidem Secretario Alphonſo Valdeſio tradidit, illamque coram dicto Domino Reuerendo nuncio tunc ibidem præſenti, alta & intelligibili voce legere & recitare, ac deinde Cæſareo Sigillo, quod ſua Illuſtr. excellentia ad hoc depromere fecit, obſignare mandauit. Id omne, quod & idem Secretarius officioſe exequebatur, reddens exinde eandem Epiſtolam ſic lectam, recitatam, & obſignatam in manus dicti illuſtris & excellentis Domini, Domini ſupremi Cancellarij. Cuius Illuſtr. excellentia eam deinde ex ſpeciali Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis mandato, vti aſſeruit, per manus eidem Reueren. Domino Apoſtolico Nuncio, loco & vice Sanctiſſimi Domini noſtri exhibuit, intimauit, inſinuauit, & ſuæ Sanctitati primo quoque tempore tranſmittendam tradidit, eamque ſic pro rite & legitime exhibitam, intimatam, inſinuatam & traditam eſſe, & haberi voluit & dixit: ipſius Sacratiſs. Maieſtat. Cæſareæ nomine dicens, proteſtans, requirens, appellans, ac alia agens in omnibus & per omnia, prout in dicta Epiſtola ſeu ſcriptura continetur.

Itaque eam ipſam Epiſtolam præfatus Reueren. Dominus Apoſtolicus nuncius acceptauit, ſimulque per hæc, aut in ſubſtantiam ſimilia verba reſpondit: ſe quidem recepiſſe proximis ante diebus à Sanctiſs. Domino noſtro vnas quaſdam literas, quibus ſibi mandatum fuiſſet, illud ipſum Breue, de quo ab Illuſtriſſ. Domino ſuæ Cæſareæ & Catholicæ Maieſt. Cancellario mentio facta, & quod ſibi tum vna ſimul tranſmiſſum fuiſſet, eidem Sacratiſſ. Cæſareæ & Catholicæ Maieſt. quamprimum exhiberet & redderet. Id quod ſtatim, vt eadem mandata acceperit (illis, vt debuerit, reuerenter parens) omni ſedulitate, bonaque diligentia & fide feciſſet, & ad quod in præſentiarum ſua Cæſarea & Catholica Maieſtas Sanctiſſimo Domino noſtro per prædictam Epiſtolam ſibi nunc exhibitam & intimatam reſpondiſſet. At rurſus poſt eaſdem ſe quoque recepiſſe ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro vnas alteras quaſpiam literas, quibus ſibi inter cætera commiſſum fuiſſet, niſi iam tempore receptionis illarum ipſarum literarum, prædictum Breue Cæſareæ & Catholicæ Maieſt. exhibuiſſet, id in antea non exhiberet, ſed eo penes ſe aut retento, aut ſuppreſſo, vnum alterum quoddam breue, quod illi cum vna ſimul cum illis ipſis ſecundis literis admiſſum, vnumq; tantum diem poſt prius Breue expeditum, atque datum fuiſſet, ſuæ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtati prioris Breuis loco exhiberet & redderet. Quod quidem tametſi prius Breue eo tempore, quum idipſum alterum ſubſequens reciperet, ſuæ Cæſareæ & Catholicæ Maieſt. vel iam reddiderit, tamen etiam exhibuiſſet. Atque liqueret ex huiuſmodi Sanctiſſ. Domini noſtri poſterioribus literis, ad illum, vt iam fertur datis, iuxta certum quendam articulum in eiſdem contentum, quem & eodem tempore ex lingua Italica in Latinam interpretabatur (in hęc videlicet verba, quod ſua Sanctitas quemadmodum hucuſq; non dederat cauſam tractandi arma, ſic nunc nolebat dare contentionum, quæ ſcribendo hincinde fortaſſis animos vtrorumque magis exacerbarent) quod propterea hæc reſponſio haud conueniens eſſet. Præterea vero in dicta epiſtola complurima contineri, ad quæ, ſi ea ipſi communicata fuiſſent, antequam hæc reſponſio à Cæſ. & Catholica Maieſt. deliberata & concluſa fuiſſet, habuiſſet quidem quæ recte reſpondiſſet. At quum id ſuæ Maieſtati ita placitum extiterit (tametſi inter Sanctiſſimum Dominum noſtrum, & Sacratiſſimam Cæſaream & Catholicam Maieſtatem quam diſcordiæ, concordiæ internuncius eſſe mallet) eam ipſam Epiſtolam ſuæ Maieſt. reſponſiuam pro rite & legitime ſibi exhibitam, intimatam, inſinuatam & traditam haberet, eandem Sanctiſſimo Domino noſtro quamprimum tranſmiſſurus, Super quibus omnibus & ſingulis rebus, pręfatus Illuſt. & excellens Dominus Summus Cancellarius, nomine, & mandato, ſicuti affirmauit, Sacratiſs. Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis & itidem præfatus Reueren. Dominus, Dominus Apoſto-

licus prothonotarius & Nuncius, loco & vice Sanctiſſimi Domini noſtri, requiſiuerunt ſibi à me Notario publico infraſcripto, tanquam publica & authentica perſona, vnum aut plura, tot quot forent neceſſaria, publicum ſeu publica edi, atque confici inſtrumentum aut inſtrumenta. Acta ſunt hæc in ciuitate Granatenſi in Hiſpanijs, domi nobilis viri Stephani Centurionis ciuis Ianuen. nunc videlicet hoſpitio prædicti Illuſtris & excellentis Domini, Domini ſupremi Cancellarij, anno, indictione, menſe, die, hora, & Pontificatu, quibus ſupra: præſentibus ibidem Magnificis & nobilibus viris & Dominis, Domino Bartholomæo de Gattinaria Regente Cancellariam Coronæ Aragonum præfatæ Sacratiſſimæ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtati à Conſilijs, Domino Ioanne Alemano, Domino de Bouclans, eiuſdem ſuæ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis Secretario primario, & prædicto Domino Alphonſo Valdeſio, etiam ſuæ Maieſtatis Secretario ordinario, teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis, rogatis, & legitime requiſitis.

Et ego Alexander Schweys, clericus coniugatus Treueren. Dioc. publicus Sacroſancta Apoſtolica auctoritate Notarius, nec non præfatæ Sacratiſſimæ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſ. etiam Secretarius ordinarius, quia prædictis Illuſtris & excellentis Domini, Domini ſupremi Cancellarij, gratioſi domini mei, prædictæ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis reſponſiuæ Epiſtolæ exhibitioni, intimationi, inſinuationi, & traditioni: contra autem Reueren. Domini, Domini Nuncij acceptationi eiuſdem, reſponſioniq; ad eandem, aliiſq; omnibus & ſingulis, dum ſic, vt præmittitur, fierent & agerentur, vna cum prænominatis Dominis teſtibus interfui, eaq; ſic fieri vidi & audiui: Idcirco hoc præſens publicum inſtrumentum, viginti tria ſcripta in ſe folia continens, manu alterius fideliter ſcriptum, exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, nomine, & cognomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum legitime requiſitus.

SECVNDÆ PONTIFICIS LITERÆ, QVAS POENITENtia ductus, quod falſe Cæſarem accuſaſſet, ad eum miſit, prohibuitque, ne priores emitterentur.

CLEMENS PAPA VII.

CHariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Aliqua ſunt, quę nobis præter naturam noſtram, præterque voluntatem, cum ſumma quadam neceſſitate incumbant: Quæ ſi prætermittamus, nec boni Pontificis officio, nec iuſtitiæ fauentis & patrocinantis principis debito ſatisfacere poſſe videamur. Coacti ſumus ea inire conſilia, per quæ & libertati Italiæ, & periclitanti S. ſedi Apoſtolicæ præſidio ſimus: in quibus tua diu tam à nobis expectata, & ab omnib. ſperata animi virtus & moderatio, ſi eam medicinam adhibere voluerit, quę & facilitatem à parte tua habet, & vt nos quidem recte iudicamus, etiam gloriam & vtilitatem, magnis erit terroribus & periculis Chriſtianitas liberata. De quibus omnibus ſcribimus largiter ad dilectum filium Baldaſſarem Caſtilioneum Notarium & Nuncium noſtrum, vt cum Serenitate tua conferat ac communicet. Obteſtamur per Dominum Ieſum patrem omnis miſericordiæ Serenitatem tuam, vt animum & curam adhibere ad dictum nuncium auſcultandum, & prouidere publicæ ſaluti, pace æquis conditionibus amplectenda, & continendis ſuorum cupiditatibus ac iniurijs intra legum & æquitatis fines velit, vt reliquis de vita & fortunis ſuis viuere ſecuris liceat. Quod erit non famæ ſolum & ſapientiæ tuæ melius multo accommodatum, ſed tranquillitati etiam tam rerum tuarum, quam Chriſtianitatis totius magis conſentaneum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXV. Iunij, MDXXVI. Pontificatus noſtri anno tertio.

Ia. Sadoletus.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro CAROLO *electo Imperatori, Hiſpaniarum, &c. Regi Catholico.*

RESPONSIO CAROLI CÆSARIS AD SECVNdam Pontificis Epiſtolam.

BEatiſſime Pater Domine Reuerendiſſime, non mediocri cordis dolore ad literas Sanctitatis veſtræ, quas viceſima tertia Iunij ad nos dedit, reſcripſeramus, quum nouiſſime eiuſdem Sanctitatis veſtræ Nuncius alias literas poſtridie à priorum data ſcriptas nobis exhibuit: in quibus licet adhuc videamus Sanctitatem veſtram aliam certe opinionem de noſtra erga vniuerſam Remp. Chriſtianam, & ſacroſanctam iſtam ſedem animo, atq; voluntate retinere, quam actiones ipſæ noſtrę promerentur, nō potuimus tamen non lætari perſpicientes in eiſdem literis Sanctitatem veſtrā propenſiori æquiorię; animo pacem optare, blandiuſq; quam antea nobiſcum agere. Atq; vtinam ita in poteſtate noſtra eſſet, labantis Chriſtianę Reipub. rebus conſulere, & pacem vniuerſalem denuo componere, prout in aliorum manu bellum mouere, & pacatam Chriſtianam Rempubl. turbare exti-

tit.

tit. Videret profecto Sanctitas veſtra ac cæteri eius fœderati, quam ſit animus noſter ab eorum opinione alienus, licet (vt verum fateamur) nequaquam nobis perſuadere poſſumus Sanctitatem veſtram (quæ actiones noſtras nouit) hæc ex animo ac vere dicere, ſed potius terroribus quorundam, quibus Chriſtiana tranquillitas minus expedit, perterrefacta ad hæc impulſa videtur. Speramus tamen Deum Opt. Maxim. cuius gratuita benignitate iuſta noſtra cauſa hactenus approbata eſt, Sanctitatis veſtræ animum mutaturum, eiuſque electi populi ſaluti potius, quam priuatis quorundam affectibus atque dolis conſulturum: & nos, qui & meritis & viribus noſtris quodammodo ſemper diffiſi, in ſolius Dei præſidio ſpem noſtram collocauimus, eiuſq; clementię victorias nobis ab eo conceſſas acceptas tulimus, noſtraque ita protecturum, vt euidentiori etiam teſtimonio animus noſter cunctis pateſiat. noſq; commodius & liberius ipſius nomen & gloriam, qua nihil nobis charius vnquam fuit, promouere valeamus. Sanctitatem igitur veſtram quanto poſſumus affectu rogamus, ac per effuſum Ieſu Chriſti redemptoris noſtri ſanguinem obteſtamur, vt Chriſtiani populi calamitatibus proſpiciat, nec tot cædes, tot vulnera, totq; horrenda mala in Chriſti corpus, cuius Sanctitatem veſtram caput eſſe profitemur, inferri patiatur. Nos enim, Beatiſs. Pater, quandoquidem Sanctitas veſtra de noſtro erga Deum animo (quid enim erga Rempub. Chriſtianam dicemus, quum quicquid vel boni, vel mali eius populo fit, ipſemet vel ingratum, vel acceptum ferat?) dubitare videtur, ipſummet Deum immortalem teſtamur, pro virili ſemper conaturos eſſe, vt & Sanctitas veſtra cæterique Chriſtiani nominis principes intelligant nihil æque nobis cordi eſſe, quam Dei gloriam, eiuſq; populi ſalutem, pacem & tranquillitatem feruentiori ſtudio indies ſtabilire. De peculiari vero noſtra erga Sanctitatem veſtram voluntate ingenue fatebimur, nos nihil vnquam prætermiſiſſe, quod ad obedientis filij officium pertinere poſſet. Quæ omnia Sanctitas veſtra facile experiri poterit, ſi non priuatis, ſed publicis rebus conſulere, noſtrumq; animum (qui à Sanctitatis veſtræ obſeruantia, dum eam Chriſti vices gerere recolimus, minime abeſſe poteſt) tanquam communis pater amplecti, Chriſtianiſque rebus in deterius prolabentibus, prout latius in alijs literis noſtris ad Sanctitatem veſtram ſcripſimus, pio ſtudio adeſſe voluerit. Quod vt faciat, Sanctitatem veſtram etiam atque etiam rogamus, illique veram à Deo Opt. Max. fœlicitatem ex animo optamus. Datum in ciuitate noſtra Granatæ, die XVIII. Menſis Septembris, Anno Domini MDXXVI. Regnorum noſtrorum Romani octauo, aliorum vero omnium vndecimo.

CAROLVS *diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, &c. Rex.*

El Rey.

Alphonſius Valdeſius.

EPISTOLA CAROLI CÆSARIS AD SENATVM SIVE *collegium Cardinalium, in qua petit, vt negante ſeu differente Pontifice generalis concilij indictionem, ipſi indicant.*

CAROLVS diuina fauente clementia, &c. Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis N. S. Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, amicis noſtris chariſſimis Salutem cum incremento omnis boni. Reuerendiſs. in Chriſto Patres, amici chariſſimi, tanto profecto animi dolore mens noſtra diſcruciatur, dum ea, quæ Romanum Pontificem ſuæ Pontificiæ dignitatis oblitum, non contra nos tantum (id enim æquiori animo pateremur) verum in maximum Chriſtiani nominis dedecus, contraq; totius Reip. (quam induxeramus) pacem & tranquillitatem moliri audimus, vt, tametſi animo certe perturbato, moderatis tamen verbis mentem noſtram vobis aperire, actionum noſtrarum (quanta pro rei magnitudine licebit breuitate) rationem reddere, & a Reuerendiſſimis Paternitatibus veſtris noſtro ac totius Chriſtiani populi nomine auxilium implorare cogamur. Quum enim in ipſo Imperij noſtri initio à Deo Opt. Max. in tanti Principatus culmine conſtitutos arbitraremur, non vt Imperij limites cum Chriſtiani ſanguinis iactura extendere, propagareue ſtuderemus, ſed quo Imperialis dignitas authoritate, & potentia decorata, & obſeruaretur a multis, & contemneretur à paucis, indeque Chriſtiana Reſpub. bellorum iniurijs in extremum fere diſcrimen adducta, ſempiterna tandem Cæſareæ dignitatis beneficio pace frueretur. Hoc itaq; animo relicta Hiſpania ad Germaniam venimus, ortas ibidem ſeditiones inter quoſdam Principes, diuino fauore ſedamus, nihilque omittimus, quod (iudicio noſtro) ab optimo Cæſare ſperari poterat. Verum dum nos Chriſtianã tranquillitatem ſtabilire curamus, ecce Gallorum Rex, quem vti patrem colebamus, noſtræ dignitati ſubinuidens, in ſtatum, ac honorem noſtrum nihil non moliri conatur: noſq; tandem ad arma prouocat inuitos. Fatetur hoc Summus Pontifex Leo, fatetur Sereniſs. Angliæ Rex, quos pro pace à Gallo obtinenda ſæpius ſolicitari fecimus, quique ſuis viribus, iuſtæ noſtræ cauſæ adeſſe non negarunt. Fatetur & hoc diuina iuſtitia, quæ ita nobis adfuit, vt poſt tot partas victorias omni humano tandem auxilio deſtituti, victis hoſtibus, eorumq; rege capto, victores euaſerimus. Hinc data opportunitate, qua noſtro de Repub. bene merendi ſtudio ſatisfacere liceret, ab ipſis

hoſtibus victis pacem primi flagitamus, tantumque petimus, vt quæ à prædeceſſorum noſtrorum manibus eripuerant, & contra ius, faſq; occupabant, nobis reſtituerentur. Æquiſſima poſtulata noſtra impetramus, pacem inimus, fœdus percutimus, & nihil in eo cautum volumus, niſi quæ ad Dei gloriam, communem Reip. pacem, Chriſtianæ religionis decorem & augmentum, & Sanctæ ſedis Apoſtolicæ veram dignitatem pertinere arbitramur. Percuſſo fœdere, Gallorum Regem captiuum noſtrum conuenimus, omnibus beneficijs, omni humanitate atq; beneuolentia eius animum pro Chriſtiana tranquillitate nobis deuincire curamus. & mutuo data acceptaq; fide, amicitiam firmamus, ac maximo eum honore affectum in Galliam, datis obſidibus, redire permittimus: Ad Pontificem, cæteroſque Chriſtianos reges ſcribimus, vt ſi Chriſtianam Remp. pacatam optarent, eorum patentes literas ad noſtrum vtrunq; mitterent, quibus an huiuſmodi fœderis beneficio vti vellent, prout conuentum fuerat, declararent. Nondum tamen ſempiternam in Chriſti populo pacem firmaſſe gloriari ceperamus, quum nouos bellorum tumultus pullulare grauiſſima animi noſtri moleſtia ſentimus. At vbi à Pontifice de nobis (vt aiebant) non bene contento, id emanare audimus, Don Hugonem de Moncada oratorem noſtrum mittimus cum facultate ampliſſimmiſq; mandatis, vt omnibus medijs, quibus id fieri poſſet, Pontificem de nobis contentum reddere curaret, ita vt homine audito, noſtro animo perſpecto, nil aliud à nobis optaſſe ſuis ipſemet verbis fateretur. Dumque nil tanto paſtore indignum nobis pollicentes, eius optimum reſponſum prę̨ſtolamur, Pontificis nuncius literas S. ſuæ in forma Breuis proxime elapſi menſis Iunij die XXIII. ſcriptas, XX. Auguſti nobis legendas dedit: quibus perlectis, quum non tantum à Summo Eccleſiæ paſtore, à communi omnium patre, Chriſtique Vicario, ſed etiam à Reuerend. paternitatibus veſtris ſacroque veſtro ordine, quibus Apoſtolorum autoritas tribuitur, emanatas eſſe credamus (nec enim rem tanti momenti vobis inconſultis factam putamus) quo ſimus animi dolore affecti, vos ipſi iudicate. Quis enim non miraretur, ſtuperetque, videns à tanto Pontifice, à tot tantiſq;, tanta religione, pietate atque prudentia præditis patribus tales literas in Chriſtiani principis Rom. Cæſaris, atq; Apoſtolicæ ſedis protectoris honorem & dignitatem tam inconſulte prodire? in quibus nihil præter bella, ſeditiones, proditiones, pernicioſa conſilia, temeraria iudicia, improperia, iniuriæ, falſæ criminationes, aliaque huiuſmodi tam à Pontificia dignitate aliena tractantur, idque in nos optime de Chriſtiana Republica meritos, & qui nullum vnquam nec Cæſarem, nec Regem, nec Principem, nec priuatum aliquem fuiſſe fatebimur, qui maiori (nec tanta quidem) fide, religione atque obſeruantia ſanctam ſedem Apoſtolicam veneraturus ſit, qui cæteris poſthabitis, maiori ſtudio eius ditionem & dignitatem tutatus ſit. Parmam enim & Placentiam à Romani Imperij feudo diſiunctas, Sedi Romanæ, nullo iure coacti, poſſidendas reſtituimus, importunaſque Germaniæ, & vniuerſi Romani Imperij preces contra grauamina & oppreſſiones, quas à Sede Romana pati, quum in Wormatienſi conuentu eſſemus, paſſim conquerebantur, obturatis auribus pro innata noſtra erga Apoſtolicam ſedem obſeruantia obaudiuimus. Subortæ ſunt ea de cauſa variæ rerum difficultates & incommoda, pullulat indies magis Lutheranorum inſania, grauamina vbique diuulgantur, omnes vnanimes remedium implorant, petunt fieri generale Concilium, in quo & Lutheranæ impietati, & Romanæ curiæ (vt aiunt) oppreſſionibus obuiam iri poſſit. In ciuitate Spirenſi Conciliabulum indicunt, vt in ſeditionibus ortis vſque ad generalis Concilij deciſionem ordo aliquis ſtatueretur. Vidimus Germanorum animos in Sedem Romanam grauiter commotos, verenteſque, ne huiuſmodi Conciliabulum Germaniam à Romanis Pontificis obedientia diuerteret, Spirenſem congregationem grauiſſimis pœnis prohibemus, eis tamen pollicemur, quanto citius fieri poſſet, generalis concilij indictionem fieri curaturos. De re hac ad Pontificem ſcribimus, vt Germaniam ab imminenti periculo per huiuſmodi generalis concilij indictionem liberare dignaretur, inſtamus. Ipſe vero de Conciliabuli prohibitione gratiam habet, generalis tamen concilij petitionem in tempus, vt aiebat, magis conueniens differendam cenſuit, ita vt pro noſtra erga Sacroſanctam iſtam ſedem obſeruantia, maluerimus Pontificis affectibus potius quam Germaniæ precibus annuere: Nunc vero Sanctitas ſua, veſtro etiam (ſi id credendum eſt) accedente conſilio, tot crimina in nos iactitat, ac ſi penitus Romanæ Eccleſiæ aduerſarij hactenus fuiſſemus. Hinc enim de noſtro erga publicam pacem animo (nullo profecto recto iudicio) dubitat, noſq; à Chriſtianæ Reipubl. perturbatione deterret, quaſi vero noſter erga Rempublicam animus clarior non ſit, quam vt cuiuſpiam admonitione egeat. Si enim de C. Cæſare iudicatum eſt, quod maluiſſet nõ dimicare, quam vincere, eoq; victoria adepta pacis autores libenter audiuerit, cur de noſtra voluntate à communi omnium patre per contrarium diſceptitur? Ille pacis autores audiuit, nos vero hoſtibus victis pacem primi obtulimus, nec tantum hoſtem captiuum Regiæ dignitati reſtituiſſe contenti, Luſitaniæ Reginam ſororem noſtram natu maximam, & in ſucceſſionis gradu ſecundam ipſi matrimonio copulauimus, quod profecto ante victoriam minime à nobis impetrare potuiſſet. Quanto igitur noſtra C. Cæſaris clementiam excedere deberet, vos ipſi iudicate. Ad hæc etiam Pontifex conſilia noſtra ad ſuæ dignitatis, & eccleſiaſticæ libertatis oppreſſionem tendere, videtur aſſeuerare, quum ea, quæ pro Romana Sede præſtita commemorauimus, adeo omnibus nota ſint, vt inde nonnulli Germanorum animos à nobis alienauerimus. Perpendite igitur, Patres Reuerendiſſimi, an in hoc Pontificis Beatitudo ſuis, & Apoſtolicæ Sedis rebus conſulat, an ſit Pontificiæ dignitatis Chriſtianorum principum animos aduerſus eccleſiæ protectorem ad arma (vt ipſi aiunt) incitare, ac ſuis ſtipendijs tot corporibus atq; animab. æternum exitium parare. Cauſam audite, vt ſub-

ditum

ditum noſtrum magni ſceleris accuſatum, nobis iure præuio punire non liceat, ob idque armis nobiſcum certare contendit. Quod tametſi ei ex ſententia ſuccederet, quid quæſo Chriſti Vicario dignum facturus eſſet, niſi vt iuſticiam, quam promouere tenebatur, impediat: eccleſiæ theſaurum in alios certe vſus conuertendum exhauriat, ac Romanam eccleſiam, & vniuerſum populum Chriſtianum in extremum diſcrimen adducat? Hæc ergo atque huiuſmodi alia ingenti cordis dolore, perturbato animo penſitantes, publicam Chriſtianam calamitatem nobiſcum deplorare cœpimus, atq; non noſtro tantum honori, ſed Chriſti gloriæ, eiuſq; electi populi ſaluti conſulere ex animo cupientes, ad Pontificis literas reſcribimus, iuſtificationem de his quæ nobis falſo obiiciuntur, damus, petimuſque vt generale Concilium indicat, ac alia faciat, quæ ex incluſo literarum noſtrarum exemplo vobis videre licebit. Quæ omnia Patres Reuerendiſſimi vos latere noluimus, vt ſi ex literis Pontificis, eiuſue ſuaſionibus ſiniſtram aliquam ſuſpicionem animi noſtri erga ſacroſanctam iſtam ſedem non bene diſpoſiti concepiſtis, iuſtificationibus noſtris, recto iudicio, perſpectis, priſtinum veſtrum erga nos animum induatis, ac omnem prorſus iniquam opinionem abiicientes, labanti Chriſtianitati ſubueniatis. Agite igitur Patres Reuerendiſſimi, & tanti mali cauſam cognoſcite, Romanum Pontificem à tam impio auertite conſilio, veſtriſque monitis tantum apud eum efficite, vt meminerit ſe à Deo Opt. Max. non ad perniciem, ſed ad ſalutem ſui populi, non ad arma, ſed patientiam & humilitatem in Romani Pontificatus ſolio conſtitutum, recordeturque nos eadem ratione in Romani principatus apicem euectos, vnde peculiari quodam affectu Chriſtianæ Reipub. rebus conſulere præ cæteris tenemur, ni à Principe noſtro Chriſto degenerare velimus. Si vero beatitudo Pontificis votis noſtris tam pro noſtra iuſtificatione, quam pro Chriſtianæ religionis ſalute in generalis Concilii indictione annuere negauerit, tunc iuxta iuris ordinem Reuerendiſſimas paternitates veſtras, ac ſacrum veſtrum Collegium hortamur, requirimus, atque monemus, vt quæ de indictione Concilii à Pontifice petimus, eo negante, aut plus æquo differente, vos debito ordine procedentes, præſtare non differatis. Proteſtantes apud omnipotentem Deum, ſi quid inde incommodi ac detrimenti Romanæ eccleſiæ, & Reipub. Chriſtianæ acceſſerit, id non noſtra, ſed eorum culpa futurum, qui ſuis affectibus potius quam Chriſti gloriæ, eiuſque populi ſaluti inſeruire maluerint: Quod de veſtro erga Chriſtianam Rempub. animo atq; voluntate nobis minime perſuadere volumus. Si vero Reuerendiſſimæ Paternitates veſtræ æquiſſima huiuſmodi poſtulata noſtra concedere negauerint, eorumue exequutionem pluſquam decet, ac dignitatis noſtræ ratio expoſtulat, diſtulerint, nos pro noſtra erga Deum gratitudine, proque dignitate noſtra Imperiali, qua eius gratuita benignitate fungimur, quibus licebit remediis, ita in his pro virili prouidere curabimus, vt nec Chriſti gloriæ nec iuſtitiæ noſtræ, nec Chriſtianæ Reipub. ſaluti, paci, & tranquillitati quouis modo defuiſſe videamur. Datum in ciuitate noſtra Granatæ, die ſexta Menſis Octobris, Anno domini M. D. X X V I. Regnorum noſtrorum Romani octauo, aliorum vero omnium vndecimo.

Yo El Rey

Alphonſus Valdeſius.

INSTRVMENTVM PVBLICVM DE HIS QVÆ ROMÆ acta ſunt, dum Pontifici & Collegio Cardinalium Cæſaris literæ exhibitæ fuerunt.

IN DEI NOMINE AMEN. Vniuerſis per orbem terrarum conſtitutis innoteſcat, quod anno ſalutis Chriſtianæ Milleſimo Quingenteſimo Viceſimoſexto, Indictione quartadecima, die vero duodecima menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini CLEMENTIS, diuina prouidentia Papæ VII. anno quarto, in mei Notarii, teſtiumque infraſcriptorum præſentia, perſonaliter conſtitutus Reuerendus dominus Ioannes Perez Cæſareæ maieſtatis Secretarius, ac Prior eccleſiæ Oxomen. Romæ in Palatio Apoſtolico, in aula quæ vocatur del Papagayo, in inferioribus ſtantiis, præfato Sanctiſſimo Domino noſtro Papa, vna cum Sacro collegio Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium, ad tenendum de more ſecretum conſiſtorium congregato, binas literas eiuſdem Cæſareæ Maieſtatis, vnas plurimorum foliorum papyri, reliquas vero vnius magni folii, cum ſigillis ſuæ maieſtatis in eiſdem appoſitis, & eidem Sanctitati hac ſuperſcriptione directas, videlicet, Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino CLEMENTI Septimo, diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino Reuerendiſſimo, præfato Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ reddidit, præſentauit, & conſignauit, quas quidem binas literas præfatus Dominus noſter Papa realiter, & cum effectu manibus accepit & retinuit. Et immediate dictus Ioannes Perez Secretarius alias literas plurimorum etiam foliorum, mentionato Collegio Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium directas cum ſigillo dictæ Cæſareæ Maieſtatis in eiſdem appoſito, & hac ſuperſcriptione videlicet: Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis N. Sanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, amicis noſtris chariſſimis, Reuerendiſſimo in Chriſto Patri & Domino Domino Franciotto

tituli ſanctæ Mariæ in Dominica diacono Cardinali de Vrſinis nuncupato, nomine totius Collegii Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium ibidem, vt præmittitur, congregatorum, reddidit, præſentauit & conſignauit. Quas quidem literas præfatus Reuerendiſſimus Franciottus ſuis manibus quo ſupra nomine, accepit & retinuit. De quibus omnibus & ſingulis præfatus Ioannes Perez Secretarius me infraſcriptum Notarium rogauit & requiſiuit, vt vnum, duo, aut plura ſibi traderem, & conficerem publicum & publica, Inſtrumentum & Inſtrumenta. Acta fuerunt hæc Romæ vt præfertur, loco, anno, indictione, die, menſe & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem Reuerendis & magnificis viris Dominis, Romiro Nunnez de Aguilera, fratre milite militiæ de Calatraua, ac eiuſdem ordinis in Vrbe procuratore, & Don Petro Sarmiento clerico Burgen. Dioc. ac Luppo Sancii de Vlloa, procuratore Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Toletan. teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis.

Et ego Alphonſus de Cueuas clericus Burgen. publicus Apoſtolica authoritate Notarius, ac in Archiuio Romanæ Curiæ matriculatus, qui præmiſſis omnibus & ſingulis vna cum prænominatis teſtibus interfui, qui ſuperſcriptiones & ſigilla Cæſareæ Maieſtatis in mei præſentia requiſiti à dicto Ioanne Perez Secretario recognouerunt, interfui, vidi, & audiui, ac in notam ſumpſi, ex qua hoc publicum Inſtrumentum extraxi rogatus & requiſitus.

II.

Anno Domini 1527.

ORATIO DE CAPTA ET DIREPTA VRBE ROMA PER EXERCITVM CÆSAREVM, ANNO M.D.XXVII. habita à P. M. Profeſſore publico.

ETſi intelligebam eos, qui hoc loco pro more ſcholæ fictas fabulas agunt, multo minus oneris ſuſtinere, quam qui veras cauſas tractandas ſuſcipiunt: tamen me non fiducia ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum, ſed magnitudo doloris perpulit, vt huncin locum non fictum argumentum ex veteri aliqua tragœdia, ſed hiſtoriam adferrem nimis quam veram.

Direptio vrbis Romæ.

Sum enim dicturus de crudeliſſima vrbis Romæ direptione, & deploraturus indigniſſimum caſum ciuitatis, omnium reginæ atq; dominæ. Etenim cum nemo tam ferus ſit, tamque prorſus ab hominis ſenſu alienus, qui non acerbiſſime ferat indignam patriæ, quæ genuit, quæque educauit, fortunam, quo tandem animo nos accipere vrbis Romæ interitum atque exitium decet, cum ea vrbs vna in terris fuerit omnium gentium communis patria? Ego profecto non minus illius calamitate commoueor, quã eius ipſius oppidi, quod me primum naſcentem excepit, aduerſis rebus perturbarer. Cum igitur eſſet hoc in loco mihi pro more dicendum, non potui, cum eſſet animus dolore occupatus, alia de re orationem inſtituere. *Vbi dolet*, inquiunt, *ibi manum habet.*

Romana beneficia.

Quare cum aſſidue aduerſaretur ob oculos eius vrbis direptio atque incendium, quæ nobis leges, quæ religiones, quæ omnes honeſtas diſciplinas tradidit, deniq; à qua plura beneficia, quam ab ipſa patria, in qua quiſq; genitus eſt, omnes accepimus: Coegit me magnitudo doloris de fortuna vrbis, deque miſerrimis temporibus queri, præſertim in hoc cœtu, apud homines doctiſſimos, qui intelligunt quantum huic vrbi, ex qua literæ & humanitas huc importata eſt, omnes gentes debeant. Quod autem de capta Troia Vergilius præfatur.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare labores?

Ego multo iuſtius vſurpem. Nulla eſt enim tanta eloquentia, quæ atrocitatem huius rei pro merito exponere poſſit, quæue explicare queat, quantam ruinam omnium optimarum rerum, huius vnius vrbis euerſio, ſecum trahat. Quid vllo ſeculo accidit indignius, quam quod ille ipſe exercitus, qui à Cæſare in Italia ad ſalutem omnium bonorum, ad cuſtodiendam vrbem, Imperii arcem, collocatus erat, illi vrbi nefariam vim, contra optimi Principis Caroli voluntatem, contra diſciplinæ militaris leges, contra auſpicia, contra maiorum exempla, intulit. Eſt enim liberandus culpa Cæſar, qui etiamſi iuſtis de cauſis Romano Pontifici iraſcitur, tamen hoc exitu victoriæ minime delectatur.

Exercitus Cæſaris indignitas. Carolus 5.

Neque enim obſcurum eſt, eum natura ad clementiam moderationemq; duci, & à crudelitate abhorrere. Et cum maiores ſuos nomen ac titulum Imperii in hanc nationem à ſeruata vrbe Roma intuliſſe videat, dubitari non debet, quin in illorum intuens exempla, intelligat omnes Imperii opes ac vires ad huius vrbis ſalutem, defenſionemq; maxime conuertendas eſſe, & ab illa vim atq; vaſtitatem depellendam. Quam multos numerare poteſt, cum imagines auitas aſpexerit, qui turbulentiſſimis tempeſtatibus vrbem Romam maximis terroribus liberauerint, qui quanquam periculoſiſſimis bellis domi impliciti, tamen velut ad patriam defendendam huc ſumma virtute accurrerint, quia in huius vnius vrbis periculo periclitari omnium gentium ſalutem exiſtimabant. Huc adde, quod

quod nullius regiæ familiæ, ſi quis omnes numeret, plura clementer aut pie facta recenſeri poſſunt, quam Auſtriacæ. Et maiorum ſuorum adeo non diſſimilis eſt Carolus, vt quantum omnes Imperii magnitudine antecedit, tantum etiam vincat clementia. Quod enim in vlla hiſtoria factum clementius legitur, quam quod inimiciſſimum Regem, à quo bellum contra ius gentium motum erat, captum in acie, non modo dimiſit incolumem, ſed etiam deuinctum affinitate, in regnum reſtituit? Tantam clementiam ac bonitatem nulla humana vox pro dignitate prædicare atq; ornare poteſt.

Caroli V. clementia.

Longe igitur fallitur, ſi quis in tale ingenium tantam iracundiam cadere exiſtimat, vt vllas quamuis magnas iniurias hoc modo vlciſci voluiſſe videatur. Ille vero priuatim dolorem, vel vrbi ipſi, à qua imperii nomen habet, vel tot ſanctiſſimis aris, vel aliarum gentium, quæ ſuas Reſpublicas ſine huius vrbis conſilio tenere non poſſunt, vtilitati condonaſſent, quamuis iratus, ſi licuiſſet ei præſenti, rem ſubitam minimeque expectatam regere ac gubernare. Quare Cæſar nullo modo in hac oratione accuſandus eſt, qui exercitum in Italia ad cuſtodiam tranquillitatis publicæ habuit, non ad latrocinium exercendum, non ad euertendam vrbem imperii arcem, non ad prophananda templa, non ad diripiendas bibliothecas, non ad trucidandos ſacerdotes, nõ ad virgines, & honeſtas matronas rapiendas. Hæc cum omnia tegi ſuis armis, ſuoque exercitu Imperator vellet, exercitus (vt ſæpe alias accidit) contra diſciplinam militarem, contra fidem Imperatori datam, auaritia, ad diripiendam vrbem opulentiſſimam, quam ſine præſidio eſſe animaduerterat, incitatus, omnia diuina atque humana iura violauit. Hos latrones optimo iure accuſo, qui iniuſſu Imperatoris ſine legitimis ducibus vrbem Romam inuaſerunt. Finge iuſtam cauſam fuiſſe Romæ inuadendæ, tamen ſeditio eſt, ſine legitimo Imperio impetum in quenquam facere. Quid autem tam contrarium militiæ eſt, quam ſeditio? quia hanc vnam ob cauſam, iure gentium bella geruntur, vt coerceantur hi, qui per ſeditionem, ſine Magiſtratuum autoritate, arma capiunt. Non igitur milites vocandi ſunt, qui iniuſſu Imperatoris vrbem expugnauerunt, ſed quoniam ius gentium commune violauerunt, hoſtes non modo Imperii, ſed vniuerſæ ſocietatis hominum. Romani aliquot Imperatores alii in filios, alii in Principes ciues capitaliter animaduerterunt, quia iniuſſu Imperatorum, cum legitimis hoſtibus prouocati pugnaſſent, fuitque tanta diſciplinæ ſeueritas, vt hoſtium loco haberentur, qui præter Imperatoris edictum gladium ſtrinxiſſet. Quanto iuſtius hoſtium loco ducendi ſunt iſti Cares, qui inauditam crudelitatem iniuſſu Imperatoris aduerſus inermes exercuerunt? At quam tandem ob cauſam ſæuitum eſt in vrbem? Quia pecuniam non numerauit auaro atque crudeli exercitui. Quid aliud cauſæ latro dicat, cur viatorem occiderit? Olim Gallos propemodum iuſta ira pertraxit ad vrbem. Nam legatus Romanus contra ius gentium in acie pugnauerat. Iſti latrones nihil cauſantur aliud, quam pecuniam non eſſe datam, quam flagitarunt. Non igitur tentata vrbs eſt, quia eſſet alieno animo erga Cæſarem, quia Gallis & Venetis eſſet æquior. Nihil in gratiam Caroli ſuſceptum eſt. Auaritia & ampliſſimæ prædæ ſpes perpulerunt, vt tranſgreſſi Apenninum, maximis itineribus ſumma celeritate confectis ad vrbem properarint. Nec dierum aliquot inedia, nec hoſtis à tergo, & à lateribus remoratus eſt iter, ſic accenderat omnium animos prædæ cupiditas. Hæc ſi iuſta cauſa oppugnationis videri poteſt, non intelligo, cur non omnes latrones excuſet prædæ cupiditas. Si hæc iuſta bellandi cauſa in terris eſt, nihil obſtat iam quo minus in vrbibus vnuſquiſque inuadat ædes locupletiorum, ſiquidem ex præda ius exiſtimandum erit.

Exercitus Cæſariani in vrbe Roma ſæuitia.

Romanorum antiquorum militaris diſciplina.

Romæ vrbis tentatæ cauſa, auaritia.

Sed non diſputabo ſubtiliter de cauſa, nec patrocinabor Pontifici in quem culpa confertur. Nulla ne igitur in victoria moderatione vtendum fuit? Nullum ne diſcrimen ſacrarum ac prophanarum rerum habendum? Quis tam crudelis vnquam victor fuit, etiam apud Ethnicos, qui non abſtineret vim à templis? Auguſtinus ſcribit Gotthos, cum cepiſſent vrbem, non modo à Chriſtianorum templis vim abſtinuiſſe, ſed etiam his donaſſe vitam, qui eo profugerant. Tanta nominis Chriſtiani reuerentia apud barbaros illos fuit, qui doctrinæ cœleſtis ignari, nomen tantum Chriſtianorum audierant. At iſti ſacrilegi quas aras, quod ſacellum reliquerunt intactum? Et accepimus non tantum omnia fana ſpoliata eſſe, monumenta ſanctorum virorum pretioſiora, & theſauros ad publicam vtilitatem totius Italiæ ibi conditos, direptos eſſe, ſed etiam cæde & aliis ſceleribus prophanata eſſe, decantatæ ſunt per ludibrium ſacræ cantiones. Ita nulla non contumelia affecta eſt religio Chriſtiana. Quid Turcæ aliud faciunt expugnatis Chriſtianorum vrbibus? O veram vocem Poetæ, qui dixit.

Gotthos ſacris pepercisse.

Nulla fides pietasq; viris qui caſtra ſequuntur.

Quæ vox ſi vnquam alias, nunc maxime vſurpari poteſt. Nunquam enim antea captis vrbibus perinde polluta ſunt, ac prophanata omnia ſacra. Nunquam ante in Germanico milite notata eſt tanta auaritia, nunquam ſacrarum ac diuinarum rerum ſimilis contemptus fuit: ſed cum aliis in rebus continentior cæterarum nationum militibus hactenus fuit, tum ſingulari religione vim à ſacris rebus abſtinuit. Nunc autem, ô dii immortales, quam diſſimilis hic exercitus maiorum noſtrorum fuit? Quam longe degenerauit à veterũ modeſtia? Maiores noſtri nihil præter victoriæ laudẽ cupiebant domũ reportare. Itaq; nec priuatorum fortunas diripiebant, tantum abeſt, vt attigerint res ſacras. Nec procul exempla cõtinentiæ requirenda ſunt. Quis toto Veneto bello à Maximiliani exercitu vnũ oppidum audiuit direptum eſſe? Nemo profecto. Et Maximilianus ipſe cum eſſet in puniendis delictis leniſſimus, tamẽ in vindicanda auaritia militum acerrimus fuit. Etenim cum in eo

bello capta Vincentia, Maximilianus in vindicanda auaritia acerrimus, quidam iniuſſu ſuo in aliquot ciuium ædes prædandi cauſa impetum feciſſent, ſtatim totam illam cohortem oppreſſit, & plures ducentis ſecuri percuti iuſſit: vt eo exemplo oſtenderet, non omnia victoribus in victos licere. Habes, Carole Cæſar, auitum exemplum, quid de exercitu iudicare te oporteat, qui auaritia corruptus, omnia diuina atq; humana iura violauit. Et haud ſcio an noceat noſtris hominibus contagio Hiſpanorum: hos, vt vereor, nouæ diſciplinæ magiſtros habent. Ab his tanquam laniſtis auariciam crudelitatemq; diſcunt.

Bibliothecæ Romanæ.

Non autem minus ſacrilegium eſt, Bibliothecas, quam phana diripere. Non enim inter ſacras res, aut diuinas recenſenda ſunt aurea vaſa, quibus in ceremoniis noſtris vtimur? & non recenſendi ſunt libri, qui cœleſtia oracula, qui doctrinam religionis, alias honeſtas artes diuinitus oſtenſas generi humano, continent? Neque vero vſquam Bibliothecæ locupletiores ſunt vllæ, quam fuerunt Romanæ. Huc omnis generis Scriptores ex toto orbe terrarum magna cura Pontificum conuecti ſunt. Huc nuper adeo, quicquid reliquum fuit literariæ ſuppellectilis in tota Græcia, importatum eſt. Hæc monumenta, cum æterna eſſe debuerint, tamen furore militum aliqua ex parte corrupta dicuntur. Et haud ſcio an impia flamma per vrbem vagata, Bibliothecas etiam attigerit. O iacturam nullo vnquam ſeculo reparabilem. Quot religionis noſtræ interpretes, qui præterea nuſquam extant, quot aliarum optimarum artium authores amiſſos arbitremur? Quis non vehementer doleat tot ſeculorum labores, tot noctium vigilias à doctis hominibus ad vtilitatem poſteritatis lucubratas, in hanc fortunam incidiſſe? Statuas aut picturas elegantes magnorum virorum magno cum dolore amittimus, quas, vel propter artis bonitatem, vel propter memoriam eorum, quos repræſentabant, ſi fieri poſſet, æternas eſſe optamus. Quanto magis dolere debemus tot ingeniorum interitum, quæ non modo propter ſcriptorum pulchritudinem miramur, ſed etiam propter vtilitatem amamus. Neque enim retineri Reſpublicæ ſine honeſtarum artium cognitione & ſine libris poſſunt. Cum igitur arma geri debeant ad tegendas omnes pacis artes, videte quantum ſcelus iſti latrones admiſerint, Qui quæ armis defendi inprimis oportuit, ea noua & inaudita amentia diſſiparunt atque euerterunt. Hæc cum in vrbibus bello captis, non aliter atque templa, ſacra ſymbola, aras, boni imperatores ſemper conſeruari iuſſerint: iſti odio, credo, religionis Chriſtianæ, non veriti ſunt impiis manibus lacerare ac perdere. Non eſt autem obſcurum, quantum detrimenti acceperit Reſpublica Bibliothecis illis diſſipatis, quæ in Eccleſiaſticis diſſenſionibus tanquam oraculum conſuli ſolebant: ex quibus publici legum libri, præterea omnium bonarum artium emendabantur. Neque vero ſtudia literarum ſine literis ac libris emendatis florere poſſunt. Quæ ſi extincta fuerint, quæ barbaries, quæ religionum confuſio, quæ ciuitatum perturbatio apud omnes gentes ſecutura eſt? Non igitur ad vnam vrbem hæc calamitas pertinet, ſed ad omnes gentes, quæ retinere religiones, ac ſtudia bonarum artium ſine Romanis Bibliothecis non poſſunt. Neque vero impune erit iſtis latronibus, tot ſcelera in vnius expugnatione vrbis perpetraſſe. Videt hæc Deus, inſpector atque arbiter omnium humanorum conſiliorum atque factorum. Hic vlciſcetur contumeliam templis, libris & ſimilibus monumentis religionis illatam, non aliter atque de Rege Aſſirio ſupplicium ſumpſit, qui ſacra vaſa Hieroſolymis allata prophanauit. Neque illa vox Baptiſtæ cuiuſdam, quem Romæ aiunt, & antea ciuibus hanc cladem, & poſtea victoribus minatum eſſe, ſine numine emiſſa videtur. Legiſtis enim, vt opinor, dixiſſe Baptiſtam illum, *futurum, vt rapta vndique ſpolia breui renomant.* Neque enim diu tolerare Deus ſui contemptum, ſuperbiam in rebus ſecundis, crudelitatem in imbecilliores, poteſt. Non enim poſſum hic dicere, qualem carnificinam in tota vrbe exercuerint. Nec libet commemorare raptas à complexu parentum virgines, non abſtractas à maritis honeſtas matronas, non mactatos ſenes ac ſacerdotes. Quanta enim fuerit in vrbe licentia audaciſſimorum hominum, inde æſtimari poteſt, quod duodecim diebus, nullos habuit exercitus militari more Magiſtratus. In tot dierum ἀναρχίᾳ, tranquilla alioqui ciuitas, nihil non mali ab vrbana multitudine pertuliſſet. Quanto atrociora neceſſe fuit accidere ab armatis & victoribus? Eſt enim veriſſimum illud, quod apud Euripidem Rex quiſpiam dicit: *Nullo non incendio ſæuiorem ἀναρχίαν exercitus eſſe.* Nuſquam audiuimus, aut legimus, in vlla ciuitate capta, tantam licentiam exercitus victoris fuiſſe, vt tot diebus nullis Magiſtratibus regeretur, aut coerceretur.

Daniel 5. — *Baptiſta.* — *Ἀναρχία exercitus & licentia.*

Accepimus & ante Romam captam eſſe, primum à Gallis, deinde poſt multa ſecula à Gotthis: Verum multo grauius hoc tempore afflicta videtur. Galli tantum in deſertas ædes ſæuierunt. Ciues partim in Capitolium ſe receperant, partim Veios profugerant, intenti in occaſionem rei bene gerendæ. Nam arcem vrbs, non Imperium, non Magiſtratus, non ſacra, non cætera ornamenta amiſit. Poſtea Gotthos, quanquam ex longinqua obſidione irati vehementius eſſent, legimus ita moderatos eſſe in victoria iram, vt edictum etiam propoſitum pacis, *vt parceretur his, qui in templa Chriſtianorum confugiſſent, & vt vrbs ſine cæde diriperetur.* Atqui hoc tempore tantum abfuit, vt à ſacris rebus abſtinuerint victores, vt non cupidius aliunde prædati ſint. Cædes factæ tota vrbe miſerorum ciuium: bona ciuitatis pars incendio deleta: ſtudia omnium honeſtarum rerum, quæ ibi floruerunt, armis conterrita, obmutuerunt. Abolita ſunt & hæc, quæ ſi manſiſſent, inſtaurare collapſam vrbem potuiſſent, veteres Magiſtratus, leges, forma iudiciorum.

Galli quomodo ſe geſſerint in vrbis Romæ expugnatione. Gotthorum clementia erga victos. Hiſpanorum & Germanorum dira amentia.

Iuſtius igitur hic dies, qui fuit pridie nonas Maii (eo enim proximo anno vrbs capta eſt) inter

atros

atros, quam Allienſis numeretur. Ac vereor futurum, vt ad poſteros hic dies multo verius Allienſis videatur illi vrbi fuiſſe, quam vllus alius. Neque enim facile ſe ex tanta calamitate vrbs recreabit.

Germanorum veterum exempla.

Ac videre quantum diſtet ab exemplis veterum Germanorum huius exercitus facinus. Carolus primus, depulſis ab vrbe Longobardis, à vaſtitate vrbem atque Italiam prohibuit. Ottho primus liberauit eam Berengarii tyrannide. Et vt multa omittam, fortiſſimus ac ſapientiſſimus Princeps, auus Carole, tuus Maximilianus, quanto conſilio Gallum ducentem maximum ac fortiſſimum exercitum ad vrbem, irritatum atque accenſum odio Iulii Pontificis, inde vſque à Rauenna, vbi maxima pugna exercitum Pontificium vicerat, atque fugauerat, ad vltimam Galliæ oram, in Belgicum retraxit, ne qua clade vrbs ab irato victore afficeretur. Nunc autem, ò temporum labem, ille ipſe exercitus, quem Cæſar vniuerſæ Italiæ præſidio eſſe voluit, inauditam crudelitatem in vrbe principe totius Italiæ, imo totius orbis exercuit, non exempla veterum Germanorum, non dignitas vrbis, non ingentia beneficia collata in omnes gentes, flexerunt eos ad miſericordiam. Quis non doleat adeo deformatam eſſe eam vrbem, quæ olim *rerum*, vt inquit Vergilius, *pulcherrima princeps* Imperii omnium gentium fuit, quæ vna exempla plura virtutum protulit, quam omnes vbique aliæ ciuitates: quæ nobis leges, quæ literas, quæ religiones, quæ humanitatem, quæ omnes honeſtas diſciplinas, quæ denique omnem bene viuendi rationem tradidit, vt hanc vrbem ſemper tanquam communem patriam omnium gentium homines coluerint? Nonne tot vrbis meritis, etiamſi quid peccaſſet Pontifex, condonari debuit? Nunc Pontificis peccatum furioſus exercitus parricidio vindicat, dum ſceleratas manus ei vrbi iniicit, quæ nobis omnibus pro patria eſſe debuit. Longe enim plura beneficia ab ea vnuſquiſque noſtrum accepit, quam ab eo loco, qui naſcentem primum excepit. Ad hanc vrbem omnes controuerſiæ omnium gentium delatæ ſunt. Hæc tanquam in excubiis ſemper fuit ad retinendam religionem ſemper in terris doctiſſimorum hominum domicilium fuit. Hæc fugientes omnes honeſtas artes ex Græcia exulantes excepit. Hic nuper omnes bonæ diſciplinæ, tanquam renatæ ſunt: hinc in omnes terras propagatæ ſunt, non aliter atque ſemina frugum in totum terrarum orbem à Triptolemo ſparſa ſunt. O ingratos homines, qui ſi hæc beneficia intelligunt, nullam putant ſe ſic merenti ciuitati gratiam debere. O amentes, ſi non intelligunt. Nonnulli odioſe colligunt vrbis vicia & incommoda, quæ inde ad alias gentes peruenerunt. ſed eſt aſtuti hominis quod dolet meminiſſe, quod placet obliuiſci. Hoc erat humanius, commoda agnoſcere, & tam multis benefactis incommoda condonare. Quæ qualiacunque ſunt, talibus certe remediis corrigi non potuerunt. Nemo dubitet parricidii eſſe reum, qui patri leuiter deliranti oculos effodiat, aut præcidat manus? Quid igitur hoc aliud eſt, quam parricidium, tam atroces pœnas de patria, propter neſcio quæ errata, ſumere? Itaque miſeret me non modo fortunæ vrbis, ſed etiam aliarum gentium. Magnam enim bonarum rerum apud omnes nationes hic vrbis caſus, vt vereor, trahet, niſi reſpexerit nos Deus pro ſua ſumma bonitate, & horum malorum, quæ impendent, remedia oſtenderit. Vos quoque exiſtimo, cum interitum nobiliſſimæ vrbis dolere, tum impendentium malorum metu perturbari. Etenim cum coli patriæ honoribus ab omnibus debuerit, tamen à nobis maxime, qui lingua ciuitatis vtimur, quique plura, quam vulgus, beneficia ab illa accepimus, id fieri debet. Ius nobis cum vulgo commune eſt; ſtudia optimarum artium non ſunt communia, quæ longe antecellunt aliis omnibus humanis rebus. Vos igitur vere Quirites, quoties tam funeſtam luctuoſamque patriæ direptionem recordamini, expendite quæ à vobis officia tali tempore requirantur. Bona vulgi pars ridet Sardonium riſum in aliena calamitate, & triumphat quaſi re bene geſta: à quorum opinione longiſſime vos abeſſe conuenit. Neque enim intelligunt, quid illi vrbi debuerint, aut quid detrimenti ex eius interitu Reſpublica acceperit. Deinde cum in hoc miſero caſu videantur etiam ſtudia literarum in quoddam diſcrimen veniſſe, vos, quod bonos ciues decet, magis in hæc ſtudia incumbite, quæ ſi conſeruauerimus, non deſperandum eſt, quin vrbs ipſa rurſus in priſtinum ſtatum & dignitatem reſtitui poſſit. DIXI.

Roma princeps Imperii fuit.

Romæ vrbis vitia odioſe collegi.

Romæ patria honoribus colenda.

ORATIO

III.

Anno Domini 1528.

ORATIO AD ROTÆ AVDITORES, EXCIDII VRBIS ROMÆ SVB ANNVM CHRISTI M.D.XXVII. CAVſas continens; habita per Reuerendiſſimum Epiſcopum Ioannem Staphyleum, 15. Maii, Anno Chriſti 1528.

MOs erat illis priſcis Romanis, Reuerendiſſimi Patres, quoſque cæteri viri præſtantes, parta de hoſtibus victoria, necnon in natalitiis Cæſarum, vel alias pro commodo Reipublicæ, rebus ſic exigentibus, paucis admodum diebus clauſo foro indicere iuſtitium, quo Senatus populuſq; Romanus promptius rei ſacræ vacaret, & dimiſſis aliquantiſper tribunalibus ac ſtrepitu iudiciorum, ocio vel negocio liberius pro arbitrio frueretur. At nobis miſeris & huic infeliciſſimæ vrbi, anno ſuperiori longe aliter euenit. Nos etenim non ſponte & pro arbitrio, ſed Deus ipſe acerrimus ſcelerum vindex & flagitiorum noſtrorum, pro gratulatione commodorum Reipub. Chriſtianæ & huius ſanctæ ſedis, ſed pro grauiſſima calamitate & afflictione eiuſdem; non pro natalitio Clementis VII. Pontificis Maximi, ſed pro captiuitate & duriſſima (vt ita dicam) * ſeruituti; illius deniq; non paucis diebus, ſed integro anno & vltra: Deus (inquam) per manus ſceleſtiſſimorum hominum, vel (vt verius dicam) ſæuiſſimarum ferarum, iuſtitium indixit, tribunalia noſtra ſubuertit; locum hunc ſacrarium iuſtitiæ, cum omnib. ad diuinum cultum pro more ibidem exiſtentibus, expilauit prophanauitq;; libros noſtros diuinas & humanas leges continentes, quibus pro adminiſtranda iuſtitia toti orbi ſedulo vtebamur, quoſdam ex illis dilacerauit, quoſdam igni conſumpſit, reliquos aut iis quorum fuerunt venales expoſuit, aut ad indignos inhoneſtoſque vſus ludibrio habuit: deniq; poſt inuaſionem dirceptionemq; ædium noſtrarum, nos ipſos cum omnib. domeſticis & familiaribus noſtris in arctiſſimas nephandiſſimorũ ſatellitum cuſtodias coniecit, propoſitis paſſim variis tormentis, ſæpe etiam adhibitis, etſi non corporibus noſtris, forſitan familiariũ tamen noſtrorum nihilominus, quo precioſiorem ſupellectilem tot vigiliis & laboribus partam, in ſecretiora forte loca depoſitam, indicarent, illos interim & nos per diuerſa vrbis hoſpitia obſeruantes pane doloris & aqua anguſtiæ miſerrime ſuſtẽrantes, ita vt nobis omnib. vita eſſet ſupplicium, mors ſolatiũ.

*al. ſeueritate.

Quapropter directis nunc in cœlum oculis lamentabiliter poſſumus deflere cum Propheta: *Recordare Domine, quid acciderit nobis, intuere & reſpice opprobrium noſtrum. Hereditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos. pupilli facti ſumus abſq; patre, matres noſtræ viduæ, ceruicibus noſtris ingiter minabantur, lapſis non dabatur requies.*

Adde his malis ſæuiſſimam peſtilentiam, quæ longe lateq; debacchata eſt, totam hanc fere miſerrimam vrbem inuadens. Iunge inſuper extremam famem, ac neceſſariorum omnium ad victum humanum ſummam penuriam. Tandemq; eo ventum eſt, vt qui paulo ante cunctis omnino rebus copioſiſſime affluebamus, repente neceſſariis omnib. fuerimus deſtituti. Poſtremo, vrbe veteres coloni propulſi: vix vrbes viciniq; montes receperunt fugam noſtram. At mala hæc nobis cum cæteris omnibus Romæ nunc exiſtentib. communia fuere. Nos, nos, qui huiuſce ſumus profeſſionis, noſtra inſuper propria damna ſenſimus, qui domeſticam huius vrbis iacturam fecimus, nos (inquam) Reuerendi Patres, integerrimos grauiſſimoſq; collegas noſtros eodem anno amiſimus. Vos honorandi Aduocati, totidem collegas veſtros ſuper quartum, quem ſuperiori anno tota hæc curia deplorauit, viros nempe doctiſſimos conſummatiſſimoſq; eo ipſo tempore perdidiſtis. Vobis quoq; cauſarum patroni: vobis inſuper tabelliones & notarii, profeſſionis veſtræ, damna non defuerunt.

Sed vnde hæc, quæſo? quaſue ob cauſas tot & tam grauiſſima incommoda nobis euenere? nempe, quia *omnis caro corruperat viam ſuam.* Eramus omnes ciues & inhabitatores, non Romæ vrbis ſanctæ, ſed Babylonis vrbis peccatricis, de qua impletum eſt temporibus noſtris verbum Domini in Iſaia: *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicio & ſanctitate?* Iuſtitia prius habitabat in ea, nunc ſacrilegi & homicidæ: prius gens ſancta & populus acquiſitionis, nunc populus Gomorræ, ſemen nequam, filii ſcelerati, ſacerdotes infideles, ſocii furum, diligentes munera, ſequentes retributiones, de quibus idem Dominus conqueritur per prophetam Eſaiam: *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt, dereliquerunt vias meas, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, alienati ſunt retrorſum. Propterea percutiam vos vltra addentes præuaricationem*, pronuntiſque volens oſtendere quibus percuſſionib. affligendi ſimus, ſubiungit: *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.* Sedne quiſquam arbitretur vaticinium hoc Prophetæ iamdudum fuiſſe impletum in euerſione Babylonis & Ieruſalem ſub Veſpaſiano & Tito Imperatorib. Romanis, cum verba Prophetiæ videantur reſpicere tempus illud præſens Prophetæ, non futurum, animaduertendum cenſeo, iuxta eccleſiaſticam veritatem futura fuiſſe præſentia Prophetis, quaſi iam futura præſentia cernerent oculis mentis, vt paſſim ex ſacris paginis facile deprehendi-

hendimus. Sed ne longe exempla petamus, hoc ipſum in hoc eodem propoſito nobis idem Propheta innuit, declarans ſeipſum verbis de futuro ſubiungens: *Derelinquetur filia Syon, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili.* Hanc *filiam Syon* Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi interpretatur non Ieruſalem, ſed Romanam prorſus vrbem, quod ex illius deſcriptione, ſi introſpicimus, in aperto eſt, dum exponens Ioannes, ſeu verius vnus de ſeptem Angelis Ioanni viſionem, quam vidit ſuper damnatione mulieris meretricis, ſub nomine Babylonis intelligit hanc vrbem. *Mulier*, inquit, *quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum.* Quod de regno ſpirituali vult intelligi ſuper reges terræ. Dicit illam *ſedere ſuper ſeptem montes*, quod proprie Romæ conuenit, quæ ab antiquis ob hoc potiſſimum dicta eſt *Septemcollis*. Ponit ſedem quoq; illius *ſuper aquas multas*: quæ ſignificant populos, gentes, ac varias linguas, ex quibus magis quam vlla alia, in orbe præſertim Chriſtiano, collecta eſt hæc Vrbs, vt videmus. Et propterea dicitur *communis patria omnium vndecunq; venientium*. Dicit præterea *plenam eſſe nominibus blaſphemis, matrem immunditiæ, fornicationum & abominationum terræ.* Hæc quippe verba demonſtrationem huius vrbis magis ſpecificam non exigunt, cum hæc flagitia (etſi vbique fere regnent) hic tamen ſedem & imperium habeant.

Roma ab antiquis appellabatur Septemcollis.

His tot & tantis flagitijs præuaricationibuſque illius enumeratis, ſubiungit ſeueriſſimam Dei ſententiam, quæ contra nos hoc tempore funeſtiſſimam executionem ſortita eſt. Formula autem ſententiæ hæc eſt: *Quoniam peruenerunt peccata illius vſque ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum, ideo in vna die venient plagæ eius, mors, luctus, & fames deſolatam facient illam & nudam, & ipſam igne concremabunt.*

Quod ſi quiſpiam pertinacius defendere velit, Apoſtolum loqui ſpecifice de Babylone: Huic ego reſpondeo, quod potius quam Apoſtolus *in prima Epiſtola* (teſte Diuo Hieronymo, *de viris illuſtribus.*) ſub nomine *Babylonis* figuraliter Romam ſignificat, dum inquit: *Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta.* Poſtremo ſi his locupletiſſimis teſtibus non credimus, ſcilicet per Babylonem vrbem hanc ſignificari, effectibus ſaltem hoc tempore lamentabiliter ſubſecutis credere oportet. Ex quibus manifeſtiſſime conſtat, quod *plura & longe peiora*, vt inquit B. Gregorius, *in his noſtris tribulationibus vidimus, quam in noſtris Codicibus inuenimus.* Nam ſanctuario quoq; ſuo, miniſtriſq; ſacerdotum hoc tempore non pepercit Deus. Ducti ſunt indecenter per vicos vrbis Cardinales, capti Epiſcopi, Presbyteri interfecti, ſacræ virgines ſtupratæ ad altaria, in Apoſtolicoq; palatio ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ reliquiæ, aperta, imo fracta mortuorum ſepulchra, & deniq; quod animus luctu abhorret dicere, ſacratiſſimum Saluatoris corpus, vaſculis pro more aureis argenteiſue reuerenter conditum, cum ob prædam vaſorum, tum propter contemptum (proh dolor, proh nephandum ſcelus omnibus ſeculis deteſtandum) terræ colliſum pedibuſue plus quam ſacrilegis calcatum. Heu nos miſeros, viſio Apoſtoli in Apocalypſi pœnas minatur huic vrbi, vt diximus, admodum graues: at certe his noſtris, quas paſſi ſumus, longe mitiores. Magna eſt profecto ira, quando in ſua caſtra, in ſua tentoria, in ſuos deniq; milites ſæuit Imperator. Mitius olim egit noſter Imperator, dum ſeruato templo, & illæſis ſacerdotibus templi ſat habuit, eijcere ex caſtris ſuis, hoc eſt, è templo ementes & vendentes, aſſerens domum ſuam non negociationi, ſed orationi fore deſtinatam. At hoc lachrymoſo noſtro tempore, templa, orationes & ſacrificia noſtra deſpexit & aſpernatus eſt. Cur, quæſo, tam ſeuere, & abſque vlla pietate & miſericordia? Profecto audiamus ipſum Dominum per Prophetam tantæ ſeueritatis ſuæ reddentem cauſam: *Quoniam*, inquit, *manus veſtræ ſanguinis plenæ ſunt. Quo mihi multitudo victimarum veſtrarum? Plenus ſum, ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi.* Peccatis enim & ſceleribus veſtris me ad iracundiam prouocaſtis. Ideo incipiens à ſanctuario meo, diuina & humana ſurſum & deorſum miſcebo omnia, ita vt vbique ſit luctus, vbique gemitus & plena mortis imago.

Sed iam ad nos ipſos reuertamur: Qui ſi verum amamus, ingenue fateamur neceſſe eſt, his tot & tantis noſtris, & aliorum communibus ſceleribus non defuiſſe propria, quod noſtra factionis ſcelera & peccata. Nos enim, qui miniſtri ſumus iuſtitiæ, iuſtitiam fare, vt par eſt, non miniſtrauimus. Quid ſi in ſiniſtrum nos ignorantia traxit? ſi fauor inflexit? ſi acceptio muneris vel perſonæ corrupit? vos ſpectabiles Aduocati, qui adſtatis (vt de mortuis & abſentibus taceam) reſponſa & conſilia veſtra plus iuſto forſitan diuendidiſtis, ponentes tenebras lucem quærentes mendacium, dicentes bonum malum & malum bonum. vos quoque Patroni cauſarum, vos inſuper tabelliones cum miniſtris & cooperatoribus veſtris, patrocinia veſtra, operas (ne dicam quid deterius) veſtras minus forte diligenter clientulis & partibus exhibuiſtis. Quas ob res, cum omnes grauiter deliquerimus, emendemus deinceps in melius, quæ ignorantes aut ex animo peccauimus. Conuertamur pariter ad Dominum, & miſerebitur noſtri, quia pius & miſericors eſt & præſtabilis ſuper malitiam. Ipſe enim hortatur per Prophetam dicens: *Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſis, iudicate pupillos.* Poſtremo *diligite iuſtitiam vos qui iudicatis terram.* His mundiſſimis holocauſtis, ſi iratum nobis Dominum placauerimus, abſque dubio, & hic (prout ipſe pollicetur) bona terræ comedemus, & in futuro pro bene geſtis ſempiterna præmia conſequemur.

Quod nobis omnibus præſtare dignetur idem Dominus, qui eſt benedictus in ſæcula, AMEN.

I V.

Anno Domini 1544.

ADMONITIO PATERNA PAVLI III. ROMANI PONTIFICIS AD INVICTISS. CÆSAREM CAROLVM V.

QVA EVM CASTIGAT, QVOD SE LVTHERANIS PRÆbuerit nimis facilem: deinde quod tum in cogenda ſynodo, tum in definiendis fidei controuerſiis aliquid poteſtatis ſibi ſumpſerit.

CVM SCHOLIIS.

STATVS CAVSAE SIVE ARGVMENTVM.

QVum Cæſar ſuperiore anno, parata iam in Galliam expeditione, non aliter poſſe diu Germaniam in pacato ſtatu contineri intelligeret, quam ſi præſcripta ante ſuum diſceſſum foret ratio, qua imperii ordines inter religionis diſſidia, pacem tamen colerent: decretum interpoſuit, vt donec cognita eſſet cauſa, æqualis vtriſq; conditio eſſet, tum ſibi curæ fore promiſit, vt prima quaq; occaſione concilium vniuerſale vel ſaltem nationale cogeretur: aut ſi id non ſuccederet, ſe daturum operam, vt proximo Imperiali conuentu, poſt legitimam diſceptationem aliquid tandem ſtatueretur. Digna quidem erat pietatis cauſa, quam aliis omnibus poſthabitis, tractandam Imperator ſuſciperet, ſed quia difficili & periculoſo bello implicitus, neque huc animum applicare extemplo poterat: & ne quid interea turbarum ſe abſente oriretur, non temere metuebat prudens ac cordatus princeps, nihil omnino nec communi eccleſiæ Chriſtianæ saluti aptius, nec publicæ Germaniæ tranquillitati magis appoſitum, nec priuatis etiam ſuis rationibus commodius facere potuit, quam vt iuſtam cauſæ actionem in aliud tempus differendo, ius æquum inter partes, & æquabilem viuendi legem ſtatueret. Hoc tamen audito decreto, Romanus Pontifex ſe duas ob cauſas non leuiter fuiſſe commotum hic oſtendit. Nam & hoc quantulumcunq;, quod conceſſum hoc modo proteſtantibus erat, vt paulisper iniquis præiudiciis ſubleuarentur, nimiæ indulgentiæ corruptelam eſſe clamitat: & Cæſarem ſibi ius aliquod ſumere in religionis cauſa, hoc vero indignum illi facinus eſſe videtur. Bis autem peccaſſe Cæſarem, illicitum ſibi ius arrogando conqueritur. Primum, quia concilium auſus fuerit, eo inconſulto, polliceri: deinde, quod cognitionem à ſua perſona alienam accipere non dubitauerit. Grauiter igitur cum eo expoſtulat ſanctiſſimus pater, cum de immodica erga Lutheranos facilitate, tum de authoritate Romanæ ſedis læſa & imminuta.

PAVLVS III. PONT. MAX. CAROLO V. Imperatori.

CHariſſime fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex edicto Maieſtatis tuæ acta conuentus tui Spirenſis cognouimus, de quibus cum noſtram ſententiam diſſimulare paternus noſter
erga te amor non patitur, tum vero officii & muneris à Deo nobis per Chriſtum commendati ratio
1 in cura vniuerſalis Eccleſiæ, vt apertis verbis te admoneamus, compellit. † Nec vero parum nos ad
hoc mouet graue ſeueritatis diuinæ in Heli Sacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentius
tractantem, & ad eorum errata conniuentem extat ſeuera illa Dei in hæc verba ſententia: *Quia indigna nouerat agere filios ſuos, nec corripuit eos, idcirco*, inquit Deus, *non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vſq; in æternum*. Hæc quidem Dei ſententia fuit, quam ſtatim liberorum primum,
deinde ipſius Heli repentina & violenta mors conſecuta, hincque poſteritas à ſacerdotio repulſa,
2 verbum Domini verum & ratum fecerunt. † Nos vero fili cum te indigna quædam decreta in
conuentu Spirenſi ex ipſis actis animaduerterimus, indigniora vero deſignata eſſe, & talia, quod
ſi propoſitum exitum, quod Deus auertat, conſequantur, non ſolum te in certiſſimum animæ ſalutis periculum adductura, ſed Eccleſiæ paci atque vnitati, cui ſuper omnia ſtudere debemus, maio-
3 rem quam qua hactenus laborarit, perturbationem ſint allatura. † Noluimus ſane prætermittere te, quin te à Deo nobis honore & amore primogeniti commendatum, his noſtris literis de tanto
tuo & Eccleſiæ periculo admoneremus. Quanquam quidem te non vt Heli liberos admonendum
duximus, quos deprauata voluntas & conſuetudo peccandi indociles prope ad rectam diſciplinam
reddiderant, ſed vt eum potius, qui multorum annorum curſu non abiit in conſilium impiorum, quo maiorem in ſpem venimus, non fruſtra nos admonitione paterna eſſe apud te vſuros.
4 † Omnia vero fili in eo ſunt, ſi ab vnitate Eccleſiæ te abduci non ſinas, à conſuetudine maiorum
tuorum

ſuorum religioſiſſimorum Principum non recedas,ſed eundem, vt debes,morem in omnibus, quæ
ad Eccleſiæ diſciplinam, ordinem & inſtituta pertinent, obſerues, quem multos annos ſumma
cum pietatis animi tui ſignificatione edidiſti.† Is vero eſt eiuſmodi,vt quoties de his, quæ ad religio 5
nem pertinent, diſceptatur, ad ſedem Apoſtolicam omne iudicium ſemper referatur, nihil illa in-
conſulta ſtatuatur. Tu vero nunc fili,cum vel de concilio generali, tanquam de remedio omnium
opportuniſſimo, afflictis eccleſiæ rebus, & ipſius imprimis Germaniæ mentionem facis, vel de na-
tionali, cuius etiam meminiſti, vel de futuro ad proximum Autumnum Imperiali conuentu, in
quo de religione,cæteriſque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis,ita agis,ita ſtatuis, vt
ſupprimas eius nomen vbiq; , cui diuina & humana iura approbante tot ſeculorum conſenſu; † ſu- 6
premam tum cogendi concilia,tum ſtatuendi his, † & ordinandi, quæ ad Eccleſiæ vnitatem vtilita- 7
temque ſpectant,authoritatem dederunt. At vero neque hæc ſola ſunt,in quibus conquerimur Ec-
cleſiæ & Maiorum abs te morem atque inſtitutiones diuinas minime ſeruatas fuiſſe, ſed alia præter-
ea,& ea quidem non pauca, peracti iam conuentus decreta legantur, quæ maxime & pietatem læ-
dunt, & omnem legum ordinem confundunt. † Nam quod laicos de rebus ſpiritualibus iudicare 8
vis poſſe, neque laicos modo, ſed nullo diſcrimine laicos, † & damnatarum hæreſium aſſertores, 9
† quod de bonis eccleſiaſticis,& de eorum futuris controuerſijs ſtatuis, quod eos,† qui extra Eccle- 10
ſiam ſunt,& per edictum tuum pridem damnati,honoribus priſtinis in iudicijs ac tribunalibus reſti- 11
tuis, atq; hoc pro tua & Imperatoria poteſtate facis, † minime approbantibus cæteris,qui antiqua 12
& ſancta obedientia perſeuerant. † Quid tandem horum cum diuinis inſtitutionib.ac legibus,qui- 13
bus perpetuo Eccleſia eſt gubernata,conuenit? Quæ omnem potius diſciplinam,omnem ordinem,
ſine quo nullus hominum cœtus regi poteſt, ab Eccleſia prorſus tollunt. Hoc vero quo magis ab o-
mni recta diſciplina, & conſuetudine maiorum ſunt aliena,eo minus nobis perſuadere poſſumus,è
tuo ipſius ſenſu illa vnquam emanare potuiſſe,ſed eandem pietatem animo tuò ſuppreſſam quidem
ad tempus malorum conſilijs, qui huic ſanctæ ſedi ſunt rebelles, putamus, qui ſi à te impetrare non
potuerunt,vt quæ contra eam volebant facere, probares,ſaltem vt eiuſmodi edictis aliquam abalie
nati animi tui ſignificationem dares,abs te contendiſſe,facile poſſumus exiſtimare, impetraſſe vero
tanto magis debemus,quanto id tibi & Eccleſiæ,niſi cito ad teipſum redeas, maiori damno & detri-
mento fore nobis maxime eſt perſuaſum,quod non poſſumus non indies magis magiſq; timere,quo
attentius conſideramus,quibus cum amicitiam inieris.Si enim,vt inquit Apoſtolus, *Corrumpunt bo-
nos mores colloquia mala*, quanto grauius, † ſi quis cum malis coniuncta conſilia & fœdera habeat, 14
hoc de eo timendum erit. Quanquam quidem non dubitamus,ſub ſpe pietatis,vtilitatis,honoris ad
hæc eos te ſolicitaſſe, ſed nullum prorſus eſt tam malum conſilium,quod non ſpecioſo aliquo eiuſ-
modi nomine quaſi veſte precioſa ſe ornet. Tu vero fili, *interroga* potius *patrem tuum, & annuncia-
bit tibi: maiores tuos,& dicent tibi*. Si enim omnes vna voce te ad vnitatem Eccleſiæ atq; honorem &
obedientiam huius ſanctæ ſedis hortabuntur,atq; iam pridem factis ipſis ſunt hortati,ſi vero ſanctiſ-
ſimum quenq; & in diuinis legibus peritiſſimum conſules, grauiſſimas in eos diuinæ iræ vindictas
proferent, qui quacunque de cauſa, quacunq; pietatis ſpecie adducti, † ſummi ſacerdotis munera 15
ſibi ſumere voluerunt: eſt vero ea maxima,quam rebelles adducere ſolent,cum principes,vt eius ca
thedram aſcendant,atque vt ius & authoritatem cognoſcendi cauſas religionis & iudicandi ſibi aſ-
ſumant,hortantur. † Sacerdotum enim negligentia pro ſtimulo ad impellendum eos vtuntur, vt 16
Eccleſiæ curam in componendis religionis controuerſijs, & in ordinandis Eccleſiæ rebus, in ſe ſuſ-
cipiant. Quis enim hoc factum non dignum ſumma laude iudicet? Nemo quidem,ſi factum tan-
tum reſpiciatur. Sed vt in domo bene inſtituta, in qua diuiſa officia & munera non licet vnicuique
pro ſuo arbitratu omnia exercere,etiamſi ſingula in ſuo genere ſint præclara,quod qui tētant,quam
uis bono id animo faciant, à patre tamen familias merito reprehendendum,quippe qui ſuo intem-
peſtiuo zelo,quod pulcherrimum eſt in domo, † nempe ipſum ordinem,ſine quo nulla domus diu 17
tius ſtare poteſt,quantum quidem in ipſis eſt,tollunt:& prudentię eius,qui illum inſtituit,ſummam
iniuriam faciunt: † ſic prorſus in Eccleſia Chriſti, quæ eſt domus Dei, in qua omnia munera ſunt 18
diſpertita, & ſingula ſingulis ita diſtributa, vt inferiores ſuperiorum officijs non fungantur, eo mi-
nus licet ordinem perturbare, quo maiori prudentia eſt ordinata Eccleſia, quam de vlla domo co-
gitari poſſit. Eſtque ea ſemper grauiſſima in Dei prudentiam ac ſapientiam iniuria. At non omnes
hoc vident, ſed nec te etiam ſatis adhuc videre arbitramur, Cæſar, quantum iniuriæ inferas diuinæ
prouidentiæ,in hac domo Dei,in qua ſupremum munus ſacerdotibus eſt commendatum,cum illo-
rum tibi partes & honorem ſumis. † Nec vero vidit Ozas,cum honoris cauſa arcam Dei curru boum 19
vectam proſequens, illis calcitrantibus, manu admota,dum ruinam timet,ſuſtentare voluit. Quis
vero hominum hoc factum improbare auſus eſſet? Vel quis non potius illud ſummopere laudaret,
ſacerdotibus abſentibus in præſenti periculo ruinæ ipſius arcæ, quam bos laſciuiens (vt inquit Scri-
ptura) iam inclinauerat, manum vt eam ſuſtineret, admouerit. Nemo quidem hoc non vt pie factũ
laudaſſet,niſi ſeueritate vindictæ minime id ſibi gratum fuiſſe Deus oſtendiſſet, cuius quidem vltio
Ozam ſtatim è vita ſuſtulit,nullam aliam ob cauſam (Scriptura teſtante) niſi quia temere quod ad Sa
cerdotum & Leuitarum officium pertinebat, ſupplere ipſe auſus eſſet. Tantum.v.peccatum in hoc
facto fuiſſe,quis vnquam cogitaſſet? Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit,ne in eundem
diuinæ iræ laqueum incidamus.De quo nunc fili te admonere volumus,ne fallacib.illorum perſua-

ſionibus addnctus, qui in ore ſemper habent reformationem Eccleſiæ, in tanto non boum, ſed ſa-
cerdotum quaſi laſciuientium cœtu, quorum illa humeris ſuſtentatur, tu manus temere admoueas.
20 eſt enim hoc ſacerdotum Dei munus atque officium. † In eundem vero laqueum inciderunt Dathan
& Abyron atque Core, qui ægreferentes in ſancto populo, vnum pro cæteris dignitate ſummi ſacer-
dotij fulgere, ſe tam Moyſi, quam Aaroni oppoſuere, quum dicerent: *Sufficit vobis, quod omnis mul-
titudo Sanctorum e[illegible], & in ipſis eſt Dominus, quid eleuamini ſuper populum?* Licet veco hæc verba
contra ambos dicta videantur, tamen Moyſe interprete didicimus, omnis eorum indignationis
cauſam, ſummum ſacerdotium Aaronis fuiſſe. Non enim vbi omnis multitudo eſt ſancta, virum
aliquem eminere dignitate æquum eſſe cenſebant. Quam vero grauiter hæc res diſplicuerit Deo,
inſigne in eos diuini iudicij & ſeueritatis exemplum oſtendit, quos terra dehiſcens, vna cum vni-
uerſa ſupellectili & omnibus bonis viuos abſorpſit. Hæc vero vetera nunc recito, quia (vt inquit
Apoſtolus) *in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines
21 ſæculorum deuenerunt*, vt diſcant omnes, † ſi in ſacerdotio, quod deſeruiebat tabernaculo & vm-
bræ, quodque vna cum tabernaculo abolendum diuina prouidentia ſtatuerat, tantam curam Deus
oſtenderit, vt ne minimam quidem in ea mutationem ab humano ingenio inultam permiſerit:
quanto maior reuerentia tribuenda ſit illis ſacerdotibus, qui non amplius ſeruiunt typo & vmbræ
abolendis, ſed ipſi vero tabernaculo quod nunquam transferetur? quantoue minus de mutatione
vel minimæ ordinationis, quæ ad eos pertinet, cogitare debeant? Quanto denique grauius & ma-
gis intolerabili ſuperbia putabimus eos in diuinam prouidentiam peccare, qui vel hanc confunde-
22 re, vel ad ſe transferre poſtulant, vel alio modo de illa ſtatuere volunt, † quam longa Eccleſię conſue
tudo fundata in teſtimonijs Scripturarum promittit, & declarat? Quocunq; vero modo, quacunq;
ſpecie pietatis propoſita hæc tententur, radicem quidem mali ſuperbiam, Deo ſemper odioſam eſſe
23 non eſt dubium. † Sed quod maxime declarat Oziæ regis exemplum, in quo ſimul & radicem huius
mali, & grauem illius vindictam Scriptura nobis exprimit. Hic autem Rex alias laudatiſſimus, idque
teſtimonio Scripturæ in hoc tantum ſuperbiæ arguitur, quod incenſum ad altare thymiamatis ad-
olere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non piam potius, quam ſuperbam iudicaſſet? Sed ſpiri-
tus Dei in Scriptura, cum ad huius facti narrationem peruenit, *eleuatum* (inquit) *eſt cor Oziæ*. In quo
vero eleuatum, nempe quod alieno miniſterio fungi voluit, de quo poſtquam à ſacerdotibus admo
nitus, nec illis paruiſſet, ſtatim à Deo lepra eſt percuſſus. Hæc vero nunc chariſſime fili recenſemus,
vt intelligas, ſi ſuperbum fuit Oziæ factum in adolendo incenſo, ſuper altare thymiamatis, quan-
to ſuperbius eſſe hoc tantum adolere incenſum ſuper altare corporis Chriſti, cæteraque, quæ reli-
gionem ipſam comitantur, perſequi. Quid autem, an non putas hoc incenſum eſſe coram Deo, le-
ges de religione ſancire. Eſt quidem incenſum, idq; omnium Deo gratiſſimum (Nullum enim odo-
rem tibi perſuade Deum gratius ſuſcipere) ſed non eſt tuum munus illud Imperator, eſt ſacerdo-
24 tum Domini, † eſt noſtrum inprimis, quibus Deus poteſtatem ligandi & ſoluendi dedit. Vide vero,
in quam tum partem templi intras, cum hodie tibi miniſterium ſumis, non quidem in atrium aut in
ſancta, vt Ozias, non enim tantum ſanctum eſt hoc factum, ſed ſanctiſſimum. Cum ergo pruden-
tia tua huc tu penetras, in domum Domini tu penetras, & in ſancta ſanctorum, atque ipſum
corpus Chriſti penetras, eius officium tibi arrogans, nec te excuſat, quod ſanctum ſit factum,
vel quod non perpetuas, ſed ad tempus, hoc eſt, vſque ad futurum concilium duraturas leges la-
turum te eſſe dicas: vt enim id per ſe pium ſit, tamen in eo, cui Deus hoc miniſterium non dedit,
25 maxime eſt impium. † Sumis enim tibi iam perſonam, quæ propria eſt Dei, cui ſolum de ſacerdo-
tibus iudicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam ſumere licet. Dei enim vox eſt ad
malos ſacerdotes, *Ego ipſe* (inquit ſuper paſtores) *requiram gregem meum de manu illorum*: quod ſuo
26 tempore penitus facturus eſt Deus: ita ſi quis interim † quaſi de manu eius præripere hoc tentauerit,
is ſemper pro tali auſu grauiſſ. pœnas dedit. veluti contra nullo vnquã ſeculo intermiſit certis quibuſ
dam ſignis teſtari illos maioribus gratijs tum interius tum exterius, & omni genere bonorum dignos
eſſe, qui augendo & ornando Sacerdotum genus, Eccleſiæ ſuæ vnitatem ac principem ſedem auxi-
27 lio & gratia fouerunt, † vt in Conſtantino Magno, in Theodoſiis, in Carolo magno accidiſſe vide-
mus, quibus nulli vnquam Chriſtiani Imperatores vel diuinis gratijs, vel victorijs illuſtriores fue-
re. Contra vero Deus eos, qui Sacerdotibus reſtitere, non ſolum paſſus eſt in omne genus turpitu-
dinis labi, ſed ſæpe & inſignibus quibuſdam pœnis in teſtimonium diuinæ iræ ſuæ caſtigauit. Nec
vero nunc de illis loquimur, qui Eccleſiam naſcentem adhuc extinguere ſunt conati Neronibus,
Domitianis, & eiuſdem generis reliquis: ſed de his, qui illam perſecuti ſunt, iam adulta ætate, in-
cipientem in principes authoritatem ſui muneris exercere, poſtquam conſtituta iam & confirma-
ta eſt Petri Sedes in oculis omnium principum. Qui vero huius authoritati reſtitere, à Deo ſic ca-
ſtigatos conſtat, vt manifeſte appareat, quam grata ſit ac ſemper fuerit Deo huius ſedis obedientia:
28 contra autem quam ingrata & odioſa in eandem inobedientia. † Inprimis cum ex Imperatoribus,
qui in apertam defectionem & contemptum huius ſanctæ ſedis erupit, legimus fuiſſe Anaſtaſium
primum, quem à Gelaſio Pontifice Romano admonitum, ne Acatij Epiſcopi Conſtantinopoli-
tani à Sede Apoſtolica damnati partes foueret, cum nec monitis eius paruiſſet, & Hormiſdę eiuſdem
ſucceſſoris legatos, ad eum ea de cauſa miſſos, vt à communione cum hæreticis deſiſteret, contem-
ptim primũ auditos contumelioſius dimiſiſſet, diuina tandem ira fulmine è vita ſuſtulit. Sequuntur
huius

huius impietatis ſucceſſores, ſed per interualla multi alij Imperatores, † quales fuere Mauritius, 29
† Conſtans ſecundus, Iuſtinianus Conſtantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare 30
longum eſſet, qui diuerſo quidem genere mortis, ſed omnes aut violento aut ignominioſo, ſpoliati
antea imperio & omni dignitate perierunt, vt manifeſte appareat in eis vltrix inobedientiæ, vin-
dicta Diuina. † Quæ ſeries vſque ad Henricum illum perduci poſſet, qui cum grauiſſime ſedem 31
Apoſtolicam vexaſſet, tandem eum à ſuo filio captum Leodij, vltio diuina in carcere mori facit: iu-
ſtiſſimam quidem inobedientiæ pœnam ab ipſo repetens, vt à filio caſtigaretur, qui eum, quem pa-
tris loco diuina ei prouidentia in Eccleſia conſtituerat, tot modis vexauerat, eiuſq; autoritatem ne-
glexerat. † Id quod & de Friderico Secundo dici poteſt, niſi quod infeliciori mortis genere eſt ſub- 32
latus, qui filio ſuo ipſo carnificis munere fungente, ſtrangulatus interijt. Tametſi Deus non ſem-
per hoc modo rebelles caſtigare ſoleat, quandoquidem nonnullos ſi deſiderijs ſuis frui permittat,
vt quod ad externam caſtigationem attinet, impune peccare, & in magna rerum omnium affluen-
tia quaſi felices viuere videantur. Id ea ratione factum à diuina prouidentia ſancti patres pie exiſti-
marunt, ne ſi omnes hi impii caſtigarentur, nullum aliud tribunal diuinæ iuſtitiæ reliquum eſſe ho-
mines iudicarent. Quoſdam ergo hic in aliorum exemplum Deus vt iuſtus agnoſcatur, aperte caſti-
gat: quoſdam vero dum hic caſtigare diſſimulat, ad tribunal ſuum futurum ſeuerius iudicandos re-
ſeruat. Nullum vero peccatum impunitum dimittit diuina iuſtitia. Ea autem omnium eſt grauiſſi-
ma caſtigatio, cum ii, qui Deum grauiſſime offendunt, impune id ſe facere exiſtimant. Omnes enim
tales cæcitate mentis ſunt percuſſi, & in paſſiones, ignominias ac in reprobum ſenſum traditi, quæ
ceu propria impiorum flagella Apoſtolus numerat. Cum autem hæc omnibus impiis ſint commu-
nia, tum vero maxime illorum propria, qui ſuam impietatem † in oppugnanda principe ſede, & in 33
Eccleſiæ vnitate ſcindenda exercuere. Hoc quidem in quibuſdam animaduertimus, qui quo plu-
ribus (dum ſanctam erga illum obedientiam ſeruarunt) virtutibus ſplendere ſunt viſi, eo magis
poſt impiam ab eo defectionem in prodigioſas animi paſſiones auaritiæ, libidinis & crudelitatis
fuerunt traditi: id quod Anaſtaſio X. de quo ſupra mentionem fecimus, eueniſſe hiſtoriæ narrant.
Similibus vero exemplis in hac noſtra ætate vtinam quidem careremus. Nec vero in ſingulos tan-
tum homines hæc vltio diuina, caſtigans eorum inobedientiam erga hanc principem ſedem eſt per-
uagata, ſed in nationes etiam & prouincias, in quibus videmus, cum grauiſſime omnium ii ſunt ca-
ſtigati, qui Chriſtum Dominum habere recuſarent, proximum miſeriæ locum eos ſortitos eſſe, qui
Vicarii Chriſti authoritati reſtitere. Duas vero nationes à Deo inprimis caſtigatas, atque afflictas
videmus, quæ olim florentiſſimæ fuere. Quarum vna pertinax in negando Chriſto permanſit, al-
tera aliquamdiu cum Vicario eius præ cæteris omnibus contendit. Illa eſt Iudæorum, qua nulla
maiori miſeria eſt oppreſſa: † hæc vero Græcorum, quæ proxime ad miſeriam Iudæorum acceſſit, 34
quia proxime ad eorum impietatem acceſſerat. Quare ſi Chriſtus ipſe in cæteris Imperatoribus,
Regibus, populis & nationibus nunquam multam tulit Vicarii ſui ſpretam authoritatem: eainte-
rim perpetua ſucceſſione conſeruata, ſi tum ſeueris iudiciis eorum inobedientiam caſtigando odio-
ſos ſibi ſemper fuiſſe huiuſmodi conatus oſtendit: quanto in te Cæſar ſi (quod Deus auertat) hanc
oppugnares, cum apud Deum tum apud homines hoc odioſius iudicaretur, qui ex illis Impera-
toribus originem ducis, qui non plus honoris ſedi Apoſtolicæ detulerunt, quam ipſi ab ea recepe-
rint. At neque hæc, chariſſime fili, ſcribimus, quaſi vllo modo nobis perſuadere poſſimus, huiuſ-
modi te conſilia in animo rata & confirmata habere: ſed vt amans pater, ſalutis filii & honoris, ac
de vtroque ſolicitus, ſimulatque edictum ipſius Spirenſis conuentus vidimus, te admonendum du-
ximus, eo quidem grauius, quo magis exploratum periculum, in quo verſaris, habemus. Denique
ſi pluribus diſſuaſimus, ne in diſceptationes ſuper his, quæ ad religionem pertinent, componen-
das, ius tibi vel authoritatem ſumeres: non ob id ſcripſimus, quod diſceptationes componi non ma-
xime optaremus, † qui (teſte noſtra conſcientia) vt hoc rite fieret, vitam & ſanguinem libenter ef- 35
funderemus: ſed vt exemplis, cum ex diuina Scriptura, tum ex Eccleſiaſticis hiſtoriis citatis te ad-
moneremus, ne, quod ad tuum miniſterium non pertinet, ipſe tibi arrogares, & pro tua & Impera-
toria dignitate iuberes, ſed potius Conſtantini Magni ſerui Dei maximi ac fœliciſſimi Imperato-
ris exemplo te hortamur, quod tantum facimus, vt eos primum † ſuo Iudici & ſuis Iudicibus iudi- 36
candos & corrigendos relinquas. Ille vero quum rogatus eſſet ab ipſis ſacerdotibus, vt in eorum
diſceptationibus ſe Iudicem præberet, prorſus recuſauit. † Cuius verba in hanc ſententiam ab hi- 37
ſtoriarum ſcriptoribus, qui affuerunt, citantur: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis de-
dit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iu-
dicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia, quæcunque ſint, ad illud di-
uinum reſeruentur examen.* Hæc ille Magnus nō tam imperio, quod erat maximum, quam pietate &
cæteris virtutibus, dixit: cui te Cæſar in omnibus perſimilem eſſe cupimus & optamus. Quod ve-
ro præ te fers ſtudium & deſiderium, vt componantur controuerſiæ in religione, & vt aliqua diſci-
plina morum in vniuerſa Eccleſia renouetur, te in hoc quidem magnopere laudamus, & abs te pe-
timus, vt in hoc operam tuam præbeas, & cui Deus curam huius miniſterij commiſit. Vt enim te
tanquam caput in rebus huiuſmodi tractandis minime ferendum cenſemus, ita tanquam brachij
accommodatiſſimi tuam inprimis opem deſideramus. Hoc vero noſtrum deſiderium fecit, † vt ad 38
minimam quanque ſpem cogendi conſilij œcumenici non ſolum nos ſemper promptos præbueri-

mus,ad illud indicendum,ſed vbi vel minima ſpei ſcintilla eluxerit,cogi poſſe,eo ſtatim legatos miſ
ſerimus:quemadmodum vltimo loco etiam fecimus,quanquam non cum eo fructu,quem aſſidue
optamus: ſed maluimus ſane omnia tentare,quam vel minimæ occaſioni deeſſe,quam à diuina bo-
nitate ſemper expectamus.Cum autem vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatis cauſa concilium fieri ſummo-
pere cupimus, tum vero præcipue illius inclytæ nationis Germanicæ, quæ iampridem diſcordijs in
his,quæ ad religionem pertinent,plurimum vexata diſſidet,cuius ſaluti (vt tua etiam Maieſtas fate-
39 tur)commodiſſime per generale concilium opitulari nos poſſe,ſemper ſperauimus. † Horum autē
conſilijs,qui iam ab hac ſede ſunt damnati,te vſum eſſe (quod nunc conquerimur) non ob id qui-
dem conquerimur,quod ſemper hos remotos à tua amicitia eſſe cupiamus: aut id quæramus, quia
ſemel damnati ſint,vt ſemper damnati maneant.Teſtis enim nobis eſt Deus,quam nihil magis in vo
tis habeamus,quam vt oues perditas ad dominicum ouile reducamus, & vt illam nobilem prouin-
40 ciam vniuerſam in fide & religione † cum capite & reliquo corpore in omni amore atque amicitia
coniunctam videamus,idq; ob eas quas diximus cauſas.Sed tu nunc, dum ij in diſcordijs cum capi-
te & reliquo corpore manent (de ijs qui tales ſunt,loquimur,tum extra eccleſiam,tum per edictum
etiam tuum damnati)eorum amicitiam pluris quam par eſt facis, dum indulgentius eos tractas: cū
hæc tua indulgentia & præteritorum edictorum declarationes ſeparatim à te factæ, non ſolum ha-
ctenus illis non profuerint, vt ad ſaniorem mentem redirent,ſed potiùs, quod re ipſa cópertum eſt,
occaſionem dederint,vt inſolentiores ſint facti, & ad occupanda vicinorum bona animoſiores,diſ
ſidium certe ipſum magis hoc modo fouere, quam tollere videris. Sed hæc quia ad meliorem for-
mam,non ijs quidem viis alienis ab omni more & conſuetudine maiorum,atq; ab ipſo iure diuino,
ſed per generale concilium optime perduci potuiſſe,ſemper in Domino ſperauimus,& nunc etiam
41 ſperamus, ideo nos plus illius prouinciæ commodis, quam vllius alterius conſulentes, † ad Ger-
maniæ fores Tridentum vſque legatos noſtros miſerimus: ſed *vocauimus, & non erat qui audiret,
venimus,& non erat vir.* verum nec propterea deſiſtimus,ſed adhuc vocamus,& clamamus ad te &
42 ad cæteros principes, clamamus vero cum Propheta Dauide: † *Venite, ploremus coram Deo.* nec e-
nim aptius principium concilii eſſe poterit. & cum Daniele: *Oro pro peccatis meis & populi, accuſo,
confiteor, obſecro, Domine peccauimus, iniquitatem fecimus, & impie egimus & receſſimus,nobis confuſio
faciei, Regibus noſtris, Principibus & Patribus noſtris, quia peccauimus: tibi autem Domine miſericor-
43 dia eſt & propitiatio.* Ad tale ergo concilium te vocamus, † in quo Angelos ipſos aſſeſſores habere
ſperamus,qui ſi ſuper vno peccatore pœnitentiam agente gaudent,quanto magis ſuper vniuerſa ec-
cleſia, cuius ipſi pars ſunt ad pœnitentiam congregata, gaudebunt? Huc accedit,quod ſaluti Chri-
ſtiani populi ab imminente potétiſſimo & perpetuo nominis Chriſtiani hoſte Turcarum tyranno,
quo pacto niſi per Chriſtianorum coniuncta in fide & charitate auxilia conſuli poſſit, non vide-
mus. Quare ſterne viam,dilecte fili,ad tale concilium. Hoc enim tui muneris proprium erit.ſternes
autem,ſi vel pacem reddas,quantum in te eſt Chriſtiano populo,tantopere ab omnibus expetitam:
vel ſaltem arma cohibeas,dum Eccleſia in Concilio congregari poſſit,vbi æquius eſt quam per vim
veſtras diſceptationes decidi. Hoc vero tu & cæteri Chriſtiani principes, quos etiam atq; etiam de
eadem hac re admonebimus, præſertim vero eum, quo cum bellum geris, faciatis. iam concilium
adeſt,iampridem enim indictum eſt,neq; vero abruptum eſt,etſi bellorum cauſa in cómodius tem-
pus dilatum. Itaque huc chariſſime fili,incumbe, & hanc lætitiam primum populo Chriſtiano, qui
iampridem inteſtinis bellis eſt attritus,redde.Deinde vero nobis,qui te nihil charius in terris nos ha
bere iudicamus,qui primogeniti apud nos locum in amore tenes, idq; ſpecimen diuinæ in te virtu-
tis præbe, vt non modo patrem, te pie monentem, non auerſeris: quod faciunt ij,quos Deus in ſi-
44 gnum abdicationis,ſuis deſiderijs tradit: † ſed vt eundem ad te,tanquam Deo iubente,tali tempore
miſſum,qui labantem ſuſtineat, & magno animæ ſalutis periculo liberet,omni pietate amplexeris,
eius vocem libenter audias,monitis obtemperes,ſatis vero obtemperabis,ſi cum te à ſemita ſancta,
vt appellat Propheta, quæ eadem eſt regia via,maiorum tuorum religioſiſſimorum Principum hu-
mana conſilia vt hominem deflectere potuere. Huc ſtatim de ea qualis ſit admonitus, diuinam in-
dolem proferens videas,atq; ita in animum inducas,nullum vt in ijs,quæ ad religionem pertinent,ti
45 bi ius & autoritatem vindices,† ſi diuinam inſtitutionem & Eccleſiæ conſuetudinem ſequens ab i-
pſis conuentibus Imperialibus,à quibus abſunt,qui autoritatem de eiuſmodi rebus cognoſcendi ha
bent,omnes de Sacerdotibus atque de religione diſceptationes prorſus excludas, & ad eorum pro-
46 prium tribunal reijcias,† ſi de bonis Eccleſiaſticis,quorum iudicium ab ipſo Domino,cui ſunt con-
ſeruata,ſacerdotibus relinquitur,& commēdatur,& ipſe nihil ſtatuas,ſepoſitis armis aut ſtudeas pa-
ci, aut ſi aliter pax conciliari non poteſt, concilio generali iudicandi de ijs, quæ tam pernicioſa bel-
47 la in populo Chriſtiano tamdiu alunt,poteſtatem facias. † Si deniq; ea, quæ per nimiam indulgen-
tiam rebellibus [illegible] ſanctæ ſedi, & contumacibus conceſſiſti, ipſe reſcindas ac tollas. Hæc enim
chariſſime fili,cum ita ſint,quæ tuam ipſius animam in magnum ſalutis periculum adducant,& Ec-
cleſiæ pacem magis magiſq; perturbent,facile videre potes,niſi per te quamprimum his malis reme
dium adhibeatur(quod te facturum ſperamus)in quas anguſtias ſis nos compulſurus: vt aut officio
aut muneri nobis à Deo per eius filium dato deeſſe cogamur, cum maximo Eccleſiæ detrimento:
aut iterum ſeuerius agere, quam vel conſuetudo noſtra,vel natura, vel voluntas ferant.Quanquam
officio quidem deeſſe in tanto Eccleſiæ diſcrimine, nec debemus prorſus, nec volumus, quan-
tum

tum per eius gratiam, cuius vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri poſſumus. Inſidet enim in animo, & ob oculos nobis obuerſatur illud idem de quo principio diximus, diuinæ ſeueritatis in Heli ſacerdotem exemplum, quem non ob id quidem damnatum legimus, quod in filiis corripiendis prorſus abſtinuerit. Corripuiſſe enim eos ſatis conſtat ex Scriptura, ſed quod in corripiendo, vt inquit diuus Hieronymus, lenitatem patris, non authoritatem pontificis agebat. Nos lenitate patris, integris prope adhuc rebus vſi ſumus, quibus ex edicti forma tranſactis, quod Deus auertat, in Heli exemplo ſatis video, in quam nos neceſſitatem ſis adducturus. Quare tecum conſidera Cæſar, quid te magis deceat, quid ad tuum in primis officium erga Deum & Eccleſiam magis pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat. An vt brachium noſtræ ſeueritati, in iis quæ ad vnitatem Eccleſiæ pertinent præbeas, an potius illis faueas, qui hanc ſemel ruptam in plures adhuc partes ſcindere miſerabiliter laborant & optant. Deus pacis pro immenſa miſericordia ſua, tuam Maieſtatem ab iniquorum conſiliis liberet, ac pacis conſilia in tuo corde confirmet, vt vnanimes vno ore honorificemus Deum patrem per IESVM Chriſtum, cui cum ſancto Spiritu ſit honor per æterna ſecula, Amen. Datum Romæ apud S. Marcum, XXIV. Auguſti, M.D.XLIV.

Scholia in Epiſtolam Pauli III. Pont. Max.

SI illud vindictæ Dei exemplum horret ſanctiſſimus pater, mirum cur tantopere de hoc vno Cæſaris delicto ſolicitus, (ſi delictum nominari debet) tam ſecurus in aliis filiorum ſuorum infinitis nequitiis torpeat. Vltus eſt Deus ſegnitiam Heli ſacerdotis, quod filios non caſtigauerat. Filios Chriſtiani paſtoris iubet apoſtolus Paulus eſſe bene moratos, bene educatos, in timore Domini. Filium habet Paulus noſter Ferneſius, & ex eo nepotes, præter ſpurios, qui adhuc ſilicernio huic & ſemiputrido cadaueri naſcuntur. 1

Qualis eſt Petrus Loyſius? dicam, quo nihil poteſt dici atrocius, & tamen eſt veriſſimum. Nunquam tale monſtrum hactenus peperit Italia. Paule quid ceſſas? cum exectandæ filii tui libidines in cœlum aſcenderint, cum fœtore ſimul ac fœditate ipſarum polluta ſit terra, cum totus mundus vociferetur: nondum execrandæ ſeueritatis tempus eſſe putas? Quid de eius auaritia? quid de rapacitate? quid de ſæuitia dicam? Tametſi in his omnibus ita reliquos ſuperauerit, vt te vno ſemper ſit inferior: quid de nepotibus tuis, quid de tota familia orbis cum multa indignatione dudum loquitur? Si ob indulgentiam correctus fuit Heli, tunc impune feres, quod ad tam horrenda filiorum tuorum flagitia non ſolum conniueas tacitus, ſed manum illis auxiliarem præbeas? approbes certe palam, & magna ex parte non diſſimules, te authore perpetrari? Non te hic Dei iudicium ſolicitat? nullus motus animum tuum percellit? Sed de naturalibus filiis iam plus ſatis. Iactas te Chriſtianorum omnium eſſe patrem. In tam deplorata mundi corruptione, quis amplius taciturnitati eſt locus? Siles tamen, & mundum ſciens ac videns in exitium ruere cum ſilentio pateris. Si Heli non pepercit Deus, quale tibi ſupplicium imminere cogitas? Propius etiam num te vrget. Qualis eſt ſedis tuæ ſtatus, quæ tibi inſtar familiæ eſſe debet? Quid agunt tui vicarii? Qualis in curia tua negotiatio exercetur? Qualiter ſe clerus tuus gerit? Quam mihi Sodomam reperies, vbi maior vnquam fuerit malorum omnium impunitas? magis perdita impudentia? licentia magis effrenis? Et nunc perinde ac ſi nihil eſſet domi quod ageres, times, ne ob vnam hanc culpam immineat ira Dei tuo capiti, ſi concedi Proteſtantibus pacem & iuris æquitatem tacitus ſinas, quoad de religione fuerit cognitum; ſi Cæſarem, iniuſſu tuo, tam concilium, quam legitimam cauſæ definitionem polliceri ſuſtineas.

† Hic mihi Athaliæ venit in mentem. Nam ſicut impudica illa canis, cum regem Ioas cerneret in ſolio collocatum, quia tyrannidem ſuam videbat concidiſſe, clamabat, *ſeditionem eſſe factam*: ita petitum hoc ſcortum, cum tyrannidi ſuæ, quam Deo & hominibus inuitis, ſibi per ſummum nefas arrogat, vel minimum derogari videt, cœlum terræ miſcet, quaſi nihil amplius ſit in mundo ſaluum. 2

† O quam multis, & quam inſignibus documentis compertum habet Cæſar paternum hunc amorem. Quod niſi ſibi ab hoc idolo, tanquam à Deo ſiniſtro metuerent Chriſtiani principes, poſſent mira paternæ charitatis officia, quæ pro ſe quiſq; experti ſunt, recenſere. Sed quid principum arcana excutere opus eſt? quaſi vero non omnibus etiam infimis palam ſit, qualem ſe hactenus patrem illis exhibuerit. 3

† Hic quidem olim ſpecioſus erat fucus Romanæ meretricis, iactare Eccleſiæ veritatem, ſed iam cum longo quaſi attritu obſoleuit, tum flatu oris Domini toties diſcuſſus & claris ſcripturæ teſtimoniis abſterſus ita fuit, vt ad colorandam eius deformitatem apud oculatos parum valeat. Chriſtus enim vnicum ſanctæ vnitatis vinculum eſt: ab eo qui diſcedit, violat turbatq; vnitatem: extra eum verò, non niſi ſacrilega conſpiratio eſt. Vocat nos ad ſe Romanus Antichriſtus, prætextu vnitatis: & quicunque tyrannidis ſuæ iugo non ſponte alligari ſe ſuſtinent, eos ſchiſmaticos iudicat. Nos autem ex aduerſo audimus Chriſti vocem: *Vbi erit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Audimus Apoſtolum hortantem, vt *conſentiamus, & ſimus concordes*: ſed *in Chriſto*. Audimus piam Hilarii admonitionem, *Specioſum quidem nomen eſt pacis, & pulchra opinio vnitatis: ſed quis ambigat eam ſolam Eccleſiæ & Euangeliorum vnicam eſſe pacem, quæ Chriſti eſt?* Oſtendat ergo à parte ſua Chriſtum Freneſius, & vnitatem Eccleſiæ penes ſe eſſe probabit. Sed cum adhærere illi non poſſimus, niſi Chriſtum abnegando, qui ab eo diſſilit, non facit ab Eccleſia diſceſſionem, ſed veram Eccleſiam ab adulterina & ficticia diſcernit. 4

† En ordo, en diſciplina, en Chriſtianiſmi perfectio ex Freneſii definitione, ſi illibata ſedis ſuæ tyrannis maneat, valeant alia, nam præ hac vna nihili omnia reputat. Iam ergo Helenam agnoſcimus, pro qua depugnat, ſimul cauſam timoris illius agnoſcimus, de quo initio locutus eſt. Non enim ruinam ſolio ſuo tantum impendere præuidet, ſed ſedem illam abominationis iam collabi cernit, ſi pigreſcat. Hoc ſi illi detur, vt ſecurus pro ſuo more in tranquilla poſſeſſione ſuæ tyrannidis laſciuiat, hoc vno contentus erit, & tanquam rite compoſito Eccleſiæ ſtatu, ſibi & aliis benedicet. Ergo vtcunq; Romæ nihilo minor ſit ſcelerum omnium colluuies, quam in ipſis inferis, vtcunque paſſim ſanctus ille papalis clerus, laxis habenis, perruptis legibus omnibus, abiecta omni honeſtatis cura, ad quamlibet impietatem ſe proſtituat, vtcunq; totus orbis horrendum in modum ſit corruptus, bene ordinatā erit diſciplina, ſi modo nihil contra ſedis Romanæ maieſtatem quis audeat.

† Grande ſcilicet piaculum, quod de congregando concilio cum ageretur, ſuppreſſum eſt papæ nomen. Quaſi vero Syluestro authoritatem conuocandæ Nicenæ ſynodi detulerit Conſtantinus, ac non eam iure ſuo, pro imperatoria poteſtate coegerit. Quaſi non etiam ipſi Syluestro edixerit, vt veniret. Quaſi vel arbitrium vel nutum Romani epiſcopi expectauerit olim Theodoſius, in ſynodo Aquileienſi cogenda, cui præfuit Ambroſius. Ecce habetur in Italia concilium vniuerſale, cui non adeſt Rom. Epiſcopus, nec quiſquam eius nomine, imo nulla eius in actis concilii fit mentio. Sed condonandum eſt Fernesio, ſi perſonam agit impuræ illius Ieſabel, cum ſimilem habeat cauſam. Quemadmodum enim ferebat illa, quod Achab pro regia poteſtate populum conuocaſſet, vt ſtatueretur ſemel, Deus ne an Baal inuocandus foret, ita hæc beſtia, quaſi rebus omnibus perditis, grande nefas admiſſum eſſe cōclamat, quia Cæſar ſibi curæ fore receperit, vt conciliū cogeretur. Atqui hanc ſibi ſoli poteſtatem iure diuino & humano competere allegat. Facile quidem iactare eſt, ſed probatio quæritur. Quid enim hoc mendacio impudentius? Diuini iuris quam omnino ſyllabam proferet, niſi forte ſe faciat Deum. Sed humanum forte illi ſuffragatur. Nihilomagis. Quis enim primam ſynodum Nicenam, quis Epheſinam, quis Conſtantinopolitanam, quis Chalcedonenſem coegit? Et ne in colligendo numero ſim longior, quis totis quingentis annis ſynodos vniuerſales, quæ multæ habitæ fuerunt inter id tempus, congregauit, præter vnum Cæſarem? At forte id fiebat, interpoſita pontificis authoritate, imo ne conſenſu quidem. Vbi enim oſtendet Freneſius, expectatum aliquando fuiſſe papæ nutum in hac re, aut petitum ab eo conſilium? Atqui non tantum nunc ſibi arrogat hoc priuilegium, ne quid ſe inconſulto tentet Imperator, ſed vult omnia ſimul poſſe & agere. Id ſi vult impetrare, omnia conciliorum acta, omnes veteres hiſtorias aboleat, neceſſe eſt. Neq; enim illic papa Imperatori edicit, ſed imperator epiſcopis omnibus. Et cum epiſcopi loquuntur, non Romani epiſcopi mandato aut nutu ſe vocatos, ſed imperiali edicto teſtantur. Olim quidem in procuranda ſynodo Chalcedonenſi partes ſuas interpoſuit Leo. Sed qualiter, iubendo ne vel decernendo? Nihil tale in eius epiſtolis habetur, quæ in promptu extant, ſed & Cæſarem ſuppliciter rogando, vt pro more epiſcopos omnes aduocaret. Ergo quod tunc precibus fieri orabat Leo, Freneſius hodie facta eſſe tam grauiter accuſat, vt ſpeciem propemodum faciat apoſtaſiæ. Patrocinium ergo fictitiæ ſuæ poteſtatis aliunde quærat, quam à Deo & hominibus.

7 † Cum tale quiddam aliquando captaret in concilio Carthaginenſi, fortiter, vt par erat, Aphricani epiſcopi tam improbæ ambitioni reſtiterunt. Cum obtenderet prærogatiuam in alias Eccleſias, Nicenæ ſynodi decreto, ſibi permiſſam eſſe, non habuerunt fidem, ſed Conſtantinopolim, & in alias vrbes Græcas miſerunt, vt veritatem inueſtigarent. Compertum tandem fuit, acta Concilii à ſanctiſſimo patre corrupta fuiſſe, vt illis ad erigendam ſuam tyrannidem abuteretur. Saltem quæ proferebantur ex eius archiuis exemplaria, cum veris & certis non congruebant. Ita repudiatum fuit eius poſtulatum, non abſq; manifeſto falſitatis probro. Atqui iura diuina & humana hic quoq; ſibi ſuffragari clamat. Quis vnquam Deus, obſecro, Papam conſtituit cauſarum omnium ad Eccleſiam vel fidem pertinentium cognitorem, arbitrum & iudicem? Quas etiam hominum leges aut quæ placita de hac re oſtendit? Dicit quidem Ambroſius fidei cauſas debere in templo coram plebe tractari, & tunc de ſummo fidei noſtræ capite agebatur. Non dicit, coram papæ tribunali. Dicit, fateor, iudicandas eſſe à ſacerdotibus, ſed nequaquam vni papæ defert iudicium. Alioqui grauiter peccaſſet, cum ad cognoſcendam maximam cauſam, Aquileienſi concilio non interfuit modo, ſed etiam præſedit. Inuehatur Freneſius in Ambroſium, quod concilium, cum vocandum ab Imperatore procuraſſet, habere auſus eſt, & quidem abſente Rom. Epiſcopo, de Chriſti diuinitate, quid ſentiendum foret, ſtatuere. Vbi tunc erant humana iura, quibus gloriatur Freneſius? Cum in Italia ſynodus vniuerſalis de ſumma religionis tractaret, vocato quidem Rom. epiſcopo, ſed nemine eius loco comparente. Quid cum à Melchiade Rom. epiſcopo deuoluta eſt cauſa maximi momenti ad epiſcopum Arelatenſem? Litigabat Donatus à caſis nigris cum Cæciliano. Non erat ciuile negocium, ſed cauſa eccleſiaſtica, & quæ non leue caput Chriſtianæ doctrinæ continebat, nempe de Eccleſiæ vnitate, & communione ſanctorum. Conſtantinus Magnus Melchiadem primo iudicem tulerat, cum ille pronunciaſſet, prouocante Donato, cognitio ad Arelatenſem epiſcopum delata fuit, vt teſtis eſt Auguſtinus. Cur non clamitabat Melchiades, omnia perperam confundi, quod ſibi eriperetur ſumma iudicandi poteſtas? Reſtat ergo vt hoc perſuadeat Freneſius iis, qui ſine difficultate pro oraculo recipiunt, *Cephum* eſſe caput.

Quaſi

† Quaſi vero pro libidine cuiuſq; ſtatui voluerit Imperator,ac non potius legitima vltro citroq; 8
habita diſceptatione,ex ſacroſancto Dei verbo ſumi definitionem. Quaſi etiam laicis mandarit iſtas
partes,vt definiant ipſi,ac non potius vt ſciant,quod ex Dei verbo conſtiterit. Hoc ſi nouum eſt Fre-
neſio,valde eſt omnis antiquitatis imperitus.

† Nempe ſi huic Freneſii iudicio ſtetur, ne concilio quidem opus fuerit. Res enim iam expedita 9
hoc modo erit,ſi indicta cauſa iam cenſeantur damnatarum hęreſium aſſertores,qui ſe ad reddendã
doctrinæ ſuæ rationẽ offerunt. Neq; vero imprudenter agit ſanctiſſimus pater. Quid .n. optabilius,
quam hoſtes ſuos voce vna iugulare? Sed hoc eſt incõmodi,quod qui tam atrociter hic damnantur
præclare & ſtrenue ab hac calumnia ſe purgant,papam vero ipſum interim non modo impietatis ac
ſcelerum omnium reum peragunt,ſed antichriſtum eſſe conuincunt,impiorum omnium caput.

† Quid,an non Spiritus ſancti elogio prædicatur ſanctus Rex Ioſias, quod cum oblationes in- 10
gurgitari videret à ſacerdotibus, ſcribam ſuum exigendis rationibus præfecerit? Quid ergo piaculi
erit,ſi hodie eius exemplo Chriſtiani principes, dum à papæ gurgitibus Eccleſiæ opes vorari, & per
ſummam nequitiam turpiter diſſipari vident,ad vindicandum hoc ſacrilegium manus admoueant?
Hoc primum quæritur, in quem vſum deſtinata ſint Eccleſiæ bona; deinde, quorum ſit diſpenſa-
tio: tertio,ſi vitium ſit in ordinaria diſpenſatione, quod ſeuera correctione opus habeat, à quibus
adhibendum ſit remedium. De hoc poſtremo cogniturum ſe Imperator de ordinum ſententia prõ-
miſit. Nunc iudicare promptum eſt,quam tumultuandi cauſam habeat Freneſius.

† Subaudiendum eſt epitheton,ſunt enim Proteſtantes extra Eccleſiam,ſed papalem.Damna- 11
ti,ſed cauſa incognita. Si autem verum eſt eſſe veram Eccleſiæ vnitatem,vbi eſt ſincera Chriſti veri-
tas,vbi integer & doctrinæ & animorum in Chriſto conſenſus cum omnibus piis? Ab Eccleſia certe
alieni non ſunt Proteſtantes.

† Imo quis vel princeps,vel priuatus,ſi modo ſcintillam Chriſtiani zeli habeat,non cupiat quam 12
primũ rebus ita miſere collapſis ſuccurri? Quis autem non intelligat,fruſtra à papa expectari quic-
quam opis? Suã ergo impietatem prodat,oportet,qui tam neceſſarium remedium à Cæſare quæſitũ
eſſe ægre ferat. Sed bene habet,ꝙ ſe de conductis quibuſdã mancipiis loqui continuo poſt declarat.

† Ego vero ſcire velim,quid tandem iſtorum pugnet cum Chriſti inſtitutis,& recto Eccleſiæ or- 13
dine. Audio quidem hoc dici,ſed à quo? Si diabolus pater eſt mendacii, quis eius vicario fidem ha-
bebit?

† Miram vero metamorphoſim. Tam enim religioſus cupit eſſe papa, vt datam Proteſtantibus 14
pacem eſſe cum audit,totus horreat. Sed mirum eſt ex aduerſo, eum ſecure paciſci cum meretrici-
bus,nec contaminationem ex lenocinii precio horrere,annua penſione decidere cum Iudæis, vt im
pune non modo Chriſtianam religionem deſpiciant,ſed fœnerando palam latrocinentur, deniq;
nec Turcas auerſari. Sed in eo potiſſimum elucet eius ſanctimonia, quod cum Apoſtolo Paulo ti-
met,ne *bonos mores colloquia praua corrumpant*. Quid tibi cum hac ſancti Apoſtoli voce,ſceleſte apo-
ſtata,imo omnis apoſtaſiæ princeps, qui cum dies in machinandis proditionibus,in fraudibus excu-
dendis,in bellis conflandis, in excogitandis nouis rapinarum generibus, in moliendo innocentium
exitio,in deſtruenda Eccleſia,in diſſipanda religione cum nequiſſimis conſultoribus tuis conſumas,
reliquum tempus vel cum Epicureis ſuauiter te oblectas, vel in medio ſcortorum grege te volutas
inſtar porci,nec aliud audis,vel loqueris,quam quod vel execrandam impietatem ſpiret,vel ſua ob-
ſcœnitate incitet iſtam tuam effœtam libidinem,quæ tamen nondum prurire deſinit.

† Arrigamus aures,neq; enim videtur iam de nihilo conqueri. Fateor ſane,tanti eſſe Eccleſiæ or- 15
dinem coram Deo,vt qui inuolat in alienum munus,non euadat ſuæ temeritatis pœnam.

† Si qua ratio foret conſeruandæ eius tyrannidis,pro qua nunc decertat Freneſius,hæc in primis 16
firma eſt præ aliis, & valida, ne quis corrigendis ſacerdotum vitiis ſe interponere audeat? Ergo ſi
Freneſio concedimus,eſſe hanc illi etiam vſurpationem,eſſe grande ſacrilegium,cum principes, tot
pente papa,toto clero oſcitante,pereunti Eccleſiæ ſubuenire conantur,actum eſt. Quid ergo habet
Cæſar,quo tantum crimen diluat? Primum, tametſi non eſt cuiuslibet, ſe ad repurganda Eccleſiæ
male ingerere,& reſtituendum eius ſtatum, quo tamen iure Chriſtianis principibus hoc negabitur?
Excipit Freneſius, quia ſic agendo cathedram ſacerdotalem inuadunt. At ſanctis patribus ſemper
aliter viſum eſt, quibus nihil fuit antiquius, quam vt principum authoritate in ordinem redigeren-
tur mali & improbi ſacerdotes, indigni autem honoris gradu abdicarentur. In hoc itaq; hallucina-
tur Freneſius,quia inter iſta duo quantum interſit,non videt,cathedram occupare, & rite collocare
iuſtos ſeſſores,qui ſedem ratione iureq; gubernent.

† Hoc concedunt omnes,non perturbandum eſſe in Eccleſia ordinem. Tota igitur quæſtio in 17
ordinis definitione poſita eſt.Requirit ordo,vt ſint diſtinctæ functiones,& hoc concedimus,verum
coniunctioni diſtinctio non repugnat. Nec quidquam obſtat, quo minus qui diuerſis officiis præ-
ſunt,communibus tamen ſtudiis multa ſimul procurent, quo minus voluant coniunctim vnum la-
pidem,deniq; quo minus alter pro neceſſitate præſenti in alterius vicem quandoq; ſubeat.

† Det ergo nobis Freneſius ordinatum ex Chriſti voluntate Eccleſiæ ſtatum, & libenter dabi- 18
mus,qui minimo digito attingere eum auſit,vt conuellat, impia audacia id tentare. Sed cum procul
abſit barbara iſta,vel potius beluina papatus confuſio à ſancta Chriſti regula, faceſſat hinc pruden-
tiæ diuinæ titulus, cui grauis irrogatur iniuria, cum ad fucandam à Chriſti regno prorſus tam alie-
nam tyrannidem perperam & impudenter obtenditur.

Puniſ

I V.

Anno Domini 1544.

ADMONITIO PATERNA PAVLI III. ROMANI PONTIFICIS AD INVICTISS. CÆSAREM CAROLVM V.

QVA EVM CASTIGAT, QVOD SE LVTHERANIS PRÆbuerit nimis facilem: deinde quod tum in cogenda ſynodo, tum in definiendis fidei controuerſiis aliquid poteſtatis ſibi ſumpſerit.

CVM SCHOLIIS.

STATVS CAVSAE SIVE ARGVMENTVM.

QVum Cæſar ſuperiore anno, parata iam in Galliam expeditione, non aliter poſſe diu Germaniam in pacato ſtatu contineri intelligeret, quam ſi præſcripta ante ſuum diſceſſum foret ratio, qua imperii ordines inter religionis diſſidia, pacem tamen colerent: decretum interpoſuit, vt donec cognita eſſet cauſa, æqualis vtriſq; conditio eſſet, tum ſibi curæ fore promiſit, vt prima quaq; occaſione concilium vniuerſale vel ſaltem nationale cogeretur: aut ſi id non ſuccederet, ſe daturum operam, vt proximo Imperiali conuentu, poſt legitimam diſceptationem aliquid tandem ſtatueretur. Digna quidem erat pietatis cauſa, quam aliis omnibus poſthabitis, tractandam Imperator ſuſciperet, ſed quia difficili & periculoſo bello implicitus, neque huc animum applicare extemplo poterat: & ne quid interea turbarum ſe abſente oriretur, non temere metuebat prudens ac cordatus princeps, nihil omnino nec communi eccleſiæ Chriſtianæ ſaluti aptius, nec publicæ Germaniæ tranquillitati magis appoſitum, nec priuatis etiam ſuis rationibus commodius facere potuit, quam vt iuſtam cauſæ actionem in aliud tempus differendo, ius æquum inter partes, & æquabilem viuendi legem ſtatueret. Hoc tamen audito decreto, Romanus Pontifex ſe duas ob cauſas non leuiter fuiſſe commotum hic oſtendit. Nam & hoc quantuluncunq;, quod conceſſum hoc modo proteſtantibus erat, vt pauliſper iniquis præiudiciis ſubleuarentur, nimiæ indulgentiæ corruptelam eſſe clamitat: & Cæſarem ſibi ius aliquod ſumere in religionis cauſa, hoc vero indignum illi facinus eſſe videtur. Bis autem peccaſſe Cæſarem, illicitum ſibi ius arrogando, conqueritur. Primum, quia concilium auſus fuerit, eo inconſulto, polliceri: deinde, quod cognitionem à ſua perſona alienam accipere non dubitauerit. Grauiter igitur cum eo expoſtulat ſanctiſſimus pater, cum de immodica erga Lutheranos facilitate, tum de authoritate Romanæ ſedis læſa & imminuta.

PAVLVS III. PONT. MAX. CAROLO V. Imperatori.

CHariſſime fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex edicto Maieſtatis tuæ acta conuentus tui Spirenſis cognouimus, de quibus cum noſtram ſententiam diſſimulare paternus noſter erga te amor non patitur, tum vero officii & muneris à Deo nobis per Chriſtum commendati ratio in cura vniuerſalis Eccleſiæ, vt apertis verbis te admoneamus, compellit. † Nec vero parum nos ad
1 hoc mouet graue ſeueritatis diuinæ in Heli Sacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentius tractantem, & ad eorum errata conniuentem extat ſeuera illa Dei in hæc verba ſententia: *Quia indigna nouerat agere filios ſuos, nec corripuit eos, idcirco*, inquit Deus, *non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vſq; in æternum.* Hæc quidem Dei ſententia fuit, quam ſtatim liberorum primũ, deinde ipſius Heli repentina & violenta mors conſecuta, hincque poſteritas à ſacerdotio repulſa, verbum Domini verum & ratum fecerunt. † Nos vero fili cum te indigna quædam decreta in
2 conuentu Spirenſi ex ipſis actis animaduerterimus, indigniora vero deſignata eſſe, & talia, quod ſi propoſitum exitum, quod Deus auertat, conſequantur, non ſolum te in certiſſimum animæ ſalutis periculum adductura, ſed Eccleſiæ paci atque vnitati, cui ſuper omnia ſtudere debemus, maiorem quam qua hactenus laborarit, perturbationem ſint allatura. † Noluimus ſane prætermit-
3 tere te, quin te à Deo nobis honore & amore primogeniti commendatum, his noſtris literis de tanto tuo & Eccleſiæ periculo admoneremus. Quanquam quidem te non vt Heli liberos admonendum duximus, quos deprauata voluntas & conſuetudo peccandi indociles prope ad rectam diſciplinam reddiderant, ſed vt eum potius, qui multorum annorum curſu non abiit in conſilium impiorum, quo maiorem in ſpem venimus, non fruſtra nos admonitione paterna eſſe apud te vſuros.
4 † Omnia vero fili in eo ſunt, ſi ab vnitate Eccleſiæ te abduci non ſinas, à conſuetudine maiorum tuorum

tuorum religioſiſſimorum Principum non recedas,ſed eundem, vt debes,morem in omnibus, quæ
ad Eccleſiæ diſciplinam , ordinem & inſtituta pertinent , obſerues , quem multos annos ſumma
cum pietatis animi tui ſignificatione edidiſti.† Is vero eſt eiuſmodi,vt quoties de his, quæ ad religio 5
nem pertinent , diſceptatur , ad ſedem Apoſtolicam omne iudicium ſemper referatur, nihil illa in-
conſulta ſtatuatur. Tu vero nunc fili,cum vel de concilio generali , tanquam de remedio omnium
opportuniſſimo , afflictis eccleſiæ rebus , & ipſius imprimis Germaniæ mentionem facis, vel de na-
tionali , cuius etiam meminiſti , vel de futuro ad proximum Autumnum Imperiali conuentu , in
quo de religione,cæteriſque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis,ita agis,ita ſtatuis, vt
ſupprimas eius nomen vbiq; , cui diuina & humana iura approbante tot ſeculorum conſenſu, † ſu- 6
premam cum cogendi concilia,tum ſtatuendi his, † & ordinandi, quæ ad Eccleſiæ vnitatem vtilita- 7
temque ſpectant,authoritatem dederunt. At vero neque hæc ſola ſunt,in quibus conquerimur Ec-
cleſiæ & Maiorum abs te morem atque inſtitutiones diuinas minime ſeruatas fuiſſe, ſed alia præter-
ea,& ea quidem non pauca , peracti iam conuentus decreta legantur , quæ maxime & pietatem læ-
dunt , & omnem legum ordinem confundunt. † Nam quod laicos de rebus ſpiritualibus iudicare 8
vis poſſe , neque laicos modo , ſed nullo diſcrimine laicos , † & damnatarum hæreſium aſſertores, 9
† quod de bonis eccleſiaſticis,& de eorum futuris controuerſijs ſtatuis, quod eos,† qui extra Eccle- 10
ſiam ſunt,& per edictum tuum pridem damnati, honoribus priſtinis in iudicijs ac tribunalibus reſti- 11
tuis , atq; hoc pro tua & Imperatoria poteſtate facis , † minime approbantibus cæteris,qui antiqua 12
& ſancta obedientia perſeuerant. † Quid tandem horum cum diuinis inſtitutionib.ac legibus,qui- 13
bus perpetuo Eccleſia eſt gubernata,conuenit? Quæ omnem potius diſciplinam,omnem ordinem,
ſine quo nullus hominum cœtus regi poteſt , ab Eccleſia prorſus tollunt. Hoc vero quo magis ab o-
mni recta diſciplina , & conſuetudine maiorum ſunt aliena,eo minus nobis perſuadere poſſumus,è
tuo ipſius ſenſu illa vnquam emanare potuiſſe,ſed eandem pietatem animo tuo ſuppreſſam quidem
ad tempus malorum conſilijs , qui huic ſanctæ ſedi ſunt rebelles, putamus, qui ſi à te impetrare non
potuerunt,vt quæ contra eam volebant facere, probares,ſaltem vt eiuſmodi edictis aliquam abalie
nati animi tui ſignificationem dares,abs te contendiſſe,facile poſſumus exiſtimare, impetraſſe vero
tanto magis debemus,quanto id tibi & Eccleſiæ,niſi cito ad teipſum redeas, maiori damno & detri-
mento fore nobis maxime eſt perſuaſum,quod non poſſumus non indies magis magiſq; timere,quo
attentius conſideramus,quibus cum amicitiam inieris.Si enim,vt inquit Apoſtolus, *Corrumpunt bo-
nos mores colloquia mala* , quanto grauius, † ſi quis cum malis coniuncta conſilia & fœdera habeat, 14
hoc de eo timendum erit.Quanquam quidem non dubitamus,ſub ſpe pietatis, vtilitatis, honoris ad
hæc eos te ſolicitaſſe , ſed nullum prorſus eſt tam malum conſilium,quod non ſpecioſo aliquo eiuſ-
modi nomine quaſi veſte precioſa ſe ornet. Tu vero fili , *interroga* potius *patrem tuum* , *& annuncia-
bit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Si enim omnes vna voce te ad vnitatem Eccleſiæ atq; honorem &
obedientiam huius ſanctæ ſedis hortabuntur,atq; iam pridem factis ipſis ſunt hortati,ſi vero ſanctiſ-
ſimum quenq; & in diuinis legibus peritiſſimum conſules, grauiſſimas in eos diuinæ iræ vindictas
proferent , qui quacunque de cauſa, quacunq; pietatis ſpecie adducti , † ſummi ſacerdotis munera 15
ſibi ſumere voluerunt: eſt vero ea maxima,quam rebelles adducere ſolent,cum principes,vt eius ca
thedram aſcendant,atque vt ius & authoritatem cognoſcendi cauſas religionis & iudicandi ſibi aſ-
ſumant,hortantur. † Sacerdotum enim negligentia pro ſtimulo ad impellendum eos vtuntur , vt 16
Eccleſiæ curam in componendis religionis controuerſijs , & in ordinandis Eccleſiæ rebus , in ſe ſuſ-
cipiant. Quis enim hoc factum non dignum ſumma laude iudicet? Nemo quidem,ſi factum tan-
tum reſpiciatur. Sed vt in domo bene inſtituta, in qua diuiſa officia & munera non licet vnicuique
pro ſuo arbitratu omnia exercere,etiamſi ſingula in ſuo genere ſint præclara,quod qui tẽtant,quam
uis bono id animo faciant, à patre tamen familias merito reprehendendum,quippe qui ſuo intem-
peſtiuo zelo,quod pulcherrimum eſt in domo, † nempe ipſum ordinem,ſine quo nulla domus diu 17
tius ſtare poteſt,quantum quidem in ipſis eſt,tollunt: & prudentię eius,qui illum inſtituit,ſummam
iniuriam faciunt: † ſic prorſus in Eccleſia Chriſti , quæ eſt domus Dei , in qua omnia munera ſunt 18
diſpertita, & ſingula ſingulis ita diſtributa , vt inferiores ſuperiorum officijs non fungantur , eo mi-
nus licet ordinem perturbare , quo maiori prudentia eſt ordinata Eccleſia , quam de vlla domo co-
gitari poſſit. Eſtque ea ſemper grauiſſima in Dei prudentiam ac ſapientiam iniuria. At non omnes
hoc vident , ſed nec te etiam ſatis adhuc videre arbitramur, Cæſar, quantum iniuriæ inferas diuinæ
prouidentiæ,in hac domo Dei,in qua ſupremum munus ſacerdotibus eſt commendatum,cum ho-
rum tibi partes & honorem ſumis.† Nec vero vidit Ozas,cum honoris cauſa arcam Dei curru boum 19
vectam proſequens, illis calcitrantibus, manu admota,dum ruinam timet, ſuſtentare voluit. Quis
vero hominum hoc factum improbare auſus eſſet? Vel quis non potius illud ſummopere laudaret,
ſacerdotibus abſentibus in præſenti periculo ruinæ ipſius arcæ, quam bos laſciuiens (vt inquit Scri-
ptura) iam inclinauerat,manum vt eam ſuſtineret,admouerit. Nemo quidem hoc non vt pie factũ
laudaſſet,niſi ſeueritate vindictæ minime id ſibi gratum fuiſſe Deus oſtendiſſet, cuius quidem vltio
Ozam ſtatim è vita ſuſtulit,nullam aliam ob cauſam (Scriptura teſtante) niſi quia temere quod ad Sa
cerdotum & Leuitarum officium pertinebat, ſupplere ipſe auſus eſſet. Tantum.v.peccatum in hoc
facto fuiſſe,quis vnquam cogitaſſet? Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit,ne in eundem
diuinæ iræ laqueum incidamus.De quo nunc fili te admonere volumus,ne fallacib.illorum perſua-

ſionibus adductus, qui in ore ſemper habent reformationem Eccleſiæ, in tanto non bonum, ſed ſa-
cerdotum quaſi laſciuientium cœtu, quorum illa humeris ſuſtentatur, tu manus temere admoueas.
20 eſt enim hoc ſacerdotum Dei munus atque officium. † In eundem vero laqueum inciderunt Dathan
& Abyron atque Core, qui ægreferentes in ſancto populo, vnum pro cæteris dignitate ſummi ſacer-
dotij fulgere, ſe tam Moyſi, quam Aaroni oppoſuere, quum dicerent: *Sufficit vobis, quod omnis mul-
titudo Sanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, quid eleuamini ſuper populum?* Licet vero hæc verba
contra ambos dicta videantur, tamen Moyſe interprete didicimus, omnis eorum indignationis
cauſam, ſummum ſacerdotium Aaronis fuiſſe. Non enim vbi omnis multitudo eſt ſancta, virum
aliquem eminere dignitate æquum eſſe cenſebant. Quam vero grauiter hæc res diſplicuerit Deo,
inſigne in eos diuini iudicij & ſeueritatis exemplum oſtendit, quos terra dehiſcens, vna cum vni-
uerſa ſupellectili & omnibus bonis viuos abſorpſit. Hæc vero vetera nunc recito, quia (vt inquit
Apoſtolus) *in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines
21 ſæculorum deuenerunt*, vt diſcant omnes, † ſi in ſacerdotio, quod deſeruiebat tabernaculo & vm-
bræ, quodque vna cum tabernaculo abolendum diuina prouidentia ſtatuerat, tantam curam Deus
oſtenderit, vt ne minimam quidem in ea mutationem ab humano ingenio inultam permiſerit:
quanto maior reuerentia tribuenda ſit illis ſacerdotibus, qui non amplius ſeruiunt typo & vmbræ
abolendis, ſed ipſi vero tabernaculo quod nunquam transferetur? quantoue minus de mutatione
vel minimæ ordinationis, quæ ad eos pertinet, cogitare debeant? Quanto denique grauius & ma-
gis intolerabili ſuperbia putabimus eos in diuinam prouidentiam peccare, qui vel hanc confunde-
22 re, vel ad ſe transferre poſtulant, vel alio modo de illa ſtatuere volunt, † quam longa Eccleſię conſue
tudo fundata in teſtimonijs Scripturarum promittit, & declarat? Quocunq; vero modo, quacunq;
ſpecie pietatis propoſita hæc tententur, radicem quidem mali ſuperbiam, Deo ſemper odioſam eſſe
23 non eſt dubium. † Sed quod maxime declarat Oziæ regis exemplum, in quo ſimul & radicem huius
mali, & grauem illius vindictam Scriptura nobis exprimit. Hic autem Rex alias laudatiſſimus, idque
teſtimonio Scripturæ in hoc tantum ſuperbiæ arguitur, quod incenſum ad altare thymiamatis ad-
olere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non piam potius, quam ſuperbam iudicaſſet? Sed ſpiri-
tus Dei in Scriptura, cum ad huius facti narrationem peruenit, *eleuatum* (inquit) *eſt cor Oziæ*. In quo
vero eleuatum, nempe quod alieno miniſterio fungi voluit, de quo poſtquam à ſacerdotibus admo
nitus, nec illis paruiſſet, ſtatim à Deo lepra eſt percuſſus. Hæc vero nunc chariſſime fili recenſemus,
vt intelligas, ſi ſuperbum fuit Oziæ factum in adolendo incenſo, ſuper altare thymiamatis, quan-
to ſuperbius eſſe hoc tantum adolere incenſum ſuper altare corporis Chriſti, cæteraque, quæ reli-
gionem ipſam comitantur, perſequi. Quid autem, an non putas hoc incenſum eſſe coram Deo, le-
ges de religione ſancire. Eſt quidem incenſum, idq; omnium Deo gratiſſimum (Nullum enim odo-
rem tibi perſuade Deum gratius ſuſcipere) ſed non eſt tuum munus illud Imperator, eſt ſacerdo-
24 tum Domini, † eſt noſtrum inprimis, quibus Deus poteſtatem ligandi & ſoluendi dedit. Vide vero,
in quam tum partem templi intras, cum hodie tibi miniſterium ſumis, non quidem in atrium aut in
ſancta, vt Ozias, non enim tantum ſanctum eſt hoc factum, ſed ſanctiſſimum. Cum ergo pruden-
tia tua huc tu penetras, in domum Domini tu penetras, & in ſancta ſanctorum, atque ipſum
corpus Chriſti penetras, eius officium tibi arrogans, nec te excuſat, quod ſanctum ſit factum,
vel quod non perpetuas, ſed ad tempus, hoc eſt, vſque ad futurum concilium duraturas leges la-
turum te eſſe dicas: vt enim id per ſe pium ſit, tamen in eo, cui Deus hoc miniſterium non dedit,
25 maxime eſt impium. † Sumis enim tibi iam perſonam, quæ propria eſt Dei, cui ſolum de ſacerdo-
tibus iudicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam ſumere licet. Dei enim vox eſt ad
malos ſacerdotes, *Ego ipſe* (inquit ſuper paſtores) *requiram gregem meum de manu illorum*: quod ſuo
26 tempore penitus facturus eſt Deus: ita ſi quis interim † quaſi de manu eius præripere hoc tentauerit,
is ſemper pro tali auſu grauiſſ. pœnas dedit. veluti contra nullo vnquã ſeculo intermiſit certis quibuſ
dam ſignis teſtari illos maioribus gratijs tum interius tum exterius, & omni genere bonorum dignos
eſſe, qui augendo & ornando Sacerdotum genus, Eccleſiæ ſuæ vnitatem ac principem ſedem auxi-
27 lio & gratia fouerunt, † vt in Conſtantino Magno, in Theodoſiis, in Carolo magno accidiſſe vide-
mus, quibus nulli vnquam Chriſtiani Imperatores vel diuinis gratijs, vel victorijs illuſtriores fue-
re. Contra vero Deus eos, qui Sacerdotibus reſtitere, non ſolum paſſus eſt in omne genus turpitu-
dinis labi, ſed ſæpe & inſignibus quibuſdam pœnis in teſtimonium diuinæ iræ ſuæ caſtigauit. Nec
vero nunc de illis loquimur, qui Eccleſiam naſcentem adhuc extinguere ſunt conati Neronibus,
Domitianis, & eiuſdem generis reliquis: ſed de his, qui illam perſecuti ſunt, iam adulta ætate, in-
cipientem in principes authoritatem ſui muneris exercere, poſtquam conſtituta iam & confirma-
ta eſt Petri Sedes in oculis omnium principum. Qui vero huius authoritati reſtitere, à Deo ſic ca-
ſtigatos conſtat, vt manifeſte appareat, quam grata ſit ac ſemper fuerit Deo huius ſedis obedientia:
28 contra autem quam ingrata & odioſa in eandem inobedientia. † Inprimis eum ex Imperatoribus,
qui in apertam defectionem & contemptum huius ſanctæ ſedis erupit, legimus fuiſſe Anaſtaſium
primum, quem à Gelaſio Pontifice Romano admonitum, ne Acacij Epiſcopi Conſtantinopoli-
tani à Sede Apoſtolica damnati partes foueret, cum nec monitis eius paruiſſet, & Hormiſdę eiuſdem
ſucceſſoris legatos, ad eum ea de cauſa miſſos, vt à communione cum hæreticis deſiſteret, contem-
ptim primũ auditos contumelioſius dimiſiſſet, diuina tandem ira fulmine è vita ſuſtulit. Sequuntur
huius

huius impietatis ſucceſſores, ſed per interualla multi alij Imperatores, † quales fuere Mauritius, 29
† Conſtans ſecundus, Iuſtinianus Conſtantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare 30
longum eſſet, qui diuerſo quidem genere mortis, ſed omnes aut violento aut ignominioſo, ſpoliati
antea imperio & omni dignitate perierunt, vt manifeſte appareat in eis vltrix inobedientiæ, vin-
dicta Diuina. † Quæ ſeries vſque ad Henricum illum perduci poſſet, qui cum grauiſſime ſedem 31
Apoſtolicam vexaſſet, tandem eum à ſuo filio captum Leodij, vltio diuina in carcere mori facit: iu-
ſtiſſimam quidem inobedientiæ pœnam ab ipſo repetens, vt à filio caſtigaretur, qui eum, quem pa-
tris loco diuina ei prouidentia in Eccleſia conſtituerat, tot modis vexauerat, eiuſq; autoritatem ne-
glexerat. † Id quod & de Friderico Secundo dici poteſt, niſi quod infeliciori mortis genere eſt ſub- 32
latus, qui filio ſuo ipſo carnificis munere fungente, ſtrangulatus interijt. Tametſi Deus non ſem-
per hoc modo rebelles caſtigare ſoleat, quandoquidem nonnullos ſi deſiderijs ſuis frui permittat,
vt quod ad externam caſtigationem attinet, impune peccare, & in magna rerum omnium affluen-
tia quaſi felices viuere videantur. Id ea ratione factum à diuina prouidentia ſancti patres pie exiſti-
marunt, ne ſi omnes hi impii caſtigarentur, nullum aliud tribunal diuinæ iuſtitiæ reliquum eſſe ho-
mines iudicarent. Quoſdam ergo hic in aliorum exemplum Deus vt iuſtus agnoſcatur, aperte caſti-
gat: quoſdam vero dum hic caſtigare diſſimulat, ad tribunal ſuum futurum ſeuerius iudicandos re-
ſeruat. Nullum vero peccatum impunitum dimittit diuina Iuſtitia. Ea autem omnium eſt grauiſſi-
ma caſtigatio, cum ii, qui Deum grauiſſime offendunt, impune id ſe facere exiſtimant. Omnes enim
tales cæcitate mentis ſunt percuſſi, & in paſſiones, ignominias ac in reprobum ſenſum traditi, quæ
ceu propria impiorum flagella Apoſtolus numerat. Cum autem hæc omnibus impiis ſint commu-
nia, tum vero maxime illorum propria, qui ſuam impietatem † in oppugnanda principe ſede, & in 33
Eccleſiæ vnitate ſcindenda exercuere. Hoc quidem in quibuſdam animaduertimus, qui quo plu-
ribus (dum ſanctam erga illum obedientiam ſeruarunt) virtutibus ſplendere ſunt viſi, eo magis
poſt impiam ab eo defectionem in prodigioſas animi paſſiones auaritiæ, libidinis & crudelitatis
fuerunt traditi: id quod Anaſtaſio X. de quo ſupra mentionem fecimus, eueniſſe hiſtoriæ narrant.
Similibus vero exemplis in hac noſtra ætate vtinam quidem careremus. Nec vero in ſingulos tan-
tum homines hæc vltio diuina, caſtigans eorum inobedientiam erga hanc principem ſedem eſt per-
uagata, ſed in nationes etiam & prouincias, in quibus videmus, cum grauiſſime omnium ii ſunt ca-
ſtigati, qui Chriſtum Dominum habere recuſarent, proximum miſeriæ locum eos ſortitos eſſe, qui
Vicarii Chriſti authoritati reſtitere. Duas vero nationes à Deo inprimis caſtigatas, atque afflictas
videmus, quæ olim florentiſſimæ fuere. Quarum vna pertinax in negando Chriſto permanſit, al-
tera aliquamdiu cum Vicario eius præ cæteris omnibus contendit. Illa eſt Iudæorum, qua nulla
maiori miſeria eſt oppreſſa: † hæc vero Græcorum, quæ proxime ad miſeriam Iudæorum acceſſit, 34
quia proxime ad eorum impietatem acceſſerat. Quare ſi Chriſtus ipſe in cæteris Imperatoribus,
Regibus, populis & nationibus nunquam multam tulit Vicarii ſui ſpretam authoritatem: ea inte-
rim perpetua ſucceſſione conſeruata, ſi tum ſeueris iudiciis eorum inobedientiam caſtigando odio-
ſos ſibi ſemper fuiſſe huiuſmodi conatus oſtendit: quanto in te Cæſar ſi (quod Deus auertat) hanc
oppugnares, cum apud Deum tum apud homines hoc odioſius iudicaretur, qui ex illis Impera-
toribus originem ducis, qui non plus honoris ſedi Apoſtolicæ detulerunt, quam ipſi ab ea recepe-
rint. At neque hæc, chariſſime fili, ſcribimus, quaſi vllo modo nobis perſuadere poſſimus, huiuſ-
modi te conſilia in animo rata & confirmata habere: ſed vt amans pater, ſalutis filii & honoris, ac
de vtroque ſolicitus, ſimulatque edictum ipſius Spirenſis conuentus vidimus, te admonendum du-
ximus, eo quidem grauius, quo magis exploratum periculum, in quo verſaris, habemus. Denique
ſi pluribus diſſuaſimus, ne in diſceptationes ſuper his, quæ ad religionem pertinent, componen-
das, ius tibi vel authoritatem ſumeres: non ob id ſcripſimus, quod diſceptationes componi non ma-
xime optaremus, † qui (teſte noſtra conſcientia) vt hoc rite fieret, vitam & ſanguinem libenter ef- 35
funderemus: ſed vt exemplis, cum ex diuina Scriptura, tum ex Eccleſiaſticis hiſtoriis citatis te ad-
moneremus, ne, quod ad tuum miniſterium non pertinet, ipſe tibi arrogares, & pro tua & Impera-
toria dignitate iuberes, ſed potius Conſtantini Magni ſerui Dei maximi ac fœliciſſimi Imperato-
ris exemplo te hortamur, quod tantum facimus, vt eos primum † ſuo Iudici & ſuis Iudicibus iudi- 36
candos & corrigendos relinquas. Ille vero quum rogatus eſſet ab ipſis ſacerdotibus, vt in eorum
diſceptationibus ſe Iudicem præberet, prorſus recuſauit. † Cuius verba in hanc ſententiam ab hi- 37
ſtoriarum ſcriptoribus, qui affuerunt, citantur: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis de-
dit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iu-
dicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia, quæcunque ſint, ad illud di-
uinum reſeruentur examen.* Hæc ille Magnus nõ tam imperio, quod erat maximum, quam pietate &
cæteris virtutibus, dixit: cui te Cæſar in omnibus perſimilem eſſe cupimus & optamus. Quod ve-
ro præ te fers ſtudium & deſiderium, vt componantur controuerſiæ in religione, & vt aliqua diſci-
plina morum in vniuerſa Eccleſia renouetur, te in hoc quidem magnopere laudamus, & abs te pe-
timus, vt in hoc operam tuam præbeas, & cui Deus curam huius miniſterij commiſit. Vt enim te
tanquam caput in rebus huiuſmodi tractandis minime ferendum cenſemus, ita tanquam brachij
accommodatiſſimi tuam inprimis opem deſideramus. Hoc vero noſtrum deſiderium fecit, † vt ad 38
minimam quanque ſpem cogendi conſilij œcumenici non ſolum nos ſemper promptos præbueri-

mus,ad illud indicendum,ſed vbi vel minima ſpei ſcintilla eluxerit,cogi poſſe,eo ſtatim legatos mi
ſerimus:quemadmodum vltimo loco etiam fecimus,quanquam non cum eo fructu,quem aſſidue
optamus: ſed maluimus ſane omnia tentare,quam vel minimæ occaſioni deeſſe,quam à diuina bo-
nitate ſemper expectamus.Cum autem vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatis cauſa concilium fieri ſummo-
pere cupimus, tum vero præcipue illius inclytæ nationis Germanicæ, quæ iampridem diſcordijs in
his,quæ ad religionem pertinent,plurimum vexata diſſidet,cuius ſaluti (vt tua etiam Maieſtas fate-
39 tur)commodiſſime per generale concilium opitulari nos poſſe,ſemper ſperauimus. † Horum autẽ
conſilijs,qui iam ab hac ſede ſunt damnati,te viſum eſſe (quod nunc conquerimur) non ob id qui-
dem conquerimur,quod ſemper hos remotos à tua amicitia eſſe cupiamus: aut id quæramus, quia
ſemel damnati ſint,vt ſemper damnati maneant.Teſtis enim nobis eſt Deus,quam nihil magis in vo
tis habeamus,quam vt oues perditas ad dominicum ouile reducamus, & vt illam nobilem prouin-
40 ciam vniuerſam in fide & religione † cum capite & reliquo corpore in omni amore atque amicitia
coniunctam videamus,idq; ob eas quas diximus cauſas.Sed tu nunc, dum ij in diſcordijs cum capi-
te & reliquo corpore manent(de ijs qui tales ſunt,loquimur,tum extra eccleſiam,tum per edictum
etiam tuum damnati)eorum amicitiam pluris quam par eſt facis, dum indulgentius eos tractas: cũ
hæc tua indulgentia & præteritorum edictorum declarationes ſeparatim à te factæ, non ſolum ha-
ctenus illis non profuerint, vt ad ſaniorem mentem redirent.ſed potiùs, quod re ipſa cõpertum eſt,
occaſionem dederint,vt inſolentiores ſint facti, & ad occupanda vicinorum bona animoſiores,diſ
ſidium certe ipſum magis hoc modo fouere, quam tollere videris. Sed hæc quia ad meliorem for-
mam,non ijs quidem viis alienis ab omni more & conſuetudine maiorum,atq; ab ipſo iure diuino,
ſed per generale concilium optime perduci potuiſſe,ſemper in Domino ſperauimus,& nunc etiam
41 ſperamus, ideo nos plus illius prouinciæ commodis, quam vllius alterius conſulentes; † ad Ger-
maniæ fores Tridentum vſque legatos noſtros miſerimus: ſed *vocauimus, & non erat qui audiret,*
venimus,& non erat vir. verum nec propterea deſiſtimus, ſed adhuc vocamus,& clamamus ad te &
42 ad cæteros principes. clamamus vero cum Prophêta Dauide: † *Venite, ploremus coram Deo.* nec e-
nim aptius principium concilii eſſe poterit. & cum Daniele: *Oro pro peccatis meis & populi, accuſo,*
confiteor, obſecro, Domine peccauimus, iniquitatem fecimus,& impie egimus & receſſimus,nobis confuſio
faciei, Regibus noſtris, Principibus & Patribus noſtris, quia peccauimus: tibi autem Domine miſericor-
43 *dia eſt & propitiatio.* Ad tale ergo concilium te vocamus, † in quo Angelos ipſos aſſeſſores habere
ſperamus,qui ſi ſuper vno peccatore pœnitentiam agente gaudent,quanto magis ſuper vniuerſa ec-
cleſia, cuius ipſi pars ſunt ad pœnitentiam congregata, gaudebunt? Huc accedit,quod ſaluti Chri-
ſtiani populi ab imminente potẽtiſſimo & perpetuo nominis Chriſtiani hoſte Turcarum tyranno,
quo pacto niſi per Chriſtianorum coniuncta in fide & charitate auxilia conſuli poſſit, non vide-
mus. Quare ſterne viam,dilecte fili,ad tale concilium. Hoc enim tui muneris proprium erit.ſternes
autem,ſi vel pacem reddas,quantum in te eſt Chriſtiano populo,tantopere ab omnibus expetitam;
vel ſaltem arma cohibeas,dum Eccleſia in Concilio congregari poſſit,vbi æquius eſt quam per vim
veſtras diſceptationes decidi. Hoc vero tu & cæteri Chriſtiani principes, quos etiam atq; etiam de
eadem hac re admonebimus, præſertim vero eum, quo cum bellum geris, faciatis. iam concilium
adeſt,iampridem enim indictum eſt,neq; vero abruptum eſt,etſi bellorum cauſa in cõmodius tem-
pus dilatum. Itaque huc chariſſime fili,incumbe, & hanc lætitiam primum populo Chriſtiano, qui
iampridem inteſtinis bellis eſt attritus,redde.Deinde vero nobis,qui te nihil charius in terris nos ha-
bere iudicamus,qui primogeniti apud nos locum in amore tenes, idq; ſpecimen diuinæ in te virtu-
tis præbe, vt non modo patrem, te pie monentem, non auerſeris: quod faciunt ij,quos Deus in ſi-
44 gnum abdicationis,ſuis deſiderijs tradit.† ſed vt eundem ad te,tanquam Deo iubente,tali tempore
miſſum,qui labantem ſuſtineat, & magno animæ ſalutis periculo liberet,omni pietate amplexeris,
eius vocem libenter audias,monitis obtemperes,ſatis vero obtemperabis,ſi cum te à ſemita ſancta,
vt appellat Propheta, quæ eadem eſt regia via,maiorum tuorum religioſiſſimorum Principum hu-
mana conſilia vt hominem deflectere potuere. Huc ſtatim de ea qualis ſit admonitus, diuinam in-
dolem proferens videas,atq; ita in animum inducas,nullum vt in ijs,quæ ad religionem pertinent,ti
45 bi ius & autoritatem vindices,† ſi diuinam inſtitutionem & Eccleſiæ conſuetudinem ſequens ab i-
pſis conuentibus Imperialibus,à quibus abſunt,qui autoritatem de eiuſmodi rebus cognoſcendi ha
bent,omnes de Sacerdotibus atque de religione diſceptationes prorſus excludas, & ad eorum pro-
46 prium tribunal reijcias,† ſi de bonis Eccleſiaſticis,quorum iudicium ab ipſo Domino,cui ſunt con-
ſeruata,ſacerdotibus relinquitur,& commẽdatur,& ipſe nihil ſtatuas,ſepoſitis armis aut ſtudeas pa-
ci,aut ſi aliter pax conciliari non poteſt, concilio generali iudicandi de ijs, quæ tam pernicioſa bel-
47 la in populo Chriſtiano tamdiu alunt,poteſtatem facias. † Si deniq; ea, quæ per nimiam indulgen-
tiam rebellibus huic ſanctæ ſedi, & contumacibus conceſſiſti, ipſe reſcindas ac tollas. Hæc enim
chariſſime fili,cum ita ſint,quæ tuam ipſius animam in magnum ſalutis periculum adducant,& Ec-
cleſiæ pacem magis magiſq; perturbent,facile videre potes,niſi per te quamprimum his malis reme
dium adhibeatur(quod te facturum ſperamus)in quas anguſtias ſis nos compulſurus: vt aut officio
aut muneri nobis à Deo per eius filium dato deeſſe cogamur, cum maximo Eccleſiæ detrimento:
aut iterum ſeuerius agere, quam vel conſuetudo noſtra,vel natura, vel voluntas ferant.Quanquam
officio quidem deeſſe in tanto Eccleſiæ diſcrimine, nec debemus prorſus, nec volumus, quan-
tum

tum per eius gratiam, cuius vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri poſſumus. Inſidet enim in animo, & ob oculos nobis obuerſatur illud idem de quo principio diximus, diuinæ ſeueritatis in Heli ſacerdotem exemplum, quem non ob id quidem damnatum legimus, quod in filiis corripiendis prorſus abſtinuerit. Corripuiſſe enim eos ſatis conſtat ex Scriptura, ſed quod in corripiendo, vt inquit diuus Hieronymus, lenitatem patris, non authoritatem pontificis agebat. Nos lenitate patris, integris prope adhuc rebus vſi ſumus, quibus ex edicti forma tranſactis, quod Deus auertat, in Heli exemplo ſatis video, in quam nos neceſſitatem ſis adducturus. Quare tecum conſidera Cæſar, quid te magis deceat, quid ad tuum in primis officium erga Deum & Eccleſiam magis pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat. An vt brachium noſtræ ſeueritati, in iis quæ ad vnitatem Eccleſiæ pertinent præbeas, an potius illis faueas, qui hanc ſemel ruptam in plures adhuc partes ſcindere miſerabiliter laborant & optant. Deus pacis pro immenſa miſericordia ſua, tuam Maieſtatem ab iniquorum conſiliis liberet, ac pacis conſilia in tuo corde confirmet, vt vnanimes vno ore honorificemus Deum patrem per IESVM Chriſtum, cui cum ſancto Spiritu ſit honor per æterna ſecula, Amen. Datum Romæ apud S. Marcum, XXIV. Auguſti, M.D.XLIV.

Scholia in Epiſtolam Pauli III. Pont. Max.

SI illud vindictæ Dei exemplum horret ſanctiſſimus pater, mirum cur tantopere de hoc vno Cæſaris delicto ſolicitus, (ſi delictum nominari debet) tam ſecurus in aliis filiorum ſuorum infinitis nequitiis torpeat. Vltus eſt Deus ſegnitiam Heli ſacerdotis, quod filios non caſtigauerat. Filios Chriſtiani paſtoris iubet apoſtolus Paulus eſſe bene moratos, bene educatos, in timore Domini. Filium habet Paulus noſter Ferneſius, & ex eo nepotes, præter ſpurios, qui adhuc ſilicernio huic & ſemiputrido cadaueri naſcuntur. 1

Qualis eſt Petrus Loyſius? dicam, quo nihil poteſt dici atrocius, & tamen eſt veriſſimum. Nunquam tale monſtrum hactenus peperit Italia. Paule quid ceſſas? cum execrandæ filii tui libidines in cœlum aſcenderint, cum fœtore ſimul ac fœditate ipſarum polluta ſit terra, cum totus mundus vociferetur: nondum execrandæ ſeueritatis tempus eſſe putas? Quid de eius auaritia? quid de rapacitate? quid de ſæuitia dicam? Tametſi in his omnibus ita reliquos ſuperauerit, vt te vno ſemper ſit inferior: quid de nepotibus tuis, quid de tota familia orbis cum multa indignatione dudum loquitur? Si ob indulgentiam correctus fuit Heli, tune impune feres, quod ad tam horrenda filiorum tuorum flagitia non ſolum conniueas tacitus, ſed manum illis auxiliarem præbeas? approbes certe palam, & magna ex parte non diſſimules, te authore perpetrari? Non te hic Dei iudicium ſolicitat? nullus metus animum tuum percellit? Sed de naturalibus filiis iam plus ſatis. Iactas te Chriſtianorum omnium eſſe patrem. In tam deplorata mundi corruptione, quis amplius taciturnitati eſt locus? Siles tamen, & mundum ſciens ac videns in exitium ruere cum ſilentio pateris. Si Heli non pepercit Deus, quale tibi ſupplicium imminere cogitas? Propius etiam num te vrget. Qualis eſt ſedis tuæ ſtatus, quæ tibi inſtar familiæ eſſe debet? Quid agunt tui vicarii? Qualis in curia tua negotiatio exercetur? Qualiter ſe clerus tuus gerit? Quam mihi Sodomam reperies, vbi maior vnquam fuerit malorum omnium impunitas? magis perdita impudentia? licentia magis effrenis? Et nunc perinde ac ſi nihil eſſet domi quod ageres, times, ne ob vnam hanc culpam immineat ira Dei tuo capiti, ſi concedi Proteſtantibus pacem & iuris æquitatem tacitus ſinas, quoad de religione fuerit cognitum; ſi Cæſarem, iniuſſu tuo, tam concilium, quam legitimam cauſæ definitionem polliceri ſuſtineas.

† Hic mihi Athaliæ venit in mentem. Nam ſicut impudica illa canis, cum regem Ioas cerneret in ſolio collocatum, quia tyrannidem ſuam videbat concidiſſe, clamabat, *ſeditionem eſſe factam*: ita peritum hoc ſcortum, cum tyrannidi ſuæ, quam Deo & hominibus inuitis, ſibi per ſummum nefas arrogat, vel minimum derogari videt, cœlum terræ miſcet, quaſi nihil amplius ſit in mundo ſaluum. 2

† O quam multis, & quam inſignibus documentis compertum habet Cæſar paternum hunc amorem. Quod niſi ſibi ab hoc idolo, tanquam à Deo ſiniſtro metuerent Chriſtiani principes, poſſent mira paternæ charitatis officia, quæ pro ſe quiſq; experti ſunt, recenſere. Sed quid principum arcana excutere opus eſt? quaſi vero non omnibus etiam infimis palam ſit, qualem ſe hactenus patrem illis exhibuerit. 3

† Hic quidem olim ſpecioſus erat fucus Romanæ meretricis, iactare Eccleſiæ veritatem, ſed iam cum longo quaſi attritu obſoleuit, tum flatu oris Domini toties diſcuſſus & claris ſcripturæ teſtimoniis abſterſus ita fuit, vt ad colorandam eius deformitatem apud oculatos parum valeat. Chriſtus enim vnicum ſanctæ vnitatis vinculum eſt: ab eo qui diſcedit, violat turbatq; vnitatem: extra eum vero, non niſi ſacrilega conſpiratio eſt. Vocat nos ad ſe Romanus Antichriſtus, prætextu vnitatis: & quicunque tyrannidis ſuæ iugo non ſponte alligari ſe ſuſtinent, eos ſchiſmaticos iudicat. Nos autem ex aduerſo audimus Chriſti vocem: *Vbi erit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Audimus Apoſtolum hortantem, vt *conſentiamus, & ſimus concordes*: ſed *in Chriſto*. Audimus piam Hilarii admonitionem, *Specioſum quidem nomen eſt pacis, & pulchra opinio vnitatis: ſed quis ambigat eam ſolam Eccleſiæ & Euangeliorum vnicam eſſe pacem, quæ Chriſti eſt?* Oſtendat ergo à parte ſua Chriſtum Freneſius, & vnitatem Eccleſiæ penes ſe eſſe probabit. Sed cum adhærere illi non poſſimus, niſi Chriſtum abnegando, qui ab eo diſſilit, non facit ab Eccleſia diſceſſionem, ſed veram Eccleſiam ab adulterina & ficticia diſcernit. 4

† Quaſi vero pro libidine cuiuſq; ſtatui voluerit Imperator, ac non potius legitima vltro citroq; 8
habita diſceptatione, ex ſacroſancto Dei verbo ſumi definitionem. Quaſi etiam laicis mandarit iſtas partes, vt definiant ipſi, ac non potius vt ſciant, quod ex Dei verbo conſtiterit. Hoc ſi nouum eſt Freneſio, valde eſt omnis antiquitatis imperitus.

† Nempe ſi huic Freneſii iudicio ſtetur, ne concilio quidem opus fuerit. Res enim iam expedita 9
hoc modo erit, ſi indicta cauſa iam cenſeantur damnatarum hęreſium aſſertores, qui ſe ad reddendã doctrinæ ſuæ rationẽ offerunt. Neq; vero imprudenter agit ſanctiſſimus pater. Quid .n. optabilius, quam hoſtes ſuos voce vna iugulare? Sed hoc eſt incõmodi, quod qui tam atrociter hic damnantur præclare & ſtrenue ab hac calumnia ſe purgant, papam vero ipſum interim non modo impietatis ac ſcelerum omnium reum peragunt, ſed antichriſtum eſſe conuincunt, impiorum omnium caput.

† Quid, an non Spiritus ſancti elogio prædicatur ſanctus Rex Ioſias, quod cum oblationes in- 10
gurgitari videret à ſacerdotibus, ſcribam ſuum exigendis rationibus præfecerit? Quid ergo piaculi erit, ſi hodie eius exemplo Chriſtiani principes, dum à papæ gurgitibus Eccleſiæ opes vorari, & per ſummam nequitiam turpiter diſſipari vident, ad vindicandum hoc ſacrilegium manus admoueant? Hoc primum quæritur, in quem vſum deſtinata ſint Eccleſiæ bona; deinde, quorum ſit diſpenſatio: tertio, ſi vitium ſit in ordinaria diſpenſatione, quod ſeuera correctione opus habeat, à quibus adhibendum ſit remedium. De hoc poſtremo cogniturum ſe Imperator de ordinum ſententia prõmiſit. Nunc iudicare promptum eſt, quam tumultuandi cauſam habeat Freneſius.

† Subaudiendum eſt epitheton, ſunt enim Proteſtantes extra Eccleſiam, ſed papalem. Damna- 11
ti, ſed cauſa incognita. Si autem verum eſt eſſe veram Eccleſiæ vnitatem, vbi eſt ſincera Chriſti veritas, vbi integer & doctrinæ & animorum in Chriſto conſenſus cum omnibus piis? Ab Eccleſia certe alieni non ſunt Proteſtantes.

† Imo quis vel princeps, vel priuatus, ſi modo ſcintillam Chriſtiani zeli habeat, non cupiat quam 12
primũ rebus ita miſere collapſis ſuccurri? Quis autem non intelligat, fruſtra à papa expectari quicquam opis? Suã ergo impietatem prodat, oportet, qui tam neceſſarium remedium à Cæſare quæſitũ eſſe ægre ferat. Sed bene habet, ꝙ ſe de conductis quibuſdã mancipiis loqui continuo poſt declarat.

† Ego vero ſcire velim, quid tandem iſtorum pugnet cum Chriſti inſtitutis, & recto Eccleſiæ or- 13
dine. Audio quidem hoc dici, ſed à quo? Si diabolus pater eſt mendacii, quis eius vicario fidem habebit?

† Miram vero metamorphoſim. Tam enim religioſus cupit eſſe papa, vt datam Proteſtantibus 14
pacem eſſe cum audit, totus horreat. Sed mirum eſt ex aduerſo, eum ſecure paciſci cum meretricibus, nec contaminationem ex lenocinii precio horrere, annua penſione decidere cum Iudæis, vt impune non modo Chriſtianam religionem deſpiciant, ſed fœnerando palam latrocinentur, deniq; nec Turcas auerſari. Sed in eo potiſſimum elucet eius ſanctimonia, quod cum Apoſtolo Paulo timet, ne *bonos mores colloquia praua corrumpant*. Quid tibi cum hac ſancti Apoſtoli voce, ſceleſte apoſtata, imo omnis apoſtaſiæ princeps, qui cum dies in machinandis proditionibus, in fraudibus excudendis, in bellis conflandis, in excogitandis nouis rapinarum generibus, in moliendo innocentium exitio, in deſtruenda Eccleſia, in diſſipanda religione cum nequiſſimis conſultoribus tuis conſumas, reliquum tempus vel cum Epicureis ſuauiter te oblectas, vel in medio ſcortorum grege te voluras inſtar porci, nec aliud audis, vel loqueris, quam quod vel execrandam impietatem ſpiret, vel ſua obſcœnitate incitet iſtam tuam effœtam libidinem, quæ tamen nondum prurire deſinit.

† Arrigamus aures, neq; enim videtur iam de nihilo conqueri. Fateor ſane, tanti eſſe Eccleſiæ or- 15
dinem coram Deo, vt qui inuolat in alienum munus, non euadat ſuæ temeritatis pœnam.

† Si qua ratio foret conſeruandæ eius tyrannidis, pro qua nunc decertat Freneſius, hæc in primis 16
firma eſt præ aliis, & valida, ne quis corrigendis ſacerdotum vitiis ſe interponere audeat? Ergo ſi Freneſio concedimus, eſſe hanc illi etiam vſurpationem, eſſe grande ſacrilegium, cum principes, torpente papa, toto clero oſcitante, pereunti Eccleſiæ ſubuenire conantur, actum eſt. Quid ergo habet Cæſar, quo tantum crimen diluat? Primum, tametſi non eſt cuiuslibet, ſe ad repurganda Eccleſiæ male ingerere, & reſtituendum eius ſtatum, quo tamen iure Chriſtianis principibus hoc negabitur? Excipit Freneſius, quia ſic agendo cathedram ſacerdotalem inuadunt. At ſanctis patribus ſemper aliter viſum eſt, quibus nihil fuit antiquius, quam vt principum authoritate in ordinem redigerentur mali & improbi ſacerdotes, indigni autem honoris gradu abdicarentur. In hoc itaq; hallucinatur Freneſius, quia inter iſta duo quantum interſit, non videt, cathedram occupare, & rite collocare iuſtos ſeſſores, qui ſedem ratione iureq; gubernent.

† Hoc concedunt omnes, non perturbandum eſſe in Eccleſia ordinem. Tota igitur quæſtio in 17
ordinis definitione poſita eſt. Requirit ordo, vt ſint diſtinctæ functiones, & hoc concedimus, verum coniunctioni diſtinctio non repugnat. Nec quidquam obſtat, quo minus qui diuerſis officiis præſunt, communibus tamen ſtudiis multa ſimul procurent, quo minus voluant coniunctim vnum lapidem, deniq; quo minus alter pro neceſſitate præſenti in alterius vicem quandoq; ſubeat.

† Det ergo nobis Freneſius ordinatum ex Chriſti voluntate Eccleſiæ ſtatum, & libenter dabi- 18
mus, qui minimo digito attingere eum auſit, vt conuellat, impia audacia id tentare. Sed cum procul abſit barbara iſta, vel potius beluina papatus confuſio à ſancta Chriſti regula, faceſſat hinc prudentiæ diuinæ titulus, cui grauis irrogatur iniuria, cum ad fucandam à Chriſti regno prorſus tam alienam tyrannidem perperam & impudenter obtenditur. Puni-

19 † Punitus eſt Oſias, quod manum arcæ Dei admouere auſus fuerit, bono quidem, ſed inconſiderato zelo, nempe cum partes ſacerdotum arriperet, præſto illis adſtantib. & ad officium paratis. Vbi nunc ex toto papali clero ſacerdos vnus eſt, qui arcæ Domini ſuſtinendæ ſit intentus? Punitus eſt Oſias, quod & præter ſuam vocationem, & aduerſus claram Dei prohibitionem ad tactum arcæ perrupent. Vbi Dei interdictum, vbi finita vocationis ratio, quæ Imperatorem ab omni Eccleſiæ cura arceat. Atqui Reges omnes vocat Ieſaias ad eam ſuſcipiendam. Punitus eſt Oſias, quod ante tempus, importuno feruore ſe ad ſuſtinendam arcam ingeſſerit. At quam diſſimilis erit cauſa, ſi arcam Domini humi proiectam, demerſam in luto, impiorum probris expoſitam erigere conetur Dauid, & ſacerdotes ad eam in ſua ſede collocandam edicto ſuo vocet? Tu vero monſtrum qualiter denunciare aliis audes, vt manus remoueant ab arca, qui eam impuro tuo roſtro proſtratam pedibus ignominioſe conculcas? Licebit ne tibi arcam Domini ſordibus implere, profanare cum ſumma contumelia, proſtituere ad quoduis ſathanæ ludibrium, lacerare in fruſta, eius ſanctitati inſultare, & principibus ſimul ac vniuerſo Chriſtiano populo ad eam repurgandam, coaptandam, reparandam accedere nefas erit?

20 † Quid non audeat hic phreneticus, quem Moyſi & Aaroni ſe conferre nihil pudet? *Dathan,* inquit, *& Chore & Abyron, quod aduerſus Domini ſacerdotes murmuraſſent, horrendo exemplo perierunt.* Sed quid tu ſimile cum Moyſe habes? Tu ne Domini ſacerdos, ò ſacrorum omnium profligator? Non modo tumultuatus eſt Iehu in ſacerdotes Baal, ſed armata manu eos perſecutus, omnes in templo idoli ſui occidit. Præclarum facinus, & quod Dei teſtimonio commendatur. Voce tantum Moyſen vulnerant Dathan, Chore & Abyron, & eos terra viuos abſorbet. Tu igitur alius ſis, vt ſacerdotii iure & honore, à te violando principes deterreas.

21 † Vmbræ ſeruiebat Aaronis ſacerdotium, ſed continebat non inanem veritatis figuram, & ſacroſancta erat Dei authoritate fundatum. Quid autem præter laruam nobis oſtentat papa? Quo fundamento ſuffulta eſt eius tyrannis? Quo deniq; authore, à ſummo vſq; ad minimum ad ſacrilegam ſuam functionem magico potius quam Chriſtiano ritu initiantur? Etiamſi crepare debeant, nulla Scripturæ ſyllaba vnquam hoc, quo ſuperbiunt, ſacerdotii genus approbabunt.

22 † Peruerſa quidem conſuetudo nil aliud eſt, quam erroris vetuſtas. Sed quis pro Eccleſiæ conſuetudine hoc recipiat, vt qui præſulum nomen habent, qualeſcunq; ſint, quicquid agant, etiam ſi nihil minus ſint, quam quod vocantur, pro libidine graſſentur ad deuorandum Chriſti gregem, & ſe nemo eorum latrocinio opponere audeat? In qua, obſecro, Barbaria valeret hæc conſuetudo, vt ſolo titulo protecti latrones, impune perderent, mactarent, vaſtarent, diſſiparent omnia, quod ſi quis muſſitaret de cohibenda ipſorum truculentia, ſacra profanis miſceri clamitarent?

23 † Vbi liquido conſtiterint hæc tria: non neceſſitate, ſed ſuperbia Cæſarem reformationem Eccleſiæ ſuſcepiſſe: deinde hanc ita commendatam eſſe ſacerdotibus, vt ab ea prohibeantur, quicunq; vnctas manus non habent, ſicut ab adolendo thymiamate: poſtremo ſacerdotium papale inſtar Leuitici à Deo habere originem, præſenti cauſæ forſan conueniet Vſiæ exemplum. Rurſus ſi nihil iſtorum conſtat, quin potius ſi euincere promptum eſt, neceſſario ad id cogi Cæſarem, niſi ad Eccleſiæ exilium ſciens ac videns conniuere velit, nec quidquã magis eſſe proprium eius perſonæ, & ſacerdotium papale non niſi ſacrilegio & anathemate dedicatũ eſſe, quid Vziæ exemplum Freneſio ſuffragatur? Oſtendat, inquam, conuocandi concilii, & reſtituendæ in verum ſtatum Eccleſiæ ſolis ſacerdotibus, ſicut adolendi thymiamatis attributam eſſe poteſtatem, Regibus autẽ vetitam. Atqui veritas palam reclamat. Oſtendat Cæſarem fruſtra inſoleſcere, & rebus bene compoſitis, ambitione tantũ, & prauo nouitatis ſtudio laſciuire. Oſtendat ipſum, deiecto legitimo ſacerdote, altare ſibi interdictum per vim occupare. Sed vbi ſacerdos, qui ad officium peragendum ſit accinctus? Quibus cãcellis circumſcripta eſt pia hæc ſolicitudo, quam in ſe recipit Cæſar, vt perrumpere non liceat? Quæ temeritas aut libido in aggrediendo opere, à quo ceſſare, ſumma eſſet non tantum ſocordia, ſed etiam perfidia? Quanquam operæ precium eſt expendere, quam argutus ſit ratiocinator Freneſii ſcriba. *Sacrificium eſt,* inquit, *leges de religione ſancire, & quidem Deo gratiſſimum. Ergo à Cæſaris perſona abhorret.* Hoc vero eſt non argumentari, ſed porcorum more omnia turbare. Quid enim erogare eleemoſynas? Quid impendere ſe publicis commodis? Quid populos in puro Dei cultu continere? Quid deniq; ſeipſum dedicare Deo? Non ſunt hæc etiam ſacrificia, non ſuauis gratiq; odoris? Et tamen piorum omnium communia ſunt. Quid præterea blatteras, placere Deo, vt leges de religione ſanciantur, quod à diabolica audacia proficiſci Scriptura clamat. Nam & Cæſaris & omnium mortalium eſt, vnum audire legislatorem, quod ad ſpirituale animæ regimen ſpectat, & quaſcunq; ille ſciuerit leges, ratas ſine exceptione habere.

24 † Non contentus communi ſacerdotum prærogatiua, ſingulare faſtigium conſcendit, noſtrum, inquit, imprimis. Quo autem iure? Quia *data nobis eſt ligandi & ſoluendi poteſtas.* Quid aliis? Omnibus enim ſimul Apoſtolis dictum eſt, *Quodcunq; ligaueritis.* Quod omnibus Chriſtus communicat, tu prædatoria violentia tibi rapies? Tu Eccleſiam nudabis, vt eius te ſpoliis veſtias?

25 † Eximium ſane priuilegium, vt impune ruant in omne ſcelerum genus ſacerdotes, & ſoli Deo iudicium relinquatur. Quod ſi ita eſt, quorſum illa vetus diſciplina cleri, quæ in chartis nunc extat, olim in Eccleſia locum habuit? Nam ſi iudicium ſibi in ſacerdotes ſumunt epiſcopi, Gigantum more Deum è ſede ſua diſturbare moliuntur. At epiſcopis eſt permiſſum. Quid, ſi Deus ſibi hoc aſſeruit

ſoli, tu

ſoli,tu ad Sacerdotes transferendo nonne illos facis Deos? Hic quoq; acumen eſt mirabile, *Requiram ſuper paſtores ego ipſe, inquit Dominus.* Ergo propria eſt Dei hæc cognitio, quam ne ad tempus quidem ſumere cuiquam licet. Quid, non requiret etiam ipſe Dominus ſanguinem innoxium de manu homicidarum? Non furta, non rapinas, non iniurias quaslibet requiret? Non requiret ab impiis, quicquid malorum perpetrauerint? Ergo ſecundum cubicularem hanc Freneſii dialecticam tollantur è medio iudicia, faceſſant ſcelerum pœnæ. Soli enim Deo relinquendum eſt iudicium. Solius certe Dei iudicium eſt, non in ſacerdotes modo, ſed etiam infimos quoſq;. Sed cur Dii vocantur principes, niſi quia mandatum eſt illis iudicium?

† Quis Freneſio hoc Angelus vel potius dæmon reuelauit? Variis enim ex cauſis cum proueniant Dei iudicia, quis certam cauſam ex proprio capite definiet? Solomon certe negat, *humano ſenſu diſcerni poſſe, quem amore vel odio proſequatur Deus, quia eadem accidant bonis & malis.* Ex Dei verbo igitur definiendum erat, ſed probe meminit Freneſius, cuius perſonam ſuſtineat. Sic enim ante cum Chriſto egit dominus, cui ſeruit: *Hæc omnia tibi dabo ſi proſtratus adoraueris me.* Sic etiam anteſſores eius, *Cum ſeruiebamus Reginæ cœli, affluebamus bonis omnibus.* Sed iam audiamus, quæ ob ſedis ſuæ cultum repenſa præmia, & quas ob contemptum pœnas irrogatas referat. 26

† Conſtantinum Magnum adducit, vt ficticiæ, quam iactat, donationis fidem nobis faciat. Adeo nihil eum pudet, vt nugas quæ iam pueris ſunt ludibrio, Imperatori pro certis oraculis obtrudere non dubitet. Olim quidem magno ſupercilio de hoc figmento garriebant ſtulti canoniſtæ, ſed iam talibus ineptiis deſiit eſſe locus. Qua porro cauſa tam fidelem ſedis ſuæ cultorem facit Theodoſium qui cum Ambroſio ſingularem reuerentiam detulerit, qui vnquam in precio habuerit ſedem Romanam aut eius ſeſſores, nuſquam legitur. Mirum certe, quod non & Traianum addiderit. Caroli Magni victorias huic vni vel ſuperſtitioni vel aſtuto conſilio acceptas referre, quod ſedem illam abominationis extulerit, quem omnino colorem habet? Perinde facit, dum ex tot heroicis & memorandis Caroli virtutib. vitium hoc decerpit, quod laudet, atq; ii qui in auro non niſi ſcoriam legunt. 27

† Quis non fuſtibus magis & lapidibus, quam verbis compeſcendum hunc impuri canis latratum dicat, quod Dei vindictam Iuſtiniano inflictam non manifeſtæ eius impietati, quam in ſuſtinenda Eutychiana hæreſi prodidit, ſed ad vnam contumaciam transferat, qua ſedis Romanæ maieſtatem imminuerit? En palam Anaſtaſius fidem orthodoxam impugnat. Execrabilis in Chriſtum blaſphemiæ fautorem ſe & vindicem profitetur. Piam & ſalutarem de incarnationis myſterio doctrinam labefactat, quantum poteſt. Eccleſiam vniuerſam turbat, ac diſſipat pernicioſis diſſidiis, fulmine tandem ictus miſere perit. Nullam eiuſmodi interitus aliam cauſam fuiſſe pronunciat Freneſius, quam quod Hormiſdæ & Gelaſio rebellis fuit. Quis autem credet? 28

† Mauricius iam ſenex, cum annis viginti Imperium adminiſtraſſet, à Phoca milite ſuo per inſidias, & ſummam perfidiã ſublatus fuit. Hanc fuiſſe contemptæ ſedis Romanæ pœnam interpretatur Freneſius, quaſi Dei conſilio tunc interfuerit. Vtinam quidem ſe non immiſcuiſſet placidus alioqui & quietus princeps prauis epiſcoporum factionibus, aut reprimere Ioannis ambitionem quam fouere maluiſſet. Verum quid tunc petebat Gregorius, quam ne permitteret Mauricius, vnum aliquem cenſeri vniuerſalem Epiſcopum, quia eſſet hic titulus, vt loquitur, nefarius, ſceleſtus, profanus, abominabilis, & Antichriſti prænuncius. Sed vt hoc quoq; omittam, quænam iſta eſt Freneſii æquitas, principem ſcelerate occiſum damnare, quia ſedi Romanæ ſe obſequentem non præbuerit, & laudibus vehere parricidam, qui in Dominum optime de ſe meritum gladium ſtrinxerit, qui ad Imperium per talem perfidiam, ac tantum nefas peruenerit, quia ad ornandum Romanum idolum, & euehendam eius potentiam fuerit propenſior? Quanquam quid aliud ſpectabat Phocas omnia Romanæ ſedi largiendo, niſi vt hac quaſi nefaria pactione Romanæ vrbis fauorem emeret, quod ſe Græcis ſciebat eſſe ſuo merito infeſtum? 29

† Mirum eſt, in tam pingui mercede non eſſe Freneſio doctiores ſcribas. Quanta enim hiſtoriarum inſcitia eſt, primum in nominibus turpiter labi, & ex Iuſtiniano facere Conſtantem, deinde cum omnes fere Græci imperatores in eadem fuerint cauſa, pauculos hic nominare? Niſi hoc forſan ſarte faciat, quia pœnam, quæ pro terriculamento eſſet, inuenire in aliis non poterat. 30

† Henrichi vitia, quibus laborauit, hic excuſare nihil attinet. Quæ autem fuerint contentionum inter ipſum & Hildebrandum ſemina ſi quis quærat, & qualiter depugnatæ fuerint, reperiet profecto, Hildebrandum hominem vafri & malitioſi ingenii, adhæc inexplebili ambitione ardentem, inſtructum vero & gladiatoria confidentia, & extrema crudelitate, cum Henrichum videret luxuria diffluere, libidinib. deditum, præterea inſolenter ferocire, ſtatim quaſi oblata occaſione, ad diſſipandum Imperium animum applicuiſſe. Quibus porro machinis Henrichum aggreſſus eſt, quib. deinde armis vſq; ad finẽ vſus eſt ad ipſum opprimendum? Cum ſacramento ſoluiſſet principes Germanos, hoc eſt, peierandi licentiã illis dediſſet, alios adegiſſet falſis terroribus, alios minis perpuliſſet, alios corrupiſſet blanditiis, Bauarum traxiſſet ad ſpem Imperii, obtinuit vt ſubito tota Germania bello inteſtino, tanquam vno incendio, conflagraret. Cum ſuppliciter ad eũ veniſſet Henrichus, ac proſtratus ad eius pedes iaceret, ſuperbiſſime eũ contempſit. Nec ante ſtatuit ſuæ tam impotẽti & intolerãdæ ſuperbiæ modum, quam ſibi Imperatorem ſubiugauit vna cum Imperio. Nam parum videbatur, ſi Cæſarem tanquam dediticium haberet, niſi diruto Imperio ſolus dominaretur. Et audet hic Fre- 31

neſius

neſius eius hiſtoriæ facere mentionem, quæ luculentum teſtimonium reddit, vel potius illuſtre documentum eſt, nulla vnquam vel ex ipſis inferis tam tetra monſtra extitiſſe, quorum fœditas Romanæ ſedis flagitiis non obruatur.

32 † Cur non & Fridericum Primum recenſuit in hoc numero? Imo, cur non longum catalogum Imperatorum contexuit? Nam quo quiſq; Cæſarum placidius ſe geſſit, ita eo petulantius eius manſuetudine abuſi ſunt Romani Antichriſti, pudendis aduerſus eos ludibriis non abſtinentes. Si qui autem paulo animoſiores eorum ferociæ teſtiterunt, ſenſerunt, quid eſſet furioſas beluas prouocaſſe. Cum pluſquam effreni libidine, cum pluſquam tyrannica ſæuitia, cum importuno furore vltro non prouocatos inſultaſſe vt plurimum Cæſaribus conſtet tuos anteceſſores, phrenetice, ſi quid illorum cuiquam acciderit calamitatis, ſtatim ne reum coram Deo perages, quod ſe tam immanibus beſtiis conculcandum non proſtituerit? Ita ne furcifer Deum nequitiæ veſtræ miniſtrum ſimul & aſſertorem facies?

33 † Fateor ſane, diram imminere Dei vltionem omnibus, qui ad ſcindendam Eccleſiæ vnitatem animum applicuerint. Quæ autem maior vnitatis diſſipatio, quam dum adulterata doctrinæ puritate, & euerſo in eam conſenſu Chriſtus quaſi in partes diſcerpitur? Quis autem præter vnum te ô carnifex, huius diſſipationis author eſt atque antiſtes. Scio per te non ſtare, quo minus prædicemus omnes vnum in terris caput, vnam Romanam ſedem matrem ac Reginam, ſed quis præter te obſtat, quo minus omnes ex animo confiteamur Deum vnum, & fidem vnam, ſicut vnum eſt inter omnes baptiſma? Principem vero ſedem quid nominas, quæ iam per annos pluſquam octingentos vero epiſcopo vacua, mortuis primum ſimulacris locum præbuit, nunc ab impietatis principe, & crudeliſſimo animarum tyranno, à capitali Chriſti hoſte, à præcipuo Eccleſiæ vaſtatore occupatur?

34 † Quin Iudæi meritas contempti & oppugnati Chriſti pœnas luant, minime dubium. Græcos videmus miſera & acerba ſeruitute premi, cauſa obſcura eſt, niſi ex verbo Dei petatur. Hoc inde accidiſſe diuinat Phreneſius, quod rebelles fuerint ſanctæ ſedi. Ego, ſi coniicere licet, potius id factum interpretor, quia eo vſq; ſuperbierunt, vt vniuerſæ Eccleſiæ dominatum priores appeterent, quem nunc ſibi vſurpat papa, quod nouitatis cupidiores, in varias ſectas fuerunt diſtracti, quod praua ambitione, dum melius aliquid excudere volunt ſacris Chriſti inſtitutis, degenerarunt à ſyncera Euangelii regula. Vtra ex his duabus veriſimilior coniectura eſt? Illa certe vitia, quibus ego cauſam imputo, Dei iudicio damnata eſſe conſtat. Quod ſi audiendi ſint homines, dum cauſas ex cerebro proprio quaslibet comminiſcuntur, non minus ſpecioſo colore Græcia, ſtante adhuc illic ſalua Imperii maieſtate & potentia, Romanis exprobrare poterat, pœnam eos pendere ſuæ rebellionis, quod ſedi Conſtantinopolitanæ in primatus controuerſia reſtitiſſent. Et ſi, quemadmodum ſuperius retuli, non tunc ambiebat primatum Romanus Epiſcopus, quum agitari cœpit contentio, ſed ne inferior Conſtantinopolitano foret, locum ſuum tuebatur. In ſumma, vnũ eſſe peccatum in mundo dignum ita Dei, dignum omnib. pœnis, malorum deniq; omnium fontem, perſuadere vult Freneſius, quod ſibi non obſequantur omnes, quod non à ſuo nutu pendeant, quod non ſuum adorent numẽ loco Dei. Quis, niſi mente abalienatus, perſuaderi ſibi ſinat? Quod ſi ad fidẽ habendam paratos habeat omnes, primum oſtendat, oportet, quid commeriti fuerint Hungari, quorum nihilo melior eſt, quam Græcorum conditio. Expone, inquam, nobis phrenetice quo ſuo delicto in eandem cum Græcis ſeruitutem coniecti fuerint Hungari, quibus non aliter ſemper abuſus es, atq; viliſſimis mancipiis, & qui perinde ac ſerui ergaſtulis incluſi, vincti compedibus, nullum tuum imperium recuſarunt. Quam ergo pueriliter ineptis, dum quaſi re confecta, ſupercilioſa pronuncias, nunquam ſedis tuæ impune ſpretam fuiſſe tyrannidem? At certum eſt, non leuiter moueri Chriſtum Vicarii ſui contemptu. Perges ne igitur, os putidum, ita Chriſto illudere? Primum quis te ad hunc honorem euexit? *Nemo* enim, teſte Apoſtolo, *ſumere ſibi honorem debet, niſi vocatus*. Dictum eſt Petro, *Paſce oues meas*. Excipio, omnib. idem eſſe dictum. Veteres illi fumi, quibus antehac perſtringere ſolebas hominum oculos, pridem euanuerunt. Qua fronte tam ſuperbum titulũ arrogare tibi audes, quẽ ſi quis Angelorũ ſibi aſſereret, anathemate eſſet feriendus? Gregorio tuo, ſicuti iactas, anteceſſori, ſceleſtus, impius, ſacrilegus, ſathanæ vicarius, præcurſor antichriſti fuit, qui ſe epiſcopum vniuerſalem faceret, ſiue Romanus, ſiue alius quiſpiam. Elige nunc, vtrum voles. Aut enim Gregorium dabis, oportet, tanquã ſedi tuæ blaſphemum, aut tam grauem ſententiam ſuſtineas. Iam vero vt parcamus huic tam execrandæ blaſphemiæ, vt, inquam, fingamus vanum eſſe, quod poſt Apoſtolos & Prophetas docet Cyprianus, *vnum eſſe in Eccleſia Chriſti epiſcopatum, cuius partes in ſolidum ſinguli teneant*, & hanc dignitatem ad vnum quempiam hominum transferri ſinamus, quo tamen iure, aut qua ſpecie tibi, perdite & deplorate latro, conueniet? Tu ne Petri ſucceſſor, qui nihilo plus ſimilitudinis cum eo habes, quã Nero quiſpiam, aut Domitianus, aut Caligula. Niſi forte Heliogabalum mauis, qui ſacerdotium nouum Imperio adiunxit. Omnes certe illi *ſummi pontifices* nomine erant, quod in ſuperſtitione eius tẽporis licebat, tu id nomen hodie vſurpas in populo Chriſtiano contra ius & fas, contra inuiolabile Chriſti placitum, contra omnia ſanctorum patrum inſtituta. Tu Chriſti Vicarius, cuius omnes cogitationes, ſtudia omnia & facta huc ſpectant, vt aboleatur Chriſtus, modo nomen inane maneat, quo tanquam meretricio fuco abuteris? Tu Chriſti Vicarius, quem iam pueri omnes nouerunt certum eſſe Antichriſtum? Qualem nobis Chriſtum fabricabis, ſi velis eius imaginem in tyrannide tua agnoſci? Videmus omnis impietatis antiſtitem, ſathanæ anteſignanum ferocem animarum tyrannum,

num, ſæuum carnificem, quod ad vitam ſpectat, monſtrum ex omnibus flagitiis conflatum, illum denique perditionis filium, quem nobis depingit Apoſtolus, & Chriſti vicarium indicabimus? Videmus, inquam, lupum, à quo deuorantur Chriſti oues, videmus furem, à quo abiguntur, videmus prædonem, à quo mactantur, & hic nobis Chriſti Vicarius erit?

† Themiſtocles olim Iuſtitiæ ſacrum facturus exclamaſſe fertur, *O dea, ſi qua vſquam es*, nos de conſcientia papæ non rogabimus, vbinam ſit, dum eam teſtẽ citat? Excitare interdum ab inferis ſolent rhetores, quorum perſonam cauſæ ſuæ aptã iudicant, ſed vbiq; hoc in papa locum habet, cui neq; cæli ſunt neq; inferi. Qui ergo hanc Chimæram manibus tenebit, ille Freneſium pro Eccleſiæ pace libenter ſanguinem profuſurum credat. At ſi rem ipſam intuemur, quid ſit alienum ſanguinem fundere nouit Paulus, ſuo parcere didicit. Certe etiam ſi hactenus creditum fuiſſet, aliquam conſcientiæ particulam in papa adhuc manere, hoc tamen tam manifeſto periurio apparet, quam omnem Dei timorem, & hominum reuerentiam abiecerit. 35

† Æqua ſane conditio, vt papæ tradantur iudicandi Proteſtantes. Quid ni? Ego enim, inquit, ſum eorum iudex. Solus ne? Adiutores ſibi in conſilium aſſumit venerandos fratres ſuos, quos etiam honoris parte aſpergit. Tot lupis vt tradatur grex ouium? At qualeſcunque ſint, ipſorum tamen eſt cognitio. Si olim Paulo dicere licuit de pariete dealbato, neſciebam fratres quod pontifex eſſet, quid nobis de atris iſtis vulturibus hodie dicendum erit? Sed ne longior ſim, tantum hoc dico, ſacerdotes Domini ſeſe oſtendant, & iudicandi poteſtatem mox illis ſine difficultate vlla concedam. Quales autem video, merito ſciſcitari poſſum, quiſnam eos conſtituerit arbitros aut iudices. 36

† Quo elogio principes & magiſtratus ciuiles ornat Spiritus ſanctus, ſicuti cum ex loco ipſo conſtat, tum etiam ex Chriſti interpretatione, illud Conſtantinus, homo non valde exercitatus in Scripturis, & ſi verum narrant hiſtoriæ, tunc adhuc catechumenus, errore ad ſacerdotes tranſtulit, Freneſius Achillis clypeum ſe inueniſſe putat, dum inde patrocinium mutuatur. Nunc ſtatuendum eſt, vtri plus fidei ſit habendum, Deo ne, an Conſtantino. De ſenſu illius ſententiæ loquor, *Ego dixi, dii eſtis*. Alioqui prudenter egiſſe Conſtantinum fateor, qui cum epiſcopos cerneret fatali quadam rabie in mutuam lacerationem inflammatos Ario parcere, & deſerere Chriſti cauſam, vt ſuæ cupiditati morem gererent, probroſos eorum libellos conſciderit. Cæterum quam procul à mente Freneſii abfuerit Conſtantinus, ne falſo amplius eius nomen obtendat, ex illius ad Nicomedenſes epiſtola, quam Theodoritus *libro primo* refert, iudicium facere promptum eſt, ſi caſtos habemus & orthodoxos & modeſtos epiſcopos, gaudemus. Quod ſi quis audacter ac inconſulte ad fouendas peſtes exarſerit, illius audacia miniſtri dei, hoc eſt, mea executione coercebitur. Quando in omnibus Conſtantino perſimilem eſſe Carolum Cæſarem optat Freneſius, manu eius non ſuam audaciam, ſed efferatam rabiem coerceri patiatur. 37

† Speciem quidem cogendi concilii iam aliquoties præbuit Freneſius, ſed qui ſerio eum cogitaſſe vnquam de habendo concilio putat, micam ſani cerebri non habet. Mundum quaſi famelicum ingenti concilii deſiderio hiare in ludum nouit. Extremæ ſe crudelitatis damnari ab omnibus intelligit, quod tandiu variis ludificationibus tempus extrahat. Cur non igitur, quoad citra ſuum diſpendium poteſt, ſatisfaciat imperitis, conſilium ſubinde indicendo, quod nunquam habeat? Si quis autem miretur, cur tantopere concilium reformidet papa, in quo nulli bono patebit locus, inde reputet, quam ſit prodigioſa tyrannidis ſpecies, quæ non niſi per terrorem & metum retineri poteſt. 38

† En quid premat ſanctiſſimum patrem. Non audiendo aut diſceptando tractari vult cauſam Proteſtantium, ſed hoc commodiſſimum fore putat, ſi ab illis damnandis exordiatur. Quanquam vix iſto honore etiamnum eos dignabitur, ne rem actam agere iterum incipiat, ſed exequendam in eos ſententiam mandabit. Et certe non male conſulit ſuis rationibus, dum ne cauſa tam dubia & ſibi periculoſa retractetur, ſolicite cauet. Quid ergo, ſi audiatur, Proteſtantibus reliquum eſt, niſi vt cauſæ ſuæ defenſione omiſſa, ſe illi ſuaque omnia dedant? 39

† Vtinam quidem vere coaleſcant Germani omnes in verum fidei conſenſum, ſibique mutuo ſub vno capite adhæreant, nempe Chriſto. Imo totus in hanc vnitatem reducatur orbis, quo impleatur illud, quo certum eſt ſolidam Eccleſiæ perfectionem contineri, hoc eſt, *vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor*, ſed reclamat papa, qui pro nihilo ducit, Deum agnoſci vnum ab omnibus, puta Chriſti doctrina & auſpiciis gubernari totum mundum, niſi ipſe pro capite adoretur. Ergo vtcunque Deum, niſi falſo, inuocare teſtem nequeat, qui Deum nullum habet, ne tamen ſemper mentiri eum putes, vnum hoc vére affirmat, ſibi nihil eſſe magis in votis, quam ſub iugum ſuum omnes redigere qui auolarunt, & quos pro indomitis habet. 40

† Quaſi vero vocauerit ſpe colligendi, ac non potius de induſtria tempus elegerit, quod eſſet ab omni pacata conſultatione alieniſſimum. Cum ſatis compertum haberet, bello diſtineri duos præcipuos Chriſtiani orbis monarchas, & iam pluribus locis claſſicum propemodum canere, concilium habere ſe velle ſimulauit. Quis tam ſtultum fuiſſe credat, vt ſperauerit? Vnde 41

etiam coniecturam facere licet; nihil eum niſi per ſimulationem gerere. Nam qui factum eſt, vt tranquillis rebus ceſſauerit, & cum aliquandiu volitaſſet concilii Mantuani indictio, & poſtea Veronenſis, vtrunque in bullam euanuerit, nunc autem in medio armorum ſtrepitu, & tempore turbulento, ſe tanquam in opportunitate commoueat?

42 † O proſtitutam impudentiam? Mirum, niſi ſcribæ ſuo mandauerit, vt inter ſcribendum ingemiſceret, ac lachrymulam vnam extorqueret ab oculo ſiniſtro. Sed non minus ſtultus eſt quam improbus, qui coram Cæſare hanc fabulam agit, quaſi ſit illi incognitus. Quærat ergo peregrinum. Tametſi quis reperietur ab Oriente in Occidentem vſque qui tum Deo hic & hominibus illudere neſciat. Sed pergamus. Locum quem indicit concilio? Tridentum. Valde eſt idoneum, ſiquidem tam fatui erunt Germani, vt in medias lupi fauces vltro ſe ingerant. Qualis erit conſeſſus? Mileſiorum ſcilicet, qui ne imaginem quidem boni viri inter ſe ferre poſſint. Qualis in cognoſcendo æquitas aut moderatio? Forte ad placidam piamque deliberationem integri, nec vllis præiudiciis occupari accedent. Imo iam dicit cauſam Freneſius, quæ in diſputationem vocatur, iam damnatum eſſe. Superuacuum ergo foret, in ea diſcutienda vel horulam conſumere. Ne tamen vel moroſi nimium vel crudeles appareant, ad audiendum ſe component. I apparitor, proteſtantes accerſe, ſi quid cupiunt concilio propoſitum, ſupplici libello perſtringant, ne delicatis ſanctorum patrum auribus ſint moleſti. Auditis ſupplicum poſtulatis, ante omnia tentare conueniet, num ſummam abſque prouocatione poteſtatem de ſe ſuaque doctrina iudicandi ſanctis patribus concedant, deinde num omiſſa, quam apud ſe iam conſtitutam habent, reformatione, abnegataque, quam amplexi ſunt, doctrina, fidem ritusque omnes ſanctæ Romanæ ſedis quaſi poſtliminio ſuſcipere ſint parati. In priore ſi hæſitauerint, ſchiſmatici extemplo pronunciabuntur, ſecundum ſi facere recuſauerint, iam bis hæretici erunt. De illorum ergo contumacia vindicanda ſtatuendum continuo erit. Quicquam enim attingere nefas erit, niſi Eccleſia in integrum reſtituta. Interim ergo dum inteſtino bello diſtinebitur Chriſtianus orbis, ad perſequendos opprimendoſque Proteſtantes, Eccleſiæ reformatio differetur. Neque tamen interea ceſſabit venerabilis clerus. Flabellis enim multis ad ignem inflammandum paſſim opus erit. Quod ſi in tranquillam poſſeſſionem ſemel redierint, ſi quis vllam amplius conuocandi concilii mentionem facere audebit, turbator & ſeditioſus, & vnitatis inimicus vno omnium ore proclamabitur. Certe, authore Freneſio, ne Imperator quidem ipſe impune id tentauerit. Tamen vt Imperatori concilium petenti detur venia, liberum tamen erit papæ recuſare. Repulſam autem paſſus, vlterius progredi caueat, niſi velit, Vſiæ exemplo, arrogantiæ ſuæ pœnam luere, aut alio quouis horribili exitio perire. Sed de ordine concilii alias, ſi tempus dabitur.

43 † Quis iam miretur, papam ſibi in vniuerſum mortalium genus primatum ſibi vindicare, cum ſe Angelorum quoque præſidem hic faciat? Sed vereor, ne ambiguitate nominis fallus errauerim, & certe erraui. Quos enim angelos intelligeret, niſi quibus vti conſiliariis ſemper aſſueuit? Ex quibus vnus eſt ille, qui olim ad perdendum Achas, ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum fuit. Si tantum illic potuit vnus, quid hic facient aliquot milia? In hoc tamen iure reprehendi Freneſius poteſt, qui ad ſubſellia relegat eos, qui concilio ſupra ipſius tribunal præſidebunt. Neque enim ipſe tam magnus eſt Deus, quin patri mendacii ſeruiat. Certe qui magicis diuinationibus ſe vitamq; ſuam ſubiicit diabolo quem inuocat, minorem ſe eſſe profitetur. Etſi, quid profiteatur, non moror, dum quid faciat, video.

44 † Pater eſt, qualem fuiſſe Saturnum tradunt Poëtæ, qui filios ſcilicet deuoret. Quicunq; tamen dicto non fuerint audientes, eos è numero filiorum Dei abdicat. Sed bene habet, quod Salmonei ſunt non Dei fulmina.

45 † Hoc primum eſt, ne qua doctrina, niſi ex tripode Romanæ ſedis profecta, recipiatur, quo impetrato, quæ amplius ambigendi cauſa erit? Proinde quin de examinanda doctrina, de repurgando, corrigendoque Eccleſiæ ſtatu agatur, non abnuit, modo id fiat ſe iudice, & tota controuerſia ſolo ſuo nutu tranſigatur. Nec eo contentus, ſibi eatenus cauet, vt quæ volet ipſe cum angelorum ſuorum cohorte, ea duntaxat in quæſtionem veniant, vt modum actionis præſcribat, vt ſilentium iniungat, quoties libuerit, vt ſimul atque concrepuerit, omnes contremiſcant. Ita ne corruptum Dei cultum, extinctam eius gloriam, vel ſaltem valde obſcuratam, euerſum Chriſti regnum, peſſundatam religionem, doctrinam veritatis partim vitiatam, partim ſepultam, vaſtatam miſere ac laceratam Eccleſiam, ſacramenta ad turpem fœdumq; quæſtum proſtituta, animas Chriſti ſanguine redemptas ſacrilegæ nundinationi expoſitas eſſe, miniſterium vel paſtorale munus, quo nihil mundo magis ſalutare eſſe debuerat, in exitialem tyrannidem conuerſum conqueruntur Proteſtantes. Horum omnium malorum papam cum ſuis reum faciunt, parati ſunt digito monſtrare, ipſum eſſe antichriſtum. Quod ſi non probauerint, non calumniæ modo pœnam, ſed atrociſſima quæque ſupplicia ſuſtinere non recuſant. Tantum audientiam ſibi dari coram æquo tribunali poſtulant, & quidem hac lege, vt cauſa ex ſacro Dei verbo definiatur, neque tamen negligantur vetuſta patrum inſtituta. Quid ad hæc ſanctiſſime pater? Cognitionem quidem recipit, ſed his, quas retuli, legibus. Hoc vero perinde eſt agere,

gere, ac ſiquis latro de cædibus ac furtis à ſe perpetratis accuſatus, iudicium ſe non recuſare dicat, ſed hac lege, vt ſibi tribunal erigatur, ex quo de ſua cauſa pronunciet, ne quid ſe inuito proferatur, ne qua contumelia lædatur, ne quibus vrgeatur teſtimoniis, ſed totam cauſæ actionem ſic temperet, vt ſcelerum impunitatem citra vllam moleſtiam ſibi conſi.met. En cur imperiales conuentus audiendæ huius cauſæ non ſint capaces.

† Secundum eſt de bonis eccleſiaſticis, vt ſi quid hactenus fuerit in eorum adminiſtra- 46
tione vitii, ſi qua illicita vſurpatio, non niſi papæ iudicio corrigatur. Quis fruſtra papam in eo inſiſtere neget, qualis enim aditus pateſieret principibus ad res nouandas, ſi adhuc admitterentur? Palam eſt, quam effrenata luxuria diffluant hodie epiſcopi, abbates, & qui ordine ſequuntur. Audirent principes opulentiam iſtam, quæ hodie tam perdite dilapidatur, pauperum eſſe patrimonium. Quis non inſurgeret aduerſus eos, ſi non ipſi priores occuparent, in ordinem ſe cogendo? Audiret ex antiquis canonibus, qualis ſit, & ad quos pertineat diſpenſatio. Diaconiam illam veterem omnes requirerent. Audirent, neminem eſſe ex Eccleſiæ prouentu alendum, niſi qui functioni ſuæ ſatisfacit. Clamarent abigendos igitur eſſe omnes ocioſos ventres. Et quotuſquiſque ex tot legionibus maneret? Quis hodie epiſcopus officio fungitur, imo fungi ſe ſimulat? Quis parochus? Nam Canonici & alii ad veterem presbyterii formam reuocarentur. Neque alias tantum Eccleſias peruagaretur profana iſta, hoc eſt, laica, vt loquuntur, correctio, ſed ad ipſam Romanam ſedem hactenus inacceſſam pertingerent. Porro quid aliud hoc eſſet, quam cœlum terræ miſcere? Indignum vero facinus, vt Deo terreno dicantur viuendi leges, vt eius menſæ ſumptus præſcribantur, exigatur annuatim ab eo ratio. Neque id modo, ſed quæ aliis, vel per vim iniuſtam rapuit, vel fraude furatus eſt, ab eo extorqueantur. Quin etiam, & quæ Imperio pridem ablata quaſi iure poſſidet, reſtituere, denique rapinas omnes, quas ingurgitauit iam tot annis, euomere cogatur. Et ſi qua maior vrgeret neceſſitas, concedi id forte poſſet, at nunc cur inuaderent principes alienum munus, cum tam æqua alioqui ratio hic à Freneſio præſcribatur? Quis enim ad remedium afferendum aptior, quam cui bene perſpectus eſt morbus? Tollendæ ſunt ac repurgandæ corruptelæ, quæ veterem diaconiam prorſus ſuſtulerunt. Quibus potius iniungi hoc onus conuenit, quam qui malorum omnium non modo penitus ſunt conſcii, ſed etiam authores? Expectemus, qualis futura ſit emendatio, ſi ſacerdotibus libera vel agendi vel ceſſandi poteſtas relinquatur. Non ſic pius Rex Ioſias, qui non prouentui tantum ad victum deſtinato, ſed etiam ſacris oblationibus ſcribam ſuum præfecit. Et tamen Freneſium nil pudet ſacrilegii accuſare imperii ordines, ſi cohibendis ſacrilegiis ſe interpoſuerint.

† Quid ſit conceſſum Proteſtantibus, dicere ſuperſedeo, quanquam huc ſumma tendit, 47
ne quibus iniuſtis præiudiciis, niſi cauſa rite cognita & iudicata, ante tempus grauentur. Hoc totum reſcindi iubet ſanctus pater. Durum id quidem, prima ſpecie, ſed ratio ſubeſt. Quid enim ſi ad conſilium integri veniant Proteſtantes, quantum ſanctæ ſedi deceſſerit, vt quaſi de re dubia ineatur diſceptatio? Non abs re ergo eſt, quod tam ſtrenue contendit Papa, ne quo priuilegio ſubleuentur. Quid enim aut commodius illi, aut magis expeditum, quam vt damnati illuc pertrahantur, vel pœnas luant ſuæ abſentiæ? Quin ergo illi expediat, non dubium, ſed num etiam æquum ac rectum ſit, quæritur. Valeat honeſtas, inquit Freneſius, vtilitas præualeat. Hoc quidem iure Romano eſt vſitatum, ſed non meminit ſe in Germania loqui, vbi & fidei datæ religio colitur, & pudoris habetur ratio. Germaniæ, inquam, hoc nouum eſt ac inſolens, reſcindere promiſſa, à fide ſemel data reſilire, nihil habere firmi nec rati, niſi quantum ſit tibi vtile. Quod ſi à communi Germaniæ vſu abhorret, quod promiſeris, pro nihilo ducere, vt retractes, cum libeat, à Cæſaris perſona quid alienius?

CONCLVSIO.

Finis eſt, vt quicquid cum Proteſtantibus pactus fuerit Imperator, tranſegerit, conſtituerit, irritum ſit ac inane. At fide inter homines nihil ſanctius. Pridem decretum eſt, non eſſe hæreticis ſeruandam fidem, quid ſi interpoſitum ſit iuſiurandum? Quaſi vero non ſit pontificium, ſacramento ſoluere, quoties viſum eſt. Ius eſt Imperii perpetuum ac inuiolabile, vt promiſſis ſtetur. Quid tum, an non legibus ſuperior eſt papa, imo quid illi cum legibus? At maieſtate Cæſaris indignum à decreto diſcedere. Satis eſt, quod omnis turpitudo papæ ſanctitate abſtergitur. At confectum eſt diploma. Quaſi vero non omnibus diplomatis abolendis vna papæ abſolutio ſufficiat. Sic quidem antehac agere ſolebat. Cuius rei inſigne documentum eſt Ioannes Huſſius, quem Romanenſes fide publica Conſtantiam illectum crudeliter necarunt. Aderat Imperator Sigiſmundus, manſueti ingenii princeps, ac minime ſanguinarius, cum ſibi ac toti Imperio turpiſſimum duceret, quem in fidem tutelamque ſuam receperat, in conſpectu ſuo, adeoque ex protectionis ſuæ præſidio,

à carnifice ad mortem rapi, ac tam barbaræ immanitati pro virili intercederet, compoſitum à ſanctis patribus fuit decretum, *non eſſe hæreticis ſeruandam fidem.* Quo liberata omni religione fuit Cæſaris conſcientia, eius autem verecundia & ingenuitas deriſa eſt, quod ſibi à violatæ aut ſaltem neglectæ fidei probro adhuc metueret, ſed alia nunc eſt ætas. Mundus qui tunc cæcus erat, oculos aperuit. Reſidet etiamnum in animis Germanorum tantæ fœditatis recordatio, quæ eos ſatis admonet, ne ſe amplius Romanenſium perfidiæ comites adiungant. Præſertim vero is eſt Cæſar, qui famam dignitatemque ſuam vt Freneſio mancipet, adduci nunquam poterit. Scitur, quoties ad ſæuitiam inſtigatus fuerit ab iſto ſathana, quibus flabellis fuerit incitatus, conſtanter tamen ſtetit in propoſito, vt hæc vna ſit ex multis eius præclaris & heroicis virtutibus maxime admiratione digna, quod inter iſtos Imperii motus, nunquam ſe aut à moderatione & clementia, aut à fidei ſuæ religione dimoueri paſſus fuerit.

PARS XXIII.

Continens

TRACTATVS, DISCVRSVS, DISSERTATIONES, ET ACTIONES SVPER GRAVAMINIBVS

Ordinum ſiue Statuum Imperii Romano-Germani aduerſus Papam & Curiam Romanam, eiuſq; aſſeclarum oppreſſiones, vſurpationes, & expilationes:

CVM RESPONSIS ATQVE REPLICIS PRO S. IMPERIO & Natione Germanica contra Papales aſſentatores.

I.

GRAVAMINA NATIONIS GERMANICÆ, ET SACRI ROMANI IMPERII DECEM.

1.

QVOD ad ſeruandas bullas, pacta, priuilegia, & literas, ab anteceſſoribus, abſque omni derogatione conceſſas, ſucceſſores Pontifices, teneri ſe non arbitrantur, immo per crebras diſpenſationes, ſuſpenſiones, reuocationes, ad cuiuſcunque (etiam vilis) perſonæ inſtantiam contraueniunt.

2. Quod electiones Prælatorum quandoque reiiciuntur.

3. Quod electionibus præpoſiturarum, quas quarundam eccleſiarum capitula multo ære impetrarunt, contrauenitur, Spira ſcit & Haſela, cuius bulla de eligendo Præpoſito eneruata eſt, eo adhuc ſuperſtite qui dederat.

4. Quod beneficia & dignitates maiores, Cardinalibus & Protonotariis reſeruantur.

5. Quod exſpectatiuæ gratiæ abſque numero concedũtur, & multæ interdum ad vnum collatorem. Vnde ſurgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur. Tum illæ, quæ pro bullis gratiarum (quæ nunquam effectum ſortientur) expoſitæ ſunt, tum illæ, quæ pro litibus deducendis conſumuntur. Inde apud quoſdam ortum eſt Prouerbium: Quiſquis gratiam exſpectatiuam ab vrbe extraxerit, centum aut ducentos aureos numos in ciſtam ſimul ad ipſam gratiam reponat, quibus ad proſequendam litem opus habebit.

6 Quod annatæ abſque dilatione, & ſine miſericordia (etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis) exiguntur. Interdum plusquam debeatur; extorquetur, propter noua officia & nouos familiares. Exemplum de Moguntina & Argentinenſ.

7. Eccleſiarum regimina minus dignis committuntur, qui ad mulos magis quam homines paſcendos & regendos eſſent idonei.

8. Indulgentiæ nouæ cum reuocatione aut ſuſpenſione veterum (laicis contra Clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias conceduntur.

9. Decimæ ſub prætextu expugnandorum Turcarum exiguntur, nulla expeditione ſubſecuta.

10. Cauſſæ quæ in Germania (in qua & docti & iuſti Iudices ſunt) terminari poterant, ad tribunalia Romana indiſtincte trahuntur. Quod S. Bernardus ad Eugenium Papam ſcribens, valde reprobare videtur.

II. EPI-

II.

EPISTOLA CANCELLARII MOGVNTINI AD ÆNEAM SYLVIVM, CARDINALEM SENENSEM, SVPER Germanicæ Nationis grauaminibus contra Romanam curiam ſcripta anno M.CCCC.LVII.

Anno Domini 1457.

MArtinus Meyr Cancellarius Moguntini Præſulis Domino Æneæ Cardinali Senenſi patri optimo S. P. D. Cognoui ex literis amicorum te Cardinalem eſſe creatum: congratulor & tibi, qui pro tua virtute digna conſecutus es præmia, & mihi cuius amicus in ea dignitate conſtitutus eſt, in qua me meosque neceſſarios aliquando iuuare poterit. Illud mihi moleſtum, quod in ea tempora incidiſti, quæ ſedem Apoſtolicam afflictura videntur. Nam Domino meo Archiepiſcopo frequentes afferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neque Conſtantienſis, neque Baſilienſis Concilii decreta cuſtodit, neque ſe pactionibus anteceſſoris ſui teneri arbitratur, nationemq; noſtram contemnere, & prorſus exhaurire videtur. Conſtat enim electiones Prælatorum paſſim reiici, beneficia dignitatesque cuiusuis qualitatis, & Cardinalibus & Protonotariis reſeruari. Et tu quidem ad tres prouincias Teutonici nominis ſub ea formula reſeruationem impetraſti, quæ hactenus inſolita eſt & inaudita. Expectatiuæ enim gratiæ ſine numero conceduntur. Annatæ ſiue medii fructus, abſque vlla dilatione temporis exiguntur, & plus etiam quam debeatur, extorqueri palam eſt. Eccleſiarum regimina, non magis merenti, ſed plus offerenti committuntur, ad corradendas pecunias nouæ Indulgentiæ indies conceduntur, Decimarũ exactiones inconſultis Prælatis noſtris Turcorum cauſa fieri iubentur. Cauſæ quæ tractandæ terminandæque in his partibus fuerant, ad Apoſtolicum tribunal indiſtincte trahuntur; excogitantur mille modi, quibus Romana ſedes aurum ex nobis, tanquam ex barbaris, ſubtili extrahat ingenio. Ob quas res natio noſtra quondam inclyta, quæ ſua virtute, ſuoque ſanguine Romanum imperium coemit, fuitque mundi domina & regina; nunc ad inopiam redacta, ancilla & tributaria facta eſt, & in ſqualore iacens, ſuam fortunam, ſuam pauperiem multos annos mœret. Nunc vero quaſi ex ſomno excitati Optimates noſtri, quibus remediis huic calamitati obuiam pergant, cogitare cœperunt, iugumque prorſus excutere, & ſe in priſtinam vindicare libertatem decreuerunt. Erit hæc non parua iactura Romanæ Curiæ, ſi, quod cogitant, Germani Principes effecerint. Quantum itaque de tua noua dignitate lætor, tantum commoueor & angor tuo tempore hæc parari. Sed Dei fortaſſe alia eſt cogitatio, & illius profecto ſententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum, & quibus repagulis fluminis impetus coerceri poſſit, pro tua ſapientia cogitato; & Vale optime. Ex Haſchaffenburga, pridie Kal. Septemb. M. CCCC. LVII.

Hiſce literis Æneas Cardinalis reſpondit duabus Epiſtolis, quæ inter ipſius Epiſtolas leguntur, num. 338. 339. tum deinde libello peculiari, quem Germaniam inſcripſit. Ad quem poſtea Replicam VVimphelingus compoſuit, quam habes infra num. 4.

III.

REMEDIVM CONTRA GRAVAMINA NATIONIS GERMANICÆ, CVM AVISAMENTIS AD S. CÆS. Maieſtatem, & ipſius Imperatoris Edicto.

SI Cæſareæ Maieſtati conſultum viſum fuerit, proponatur ſummo Pontifici, & ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quod graue immo intollerabile ſit nationi Germanicæ, amodo tantas expenſas & moleſtias pati; tantas pro confirmatione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum inferre annatas, præſertim quæ in quibusdam epiſcopatibus ſucceſſu temporis auctæ, in quibusdam duplicatæ eſſe dicuntur. Nam ſedes Moguntina (vt dicitur) olim ſolum dedit decem millia florenorum quæ cum quidam illic electus dare renueret, ſicque vſque ad mortem ſuam perſiſteret, electus poſt eum, confirmationis cupidus ſe opponere timuit ſedi Apoſtolicæ, offerens antiquam ſummam, puta decem millium florenorum. Is nec confirmationem impetrare potuit, niſi & reliqua decem millia ſimul redderet, quæ adhuc extabant à ſuo prædeceſſere nondum perſoluta. Atque ſic cogebatur dare viginti millia florenorum, quæ tunc indubie in regiſtrum Cameræ ſignata ſunt, & vſque ad noſtram ætatem à ſingulis Archiepiſcopis exacta, & nedum viginti millia, ſed & viginti quinque, propter noua officia, & nouos pontificum familiares. Tandem excreuit ſumma, vſque ad viginti ſeptem millia. Quæ Archiepiſcopus Iacobus cogebatur nuper perſoluere, vt retulit Vicarius in ſpiritualibus Moguntinenſis. Sicque in vita vnius hominis ſepties viginti quinque millia à ſolo Archiepiſcopatu Moguntino pro confirmatione Archiepiſcopi Romam peruenerunt. Et cum Archiepiſcopus Iacobus vix quatuor annos ſediſſet in Archiepiſcopatu, mox poſt eum electus dominus Vriel, ad minus quatuor & viginti aut viginti quinque millia coactus eſt perſoluere; quorum partem mutuo forſan accepit a mercatoribus, ſed vt illis ſatisfaciat, imponere coactus eſt ſubſidium aut exactionem in ſuos populos & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum ſatisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio à ſuo prædeceſſore Iacobo impoſitæ. Sicque non ſolum euiſcerantur noſtrates, & ad extremam inopiam rediguntur (qua de re Reuerendiſſimo domino Bernardino S. Crucis Cardinali & nuper Legato conſtat) verum etiam incitantur ad rebellionem, & quærendam vtcunque libertatem, & vbi poſſunt, inter ſe ſuſurrant de ſæuitia in clerum.

Admonendus etiam videtur ſummus Pontifex, quod per varia bella terræ Germanorum paſſim deſolatæ ſunt, ac per crebras mortalitates numerus viuentium diminutus. Sicque ob paucitatem cultorum, agri pro magna parte inculti iacent, & ipſa telonea diuerſis euentibus attenuata, & venæ minerales exhauſtæ ſunt, pereuntque indies prouentus, ex quibus Archiepiſcopi & epiſcopi (aliis etiam honeſtis & neceſſariis impenſis grauati) ſedi Apoſtolicæ annatam perſoluere poſſint. Non ſine cauſa, Iacobus archiepiſcopus Moguntinus iam fere moriens dixit, *ſe de morte ſua non adeo dolere, quam ob id, quod ſubditi ſui pauperes, iterum pro pallio grauem exactionem dare cogerentur.*

Mitius ergo ſummus Pontifex, velut pius pater, filiorum ſuorum amator, ac fidelis & prudens paſtor, cum filiis ſuis Germanicæ nationis agat, ne propediem vel in vniuerſos Chriſti ſacerdotes perſequutio ſuboriatur, vel inſtar Bohemorum plerique ab Eccleſia deficiant Romana. Mitius ſaltem agat, quotiens Archiepiſcopus aut epiſcopus ad paucos annos rexerit, ſicut de epiſcopis Bambergenſibus accidit, quorum tres intra paucos annos mortui ſunt. Quid de aliis multis epiſcopatibus? Siquidem Germania (Ænea Syluio teſte) ſupra quinquaginta epiſcopatus habet. Quid de Abbatibus, quorum aliqui Romæ confirmantur? Eſto, quod in Germania maiores eſſent ex agris, ex minetis, ex teloneis obuentiones, indigeret tamen Cæſarea Maieſtas, & cæteri Principes, theſauro & neruo belli contra hoſtes, præcipue infideles, & ad conſeruandam in Germania pacem, atque ad iuſtitiam vnicuique miniſtrandam. Ad quod, conſiſtorium Regalis Cameræ cum magnis impenſis ſancte inſtitutum, maxime deſeruit. Præterea opus habet Cæſarea Maieſtas pecuniis, ad comprimendos imperio rebelles, & ad exterminandos ſicarios atque latrones, quorum nonnulli Eccleſiis nocere, earum bona diripere, immo in clericorum perſonas ſæuire atque graſſari non erubeſcunt.

Demum natio noſtra non ſolum pro reparatione Eccleſiarum & monaſteriorum auro indiget & argento, ſed etiam pro hoſpitalibus, pro pueris expoſititiis, pro viduis, pro puerperis, pro orphanis, pro filiabus, pauperum (ne ſtupro cadant) deſponſandis, pro domeſtica inopia laborantibus, pro annoſis & effœtis, pro valetudinariis, ac pro poſtulatis, quorum (proh dolor) plena eſt Germania, alioqui etiam populoſa, vti ſexum minime faſtidiens muliebrem.

Remedium

Remedium pro Ciuitatibus Imperii & animarum ſalute.

SI ſolicitante Cæſarea Maieſtate, à ſede Apoſtolica impetraretur (quod Vriel Archiepiſcopus Moguntinus impetrauit) ne quis deinceps in ciuitatibus Imperii ſimul poſſit habere canonicatus aut vicarias, in diuerſis eiusdem ciuitatis Eccleſiis, ſed vt ſingulæ in ſingulas diſtributiones deſeruirent: Tum minuerentur lites. Reſpublica magis ſentiret commodum, plures docti, imperio & fidei vtiles promoueri poſſent, plures miſſæ legerentur, & omnis diuinus cultus alacrius & laudabilius perageretur. Sicut de Baſilea & Spira exemplum adduci poſſet. In vtraque enim ciuitate, nullus ſimul in diuerſis Eccleſiis plures canonicatus aut vicarias ex ſanctiſſima conſuetudine poſſidere poteſt. Ideoque vtrobique religio & diuinus cultus egregie floret. Et ſummi Pontificis (Ænea Syluio teſte) intereſt curare, vt honoretur Deus, & illi laudes atque hymni canantur.

Expediret Rebuspublicis & animarum ſaluti, ſi ſummus Pontifex immutabiliter ſanciret, vt in quolibet collegio duæ ad minus eſſent præbendæ, gratiis non ſubiectæ, ad quas duo Theologi aut vnus Theologus, & alter Canoniſta duntaxat promoueri poſſent.

Atque vt idonei puta Philoſophiæ, Canonum, & ſacræ paginæ docti, eo promptius curas ſubirent animarum, expediret, quod auctoritate Apoſtolica, monaſteria & collegia parochiis, quas ſibi incorporatas tenent, ſufficientia & certa emolumenta inferre cogerentur. Hoc enim (ſi Æneæ creditur) Papam decet curare, vt Euangelium Chriſti, quod eſt optimum animæ pabulum, omnibus ſyncere prædicetur, vt omnes errores, omnis blaſphemia eradicetur, vt bella ſopiantur, vt furta, rapinæ, incendia, homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, odia & rixæ de medio tollantur. Ad harum rerum perſuaſiones, Theologi & Canoniſtæ magis idonei, quam Curtiſani auari, eſſe videntur. Immo & Theologi docti, concionibus apti, Sum̄um Pontificem, reuerendiſſimosq; dominos Cardinales in honore & auctoritate, ſermonib. ſuis cõmodius tueri & cõſeruare poſſent.

Auiſamenta ad Cæſaream Maieſtatem.

SIcut regnum Franciæ Pragmaticam habet ſanctionem, cui in conferendis beneficiis innititur, ſic imperium Romanum habet concordata principum, vtq; ea illæſa conſeruentur, intereſt Cæſareæ Maieſtatis. Raro tamen hactenus per ſummos Pontifices violata ſunt: & auditores Rotæ iuxta illud hucuſq; ferrur iudicaſſe. Et ſi aliquis curialium per quancunq; diſpenſationem conaretur illa infringere, quod Epiſcopus, vel Princeps vel ſenatus eiusdem loci (principiis obſtando) in faciem ei concordata inculcaret, pie exhortans, ne contra veniat, quoniam audacia ſua ſuſtineri nequaquam poſſet, cum & Turcæ & Iudæi pacta fidemq; ſeruent. Quis Curtiſanorum tam inſolens aut ſtultus eſt, vt contra voluntatem Epiſcopi, Principis, aut totius alicuius communitatis in aliqua ciuitate habitare præſumat.

Poſſet etiam Cæſarea Maieſtas, per literas aut oratores facile in regno Franciæ experiri, quomodo illic beneficia conferantur, & q̄ auctoritatẽ in cõferendis beneficiis habeat ſum̄us Pontifex. Secundum hoc poſſet moderamen fieri in imperio Romano, & frenum inexplebili auaritiæ Curtiſanorum adhiberi. Si præclaræ vniuerſitates, præcipue facultas Theologica Pariſienſis approbauerit modũ illum, q̄ de diſponendis & cõferendis beneficiis in Francia ſeruatur, nemo dubitet Cæſaream Maieſtatẽ & principes Germanos, ſi ſe iſti modo conformauerint, apud Deum tutos fore & excuſatos. Præſumendum.n.eſt, ꝙ tanti Prælati, tanti Doctores, tam probati viri, q in regno Franciæ ac in ſtudio Pariſienſi viuunt, nihil approbent, quod contra Deum aut contra iuſtitiam committeretur.

Prouideat tamen Cæſarea Maieſtas, ne Archiepiſcopi Electores in hoc ſancto inſtituto à ſe diſſentiant, ſibiq; non adhæreant, propter cenſuras apoſtolicas quas timebunt, & populus interdictum diu non ſuſtinebit.

Poruideat etiam Cæſareà Maieſtas, ne Fratres Mendicantes contra ipſam prædicent, qui ſedi Apoſtolicæ libenter deferunt, timentes perdere priuilegia ſua, vtinam Chriſto & naturæ innixa; quamuis iuſtiſſimam cauſam dudum habuiſſent contra tantam auaritiam, tantosque abuſus prædicandi.

Timeat Cæſarea Maieſtas, ne Papa mandet electoribus, vt ad electionem noui regis Romanorum procedant: Sicut contra Fridericum II. Landtgrauius Thuringiæ, & Guilhelmus Hollandiæ comes iubente Papa fuerunt electi.

Timeat Cæſarea Maieſtas omnes Prælatos Eccleſiarum, præcipue Præpoſitos, qui ex iuramento tenentur auiſare Papam.

Timeat Cæſarea Maieſtas, ne S.D.N. Papa, obedientiam à ſubditis auferat, & circumiacentes populos prouocet, vt in terras Cæſaris, ſeu archiducatus Auſtriæ irruant, quod iſti homines ſub colore obedientiæ Apoſtolicis mandatis præſtandæ, promptiſſimo animo ſunt facturi.

Timeat Cæſarea Maieſtas cenſuras Apoſtolicas, à quibus S.D.N. Papa non abſtinebit.

Timeat Cæſarea Maieſtas, ne Papa argutiſſimis locis rudi populo perſuadeat contra Pragmaticam, ſeq; excuſans, ſimplicium beneuolentiam captet, allegaturus, quod Eccleſiam ſancti Petri in Vrbe magnis impenſis inſtauret, & certis in locis contra Turcas ædificet, quodque bellis ſuis, nulli vnquam fecerit iniuriam: quoniam recuperet terras ad eccleſiam, ſiue patrimonium ſancti Petri pertinentes, ad quod ex officio teneatur. Circumſpiciat ergo & deliberet Cæſarea Maieſtas, qualiter ſapientiſſimo ſuo conſilio omnibus illis Romanorum ſubtilitatibus, (ſi neceſſitas exegerit) ſit reſponſura.

Concluſio

Concluſio & pia exhortatio ad Cæſaream Maieſtatem.

NIhil ſanctius, nihil Deo gratius, nihil ſempiterna memoria dignius efficere poterit Cæſarea Maieſtas, quam vt tantas Germanicæ nationis moleſtias & exactiones moderetur, vt Laicis clerum perſequendi occaſionem auferat, vt parochias (quarum aliquas Epiſcopatus Italicos Æneas æquare ſcribit) ex faucibus Curtiſanorum, concionari, conſulere & conſolari neſcientium eripiat; vt diuinum cultum augeat, vt auaritiæ & impietati Curtiſanorum frenum imponat; & ius patronatus Laicorum in vtriſque, & nominationes Canonicorum, collationesque eccleſiaſticorum in ordinariis menſibus conſeruet; vt multorum Illuſtrium, nobilium, & ciuium filiis in Germania conſulat, qui in Vniuerſitatibus ab adoleſcentia diuinas & humanas literas diſcunt, vt ipſi extra curiam Romanam, abſque inquietiſſimis vexationibus, ſumptuoſiſſimisque interdum etiam indignis litibus, ad præbendas eccleſiaſticas aſcendant, qui & imperio Romano conſiliis, & toti Eccleſiæ orationibus ſuis opem ferre poſſint. Neque enim minima cauſa eſt, cur tantopere floreat Franciæ regnum, niſi quod tantos tamque præſtantes in omni bona doctrina viros multos habet. Si Cæſar hanc impietatem eneruauerit, ſi Germaniam tributo graui oppreſſam, in priſtinam libertatem vendicauerit, ſi doctis & honeſtis ad præbendas aditum fecerit, tum vero liberator Germaniæ, libertatisque reſtitutor: tum vere Pater Patriæ, perpetuo ab omnibus paſſim poterit appellari: nec minorem ſibi gloriam, Germaniæque fructum afferet, quam ſi prouinciam aliquam bellicis ei viribus adiec iſſet. Sicque non minores vni Maximiliano gratias debebit, quam his omnibus, qui tranſlato ex Græcis in Germanos imperio, multis ante temporibus regnauerunt.

P. Ræſteriſcus, D. Iacobo Wimphelingio, diuinarum literarum Licentiato, S. D.

REmitto ad te, vir ornatiſſime, fido cum hoc commenſali meo, medullam illam Pragmaticæ, per quam ſcite ſyncereque abs te exceptam, vna cum prudentiſſima Cæſareæ Maieſtatis inſtructione. Faxit Deus optimus Maximus vt aquila noſtra circumſpectiſſima oculatiſſimaque, ipſam è ſummo culmine (perinde vt liliatus princeps) eripiat, conſeruetque; ne ſcilicet poſthac beneficiorum iſti harpagines, vniuerſam hanc nobilem Germaniam medullitus exenterent, eneruentque. Negotium ipſum, me Hercle, commodiſſimum atque diuinum ſummopere commendo. Nec non cum tuam ea in re diligentiam; tum Cæſareæ Maieſtatis ad rempublicam Germaniæ Zelum haud immerito maximi facio, mirificeque laudo. Nihil prorſus demendum in ipſo facto, adijciendumue (hac præſertim tempeſtate peſtifera, proindeque nobis inquietiſſima) operæ pretium duximus. Æneam Syluium de Germaniæ ſitu propediem aut ipſe reducam, aut fido cum tabellione ad ſuum remittam authorem. Vale fauſtiſſime, Ræſteriſcoque tuo, tametſi ſcabro & inculto, vtare pro tua ſynceritate, vt voles. Datum feſtinanter & ex tempore vrgente contubernali hoc meo probatæ vitæ viro, quem tuæ humanitati commendo, Calend. Decemb. Anno Chriſti 1511.

Sereniſſimo Rom. Cæſari Auguſto Maximiliano, Ia. Regius familiaris.

AVdiens nuper, ſacratiſſime Cæſar, Maieſtatem tuam Romæ adeundæ accinctam, ſcripſi Ioanni Collauro à ſecretis, vt Cæſaream Maieſtatem tuam de nonnullis commonefaceret, quæ ad ſplendorem nominis tui, Germaniæque decus non parum attinere videbantur, vt ea à ſacroſancta ſede Apoſtolica tecum referres. Nihil enim credidi impetrare te non poſſe, quod à Iulio II. Pont. Max. à tua Cæſarea Maieſtate ſalutando eſſes petiturus. Inter cætera vero Ioannem Collaurum de vno ſingulariter reddidi certiorem, quod fel. recordationis prædeceſſor tuus Henricus Romanus Cæſar, præbendam quandam (quæ ob id Regia vocatur) in Argentinenſi Eccleſia fundauerit, cuius omnes in Imperio Romano ſucceſſores iure fundationis proculdubio collatores fuerunt, & adhuc eſſe deberent, ſicut & hodie Cæſarea tua Maieſtas duarum ſimilium præbendarum, quas progenitores tui in templo Spirenſi de ſuis erexerunt, ius patronatus habet. Quomodo autem ab eo iure erga præbendam Argentinenſem (forte propter interregnum) Romanus Rex ceciderit, & ad Præpoſitum illic deuolutum ſit, prorſus ignoro. Hoc tamen multis perſuaſum eſt, Cæſaream tuam Maieſtatem ius illud patronatus à ſummo Pontifice denuo in vtroque menſe ex æquitate facile conſequi poſſe, vt amodo ad Dei laudem & Eccleſiæ decus, vir quiſpiam ſcientia & vitæ honeſtate conſpicuus, tuæque maieſtati cognitus, non inutile quoddam beſtiæ aut coquinæ mancipium, ſed neque leno, neque catamitus, liber & alienus à ſcientiis & pietate, eidem præficeretur. Tuæ enim Maieſtati, cunctisque tuis in Imperio Romano ſucceſſoribus, mores & merita perſonarum longe clarius, quam exteris gratiarum diſpenſatoribus poterunt eſſe manifeſta. Sed & hoc quoque Deo gratiſſimum, animabus ſalutiferum, tuæ autem Maieſtati in primis honorificum viſum eſt, ſi à ſacroſancta ſede Apoſtolica de quorundam abuſibus erudienda, inuiolabili lege impetrares, ne deinceps quicunque vel natali obſcurus, vel omnium bonarum literarum indoctiſſimus, contra diuinam naturalemque legem, contraque ſacratiſſimos canones, duo aut tria ſacerdotia ſub vno tecto, tres aut quatuor præbendas aut canonicatus in diuerſis collegiis intra eadem Romani Imperij mœnia ſitis, totidemque pingues parochias, qualicunque diſpenſatione (ne dicam diſſipatione) à ſummis Pontificibus eſſet conſecuturus, cum tot canonicatuum aut eccleſiarum parochialium

quælibet

quælibet alterius aut vtriusque iuris ſacræue paginæ Licentiatum, imo doctorem honeſto ſtatu nutrire poſſet, adeo vt ſinguli ſingulis eſſent contenti, & in animo tranquillo. Hac re vix aliquid Deo gratius, Germaniæque vtilius Maieſtatem tuam arbitror efficere poſſe. Taceo quod hoc pacto pii adoleſcentes, qui in Gymnaſiis multo labore, bonarumque literarum amore, patrimonium ſuum expenderunt, parte eccleſiaſtici ſtipendii nacta, cohæredes in hæreditate paterna ad rerum publicarum augmentum releuare, Chriſtoque ſeruire, & pro totius imperij ac Imperatoris ſalute preces effundere poſſent. Sic quoque per ſingulas Eccleſias miniſtri inſtituerentur idonei ſacræ paginæ, ſacrorumque canonum docti, præbendas facilius conſequerentur, ac cæteri literis, virtutibus præditi, ad Chriſti patrimonium aſcenderent; occaſio deſiderandæ mortis alienæ tolleretur, neque eſſent tot lites, totque contentiones, cum magno rei familiaris per totam Germaniam detrimento, neque eſſent tot fraudes; non vexarentur inſontes ab eis, qui nihil niſi contendere, acceptare, inquietare, vexare norunt. Non quibus proximum circumueniendi maior aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit vberior, ſub inuolutionibus prærogatiuarum, antelationum, regreſſuum, & laqueis inſtrumentorum à propriis ſeruis ſcriptorum, tot fraudes, dot deceptiones permitterentur; adoleſcentibus, qui literarum ſtudio virtuoſisque operibus intendere deberent, non daretur anſa vagandi, nec per litium anfractus turbarentur. Non confunderetur eccleſiaſticus ordo, non ſineretur vnus ſolus ad nullam rem Deo gratam, aut fidei noſtræ vtilem idoneus, turpiter occupare ſtalla & loca in omnibus Eccleſiis, intra eandem imperii ciuitatem ſitis; ſicque parochiis per barbaros, quandoque mercenarios prouiſis, ſalubrius per doctos conſuleretur; nec diminueretur diuinus cultus, nec animarum ſuffragia omitterentur: non eſſent vacua ſtalla, non caſſarentur voluntates vltimæ, minus perderentur literæ monumentaq; beneficiorum, non periret hoſpitalitas, non eleemoſynæ, non domus & ædificia cætera eccleſiarum corruerent, non bona & prædia alienarentur, non eſſent tanta murmura & odia vulgi in cunctos fere ſacerdotes, propter paucos auariſſimos ac inſatiabiles. Neque ego primus ſum, cui tanta ſacerdotiorum multiplicandorum cupiditas ſtomachum mouet. Nam & Franciſco Petrarchæ viro probatiſſimo hæc impietas admodum diſplicuit, qui nec expauit ad Vrbanum quintum in modum ſequentem perſcribere: *Audiebam te ambitioni antiquæ, qua priorum licentia in immenſum creuit, frenum ponere, & vt vno aut paucis pro dignitate virtutu ac ſcientiæ, beneficiis contenta eſſet edicere, iuſte (inquam) grauiterq;. Nam quid turpius, quam vnum aliquem, parta forſan fœdis artibus copia, nauſeantem cernere, multis hinc inde melioribus penuria, fameq; laborantibus.* Et ſapientiſſimus Gregorius Nazianzenus his verbis aſtipulatur: *Religioni ac doctrinæ noſtræ opprobrium naſcitur, quod ſacerdotia ambitione potius & gratia quam meritorum iudicio deferuntur.* Et Franciſcus Picus Princeps illuſtris in Oratione ad Concilium Lateranenſium, lamentatur ſacras ædes & templa lenonibus, catamitis & lupis fuiſſe commiſſa. Cætera ſunt plurima tibi, ſacratiſſime Cæſar, pro tua ſumma prudentia proculdubio cognita, quæ Cæſaream Maieſtatem tuam ad huiuſcemodi auaritiæ, cæterorumque vitiorum frenum & moderamen à ſacroſancta ſede Apoſtolica impetrandum permouere poſſent. Dominus Deus tuæ Cæſareæ Celſitudini ad fœlix imperii regimen, Chriſtianæque religionis amplificationem propitius opem ferre dignetur.

MAXIMILIANVS IMP.

SVmmum Eccleſiæ paſtorem, & omnem clerum, exemplo chariſſimi patris noſtri, Friderici Romanorum Imperatoris tertii, hactenus venerati, non paruos dignitatum & Eccleſiarum parochialium prouentus ex terrarum noſtrarum finibus, clericis & prælatis abſentibus clementer inferri permiſimus. Quos etiam clam pro humana fragilitate delinquentes, cum Conſtantino prædeceſſore noſtro chlamyde operire non dedignaremur. Verum cum ex noſtra largitate diuini cultus decrementum profluat, vnde diuinæ laudis, pſalmorum & miſſarum amplificatio deb. erat proficiſci; noſtra intereſt, qui abſq; meritis in ſolium Romani imperii electi ſumus, vt inter cæteras maximas pacis & belli occupationes, vigilanter quoq; circumſpiciamus, ne eccleſiæ pereant, ne religio labaſcat, ne diuinus cultus diminuatur, & ne animab. defunctorum, qui Eccleſiis & ſacerdotibus de ſuo patrimonio benefecerunt, contra vltimas ipſorum voluntates tardius ſuccurratur. Quod manifeſtiſſime experti ſumus, & indies experimur, ex ineffabili atque à nullo diſpenſabili quorundam auaritia prouenire, qui in beneficiis aſſequendis nullum finem cõſtituunt, per quorum abſentiam (cum in vno ſolo perſonaliter reſideant, & diſtributiones deſeruiant) diuinus cultus diminuitur, vltimæ benefactorum voluntates caſſantur, defunctorũ animæ tardius ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labant, eccleſiæ decreſcunt, eccleſiaſtica libertas læditur, literæ & monumenta perduntur, hoſpitalitas & eleemoſynæ minorantur, patrimonia parentũ & nerui rerumpub. ex crebris huiuſmodi auarorum colligationibus euaneſcunt; clerici pro doctrina ſua & virtute beneficiis digni ſuaque prudentia eccleſiis in temporalibus & Spiritualib. vtiles, à præbendis repelluntur, impediuntur, indigne vexantur. iniuſte eis lites mouentur, ſcandala laicis præbentur, ipſorumq; odiũ & murmur in reliquos honeſtos ſacerdotes excitatur atque augetur. Eas ob res ex officio Cæſareæ Maieſtatis, ex amore incrementi cultus diuini, ex zelo reip. hortamur & requirimus, ne quiſquam à modo in vna noſtrarum, noſtriq; Romani imperii ciuitate Canonicatum aut vicariam poſſidens, in altera eiuſdẽ ciuitatis Eccleſia, aliã præbendã occupet, niſi primã intra anni ſpatium in perſonam

idoneam

idoneam ac ecclesiæ vtilem ſit dimiſſurus. Neque alium in beneficiis aſſequendis per iniuſtas lites aut ambages indigne vexet, aut circumueniat, nec quemcunque qui non ſit de numero deſcriptorum familiarium (iuxta concordata Principum, & pacta nationis Germaniæ) falſo familiarem fuiſſe fingat, in ordinariorum collatorum præiudicium. Nec laicis ius patronatus auferre tentet, nec exiles præbendas: potiſſimum vero curatas eccleſias penſionibus grauet. Nec in adipiſcendis beneficiis & bullis, quacunque fraude, dolo, falſis inſtrumentis, corruptis teſtibus, ſymonia etiam palliata vtatur. Neque regreſſum aut alia ſacris canonibus inimica, contra ius, æquum, honeſtum, & rectam rationem impetrare præſumant, ſub pœna criminis læſæ Maieſtatis & grauiſſimæ noſtræ offenſæ. Quam non ſolum ipſi ſic contra Deum & omnem honeſtatem, exorbitantes, ſed & omnes eorum fautores, auxilium, conſilium, hoſpitium & mutuum dantes, omneſque nuntios, curſores, ſolicitatores, notarios, procuratores, fideiuſſores & reliquos amicos incidiſſe volumus, condignam pro tantis iniquitatibus & noſtri huiuſmodi mandati contemptu pœnam accepturos. Ex Oenipponte, Anno 1510.

APPENDIX.

PRæmiſſis admonitionibus, nedum imperio, ſed & Eccleſiæ ſalutaribus, ac ad mutuam pacem & concordiam deſeruientibus, poſſet etiam inter alia multa adiungi, ſummuſque Pontifex certior reddi, de lapſu & ruina domorum, cæterorumque ædificiorum ad Eccleſias & ſacerdotia pertinentium, ſiquidem (exempli cauſa) vnus ſupra triginta annos, ex parochia patriæ noſtræ ſummis Pontificibus hactenus deuotæ, multa & magna emolumenta in abſenti & in portatis (vt eorum verbis vtar) corraſit & aſſumpſit, nec tamen ad docendum populum ſuæ curæ creditum cancellos vnquam aſcendit, nec quicquam in domo egregium illic ædificauit. Argumento ſunt & publice teſtantur miſerabilia trium rei diuinę miniſtrorum cubicula, quæ minimus fratricellus aut opilio forte aſpernaretur. Sed neque præſentias aut diſtributiones quotidianas in aſſe aut dupondio auxit, nec anniuerſariam ſaltem ſuipſius memoriam inſtituit, nec ad Bibliothecam templi parochialis minimum quidem libellum ex teſtamento legauit, nec eleemoſynam pro pauperibus fieri procurauit. Cæterum adiici poſſet, quod vnus Curtiſanus ineptus & barbarus, ad pſallendum & ad ſacrificandum non magis aptus quam onager, immo aſinus, palam a ſuo notiſſimo & amiciſſimo appellatus, in otio viuens, plura vtcunque conquirere poteſt ſacerdotia, quam eximie doctus, ad rem diuinam, ad contentiones, ad conſultandum, ſacroſanctamque Eccleſiam Romanam rationabiliter defenſandam, non mediocriter accommodatus. Præterea, quod piſtor, aut cocus, leno aut nebulo, imo (cum venia) catamitus, opimas præbendas & parochias occupans, plus emolumenti ex Chriſti patrimonio abſorbet, quam laborioſiſſimus & fideliſſimus magnæ parochiæ cuiuſpiam populoſæ rector, cum ſuis vigilantiſſimis adiutoribus, imo etiam capellanis, qui eoſdem ad rectores in miniſtrandis ſacramentis, audiendiſque confeſſionibus occupatiſſimos, in horis canonicis, miſſis & vigiliis cantandis adiuuant & releuant. Huiuſcemodi releuamen & adiutorium per ſex capellanos in patria noſtra perpetuo continuandum ſperamus, poſtquam vnione facta ex benignitate ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ius capellanias iſtas conferendi in conſules Reipublicæ noſtræ in vtriſque menſibus translatum eſt, qui nullis amodo conferent, niſi eis qui perſonaliter reſidentes, diuinum officium impleturi, & vltimis fundatorum voluntatibus ſunt ſatisfacturi. Multum quoque ad inſtitutum Cæſareum conferre poſſe videtur Chriſtianiſſima Reuerendiſſimi domini Erhardi Leodienſis Epiſcopi admonitio habita in conuentu principum Auguſtano, Anno decimo octauo poſt milleſimum & quingenteſimum.

RE-

IV.

REPLICÆ DE GERMANICÆ NATIONIS ET IMPERII GRAVAMINIBVS CONTRA SEDEM ET CVRIAM Romanam, aduerſus Æneam Syluium, Cardinalem Senenſem, poſtea Pium Papam II. ſcriptæ à Iacobo Wimphelingio Seleſtadienſi, Theologo illius æui primario.

REVERENDISSIMO, INCLITISSIMOQVE PRINCIPI Alberto Brandenburgio, Maguntinæ, & Magdeburgenſis Eccleſiarum Archiepiſcopo digniſſimo, ſacroſancti Romani Imperij Principi Electori, ac per Germaniam Cancellario, eiusdemque primati, domino magnificentiſſimo, colendiſſimoque Iacobus VVymphelingius de Seletſtadio, Sacrarum literarum Licentiatus, ſe totum ſubiicit, atque commendat. Anno Domini 1515.

REuerendiſſime pater, & princeps excellentiſſime. Æneæ Syluio multis annis in Germania verſato, Germanicoq; fauore, & (a) Imperatoriæ maieſtatis intuitu ad dignitatem Cardinalatus aſſumpto, Martinus Maior Theodorici Erbacenſis prædeceſſoris tui epiſtolarum magiſter, nonnulla Germaniæ grauamina patefecit, quæ Principes imperii perferre nequirent. Æneas vt Italus, noſtrum veritus aurum ſuæ nationi ſubduci, Martini querelas multis verbis confutat, ac Germaniæ blandiens eius vrbes, templa, familias, nobiliſſimas præcipue domos, dulcibus præconiis exornat. Tuum inprimis auum Albertum Brandenburgium (quem Teutonicum Achillem vocat) ſummis de prudentia & re militari laudibus afficit. Principum ac magnatum, ſiue comitum & Baronum filios, ad Epiſcopatus aſſumendos eſſe aſſeuerans. Noſtrates tamen etiam Pontifices, & eorum contribules tum luxus, tum ſacrilegii arguens, aurum noſtrum ſitire videtur. a Friderici III.

Quod igitur Martinus, ſi ſuperſtes foret, indubie facturus erat, id oneris amicorum ſuaſu deſumpſi, Germanus pro Germano, Heydelbergenſis pro Heydelbergenſi, imperii filius pro imperio: vt ſicuti Martino Æneas, ſic ego Æneæ per replicas (vti vocant) reſponderem. Quas nulli potius dedicandas quam ampliſſimæ tuæ magnificentiæ, excellentiſſime Princeps, iudicaui: vt ſicut ab aurea Maguntia per Martinum Cancellarium conqueſtiones Germanorum exortæ ſunt, ſic ad eam mea qualiſcunq; confirmatio, à ſacris litteris iureq; pontificio nequaquam aliena, reuertatur. Quam tua magnificentiſſima paternitas, pro ineffabili tua virtute & doctrina, apud me clariſſimi cuiusdam Comitis ore probatiſſimorumq; hominum literis ſæpe prædicata, pie ſuſcipere, clementer audire, ac felici auſpicio tutari dignetur. Neq; enim ad excitandam rebellionem Æneæ reſpondebo, qui ſemper inobedientiæ oſor fui, quæ omnem eccleſiæ & imperii ordinem turbat, factiones ſuſcitat, diſciplinæ reſiſtit, & (b) ſacris literis inimicam vendicat libertatem. Nec Æneæ dicta refellere cœpi, vt cogitem ad almæ vrbis miniſteria reſtringenda: in qua ſi quiſpiam ex noſtratibus bonarum literarum cultor, apud honeſtum prælatum, vitæ ſuæ ac honori ſufficientiſſimum nactus ſacerdotium huc redeat, eiusq; fundationi & fundatoribus, totiusq; eccleſiæ ſaluti, pſallendo, ſacrificandoq; reſpondeat, cenſuumq; ac monumentorum curam habeat, ne (vti in patria mea) oblitterentur, quisnam illum non & adiuuare, & ſingulari amore proſequi dignaretur? ſicut neq; te clariſſime pater, non ab omnibus virtutum amatoribus coli, diligi & obſeruari, mihi vnquam perſuaderi poteſt: qui licet clariſſimus, clariſſimi Principis Electoris ſis filius, te tamen nec veſtis, neq; muneris pontificii piget aut pudet, neq; maiorem equorum, canum, ferarum, & fiſci, quam animarum & pauperum habes rationem. Animarum, inquam, quæ vitiorum diſſimulatione ac ſynodorũ defectu pereunt, in quibus ſanctiones prouinciales ſacro iuri innixæ, & à ſacroſancta ſede Apoſtolica confirmatæ repeterentur, admonerenturq; à Latinis oratorib. ſi qui ex Chriſti patrimonio viuunt, amaſias & nothos, pauperib. & cõſanguineis prætéritis, ſub Chriſtianæ ſepulturæ carentia, (c) ex teſtamento nequaquã inſtituere hæredes. Pauperũ inquã, quos diuinæ & pontificiæ literæ canunt, non ſolũ ex eccleſiaſticorũ (vt boni ſint diſpenſatores) abundantia paſcendos, ſed & pontificibus ſingulariter debere eſſe commendatos. Qui ſanctorum Patrum decretis & Euangelio fidem habent, noſtris contra (d) Æneam replicis haud ſeſe læſos arbitrabuntur, quib. omnes ſana doctrina, veraq; Chriſti religione pollentes confidimus aſtipulari. Dominus Deus clariſſimam tuam Celſitudinem, ad fœlix eccleſiæ tuæ nobiliſſimæ regimen, ad ſacroſancti imperii Romani incrementum, ad totius cleri gloriam, & libertatem conſeruandam longæuum conſeruet. Ex Eremo 14. Kal. Iunii, anno virginei partus 15. poſt 1500.

b Matth. 22. Rom. 13. 1. Pet. 2.

c de teſtam. & vlt. vol.

d Æneas lit. 627.

Reſponſa & Replicæ ad Æneam Syluium. Ad ſalutem & decorem ſacroſancti Romani Imperii, amore patriæ Germanicæq; nationis.

GErmaniam exaltatricem ſuam Æneas Syluius iure laudat: Italus vero ipſe nationi ſuæ vehementer (vt decuit) affectus, ne ad eam aurum ſegnius mittamus, nobis de culmine regio à Græcis in nos translato, mellitis verbis blanditur, quod maiores noſtri ſuo ſanguine & ope

 Romanis

Romanis exhibita pepererunt, blanditurque de domeſticis noſtris eccleſiaſticiſq; opibus ac ornamentis. Etſi Germania labore partis aut frugalitate floreret opibus, an quidquam ſuperuacanei poterit quotidianis vſibus ſupereſſe, ſi noſtra templa, ſi Dei cultum, ſi noſtras vrbes, ſi vias & Reſpublicas, ſi patriã ab hoſtibus, ſi xenodochia, ſi pupillos, ſi puerulos expoſitos, ſi viduas, puerperas, ſi morbo Gallico ſiue puſtulis aut lepra infectos, ſi cæteros valetudinarios & mendicos, quorum porticus templorum plenæ ſunt, vti Chriſtiana pietas exigit, ſeruaturi ſumus? Quod Æneas religionem à ſuis ad nos profluxiſſe gloriatur, inquiens, *Roma vobis Chriſtum prædicauit verum Deum, cuius religio barbariẽ omnem generi veſtro deterſit.* Fatemur ingenue Chriſtum à clauigero, & diſcipulis eius ad nos Roma miſſis nobis prædicatum ab eodem. à quo omne datum optimum, ad fidem Roma ipſa illuſtrata eſt, quo Germania, ideoque non minus pro accepta religione ad gratitudinem (cuius nos Æneas vult memores eſſe) Roma Chriſto, quam Germania Romæ obnoxia eſſe videtur. Nam & Petrus natione Iudæus, ex Palæſtina veniens Romanis Chriſti fidem prædicauit. Eadem ergo radice, ne ingrati, acceptiq; à Iudæis beneficii immemores eſſe arguantur, aurum argentumq; quotannis in Syriam, ſi Chriſtum profiteretur, eſſet transmittendum. At diceret Æneas, *Petrum ſedem Romæ non Hieroſolymis habuiſſe.* Cui reſponderi poſſet, eam prius Antiochiæ fuiſſe cathedram.

Veruntamen gratitudinem amplecti geſtimus, eam vero quæ non tam ſplendore ſeculari & externis ceremoniis, quam imitatione morum, caſtimonia, humilitate, modeſtia, diuitiarum & delitiarum contemptu, liberalitate in pauperes, cœleſtium rerum amore, & deuota commiſeratione in Chriſti crucem & paſſionem exhibetur: Atque his virtutibus ab eccleſiæ exordio, ab primis paſtoribus, aurum haud emulgentib. Germaniæ prædicatis (in quibus iuxta Roterodami Moriam verus eſt cultus, longeq; cælitibus gratiſſimus) ingratitudinis vitium euadere confidimus. Fatemur enim nos Chriſto multa debere: quocirca illi templa, ſacella, aras, & cultum inſtauramus, & maiores noſtri ad eius honoris augmentum ſacerdotia fundarunt.

Addidit Æneas, *ante baptiſmi gratiam nihil immundius, nihil tetrius, nihil ſpurcius natione noſtra fuiſſe,* tanquam ſoli Germani ante Chriſti fidem falſos Deos, obſcœnaq; vitia ſectati ſint. At non de Germanis ſatyrici Latini cecinerunt: Nec (a) Paulus immaniſſima & execrabiliſſima Germanorum flagitia in 1. ad Romanos capite taxauit. Quod autem Æneas priſcis Germanis maximum de filiis Cacodæmonilitatis crimen obiicit, id Cicero in oratione pro M. Fonteio Gallis tribuiſſe videtur. Et ſi Germani tum gentiles ab hac impietate dudum liberati ſunt, beneficium hoc (Ænea teſte) in Adrianum Cæſarem eſt referendum. Quotquot in nos magna & ſingularia beneficia à Romanis collata Æneas iactat, totidem & forte vix minora noſtrates Cæſares ope Germanorum in eos contulerunt. Carolus Magnus quid egerit pro eorum ſalute; quid Otthones victorioſiſſimi; quid magnificus Sigismundus, quid Fridericus III. pacificus; quid pia eius proles Maximilianus, qui niſi Romam coleret, Iulius ſede ſua pulſus fuiſſet, quid reliqui multi Germani, ex tritis hiſtoriis pueri probe norunt. Neque nos religionem accepiſſe parui pendimus, pro qua nos Æneas Romæ multa debere contendit: licet è diuerſo nobis illa pro nobiliſſimæ excellentiſſimæq; artis impreſſoriæ, per noſtratium, Argentini cuiuſpiam & Moguntini, ſagaciſſimam, ac vigilantiſſimam induſtriam inuento nonnihil debere videatur. Hac enim arte omnes optimæ & fidei & morum doctrinæ, diuerſis etiam linguis conſcriptæ, in vniuerſum orbem propagantur. Hac arte literæ ſummorum Pontificum, quæ mandata, quæ auctoritatem, quæ ſumme neceſſaria Romanæ ſedis religioniſq; negotia continent, vna die à duobus aut tribus, ad dignitatem ſacroſanct. ſedis Apoſtolicæ conſeruandam magis magiſque multiplicari ac diſſeminari poſſunt, quam à librariis ducentis tota hebdomade ſcribendo fatigatis. Cum itaque religioni, ſacroſanctæq; Rom. Eccleſiæ maximum fructum atque leuamen attulerimus, cum Chriſtianam religionem in nullo vacillantes profiteamur, cum pro ea ſanguinem fundere (Ænea teſte) proni & parati ſimus; indigne pro noſtra ſinceritate, qua mandata, (vt par eſt) recipimus, condonationes ſuſcipimus, vrbem petimus, æs mittimus, Barbari vocamur. Si enim iuxta Æneam religio barbariam deterſit, & nos religionem colimus & amplectimur, immerito & iniuſte fœdo barbarorum titulo, & ſclaui & mancipia, à quibus aurum emulgendum ſit, contaminamur. Veruntamen Æneas Illuſtriſſimam patriam noſtram, vrbesq; noſtras, & ſacras ædes munificis laudibus extulit, vt præconiis forte dulcibus illecti ad fideliſſimas, ſuæque nationi profuturas admonitiones benignius aures noſtras accommodaremus, & ad profundendam in exteros rem familiarem ſimus beneuolentiores.

a Roma. 1.

Laus artis impreſſoriæ.

Quipropter conſtitutionem Baſilienſis concilii (pro quo vel ipſe Æneas ad Agrippinos ſcripſerat) à ſapientiſſimis iuſtiſſimiſq; patribus ſacroſancti ductu flaminis conditam eneruare ſtuduit, ne nos eidem ſicut cæteræ Chriſtianiſſimæ nationes, innixi, conſtrictis marſupiis ad expendendum aurum ſimus tardiores. Nempe ſanctio Baſilienſis Synodi ab Eugenio indictæ, ſtomachum Æneæ mouet, veluti ad hoc tendat, ne Germanica natio iuſſionibus Apoſtolicæ ſedis obedire, & ne quid pecuniarum ad Romanam curiam deferre cogatur. At ego neminem vel Pontificum, vel Principum noſtratium eſſe crediderim, qui iuſſa Pontificis maximi honeſta contemnat. Immo aurea Moguntia peculiarẽ ſe Romanæ Eccleſiæ filiam profitetur. Nec vllos eſſe crediderim, q prohibeant pecunias ſummo omnium noſtrorũ paſtori & patri debitas transferri. Pergunt nihilominus, illuc noſtrates quotidie peregre, pro reſeruatis gratiis & diſpenſationibus aurum expenditur; cauſę etiam profanæ, nedum per appellationes illuc trahuntur. Condonationes, in quibus vel ſedes apoſtolica,

apoſtolica, vel ordo ſcriptorum parte ſua gaudet, nulla natio promptius ſuſcipit quam Germanica. Epiſcoporum & Abbatum quorundam noſtratium confirmationes nunquam vacuis ad nos manibus reductæ ſunt. Quod ante hæc ſæcula noſtri præſtitere maiores, quod legitimũ eſt, quod iuſtum, quod tolerabile eſt, id a modo præſtitum iri nemo noſtratium refragabitur. At plus æquo à nobis emungi, Corinthiorum ſimiles nos facit, ad quos arguendos electionis vas intonabat, *Suſtinetis ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit.*

Tametſi Bononia, Peruſini, Eccleſiæ vicarii & reliqui populi Eccleſiæ Rom. ſubiecti aut nihil aut quantum velint (quod Æneas lamentabiliter meminit) conferant, ideone nos noſtra immoderatius elargiri vlla lege cogemur? Quo autem Roma tot & fere innumeros miniſtros, diuerſisq; muneribus præfectos habet (vt Æneas ait) quos indies multiplicari dicunt, eane de cauſa res familiaris Germanorum exhaurienda eſt? Operoſum ſane eſt Romam omnium cauſarum iure fori pertractandarum pondera ſolam ſuſtinere. At ſunt (præter imperatoriam iuriſdictionem) in noſtris quoque terris clariſſimæ metropoles, iuriſprudentia & integritate iudicum ſuffultæ, ad quas à noſtris cathedralibus (quæ proximam iudicandi ſedem habent) ſi quiſpiam ſe oppreſſum ratus fuerit, per appellationem refugium habere poſſet. Quemlibet autem noſtratium vel profanum proximo ſuo iudice contempto, pro re leuiſſima, ex vindictæ quandoque liuore, & propria in perſona (vti expertus ſum) ad Romanum tribunal trahi, æquum eſſe diuus Bernhardus * nequaquam iudicabat. In arduis tamen & grauiſſimis cauſis Romam appellandum (vbi ſuprema & maxima poteſtas, vbi ſumma prudentia iuſtitiaq; viget) inficias ibit nemo. Quocirca ſi Cæſari, ſi noſtris reuerendiſſimis Archiepiſcopis, ſua iudiciaria poteſtas inconcuſſa maneret, ſacroſancta ſedes Apoſtolica tanto laborum pondere ac moleſtia nequaquam obrueretur. Nam neque Germanis ſtudium ac integritatem deeſſe, vltro Æneas illis aſtruit verbis: *Vidimus iudicia veſtra, & conſiliis veſtris quæ de repub. gerebantur ſæpe interfuimus: omnia & prudenter & grauiter adminiſtratis. Nec facile a recto tramite deflectimini, nec vobis ciuiles leges, nec iura deſunt pontificalia, litera quoq; & omnium bonarum artium ſtudia apud vos florent.* Nec video cur nam lex Baſilienſis tantopere ſpernenda confutandaque ſit. Quippe quæ nihil (mea ſententia) continet, (*a*) niſi quod Dei gloriam fouet, quod ratio ſuadet, quod æquitas poſtulat, quod naturæ lex ſuggerit, quod canones mandant, quod religioni & honeſto cõſentaneum eſt. Commemorat enim quinam Eccleſias erexerint, ſacerdotia dotauerint, in eisque idoneos inſtituerint ad propagandam fidem, ad bonos mores, & exempla virtutum, ſicut & Clemens V. iuſtum eſſe conformiter decreuerat his verbis. (*b*) *Cum eccleſiæ quibus præficiuntur perſonæ minus idoneæ, ſcientia, morib. vel ætate grauia propter hoc (vt docet experientia) perferant in ſpiritualibus & temporalib. detrimenta*, & reliqua. Quamobrem Clemens, vt bonus ouium Chriſti paſtor, prudensq; & fidelis ſacerdotiorum diſpenſator, Epiſcopis diſtricte iniungit, vt ſtatuta canonica ſuper præficiendis perſonis, & obſeruent, & faciant à ſuis obſeruari, ſi diuinam offenſam, & ſedis Apoſtolicæ debitã vitare velint vltionem. Nonne idem eſt noſtra ætate Deus? nonne eadem ſedes Apoſtolica, quæ fuit tempore Clementis, quorum offenſa & vltio ſit pertimeſcenda? Haud ab re igitur pia (*c*) ſanctio ſynodi Baſilienſis (cui ſapientiſſimi ac præſtantiſſimi patres interfuere) narrat à ſanctis patribus ſanctos canones conditos eſſe, pro felici regimine ſtatus eccleſiaſtici; quodq; quandiu canones illi obſeruati fuere, in Dei eccleſia floruerit honeſtas, diſciplina, religio, pietas, charitas, & pax, & quod ex ambitione & auaritia, quæ patrum decreta contemnit, ſubſecutæ ſunt

In de conſider. ad Eugen.

a Prologus ſanctionis Baſilienſ.

b Clem. 1. de ætat. & qualit.

c diſt. 10. ſi decreta. & Æneas alludit cap. 10.

Morum corruptiones atque deformationes.

Status Eccleſiaſtici dehoneſtationes.

Vſurpationes grauiſſimæ.

Præſertimque hæc fieri, per prælaturarum & dignitatum, aliorumq; beneficiorum Eccleſiaſticorum reſeruationes, & per

Gratiarum ad vacatura beneficia expectatiuarum, à iure valde exorbitantium multiplicationes, & per

Innumerabiles conceſſiones, grauiſſimaque & importabilia onera.

Quibus eccleſiæ & perſonæ eccleſiaſticæ afflictæ, oppreſſæ, & quaſi ad internecionem redactæ his diebus conſpiciuntur. Nam

Eccleſiarum & beneficiorum pecunias indigni exterique occupant.

Maiores dignitates, opulentioraque beneficia perſonis cõferuntur incognitis & non ꝓbatis.

Pauci in eccleſiis reſident, quia cum ſint plurales, vbique reſidere, & præſidentias deſeruire non poſſunt, vultusque commiſſi ſibi gregis non agnoſcunt.

Animarum cura neglecta, temporalia lucra ſolummodo quæruntur.

Chriſti cultus diminuitur.

Animarum cura negligitur.

Subtrahitur hoſpitalitas.

Eccleſiarum iura depereunt.

Ruunt ædificia.

Populi deuotio attenuatur.

Multi doctores & decreta horum faciunt mentionem cum deteſtatione.

Clerici ſcientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis vacare poſſent, & qui pro animarum & eccleſiæ publicis forent conſiliis opportuni, diuinarum humanarumque ſcientiarum ſtudia deſerunt, propter promotionis ad beneficia ſpem eis oblatam.

... alienæ mortis oritur.
... infinitæ, contentiones & rixæ, rancores & odia inter Christi miniſtros ſuſcitantur, ...
... que fouentur.
... beneficiorum execrabilis ambitio fouetur.
Pauperes clerici cum rerum ſuarum diſcrimine per calumnioſos cauilloſosq; opprimuntur.
Beneficia per litium anfractus iniuſte ſæpius occupantur.
Beneficia inofficiata relinquuntur.
Beneficia ſymoniace acquiruntur.
Iuuenib. bonæ indolis euagandi licentia præbetur, qui literis & virtutib. intendere deberent.
Prælatis & cæteris ordinariis collatoribus ius ſuum atque miniſterium aufertur.
Ordo Eccleſiæ hierarchicus confunditur.
Plurima aduerſus diuina atque humana iura in animarum pernitiem, & eccleſiarum oppreſ-
ſionem & conculcationem perpetrantur.

Cum pace & venia Æneæ Syluii, diſcernant boni & æqui iudices, qui ſaltem enixe penſicula-
runt, ſi non eccleſiis parochialib. ad quas gratiæ Apoſtolicæ & reſeruata ſe non extendunt, dum va-
cauerint, de idoneis paſtorib. celerius & maturius prouideatur, quam his q́ ſub reſeruatis aut gratiis
cadunt: quippe q́ interdum propter diuerſos collitigantes, variasque ipſorũ ſolertias aut vafritias ad
biennium aut triennium certo & idoneo paſtore caruerunt: cumq; vix tandem aliquis colligantiũ
victor aliorũ in parochia aliqua vtcunq; euaſerit, vel in ea perſonaliter non reſidet, vel ſi reſidet non
prædicat, nec cancellos aſcendit, vt ſaltem ꝓ ſummo Pontifice, & pro ſacroſancta Eccleſia Romana,
proq; Cæſarea Maieſtate, aut contra Turcas, ad Deum preces à populo fieri exhortetur. Non ſic vſu
venit de Eccleſiis quibusdam parochialibus, ad quas contentioſi p gratias apoſtolicas aut reſeruata
nõ aſpirant, ad quas omnes, cum vacant, eueſtigio de ideonis rectorib. ſalubriter abſque lite, abſque
multa pecuniarũ effuſione, prouidendas vel vniuerſitates, vel Senatus, vel eccleſiarũ tutores, vel de-
putati, vel capitula ſtatim deliberant, & ad Dei honorem, animarumq; ſalutem bonos ac doctos vi-
ros eisdem abſq; controuerſia & litib. ꝑficiunt, q perſonaliter reſidentes, p ſe ipſos Euangeliũ prędi-
cant, populũ verbo & exemplo ædificant, ac ſuas oues in viã ſalutis vt veri paſtores dirigunt. De quo
ſanctiſſimi in Chriſto patres, ſumiq; cunctorum fidelium paſtores & fructũ ſpirituale cõſcientiarum
ſuarum maiorẽ tranquillitatem & pacem animarum ſuarum corã Deo iuſtiſſimo iudice releuamen
conſequunt, quippe q de animab. omnium Chriſti fidelium exactiſſimã domino Deo rationem in
extremo & horrendo iudicio ſunt reddituri. Sicut & Iulius II. in exordio Bullæ ſuæ contra Ioannem
Bentiuolum annis (vtinam in Turcas conuerſis) Bononia pulſum ingenue confitetur: & Platina re-
cenſet in Cæleſtino. Eſt etenim (Ænea teſte) Pontificis Maximi proprium munus, Chriſti oues vbiq;
exiſtentes paſcere. Paſtuiã autem eã eſſe oportet, q́ in caulas Domini, hoc eſt in viã ſalutis omnes (ſi
poſſibile ſit) ꝑducere conetur. Cõuenit ergo Romanum Põtificem, magnum ſacerdotem, curare, vt
Euangelium Chriſti, ꝙ eſt optimum pabulum, omnibus ſincere ꝑdicetur, vt omnes errores, omnis
blaſphemia, omnis plãtatio, q̃ Chriſtus nõ plãtauit eradicet, vt pellant à finib. Chriſtianis impugna-
tores noſtræ religionis, vt ſchiſmata remoueãtur, vt bella ſopiantur, vt furta, rapinæ, incendia, vt ho-
micidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, cõtentiones, ſimultates, odia, rixæ de medio tollantur, vt pax
& iuſtitia oſculentur, vigeatq; concordia, vt honoretur Deus, & illi laudes atque hymni canantur.

Ad remouenda vero ſchiſmata, ad blaſphemiam, ad bella, ad furta, & cætera quæ recenſuit
Æneas, flagitia diſſuadenda, ipſis ſummis Pontificibus efficacius cooperaturi ſunt non ephœbi; non
mulorum duces, nõ citationum inſinuatores, ſed iuris Pontificii diuinarumq; literarum periti, tum
in concionibus, tum in expiandis in auriculari confeſſione conſcientiis. Bono nimirum ſpiritu lex
Baſilienſium decreuerat, tertiam præbendarum partem ſacrarum literarum doctis eſſe conferendã.
Sciebant.n. optimi patres, doctos & exemplares Theol. Profeſſores, ex ſacris literis, ſanctæ Romanę
Eccleſiæ dignitatem tueri, & plebem ad officium inflectere poſſe. Sicut Dominus præpoſitus Ga-
briel Biel, (Theologo Ioanne Eckio ſic vocatus in ſchiſmate Moguntino) ſubtiliter ſcribendo & con-
ſtanter prædicando accuratiſſime fecit. Et extant hodie qui ſummi Pontificis maximam auctorita-
tem, reuerendiſſimorumque patrum Cardinalium gloriam ac omnem libertatem eccleſiaſticam
ſcriptis, lectione, diſputationibus, piis monitis, concionibus rationabiliter defendere extollereque
poſſent. Siquidem hac noſtra ætate ad obedientiam, ad pacem, ad virtutes populus ſacra doctrina,
piis monitis, ſecretis conſiliis, ac bono vitæ exemplo & concionibus facilius inducitur, quam acri-
monia, pompa, minis, terroribus, armis aut cenſuris. Sacroſanctæ igitur Romanæ eccleſiæ, ſummiſ-
que pontificibus non ſolum in aula, in cubiculis, in penu, in coquina, in piſtrino, in equorum carce-
ribus apud Tyberim, ſed etiam in Aquilone à diuinarum pontificiarumque literarum cultoribus
poteſt fideliſſime vtiliſſimeque inſeruiri. Quicquid de aliis ſacerdotiis à Roma (quæ Ænea teſte
ſacrarium eſt veritatis, & vnicum religionis domicilium) actum fuerit, circa tamen illa, quibus ani-
marum cura cohæret, vt ſunt Decanatus, & parochiæ, tempeſtiuiſſima circumſpectiſſimaque per
bonos viros moribus & doctrina probatos, quorum Germania ſcatet, nedum in gymnaſiis quo-
rum non pauca poſt Æneam erecta ſunt, prouiſio & Deo gratiſſima, & ſummis pontificibus maxi-
me decora, animabusque mortalium ſaluberrima eſſe videtur, ne ſit populus Domini, ſicut
oues abſque paſtore. Cum vtique honeſtius ſanctiusque ſit, ouibus Chriſti in Chriſtiana vita
fideliter inſtruendis, de bonis idoneisque paſtoribus prudenter conſulere, quam barbaris & in-

Gabriel Biel.

doctis

doctis, ſolũ paſtorum nomẽ habituris, de lana, lacte, Cerere & Baccho, auro, argento, in luxu ac otio paſcendis ex carnali affectu, aut vilis obſequii contemplatione ꝓuidere. Et inuenirent in Germania non turpium fabularum, ſed omnis nobiliſſimæ philoſophiæ, Chriſtianarumque literarum, ac iuris Pontificii apprime docti ſine tamen penſionibus, parochiarum ſtudioſe regendarum, ſi vocarentur, onus ſubituri, quibus ad eas alioquin, ſicut neque ad canonicatus, nihil loci patere poteſt. Studii enim æſtuantes amore, iuuentutis florem vel in penetralibus, vel in malorum carcerib⁹ apud exteros deliteſcendo ignauiter conſumere recuſarunt, ſiquidem eos genius ſuus à lucro traxit ad virtutem, à diuitiis ad diſciplinam, ab otio aut turpi miniſterio ad honorificas literas, quas ad ornatũ animæ, ad conciliandam Dei gratiam, ad ædificationem morum, & inſtructionẽ ſimplicium, ad dignitatem ſacroſ. ſedis Apoſtolicæ tutandam, ad concionandum, ad patrocinia pauperũ, adminiſtrandã iuſtitiam, & ad Chriſtianam religionem plantandã accommodatiſſimas eſſe cognorant. Quod ſi ingenio adhuc vegeto diſcurrerent, ſi labores ruſticos perferrent, ſi ſcriptionib. ſi gratiis, ſi reſeruatis, ſi penſionibus, auro quandoq; numerato redimendis, intenderent, ad mun⁹ indies eccleſiaſticum, diuinis laudib. & animarum ſaluti, ſummiſq; pontificib. ac toti eccleſiæ profuturum ſteriles forſitan efficerentur. Cum autem nullum Deo gratius ſacrificium ſit, rememoratione Dominicæ paſſionis, ſi docti & modeſti, ad ſacrificandum prompti præbendas acciperent, ſi plura ſufficientia ſacerdotia in plures ſacerdotes ſæpius quam vnus aut pauci ſacrificantes, iuxta veram iuſtitiam diſtributiuam diuiderentur, tum Pontifices Maximi, Cæſareaq; Maieſtas plures ſortirentur pro ſua ſalute interceſſores, imo & excelſus reuerendiſſimorum patrum Cardinalium cætus ac totius eccleſiaſticæ dignitatis ſplendor multorum doctrina excellentium, conſilio, eloquentia, & ſapientia felicius in ſua celſitudine conſeruari poſſet. Hoc eſt (ni fallor) quod lex Concilii Baſilienſis intendit, vt Euangelium Chriſti omnibus ſincere ꝑdicetur, vt à multis honoretur Deus, vt à Deo laudes atq; hymni decantentur: hoc eſt ꝙ & nos ipſi volumus, vt multi ſint q̃ Deo ſeruiant, Deum laudent, ſinguli in ſingulis ſufficientib. ſacerdotiis Deum honorent, atq; ſacrificent, vt & ſummi Pontifices & Imperatores totaq; Eccleſia de illo ſacrificio (quo nullum efficacius) fructum acquirat, hoſtes vincat, pacem & incolumitatem accipiat, gratiam hauriat, & gloriã conſequatur ſempiternam. Et quoniam Lex illa Baſilienſis religionem à Romanis acceptam cupit propagari, diuinum cultum augeri, animarum ſalutem ꝓcurari, officia à ſacerdotib. impleri, vltimas voluntates expleri, vitia euelli, virtutes inſeri, non vſq; adeo veluti ſacrilega vltra Sauromatas explodenda eſſe videtur. Lex inquam, cuius editioni inter ampliſſimos conſtantiſſimoſq; alios patres, Iulianus S. Angeli Cardinalis, Cuſanus item noſter, & Ludouicus Arelatenſis (quem miraculis claruiſſe perhibent) interfuere: q̃ & totum Franciæ regnum doctiſſimis & integerrimis refertum ſuſcipit, amplectitur, fouet, eiq; innititur ex eaq; ſecuritatem & innocentiã ſua opinione deſumens, primatem ſuum colit, ſeu patriarchã, quali nobiliſſima Germania non caret, cuius magna eſt auctoritas, nam & ei vel archiepiſcopi obedientiam debent. *Retineat*, inquit Gregorius, *Apoſtolica ſedes proprium vigorem, at à te conceſſa alijs ſua iura non minuat.* Quæ quia mater eſt, non nouerca, & (vt Æneas teſtatur) tutus portus afflictorum, & dulce refugium miſerorũ, ſciensq; ex Gregorio ad Marianum Epiſcopum Rauennatem, nõ plus pecuniæ, q̃ animabus ſtudendum (quoniam redemptor noſter à ſacerdotis officio non quærit aurũ ſed animas) Chriſtianiſſimã & obſequentiſſimã Germaniã maternis tandem alis complectatur. Quæ cum (Ænea teſte) hoſpitalis ſit, humaniſſima ſit, & quæ pauperibus, q̃ pueris & liberis (feminas non faſtidiens) plena eſt, [illegible] intolerabilioremq; ſarcinã imponat, Gregorii magni exemplo, qui ſuſceptis à Patricio Galliarũ [illegible] ſolidis immortales gratias egit. Germaniã ergo benigniſſima noſtra mater, [illegible] Apoſtolica (apud quam ſumma conſtantia, ſumma veritas, ſumma religio) hac ſaltem [illegible] gitionumque moderatione dignetur, vt Archiepiſcopis noſtris & Epiſcopis intra paucos annos [illegible] vita hac miſera ſublatis, mitius clementiusq; cum ſucceſſorib. agatur. Quod. n. illi præſtant, id [illegible] plerumq; à miſerrimis agricolis & ciuibus, cleroque, maxime rurali, corradit & emungitur, quo perſæpe patresfamilias ꝓ liberis educandis, ipſiq; ſacrificuli (quorum beneficia nonnunquam opulentiſſimis incorporata ſunt) ꝓ vita ſuſtentanda opus haberent: ne ſeditio tandem vulgi ſæpe de hac re murmurantis, vt his auribus (Deum teſtor) audiui, in eccleſiaſticos ſuboriatur, neue Bohemicum virus (quod abſit) latius ſerpat. Haud abs re Leo II. Platina auctore, & Ludouicus Galliæ Rex inter Diuos relatus largitiones iſtas interdixerunt. Durum equidem eſt non quadringentorũ, quib. Gregorius gratias agens ſatiabatur, ſed viginti, aut eo amplius, millibus aureorum nummum exactione clero & plebi nuper impoſita, & ea quidem nondum diſſoluta, ꝓpter nouum Archiepiſcopũ aliam & æqualem propediem popularib. & Chriſti miniſtris impoſitũ iri. Potiſſime, cum veterem ꝓ pallii vſu iam pridem præſtitam ſummam, decem duntaxat millium fuiſſe memoriæ proditum ſit, q̃ quia à prædeceſſore reddita non eſt, ſucceſſor ſuam decem, & anteceſſoris æqualẽ diſſolui neglectã, tradere cogebatur. Quibus in ſcrinium ſeu regiſtrũ ad poſteritatis memoriam forte conſignatis, viginti millia, vſq; ad noſtram ætatẽ ab omnib. archiepiſcopis exigi dicuntur. Conſideret quoq; pia mater noſtra, propter noua officia indies, vt fama eſt, exceſcentia, pro confirmationib. ſũmam augeri; telonia principum Electorum declinari, prouentuſq; diminui, propter bella & bellis equos multam tellurem iacere incultam: venas montium myneralium, quos Æneas, tanquam terrarũ noſtrarum explorator, egregie recenſet, eſſe exinanitas: concordatiſq; Principũ, quibus edendis Æneas adfuit, exemplo Caliſti, ipſo teſte, pia mater nõ contraueniat, Stygios regreſſus nonnunquã falſos & fictos, quod in me ipſo expertus ſum, ordinariis collatorib. intolerabiles eneruet: Per ampliſſima reſeruata,

Contra c. grauis, de præbend.

His aduerſans, de hæreſi viderit ut vocetur.

di. ſt. 99. de Primatib.

20000 fl. pro pallio.

uata,

uata, curialib. etiã moleſta, non vſq; adeo & tam crebro Germaniã grauet, nec innumeras ad vnum collatorẽ gratias in terris eccleſiæ Rom. nõ ſubiectis concedat, ꝙ nõ ſolũ lex Baſilienſis, verũ etiam Æneas ipſe illegitimum iudicauit. Lex. n. ꝑter damna in Proœmio recenſita, alia etiã oriri incomoda narrat, ex multiplicatione gratiarum expectatiuarum. Primo, ꝙ clerici in gratiis confiſi patrimoniũ & parentũ opes exhauriunt. Secundo, ꝙ ii quib. aut maior proximũ circumueniendi aſtutia, aut ad litigandũ facultas ſuppetit vberior, beneficia ſibi vendicant. Tertio ꝙ ſub inuolutionib. ꝓrogatiuarũ aut antelationũ, & aliorũ gratias eiusmodi cõtaminantiũ plurimæ fraudes comittuntur. Æneæ autẽ verba hæc ſunt: *Verũ eſſe fatemur, huiusmodi gratias non eſſe omnino probabiles, eiuſq; fortaſſe moderatius eſſet vtendũ. Nã paſſim cõcedi quibuſuis hominib. & ad vnã collationẽ multos concurrere, haudquaquã probamus. Nec ambigimus, diuũ Caliſtũ, ſi paulului à moleſtia Turcarũ requieuerit, huic rei prouide occurſurũ, qui & hanc gratiarũ conſuetudinẽ ab initio ſui pontificatus abolere voluit.* Ecce quomodo Æneas defert huic Baſilienſi cõſtitutioni. Et ego nihil hic impiũ, nihil imꝓbandũ, nihil deteſtandũ, nihil à ratione alienũ video: Tametſi Ludouicus Delphinus, in ſacroſanctũ cõſilium Baſilienſe dirimendum, Platina teſte, cum maxima patriæ parẽtumq; meorum iactura, ab Eugenio ſic laceſſitus. Impetrare igitur ſtudeat natio noſtra, de ſede Apoſtolica non male merita, ne concordata Principum caſſentur, ne preces regiæ in menſib. ordinariorum reiiciantur, ne ordinariis collatorib. ꝓ reſeruata, aut regreſſus ius ſuum auferatur, quod neq; Æneas ꝓbauit. Cuius profecto hæc verba ſunt: *Sicut indignum eſt ordinarios cuncta ſibi retinere, pari modo deteſtabile cenſemus Apoſtolicã ſedẽ vel nihil, vel parum illis dimittere.* Impetret quoq; natio noſtra à matre ſua, quæ ſubditos ſuos (iuxta Æneam) vt filios non vt ſeruos habet, ne ſeculares ſuo iure patronatus priuentur, ꝑ quod cæteri à ſacerdotiorum fundatione abſterreantur, ſicut in cathedralib. aliiſq; Germaniæ eccleſiis, à Regib. à Principib. à magnatib. à procerib. à ciuib. à rebuspub. ſacerdotia fundata ſunt, quorum merito gauderent eſſe patroni & collatores. Impetret quoq; natio noſtra, ne familiares fuiſſe impune mentiri liceat eos, q̃ nunq̃ fuerunt: ne noſtrates gratiis & priuilegiis ꝓximorum ſedis aut pontificis familiariũ & alienigenarũ innixi, principũ (etiã electorũ) filios in aſſequendis præbendis antecedant, cum non oriundos ex Germania Sixtus IV. ad Germaniã habere expectatiuas ꝓhibuerit. Impetret etiã. ne ſacerdotia pinguia poſſidentib. ſenio vel morbo cõfectis, iniqſſime lites moueantur, ſub quarũ pendẽtiũ typo verſipelles nullo iure freti in ꝑmortuorũ beneficia vel iura ſubrogent. ꝑ ꝙ adflictis addatur afflictio. Ne cõſumptis & cõſumatis gratiis precibusue regiis, in maximã aliorũ pauperũ iacturã denuo liceat vti. Ne canonic⁹ diues ꝑ interpoſitã illuſtrem ꝑſonã, gratiã ad aliã eiusdẽ eccleſiæ præbendã impetret, eamq; tantiſper occupet, donec in ſuã vtilitatẽ cõuertat: (*a*) ne quiſq̃ duos aut tres canonicatus in diuerſis vnius & eiusdem vrbis collegiis, & in cathedrali vicariã ſimul, omniũ corpora rapiens & abſorbens (ꝓpterea nullum locũ ꝓ penſione alteri, quantumuis docto & bono, ceſſurus) ſeclusis officiis, dignitatib. parochiis, capellaniis, penſionib⁹ in maximũ Dei contemptũ, animarũ benefactorũ, & rerum publicarum, ciuiumq; & pauperũ iacturã, (vt de ꝑniciosiſſimo ſcandalo taceã) (*b*) vſurpet. Impetret quoq; natio noſtra, ne ꝑ temerarias ac diurnas lites tanti ſumptus & impenſæ excreſcant, quantis vel nouum ſacerdotium erigi, vel cenſus ad vitã, quantos beneficiũ, ꝓ quo certatum eſt, emi potuiſſent. Ac ne in ſacerdotiis opulentiſſimus quiſq; panẽ ab ore pauperum reſecans, tota vita ꝓ nouis ſacerdotiis contendat, ac per fas & nefas intret: vti ex Philippo Agrippino Archiepiſcopo, ſuperiori menſe (heu) vita functo (qui & eccleſiæ & ſacroſanct. Roman. Imper. Princeps fuit vtiliſſimus) audiui; & pridem ex altero quodam prælato his aurib. accepi, quoſdã auariſſimos, q̃ multas penſiones, multos canonicatus, multas eccleſias, innumeras capellanias poſſederant, multiſq; pauperib. lites indignas mouerant, in ius traxerant, per concuſſionem à beneficiis eiecerant, ſi hodie adhuc ſuperſtites eſſent, ꝓpter fraudes & aſtutias quib. vſi ſunt, & iã demum in lucẽ prodeunt, flãmis in cinerẽ, & fauillas eſſe exurẽdos. Quod ſi technas, mutuaſq; circumuentiones, quas alter de altero illius generis hominũ, nouẽ pene luſtris vltro me ꝑſente & audiente cõqueſt⁹ eſt, ſcribere vellẽ vel poſſem, vtriuſq; ferme inſtrumenti paginam æquarent. Quod grauius bellum nobiliſſimæ Germaniæ, ſacroſanctoq; Rom. Imp. indici poſſet, q̃ ab auariſſimis vix vmbra fucati iuris quandoq; ſuffultis, iniuſtiſſimas & ſumptuoſiſſimas lites concitantib. quib. pauperes nonnunq̃ obruunt, & patriã exhauriunt? Quippe q̃ (*c*) domeſticorũ curam nõ habentes, ideoq; infidelib. deteriores, ac ferme patriæ ꝓditores, eam ad inopiã redigi flocci-pendunt, dumodo ipſi multas pingues prębẽdas ac dignitates, in luxu, ocio, pompa victuri aſſequãt: ꝑ quorũ inexplebilẽ auaritiã, & ambitioſiſſimã ſacerdotiorũ, malis etiã artib. coaceruationẽ (q̃ etiã Æneas in noſtratib. manifeſtiſſime taxat) ꝓfani ſua vitia, & eqtes, q̃ è ſella viuunt, ſuas rapinas attenuare, palliare, imo excuſare nituntur. Taceo de cõdonationib. quarũ diuerſa in cõcionib. interpretatio, plebeculã vel ꝑplexam, vel frequentia ad mala ꝓcliuem reddere poteſt. Earundẽ vero & confeſſionalium non ꝑ duo aut per tria æra (vt Æneas refert) ſed hebdomadali ſumptu redemptorum ſuſpenſio, q̃ moleſta, quam amara ſit popularib. perſæpe pudore ac metu perculſus ex eis intellexi.

Æneas contra multitudinem gratiarum ad vnum collatorẽ.

a ex parte tua, de cler. ægrot.

b contra c. 1. in eccleſia, de inſt. & de praben. c. ad hæc, & cap. quia.

c 1. Timot. 5.

Huiuſcemodi maioraq; Germaniæ grauamina (quæ ad ſedem Apoſtolicã Æneas vult eſſe referenda) Bertoldus Hennenbergenſis, Pontifex & princeps Moguntinus ſapientiſſimus, cum ſæpe ac multũ animo reuoluiſſet, audiens cum ſolido gaudio Franciſcum Senenſem ad ſumã ſedis Apoſtolicæ faſtigia ꝓ meritis nuper exaltatũ, ſciensq; eum nobiliſſimæ nationi noſtræ vehementer affectũ, mox propria manu pleraq; conſignare cæpit, quorũ ab eius ſanctitudine vel remedia vel leuamina, ꝓ diuini cultus, noſtræ nationis incremento ſe ſe impetraturum confidebat. Ego itaq; inſtituti & voluntatis tanti Archiepiſcopi tantiq; Principis Electoris cõſcius, ad reſpondendũ Æneæ vice Martini laceſſitus ſum. Impulit & me amor Imperii ac nationis, amor ſtudii ſacrarum literarum, quarum

ij qui cum labore & patrimonii detrimento docti eccleſiæq; vtiles euadunt, ſacerdotia difficile cõſequuntur. Impulit & me commiſeratio in pauperes agricultores, quos Hebræi vexant quãdoq; ac tyranni premunt, quorumq; egeſtatẽ Apoſtolici legati nuper experti ſunt. Affectus quoq; me coegit in populũ Dei (a) (q. mãdauit vnicuiq; de proximo ſuo) per rectores doctos & honeſtos ſalubriter prouidendum. Impulit & me Leonis X. moderni pontificis ſumma ſanctimonia, maxima iuſtitia, flagrantiſſimuſq; religionis Chriſtianæ Zelus, quo iuxta munus proprium ab Ænea repetitum, ad fidem exaltandam ſua ſanctitas æſtuans, (b) deſiderat non ſolum ephebos à ludi litterarii magiſtris in bonis moribus, ac in his quæ ad religionem pertinent, (feſtis præcipue diebus) erudiri, diuturno poeticæ ſtudio prohibito, vt hoc ordine Chriſtiana diſciplina (Ioanne de Gerſon aſtipulante) felicius reparetur: verum etiam ad diuini cultus augmentum, animarumq; ſalutem, nonnullos eccleſiaſticis redditibus in aliorum damnum aut ſcandalum repleri, conformiter ad conſtitutionem Baſilienſem indignum iudicauit. Quonam pacto prudentius aut ſalubrius Leo noſter optimus maximus, piis in eccleſia moribus reducendis conſulere potuiſſet, quam luxum & auaritiam, ſuo ſanctiſſimo (c) decreto, primum à ſtatu excelſiore dignioreq; præditis eliminando. Populus enim (quẽ verba minus quam opera mouent) exempla virtutum, in clero frugali conſiderans, facilius omne honeſtum ſuopte ingenio amplectetur. Sicq; priſca diſciplina reflorere poſſet, & à religione Chriſtiana, noſtriſq; ſacris ſuſcipiendis infideles minus abſtraherentur, & pauciores è noſtris ad inferos properarent, vbi ductu Leonis in eccleſiaſtico, ſicut in (d) Reipublicæ corpore, vt totum ſaluum ſit, quicquid eſt peſtiferum fuerit amputatum. Nec omnibus tamen Æneæ locis (quorum pleriq; facile repelli poſſent) ſed paucis ſolum tumultuario & feſtinato per cæteras occupationes ſtylo reſpondimus, in nullius profecto contemptum aut iacturam; ſed vt Æneæ futurus lector ex noſtris reſponſis, veluti præmonitionibus, inſtar Vlyſſis à dulci Sirenis cantu caueat; ne ſuauiſſimis eius laudibus, quibus Germaniam proſequitur, facilem aurem præbens, atq; delinitus, res aduerſas calamitatemq; Chriſtianiſſimæ Germaniæ, indies ingraueſcentem negligẽs, ſalutis ac dignitatis propriæ nationis & patriæ, decoriſque ſacroſancti Romani Imperii amplificandi minorem habeat rationem.

a Eccleſ. 7.

b ex Bulla Leonis X de reformatione E...

c ex bulla ſeſſionis 9.

d Cic. Philip. 8.

Sincera additiuncula ad replicas, pro Martino Maiore, contra Æneam Syluium.

QVI Æneam ſedulo relegerit, ſuorumq; verborum pondus accurate introſpexerit, mea reſponſa grauiter non feret. Imo Æneas, ſi ad nos redire, ætatiſq; noſtræ mores cernere poſſet, nobis indubie adſtipularetur. Primum pro eximio ſuo in Germaniam amore, quam veluti patriam ſuam duxit: deinde pro zelo in Chriſtianam religionem, pro qua vel ſenio grauis bellum in Turcas mouere tentarat; poſtremo pro ſua laudabili frugalitate, qua ad cardinem orbis terrarum exaltatus, reſeruatumq; ſuum excuſans, paucis ſe contentum eſſe poſſe Martino reſcripſit: & iam dudum à ſacroſancto Concilio Baſilienſi (cui & Abbas Siculus, Ludouicus Pontanus, Ioannes Lucas, cuiuſdã patroni mei præceptor interfuerunt) in auxilium Hildeboldi ſenioris indigne vexati, huc orator miſſus, vrbe perſpecta eiuſq; collegiis, Diui ſe Thomæ præpoſituram, maiora non deſideraturus, exoptare cuidam dixit in ponte Bruſcæ ſibi adſtãte Weſtphalo, ex quo Ioannes, & Symler Breidenbachius ſeſe audiuiſſe mihi aliiſque perſæpe retulerunt. Accedit huc, quod cum voto meo, de inhabitanda ad mortem Eremo fruſtratus eſſem, vitam in patrio ſolo finiturus, ſtatim loci exclerí ſecularis paucitate pertæſus ſum. Nam etſi in pueritia & adoleſcentia mea plures illic honeſti ſacerdotes in baptiſmali ſacræque communionis templo Deum coluiſſent, hoc tamen tempore, quo grandæuus patriam reuiſo, præter curatum, ſuoſque myſteriorum diſpenſatores, vnum duntaxat ſacellanum gemens offendi. Licet enim Eccleſia plures habuerit capellanias à ſecularibus fundatas, illæ tamen interim (qua ſorte neſcio) ab opulentis & maiora ſacerdotia tenentibus obtentæ ſunt, qui dum in opimis alibi beneficiis, aut apud Tyberim pinguiora venaturi moram habuere, exiguis, quos in abſentia perceperunt, prouentibus contenti, ſacerdotia patriæ, quæ ſingula frugalem ſacerdotem ſuſtentare poterãt, ad inopiam vergere neglexerunt: ſicque beneficia patriæ diminuta, cultus Dei labefactatus, & parochia clero ſeculari deſtituta eſt. In patria (inquam) mea & quidem populoſa, inque præclaro ſacroſancti imperii Romani vico, apud quem Carolus Magnus natalis Dominici diem (Reginone teſte) cum principibus glorioſiſſime quondam celebrauit. Cuius calamitatis gratia ex Eremo in patriam accerſitus, cum honeſto ſenatu, aliiſque zelo Dei flagrantibus ad id nitimur, vt duæ aut tres ſacellaniæ ignauiter ad miſeriam redactæ, in vnã alimenta reſidenti, & cũ Eccleſiæ rectore Deum honoranti, ſuppeditaturã ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ fauore, & auctoritate conflari & coniungi poſſint. Cuius rei Guilhelmus Antiſtes noſter pientiſſimus, digniſſimiq; prælati, & capitulum ſuum fundamenta iecerunt. Quo minus vereor me bonis ac Chriſtianis viris bilem concitaturum, quando certo ſcient, me non animi morbo noua moliri, ſed iuſto diuini cultus, patriæq; amore. Martini Maioris querimonias pro Germania dudum ab eo factas, cum exaggeratione confirmaſſe. Vt enim de Deo terribili (qui maior eſt omni laude) taceam; non tamen minus æquum, minuſque decorum mihi viſum eſt, Germanum ſuæ, quam Italum Italicæ nationi & patriæ fuiſſe affectum. Quod autem Æneas haud ad gloriam noſtratium Epiſcoporum, hæc verba ſuo tractatui inſeruit: *Quod ſi vnum Romanum Pontifex, minus dignum presbyterio donauerit, ſupra mille inuenias rudes, ignaros, hebetes, & prorſus ineptos ab ordinariis eſſe promotos*: id ad honorem & excuſationem Antiſtitum Germaniæ nuper in Diatriba confutaui.

Anno 875.

Iuxta c ſicut vnire De excess. prælat.

V.

ORATIONES DVÆ,

ALTERA HABITA A LEGATIS LEONIS X. PP. CORAM INVICTISSIMO IMP. MAXIMILIANO, IN Principum conuentu, pro colligendis decimis in expeditionem contra Turcas, Anno M. D. XIX.

CVM MARGINALIBVS ORTVVINI GRATII PROFESſoris Colonienſis, anno 1535. Coloniæ impreſſis.

ALTERA VIRI CVIVSDAM CLARISSIMI ADHORTANtis, ne Principes in Decimæ præſtationem conſentiant.

Oratio Legatorum.

Anno Domini 1519.
Captant beneuolentiam Principum: & vtinā hæc ex animo loquantur.

BONI adſumus nuntii, Illuſtriſſimi principes. Leo pontifex Maximus poſt Apoſtolicam benedictionem, Romanum, Chriſtianum, idemque veſtrum imperium occupatum à Turcis, reſtitutum vobis in veſtra ac Chriſtianæ reipublicæ virtute & opera cupit, diſponit, primum à vobis petit. Memoria ſiquidem cum repetimus maiorum veſtrorum gloriam, animi magnitudinem, & ea quæ fortiter ac ſtrenue geſſerunt pro Republ. ſi Eccleſiæ præſertim religioniſue cauſa ageretur, non poſſumus læti atq; hilares nos ipſos continere. Cum non intra nos dicamus, nō admiremur, non coniiciamus, non extimemus, ſed ipſis (vt aiunt) oculis conſpiciamus, quanto ſitis animo, quantis viribus ad Chriſti rempublicam ac religionem capeſſendam, priſcorum veſtigiis inſiſtentes accerſiti. Ita vt qui annis prope ſeptingentis Romanum imperium ereptum à Græcis, receptum à Gallis, ſumma fide Apoſtolicæ Eccleſiæ ſeruaſtis, idem quoque nunc ſit non modo non diffidendum, ſed quacunque orbis patet, veſtra quoque virtute ac fide propagandum. Italia omnis ſi quam ſpem reliquam habet, ſi quam victoriæ lucem videt, in Germanis videt. Germanos Chriſtiani huius belli auctores, ac duces, eoſdemq; confectores ſibi pollicetur. Nullibi enim tantū Chriſtiani nominis ac fidei patrocinium, quantum in Cæſare & Germanis principibus, eſſe & reſidere arbitratur. Nec vos degeneres futuros ab Ottonibus, Henricis, & id genus aliis, in periculo præſertim religionis & imperii, ſibi perſuadet. Nolite itaq; pati, vt quam tantam de vobis opinionem conceperunt, irritam ac inanem fuiſſe poſtea fateantur, præſertim cum præſidere Deum optimum Maximum veſtris ductibus ſciamus. Cum enim cauſa hæc agitur, Dei cauſa agitur, cum in nefarium impurumq; Turcam acies inſtruitur, pro Deo pugnatur. Cum in hoc genus mortis itur, pro Deo cadimus. Feliciſſimæ profecto mortis genus, quo vita comparatur, & ea æterna. An forte timendum vobis eſt Germani, vt hoſtibus cedatis, qui ipſas quoque Romanas legiones, alias inuictas, profligaſtis? Etſi enim, qui imminet hoſtis, late dominetur, ne dicam regnet, licet Syriam & Ægyptum nuper ſubegerit; ſi tamen ad mentem reuocemus, cum quibus pugnam manuſq; conſeruerit, nihil eſt quod vltra admiremur, quam ſi imbellis quiſque deuiciſſet. Cum Orientalib. quippe pugnatum eſt: ſinite cum Germanis congrediatur, inueniet legitimos milites, experietur inuicti roboris viros, ſentiet omnipotentis Dei in vobis manum. *Proſequimini enim* (vt diuinum vſurpē oraculum) *inimicos veſtros & corruent coram vobis. Proſequuntur quinque de veſtris centum alienos, & centum ex vobis decem millia. An forte abbreuiata eſt manus Domini, vt ſaluare nequeat? In prōptu eſt vnde conuertatur Deus & ignoſcat.* Dabunt ſiquidem tot millia hominum nomen in Chriſti militiam, ſignum crucis culparum omnium expiatiuum, tanta multitudo ſuſcipiet, criminaque noſtra paſſim piis in

a Modo debitè expendantur.

ſanctum hoc opus (*a*) largitionibus redimemus, vt proculdubio factus caro & frater noſter Deus, non ſæuiat in ſuos: qui cum non niſi dominus humani generis eſſet, pugnauit pro externis. *Agite quod veſtra intereſt, & venite, & arguite me ſi decro vobis*, dicit Deus optimus Maximus. Bella non vſquequaque extincta, ne tam neceſſario diuoq; operi impedimento ſint, ſomnum interdiu capere, & Apoſtolicis (vt par eſt) mandatis obtemperādo, quinqueñalibus induciis tolli rogamus. Ieſu Chriſti proprium admiramur, veneramurq; opus, efficere in terra pacem bonæ voluntatis. Nobiſcum

b Scopus totius negotii.

bene agitur, ſi aliquantula fiet quies iniquo animo retento. (*b*) Bello autem ſuſcipiendo, quæ via, quiſq; modus habendus ſit (licet quot capita, tot ſenſus) probata cum plurimorum ſapientum ac prin-

principum conſilio ſententia fuit, oportere imponere ſacris initiatis Decimas, plebeis quinquageſi-
mas, cuique domui ſtipendium vnius militis, diuitibus annui cenſus, ac lucri viceſimam. Nec vos
terreret, Decimæ, viceſimæ aut quinquageſimæ inſuetum, nouumq; nomen; horrenda quoque no-
biſcum (hæc affirmauerimus) ſi nuda occurrerent. Verum cum quinquageſimas, viceſimas, deci-
masque non ſoluere, ſed deponere, idque tutiſſime, vt ea lege debeant, vt niſi definito tempore in
expeditionis iſtius opus conferantur, illis qui depoſuerint reſtituantur, pium, ſanctum, optabileq;
cuilibet fore Chriſtiano cenſebitis. (a) Quocirca trepidare timore, vbi non eſt timor, deſinant, te-
nentes expeditionem hanc fucatam eſſe, auri ſacram ſubtegere famem. Nos (inquiunt) *Turcæ ſumus,*
quibus expellendis incumbitur, in nos expeditio tota ſæuiet. Vacate & videte, quæſo, quam ſuperuacaneus
eſt metus, ac timor iſte, percipite quam pie, quam ſancte, & cum ſacris initiatis, & populis vniuerſis
agatur. Nolumus nos theſaurarii, aut exactoris officio fungi. Non eo tendimus, vt (b) in noſtrā pote-
ſtatem æra redigantur. Veteres reuoluite hiſtorias, inquirite ſi vllo vnquam tempore ſanctæ Roma-
næ Eccleſiæ Cardinales de latere legati, interdictis etiam à iure facultatibus ad Pontifices, eorumq;
rem pertinentibus, vt in præſentia cernitis, prodierunt? & animaduertite omni exceptione laude-
que dignam maiorem Leonis P. M. pietatem, atque liberalitatem, ex propriis tot per regna legatis
opportuna conferentem. (c) Non quærit profecto veſtra, qui ſua pro vobis ſponte magnificeque
largitur. Sed quid Pontificii animi argumentis immoramur, re ipſa comprobare operæ pretium eſt.
Inuenite vos ipſi, inueniant metuentes ipſi modum quempiā, quo quicquid auri argenti ve collatū
fuerit, totum adeo ſit, vt nec in exactorum cuſtodumue ſtipendia aliquid cedat, ſed integra vniuer-
ſa, aut ad expeditionis huius vſum cedant, aut ad eos qui dederant, redeant. (d) Non quærimus
Germanum ærarium in Italiam transferre, at in Germanorum militum ſtipendia erogare cuncta
ſummus pontifex vult, atq; præcipit, nullum dolo fraudiue locum relinqui, quia & vos clara luce vi-
detis, quod Reſpub. religio, regnum, templa, vrbes, oppida, in veſtra ſe propugnacula contulerunt,
veſtram opem implorant, veſtris genibus aduoluuntur. Si illos deſtituiſtis, quando omnes in Ma-
ximiliani aquilas reſpiciamus, nec aliunde quam à Romano imperio auxilium expetamus, quando
res veſtra non minus quam aliarum regionum agatur. Contermina ſiquidem Turcis Germania
præ aliis eſt. Italia enim, quamuis Turcarum claſſi magis ſit peruia, prius tamen quam in Italiam
Turcarum copiæ terreſtri inuadant exercitu (in quo conſtat vim omnem belli victoriæque ſitam
eſſe) Germaniam oppetere oportet, niſi Carinthiam, Styriam, Croatiam & Vngariam Germaniæ
mœnia eſſe inficiati fuerimus. Clementiſſimus Leo pontif. dici non poteſt quantis vigiliis in rē hanc
incumbat. Non dies, neque noctes ab hac cogitatione auelli poteſt, non ſi comedat, aut bibat, ali-
ud pectore agitat. (e) Non ſua iam, ſed ſeipſum, ſanguinem & vitam pro Chriſtiana religione & im-
perio geſtit exponere. Supereſt, vt Cæſareus hic ſenatus expeditionem in Turcas indicat, efficien-
damque ſuſcipiat. Expectat Romana eccleſia, vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ capita & membra, in
ſereniſſimum hunc conuentum ſuſpiciunt. Si definitur nunc nihil, ſi in alium conuentum differ-
tur, confundemur omnes expectatione noſtra. Cauete ne dilatio hoſti componendi cum Perſis,
finitimiſq; aliis tempus præbeat, Germanos principes linguarum morſibus exponat, Chriſtianiſq;
populis deſperationem inducat. Animaduertite grauiſſime iſtum conuentum fundamen eſſe, ſu-
per quo tanta moles expeditionis erigenda eſt. Contantibus quippe vobis, Chriſtiani principes re-
liqui retrahent proculdubio animum, & manum ab hac expeditione: *ſi Germania (aiunt) cuius primis*
intereſt, quia Romani Imperii dignitate gloriaque illuſtratur, cui Eccleſiæ defenſio eſt tradita, verba dat, *deque*
conuentu in conuentum definitionem transfert, quid nobis agendum ſit, diſcimus facile ab exemplo. Sicque ve-
ſtra Chriſtianæ reipublicæ mora (: quod abſit :) ruinam pariet. Cauſabuntur multi abſentum li-
bertatem, *Iureiurando (aiunt) noſtris tenemur Eccleſiis, nil contra earum commoda illis inconſultis a-*
gere, non eſt nobis delegata poteſtas abſentes colligendi. Ibimus illos conſultum atque hortatum, referemus
deinde altero in conuentu. Verba (cum bona iſtorum venia dixerim) ſunt hæc non multum diſ-
ſidentia ab inficiis. Impoſſibilia à nobis petit nemo, (f) fidem violari horremus, quam & ho-
ſti ſeruandam eſſe didicimus. Quod veſtra intereſt, & quod in veſtra ſitum eſt poteſtate, po-
ſcimus decerni, ſcilicet nunc expeditionem in Turcas, definire modum comparandi nummos
nullius cum iniuria. Iureiurando demum ſpontaneo præſentes aſtringi, *daturos ſe bona fide ope-*
ram, vt hæc definita exequutioni demandentur. Non ſunt hæc contra iuriſiurandi cultum. Non ex-
cedunt hæc veſtræ limites poteſtatis, non obſunt hæc abſentum libertati. (g) *Tollite itaque*
moras, ſemper nocuit differre paratis? Annon parata ſunt omnia ad expeditionem indicendam, quan-
do vniuerſa oblata ſunt? Quid amplius enim à Romana Eccleſia exigitur? Quid vltra ab ex-
ternis petitur, quando ſe, & ſua omnia dedunt? Felix initium Sereniſſimi (h) Caroli Ca-
tholici Regis, feliciore nos auſpicio trahat. Turcarum imperium ille adhuc adoleſcentulus nu-
perrime in Aphrica extinxit, pellite vos Europa. Nec longe abſunt Maxima quæque præmia, Ete-
nim cupidine gloriæ ardet animus, nunquam honeſtior, nunquam felicior ad ſummam gloriam
via vobis patuit. Capeſſentibus quippe Germanis expeditionem in Turcas, ſi quæ à nobis dicta
ſunt, fient, ſuprema vos belli auctores & duces gloria manet. Sin vero (quod Deus nolit) in-
ſita eſſe contingat, parta iam vobis in dicta expeditione gloria, integro apud eos ſplendore ful-
gebit, nullo accepto incōmodo. Si regnum appetitur, de propagando veſtro imperio agitur, ſi ter-
rarū orbis non ſufficit, paratū vobis à conſtitutione mundi cœleſte regnū adeſt. Si in ius cauſa dedu-
citur,

a *Hoc omnia* [illegible] *ſunt.*

b [illegible]

c *Non ſua, ſed Eccleſiæ.*

d *Vtinam hoc verum ſemper fuiſſet.*

e [illegible] *quibus* [illegible] *adhibetur.*

f *Vtinam ſemper omnibus* [illegible] *fuiſſet fides.*

g *Licemus: ſed non ad hoc propoſitum.*

h *Gloria Caroli Cæſaris.*

citur, aſtricti eſtis pro Chriſti nomine ac fide bellum inire, quandoquidem prior ipſe Rex Regum, aereas proprio ſanguine ac cruce poteſtates debellauit, vt nos de perenni captiuitate in libertatem filiorum Dei referret. In manu igitur veſtra populorum libertas atq; ſalus cum poſita ſit, exaudite benigniſſimi Principes, nos Apoſtolico nomine pro vniuerſa eccleſia ſupplicantes. Miſeremini ſimul tam vaſtæ multitudinis, abſque Baptiſmi gratia in æternæ mortis interitum præcipitis. Si quod vni ex minimis ſit factum, ſibi factum cenſet Chriſtus Dominus, quanti facturum putatis illũ, quod innumeris ſuis Eccleſiis tam ingens beneficium collatum fuerit. Vobiſcum igitur quia partiri curas & rerum molem ſummus Chriſti ouium paſtor deſiderat, ab vtriſque par eſt, vt oues protegantur, & lupi arceantur, ab illo (a) cruce, à vobis gladio, quo ſub vtraque protectione quietam & tranquillam vitam tranſigamus. Dixi.

a Germanis conferentibus decimas, viceſimas, quinquageſimas, Pontifex crucis benedictionem Papalem conferet: ſaluis ſibi annatis, palliis, aliiſque emolumentis, exactionibus, penſionibus, & innumeris præſtationibus, nihilominus integrum Romam deferendis: de quibus in fine Catalogi Annotatum anno 1523. in Conuentu Noremberg propoſiti.

DISSVASORIA.

SI vnquam Germaniæ principibus prudentia, conſilio, concordiaque pro defendendo honorẽ & omnium vtilitate opus fuit, Alemani proceres excellentiſſimi, inprimis indigere mihi videntur hoc tempore, quo in prædam Romanæ auaritiæ deputantur, ac dedecoroſam ſeruitutem, ita blande propoſitam, vt illa homines priuſquam intra viſcera penetrauerit, ſeſe captos non ſentiant. Eſt enim modus fallendi adeo vafer, vt his cæptis verſutiis (quid enim non excogitat auaritia?) exiſtiment acuti homines fraudem à nemine poſſe deprehendi, præſertim à vobis Germanis ducibus, quos cibo ſemper refertos, & vino madidos arbitrantur, & publice declamant; Et ob id ad decipiendum liberius aggrediuntur. Præbuerunt præterita tempora fallacibus hominibus conſtantiã in ſpe præſenti. Quando enim non eſt aſſenſum illorum malis artibus? Cum ſaltem adfuerit, qui vel mediocriter didicit fraudi fucum adpingere. Conſtat profecto, nullam partem Chriſtiani orbis ab huiuſmodi prodigorum genere non eſſe callide tẽtatam, multos Reges & Principes fraudulenter deceptos. Sed ſingula ſecum reputanti occurret, nullam gentem ſæpius illuſam habitamque ludibrio, ac noſtram. Non ô inclyta Germania, ad libros relego, vt geſta hominum cognoſcas legendo, ſatis ampla, quæ memoria huius ætatis tenet. Quo magis vereor, ne inſcitia temporis præteriti ſucceſſum præbeat malo incumbenti. De quo breuem tibi Germania ſermonem ſubiiciam; quanquam nil noui à me audies, quod per inclytos tuos principes non melius noris.

Quadriennium habitum Romæ conſilium, primum de republica Chriſtiana: quanquam legitime Iuriſperiti & Theologi diſputent: nondum erat finis, tamen de colligendis Decimis omnium aſſenſu decretum eſt. Volutus erat lapis ad locum ſuum. Placuit ergo, reiecto reliquo negotio, tanquam parum vtili, inuocato ſancto Spiritu, concilium dimittere. Gratiæ agendæ Deo, per quem operationes noſtræ incipiuntur, & cœpta recte finiuntur. Porro impium eſt, quod Concilio placuit, id putare diſplicere Deo, quo hæc aguntur auctore. De pace agitur inter Reges, quia firmata, viſum omnium ſuffragiis Aſiatico hoſti coniunctis viribus bellum inferre. Euomuntur è veſtigio quatuor legati (niſi ob quintum collegium & ob computum errauerim) ad nationes Chriſtianas, vt Reges & Principes ad expeditionem inſtigent, ipſi vero pecuniã mulgeant. Quibus forte dicebatur: Ite in orbem vniuerſum, prædicate dicentes: *Qui crediderit, & Decimas ſoluerit, ſaluus erit.* Quorum nuper cum Bononiæ eſſemus, tres ingredi vidimus tanta pompa atque apparatu, vt ſapientes ad eorum errorem allicerent. *Dilatate inclyti Germani imperium Chriſtianum. Frangite vires hoſtis impuriſſimi. In hoc omnibus neruis incumbite, quo nomen Chriſti extendatur.* Res pia & ſancta eſt, vt à nemine poteſt deprehendi, niſi quis malit Turcæ, quam Chriſto ſeruire. Verum ſub hoc prætextu per hanc fictam pietatem, ſub hoc vmbrato nomine explorare imperitiorem populum, ſugere lac gentium, inebriari mammona Regum, dico ſcelus multo eſſe probabilius, quam quæ à Turca inferuntur. Non quod tanti faciam pecunia priuari (: quam ſceleratus citius quam probus habere poteſt:) ſed quod nullo pacto ferre debemus, quantum in nobis eſt, quod Angelus Sathanæ transfiguret ſe in Angelum lucis, & poculo pietatis propinet impietatis venenum; vt populus ſe rem ſacram facere Deo exiſtimet, auaritiæ ſacrificet, quæ mater eſt falſæ religionis. Falli, errare, labi, decipi, vbique turpe eſt, per religionem vero turpiſſimum: quam vnam nobis contra noxios mores contulit diuina bonitas. Hæc abſolutam artem pietatis nobis proponit. Primum, Deum amare omnibus viribus, proximum deinde vt nos ipſos. At quando illum amabimus, cum videmus eius ſacroſancta præcepta manifeſte pollui. Nec tamen occurrendo, ſed potius conniuendo opem ferimus impietati. An ille proximum ſyncere amat, qui in incommodo illius remouendo nihil eſt occupatus? Nolo amicum nihil ſolicitum de ſalute mea. Inimicus mihi habeatur, qui à me non propulſat iniuriam, ſi poteſt, & tamen illa non legimus, nõ audimus, ſed quotidie fieri videmus, nullo hominum reluctante, ſed vel patientes ad omnem ignominiam, quaſi non potius contumelia ſit Deo, quam obſequium, ſtulta patientia. Vtinam tam facile poſſint iſta euitari, quam reprehendi. Et principes noſtri nollent perpetuo conniuere; ſed tãdem aliquam partem, ſi non totum, peruerſæ conſuetudinis præcidere. Quanto æquabilius res tam prophanæ quam ſacræ ſe haberent. Ego enim ſic exiſtimo, imperia his artibus melius retineri, quibus acquiruntur. At imperiũ Chriſtianum non armis, non gladio comparatum eſt; ſed pietate & optimis exemplis viuẽdi. Quæ poſtquam paſſim abierunt, omnia bona retro lapſa ſunt. Multa imperia perdidimus, quoniam artes, per quas parta erant, non retinuimus. Amiſſa eſt pietas, retinuimus nomen. Salutantur in vita

Sanctiſſi-

Sanctiſſimi, & poſt mortem nemo nos dignatur nomine ſanctitatis. Ab hac parte paulatim cœpit proſerpere virus exitiale. Deinde cæteri proceres ſequuti ſunt non ſegniter. Ergo mirum non eſt, quod à nobis alienatur cœleſtis fauor, & nos non cognoſcit amplius, atque prædę relinquit improbo hoſti. Pontifices vero Romani poſtquam cœperunt prophana cum ſacris coniungere, imo relictis ſacris ſolum prophana admirari, quam bene conſultum fuerit reipublicæ Chriſtianæ, quam bene placuerit ſuperis ipſorum inſtitutum, euentus comprobauit. Amiſſis externis, interna infinitis ſeditionibus conturbantur. Diuina deſpiciuntur, venditur Chriſtus, lana ouium tondetur, de cuſtodia ſtudium nullum. Omitto hic Hiſpaniam, Gallias, Orientem cum Occidente; quantum pro palliis, ſimilibuſque figmentis, ætate duorum Principum Friderici & Maximiliani, vna effudit Germania? Si Roma, vt inſtitutum eſt, in fiſcum collegiſſet, vel Germania (veluti par erat) in vnum contuliſſet, haberemus iam neruos Reip. abunde ſufficientes bello Aſiatico: Nec opus foret orbem iam fatigare Chriſtianum, & nouis onerare (ne dicam exenterare) eius quotidie pauperes tributis, & ex eo errore pauperes facere.

Prouenit Pontifici ex ſua terra vectigal, quantum nulli Regum Chriſtianorum: & tamē Pallia emimus, & tamen aſinos auro onuſtos Romam mittimus, patibula Chriſti erigimus, munera promittimus, aurum pro plumbo mutamus, negligentias (:hem lapſo calamo:) indulgentias paſſim admittimus. O auaritiam immenſam carentem fundo, canum impuriſſimorum neſcientium ſaturitatem, vt eſt apud prophetam Daniel. Certe emere pallia ſanctū duco, modo id proſit aut pietati, aut valeat ad conſeruandam communem vtilitatem. *Pallia Romæ empta.* Sed cum vtrumq; horum tot ſeculorum experientia refutet, & Pallia tantum extiterint ſimulata inſtrumenta perditiſſimæ auaritiæ, ſurgat iā aliquis, aut iuſtam cauſam dandi proferat in medium, qui timeat pontificis fulmen. Probus Epiſcopus aliquis, concordia fratrum, puraq; conſcientia electus, non faciet puto, ſed concupiſcens multis medijs aureorum emere Romanum centonem. Non probat Paulus Apoſtolus, qui nos deuorāt, qui in faciem cędunt, qui nos in ſeruitutem redigunt. Quandoquidem non Chriſtianam charitatem, ſed meram tyrannidem illi præ ſe ferunt, foris facto fure in pellibus ouium, intus lupos rapaces agunt. Mihi iuſtus dolor eſt, ob nefariam auaritiam totum mundum ſub vmbra religionis pollutum. Quem enim locum, quantumuis obſcura illa contagione non contaminatū oſtendas? Quæ reſpub. nō multa amiſit? Qui princeps ius auctum ſeruat integrum? Quæ ſacerdotum collegia non ſunt contaminata? Quis peſſimos mores (nomen apud noſtros maiores abhorrendum) induxit in Germaniam? & quæ honeſte nominari non poſſunt, docuit? Qui fœderunt hominum ſocietates? Qui norunt egregie fallere, decipere, peierare, teſtamēta ſupponere, diuina & humana prophanare miſcere lites, quietos perturbare, deniq; cœlum cū terra confundere? Nonne Romana, Italicaq; ꝓluuie iſta ſentina ſeſe in orbem terrarum effudit? Adeo vt ne ſaltus & ſyluæ, vbi luſtra ferarū tantū eſſe dixeris, hoc malo careāt. Epiſcopos merito ſacroſanctos eſſe dicimus, ꝓdeant, ſed quibus eſt illæſa ſua auctoritas. Et hunc veluti bonum valde, & rarum merito ſuſcipiemus. Non ſunt longe petenda exempla. Sermoni meo concordant res veſtræ. Sed quid ego iſta comemoro, quæ declamationis exempla ſuperant? Ad inſtitutum ſermonem redeo. Turcam profligare vultis. Laudo propoſitum: ſed vehementer vereor, ne erretis in nomine. In Italia quærite, non in Aſia. Contra Aſiaticum quiſq; noſtrorum Regum, pro finibus ſuis defendendis, per ſe ſatis eſt. Ad alterum vero domandum, totus orbis Chriſtianus non ſufficit. Ille cum finitimis quoque tumultuans, nobis nondum nocuit. Hic vbique graſſatur, & ſanguinem miſerorum ſitit. Hunc Cerberum nullo modo ſedare poteſtis, niſi aureo fluuio. Nihil armis, nihil exercitu opus eſt. Plus valebunt Decimæ, quā equitum turmæ, & militum copiæ. Duplex mihi videtur via propoſita, dum rem diligentius conſidero. Vnam quæ iubente ſuperſtitione, aurum petit: Altera renuentibus Pontificis fulmen minatur. Vtrā vultis ingredimini. Sed ò ſtultam & ſuperſtitioſam opinionem credentium, cæleſte numen, omnia æquis oculis intuens, ad nutum Florentinorum flecti & reflecti: iraſci non danti, & ruſum largienti placari. Non eſt Chriſti vicarii fulmen contemnendum, ſed non ſemper ad illius iactū pertimeſcendum, præſertim cum res agitur pro humanis affectibus. Chriſti indignationem vereor, Florentinorum non vereor. Iam vero Florentiæ negotium agitur, non Chriſti. Superiori æſtate ſumptu non debili bellum geſtum eſt contra Franciſcum ducem Vrbinatem, quo regno eiecto, ſed prius placato aurea gratia, Laurentius Medices in locum ſucceſſit. Ibi non ſatis prouidus fuit Iulius II. Quod non plus auri reliquit. Ergo ineunda fuit quædam fraus noua, quicunq; plura dare potuerint Cardinalium, hi inuenti ſunt conſpiraſſe in necem Pontificis. Horum bona fiſco ſcribebantur. Subſequuta eſt diſcordia Fratrum cordigerorum: quæ quantum lucri attulerit rabulis Florentinis, rem ꝓ voluntate in omnes partes flectentibus, quid attinet narrare, cum fidem ſuperet largitio mendicorum. Non libet narrare erectas cruces Saluatoris per cuncta oppida, ad menſuram dantis propitias. Prætereo ſcenam de æde Petri, & riſus, & indignationis plenam. *Templum Domini, templum domini, templum domini* clamat Propheta, ſed non eſt templum Domini. Laurentius ædificat, non Petrus. Lapides noctu migrant. Nihil ſic fingo, electiſſimi principes Romani imperii. Orbis quid ſolicitatur pro æde Petri, in qua duo tantū opifices operantur, & alter claudus, niſi quod nuper in frequentia peregrinorum concitabatur tumultus artificum, currebatur, clamabatur, videbantur ſtulti, & picti Angeli excipientes munera largientium, ferenteſq; in ſublime. Ridere poteratis mecū commoti ob præſtigias aucupii. Sic riſit olim venerabilis pater Cyprianus præ indignatione, viſo Chriſto pedibus & auribus aſininis depicto. Deflere libet fortunam ſeculi corruptiſſimi, ob ſupremam negli-

gentiam

gentiam Epiſcoporum atque Principum, permittentium populum ſuum ita nequiter decipi. Omnes illas artes inuenit fraus Florentina, & propediem neſandiores excogitabit. Animaduertite modo. Quiſq; modo dies nouam pariet curam. Tuetur, ne corpus Pontificis craſſum immatura morte perturbet conſilia. Fugato duce Vrbinate, ſimilem fortunam minatur Principi Ferrarienſi. Quo pariter eiecto, regnum conſtituemus, & Regem Thuſciæ ſalutabimus Laurentium Medicem ciuem Florentinum. Sed quia noſtra fortuna mutabilis eſt, & citius poteſt mori Leo X. quam iſta optatũ finem conſequantur: & fieri poteſt, vt Leonis ſucceſſor diſcedere cogat Laurentium ex alienis regnis: Ideo contra aduerſum aduentum ducenda eſt vxor Laurentio in Gallia cuiuſdam potentis Ducis filia, emenduſq; ibi principatus, parandum aduerſus fortuitos caſus præſidium, ſicut decet ſapientem virum duobus regnis profugum. Facta eſt emptio, ſignatæ tabulæ, dati fideiuſſores. Satis diu Medices fuimus; Principum, Regumque fortuna ambienda eſt. Habetis iam breuiter caput Decimarum, & inſidias Turcæ, duce ſuperſtitione in viſcera veſtra latrocinantis. Quamobrem reſiſtite neſando conatui. Nolite aſſentiendo cõtaminari impietate; quod rectum eſt, quod ratio ſuadet ſequimini. Signatum eſt lumen vultus tui Domine ſuper nos, illud errare nolentes non ſinit. Mementote vos eſſe Germanos, hoc eſt, populum ante alios natura liberiorem, ſicut hoſtes veſtri de vobis ſcripſerũt. Nolite alicubi eſſe vectigales, ante omnes vero Florentinis. Proferant ſe in iudicium noſtri Epiſcopi, indignum ſeruitutis iugum à ceruicibus ſuis abiicientes. Sed verentur omnes, muſſitant quidem, quod dicere non didicerunt, alii metu fulminis, nonnulli ſpe noui honoris. Vnus omniũ mihi venerabilis Laurentius * ſeſe erigit, qui ſæpenumero grauẽ imbrẽ conſilio & prudentia ſua à repub. Franconica amouit. Atq; ideo corona aurea merito laureandus: Auguſtiore vero, ſi hanc quoque tempeſtatem remouerit. Ad quem honorem ſtudium omne conuertat alacriter diuino monitu. Nos, qui ab eo ſacerdotum collegio decorati ſumus, audentius deprecari volumus. Oremus pro pontifice noſtro. Dominus conſeruet eum & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum eius. In manus inimicorum traditur, quando audire contemnit eum qui dicit: *Ego Dominus amans iudicium, & odio habens rapinam*, qui ſit in ſecula ſeculorum benedictus. Amen.

* *Laur. de Bibra Epiſc. Herbipol.*

Finis Orationis Vdalrici (vt fertur) Hutteni.

PARS

PARS XXIV.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS, ALIOSQVE LIBELLOS POLITICOS, SED TANTVMMODO ANTIQVOS, QVI DE REBVS PONTIFICIJS PARITER & LUTHERANIS OLIM PVBLICE PRODIERUNT.

I.

IVLIVS.

Anno Domini 1513.

DIALOGVS VIRI CVIVSPIAM ERVDITISSIMI, FESTIVVS SANE AC ELEGANS, QVOMODO IVLIVS II. P. M. poſt mortem cœli fores pulſando, ab ianitore illo D. Petro, intromitti nequierit: quamquam dum viueret ſanctiſſimus, atque adeo ſanctitatis nomine appellatus, totque bellis feliciter geſtis præclarus dominum cœli futurum ſe eſſe ſperarit.

INTERLOCVTORES, IVLIVS II. GENIVS ET PETRVS.

IVLIVS II. P. M. Quid hoc mali eſt? non aperiuntur fores? Opinor aut mutatam, aut certe turbatam ſeram. GEN. Quin potius vide, ne tu non attuleris clauem quam oportet. neque enim eadem aperitur hoc oſtium, qua arca numaria, atque adeo cur non vtranque huc attuliſti? nam iſta quidem potentiæ clauis eſt, non ſcientiæ. IVL. Imo mihi præter hanc nulla vnquam fuit: neque video, quid opus ſit illa, quum hæc adſit. GEN. Nec ego ſane. at niſi quod interim excludimur. IVL. Efferueſcit mihi bilis, pulſabo fores. Heus heus, aperite hoc actutum aliquis oſtium. Quid hoc rei eſt? nemon' prodit? quid ita ceſſat hic ianitor? ſtertit opinor adprobe potus. GEN. Vt hic ex ſe metitur omnes. PET. Bene habet, quod portam habemus adamantinam, alioquin fores hic quiſquis eſt, perfregiſſet. Gigantem aliquem, aut ſatrapam, vrbium euerſorem oportet adeſſe. Sed ò Deum immortalem, quam hic cloacam olfacio? Non ſtatim aperiam oſtium, ſed hic feneſtella cancellata proſpectans, quid portenti ſit cognoſcam. Quis es? aut quid tibi vis? IVL. Quin tu forſ[illegible] aperis quantum potes. qui ſi tuo fungi voluiſſes officio, obuiam oportuit veniſſe vel cũ vniuerſa cœlitum pompa. PE. Satis imperioſè. At tu mihi prius exponito, quisnam ſis. IVL. Quaſi vero ipſe non videas. PE. Vide[illegible] Ego vero nouum & hactenus non viſum ſpectaculum video, ne dicam monſtrum. IVL. At ni plane cæcus es, agnoſcis opinor clauem hanc, ſi quercum auream ignoras; Et vides triplicem coronam, nec non vndique gemmis & auro lucentem pallam. PE[illegible]. Equidem argenteam clauem vtcunque agnoſco, licet & ſolam, & multo diſſimilem ijs, quas olim mihi verus ille paſtor eccleſiæ tradidit Chriſtus. Porro Coronam iſtam tam ſuperbam, qui quæſo poſſim agnoſcere? quam nec barbarus vnquam tyrannus auſus eſt geſtare: nedum is qui huc admitti poſtulet. Nam palla quidem iſta nihil me mouet; qui gemmas & aurum perinde vt rudera ſemper calcarim atque contempſerim. Sed quid eſt? video paſſim & in claui, & in corona, & in palla notas ſceleratiſſimi cauponis, & impoſtoris, mei quidem prænominis, ſed non inſtituti Simonis, quem ego quondam Chriſti præſidio deieci. IVL. Mitte nugas iſtas, ſi ſapis. nam ego, ſi neſcis, ſum Iulius ille Ligur, & agnoſcis, ni fallor, duas literas. P. M. niſi omnino literas nullas didiciſti. PE. Significare opinor, Peſtem Maximam. GE. Ha ha ha, vt hic diuinator rem acu tetigit. IVL. Imo Pontificem Maximum. PET. Vt ter maximus ſis, ac magis etiam quam Mercurius ille Trimegiſtus, huc non recipieris, niſi fueris optimus, hoc eſt, ſanctus.

IVL. Atque adeo ſi quid ad rem pertinet appellari ſanctum, nimium impudens es, qui mihi cuncteris aperire fores: cum tu tot iam ſeculis tantummodo *ſanctus* dicaris, me nullus vnquam vocarit, niſi *ſanctiſſimum*. Extant ſex millia bullarum. GEN. Vere bullarum. IVL. In quibus non ſemel *ſanctiſſimus dominus* nominor, imo iam *ſanctitatis* nomine denotabar, non ſancti, vt quicquid mihi libuiſſet. GE. Etiam temulento. IV. Id *ſanctitatem ſanctiſſimi Domini Iulij* dicerent feciſſe.

PET. Quin tu igitur ab iſtis adulatoribus cœlum poſtulato, qui te ſanctiſſimum fecerunt; [illegible] ijdem tribuant felicitatem, qui dederunt ſanctitatem. Quanquam vſque adeo nihil intereſſe

cenſes,

cenſes, dicaris ſanctus, an ſis? IVL. Irritor. ſi viuere modo licuiſſet, ego tibi iſtam nec ſanctitatem inuiderem, nec felicitatem. PET. O vocem ſanctiſſimæ mentis indicem: quanquam & alioquin ego te iamdudum oculis totum colluſtrans, multam impietatis, nullam in te ſanctimoniæ notam animaduerto. Quid enim ſibi vult nouus iſte comitatus, tam non pontificius? nam viginti ferme millia tecum adducis: nec vllum in tanta conſpicio turba, cui vel vultus ſit Chriſtianus. Video teterrimam hominum colluuiem, nihil præter fornices, temetum, ac puluerem bombardicum olentium. Latrones conductitij mihi videntur, vel laruæ potius tartareæ, huc ab inferis eruiſſe, vt cœlo bella moueant. Iam teipſum quo magis ac magis contemplor, hoc minus vllum video Apoſtolici viri veſtigium. Principio quid hoc monſtri eſt, quod cum ſupernè ſacerdotis ornatum geras, idem intus armis cruentatis totus horres, crepaſque? Ad hæc, quam truces oculi, quam contumax os, quam minax frons, quam elatum & arrogans ſupercilium? Nam pudet dicere, ac piget interim videre, nullam corporis partem non conſpurcatam notis prodigioſæ ac abominandæ libidinis. Vt ne dicam, quod etiamnum totus & ructas & oles crapulam & temetum, ac mihi quidem modo vomuiſſe videris. Vtique is eſt totius corporis habitus, vt non tam ætate morbiſue, quam crapula victus, marcidus, ac fractus videaris. GE. Vt graphicè hunc ſuis depinxit coloribus? PET. Tametſi video te iamdudum mihi ſupercilio minantem, tamen haud queo reticere, quod ſentio. Suſpicor peſtilentiſſimum illum Iulium ethnicum ab inferis rediſſe perſonatum, vt me videat: adeo tibi cum illo conueniunt omnia.

IVL. Ma. di. ſi. PE. Quid dixit? GE. Iratus eſt. Ad hanc vocem nemo cardinalium non fugitabat: alioqui fuſtem illum ſanctiſſimi ſenſurus, præſertim à conuiuio. PE. Tu mihi videre probe callere ſenſum hominis: proinde dic mihi, quis es? GE. Ego ſum magnus ille Iulij Genius. PE. Imo malus opinor. GE. Qualiſcunque ſum, Iulianus ſum. Quin tu nugas iſtas miſſas facis, ac fores aperis? niſi mauis effringi, quid multis opus eſt? vides cuiuſmodi ducam comites? PE. Sane video latrones exercitatiſſimos. Verum ne ſis inſcius, hæ fores tibi ſunt alijs armis expugnandæ. IVL. Verborum, inquam, iam ſatis. Ni propere pares, excommunicationis fulmen vel in te torquebo, quo ſummos aliquando reges, atque adeo regna terrui. Bullam vides iam in hæc paratam. PE. Quid (malum) fulmen, quod tonitru, quas bullas, quas ampullas mihi narras obſecro? nam iſtorum nihil vnquam audiuimus à Chriſto. IVL. At ſenties, niſi pares. PE. Si quos olim iſtis fumis territaſti, nihil ad hunc locum: hic veris agas oportet: benefactis, non maledictis hęc arx expugnatur. Sed quæſo te, tu mihi fulmen excommunicationis minitaris? dic quo iure? IVL. Optimo, quando iam priuatus es, nec aliud quam quilibet priuatus ſacerdos, imo ne ſacerdos quidem, vt conſecrandi impotens.

PET. Nempe quia mortuus, opinor. IVL. Videlicet. PE. At iſta quidem ratione, nihilo mihi præſtas plus quam mortuus. IVL. Imo quamdiu cardinales de nouo pontifice ſubrogando litigant, mea eſt adminiſtratio. GE. Vt adhuc vitæ ſomnia ſomniat! IVL. Sed iam aperi, inquam. PE. Ni merita narras, inquam nihil agis. IVL. Quæ merita? PE. Dicam. Excelluiſti doctrina ſacra? IVL. Minime: nec hoc vacabat tot occupato bellis: verum abunde ſatis eſt fratrum, ſi quid hoc ad rem pertinet.

PET. Ergo vitæ ſanctimonia multos Chriſto lucrifeciſti? GE. Tartaro quamplurimos. PE. Claruiſti miraculis? IVL. Obſoleta loqueris. PE. Pure oraſti & aſſidue? IVL. Quas nugas hic gannit? PE. Ieiunijs quoque vigilijſque corpus emaceraſti? GE. Deſine quæſo, fruſtra hæc apud hunc, ne ludas operam. PE. Ego alias egregij pontificis dotes non noui: ſi quas habet magis Apoſtolicas, narret ipſe. IVL. Quanquam indigna res eſt, Iulium illum omnibus antehac inuictum, nunc Petro cedere, vt ne quid aliud dicam, piſcatori, ac pene mendico, tamen vti cognoſcas, cuiuſmodi contemnas principem, audi iam paucis. Principio Ligur ſum non vt tu Iudæus, cum quo mihi vel hoc tecum eſſe commune doleo, quod nauiculator aliquando fuerim. GEN. Nihil eſt quod grauiter feras. nam hic quoque permultum intereſt, quod hic victus parandi gratia piſcabatur: tu ad ſtipem exiguam, ſcalmum remis ſubigebas. IVL. Deinde Sixti Pontificis vere maximi. GEN. De vitijs ſentit. IVL. è ſorore nepos. Huius ſingulari fauore, meaque induſtria, primum ad eccleſiaſticas opes, deinde per gradus ad Cardinalitij Galeri faſtigium ſum euectus: poſt multis fortunæ procellis exercitus, ac duriſſimis caſibus ſurſum iactatus ac deorſum, ac præter alios morbos, comitiali quoque obnoxius. Denique ſcabie quoque (quam Gallicam vocant) totus opertus. Ad hæc exul, inuiſus, damnatus, omnibus abiectus ac pene deploratus, tamen ipſe de ſummo pontificio ſpem nunquam abieci: ea erat animi fortitudo, quum tu mulierculæ voce territus, ſtatim ceſſeris. Tibi mulier animum ademerat: mihi mulier quædam fatidica ſiue ſortilega, fiduciam hanc addiderat: quæ quondam tot merſo malis, clam inſuſurrauit in aurem. Perdura, Iuliane, nihil te pigeat vel facere vel pati: olim triplici corona decoraberis; eris *rex regum, & dominus dominantium.* Neque vero me fefellit vel mea ſpes, vel illius vaticinium. Hunc quoque præter omnium ſpem ſum eluctatus, partim ope Gallorum qui reiectum fouerunt, partim inæſtimabili vi pecuniarum, non abſq; multo conflata fœnore, nec id abſq; ingenio tamen. PE. Quod ingenium narras? IVL. Hoc eſt, non abſque promiſſis ex pacto ſacerdotijs, atque in hoc repertis ex arte fideiuſſoribus. quandoquidem tam ingentem pecuniam vix Craſſus ipſe præſentem totam numeraſſet. Verum hoc fruſtra tibi narro, quum ne omnes intelligant menſarij. Habes, quo modo peruenerim. Iam in Pontificatu ita me geſſi, vt nemo ſit, non dicam priſcorum illorum Pontificum, qui ſolo titulo mihi viden-

tur fuiſſe Pontifices, ſed nec recentiorum, cui tantum Eccleſia, tantum Chriſtus ipſe debeat, quantum mihi. GE. Vt Thraſonem agit belua. PE. Expectabo quorſum euadas. IV. Nam multis officiis (ſic vocant) nouis repertis, non mediocriter auxi fiſcum pontificium. Tum rationem inueni, vt citra Simoniæ vicium epiſcopatus emerentur. Nimirum conſtitutum eſt à maioribus meis, vt cui contigerit epiſcopatus, is deponat officium, id ita ſum interpretatus: *deponere iuberis*. at non deponitur, quod non habes. emendum igitur quod deponas. Hac arte ſinguli epiſcopatus ſena ſtatim, aut ſeptena ducatorum millia adferebant: præter illa, quæ ex more pro bullis extorquentur. Tum ex noua moneta (qua totam expleui Italiam) non exiguum emolumentum conflaui: nec vlla ceſſaui parte in accumulandis pecuniis. Nimirum intelligens abſque his nihil recte geri, neque ſacrum, neque profanum. Et vt ad maiora veniam, Bononiam à Bentiuolis occupatam Romanæ ſedi reſtitui. Venetos ante inuictos omnibus, mari contudi. Ferrariæ Ducem diu male vexatum bello, propemodum in naſſam illexeram. Concilium ſchiſmaticum ſimulato contra concilio fœliciter eluſi, & clauum (quod dici ſolet) clauo pepuli. Poſtremo Gallos, tunc orbi formidabiles vniuerſo, ex vniuerſa Italia deturbaui: deturbaturus & Hiſpanos (nam huc ibam) niſi me fata terris eripuiſſent. Atque hic quoque quam inuictum præſtiterim animum vide. Gallis ſuperioribus latebras circumſpectare cepi, canam alebam barbam, rebus propemodum in deſperationem adductis, cum repente nuncius affertur aureus, apud Rauennam aliquot Gallorum millia trucidata, ibi reuixit Iulius. Ad hæc per triduum ferme pro mortuo habebar, etiam mihi: atque hic quoque rurſum præter omnium atque adeo meam etiam ſpem reuixi. Tantum igitur valet mea vel authoritas vel aſtutia, vt hodie nemo ſit regum Chriſtianorum, quem non ad arma concitauerim, ruptis, diſciſſis, diſcuſſis, fœderibus omnibus, quibus inter ſe fuerunt exactiſſime conciliati. Proximo quoque fœdere (quod Cameraci inter me, & Gallorum, & Romanorum regem, aliosque coierat principes) ita abolito, vt eius ne mentio quidem vnquam ſit facta. Super hæc omnia, quum tantum aluerim exercitum, tot ſplendidiſſimos triumphos adornarim, tot exhibuerim ludos, tot locis ædificauerim, tamen moriens reliqui quinquagies centena millia ducatorum: maiora geſturus, ſi Iudæus ille medicus, qui diu mihi vitam arte ſua propagarat, amplius proferre potuiſſet. Atque vtinam nunc quoque magus aliquis me in vitam reſtituat, quo egregiis cœptis meis colophonem liceat imponere, tametſi moriens ſedulo id curaui, ne bella per me toto orbe concitata componerentur: dedique operam, vt pecuniæ in eum dumtaxat vſum eſſent incolumes. hæc erat ſuprema vox animam exhalantis. Nunc & ſic de Chriſto, de eccleſia merito pontifici, grauate Chriſti fores aperire? Atque hæc magis admirabitur, qui perpenderit me hæc ſola animi virtute perpetraſſe, nullis aliis adiutum adminiculis, quibus alij fere ſolent. Non natalibus, quum ne ipſe patrem norim: quod quidem ad gloriam meam dixerim; non formâ, quum larualem faciem omnes exhorruerint; non literis, quas nunquam attigi; non corporis viribus, quod mihi tale contigit, quale ſuperius deſcripſi; non ætatis fauore, ſenex hæc geſſi; non popularitate, nam nemo non oderat; non clementia, qui adeo fuerim inexorabilis, vt in eos quoque ſæuierim, quibus alii ſolent omnia permittere. PE. Quid hoc rei eſt? GE. Hoc tametſi durum videtur, molle quiddam eſt. IVL. Sed reluctante fortuna, ætate, corpore, breuiter diis atque hominibus, ſolo tamen animo fretus meo & pecuniis, hæc tanta paucis annis geſſi: tanta relicta materia poſteris, vt ſit quod agant illi in decimum annum. Hæc de meipſo veriſſime quidem, ſed modeſtiſſime dixi, quæ ſi quis eorum, qui Romæ ſolent apud me dicere, ſuis phaleris exornaſſet, Deum audires, non hominem.

PE. Inuictiſſime bellator, quoniam mihi noua & inaudita ſunt omnia quæ narras, quæſo veniam hanc meo des vel ſtupori vel imperitiæ, ne moleſtum ſit craſſius de ſingulis percunctanti reſpondere. Qui ſunt iſti candidi, comatulique? IVL. Hos quidem animi cauſa alebam. PET. Qui nigri iſti & cicatricoſi? IVL. Milites ſunt ac duces, qui mea & eccleſiæ cauſa fortiter in bello mortem oppetierunt, partim in expugnanda Bononia, complures in prælio aduerſus Venetos, plerique apud Rauennam: quibus omnibus vel ex pacto debetur cœlum. ſiquidem iam pridem magnis bullis ſum pollicitus, recta in cœlum euolaturos, quicunque Iulii auſpiciis pugnarent, etiam quæcunque vita præceſſiſſet. PE. Proinde quantum coniectura conſequor, ex iſtis erant qui mihi ſæpius ante tuum aduentum moleſti fuerunt (dum huc tantum non vi conarentur irrumpere) plumbeas quaſdam bullas oſtentantes. IVL. Ergo non admiſiſti, quantum audio. PE. Ego ne? ne vnum quidem iſtius ſane generis. Nam ita me docuit Chriſtus, has fores aperiendas non his, qui plumbo graues huc adducunt bullas, ſed qui nudos veſtierunt, eſurientes pauerunt, ſitientibus potum dederunt, captiuos inuiſerunt, peregrinos collegerunt. Etenim ſi eos quoque voluit excludi, qui in nomine ſuo prophetarint, qui dæmonia eiecerint, qui ſigna fecerint, tu cenſes admittendos, qui tantummodo huc afferunt bullam, Iulij nomine? IVL. Quid ſi ſciſſem? PE. Intelligo, ſi quis ab inferis reuerſus, ea tibi nunciaſſet, bellum indixiſſes mihi. IVL. Quin & excommunicaſſem. PE. Sed perge, cur armatus ipſe? IVL. Quaſi neſcias ſummo Pontifici vtrumque eſſe gladium, aut niſi velis bellare nudum. PE. Sane cum iſtum tenerem locum, nullum noui gladium, niſi gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.

IVL. At non idem prædicat Malchus, cuius auriculam abſque gladio amputaſti, credo. PE. Memini & agnoſco, ſed tunc pro magiſtro Chriſto pugnabam, non pro me, pro vita domini, non pro nummis, aut ditione ſeculari. & pugnabam nondum pontifex, promiſſis dumtaxat clauibus, nondum acceptis, nondum accepto ſpiritu ſancto. Et tamen iuſſus ſum recondere, vt palam

admo-

admoneres, hoc pugnæ genus non conuenire ſacerdotibus, imo nec Chriſtianis quidem. verum hæc alias. Cur tam accurate te *Ligurem* eſſe prædicas? quaſi quicquam hoc ad Chriſti vicarium pertineat, qua gente ſit oriundus. IVL. Imo ſummam exiſtimo pietatem, gentem meam nobilitare: proinde titulum hunc, numiſmatis, ſtatuis, fornicibus ac parietibus omnibus inſcribo. PET. Ergo patriam nouit, qui patrem non nouit? At ego initio putabam te de cœleſti Hieruſalem credentium patria loqui: deque illius vnico principe, cuius optant illi *ſanctificari*, hoc eſt, illuſtrari nomen. Sed cur addis, *Sixti ex ſorore nepotem*, quem quidem hominem demiror nunquam huc acceſſiſſe, præſertim cum & ſummus fuerit Pontifex, & tibi tanto duci cognatus. Quare dic obſecro, quid hominis fuit? ſacerdos ne? IVL. Imo miles egregius, tum eximiæ religionis, nempe Franciſcanæ. PET. Equidem Franciſcum vidi quondam virum inter laicos optimum, opum, voluptatis, ambitionis ſummum contemptorem. An pauperculus ille tales nunc habet ſatrapas? IVL. Tu, quantum video, nolis quemquam ad meliora proficere. pauper erat & Benedictus, cum huius poſteri nunc adeo diuites ſint, vt nos etiam illis inuideamus. PE. Pulchre ſed ad rem redito, de *Sixti nepote*. IVL. Conſulto id facio, nimirum vt obturem os illis, qui me ex illo prognatum affirmant, nimium liberè. PET. Liberè, ſed num & vere? IVL. Atqui non eſt iſtud è pontificia dignitate, cuius vbique habenda eſt ratio. PET. At ipſa ſui rationem ita demum rectiſſime mihi videtur habitura, ſi nihil admittat, quod iure poſſit opprobrari. Sed obteſtor per pontificiam maieſtatem, dic mihi bona fide, eſt ne iſta iam via vulgaris, ac ſolennis ad ſummum pontificium perueniendi, quam modo depingebas?

IVL. Aliquot iam ſeculis haud fuit alia, niſi forte qui mihi ſucceſſurus eſt, aliâ creabitur viâ. Nam ipſe ſummum aſſecutus pontificium, ſtatim ædita formidabili bulla caui, ne quis ſimili ratione ad eum honorem penetraret, eam bullam & paulo ante mortem renouaui: quantum ſit valitura, viderint alij. PET. Opinor neminem rectius id malum deſcribere potuiſſe: ſed illud miror, quem inueniri, qui munus hoc velit ſuſcipere, præſertim cum tot occupationibus ſit (audio) obnoxium, & tanto negotio ad id ſit eluctandum. Nam me pontifice vix quiſquam vi poterat adigi, vt presbyteri aut diaconi ſuſciperet honorem. IVL. Neq; mirum adeo. nam illis temporibus cenſus epiſcoporum & præmium nihil aliud erat, quam labores, vigiliæ, ieiunia, doctrina, ſæpenumero mors: nunc regnum eſt ac tyrannis. & quis pro regno, ſi ſpes ſit, non dimicet? PETR. Sed age, quid Bononia, num à fide deſciuerat, vt fuerit ſedi Romanæ reſtituenda? IVL. Bona verba, non hoc agebatur. PET. Fortaſſe Bentiuolo male adminiſtrante, marcebat reſp. IVL. Imo maxime florebat ea ciuitas, multis ædificijs aucta & illuſtrata, & eam ob rem impenſius inhiabam. PE. Intelligo. præter ius igitur inuaſerat? IVL. Ne hoc quidem: ex pacto poſſidebat. PE. Ciues ergo non ferebant eum principem? IVL. Imo mordicus illum tenebant: me auerſabantur fere vniuerſi. PE. Quid igitur cauſæ? IVL. Nempe quod ille ſic adminiſtrabat, vt ex immenſa pecunia, quam à ciuibus colligebat, vix paucula millia, ad noſtrum redirent fiſcum. Præterea ſic expediebat, ad id, quod tum temporis agitabam animo. Itaque Gallis operam nauantibus, & nonnullis meo fulmine territis, profligato Bentiuolo, Cardinales & Epiſcopos vrbi præfeci: vt nulla pars emolumentorum non rediret ad vſus Eccleſiæ Romanæ. Ad hæc, titulus & imperij dignitas ante penes illum eſſe videbatur. nunc vndique noſtræ viſuntur ſtatuæ, noſtri leguntur tituli, noſtra adorantur trophæa: iam paſſim & Iulius ſaxeus ſtat & æneus. Denique ſi ſpectaſſes, quam regali triumpho Bononiam ſim ingreſſus, fortaſſe contemneres omnes Octauiorum ac Scipionum triumphos, & intelligeres me non abſq; cauſa tam ſtrenuè pro Bononia dimicaſſe, vereq; ſpectaſſes eodem tempore, & militantem, & triumphantē Eccleſiam. PE. Ergo te regnante, quantum intelligo, contigit illud, quod orare nos iuſſerat Chriſtus, *Adueniat regnum tuum*. Iam vero Veneti quid admiſerant? IVL. Primū græciſſabant, ac me propemodum pro deliramento habebant, nihil non conuiciorum in me iaciebant. PE. Verorum, an falſorum? IVL. Quid refert? ſacrilegum eſt de Rom. Pontifice, vel mutire, niſi in laudem. Deniq; ſacerdotia ſuo conferebant arbitratu: nullas lites huc transferri patiebantur: nullas commerebantur diſpenſationes. Quid multis opus eſt? intollerabili iactura Romanam ſedem affligebant, quippe qui non exiguam inſuper patrimonij tui partem occuparent.

PE. Mei patrimonij? Quod obſecro mihi narras patrimonium? qui relictis omnibus, nudum Chriſtum, nudus ſum ſecutus. IVL. Aliquot inquam oppida ſedi Romanæ debita, ſic enim peculiarem illam poſſeſſionum ſuarum partem ſanctiſſimis patribus placuit appellare. PE. Meâ quidem infamiâ probè veſtris lucris conſulitis. Hanc igitur appellas iacturam intollerabilem? IVL. Quid ni? PE. Verum erant corrupti mores, refrixerat pietas? IVL. Apage, de nugis agis. imo detrahebantur nobis infinita ducatorum millia, quot vel legioni militum alendæ ſufficiunt. PE. Magna ſane iactura fœneratori. At Ferrarienſis ille, quid tandem deſignarat?

IVL. Quid ille? homo omnium hominum ingratiſſimus? Huic honorem habuerat illi Chriſti vicarius Alexander, vt alteram filiam illi daret vxorem: addidit dotis nomine luculentiſſimam ditionem, homini alioqui ignauo: tamen immemor tantæ humanitatis, ſemper oblatrabat mihi Simoniam, pæderaſten, ac commotæ mentis hominem dictitans: & inſuper vectigalia nonnulla vindicabat non illa quidem maxima, ſed tamen haudquaquam aſpernanda diligenti paſtori. GEN. Imo negociatori. IVL. Ad hæc quod veriùs ad rem pertinet, expediebat & hoc ad id quod parabam, Hoc imperij, noſtræ ditioni copulari, propter ſitus opportunitatem. proinde conatus ſum, hoc deturbato, ditionem eam meo cognato conferre, viro ſtrenuo, & quiduis pro dignitate eccleſiæ au-

furo: vt qui nuper ſuapte manu cardinalem Papienſem in meam gratiam confoderit. Nam filiæ maritus ſua ſorte contentus eſt. PET. Quid audio? vxores ac liberos habent ſummi Pontifices? IVL. Suas quidem vxores non habent, liberos autem habere, quid monſtri eſt, cum ſint viri, non eunuchi?

PET. Sed quæ tandem res excitarat ſchiſmaticum illud conciliabulum? IVL. Perlongum fuerit rem à prima repetere origine; dicam ſummatim. Iam, quoſdam tædere cœperat Romanæ curiæ: Aiebant, turpi quæſtu, prodigioſis ac nefandis libidinibus, veneficiis, ſacrilegiis, cædibus, ſimoniacis nundinis, vndique inquinata eſſe omnia. Meipſum aiebant ſimoniacum, temulentum, ſpurcum, mundano turgidum ſpiritu, ac modis omnibus eum, qui locum indignus, cum ſumma reipublicæ Chriſtianæ pernicie, occuparem: Itaq; generali concilio ſuccurrendum eſſe rebus tam afflictis. Addebant adiuratum me, vt poſt acceptum honorem, intra biennium generale Concilium indicerem: hac lege creatum pontificem. PE. Atq; id vere dictum? IVL. Imo factum. At ipſe me ab eo iureiurando, quum viſum eſt, abſolui. Quis autem dubitet, vel quiduis peierare, cum de regno agitur? In aliis colenda pietas, vt eleganter ille dixit Iulius, alter ego. Sed audaciam hominum ſpecta: vide quorſum euadant. Deſciſcunt Cardinales nouem, denunciant mihi concilium, inuitant, orant, vt præſideam. Quum non impetrant, indicunt vniuerſis, authore Maximiliano tanquam Imperatore (quod hiſtoriæ teſtentur, olim ab Imperatoribus Romanis concilium indici ſolere) authore item Gallorum rege Ludouico eius nominis duodecimo. Horreſco referens, ac tunicam illam Chriſti inconſutilem conantur diſcindere, quam ij quoque reliquerunt integram, qui crucifixerant. PE. Sed eras iſtiuſmodi, qualem illi prædicabant? IVL. Quid ad rem? ſummus eram pontifex, finge me vel Cecropibus ſceleratiorem, vel Morycho ſtultiorem, vel indoctiorem ſtipite, ſpurciorem lerna. quiſquis hanc tenet potentiæ clauem, cum decet, vt Chriſti vicarium reuereri, vt ſanctiſſimum ſuſcipere. PE. Etiam aperte malum? IVL. Vel apertiſſime. Quare non ferendum, vt is, qui Dei vicem agit in terris, omnino Deum quendam inter homines præſtat, à quopiam homuncione reprehendatur, aut conuiciis violetur. PET. Atqui reclamat ſenſus communis, vt bene ſentiamus de eo, quem palam ſceleroſum cernimus: aut bene loquamur de eo, de quo mala ſentimus. IVL. Cogitet quiſque quod volet, modo bene loquatur, aut certe ſileat. Porro reprehendi non poteſt Rom. pontifex, nec à concilio generali. PE. Vnum hoc ſcio, qui Chriſti vicem ſuſtinet in terris, debere quam poteſt illi ſimillimum eſſe, atque ita vitam omnem peragere, ne quid in eo poſſit reprehendi, neue quiſquam merito de illo male loqui queat. Male vero cum pontificibus agitur, ſi vt bene de ſe loquantur homines, minis extorquent potius, quam benefactis impetrant: quos niſi mentiendo laudare non poſſis, quorum ſumma gloria ſit, hominum male ſentientium coactum ſilentium. Verum illud mihi reſponde: Nulla ratione poteſt amoueri ſceleroſus ac peſtilens pontifex?

IVL. Ridiculum, à quo amoueretur, qui ſummus eſt? PET. Atqui ob iſtud ipſum maxime debebat amoueri, quia ſummus. Nam quo maior, eo pernicioſior. Si mundanæ leges Imperatorem male remp. adminiſtrantem, non ſolum abdicant, verum etiam capitis afficiunt ſupplicio, quænam eſt tam infelix eccleſiæ conditio, vt Rom. Pontificem omnia ſubuertentem ferre cogatur, nec vllo pacto poſſit publicam peſtem depellere? IVL. At ſi corrigendus eſt Rom. Pontifex, per Concilium corrigatur oportet. Porro nullum Concilium cogi poteſt inuito pontifice: alioqui Conciliabulum ſit, non Concilium. Quod ſi maxime cogatur, nec ſtatui quicquam poteſt refragante Pontifice. Deniq; reſtat extremum præſidium, abſoluta poteſtas, qua longe iam ſuperior eſt vnus Pontifex, vniuerſo Concilio. Cæterum ſubmoueri ſacerdotio non poteſt ob quoduis crimen. PE. Non? Non ob homicidium? IVL. Nec ob paricidium. PE. Non ob fornicationem? IVL. Bona verba, imo ne ob inceſtum quidem. PE. Non ob ſimoniacam impietatem? IVL. Non vel ob ſexcentas. PE. Nõ ob veneficium? IVL. Ne ob ſacrilegium quidem. PE. Non ob blaſphemiam? IVL. Non inquam. PE. Non ob hæc omnia ſimul, in vnam ceu lernam conflata? IVL. Adde, ſi libet, ſexcenta flagitiorum nomina, his quoque fœdiora, non poteſt tamen Rom. Pontifex ob iſta ſubmoueri loco. PE. Nouam vero mihi Romani Pontificis dignitatem prædicas: ſiquidem huic ſoli licet impune peſſimum eſſe; Tum magis nouam infelicitatem eccleſiæ, ſi tale portentum nulla via queat excutere, talemque cogatur adorare Pontificem, cuiuſmodi nemo toleret ſtabularium. IVL. Quidam ob vnum quiddam duntaxat amoueri poſſe dicunt. PET. Ob quod obſecro benefactum? quandoquidem ob malefacta non poteſt, ſi ob hæc, quæ dixi, non poteſt. IVL. Ob crimen hæreſeos: at ita demum, ſi publice ſit conuictus. Verum id quoque friuolum eſt, neque vel tantillum officit Pontificiæ Maieſtati. Primum in manu eſt, legem ipſam abrogare, ſi minus placeat. Deinde quis auſit ſummum Pontificem in crimen vocare, præſertim tot armatum præſidiis? Ad hæc ſi forte prematur Concilio, facilis eſt palinodia, ſi inficiari non liceat. Poſtremo mille ſunt cuniculi, quibus facile poſſit elabi: ni prorſus ſtipes ſit, non homo. PE. Sed dic mihi per Pontificiam poteſtatem, quis leges iſtas tam præclaras condidit? IVL. Quis alius niſi fons legum omnium, Roman. Pontifex? Atqui eiuſdem eſt legem abrogare, interpretari, dilatare, aſtringere, vtcumque viſum eſt ſuis expedire commodis. PET. Felicem profecto Pontificem, ſi legem ferre poſſit, qua Chriſtum etiam eludat, nedum Concilium: quamquam aduerſus huiuſmodi Pontificem, cuiuſmodi tu modo deſcripſiſti, palam ſceleroſum, temulentum, homicidam, ſimoniacum, veneficum, periurum, rapacem, portentoſis libidinum generibus vndicunque conſpurcatum, idque propalam, non tam optandum generale concilium, quam vt plebs armata ſaxis, vt publicam orbis peſtem publici-

tus

tus tollat è medio. Verum age, dic mihi, quid eſt cauſæ cur Ro. Pontifex tantopere horreat generale Concilium? IV. Quin idem à monarchis quæris, cur ſenatum & celebres conſeſſus oderint? Nempe quod turba tot excellentium virorum, non nihil obſcuretur regia dignitas. Qui docti ſunt, iis literæ fiduciam & audaciam adducunt: qui bona conſcientia freti, liberius loquuntur, quam nobis expediat: qui dignitate præditi, authoritate vtuntur ſua. Accedunt inter hos nonnulli, qui noſtræ inuident gloriæ, & hunc animum ſecum afferunt, vt minuant Pontificis & opes & authoritatem. Deniq; nullus hic aſſidet, quin ſibi putet aliquid aduerſus Pontificem licere concilii titulo, nimirum alias inuictum. Proinde vix vllum concilium tam fœliciter ceſſit, vt ſummus ille Pontifex non aliquam maieſtatis ſuæ iacturam ſenſerit, minuſq; ſummus diſceſſerit. Cuius rei vel ipſe teſtis eſſe potes, niſi prorſus excidit. Nam quamquam tunc quidem de rebus leuiculis agebatur, non de imperiis & regiis cenſibus, vt nunc, tamen Iacobus auſus eſt tuæ orationi nonnihil de ſuo adiicere. Etenim quum tu gentiles onere Moſaicæ legis in totum liberaſſes, Iacobus ſuccedens, fornicationem excepit, & ſanguinem, & idolothytum, veluti corrigens tuam ſententiam: vt hodieq; ſint, qui hac re commoti non tibi, ſed Iacobo putent fuiſſe ſummi Pontificis authoritatem. P E. Vnum igitur illud ſpectandum exiſtimas: vt ſalua ſit ſummi pontificis maieſtas, ac non magis publica vtilitas reip. Chriſtianæ? I V L. At ſuum quiſq; commodum ſpectat, nos noſtrum agimus negocium.

P E. Atqui ſi Chriſtus idem feciſſet, iam ne eſſet Eccleſia, cuius te monarcham eſſe iactitas? & non video qui conueniat, vt qui Chriſti vicarius appellari gaudeat, Chriſto diuerſa ſequatur. Sed illud iam expedi, quanam arte ſchiſmaticum illud, vti tu vocas, Concilium diſcuſſeris? IVL. Dicam equidem, aſſequere ſi potes. Primum Imperatorem Maximilianum (ſic enim vocant) vt eſt vnus omnium minime difficilis, tametſi per ſolennes nuncios Concilium indixerat, tamen non dicendis modis ab inſtituto ſubduxi. Præterea Cardinalibus aliquot arte ſimili perſuaſi, vt quod publicatis iam inſtrumentis ſtatuerant, rurſum accitis notariis ac teſtibus, negarent. P E. An iſtud licet? I V L. Quid ni liceat? approbante ſummo Pontifice? Qui ſi volet, iuſiurandum, iuſiurandum non eſt: vt à quo paſſim quos vult liberat. Sed tamen vt ingenue dicam, erat id quidem paulo impudentius: verum non patebat via commodior. Deinde quum videbam futurum, vt apud nonnullos inuidia Concilii premerer, maxime quod ſic eſſet indictum, vt non excluderer, ſed ſuppliciter inuitarer, rogareque præſidere, vide quam iam technam repererim, ſuperiorum ſecutus exemplum. Ipſe viciſſim ad Concilium prouocaui: cauſans, nec tempus, nec locum ſatis eſſe idoneum, quem illi præſtitiſſent. Romæ ſubito Concilium indixi, quo neminem venturum arbitrabar Iulio non amicum, aut certe non obſecundaturum. Sic etiam eos multis exemplis docueram. Ac protinus in hunc vſum complures Cardinales creaui meis inſtitutis accommodos. G E. Hoc eſt, facinoroſiſſimos. I V L. Rurſum hoc Concilium, niſi indixiſſem, Concilium non fuiſſet: & tamen haudquaquam expediebat rebus meis tantam Epiſcoporum & Abbatum turbam huc confluere, inter quos fieri non poteſt, quin aliquot probi piiq; fuerint futuri. Itaq; monui, vt ſumptibus parcerent: & ſingulæ regiones vnum aut alterum duntaxat mitterent. Deinde cum ne hoc quidem ſatis tutum viderem, & paucos ex tot prouinciis ad magnam redituros numerum: denuo illis iam ad iter accinctis denunciaui ne venirent, Concilium in aliud tempus prorogandum: commentus ad id cauſas vtcumque probabiles. Atque iis artibus, excluſis vniuerſis, rurſus tanquam impium, pluſquam ſacrilegum, pluſquam hæreticum pronuncians, quicquid illud eſſet quod aut iam ſtatuiſſent, aut ſtatuere pararent. Tertio conſeſſu eodem fulmine terrui Galliam, nundinis à Lugduno translatis, & quibuſdam Galliæ partibus nominatim exceptis, quo magis alienarem à rege plebis animos, & aliquam inter ipſos ſeditionem excitarem. Atque hæc ſtatim acta, quo plus haberent authoritatis bullis prodita, ad omnes miſi principes: præſertim ad hos, quos videbam in noſtram factionem eſſe propenſiores. P E. At præterea nihil actum? I V L. Id actum eſt quod volebam: vici, ſi modo noſtra valebunt decreta. Tres illos Cardinales, qui perſtiterunt in cœptis, Cardinalitia dignitate publicis ceremoniis priuaui, ſacerdotiorum cenſus aliis contuli, ne facile poſſent reſtitui, ipſi tradidi ſathanæ, libentius tamen ignibus traditurus, ſi in manus meas incidiſſent. P E. Attamen ſi vera narras, non paulo ſanctiora videntur illius ſchiſmatici conciliabuli decreta, quam tui ſacroſancti concilii: vnde nihil adhuc video prodiiſſe, niſi minas tyrannicas, execrationes, & aſtu mixtam crudelitatem. Si ſatanas fuit illius author conciliabuli: propius videtur ad Chriſtum accedere, quam ſpiritus ille neſcio quis, qui modo veſtrum moderatus eſt concilium. I V L. Quin tu quid loquaris etiam vide. Nam omnibus bullis meis execratus ſum omnes, quicunque illi conciliabulo quocunque modo fauerint. P E. Miſer vt adhuc veterem illum ſpiras Iulium. Sed quis tandem huius exitus negocii? I V L. Hoc equidem in ſtatu reliqui, quorſum euaſurum, viderit fortuna. P E. Nimirum ſchiſma manet. I V L. Manet, & quidem periculoſiſſimum. P E. Et tu quidem Chriſti vicarius ſciſma maluiſti, quam verum concilium? I V L. Vel trecenta ſchiſmata potius, quam me velim in ordinem cogi, & ad totius vitæ reddendam rationem adigi. P E. Ita tibi conſcius? I V L. Quid id tua? P E. intelligo. Non expediebat eam commoueri camerinam, ſed penes vtros erit victoria?

IVL. Iſtud fortunę eſt in manu: Quanquam à nobis plus eſt pecuniarum. Gallus exhauſtus eſt diutinis iam bellis. Anglus auri montes habet intactos adhuc. Illud indubitato poſſum vaticinari: ſi Gallus vicerit, id quod abominor, vertentur rerum nomina, ſacroſanctum illud concilium, ſathanæ conciliabulum erit. Ego idolum Pontificis, non Pontifex: penes illos ſpiritus ſanctus erit, nos ſpiritu ſatanæ fecerimus omnia. Verum mihi ingens fiducia eſt in relictis pecuniis ne hæc fiant. P E. At quid

rei tandem incidit aduerſus Gallos, & horum regem? quem veſtri maiores *Chriſtianiſſimi* titulo decorarunt, præſertim cum illorum præſidiis fatearis & vixiſſe te, & ad iſtam pluſquam imperialem coronam euectum. Denique Bononiam, & reliquas vrbes recepiſſe, domuiſſe Venetos, omnibus inuictos. Quomodo tot tam recentium meritorum abolita memoria? Quomodo tot diſciſſa fœdera? I V L. Iſtam explicare fabulam perlongum fuerit. Verum vt ſummatim dicam, nihil à me nouatum eſt: ſed quod iam olim animo parturieram, tum parere cœpi: quod antea rebus ita poſcentibus, diſſimularam, tunc aperui. Gallis numquam ex animo bene volui, hoc tibi de tripode dictum puta. Nec vllus Italus ex animo bene vult Barbaris: non Hercule magis, quam lupus agnis. Sed ego non Italus modo, verum etiam Ianuenſis, tantiſper illis vtebar amicis, dum opus eſſet illorum miniſterio, Quandoquidem hactenus vtendum eſt opera Barbarorum. Interea multa tuli, multa diſſimulaui, multa finxi: denique nihil tum & feci, & paſſus ſum. Verum vbi iam res in eum propemodum locum deductæ ſunt, in quem volebam, ſupererat vt vere Iuliũ agerem, totamque illam Barbarorum fecem Italia ſubmouerem. P E. Cuiuſmodi belluæ ſunt iſti, quos vocas Barbaros? I V L. Homines ſunt. P E. Homines igitur, at non Chriſtiani? I V L. Et Chriſtiani, ſed quid hoc ad rem pertinet? P E. Ergo Chriſtiani quidem, ſed abſque literis, agreſtem degentes vitam. I V L. Imo rebus iſtis maxime florent illi: quid inſuper, id quod illis imprimis inuidemus, opibus. P E. Quid igitur ſibi vult Barbari cognomen? Quid muſſas? G E. Dicam huius vice. Itali cum ſint ex omni barbariſſimarum nationum colluuie conflati, confuſique non aliter quam ſentina quædam, tamen è gentilium literis, hanc imbiberunt inſaniam, vt extra Italiam natos barbaros appellent. Quod quidem cognominis, apud illos contumelioſius eſt, quam ſi parricidam dicas, aut ſacrilegum. P E. Ità videtur. At qui cum pro omnibus hominibus mortuus ſit Chriſtus, nec apud illum ſit vllius perſonæ reſpectus: cumque tu Chriſti vicarium profiteris, cur non omnes complectebaris eodem animo quos non diſcreuit ipſe Chriſtus? I V L. Equidem & Indos, & Afros, & Æthiopes, & Græcos complecti cupiam, ſi modo munerent, & principem agnoſcant vectigalibus. Verum hos omnes recidimus, & proxime Græcos, quod homines nimium tenaces, parum agnoſcerent Romani Pontificis maieſtatem. P E. Ergo Romana ſedes totius orbis veluti horreum eſt? I V L. Magnum vero, ſi omnium metamus carnalia, cum omnibus noſtra ſpiritalia ſeminemus? P E. Quæ narras ſpiritalia? Nam adhuc quidem præter mundana nihil audio. Fortaſſe doctrina ſacta trahis ad Chriſtum. I V L. Sunt qui concionentur ſi velint: nec eos prohibemus, modo ne quid dicant aduerſus maieſtatem noſtram. P E. Quid igitur? I V L. Quid igitur? Cur regibus datur quicquid exegerint? niſi quia his acceptum referunt ſinguli, quicquid poſſident, etiam ſi nihil ab illis acceperint. Ita quicquid eſt ſacri vſquam, nobis imputandum eſt, etiam ſi totam ſtertamus vitam. Quanquam præter iſta largiſſime donamus indulgentias exigua pecuniola, diſpenſamus in rebus grauiſſimis non maxima ſumma, paſſim omnibus obuiis benedicimus, idque gratis. P E. Equidem nihil horum intelligo. Sed redi ad id quod inſtitutum erat: quam ob rem tua ſanctiſſima maieſtas tantopere Barbaros horreat, vt cœlum terræ miſcendum duxeris, quo illos ab Italia depelleres. I V L. Dicam ſuperſtitioſius eſt cum omne Barbarorum genus, tum præcipue Gallorum. Nam cum Hiſpanis non peſſime nobis conuenit, ſiue linguam ſpectes, ſiue mores, Quamquam hos quoque ſubmotos volebam, quo prorſus nobis liceret more noſtro agere. P E. Colunt præter Chriſtum & alios deos? I V L. Imo Chriſtum ipſum nimis anxie colunt. Antiquis quibuſdam & iampridem obſoletis vocabulis, mirum eſt quam adhuc homines ſtultiſſimi permoueantur. P E. Forte magicis. I V L. Nugaris: imo ſimonia, blaſphemia, zodomia, veneficio, ſortilegio. P E. Bona verba. I V L. Itidem vt tu nunc abominaris, & iſti. P E. Omitto nomina: res ſunt apud vos, ne dicam apud vllos Chriſtianos. I V L. Sane Barbari non ipſi vacant vitiis, ſed cum diuerſis laborent, noſtra execrantur, ſuis blandiuntur. Nos contra noſtris blandimur, illorum abominamur. Nos abominandum probrum ducimus, ac per fas, nefaſque fugiendum, paupertatem: illi vix Chriſtianum eſſe exiſtimant opibus frui vllis ſine fraude quæſitis. Nos ebrietatem nec nominare audemus (quamquam hac quidem in parte, non ita vehementer ab illis diſſentiam, ſi cætera conueniant) at Germani leue putant erratum, & feſtinum magis quam ſceleratum. Vſuram vehementer execrantur illi, at apud nos nullum hominum genus æque neceſſarium eccleſiæ Chriſti. Venerem præpoſteram vſque adeo ſpurcam ducunt illi, vt ſi quis vel nominet modo, & aerem & ſolem exiſtiment pollui: nobis longe diuerſa ſententia eſt. Item ſimonia, iam olim è rerum natura ſublatum vocabulum, velut vmbram adhuc formidant illi: & antiquatas iam veterum leges mordicus tenent. Nos alio ſpectamus. Atq; huiuſmodi permulta ſunt alia, in quibus nobis non conuenit cum Barbaris, proinde cum iam ſimus tam diſſimili vitæ inſtituto, procul arcendi ſunt à noſtris myſteriis, magis ſuſpecturi ſi neſciant. Nam ſi ſemel intellexerint arcana curiæ noſtræ, protinus euulgant: & neſcio quo pacto ad vitia reprehendenda ſunt oculatiſſimi: ſcribunt maledicentiſſimas ad ſuos literas. Clamitant paſſim apud nos non eſſe ſedem Chriſti, ſed ſentinam ſatanæ. De me diſputant, num ſic aſſecutus pontificium, ſic viuens, pro Pontifice ſim habendus. Atq; ita primum minuunt noſtram apud ignotos ſanctitatis opinionem, ſimul & authoritatem, qui antea nihil de nobis audierant, niſi quod Chriſti vicem gereremus, & proximam, atq; adeo parem Deo poteſtatem teneremus. Atqui his è rebus intollerabilis eccleſiæ Chriſtianæ iactura naſcitur. Diſpenſationes & pauciores, & minoris vendimus. Minor cenſus redit ex Epiſcopatibus, & Sacerdotiis, & Abbatiis. Vulgus, ſi quid exigitur, malignius dat. Breuiter, vndecumq; parcior quæſtus, & ſteriliores nundinæ. Poſtremo fulmina quoque noſtra minus ac minus horrent.

Quod

Quod ſi ſemel eo proceſſerit audaciæ, vt dicant ſceleratum Pontificem nihil agere, ac fulmen minaſque contempſerint, nobis ad famem plane redierit res. Quod ſi procul ab fuerint (ita ingenium eſt Barbarorum) impenſius venerabuntur, noſque literis commode ſcriptis, ex animi ſententia rem geremus. PE. Non optime vobiſcum agitur: ſi hinc pendet authoritas Apoſtolica, vt vita ignoretur, neſciantur technæ. Nos nihil aliud optabamus, niſi vt vniuerſis eſſet cognitum, quicquid vel in cubiculis ageremus. Atq; ita demum plurimi fiebamus, ſi vere innotuiſſemus.

Verum illud expedi. Adeo religioſos principes nunc habet, tantaque eſt apud illos ſacerdotum reuerentia, vt ad vnius, atque adeo talis nutum, ad arma deſcenderint vniuerſi. Nam meis quidem temporibus, hos infeſtiſſimos hoſtes patiebamur. IVL. Quantum ad vitam attinet, non ſunt admodum ſuperſtitioſi Chriſtiani. Nos plane contemnunt, ac pro nugamentis habent: niſi quod aliquot ex his infirmiores nonnihil metuunt terrificum illud fulmen excommunicationis. Nec hi tamen perinde re atque opinione commouentur. Sunt qui noſtras opes vel ſperant vel metuunt: eoque nonnihil noſtræ deferunt authoritati. Quibuſdam perſuaſum, ingens aliquod infortunium manere hos, qui ſacerdotibus qualibuſcumq; negocium faceſſunt. Omnes ferme, vt ſunt ciuiliter educati, nonnihil tribuunt ceremoniis, præſertim à nobis prouocati. Nam ceremoniæ ceu fabulæ quædam vulgo dantur. Cæterum res interim ſerio agitur. Nos illos magnificis titulis decoramus, etiamſi ſint ſceleratiſſimi. Hunc *Catholicum* appellantes, Illum *Sereniſſimum*, alium *Illuſtriſſimum*, alium *Auguſtum*, omnes *dilectos filios* nominamus: illi viciſſim nos, *ſanctiſſimos patres* in ſuis literis vocant: & aliquoties *ad oſcula pedum* ſe ſubmittunt: & vbi non multum negocii vertitur, cedunt nonnunquam authoritati noſtræ, quo ſibi pietatis opinionem apud vulgus parent. Nos illis roſas mittimus conſecratas, tiaras, gladios, & illorum dignitatem maximis bullis confirmamus. Illi viciſſim mittunt equos, milites, pecuniam: nonnunquam & pueros, atq; ita mutuum (quod aiunt) muli ſcabunt. PE. Si tales ſunt, nondum intelligo quo pacto potueris ſummos reges ad grauiſſima bella concitare, præſertim ruptis tot fœderibus. IVL. Atq; ſi nunc aſſequi poſſis ea quæ dicam, intelliges ingenium pluſquam apoſtolicum. PE. Adnitar equidem quoad potero. IV. Illud in primis mihi ſtudio fuit, omnium gentium, ac præcipue principum ingenia, mores, affectus, opes, & conatus pernoſſe, cui cũ quo conueniat, cui cum quo diſſidium ſit: deinde his omnibus ad noſtram commoditatem vti. Principio illos facile concitauimus in Venetos: quod inter hos intercederet vetus atq; antiqua ſimultas. Deinde ſciebamus eam gentem auidam imperii prorogandi. Et Veneti illorum quoq; nonnullas vrbes occuparant. Itaq; meum negocium, cum illorum negocio miſcui. Tum Imperator, quamquam alioqui non admodum amicus Gallo, tamen quia non erat alia ſpes à Venetis recipiendi, quæ tenebant (tenebant autem vrbes aliquot egregias) pro tempore ſe huic bello adiunxit. Deinde, quum non placeret Gallos ſupra modum creſcere (res enim ſucceſſerat felicius quam volebam) primum Hiſpaniarum regem in eos extimulaui, primum hominem, non fidei adamantinæ, deinde cuius magnopere referebat, vtcumq; premi Gallorum potentiam, cum ob alia multa, tamen præcipue, ne quando ditione Neapolitana excluderetur. Ad hæc, Venetos etiamſi non probarem, ficte tamen in gratiam recepi, vt hos quoq; recentis cladis dolore exacerbatos in Gallos immitterem. Rurſum Imperatorem, quem paulo ante cum Gallis coniunxeram, ab illis diſtraxi: idq; partim pecuniis, quæ apud hominem egentem ſemper valent plurimum, partim literis & nunciis, renouato veteri in Gallos odio, quo vir ille mirum quam ſemper flagrarit, etiamſi deerat vlſciſcendi facultas. Iam Anglos ſciebam genuino odio eſſe in Gallorum gentem: & in iis coniunctiſſimos Scotos. Ad hæc intelligebam nationem perferocem & belli cupidam, idque potiſſimum prædandi ſpe: tum etiam ſuperſtitioſam aliquantulum, quod longiſſime abſit à Roma. Poſtremo id temporis, noua libertate (quæ tandem illis morte regis omnium ſeueriſſimi contigerat) inſolentes ac pene tumultuantes: vt facile iam poſſent ad quamuis inſaniam extimulari, quodq; maxime volebam, acceſſit ad opportunitatem rerum mearum, rex admodum adoleſcens, vel puer potius & nuper regno potitus, ingenio acri viuidoq; ac vere iuuenili, hoc eſt, inquieto & bellicoſo, nec ætate tantum ambitioſus, & ad res non mediocres erectus. Qui iam tum à primis annis huc ſpectaſſe dicebatur, vt Gallos adoriretur armis. Super omnia affinis erat Hiſpano regi, quem iam ad arma traxeram. Hiſce rebus omnibus vſus ſum ad Eccleſiæ commoditatem. Ac ſexcentis literis, non abſq; ingenio ſcriptis, tandem inuolui principes bello omnium grauiſſimo. Neq; vero quicquam cæterorum intentatum reliqui, neque regem Hungarorum, neque Luſitaniæ, neque Burgundionum regibus parem ducem. Verum quia ad hos nihil harum rerum attinebat, perpellere non quiui: & ſciebam his tumultuantibus neminem cæterorum quieturum. Hi igitur quum ſuo morem gererent animo, tamen honeſtiſſimum titulum acceperunt à nobis, vt quo maiorem cladem inferrent populo Chriſtiano, hoc religioſius viderentur Eccleſiam Dei protegere. Atque vti magis admireris vel ingenium meum, vel felicitatem, belligerabatur id temporis Hiſpaniæ rex cum Turcis incredibili rerum ſucceſſu, maximoq; ſuo quæſtu: & tamen illis omnibus omiſſis, in Gallum vniuerſas vires conuertit. Ad hæc Imperator non fœderibus modo multis, verumetiam beneficiis immenſis deuinctus erat Gallis, vel hoc nomine, quod horum ſumptu operaque ſuas in Italia ciuitates recepiſſet. Et hic erat quod ageret, nempe vt ſua tueretur. Iam enim Patauium deſciuerat, & in Burgundia, nempe vt Geldrios hoſtes grauiſſimos (in quos belli ſuſcipiendi fuerat author) à nepote ſuo Burgundiorum principe depelleret. Et ſic feci, vt ſuis omiſſis meum agerent negocium. Tum nulla gens eſt, apud quam minus valeat ſummi Pontificis auctoritas, quam Anglorũ (id quod protinus liquebit, ſiquis diui Thomæ Cantuarienſ. Epiſco-

Epiſcopi vitam, ac veterum Regum conſtitutiones euoluerit) & ſic gens alioqui exactionum impatientiſſima, paſſa eſt propemodum ſe deglubi. Mirum autem, quam ſacerdotes quoq;, qui nobis conſueuerant quicquid poſſunt ſubſtrahere, iis quantumuis mulctas admiſerint: haud perpendentes cuiuſmodi feneſtram regibus in poſterum aperuerint. Quanquam nec ipſi reges ſatis animaduertebant, quod exemplum induxerint aduerſus ſeipſos. Nempe, vt liceat poſtea Ro. ſacrificio regno mouere, quem oderit principem. Et rex adoleſcens maiori etiam motu rem aggreſſus eſt quam volebam, aut quam iuſſeram: tametſi malebam in hanc peccari partem. Iam vero longum fuerit explicare ſigillatim, quibus artibus eos principes ad tam periculoſum bellum excitarim in Chriſtianos quos nullus vnquam Pontifex vel in Turcas potuit excitare. P E. At fieri poteſt, vt bellorum incendium per te ſuſcitatum, vniuerſum deniq; mundum corripiat. I V L. Corripiat ſane, modo Romana ſedes dignitatem, & poſſeſſiones tueatur ſuas. Tametſi conatus ſum omnem belli molem ab Italia in Barbaros reiicere: dimicent illi quantum libet, nos ſpectabimus & fortaſſis illorum fruemur inſania. P E. Pertinet hoc ad rem & patrem ſanctiſſimum, & Chriſti vicarium? I V L. Cur excitant ſchiſma? P E. Atqui peccata nonnunquam ferenda ſunt, ſi plus malorum à medela. Deinde ſi tu Concilium admiſiſſes, non erat locus ſchiſmati. I V L. Bona verba. Ego ſexcenta bella malim, quam Concilium. Quid ſi me ſubmouiſſent à pontificio, veluti ſimoniacum, & negociatorem Pontificii, non Pontificem? Quid, ſi omnem vitam meam perdidiciſſent prodidiſſentq; in vulgus? P E. Etiam ſi vetus Pontifex eſſes, tamen ſatius erat honori cedere, quam tantis orbis Chriſtiani malis tuam dignitatem tueri. Si modo dignitas eſt Epiſcopatus indigno commiſſus, ac ne commiſſus quidem, ſed emptus, & arreptus. Vnde illud mihi obiter venit in mentem, te conſilio quodam diuino Gallis extitiſſe peſtem, qui prius Eccleſiæ te peſtem inuexerunt.

I V L. Per triplicem coronam meam iuro, perq; meos clariſſimos triumphos, ſi mihi bilem moueris, ſenties & tu vim Iulii. P E. O phreneticum, ſed mundanum, nec mundanum tantum, ſed ethnicum, imo ethnicis ſceleratiorem. Gloriaris te plurimum potuiſſe ad diſcindenda fœdera, ad committenda bella, ad ſtrages hominum excitandas. Iſta ſatanæ poteſtas eſt, non Pontificis. Qui Chriſti vicarium ſe facit, eum oportet ad illius exemplar quam proxime accedere. Eſt in illo ſumma poteſtas, ſed cum ſumma bonitate coniuncta: eſt ſumma ſapientia, ſed ſimpliciſſima. In te poteſtatis imaginem video, cum ſumma malicia, ſummaq; ſtultitia copulatam. Quod ſi malorum princeps diabolus, vicarium ſibi cupiat ſubrogare: quem potius aſciſcat, quam tui ſimilem? Dic vbi virum Apoſtolicum egeris? I V L. Quid magis Apoſtolicum, quam augere Chriſti Eccleſiam? P E. Atqui ſi Eccleſia eſt populus Chriſtianus, Chriſti ſpiritu conglutinatus, ſubuertiſſe mihi videris Eccleſiam: qui orbem vniuerſum ad teterrima bella concitaris, quo tu impune malus & peſtilens eſſes. I V L. Nos Eccleſiam vocamus ſacras ædes, ſacerdotes, & præcipue curiam Romanam: me in primis, qui caput ſum Eccleſiæ. P E. At Chriſtus nos miniſtros fecit, ſe caput. niſi nunc ſecundum caput acceſſerit. Sed quibus tandem aucta eſt Eccleſia? I V L. Nunc ad rem accedis: itaq; dicam. Illa olim famelica & pauper Eccleſia, nunc adeo floret ornamentis omnibus. P E. Quibus? ardore fidei? I V L. Obtundis. P E. Contemptu mundi? I V L. Sine me dicere. veris inquam ornamentis, nam iſtæc verba ſunt. P E. Quibus igitur? I V L. Palatiis regalibus, equis & mulis pulcherrimis, famulitio frequentiſſimo, copiis inſtructiſſimis, ſatellitiis exquiſitis. G E. Scortis formoſiſſimis, lenonibus obſequentiſſimis. I V L. Auro, purpura, vectigalibus: vt nullus regum non humilis ac pauper videatur, ſi cum Ro. Pontificis opibus, ſtrepituq; conferatur: nemo tam ambitioſus, quin ſe victum agnoſcat, nemo tam lautus, quin ſuam condemnet frugalitatem: nemo tam numatus nec fœnerator, quin noſtris inuideat opibus. Hæc inquam ornamenta & tutatus ſum, & auxi. P E. Sed dicito mihi: quis omnium primus iſtis ornamentis & inquinauit & onerauit Eccleſiam, quam Chriſtus puriſſimam pariter & expeditiſſimam eſſe voluit? I V L. Quid iſtud ad rem attinet? Certe quod eſt caput, tenemus, poſſidemus, fruimur, quanquam aiunt Conſtantinum quondam vniuerſam Imperii ſui maieſtatem in Syluestrum Ro. Pontificem transfudiſſe, phaleras, equos, currus, galeam, balteum, paludamentum ſatellitium, enſes, coronas aureas, & auri quidem puriſſimi, exercitus, machinas bellicas, vrbes, regna. P E. Et extant iſtius munificentiæ certa monumenta? I V L. Nulla, præter paleam vnam decretis admixtam. P E. Fabula fortaſſis eſt. I V. Id vel ex me ipſo coniicio. Quis enim ſanus, tam magnificum imperium cederet vel patri? ſed tamen valde libet credere, & curioſis hæc refellere connubiis, ſilentium magnum nimis indicimus. P E. Atqui nihil adhuc audio, niſi mundum. I V. Tu fortaſſe veterem illam Eccleſiam adhuc ſomnias, in qua tu cum famelicis aliquot Epiſcopis frigidum ſane Pontificem agebas, paupertati, ſudori, periculis, ac mille obnoxius incommodis. Iam ætas in melius commutauit omnia. Alia longe res nunc eſt Ro. Pontifex? tu nomine tituloq; dumtaxat eras Pontifex. Quid ſi nunc videres tot ſacras ædes regiis extructas opibus, tot vbiq; ſacerdotum millia, plæroſq; cenſu ampliſſimo, tot Epiſcopos armis & opibus ſummis pares regibus, tot ſplendidiſſima ſacerdotum palatia, præcipue vero, ſi Romæ videas tot purpuratos Cardinales, legionibus famulorum ſtipatos, tot equos pluſquam regios, tot mulas byſſo, auro, gemmis ornatas, aliquot ſoleis etiam aureis & argenteis calceatos. Iam ſi ſummum Pontificem conſpiceres, ſublimē in aurea ſella militum humeris vehi, ad manum motam paſſim omnes adorantes: ſi ſtrepitum audires bombardarum, ſi clangorem tubarum, ſi bombos claſſicorum, ſi fulmina machinarum videres, ſi populi applauſus, acclamationes, ſi omnia tædis collucentia, ſi ſummos etiam principes ad beatorum oſcula pedum vix admitti. Si ſpectaſſes Ro. illum ſacerdotē pede coronam auream imponentem imperatori Romano,

qui

quirex eſt regum omnium (ſi quid modo valent iura ſcripta) quanquam nihil obtinet, niſi magni nominis vmbram. Hæc inquam ſi vidiſſes, audiſſesq;, quid tandem diceres? P E. Tyrannum plus quam mundanum videre me, Chriſti hoſtem, Eccleſiæ peſtem. I V. Secus loquereris, ſi vel vnum meorum triumphorum ſpectaſſes, vel eum quo Bononiam ſum inuectus, vel quem egi Romæ ſubactis Venetis, vel quo Bononia fugiens Romam ſum reuectus, vel quem hic egi poſtremum, Gallis præter omnem ſpem fuſis apud Rauennam: ſi mannos, ſi caballos, ſi militum armatorum aciem, ſi ducum ornamenta, ſi delectorum ſpectacula puerorum, ſi faces vndique lucentes, ſi ferculorum apparatum, ſi pompam Epiſcoporum, ſi Cardinalium faſtum, ſi trophæa, ſi manubias, ſi in cœlum reboantes plebis ac militum acclamationes, ſi plauſu perſtrepentia omnia, ſi lituorum cantum, tubarum tonitrua, bombardarum fulmina, ſi ſparſos in populum numos, ſi me veluti numen quoddam ſublimem ferri ſpectaſſes, totius pompæ caput & authorem, tum Scipiones, Æmilios, Auguſtos, ſordidos ac frugales dixiſſes præ me. P E. Ohe, ſatis triumphorum glorioſiſſime miles, immo illos, licet ethnicos, odio tui complecterer, qui cæſis tua cauſa tot Chriſtianorum milibus, triumphos agebas ſanctiſſimus in Chriſto pater, tot legionibus interitus author extitiſti, qui ne vnam animulam, neq; verbo, neq; vita Chriſto lucrifeceris. O paterna viſcera ò dignum Vicarium, qui ſemetipſum impendit vt omnes ſeruaret. Tu vt vnum peſtilens defenderes caput, totius orbis exitium acceſſiſti.

I V L. Iſta loqueris, quod inuideris gloriæ noſtræ, dum perſpicis quam humilis fuerit tuus Epiſcopatus cum noſtro collatus. P E. Audes impudens tuam gloriam cum mea conferre? Tametſi mea gloria, Chriſti gloria eſt, non mea. Primum omnium ſi mihi das Chriſtum optimum eſſe, verumq; principem Eccleſię, ipſe mihi claues regni dedit, ipſe paſcendas oues commiſit, ipſe meam fidem ſuo præconio approbauit: te pecunia, te ſtudia mortalium, te fraudes fecere Pontificem, ſi modo Pontifex is appellandus eſt. Ego tot animarum milia Chriſto lucrifeci: tu tot in exitium traxiſti. Ego Romam antea gentilem, primus Chriſtum docui: tu Chriſtianæ iam gentilitatis extitiſti magiſter. Ego vel vmbra corporis ſanabam ægrotos, liberabam à dæmonio vexatos, ad vitam reuocaui defunctos, & quacunq; incederem beneficiis implebam omnia. Quid ſimile tui habuere triumphi? Poteram verbo quem voluiſſem tradere Satanæ: & quantum potuerim, experta eſt Saphira cum ſuo marito. Tamen quicquid habebam poteſtatis, in vtilitatem omnium conſumpſi. Tu omnibus inutilis, ſi quid poteras, immo, & quod non poteras, ad publicam orbis perniciem vertiſti. I V. Demiror, cur in catalogo gloriarum tuarum non hæc etiam addis, pauperiem, vigilias, ſudores, tribunalia, carceres, vincula, probra, plagas, cruces denique. P E. Recte admones, Nam iſtis de rebus iuſtius gloriabor, quam de miraculis. Horum nomine Chriſtus nos iuſſit gaudere, exultare. horum nomine nos beatos vocauit. Ita Paulus collega quondam meus, cum ſua iactat facinora, non commemorat vrbes armis expugnatas, non legiones ferro cæſas, non orbis principes ad bella concitatos, non faſtus tyrannicos: ſed naufragia, vincula, flagra, pericula, inſidias: hic eſt triumphus vere Apoſtolicus, hæc eſt gloria Chriſtiani ducis. Iactat ille quos ab impietate retraxerit: Non quot ducatorum milia congeſſerit. Denique nos cum Chriſto perpetuum iam agentes triumphum laudibus proſequuntur & mali: Te nemo non execrabitur, niſi vel tui ſimilis, vel adulator. I V L. Rem inauditam audio. P E. Credo, nam qui tibi fuiſſet otium Euangelicas euoluere literas, Pauli, meaſque Epiſtolas lectitare, tot legationibus, tot fœderibus, tot nationibus, tot exercitibus, tot triumphis occupato? At cæteræ quidem artes omnes animum deſiderant ſordidis vacuum curis: Chriſti vero diſciplina, pectus requirit ab omni contagio terrenæ ſollicitudinis purgatiſſimum. Nec enim tantus magiſter è cœlo deſcendit in terras, vt facilem aliquam, aut vulgarem philoſophiam traderet mortalibus. Non otioſa neque ſecura profeſſio eſt, eſſe chriſtianum, voluptates omnes ceu venenum aſpernari, Diuitias perinde vt lutum calcare, vitam pro nihilo ducere. Hæc eſt chriſtiani hominis profeſſio. Hæc quoniam intolleranda videntur, iis qui non Chriſti ſpiritu aguntur, ad inania quædam vocabula, meraſque ceremonias deflectunt, & factitio capiti Chriſti, factitium addunt corpus. I V L. Quid tandem mihi boni reliquum facis, ſi me numis exuis, ſi regno ſpolias, ſi nudas fœnore, ſi voluptatibus abdicas, ſi vita denique priuas? P E. Quin tu igitur ipſum Chriſtum infœlicem pronuncias: qui cum eſſet omnium ſummus, ludibrium factus eſt omnium: in paupertate, ſudoribus, ieiuniis, in fame vitam omnem peregit: deniq; morte omnium probroſiſſima defunctus eſt. I V L. Inueniet fortaſſe qui laudet; qui imitetur neminem, his ſane temporibus. P E. Atqui hoc ipſum denique laudare, eſt imitari. Quamquam Chriſtus non orbat ſuos bonis, ſed pro falſis bonis, veris, & æternis locupletat, at non locupletat niſi prius omnibus huius mundi bonis abdicatos ac repurgatos. Vt ipſe totus erat cœleſtis, ita corpus ſuum, hoc eſt, Eccleſiam ſui ſimillimam eſſe voluit, i. à mundi contagiis alieniſſimam. Alioqui qui poſſet eſſe idem cum illo, qui ſedet in cœlis, ſi terrenis adhuc fecibus immergatur? Verum vbi fuerit excuſſum ab omnibus huius mundi commodis, atque etiam quod anxius eſt, affectibus, tum deniq; Chriſtus ſuas explicat opes: pro relictis mellitis, immo multa aloe tinctis voluptatibus, cœleſtium gaudiorum guſtum impertit, pro relictis opibus longe præſtantiores impertit. I V L. Quas obſecro? P E. Ni tu vulgares opes putas, prophetiæ donum, donum ſcientiæ, donum miraculorum, niſi vilem putas Chriſtum ipſum, quem quiſquis habet, in ipſo poſſidet omnia, poſtremo niſi nos hic pauperem agere vitam putas. Ita quo quiſque in mundo eſt afflictior, hoc vberius deliciatur in Chriſto: quo in mundo pauperior, hoc in Chriſto locupletior; quo in mundo deiectior, hoc in illo ſublimior & honoratior; quo minus viuit in mundo, hoc magis viuit in Chriſto, Verum cum totũ corpus ſuum puriſſimũ eſſe voluit, tum præcipue miniſtros, h. e. Epiſcopos: &

pos: & inter hos quo quiſq; maior eſt, hoc ſit Chriſto ſimilior & ab omnibus mundi commodis expeditior & exoneratior. Nunc contra video, eum qui Chriſto proximus, atque adeo par haberi vult, omnium maxime rebus ſordidiſſimis immerſum, pecuniis, ditionibus, copiis, bellis, fœderibus, vt ne quid interim de vitiis dicam? Et poſtea cum ſis alieniſſimus à Chriſto, Chriſti tamen titulo ad tuam abuteris ſuperbiam: & illius prætextu, qui regnum mundi deſpexit, mundanum tyrannum agis: & verus Chriſti hoſtis, agis honorem Chriſto debitum. Benedicis aliis ipſe maledictus. Aperis aliis cœlum, vnde ipſe procul excluſus es. Conſecras execratus; excommunicas, cui nihil eſt cum ſanctis commune. Quid enim inter te & Turcarum ducem, niſi quod tu Chriſti vocabulum prætexis? Certe mens eadem, conſimiles vitæ ſordes, Tu maior orbis peſtis. IVL. At ego cupiebam Eccleſiam omnibus bonis exornatam: Sed Ariſtotelem aiunt tres bonorum ordines conſtituere: quorum quædam ſunt fortunæ, quædam corporis, quædam animi. Itaque nolebam bonorum ordinem inuertere. A fortunæ bonis cœpi: fortaſſe paulatim ad animi bona venturus, niſi præmatura mors terris me eripuiſſet. PE. Præmatura ſane, nempe ſeptuagenarium, quamquam quid opus erat aquam igni miſcere? IVL. Atqui ſi deſunt iſta commoda, vulgus nos non pili faciet. Quin nunc quoque metuunt & oderunt. Atque ita tota reſpu. Chriſtiana collaberetur, ni contra vim inimicorum ſeſe tueri queat. PE. Imo ſi Chriſtianorum vulgus conſpiceret in te veras Chriſti dotes, nempe vitæ ſanctimoniam, ſacram doctrinam, charitatem flagrantem, prophetiam, virtutes: hoc te magis ſuſpiceret, quo à mundi commodis intelligeret mundiorem. Et Chriſtiana reſpub. latius floreret, ſi puritate vitæ, ſi contemptu voluptatum, diuitiarum, imperii, mortis, gentilibus eſſet admiranda. Nunc non ſolum contracta eſt in anguſtiſſima, verumetiam ſi diligentius excutias, pleroſque nomine duntaxat inuenies Chriſtianos. Quæſo te non reputabas tecum cum eſſes ſummus Eccleſiæ paſtor, quibus modis nata eſſet Eccleſia, quibus aucta, quibus conſtabilita? Num bellis, num opibus, num equis? Imo patientia, ſanguine martyrum & noſtro, carceribus, flagris. Tu Eccleſiam dicis auctam: cum humana ditione onerati ſunt illius miniſtri. Ornatam vocas: cum mundi muneribus ac delitiis inquinatur. Defenſam appellas, cum pro ſacerdotum peculio mundus vniuerſus bellis pernicioſiſſimis conflictatur. Florentem dicis: cum mundi voluptatibus ebria eſt. Tranquillam, cum nemine reclamante, diuitiis, immo vitiis fruitur. Atque his bracteatis titulis principibus impoſuiſti: qui te præceptore docti magna ſua latrocinia ac furioſos conflictus, Chriſti defenſionem vocant. IV. Atqui iſta nunquam antehac audiui. PE. Quid igitur docebant te concionatores? IV. Ab illis quidem nihil niſi meras laudes audiebam: phaleratis verbis mea præconia detonabant, me Iouem fulmine concutientem omnia, me verum quoddam numen eſſe prædicabant: publicam orbis ſalutem: aliaque id genus permulta. PE. Nec mirum ſane, nullum extitiſſe qui te condiret: cum tu ſal eſſes inſulſus & fatuus. Nam id proprium Apoſtolici viri munus, alios docere Chriſtum, idque puriſſime. IV. Non aperis igitur? PE. Cuiuis potius quam tali peſti. Nam tibi quidem omnes excommunicati ſumus. Sed vis conſilium non malum: habes manum hominum ſtrenuorum, habes pecuniam immenſam; es ipſe bonus ædificator; extrue tibi nouum aliquem paradiſum, ſed probe munitum, ne poſſit à cacodæmonibus expugnari. IVL. Imo faciam, quod me dignum eſt: operiar menſes aliquot, & auctis copiis meis, vi deturbabo vos iſtinc, niſi in deditionem venietis. Neque enim dubito quin breui ſint ad me è bellorum ſtragibus lx. hominum milia peruentura. PE. O peſtem, ô miſeram Eccleſiam. Sed heus Genie? nam tecum magis libet confabulari, quam cum iſto teterrimo monſtro. GE. Quid eſt? PE. Sunt iſtiuſmodi cæteri quoque Epiſcopi? GE. Bona pars huius eſt farinæ, verum hic omnium anteſignanus. PE. Tu videlicet hominem ad tot excitaſti flagitia? GE. Ego minime, immo adeo præcurrebat, vt ipſe vix alis adiutus aſſequi poſſem. PE. Sane non miror ſi huc tam pauci adueniunt, cum huiuſmodi peſtes Eccleſiæ gubernaculis aſſideant. quandoquidem vulgum vtcumque ſanabilem eſſe, vel hinc coniicio, quod ob ſolum Pontificis titulum, tam ſpurcæ cloacæ defert honorem. GE. Rem ipſam dicis: ſed iam dudum innuit mihi meus imperator, & baculum mouet, itaque Vale.

PHILA-

I I.

PHILALETHIS CIVIS VTOPIENSIS DIALOGVS DE FACVLTATIBVS RHOMANENSIVM NVper publicatis.

Anno Domini 1519.

I N T E R L O C V T O R E S.

HENNO ruſticus, POLYPRAGMON negociator, BRVNO puer, BARTOLINVS curtiſanus, LEGATVS ROMANVS.

HENNO. Heus heus eſt ne Polyphemus ipſe domi, meus pannicida? PV. O Henno noſter ſalue, vt vales? vxor quomodo habet? HEN. Bene habet, laborat vt ſolita eſt: ſed vbi tuus eſt magiſter? quid agit? PV. Cœnat. HEN. Me quæſo hic eſſe dicito, atq; eo conuento opus eſſe. PV. Quid? emere ab eo quippiam vis? HEN. Alia emenda mihi modo ſunt, ad quæ opus habeo maturo eius conſilio, & ne id gratuitum ſit, hæc ei viginti oua recentia, atq; hunc etiam ſabbatinum caſeum dono domo attuli. PV. Bene egiſti ô Henno, quando huc nemo fere gratus aduentat vacuus hoſpes. Culinam interim ingreditor, ego magiſtrum deuocabo, in ſuperiori enim tabulato cœnat, atq; inde auram captans, in Rhenum proſpectat. Magiſter. POLYPRAGMON. Quid clamas? PVER. Henno ipſe von Gluuel adeſt, oua caſeumque portat, ac te conuento opus eſſe ait quam ocyſſime, quare deſcende. POL. Gratus hoſpes, modo venio, Henno ſalue. HEN. Salue ô Polypheme. POLY. Polypragmon vocor. HEN. Veniam precor, difficile nomen eſt. Sed proh Iupiter, O Polypramon, eſt quod tibi velim, in quo mihi tuo conſultiſſimo conſilio ſubuenias obteſtor. POL. Si quid Henno in me conſilij eſt aut auxilij, quo tibi ſubuenire queam, audacter vtitor: quid id eſt? eloquere. HEN. Cupio, ſiquidem prius hos abire iuſſeris. POLY. Secedite vos, abite, eloquere. HEN. Vix auſim. POLY. Ne retice, neue verere, eloquere inquam, nihil hic periculi eſt: mederi vulneri ſi voles, detegas oportet. HEN. Siquidem fidem dederis taciturum te omnia. POLY. Adeo ne leui mea apud te fides momento pendet? qui etiam tibi mea credam? HEN. Oua tibi caſeumq; attuli. POL. Scio id, ſed hoc age. HEN. Battum meum vnicum illum, quem habeo, filium noſtin'? POL. Quidni? illum ais latis humeris, cœſio colore, naſo aquilino, capillitio ruſo, quo non alter toto veſtro pago habilior eſt? HEN. Illum inquam, nebulo hic, vicini noſtri cauponis nigro vino probe potus, amore etiam incitante, Elſæ ſororis meæ filiam, conſcenſa feneſtra, cõſtuprauit: cuius cum ventrem vidit intumeſcere, fuga ſibi conſuluit, timens, quos hic fiſcales vocant ſacerdotum diabolos, meque interim domi ſenem deſerens, qui pro ætate labores deinceps ferre non valeo, ac vnice etiam affectam matrem. Si quod ergo conſilium habeas, quo mihi ac matri reſtituatur filius, id impertias precor. Paſtor ipſe noſter admonuit me, munuſculum aliquod fiſcali deferrem, fore forte tunc vt mitigetur: tuli hos ergo ſacco incluſos mecum altiles capones duos, quibus dixit hos homines apprime delectari. Atque adeo, O Polypragmon, nulla tibi cum eo intercedit familiaritas, quo mecum eas, atq; pro me illi ſupplices? POLYP. Nulla prorſus, vellem libens alioqui. Sed ipſum, quod refers, filij ſcelus grande admodum eſt, vix viginti illum placabis aureis. HEN. Prô Deus, viginti aureis? POLY. Vereor ne non quadraginta. HEN. Enecas, mortem mihi præoptauero, iam certe ad raſtros mihiipſi res rediit: Non tantum diſtracto & agro & ſupellectile tota, & ipſo etiam meo tuguriolo, corradere poſſem vnquam, hei hei. POLY. Ne plora, aderit forte conſilium: conueniemus ex curſitanis hic vnum aliquem, quo cum familiaritas mihi eſt, quod ſi qui poſſunt, hi ſunt maxime rerum malarum & patratores & conſultores. Sed quem potiſſimum conueniam habeo. Heus tu Bruno huc ades? PVER. Hem adſum tibi, quid vis impera. POL. Noſtin' templum illud, in quo hodie allocutus ſenem illum primarium Curtiſanum? PV. Noui, decrepitum illum veteratoremq; ac impoſtorem exiſtimas, peſtem multorum, qui paſſim apud omnes audit male, nec curat tamen, quem vtinam dignus factis exitus, tum cum arcte cuſtodiebatur, excepiſſet. PO. Et domum, quam habitet, noſtin? PV. Item noui, tantum, ne præcurram, amplius nihil? PO. Domi, ſi commodum ſit, maneat, dicito, moxq; affuturum me cum hoc Hennone. PV. Abeo. HEN. Hau hau. PO. Ne te macera, conſilium hic dabit commodiſſimum. HEN. Vtinam, ſed pecuniam non habeo, oua habeo, pullos gallinaceos habeo, vaccam etiam, ſi omnino volet, habeo, præterea nihil. PV. Iam venies, te domi otioſus operitur. PO. Moue vero te Henno. HEN. Et moueo & promoueo, hei ſpiritus deficit. PO. Salue Bartoline reuerende & multiſcie. BAR. Et tu. Quin hodie conſilium proſequutus es meum, quo monui, vt acta abſolui curares apud notarium? POL. Sedulo. BAR. Bonam cauſam habes. PO. Hoc profecto aduerſarius negat. Sed hic Henno meus amicus vna mecum ad te venit, conſiliũ petiturus, id vt ſit fidele ego precor. BAR. Iudex ego cum ſim, conſiliũ dare lege prohibeor: ſi tamẽ quid hic dare poteſt, ei tui cauſa gratificabor. PO. Oua, caſeum, butyrũ, mel, capones,

Feſtiuus nominis error.

Fiſcales ſacerdotum diaboli.

Curtiſanis dignum odium.

[illegible] caſas.

hœdum poteſt, pecuniam non poteſt. BAR. Ea cum domi non adſunt, pecunia comparare mihi cogor. Sed quid id eſt? PO. Henno tu huic narrato: noſti enim melius quam ego cauſam. HEN. Eloqui apud hos magnates non auſim, proinde tu quæſo dicito, me verecundia ac imperitia etiam verant. PO. Dicam ergo. Huius filius Battus nomine, vino amoreq; ſuadēte, vicinę in ſecundo gradu vitium obtulit, illa compreſſu facta eſt grauida, ille hinc auſugit, fiſcalem timens, vt tuto redire poſſit, id vero petit. BAR. Ha ha, næ Rhomæ non fuit is, vbi nihil quam hoc minus peccatum eſt. Nec tamen ex Rhomanæ Curię re eſſet, iſtiuſmodi homines eam frequenter adire, aut eius mores pernoſſe, minoris certe ſuas abſolutiones cogerentur vendere: quanquam & iam non ſine detrimento eius homines quoque hi agreſtes illa intelligere incipiunt: quo fit, vt minoris veneant indulgentiæ, autoritas pereat pontificia, curtiſani nō in tanto honore vt olim habeantur, parum curent pontificis fulmen, pereant denique Romæ omnia, quæ quondam magni erant momenti, quod tamen adeo eorum fit culpa, qui ita in Florentinorum manibus permittunt omnia, vt pontifex etiam ipſe habeat præ eorum auaritia nihil: ad quod acceſſerunt tot vno die Cardinales creati, qui cum paruo expleti non poſſint, aperte ita emunt ac vendunt omnia, vt talpa etiam cæcutientior ſit, qui hæc non videat, atque deteſtetur, neq; ego etiam laudare poſſum hæc, quæ agunt omnia. Vt tamen huic reſtituatur filius, atque adeo conſtupratam etiam à ſe in vxorem accipiat ſine ſcelere, ſine infamia, hoc agat oportet. Legatus hic agit Apoſtolicus, qui ante paucos annos Rhoma indulgentiarum facultatumque ingentes aceruos huc aduexit ad ſtructuram baſilicæ diui Petri apud Rhomam. POLY. Scio hominem comitumq; virgineas facies, fœdiſſimam ventrum proluuiem, vncaſque manus, & pallida ſemper ora fame: quem cum ſuis nemo non odio proſequebatur, non execrabatur pecuniis Germaniam deſpoliantem, nouum pſeudapoſtolum, venundantem omnia Chriſti membra, omnem Chriſti ſanguinem, omnes ſancti ſpiritus gratias, totum eccleſiæ theſaurum, atq; illa etiam, quæ nec habuit nec vendere potuit, cuius quæſtus cum hic ceſſaſſet, in Sueciam Daniamq; à Latere pōtificio legatus abiiſſe ferebatur, ibiq; meritis pœnis à Barbaris, quos ita vocant, affectus, ſpoliatus ſcilicet argento omni atq; auro: quod cælatum magna vi hinc abſtulit: excæcatus ipſe, comites ſuſpenſi dicebantur: num ergo reuixit hoc monſtrum? BAR. Bona verba de legato Romano, non potuit reuixiſſe non mortuus. Sed neſcio quæ mala fortuna vtrumq; agitauerit: illum, id quod conſtat, Rex ille Danorum ſpoliatum auro, argento, ſupellectile omni, captiuum inſuper tenuit, cauſatus perfide legatione ſua functum, & pacis prætextu egiſſe alia: aſſeruatur etiamnum adhuc frater eius loco, donec ſe redimat captiuus. PO. Recte: ſed dic quæſo mihi, quid tibi accidiſſe conquereris? BAR. Mihin? redeuntem iam Rhoma triumphatorem de tot litibus, continuo captum me illius principis conſultores carceri commendant iniuſtiſſime. PV. Iniuſtiſſime profecto, quod nō e veſtigio totum Rhenum epotandum tibi propinarunt, quo toties traiicientes naulum vectori ſoluere coacti nō fuiſſemus. POL. Ad Legatum redeo, rediit vero? BAR. Rogas? num id ex publicatis nuper nouis vidiſti facultatibus? POL. Non hercule, nouas ne habebimus indulgentias? id enim videor audiſſe me, Rhomæ vetuſtate corruiſſe hoſpitale ſancti ſpiritus, laborantesq; oppreſſiſſe ruina, recenti ad id ex Germania opus pecunia eſſe, conſumpta ad baſilicam veteri. BAR. Has alius inferre tentauit, frater profeſſionis Franciſcanæ, religionis eximiæ ac ſanctitatis. PV. Sanctum vero ſcilicet in Weſtphalia pergręcantem multa nocte in diuerſorio meritorio, abiecta cuculla, ſerico indutum, inter ſcorta cōprehenſum, atq; vt ſcias ô magiſter, hac in Deum pietate, his crebris in cubiculo orationibus iam genibus callum obduxit, nimirum euangelico præcepto obediens, quo iubet, cum orare volumus, in cubiculo clauſo oſtio orandum eſſe, atq; ea tanta abſtinentia omnibus exhauſtus viribus pallet totus: ea eſt viri ſanctimonia. PO. Ain vero? PV. Certiſſimum eſt, ne dubita. PO. Quare non hæc portenta, has peſtes peſtilentiſſimas, hanc malam zizaniam Chriſti hortis extirpamus ferro, igni, quacunq; etiam alia vi? BAR. Non conuenit. & me periculum maneret. PO. Ipſe etiam tibi conſcius es? BAR. Vereor ne non ſolus, longus ordo eſt, multi adhuc eius farinæ ſuperſumus, ſiquidem eos putas, quos Rhoma huc miſit, inter quos tamen boni adhuc licet pauci viri degunt. PO. Profecto raros credo, ſed quis tu es inter eos? BAR. Si de his rogas, quos Roma habet, ego ad elephantes ſum culex: hic vero primum aliqui eſſe aiunt me, ego vero non facile tantum mihi arrogauero: hoc tamen in meis laudibus aſcribi vel inprimis exopto, nunquam melius habere me, quam cum litibus multos turbauero: atque adeo octoginta licet annos habeam, quæro tamen vndique, vt me exerceam: quamprimum enim materia amplius ſeſe nō ſuppeditauerit, otium torpor, torporem morbus, morbum mors occupabit proculdubio, agendum ergo aliquid. PO. Quid interim illi, qui te ita exercēt? quid aiunt? quid contra faciunt? BAR. Quid dicam? quid contrafaciant, rogas? Alii impoſtorem, vt qui multos calumnier, multos male tractem, vocant me: falſarium alii, vt qui egregie adulterare inſtrumenta poſſim: ſacrilegum alij, vt qui pulchre corruptis Romanenſibus, apud quos non minus ipſe Chriſtus venalis modo, atque olim tota ipſa ciuitas (quemadmodum rex quondam ille Numidiæ dixit) diplomata pontificia ſuffurari queam: alij in lites ceu theatrum mecum congrediuntur, nequicquam tamen: quos omnes vel contemno, non amicos eſſe mihi, qui talia de me dicant, affirmans, quod adeo Romæ didici, apud quos pecuniæ ſacerdotiorumq; cauſa nemo non male audire contemnit. Tum vero illos, qui ſeſe ex aduerſo obiiciunt, egregie familiares mihi Dei auxilio ſupero, deq; illis triumpho. PO. Cuius Dei? BAR. Ne quæras, annulo incluſum habeo, atq; ad omnē mihi paratum nutum. PV. Proh Dei atq; hominum fidem, tales ne eccleſia Chriſti prælatos habet, tales ſacerdotes: is ne ſpiritus ſanctus eſt nouus, quo noſtri hi Apoſtoli faciunt magnalia? Deo

ne ſuc-

Rhomanæ [illegible].

In Legatum Apoſtolicum quendam.

Auari adiectiua.

In Franciſcanum quendam indulgentiarum.

Fiſcalium ſe- [illegible].

[illegible] omnia Fiſcalium.

ne ſucceſſit diabolus? Sed heus magiſter ſol in occaſum vergit, Henno ipſe domum feſtinat: conſilium vt cum D. Bartolino matures, rogat. BAR. Non poterit abire hodie, conueniendus hic quem dixi Apoſtolicus eſt legatus, ſero iam admodum eſt, cras ſummo mane eum conueniat oportet: & quo facilior aditus pateat, literas iam tibi ad Paternitatem eius commendatitias dabo: rogaboq;, ne nimium & pro abſolutione & pro diſpenſatione, quibus tum ob commiſſum incœſtum, tum coniungendum matrimonium opus habes, abs te exigat. HEN. Fac id quæſo ô domine, quando multum haud queam dare. BAR. Diligenter cauſam tuam agam, ſed heus tu capones habere te hic intelligo, hos hic relinquas oportet. Non. n. ſoleo adeo gratuitam clientibus operam nauare, quin aliquid dare neceſſe ſit: quod ſi pecunia nõ adeſt, alia quædam dare coguntur. Apoſtolor. illud quondam fuit: Gratis accepiſtis, gratis date, non Curtiſanorum. Alia olim, alia modo in eccleſia diſciplina eſt: atq; adeo niſi ego ſupra duo millia ducatorum Rhomam apportaſſem, non tam habuiſſem fauentes mihi & procuratores, & aduocatos & iudices: neq; etiam meus ille Deus profeciſſet quippiam, ſi non ei adfuiſſent illi fului ſatellites. P V. Recte & te & illos prædicas. PO. Quando ita vis dabit, licet me intercepturum ſperabam. Henno dato huic, quos tecum affers, capones duos. H E N. Hem accipe. B A R. Heus tu Henrice, Henrice inquam, heus heus prodi, hos capones ab Hennone accipe, ilicoraſq; his alas præcide, facq; vt probe ſaginentur. Sed tu ô Polypragmon eſt quod vehementer doleã. Erat mihi coquinaria non infida, neq; ſegnis etiam, ac ſatis induſtria, miſera ea obijt mortem, quę me res miſerum cruciat admodum: quoniam ex eo famuli tempore detractant officium ſuum admodũ, plus viuentem etiam eam quam me veriti. P O. Requieſcat in pace. P A R. Amen: at vos ſodes parumper me expectate hic, donec ingreſſus, ad Legatum literas perſcripſero, quas hic Henno reddat cras. Conſidite interim, iam iam adero. P O. Quis tibi hic videtur Henno? H E N. Vultus ipſe ruſticanus, ingenium vafrum, multa vidit opinor. P O L. Plurima egit. P V. Certe & plurima & peſſima. H E N. Hæc ne Romæ diſcunt? P V. Et hæc & alia multa. B A. Amice admodum ac officioſe ſcripſi, licet immunda ſit charta, nec characterum ſatis ornatus ductus: facit. n. hoc, qua totus coopertus ſum ſcabies: quæ pero tua cauſa faciet, tamen plane confido: ſed vide ſummo mane accedas Henno, quo tu ſis primus, qui eum conueniat: proderit enim tibi hoc tum in alijs, tum maxime quo citius ad tua reuerti queas. H E N. Sedulo faciam, verum domum, quam inhabitat, non noui, tum. a. ipſum non vidi vnquam. P V. Magiſter ſi per te licet, ego eum eo deducam: & domum & ipſum noui: ſimul pro Hennone, ſi opus erit, verbum faciam: ac pariter ſpero auditurum aliquid me, quod in rem meã ſit ac tuam etiam, neq; hic Henno ruri aſſuetus, cum iſto hominum genere vllo modo conuenire poteſt, non intelligens ſcil. illa, quæ iſti agunt, quæq;, vt vocant, practicant: cumq; eum ſolum aduenire viderint, imponent vt placuerit, tractabuntq; ex libidine hominem agreſtem, nihili facientes literas domini Bartolini. PO. Frugi homo es, ſapis, hortandus profecto veniebas, quo faceres id, verum vide ne tibi quicquam intercidat verborum huius Legati, doctũ enim alioqui eum eſſe audio. B A. Hoc agite, nunquid vultis me amplius? P O. Vt valeas. P V. Male. HEN. Vale. B A R. Orſo la voſtra me recommando. H E N. Quid ait? maledicit mihi hic o Bruno. P V. Nonne id intelligis? profecto maledicit. HEN. Non intelligo, vt eum dii deæq; perdant omnes, quantũ video, nebulo eſt nequiſſimus. P V. *Accipe nunc Danaum inſidias & crimen, ab vno Diſce omnes.* Verum tu Henno in craſtinã lucem para te, vt cum adeundus nobis ille legatus eſt, comptior ſis aliquanto, veſtem luto cõmaculatam expurgato, calceos lotos ſeuo inungito, barbam radito, pexus fac ſit capillus, demum & manus & faciem lauato diligenter, digitorum etiam vngues præſecato, in ſumma fac ciuis ruſticus appareas: aut ſi penitus ruſticum obuelare nequis, ciuilior fac ſis ruſticus: alioqui opportunum, cui imponat æſtimabit te, oculi ei alioqui lincei ſunt. HEN. Fideliter mones, ita vis agam, quemadmodum

Ruſtica.

cum apud meos populares iudicio iudex præſideo, nemo in noſtro pago eſt, qui me ciuilitate morũ ſuperet, dignum eſſe aiunt omnes, qui cum magiſtratu oppido etiam opulento pręſim. Quid? in hac vrbe ego ab ipſis prope incunabulis enutritus ad pubertatis annos vſq; mores, ciuilitatem pernoſco ciuium. Legatos tamen Apoſtolicos antehac conueni nunquã, ibi quid agendum ſit quæſo edoceto, ars eſt profecto poſſe recte primi acceſſus ceremoniis vti. Solẽt multo ante mei meditari vicini, quo modo vel me vel ipſum etiam pagi dominum conuenire oporteat, talis eſt apud nos etiam rerum ordo omnium, tanta & reuerẽtia. P O. Quin ſequeris Henno? domi apud me pernoctabis, lectus tibi ſtratus erit, nuſquam abeas vide. HEN. Cõſilium, quid agendum cras mihi ſit, hic à Brunone capio: quod iubes, vt apud te maneam, ei præcepto libens parebo. P V. Tu cum primum ad limen acceſſeris, inuocata Dei gratia opus erit, quo omnia ex ſententia ſuccedant tibi: deinde cum ipſum videris legatum, pronus in faciem procides, exoſculaberiſq; pedes, tum ori etiam prius domini Bartolini ad

Mos adeundi pontificem.

motas literas reddes ei, hac præfatione: Humilis ſanctitatis veſtræ orator has literas pręſento. HEN. Papæ pedes exoſculari, eumq; vocari ſanctum ſolum, antehac audiui ſemper. P V. Et huic, quia Pontificis perſonam gerit, quippe legatus, idem fieri conuenit. HEN. Pedes exoſculatus fuero libentius multo quam podicem, maxime vbi operæprecium. PV. Et eum quoq; ſi voles Henno. H E N. Apage, garris. Iam introit ædes Polypragmon ipſe, aſſequamur ipſum ocyus: facq; quæſo actutum cubitum concedamus, vt cras citius eo, queamus ſtrato ſurgere. P V. Tu cum primum craſtinam exorientem lucem cubiculum ingredi ſenſeris, me inclamato, grauate enim mane ſurgere ſoleo. HEN. Non fuit monitore opus, ipſe alioqui feciſſem id, vt qui certus ſim hanc me noctem peruigilaturum. Tu ergo, O hoſpes Polypragmon vale fortunatus in craſtinam vſque lucem. P O. Vale & tu, O Henno. Verum heus priuſquam abeas, potum iube afferri tibi, vt bibas. H E N. Non libet, abeo.

Heus Bruno, luceſcit, euigila. PV. Hem Henno iam ſurgo, ſuauis profecto ſocordibus ſomnus res eſt: quin ornaſti te, quemadmodum heri tibi præceperam? HEN. Plane, nonne vides? intuere & tunicam ipſam & calceos, & faciem, & capillos, & manus. PV. Pulchre Henno, iam vide ne te conſpicientes matronulæ miſere ament: periculoſum enim eſt in hac vrbe ac miſerum, formoſum eſſe, nimis. HEN. Garris rurſum, & canum & ſenem matronæ amarent? iſtæc mihi olim fortuna fuit: quin imus. PV. Nulla in me mora eſt. HEN. Quam viam ingredimur? PV. Noniſti ne ædem, in qua armatus ille ſanctus equo vehitur lapideo? HEN. Noui, recta ergo imus, deinde per angiportum leua declinamus: ibi demum prope templum inſignis rotunda turris conſpicitur, vetuſtatis monumentum admodum egregium. PV. Ibi in ea ipſa domo legatus hoſpitium habet, velim tamen eſſet alibi: in inuidiam enim & domum & dominum vocat. HEN. Iam appropinquamus, en noui turrim adhuc. Sed vereor ne nimium mane ſit, quarta adhuc audita hora non eſt. O Iupiter, quæ ſunt iſtæ palliatæ, quæ ex Legati proſiliunt hoſpitio? credo profecto ſuper forma inter treis illas deas nouam exortam litem eſſe: & quia Phrygius ille paſtor non ſupereſt amplius, hunc Apoſtolicum iudicem noctu quæſiſſe inſomniis, felix profecto inſomnium, ſiquidem puellæ hæ non deæ eſſent. PV. Deas has eſſe vero credis Henno? ah falſus es, deæ apud gentiles fuerunt quondam, nos non eſſe dicimus, id habet religio vera. HEN. Credebam, quæ ſunt igitur? PV. Clini palæſtritæ ſunt puellæ pauperculę, quæ ob nocturnam diligentemq; nauatam operam eleemoſynam ex theſauro Apoſtolico acceperunt. Putant enim illi in nullum pium magis ac ſanctius has Germanicas barbaricaſq; opes conuerti opus poſſe, quam in has vere puellas pauperculas. Atq; adeo audiſti ne hoc amplius ò Henno, omnes illas pecunias, quas intra multos annos in indulgentias nos contulimus certatim omnes maxima vi, ſub prætextu vel Turcici belli, vel congregandorum conciliorum, vel templorum exædificandorum, duaſq; etiam Rhomam miſimus pro emendis epiſcoporum palliis, ſingulas ſingulis annis ducatorum myriadas, aut eo amplius etiam: proq; annatis beneficiorum, quemadmodum conſtitutiones illæ, quæ concordata principium Germaniæ vocant, coegerunt, quibus aiunt aſtutius nihil violentiuſq; excogitari potuiſſe à Rhomanenſibus: quas etiam ex tot bullis, ſupplicationibus, conceſſionibus, priuilegiis corraſerunt, quas deinde ex tot regnis, potentatibus, vrbibus, pagis, vectigalibus, ſine modo, ſine miſericordia extorſerunt, nuſquam ceſſiſſe alio quam in has pauperculas: atq; id quidem ſanctiſſime ac ex euangelica plane Apoſtolicaq; doctrina. HEN. Magnam expilationem Germaniæ enumeras, mirum ſupereſſe ipſis adhuc pecunias. PV. Hoc eſt, quod dolent illi, ad ſeſe non omnes deferri. HEN. Sed cedo, mulieres ne ſolæ ſunt, quę hęc capiũt? inq; eas hæc profunditur tantum commiſeratio? PV. In puellos etiam ac viros. Non enim perſonarum acceptionem oportere eſſe, ex ſacris libris audiuerunt, quos egregie charos amiculos vocant. HEN. Quid cum eis agunt? PV. Agant quæris? quod olim Iupiter cum Ganymede catamito, quem per aquilam ex Troiade rapuiſſe dicitur, id quod Iunonem admodum affecit male. HEN. Intelligo, Florentinos audiui facere, num & hi etiam? ah ſcelus. PV. Non Florentini ſolum obnoxii huic ſceleſtiſſimo ſceleri, ſed etiam illi, qui Rhomæ rubris nigriſq; inſignes galeris, longiſſima trahunt ſyrmata: atque adeo audiui frequentibus hæc inter ſeſe iactare conuiuiis, quaſi ſcelus non ſit, ſed ludus quidam iocularis & amœnus: quinetiam aiunt æſtate mulieres fœtere, hos vero tum ad concubitus præſtantiſſimos eſſe, atq; his etiam artibus pueros in epiſcopos cardinaleſq; prouehi, eccleſiæ columnas, ex quibus poſtea maximi deligantur pontifices. HEN. Mira narras, ſed apud illos forte hæc ſcelera non ſunt, aliis licent alia, quæ aliis minime, loco fortaſſe peccamus: veluti apud illos graue ſcelus eſſe audiui inebriari, obiicique hoc pro vitioſiſſimo nobis, nos contra in laudibus ducimus. Ita ſi tales ego in meo pago cõprehenderem, igni e veſtigio adiudicarem: non ſecus quam qui cum iumento coiſſent, adeo ſcelus iſtud execramur etiam. Sed audi precor, quantum intelligo, non penitus vanum hoc eſt, quod vulgo fertur apud nos prouerbium, quo Romæ propinquior quiſq; ac vicinior, eo minus Chriſtianus: quod adeo etiam ex noſtris ſacerdotib. intelligimus, qui ipſi Roma venientes, omnibus ſcelerib. obruti, nobis ad imitationẽ peſſima quæq; proponunt exempla: interim nihil quod ad pietatem vitæq; inſtitutionem valeat aut verbis edocentes, aut operib. ignari omnium adeo rerum, vt nec diuinum recte officium perficere, nec ipſum etiam euangelium plebi, vt intelligi poſſit, proponere queant, ſuperbi, iracundi, vinolenti, incontinentes, percuſſores, inhoſpitales, cupidi, aleatores, vaniloqui, ſeductores. PV. Quomodo meliores eſſe poſſunt hi, qui ex aſininis ſtabulis, ganeis, lupanarib. (hæ enim Romanenſium ſcholæ) ad altaria Chriſti accedunt: inq; hac exercitati palæſtra præponuntur eccleſiis? nec mirum hos noſtros eſſe peſſimos, cum talia etiam Rhomæ ſint capita. HEN. Quomodo eadem capita & peſſima eſſe poſſunt & ſancta, non intelligo. PV. Neq; tuum eſt ſcire illud, nec licet etiam: quin & in euangelio Chriſtus, abſcondita alia Apoſtolis, alia ſapientibus, alia indoctæ plebi voluit eſſe: non mirum ergo ſi ruſticus ipſe ignores plurima, etiam capere nec poſſis nec liceat, atque illa etiam nondum prudentiſſimis optimiſque aperta ſunt mortalibus. Quam vero me vellem Rhomæ eſſe: quicquid eſſet rerum arcanarum ac technarum, breui intellecturum me confiderem, tam felix meum noui ingenium. HEN. Hem obuiant nobis palliatæ, hui quam elegantes, ego illas vel ſobrius, noſti ne has ò Brunó? PV. Sacræ mihi hæ videntur eſſe virgines, atque illæ, quas ſæpius etiam conuiuio adhibet legatus. HEN. Quid ais? Sacræ virgines? PVER. Quid mirum ſacrum ſacro, malum malo ſi aptiſſimum? ſimiles labra ſi habeant lactucas? chorum tenuerunt nocturnum, alternatimque matutinas abſoluerunt preculas. Virgines tamen eſſe eas, in eo tibi fidem meam non obſtringam: mirum eſt quam meticuloſus in eam ſim partem. HEN. Quã me in hoc monaſte-

Opes indulgentiaria in quem uſum verſa.

Florentina.

Scholæ Romanenſium.

ſterio æditum eſſe vellem. P V. Apage ruſtice, non tibi cani hæ conueniunt balneæ, nihil cum amaricino ſui: tum autem ſi iſthuc voles, canos tegas ac ruſticum oportet. Saluete, noſne fugitis? ſilent. H E N. Non licet ſacroſanctas cum prophanis verba facere, quantum intelligo. Pulſabo oſtiũ: ſed iam ecce patet, quin ingredimur. Bruno præito, ego ſequar. P V. Deum vt iuſſi inuoca Henno. HEN. Te ego datorem cunctorum inuoco Deum, bonum mihi, felicem fortunatumq; hunc ad Apoſtolicum legatũ acceſſum reddas, voſq; ô Petre & Nicolae, cum Martino liberaliſſimo reliquiſque diuis cœleſtib. adeſte, facite, quo fortunatus recuperato amiſſo filio, domum ad vxorem familiã que reuertar, voti reus, tria vobis ardentia cerea lumina ſtatuam. Sed eſt ne hic legatus, quem video, breui ſtatura hominem, bouino vultu, voce vaſta, leonem rugientem audire videor, iam pronus cadam in faciem, vt iuſſiſti. P V. Noli inquam, hic legatus non eſt. HEN. Credebam, quis tum eſt? P V. Papæ cuiuſdam auariſſimi cognatus fuit, Teſta de Buffalo vocant, qui additus eſt huic legato à Florentinis, ceu quondã ad Io vaccam à Iunone oculatus Argus (tanta etiam inter eos fides eſt) ne quicquam ex pecuniis pontificiis ſuffuretur. Atq; adeo ô Henno, quid aliquando hic fecerit, audi precor nimium: ita me Deus bene amet, id tibi narrare geſtio: diſperéam, ſi non, fidiſſimo quodam grauiq; narrante viro, menſæ inſeruiens apud magiſtrum audierim. H E N. Obſecro quid id eſt? P V. Vocatæ ad cœnam à legato matronæ erant, non impuræ, tum autem forma præſtanti ac primariæ etiam: quæ cum accubuiſſent, inter duas ex his, veluti Muſas, hic ſe Apollo tertium compoſuit conuiuam: qui cum loqui cum his non potuiſſet, neq; illæ ipſum intelligerent, cœpit nutibus geſtibuſq; ſuis adblandiri eis, atq; ad eas alludere: quæ cum auerſæ hominis inconditos mores deteſtarentur, beneuolentiam ipſarum re, cum verbis non poſſet, comparare ſibi aggreſſus eſt: comprehenſa ſiquidem alterius, quæ inter vtraſq; formæ palmã obtinuit, manu, craſſum ac plane equinum penem caligis extractum in manum dedit. Illa ingenti inſuetoq; territa mõſtro, ac rubore perfuſa tota, manum haud ſecus quam ſi ſerpentem contigiſſet pauida retraxit. H E N. Quid reliqui vero conuiuæ? intellexerunt autem? nonne illum maledictis fuſtibuſq; eiectum conuiuio, male tractauerunt? P V. Minime. Rhomanenſes erant omnes, qui conuiuio interfuerant: non inſueta illis res, diſcuſſa riſu eſt: vnus tamen ex illis, ad quem aliquantulum iniuriæ eius pars pertinebat, commouebatur: eximiæ ipſæ vero puellæ, demiſſo vultu, rubebant omnes, tacebant tamen. H E N. Fœda, ita me Deus bene amet, res eſt: ego profecto virgis publice cæſum, ac altera abſciſſa aure pago eieciſſem, huic nebuloni turpiſſimo prope ſupplicaſſem. Sed heus Bruno, eſtne & reliqua huius Rhomani Legati familia iſti lenoni impuriſſimo ſimilis? P V. Vniuſmodi profecto omnes, atq; adeo propter ſtupra adulteriaq; ac reliqua ſcelera non modo odio proſequuntur à ciuibus, verum etiam vi atque telis. H E N. Mirum quod hæc magiſtratus patiuntur, ex hac certe familia dominus ipſe plane cognoſcitur. Audiui quendam ita dixiſſe olim philoſophum, quales in rep. principes ſunt, tales reliquos eſſe ſolere ciues. P V. Philoſophus num tu es Henno? H E N. Licet Philoſophus non ſim: hoc scio tamen & compertum vſu habeo. Pape quis hic eſt ô Bruno, quem appropinquantem video, hominem ſtatura longa, ſerico indutum, pileo rotundo, inſtar hirci barbatum, plurimas manu bullas gerentem, ipſum opinor eſſe legatum. P V. Is eſt, præceptorum vide ſis memor Henno.

Teſta de Buffalo factum.

LEGATVS RHO. Nimiæ curæ nimiaq; ſolicitudo non ſinunt me nec noctu conquieſcere nec interdiu. Adeo, præter nauſeam, quam ex Dania contraxi, & ille bolus extractus faucibus male me cruciat, ita ferente mala fortuna. Elapſus enim archiepiſcopatus, quem in meis manib. pulchre excogitato ad id modo, prope habui: amiſſa deinde (id quod minus curo tamen, quando illinc reſarciri potuiſſet, quicquid hic perditũ erat: & quia non tam mihi quam pontifici perijt) ingens pecuniæ, quam ad ſtructuram felicis alioqui mihi diui Petri baſilicæ diligentiſſime à Danis Suecisq; ad viginti millia ducatorum collegeram me vix fuga elabente: quæ adeo contra ius gentium aduerſum me rex ille barbarus molitus eſt, cum primum tamen aduenientem humaniſſime exceperit, angelum pacis affirmans eſſe me: vt qui nullam veniſſem illuc aliam ob cauſam, quam vt pace vtcunq; inter barbaros compoſita, omnia tranquilliſſima redderẽ: quo nomine ſatis proſpicere venerunt apud Danos, homines & ſimplices & religioni addictos, admodum indulgentiæ meæ ac reliquæ, quas habui facultates, quin & rex ipſe quoque digna & ſe & Pontifice Max. hoſpitalia elargitus eſt munera, qua beneuolentia comitateq; illectus ego, in Suetiam abiens, fratrẽ, quem habui mecum, Mediolanẽ ciuem, vnice charum mihi, eius fidei commiſi: rediens deinde ex Suetia, quo ad componendã, bello poſito, ſeu æquis ſeu iniquis conditionib. pacem inter vtramq. gentem, iungendaq; fœdera, abierã, mutatum erga me eius intellexi animum, hoſtilemque induiſſe: qui cum mihi ſuboluiſſet, alio itinere barbarica gaza vt aueheretur, curaui, ad aliud meipſum commiſi, ego euaſi incolumis, opes interceptæ, frater in carcerem contruſus eſt. Redditur poſtea mihi exemplum regis ad Pontificem accuſatoriarum literarũ, quibus plurimis me vrget ſceleribus, nominans ſubinde non angelum pacis & Rhomanum Apoſtolicumque legatum, ſed concitatorem tumultuum & proditorem peſſimum, vt qui archiepiſcopum Vpſalienſem virum alioqui præſtantiſſ. quod ſibi faueret, per hoſtem ſuum acerrimum contra ius faſq; ad reſignandum archiepiſcopatum & inuitum & captiuum compulerim: ſuperq; archiepiſcopatu ſeptingentos ducatos pro penſione annua pactus mihi fuerim: & quo ea fraus occulta maneret, tectaq; eſſet cum ambitio tum auaritia: hæc omnia ipſum ſua ſponte Suetiæ Tyrannum ac motu (vt aiunt) egiſſe proprio, me & ignorante & nolente, confinxerim: quiq; ab eodem ſuo hoſte in expeditionem (vt vocant bullatum) tria millia ducatorum, & in argento informi & cupro acceperim, quo eum rebelleſque Suetiæ populos aduerſus regem verum & legitimum regni princi-

Audi legatum bene loquentem.

Diripiuntur legato bona, quæ coegerat barbarica.

Archiepiſcopum Vpſalienſem archiepiſcopatum deponere compulit legatus pontificius, nomine Ioannes Arcemboldus, Anno 1517.

Portenta ſtultorum.

pem Rhomæ defenderem, atq; ex Cardinalium numero quem vellem in Suetiæ protectorem atq; patronum ad me cooptaré: qui deinde paſſus ſim pręſens eundem archiepiſcopum, virum optimum & digniſſimum, à tyrannico ſatellite in caput vulnerari primum, percuſſore deinde ab irregularitate abſoluto, ipſum etiam ac parentem ſtrenui[illegible]mum auratum equitem, ac alios item nobiles, in teterrimos rurſum contrudi carceres, quo ne quando recipere ſpem poſſent aliquam, & ego interim ſeptingentis ducatis fraudarer. Ad hoc vltra quod excommunicationem iniuſte in ſe Apoſtolicam impetrauerim, crimina plurima & falſiſſima apud Suecos in ſeſe perfide contra legationis ius ac mittentis mentem pontificis congeſſiſſe me, acriter accuſat. Iiſdem deinde literis obnixe admodum à Pontif. Maximo petit, vt in me & perfidum legatum & proditorem ſuum recte ac iuſte animaduertat, ne id ipſe facere cogatur: alioqui quæ neſcio omnia, quo pacto rex ipſe reſcierit, à meis proditus non ſum certo ſcio, quando præter vnum aut alterum, ac eos mihi fidiſſimos, quid egerim ego, nouit nemo, niſi quantum ex ipſius regis accuſatione intelligo, literas vereor interceptas, ſcribit enim totam ſeſe rem hoſtis ſui literis probaturum, id quod profecto curis anxium reddit me admodum: nec ſcio, quo me pacto hac turba euoluam, niſi quod contra omnia ea obſtinatiſſima negatione mihi opus eſt, qua adhuc tantum profeci, vt non ſolum vindictã non timeam pontificiam, verum ſperem etiam fratrem me poſſe captiuum ex regis manib. liberare, agente non ſolum pontifice, verum his etiam vicinis principibus. Nam quod iuſſit pontifex, Daniæ regno vicinos epiſcopos veritatem facti diligentius inueſtigare, id ego & pretio & precibus periculum leuiter diſcutiam: maxime etiam ſi me hic aliquandiu continuero, donec tandem etiam ſua ſponte res conticeſcat, hoc quod me aliqui etiam monuerunt amici. Adeptus tamen & id interim ſum, adiutantibus fideliter Florentinis, quo hic & honeſte agere valeam, & pecuniam inſuper corradere non contemnendam, vt mihi eadem redditæ ſint, quas olim hic habui facultates ac plures & maiores etiam: quibus tamen huius epiſcopi conſultores, maligno ſpiritu indurati, vti me archiepiſcopi nomine vetuerunt, in iniuriam & contemptum ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ: dictitantes fraudes eſſe & impoſturas quicquid ago: nihilq; aliud conari me, quam vtcunq; deceptis Germanis, eos pecunia deſpoliare, vendens honeſta ac inhoneſta omnia: ac plura etiam, quam olim Simon ille magus, ad Petri pedes pecunia poſita, dari ſibi petierat. Quam vellem tamen & habere me illa, quæ Petrus habuit, gratiam videli. linguarum, gratiam curationum, leproſorum mundationem, reſuſcitationem mortuorum, prophetiç ſpiritum, per impoſitionem manuum, immiſſionem ſancti ſpiritus: maiorem profecto his mihi fructum facerem, quam olim Petrus ille reliquiq; ruſtici fecerunt Apoſtoli: quibus ad omnia illa, vnde ſibi operę precium facere potuiſſent maximum, ac immenſas comparare diuitias, etiam victus prope defuit: quib. quam rectiſſime dici potuit id, quod olim in Punico bello Hannibali Maharbal dixiſſe fertur: Non omnia eidem dij dedere, vincere ſciuerunt, at victoria vti potuerunt minime. Iam vero cum nihil præter chartacea ego feram diplomata, nihil præter obtuſum etiam vſu nimio anathematis fulmen, remiſſionem diſciplinæ Apoſtol. perfidiam, ſolutis iuramentis, abrogationem ſanctiſſimorum conciliorum, coronationem ſtultorum, largitionem nigrorum galerorum, multaq; vt ipſi affirmant, exempla reip. Chriſtianæ perniocioſiſſima, atq; ea etiam omnia pecuniæ cauſa duntaxat, minus curát, contemnunt etiam: quo fit, vt merx mea non ematur, ego penuriam cum meis patiar prope, & niſi omnia obulo deinde vendidero, actum erit mecum, atq; ad reſtim famemq; tandem res veniet. Salua res eſt his, quos video empturos, aliquid eſſe apparet. PV. Recte intellexi omnia, nihil horum mihi intercidet. Geſta à ſeſe plane Apoſtolica enarrauit, nihil eſt, ſi cum hoc ad gentes miſſum Paulum comparaueris. Quin procidis Henno? HEN. Humilis ſanctitatis veſtræ orator has literas præſento. PVER. Certe arator, ruſticus ipſe exoſculari literas, quemadmodum docui, neglexit, adeo non poteſt ſuum etiam illum exuere ruſticum? LEGA. Leuate hominem. Quomodo ſeſe habet dominus Bartolinus? num ex ſcabie conualeſcit? Indigne profecto contigit bono viro & induſtrio iniuria contumeliaque, qua ab illis male tractatur. Verum tu quod tibi nomen eſt? HEN. Henroni. LEGA. Ruſticus opinor. HEN. Ita eſt, negare non poſſum. LEGAT. Quod opus exerces? HEN. Agriculturam.

Quæ afferant legati Apoſtolici.

Obulo merces vendendæ erunt Rhomanæ.

LEGA. Ex domini Bartolini literis quid velis intelligo, vt ſcilicet abſoluatur primum ab inceſtu filius, quo in ſecundo gradu conſanguinitatis vitiauit virginem, deinde vxorem quoq; conſtupratam à ſe accipiat, ea ne petitionis ſumma? HEN. Ea. LEGAT. Quanta autem hæc ſint, quæ pró filio petas, accipe. Principio ſcelus eſt grauiſſimum, quod leges etiam prophanæ capite puniunt, cóſtuprare virginem, illud adimere, quod ipſe etiam Deus non poteſt reſtituere: tum autem anſam ipſe tuus dedit filius pluribus ſeſe ſubiiciendi, ac quæſtum deniq; corpore faciendi: experta ſiquidem ſemel eius libidinis dulcedine, abſtinere vix potens eſt mulier: quæ tandem omnia peccata in primum ſtupri authorem vertuntur. Huc accedit ſecundus conſanguinitatis gradus, quem vos ante omnes Germani ſacroſanctum inuiolatumq; obſeruatis, adeo vt comprehenſum, qui in eum libidiné expleuerit ſuam, igni adiudiceris: quæ ſcelera, præterquam ꝙ grauem petunt pœnitentiam, pernicioſo etiam apud vos, ſi temere ac cito abſoluantur, exemplo fierent. Quo fit vt ſi impunitaté remiſſionemq; huius facinoris ipſe voluiſſet filius, coactus fuiſſet abire etiam Rhomã vſq; magno ſuo ſumptu, cum.a. maiore moleſtia. Ad hoc ſi amat illam, ſi vult, ne reliquis ſeſe cõmiſceat, ſed vt ipſe potius in vxorem ducat eá: quanta iſthic in diſpẽſando res agatur, tum ſcies optime, cum quid olim, quidq; vetitum ſit modo, ordine narrauero. PV. Si hic Henno tenere ea quæ dices, omnia non poterit: at ego ne obliuioni ea tradam, operam nauabo. LEGAT. Antiquæ legis patribus in ſua cognatione

non

non ſolum permiſſum erat matrimonia coniungere, imo non licebat extra eam quærere nuptias: ita Abrahæ frater Nachor, Melcham filiam Aram fratris ſui vxorem duxit. Neque aliam fas fuit Iſaac vxorem accipere, patre miniſtrum per femur adiurante, quam ipſam Rebeccam, filiam Batuelis filii Nachor & Melchæ. Huius etiam filius Iacob duas ſorores Lyan & Rachel filias Laban auunculi ſui in matrimonium, ſeruitutem ſeruiendo, adeptus eſt. PVER. Expecto quorſum euadat. LEGATVS. Atque etiam in legibus Hebræo populo ſtatutum fuerat, ne extra tribum vxores ducerent, abſtinerent vero penitus ab alienigenis: atque adeo frater fratris proximus proximi ſemen exuſcitaret: id quod de Thamar & Ruth Moabitide commendatum memoriæ eſt. Quarum rerum omnium has ego tibi rationes dicam. Primum quoniam ita ob hominum penuriam erat neceſſe, nec potuit aliter fieri, quomodo enim filii Adæ, quomodo deinde filii & nepotes Noe extra cognationem nupſiſſe potuiſſent, humano genere vel recenti adhuc vel deleto penitus? quomodo poſtea Abraham extra ſuam ſtirpem, cui ſoli data circumciſio erat, cum externo genere ſine commaculatione iunxiſſet matrimonium? Vetuit enim Deus, ne commiſcerentur cum alienigenis, per quas à cultu veri Dei ad Idolorum conuertebantur: commixti ſiquidem filii Dei cum filiabus hominum in diluuii pœnam, Dei iram prouocarunt. Superueniente deinde vera religione, ac veterem ſoluente legem, quam latiſſime ſeminarium charitatis diffundi optimum erat: quod adeo nulla alia re aptius fieri potuit, quam vt vtili honeſtaque concordia, diuerſarum neceſſitudinum vinculis necterentur homines. Suadebat etiam hoc humana quædam verecundia & naturalis & laudabilis: vt quibus debeamus ob propinquitatem honorem verecundiæ, ab his abſtineamus etiam. PVER. Quantum ergo intelligo cum in gradibus diſpenſatur propinquitatis, & charitati Chriſtianæ, & verecundiæ naturali fit detrimentum. LEGA. Negari non poteſt id. Verumtamen quia hoc iuris eſt poſitiui, humanique inſtituti, per hominem, hoc eſt, ſummum pontificem, derogari poteſt, aut ſi velit, penitus aboleri ex tabulis omnibus: tanta enim eſt vis pontificii pectoris, quæ in me, ceu per canalem deriuata, vt quod ipſe Romæ, ego hic eius nomine poſſim. Verumtamen quoniam graui hic ſumptu premor, ob familiæ magnitudinem, magna etiam neceſſitate vrgeor, gratuito fieri durique id à me non poteſt: ad hoc certa ad exigendum ex ſingulis facultatibus à Pontifice mihi præſtituta eſt pecuniæ ſumma: vt ergo & à ſtupro & inceſtu abſoluatur filius, deinde per bullam apoſtolicam ei liceat conſtupratam in vxorem ducere, quadraginta ducatos det oportet. HEN. Eheu eheu: o, o. PVER. Iam plane video quid pecunia poſſit, hanc cum dederis, ſoluet tibi diſciplinam charitatis Chriſtianæ, naturalem humanamq; verecundiam omnem. Quin iam per hunc legatum, omni ſublato diſcrimine, in promiſcuos, ferarum ritu, concubitus ruimus? non filius demum matris ducatur verecundia: non pater filiæ, non frater ſororis, non priuignus nouercæ, videmus enim exiguas ſcelerum ſcintillas in maximum tandem prorumpere incendium, ac mala omnia in peiora, ac bona etiam in mala conuerti quotidie, mala in bona nullo vnquam verſa fuiſſe tempore. Profecto diuinabam, imo certo ſciebam, totam hanc theologicam veteris nouique teſtamenti commemorationem huc tandem redire, pecunia detur oportet. HENNO. Proh Deus immortalis, perii, occidi, ò me miſerum, ò illum perditiſſimum Battum, qui tot me iam calamitatibus affligit, tot miſerum excruciat modis, ego ne quadraginta dare ducatos poſſem? qui in quadraginta annis ne vnum quidem vidi: tum autem, vt & heri dixi, ſi producerem omnia mea, & tuguriũ ipſum & agrum, vnde victus mihi ac meæ ſuppeditatur familiæ: & meipſum pro pecunia in ſeruitutem tradidero poſtea, non quadraginta aureis omnia venirent. PV. Quid agimus Henno? HEN. Quid agam neſcio, totus quantus quantus ſum perii. PV. Supplicemus huic, qui ſcis, remittet aliquid? HEN. Hoc aliquid nihil eſt: ah perii, neque hoc aliquid dare poſſum, quicquid remiſerit. LEG. Noui iam hos homines ego, plurima cum habeant ſintq; locupletiſſimi, nihil ſeſe tamen habere aſtute ſimulant. Tu Henno ornatus, mundicies, habitus ipſius oris etiam indicant diuitem eſſe te. PV. Præſtitiſſet ſordidatum acceſſiſſe hunc, non rectum illud fuit conſilium, quo iuſſi veſtibus, calceis, manibus facieq; lota venire huc: iam vero, quem mulgeat, putat reperiſſe ſe, ah falſus eſt. Nõ habet profecto, ò domine, ipſe vel per tuos exploratione inueſtiges licet. Pagus enim, in quo habitat, haud ita longo diſtat ab hac interuallo, intra primum lapidem ſitus eſt. LEG. At viginti poteſt, grande ſcelus eſt. PV. Licet, non certe decem ab his electoribus etiam poterit ſignatos aureos. LEGAT. Hem? non decem aureos? fruſtra ergo huc acceſſit: meum non eſt gratis dare, quando ego gratis nihil habeo: atque adeo ſi poſſem aut liceat etiam, quare Italus de Germano & ruſtico bene mercatur, non video, PVER. At quia Chriſtianus & pauper, cœlum hac beneficentia commercaberis. LEGAT. Cœlum apud me iamdudum habeo, & cui ego volo vendo quotidie: quin & Chriſtus ipſe in poteſtate eſt mea; cogitur velle id, quod ego volo etiam. PV. Et cum venditur tua paternitas? emptum credebam eſſe ſemel, nec poſſe amplius. LEG. Non ita ego vendo, vt Iudas ille olim, qui venditum ad excruciandum Iudæis tradidit: ego licet vendam, retineo tamen: hoc quod fieri modo, etiam ſine proditionis ſcelere poteſt. PV. Mirum, quam vellem idem artificium meus noſſet magiſter, vt diuenditum pannum retineret tamen: breui Crœſi vinceret opes, & ego quoque Craſſi diuitias nihil præ meis fore, certo confiderem. LEGA. Non omnia poſſumus omnes. PVER. Video. HEN. Ah miſerum me, vtinam capones adhuc haberem meos, nec illos perdidiſſem etiam, næ infelici ſydere natum eſſe me plane ſentio. LEGA. Hem! capones habuit Henno? PV. Habuit, heri domino Bartolino conſilii cauſa dedit eos. LEGA. Male factum, huc portaſſet potius, ſed quantum dare poteſt cedo. PV. Pecuniam nullam: duas habet vaccas, quæ

[Marginal notes: [illegible] (beside lines 2–4); 35. q. [illegible] (beside "Superueniente deinde"); Vis pontificii pectoris. (beside "pectoris, quæ in me"); [illegible] (beside "oportet. HEN."); Christus ipse in potestate legatorum. (beside "quin & Chriſtus ipſe")]

ei lac, butyrum, caſeum præbent: quæ partim vendit, partim in ſuſtentationem ſui ac familiæ ſibi retinet: fraudans ergo genium, alteram huc adductam diuendet, vtraſque, quemadmodum tuipſe intelligere potes, niſi fame perire malit, non poteſt. LEG. Quam vellem diuitem eſſe hunc. Sed vos me hic expectate, donec huc redeam: ego, interim capto à meis quid agendum mihi ſit conſilio, propere ad vos reuertar. PVER. Bono animo fac ſis Henno, ſatius eſt vaccam quam filium perdere. HEN. Siquidem vacca defungi poſſem. PV. Ne dubita, non te vacuum dimittet, quantumuis etiam parum dederis: atque adeo Henno non male hoc mihi in mentem conſilium venit, quo monui te, priuſquam hunc accederes, votum nuncupares Deo, cuius tu nunc præſenti ope iuuaberis. HEN. Merito te amo mi Bruno, nec me huius tanti beneficii immemorem ſenties. LEG. Non dimittendum hunc, licet prope nihil det, mei mihi ſuadent, neque expedit etiam: tum ne penitus habeam nihil, tum opus eſſe ſentio, vt liberalitatem aliquam meam ac beniuolentiam etiam ii homines ſentiant. Tu vero Henno, quando præter vaccam dare nihil potes, induſtria & fauore tuam hanc paupertatem compenſes oportet. HEN. Si poſſem modo, equidem libentiſſime faciam: & quod non potero ego, ipſe efficiet filius. LEG. Imo poteris, maxime ſi eos, ad quos tu veneris, quibuſque intellexeris facultatibus meis eſſe opus, edocueris, quantæ mihi à ſacroſancta apoſtolica ſede datæ ſint. HEN. Has ego non noui ò domine, tu vero ſi quæ ſint oſtenderis mihi, ſedulo apud meos agam, quo id quod ego dare non potui, aliunde reſarciatur abundanter. LEG. Id volo etiam. PV. Iam hoc agam quod & ipſe meus me magiſter iuſſit, & ego volebam ſummopere, doctiorem certe futurum me non diffido. LEG. Bene agis, maxime ſi hic Henno memoria complecti omnia non poſſit.

Poteſtas ligandi & ſol[illegible]

Ex Chriſti euangelio apoſtoliciſque actis iam primum omnium ſatis conſtat, apoſtolos ipſos, atque Petrum ante omnes apoſtolorum principem, acccepta ligandi à Chriſto ſoluendique omnia in terris poteſtate, ac faciendi etiam miracula plura & maiora, quam ipſe etiam fecerat Chriſtus, in omneis terrarum parteis dimiſſos eſſe, quo ad Chriſti euangelium ac baptiſma à gentilitate dæmonumque cultu gentes cunctas perducerent, ſibique terrarum ſubderent orbem: quibus tandem per varias mortes in cœlum abeuntibus, nationum omnium epiſcoporumque demum, quos ſucceſſores atque diſcipulos apoſtoli reliquerant, conſentienti ſententia, Romanus ipſe pontifex, Chriſti vicarius ſummus, eccleſiæ caput Petri ſucceſſor pontifex maximus eſt conſtitutus: vt quemadmodum in ea vrbe terrarum nationumque omnium eſſet principatus atque domicilium, ita ibi quoque rectiſſime religionis Chriſtianæ caput optime eſſet collocatum: qui omnia vnus per terrarum poſſet orbem ligare & ſoluere, dare & accipere, condere & abrogare, mittere & reuocare, iubere & vetare, ſeruare & condemnare: ſub cuius poteſtate reliquæ eſſent Chriſtianæ nationes omnes, reliqui omnes epiſcopi: qui hoc in orbe poſſit terrarum, quod alii tantùm intra ſua ſepta ſuis eccleſiis: cuius ſolius arbitrio Romani etiam diligerentur & reges & Imperatores, reiicerenturque quos ipſe non probaſſet ſolus: ſine cuius interpoſita authoritate nullus vſpiam conſtitueretur epiſcopus: qui ſolus regna, nationes, populos, vrbes ſceptro regeret: qui vnus bella, pacem, fœdera moderaretur: in ſumma vnus omnia acciperet, vnus daret omnia. Is ergo vniuerſalis eccleſiæ Antiſtes me, ceu Chriſtus apoſtolos, per Germaniam, Daniam, Sueciam item, miſit vniuerſalem nuntium: primum vt omnem eis Chriſti eccleſiæque theſaurum, indulgentiarum videlicet, velut in ſinum infunderem, in exædificationem templi maximi, quod Petro Romæ extruitur: aliaque deinde eis erogarem, quæ ex ordine audies modo. PVER. Quanta pontificis maximi ſit poteſtas, tum in alios Chriſtianæ reipublicæ epiſcopos, tum in Romanum etiam imperatorem: quem & ſi non ſuperiorem eſſe conſtat ob ſacerdotii honorem, alterum tamen ei gladium commiſſum, ipſumque longo tempore eccleſiæ Romanæ epiſcopos dediſſe, nemo poteſt ire inficias: tum etiam quod illi vni liceant omnia: id excutere quibus & maior eruditio, & ad quos id plus ſpectat, relinquo. Verum hæc ſcio, longe aliam fuiſſe miſſionem apoſtolorum Chriſti, & huius pontificis: illi in prædicationem Euangelicæ diſciplinæ ad gentes & incredulos mittebantur, in piſcationem hominum, in extructionem viuorum ſpiritusſancti templorum, ac per ſummam paupertatem in præſentia pericula & mortes. Te vero vidimus miſſum ad fideles Germanos, non tam in fide continendos (ſunt enim religionis tenaciſſimi) quam pecunia ſpoliandos: non in piſcaturam hominum, ſed Germanici theſauri: id quod maxime vos nouos apoſtolos petere, vel orbis teſtis eſt, non in conſtructionem viuorum ſpiritusſancti templorum, verum mortuorum (atque vtinam id, audio enim nihil ædificari minus Romæ, quam Petri templum: aut ſi quid ad oſtentationem eluſionemque Germanorum, fabricæ operæ interdiu perficiatur, noctu in domum, neſcio cuius cardinalis, id auehi totũ) lapidum, ac ſi apud nos non ſatis onerati in extruendis ſimus lapidibus, quibus ipſi frui poſſumus & ad magnificentiam & ad pietatem, non demum per ſummam paupertatem in pericula & mortes, verum ſummas diuitias, faſtum, luxum, & libidinem. Licet ſciam inter Germanos paulo oculatiores eſſe aliquos, ad quos ſi veneris, periculum tibi vitæ tam præſens foret forte, quam apoſtolis inter gentes olim, ac tibi apud Daniæ regem nuper fuerat: nec tamen ſanctitatis tuæ cauſa id: verum quia vident te ac tuos non tam Chriſti ſimiles apoſtolis, quam eius, quem ex Babylone futurum ferunt, Antichriſti, omnia vendentem pecunia, ſacta atque prophana, qua Florentini reliquiq; Romanenſes ad omne libidinis genus abutantur, deceptoſque ſtolidos Germanos irrideant. LEG. Quid tute tecum immurmuras? PVER. Tacitus ſanctitatem legationis tuæ tecum reputabam,

Legatus.

De imperatore.

Quæ miſſio apoſtolorum.

teq;

ſeque comparabam cum apoſtolis Chriſti. L E G. Nulla comparatio ibi eſſe poteſt, adeo alia res in eccleſia modo, alia olim fuit. P V E R. Id erat profectò quod admirabar. Mirum tamen, eccleſiam Chriſti mutari poſſe, cum eundem adhuc quotidie audiam viuere Chriſtum, ſolidum eius & caput & fundamentum: idem etiam euangelium, quod tunc manebit etiam immotum cum cœlum ac terra tranſierint: atque adeo tum meliora fuiſſe omnia, ac perfectius Chriſtianam & charitatem & pietatem viguiſſe in viris ac fœminis, cum noſtram vitam ad euangelicam diſciplinam attemperauimus potius, quam ad noſtram libidinem repugnantes incœpimus trahere ſcripturas. Niſi forte mihi prædicas eccleſiam malignantium, ſcribarum ſcilicet & Phariſæorum ementium & vendentium, quam in propheta ſpiritus etiam ſanctus odiuit, cuius cœtum atque trapezas Chriſtus ſuo eiecit templo: quæ contemptis Dei mandatis proprias ſibi ſtatuit traditiones, aſſerens Chriſtianam eſſe ſe, & non eſt, verum mentitur, cuius etiam caput non ipſe Chriſtus eſt, immo Satan potius, & conſummatio illius flamma ignis. L E G A. Eccleſiam, cuius caput ipſum credimus ſummum eſſe Pontificem, aliam æſtimare quam Chriſti, religio eſt hæreſiſque perditiſſima: cuius etiam euangelium ne in iota quidem eſt mutatum, quin & ipſum tum legimus, tum canimus quotidie. Verum mores ad id noſtros formare perquam difficile ſemper fuit, nec niſi perfectis datum, atque paucis etiam illis, qui Apoſtolorum propinquiores fuerunt temporibus: quorum enim quenquam vidiſti qui modo perfectus ſit adeo, vt auferenti iudicio pallium, tunicam addat etiam? vt percutienti malam alteram, alteram porrigat item? diligat inimicos, oret pro perſequentibus, benefaciat iis qui eum oderunt? in ſumma, diligat dominum ſuum adeo ex corde animaque ſua tota, vt nihil præterea: proximum ſuum ſicut ſeipſum? Imo vim vi repellere licet modo, pro rebus iniuſte ablatis nobis iudicio conflictari, eadem remetiri menſura qua menſi nobis fuerint homines: & ſi non plane odiſſe inimicos, nec amare etiam nec coniungere conſuetudinem: præter Deum etiam ipſum in dubios rerum euentus & pecuniam colligere, & de futuro prouidentia humana ſollicitos eſſe: & cum ipſum recto voluimus euangelium animo, imperfectis etiam nec in totum deſperandum eſt. P V E R. Cum de plebe loqueris credo: hoc tamen ſcio, tepidos aſpernari dominum, feruentes velle maxime: quare hæc culpa, quantum video, tepeſcentis ſcilicet religionis Chriſtianæ tota in illis eſt, qui Moſi cathedram apoſtolorumq; loca occupauerunt: ex iis enim reliqua plebs merita eſt vitam ſuam omnem: quod ſi in iis adhuc luminis fuiſſet aliquid, non tantæ profectò tenebræ orbem occupaſſent Chriſtianum. L E G A. Quin hæc nulla facimus. Hoc intelligis Henno, vniuerſalem per Germaniam nuntium eſſe me, ſummi vniuerſaliſque Romani pontificis, qui omnia poteſt? H E N. Intelligo. P V E R. Peſtem generalem contagione fœdantem omnia, ego intelligo. L E G A. Iam quid eo nomine amplius poſſim, accipe. H E N. Hoc ago. P V E R. [illegible] L E G. Quid ais? P V E R. Nihil. Perge domine.

Culpa tepeſcentis religionis penes [illegible] eſt.

Nihil ſonat.

L E G A. Cum iam per orbem terrarum latiſſime ſeſe Chriſtiana fides diffunderet, multi per eccleſias conſtituti ſunt & ſacerdotes & diaconi: qui cum crebras inter ſeſe diſſenſiones commouerent in ſchiſmatis remedium vnus electus eſt per eccleſias, qui cæteris præponeretur, ne vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti eccleſiam rumperet: hunc in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi ex ſeſe electum induſtrium Archidiaconum vocent: qui vbicunque fuerit, ſiue Romæ, ſiue Engubii, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Regii, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt & ſacerdotii, habetque eandem in ſubiectos ſibi & monendi, & caſtigandi, & puniendi autoritatem. Iam vero nomine ſummi pontificis, qui primum locum & maximam potentiam ſibi occupat ſolus, ſi qui ſunt qui ſeſe ſuo epiſcopo ſubditos eſſe volunt, quique proprii epiſcopi iudicium ſubterfugere conantur, ſiue calumniæ, ſiue alia cauſa quacunque, mea interpoſita autoritate, aliunde iudicem ſibi, vt placuerit, aſciſcere poſſunt: immo etiam ereptos proprii epiſcopi iudicio, aliis, quibus commodum eſt, trado iudicibus: & id intelligis Henno? H E N. Non admodùm, niſi ita velis, vt ſi quem mihi ex meis quibus iudicio præſum, quo alium impune calumniari poſſit, adempta mihi omni iudicii pœnæque in calumniatorem poteſtate, ſubtraxeris. L E G. Omnino, recte capis, ab inferiore iudice libero, & ſuperiori trado. P V E R. Hoc agitur, quantum intelligo, huic detur pecunia, & ipſe ſchiſmatum erit autor: non ſecus agens quam ſi paſtori oues obedire vetuero, parentibus liberos, præceptoribus diſcipulos, magiſtratibus ciues, dominis ſeruos: & quantum video, quando hoc admittimus, quid opus erit peculiaribus nobis epiſcopis, quos tanto hic ſuſtinemus ſumptu? cum Romanus ipſe pontifex & ſui Legati, abiectis è cognitione diſſenſionũ inter ſuos epiſcopos, ipſi ἐπίσκοποι, hoc eſt, ſuperintendentes eſſe volunt: ſi hi nobis iudices ad ſuam libidinem inſtituere conantur, non ſint officiales deinceps, non ſint epiſcoporum vicarii, non ſint fiſcales, non ſint epiſcoporum in Germania nomine concionatores: non obediat ſacerdos epiſcopo, non diaconus ſacerdoti: permiſceantur inuoluanturque omnia, pereat illa quantulacunque adhuc eſt in eccleſia diſciplina. Hoc illud eſt profectò, quod Africana ſæpe epiſcoporum concilia Romano ſcripſerunt Pontifici, tantum ſibi poſtulanti tyrannidis, oculos plus videre quam oculum, iudicia quam iudicium plura diſpicere, orbem maiorem quam vrbem eſſe, nullum ipſo proprio paſtore ſuas oues melius noſſe, melius paſcere, melius tondere, melius ſi morbidæ fuerint curare, melius ab irruente defendere lupo.

Paſtori oues obedire vetat [illegible] ſuis ſtatutis Romani.

L E G A. Item poteſtas relaxandi iuramenta, quæ præſtita in contractibus, inſtrumentis, obligationibus

tionibus omnibus, prætérquam quæ data cameræ Apoſtolicæ. HEN. Habeo, vt ſi qui ſint qui capti ab hoſtibus fidem dederint, qui creditori certo tempore debitum ſoluere iurauerint: qui patriæ, qui Rebuſpubli. qui regibus, qui collegiis, qui cognatis ſacramentum præſtiterint, id ſcilicet ſolues.

Relaxandi iuramentum poteſtas.

LEGA. Omnino. Et ſi qui fuerint, qui adepti ſacerdotia, monaſteriaque ingreſſi, ſacramento, ſyngrapho, ſigilloq; interpoſito, bonis paternis aliqua portione fratribus ceſſerint renunriauerintque, eos ego, iuramento antiquato, in integrum reſtituo, locumque actionibus iudicialibus tribuo: non enim æquum mihi eſſe videtur, vt bonis ſuis fraudentur eccleſiaſtici, ipſique prophani eccleſiæ habeant bona. PVER. Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames? Vna res eſt, qua Germani omnibus nationibus præſtant, fides conſtantiaque, & dictis & factis omnibus eam tuemur,

Germanorũ fides & conſtantia.

eam defendimus, eam hoſtes ſeruamus hoſtibus, eam vel addictam inter pocula ſacroſanctam inuiolatamque cuſtodimus: ob eam in exilium, in carcerem, in mortem, relictis patria, parentibus, coniugibus, liberis, etiam iuimus: eam en noui hi apoſtoli adimere nobis ſuis bullis volunt, perfidiam eius loco introducentes. Quid enim aliud erit quod remanſerit, fide ſoluta? profecto perfidia.

Hiere. 7.

Volunt credo id de nobis prædicari quoque, quod iam de illis multo ante dictum eſt: Hæc eſt gens, quæ non audiuit vocem domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam, periit fides & ablata eſt de ore eorum. Non credo vllos vnquam tyrannos in Germanos voluiſſe hoc malum inuehere, quod noſtri,

Perfidia vires.

immo Antichriſti modo ferunt Apoſtoli. Perfidiæ duas eſſe audiui vires, mentiri ac fallere: tantumque incommodi afferre mortalibus, quantum ſalutis bona fides præſtat. O Romana vetus gentiliſque diſciplina, ò nunquam ſatis laudate Marce Regule, ò Chriſtiana reſpublica, ò Petre, ò Chriſte, voluiſtis docuiſtiſque hæc ipſa mortales vnquam? hæc ne veſtra præcepta, vt plus etiam quam punicam induamus perfidiam? vt ſacramentum iuriſiurandi irritum faciamus? vt mentiri diſcamus ac fallere? vt inuocatum ſacramento Dei nomen irritum vanumque his præeuntibus, efficiamus? hoc credo nec Germanus, nec Chriſtianus petet vnquam, vt ſoluta fide periurus efficiatur. ET QVOD malum eſt, quæ iſta informis eſt camera Apoſtolica, cui ſoli fidem ſeruare cogimur iuramenti, cui ſoli ſeruare iuſiurandum? maior ne illa publica eſt fide? maior ne illa eſt Chriſto? multos iampridem eam exhorrere audiui, multos execrari, prauiorem truculentioremque omnibus Tyrannorum carceribus eſſe: ſiquidem quæ non corpora ferreis contineat vinculis, verum animas nexibus inuiſibilibus implicet, ac malis tradat dæmonibus: credo profecto eam eſſe, in quam pontificia comportatur pecunia. Pontifici ergo ſoli in pecuniæ ſolutione fidem ſeruare cogemur iuramenti, Chriſto non cogemur? Germanus per Deum iuratus Germano, exigua pecuniola ab hoc Legato perfido emet perfidiam? Dii talem auertite peſtem. Ite ò Germani, ferte citi flammas, date vela, impellite remos. Et quid de hoc pacis perturbatore peſſimo, quid de hoc tumultuum concitatore digne loquar? Vide ò Germania, vide quæſo, quid non faciat auaritia, quid non cogitet. Vetus ille apud te mos fuit nobilium, vetus illa laudataque conſuetudo, nec oblocutum huic omni æuo quicquam niſi fraude interueniente adeo vt nec æqui nec boni ibi vmbra reperiatur: vt ſi cui parenti maxime potenti ac diuiti plurimi contingant liberi, ne principatus ipſi ditioneſque ac patrimonia in plurimas minutulaſque partes dirimantur, neue fratres cogant fratres ad inopiam & egeſtatem: ne maximæ lites, ingentes ſeditiones, horrendaque exoriantur bella: filii maiores natu ſor-

Mos germanorum de hæreditatibus.

tem totius ſolent accipere patrimonii, quo ipſi ſobolem ſuſceptam ex ſeſe & commode & libere & honeſte educare poſſint, ipſamque ſuſtentare ſtirpem: ad reliquos vero ſuſtentandos, certa ex aſſe conſtituitur pecunia, ne & ipſi expertes bonis paternis, priuentur patrimonio. Atque adeo etiam, quo & diuitiis & honori apertus ſit locus, maiorum ſolertiſſima prouidentia, ac in Deum etiam optimum Maximum pietate, erecta ſunt optima ſacerdotia, conſtitutæ prælaturæ (quas tamen non ita præriperent illi nobis Rhomanenſes ſceleratiſſimi, ſi Germani nos corda habere inciperemus, ſi id nos conaremur, quod Alexander ille ſextus iam tum redeunti Germania præparabat Raymundo: quid Iulius deinde Secundus, plane & Iulium & Iulianum agens, Bernardino, hoc etiam nomine nos deſpòliante, intentabat: qui quam ſint accepti, nemini non conſtat) eximie dotati etiam epiſcopatus: quæ cum adipiſcuntur, reliquo ſolent ſuis cedere patrimonio. Item de fœminis puelliſque fieri conſueuit ingredientibus monaſteria. Iam vero cum auaritiæ ſatis eſſe videatur, nihil (Monachis maxime Nonniſque, agentibus id, quorum inexplebilem quotidie auaritiam cernimus) fratres contra fratres ad repetendam patrimonii plenam ſortem, velut actionem repetundarum, hic malis ad nos auibus miſſus, ſatanæ legatus concitabit? bellorum ſæuiſſimorum odiorumque crudeliſſimorum, mortium denique & turpiſſimarum & miſerrimarum hic nobis Imperator Tartareus buccinam, ceu pugnæ ſignum præcinet? Diſpicite hic ò Germani, iam demum aperta luce, quibus iam tandem ac ſero prope cerebrum vigere, quod nullum antehac fuit, incipit: hoc ne Apoſtolici legati, nuntii pacis, angeli lucis, ac non potius peſſimi nebulonis, turbatoris quietis, mali dæmonis, ac omnibus ob auaritiam concitati furiis ſit officium: expergiſcimini adhuc & capeſcite rempublicam. LEGA. Quid ita moueris? PVER. Adeo non placet mihi id, Germaniam genuinam ſuam amittere fidem, vetera ſua te autore inſtituta: quam vellem non audiſſe hæc me! HEN. Erunt forte qui & hæc petent, quibuſq; vſui ea erunt admodum, hos huc venire iubebo tamen. PVER. Nemo bonus, nemo Chriſtianus. LEGAT. Si tamen aliqui.

Prothonotarii Apoſtolici.

DATA eſt mihi etiam poteſtas creandi prothonotarios apoſtolicos, & Acolytos papæ. HEN. Quales hi ſunt? PVER. Sine dubio mali corui mala oua. LEG. Hi ſunt qui nigris galeris inſignes,

nullis

bullis epiſcopis prȩterquam ſummo pontifici ſunt ſubiecti, quiq; nullo iudicio moleſtari quàm apoſtolico, quod Romæ eſt, poſſunt. P V. Nonne rem acu tetigi? hi ſunt qui impune mala plurima facere poſſunt: qui cum calumniis omnes vexant, ipſi in tuto collocati, & ſub pontificiis aliis vexari prorſus non poſſunt: quiq; per impoſturas ac ſycophantias multò contracto alieno ære, creditoribus egregie imponunt, excogitato ad id etiamnum artificio.

Doctores.

L E G. Doctores etiam facio. P V E R. Imo dolores. H E N. Id noſter paſtor vellet certo ſcire, doctum enim eum iudicant omnes, quoniam totus ipſius ſermo latinus eſt, huic indicabo, hortaborque etiam. P V. Et ſapientiam & doctrinam addis? L E G. Quam niſi prius habuerint, ego profecto dare non poſſum, id quod nec in generalibus etiam cuique ſtudiis datur, vbi videmus paſſim indoctiſſimos etiam honorari rubro pileo moriones. Quod ſi mihi poteſtas eſſet dandi ſpiritum linguarum, ſpiritum ſcientiæ, & ſapientiæ, facerem mihi profecto egregie operæ pretium? P V E R. Credo: aliquos ego etiam, nuper Roma redeuntes, doctores vidi factos: & à Cæſare quoque qui neque linguam habent, neque ſcientiam, neque ſapientiam: imo quos aiunt vix prima literarum tenere elementa, analaphabetos videlicet. Eſt & illa quoq; ars inefcandæ pecuniæ, honorare ſtultos.

Comites Palatini.

L E G. Comites etiam Palatinos & notarios. P V E R. Ita me Deus amet, multas tu creator ſimiles tibi creaturas facere potes, etiam ne veſpillones & Cardinales? H E N. Quales ſunt illi Comites Palatini? Princeps ne ille Elector mortuus eſt cum fratribus? ille te Deum faciet profecto, cuicunque illum tam potentem principatum dederis. L E G A. Non intelligis, inſignia illis tantum trado armorum, & nobilitatem, diuitias vnde adipiſcantur ipſi viderint: quas tamen ſi habuerint, ad vitæ ſplendorem vt vtantur, permitto: & ſi equi eis aſſunt, equitent facultas eſt: ſi non habeant, pedibus licet ingrediantur. H E N. Hoc etiam mihi priuilegium datum eſt, atque adeo poteſt ne alios quiſpiam nobilitare ipſe ignobilis & obſcurus? Nobilitatem olim virtute parari audiui, benefactis, fortitudine bellica: ea ne modo emitur pecunia? L E G A T. Ita modo ſunt tempora. H E N. Hoc ſcio, plurimos tum futuros, qui eam ſibi comparabunt, etiam ſi fame ſe perituros ſciant eſſe, adeo graue onus eſt eſſe ruſticum: hic tu ò domine facies operæ precium ſatis copioſe. Verum illud moneo ſanctitatem tuam, ne apud nos notarios crees. L E G A. Quid? H E N. Quicunque enim ad nos venient, captos ſaccoque incluſos aqua mergimus. L E G A. Notarios apoſtolicos? H E N. Id noſtra non referet, ſeu legatici, ſeu apoſtolici ſint, pereant neceſſe eſt. L E G. Quis tanti facinoris autor? H E N. Princeps ipſe, turbatores enim quietis paciſque, ac nequam homines ſunt. L E G. Omnes ne? H E N. Omnes profecto, quotquot ad nos veniunt.

Qui manus in ſacerdotes iniecerint, 30. ducatis abſoluuntur.

L E G. Abſoluo etiam illos, qui excommunicati, quod manus iniecerunt ſacerdotibus prælatiſq; eccleſiarum. H E N. Quantum dare coguntur hi? L E G A T. Non minus quam triginta ducatos. H E N. Optime eſt. Sacerdos ſiquidem vicinus eſt nobis, qui multos iniuria affligit, ac iam aliquot etiam vulnerauit ebrius, atque adeo inſultat omnibus, nulli parcens; illi ſacroſanctum eum ruſum male multare non audent: denique nullius vxor, nullius etiam tuta præ eius libidine filia eſt: ſi cæſo eo poſſent ab homicidio abſolui triginta ducatis, interficient profecto, & tu pecuniam habebis. L E G. Non iubeo vt interficiant: ſi venerint tamen, abſoluo, pœnitentibus veniæ locus erit. P V E R. Pulchre, Chriſtus vetuit ne Chriſti eius tangerentur: hic iubet, vt pecuniam habeat, etiam occidi. Nec eſt quod ſibi hic blandiantur epiſcopi, tanquam ſoli ſacroſancti, quoniam & in eos arma exacuentur tandem: cum epiſcopus, excepta ordinatione, nihilo plus ſit quam presbyter, hoc quod iam tu egregie oſtendiſti in Suetia, ad nutum videlicet adulationemq; Tyranni, percuſſorem Archiepiſcopi è veſtigio abſoluens.

Legitimatio.

Diſpenſatio pro altari.

L E G. Illegitimos etiam legitimos facio, honoribus locum tribuo. P V E R. Hoc Cæſarem tantum poſſe audiui, num & id ſibi vendicat Papa? L E G A. Ad prophanos ille honores, ego ad ſacerdotia: imo etiam ſi qui truncis ſint membris, ad altaria Chriſti accedant, apoſtolicis literis poteſtatem facio. P V E R. Hoc quod nequaquam veteri teſtamento licebat, tanquam indignum Deo, illud ipſum hic ille pater ſanctus nunc, quaſi magis liceat, pecunia vendet. Noſtrorum etiam ſacerdotum vulgo ad plurima mala, ignorantiam videlicet, ebrietatem, ſcortationem. Hoc additur recte, vt mutili ſint, quo nihil turpitudinis ſit, quin in eis reperiatur. Tales cum ſint presbyteri, quales putabimus eſſe reliquam plebeculam? certe cæcorum cæcos, claudorum claudos ductores. Talia munera offert hic in Deum piiſſimus legatus. De quo iam plane ille dixit: *Vos ſacerdotes deſpicitis nomen meum, offerentes panes pollutos, cæcum & claudum & languidum in ſacrificium.* nimirum eos intelligens, qui ſacramentum Chriſti polluunt corporis: quorum anima clauda eſt, duplici ſcilicet ad precandum mente accedens: languida etiam ob virtutem deique ſapientiam: Cæca item, quæ videlicet non illuſtratur Chriſti lumine, nec oculum de euangelio contuentem habet. Nec miror cum ipſe, qui ſummus eſſe vult epiſcopus, etiamnum cæcus eſſe dicatur, aut ſi quippiam adhuc videat, caligent adeo eius oculi, vt etiam in dominico templo Dei lucernam non agnoſcat.

L E G. Veterum etiam eſt inſtitutum, ne quiſquam regii ſacerdotii honorem petat, priuſquam vigeſimum & quartum annum natus ſit: ad me vero ſi venerit viginti tantum annos habens, ſacris vt initiari ſacerdotalibus poſſit, literis apoſtolicis diſpenſo. H E N. Facile hoc intelligi poteſt: & id pro liberis noſtrorum commodum erit ſcio, quando nimium auent parentes ſacerdotes videre filios. P V. Facile certe intelligi poteſt, quid aurum faciat: non ſatis habet ſacrilegus, cæcos & claudos & omni vitiorum genere maculatos, ad altare ferre dominicum, niſi vitulos addat

etiam,

etiam, quibus certo ſcimus Dei ſpiritum non oblectari. Audiui quondam in templo puer presbyteri vocabulo ſeniorem ſignificari nobis, ſacerdotemque nuncium ad homines diuinæ eſſe voluntatis, ſequeſtrumque Dei & hominum: quare reliqua plebs de lege eos interrogare iubetur, quoniam labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, propheta ait, & legem requirent ex ore illius. Ex quo perſpicuum eſt, ſi ſacerdos eſt, ſciat legem domini: ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe domini ſacerdotem. Paulus quoque iubet ſapientem eſſe presbyterum, & habentem in doctrina ſermonem fidelem, vt poſſit conſiliari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. quomodo ergo quæſo hi poſſunt modo presbyteri eſſe, qui pueri adhuc ſunt? quomodo ſapientes & docti, qui, præterquam quod male & indocte educati ſunt, doctrinam quæ multo labore, multo tempore doctiſſimis præeuntibus etiam præceptoribus, vix percipitur, nondum habent? quomodo reſpondere de lege, qui ipſi, quid ſit lex domini & voluntas eius immaculata, plane ignorant? O tempora, ò mores, ò fuluum aurum! mirum eſt, non dudum Chriſtianam penitus interiſſe religionem: quoniam & nuper audiui, in Galliis duodecim vixdum annorum puerum factum Cardinalem: eſſe quoq; hic, certe non fit præuaricatio inſtituti humani, ſed diuinæ legis pecuniæ ergo.

Quid presbyter verè & ſacerdos.
Aggei 2.
Malachia 2.
1.Tim. 3.
Tit. 1.

LEG. Si cui ſuæ diœceſis horæ precariæ nimium graues eſſe videntur, vt liceat ſecundum ſtilum Romanum orare. PVER. Belle quidem; Romanus enim ſtilus eſt orare nihil: quanquam neque ego noſtros laudo, qui tanto labore pſalmis non intellectis Deum obtūdunt, adeo vt neſciat maledicant an orent ſupplices. Euangelica etiam hoc doctrina habet, ne multa faciamus verba, vt ethnici faciunt: quam adeo ii Romanenſes pulchre ſeruant, vt potius quam peccent in eam partem ethnicique fiant, penitus orent nihil: atque adeo hoc eſt quod nouo inter eos & Chriſtiano admodum prouerbio fertur, cum ſede apoſtolica orare eos: nimirum re quæ nec orat nec orare poteſt, quippe inſenſata.

Romano ſtilo orare nihil orare.

LEG. Si quæ etiam fuerint ſacerdotia, ſiue, vt vocant, beneficia, quatuor marcharum argenti puri dumtaxat ius dandi eorum ad me ſpectat; aut ſi quis illa ipſa velit commutare, aut alioqui ſub penſione reſignare, id me autore fieri licebit. HEN. Nihil horum intelligo. PVER. Non miror, at ego intelligo, vt qui nouerim quo pacto emptiones venditioneſque contingant. Hic profecto Simon non eſt Simon, hi ſunt Simones acerrimi. Si pecuniam habes, ſine negotio, ſine moleſtia quæ voles apud Fucharos proſtituta, ab Romanenſibus iſtis commercari licebit. Maiorum etiam reddituum ſacerdotia ipſe ſibi pontifex vendenda retinet: ſoluunt quas annatas vocant: & quo nihil retineamus, quin eis in prædam cedat ceu oues lupis, hos ad minorum reddituum vendenda ſacerdotia huc ad nos mittit. Quæ omnia noſtra fiunt ſocordia, nobiſque vtramuis in aurem ſecure dormientibus. Expectemus paululum ſinamuſque graſſari hos diutius, veſtes quoq; noſtras vendent quibus placuerit, atque tandem vxores quoque. Quid vero peius poterit excogitari vnquam, quæ illæ quas vocant penſiones? nihil profecto ſunt aliud quam prætextus, quibus Simon ille peſſimus obtegitur, qui Chriſti loco primas in Chriſti modo eccleſia partes habet.

Penſiones.

LEG. Has meas facultates tu Henno iam memoria complecteris. HEN. Tenaci admodum. LEG. Fac ergo ſentiam tuam induſtriam. PVER. Ego huic nomenclator ero, egregie enim doctus abs te ſum. LEG. Vacca tua Henno mihi non eſt opus: tu, vendita ea, ad me pecuniam portato. HEN. Faciam. LEG. At modo, ego interim bullam tibi & conſcribi & ſignari iubebo: vt cum pecunia adſit, eam paratam inuenias. HEN. Modo eo. Vale domine. LEGA. Valete. PV. Propere abi Henno. HEN. Hoc agam. Vale interim mi Bruno optime de me merite. PVER. Vale,

AD LECTOREM.

Si quid te lector offenderit, æquus iudicato, pro atrocitate rei adhuc nihil ſatis eſt. Effuſa hæc ſunt modo, breui maiora grauioraque expectato: neque deſiſtent mei reliqui ciues magno numero hoc modo graſſari, niſi tandem hic non ferendis malis Chriſti liberetur eccleſia, ac Germania ſuum retineat aurum, ac veram ab iis religionem diſcat. Tu interim hæc legens, riſum contineto, fleto potius.

EPISTO-

III.

EPISTOLA VDELONIS CYMBRI CVSANI DE EXVSTIONE LIBRORVM LVTHERI ET MONACHORVM Dominicanæ factionis nequitia, ad Germaniæ proceres & ciues.

Anno Domini 1520.

DOminicæ factionis Phariſæi, vulgus ſuperciliosum, iam olim Iudæo male tincto, qui cum pipere trans mare venit, bonis literis, eruditiſque omnibus, negocium inſtituerunt. Capnionem noſtis? modeſtiæ ac literaturæ non vulgaris typum. Iidem nunc quoque ſuæ farinæ theologaſtris in partem vocatis, Chriſtianam tranquillitatem aliquot annis miris impoſturis tentatam, toto euertere audacter ingrediuntur, vt diuinæ veritatis lumine extincto, fraudium ſuarum craſſiſſimam noctem mundo obducere, & humani commenti tyrannidem ſubſtituere poſſint. Venit huic negocio ſatis accommodatus Alexander, & idem Iudæus, Romano aſtu nebulo inſignis. Cui omnia venundari, quæ mundus hic, quæque cœlum habet, poteſtas eſt, omnia quidem quam veritatem amplecti poteſt, nihil eſt quod non petat, dummodo auaritiæ lorum non ſtringas, dummodo luxum in arctum non ducas Romanis. Dignus hic, qui Apoſtolicæ ſcripturæ fucum faciat, qui pia & ſancta inuertat, honeſta corrumpat, compoſita diſſipet. & mendacijs mendacia accumulet. Dignus qui pſeudochriſtianorum monachiſmo bonos quoſque perdere producatur. Sitit profecto beſtia hæc Cretenſis, Germanam libertatem, quærit vbique bullatis ſuis bullis, & ipſe bulla, principes viros in capturam prædæ Italicæ abducere. Quod muneris à Romanenſium Decumano gygante iniunctum, vt diligentius & cura maiore exequatur, omnes impudentiæ laxat habenas, nullis fraudibus, doliſque hoc portentum abſtinet, ad fallendum ſimplicium mentes impendio audax. At quid non auderet, ſemel amiſſa honeſtate, nebulonum malitia? qui quæque etiam nephanda, vbi ſpes refulſerit nummi, patrare non recuſant. Hoc eſt iſtud vlcus, quod tangi nollent, cui nouaculam addi poſſe negant. Quoties enim aliquis ipſorum auaritiam damnat, aut recta reuocare contendit, hic protinus in eccleſiam eſt impius, ſacrilegus, & ſi quid vllo nomine peius audit, iam non Chriſtianus, ſed hæreticus conclamatur. Dignus profiſcor Aleander predicatores monachos defendat: & flagitiis fabricandis adiuuet, in id quidem Roma vſque euocatus aduenit. Quorum malitia & inquinatiſſima morum libido toti mundo negotium iam diu fecit, neminem non prodidit, violauit, deuouit, & interemit. In quas reſpublicas peſſimis artibus ſeſe non inſinuauit? quæ regna, vbi aliquando nidum ſuſpendere cœpit, non extreme commouit, ac ſeditioſiſſime turbauit? Quos principes, reges, Cæſareſque male tractando non infecit? cuius familiam non corrupit, aut ſaltem ſolicitauit? Nihil profecto ab horum lalacia purum permanere diu poteſt. Diris deuouit olim Templariorum factionem Clemens quintus. Quod ſi horum vitam cum illorum moribus conferamus, hi ex omni terrarum orbe proſcribi, longe quam illi digniores inueniuntur. ſed altius quam vt euelli hæc labes poſſit, telluri inſedit, nullo peniculo, ſed raſtellis & ligonibus abſtergenda, ne pars ſyncera hoc putore infecta in præcipitium demittatur. Quis bone Chriſte ea ſcelera non auderet voluere, & ſine ingenti trepidatione cogitare modo? quæ impoſtores iſti perficere non verentur. Num Romanæ ſedis Imperatorem ſuſtollere, & quod multo omnium horrendiſſimum, in ſacroſancto euchariſtiæ ſacramento, toxico de medio auferre auſi ſunt? Quis in omni ætate atrocius flagitium vnquam audiuit? quam quod Bernenſis flammæ ſanctus ille ignis cœlo vltore expiauit? vt Florentinum facinus, & mille eius generis etiam taceam, quæ cum epiſtolæ prohibet breuitas, tum memorare quoque abhorret animus. Vnum hoc quod recens & adhuc nuperum eſt, cuius gratia hanc epiſtolam potiſſimum ſcribere adgreſſus ſum, tantum recenſebo, vt quiſque cui cerebrum ineſt, clare intueatur, quam impiorum hoc genus, obeundis laboribus, quibus Chriſtianæ ſynceritati imponat, patientiſſimum ſit. At comœdiam ipſam nunc ſpectabimus.

Martinus Lutherus homo vitæ probitate eximie clarus, & ſolidiore Theologia nemini ſecundus, quinquennium abhinc ſpiritu domini eo euectus eſt, vt Chriſtiano affectu mortales iuuare in vero Dei cultu, animoſe & conſtanter prodiret. Nullus enim in Chriſtianiſmo iam angulus pene extiterat, vbi non Chriſtiano candore extincto, nihil non commenti inductum eſſet. De Chriſti mehercles inſtitutione præter bracteata nudi tituli tectoria aliud fere habebamus nihil: quo eiecto mera humanæ libidinis tyrannis in locum tam auguſti regni ſubſtituta paſſim graſſatur, Chriſto, paupertatis, concordiæ, pacis, & ſpiritualium magiſtro, relegato: auaritiæ, ſeditionum, pugnæ & carnalium doctor Leuiathan in Eccleſiam aduocatus eſt. Sic peccatis noſtris, quibus acceptum tot ſeculorum malum referimus, iratus per annos plurimos Chriſtus, tam benigniter ab integro miſertus, diſcuſſa errorum caligine veritatis ſolem mundo reddidit, & diuinum euangelium aliquamdiu vt protritum, nec ſapientum ingenijs dignum, in eccleſia antiquatum, prædicari

paſſim voluit. Quæ res cum procerum ambitioni, qui de eccleſiæ habenis immodice gloriantur, & fulmini poſſe imperare ſeſe, populis iactant, amaroris non parum allatura videretur, ſacerdotum & pontificum auaritiam in parte deraſura, quæſtui Romano, quo nundinatus Chriſtianæ pietatis pudor, viliſſimis quibuſuis proſtituitur, modum aliquem præſcriptura. Non potuit hoc carcinoma cauterium, vbi in viuum pertrudi cœptum eſt, perferre. Occurrere molientes, Lutheri ſcripta & doctrinam, extra euangelium Chriſti nihil olentia, perdere ignominioſe recta tenderunt, hoc modo ſuis fraudibus conſultum iri arbitrantes. Cœptum eſt caput Lutheri diris Romano Epiſcopo deuoueri, virum ſanctum impietatis labe inſimulare conati. Quæ Chriſtiana vel ipſo Chriſto docente, omnibus comperta ſunt ſcripta, offenſionis rea, erroribus ſcatentia & hæretica condemnata ſunt. Non poteſt enim quæ Chriſti ſunt, ferre Belial. Hanc curam peſſimis artibus exequi ſubierunt Dominicani monachi, Aphrum malum, antiqua pernicies, ducem ſecuti Aleandrum anili dicacitate nobilem, quem Romanus ſacerdos ad hæc mala enutritum, nobis vrbe ſæuientem his diebus miſit. Horum opera Louanienſes theologaſtri ęternum nomen ſibi pepererunt. Et Colonienſis ſynagoga, iam Reuchlino & ingenio & honore dignis coloribus picta, maiorem famam nacta eſt. Menſis eſt, cum Bacchantum & temulentorum more, vicatim hoſtiatimq; per omnes angiportus, ædes & diætas omnes, paſſim diſcurrerent id genus nebulones, atq; nunc hunc, nunc illum ambiendo præhenſarent, vt inuenta aliqua ſuis dolis autoritate, innocentiſſimum & Theologorum omnium Chriſtianiſſimum Lutherum labe aliqua infamiæ denigrarent. Bone Chriſte, quæ Romaniſtarum impudentia orbi tum ibi innotuit? quę temeritas & dementia monachorum comperta? Veritate nihil poterant, mendaciis rem adgreſſi ſunt, & quidem tam apertis, vt nemo non quantumuis luſcioſus clare videret. Suggeſtu ſacrificulus ille monachorum opera & commento inſtructus, ad populum tanta impudentia detonare auſus eſt, vt mendacia, quorum bona pars auditorum etiam conſcia fuit, perfricta fronte, coram mentiri non erubuit. Ad rogum quidem, Bernenſis conflagrationis typo extructum, declamator ille nugiuēdus adſtans, Imperatoriæ Maieſt. & Principum ſeptemuirorum; penes quos Cæſarem deſignandi ius eſt & poteſtas, aſſenſu, Lutheri hæretici libros, monumenta, quæ vt poſteritas coleret indigna. palam concremari, induratam hominis, non ferendo errore, inſigni ſacroſanctæ Apoſtolicæ ſententiæ facto, pertinaciam teſtando. Illorum item tam probando voto, S.P.Q. Colonienſem conſtanter ſingulari quadam rei indignitate commotum ſubſcribere, iis & longe plurib. impudentis mendacii ſui næniis ſeculi iſte ſacerdos impietatem hanc adornare in plebe molitus eſt. Quo Chriſte bone reſpicis? num hanc peſtem fulmine aliquando tuo diſturbas? Audent nullo auerſante, nec Deum hominemue vltorem tanti ſceleris verentes, palam quæ diaboli fermento eruta ſunt mendacia, cum Chriſti euangelio mixta, populo prædicare. Quis hoc ſerpentum & viperarum genus; diaboli ſemen eſſe non dicat, qui patris ludo inſtituti, tam inuerecunde, abſq; omni metu paſſim mentiri tam inſigniter non erubeſcunt? Eſto Imperatore conniuente, quod vt credam, perquam difficile inducor, vt ne mandaſſe quidem tantum heroa dicam facinus illud, per vos mira vaphritia commiſſum: adde & aliquot eiuſdem vngenti, quos vel tyara Romano Pontifici admodum deuincit, votis veſtris conſilium opemq; tuliſſe. Tu ne proinde mendaciſſime prædicator, quot quot aderant principes viri, eos huic tragœdiæ inuoluere auſus es? Credis tot hominum mille millia tam eſſe ſtupidos, vt multorum ignorantia principum ſcelus tuum adgreſſum te non videant intelligantq;. Quorum ſi aliqui etiam ex præcipuis adfuiſſent, mihi crede, tu impoſtor ineptiſſime, quā non procul à populi ſeditione in tuam perniciem abfuiſſe diceres? Et dignus quidem hoc ſtipendio mendaciſſimus deblaterator. Sed tu tibi proſpice quam potes maxime prudēter, Kalendæ nondum abierunt. Senatus præterea quam ægerrime tuum infamandi rictum, & mentiendi impudentiam tulerit, tute tibi abunde teſtis es, qui vt pertinacius tuo flagitio poſſes patrocinari, ſanctam tanti magiſtratus integritatem impuriſſimis oris tui labiis contaminare, atq; huic fabulæ miſcere, haud veritus es. Digna lingua, quæ tam execrandi mendacij omnibus forcipibus pœnam & quam ocyſſime luat. Hoccine ſatis bonos damnare innocentiſſime? etiam criminis tui ſocios ementiaris ad patronos. Quamdiu quieſcetis iuſtiſſimi & ijdem Chriſtianiſſimi Germaniæ proceres? quamdiu bonos in vniuerſo mundo veſtra gloria fraudabitis? quæ quidem erit, ſi hanc omnis virtutis & bonitatis ſerpigenam & alte ſidentem maculam, publicamque Chriſtianæ religionis peſtem ab omni Germania, imo vniuerſo terrarum orbe excutiendam curaueritis. Sed priuſquam iſtos male loquentes, male apud vos audire optarem, mallem omnem huius impiæ ſcenæ fabulam præ oculis veſtris cauſæ eductam apparere. Quod commodius futurum arbitror, ſi rem omnem, vt ab his infelicitatis contentionibus commiſſa eſt, verbis proſequar.

Moguntiam inde ſenſim venenum hoc ſeſe promouit. Dictu non eſt, qua inſolentia Aleander Iudæus, Romanenſi fraude ligatus, & pedicatorum fecialis vrbem ingreſſus, criſtas ſurrigere cœperit, trophæa iam tum in hac ſancta vrbe de noſtra ſeruitute tholo ſuffigere cupiens. Clerum principio & longum myſtarum ordinem ſtatis ceremoniis & ſuo candore, vt ſanctior populo hæc tyrannis ſuſpicaretur, adeſſe voluit. Literarum collegium, populumque vniuerſum nulla humanitate, ſed ſuo quodam, vt putauit, in nos imperio inuitauit. Pape, in quam fortunam res hæc Romani Dei, præter quam ſperauerat, declinabat? Qui enim triumphum inſtituit, de noſtra patria prædam ſperauit, inter calones vix noſtratium manibus elapſus, cunctis de ſe pudentiſſimam fabulam dedit. Nemo mediusfidius aderat, qui quæſtuoſiſſimam Italici venatoris infaniam non rideret, non ſubſannaret, & pleno cachinno proſequeretur. At leue quidem hoc, palam

tem

tem etiam per templi aream, ſolumq; effœminati veſtitus cauda, & longo ſyrmate verrentem, in latus quidam pungentes, lacertis in anſæ formam extortis, loco trudebant, alij à fronte rhinocerota, à ſini auriculas & ciconias pinxerunt, reliqui tunicæ caudam calcaneo remorati, lapſabundum ſubſannarunt: nonnulli ſcommata & digna Iudæo dicteria in hunc nebulonem protulerunt. Omnia bene, modo lapides pecus hoc quoq; ſalutaſſent, & antiquæ matris oſſa cerebrum iſtud ſanctulum perfricuiſſent. Vidiſſes quam ſacrilegus ille foſſor, qui bonos omnes ex aduerſo appellat, noſtrates ſiue vera ſiue falſa ſimultate, inſimulet: vultu liuido & caperata nare, ſupercilioſo & obliquo intuitu, ore diſtorto, omnes inclamarit, nullos non bullato fulmine terrere tentauerit, ſui terram, cœlum & maria miſcens, ſub aliena iuriſdictione in quoſuis ſententiam minans potius quam proferens. Ieſcha monachum pedicatoriæ factionis, ad populum eduxit, qui Romanam tyrannidem fuco religionis plebi commendaret. Is ſuggeſtum aſcenſurus, neſcio quid magni ſecum cogitans, ſacrum limen iam cum ingrederetur, inuenit cathedræ oſtium repagulo occluſum, publica adſtantium ianua, in ferreum chorum conceſſit, atq; ibi quidem pene exanguis, totus pallidus, mortuo quam viuo vicinior, altari ſubnixus, pauca in Lutherum, pleraq;, Deo ſermonis aculeos mutante, in ſuæ farinæ fraterculos declamauit: pedorem fratrum ſuorum ſentinæ commouens, antiquum vulnus refricuit. Aderat ibidem tum quoq;, quem humanæ hoſtiæ & maleficis immolandis adhibere ſolemus lictorem: hic operam ſuam Romanenſium lucello, ut eos quos mallent aut notandos aut feriendos, locauerat, à quo qui Grammaticus factus, ſuis inſignior rediret, dignus eſſet Alexander. Ille vbi in innocentem Lutherum artem ſuam ludere, videret ſe impelli, facinoris impietate comperta, viro tam pio, tam ſancto & omnium bonorum calculis probo, ignominiam facere temere noluit, indicta cauſa, atque inauditum per ſe vllum damnandum eſſe, negabat. Hic eſt ille, ſceleſtiſſime Alexander, qui titulo tenus peſſimus habetur, honore omnibus abiectior: verum autem & exemplo tibi tuique ſimilium longe melior, & tota Romaniſtarum colluuie honeſtior. Hic inter Germanos nulli non poſterior, plus æquitatis, quam tota Romanæ iniuriæ virulentia poſſedit: ille ſui lucri facturam, quam innocentem mercede damnare appetit. Hæc omnes cum Chriſtiana pietate viros, ipſas quoque animas perdere, quam ſuæ amicitiæ quicquam decedere mallet. Vides Iudæe Alexander, videtis Romanenſes Itali, & tu demum omnis impietatis aſſertor Leo decime, quam ex æquo Germanorum Romanenſiumque mores diſſideant? Nos Chriſtum, vos Chryſum: nos publicum commodum, vos priuatum luxum colitis: vos veſtram auaritiam, qua nihil non in Chriſtiana religione contaminatis, & extremam inquinatiſſimæ vitæ libidinem: noſtram nos innocentiam & libertatem tuentes, pro ſuis quiſque bonis Chriſto adiutor, animoſe pugnabimus. Eſt adhuc alia, quę ante mille annos fuit, ſeruitutis neſcia Germania, & ſi tuorum mollitie nonnihil virium nobis ablatum ſit. Quod conduceret, nullum ex Germanis Romam vnquam adiuiſſe. Dulce quidem effœminandi noſtratium animos virus, hæc prurigo alit. Nec vetus ille maiorum vigor in toto elanguit, qui tuorum impoſtura eneruatus eſt, Chriſto miſerante ſolidabitur. Offucias multo iam tempore oculis noſtris obieciſtis, ſat præſtigiis & Romanæ ſuperſtitionis faſcinationibus conceſſum eſt. Cedant tot planorum auiæ, prodeat tandem Chriſtus. Caligo abacta eſt, & oborto veritatis lumine aliquando videmus, & ſi ſero, quos tute cæcos in Romanenſium commanipulatione ſæpe deduxiſti. Eſt hodie Germaniæ noſtræ ingenium, eſt conſilium & prudentia, ſunt qui ſemper fuerant viri: vires quoq; & animi eſſe, Roma propediem experietur. Quid de cæteris ſperabis? ſi audet tam intrepide, conſtanter & animoſe, ſi tam libere contra tuam hanc & Romani epiſcopi impietatem ſanguinariam eloqui carnifex? Quod hactenus quidem tam patientes iugo veſtratium aliquanto colla ſubmiſimus, hoc erat, quia auro noſtro inimicitias eſſe factas vidimus, quod extra Germaniam auferri, quam Germana manſuetudine quicquam indignum committere optauimus. Quouſque ergo in cenſum noſtrum, opeſq; patriæ noſtræ fraudes veſtras protendiſtis, nihil animi mutatum eſt, nihil in vos moliti ſumus, ne ſeditionum autores inſimularemur. Vos autem poſtquam facultatum noſtrarum prouentu, ingluuiem veſtram non exatiaſtis, ſed ad libertatem etiam noſtram, vnicum regni noſtri theſaurum, ſagaciore nare penetrare dolis & tyrannide veſtra adorti eſtis, etiam quam ſemel mordicus profeſſi ſumus Chriſti religionem, veſtris nugis, & ad fallendum inſtructo commento nobis auferre, pietatem diſperdere, licenter magis quam ad Chriſti ſortem vocatos decet, conati eſtis: non potuimus vltra in hac manſuetudine noſtra dormitare, ne quod olim in re leui & publicæ vtilitati nihil minitanti virus erat, in tanto rerum periculo, & gygantum contra Deum pugna verteretur in vitium. Nequimus, nequimus proinde Alexander, & vos cacodæmonum papiliones Romaniſtæ, ſcelerum veſtrorum portentoſam immanitatem amplius perferre, nec volumus. Germani ſumus, Germani manebimus, à maioribus degenerare ſummo inhoneſtatis loco eſſe ducentes, Chriſtianam religionem in ſpiritu, in amore, in pace, vt Chriſto authore per maiores noſtros nobis tradita eſt, fouere, amplecti, & exoſculari nunquam piguit, nec pigebit, Romanenſium autem ſuperſtitionem ethnicis & Iudæis maiorem, in ſua regna, vnde progreſſa eſt, ablegabimus. Tu interea Alexander, qui benedicendi facultatem titulo ipſo, reuera autem maledicendi & malefaciendi malam artem profiteris, nota aliqua, quantumuis magna mendaciorum tuorum officina fabricata, patriam noſtram inurere, & quæque peſſima, quod facis, in nos diſſeminare potes, pœna te manet, ſuos non multos relinquet Chriſtus. Martin. Lutherus homo Dei, & Chriſti Apoſtolus, noſter eſt, eum quoad à Chriſto non deſciuerit, quod in perpetuo non facturus eſt, defendemus & propugnabimus, ne in famelicorum dentes crudeliter tradi poſſit.

Vos liberrimi Germanorum proceres, vos patriæ ciues & municipes, oculos cœlo ſuſtollite! qui ſuperne eos vobis aperuit, gratias Deo agentes, quo occaſio aliqua nobis oblata ſit, Italorum tyrannidem, & Romaniſtarum inſatiabilem auaritiæ voraginem elabi poſſe. Nulli rei tantum inuigilandum, quam vt eos, qui malos mores ciuitatibus intulerunt, procul expellant. Ad vitia quidem cum omnes proniores ſumus, tum præcipue cateruatim in ea ruimus, vbi, qui rerum potiuntur, & religioni præeſſe gloriantur, paſſim & publice peccant, quorum ſtudia hi ad ſe non conuertunt. Præcidite ergo vitiorum capita, & tot errorum authores, vt populus ad Chriſti præſcriptum, vnde aliquandiu ad Idola adoranda abductus eſt, bene beateque viuat, auaritia, luxu & ignorantia, à templis proſcripta, populus mutua liberalitate, vitæ caſtimonia, cum Chriſto ſapienter ætatem inſtituat. Hoc clamat omnis populus, cuius vocem Dei vocem eſſe, oraculo iam olim proditum eſt. Vos interea, optimi Germani, aures veſtras Vlyſſis exemplo, ad antiqui Draconis ſibilum obturate, nec quicquam viro bono & Chriſtiano indignum de Luthero in animum concipite. Scio vſquequaq; tempeſtuoſos auſtri flatus circum obſtrepere, qui homini inuidiam excitare enixiſſime laborant: ſed Chriſtus non permittit. Audio indies de ſacramentis, de matrimonio, de poteſtate, imperio & magiſtratu antiquando, in eum æmulorum clamores: quos inter Murnarus ille Franciſcanæ factionis monachus, egregius bonorum decoctor, etiam in ſacris tractandis celeberrimus ſycophanta, nuper libellum edidit ſuppreſſo nomine, mire ineptum, ſed quo rudibus imponere poſſit. Te per Chriſtum obteſtor, qui Martino male vis, priuſquam illius ſcripta damnes, ea prius, nec tumultuarie legito: diſperеam, ſi non plane mentiri eos dicas, qui imprudenter nunc vociferantur Lutherum omnem poteſtatem & magiſtratum velle abolere, Cæſari & omnibus Principibus negotium inſtituere, ſeditionem optare, ad tumultuandum plebem exhortari, Socratis rempublicam, caninam libidem reducere, mulieres communes facere, matrimonium eleuare, ſacra omnia prophanare. Quis tam eluſcatus, vt non videat, vnde ii venti exoriantur, prope mons eſt, horum flatuum emiſſor, vicinum habetis Ethnam, hanc flammam eiaculantem. Vos ſpiritus probate, an ex Deo ſint.

IN PORTENTOSVM ROMANI PONTIFICIS MINIſtrum, ſub ouino tegmine rapaciſſimum lupum occultantem, Hieronymum Aleandrum, D. Martini Lutheri quidam diſcipulus.

AN non in fatis hoc eſſe videmus, vt vſque
Chriſticolam populum turpis apella premat?
An non verpus erat, quo fretus Iulius olim
Impia tot reges mouit ad arma pios?
An non verpus erat, Iuda ſceleratior ipſo,
Per quem tempeſtas ſæuiit Hochſtratica?
Nunc Aleander adeſt recutitæ gloria gentis,
Intentatque viris omnia dira probis.
Ecce armata venit fictis nigra bellua bullis,
Et ciuem ſimulans, hoſtica cuncta parat,
Exurit libros, magis exurendus at ipſe,
Si caperet factis præmia digna ſuis.
Hoc monſtrum Caroli regis ſe truſit in aulam
Funeſtans Furijs omnia læta malis.
Ipſe licet ſacro fingat ſe fonte renatum,
Attamen agnoſcit gens recutita ſuum.
Agnoſcit verpus ſtrepitum, ſua verba ſonantem:
Agnoſcit vultum, mentulam, & ingenium.
Quacunque aſpicias, Iudæum cuncta loquuntur:
Sermo, fides, mores, os, color, ipſe habitus.
Quot monſtra hic Lernam conflata videmus in vnam,
Siue Midam ſpectes, ſiue Thraſona magis?
Eſt Gnatho cum libuit, non hoc furioſior Aiax:
Sæpe etiam fœdus Sardanapalus erit.
Cætera non referam. quibus ipſum Sardanapalum
Exuperat: quid enim nota referre iuuat?
Non habet hic oculos generoſi principis aula?
Non habet hic forteis Teutona turba manus?
Huius progenitor, triginta prodit Ieſum
Nummis, hic vltro prodere non dubitat.

IV.

SIMON HESSVS LVTHERO OSTENDIT CAVSAS, QVARE LVTHERANA OPVSCVLA A COLONIENSIBVS ET Louanienſibus ſint combuſta. Idipſum enim petit Martinus in libello quodam, vbi rationem reddit facti ſui. Nam ob xxx. articulos erroneos in Papalibus libris inuentos Ius Canonicum ſe in flammas conieciſſe ſcripſit.

Anno Domini 1521.

LECTOR, NON PIGEAT TE IRONIAS HESSI PERLEGERE, habes quo pulmonem exerceas, ſic enim Heſſus Curiam defendit, vt ſi decem ſint Heſſi Romæ propugnatores, breui perire fame vniuerſam Curiam neceſſum ſit.

SIMON HESSVS SACROSANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ Protonotarius, S. Pontificis familiaris, Domino Martino Luther, Doctori Theologo, S. D.

PEruenerunt in manus meas articuli ex iure Pontificio, quos nuper Wittenbergæ publice condemnatos combuſſiſti. Atque in fronte libelli petis, vt tibi aſſignentur errores tui, & ratio condemnationis, quaſi S. Pontifex, cuius voluntas mihi pro ratione eſt, cuilibet rationem reddere debeat. Ego vero vt humilis Romanæ Curiæ fautor, ex officio me facturum arbitror, ſi quam breuiſſime, quod item tu feciſti, in ſingulis tuis articulis oſtendam, quare ſint condemnati, ne fontem iuris omnis Romanum Pontificem, ſine iure aut approbare, aut damnare quicquam, poſthac exiſtimes. Quid enim iniquum magis, quam ſic ſentire & loqui de eo, qui Chriſti vicarius in terris ligandi & ſoluendi pro nutu omnia, pleniſſimam habet poteſtatem? Sed ad tuos errores veniam, audi igitur Martine iuſtitiam Romani Pontificis, & cauſas damnationis.

Voluntas Papæ pro ratione.

Papa fons iuris omnis.

Primo omnium contendis, *Sacramenta nouæ legis non conferre gratiam iuſtificantem, non ponentibus obicem?* Quid igitur aliud faceret Pontifex, quam fecit? Damnauit hunc articulum, vt protinus ab initio præueniret multa incommoda S. Apoſtolicæ inde ingruentia. Bonus epiſcopus & ſpeculator eſt Leo, ſtatim proſpexit, quæ futura erant, & prudenter ſuſpicatus eſt, ex hoc articulo ſacramentorum contemptum oriri, quæ tam ſancte à diuo Thoma in hunc ordinem erant digeſta, quæ res non ſolum pietati Chriſtianæ noceret grauiſſime, ſed & ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ emolumenta ſemel aboleret. Sunt enim ſacramenta quædam S. Apoſtolicæ multo lucroſiſſima, cuiuſmodi ſunt Ordo & Matrimonium. Quod ſi vel tenuis ſuſpicio orietur in populo Chriſtiano, non tantum gratiæ conferri in his ſacramentis, quantum præcones ſedis ſacroſanctæ prędicarunt aliquot ſeculis, contemptim & irreligioſe ſeruaretur, quicquid de matrimonio & ordine in iure Canonico, de impedimentis & affinitatum gradibus callide & vtiliter eſt excogitatum, nec minima lucri portione fraudaretur ſacroſancta ſedes, quæ cum ſit ſuper Reges & Imperatores, *C. de epiſ.* & de vtriuſque gladii maieſtate formidabilis vrbi & orbi, vt ait Baldus *l. reſcrip. C. de prec. Imper. of.* ſumptus certe multo maximos ferre cogitur, neque id facile quibit, niſi ex quæſtuoſis diſpenſationis nundinis & Romæ licitis ſacramentorum cauponationibus, velut regios ſibi cenſus faceret. Neque hic mihi Apoſtolorum & primitiuæ eccleſiæ ſordes & tenuitatem obgannias, ſiquidem qui ſeruiunt altari, de altari viuant, qui ſpiritualia vobis tot bullis diſſeminat, num per te prohibebitur carnalia metere? Tu iubebis primus Pontificem paſcere gregem, & de lacte gregis non manducare? nunquam bouis triturantis os ligabis. Portionem presbyteris ſufficientem aſſignat ius *c. extirpant. de preben.* quanto iuſtius ei decernit non portionem, ſed totum, cuius auctoritate ſacerdos eſt ſacerdos? Magnum vero eſt Pontificem, qui Chriſtianis omnibus dat bene viuere, ex eorum bonis viuere? Ridicula res paupertas eſt Satyrico, quæ & ſummi Pontificis maieſtatem eleuaret, & Turcis expugnabilem faceret. Atque Romæ inprimis non licet cuiquam eſſe pauperem, quanto minus Pontificem Romæ dominum? aut totius orbis potius, cum eum Baldus *Imperatorem* vocet, *qui à nemine cogi poſſit.* Iure igitur vides tuum hunc articulum Rom. Curiæ tam inutilem damnari, ceu initium quoddam inauſpicatum Romanæ paupertatis. Senſit nimirum cordatus Leo hanc propoſitionem originem eſſe, è qua paulatim Romani iuris deſpectus irrepat, & Pontificiæ ſedis imminutio, atque clades quædam Romanæ opulentiæ. Vide Martine, quam parum tuto & vtiliter ſanctitati Romanæ conſulueris

Sedes Rom. ſuper reges & Imperatores.

Papam Baldus Imperatorem vocat.

tis. Cum igitur vt Romana veritas teſtatur, omne robur ſcripturæ à pectorali Pontificis ſcrinio pendeat, infirmum eſſe hunc articulum quis dubitauerit, vt cui Pontificiæ autoritatis calculus non acceſſerit, neque accedere vllo pacto poſſit, aut ſi maxime cupiat poſſitq;, non tamen ferret hunc conſenſum Romana Curia. Quid Martine naſum criſpas? neſcis Pontificem ſolum omnia iura habere in pectore, & ſi hæreticus eſt, medium tamen digitum toti mundo porrigit, ſacris canonibus id fortiter teſtantibus, 22. *diſt. c. quia traditioné*. Item, 23. *diſt. c. præterea.*

Secundus articulus, *In puero poſt baptiſmum remanere peccatum* adſtruit. In 3. vis *fomitem peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, morari tamen animam à corpore exeuntem ab ingreſſu regni cœleſtis.* In quarto fingis quoddam *purgatorium intra animam morituri & frigide diligentis.* Hos tres articulos non iniuria damnauit Pontifex, cum ſint contra Eccium, Romanæ ſedis ſtrenuum tutorem, bullæque terribilis confectorem oculatiſſimum. Quoſdam enim articulos damnari oportuit in fauorem Romanæ Curiæ, quoſdam in gratiam Eccii, ſine quo bulla non eſſet rite confecta. Nam tria puncta ad huiuſmodi bullam neceſſaria, Eccius non ſine Peripatetico acumine addidit. Cur igitur tam bene meritum Romanum Curialem non honoraret Pontifex? adde quod Eccius ex virtute obedientiæ, quæ eſt virtutum fons, Romam peruenit, per mare, per terras, per mille pericula rerum, zelo Theologico correptus, quo tuam nouam doctrinam Pontificis operibus contrariam ſupprimeret, quo facinore nunquam ſatis laudato ſic creditur illuminatus, vt propius veritatem viderit, quam tu Martine, qui in Septentrione degis, vnde *panditur omne malum.* Non video ſane, quodnam malum atrocius tua doctrina accidere Pontificibus Romanis potuerit, quæ ex diametro cum vita & moribus Romæ pugnat.

Eccius tutor Rom. ſedis.

Quintus articulus reiicit ſententiam ſcholaſticorum de tribus partibus Pœnitentiæ. Credebas Martine hic tacituram Romam, cui non ſolum Pœnitentia ſcholaſtica, ſed vel pars eius minima, nempe ſatisfactio loco ampliſſimi regni hactenus fuit. Agendæ enim ſimplicium conſcientiæ per ſatisfactionum carnificinas erant, vt promptius omni qualicunque Papæ Decreto obedirent. Stulte vero obtendis, pœnitentiam ſic inſtructam in ſanctis patribus non reperiri, quaſi minus auctoritatis habitura ſit. Suſpicari me cogis hoc loco te malum eſſe Thomiſtam. Nam præter ea quæ de partibus pœnitentiæ ſanctus Thomas conſcripſit, ſatis tibi eſſe debebat Romani Pontificis auctoritas, niſi ignoras Papam errare non poſſe, ſi modo ignorare tibi licet, quæ tam blande duo propugnacula Prædicatorii ordinis Caietanus & Sylueſter alter Cardinalis, alter olim Epiſcopus ſi voluiſſet; palam tam audacter clamant, & Eccius tam pugnaciter contendit. Cadit itaque ille articulus ante faciem Romani Pontificis conſenſu Caietani, Sylueſtri & Eccii tanquam hæreticus, idque duplici nomine. Quod enim triumuiri illi ſcholaſticæ Theologiæ damnarint, huic nec ipſa, ſi velit, ſalus ſuccurrerit, cum quicquid Romano Pontifici diſplicet, merito hæreticum cenſebitur, poſtquam Baldus vt humilis oſculator ſanctorum pedum ſcripſit, *C. de prec. Imper. l. reſcrip.* authoritatem Papæ maiorem eſſe quam ſanctorum. Papa, ſi neſcis Martine, extra aleam iudiciorum eſt humanorum, vt qui ſupra hominis conditionem euolans, ipſis pene angelis minari ſceptrum queat, omni iuri authoritatem tribuit, ipſe nulli ſubiectus, 25. q. 1. *Qui vos audit, me audit*, Chriſtus inquit. Et tu Chriſtum in Pontifice regnantem, minantem, probantem, damnantem, omniaque agentem non agnoſcis ſolus, Si cor regis in manu domini, multo magis cor Pontificis. Quo igitur fugies à conſpectu eius, qui velut homo eſt cœleſtis & angelus terreſtris? Plus nimio ſapis. Tuam in literis ſacris ſapientiam vltrices flammæ Prædicatorum miniſterio conſumpſerunt, qui hoc nomine immortalem gloriam merentur, quod vbique miro ingenio hæreticis obſiſtunt, & ne hæreſes olim pullulent, magna vi nituntur Græcitatem & Linguæ Latinæ feruentia paſſim ſtudia impedire. Palam eſt enim ex his ſtudiis prodire homines audaces, Thomæ, Scoti, & aliorum celebrium Theologorum contemptores. Hi per linguarum cognitionem adeo curioſe omnia rimantur in literis, vt audeant Thomam ceu errantem abiicere, cui vel in verbo diſſentire anathema eſt.

Satisfactio regni loco hactenus fuit.

Sylueſter olim, epiſcopus ſi voluiſſet.

Triumuiri ſcholaſticæ Theologiæ.

Prædicatores.

Sextum articulum forte Pontifex non damnaſſet, ſed iterum Eccio tantum itineris emenſo gratificandum fuit. Quandoquidem pro conſcientiarum diuerſitate nunc ab amore, nunc peccatorum deteſtatione ordiri pœnitentiam poſſe, nec ipſe nego, at tu imprudenter agis, qui probatum iri vnquam credis Pontifici, quod Eccio diſplicuerit. Prudentiam tuam ſicut in aliis pleriſque, ita hoc vno pluſſimum deſidero, qui non cogitas, quanta ſint Eccij in Curiam merita. Nam ſi decem forent Eccii, ſperaret Pontifex Sedem Petri in tuto locatam, quæ nimis impie impugnatur à te, tuique ſimilibus, qui liuentibus oculis Romanæ Curiæ pompas Regales, diuitias Perſicas, ſplendorem fortunæ non ſine dolore aſpiciunt.

Dolum Eccij.

Septimum articulum, vt Romani Pontificis cenſibus nocentiſſimum rectiſſime execratur Curia. Nam ſi ille mortalium animis infixus & perſuaſus hæreat, plus adiumenti & ſolatii peccator & pœnitens poſthac è cœlo expectabit, quam ex Curia. ſic enim cogitabit, nulla eſſe tam immania ſcelera, quæ non condonatura ſit immenſa ſeruatoris clementia, ſi adſit propoſitum vitæ emendandæ, ſic peribit totum negotium contritionum, quod non ita inutile fuit ſacerdotibus, præſertim Romanis. Quo magis poſt confeſſionem à ſacerdotum præſidio pendere ſe laicus crediderit, eo in eos erit beneficentior. Paciſcetur miſſas, emet condonationes, mercabitur collectas, neq; plene remiſſa arbitrabitur peccata, niſi numeroſa ſacerdotum ſubſidia coemerit, aut remiſſa quidem peccata credet, iratum tamen etiamnum Deum ſeueriſſime ſupplicia intentantem, placari non poſſe, niſi ſacer-

dotes

dotes ditet, tametſi crucem euangelicam ferre paratus ſit, ſicut etiam timor domini eſt initium ſapientiæ, ita timor ſacerdotum eſt initium opulentiæ.

Octauus articulus, tibi Luthere non ſtabit, quamuis enim Romanis gratiſſimus ſit, vt qui ipſi non perinde curent confeſſionem, ſi non me fallit tritum Romæ adagium, *à Curia* aiunt *tria aſportari, Inanem marſupium, conſcientiam malam, ſtomachum malum.* Verum non eſt ex re Curiæ ſic reſipiſcere Germanos, vt ad vnguem explorent, quid inſtitutum, factumque ſit in eccleſia primitiua. Mallet Curia nos nihil præter Decreta Pontificum noſſe, atq; adeo multis ſeculis Roma, noſtra ſimplicitate freta, noſtraque obedientia ſuauiter vixit, donec tu è Septentrione exemiſti noxium caput & quietem Romanam intempeſtiue diſturbaſti. Quod ſi in venialium peccatorum, in circunſtantiarum, in ſcelerum filiis & nepotibus, inque aliis prope infinitis ſcholaſticæ confeſſionis moleſtiis paſſus eſſes occupari Germanos, nihil ocii fuiſſet ad excutiendum vrbis ſtatum, ad examinanda Pontificum facta. In timore & obedientia Pontificis perſtitiſſet populus, neque vnquam craſſa alioqui Germania in tenuem illam eccleſiaſticæ libertatis ſpeculationem arrexiſſet animum, niſi tu monitor nimium diligens eo prouexiſſes rem, vt pene in rebus fidei doctior videri velit laicus, quam ii, qui Pontificali mitra conſpicui vtriuſq; teſtamenti cognitionem habitu oſtentant.

Timor ſacerdotum.

Dolet Romanis quod Germani reſipiſcant.

Laici in rebus fidei doctiores hodie epiſcopis.

Nonus articulus, Martine, intolerabilis eſt, non tam Pontifici, quam Theologis quibuſdam, qui Modos confitendi mirabiles, ſcrupulorum magiſtralium plenos & ſubtiles præſcripſerunt, quos non facile quilibet intellexerit, vt mireris tanta hominum ingenia, tam fœcunda, tamque acria in excogitandis nouitatibus. Næ tu igitur impudens qui ea poſtulas aboleri, vnde immortalitas obuenire auctori ſolet. Neque enim tam vtilitatis quam famæ interdum ratio habenda eſt, & tentanda via, qua ſe quoque poſſit tollere humo & volitare per ora virum, homo alioqui in cellæ vmbra perpetuo obſcurus. Quid quæſo exquiſitius ea arte quam de purgandis conſcientiis magiſtri noſtri commenti ſunt? Quis angelus, quæ latebræ, qui receſſus cordis humani tam ſunt abditi, quin illorum ars pelluſtrarit, tam oculata, vt nulla impuritas vſpiam illorum Lynceos oculos ſuffugiat. Dum enim vtranque clauem ſcientiæ & poteſtatis manu geſtant, nihil eſt tam obſeruatum in imo pectore, quod non aperiant. atq; hoc pacto purgant omnia, & fiduciam homini faciunt integræ dignitatis, nec quenquam de ſua ſatis digna præparatione dubitare permittunt, ſic ad perpendiculum metientes omnia, vt puritatem ad altare afferre doceant hominem non aſportare. Faceſſat igitur tua in liberum arbitrium diffidentia tam potens, vt naturalium bonorum viribus ſibi parare puritatem cordis queat, priuſq; ſacerdotis abſolutio peccatorum nexus diſſoluerit.

Decimus articulus plane hæreticus erit, nec vlla venia dignus. Quid tibi vult hæc ſeueritas Luthere, quæ ſupra fidem nimis ſuperſtitioſe omnia ædificat, cum fides, virtus duntaxat quædam ſit, non ſupra alias, ſed eodem ſubſellio poſita, habeatq; functionem propriam, diſtinctam ab operibus aliarum virtutum. Si tantum tribuis fidei confitentis, quid relinquis poteſtati clauium tam arduæ, vt quicquid ligarit ſuper terra, ligatum quoq; habeatur in cœlis, & quicquid ſoluerit, quocunq; modo ſuper terra, ſolutum illud ſit in cœlo?

Ad vndecimum quoque articulum facile reſponderim, qui totus magiſtrorum noſtrorum in *Quarto Sententiarum* opiniones peſſundat. Deſidero hic Philoſophiam Ariſtotel. in te, ſine cuius cognitione nemo abſolutus Theologus euaſerit. Noſti opinor, actus actiuorum eſſe in patiente prædiſpoſito. *ex ii. de Anima.* Cum autem abſolutio ſacramentalis gratiam conferat quæ mundat hominem, & gratia illa forma quædam eſt, plane neceſſaria eſt in anima ceu in materia in qua prædiſpoſitio contritionis ad recipiendam hanc formam, neq; ſine hac prædiſpoſitione ſuſciperetur hæc forma, proinde in contritionem ſpes ponenda eſt, & propter eam, ſperanda abſolutionis gratia. Hac magiſtrali determinatione irrefragabili corruit vndecimus articulus.

In articulo duodecimo, non te feret Pontifex eadem ratione qua in decimo. Noua enim hæc doctrina eſt à trecentis & amplius annis non audita, tantum poſſe fidem quantum ipſe nuſquam non inculcas. Nihil vnquam ſcholaſtici repererunt ſimile. ſic effers fidem, vt non dubites eam fontem appellare ſalientem in vitam æternam, & tantum non omnia huic vni virtuti tribuis. Quæ ſi vera eſſent, quod tibi neque Thomas, neque Ariſtoteles, vnquam dabunt, ocioſam feceris eccleſiam, deſides Chriſtianos, dormitantem mundum. Sola enim fide contentus, paruifaciet vniuerſam Ceremoniarum pompam, quo loco ruſum non vides hominum incautiſſime, quantam iacturam factura ſit Roma, quæ eo erit tutior, potentior, ditiorque, quo minus Chriſtiani hanc tuam libertatem & fidei amplitudinem intellexerint. Atque contra Romanam eccleſiam vel hiſcere inexpiabile eſto, cum orbis & eccleſiarum magiſtra, non accipere ab aliis, ſed dare iura conſueuerit, & ordo præpoſterus erit, ſi tu membrum velis capiti leges præſcribere. Caput autem tuum & Chriſtianorum omnium Pontifex eſt Romanus, niſi Decreta mentiantur, quod quis auſit affirmare? cum ſint ſimulacrum eius qui errare ipſe nec vult (quia ſanctiſſimus) nec poteſt, cum Chriſti in terra vicem gerat, & ſit virtualis eccleſia, Syluestro noſtro locupletiſſimo teſte, cuius tibi auctoritas vel hoc nomine grauiſſima erit, quod Thomiſta eſt, inuictus diſputator in Ariſtotele, qui per magiſtraliſſimas rationes Thomæ non dubitauerit omnibus vel connotationibus Ockam, vel formalitatibus Scoti bellum indicere, vt interim taceam eius in Curia Rom. exiſtimationem. Accedit ad hæc ratio plane imperterrita, vtut tu eam diſſimules, Petrum omni Pontifice ſucceſſore ſanctiorem forte Rom. Curia dicet & gratiis perſonalibus copioſiorem. Verum quod ad ordinis & iuriſdictionis clauem attinet, Leonem decimum

Niſi Decreta mentiantur.

Papa non eſt minor Petro.
Papa Imperator, & Imperatoribus maior.

libere affirmabit Petro non minorem, quinimo de iure poſſe quæcunq; potuit Petrus. de potentia ſpirituali iam loquor. Nam ſi ad terrenam venero, iam tibi Pontificem non vt piſcatorem animarum humilem producam, ſed alterum Imperatorem, & hoc Imperatoribus maiorem, quod ſola plumbi maſſa formidabilior eſt orbi, quam ferro omnes Reges & Principes. Reges diſtinguunt ferrum in corpora, neq; vnquam ad animæ vitam penetrant, quæ potentia non magnopere regia & magna eſt, ſiquidem & latrones gladiis occidere corpora poſſunt. Age iam Martine, Papæ noſtri ſanctiſſimi potentiam accipe. Non ſolum ille poteſt ferro in noſtra graſſari corpora, ſicut alii Reges, ſed in ipſa animarum regna ſceptro potentiſſimo penetrat populator, animas inuiſibiles ferro imperuias, inuiſibili fulmine tranſuerberat. Hoc vero eſt vincere, hæc eſt ampla potentia. Iam ſentis opinor, te nimis craſſum Theologum, nec Decreti myſteria, nec Thomæ diſtinctiones capere, alioquin ex hac duplici potentia, geminum item gladium Pontifici tribuiſſes, corporalem, quo interdum hoſtes eccleſiæ Romanæ ab Italia Iuliano animo abſterret. Spiritualem longe penetrantiſſimum & ineuitabilem, quo ipſe in Petri ſede quieſcens, omnia mundi regna territat, & infinita animarum milia vno prope ictu transfigit. I iam & gladium Alexandri Magni, aut inuentum Germaniæ bombardarum tonitrua cum Papæ vel fulmine, vel gladio confer, & videbis quam iniqua ſit collatio. Imperatores vix vnam & alteram terræ partem ſua vi ſubigunt, & ſubactam poſſident. In corpora ius habent, non in animas, in viuos ſæuiunt, non in mortuos. Papalem potentiam formidat orbis vniuerſus. Antipodes etiam triplicis coronæ amplitudinem venerantur. Inferi, inuiſibilis potentiæ fulmina tremiſcunt. Viui ad Pontificiæ Bullæ vmbram & crepitum ſtupeſcunt. Mortuorum vmbræ eius late patentem vim nuſquã ſuffugiunt. Si formalis eſſes Martine & aſſuetus ad ſubtilia magiſtrorum Corollaria & argutias ingenioſiſſimas, hic vnum tibi Corollarium ex media Theologia Syluestrina proferrem. Dicam tamen. Si non intelligis, vt es nimis incredulus, mirabere ſaltem. Infero igitur ex ſupradictis hoc Corollarium. Summus Pontifex, quem tu nimis ſuperciliose epiſcopum vocas Romanum, eſt de iure Romano & de facto maior, potentiorque omnibus regibus & Imperatoribus terræ, & videbitur etiam maior Chriſto & angelis eius, & ſi in cœlum plenam poteſtatem haberet, eſſet iam ſummus in cœlo, in terra, & in inferno. Prima pars Corollarii patet ex *c. Clerici. de iudi. ca. de iudi. c. ſi dili. de fo. compe. c. 1. de no. op. nunc.* Et Ambroſius ait in Paſto. *Nihil ſublimius epiſcopis reperiri poteſt.* & eſt conſenſus totius eccleſiæ Rom. omnium Cardinalium, paucis nimis ſuperſtitioſis exceptis, & omnium officialium in vrbe, id eſt, datarii, & omnium eorum qui iam habent officia Curiæ, vel olim empta, vel emenda, Nam ingenia Romaniſtarum in artibus illis extorquendi aurum à Barbaris mire acria ſunt & felicia, & nunquam deficiunt. Vide quantam turbam contra te proferam vnum neque admodum diuitem, vt vel nominum ſplendor, vel opum magnitudo te pauperculum terrere debeat, ne tam animoſus contra Curiæ praxes inſurgas. Secunda pars probatur multo ſubtilius, quam vt vllum ingenium Wittenbergenſe poſſit aſſequi, quia nolunt Wittenbergenſes ingenia acuere cote ſophiſmatum, ideo nihil intelligunt ſupra Euangelium, Prophetas, & epiſtolas Pauli. Chriſtus ipſe in Euangelio teſtatur, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ſed regnum Papæ eſt de hoc mundo. ergo Papa eſt potentior & maior Chriſto. Maior eſt veriſſima, quia ipſa veritas Chriſtus loquitur. Minor probatur per donationem Conſtantini liberaliſſimam, per ius Canonicum, per diuturnam conſuetudinem, quæ habet vim legis, præſertim ſi eſt bona, ſed ibi optima eſt, quia orta a ſummo Pont. optimo, à bono non niſi bonum, qualis arbor, talis & fructus. Item ipſe extendit pomeria iuriſdictionis vſque ad inferos, & in purgatorium, vt teſtatur Ioannes Angelus Pariſienſis, qui palam dixit, *animas in purgatorio exiſtentes eſſe ſub iuriſdictione Papæ, & ſi vellet, poſſet purgatorium euacuare.* Et quamuis Theologica facultas Pariſienſis concluſerit hanc propoſitionem eſſe de errore ſuſpectam, neque publice prædicandam, ſatis tamen roboris habet, ſi vel Caietano Thomiſtarum coryphæo, vel Syluestro Prædicatorum principi placuerit. Et miror vehementer cur Theologi Pariſien. conentur tam temerarie contra infallibilem regulam fidei Rom. Pontificem quicquam ſtatuere, cum ſolus Pontifex ex iure Romano facto, id eſt, vniuerſalis eccleſiæ habeat poteſtatem ſcripturas pro ſe interpretandi, & non contra ſe. quia cum ipſe ſit Vicarius Chriſti, & Chriſtus ſit veritas, ſi quicquam contra ſe ſtatueret, idem contra propriam voluntatem, ergo contra veritatem ageret. Semper igitur & in omnibus debet ſuam propriam voluntatem ſequi, quæ (teſte Decreto Romano) non poteſt errare. Ex quo iterum habes pontificem omnibus apoſtolis eſſe maiorem. nam illi errare potuerunt, & ad minimum venialiter peccare, vt in Petro iudaiſante probatur. Papa autem nunquam poteſt errare, ita etiam magiſtraliter oſtendunt Caietanus & Syluester, id eſt, veritas hiſtoriarum. Quid etiam illi non comperti ſcriberent, cum recubuerint ſupra pectorale ſcrinium Papæ, vndè tam acutas doctrinas ſuxerunt? Nunc Martine mi, vt videas Thomiſtam eſſe Corollariorum & ingenii plenum, aliud audito Corollarium, Wittenbergæ neque intellectum ſane, neque reuerenter acceptum. Officialis aliquis poteſt eſſe potentior ſuo principe, quod eſt mirum, & ſeruus poteſt eſſe maior domino ſuo. Hoc eſt ſapere, hoc Theologi Wittenbergen. qui nihil noſcunt, præter Chriſtum, & hunc Crucifixum, non intelligunt, quia intellectum nimis humiliter captiuant in obſequium Chriſti, ſimplici fide contenti. Habent ex Euangelio, *ſeruum non eſſe maiorem domino.* quod ipſi candide & ſimpliciter credunt, neque tentant ſua ingenia, an poſſint hic limitationes illius textus inuenire, & aliquid ſubtilius comminiſci, quod ſi more Thomiſtarum eſſent curioſi, & non contemnerent Ariſtotelem, tunc ſubtiles, & inuentiui euaderent, vt nulla veritas in Euangelio tã ſimplex & ſolida inueniretur,

Papa maior Chriſto & Angelis.
Papa eſt maior potentior Chriſto.
Ro. Pontifex eſt infallibilis regula fidei.
Papa maior Apoſtolis.

contra

contra quam non Ariſtotelica arte aliquid probabiliter & pene demonſtratiue clamare poſſent. Laudandi ſunt Colonienſes & Louanienſes, qui ſummam eruditionem in diſputandi pugnis Ariſtotelicis ponunt. *Colonienſes Louanienſes.* Proinde ſi vſpiam hæretici inſurgerent, hæ vniuerſitates implorandæ eſſent, vt hæreſes aut ſyllogiſmis ad palinodiam adigerent, aut ſi illud non poſſent, Inquiſitoria auctoritate fortiter comburerent. Sed quid hæc ſubtilia ad Martinū, Theologum nimis euangelicum & Paulinum? *Mart. Lutherus Theologus Euangelicus & Paulinus.* Conſulte feciſſes XII. articulum tacendo, cum nouitates plerunque pariant, & in vulgo tumultum. *c. cum conſuetudines. & in c. firm. extra de conſue.* Ideo ſingulari prudentia hic cohibenda tibi lingua fuiſſet, ne ceremoniarum apparatui per immodicam fidei commendationem periculoſe detraxiſſes, & quæ ad vitam ſacerdotum ſplendidam commoda ſunt repente ſubtrixiſſes.

Tredecimo articulo, non ſimplici & elementari igne, ſed tartareo hic rogus inſtruetur. Quoniam ſemel vniuerſam Romæ ſubſtantiam ſubuertiſti. Vbi manet iuriſdictio antiſtitum eccleſiæ? vbi ordo? vbi obedientia? neſcis rurſum incircumſpectiſſime Martine, quam quæſtuoſum ſit pœnitentiæ negotium Curiæ Romanæ, & huc, ni fallor, ſpectarunt tot Modi confitendi anxiis præparationibus pleni, egregie ad pœnitentiæ quæſtum excogitati, ne eccleſia Dei in magnum Euangelii probrum ſit inops & mendica. Sic reſtringere iuriſdictionem Eccleſiaſticæ poteſtatis, caſuumq; reſeruationem, quæ ad timorem plebis plurimum habet momenti, eſt ſumma imis, ima ſummis confundere, & ſubtiliter ſanctiſſimi domini ærarium deplere. Tandem auctore Martino eccleſia, quæ myſticum corpus eſt, ſine capite erit, monſtrum erit. Nec ſimplex eſt Lutheri error, ſiquidem, qui membrum lædit, ob intimam omnium membrorum & mutuam dilectionem, totum ille corpus læſiſſe putatur. Quid dices igitur, ſi caput læſeris, à quo vis omnis & vigor membris influit, in quo totius corporis cuſtodes ſunt vigilantiſſimi, nempe ſenſus? Tolle ergo Pontificis auctoritatem ſuper eccleſiam, ex hoc corpore oculos, aures, guſtum, tactum, olfactum ſuſtuliſti, id eſt, totum corpus peſſundediſti. Huc Martine tendunt quæ ſcripſiſti hactenus. Parce quæſo eccleſiæ, ne ſine capite, hoc eſt ſine auribus & oculis ſurda, & cæca deniq; ſine omni ſenſu ſtupida pereat. Ad te pertinet eius vel perditio vel ſalus niſi nolis eſſe membrum, aut aliam habeas eccleſiam, aliud caput. Certe ſi manus cibum porrigere nollet ori, os manducare in perniciem ventris recuſaret, & ad hunc modum reliqua membra aduerſus caput conſpirarent, Æſopica fabella te admonuerit, quid ſit futurum, neque opinor Papam noſtrum caput verſaueris. Nam quemadmodum ex capite vigor in vniuerſum corpus dimanat, ita ex Papa ceu capite, vel ſi mauis corde, fluit in eccleſiam magna vis indulgentiarum. Quin tu myſterium myſtici corporis rectius expendis & inuenies, Papam non ſolum eſſe caput, ſed pene etiam omnes ſenſus, & membra illius corporis. In corpore vero ſingula membra ſuum penſum ſoluunt, laborant, quæ caput præſcripſerit. In corpore myſtico, Papa ſolus membrorum omnium officia exequitur, vt interim ſecure ſtertant ſingula, dum remittit eis omnia opera quæ facere ex debito pœnitentiæ cogerentur. Orandum eſt tibi ex mandato, tuenda virginitas ex voto. Papa omnia illa remittit, nec quicquam eorum facere compellaris, quæ vel ratio propria dictauit vel iuſſit ſacerdos, quid hoc aliud eſt, quam papam omnia per ſe facere vt membra quieſcant inertia. Qua fronte igitur tam bono capiti obſtrepunt membra ingratiſſima?

Decimumquartum articulum ex pacto comburit curia, in hoc enim arbitramur ſcholaſticos Theologos in præſidium Papæ Romam acceſitos, vt argutiis defendant, quod alioqui parum recte factum videretur. Dixit igitur Curia ſcholaſticis. Probate vos mea argumentis, ego veſtra ne corruant, fulciam auctoritate. Quod pactum vbi ſemel interuenit, ſeruatum oportuit, cum vel hoſti fidem ſeruandam eſſe docuerint Ethnici.

Idem ſentio de articulo quindecimo, quem vi eiuſdem pacti ignis abſumet, ne ſcholaſticorum in præparatoriis illis vigiliæ deleantur, & contra ſui fiduciam, plus nimio tribuatur fidei, quam vnam ſic vbiq; prædicas, vt ſolam videare ſalutis noſtræ alpha & ò conſtituiſſe non ſine cæterarum virtutum grandi iniuria.

In articulo XVI. nihil vlla diſputatione opus eſt, quid egemus teſtimonio? Blaſphemaſti, qui ſanctiſſimis Papæ auribus inuiſum Boemorum nomen inculcas, centies hæreticum te Roma vocat, centum rogis te iniiciet. Artem enim à Scotiſtis didicit, qua in centum ſimul locis idem corpus eſſe poteſt. Væ igitur cuti tuæ, carni & oſſibus, ſic in te frendent iam inquiſitores, vt atomos etiam combuſti Lutheri vſq; in Epicuri intermundia ſint perſecuturi. Quamuis etiam Primitiua eccleſia vtranque ſpeciem hominibus dederit, arbitrio tamen eccleſiæ, aut potius papæ, qui eſt omni eccleſia & concilio altior, vnam duntaxat ſpeciem dandam laicis, decretum eſt. Vtinam non vidiſſes tot priſcos eccleſiæ doctores, & ſupra Decreta Romana nihil ſaperes, ne tot ſeculis obſeruatæ paparum ſanctiones tam fortiter à te expugnarentur.

Decimamſeptimam propoſitionem ceu alimentis Curiæ aduerſiſſimam in fauillas abire cum reliquis oportet. Nam ſi populus reſciuerit indulgentias non depromi ex opulentiſſimo illo meritorum Chriſti ærario, ab emendis indulgentiarum bullis mire abſtrahetur. Bonum igitur opus impedietur, dant enim eleëmoſynam egenti Curiæ ſimplices ex præcepto euangelico. Hi ſunt certe pauperes, quos ſemper nobiſcum habebimus, quibus largiendum eſt, ne egeant. Quem vero tu fingis theſaurum, vnde ampliſſimæ condonationes exhauriantur, ſi alius eſt quam merita Chriſti, finitus eſt, ergo deficiet. iam metuet plebs iampridem defeciſſe exhauſtum, præſertim ſub pontificibus tam largis & profuſis, rurſum diffidentia orietur. Si merita Chriſti hunc theſaurum faciant, eaq; infinita ſunt: ſecure quotannis effundet quantum volet Papa, & emax vulgus, quantum

libuerit

libuerit emet, neque vnquam timebit penuriam. Pulchrum itaque certamen videre licebit, largiſ-
ſime ſine menſura & pondere effundentis Papæ, & tumultuoſiſſimæ ementis plebeculæ in rem Cu-
riæ non inutiliter ſuperſtitioſæ. Illud autem demiror, illa te fugere, quæ tam confidenter ſolennis
ſchola Pariſien. docuit, Pontificem vtpote ex theſauro eccleſiæ, qui ex merito Chriſti & omnium
ſanctorum colligitur, vbertim elargiri indulgentias non vnciatim aut libratim, ſed effuſiſſime. Scri-
bunt enim ſcholaſtici, ſanctos multo plura mala paſſos, quam eorum commeruerint peccata. Hæc
merita voluerunt formaliter vel virtualiter nobis indulgentiarum cupidis applicari, & Pontifex

F. Sanſon de Mediolano.

Romanus velut ſuperior quæſtor, illa merita formaliter nobis applicat, dum ad Germanos mittit
præcones indulgentiarum, vt anno ſuperiori ad Heluetios quendam Sanſonem miſit Minoritam,
qui illa merita liberaliter applicans, in tertio gradu diſpenſationes paruo vendidit, & animas ex pur-
gatorio per interpretem euocauit. Ex qua prouincia quamuis ingentem pecuniam & argenteam
menſæ ſuppellectilem ſecum Mediolanum abuexerit, nullam tamen ſatis dignam vicem recepiſſe
creditur, cum in nundinis illis nulla ſit ſatis æqua comparatio ſpiritualium ad viliſſimos nummos,
quibus nimium oneraretur Germania, niſi quotannis applicarentur nobis reſidua ſanctorum meri-
ta, quibus ipſi iam nihil egent. Quo loco te fraternaliter admoneo, ne ob hanc commutationem ſi-
moniæ mihi vocabulum obſoletum ſuperſtitioſus obiicias, non enim dederunt Heluetii ducatos il-
los pro ſpiritualibus illis bonis, quemadmodum equos emimus aut aſinos. craſſa eſt hęc imaginatio,
expenduntur pecuniæ inquantum ordinantur ad ſpiritualia. Papa plenitudinem habet poteſtatis:
proinde poteſt indulgentias elargiri per totam eccleſiam militantem, & tantas, quantas vult. Secus

Germanos Papa diligit, quia ſæpe viſitat per indulgentias.

vero iudica de aliis Prælatis, qui poteſtatem habent limitatem, *extra de pæni. & remiſſ.* Germanos au-
tem ſynceriter præ cæteris diligit; id quod conicere potes ex commutatione illa indulgentiarum ſæ-
pius apud nos facta quam apud alias nationes. Diligit nos mirum in modum Papa ob ſimplicitatem
natiuam, & diligit ex viſcerib. charitatis. Pater certe filium diligit, quē ſæpe viſitat, ſæpe ad virtutem
hortatur. Papa nos diligit, quos ſemper viſitat. & tenere diligit, quibus toties tot annorum millia re-

Nota bene.

mittit, toties pœnas prope innumeras per ſuos indulgentiarios cōdonat. Neq; vlla re perinde crucia
tur atq; illa morum mutatione, qua ex indoctis docti, ex ſimplicibus prudentes, ex cæcis oculati, ex
prodigis parci, ex obedientibus contumaces facti, colla Rom. poteſtatis iugo ſubtrahere incepimus.

In articulo decimooctauo, & ſi nihil aliud ſcripſiſſes vnquam, commeruiſti omnium in te elemen
torum perſecutionem. Non feret terra tam inutile pondus Romanæ leuitati. Non fouebit aer hic
communis hanc animam Romanæ eccleſiæ tam noxiam. Aqua procellas & voragines minatur.
Ignis ſtrenuus hæreticorum vltor iam crepat in tui perditionem, adeo tibi Martine mala omnia con-
flaſti, poſtquam nimis ſapiendo quam vellet Roma, ſecreta Copiſtriæ in prophanum vulgus incon-
ſiderate diſſeminaſti. Melius eſſet Curiæ Romanæ te Paulum & Euangelium nunquam vidiſſe, quā
ſic curioſe in eo philoſophari, & adamuſſim explorare quid liceat, quid expediat, & velut filo metiri
qualitatem & quantitatem indulgentiarum, & quod ſtupeo, homo male Ariſtotelicus, nullū tamen
prædicamentum obmiſiſti, in quo non indulgentias quæſieris, in ipſa etiam Metaphyſica diſquirens
quid ſit illud, quod tam celebriter vbiq; excipitur, tam prodigaliter erogatur, tam magno emitur,
tanto ſtrepitu defenditur, tot campanis præ Euangelio commendatur. O ſcelus, & ſi maxime intel-
ligeres indulgentias priuationem potius rei eſſe quam rem, non expediebat tamen illud in vulgus
ſpargere, quod conſtantiſſime hactenus credidit indulgentias Romanas theſaurū eſſe gratiarum, vt
eſt hebeti ingenio. Vnde munera gratiarum magna mole, non parce, vt alias, & vnciatim diſtribuan
tur bene nummatis. Quod ſi intellexerit à pœnis duntaxat ſe abſolui, nec omnibus, ſed papalibus,
vide quam nobis Tragœdiam concitaris, illuſum ſe queretur & expilatum. quod vt maxime verum
ſit, ad pacis tamen ſtabilitatem inutiliſſimum. Quid tu ad tot ſtationes Vrbis? ſimili ratione diſpli-
cebunt. ſed non prudenter agis, non omnibus illa parantur. Quocunq; tandem modo vigilans ec-
cleſiæ paſtor animas lucrifecerit nihil refert, modo lucretur. Sunt quidam diuitiis ſic onerati cæca-
tiq;, vt ad reſtitutionem male partorum, ad veram pœnitentiam, ad relinquenda bona, vt conſulit
Euangelium, nulla vi aut arte compelli allicíq; poſſint. Quid hic facies, ne illorum animæ ſpinis illis
irretitæ in tartara deſcendant? Stationes Vrbis ſunt erigendæ, & mellitiſſimis pollicitis ad qualem-
cunq; pœnitentiam, vel veram vel fictam, obdurati ſunt illiciendi. Qui ſi audierint tot [gr]atiarum
millia vnius plateæ, aut angiportus tranſitu ſe conſecuturos, in ſpem eriguntur, qui alioqui deſpera-
tioni proximi erant. Sic paulatim aſſueſcunt diuitias relinquere, ſibi ſubtrahere, addere ſacerdoti-
bus. O mirum ingenium! quicquid hic Gerſon garriat non moror, ſiue Sixtus quartus, ſiue alius
quiſpiam inuenit, palmarium habet, vt belluini homines his illectabulis ad ſanitatem mentis pede-
tentim redeant, quos alioqui nullum verbum Dei, nulla vis, nullæ minæ, ad pœnitentiam cogerent.
Huic animarum lucro ingenioſiſſimo tu obſtrepis Martine? Atque vt peccandi materia, diuitiæ, à
male vtentibus, Germanis auferatur, vt ad euangelicam veritatem paratiores expeditius Chriſtum
pauperem ſequi poſſint, Stationum illarum ineffabilis liberalitas ad nos mittitur, affigitur parieti
ſcheda, vbi manus picta omnium peccatorum remiſſionem, Crux, animæ ex purgatorio liberatio-
nem ſignificat. Quis vnquam deſperationi locus eſt in illo indulgentiarum immenſo mari? Iam
vides opinor, quod nunquam in euangelio & Paulo inueniſti, Indulgentias malo omnium ma-
ximo & terribiliſſimo mederi, nempe deſperationi. Nullus erit tam perditus leno, nulla tam ef-
frons meretrix, nullus tam illaqueatus mercator, nemo tam crudelis latro, nullum Romæ tam pro-
ſtitutum ſcortum, breuiter nemo tam alienus à Chriſto, qui non indulgentiarum buccinis ad pœ-

nitentiam

ſitentiam & ſpem excitetur, neminem ſinunt deſperare. Auditis enim tot millibus dierum & noctium carenis, quadragenis, & chiliadibus, non ſolum non deſperat peccator, etiamſi in profundum venerit, ſed in ipſo propoſito multos adhuc annos peccandi, hoc ſibi aſylum tutus fingit, quod perdito filio prodigo, nunquam non patet Romæ, & iam aliquot annis nunquam non patuit Germaniæ. Illa tanquam ſubtilia non te docuit Paulus, cui vni tamen plus fidei quam Scoto & Thomæ dediſti, in eamq; imprudentiam es prolapſus, vt incauta veritate pene omnes omnium hominum ordines in tuum caput concitaris. Verum age proponam tibi ante oculos triumphi inimicorum tuorum effigiem, vt vel hinc reſipiſcas, & ad communem huius mundi ſenſum redeas. Primo omnium Carmelitæ & Prædicatores congerunt ligna, vt ſunt glorioſi hæreticorum oppreſſores. Minoritæ calopodia addunt ſulphure conſperſa, quo citius tibi ignis tuum nimis lætum & alacrem ſpiritum ex corpore ſoluat, ne veritatem poſthac dicas. Idiotæ ſacerdotes in perniciem tui conſpirarunt, qui cum hactenus ſuperſtitioſis ceremoniis rem egregie auxerint, non ſine ventris tormento lucri imminutionem ſentiunt, & muliercularum reſipiſcentiam, quarum antea freti ſuperſtitione, ſuauem & delicatam vitam vixerunt, iam fame perituri. Accurrunt eccleſiarum antiſtites, præpoſiti, decani, cuſtodes, cæterique, quorum nomina ſcripta ſunt in libro Datarii, hi timent ſacerdotiis, quæ partim ingenti pecunia, partim malis artibus Romæ conſecuti ſunt. Frendunt in te Curtiſani irrequietum hominum genus, & patientiſſimum. atq; ita frendunt, vt ſi nullus ſit latro, qui in te gladium diſtringat, ipſi ſoli laqueis & gladiis, aliſque tormentis ſint ad necem iam inſtructiſſimi. Quicunque ſine Curia vel inglorii vel inopes viuerent, tuum ſanguinem ſitiunt. Etſi non raro Pilatus innocentiam rei conſiderans, liberationis cauſam quærat, ne tamen ab honore dimoueatur, contra conſcientiam propriam, lotis vtcunque manibus, in tuum caput ſententiam intonat. Mercatores, quorum vſura defenſoribus quibuſdam Thomiſtis & Scotiſtis, ſatis tuta & quieta hactenus fuit, à te primum nimis manifeſte picta & exagitata, illi inquam mercatores laqueum, gladios, eculeum minantur. Audires Craſſos illos craſſiſſimos miro ſupercilio tibi in conuiuiis inuidiam mouentes, & filios huius ſeculi verſutos & callidos, ſuos contractus, ſua ſcelera phaleratis verbis, detorto interdum ad hoc Paulo, argute defendentes. Ad hæc Laici, quorum nullus non antehac tuum nomen veneratus eſt, vel operam ſuam addent, vel læti ſpectatores ignem circumibunt, grandi tua moti iniuria, nam cum in matrimonio nimis ſuperſtitioſe debitum expendis, frigidis & male calceatis limites ponis, quos non facile attingent. Mulieres te vtcunque tuebuntur, quarum inſatiabili libidini non male conſuluiſti. Illarum improba Venus ea eſt viuacitate, vt nemo virorum non impotens ſit futurus mulierum cenſura, quippe qui non facile par erit mulieris cupiditati. Tum impotentiam vel veram vel falſam cauſabitur, vt libidinandi licentiam obtineat. Quotuſquiſque mi Martine iam potens iudicabitur, ſi huius rei penes mulieres ſit iudicium. Zelotypi igitur qui non ſanctimoniam rei conſiderant, cuius typum gerit matrimonium, ſed cupiditatis ſatiandæ curam habent, in te ſaxa, tela, gladios, ignes, ſulphur, fulmina, & nihil non torquebunt. Non egemus teſtimonio, reus eſt mortis. Quod ſi qui ſuperſunt paulo cordatiores inter eruditos, non erunt certe huius facinoris, vel autores, vel ſpectatores, conniuebunt tamen: hos enim male habet nimia tua loquendi libertas. Sunt enim qui à te nulla re magis alienantur, quam maledicentia tua, qua tu neque infimis neque ſupremis peperciſti, trahi te dicunt adfectibus, non duci ratione, quod in viro qualis tu eſſe cupis, graui & aliorum imo orbis cenſore ſatis indecorum putant. nihil ii patientur in te humani, & ſi ipſi adfectuum ſint mancipia, ferrent vtcunque te, ſi Stoicorum ſapientem imitatus, dumtaxat eſſes, qui ſcriberes quidem verum citra vllam hominis in te ſignificationem, citra adfectuum argumentum, qui ſane tantarum rerum non certi iudices ſunt. Rurſum apud quoſdam non damnareris, ſi latine monuiſſes orbem. Quidam ne ſic quidem viuere te patientur, vt qui erronea ſcripſeris. Non parum multis non ſatisfeciſti, qui paradoxa tua Scholaſticorum auribus inſueta ſtrictioribus quam oportuit, punctis abſoluiſti. Nam ſi maxime te boni doctique omnes intelligant, vulgus tamen, quod facile offenditur tam nuda nouitatum tuarum narratione non docetur veritatem, ſed prauis inficitur opinionibus. Siue igitur tu ſcandalum præbeas, aut vera moneas, non tamen ferendum te cenſent hoc potiſſimum nomine quod lactopotæ in fide offenduntur. Non curant illi, quod Chriſtus, qui recta docuit, ſcandalum nō dedit. ſatis eſt illis, quod Iudæi ſunt ſcandaliſati, moriatur deniq;. Si ex illorum quos recenſui, manibus eriperetis, actum tamen eſſet de vita tua, adeo paſſim rabioſa ſilentia mandunt Scholaſtici Theologi, quorum alius præter Scoti ſententias & Quodlibeta nihil legit vnquam. Alius Thomæ ſummas duntaxat imbibit. Sunt item, qui præter Lyræ commentarios nihil attigerunt ſacrarum literarum. Hi vero cum vel celebres iam habeantur concionatores, vel ordinarii Gymnaſiorum famigerati, non patientur nihil eſſe, quæ tantis didicerunt impendiis. Intelligunt fortaſſe, quam friuola & inutilia didicerint, non poſſunt tamen non defendere quæ didicerunt, ne nihil ſcire videantur. Ad hunc modum nullum eſt tibi Martine aſylum in quod confugias. Boni ſi qui ſunt & docti, tueri quem vellent, non poſſunt. quippe qui plerunque pauperes ſunt, eoq; vulgo contempti, nec magnæ auctoritatis, cum hoc tempore docti iaceant, indocti ad ſummos apices rapiantur. Adde, quod bonorum paucitas tantæ inſipientium multitudini impar tacere cogitur, non tam quod vitæ ſuæ metuat, quam ne recta monendo nihil proficiat. Quod ſi principum archigrammateos, & adulatores tibi infenſos reddideris, periſti. Nihil enim tam rectum eſt, quod illi ſycophantiis ſuis apud principes non ſuſpectum reddant, præſertim vbi autoris machi-

Nota periculum ex indulgentia. | Triumphus aduerſariorum Lutheri. | Carmelitæ. | Prædicatores. | Minoritæ. | Sacerdotes indocti. | Prælati. | Curtiſani. | Roma. Pi. | Mercatores. | Diuites. | Laici. | Reus ribaldorum tis. | Non patientur in Luthero aliquid humani, cum tamen omnes homines ſimus. | Theologi ſcholaſtici. | Noua. | Boni & docti.

[illegible] Principum corrumpuntur [illegible].

machinis oppugnantur. Id quod opinor, ſenſiſti nuper imprudentiſſime hominum, cum non regio, ſed adulatorum mandato libri tui in duabus Vniuerſitatibus flammis pœnas dedere temeritatis veritatis. Accedit ad hæc hominum inconſtantia, qui hodie te tuaque tuentur pugnaciter, cras Pontificum aut Cardinalium munificentia donati ſacerdotiis aut præpoſituris, tacent. Sic ineſcantur & capiuntur etiam boni & docti, quibus vinculis ligantur eloquentium linguæ, vt argentangina laborantes aut nihil loquantur ſilentio longe lucroſiſſimo, aut loquantur quidem, ſed ad gratiam omnia. Vt demirari non ſatis poſſim, quid tibi acciderit vni qui conſtans eſſe vis in tanta hominum mutabilitate. Nam ſi tecum ipſa reputares, quanto vendere tuum ſilentium poſſes, confeſtim tam diu te locutum fuiſſe pœniteret. Reſipiſce igitur, & cum tacendo non modo quietus, ſed & bene nummatus eſſe poſſis, frena imponito furenti calamo. Illa cum nec intelligas nec cures, miraris tamen cur tua crementur, & incendii ſcilicet tam iuſti cauſſas petis?

Lutherus poſſet ſilentium ſuum magno vendere.

Decimumnonum articulum, vt Romanarum aurium offenſiuum, imo pontificiæ maieſtatis læſiuum nemo feret. Quid expedit ſic efferre Chriſtum, vt Pontificis apud homines auctoritatem minuas? quod tamen fieri non ſentis, cum vim indulgentiarum non ſinis abolere, & tollere omnem culpam & pœnam? quod tam magnifice Curiales Bullæ pollicentur. Indulgentiæ enim tantum valent, quantum ſonant, claue non errante. Sonant autem magna, ne dicam maxima. Et diſce Martine, clauem Romanam errare haudquaquam poſſe, ſiquidem (Scoto Theologorũ theologiſſimo teſte in *diſ. XVIII. quarti*) clauis tum errat, quando non exacte circumſtantias rei, de qua eſt iudicium, expendit. In bullis vero Romanis adeo cautelis, circunſtantiis referta ſunt omnia, vt omnia Iuriſtarum ingenia huc impenſa, & vniuerſam notariatus artem huc effuſam ſuſpiceris. Reuerte igitur in viam Luthere, & indulgentias non perinde inutiles, præſertim quibuſdam, ſine eſſe aliquid. Quod ſi in opinione ſemel concepta figis pedem, & Syluestri ſolenniſſimi magiſtri noſtri argutiſſimas ex Thoma diſtinctiones diſcere renuis, nihil mirare combuſta eſſe, quæ contra hunc virum famoſiſſimum ſcripſiſti.

Indulgentiæ tantum valent quantum ſonant.

[illegible]

In articulo viceſimo irreparabiliter laberis, vt qui contra magnifica bullarum promiſſa, ſeductiones quaſdam imaginaris. Hæc enim cum ſalutaria omnia, imo compendio breui cœlum ipſum citra operam noſtram polliceantur, tu audes affirmare non ſalutares eſſe indulgentias, atq; ad fructum ſpiritus inutiles. Quem ſpiritum fingis Luthere? Non mittuntur indulgentiæ ſpiritualibus, ſed carnalibus, quos ſi vtcunq; ſolantur indulgentiæ, ne deſperent, non ſalutares modo, ſed ipſam ſalutem iure dixeris. Sed ſcio quid tecum muſſites. O egregium commentum inquies, Paulus dixit ſe ſpiritualia impertiri Chriſtianis, & pro his metere carnalia. Sed Curia Romana pro carnalibus indulgentiis metit carnalia. Vbi ingenium eſt tuum Martine? Si Romana curia pro ſpiritualibus acciperet noſtra temporalia, Simoniam perpetraret. Cum autem pro carnalibus carnalia det, permutatione ſane perquam honeſta, integram ſe ſeruat Curia à Simoniaca labe, quam ſatis ſtrenue fugit. Quod ſi aliquando vel de induſtria vel imprudens eandem incurrit, protinus medetur morbo ſuo, vel plateæ alicuius tranſitu, vbi multæ ſimul peccatorum Myriades atteruntur, vel ſalubri diſpenſatione in qua ſic valent Romana ingenia, vt hac vna è quouis ſcelere ſe euoluant. Combuſta ſunt ergo Luthere tua omnia.

Viceſimus primus articulus tota via errat, quo duris ſolum & impatientibus neceſſarias dicis eſſe indulgentias. Non vides quanto quiſq; religioſior, Deoq; deuotior, eo eſt ad coemendas has gazas liberalior ac promptior.

Porro quod in viceſimoſecundo articulo nimis ſuperſtitioſe, ceu digito metiris hominum genera, quibus proſint indulgentiæ, & ampliſſimos indulgentiarum fines in anguſtias deducis, & multis hominibus in hac ſacra merce emacibus viam præcludis multa merendi, non peccatis ſolum commiſſis, verumetiam futuris. Multas mortes commeruiſti. Quod ſi qui publicam ſalutem in Vrbe impedit, velut hoſtis patriæ proſcribitur, qua tu remuneratione dignus es, qui tot hominum merita intercipis, atq; interim demiraris, cur in ignem tua ſcripta ſint proiecta?

In viceſimotertio & viceſimoquarto articulis adeo es impudenter, imo inexpiabiliter lapſus, vt non tantum Romanã curiam, ſed & omnes omnium epiſcoporum curias, officiales, vicarios, notarios, citationum artifices, pedelloſq; in te concitaris. Nam ſi excommunicationem gladium eccleſiæ ſpiritualem (vt Cyprianus vocat) eſſe externas tantum pœnas probaueris, diligendam potius quam timendam, ad famem extremam redegiſti in Epiſcoporum curiis bonam ſcribarum partem, quæ ex huius gladii ſpiritualis tyrannide ſuauiſſime regnant egregie ditantur, diœceſibus formidabiles redduntur. Dum enim vulgus hominum ob excommunicationem qualemcunq;, eccleſiæ ſuffragio deſtitutum ſe & velut ex Chriſtianorum albo abraſum & expunctum, tenebrarum poteſtatibus dedi ſe arbitratur, occluſum repente cœlum, vt publicata excommunicationis ſcheda fuerit, apertam vtranq; inferni ianuam, omnes dæmones in prædam iam inhiare, Cerberum dentes in excommunicatum exacuere, Charontem ſubducto ad littus lyntre naulum expectare, nihil ſupereſſe aliud, quam vt omnibus deſtituta hominum & cœlitum præſidiis, infelix & excommunicata anima rapiatur ad Tartara, ſi modo Plutoni quicquam habere commercii licebit cum excommunicato: dum inquam ſic craſſe imaginantur homines, Centuriæ ſcribarum, notariorum, citatorum; pedellorum, officialium, procuratorum conſiſtorialium probe ditantur, pingueſcunt, marſupia cõferciunt, & ex miſeræ plebeculæ miſeriis feliciſſimam, mollem ac feriatam vitam conficiunt. Qui igitur pinguiculos illos dominorũ dominos partim venerabiles, porro in reuerendos è quietiſſima tot hono-

rum &

ſum & titulorum ſede exturbare in vitam inopem, & gloriæ expertem molitis, ſperas nihilominus veniam & librorum tuorum incolumitatem?

Viceſimus quintus articulus hæreticiſſimus à Curia iudicatur, ignem prouocat, idq; ſi nullo alio nomine, ſaltem Wickleffico, & Ioannis Turnacenſis, quorum alterum Conſtantia, alterum Pariſienſe Gymnaſium damnauit. Adde q; non placet ſummo Pontifici, ergo damnandus & comburendus. Tenet conſequentia per locum minime infirmum ab auctoritate fratris patris Syluestri, non parui Theologi & grandis Iuriſtæ, vt patet in eius ſumma, Ille confidenter adſtruit, doctrinam Romanæ eccleſiæ eſſe regulam fidei infallibilem, à qua ſacra ſcriptura robur accipiat, alioqui ſcilicet debilis & catura ſi diſplicuerit Papę. quicquid igitur huic doctrinæ eſt aduerſum, eſt obliquũ & contra regulam fidei. ergo hæreticum. Hũc aũt articulum doctrinæ Romanæ aduerſum, quis non videt? Cum Roma quotidie doceat diuino iure Monarchiam, & vnum principatum in eccleſia neceſſarium, eamq; Romæ eſſe, cui ſententiæ niſi ſteteris, duceris & tu ad ignẽ. Quod ſi mihi Apoſtolorum humilitatẽ obieceris, & Chriſti verba monẽtis, ne ambitioſi primos accubitus & ſumas ſedes quærant, confeſtim Pontificio clypeo protectus, dicam, tibi non eſſe auctoritatem ſcripturæ interpretandæ, ſed ſoli Papæ, cum tu errare poſſis. Papa autem nunquam, niſi mentiantur, qui hæc ſcribunt, quod dicere nefas eſt.

Per locum ab auctoritate ſratris patris Syluestri.

Nota.

Viceſimum ſextum, ſeptimum, & octauum articulos complicabo ſimul comburendos, qua parte maxime crepat flãma. Siquidẽ iuriſdictionẽ Papæ longã, latam, & profundã contrahunt, atq; eum cuius Imperium antea oceano & atomorũ orbe, aut Democriti mundis terminabatur, anguſtiſſimis finibus coercent. Ius Pontificium ſubruunt. Ex potentiſſimo Eccleſiarũ totius orbis antiſtite & dño, ſacrificulum pauperem & velut Romanũ quendam Plebanum faciunt. Porro ſi ob crimen læſæ maieſtatis Imperatoriæ capitis pœnam luit malefactor, quæ tãto ſceleri ſatis digna pœna ſtatuetur? Blaſphemus. n. eſt non tantum in Imp. ſed in eum qui & in ſpiritualib. & mundanis omnẽ ſibi ditionem vendicat, vel iure vel iniuria. Nã illud à nobis iudicari nec poteſt nec debet, ne os in cœlum ponere dicamur impii. Adde quod nota tibi eſſe debebant illa, *Tu es Petrus*, &c. id eſt, ſecundum Caietanum & Curtiſanos. Quilibet Romanus Pontifex tibi ſucceſſor, erit Eccleſiæ baſis, erit mundi dominus, pleniſſimam poteſtatem habebit ligandi & ſoluendi quicquid voluerit, cum & ſine pecuniis: Nec poteſt errare: quia quicquid fecerit, volet rectum videri omnibus. & ſi aliis errare videbitur, eo ipſo grauiſſime errabunt, cum nemo non ſit infra eum, & poteſtate & doctrina. Nec poteſt labi, niſi labantur perſernarij eius. quod raro accidit, quia Heluetij quadrati, proceri, & gigantæi ſeliguntur. Quod tamen ego myſtice intelligo, quoniam perſernarij Papæ ſunt eius voluntas & ratio, ab his portatur in rebus omnibus agendis. Ratio non cadit, quia ius omne habet in ſuo ſcrinio, neq; labitur voluntas, cum quicquid velit Papa, ſanctitatem illud velle dicant. ſanctitas autem non errat, cũ nec ſanctus erret. *Sanctitas* aũt cum abſtractum ſit, teſte Iacobo Hochſtrat de alta Platea, plus ſignificat quã *ſanctus*, nẽpe emphaticos ipſam ſanctitatis ideam, quæ nulla impuritatis mixtura polluitur.

Papa non poteſt labi, niſi labantur perſernarii eius.

Viceſimum nonum articulum nimis Boemicum flammis iure optimo tradiderunt Zeloſiſſimæ Scholę Colonienſiũ & Louanienſiũ. Nam ſi auctoritati conciliorũ detraxeris, atq; in tuam ſententiã pertraxeris orbem, iam vacillabit articulus Concilii Cõſtantienſis, quo decretum eſt, Papã iure diuino eſſe ſuper omnes eccleſias. Hoc concilium non expedit contemni à te. Quod autem ſecus ſtatuerunt olim Nicenum Concilium & Aphricanum, nihil ad nos. Quandoquidem Concilium quod voluntati Papæ in aliquo refragatur, conciliabulum potius appellauerim. Et ſubſcribet vniuerſa curia omnes familiares Papæ, Copiſtæ, Procuratores, Sollicitatores, Notarii, Stabularij, atq; innumeri alij, qui dominio Pontificis ſtante, ex ſtercore eriguntur, & ſolium gloriæ tenent, qui paulo ante pauentes aſinorum fimo pro lecto vſi ſunt. Eadem ratione cadit in ignem articulus Trigeſimus.

Trigeſimus primus, & ſecundus iuſtiſſime ardent, cum aduerſus magiſtros noſtros ſint. hos tu probas tantę Paulinis verbis: *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* quo loco tu forſitan eum qui non eſt Chriſti, diaboli & peccati eſſe dices, & qui eſt peccati ſeruus. eum dices non facere niſi peccatum. Quid ſi aliquod tibi medium commentus fuero, ille igitur erit ſeruus Papæ. Vide quam parum acutam habeas Dialecticam, quam frigide didiceris artem inueniendi medium apud Ariſtotelem *in libro Priorum*. Nec vidiſti pontem aſinorum. Sed dabo tibi actum humanum qui nec eſt bonus nec malus. Creare vno die Triginta Cardinales, actus eſt humanus, quia ab homine Leone, vel alio Pontifice fieri poteſt licite reſpectiue, neq; bonus eſt actus ille neq; malus, non bonus, cum nec ſit de conſilio, nec de præcepto Euangelii: nec malus dici poterit, non alia ratione, quam ſæpe audiſti, quia fit à Pontifice, quem ante probauimus errare non poſſe, etiam ſi velit.

Triceſimuſtertius ideo comburi debet, quod ignem timet male ſibi conſcius, vt taceam quam oſcitanter hanc ſcripturã prætereris, *Hæreticum de vita*, quibus verbis Magiſtri noſtri perſuadent Põtifici perpulchre, quid facere poſſit: Hæreticum ſcilicet hominem poſt vnam aut alteram monitionem tollendum de vita. Iam in poteſtate Pontificis eſt, vt ſupremi iudicis in terra, quo potiſſimum mortis genere velit hæreticum è medio tollere. Et viſum eſt igne hæreticam tollere, eo quod hoc elementum edaciſſimum ſit, & protinus facinoris auctorem conſumat. Nam ſicut Romanus Pontifex ſummum locum occupat, ita ſummum elementum tanquam ſummæ iniuriæ vindicem elegit. Ecce quanto ingenio, quam magiſtraliter ego tibi ſingula inferam.

Hæreticum de vita.

Cur ignis ſupplicio hæretici tollantur è medio.

Triceſimum quartum articulum intolerabilem Vulcano tradidimus vt inutilem, non tam Chriſtianæ eccleſiæ quam Romanæ curiæ, cui Turca hoſtis vtiliſſimus fuit aliquot ſeculis. Nam metu

Turca hoſtis vtiliſſimus eccleſia.

Imminentis Turcæ à Barbaris Germanis, vt ebriis poſſeſſoribus auferendum erat aurum, & aſportandum Romam, vt Turcę debellarentur, id eſt, vt lautius viuerent omnes qui bene volunt Pontifici prope Campum Floræ. Neſcis igitur incogitantiſſime Martine, quot Ducatorum millia remoreris in Germania hac vna propoſitione centies conbuſtibili.

Tricesimum quintum atque ſextum de libero arbitrio, ignem commeruiſſe nihil miraberis, ſi cogitaris cui diſpliceant. Cui inquies? Scholaſticis quibuſdam viris magnis, quibus non inutile fuit ad rem augendam docere populum nonnihil, & propriæ voluntati tribuere, aliquod nobis eſſe αὐτομάτως opus, & quo ipſi magiſtraliſſime & formaliter aiunt gratiam primam mereri de congruo, cum facimus quod in nobis eſt, amouemus obicem. Nam cum audiuit populus liberi arbitrii hanc eſſe poteſtatem, vt ex bonis naturalibus citra donum gratiæ quodlibet peccatum mortale nouum cauere poſſit, cum efferri audiuit libertatem contradictionis & contrarietatis, atq; nos diuina præcepta quod ad operis ſubſtantiam attinet vigore naturalium bonorum implere poſſe, & ſi non quãtum ad intentionem domini præcipientis ſecurior fit, diſcit ſpem ponere in homine, & in propriis ad ſacramenta præparamentis laborat, atq; confitendi negotium lucroſum reddit. Vides iam cur igne perierit articulus ille tanta bona intercipiens.

De Trigeſimoſeptimo, octauo, nono, atq; quadrageſimo ignis ſententia iuſte lata eſt, de igne maxime neceſſario grauiter errarint. Quæ enim tu ſentis de purgatorio, & ſi quibuſdam Theologis vera eſſe videantur, offenſiua tamen ſunt, Romanarum tum aurium, tum Bullarum. Ex Scholaſticorum de animabus purgandis ſententia, egregios eleemoſynarum aceruos Roma à Chriſtianis extorſit, Nos ſi tu vel impedis augendos vel auctos, reddis ſuſpectos populo, Curiam Romanam in negotio veniarum prodigo, maximo damno affeceris.

Ordines ſunt columnæ eccleſiæ ſecundum pictores.
Combure.
Nota de Reuchlino.

Vltimus articulus hæreticiſſimus ab igne defendi non poteſt, etiam ſi velit, clemens eſſe Pontifex, adeo in ſanctos ordines magnas pictorum teſtimonio eccleſiæ columnas peccaſti. Cauſam liberationis quæreret Pilatus aliquis. Verum Iudæi vrgent propoſitum & clamant: Combure, combure, nulla igitur ſalus eſt reliqua Martine. Si Pontifex Iudæorum voluntati non obſequeretur hũc articulum comburendo, timendum eſſet imperio Pontificio. Fauorem Iudæorum amittere non eſt tutum. Id quod in caſu Capnionis videre eſt, quem abſoluiſſet Pontifex, quia nullam in eo cauſam inuenit iuſtæ damnationis. Verum clamant Monachi, ſemialbi, & ſeminigri. Si hunc abſoluis, non es amicus ordinis, neque nos te aduerſus Lutherum tui Imperii hoſtem atrociſſimum iuuabimus. Si vero damnas, nos viciſſim pro viribus clamando, machinando, calumniando, mentiendo, Lutheri conatibus reſiſtemus, tuam cauſam vi, dolo, fraude per fas & nefas tutabimur ſtrenue. Defende noſtram mendicitatem LEO, nos defendemus tuam iuriſdictionem. ſi nos non ſeruas, conniuebimus & ad tuã cladem. Sic Luthere cauſas audiuiſti ab Heſſo tuo, quare Colonienſes & Louanienſes cremarint libros tuos ob articulos quoſdam præfatos. I iam & querere paſſim iniuriam tibi factam, & gloriare de victoria. Iacta triumphos antequam hoſtis deuictus herbam porrexerit. Putabas forte neminem eſſe, vel ingenio vel animo tãtum, qui tuo exemplo, cauſas referret combuſtorum articulorum. Quieſce igitur, Romam lauda, Põtificis poteſtatem tuere, & accipies quadringentos Ducatos, aut mille fortaſſe, Viaticum minime pœnitendum, Inepte agis, qui ſolus iam in orbe ſapere cupis, Theologis omnibus tacentibus, & quieti ſuæ probe conſulentibus, tu vnus tibi has Tragœdias mouiſti. Sed iam verborum ſatis. Rationes noſtræ ſi tibi elumbes & inefficaciores videbuntur, aut principium petere, non protinus oblatra, nam in frequentiſſima caupona inter temulentos ſedenti, nihil aliud veniebat in mentem. Cum in receſſum venero, collectis iam tum ſenſibus, quos compotationes Briſgogicæ diſperſerant, robuſtiora afferam pro Curia ingenioſiſſima. Tu interim his contentus, humeros ad pugnam parato, & Vale. Ex Zeringen Pago Briſgaudiæ 6. Ianuarii, anno M.D.XXI.

ACTA

V. 5

ACTA REVERENDI PATRIS D. MARTINI LVTHERI, CORAM CÆSARE CAROLO V. PRINCIPIBVS, Electoribus & Imperii ordinibus, in Comitiis Principum Wormatiæ.

Anno Domini 1521.

ANNO ſalutis noſtræ D. M. XXI. poſt Dominicam *Miſericordia Domini*, feria tertia, Doctor Martinus Lutherus Wormatiam ingreſſus eſt, vocatus à Carolo Imperatore, eius nominis V. Rege Hiſpaniarum, Archiduce Auſtriæ, &c. qui primo Imperii ſui anno, primum conuentum Principum in ea vrbe regia celebrauit. Cum autem ante triennium Paradoxa quædam diſputanda propoſuiſſet Wittebergæ in Saxonibus D. Martinus, aduerſus Tyrannidem Romani Epiſcopi, [quæ tamen interea à Pontificiis varie lacerata, damnata & exuſta fuerunt, à nullo tamen aut ſcripturis aut rationibus conuicta] cœpit res ad tumultum ſpectare, vulgo cauſam Euangelii aduerſus Clericos tuente. Et ob id bonum videbatur, inſtigantibus Romanis Legatis, vt ipſe Lutherus accerſeretur Feciali Cæſareo, & literis ſalui conductus in hoc à Cæſare & principibus datis. Accerſitur, venit, ac diuertit in Curiam Rhodienſium militum, ſeu quos vocant, Teutonici Ordinis, vbi hoſpitio collectus eſt, & à multis Comitibus, Baronibus, Equitibus auratis, Nobilibus, Sacerdoticis & Prophanis in multam vſque noctem ſalutatus ac requiſitus.

Cæterum multis & aduerſariæ partis & aliis, aduentus eius prorſus præter opinionem acciderat. Nam etſi per nuncium Imperialem, & datis literis publicæ fidei accerſitus erat. Tamen quia paucis diebus, antequam veniret, publice & palam affixis literis eius libri damnati erant, nemo exiſtimabat eum, hoc præiudicio condemnatum, aduenturum eſſe. Et cum in vicino oppido Oppenheim, vbi primum hæc reſciuit Lutherus, ab amicis eius deliberatio haberetur, ac plerique conſulerent; ne ſe ipſe exponeret periculo, cum videret hæc principia contra datam fidem fieri, Auditis omnibus, ipſe magno animo reſpondit, *Mihi vero, quia vocatus ſum, decretum & certum eſt ingredi in vrbem, in nomine Domini Ieſu Chriſti, etiamſi ſcirem tot Diabolos mihi oppoſitos, quot ſunt tegulæ in omnibus totius vrbis tectis*, &c.

Altero die poſt aduentum eius, feria quarta, Vir nobilis, Magiſter equitum Imperii, Vlricus de Pappenheim, à Cæſare miſſus, ante prandii tempus venit, indicans Doctori Martino Caroli Imperatoris mandatum, vt hora pomeridiana quarta, apud Cæſaream Maieſtatem, Principes, Electores, Duces, & reliquos Imperii Ordines ſeſe ſiſtat, auditurus ad quid accerſitus ſit. Quod Doctor Martinus, vt debuit, accepit.

Ac ſtatim poſt horam quartam auditam eius diei, venit D. Vlricus de Pappenheim, & Caſparus Sturm Fecialis per Germanias Cæſareus, [quo Caduceatore e Witteberga erat excitus, ac Wormatiam vſque deductus D. Martinus] qui ipſum euocatum comitabantur per hortum Curiæ Rhodienſium, in diuerſorium Palatini Comitis. Et ne quid à turba pateretur, quæ in iuſto ad Cæſaream domum itinere magna fuit, per gradus quoſdam abditos in Auditorium deductus eſt, non tamen latuit multos, qui ab ingreſſu vix vi prohibebantur, plerique pergulas conſcenderunt, ſtudio videndi Lutherum.

Cum igitur ſtaret in conſpectu Cæſareæ Maieſtatis, Principum Electorum & Ducum, breuiter, omnium Imperii ordinum, qui tum Cæſari adfuere, D. Martinus, primum admonitus eſt ab Vlrico de Pappenheim, ne quid loqueretur niſi quæſitus.

Ibi Cæſareæ Maieſtatis Orator Ioannes Eck, Officialis generalis Epiſcopi Treuerenſis, alta & intelligibili voce, primum latine, deinde Germanice, iuſſu Imperatoris dixit & propoſuit eandem ſententiam, in hunc, aut ei in effectu ſimilem, qui ſequitur, modum: *Martine Luthere, Sacra & inuicta Cæſarea Maieſtas, de conſilio omnium ſacri Romani Imperij Ordinum, ad ſolium Maieſtatis ſuæ huc vocari te iuſſit, vt his duabus de cauſis te interrogarem: Primum, fatearis ne libros hos præſentes* [faſce librorum ſuorum latine & germanice ſcriptorum oſtenſo] *qui tuo nomine prætitulati circumferuntur, tuos eſſe, illoſque pro tuis agnoſcas, nec ne? Deinde, an illos & eorundem contenta retractare & reuocare, vel inhærere eiſdem potius & inſeuerare velis?*

Hic, priuſquam Lutherus reſponderet, D. Hieronymus Schurff, qui Doctori Martino additus adſtabat, exclamauit, *Intitulentur libri*. Hic Officialis Treuerēſis, ex libris D. Martini Lutheri, eos qui Baſileæ ſimul ſunt excuſi, nominatim recitauit, inter quos etſi numerabātur *Cōmentarij in Pſalteriū, libellus de bonis operib. Cōmentarius in Dominicā orationē*, & præter hos alii libelli Chriſtiani, nō contētioſi.

Poſt hæc & ad hæc D. Martinus iſta reddidit latine & germanice: *A Cæſarea Maieſtate duo mihi proponuntur: Primum, An libros omnes nomen meum habentes pro meis agnoſcere velim? Secundum, an defendere, an vero quidquam reclamare velim ex iis, quæ hactenus per me ſcripta & edita ſunt? Ad quæ reſpondebo breuiter vt potero, & recte. Primum, libros iam nominatos non poſſum nō amplecti pro meis, & vorū quidem nihil vnquā negabo.*

Cæterum, quod ſequitur, vt exponam, an defendere pariter omnia, vel reuocare velim. Quia de fide eſt quæſtio & animarum ſalute, & quia diuinum verbum concernit, quo nihil maius eſt, tam in cœlo quam in terra, quod nos merito reuereri conuenit omnes, temerarium ac inxta periculoſum fuerit, me quidquam incogitatum proferre, cum & minus quam pro re, & maius quam pro vero, non præmeditatus, aſſerere poſſim, quorum vtrumque me in ſententiam adducet, quam Chriſtus tulit, cum ait; Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. Peto igitur hac de cauſa, & quidem ſuppliciter, à Cæſarea Maieſtate ſpacium deliberandi, vt citra diuini verbi iniuriam, & animæ meæ periculum interrogationi ſatisfaciam.

Ex eo principium cœpit deliberatio, quam ita reddidit Officialis Treuerenſis: *Potuiſti iam tu, Martine Luthere, ex mandato Cæſareo ſatis intelligere potueris, ad quid accerſitus ſis, & ea de cauſa iam indignus, cui longior cogitandi mora detur. Tamen ex ingenita clementia, Cæſarea Maieſtas diem vnum indulget meditationi tuæ, vt cras in horam eandem coram compareas, ea conditione: ne ſcriptam ſententiam tuam proponas, ſed verbis exequaris.*

Poſt hæc D. Martinus per Fæcialem redditus eſt hoſpitio ſuo. In qua re non fuit prætereundum, quod inter eundum ad audiendum Cæſaris mandatum, & cum iam eſſet in ipſo principum conſeſſu Lutherus, ab aliis, alta voce, commonebatur, vt eſſet forti animo, vt viriliter ageret, ne timeret eos, qui corpus tantum poſſent occidere, animam non poſſent, ſed potius metueret ſibi ab eo, qui poſſet & corpus & animam mittere in gehennam. Item: *Cum ſteteritis ante Reges, nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora*, &c.

Sequenti feria quinta, poſt quartam pomeridianam, venit Fæcialis, & aſſumptum D. Martinum in Curiam Cæſaris perduxit, vbi propter Principum occupationes ad ſextam vſque manſit, expectans in magna hominum frequentia, ſeipſam conterente præ turba. Cumque conſeſſus factus eſſet, & Doctor Martinus aſtaret, prorupit Officialis in hæc verba. *Heſterno veſperi Cæſarea Maieſtas hanc horam tibi dixit Martine Luthere. Quandoquidem Libros, quos heri recenſuimus, tuos eſſe palam recepiſti. Cæterum ad quæſtionem. An quidquam eorum irritum haberi velles, aut omnia probares quæ confiteris? deliberationem petiiſti, quæ nunc finem habet: Etiamſi iure impetrare non debueras longius cogitandi ſpacium, qui tanto tempore ſciuiſti, ad quid vocareris. Et fidei negotium tam certum omnibus eſſe conueniebat, vt quiſq; quocunq; tẽpore poſtulatus, rationem eius certam & conſtantem reddere poſſit, nedum tu tantus & tam exercitatus Thelogiæ profeſſor. Age, tandem reſponde Cæſareæ poſtulationi, cuius benignitatem in impetrando cogitandi ſpacio ſenſiſti. Vis ne libros tuos agnitos omnes tueri? an vero quidquam retractare?* Hæc latine & Germanice dixit Officialis.

Reſpondit Doctor Martinus, & ipſe latine & germanice, quanquam ſuppliciter, non clamoſe, ac modeſte, non tamen ſine Chriſtiana animoſitate & conſtantia, & ita, vt cupierint Aduerſarii orationem & animum abiectiorem. Sed multo cupidiſſime expectarũt Reuocationem, cuius ſpem, expetito deliberandi ſpatio, nõnulli conceperant. Sic autem reſpondit: *Sereniſs. D. Imperator, Illuſtriſſ. Principes Clementiſſimi Domini, ad præfixum mihi heſterno veſperi terminum obediens compareo, per miſericordiam Dei obſecrans, ſereniſſima Maieſtas veſtra, Dominationesq; veſtræ illuſtriſſimæ, dignentur cauſam hanc [vt ſpero] iuſtitiæ & veritatis clementer audire. Atq; ſi per imperitiam meam vel dignos titulos cuiquam non dedero, vel quocunq; modo in mores geſtusq; aulicos peccauero, benigniter ignoſcere, vt homine non in Aulis, ſed in angulis Monachorum verſato, qui nihil aliud de me teſtari poſſum, quã ea ſimplicitate animi hactenus me docuiſſe & ſcripſiſſe, vt tantum gloriam Dei, & ſinceram fidelium Chriſti inſtitutionem ſpectarem. Sereniſſime Imperat. Illuſtriſſ. Principes Clementiſſ. Domini. Ad duos illos Articulos heri per Sereniſſ. Maieſt. veſtram mihi propoſitos, ſc. An libellos recenſitos, & nomine meo euulgatos agnoſcerẽ meos: & in his defendendis perſeuerare aut reuocare velim? Dedi paratum & planum meum reſponſum, ſuper Articulo priore, in quo adhuc perſiſto, perſiſtamq; in æternũ. Eſſe videlicet eos libros meos, meoq; nomine a me euulgatos, niſi forte interim acciderit, vt æmulorũ vel aſtutia, vel ſapientia importuna quicquã in illis mutatum, aut deprauate excerptum ſit. Nam aliud plane non agnoſco, niſi quod meũ ſolius eſt, & à me ſolo ſcriptum, citra omnis cuiuſuis induſtria interpretationem. Ad alterum vero reſponſurus, rogo, Sereniſſ. Maieſtas veſtra, & Dominationes veſtræ dignentur animũ aduertere. Libros meos non eſſe omnes eiuſdem generis: Sunt n. aliqui, in quibus pietatem fidei & morum adeo ſimpliciter & Euangelice tractaui, vt ipſimet Aduerſarij cogantur eos fateri vtiles, innoxios, & plane dignos lectione Chriſtiana. Sed & Bulla, quanquam fera & crudelis, aliquot meos libros innoxios facit, licet & hos damnet iudicio prorſus monſtrifico. Si itaq; hos reuocare incœperem, obſecro, quid facerem, niſi quod vnus ex omnibus mortalibus eam veritatem damnarem, quam amici & inimici pariter confitentur, ſolus omniũ confeſſioni concordi reluctatus? Alterum genus eſt, quod in Papatum & doctrinam Papiſtarum inuehitur, tanquã in eos, qui ſuis & doctrinis & exemplis peſſimis, orbem Chriſtianũ vtroq; malo, & ſpiritus & corporis vaſtauerunt. Nã neq; negare id, neq; diſſimulare quiſquam poteſt, cum experientia omnium & vniuerſorum querimonia teſtes ſint, per leges Papæ & doctrinas hominum conſcientias fidelium miſerrime eſſe illaqueatas, vexatas & excarnificatas, tum res & ſubſtantias præſertim in hac inclyta Germania natione, incredibili Tyrãnide deuoratas, deuorariq; adhuc ſine fine indigniſq; modis: eũ tamen ſuiſmet legib. ipſi caueant, (vt diſt. 9. & 25. q. 1. & 2.) Vt Papæ leges & doctrinæ Euangelio aut Patrum ſententiis cõtrariæ, pro erroneis & reprobis habeantur. Si igitur & hos reuocauero, nihil aliud præſtitero, quam vt Tyrannidi robur adiecero, & tantæ impietati iam non feneſtras, ſed valuas aperuero, graſſaturæ latius & liberius quã hactenus vnquã auſa fuerit, & fiet huius meæ reuocationis teſtimonio; licentioſiſſimum impuniſſimumq; nequitiæ illorum regnum, miſero vulgo lõge intolerabiliſſimum, & tamen roboratum & ſtabilitum, præſertim ſi iactatum fuerit, id a me factum autoritate Sereniſſ. Maieſt. veſtræ, totiusq; Rom. Imp. Quantum ego, Deus bone, tum facero operculum nequitiæ & Tyrãnidis. Tertium genus eorum eſt, quos in aliquos priuatos & ſingulares (vt vocant) perſonas ſcripſi, in eos ſcil. qui Tyrannidem Romanam tueri, & pietatem à me doctam labefactare moliti ſunt. In hos confiteor me fuiſſe acerbiorem, quam pro religione aut profeſſione deceat, neq; enim me Sanctũ aliquẽ facio, neq; de vita mea, ſed de doctrina Chriſti diſputo.*

Neq;

Neq; hos reuocare mihi eſt integrum, quod ea reuocatione iterum futurum ſit vt Tyrannis & impietas meo patrocinio regnent, & ſæuiant in populum Dei violentius, quam vnquam regnauerint. Tamen quia Homo ſum & nō Deus, alio patrocinio meis libellis adeſſe non poſſum, quam ipſe Dominus meus Ieſus Chriſtus affuit ſuæ doctrinæ, qui cum coram Hanna de ſua doctrina fuiſſet interrogatus, & alapam à miniſtro accepiſſet, dixit: Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo. Si Dominus ipſe, qui ſciebat ſeſe errare non poſſe, non detrectauit teſtimonium aduerſus ſuam doctrinam audire, etiam à viliſſimo ſeruo, quanto magis ego fex, non niſi errare potens, debeo expetere & expectare, ſi quis teſtimonium reddere velit aduerſus meā doctrinam. Itaq; rogo per miſericordiā Dei, Sereniſſ. Maieſtas veſtra Illuſtriſſimaq; Dominationes veſtræ, aut quicunq; tandem, vel ſummus vel infimus poſſit, reddat teſtimonium, conuincat errores, ſuperet ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis, paratiſſimus enim ero ſi edoctus fuero, quēcunq; errorē reuocare, eroq; primus, qui libellos meos in ignē proijciā. Ex his arbitror liquidum fieri, me ſatis curaſſe & pōderaſſe diſcrimina & pericula, ſeu ſtudia & diſſenſiones, meæ doctrinæ occaſione in orbe excitatas, de quibus heri grauiter & fortiter admonitus fui. Mihi plane omnium iucundiſſima facies iſta in reb. eſt, videre ob verbū Dei ſtudia & diſſenſiones fieri. Is n. eſt verbi curſus, caſus & euentus. Nā dicit; Non veni pacem mittere ſed gladium. Veni enim ſeparare hominē aduerſus patrem, &c. Proinde cogitandū nobis eſt, quod Deus noſter ſit mirabilis & terribilis in conſiliis ſuis, ne forte id, quod tantis ſtudiis tentatur, ſi à damnato verbo Dei exordiamur, vergat poſtea potius in intolerabile malorū diluuium & quod cauendum ſit, ne adoleſcentis huius optimi Principis Caroli (in quo poſt Deū multa ſpes eſt) infelix & inauſpicatum fiat Imperium. Poſſem locupletius Exemplis ſcripturæ, de Pharaone, rege Babylonis, & regibus Iſrael rem declarare, qui tum ſeſe maxime perdiderunt, cū ſapientiſſimis conſiliis ſua regna pacificare & ſtabilire ſtuduerunt. Ipſe eſt n. qui cōprehendit aſtutos in aſtutia ſua, & ſubuertit montes antequā cognoſcant. Itaq; timere, Dei opus eſt. Non hæc dico, quod opus ſit mea vel doctrina vel admonitione tantis verticibus: ſed quod obſequium meæ Germaniæ debitū ſubtrahere nō debuerim. In his me Sereniſſ. Maieſt. veſtræ, Dominationibuſq; veſtris cōmendo, humiliter rogans, ne patiantur ſtudiis Aduerſariorum me ſibi ſine cauſa reddi inuiſum. DIXI.

His dictis, orator Imperii increpabundo ſimilis, dixit, *eum non ad rem reſpondiſſe, nec deberi in quæſtionem vocari, quæ olim in Conciliis eſſent damnata & definita. Ideo ab eo peti ſimplex & non cornutum reſponſum. An velit reuocare vel non?*

Hic Lutherus, *Quando ergo Sereniſſ. Maieſt. veſtra, Dominationeſq; veſtræ ſimplex reſponſum petunt, dabō illud, neq; cornutum neq; dentatum, in hunc modum: Niſi conuictus fuero teſtimoniis ſcripturarum, aut ratione euidente, [nam neq; Papæ neq; Cōciliis ſolis credo, cum cōſtet ea erraſſe ſæpius, & ſibipſis contradixiſſe] victus ſum ſcripturis à me adductis, captaq; eſt conſcientia in verbis Dei, reuocare neq; poſſum neq; volo quidquam, cum contra conſcientiam agere neq; tutum ſit neq; integrum.* Hie ſtehe ich / Ich kan nicht anders / Gott helff mir / Amen.

Orationem hanc à Doctore Martino habitam, in conſultationem deduxerunt Principes. Examinatam conuellere cœpit officialis Treuenſis hoc modo. *Immodeſtius tu Martine reſpondiſti, quam tuam perſonam decebat, & adeo non ad propoſitum. Libros varie partiris, verum ita, vt ad interrogationem nihil faciant omnia. Quod ſi eos recantaſſes, in quibus errorum tuorum magna pars eſt, haud dubie Cæſarea Maieſtas & ingenita clementia, reliquorum, qui boni ſunt, perſecutionem non toleraret. Atqui tu, quæ vniuerſale Conſtantienſe Concilium damnauit, ex vniuerſa Germanica natione congregatum, reſuſcitas, & per ſcripturam vinci vis, in quo vehementer deliras. Quid. n. attinet nouam diſputationem celebrare de rebus per tot ſecula ab Eccleſia & Concilio cōdemnatis? Niſi forte cuiuis, de quocunq; ratio reddenda eſt. Quod ſi ſemel peruicerit, vt ſcripturis conuincendus ſit, quicunq; Conciliis & Eccleſiæ ſenſis contradicit, nihil habebimus in Chriſtianitate certum vel determinatum. Et hæc cauſa eſt, ob quam Cæſarea Maieſtas à te petit reſponſum ſimplex, ac planum, aut negatiuum aut affirmatiuum. Num viſomnia tua pro catholicis tueri? An vero quidquam ex eis reuocare?*

Ibi rogauit Doctor Martinus, ne ſe contra conſcientiam à ſanctis ſcripturis captam & impeditam, ſine contradicentium manifeſtariis argumentis, ad reuocandum cogi pateretur Cæſarea Maieſtas. Reſponſum quod petitur non cornutum, ſed ſimplex & rectum. Neq; ſe aliud habere, quam quod ante quoque dediſſet: Niſi ſufficientibus argumentis, conſcientiam ab illis, quos ipſi vocant, erroribus captam, explicarent Aduerſarii, nec ſe poſſe ex retibus abire, quibus eſſet inuolutus. Non protinus vera eſſe, quæcunq; Concilia ſtatuerunt, imo erraſſe concilia, & ſibiipſis ſæpe contraria definiſſe, propterea non valere contradicentium argumentum. Se poſſe oſtendere, quod Concilia errauerunt, reuocare non poſſe, quod ſedulo palam expreſſum ſit in ſcriptura.

Ad quæ nihil eſt reſponſum ab officiali, niſi pauciſſimis, videlicet, quod oſtendi non poſſit, Concilium erraſſe. Doctor Martinus vero oſtendere ſe poſſe ac velle promiſit.

Cum iam autem tenebræ totum auditorium haberent, propterea ſuam quiſq; domum abiuere. Diſcedentem à Cæſarea Maieſtate & Tribunali, Hiſpanorum bona pars ronchis & ſubſannatione hominem Dei Lutherum longo rugitu proſecuti ſunt.

Feria ſexta poſt Miſericordiam Domini, cum conueniſſent Principes, Electores, Duces, & reliqui Ordines, qui conſultationibus adeſſe ſolent, Scriptum hæc habens in Senatum miſit Cæſar. *Maiores noſtri, & ipſi Chriſtiani Principes, fuerunt nihilo minus Eccleſiæ Romanæ audientes, quam nunc D. Martinus Lutherus impugnat. Et quia ne latum quidem vnguem ab erroribus diſcedere in animum induxit, non poſſumus nos cum decore à maiorum Exēplo deſiſtere, in antiqua fide tuenda, & Romanæ ſedi auxilium ferendo: Ipſum autem Martinum Lutherum & adhærentes, excōmunicatione proſequemur, & ſi quæ alia patent ad extinguendum vie. Datā tamen & aſcriptam fidem violare nolumus, imo dabimus operā, vt ſaluus eo redeat, vnde eſt accitus.*

Hanc Imperatoris Caroli ſententiam verſauerunt Principes, Electores, Duces, Imperii ſtatus, feria ſexta per totum tempus pomeridianum, etiam Sabbatum integrum quod ſequebatur ita quod Doctor Martinus adhuc reſponſum à Cæſarea Maieſtate nullum receperit.

Interea temporis viſus eſt & viſitatus à multis Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, Sacrificis, religioſis ac prophanis, ne quid dicam de vulgi numero. Hi curiam nunquam non obſederunt, nec videndo ſatiari potuerunt. Etiam ſchedulę binæ fuerunt affixæ, vna contra doctorem Lutherum, altera, vt videbatur, pro Doctore. Tametſi à multis adeoque intelligentibus, doloſe ab Inimicis putatur factum idipſum, vt occaſio eſſet reſcindendi dati ſalui conductus, quod non impigre quærebant Romani Legati.

Feria ſecunda poſt Iubilate, ante cœnam. Archiepiſcopus Treuerenſis renunciauit Doctori Martino, vt feria quarta ſequenti coram ipſo hora ſexta ante prandium compareret, loco iterum deſignando. Die S. Gregorii, ſub cœna, rediit ad Lutherum is, qui erat à Sacris Archiepiſcopi Treuerenſis, iuſſu Principis ſui, petens, vt poſtridie hora nuper deſignata in diuerſorio Domini ſui adeſſet.

Feria quarta poſt Gregorii natalem, dicto parens Doctor Martinus, diuerſorium Archiepiſcopi Treuerenſis ingreditur, adductus per Sacerdotem eius, & Caduceatorem Cęſareum, proſequentibus eum, qui huc venientem è Saxonibus & Turingis comitati ſunt, & aliquot aliis præterea amiciſſimis, vbi coram Archiepiſcopo Treuerenſi, Marchione Ioachimo Brandenburgenſi, Duce Georgio Saxoniæ, Auguſtenſi & Brandenburgenſi Epiſcopis, Magiſtro Teutonicorum Comite Georgio, Iohanne Bock Argentino, Werdheymero, & Peutingero Doctoribus. Doctor Vœus, à ſacris Marchionis Badenſis, dicere cœpit, & proteſtatus eſt. *Non in hoc ipſum vocatum eſſe, vt tanquam in controuerſia vel diſputatione cum ipſo conferrent, ſed ſolum ex Chriſtiana caritate & clementia quadam, Principes à Cæſ. Maieſt. impetraſſe, vt liceret eis clementer & fraterne exhortari eum.* Deinde ait, *Concilia, tametſi diuerſa ſtatuerint, non tamen ſtatuiſſe contraria. Quod ſi vel maxime erraſſent, ob id tamen non corruere eorum autoritatem, ſaltem adeo, vt quilibet ſuo ſenſu contra ea niti vellet.* Inferens de Centurione, & Zacheo multa, etiam de conſtitutionibus humanis, cæremoniis ſtatutis, ea omnia affirmans ſancita, *ad reprimenda vitia, pro qualitate & viciſſitudine temporum, nec poſſe Eccleſiam carere conſtitutionibus humanis. Ex fructibus cognoſci arborem. Dicit tamen ex legibus multa bona nata. Quod Concilijs S. Martinus, S. Nicolaus, & multi alij Sancti interfuerint.* Deinde, quod *ingentes motus, & tumultus incredibiles excitaturi ſint libri eius. Quod libello de libertate Chriſtiana vulgus abutatur ad exuendum iugum, ad ſtabiliendam inobedientiam. Longe nūc ſecus habere, quàm tum credentium cor vnum & anima fuiſſet vna. Legibus ergo opus eſſe. Præterea expendendum, quod cum bona multa ſcripſiſſet, & procul dubio bono ſpiritu, vt de Triplici Iuſtitia & alia, diabolum hoc iam per inſidias occultas agere, vt omnia eius opera in perpetuum damnētur. Nam ex his quæ vltimo ſcripſerit, vere iudicaretur, quēadmodum arbor non ex flore, ſed ex fructibus cognoſcatur.* Ibi addidit de Dæmonio meridiano, & negotio perambulāte in tenebris, & ſagitta volante. Tota oratio fuit exhortatoria, locis rhetoricis, honeſtatis, vtilitatis legum, & è regione periculorum conſcientiæ, & ſalutis publicæ & priuatæ, plena. Tum in principio, tum medio, tum calce identidem inculcans, hanc admonitionem propenſiſſima voluntate, & clementia quadam ſingulari à Principibus fieri. Claudens, in Epilogo minas addit, dicens futurum, vt ſi in propoſito perſeueraret, Cæſar procedat, eum ex Imperio eiecturus, commonefaciens, vt hæc & reliqua cogitaret & expenderet.

℞. Doctor Martinus, *Clementiſſ. & Illuſtriſſ. Principes & Domini. De voluntate iſta clementiſſima & benigniſſima, ex qua hæc admonitio proficiſcitur, ago gratias quam humillime poſſum. Agnoſco n. me homuncionem longe viliorem eſſe, quam vt à tantis principibus ſim cōmonendus.* Deinde libere pronunciat. *Se non omnia Cōcilia reprehendiſſe, ſed tantum Conſtantienſe, ob hoc potiſſimum. quod verbum Dei damnauit. Quod patet in articulo hoc Iohannis Huſs ibi damnato, Eccleſia Chriſti eſt vniuerſitas prædeſtinatorum. Hunc articulum dānaſſe Cōcilium Conſtantienſe, certum eſt, & ſic conſequenter hunc Articulum fidei noſtræ. Credo Eccleſiā ſanctam Catholicam.* Aiebat igitur, *ſe nō recuſare & vitam & ſanguinem impendere, modo eo non detrudatur, vt cogatur apertum Dei verbum reuocare. Nā in hoc defendendo, oportere Deo magis quam hominibus obedire. Neq; ſe hic poſſe cauere Scandalum fidei. Scandalum n. duplex eſſe, charitatis & fidei. Charitatis, quod in moribus & vita conſiſtit. Fidei vero ſeu doctrinæ, quod in verbo Dei conſiſtit, & hoc vitare ſe iā non poſſe. In ſua n. poteſtate non eſſe, vt Chriſtus non ſit petra Scandali. Si oues Chriſti puro Euangelij pabulo paſcerētur, fides Chriſti vere prædicaretur, eſſentq; boni ac pij magiſtratus Eccleſiaſtici, qui fideliter officium ſuum facerēt, non opus eſſe Eccleſiam onerare humanis traditionibus, &c. Se ſcire, obediendum eſſe magiſtratibus & poteſtatibus etiam male & iniq; viuentibus. Scire ſe, cedendum eſſe proprio ſenſui. Idq; in ſuis ſcriptis docuiſſe, ſeq; obedientiſſime præſtiturum hæc omnia, modo non adigatur verbum Dei negare.*

Secedente Doctore Martino, principes colloquuntur, quidnam reſpondendum ſit homini? Reuocatum igitur in Triclinium, Doctor Badenſis repetiuit priora, commonefaciens, vt ſua ſcripta iudicio Cæſaris & Imperii ſubiiceret.

℞. Doctor Martinus ſuppliciter, & modeſte: *ſe neq; pati neq; paſſurum, vt diceretur defugiſſe iudiciū Cæſaris, Procerum & Ordinum Imperij. Tantum n. abeſſe, vt eorum examen reformidet, vt vel minimis quoq; accuratiſſime ſua expendi permitteret, modo id fieret autoritate verbi diuini & ſacræ ſcripturæ. Verbum aūt Dei tam apertū pro ſe eſſe, vt cedere nequeat, niſi verbo Dei meliora edoctus. Scribere n. S. Auguſtinum. Se didiciſſe hunc honorē ſolis libris illis habere, qui Canonici vocantur, vt veros credat. Cæteris vero Doctoribus, quantalibet vel ſanctitate vel doctrina polleant, ita demum credere, ſi vera ſcriberent. Ad hæc S. Paul. ad Theſſ. ſcripſiſſe. Omnia probate, quod bonū eſt tenete. Et ad Galatas: Etiāſi Angelus è cælo veniat, & aliud prædicet, anathema ſit. Itaq; ei non credēdū: Ideo & ſe ſuppliciter orare, ne conſcientiā ſuam vinculis ſcripturæ & verbi diuini alligatā, vrgeant ad negandū tā clarum verbū Dei, vtq; ſe cōmendatū haberent, & præcipue apud Cæſar. Maieſt. efficerent, ne cogeretur contra conſcientiam in hac cauſa quidquam agere. Alioqui ſe nihil non vel obſequentiſſime facturum.*

Hæc dicentem interrogauit Marchio Brandenburgenſis, Ioachimus Elector, *Nam dixiſſet ſe non*

ceſſurum,

ceſſurum, niſi conuictum ſacra ſcriptura? Reſpondit Doctor Martinus; *Etiam, Domine Clementiſſ. vel rationibus clariſſimis, & euidentibus.*

Ita ſoluto hoc Conuentu, Principibus reliquis in Curiam proficiſcentibus, Treuerenſis Archiepiſcopus Doctorem Martinum acciuit in ſuum Triclinium, adhibito Officiali ſuo Iohanne Eckio & Cochleo. Doctori Martino Luthero aſtabat D. Hieronymus Schurff, & Nicolaus Ambſdorffius. Ibi tum cœpit Officialis argumētari, vt Sophiſta & Canoniſta, Papæ cauſam defendēs. Ex ſacris literis fere ſemper natas fuiſſe hæreſes, vt Arianam ex hoc Euangelij: *Ioſeph non cognouit coniugem ſuam, donec pareret primogenitum ſuum.* Deinde eo progreſſus, vt niteretur conuellere hanc propoſitionem, *Eccleſiam catholicam eſſe vniuerſitatem Sanctorum*, Auſus etiam ex lolio facere triticum, & ex corporum excrementis, mēbra. Hæc & ſimilia ridicula & futilia ab ipſo in medium prolata, Doctor Martinus, & D. Hieronymus Schurff perſtrinxerunt, ſobrie tamen, veluti ad rem ipſam nihil facientia. Nonnunquam interſtrepens & Iohannes Cochleus, conabatur Doctori Luthero perſuadere, vt ab incœpto deſiſteret, & deinceps prorſus à ſcribendo & docendo abſtineret. Tandem digreſſi ſunt.

Sub veſperam einſdem diei, Treuerenſis Archiepiſcopus nunciauit Doctori Martino, interprete Ambſdorffio, fidem publicam à Cæſare in biduum pertractam, vt interim cum eo agere poſſet. In hoc igitur poſtridie, Doctorem Peutingerum & Doctorem Badenſem ad eum venturos, imo & ſeipſum cum eo acturum.

Feria igitur quinta, ipſa die Marci, ante Meridiem, Peutingerus & Badenſis conati ſunt perſuadere Doctori Martino, vt ſimpliter & abſolute Cæſari & Imperio permitteret iudicium de ſcriptis ſuis.

Reſpondit: *Se omnia & facturum & paſſurum, ſi modo ſcripturæ ſanctæ niterentur autoritate: Alioqui enim nihil minus commiſſurum. Nam Deum per Prophetam dixiſſe. Nolite cōfidere in principibus, in filiis hominū, in quibus non eſt ſalus. Item: Maledictus qui cōfidit in homine.* Vehementius vrgentibus, reſpondit. *Nihil minus permittendum hominum iudicio, quam verbum Dei.* Ita abierunt, rogantes, vt deliberaret, meliora reſponſurus, A prandio ſe redituros.

Poſt prandium reuerſi, idem quod ante Meridiem, fruſtra conati ſunt. Orauerunt, vt ſaltem Concilii futuri iudicio ſua ſubmitteret. Hoc permiſit Lutherus, ſed hac conditione, vt decerptos ex libris ſuis Articulos ipſi exhiberent Concilio ſubiiciendos, ita tamen, vt ſententiam de illis ferrent ex ſcripturis, & teſtimoniis eiuſdem contrarium probarent.

Illi itaq; à Doctore Martino digreſſi, Archiepiſcopo Treuerenſi dicunt, Martinū pollicitum eſſe ſe ſua permiſſurum Concilio, in articulus nonnullis, interimq; taciturum de iiſdem. Quod Doctor Martinus ne quidem cogitarat, vt qui neq; monitis nec cōminationibus vllis induci vnquā potuerit, vt vel negare vel hominum iudicio ſubmittere vellet libellos ſuos, quos claris & apertis Scripturæ teſtimoniis muniiſſet, niſi conuinceretur ex ſacris literis & euidentibus rationibus, ſe erraſſe.

Accidit ergo ſingulari Dei munere, vt Treuerenſis Archiepiſcopus Doctorem Martinum euocaret, eum coram auditurus. Vbi cum diuerſum intellexiſſet, quā Peutingerus & Badenſis dixiſſent, affirmauit, non magno redempturum, niſi audiuiſſet eum: Alioqui enim ſe ſtatim Cæſarem aditurum fuiſſe, dictorumque quæ retuliſſent Doctores.

Egit vero Treuerenſis Archiepiſcopus clementiſſime cum D. Martino, primo, remotis omnibus arbitris, cum de Cæſaris & Imperii, tum de Concilii iudicio. In quo colloquio Doctor Martinus nihil celauit Treuerenſem, affirmans, parum tutum fore, tantam rem illis permittere, qui ſub fide publica euocatū, nouis mandatis aggreſſi, damnaſſent ſuā ſententiam, & Bullā Papæ approbaſſent.

Deinde admiſſo etiam amico, petiuit Treueren. Archiepiſcopus à Doctore Martino remedia, quibus huic cauſæ occurri poſſit. Reſpondit Lutherus, meliora non eſſe remedia, quam de quibus Gamaliel Act. 5. dixiſſet, teſte S. Luca. *Si ex hominibus conſilium aut opus hoc eſt, diſſoluetur. Si vero ex Deo eſt, diſſoluere non poteritis.* Hoc poſſe Cæſarem & Imperii ordines ſcribere ad Pontificem Romanum, ſe certo ſcire, ſi hoc ſuum propoſitū ex Deo nō ſit, intra triennium, imo biennium ſponte ſua periturū.

Dicenti Treuerenſi, quid eſſet facturus, ſi decerperentur articuli concilio ſubmittendi? Reſpondit Lutherus: *Modo non ſint hi, quos Concilium Conſtantienſe damnauerit.* Ait Treuerenſis, Se vero timere, eos ipſos futuros, Atqui, inquit Lutherus, de eiuſmodi tacere neque poſſum neq; volo, vt qui certus ſum, iis decretis verbum Dei damnatum. Ideo vitam & caput potius amiſſurus ſum, quam tam clarum verbum Domini deſerturus.

Treuerenſis videns Doctorem Martinum Dei verbum iudicio hominum nequaquam ſubmiſſurum, clementer eum dimiſit, Rogantique vt curaret ſibi commeatum clementem à Cæſarea Maieſtate, reſpondit: Se rem probe curaturum, & renunciaturum.

Neq; ita multo poſt, officialis Treuerenſis, præſenti Cancellario quondā Maximiliani, à Secretis Cæſaris, Doctori Martino in diuerſorio ſuo, mandato Cęſaris dixit. *Quia tam multipliciter à Cæſarea Maieſtate, Electoribus, Principibus, & Ordinibus Imperii fruſtra commonefactus, ad cor & vnitatem noluerit redire, reliquum eſſe, vt Cæſar [vt Aduocatus fidei Catholicæ] procedat. Ergo mandatum Cæſaris eſſe, vt intra viginti vnum dies hinc ad ſecuritatem redeat, ſub conductu publico, & libere ipſi ſeruando, neq; vel prædicando vel ſcribendo, in itinere populum commoueat.*

Quo audito, Doctor Martinus modeſtiſſime reſpondit. *Sicuti Domino placuit, ita factū eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Deinde addebat. *Se ſupplicem, primum omnium, Sereniſ. Cæſ. Maieſt. Principib. & reliquū Imperii Ordinibus gratias agere, quam poſſet maximas, pro tam benigna & clementi audientia, proq; cōductū libero & ſeruato & ſeruando. Neque enim ſe quidquam deſideraſſe in eis, niſi reformationem per ſcripturam ſan-*

ctam à ſe tantopere flagitatã. Alioqui pro Cæſarea Maieſtate & Imperio paſſurus omnia, vitam & mortem, famam & infamiam, nihilque ſibi prorſus reſeruaturum, niſi vnicum verbum Domini liberum, ad confitendum & teſtificandum illud. Poſtremo, Cæſareæ Maieſtati, & toti Imperio ſe humillime tum commendans, tum ſubiiciens.

Poſtridie igitur, hoc eſt, feria ſexta poſt Iubilate, die Aprilis viceſima ſexta, ſalutatis Patronis & amicis, qui eum frequentiſſime conuenerant, ſumpto ientaculo hinc abiit, ad horam ante Meridiem decimam, comitatus & ab iis, qui huc venientem proſecuti ſunt. Quem Caſpar Sturm Caduceator poſt aliquot horas ſecutus, Oppẽheim inuenit, Proſecuturus vocali mãdato Cæſaris Caroli.

PRECATIO LVTHERI QVOTIDIANA ET SOLITA.

CONfirma Deus hoc in nobis quod operatus es, & perfice opus tuum, quod incepiſti in nobis, ad gloriam tuam, Amen.

VI.

Anno Domini 1522.

BILIBALDI PIRKHEIMERI EPISTOLA AD S.D.N. ADRIANVM P.M. DE MOTIBVS IN GERMANIA PER Dominicanos & horum complices excitatis, & de occaſione Lutheraniſmi.

QVVM anteactam vitam tuam, Adriane Pontifex Maxime, conſidero, ac diligenter mecum reuoluo, qualiter illam ab ineunte inſtitueris ætate, ſemperq; virtute & optimis excolueris literis, tandemque ad ſummum columen rerum ſine malis euectus ſis artibus, plane diuinę bonitatis integratiam exuberare perſpicio. Quo pacto enim hoc tam improbo, ne infelici dicam, ſeculo eo pertingere potuiſſes, quo nec vnquam cogitationes tuæ peruenerant, niſi plane Deus, qui vniuerſas vias tuas ab ineunte direxerat ætate, te etiam in ſummo faſtigio collocare voluiſſet, præcipue nil tale cogitantem, minus vero ambientem aut licitantem? Quum igitur ſolius Dei nutu adeo ſis exaltatus, minime dubitandum eſt, te etiam quæ Dei ſunt, & in ſuam tendant gloriam, velle, exoptare ac ſummopere deſiderare. Quo pacto enim in publicis, & vbi de fide, pace, ac certiſſima animarum Chriſtianarum agitur ſalute, non optima & quæ in Dei gloriam & gregis cõmiſſi vergant ſalutem concupiſceres? cum in priuatis etiam nil niſi quod rectum ac ſanctiſſimum ſuit, probaris, elegeris, ac ſectatus fueris. Quod quum ita habeat, conſentaneum quoq; eſt, te haud aſpernaturum, ſi quis hoc in tumultu ac rerum diſcordia conſilium vtile, vel ſaltem haud contemnendum, in medium afferat, non quod tu conſilio indigere videaris, in cuius pectore omnimoda incluſa videtur ſapientia; ſed vt recte de imminentium rerum mole inſtruaris, ad moneariſque quid tibi potiſſimum ſectandum, quidq; ſit fugiendum: in qua re vel maxime hoc vſque erratum fuit. Licet enim per te recte ſapias, multiſq; ac ſapientiſſimis abundes conſiliariis: conſtat tamen, eos qui huc vſque ſedis Apoſtolicæ negotium apud Germanos egere, non parum in eo fuiſſe deceptos cum rerum & linguæ ignorantia, tum ob morum diuerſitatem, ac nimiam adulatoribus fidem adhibitam: ſiquidem non omnes populi vno ac eodem modo conciliari aut tractari volunt, ſed habet gens quæq; peculiare aliquid, & à cæteris diuerſum. Id niſi quis recte diſcernere, & aliter inter Germanos, aliter inter Italos, aut Hiſpanos ſe gerere nouit, is præterquam quod vix aliquando voti Compos euadet, in multis fallatur & aberret neceſſe eſt, etiamſi ipſe ſibi vel callidiſſimus videatur: vt obiter prętercam, quod optimis ferme dominis peſſimi vt plurimum miniſtri obueniant, qui quum ſæpe perquam vtilia habeant in mandatis, iis tamen omiſſis deteriora ſectari minime dubitant, quum ſciant, non omnia ad dominorum cognitionem peruenire poſſe, partim quod maiorum rerum vrgeantur mole, partim quod mentem eorum præſtigiis quibuſdam obtenebrari poſſe confidant.

His rationibus, præcipue tamen patriæ motus amore, has literas ad S. tuam dare auſus fui, non quod prudentię meæ, quam admodum tenuem eſſe non ignoro, multum tribuerem; ſed quia à longis iam annis & ab ineunte ætate in rebus verſatus eſſem gerendis, mores quoq; noſtrorum perbelle noſcerem, litteras vero non penitus ignorarem: ac ideo diuturno vſu edoctus longius mihi perſpicere viderer quã homines quidã temerarii, quos cernere eſt animi magis impetu quã certis rationib. aut vlla moderatione præcipites ferri, & qui nihil penſi habẽt, dũmodo voti ſui cõpotes fieri, ac libidini, arrogantię, auaritiæ ac reliquis vitiis cũctis indulgere poſſint, ac interim verbis ſe ſpirituales appellare non erubeſcunt, cũ re ipſa omnib. laicis mundaniores & peruerſiores exiſtant. Cæterum ni Sanctitas tua rite percipiat, vnde turbæ tam immenſæ exordium ſumpſerint, vix vllum remediũ adhibere valebit: quemadmodum nec medicus quiſpiam, etiam peritiſſimus, ægrotum aliquẽ curare poterit, ni antea

In antea morbum & illius cauſas plane intellexerit. Conſtat igitur, dolos, Sycophantias, ac omnes malas artes Fraterculorum illorum, qui Dominicaſtri vocantur, tam horrendas concitaſſe Tragœdias. Ii enim cum longo rerum ſucceſſu criſtas in immenſum extuliſſent, iamque nil humile animo volutarent, ac ſibi ipſis perſuaſiſſent, omnia quæ luberent ac conducerent, confeſtim etiam ſine vllo probitatis aut honeſtatis reſpectu licere, iamque ab egregio illo Bernenſi excidiſſent molimine, alia via, quoniam illa minus ſucceſſerat, graſſandum eſſe cenſuerunt. Quo pacto enim quietem agerent, quos non ſolum victus & veſtitus alienus irritaret, ſed plane diuina exagitaret vindicta. Bonarũ igitur literarum odio flagrantes, ac oẽs eruditos, tanquam machinationib. ſuis minus idoneos, deprimere, aut etiam e pedibus tollere ſatagentes, primum virum optimum & apprime doctum Io. Capnionem ſelegerũt, vt potiſſimum in illum inuolitarent, ac venenata arma ſua ſub pietatis prætextu diſtringerent. Eo enim deuicto vel etiam oppreſſo, nil ſibi reliquum fore cenſebant, quod non ludibriis eorum expoſitum foret. Ceterum ne potius inuidia aut calumniandi gratia prouinciam hãc ſuſcepiſſe viderentur, neve, ſi res parũ ex voto ſucceſſiſſet, ſoli ipſi periculum ſuſtinerent (iam enim Bernenſi calamitate aliquantulum redditi erant cautiores) Theologos nonullos, quos pari odio flagrare ſciebant, in conſortiũ ſumpſere, ac Iudæum quendã male ablutum, in Capnionem immiſere, ita inſtructum, vt ꝗ primum ipſe pugnã ciere incepiſſet, ſe cum vniuerſis copiis ſubſidio venturos expectaret. At ſatelles ille ſceleris rẽ gnauiter aggreſſus eſt, ac bonũ Capnionẽ inſtructis conuiciis ac iniuriis laceſſere cœpit: qui cum doli inſtructi penitus eſſet ignarus, ac ſibi cũ ſolo ſemi Iudæo rẽ eſſe cẽſeret, totã tandẽ ſceleratorũ hominum aciem in ſe vnũ explicari ſenſit. Porro quib. cõmentis, dolis, impoſturis, ac ſimulationib. egregii illi Dominicaſtri rẽ egerint, enumerare operæpretium haud eſt; quum nemo bonus aut doctus tã Romæ quã per Germaniã vniuerſam tãtarum Sycophantiarum ſit ignarus. Nec ſat erat, Capnionẽ, ſubdole circũuenire, niſi etiam Deum Opt. ac Max. technis ſuis teſtẽ adhibuiſſent, ac nefandis periuriis maieſtatẽ illius cõtaminaſſent. Securus.n. Capnio, promiſſionibus & præſtito fidebat iuramento, nec rẽ aliquã nefandã illos molituros ſuſpicabatur: cũ interim Sanctuli illi clã omnem lapidẽ Romæ mouerent, ac pollicitationib. fraudib. & munerib. fas & iura ſubuerterẽt, ac optimũ virum omnium impietatũ earũ ignarum circũuenirent. Quantũ vero laudis aut dedecoris machinationes tã nefandæ illis pepererint, iãpridẽ, ni fallor, plane ſunt experti. Hoc vero nemo ignorat, oẽs, qui nondum ob execrandũ Bernenſe facinus abalienati fuerant, plane ob illuſiones tã abominandas ab illis deſciuiſſe, & Vatiniano odio illos proſequi cœpiſſe: nec mirũ, cum non ſolũ tam perdite in Capnionẽ velitati fuiſſent, ſed optimũ quemq; quem tam nefandã rem moleſte ferre, ac Capnioni amicũ eſſe reſciuiſſent, mordicus arripuiſſent, & omni conuiciorum genere lenonũ inſtar proſcidiſſent, nulla ratione habita generis, cõditionis, honeſtatis, aut eruditionis, vt eo pacto tanꝙ furiis agitati oẽs tandem exaſperarent, & in caput propriũ irritarent: quãuis & lucelli expectatio viros tam lepidos in tantã egiſſet rabiem. Iam.n. ſpe haud penitus inani Iudæorũ vorauerãt aurum. Ceterum hoc hõim ſceleſtorum ſcelus ſceleratiſſimũ non ſolum Leoni Pontifici ac vrbi Romanæ ſempiternã notã inuſſit, Dominicaſtros in odiũ & abominationẽ omnium coniecit, ſed & optimũ quemq; ac doctiſſimũ in Lutherana caſtra ꝓpere migrare coegit. Iam.n. iti egregij, ne tãtiſper deſiderent, Tragœdiã illam aliam & incendiũ nouũ excitare inceperant. Quo pacto.n. Satanas quieſceret? Nã cum indulgentias illas ſuas plus æquo extollerent, nefandiſſimis quibuſdam contaminarunt blaſphemiis, ita vt inter cetera deteſtanda hões ſacrilegi palã obgãnire auderent, ſi quis ẽt Beatiſſimã Dei genitricẽ (proh ſcelus ẽt auditu horrendũ!) ſtupraſſet, ſe illum abſoluendi poteſtatẽ habere, nec ſe Chriſto vllo pacto inferiores eſſe, &c. Quæ cũ optimi cuiuſq; aures offendiſſent, nemo tñ liberater ſe mendicabulis illis palliatis opponerẽt, quæ non niſi litiũ & contumeliarũ auidiſſima eſſẽ ſciret, tandẽ Lutherũ impulerunt, vt vel modeſtiſſime obuiã illis iret. At illi, lętiſſimi, occaſionẽ perꝗ opportunã ſibi oblatã eſſe putarunt, vt in virũ bonũ ac doctũ venenatã ac ſolitam ſuam rabiẽ euomere poſſent: quem ẽt facinorib. ſuis impulerunt, vt longe maiora aggredi auderet. Ceterũ quũ iam viderent, temeritatem ſolã ad Lutherum debellandũ haud ſufficere, ac ſe doctrina & eruditione lõgẽ illo eſſe inferiores, ad ſolitas cõfugerunt verſutias, nonnulloſq; ſollicitare cœperunt, quos noſcerẽt non tã inuidia quã inanis gloriæ cupiditate flagrare: quos ita in illũ inſtigarunt vt tandem longe plus ſemetipſos & ſedem Rom. quam Lutherũ offendiſſe ſentirent: Vt interim ſileã, quantis ludibriis propugnatores ſuos expoſuerint. Aduenit tũ forte fortuna [vel potius eorũ infortunio] cardinalis quidam Caietanus, olim hæreſin eandẽ ſectatus, cuius præſentia ita elati ſunt, vt iã plane debellatũ eſſe cenſerent. At vir ille bonus, cum potius modeſtia & ingenii dexteritate tñ incendiũ extinguere deberet, ita alere cœpit, vt ẽt ſumma rerum faſtigia comprehenderet. Porro quę Prierias quidam cum cõplicibus ſuis ſcripſerit ac egerit, nil attinet enumerare, præter id ſolum, ꝗ mundo manifeſtum reddiderint, ſe neq; fide, neq; veritate, neq; vlla doctrina ſana præditos eſſe. Dominicaſtri interim vt nil intentatum relinquerent, planeq; e fumo flammam excitare poſſent, præſultorem illum ſuum Eckium Romam delegarant, quem ſcirent omni facinorũ genere pollere, ac iam Lipſica diſputatiõe experti fuerant temeritate & impudentia nil eis inferiorem eſſe. Ille igitur Romam properans, nugiſq; & clamorib. ac vanis ꝓmiſſionibus omnia cõplens, Bullis quam plurimis ſuffarcinatus in Germaniam redit, non ſolum Lutheranis infenſas, ſed optimũ quemq; quem aut virtutis aut eruditionis gratia oderat, Bullis ſuis infeſtare cœpit, vt priuatam malignitatem ſuam ſub publica vindicare auctoritate poſſet.

* *Cetera in autographo imperfecta deerant.*

VII.

Anno Domini 1584.

BVLLA GREGORII XIII. PONTIFICIS ROMANI, IVXTA EXEMPLARIA MANDATO EPISCOPI ET ELEctoris Treuerenſis proximo Anno publice edita.

IOANNES DEI GRATIA S. TREVERENSIS ECCLESIÆ Archiepiſcopus, & Romani Imperij per Galliam & Arelatenſe regnum Archicancellarius, nec non Princeps Elector, &c. omnibus & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, monaſteriorum Prioribus, Viceprioribus, Eccleſiarum tam collegiatarum quam parochialium, ſediumque Chriſtianitatis Decanis, nec non Paſtoribus, diuinorum Curatis, & Vicecuratis, Rectoribus, Plebanis quibuſcunque nobis per totam Archiepiſcopalem noſtram Diœceſim ſubiectis ſalutem in Domino & gratiam noſtram.

PAſtoralis officii cura, quam pro grege Dominico nobis licet immeritis diuinitus commiſſo, gerimus, poſtulat, vt non tantum noxia procul à ſubditis noſtris arceamus, ſed etiam eiſdem ſalutaria pro viribus procuremus: in quibus ea potiſſimum habenda eſſe conſtat, quæ à ſancta ſede Apoſtolica eiuſque Rectore, ſummo Chriſti in terris Vicario, cunctis fidelibus obſeruanda mandantur. Quum ergo Bullam ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, D. Gregorii Papæ XIII. in die cœnæ Domini Anno 1584. Romæ publicatam, nuper accepiſſemus, pro debita noſtra erga ſuam ſanctitatem & ſedē Apoſtolicam obſeruantia, ſalutis animarum zelo, & muneris noſtri Archiepiſcopalis ratione: tum, ne vel ſubditi per ignorantiam vitanda perpetrent, & animarum periculum incurrant; vel diuinorum Curatores ac Parochi, cæterique fori conſcientiæ præpoſiti liganda ſoluant, & ſoluenda temere ligent, ſed inſtam diſcretionis trutinam vbique ſolerter adhibeant: nihil prius habuimus, quam ad Bullæ prædictæ promulgationem & executionem à ſancta ſede Apoſtolica nobis iterato commiſſam procedere. quod vt commodius fieret, operæ pretium fore duximus eandem Bullam hiſce literis noſtris ad verbum inſerere, & vobis ac veſtrum vnicuique publicandam tranſmittere, iuxta continentiam eius & tenorem, qui ſequitur hunc in modum.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVOrum Dei, ad futuram rei memoriam.

Excommunicatio & anathematizatio.

COnſtituerunt Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, ad retinendam puritatem religionis Chriſtianæ, & ipſius vnitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Chriſtum videlicet, eiuſq; Vicarium principaliter conſiſtit, & ſanctam fidelium ſocietatem ab offenſione ſeruandam, arma iuſtitiæ per miniſterium Apoſtolatus in præſenti celebritate exercere.

1. In hæreticos, eorum fautores, libros legentes & ſchiſmaticos, & qui ab obedientia Ro. Pont. recedunt.

1. Nos igitur vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes, excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, quoſcunque Huſſitas, Vicleuitas, Lutheranos, Zwinglianos, Caluiniſtas, Vgonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, ac omnes & ſingulos alios Hæreticos, quocunque nomine nuncupentur, & cuiuſcunque ſectæ exiſtant, & eorum credentes, ipſorumque receptatores, & fautores, & generaliter quoſlibet defenſores, ac eorundem libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & ſedis Apoſtolicæ, ſcienter legentes, aut tenentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quauis cauſa, publice vel occulte, quouis ingenio, vel colore: nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Roma. Pont. pro tempore exiſtentis obedientia, pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

2. In appellantes à Papa ad futurum Concilium.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cuiuſcunque ſtatus, gradus ſeu conditionis fuerint, & interdicimus Vniuerſitates, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, ſententiis, ſeu mandatis noſtris, ac Rom. Pont. pro tempore exiſtentium, ad vniuerſale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

3. In Piratas, eorum receptatores & fautores.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, latrunculos maritimos, & illos præcipue, qui mare noſtrum à Monte argentario vſque ad Terracinam diſcurrentes, eos qui in illo nauigantes deprædantur, mutilant, interficiunt, rebuſue & bonis ſuis ſpoliant, omneſque receptatores eorundem, & iis auxilium ſcienter dantes, vel fauorem.

4. Item

4. Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunque nauibus tempeſtate in tranſuerſum [vt dici ſolet] iactatis, naufragium paſſis, aut etiam ſubmerſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eis delapſa, & in mari, vel littore inuenta, cuiuſcunque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in quibuſcunque aliis cuiuſcunque maris regionibus, & littoribus rapuerint, aut ſcienter ipſi ſibi acceperint, aut ab aliis rapta, ſeu accepta ſcienter receperint: ita vt nec etiam ob quodcunque priuilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunque prætextum excuſari poſſint.

4. In rapientes naufragorum bona, aut ſcienter ab aliis rapta accipientes.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis noua pedagia, ſeu gabellas ad id poteſtatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi, vel augeri prohibita exigunt.

5. In imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, & in forma Breuis, ac ſupplicationum, gratiam, vel iuſtitiam concernentium, per Romanum Pont. vel S. R. E. Vicecancellarium, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato eiuſdem Rom. Pont. ſignatarum, aut ſub nomine eiuſdem Rom. Pont. ſeu Vicecancellarii aut gerentium vices prædictorum ſignantes ſupplicationes eaſdem: ac etiam falſò fabricantes litteras Apoſtolicas, & in forma Breuis, ac ſupplicationes huiuſmodi. Extendentes conſtitutionem fel. re. Innocentii Papæ III. quæ incipit: Ad falſariorum, &c. cum omnibus pœnis in ea contentis, ad eoſdem fabricantes & etiam ad falſificantes, ſeu mutantes ſupplicationes per nos, ſeu de mandato noſtro ſignatas & datatas, ſine noſtra, aut Datarii noſtri licentia.

6. In falſificantes literas Apoſt. aut ſuppl. à quocunque auct. habente ſignatas, ac falſo fabricantes literas Apoſt. &c.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipſo canape quam ex quacunque alia materia, & ipſam materiam, aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis & aliis Chriſti nominis inimicis: Nec non illos, qui per ſe, vel alium ſeu alios de rebus Chriſtianæ Reip. ſtatum concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel fauorẽ quomodolibet præſtant: Non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis, & conceſſionibus, quibuſcunque Principibus, & Dominiis, ſiue priuatis perſonis per nos, & ſedem prædictam hactenus conceſſis, quæ illis nolumus in aliquo ſuffragari.

7. In deferentes arma & alia bellica Saracenis ac Turcas, & de Reip. ſtatum concernentibus prædictos certiores facientes.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſiue inuadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt: ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, impediunt ſeu perturbant, vel pro eis aliquid exigunt, aut ſoluere faciunt, ſeu hæc facientes defendunt, per ſe, vel alium, ſeu alios cuiuſcunque fuerint ordinis præeminentiæ, conditionis & ſtatus, ac etiamſi pontificali, vel regali, aut alia quauis eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria Romam conuehunt, aut pro eis aliquid exigentes.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes ex propoſito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu peregrinos ad vrbem, cauſa deuotionis, ſeu peregrinationis, & prorſus omnes alios ad ſedem Apoſtolicam accedentes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipſa, & illis dantes auxilium, conſilium, vel fauorem.

9. In eos qui ex propoſito Romipetas offendunt.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, eius prætextu capiunt, ſpoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

10. In eos qui ſine iuriſdictione, in curia commorantes vexant.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinẽtes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eoſdem eiicientes à ſuis diœceſibus, territoriis, terris, ſeu dominiis, eaq; mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes eis auxilium, conſilium, vel fauorem.

11. In offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælates.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe vel alium ſeu alios, quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas, vel ſeculares, ad dictam curiam ſuper eorum cauſis & negotiis recurrentes, illaſque in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, Aduocatos, Procuratores & agentes ipſorum, ſeu etiam auditores, vel Iudices, ſuper dictis cauſis vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum huiuſmodi verberant, mutilant, occidunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte prædicta exequi vel procurare, aut in eiſdem conſilium, auxilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunque præeminentiæ & dignitatis fuerint. Ac etiam omnes tã eccleſiaſticos, quam ſeculares, cuiuſcunque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum & in forma Breuis, tam gratiam quam iuſtitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum Decretorum à nobis, & à ſede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque iudicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam fiſci procuratore, appellationes huiuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra,

12. In eos, qui ad Romanam Cur. recurrentes offendunt, aut executionem literarum Apoſtolicarum aut aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent. Ac etiam appellantes ad laicã poteſtatem à grauamine vel futura earundẽ literarum executione, ac etiã eas impedientes & capientes, &c.

ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt. Quiue illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones, & Notarii ſuper huiuſmodi litterarum, & proceſſuum executione, inſtrumenta vel acta conficere, aut confecta parti; cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: ac etiam partes, ſeu earum agentes, notarios, executores, & ſubexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus, locis, & regnis eiiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publice, vel occulte, ſeu capi, carcerari, detineri percuti, vulnerari, minisque agitari faciunt. Quiue alias quibuſcunque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel litteras à dicta ſede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directe, vel indirecte prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut notarios, ſeu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

13. In officiales Principum ſecularium, & Prælatos, qui cauſas Eccleſiaſticas à iudicibus Apoſtolicis auocant, & actores ad reuocanda impetrata cōpellūt.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & ſingulos Cancellarios, Vicecancellarios & Conſiliarios ordinarios, & extraordinarios, quorumcunque Regum, & Principum, ac Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, & Parlamentorum: necnon Procuratores generales, eorundem, vel aliorum Principum ſecularium, etiam ſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, quocunque nomine nuncupentur: alioſque iudices tam ordinarios quam delegatos, nec non Archiepiſcopos, Abbates, Commendatarios, Vicarios, & officiales, qui per ſe, vel alium, ſeu alios auctoritate propria & de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris aliiſque iudicibus eccleſiaſticis auocant, illarumue curſum, & audientiam, ac perſonas, capitula, conuentus, collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam iudices interponunt, quippe partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum & reuocare faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum, eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui, per ſtatutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac Decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ præbendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos [vt dicunt] ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram nobis, & ſede Apoſtolica legitime proſequantur.

14. In iudices ſeculares, qui Eccleſiaſticas perſonas ad ſua Tribunalia trahunt, quiq; Eccleſiaſticam libertatem tollūt, vel in aliquo lædunt.

14. Quiue ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque perſonas eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus, & collegia eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, Cancellariam, Conſilium vel Parlamentum, præter iuris canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt vel procurant directe vel indirecte, quouis quæſito colore. Necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia Decreta in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu literarum Apoſtolicarum vſu non receptarum, ſeu reuocatarum, vel cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ ſedis, ac quarumcunq; eccleſiarum iuribus quomodolibet directe vel indirecte, tacite vel expreſſe præiudicatur.

15. In impedientes Prælatos, ne ſua iuriſdictione vtantur, quiq; illorum & delegatorum iudicia eludentes ad cancellarias recurrunt, &c. aut contra illos decernunt, præſtantq; auxiliū, &c.

15. Nec non qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunq; Iudices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus ſua iuriſdictione eccleſiaſtica contra quoſcunq; vtantur, ſecundum quod Canones, & ſacræ conſtitutiones eccleſiaſticæ, & decreta conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt. Ac etiam eos, qui poſt ipſorum ordinariorum, vel etiam delegatorum quorumcunq; ſententias, & decreta, aut alias ſori eccleſiaſtici iudicium eludentes, & Cancellarias, & alias curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant: Eos quoq; qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, aut fauorem in eiſdem.

16. In vſurpantes ſedis apoſtolicæ, & quarumcunque eccleſiarum iuriſdictiones, vel fructus, aut eos ſequeſtrantes.

16. Quiue iuriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & prouentus, ad nos, & ſedem Apoſt. & quaſcunq; eccleſiaſticas perſonas ratione eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum pertinentes vſurpant, vel etiam quauis occaſione, vel cauſa, ſine Rom. Pont. vel eorum ad quos iure pertinent, expreſſa licentia, ſequeſtrant.

17. In imponentes decimas, & onera perſonis eccleſiaſticis, eccleſiis, monaſteriis aut eorū fructibus.

17. Quiue collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera clericis, prælatis, & aliis perſonis eccleſiaſticis, ac eorum, & eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum bonis illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiuſmodi abſque ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt: nec non qui per ſe, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem, aut votum ſeu ſuffragium palam, vel occulte præſtare non verentur, cuiuſcunque ſint præeminentiæ-

eminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiam ſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, Reſpublicæ, & alij potentatus quicumque, etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & terris quoquo modo præſidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate inſigniti: Innouantes Decreta ſuper his per ſacros Canones tam in Lateranenſ. nouiſſime celebrato, quam alijs concilijs generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

18. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, Senatores, Præſidentes, Auditores, & alios Iudices, quocumque nomine vocentur, ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, Scribas, ac executores, & ſubexecutores, & alios quoquo modo ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas banniendo, capiendo, proceſſando, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum a ſede Apoſtolica ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcumque tenoribus & formis, in genere & ſpecie conceſſorum quibuſcunque Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuſpublicis, Monachis, Ciuitatibus, & alijs quibuſcunque potentatibus, quocunque nomine cenſeantur, quæ nolumus illis in aliquo ſuffragari, illa omnia ex nunc in irritum reuocando. *18. Contra iudices ſeculares in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra eccleſiaſticas perſonas ſe interponentes.*

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel alium, ſeu alios, directe vel indirecte, ſub quocunque titulo, vel colore de facto occupant, vel detinent, vel hoſtiliter deſtruunt, vel inuadunt, aut occupare, detinere, vel deſtruere aut inuadere hoſtiliter præſumpſerint in totum, vel in partem, almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, patrimonium B. Petri in Tuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, Ciuitateſque noſtras Bononiam, Ceſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, ciuitatem Caſtelli, Tudertum, & alias ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipſam Rom. Eccleſiam pertinentia, dictæque Rom. Eccl. mediate vel immediate ſubiecta: quiue ſupremam iuriſdictionem in illis nobis, & eidem Roman. Eccl. competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere & vexare variis modis præſumunt: Nec non adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodo libet præſtantes. *19. In occupantes loca, & terras eccleſiæ Ro. & in illis ſupremã iuriſdictionem vſurpãtes.*

20. Nec non omnes, & ſingulos ſupellectilium, librorum, ſcripturarum, & bonorum Cameræ & Palatij Apoſtolici, ex eodem Palatio, infirmitatis Rom. Pontific. ac ſedis Apoſtolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoſcunque alios, ad quorum manus bona prædicta quocunq; titulo, & ex quauis cauſa ſcienter peruenerint. *20. In raptores ſupellectilium, & ſcripturarum Cameræ, & palatis Apoſtolici.*

21. Volentes præſentes noſtros proceſſus; ac omnia & quæcunque his litteris contenta, quouſque alii huiuſmodi proceſſus a nobis, aut Rom. Pont. pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri. *21. Quandiu præſens proceſſus duret.*

22. Cæterum à prædictis ſententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolui poſſit, etiam prætextu quarumuis facultatum & indultorum, quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumuis ordinum etiam Mendicantium, & Militiarum, regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus & eorum Monaſterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis: nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos & dictam Sedem ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacunque ſcriptura in genere & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum. *22. Reſeruatio abſolutionis R. Pontificis.*

23. Quod ſi forte aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, proceſſuri. *23 Contra abſoluentes in ſupra dictis caſibus.*

24. Declarantes, ac proteſtantes quamcumque abſolutionem etiam ſolenniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos, ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis, cum vero propoſito vlterius ſimilia non committendi, deſtiterint: Ac quo ad eos, qui contra libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publice reuocauerint, & ex Archiuis, ſeu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari. Quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcunque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos ac etiam per patientiam, & tollerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuata, in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac quibuſcunq; iuribus Sedis Apoſtolicæ ac S. R. E. vndecunque, & quomodocunque quæſitis, vel quærendis nullatenus præiudicari poſſe, ſeu debere. *24. Abſolutio Ro. Pontificis etiam ſolennis quos non comprehendat.*

25. Non obſtantibus priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſt. generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus, & alijs cuiuſcunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam ſi, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus ſeu locis, à prædicta Sede ex quauis cauſa etiam per viam contractus aut remunerationis, & ſub quauis *25. Quod non obſtant priuilegia, aut quauis Apoſtolica indulta, quo minus quis in hoc*

proceſſu includatur.

alia forma, & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis etiam derogatoriarum derogatorijs conceſſis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtol. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem; Nec non conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & aliis quibuslibet obſeruantiis ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias quo minus includantur in eis, ſe iuuare valeant vel tueri: quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum nihil penitus omiſſo infererentur præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, ceteriſque contrarijs quibuſcunq;.

26. Quod appenſio proceſſus in valuas Eccleſiæ ſancti Ioannis Lateranenſis, & baſilicæ principis Apoſtolorum, ignorantiæ aut excuſationis alicuius locum nō relinquat.

26. Vt vero præſentes noſtri proceſſus ad communem omnium notitiam facilius deducantur, chartas, ſeu membranas, proceſſus ipſos continentes, valuis Eccleſiæ S. Ioann. Lateran. Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe appendi faciemus, quæ proceſſus ipſos quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, vt ij, quos proceſſus huiuſmodi contingunt, quod ad ipſos non peruenerint aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

27. Quod Ordinarii locorum quotannis præſentem proceſſum in ſuis eccleſiis frequenti populo publicari curent.

27. Inſuper, vt proceſſus ipſi, ac præſentes litteræ, ac omnia & ſingula in eis contenta eo ſiant notiora, quo in pleriſque ciuitatibus & locis fuerint publicata, vniuerſis & ſingulis Patriarchis Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, Prælatis, & Rectoribus vbilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, vt per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in eccleſijs ſuis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, ſolenniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

28. Quod confeſſarii harum literarum tranſumpta habeāt.

28. Cæterum hortamur eoſdem vniuerſos, & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos aliosque locorum Ordinarios, & Eccleſiarum Prælatos nec non Rectores, cæteroſque curam animarum exercentes, ac presbyteros ſeculares, & quorumuis ordinum regulares, ad audiendum confeſſiones quauis auctoritate deputatos, vt tranſumtum harum litterarum penes ſe habere, legere, & diligenter examinare procurent.

29. Quod tranſumptis ſubſcriptis fides adhibeatur.

29. Volentes earundem præſentium tranſumtis, etiam impreſſis, Not. publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Iudicis ordinarij Rom. Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

30. Vt ne quis litteras violet ſub pœnis, &c.

30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, Anathematizationis, interdicti, declarationis, proteſtationis, ſublationis, reuocationis, commiſſionis, innodationis, mandati, hortationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto, ſeptim. cal. Aprilis. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

M. Car. S. Stephani. Regiſtrata apud Cæſarem Secreta. Cæſar Glorierius A. De Alexiis

QVocirca vobis omnibus ſupra dictis, authoritate noſtra ordinaria, vel potius Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, ſub obedientia, nec non pœnis & cenſuris in dicta Bulla contentis, diſtricte præcipiendo mandamus, vt ſimulatque hæ litteræ noſtræ ad vos & veſtrum quemlibet peruenerint, aut earum notitiam habueritis, per vos ipſos, aut alios veſtro nomine deputandos prima occurrente feſtiuitate, vel dominico die proceſſus in dicta Bulla contentos, pro frequenti concione, fidelibus ſubditis, lingua vulgari, clare atq; diſtincte publicetis, & intimetis, nec non pœnarum & cenſurarum, quæ tranſgreſſoribus atque rebellibus infliguntur, vnumquemque ſeduſo præmoneatis. Adhortamur inſuper in Domino & ſerio monemus omnes illos, qui confeſſionibus audiendis ex officio ſibi commiſſo vacare neceſſe habent, vt huius Bullæ per nos iam publicatæ copiam & exemplum penes ſe ſemper habeant, ſæpe legant, expendant & ruminent, eiuſque præcepta in omnibus caſibus accurate ſequantur. In hoc fiet noſtræ, vel potius ſanctiſſimi Domini noſtri ſeriæ ſalutarique voluntati ſatis. Datum in ciuitate noſtra Treuerenſi, Anno Domini 1584. 24. Nouembris, Curiæ noſtræ Eccleſiaſticæ ſub ſigillo.

PARS

PARS XXV.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS, ADMONITIONES ET COHORTATIONES POLITICAS SVPER CONSILIIS ET MACHINATIONIBVS PONTIFICIIS SEV PAPALIBVS AD

exſtirpationem ceptis ac inſtitutis Proteſtantium Regum, Electorum, Principum, atque cunctorum ordinum Reformatæ religioni ſeu Euangelicæ doctrinæ, quam Auguſtanam vocant Confeſſionem, addictorum.

I.

Anno Domini 1522.

SVGGESTIO DELIBERANDI SVPER PROPOSITIONE HADRIANI PONTIFICIS ROMANI NEROBERGÆ FACTA

AD PRINCIPES GERMANIÆ.

AVCTORE HVLDRYCHO ZVINGLIO PAROCHO TIGVRINO.

Me legat, quicunque defenſam velit & Chriſtianam religionem, & Germaniæ libertatem vindicatam.

DEerat aliquandò conſilium, ô prudentiſſimi Germaniæ Principes, doctis quidam, quo Lutheri cauſa facile tum componi potuiſſet, vt multi opinabantur, niſi quorundam peruicacia obſtitiſſet, qui vanas quotidie ſpes extinguendi Lutheri ſimulatque intra ſe concepiſſent, paſſim inter ſuæ farinæ homines diſſipabant. Quæ, vt hactenus exitum non inuenerunt, ita prorſus nihil remiſerunt: idem agitur quod olim. Compertum etenim habemus recens inauguratum Pontificem Romanum Nerobergæ iſta, quæ ſequuntur, proponere.

Hadriani P.R. propoſitum.

1. SE ESSE ANIMATVM VT CÆSAREM ET FRANCORVM REGEM COMPONAT.
2. VT ECCLESIAM INSTAVRET.
3. EXERCITVM IN TVRCOS EXPEDIAT.
4. ET LVTHERVM CVM SECTA SVA EXTINGVAT.

Hic mihi viſus ſum (quicunque tandem ſum) operæpretium facere ſi veſtræ prudentiæ, quid ipſe in hac re ſentiam, aperuero, ac velut anſam deliberandi ſuggeſſero. *Sapiens enim*, inquit Salomon, *ſi occaſionem prabueris, ſapientior erit.* Non equidem opto, vt prudentia veſtra rem ex noſtra ſententia gerat (Ego enim quis ſum?) ſed, quandoquidem

Sæpe etiam eſt holitor valde opportuna locutus,

paruitatem noſtram benignius audiat, quæque vana videbuntur reijciat, nec indignam rem fieri putet, ſi vulgaris aut priuatus Principes admoneat. Nam & Amos de grege vocatus ſpiritu cæleſti imbuitur, vt vniuerſum populum Iſraëliticum arguat. Ego vero humiliter modo ſuggero, quomodo ipſe rem totam, vt primum audiui, expenderim, idemque vos facere per Ieſum Chriſtum oro. Nomini noſtro non metus, ſed arrogantiæ notam declinandi cauſa pepercimus.

1 Stulta ſunt & præpoſtera Pontificis Conſilia.

Conſideram itaque quod ad primum attinet, ſi Romanus Pontifex in hoc incumbit vt Cæſarem & Francorum Regem componat, qui fiat vt hoc apud Germanos ordiatur, à quibus negocium minime pendet? Deinde ſi Eccleſiam reparare conſtituit, quamobrem non à ſuis Epiſcopis & Cardinalibus auſpicetur, præſertim quod palam ſit omnibus, omnem luxum & abuſum Eccleſiaſticorum à Romanis tanquam à fonte in vniuerſum orbem deriuatos eſſe? Si vero copias in Thurcos expedire, miror tam audax propoſitum, quod ſeptuagenarius, quod Chriſti manſuetiſſimi Sacerdos & Vicarius (vt hoc interim donem) nondum pacatis bellis, nec Principum ſummorum conciliatis animis, tantum facinus promittere audet, quaſi ex ſe omnia pendeant. Nam tametſi quiddam ſibi de Cæſare polliceri poteſt, certe de Francorum Rege hodie nihil poteſt, quem vndique tam hoſtiliter oppugnant, vt ad tuendum regnum vires ægre ſufficiant. Taceo quod neſciam quam tutum ſit nedum pium de Republic. Chriſtiana tam temere periclitari, cum hoſte præſertim tam vafro, forti ac prædiuite, formidabili quoq; non modo imbelli vetuloq; ſacerdotulo, ſed ſummis etiam cordatiſsimiſq; Ducibus.

2 Conſideraui è diuerſo ex rebus non adeo dudum geſtis, an ne Romani Pontifices quiddam tale,

tale, quale noſter Hadrianus molitur, præſtiterint. Inueni autem eos nihil minus proximis ferè triginta annis quam Principum concordiam ferre potuiſſe. Iis enim ſeſe mutuo conterentibus Roma tacite, ſed ampliter, ſuis delitiis fruitur. Idque fere noſtra tempeſtate accidit, vt aut bella geſſerint Romani Pontifices, aut Eridis more concitauerint. Qualiter vero Eccleſiaſticorum mores hactenus correxerint, poſtremo habita Concilia generalia clariſſime docent. Cœperunt enim in Concilio Baſilienſi, quo Cæſaris ac principum expectationem fruſtrarentur, talia vel conſimilia decernere. *Clericus curtam veſtem non gerat, laxas manicas in tunica non habeat. Cardinalis ſupra triginta beneficia Eccleſiaſtica non habeat. Concubinam in ſacris conſtitutus nemo aperte foueat. Crines ac barbam ad minus in menſe ſemel tondeat.* Porro Chriſti doctrinæ breuis aut nulla prorſus mentio. Atque hæc anilia deliramenta reformationem Eccleſiæ audent appellare. Expeditionis autem in Thurcos prætextu, tanquam eſca, quantas Philippeorum myriades emunxerint, quid recenſere refert? cum nemo ſit, qui id non ſenſerit, nedum audierit vel viderit. *Priorum Pontificum exempla huic inſtituto repugnant.*

3 Omnibus igitur in hunc modum expenſis, nempe neque ratione vlla, neque rerum paulo ante geſtarum fide videri poſſe Romanenſes id in animo habere quod præ ſe ferunt. Fecerunt enim idem a Principio functionis ſuæ Romani Pontifices, quod hic noſter, videlicet vt omnium oculos vanis ſpebus in ſe conuerterent, quas non ridiculo mure, ſed inſigni tandem aliquo damno eluſerunt. Supereſt, vt hæc tria prætexantur, quo facilius perdere Lutherum poſſint. Neque ego Lutheri cauſæ hic patrocinor, ſed Euangelij. Manifeſtum enim eſt omnibus, quod Lutheranos omnes eos appellant, qui Euangelium ſyncerius prædicant, quo latius poſſint atrociuſque graſſari. *De ſolo Luthero opprimendo hic agitur.*

4 Nam quod ad Lutherum attinet, conuincendus eſt ſcripturæ robore, non ſyluæ. Si vero priuatim quid vel in Pontificem vel Principes mordacius expuit, dicatur ei dies, integrumq; ſit illi ſatisfacere. Omnibus enim notum eſt, Lutherum nulli genuinum impegiſſe, quam qui prius proſciderit, niſi placeat Iudæos imitari, qui Chriſtum infeſtis clamoribus occiderunt; *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Et; *Ni hunc occidis, non es amicus Cæſaris.* *Lutherus rationibus conuincendus eſt.*

5 Porro Euangelij cognitio quantum breui adoleuerit, nemo ex vobis eſt, ô fortiſſimi Heroes, qui ignoret: quæ dum his, qui ad rem ſunt paulo attentiores, obſtat, nec tamen aperto illam Marte oppugnare audent, cuniculis rem gerere parant. Eam enim cupiunt Lutheri nomine odioſam reddere. Quod ſi eis permiſeritis, quo quæſo deuenietur? *Euangeliū oppreſſum cupit.*

6 Huc certe, vt multi, quorum ſpiritus quidem promptus eſt caro autem infirma, cum Simone Chriſtum negent, vt hi qui omnia ferre pro Chriſto parati ſunt, paſſim Lutherani nominis prætextu indicta cauſa trucidentur, vrantur, vinculis & pedoribus conficiantur. Quam equidem illis gloriam (libenter enim gloriabuntur in infirmitatibus) non inuideo, quin potius hortor, vt poſthabitis omnibus macti virtute hunc imitentur, qui ſeſe pro nobis redimendis expoſuit. Sed quod omniū minime velim veſtras manus tā atroci flagitio cōtaminari, neq; vos ad hanc petrā offendere. *Eccleſia perſecutionē pariet.*

7 Dein huc etiam venietur, vt Romanenſium gratia vniuerſam Germaniam ſummo tumultui inuoluatis. Videtis enim vt regnum Dei vim patiatur, violentiq; illud rapiant, vulgares, magiſtratus, docti, indocti, Principes & idiotæ: ac quanto quiſq; eſt innocentior, tanto vehementius impreſſionem facit ad cæleſtis doctrinæ fontes. Hi omnes, inquā, cum Euangelij hoſtibus cōmittentur, ſi ſub Lutheri nomine bellū aut exiliū Euangelio indicatur, & ſeditiones, diſſidia, tumultus, Trāſalpina ſupellex, in Germaniā transferētur: q; quantum cuiuſq; regno profuturū ſit, nemo non videt. *Communi Germaniæ [illegible].*

8 Moliuntur autem hanc malorum Lernam Romanenſes. Eorum enim litteras vidi ad quoſdam in Germania eiuſdem pulueris homines ſcriptas, quibus nunciant Pontificem Romanum omnia tentaturū, vt ſectam Lutherianam extinguat. Quin hi, qui ſunt Pontificiæ factionis, palā gloriantur, adeſſe qui omnia reſtituat in locū priſtinum. Hæc vobis nimirū ſcientibus & prudentib. loquor. Ipſi enim ſua tacere non poſſunt, ita vrget dolor conſilia, in quæ ſpes ſuas locant, prodere. *Suam hic rem Romanenſes agunt.*

9 Hoc tamen admonitos volo, vt ſi audiatis inducias inter Francorum Regem ac Cæſarem factas, ſciatis non ea gratia factas eſſe, vt vel in Thurcos mittatur exercitus, vel vt ipſi paulilper reſpirent: (quomodo enim ſimul fideliter eſſent pugnaturi, qui adhuc inter ſe hoſtiliter diſſiderent? vel quomodo reſpirationem darent ei, quem ſtatuerunt toto etiam decennio belli oneribus fatigare?) Sed vt neruis omnibus poſſint in hoc vnum incumbere, vt Euangelij prædicatio ſub Lutheri nomine infirmetur. Quod, ſi factum erit, obtinbit Roma non iam totius Germaniæ regnum, ſed orbis Chriſtiani monarchiam. Taceo hic quiddam cuique cogitandum. Nulli quoq; Principum in ponere debet, quod ſuperiores pontifices Romani cœperunt liberos veſtros ad epiſcopatus & purpureum pileum vocare. Hoc enim propter præſentem neceſſitatem tantum factum eſt, quo vos velut acceptis obſidibus oppignorarent vel dicto audientes facerent, quod vbi præſtiteritis, deſpicient. Atque interim vos hoc damni feretis, vt quod aliquando Romanos Pontifices paſſi eſtis veſtris tribuere quod veſtrum erat, cum dolore cernatis non veſtris accedere. *Concordia Regū ſuſpecta eſt.* *Arrigite aures ô Germaniæ Principes.*

10 Sed neq; illud præterierim, quod ad præſentem occaſionem paſſim rumores diſſipantur, nouicium pontificē infenſum eſſe luxui Cardinalium, atq; eius eſſe ſententię, vt ſupra octo Cardinales inauctorare nolit. Deo gratia, quod vel huc ventum eſt: verum quid octo faciet? Si Cardinalicius ordo Remp. Chriſtianam decet ex Chriſti aut Apoſtolorū inſtituto, cur nō potius augetur quam minuitur? aut quomodo licebit abolere quod Deus ſtatuit? Si ex Dei inſtituto non eſt, quid vel octo miſeræ plebi obtruduntur, ac non potius tota radix euellitur, ne vnquam ſimile luxus ſeminarium pullulet?

Falſa promiſsio Cardinalium reformationis.

11 Verum confeſtim videbimus an dictus Pontifex cupiat ad regulam Euangelicam Epiſcoporum & Cardinalium mores corrigere. Nam ſi eis Thurcorum muros & lapidea corda ſepties vno die, hoc eſt indeſinenter præcipiat ambire, ac tubarum inſtar Euangelium ebuccinare, iam certi erimus eum ad magiſtri ſui exemplar omnia comparaturum, qui vt meſſem videbat adpetere, miſit ſuos vt meterent ſine ſacculo & pera, indubieq; ſpetabimus eum Thurcorum animas lucrifacturum. Porro ſi machinas, commeatum, pedites, claſſem, equites expediat, nihil differet a mundi huius Tyrannis. Periclitabitur enim tota Reſpublica Chriſtiana. Cardinales autem & Epiſcopi, præſertim quos ſuffraganeos adpellamus, ſi fortiter Euangelij munus obierint, immenſam hominum capient multitudinem citra omne populi periculum, citraq; cædem & ſanguinem, ni forte fortuna ipſi occidantur. Id autem prouentus certiſſimum indicium erit. Granum enim tritici ſi mortuum fuerit, multum fructum adferet.

12 Itaque ſi Hadrianus, vir nimirum vehementer & prudens & doctus, vere fauet renaſcenti Chriſto, iubebit ante omnia Chriſti doctrinam pure, fideliter, & conſtanter prædicari, pollicebiturque orbi Chriſtianorum quoad poterit omnia ad diſciplinam Chriſti reparaturum. Sic enim fiet vt recte cœptis omnes faueant, quotquot Chriſti nomine cenſeri cupiunt.

13 Si vero Lutherus, vir ſine controuerſia pius & doctus, indigne tractetur, quis tutus erit? Eraſmum iam rumor eſt declaratum eſſe Hæreticum. Qui ſi quid peccauit, hic peccauit quod Romulidis iſtis nimis pepercit, maluitque Heli in morem paterne ac blande admonere, quam Heliam imitando acerbe obiurgare. Quod ſi factum erit (Dij meliora) proximus eſt quiſquis erit piiſſimus & innocentiſſimus.

14 Iam neque hoc tacebo, Hadrianum Romanum Pontificem mire commendari, ab artificio quæq; ſimulandi & diſſimulandi, & hoc ab his qui diutinam vitæ conſuetudinem cum illo habuerunt. Vnde non iniuria quis bonam de eo ſpem concipere fortaſſe poterit: nempe, vt quicquid nunc agit citra regulam Chriſti, in eum vſum faciat, ne inſueti Euangelicæ doctrinæ ab eo reſiliant antequam aliquid de illo audierint, donetq; quiddam infirmis. Faxit Deus optimus Maximus, vt ſua voluntas vincat, non noſtra ſententia. Summa ſummarum, nemo tam hebes ſit, vt propter Romanenſes, qui Germaniam tot ſeculis riſerunt, quicquam tumulti excitet, etiamſi Chriſti cauſa non ageretur. Iterum nemo tam ſeruili ac abiecto animo, vt vltro oblata libertate, nolit ea iuxta Pauli verbum potius vti, quam infructuoſæ imo detrimentoſæ ſeruitutis loris teneri.

Esaiæ 8.

Congregamini populi & vincemini, & audite vniuerſa procul terræ. confortamini & vincemini, accingite vos & vincemini, inite conſilium & diſsipabitur, loquimini verbum & non fiet, quia nobiſcum Deus.

II.

Anno Domini 1523.

DE PERSEQVVTORIBVS EVANGELICÆ VERITATIS EORVMQVE CONSILIIS ET MACHINATIONIBVS.

COMMENTATIVNCVLÆ BILIBALDI PIRCKHEYMERI fragmentum, ſcriptæ poſt conuentum Norenbergenſem.

QVum olim Pontifices ſcribæ, ac pharisæi Deo ac Saluatori noſtro Chriſto varias & innumeras tetendiſſent inſidias, quo eum aut verbis capere, aut ementito aliquo prætextu morti tradere poſſent, cernerentque, dolum ac fraudem parum procedere, rabie perciti in manifeſtam tandem proruperunt inſaniam, palamque vi graſſari cœperunt. Proditione enim captum, ac falſis teſtimonijs conuictum Pontio tradidere Pilato, à quo & minis extorſerunt, vt eum, licet innocentem cognoſceret, vltimo ac crudeliſſimo afficeret ſupplicio, fore rati, vt veritatis magiſtro è medio ſublato, nemo eorum vitia corripere aut detegere auderet, ſicque impune, quicquid luberet, omni abiecto metu, perpetrare poſſent. Non enim Dei honorem, non proximi quærebant commodum; ſed ſolum id agebant, vt ſub ſanctitatis ſpecie cunctis imponerent hominibus, obiterque crumenam pecunijs, corporis vero affectus nefandiſſimis explerent delicijs. Per horum ſceleratorum hominum veſtigia principes quidam Germaniæ Scribæ ac Pontifices ſtrenue ingredi pergunt, non quod Chriſtum ipſum crucifigere poſſint, qui ſemel mortuus amplius non moritur; ſed quod longe abominabilius eſt, æterni Patris verbum, ob humani generis ſalutem per vnicum filium mundo reuelatum, penitus excindere & abolere contendunt, non à fraude & dolo, vt Iudæi inchoantes, ſed palam vim ac Tyrannidem intentantes, in hoc à flagitioſiſſimis differentes Iudæis, quod illi dubij ac non penitus certi erant, Chriſtum Dei eſſe filium. (Nunquam enim, ſi id cognouiſſent, Regem gloriæ affixiſſent cruci.) Noſtri vero tametſi de verbo di-

bo diuino haud quaquam dubitare poſſint, ſed illud etiam inuiti ac nolentes agnoſcere cogantur, veritaté tamen opprimere, ac totis viribus extirpare adnituntur, nulla nec Dei nec hominũ habita ratione, ſed ſolum quæ ſua ſunt & mundi quærentes, tantum perfidis Iudæis deteriores, quantum res dubia a certa diſtat ſcientia. Siquidem quum nuper Principes ac Pontifices frementes & inania meditantes Nurembergæ aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius conueniſſent in vanum, multaque ac varia incidiſſent, quæ conſilio prudenti ac matura ope indigere viderentur, quo aliquando feſſis ac nondũ penitus deploratis Germaniæ rebus ſuccurri poſſet: omnibus tamen, poſt multos labores, contentiones varias temporis & impendij iacturam, neglectis Euangelica veritas ſub Lutheri nomine adeo inique, acerbe & odioſe tractari cœpta eſt, vt nil præter gladios & ignem deeſſe videretur, non quod ijs magnates illi carerent, ſed quod arbitrio ſuo abuti nequirent, quæ res in primis animũ eorum male habuit, vtpote Tyrannidi, crudelitati, ac cunctis malis artib' aſſuetum. Quod igitur ſolum permittebatur, calamo cum complicibus ſuis gladij loco vtentes, minasq; execrationes ac hæreſes conſcribentes, haud quaquam dubitabant, quin omnes ſibi tanquam parti maiori aut fauore conciliati aut metu perterriti aſtipulaturi forent. Iam quod Epinicion etiam ante victoriam partam decantare cœperunt, mirumq; in modum geſtiebant, minime conſiderantes, Deum opt. Maximumq; etiam non vocatum tam impijs conſilijs intereſſe, ac verbo ſuo diuino opem ferre poſſe. Cęterum quum ſacroſancta illa ac tanquam è Sibyllæ folijs conſcripta in medium deducerentur Decreta, parsq; Euangelicæ veritatis inimica ea magnis approbaſſet clamoribus: repente ſuorum corda Deus tetigit, ſurrexereq; primũ nunquam ſatis laudati principis Federici Saxoniæ Ducis legati, qui palam eius nomine proteſtati ſunt, ſe tam impijs, abominandis & deteſtandis ſcriptis non ſolum aſſentiri nolle, ſed etiam totis viribus obuiam ire velle. Hos Comitum & Baronum, nec non Ciuitatum Imperialium cunctarum ſecuti ſunt legati: qui etiam eandem ob cauſam nec alia quidem acta ſigillis ſuis vt moris eſt, roborare voluere, niſi diſerte proteſtatio eorum ijs inſerta foret. Sicq; ille qui habitat in cœlis, impios irriſit, & Dominus ſubſannauit eos. Cæterũ quam ęgre illi tulerint, quod conſilia eorum ita eluſa eſſent, nil ſcribere attinet. Palam enim tam inſignem animi dolorem & verbis & factis præ ſe tulerunt, vtpote qui cuncta humanæ machinationi, & haud quaquam diuinæ accepta ferrent voluntati. Tenuit enim eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum. Tranſierunt in affectum cordis: cogitauerunt & locuti ſunt nequitiam: Iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Sane quum conſiderarent, nec machinamenta ſua procedere, vim vero apertam intentare haud auderet, ad longe turpiora conuerſi ſunt conſilia. Siquidem indicto conuentu Spiram mox ſoluto cœtu principes ac reliquos dimiſerunt Proceres, ad Ciuitatemq; Eslingenſem pro inſtaurando Regimine & Cameræ iudicio conuenire iuſſerunt, vt inde abſolutis negotijs illis Spiram migrarent, tanquam ad locum admodum malo propoſito eorũ idoneum, & vbi propter incolarum raritaté cũ vellent, vi etiam, ſi dolus parum proceſſiſſet, vti poſſent. Iam enim Sanctus ille Cardineus pater in hoc eos reprehenderat, quod Nurembergæ conuentum indixiſſent, vbi propter ciuium potentiam, vi, quum vellet, graſſari nequirent. Caute enim aſſerebat a ſummis Pontificibus obſeruatum eſſe, ne vnquam vel Concilij etiam tempore in loco aliquo, vbi viribus ſuperiores non eſſent, tanquam Leo in cauea incluſi detinerentur. Ibi enim tantum conueniri debere, vbi cuncta ex eorum arbitrio ac libitu perpetrari poſſent. Quum igitur Principes ac reliqui Germaniæ primates cuncti abijſſent, rurſus illi ad ſolitas conuerſi ſunt artes, ac non ſolũ impia, nefanda & minis plena, ſed & infinitis mendaciis referta conſcripſerunt Decreta eaque contra communis Germanici conuentus autoritaté & voluntaté emittere cœperunt. Quapropter pretium operæ non defuturum, imo ſummopere neceſſarium exiſtimauimus, vt decipulæ & malæ eorum detegantur artes, & palam fiant, quo ignari admoneantur, puſillanimi conſolationem capiant, omnes denique Chriſtiani ſciant, tam impia eorum dogmata non ex communi conuentus auctoritate, ſed peſſimorum quorumdam hominum, imo Satanę ipſius procedere conſilijs. Si enim Propheta ille magnus reum ſe agit, ac labia ſe habere polluta clamat, non quod loquutus ſit, ſed quia tacuerit: iuſte & ego miſer ac minime tam ſancto comparandus viro à Domino corripi mererer, ſi tot, quæ cognoſco, N. & N. abſconderem & non palam cunctis annunciarem Chriſtianis: maxime quum Iſaias populo tantum prophetauerit Iſraëlitico: Ego vero vocem meam ad Germanos vniuerſos & aliarum quoq; nationũ Chriſtianos homines peruenturam eſſe haud dubitem. Fiducialiter itaq; agã, nec timebo quid faciat mihi homo, quia Deus Saluator meus. Hoc ſolũ precor, vt æquis audiar auribus: & ſi cui amarulentior & vehementior videbor, cogitet, non de humana re aut cauſa aliqua profana, ſed ſummi Dei ac Regis agi gloriam, quam Chriſtianus quiſq; ad effuſionem etiam ſanguinis defendere eſt aſtrictus: animarum periclitari ſalutem, quam Chriſtus ipſe paſſione & morte ſua nobis contulit: demum de veritate opprimenda, verbo diuino conſeruando, libertate Chriſtiana, qua nos Chriſtus liberauit, retinenda tractari. Ac vtinam mundi huius poteſtates ita ſe gererent, vt eos iuſte laudare, & non vituperare cogerer. Quum vero Deum ipſum blaſphemijs ſuis contaminare non deſinant, cur non & ipſi factis ſuis merita audirent præconia. Indignentur igitur vt velint, dummodo veritaté audiant: Et ſi lætantur quum malefecerint, exultantque in rebus peſſimis, haud quaquam indigne ferre poſſunt, ſi ea menſura, qua ipſi menſi ſunt, merito remetietur eis, &c.

III.

Anno Domini 1544.

INCENDIA, SEV PYRGOPOLINICES TRAGOEDIA RECENS NATA, NEPHANDA QVORVNDAM PAPISTICI GREGIS EXPONENS FACINORA.

Tragœdia nitona circumfertur, cui titulus Incendia ſeu Pyrgopolinices. Continet flagitia Papalia & Papiſtarum, in primis autem Henrici Brunſuuicenſis. Si fuiſſent exemplaria, miſiſſem. Hiſtoriam certam videtur mihi continere, atq; horrendam magis quam dici poſſit. Hæc Oſualdus Myconius in epiſt. ad Vadianum Conſulem Sanctgallenſ.

THOMA NAOGEORGO STRAVBINGENSI AVTHORE.

PROLOGVS.

QVid noua ſibi iſthæc, Spectatores, fabula
Velit, breuiter fauentibus vobis dabo.
Non præterit vos, multa vbique incendia,
In annis his duobus & duntaxat in
Doctrinæ ſectatorum vera finibus
Exorta eſſe, indeq; magnis calamitatibus
Affectas ciuitates, & prouincias.
Quorum Architectus ignoratus eſt quidem
Primum, verum, vt nil cælari diu poteſt,
Emerſit pulcher Pyrgopolinices quoq;,
Huius ſatelles rabiei papiſticæ,
(Quis iſte ſit, ni vos putarem noſcere,
Exponerem clarius) vna in lucem quoque
Epiſcoporum, & papæ venit ſanctitas,
Qua ſatagunt orbem denuo conuertere.
Nos igitur tam ignobilia, nephandaque ſcelera
Mundo, vobiſque, quantum licuerit. palam
Facere volumus, ponentes factorum ob oculos
Hoc qualecunque ſpecimen. Vos cætera, & rei
Atrocitatem, indignitatemque pariter
Ipſi ſolertius conſiderabitis,
Et quicquid defuerit, animo ſupplebitis.
Adeſte, fauete, cupideque animum aduortite,

INTERLOCVTORES.

Pammachius Papa.
Porphyrius Cardinalis,
Sathanas.
Oncogenes Epiſcopus.
Diſidæmonades Epiſcopus.
Polyſtratus princeps.
Pyrgopolinices princeps.
Strabax eques.
Philalethes princeps.
Probus Cancellarius.
Polipriſtes.
Pyrobolus.
Phlegondas.
Cacorrhotes carnifex.
Ocypus nuncius.
Trechidius nuncius.
Cœtus principum.

ACTVS PRIMVS.

SATANAS.

Alloquitur Epiſcopos, & Monachos.

MIttite iam orare, genibuſque meis cernui
Aduolui. Ipſe ſcio, videoque in qua miſeria
Miſeri verſemini, vt veſtra iam publice,
Et priuatim pendatur nihili authoritas,
Honor pereat, & conſpuatur ſanctitas.
Olim qui ad veſtrum monachorum, atque præſulum
Nomen, conſpectumq; ſuas iungebant manus,
Et quodam baſiabant quaſi poppyſmate,
Suaque religioſe tundebant pectora,
Ii iam nunc vos execrantur fortiter,
Suoſque docent, vt execrentur, liberos.
Adeo, vt pueri, ſeneſque, ciues, ruſtici,
Docti, indoctique nil deteſtentur magis,
Ac nomen veſtrum, infauſtumque diem illum putent,
Quo ſe veſtrum aliquis forte illis tulit obuiam.
Hinc duntaxat, quod odorati ſunt, vos mihi,
Papatuique deditos eſſe potius,
Quam Chriſto, ſaniſue pietatis dogmatis.
Sed ego: ne viuam: hoc illorum vlciſcar odium,
Rependam contemptum. Vos omnes protegam,
(Parcite lachrymis) daboque huc operam maximam,
Ne inulti ſitis, & redigamini ad incitas.
Mihi dehiſcat tartarus, ni fecero
Vt magnas mihi poſt paulum agatis gratias.
Et iam in momento ipſo punctoque temporis
Pammachium adibo, extimulaboque grauiter,
Magis vt vigilet, meliuſque curet commoda,
Tam ſua, quam veſtra. Sed ecce illum ipſum in tempore.

PAMMACHIVS, SATANAS, Porphyrius.

DIſcrucior miſer, animiq; ſollicitudines,
Graueſque curæ, ad mortem me vſque macerant,
Ita neminem eſſe fere, qui operam papatui
Synceram nauet. Gliſcunt hæreſes, nec eſt,
Qui Romanæ, opprimendo eas, ſe filium
Eccleſiæ monſtret. Conſultant, differunt;
Loculos queruntur, obſident araneæ,
Sunt aliis occupati, conniuent, ſerunt.
Interea papalis tota perit dignitas,
Noſtraque nauis magnis iactatur fluctibus,
Vt plane naufragium timeam, niſi Satanas
Ἀπὸ μηχανῆς [Θεὸς] propere ſubuenerit.
Sed lupus in fabula. S A. Eadem ſecum ringitur.
Ad te ibam Pammachi. Salue. *PA.* Ni abs te ſalus

Detur, ſalutem cætera prorſus denegant.
Quare nemo omniũ eſt, quẽ iam mihi mauelim
Preſto eſſe, ita cor meum, cerebrumq; finditur,
præ conſilij inopia, Sed vnde te iam agis?
SA. Alia mallem curares, ſed ſi ſcire vis,
Venio ex Britannia. Sed per Acheronticas
Regiones Pammachi, quæ iſta eſt ſocordia,
Vt non melius tibi, tuiſque conſulas?
PA. Quid factum eſt? SA. Quid factum ſit? Non-
ne perſpicis?
Quo tandem magno verſere in periculo?
Quique tua omnia plæriſque ſint deſpectui?
Regnum minuitur noſtrum, frigent nondinæ,
Compluréſque à nobis deſciſcunt indies,
Monachi vileſcunt, contemnitur authoritas
præſulum, & vnctorũ, nulliſq; eſt ventrib. honor.
PA. perſpicio ſane, ſed me conſilium fugit
Iam tandem, nec quidquam prorſus video auxili,
Poſtquam primis nihil cæptis promouimus.
SA. Auxilium non deeſſet, ſi conquireres.
An expectas vt hoſtes auxilium ferant?
Teque legiones angelorum protegant?
PA. Non expecto hercle iſthuc, neq; æquum eſſe
Vel hoſtib. vel angelis me credere. (arbitror,
Per me ſatis valeo opibus, & potentia,
Magnumq; apud multos Papatus hactenus
Nomen habet, ſuſpiciturq; reuerenter ſatis.
Et hæc omnia (credas velim) impendam libens
pro Papatu, tuiſq; adeo pro commodis.
Et vſque huc, quicquid velis, remiſque potui
Accuratum eſt. Multum eſt effuſum ſanguinis,
Carceribus, ignibus, edictis atrocibus,
Flagris, gladijs, defoſsionibus, minis,
proſcriptionibus, exilijs, & alijs
Immanibus tormentis, pœniſque acriter
Sæuitum eſt. Iſthæc a ſiniſtris. Non minus
Et a dextris hæreticos oppugnauimus
Illecebris, promiſsis, ſictis honoribus,
Magnificis titulis, præfecturis, præmijs.
Hæreticorum quoque libellos curauimus
Cremari. Mox Paulinas etiam Epiſtolas,
Quia ex illis præcipue oriuntur hæreſes,
Hæreticique inde ſua confirmant dogmata,
Immo etiam quia nuſquam quidquam Papatui
Nec ſtudijs ſuffragantur noſtris, nec probant
Aliud ad gratiam requiri, quam fidem,
Mandabo aboleri. Quod quidem quam vtile ſiet
Video, quam autem ſuccedet, Deo in manu eſt,
[illegible]
SA. Quaſi vero alium, quam te, ſcias Deũ Omnia
In te ſita ſunt. Te præfeci negotiis
Iſthic terreſtribus, meiſque copiis.
Omnino curioſus ſi eſſe vult Deus,
Cœlum regat, & recte diſponat tempora,
Nobis terram, terræque ſinat negocia.
PA. Sunt hæc ita, vt dicis. Neq; tamẽ, quod ſciam,
Dextris, atq; ſiniſtris (quæ memoraui) omnibus,
Tantum res procedunt noſtræ, quantũ in mari
Reciproco corbitæ, aut teſtudines gradum
Accelerant. Incrudeſcit indies malum,
Nec plus, quã ingens extingui incendium poteſt.
Quapropter angor, cruciorq; in mirum modum,
Ea me, quæ ſũme cupio, haud poſſe efficere. Nec
præterea quid faciam, aut quo me vortam, ſcio.
SA. Enecas me friuolis tuis ſermonibus,
Non ergo es, qui fuiſti olim, diademate
Dignus triplici? PA. Idem prorſum, eiſdẽ morib⁹,
Eadem probitate, qua iuratus ſum tibi.
SA. Quid ergo (malũ) iſthæc fabulare, quaſi nihil
Facere queas amplius, in rem quodquod ſit tuã,
Et nationi omni proſit Papiſticæ?
PA. Niſi me ſuſpendam, aliud nil video reliquum.
SA. Nondum iſthuc tẽpus. Cum fuerit, dicã tibi.
Vorato interea illorum carnes, qui docent
In Chriſto ſolo gratiam conſiſtere.
Eoque tuis obſtant præfracte commodis.
Omnes adhibeto machinas, terram, & mare
Ab imis commoueto ſedibus, tuam ad
Tutelam, atq; tuorum hoſtium πανωλεθρίαν.
Sed quid ego hęc fruſtra tecũ cõmẽtor, qui inops
Et animi, & conſilij es? Vbi nobis cardinum eſt
Regni tui primus? PA. Porphyrius forſitan?
SA. Ille ipſe. PA. I puer, accerſe, vt adſit ilico.
SA. Cũ rebus tam grandibus iſthęc haud cõuenit
Mollicies animi. Eſt vſus firmitudine,
Audaciaque inſigni, atque impudentia.
Quæ cuncta dicebam vobis ab initio.
Sed, opinor, luxus, aſſiduæque crapulæ,
Libidines, iugiſque opum affluentia
Faciunt, officij vt veſtri obliuiſcamini,
Nec ante vigiletis, quam fures omnia
Abſtulerint, voſque plane catis perditum.
PA. Alienos perfacile eſt labores carpere.
Atque aliorum princeps culpare induſtriam
Illis procliue, qui frugi ſunt nullius.
SA. Ne mihi quęſo ſtomachũ moueas. Age vero, ſi
Rerum ita tuarum te ſatagere reris, &
Nulla prorſum occupatum ſomnolentia,
Cur iſti tot monachi, Abbates, & Epiſcopi
Me hodie queſtum adierunt flẽtes, ac ſupplices,
Sui vt miſerear, reſtituamque in priſtinum
Statum? Nonne hos defendere potius eſt tuum,
Quã meum? Ego ſollicitor, ego imploror, quaſi
Nuſquam mihi quidquam negotij ſiet,
Quam in tam multis Germaniæ prouinciis?
Aut quaſi non vobis hoc dederim negotij
Curare, ne quis aliud tradat, quam quod in
Voluptatem vobis ſit, & ſummum lucrum?
Scilicet id curatis, quum quaqua inceditis,
Vobis oppedatur, nec non deriſui
Sitis vulgo, decedat & prouentui
Quotidie quidquam. Sed Porphyrius aduenit
Caput quaſſans, ſchedaſque ventilans manu.
Miror quid ſit. PA. Scio. Regi Britanniæ
Meo conſcripſit litteras ex nomine.
PO. Te, princeps, aduenisſe gaudeo. SA. Tibi
Eueniant quæ velis. PO. Sed vbi tu tam diu?
Nam te nemo noſtrum in diebus quindecim
Conſpexit. SA. Rogita, niſi mille mihi negocia
Vbique gentium, & terrarum obeunda ſunt.
Mihi, Porphyri, parum pro dignitate tam
Vaſti huius imperii attendere videmini.
Id quod iam Pammachio dixi, tibiq; identidem
Dico. PO. Quid ita? SA. Dicã. Viden' Epiſcopos,
Hoſceq; tetricos monachos? PO. video, ſed qd võ
SA. Me venientẽ huc hodie adierũt cõmodũ. (lũt)
Multas, magnaſque quoſdam contra Principes
Iniurias querentes, Non de vi quidem,
Neque cæde, nec veneno, nec de ſimilibus

Se

Se tantam eſſe vnquam moturos Tragœdiam,
Dicentes, quantam præſens rerum vaſtitas
Cætera percommodos mouere cogeret.
PO. Expecto quid dicas. SA. Nã quoſdã principes
Alioſque complures proceres Germaniæ
Totos in hoc eſſe, vt primum quidem Epiſcopis,
Canonicis, & cunctis, quos clericos vocant,
Adamata ſcorta, & concubinas auferant,
Vt aut contineant, cœlibemque vitam agant,
Aut vxores ducant legitimas. Neutiquam
paſſuros, vt ſcortentur more gentium, &
Alienas, vt hactenus, vxores peruiolent.
PO. Haud vulgarem ædepol refers iniuriam.
SA. Deinde vt miſſarium prorſus negocium
Miſſum faciant priuatum, alioſque corrigant
Ritus, prorſum & ceremonias vitent malas.
PA. Quaſi principum ſit in ordinem nos cogere,
Qui nullis ſumus hominum ſubiecti legibus.
SA. Immo nec Dei quidem. Sed audite reliqua.
Queruntur Epiſcopi quoque æramenta ſe
(Quas campanas vocant) nulla in decennio
perpetuo baptizaſſe, nec aras, nec ſacras
Vllas ædes ſanctificaſſe, neque chriſmata
perinde, vt olim venire, atque etiam ſacrum
Iam confirmationis paſſim negligi.
PA. Nos extinctos vult, iſthæc qui mortalibus
In contemptum venire ſuaſit perfidus.
SA. At Monachorũ res lõge peius habet, vt haud
Multum abſit, quin genus intereat ſacerrimum
Radicitus. Eijciuntur ex nidis, vt aut
Laborent manibus, aut aliud negocij
Quid honeſti faciant. Si qui inualidi ſunt tamen,
In ocio ſuſtentantur, quamquam in ſuis
Manere mallent impijs laboribus.
Fit ergo hinc, vt pereat hypocriſis, nondinæ
Meritorum tollantur, nephanda facinora
patrentur pauciora, nullæ denique
Nobis viuæ poſt deſodiantur hoſtiæ.
Eſt ne, vt dico? Annuunt. Nam præ doloribus
Vix poſſunt hiſcere, nedum verbum proloqui.
Erat autem veſtrum prouidere ſingula,
Et maxime, ne quid nobis decederet
Authoritate, honoribus, & potentia.
Deinde, ne qua læderentur ſubditi
Iniuria noſtri: poſtremo, ne noui
Doceretur, ſeu innouaretur aliquid,
Etiamſi de cœlis meliora traderet
Angelus, ipſeue Chriſtus corrector adforet.
Quam vero prouidi fueritis, quamque, me
Abſente regni ſit curata dignitas,
Iſtorum declarant ſatis querimoniæ,
Non idcirco ditaui vos, & omnibus
præpoſui, vt in equis iretis tantummodo
Albis, ſumptuſque perficeretis dapſiles,
Verum etiam, vt ſalua ſeruaretis omnia,
Tã res, quam populũ, vt leuior mihi foret labor,
Nec totius in me vnum regni incumberet onus.
PO. Equidẽ, princeps. haud per nos, q̃ ſciã, ſtetit,
Quo cuncta minus ſeruarentur tibi integra,
Omneq; defenderetur, quicquid pertinet
Ad cultũ, augmentumq; huius noſtri culminis.
Malis, boniſque ſtrenue rem geſſimus.
PA. Hæc eadem iam dudum illi ego dixi omnia.
SA. Res ipſa veſtram loquitur diligentiam.
PO. Equidem minutatim diſcerpi mauelim,
Quam iota vnum noſtro de regno cedere.
Scis autem princeps, nos prçſtare haud poſſe, ne
Quid aduerſarij in ſuis regionibus,
Aduerſum nos, & noſtros comparent mali.
SA. poteſtis certe reprimere conatus, & in
Integrum ablata per induſtriam reſtituere.
PA. Aliter ſentires, ſi faceres periculum.
SA. Quid? Quaſi mũdus me nõ norit. Sexcẽta ego
Talia, virtute poſſem effecta reddere.
PA. Monſtra modum, nos operã dabimus ſedulo.
SA. Dudum nihil erat animi, Iam mihi places.
Illos igitur magiſtratus vel principes,
Qui hoſce & alios noſtros grauant iniurijs,
Fulminibus ſexcentis, ſi aliter fieri nequit,
Quietos reddito, vel in tartara trudito.
PA. pulchre dicis; Verum nos experientia
Scimus eos hiſce haud expugnari machinis,
Nauci faciunt, & ſolum contra oppedere
Solent. Nec cuncta plus formidant fulmina
Quam vel marinus vitulus, vel Iouis armiger.
Quin etiam obtuſa iam ſunt & plane hebetia,
Adeo, vt vix Vulcanum ſperem recudere
poſſe. PO. profecto ſic habet. Et ſi qua fulmina
Eiaculamur, noſtrum in caput irrita recidunt.
SA. Eſto, Atqui Concilium poteſtis cogere,
Conſtantienſe quale fuit olim, omnia
Vbi ad veſtram liceat cudere ſententiam,
Orbemq; omnem veſtris ſubiicere legibus.
PA. Apageſis cum Concilijs. SA. Quare iſthuc ais?
PA. Non noſtra ſemper vſquequaq; promouent.
Siquidem & Conſtantienſe aliquot e ſedibus
Deturbauit papas. Multa capita, plurimæ
Et eædem variæ ſunt illic ſententiæ,
Noſtras quibus res committere non arbitror
perinde tutum. Siquidem etiam ita viuimus,
Ita omnes noſtræ in aperto ſunt libidines,
Et impietates, vt non inimici modo,
Sed etiam amici, fautoreſque murmurent
Aduerſum nos frequenter, atque peſſimis
Nonnunquam exemplis dignos eſſe iudicent.
SA. Veriſimile eſt. At nuper tamen indixeras
Concilium Mantuæ. PA. Nugæ, quod perhibent,
Bullatæ erant, & gerræ longe maximæ.
SA. Quid audio? Mihi tamen erat iniecta ſpes
Fore, vt illic magnificus triumphus ab omnibus
Decerneretur nobis. PA. Ego mihi boni
Habebam polliceri nihil. Atque id meam
Contra voluntatem à multis principibus, &
Cæſare compulſus indixeram, vt aliqua foret
Mundo ſpes, omnes tum correctum iri ſtatus.
SA. Hoc vero eſt ab re noſtra. PA. Noueram. Neq;
Animus vnquam fuit Concilium admittere,
Quamquam pulchre mihi præſidijs, & loco,
Aliiſque caueram ad rem conditionibus.
SA. perlatum ad me fuit, & conſilium iſtuc tuum
probaui. PO. In Concilijs Romanam curiam,
Omneſque prorſus ordines Eccleſiæ,
Olim Sigiſmundus Cæſar molitus eſt
Reformare, & certis includere terminis.
Id etiam perpetuo cauendum eſt. PA. Scilicet.
SA. Age: Mitto Concilia. Armatore Cæſarem,
Reges, tyrannos, principes, ſatrapas, duces,
Epiſcopoſque veſtros, vno vt impetu, &

Memo-

Memorabili ſtrage hoſtes veſtros opprimant.
PA. Hic non ceſſatum eſt. Sed tanta eſt ſocordia
Fere omnium, vt parum abſit, quin mihi deſinãt
Probari, dilectique dici filij.
Excuſant, tergiuerſantur, penuriam
Queruntur, moliuntur, tandem negligunt.
SA. Adeo ne nullus Docchus, aut Amanus eſt,
Aut Holophernes tot vobis inter Principes,
In aduerſarios qui inconniuenter, &
Audacter irruat? PA. Fuit in Germania
Ipſis noſtris vicinus aduerſarijs
Holophernes, opibus pollens, intrepido animo,
Et plane gladiatorio, is promiſerat
Pietatis ergo, & in Romanæ gratiam
Sedis, ſe radicitus euulſurum hæreſes,
Et iam tum magna moliebatur, ſed in
Ipſo pietatis diſperijt molimine.
SA. Scio quem dicas. Verſatur apud inferos.
PA. Sat hercle incommode illa nobis anchora
Periit. Ego ædepol, accepto illo nuncio,
Haud aliter perculſus, & exanimatus fui,
Quam ſi eſſet angelorum porta ab hoſtibus
Capta. Nec immerito. Quippe an alius quiſpiam
Huic vir ſimilis ſuperſit Princeps, neſcio.
SA. Et ipſi excuſatis, & aliorum plurimas
Adfertis excuſationes. Hoc volo
Vos omnino ſcire, meam ſi quid gratiam
Magni facitis, & eam vobis eſſe cupitis
Perpetuam, iſtos in priſtinum reſtituite
Statum, & omnibus ab iniurijs defendite.
Noſtri cauſa periclitantur, nos decet
Protegere, & conſeruare nobis deditos.
Videte, ne quid in vobis deſiderem.
Cauete diligenter, ne quid omnium
Rerum innouetur priuatim, vel publice,
Quod vobis, aut illis incommodum ſiet.
Videtis, quam ſint demiſſi, atque ſupplices,
Quam macie confecti, quam exucci,
atque graciles.
Videtis item, quam ora miſerabiliter ſibi
Monachi diſtorſerint proſpiciantq; haud ſecus
Cucullis ex ſuis, quam ex dumeto lupus.
Ideo tantum, quo vos ad miſericordiam
Commoueant, miſeriaſque declarent ſuas.
Quamobrem illis præ alijs ego proſpectũ volo.
PA. Dabim⁹ operã hercle pro virili. SA. Cõuenit.
PO. Ne dubites, princeps (vt etiã pro me loquar)
Aliquid aliqua modo aliquo excogitabimus,
Conſilium capiemus, deliberabimus,
Efficiemuſque, quod in rem ſit noſtrum omniũ.
SA. Facto op⁹ eſt. Iã igitur abite vos. Nos vindices
Protectoreſque veſtri erimus, quantum licet.
Horũ certe hominum eſt cura habẽda, Porphyri,
Noſtri ſunt, iurati ſunt, regnum promouent,
Mores colunt, ſeruant præcepta noſtra, ita vt
Centum antè deuorarent animas, quam pedem
Noſtris ab inſtitutis latum cederent.
PA. Nõ fruſtra ego haſce creaturas finxi mihi.
SA. Vide, vt conſerues ergo. Sed quas, Porphyri,
Hic tu ſchedas geris? PO. Nihil eſt. Sunt literæ ad
Britanniæ dictatæ Regem, ex nomine
Sanctiſſimi huius patris. SA. In mentem venit,
Mihi eſſe ab hoc dictum. Iſthuc de vobis placet
Vbique terrarum noſtra agere negocia.
Mihi quoque iam dies aliquot in Anglia
Cõſumpti ſunt, neq; hoc ſine fructu, quod ſciam.
PA. perlege præſente hoc. SA. Audiã perq̃ lubẽs.
PO. Pamachius papa, & Epiſcopus huius nominis
primus, & extremus Henrico Britanniæ
Regi, ſuperlatiue Chriſtiano, & in
Noſtræ defenſione ſedis principi.
Salutem, omnemque fauorem optat papiſticum.
Dilectiſſime fili, perlatum ad nos erat
De charitate tua, quod obedientiam,
Decreta, fidemque noſtram floccipenderes,
Atque etiam penſiones nobis annuas
E regno debitas parares tollere,
Ac prohibere, atq; te, ac regnum velles tuum
E noſtro in libertatem vendicare iugo. Hyperbole;
Inſuper & ſcriptis diceberis in caput
Noſtrum inuehi, characteremque peſſimum
Eccleſiæ Romanæ in vulgus prodere.
Communicare cum hæreticis, noua dogmata
Audire auide, ſeductores arceſſere,
Noſtrumque regnum habere deſpicatui.
His auditis, contriſtati afflictim ſumus,
Vt, qui omnes cupiamus ſaluos fieri homines,
In noſtroque manere iugo & obedientia,
Pietatem exiſtimemus eſſe maximam.
Non fuimus igitur pro te ſolliciti parum,
Salute ne nobis dicta, te iungeres
Noſtræ cum turbatoribus monarchiæ,
Noſterue quæſtus & apud vos vileſceret.
Quare noſtros legatos, atque cardines
Suetæ viſceribus moti miſericordiæ,
Ad auocandos vos à doctrinis nouis,
Quas quidam in noſtræ perniciem ſedis docent,
Totumque papatum illis extinctum volunt,
Adque fidem veſtram confirmandam miſimus.
Redeuntes autem illi ad nos, vix verbis poteſt
Dici, quanta cum alacritate, atque gaudio,
Ad ſanam te rediiſſe mentem, & omnia
Sentire nobiſcum, nec vnquam dogmatis
Velle affinem poſthac fore nouis, quin & in
Tuæ perpetuum mentis teſtimonium,
Et ad placandos nos, doctorem dogmatum
peruerſorum, immolaſſe in holocauſtũ integrũ,
In conſeſſu retulerint Cardinalium.
Vnde & nos pro pietate tua exultauimus,
Interque pocula, io triumphe, vocibus
Clamauimus ſummis, teque extemplo in ſinum
Noſtrum, ceu filium mater, ſuſcepimus.
Tantum de te noſtrum reuerſo in ordinem
Lętantes, quantum nõ de alijs centum, qui apud
Nos manſerunt ſtabiles, nec vnq̃ ad dexteram,
Neque lęuam declinarunt. Quum tu igitur diem
Nobis feſtum reditione tua feceris,
Animoſque noſtros gaudio repleueris,
In vnum contractis ſuggeſſit ſpiritus,
Vt te viciſſim repleremus gaudio,
Et noſtram in te monſtraremus clementiam
Indulgentia aliqua papiſtica, tibi
Grata, nobis digna, vt poſthac noſtrum iugum
Aliorum ferres ante libertatibus.
Itaque edocti, quid cuperes, & tibi maxime
Licere velles, theſaurum reſerauimus
Omnis ligandi, ſoluendique copiæ,
Inde tibi large, & ſine radio deprompſimus,
Ne matrimonij vllo arcteris vinculo,

Sed

Sed vxores ducas, quot, & quæ arriſerint,
Repudieſque, vt lubet, vllis abſque legibus.
Vtere igitur iſthac, fili dilectiſſime,
Noſtra indulgentia paterna, nec Deum,
Nec homines alios, ſed duntaxat nos tibi
Ob oculos iugiter proponeris, vt bonam
Satagas nobis aliquando referre gratiam.
Datæ Romæ in porta Angelorum, & cætera.
Sub annulo æruſcatoris. PA. Recte, ſatis.
SA. Idem ædepol in his, etiam abſq; indicio meo,
Senſiſtis, quod ego. Ita porro pergite eſſe, ne
Opus ſit me monitore. Vos portiſculum
Tenetis, vt terrarum reges ſentiant
Veſtrum ad præſcriptum, quaſi coacti remiges.
Videte tantum vt imperetis grauiter,
Omneſque ſuum faciant officium remiges.
PA. Curabimus. SA. ſed quid de Rege? Num fore
Illum ſperatis conſtantem? PA. Quid ni? Omnib.
A nobis illi conceſſis, atque titulis,
Quaſi eſca, collatis. SA. At illum ego hercule
Verſutiorem figulari arbitror rota.
Inſtandum, vigilandumque eſt noctes, ac dies,
Ne ſeſe is, vel alius veſtris è retibus
Expediat: fingite, permittite, promittite,
Concedite, quicquid illis tandem collibet.
Digni ſunt, late regnant, poſſunt plurimam
Opibus, & vi vobis referre gratiam.
PO. Quin facto eſt opus. Atq; hoc præſertim, q (ſibi
Dynaſtæ iam pleriq; alioqui etiam, & ſine
Noſtro permiſſu, ſine Dei, & hominum metu
Licere perſuadent abſurda quælibet.
SA. Hoc magis ergo eſt vobis annitēdū, vt aliqua
Inde haud magno empta vobis extet gratia.
PA. Intelligimus. SA. Mihi eſt abeūdū. Vos volo,
Vt dixi, & iſthuc, & alia meminiſſe. Præ
Cunctis tamen monachorum curā, ac præſulum
Gerite. Nullū alium, q̄ vos (ſcitis) habent Deum.
PA. Erunt nobis curæ. SA. Ego deſcendā ad infe- (ros,
Ne me abſente etiam illic turbarū quidpiā
Exoriatur, ita furijs feruent omnia.
Curate, quæ dixi. Cras, ſi vacauerit,
Ad vos recurram. Iam abeo. Sed heus, ne denuo
Ad me queſtum veniant Monachi, & Epiſcopi.
PA. Potes ne quietus eſſe? Sat curabimus.

Pammachius, Porphyrius.

QVantum ego principis intelligo ſentētiam,
Aliter, ac hactenus nobis curanda ſunt
Tam noſtra, quam ſubiectorum negotia.
Deus vniuerſam diſperdat Germaniam,
Laboris tantum quæ vna nobis exhibet.
Italia, Hiſpania, Gallia, & Britannia
Facile acquieſcunt, ſponte, & vltro ſeruiunt,
Decreta ſeruant, concelebrantque nondinas;
Nos è quibus hactenus luculenter paſcimur.
Soli iam Germani rurſum, & prorſum rident,
Frenum mordent, noſtroq; quæſtui inuident.
Iugum excutiunt noſtrum, impoſturas nō ferūt,
Monachos abolent, moleſti ſunt Epiſcopis;
Mores, & inſtituta tollunt, denique
Cognoſcunt intus (vt aiunt) nos, & in cute.
Serpet malum iſthuc & in alias prouincias;
Si vulgaribus, vt huc vſque, vſi fuerimus
Remediis. Nobis ſatis eſt exempli Angliæ
Quam virus hoc cito regiones permeet,
Quam plaudat vulgus, noſtras cum libidines
Expoſitas audit, proditaſque propalam.
Quamobrem rebus hiſce, Porphyri, decet,
Et ſi Satanas nullus monuiſſet, acribus,
Fortiſſimiſque pharmacis occurrere.
Tu plenus es conſilii, dic quid cenſeas
Faciundum. Sunt iurati noſtri plurimi,
Audaces, magnanimi, potentes, diuites,
Nec dubito, quin ſi ſacra nos per omnia
Illos obteſtemur, ſuccurſuri ſemel,
Hæreticoſq; armis extirpaturi ſient
In noſtram, & Apoſtolicæ adeo ſedis gratiam.
PO. Vel hoc, vel aliud mihi placeret Pammachi,
Si reperiri poſſent ad hanc prouinciam
Idonei, ſatiſque inſtructi, & (quod eſt
Vel primum) qui ſedis Apoſtolicæ gratia
Mortem, nullaque prorſus fugerent pericula.
Sed fauor eſt rarus, qui ad animā vſq; penetret, &
Omnia velit pro merito afflictis ponere.
Semper bellorum incertus ſolet eſſe exitus.
Pulchre caderet, ſi nos penes victoria
Conſiſteret, enyalioſque hoſtibus foret
Aduerſus, tum ſane mundo exemplum dari
Cæde, excidijſque poſſet, ne quis poſtea
Nobis ſe doctrinis opponeret nouis.
Sin vero (abſit tantum mali) victoria
Faueret aduerſarijs, quos dictitant
Et eſſe multos, & coniunctos fœdere,
Et bellicoſos, & magnarum virium,
Opumque; tum noſtri plane irent perditum
Tam Epiſcopi, quam monachi, quotquot hoſtib.
Eſſent vicini. Quis enim non victoria
In rem vtitur ſuam victor? Quis non premit
Eos peſſum victos, qui idem facturi erant,
Si forte viciſſent? Accedit huc quoque
Quod aduerſariis pro patria, pro focis,
Pro liberis, pro veritate, pro fide,
Et pro libertate foret pugna denique.
At contra noſtris noſtra pro lubidine,
Honoribus, quæſtu, ſuperſtitionibus,
Hypocriſi, luxuria, ſtupris, impietatibus
Eſſet contentio alienis. Quare hoſtibus
Creſceret animus, & ſegniores milites
Eſſent noſtri. Hæc ſunt diſpicienda Pammachi.
PA. Animi iam multo, q̄ dudum, ſum incertior.
PO. At præſtat hoc, quam ſupra vires quidpiam
Moliri. PA. Nihil aliud ergo das conſili?
Mori hercle ſatius eſt, quam contumelias
Ferre aduerſariorum tam inſignes diu.
Audis Satanam quoq; quid velit. Pro Epiſcopis,
Monachiſq; quam laboret ſollicite. Eius haud
Eſſe audientes nos dicto, non addecet
Romanam diſciplinam Porphyri. PO. Scio.
PA. Quid ais ergo? PO. Si viueret Germanicus
Nobis Holophernes, cuius meminiſti prius,
Egregium pro nobis haberemus ducem.
PA. Dicis, quod nō eſt, nec fieri poteſt. PO. Nihil
Aliud iam mihi venit in mētem, quam principes
Noſtrarum partium, ſimul & Epiſcopos
Potentiores in concilium vt conuoces,
Rem proponas, per omnes obſecres Deos,
Vt nobis ſubueniant perituris. Tum ſcies
Perſpicue, quantum in omnibus reſtet ſpei.

PA. Placet hoc, Sed euiates illos Epiſcopos,
Et principes dicis? *PO.* Germanicos pater,
Et aduerſariis vicinos maxime,
Nam fruſtra cum illis, qui longe abſunt, egeris.
PA. Recte cenſes. Date ergo ad illos literas,
Cras vt conueniant nobiſcum de maximis
Conſultatum rebus, Ne quis omnium,
Ad quos meo literas dederis ex nomine,
Venire detrectet, relaturi domum
Benedictionem cumulate Papiſticam.
PO. Dabo operam, vt fiat. Et iam nunc ibo ocyus
Negotium expeditum. *PA.* Ito, Sed mane cras
Ad me. *PO.* Intelligo. *PA.* Interim cóſilia congere,
Et exquire, in promptu vt ſint. *PO.* Pulchre meminero.

CHORVS.

Carmen Coriambicum.

Sic nunquam Satanas deſinit, & ſui,
Quos ſemper furiis concitat in malum,
Verbum odiſſe Dei, & Chriſticolas ſimul.
Oppugnant variis omnia machinis,
Quæ ſuetas adimunt cumque libidines,
Et mundi reprobant impia dogmata,
Aut certum ſceleri ponere terminum,
Peccatiue iugum rumpere deſtinant.
Sic nunquam Satanas deſinit, & ſui,
Quos ſemper furiis concitat in malum
Verbum odiſſe Dei, & Chriſticolas ſimul.
Non hoc mira demum tempore proferunt,
Antiquum facinus, cura vetertima eſt.
Serpens inſidias perpetuo ſtruit,
Tam Chriſto, quam aliis ſemine de Dei,
Omnes vt miſeris excruciet modis,
Sic nunquam &c.
Abeli fuit haud quidquam aliud bono
Primæ cauſa necis, quam proba, & innocens
Vita, & ſane placens ſimplicitas Deo.
Et quod corde Deo credidit integro,
Abducens animum rebus ab impiis.
Sic nunquam &c.
Dauidem immerito perſequitur Saul
Confeſſus toties perfidiæ nihil
Compertum eſſe ſibi. Scilicet impia
A prauis nequeunt corda quieſcere,
Nec ſomnum capiunt, ni male fecerint.
Sic nunquam &c.
Iudæis probitas, quin quoque gentibus
Semper diſplicuit. Nemo Propheticis,
Aut caſtis potuit viuere legibus.
Olim inter Satanæ tot ſegetes malas,
Quo mundum a Satana ſemper agi liquet.
Sic nunquam &c.
Quid Chriſtus nocuit, vel quid Apoſtoli.
Quod terræ fuerint pondera publice
A prauis habiti, qui ſpeciem, & locum
Electo in populo præcipuum tamen
Geſſerunt? Sine ſunt crimine mortui.
Sic nunquam &c.
Gentes innumeros Chriſtigenum feræ
Mactarunt, vti Diis obſequium ſuis
Præſtarent, & honor cultibus impiis,
Iratis ſuperis, creſceret indies
Cauſa nulla alia, quam Satanæ dolis.
Sic nunquam &c.
Etiam nunc quoque rem fraudibus improbis
Orditur. Titulis captat, & extera
Ignaros ſpecie. Nempe negotia
Se Chriſti ſimulat nomine perditi
Papatus agere, at ſubdole agit ſua.
Sic nunquam &c.
Lætatur nebulo ſanguine iugiter
Prætexens fidei nomen, & omnia
Nouit quis homines cunque moueriet.
In lingua eſt pietas, ſanaque dogmata,
At reuera animas illicit in plagas.
Sic nunquam &c.

ACTVS SECVNDVS.

SATANAS.

PErcommodus hercle heſternus contigit mihi
Ad inferos deſcenſus. Nunquam æque bene
In tempore quoquam veni. Nam Germanicus
Holophernes, poſtquã primum venit ad inferos,
Semper quidem ſtomachatus eſt, ſe neutiquam
Commeruiſſe inferorum regionem, neque
Pro ſupplicijs tam conſtanter papatui
Fauiſſe, & adhæſiſſe vſque ad extremum halitum,
Se cœlum ſperaſſe, haud noſtrorum conſortium;
Illum ego tamen conſolatus ſum, vti ſoleo,
Ne ſuccenſeret, nullam iniuriam pati.
Hoc magis illum nobiſcum debere eſſe præ
Aliis, quo adhæſiſſet nobis conſtantius.
Benedictorum quoque illi oſtendi codicem;
Quo victus ſortem æquanimiter ferret ſuam.
At imo ex pectore is traxit ſuſpiria
Intrans ſuperos, & inferos, ſe perfide
Deceptum, ſeque, quum olim foret occaſio,
Deceptionis huius vltorem fore,
Subriſi ego, nauci illius faciens minas,
Ringi ille, at ego viciſſim paruipendere.
Vt nunquam ſperarim tam audax facinus eum
Auſurum, præſertim cum eſſet circumdatus
Cathena. At ille bonus, nobis abſentibus,
Apud ſuperos (quemadmodum negotia
Iam plurima ſunt vbique) cum vmbris cæteris
Conſpirauit, ſub inde perfidiam arguens
Noſtram, fidemque deuouens Papiſticam,
Donec perſuaſit vmbris, monachis maxime
Sibi notis, vno animo, eadem ſententia
Vt ſuas quisque cathenas circumroderent,
Effugerentque ad ſuperos, atque Gygantum vet.
Renouarent factum, admotis cœlo machinis,
Quid multa? Poſtremo inter bis ſeptem dies
Omnes perroſerunt cathenas ſenibus, &
Edentulis iuuenes ad operam vocantibus
Ferendam. Iam per portas regia via
Euadere difficile erat, cum propter canem,
Et monſtra quædam in primis Orci faucibus
Cubantibus, tum etiam interiectas propter, &
Altas paludes, torrentiaque flumina.
Eſt autem in ſupremis Orci faucibus
Spiraculum anguſtum, & rotundum, cætera
Naris habens ſimilitudinem, per quod fumus
Corporibus ab aſſatis emittitur foras.
Hoc conſpicatus Holophernes cum cæteris

Euaſioni eſt arbitratus commodum
Quia vero altus, & abruptus erat aſcenſus, is
Quemque ſua comportare iuſſit merita, ne
Cerberus exaudiret, ſummo in ſilentio,
Conſtruereque ſcalas, addidit & ipſe ſua opera,
Meritaque. Quo factum, vt ſcalæ ad ſpiraculum
Iam pertinerent. Porro erant ſimillimæ
Araneis tenuibus ſcalæ, H s hoc modo
Perfectis, iam, iamque illis aſcendentibus,
Holopherne duce, nihil ego ſuſpicans mali
In tempore ſuperueni. Et iratus ſtatim
Difflaui ſcalas, comminuique in puluerem.
Retrorſum illi in præceps ruere magno meo
Cum riſu. Holofernem autem, qui iam ſpiraculũ
Attigerat, inque eo pendebat medius, in
Barathrum arreptum pede proieci dextero,
Atque cathenis conſtrinxi tribus adamantinis.
Itidem & alios pro meritis donaui ſuis.
Rebus ita noctu compoſitis, Epiſcopum
Conſtitui, qui ſollicite animum aduortat ſuum,
Ne quis poſthac abſente nobis talia (pero, vti
Attentet. Hinc ego iam ad Pammachium pro-
Receperam heri, rebus vt etiam, atq; etiam magis
Inuigilet. Nam, cum machinentur talia
Cathenis vincti, nil mihi de liberis
Boni queo polliceri.

PORPHYRIVS, SATANAS.

HErcle audiam lubens,
Quant' apud omnes nobis reſtet principes,
Epiſcoposq; fauor. *SA.* Quis hic loquitur prope?
Porphyrius eſt, & ipſe adibit fortitan
Pammachiũ. *PO.* Si omnes ſuppetias negauerint,
Actum eſt. Spurios pro filiis vocabimus.
SA. Iratus eſt. Porphyri. *PO.* Ehẽ princeps. Hercule
Mane aduenis, male potus, dormiſti male.
SA. Imo hanc noctẽ inſomnẽ ego traduxi ꝑpterẽ,
Propter ſeditionem coortam apud inferos.
PO. Quid ais? *SA.* Holophernes cum cõiuratis ſuis
Cathenis corroſis adornabat fugam.
Sed quo tu nunc is? *PO.* Ad Pammachiũ. *SA.* Nun-
A vobis captum conſilii, negocio (quid eſt
Super heſterno? *PO.* Eſt. *SA.* Quid tandem? *PO.*
Quod viſum optimum.
Epiſcopos, partiſq; noſtræ principes
Germaniæ indigenas huc conuocauimus,
Quibus re expoſita, cognoſcemus quid animi,
Fiduciæque in rebus monſtrent publicis.
SA. Laudo conſiliũ. At quãdo venturi? *PO.* Immo
Ipſos adeſſe arbitror, aut mox certe adfore. (iam
Reſcripſerunt enim obedienter, in mora
Se non futuros. *SA.* Recte ego, qui reuenerim.
Nam cupio & ipſe illorum animos cognoſcere.
Cognoſces liquido & illos, & noſtram ſimul
Papatus ſummã in in rebus diligentiam. (ſequar.
Sed eamus nunc intro ad Pammachiũ. *SA.* I præ,

PORPHYRIVS, PAMMACHIVS, SATANAS.

SAlue pater ſanctiſſime. *PA.* Dij dent quæ velis.
Hem Satana, recte ades. *SA.* Quid agis nunc
Pammachi?
PA. Quod animi dubius, vnaque iracundus. Hac
Nocte integra parum mihi propitius fuit
Somnus, adeo corculum curis amburitur,
Quo tandem pacto noſtra queat Monarchia
Reſtitui in integrum, & defendi ab hoſtibus.
SA. Bene ſperes. *PA.* An liceat, cognoſcem' ſtatim.
Quippe aliquot huc iuſſi accerſiri principes,
Epiſcoposq;, quib. cum agã. *SA.* Audiui, & placet.
PA. I viſum Porphyri, omnes an conuenerint.
Certe Satana, parum eſt vbiq; gentium
Fauoris ſynceri, & veræ obſeruantiæ,
Quum tamen abſq; his noſtra nequeat potentia
Diu ſubſiſtere. Nemo eſt, qui nos diligat,
Qui non ſua, quam nos, diligat, & quærat magis.
Qui nos timent, quam primum perditos volunt.
Et ſi minus aperte, tamen aduerſariis
Clam noſtris colludunt, collaudant, promouent.
Hinc ego maceror, & diſcrucior animi oppido,
Quid tandem ſit futurum. *SA.* Loqueris, quaſi dies
Inſtet ſupremus, reſq; ad reſtim venerit.
Non noſtra dum ita plane eſt dilapſa factio,
Vt reperiatur nemo, noſtri gratia
Qui velit inſanire ſemel, bis, ter, & quater,
Auſitque mortalibus, & immortalibus
Perfricta fronte medium digitum oſtendere.
PA. Quid ais? *PO.* Adſunt omnes teque expectãt
pater.
PA. Eamus ergo. *SA.* Ite. ego vos à tergo ſequar.
PA. Tu Porphyri rem pro tua eloquentia
Illis expone. Atq; audin? diligenter. *PO.* Vt
Quieuero, pater ſancte.

ONCOGENES DISIDÆMONADES,
Pammachius, Satanas, Porphyrius, Pyrgopolinices, Polyſtratus.

VEniunt, vt audio.
DI. Veniant. Libenter audiam quid ſit noui.
PA. Hem Satana, ſta tu hic paulisper foris, quoad,
Veni fautor Satana, cuncti cecinerimus.
SA. Belle ꝑfecto. *PA.* Seq̃re Porphyri. *PO.* Viden?
Aſſurgunt omnes *PA.* Mallem, facerent, quæ volo.
PO. Facient fortaſſis. Porgito illis dexteram.
PA. Saluete fratres, atque filij mei
Dilecti. Vos huc aduenisse gaudeo.
ON. Habemus gratias tibi ſanctiſſime pater.
PA. Sedete, Rebus magnis ac vrgentibus
Noſtram hoc tempore turbantibus monarchiã,
Rebus noſtris, & veſtris duxi eſſe vtile
Vos conuocare, Feciſtis igitur bene,
Quod adueneritis cito, relictis omnibus,
Egoq; hanc veſtram pro tempore obedientiam,
Digne aliquibus remunerabo gratiis.
Vt autem concilium hoc noſtrum fauſtũ ſit, &
Rite auſpicatum, ante omnia noſtri ſpiritus
Auxilium imploremus, cantando vnanimiter,
Veni fautor Satana, noſtra imple pectora
Ardore, & conſilio, quod in rem ſit tuam,
Iam ventribus ipſe noſtris tandem proſpice,
Extingue Chriſti gloriam, ac Euangeli
Fulgorem exorientem tenebris opprime tuis.
Qui ſimilia in mundi ſolitus es origine.
Per omnes linguas magna cum laude facere. (meis.
SA. Ecce ego. Quid me vultis? *PA.* Sede à dextris
PO. Loquar ne nunc, quæ mandaſti mihi pater?
PA. Loquere. *PO.* Non vos etiã tacente me, puto
Ignorare patres, & dilecti filii,
Quis rerum in orbe Chriſtiano ſit ſtatus,
Omnia vergunt ad interitũ tam humana, quam
Diuina, vt vix ſine lachrymis dicere queam.

Humana quidem habebunt correctores ſuos,
Qui ſingulis præfecti ſunt prouinciis,
De quibus haud nos laboramus, nec admodum,
Vt de priuatis rebus, ſolliciti ſumus.
Quia vero in diuinis nobis authoritas
Præcipua, & ſumma eſt, & fidei ſumus caput.
De illis equidē angimur haud in vulgarē modū,
Quandoquidem in conditione ſunt miſerrima.
Quali vix à mundi fuere exordio.
Et quanquam confitemur harum principes
Nos eſſe, & correctores, tutoresque, non
Minus tamen & ad Chriſtianos pertinent
Omnes, ad principes, & Epiſcopos magis.
Vnus Deus, vna fides, vna religio eſt (ſacris.
Noſtrû omnium, eiuſdem omnes quoq; vtimur
Quare æquum eſt, vno vt animo, vnitq; copiis
Diuina, ſacra, fidemq; defendamus, &
Hæreticos omnes extirpemus gnauiter.
Quoniam autem apud vos Germanos Papiſtica
Hoc temporis quaſſatur maxime fides,
Totius orbis præ aliis nationibus
Vos huc patres, & filii chariſſimi,
In conſilium, auxiliumq; conuocauimus,
Certe perſuadentes nobis, quemadmodum
De his, Romanam à nobis qui didicerunt fidem,
Eamque huc vſque conſeruarunt firmiter,
Non verbis vos tantum conſulturos rei,
Id quod alios facere hactenus perſpeximus,
Sed ſummis opibus, viribus, & induſtriis,
Nec vitæ parcentes, nec honoribus, neque
Potentiæ veſtræ, neque ætati quidem,
Romanæ auxilium laturos Eccleſiæ.
Et hoc magis, quod vos cum omni potentia,
Honoribusq; communi in periculo
Verſemini nobiſcum. Communis ſalus,
Perditio eadem. Quandoquidem conſtat fundit⁹
Perire illos, à Romana qui deuiant
Fide, itidem, eam qui ſeruant, conſeruarier.
Quid autem vobis proderit potentia?
Quid ætas? quid honor? quidue cuncta dignitas,
Fide extincta? Viam in cœlum ignorantibus,
Quam ſolam monſtrare poteſt hic ſanctus pater?
Huc igitur, ſpretis & relictis omnibus,
Operam conuertite omnem, vt huius dignitas
Conſeruetur, demumque hoſtium ab iniuriis
Cum laude vindicetur veſtra. & omnium
Per vos prouinciarum firmiter ſalus.
Miramur nos profecto non mediocriter
Qui fiat tandem, vt iſthoc in negocio
Non aliarum tantum regionum principes,
Germanicis ab oris longe diſſiti,
Huc vſq; quaſi veterno capti dormiant,
Petri nauiculam magnis iam propemodum
Fluctibus interituram auxilio non ſubleuent,
Sed vos quoq; apud ipſos prope fontes hæreſum
Sedentes, vicini ipſis aduerſariis,
Noſtrique, & Romanæ totius Eccleſiæ
Altum ocioſi dormiatis hactenus,
Quaſi non veſtrum quoque geratur negotium,
Veſtràque ſalus non à Papatu pendeat.
Quod dedecus Patris non etiam ad filios
Pertinet? Aut quæ fit patri contumelia,
Cuius participem ſe neget eſſe filius?
Aut quo verſabitur pater in periculo,
E quo illum non obnixe eripere filius
Debeat? Vos hunc vocatis patrem, atq; dominū,
Et recte iſthuc, vereque dicitis. Etenim,
At hic iam ab hæreticis, & aduerſariis,
Veſtris vicinis, Antichriſtus dicitur,
Pernicies pietatis, colluuies hæreſum,
Superſtitionum doctor, fidei peſtilens
Germen. Proſcinditur libellis, fabulis;
Tragœdiiſque agitatur indigniſſime.
Bullæ huius conſpuuntur, decreta pereunt,
Fulmina nihili fiunt, maieſtas temnitur.
Hæc ſcitis patres, & dilecti filii,
Videtis, & auditis noctes ferme, ac dies,
Et patimini. Vbi iſthic filiorum permanet
Officium quæſo? filiorum erat, patris
Iniurias armis, belloque tollere,
Maieſtatis contemptores, incendiis,
Cædibus, euerſionibusque perdere.
Hinc eſſetis & ipſi tuti, & ſanctiſſimi
Non ita patris contemneretur dignitas.
Si familias patrem Antichriſtum nuncupant,
Idem certe vobis fiet domeſticis.
Incendium hoc neglectum vicinos quoque
Inuoluet, vt extinguendi nulla copia,
Quantumlibet cupiatis, fiat poſtea.
At vobis iſthæc leuia videntur fortaſſe,
Parumque Chriſtianorum omnium patris,
Veſtrique ſimul iniuriis mouemini,
At non etiam mouet vos, quod Papiſtica,
Saluifica que fides ita miſere diſcerpitur?
Quod tunica Domini inconſutilis nunc denique
Vulgo laceratur, rumpitur, diſcinditur?
Miſſa aboletur, ſacramentorum numerus ad
Duo eſt redactus. Nemo emit indulgentias
Reginæ cœli, diuorumque diſperit
Sacer cultus. Meritorum nil iam nondinæ
Valent, bonis etiam haud perinde plurimum
Tribuitur operibus. Nemo baſiat
Iam reliquias, nec lac beatæ virginis.
Confeſſio ſublata eſt noſtra pro ſuis:
Nemo peccatis Romam, aut Compoſtellam adit.
Quid vobis commemorem (quod ſcitis antea,
Vt rebus omnibus vicini) in quo ſtatu
Res ſint monachorum germinis ſacerrimi?
Periculum hercle eſt, ne raſorum verticum
Apud Germanos prorſus intereat genus,
Vna tota diſpereat Eccleſia.
Sacerdotes paſſim vxores ducunt, preces
Horarias omittunt. Quin noui quoq;
Sacerdotes inſtituuntur ſine ordine, &
Noſtris ſine, & antiquorum patrum regulis.
Quid vobis decedat, quantaque authoritas
Pendatur veſtra, ipſi puto ſentitis ſatis.
Nobisque iuges declarant querimoniæ.
Ieiunia ſtata obſeruat nemo, ſed vt libet,
Et in quouis tempore veſcuntur carnibus,
Oſſibus, ouis, butyro, lacte, piſcibus.
Scitis in his religionem omnem conſiſtere
Noſtram, noſtroſque hinc viuere ſtabularios.
Sublatis igitur, vniuerſa tollitur
Religio, & noſter quæſtus interit vetus.
Saxeus oportet ſit, quem non iſta moueant,
Et qui non nobis primum ſuppetias ferat,
Deinde & religioni operam probet ſuam.

O Germania multorum Cæſarum parens,
Viris, opibusque potens, olim inter totius
Regiones orbis nobis deuinctiſſima,
Quam facile dogmatis conſenſiſti malis.
O Saxonia olim fidiſſima Papatui,
Quam prorſus illi immerito fregiſti fidem,
Quam te haud iuuat auorum incedere veſtigiis.
Quãta ex te pernicies (haud queo ſine lachrymis
Dicere) religioni exorta eſt papiſticæ.
Verum tamen habes hoſce, alioſque pauculos,
Communi adhuc intactos ab rubigine.
Qui tibi vtinam faciem reſtituant priſtinam,
Inque ſalutis certam reducant ſemitam.
Vos igitur patres, & dilecti filii,
Exurgite tandem, omnem abiicite ſocordiam,
Armemini, commilitones cogite,
Opprimite hæreticos vicinos veſtros, fidem,
Atque religionem nobis reſtituite, nil
Malorum habentem dogmatum. Germaniam
Hoc veſtram credite lachymantem poſcere.
Flagitat idem expaſſis Chriſtus manibus, idem
Omnes regiones Chriſtianæ flebili
A vobis contendunt voce. Ipſa denique
Fides, pietas, honeſtas, atque religio,
Simulque conglobati monachorum ordines,
Officium iſthic requirunt veſtrum ſupplices.
Maiorem hinc certe habituri vobis gratiam,
Quam erepto è Turcarum manibus Byzantio.
Circum vos Turcæ, circum vos Byzantium eſt.
Iſthuc noſtro bellum auſpicio capeſſite,
Interficite, euertite, vaſtate, in puluerem
Redigite, nulli ætati, nulloque ordini
Parcentes. Hoc pater à vobis ſanctiſſimus
Cum Romana omni ſupplex petit Eccleſia.
Quo ſi patri, matrique veſtræ in his opem
(Vti ſperant, vobisque eſt dignum, & laudabile)
Tuleritis, excepto, quod nomen maximum,
Laudemque immortalem acquiretis, optimas
Etiam è theſauro vobis indulgentias
Proment, etiam ſi fundum inuerti debeat.
Dixi. PA. Intelligitis nunc fratres, & filii,
Quid à vobis peram, & quid facto opus ſiet.
Nõ dubito igitur, quin veſtra huc quoq; ſentẽtia
Benigne concedat, & adiutrices manus
Sitis porrecturi. Dic Oncogenes. ON. Ego
Me ſanctiſſime pater Romanæ Eccleſiæ,
A qua huius dignitatis nactus ſum gradum
Triginta ſatis aureorum millibus,
Multum debere confiteor, nec me parem
Vnquam referre poſſe gratiam ſcio.
Eccleſiæ, fidei, ſacrorum ſentio,
Mœreoque grauem caſum, tum iniurias quoque
Noſtras, & ſacrificorum, & monachorum omniũ,
Tam vindicatas cupio, quam qui maxime.
Hæreticos omnes, & præſertim Saxones
Meos vicinos, euelli radicitus
Malim, quam Turcis Hieroſolymas eripi.
Sed ego ad tantas res, pater ſanctiſſime,
Ob multas cauſas non ſum idoneus. Graui
Sum corpore, quieti deditus, Epiſcopus,
Martis ludum à teneris odi (aiunt) vnguibus.
Non ſum audacis, & intrepidi animi, pecuniæ
Nihil eſt, & ferme animam etiam ipſam debeo.
Statuas conflaui argenteas, & omnia,
Meos ad oſſa deglubi vſque ſubditos.
Me quoque remoui à vicinis iam, ne mali
Quid paterer, & ita ab hæreticis circundatus
Eſſem. Itaq; alium his rebus tua quærat ſanctitas.
Alias ad res nunquam officium fruſtra meum
Requires pater. PA. Ecce Satana, vt dixi tibi.
Quid ais tu Diſidæmonades? DI. Ego quoque
Sanctiſſime pater, afflictis Eccleſiæ, &
Perturbatis, & pene perditis lubens
Succurrerem rebus, ſi quid corpuſculo
Hic inualido virium adeſſet, noſtræue opes
Tantam rerum molem poſſent ferre. Potius
Hæc conueniret Cæſari prouincia,
Alijsue principibus, qui plurimum & opibus
Poſſunt, & ſtudiis ſunt Bellonæ dediti,
Quam cunctis nobis imbellibus Epiſcopis.
Vmbra gaudemus, & ocio, ſolem, gelu,
Ventos, & puluerem abominamur maxime.
Nec hoſtes contra, nec tormenta bellica
Tueri poſſumus. Quare ſanctiſſime
Pater, nos miſſos fac, nil nobiſcum egeris.
Si quid Miſſis, roſariis, ieiuniis
Non magnis, ſi quid execrationibus,
Occultisque poteſt machinationibus
Aduerſus promoueri hæreticos, nos habes.
Armis, & aperta vi agere haud eſt Epiſcopi.
PA. Nonne iſthæc ante, Satana, dicebam tibi?
SA. Audi etiã reliquos. PA. Quid tu ais, Polyſtrate?
POL. Sancte pater. Si quis in Apoſtolicæ gratiam
Sedis, & in fidei tutelam Papiſticæ,
Proq; monachis, & iure Eccleſiaſtico
Quid magni fecit, inter eos non vltimum
Me pono. Aduerſus hæreticos vix ſæuior,
Truculentiorque quiſquam fuit. Hoc ſcilicet
Mei perſuaſerant mihi doctores, malum
Suppliciis, & vi extingui poſſe maxime.
Re tentata hactenus, diuerſum comperi, &
Idem, quaſi quis mare exhaurire cogitet.
Inde ergo ſemper fuit animus, totum genus
Hæreticorum eſſe tollendum, aque ſtirpibus
Euellendum imis, idque commodiſſime
Me ſum arbitratus armis poſſe conſequi, &
Exercitu. Quamuis hic me vicinitas
Mouebat nonnihil, firmani animum tamen
Ius omne faſque violandum eſſe pro fide,
Et vel parentem occidendum pro Eccleſia
Romana, adeoque pro paternis ritibus.
Totus proinde in hoc fui, ſumq; hactenus
Omnem hæreticam armis nationem tollere.
Sed, vt vna (quod aiunt) ver hirundo non facit,
Ita vnus vir, vel princeps is ſit, non facit
Exercitum. Nec ſane per ſe plus poteſt,
Quam quiuis alius vnus ex gregariis.
Expoſui proceribus conſilium illud meum,
Illorumque fidelem popoſci operam mihi,
Illi vno vero conſilio auxilium mihi
Negarunt omnes. Si pro patria, aut finibus
Tuendis, aut pro communibus iniurijs
Bellum incidat, ſi vim hoſtis aliquis denique
Patriæ, mihiue faciat, aut facturus ſiet,
Se totis adfuturos tum neruis mihi,
Reſponderunt. Romanenſes ad ſe nihil
Neque monachos, neque ius Eccleſiaſticum
Quidquam attinere, nec ſe iudices fore

Fidei,

Fidei, & veſtrarum rerum. Quin ſe ne hoc quidē
Scire, merito an immerito pateremini omnia.
Itaque ſanctiſſime pater, quid ſolus queam
Non video. Non quieſcam tamen. Omnis lapis
Mouebitur. Agam cum proceribus denuo,
An opem Romanæ ferre velint Eccleſiæ.
PA. Quid ego tibi multa dicam? Iam ipſe perſpicis
Quid ſit ſpei. SA. Quaſi in his ſolis noſtra ratio
Vertatur omnis. PY. Pro me, ſanctiſſime pater,
Quanquam rogatus nō ſum, iam tandem loquar.
PA. Loquere audacter. PY. Stomacho moto ſer-
(munculos
Iſtorum accepi, vt vix iam præ iracundia
Loqui poſſim. Adeo hic inueniri neminem,
Qui pariter animo, & amore præditus ſiet
Eccleſiam erga Romanam, & ſanctiſſimum
Hunc patrem, cui vitam debemus, & omnia?
O tempora, O mores. En me, quantꝰ ſum, habes,
Protectorem, propugnatorem, vindicem.
Faciam, vt. Plura loqui nequeo, adeo iracundia
Incendor, ea obſtat linguæ, oculis, & memoriæ.
SA. En hunc tibi. PA. Aſperſit aquam. SA. Sed quis
(tu es optime?
PY. Ego? Pyrgopolinices, ille Cæſaris primarius
Satrapes, nullorum debellator hoſtium.
Non me noſti? SA. Non equidem. PY. Quid?
(Germanici
Illius certe Holophernis noras intimum?
SA. Pulchre. PY. Is ego ſum. SA. Mores, vultuſque
(recte habent.
Sed nomen non conuenit. PY. Alius domi vocor
SA. Intelligo. PY. O ſi noſter ille diutius
Manſiſſet in viuis, pulchram Tragœdiam
Vidiſſes. Romanæ iam pridem Eccleſiæ, &
Epiſcopis, monachiſque conſultum foret.
PO. Vel, PY. Quid vel? PO. Vel cōuerſa Martis alea,
Peius haberent, quam habent. PY. Oh, Nequa-
(quam, Probe
Noſtra ſibi conſtabat ratio. Ego eram impiger,
Volitabam huc, illuc, clam, noctu, ac interdiu,
Capiebam conſilia, ſollicitabam oppida
Munita, & populoſa, applicabam me equitibus,
Breuiter, magnum molimen erat, ratio integra,
Quæ nunquam nos fefelliſſet. Cognoſcerent
Iam hæretici, vter tandem Deus eſſet fortior,
Sanctiſſimus hic pater, an is, quē Chriſtū vocant.
PA. Ille quidem obiit diem ſuum, irato Deo,
Ingens regni firmamentum Papiſtici.
Quid autem porro tu facturus es cedo? (cro?
PY. Ingentia, & horribilia. PA. Papæ. Quid obſe-
Parabis bellum, illoſque teres vi bellica?
PY. Facerem hercle, ſi liceret. PA. Qui minus licet?
PY. Multi ſunt, fortes ſunt, iunctique fœdere.
Denique noſtro haud fieri poſſet ſine ſanguine.
Ego vero viam reperi, qua citra ſanguinem,
Noſtroque ſine periculo vinci queant.
PA. Aſtutum ſane. PY. Ego illos ita reddam, vt tuos
Aut oſculentur, aut amplectantur pedes,
Aut ſe exempla ſciant cunctis hominibus fore.
PA. Age optime Pyrgopolinices, dic, ſi licet,
Quidnam iſthuc ſit viæ. PY. Taciturnis omnibus,
Et, quod ferunt noſtrates, dicam ſub roſa.
PA. Mutis dixeris, aut, ſi mauis, lapidibus. PY. Hoc
Opus eſt ſcilicet. In primis, quamuis me ſciant
Euangelicis fuiſſe aduerſum ſemper, haud
Me tamen oſtendam machinari quidpiam
In illorum perniciem aperte. Illis nihil
Timentibus, nec ſuſpicantibus mali,
In omnibus vicis, ſyluis, & oppidis,
Per iuratos meos mouebo incendia.
Igni vaſtabo, quando ferro non licet.
Adeo multos conducam incendiarios,
Vno, & eodem tempore vt illorum compleant
Omnia, Saxoniam præſertim, Turingiam,
Et Miſnam, Et ante, quam hoſtes, quid agatur,
(ſciant,
Conflagrent vici, ciuitates, prædia,
Syluæ, frumenta, & apparatus bellicus,
Opes, congeſtaque pecunia, pecora, homines.
Et, ſi qui lata euaſerint incendia,
Ad viuendum tamen nullam habeant copiam,
Nec ad defendendum quidem. PO. Quid poſtea?
PY. Quid poſtea rogas? Paruulus exercitus
Prouincias igne vaſtatas facilimē
Tum poſſidebit, & reliquias ignium
Sibi ſubiugabit, aut delebit funditus.
Ita ferme, nobis altum dormientibus,
Hæreticorum pars opprimetur maxima.
Simile formidabunt exemplum cæteri,
Coactique facient, quicquid ſanctiſſimus
Rebus in humanis, diuiniſque iuſſerit.
PA. Benedictus tu fili dilecte Deo tuo,
Qui Romanæ ex animo faues Eccleſiæ,
Pro nobis teque polliceris vindicem.
Egregium cor tuum, quod iſthuc reperit
Conſilium, nobis iucundum, aduerſum hoſtibus,
Næ tu ſolus recte ſcis agere principem,
Parentes colere tuos, honeſtis actibus
Operam dare, veram & immortalem gloriam
Methodo, nec ſollicitis quærere laboribus.
Quare facere non poſſum, quin te exoſculer,
Tuoque dilecto capiti imponam manus.
Accede igitur ad me. Ecce ſic fautoribus
Communico meis. Iam nunc inclina caput,
Vt bona tibi imprecer. Huius noſtri rector, &
Author conſilii, & mentis formator tuæ,
Te corroboret, & confirmet, tuumque efficax
Promoueat conſilium ſemper, & in ſæcula,
Amen omnes dicite. ON. &c. Amen. SA. Non vo-
(bis mea
In his deerit opera. Iubeto tu tuos
Grauiter incendere, ego ventos in aere
Ciebo, vt latius vadant incendia
PA. Recte, & pro officio feceris. Gaudeo equidem
Diuinitus nobis hunc oblatum virum,
Qui labanti Atlas ſubueniat eccleſiæ.
Nunc recipio animum. Quid reſtat igitur, niſi vt
Quamprimum vadas, perfecturus operibus
Quæ dicis? PY. Paululum quiddam reſtat pater.
PA. Quid illud eſt? PY. Oportebit aliquid in ma-
Adiutoribus illis incendiariis (num
Dare. Mihi non eſt, quod dem, qui ſtipendiis
Mereo plerumque. PA. Ah. Solidum benefi-
(cium hoc tibi
Seruo, præſtaque te hic, & alibi maximum.
Aliquas tibi, ſi vis, dabo indulgentias.
Aurum & argentum non eſt mihi. PY. Vere pt
(pater

Adiutores ne nolint indulgentias.
Non multum in te poſſum ego pecuniaria.
Cetera mihi diligenter erunt curæ, pater,
PA. Sane pecunias Romana curia
Non dare, ſed venari, & ab aliis capere ſolet.
Huic tamen operi tam Chriſtiano nemo opem
Negare debet. Quapropter vos cæteri
A me ſanctum vobis exemplum ſumite,
Quam liberales vos conueniat in pios,
Euangelicosque eſſe vſus. Effer Porphyri
Saccum illum plenum. Scis quem dico? In angulo
Arcam ſuper ferratam. *PO.* Scio. *PA.* Chariſſime
Fili, iam hunc totum accipe. Sunt numerata inte-
Octo aureorum millia. Da adiutoribus (gre
Illis tuis, quantum libet, reliquum tibi
Habe. *PY.* Curabo ne te pœniteat pater
Dediſſe. *PA.* Curato. Igni, ferro, & omnibus,
Quibus poteſtis, expugnare, machinis,
Noſtræ aduerſarios omnes, monarchiæ.
PY. Laudabis pater. *PA.* Et vos dare decet Epiſco-
Pro cenſu quemque ſuo, proq; facultatibus (pos
Veſtra quoque res agitur. Nullam pecuniam
Vtilius collocaueritis. *ON.* Dabimus domi,
Illic petito Pyrgopolinices. Ita tamen,
Omnibus adiutoribus interdicas tuis,
Noſtra vt nobis, noſtrorumque intacta maneant.
Vicini ſumus, error facile committitur.
PY. Quin vos mihi hanc curā relinquite. Omnia,
Singula conſtituam nominatim, ne queat (&
Vllus committi error. *DI.* Oportet prorſum
(hercule.
PA. Veſtris quoq; Canonicis, monachisq; dicite,
Quam iſthoc ſit opus pium, quam vtile, q̄ deniq;
Honeſtum, eos ne aliquid pigeat attribuere.
ON. Dabunt libenter, certo ſcio. *PA.* Scribā quoq;
Et aliis hoc Epiſcopis Germaniæ,
Vt idem faciant, nec theſauris parcant ſuis.
Facile & alia octo poſſunt cogi millia,
ON. Plus pater. *PA.* Opinor. Tu rerū modo ſatage
Pyrgopolinices, nē quid de pecuniis
Solicitus ſis. Si fœnore ſumendæ ſient,
Quin & ſi oppignerandus ſit ſanctus Petrus,
Non deerunt tamen. Honorem pro nobis tuum,
Deumque, hominesq; parui conſtanter facis.
Æquum eſt aliquas nos quoq; ſpernere pecunias.
PY. Intelligo ſancte pater, & habeo gratiam,
Iam deſtinatis quoque reſeram factis probe.
Hoc vnum rogo, quæ hic inter nos tractauimus,
Sepulta vt ſint, in pectorisque ſcrinio
Condantur imo, ne vel hoſtes, vel alius
Aliquis aliqua reſciſcat. Hoc Tragœdiæ,
Quam ſum acturus, longe inter prima congruit.
PA. Sat eſt, Erunt ſepultiſſima. Sententiam
Habebit excōmmunicationis, in
Aurem qui fratri germano horum quippiam
Effutiuerit. *PY.* Ergo venia abibo tua?
PA. Abi bonis auibus. Vos cæteri quoque.
ON. Vale, ſanctiſſime pater. *PA.* Ite in pace. Quid
Tibi placet hoc Concilium Satana? *SA.* Sic ſatis.
Sciebam hercle haud ita nos contemptos eſſe,
Reſtaret aliquis recte nobis deditus. (quin
Lubens audiui. Veſtram diligentiam
Perſpexi callide. Et niſi adfuiſſem ego,
Legitimum iſthoc Conciliū non fuiſſet. *PA.* Hem,
Quapropter? *SA.* Ego impleui numerum. *PO.*
(Recte pater.
Quum ſex eſſemus, ipſe ſeptimum dedit.

CHORVS.

Mortalium vires canat, quicunque vult
Rerum imperitus arbiter,
Illisque dicat liberum malum, & bonum, &
Eandem ad vtrumuis viam.
Exempla ſed nos multa rerum perdocent,
Simulque ſacræ litteræ,
Ab vnguibus nos eſſe deditos malo
Primis malumque quærere.
Humana nos huc promouet natiuitas,
Corruptum & Adami genus,
Diuina ni ſuffulſerit nos dextera,
Vt proximemus inferis,
Nihilque tam ſit impium, nec tam malum,
Quod non amemus exequi.
Gaudemus omnes perpetratis peſſimis,
Fuſoque fruſtra ſanguine,
Furtoque rapta proximi ſubſtantia,
Damnisue grandibus datis.
Quem non iuuat contaminaſſe proximi
Famam, thorum, vel gloriam,
Si falſa quædam impunitatis ſpes modo,
Aut præmium refulſerit?
Eſt nullus in mortalibus Dei metus,
Nullusque recta quæritat,
Sibi relictus, liberisque viribus,
Prompta Dei abſque gratia.
Fortes, benigni, perſpicaces, callidi,
Citi, efficaces oppido,
Et indole omnes prædıti mirabili, &
Magna ſumus prudentia,
Liberrimaque omnes voluntate vtimur,
Contra Deum, atque proximum.
Verum ad bonum nec cor, nec aures, nec caput,
Vires nec vllas ingeni,
Et nec pedes, manusue habemus, ſed quaſi
Ad recta mortui ſumus.

ACTVS TERTIVS.

PYRGOPOLINICES, POLIPRISTES.
Pyrobolus, Phlegondas.

ADeſte nunc equites omnes, atque pedites,
Qui noſtra in aula iugiter verſamini,
Quique eſtis ditioni ſubiecti meæ,
Facile vobis licebit iam diteſcere,
Et abſque magnis vitam agere laboribus.
Nam ſaccus iſte, quem auro cernitis grauem,
Inter fideles quoſdam diuidundus eſt.
Vt paruum aliquid duntaxat faciant, quod ſiet
In noſtrum, & rerum publicarum commodum.
Inter vos ergo ſi quis eſt induſtrius,
Talisque, cui recte quid committi queat,
Prodat ſe mihi. Faxo non ſpernendam auferat
Auri huius portionem. Omnes acceditis
Hiantes, ſed ego ipſe fere video, qui nam ad hoc
Idonei ſint. Polipriſtes, Pyrobole tu,
Atque Phlegonda manete, abite cæteri,
Alia vobis expectanda erit occaſio.

Nec

Nec addecet etiam proferre in publicum
Rem, quam paucis notam, & celatam quis velit.
Vos tres præ cæteris idoneos puto
Ad rem, quam paro, neq; fides, neq; taciturnitas,
Nec ſingularis vobis deeſt induſtria.
Vt igitur vobiſcum iam aperte fabuler,
Per omnes in primis iurate mihi Deos,
Mortalium, immortaliumq; nemini
Dicturos verbum de his, quæ vobiſcum loquar.
POL. Iurabimus libenter. Et iam nunc Deas,
Deosq; iuramus tam noſtros, quam tuos,
Nos verborum omnium nunquam fore futiles,
Quæcunq; inter nos commentabuntur hodie.
Hoccine ſatis? *PY.* Eſt. Iam nũc accipite, quid ve-
Placuit Romano Pontifici, & Epiſcopis (lim.
Mihiq;, & cæteris Papiſtici gregis,
Hæreticos vicinos noſtros radicitus
Euelli, igniq; vaſtari illorum omnia.
Saxoniam in primis, & Miſnam, & Turingiam,
Voitlandiam, Heſſiam, hiſceq; iunctos fœdere,
Fideiue conſenſu, comitatus, oppida.
Comitatum Pleſſenſem, Embeccum, Brunſuigiã,
Goslariam, Northuſiam, aliaq; proxima.
His vaſtatis primum, tum quoq; de cæteris
Deliberabimus. Ad opus iſthuc tam pium,
Et publicis quoq; multum rebus vtile
Hæc à patribus auri nobis copia data eſt,
Vt ad rem aptos hinc conducamus homines.
Quales vos eſſe arbitror. Igitur, ſi quid placet
In ocio viuere, nulloq; negocio
Ditari, in promptu eſt, hunc iam maxime licet.
Suſcipite opus, facite, vt conflagrent omnia, &
Mortalium hæretici fiant miſerrimi.
Labor exiguus, & ocioſis commodus.
POL. Cur non princeps in hoc, inq; alijs omnibus
Voluntati lubentes gereremus tuæ
Morem? Præſertim quum ſcias nos operibus
Operã honeſtis dediſſe ſemper. Idem his quoq;
Placere opinor. *PY.* Pyrobole, quid animi habes?
PYRO. Meis quicquid principibus, & pecuniæ,
Idẽ mihi quoq; ſemper placet. *PYRG.* At q̃d tu ais
Phlegonda? *PH.* Pro pecunia princeps ego
Facile conduci poſſum, vt imiter Orphea, &
Deſcendam ad inferos, nedum mortalibus
Cede, aut incendiis aduerſer ſedulo.
PYRG. Placetis omnes. Sed quid vobis poſcitis
Dari pro opera? *PO.* Quia princeps grande peri-
Noſtræ vitæ ſubeſt, certe quicquid datur (culum
Nimium eſſe non poteſt. *PYRG.* Intelligo ſatis.
Sed ferre ne poteſtis, vt pronunciem?
PO. Bene. Vt vnus omnium nomine reſpondeã.
PYRG. Recte facitis. Igitur octingentos tibi
Polypriſtes, tibi ſexcentos, tantundem tibi
Phlegonda dabo. Siccine ſatis? *PO.* Accipimus.
Anteq̃ abeatis hinc, quinquaginta ſtatim (*PO.* Et
Numerabuntur, reliquum dem bona fide,
Poſt egregia aliquot peracta facinora
Dabitur. Eſtote duntaxat fortes viri,
Et agite rem gnauiter. *PYRO.* Haud nos quiſquam
arguet.
PYRG. At volo quoq; vnumquemq; veſtrũ quin-
Alios in hoc pium opus incendiarios, (decim
Vel plures, ſi licet, alicubi conducere.
Sunt multi homines egeni, pauperes, mali,
Bibones, ocioſi, luſores, nihil
Habentes penſi, decoctores ſtrenui,
Subulci, opiliones, bubulci, & ſordidi
Quidam inſtitores, & mendici publici.
Illos paruo, denariis octo, aut decem,
Quin vel vini, cereuiſiæue cantharo
Conducere poteſtis, vti plus, quam vos, agant.
PO. Fieri poteſt. *PYRG.* Et ſi quid illis amplius
Promiſeritis, fraudare, quibus tandem modis
Poteritis. *PO.* Opus eſt hercle. *PYRG.* Vno ergo
In antedictis regionibus, ac oppidis, (impetu
Vbiq;, ceu locuſtæ, vos diſpergite,
Vt nocte vna plurima ſurgant incendia,
Et multa oppida, viciq; exurantur ſimul.
Prius, quam quid fiat, vicini ſentiant.
PO. Operæ precium erit. *PYRG.* Maiorem tamen
Cauete, & veſtris cunctis interdicite, (in modum
In ditionibus ne quid Papiſticis,
Nempe meis, vel vicini alicuius Epiſcopi,
Vel igni, vel ferro committatur mali.
PO. Cauebimus princeps attẽte. *PYRG.* Cõgruit.
Heus puer. Iſthinc numera quinquaginta aureos
Horum vnicuiq;. Quibus acceptis, celeriter,
Et è veſtigio factum contendite,
Quæ iam inter nos concluſa ſunt. *PO.* Ocyſſime
Ibimus. Et hodie, ſi Vulcanus fauerit,
Hyemis rigorem hæreticis temperabimus.

CHORVS.

Vis magna fortes ſæpe pecuniæ
Mouit viros, vt iuſtitiæ viis
Retro relictis, cor, manuſq;
Vendiderint ſceleri nefando.
At illa rurſus ſeruiit ad bonum
Plæriſq;. Rebus commoda publicis
Permulta, priuatiſq; clare
Attulit, atq; feret futuris.
Quid intereſt ergo? Impius, & pius
Humana vulgo ductus in omnia
Vſus. Piis non fit ruina
Copia magna pecuniarum.
At rariores ſint aue candida,
Quum iam piis ſit plenus & impiis
Mundus, videmus multum vbiq;
Ex opibus ſcelerum patrari.

ACTVS QVARTVS.

PHILALETHES, PROBVS.

SEquere me aliquo deãbulatũ iã Probe (tam
PR. Sequor. *PH.* Animo aliquid ægre eſt, q̃d rei
Sit, ignoro. *PRO.* Excutiendum eſt. *PH.* Recte, ſi
queam.
Aliquid mihi animus certe præſagit mali,
Quamquã Probe nos habeamus multa Principes
Quibus curæ, & graues animi ægritudines,
Quæ ſæpe nobis accidunt præ cæteris,
Molliri, aut expelli queant; ſi quis tamen
Agere vere, recteq; principem volet,
Dignamq; rebus habere ſollicitudinem,
Is nulla tantum oblectamenta ſentiet,
Nullaſq; poſſe delicias, quin ſæpius
Altus corde dolor ſit premendus, & animum
Mordaces rodant curæ, & ſollicitudines.
Si quid mali in tota vſquam ſit prouincia,

Si quid malarum machinationum, ab his
Qui priuatim, publiceue nobis male volunt,
Exoritur, ſi quod detrimentum vſu venit,
Id nos ſentimus primi, primos conuenit
Præſidio, & auxilio eſſe rebus in omnibus.
Vitæ huius qui ſplendorem nobis inuident,
Impie, ne dicam, ſtulte, facere mihi
Videntur, quum priuatorum nemo non fere
Quietius, quam omnes terrarum principes,
Viuat. Magnum imperium, magnæ moleſtiæ,
Opes magnas curæ ſequuntur plurimæ,
Vt dictum eſt olim, qui mel cupit, apes ferat
Oportet. *PRO.* Iſthæc hercle ſunt veriſſima.
Et ita Deo viſum eſt, eſſe in mundo omnia
Commiſta, temperataq; bonis, & malis,
Vt rerum homines crucient viciſſitudines,
Et nuſquam ſtabilis iſthic ſit fœlicitas,
Quam aliquis non caſus turbet, aut moleſtia.
PHI. Hoc ſane, ſi quis alius, & ego ſentio.
Iamq; vereor ne hæc ægritudo forſitan
Alicuius indicium mali ſit aut mihi,
Aut ſubditis obiecti. *PRO.* Auertat hoc Deus.
Nō arbitror. *PHI.* Spero & ego, & ꝓpterea magis,
Quod nec Trechidius aduenit, nec Ocypus,
Quos res odoratum emiſi, & negocia.
Si quid ſcitu eſſet dignum, iam dudum ſcio,
Alteruter aut ambo veniſſent. Haud P. obe
Vlla eſſe ſuperflua poteſt cura. Epiſcopi,
Aliiq; Euangelii oſores, nos omnibus,
Quod ſcis, oppugnant machinis. Nec quidpiam
Tanti emerēt, quanti interitū Euangeli, & omniū,
Id qui præ nugis diligunt Papiſticis.
PRO. Apparet hercle, & ſtudiis monſtrant ſuis,
Se non quieturos, niſi nos oppreſſerint,
Ἀνίδεια τι ſuam vſq; tot adamatam ſæculis
Aduerſum Euangelii fulgorem texerint.
Certum eſt tamen hominum ſtudia contra Deū
Strepitus multorum eſſe foliorum friuolos.
Si cogitant mala, dominus eſt, qui diſſipat;
Si decernunt mala, dominus vertiginis
Immittit ſpiritum, vt, quo vadant, neſciant.
PHI. Facit hoc dominus, ſuorum qui curā gerit,
Tamen idem etiam flagellat nonnunquam ſuos,
Vt magis, atq; magis ſeruet in officio, ac probet.
Sed redeamus iam intro. Eſt ne is noſter Ocypus?
Eſt ꝓrſus. *PRO.* Eſt. *PH.* Faxo ſciam, quid adferat.

PHILALETHES, PROBVS, OCYP. TRECHIDIVS.

HEm veniſti Ocyp⁹? Quid fers? Quid nūcias?
OC. Adfero quidem, princeps, ſed, quod
nollem, malum.
PH. Hoc tibi quidem non eſt nouum. Sed quid
OC. Embeccenſis tota igni periit ciuitas. (cedo?
PH. Quid narras? *OCY.* Verum, Princeps, ſpecta-
culum fuit
Miſerandum, & calamitoſum, vt ad narrādū ego
Non ſufficiam. Nihil domorum relliqui
Ignis fecit. Quid rerum, atque ſuppellectilis,
Quid opum, frumentorumq; perierit, ipſa res
Omnes homines facile rationem docuerit.
PH. Calamitatem haud vulgatem narras Ocypus
OCY. Northuſiæ quoq; bis natum eſt incendiū,
Quod quamq̄ inſigne damnū dederit, eſt tamen
Reſtinctum, ne totum inflammaret oppidum.
Paſſim quoq; in vicis ſurgūt incendia.

Atq; equidem, quantū mihi animaduertere licet,
In his præſertim, qui noſtrorum dogmatum
Cenſentur. PH. Ecce Probe, an læuus mihi fuerit
Animus. PRO. Hoc arguit princeps ſatis, ac ſuper.
PH. Fortuito accidit, an data opera? OC. Data ſe-
Opera, nec vlla factum negligentia. (runt
PH. Quis huius illis calamitatis author eſt?
OC. Neſcitur certum, quidam diuinent licet.
PH. Hē & Trechidius aduenit, haud dubie nūcius
Et ipſe mali alicuius facti. PRO. Iſthuc quidem
Sat eſt malorum, etiamſi aliud nihil adferat.
PH. Quid narras Trechidi? Nū ſunt ſalua omnia?
TR. Nō omnino princeps. PH. Non? Quāꝓpter
TR. Quoquo verſū iui, in oppidis incēdia, (cedo?
Viciſq; conſurgunt. Atq; in Voitlandia
Triptoſis, & Pauſa conflagrarunt funditus,
Illiq; tui immerito periere ſubditi,
Summam ad inopiam rapiim redacti ſcilicet.
PH. O Deus, hoc erat, animum q; agitabat meū.
Quid autem Trechidi? Num negligentia
Eſt factum, an hoſtili quadam ex induſtria?
TR. Studioſe aiūt factum, ſed quare, & à quibus,
Scire nequeunt. *PH.* Non poterit celari tamen
Perpetuo. Rem miſeram, & inauditam, & nouam
Iam nunciaſtis ambo. OCY. Nos potius bonam
Vellemus nunciaſſe, Princeps, ſi ad manum
Fuiſſet. Verum inſignis hominum malicia,
Et furiis hoc agitatum ſæculum haud ſinit.
Fit igitur, vt audiatur ſemper plus mali,
Quam boni, & Ares caleant aures negociis
Ferme omnium. PH. Verum dicis. Proinde vos
Abite rurſus, & circumſpicite omnia,
Et vbique diligenter animum aduortite,
Quid rerum vel boni geratur, vel mali,
Et quam primū referte ad me. OC. Imus, atq; res
Longe canibus ſagacius odorabimur.

PROBVS, PHILALETHES.

DEmiror princeps, vnde hoc tantum ſit mali.
Vah tot vbiq; incēdia, tot dāna maxima, &
Irrecuperabilia per ætatem. Haud ſcio
Tamen aliquem nobis hoſtem eſſe publicum,
Atque manifeſtum. PH. Non eſt. Porro plurimi
Sunt clandeſtini inſidiatores, quod ſciam.
PRO. Hoc nil certius. At tantæ illos audaciæ
Non eſſe reor, nec tantis ſeſe ſceleribus
Contaminare velle. PH. De hoſte nil licet
Sperare boni. Illorum hominum magnus nume-
Et ingens colluuies Probe, de quib. queat (rus eſt,
Dauidicum illud vere dici, *nullus eſt*
Ante oculos illorum plane Dei timor.
Sunt etiam multi, quibus Eroſtrati placet
Exemplum. Sunt Nerones quoq;, qui facinora
Se nulla cenſeant indigna, ſed hominum,
Rerumq; in miſeriis, damniſq; maximis
Exultent, ἄδοντι τι cantent Ilii.
Dubitas tu, quin ab Epiſcopis incendia
Iſthæc exorta ſint? PRO. Dubitarem maxime
De tam ſanctis, Princeps, patribus Epiſcopis,
Monachiſq;, aliiſq; fœderis Papiſtici,
An talia nefanda patrarent facinora, ni
Sat ante illorum eſſet mihi perſpectus furor.
PHI. Addo etiā odiū nos aduerſum inexpiabile,
PRO. Recte. PH. Manifeſta vi deſperant forſi-
tan

Dei nos auxilio fretos poſſe opprimi,
Quare latrocinijs rem tentant exequi.
PRO. Veriſimile hercle, moribuſque peſſimis,
Studiiſque perpetuis decens Papiſticis.
PH. Quicquid tandé eſt in hoſtium conditū ani-
Et vnde improuiſe tanta orta ſint mala, (mis,
Multus procul dubio declarabit dies.
Hæc verba tum non multum aberraſſe à ſcopo
Intelliges. *PRO.* Quin ego iam ſatis intelligo
Hæc aliunde mala oriri non potuiſſe, ni
Quod certius tempore noſcemus ſingula.
PH. Faxit Deus, vt quã primum innoteſcat parens
Occulti iſtius, exitialiſque incendii.
Tu age, noſtram in omnem ditionem litteras
Interea ſcribito, vt in vicis, atque oppidis
Homines caute vigilent noctu, ac interdiu.
Obſeruent, excutiantq; ignotos hoſpites,
Vagari ignotos quoq; ne mendicos ſinant,
Nec inſtitores quoſque nondinarios,
Nec aliud aliquod ignotorum hominum genus,
Se, ſuaq; tam nobis defendant, quam ſibi,
Ne ſimilia incautis detrimenta accidant.
PRO. Faciam, & facto eſt opus. Ibo igitur recta,
PH. I cito,
PRO. Atat, quid ſibi vult iſthęc turba? *PH.* Neſcio,
PRO. Captiuos quoſdam ducunt. *PH.* Tantiſper
Donec ſcierimus, quidnam ſit negocii. (mane,
Immo vade expiſcatum rem, & renuncia.

PROBVS, PHILALETHES, CACORthotes, Polipriſtes, Pyrobolus, Phlegondas.

EVax, de quo iam, princeps, verba fecimus,
Quodq; libet cognoſcere, licebit maxime.
Captos adducunt treis incendiarios,
ἐπ' αὐτοφώρῳ præhenſos, ſicut prędicant.
PH. O factum bene. Tradantur mox lorariis,
Et Carnifex accerſiatur ocyus,
Illos qui examinet, adque verum torqueat.
PRO. Vade ſtator iſthuc expeditum. *PH.* Dic Pro-
Vt eos adducãt huc, interrogem vt interim. (be,
PRO. Heus huc lorarii, vinctos adducite.
Vos, quantum audio, noſtras igni prouincias
Iuiſtis expugnatum? *PO.* Non. *PH.* Quot oppida
Inflammaſtis? *PO.* Nulla *PHI.* Negatis? Vultus
Veſtri indicant, etſi negetis maxime. (tamen
Si ſponte nolueritis, tormenta facient,
Vt verum confiteamini, ſi parcitis
Vobis ipſis, nunc veritatem promite.
Quis tanta conduxit homo vos ad facinora?
Quin mihi dicitis? *PHI.* Ad nulla cõducti ſumus.
PHI. Ad nulla? Non pudet? Præhenſi eſtis tamen
In facto. *PO.* Pernegamus princeps. *PRO.* Hi qui-
Ad extremum negauerint vſque halitum, (dem
Sed veritatis ipſe iam artifex adeſt,
Cui trade, legibus vt examinet ſuis.
PHI. Nẽpe faciundũ eſt. Hos Cacorthotes cape,
Et ſeparatim verum exculpe à ſingulis,
Fidiculis aliiſue notis artibus,
Quandoquidem alia nolunt ratione dicere.
CA. Vos aduenisse gratulor grati hoſpites.
Cæna dabitur. Oh de cœna tam cito gratiam?
Vultis ne ludam more vobiſcum meo?
Video vos velle. Veni huc tu exucce, ac pallide.
Robuſtos hoſce, ac præpingues alio interim (go,
Abducite. Quid ſtatis? Quid ad hos? Ad me (un-
Reſpice. Te nihil, o bone, opus eſt ſignum dare
Digito, ſat ego illi recte ſignificauero.
Quin abducitis? Hic ſede tu, vt tecum loquar.
Heus diſcipule, Quid ſtas caudex? Retro manus,
Vt noſti, colliga. Funem demitte, tum
Ad girgillum conſiſtito, atque machinas.
Quid? dicturus es an non, quid feceris? *PO.* Nihil
Feci. *CA.* Boni fortaſſis. Credo iſthuc tibi,
Quid autem feciſti mali? *PO.* Nihil. *CA.* Hẽ nihil?
Incredibile dicis. Nam raro huiuſmodi
Meam veniunt in diſciplinam. Nota ſunt
Omnia veſtra prius. Non eſt effugii locus.
Quin etiam totus oles incendia. Si ſapis,
Verum fatebere. Dicis, an non? *PO.* Nil ſcio.
CA. Ita plæriq; omnes confitentur, in meum
Recens qui veniunt ludum, cæterum horulam
Quum verſati ſunt in ludo, mox, quæ prius
Ignorabant, didicerunt omnia. Tu quoque
Faxo diſcas. In altum rape, quantum potes,
Hominem recte, quot põdo habeat, librabimus
Lapidem hunc quoq; addã pedibus. põderoſior
Quo fiat. Sine nũc. *PO.* Heu heu per Deũ obſecro,
Dimitte me, narrabo, quæ ſcio, omnia,
CA. Mentiris homo neq̃. *PO.* Ah nõ mentior
Cacorthotes. Ah rogo, fatebor omnia. (optimè
CA. Vide ſis. Non perinde eſt tutum credere
Illis, mendaces qui ſunt inuenti ſemel.
Remitte Harpax. Iam Probe rogato quid libet,
Reſpondebit, puto, veritatem, ſi ſapit,
Niſi dirumpi mauult. *PRO.* Vbi locorum ignibus
Regionem vaſtaſti? *PO.* In Saxoniæ terminis.
PRO. Quos vicos, quæue inflamaſti oppida? *PO.*
Embeccenſis mea, meorumq; periit (Ciuitas
Opera. Northuſiam, vicoſq; plurimos
Similiter perdere aggreſſi ſumus. *PRO.* Euge. Qua
Spe? Quo propoſito feciſti? *PO.* Pecunia
Corruptus ſum ipſe, corrupiq; idẽtidem (Trahe
Alios. *PRO.* A quo corruptus es? *PO.* Neſcio. *CA.*
PO. Sine dicam, A Pyrgopolinice. *PHI.* Hem
Quid ais latro? (*PO.* Haud nego.
PO. A Pyrgopolinice, inquam. *PHI.* A vicino?
PH. Deum immortalẽ, quid loquar? Quid audio?
PRO. Quid ab illo accepiſti? *PO.* Promiſit aureos
Daturum octingentos, quinquaginta dedit.
PRO. Quid illis quinquaginta feciſti. *PO.* In me õs
Diſpenſaui adiutores quindecim. *PRO.* Bene. Et
Tot habes adiutores? *PO.* Tot. *PRO.* Quo nomi-
ne? Vbi ſunt?
PO. Nomina dicam poſt. Sed, vbi iam ſint, neſcio,
Nam vbique diſperſi ſunt, ſicut Apoſtoli.
PRO. Et ipſi incendia moliuntur? *PO.* Arbitror,
Si modo promiſſis facere voluerint ſatis.
PRO. Alii duo, nunquid ſocii ſunt facinoris?
PO. Sunt. Ab eodem conducti, etſi minoris. Ab
Etiam ipſi acceperunt quinquaginta aureos.
PRO. Pyrgopolinici tantum vnde eſt pecuniæ?
PO. Audiui partim Papam, partim Epiſcopos
Dediſſe vicinos. *PRO.* In hunc vſum forſitan,
Vt regiones inflammentur Germaniæ.
PO. Næ. Sed duntaxat illæ, quæ Papiſticis
Non acquieſcunt doctrinis. In cæteris
Vlla vetiti ſumus mouere incendia.
PRO. Quid facturi deinde, exuſtis omnibus?
PO. Nõ admodũ hoc cõpertũ eſt mihi, dicã tamẽ

Qui-

Quibuſdam quod ab equitibus accepi. Omnibus
Ita vbique exuſtis, factionis principes
Euangelicis mortem cunctis infligere,
Et illorum ſubiicere velle ſibi omnia.
PRO. Pulchre ταῦτα δὲ κεῖται θεῶν ἐν γούνασι.
PHI. Itaq; opinor hercle. Sed ſatis hic cōfeſſus eſt,
Amoueatur, & adducantur reliqui duo,
Vt audiamus. *CA.* Heus lorarii, Auribus
Eſtis mire craſſis. Illos adducite
Ambos. Huc Harpax, Hic bonus ingredi nequit.
Adeo eſt timore perterritus. Accipe pedes,
Vt ſuper hæc interim ponamus ſtramina.
Sine ſic quieſcere. Quid vos interea boni
Vobis conſuluiſtis? *PY.* Nihil. *CA.* Hoc non ꝓderit
Ecce hic veſtrum videtis ſocium facinoris,
Quam bene ſe habeat, quam ſit recenti caſeo
Fragilior, molliorque. Sic dura ſoleo
Hominum artibus meis pectora confringere.
Noluit & iſte primum confiterier,
Iam vero ingenue, atq; luculenter omnia
Tam ſua quam noſtra, cruciatu victus, faſſus eſt.
Vt, etiam ſi Harpocrate ſitis, ſiue ſtatuis
Taciturniores, morti vos nihil tamen
Eripiat. Si dixeritis ſponte, plurimos
Poteritis cruciatus euitare methodo.
Sin ſponte confiteri omnia nolueritis,
Phy, is ego ſum, hercules tantos qui vincere
Tamen poſſim. Diceris, nec ne? *PY.* Dicimus
Nos innocentes eſſe. *CA.* Eia. Scio hercule.
Scilicet, vti Iudas alios inter Apoſtolos.
Nihil agimus, & fruſtra ſic laceramus diem.
Adesdum Harpax, & aſſiſte, manus, quam potes,
Arctiſſime conſtringito, donec proruat
Ex vnguibus ſanguis, lapides alios quoque
Adferto grandiores. *PY.* Parce quæſumus,
Dicemus veritatem rebus in omnibus.
CA. Ho, tam cito. Viros alios eſſe credidi.
PHLE. Ah optime magiſter relaxa paululum,
Ipſi quoque crepant pollices. *CA.* Sic addecet
Ludere cum facinoroſis. Hæc principia ſunt
Duntaxat, Nondum guſtaſtis, quid ſit pati.
Dicite nunc ergo, ſi quid tandem dicitis.
PY. Fatemur nos incendiarios. *CA.* Bene.
Quid poſtea? *PY.* Pauſam, atque Triptoſim ſimul
Succendimus, vicoſque aliquot. *PRO.* Habetis &
Alios quoſdam adiutores? *PHL.* Ita, Tantummodo
Triginta paucis conductos denariis.
PRO. Quis vos cōduxit. *PY.* Pyrgopolinices. *PRO.*
Omnes ne igni vaſtādas prouincias. (Ad has
PY. Etiam. Quorundam Epiſcoporum dicitur,
Papæque conſilio, & auxilio res agi.
PRO. Et hæc omnia, teſte Deo, confitemini
Vos feciſſe, atq; audiuiſſe? *PHL.* Omnino, Atq; ita
Nobis propicius ſit Deus, vt hæc vera ſunt.
PHI. Satis eſt. Abducite iā omnes, quo ſcitis. Equi-
Statuam in his exemplū, vt, quid adiutorib. (dem
Similiumque facinorum ſtudioſis ſiet
Expectandum, cōgnoſcatur. *PRO.* Res poſtulat.

PHILALETHES, PROBVS.

EVge Probe, quod latuit, in lucem prodiit.
Ecce autem de patribus noſtris Epiſcopis?
Quam Euangelicæ illorum innoteſcit ſpiritus
[M]agis, ac magis? vt in caſtra libenter ſua
Nos pertraherent? Vah quanto agunt molimine,
Synagogæ vt Romanæ voremus ſtercora?
Bellum vicinum Pyrgopolinicen quoque.
Vt ſe pium ſceleris præbet ſatellitem?
Quin non poteſt homo ſtauis quieſcere?
PRO. Exhorrui princeps, audito nomine
Pyrgopolinices. *PH.* Quapropter? Forſan times,
Ne nos viuentes, atque crudos deuoret?
PRO. Non equidem iſtuc. Nō eſt tantarū virium,
Aliquid vt aperte incommodare poſſiet.
Graſſatorum, ac latronum furtiua ſcelera
Nemo ſatis vnquam cauit. At propterea ego
Exhorrui, quod factis ille talibus
Seſe mundo prodat, neque neceſſariam
Tam aperte fruſtra ſibi pariat infamiam.
Non ſum ego princeps, ante tamē mihi caput ve-
Reuulſum, q̄ operi eſſe affinē tam ignobili. (ſim
PHI. Pulchrum autē eſt ſemper hominem eſſe ſi-
Ouis ex lupo non fit, cicures maxime (milem ſui
Licet. Qui frontem perfricuit, in omnia
Deinceps erumpit ſcelera audacter Probe.
Quid ſi cuncta exquiſitius ex ipſo quoq;
Pyrgopolinice percontet, & expoſtulem;
Cur vicinus tantam moueat Tragœdiam?
Quid cenſes? *PRO.* Si quidem liceret. Litteris
Fruſtra egeris. Colloquium vitabit tuum
Male ſibi conſcius. *PHI.* Tentandum eſt. Scribito
Amice, rem eſſe magnam, quam illi peruelim
Communicare. Accedat, publica data
Fide, & ſecuritate. *PRO.* Non veniet ſcio.
PHI. Fingito tamen, vt fieri in comœdiis ſolet.
Si noluerit venire princeps, dummodo
Veniat Pyrgopolinices, *PRO.* Noui, quid velis,
Ita illum nullo huc pertraham negocio.
PH. Fac, Audiemus quidnam ad rem reſpondeat.
Alios quoque vicinos accerſe Principes,
Vt vna conſilio interſint. *PRO.* Intelligo.
PH. His expeditis litteris, illas quoque
Vbique regionum affingendas expedi,
Homines vt ſe, & ſua cautius cuſtodiant.
PRO. Curauero. *PH.* Vellm cito. *PRO.* Nulla in me
erit mora;

CHORVS

Coriambicum.

Vt recti ſtabilis gloria permanet,
Virtutiſq; decus perpetuo viret,
Quanquam ſollicitus prætereat labor,
Vel Parcæ rapiant diem.
Sic durat malefacti exiguus quoque
In longinquum odor, & dedecus aggrauat.
Quamquam ſollicitus prætereat labor,
Vel Parcę rapiant diem.
In lucem properat ſponte ſua bonum,
Venans commeritæ præmia gloriæ,
Quamuis vltro ea ſint obuia, debitis
Nec fraudant bona honoribus.
At contra mala ſe condere iugiter
Quærunt, & tenebris perpetuis tegi,
Sed leges prohibent, omnia nec ſinit
Extremus retegens dies.
Virtutes igitur quærite ſplendidas,
Sit cordi pietas, atque Dei timor,
Nec vos decipiant illecebræ mali,
Nec mundi dubius fauor.

ACTVS

ACTVS QVINTVS.

PYRGOPOLINICES, STRABAX.

QVaniq̃ ſcio me ad inimicum ire, cui lubens
Male faxim, ſi queam, quam q̀ feci, amplius,
Ibo tamen auditum, quid magni mihi velit
Communicare. Nondum nouit forſitan,
Quid in ſuam, ſuorumque interitum parem.
STR. Nõ credo noſſe. Agimus enim occulte op-
Si noſſet, nunquã ambiret tecum colloqui. (pido.
PY. Autumo. Poſſet tamen aliquid ex incendiis
More hominum ſuſpicari, quandoquidem ſibi
Me ſcit non adeo eſſe beneuolum. Sed nil moror,
Quid de me ſuſpicetur, vel liquido etiam
Sciat. Quippe animum ita ego obfirmaui meum,
Hæreticis male vt & faciam perpetuo, & velim.
Illorum omnem æque paruipendo gratiam,
Vt iram contemno. Ego maneo Germanicus
Pyrgopolinices. *STR.* Sic eſt. *PY.* Paula, & Tripto-
ſis,
Embeccum quoq; bene habent. Vtinã Goslaria,
Brunſuigia, Northuſia, cunctæq; reliquæ
Vna cum ipſis hæreticorum prouinciis
Simili haberent modo. *STR.* Habituræ ſunt ppe-
Si noſtri modo non ceſſarint Apoſtoli (diem,
PY. Si ceſſarint, alios emittam protinus.
Sed eamus nunc. Sequimini me ſatellites.

PHILALETHES, PYRGOPOLINICES, Strabax, Polipriſtes, Pyrobolus, Phlegondas.

REcte feciſtis, amici, & vicini mei, (cum velim.
Quod conueneritis. Nam eſt, quod vos me-
Cognoſcere, q̀ quidẽ in rem veſtram erit, & meã.
Sedete igitur vt vobis exponam. Haud opus
Equidem his ceremoniis. Ad me propius volo.
Scire omnes vos, opinor, multa pauculis
Diebus hiſce vbique orta eſſe incendia,
Magnaque vicis certis, ac ciuitatibus
Damna eſſe illata, & illis ſolis, qui fidem
Nobiſcum eandem profitentur, quod quidem
Statim me fecit ſuſpicari, Epiſcopos,
Alioſue quoſdam germinis Papiſtici
Tanta aduerſum nos ſcelera moliri, attamen
Certum ſcire haud potui. Tris autem proxime
Præhenſi ſunt incendiarii, Deo
Ita noſtris rebus conſulente publicis.
Illos percontatus ſum more, quo decet,
De ſingulis. Confeſſi ſunt ab Epiſcopis,
Et Papa hoc eſſe mali, atque ſe pecuniis
Conductos à Pyrgopolinice, vt ignibus
Noſtra vſquequaq; vaſtent. Video arrigere vos
Aures ad Pyrgopolinicis nomen, & ad hoc
Atrox, ac crudele facinus. Mi quoq; fuit
Miraculi loco primum, vix credidi
Et principem, & vicinum tanto ſcelere ſe
Contaminare velle. Sed conſtanter, &
Vno, vt ferunt, ore illi affirmarunt, ita
Habere: Quid multa? Ita tandem credidi,
Ex ipſo donec certius cognoſcerem.
Rogaui huc accedat munitus publica
Fide, promiſit. & iam venturum arbitror.
Vos huic volui cognitioni intereſſe, vt &
Plane illum cognoſcatis, qualis vir ſiet,
Communibuſq; pro vobis periculis
In tempore ſuccurratis. Heus vinctos Probe
Iubeto illuc ſtatui tectos ſcenomate,
Vt mox, cum iuſſero, producantur. Tu mane,
Dic alicui ſatellitum. *PY.* Habes ne litteras,
Quas ille ad me ſcripſit ſuper aduentu huc meo?
STR. Hic ſunt. *PY.* Recte, da mihi. *PHI.* Venit ho-
Ni fallor, audiui foris. I Probe obuiã. (mo. Nã loq;
PY. Tu mecum intro Strabax. Vos hic ſatellites
Manete interea. Saluete omnes. *PHI.* Det tibi
Deus, optime Pyrgopolinices, quæ meritus es.
Aſſide. *PY.* Rogatus ſum Philalethes litteris
Iſtis tuis, ad te venirem, neſcio,
Quibus de rebus mecum habentem, colloqui.
Adſum igitur aditurus, quidnam me velis.
PHI. Rogaſſe me fateor, & habeo gratiam,
Quod non dedignatus ſis aduenire. Quid
Autem ſit, cuius ergo te acceſſiuerim,
Paucis dabo Pyrgopolinices optime.
Tu fac attendas diligenter. Plurimi
Vbique vici, & ciuitates ignibus
Diſpereunt, & apud nos ſolos, quos dicitis
Hæreticos. Nec caſu hoc, ſed ex induſtria
Contingit. Quorum autem hominum, incertum
Nonnulli facere dictitant Epiſcopos, (dicitur.
Nonnulli te anteſignanum eſſe muſſitant
Furoris huius contra nos Papiſtici.
Princeps, & vicinus es, haud libuit credere
Tam ignobile de te facinus. Nam etſi maxime
Nobis male velles, non commiſſurum tamen
Rebar te, vt ſummam propter nos infamiam
Subires, teque ſugillandum poſteris,
Neque tuis laudandum omnibus proponères.
Cupio proinde iſthuc ex te ipſo diſcere
(Si pace modo liceat tua) quid feceris
Rebus in his, vel non feceris. *PY.* Ho, quaſi vene-
Factorum redditurus rationem tibi, (rim huc
Aut quaſi deceat te à me tale quid inquirere.
PHI. Vtrũ autem magis obſecro decet, an vt ſcele-
Te perpetratis affinem credamus, vt (ribus
Fert rumor populi, an innocentem in omnibus?
PY. Vtrũlibet. *PHI.* Quid ais? Non curas quid ho-
De te loquantur, ſentiãtue? *PY.* Nõ moror, (mines
Quid ſentiatis vos de me, aut loquamini.
Qui recte ſentitis nihil, nec loquimini.
PHI. Eia, non ſic inter nos agere conuenit.
Abſque ira agamus, ſi licet, & conuitiis.
Sic non feciſti, ſuſpitionem etiam àmoue,
Tot coram vicinis noſtris præſentibus.
Vt de te ſentiamus omnes candide,
Sin feciſti, dic quas, ob cauſas, obſecro,
Iſthæc crudelia facere animum induxeris.
PY. Quid vobis eueniat, nihil ad me pertinet.
Non ſum de veſtris ſollicitus prouinciis,
An aqua, an igni pereant. Mearum ego gero
Curam rerum, vos itidem veſtratum, vt lubet;
Vos gerite. *PHI.* Laudo. Vos illos producite.
STR. Hem, quid video princeps? *PY.* Deus illos
perdat. Vt
Omnia manifeſtẽt, timeo. *PHI.* Quid nũc dicitis?
Ecce virum, quem inſimulaſtis facti facinoris.
Nunc veritatem in conſpectu dicite palam,
Quis conduxit vos ad facienda incendia? (ſatis:
PO. Ille ipſe Pyrgopolinices. *PHI.* Nondum hoc

Dii

Dic etiam tu. *PY.* Pyrgopolinices. *PHI.* Quid tu ais?
PHI. Non nego. Pyrgopolinices fecit. *PHI.* Iam ſat
Reducite illos. Audis nunc vicine, quid (eſt.
Iſti aduerſum te teſtentur. Quoniam igitur
Verbum omne in ore trium firmatur teſtium,
Fidem faciunt, vt credamus, te facinorum
Eſſe ducem argumentis niſi te firmiſſimis
Purgaueris, aut cauſam docueris, qua minus
Iſti credi debeat, aut poſſit. *STR.* Obſecro
Abeamus princeps. *PY.* Nequaquam, Sat virium
Habeo, factum vt tuter meum, aut vtcunque ſit,
Manebo tamen Pyrgopolinices. *STR.* Optime.
PY. Quid autem eſt, etiamſi fatear feciſſe me?
PHI. Quid? Non functus es officio principis boni.
PY. Ego vero obedienter & recte me, ſcio
Feciſſe. *PHI.* Papæ. Quo pacto? *PY.* Si ſcire cupitis,
Hæretici eſtis, & idcirco perdendi ignibus.
PHI. Iſthoc quidem nos appellatis nomine,
Sed qui ſcis? *PY.* Oh rogas? Romanus pontifex,
Epiſcopi, monachi, atq; Eccleſiaſticus
Ordo omnis, Cæſar Ferdinandus, & alii
Complures reges terrarum, atque principes
Vos pro hæreticis habẽt. *PHI.* Habeant vicine, ſed
Putasne illos cenſores eſſe idoneos
Doctrinarum, hæreſumq;? *PY.* Quid ni? *PHI.* Nos
Id diceremus, ni conſtaret omnibus, (quoq;
Quam non ſecundum Scripturas ſacras, neque
Secundum primam iudicent Eccleſiam,
Sed commodo ſuo, ſuiſq; affectibus,
Et ventri, & aſſuetis prauis Ceremoniis
Indulgeant nimis, vt nequeant diſcernere,
Quæ vera, aut falſa ſit doctrina, quid hæreſis,
Quid impium, aut ſecus ſit. Et, ſi vnq̃, hoc quidẽ
Tempore ſatis, ſuperq; intelligi poteſt,
Quam ſummi, ac infimi delirent perdite,
Quum rerum eſſe volunt diuinarum iudices,
Suo ingenio, ſuoq; ſolum ſpiritu,
Non inducentes animum tantummodo ſacra
Audire velle præ cunctis oracula.
Vos ferme omnes Patrum defenditis vias,
Monarchiam Papatus, ac pugnantia
Contra fidem, con[illegible]aq; Chriſtum dogmata,
Monachatum, Diuorum cultum, atq; cætera,
De quibus accurate haud iam eſt dicendi locus,
Contra Scripturas, & manifeſta oracula,
Quæ Apoſtolicus, Propheticuſq; prodidit
Spiritus, vt ipſum etiam ſpiritum, & oracula
Iam dudum hæreſeos arguere videamini,
Ne dum nos, qui illis potius parere volumus,
Quam ſexcentis paparum inuentionibus.
Exiſtimare autem Turcas, ac Tartaros
Eodem, quo vos, rebus de cæleſtibus,
Cultuq; Dei iudicio poſſe ſtatuere.
Sed poſthabitis, & neglectis verbis Dei,
Neque illi, neq; vos humana ſapientia
Quidquam vere pium, ac certum ſtatueritis,
Sed hæc fruſtra tecum fortaſſis diſputo.
Finge autem nos hæreticos eſſe, quid (malum)
Tua id, aut aliorum refert? Num damnaberis
Pro nobis? Num minus quiduis credere potes,
Nobis non eadem tecum ſentientibus?
Num tibi, tuiſq; obſtamus, quo ſalui minus
Papiſticis veſtris ſiatis cultibus?
Docemus nos Scripturis conſentanea,
Quibus & conſentit cordis teſtimonium,
Si libet amplectimini, ſin aliud collibet,
Pace id licet noſtra. Suademus, vti decet,
Non cogimus quemquam veſtrũ, nec his quidẽ,
Qui verſantur noſtris in prouinciis,
Vim facimus. Manifeſtos tantum deleuimus
Abuſus quoſdam, & cultus Chriſti gloriæ
Aduerſantes, vt quæſtus eſt Miſſarius,
Phariſaiſmus monachorum diuorum impius,
Et varius cultus, cœlibatus ſordidus
Sacerdotum. Quis hęc tam impia, & his ſimilia
Publicitus abolita eſſe reprehendat, niſi
Prorſum impius, & qui neq; ſanorũ dogmatum,
Neq; honeſtæ, & Chriſtianæ vitæ vllã habeat aut
Curam, aut rationẽ? Reprehẽdant, Nobis tamen
Veterum patrum, ac regum exẽplo hæc, & ſimilia
In noſtris delere congruit prouinciis.
Porro quæ tibi, aliuſue ſit hinc iniuria?
Cur non etiam hic tuarum duntaxat geris
Rerum curam, nobiſq; noſtrarum ſinis
Curam, vt lubet, gerere? Cur nos demum ignibus
Præ cæteris ſolus vaſtare cogitas?
Quid fecimus tibi? *PY.* Non meum eſt negotium
Solius, fidei, & Romanæ iſtis ſeruio
Eccleſiæ. *PH.* Cui fidei quæſo? *PY.* Catholicæ.
PH. Erras Pyrgopolinices, factis talibus
Seruire Catholicæ fidei nunquam potes.
Vera fides iuſticiam, pacemq; poſtulat,
Dilectionem proximi, tolerantiam,
Modeſtiam hominibus quoq; patentem omnib.
Etiam ſi vicinos haberes Tartaros.
Formica autem [illegible]tius pareret Lucam bouem,
Quam te his conſpiceremus operam dare ſtudiis.
(Nam dicam quod ſentio [illegible])
Goslarienſes occidis, vexas, rapis,
Fictis cauſis, diuina, & humana violas
Iura, animuſq; in mala contendit inquies
Semper. Nobis quoq; clanculum inſidias ſtruis,
Plurimaq; iam curaſti fieri incendia.
Multorum hominum res perdidiſti funditus,
Nec res ſolum, ſed & corpora viuentia
Aut mutilaſti, aut penitus extinxiſti ignibus,
In ſummaſq; calamitates nulla iniuria
Læſus multos redegiſti bonos viros.
His te vicine optime nobilitas ſceleribus,
Quibus quidem catholicæ impietati potes,
Et Romanæ (vti facis) ſeruire Eccleſiæ.
Te fidei autem nauare operam, dicas, caue,
Niſi Turcicam, aut Tartaream intelligis fidem.
PY. Immo noſtram antiquam, veramq; intelligo,
In qua baptizati, educatiq; ſumus à
Cunabulis, cuius vos eſtis apoſtatæ
Iam facti. Eam ego totis defendam viribus,
Ab eaq; deſciſcentes ſemper perſequar.
PHI. Egregia vero, & antiqua fides, qua licet
Huiuſmodi vobis operam dare operibus,
Latrocinari, ciuitates perdere,
Exurere vicos, iugulare homines quoslibet.
Hanc illius fidem arbitror eſſe, qui fuit
Homicida ab initio, qui nunquam perſtitit
In veritate. Quamuis, quam dicas, ſciam,
Papiſticam nempe. Hanc ſoletis iugiter
Antiquitatis appellare nomine,
Quaſi etiam ipſis ſit Apoſtolis antiquior,

Aut impietas antiqua valere debeat.
Quod ſumus in hac baptizati, vtcunq; ferimus,
Ad educationem quoq; neceſſitas
Nos tulit, haud arbitrium, vt vocatis, liberum.
Cur autem, rogo, vocatis nos Apoſtatas?
Quid debemus Papatui? Obedientiam?
Quamquam nullam Papatui iurauimus,
Tamen audientes eſſemus dicto, in via
Apoſtolicorum ſi maneret dogmatum,
Noſq; ad Ieſum Chriſtum, cui iurati ſumus,
Duceret. At de Chriſto Papatus non agit.
Nec vos regni Papiſtici ſatellites,
Sed propter impia dogmata, & monarchiam
Funeſtam, atq; monachorum peſtilens genus,
Et propter Iudaicas quaſdam ceremonias
Noſtrum percupitis exorbere ſanguinem,
Tyriaq;, quod ferunt, maria in noſtrum caput
Citatis, atq; ita nos ad obedientiam
Reducere vultis, quam ſi præſtaremus, haud
Cauſa eſſet, quin nos vnuſquiſq; diceret
Corœbo ſtultiores. Nonne iure vos
Quis dicat plagiarios, qui liberos
Vobis populos, animaſq; nullo quæritis
Subiicere iure? Nihil regno Papiſtico
Debemus, Chriſti vt liberi ſententia
Nos tandem in libertatem vendicauimus,
Amiſſiq; poſtliminii iure recepimus.
Eximii autem eſtis perductores ad fidem.
Quibus venimus viis? quibuſue lemmatis?
Quod Chriſti nam nobis opus oſtenditis?
Quo veſtra docetis ſpiritu myſteria?
Vias videmus latronum, de quibus ait
Chriſtus, lemmata violenta plurimum, & impia,
Opera nefanda, nec non ſanguinaria,
Mundi huius ſeſe vbiq; profert ſpiritus
In veſtra tota aduerſum nos Tragœdia.
Hæc quum ita ſint, vt præſētes, atq; poſteri, & Craſſiſſimi etiam facile intelligere queant,
Veſtris tamen nobis illudere næniis,
Voſq; magiſtros religionis conſtituere
Audetis. Nimirum docebitis homines,
Velint, nolint, vobis parere in omnibus,
Vt, tanquam trunci, dicant, atq; ſtipites,
Romæ decretum eſt? Hoc placuit Epiſcopis?
Norunt homines, norunt ſatis mihi credite
Romanas impoſturas, atq; facinora,
Experti ſunt ſuo damno, ac periculo,
Quam mores, & doctrina omnis Papiſtica
Non animas conſeruare, ſed diſperdere
Quæſierit, quærit atq; hactenus, atque neutiquam
Hominum ſalutem, ſed ſitiat pecuniam,
Quamuis interea de domini nugemini
Inconſutili tunica, aut fidei concordia.
Tunica ſarciretur, confeſtimq; fieret
Cupita à vobis omnibus concordia,
Si Papæ, ſi Monachis, ſi Cardinalibus,
Si Curtiſanis, aliiſq; impoſtoribus
Vellemus eſſe in prædam, ac pro indulgentiis
Romana, vt olim, farcitemus ſcrinia.
Hæc cum nolumus, hoſtes dicimur Eccleſiæ,
Hæretici, ſeductores, aliaq; plurima.
Quid hoſtile aduerſum fecimus Eccleſias?
Cui veſtrum fidei cauſa vnquam fuimus graues?
Vbi, quæ debuimus, non præſtitimus Cæſari?
Vbi non vicinos debite obſeruauimus?
Et hic profecto deberetis cernere,
Si modo liuor, & odium quidquam cernere ſinit,
Quam vobis ſimus iuſtiores, qui tamen
Toti orbi vultis regulas præſcribere.
Nam & vos nobis tet hæretici videmini,
Cui veſtrum tamen ex fidei cauſa quidpiam
Ademptum eſt? Quos adorti vi hoſtili ſumus?
Quos duximus captiuos? Quos occidimus?
Quos populauimus agros? Quas inflamauimus
Vrbes? Quos vicos igni deuaſtauimus?
Quas clanculum vobis inſidias ſtruximus?
Hæc veſtra ſunt omnia, non noſtra. Vos docet
Iſthæc Euangelium veſtrum Papiſticum.
In multis vicis, atq; ciuitatibus
Facies eſt rerum propter vos miſerrima,
Lugent ſenes, atque pueri æque publicas,
Ac priuatas deplorantes coram Deo
Calamitates, ac miſerias, quas ſuſtinent
Euangelica veſtra propter [illegible].
Poſſemus nos quidem tantis ire obuiam
Iniuriis, & par, iuxta prouerbium,
Referre pari, ſed vobis cedere malumus
Malicia, & iniquitate, quam facere aliquid
Nobis indignum, & imperio contrarium.
Hæc tibi, aliiſq; ſunto reſponſa pariter.
Priuatim autem à te quæro, Cur Papiſtici
Furoris, atq; odii ſolus prouinciam
Hanc fueris aggreſſus præ cæteris, neq;
Principe dignā, neq; vicino. *PY*. Plurima quidem
Tu fruſtra verba facis, multiſque diſputas,
Vt hæreticorum mos eſt, hoc vero breuiter
Reſpondeo. Quoniam hæretici eſtis, non poteſt
Vobis fieri quidquam, quod non iure optimo
Fiat. Neque me meorum factorum piget,
Quæ feci, etiam deinde facturum autumo.
Eccleſiæ eſt negocium, cui debitam
Solus ſcio recte impendere obedientiam.
PH. Hoc vere eſt, quod dicunt, deorum concio.
Porro, quū ita erat decretum tibi pro Eccleſia
Inauditis ante agere ſceleribus, atque te
More hoſtili plane nobis opponere,
Cur non apertum miſſis fœcialibus
Nobis bellum indixiſti, quod gentes tamen
Facere ſolēt? *PY*. Nihil neceſſum erat. *PH*. Audio.
Videlicet, ne iretur obuiam tibi,
Placuit latrocinium, ante vt multos perderes,
Quam te hiſce præditum virtutibus homines
Reſciſcerent. *PY*. Quid multis opus? Ita placuit
Sanctiſſimo Papæ, Et quibuſdam Epiſcopis,
Qui non poſſunt errare. *PH*. P. æſertim in crucem
Suffixi clauis. Age vero, quando putas
Epiſcopos, Papam, teque, & ſimiles tui
In tam manifeſtis non errare ſceleribus,
Propter quæ conſpuecemini etiam à Tartaris,
Nedum à Chriſto, atque honeſtati addictis viris.
Vis iudicio experiri, homines cuiuſmodi
Sitis habendi, qui iſthæc ad hunc facitis modum?
PY. Enimuero, ſi quid publicitus vos iuuat
Proſcribi, iudicium haud ego detrecto quidem.
Huc mecum ad iudicium cameræ. *PH*. Videlicet
Ad ſimiles nos tui vocas, Papiſticæ
Inſaniæ executores, vbi plurimum,
Vt lupus apud lupos, vales, quos nouimus

Si nos poſſent perinde, vt vellent, tollere,
Lucem nemo noſtrum videret craſtinam, vt
Goslarienſium declarat fabula.
Quare conſultum non videtur, vt lupi
Iudicium oues ſubeant, noſtraſq; iniurias
Queramur apud nouercam. Ad ipſum Cæſarem
Eamus. *PY.* Non Cæſaris, neq; alicuius eſt
Hominis Pontificem iudicare, & Epiſcopos,
Vel eorũ opera. *PH.* Satis loqueris papiſtice.
Sed ſi hominum iudicia fugitis, Ad iudicem
Age Chriſtum eamus. *PYR.* Ad ſuſpectum ſcilicet.
Non conuenire noſtris, ſcis, Epiſcopis,
Et Papæ cum Chriſto, idcirco illum deligis.
Nolumus autem regnare illum ſuper nos, neque
De noſtris vnquam factis ferre iudicem,
Meam tibi breuiter dicam ſententiam.
Si facta noſtra diſplicent, & conqueri
Lubet, ad iudicium mecum ite Camerarium.
Faciam ego, maioribus vti iudicemini
Obnoxii, dignique calamitatibus,
Quam quas huc vſq; ſuſtinuiſtis. Haud licet
Aliam à me factorum rationem conſequi.
Dixi Philalethes. *PH.* Tu aliam tamen ingratus
Aliquando alibi rationem reddes integram,
Niſi te ſolum rebus, Chriſto exacto, Deus
Præfecerit, & Satanæ ſubiecerit omnia.
Dixi Pyrgopolinices. *PY.* Sequere huc me Strabax
Ita agunt, quaſi ego Pyrgopolinices non ſiem,
Nec illos auſim, nec Deum, contemnere.

PHILALETHES, PROBVS.

Cœtus principum.

AVditis, amici, qualis iſte ſit Thraſo.
Quam nihil habeat frõtis, geniiq; boni viri,
Infanda, & inaudita prius in Germania,
Immo in toto orbe commiſit ſcelera, haud tamẽ
Vllius illum pudet, neq; pœnitet, neq;
Iudicium iuſti alicuius ferre ſuſtinet,
Papiſtis adeo fretus phalangibus,
Quæ diuina, ac humana inuertunt omnia, &
Seſe in quamuis deteſtandis maleficiis,
Quoties, & vbi libet, iuſtos pronunciant,
Et iam non multum abeſt, quin nobis omnibus
Lucem non lucem, & tenebras non eſſe tenebras
Conentur perſuadere. Illos quidem Deus
Dignis ſuo tempore donabit præmiis.
De Pyrgopolinice autem, qua ſententia
Dignus ſit, ſcire velim. Dic Probe, quid cenſeas.
PRO. Non eſt æquum, Princeps, in tanto Principum
Cœtu me primum dicere. Quin & Chriſti erit
Iudicium tam de iſthoc, quam aliis de ſimilibus.
Periculum quoq; eſt, ne de hoſte iudices
Parum videamur æqui, legitimiq;, & in
Non ſubiectum ſi dixerimus ſententiam,

.... *Cætera deſiderantur in meo exemplari.*

IV.

VIDE

Anno Domini 1555.

QVID PAPATVS SENTIAT DE ILLVSTRISSIMIS GERMANIÆ PRINCIPIBVS, AC DE LIBERIS Ciuitatibus quæ Euangelio nomen dederunt.

In primis quid de tota noſtra doctrina & de Miniſtris Eccleſiarum.

Vix fuere vnquam ſcripti vlli famoſi libelli atrociores & truculentiores.

ATHANASIVS PIO LECTORI.

IAM neminem puto eſſe, qui neſciat, quantis, & quam validis machinis Papatus nos tentarit atq; oppugnarit per hoſce XL. annos (quibus cœleſtis pater patefecit nobis veram ac genuinam doctrinam dilecti filii ſui) vt nos ab ea auelleret: certe nihil fuit ab eo prætermiſſum, quum diabolum habeat ſuggerẽtem, & magiſtrum, Vſus enim eſt terribilibus minis, artibus, largitionibus, potentia ſummorum Regum, fulminibus excommunicationum, Conciliis fraudulentiſſimis, bellis & cædibus ſceleratiſſimis, obtruſit peſtem intermiſticam, abrogauit magiſtratus, iterum falſa concilia concinnauit: in ſumma quicquid potuit malorum accumulauit ſua illa incomparabili verſutia atque improbitate. Verum quo res tandem deuenerit, audi quæſo, lætaberis ſcio. Quum animaduerteret infauſtus ille papatus, ſe omnibus rebus tentatis, omnibus ſuis quotquot habuit machinis admotis, nihil potuiſſe proficere, imo indies magis radices egiſſe, ac roboratum fuiſſe Euangelium in cordibus ac viſceribus noſtris: ſtatuit, poſthac ſibi nihil negocii nobiſcum fore. Sed vt rabiem tamen ſuam expleret, voluit emittere in

nos

nos duos ex rabidioribus ſuis Lupis aut Monachis, Aſotum Hyſpanum, & Moroneſſam Italum, vt ille latine, hic Italice libro edito oneraret, ac proſcinderet illuſtriſſimos Principes noſtros, eccleſiarum noſtrarum miniſtros, & omnem noſtram doctrinam, quibus maxime poſſent conuitiis, probris, ac contumeliis: vt nos ſaltem iniuſtos relinqueret nota ſempiternæ infamiæ apud omnes Nationes, id quod illæ truculentæ feræ (quantum in illis fuit) ſtrenue geſſerunt. Quid vero Aſotus euomuerit, non eſt neceſſe Germaniæ recenſere, quum latine ſcripſerit, & eius liber palam omnibus obuius ſit, vtpote Coloniæ æditus: is certe clamat noſtram Doctrinam eſſe diabolicam, noſtram Eccleſiam ſynagogam Sathanæ, nos eſſe nouatores, deceptores, impoſtores, fures, latrones, ambulare per vias Ærii, Iouiniani, Vigilantii, ac etiam Pelagii ſi diis placet. Iam vero quum Moroneſſa italice ſcripſerit, putaui me operæ pretium facturum, ſi, quibus in locis ille in nos potiſſimum debacchatus ſit, ea in latinum verſa Germaniæ communicarem: nempe vt agnoſcat conſilium ac modeſtiam ſimul Paparum, tum quantum ametur ab illis, ac quanti fiat, vt etiam excitetur aliquis ex noſtris ad reſpondendum tam virulentæ & truculentæ inuectiuæ (qua certe nulla fuit acerbior ſcripta poſt hominum memoriam) ne ſi prorſus tacuerimus, forte videamur fateri hæc (quæ ſcribit) eſſe vera, quum tamen ſint falſiſſima, vt totus Papatus falſiſſimus eſt, imo ipſamet impoſtura & falſitas. Nobis tamen agendæ interim ſunt gratiæ cœleſti Patri D. N. Ieſu Chriſti, qui res noſtras in eum ſtatum perduxit, vt iam Antichriſtus vltimo telo, hoc eſt, probris & conuitiis proiecto, nobis tam ſuauiter valedixerit, curaturus poſthac quomodo poſſit tueri ac conſeruare (ſi modo poſſit) Italiam, hoc eſt, hortos & delitias ſuas, nam de Germania (quæ erat illi latifundium) ſub eius iugum iterum compellenda, omnino videtur ſpem amiſiſſe, vt iure debuit, aut ſi non prorſus amiſit, monemus vt deponat, nec ſe maceret, aut torqueat amplius in hac cauſa.

Titulus Libri, vnde deſumpta quæ leget.

TYPVS MARTINI LVTHERI PER Q. IACObum Moroneſſam, Monachum Celeſtinum.

Cum Priuilegio Papæ, atque Illuſtriſſimæ Dominationis Venetorum.

Venetiis apud Gabrielem Iolitum de Ferrariis, & Fratres.

ANNO M. D. LV.

GErmania noſtris temporibus facta eſt ex Domina Serua, ex docta, Ignara, ex ſtrenua, Vilis, ex Palatio Imperiali ſtabulum Porcorum. Pag.16.

Dicturus ſum in hoc libro de moribus, de vita, de doctrina, & de morte Martini Lutheri, monſtri horribilis Saxoniæ, fugiendum non ſolum à nobis Chriſtianis, ſed etiam ab omnibus Barbaris & Scythis, imo etiam à dæmonibus inferni, tanquam hoſtem naturæ, proditorem Patriæ, peſtem proprii ſanguinis, inimicum totius humani generis, æternam mortem ſui ipſius, & omnium qui illum ſequuntur. Pag.4.

In Italia cor Dei conſeruatur, hoc eſt, ſublimis & alta eius Sedes Romana. Quare Deus ipſe offenderetur in viuo ipſius corde, ſi Italia macularetur ſceleratiſſima hæreſi Germaniæ. Pag.18.

Quid eſt Lutherus niſi Idolum abominationis, manifeſtus infidelis, beſtiatiſſimus belial, caliginoſa nox errorum, nequitia abſoluta, via non minus pernicioſa quam noua, domus certiſſimæ mortis, verus ſpermologus, hoc eſt, nouorum verborũ & legum ſomniator, fictus & nouitius Chriſtianus, Apoſtata, Sacrilegus, Adulter ambitioſiſſimus, qui tandem repentina & ſubitanea morte ſublatus eſt. Pag.77.

Martinus Lutherus atq; alii hæretici qui illum ſectantur, expuunt ac reſpuunt omnem doctrinam Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, aliorumq; huiuſmodi diuiniſſimorum ſpirituum, habent eos pro malis miniſtris Euangelii, putant eſſe venenum manifeſtum, dulces & cœleſtes reuelationes, quæ docuerunt ſacra Concilia, interpretantia nobis diuina oracula. Pag.79.

Et paulo poſt: Satan vt oſtẽderet ſe magis eſſe Dominum mortalium, quam vnquam fuerit, voluit ſuſcitare omnes hæreſes, atq; vltima conatu contra dilectam Sponſam Domini, ideo firmauit ſibi Lutherum hæreticum hæreticiſſimum, & ſupra omne aliud inſtrumentum efficaciſſimum ad damna & ſtragem etiam electorum, ſi fieri potuiſſet.

Nunquam fuit vlla hæreſis excogitata, nec ſcripta, nec prædicata in terris, quam Martinus Lutherus non expreſſe intonuerit in auribus mundi, aut publice ſcripſerit, aut tacite innuerit.

Hæretici qui fuerunt poſt Chriſtũ, aliqui fuerunt minimi, alii maiores, alii maximi, & aliquis fuit inter maximos maior, atq; hunc ſine vllo dubio puto fuiſſe Lutherũ, quia non modo cõplexus eſt omnes præteritas hæreſes, ſed alias adinuenit, nunquã cogitatas à prædeceſſorib. ſuis magiſtris. Pag.21.

Et paulo poſt: Lutherus fuit ſceleratior & pertinacior Hæreticus omnibus Hæreticis, & quaſi nemo natus eſt homo peior eo in mundo.

Pag. 112.

Eiſet ſumme mirandum ſi Hieronymus, Theodotius, Aquila, & tot alii interpretes errauiſſent in vertendis Bibliis, & Deus reuelaſſet veritatem linguæ duntaxat iſtis Germanis.

Pag. 290.

Lutherus inſtrumentũ diabolicũ, vas damnationis, arca ignorantiæ, ſcandalũ orbis notabile.

Pag. 291.

Paulo poſt, Non potuit ferre tam altam & excelſam Monarchiam Papæ eſſe in Italia, quam omnes barbaræ nationes natura oderũt, quare ille infœlix Spiritus Lutheri exagitatus ſpiritu impatientiæ, quod eſt peculiariſſimum vitium barbarorum, cœpit contra Papatum prædicare.

Pag. 202.

Et quia non videbat, quod hæc poterant eum turbare, ne rem deduceret quo vellet, ſcilicet Pontif. Maxim. Eccleſ. Rom. Concilium, Sacri Interpretes, Diuinæ litteræ, Ideo ſummo ſtudio atq; incredibili celeritate cœpit Lutherus contra iſta machinari, pro certo ſperans, q̃ ſi potuiſſet ex animis Germanorum euellere exiſtimationem & bonam opinionem, quæ de his erat in animis hominum infixa, facile poſſet ſibi ſuccedere quod optabat, hoc eſt, vt adoraretur pro quinto Euangeliſta, pro noua luce orbis, pro Propheta, pro miraculo mundi, pro ſecundo redemptore mortalium, pro Angelo teſtamenti, pro templo perpetuo Spiritus ſancti, pro magiſtro omnium magiſtrorum præſentium ac futurorum, ideo millies dixit, omnes quotquot fuerunt ante, fures ſunt & latrones.

Pag. 294.

Deniq;, vt patefaceret ſe eſſe veriſſimum præcurſorem Antichriſti, qui fauebit omnibus impiis & beſtialiſſimis ſectis, vt conculcet chriſtianam impetu vehementiſſimo odii, furore terribiliſſimo principis inferni, & ſtomacho pluſquam ſatyrico, dedit ſe ad fauendum damnatæ & anathematizatæ ſectæ Turcicæ, prohibendo ne bella ſuſciperentur contra eam: ineffabilibus atque inauditis blaſphemiis inſectans Papam, appellando illum Turcam Turciſſimum, operarium omnis dãnationis, idolum infinitæ tyrannidis, deceptorem omnium Chriſtianorum, qui prætextu belli gerendi contra Turcas deprædatur populos, vt ſuam ipſius cupiditatem expleat.

Vero omnia.

Pag. 296.

Quum de nobis Monachis loqueretur, omnes æque momordit & damnauit, vnicuiq; noſtrum adiecit pudendum aliquod epithetum, paruifaciens illam formidabilem ſententiam Domini: nolite tangere Chriſtos meos, &, Qui vos ſpernit, me ſpernit, &, Seniorem te ne argueris, atq; mille alias huiuſmodi, quib. ſc. Deus vult & iubet, q̃ ſui Miniſtri, & maxime ſum̃us Sacerdos honorentur, habeantur in veneratione, timeãtur & amentur veluti Dei interpretes, & Angeli cœleſtes.

En ſceleratiſſimos Monachos Chriſtos appellat.

Pag. 305.

O Lutherum Templũ ſuperbiæ, o fornacẽ auaritiæ, o ſentinã luxuriæ, o fluxũ & refluxũ gulæ.

Pag. 305.

Satis ſit vobis agnoſcere in Papis atque aliis Prælatis Eccleſiæ quod meũ eſt, & quod ipſorum eſt, inquit Dominus, Mea enim eſt cathedra vbi ſedent, mea eſt poteſtas Pontificalis quam exercẽt in vobis, mea eſt doctrina quã prædicant vobis, mea ſunt præcepta quæ imperant vobis, mea ſunt magna pondera, quæ imponunt in humeros veſtros, meæ ſunt ſacræ & Catholicæ Gloſæ, quas ipſi dant meis ſcripturis, mea denique ſunt, ſancta & diuina atque angelica opera, quæ vobis præcipiũt, ſed mala & praua vita, corrupti mores, gula, ſomnus, pompa, morbiditas, delitiæ, & omnes aliæ inuentiones Satanicæ, quæ videntur in illis, non ſunt meæ. Quare mordicus retinete illas, & perpetuo fugite iſtas.

Guſta interim quomodo is monachus defendat Papam.
Imo ſatanæ doctrina, præcepta, pondera, gloſa atq; opera.
Audi virtutes ornatumq; paparum atq; aliorum prælatorũ.

Infœlix cum non crederet purgatorium, negauit ſanctum librum Machabeorum, quum nullam haberet fidem operibus fidelibus, & pertinaciter affirmaret ſolam fidem poſſe iuſtificare hominem, ſine debita & neceſſaria pœnitentiæ præparatione (quemadmodum demum fuit concluſum in Conc. Trident.) negauit epiſtolam ſancti Iacobi: eodem modo cum cottidie alias diuerſas eius Chymeras innouaret quibus Apocalypſis contradicebat, hunc quoq; negauit. Quum denique reſpiceret ſibi aduerſari decreta Conciliorum, autoritates Patrum, & ſententias Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Irenei, & millium nullium ſanctiſſimorum & doctiſſimorum Interpretum diuinarum litterarum, non puduit effrontem hominem, coram toto orbe aperire fœtidum & turpe os, & æque ſine reſpectu, ſine electione, & ſine vlla conſideratione repudiare omnes, affirmans eſſe inuentiones humanas, indignas quæ legantur non modo quæ citentur in bonum.

Pag. 380.

Oindoctum monachum & nebulonem.

Et recte quando deuiãt à norma Euangelii.

Quum mentionem feciſſet Concilii Conſtant. ſanctiſſimi & diuiniſſimi, vbi fuit condẽnatus & exuſtus Ioann. Huſs, vocat Pontif. Max. Antichriſtum, patres vero qui affuerunt Synagogam ſatanæ, repletam ſceleratiſſimis Sophiſtis, quia tanquam impii homicidæ Huſſium morti condemnarunt: & iuxta morem diabolicum ſemper labens in deterius appellat ſedem Apoſtolicam ſedem beſtię, Decretales Papæ non ſolum apocryfos, ſed etiam impios contrarios Chriſto, inſpiratos à ſolo Spiritu Satanæ, Thomę vero ſanctiſſimi Theologiam impiam.

Vere omnia hæc Lutherum.

Pag. 310.

Egit Lutherus quod proprium eſt hæreticorum, qui reuocant omnia ad tribunal diuinarum vocum: quæ quũ ſint Dei oracula, neceſſe eſt vt ſint obſcura (quemadmodũ dixit Petr. de vocibus Pauli) & quũ vero ipſi eas torqueãt ad diuerſos ſenſus, illis pugnant contra ſanctã Eccleſiam. Non habẽt infœlices aliud refugium, aliam rupem, aliam extremam anchoram, quam ſcripturam; quare ſi hanc illis adimamus, cadũt, & cadentes manent mortui, & ſepulti in perpetua repræhenſione, & proprio dedecore, veluti fabuloſi gigantes.

Papiſtæ non ſacram ſcripturã pro refugio atq; ancora habent, ſed traditiones hominum.

Habent im̃enſum terrorẽ conciliorũ, atq; illa refugiunt ſemper ſicuti boues & pecora abhorrent à macello: quia illic veluti in pulcherrima collatione deregitur quale ſit ipſorum aurum, illic aperitur quale ſit alchimia ipſorum apparẽtis argẽti, illic patefit totũ ſophiſticũ doctrinę eorũ (ſicut copioſe ꝓbaui in mea cõparatione) & ideo miſeri refugiũt Cõcilia, quippe q̃ ita ſunt turpes, ita deformes, ita fœdi & ſpurci corde, vt odio habeãt ſemet ipſos, quãdo à Cõciliis retegũtur eorũ pudẽda.

Omnia hæc veriſſime dixeris de Papiſtis.

Pag. 313.

Reliquę [illegible] narchię creuerunt armis & magna ſanguinis effuſione morte innumerabilium nationum, ſed hęc Monarchia Papalis creuit ſine armis, ſine vi, ſine ſanguine, ſine morte, ſine violen-

Talib. mẽdaciis defendit papatũ.

violētia, ſed placide, ſuauiter, ingenue, mirabiliter: nam abſque eo quod vlli Pontif. Rom. aſpirarent ad talem præeminentiam, ſpontanea & libera voluntate omnes Eccleſiæ Chriſtianiſmi agnoſcebant illum pro paſtore vniuerſali.

Habemus noſtra ætate reprobum hunc Hæreticum Lutherum, animal brutum, beſtiam ſiluestrem, monſtrum ingens & horrendum, qui ſuperat omnes mortales omni magno ſcelere.

[illegible] totius terrarum orbis videt igne & gladio Antichriſtianum [illegible] tyrannide [illegible]. Pag. 3[illegible].

Lutherus fuit in omni re ſimilimus Antichriſto, præterquam in patrādis falſis miraculis, hoc enim ſolum ei defuit, vt eſſet verus Antichriſtus: hoc ipſum mirabiliter præuidit Iohannes Virgo, author Apocalypſis atq; vt nos moneret, ne illum ſcilicet perderemus mirabili quodam & myſtico modo, oſtendit eum nobis, & quaſi digito indicauit. Quum enim deſcripſiſſet totam naturam, ſtatum, res geſtas, progreſſus & fructus Antichriſti, tandem volens etiam declarare, quale futurum eſſet eius nomen, ſcripſit hæc verba. Hic ſapientia eſt, qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt, & numerus eius 666. &c.

Illi quondam Catholici, nunc infecti à Luthero, allecti à delitiis carnis, nolunt orare, nolunt communionem vel cœnam Domini, nolunt cœlibatum, nolunt caſtitatem, nolunt puritatem, nolunt obedientiam, dediderunt ſe in prædam impudicæ morbiditatis, quam eloquenter prædicat illis Martinus: & tantum credunt & guſtant, quantum ab illius turpi & fœtenti ore audiunt reſonare. O infelices, o inſanos, o dignos catena. *Pag. 33[illegible].*

Et paulo poſt, Ille male natus, peius enutritus, primum monachus, poſtea apoſtata, ambitioſus, ſacrilegus, indoctus, adulter, impius, homicida, proditor ſui ipſius & ſuorum omnium, perfidus, inuidus, irreligioſus, ſentina omnis turpitudinis, mulus, equus, ſerpens mortiferus, monſtrum cornutum, horrendum, immenſum Lutherus.

Vos etiam o Itali, in quibus nulla fuit vnquam ſcintilla aut ſcrupulus hæreſis, datis terga cœlo & faciem terræ, vt fundetis hæreticam prauitatem Germaniæ in ipſa Italia: o ſceleratos, o filios diaboli, o ſpurios ex ſanguine Latino, o abominationem Italiæ, o hoſtes Dei, procul hinc, procul eſte prophani, extra, extra o maledictæ Harpiæ, extra Eccleſiā ſanctam, extra Romanæ ſedis candorē poſteaquam iſtis veſtris turpibus manibus auderis contaminare lautas menſas diuinæ ſcripturæ. *Pag. 334. [illegible] vos Papiſta contaminata.*

Paulo poſt. Quicunque ſequitur inſaniam Lutheri, non eſt vocandus latinus Nobilis, aut Græcus ſapiens, ſed indoctus barbarus.

Lutherus peſtis Germaniæ, damnatio ſuæ ſectæ, Hæreſiarcha ſeculi noſtri, corruptor mentium catholicarum, initium bellorum ciuilium, ſuſcitator ſepultarum hæreſum, idolum abominationis, præcurſor Antichriſti, & paulo minus quam Antichriſtus. *Pag. 337.*

Concilium Tridentinum demonſtrauit Hæreticis pertinaciſſimum eorum errorem, catholicis vero dedit materiam, qua continerent ſe in veteri fide veterum patrum Eccleſiæ. *Pag. 351.*

Vſque quo domine ſanctus & verus non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra? ita clamant in Apocalypſi alta voce multi homines ſancti & docti, qui erant interficiendi ob prædicatam intrepide veritatem catholicam, quaſi mirarentur Deum ita eſſe patientem in tolerādo impetu Lutheri, & pertinaciſſimam malitiam ſuorum ſectatorum, homicidarum: & in toleranda perſecutione quam Lutherani erant adornaturi contra intrepidiſſimos prædicatores veritatis ſinceræ, & hoc iam ex parte adimpletum eſt, & mox ex toto adimplebitur. Nam Lutherus, Bucerus, Melanthon, & multi alii Apoſtatæ, qui cucullam exuerunt maligno eorum calamo, & mordaci lingua conati ſunt occidere Auguſtinum, Hieronymum, Chryſoſtomum, Thomam, atque omnes alios ſacratiſſimos atque illuſtriſſimos diuinarum vocum interpretes, conculcando omnia eorum nomina etiam pronunciari inter Chriſtianos: atque hoc iam conſecuti ſunt in infinitis Germaniæ partibus palam, & in multis Italiæ occulte, vbi ſcilicet cenſetur blaſphemia ſi quis prædicet, doceat, aut ſcribat ex autoritate ſanctiſſimorum & literatiſſimorum illorum luminum Eccleſiæ. *Pag. 354.*

O Lutherum nequam, o ſceleratum, o reprobum. Quid amplius feciſſet aliquis Pharao, aliquis Nero, aliquis Domitianus, aliquis Marius, aliquis Scytha, Saracenus, Turca? Proh barbarum & crudeliſſimum homuntionem, indoctiſſimum, beſtiam inſenſatiſſimam, Draconem venenatiſſimum, peſtem mundi, inſidias animarum, latrocinium vitarum. *Pag. 339.*

Principes ſeculares qui Lutheri hæreſin ſectantur, vſque ad mortem perſequuntur omnes Catholicos, oderunt eos odio implacabili, bellum gerunt in Germania cum illis, & innumerabiles cottidie trucidant, qui morientes propter hunc zelum, ſunt illi veraces Martyres, qui in Apocalypſi clamant vltionem contra illos reprobos hæreticos, homicidas, & ſunt vere Tyranni obruti ſceleribus, qui veluti Domitianus aut Nero redierunt ad affligendos martyris Chriſtianos. *Pag. 355. Hos principes Germania attendite.*

Omnino deberet fieri decretum in aliquo Concilio, vt in illa regione, vbi natus eſt Lutherus, prorſus abrogarentur ſtudia literarum, quemadmodum Deus fecit Iudæis, quos priuauit vera intelligentia diuinarum literarum, quia perſecuti ſunt veritatem, & Chriſtum eius autorem & prædicatorem, & quia crucifixerunt ſummum Sacerdotem & Prophetam maximum, priuat eos etiam regno, templo, ſacerdotio, prophetia, atque omni alio bono temporali & ſpirituali, ita vt oſtendātur digito, ab omnibus nationibus mundi, tanquam Rebelles Dei. Quare quum Lutherus, & eius ſectatores fecerint longe peius quam Iudæi, quicunque ſunt in illis regionibus, debent tractari modo ſupradicto, aut alio aptiore & notabiliore, pro memorabili exemplo, & pro æterno ſpectaculo totius mundi. *Pag. 359.*

Lutherus conſtanter perſuaſit inceſtum & ſacrilegium, non ſolum laicis, ſed etiam religioſis & confiſus latibulis Germaniæ, clamabat contra vicarium Chriſti, vixitque in gratia omnium Herodum & impudicarum Meretricum Germaniæ.

Pag. 411. Principes & potentes Germaniæ vſurparunt bona eccleſiaſtica & prophanarunt omnia veluti altera Iezabel, & deſtruxerunt alios: & malunt perſeuerare in hæretica prauitate, quamquam vulpine intelligant proprium errorem, quam vel drachmam reddere bonorum occupatorum. O infortunatos, nonne recordantur dicti ſapientis, Potentes potenter tormenta patientur. Chriſtus eos in Spiritu vidit & confudit, dicens. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidum, Filius autem hominis non habet vbi reclinet caput, o Principes Vulpes, Nequam, audite regem gloriæ qui de vobis dicit, Vulpes foueas habent. *Adhuc audite Principes.*

Pag. 49. Conuerſatio Lutheri fuit ſumme hæretica: in conclaui vbi mortuus eſt, neminem voluit præſentem niſi ferociores, & magis maledictos hæreticos, qui ſint in Germania, Ionam & Michaelem, veros Secretarios ſuæ diabolicæ doctrinæ. Voluit illic etiam adeſſe duos eius filios, veluti hæredes eiuſdem doctrinæ & Comitem ſuum Dominum, & Comitiſſam eius Dominam, veluti defenſores eiuſdem diabolicæ doctrinæ, o quæ familia, quam fideles ſocii, quam ſua conſuetudo, Talis fuit Macarii, Benedicti, Franciſci Seraphici: tandem mortuus eſt hæretice, nam illud verbum quo vſus fuit, Sic Deus dilexit mundum, in fœtida latrina oris ſui, horribiliter putebat prauitatem hæreticā: nam voluit inferre, quod Chriſtus datus fuit mundo, vt ſolus pateretur pro peccatoribus, qui ſaluarentur ſolis meritis & paſſione Chriſti, non autem per vlla propria opera, ſicut ipſe fecit, qui nullum verbum dixit de pœnitentia &c. *O rem [illegible] monachum.*

Pag. 362. Etiam me tacente, ſaxa clamarent Martinum Hæreſiarcham eſſe, fumum omnium ſepultarū hæreſum, generalem præfectum Locuſtarum, Principem Abyſſi: Locuſtas vero alias non eſſe, niſi diſcipulos reprobæ & damnatæ ſcholæ Lutheranæ, nam quid aliud erat ſperādum à ſentina tam ingentis putoris, & ex Abyſſo tenebrarum tam caliginoſo, niſi iſta Academia indoctorum, peruerſorum, carnaliſſimorum, Apoſtatarum atque omnium illorum, qui dederunt ſe ſomno, ventri & luxuriæ, ſicuti fuit Melanthon, Bucerus, & alii, quos breuitati ſtudens prætermitto.

Melanthon. Pag. 364. Habebant caudas veluti Scorpiones, vt ſignificaretur impudentia manifeſta, & venenum & proditiones occultæ Hæreticorum: nunquam poſſem explicare, quam conueniat ſectæ Lutheranæ Symbolum hoc de ſcorpione, nam habet duas brancas vel pedes ante, quibus nec ſcit, nec poteſt, nec vult ferire, ſed ſuauiter allicit, blanditur, complectitur, trahitq; ad ſe: tandem quando bene tutum reddidit aliquem vermem, aut aliud animalculum quo oblectatur, ſtatim acuta & venenata cauda illud impetit, trahitque illi vitam ex viſceribus, & paſcit ſe, ſic omnino faciunt magiſtri Lutherani, nam ſuaui quodam & blando prætextu libertatis Chriſtianæ, Euangelii, pietatis Chriſti, gratiæ, & millium aliarum Diabolicarum inuentionum alliciunt ſimplices, ac poſteaquam traxerunt eos ad ſibi credendum, ſtatim faciunt eos negare Chriſtum & matrem eius, extrahunt animas ex corporibus, & diabolo ex eis faciunt ſacrificium. *Audi ſatanam furem in monacho.*

Paulo poſt. Clare ſemper apparuit omnes iſtos, qui Lutheranum dogma ſequuntur, eſſe omnino deditos mundo, in quo collocarunt omnem eorum ſpem atque amorem. Quare priuati ſunt ſigno Dei, ſunt enim priuati charitate, quæ illis eſt omnino exoſa, collocant enim omne ſtudium in hoc, vt perſuadeant mundo, ſolam fidem ſatis eſſe ad ſalutem conſequendam, ac nihil prodeſſe opera charitatis.

Pag. 375. Illorum doctrina eſt ſimillima Antichriſto, nec differt niſi in vno iota, quare facile ſe vniet ſecum in doctrina. O infœlices Lutheranos, hoc eſt peſſimum nuncium pro vobis, quid poteſt dici horribilius, quid recitari terribilius, quam ſi diſerte alicui dicas. Tu es membrum viuum & verum Antichriſti?

Si volumus conſiderare Pincipes & populos illos, inueniemus quod omnes in eorum opinionibus poſſunt appellari Antichriſti, quandoquidem omnes in totum aut in parte blaſphemant eſſentiam & nomen Chriſti: de ipſo Antichriſto veluti primo eorum capite, & Iudæorum & Mahumetanorum non opus eſt probare, nam in hoc conſiſtit eorum profeſſio, vt negent Chriſtum eſſe Deum, & affirment illum eſſe ſeductorem & magum. Neque difficulter hoc probatur de Lutheranis, quia cum negent & eneruent prorſus poteſtatem Eccleſiæ vnicum teſtimonium Euangelii, negant tota Biblia, & conſequenter ſunt peiores Turcis, & quolibet alio infideli.

Pag. 380. Secta Lutherana tam magna ſerua & miniſtra eſt futuri Antichriſti, vt nulla inueniatur natio, quantumuis illi fideliſſima, quæ præparauerit illi & quotidie præparet meliorem ſedem, quam ipſa faciat, & diſponit ſemper Chriſtianiſmum ad ipſum Antichriſtum ſuſcipiendum oliuis & palmis, contemnit enim ieiunia, orationes, celibatum, vitam heremiticam, ſancta opera, honorem ſanctorum, venerationem reliquiarum ipſorum, obedientiam ſummo Pontifici, atque alias res digniſſimas, quas iam tot ſeculis prædicauit nobis, & iuſſit prædicari Chriſtus ſuus aduerſarius. Quare merito poteſt appellari regio & ſedes, vbi regnat & regnabit, & quieſcet Antichriſtus vſq; ad diem iudicii, quia nullibi melius poteſt reſidere & quieſcere aliquis Rex, quam in medio chariſſimorum & fidelium miniſtrorum. Præterea eadem ſecta Lutherana eſt vſque adeo excæcata, ac priuata lumine veritatis Euangelicæ, vt nullum verbum intelligat in ſcripturis ſine

ſine oleo Sathanæ: & in tam denſis tenebris verſatur, vt ſit prorſus cæca, & nihil aliud omnino videt, quam quod foris ſuggerit illi Sathan, intus vero Spiritus carnis & temeritatis, protervus libidine & lite, ac contentione pertinaciſſima, affirmans ſcripturam eſſe claram per ſe ipſam, neque indigere gloſſis Auguſtini, Hieronymi, atque tot aliorum diuinorum Spirituum. Quare impulſa Spiritu diabolicæ libertatis, interpretatur eam ſuo modo, torquens & lacerans in tormentis, veluti quiſpiam Tyrannus cogit eam illic fateri, & dicere maiorés ſtultitias, horribiliores hæreſes, abominabiliores blaſphemias quæ ſint in mundo. O magnam cæcitatem, O denſam caliginem. Merito ergo de illa inquit Io. in Apocalypſi. & factum eſt regnum eius tenebroſum, vt nobis notum faceret iſtam ſectam tam cæcam eſſe, & tam indoctam, vt totum eius regnum, hoc eſt, ſuum eſſe principale, non conſiſtat niſi in intricationibus, Labyrinthis, fraudibus, tenebris & caligine. Atque ita eſt reuera, quia tandiu habet neruum, quandiu occulta eſt eorum ignorantia, impudens apparentia alicuius ſophismatis aut coloris Rhetorici, aut cauillationis: ſunt prorſus tenebræ & caligines, quibus adumbratur falſum. Sed confeſtim vbi aliquis vir doctus luce veritatis & lumine artis legit eorum ſcripta, atque extrahuntur ex latibulis obſcuritatis, aperte cernuntur eorum mendacia, non ſolum ab eis, qui oculos habent ſed etiam à talpis & veſpertilionibus.

Ego de aliquibus Italis poſſum teſtimonium reddere, qui niſi ignem timerent & ignominiam, proderent ſe eſſe magis Lutheranos, quam animalia rationabilia. Infœlix enim Italia inter reliqua magna mala, quæ perpetuo paſſa eſt, & patitur à barbaris, hanc etiam peſtem patitur: ac propter Italos præſertim hunc librum ſcribo. Pag.3[illegible]

Io. ſcripſit in Apocalypſi futurum, vt iſti Lutherani blaſphemarent Deum cœli, impulſi a dolore leproſæ inuidiæ, qua perſequebantur Auguſtinum, Hieronymum, Ignatium, Dionyſium, beatos & benedictos Spiritus, qui egregie declararunt quid credendum ſit, ac glorioſe triumpharunt de omnibus hæreticis. Pag.383.

Lutherus mendaciſſimus infœlix ita perfricuit frontem, vt minime errorem putauerit, ſi in eodem libro, imo in eodem capite, quinimo in eadem linea ſibi contradiceret. Pag.3[illegible]

Et quia notiſſimum eſt toti orbi, Lutherum eſſe ſeruum Sathanæ, organum Diaboli, tenebras diuinarum literarum, fructum pernitioſiſſimum, peſtem Chriſtianiſmi, damnationem infinitarum animarum, venenum conſanguineorum & vicinorum ſuorum: ideo nimis eſſet ſtultus ille ſcriptor, qui ſuſcepiſſet prouinciam ſcribendi eius ortum & conceptionem, quandoquidem omnibus perſpectum ſit, tam damnoſum fructum, peſtiferum & letalem non potuiſſe aliunde originem habuiſſe, niſi a diabolo, patre, autore, principio, & cauſa omnis imaginabilis mali. Pag.394.

O Apoſtatam nequam Lutherum, O verum partum Diaboli, O ſingulariſſimum idolum ambitione, ſtans in loco ſancto. Pag.39[illegible]

Lutherus vir ſacrilegus, fracto voto & iuramento de ſeruanda caſtitate, paupertate & obedientia, traxit Virginem conſecratam Chriſto ex Monaſterio, atque illam ſub falſo & mendaci nomine matrimonij impie ſtuprauit, atque ex ea inceſtuoſa & damnata libidine tres liberos ſuſcepit, Ioannem, Martinum & Paulum: poſſedit aliquas diuitias, & vſque ad finem vitæ perſeuerauit rebellis & contumax ſuis Prælatis. Verbis etiam nunquam deſtitit prædicare & ſcribere contra vitam Monaſticam: ac ſanctos Monachos vocat Porcos Dei, corpora inutilia, & multa huiuſmodi. Atque vt omnino eſſet contrarius præcurſori Chriſti, auſus eſt mordere reuerendam maieſtatem Baptiſmi & omnium aliorum Sacramentorum, ac partim ipſe, partim ſui ſectatores, nullum Sacramentum prætermiſerunt, quod aut prorſus non deiecíſſent in terram, aut ſaltem in dubium reuocarent. Pag.397.

Has in Pag. 430. u monachus appell[illegible] fœdiſſimos [illegible] ries [illegible] diaboli [illegible] Monstro Mo[illegible]

Martinus nihil prætermiſit dicere aut facere, vt adularetur principibus, vtque eos prouocaret contra Eccleſiam, perſuadendo ad illos duntaxat pertinere imperium rerum omnium temporalium, ad illos poteſtatem gladii, ad illos dominium omnimodum: ad Eccleſiam vero ſpectare duntaxat prędicare Euangelium, parere principibus, ac viuere in ea extrema paupertate atq; egeſtate, qua olim Apoſtoli vixerunt cum Chriſto. Pag.[illegible]

[illegible] modos [illegible] gu

Mortuus eſt Lutherus Islebii, quæ illi erat patria, 17 Februarij 1546. atque eo die hilariter cœnatus, cum multis eius amicis profuse biberat ac comederat, multaſque facetias recitarat, nocte vero ſequenti inuentus eſt mortuus morte ſubitanea, quam multi attribuerunt ſuffocationi catarrhi ob nimiam crapulam, alii apoplexiæ. Ferunt etiam fuiſſe ſepultum ab illis D. Comitibus Mansfeldenſibus eorumque populis, maiore pompa quam ſi fuiſſet aut Pontifex maximus, aut Imperator, aut corpus alicuius ſancti canonizati. Pag.430.

[illegible] decem [illegible] eſſe. Vi[illegible] ſuperiore ſcrip[illegible] ſub hoc † nota.

Neque nos debent turbare verba Pauli, quando inquit. Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, quia non omnes perfectiones Chriſtianorum fuerunt patefactæ tempore Apoſtolorum, ſed poſtea per ſanctos Papas, & ſacratiſſima concilia ſucceſſiue paulatim delectæ ſunt & publicatæ omnibus, quemadmodum accidit de Purgatorio & confeſſione auriculari, deque multis aliis rebus, tunc non ita patefactis, vt nunc ſunt. Quoniam, ſicut Chriſtus quum eius anni paulatim creſcerent, creſcebat ipſe quoque ſapientia atque experientia: ita etiam Eccleſia, cuius ipſe fuit typus paulatim creuit ſapientia & doctrina, iuxta illud verbum Chriſti, Ille vos docebit omnia, monens ſe non docuiſſe omnia, ſed multa reliquiſſe Spiritui ſancto, quæ per os doctorum, per autoritatem Conciliorum, per Pontifices maximos erant aperienda, & orbi terrarum declaranda. Pag.418.

Hæc doct[illegible] nacho.

Pag.427. Aliqui inter eos recipiunt & prædicant vetus Teſtamentum, ac teſpuunt nouum, quemadmodum Iudæi & multi ſequaces Lutheri, qui addentes errorem errori parum defuit, quin dicerent Chriſtum non veniſſe, ita turpiter ac erronee locuti ſunt de eius diuinitate ac doctrina.

mendaciſſimum monachū.

Pag.429. Infœlix Lutherus, quia eius finis non erat Chriſtus, ſed Antichriſtus, non ſalus animarum, quibus prædicabat, ſed perpetua ipſius damnatio & Vile lucrum, & mundi gloria; atq; vt poſſit haberi alter Meſſias, quemadmodum Mahumetus fuit Turcis, propterea excæcatus hoc denſo & tenebroſo fumo, totus fuit conſecratus & dedicatus negotiis mundi, negotiis ſtatus publici, adulationibus Principum, in quorum gratiam magna pompa portabatur in curribus & lecticis, ſtipatus millibus & millibus ſuis Laicis, tanquam nouus Chriſtus in Hieruſalem. Iuit ad patriam ſuam, vt concordaret illos Comites Mansfeldenſes, imo vt vniret eos in pertinaciſſima ſua hæreſi, ac ligaret eos ad æternum ſeruitium Diaboli.

Hæc omnia ſunt excerpta ex lib. Moroneſſæ, ac verſa verbum verbo: at affirmo multo adhuc plura huius generis ſupereſſe, ſed qui vertit, non potuit diutius ferre fœtorem tam tetræ ſentinæ.

AT non ſolus eſt qui hiſce annis libro edito, ac cum priuilegio Papali ac Veneto principes Germaniæ tam impudenter proſciderit vna cum reliquis qui Euangelium profitentur, ſed alius quiſpiam, Hieronymus Mutius, qui etiam Italice ſcripſit. Huius liber fuit Typis excuſus Venetijs ab eodem Gabriele Iolito ante tres ferè annos. Quare in pagina LXXI. ita inquit. Blaſphematoribus ſanctiſſimæ matris Dei & omnium ſanctorum, contemptoribus ſanctorum ſacramentorum, violatoribus ſacrorum templorum, raptoribus bonorum Eccleſiaſticorum, ſtupratoribus ſacrarum virginum, excommunicatis, apoſtatis, inter Hypocauſta & vinum miſit ne Deus Spiritum conſolatorem? nam ex hominum genere originem habuit, hæc noua & peſtifera doctrina Lutherana. Quare neſcio cur non pudeat homines Italos & eos qui aliquid Spiritus habent, ſectari tam fœtidam & dedecoroſam ſcholam.

Pag.99. *Et alibi.* Ne te decipiat quod dicis de eorum vita, nam hoc primum eſt falſiſſimum; & qui fuit in illis regionibus Germaniæ vbi iſta peſtilentia nata eſt, poteſt teſtari, autores opinionum Lutheranarum fuiſſe & eſſe homines vicioſiſſimos: vt minime ſit credendum talem illuminationem Spiritus miſſam fuiſſe primum in tam turpem ſentinam.

Pag.158. *Et alibi.* Nec capere animus meus poteſt, quempiam qui habeat ſenſum hominis poſſe exiſtimare veras eas illas opiniones, quæ Luthero Duce approbatæ ſunt à tot viris, qui docti eſſe putantur noſtro hoc ſeculo: & non ita pridem, in eam ingreſſus ſum ſententiam vt tales homines minime credant in Chriſtum, ſintque potius infideles quam hæretici.

Et paulo poſt. Ego ita cenſeo, Idiotas qui ſunt in Germania, eſſe quidem hæreticos, doctos autem infideles.

Pag.155. *Et alibi.* Barbara Germanica natio non contenta, quod præiudicio Italiæ, vſurpauerit dignitatem Imperii: Inuida quod vicariatus Chriſti ſit apud nos in Italia: vt nos omni gloria & omni bono priuet, ingreſſa eſt in hanc freneſim ac rebellionem.

Et paulo poſt. Nec vident ebrioſi illi Germani, nam ſi Papatus eſt nomen inane, tunc eorum Papa Gregorius non potuit ad eos Rom. Imperium transferre.

V.IN-

V.

INDVLGENTIA PLENARIA PRO PACE CONSERVANDA, HÆRESIBVS EXTIRPANDIS, AC SACRO generali concilio proſequendo.

Anno Domini 1564.

EX IMPRESSO ROMÆ RECVSVM.

Prophetia Zachariæ 9. de venturo Antichriſto.

Et dixit Dominus ad me. Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti. Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret & contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. O Paſtor idolum derelinquens gregem, gladius ſuper brachiũ eius aridtate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.

PIO LECTORI S.

Spiritus Sanctus inquit 1. Petri 5. Sobrij eſtote: Vigilate, quoniam, aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret: Cui reſiſtite fortes in fide. Vere nunc Diabolus, Antichriſtus, eius miniſtri, Sectarij, falſi fratres, Apoſtatæ & alia Satanæ organa, omni ſtudio, ardore & furore inuigilant & incumbunt in exitium veritatis & Eccleſiæ, & in promouendas ſuas impietates ac blaſphemias, Vt etiam præſens Bulla teſtatur. At nos Chriſtiani adeo ſecuri frigemus, rigemus ac ſtupemus, vt non tantum non ſimus ſoliciti de retinenda ſyncera puritate doctrinæ Ieſu Chriſti, quæ ingenti beneficio Dei nobis, hoc poſtremo ac triſtiſſimo tempore, patefacta eſt, Sed nec admoneri quidem, aut ſolum audire ea de re amplius volumus. Quid hinc ſequetur, niſi vt veniant efficaces illuſiones Satanæ, quandoquidem veritatis ſtudium non habemus? Si qui tamen adhuc ſunt, qui vero amore ſynceram doctrinam complectuntur, vt haud dubie adhuc habet Dominus ſua ſeptem millia, illi orent ardenter, & laborent ſedulo, ſcientes quod labor eorum non erit inanis in Domino, nec gemitus pauperum negligetur à Deo vſq; in finem.

M. F. Illyricus.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

VNiuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Poſteaquam ſic viſum eſt Domino noſtro Ieſu Chriſto, vt in paſcendo grege ſuo, vicaria noſtra opera vteretur, noſtræque fidei concrederet ſponſam illam ſuam Eccleſiam, quam adeo dilexit, vt eam non corruptibilibus auro & argento, ſed precioſo ſanguine ſuo, duxerit eſſe redimendam: facile proſpicimus, quæ nos cura, quæ ſolicitudo maneat, quæ in tanto munere obeundo vigilantia requiratur: Neque poſſunt omnia viſcera noſtra non vehementer commoueri, quoties illius horæ ſubit animum noſtrum recordatio, qua paſtor ille paſtorum, qui ſolus vere bonus paſtor eſt, rationem geſti per nos muneris exacturus, ſciſcitabitur à nobis: vbi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? vere pecus inclytum, pro quo meum ſanguinem profundere, pro quo meam animam ponere non dubitaui: Credibile non eſt, quam nos ea ſolicitudo reddat anxios, hoc præſertim tempore, quo gregem hunc precioſo Chriſti ſanguine emptum, ita diſperſum, & à Lupis laceratum videmus. In quot enim ſectas mirabiliter inter ſe diſſectas, miſerandum in modum diſſecta nunc non eſt, ea quæ Chriſti corpus eſt Eccleſia? quomodo conciſum corpus hoc? quot ex eo particulæ factæ non ſunt? Inter manus immanium barbarorum, qui Chriſtum in crucem egerant, verum Chriſti corpus integrum in cruce permanſit & nunc admirabili quorũdam audacia factum cernimus, vt inter manus Chriſtianorum non ſit integrum corpus eius myſticum in Eccleſia. Quid enim in ea non conuulſum, quid non labefactatum, quid ſuo loco dimotum non eſt? An eo res ad extremum non rediit, vt per quoſdam ſcripturarum autoritate ſcripturis authoritas omnis detraheretur, vt interim ſilentio illud prætereamus, quod alii Chriſtum ſic eſſe Deum, vt hominem negent, alii ſic hominem eſſe confitentur, vt eundem Deum eſſe non concedant. Nos vero tanto magis excruciamur, cum hæc ad aures noſtras perferuntur, quanto amplius intelligimus ad officium noſtrum proprie pertinere, vias vt omnes & rationes perſequamur, quibus tantis Eccleſiæ vulneribus mederi liceat. Quam etiam ob cauſam ad Reges omnes, & principes Chriſtianos, nuncios noſtros mittimus, vt cum illis deliberationem ſuſcipiant, qua potiſſimum ratione perfici putant, vt hæc noſtra conſilia, de reintegrando Chriſti corpore, & errantibus in viam reducendis, ad optatum exitum perducantur, Concilium etiam Oecumenicum, ſi qua modo ſpes affulſerit fructum ex eo aliquem ad Eccleſiam Dei redundaturum, communicato prius cum iiſdem principibus de loco, deque tempore conſilio, libenter conuocaturi, nec eorum quicquam prætermiſſuri, quæ ad ſalutem Eccleſiæ Dei adſerendam pertinere putauerimus. Et quantum non fere

facit

facit Deus, vt multorum preces non exaudiat: quodque ſingulis orantibus forte fuerat negatum, id plurium precantium vnanimitati tribuere non raro conſueuit.

Hortamur omnes venerabiles fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos, & in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, vt iniungant iis, qui prædicatorum officio funguntur, vt in omnibus ſuis ad populum concionibus, diligenter eum admoneant, vt patrem illum miſericordiarum, & Deum totius conſolationis orent ſedulo, quo conſiliorum noſtrorum, quæ non alio, quam ad motus iſtos in Eccleſia Dei tranquillandos ſpectant, felicem exitum largiatur: ſponſam hanc ſuam, ita miſere tot annis vexatam, oculis miſericordiæ ſuæ reſpiciat, & ad illius gremium eos, qui ſe præciderunt, redire faciat, & in primis populum hortentur, vt quieſcant peruerſe agere, diſcant autem benefacere, dignosque pœnitentiæ fructus facientes, conuertantur ad Dominum Deum noſtrum, in toto corde ſuo, in Ieiunio, & fletu, & planctu, & peccata ſua Eleemoſynis redimant. Sic enim futurum eſt, vt ille conuertatur ad nos & preces noſtras placatus exaudiat, ſi nos quoque gratia ſua præuentos ad ſe conuerſos viderit. Nos enim ex parte omnipotentis Dei, omnes, & ſingulos vtriusque ſexus Chriſti fideles, tam in Alma vrbe noſtra, quam quibuscunque Regnis, Dominiis, Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, terris & locis per vniuerſum orbem conſtitutis, monemus & hortamur in Domino, vt poſtquam præſentes ad eorum noticiam peruenerint, ad Dominum Ieſum Chriſtum humili corde conuerſi, conſcientiam ſuam ſtudeant diligenti examine diſcutere, & ad puriſſimam peccatorum ſuorum confeſſionem deuenire, Ac quarta, & ſexta Feriis, nec non die ſabbati eiusdem, vel alterius immediate ſequentis hebdomadæ ieiunent, aut orationibus aut Eleemoſynarum erogationibus, ſeu aliis piis operibus, iuxta eorum conſcientiam, ſiue ſacerdotum, quibus ſua peccata confitebantur ſalutare conſilium, vacent, ac Dominica dictum diem ſabbati ſequenti ſacratiſſimam corporis Domini Ieſu Chriſti Euchariſtiam reuerenter & deuote ſuſcipiant, Deumque intimis cordis enixe orent, vt ipſos Chriſtianos Principes in pace, & firma concordia confouere & conſeruare, ac noſtra conſilia de integrando Corpore Chriſti, deque reducendis ad Eccleſiam iis, qui diſceſſerunt, de moribus reformandis, deque ſacro Concilio Oecumenico celebrando, adiuuando proſequi, & ad ſalutarem perfectionem & exitum perducere, pro ſua bonitate, & clementia dignetur. Vt autem Euchariſtiam tranquilliore conſcientia recipere valeant, nec ab hac Abſolutionis difficultate retrahantur, vt eorum oratio quanto puriori animo fiet, tanto ad miſericordiam impetrandam & gratiam diuinæ bonitatis acceptior ſit; omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſupradictis, vt confeſſorem, presbyterũ, ſecularem, vel cuiusuis ordinis Regularem eligere valeant, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet, à quibusuis eorum delictis, quantumcunque grauibus & enormibus, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla, quæ in cœna Domini legi conſueuit, & à cenſuris quas propterea, vel quia libros prohibitos tenuerint, ſiue legerint, incurrerint, hac vice duntaxat abſoluere, & pro commiſſis ſalutarem pœnitentiam eis iniungere, ac vota quæcunque per eos emiſſa, caſtitatis & religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare poſſint, Apoſtolica autoritate indulgemus. Et inſuper omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſupradictis, qui præmiſſa adimpleuerit, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, autoritate confiſi, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Vt autem præſentes literæ ad omnium noticiam deueniant, eosdem Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum prælatos ſimiliter in Domino monemus, ac eis in virtute ſanctæ obedientiæ iniungimus, vt cum primum ipſæ literæ, ſeu harum tranſumptum manu venerabilis fratris Stanislai, Epiſcopi Varmienſis, noſtri & Apoſtolicæ ſedis apud Sereniſſimum Cæſarem nuncii, ſubſcriptum ad eos peruenerit, literas ſeu tranſumptum huiusmodi, vbique per eorum prouincias, Dioceſes & Eccleſias ſincera charitate abſque vllo quæſtu publicent, & publicari faciant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ. M. D. L X V I I I. Kal, Aprilis. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ca. GloriErius.
Barengus.

VI. CAR-

VI.

CARDINALIS LOTHARINGI PRACTICATIONES ROMANÆ DE HÆRETICIS EXSTIRPANDIS, (HÆRETICOS enim vocat Euangelicos, qui ab Antichriſtianiſmo defecerunt) comunicatæ legato Gallico in Sequania.

Anno Domini 1573.

Ex authographo ipſius Cardinalis deſumptæ.

I.

SCripſit huc ad legatum Gallicum Card. Lotharingus, incredibile beneficium non Galliam modo ſed Chriſtianum orbem vniuerſum accepiſſe, ſeq; incredibiliter lætari tam præclari facinoris ſuam potiſſimum familiam eiuſdem Dei ſingulari clementia adminiſtram extitiſſe. Confirmatur veluti res certa, coniurationem hanc opera inprimis eiuſdem Cardinalis inter Pontificem, Gallum & Hiſpanum ita factam eſſe, vt Gallus Hugenotorum principes in Nauarrænis nuptiis in toto regno trucidaret; Albanum in exterminandis rebellibus Belgis pro viribus adiuuaret; Hiſpanus regnum Nauarræ Gallo redderet; Fratrem regis eiuſdem in occupando Angliæ regno adiuuaret: poſtremo vt confœderati omnes, omnes vires opesq; ſuas conferrent ad exſtirpandos Germaniæ Hæreticos & nouam toto Imperio formam inſtituendam ex præſcripto Pontificis. De Gallo etiam hoc affirmatur, q nemo iam in dubium vocat, eum Hugenotos qui ad Monté cæſi fuerunt Albano literis prodidiſſe. Omnes auté plures & maiores nuptiarum Gallicarum effectus propediem exſpectant in Gallia, Belgio & Germania, è qua bellum pene certũ in pontificios minitari quidã videntur: quæ veluti inanes & Germanorum propriæ comminationes non modo contemnuntur, ſed certa veluti his imminens pernicies prædicitur, & quantumuis in re ſeria luditur, eos nempe qui primi omnium à S. Romana ſede defecerint, qui ad defectionem alios impulerint, hoc tantum beneficii obtinere, quod poſtremi omnium puniantur ac pœnam quo tardiorem hoc grauiorem fore. Neq; vero à tam improuidis beſtiis metuendum aiunt aliquid: quæ vires ſuas & ignorent, & nuſquam adhibere niſi in perniciem queant, elephantiaſi veluti arreptas planeque ita occupatas vt ſenſum omnem amiſerint. Itaq; nihil ſentire quantumuis ſtimulis acerrimis fodiantur: ſic perituras antea quam perire ſe vllo modo percipiant.

II.

Regem pleriq; laudibus in cœlum efferunt, maioreque eum victoria atq; illuſtriore potitum aiunt, quam confœderati in Turcam ſuperiore anno potiti ſint, nempe qui nullis viribus aut armis expugnari potuerunt, conſilio ac prudentia oppreſſos eſſe nec vni regno Galliæ ſed vniuerſo orbi Chriſtiano præclare adeo conſultum, vt ſpes ſit illi deniq; exterminatis vndiq; Hæreticis priſtinam dignitatem atq; ſplendorem reſtitutum iri. De Anglia rem facilem eſſe: ſeptam teneri in ipſo regno à tam multis Pontificiis, qui ſi aliunde videant auxilium in perniciem Reginæ ac Hæreticorum in eo Regno arma ſumpturi ſint: hoc metu perculſam Reginam ſuos è Belgio reuocaturam, aut plures certe de regno milites non dimiſſuram, Belgio ab Hiſpanis recuperato primam fore illam à qua expetantur pœnæ meritæ: proximos Germaniæ principes fore, à quibus duo potentiſſimi Reges tot iniuriarum pœnas ſemel repetituri ſint: neque enim vllo modo verendum eſſe, ne illi forte ſe coniungant cum Imperii ordinibus, & bellum potius inferant quam exſpectent: quam deiectis ſint animis, ſæpe iam oſtendiſſe; quam imbecilles & inopes, conſtare, vt qui vix familiam omnibus redditibus ſuis nedum exercitus alere poſſint; quam inter ſe principes ſint diſcordes, quantæ inter principes & obſides Imperii ſimultates, quanta diffidentia, notum omnibus eſſe: quantæ denique inter ipſos de Religione indies creſcentes controuerſiæ, ne quis dubitet, ſcriptis eos aliis ſuper aliis teſtificari. Hæc ſcilicet omnia atq; alia multa indicia certam ipſis iamque imminentem perniciem comminari: adeo vero imprudentes & ſtupidos eſſe, vt de communi periculo communibus virib. depellendo nihil cogitent, de ſe ſuisq; tuendis quilibet ſeorſum elaboret: ita fore vt qua ratione ſinguli ſe conſeruare ſtudeant, ea mox intereant vniuerſi; multos adeo non commotum iri exemplo Gallico, vt quantumuis ipſi quoque ſint hæretici, eodemq; loco à catholicis habeantur, & eandem ab illis perniciem exſpectare debeant; tamen iuſtas pœnas Hæreticos Hugenotos perſoluiſſe ſint dicturi, præſertim ſi illa quoq; audiant, quæ Rex à longo tempore præmeditata habet crimina, quibus extinctorum Hugenotorum cauſam apud omnes abominabilem efficiat. Huc accedere Catholicorum Germanorum vires animosq; coniunctiſſimos, qui nihil aliud tacita cupiditate exſpectent, quam vt illis peſtibus tandem aliquando expurgatam Germaniam videant. Sic domi ſic foris vndequaq; obſeſſos hæreticos ac ſine conſilio ſine ratione palantes veluti feras beluas immiſſis canibus improuide in calles atque inſidias præcipitaturos ita probe ſtructas vt nuſquam effugere poſſint.

III. Romæ

facit Deus, vt multorum preces non exaudiat: quodque ſingulis orantibus forte fuerat negaturus, id plurium precantium vnanimitati tribuere non raro conſueuit.

Hortamur omnes venerabiles fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos, & in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, vt iniungant iis, qui prædicatorum officio funguntur, vt in omnibus ſuis ad populum concionibus, diligenter eum admoneant, vt patrem illum miſericordiarum, & Deum totius conſolationis orent ſedulo, quo conſiliorum noſtrorum, quæ non alio, quam ad motus iſtos in Eccleſia Dei tranquillandos ſpectant, felicem exitum largiatur: ſponſam hanc ſuam, ita miſere tot annis vexatam, oculis miſericordiæ ſuæ reſpiciat, & ad illius gremium eos, qui ſe præciderunt, redire faciat, & in primis populum hortentur, vt quieſcant peruerſe agere, diſcant autem benefacere, dignosque pœnitentiæ fructus facientes, conuertantur ad Dominum Deum noſtrum, in toto corde ſuo, in ieiunio, & fletu, & planctu, & peccata ſua Eleemoſynis redimant. Sic enim futurum eſt, vt ille conuertatur ad nos & preces noſtras placatus exaudiat, ſi nos quoque gratia ſua præuentos ad ſe conuerſos viderit. Nos enim ex parte omnipotentis Dei, omnes, & ſingulos vtriusque ſexus Chriſti fideles, tam in Alma vrbe noſtra, quam quibuscunque Regnis, Dominus, Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, terris & locis per vniuerſum orbem conſtitutis, monemus & hortamur in Domino, vt poſtquam præſentes ad eorum notitiam peruenerint, ad Dominum Ieſum Chriſtum humili corde conuerſi, conſcientiam ſuam ſtudeant diligenti examine diſcutere, & ad puriſſimam peccatorum ſuorum confeſſionem deuenire, Ac quarta, & ſexta Feriis, nec non die ſabbati eiusdem, vel alterius immediate ſequentis hebdomadæ ieiunent, aut orationibus aut Eleemoſynarum erogationibus, ſeu aliis piis operibus, iuxta eorum conſcientiam, ſiue ſacerdotum, quibus ſua peccata confitebuntur ſalutare conſilium, vacent, ac Dominica dictum diem ſabbati ſequenti ſacratiſſimam corporis Domini Ieſu Chriſti Euchariſtiam reuerenter & deuote ſuſcipiant, Deumque intimis cordis enixe orent, vt ipſos Chriſtianos Principes in pace, & firma concordia confouere & conſeruare, ac noſtra conſilia de integrando Corpore Chriſti, deque reducendis ad Eccleſiam iis, qui diſceſſerunt, de moribus reformandis, deque ſacro Concilio Oecumenico celebrando, adiuuando proſequi, & ad ſalutarem perfectionem & exitum perducere, pro ſua bonitate, & clementia dignetur. Vt autem Euchariſtiam tranquilliore conſcientia recipere valeant, nec ab hac Abſolutionis difficultate retrahantur, vt eorum oratio quanto puriori animo fiet, tanto ad miſericordiam impetrandam & gratiam diuinæ bonitatis acceptior ſit; omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſupradictis, vt confeſſorem, presbyterū, ſecularem, vel cuiusuis ordinis Regularem eligere valeant, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet, à quibusuis eorum delictis, quantumcunque grauibus & enormibus, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla, quæ in cœna Domini legi conſueuit, & à cenſuris quas propterea, vel quia libros prohibitos tenuerint, ſiue legerint, incurrerint, hac vice duntaxat abſoluere, & pro commiſſis ſalutarem pœnitentiam eis iniungere, ac vota quæcunque per eos emiſſa, caſtitatis & religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare poſſint, Apoſtolica autoritate indulgemus. Et inſuper omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſupradictis, qui præmiſſa adimpleuerit, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, autoritate confiſi, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Vt autem præſentes literæ ad omnium noticiam deueniant, eosdem Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum prælatos ſimiliter in Domino monemus, ac eis in virtute ſanctæ obedientiæ iniungimus, vt cum primum ipſæ literæ, ſeu harum tranſumptum manu venerabilis fratris Stanislai, Epiſcopi Varmienſis, noſtri & Apoſtolicæ ſedis apud Sereniſſimum Cæſarem nuncii, ſubſcriptum ad eos peruenerit, literas ſeu tranſumptum huiusmodi, vbique per eorum prouincias, Dioceſes & Eccleſias ſincera charitate abſque vllo quæſtu publicent, & publicari faciant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ. M. D. L X V I I I. Kal. Aprilis. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ca. Glorierius.
Barengus.

VI. CAR.

VI.

CARDINALIS LOTHARINGI PRACTICATIONES ROMANÆ DE HÆRETICIS EXSTIRPANDIS, (HÆRETICOS enim vocat Euangelicos, qui ab Antichriſtianiſmo defecerunt) comunicatæ legato Gallico in Sequania.

Anno Domini 1573.

Ex authographo ipſius Cardinalis deſumptæ.

I.

SCripſit huc ad legatum Gallicum Card. Lotharingus, incredibile beneficium non Galliam modo ſed Chriſtianum orbem vniuerſum accepiſſe, ſeq; incredibiliter lætari tam præclari facinoris ſuam potiſſimum familiam eiuſdem Dei ſingulari clementia adminiſtram extitiſſe. Confirmatur veluti res certa, coniurationem hanc opera inprimis eiuſdem Cardinalis inter Pontificem, Gallum & Hiſpanum ita factam eſſe, vt Gallus Hugenotorum principes in Nauarrænis nuptiis in toto regno trucidaret; Albanum in exterminandis rebellibus Belgis pro viribus adiuuaret; Hiſpanus regnum Nauarræ Gallo redderet; Fratrem regis eiuſdem in occupando Angliæ regno adiuuaret: poſtremo vt confœderati omnes, omnes vires opesq; ſuas conferrent ad exſtirpandos Germaniæ Hæreticos & nouam toto Imperio formam inſtituendam ex præſcripto Pontificis. De Gallo etiam hoc affirmatur, ꝙ nemo iam in dubium vocat, eum Hugenotos qui ad Montē cæſi fuerunt Albano literis prodidiſſe. Omnes autē plures & maiores nuptiarum Gallicarum effectus propediem exſpectant in Gallia, Belgio & Germania, è qua bellum pene certū in pontificios minitari quidā videntur quæ veluti inanes & Germanorum propriæ comminationes non modo contemnuntur, ſed certa veluti his imminens pernicies prædicitur, & quantumuis in re ſeria luditur, eos nempe qui primi omnium à S. Romana ſede defecerint, qui ad defectionem alios impulerint, hoc tantum beneficii obtinere, quod poſtremi omnium puniantur ac pœnam quo tardiorem hoc grauiorem fore. Neq; vero à tam improuidis beſtiis metuendum aiunt aliquid: quæ vires ſuas & ignorent, & nuſquam adhibere niſi in perniciem queant, elephantiaſi veluti arreptas planeque ita occupatas vt ſenſum omnem amiſerint. Itaq; nihil ſentire quantumuis ſtimulis acerrimis fodiantur: ſic perituras antea quam perire ſe vllo modo percipiant.

II.

Regem pleriq; laudibus in cœlum efferunt, maioreque eum victoria atq; illuſtriore potitum aiunt, quam confœderati in Turcam ſuperiore anno potiti ſint, nempe qui nullis viribus aut armis expugnari potuerunt, conſilio ac prudentia oppreſſos eſſe nec vni regno Galliæ ſed vniuerſo orbi Chriſtiano præclare adeo conſultum, vt ſpes ſit illi deniq; exterminatis vndiq; Hæreticis priſtinam dignitatem atq; ſplendorem reſtitutum iri. De Anglia rem facilem eſſe: ſeptam teneri in ipſo regno à tam multis Pontificiis, qui ſi aliunde videant auxilium in perniciem Reginæ ac Hæreticorum in eo Regno arma ſumpturi ſint: hoc metu perculſam Reginam ſuos è Belgio reuocaturam, aut plures certe de regno milites non dimiſſuram, Belgio ab Hiſpanis recuperato primam fore illam à qua expetantur pœnæ meritæ: proximos Germaniæ principes fore, à quibus duo potentiſſimi Reges tot iniuriarum pœnas ſemel repetituri ſint: neque enim vllo modo verendum eſſe, ne illi forte ſe coniungant cum Imperii ordinibus, & bellum potius inferant quam exſpectent: quam deiectis ſint animis, ſæpe iam oſtendiſſe; quam imbecilles & inopes, conſtare; vt qui vix familiam omnibus redditibus ſuis nedum exercitus alere poſſint; quam inter ſe principes ſint diſcordes, quantæ inter principes & obſides Imperii ſimultates, quanta diffidentia, notum omnibus eſſe: quantæ denique inter ipſos de Religione indies creſcentes controuerſiæ, ne quis dubitet, ſcriptis eos aliis ſuper aliis teſtificari. Hæc ſcilicet omnia atq; alia multa indicia certam ipſis iamque imminentem perniciem comminari: adeo vero imprudentes & ſtupidos eſſe, vt de communi periculo communibus virib. depellendo nihil cogitent, de ſe ſuisq; tuendis quilibet ſeorſum elaboret: ita fore vt qua ratione ſinguli ſe conſeruare ſtudeant, ea mox intereant vniuerſi; multos adeo non commotum iri exemplo Gallico, vt quantumuis ipſi quoque ſint hæretici, eodemq; loco à catholicis habeantur, & eandem ab illis perniciem exſpectare debeant; tamen iuſtas pœnas Hæreticos Hugenotos perſoluiſſe ſint dicturi; præſertim ſi illa quoq; audiant, quæ Rex à longo tempore præmeditatā habet crimina, quibus extinctorum Hugenotorum cauſam apud omnes abominabilem efficiat. Huc accedere Catholicorum Germanorum vires animosq; coniunctiſſimos, qui nihil aliud tacita cupiditate exſpectent, quam vt illis peſtibus tandem aliquando expurgatam Germaniam videant. Sic domi ſic foris vndequaq; obſeſſos hæreticos ac ſine conſilio ſine ratione palantes veluti feras beluas immiſſis canibus improuide in calles atque inſidias præcipitaturos ita probe ſtructas vt nuſquam effugere poſſint.

III. Romæ

III.

Romæ Pontificem & Cardinales incredibili diligentia vacare rebus Gallicis & Belgicis, ſcribitur ad optatum denique finem perducendis: Spem vero maximam concepiſſe atq; adeo certo ſibi perſuaſiſſe aut his regibus Hiſpano & Gallo aut nunquam priſtinæ dignitati reſtitutum iri ſedem pontificiam, exſtirpatis longe lateq; Hæreticis aut ita certe oppreſſis, vt ne commouere quidem ſe audeant in poſterum his regibus qui tam animis coniuncti ſunt, tota Germania pontificios moneri atq; incitari crebeirimis litteris ac nunciis, ne communi cauſſæ his temporibus deeſſe velint; propediemq; in ipſa Germania apparitutum, quid poſſit ſuis conſiliis Romanus Pontifex, nuper id Germanos euidentiſſime perſenſiſſe bello proteſtantium, ſenſuros iterum ſed longe alio rerum euentu, quam ſecuti rerum ſuarum & inani perſuaſione virium ſuarum inflati hæreticorum Principes imaginentur. Quo vero minus quam olim roboris habeant minusq; inter ſe coniuncti ſint, quam olim, hoc opprimi facili⁹ poſſe, domi foriſq; obſeſſos & innumerabili hoſtium multitudine circumdatos. Eſſe quidem nonnullos, qui vereantur ne exemplo nuptiarum Gallicarum ipſi quoq; funeſtam ſacerdotib⁹ tragœdiam concitent, Sed illos parum Germanorum ingenii habere cognita, alienis cladibus adeo Germanos nihil moueri, vt ne ſuis quidẽ moueantur: atq; improuidos & ſtupidos eſſe, vt non ante ſuam agi cauſſam arbitrentur, quam idipſum verberib. excitati iamq; proſtrati tantumq; non confecti ſentiant. Quod Belgicis tumultib. ſe immiſceant, id eos nullo religionis ſtudio, quod plane apud ipſos extinctum ſit, nullo patriæ aut libertatis amore, ſed cupiditate rapiendi aliena inconſiderate temerarioq; furore; hac ſpe compendij lucriq; vbi exciderint, remiſſuros ac proiecturos omnia eſſe: Hugenotorum fuiſſe illam pertinaciam eumq; feruorem, vt vires, nummos omniaq; ſua vltro conferrent victiq; quodammodo vincerent. Lutheranos illos ſua quemq; curare belloq; quocunque non ſuis ſed alienis ſumptibus rem facere velle; multos etiam certum eſſe ita ſentire, nihil ad ſe penitus attinere quicquid in Gallia aut Belgio geratur. Hæc cum ita ſint, cumq; ſumma pontificiorum in perniciem hæreticorum conſenſio potentiaque ſumma ſit, ſperare pontificem, Cardinales ſacrique ordinis homines exſpectare, vt inſigni aliqua & noua clade illa e Gallicis nuptiis concepta duplicet lætitia.

Guiſiani ſummopere cupiunt vt perdantur omnes Hugenoti in Galliis, cæterique catholici potentates ac principes vna cum regibus Hiſpaniarum & Galliarum in exitium illorum coniurent.

TETRASTICHON AD CAROLVM LOTARINGVM.

Numinis es ſancti cultor, nec ſanguine gaudes
Carole dum gallis hoc paras exitium,
Relligio tibi ſit curæ, nec deſine cœptum
Carole, dum multis ſunt bona quæ mala ſunt.

VII.

DE STATV RELIGIONIS IN GERMANIA CONSILIVM ROMÆ SCRIPTVM.

Anno Domini 1598.

CVM omnis Germania his noſtris temporibus in varios Principatus ſit diuiſa, vt vix amplius maieſtatem vllam ac figuram monarchici Imperii retineat; Ideo difficile admodum nobis videtur ſolius Imperatoris opera in ea poſſe reſtitui religionem Catholicam, à qua à ſexaginta annis multi Principes & ciuitates eius, vaſtiſſimæ Prouinciæ, ſuggerente hæreſes Diabolo, turpiter defecerunt. Quare animum ad hanc rem potiſſimum intendente Summo Pontifice, cuius Perpetua cura eſt propagatio fidei Catholicæ, enitemur quantum poterimus, eius Prouinciæ ſtatum in Religione, & eius propagandæ rationem deſcribere. Quamuis in illa Prouincia multi ſunt Principatus & ciuitates, quæ à Sancta Romana Eccleſia penitus defeciſſe dicantur, nihilominus in omnibus fere eorum Regionibus, vt in Saxonia, Dania, Haſſia, Palatinatu, Terra Wirtembergica, Brandenburgenſi, Brunſuicenſi & ſimilibus, ſunt adhuc multæ Eccleſiæ Catholicorum, quæ à quibusdam liberis Baronibus, Epiſcopis & aliis Proceribus Eccleſiaſticis conſeruantur & fouentur, ita vt non ſit penitus, quemadmodum quidam arbitrantur, occluſa via Catholicis, propagandi & reſtituendi apud illos populos catholicam religionem. Quare poſtquam Eccleſiaſtici Patres animum ad illas Prouincias in fide adiuuandas conuerterunt, ſibi confidunt tutiſſimum iter ea ratione, & aditus patere ad illas regiones, nec hæretici illi Principes adeo ſunt infeſti noſtris religioſis, quin liberum per illorum ciuitates peruagari non ſit permiſſum. Nam & hactenus Ieſuitæ, qui Moguntiæ ſunt, per Palatinatum libere tranſire & adeo aliquot dies commorari non timent, & qui Auguſtæ ſunt, & in Bauaria circumeunt vniuerſum ſolum Wirtembergicum & Sueuiam tuto nec ſine fructu.

Deinde cum Baronibus & Epiſcopis quibusdam adhuc in dictis Principatibus, iuriſdictionem aliquam retinentibus, liberum ſit & permiſſum exercitium Religionis Catholicæ, quam paſſim in multis locis dictorum Principum exercent, inuenient ſemper operarii, & nuncii, qui illuc

mitten-

mittentur ad lucrifaciendas, tutam ac liberam habitationem, qua occaſione poterunt agere, colloqui & inſtruere in religione Catholica multis in locis titubantes, & veritatis agnoſcendæ cupidos, cum quibus deinde agatur de ratione propagandæ religionis. Qui hactenus huic miniſterio illis in locis operam nauarunt, vnanimi conſenſu referunt, meſſem eſſe multam, & operarios paucos. & reuera his annis proximis elapſis vidimus heic Romæ maximum Germanorum, qui renunciata hæreſi ac relicta patria Romanam Eccleſiam ſunt amplexi, & inter hos ſunt grauiſſimi & excellentes viri. Quare enitendum eſt, vt multo plures operarii eo mittantur, cum facultate abſoluendi, illis etiam qui ibi ſunt, ſuppeditentur pecuniæ & alia adminicula ab ipſis toties requiſita & petita. Nam certe hæretici illi magis allicientur ad reſipiſcendum operibus charitatis & liberalitatis, quam aliis communibus rationibus. Inter præcipua curandum eſt, vt in Eccleſiis catholicis, quæ adhuc ſunt in illis regionibus apud dictos Barones, Epiſcopos & ciuitates, ac etiam in omnibus parochijs, quæ finitimæ ſunt hæreticis, tales parochi deputentur, qui doctrina & exemplo catholicos in officio continere, & hæreticos ad fidem catholicam allicere poſſint. Nam certe qui hoc noſtro tempore præſunt parochiis, illi parum idonei ad hoc munus obeundum cenſentur. cuius rei cauſam eſſe exiſtimamus, quod ex collegio Germanico & ſeminarijs in eum finem potiſſimum inſtitutis, nulli vel ſaltem pauci ad parochiales Eccleſias, ſed omnes ad Canonicatus, vel præbendas & dignitates alias eligantur. Quare fit deinde, vt tales aſſumere cogantur, quales inueniuntur, indignos nempe & ſordidos. Eodem fere in ſtatu ſunt parochiæ, quæ in ciuitatibus imperii, quas liberas vocant ex decreto Caroli V. hactenus conſeruantur: quæ cum fere omnes inuaſæ ſint atque inundatæ ab hæreſi, ex autoritate nihilominus Imperatoris retenta eſt in omnibus ciuitatibus illis Eccleſia ſiue templum vnum, in quo liberum eſt catholicis ſacra facere, & alia munia Eccleſiaſtica obire. Hæc loca ſane ad inſinuandam & reſtituendam religionem catholicam, ſi opportune captetur occaſio, magno erunt adiumento.

Nam ibi, vt in Auſtria, & Tyrolo, & Styria factum eſt, cum fructu maximo collocari poterunt Ieſuitæ & alii pii ſacerdotes, qui præmoniti & muniti, de ratione agendi cum gente illa diu noctuque palam & clanculum contenderit, tam exhortationibus, quam promiſſis, ac illos, quibuſcunque poterunt medijs ac rationibus ab hæreſi auocare, & ad religionem catholicam adducere. Laborabunt potiſſimum circa miniſtros, & primarios viros eius religionis, pro quorum conuerſione nihil prætermittendum nec omittendum eſt. Nam eorum opera erit ſummo vſui, ad ea perficienda, quæ Patres ſancti collegii dudum cum Principibus catholicis deliberarunt. Nec dubitandum eſt, quin multi vltro occurrent. nam vt quotidie videmus, multi iam ſunt pertæſi illarum ſectarum, & meditantur conuerſionem. Quare opus eſt vigilantia & cura prudentiſſimorum virorum, qui rem promoueant medijs & rationibus ſatis perſpectis.

Hoc ſanctum tanquam ſalutare negotium, plurimum adiuuare poſſet reſidentia alicuius Nuncij Apoſtolici in locis propinquioribus, vtpote in Bauaria, Sueuia, Alſatia, Franconia. Qui enim Pragæ, Coloniæ & in Heluetia ſunt, longius diſtant à locis prædictis, ita vt operariis, qui mittuntur, nullo præſidio & adiumento eſſe poſſint.

Porro ad catholicos in officio continendos, & hæreticos ad Eccleſiam alliciendum magni eſſet momenti, ſi ſummus Pontifex paulatim oblata occaſione autoritatem conferendi beneficia eccleſiaſtica recuperare poſſet. Nam præmiorum diſtributio eſt vnicum & ſummum illud vinculum, quo ſibi Principes populorum animos deuinciunt. Ab eo etenim pendent omnes, à quo aliquid ſperare poſſunt. Nunc recuperanda eſſet hæc autoritas, ab Imperatore, & ab alijs Germaniæ Principibus, in aliquam compenſationem, quæ & præſentibus & præteritis temporibus ſancta Romana Eccleſia geſſit pro defenſione Germaniæ contra Turcam, incipiendumque eſſet primum in illis locis, quibus quam minimum eſſet periculi. Per Nuncios Apoſtolicos data opera ad illas regiones tranſmiſſos, varijs rationibus pro qualitate perſonarum tentandi eſſent ac prouocandi Principes aliquot & Barones hæreticorum, quos ſcimus non admodum infenſos eſſe Romanæ Eccleſiæ. Nec deerunt opportunæ occaſiones & rationes efficaces ad perſuadendum illis, amplectendam religionem catholicam, tam ob commoda, quæ ſperare poſſunt in dignitatibus Imperij, quam ob beneficia, & honores & dignitates eccleſiaſticas, ad quas à ſummo Pontifice promouebuntur, ſi ab hæreſibus reſipiſcant & conuertantur.

Non ſunt contemnenda tot argumenta, quæ nuper apparuerunt de propenſione Ducis Wirtembergici erga Romanam Eccleſiam. Nam in Italia cum Duci Mantuæ, tum alijs proceribus libere faſſus eſt ſe non abhorrere ab inſtitutis Romanæ Eccleſiæ, & quamprimum ex Italia appulit, concionatoribus ſuis prohibuit, ne quicquam in ſummum Pontificem inuecti dicant inclementius. Secundo filium ſuum natu maiorem Principem deſignatum ad linguam & mores diſcendum in Italiam miſit. Tertio Italis, quos in Germaniam ſecum ad excolendas artes adduxit, ac aliis, qui in eius ciuitatibus commorãtur, liberum permiſit exercitium catholicæ religionis. Omnino tentandus eſt eius Principis animus aliqua honeſta ratione, nec deerunt occaſiones. Filios habet quatuor maſculos, & totidem fœmellas: honoris eſt cupidiſſimus, nouus in principatũ. Nam ante paucos annos tantummodo eſt creatus ex Comite Monpelgarti in Ducem Wittembergicum, morte Ludouici, qui ſine filiis deceſſit. Et quamuis bona Eccleſiaſtica, quæ poſſidet ad trecenta millia, videantur retardare eius conuerſionem, prout retulit illuſtriſſimus Cardinalis Andreas ab Auſtria, Ferdinandi filius, qui in eius reditu ex Belgio, penes dictum Principem hoſpitatus eſt. Nihilominus excogitanda eſt

da eſt aliqua ratio, qua humanæ fragilitati conſulatur: Nam certe de eius reductione ſpes non eſt contemnenda. Multa etiam ſunt ei concedenda, ob tanti Principatus ad Romanam ſedem acceſſionem, à quo auguranda eſſet totius Germaniæ ſalus & conuerſio. Eius enim principatus complectitur multas & florentes ciuitates, quæ illi ita parent, vt omnes eam religionem ſint amplexuræ, quā dux profitebitur. Eodem tempore cum in Italia conuerſaretur, apud populos illius rumor increbuerat, eum Romam acceſſiſſe, vt religionem mutaret, qui rumor apud omnes ſubditos eius cum gaudio excipiebatur. Aditus ad eum principem eſt facilis vnicuiq; noua proponenti. Nam nouarum & peregrinarum artium eſt amator: ac mirum in modum affectat haberi reparator & inſtaurator noui principatus, facilis eſt natura, & aures præbet ſatis benignas commoda proponentibus.

Elector Palatinus ei eſt admodum adiunctus, ſed moribus & religione longe diſſimilibus. Alia igitur ratione vtendum eſt. Nam ob eius vxorem & Aulicos difficilis eſt ad eum acceſſus, iis qui religionis cauſam tuentur. Nihilominus non deerunt media & rationes, quibus poterit apud eum inſinuari religionis Romanæ propagatio & reſtitutio. Nam cum valde finitimus & coniunctus ſit Epiſcopis, Moguntino, Colonienſi, Spirenſi, poterit per eos aliquo modo pedetentim & modeſte per occaſionem tentari & perſuaderi, ſed hoc potiſſimum tentandum eſt per Electorem Moguntinum, qui faciet ei ſpem de electione eius perſonæ, vel alicuius ex eius cōiunctis ad Imperium, modo religionem catholicam profiteatur, eiq; pollicebitur ſummi Pontif. operam & fauorem. Scimus eius animum ad honores & dignitates ſupremas propenſiſſimum eſſe. Quare facile poterit ei perſuadere cooptationem & electionem ad Imperium, tam ob prędicta, quam ob ſtatum familiæ Auſtriacæ in Germania, quæ videtur aliquomodo ita cecidiſſe, vt omnes exiſtiment, Imperium in aliam familiam translatum iri. Et ſane ſi ille religionem mutaret, facilis eſſet eiuſmodi electio & transmutatio. Nuncius Apoſtolicus de hoc negotio Moguntinum fuſius informabit. Interim in eius ditione & principatu ſunt perſequendæ miſſiones & perſuaſiones priuatæ, quarum indies vberiorem fructum videmus. In eius principatu variæ ſunt religiones, ad inuicem non minus pugnantes, quam Caluiniſtæ cum Catholicis nutriendæ & fouendæ ſunt diuiſiones illæ, quo poſſimus ſuo tempore & loco alterius partis opera vti, ad ea quæ parantur. Miniſtri potiſſimum ſunt aggrediendi, vt nobis adiumento ſint ad opus illud, quod molimur.

Nulla hactenus habita eſt ratio Anabaptiſtarum, & Piccardorum, qui in Morauia, Bohemia & Vngaria permittuntur, non ſine magno Reip. Chriſtianæ detrimento, qui quamuis homines videantur muti & imbelles, ſunt nihilominus reliquis hæreticis nobis infeſtiores. Nam ſingulis annis menſe Maio ex illis ſelectiores aliquot, habitu mentito vniuerſam Germaniam, Galliam & Italiam circumeunt, ad ſimplices ſeducendos, integraſq; familias ex dictis regionibus ſingulis annis abducunt, maximo cum Reip. Chriſtianæ & animarum detrimento. Huic malo occurrendum eſt, antequam latius ſerpat. Cura autem hæc debet committi Illuſtriſſ. Cardinali à Dietrichſtein; Epiſcopo Olmucenſi in Morauia, qui omnia illorum inſtituta optime nouit.

In dicta prouincia & aduerſus hæreticos hoc tempore minime conſultum videtur bellum gerere. Nam cum omnium Chriſtianorum vires iam occupatæ ſint tam aduerſus Turcam, quam alios hæreticos in Belgio, ſperandum vix eſſet nos quicquam poſſe proficere in propagatione fidei catholicæ, & extirpatione hæreſium, quin potius ferendum eſſet de noſtrorum oppreſſione & amplificatione nominis Lutherani. Quare bellum in aliud tempus differendum videtur, vel quouſq; Turcarum vires reprimantur & frangantur: vel donec cum illo ſiue honeſta pax, ſiue diuturnæ induciæ fiant, quod nobis pollicetur Imperator. Interim contendendum eſt omnibus viribus, ne in dictis principatibus ac prouincijs, quamplurimos cuiuſcunq; generis & qualitatis ad noſtras partes alliciamus, nec parcendum eſt ſumptui, impendio, labori, vel cuiuis periculo. Nam hac ratione vel imminuemus aduerſariorum vires, vel diſſidia & bellorum ciuilium metus inter illos ſeremus & excitabimus. Ita vt facile accidat, vt ipſi hæretici inter ſe confligentur & proprijs armis cadant. Si vnquā antea facilis fuit cura & extirpatio hæreticæ peſtis in regionibus illis, certe hoc tempore facilima eſt. Primo quia ſecta Lutheranorum, quæ vna erat in Germania, nunc in tot factiones ſciſſa eſt, vt vix inuenias quindecim in vna ciuitate ſimul in religione conſentientes, vt ita iuxta illud Luc. 11. *Regnum inter ſe diuiſum facile deſolari queat.* Secundo Hæreſiarchæ illi, qui erant alicuius nominis & auctoritatis in populo, vel diem obierunt, vel certe ſenio confecti ſunt, vt minime valeant conatus noſtros impedire, & ita prope eſt periodus eius morbi, ſeu peſtis potius hæreticæ & in ea declinatione eſt Lutheraniſmus, vt omnes aliæ ſectæ, vt ipſi etiam hæreticorum Principes libere fateantur eorum ſectas diutius conſiſtere non poſſe. Tertio inuaſerunt omnes illas ſectas ea vitiorum & ſcelerum genera, quæ nobis haud immerito ſolebant obijcere, ita vt cum quæſtio ſit de moribus, facilimum ſit illis os obturare, & conuitia in illos iure & meritiſſime retorquere poſſimus. Quarto adeo acriter inter ſe pugnant, conuitiantur, inuicem proſequuntur Caluiniſtæ & Lutherani, vt certa nobis Catholicis detur ſpes eorum proprijs armis Sathanicam molem ruituram.

Reliquum eſt igitur, vt Deum ſummis precibus fatigemus, & ſumamus occaſionem rem feliciter gerendi de die.

COM-

PARS XXVI.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS, DISSERTATIONES, ADMONITIONES ET QVÆSTIONES POLITICAS, DE CONSILIIS ET MACHINATIONIBVS

Hiſpanicis aduerſus Proteſtantes ſeu Euangelicos Principes inſtitutis; & pro noua in orbe terrarum Monarchia fundanda.

I.

COMMENTARIOLVS PARALLELOS,

SIVE

LIBELLVS ASSERTORIVS (QVO PRINCIPVM MONARchiſantium duorum, Hiſpaniarum ſcilicet & Indiarum Regis auguſtiſs. Regis PHILIPPI inquam Secundi, & Turcici MAHVMETIS Tertij vires, opes, prouinciæ, atque forma eas bene adminiſtrandi & regendi, tempore paciſque bellique explicantur, armaque & arcana deteguntur infinita) nunc primum ex Iohannis Boteri Itali libris idioma verſus in Latinum ex Italo ſermone, nullius antea excuſus typis,

Cum Karoli Vtenhouii Neochthonis Præfatione, ſiue Proſphonetica ad Loyſium Perezium illum Epiſtola, quæ in Epiſtolarum Chiliade prima ipſius ſub prælaitura Gymnici Centeſima eſt: Anno MDXCVIII.

AD GENERE AVITO PROPRIAQVE NOBILEM virtute LODOVICVM PEREZ MARCOSATVM paternum amicum ſibi colendum iugiter Karolus Vtenhouius Neochthon Karoli-por.

LODOVICE MARCI gneſion germen patris
ſalue PEREZI Karoli Vtenhouio
paterno amico, vbicunque terrarum ſies,
paruumque COMMENTARIVM hunc tibi Epiſtolæ
prolixioris habe PARALLELON loco,
tuo dicatum nomini (quo Principum imprimis duorum, Hiſpaniarum ſcilicet,
& Indiarum Regis auguſtiſſimi,
Regis PHILIPPI inquam Secundi, & Turcici
magni IMPERATORIS MAHVMETI Tertii
vires, opes, prouinciæ, atque forma eas
bene adminiſtrandi, & regendi tempore
paciſque bellique explicantur, armaque, &
arcana deteguntur infinita, nunc
demum ex IOHANNIS BOTTERIDAE libris
idioma translatum in Latinum ex italo)
tuo dicatum nomini inquam ob plurimas
cauſas valentes, quarum ego vnam & alteram edidiſſe procatarcticam contentus, hoc
eſt, principalem, mi PEREZI, cæteras
obliuioſo ſub premam ſilentio,
dum ſolido TIBI per me ex aſſe ſolutio fiat.
Prior eſt amicitia atque beneuolentia
prope ſingularis illa, qua parens tuus
vterque proſequutus VTENHOVIVM eſt

iam à ter decem annis, liberalitaſque par,
(nullo idque prouocatus, vt fieri ſolet,
merito, vel officio etiam exiguiſſimo)
benignitaſque, comitaſque non minor;
Qua tu patriſſans atque matriſſans ſimul
LODOVICE priuatim quoque auſus ſemper es
in hanc diem vſque, publiceque in KAROLVM
(nullum repoſcens pignus aut fœnuſculum
vel minimum eum vnquam, largus) VTENHOVIVM.
Cur etenim idem non prædicem atque publicem
patuli per orbis mente memori climata,
PEREZIANI ad ſempiternum nominis
decus atque honorem, dedecuſque φιλοχρήμων,
quorum merum vniuerſa fœnus membra ſunt.
Altera priore ponderoſa non minus
eſt cauſa momentoſaque (vtar vt FABI
verbo obiter hîc) tui iſte candor pectoris,
bonitaſque Naturæ, PEREZI, quæ (licet
nulla merita in me prorſus extarent tua)
tantopere amore me tui inflammauit, vt
noctes dieſque cogitem, te & ſomniem, &
aueam ſubinde vbicunque tu ſis gentium,
(vſque adeo peregrinationis iſtius
felicitati tacitus inuidet tuæ
ſi fas tibi inuidere ſit, Vtenhouius)
tibi adeſſe coram, operaque eadem PRINCIPVM,
tam fœminarum quam virûm ſimul omnium
quos iubare ſol luſtrat ſuo, doctiſſimam, ac
factorum ad vnguem facile perfectiſſimam.
ELIZABETHAM cernere, & venerarier
de Karolo meritam bene Vtenhouio,
Proceresque Regni pariter omnes Anglici
vel potius Angelici, WILHELMVS in quibus
CECILIVS ille magnus orbis Anglici, (vt
tacitos ſinam alios ire) THESAVRARIVS,
DAIVSQVE WINTONIENSIS ille Epiſcopus
HENRICVS & KILGREIAE ſtirpis iubar
virtute doctrinaque præſtantes micant
inter minores noctiluca ceu faces.
Quam nomine & trigam meo iſthic non modo
multa, (PEREZI) impertias ſalute, ſed
etiam viritim cuique COMMENTARII
BOTTERIANI interpolati à me tuo
des nomine exemplum ac meo vnum & alterum,
ſi acceptum ego inquam iiſdem futurum exiſtimes,
partumque vtrique gratiam hoc iri modo
noſtrûm, ſed inprimis (quod exoptem) TIBI.
Sin minus, amicis vtriuſque candidis
noſtrûm (in quibus CAMBDENVS & HENBAGIVS
niſi fallor, & METERANVS) exemplaria hæc
didas, eoſque vt ad meam reſpondeant
roges nec vnam pariter, ac mihi indicent,
REGINA an AKROSTICHIN eandem (cuius eſt
niſi me memoria fallit, hoc exordium
Eſt qui TE & merito vocat ELISABETHA IVDITHAM
Laurea quam domito pacifera Hoſte manet.)
ſcito charactere exaratam à nobili
(IACOBVS illi nomen eſt MELSDORPIVS)
ſcriptore, ſolertiſſimoque acceperit,
hilarique fronte (quod rei eſt atx) legerit:
quotque Angelatis, (namque Karoli hactenus
tribus Angelatis ſingula Vtenhouij
carmina rependit) aureis rependerit.

Vel cauſam ob illam poſt recludam quam Tibi,
ſimulatque ad hanc mihi meam reſponderis.
Valebis interea Perez decus
Lodovice gentis, Karolumque proſequi
fauore beneuolentiaque Vtenhouium in
amore reſpondere docilem mutuo, &
Tibi corde toto deditum perges pari,
dictumque Commentarium æqui conſules
bonique, materiamque propediem mihi
congratulandi, in vincla, vaticinor Tibi
(pone metum) ituro Nuptiarum ſuggeres,
carmine Pelaſgi quod Epithalamium vocant,
operamque ἐν θεῷ viciſſatim dabo vt
reapſe quantum diligat Perezium
quantique Karolus facit Vtenhouius
paternum Amicum, tu tuique ſentiant.
Coloniæ 1597. 18. Martij,
qui Karolo natalis Vtenhouio eſt,
qui natus inquam anno eſt eodem quo ſui
denatus hoſpes ille Erasmvs eſt patris,
velut ex Iohannis ſatis Gvlielmi
ſuperque conſtat carmine hoc octoſticho,
quo claudere iſtam (quando vacuam me iubet
illinere chartam ſepia Typographus,
λευκὴν nec ſuccurrit aliquid aptius,
ſed nec libet plus addere his) ſchedam volo.

IN KAR. VTENHOVII NEOCHTONIS NATALEM.

Vt Natura parens diuinum vidit Erasmvm
indigno extinctum funere, congemuit;
Non oblita ſui tamen, illo Karole eodem
te materna iubet linquere clauſtra die,
Atque in te ingeniumque animumque ingentis Erasmi
transfundens, duro deſiit à gemitu:
Sic Desiderii deſideria aſpera tollens
ſis Desiderio clarior Vtenhoui.

Ian. Gvlielmivs.

Idem ad eundem

LVDOVICVM PEREZIVM MARCIPOREM, MODIS
Amicum incomparabilem omnibus.

Nunc demum ego ipſa edoctus experientia
comperio conſilium eſſe Regis optimum
Solomonis, & veriſſimam hanc ſententiam
Regnacha veregna Abicha al Thangazob,
ubeth achicha al thabo be iom edecha,
Thob ſchachen Karob, mea Hh rachock.
Hoc Karolo eſt interprete Vtenhouio,
Tuum ne amicum derelinque, nec tuum
paternum amicum, neue fratris in tui
tempore calamitatis tuæ ingreditor domum:
vicinus etenim melior in propinquo agens,
quam diſſitus frater procul.
Nam parte patrimonij carens mei
potiore per bella iſta minime bella iam, ah,
decem per annos atque totidem, & amplius,
fratrumque deſtitutus auxilio procul
regione ab iſta diſſitorum, ſentio
paternum amicum, (qualis eſt Perezivs)
præſtare multis hoc in æuo fratribus
affinibuſque: Namque quotus affinium eſt
fratrumue, qui temporibus hiſce aheneis
(quibus aurea argenteaque ceſſerunt) opem
præſentem amico in rebus afflictis ferat?

Ratus profecto. Quo magis laudandus es
LODOVICE, MARCVM qui PEREZIVM patrem
candore referens cæteriſq; dotibus
animiq; corporiſq; laudatiſſimis,
vere patriſſans atq; matriſſans ſimul
Solomonis hoc verum facis Prouerbium,
quod verum Amicum (cuius & tibi & patri
ſpectata fuerit tempore aduerſo fides)
non eſſe vel cum fratre mutandum docet.
Proinde tantas nomine iſto gratias.
Karolus agendas cenſet Vtenhouius
quantas mereris, tibi, dabitq; operam inuicem, vt
in amore mutuo tibi reſpondeat,
quam lucis vſura fruetur hic diu.

REX HISPANIÆ.

AB orbe condito nulli Imperatorum, Regum vel Principum maius Imperium obtigit eo, quo Philippus Indiarum & Hiſpaniarum Rex potitur, maxime cum Luſitaniæ regnum ipſi poſtremo ſit adiectum: ampliſſimas enim Europæ prouincias, nobiliſſimaſq; Aſiæ Africæq; regiones complectitur: Nouum deniq; Orbem qui Europa Africaq; latius patet abſq; riuali pacifice poſſidet. In Europa Hiſpaniam certe tenet, quæ octingentis ab hinc annis, nulli tota quam ipſius imperio paruit: Belgium quod mille milliaribus ambitur: Regnum Neapolitanum, quod mille & quadringenta miliaria circumeunt: Inſubriam (quæ Mediolanenſis Ducatus titulo deſignatur) cuius ambitus eſt trecentorum miliarium: Maioricam, Minoricam & Euiſam inſulas, quarum prima 300. altera 150. tertia octo miliaribus in orbem porrigitur; Siciliam, cuius circuitus eſt 700. miliarium: Et Sardiniam quæ 562. miliaribus patere dicitur. In Africa potitur magno illo portu, quem incolæ Maſalquiuir appellant, quo portu nullus inſignior, capacior, ſecuriorq; in mari Mediterraneo eſt: Habet etiam Oranum, Melillam & Rupem Pegnonum Velez dictam: habet & extra fretum Herculeum Inſulas Canarias duodecim numero, inter quas præcipuæ ſunt ſeptem, quarum nulla minus quam nonaginta miliaribus ambitur. Luſitaniæ regni iure præclara loca Septam & Tangerum, quæ claues Freti, immo maris Mediterranei, & Oceani Atlantici ſunt: Extra Fretum autem Mazaganum ciuitatem habet. Idem Luſitaniæ regnum in immenſo illo Oceano, Inſulas habet quæ vulgo Terzere dicuntur, quæ numero ſunt ſeptem, ex iis Angra nomine 40. miliaribus ambitur. S. Michaelis pluſquam 90. miliaria continet: habet & Portum Sanctum, nec procul inde Maderam (vino præſtantiſſimam) quæ regina inſularum Oceani Atlantici eſt & 160. miliaribus cingitur. Inſularum quoq; Capitis viridis (Capo verde nominant) imperio claret, ſeptemq; ſunt. Habet ſub Æquinoctiali linea inſulam Sancti Thomæ, quæ Madera aliquanto maior, ſaccari abunde diues eſt. Quin & Rex Philippus iſte, totius oræ illius Africanæ, quæ à Capite Aguero ad illud quod Guardafu dicitur extenditur. Deniq; commerciorum, negotiationis & nauigationis illius Oceani, totq; inſularum, quas natura ibidem diſſeminauit, vel inprimis è regione Capraria, inter Promontoria Bonæ ſpei & Guardafuenſe dominus, heruſq; vt & eſt, agnoſcitur. Idem & in Aſia, Luſitanici regni iure, potiores Oræ occidentalis partes, nempe Armuzium, Dium, Goam & Malacam poſſidet, Armuzium commoditate ſui ſitus adeo diues eſt, vt Arabibus in prouerbium abierit.

Milliaria intellige Italica.

„ *Si terrarum Orbis, quaqua patet, Annulus eſſet:*
„ *Illius Armuſium gemma decuſq; foret.*

Magna Arabiæ fælicis pars ad Armuzii regnum ſpectat; ſicut & Baharem inſula eius Sinus inſularum regina, tum propter magnitudinem, cui terræ fertilitas & fructuum varietas coniunctæ ſunt, tum propter ditiſſimam Margaritarum piſcationem. Dium, Cambaiæ, quæ inenarrabilibus diuitiis abundat ſuiq; maris: in eſt claues quo mari Luſitani quoque poſſident Damainum, Baxainum, Tanaam, Goam, quæ (vt interim Chiaulem, Cananorem, Cochinum & Colanum prætereram) tanti momenti eſt ciuitas vt Regi Luſitaniæ tantum, quantum vlla Europæ regna, pendat. Deniq; Luſitani obtinent omnem fere oram maritimam, quæ à Damaio ciuitate, ad Melepuram vrbem vſq; protenditur, quæ integra maris ora ipſius eſt, aut eius ſociorum, excepto Calecutio. Zeilana ſane inſula eſt Orbis vniuerſi præcipuæ deliciæ: in ea habent etiam Portum & Arcem vulgo Columbo nuncupatam. Potiuntur & Malaca, quę iis ipſis locis Imperii ſui terminus eſt, clauiſq; negotiationis & commercii Oceani Eoi, illarumque inſularum, quæ tot ac tantæ ſunt, vt toti Europæ, magnitudine pares putentur. Domos quinetiam potius quam Arces in Amacano, ad commercium cum Chinis exercendum. & in Tidore inſula, negociationi cum Molucis & Banda exercendæ, habent. Res profecto ſtupenda eſt, à 12. tantum Luſitanorum millibus (nec enim plures in tanto terræ mariſque tractu ſunt) tot potentiſſimos Aſiæ Reges, & populos, tanquam freno coerceri, illoſque tam paucos Luſitanos maris Atlantici, Indici, & Eoi imperium aſſerere, ſibi ſeruare, ac tueri. Ab hinc annis 90. ſeſe illi iis locis muniuerunt, non ſolum magna cum ſua gloria, verum etiam totius orbis Chriſtiani laude, vtilitate ac fructu. Neq; vero obiici poteſt, illis hoc facile fuiſſe, quod fortaſſe tot ipſis eſſet cum

populis belli minus peritis: Eripuerunt enim armorum virtute regnum Armuzianum Regis Perſiæ clienti: Vicerunt etiam, quaſſaruntque ad Dium Magni Sultani Ægyptii claſſem, plenam Mamaluchis, qui non minus arte militari, quam Prætoriani Turcæ milites (qui Ianizari nuncupantur) clarebant: Dium illud aduerſus Turcæ & Guzararum vires fortiter defenderunt: Sæpe Turcarum claſſes mari rubro, in fugam verterunt: Ad Armuzium claſſem Turcarum Anno Chriſti 1552. ſubegerunt: Cum Principibus Decan, Regibus Cambaiæ, Calecurii & Achen (qui armis & militibus Turcis probe inſtructi erant) in Taprobana pugnarunt. Itaque Luſitanorum expeditiones in Cambaia, India, & in vniuerſo illo Oceano & ora Aſiæ, non minus admirandæ ſunt quam Macedonum, Alexandriq; Magni victoriæ. Eo quidem magis quanto Luſitania terræ amplitudine Macedoniæ multo minor, numeruſque Luſitanorum vndique Macedonibus par non fuit. Proſtrauerunt enim 19. nauibus claſſem Sultani Ægyptii, longe numero maiorem: Duobus virorum millibus expugnarunt Goam: Eam amiſſam 1500. militibus recuperarunt. Octingentis Malacam ſibi ſubiugarunt: pauloq; pluribus Armuzium. Altera ditionum Philippi Regis Catholici pars, in Nouo Orbe continebatur, in quo quantum ipſe velit conſequitur, eo præcipue quod ſine ſocio vel riuali illic regnet. Diuiditur autem Nouus Orbis in Continentem & Inſulas. Maris ſeptentrionalis tot ſunt Inſulæ vt earum numerus (Lucaiæ tantum excedunt quadringentas) nondum cognitus ſit: Earumq; nonnullæ tam amplæ opulentæque ſunt, vt vel earum quæque grandi regno conſtituendo ſufficiat. Boriquena longa eſt 300. miliaribus, lata 60: Iamiaca paulo minor eſt: Cuba longa eſt trecentis, lata 20. leucis: Hiſpaniola in ambitu 1600. miliarium eſt. Quod ad Continentem ſpectat, Rex reapſe toti maris oræ, quæ Floridam, Nouam Hiſpaniam, Iucatan lambit, deinde toti illi immenſæ Peninſulæ Meridionali ad caput Californæ immo ad Quiuiram vſque imperat: eo enim atq; vlterius Caſtellani nouas terra mariq; regiones detexerunt: Hiſpaniæ Nouæ ora, quæ initium capit à Sanctæ Helenæ opido, Panamam tranſiens ad Quiuiram protenditur, circiter quinquies mille ducentiſq; miliaribus longa eſt: quibus ſi coniungantur Mediterranea confinia, Septentriones verſus, non minus quam nouies mille miliaria efficient. Peruuia, quæ ad Panamam incipit, habet oræ Maritimæ duodecies mille ſexcenta miliaria, quorum tria quæ inter Maragonem fluuium & Argenteum continentur, Braſiliam complectentia, Regem Luſitanorum agnoſcunt. Noui Orbis Continens multa regna ditioneſque perquam amplas complectitur, in quibus duo præcipua regna quaſi Imperia ſunt, nempe Mexicanum & Peruuianum, quorum Reges potentiſſimi olim opulentiſſimique fuerunt. Rex Mexicanus non ſanguinis auiti iure, ſed à 6. viris eligebatur, nimirum qui iuuenis, elegans, ſtrenuus, corpore bene compoſito, militiæque aptus eſſet, ideoque Regem quendam ſuum, quod ignauus, imbecillis timiduſque eſſet, veneno necarunt. Senatus ſupremus apud Regem erat, qui ex quatuor nobilitatis & Officialium gradibus conſtabat, abſq; cuius authoritate & conſenſu, nihil quod eſſet alicuius momenti ſtatui decerniq; poterat. Nihil æque atque rectam puerorum inſtitutionem curabant, & præcipuo apud ipſos in pretio erat Religio, ſtudiumque rei militaris. Inter ipſos fuit egregius heros Tlacaellel, tantus armorum virtute, vt magnam regni Mexicani partem ſibi pararit, animi adeo excelſi, vt oblatum ſibi regnum conſtanter recuſarit, dicens ex vſu Reipub. eſſe vt alius Rex, ipſe vero miniſter eius eſſet, humeros regno impares eſſe, addens ſe pro Repub. non minus ſedulo laboraturum quam ſi Rex eſſet. Rex cum maieſtate viuebat, magnificeque habitabat, maximoque clientum ſatellitio ſtipatus incedebat. Regni pomoeria, Religionem, linguamqae ab vno latere ad Teguantepecum, quod Mexico 200. leucis diſtat, extendit: Ab alio latere ad Guatimalam, quæ 300. leucis abeſt: quin etiam regni fines ad Mare Septentrionale & Meridionale protulit: Mecioacan, Tlaſcalam & Terpeacam debellare non potuit. Inimicitiæ quæ Mexicanis cum Tlaſcalano opido erant, Hiſpanis ianuam in Mexicanum regnum aperuerunt, reddideruntq; adipiſcendo imperio Mexicano faciliorem, quod anno Chriſti 1518. contigit. Mexicani in ſeptem tribus diuiſi, ex regione Septentrionali, in hæc regna venere, in qua Septentrionali plaga ſuperioribus annis, Hiſpani ditiſſimam prouinciam populoſiſſimamque detexere, quam Nouum Mexicum nuncuparunt. Præcipuus honos in armis, quibus homines nobilitabantur, ſitus erat. Motezuma vltimus Mexicanus Rex, aliquot ordines equitum inſtituit, quorum alii Principes, leones, quidam Aquilæ, nonnulli Pardi dicebantur. Iis aurum, argentumque geſtare & xylo vel goſſipio (quod Barbari & Arabes cotum & bombacem appellant) veſtiri, calceatis incedere, inaurata pictaque vaſcula habere (quibus omnibus plebi ignobilibuſque interdicebatur) licebat. Imperii Peruuiæ cuius Rex Inga dicebatur conditio ſtatuſque aliquando multo maior fuit: Dum ſumme floreret, ſe à Paſto Chile vſque porrigebat, amplitudine mille leucarum, Latitudine vero centum leucarum erat, nempe ab Oceano Meridionali ad partem Orientalem Andi vſque. Immenſa aquarum copia partim viua & decurrens, partim mortua & quieſcens obſtitit quo minus vlterius progrederentur. Prætextus bellum aliis inferendi fuit, quod in diluuio in ipſis Ingis ſeruatus mundus eſſet, & quod ipſi ſoli haberent veram religionem eamq; alios ipſi docere tenerentur. Præcipuus illorum Deus erat Viracoca, hoc eſt vniuerſi creator; alter vero Deus illis Sol erat. Inga Pacacuti, qui maiorem ſuperſtitionum (quibus addicti erant) partem repperit: quum aliorum deorum templis prædia redituſq; attribuiſſet, nullos Viracocæ aſſignauit, quod quum ille, inquiebat, creator omnium eſſet, eis non indigeret. Inter alias res memorabiles per ipſum inſtitutas pro regionibus acquiſitis vna erat, quod terras in tres partes diuidebat: Prima Religioni & diis dedicabatur. Altera Ingæ decidebatur, qua ſe ipſum, Curiam, Parentes, Barones & præſidia ſuſtentabat, atq; ea pars cæteris maior:

Tertia

Tertia pars populo cedebat. Nemo rem propriam habebat,ſed Ingæ beneficio,nec ea res ad heredes tranſibat. Agri,qui populi & communitatis erant, quotannis partiebantur,aſſignabaturq; vnicuique tantum terræ,quantum ad ſui & familiæ ſuſtentationem opus eſſet,eratq; ea portio aliquando maior, interdum minor: deque ea tributum non pendebant: Eius autem loco colebant terras Deorum & Ingæ: recondebant fructus in ampliſſima horrea, ad id deſtinata: vnde quum ſterilitas ingrueret ſumebantur pro populo. Idem fiebat de animalibus quæ per capita diuidebantur. Hac in re videntur mihi longe ſuperaſſe diuiſiones terræ quas Lycurgus fecit, ac leges Agrarias Romanorum. Ex Noua Hiſpania & Peruuia (præter merces) opes inexhauſtæ auri & argenti trahuntur: Earum opum ordinarie duas partes Peruuia, tertiam Noua Hiſpania ſuppeditat,quæ mercimoniis ditior eſt Mexico. Inter alia dat Cocinigliam maximi ſane pretii mercem. dat & Anir & coria vaccarum infinita. Eius autem inſulæ vbertimam copiam coriorum, Xyli, ſacchari canniæ fiſtulæ, ſandarachæ, & margaritarum mittunt. Inter theſauros Peruuiæ duo ſane admirandi ſunt: Vnus eſt fodinarum argenti quæ Potoſii Anno 1545. detectæ fuerunt, vnde effoſſa fuit, effoditurque tanta argenti vis, vt quinta pars, quæ Regi cedit 40. annorum ſpatio ad centum & vndecim Peſorum milliones acceſſerit: Vnus autem Peſo tredecim numos Regales (Reales vocant) eiuſq; quartam partem valore exæquat. Nec tamen duæ tertiæ partes penderunt quintum Regi debitum. Ea argenti copia expurgatur in 52. machinnis (quæ inſtrumenta vocant) in flumine vicino extructis in 22. quæ in valle Tarapaia ſunt: Præter ea organa,adhuc alia ſunt quæ equis verſantur inque gyrum aguntur. Aliæ opes conſiſtunt in fodinis Guancaualcanis quæ argento viuo abundant, detectæ fuere Anno 67. vnde Rex pure citraque expenſas circiter quadringenta Peſorum millia percipit. Natura quæ Peruuiæ tam liberaliter fodinas auri argentiq; largita eſt, nihil eiuſmodi Braſiliæ contulit, ſed earum loco dedit aerem ventorum clementia ſaluberrimum,Fontes fluminaq; multa,eaq; grandia,ſyluarum ſatis. Diſtinxit terram in planicem & colles delicatos: veſtiuit eam iugi amoenitate, dotauitque multis tutiſſimiſq; portubus,Abundat ſupra modum Saccharo quod eo intulerunt Luſitani, maximamque eius vim foras mittit: Noui Orbis appendices fere ſunt inſulæ Philippinæ: quamuis enim,ſi earum ſitum bene conſideres habendæ ſunt pro parte Aſiæ,tamen per Nouam Hiſpaniam primi earum cognitores ad eas penetrarunt: Earum Inſularum amplius 40. ſuæ clientelæ ſubiecerunt,pacataſque reddiderunt Caſtellani. Quum itaq; Regis Catholici imperium adeo capax,ne dicam infinitum ſit,diuidemus eius Tractationem, quantum ad vires & regimen ſpectat in quatuor partes. Prima erit de eo quod in Europa continetur: Altera complectetur Nouum Orbem: Tertia ditiones quæ in Ora occidentali & Meridionali Africæ ſunt: Vltima dominia eius in India & Aſia recenſebit.

De ditionibus ſeu Prouinciis in Europa.

Dicamus itaque ditiones quas Hiſpaniarum Rex in Europa poſſidet eſſe ex ditiſſimis opulentiſſimiſq; quæ in ea ſunt: Hiſpania enim auro argentoque ditiſſima Prouinciarum cognitarum tantique momenti eſt, vt non abſque cauſa prima Continentis prouincia fuerit,de qua tam acriter Carthaginenſes & Romani depugnarunt. Guthi Vandalique,poſtquam maximam Imperii Romani partem hoſtiliter perſultaſſent,eam ſibi pro ſtatione,elegerunt. Trebellius Pollio ipſam & Galliam robur & neruos Imperii Romani vocat. Conſtantinus cum Imperium diuideretur, prætulit Hiſpaniam (& nos Itali tantopere noſtra,ſi Diis placet, admiramur) Italiæ. Quum enim ei in partem obtigiſſent Britannia, Gallia, Hiſpania, Italia, ipſe contentus tribus primis Prouinciis parui fecit Italiam, eamque ſocio ſua ſponte reliquit. Regnum Neapolitanum pulcherrima totius Italiæ gemma audit,& eſt: Natura enim ibidem velut in compendium id omne collegiſſe videtur, quod propria manu per reliquam Europæ partem diſſeminauit. Quid autem dicemus de ditione Mediolanenſi? Eſt ne alius ducatus,annona,frugibus,Oryza, pecudibus, lacticiniis,vino linoque opulentior? Aut opificum & negotiatorum multitudine, ædificiorumque populique frequentia abundantior, ſituque loci commodior inter omnes Maris Mediterranei inſulas caput effert? Sicilia, quum amplitudine,tum fertilitate,inter regiones,vltramontanas ſiue terræ fęcunditatem,ſiue opidorum magnificentiam,ſeu politiam, ſeu locorum munitionem,ſeu Gentis indolem & induſtriam (neque enim aliunde feliciora prodeunt ingenia, nec expreſſiora priſcæ virtutis exempla;) Belgium, quod inferioris Germaniæ nomine indigetant citra contradictionem facile primas obtinet.

REGIMEN.

Rectio, ſiue regendi forma Hiſpaniæ regia eſt, & Principis, quæ duobus fundamentis nititur, quorum vnum Religio, alterum iuſtitia eſt: Illa protectio fauorque numinis, hæc amor beniuolentiaq; populi comparatur. Illa animos frenat,regitque,hæc manus ligat coercetque: deniq; illa Reipub. bona ſpiritalia ſeruat, hæc pacem temporariam concordiamq; tuetur. Hoc in regimine plurimum maturitatis cernere eſt: deliberantur enim omnia in Conſiliis ad id deſtinatis,potiuſque locum habent conſilia grauia & lenta, & cunctatio Fabii, quam temeritas præcepſque feſtinatio Marcelli. Vitantur,quoad eius fieri poteſt,rerum nouandarum ſtudia,conſuetudinum & inſtitutorum veterũ mutationes. Quo reſpiciens ſanctorũ quatuor Cardinalis (qui poſt Pontifex Innocentius octauus fuit) dicere ſolebat, ad regimen Hiſpanos ita attentos vt hac in re nec hilũ erroris ii cõ-

mitte-

mitterent. Hiſce modis Rex Catholicus ſub ſuo imperio (niſi vbi Principum aduerſariorum vicinitas obſtat) nationes moribus, inſtitutis & ingeniis oppido diſpares Caſtellanos, Arragonas, Cantabros, Luſitanos, Italos, Germanos, Orbem noſtrum Nouumque ſubditos naturales, & acquiſitos Chriſtianos & Gentiles quiete placideq; in officio continet. Rationi quoq; conſentaneum eſt, vt ditiones quæ Auſtriacæ Familiæ via quieta & pacifica (quales matrimonia & affinitates ſunt) acceſſere, moderate quieteq; adminiſtrentur: Quumq; initia adeo iuſta honeſtaq; fuerunt, diutiſſime durent. Quod aliqui obiiciunt hoc Imperium durare non poſſe, ideo quod diuiſum diſperſumque ſit, haud eſt momentoſum. Præter enim argumenta à nobis adducta in diſputatione de Statu, quibus contrarium euicimus, eſt adhuc hoc argumentum quod dominia magna à ruina aduerſus mala extrinſeca, mediocria autem aduerſus inteſtina melius conſeruantur. Cæterum in Imperio ita diuiſo, ſunt amplitudo & mediocritas ſimul vnitæ: Amplitudo in toto corpore ex membris diſtinctis compoſito conſiſtit: Mediocritas autem in maiori membrorum parte. Quum enim aliqua eius Imperii membra, (nempe Hiſpania, Peruuia, Mexicum) per ſe magna ſunt, omnia illa bona habent, quæ tum amplitudo tum mediocritas ſuppeditare poteſt, nempe magnam potentiam aduerſus hoſtes externos, & ſecuritatem aduerſus corruptelas domeſticas. Adde his, quod viribus maritimis omnia Imperii (de quo loquimur) membra vniri poſſunt. Quemadmodum enim Cæſar Auguſtus vna claſſe, quam Rauennæ tenebat, & alia quæ Miſſeni erat, totum Imperium Romanum ſecurum reddebat, ita & Rex Catholicus, duabus quas teneret, claſſibus vnam in noſtro Mari, alteram in Oceano, omnia Imperii ſui membra, tam quæ in Europa ſunt, quam quæ in Nouo Orbe habet, vnire poſſet. Bonus itaq;, Myoparonum & nauigiorum bellicorum numerus, quem in Mari Atlantico teneret, non ſolum oram Maritimam Hiſpaniæ & Americæ, claſſeſque quæ ſurſum deorſumque nauigant ſecuras redderet, ſed & Angliam adeo Zelotypam (vt ita dicam) faceret, vt Regem Belgio pacare frui ſineret. Quod ad claſſem maris Mediterranei attinet, ea ditiones eas ita coniunget, vt earum vires ſemper in ea ſint, ſicut videmus Luſitanos viribus Maritimis ditiones quas in Perſia, Cambaia, Decan & in reliquo Indiæ habent ab hinc 90. annis & amplius, glorioſe ſibi conſeruaſſe. Quidam egregii præſtanteſq; viri in deliberationibus ſuper id habitis oppoſuerunt riualitatem ſiue æmulationem Turcæ, dicuntq;, quod ſi Rex vt parcat expenſis immodicis, quas in Arces facit, ea impenſa claſſem 150. aut plurium Triremium inſtruere velit (quod ei factu facile eſt) incitabit Turcam (cuius claſſis 130. Triremium numerum non excedit) vt Rege ſuperior ſit, earum ducentas inſtruat, vnde ſuæ Maieſtati, expenſæ faciundæ erunt, nec tamen aliquid ad eius potentiam accedet. Ea ſubtilitas arguta, ne dicam verſuta, excedit modum. In rebus quoq; practicis nihil infelicius quam nimium ingenii acumen ſuccedit. Non ſufficit enim dicere, quod Turca viribus Maritimis Rege ſuperior eſſe velit, ſed videndum eſt, num id in eius poteſtate ſitum ſit. Quamuis enim Turca plus oræ Maritimæ quam Rex habeat, non tamen plus neruorum habet, nec gentis machinationibus naualibus aptæ. In tota enim Africæ ora non habet, exceptis Algiera & Tripoli, locum, vbi aut fabricare, aut tenere par Triremium poſſit. Idem de Ponto Euxino dicimus, vbi nihil magni momenti eſt præter Capham & Trapezuntem. Idem dici poſſet de tota quaſi ora Aſiæ. Non ſatis eſt enim habere multum oræ Maritimæ, pluribus opus eſt: Populo inquam qui arte marina delectetur: Qui labores & incommoda maris tolerare poſſit: Cui cordi ſit nauigatio & negociatio in Mari: Cui ligni & Cannabis ſit: Qui minis ventorum & horrore tempeſtatum non exanimetur: Qui vitam periculis exponere & in iis verſari audeat: Qui mortem inter Scyllam & Charybdin prouocare non extimeſcat. In dimidia parte Imperii Turcici populus mari aſſuetus non eſt, nec qui comparari vel opponi Catalanis, Luſitanis, Genuitibus, (hos nomino propter multa officia quæ Regi Catholico in ſuis claſſibus præſtant) poſſit. Duabus deniq; rebus Rex Catholicus Turcæ præualet: Vna quod quamuis Turca ſub ſuo imperio plus populorum quam Rex habeat, eis tamen quod maxima eorum pars Chriſtiani ſint, contra nos fidere non poteſt: Altera, quod oræ Maritimæ Regis magis vnitæ ſunt quam quas Turca habet, eoque nomine coniungi Regis vires facilius poſſunt. Compertum eſt etiam claſſes Orientales plerumque ab occidentalibus, Meridionales à Septentrionalibus, Carthaginenſes à Romanis, Aſiaticas à Græcis ſuperatas fuiſſe. Cæſar Octauius claſſibus Italicis fregit Ægyptias: noſtro tempore Chriſtiani Turcicas. Ipſi Turcæ fatentur ſuas Triremes noſtris virtute cedere, timentque earum impetum. Quoties Karolus quintus voluit claſſes armare, tantas vires coniunxit vt Turca ſe loco mouere non ſuſtinuerit: Duxit enim Karolus in expeditionem Algieranam quingentas naues. In Tunetanam plus quam ſexcentas. Andreas Auria tantas copias duxit in Græciam, vt Turca ſe loco mouere non audente ceperit Patras & Coronem. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Nihil dixi de viribus Maritimis, quas Rex habet in Oceano Germanico propter motus Belgii. Verum enim vero quæ Europæ regio habet maiorem nauium hominumq; excellentium qui cum impetuoſi maris tempeſtatibus certare valeant quam vel Hollandia vel Zelandia copiam habet? Eoqui portus magis frequentantur quam qui vulgo Rammekens vel potius Zepyrgum dicitur Antuerpia & Amſtelredamum. Nihil dicam de concurſu nautum omnis generis Hiſpali, quo appellunt claſſes Nouæ Hiſpaniæ & Peruuiæ, quibus ſemper maximus Nauarcharum & Nautarum numerus exercetur. Meum non eſt loqui de virtute Cantabrorum in re maritima, qui tum in arte militari, tum nautica excellentes euadunt, pariq; ferocia hoſti armato & vndis tremendis Oceani obuiam eunt. Demonſtrauimus fere præter inſtitutum vires Maritimas. Dicamus nunc paucis de terreſtri-

leſtribus. Eæ conſiſtunt in Peditatu & Equitatu: Ad illum quod attinet. optimus miles pedeſtris Germaniæ eſt is qui vulgo VValon dicitur: De Hiſpano non eſt meum dicere, quod hæc natio ab omni æuo ex bellicoſiſſimis totius Orbis gentibus extiterit. Galli nouem annorum ſpacio, à Romanis domiti ſubiugatiq; fuere: Hiſpani bella ad ducentos annos duxerunt. Domandis Cantabris Augusti Cæſaris potentia & perſona neceſſariæ fuerunt. Hiſpani ſuam patriam Mauris eripuerunt, ſtatimq; ea expeditione defuncti inuaſerunt Africam, ceperuntq; præcipua eius loca. Luſitani inuaſerunt Mauritaniam: impoſuerunt frena oræ Guineæ, Æthiopiæ & Cafrariæ: conquiſiuerunt Indiam, Malacam, & inſulas Moluccas. Caſtellani nauigando Oceanum Atlanticum Noui Orbis dominium ſibi ſubiecerunt, in quo tot regna, prouinciæ, populique linguis, veſtitu, moribus differentes ſunt: expuleruntq; Francos Neapoli & Mediolano. Hiſpanorum virtus in ſagacitate ſita eſt, nulla enim alia gens melius nouit quid in bello conducat aut quid obſit Indiligentia, nihil enim per ſocordiam elabi ſinentes, [illegible], vti ſoſo norunt: In vnione concordiaq;, nunquam enim extra patriam inter ſe manus conſeruerunt: Denique in tollerantia famis, ſitis, æſtus, frigoris, incommodorum laboriſq; quæ omnes alias nationes defatigant. His virtutibus ab hoſtibus præclaras victorias reportarunt. Quamuis autem aliquando victi fuerunt, eos nihilominus à quibus victi fuerant vicerunt, ſicut accidit ad Rauennam. Nec vnquam inſigni clade affecti fuere, quamuis aduerſos fortunæ caſus ſubierunt in expeditione Algeriana & Anglicana. Tria aut quatuor Hiſpanorum millia ſurſum deorſumq; verſarunt nobiliorem Germaniæ partem, perrumperuntque vndiq; per medios hoſtes. De Peditatu Italico qui Regi Catholico patet, non eſt meum dicere: Notum eſt enim robur militare Marſorum, Pelignorum, Hernicorum, Samnitum, Lucanorum. Quod ad equitatum attinet Hiſpaniæ Rex generoſiſſimam equorum Europæ ſtirpem habet, nempe Aſturcones hiſpanicos, qui vulgo Giannetti dicuntur: maiores Neapolitanos quos vulgus Corſieri (quaſi equos ad curſum, vt Varronis verbo vtar, idoneos dicas) appellat: Sequanicos qui inter Francicos antecellunt, & Belgicos qui Germanicis præualent. Hos populos natura ſuos armaſſe videtur ferro fodinatum Biſcaiæ & Guipuſcuæ, & Molinæ: Temperatura quæ fit Baionæ, Bilbili, Toloſettæ, Calataiut: Officinis armorum Mediolani, Neapolis, & Buſcoducis inſtruxiſſe eos annona commeatu & horreis inexhauſtis Apuliæ, Siciliæ, Sardiniæ, Arteſiæ, Caſtiliæ, Andaluſiæ: Eis quoq; largita eſt copiam vini, nempe Somæ, Calabriæ, San. Martini, Aimontis aliorumq; locorum infinitorum. Abundat deniq; Rex Catholicus auro & argento, quo quantum vult equitatus peditusq; Italici & Germanici (ne gens Hiſpanica tot in partibus diuerſiſq; expeditionibus intricata conſumatur) conducit,

PRINCIPES FINITIMI.

PRincipes, quorum regiones Regis Catholici ditionibus confines ſunt, & reſpectu virium aliquo in pretio habentur, ſunt Veneti, Franciæ & Angliæ Reges, & Turca. Apud Venetos iam inde ab eo tempore ex quo ditio Mediolanenſis penes Hiſpanos eſt, res in ſumma quiete, pacatiſſimæque ſunt, quod Veneti tuitione potius nituntur, ſummopereque opidorum ſuorum & arcium munitioni incumbunt, quam rerum acquirendarum conſiliis: Quum enim eorum Reſp. tota ad pacem collimet non expedit vt res in vicinia turbent. Regi Catholico quoque tot ditiones ſunt, vt eis contentus ſit genſque Hiſpanica tot expeditiones aduerſus Turcas, Mauros alioſq; hoſtes in Europa, Aſia, Africa, Americaq; eaſq; tam neceſſarias vtileſque præ manibus habet, vt in eos iram ſuam plenis effundat habenis: Sed vt vidimus hiſpanos prompte alacriterq; arma in gratiam Venetorum cepiſſe, iam tum quum eorum Reſpublica in maximis difficultatibus bellorum eſſet, quæ ei intulerunt Baiazethes, Solimanus, Selimus ſecundus ad Cephaleniam, Preueſam, Lepantum. Habebant tamen, habentq; Hiſpani ad ſuum latus Algierum, Tunetum & Aphrodiſium, quæ Hiſpaniæ, Siciliæ, Sardiniæ, Balearibus & regno Neapolitano viciniora ſunt quam Cyprus, & inſulæ maris Ionii. Quod ad Franciam attinet, Rex Catholicus eam protegendam ſuſcepit, fecitq; expenſas inæſtimabiles in Langedocia, Guienna, Prouincia, Normannia, Delphinatu, Britannia, Lutetiæ Pariſiorum, aliiſq; in locis. Quid autem diceremus ſi Francia cum Hiſpania ſub vna corona vniretur? Primum id quidem optari magis ab Hiſpanis quam effectum dari poſſe dico: præterea quod vires Francorum in impetu, Hiſpanorum autem in cunctatione conſiſtunt, non enim aliter animi ſenſa exprimere valeo. Facilius autem eſt, vt cunctando impetus retundatur, quam vt contrarium accidat: Impetus enim facile præuidetur, vitatq; aut eludit eum vir conſtans. Magnus Capitaneus quum ſe contulit in Barlettam, & poſtea ſubſtitit ad ripas fluuii Liris qui nunc vulgo il Gariglano dicitur, primo eripuit Gallis poſſeſſionem regni Neapolitani, deinde ſpem id recuperandi. Iiſdem artibus fatigauit Antonius Leua Regem Franciſcum ad Ticinum: Proſper Columna autem eiecit eius Regis Capitaneos è ditione Mediolanenſi. Fateor equidem impetum multum in oppugnationibus vrbium valere: Fateor quoque Francos hac in re aliquid præſtitiſſe ad Iuoſium, Momedium, Caletum, ſed in ſummis prœliis vt plurimum victi fuere nempe Greuelingæ, S. Quintini, Sienæ: in his enim plus valet ordo & ars quam furor: in illis autem nempe oppugnationibus plus efficit impetus & furor, quam conſilium. Etſi autem Hiſpani, cunctando, præclaras rerum gerendarum occaſiones elabi ſiuerunt, eaque ex cauſa ſæpe incommoda patiantur, illa tamen cunctatio ipſis fere ſemper, cum Gallis maxime, non ſolum in rebus bellicis, ſed & in tractationibus negotiorum feliciter ceſſit. Veniamus nunc ad Angliam. Anglorum arma ad ſui defenſionem quam aliis offendendis

aptiora

aptiora ſunt, idque à natura habent Inſulæ, quæ alicuius momenti & potentiæ ſunt, aliæ nec ad oſtendendum alios, nec ſeipſis defendendis valent. Vidimus itaque Anglos, nihil vnquam in continente præclari feciſſe niſi ab aliis ſuffultos: Diuexarunt quidem Franciam, ſed auxilio Ducis Burgundiæ: Ipſi à nemine ſuffulti non ſolum quod in Francia acquiſiuerant, ſed & ditiones hæreditarias amiſerunt, exceptis Caleto & Comitatu Oyenſi, quæ etiam noſtro tempore intra paucos dies, per Franciſcum Ducem Guiſium eis erepta ſunt. Angli nunc Belgium exagitant, ſed auxilio Belgarum in primis: ſic vt natura Angliam finxiſſe potius ad ſe ſuo in ſtatu conſeruandam, quam vt aliarum ditionum vicinarum acceſſione imperii ſui pomeria proferat, videatur. Sunt itaque Angliæ vires diuexandis Regis Catholici ditionibus, quam iis periculo inuoluendis magis idoneæ. Facilitatem eas diuexandi præbet ipſarum amplitudo & opulentia, latronibus & piratis multis in locis expoſita. Sicut autem nemo miratur Turcam adeo potentem Principem, mare à duabus aut tribus Triremibus Sancti Iohannis, aut S. Stephani tutum reddere non poſſe: ita nemini mirum videri debet piratis Anglis in immenſo illo Oceano, qui Regis Catholici ditiones alluit, iter præcludi non poſſe.

NOVVS ORBIS.

TRanſmittamus nunc Oceanum. Ditiones quas Rex Catholicus in Nouo Orbe habet tam magnæ tantæque potentiæ ſunt vt hoſtes non timeant. Hiſpani fundarunt in omnibus locis opportunis optimas colonias. Occupant iis fauces fluminum, Portus Maris, & præcipuos tranſitus, omneſque Situs ad in officio continendum regiones, annona fertiles aut dites venis minerarum aptos: aut ad frenandum populos bellicoſos, aut validas ciuitates. A Meridie nullum hæ regiones hoſtem habent, qui eis moleſtus ſit: Nulla enim ibidem Inſula, nec Continens ipſis ad aliquot Miliarium millia adiacet. A latere Septentrionali vexantur aliquando à Francis, & Anglis, qui vt claſſes portuſq; deprædentur, eo vſq; excurrunt. Maximum damnum, quod paſſi ſunt, Anno 1586. quo Franciſcus Dracus Anglus, diripuit Sancto Dominici opidum, in Inſula Hiſpaniola, & Cartagenam in Continente: Sed ea Anglorum audacia in cauſa fuit vt Hiſpani circumſpectiores facti ſint, meliuſq; earum regionum ſecuritati proſpexerint. Eæ à Septentrionali latere à natura mirabiliter munitæ videntur: Primum tot Inſulis, quæ pro Septo, aut Vallo Nouæ Hiſpaniæ ſunt: deinde frequentia breuium vadorum, fluctuumque varietate, qui ibidem cadunt, vulgus eos currentes dicit: Deniq; vno fluctu rapidiſſimo, qui per Sinum Pariæ (vbi os Draconis vocatur) intrans, deindè inter Iucatan & Cubam tranſiens inter Cubam & caput Floridæ tam rapide ſe, retrorſum vertit, vt nec expanſis celox velis, eum vllo pacto ſuperare valeat: hic fluctus, ventorum varietas, aliaque maris pericula eos animi dubios reddet, qui portu, quo ſe recipiant carent. Porro Rex Catholicus eo naturæ beneficio vtens ædificauit præclaram Arcem in quadam Inſula, Veræ Crucis opido vicina, in plaga, inquam, Mexicana ſita. Extruxit & aliam munitionem Hauanæ in Cuba ex aduerſo Floridæ: Tollit illa hoſtibus opportunitatem euitandi fluctum; hæc facultatem eo vtendi: ædificauit denique Arcem validam in Sancto Dominici opido, quod tam oportune ſitum eſt, vt obtinendo eius Maris Imperio factum eſſe videatur. Et vt concludam: Sicut ſitus Italiæ ad Maris Mediterranei dominium obtinendum factus, ita & Hiſpaniæ ad imperium Oceani obtinendum videtur. Ipſa deniq; experientiâ docet, Hiſpanos ſuapte natura variis climatum, regionumque plagis tolerandis, magis quam cæteros eſſe idoneos.

DE PHILIPPINIS.

PHilippinæ ad Nouam Hiſpaniam pertinent, non quod inter eius aut Noui Orbis fines comprehendantur, ſed quod anno 1564. detectæ fuerunt per Michaelem Lopezium Legaſpe, qui à Ludouico Velaſqueo Nouæ Hiſpaniæ Protege ad detegendum incognitas regiones miſſus fuit. Dictæ ſunt Philippinæ in honorem gloriamq; Philippi Regis Hiſpaniarum cuius auſpiciis ea expeditio ſuſcepta erat. In illo Oceano qui ſe inter Nouam Hiſpaniam & Taprobanam extendit, eſſe vndecies mille omnis generis & magnitudinis Inſulas creditur. Quamuis autem Hiſpani eas omnes nomine Philippinarum comprehendant, id tamen nomen proprie iis conuenit quæ Septentrionaliores ſunt: Earum hucuſq; pluſquam 40. ſibi acquiſiuerunt cum vna Myriade hominum eas inhabitantium. Præcipua dicitur Luzon, quæ ducentas leucas quidem longa, ſed admodum ſtricta eſt. Ibidem ad os magni fluuii qui Manila vocatur, ædificarunt bonum opidum idq; mari flumineq; cingitur: Vbi fluuius in Mare ſe exonerat, fabricarunt Turrim robuſtam, ab alia autem fluuii parte ciuitatulam quæ primum ligno & terra, deinde muro è lapide & calce cingitur. Maiori Inſularum eſt nomen Vendenao, celebriori Tandaia, quæ, quod primum detecta fuerit, dicitur Philippina. Inter alias eſt illic Cebu, in qua obiit Magellanus, ambitur vndecim leucis, eſt in decimo gradu latitudinis, hæ & aliæ inſulæ vicinæ abundant vniuerſaliter venis auri & frugibus. Vendenao quoq; Cinamomo cuius multum in nouam Hiſpaniam atque adeo in ipſam Hiſpaniam importatur. Rex Catholic. mandauit vt ex noua hiſpania in eas Inſulas boues, vaccæ, equi, equæ ad propagationem deferrentur: Numerus Hiſpanorum qui illas regiones conquiſierunt defenduntque accedit hodie ad mille ſexcentos Milites qui inter hos, non ſunt plures nongentis. Ædificarunt Arces in locis opportunis maxime in Luzon, in Pauai, & Cebu, tenentq; ibidem aliquas Triremes & Celoces. In Manila ciuitate habet domicilium Epiſcopus cum 18. viris Eccleſiaſticis, Patribus ordinis Diui Auguſtini & Societatis Ieſu quorum opera ſtudioque ad ſacram fidem circiter trecenta hominum millia conuerſa

verſa ſunt. Maxima difficultas, quæ in eorum conuerſione eſt, conſiſtit in polygamia, quæ cunctis gentibus communis eſt. Sunt hæ ditiones momentoſiores quam quis exiſtimet: Vltra copiam enim alimentorum & auri quod ibidem reperitur, ſunt in ſitu percommodo, tum ad ſubiugandum Inſulas vicinas & conſeruandum Molluccas: Tum ad introducendam nauigationem in illum Archipelagum & Nouam Hiſpaniam; Et commercium inter Chinam & Mexicum: hæ res magni ponderis ſunt: ſed id quod grauitate rei vincit hæc omnia, eſt, quod inde tanquam freno cœpta ſunt cohiberi ſecta, & arma Mahumetana, quæ paulatim ſibi dominium tam Inſularum, quam O: æ Aſiæ parabant. Quin & Caſtellanis ex noua Hiſpania Peruuiaque expeditio quam Arabibus ex ſua ditione facilior eſt. Præterquam enim quod illi viribus ſuperiores iſtis ſint, compertum fuit Nauem bimeſtri ſpacio ex Peruuia, ad Philippinas (quæ minus ab Apulcoa & Saluſco, quam Peruuia diſtant) appuliſſe, quo nauis ſemeſtri, ex Arabia non pertingat, non ob id modo, quod Arabia à Philippinis longius diſſita ſit quam Peruuia, ſed quod venti communes nauigationi Caſtilianorum (hi enim recta, illi curua nauigant linea) fauent impenſius. Conficiunt præterea Caſtellani inſtitutum iter vno tractu, Mauri autem pluribus, mutatur enim eis ad caput Comorinum tempus æſtiuum in hibernum. Idem quoque fere eis accidit Malacæ vbi venti (quos vulgus Monzonos) expectandi ſunt. Quod amplius eſt Caſtiliani ſemper vento ſecundo, & in mari tranquillo, quodque inde Mare Pacificum dicitur, Arabes autem in Archipelago, in quo varios improuiſoſque ventos experiuntur inciduntque in latrones hominesque facinoroſos, nauigant. Adde ſupradictis, quod ſicuti exiſtimatio Caſtilianorum opitulatur Luſitanis ob vicinitatem, Luſitanorum virtus id Caſtilianis abunde beneficium tenerat: ac ſi contingat, vt hi duo populi coniunganture, vnianturque, nihil non in illo mari efficient, quod cum Chinenſes probe norint, proſpiciunt cauentque ſibi, Chriſtianorumque vicinitatem & arma ſuſpecta habent.

LVSITANIA.

Dicamus nunc de ditionibus, ad Regem Catholicum propter coronam Luſitanicam pertinentibus. Hoc regnum, quod 320. miliaribus longum, 60. autem latum eſt, quamuis nec regione nec terra valde magnum, nec per ſe prouentibus valde diues ſit, in ſitu tamen ad nauigationes commodiſſimo, & faciendis acquiſitionibus opportuniſſimo eſt. Inhabitatur enim à populo tanti animi, vt expeditiones in Barbariam, Æthiopiam, Indiam, Braſiliamque fecerit. Iamque per 90. annos dominium locorum, & portuum maioris momenti dictarum Prouinciarum, & Patronatum nauigationis Oceani Atlantici, & Eoi ſibi vendicat. Antequam autem pergamus, opus eſt pauca dicere de Inſulis Terzeris, quæ etiam coronæ Luſitanicæ ſunt. Hæ Inſulæ propter earum ſitum adeo opportunæ & neceſſariæ ſunt, vt abſque eis ipſis nauigatio in Æthiopiam, Indiam, Braſiliam & Nouum Orbem vix fieri poſſit. Claſſes enim, quæ ex dictis regionibus veniunt Hiſpalim & Olyſipponem eas vix vitare poſſunt, quin in eas deſcendant: Claſſes Occidentales vt ventos ſequantur: Orientales autem ad comparandum ſibi ventos ſecundos. Celebres non ita pridem factæ ſunt, primum propter obſtinationem incolarum contra Regem Catholicum, iam tum quum Rex Catholicus regni Luſitanici ſucceſſor factus eſt. Denique ob victorias, quas aduerſus claſſes Franciæ & Angliæ Hiſpani circum ipſas ſibi pepererunt.

DE DITIONIBVS IN AFRICA ET ÆTHIOPIA.

PRæter Septam & Tanger oppida, quæ Rex Catholicus ratione coronæ Luſitanicæ poſſidet ad Fretum Gaditanum, & Mazaganum extra Fretum 20. ab Arzilla miliaribus magis Meridiem verſus, Rex Catholicus in Ora Africæ à Capite Aguero ad illud, quod Guardafu dicitur vſque duo ditionum (Status vocant) genera habet: aliqua enim ipſi immediate, alia confœderatis ipſius ſubſunt. Parent eidem Inſulæ Maderæ, Portus Sancti, Capitis viridis, Arguin, Sancti Thomæ & vicinæ, Hæ dictæ Inſulæ non modo ſe ſua annona ſuſtentant, ſed & inde in Europam mittunt, inprimis Saccarum fructuſque arboreos, quibus maxime, ſicut & vino, abundat Madera. Saccari maximam etiam copiam conficit Sancti Thomæ Inſula. Hæ ditiones non ab alijs quam à piratis Anglicis & Francicis, qui tamen caput viride non tranſeunt, infeſtantur. In Inſulis vulgo Arguin & S. Georgij della mina: habent Luſitani duas inſtitorias (quas fattorias vocant) eaſque ad exemplum Arcium factas domos, vnde cum gentibus vicinis Guineæ & Libyæ negotiatur, aurumque ad ſe ex Mandinga lociſque finitimis trahunt, Inter Principes confœderatos ditiſſimus honoratiſſimuſque eſt Rex CONGO: poſſidet enim regnum, quod luculentum eſt, aerisq; temperie opaca rerumq; copia cæteris Æthiopiæ plagis antiſtat. Luſitani ibidem duas colonias habent: vnam in S. Saluatoris ciuitate, alteram in Inſula, quam Loandam dicunt. Percipiunt ex hoc regno diuerſas opes, ſed præcipuæ ſunt plus minus quinque millium Mancipiorum, quæ illinc quotannis in inſulas & nouum Orbem auehuntur, proque vnoquoque quod euehitur mancipio, penditur amplum vectigal coronæ Luſitanicæ. Ex hoc regno facile ad Presbyterum Iohannem perueniri poſſit: non enim longiſſime illinc abeſſe exiſtimatur. CONGONIS regnum adeo Elephantis, annonæ copia, omniq; alia neceſſaria re affluens eſt, vt ei expeditioni ſingularem commoditatem adferre poſſet. Eſt etiam Congo confinis regno Angolæ, cum cuius Principe nunc bellum gerit Paulus Diaz Luſitanorum Capitaneus: Belli vero cauſa primaria ſunt quædam fodinæ argenti, quæ Potoſianis neutiquam cedunt: tanto autem illis meliores ſunt, quanto argentum purum mixto impuroue præſtat. Vt autem quod res eſt dicatur. Si

Luſitani tanti res vicinas, quanti longinquas feciſſent; eaſque vires, quibus Caput Bonæ ſpei ſuperarunt, penetraruntq; in Indiam, Malacam & Moluccas, contuliſſent in expeditionem Africanam; facilius minorique expenſa, maiores opes peperiſſent. Nulla enim in Orbe regio auro argentoq; ditior eſt regnis Mandinga, Æthiopia, Congo, Angola, Butua, Teroa, Maticuca, Boto, Quiticui, Monomotapa, Cafati, Monocmugi.

Humana ſed enim cupiditas plerumque rem
Pluris alienam quam ſuam ipſius facit,
Remotiuſque res videtur diſſita
Propiore maior eſſe re.

Inter promontoria Bonæ ſpei & Guardafuenſe habent Luſitani Arces Ceſalæ & Mozambique: illius opera negotiationis regionum circumſtantium (quę omnes auro eboreq; abundant) dominium ſibi ſeruant, huius autem beneficio nauigationem, Indiam verſus, faciliorem leuioremque ſibi reddunt, propterea quod ipſorum claſſes interdum ibi hibernant, interdum ſeſe ibidem refocillant. Habent in hac plaga Regem Melindæ, ſibi amiciſſimum, Reges Quiolæ aliarumq; vicinarum Inſularum tributarios. Nihil niſi VIRI Luſitanis deſunt: Præter enim alias Inſulas, quæ quaſi ſe proſtituunt omnibus, eſt hic Inſula S. Laurentij inter maiores, aut maxima totius orbis cenſenda, longa eſt 1200. lata autem 480. miliaribus. Quamuis autem parum colatur, eſt tamen ob ſuam bonitatem omnis culturæ capax, diſtinxitque eam natura in flumina, Portus & Sinus commodiſſimos. Hæ coronæ Luſitanicæ ditiones, non alias vires quam maritimas timent, quæ ex Turcis tantum conſtare poſſunt. Sed perpetuus curſus claſſium Luſitanicarum (quæ vltro citroque per illas oras nauigant) eas prorſus ſecuras reddit, ceperuntq; anno 1589. apud Mombazam 4. Triremes, & vnam Nauem longam Turcarum, qui eo vſque penetrare ſuſtinuerant.

DE DITIONIBVS ASIÆ.

HÆ ditiones in Perſia, Cambaia, India citeriore & vlteriore ſunt. In Perſia habent Luſitani Armuzium, in Cambaia inſulam Diu, Damain & Bazain. In India citeriore poſſident Inſulam Caul, inſulam Goam, cum vicinis Arcibus Cochim, Colam, & inſulam Mauar, Portum Columbo in inſula Zeilan. Sed caput eſt Goa, vbi Prorex vires Indiæ ſecum trahens habitat. Armuzium & Goa magni æſtimantur propter dominium maris & commercium ſinuum Perſidos & Cambaiæ. Cochinum & Colamum propter copiam piperis, quod inde nauibus impoſitum auehitur: Mauar propter piſcationem Margaritarum, quæ in illo mari fit: Colombo, propter excellentiam & copiam Cinnamomi, vel Cinnami, quod ex ea inſula exportatur. Damain & Bazain, propter fertilitatem Regionum circumiacentium: quam ob rem Iohannes tertius Luſitaniæ Rex, veteranis prædia in dictis regionibus aſſignauit. Goa maximi momenti eſt, propter ſitus opportunitatem, cui terræ vbertas coniuncta eſt. Omnes hæ Indiæ regiones Goſſipio, palmis (vnde maxima incolarum pars ſe ſuſtentat) Oryza, pipere, zinzibere aliiſque fructibus abundant. Habet Rex Catholicus hîc adhuc nonnullos Principes amicos, alios Tributarios. Amicorum primus diutiſſimuſque eſt Rex Cochimenſis, qui primum beneficiarius Regis Calecutij fuit, nec admodum potens erat, nunc amicitia & commercio Luſitanorum tantas opes vireſq; acquiſiuit, vt & Regibus vicinis ſit inuidendus. Rex Colami quoque eidem amicus eſt. In duobus hiſce locis habet Rex ciuitatulas quantiuis pretij. Sunt & ibidem nonnulli Principes tributarij.

VIRES.

LVſitanorum in his ditionibus vires duabus in rebus ſitæ ſunt: Vna eſt ſitus locorum & robur: Altera numerus claſſium, & earum præſtantia: ad ſitum quod attinet, Luſitani ſcientes, ſe propter exilem ſuorum numerum in Mediterraneas regiones, magni momenti expeditionem ſuſcipere non poſſe, nec ſe viribus pares eſſe Perſis, Guzaratis, Principibus Decam, Regi Narſingæ & alijs, in hoc incubuerunt, vt eos ſitus, qui ſibi commodi idoneiq; videbantur, ad maris negotiationiſque dominium ſibi parandum, & in quibus pauci maximis copijs frontem obuertere poſſent, ſibi compararent. Quumq; Portuum Pelagique domini ſint, tantas vires maritimas commode coniungere valent, vt nemo ipſis ibidem reſiſtere valeat: Nauigiaq; eorum talia, eoq; modo inſtructa ſunt, vt nec eorum vnum, tria, quatuorue alterius generis extimeſcat. Atque vt aliquid dicatur, ex quo, quid ipſi in India poſſint, cognoſcatur, Franciſcus Almeida cum 21. pauloue pluribus nauibus fudit Mamaluchos in vicinia Diu oppidi, Alfonſus Alburquercius, cum claſſe 30. magnarum nauium oppugnauit Calecutium, nauibus 21. cepit Goam, 34. recepit eandem, 23. cepit Malacam, 26. ingreſſus eſt Mare rubrum, 22. recepit Armuzium. Deinde rebus eorum magis magiſq; inualeſcentibus, duxit Lopezius Zuarezius in expeditionem maris rubri 37. naues magnas: Lopezius Sequeira 24. nauibus (ſed maiore quam vnquam antea militum copia) tentauit Giuddam ad mare rubrum, 40. Dium oppidum: Henricus Meneſius 50. nauibus vaſtauit Patane oppidum. Lopezius Vazius Sampaius reliquit in Armamentario 136. nauigia bellica, omni ex parte rebus neceſſarijs probe inſtructa. Nonius Acugna ſuſcepit expeditionem in Dium 300. nauibus, in quibus erant Luſitanorum tria, Indorum quinque millia, excepto famulorum armatorum ſatellitio, quos ſecum magno numero ducere ſolent, Dominus Conſtantinus Braganza habuit in expeditione Onorenſi 60. naues veliuolas, nec minorem numerum in ea, quam in Ionetepatatan ſuſcepit.

PRINCIPES FINITIMI.

PRæter Principes confœderatos & tributarios, ſunt his ditionibus confines potentiſſimi hoſtes nimirum Perſa, qui in Armuzium (quod ſub clientela eius fuit) ius ſibi vendicat: Rex Cambaiæ, qui DIVM (quæ Inſula illi quondam paruit) aliaque loca, quæ ipſius aliquando fuiſſe diximus, reperit: Nizzamaluccus & Idalcamus (ita vocantur à Luſitanis duo potentiſſimi Principes regni Decan) Reges Calecutij & Narſingæ. Sed Reges Perſiæ & Narſingæ nunquam Luſitanos bello impetiuere, quod eis ſemper cum alijs longe potentiorib. hoſtibus res fuerit. Alij quamuis ad recipiẽdum Dium, Chaulem, Goam aliaque loca, omnes neruos intenderint, nihilque in eo molimine intentatum reliquerint, nullam tamen expeditionem momentoſam ad felicem optatamque cataſtrophen perducere valuerunt: Situs enim locorum, maritimis auxilijs recipiendis commodiſſimi ſunt. Ac quamuis hoſtes expeditiones hieme (vt facultatem auxilij ferendi Luſitanis eriperent) ſuſceperint, nihil tamen profecere, quod nauium Luſitanicarum conditio & apparatus, & feroces Luſitanorum animi quæuis pericula contemplerent. Dum itaque certatim operam dant, obſeſſi vt perdurent, & patienter vincant: Alij vt ſocijs obſeſſis ſuccurrant, omnibus ventorum mariſque periculis ſe exponunt, omnes hoſtium conatus irritos reddiderunt. Nullus autem Luſitanis acrior formidabiliorque hoſtis eſt ipſo Turca, qui ea commoditate fretus vtenſque, quam vrbs Adena ei præbet, ex mari rubro, identidem eos India expellere conatus eſt, ad eam expeditionem modo à Rege Cambaiæ, modo ab ambitione ſolicitatus. Maxima claſſis, quam Turca inſtruxerit, 64. nauium fuit, quas aduerſus Dium miſit: ſed ea in turpem fugam acta eſt. Miſit deinde aliam claſſem 22. magnarum nauium in expeditionem Armuzianam, quæ claſſis fere tota oppreſſa quaſſataque fuit. In Zeilan nihil præter Arcem Colombo Luſitani habent: Rex enim, qui eorum Tributarius erat, à Mauro, qui Singapandar dicitur, regno exutus, nunc tanquam exul viuit, ſuſtinetq; ſe auxilio, quod ei ſuppeditant Luſitani.

DE INDIA VLTERIORE.

IN India vlteriore habet Luſitanica corona regnum Malacenſe & Inſulas Molucas. Malaca Metropolis caputque regni eſt, quod ad 270. milliaria patet: ſed ob aeris parum ſalubris intemperiem à paucis inhabitatur, nec ibidem aliud oppidum magni momenti, quam ipſa vrbs Malaca conſpicitur. Hæc ita ſita eſt, vt non tantum omnia commercia, ſed & itinera (quæ per immenſum illum Oceanum à faucibus maris rubri ad Caput Liampo fiunt vſque) coniungat vniatque: Eo quoque importantur opes Continentis, totque illarum Inſularum, vt omnes ſimul copulatæ amplitudine Europæ non cedant. Malaca quondam multo maior erat: extendebatur enim ſecundum maris plagam ad plus quam tria milliaria: Sed Luſitani, (vt eius defenſio facilior & expeditior eſſet) in Arcem eam redegerunt, quæ ſupra milliare in circuitu non continet. Duos potentes hoſtes habet, nempe Reges Ior & Achem, quorum ille terra potens eſt, hic mari potentiſſimus, à quibus ipſa obſeſſa fuit, nec ſemel in magnum diſcrimen adducta eſt, ſed auxilio, quod ei ex India venit, ſemper cum ſtrage & ruina hoſtium ſeruata eſt: Tandem Paulus Lima Regem Ior fudit, arcemque ab ipſis in vicinia Malacæ extructam expugnauit, in qua præter alia ſpolia 900. tormenta bellica ærea reperta fuerunt. Hæc ditio magno periculo vel ob potentiam Regis Achem (quæ tota in eius perniciem ſe conuertit) expoſita eſt. Ideoque Rex Catholicus, vt ditionem Malacenſem, à periculo tutam ſeruet, expeditionem Achenſem Matthiæ Alburquercio (quem ſuperioribus annis cum authoritate ingentique manu in Indiam miſit) commiſiſſe exiſtimatur. Reliquum eſt regnum Malucco, vbi Luſitani, quo ſibi commercium Caryophyllorum, quę in Molucis naſcuntur, & Moſchocaryorum (quę Inſulæ Bandæ peculiares ſunt) ſecurum efficerent, in Inſula Ternate Arcem habebant, quæ auxiliorum inopia his retroactis annis ſe Mahumetanis dedidit. Nihilominus Luſitani, qui ſe in Inſulam Tidor receperunt, ibidem mercimoniorum artem in ſe transferentes remanent.

In orbe, terra qua patet, nulla integrò
Regio aut ditio eſt, gens cuius è ſit pluribus
Conflata nationibus, quæ vel magis
Animiſque, moribuſque, ritibuſque, vel
Sermonis inter varietate differat
Se: gente ſed qua nulla conſtans ſit minus
Contra, minus ſincera, fida & candida:
Hinc fit, vt ibidem nulla pax vnquam, quies
Nec vlla, nec ſacri vel hilum ſit boni.

MAGNVS TVRCA.

TVrca comprehendit ſuo imperio præcipuas partes trium Orbis terræ partium: Habet enim in Europa totam maris Oram, quæ à finibus Epidauri, ad fauces Tanais vſque excurrit: Quidquid inter Budam & Conſtantinopolim, & à Ponto Euxino ad hoc latus Saui vſque eſt. Eo ſpacio comprehenditur melior Hungariæ pars, tota Boſnia, Seruia, Bulgaria, Macedonia, Epirus, Græcia, Peloponneſus, Thracia, Archipelagus cum ſuis inſulis. Tenet in Aſia & Africa id omne, quod ab oppido Belis de la Gomera, ad Alexandriam Ægypti: A Bugia ad Quargalam: ab Alexandria ad ciuita-

tem Siene: Et ab Heroum ciuitate (quam nunc Suez appellant) ad Suachen vſque eſt. Imperij huius magnitudo comprehendi poteſt ex amplitudine aliquarum eius partium. Palus Mœotis (quæ tota eſt Imperij Turcici) mille miliaribus in Orbem patet. Pontus Euxinus bis mille ſeptingentis miliaribus ambitur. Vniuerſum maris mediterranei (quod ei ſubditum) littus, continet in circuitu octo miliariorum millia. Ægyptus, quæ tota ſua eſt, quingentis miliaribus longior æſtimatur. A Taurisio, iter in ſuo facit Budam vſque, per ter mille & ducenta miliaria. Tantundem ſpacij eſt à Derbento ad mare Caſpium, Adenam ad Sinum Arabicum vſque. A Balſera, ad Sinum Perſicum. Tremiſenam in Barbaria vſque, paulo minus quam quatuor miliariorum millia numerantur. In mari nobiliſſimas inſulas Cyprum, Eubœam, Rhodum, Samum, Chium, Lesbum & alias Archipelagi habet.

OPES.

HOc ſpacio continentur regiones maximæ, & annona abundantes. Quæ terra enim frugibus ditior Ægypto, Africa, Syria, Aſia eſt? Quæ opulentior omniq; bono affluentior Hungaria, Græcia, Thracia? In his ditionibus habet Turca quatuor ciuitates maximarum diuitiarum, Conſtantinopolim, Alkairum, Alepum, Taurisium. Conſtantinopolis omnes Europæ ciuitates, populi frequentia, ſuperat: æſtimatur enim in ea plus quam ſeptingenta hominum millia eſſe. quod ſi ita eſt, duas fere Pariſiorum Lutetias æquaret. Alepum eſt maxima Syriæ ciuitas, & quaſi centrum, quo mercimonia Aſiæ confluunt. Taurisium maxima Imperij Perſarum (quibus noſtro æuo erepta eſt) ciuitas, habet plus quam ducenta hominum millia. Alkayrum inter omnes Africæ vrbes principatum obtinet, non enim vlla alia eſt, quam non longo interuallo poſt ſe relinquat: tamen alij Cano vrbem; ei magnitudine parem faciunt. Alkayrum, quaſi horreum, non ſolum Ægypti, magnæq; partis Africæ, ſed & Indiæ eſt, cuius theſauri in mare rubrum, deniq; dorſis Camelorum, Alkayrum deuecti, diſtribuuntur per regiones, quas mare mediterraneum alluit. Imperium Turcicum à paruis initijs, in magnitudinem Principibus Chriſtianis extimeſcendam excreuit per arma, quibus noſtræ diſcordiæ ipſis percommodæ vtileſq; fuerunt, anſamq; præbuerunt. Artes bellicæ Turcarum fuere, ſemper paratum inſtructumq; eſſe ad offendendum & præueniendum hoſtem: vti in expeditionibus celeritate admirabili, habere vires in promptu, & quaſi ad manum; Vno tempore plura non tentare: Non diu cum aliquo belligerare, ne in armis exercitetur: Non conſumere tempus & pecunias in expeditionibus parui momenti: Non acquirere, quaſi per ſaltum, ſed pedetentim. Multum quoque profuit, quod Principes maximæ expeditionum parti præfuere. Alijs quoq; artibus vſi ſunt Turcæ, quibus trecentorum annorum ſpacio domus Ottomanica ſibi maximorum regnorum dominium parauit, idque ab anno 1500. ad hoc tempus vſque fere duplicauit.

REGIMEN.

OTtomanorum Regimen eſt plane Deſpoticum. Magnus enim Turca adeo abſolute Dominus rerum omnium, intra fines ſui dominij contentarum eſt, vt incolæ ſe ſua mancipia, non ſubditos nuncupent. Nec ſui quiſquam iuris eſt, multoq; minus domus, quam inhabitat, aut terræ, quam colit, dominus eſt, exceptis aliquibus familiis, in Conſtantinopoli, quibus præmij loco & priuilegio id conceſſum à Mahumete ſecundo fuit. Nec aliquis adeo magnus eſt, vt de vita, non dico de fortunis, aut ſtatu, in quo eſt, ſecurus ſit, niſi quamdiu Magno domino id gratum eſt. In hoc adeo pleno dominio conſeruat ſe Turca duobus medijs: Auferendo nempe ſubditis arma: Deinde ponendo omnia in manu Apoſtatarum, quos in ipſorum pueritia, tanquam decimas accipit 14. Hac arte duo bona conſequitur: Primum eſt, quod prouincias flore neruoque virorum ſpoliat, deliguntur enim iuuenes robuſtiores, armiſq; aptiores: Alterum, quod his ſeipſum armat, ſecurumque facit. Ianizzari enim gremio parentum, in pueritia erepti, huiuſq; aut illius curæ traditi, prius quam id aduertant, euadunt Mahumetani, nec amplius patrem aut matrem agnoſcentes dependent prorſus à Magno domino, qui eos paſcit fouetque: Expectant itaque ab eo omnia, illaque acceptum illi ferunt.

VIRES.

TVrcæ robur conſiſtit in equitatu, peditatu, claſſibus, commeatu, pecunijs. Quod ad pecunias attinet, communi opinione receptum eſt, ipſum plus minus octo milliones aureorum ordinarij reditus habere. Etſi autem videri poſſit, ipſum ex adeo amplo Imperio multo ampliores reditus percipere poſſe, id tamen non fit, quod Turcæ nihil aliud in animo habeant, nec alterius rei curam gerant quam armorum, quæ ſua natura ad excindendum deſtruendumque, quam ad conſeruandum ditandumque Prouincias aptiora ſunt. Turcæ quoque, vt exercitus conſeruent, ſuaſque expeditiones continuent, ita ſpoliant populos, vt vix ipſorum ſuſtentationi neceſſaria eis relinquant: Subditi itaque deſperantes ſe commoditatibus multo minus opibus (quas labore induſtriaque ſibi parare poſſent) fruituros, agriculturæ commercioque vlterius non incumbunt, quam eis opus eſt, imo quam ipſa neceſſitas flagitat. Quid enim prodeſſet ſementem facere, quam alius meteret? Metere, quod alius abſumpturus eſſet? Itaque in ditionibus domus Ottomanicæ viſuntur ſiluæ immenſę omnia vbique vaſta, pauciſſimę ciuitates populo frequentes, potiſſimaque agrorum pars deſerta iacet. In noſtris regionibus ex populi frequentia oritur annonæ caritas, in Turcia autem ex hominum penuria. Maxima ruſticorum pars moritur ducendo commeatum aliaſque

res neceſſarias, in itineribus quoque, per quæ tendunt exercitus: In claſſibus etiam, nam ex decem remigum millibus, qui de domo ſua reuelluntur, vt plurimum non reuertitur quarta pars? Pereunt incommoditatibus, mutationibus aeris, laboribus: Idque tanto plus accidit, quod quum Turcæ claſſes hyeme ſemper exarment: itaque remiges epibatæque nunquam mari eiuſque incommodis aſſueſcunt. Mercatura deinde omneque fere commercium eſt in manibus Iudæorum aut Chriſtianorum Europę, Epidauriorum, Venetorum, Francorum, Anglorum: In tanta ditione, quantam Turcæ in Europa habent, non eſt alia mercimoniis celebris ciuitas præter Conſtantinopolim, Capham, & Theſſalonicam. In Aſia, quam Alepum, Damaſcus, Tripolis, Adena: In Africa Alkayrum, Alexandria, Algerium. Reditus ſuppeditat agricultura, eadem artificiis materiam præbet. Artificia mercaturam inſtruunt: deficiente autem agricultura, deficiunt omnia. Etſi autem ordinarii Turcæ reditus eo, quod diximus, maiores non ſint, extraordinarij tamen magni faciendi ſunt, præcipue confiſcationes & donatiua. Baſſæ enim aliique miniſtri Turcæ exſugunt tanquam harpyiæ ſanguinem ſubditorum, accumulantque Theſauros inæſtimabiles, qui vt plurimum, Fiſco Magni domini cedunt. Exiſtimatur Abrahimum, Baſſam, Alk. yro auexiſſe valorem ſex Millionum; multo maiorem ſummam habebat Mahumetes Viſir. Occhiali, præter alias diuitias tria mancipiorum millia poſſidebat. Sultana ſoror Selymi ſecundi, percipiebat quolibet die bis mille & quingentos Zecchinos, incepitque ad peregrinorum commoditatem Aquæductum ab Alcayro Mecam vſque: Opus profecto immenſum. Magno domino facile eſt occaſionem arripere, vt cuiuis pro libito vitam cum bonis auferat. Donaria ad magnam ſummam accedunt: Nemo enim legatus, coram ipſo comparere poteſt abſque donis. Nemo aliquod munus, aut dignitatem commentoſam ſperet, niſi pecunia adſit: Nullus à prouincia cui præfuit, aut ab expeditione, quam confecit, vacuis manibus in conſpectum tanti Principis venit, nec tam potenti Principi dantur Teruncij. Vaiuodæ Moldauiæ, Walachiæ, Tranſiluaniæ, conſeruant ſe in ſuis Principatibus vi donatiuorum, mutanturq; quotidie Vaiuodæ Walachiæ & Moldauiæ, dantur enim Principatus plus offerentibus, qui vt præſtent, quod obtulerunt, opprimunt populos, redguntque ad inopiam Prouincias. Nihilominus vidimus bellum Perſicum exhauſiſſe Turcæ Ærarium, & eius Theſauros conſumpſiſſe. Annis poſtremo elapſis cum Conſtantinopoli, tum per omne Imperium Turcicum creuit, ſupra quam credi poteſt, precium auri, ita vt aureus duplo plus quam prius valuerit, materiaque auri argentique adulterata adeo fuit, vt Ianizzaris occaſionem ignem ciuitati Conſtantinopolitanæ iniciendi, pauoremque Magno domino, non ſolum aliis incutiendi præbuerit. In vrbe Alepo mutuum 60. millium aureorum nomine Magni domini à mercatoribus petitum fuit. Quamuis autem Turcæ Reditus nō tam magni ſunt, quam amplitudo Imperii & regionum fertilitas exigere videri poſſet, habet tamen in ſua ditione fructum maioris valoris, quam ſunt ipſi Reditus, nempe multitudinem Timarrorum vel Feudorum, vendicant enim ſibi Principes Ottomani agros, quos bello hoſtibus auferunt, prioribuſque dominis talem partem, (exiguam aut nullam) prout ipſis viſum eſt, relinquentes, reliquum in Timarra, quæ ſunt tanquam Commendæ, repartiuntur, aut dant agros benemeritis militibus, dum viuunt, ea lege atq; conditione, vt aliquot equos in belli vſus paratos alant. In eo ſita eſt omnis prudentia Turcarum, & cura, quam de conſeruando Imperio habent: Niſi enim hac ratione militibus telluris colendæ propter vtilitatem, quam ex ea ſperant, cura demandaretur, omnia vaſta iacerent: Ipſimet Turcæ ſolent dicere, quod vbi Magni domini equus pedem ponit, ibidem amplius herba non creſcat, his Timarris 150. millia equitum parata tenet, qui armis probe inſtructi, eo tendunt, quo Princeps iubet, nec ipſe vel Teruncium expendit. Tam magnus equitatus, minoris 14. aureorum millionibus nutriri non poſſet. Mirandum itaque, quod aliqui Reditus Turcarum cum Chriſtianorum Reditibus conferentes, tanti membri opum Ottomanicarum nullam faciant mentionem. fertur Turcam bello, quod cum Perſa geſſit, tantum ſibi terræ ſubieciſſe, vt 40. Timarrorum millia in eo erexerit, inſtituteritque nouum Gazophylacium Tauriſii, vnde aureorum Millio ad ipſum redit. Inſtitutio Timarrorum, & delectus Azomoglanorum (ita vocant iuuenes, qui educantur, vt fiant Ianizari) ſunt duo præcipua columina imperii Turcici. Verumq; ad imitationem Romanorum inſtitutum videtur: Romani enim Imperatores vtebantur ſuis ſubditis ad bella, conſtabatque ex iis exercitus Prætorianus, qui nunquam ab Imperatoris latere diſcedebat. Tacitus docet ſelectionem iuuenum, quæ ad hunc finem fiebat, Batauis rebellandi occaſionem dediſſe. In Imperio Romano dabantur Timarra militibus in Vſumfructum, & in compenſationem bene & fortiter factorum, dicebanturque Beneficia, & qui iis fruebantur Beneficiarii. Alexander Seuerus conceſſit hæredibus militum, vt iis beneficiis frui poſſent, ea tamen conditione, vt militarent, alias non. Conſtantinus Magnus dedit ſuis Capitaneis de ſe bene meritis, hæreditarios agros, qui hactenus vita tenus tantum concedebantur. Feuda in Francia ex temporariis perpetua facta ſunt regnantibus vltimis Regibus Karolouingiis. Dictus equitatus Turcicus duos effectus valde egregios in Imperio Turcico facit: Vnus eſt, quod ſubditos tanquam freno ita coherceat, vt non tam cito ſe mouere poſſent, quam hos ſicut tot Falcones, in ceruicibus haberent: ſunt enim in hoc per totum imperium diuiſi. Alius effectus eſt, quod vna eorum pars (dum altera ad continendos retinendoſque in officio populos domi manet) ſemper ad eas, quæ occurrunt, expeditiones parata eſt. Eſt igitur pro præſidio Imperii ad coercendos tumultus, qui oriri poſſent, & pro præcipuo belli neruo. Præter eū equitatum habet Turca penes ſe bonum equitum numerum, quibus ſtipendia pendit, ii in Spachi, Vluſagi, Caripici diuiduntur, ſuntque tanquam Seminaria miniſtrorum & Præfectorum Imperii:

 Inde

Inde enim ordinarie ſumuntur Baſſæ, Beglerbegi, Sangiaci. Præter hos ſunt Alcanzi & auxiliarij Tartari, Walachi, Moldaui. Altera Virium pars eſt peditatus, qui in Ianizzaris conſiſtit: in ijs duo conſiderantur, nempe natio & ſpecialis dexteritas in armis. Quod ad nationem attinet, ordinarie non inſcribuntur albo Ianizzarorum ex Aſia oriundi, ſed ex Europa. Habent enim illos pro mollioribus, ſicut ſemper fuere, & magis pronos ad fugiendum, quam ad ſtrenue pugnandum: Europæ populi autem ſemper pro bellatoribus pugnacibuſque habiti fuere in Oriente. Aſiatici milites Turcæ, nomine nationis Turcæ vocantur: Europæi autem dicuntur Rumi, id eſt, Romani. Quod ad dexteritatem attinet, ſeliguntur pueri, in quibus maiora indicia roboris, agilitatis & audaciæ apparent: Hæ enim tres qualitates in milite requiruntur. Delectus quoque tertio anno fit, niſi neceſſitas eum citius fieri vrgeat, ſicut bello Perſico accidit, quo bello non ſolum frequentior delectus habitus eſt, ſed etiam Azomoglanis Turcicis vſi ſunt, quod nunquam antea fieri ſolitum erat. Quum ij iuuenes Conſtantinopolim adducti ſunt, luſtrantur ab Aga, qui nomen iuuenis, quo patre & ex qua patria ſit, in tabulas refert. Eorum deinde pars in Aſiam Minorem (nunc Natolia dicitur) & in alias prouincias mittitur, vbi linguam & legem addiſcendo, imbuuntur vitijs & moribus eorum, cum quibus degunt, euaduntque id non animaduertentes, Mahumetani. Alia pars diſtribuitur per Septa (quæ Turcæ Serraglia vocant) quæ Magnus dominus Conſtantinopoli & Peræ habet: Aſpectu pulchriores meliuſque compoſiti deſtinantur Conſepto Magni Principis. Toto eo tempore, quo ij iuuenes Azomogliani vocantur, non habent certum Præfectum, nec occupantur præſcriptis exercitijs, ſed hic operam nauat colendis hortis, ille fabricis, alius ſeruitijs domeſticis ſimilibuſque alijs rebus. Poſt certum tempus reuocantur in Conſepta Azomoglianorum (ita vocantur toto tempore, donec albo Ianizzarorum inſcribantur) traduntur que Præfectis, qui eos operis manuarijs laboribuſque exercent, habenturque ſatis male, quo ad victum amictumque: dormiunt in ſpacioſis ædificijs, dormitorijs Religioſorum ſimilibus, in quibus luminaria ardentia cuſtodeſque ſunt, ſine quorum permiſſione ſe loco mouere non debent. Arcu Sclopetoque ferire diſcunt, cumque in exercitio aliquem habent vſum, adſcribuntur numero Ianizzarorum aut Spachorum: Illi non minus quam quinque, nec amplius quam octo Aſperos (monetæ genus eſt) percipiunt, hi decem. In album Ianizzarorum adſcripti in bella aut in præſidia eunt, aut manent ad portam, hi vltimi habent pro ſua habitatione tria loca ampliſſima, ſicut monaſteria. Viuunt ibidem ſub ſuis Præfectis claſſis, minoreſque inſeruiunt maioribus in expendendo coquendo ſimiliaque miniſteria obeundo cum magna obedientia & ſilentio. Qui vnius claſſis ſunt, viuunt in communi ad vnam menſam, dormiunt in atrijs longiſſimis. Si aliquis per occaſionem abſque venia foris pernoctaſſet, ſequenti veſpera egregie vapulat, tanta cum diſciplina, vt poſteaquam vapulauit ſeruarum more manus ſui Præfecti deoſculentur. Gaudent Ianizzari multis priuilegiis, honorantur, quamuis ſint inſolentiores, timenturque ab omnibus: In profectionibus aut itineribus deprædantur caſas & domos Chriſtianorum, nec vel verbo contra mutire licet: Dum quid emunt, precium pro libito rebus dicunt: A nullo quam ab Aga iudicari poſſunt, nec plectuntur extremo ſupplicio citra periculum ſeditionis, ideoque id raro & valde ſecreto fit. Mille regalia habent: Aliqui ex eorum numero adiunguntur Legatis cuſtodiendis: Alii dantur peregre proficiſcentibus, maxime cum ſint honeſtæ conditionis, vt ſecuri ſint in ditione Turcica, recipiuntque Ianizzari bonas Strenas: Eorum eſt electio Principis, niſi enim ipſi Magnum dominum approbent aut proclament, creatus eſſe dici non poteſt. Vnuſquiſque Princeps adeptus Imperium dat eis aliquod Donatiuum augetque ſtipendium. In graui bello egreditur eorum pars cum ipſorum Aga aut ſuo Legato, vltimique omnium confligunt. Apud Turcas Munus, cui plures inuideant, non eſt quam Agæ: Ipſe & Beglerbegus Græcię ſoli non eligunt legatos, ſed Magnus dominus nominat eos. Agę Ianizzarorum nihil certiori exitio eſſe poteſt, quam eximius Ianizzarorum fauor. Numerus Ianizzarorum eſt à duodecim ad quatuor ſupra decem millia. Hæc militia noſtro tempore multum euiluit, quia etiam Turcæ in Ianizzaros aſſumuntur, ſicut & Aſiatici, quum primum non alii quam Chriſtiani Europæi admitterentur: Deinde quia vxores ducunt, præter antiquum morem, nec id ipſis vetitum eſt. Propter longam moram, quam Conſtantinopoli (qua non alia vrbs magis eſt deliciis dedita) multum viuerunt ſegniores inſolentes, imo intolerabiles euaſerunt. Dicitur communiter robur Turcicum conſiſtere in hac militia Ianizzarorum: ſed alibi oſtenſum eſt hoc eſſe falſiſſimum. Præter Ianizzaros habet Magnus dominus Azappos peditatum vilem, qui plus ligone quam enſe vtitur, magiſque ad hoſtes multitudine delaſſandos, quam ad eos virtute ſuperandos conducit, ſolentque Ianizzari Azapporum cadaueribus foſſas implere, iiſque vti pro ſcalis, quibus hoſtium muros ſcandunt. Sicut autem Romani habebant milites legionarios & auxiliarios (quorum illi præcipui nerui huius militiæ, hi autem velut additamen vel auctarium erant) ita & Turca equitatum, quem ſtipendiarium habet, & Timarriottas pro robore exercitus æſtimat: Alcanzos pro accidentali, Ianizzaros tanquam Legionem prætoriam, Azappos tanquam numerum ducit. Sed tempus eſt, vt duo verba de armatura nauali dicamus. Primo non eſt Princeps, qui maiorem opportunitatem habeat instruendi claſſes quam Turca, ſiluæ enim Epiri & Ciliciæ, ſed plus aliæ Nicomediæ & Trapezuntinæ tam magnæ ac denſæ ſunt, plenæq; altis arboribus fabricandis omnis generis nauib. aptiſſimis, vt creditu difficile ſit. Imo videntur Triremes quaſi iam fabricatæ ſponte de ſiluis Nicomediæ in Pontum Euxinũ cadere. Nec deſunt Fabri ad copiam illam lignorum elaborandam. auaritia.n. trahit in ſua Armentaria etiam fabros Chriſtianos. anno ſequenti poſt illam cladem, quam ad Echimadas

acco-

acceperat, eduxit claſſem, quæ noſtræ occurrere verita non eſt. Nec vnquam Turcæ bonus numerus hominum mari expertorum defuit. Ex Triremibus enim quas pro cuſtodia in Lesbo, Rhodo, Cypro, Alexandria habet: Et quod ſuis Portibus Tunet, Bugiæ & Algeriæ piratas recipit, poteſt ex iis dum opus eſt, Capitaneos & robur miniſtrorum nautarum & remigum ſuis claſſibus eligere. Quid præſtare poſſit, viſum eſt noſtro tempore in claſſibus quas habuit ad Meliten, ad Echimadas & ad Guletam. Habet præterea apparatuum bellicorum maximam copiam: Tormenta innumera ſunt: Ex Hungaria abduxit quinque tormentorum bellicorum millia: Quingenta eorum acquiſiuit in Cypro: Guletæ paulo minus. Turcis ſunt tormenta adeo immenſæ magnitudinis, vt ſtrepitus, non ictus tantum muros demoliatur. tantum commeatus, pulueris pyrii & globorum habent, quantum ad Meliten oſtenderunt vbi exploſa ſunt plus quam 60. globorum millia: Fama auguſtæ 118. millia: Guletæ 39. dierum ſpacio furore impetuque tormentorum demoliti ſunt fortificationes à noſtris 40. annorum ſpacio factas. Vltimo bello Perſico, ducebat Oſmanus generalis Turcarum quingenta tormenta campeſtria. Quatiunt mœnia munitionum tot tormentis, continuantque tanto tempore tantaque cum vehementia, vt omnia ſolo æquent. Vbi vim non faciunt tormenta, vtuntur Bipennibus, vbi hæ locum non habent, implent foſſas ligone & Batillo: Si nec hoc ſufficit, implent eas cadaueribus ſuorum militum. Tria habent Turcæ quæ neminem non terrent: Multitudinem hominum inſuperabilem, diſciplinam militarem imperturbabilem, Commeatuum copiam infinitam. Multitudo ſua natura parere confuſionem ſolet, & ordinatio ceſſere magni exercitus paruis. Sed multitudo frequentiaque virorum in exercitibus Turcicis tanto cum ordine graditur, vt & ſolo ordine minorem ſuperet, qui tamen facilius in ordinem diſponi poteſt, quam exercitus immodicus, ita vt & numero & arte vincant Turcæ. Eorum diſciplina militaris adeo probe ordinata eſt, vt ea in re ne Romanis quidem, nedum aliis cedant. Conſiſtit autem eorum diſciplina militaris in pluribus: In parſimonia, ſuſtentant enim ſe modico panis ſub cineribus cocti & Oryza cum puluere carnis ad ſolem deſiccatæ. Prohibentur vino, ſicut quondam Carthaginenſes: Decem Turcæ habent in caſtris vnum Decurionem, cui ſine tergiuerſatione obtemperant: In ipſorum caſtris nec vnam fœminam videre eſt. Eſt ibi ſilentium mirabile. Tot enim milites reguntur ſignis manuum & vultus citra verba: Ne noctu ſtrepitum faciant, patiuntur aliquando effugere captiuos: Inprimis puniunt rixas & furta: Quando progrediuntur exercitus, non auderent excurrere in vias aut agros: Contemnunt mortem, creduntque eam fato ineuitabili contingere: Strenuos præmia, ignauos certa pœna manet: Nunquam diſponuntur per vrbes, nec iis conceditur in iis pernoctare: Vt exercitati ſint milites, ſolent Principes Ottomani fere ſemper alicubi belligerari, vt diſciplina militaris non intermittatur. Quum autem diſciplina militaris armis apparatuque bellico deſtituta nihil ſit, gigas enim quantumuis ferox, ſed inermis à puero armato vinci poſſet, Turca in bella tendit tanta cum machinarum & inſtrumentorum bellicorum apparatu, eorumq; omnium, quæ eorum tractationi vſuiq; neceſſaria ſunt, vt nullius alterius rei curam habere videatur. Id cognoſcet is, qui ruinas conſiderabit, quas eorum vires fecere, vbi eas explicuerunt.

PRINCIPES FINITIMI.

Turcæ ad ortum contermini ſunt Perſis, ſecundum lineam, quæ imaginarie duci debet à Tauriſio ad Balſaram vſq;: Luſitanis ad Sinum Perſicum: Ad Meridiem eiſdem Luſitanis: Ad mare rubrum Presbytero Iohanni: Ad occaſum Serifo, & regno Neapolitano: ad Septentriones Polonis & Familiæ Auſtriacæ. Cum Perſis belligerando abſque dubio Magnus Turca ſuperior eſt: Mahumetes enim ſecundus vicit Vſſucaſſanum: Selimus primus, & deinde Solimanus eius filius in fugam egerunt Iſmaelem & Tamaſum: Amurathes tertius per ſuos Capitaneos abſtulit Perſis totam Mediam, Armeniam maiorem, & ciuitatem Regiam Tauriſium. Quod præualet, conſiſtit in peditatu, quo Perſa caret: In tormentis bellicis & munitionibus, quorum Perſa nec copiam nec vſum habet. Quamuis autem Perſæ ſtrenuitate equitatus aliquando in aperto campo Turcas ſuperauerint; tamen ſemper terram perdiderunt: Solimanus abſtulit eis Meſopotamiam. Amurathes Mediam: Nec Perſæ ſolum damnum paſſi ſunt, amiſeruntque ſua, ſed & eorum ſocii. Selimus primus ſpoliauit Mamaluchos Ægypto & Syria: Amurathes tertius deſtruxit prope in totum Georgianos confœderatos Sophy. Turca cum Luſitanis belligerando multo inferior eſt: Rationes enim cum ipſis decertandi conſiſtunt in viribus naualibus, quibus Luſitani in tantum Turca ſuperiores ſunt, quantum Oceanus Indicus, Sinu Perſico, & mari rubro maior eſt. Habent Luſitani in India loca & Portus, addam ditiones & dominia, ligno, commeatu, omnique apparatu nautico referta. Nec deſunt eis potentes Principes auxiliares. E contrario Turca nihil munitum habet in Sinu Perſico præter Balſaram. Ora Arabiæ qua vti poſſet, non habet plus quam quatuor opida, ſatis infirma, & paruæ æſtimationis: Itaque hic ſicut & in mari rubro claſſem armare valde difficile eſt, quod regio prorſus ligno fabricandis nauibus idoneo careat. Vnde illis paucis viribus, quibus claſſes in mari rubro inſtruxit (quum hoc in Sinu Perſico minus facere poſſit) neceſſe habuit materiam fabricandis nauibus ex Portubus Bithyniæ & Ciliciæ per Nilum Alkayrum deuehere, vnde dorſis Camelorum Suez (quæ olim Heroum ciuitas dicta fuit) delata eſt, vbi Armamentarium habet. Quoties Turca expeditiones aduerſus Luſitanos ſuſcepit, nihil præter dedecus & damnum retulit, nimirum Anno 1538. ad ciuitatem Dium. Anno 1552. ad inſulam Armuzium: Anno 1580. ad Mombazam, vbi quatuor triremes & vna Galeotta Turcica, quæ Fauore Regis Mombazæ eo in mari manere conſtituerant, captæ fuerunt. Luſitani in id ſumme incũbunt, caueantq;, ne Turcæ eo in mari pedẽ figant, & quã

primum odorati ſunt, Turcas claſſem adornare, mox ipſos aggrediuntur, ideoque ſæpe in mare rubrum abſq; reſiſtentia penetrarunt. Presbytero Iohanni in bello præualet Turca, ducibus, militibus, armis & munitionibus. Ille ſiquidem Princeps habet ditionem abſque munitionibus, & milites abſque armis. Barnagaſſo enim eius Vicarius ad mare rubrum, amiſit vniuerſam Oram maritimam, eoque redactus eſt, vt tributum Turcæ pendere promiſerit, vt cum eo pacem haberet. In Africa habet quidem Turca plures regiones, quam Serifus: occupat enim id omne, quod inter mare rubrum, & Velez de la Gomera opidum eſt: Sed Serifus partem meliorem, ditiorem fortioremque magiſque vnitam habet: Sed nemo ipſorum, alteri bellum inferre audet propter Regis Catholici vicinitatem. Reſidui ſunt Principes Chriſtiani, qui Turcis contermini ſunt. Primus eſt Poloniæ Rex: quid hi Principes contra ſe inuicem poſſint, viſum fuit in expeditionibus præteritis: Ab vna parte videtur Turca timere arma Polonica: diuerſis enim occaſionibus prouocatus, nempe regnante Henrico tertio, bello quod Iuonia, Voiuoda, Valachiæ cum Turcis geſſit, quo bello multi equites Poloni Iuoniæ militarunt, & regnante Sigiſmundo tertio excurſionibus Koſacorum, & in motu Iohannis Zamoiſchi generalis regni Poloniæ, non vindicauit, nec ſolita ſuperbia vlciſci iniurias conatus eſt. Ab alia parte Poloni poſt expeditionem Regis Ladislai, non ſolum nullam expeditionem aduerſus Turcas ſuſceperunt, ſed nec Valachis, (qui fœdere eis iuncti erant, auxilium tulerunt, ſibique quod ad mare Euxinum habebant, eripi paſſi ſunt: ſed Regum Poloniæ potius, quam nobilium eius regni puſillanimitate id accidit. Sigiſmundus primus à Leone decimo ad bellum aduerſus Turcas inuitatus. Quid multis opus eſt dixit. Fac, Principes Chriſtiani concordes ſint, ego pro mea parte non deero. Sigiſmundus ſecundus, mente à bello adeo aliena fuit, vt non ſolum Turcas aggreſſus non fuerit, ſed nec à Moſcis irritatus, vindictam ſumere tentarit: Rex Stephanus potentiæ ſuorum vicinorum non iniquus æſtimator, iudicabat cum Turca manus conſerere, rem eſſe periculoſiſſimam: attamen cum familiaribus ſermones habens, dicebat ſe, cum 30. peditum millibus quos equitatui Polonico iungeret facile expeditionem in Turcam ſuſcepturum fuiſſe, idque meditari quodammodo videbatur. Principes Auſtriaci longiore terrarum tractu, quam vllus alius Princeps Turcæ contermini ſunt, expenduntque in præſidia arcium (in quibus cum equitum, tum peditum plus quam viginti millia habent) maiorem ſuorum Redditüum partem, auxilioque Germanico ſuis viribus coniuncto magis ad defendendum ſua, quam amiſſa recuperandum, imperiumque dilatandum attenti fuerunt. Ferdinandus Auſtriacus, maiore robore quam ſucceſſu, expeditionem Budanam & Poſſegenſem ſuſcepit. Accidit id, non quod eius vires non ſatis firmæ validæque eſſent, ſed quod agilitate dexteritateque carerent: Id volo, Eius Principis exercitus numeroſos, omnibuſque rebus probe quidem inſtructos fuiſſe, ſed conſtitiſſe ex Germanis & Bohemis, gentibus tardis, lentis, parumque idoneis ad reſiſtendum Turcis, qui in factionibus bellicis expediti dextrique ſunt. Veneti ſunt quoque Turcis mari & terra, per multa centena miliaria finitimi: Tuentur ſeipſos aduerſus Turcas magis pacis quam belli artibus, egregie muniendo ſua loca, fugiendo pericula & expenſas belli, Commercio, Donariis: denique, nihil non faciendo, ne ad manus veniatur ſaluis libertate & ſtatu. Dicam quod res eſt. Quamuis eis pecunia cum bellico apparatu ſufficiente ſuppeteret, deſunt tamen milites & commeatus tanto bello pares. Reliquus eſt Rex Catholicus, inter cuius & Ottomanicas vires, non eſt magnæ æſtimationis differentia. Regis Redditus (loquor de iis quos in Europa habet) excedunt Redditus Turcæ: Accipit enim plus quam 4. Auri Milliones ex ditionibus, quas in Italia & Sicilia habet: Plus quam duos ex Luſitânia: Ex Terris Nouis plus minus quam tres Milliones, vnum annum pro altero æſtimando. Hæ Accepti partes æquant Redditus Turcæ. Eſt autem illo longe ſuperior ſi iis iungantur ordinarii Redditus Caſtiliæ, Arragoniæ, Belgii: Sed quid reperies (dicet aliquis) quod Timariis opponi poſſit? Primum, quod Regis Redditus Turcicos longe excedunt, ſuntque eis multo maiores: Deinde ſubſidia quæ Rex extraordinarie immo magna ex parte ordinarie (ita enim dici poteſt) percipit à ſuis populis, nempe Cruciata (vt vocant) quæ ipſi, quantum vnius Regni Redditus ſunt, reddit: Subſidia Eccleſiæ, quibus ipſe centum fortes Triremes ſuſtinere poteſt: Cadiua officia, quæ in Hiſpania & Regno Neapolitano multo plus reddunt quam quis credere poſſet: Donaria ordinaria populorum & extraordinaria. Regnum Neapolitanum dat quoquo tertio anno plus minus vno Millione, & ducenta aureorum millia, quæ ſumma non eſt paruæ conſiderationis. Sicilia, Sardinia, ducatus Mediolanenſis, Caſtilla & aliæ ſuæ ditiones, etiam Nouus Orbis, mittunt ſuis temporibus magnifica donaria. Quid dicemus de Contributionibus? Caſtilia anno elapſo Regi contributionem octo millionum Aureorum quatuor annis perſoluendam conceſſit, quæ ſumma, totius Imperii Turcici cenſum vnius anni æquat. Relinquo numerum Commendarum ordinum Montegiæ, Calatravæ, Alcantaræ, Sancto Iacobi, quæ ipſi, quamvis nihil amplius haberet, ſufficere poſſent. Rex tanquam dictorum Ordinum magnus Magiſter, media habet ad ſuos miniſtros, famulos, & quos ipſi placet, remunerandos ditandoſque, ac ſi Rex Angliæ ac Poloniæ eſſet. Addo ſupradictis partibus magnum equitatus numerum, quem ordinarie in ſuis ditionibus alit: In Hiſpania nempe tria millia. Tantundem Cataphractorum & equitum leuis armaturæ in Belgio: In Ducatu Mediolanenſi 400. Cataphractos, & mille equites leuioris armaturæ: In regno Neapolitano mille & quingentos equites Cataphractos, quod maius robur militiæ Italicæ eſt. Militiæ numerus in Sicilia eſt 1500. equitum. Nec parui fieri debet obligatio, qua Feudatarii, neceſſitate vrgente, ſuis expenſis, defendendo perſonaliter ſeruire tenentur: maxime ſi conſideretur magnus Feudatariorum numerus & Titulo-

ſorum

ſorum Hiſpaniæ, in qua numerantur 23. Duces, 32. Marchiones, 49. Vicecomites, 7. Archiepiſcopi (contribuunt enim hi ſuam quotam, tanquam potentes domini) 35. Epiſcopi: In regno autem Neapolitano ſunt 14. Principes, 25. Duces. 37. Marchiones, 54. Comites, 448. Barones, vt nihil dicatur de Luſitania, Sicilia, Belgio, Sardinia, Mediolano. Prætermitti non debet, quod equitatus, cui Turca Timarra conceſſit, non tam robore quam numero præſtat: Timarra enim & commoditates villarum & prędiorum ipſis conceſſorum, Studiumq; ſeipſos ditandi locupletandiq; fructibus agrorum, ignauiores, viliores, paciſque & otij, plus quam belli & turbarum cupidos eos reddit. Ægre ab ædibus auelluntur, proficiſcunturq; in expeditiones, maiore cum deſiderio domum redeundi, fruendique delicijs hortorum, & fructuum ſuarum poſſeſſionum copia, quam confligendi cum hoſtibus, aut ſe ditandi ipſorum ſpolijs: Si aliquantulum prędæ armis partæ milites quamuis feroces forteſque ignauos vecordeſque reddit, quid faciet magna poſſeſſio, amœna Villa, diues prædium, vxor liberique domi relicti: Taceo quod equitatus, quem Turca Timarris ſuſtentat, potius populis ſubiugatis tanquam fræno coercendis inſtitutus eſt, quam hoſtibus infeſtandis: Subditi enim Turcæ, vi ſub eius imperio continentur, habent eum odio, deteſtanturque eum ob religionem contrariam & imperium quod in ipſos habet: Propter religionem Mauri & Arabes, qui ſectis diuerſis addicti ſunt: propter religionem & imperium ſimul Chriſtiani, qui plus quam duas tertias partes eius ſubditorum conficiunt. Ob id, illius numeroſi equitatus maior pars; domi maneat neceſſe eſt, nec ſine Status regni periculo domo abduci poteſt. Eſt denique is equitatus tanto regionum ſpacio hac illac diuiſus, vt magno numero, in magnam expeditionem educi non poſſit: Nec diu in ea, longe à domo, perſtare poteſt, quin in miſeriam & calamitatem incidat, ſi aliud auxilium, quam quod ab Timarris habet, non reciperet. Rerum præteritarum experientia quandam æqualitatem virium horum Principum eſſe docuit: Iactura enim claſſis Catholicæ ad Zerbi inſulam, opponitur fugæ claſſis Turcicæ à Melite inſula: Amiſſio Gulettæ, opponitur expugnationi Pegnoni Velez: Tunetum ſemper cepit is qui voluit. Rex Catholicus nullam notatu dignam expeditionem in Turcam ſuſcepit, ſed defendit ſe ſtrenue ad Meliten & Oranum. Nihil dicam de clade claſſis Turcicæ ad Echinades, quod ibi alii Principes partem habuerint. Tractatum fuit vtrinque de inducijs pro aliquot annis inter Regem & Turcam. Vterque adæquè fuit occupatus. Vnus in Perſia, alter in Belgio, id in cauſa fuit, vt ſe inuicem expeditis viribus non potuerint impetere. Bella (de quibus diximus) ambobus, propter regionum longinquitatem, extremæ impenſæ fuerunt, ſed magis Regi quam Turcæ. Quamuis enim Perſia longe Conſtantinopoli (vnde maxima virium pars mittebatur) diſtet, eſt tamen contermina Meſopotamiæ & alijs Turcæ ditionibus, vnde ſuus exercitus commeatu & pecunijs inſtruebatur: Sed Belgium, ab alijs Regis ditionibus magno ſpacio diſtat. Turcæ, niſi cum Perſa amicis deſtituto, res fuit. Regi autem vno eodemque tempore, cum rebellibus, Francis, Anglis & Germanis (quæ nationes Perſis potentia inferiores non ſunt) confligendum fuit: Nec vnquam Turcam aggreſſus eſt, quin aliud bellum, nunc in Belgio, nunc alia in parte continenter geſſerit.

II.

CONSILIVM PRO REPVBLICA SCRIPTVM ET OBLATVM MAXIMILIANO II. IMP. CONTRA HIſpanicam Tyrannidem. Ex occaſione exercitus Auriaci: Autoribus, D. Chriſtophoro Carleuuizio & D. Ioachimo Camerario.

Anno Christi 1569.

INter alias miſerias, quibus grauiſſime premitur ætas noſtra, pleriſque etiam in ſenſu illarum ſecuris, præcipua eſt atque inſignis, & proh dolor, adeo manifeſta & ante oculos poſita, vt demonſtratione declarationeque verborum non indigeat, Hiſpanica ſæuicia, crudeliter modo graſſans in Belgii hæreditatis Burgundicæ terris, inſtituendo horribilis immanitatis Inquiſitionem, ad extirpandum cultum religionis ſanctæ, quæ à Romanenſibus vſibus receſſit, & indigenam nobilitatem (qua Regna & Reſpubl. fundantur) delendo, præcipuis ex ea * viris iam ſupplicijs ** Egmondano & Hornano principibus* atrociter affectis, nec non tam horum quam aliorum complurium innocentum hominum bonis direptis, atq; confiſcatis, præter intolerabilem aliam & antea inauditam tyrannicæ Violentiæ impietatem, cædium, vaſtationum & innumerabilium calamitatum, quæ tanquam tempeſtas loca illa peruadendo, indies fit terribilior, & maiora detrimenta, vehementioriſque metus cauſas dare non ceſſat.

Non

Non autem obſcurum eſt Hiſpanicam calliditatem prætendere iniuſtiſſimis atq; nefariis actionibus iſtis iuſtam atq; adeo neceſſariam animaduerſionem in puniendis rebellib. quemadmodum ipſi vocant, & ſeditionis (qui nunquam tamen hactenus tanti ſceleris conuicti fuere) & ad obedientiam debitam ſubiectis ditioni Regis ſui redigendis contumacib. Quod ſi nihil conſuleretur agereturq; aliud, fortaſſe ab aliquo haud abſurde dici poſſet: Cur externi illi curarent aut inquirerent in ea, quæ ab Hiſpanis apud ſubiectos poteſtati Regis ſui ſuſciperentur & patrarentur? Verum enim uero à quibus conſideratur gentis iſtius naturalis, & vſu confirmata ambitio atque cupiditas, & longo tempore expetita in Germania iræ implacabilis exercendæ occaſio, & qui non ignorant, quæ & quã malicioſa conſilia inita ſint: iis facile apparet, & quam optata obtigerit hæc illis oportunitas, & qua ſpe tam alacriter arma expedita ſint, & quo tendant iſti, Nimirum vt iugo impoſito Belgicæ terræ, & libertate penitus erepta, & * antiquæ adminiſtrationis iure ſublato, ita in ſuę dominationis poteſtatẽ redigant vniuerſa, & occupatis munitiſq; ac præſidio firmatis præcipuis locis, quaſi Regnum nouum inſtituant, aut certe ſedem atq; arcem conſtituant, vnde progredientes corroboratis deinde viribus, [v]icina regna & finitimas terras, Germanicã potiſſimum nationem, facilius & maiore apparatus fortuna, oppugnare, potentiam omnium debilitare, & religionis ſanctitate euerſa, ipſam deniq; Imperii Maieſtatem ſibi applicare, & Domini ac Monarchæ Chriſtiani nominis euadere poſſint.

Hiſpanica ambitio & in Germanos odium.

** Belgico nimirum in prouinciam redacto. Arx belli contra Germaniam.*

Ad hoc propoſitum & iſtos conatus à Romano & Pontifice & aſſeclis ipſius excitantur & inſtigantur. Hi n. cũ videant ſeſe in poſterum neq; ſuæ autoritatis iampridem vſq; adeo conuulſæ, dignitate poſſe tuto conſiſtere, neq; Imperat. Rom. aliorũue Regum atq; principum ope niti defendiq;, vt certus ipſorũ ſtatui interitus impendeat, & ipſis funditus pereundum ſit, niſi inueniant aliquos, quorum auxilio fulciantur, & protegantur defenſione. Ad hanc ſpẽ nullos alios magis idoneos aptoſq; eſſe iudicant, quam Hiſpanos multas ob cauſas: Nam & elatos hos eſſe animis, & concupiſcentes ardua, & ingeniis malitioſis præditos & quod ad rem iſtam plurimũ attinet, ſuperſtitionib. mirifice deuinctos ſciunt atq; norunt: & ideo omnib. modis potentiam ipſorum auctam, & vires eximias eſſe cupiunt, & in eo adiumenta ad ſeſe afferri enixe ſtudent. Contra vero nationem Germanicam (vnde primum & maxime labefactari diminuiq; cœpit ille principatus & immodica poteſtas.) diſſipatam debilitatamq; videre vellent.

Pontificii ſtudi[um in hoc] bellum.

Atq; ita non deſinunt pontificii & irritando & cohortando & ſtimulando cõmouere & concitare Hiſpanorũ inſolentiam, ad arripiendam præſentem occaſionem & opportunitatem, & vtendum tẽpore: Quo ſc. vltra pericula à Turcicis impreſſionib. multis inteſtinis perturbetur Reſp. difficultatib. & ciuilib. incõmodis conflictatur, & Imperatoria Maieſtas non parũ læditur, Gallicum regnum ſuarũ rerum ſatagit. Quæ omnia ipſorum conatib. & inceptis hac in parte valde profutura eſſe videantur. Quod autẽ hoſtes ſint Romanenſes Maieſtatis Imperii Germanici, & hoc diſcerpi excindiq; cupiant, ex eo perſpicue patet: quod conſtat ſuperioribus paucis annis illos deliberaſſe de potentia Auguſta in Hiſpanicam gentem transferenda, abrogato ſuffragii legitimo iure tribus principib. Electorib. Palatino, Saxonico, & Brandeburgenſi, & illud aliis tribus principib. externis conferendo. Et eſt omnino credibile vel certum potius, idem hodierno quoq; die conſultari atq; tentari.

Hiſpanorum conſilia contra Electores ſeculares.

Hæ res ita inſtitutæ, & quæ hoc modo tractantur, ſi forte perficerentur, noſtra natio non ſolum amitteret Maieſtatem Imperii, & gentis, ingenti labore partam & cruentis præliis defenſam à maioribus noſtris libertatem: ſed religionis etiam (quam pleriq; nunc amplexi ſunt ac tenent, & pro qua tanta pericula adita ſunt, & tot aduerſæ res toleratæ fuerunt) ſincerus cultus vel auferretur, vel certe impediretur, & Germania ſubter inquiſitionis pontificiæ nõ ferendam iniquitatem ſeruitutiſq; Hiſpanicæ duriſſimum iugum ſubiiceretur: & perdita omni priſtinæ virtutis laude exiſtimationeq; bona, ludibrio apud externos populos, & tandẽ prædæ exponeretur intentæ in omnes occaſiones opprimẽdi ipſam Turcicæ potentiæ ſimul & crudelitati.

Imperii maieſtas. Libertas. Religio.

Turca.

Hæc, inquam, omnia, ſi Deo æterno exigente iuſtas pœnas peccatorum, neq; conuertentib. ſe nobis ad ipſum, & eius miſericordiam implorantib. accidere euenireq; videremus, & pateremur: quæ tunc nationis Germanicæ inclitæ, & vnicuiq; ciui huius naturali amore conciliatæ patriæ, lachrimabilis fortuna futura, & quantæ eam clades afflicturæ prorſuſq; obruturæ eſſent, ſi quis oculis captus aſpicere forte nequeat, is manibus attingendo poſſet deprehendere. Quocirca ſi Germania oculos aperire, & ſenſuum experimenta adhibere velit, & intelligere ſimul ac attendere pericula, atq; adeo præſens diſcrimen, (in quo verſatur,) infelicitatis extremæ & deplorandi exitii: ſiq; Germani homines (largiente Dei æterni clementia hunc Germanis hominib. animum) ipſius propitii Dei auxilio freti, & adhibitis humanæ ſocietatis adiumentis, neceſſitati impendentia tanta mala ſtudeant, adhuc vtcunq; tempeſtiua eſſe poterit circumſpectio & cura ſalutis, vel etiam dignitatis propriæ. Eſtq; magnopere verendum, ne huius temporis occaſione amiſſa, poſthac fruſtra illa requiratur, neq; recuperetur vnquam. De quo ante omnia ardentib. votis & ſupplicibus precibus inuocandus Deus æternus, & veris pii cordis gemitibus benignitas miſericordiæ eius imploranda eſt, ſic, pietate & religione, vt pura ſit veneratio ipſius, & huic conſentanea vita degatur: ita enim proſperæ demum fortunæ euentum ſperare licebit.

Germania pericula.

Secundum autem clementem reſpectum Dei æterni ad miſerias noſtras, præſentiũ malorum remediũ & futurorum auerſio, in hoc cõſiſtit, vt caput & membra totius ſacri Imperii protinus conueniant, & operas ſtud[ia]q; fideliter cõiungant, & communia iſta negocia ſingulatim ad vnũquemq; ex ipſis pertinere ſtatuant, & quo pacto obuiã iri poſſit irruentib. malis concordi deliberatione in medium conſulẽdo, decernant, ad auertenda illa & conſeruandã protegendamq; patriã, vires opeſq; ſuas ſtudioſe conferant. Eſtq; inprimis præclare & laudabiliter factum ab Imperatoria Maieſtate, quæ ſtatum inte

Conſenſus. Concordia.

tim initio motuum iſtorum & tanquam procellæ incumbentis in Belgicas terras, & poſtea ſæpius vt caput ſacri Imperii, ipſum Hiſpaniarum Regem, itemq; Gubernatorem ſerenitatis ipſius in Belgicis terris ad manſuetudinem ac clementiam cohortata fuit, ſi quo pacto maioribus damnis euentuumq; triſtium, iter poſſit intercludi. Etſi maxime prædicabili ſtudio iſto hactenus parum eſt profectum. Eſt item præclare & laudabiliter factum ab Electorib. in ſacro Imperio principibus, corporis illius membris: quod ante hoc tempus Imperatoriam Maieſtatem miſſis literis, & nunc haud vulgari legatione coram de impendentibus periculis admonuerunt, & orauerunt, vt Imperatoria Maieſtas autoritate ſua interpoſita, prohiberet, ſupra indicatorũ grauiſſimorum malorũ progreſſionem, & ſuſpecta tantopere arma reprimeret. Cum præſertim Imperatoriæ Maieſtati, & acumine diuinitus ipſi conceſſæ intelligentiæ, & quia illa haud ignara eſt conſiliorum longi retro tẽporis, quæ Hiſpanica Gens hac in parte cepit, nequaquam occultum ſit, quo iſta omnia tendant, & ad quod veluti ſignũ directa ſint, & quem propoſitũ finem habeant. Nec non quantũ ipſius Maieſt. & ſacri Imperii publice & totius domus Auſtriacæ priuatim referat iſtiuſmodi conſiliis conatibuſq; mature occurri. Et propterea eo minus dubitandũ eſt, quin hac in parte Imperatoria Maieſtas clementiſſime ſtudioſiſſimeq; officiũ ſuum factura ſit, & nequaq̃ paſſura ſibi obſtare vel amicitiam & neceſſitudinem, vel inimicitias atq; ſimultates. Atq; fertur illam iam adeo decreuiſſe, ſeſe breui ſingularem legationem ad regem Hiſpaniarum miſſuram, & denuo eum cohortaturã eſſe vt cõmemorata vehementia reprimatur, vtq; gubernator in Belgico Hiſpanicus vna cum copiis ipſius remoueatur, & terræ regioneſq; illæ Belgicæ regendæ cõmittantur aliis, qui quidem (quemadmodum ſuperioribus temporib. factum eſt) incolas manſuete benigneq; cum obedientes pacatoſq;, tũ fideles amanteſq; & erga vicinos beneuolentiã conſeruantes habeant. Ita n. celerius reſtitui quies & tranquillitas Belgicis terris, & omnes circũiectæ Regiones & finitima regna ab Vrgentib. modo curis atq; periculis liberari poterunt. Perhibetur etiã futurum, vt huic Imperatoriæ Maieſt. cohortationi addatur ſignificatio plana ac clara; ſi forte laborantib. reb. remedium oſtenſum adhibere Rex Hiſpanicæ nolit, in eum euentum Imperatoriam Maieſt. neceſſitate coactum iri (quãuis ꝓpter ſanguinis coniunctionẽ & alias neceſſitudines inuita hoc factura ſit) vt omnia ſuſcipiat & agat, quæ Imperatoriæ Maieſt. officiũ munuſq; poſtulet, & Maieſt. ipſius domuſq; Auſtriacæ ac * Burgundicæ peculiaris reſpectus requirat, vtq; abs ſeſe, Electorum & cæterorũ principũ ordinumq; Imperii accedente adiumento, debito modo protegantur † terræ Belgicæ, tanquã præcipua ſacri Imperii membra & q̃ in religionis & publicæ generaliſque pacis conſtitutione cõprehenduntur, & quarũ ius ſucceſſionis (ſi ita Deo Volente cadat) ad ipſam Maieſt. Imperatoriã & dilectos filios eiuſ pertineat: vtq; alia pericula & mala, quæ non ſolũ metuuntur, ſed plane in conſpectu ſunt, à ceruicib. ſacri Imperii depellantur. Quoniã igitur Imperatoria Maieſt. tanquã caput ipſum hac in parte ad faciendũ officium & exequendũ munus ſuum parata eſt, debent nimirũ Electores cæteriq; principes & ordines ſacri Imperii nihil omittere, aut pati in ſe deſiderari, in omnib. q̃ ab ipſis fieri, inſeruientib. tanq̃ membris capiti ſuo, fas eſt, atq; conuenit, ne miſeris atq; indigne oppreſſis terris Belgicis calamitoſior deinceps vis inferatur, neue maiorib. cladib. illæ & damnis afficiantur, vtq; Hiſpanicus miles inde educatur & ſimul Germaniæ aliquoties memoratis curis ſolicitudinibuſq; & periculis, quorũ illa expeditio cauſam dat, liberetur. Cum vero princeps Auranienſis, quẽ præ cæteris violenta illa ſæuitia atq; tyrannis (occupando iniuſte terras ſubiectas ditioni ipſius) ita inuaſerat, vt in vltimo ille vitæ ſuæ rerũq; omniũ diſcrimine verſaretur, * quorundã fauore & beneuolentia adiutus, ſatis magnas beneq; inſtructas copias equeſtres pedeſtreſq; contraxerit, & neceſſarium opus ſuæ & communis defenſionis inchoauerit, par eſt, vt requirit tam honeſtas quam vtilitas, vt omnes & ſinguli ſummi, medii, infimi, cuiuſcunq; modi religionẽ ꝓfiteantur, in hoc negocio ipſum conſilio opeq; & omniũ fortunarum ſuarum communicatione adiuuent. Etſi n. inceptũ Auranienſis principis, ſpeciem adhuc habet cauſæ priuatæ, & ad ipſum ſolum pertinentis. Deo tamen æterno felicẽ largiente euentum non ſolum hoc ad conſeruationẽ Belgicarum Regionũ, ſed totius quoq; Germaniæ ſalutẽ poterit euadere, vt nunc deinceps merito opus negociumq; cõmune exiſtimandum ſit. Et omnino ita ſeſe res habet. Vt, ſi accideret aliquid incõmodi, ſiue Auranienſem principẽ, ob pecuniæ, militũ, cõmeatus, inſtrumentorum, & quæ ad hæc pertinent, aut quarumcunq; rerũ neceſſariarũ penuriã ſpes exitus proſperi fruſtraretur, & ita ille exercitũ dimittere rebus infectis omnibus cogeretur, non poſſet non toti hoc Germanicæ nationi maximũ detrimentum afferre, & miſerabiliũ cladium cauſam dare, Hiſpanicæ gentis & pontificiorũ aſſeclarum animis confirmatis ad pernicioſa vniuerſæ Germaniæ conſilia facinoraq; exequenda, & oblatam ad hoc occaſionem cupidiſſime vrgendam. Quapropter omnes, qui Belgicas terras ac Regiones, quarum aliquoties iam mentio facta eſt, tanquam præcipui momenti ſacri Imperii membra, & conſtitutionibus de publica, itemq; de Religionis pace comprehenſas, & vnde veluti ex fonte cõmerciorũ præcipuorũ emolumenta manant, tam principib. viris, quam cæteris inprimis fructuoſa: Has igitur tales terras quicunq; non amplius populando deuaſtari: quicunq; Germanicæ nationis à maioribus acceptam libertatem, pacemq; publice & de religione conſtitutam, ſaluã integrãmq; eſſe cupit: Quicunq; non vult, neq; ferendum eſſe cenſet, Maieſtatem ſacri Imperii à Germanica natione in Hiſpanicam transferri, atq; ita Hiſpanicam gentem ad dominationis infinitam potentiam extolli, & Monarchiam Chriſtiani nominis ipſis contingere; quicunque optat Turcicæ immanitati occaſionem nouæ expeditionis eripi, & poſtremo ab vniuerſo nomine Chriſtiano perniciem interitumque auerti: Eum oportet nulli rei parcere, quo minus à ſeſe principis Auranienſis iu-

Gedrucket.

Dux Albanus.

Comminatio.

* Hertzogthu Brabandt vnd Belgicum hangt am Hauß Burgundt vom Philippo Burgundisch hero.

† Belgicum membrum Imperii.

* Pfalzgraff Johan Caſimir.

Vnter Burgundt/wie dann vnter dẽ Burgundiſchen vertrag auch Brabant vnd Flandern begriffen Anno 48 Abſchied fol. 12.

Finis huius conſilii.

iu &

ſti & neceſſarii conatus adiuuentur. Ac potius ad eum ſuſtentandum, inſtruendumq; & augendum pecunias, militem, inſtrumenta bellica, commeatum, & quæcunq; prodeſſe ei poſſint adhibere atq; conferre, tam conſulendo, quam opem re ipſa ferendo. Nam id quod ab ipſo ſuſceptum eſt & agitur fortunante Deo æterno (de quo clementia benignitaſq; huius ardentib. precib. imploranda eſt) magnopere conducet Germanicæ nationi, & hoc pacto eorum hoſtium, qui ſitiunt ſanguinem Germanicum, impium & Tyrannicum propoſitum impedietur, & coniunctis cóſiliis atq; opib. nefaria vis illorum à noſtris capitib. fortuniſq; facile propulſabitur. Neq; eſt quod quiſquã cogitet, Non referre ſua quid Auranienſi cum Hiſpanis negocii ſit: ſibi non expedire, vt alienis ſeſe negociis admiſceat. Satius eſſe quieſcere & attendere belli iſtius fortunam. Quod ſi ita omnino neceſſitas poſtulet, appropinquante incendii periculo, tum demum ſuas etiam ſe partes acturum eſſe. Nequaquã iſta via eſt, qua ad impendentia pericula communiter vniuerſis & calamitatem malorum (quæ ante oculos ſunt) auertendam perueniri poſſit. Quoniam.n. (quemadmodum ſupra demonſtratum eſt) commotæ res commune periculum omniũ complectuntur, debet ſc. vnuſquiſq; (cui communis patriæ, & ſua propria ſalus atq; incolumitas cordi eſt) pro ſua virili ad pericula communia auertenda, in tẽpore accurrere, & tantopere afflictis rebus, & laboranti patriæ ſuccurrere. Neq; quicquam fieri poſſet dementius, quam de cætero videre & pati, vt Auranienſis princeps prius euerteretur, & ipſi ita demum negotium illud in manus vellent ſumere. Cum tam præclara offeratur occaſio bene gerendæ rei, de nequaquam contemnendo exercitu, quem princeps Auranienſis iam confecit, cuius eſſet dementiæ, aut veſaniæ illam è manibus dimittere? Ac non potius quærere rationem ſumma cum diligentia ne copiæ collectæ diſſipentur? Quo melius hoſtiles impetus refutari poſſint, aut certe exercitus retineri integer & indiſtractus, donec Imperatoria Maieſtas, & ordines Imperii ad agendam hanc rem conueniant, & illam in manus communiter explicandam ſumant. Non etiam par eſt, vt deterreri ſeſe aliquis ſinat metu periculi imminentis ab Hiſpanica ſæuicia, ſi forte eis in hac cauſa cõiunctio ipſius indicaretur. Haud.n. ignorat Hiſpanica ſolertia, principẽ Auranienſem nequaquã potuiſſe ipſum per ſe tantum bellum parare, niſi ab aliis omnis generis adiumẽta ad hoc afferrentur. Et ideo, ſi (Deo æterno, quod abſit, permittente) eo potentia Hiſpanica progrederetur, vt Germanicas etiã terras adoriri non dubitaret, non eſt ſperãdum habiturus tunc tales hoſtes, vt parcendo vlli à vi & iniuria abſtinerent, ſiue contra ipſos ſtetiſſet, ſiue nõ ſtetiſſet. Cum finis tyrannico iſto incæpto propoſitus ſit, non ſingularis alicuius animaduerſionis, ſed multo magis, poſt religionis purioris impeditum, vel etiã exterminatũ cultum, generalis vaſtitatis & totius nationis Germanicæ in ſeruitutem indignã redigendæ, & ſacri Imperii ab hac (quemadmodum ſupra dictum eſt) alio transferendi. Quocirca ſiue aliquis Hiſpanicæ audaciæ aduerſatus eſſet, ſiuẽ nõ eſſet, nihilominus in euentũ de quo dictum eſt (quẽ propitius Deus clementer auertat) omnes æque in diſcrimen vocarentur. De quo vnicum exemplũ actionum in Belgio proponatur, & cõſideretur: quid profuerat Illuſtrib. in Belgio quibuſdam viris, ab aliis ſeparatio ne quid contra Hiſpanicã gentẽ moliri viderentur. Hi.n. quo conſilio periculũ vitare, & ſibi cauere voluerunt, eo ipſo in communẽ calamitatem implicata fuit pernicies eorum. Quod ſi coniungi ſeſe cum aliis fideliter & ſtrenue, publica priuatis præferendo, ſtuduiſſent, neq; tergiuerſando & ſibi priuatim proſpiciendo, cõmunem ſalutem neglexiſſent: ad hunc fortaſſe diem vſq; conſiſtere & ſalua Repub. incolumes permanere potuiſſent, ſine dubio.n. mala publica & clades cõmunes ſingulos etiã corripiunt, & in domos illorum penetrant. Similiter nemo perturbari percelliq; animo debet, cogitatione ſumptuum, quos impendi opus eſſe videatur. Multo.n. præſtat aliquid de ſuis facultatib. conferre ad communis patriæ (cum cuius fortuna vniuſcuiuſq; ſua fortuna coniuncta eſt) defenſionẽ & conſeruationem, quam ſi hoc nõ fiat, & neceſſitati communi ſuam aliquis operam ſubtrahat, periculũ cum infamia adire, omnia ſua bona, vna cum religionis cultu, libertate, & ſacri Imperii Maieſtate amittendi. Neq; abiicienda ſpes eſt, confecto bello iſto (ſecundũ Dei æterni propitiam voluntatem & clementem opem) ex animi amantium patriam ſententia, impenſos ſumptus reſtitutum iri, vel recuperando ab autorib. & ventilatorib. tam nefarii & calamitoſi belli, vel contributione legitima, & ordinaria, ſecundum conſtitutam publica & religionis pace executionis rationem, de quo paulo poſt plura: vt dubitare debeat nemo, tam de impenſis ſumptib. reſtituendis, quã acceptis damnis ſarciendis. Quapropter nemo omniũ patietur (quo minus in præſentia celeriter omnib. virib. ſuis Reip. periclitanti, ſicut oſtenſum eſt, ſubueniat) obſtare vel metũ periculi, vel ſolicitudinẽ ſumptuum faciendorum, in hac ita communi iam vt ad ſingulos pertinente neceſſitate, quemadmodũ ſupra plane eſt demonſtratum. Quod ſi quis forte ita etiã ſperat ſeparatione & deſertione ſua periculũ ſe vitaturũ neq; impendio facultates ſuas diminuturũ eſſe ſtatuit: is videat ſane ne iſta ſua cautione in grauius periculũ incidat, neue maiores impenſas ſumtuſq; facere, & minus tolerabilia damna perpeti, & præterea probrũ contumeliamq; tanto in diſcrimine, reſpectu ſuo deſtitutæ patriæ ſuſtinere cogatur. Ideo autẽ ſtudioſius in hoc eſt incumbendum, ne iam congregatæ copiæ principis Auranienſis diſſipentur, ſed vt potius ad ſacri Imperii & cõmunis patriæ defenſionẽ retineantur & ſuſtententur, Quod Imperatoria Maieſtas legatos mittere ad regem Hiſpaniarum, & graui admonitione eũ cohortari decreuit, Ne tam miſere & indignũ in modũ Belgicas terras affligere perſeueret. Quæ res multo plus habitura eſſet momenti, atq; ponderis, ſi exercitus (cuius iam ſæpe mentio facta eſt) integer & plenus conſeruaretur, quã ſi omni ope aliorũ deſtituto principe Auranienſi, vel diſſipatio copiarũ iſtarum accideret, vel (id quod multo eſſet deterius) arridentis fortunæ proſperitate aliqua in conflictu, Hiſpanicæ ſuperbiæ ferocia augeretur, & fieret inſolentior: Furioſius deinde abſq; dubio, & in terris Belgicis, & in Germanicum ſolum, procedendo graſſandoq;

Quis credidit auditui noſtro
Der gut Prinz hat ſich ritterlich auffgehalten / biß er entlich *proditorie* in ſeim *conclaui* jämmerlich erſchoſſen worden.

Nit beſſer / als wie diſe wüterich gegen den armen *peruaner* vnd Orientiſchen *inſulanen* in jenen Tyranniſirt haben.

Furor Hiſpan.

ſæuitiam, crudelitatemque ſuam exercituræ. Iam ſi legatione illa nihil proficeretur, neque ſuccedéret conſilium pacandi Belgicas terras, & rem Germanicam tuendi atq; protegendi, & S. Imperij Maieſtatem ſtabiliendi: tum deinde nihil aliud reſtat ad ſacri Imp. & Reip. non tam dignitatem, ſed plane ſalutem conſeruandam, niſi vel Imperatoria Maieſtas vna cum Electoribus & cæteris Principib. ſacrique Imperij ordinibus, ſæpe memoratum Auranienſis Principis exercitum ſuum & proprium conducendo efficiat, ſtipendijs cõmuni impendio perſoluendis, ſecundum de publica & ad religionem ſpectante pace conſtitutionis ordinationiſq; executionem. Qui quidem exercitus ita poſcente re, augendus etiam, & firmior efficiendus eſſet, & eidem ab Imperatoria Maieſtate, ſacroq; imperio, caput idoneum præficiendum, à quo ille Imperatoriæ Maieſtatis & ſacri Imperii autoritate, & loco duceretur, & aduerſariis legitima denunciatione bellum indiceretur, & ita ſub Dei æterni tutela procederetur ad calamitoſarum primum Regionum Belgicarum defenſionem, quæ (ſicut dictum eſt) conſtitutione de publica & religionis pace comprehenduntur. Deinde ad liberandam grauiſſimis periculis, & infinita ſolicitudine Germaniam vniuerſam, propter malitioſos Hiſpanorum conatus, quorum violentiæ & iniuſtis actionibus obuiam eundum, & omnibus viribus reſiſtendum: Et ipſis à dominationis in Belgio ſpe deiectis, & inde eiectis, communi ita patriæ anxietas demenda, & liberatæ periculo quies ac tranquillitas reſtituenda eſſet. Vt tam Hiſpani ipſi, quam alii quicunque perſpicue cernerent nationem Germanicam (quamuis multi propter varia & triſtia exorta diſſidia, vt controuerſiæ nunc de religione ſileantur, aliter cenſeant) ad defendendam tuendamque libertatem ſuam, & ſacri Imperii Maieſtatem conſeruandam, & propugnandam pro capitibus & fortunis ſuis, & Reipublicæ ſtudia, conſilia, animos, vires, pecunias, omnia quæ debent & poſſunt coniungere, ad hoſtiles impreſſiones repellendas, & externorum aggreſſionibus reſiſtendum. Ad hæc magnopere profuerit, vt non ſolum Imperatoria Maieſtas generali, ſed ſinguli etiam Electores cæterique Principes & ordines ſacri Imperii edicto peculiari ſeuere prohibeant, ne quis ſuorum, durante iſto infelici bello (quandoquidem tantam hoc cladem ſacro Imperio minatur) cuiuſcunque loci ille conditioniſq; ſit, ſua opera militando hoſtibus inſeruiat: ſi qui autem forte apud illos mereant, vt illi inde auocentur, & iubeantur quamprimum relinquere aduerſariorum Hiſpani ea caſtra, & inde diſcedere, cõtumacibus pœna amiſſionis feudalium & aliorum bonorum, quæ poſſideant, aut alia graui pœna propoſita, atq; indicta, ſi qui forte nihil talium bonorum habeant. Quia autem metuendum eſt, ne aduerſarii (cum pecunia nequaquam deficiantur) conentur promiſſione largitionum atq; mercedum aliquos ordines S. Imperii commouere, ſibiq; conciliare, vel etiam per eos incẽdium aliquod exitiale in Germania ſuſcitare: Eam ob rem inprimis expediret, vt præcipui Electores & cæteri Principes atq; ordines S. Imp. quamprimum fœdere inter ſeſe facto fidem mutuam in hanc conditionem darent: quicunq; ex ipſis ante belli iſtius finem, & priuſquam Germania aliquoties iam memoratis periculis atq; angoribus liberata eſſet, pecuniam conditionemue vllam ab Hiſpanis ipſe acciperet, ſuiſue accipiendi, aut commeatus poteſtatem faceret, aut Hiſpanos vlla re ſubleuando augendoque iuuaret, clam palamue: eum pro patriæ communis proditore, & improbo violatoreque fidei, & infami homine deinceps habendum eſſe. *Fœdus.*

Præter hæc finitimorum regnorum poteſtates, verbi cauſa, Galliç, Angliç Scotiæ, etſi abſq; dubio nequaquam ignaros, neq; oſcitantes (non enim obſcurum eſt, quibus artib. iampridem machinetur natio Hiſpan. regna iſta per inteſtina diſſidia atq; bella dilacerare atq; debilitare, quo facilius tandẽ in ſuam ditionem illa redigere poſſint.) Has igitur poteſtates admoneri tamen & fieri certiores impendentium ipſis quoq; periculorum, prodeſſet, ab aliquib. qui autoritate apud quoſq; valerent, & orari, quo magis communiter & ſingillatim imminentia pericula auertantur, ne ſinant fraudulentis aggreſſionibus impelli ſeſe, vt Belgicis terris Germanicæue nationi noceant, aut aduerſus illas quicquam moliantur, neue Hiſpanos non modo milite commeatuue, aut aliis rebus vllis iuuent, ſed contra eos potius (à quibus nihil niſi hoſtilia omnia, ipſis quoque reuera expectandum ſit) Belgicis terris & reliquæ Germaniæ fideliter & amanter ſeſe adiungant, conſilioque & ope aſſint. *Diſcordia.*

Præter cætera quidem Reginæ Anglicæ & Gubernatorib. in Scotia, hoc quoq; ſubijci poſſet, abſq; etiam alijs eſſet inſidioſis machinationibus aduerſus regna ipſorum, id tamen eis cogitandum, quid multis iam annis contra eam religionem, quæ à Papiſticis errorib. abducta eſt, cõſultum tentatumq; ſit, & adhuc tentetur, vt eam ob cauſam tanto promtius immenſæ ac ſceleratæ cupiditati Hiſpanorũ & his adhærentium opponere ſeſe debeant, ne ſi illi purioris religionis vſum alijs in locis ſuſtulerint, pariter in Anglia, Scotiaq; idem aggredi audeant, eadem cõmonefaciendo ſignificari principi Condenſi, itemq; Ammiralio, & cum his coniunctis, nec non Heluetijs, & ciuitati Geneuenſi, & peti poſſet, ne ad commoditatem Hiſpanorum, & his adhærentium vllis externis copijs tranſitus per ipſorum ditioni ſubiecta loca concederetur, ac potius, vt tranſire volentibus omnes vires ſuas opponerent. Cum nihil aliud eis ſtatuendum ſit, quam rebus alibi confectis, & purioris religionis cultu eiecto, futurum, vt ipſi quoque ſimilem fortunam experiantur. Prodeſſet etiam Galliæ Regem ab aliquibus Electoribus, alijſque Principibus ipſi familiaribus, & quibus ab eo fides haberetur, accurate admoneri, ne ſineret circumueniri ſeſe Pontificijs & Hiſpanicis irritationibus atque conſiliis, Cum ea cuncta (tametſi verbis prætendatur extirpatio eorum, quos * Hugonotos appellant) reuera tamen eo tendant, vt Gallicum regnum maioribus cladibus affectum atrocius diſcerpatur, & viribus ac vitis ſpoliatum debile penitus & infirmum efficiatur. Et ideo in poſterum eo diligentiore nimirum cuſtodia attentioneque opus fuerit, cum præſertim Galliæ regnum iam fraudum & *Tragici horum caſus ab anno 1572. noti ſunt.* ** & Fribo…*

 impo-

impoſturæ iſtius fructus miſeriæ & calamitatis maximæ perceperit, & niſi prouideatur, vberiorē perceptūrum eſſe videatur.

Quocirca ſi quis & Regi & ipſi ex animo bene vult, & regni felicitatem expetit, is aliud conſilium dare nequeat, quam vt pax de religione nuper rurſum facta atque ſancita, ſeruetur inuiolata, neque mutationi vlli locus relinquatur. Quinetiam ſi qua in parte pax illa forte laboret atq; nutet; optimum fuerit, rationem quamprimum iniri, qua vndique illa fulciatur atque ſuſtentetur, ne perturbare volentibus vlla ſpes amplius relinquatur.

Quamuis autem non ſint fortaſſe defuturi, qui inculcare Regi Gallico opinionem conentur, quaſi ad Maieſtatis ipſius diminutionem vergat, aut conſcientiam offenſurum ſit: ſi ipſe tam potens Rex ſuæ poteſtatis ſubditis tali in negotio tam arcte obligatus eſſe debeat, vt ſeruari conſtituta neceſſe ſit: contra tamen hoc eſt conſiderandum, magnos potenteſque Reges ac Principes perinde ac alios inferioris conditionis homines neceſſitate eo interdum adigi, vt temporibus obſequi, & quaſi habenas præſentibus rebus laxare cogantur, ne pertendendo & renitendo maiores calamitates commoueant. Atque hac conſideratione ſuperioribus annis magnanimus ac potentiſſimus Princeps Imp. Carolus V. & deinde opt. Princeps Imp. Ferdinandus (ita temporibus ac rebus poſtulantib.) & vt maiores pernicioſioreſque diſtractiones atque turbæ, tam Eccleſiaſticæ quam ciuiles prohiberentur, primum tranſactionem Paſſauienſem, & deinde conſtitutionem pacificam de religione admiſerunt, ratamque habuerunt, & toto tempore vitæ ſuæ inuiolatam ambo ſeruarunt: quemadmodum adhuc nihilo ſecius Imperatoria iam Maieſtas ſeruat ac tuetur. Et inde ſacro hactenus Imperio pax, & quies, & proſperitas vbique contigit. Quod ſi illa tranſactio & de religione pacis conſtitutio non extitiſſet, vix aliter factum eſſet, quam vt publicus ſacri Imperij ſtatus penitus concideret, & vtriuſque partis religio iamdudum confuſa extingueretur.

His etiam rationib. mota imperatoria iam ſacratiſs. Maieſtas committere nequit, quin Auſtriacis ſuis ſubiectiſſime hoc ſupplicatione petentibus in præſentia doctrinam Auguſtanæ Confeſſionis vſurpandam, congruenteque diſciplina exercendam clementiſſima conceſſione permittat. Idque exemplum ad alios quoq; (vt credibile eſt) ſimiliter neceſſitate poſtulante, deinde pertinebit. Hoc igitur cogitetur, cum tam excellentes ſapientia, virtute, potentia Imperatores tres Romani, quadam ſerie ſucceſſionis ſinguli toto tempore gubernationis ſuæ, aliter facere, quam narratum eſt, non potuerint: ita ſcilicet poſtulantibus temporibus atque rebus, & vt quies concordiaque permaneret, & excluderentur cauſæ diſtractionum, atque turbarum, euentu etiam teſtante, quantopere hoc profuerit, vt pax & tranquillitas in ſacro Imperio duraret, neque in religionis & alijs publicis negocijs maiores confuſiones & grauiora incommoda exiſterent. Quid obſecro Regi Galliarum (qui honoris cauſa nominatur) dubitationem incutere poſſet, quo minus pax cum ſuis facta, & quaſi fœdus quoddam initum, minus ſancte ſeruaretur? Cum præſertim re ipſa compertum ſit, & recentia exempla approbent: quamdiu ſuperioribus annis facta conſtitutaque religionis pace in Gallia firma manſit, tamdiu regnum illud acquieſcens priſtinum florem recuperare cœpiſſe: & contra, vbi primum conuentis ijs ſtari deſitum, & pax rupta eſt, rem ad extremas miſerias & calamitoſiſſimam vaſtitatem recidiſſe. Id quod magnopere verendum eſt, ne multo magis vehementiuſque accideret, ſi nuper facta pax ſancitaque tolleretur, violareturque. Quapropter qui aliter ſuadet, quam pax illa vt ſimpliciter ſeruetur, is Regi & regno pernicioſe & plane exitialiter conſulit. Quod ſi forte princeps Condenſis, & cum ipſo coniuncti viderentur impedimento eſſe, quo minus pax conſtaret. Idque ab ipſo Rege indicaretur Electoribus, & cæteris Principibus fideliter ipſum admonentibus, ita officium horum eſſet, vt humaniter atque amanter illos cohortando ipſi deinde abducerent, & ad omnia quæ fieri, æquum iuſtumque & rectum eſſet, † vt

† *Omiſſa aliqua videntur.*

Eadem ſimiliter regibus Daniæ ac Sueciæ (inter quos iam de pace agi, & huius firmandæ bonas ferri conditiones, fama eſt) Itemque ducibus Holſatiæ, Meckelburgi, Pomeraniæ, necnon finitimis ciuitatibus maritimis demonſtrarentur, & ab illis peteretur, ne terra mariq; (qua paterent loca ſubiecta ditioni ipſorum) militem commeatumue ad Hiſpanos, & ſocios ipſorum peruenire finerent, ac potius, vt conſilia vireſque omnes coniungerent, ad reſiſtendum impijs & Reip. exitioſis conatibus ipſorum, & adiuuandum eos, quibus illorum violentia atque ferocia premendo manifeſta eſt. Plurimum autem conduceret, & maxima afferretur rebus his vtilitas, ſi ab ijs (quorum honorifice, ſicut decuit, mentio ſupra facta eſt) Regibus & ciuitatibus vna, & ab Anglis Scotiſque altera claſſis inſtrueretur, quibus claſſibus hoſtium loca in Phriſia, Holandia, Selandia, Flandria potirentur adoriendo, & cogerentur hoſtes propter tales impreſſiones diuidere copias ſuas, & in diuerſas curas cogitationeſque diſtraherentur animi ipſorum, ſi negotia vndique eis offerentur, ſimulque nauigatio ex Hiſpania impediretur. Atque hac via propemodum quam facilime perueniretur eo, vt maximæ difficultates obijcerentur, & præcipua detrimenta inferrentur hoſtibus.

Claſſis inſtruenda.
Diuidere copias.

Poſtremo, quoniam Rom. Pontif. & factio illius (quippe qui malorum iſtorum autores & incitatores ſunt) ſine dubio non erunt ſomniculoſi, aut deſides, excogitandis & parandis omnib. quibus primarij principes aliqui & ordines S. Imperij (qui ceremonias adhuc Romanenenſes obſeruant) cuiuſmodi videri poſſint ambo Archiduces Auſtriæ, Dux Bauariæ, Epiſcopus Saltzburgenſis, & alij fortaſſe Eccleſiaſticæ, & non Eccleſiaſticæ poteſtates, aduerſus cæteros Electores alioſque Principes & ordines ſacri Imperii, atque adeo aduerſus ipſam Imperatoriam Maieſtatem excitentur, & in-

ſligere

ſtigentur, aut alio quopiam pacto adducantur, vt cum Hiſpanis facere ſtateq; non dubitent, prætenſa falſa ſpecie, & diſſipatis fictis rumoribus, quaſi hoc propoſitum ſit atq; agatur, vt vel à religionis ipſi ſuæ vſurpatione diſcedere compellantur, vel dignitatis fortunarumq; aliquid eis extorqueatur. Hæc cum ad iſtum ſeſe modum habeant, res poſtulare videtur, vt iſti principes atque ordines ſacri Imperij ab alijs bonam apud ipſos exiſtimationem habentibus, fideliter & vere edoceantur, eiſque clare demonſtretur: Quonam ſpectent, & ad quem finem directæ ſint Pontificiæ & Hiſpanicæ fraudulentæ machinationes: & quod non agatur religionis potiſſimum ab illis cauſa, ſed inſidiæ ſtruantur, & paretur euerſio ſaluti incolumitatique Germanicæ nationis, & ad inuadendam comprimendamque Germanicæ nationi hac extrema mundi ætate diuinitus tributam Maieſtatem ſacri Imperij malitia impiæ audaciæ illius viam affectent, quam Hiſpani Pontificia autoritate freti nationi Germanicæ ademptam ſibi vendicare, nobiſque iugum ſeruitutis Hiſpanicæ imponere, & ita Monarchicam Chriſtiani nominis dominationem obtinere moliantur. His addi oporteret commonefactiones petitioneſque: ſi forte res aliter ad eos delata, & diuerſa vel contraria quoq; ſignificata eſſent, aut deferrentur ſignificarenturque, ne fidem his habere, omninoq; præbere aures ſuas vellent, neue vlla orationis commoditate perſuaderi ſibi paterentur, vt quicquam ſuſciperent agerentue contra Electores & cæteros Principes, ſacrique Imperij ordines, quo & publicæ, & de religione pacis Conſtitutiones vlla in parte violari videntur. Sed vt multo magis ipſi tanquam inprimis ſpectata ſacri Imperii membra libertatem dignitatemq;, imo ſalutem & incolumitatem communis patriæ, nec non ſacri Imperii Maieſtatem coniunctis conſilijs & opibus defendere tuerique ſtuderent, Hiſpanicæ ſeruitutis iugum excutiendo, & horum violentiæ atque ſæuitiæ reſiſtendo. Quorum dominatio quam ſit grauis atque intolerabilis, & ſentiunt proh dolor, & alijs documento eſſe poſſunt terræ Belgicæ tam miſere lamentabiliterque afflictæ atque vaſtatæ. Cum quidem hactenus Germanica natio aliis imperare, non aliorum Imperium perpeti aſſueuerit.

Das hat man hoc tempore (an 94.) ab dem Firmgöſtlichen Zuſtand zu greiffen / da durch Spanniſche Jeſuitern ein König nach dem andern proditorie mit Meſſern hingericht / oder je jämmerlich zu erſtechen, plus quam barbarica fur[...] vnterſtandt zu worden.

Germanica natio imperare, non ſeruire ſueta.

Ad has cohortationes commonefactioneſq;, ſi forte difficiliores minuſque animis (pro ſua quiſq; virili) parati reperirentur (id quod de ipſis genere & origine Germanis, & ſpectatæ ſingulariſque dignitatis ſacri Imp. membris, nullo modo ſuſpicandum, ac potius meliora præſtantioraq; omnia ab ipſis expectanda ſunt) facile tamen ipſi intelligere ſtatuereq; poſſent. Quicquid calamitatis cladiumque & detrimenti hinc communi patriæ, amittendo cum libertate priſtina ſacri Imperii Maieſtatem & reliquam laudabilis ſtatus felicitatem, inferretur, id vniuerſum mox ipſis ſingillatim quoque participandum eſſe, & ſi quando iſta forte corrigere, & admiſſa mala depellere cuperent: ſero hoc eos (opportunitatis occaſione amiſſa) facturos conaturoſque eſſe.

Atque hæc & ſimilia argumenta apud ſupra memoratos alioſque etiam reges & ordines ſacri Imperii, pro eo atque res feret, ſcribendo legatoſue mittendo, explicare copioſius, diſertiuſq; & ſtudioſius licebit. Germanica ſane natione oculos aperiente, & ea, quæ demonſtrata iam ſunt, quæq; inde dependent, contemplante, & præſentem miſeriam vna cum periculis impendentib. conſiderante, atque S. Imperii corpore, capite, & membris (ſicut decet) conſentientibus, ſique omnes deinde & ſuarum virium virtutiſq; robur exercere, & ſupra indicata adiumenta aſſumere non omiſerint. Quantumuis magna ſit Hiſpanica potentia, & Papiſtica vehemens incitatio, & ſubſidium iſtud ingens, & fraudulenta malitia immenſa: optimam tamen ſpem concipere liceat (Deo æterno benigne aſpirante) auerti depellique poſſe mala ac incommoda omnia, & perfici, vt non ſolum miſere indigna tyrannide oppreſſæ terræ Belgicæ conſeruentur, ſed ab Imperij ſacri corpore, & Germanicæ nationis ceruicibus tam clandeſtinis inſidijs, quam manifeſta vi, & nefarijs iniurijs propulſatis, quies, pax, tranquillitaſque reſtituatur. Atque ſi Hiſpanica gens tam ſtudioſe atque prompte & fortiter coniungere ſeſe Imperatoriam Maieſtatem, & ordines ſacri Imperij animis voluntatibuſque conſentire cernerent, ſibique vicinam aliorum potentiam (neutiquam dimittendo è manib. Principis Auranienſis exercitū) conciliare animaduerterent, futurum eſſe credibile, vt à pertinaciæ ſuæ propoſito diſcederent, & aliter gubernare inciperent terras Belgicas, neque has de poſſeſſione libertatis ſuæ, & eius ſtatus, quem in ſacro Imperio tenent deijcere conarentur, atque ita ſeipſos quoque ex periculis & curis varijs (in quæ deferri facile poſſint) euoluerent. Cum quidem Rex Hiſpaniæ illarum terrarum dominus eo nomine cliens ſeu vaſallus ſacri Imperij, & ad legitimam gubernationem, & conſeruandam augendamque, vel non reddendam ſaltem deteriorem conditionem clientelæ ſeu feudi ſui, iureiurando obſtrictus ſit. Præclariſſima autem virtus & illuſtriſſima laus eſt in Rege, quanto maiore potentia cæteris ille præſtat, tanto enixius colere veritatem, non modo in religioſe promiſſis, ſed ſingulorum quoque verborum affirmatione. Neque inani falſæque opinioni locus eſt relinquendus, quaſi eo hæc pertineant, vt Regis Hiſpaniarum poteſtati ditionique terræ ſubiectæ ipſi eripiantur, aut aduerſus ipſum aliquid hac conſenſione & apparatu ſtruatur, cum nihil quæratur aliud, quam patriæ communis & Belgicarum præcipuæ partis ſacri Imperij conſeruatio, & vis ac iniuriæ aggreſſioneſque hoſtiles prohibeantur, & inter terras in ſacro Imperio vbique pax concordiaque & amicitia confirmetur. Quod ſi Germani homines, Electores, cæterique Principes & ordines ſacri Imperij, neque indicatis periculis, neque malis, quibus affligitur communis patria, forte mouebuntur, neque ad ſeſe defendendos tuendoſq; virium virtutiſque ſuæ robur fideliter & ſtrenue coniungere volent, nihil aliud reliquum eſt, quam tandem vt ſubter iugum ſeruitutis Hiſpanicæ ipſis ſubeundum ſit, quandoquidem à maiorib. acceptam libertatem prodere, & temeraria negligentia perdere non dubitauerunt. Hæc etſi triſtiſſima eſt oratio, & bonæ exiſtimationi deinge-

Libertatem & religionem prodere.

niis Germanicis contraria, vt nihil tale futurum eſſe ſuſpicandum ſit, non fuit tamen in tam præſentē Reipubl. diſcrimine omittenda, vt non ſolum oſtenſa ſpe, ſed metu etiam incuſſo, omnium animi voluntateſque eo magis atque vehementius commouerentur impellerenturq; ad ſubueniendum adeo grauiter laboranti, & propemodum deploratæ patriæ, rebuſque afflictiſſimis. De quibus hoc ſcilicet reliquum eſt, vt imploretur miſericordia Dei æterni, & piis precibus impetratæ inſeruiat ſtudium mutuæ concordiæ & ſinceræ coniunctionis fidelium vniuerſorum.

III.

LIBERTATIS GERMANICAE QVERELA,

Ad

Anno Domini 1546.

ILLVSTRISSIMOS AC POTENTISSIMOS ROMANI IMPERII PRINCIPES: SIMVLQVE AD OMNES EOS, quibus Germana fides cordi eſt:

DE PATRIÆ SALVTE, AC DE COMMVNI omnium incolumitate conſeruanda.

EVSEBIVS PHILADELPHVS AMICO lectori ſalutem.

NVlla vnquam Reſpubl. fuit, nulla ciuitas, ac ne familia quidem vlla, quæ non ſua quadam libertate, pro ſua cuiuſq; ratione & modo frueretur. Noſtra vero Germania, cui Deus Opt. Max. præ cæteris nationib. bene voluit, vſq; adeo veræ libertatis fructum conſecuta eſt, vt non modo in Ciuili hominum vita, quod ipſum ad humanam felicitatem magnopere commendatur: verum etiam in religionis profeſſione, eiuſq; libero exercitio, quod ad æternam ſalutem pernecessarium eſt, vnicuiq; libero eſſe liceat. Verum vt ſemper ſui ſimilis eſt triceps ille Romanus Cerberus: ita quoq; noſtram tam excellentem libertatem adeo malis ominibus execratur, vt ad eam extirpandam penitus, longe maximis conatibus dies noctesq; incumbat. Quemadmodum vero Medea illa, poetarum fabulis celebrata, miſeriam quidem & incommoda ſua deplorat, ſimulq; & videre ſe, & intelligere id, quod rectum eſt, fatetur: neq; tamen vitare periculum, ſed vltro ſibi interitum accerſere contendit: Sic etiam plerią; hac noſtra ætate non modo de publicis miſeriis & calamitatibus grauiter conqueruntur: verum etiam videntes ac ſcientes, qua ratione iuuari poſſit, ac ſubleuari Germania noſtra: nihilominus tanta incuria, tantaq; negligentia rem illam communem curant, vt nequicquam meliora ſperantes, calamitatem aliam ex alia prouenire patiantur. Itaque LIBERTAS GERMANICA, *quæ ab hoſtibus nuper circumuenta, duo ſane grauiſſima vulnera accepit: hanc ad Germaniæ Principes* QVERELAM *habuit, quam ego, auribus meis perceptam, non feſtinanter magis, quam fideliter literis conſignaui: videlicet in eum finem tantum, vt qui in eadem Republica naui ſunt, ij omnes naufragij periculo excitati, tandem aliquando ſeriam de ſalute ſua cogitationem ſuſcipiant. Ego vero, qui nullius plane operam, in communi præſertim periculo, aſpernandam eſſe puto, eam ſpem animo concepi, vt nihil à me niſi honeſtum, nihil niſi boni viri officium, profectum videri queat. Faxit Deus Opt. Max. vt ij, ad quos iſta potiſſimum pertinent, ita munere ſuo & officio fungantur, vt quæ ad gloriam ipſius, & ſalutem patriæ opportuna conſilia habent, ea quam feliciſſimum finem, & quam citiſſime conſequantur. Tuum erit, Amice Lector, hoc votum meum pro tua virili parte, vel animo ſaltem, ac precibus adiuuare. Vale.*

LIBERTATIS GERMANICÆ, AD IMPERII Principes Querela.

QVod ad me grauiter admodum & periculoſe laborantem, tam frequentes ac dolentes conueniſtis, GERMANIÆ Proceres chariſſimi: equidem haberem vobis gratiam, niſi me veſtra potiſſimum culpa ad hæc tanta mala, tamq; indigna perduxiſſet. Neq; enim vos inficiari velle, ac ne poſſe quidem exiſtimo, quod me ornamentum ac delitias veſtras, neceſſariis præſidiis ac vigiliis veſtris deſtitutam, in hoc ipſo patriç ſolo ab inimicis circũueniri, prodi, inuadi, atq; adeo in conſpectu veſtro pœ mille inſidias ad mortem rapi permiſiſtis: quippe hæc omnia ita manifeſta ſunt, vt neq; animi veſtri, nec cõſcientiæ dolorem ipſi diſſimulare poſſitis. Sed habebo tamen gratiam, &, quod me ab interitu vindicare, quantumuis ſero, cupitis, mecum ipſa quidem, ſed mediocriter, vt licet, gaudeo. Sic enim mihi perſuaſum eſt, hoc vnum vobis magnopere cordi eſſe, vt ſi quid vſpiam redimendæ ac reparandæ ſa-

dæ ſalutis meæ vel animi, vel ſpei reliquum eſt, id omne hoc ipſo potiſſimum tempore in medium adferendum, ac priuſquam vires omnino deficiant, tempeſtiue adhibendum procuretis. Nam tametſi vulnera illa, quibus me Coniurati repentino conficere conabantur, adhuc quidem ſanabilia ſunt: tamen medendi mora periculū habet: ne prorſus mortifera facta, nullam deinde medicinā amplius admittant. Quamobrē adeſte animis: & quid mature factu opus ſit, breuiter ex me cognoſcite.

Ac primo quidem vulnere iſto, quod in præcordiis meis conſpicitis, Orthodoxæ religionis exercitium: Altero vero, prope iugulum accepto, ſalutarem illam παῤῥησίαν, quæ in publicis conuentibus tantopere neceſſaria eſt, totam deleri contigiſſet: niſi tremulas ſicariorum manus eo diuina bonitas auertiſſet: vnde vos quidem nonnullam de ſalute mea ſpem retinere, me vero tam grauibus ac tetris cruciatib. ſuccumbere pati non debetis. Quare quod primum iſthoc in pectore vulnus attinet, cui, meo quidem iudicio, primū mederi neceſſe eſt: id certe niſi ſaluberrimo ac pretioſiſs. CONCORDIÆ Balſamo (cuius ad eiuſmodi plagas longe maxima virtus eſt) ſanari nunquam poterit. Qua de cauſa veſtri muneris atq; officii fuerit, Illuſtriſs. Principes, vt, quemadmodum hoſtes noſtri non virtute aliqua peculiari, non arte laudabili, non viribus ſuis, ſed per ſimultates veſtras, atq; animorum offenſiones (quibus in Religionis controuerſiis, heu nimis diu conflictamini) non modo veteris beneuolentiæ & charitatis Chriſtianæ, verum etiam dignitatis ac potentiæ veſtræ diminutionē facere, ſicq; nunc tandem per meum latus vos ſinguli interimere conati ſunt: Ita & vos ſingulari ſtudio atq; omnibus virib. enitamini, vt priſtina illa ſalutaris CONCORDIA, quæ felicitatis ac gloriæ veſtræ fundamentum eſt, nunc iterum multo intenſius inſtauretur: & quod plurimum veſtra intereſt, quam citiſſime & altiſſime radices agat. Hac. n. denuo confirmata & ſtabilita, nihil porro cauſæ eſt, cur vel de mea ſalute, vel de veſtra incolumitate amplius diffidatis. Etſi vero pro ea reſtituēda nihil opus foret, Coniuratorum inſidias hic altius repetere: quippe quæ ex actionib. illorum, ſicut ex vnguibus leo, facile cognoſcuntur: tamen reuocare vobis in animum nonnulla conſtitui, vt medicinæ ferendæ neceſſitas, eiuſdemq; parandę opportunitas eo magis vos excitaret: Nam me quidem, vt aperte dicam, Coniuratorum manus iam tum oppugnare cœpit, cum Ieſuitę, peſtes illæ hominum (qui vniuerſum orbē peruagantes, in Gynæceis quibuſdam & ſuſpicioſe & intempeſtiue perluſtrandis, quam in Eccleſia Chriſti ædificanda maiorem operam nauarunt) ſe in complures Germaniæ prouincias, vrbes, ciuitates, oppida, caſtella, atq; adeo in aulas etiam principum, eorumq; familiaritatem perquam demiſſe inſinuarunt. Sic. n. illi & humiliare ſe primo, & paupertatem ſimulare, & vero ſuper omnia pietatem mentiri egregie admodum nouerunt, vt non modo incredibilem ex ficto nomine quæſtum, veræq; religionis opinionem conſecuti ſint: verum etiam Canum venaticorum inſtar, quib. ne Veteres quidem ſagaciores habuit, omnia Principum conſilia, omnia ſecreta & arcana Reip. diligentiſſime explorauerint. Quę ſingula poſtea cum primum ad ſuos delata, & cōmunicatis conſiliis diſputata fuerunt, tum miſſi ſunt ſtatim in Germaniam, quos nōnulli Oratores regios, quidam legatos Pontificios, alii nuncios Apoſtolicos, alii. v. aliis titulis vocant: ego, quo nomine appellem, haud ſcio, niſi forte, quod alios pretio & largitionib. alios ſpe & promiſſionibus, nonnullos metu ac minis tentare ac ſolicitare ſoleant: Inſidiatores patriæ, ac proditores recte vocari queant: Qui ſi tunc ſtatim à finib. Germaniæ prohibiti, atq; omnium ordinum conſenſu in poſterum abſtinere iuſſi fuiſſent, næ illi Veteratores vel virus ſuum in veſtras regiones nunquam intuliſſent, vel dignam pro merce mercedem à vobis cumulate reportaſſent. Sed poſteaquam illis ab initio ſtatim patriæ inſidiari, auro & argento rem agere, exploratores mittere, emiſſarios ac pēſionarios habere, & quocunq; vellent, ire ac redire, pro ſuo arbitrio licebat, illud poſtea multo indignius, multoq; grauius ſecutum eſt, quod externo principi, inimico prius, nunc hoſti veſtro, in publicis conuentib. in Comitiis Imperij, atq; in ipſamet Imper. Camera, non dicam ſua conferre, & in medium conſulere: verum etiam, proh dolor, iudicare & ſuffragia ferre in veſtris rebus, atq; adeo in veſtrum caput liberum eſſet. His vero tantis incōmodis ne tandem aliquando Remp. liberaretis, meamq; pariter ac veſtram ſalutem omnes vna voce, atq; vno animo defenderetis, illud potiſſimum fraudi & impedimento vobis fuit: quod animi veſtri in religionis controuerſia perturbati, & per Vulcanum neſcio quem, ita abalienati inuicem, adeoq; exacerbati fuerunt, vt quæ antea Reſp. veſtra potentiſs. principum armis, multorumq; populorum magnis exercitib. debellari plane haud potuit, ea ſuis ipſa diſſidiis conuulſa, atq; inteſtinis odijs enecata, miſerabiliter ruitura videretur. Neq; enim vobis facile fuit, dum eo domeſtico malo diſtracti priuatim laboraretis, vel de publicis negotiis ſerio cogitare, vel, quam multi boni viri exoptabant, de Reip. incolumitate rectam deliberationem inſtituere. Quod ipſum ſane quam vobis graue, & opportunum hoſtib. acciderit, id ex eo manifeſtum apparet, quod contentionibus veſtris, quaſi occaſione aliqua rei bene gerendæ inuitati, vſq; eo furore adacti ſunt, vt, quas iam diu mihi, quas vobis inſidias ſtruxerunt, eas nunc efferatiſſimo animo perſequi, atq; intentos ſuos gladios in viſceribus veſtris recondere ſedulo conentur. De me, quid actum ſit, videtis, de Colonienſi Archiepiſc. certe obliuiſci non poteſtis. Nam quid obſecro iſthoc rei eſt, Sacri Rom. Imperij Principem, & quidem Principem Electorem, adeo flocci pendi, ac ludibrio haberi, vt vel inuitis vobis, tam nefarie de ſupremo dignitatis gradu deijciatur? Quid, inquam, iſthoc rei eſt, eſſe aliquem ex veſtro ordine, quem domi ſuæ circumueniri, à ſceleratis hominibus oppugnari, atque inaudito hactenus, planeq; intolerabili exemplo, prius condemnari liceat, quam in iudicium cauſa deferatur, quam legitime cognoſcatur, quam recte vereq; dijudicetur? Ergone ſceleratiſs. latro, cui nihil vſpiam iuris denegatur melion cōditione eſt, quā ſacratiſſimi Imperij Princeps Elector, qui iudicatus prius, quam auditus condemnatur?

tur? Itane hominibus exteris, inſidiatoribus, æmulis, hoſtibus Imperii veſtri, tentare omnia, perturbare atq; euertere impune licebit? Itane homines ἄθεοι, irriſores & contemptores Dei (à cuius vnius potentia omnis humana poteſtas deriuatur) ſub religionis prætextu, etiam iuſta & legitima Imperia funditus extirpabunt? Nunquid hæc omnia eo pertinent, vt quid pro ſcelerata illa pontificia libidine, de vobis aliquando, quid de liberis ac poſteris veſtris futurũ ſit, non facile perſpiciatis? Nunquid vorago illa Romana iam pridem omnes fortunas veſtras, ſanguinẽ vitamq; animo deuorauit? Nunquid iſti ſancti viri, PATRES PATRIÆ ſcil. ii ſunt, qui non iam in rem familiarem, atq; in arculas veſtras, ſed potius in libertatem & ſalutem veſtrã, velut in medullas & oſſa inuadere contendunt? Nunquid hi ſunt, qui vitam & animas veſtras, atq; ipſum denique cœlum non oppugnare tantum, verum etiã pretio vendere nefarie cõſueuerunt? Neq; vero illi audiendi ſunt, nedum pro Chriſtianis habendi, qui vel minimum ex vobis propter Euangelii profeſſionem non modo non tolerandum, ſed ne ab aliis quidem, quã à Romanis iudicandum, aut certe ad internecionem vſq; perſequendum eſſe clamitãt: Qui ſi vel lucem ferre, vel ex veritate iudicare poſſent, næ illi poſtulatum à vobis ſæpenumero vniuerſale, liberum ac legitimum Concilium iam pridem inſtituiſſent: vt vel vos erroris, q̃ aiunt, vel ipſos perfidiæ, quam ſuſtinent, publice conuincere licuiſſet. Sed ita nimirum Diabolus ſaluti noſtræ inſultat, ita extirpandæ veritatis odio agitatur, vt etiam ex veſtro Ordine haud minimos furoris ſui adminiſtros nactus, omnem prope Germaniç oram terrore periculoq; mortis implicarit, atq; eo nuper peruenerit, vt Inquiſitione illa Hiſpanica, quæ contra Saracenos primo, atq; infideles tantum vſurpata eſt, etiam in Germaniam noſtram introducta, nil niſi cædem ex cæde, atque occiſiones crudeliſſimas expectare miſeri cogamur. Nos. v. qui tam longo terrarum ſpacio ab Hiſpaniis ſeparati, & cum eius gentis moribus atque inſtitutis nihil plane commune habemus, ecquis tam auſterus Auſter adflauit, vt pro reſtituendo ſupremo Imperii Tribunali, pro adminiſtranda iuſtitia, pro tuenda libertate, pro ſubleuandis oppreſſis, pro iuuandis innocentibus, atque vt omnia breuiter dicam, pro multis maximiſq; bonis, vnum tantum, ſed eiuſmodi malum, in quo omnia mala inſunt, HISPANICA videlic. INQVISITIO obtrudatur? Anne dirum illud atque immane monſtrum ipſa etiam Hiſpania & Aragonia? Anne Granatenſes, Caſtellani, Neapolitani, Itali, Galli, atque inter omnes omnium miſerrimi, inferioris Germaniæ populi, tot ſanguinis ſui profuſionibus tam crudelem belluam alere non poſſunt? Quæ vero iſta tam efferata, quæ tam inſaturabilis Hiſpanico Romana beſtia eſt, quæ non dicam vtique ſaginari, ſed ne quidem ad vmbilicum expleri Chriſtiano ſanguine poteſt? Neque vero nunc de finitimis dicam, aut Gallicarum cædum (quæ pro eius gentis infelici fato, vniuerſo regno exitium minantur) vel acerbi illius Belgarum incendii (cuius ſcintillæ ventorum vi diſperſæ, vtinam ne domi veſtræ nouo alicui incendio facem præbeant) ſed cum aliorum multorum, tum vero vel maxime Colonienſis Archiepiſcopi, Comitis Ortenburgici, Auguſtæ Vindelicorum, & Aquiſgrani Imperialium vrbium (quibus, Deum quæſo, ne alia quædam forte annumeranda ſit, quæ Imperio veſtro perhonorifica & fideliſſima, vni tantum Romano Pontif. obſequium præſtare recuſat) horum, dico, recentem memoriam & exempla ponderanda vobis exiſtimo, quæ ſicuti proprie ad vos, veſtrumque ius & priuilegia pertinent: ita quoque pro fide & officio veſtro, dextris veſtris defendi volunt, ac niſi cum manifeſta totius Imperij pernicie à vobis deſeri non poſſunt. Neque vero ſtoicam illam ἀπάθειαν vſque adeo animis veſtris inſitam & impreſſam eſſe exiſtimo, vt hæc tanta tot bonorum virorum vota, tot preces, atque etiam iuſtæ multorum querelæ, nullum plane humanitatis ſenſum, nulla innocentiæ ſuæ præſidia apud vos inuenire poſſint. Sic enim vobis, Illuſtriſs. Principes, perſuaſum eſſe debet, ſi qui ſint omnium hominum, quibus talem tantamque rem curæ eſſe oporteat: Vos illos potiſſimum eſſe, atque ad vos præcipue cauſam illam pertinere, quos Deus Opt. Max. in hoc tam exulcerato ſeculo Imperij Germanorum, & ſalutis publicæ vindices conſtituit: Vt, pro ſua quiſq; virili, tantum & prudentia veſtra, & animi moderatione, fide, ſtudio, vigilantia, & (vt omnia verbo dicam) veteri illa Germana Virtute, cuius apud omnes gentes immortalis gloria eſt, tantum ciuib. veſtris prouidere & conſulere ſtudeatis, quantum idem Deus noſter, pro ſua clementia conatus veſtros haud dubie adiuuabit, atque omnes boni viri non modo exoptant, verum etiam poſteritatis memoria perpetuo celebrabit. Sed hac vna in re, longe honeſtiſſima, quantopere vobis & animorum veſtrorum, & conſiliorum concordia opus ſit, quantumque in ea inſtauranda diligentiæ & laboris ponere, quam nullam, officii veſtri ac fidei partem prætermittere debeatis: Id vos ipſi, pro veſtra ſapientia, vel tacente me, præclare intelligitis. Hæc enim ſola eſt, quæ in dubiis rebus recta conſilia, in aduerſis conſtantiam & robur, in ſecundis animi moderationem, atque adeo in omni fortuna συμφωνίαν illam præſtat, ſine qua nihil à vobis cogitari, nihil fieri recte poteſt. Hæc, inquam, vna & ſola eſt, quæ arctiſſimum illud charitatis vinculum tuetur, & neque inuidiæ priuatim, neque ambitioni publice concedens, omnis felicitatis veſtræ, ac maieſtatis arcem conſtituit, quam ſi denuo inter vos confirmabitis, eiuſq; Balſamo meum hoc in præcordiis vulnus curabitis: nihil, vt dixi, cauſæ fuerit, cur vel de mea ſalute, vel de puriore veſtra, vere Cathol. & Apoſt. religione, amplius dubitetis.

RELIQVVM eſt, Illuſtriſs. Principes, vt etiam ad iuguli mei curationem accedatis, cui, meo quidem iudicio, propterea hoc alterum vulnus illatum eſt, quod coniurati, ea parte tantopere ſauciata, totam illam παῤῥησίαν, vt dixi, quam veritatis hoſtes ferre non poſſunt, plane ſublatum iri ſperabant. Quod enim vos homines nati, quod ad imaginem Dei facti, Ratione ſimul, & Oratione vti valetis, hoc iſti μισάνθρωποι, vel potius μισόλογοι adeo grauiter ferunt, vt vel omnino loquendi vobis, vel certe libere loquendi facultatem eripere conentur. Nam quod ſacrilegi illi Coniurati, ac ſcelerati Papicolæ

alii

affirmant,nulli hominum fas eſſe, vel de articulis fidei, vel de religionis controuerſia extra Concilium verba facere: Quod etiam in Politicis conſultationibus ita res comparata eſt: vt vos, non æquitate iuris,non cauſæ bonitate, non prudentia, non rerum vſu & ſcientia: ſed numero tantum à Pontificiis ſuperati, vel ſententiam libere non dicere,vel ſi dicatis forte, nihil niſi odium vobis,ac inuidiam conflare poſſitis: Quid,quæſo,id aliud eſt: quam vos ex loquentibus mutos,vel ex hominibus beſtias facere velle,atq; adeo Naturam ipſam,& Naturæ opificem, Deum Opt. Max. oppugnare? Neq; enim Oratio propterea hominibus tributa eſt: vt ſibi ipſi ad gratiam aut voluptatem loquantur: ſed vt eam,velut mentis interpretem, ac Veritatis teſtem, pro animi ſui ſenſu libere explicando,publice ac priuatim vſurparet: Maxime vero, vt in fidei confeſſione hanc Euangelii lucem, quæ poſtliminio vobis illuxit,vbiq; gentium conſtanter & profiterentur, & celebrarent. Quod ſi vero in Ethnicis laudabatur, non ſeruandæ ſolum, ſed etiam propagandæ religionis ſuæ ſtudium: quid vobis,Germani Principes,faciendum eſt: quibus immortali beneficio Dei,Pontificiæ tenebræ depulſæ, ac præ cæteris nationibus omnibus cœleſtis Veritas patefacta eſt? Itane vos illam ex animo ſimul,& ore veſtro eximi permittetis? Vos, inquam, quos Natura parens, vt loqui poſſitis: Ratio vero,vt pro animi ſenſu,ac libere loqui valeatis,tam præclare erudiuit? Itane vobis domi veſtræ,atque adeo de ſalute veſtra,libere conſultare non liceat? Itane hominibus liberis,non modo in ſuis rebus,verum etiam pro iure ſuo,neque mens ſatis libera eſſe poterit? Sed habet profecto contumelia iſta,neque obſcure habet,quendam veluti aculeum: quem neque generoſi animi diſſimulare, neque excelſi homines atque illuſtri loco nati diutius ferre debent. Cæterum quod alteram iſtam plagam attinet,quæ vobis curanda ſupereſt, hanc eo vobis faciliorem eſſe ſpero: quod nulla re alia opus eſt,quam magnitudine illa animi, & conſtantia veſtra Germana: Nimirum, vt quæ iam olim Germanorum Imperio multa & præclara priuilegia conceſſa: quæ à maioribus veſtris ſapienter inſtituta: quæ à vobis etiam ſtabilita,& ad hæc vſque tempora obſeruata ſunt: ea coniunctis animis, viribuſque inuiolata conſeruetis. Nam profecto vbi eam mentem tam excellentem,tam heroicam & virilem aduerſarii in vobis animaduerterint: Aut illi æquo in poſterum iure, & paribus ſuffragiis vobiſcum deliberabunt: aut certe iniquitatis ſuæ veſtigia,non preſſa leuiter, ſed fixa penitus,atque in omnium hominum oculis conſpicua demonſtrabunt. Neq; enim viri boni eſt,vel ſuffragiorum inæqualitate,vel largitionibus,vel etiam promiſſionibus in iudicio decertare. Hac vero æqualitate iuris, & paritate ſuffragiorum conſtituta,illud etiam elaborandum vobis ſupereſt: Primo,vt ſi qui forte præfractum nimis & amarulentum animum ad deliberationes adferant: ii vel comitate atq; exemplo veſtro, vel legum vi,& authoritate potius,quam duritie quadam,& atrocitate nimia in officio contineantur: Tum etiam,vt ſi quæ deliberata recte, & decreta à vobis fuerint, ne illa per occultos indices,aut pretio conductos homines aduerſariis prodantur. Cur enim,ſi quid in conuiuio liberius dictum eſt,non effutiendum eſſe putamus: Ea vero, quæ de Reip.negotiis arcana ſunt,non fideli ſilencio cuſtodimus: Cur ea, quæ foras proferri nefas eſt, etiam ad inimicos noſtros velociſſime percrebreſcunt. Sed ne querelam hanc longius perſequar, hic finem faciam: ne forte quis me de mea potius, quam de publica ſalute ſolicitam arbitretur: Quod tamen apud vos mihi verendum non eſt: qui cum mea ſalute incolumitatem publicam natura coniunctam eſſe intelligitis. Conſtitueram quidem, Illuſtriſſimi Principes, etiam in animum vobis reuocare,quo modo Hiſpani olim, inter omnes Europæ principes & fortuna ſua, & progenie longe humillimi, nunc, iſto Philippo rege,tot opulentiſſimorum ampliſſimorumq; regnorum Domino,per fas & nefas, facto: ſuis tamen prope innumeris populis, atq; immenſis opibus minime contenti: etiam aliorum principum florentiſſimis regnis,atq; adeo ipſi etiam Germaniæ veſtræ immaniſſimũ ſeruitutis iugum imponere: ſuam quiſq; crudelitatem & odium,quod in vos iam diu inueteratum habent, exſaturare: auro & argento fidem iuraq; publica venalia facere: quotquot poſſunt, nefarie corrumpere: finitimos veſtros ad fœdus pellicere: defectiones ſolicitare: atq; ex Imperio veſtro Tyrannidis ſuæ ſpectaculũ,acerbum vobis,atq; omnib.luctuoſum,facere dies noctesq; conentur. Sed quoniam ex iſto me dicendi labore feſſam,adeoq; vires & latera mea longiori ſermoni imparia eſſe videtis: veſtrum erit,ſingula illa diligenter,certoq; iudicio,& ſano ponderare: Præcipue vero,quid nuper renouatũ illud Coniuratorum fœdus (in quo,præter falſi nominis titulum, nihil omnino ſanctum, nihil religioſum eſſe poteſt) portendere vobis, ac minitari videatur: id veſtrum munus fuerit, pro magnitudine rei, accurate ſapienterque conſiderare. Hoc enim tempus illud eſt, quo & pietatem patriæ, & fidem ciuibus veſtris, & vniuerſo orbi magnitudinem animi reipſa teſtari oportet. Patefacta conſilia ſunt,& conſpirationes eorum, qui ceruicibus veſtris ſeruitutem imponere, vel certe Imperium Germaniæ vobiſcum commune habere conantur: quibus,niſi vos fidei ac fortitudinis clypeũ mature obiiciatis: actum eſt & de ſalute mea,& de Imperio veſtro. Vos caſum meum & vulnera vidiſtis; à quibus hominibus, quo animo, & in quem finem illata ſint: quanta item cura,quibuſque medicamentis ſanari queant: hæc omnia ex me perſpicue cognouiſtis. Nunc veſtrum eſt, viri Principes: ſi me,Ornamentum ac delitias veſtras: ſi felicitatis publicæ fundamentum: ſi præcipuam nominis veſtri apud omnes gentes gloriam: ſi me,inquam,animæ veſtræ dimidium, ſaluam & incolumem eſſe vultis: quæcunq; à me dicta ſunt,ea ex animo quidem ſolicito,ſed profecto ſplendoris veſtri,ac perpetuæ ſalutis cupidiſſimo,profecta eſſe exiſtimate: Quæ ſi pro mea quidem recuperanda; pro veſtra autem retinenda in columitate, ſatis eſſe non poſſunt: erunt tamen nihilominus & fidei meæ,& amoris erga vos,& Remp.veſtram monimentum: cuius nec pudere me,nec pœnitere apud bonos viros debeat. DIXI.

II.

Anno Domini 1599.

ORATIO, DE NOVÆ APVD EVROPÆOS MONARCHIÆ, PRO TEMPORE, ET AD INFRINGENDAM TVRCICÆ DOMINATIONIS IMPOTENTIAM, & ad ſtabiliendum CHRISTIANÆ Statum, vtilitate.

Auctore

ANDREA HOIO BRVGENSE, GRÆCARVM literarum apud Duacenſes Profeſſore.

QVÆRITVR: VTRVM SIT E RE CHRISTIANORUM publica, in tantis regnorum motibus, & impendente Turcarum tyrannide, Monarchiam Europæam ad Hiſpaniarum Regem vel vltro deferri, vel fatali quodam orbe deuolui?

OBIICITVR.

I.

GRauioribus olim motibus agitata, & maioribus oppreſſa fuiſſe calamitatibus videtur Europa, quum in eam tot ex Arctoa plaga Gentium barbararum examina, Gothi, Vandali, Hunni, vel ex Auſtro Saraceni inuaſerunt. Neque ad violentum Monarchiæ tamen nouæ remedium tum confugiſſe Europæos, quiſquam tradidit: ſed animos & arma ad hoſtem depellendum ſociaſſe. Nec igitur hac tempeſtate, in minore rerum motu, quum coniunctæ regnorum Europæorum vires Turcæ arcendo pares ſint, aut conducibile aut neceſſarium videtur, ſingulare imperium ad vnum quempiam regem deferri.

II.

Quælibet omnis fere memoria Monarchia à Tyrannide quid diſcreparit, non video. Sic Nemrothus robuſtus venator in ſacris literis reprehenditur. Cyrus, Alexander, Iul. Cæſar, quid niſi magni in magnis Imperiis Tyranni? Nihil autem quod cum iniuſtitia ſit coniunctum, Chriſtianitati conducibile eſſe, iuxta mecum iudicas.

III.

Et cum nihil minus quam probabile ſit, Monarchiam iſtiuſmodi, extra Tyrannidis crimen poſitam, aut ſuffragatione aut conſenſu ordinum ad regem, cui hoc decus ominaris, delatum iri: vt fatalem iſtum orbem, quo ad eundem deuoluatur, conſtituas: ridiculum erit, te vel ad aſtrorum vim, vel cæleſtium corporum circumuolutiones, aliaue id genus præſagiorum commenta confugere. Ridicula igitur fuerit tua de Monarchia iſta Hiſpanica quæſtio.

ORATIO, DE MONARCHIÆ APVD EVROPÆOS, in præſens, vtilitate.

EXcita terribili tremit omnis terra tumultu:
Fas verſum, atq; nefas. totum horrida bella per orbem,
Innumeræ hæreſeon facies: atque impia in omnem
Europam ſe turbarum violentia didit.
Hanc ita diſtractam ſceptris, odiiſque malignis,
Et reges Aſiæ & Libyæ ſibi deſtinat armis.
Sacra iacent, & iura: iacet, cum Regibus ipſis,
Maieſtas ſceptrorum, auſis violata profanis.

Adſpic

Adſpice conuexo nutantem pondere mundum,
Europamque malis præſentibus inclinatam.
Adſpice, vt Heſperium clament hæc omnia regem,
Effœtum obnitens humeris qui fulciat orbem.
Orta cadunt. Sed ab occiduo, mirabile dictu,
Orbe, nouum Imperii video conſurgere Solem.

PEterem à vobis, Ampl. & Hum. A. huiuſce vel meæ leuitatis, vel ſubiti caloris veniam, qui ad propoſitam quæſtionem, neque animo ſatis conſtitiſſe, neq; argumenti, quod tractandum pro tempore eſt, vim expendiſſe videar: ſed breui poeticorum verborum circuitu, totam rem, ceu factam, comprehenderim, & ſine vlla probationum antegreſſione, quod volui, collegerim. At bene habet: & de hac cauſa eſt quod haud peſſime ſperem. Nam huiuſmodi inflammatione & quodam ceu furoris adflatu, ex animo, in anguſtum coacto, expreſſa ſententia, non ſine omine breuiter excidiſſe: & mihi ad inueſtiganda, quibus probatam mihi ſtabiliam opinionem, argumenta, ſtimulus eſſe ſubiectus, exiſtimari poteſt. Quum enim ab harum Quæſtionum (quæ veterem Saturnalium imaginem repræſentant; ab vſitata Antiquis, hoc menſe Decembri, ſine licentia, ſeu libertate, Quodlibeticæ nominantur) ab harum, inquam, Quæſtionũ doct. præſide mihi proponatur, Sitne è re Chriſtianorum publica in tantis omnium regnorum motibus, & impendente Turcarum tyrannide, Monarchiam Europæam ad Hiſpanum regem, vel vltro deferri, vel fatali quodam orbe deuolui? atq; ipſe valido argumenti ariete præceptam animo meo opinionem labefactare contenderit: minime mihi committendum eſſe ſtatuo, vt ab eo, quod primis illis & ſubitis notionibus fuit informatum; quodque à veritate viſum eſt propius abeſſe, me patiar demoueri.

Verumtamen deferueſcente paullatim in me iſto animi impetu, quo correptus per immenſa ceu locorum ſpacia præcipiti volatu præteruehi, & in ipſum iam portum perueniſſe videbar; latiſſima camporum æquora mihi ob oculos obuerſantur, per quæ non ſine ſudore decurrendum, aut potius lento orationis vehiculo, ob ſalebras difficiliores, ſubinde ſit inſiſtendum, ante quam ad conſtitutam eius, quod perſuadendum ſuſcepi, metam poſſim pertingere. Ne tamen beniuola animorum veſtrorum, A. aura, vobis itineris magnitudine deterritis, me in vaſtum pelagus ingreſſurum, deſtituat; certis quibuſdam limitibus curſum, quem teneam, mihi ipſe circumſcribam. & vela, quod aiunt, contraham atq; ſubſtringam, ne prolixiore attentionis veſtræ fauore, ſi ad carbaſorum ſinus, nunc huc illuc exerrante, ſæpius obliquandos, crebro celeuſmate interpellemini, cũ moleſtia cogar abuti.

Et primo quidem, velut in tranſcurſu, Chriſtianam Europæorum remp. adactis alte, & ex alto vulnerib. ita confectam, vt conclamata ipſius ſalus merito iudicari poſſit, vobis ob oculos ſubiiciam. Deinde eidem iam depoſitæ, & inueteratis morbis modo non contabeſcenti fata vlterius proferri vix poſſe commonſtrabo, niſi, ceu ſalutari remedio, ſupremi & potentiſſimi Monarchæ inſtauretur & reuiuiſcat. Poſtremo, vnicum eſſe Hiſpaniæ regem, cui tantum reſtitutæ in melius Chriſtianitatis decus, cum totius reipubl. & ſacroſanctæ religionis incolumitate, partim fatali quodam orbe, hoc eſt arcano diuinæ prouidentiæ munere, partim ſaniorum paſſim hominum iudicus votiſque reſeruetur.

Omnia qua rerum iaceant perculſa ruina, Ante oculos, interque manus veſtras ſunt, ſpectatiſſ. Audd. Altrix illa olim, bis victoris gentium omnium populi Europa, pars orbis terræ longe pulcherrima; Aſiæ & Africæ, ſi non magnitudine regionum, at certe virtute incolarumque frequentia, iure exæquanda: præter Rom. Imperium, toto terrarum orbe venerandum, regnis duodetriginta, & infinitis principatibus, ceu coronis quibuſdam, inſignita. Gentium deniq; virtute adeo nobilitata, vt victoriarum ſuarum tropæa, primum ſub Macedonum, deinde Romanorum Imperiis, hinc per immenſas Aſiæ regiones ad Indici vſq; Oceani terminos; illinc ad remotas Garamantum arenas, Libyæq; deſerta protulerit; Aſiatici & Africani iugi ſemper impatiens & libera.

In cuius Alumnis, omni hactenus fere memoria, tanta animorum temperatio, celſitudo & indoles, vt cum alibi brutos, tum hic homines æquus rerum æſtimator fuiſſe iudicet, qui pacis, legum, morum, virtutumq; auctores, bellorum miniſtri, artium dictatores, ſcientiarum inuentores, ſapientiæ fuerint conditores: quorum recentia inuenta; Tormenta bellica, bombo & ardore irati Iouis fulminibus æmula: diſtincta & ad cæleſtium corporum lationes exæquata, horologiorum momenta: typi ænei, ad æternitatem memoriæ conſtituendam efformati: qui & olim & nuper nouis coloniis, aut aliarum terrarum vacua impleuerunt, aut barbara, morum ciuilitate erudierunt.

Quo, proh dolor, recidit flos & ocellus ille terrarum, Europa? Quantum mutata ab illa, quæ, præ cæteris, omnibus ornamentis florebat: quæ imperabat ſceptrumq; tenebat: quæ potenti manu totius prope orbis habenas temperabat: vt iacet adflicta, miſerabili ſeruitute oppreſſa, omni Imperii honore ſpoliata! Et quod caput eſt, quæ ſingulari in DEVM pietate, ſanctis rituum cærimoniarumq; inſtitutis, caſto auguſtæ religionis cultu præcellebat: vt nunc ab omni pietate remota, ab auita ſanctitate degener, diris peſtilentiſſimarum opinionum diſcidiis conuulſa iacet & diſtracta? adeo vt nulla hominum memoria, aut maioribus eam adflictam malis, aut vniuerſe naufragio fuiſſe propinquiorem, merito adſeuerem.

Nam vt antiquas clades ſtrageſq; quas Europa perpeſſa eſt memoria repetamus: quarum recordatio nos ad inſtitutam cum malis præſentib. contentionẽ excitet: ſcio quanto eã terrore perfude-

ſint

rint Gothi, quando, Decio Imperatore, cum trecentis bellatorum millibus in Thraciam Pannoniamq; irruperunt, & omnia propemodum Rom. Imperii munimenta conuellerunt. Sed quid aliud, quam effuſi immaniter à Decio Chriſtianorum ſanguinis vindices ſeſe præſtiterunt? quibus & Valens, centum & eo amplius poſt annis, paris perfidiæ & crudelitatis pœnas perſoluerit. Eidem poſtmodo ſub Arcadio & Honorio Theodoſii Aug. Filiis, partim per Ruffinum commoti, partim per Stiliconem irritati, quum, duce Radegaſto, facta in Italiam irruptione, ingentes aduerſus Chriſtum Deum querelas, in eorum hominum animis excitaſſent, qui tam luctuoſum Imperii caſum ex veterum deorum contemptu, & neglecto priſtinæ ſuperſtitionis cultu exortum eſſe opinarentur: in anguſtis Fæſularum faucibus, occidione ſunt occiſi. Nec Alaricus nouarum copiarum ductor, Roma expugnata: nec Athaulphus, Hiſpania ſub poteſtatem ſuam redacta: Chriſtianitati magnopere incommodaſſe ſunt cenſendi: quod hanc poſthumam Catholicorum regum, in quibus ſolis Chriſtianæ reip. ſalus pro tempore innititur, ſtirpem ibidem proſeuerint. Othacarum impotenti dominatione Italiæ ceruicibus incumbentem, Theodoricus, cui à Verona cognomen, acie victum ſuperauit: & adflictam Italiam pace, aliiſq; priſtinæ dignitatis ornamentis amplificauit: atq; eaſdem humanitatis, moderatiq; imperii laudes ſucceſſoribus quaſi per manus reliquit: dum crebris præliis & à Beliſario, & à Narſete, Iuſtiniani ducibus, victi Gothi, nouæ Saxonum genti, Langobardis, & locum, & Italiæ ſceptrum, ceu lampada, tradiderunt: qui ducentis poſt annis in Francorum iura ditionemq; concederent.

Scio Vandalos, in Myſiam, Illyricum, Germaniam delatos, impetu in Galliam facto, omnia vna quaſi flamma & turbinis in morem peruaſiſſe, agros vaſtitate, vrbeis ruinis, incolas cædibus deformaſſe. verum & hi à Francis mox Gallia expulſi, & à Gothis ex Hiſpania deturbati, motoriam ex nomine exercuerunt: in Africam commigrarunt, atq; ita Europam ſui terrore liberarunt.

Scio deniq; Hunnos, gentem intoleranda crudelitate inſignem, maximis cladibus Europam prope vniuerſam adfeciſſe, & Germaniæ Galliæq; iam modo non potitum Atthilam, diram funeſti ſæculi luem & portentum hominis ex omnigena immanitate conflatum, ad ſingulare Europæ totius imperium, impotenti per clades & publicum humani generis odium animo adſpiraſſe. At quid per illud Dei flagellum, ceu lictorem, aliud effectum eſt, quam vt damnatæ tempeſtatis mortales, extrema ſupplicia ob vitæ flagitia & ingratos in Dᴇᴠᴍ animos promeriti, ſeueriſſime plecterentur? Quorum peccatis tam dira calamitate expiatis, primum cruentiſſimo in Catalaunicis campis prælio victus, trepide ipſe, terrarum antea terror, in Pannoniam repedauit. Deinde quum recens collecta barbararum gentiũ mole ad Italiæ Romæq; dominatum anhelaret, Leonis pontif. maieſtate, & auguſta duorum Heroum, qui dextra læuaque Leonem cingere viderentur, ſpecie & minis reiectus, diro cruenti fati genere, nuptialem torum largiſſimo ſanguinis è naribus profluuio inundans, miſerabiliter exſpirauit, quum antea conſternatos ad horribilem excurſionem Venetæ regionis incolas in proxima maris Hadriaci æſtuaria compuliſſet, & ad iacienda nobiliſſimæ firmiſſimæque in paludibus vrbis fundamenta vel imprudens adegiſſet.

Atq; hæ quidem memorabiles ſunt illæ clades, A. quibus antiquitus ab ſummo & imo varie infeſtata Europa, & ſuis pæne ſedibus emota fuiſſe commemoratur. Nam minutiora illa, Sclauorum in Illyricum, Bulgarorum in Mœſiam, Normanorum in Franciam incurſationes, quod vniuerſum reip. interitum non modo non attulerint: ſed ipſi, fixis in Europa ſedibus, eandem, ceu nouis colonũs, in Catholicæ Eccleſiæ communionem adſciti exornarint, in præſentia prætermitto. Saracenos etiam ab extremis vſque Arabiæ finibus, in Africam, & armorum potentia, & prauiſſimæ doctrinæ contagione prouectos, vnde crebris ſubinde Siciliam Italiamque excurſionibus diuexarunt: & tandem totius pene Hiſpaniæ, transmiſſo freto, potitos (vnde quum in Galliam vaſtabundi ſeſe effunderent, bis, non ſine egregia ſtrage, duce Martello, ſunt reiecti) nihil aliud, quam in anguſtum coactas Chriſtianorum tum regulorum vireis, tot deinceps annis, exercuiſſe ſtatuo: qui non modo impuram illam Maurorum colluuiem ab popularium ſuorum ceruicibus propullarent: ſed compoſitis etiam per ſingulare imperium, quod ominamur, Chriſtianorum diſcidiis, vniuerſum Mahometanæ dominationis faſtum aliquando opprimerent, Scythica illa barbarie Europam Aſiamque liberarent.

Hic funeſtas illas nouarum ſubinde hæreſeon, & plenas offenſionum de pontificatu diſſenſiones, quæ ſchiſmata appellantur, ſilentio prætereo: quæ quod cum re religionis ſint coniuncta, lenioribus interdum Europam motibus, conſtituto præſertim ad Auenionẽ Hierarchiæ ſolio, concitarunt: quam inuectæ à barbaris, de quibus cõmemini, calamitates. Ciuilia namq; in præſens attigiſſe ſum contentus. Nunc vero, quo loco ſit Europæa Chriſtianorum Reſp. quam deſperata & in caput præcipitata, quamq; inter cõtinentes diſcidiorum bellorumq; ciuilium, vniuerſe naufragio proxima: oculis animiſq; ceu edito quodam loco conſtituti, nec ſine cõmiſeratione contempleinur, nec ſine lacrymis intueamur, & ſi minus ipſa, quæ iam longo malorum vſu occalluit: ve nos ſaltim, quibus Chriſtianiſmi cura aliqua eſt, neq; penitus obſtupuimus, magnum & ſupremum eius caſum, niſi ſalutarẽ Monarchia ſubiiciat manum, præſentiſcere fateamur. Ludum certe iocumq; fuiſſe eas, quibus olim agitata eſt, calamitates, præut quibus nunc laborat malis: ſi recte velimus æſtimare, facile comperiemus. Cum, quæ antea tulit, inuita tuliſſe videri poſſit: nunc vltro & ſponte ſua, in apertã ruat perniciem. Vti namq; hominis corpus, ex quadripertita humorum varietate conflatum, fieri vix poteſt quin iis, ex quib conſtat, male inter ſe congruentibus, nunc deprauatis intumeſcat humoribus;

nunc

nunc inflammationibus exulceretur, nunc immoderato feruore æſtuet: atq; ita medicamentis vel catharticis & hydragogis, vel malacticis & catapſypticis ſubinde opus habeat, quo ad priſtinam redeat temperationem: ſic immiſſis diuinitus cladibus, bello, tyrannide, vaſtitate, vitioſæ publici huius & magni corporis adfectiones, vel, vti impurus ſanguis, cucurbitula expurgantur. vel, vti putrida vlcera, cauteriis inuruntur: vel acuminibus, vti torpidi marcore artus, à veterno excitantur. Et reuera, quid barbarorum illas in Europam irruptiones, rapientium, vrentium, vaſtantium, ſitiq; ſanguinis & prædæ furentium, aliud fuiſſe æſtimemus, quam Chriſtianorum Europæorum, qui vitiis aut deliciis immerſi erant aut ſepulti, excitationem? flagellum inquam, & maſtigem longa luxuriantis fortunæ indulgentia laſciuientium populorum: quibus aut boni exercerentur, aut lapſi caſtigarentur, aut improbi deniq; punirentur?

In præſentia vero, idem non immerito reformidemus, quod delectæ illi, & Deo in primis dilectæ Hebræorum genti antiquitus vſu veniſſe, ſacræ literæ teſtantur: vt vndiq; quaſi in circulo inimicarum nationum concluſi, ſimulatq; vel iuſtitiæ vel pietatis obrepſerat obliuio, nunc infeſtis Philiſthæorum armis, nunc Ammoniorum Moabitarumue incurſationibus laceſſiti (vti equi, dum plus nimio laxis habenis exſultant, & in heros proteruiunt, lupatis domiti) ad ſui officii memoriã redirẽt.

Atq; quum eadem populi, ſupra cæteros mortales multis nominibus beatiſſimi, Reſp. non modo vulgaribus illis morbis conflictaretur, faciliq; medicina ſanari ſe pateretur, ſed obducto continentibus malis callo, iam deſipere, mente alienari, & delira dementia, voluntarioq; furore rabere cœpiſſent: & extincto iam prorſus rationis lumine meris intemperiis agitari, atq; adeo belluæ in modum in Deum ipſum, Deiq; adminiſtros vates, qui ſalutaria inueterato malitiæ morbo remedia adhibere niterentur, calcibus & pugnis, quod aiunt, proterue mordicuſq; deſæuire: & iam nec fame, nec bello, nec morbis peſtilentibus, aliiſq; vſitatis id genus diuini furoris flagris, publicorum morum deprauatio poſſet emendari: vt primum Iſraelitæ, longinquo impietatis crimine obſtricti, aut funditus deleti, aut in externas oras ab Aſſyriis è patria abſtracti, æternis exſiliis deſtinarentur: deinde Iudæi, qui nec tribulium ſuorum exemplo reſipiſcebant, in duriſſimam Babyloniorum ſeruitutem abriperentur. Idem, inquam, toti pæne Europæ in præſentia non immerito reformidemus: niſi ſingulari Dei beneficio Monarcha obtingat, qui eandem furore effrenatam, & peſtilentibus opinionum erroribus deſipientem ſupremæ Monarchiæ frenis, tanquam in gyrum rationis, ſanæque doctrinæ deducat, & hoſtem prædæ modo non vltro ſeſe propinanti, incubantem procul repellat. Quum ſiquidem genti tam dilectæ, clariſſimæ Abrahamidarum poſteritati, quam tot promiſſis beneficiiſq; fuerat proſecutus, non pepercerit Devs, ſed regno patriaq; extorres penitus abiecerit: nos infinito flagitioſiores impune euaſuros opinemur? Et certe non iniuria, Samaria decem Tribuum domina, Eoam ſiue Græcorum Eccleſiam repræſentaſſe cenſeatur: illa per Aſſyrios procul è natali ſolo auulſa, hanc Turcarum tyrannide iam diu oppreſſam. Quid occiduis nobis impendeat, fortaſſean Iudæa tribus præſagierit.

Ecquæ ſalus mehercle, vt velit ipſa maxime, inclytum illud olim Europæ ſidus, Græciam, ex ipſis ærumnarum, quibus immerſa eſt faucibus eripiat? quam nemo, ne rebus adhuc quidem integris, niſi inuitam, ſeruare potuiſſet. adeo inueterato tot iam ætatib. furore in ſuam perniciem vltro ſeſe præcipitem dediſſe viſa. In principibus pleriſq;, nullum non dico augendæ, ſed ne conſeruandæ quidem Reip. ſtudium, quos aut auaritiæ labes & ambitio, aut impotens in ſuos ſæuitia, aut in externos perfidia infamarit, dum vel Thraces feri, vel barbari Bithyni viliaue Phrygum, Macedonum, Cappadocumq; mancipia, ne dicam Iſaurorum ſuboles, ad Imperii Byzantii gubernacula admoti, rerum potiuntur. Et partim patriorum morum lubidine ſeſe propria tueri non exiſtimant: partim Romanorum Latiniq; nominis odio omnia obſtinate perditum eunt. Quo ceu contagione quadam in poſteros tranſmiſſa, cum veræ pietatis contemtu & inſano hæreſeon ſtudio, quas aut per ſummum ſcelus excogitarunt, aut imminuta Pontificum Rom. maieſtate, pertinaciter adſeruerunt: eo tam nobilis & antiqui Imperii rem deduxerunt: vt dum deſultoria & vere Græca fide in pactis concordiæ, cum Latinis eorumq; Eccleſia initæ, ſeruandis, ſiue potius violandis, vtuntur: & inteſtinis inter ſe colliduntur diſcidiis: intolerabile immanium Turcarum iugum ſubierit Græcia & quam barbariem ex Aſia, piis occidui orbis principum armis, heroiciſq; Latinorum conatibus exturbari, ob ambitionem & inexpiabile in Romanos odium, multis ante annis non fuerant paſſi: nunc eamdem omni diritatis genere in ſe dominantem ferat.

Non minus cæca dominandi libido, & animorum in proceribus Hunnis peruicacia, Hungariam eidem ſæuiſſimo Chriſtiani nominis hoſti prodidit. qui non in patriæ modo, ſed totius etiam Chriſtianitatis exitium barbaros Turcas accire maluerint: quam Auſtriadæ principi, cui optimo iure Pannoniæ regnum deberetur, concedere. Ad quam tam luculenti regni, quod iure orbis Europæi propugnaculum & præſidium maximum habebatur, ruinam, ab auita virtute degener, & in luxum inertiamq; prolapſus multo ante populus, viam ſtrauiſſe, exiſtimatus eſt.

Atq; hic eſt hoſtis, Chriſt. Aud. qui ceu ſublimi de ſpecula in omnem occaſionẽ intentus, miſeræ Germaniæ, Italiæq;, immo vniuerſæ Europæ, iam adflictæ & ſuis viribus ruentis, ceruicib. impendet. Quem in nos, vt maxime coniunctis omnium regnorum viribus ſummaque conſenſione obuiam eamus, ne dum in noſtram perniciem vltro prouocemus, profana ſtimulat religio, armat maiorum æmulatio, rapit inexplebilis regni propagandi cupiditas. Quo velut incendio à paruis initiis orto, omnes iam fere totius orbis terrarũ partes cõflagrarunt. Et dũ reges noſtri, pro terræ ceſpite, ab ſtirpe

vluiq;

vltima ad ſeros vſq; nepotes catenata inter ſe bella de bellis ſerunt, illi, quidquid olim florentiſſimæ nationes imperiis ſuis ſunt complexæ, Aſſyrii, Perſæ, Macedones, Romani, ſoli iam ſua ditione, regnis ad regna accumulatis, comprehendiſſe videntur. Et quos vel procul perhorreſcere decuerat, iam nullo montium aut marium interiectu, hærent in ceruicibus: & ni pia potentiſſ. Hiſpan. regis, Auſtriadarumq; principum cura reſiſtat, qui vel inuitos ſoli hactenus ſeruant: iam flammis omnia tulerint, & infeſto ferro obuia quæq; hauſerint. Et cum tanto in periculo, quanto poſt orbem terrarum conditum nunquam, verſetur Europa: tum tantus animorum eſt error, vt Regem ſeruatorem neq; ferant, neq; agnoſcant Europæi. Quid igitur aliud eſt reliquum, quam vt Germani, Italique, quos inuitos ſeruare difficile eſt, eandem rerum omnium indignitatem videant, quam tot Aſiæ, Africæ, & in Europa, Græciæ, Hungariæque populi, ab Eois regionibus, ad ipſorum vſq; fines, maiore terrarum quam temporum interuallo, ſubierunt? Nam quum iiſdem ipſi nunc, quibus illi antea, veſtigiis ad exitium præcipitent, ſicq; idem prorſus rerum præſentium, immo longe deterior, quam fuit eorum, antequam perirent, ſtatus: idem in cauſa pari quin exitus maneat, nemo ambigit, niſi quod vnicum ſalutis ſubſidium Deus pro tempore benigne ſuppeditat, Catholici & potentis regis monarchiam alacres & grati ſuſcipiant.

Nam quod aut Germanos ad ſaniorem mentem redituros, aut Turcas à capta proferendi imperii lubidine deſtitutos ſperemus, fruſtra eſt. Quum barbaræ illæ Gothorum, Vandalorum, Hunnorum nationes Europæis prouinciis, vt dixi, tamquã ſubita aliqua procella, grauem calamitatem inferrent, id ſolatii adflictis mortalibus relinquebatur, cum bona ſpe coniunctum, ea mala non fore diuturna. Itaq; poſtquam illa veluti inundantis barbariei tempeſtas deſæuierat, quæ proſtrata ac pæne deleta videbantur, mox recreata reuireſcebant. verum ea in Turcis vigilantia & diſciplina, ea in iis, quæ ſibi adiunxerint, conſeruandis ratio, vt, vbi ſemel veſtigium fixerint, inde ſe dimoueri nunquam patiantur: neq; Turcica calamitate ſemel depreſſa, in poſterum ſeſe nunquam attollat ſeges.

Et cum in ea tam crudelium atq; impiorum hoſtium propinquitate, nec placando numini, neq; moribus corrigendis, aut vitiis profligandis, neq; regno opportunis præſidiis muniendo inuigilent Germani, ſed luxu faſtuq; & immodica libertate inſoleſcentes, in Auſtriadas, publicæ ſalutis & gloriæ defenſores, inſultent, & in multa principatuũ ceu diuortia diſpertiti ipſi opinionũ etiam diſcidiis inter ſe confligentur, adeo vt non prouinciæ ſolum, ſed ciuitates; non ciuitates modo, ſed in ſingulis etiam ciuitatib. ciuium parœciæ, inter ſe animorum diſſenſione, rituumq; diuerſitate diſſideant: quid aliud ipſis exſpectandum eſſe quis opinetur, quam quod vicini iam pridem ſuo malo experiũtur. Quo nupera namq; belli Colonienſis tragœdia, quo inimica Aquiſgranenſium contumacia, quo ſatyrica de Argentoratenſi pontificatu diſſenſio, ſpectarit: viri rerum experientes facile proſpexerunt. malle ſc. eos extremam periculi aleam, & Turcicæ dominationis iugum ſubire quam ad ſanitatem, hoc eſt ſaniorem religionem redire. Et meh-rcle quam ſui in poſterum emendandi ſpem faciant, immo quanta ad ſuaue illud Mahometanæ legis & Scythicæ tyrannidis iugum animorũ propenſione ferantur: declarauit proxime, inauditum omni ætate Catholicæ Rom. Eccleſiæ, in Theologaſtris iſtis Germanicæ reip. & Eccleſiæ moderatoribus odium, qui propoſitis præclaris illis ſuæ, ſi diis placet, Religionis capitibus, in Eoæ ſiue Græcanicæ Eccleſiæ ſocietatem admitti, & in Conſtantinopolitani patriarchæ clientelam ſeſe dedere vltro poſtularint. Cuius quidem patriarchæ, licet à nobis alieni, cordati, & præter vetuſtos errores, cætera prudenti liberoq; reſponſo, atq; adeo ſalutari inſanæ doctrinæ & nouorum placitorum confutatione, ſi reliqua rationis, aut ſanæ mentis in iis eſſet ſcintilla, ſane quam commouerentur. & qui Græcos, de re Chriſtianæ religionis propemodum ſane ſentienteis, ob ſimultatem cum Latinis exercitam, & ambitioſam de ſedis principatu cum Romanis pontificibus contentionem, quaſi à Deo deſertos grauiſſima quæq; perpeti videant: ipſi non modo Eccleſiæ Rom. deſertores, ſed impientiſſimarum opinionum architecti, longe grauiora ſeruitutis & acerbæ dominationis ſupplicia impendere ſibi reformidarent. eoque magis, quod vaſtiſſimis patriæ finibus ſeſe hæc inſipientiæ rabies non continuerit; ſed in vicina quæq; regna, veluti contages, ipſis iiſdem auctoribus effuderit: & vna cum legitimorum principum contemptu, & ſubiectorum aduerſus eoſdem contumacia, diſcidia, motus & meras tempeſtates, cum extrema regnorum ſiue rerump. pernicie, inuexerit. Qui enim hanc ancoram mouerunt, & non ſimul reip. nauim periculoſiſſime commouerunt?

Hinc par morum, & pernicioſiſſimi de ipſa ſalutis ſumma ſiue Religione diſcidii furor, florentiſſimum olim illud Galliarum regnum in tot bellorum motuumq; ciuiliũ fluctus coniecit; & in præſentia ipſam Gallicanæ Reip. ſalutem ſub cultro, vt aiunt, relinquit. adeo vt homines peſtilenti hoc furore amentes, perpetuum illud regni nobiliſſ. pignus & veluti palladium, Chriſtianiſmi tutelam, & Catholicæ religionis decus, intra Coronæ Liliatæ ambitum incluſum, ſceleratis manibus abripere, violare; maieſtatem illam Imperii Francici imminuere, omni ope contendant. Debebatur quidem iam diu iſti regno, partim propter inueterata populi flagitia moreſque degeneres; partim propter principum indignam inſolentiam, & regum nunc exercitas cum piis Catholiciſq; regibus ſimultates; nunc initas cum Turcis, & cum perduellibus Germaniæ regulis, ſocietates: debebatur, inquam, extrema clades: cum erumpentibus demum in maturitatem longa collectis ætate, hominum vitiis, regni expiationem his initiis, exordiri viſus eſt iuſtus operum compenſator, DEVS.

Exſtincto enim funeſto, & miſerabili fati genere, in ludicris haſtarum equeſtriumque certaminum decurſionibus, Henrico; cum Franciſcus auiti regni poſſeſſionem legitimo ſucceſſionis iure accepit, adoleſcens vix annos egreſſus quindecim; ianua quædam malorum laborumque, quæ in

Fran-

Franciam, pueris in ſede Lilij conſidentibus, exundarent, viſa eſt aperiri. Nam vt Scotorum ſeditionem prætercam, qua inualeſcente vxorij dotaliſque regni iure vniuerſo rex ille excidit, quam ſcelerata apud Geneuam, infame exſulum & profugorum receptaculum, aduerſus regem & regiam familiam inita eſt coniuratio? cuius conſciæ ciuitates in ipſa Gallia cum maximæ, tum plurimæ, armis & munitionibus bellicis in omnem ſeſe euentum inſtruxerant. Quam nefario conſilio turbæ ad Amboſam ſunt excitatæ? quam emiſſaria militum manus à coniuratis inſtructa & ſubornata, cum repentina irruptione in oppidum inuadere, prætoriumque occupare iuſſa eſt: tum in eo, ante omnes Lotharingiacum purpuratum & Guiſanum fratrem, Caleti illum domitorem, interficere, ac nouiſſime regem capere, quem Doctoribus ſuæ religionis erudiendum traderent. quo ſic coniurati, & ad ſuum arbitrium magiſtratus reuocare, & munera dignitateſque publicas ipſi diſtribuere, denique rempubl. ſoli habere poſſent: hoc eſt, ipſi legibus ſoluti, recepta interea libertate, iudicia publica diſſoluerent, licentioſe petulanterque deinceps viuerent, in omni iniquitate ac tyrannide, tanquam in luto ſues ſe volutarent. Quantumuis tamen eo rege æmulationes, diſſidia ac religionum confuſionem, & id genus alias tempeſtates, omnis Francia non optime ſecum conſtaret, videreturque vniuerſæ Reipubl. naufragium impendere: at tolerabilia certe fuiſſe iudicentur: ſi cum ijs, quæ Carolo, vndecenni puello, in demortui fratris locum ſubrogato, conſecuta ſunt, fiat contentio. Inuſitata quadam rabie, nihil non inſolenter admiſſum, & in ſumma improbitate alacriter exſultatum. meræ paſſim inſidiæ, fallaciæ, dolus malus, & nuſquam non illitus ſpecioſo religionis fuco color: mentes omni artificio ſimulationis eruditæ, omnem Tartaricæ, Turcicæ, Africanæ barbariæ perfidiam imbibiſſe viſæ. Bella ciuilia, Hydræ in morem, per fœdera & inducias renata, & annis iam amplius triginta in hunc vſque diem continuata. Clades, quauis Cannenſi Pharſalica funeſtiores, ſemel, iterum, tertium, & deinceps, concurrentibus inter ſe ciuibus, editæ, ipſam Galliam & ſuorum & externorum ſanguine inundarunt. Adeo vt huius recentiſſimi temporis periclitatione vſuque facile perceperimus, ab hæreſi quaque inſigni publica omne genus mala ſemper orta fuiſſe: & iſtiuſmodi amentium, hominumne an belluarum portenta, in euerſiones ciuitatum, exſcidia prouinciarum, depopulationes regnorum, ad ſanguinem vſque incitata odia & immania bella fere deſiiſſe. & quod caput eſt, conculcata ſemel diuini iuris regula, facilime mundanis animis ſecuram irrepſiſſe licentiam, atque inde crudelitatem, peruerſitatem & ſtultitiam fere paſſim fuiſſe perbacchatam. Quæ flagitiorum monſtra, tantum abeſt, vt ſpes vlla ſit relicta, exterminatum aut procuratum iri: vt etiam id, quo omnia ſua ſtudia ab initio contuliſſe videntur, adſecutos ſeſe ſceleratiſſimi homines propemodum glorientur, iſtorum incendiorum auctori, ceu manupretium perditæ per ſe Galliæ vniuerſæ, prouinciam eſſe delatam. Cui vel ipſe ex rex ille Sarmata, Capetigenarum Sardanapalus, diadema & ſceptrum, per duorum iam & ſexaginta regum, omnium Chriſtianæ & Catholicæ religionis adſertorum, capita & manus, ad ſe deuoluta, ſinceræ & auitæ pietatis bis deſertori, patriæ euerſori, &, ſi ſic abeat, vniuerſæ Europæorum Chriſtianitatis peſti, vltro palamque detulerit & mandarit. Et quod regnum viuus indignis ipſe adflixiſſet modis: etiam mortuus longe indignius rapiendum ferendumque propinarit. Cuius quidem facti, & aliorum ſcelerum ingrati maleuolique in regem Catholicum animi, quem optime de ſe & regno vniuerſo meritum, nunc per matrem reginam in rebus Luſitanicis: nunc per fratrem in prouincijs Belgicis, quam maxima potuit virium conſiliorumque contentione diuexauit, & crudeliſſimæ innocentium Fratrum, clariſſimorum Franciæ Principum, cædis, patriæ denique proditæ, eas pœnas expendit, quas omnium ſeculorum poſteritas obſtupeſcat. Quem in locum ſit in præſenti deducta Reſp. quo hactenus tibicine fulta ſteterit, quam in poſterum medicinam deſideret, animi omni adfectuum nube liberi clariſſime proſpiciunt.

Sed ad ipſum communium ærumnarum fontem, ad omnium, inquam, malorum ſentinam Britaniam, oculos, animoſque conuertamus: &, vt cætera ſano quietis conſilio componantur, quam infeſta lues in omnem turbandæ Europæ occaſionem excubet, conſideremus, pro pudor! infami genere & infando concubitu profata, ſequioris ſexus princeps, cum perpetua noſtræ ætatis infamia, tam exitiales turbas ciet, & Catholicos reges moleſtiſſime exercet. Ejus quidem pater (pater, an auus, dicam, an vtrumque neſcio) Henricus, propter periniquum Aragoniæ conjugis repudium, pontificia cenſura notatus, contumaciter ab officio obſervantiaque Pontificis deſciverat, ſibi Eccleſiæ Anglicanæ principatum ambitioſe arrogarat, crudeliter in eos, qui ipſius auſa improbarent, ſæuierat. Verum & regni limitibus, & certis quibuſdam auitæ religionis veſtigiis ſeſe & furorem ſuum continebat. Eduardi pueritia abuſi, publici regni adminiſtratores grauiora auſi fuerant, & vno ſuſceptæ hereſeos filo, ſacrificiis pontificalibus penitus interdixerant: ſed dum inteſtinis domi diſcidiis odiiſque laborant, ſuo ſeipſi veneno exedebant. Maria vero, poſt aliquantam ſeditionum certaminumque periclitationem, Catholico regi enupta, regnum & religionem in priſtinam tranquillitatem reſtituerat: & uti hæreſeos exſtirpandæ, ita pietatis paſſim inſtaurandæ, non inanem Europæis ſpem fecerat. Quum hæc male ominoſo nomine Ieſabel, quidquid in ampliſſimo & frequentiſſimo Senatu, vniuerſum Sacerdotum collegium & nobilitatis pars maxima primateſque contra rogaſſent, non contenta pientiſſimæ ſororis acta reſcindere, S.C. fraternum, ne poſthac Rom. Pontifici obtemperetur, referre? patriæ Eccleſiæ princeps ſalutari? & non modo rem omnem ſacram in ſe conuertere, ſed nouos Epiſcopos fæmina creare: atque ita omnem religionis ritum in regno immutare. Primum Scotiam, & ad ſeceſſionem aduerſus reginæ viduæ ſenium, præſidia-

que Gallicana faciendam, tum conſilio, tum copijs auxiliaribus animauit, & in viciniæ contubernium deſcendere, hoc eſt pro vetere, quam mordicus tenuiſſet, reuerenterq; coluiſſet hactenus, religionem nouam à conſortibus Anglis ſuſcipere coegit. Deinde tanquam vnguis in recenti vulnere, motum Galliæ & increbeſcentem religionum confuſionem miris technis excludere, & in Belgarum prouincijs eandem rerum nouarum cupiditatis ſcabiem fouere atq; alere non deſtitit, & vt paucis complectar, quidquid Scotia, quidquid Gallia, quidquid Belgica, immane, nefarium, deteſtabile admiſere, videre, pertulere: huic vni ceu duci & auctori merito acceptum debeant referre.

Quid enim ſpurius ille in Scotis deſertor, quid illæ regni Gallicani labes & belli ciuilis faces, Condates pater, Coligneus, Mongomerus, Gondates filius: quid Rupellani, & hic, qui pro tempore extremam molitur perniciem, quod ipſius potius capiti ſit, Bigerro: quid aduerſus regias vires & amplisſima ſociorum principum ſubſidia, abſq; hac fuiſſet adiutrice, perduraſſent? Quid, aut immaniſſimus ille Belgarum prædo, toties victus & profligatus, toties in extremas redactus anguſtias, promouiſſet, tot annis potentiſſimi regis arma & legiones exercuiſſet: aut pro tempore perduelles in Zelandiæ Hollandiæque latebras compulſi, tantos in proferendo impiæ & iniuſtæ ſuæ dominationis pomærio facerent progreſſus, niſi & tum adſcititijs Anglorum copijs, & nunc præſidijs intro in ipſa oppida admiſſis, in impientiſſimæ principis fidem tutelamque recepti, munirentur?

Hæc ſpurium illum Luſitanum claſſe & milite, ad tentandam regni aleam, & negotium iuſto regi faceſſendum, adiuuit. Hæc fratrem regium, illum, qui æternum nominis ſui imperijque meditabatur decus, in alienæ prouinciæ poſſeſſionem immiſit: Hæc Belgas inaudito defectionis & tranſlati Imperij ſcelere obſtrinxit. Hæc denique eo audaciæ progreſſa, vt non modo maria prædatoria claſſe infeſtare, in ipſam Hiſpaniam inſultare, remotiſſimas Inſulas fœdis excurſionibus & direptionibus vaſtare, gazam illam aurei prouentus regiam interuertere non formidet: ſed incredibili etiam Chriſtianiſmi odio, infeſtiſſimum Chriſtianæ religionis hoſtem Turcam, ad bella Catholicis regibus inferenda, inſtiget. O rem vel ingloriam ad ſupremum diem peruenturam, vel præclara victoris paſſim populi vltione expiandam!

Et vt alia ad ſeptentrionem Europæorum regna, Scotia, Dania, Suecia, pacatiora ſint, aut certe minus infeſta: cum peſtiferis tamen nouarum doctrinarum ſectis ſint imbuta, eadem naui, iam ruinoſa rimiſque fatiſcente, feruntur. Nec Polonia, Moſcis & Turcis obnoxia, niſi prudentia & auctoritate potentioris regis contineatur, neque à religionum confuſione, neque à pari cum reliquis clade, futura eſt immunis. Italia, longinquo pacis benignioris fortunæ faſtidio elata, & rerum nouarum cupida, quod in quiete eſt, neque in ſeſe armatur: Monarchæ debet, quem pro tempore & commotæ Europæ & religionis collapſæ vindicem formamus & inſtituimus.

Atque hæc triſtiſſima & deſperatiſſima hodie, Europæ noſtræ eſt facies, A. quæ iſtiuſmodi vulneribus alte & ex alto adactis ita confecta eſt, vt de eius ſalute merito conclamatum dici poſſit: quæ continenti bellorum ciuilium æſtu iactata, & vti vndoſo in mari turbarum, ſeditionum, diſſidiorum ventis vndique agitata, mirum ni, in ſupremum caſum inclinata iam & propendens, euertatur: & miſerabili naufragio conteſtatam illam, ſi qua reliqua eſt, maiorum ſuorum pietatem, ſincerum Chriſti Dei cultum, & auitæ religionis decus, ſecum inuoluat.

Tanta animorum in cœpto ſuæ impietatis inſtituto eſt obſtinatio, tanta cæcitas, & omnis diuini humanique iuris obliuio, vt hinc Germani vel ſummo cum totius Reipub. periculo nihil non ſibi tentandum putent, quo & Auſtriadas, Imperatoriæ maieſtatis & ſinceræ in Germania religionis columina, in ordinem redigant: & exæquatis Septemviralis ſuffragij calculis, illud Romani regni ſceptrum in ſuæ factionis conſortem familiam transferant. Illinc ad Chriſtianiſs. olim Francorum regni gubernacula, impurus Catholicæ religionis bis deſertor, ſpectatus tot annis atque expeditionibus hæreticus, communibus omnium vndique hæreticorum votis viribuſque prouehatur, quo tam ſublimi potentia ſuffultus, nouam Chriſtianiſmi formulam longe lateq; per Europam propaget, & Catholicis ſaneque ſentientib. Principibus frenum inijciat, hoc eſt, vel in Atheiſmum vel in Mahometanam ſuperſtitionem, vna cum intolerabili externæ dominationis iugo, Europæos præcipitet.

Vere quidem, ſatiſq; graphice præſentem rerum in Europa ſtatum deplorasti, & de periculo, deq; imminentibus toti Chriſtianitati malis, quam maxima potuiſti eloquentia contentione declamaſti. Adeo in præcipiti ſtant vniuerſa Europæ regna, adeo Reip. Chriſtianæ nauicula non modo decumanis fluctibus, & inſana ventorum vi, hinc inde agitatur, laceratur & illiditur: ſed à vectoribus etiam ſuis, hinc inſaniam! perforatur. Id cuiuis ſane mentia & liquet & dolet. Non eſt hic locus vanis querelis, remedio opus eſt: id exquiritur. de eo dic, ſi quid habes.

Iſthuc ibam, & ad alteram meæ orationis partem delabebar. Iam enim ſatis mihi magno cum animi mei mœrore, & aurium veſtrarum fortaſſean faſtidio, per vaſtum miſeriarum noſtri ſæculi pelagus, per morbida emorientis Europæ membra, quæ præſentem medicinam poſtulent, videbar peruagatus. Feciſſe tamen videor, quod prudentes medici, qui dum vrendum, ſecandum, & aſperioribus medendi vijs ſibi vtendum proſpiciunt: vlceris aut vulneris malignitatem, cum vitæ periculo coniunctam, amant exaggerare, quo ſeſe æger & ad doloris tolerantiam exciter, & ſanitatis ſpe cruciatus conſoletur. Nec hic tamen quiſquam vltima me ſupplicia vltimis, quæ commemoraui, ſceleribus poſiturum putet; aut horridas clades animo præſumat. Remedium facile, atque

adeq;

adeo quoddam diuini numinis beneficium, proponemus: certiſſimum horum motuum & Chriſtianæ Europæ malorum euerriculum. Quo nihilominus, quin vana erroris humani opinione imbuti quorundam animi, & delicatæ futiliq; affectuum iudicio obnoxiæ, Catholicorum etiam hominum aures, nihil ſibi moleſtius, nihil intolerabilius accidere poſſe clamitent, vix ambigo. Dicam tamen, & quidem paucis: Monarchia opus eſt. Opus eſt Monarchia contra potentem illum Tyrannum, Europæ incubantem: contra minutos maleq; ſentientes Monarchas & regulos, ſine potenti & pio Monarcha fieri nihil recte poteſt. Huius præſidio ſalus iam pęne depoſitæ Europæ eſt munienda, aut nobis omnibus ad vnum, ſiue pereundum, ſiue ſub iugum eundum. Tam morbido & male affecto Chriſtianitatis corpori fata vlterius proferri non poſſunt, niſi ceu ſalutari, & quidem præſentaneo remedio, ſupremi & potentiſſimi Monarchæ Imperio inſtauretur & reuiuiſcat.

Hic autem quum rurſus ad id, quod inſtituo, comprobandum, vaſtiſſimus ſeſe offerat mihi dicendi campus, lineas mihi ipſe circumſcribam, & in gradu conſiſtam. Neque enim quam ſint neceſſaria in vitæ ciuilis ſocietate Imperia, vnica rerum humanarum fulcra, quanta eorum vis & vtilitas, quibus tanquam vinculis omnia cohęreant, ſine quibus ruant omnia aut diffluant. neque de tribus eorum formis, ſine quarum aliqua nullus in vita cœtus ſocialis, vt aut populi, aut optimatum, aut ſingulorum ſeu Principum Imperio regamur. Neque de triplici, ex recentiorum ſententia, ſingularis Imperij ſiue Monarchiæ diſcrimine, Dominio, Regno, Tyrannide, in præſentia lubitum eſt diſputare. Sed breuiter aliquid præſtruendum, ad Monarchiæ, quam ſalutarem Europæis motibus medicinam quærimus, inueſtigationem.

Hanc itaque Europæ ætatem, ſi vnquam, lubricam & immodica licentia efferatam, non populari libertate, non diſcordi primorum dominatu, ſed legitimo vnius Imperio coercendam eſſe dicimus, & iuſtum velle dominum, cuius prudentia & poteſtate ipſa aduerſus & plebis inſolentiſſimæ, & optimatum ambitioſorum ſtudijs diſciſſa, coeat denuo & cōponatur. Monarchia ergo opus eſt. Nam iſthuc, vtrouis, ſi recurritur, in Anarchiam, quo tertius nullum eſt malum, abibitur. Verum hic fortaſſean quis mihi inſuſurret, eſſe permulta in Europa Imperia, quæ vni aut moribus, aut legib. ſint delata, itaq; non deeſſe principes, qui aut iure natalium iſtiuſmodi ſupremum honorem, aut legitimis ſuffragijs ſint aſſecuti: Nec per eos tamen, ceu medicos male adfectæ Europæ vulnera ſanari, cuius ego ſalutem Monarchiæ præſidio muniendam eſſe adſeuerem. iterum dico, intereſſe Europæ, ſi ſalua eſſe velit, omnem poteſtatem ad vnum deferri. neque eius ita diſcordantis aliud eſſe remedium, quam ſi ab vno regatur. Nobilis ille ab Etruria, diſciplinæne politicæ, an Tyrannidis? magiſter (cuius licet acre & igneum ingenium non nemo admiretur, ego & nomen abhorreo) aut dixiſſe, aut literis prodidiſſe fertur: vt Italia in antiquæ libertatis dignitatem reſtitueretur, vnico duntaxat principe opus fuiſſe. Quod grauiter eius diſciplinæ ſiue exemplar, ſiue alumnus ille, qui nemini ſecundus Cæſar eſſe voluit, exactis quo iure, quaq; iniuria, è pontificia ditione tot regulis & effecerat, & iam ſingulare Rom. vrbis, reliquæq; Italiæ Imperium arripuerat, niſi & patré repentina mors abſtuliſſet, & ipſum nouercantis fortunæ vis præcipitem aduerſis caſibus inuoluiſſet. Et vt cum Bacchio Bythum componamus, ille Lydius Monaſterienſium rex Dauidimaſtix Batauus, qui è quatuor eximijs prophetis, alteros, Rom. Pontificem, & Martinum Luther. ſumma iniuſtitia & iniquitate eſſe infames: alteros, Dauidem Hebræum, & ſe ſcil. Ianum Lydium regem, æquitate & ſumma iuſtitia excellere iactaret: vel ex obſeſſa vrbe per Apoſtolos Logodædalos, omnem in partem extruſos, renunciatum gentib. curauerat, quinctâ orbis Monarchia ab ſe inſtituta, cunctis ſe terræ principibus vim eſſe propediem illaturum, & iniuſtitiæ pœnas de iis ſumpturum, & iuſtitiam demum ſapienter fortiterque ſeruaturum. Quod illi peruerſiſſimis ingeniis homines ad ſui vterq; inſtituti, hic Cacangelii, ille, cuius neſcio libertatis rationem facere iudicarunt: nos DEI gratia & melius de religione ſentientes, & publicæ ſalutis ſtudioſiores, ad remedium, tantis Chriſtianiſmi malis, ſiue potius morbis, adferendū, accommodemus: & hoc demum ſtatuamus: Tam præcipiti loco rem eſſe Europæam, & eo neceſſitatis adactam, vt vel cadat, & ſumma cum infamia ſub Turcicæ Tyrannidis iugum mittatur, vel tot ſceptrorum diuortia, quæ ſingula non per ſe modo ad reſiſtendum infirma, ſed fatalibus inter ſe diſſidiis diſtracta, in vnum confluere patiatur, cuius ceu Dictatoris Imperio prudentiæq; omnia permittantur, per quem diuulſa coaleſcant, qui religionem certiſſimam humanæ ſocietatis cuſtodem, maiorum inſtitutis conſentaneam & communem, ſublata tot errorum pertinacia, reſtituat: quo duce deniq; & Imperatore vniuerſæ concordis iam Europæ vires in immanem Chriſtianorum hoſtem feliciter conuertantur. Neceſſarium eſt enim, aut interitum conſequi, aut mutationem regnorum, quum non modo ciuilium paſſim bellorum ſemina non reſtinguantur, ſed magis indies magiſq; accendantur, & ab euentibus omnis æui certum, Numen illud diuinum velut ſolenniter Imperia per hanc viam aut perdere aut transferre. At enim, inquies, cum reges, & quidem Europæi, excelſo animo prædìti, ſubmiſſis facibus vni Imperium non videantur delaturi, neque ſceptrorum, quæ iuſto ſucceſſionis iure ab Heroicis vſq; temporibus, & per immenſam Auorum ſeriem tradita ſuſceperint, maieſtatem, tam ſeruili defectione aut ignauia fœdaturi, nouas bellorum accendis faces, non exſtinguis, qui illum vnum in omnes arma habere iubes: nec his vi vim illatam defendendi poteſtatem eripis. Audio, nec minus animo percipio, ſi fortunæ lubidini aut Martis aleæ hic aliquid tribuendum ducamus. Sed quum imperare & principatum inter mortales gerere, munus ſit diuinum: & Deus reges rerumq; publ. moderatores hac fini conſtituat, vt ciuilis hominum ſocietas, quæ ſub eius Imperio eſt vniuerſa, per ipſos bene beateque degat, ipſi res inprimis diuinas curent & tueantur,

hoc eſt, pietate ac religione, quæ virtutum caput ac principes, & ipſi emineant, & ſuis præeant: certo quo quiſque ad tantum à Deo honorem elatus ſuæ magnitudinis auctorem colit conſtantius & veneratur, eo in eundem is pronior, ſceptra etiam & dignitates, vti externa pietatis præmia accumulat. Qui contra nec ipſi ſacra caſte ceremoniaſque colunt, nec peſtilenti religionum confuſione exſoluunt ſitos: quid aliud quam ſublato concordiæ vinculo, vitam hominum, quam prudentia & virtute regere decebat, ſtultitia, ſcelere, atque immanitate complent? quibus iure propterea ille exercituum & regnorum Dominus omnis gloriæ, vt ille canit, detrahat ſuperbiam, & inclytos terræ ad ignominiam deducat, & à quo ſublimes facti, ab eodem iterum deiici exſpectent. Pio itaque illi ac religioſo Principi, quicunque is demum ſit, Hiſpanus, Gallus, Britanus: ſiue Dacus, Sarmata, Germanus, cui hoc ſalutaris Monarchiæ decus reſeruatur, Deus clypei vice erit & rector, vt neque Genii mali, neque coniurata omnium mortalium arma poſſint incommodare, quem ille ex omnibus malis ſit erepturus. Et ſi quem furię ſcelerum, regniq; impie adminiſtrati vindices exagitent, & in impia contra pii regis conatus bella præcipitent; quid aliud quam amiſſo eum regno iniuſtitiæ atq; impietatis pœnas daturum, ſibiq; acceleraturum eſſe opinemur? cuius quidem rei exempla ſane noſtra ætate iam aliquot videre meminimus. Sed ſubtilius hæc & inueſtigare & comprobare conemur. quum iam ab ipſis conditi orbis primordiis, rerum omnium parens & rector Deus, partim ciuilem humanæ ſocietatis adminiſtrationem, quæ in externis rite ordinandis eluceret, partim Eccleſiam inſtituerit, quæ rectum de ſummo Numine ſenſum, & venerationem certis legibus ceremoniiſque deuinctam, hominib. proponeret, atq; aduerſaria illa ſatanæ poteſtas, Deo ita ob hominum noxam permittente, hæc vtraq; labefactare atq; oppugnare nũquam deſtiterit: tum idem ille optimus hominum pater & ſapientiſſimus mundi gubernator, certiſſimas ſuæ admirabilis prudentiæ ac potentiæ, & erga homines beneuolentiæ, ſignificationes dedit, quum rebus in deterius ſubinde collapſis, Monarchas eſt largitus, qui & homines ad legum obſeruationem reuocarent, & impotentis ſatanæ conatibus, nunc vera religione, nunc aliqua eius ſpecie obſiſterent. Nam vt prætercam illa ceu mundi incunabula, cum homines, in omnia flagitiorum genera effuſi, horrendis aquarum tempeſtatib. obruti ſunt: & vni Noacho, ceu Monarchæ, cum rediuiui mundi imperium, tum ſocietatis humanæ nouis legibus inſtituendæ negotium commiſſum, nonne perpetua quadam gubernationis ſerie mundum hunc in officio continuiſſe videtur illa ſummi numinis poteſtas, & imperiis ſemper ad optimum quemq; à minus bono tranſlatis, Monarchas inſtituiſſe, quorum & potentia ii reges compeſcerentur, qui motum Reip. adferrent, qui lubidinem dominandi, belli cauſam haberent, gloriam imperii magnitudine metirentur, neq; cupiditatem prolatis late finibus terminarent: deniq; miſcerent omnia & turbarent, & quorum animi virtute atq; prudentia, æquabilius ſeſe res humanæ haberent: pudoris & honeſtatis ratio, pax publica, religio, & quod omnis iuſtitiæ & legitimi Reip. ſtatus caput eſt, pœnarum præmiorumque diſcrimina, iura deniq; omnia aut conſeruarentur, aut, ſi collapſa, reparentur. qui diuinitus ad hoc eſſent dati, cum vt magnorum & in magna potentia impotentium Principum auſa infringerent, populoſq; grauiore extremæ tyrannidis vi oppreſſos defenderent: tum hoc veluti mare Reip. implacabilibus effrenatæ principum cupiditatis ventis excitatum, Neptunio quodam tridente temperarent. Sic ſacrarum literarum monimenta Nemrothum, Babylonii regni auſpicem, robuſtum Dei venatorem commendant: qui principatus potentia homines ad obedientiam adegerit, & diuino vindictæ in ſonteis exercendæ miniſterio defungi præ ſeſe tulerit. vt in iis, quę à magiſtratu geruntur, Dei opera & agnoſcantur & honorarentur: eiuſque generis principes magnis à Deo virtutibus exornatos, tanquam numina, ad mundum iuuandum cœlo demiſſa, eiuſq; vicarios miniſtros ſuſpiciamus. Nam vt de Aſſyriorum regibus in præſentia nihil dicam, penes quos orbis faſtigium aliquot ſeculis ſtetit, quique nobilem illam incoliſq; & vrbibus frequentiſſimam terræ portionem armis legibuſque tenuerunt, dum per deſidiam libidinemq; poſteri, quibus artibus initio partum erat, iiſdem imperium retinere non poſſent, tam amplo regno in Triarchiam diſpertito, vt hinc Medi, excuſſo ſeruitutis iugo, proprium ſibi regem adoptarent: inde Chaldæi Babylone, & Aſſyrii Niniue per ſe imperium exercerent, quæ humani ingenii eſt cupiditas, neceſſe fuit, inter continentia de potentatu vicinorum regum certamina omnia iterum miſceri, & omnem bonæ diſciplinæ rationem in deterius prolabi: cum ecce è Perſide nobiliſſimum & fortiſſimum Principem Cyrum, ceu medicum, qui res tot regnorum male adfectas noua Monarchiæ potentia, conſiliique prudentia ſanaret, Deus excitauit, & diſtractas Mediæ, Chaldææ, Aſſyriæ regiones, in vnum legitimi imperii corpus denuo coire permiſit.

Et vt collapſum Eccleſiæ ſtatum vna plerumq; cum Monarchia reſtitui conſtet, & mirificam inter vtrumque exiſtere conſenſionem: hic princeps pie inſtitutus, Iudæos indignis acceptos modis, & diuturna Babyloniorum ſeruitute oppreſſos, victor libertati patriæque reſtituit. Cuius cum filius Cambyſes, occulta morte extinctus, Magis inuadendi regni occaſionem præbuiſſet: & hi fraudis & temeritatis pœnas optimatibus Perſis mox dediſſent, poſt præclaram illam ſententiarum de regno conſtituendo, an mutando, varietatem, tanquam ad maxime ſalutarem Reip. formam, ſingulare vnius imperium, eſt recurſum. Atque adeo dum huius quoque ſtirpis principes à conteſtata maiorum ſuorum virtute degenerant: & hinc delato ad extremum principem Darium imperio, res Perſica cœpiſſet inclinari, morumque ac legum labem trahere pernicioſam: illinc Græciæ ciuitates diris & luctuoſis odiorum bellorumque diſſidiis inter ſe conflictari, & in mutuum exitium ſine modo ruere: tum demum quantum in Monarchia ad res ſtabiliendas ſit momentum, ſub Alex. Ma-

cedone

ſedone, teſtatum fecit Deus, cui non pacatam modo ab inteſtini belli calamitatibus Rempub. Græciæ, ſed Perſiæ & Eoæ ad Indicum vſque Oceanum gentes, regna præclaris inſtitutis in multas deinceps ætates conſtabilita, debent accepta referre. Vt taceam Iudæorum Eccleſiam libertate muneribuſque ingentibus ab eodem amplificatam. Cuius generoſum dictum etſi in immoderatæ ambitionis crimen à quibuſdam vocetur: Neq; mundum duobus Solib. regi poſſe, neq; orbem duo ſumma imperia, ſaluo terrarum ſtatu, ſuſtinere, haud omnino à vero abhorrens mihi videtur, rebus iam vel ad interitum vel ad pernicioſam diſſenſionem inclinatis. Et qua erat ipſe cum animi magnitudine, tum prudentia, morti iam propinquus, cum & amicos circumſtanteis percontatus, ſimilem ne ſibi videantur reperturi regem, & illi ſilentio abnuiſſent, ſe vaticinari, mentiſq; oculis iam pæne proſpicere dixit, quantis cædibus & ſanguine ſibi mortuo Macedonia, principum æmulatione diſtracta, foret parentatura. Nam tanti Imperij opibus in Tetrarchiam tributis, & regnis Macedoniæ, Syriæ, Aſiæ & Ægypti ex vno Imperio decerptis & conſtitutis, tam crudelibus inter nouos & ambitioſos reges bellis eſt decertatum, tantis cladibus ſæuitum, odijſque internecinis dimicatum, vt non modo in Aſia, ſed etiam in Græcia, ſapientiæ & diſciplinarum altrice, omnis bonorum morum honeſtas, pudor, religio, vna cum Reipublicæ adminiſtratione, iacuerint exſtincta: dum Romani victis in Africa Imperij æmulis Carthaginenſibus, & potiori Europæ parte ſub poteſtatem redacta, Græciam Macedonica clade inuoluerent, & præ conſanguineorum regum diſcordia oriens, eorundem iugum paulatim ſubire cogeretur. Sed etiam hi, quorum Reſpub. libera labore, atque iuſtitia creuerat, ſic vt cuncta maria terræque paterent, & ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis paterent, dum populari libertate, otio, atque diuitijs vti amplius neſciunt: fortuna ſæuire ac miſcere omnia cœpit; & Imperium ex iuſtiſſimo atque optimo, crudele intolerandumque facere, & qui iugum gentibus ſalubre impoſuerant, quique barbarie morum, & omni inhumanitatis genere cæteros Europæos, horridos antea & feros, per amicam pacis & fœderum contenſionem exuerant: ipſi, dum ex ſecundis rebus inſolentia inceſſiſſet: & nobilitas, dignitatem in dominationis ſuperbiam: plebs, libertatem in libidinem verteret, atque ita diſſenſio ciuilis, quaſi permiſtio terræ oriri cœpiſſet, in duas partes abſtracti rempubl. quæ media erat, dilacerarunt, donec poſt atrociſſima Marij, Sullæque certamina, poſt parricidiales Cinnæ, Carbonis, aliorumque factiones, poſt Pharſaliam effuſiſſimo Roman. Ciuium ſanguine reſtagnantem, & omnes prope orbis parteis ciuili ſtrage inſignitas: Iulius Cæſar ſingulare patriæ arripiens Imperium Roman. ſtatum & auctoritate ſua conſeruauit, & prudentia incredibili reparauit. Quo tandem per ſummam ingratorum hominum crudelitatem confoſſo, vti occaſum ſuum Reip. exitioſum fore ipſe præſignificarat, tempeſtas bellorum ciuilium de integro exorta, dum ad ſe quiſque dominationem trahit, Remp. Romanam miſerabiliter afflixit, quam Octauius, ſublatis per conſortij impatientiam aduerſarijs, iam potens honeſtis legibus & inſtitutis inſtaurarat. Stabilito namq; Octauiani Auguſti Imperio, vt poſt grauem maris tempeſtatem ventis ponentibus, fluctus ſolent deſidere: ita omnes paſſim diſcordiæ conquieuerunt, vt etiam Opt. Max. humani generis Seruator Chriſtus, ſalutari ſuo in hunc orbem aduentu ortuque mortali, tam pacatam Monarchiam decorare non ſit grauatus. Et quoniam, vt ille dixit, omnium bonorum Principum imagines vno in anulo poſſint exſculpi, rem improborum Cæſarum aut imprudentia aut malignitate ſubinde eſſe collapſam, non eſt quod admiremur, ſic vt tribus de Imperio contendentibus, Galba, Othone, Vitellio, Remp. in extremum pæne diſcrimen adductam, Veſpaſianus modeſtiæ diſciplina legibuſque reſtituere habuerit neceſſe. Et motus deinde, hinc per Peſcenninum Nigrum, inde per Albinum allatus, delata ad Seuerum rerum ſumma, ſedaſſe. Et Conſtantinus Magnus, non modo aut profligatis, aut in ordinem redactis Tyrannis, eidem Imperio tranquillitatem: ſed repreſſa etiam Arrij, per Nicenæ Synodi decreta, perfidia, Eccleſiæ pacẽ attuliſſe cenſeatur. Quæ omnia mox, diſtributis inter eius filios Imperijs, in priſtinam perturbationem reciderunt. Quapropter haud ita multo poſt, cum & hinc infinita barbararum gentium examina, ab Arctoa potiſſimum plaga, in proximas quaſque Romanæ ditionis prouincias irrumperent, & tranſlata Imperij ſede, Occidens omnium iniurijs & rapinis exterorum pateret: Et inde Arabes Agareni ab Auſtro non tantum ſuæ crudelitatis, ſed peſtilentiſſimi etiam erroris veſtigia Europæ imprimere contenderent, noua Imperij fax, qua Europa luſtraretur, & externa barbarorum colluuies deflagraret, ab occidente illuxit. Et Merouingorum in Francis regum ſtirpe iam aut in ordinem redacta, aut ob prudentiæ animique inopiam exacta, Martellus Pipinuſque florentiſſimæ denuo Monarchiæ Carolo, qui Magni cognomen tulit, fundamenta iecerunt.

Atque hic Patris Auiq; facta æmulatus, dum labefactata adeo regni poteſtate, Cæſares Conſtantinop. neque nomen ſuum, neque Italiam tueri poſſent, & Romani vndiq; adflicti à Francis, iam late dominis, auxilium petere cogerentur, ob præclara cum ſua, tum maiorum in Remp. Chriſtianam merita, & meliorem Europæ partem iam ſuæ ditioni adiectam, Cæſareo nomine & Imperatorio diademate inſignitus, noſtro Occidenti in conſecutas vſque ætates, & firmiſſimum præſidium & potentiſſimum caput, Germanicum puta Imperium, reliquit, quo non modo in rebuspub. tranquillitas, ſed in Eccleſia etiam religio quoquo modo ſarta tecta eſt conſeruata. Quæ tamen Imperij dignitas, fatalibus tot annorum motibus & exitialibus regnorum diuortijs iamdiu penitus concidiſſet, niſi Auſtriadas principes nacta eſſet, quorum iam annos prope trecentos humeris ſtatus collabeſcens ſuſtineretur. Nam & diſſenſione inter Caroli Magni nepotes ob regnum diſpertitum exorta, & poſt graues ſubinde conflictus, non modo prouinciarum facta inter eorum poſteros diſcrimina, ſed ſe-

mina odiorum etiam, veluti hereditaria, inter vicinos ſunt propagata. quæ noſtra hac demum tempeſtate, cum Reip. & religionis calamitate, nouo hæreſeôn factionumque ciuilium flabello excitata, ſic ſeſe eruperunt: vt, niſi rerum ſumma iterum ad vnum delata, diſcordia finem capere non poſſe videatur: & vetuſtiſſimi oraculi, quod Phrygibus de fine bellorum ciuiliumque diſſenſionum conſulentibus, dediſſe traditur olim Iuppiter, veritas eluceſcat: In magnis motibus Rege ſiue Monarcha opus eſſe.

Mirificam perturbatæ Europæ malis & calamitatibus medendi rationem, & à vulgari hominum opinione valde abhorrentem, proponis, &, deducta per tot mundi ætates ſerie, rerump. ſine regnorũ motus, quos ſubinde oboriri neceſſe eſt, fatali vnius fere Principis imperio fuiſſe compoſitos, tam prolixe, quam acute cõprobaſti. Sed quod initio in quæſtionem eſt vocatum, pro re nata Chriſtianitati eſſe conducibile, vt Monarchia huiuſmodi vel vltro deferatur, vel fatali quodam orbe ad Hiſpaniæ regem deuoluatur: reliquum, vt cum cæterarum nationum, quæ libertatis ſuæ ſunt retinentiſſimæ, bona gratia confirmes.

Fallitur, egregio quiſquis ſub Principe credit
Seruitium. nuſquam libertas gratior exſtat,
Quam ſub Rege pio.——Nec dubito, quin pii paſſim omnes, quibus rei omnium ſanctiſſimæ maximeq; neceſſariæ cura aliqua eſt, & mihi aſſentiantur, & ad pij regis dominationem votis animiſque adſpirent: cuius & potentia & autoritate ſarta tecta conſeruetur religio, ſine qua ſaluos ſe eſſe non poſſe in animum induxerint, & aduerſarij impietatis & hæreſeôn adminiſtri, aut in ordinem redigantur, aut penitus de medio tollantur. Quod ni fit, vel externam Mahometanorum tyrannidem, vel plus quam Babylonicam hic rerum omnium confuſionem, ciuili vitæ ſocietati inimiciſſimam, mecum animis præcipiunt. Scio pro ſuæ quemque gentis gloria, hoc Monarchiæ decus, ſi in ea ſola totius Europæorum ſalutis ſpes poſita eſt, certaum ad ſe pertrahere & vindicare conaturos: ſed ne ego, eorum omnium, qui magis fortaſſean priuatis adfectibus indulgent, quam publicam Chriſtianiſmi incolumitatem prôcurant, inuidiam aut querimoniam à me deteſtari ac deprecari cogar: audiant Europam, ceu communem omnium nationum parentem, ſecum ita loquentem,

(*Europæ proſopopœia.*) Vah cœca & indigna meis alumnis animorum obſtinatio! Vident communem altricem tot iam annis peſſime adfectam indies magis magiſque deficere, ruere, contabeſcere. Hinc me partim Moſci, partim Aſiatici tyranni iugo crudeliſſimo magnam partem opprimi: inde Africanorum regum armis miniſq; infeſtari, at non modo ipſi pro mea ſuaq; ipſorum libertate propugnanda non conſentiunt aut conſpirant: nec quod vix tolerabile tamen eſſet, inertia aut mollitia animi, alius alium exſpectant, aut cunctantur, Deo & Seruatore Chriſto, qui me in maximis periculis ſeruarit, confiſi: verum etiam veluti furentes, ferrum, quod in capitales illos hoſtes erat exſerendum, in ſeſe & in mea viſcera tot iam annis cõuerterunt, vt mutuis vulneribus confecti exanimatiq; iaceant, iaceant dico? & vtinam iaceant ſaltim & conquieſcant. imo vti depoſiti, in quibus natura, vi longinquioris morbi debilitata, indices certi exitii notas ſtatis dieb. ſolita eſt exhibere, quaſi recollectis animi corporiſque viribus, nequicquam multa moliri, è lecto exſilire, vim adſtantibus ipſiſque medicis adferre velle videntur, & in medijs conatibus ægri ſuccidunt. ita ceu intemperijs agitati, impendentem ſibi perniciem vltro arceſſant: in exitium manifeſtum proruant ipſi & præcipitent, omnem malorum medicinam auerſentur, reſpuant & perhorreſcant, pietatem inſectentur, & in improbitate exſultent, pacem oderint, & ſeditionibus gaudeant, ſceleratiſſimos quoſque ad ſumma Reip. gubernacula euehant, optimum quemque de ſtatu deijciant. Neque hæc veluti tabes in minutas mei parteis, ſed in nobiliſſima iam membra inuaſit. Germania, quam tam ſublimi ſupremi Imperij dignitate, ſupra cæteras, paſſa ſum amplificari, quæ & virium ſuarum potentia, & tanti honoris prærogatiua, religionis & pacis publicæ conſeruarer: quibus, Chriſte Deus! diſcordiarum facibus, & ſe, & vicinas prouincias incendit? Atque adeo ipſi Reipubl. conſtituendæ principes, quæ ſeditionum ſemina ſerere perſeuerant? Vnde quo minus conſecuta ſit omnium ordinum perturbatio, regnique panolethria: & immaniſſimus ille Scytha, qui apertis faucibus meo exitio & direptioni inhiat, tam inueteratis diſſidijs conuulſam, omnique præſidio nudam prouinciam iampridem ſubiugarit: cui minime acceptum referre velint ingrati, præter Auſtriadas cæteros, vni debent Hiſpaniarum regi, acerrimo meæ dignitatis hactenus defenſori. Gallicani regni, cui Chriſtianiſmus ceu gentilis & antiqua neceſſitudine fuit coniunctus, furorem dicam, an calamitatem? quo gemitu proſequar, queis lachrymis exæquem? Cuius quidem regni quum ſalus pro re nata in eo ſita ſit, vt vna omnium ordinum conſpiratione rex Catholicus adoptetur & renuncietur, qui & pietatis ſtudio impios motus componat, & potentia virium ſuperbam rebellium contumaciam compeſcat: tanta vis priuatorum in pleriſque eſt adfectuum, vt ſeque remque public. obſtinatis animis perditum ire malint, quam Regi, cuius plurima in regnum beneficia, & præclariſſima tot iam annis exſtant officia, in cuius & opibus & præſidio ſita eſt Galliæ ipſorumque omnium ſalus, gratificentur, & capitalem religionis hoſtem, qui peſtem in me bonoſq; omnes machinetur, & cõmotum nunc reip. ſtatum tandem penitus collabefactet, qua neſcio diſſimulatione alant potius, vti ciuem, licet pernicioſiſſimũ: quam regem, ſinceræ pietatis vindicem, qui & priſtinum Dei cultum & regni ſplendorem in integrũ aliquando reſtituat, vti externum, licet maxime ſalutarem, præ qua neſcio animorum lubidine, ferant aut admittant. Quid hiſce aliud quis occinat quam illud antiquum: Inuitum qui ſeruat, idẽ facit occidenti. Quid me igitur miſera futurum eſt? quum & vis morbi totum pæne corpus inuaſerit: &

qui

qui ſalutarem medicinam poſſit adhibere, ab ægris non admittatur. Serua inuitos, rex Catholice: & niſi deſerti officii crimine obſtringi malis, à capite meo hanc propulſa iniuriam. Catholici, ſanæque mentis cuncti ſcire fatentur, quid fortuna ferat regni; ſed dicere muſſant. Et hi ſe iure deſtitutos quiritentur, ac prætermiſſæ defenſionis dicam impingant, ſi aut propter inuidiam & inimicitias, aut propter immemores beneficiorum, in gente tot tuis officiis deuinctâ, ingratoſque animos, communé reipub. hoſtem ſinas inualeſcere: & bonos, quos tutari poſſis, deſertos eſſe patiaris. Ea demum vera virtus eſt, quam nec ingratorum hominum malitia infringere, nec calumnia deterrere, nec perfidioſorum fraus atq; iniuria debilitare poſſit. Quid aduerſarii his cœptis ſtruant: quem, ſi fortuna ſequatur, euentum Imperii cupiant; manifeſtius tibi quam cuiquam alii apparet. Huc non modo mentes & oculos, ſed vireis etiam & conſilia conuerterunt, quorum ſcelere & improbitate iam pæne inclinata à ſupremo meo caſu proxime abſum. Interiecti illi, & ceu medii, qui & Catholicam religionem ſartam tectam cupiant conſeruari, & externum tamen, cuius opera & opibus aduerſus ſceleratorum conatus commode illa defendatur, omnino ferre nolint, quoniam ea nunc morum labes eſt, vt neq; mala noſtra, neq; remedia pati poſſe videamur. vt à præiudicata aliquando opinione demoueri ſe patiantur: conſiderent diligenter quæ dicam, & penitus animis ſuis mentibusq; commendent. Annis abhinc plus minus quadringentis Anglici optimates, ſuperbum & impotens Ioannis Regis imperium pertæſi, Ludouicum, Phil. Auguſti Gallorum regis filium, iureiurando obſidibuſq; datis non tantum ad opem ferendam, ſed in certam etiam ſpem regni, euocarunt. Nuper à Polonis viderunt Henricum, nulla ſanguinis neceſſitudine obnoxium, nulla virtute, aut aliquorum in gentem tam remotam meritorum prærogatiua commendatum, in regem adoptari & arceſſiri. Fratri eiuſdem, cauſa, Deus bone, quam diſſimili! à ſubiectis Catholicæ & religionis & maieſtatis perduellibus, Belgicarum prouinciarum principatum deferri. Et Catholici, ab hæretico adflicti, egent, regẽ Catholicum, bene merentiſſimum; &, velint nolint, vnicam ſecundum Deum ſalutis ſpem? Plura quum dicere vellet Europa, A. præ rerum indignitate, & iudiciorum de rebus tam claris iniquitate, perturbatam, & futurorum metu perculſam, & veluti publici morbi contage adflatam, ſermo cum anima deſtituit. Illa ſuos vniuerſe alumnos grauiſſime, ſi vmquam, periclitantes, ſiue verius iam perditos, exhortari viſa, ſi ſecum ſalui eſſe velint, vltro & contra animi ſui libidinem Imperii ſummam ad vnum deferant, qui & inſigni defendendæ religionis ſtudio, & opum amplitudine viriumq; potentia, reliquos antecellat.

Et quin id ſit è Chriſtianorum publica futurum, puto paucos, qui prudentia rerumq; vſu valeant, ambigere. Animi vero, aut ira, aut odio impulſi, neque verum peruident, neque bene conſulere poſſunt. Quis enim lubidini ſimul & vſui pareat? Qui vero peregrinum regem perhorreſcunt; gentis huius aut illius inſolentiam, è ſuo fortaſſean ingenio alios æſtimando, aut reformidant, aut ſuæ libidini prætexunt: antiquum regni decus ad alienos transferri & volui moleſtiſſime ferunt: ſciant illi, oppida, reſp. regna, ſenectæ quoque ſuæ & morti eſſe obnoxia, ſtare, cadere imperia: oriri, aboriri. magnum illum architectum, etſi certo ſemper prouidentiæ ordine omnia peragat, noſtro tamen iudicio in rebus humanis, ſtata mutationis viciſſitudine, ludere. floruiſſe aliquot ſæculis Galliam, armis valuiſſe magnifica regni poteſtate, quæ ſorte quadam in Hiſpaniam nunc ſint tranſmiſſa. Hanc æternam neceſſitatis eſſe legem, vt omnia in hunc fatalem naſcendi, denaſcendi, abeant gyrum: nihilque in hac infernatis mundi machina, etſi vtcunque longæuum, ſit tamen æternum. Hæ rerum mortalium alternæ ſunt vices, & reciproci, vti in Oceano quodam, fortunarum & regnorum æſtus. Sic vna cum labente imperio effœti virtutum & enerues Itali, terram vbere glebæ feliciſſimam, duris illis & robuſtioribus primum Gothis, deinde Langobardis felicius exercendam reliquerunt, qui mox Francis conderent. Hunni in Pannoniam, Franci ipſi in Galliam, in Britaniam Angloſaxones, Normani in Belgoceltìcam, veteribus colonis, ob inertiam animorumq; defectionem, aut, ſi ſuperbi, migrare iuſſis; aut, ſi ſubiecti, ſub nouas leges tranſditis inualerunt.

Verum enim vero vt in tanta animorum obſtinatione, in tam iniqua iudiciorum prauitate, in tam peruerſa adfectuum lubidine, ſingulare hoc imperium, quod maxime ſalutare, immo neceſſarium eſſe fingis, vna omnium Europææ gentis ordinum ſuffragatione aut conſenſu, ad pium & Catholicum regem non deferatur: alterum, quod initio diſiuncte propoſuiſti, quam breuiſſime fieri poſſit, tibi relinquitur commonſtrandum; fatali nimirum quodam orbe, hanc monarchiam ad eundem Hiſpanum deuolui.

Neque mihi iſta in inquiſitione, ad aſtrorum vim aut corporum cœleſtium circumuolutiones, quibus in nugis Aſtrologorum ingenia fruſtra deſudarunt: neque ad obſcura harmoniæ Platonicæ commenta: neque ad curioſam numerorum annorumque rationem, confugiendum eſſe putaui, ſed partim manifeſta diuinæ in ampliſſimam Auſtriadarum familiam beniuolentiæ indicia; partim opum incrementa conſtituendæ Monarchiæ opportuna ob oculos ſubiicere conſtitui. Vnde non inani prorſus coniectura facile comprehendere poſſitis, id quod nunc in quæſtionem dubiamque vocatur: & liquido conſtet, Imperiorum dignitatem legitimi ſtatus conſeruatricem & Satanæ aduerſariam, à principibus excellenti virtute præditis & ſummo genere natis, Deo pro ſua admirabili prudentia ita regnorum vices temperante, ſolere conſeruari.

Ecquæ mehercle maior admirabilis in Deo prouidentiæ dari potuiſſet, aut eiuſdẽ in Remp. Chri-

ſtianam beniuolentiæ ſignificatio; quam quum inualuiſſet multo ante in Aſia immaniſſima Turcarum tyrannis, & iam tum anno ſupra mille tricenteſimo Othomanus, parua inter ſuos auctoritate, rerum potiri cœpiſſet, & futuri Mahometanorum principatus ſtirpem proſeminarit. Cuius poſteros ab Eois regionibus ad Germaniæ vſque fineis regni pomæria, perdomitis duobus Chriſtiani nominis Imperiis, & infinitis regiæ dignitatis prouinciis, longe lateq; propagaſſe vidimus, quod eadem pæne tempeſtate Habſpurgios, qui licet vetuſto Francorum Meronæorum ſanguine proſati, mediocri hactenus fortuna floruerant, in lucem quodammodo Europæq; conſpectum reuocarit: qui cum præclaris virtutum meritis, tum legitimo ſucceſſionis iure, non minorem regnorum ditionumque amplitudinem conſequerentur, quam Scythæ illi, & iniqua dominandi libidine, iniurioſa armorum vi ſibi compararent, vt inde ingrati flagitiiſque cooperti Chriſtiani, ceu præſentes ſuorum ſcelerum vindices perhorreſcerent: hinc pii fata fatis contraria rependerent, & veteris quodammodo reip. occaſum noua Imperii luce nouiſq; defenſoribus ſolarentur. atque vti ſub Auſtriada Cæſare Turcæ cornua attollere cœperunt: ita ab eiuſdem ſtemmatis principe aliquando tandem depreſſum eos & debellatum iri, non vano omine ſperarent.

Rodulphus I. ex humili, vti tum res ferebant, fortuna, fatalibus mathematicorum præſagiis multo ante deſtinatus; & poſt pernicioſiſſimum viginti amplius annorum interregnum, concordibus Septemuir. Germanicorum ſuffragiis cooptatus, & à pontifice Rom. inauguratus Imperator, ſingulari animi virtute & prudentia perturbatiſſimum Germaniæ ſtatum ſub pacis leges redegit. è ſex mulieribus ſexus prolibus, alteras tribus Reipub. Germanicæ principibus Electoribus, alteras totidem Regibus nuptum elocauit. Auſtriam, Imperii clientelam, cum honoratiſſima Ducalis amplitudinis nomenclatura poſteris: Alberto filio, ceu ſucceſſori, Imperii dignitatem: alteri cognomini, Sueuiæ principatum, reliquit. Quæ tam ſubita & felicia fortunarum incrementa, ſoli ſupremi numinis in hanc gentem beneficentiæ nemo non ſanus iuſtiſſime adſcribat. At quibus potens & beneficum illud Numen viis, ad amplificandam iam ſatis ſuperq; nobilitatæ huius ſtirpis dignitatem & potentiam proceſſerit, ſubtilius operæ pretium eſt indagare. Regna Boemiæ, Vngariæ, Poloniæ, aut maritali iure ſubinde ab Auſtriadis poſſeſſa, aliaq; familiæ ornamenta in præſens prætereo: ea, quibus illi veluti gradatim auxerint: quæque aut præclaris in remp. meritis, & egregiis multorum annorum laboribus, aut æquabili ſucceſſionis iure, hic, ibi, parta, ceu plena manu fortunæ benignitas in eoſdem profudit, atq; ad Monarchiæ apicem viam muniit, ob oculos ſubiecisse contentus.

Creſcunt opes in Pannonia: Ferrettæ comitatus, Carinthiæ ducatus, opulentiſſimus Tirolis principatus, potentiſſima Boemiæ, Hungariæq; regna, Stiria cum finitimis regionibus, ad opes Auſtriadarum accedunt. in quibus, vt bonorum omnium auctori Deo tot incrementa accepta ſe referre teſtarentur, & Chriſtianæ pietatis orthodoxæque religionis veſtigia paſſim impreſſa reliquerunt; & ſubiectis ſpectatæ vitæ exempla, ceu facem, præluxerunt. quæ procul dubio ſingularia regnorum rite conſtituendorum præſidia habentur. Præter aſceteria tot locis exſtructa, & tot magnificas templorum moles magnis ſumptibus exædificatas: Albertus & Fridericus, ille Rodulphi, hic Maximiliani, primorum iis nominibus Imperat. parentes, inſtituta in Palæſtinam, pietatis votiq; ergo peregrinatione, propitia poſteris numina conciliarunt. adeo vt tam pauculis annis ſuprema Imperatoriæ maieſtatis dignitas, velut perpetua hæreditatis ſerie, penes eorundem poſteritatem, iam decem Cæſares, in hunc vſque diem fuerit pæne continuata. Verum parata iam nominis opumque apud populares Germanos claritate, longe maiora ab exteris augendi imperii præſidia, diuina iiſdem benignitas viſa eſt ſubminiſtrare. Et quum Gallia, quæ, virtute licet & robore effœta, inter Europæas tamen regiones potentia inueterata facile etiam dum erat princeps, lentis hinc inde petitionibus paullatim imminuenda eſſet & deterenda, vt nouæ Monarchiæ locum concederet. Ecce! Hinc Belgicæ prouinciæ in vnum iam Flandriæ corpus coaleſcunt; & perpetuis hoſtibus formidabiles eſſe auſpicantur. Atrebateſium cum Burgundia ſupernate Malanus Flander conſecutus: à Gallis iniuſtis hactenus poſſeſſoribus, Flandriæ Gallicanæ Tripolim, Inſulam, Duacum, Orchiacum, receperat: & vna cum filia hæreditarias Flandriæ ditiones in Burgundum ducem tranſcribit. Cuius poſteri adeundis hæreditatibus fortunatiſſimi, Hannoniam cum Holandia, Zelandia, Friſia; deinde, Brabantiam cum Lympyrgo, poſtremo Lucepyrgum, iuſtiſſimo ſucceſſionis iure; & Geldriam emtione ſunt adepti. Quibus tot tantiſque principatibus perbelle dotatam, Mariam, nactus coniugem Auſtriades Maximilianus, à Pannoniis, peramicam & Imperii obnoxiam Germaniam, ad Oceanum vſq; Britannicum auitæ ditionis fines cœpit extendere, & Gallos veterrimos hoſtes in anguſtum ea ex parte deducere.

Inde ampliſſima Hiſpaniæ citerioris regna, Caſtulonenſium & Tarraconenſium, cum regiis vtrorumque clientelis, pari ſucceſſionum coniugiorumq; iure, tot ante ſceptris & agnatis regum odiis diuulſa, inter ſe committuntur. Exactis è Bætica Mauris, paceque domi parta, Ferdinandus Magnus & Catholicus Balearibus & Sardiniæ, opportuna Siciliæ Neapoleoſq; regna, cum ope agnatis ferenda, tum hoſte Gallo ſecundis præliis premendo quæſita, adiecit; & felicia poſteris noui orbis inueſtigandi, & auri ex inuentis ſubactiſque inſulis deportandi fundamenta poſuit. Cuius ſcilicet Filia Ioanna Phylippo Flandroauſtriadæ in matrimonium collocata, non modo Europæ dextantem, ſed quadrantarium etiam vniuerſi orbis portionem, Americam illam, Auſtriadis iam non mediocriter auctis, in dotem adferret. Atq; ita tot inde & hinc prouinciis ſub vnius principis imperium conſpirantibus circumcluſa Gallia, ſi quid moueret, facillime coerceretur: belliſque longinquis, dum

quie-

quieſcere & noui Imperii ſplendorem ferre neſcit, ſenſim debilitaretur. Et quo certiora diuinæ in Auſtriadas beniuolentiæ indicia eluceſcant; Carolus V. dum ſuis & fœderatorum regnis hoſtem vndiq; cingeret, & non modo gentium multitudine aut regionum amplitudine: ſed opum etiam partim domeſticarum, partim externarum copia præſtaret: nec tamen, quod informatum animo habebat, aut ſalutarem Monarchiæ ſtatum, Germania in prouinciam redacta, conſtituere; aut, licet multa pie fortiterq; conatus & cætera victor, Turcam ab Europæ ceruicibus, ob indignam regum Chriſtianorum æmulationem, penitus poſſet depellere: Luſitanici tamen coniugii beneficio, filio Philippo (quem Deus cum prole longum ſoſpitet) tam vicini lateq; potentis regni ſpem ſeram reliquit. quo tandem Auſtriadæ, occaſum cum ortu, Meridiem cum ſeptentrione, ſua dominatione complexi, Monarchiam, omnium ſeculorum memoria maximam, & Europæ nunc perturbatiſſimæ vti dicere inſtituimus, maxime ſalutarem, obtinerent: neq; violenta vſurpatione, ſed iure vndequaque optimo, hoc, quod ominamur, Imperium, Deo beniuolente, conſtabilirent. Nam quid in vniuerſa fere Europa reliquum eſt, quod non aut à rege Philippo, aut ab agnatis Auſtriadis ſit delibatum? Ille quidem, geminato quodammodo iure Luſitaniam iam ſibi aut ſuis ante obſtrictam vindicarat: ius ſucceſſionis Imperatoriæ, ſi patruus abdicatum renunciaſſet, magnis Comitiis tantum non abſtulerat: Britaniam maritus creuit &, adiit è Franca iuſtam regni pro tempore vacui hæredem, & Britonum Bononienſiumq; principem, quicquid profana ſaliorum lex obſtrepat, ſuſtulit & eduxit: Filium deniq; putum putum Auſtriaci ſanguinis germen, quod felix fauſtumq; toti ſit Europæorum Chriſtianitati, in tantarum rerum perfectionem, & ad ſuperanda ſummæ felicitatis faſtigia, relinquit.

Hi vero, iam ſemel atque iterum communibus ordinum ſuffragiis in reges Poloniæ adoptati, in Pruſſiæ magiſterium adlecti, poſteris, factæ ſibi iniuriæ vltionem, & delati honoris vſurpationem tranſcribunt. Quibus ita demum eo, quem diximus, fatali orbe ad exitum perductis, & rerum ſumma ad vnum, cuius & pietate ſceleratiſſima hereſeon portenta proculcentur, & potentia immaniſſimi hoſtis conatus comprimantur, vel vltro delata, vel deuoluta: quorum alterum, in tanta regnorum omnium inclinatione, euenire neceſſe eſt: cum meritas hactenus ſuæ in pium beneficumque regem contumaciæ impudentiæq; pœnas exſoluiſſe ſentient & ingemiſcent Europæi; tum præſentiſſimam malorum ſuorum medicinam hoc, quod pro tempore conſtituimus, ſingulare Imperium experientur & prædicabunt. Dixi.

Subtili mehercle euentorum, ſiue diuini potius, in amplificanda Auſtriacæ familiæ dignitate, conſilii inueſtigatione, viam quandam ad iſtam, quam prætendis, Monarchiam, & aperuiſſe & muniſſe videris: quæ quin Europæ fatalibus motibus agitatæ ſalutaris ſit futura, vix vllus ſanæ mentis ambigat. Multa tamen, neq; abs re, dubitationem & ſcrupulum Auditorum animis poſſint inucere: & hanc tuam de Hiſpanica Monarchia opinionem infringere.

Romano inprimis Imperatori videri poſſis iniurius: cuius maieſtas præ cæteris regibus & principibus longe eſt maxima, & cum ſummo Chriſtianæ Eccleſiæ capite coniunctiſſima: quin in hac aſpectabilis Eccleſiæ ſtatione, inter aſſiduas reliquorum regum excubias, arcem tenere cenſeatur: neq; in ordinem redigendus ab vllo, licet potentiore, ſalua Chriſtianiſmi incolumitate, videatur. Niſi & Imperatoriam illam amplitudinem, vna cum reliquorum regnorum acceſſionibus in eundem, quem formas, Monarcham, quod probabile eſt, deuoluis.

Deinde quum Deus certos cuiq; regno limites præfixerit, non modo in communem hominum ſocietatem: ſed in Deum etiam ipſum regnorum limitumq; moderatorem, peccet ille, qui immoderata regnandi cupiditate fineis ſui imperii vlterius extendere conetur. Niſi & hic vel legitima ſucceſſionis iura, vel delata ſupremorum honorum munera adleges.

Poſtremo, accepimus Auorum memoria vulgo fuiſſe à prudentioribus ſuſurratum, quum magna cum plebis voluptate & congratulatione Philippus Flandro-Auſtriades ad cernendam dotalis Hiſpaniæ hereditatem è Belgia enauigaret: priuatam illam eſſe principum felicitatem, & quoniam multa regna, vt ille ait, multæ curæ ſubiectis populis, & veteribus clientibus exitioſam eſſe noui regni, nedum totius mundi acceſſionem: Ne fortean & hic, præſentem rerum ſtatum, diſtractam ſceptris & diſſenſionibus Europam, & coniunctas Turcæ Tyranni vireis (quæ vtraq; id remedii poſtulare omnino videantur) denuo proponas. Ad quæ omnia longe ſubtilius, niſi iam æquo longius excurriſſet oratio, reſpondere potuiſſes. Sed quoniam & aures auditorum faſtidio proximæ, & alia reſtant abſoluenda, aliud in tempus reiiciemus.

QVÆ-

V.

QVÆSTIO POLITICA

Anno Domini 1607.

AN PONTIFICIS SEDISQVE ROMANÆ MAGIS QVAM HISPANIÆ AVT ALIVS CVIVSQVE IN ORBE Chriſtiano Dominatoris, ad Monarchiam vniuerſalem propoſitum extimeſcendum ſit; Et quo conſilio Pontifex Euangelicos, Hiſpaniæ quam alterius Monarchiæ terrore, magis percellere ſtudeat.

Philopater Theophilo ſuo S.

QVæris ex me, Theophile, quid me inter tot tantoſq; Politicos, eoſq; Reip. peritiſſimos moueat, quod à communi vulgoque recepta opinione de Regis Hiſpaniæ ad Monarchiam vniuerſalem propoſito, quum & ipſe eam ante vt veram crediderim, nunc in aliam ſententiam diſcedam. Inconſtantis non eſt ſententiam mutare. Faciunt enim hoc ſæpiſſime ſapientes Reip. moderatores, cum ad inſtar Nauarcharum (qui vt nauigium ex tempeſtate in portum tuto deducant, curſum aliquando mutare coguntur) conſilia ad rerum occurrentium inclinationes moderantur. Ego vero cum ex eo tempore alia didiciſſem ac vidiſſem ſcripta, varia legiſſem, eademq; ſapientiſſimi & clariſſimi viri in variis Regnis & Rebuſpub. ſuis monumentis prodidiſſent, quidni & ipſe ſententiam eorum amplecterer? Non enim ſemper eaſdem ſententias ab iiſdem, ſed quaſcunq; Reip. ſtatus, inclinatio temporum, ratio concordiæ poſtulat, eſſe defendendas noſti. Nam ſtare omnes debemus tanquam in orbe aliquo Reip. in quonam verſetur, eam diligere partem debemus, in quá nos illius vtilitas ſaluſq; conuerterit, ab illa vero fortiter & celeriter diffugere, quæ nos cũ ea ad interim rapit. Et quamuis conceptæ opinionis vis magna, quæſtioniſq; illius altitudo, virum, qui me ſcientia & rerũ vſu antecellat, requirere videantur: meus tamen in Remp. amor me impellit, vt ſcientiæ meæ rationes quantulaſcunq;, ad communem & periculoſum illum errorem pro modulo meo diſcutiendum, tibi exponam. Tuum erit, ſi à recto tramite humanitus aberrem, me prudentioribus tuis monitis in viam reuocare. Inprimis autem te ſcire volo, me non ſimpliciter negare, Hiſpaniarum Regem vnquam ad Monarchiam vniuerſalem aſpiraſſe, vel etiam nunc ad ſubditos ſuos poteſtatem pro libitu ſuo exercendam, ſummis conatibus contendere. Nam vti vnica & ſumma Belgici Belli cauſa eſt, quod ipſe Principatum, à Maioribus æquis legibus acceptum, & proprio ſacramento confirmatum, in ſolutam Monarchiam & Romano-Hiſpanicam tyrannidem inibi mutare ſatageret: ſic etiam illud ipſius ad Monarchiam vniuerſalem vſurpandam ſtudium ſuis temporibus varios Reges & Principes ad bella pro imperio tuendo vel amplificando, potentiæ æmulatione aliquoties & merito excitarit. Cæterum hæc ſubinde ob grauiores cauſas ſopita fuerunt, ſicuti & nunc propter ſubditorum motus, quia inter omnia Regib. ſemper periculoſiſſima viſa fuerunt, compoſita videmus. Exiſtimandum quoq; non eſt, illuſtrês Prouinciarum fœderatarum ordines, corporis illius [a] Politici (cuius Princeps caput ciuile eſt) non infimam partem, iniuria feciſſe, quod Hiſpaniarum Regem, non minimam capitis diminutionem à Pontificibus Romanis paſſum, prauiſq; ipſorum & Inquiſitorum Hiſpanicorum conſiliis ſeductum, & velut furore quodam ad ſæuiendum in propria viſcera excitum, à primũ ſeruitute illa liberare, deinde ad moderatoria conſilia, ſecundum æternas Imperii Belgici leges, humilibus tam ſuis quam vicinorum Regum & Principum precibus & ſupplicationibus reducere conati ſunt. Et quod tandem vbi ſatis grande patientiæ [b] documentum dediſſent, & nihil ſe per modeſtiam & obſequium proficere viderent, quam quod grauiora ex facili tolerantibus imperarentur, atq; remis veliſq; ad ſolutam in illos Monarchiam vſurpandam, penitus oppreſſa libertate contenderetur: quod, inquam, ipſi externa illa & ſoluta Romanorum & Inquiſitorũ Hiſpanicorum tyrannide eiurata, Philippoq; & Hæredib. eius, velut eiuſdem peregrinæ ſeruitutis inſtrumentis, abdicatis, & in Pontificis Romani ſeruitute (vt quibus ea, ſua ipſorum Maieſtate & populorum libertate carior videretur) relictis, ad vicinorum Regum & Principũ exemplum, Remp. priſtinæ libertati & ſplendori reſtituerunt. *Nos Romani* (inquit Agrippa ad Auguſtũ Imperatorem) *cum priore Dominatu fracti eſſemus, poſt quam multa aſpera ſuſtinuiſſemus, in libertatis deſiderium venimus: quam vbi fuimus conſecuti, ad hanc magnitudinem non aliis quam Reip. bonis progreſſi ſumus: Senatus enim primum cenſebat, poſt populus iubebat, exercitus praſto erat, & gloria cupidi Imperatores.* Etſi enim vel Hiſpanus, vel alii Pontificii Reges, ſtudium ſolutæ Dominationis neq; Tyrannidem, neq; Monarchiæ vniuerſalis cupiditatem, ſed ius Regum in ſubditos, appellare ſoleant, atq; adeo etiam inter Euangelicos nonnulli repetiantur, qui eiuſmodi Dominationem non improbent, ſed Reges illam pro libitu in ſuos ſubditos exercere poſſe, nulli vero eorũdem tali ſeductioni & violentiæ vel ſupplicando, vel monendo, vel innocuos defendendo reſiſtere licere putent, cum tamen boni Principes, licet

a *Antonius verum, Pax Gentium, & mecum veſtra ſalus* (inquit Otto apud Tacitũ) *INCOLVMITATE SENATVS firmatur.*

b Tacit. in Iul. Agricolæ initio: *Dedimus profecto,* inquit, *grande patientiæ documentum & ſicut vetus ætas vidit quid vltimum in libertate eſſet, ita nos quid in ſeruitute, adempto per* Inquiſitiones *loquendi audiendiq; commercio. Memoriam quoq; ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in noſtra poteſtate eſſet obliuiſci quam tacere.*

Liu. Decad. 1.

licet Ethnici, ſolo naturæ ductu ſe legibus Imperii publicis ſubiicere voluerint, moderataq; Imperia violentis meliora eſſe iudicauerint: vix ego inueſtigando detegere poſſum, quo ſpiritu ducantur Chriſtianorum nonnulli, qui Principibus, hominibus (inquam) finitis, & affectibus prauiſque cupiditatibus non minus quam cæteri obnoxiis, infinitam, immenſam & legibus ſolutam poteſtatem non ſolum licitam, verum etiam vtilem, imo ſalutarem eſſe, perſuadere conantur, cum Principes ſint mortales, Reſpublica æterna; ipſiq; Ethnici conſilia de coercendo intra terminos Imperio iniecerint; Et Nerua Cæſar res olim diſſociabiles, principatum ac libertatem, miſcendo, optimi Principis laudem conſecutus ſit; Regiſq; illius (qui fideliter iudicat tenues) ſolium in perpetuum [a] ſtabiliatur. Vidiſti haud dubie ſcriptum Alberici Gentilis *de ſoluta Regum poteſtate*, sereniſſimo Britanniæ Regi dicatum. Mirantur boni, quod doctiſſimus ille vir, cum domi in Italia ne ſui quidem Principis ſolutum Imperium ferre potuerit, Religionis Chriſtianæ cauſa exul factus, idem Principi aſcititio ſuadere & aſtruere voluerit, vtiline clementiſſimo & Religioſiſſimo illi Regi Regniſque illius, an pernicioſo conſilio, tempus veritatis Magiſter aperiet. Sunt qui verentur, ne dum Potentiſſimi illius Principis animus illiuſmodi & aliis arcanis Myſterii Romani artibus titillatur, Ieſuitæ aliique tyrannidis Pontificiæ propagatores Regnis illius atq; adeo ipſi Regi totique familiæ Regiæ variis conſpirationib. & proditionibus inſidias ſtruant. Sed vt ad rem redeam, nolo quoq; exiſtimes, cum ego, Hiſpaniæ Regis animum nunquam Monarchiæ vniuerſalis ſtudio alienum, me affirmare, eundem magis ſuo contentum eſſe, quam ſunt vt plurimum cæteri mortales omnes & imprimis Reges; Cum [b] Tacitus dicat, *priuatæ domus eſſe, ſua retinere; de alienis certare regiam eſſe laudem*; etiam pridem creditum ſit, Regnorum & Imperiorum ius eſſe in armis. Cum igitur de alienis certare regia laus ſit, atq; adeo Auguſti nomen inter ſummos Regum & Principum titulos referatur, quis [...] ſeu mentis & rationis fuit expers, vt Hiſpaniæ Regi aut illi Principi (ſi modo ſoluta atq; tyrannica ſæuiendi & rapiendi poteſtas ab ipſorum propoſito & ſuorum factis abſit) ſtudium amplificandi Imperii, vitio verteret, quod cæteri omnes inter ſummas Regum laudes recenſent? Quare etiam Hiſpaniæ Regibus non idem ſummæ laudi & gloriæ duceretur, ſi & ipſi cum pietate, iuſtitia & æquitate Imperiũ proferant, ſicuti Francorum Regib. olim glorioſum fuit, cum ipſorum Imperium totum occidentem & orientem peruaſit? Cum apud Romanos iis, qui imperium protulere, terminos vrbis, velut ad æternum virtutis & boni facti monumentum, propagare datum? Nam quod quidem Imperatorem Auguſtum apud [c] Tacitum laudant, quod *ſuis de Repub. commentariis conſilium coercendi intra terminos Imperii inſeruerit*, quaſi tanta Princeps ille animi moderatione & abſtinentia fuiſſet, vt Romanus author eſſe voluerit, ne vniuerſo orbi imperarent, id contra ipſius Auguſti mentem eſſe, & antecedentia & ſequentia Taciti verba eo loco ſatis aperte teſtantur; *Cum Roma prima & ſola ab omnis aui memoria terminos ſibi potentiæ fecerit Orientem & occaſum. Coercere* enim *intra terminos Imperium* nihil mihi aliud Auguſtus appellat, quam poteſtati imperãdi, ſecundum ſalutare Mecænatis conſiliũ, modum in ſpeciem imponere, vt ſe metu atq; inuidia ſenatus liberaret, cum ſciret prudentiſſimus Princeps, [d] nouum Imperium inchoantibus vtilem eſſe clementiæ famam, & ex [e] Principatus & libertatis commixtione quotidie facilitatem imperii augeri, nihilq; minus diuturnum, quam quod legum vinculis ſolutum aut violentum; Nihil deniq; Imperiis & Regnis periculoſius, quam Imperio & ſoluta poteſtate vti. Vnde quoq; ſapientes iudicauerunt, non vtendum Imperio, vbi legibus agi poſſit. Atq; adeo omnem poteſtatem, humanis affectib. potius, quam legibus ſubditam, licentia & diuturnitate corrumpi; Cumq; Imperii magnitudine adoleſcere atq; erumpere veterem ac iam pridem inſitam mortalib. potentiæ & Autarchiæ cupidinem; Ideoq; huic, non autem virtuti & fortitudini, quibus omnia ſub vnam pietatis & iuſtitiæ legem reduci poſſent, frenũ iniiciendum eſſe. Non equidem inficias eo, Hiſpaniarum regi Monarchiæ vniuerſalis ſtudiũ per Indiarum ſubiugationem mirum in modum creſcere cœpiſſe; ſed opinionem hanc falſus paſtor, ne incrementũ illud Hiſpani ſuæ ad Monarchiã deſtinationi noceret, variis rumoribus auxit, vt, dum Reges & Principes Europæi ea territi, ſe aduerſus illum armarent, in ipſius artes & clancularias rapinas animum minus intenderent. Quomodo etiam potentiſſimos Germaniæ Principes terrore potentiæ Turcicæ (dum ipſe illos in caſſes ſuæ tyrannidis clam adigeret) dudum occupatos tenuit. Accedit & hoc, quod inſita Hiſpanis pleriſq; ſuperbiæ & crudelitatis natura, cum terrarum incremento, ſupra modum accreuit: Sic vt non iniuria tum de tyrannidis vniuerſalis cupidine inſimulari potuerint. Non minus quam Sigiſmundus Poloniæ Rex, ſi vel Sueciam, vt Moſcouiam ſubiugaret, eadem cupidine accendi, & ad infinitæ potentiæ acerbitatem vi impelleret. Hæc omnia ſunt in propatulo, & vti quiſq; raptoribus illis orbis terrarum vicinior eſt, ita quoq; habet, quod ſibi ab illa rapacitate aperta magis metuat. Negari etiam nullo modo poteſt, quin & ipſi Pontifices, Hiſpani ambitionem & rapacitatem aliquoties adeo metuerint, vt licet ſe Chriſti vicarios venditent, apud Turcam, æternum nominis Chriſtiani hoſtem, & fœdera & auxilia aduerſus illius vim quæſiuerint; Tum nimirum, cum Pontifex Hiſpaniarum & Luſitaniæ Regibus Indias ad ſedem Romanam (hac tamen adhibita cautione, vt ſeruarent Indorum [f] Reges) reducendas demandaſſet; Hiſpanus vero, ſpreta illa cautione, Regibuſque interfectis eas ſuo Imperio quaſi totas ſubieciſſet, Patrem & Paſtorem ſuum vniuerſalem, ſpe moderationis de ſe conceptæ, & vtilitatis ex iis percipiendæ, tam turpiter fallens & ludificans.

Aut quomodo pater ille patratus iſti fraudi deinceps obuiam iuerit, hiſtoriæ ſuperioris ſeculi ſatis abunde loquuntur; Dum hic eundem à cõſiliis & armis ad voluptates abduxit, inde cæteros Reges Europæos in eum æmulatione potentiæ excitauit, ad vires ipſorum hoc modo atterendas, ſuamque in ipſos

a Prouerb. 29. 14.

b Tacit. Annal. l. n. 14.

c Tacit. Annal. XII.

d Dionyſ. Halicarnaſ.

e Tacit. in vita Iul. Agricolæ circa initiũ.

f Maxuli enim ſenex Montanus pluribus Regibus imperare, quam vnum potentia nimia terreri.

Vehementibus Romani plus aduerſus ſubiectos valent, quam armis. Tacit. 4. Hiſtor. n. 84.

in ipſos tyrannidem propagandam. Sic Gallicæ olim ſæpe potentiæ, Hiſpanicæ aut Auſtriacæ æmulatione in grauiſſima bella contra vtramq; excitæ. Sed hoc tum maxime contigit, cum Regna illa nullis inteſtinis malis turbarentur. Cæterum nunc, poſtquam ſuborta, acrioribus quam lenioribus Pontificum & Ieſuitarum remediis, in religione per Hæreſes, vt aiunt, mala inteſtina adaucta fuerunt, Regeſq; & Principes experti ſunt, inter ambitioſa illa bella ciuiles ſubditorum motus, ſub ſpecie defendendæ religionis vndiq; ſuccreuiſſe, & in dies ſuccreſcere atq; adeo ipſas vtrinq; in pericula Regnorum amittendorum adductos eſſe: Pontifices & ſedes Romana inanem occaſionem, ad Imperium ſuum & conſeruandum & amplificandum, intenti (vt qui ſibi ex Hæreſi & populorum rebellione non minora pericula & incommoda, quam ipſis Regib. prouenire ſentiebant) ambitioſa illa bella, quæ ante ad temperandam Regum potentiam ſibi vtilia fauebant, exinde & ſibi & illis velut intempeſtiua & noxia diſſuaſerunt, & periculum, quæ ad Regna illorum ex ſubditorum in Religione diſſenſionibus prouenire poterant, magnitudine oſtenſa, eoſdem ad fidam inter ſe pacem & mutuum pro extirpandis & ſubiugandis Hæreticis & Rebellib. fœdus adhortati ſunt; non quidē ad legitimam Regum & Principū in ſubditos autoritatem, quæ in libera Imperii Adminiſtratione conſiſtit, reſtaurandam, vt ipſi illis falſo & fraudulenter perſuadere nituntur (nam hæc vniuerſali & ſolutæ ipſorum Monarchiæ quam aſſidue proſequuntur, nimirum obſtaret) ſed vt ipſi odio illo, quod Reges & Principes in ipſos, velut omnium legitimorum Imperiorum & Regnorum euerſores, orbiſq; raptores iuſtiſſime exercere deberent, hac arte callide liberati, animos Regum & Principum in ſubditos ſuos, atq; adeo in propria viſcera ſupra modum exacerbent; Dumq; hi illo plus æquo domi occupantur, ipſa eorundem Regna & Imperia, malis ipſorum conſiliis turbata, tanto facilius ſibi rapere poſſint. Tales enim atq; etiam pericolosiores Pontificum machinationes eſſe, etiam eo certiſſime probari poteſt, quod illi bellorum omnium inter Reges & Principes ſuos cum à domeſticis curis liberi fuerunt, præcipui autores & fomites ſemper extiterunt; vt & hac arte vires illorum, quaſi liberæ eſſent, ſibi timendas habuiſſent, quæq; in ipſis conuerti potuiſſent, alio conuerſæ atterentur. Sic itaq; ex temporum mutationib. Pontifices quidem ſua conſilia mutant, ſed nunquam ſcopum. Fatebor ergo tibi, Theophile, omnes homines ad Imperium naſci, & multos etiam magnis conatib. ad illud contendere; ſed plurimos nullo, vel inutili; nonnullos aliquo; pauciſſimos magno ſucceſſu; Et inter hoc certe præterito ſeculo Hiſpaniæ Regem velut omnium primum propter potentiæ incrementum reputari potuiſſe. Verum vbi illi, velut Regum aut filiorum ſuorum, propter nimis adauctas vires, immoderatori Pontifex Romanus, vt Pater æmulus catenas æneas iniecit, his certe illum ita ad ſolutam ſuam obedientiam adegit, vt citra ipſius, veluti patris, iuſſum, veluti paſtoris cōſilium, veluti iudicis, Imperium, nihil quod magni momenti ſit, aggredi auſus fuerit; maxime cum veriſimile ſit, Pontifices ea adhibita cautione Remp. regere (ex quo Reges & Principes ſe arbitrio ipſorum ſubiecerunt) vt ipſi ſoli rerum Domini maneant, nec permiſſuros, vt vnius ex filiis ſuis vires in tantum exceſcant, quibus alii, atq; adeo ipſe & ſedes Romana opprimi poſſint. [a] Principis præterea in animo nihil arduum videtur, cui non iudicium, non odium ineſt, niſi indita & iuſſa. Sicuti itaq; nego in Rege Hiſpaniæ nunc eam vniuerſi orbis rapiendi cupidinem, vel tantam aut talem eſſe, qualis ea eſt in ipſis Pontificibus, & ſede Romana, ita è contra illam Monarchiæ cupidinem (quæ ſoluta legibus Tyrannis vocatur) non minorem in huius Regis, quam in illorum animo dominari, certum eſt, cum eam & India & Belgium, atq; adeo Germania & Gallia, pluſquam Turcicam, pluſquam Phalaricam expertę ſint, nec ipſi pontificii hoc diffiteantur. Cauſæ autem quæ me in hanc ſententiam adduxerunt, ſunt hæ, quia Rex Hiſpaniarum in Belgio iam pridem inteſtino ſiue domeſtico laborat malo, & quidem grauiſſimo. Certo autē apud Politicos omnes creditur, quod nemo ſuis rebus metuens ad aliena animum adiiciat, quod is timor, quē de propriis habet, ab omni eum prorſus alienorum cura diuertit. Cumq; inteſtina mala omnium peſſima atq; periculoſiſſima ſint, ea ante omnia quoq; curanda eſſe, omnes [b] prudentes ſemper & crediderunt & iudicarunt. Res quoq; ipſa teſtatur, omnes Regum Hiſpaniæ conatus in aliena Imperia, durante illo bello domeſtico, irritos fuiſſe, imo illis ipſis pernoxios, viciniſq; & ſubditis aut Prouinciis fœderatis vtiles. Nam dum illa aliena ſaltem auxilio in gratiam ſedis Romanæ reparare, aut fulcire voluit, Theſauros ſuos omnes fruſtra ſe exhauſiſſe, Fœderatas vero Prouincias maximum rerum ſuarum incrementum ſumpſiſſe, reipſa comperit. Secunda ratio eſt, quia cum Monarchiæ facultas in ſoluta vnius adminiſtratione, & pleniſſima omnium per vniuerſum orbem obedientia conſiſtat, præcipuaq; functio Imperii in moderanda anima, velut à qua omnes hominum actiones principium ducunt, exerceatur; Reges autē Pontificii, & inprimis Hiſpanus ſe hac poteſtate Pontificiis Lenociniis in omnibus ſuis Regnis exui permiſerint: tantum abeſt, vt Hiſpaniæ Regi Monarchiæ vniuerſalis propoſitum iure attribui poſſit, vt ne ſuum quidem Imperium ſibi integrum ſeruauerit, contraq; Regnorum & Principatuū ſuorum ordines eumdem Imperii ipſi per eos concrediti, velut male contra extraneos defenſi inſimulare poſſint, cum Pontifices primum ipſi aliud agenti mediam & potiſſimam Monarchiæ aut Imperii partem rapuerunt; auſim dicere totum, eo quod ipſe eos, aut Iudices Regū & Principum agnouerit, ſeq; ipſum illorum ſolutæ obedientiæ ita ſubiecerit vt niſi in illorum obedientia perſeuerauerit, ſubditos ſuos non aliter ipſi, neq; vlterius parere debere, conceſſerit, ſed à fidelitatis ſacramento per Pontifices liberari, atq; etiam in ipſum, pro tuenda pontificia autoritate & Maieſt. arma capere voluerit. Quid? quod in omni principatu ſummum eſt, non ſolum regios, ſed etiam diuinos honores ipſi adoratione ſeruili Hiſpaniarum Rex exhibeat; atq; etiam ſeſe ad eiuſdem pedes (quod neq; Angeli

a Tacit. Annal. XII.

b Dio Rom. Hiſt. l. 30.

Angeli, neq; Apoſtoli tulerunt) velut ſedis mancipium abijciat: Deniq; ſeipſum, atq; adeo omnia ſua regna illius libidini & voluntati exequendæ offerat. Quis itaq; Monarchiæ, i. e. Tyrannidis vniuerſalis ſtudio magis laborat? Iſne, qui ne ſui quidem Imperij potis eſt, aut is qui ſummam in omnib. Imperijs & regnis pontif. dignitatem, maieſtatem & poteſtatem (quę in libero voluntatis ſuæ exercitio, in legiſlatione, in iudicij exercitio, executione & regnorum principatuumq; pro libitu, tranſlatione, cōſiſtunt) iampridem occuparit? Iſne, qui alterius conſilia, decreta & canones, veluti legē (cui parere neceſſe eſt) recipit, aut is qui dat? Quis hic Monarcha eſt, qui ſolutā alicui obedientiam iurat, aut cui ab omnib. illa iuratur? Quid? Annon Pontif. & Inquiſitores in Hiſpania ſupra regem eſſe videmus, cum de capite ipſius filij iudicauerint, atq; adeo imperium & regna illi auferre poſſint? Hiccine ad Monarchiam vniuerſalem idoneus, qui, vt dictū modo, ne propria quidem regna, à peregrina Italorum, Ieſuitarum, Inquiſitorum & aliorum Tyrannide liberare poteſt? Qui coactus fuit in nupera pacis tractatione Magnæ Britanniæ regi publice profiteri, ea q̄ ad religionem pertinent, licet præcipua regni pars ſit, extra ſuam poteſtatem eſſe? Tertia ratio ſumi poteſt à partib. eſſentialib. monarchiæ vniuerſalis, quas tibi probabo ab Hiſp. Regis Imperio, imo ab eiuſdem animo quam longiſſime abeſſe, & hodie in orbe Chriſtiano non alibi, quā in pontifice ſedeq; Rom. quoadusq; Deus propter hominū peccata ita velit, fixam ſedem habere. De iure diuino nihil dicam. Scis.n. Theophile, reges Pontifi meretrici omnem ſuam poteſtatē dediſſe. Rationibus tm̄ politicis tecum agam. Partes eſſentiales eius Monarchiæ ſtatuo, *vniuerſalem rerū in orbe geſtarum ſcientiam, gerendarum prudentiam, exequendarū potentiam, & cōmunem omnium obedientiam.* Quod hæ ab Hiſpan. Regis Imperio, eiuſdemq; animo, etiam longiſſime abſint, res ipſa loquitur. Etſi.n. Pontifices Rom. (vt ſe à graui iuſtoq; illius potentiæ Hiſpan. metu liberarēt) velut benigni parentis ſingulari ſinceroq; in obedientes amore, in cōpenſationem fidei & reuerentiæ erga ſe, & ſedem Rom. Hiſpaniæ regi vniuerſalē mandata ſua exequendi facultatem conceſſerint, eo tm̄ non efficitur, vt is magis inter imperantes quam obedientes recenſeri debeat: licet ille mandati fines quandoq; tranſilire, & religionis prætextu ad amplificandū Imperium ſuum abuti poſſit. Quis.n. ita cœcus eſt, qui non videat, hac beneficij & honoris vmbra Regi oblata, Pontifices illud ſolummodo quærere, vt nimiæ Hiſpan. vires potius ad domandos ſedis Rom. hoſtes atterantur, quā vt religionis propagādæ prętextu regna & principatus ſuos ipſe amplificet.[a] Deinde [a Scientia vniuerſalis.] licet quamplurib. in locis regniſq; Hiſpanus ſuos exploratores & ſtipendiarios habeat, neq; ipſi etiā ex diuerſis gentib. Conſiliarij ad varia conſilia, pro regnorum ſuorū magnitudine & diuerſitate apud ſe cōſtituenda deſint, maximiq; reditus, multæq; & prope innumerę gentes ipſius dominationi inſeruiant, & Imperio ſubſint: Pontifici tū & ſedi Rom. multo plures atq; adeo omnibus in locis ſui ſunt coniurati & exploratores. Etenim ſacrificuli, Monachi, Ieſuitæ, Abbates Epiſcopi, Archiep. Patriarchæ, & quotquot in omnib. regnis & prouinciis Eccleſiaſtici ſacramento ſpeciali Pontifici obſtricti ſunt, non priuatorum tm̄ hominum, ſed etiam ipſorum regum & principū conſilia ipſi ſediq; obnoxia, prodere tenentur. Vnde ſibi vniuerſalem & particularem rerum omniū ſcientiam in omnē occaſionem parant. Adhæc Hiſp. regi nullum conſilium vniuerſale ex rerum peritiſſimis & prudentiſs. ſelectiſſimiſq; omnium nationū viris, ſicuti Pontifici & ſedi Rom. eſt.[b] Cuius rei indubitatū & irrefutabile præbet argumentū Conſiſtorium Rom. in quo ex Hiſpanis, Gallis, Britannis, Germanis, Belgis, [b Prudentia vniuerſalis.] Polonis, Hungaris, Bohemis, Auſtriacis, Italis Siculis, &c. vaterrimi & rerū omniū peritia inſtructiſſimi adoptati, etiā Romani affectione facti, imperio populos regunt, eoſdē pro pontificis & ſedis magnitudine & gloria, in omnib. illis regnis & principatib. contra proprios Dominos armāt. Nec obſtat, quod Hiſpaniæ potentiæ reſpectus aliquando ſe in conſiſtorio Rom. ſupra Pontificū magnitudinē efferre velle videatur. Hoc.n. Cardinales & cæteri Eccleſiaſtici Hiſpan. non ad ſummi Pontif. capitis ſui, potentiam diminuendā, vel regis ſui Maieſt. amplificandam faciunt: id.n. ſacramento, quo Pontifici & ſedi obſtricti ſunt, ex diametro aduerſaretur: Eſſet etiam idipſum contra ipſorum Cardinalium Hiſpanic. vtilitatem: qui nunquā ad Hiſpaniæ regnum, ſed aliquando ad pontificatum, & ita ad vniuerſi orbis Imperium, quod Hiſpano maius & auguſtius eſt, euehi poſſunt. Sed eo ſtratagemate Hiſpanici illi Eccleſiaſtici præcipue vtuntur, cum Italorum autoritatē in conſiſtorio Rom. præponderare vidēt, ne ſc. in perpetuum à pontificatu excludantur. Ad rem: Annon ex illo Conſiſtorio, velut ex Equo Troiano, omnes illos Legatos a latere, & Nuncios ſedis, in omniū regum & principum, & rerumpub. aulas, ipſorum animos dictis recturos, atq; adeo proditionib. & machinationib. vt Græci Troiam, ita illorum & principatus euerſuros, procedere vides? Quid.n. inter Legatos Regū & Principum, & Pontificum ſeu ſedis Rom. intereſt aliud, quam quod hi toga, illi chlamyde vtantur: Illi tanquā digniores pręeant, præſideantq;, hi tanquā miniſtri illos ſubſequantur? Illi Pontificum Senatuſq; Rom. imperata proferant, hi velut illorum mancipia exequenda ſuſcipiāt? Quid inter Archiepiſc. & Epiſcopos (qui non ita pridem etiā prouinciarum protectores in omnib. orbis Chriſtiani regnis cōſtitui cœperunt) & proconſules & legatos Roman. intereſt aliud, quam quod hi olim poteſtate ciuili in omnium bona & corpora, inquiſitione inſtituta, ſæuiebant: hi ſub ſpecie poteſtatis Eccleſiaſticæ eandem maiore ſuperbia & tyrannide paulatim vſurparunt, & nunc rebus per fraudē bene conſtitutis & firmatis, temerario auſu, etiam renitentib. fruſtra regibus, aperte in temporalem cōmutant? Quid tertio[c] de temporali Pontificum potentia dicam? [c Potentia vniuerſalis.] Nam præterquam quod plus quam tertia omnium regnorū & principatuum Pontif. pars, naturaliter & temporaliter in vera pontificum ſediſq; & Eccleſiaſticorū ſuorū ſit poteſtate (vnde illis facultas pręcipuorum politicorū virorum animos beneficijs ſuis, velut philtro corrumpēdi, & in ſeruitute pelliciendi) dic quæſo, Theophile, annon omnes illæ regnorū tertiæ in ſimul collatæ & in vnum cōputatæ, plus efficiant, quā omnia Regum Hiſpan. aut alicuius alterius

Regis dominia? Et annon multo plures populi, & gentes in omnibus illis regnis & principatib. qui ſingulari Pontificib. & ſedi obſtricti ſunt ſacramento, ab ipſorum, quã ab Hiſpani Imperio pendeant? Quid dicam populos & gentes? Auſim etiam addere, milites. Aſpice quæſo mulierũ & virorum monaſteria & Ieſuitarum collegia & ſeminaria, q́ ipſi Ieſuitæ Pontificis Rom.[a] arces & veteranorum colonias, ad reges, principes & populos in officio & obedientia erga ſedem Rom. continendos, amplificandumq; in reliquos Imperium eſſe gloriantur: qui leues hominũ animos ſuperſtitione imbuere, & à vero ac debito patriæ amore, legitimaq; regum & Principum, imo ipſius Altiſſimi obediẽtia, ad nefandam peregrinorum hominũ libidinem, & abominandam Idololatriã ſeducere norunt: haud ignari Romanos plus conſilio & voluptatib. apud validiſſ. gentes ſemper profeciſſe, quam armis: etſi quoq; ipſis interdum non deſint, qui per arma, pugiones iſthuc proſilire ſciant & ſoleãt, quò ingenia ſua pertingere nequeunt. Deniq; [b] & omnino fatendum eſt, nullum ſibi apud vniuerſi orbis Chriſtiani non minus reges, quã populos, vniuerſalem [c] obedientiam vendicare, præter ſolos Pontifices, qui etiam ad Maieſt. ſuam tuendã, vbi res poſtulat regum & principum ſubditos non tm̃ tributis & exactionib. (quas Iuſtus Lipſius iniuſtiſſime SACRAS appellat, cũ non in ſacros, ſed in prophanos vſus, atq; adeo in impias Rom. Pontif. & eorundem lenonum & inſtitorũ libidines & pompas conuertantur) onerare, & à fidelitate illis naturali & diuinæ debita ſoluere, ſed etiam in ipſos reges & principes ſuos (quos ipſi ſ omnes alios cœca obedientia colere velle videri vellent) excitare vicinoſq; reges & regum ipſorũ fratres & liberos in ipſos armare norũt: ſicuti etiã eoſdem de Throno regiæ & principalis dignitatis deijcere nõ verentur, vbi id ex rerum ſingulariũ cognitione Pontifices, vel viri graues & eruditi (quales ſunt Ieſuitæ) ſedi Rom. expedire, & opportunũ eſſe dijudicant. Nunc te ſatis videre, Theophile, arbitror, me nõ citra grauiſſ. rationes negare, Hiſpan. regem hoc tempore, ne animo quidem ad monarchiã vniuerſalem aſpirare poſſe, tm̃ abeſt, vt vel facto ipſo eã moliri auderet. Dico, ne animo quidẽ. Scis. n. quem metum Ieſuitarum audacia & cõperta ſcelera regũ potentiſſ. animis ſuis, ſicis & venenis incuſſerũt: quib. terriculamentis eos, quo volunt, impellere ſciant, & niſi ad nutũ pareant, ex viuis diuos ad modũ Romanũ facere norint. Quib. etiã ex altera parte technis vaferrimi illi ſedis Rom. miniſtri, aut potius lenones regũ & Principum animos ſtupris & adulterijs, ex veteri[d] Roman. more, à Reip. curis ſeducere ſoleant, quã præcellẽtes eo ſeductionis & lenocinii genere, Ieſuitæ magiſtros ꝺꝛꝑꝏꝵ [illegible] ſe vndiq; oſtendant. Quid? Annõ omnes reges & principes pontificii vltro fatebuntur libentes volenteſq; ſe ne animo quidẽ Monarchiam in ſummum Pontif. eiuſq; ſedem cogitare? Quodnã quæſo, hac propria ipſorum confeſſione, pro quarto argumento firmius? Quib. rationib. ſi quinto probata ipſorum Pontif. regum, maximorumq; politicorum teſtimonia ſubijcere, ſingulaſq; imperij illius vniuerſalis & tẽporalis partes enumerare animus eſſet, manu etiã pueris hanc meam ſententiam palpandã exhiberem. Sed quid opus eſt aliis teſtimonijs, cũ in eam rem tam multorum autorum publica ſcripta proſtent: Vt Bozii *de* TEMPORALI ECCLESIÆ *poteſtate*: Mattæ Neapolit. ICti DE VNIVERSALI ECCLESIÆ TEMPORALI *Iuriſdictione*: Et Cardinalis Bellarm. *de temporali Pontificis in omnes reges & principes poteſtate, contra Barclaium de poteſtate*, &c. editus non ita pridem libellus, quẽ Cardinalis ille de conſilio ſummi Pontif. & Conſiſtorij Rom. euulgauit. Ita vt mea quidem ſententia inpoſterũ nemo, qui non prorſus inſenſatus haberi velit, hoc Pontif. propoſitum in dubium vocare poſſe videatur. Et hunc verum ſententiæ meæ intellectũ eſſe, Theophile, velim credas, quẽ licet cõmunis opinionis intuitu antehac pro paradoxo habere potueris, nunc tñ veritate eiuſdem penitus introſpecta, ſolidiuſq; intellecta, eandẽ haud dubie, ſecundum animi tui candorem cõmuni errori te prælaturũ eſſe, certiſſime confido. Verum amoris erga te mei magnitudo, & ſinceritas, & nõ vlterius ferendæ quorundam Pontif. impoſturæ, à me flagitant, vt ab huius quæſtionis tractatione prius non recedam, quã te, Theophile, [e] de fraudib. cõmunis illius receptæ opinionis (qua Romani ad circũueniendos bonorum animos, & capiendos credulos abutuntur) paucis edocuerim, atq; adeo fucus vel fumus ille Ieſuiticus ab oculis bonorũ aliquando per ſolem veritatis depellatur, ꝙ & facturus ſum ego alacrius, quia te credere cõpertum habeo, me non alio, quã odio falſi, veriq; amore citraq; iram & ſtudium ad hoc impelli. Vt itaq; tibi dicam ꝙ res eſt, ſcis ſpiritum S. qui falli nequit, Antichriſtianiſmum *myſterium iniquitatis* vere appellare, & à B. Paulo varidice prædictum eſſe, [f] *Aduentũ eius fore per efficaciam Sathanæ cum omni potentia & ſignis prodigiiſq; mendacib. & cũ omni fraude iniuſtitiæ in iis qui pereunt*. Cui quam ad amuſſim quadret, vide quæſo id, ꝙ recentiſſime à Principe ſacerdotum Caraffa Cardinali theſib. ſuis *de omni ſcibili*, Paulo V. *omnipotẽtiæ pontificiæ adminiſtratori* velut ſpiritu diuino acto, inſcriptũ vidimus. Huic Caraffæ liberę & veræ voci addamus, ꝙ omnes mecum facile fatebuntur, nullã capitaliorem fraudẽ eſſe, ea quæ ſub officij & cõmunis vtilitatis & boni ſimulatione latet. Quã artem, quã probe Pontifices Ro. velut pij ſolicitiq; omniũ gentium parentes, didicerint & calleãt, etiã ex ſequentib. videbis. Nam dum hi paternã ſuam erga reges, principes & populos curã, multis rerum ſpecieb. oſtentare conant, omnib. ſimul fatalem perniciem, i.e. vniuerſalem ſeruitutem, moliuntur, ijs nimirum qui *pereunt*, i.e. qui neglectis Prophetarum & Apoſt. ſalutaribus monitis, Babylonis cõmunionem non deuitant, ſed cæca Ieſuitarũ obedientia ſe excæcari ſinunt. Attente quæſo conſidera capitalem fraudẽ, & videbis aut nullibi aut Romæ, iniquitatis myſterium ſedem ſuam fixiſſe, & myſtarum ſuorũ ope perpetuo propagari. Inprimis itaq; Pontifices regũ & principum Chriſtianorum animos vel vicinæ potentię æmulatione contra ſe inuicẽ, vel ficto pietatis zelo in Turcas & infideles omniũ ipſi infidelium infideliſſ. & impijſſimi excitant vel extimulant, vt dũ regum illorũ potentia hac arte vel temperetur, vel atteratur, ipſorum interea, citra vllum impedimentum, conſeruari & augeri, ipſiq; non ſolum à nimiæ potẽtiæ reſpectu in officio contineri poſſint; Inde, vt ne regum animi à priuatis vacui, Monarchiæ vniuerſalis ſtudio in Pontificib. deprehenſo, con-

[a] *Pater Ribadeneira Ieſuita Hiſpanus. Cui haud dubie notum non regnum ſuum, ſed Pontifices ad Monarchiam temporalem aſpirare.* Seminaria Ieſuitarum ait eſſe Hæreticorum exitia & Apoſtolicæ ſedis propugnacula *in catalogo illuſtrium ſcriptorum ſocietatis Ieſu in Roberto Perſonio.*

[b] *Obedientia vniuerſalis.*

[c] Principis in animo nihil arduum videri, cui non iudicium, nõ odium ineſt, niſi indita & iuſſa. *Tacit. Annal. XII.*

[d] *Tacit. IV. Hiſtor.*

[e] *Vtilitates, quas Pontifici ex terrore monarchiæ Hiſpanicæ apud Europæos capiunt.*

[f] *2. ad Theſſ. 2.*

Sic Caiphas Princeps ſacerdotum prophetauit, cum dixit de Chriſto, expedire, vt vnus homo moriatur pro populo. *Ioh. 11.*

ſtia & curas in ipſoſmet, ipſorumq; conſilia & actiones conuertant. Quid ſi ex altera parte Regib. & Principib. inter ſe cõmiſſis, aut bello externo occupatis, ſubditi nimia Inquiſitorum Rom. libidine, rapacitate & ſæuitia ad arma, ſui defendendi cauſa, impellantur, hocq; modo prouentus & cõmoda ſedis vel minuantur, vel interuertantur penitus: nihil ècontra regib. & principib. filijs ſuis, Pontifices bellis illis ambitioſis & externis grauius accidere poſſe, multis rationib. docere ſtudẽt: quaſi inter talia bella regib. (quorum autoritate & poteſtate populos ſuæ Tyrannidi ſubiectos illi tenẽt) cura externa occupatis, domi hæreſes & populorũ rebelliones, ipſis bellis externis ſuæ autoritati & Maieſt. longe pniciosiores ſuccreſcerẽt: Itaq; ab illis externis bellis penitus deſiſtendũ, vireſq; oẽs & conſilia in pduelles, Turcis & infidelib. longe deteriores, cõuertenda eſſe cenſent. Vides, Theophile, Pontifi cum verſutiã, & vt illi ad antiquos Rom. mores in omnem occaſionẽ ſeſe vertere aut inflectere norint. Sed hæc vti certiſſima ſunt, ſic quæſo, Theoph. credere noli, Pontif. eiuſq; ſocios, & inprimis Ieſuitas (quorũ ſumma & q. vnica cura in Euangelicis, quos hereticos & rebelles vocãt, debellandis verſatur) vnquã paſſuros vt bella inter reges filios ſuos pro Imperio, quamdiu ſubditorũ motus ſolide cõpoſiti non fuerint, vere excitentur. Nec deſunt illis colores, quib. fraudẽ fucent. Sciunt. n. q̃ optime, nihil regib. & principib. magis exoſum, q̃ populorum ſuorum erga ſe motus, & inter illos nullos eſſe periculoſiores his, qui ex hæreſi, quã dicunt, naſcuntur. Hanc. a. velut peſtiferas herbas malis temporib. ita plurimum incrementi ex bellis externis capere. Atq; hoc modo Euangelicos (q pro legitima & ſuprema regum & principũ autoritate fortunas omnes, atq; adeo vitã ipſam contra Pontif. & lenonum ſuorũ technas & rapinas, ſemp exponere parati fuerunt) odio, quo ipſi digniſs. ſunt, pręgrauare conantur. Cæterũ cum ſimulationib. & optis dolis, quã aperto Marte, aduerſus validiſs. gentes multoties plus ſe pfeciſſe, Pontif. experti ſunt, & Euangelicos pro capitalib. atq; implacabilib. hoſtibus ſemp habuerint & habituri ſint, neq; inter extrema vlla ſit cõiunctio, niſi per media: Nullum exquiſitius remediũ Pontifices cum ſuis Cardinalib. inuenerunt, q̃ vt firma fidaq; inter reges principeſq; pace conſtituta opinionẽ de potentiæ inter eoſdem æmulatione, velut veram, & ad ineſcandos hominũ animos accõmodatiſſimã apud hæreticos & rebelles fouerent, certo ſibi futurũ perſuadentes, vt Euangelici, velut hoſtes Pontificis infenſiſs. atq; adeo à patre communi & eiuſdem filijs alieniſs. hoc aſtu & arte aduerſus Hiſpanũ velut cõmunem hoſtem (propter conceptã de inſita omnib. regib. æmulatione inter ſe opinionẽ) alijſq; regib. & principibus filijs ſuis q. communis alicuius vtilitatis ſpe coniungerentur. Neq; equidẽ conſilium ſpecie caret, quia, vti Hiſp. rex iam pridem & vulgo de vniuerſalis monarchiæ ſtudio apud orbis Chriſtiani principes, nõ citra grauiſs. cauſas ſuſpectus fact' eſt, omneſq; in eum, q omnes petit, armari cõiunctim merito debent, apud Pontif. & ſedem Rom. creditum fuit, nihil illa cõmuni Hiſp. monarchiæ perſuaſione ſuis de monarchia vniuerſali occupanda, conſilijs promouẽdis, hoc rerũ in Europa ſtatu accõmodatius fore. † Hoc. n. aſtu primum Põtifex ſe illo cõmuni omnium hominum aduerſus monarchiã vniuerſalem odio leuat, & ſuum ad illam ppoſitum regib. & populis ſimul obiectum, ſibi. a. extra ſuſpicionẽ, & liberum tenet, atq; ita citra vllum impedimentũ ad eam ſibi ſoli amplificandam & occupandã magnis conatib. progreditur. Nam cum is, qui ad monarchiã vniuerſalem tendit, æque regum regna & prouincias, q̃ populorum ciuitates & libertates petat: Fit vt populus cæteriq; omnes, quib. fallendi artes minus cognitæ & perſpectæ ſunt, q. communis periculi contemplatione ad aliorum Pontif. regum & principum (qui idem ſe metuere oſtentant) coniunctionẽ facile inuitentur & accurrant, nõ perpendentes regib. & principib. & Pontificijs calliditate fraudulenti Paſtoris iampridẽ perſuaſum eſſe, multo maioris ipſorũ intereſſe, ſubditorum motus, vt Imperijs, regnis & principatib. longe nocentiores, communib. conſilijs cõponere, aut virib. comprimere, q̃ ipſis vtile foret, cum vicinis aut remotiorib. de Imperio amplificando certare, atq; adeo nouos hoſtes foris aduocando, domeſticis atq; inteſtinis malis magis excreſcendis occaſionem præbere. atq; illa arte Pontifex primo efficit, vt hæretici à nouis & periculoſiſs. ſuis cõſilijs ad Pontificiorũ conſilia, leni & q. inſenſibili ita reducantur. [a] Secunda vtilitas, quã communis Pater & Paſtor ex hac hæreticorum & rebellium cum filijs ſuis obedientib. coniunctione cepit, hæc eſt, q conſilia eorum (qui alias, licet pauci & debiles, tñ cum proprijs conſilijs & virib. vſi ſunt, ſeſe non raro aduerſus immẽſam Pontificiorum potentiã inſuperabiles oſtenderunt) per eam tñ rimari, eaq; euertere, atq; adeo in capita illorum ipſorũ conuertere poteſt: talib. conſilijs veteres, & inprimis Romani ſæpius hoſtium rebelliũ & ſeditioſorum ſuorũ conatus perrimati eoſdẽ euerterunt, atq; in ipſos conuerterunt. Sic Senatus Rom. qui nullam niſi in concordia ciuiũ ſpem reliquã ducebat, plebe ad ſeditionẽ excitata eam p æqua PER INIQVA reconciliandã ciuitati eſſe cenſuit, & Menenium Agrip. virum facundum & plebi carum in caſtra eorũ miſit, eamq; ad concordiã reduxit. Sic Spurima temeritatis alienæ fit comes apud Tacitũ, primo velut coactus, mox velle ſimulans, quo plus autoritatis ineſſet conſilijs ad miteſcendã ſeditionem. Eiuſdem inter Hiſpan. & Gallum æmulationis ptextu Carolus IX. Galliarum rex Euangelicos ſuos ad ſe pellexit, eorumq; velut rebellium conſilia perrimatus euertit, atque adeo in Admiralli aliorumq; regni procerum, multorumq; hominũ necem & perniciem conuertit. Idẽ aliquoties in Belgio & periculoſiſſime quidẽ à Rorda arcis Antuerpię Pręfecto, & Duce Alenconio tentatum eſt. Annõ idem etiã nunc apud pontificios p eandem potentiæ æmulationem tentetur, tu Theoph. tecum cogita. Tertia Pontificis vtilitas eſt, [b] q hac accommodatione ſuæ factionis & tyrannidis coniurati impediunt, quominus Euangelici cõſilijs ſuis aut proprio capite regantur ducanturq; : cum tñ certiſſimum ſit Pontif. & coniuratos ipſius, nullos grauiori odio & hoſtilitate perſequi, quã Euangelicos, nihilq; ſtolidius vel ineptius ſit, quã hoſtium conſilio vel auxilio vti. Creditumq; inſuper ſit malorũ omnium extremũ eſſe proditoris opem inuocare: Nunquã etiam feli-

† *Prima vtilitas.*

[a] Nulla conſilia meliora ſunt, quã illa, quę ignorauerint aduerſarii, antequam facias. *Veg.* 3. c. 26. Nihilq; leuius auertur pius quam autore hoſte de ſummis reb. capere conſilium *Caſ. li.* 5. *de bell. Gall. f.* 119. *n.* 124. Bene n. conſultum, *inquit Arn. Ferron. lib.* 1. *Hiſtor.* ſurripitur ſępiſſime. Quippe ſi taſciuere inimici conſilium: tibi cuũ pre conſilio occludunt linguam, & (con)ſtringunt manus: atq; eadẽ quæ illis volui iſti facere, faciunt tibi. Vide *verba Meſſalæ Valer. apud Tacit.* 1 *Annal.* in iis quæ ad remp. pertinent, conſilio non niſi ſuo vſurum, vel cum periculo offenſionis. Cum nihil periculoſius, quam in rebus arduis ex alieno pendere conſilio.

[b] *Quid ſtultius, quam aut hoſtib. ſua pandere conſilia, vel illorum exſpectare?* Nihil

feliciter pugnari; cum proditores copijs militaribus permixti ſunt. Peſſimum deniq; morbum eſſe, qui à capite in cætera mẽbra diffunditur. Quarta vtilitas: [a] quod hac arte maxima inter hæreticos & rebelles diſſenſionum ſemina ſpargi cõmodiſſime poſſunt, ipſiq; facile à ſe inuicem diſtrahantur, hi vni, illi alteri filiorum ſuorũ coniunguntur, & vtriq; inanib. & fraudulentis conſilij & opis expectationib. lactantur ipſi inter ſe ad cõmunem vtrorumq; interitum, cum maxima ſummi paſtoris & filiorum obedientium voluptate, committuntur, atteruntur & euertuntur. Quinta, omniumq; maxima Pontificis vtilitas eſt, [b] q. Euangelicos à recto veri Dei cultu ad idololatriã aut promouendam, aut etiam amplectendã trahit, & inani ſpe opis humanæ obtinendæ, ad irati Dei vindictã & pœnas temporales & æternas ſeducit, quas certe deinceps Euangelici imprudentia grauiſſimas & frequentiſſ. dederunt. Hoc ſolo errore ſeductus Zedechias vltimus Iehudæ rex, & pop. Iudaicus ante primum aduentum Chriſti, regno Iehudæ ſupremũ ictum dederunt, & ſceptrum Iudaicũ cum proprio atq; infando omniũ interitu, euerterunt, plures, mi Theoph. ad fraudem hanc non minus ſpecioſam, quam calamitoſam, defucandã, demonſtrationes in mediũ proferre facile foret: ſed has tibi abunde ſuffecturas libens crediderim, cũ hæc tibi conſideranti, ſecundũ eam, qua polles, rerum experientiã, procul omni dubio multo plures occurrent vltro: quod ſi tñ tibi q̃dam dubitandi rationes reliquæ fuerint, dabo operã, vt illis intellectis pro modulo meo reſpondeatur. Quomodo.n. poteſt quis Pontifici inſolidũ parere, & Euangelicos ope, conſilio ſincere iuuare? Sed vt veri Pontificij ſimulationis diſſimulationiſq; technis aſſidue Euangelicis inſidias ſtruũt: ſic verendũ eſt etiam, nõ paucos inter hos errore illo circũueniri, humaniſq; conſilijs excæcatos, & lubricis prauiſq; Zedechiæ vltimi Iehudæ regis veſtigijs inſiſtentes, Eccleſiam & Remp. Chriſtianã (niſi Deus clementer malum auertat) funditus euerſum ire. Qua in ſententia Gretſerum noſtrũ *in plaga ſua regia* totum eſſe, & ob id potiſſimũ Ieſuitis ita exoſum video, q. ipſe ſua illa Apocalypſi, atq; adeo intempeſtiue, omne iniquitatis myſterium detegeret. Chriſtophori Carolouicij *de Monarchia Hiſpan.* ſcriptum nec vidi nec legi, ſed Ioachimi Camerarij *conſilium Maximiliano II. Imper. datum* me vidiſſe & legiſſe memini. Et fatebor libens, magnũ illum virum eo ſuo ſcripto tempeſtiue reges & principes omnes, atq; adeo optimum illum Imperat. monarchiæ illius Hiſpan. metu, ad vigilantiam & cõmiſerationem Belgarum excitare voluiſſe. ſed alia deinceps ſuperuenere tempora, aliaq; conſilia, vti ex ȝ ſcriptis & *Repræſentatione pacis generalis*, Germani, Franci, plurib. tibi animaduertere licebit. Quod. a. ſubiicis, ſi Pontificis votis reſponderent vires, ipſum Iberos ante omnes alios ad exitium petiturum, q. ab illis, ſibi omnium maximum periculum immineret, ſi ad illorum arbitriũ ſeſe totum non fingat atq; refingat, cum illi non tñ ſedis defenſores, ſed etiam Domini eſſe & haberi velint: hic, mi Theoph. quam grauiter hominũ, qui nos deceptos & deperditos volunt, errorib. circumducaris, vix dicendo aut ſcribendo explicare poſſum. Quid? Iſne alicui imperat, qui timorẽ, honorem, & tributum alteri exhibet, an cui illa exhibentur? Qui de regnis & vitis regum & principum decernit, aut ii, cõtra quos decernitur? Is deniq; qui ſeruit & obtemperat, vel qui dominatur & iubet? Quod. a. Iberi partes in Conſiſtorio Rom. aliquando potiores fuiſſe dicas, imo & Iberum Pontifices Rom. aliquando de ſede deturbaſſe: ea propter cauſas ſupra oſtenſas facta crede. Idem Germani & Galli fecerunt aliquando, cum nondum delicijs & philtris Roman. & Ieſuitarum ebriata eſſent. Fuimus Troes & Ilium ingens. Nunc Roma potitur rerum, & Ieſuitæ Romani, quib. à Pontif. Rom. ius vitæ neciſq; in reges hæreticos, & minus morigeros datum eſſe, recentia regum Galliæ & Britan. aliorumq; multorum principum exempla plus nimio oſtendunt. Quid? Campianus anno 1583. Conſiliariis Reginæ Angliæ reſcripſit: *Societatem Ieſuitarum, qui per totum terrarum orbem longe lateq; diffuſi ſunt, ſanctum fœdus iniſſe ad hæreticorum machinationes ſuperandas: nec vnquã deſperaturos, quamdiu vel vnus quiſpiam ex illis ſuperarit.* Quod ſi his tibi nondum ſatisfactum eſſe putas, Theophile, haud difficile mihi fuerit, alia teſtimonia, eaq; publica & maximorum virorum, qui tñ prudentia cauta vobis nobiſq; contrarium de Hiſpano ad ſcopum ſuum promouendum, perſuadere conantur, in medium producere. Atq; hi, cum tibi ab Hiſpano nihil penitus timendum eſſe dicant, ſed è contra de ipſius pietate, iuſtitia, moderatione & abſtinentia multa prædicent, cur quæſo nobis contrarium perſuaderi curant, niſi vt nos ad externa rumorib. morentur, dum inteſtinum ſcelus in nos paratur? Cur nos, qui ab arcanis illorum conſilijs, & fraudibus iam multoties expertis etiam nunc quam longiſſime abſumus, eadem ipſa tanquam proba & vera, licet incognita, iterum amplectemur? Illiſq; ab iſtius monarchiæ propoſito timebimus, quæ nullam ſibi ipſis inde timendi occaſionem habere, ſcriptis ſuis profitentur. Vigilemus ergo, Theophile, ne & nos vafris illis & fraudulentis Pontificũ conſilijs & peſtiferis opinionibus ſeducti, è fumo in flammam, quod aiunt, nos præcipites demus: dumque omnia nobis quam proxime à Pontifice impendentia pericula vitare ſtudemus, ad conſilia & auxilia eorum confugiamus, qui ante Pelaſga inſtructi, nos, velut mente captos & falſis perſuaſionibus excæcatos, breuiore, tutiore & certiore via ad interitum manu ducant, quem nemo bonus facile effugiet, qui non cane peius & angue Romana conſilia vitauerit. Malorum enim hominum extremum eſt, proditoris conſilium vel opem inuocare: vt exemplis triſtiſſimis ſupra probatum eſt, & pluribus, ſi opus foret, probari poſſet. Sed rident ipſi Pontificij tantam Euangelicorum fatuitatem, quod Reges & Principes Catholicos ſibi inuicem bellum illaturos læti credant, quo Hæreticis commodum, & Pontifici communi Parenti & Paſtori ſibique ipſis extremum interitum ſint illaturi. Fugiamus itaque, Theophile, fugiamus è Babylone, ne plagarum eius participes fiamus. Vale.

Enim ærumnoſius eſt homine, qui hoſtes domeſticos & eiuſdem tecti participes habet, ſi domi aduerſarios alas, non te periculis eripere muri Babylonis queant, nõ Semiramidis turres, non Pyramidum craſſities. *Conſtant. Manaſſ. Annal.* 170.

[a] Qui non mecum eſt, cõtra me eſt, qui non colligit mecum, diſpergendo diſpergit. Omne regnum quod diuiditur, contra ſeipſum deſertũ redditur, & domus, quæ contra ſeipſã diuiditur, cadet, *Matt.* 12. 25. *Mar.* 3. 24. 25. *Luc.* 11. 17.

[b] *Sic Achior ſuadet Holof. ne Iudæos aggrediatur, niſi tum, cum peccarint contra Deum ſuum:* Quia hoc ipſis offendiculo futurum non eſt; & aſcendentes debellabimus eos, *inquit in Iudith.* c. 5. v. 23. Si non eſt iniquitas in gente iſtorum, prætereat quæſo dominus meus, ne forte protegat Dominus eos & Deus ipſorum ipſos, ſimuſq; probrũ coram vniuerſa terra. 24.

PARS XXVII.

PARS XXVII.

Continens

ACTA, TRACTA-
TVS, DISCVRSVS, EDICTA,

RESPONSIONES ET EXPOSITIONES PV-
BLICAS, THEOLOGICO-POLITICAS SVPER CON-
cilijs, Synodis & Colloquijs, tam generalibus, quam ſpecialibus,
in negotio Religionis inſtitutis atque
habitis.

pareatis & compareant, quaſi coram domino rationem veſtræ villicationis reddituri: De quibꝰ omnibus prædicti Reuerendiſſ. D. ſanctæ Ro. eccleſiæ Cardinales petierunt à nobis notariis infraſcriptis vnum vel plura inſtrumentum atq; inſtrumenta fieri atq; confici debere. Acta fuerunt hæc Mediolani in domo modernę reſidentiæ prædicti Reuerendiſſimi domini Cardinalis epiſcopi Præneſtini ſita in porta ticinenſi, parrochiæ ſancti Georgii in palatio, ſub anno, Indictione, die, menſe. & pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem Illuſtribus dominis Carolo Iaſredo præſidente Reuerendiſſimi Senatus regii Mediolani, & Galeatio vicecomite & ſenatore regio teſtibus ydoneis ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Nomina autem Reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium à quibus & quorum mandato huiuſmodi conuocatio facta fuit ſequuntur.

Bernardinus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Sanctæ crucis. Guiliermus Epiſcopus preneſtinus Cardinalis Narbonenſis. Philippus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Cenomanenſis. Franciſcus Tituli Sanctorum Nerei Et Archilei Cuſſentinus. Hadrianus Tituli Sancti Griſogoni de corneto. Renatus Tituli Sanctæ Sabinę Baiocenſis. Karolus Tituli Sancti Viti In macello Deſinario Presbyteri Cardinales. Necnon Dominus Federicus Sancti Angeli de ſancto Seuerino. ac dominus ypolitus Sancte Lucie in ſcil. Eſtenſis Sanctæ Rom. Eccleſiæ Diaconi Cardinales.

Ego Gentilis ex Gentilibus Fulginas publicus Apoſtolica auctoritate Notarius de præmiſſis rogatus hanc cedulam ſiue inſtrumentum fideliter impreſſum ſubſcripſi & publicaui ſigno meo appoſito conſueto in fidem præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Ego Petrus Rebe Clericus Eduenſis diœceſis auctoritate Apoſtolica Notarius publicus de præmiſſis rogatus hanc cedulam ſiue inſtrumentum fideliter impreſſum vna cum prænominato Notario ſubſcripſi & publicaui ſignoq; meo manuali ſignaui in teſtimonium præmiſſorum.

II.

Anno Domini 1511.

EPISTOLA CARDINALIVM AD ELECTOREM SAXONIÆ, PRO ASSISTENTIA IN CONCILIO PISANO.

Miſeratione diuina Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi S. Rom. Eccleſiæ Cardinales in Lombardia pro bono Eccleſiæ conuenientes, Illuſtri Domino Federico Duci Saxoniæ, &c. Sacri Romani Imperii Principi Electori ſalutem, cum intelligentia proſperitatis & directionis Eccleſiæ Sanctæ Dei. Quum frequentes generalium conciliorum celebrationes, tamquam flumina paradiſi, ſemper Dei Eccleſiam purgauerint, atq; fœcundauerint: illorumq; intermiſſiones tribulos & ſpinas vitiorum, diſſenſionum, errorum & bellorum ſæpius induxerint: quales hodie grauiſſimas, Deo permittente, patimur: effectum inde olim fuit, vt diuina illa Conſtantienſi ſynodo ſancitum ſit, decimo quoq; anno vniuerſale concilium congregandi. Id autem animo reuoluentes, Sanctiſſimus Dominus noſter ſuæ creationis tempore, & omnes in Conclaui exiſtentes Cardinales nobiſcum iureiurando & ſolenni voto poſt biennium ab eo die generale Concilium conuocare ſtatuerunt. Ad quod exequendum etſi aliquando ſanctitatem ſuam ſupplices hortati ſimus, nihil ſane hactenus profecimus. Atq; quum ſua ſanctitate & nonnullis aliis Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus id negligentibus, & quibuſdam forſan ad id non liberis, reputemus omne ius omnemq; poteſtatem Concilii congregandi ad nos eſſe deuolutam, vt voto noſtro iurato ſatisfieret, Eccleſiæq; fere collapſæ ſuccurreretur: Conciliũ ipſum faciendum curare decreuimus. Quod in ditione Eccleſiæ, vbi non fuiſſet liberum & tutum nobis id agere, quum libertas noſtri ſacri Senatus hodie plurimum iaceat oppreſſa, procurare non auſi, Lombardiam ſeceſſimus. Vbi poſt longum maturumq; noſtrum tractatum, & plurimorum diuini ac humani iuris doctiſſimorum virorum conſilia, voluntate Sereniſſimi ac Sacratiſſimi Domini Maximiliani Electi Romanorum Imperatoris ſemper Augusti, & Chriſtianiſſimi Domini Ludouici Francorum Regis, ſpe etiam adhærentiæ aliorum Principum & fidelium, auxilio Dei Omnipotentis, die Veneris, decimaſexta præſentis menſis Maii indiximus, & conuocauimus generale Concilium vniuerſalis Eccleſiæ inchoandum Kalend. Septembris proximi futuri in ciuitate Piſarum, continuandumq; vſq; ad diffinitionem bonæ & conſtantis pacis inter Principes Chriſtianos, belli contra infideles, reformationis Eccleſiæ in capite & in membris, extirpationis hæreſum, ſchiſmatum & errorũ in Chriſtiana Rep. vigentium, ac aliorum, quæ in cedulis conuocationis continentur, quas Excellentiæ veſtræ tranſmittimus. Verum quia confidimus eam tam ſancto tamq; neceſſario operi non ſolũ accerſitam affuturam, ſed vt ſemper à ſuis prædeceſſoribus factum eſt, ſe oblaturam, eam enixe rogamus, vt huic rei tam neceſſariæ non deſit, nobiſq; ad optatum finem cum aliis, ſaltem per oratores,

ſi com-

ſi commode perſonaliter non poſſit, adeſſe & intereſſe velit, mandetque vt cedulæ intimationis per loca publica ſui Ducatus & Dominii affigantur, ſignificetque omnibus Prælatis in dictis Ducatu & Dominio ſuo conſtitutis huiuſmodi conuocationem, vt ad diem conſtitutam poſſint vna cum doctiſſimis viris ſub ditione veſtra degentibus, quos etiam mittetis bene inſtructos conſultationibus & deliberationibus veſtris in cauſis fidem, pacem & mores fidelium tangentibus adeſſe, rem Domini, & Eccleſiæ, ac Chriſtianorum omnium nobiſcum ſimul curaturos. In quo & apud Deum gloriam, & apud homines immortalem laudem conſequetur Excellentia veſtra, quæ feliciſſime valeat. Mediolano XXIII. Maii. M.D.XI.

E. V. Excellentiæ Fratres Chariſſimi, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi S. R. E. Cardinales in Lombardia pro bono Eccleſiæ conuenientes, vt ſupra, pro ſe & adherentibus ſibi cum mandatis.

B. Cardinalis Sab. † G. Card. Narbonenſis F. Cardinalis Cuſentinus.

Illuſt. Domino Federico Duci Saxoniæ, &c. Sacri Rom. Imperii Principi Electori, Fratri noſtro Chariſſimo.

III.

S. D. N. D. PAVLI DIVINA PROVIDENTIA PP. III. BVLLA INDICTIONIS SACROSANCTI GENERALIS Concilij.

Anno Domini 1536.

Paulus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

AD dominici gregis curam & regimen diuina diſponente prouidentia aſſumpti; nihil magis ex animo deſiderauimus. & ab omnipotenti Deo continue precati ſumus, quam vt Eccleſiam ſuam nobis commiſſam, tot hæreſum & errorum vepribus iampridem in ea ſubortis, Spiritus ſancti operante gratia, noſtroque ſtudio aliquando repurgatam, eiuſque moribus in melius reformatis, debito nitori, & ſynceritati reſtitutam, in ſanctitate, & iuſtitia gratum Domino obſequium præſtare videamur. Sed & illa nihilominus cura nos angit, cum conſideramus, atq; adeo oculis ipſis cernimus, Chriſtianam Rempublicam inteſtinis fidelium odiis belliſq;, & infidelium vi, ac dolo afflictam, in dies magis diſſipari atq; diminui. Quibus malis oportuna remedia adhibere pro paſtorali cura ſummopere cupientes, cum multis variiſq; viis per nos diligenter examinatis, nullam aliam iudicauerimus meliorem, aut promptiorem ea, quam maiores noſtri Sanctiſſimi viri, adeoq; vniuerſalis ipſa Eccleſia in huiuſmodi caſibus experta eſt ſaluberrimam generalis videlicet Concilii celebrationem: idcirco eorum ſanctis veſtigiis inſiſtentes, ſacroſanctum œcumenicum ſeu vniuerſale Concilium, quod etiam tum, quum in minoribus eſſemus, à nobis maxime deſideratum, ineunte ſtatim Pontificatu noſtro celebrare omnino ſtatuimus: & de hac noſtra conſtanti voluntate nō ſolum palam locuti ſumus, ſed & chariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Rom. Imperator. & alios Chriſtianos Reges, & Principes per literas, & nuncios noſtros certiores fecimus: nunc autore Domino indicere, & exinde in loco & tempore per nos inferius declarando celebrare, ac demum ad optatum finem perducere omnino decreuimus, ſperantes, & cum Dei auxilio nobis promittentes, per hoc tam ſanctū & ſalutare remedium non ſolum omnes hæreſes & errores ex agro Domini extirpandos, & Chriſtiani populi mores corrigendos, ſed vniuerſalem inter fideles pacem componēdam, & facta ſub vexillo ſalutiferæ Crucis contra infideles generali expeditione regna & terras noſtras ab illis occupatas recuperandas, captiuoſq; innumerabiles liberandos, & infideles ipſos ad ſanctam religionem noſtram fauente Domino cōuertendos, vt ſic ab vniuerſo orbe in vnum, idemque Ouile Domini coaleſcente, in vera fide, ſpe, & charitate, ſobrie, & iuſte & pie vniatur, & inde ab omnipotēti Deo corona iuſtitiæ expectetur. Hoc igitur perpetuū & conſtans animi noſtri ſuper vniuerſali

Voluptatibus Romani plus aduerſus ſubiectos valent, quam armis. Tacit. 4. Hiſtor. n. 84.

in ipſos tyrannidem propagandam. Sic Gallicæ olim ſæpe potentiæ, Hiſpanicæ aut Auſtriacæ æmulatione in grauiſſima bella contra vtramq; excitæ. Sed hoc tum maxime contigit, cum Regna illa nullis inteſtinis malis turbarentur. Cæterum nunc, poſtquam ſuborta, acrioribus quam lenioribus Pontificum & Ieſuitarum remediis, in religione per Hæreſes, vt aiunt, mala inteſtina adaucta fuerunt, Regeſq; & Principes experti ſunt, inter ambitioſa illa bella ciuiles ſubditorum motus, ſub ſpecie defendendæ religionis vndiq; ſuccreuiſſe, & in dies ſuccreſcere atq; adeo ipſas vtrinq; in pericula Regnorum amittendorum adductos eſſe: Pontifices & ſedes Romana inanem occaſionem, ad Imperium ſuum & conſeruandum & amplificandum, intenti (vt qui ſibi ex Hæreſi & populorum rebellione non minora pericula & incommoda, quam ipſis Regib. prouenire ſentiebant) ambitioſa illa bella, quæ ante ad temperandam Regum potentiam ſibi vtilia fauebant, exinde & ſibi & illis velut intempeſtiua & noxia diſſuaſerunt, & periculum, quæ ad Regna illorum ex ſubditorum in Religione diſſenſionibus prouenire poterant, magnitudine oſtenſa, eoſdem ad fidam inter ſe pacem & mutuum pro extirpandis & ſubiugandis Hæreticis & Rebellib. fœdus adhortati ſunt; non quidē ad legitimam Regum & Principū in ſubditos autoritatem, quæ in libera Imperii Adminiſtratione conſiſtit, reſtaurandam, vt ipſi illis falſo & fraudulenter perſuadere nituntur (nam hæc vniuerſali & ſolutæ ipſorum Monarchiæ quam aſſidue proſequuntur, nimirum obſtaret) ſed vt ipſi odio illo, quod Reges & Principes in ipſos, velut omnium legitimorum Imperiorum & Regnorum euerſores, orbiſq; raptores iuſtiſſime exercere deberent, hac arte callide liberati, animos Regum & Principum in ſubditos ſuos, atq; adeo in propria viſcera ſupra modum exacerbent; Dumq; hi illo plus æquo domi occupantur, ipſa eorundem Regna & Imperia, malis ipſorum conſiliis turbata, tanto facilius ſibi rapere poſſint. Tales enim atq; etiam perículoſiores Pontificum machinationes eſſe, etiam eo certiſſime probari poteſt, quod illi bellorum omnium inter Reges & Principes ſuos cum à domeſticis curis liberi fuerunt, præcipui autores & fomites ſemper extiterunt; vt & hac arte vires illorum, quaſi liberæ eſſent, ſibi timendas habuiſſent, quæq; in ipſis conuerti potuiſſent, alio conuerſæ atterentur. Sic itaq; ex temporum mutationib. Pontifices quidem ſua conſilia mutant, ſed nunquam ſcopum. Fatebor ergo tibi, Theophile, omnes homines ad Imperium naſci, & multos etiam magnis conatib. ad illud contendere; ſed plurimos nullo, vel inutili; nonnullos aliquo; pauciſſimos magno ſucceſſu; Et inter hoc certe præterito ſeculo Hiſpaniæ Regem velut omnium primum propter potentiæ incrementum reputari potuiſſe. Verum vbi illi, velut Regum aut filiorum ſuorum, propter nimis adauctas vires, immoderatori Pontifex Romanus, vt Pater æmulus catenas æneas iniecit, his certe illum ita ad ſolutam ſuam obedientiam adegit, vt citra ipſius, veluti patris, iuſſum, veluti paſtoris cōſilium, veluti iudicis, Imperium, nihil quod magni momenti ſit, aggredi auſus fuerit; maxime cum veriſimile ſit, Pontifices ea adhibita cautione Remp. regere (ex quo Reges & Principes ſe arbitrio ipſorum ſubiecerunt) vt ipſi ſoli rerum Domini maneant, nec permiſſuros, vt vnius ex filiis ſuis vires in tantum excreſcant, quibus alii, atq; adeo ipſe & ſedes Romana opprimi poſſint. [a] Principis præterea in animo nihil arduum videtur, cui non iudicium, non odium ineſt, niſi indita & iuſſa. Sicuti itaq; nego in Rege Hiſpaniæ nunc eam vniuerſi orbis rapiendi cupidinem, vel tantam aut talem eſſe, qualis ea eſt in ipſis Pontificibus, & ſede Romana, ita è contra illam Monarchiæ cupidinem (quæ ſoluta legibus Tyrannis vocatur) non minorem in huius Regis, quam in illorum animo dominari, certum eſt, cum eam & India & Belgium, atq; adeo Germania & Gallia, pluſquam Turcicam, pluſquam Phalaricam expertę ſint, nec ipſi pontificii hoc diffiteantur. Cauſæ autem quæ me in hanc ſentētiam adduxerunt, ſunt hæ, quia Rex Hiſpaniarum in Belgio iam pridem inteſtino ſiue domeſtico laborat malo, & quidem grauiſſimo. Certo autē apud Politicos omnes creditur, quod nemo ſuis rebus metuens ad aliena animum adiiciat, quod is timor, quē de propriis habet, ab omni eum prorſus alienorum cura diuertit. Cumq; inteſtina mala omnium peſſima atq; periculoſiſſima ſint, ea ante omnia quoq; curanda eſſe, omnes [b] prudentes ſemper & crediderunt & iudicarunt. Res quoq; ipſa teſtatur, omnes Regum Hiſpaniæ conatus in aliena Imperia, durante illo bello domeſtico, irritos fuiſſe, imo illis ipſis pernoxios, viciniſq; & ſubditis aut Prouinciis fœderatis vtiles. Nam dum illa aliena ſaltem auxilio in gratiam ſedis Romanæ reparare, aut fulcire voluit, Theſauros ſuos omnes fruſtra ſe exhauſiſſe, Fœderatas vero Prouincias maximum rerum ſuarum incrementum ſumpſiſſe, re ipſa comperit. Secunda ratio eſt, quia cum Monarchiæ facultas in ſoluta vnius adminiſtratione, & pleniſſima omnium per vniuerſum orbem obedientia conſiſtat, præcipuaq; functio Imperii in moderanda anima, velut à qua omnes hominum actiones principium ducunt, exerceatur; Reges autē Pontificii, & inprimis Hiſpanus ſe hac poteſtate Pontificiis Lenociniis in omnibus ſuis Regnis exui permiſerint: tantum abeſt, vt Hiſpaniæ Regi Monarchiæ vniuerſalis propoſitum iure attribui poſſit, vt ne ſuum quidem Imperium ſibi integrum ſeruauerit, contraq; Regnorum & Principatuū ſuorum ordines eumdem Imperii ipſi per eos concrediti, velut male contra extraneos defenſi inſimulare poſſint, cum Pontifices primum ipſi aliud agenti mediam & potiſſimam Monarchiæ aut Imperii partem rapuerunt; auſim dicere totum, eo quod ipſe eos, aut Iudices Regū & Principum agnouerit, ſeq; ipſum illorum ſolutæ obedientiæ ita ſubiecerit vt niſi in illorum obedientia perſeuerauerit, ſubditos ſuos non aliter ipſi, neq; vlterius parere debere, conceſſerit, ſed à fidelitatis ſacramento per Pontifices liberari, atq; etiam in ipſum, pro tuenda pontificia autoritate & Maieſt. arma capere voluerit. Quid? quod in omni principatu ſummum eſt, non ſolum regios, ſed etiam diuinos honores ipſi adoratione ſeruili Hiſpaniarum Rex exhibeat; atq; etiam ſeſe ad eiuſdem pedes (quod neq;

a Tacit. Annal. XII.

b Dio Rom. Hiſt. li. 30.

Angeli

Angeli,neq; Apoſtoli tulerunt)velut ſedis mancipium abijciat:Deniq; ſeipſum,atq; adeo omnia ſua regna illius libidini & voluntati exequendæ offerat.Quis itaq; Monarchiæ,i.e. Tyrannidis vniuerſalis ſtudio magis laborat? Iſne,qui ne ſui quidem Imperij potis eſt,aut is qui ſummam in omnib.Imperijs & regnis pontif. dignitatem,maieſtatem & poteſtatem(quę in libero voluntatis ſuæ exercitio,in legiſlatione,in iudicij exercitio,executione & regnorum principatuumq;,ꝓlibitu,tranſlatione,cōſiſtunt)iampridem occuparit? Iſne,qui alterius conſilia,decreta & canones,veluti legē(cui parere neceſſe eſt)recipit,aut is qui dat? Quis hic Monarcha eſt,qui ſolutā alicui obedientiam iurat,aut cui ab omnib.illa iuratur? Quid? Annon Pontif.& Inquiſitores in Hiſpania ſupra regem eſſe videmus,cum de capite ipſius filij iudicauerint,atq; adeo imperium & regna illi auferre poſſint? Hiccine ad Monarchiam vniuerſalem idoneus,qui,vt dictū modo,ne propria quidem regna,à peregrina Italorum,Ieſuitarum,Inquiſitorum & aliorum Tyrannide liberare poteſt? Qui coactus fuit in nupera pacis tractatione Magnæ Britanniæ regi publice profiteri, ea q̄ ad religionem pertinent,licet præcipua regni pars ſit,extra ſuam poteſtatem eſſe? Tertia ratio ſumi poteſt à partib.eſſentialib.monarchiæ vniuerſalis,quas tibi probabo ab Hiſp.Regis Imperio, imo ab eiuſdem animo quam longiſſime abeſſe , & hodie in orbe Chriſtiano non alibi,quā in pontifice ſedeq; Rom.quoaduſq; Deus propter hominū peccata ita velit,fixam ſedem habere. De iure diuino nihil dicam.Scis.n.Theophile,reges Pontif.meretrici omnem ſuam poteſtatē dediſſe. Rationibus tñ politicis tecum agam. Partes eſſentiales eius Monarchiæ ſtatuo, *vniuerſalem rerū in orbe geſtarum ſcientiam,gerendarum prudentiam,exequendarū potentiam,& cōmunem omnium obedientiam.* Quod hæ ab Hiſpan.Regis Imperio,eiuſdemq; animo, etiam longiſſime abſint,res ipſa loquitur.Etſi.n Pontifices Rom.(vt ſe à graui iuſtoq; illius potentiæ Hiſpan,metu liberarēt) velut benigni parentis ſingulari ſinceroq; in obedientes amore, in cōpenſationem fidei & reuerentiæ erga ſe,& ſedem Rom.Hiſpaniæ regi vniuerſalē mandata ſua exequendi facultatem conceſſerint,eo tñ non efficitur,vt is magis inter imperantes quam obedientes recenſeri debeat:licet ille mandati fines quandoq; tranſilire,& religionis prætextu ad amplificandū Imperium ſuum abuti poſſit. Quis.n.ita cœcus eſt,qui non videat,hac beneficij & honoris vmbra Regi oblata, Pontifices illud ſolummodo quærere,vt nimiæ Hiſpan.vires potius ad domandos ſedis Rom.hoſtes atterantur,quā vt religionis propagādæ prætextu regna & principatus ſuos ipſe amplificet. [a] Deinde licet quamplurib.in locis regniſq; Hiſpanus ſuos exploratores & ſtipendiarios habeat, neq; ipſi etiā ex diuerſis gentib.Conſiliarij ad varia conſilia,pro regnorum ſuorū magnitudine & diuerſitate apud ſe cōſtituenda deſint,maximiq; reditus,multæq;& prope innumerę gentes ipſius dominationi inſeruiant,& Imperio ſubſint:Pontifici tñ & ſedi Rom. multo plures atq; adeo omnibus in locis ſui ſunt coniurati & exploratores.Etenim ſacrificuli,Monachi,Ieſuitæ,Abbates Epiſcopi, Archiep.Patriarchæ, & quotquot in omnib. regnis & prouinciis Eccleſiaſtici ſacramento ſpeciali Pontifici obſtricti ſunt,non priuatorum tñ hominum,ſed etiam ipſorum regum & principū conſilia ipſi ſediq; obnoxia, prodere tenentur. Vnde ſibi vniuerſalem & particularem rerum omniū ſcientiam in omnē occaſionem parant.Adhæc Hiſp.regi nullum conſilium vniuerſale ex rerum peritiſſimis & prudentiſs.ſelectiſſimiſq; omnium nationū viris,ſicuti Pontifici & ſedi Rom.eſt. [b] Cuius rei indubitatū & irrefutabile præbet argumentū Conſiſtorium Rom. in quo ex Hiſpanis,Gallis,Britannis, Germanis,Belgis, Polonis,Hungaris,Bohemis,Auſtriacis,Italis Siculis,&c. vaterrimi & rerū omniū peritia inſtructiſſimi adoptati,etiā Romani affectione facti, imperio populos regunt,eoſdē pro pontificis & ſedis magnitudine & gloria,in omnib.illis regnis & principatib.contra proprios Dominos armāt, Nec obſtat, quod Hiſpaniæ potentiæ reſpectus aliquando ſe in conſiſtorio Rom.ſupra Pontificū magnitudinē efferre velle videatur. Hoc.n.Cardinales & cæteri Eccleſiaſtici Hiſpan. non ad ſummi Pontif. capitis ſui, potentiam diminuendā,vel regis ſui Maieſt.amplificandam faciunt:id.n.ſacramento,quo Pontifici & ſedi obſtricti ſunt,ex diametro aduerſaretur:Eſſet etiam idipſum contra ipſorum Cardinalium Hiſpanic.vtilitatem:qui nunquā ad Hiſpaniæ regnum,ſed aliquando ad pontificatum,& ita ad vniuerſi orbis Imperium,quod Hiſpano maius & auguſtius eſt,euehi poſſunt. Sed eo ſtratagemate Hiſpanici illi Eccleſiaſtici præcipue vtuntur, cum Italorum autoritatē in conſiſtorio Rom. præponderare vidēt, ne ſc. in perpetuum à pontificatu excludantur. Ad rem : Annon ex illo Conſiſtorio,velut ex Equo Troiano,omnes illos Legatos à latere,& Nuncios ſedis,in omniū regum & principum,& rerumpub. aulas,ipſorum animos dictis recturos,atq; adeo proditionib.& machinationib.vt Græci Troiam,ita illorum & principatus euerſuros,procedere vides? Quid.n.inter Legatos Regū & Principum,& Pontificum ſeu ſedis Rom.intereſt aliud,quam quod hi toga,illi chlamyde vtantur: Illi tanquā digniores præeant,præſideantq;,hi tanquā miniſtri illos ſubſequantur? Illi Pontificum Senatuſq; Rom.imperata proferant,hi velut illorum mancipia exequenda ſuſcipiāt? Quid inter Archiepiſc.& Epiſcopos(qui non ita pridem etiā prouinciarum protectores in omnib. orbis Chriſtiani regnis cōſtitui cœperunt) & proconſules & legatos Roman. intereſt aliud,quam quod hi olim poteſtate ciuili in omnium bona & corpora, inquiſitione inſtituta, ſæuiebant : hi ſub ſpecie poteſtatis Eccleſiaſticæ eandem maiore ſuperbia & tyrannide paulatim vſurparunt,& nunc rebus per fraudē bene conſtitutis & firmatis,temeratio auitu,etiam renitentib.fruſtra regibus,aperte in temporalem cōmutant? Quid tertio [c] de temporali Pontificum potentia dicam? Nam præterquam quod plus quam tertia omnium regnorū & principatuum Pontif.pars,naturaliter & temporaliter in vera pontificum ſediſq; & Eccleſiaſticorū ſuorū ſit poteſtate(vnde illis facultas præcipuorum politicorū virorum animos beneficijs ſuis,velut philtro corrumpēdi,& in ſeruitutē pelliciend.) dic quæſo,Theophile,annon omnes illæ regnorū tertiæ in ſimul collatæ & in vnum cōputatæ,plus efficiant,quā omnia Regum Hiſpan.aut alicuius alterius

a *Scientia vniuerſalis.*

b *Prudentia vniuerſalis.*

c *Potentia Pontificum.*

Regis dominia? Et annon multo plures populi, & gentes in omnibus illis regnis & principatib. qui ſingulari Pontificib. & ſedi obſtricti ſunt ſacramento, ab ipſorum, quã ab Hiſpani Imperio pendeant? Quid dicam populos & gentes? Auſim etiam addere, milites. Aſpice quæſo mulierũ & virorum monaſteria & Ieſuitarum collegia & ſeminaria, q́ ipſi Ieſuitæ Pontificis Rom.[a] arces & veteranorum colonias, ad reges, principes & populos in officio & obedientia erga ſedem Rom. continendos, amplificandumq; in reliquos Imperium eſſe gloriantur: qui leues hominũ animos ſuperſtitione imbuere, & à vero ac debito patriæ amore, legitimaq; regum & Principum, imo ipſius Altiſſimi obediẽtia, ad nefandam peregrinorum hominũ libidinem, & abominandam Idololatriã ſeducere norunt: haud ignari Romanos plus conſilio & voluptatib. apud validiſs. gentes ſemper profeciſſe, quam armis: etſi quoq; ipſis interdum non deſint, qui per arma, pugiones iſthuc proſilire ſciant & ſoleãt, quo ingenia ſua pertingere nequeunt. Deniq; [b] & omnino fatendum eſt, nullum ſibi apud vniuerſi orbis Chriſtiani non minus reges, quã populos, vniuerſalem [c] obedientiam vendicare, præter ſolos Pontifices, qui etiam ad Maieſt. ſuam tuendã, vbi res poſtulat regum & principum ſubditos non tm̃ tributis & exactionib. (quas Iuſtus Lipſius iniuſtiſſime SACRAS appellat, cũ non in ſacros, ſed in prophanos vſus, atq; adeo in impias Rom. Pontif. & eorundem lenonum & inſtitorũ libidines & pompas conuertantur) onerare, & à fidelitate illis naturali & diuino debita ſoluere, ſed etiam in ipſos reges & principes ſuos (quos ipſi ſ omnes alios cæca obedientia colere velle videri vellent) excitare vicinoſq; reges & regum ipſorũ fratres & liberos in ipſos armare norũt: ſicuti etiã eoſdem de Throno regiæ & principalis dignitatis deijcere nõ verentur, vbi id ex rerum ſingulariũ cognitione Pontifices, vel viri graues & eruditi (quales ſunt Ieſuitæ) ſedi Rom. expedire, & opportunũ eſſe dijudicant. Nunc te ſatis videre, Theophile, arbitror, me nõ citra grauiſs. rationes negare, Hiſpan. regem hoc tempore, ne animo quidem ad monarchiã vniuerſalem aſpirare poſſe, tm̃ abeſt, vt vel facto ipſo eã moliri auderet. Dico, ne animo quidẽ. Scis. n. quem metum Ieſuitarum audacia & cõperta ſcelera regũ potentiſs. animis ſuis, ſicis & venenis incuſſerũt: quib. terriculamentis eos, quo volunt, impellere ſciant, & niſi ad nutũ pareant, ex viuis diuos ad modũ Romanũ facere norint. Quib. etiã ex altera parte technis vaferrimi illi ſedis Rom. miniſtri, aut potius lenones regũ & Principum animos ſtupris & adulterijs, ex veteri[d] Roman. more, à Reip. curis ſeducere ſoleant, quã præcellẽtes eo ſeductionis & lenocinii genere, Ieſuitæ magiſtros ...... ſe vndiq; oſtendant. Quid? Annõ omnes reges & principes pontificii vltro fatebuntur libentes volenteſq; ſe ne animo quidẽ Monarchiam in ſummum Pontif. eiuſq; ſedem cogitare? Quodnã quæſo, hac propria ipſorum confeſſione, pro quarto argumento firmius? Quib. rationib. ſi quinto probata ipſorum Pontif. regum, maximorumq; politicorum teſtimonia ſubijcere, ſingulaſq; imperii illius vniuerſalis & tẽporalis partes enumerare animus eſſet, manu etiã pueris hanc meam ſententiam palpandã exhiberem. Sed quid opus eſt aliis teſtimoniis, cũ in eam rem tam multorum autorum publica ſcripta proſtent: Vt BOZII *de* TEMPORALI ECCLESIÆ *poteſtate*: Mattæ Neapolit. ICti DE VNIVERSALI ECCLESIÆ TEMPORALI *Iuriſdictione*: Et Cardinalis Bellarm. *de temporali Pontificis in omnes reges & principes poteſtate, contra Barclaium de poteſtate*, &c. editus non ita pridem libellus, quẽ Cardinalis ille de conſilio ſummi Pontif. & Conſiſtorij Rom. euulgauit. Ita vt mea quidem ſententia inpoſterũ nemo, qui non prorſus inſenſatus haberi velit, hoc Pontif. propoſitum in dubium vocare poſſe videatur. Et hunc verum ſententiæ meæ intellectũ eſſe, Theophile, velim credas, quẽ licet cõmunis opinionis intuitu antehac pro paradoxo habere potueris, nunc tñ veritate eiuſdem penitus introſpecta, ſolidiuſq; intellecta, candẽ haud dubie, ſecundum animi tui candorem cõmuni errori te prælaturũ eſſe, certiſſime confido. Verum amoris erga te mei magnitudo, & ſinceritas, & nõ vlterius ferendæ quorundam Pontif. impoſturæ, à me flagitant, vt ab huius quæſtionis tractatione prius non recedam, quã te, Theophile, [e] de fraudib. cõmunis illius receptæ opinionis (qua Romani ad circũueniendos bonorum animos, & capiendos credulos abutuntur) paucis edocuerim, atq; adeo fucus vel fumus ille Ieſuiticus ab oculis bonorũ aliquando per ſolem veritatis depellatur, ꝙ & facturus ſum ego alacrius, quia te credere cõpertum habeo, me non alio, quã odio falſi, veriq; amore citraq; iram & ſtudium ad hoc impelli. Vt itaq; tibi dicam ꝙ res eſt, ſcis ſpiritum S. qui falli nequit, Antichriſtianiſmum *myſterium iniquitatis* vere appellare, & à B. Paulo vatidice prædictum eſſe; [f] *Aduentũ eius fore per efficaciam Sathanæ cum omni potentia & ſignis prodigiiſq; mendacib. & cũ omni fraude iniuſtitiæ in iis qui pereunt*. Cui quam ad amuſſim quadret, vide quæſo id, ꝙ recentiſſime à Principe ſacerdotum Caraffa Cardinali theſib. ſuis *de omni ſcibili*, Paulo V. *omnipotẽtiæ pontificiæ adminiſtratori* velut ſpiritu diuino acto, inſcriptũ vidimus. Huic Caraffæ liberę & veræ voci addamus, ꝙ omnes mẽcum facile fatebuntur, nullã capitaliorem fraudẽ eſſe, ea quæ ſub officij & cõmunis vtilitatis & boni ſimulatione latet. Quã artem, quã probe Pontifices Ro. velut pij ſolicitiq; omniũ gentium parentes, didicerint & calleãt, etiã ex ſequentib. videbis. Nam dum hi paternã ſuam erga reges, principes & populos curã, multis rerum ſpeciebus oſtentare conant, omnib. ſimul fatalem perniciem, i. e. vniuerſalem ſeruitutem, moliuntur, iis nimirum qui *pereunt*, i. e. qui neglectis Prophetarum & Apoſt. ſalutaribus monitis, Babylonis cõmunionem non deuitant, ſed cæca Ieſuitarũ obedientia ſe excæcari ſinunt. Attente quæſo conſidera capitalem fraudẽ, & videbis aut nullibi aut Romæ, iniquitatis myſterium ſedem ſuam fixiſſe, & myſtarum ſuorũ ope perpetuo propagari. Inprimis itaq; Pontifices regũ & principum Chriſtianorum animos vel vicinæ potentię æmulatione contra ſe inuicẽ, vel ficto pietatis zelo in Turcas & infideles omniũ ipſi infidelium infideliſs. & impijſſimi excitant vel extimulant, vt dũ regum illorũ potentia hac arte vel temperetur, vel atteratur, ipſorum interea, citra vllum impedimẽtum, conſeruari & augeri, ipſiq; non ſolum à nimiæ potẽtiæ reſpectu in officio contineri poſſint: Inde, v. ne regum animi a priuatis vacui, Monarchiæ vniuerſalis ſtudio in Pontificib. deprehenſo, com-

[a] Pater Ribadeinra Ieſuita Hiſpanus. Cui haud dubie notum non regẽ ſuum, ſed Pontifices ad Monarchiam temporalem aſpirare. Seminaria Ieſuitarum ait eſſe Hæreticorum exitia & Apoſtolicæ ſedis propugnacula in catalogo illuſtrium ſcriptorum ſocietatis Ieſu in Robertum Perſonium.

[b] Obedientia vniuerſalis.

[c] Principis in animo nihil arduum videtur, cui non iudicium, nõ odium ineſt, niſi indita & iuſſa. Tacit. Annal. XII.

[d] Tacit. IV. Hiſtor.

[e] Vtilitates, quas Pontifices ex terrore monarchiæ Hiſpanicæ apud Euangelicos capiunt.

[f] 2. ad Theſſ. 2.

Sic Caiphas Princeps ſacerdotum prophetauit, cum dixit de Chriſto, expedire, vt vnus homo moriatur pro populo. Ioh. 11. 50.

ſtilia & curas in ipſoſmet, ipſorumq; conſilia & actiones conuertant. Quid ſi ex altera parte Regib. & Principib. inter ſe cōmiſſis, aut bello externo occupatis, ſubditi nimia Inquiſitorum Rom. libidine, rapacitate & ſæuitia ad arma, ſui defendendi cauſa, impellantur, hocq; modo prouentus & cōmoda ſedis vel minuantur, vel interuertantur penitus: nihil ècontra regib. & principib. filijs ſuis, Pontifices bellis illis ambitioſis & externis grauius accidere poſſe, multis rationib. docere ſtudēt: quaſi inter talia bella regib. (quorum autoritate & poteſtate populos ſuæ Tyrannidi ſubiectos illi tenēt) cura externa occupatis, domi hæreſes & populorū rebelliones, ipſis bellis externis ſuæ autoritati & Maieſt. longe pniciosiores ſuccreſcerēt: Itaq; ab illis externis bellis penitus deſiſtendū, vireſq; oēs & conſilia in pduelles, Turcis & infidelib. longe deteriores, cōuertenda eſſe cenſent. Vides, Theophile, Pontifi cum verſutiā, & vt illi ad antiquos Rom. mores in omnem occaſionē ſeſe vertere aut inflectere norint. Sed hæc vti certiſſima ſunt, ſic quæſo, Theoph. credere noli, Pontif. eiuſq; ſocios, & inprimis Ieſuitas (quorū ſumma & q. vnica cura in Euangelicis, quos hęreticos & rebelles vocāt, debellandis verſatur) vnquā paſſuros vt bella inter reges filios ſuos pro Imperio, quamdiu ſubditorū motus ſolide cōpoſiti non fuerint, vere excitentur. Nec deſunt illis colores, quib. fraudē fucent. Sciunt. n. q̄ optime, nihil regib. & principib. magis exoſum, q̄ populorum ſuorum erga ſe motus, & inter illos nullos eſſe periculoſiores his, qui ex hæreſi, quā dicunt, naſcuntur. Hanc. a. velut peſtiferas herbas malis temporib. ita plurimum incrementi ex bellis externis capere. Atq; hoc modo Euangelicos (q pro legitima & ſuprema regum & principū autoritate fortunas omnes, atq; adeo vitā ipſam contra Pontif. & lenonum ſuorū technas & rapinas, ſemp exponere parati fuerunt) odio, quo ipſi digniſſ. ſunt, pręgrauare conantur. Cæterū cum ſimulationib. & optis dolis, quā aperto Marte, aduerſus validiſſ. gentes multoties plus ſe pfeciſſe, Pontif. experti ſunt, & Euangelicos pro capitalib. atq; implacabilib. hoſtibus ſemp habuerint & habituri ſint, neq; inter extrema vlla ſit cōiunctio, niſi per media: Nullum exquiſitius remediū Pontifices cum ſuis Cardinalib. inuenerunt, q̄ vt firma fidaq; inter reges principeſq; pace conſtituta opinionē de potentiæ inter eoſdem æmulatione, velut veram, & ad ineſcandos hominū animos accōmodatiſſimā apud hæreticos & rebelles fouerent, certo ſibi futurū perſuadentes, vt Euangelici, velut hoſtes Pontificis infenſiſſ. atq; adeo à patre communi & eiuſdem filijs alieniſſ. hoc aſtu & arte aduerſus Hiſpanū velut cōmunem hoſtem (propter conceptā de inſita omnib. regib. æmulatione inter ſe opinionē) aliiſq; regib. & principibus filijs ſuis q. communis alicuius vtilitatis ſpe coniungerentur. Neq; equidē conſilium ſpecie caret, quia, vti Hiſp. rex iam pridem & vulgo de vniuerſalis monarchiæ ſtudio apud omnes Chriſtiani principes, nō citra grauiſſ. cauſas ſuſpectus fact⁹ eſt, omneſq; in eum, q omnes petit, armari cōiunctim merito debent, apud Pontif. & ſedem Rom. creditum fuit, nihil illa cōmuni Hiſp. monarchiæ perſuaſione ſuis de monarchia vniuerſali occupanda, conſilijs promouēdis, hoc rerū in Europa ſtatu accōmodatius fore. †Hoc. n. aſtu primum Pōtifex ſe illo cōmuni omnium hominum aduerſus monarchiā vniuerſalem odio leuat, & ſuum ad illam ppoſitum regib. & populis ſimul obiectum, ſibi. a. extra ſuſpicionē, & liberum tenet, atq; ita citra vllum impedimentū ad eam ſibi ſoli amplificandam & occupandā magnis conatib. progreditur. Nam cum is, qui ad monarchiā vniuerſalem tendit, æque regum regna & prouincias, q̄ populorum ciuitates & libertates petat: Fit vt populus cæteriq; omnes, quib. fallendi artes minus cognitæ & perſpectæ ſunt, q. communis periculi contemplatione ad aliorum Pontif. regum & principum (qui idem ſe metuere oſtentant) coniunctionē facile inuitentur & accurrant, nō perpendentes regib. & principib. & Pontificijs calliditate fraudulenti Paſtoris iampridē perſuaſum eſſe, multo maioris ipſorū intereſſe, ſubditorum motus, vt Imperijs, regnis & principatib. longe nocentiores, communib. conſilijs cōponere, aut virib. comprimere, q̄ ipſis vtile foret, cum vicinis aut remotiorib. de Imperio amplificando certare, atq; adeo nouos hoſtes foris aduocando, domeſticis atq; inteſtinis malis magis exreſcendis occaſionem præbere. atq; illa arte Pontifex primo efficit, vt hæretici à nouis & periculoſiſſ. ſuis cōſiliis ad Pontificiorū conſilia, leni & q. inſenſibili ita reducantur. ᵃ Secunda vtilitas, quā communis Pater & Paſtor ex hac hæreticorum & rebellium cum filijs ſuis obedientib. coniunctione cepit, hæc eſt, q conſilia eorum (qui alias, licet pauci & debiles, tn̄ cum proprijs conſiliis & virib. vſi ſunt, ſeſe non raro aduerſus immēſam Pontificiorum potentiā inſuperabiles oſtenderunt) per eam tm̄ rimari, eaq; euertere, atq; adeo in capita illorum ipſorū conuertere poteſt: talib. conſiliis veteres, & inprimis Romani ſæpius hoſtium rebelliū & ſeditioſorum ſuorū conatus pertinaci eoſdē euerterunt, atq; in ipſos conuerterunt. Sic Senatus Rom. qui nullam niſi in concordia ciuiū ſpem reliquā ducebat, plebe ad ſeditionē excitata eam p æqua PER INIQVA reconciliandā ciuitati eſſe cenſuit, & Menenium Agrip. virum facundum & plebi carum in caſtra eorū miſit, eamq; ad concordiā reduxit. Sic Sputima temeritatis alienæ fit comes apud Tacitū, primo velut coactus, mox velle ſimulans, quo plus autoritatis ineſſet conſiliis ad miteſcendā ſeditionem. Eiuſdem inter Hiſpan. & Gallum æmulationis ptextu Carolus IX. Galliarum rex Euangelicos ſuos ad ſe pellexit, eorumq; velut rebellium conſilia pertinatus euertit, atque adeo in Admiralli aliorumq; regni procerum, multorumq; hominū necem & perniciem conuertit. Idē aliquoties in Belgio & periculoſiſſime quidē à Rorda arcis Antuerpię Pręfecto, & Duce Alenconio tentatum eſt. Annō idem etiā nunc apud pontificios p eandem potentiæ æmulationem tentetur, tu Theoph. tecum cogita. Tertia Pontificis vtilitas eſt, ᵇq hac accommodatione ſuæ factionis & tyrannidis coniurati impediunt, quominus Euangelici cōſiliis ſuis aut proprio capite regantur ducanturq; : cum tn̄ certiſſimum ſit Pontif. & coniuratos ipſius, nullos grauiori odio & hoſtilitate perſequi, quā Euangelicos, nihilq; ſtolidius vel ineptius ſit, quā hoſtium conſilio vel auxilio vti. Creditumq; inſuper ſit malorū omnium extremū eſſe proditoris opem inuocare: Nunquā etiam feli-

† *Prima vtilitas.*

ᵃ Nulla conſilia meliora ſunt, quā illa, quę ignorauerint aduerſarii, antequam facias. *Veg. 3. c. 26.* Nihilq; leuius aut turpius quam autore hoſte de ſummis reb. capere conſilium *Caſ. li. 5. de bell. Gall. f. 119. n. 124.* Bene n. conſultum, *inquit Arn. Ferron. lib 1. Hiſtor.* ſurripitur ſępiſſime. Quippe ſi traſciuere inimici conſilium: tibi tuo pte conſilio occludunt linguam, & conſtringunt manus: atq; eadē quæ illis volu iſti facere, faciunt tibi. Vnde *recte Meſſala Valer. apud Tacit. 1 Annal.* in iis quæ ad remp. pertinent conſilio non niſi ſuo vſurum, vel cum periculo offenſionū. Cum nihil periculoſius, quam in rebus arduis ex alieno pendere conſilio.

ᵇ *Quid ſtultius, quam aut hoſtib. ſua pandere conſilia, vel illorum idē pete?* Nihil

feliciter pugnari; cum proditores copijs militaribus permixti ſunt. Peſſimum deniq; morbum eſſe, quia à capite in cætera mēbra diffunditur. Quarta vtilitas: [a] quod hac arte maxima inter hæreticos & rebelles diſſenſionum ſemina ſpargi cōmodiſſime poſſunt, ipſiq; facile à ſe inuicem diſtrahantur, hi vni, illi alteri filiorum ſuorū coniunguntur, & vtriq; inanib. & fraudulentis conſilij & opis expectationib. lactantur ipſi inter ſe ad cōmunem vtrorumq; interitum, cum maxima ſummi paſtoris & filiorum obedientium voluptate, committuntur, atteruntur & euertuntur. Quinta, omniumq; maxima Pontificis vtilitas eſt, [b] q; Euangelicos à recto veri Dei cultu ad idololatriā aut promouendam, aut etiam amplectendā trahit, & inani ſpe opis humanæ obtinendæ, ad irati Dei vindictā & pœnas temporales & æternas ſeducit, quas certe deinceps Euangelici imprudentia grauiſſimas & frequentiſſ. dederunt. Hoc ſolo errore ſeductus Zedechias vltimus Iehudæ rex, & pop. Iudaicus, ante primum aduentum Chriſti, regno Iehudæ ſupremū ictum dederunt, & ſceptrum Iudaicū cum proprio atq; infando omniū interitu, euerterunt, plures, mi Theoph. ad fraudem hanc non minus ſpecioſam, quam calamitoſam, defucandā, demonſtrationes in mediū proferre facile foret: ſed has tibi abunde ſuffecturas libens crediderim, cū hæc tibi conſideranti, ſecundū eam, qua polles, rerum experientiā, procul omni dubio multo plures occurrent vltro: quod ſi tū tibi q̄dam dubitandi rationes reliquæ fuerint, dabo operā, vt illis intellectis pro modulo meo reſpondeatur. Quomodo.n. poteſt quis Pontifici inſolidū parere, & Euangelicos ope, conſilio ſincere iuuare? Sed vt veri Pontificij ſimulationis diſſimulationiſq; technis aſſidue Euangelicis inſidias ſtruūt: ſic verendū eſt etiam, nō paucos inter hos errore illo circūueniri, humaniſq; conſilijs excæcatos, & lubricis prauiſq; Zedechiæ vltimi Iehudæ regis veſtigijs inſiſtentes, Eccleſiam & Remp. Chriſtianā (niſi Deus clementer malum auertat) funditus euerſum ire. Qua in ſententia Gretſerum noſtrū *in plaga ſua regia* totum eſſe, & ob id potiſſimū Ieſuitis ita exoſum video, q. ipſe ſua illa Apocalypſi, atq; adeo intempeſtiue, omne iniquitatis myſterium detegeret. Chriſtophori Carolouicij *de Monarchia Hiſpan.* ſcriptum nec vidi nec legi, ſed Ioachimi Camerarij *conſilium Maximiliano II. Imper. datum* me vidiſſe & legiſſe memini. Et fatebor lubens, magnū illum virum eo ſuo ſcripto tempeſtiue reges & principes omnes, atq; adeo optimum illum Imperat. monarchiæ illius Hiſpan. metu, ad vigilantiam & cōmiſerationem Belgarum excitare voluiſſe. ſed alia deinceps ſuperuenere tempora, aliaq; conſilia, vti ex 5 ſcriptis & *Repraeſentatione pacis generalis*, Germani, Franci. plurib. tibi animaduertere licebit. Quod.a. ſubiicis, ſi Pontificis votis reſponderent vires, ipſum Iberos ante omnes alios ad exitium petiturum, q. ab illis, ſibi omnium maximum periculum immineret, ſi ad illorum arbitriū ſeſe totum non fingat atq; refingat, cum illi non tm̄ ſedis defenſores, ſed etiam Domini eſſe & haberi velint: hic, mi Theoph. quam grauiter hominū, qui nos deceptos & deperditos volunt, erroribus circumducaris, vix dicendo aut ſcribendo explicare poſſum. Quid? Iſne alicui imperat, qui timorē, honorem, & tributum alteri exhibet, an cui illa exhibentur? Qui de regnis & vitis regum & principum decernit, aut ii, cōtra quos decernitur? Is deniq; qui ſeruit & obtemperat, vel qui dominatur & iubet? Quod.a. Iberi partes in Conſiſtorio Rom. aliquando potiores fuiſſe dicas, imo & Iberum Pontifices Rom. aliquando de ſede deturbaſſe: ea propter cauſas ſupra oſtenſas facta crede. Idem Germani & Galli fecerunt aliquando, cum nondum delicijs & philtris Roman. & Ieſuitarum eiurata eſſent. Fuimus Troes & Ilium ingens. Nunc Roma potitur rerum, & Ieſuitæ Romani, quib. à Pontif. Rom. ius vitæ neciſq; in reges hæreticos, & minus morigeros datum eſſe, recentia regum Galliæ & Britan. aliorumq; multorum principum exempla plus nimio oſtendunt. Quid? Campianus anno 1583. Conſiliarius Reginæ Angliæ reſcripſit: *Societatem Ieſuitarum, quæ per totum terrarum orbem longe lateq; diffuſi ſunt, ſanctum fœdus iniiſſe ad hæreticorum machinationes ſuperandas: nec vnquā deſperaturos, quamdiu vel vnus quiſpiam ex illis ſuperarit.* Quod ſi his tibi nondum ſatisfactum eſſe putas, Theophile, haud difficile mihi fuerit, alia teſtimonia, eaq; publica & maximorum virorum, qui tm̄ prudentia cauta vobis nobiſq; contrarium de Hiſpano ad ſcopum ſuum promouendum, perſuadere conantur, in medium producere. Atq; hi, cum tibi ab Hiſpano nihil penitus timendum eſſe dicant, ſed è contra de ipſius pietate, iuſtitia, moderatione & abſtinentiā multa prædicent, cur quæſo nobis contrarium perſuaderi curant, niſi vt nos ad externa rumorib. morentur, dum inteſtinum ſcelus in nos paratur? Cur nos, qui ab arcanis illorum conſilijs, & fraudibus iam multoties expertis etiam nunc quam longiſſime abiūmus, eadem ipſa tanquam proba & vera, licet incognita, iterum amplectemur? Illiſq; ab altius monarchiæ propoſito timebimus, quæ nullam ſibi ipſis inde timendi occaſionem habere, ſcriptis ſuis profitentur. Vigilemus ergo, Theophile, ne & nos vafris illis & fraudulentis Pontificū conſilijs & peſtiferis opinionibus ſeducti, è fumo in flammam, quod aiunt, nos præcipites demus: dumque omnia nobis quam proxime à Pontifice impendentia pericula vitare ſtudemus, ad conſilia & auxilia eorum confugiamus, qui ante Pelaſga inſtructi, nos, velut mente captos & falſis perſuaſionibus excæcatos, breuiore, tutiore & certiore via ad intentum manu ducant, quem nemo bonus facile effugiet, qui non cane peius & angue Romana conſilia vitauerit. Malorum enim hominum extremum eſt, proditoris conſilium vel opem inuocare: vt exemplis triſtiſſimis ſupra probatum eſt, & pluribus, ſi opus foret, probari poſſet. Sed rident ipſi Pontificij tantam Euangelicorum fatuitatem, quod Reges & Principes Catholicos ſibi inuicem bellum illaturos læti credant, quo Hæreticis commodum, & Pontifici communi Parenti & Paſtori ſibique ipſis extremum interitum ſint illaturi. Fugiamus itaque, Theophile, fugiamus è Babylone, ne plagarum eius participes ſiamus. Vale.

Nimirum ærumnoſius eſt homine, qui hoſtes domeſticos & eiuſdem tecti participes habet, ſi domi aduerſarios alas, non te periculis eripere muri Babylonis queant, nō Semiramidis turres, non Pyramidum craſſities. *Conſtant. Manaſſ. Annal.* 170.

[a] Qui non mecum eſt, cōtra me eſt, qui non colligit mecum, diſpergendo diſpergit. Omne regnum quod diuidetur, contra ſeipſum deſertū reddetur, & domus. quæ contra ſeipsā diuidetur, cadet, *Matt.* 12. 25. *Mar.* 3. 24. 25. *Luc.* 11. 17.

[b] *Sic Achior ſuadet Holof. ne Iudæos aggrediatur, niſi tunc, cum peccarunt contra Deum ſuum:* Quia hoc ipſis offendiculo futurum non eſt, & aſcendentes debellabimus eos, *inquit Iudith.* 5. *v.* 23. Si non eſt iniquitas in gente illorum, prætereat quæſo dominus meus, ne forte protegat Dominus eos & Deus ipſorum ipſos, ſimuſq; probrū coram vniuerſa terra 24.

PARS XXVII.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS, EDICTA,

RESPONSIONES ET EXPOSITIONES PVBLICAS, THEOLOGICO-POLITICAS SVPER CONcilijs, Synodis & Colloquijs, tam generalibus, quam ſpecialibus, in negotio Religionis inſtitutis atque habitis.

I.

Annô Domini 1511.

CONVOCATIO GENERALIS CONCILII APVD PISAM CELEBRANDI, EX PARTE CARDINALIUM, de Anno MDXI.

TEnore præſentis cedulæ aut Inſtrumenti cunctis pateat euidenter, & ſit notum: quod anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo vndecimo, Indictione quartadecima, die vero lunæ decimanona menſis Maii: Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri, Domini Iulii diuina prouidentia Papæ ſecundi, Anno octauo, Conſtituti coram nobis notariis publicis & teſtibus infraſcriptis, Reuerendiſſimi in Chriſto Patres & Domini, Domini B. Epiſcopus Sabinenſis, & G. Epiſcopus Prænelthinus, & F. tt. Sanctorum Nerei & Archilei Cuſſentinus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſuis nominibus, & pro ſex aliis Dominis Cardinalibus ſufficiens mandatum habentes, & pro aliis eis adhærentibus, & adhærere volentibus dixerunt & propoſuerunt ſequentia verba videlicet: quod conſiderantes quantam Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem concilia generalia vniuerſalis Eccleſiæ attulerint, quantumque detrimenti ex eorum intermiſſione Reſpublica ſit paſſa, quamque in præſentiarum conſpiciant clare magnam inſtare neceſſitatem vniuerſalis concilii congregandi, pro vera pace Chriſtianorum fundanda, & ſufficienti bello contra infideles ſtabiliendo: Nec non potiſſime pro reformatione morum vniuerſalis Eccleſiæ in capite & in membris plurimum collapſorum, ac emendatione criminum grauiſſimorum notoriorum continuorum, ac incorrigibilium vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizantium, quorum omnium Eccleſiæ morborum ſalutaris & vnica medicina congregatio vniuerſalis concilii ſemper fuit habita: Cumque tempus decennii poſt vltimum vniuerſale concilium iamdudum ſit effluxum, & ſalubertima decretali Conſtantienſi conſtitutione edita, quæ incipit, FREQVENS ſingulis decenniis vniuerſale concilium congregari debeat: Et Sanctiſſimus Dominus noſter Dominus Iulius Papa Secundus, cui primo curæ eſſe deberet illud conuocandi tanto tempore hoc neglexerit, maxime cum nouerit & iurauerit poſt biennium à creatione ſua illud tenere, & nedum negligens in præcepto Eccleſiæ & concilij: ſed voti & iuramenti huiuſmodi transgreſſor illud non tenuerit, tempuſq; interpellet pro homine: Cumque nunquam ſua autoritate aut voluntate futurum concilium credatur, & cum de grauibus Eccleſiæ ſcandalis in capite agendum ſit, quo caſu iuxta patrum ſanctiones, & ipſius ſacri Conſtantienſis concilij decreta ad ſummum Pontificem congregatio concilii non attinet: ſed ſecundo loco ad Reuerendiſſ. dominos Cardinales, qui Pontifici in huiuſmodi ſua negligentia non adhæſerint, in ſimilibus caſibus conuocatio concilij ſpectet, nō ad eos, qui ſunt participes continuę negligentiæ ſuę. Zelo igitur domus Dei, quo nos maxime accendimur, poſt miſſam S. Spiritus, ipſo inuocato, ac reformationem eccleſiæ in capite & in membris vehementer efflagitantes & depoſcentes: Ex noſtra certa ſcientia & ſpontanea voluntate quantum iure melius poſſumus & debemus nomine ſacri Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium collegij, quod in nobis repræſentatur in hoc caſu iure, & etiam particulariter nomine noſtro & aliorum Cardinalium, quorum habemus mandata, & aliorum Cardinalium & prælatorum nobis adhærentium & adhærere volentium, vna cum Conſiliarijs & procuratorib. ſacratiſſ. domini Maximiliani electi Rom. Imperatoris ſemper Auguſti, & Chriſtianiſſimi dom. Ludouici Francorum regis ducis Mediolani, cæteriſque nobis in hoc adhærentibus & adhærere volentibus, concilium generale vniuerſalis Eccleſiæ indicimus & conuocamus. Et quantum in nobis eſt, effectualiter congregari monemus & hortamur futurum in ciuitate Piſana, & inchoandum in Kalendis Septemb. proxime futuri, & ibi continuandum & terminandum vſque ad diffinitionem ſuperiorum cauſarum, niſi de conſenſu maioris partis congregandorum in concilio aliqua legitima cauſa ad alium locum commodiorem transferendum ſit. Quapropter cum omni reuerentia & humilitate ac inſtantia ſanctiſſimum dominum noſtrum Iulium Papam ſecundum ſupplicamus, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortamur, vt huic congregationi concilij pro dictis cauſis aſſentire dignetur, & illud perſonaliter vel per ſuos legatos honorare & confirmare: *Similiter* & Reuerendiſs. Dominos

ſanctæ

ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales patriarchas, Archiepiſcopos epiſcopos, Reges, principes, & potentatus, ac communitates, & collegia, vniuerſitateſq; ſtudiorum generalium, ac Religionum generales & magiſtros, Nec non omnes alios Eccleſiæ prælatos, & in conciliis generalib. auctoritatem diffiniendi aut conſulendi habentes, & ad concilium de iure vel conſuetudine venire ſolitos & obligatos conuocamus & requirimus, vt per ſe vel ſolemnes oratores vel procuratores, ſi commode perſonaliter intereſſe non poterunt, ad concilium ipſum loco & tempore quibus ſupra accedere dignentur, procuraturi quantum in eis erit vt concilium ſit liberum tutum & ſecurum, & in eo iuxta formam Conſtantienſis ſynodi procedatur, ad honorem Dei & Eccleſiæ ſplendorem, pacem Chriſtianorum, & infidelium expugnationem, quod nos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pro viribus offerimus Deo & Eccleſiæ effectualiter procuraturos, & pro viribus facturos. Quare ſanctiſſimum dominum noſtrum, & Reuerendiſſimos dominos Cardinales iuxta formam aliorum conciliorum enixe ſupplicamus & hortamur, vt à quatuor cauſis quæ maxime poſſent huiuſmodi ſanctam congregationem impedire ex nunc abſtinere dignentur: videlicet à creatione nouorum Cardinalium, & à publicatione creatorum ſi qui forſan ſunt, & proceſſu contra antiquos Cardinales aliosq; prælatos & perſonas ad concilium ipſum accedere volentes, & illi prout decet conſentientes: Necnon ab impediendo huiuſmodi conuocationem concilii directe vel indirecte, publice vel occulte, quouiſquæſito colore, & ab alienatione feudorum ſeu terrarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. In quibus omnibus cauſis cum omni humilitate proteſtamur de nullitate actus: niſi à Sanctiſſimo domino noſtro in dicto concilio huiuſmodi fieri contigeret, & aliter facta vel facienda irrita haberi ac per concilium ſeu prout iuris fuerit annullari & caſſari debere proteſtamur & requirimus. Inſuper vos omnes Reuer. dominos Cardinales & Prælatos principeſq;, ac dominos temporales, & perſonas alias cuiuſcunque ſtatus gradus, conditionis vel præminentiæ exiſtant hortamur & monemus: Quatenus huiuſmodi bono propoſito noſtro annuere, opportunoſq; fauores præbere, & à quibuſcunq; moleſtationibus & impedimentis, ac prohibitionibus contra venientes & venire volentes ad dictum generale conciliũ quomodocunq;, & qualitercunq; directe vel indirecte, ſiue alio quouiſquæſito colore vel ingenio publice vel occulte deſiſtant atq; deſiſtere velint & debeant & ab omnibus cenſuris cuiuſcunq; qualitatis prætextu huiuſmodi congregationis ſacri concilii abſtineant, & ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter fieri impediri vel attemptari contigerit proteſtamur de nullitate taliter gerendorum & de omni remedio habendo in dicto generali concilio, vt talia irrita & nulla declarentur, & de omnibus aliis remediis nobis competentib. maxime ex forma dictæ Synodi Conſtantien. prout coram notabilib. perſonis notariis & teſtibus etiam in ſcriptis pro nobis & adhærentibus, ac volentibus adhærere, proteſtati fuimus & reclamauimus, prout etiam tenore præſentium proteſtamur & prouocamus. Et quia tutum non eſt nobis dictam conuocationem concilii ac proteſtationem in potentia Sanctiſſimi domini noſtri facere, qui ſanctæ Ro. Eccleſiæ Cardinales fratres ſuos & eccleſiæ vniuerſalis principes carceribus mancipari, & minari fecit, oratoreſq; principum contra ius gentiũ detineri, Ideo decreuimus quod per Affixionẽ huiuſmodi cedulæ ſiue inſtrumẽti conuocationis monitionis & proteſtationis huiuſmodi in valuis eccleſiarum Mutinen. Regienſis, & Parmen. ex quibus veriſimiliter ad notitiam ſeitatis ſuæ: & Reuerendiſſ. D. Cardinalium, ac principum Chriſtianorum, & aliorum prælatorum venire poterit, quã vim publici edicti habere petimus, perinde arctare ad veniendum ad concilium ſupra requiſitos & monitos, ac ſi perſonaliter illis intimata fuiſſet ipſa cõuocatio monitio & proteſtatio, cum non ſit veriſimile ipſis fore incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Alioquin dictis Kalendis Septemb. aduenientib. & etiam elapſis, in dicta ciuitate Piſana, vel alio loco in quo vt præfertur de conſenſu maioris partis congregandorum transferri contigerit, ad celebrationẽ & perfectionem dicti generalis concilii gradatim & ſucceſſiue procedemus & procedetur vna cũ illis Reuerendiſſimis dominis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dominis aliiſq; vt ſupra citandis, qui nobiſcum in dicto generali concilio conuenerint, Iuxta ſtatuta & decreta in dicto Concilio Conſtantienſi, aliorum ſicut ſupra requirendorum & citandorum abſentia ſeu negligentia aut contumatia in aliquo non obſtante, eiſq; propter hoc vlterius non citatis vel monitis, De cuius præſentis Inſtrumenti huiuſmodi conuocationem monitionẽ proteſtationẽ & decreta in ſe continentis, in locis prædictis & aliis vbi expediens fuerit publicatione præſentatione & in valuis prædictis affixione & dimiſſione cuilibet huius inſtrumenti latori nuntio in hac parte noſtro cum iuramento aut inſtrumento publico manu notarii publici confecto plenam dabimus fidem. Quia vero fidelibus non eſt tam de ſolicita inuentione quacunq; fidendum, quam de inſtantia orationis humilis & deuotę ſperandum, cum non ſimus ſufficientes etiam cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra iuxta verbum Apoſtoli ex Deo ſit, ideo omnium veſtrum caritates precamur in domino quatenus & per vos & per fideles veſtræ ſolicitudini commiſſos humiles preces fundantur ad dominum, & deuotis orationibus inſiſtatur, vt ipſe qui concordiam operatur in ſublimibus, dignetur efficere vt debita huius ſanctæ noſtræ deliberationis & conuocationis prouiſio concors & celer ac canonica ſubſequatur, vt Eccleſiæ ſalus exigit & totius orbis pax & vtilitas deſiderat & expoſcit. Et nouiſſime vos R. D. Archiepiſc. hortamur in domino ne in tempore huiuſmodi Conuocationis ſitis deficientes, ſed interim ſuffraganeos veſtros exẽptos, & non exemptos ac alias notabiles perſonas prouinciarum veſtrarum requiratis vt in tempore & loco deſignatis abſq; dilatione & cum deliberationibus & auiſamentis veſtris & ſuis circa fidem pacem & mores fidelium inſtructi compareа-

pareatis & compareant, quaſi coram domino rationem veſtræ villicationis reddituri: De quibus omnibus prædicti Reuerendiſſ. D. ſanctæ Ro. eccleſiæ Cardinales petierunt à nobis notariis infraſcriptis vnum vel plura inſtrumentum atq; inſtrumenta fieri atq; confici debere. Acta fuerunt hæc Mediolani in domo modernę reſidentiæ prædicti Reuerendiſſimi domini Cardinalis epiſcopi Præneſtini ſita in porta ticinenſi, parrochiæ ſancti Georgii in palatio, ſub anno, Indictione, die, menſe, & pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem Illuſtribus dominis Carolo Iafredo præſidente Reuerendiſſimi Senatus regii Mediolani, & Galeatio vicecomite & ſenatore regio teſtibus ydoneis ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Nomina autem Reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium à quibus & quorum mandato huiuſmodi conuocatio facta fuit ſequuntur.

Bernardinus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Sanctæ crucis. Guiliermus Epiſcopus preneſtinus Cardinalis Narbonenſis. Philippus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Cenomanenſis. Franciſcus Tituli Sanctorum Nerei Et Archilei Cuſſentinus. Hadrianus Tituli Sancti Griſogoni de corneto. Renatus Tituli Sanctæ Sabinę Baiocenſis. Karolus Tituli Sancti Viti In macello Definario Presbyteri Cardinales. Necnon Dominus Federicus Sancti Angeli de ſancto Seuerino. ac dominus ypolitus Sancte Lucie in ſcil. Eſtenſis Sanctæ Rom. Eccleſiæ Diaconi Cardinales.

Ego Gentilis ex Gentilibus Fulginas publicus Apoſtolica auctoritate Notarius de præmiſſis rogatus hanc cedulam ſiue inſtrumentum fideliter impreſſum ſubſcripſi & publicaui ſigno meo appoſito conſueto in fidem præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Ego Petrus Rebe Clericus Eduenſis dioceſis auctoritate Apoſtolica Notarius publicus de præmiſſis rogatus hanc cedulam ſiue inſtrumentum fideliter impreſſum vna cum prænominato Notario ſubſcripſi & publicaui ſignoq; meo manuali ſignaui in teſtimonium præmiſſorum.

II.

Anno Domini 1511.

EPISTOLA CARDINALIVM AD ELECTOREM SAXONIÆ, PRO ASSISTENTIA IN CONCILIO Piſano.

Miſeratione diuina Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi S. Rom. Eccleſiæ Cardinales in Lombardia pro bono Eccleſiæ conuenientes, Illuſtri Domino Federico Duci Saxoniæ, &c. Sacri Romani Imperii Principi Electori ſalutem, cum intelligentia proſperitatis & directionis Eccleſiæ Sanctæ Dei. Quum frequentes generalium conciliorum celebrationes, tamquam flumina paradiſi, ſemper Dei Eccleſiam purgauerint, atq; fœcundauerint: illorumq; intermiſſiones tribulos & ſpinas vitiorum, diſſenſionum, errorum & bellorum ſæpius induxerint: quales hodie grauiſſimas, Deo permittente, patimur: effectum inde olim fuit, vt diuina illa Conſtantienſi ſynodo ſancitum ſit, decimo quoq; anno vniuerſale concilium congregandi. Id autem animo reuoluentes, Sanctiſſimus Dominus noſter ſuæ creationis tempore, & omnes in Conclaui exiſtentes Cardinales nobiſcum iureiurando & ſolenni voto poſt biennium ab eo die generale Concilium conuocare ſtatuerunt. Ad quod exequendum etſi aliquando ſanctitatem ſuam ſupplices hortati ſimus, nihil ſane hactenus profecimus. Atq; quum ſita ſanctitate & nonnullis aliis Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus id negligentibus, & quibuſdam forſan ad id non liberis, reputemus omne ius omnemq; poteſtatem Concilii congregandi ad nos eſſe deuolutam, vt voto noſtro iurato ſatisfieret, Eccleſiæq; fere collapſæ ſuccurreretur: Conciliũ ipſum faciendum curare decreuimus. Quod in ditione Eccleſiæ, vbi non fuiſſet liberum & tutum nobis id agere, quum libertas noſtri ſacri Senatus hodie plurimum iaceat oppreſſa, procurare non auſi, Lombardiam ſeceſſimus. Vbi poſt longum maturumq; noſtrum tractatum, & plurimorum diuini ac humani iuris doctiſſimorum virorum conſilia, voluntate Sereniſſimi ac Sacratiſſimi Domini Maximiliani Electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & Chriſtianiſſimi Domini Ludouici Francorum Regis, ſpe etiam adhærentiæ aliorum Principum & fidelium, auxilio Dei Omnipotentis, die Veneris, decimaſexta præſentis menſis Maii indiximus, & conuocauimus generale Concilium vniuerſalis Eccleſiæ inchoandum Kalend. Septembris proximi futuri in ciuitate Piſarum, continuandumq; vſq; ad diffinitionem bonæ & conſtantis pacis inter Principes Chriſtianos, belli contra infideles, reformationis Eccleſiæ in capite & in membris, extirpationis hæreſum, ſchiſmatum & errorũ in Chriſtiana Rep. vigentium, ac aliorum, quæ in cedulis conuocationis continentur, quas Excellentiæ veſtræ tranſmittimus. Verum quia confidimus eam tam ſancto tamq; neceſſario operi non ſolũ accerſitam affuturam, ſed vt ſemper à ſuis prædeceſſoribus factum eſt, ſe oblaturam, eam enixe rogamus, vt huic rei tam neceſſariæ non deſit, nobiſq; ad optatum finem cum aliis, ſaltem per oratores, ſi com-

ſi commode perſonaliter non poſſit, adeſſe & intereſſe velit, mandetque vt cedulæ intimationis per loca publica ſui Ducatus & Dominii affigantur, ſignificetque omnibus Prælatis in dictis Ducatu & Dominio ſuo conſtitutis huiuſmodi conuocationem, vt ad diem conſtitutam poſſint vna cum doctiſſimis viris ſub ditione veſtra degentibus, quos etiam mitteris bene inſtructos conſultationibus & deliberationibus veſtris in cauſis fidem, pacem & mores fidelium tangentibus adeſſe, rem Domini, & Eccleſiæ, ac Chriſtianorum omnium nobiſcum ſimul curaturos. In quo & apud Deum gloriam, & apud homines immortalem laudem conſequetur Excellentia veſtra, quæ feliciſſime valeat. Mediolano XXIII. Maii. M.D.XI.

E. V. Excellentiæ Fratres Chariſſimi, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi S. R. E. Cardinales in Lombardia pro bono Eccleſiæ conuenientes, vt ſupra, pro ſe & adherentibus ſibi cum mandatis.

B. Cardinalis Sab. † G. Card. Narbonenſis F. Cardinalis Cuſentinus.

Illuſt. Domino Federico Duci Saxoniæ, &c. Sacri Rom. Imperii Principi Electori, Fratri noſtro Chariſſimo.

III.

S. D. N. D. PAVLI DIVINA PROVIDENTIA PP. III. BVLLA INDICTIONIS SACROSANCTI GENEralis Concilij,

Anno Domini 1536.

Paulus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

AD dominici gregis curam & regimen diuina diſponente prouidentia aſſumpti; nihil magis ex animo deſiderauimus. & ab omnipotenti Deo continue precati ſumus, quam vt Eccleſiam ſuam nobis commiſſam, tot hæreſum & errorum vepribus iampridem in ea ſubortis, Spiritus ſancti operante gratia, noſtroque ſtudio aliquando repurgatam, eiuſque moribus in melius reformatis, debito nitori, & ſynceritati reſtitutam, in ſanctitate, & iuſtitia gratum Domino obſequium præſtare videamur. Sed & illa nihilominus cura nos angit, cum conſideramus, atq; adeo oculis ipſis cernimus, Chriſtianam Rempublicam inteſtinis fidelium odiis bellisq;, & infidelium vi, ac dolo afflictam, in dies magis diſſipari atq; diminui. Quibus malis oportuna remedia adhibere pro paſtorali cura ſummopere cupientes, cum multis variiſq; viis per nos diligenter examinatis, nullam aliam iudicauerimus meliorem, aut promptiorem ea, quam maiores noſtri Sanctiſſimi viri, adeoq; vniuerſalis ipſa Eccleſia in huiuſmodi caſibus experta eſt ſaluberrimam generalis videlicet Concilii celebrationem: idcirco eorum ſanctis veſtigiis inſiſtentes, ſacroſanctum œcumenicum ſeu vniuerſale Concilium, quod etiam tum, quum in minoribus eſſemus, à nobis maxime deſideratum, ineunte ſtatim Pontificatu noſtro celebrare omnino ſtatuimus: & de hac noſtra conſtanti voluntate nõ ſolum palam locuti ſumus, ſed & chariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Rom. Imperator. & alios Chriſtianos Reges, & Principes per literas, & nuncios noſtros certiores fecimus: nunc autore Domino indicere, & exinde in loco & tempore per nos inferius declarando celebrare, ac demum ad optatum finem perducere omnino decreuimus, ſperantes, & cum Dei auxilio nobis promittentes, per hoc tam ſanctũ & ſalutare remedium non ſolum omnes hæreſes & errores ex agro Domini extirpandos, & Chriſtiani populi mores corrigendos, ſed vniuerſalem inter fideles pacem componendam, & facta ſub vexillo ſalutiferæ Crucis contra infideles generali expeditione regna & terras noſtras ab illis occupatas recuperandas, captiuoſq; innumerabiles liberandos, & infideles ipſos ad ſanctam religionem noſtram fauente Domino cõuertendos, vt ſic ab vniuerſo orbe in vnum, idemque Ouile Domini coaleſcente, in vera fide, ſpe, & charitate, ſobrie, & iuſte & pie vniatur, & inde ab omnipotẽti Deo corona iuſtitiæ expectetur. Hoc igitur perpetuũ & conſtans animi noſtri ſuper vniuerſalis

uerſalis Concilii celebratione propoſitum,& ſententiam ad Dei laudem, & gloriam,Eccleſiæq; ſuæ ſalutem,decus,& incrementum exequi aggredientes in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti,autoritate omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius,qua in terris fungimur, de Venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu œcumenicum ſeu vniuerſale ac generale Concilium in ciuitate Mantuæ, loco commodo,fertili,& domorum ac bonarum habitationum copia prædito, anno Domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo,die vigeſimatertia Menſis Maii,quæ erit Feria quarta poſt ſacratiſſimum feſtum Pentecoſtes, inchoandum , & vt ſequitur continuandum, & autore domino finiendũ,nunciamus,conuocamus,ſtatuimus , indicimus,& ordinamus vniuerſis & ſingulis, Venerabilibus fratrib. noſtris Patriarchis, Archiepiſc. Epiſcopis,& dilectis filiis Abbatibus,& cæteris Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis vbiq; terrarum conſtitutis,in virtute præſtiti iuramenti,ac ſanctæ obedientiæ,& ſub pœnis de iure vel conſuetudine,aut alias contra eos,qui ad generale Concilium non accedunt,ſtatutis , mandantes , quatenus perſonaliter : prædictos vero, Imperatorem, Reges, Principes, Duces, Marchiones,& alios, qui de iure vel conſuetudine in huiuſmodi Concilio intereſſe debent,per viſcera charitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti inuitantes,& exhortantes,quatenus pro pace,ſalute , & augmento Eccleſiæ Dei , & ipſi perſonaliter,quod mallemus, vel ſi perſonaliter non poſſunt,per ſolennes Oratores ſuos congruo tẽpore huic ſacro Concilio in dicta ciuitate Mantuæ,vt præfertur , celebrando debeant intereſſe. Qui tamen ſi conſiderent , quam nobis iucunda, Chriſtianæ vero Reipublicæ etiam maxime neceſſaria futura ſit eorum in dicto Concilio perſonalis præſentia,non dubitamus,quin tum alii omnes ſupradicti Reges, & Principes, tum Carolus Imperator,& Franciſcus Francorum Rex Chriſtianiſſimus ſint illic perſonaliter interfuturi : ſiquidem Carolus pro ſanctæ fidei noſtræ zelo & amore,tam ſuo quam Sereniſſimi Ferdinãdi Rom. Regis fratris ſui,ac Electorum, cæterorumq; ſacri Romani Imperii Ordinum nomine,pro vniuerſalis Concilii celebratione apud felicis recordationis Clementem P. P. VII. prædeceſſorem noſtrum ſæpenumero & maximopere inſtetit : & cum variis rerum perturbationibus , & bellis , ac aliis legitimis de cauſis,& præſertim prædicti Clementis ſuperueniente obitu,tam ſancti operis,& optimi animi,quẽ ad hoc idem prædeceſſor habebat, impeditus eſſet effectus : nobis ob hanc noſtram promptam , vtroq;,ſibi,& omnibus ſupradictis ab initio vſq; noſtri Pontificatus vt prædictum eſt,à nobis ſignificatam & oblatam ſuper dicto Concilio per nos indicendo,& celebrando deliberationem,& proxime in prædictorum fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium generali congregatione decretam , & declaratam concluſionem : qua decuit filiali reuerentia, eodem nomine maximas gratias egit: à Franciſco vero Rege prædicto,qui etiam ad eundem Clementem,& ſacrum ipſorum Cardinalium collegium plenas pietatis ac religionis hac de re literas ſcripſerat, quale à Principe vere Chriſtianiſſimo ſperabamus, conſonum , & conforme huic noſtræ voluntati ſuper huiuſmodi Concilii negocio reſponſum accepimus. Et nihilominus eoſdem, Imperatorem , Reges , Principes, & alios ſupradictos ſimiliter rogamus,& hortamur, vt omni adhibita opera,& ſtudio efficiant , vt omnes , & ſingulæ perſonæ in eorum regnis & dominiis conſiſtentes , quæ de iure vel conſuetudine generalibus Conciliis intereſſe debent,ad Concilium huiuſmodi,ceſſante legitimo impedimento, de quo legitime docere teneantur,perſonaliter : alias per idoneos Nuncios , Procuratores,vel Oratores legitima mandata habentes,Concilio prædicto intereſſe,ac vſq; ad ipſius concluſionem & abſolutionem in dicta ciuitate Mantuæ morari debeant : vt ſic congregata multitudine Chriſtianorum copioſa,ea,quæ ad Dei laudem, Eccleſiæ in moribus reformationem,& exaltationem, hæreſum vero omnimodam extinctionem , fideliumq; prædictorum concordiam,& ſalutem,ac generalem contra infideles expeditionem pertineant,in eodem Concilio, Deo auctore & adiutore, ſalubriter ordinentur. Inſuper,vt præmiſſa omnia,& ſingula,ad quos ſpectat,notitiam deueniant, nulluſq; de eis ignorantiam iuſte prætendere poſſit,aut ſe legitime excuſare,cum etiam ad perſonaliter intimandum præſentes literas aliquibus perſonis , quæ in ipſis comprehenduntur , forſan tutus non pateat acceſſus : volumus , & decernimus prædictas literas per aliquos Curiæ noſtræ Curſores, vel Notarios publicos in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe & Eccleſia Lateranen. dum ibi multitudo populi ad diuina audiendum,conuenire & congregari conſueuit,publice,ac alta, & intelligibili voce legi,& publicari,& Baſilicæ,ac Eccleſiæ prædictarum,nec non Cancellariæ apoſtolicæ portis,ſiue valuis,& in acie Campi Floræ affigi , & ibidem per aliquod temporis ſpacium dimitti, ac copiam ipſarum affixam relinqui. Affixionemq; ſic factam, omnes, & ſingulos,ad quos ſpectat , cuiuſcunq; gradus,& dignitatis exiſtant , poſt lapſum DVORVM MENSIVM à die affixionis & publicationis prædictarum numerandorum, Perinde in omnibus,& per omnia afficere,& aſtringere,ac ſi eis præſentes,vel earum tranſumpta,quibus manu publicorum Notariorum factis vel ſubſcriptis,& ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis , fidem indubiam adhiberi volumus, perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ nunciationis , conuocationis, ſtatuti, indictionis,ordinationis,mandati,inuitationis, exhortationis , rogationis, voluntatis,& decreti infringere,vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Dat. Romæ apud ſanctum Petrum , anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, quarto Non. Iunii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ego

† Ego PAVLVS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego Ioannes Epiſcopus Oſtien. Card. Senen. ſubſcripſi.
† Ego Io. Dominicus Epiſcopus Portuen. Card. Tranen. ſubſcripſi.
† Ego Bonifacius Epiſcopus Sabin. Card. Ipporigien. manu propria ſubſcripſi.
† Ego Laurentius Epiſcopus Præneſtin, Card. Campegius manu propria ſcripſi.
† Antonius Presb. Card. de Sancto Seuerino manu propria ſubſcripſi.
† Auguſtinus Card. Peruſinus, S.D.N.PP. Camerarius ſubſcripſi.
† Vincentius Carrafa. Card. Neapol. manu propria ſubſcripſi.
† Andreas Card. Palmerius manu propria ſubſcripſi.
† Franciſcus Card. Sanctæ Crucis manu propria ſubſcripſi.
† Franciſcus Card. Cornelius manu propria ſubſcripſi.
†
† Nicolaus Card. Capuanus manu propria ſubſcripſi.
† Ego Hieronymus Card. de Ghinucciis manu propria ſubſcripſi.
† Iacobus Card. Simoneta manu propria ſubſcripſi.
†
† Gaſpar Card. Contarenus manu propria ſubſcripſi.
† Paulus Sancti Euſtachii Diaconus, Card. ſubſcripſi.
† Alexander S. Mariæ in Via lata Card. Cæſarinus ſubſcripſi.
† Ioannes Card. de Saluiatis manu propria ſubſcripſi.
† Nicolaus Card. Rodulphus ſubſcripſi.
† Ego Auguſtinus S. Adriani Diaconus, Card. Triuultius manu propria ſubſcripſi.
† Ego Franciſcus Card. Piſanus manu propria ſubſcripſi.
† Ego Hercules. S. Mariæ Nouæ Diaconus, Card. manu propria ſubſcripſi.
† Ego Nicolaus. S. Theodori Diaconus, Card. de Gaddis, ſubſcripſi.
† Hieronymus Card. Grimaldus ſubſcripſi.
†
† Alexander Card. de Farneſio Vicecancellarius ſubſcripſi.
† Guido Aſcanius Sfortia Card. S. Floræ manu propria.
† Marinus S. Mariæ in Aquirio Diaconus Cardi. Carracciolus.

BLOSIVS B. MOTTA.

Viſa Io. de Fortibus.

ANno à natiuitate Domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, indictione nona, die vero dominica Sacratiſſima Pentecoſtes, quarta menſis Iunii, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo patris, & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ tertii anno eius ſecundo, Ego Ioannes Doliatoris ipſius Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſor, retroſcriptas literas apoſtolicas nunciationis, conuocationis, ſtatuti, indictionis, ordinationis, mandati, inuitationis, exhortationis, rogationis, voluntatis, & decreti Concilii generalis, Mantuæ iuxta formam ipſarum literarum celebrandi, in Eccleſia ſancti Ioannis Lateran. & Baſilica Sancti Petri de Vrbe, dum ibidem Miſſæ, & alia diuina officia celebrarentur, & populi multitudo copioſa aſſiſteret, alta & intelligibili voce, coram omni populo ibi aſtante, debite de verbo ad verbum legi. Et tam ego Ioannes, quam Petrus Serrano, & Petrus Gomez ſimiliter ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores, eaſdem literas lectas, & publicatas ad valuas Eccleſiæ, & Baſilicæ prædictarum affiximus: & ſic affixas, per ſpacium vnius horæ, & vltra in qualibet Eccleſia demiſimus, relictis in ipſis valuis præfatarum literarum copiis, cum originalibus per nos auſcultatis, vt moris eſt. Eadem die ego idem Ioannes Doliatoris Curſor, & Petrus Serrano, & Petrus Gomez præfati dictas retroſcriptas literas apoſtolicas legimus, publicauimus, & affiximus in valuis, ſeu portis Cancellariæ apoſtolicæ, ac acie Campi Floræ hora veſperorum, & ſimiliter per ſpacium vnius horæ & vltra, in quolibet ex ipſis locis affixas dimiſimus, dimiſſis ſimiliter in valuis dictæ Cancellariæ apoſtolicæ & acie Campi Floræ copiis cum originalibus collationatis ſimiliter, vt moris eſt.

Ita eſt: Io. Doliatoris Curſ.

Ita eſt: Petrus Serrano Curſ.

Ita eſt: Petrus Gomez Curſ.

Ita eſt: Thomas Roger magiſter Curſorum.

PROTE-

IV.

Anno Domini 1537.

PROTESTANTIVM IMPERII STATVVM RATIONES,

Cur Synodus illa, quam PAVLVS Roman. Pontifex eius nominis III. Mantuæ celebrandam parum candide indicit, & ſe habiturum eſſe ſignificat, neq; æqua videri poſſit, neque vtilis Eccleſiæ: vnde & ab iis, qui ſacroſanctum Euangelium ineffabili Dei miſericordia reuelatum acceperunt, atque Eccleſiæ Chriſti conſultum eſſe volunt, optimo iure, vt ſuſpecta, recuſari debeat: Regibus & Monarchis præſertim exterarum nationum adeoque omnibus bonis viris expoſita. Anno M.D.XXXVII.

EDidit Romanus Pontifex Paulus III. Bullam, qua indicit generale Concilium Mantuæ celebrandum & inchoandum proximo die XXIII. Maii. ſuas etiam quaſdam cauſas in Bulla commemorat, quare Synodum conuocarit. Adhæc nuncios miſit ad Reges & Principes Chriſtiani nominis, qui ſignificent eis concilii indictionem, & hortentur, vt ad eam Synodum ſeu veniant, ſeu mittant Oratores, qui ipſorum nomine interſint.

Itaq; cum ad nos veniſſet nuncius Pontificius, noſque ſimiliter hortatus eſſet, vt intereſſe Synodo aut mittere procuratores velimus, quemadmodum petiuit idem à nobis inuictiſſimus Imperator Carolus Auguſtus, Dominus noſter clementiſſimus: exiſtimauimus & noſtra cauſa, & propter totius Eccleſiæ neceſſitatem plane exponendum eſſe, quæ pericula allatura eſſet hæc Synodus indicta à Romano Pontifice PAVLO III. Etſi autem pro conſilio & bona conſcientia, re diu diſputata ac deliberata, ſententiam noſtram oſtendimus: tamen non dubitabamus, quin hic reſponſum noſtrum aduerſarii multis calumniaturi ac deprauaturi eſſent. Nec vero in tantis rebus vllum plauſibilius argumentum reperire poſſunt, quo magis prægrauent nos, cauſam noſtram obruant, ac magis odium noſtri apud omnes gentes accendant atq; inflamment, quam ſi criminentur nos, quod Synodi iudicium atq; auctoritatem defugiamus.

Affingent etiam, nos aliarum nationum iudicia contemnere, quæ amorem religionis maximis geſtis rebus declarant, quæ iam olim multos clariſſimos Doctores Eccleſiæ pepererunt. Poſtremo, vbi etiamnum ſunt maxima ſtudia doctrinæ Chriſtianæ.

Addent Synodorum recuſationem indignam eſſe Chriſtianis, cum Synodi ſint ſumma Eccleſiæ iudicia. Adducent nos in ſuſpicionem, quaſi aut nos pudeat cauſæ noſtræ, quare eam in lucem proferre nolimus, aut ita delectemur diſſidio orbis terrarum, aut temere nos à ceteris nationibus ſeparare, & prohibere, quominus coeat concordia, cupiamus.

Cum his criminibus nihil atrocius cogitari poſſit, maxime nobis laborandum eſſe exiſtimamus, vt huiusmodi calumnias refelleremus, & ſuſpicionibus, quantum poſſumus, occurreremus, & opinionem ac voluntatem noſtram de huius Synodi indictione omnibus Regibus exponeremus. Speramus enim, cognita noſtra voluntate, non ſolum nos ſatis purgatos fore omnibus Regibus, Principibus & bonis viris apud omnes nationes, ſed etiam ipſos ſuum iudicium atque auctoritatem addituros eſſe, & petituros, vt Eccleſiæ recte conſulatur, nec per ſpeciem Synodi paucorum tyrannide veritas opprimatur. Oſtendemus enim, nos non ſolum ab hæreſibus & impiis dogmatibus abhorrere, ſed etiam alieniſſimos eſſe ab arrogantia & pertinacia.

Nam adeo non contemnimus iudicia aliarum nationum, vt hoc ipſum agamus, ne Papa cum ſuis iudicium ſibi ſumat, ſed idonei & non partiales deligantur ad examinandam cauſam. Nec vero dubitamus, quin tacite vbique terrarum gemens Eccleſia omnibus hoc votis optet. Extant ſcripta quorundam doctorum virorum vetera, qui apud exteros floruerunt, qui deplorauerunt Eccleſiæ calamitates, & eoſdem errores taxarunt, quos noſtri reprehendunt.

Horum virorum ſimiles aliquos alibi eſſe in tanta frequentia ſtudiorum omnis generis, credibile eſt, ſed multi oppreſſi tyrannide Pontificia, ſeu metu, ſeu ſuo quodam conſilio tacent, quibus erat poteſtas dicendæ ſententiæ facienda. Nec Synodos defugimus, ſed id, quod iuſtiſſimum eſſe, omnes intelligunt, verum iudicium ſynodi permitti petimus, in quo pii & docti, non partiales, damnent pugnantia cum verbo Dei.

Non eſt enim ſynodus vera & legitima, in qua Pontifices, qui iniuſta damnatione Eccleſiam oppreſſerunt, cognoſcunt res, pronunciant ex ſuis traditionibus ac conſuetudine contra verbum Dei. Chriſtus cum conſtituit ſummum Eccleſiæ iudicium, inquiens, *Dic Eccleſiæ*, prohibet tyrannidem, & certe vult, vt Eccleſia ex verbo Dei ſtatuat, non ex humana aliqua auctoritate.

Rogamus itaq; Reges & Principes exterarum nationum, ne putent aliarum nationum iudicia à nobis paruipendi, aut Synodos contemni, nec fidem habeant aduerſariis noſtris, qui his calumniis intendere odia, & obruere puriorem doctrinam, quam profitemur, conantur.

Nec videri poſſumus latebras quærere aut formidare lucem. Exhibuimus Cæſareæ Maieſtati & omnibus cæteris principibus atque ordinibus Imperii confeſſionem doctrinæ, publice in Eccleſiis

diligen-

diligenter & aſſidue tradi hanc doctrinam, quam profitemur, curamus. Extant etiam ſcripta eorum, qui apud nos docent, quos in multis locis præclare meritos eſſe de Eccleſia, etiam aduerſarii paulo ſaniores fatentur. Iacuit enim antea oppreſſa doctrina Chriſtiana denſiſſimis tenebris, videlicet impiorum cultuum, monaſticarum ceremoniarum, perplexarum quæſtionum & cauillationum. Ex hac caligine poſtquam iterum Dei beneficio, per homines pios & doctos apud nos euolui doctrina Chriſtiana cœpit, de vera pœnitentia, de fide, qua conſequimur remiſſionem peccatorum, de ſpirituali iuſtitia, de vſu ſacramentorum, de poteſtate Eccleſiaſtica, de diſcrimine & vſu traditionum, de dignitate rerum ciuilium, deque aliis multis locis, conſtat plurimum lucis Euangelio ex ſcriptis noſtrorum acceſſiſſe. Has tantas res libenter in lucem proferemus, & (vt Paulus inquit, non pudet me Euangelii) ita nec nos pudet has res maximas Eccleſiæ neceſſarias, vtiles ad pietatem & bonos mores, & ad communem tranquillitatem in illa Synodi luce omnibus Regibus & Principibus, omnibus nationibus exponere, & quantum ſatis eſt, explicare. Magnitudo enim & vtilitas harum rerum, ſi recte intelligantur, omnes pias mentes capit. Quare maxime optamus talem cœtum, in quo & nobis liberum ſit res noſtras explicare, & bonis mentibus liberum ſit pronunciare iuxta verbum Dei.

Falſiſſima enim calumnia eſt, quod aduerſarij ſæpe iactitant, ſpargi à noſtris errores olim damnatos, & renouari veteres hæreſes, ideoque negant opus eſſe cognitione. Nec difficile eſt refutare hanc calumniam prolata noſtra confeſſione. Nam hæc pura Euangelii doctrina, quam amplexi ſumus, eſt haud dubie ipſe conſenſus Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, ſicut teſtimonia veteris Eccleſiæ & S S. Patrum perſpicue docent. Non enim recipimus & approbamus vllas opiniones abſurdas & pugnantes cum ſenſu S S. Patrum: imo in multis articulis renouamus veterum Synodorum & Patrum dogmata, in quibus aduerſarij impudenter cum patrum iudiciis & auctoritate Synodorum pugnant. Poſtremo, quod de diſcordia dicitur, profecto nihil eſt nobis acerbius, quam diuelli nationes Chriſtiani nominis. Ac nos quidem a vera vnitate & conſenſu Catholicæ Eccleſiæ Chriſti nunquam diſcedemus. Eamque ob cauſam optanda eſt vera Synodus, vt vniuerſalis & pia concordia conſtitueretur. Sed cum Papa damnat veram & piam doctrinam Eccleſiæ neceſſariam, & exercet ſæuitiam in pios propter piæ doctrinæ profeſſionem, cogimur mandato Dei diſſentire à Papa, & ab iis, qui eius impietatem approbant. Eſt enim retinenda profeſſio veræ doctrinæ, iuxta illud Chriſti: *Si quis confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo cœleſti.* Nec licet nobis fieri ſocios & adminiſtros iniuſtæ crudelitatis Papæ. In Imperio conſtat, nos ſumma fide communem concordiam in rebus ciuilibus tueri. Quare non eſt veriſimile, nos in religione delectari diſſidio. Deinde intelligimus, quanto cum periculo diſſentiamus ab aliis. Papa tot annos iam hoc præcipue agit, vt Reges perpellat, vt bellum aduerſus nos moueant. Tantum periculi non ſuſciperemus, niſi ſciremus Deum requirere, vt anteferamus omnibus rebus, vitæ noſtræ, dignitatibus, fortunis, tranquillitati, profeſſionem veritatis. Quare teſtamur Deum, nos non cupiditate aliqua, ſed tantum propter Deum hanc cauſam defendere. Ac magnopere rogamus omnes Reges & Principes, ne aliter de nobis perſuaderi ſibi ſinant.

Depulſis calumniis & purgatis ſuſpicionibus, ſperamus omnes æquoribus animis audituros eſſe, quid nobis de hac indictione Synodi facta à PAVLO III. videatur. Fortaſſe aliqui arbitrantur, nos curioſitate aliqua leues quoſdam abuſus reprehendere, quos diſſimulare propter communem concordiam ſatius ac melius videretur, præſertim cum tanta ſit infirmitas rerum humanarum, vt quædam vitia condonanda ſint communi tranquillitati. Qui ita de nobis iudicant, longe falluntur. Primum enim errata doctrinæ non ſunt diſſimulanda. Deinde nos non de leuibus erratis diſputamus, ſed proferimus doctrinam de fide & multis aliis articulis neceſſariam ad ſalutem animarum, & reprehendimus errores, qui gloriam Chriſti obſcurant: item continent horribilem prophanationem & idololatriam. Quare etiam ante hæc tempora quidam boni viri Synodos expetiuerunt, vt Eccleſia communi deliberatione his morbis nequaquam leuibus aut contemnendis mederetur. Magis autem hoc tempore opus eſt tali Synodo, quæ ſanet Eccleſiam, cum & errores illi veteres hæreant in Eccleſia, & extitit diſcordia, & multis in locis exercetur ſæuitia iniuſta propter piam doctrinam. Quare non ſolum nos, ſed etiam inuictiſſimus Imperator & Electores, & cæteri Principes atque Epiſcopi, etiam in Germania cenſuerunt, Eccleſiæ opus eſſe libera & Chriſtiana Synodo, hoc eſt, tali, in qua iuxta verbum Dei diſcernatur vera & pia doctrina ab impia, & impia damnetur, vera vero conſeruetur. Videbant enim periculum fore, ne mala publica magis exulcerarentur, quam ſanarentur, niſi talis Synodus haberetur. Ideo & nos talem Synodum flagitauimus, & ad talem prouocauimus: cumque expectaremus talem Synodum, Rom. Pontifex edit indictionem concilii minime congruentem deliberationibus Imperatoris in imperio & cæterorum Principum.

Itaque cum non modo noſtro periculo moneremur, ſed indicaremus agi cauſam Eccleſiæ cõmunem, duximus ad omnes Reges & Monarchas ſcribendum eſſe, quare hæc Synodus, quam Pontifex hoc modo indixit, & habiturum ſe eſſe ſignificat, neque æqua videatur, neque vtilis Eccleſiæ, & petendum, vt Reges & cæteri Potentatus propter gloriam Dei & communem ſalutem dent operam, vt habeatur Synodus pia & libera, in qua non committatur cognitio doctrinæ Rom. Pontifici, ſed liberum ſit piis & doctis, profiteri verbum Dei. Iam vt ſit auctoritas Synodi firma, vt opem ferat Eccleſiæ, pra ſtandum eſt, vt cognitio tantarum controuerſiarum rite fiat. Summum in Eccleſia iudicium nequaquam eſt Pontificis, ſed ipſius Eccleſiæ, hoc eſt, non tantum Epiſcoporum, ſed etiam Regum, Principum, & aliorum ordinum, qui & ipſi ſunt Eccleſiæ membra.

Itaque etiamſi in hac diſſenſione Pontifex non eſſet pars: tamen non eſſet ei concedendum, vt ipſe cum illis, qui ei addicti ſunt, iudicaret, ac reliquis ordinibus ius eriperet, quod in Eccleſia habere & tueri debent. Multo magis in hac cauſa, cum conſtet, Pontificem cum ſuis eſſe partem, præſtandum eſt, ne ipſi permittatur cognitio aut iudicium, cum & diuina iura & lex naturæ, quæ diuinitus in mentibus hominum lucet, clamitent, nulli homini concedendum eſſe, vt ſit iudex in propriã cauſa. Nos autem Roman. Pontificem & ipſi addictos accuſamus non de leuibus rebus, nec tantum de dignitate aut opibus ipſius diſputamus, ſed reprehendimus eius doctrinam, traditiones, cultus quos inſtituit aut defendit: Id eſt, accuſare Pontificem de hæreſi & de idololatria, quarum maximarum rerum diiudicationem etiam canones tribuunt Eccleſiæ, non Pontifici. Deinde Pontifex non tantum eſt pars, ſed multis præiudiciis iam damnauit cauſam noſtram. Extat bulla Leonis edita contra doctrinam, quam nos amplexi ſumus. Damnatur etiam eadem doctrina quotannis in bulla cœnæ. Mandat Pontifex vbique, exercere ſæuitiam in omnes, qui hoc doctrinæ genus amplectuntur. Cum tot pręiudiciis iam nos damnauerit, non eſt exiſtimandum, quod Concilium Pontificis hæc præiudicia correcturum ſit, aut ſit futurum æquius aut mitius. Neque vero credibile eſt, Papam ius dicendi conceſſurum eſſe aliis. Neque aliud ſentit eſſe Concilium, niſi cœtum ſuorum, cui ipſe præſideat, & cui ſoli tribuit ius ſuffragii: ideoq; ſic indicit ſynodum, tantũ vt vocet ſibi addictos.

Iure igitur ſuſpecta eſt nobis hæc Synodus, quia Papa in indictione non oſtendit, ſe iudicium permiſſurum eſſe non partialibus: imo vocat ſuos diſerte, vt intelligamus, quales proceſſus velit inſtituere. Ipſe, cum ſit pars, volet eſſe iudex. In hanc indictionem ſi conſentiremus, poſtea interpretaretur noſtrũ conſenſum, quaſi nos ipſum iam feciſſemus iudicem, & in hunc cœtum ſuorum, quem conuocat, conſenſiſſemus, huic permiſiſſemus, vt proceſſus & formam iudicii conſtitueret.

Tertio Bulla ipſa ſatis perſpicuas & iuſtas cauſas recuſationis nobis proponit. Nam in ipſa ſtatim indictione nos damnat, in qua non promittit cognitionem aut diſputationem doctrinæ, ſed tantum ait, indici ſynodum *propter nuper exortas hæreſes*, item *ad extirpationem hæreſium*. Quod etſi in ſpeciem generaliter dici videtur: tamen Papa haud dubie voluit deſcribere & notare noſtram doctrinam, quam nos profitemur. Nam ſuos errores, quos defendit, non vocat hæreſes.

Adhęc, ne cui dubium ſit, in illa ipſa Bulla indictionis intelligi noſtram doctrinam, Papa deinceps in Bulla reformandæ curiæ expreſſe nominat doctrinam, vbi eandem ſententiam recitat de cauſis indicti Concilii. Ait enim, *ad extirpationem Lutheranæ hæreſeos*. Ac veteratorie Papa alibi diſſimulat nomen doctrinæ, vt honeſtam ſpeciem offunderet oculis hominum, & tamen ſuum præiudicium ſignificaret. Eſt ergo ſententia Papæ non dubia, ſe indicere Synodum, vt ibi deliberaretur, quomodo Lutherana doctrina extirpetur, cum ſit, vt ipſe eam vocat, hæreſis. Quare amentia eſſet, in talem indictionem conſentire. fateremur enim noſtram doctrinam eſſe hæreſim, polliceremur operam ad extirpandam eam. Hoc enim vult illa forma indictionis inſidioſiſſime poſita.

Primum enim receptione Bullæ, Papa eos qui recipiunt, ſibi aſſentiri intelligit, quod doctrina noſtra ſit hæreſis notoria: deinde etiam tacite obligat eos, vt adiuuent extirpationem. Si agamus ingenue ſine fucis, ſine ſophiſtica, neceſſe eſt fateri, hanc eſſe ipſiſſimam mentem Bullæ. Itaque ſi in hanc indictionem conſentiremus, doctrinam noſtram vltro teſtimonio noſtro condemnaremus. Has inſidias vt cæteræ nationes obſeruent, magnopere propter communem Eccleſiæ vtilitatem petimus. Ac ſæpe miramur, quo conſilio Papa voluerit hac forma Bullæ vti, an vt arte deterreret nos à Synodo, an vt nobis laqueos iniiceret, vt ſi conſenſiſſemus, obiiceret, nos recepta Bulla confeſſos eſſe doctrinam noſtram hæreticam eſſe. Sed videtur præcipue hoc ſpectaſſe, vt Reges & cæteras nationes hac forma ſibi obligaret, vt recepta Bulla aſſentirentur, doctrinam noſtram eſſe hæreticam, & coniungeret eos, armaretque ad eam extirpandam. Non dubitamus, Cæſaream Maieſtatem cupere in commune conſulere Eccleſiæ, & gloriam Chriſti illuſtrare. Quare exiſtimamus ei nequaquam probari talem indictionem plenam præiudiciorum & inſidiarum.

Quarto, in hac indictione nulla fit mentio cognitionis, nihil de forma proceſſus dicitur. Si hoc tantum agitur, vt domum afferant ſinguli præiudicium ex Bulla ſumptum, quod hæc doctrina ſit hæretica, & poſtea eatur in ſuffragium, quod communibus armis extirpanda ſit, iuſtiſſime reiicamus hanc Synodum mere tyrannicam, & diſſimilimam iudicii Eccleſiaſtici, quod debet habere cognitionem doctrinæ ex verbo Dei: talem nos cognitionem flagitauimus, cumque arbitremur, Cæſaream Maieſtatem etiam velle, vt recte conſulatur Eccleſiæ, & controuerſiæ grauiſſimæ explicentur & rite cognoſcantur, deſiderabit ipſa Cæſarea Maieſtas in forma indictionis æquitatem. Nunc ſpargit Papa in totum orbem terrarum non tam indictionem concilii, quam ſententiam, in qua nos condemnat, & atrociter nobis minatur.

Addit alteram Bullam de reformatione Curiæ, in qua nos expreſſe condemnat, poſtea petit à nobis, vt indictioni ſuæ aſſentiamur. Quod ſi faceremus, noſtro teſtimonio cauſam condemnaremus. Non volumus hæc copioſius exagitare, ſed rogamus omnes Reges & omnes prudentes vbiq; terrarum, vt expendant, quam non ſimpliciter, quam inſidioſe, quam inique hæc indictio Concilii propoſita ſit.

Quinto, illud certe non patietur Pontifex, iudicari controuerſias ex Euangelio & Apoſtolicis ſcriptis, ſed volet eas iudicari ex Pontificum traditionibus, ex conſuetudine, ex humanis opinionibus, & ex recentium Conciliorum decretis. Non ſinet auctoritatem ſuarum traditionum labefactari, aut in dubium vocari. At hoc caput eſt in ipſis cõtrouerſiis, ne traditiones pugnantes cum ver-

bo Dei

bo Dei valeant. Amplectimur nos quoque & defendimus totis pectoribus conſenſum Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, ſed erroribus Pontificijs & tyrannidi non eſt prætexendum nomen Eccleſiæ.

Catholica Eccleſia ſanctorum Patrum non probabat traditiones pugnantes cum Euangelio, non tribuebat infinitam poteſtatem Rom. Pontifici. Deinde illa Eccleſia, quæ doctrinam Euangelii puram hoſtiliter perſequitur, & exemplo Cain furenter graſſatur vi & ſuppliciis in pios, non eſt Catholica Eccleſia Chriſti. Nec nos vllum nouum dogma inueximus in Eccleſiam, ſed Eccleſiæ Catholicæ doctrinam renouamus & illuſtramus. Papæ & Monachi nouam doctrinam, nouos cultus excogitarunt contra auctoritatem verbi Dei, & contra veteris Eccleſiæ Cathol. conſenſum. Quare tali concilio opus, in quo Eccleſia non ex conſuetudine aut humanis traditionibus pronunciet, ſed ex verbo Dei, cuius ſententia eſt perſpicua, & illuſtrata conſenſu Catholicæ Eccleſiæ.

Extant vetera grauiſſima exempla S S. Patrum, qui Synodos defugerunt, quanquam auctoritate ſumma indictas, cum ſuſpicabantur, non hoc agi, vt veritas pateſieret, ſed vt ſtabiliretur aut tyrannis, aut impium aliquod dogma. Conſtantius Imperator Synodum Antiochiæ coegit frequentiſſimam, ad hanc noluit accedere Maximus Epiſcopus Hieroſolymorum, cum non procul diſtet Antiochia ab Hieroſolymis, ſed norat, quo voluntas Conſtantii propendebat, vel potius quid machinarentur illi impoſtores, qui mirificis technis deprauabant Imperatoris animum. Athanaſius cum veniſſet in Synodum Tyriam, tamen inde fugit ad Imperatorem, poſtquam vidit ab ipſa Synodo ſubornatos & inſtructos eſſe quoſdam ſycophantas, qui veritatem per calumniam opprimerent. Nec venit in Seleuciam, quo Cæſar eum vocarat. Ne alii quidem Mediolanum & Ariminum. Non enim volebant Synodorum auctoritatem valere ad delendam veritatem. Eadem ratio nos quoque mouet, vt illorum ſummorum virorum exemplis cauendum putemus, ne noſtro conſenſu confirmemus Romanum Pontificem, vt veritatem facilius opprimat.

Si illi ſancti Patres recte Synodos defugerunt, non ſtatim à nobis alienari voluntates ſuas boni viri patiantur hac criminatione, quod Synodos defugiamus. habemus enim perſpicuas & iuſtas cauſas noſtri conſilii.

Sexto, Locus etiam concilio deſignatus auget pericula, quia eſt in ea regione, in qua Papa contrahere plurimos ſibi addictos poteſt, vt facile multitudine ſuffragiorum nos obruat. Alibi eſſent æquiora & liberiora iudicia aliarum nationum. Et aduerſarii apud exteras nationes onerarunt nos infinitis calumniis, & noſtras defenſiones vetuerunt importari, ſpargi, legi. Ideoque cum multi de nobis habeant falſas & atroces ſuſpiciones atque opiniones, prodeſſet exteros homines coram videre ſtatum Eccleſiarum noſtrarum & ciuitatum. Præterea negotia ſunt eiuſmodi, vt neceſſe ſit ipſis Principibus intereſſe cognitioni doctrinæ: ſed non eſt tutum eis relinquere ditiones opportunas aduerſariis, nec in ipſa Mantua ſine periculo eſſe poſſunt.

Denique non ſine grauibus cauſis in Imperio deliberatum eſt, quod expediat, vt Synodus in Germania habeatur. Ab hac communi Imperatoris ac Principum deliberatione cur diſcedendum ſit, non videmus, qui certe in loco eligendo rationem publicæ vtilitatis & tranquillitatis habuerunt.

Expoſuimus cauſas, quare hanc Synodum, quam Papa indixit, iure ſuſpectam ducamus, quia Papa, quanquam ſit pars, & nos multis præiudiciis damnauerit: tamen volet cum ſuis eſſe iudex in Synodo. Deinde cognitionem nullam veram promittit, imo nos iam in ipſa indictione condemnat. Ideo non poſſumus conſentire in hoc concilium.

Rogamus igitur omnium nationum Reges & Principes, ne calumniis aduerſariorum noſtrorum fidem habeant, qui recuſationem Synodi odioſe traducent, ſed conſiderent cauſas illas grauiſſimas, quas recenſuimus, quas (vt ſperamus) intelligent eſſe iuſtiſſimas. Certe enim non poſſumus Pontifici & iis, quos habet addictos, permittere iudicium, nec conſentire in concilium, priuſquam ſciamus, an velint concedere, vt delecti idonei, non partiales, libere dicant ſententias iuxta verbum Dei. Nam ſi conſentiremus in hoc Concilium, quod Papa conuocat, poſtea patiendum eſſet iudicium Pontificis & ſui cœtus. Allegaret enim, nos in hoc Concilium conſenſiſſe, cum nos prouocauerimus ad Chriſtianam & liberam Synodum. Hæc eſt perſpicua, & non fucata, & iuſta cauſa recuſationis, quam ſperamus neminem improbaturum eſſe. Deinde nec in hanc ipſam indictionem conſentire poſſumus, quæ cum nos condemnet, ſi eam reciperemus, noſtro teſtimonio nos condemnaremus.

Cum autem hæc noſtra cauſa ad communem ſalutem Eccleſiæ pertineat, quam Deus inprimis ſummis Regibus ac Principibus commendauit tuendam & ornandam: rogamus, vt auctoritate ſua in hoc negotio intercedant & efficiant, vt talis habeatur Synodus, quę ſanet Eccleſiam, & conſtituat piam, veram & durabilem concordiam, videlicet Chriſtiana & libera, in qua libere ſtatuatur iuxta verbum Dei. Hoc officio Reges bene merebuntur de tota Eccleſia & de omni poſteritate, & Deo cultum gratiſſimum præſtabunt.

Indigniſſimum enim eſt, quod petit & molitur Papa, vt Reges adducat, vt ipſius impietatem & tyrannidem ſtabiliant, & exerceant iniuſtam crudelitatem in pios rectæ doctrinæ aſſentientes.

Hæc à Regibus longiſſime debent abeſſe, quos Deus in hoc faſtigio collocauit, vt curent propagari verbum Dei, & ornari gloriam Dei, & defendant innocentes, & præcipue eos, qui propter veram doctrinam periclitantur. Quod ſi huiuſmodi Chriſtiana & libera Synodus habebitur, & inſtituetur examinatio doctrinæ iuxta verbum Dei per homines idoneos, non partiales, efficiemus, Deo iuuante, vt omnes boni viri intelligant, nos omnia, quæ ad vniuerſæ Eccleſiæ ſalutem, & ad

communem & veram concordiam conducunt, in tali Synodo ſummo ſtudio & optima conſcientiá agere & ſuſcipere.

Commendamus itaque nos Sereniſſimis Regibus, & Illuſtribus Principibus exterarum natibnum, & viciſſim eis noſtra officia cum ſumma obſeruantia deferimus, &c.

V.

Anno Domini 1540.

COMPENDIOSA EXPLICATIO ACTORVM AVGVSTÆ IN SEPTENORVM TRACTATV ET COLLOquio Haganoiæ Sereniſs. Regi Rom. &c. tradita. Die 17. Iunij, Anno MDXL.

SERENISS. PRINCIPI AC DOMINO DOM. FERDINANDO Romanorum Vngariæque & Bohemiæ, &c. Regi, Infanti Hiſpaniæ, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, &c. Domino ſuo omnium Clementiſſimo.

SEreniſſime ac Potentiſſime Rex, Princeps ac Domine Clementiſs. Poſteaquam Regia Maieſtas veſtra clementer ſuo in me iure & autoritate iniunxit ac mandauit mihi, vt ſub Conſcientia mea (quemadmodum & apud Deum & apud Maieſtatem veſtram confidam ſuſtinere ac defendere) indicare ſtudeam, quidnam in 28. Articulis Proteſtantium Principum ac Statuum Confeſſionis, quam Auguſtæ in Comitiis Imperialibus Cæſareæ Maieſtati, omnium Clementiſſimo, Domino meo, ante annos x. exhibuerunt: ſit à Catholica Eccleſia tolerandum aut acceptandum, ſi quo modo in iiſce articulis per amicum tractatum cum eis concordari queat, quo Germanica natio rurſus ad pacem & vnitatem in fide & vera religione reducatur. Super eiuſmodi igitur pium & Chriſtianum mandatum Regiæ Maieſtatis V. ſententiam meam, quam breuiſſime fieri poterit, obedienter indicabo, humilima cum prece, vt Regia Maieſt. veſtra non ſecus accipiat, atque ex intimo corde, abſque animi affectione ſiniſtra, ſummo cum deſiderio pacis & vnitatis (quemadmodum coram Deo omnipotente tum in extrema mortis hora, tum in nouiſſimo Iudicij die confiteri intendo) id à me religioſe fieri & fideliter.

ARTIC. I.

De ſancta Trinitate.

In hoc articulo nihil mihi diſplicet ex eorum Confeſſione.

ARTIC. II.

De peccato Originali.

HIc concordauimus cum ipſis Auguſtæ in delectu, cui ſententiæ adhuc ſto & acquieſco. Nempe, Peccatum originale eſſe carentiam originalis iuſtitiæ, quæ exigit fidem fiduciamq; & timorem erga Deum. Concupiſcentiam quoque, quæ ex peccato originali naſcitur, in homine remanere, culpam vero originalis peccati per baptiſmum tolli.

ARTIC. III.

De duabus naturis in Chriſto.

In hoc articulo itidem cum eis per omnia concordes ſumus.

ARTIC. IV.

De iuſtitia fidei.

AVguſtæ in delectu ſuper hoc quoq; articulo concordauimus, nempe vt non doceatur, quod ſola fides iuſtificet, ſed quod omittatur hęc vocula, *Sola*. Quemadmodum & Cæſarea Maieſt. vna cum aliis Principibus & Statibus in Receſſu Imperiali iudicarunt atque mandauerunt. Parit enim ſcandala in populo, & negligentes circa bona opera reddit homines. Quum igitur in ſcripturis nuſquam dicatur, *Sola fides iuſtificat*, ſed contradicat manifeſte ſua in Epiſtola S. Iacobus, & populus per hoc ad bona opera indeuotus ac piger redditus ſit (ſicut manifeſtum eſt) foret vtiq; & commodius ad pacem, & magis ædificatorium ad piam vitæ conuerſationem, hanc ſcandaloſam de ſola fide contentionem omittere (quemadmodum S. Iacobus, Auguſtinus, Cyprianus, aliiq; ſancti & fecerunt & ſuaſerunt) & docere populum, vt non ſola fide, ſed etiam contritione & dolore cordis, oriſq; confeſſione & operis ſatisfactione peccata expiare, Deum placare, & iuſtitiam adipiſci ſtudeat, atque deinceps à peccatis caueat, & non ſuperbiat, aut temere confidat de ſola fide.

Iacob. 2. Aug. de fide & operibus. Cypr. in ſerm. de lapſis.

ARTIC.

ARTIC. V.

De miniſterio verbi & ſacramentorum.

DE hoc quoque articulo concordia in delectu facta eſt, quæ permanere & rata haberi poteſt. Nempe, quod remiſſio peccatorum fit per gratiam gratum facientem & fidem formaliter: & per verbum & Sacramenta inſtrumentaliter.

ARTIC. VI.

De bonis operibus.

DE hoc quoque concordatum eſt, iuxta tenorem concordiæ circa Quartum articulum. Eſt vtique magis ædificatorium coram populo docere, quod Deus bonis operibus det præmium, & reddat vnicuique ſecundum opera eius, ſicut ſcriptura multifariam atteſtatur, quam clamare, quod ſola fides valeat coram Deo, opera Deus non curet. Quia clamor iſte ſcandaloſus eſt & falſus, & manifeſte contra ſcripturam *Iac. 2.* *Pſal. 61. Matt. 16. Apoc. 2. Luth. in Captiu. Babyl.*

ARTIC. VII.

De Eccleſia.

DE hoc quoque concordatum eſt in delectu. Et proculdubio commodius eſt ad pacem, & veritati conformius, docere ac tenere, quod ſit vnica vera Catholica Eccleſia per totum orbem terrarum dilatata. Quemadmodum Dauid, Paulus, Auguſtinus, aliique ſancti dicunt: *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Quam quod nunc contendunt aliqui, quod ſola pars Lutheri ſit vera, Generalis & Catholica Eccleſia. Nuſquam enim Luthero, ſicut Petro dictum eſt, *Paſce oues meas.* Et pars Lutheri nondum xxx. eſt annorum, Eccleſia vero ſtetit iam M.D. annis, & permanebit vſq; ad conſummationem ſeculi, *Matth. 28. & Iob. 14.* Æquius eſt igitur, vt pars Lutheri reconcilietur, & coniungatur vniuerſali Eccleſiæ, quam vt tota & vniuerſalis Eccleſia ad partem Lutheri accedat. *Pſal. 18. Rom. 10. Aug. contra Donatiſtas.*

ARTIC. VIII.

De malis miniſtris Eccleſia.

DE hoc quoque concordatum ibi fuit. Errauerunt namque Donatiſtæ, Wicleuiſtæ & alii, qui dixerunt, quod ſacerdos, peccato mortali obnoxius, non poſſit Eccleſiæ miniſterium aliquod facere, aut ſacramentum vllum adminiſtrare. Quam ſane opinionem ipſi Lutherani quoq; nunc male prætendunt ac vrgent, dicentes, quod Papiſtæ (ſic vocant nos Catholicos) nullum Dei cultum rite peragunt, ſed meram abominationem & idololatriam faciunt in Eccleſia. Hoc autem ad nullam deſeruit pacem, nec eſt conſonum veritati.

ARTIC. IX.

De Baptiſmo.

HIc quoque concordatum eſt cum eis, aduerſus Anabaptiſtas. At bonum eſſet & æquum, vt Lutherani hic iterum conformarent ſe nobis in antiquitus vſitata baptizandi forma cum oleo, Chriſmate, ſale, exorciſmo, aliiſq; ritibus & Ceremoniis, quæ ſemper à temporibus vſque Apoſtolorum (vt S. Dionyſius teſtatur) obſeruatæ fuerunt. Hoc ſane melius foret, quam quod abſque omni ſcriptura contemptum & in deſpectum Cathol. Eccleſiæ antiquos & laudabiles ritus reiiciunt & abolent, atque per hoc in ſchiſma minime neceſſarium ſe dedunt, & gratiam ſpiritus ſancti in baptiſmo præpediunt. *Iniqua rituũ antiquorum reiectio.*

ARTIC. X.

De ſacramento Euchariſtia.

DE hoc quoque articulo concordatum eſt cum eis, contra Zuinglianos & Anabaptiſtas. Nempe quod realiter eſt ibi verum corpus & verus ſanguis Chriſti, nõ ſolum ſignum aut figura. Hic autem vehementer neceſſarium eſſet tum ad pacem tum ad ſalutem animarum, vt proteſtantes concordarent hic nobiſcum de Tranſſubſtantiatione panis & vini, atq; etiam de cultu & veneratione huius ſacramenti, tanquam eius, in quo ſubſtantialiter adeſt verus Deus creator & redemptor noſter, iuxta antiquam & laudabilem Cathol. Eccleſiæ conſuetudinem. Præterea, vt hoc ſacramento charitatis & vnitatis non abuterentur ad diſcordiam & ſuperuacuam contentionem, qua incipiunt nunc diſputare, quamdiu maneat corpus Chriſti in hoſtiis (vt vocamus) conſecratis. Vnde in grauem incidunt errorem, quod conſecratam hoſtiam, quæ vel in Monſtrantia circumfertur, vel in Ciborio pro infirmis reſeruatur, Idolum vocant, & vinum conſecratum, quod eis poſt communionem remanet in calice, effundunt in terram velut aquam. *Errores Proteſtantium.*

ARTIC. XI.

De Confeſſione.

DE hoc articulo non fuit tunc concordatum. Poſtea vero protulerunt Proteſtantes in delectu ſententiam ſuam in ſcriptis ſub tribus ſane punctis: Primo quod omitti non debeat Confeſſio, propter conſolatoriam abſolutionem: Deinde quod ex ea diſcamus ſublimem ac ſalutarem poteſtatem clauium: Tertio, quod bonum ſit, populum aſſuefieri ad Confeſſionem, in qua ſua accuſet peccata, quantum poſſibile eſt, & conſcientia per abſolutionẽ conſoletur. Quod ſi hæc tria puncta ſerio acceptarent ac profiterentur, non foret difficile in his cũ eis concordare. Maxima quippe eorum *Tria puncta de Confeſſione.*

querela eſt, quod omnia peccata ſua confiteri debeant ſacerdoti, quod impoſſibile eſſe dicunt. Nos autem neminem ad impoſſibilia cogimus, quemadmodum ipſi nobis imputant, ſed petimus duntaxat, vt vnuſquiſque omnia peccata ſua, quorum ſibi conſcius eſt, confiteatur, & nullum ex humano pudore ſcienter reticeat, vt eo melius ſciat Confeſſor peccatori conſulere. Quiſquis enim non integram facit confeſſionem ſcienter, facit eam fraudulenter. Contra hoc autem ſcriptura ait Hier. 48. *Maledictus, qui opus Domini facit fraudulenter.* Quicunque autem vere pœnitentiam habet ac dolet de peccatis ſuis, is ait cum Dauide Pſalm. 37. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.*

Enumerare omnia peccata.

ARTIC. XII.

De Pœnitentia.

DE hoc quoque articulo concordatum eſt in Delectu, de tribus partibus Pœnitentiæ, niſi quod ipſi aliis vtuntur verbis. Nos autem vocamus tres partes pœnitentiæ: Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem, iuxta antiquum vſum S S. Patrum, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, &c. Ipſi vero nolunt hanc vocem *ſatisfactio*, licet ea vſi fuerint non ſolum ſancti patres, verum etiam ſacra Concilia & quidem antiquiſſima. Quod ſi proterui hic eſſe nolint, poterit de hoc quoq; concordia fieri. Chriſtus enim non ob id pro peccatis noſtris ſatisfecit, vt nos pro eis nihil faciamus, ſed dedit nobis exemplum, vt ſequamur ipſum, tollentes crucem noſtram, *Matt.16.* & agentes pœnitentiam, *Mat.11. Luc.13.* Alioqui potuiſſet Corinthius ille peccator contra Paulum dicere: Noli mihi vllam iniungere pœnitentiam, quia Chriſtus pro me abunde ſatisfecit. At contra hoc eſt S. Paulus 2. Cor. 7. & Rom. 6. vbi ait: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete ea nunc ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Summa, non eſt contra Euangelium, pœnitentiam agere pro peccatis, licet pro eis ſatisfecerit Chriſtus. Nam ipſemet ſerio mandauit pœnitentiam agere, in principio, medioq; & fine Euangelii *Mat. 4. Luc. 13. & 24.* Melius foret itaq; & ad concordiam conducibilius, vt ſanctorum patrum antiquorumque Conciliorum vſum relinquamus inuiolatum, quam vt de hoc ſcandaloſe clametur: *Chriſtus Chriſtus ſolus ſatisfecit. Nihil eſt cum ſatisfactione noſtra,* &c. Quia populus fit per hoc indeuotus & piger ad bona opera.

Satisfactio.

ARTIC. XIII.

De vſu Sacramentorum.

DE hoc quoq; concordatum fuit in Delectu. Et foret vtiq; melius, antiquam retinere doctrinam ſuper hoc. Nempe, ſacramenta nouæ legis multo efficaciora eſſe ſacramentis veteris legis. Nec eſſe illa tantummodo ſigna diuinæ voluntatis erga nos, ſicut nunc aliqui dicunt, verum etiam efficacia vaſa & inſtrumenta, per quæ gratiam Dei conſequimur, ſi non ponamus obicem. Quapropter inique docetur, ea non dare aut afferre gratiam iis, qui bene vtuntur eis, & per ſeipſos obicem non ponunt: Tanquam fides ſola cuncta faciat. Eſſet præterea ad pacem conducibilius, ſi ſacramentorum numerus Septenarius integer eſſe ſineretur, quam ſcandoloſe dicere, tantum duo aut tria eſſe ſacramenta. Talis enim haud neceſſaria nouitas nihil ædificationis in populis affert ſecum, quemadmodum experimur quotidie.

Sacramentorum virtus & Numerus.

ARTIC. XIV.

De ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ.

ARticul, iſte in verbis quidem ſuis reprehendendus non eſt, in ſenſu autem aduerſatur nobis. Verba quippe ſic habent: *Nemo debet in Eccleſia publice docere, aut ſacramenta adminiſtrare, niſi rite vocatus.* Hæc ſane verba bona ſunt & recta: Proteſtantium vero ſenſus & vſus nō eſt rectus. Ordinariam enim vocationem eripiunt Epiſcopis, & dant eam Laicis. Eligunt preterea Apoſtaticos quoſdam Monachos, quibus prætenſam tribuunt poteſtatem ordinandi presbyteros & diaconos. Hoc autem totum præſumptuoſa & friuola nouitas eſt, contra antiquum vſum S S. Patrum & Conciliorum, atque etiam contra S. ſcripturam, & contra vſum Chriſti & Apoſtolorum eius, qui non Laicis, ſed Epiſcopis huiuſmodi ordinationem atq; vocationem commiſerunt. Quapropter longe magis proficuum ad pacem foret, relinquere Epiſcopis antiquitus inſtitutam & vſitatam poteſtatem, quæ & in ſcripturis bonum habet fundamentum, quam quod Principes & Magiſtratus ciuitatum ordinariam vocationem, abſq; ſcitu & voluntate ſuorum Epiſcoporum (qui non gratis aut fruſtra vocantur Locorum Ordinarii) arrogant ſibi ipſis, ac friuole præſumunt Paſtores & Concionatores ſecundum libitum ſuum & inſtituere & deſtituere, dantque vanam & nullam quibuſdam poteſtatem Apoſtatis (qui nunquam ſunt legitime in Epiſcopos ordinati) ordinandi presbyteros & diaconos. Id quod antea in Eccleſia Catholica nunquam eſt auditum. Quum igitur iactitent, ſe nihil noui docere aut incipere, merito debent à tali deſiſtere nouitate, & alienum ſibi deinceps officium minime vſurpare.

Legitima vocatio.

ARTIC. XV.

De ceremoniis & ritibus Eccleſiæ.

HOc in articulo vellemus eis cito conſentire, ſi ex fundamento ſcripturæ demonſtrarent, noſtras Ceremonias & antiquos Eccleſiæ ritus contra Euangelium eſſe, ſicut dicunt. At adhuc diu non demonſtrabunt, quod laudabilis & antiquus vſus conſecrandi aut benedicendi ſal, aquam, vinum, herbas, lumina, placentas, &c (quæ ipſi contemptim pro mero habent ludibrio) ſit contra Euangelium.

Ritus conſecrandi ſal, aquam, &c.

lium. Quandoquidem in eo nuſquam eſt prohibitus, & bonum habet fundamentum in Paulo 1. *Tim.*4. quod ſanctificetur per verbum & orationem. Similiter non eſt contra Euangelium, ſeruare proceſſiones in Eccleſia, Item ſanctificatis veſtibus calicibus aliiſq; vaſis & ornatibus circa Miſſam & diuina vti, accendere luminaria, thure fumigare, &c. Idcirco eſſet ad pacem & vnitatem multo commodius, eiuſmodi ritus & Ceremonias, quorum magna pars etiam Apoſtolorum temporibus in vſu fuit (ſicut Diuus teſtatur Dionyſius) inuiolatas relinquere, & eas vbicunq; abolitæ ſunt rurſus inſtaurare, quam temere irridere ac friuole abolere. Dant enim Ceremoniæ populo bonas occaſiones ad deuotionem cordis, ad timorem & honorem Dei, quemadmodum docet experientia. Per hæc tamen nolim inutiles ac ſuperſtitioſas Cerimonias defendiſſe, ſed deſydero multo potius, vt vbicunq; reperiuntur, confeſtim amoueantur.

ARTIC. XVI.

De poteſtate ſæculari.

HIc quoq; cum ipſis concordes ſumus, contra errores Anabaptiſtarum & aliorum, qui putant, nullam debere inter nos Chriſtianos eſſe poteſtatem ſæcularem: quemadmodum & Lutherus ipſe in quibuſdam ſcriptis ſuis ſentit. Hæc enim ſunt verba eius in libello de poteſtate ſæculari: *Inter Chriſtianos nec debet nec poteſt vlla eſſe ſuperioritas, ſed vnuſquiſq; alteri æqualiter ſubiectus eſt, ſicut Paulus ait Ro.*12. *Vnuſquiſq; alterum pro ſuo habeat ſuperiore.* Item: *Inter Chriſtianos gladius eſſe non poteſt. Idcirco non potes eo inter & ſuper Chriſtianos vti.* Ex his & id genus aliis Lutheri dictis veriſimile eſt & ruſticorum ſeditionem atq; tumultum & Anabaptiſtarum errorem ortum habere. Si igitur ſtabilis debeat erigi pax & concordia, ſumme neceſſarium erit, vt huiuſmodi tam ſcandaloſi libri Lutheri è via tollantur. *Verba Luth. contra poteſtatem ſæculari.*

ARTIC. XVII.

De Extremo Iudicio.

DE hoc quoque articulo concordatum fuit in Delectu. Interim vero permultæ opiniones fatuæ pſeudoprophetarum in Saxonia, præſertim circum Wittenbergam, de Nouiſſimo die ſunt in lucem prolatæ. Quæ ſane populum vſq; adeo territum dubiumq; ac ſtupidum reddebant, vt plærique agricolarum neq; agros colere neq; ſeminare voluerint, tanquam nouiſſimus dies præ foribus iam eſſet, ac certiſſime hoc vel illo die, hac vel illa hora, venturus eſſet. Huic fatuitati cauſam præbuerunt nouæ ſectæ & Suermerorum væſaniæ, quum vnicuiq; liceat ac liberum eſſe permittatur aduerſus antiquam Eccleſiam noui aliquid in medium proferre. Tametſi clariſſime in ſcriptura *Matth.*24. & *Act.*1. teſtetur Chriſtus ipſe Tempus illud neminem certo ſcire, quod pater in poteſtate ſua ſibi reſeruauit.

ARTIC. XVIII.

De libero arbitrio.

DE hoc quoq; concordatum eſt in Delectu. At hic quoq; neceſſarium foret, vt erronei ac ſcandaloſi libri illorum Concionatorum, præſertim Lutheri & Philippi Melancht. contra liberum arbitrium euulgati, reuocarentur ab eis & abolerentur. In quibus ſane vehementi contentione docuerunt, hominem non habere liberum arbitrium, ſed Deum operari in nobis & bonũ & malum, ipſumq; eſſe cauſſam efficientem peccati in homine, ac omnia fieri ex abſoluta neceſſitate, vt aliter fieri nequeant. Quoniam homo nulla habeat arbitrii voluntatiſue ſuæ libertatem, nec ſit in ipſo facere & non facere, ſed in Deo, qui vniuerſa in homine operetur ſiue bona ſint ſiue mala. Vnde adhuc multi homines errant ac dicunt, ſic vult me habere Deus, ſic & ſic oportet me facere, aliter fieri non poteſt, &c. *Luth. In aſſer. art.* 36. *Phil. in locis communibus.*

ARTIC. XIX.

De cauſa peccati.

ET hic per omnia concordatum eſt. At in contrarium iacent nobis in via, ad ſcandalizandam iuuentutem priores annotationes Philippi Mel. in Pauli ad Romanos epiſtolam. In quibus ſane permultæ ſunt propoſitiones, huic articulo contrariæ. Exempli gratia, quod ait: *Certum eſſe, quod omnia à Deo fiant ſiue bona ſint ſiue mala.* Item, quod *Deus non ſolum permittat creaturis vt operentur, ſed quod ipſemet proprie omnia operetur in eis. Et ſicut S. Pauli vocatio eſt proprium opus Dei: Ita & adulterium Dauidis, & ſæuitia Manlii, immo & proditio Iudæ Scariothis fuerit proprium opus Dei*, &c. Quomodo autem debet ſtabilis conſtitui aut ſeruari in fide pax & concordia, vbi eiuſmodi ſcripta & dogmata in populo, præſertim in iuuentute (quæ Philippo adhæret) manent, & non reuocantur nec abolentur? *Errores Phil. Melan.*

ARTIC. XX.

De Fide & bonis operibus.

DE hoc articulo excitata eſt ſcandaloſa, ſupervacanea ac diuturna contentio in populo per Lutherum, quæ tamẽ facile tolli poſſet, ſi antiqua ſententia noſtra non pateretur calumniam, nec male intelligeretur ac interpretaretur. Etenim nõ dicimus nos, opera ſine fide placere Deo, aut ex ſeipſis mereri, abſq; charitate & gratia, remiſſionẽ peccatorum, cœlum aut vitã æternam, ſed dicimus quod neq; ſola fides, neq; ſola opera, ſed fides & opera ſimul Deo placeant, nobiſque ad vitam æternam meritoria ſint, ſi per charitatem fiant. Sicut Paulus ait *Gal.*5. Promiſit.n. Deus eiuſmodi operib. mer- *Merces operib. promiſſa & debita.*

 cedem

cedem reddere *Mat.*10.19.24.& 25.*Luc.*19. Quod & teſtatur Paul. 2. *Cor.* 9. 1. *Tim.* 6. &c. Nemo profecto negare poteſt, Deum eſſe iuſtum, *Pſal.* 10. Si ergo mala opera punit ſempiterno ſupplicio, exigit vtiq; eius iuſtitia, vt bona opera remuneret ſempiterno gaudio. Quemadmodum verba Chriſti clare & aperte conteſtantur *Matth.*25.& *Ioh.*5. Ad hæc, quod Dei immenſa bonitas & miſericordia ſecundum ſeipſam magis propenſa eſt ad remunerandum bonum quam ad puniendum malum. Scriptum eſt enim Iac.2. *Miſericordia ſuperexaltat iudicium.* Quapropter bene poſſent ſcandaloſa contra merita bonorum operum ſcripta & dogmata ac prædicationes concionatorum tolli ac aboleri. Eiuſmodi enim criminationes fiunt multo magis contra Dei gratiam, quæ eſt præcipua cauſa bonorum operum & eorum meriti potius quam ipſa ſecundum ſe opera. Immo Deus ipſe per hoc blaſphematur. Ipſe enim in nobis operatur non ſolum bona opera, ſed etiam bonam voluntatem, ſicut ait Apoſtolus 2. *Cor.* 3. & *Philipp.* 2. & propheta *Oſee* 13. Idcirco non opus eſt, vt nos multum gloriemur aut præſumamus ſuperbe de bonis operibus noſtris. Nos enim ea non ex nobiſmetipſis ſed ex Deo habemus, ſicut Paulus docet 1. *Cor.* 4. & *Ro.*11. Atq; ita facile poſſet tolli iſta de operibus contentio, ſi nos recte intelligere vellent aduerſarii. Et multo ſane melius foret, vt nos ex vtraque parte ſtuderemus in charitate Chriſti & vnitate fidei multa opera bona facere hic ſuper terram, ac velut theſaurum hic comparare, quem poſtea in cœlis certiſſime inueniremus. Sicut docet nos Chriſtus *Matth.*6.& *Apoc.* 14. Mercedem vero bonorum operum relinqueremus potius indubitatæ promiſſioni & miſericordiæ Domini Dei, quam vt pergamus inaniter multis hac de re diſputare verbis, & per hoc bona opera omittere ac negligere, noſque velut infructuoſas arbores coram Deo piorum vacuos operum conſtituere.

In Deum blaſphemia.

Theſaurizare ſuper terram.

ARTIC. XXI.

De Interceſſione & Inuocatione ſanctorum.

DE hoc quoq; articulo tractatum eſt in Delectu, ſed non plene concordatum. Admiſerunt quidem nobis, quod omnes Angeli & ſancti in cœlo coram Deo pro nobis intercedunt, & quod memorias & feſta eorum, in quibus Deum rogamus, vt ſanctorum interceſſio nobis ſit proficua, bene obſeruare poſſumus. Sed nolunt ſanctos inuocare, quando id ſcriptura non iubet. Dicebant tamen, ſe nemini prohibere, ne inuocet (neq; enim ſcriptura vlli hoc prohibuit.) At in facto longe aliud apud eos compertum inuenimus. Quandoquidem non ſolum inuocationem, ſed etiam imagines & memorias & feſta ſanctorum abiecerunt, & nos eam ob rem Idololatras vocauerunt. Quoniam vero ea temeritas & nouitas multum ſcandali in populo, & irriſionis apud ſciolos ſemidoctos (vti manifeſtum eſt) excitauit: multo melius foret, huiuſmodi contentionem, velut ſuperuacaneam ſcandaloſam ac nocuam abiicere, & vnumquenq; noſtrum ſequi ſanctorum ſalubrem doctrinam piamq; & ſanctam conuerſationem, vt & nos per eorum veſtigia gradientes, æternam coronam aſſequi valeamus. Non eſt enim aliquis propterea Idololatra, ſiquem ſanctorum in cœlo veneratur & inuocat, ſcriptura namq; ſanctos non vocat Idola, ſed filios Dei fratres & cohæredes Chriſti. Imo & Deos, non quidem natura, ſed gratia & participatione æternæ beatitudinis *Pſal.* 81. Quos pater ipſe cœleſtis honorat. *Ioh.*12. & eorum ſanctitatem multis declarat miraculis. Quum igitur hæreſis Vigilantii ante M.& C. annos & à Diuo Hieronymo multis ſcripturæ teſtimoniis confutata, & ab Eccleſia Catholica reiecta & damnata fuerit, merito deberent Proteſtantes à tam antiquo errore abſtinere, & cum vniuerſali potius Eccleſia ſanctos vnanimiter venerari ac inuocare.

Contumelia in ſanctos Dei.

Sanctorum cultus non eſt Idololatria.

ARTIC. XXII.

De Vſu vtriuſq; ſpeciei Euchariſtiæ.

CIrca hunc articulum non eſt plene concordatum in delectu. Ex hac ſane ratione. Quia quum pacis amore vellemus eis vtriuſque ſpeciei vſum permittere, petitum eſt ab eis, vt id fieret confeſſione præuia, quod ipſi acceptarunt. Et vt prædicatores eorum dicerent populo, non eſſe iniuſtum aut peccatum, ſub vna ſpecie communicare, nec præceptum eſſe laicis ſub vtraq; ſpecie communicare. Eſſe præterea ſub qualibet ſpecie totum Chriſtum, Deum & hominem ſubſtantialiter, & ſiquis inter eos ſub vna ſpecie communicare velit, vt ei non denegaretur. Deniq; vt ſpeciem vini nuſquam porrigerent niſi ſub miſſa, & non portarent eam per plateas ad infirmos. Ad hæc reſponderunt illi poſt longam diſceptationem ac declarationem, ſe non damnare eos, qui vel olim vel etiam nunc ſub vna ſpecie communicauerint, nec reputare hoc eis in peccatum, ſed nolle ſe, vt ipſorum prædicatores id populo prædicent. Hinc itaq; apparet, magis proteruiam quandam, quam neceſſitatem eſſe, propter hunc articulum ſe à Catholica ſeparare Eccleſia. Quandoquidē ipſimet in Delectu confeſſi ſunt, non eſſe peccatū, ſub vna ſpecie communicare. Iudicet ergo iam vnuſquiſq; ſecundū conſcientiam ſuam, an non ſit multo melius & ſalubrius, extra miſſam ſub vna ſpecie cōmunicare, in vnitate Eccleſiæ, ſecundum longam ac generaliter in plæriſq; conciliis approbatam conſuetudinem, quam ſub vtraq; ſpecie Euchariſtiam ſumere in ſchiſmate & ſeparatione ab vniuerſali Eccleſia, contra antiquitus obſeruatam conſuetudinē Eccleſiæ, in rebellione contra vtramq; poteſtatem, cū horrendo dedecore & abuſu Venerabiliſſimi ſacramenti, quod ſacratiſſimum charitatis & vnitatis ſignum eſſe debet, ſicut Paulus docet 1. *Cor.*10.& 11. Ab ipſis autem peſſimo abuſu vſurpatur in ſignū diſſidii & ſchiſmatis, atq; ita non aliter quam ad iudicium & æternā damnationem ſumi poteſt, extra Eccleſiæ communionem & Catholicam vnitatem. Attamen ſi vnus iſte articulus pacem & vnitatem impediturus eſſet, mallem, eos in hoc relinqui diſpenſatiue proprio arbitrio pro ſubditis ſuis,

Quibus conditionibus concordia fieri poſſit.

Iudicium Conſcientiæ.

ſiliis, ſub hoc ſane moderamine, vt vſum vnius ſpeciei, quem Catholica tenet Eccleſia, non damnent; nec contra eum prædicare aut ſcribere ſuis permittant, vſq; ad iudicium & ſententiam Concilii Generalis.

ARTIC. XXIII.

De Coniugio ſacerdotum.

DE hoc articulo non eſt concordatum in Delectu. Habent illi quidem grauem aduerſus nos obiectionem quod tot presbyteri cum impudicis (proh dolor) mulierib. ſeſe coinquinant, & caſtitatem non ſeruant. Attamen non debet propterea ſtatus cælibatus & conſtitutæ caſtitatis damnari aut aboleri. Nemo enim ad eiuſmodi ſtatum ſuſcipiendum compellitur aut cogitur, ſed vnuſquiſque libera voluntate in eum ſe dedit ac immittit, ſicut alius Matrimonii ſtatum ſuſcipit. Iam ſcimus omnes, non licere vxorato, coniugium ſuum relinquere & in alium ſtatum ſe conferre: Sic & Eccleſiaſtico præsbytero aut Monacho non debet licere, ſtatũ continentiæ relinquere, & matrimonium inire. Sicut enim maritus vouet vxori: Ita Eccleſiaſticus vouet Domino Deo. Si ergo ſtatus coniugii non tollitur propterea, quod multa in eo peccata & diuerſi generis mala & adulteria à malis perpetrantur, quia multi inueniuntur probi, qui matrimonium ſuũ iuſte obſeruãt: Sic neq; ſtatus presbyteralis cælibatus & continentiæ tolli debet propter malos, qui ſtatũ ſuum per incontinentiam tranſgrediuntur ac defœdant, quia inueniuntur adhuc multi (Deo ſit laus) probi ſacerdotes Monachiq; ac Moniales, qui ſtatum ſuum illicito concubinatu non commaculant. Quoniã vero apud nos Germanos admodum frequens eſt (proh dolor) ſcandaloſus presbyterorum in ſæculo concubinatus, præſertim apud plebanos in pagis, qui communiter cum ancillis rem domeſticam gubernare neceſſitate quadam coguntur, vbi ſtramen (vt dicitur) igni propinquum eſt, & leui caſu accendi poteſt: Libenter ab aliis audire velim, atq; etiam ſimul cum aliis pro mea ſimplicitate in commune conſultare, qua nam ratione huiuſmodi mala & ſcandala queant aueiti. Res profecto magni eſt momenti & magna ac matura indiget deliberatione. Nam tam dedecoroſa licentia carnaliſq; libertas, quæ nunc à multis Apoſtaticis presbyteris, Monachiſq; ac Monialibus leuiſſime ac impudentiſſime in prætenſo ipſorum matrimonio attentatur & comperitur, antea nunquam audita aut comperta fuit. Quapropter indiget articulus iſte graui & matura conſultatione. Ego autem velut omnium minimus, agnoſco me longe imparem ad iudicandum de hac re. Sunt quidem in Delectu nonnulla propoſita media, ſed vxoratis Apoſtatis non ſunt viſa tolerabilia. Idcirco indigeret articulus iſte ſpeciali tractatu, qui hic nimis longus foret.

Status profeſſa continentia dimitti non debet.

Conſultandũ ſuper ſcandalo concubinatus.

ARTIC. XXIV.

De Miſſa.

HOc in articulo bene concordare nobiſcum poſſent Proteſtantes, ſi nos audire ac recte intelligere vellent, & Apoſtatarum proteruia tam magna ac ferox non eſſet. Eorum enim cauſæ contra Miſſæ ſacrificium admodum leues ſunt, E quibus hæ duæ ſunt præcipuæ. Prima, quia Paulus ait Heb. 10. *Chriſtus ſemel oblatus eſt.* Secunda, quia multi presbyteri propter nummos miſſas celebrant. Ad primã cauſam reſponſum eſt in Delectu, Chriſtum tripliciter oblatũ eſſe. Primo Typice & figuraliter in agno Paſchali. Deinde Corporaliter per cruciatũ in cruce velut hoſtiam cruentam. Tertio ſpiritualiter in myſterio, honorifice & ſine omni cruciatu & ſanguinis effuſione, in honorem & memoriã corporalis & cruentæ illius victimæ, quæ in cruce pro nobis oblata fuit. Quemadmodum Chriſtus ipſe, & poſt eum Paulus Apoſt. eius, nobis claris verbis præceperunt, vt hoc faciamus in ipſius commemorationem, annunciantes mortem eius donec veniat. Et hanc Miſſæ oblationem vocamus Sacrificium Myſteriale, & Repræſentatiuum, victimamq; incruentam. Contra quam ſane nullã poſſunt Proteſtantes iuſtã aut rationabilem cauſam prætendere aut proferre. Cunq; in Delectu interrogarentur: Cur nam omittunt in Miſſa ſacrum Canonem, reddebant de hoc rationes Tres, ſed leues, pueriles ac omnino friuolas. Primo, quia in peccatum mortale reputamus, Canonem omiſiſſe. Secundo, quia Canon plærumq; oblationis & ſacrificii mentionẽ facit. Tertio, quia in Canone ſanctos inuocamus. Ad has eorũ rationes breuiter reſponſum eſt. Quamuis reuera graue ſit peccatum mortale, omittere Canonem in Miſſa, de hoc tamen Canon ipſe nihil dicit. Quod autem de ſacrificio loquitur, hoc de myſtica oblatione, quã nos Myſterialẽ, Repręſentatiuũ ſeu Rememoratiuũ & incruentum vocamus ſacrificium, intelligitur. Ad tertiam deniq; dictũ eſt, licet iniquum nõ ſit inuocarẽ ſanctos, non inuocantur tamen in Canone. Nullam igitur iuſtã habent aduerſus Canonem rationẽ, ſed mera eſt proteruia atq; temeritas, quod Canonem omittunt & reiiciunt. Quod autem auaricia apud nonnullos presbyteros huic ſe immiſcet ſacrificio, abuſus eſt, at propter eum non debet Miſſa, bonum & ſanctum opus, aboleri. Quemadmodum non aboletur Matrimoniũ, licet pleriq; propter diuitias vxorem ducant. Quando igitur iam Laici aliqui probroſe ac odioſe dicunt, Miſſarios ſacerdotes vendere Dominum Deũ noſtrũ vno Groſſo aut Batzio, eſſeq; proinde ipſo peiores Iuda, qui Chriſtum Dominũ non vno, ſed Triginta Groſſis vendiderit: Hæc profecto grauis eſt iniuria inuidioſaq; calumnia aduerſus pauperes ſacerdotes, quibus Paulus claris verbis permittit, vt de altario viuant ii qui altario deſeruiunt. 1. *Cor.* 9. Et Chriſtus ipſe ait, quod *dignus ſit operarius cibo & mercede ſua.* Quapropter non ſunt abolendæ Altarium fundationes & Miſſæ priuatæ, quia non eſt iniquum, eos de altari viuere, qui altari ſeruiunt. Fiunt præterea multæ hinc inde in Monaſteriis & in Canonicorum Collegiis Miſſæ priuatæ, ex mera deuotionis pietate, non propter præſentias aut pecunias vllas. Idcirco non ipſæ Miſſæ, ſed duntaxat abuſus aboleri debent.

Leues contra Miſſam.

Triplex oblatio Chriſti.

Tres friuolæ Cauſa contra Canonẽ Miſſa.

Dira in ſacerdotes Calumnia.

Miſſæ priuatæ.

ARTIC.

ARTIC. XXV.

De Confeſſione.

Omnia peccata confiteri.

DE hoc articulo dictum eſt ſupra. Et ſuper hoc vno præcipue conſiſtit contentio: An teneatur homo omnia confiteri peccata, de quibus ipſe ſibi conſcius eſt, & nullum ſcienter obticere in confeſſione. Ad hoc reſponſum eſt Auguſtæ in publica Confutatione aduerſus illorum Confeſſionem, ex Diuo Hieronymo in hæc verba: *Siquem ſerpens Diabolus occulte momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit: ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & Magiſtro voluerit confiteri, Magiſter, qui linguam habet ad curandum, ei facile prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.*

ARTIC. XXVI.

De Diſcrimine Ciborum.

Quinq; puncta de Ceremoniis, feſtiuiſq; & ieiuniis.

QVum peterent noſtri in Delectu, vt Proteſtantes velint ſe vniuerſali conformare Eccleſiæ, in diſcrimine & ciborum & temporum, in ieiuniis & feſtis diebus, in proceſſionibus & in aliis Eccleſiæ Ceremoniis & conſuetudinibus: Illi reſponſum ſuum in ſcriptis obtulerunt in hanc ſane ſententiam. Primum, quod Eccleſiæ vniuerſalis Ceremonias libenter nobiſcum velint, pacis & vnitatis gratia, conformiter obſeruare, dummodo ex eis non fiat vel grauamen conſcientiarum vel neceſſarius Dei cultus. Secundo, quod nolint publice admittere eſum carnium in ſextis feriis & in ſabbatis: item in ieiuniis, Quatuor temporum, & in vigiliis Natiuitatis Chriſti, Pentecoſtes, &c. Verum Quadrageſimale ieiunium dicebant nimis longum eſſe; ideo diuidi debere. Tertio, quod etiam communia feſta obſeruare velint, quo populus permaneret in conſuetudine audiendi verbum Dei. Quarto, quod etiam conſuetas cantationes, lectioneſq; & diuina officia in diebus feſtis celebrare velint. Quinto, quod etiam conſuetas proceſſiones & Letanias in Diebus Rogationum (vt vocantur) velint obſeruare, vt per eas populus ad cultum Dei adhortaretur. Quod ſi ſerio ita ſentirent circa hæc Quinq; puncta, bona nimirum foret hæc ad vnitatem præparatio, ad inuenienda media, quibus ſe nobiſcum & cum vniuerſali Eccleſia pene conformarent.

ARTIC. XXVII.

De votis Monaſticis.

Tria puncta de Monaſticis perſonis.

DE hoc articulo admodum grauiter & copioſe per multas ſcripturas & per exempla ſanctorum patrum, in publica Confutatione reſponſum eſt. Sed & in Delectu ſunt de hoc egregia quædã puncta in ſcriptis propoſita, cum petitione hac, vt ab illis acceptarentur. Ad quæ illi reſponderunt. Primo, quod Monachis & Monialibus, quotquot adhuc manent apud eos in Monaſteriis ſuis, liberum eſſe debeat vſq; ad futurum Concilium, ſiue manere ſiue exire velint. Secundo, quod eiuſmodi perſonæ Monaſticæ non debeant impediri aut inquietari in ſua conuerſatione & in ſuis veſtibus & Ceremoniis. Tertio, quod eas velint ab omni vi & violentia, quantum poſſibile ſit, tueri ac protegere. Quomodo autem hæc interim ab eis obſeruata ſint, publice manifeſtum eſt. Vnde vereor, illos magis attendere ad bona temporalia quam ad fidem & religionem eiuſmodi perſonarum. Nos

Iniquitas Proteſtantium.

autem præterire ac tranſuolare non poſſimus, ſed tenemur vota manu tenere. Quandoquidem verbum Dei tot in locis ſcripturæ (quemadmodum Cæſarea indicat Confutatio) tam ſeuere præcipit, vt vota Deo emiſſa reddantur & obſeruentur. Nam & ipſimet Proteſtãtes, *in Apologia ſua* dicunt, Licita vota ſeruari debere. Sciunt præterea, quod nemo debet alios bonis ſuis ſpoliare & exuere, ſciunt item, quod peccatum non dimittitur, niſi ablatum reſtituatur, ſciunt deniq; verbum Dei, quod ſcriptum habetur *Leuitici.27.* Quicquid Domino Deo ſemel dedicatum atq; conſecratum eſt, quod in alios vſus conuerti non debet, ſed Deo ſanctum iugiter permaneat. Quod ſi auaricia & iniquus

Mammon.

Mammon eos non obſeſſos & omnino excæcatos tenet, eſſet cum ipſis de hoc quoq; articulo ſuper tolerabilibus mediis tractandum.

ARTIC. XXVIII.

De poteſtate Epiſcopali.

EPiſcoporum poteſtas & iuriſdictio efficaciter eſt in Confutatione ex ſacris literis demonſtrata, Sed & ipſorum Confeſſio affirmat, quod vtraq; poteſtas, Eccleſiaſtica & ſæcularis debeat propter mandatum Dei religioſe venerari ac honore affici, tanquam ſumma Dei beneficia in terris.

Quatuor puncta de Epiſcoporum poteſtate.

Præterea in Delectu propoſuerunt hac de re ſcriptum quoddam ipſi Proteſtantes, in quo ſic ſtatuebant. Primo, vt Epiſcoporum regimen & poteſtas manu teneri debeat, nolint tamen per hoc Epiſcoporum abuſus & negligentias iuſtificaſſe. Secundo, quod velint procurare vt Epiſcopis debita exhibeatur obædientia, atq; vt ipſorum paſtores & prædicatores ordinariis ſuis Epiſcopis præſententur, vt Epiſcopi eorum exceſſus corripere valeant. Tertio, vt Eccleſiaſtica iuriſdictio in Eccleſiaſticis cauſis non impediatur. Quarto, vt Epiſcoporum excommunicatio in cauſis Eccleſiaſticæ iuriſdictionis non impediatur, ſi ſecundum dictamen ſacræ ſcripturæ exerceatur. Quomodo autem hæc omnia intermedio tempore huc vſque obſeruauerint, in luce eſt palam omnibus, ſi autem ſerio ita ſentirent, ſicut verba ſupradicta ſonant, ſperandum ſane foret, vt ſuper hoc quoq; articulo poſſint pax & concordia per licita media comparari ac erigi.

Concluſio.

HÆc eſt, ſereniſſime ac Potentiſſime Rex, Clementiſſ. Domine, ſimplex mea deliberatio ſuper 28. articulis Proteſtantium Confeſſionis, in hanc breuem redacta ſummam. Quam equidem Regiæ Maieſtatis veſtræ ſublimiſſimo & intellectui & iudicio prorſus per omnia ſubiectam eſſe volo & reſeruatam. Nolo præterea ignorare Maieſt. V. quod adhuc alii permulti ſunt articuli, aduerſus Catholicæ Eccleſiæ doctrinam & ordinationem, per Lutherum alioſq; id genus ſuæ ſectæ Concionatores, publicis ſcriptis in populos, longe lateq; in ſacro Romano Imperio euulgati & in lucem æditi, qui in ipſorum confeſſione neq; contenti neq; commemorati ſunt, ſine quorum ſane determinatione & conformatione nulla ſtabilis pax & Chriſtiana vnitas poterit concludi aut erigi. Vbi igitur Regia Maieſta. V. petierit illos videre aut ſcire, haud grauatim aliquos eorum & quidem bono in numero, indicabo, ſine his enim veram & perfectam vnitatem concludere non poterimus. *Multo plures articuli contra Eccleſiam, qui in Confeſſione non tanguntur.*

E. *Reg. Maieſtatis veſtræ*

Deuotiſſ. ſacellanus,

Iohannes Cochlæus, Canonicus Vratiſlauienſis.

VI.

SEPTEM VIÆ PRÆPARATORIÆ AD INEVNDAM PER COLLOQVIVM CONCORDIAM, WORMATIÆ ad Præſidentes Colloquii ſcriptæ Anno XL.

Anno Domini 1540.

SPECTABILIBVS AC PRVDENTIA ET GRAVITATE INSIGNIbus viris, Magiſtratibus & Senatui Inclytæ Ciuitatis Nurenbergenſis, Dominis & Patronis ſuis Johan. Cochlæus de Wendelſtein

S. P. D.

HAud ignoro, Viri Ampliſſimi ac Domini mei obſeruandiſſimi, fuiſſe quoſdam hodieq; eſſe aliquos in præclara Republica veſtra, qui amarulentis & verbis & ſcriptis me proſciderunt, tanquam Euangelio male aduerſantem, ac pacem publicam perturbantem, veſtriſq; proinde in me beneficiis malam gratiam referentem. Ego autem, etſi nullius mihi conſcius ſum culpæ aut commiſſi vel in Ampliſſimum ordinem veſtrum vel in Rempub. veſtram, aut in vllum è populo veſtro, aut deniq; in quemquam ex vniuerſis ſubditis veſtris: malui tamen hactenus ob reuerentiam & honorem nominis & ordinis veſtri, huiuſmodi probra & conuicia, quantumuis acerba & calumnioſa, tacite diſſimulare ac patienter deuorare, quam vlli ex veſtris nominatim reſpondere, ne vlla occaſione præclarum Reipubl. & Ciuitatis veſtræ nomen miſerandis & inauſpicatis de fide & religione noſtra contentionibus & diſcordiis, quæ nos tot iam annis miſere affligunt, admiſcerem. Vt intelligatis igitur me à pace & concordia vera ac ſtabili nequaquam abhorrere, viſum eſt mihi nomini veſtro nuncupare VII. vias præparatorias ad veram per colloquium concordiam conſtituendã; Quas communi Theologorum Catholicorum, qui Wormaciæ erant ante trienium, nomine ſcripſi. E quibus facile intelliget vnuſquiſq;, non poſſe ſtabilem in religione concordiam ſanciri apud nos Germanos, niſi amoueantur prius ea impedimenta, quæ per has VII. vias commemoraui. Poterit profecto teſtis mihi eſſe, ſi opus aut operæ preciũ foret. Egregius & optimę Indolis atq; patricii ordinis Ciuis veſter, Eraſmus Ebner, quod caſu incidens Wormaciæ in conſpectum & colloquium perbreue Magiſtri Philippi Melanchtho. teſtatus aperte fuerim, me Quintam Philippicam meam æditurum non fuiſſe tunc, ſi præſciuiſſem illud ſuper religionis concordia colloquium Wormacienſe à Cæſ. Maieſtate indictum iri. Neq; ignorat ipſe Philippus, ſi verum vult fateri, me propter ſpem concordiæ procuraſſe, vt ea Philippica neque tunc Wormaciæ neque paulo poſt Ratiſponæ venalis extiterit, ne viderer per eam vlla concordiæ media aut conſilia turbare. Quin imo, cum Aleſius Scotus in me publice inuectus ſcripſiſſet me in Lutherum eiuſque doctrinam meras ad Regem Scotiæ ſcripſiſſe calumnias, reſpondi ingenue: *Vtinam verum hic diceret Aleſius, Probrum enim & dedecus iſtud libentiſſime ferre velim, etiam cum perpetua nominis mei infamia, ſi poſſint per hoc tot rerum corporumque & animarum damna, quæ Lutherus per ſuam doctrinam patriæ noſtræ Germaniæ intulit, reſarciri aut recuperari vel in mileſima ſui parte. Eſt autem (proh dolor) nimis euidens dictorum meorum probatio in tot deſtructis ac deſolatis tẽplis & Monaſteriis, in tot diſſidiis populorum, atque (vt breuiſſime dicam) in plus quam centum milibus Lutherizantium agricolarum;*

propter

propter ſeditiones iuſte interfectorum, qui Lutheri ipſius iudicio æterna morte perierunt. Tam precioſa autem eſt mihi vel vna anima, vt pro ea redimenda haud grauatim nominis iacturam facturus eſſem. Quid igitur non facerem pro tot milibus? Hæc ibi. Ex quibus non obſcure intelligi poteſt, me longe minorem habere curam nominis aut famæ propriæ, quam pacis & concordiæ redintegrandæ, in primis vero & maxime ſalutis animarum, quas per diſcordias & ſchiſmata ſectarum in æternum perire arbitror ac minime dubito, niſi ad Eccleſiæ vnitatem reuertantur, antequam ex hoc migrent ſæculo. Quandoquidem & ipſi Aduerſarii noſtri fatentur, extra Eccleſiæ vnitatem nullam ſperandam eſſe ſalutem. Nimis igitur crudeles mihi videntur ii, qui tam pertinaciter nouas (quæ ante XXX. annos non fuerunt) in religione ſectas, contra tot milium animarum ſalutem, propter vanam nominis ſui gloriam defendunt, & omni ſtudio præcauent, ne opinionibus nouis omiſſis aut ſublatis, ad Eccleſiæ vnitatem & communem Chriſtianorum antiquorum fidem & religionem reuertantur. Deus Opt. Max. in cuius manu corda ſunt omnium, conuertat ſenſus & corda omnium noſtrum ad pacem & ad veram in fide & religione concordiam, quæ non niſi in Catholica reperitur Eccleſia. Certo enim experimento iam vltra XX. annos cognouimus, extra Eccleſiæ vnitatem nuſquam eſſe veram ac ſtabilem in ſectis concordiam, quandoquidem vna peperit aliam, quæ inter ſeſe amariſſimis contentionibus digladiatæ ſunt. Hæc vobis, Prudentiſſimi viri, deuote inſinuo, vt intelligatis, quæ mihi ſit cauſa contradicendi nouarum ſectarum inuentoribus & propugnatoribus, qui æterno cum periculo animarum quæ ſua, non quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærunt.

SEPTEM VIÆ PRÆPARATORIÆ AD INEVNDAM PER colloquium Concordiam, VVormatiæ ad Præſidentes Coloquii ſcriptæ.

Via prima præparatoria ad futuram in Religione & fide Concordiam. De Duabus Confeſſionibus, vna Principum, altera Quatuor Ciuitatum, ad Præſidentes Colloquii.

REuerendi ac Magnifici Domini, Clariſſimi atq; Doctiſſimi viri, Cum non ignoremus, quantum ſit ac merito eſſe debeat pacis & vnitatis in fide & religione Chriſti deſyderium, tum vniuerſis Chriſti fidelibus, quibus & fraterna charitas & ſalus animarum curæ eſt. Tum vero præcipue Cæſareæ Regiæq; Maieſtatib, cæteriſq; ſacri Ro. Imperii Principibus ac Statibus: qui multis iam annis experti ſunt, quantum impedimenti ad res bene gerendas, contra externos hoſtes, maxime cōtra Turcas, infenſiſſimos illos & truculentiſſimos Ro. Imperii nominiſq; Chriſtiani perſecutores & inimicos, attulerit hæc recens introducta & inauſpicato diſſeminata inter nos in fide & religione diſcordia: noſtri non dubitamus eſſe officii, tum pro debita & erga Deum pietate & erga proximū charitate, tum etiam ex iniuncta nobis à Reuerend. & Illuſtr. Principib. Dominiſq; noſtris Clementiſſ. legationis neceſſitate, omni conari ſtudio, nec vlli parcere labori; ad quærenda aut ab aliis quæſita & inuenta libenter amplexanda bona & iuſta media redintegrandæ ac firmiter ſtabiliēdæ inter nos Germanos in fide & religione concordiæ. Ne ſimus aut eſſe videamur ex eorum numero, de quibus loquitur & queritur pſalmiſta, dicens, [a] *Viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Sed audiamus potius ac deuote ſequamur diuinæ pietatis conſilia, atq; cœleſtis oraculi ad pacem & vnitatem monita. Vt vnanimes habitemus in domo Dei cum conſenſu, quia idem [b] Pſalmiſta ait; *Deus qui habitare facit vnius moris in domo.* Item, *Ecce quam bonū & quā iucundum, habitare fratres in vnum.* Et ſaluator ipſe ac Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, nihil vnq̄ ardentius rogauit pro ſuis fidelibus patrem ſuum [c] *quam vt ſint vnum, ſicut ipſi vnū ſunt*, ſuiſq; dixit diſcipulis, *hoc eſt præceptū meum; vt diligatis inuicem.* Sic & apoſtolus eius Paulus nihil ſollicitius in omnib. ferme ſuis epiſtolis admonet atq; inculcat niſi hoc ipſum, [d] *vt ſimus ſolliciti ſeruare vnitatē ſpiritus, in vinculo pacis, vt vno ore eodemq; ſenſu glorificemus Deum, & non ſint inter nos ſchiſmata, ſed idipſum dicamus omnēs.* Quemadmodum fœliciſſime agebant primi Chriſtiani, de quibus ſcriptum eſt (nobis vtiq; in doctrinā & exemplum, vt eorū ſequamur veſtigia) [e] *Multitudinis autem credentiū erat cor vnum & anima vna.* Hæc ſemel præfari & ante omnia proteſtari viſum eſt nobis, vt intelligatis, nos paratiſſimos eſſe ad omnia & facienda & ferenda, quæcunq; ad pacem & vnitatem reſarciendā conducere poterunt. In primis igitur, vt eo certius poſſimus viam pacis & vnitatis quærere atq; per Dei gratiam inuenire, neceſſarium nobis videtur, vt ii, qui ſunt ex parte aduerſa, doceant, promittant atq; teſtētur, ſe vno ore eodemq; ſenſu omnes vnanimiter (ſicut nos vtiq; vno eodemq; animo ac ſenſu antiquam Catholicæ Eccleſię fidem ſequimur, tenemus ac defendere, Deo bene iuuante, intēdimus) *ſuper Confeſſione & Apologia Proteſtantiū Principum ac ſtatuū*, quas Auguſtæ in celebri Conuentu Imperiali, Cæſareæ Maieſtati exhibuerunt, per amicum & Chriſtianum Colloquiū, Iuxta nouiſſimum Hagenoię decretū Receſſum Mandatumq; Imperiale, nobiſcum acturos eſſe. Ne quis vero ſuſpicetur, nos fruſtra & ſine cauſa aut malicioſe (quod abſit) id petere, mox à principio iuſtas aſſerimus huius noſtræ petitionis rationes. Etenim ſcimus, Auguſtæ præter Confeſſionem, de qua nunc agendum eſt, aliam quoq; Confeſſionē, à quibuſdam Ciuitatib. Imperialibus, Cæſ. Maieſt. publice oblatā & exhibitam fuiſſe. De qua nobis mens earundē Ciuitatum, qualis hodie ſit, non conſtat. Si ergo eam eiuſdem dixerint eſſe fidei & ſententiæ, cuius eſt Confeſſio Principum, fruſtra & ſuperuacanee exhibitam Cæſari fuiſſe fatebūtur, quia facilius Principum Confeſſioni ſubſcripſiſſent, ſicut ſubſcripſerunt tunc Nurenbergenſes & Reutlingenſes, ſi autem in quibuſdam articulis ab illa diſcordat (ſicut nos exiſtimamus) ipſorum Confeſſio, neceſſarium erit, vt ſi nobiſcum de Principum Confeſſione agere volunt, ſuam prius re-

uocent,

Hortamenta pacis & concordia.

[a] Pſal. 13.

[b] Pſal. 67. & 132.

[c] Ioh. 17.

[d] Ephe. 4. 1. Cor. 1.

[e] Act. 4.

Confeſſio Quatuor Ciuitatum.

docent, ac publice confiteantur, ſe ſuæ non amplius adhærere. Alioqui certa cum ipſis concordia per hoc Colloquium conſtitui non poterit. Deinde neminem latere arbitramur, earundem Ciuitatum Concionatores (de quibus ipſarum confeſſio plerumq; mentionem facit) longe aliter de venerabili ſacramento Euchariſtiæ atq; de Miſſa ſcripſiſſe, docuiſſe, prædicaſſe, atq; etiam publice diſputaſſe, & ante & poſt habitum Auguſtæ conuentum Imperialem, quam docet ac tenet Principum confeſſio. Si ergo debeant hic ex animo & ſine fraude ac ſimulatione nobiſcum per colloquium ſuper Principum confeſſione agere, oportebit eos vtiq; prius omnia manifeſte reuocare, quæ Principum Confeſſioni ſint contraria, ſi certa cum ipſis concordia conſtitui debeat. Non enim firma aut ſtabilis poteſt eſſe concordia, vbi contrarietas remanet in ſententia, fide & doctrina. Petimus igitur & obnixe rogamus, vt Reuerend. & Magnif. Dominationes veſtræ ante omnia hanc noſtram petitionem, tanquam æquam, iuſtam, rationabilemq; & neceſſariam quoq; parti aduerſæ proponant, certamq; ab ipſis reſponſionem ſuper iis exigant, antequam ad vlteriora procedatur.

Concionatorum diſcordia.

Via II. De ſcriptis Concionatorum, Confeſſioni Principum contrariis.

Reuerendi ac Magnifici Domini, Clariſs. atq; Doctiſs. viri. Etſi concordiæ auidiſſimi ſumus, neceſſarium tamen videtur nobis, quo ſtabilior ac plenior atq; ſyncerior futura ſit concordia, eo diligentius remouenda eſſe omnia, quæ concordiæ firmitatem ſynceritatemq; impedire videntur, antequam ad principalem ſuper ſingulis articulis tractatum perueniatur. Cum igitur ſciamus, Proteſtantium Principum ac Statuum Concionatores, in pleriſq; ſcriptis ſuis, quæ in publicum euulgauerunt, longe aliter ſenſiſſe ac docuiſſe, quam habet eorum Confeſſio & Apologia. Cæſ. Maieſt. Auguſtæ oblata & exhibita: neceſſarium nobis fore videtur, vt prius quam agamus cum parte aduerſa ſuper ſingulis articulis, ab eis requiramus atq; interrogemus, quidnam de cæteris ſcriptis ſuis in publicum editis, quæ in quibuſdam articulis ſuorum Principum Confeſſioni & Apologiæ contrariantur, aut manifeſte contradicunt, ſentiendum ſit. Si enim talia eorum ſcripta volunt haberi ſalua & integra, confeſſio Principum in iis articulis, quibus Concionatorum ſcripta repugnant, ſalua eſſe non poterit, quia contraria aut contradictoria ſimul ſtare non poſſunt. Æquum eſt igitur, atq; etiam neceſſarium, vt prius inter ſeſe concordiam ſtatuant, antequam nobiſcum de concordia tractent. Vbi. n. ſententiarum aut opinionum pugnantia eſt, concordia firma eſſe non poteſt. Ne quis vero dicat, aliam eſſe cauſam Principum, aliam Concionatorum, & nos aliena hic obiicere, aut iſta ſubterfugii cauſa extra propoſitum interſerere: Ipſa eorum confeſſio facile reſpondet, noſq; excuſat. Quia ſic habet in prologo ſuo: *Offerimus* (inquiunt) *in hac religionis cauſa noſtrorum Concionatorum & noſtram Confeſſionem, cuiuſmodi doctrinam ex ſcripturis ſanctis & puro verbo Dei, hactenus illi in noſtris terris, Ducatibus, Ditionibus, & Vrbibus tradiderint, ac in Eccleſiis tractauerint.* Ex his ſane verbis manifeſtum eſt, confeſſionem illam non minus ad Concionatores quam ad Principes ſpectare, imo magis ad Concionatores quam ad Principes, tum quia Concionatorum nomen ibi præponitur, & nemo non ſcit, confeſſionem ipſam à Concionatoribus potius, quam à Principibus cõpoſitam & ſcriptam eſſe. Quinimo Philippus Melancht. qui procul dubio Confeſſionis ſcriptæ præcipuus fuit Architectus, in Apologiæ prologo ſe palam profitetur autorem, ſic enim ait: *Quanquam autem initio Apologiam inſtituimus, communicato cum aliis conſilio, tamen ego inter excudendum quædam adieci. Quare meum nomen profiteor, ne quis queri poſſit, ſine certo autore librum editum eſſe.* hæc ille. Quamuis vero permulti ac varii ſint diuerſorum per Germanias Concionatorum eorum libri atq; ſermones in lucem publice traditi ac euulgati. Quos nominatim recenſere omnes, nimis longum foret, perlegere vero & articulatim penſitare, diſcutere atq; examinare, longiſſimum ac propemodum infiniti temporis, immenſiq; laboris. Nos tamen hic, vt temporis negotiiq; rationem habeamus, duorum tantummodo ex his ſcripta, non omnia ſane, ſed aliqua dumtaxat, breuitatis gratia obiiciemus, ne data opera in longum extrahere videamur negotium. Et ne quis exiſtimet, non neceſſariam eſſe hanc noſtram obiectionem, arbitramur nemini veſtrum ignotum eſſe, quantæ ſint apud Principes & populos Proteſtantium, authoritatis & exiſtimationis hi duo præcipue Lutherus & Melancht. Quorum ſcripta quædam Principum & Concionatorum partis ſuæ Confeſſioni contraria, hic vobis, antequã ad principale procedatur negotium, breuiter commemoranda eſſe, vtile ac neceſſarium fore putamus, obnixe rogantes, vt Reuerend. ac Magnif. Dominationes veſtræ æquanimiter ferant hanc neceſſariam præmonitionem noſtram. Nam ſine eius diſcuſſione neutiquam firma aut certa poterit de doctrina fidei inter nos, atque etiam inter ipſos adinuicem concordia & vnitas conſtitui.

Scripta Concionatorum Confeſſioni contraria.

Philip. Melan.

Contrarietas circa Articulum I.

Eccleſiæ magno conſenſu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi de vnitate eſſentiæ diuinæ, & de tribus perſonis verum, & ſine vlla dubitatione credendum eſſe. *Confeſſio.*

† *Nec eſt, quod mihi Homouſion illud obiectes, aduerſus Arrianos receptum. Non fuit receptum à multis, iiſq; præclariſſimis. Quod & Hieronymus optauit aboleri, adeoq; non effugerunt periculum hoc, inuento vocabulo, vt Hieron. queratur, neſcire ſe, quid veneni lateat in ſyllabis & literis.* *Lutherus contra Iac. Latomum.*

† *In Synodo Nicena conſtituta ſunt quædam pœnitentiæ formæ, non pronunciò, quo ſpiritu decreuerint patres, ut video bonam Euangelii partem, imo vim Germanam Euangelii obſcuratam eſſe ea traditione. Obſcurata gratia eſt, & quod Euangelium fidei tribuit, cœptum eſt ſatisfactionibus tribui. Quo quid eſt & impiuus magis & pernicioſius? Et his malis certe occaſionem dedit Nicena Synodus.* *Philip. in locis communibus.*

Luth. & Phil. contra ✝ Nicenum Synodo.

Longum foret, reliqua eorum aduerſus Nicenam Synodum (quam approbat Confeſſio) ſcripta referre. Qualia ſane non pauca habet Lutherus *in ſua Poſtilla*, & Philippus *in ſuis Annotationibus*. Satis hic fuerit, breuiter indicaſſe, quod confeſſio probat Synodum illam, & confitetur vnitatem eſſentiæ. Contra vero hi duo Proteſtantium Anteſignani, eandem Synodum reprobant, tum alibi de aliis quibuſdam decretis, tum vero hic impie, inique & calumnioſe de Homouſio & de ſatisfactionibus pœnitentiæ. Quid enim eſt aliud Homouſion, quam vnitas eſſentiæ, aut vnius & eiuſdem eſſentiæ? Et ex antiquiſſimis Rom. Pontificum decretalibus & Eccleſiæ Doctorib. Ireneo, Dionyſio, Cypriano, &c. qui longe præceſſerunt Nicen. Synodum, conſtat de pœnitentiæ formis & ſatisfactionibus tractatum fuiſſe. Quomodo igitur vera poterit inter nos & illos concordia de fide inueniri aut ſtabiliri, quamdiu illorum ſcripta, quæ ſunt Confeſſioni contraria, in publico permanent, atque verſantur in manibus Concionatorum?

Contrarietas circa Articulum II.

Confeſſio.

V*itium originis vere eſt peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem his, qui non renaſcuntur per baptiſmum & Spiritum ſanctum.*

Luth. in aſſertione art. 2.

† *In puero poſt baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.* Et infra: *Verum, quod defectum ſic appellant, vt peccatum eſſe negent, & non culpam, ſed pœnam tantum peccati eſſe velint, admittere non poſſum.* Et rurſus: *Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur à corpore animam ab ingreſſu cœli. Si enim fomes vere peccatum eſt, & nemo poteſt cum peccato cœlum intrare, puto ſatis proba conſequentia duci, animam fomite impediri ab ingreſſu cœli.* † *Scriptura non vocat hoc Originale, illud Actuale peccatum. Eſt enim & Originale peccatum plane actualis quædam praua cupiditas.* Et infra: *Viuax quædam energia eſt peccatum Originale, nulla non parte noſtri, nullo non tempore fructum ferens, vitia.*

Philip. in locis communibus.

Peccatum Originale.

Ecce Confeſſio intendit hanc ſententiam, quod vitium Originale ſit quidem vere peccatum in iis, qui non renaſcuntur: non autem in iis qui renaſcuntur. Id quod Apologia apertius affirmat, dum falſo excuſat Lutherum, & ait: *Semper ita ſcripſit Lutherus, quod baptiſmus tollit reatum peccati Originalis, etiamſi materiale (vt iſti vocant) peccati maneat, videlicet concupiſcentia.* At manifeſte conſtat ex allegatis hic Lutheri verbis, quod falſo excuſat eum Philippus. Vult enim Lutherus, quod in puero baptizato remaneat vere peccatum, quod ſit culpa vere & reatus, quo impediatur anima ab ingreſſu cœli. Et Philippus quoque tollit differentiam inter Originale & Actuale peccatum. Ambo præterea in aliis quoque ſcriptis ſuis, ac iſta Confeſſionis & Apologiæ de peccato Originali ſententia variant ac diuerſa ſcribunt, quæ commemorare omnia longum foret, præſertim *ex Poſtilla* Lutheri, & *ex diuerſis Annotationibus* Philippi.

Contrarietas circa Articul. III.

Confeſſio.

V*Erbum, hoc eſt, filius Dei, aſſumpſit humanam naturam, in vtero B. Mariæ virginis, vt ſint duæ naturæ, diuina & humana, in vnitate perſonæ inſeparabiliter coniunctæ, vnus Chriſtus, vere Deus & vere homo.*

Luth. ad Vualden. De adoratione Eucharistiæ.

† *His ceremoniis, hoc genere adorationis omnia templa, Monaſteria, breuiter omnes anguli pleni ſunt, & totus cultus Papiſtici regni, nihil aliud fuit quam aſſidua ſubſannatio ſub hac voce: Aue Rex Iudæorum. Potiſſimum vero ſic ridetur Chriſtus & Deus feſto Paſcatos & corporis Chriſti in omnibus miſſis, vt vocant, in pompa & proceſſione, vbi in auro & argento circumfertur Euchariſtia.* Et infra: *Quamobrem dicimus nunc, illos non eſſe damnandos, nec hæreſis accuſandos, qui ſacramentum non adorant, cum non ſit præceptum, nec Chriſtus in hoc ibi adſit, ſed tamen vbique video illam adorationem ſacramenti non eſſe ſine periculo, vbi fides & verbum non exercetur. Quare tutius forſitan fuerit, cum Apoſtolis non adorare, quam pro more illo vulgi adorare.* Et infra: *Sophiſtis vaniloquis cura eſt, quomodo totam diuinitatem in ſacramento incantent.*

Phil. in Annotationibus in Matth.

† *Tertia eademq; ſumma cauſa pauoris Chriſti erat, ſenſus quidam deſertionis & iræ diuinæ, qua fluctuabat Chriſtus inter infernum & vitam. In hoc pauore facta eſt deſpoliatio donorum in Chriſto, vt iam non concludat argumentum de Charitate, quod vbi ſit perfecta charitas, ibi non ſit timor. In hac enim afflictione & anguſtia deſpoliatio quædam charitatis facta eſt. In Chriſto igitur ſubtrahente ſe diuinitate, non flagrauit charitas.* Et alibi: *Facit & patris & Chriſti mentionem Apoſtolus, vt ſignificet, non tam Chriſtum Deum eſſe, quam per Chriſtum omnia donari.*

In Annotat. 1. Cor. 1.

Errores de Chriſto.

Hic profecto non de re parua aut futili contrarietas eſt. Confeſſio enim affirmat in Chriſto duas naturas, diuinam & humanam, inſeparabiliter in vnitate perſonæ coniunctas eſſe. Quod illi ambo negare videntur, Lutherus quidem in Euchariſtia, Philippus vero in Cruce Saluatoris. Si enim vere crederet Lutherus, veram Chriſti diuinitatem in Euchariſtiæ ſacramento eſſe, ſciret vtique, eam à nobis, qui hoc pie & indubitanter credimus, adorandam eſſe. Quid enim iuſtius adoratur quam diuinitas? & non diceret impia & irreligioſa ſcurrilitate, ſophiſtas vaniloquos curare, quam in ſacramento incantent totam diuinitatem. Neque adeo ſcurriliter rideret ac negaret Concomitantiam in Euchariſtiæ myſterio, ſicut fecit in eo libro, quem *contra Epiſcopi Miſnenſis mandatum* edidit. Si ergo in Chriſto inſeparabiliter (vt recte & catholice dicit Confeſſio Principum) coniunctæ ſunt duæ naturæ, diuina & humana, neceſſarium eſt, vt falſa & impia ſint, quæ in ſupra recitatis ſcriptis docent Lutherus & Philippus, vbi Luther. Chriſto adimit adorationis cultum, & deſpoliat eũ diuinita-

te illi

te in Eucharistia. Philippus autem detrahit ei in cruce pendenti perfectam charitatem, & non veretur dicere, quod in Chriſto, ſubtrahente ſe diuinitate, non flagrauerit Charitas. Cumq; Confeſſio dicat, Chriſtum vere Deum eſſe, Philippus alibi dicit, Chriſtum non tam Deum eſſe, quam per eum omnia donari. Nec multo religioſius ait in eô fuiſſe ſenſum quendam deſertionis & iræ diuinæ, quo fluctuauerit, inter infernum & vitam, quam locutus eſt ſceleratiſſimus quidam Apoſtata, qui pleno infidelitatis ac deſperationis furore, circa prima huius diſcordiæ tẽpora, ſcripſit octo propoſitiones. Quarum prima erat, *quod infernus non ſit*, vltima vero, *quod Chriſtus in cruce deſperauerit, quando clamaret, Eli Eli Lamazabathani.* Ne vero longiori contrarietatum commemoratione Reuer. ac Magnif. Dominationib. V. nunc moleſti ſimus, hic ſiſtimus progreſſum, contenti, breuitatis gratia, triũ duntaxat primorum confeſſionis articulorum, per Lutheri & Philippi (qui pro optimis & præcipuis nouæ huius doctrinæ autorib. vulgo habentur) ſcripta quibuſdam contrarietatib. Parati nihilominus, ſi vobis neceſſariũ aut vtile atq; operæ precium viſum fuerit, circa omnes totius confeſſionis, de qua in Colloquio tractari debet, articulos, contraria horum hominum ſcripta, in lucem proferre. Non poterit igitur vtiliter aut efficaciter de iſta Confeſſione tractari, niſi prius amoueantur illorum ſcandaloſa & erronea ſcripta, quæ Confeſſioni ſunt contraria, & publice ab ipſis authoribus reuocentur. Quemadmodum & ipſi ante annos 4. petierunt Wittenbergæ à Capitone & Bucero cæteriſq; eorũ complicib. vt ante omnem concordiæ tractatum reuocarent & damnarent falſam de Euchariſtia opinionem Zuinglii & Oecolampadij, alioqui prorſus inutilis foret omnis de concordia Tractatus.

Via III. De reliquis Concionatorum dogmatibus erroneis, quæ in Confeſſione Principum non comprehenduntur.

REuerendi ac Magnifici Domini, Clariſſimi atq; Doctiſs. viri. Vt certa & plena poſſit inter nos de fide & religione conſtitui concordia, neceſſarium nobis videtur, vt antequam ad tractandũ ſuper Confeſſionis Proteſtantium articulis congrediamur, iſtud quoq; impedimentum & offendiculum è via tollatur, quod nos non mediocriter ſollicitos tenet. Nempe quod non omnia, in quibus à nobis & ab Eccleſia Catholica diſcordant, in eorum Confeſſione ſunt comprehenſa. Quamuis enim in quodam ad Cæſaream Maieſtatem ſcripto ſuo affirmauerint hoc anno, ſe nihil in confeſſione ſua occultaſſe, ſed totum doctrinæ genus complexos fuiſſe, nobis tamen neque operoſum, neque difficile fuerit, longe plures commemorare articulos, & quidem de rebus non leuibus, neque parui momenti, in quibus à nobis longiſſime diſſentiunt, & velut vltra Diſdia paſon diſtant, quam cõmemorauerunt ipſi ſua in confeſſione. Etenim poſuerunt in ea duntaxat 28. articulos, tametſi ex iis aliqui ſunt, de quibus nulla vnquam inter nos & ipſos controuerſia fuit. Nos autem poſſumus commemorare, ſi opus viſum fuerit, plus quam bis aut ter 28. articulos, extra eorum confeſſionem, in quibus ipſi maxime à nobis diſſentiunt. Non poterit igitur firma inter nos & ipſos in fide & religione concordia conſtitui, etiamſi omnes Confeſſionis eorum articuli quocunque colloquio fuerint concordati, niſi prius declaratum fuerit, quid de reliquis eorum articulis (qui & plures & maioris momenti ac differentiæ ſunt, in Confeſſione autem non ſunt comprehenſi) tenendum ſit. Nolumus quidem hic referre omnes & ſingulos articulos, quos diuerſi eorum Concionatores, in multis & variis ſcriptis ſuis ambitioſe ac temere euulgauerunt. Quis enim omnium eorum (quos ipſimet Suermeros dixerunt) vniuerſa ſcripta cunctoſque libellos non minus væſanos & indoctos quam erroneos & impios, abſque faſtidio vel perlegat, vel recitari audiat? Neque nobis animus eſt, vel eorum, qui magni ac velut Rabini, imo tanquam Apoſtoli & Euangeliſtæ apud eos habentur, libros & magna quædam volumina hic diſcutere, & eorum dogmata expendere: Quoniam & iſtud immenſi foret & temporis & laboris negotium. Sed vnius Lutheri (qui primus & præcipuus huius diſcordię, qua fœde turbatur apud nos religio, autor eſt) articulos quoſdam, de quibus nihil habet eorum confeſſio, commemorabimus, non ſane omnes (ſunt enim aliqui ex nobis, qui CCCC. alii D. alii DC. alii adhuc plures enumerando conſcripſerunt) ſed aliquos, qui minime diſſimulari, negligi aut contemni poſſunt, ſi vera & perfecta debeat inter nos vnitas & concordia reparari. Non etiam fidem duntaxat & religionem, verum etiam Imperium & publicam pacem diſturbant, niſi communi omnium ſententia & conſenſu damnentur, & ab ipſo authore reuocentur, ac funditus aboleantur. Hæc nos Reuerendis & Magnificis D. V. nullius odii aut ſubterfugii gratia, ſed veræ & perfectæ concordiæ deſiderio paciſque ſtabiliter componendæ ſtudio, ipſius rei neceſſitate ac magnitudine moti & adacti, dicta & ſuggeſta eſſe volumus. Ne vero vos commemorationis prolixitate & prægrandi articulorum numero moleſte grauemus, breuiſſime aliquos exempli cauſa ſubiungimus.

Multi articuli diſcordes extra Confeſſionem.

DE IMPERIO.

1. *PApa Tyrannis mox cœpit inclinante Imperio Rom. eique in loco ſuo ſucceſſit.* *Luth. contra Amb. Catharinum.*
2. *Translatum eſt autem ad Germanos Rom. Imperii vocabulum, cum res iam nulla Imperij eſſet.*
3. *Mundani enim Principes ſunt. Mundus autem inimicus eſt Deo. Quapropter & ipſos facere oportet, quod & Deo contrarium, & Mundo conſentaneum eſt. Inter Chriſtianos autem nulla poteſt eſſe ſuperioritas, ſed vnuſquiſque vnicuique ſubiectus eſt.* *Ibidem. De poteſtate ſeculari.*
4. *Nos Chriſtiani liberi ſumus, ab omnibus omnium hominum legibus exempti, libertate Chriſtiana per baptiſmum nobis donata.* *De Cap. Babyl.*

5. *Nulla eſt ergo remedii ſpes, niſi reuocato libertatis Euangelio, ſecundum ipſum, extinctis ſemel omnibus omnium hominum legibus, omnia iudicemus & regamus, Amen.*

De confeſſ. ad Franciſcum.

6. *Omnes igitur, qui humanas leges diuinis ſuperaddunt, certiſſime ſunt inimici Dei, & Leuiathan Apoſtoli. Et qui eas acceptauerint aut ſeruauerint, diſcipuli ſunt Leuiathan.*

Contra duo Cæſar. mandata. In l. b. contra epiſtolam Regis Angliæ.

Nolumus hic Lutheri in Principes commemorare conuicia, quibus eos immodeſte coram populo publice proſcidit, vocans Imperatorem *miſerum vermium ſaccum, qui impudenter iactitet ſe verum & ſupremum Chriſtianæ fidei defenſorem.* Principes vero reliquos Germanicos *beſtias. Tyrannos, fatuos, carnifices, lendes, bullas,* &c. Ex his ſane atque id genus multis Lutheri de regimine ſeculari articulis (quos breuitatis gratia omittimus) facile conſiderabitis, firmam pacem & obedientiam conſtitui non poſſe, quamdiu eiuſmodi Lutheri doctrina in manibus hominum verſatur.

DE SACRAMENTIS.

1. *Lutherus. De cap. Babyl.*

PRincipio *neganda mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda: Baptiſmus, Pœnitentia, Panis. At ſi rigide loqui volumus, tantummodo duo ſunt in Eccleſia Dei ſacramenta, Baptiſmus & Panis.*

Ibidem.

2. *Baptiſmus neminem iuſtificat, nec vlli prodeſt, ſed fides in verbum promiſſionis. Non poteſt igitur eſſe verum, ſacramentis ineſſe vim efficacem iuſtificationis, ſeu eſſe ea ſigna efficacia gratiæ.*

Ibidem.

3. *Mirum eſt, quid in mentem illis venerit, vt ſacramentum Confirmationis facerent. Quare ſatis eſt, pro ritu quodam Eccleſiaſtico ſeu ceremonia ſacramentali Confirmationem habere, ſimilem cæteris ceremoniis conſecrandæ aquæ aliarumque rerum.*

Contra Amb. Catharinum.

4. *Denique ſacramenta hic auxerunt, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, Vnctionem, Deus bone, quanta eſt hæc vna vorago pecuniarum, imo & animarum!*

De iudicio Chriſtianæ congrega.

5. *Ex his ſequitur, quod Epiſcopi, Collegia, Monaſteria, & quicquid de illo populo eſt, iam pridem neque Chriſtiani neque Chriſtiana communitas fuerint.*

Contra falſo nominatum ſtatum Eccleſ.

6. *Epiſcopi quidem ſunt, vt non Chriſtianorum, ſed furum, raptorum & fœneratorum, imo ipſi ſunt fures, raptores & fœneratores capitales & præcipui.*

Hæc & id genus multa de ſeptem ſacramentis, maxime vero de ſacramento Matrimonii erronea dogmata, de quibus nihil dicit Confeſſio, reperiuntur paſſim in variis Lutheri libellis, præſertim vero in prolixo ſermonum eius opere, quod *Poſtillam* vocant. Quæ ſi ſic permanſerint, fruſtra quæretur per confeſſionis concordandos articulos vera concordia, quia eam cæteri Lutheri articuli, niſi reuocentur, ferre non poterunt.

DE CEREMONIIS.

1. *Contra Amb. Catharinum.*

QVinta *facies Antichriſti eſt illud egregium perdendæ pecuniæ artificium, in ſtruendis, erigendis, locupletandis Templis, Monaſteriis, Sacellis, Altaribus, & eius generis operibus.*

2. *Sexta facies Antichriſti, non vna, ſed facierum quædam ſylua eſt, ſcilicet eorum, quæ in templis ſunt & geruntur, quæſtus & lucri proſperrima negotia.*

Ibidem.

3. *Omitto calices, imagines, vaſa vtenſilia aurea, argentea, lignea, tum vela, pallas, corporalia, & ſine modo & numero ornamenta, lumina, lampades, & ſi qua ſimilia.*

De humanis traditionibus vitandis.

4. *Non ſolum igitur blaſphemia eſt & mendacium atque deceptio, verum etiam res vere ſtulta & ludus ſimiarum, omnium Monachorum & hominum leges de cibis, de veſtibus, de locis, & de omnibus rebus externis.*

De abroganda miſſa priuata.

5. *Non eſt peccatum in ſacerdotio Papiſtico, quod æquare poſſit neglectui horarum Canonicarum. Cum reuera vix ſit maius peccatum hoc laborioſo, & tamen ſimulato, cultu Dei, qui per horas illas boando & murmurando peragitur. Et quale eſt ſacerdotium, tale & peccatum.*

In ſermone de S. Cruce.

6. *Iam quod dixi de S. Cruce, de omnibus reliquiis dictum volo. Reliquiæ nihil aliud ſunt quam ſeductio fidelium, ideo prorſus ſubtus terram recondi debent.*

Plurimi articuli, qui in confeſſione non ſunt.

Ex his & paucis articulis, quos exempli gratia retulimus, facile conIicere poterunt Reuerendæ ac Magnificæ D. V. quam multa ſint in Confeſſione prætermiſſa ac omiſſa, quæ alibi crebertime docuit ac euulgauit Lutherus, quæ proculdubio religioni noſtræ antiquæ (quam à Maioribus noſtris velut per manus longa ſucceſſionum ſerie accepimus) ex diametro maxime aduerſantur. Ea vero præcipue, quæ contra Purgatorium, atque adeo contra vniuerſa pro animabus defunctorum ſuffragia, Vigilias, dies primos, ſeptimos, triceſimos & anniuerſarios, & quæ contra Matrimonii ſacramentum de gradibus, impedimentis, diuortiis, intolerabili arrogantia, fœdiſque & impiis erroribus, late per omnem Germaniam diſſeminauit. Sunt autem huiuſmodi eius articuli longe maioris & numeri & momenti, magiſque nobis contrarii, quam ſunt pleriquе ex 28. articulis Confeſſionis, quos longe facilius tolerare aut admittere poſſemus, quam tam ſæua & prophana illius dogmata, quæ alibi contra Eccleſiam Catholicam latiſſime ſunt diuulgata. Rogamus igitur enixe Reueren. & Magnificas D.V. antequam conſideamus ad tractandum de articulis Confeſſionis & Apologiæ, prius exigatur ab Aduerſariis reſponſio, quidnam de huiuſmodi Lutheri aliorumque Concionatorum & complicum eius dogmatibus agendum eſſe cenſeant. ſi enim ea voluerint habere ſalua, fruſtra cum ipſis attentabitur ſuper Confeſſione & Apologia concordia, quia foret nimis imperfecta inſtabiliſque & incerta, cui ſemper obſtarent & repugnarent dogmata illa, quæ à nobis nequaquam admitti aut recipi poſſunt.

Vlt

Via IV. De articulis quibuſdam antiquarum hæreſum in Conteſtatione Proteſtantium contentis.

REuerendi ac Magnifici Domini, Clariſſimi atq; Doctiſſimi viri: Quum ad componendam in fide & religione concordiam veram ac ſtabilem huc miſſi atq; conuocati ſimus, inter cętera, quę velut præparatoria ad firmitatem & ſynceritatem concordiæ & vnitatis fore conſiderauimus, vobiſque deuoto ſtudio propoſuimus, iſtud quoq; dubium neceſſario diſcutiendum eſſe putamus, antequam ad tractandum ſuper Confeſſionis & Apologiæ articulis conſideatur. Nempe, quid pars aduerſa ſentiat de pleriſque ſectis antiquitus ab Eccleſia damnatis. Quandoquidem & eorum Confeſſio nonnullas hæreſes antiquas nobis opportune conſentiens, recte damnat, velut Manichæos, Arrianos, Donatiſtas, Pelagianos.

Si ergo cæteras hæreſes iam olim eadem Eccleſiæ autoritate damnatas, ſimili nobiſcum conſenſu (vt æquum eſt) damnauerint aduerſarii, pulchrum profecto idoneumq; & vtile per hanc quæſtionē noſtram habebimus ad concordandum ſuper Confeſſione & Apologia eorum compendium, placidamq; & planam methodum, vt breuiſſime dicere liceat, ſi hoc vel illud dictum aut dogma Arrianorum aut quorumlibet hæreticorum, antea damnatorum, error eſt, aut eorum errori alludit aut conſentit, reiiciatur & pro erroneo & condemnato habeatur. Quemadmodum in eorum Confeſſione, mox circa primum articulum, breuiſſime per compendium damnantur Manichæi, Valentiniani, Arriani, &c. quod circa articulum de Trinitate ſuperbenedicta non recte ſenſerunt. Ita enim fiet, vt tractatus iſte de concordia, inter vtramq; partem reſarcienda, longe & facilius & citius queat abſolui ac feliciter finiri. Id quod valde neceſſarium eſſe videtur, propter indictum à Cæſ. Maieſt. & iam inſtantem Ratiſponæ breui abhinc tempore habendum Conuentū Imperialē, ad quem omnis iſte de concordia tractatus referri debet, quoniam & per receſſum Haganoienſ. & per Cæſar. mandatum non licet nobis hic finaliter ſuper his rebus concludere aut definire. Bene autem ſperamus, atque certiſſime perſuademus nobis, hanc præparatoriam concordiæ viam non ſolum cōpendioſam, verum etiam æquam, vtilem, honeſtam & piam viſum iri, & Cæſar. Maieſt. tanquam ſupremo Eccleſiæ Aduocato, defenſoriq, & Regi Cathol. Regiæq; Maieſt. Romanæ, tanquam Chriſtianiſs. ac cordatiſſimo Principi, vniuerſiſq; cæteris Principib. ac Statibus S. Rom. Imperij, qui religioni Imperioq; recte ac bene conſultum volunt. Si enim cuilibet liceat veterum hæreſes impune reuocare in lucem, aſſerere, aut ſaltem in dubium, aut quæſtionem diſputationemue ab inferis reducere, verbi diuini prætextu, tanquam in earum condemnatione Catholica errauerit Eccleſia, nunquam profecto ad vllam in fide & religione concordiam verā & firmam peruenire poterimus. Quia ſemper inueniuntur homines quidam inquieti, in ſacris literis eruditi, diſerti ac docti, nouarum rerum & famæ cupidi, ſuperbi, ſuoq; ingenio confiſi, & à patre mendaciorum circumuenti, atq; maligno eius inſtinctu concitati, qui niſi legibus coerceantur, facile poterunt Eccleſiæ pacem & vnitatem conturbare, ſi vnū aut alterum ex damnatis veterum hæreticorum articulis, ſcandaloſa & improba impiaq; diſputatione aut aſſertione renouent, populumq; Chriſtianum in fide & deuotione ſua conturbent, dubiumq; reddant, ſicut hoc licentioſo tempore ita fieri plus ſatis (proh dolor) omnes compertum habemus. Quapropter antiqui Imperatores, Theodoſii, Valentin. Iuſtinus Maior. Martianus & Iuſtinian. ſeueras in hæreticos ſtatuerunt leges, publicisq, cauerunt edictis, ne eorum populis amplius diſputentur aut prædicentur ea, quæ ſemel ab Eccleſia per generalem Synodum fuerint damnata. Sicut igitur Aduerſariis noſtris ſua in Confeſſione licuit, ipſiq; ſibi permiſerunt, & ius eſſe duxerūt, damnare quorundam hæreticorum errores antiquos. Id quod nos non ſolum non reprobauimus, verū etiam collaudamus publice corā Imperatore totoq; Imperio, licet id ab eis factum ſit ſine noua per ſcripturas & verbi diuini teſtimonia diſputatione aut determinatione, ita & nobis viciſſim ſimiliter permitti petimus, vt quaſcunq; propoſitiones in eorum Cōfeſſione aut Apologia repertas, quæ antiquam hæreſim aliquam ſapiunt, protulerimus, & vlli veterum hæreticorum dogmati conformes aut conſentaneas eſſe cōmonſtrauerimus, vobiſq; de hoc atteſtantibus & diiudicantibus conuicerimus, mox pro damnatis habeantur, abſq; noua ſuper eiuſmodi propoſitionibus diſputatione. Si enim de ſingulis noua inſtituenda eſſet diſputatio, nunquam foret diſputandi finis. Æquum eſt igitur & rationi conſonum, vt & vos Domini Præſidentes & Aduerſarii noſtri, permittatis nobis idem ius, quod retro à priſcis permiſſum fuit omnibus, & quod ipſimet Aduerſarii noſtri ſibi ſumpſerunt ac permiſerunt in ſua Confeſſione. Vt autem planius hanc noſtram petitionem intelligatis, agemus clarius ac propius ad propoſitum mentemque noſtram aliquot declarabimus exemplis.

Compendium ad concordiam.

Non licet veteres reſuſcitare hæreſes.

Vt autem damnatæ veteres ne vocentur in diſputationem nouam.

PROPOSITIONES ANTIQVITVS DAMNATÆ, quæ in Confeſſione habentur.

I. Propoſitio.

TRaditiones humanæ, inſtitutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis aduerſantur Euangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus, &c. inſtitutæ ad promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis, inutiles ſunt & contra Euangelium.

Hæc propoſitio conſonat multorum hæreticorum damnatis articulis. Waldenſium quidem ſeu Pighardorum art. 11. & 12. vbi ſic dicunt: *Cantus in Eccleſia & pſallendi modi varij intonandi, præcinendi, &*

Confeſſio articulo 15.

Errores veterũ Waldenſium.

 ſimi-

ſimiles, ſiue hominum organorum ſint tubarum, aut aliorum inſtrumentorum muſicorum, nihil proſunt. Horæ deniq; Canonicæ, priuataq; vel manifeſtæ orationes aliæ, irritæ ſunt & inanes: Excepto ſolo Pater noſter, & verbis conſecrationis. Reliqua enim omnia, quæ in Miſſa leguntur, inſtitutiones ſunt humanæ. Sic & Pauperes de Lugduno dicunt art. 7. *Sanctorum feſta, ieiunia, Ordines, Benedictiones, Officia Eccleſiæ, & id genus ſimilia, nulla eſſe.* Et Dulciniſtæ art. 20. *Eccleſiam conſecratam non plus valere ad orandum quam ſtabulum equorum aut porcorum.* Item Patareni & Albanenſes dicunt art. 15. *ſic per pœnitentiam nec gloria augetur, nec minuitur inferni pœna.* Sic & Taboritæ art. 31. *Decretales & Decreta, Expoſitioneſq; ſanctorum Doctorum omnino reſpuunt.* Sic Secta Flagellantium ſeſe, art. 48. docent: *Nulla, quæ per ſacerdotes mandantur, obſeruanda eſſe ieiunia.* Sic Wicleph art. 39. ait: *Decretales Epiſtolæ ſunt Apocryphæ & ſeductiuæ a fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui eis ſtudent.* Deniq; Leoniſtæ (ne ſimus nimium prolixi) in ſuis articulis, 31. 32. 33. 34. &c. ſimiliter contemnunt & reiiciunt Eccleſiæ conſtitutiones, tanquam traditiones humanas, barbarice irridentes indulgentias, feſta & ieiunia, Eccleſiam materialem vocantes *horreum*, altaria *aceruum lapidum*, Corporale ſeu pallam altaris *pannum bracarum*, &c. Quum igitur iſti & id genus plures barbaricæ fecis hæretici iam olim ab Eccleſia damnati ſint, atque etiam Imperialibus in Codice legibus deteſtati, vt patet ex *leg. Gazaros C. de hæret.* Satis hinc conſtat, Confeſſionis Proteſtantium propoſitionem, quæ ſimilia docet, merito abſque vlla ampliori diſputatione pro damnata ab omnibus habendam eſſe.

Pauperum de Lugduno.
Dulciniſtarũ.
Patarenorum.
Taboritarum.
Wiclephiſtarũ.
Leoniſtarum.

Secunda propoſitio.

II. Confeſſ. art. 20 Errores de feſtis & de votis Monaſticis.

Concionatores olim tantum puerilia & non neceſſaria opera vrgebant, vt certas ferias, certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus ſanctorum, Roſaria, Monachatum & ſimilia. Hæc propoſitio alludit antiquo errori Leoniſtarum, qui ſimiliter feſta & ieiunia Eccleſiæ contemnebant, vt iam dictũ eſt ſupra, & peregrinationes reprobabant *artic. 56.* Quos proinde iuſte *in Codice* (vt dictum eſt) damnatos eſſe ſcimus. Quemadmodum & hypocritica ſecta ſeſe Flagellantium docebat *art. 47.* quod *ſolummodo Dies Natiuitatis Chriſti & Aſſumptionis Mariæ ſint celebrandi, ſecreto tamen & ſtudioſe.* Qualia & barbarus in Anglia docuit Wicleph. qui non eſt veritus dicere, quod *Auguſtinus, Benedictus, Bernardus, damnati ſint, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & introierunt religiones,* art. 44. Cui & hunc mox barbarice adiungit, quod *omnes religiones indifferenter introductæ ſint a diabolo.*

Tertia propoſitio.

III. Confeſſ. art. 21 Errores de cultu ſanctorum.

Scriptura non docet inuocare ſanctos, ſeu petere auxilium à ſanctis. Conſonat & iſta propoſitio antiquitus damnatis hæreſibus, Vigilantii, vt patet ex S. Hieronymo. Leoniſtarum quoque *art.* 47. 48. 48. & 50. Vbi non ſolum inuocationem, verum etiam imagines, Reliquias, Legendas & ſepulcra ſanctorum reiiciunt & condemnant. Quæ igitur iam olim in illis recte & iuſte damnata ſunt, hodie à nulla ſecta noua recte inſtaurari aut iuſtificari atque defendi poſſunt. Hic autem error, quo ſanctorum cultus, veneratio & inuocatio, contra Eccleſiæ perpetuam conſuetudinem impugnatur, perſæpe damnatus eſt antea, ergo non opus eſt nunc, eundem longa aut noua diſputatione damnare. Quandoquidem iam olim publice damnatus fuit, & quidem ante mille annos in Vigilantio, & ante CCCC. annos in Patarenis & Albanenſibus, vt patet ex ſcriptis Ecberti & S. Bernardi, & deinceps in Pighardis, Wiclephiſtis, Taboritis, &c.

Contra noua aut renouata dogmata.

Hæ igitur propoſitiones exempli gratia productæ ac recitatæ ſint, ex quib. ſatis conſtat, illicite renouari per Confeſſionem Proteſtantium errores veterum hæreticorum, contra doctrinam ritumq; & conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ, imo & contra ſacram vtriuſq; Teſtamenti ſcripturam. Vetat enim Moyſes *Deut. 13. 17. & 18.* aliter credere aut docere quam crediderunt & docuerunt Maiores & Præpoſiti noſtri, Quod & Paulus vehementer prohibet *ad Rom. 15. & 16. ad Gal. 1. & 3. & ad Heb.* 13. Iubet enim cauere ab iis, qui aliter docent, quam accepimus, & Anathema dicit ei, qui aliud quam accepimus Euangelium prædicat. Æqua igitur hæc noſtra eſt petitio, qua petimus, vt ſine noua diſquiſitione pro damnatis habeantur omnia Confeſſionis & Apologiæ dogmata, quæcunque in veteribus iam olim damnata ſunt hæreticis. Nam & Proteſtantium Concionatores dicere non audent (vt arbitramur) quod vera & Catholica Eccleſia fuerit in præmemoratis hæreticis, quandoquidem ipſimet non omnes probant illorum articulos.

Via V. De Articulis Confeſſionis, Auguſtæ in Septenorum Colloquio concordatis, vt rati habeantur.

Reuerendi ac Magnifici Domini, Clariſſimi atque Doctiſſimi viri: Intellexiſtis ex proxima petitione noſtra, quam vtile ac neceſſarium ſit, propter indictum à ſacratiſſ. Cæſar. Maieſt. Conuentum Imperialem, breui Ratiſponæ celebrãdum, vt iſte de concordia tractatus, quantum fieri poteſt, breuiſſime abſoluatur. Oſtendimus igitur & ſtudioſe petimus, conſiderari adhuc aliud ad breuiter concordandum ſuper Confeſſione Proteſtantium aptum atque honeſtum compendium. Etenim ſciunt Reuerendæ & Magnificæ D. V. ante annos decem in celeberrimo Conuentu Imperiali Auguſtæ habito factum fuiſſe delectum ſeptenarum ex vtraque parte perſonarum, quæ amico tractatu & colloquio quærerent piam & Chriſtianam ſuper exhibita Proteſtantium Principum & ciuitatum Confeſſione redintegrandæ vnitatis pacîſque & concordiæ viam. Id quod ab illis ſatis diligenter eſt factum, adeo vt ſedula partium diſquiſitione & amica interpretatione dictorum, ad multorum Confeſſionis articulorum vnanimem ſenſum & concordiam partium peruentum fuerit. Petimus

igitur

Igitur, vt nunc quoq; placeat parti aduerſæ, quod tunc ei placuiſſe conſtat. Eſt enim antiqua & trita honeſtatis regula, vt *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debeat.* & quod tunc pro vero habuerunt nunc quoq; pro vero habeant. Non. n. à caſu aut fortuna neq; ab autoritate aut voluntate hominũ, neq; à longitudine aut mutatione temporum, ſed ab eo quod res vel eſt vel non eſt, Oratio vera aut falſa dicitur. Si ergo hanc à parte aduerſa petitionem (quæ non niſi æqua & honeſta atq; etiam pro temporis breuitate neceſſaria videri poteſt) nunc obtinebimus (licet eam Sereniſſ. Rex Romanorum, &c. Hagenoiæ à legatis & oratoribus aduerſæ partis nuper obtinere non potuerit) optatum habebimus ex vtraq; compendium breuioremque methodum ad inueniendam diu iam ab omnibus bonis viris deſideratam concordiam. Nam cum ſint tantum 28. articuli Confeſſionis, in eo tractatu ſuper. 26. articulis plene, in multis vero aliis ſemiplene (vt ſic loquamur) concordatum fuiſſe cõſtat.

Vt concordata Auguſtæ, habeantur adhuc rata.

Nec valet excuſatio, quod dicunt, tunc nihil illic concluſiue determinatum aut concordatum fuiſſe. Quia neq; nunc licet nobis hic concluſiue quicquã per amicum colloquium determinare aut concordare, ſed omnia debemus ad Cæſar. Maieſtatem referre; cui concludendi poteſtas tum in Receſſu Hagenoienſi, cum in Cæſareo Conuocationis mandato expreſſe eſt reſeruata. Negare autẽ non poſſunt, quod in Auguſtenſi colloquio & tractatu ita concordatum fuerit, ſicut iam diximus. Qua enim fronte id negent, quum non ſit factum in angulo inter duos aut tres priuatim & ſeorſum, ſed in manifeſto & publico quatuor Principum multorumq; Clariſſimorum Doctorum conſeſſu. Conuinci præterea poſſent, opus ſi foret, quibuſdam ſcriptis, quæ ipſimet partis noſtræ collocutoribus tradiderunt, è quibus quædam Magiſtri Philip. Melanch. manu ſunt ſcripta. Quum igitur plus quam dimidium numeri articulorum illic tunc concordatum fuerit (quemadmodum nos Clariſſimorum virorum, qui publica autoritate Notarii ſunt, manu & teſtimonio probare poſſumus, ſi opus ſit) rogamus enixe vt Reuerendæ ac Magnificæ D. veſtræ agant cum parte aduerſa, ne in hac temporis breuitate & anguſtia velit friuolas ac minime neceſſarias exceptiones atq; dilatorias ſine cauſa protractiones nobis opponere. Id ſi factum fuerit, magnum profecto habebimus prolixi laboris ſubterfugium. Quia in multis concordatum eſt, de quibus non opus erit repetito nunc labore concordiã quærere ſi enim iuſtum eis videatur, priorem reuocare concordiam, cui quatuor interfuere Principes, multo iuſtius poterunt huius colloquii (in quo fore nullus omnino Imperii princeps perſonaliter intererit) quamlibet reuocare concordiam, atq; ita fruſtraneus inutiliſq; & inanis foret omnis colloquendi labor cura & induſtria. Ne igitur in caſſum & omnino fruſtra laboremus tempuſq; teramus, & inutiles hic faciamus ſumptus & expenſas, humiliter & obnixe petimus, vt q̃ priori ſcolloquio & tractatu ad amicam concordiam vnanimemq; vtriuſq; partis conſenſum, Dei gratia & benignitate perducta ſunt, hic redimendi temporis gratia pro vere concordatis habeantur. Nos enim vere & ex animo, non ficte aut ſimulate cum illis, vt tunc egimus, ita & nunc agere deſideramus & intendimus. Quod vt pars aduerſa ſimiliter faciat, æquitas poſcit & publica honeſtas. Vt igitur Reuerendæ ac Magnificæ D. V. videant, quantum compendii temporiſq; lucrandi ex priori concordiæ colloquio vtrinq; habeamus, ſi vtraq; pars ratum habeat, quod tunc placuit, recitabimus hic vobis bonã fide bonam partem eorum, quæ vtriuſq; partis conſenſu tunc approbata & concordatã fuerunt.

Friuola recuſatio.

Articuli Concordiæ Auguſtenſis Colloquii.

ETenim in primo articulo, qui eſt *de Trinitate perſonarũ & vnitate eſſentiæ diuinæ,* per omnia concordatum eſt, ſimiliter & in Tertio, qui eſt *de duabus naturis & vna perſona in Chriſto,* & quidem abſq; omni diſputatione aut contradictione. In Secundo autem, qui eſt de peccato Originali, poſt nonnullam diſceptationem in hæc verba concordatum eſt, *quod peccatum Originale ſit carentia Originalis iuſtitiæ, quæ exigit fidem fiduciamq; & timorem Dei, quodque Concupiſcentia, ex peccato Originali orta, remaneat in homine. Culpa vero Originalis peccati per baptiſmum tollatur.* Id eſt, quod peccatum Originale tollatur quo ad formale, ſed maneat quo ad materiale. In Quarto deinde Quintoq; & Sexto articulis ita concordatum eſt, vt omitti debeat hæc vox *Sola,* quando de fidei iuſtificatione loquimur, ne de cætero dicatur, *nos ſola fide iuſtificari.* In Septimo poſtea & Octauo articulis iterum concordatum eſt, per declarationem huius verbi, *Sanctorum*, quod vtraq; pars fateri debeat: *In Eccleſia in hac vita eſſe etiam malos & peccatores.* In Nono, qui *de Baptiſmo* eſt, & in Decimo, qui eſt *de Euchariſtia,* plane concordatum eſt, adiecto vno verbo, *Realiter*, quando dicitur: *In Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti vere adeſſe,* additum eſt, contra ſacramentariorum fraudulentias, *Realiter* Teuthonice *Vueſenlich.* Sic & in 13. 14. 16. 17. 18. & 19. pie ac benigne concordatum fuit, ita vt nullus in eiuſmodi articulis remaneret inter nos diſſenſionis ſcrupulus. In cæteris vero, etſi non per omnia concordare potuerimus, operæ tamen precium videtur nobis, Reuerendis & Magnificis D. V. commemorare, quibuſdam in punctis ipſi ſuis propriis ſcriptis & atteſtationibus conſenſerint nobis.

Concordia de peccato Originali.

De fide iuſtificante.

Etenim Circa XII. articuli examen, hanc nobis dederunt ſuam in hæc verba ſcripturam & ſententiam: *Non recuſamus Tres partes Pœnitentiæ ponere, ſcilicet Contritionem, quæ ſignificat terrores incuſſos conſcientiæ, agnito peccato. Confeſſionem, ſed in hoc oportet reſpicere ad abſolutionem & illi credere. Non enim remittitur peccatum, niſi credatur, quod propter meritum paſſionis Chriſti remittatur. Tertia pars eſt ſatiſfactio, videlicet digni fructus pœnitentiæ. Sed propter ſatiſfactiones concorditer ſentimus, non remitti peccatum, quo ad culpam. Verum de hoc nondum conuenit, vtrum neceſſariæ ſint ſatiſfactiones ad remiſſionem peccati quo ad pœnam.*

De tribus partibus pœnitentiæ.

De cultu ſanctorum.

Et circa articulum XXI. admiſerunt nobis, quod omnes Angeli & ſancti Dei in cœlo orant & intercedunt pro nobis, quodq; vſus Eccleſiæ, quo ſanctorum commemorationes & feſta celebrat, Deumq; orat vt ſanctorum nos interceſſio adiuuet, pie, Chriſtiane & recte ſeruatur. Et circa ſequentes articulos in ſcripto quodam ſuo Teuthonico confeſſi ſunt & admiſerunt, vt ſequitur: Nempe circa articulum XXII. qui eſt *de vtraq; ſpecie ſacramenti* Euchariſtiæ, conſentientes nobiſcum, dixerunt, ſacramentum illud non debere ſumi abſq; confeſſione præuia. Et rurſus in ſcripto quodam ſuo amplius mentem ſuam nobis declarantes, ita dixerunt: *Indicauimus vobis, non eſſe partis noſtræ opinionem aut ſententiam, quod prædeceſſores noſtri defuncti, aut alii Chriſtiani in aliis terris & nationibus degentes, qui ſub vna tantum ſpecie venerabile ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſumpſerunt aut ſumunt, ſint damnandi.* *Hanc enim vobis* (inquiunt) *informationem in ſcheda quadam fecimus, quod inſtitutio quidem Chriſti & ad ſacerdotes & ad Laicos pertineat, veruntamen ſit Ceremoniale præceptum, diſpenſabile in quibuſdam caſibus neceſſitatis. Idcirco exiſtimatur ac minime dubitatur, quod multi defuncti & viuentes in Chriſtianitate, qui ſic ſub vna tantum ſpecie ſumpſerunt aut adhuc ſumunt, non ſint propterea damnandi. Sicut & nos ob id eos nequaquam damnamus.* Hæc ibi. Sed & in hoc concordarunt, quod nobiſcum credant, totum Chriſtum, verum Deum & hominem cum corpore & ſanguine eſſe ſub vtraq; ſpecie & ſub qualibet. Immo & hoc in amica illa diſputatione admiſerunt nobis, quod non exiſtiment eos, qui ſub vna tantum ſpecie communicant, peccare, licet nollent, hoc à ſuis Concionatoribus populo prædicari. Quin etiam præcipuus ex eorum Theologis, qui tunc in colloquio erant, Magiſter Philippus Melanchthon, non eſt veritus ad R. D. Laurentium Campegium Cardinalem & Legatum tunc propria manu hæc ſcribere verba. *Rom. Eccleſia nihil faceret alienum ſua clementia, ſi permitteret nobis vti vtraq; ſpecie ſacramenti, præſertim cum non damnemus alios, & fateamur, in ſpecie panis verum corpus Chriſti contineri, & per concomitantiam ſanguinem, adeoq; integrum Chriſtum. In ſpecie vini itidem integrum.* Sic ille manu propria. Hæc igitur omnia breuiter, exempli cauſa recitata, nunc ſufficiant. Cætera vero cuncta, quæ illo in colloquio fuerunt concordata, recitare nunc longum foret, tædioſumq; & haud neceſſarium. Petimus ergo ſuper his benignum ab aduerſa parte reſponſum, vt eo celerius poſſit amico inter nos & eos colloquio, deſyderatæ concordiæ tractatus abſolui.

Verba Phil. Melanch.

Via VI. de triplici variatione Exemplarium vnius einſdemque Proteſtantium, non in verbis modo, ſed etiam in ſententiis.

REuerendi ac Magnifici Domini, Clariſſimi atq; Doctiſſimi viri: Antequam conſedeatur ad concordandum ſuper Confeſſione Auguſtenſi, videtur nobis neceſſariũ fore, vt ſicut antea de Duplici Confeſſione, quarum vna quorundam Principum, altera Quatuor Ciuitatum fuit, ſacræ Cæſ. Maieſt. exhibita mentionem fecimus, ita & nunc admoneamus Reuerend. & Magnificas D. V. de varietate Exemplarium vnius Confeſſionis, quæ Principum dicitur. Exemplaria enim, quæ per Typographos in publicum ædita ſunt, neq; inter ſeſe concordant, neq; Originali ſcripto, quod Cæſareæ Maieſtati Auguſtæ exhibitum fuit, per omnia conſonant aut recte correſpondent, licet mentiãtur in titulo & ſuperſcriptione, in qua ſic habetur: *Confeſſio fidei, exhibita Inuictiſſ. Imp. Carolo V. Cæſari Auguſt. in Comitiis Auguſtæ Anno M. D. XXX.* Eſt quidem in omnib. quæ nobis videre licuit, exemplaribus vnus & idem Titulus, ſed verba ſenſuſq; Confeſſionis in plæriſque locis & articulis non parum variant, & exemplaria inter ſeſe diuerſa atq; etiam diſcordia reddunt. Quomodo igitur poterimus nos cum Aduerſariis ſuper ipſorum Confeſſione firmiter concordare, ſi non corrigatur prius Exemplarium inter ſeſe diſcordantium varietas? Cupimus itaq; prius audire cauſas, quare libuerit Aduerſariis ita variare Confeſſionis ſuæ exemplaria, ne fruſtra ſtudeamus cum ipſis concordare, dũ non concordant eorum exemplaria inter ſeſe. Correcta autem varietate verborum & ſenſuum, facilius poterimus poſtea cum ipſis ſuper vno certo verborum ſenſu cum ipſis amice tractare, & Deo propicio ac bene iuuante concordare. Ne autẽ prolixius æquo extendatur hæc neceſſaria noſtra admonitio (quod vtiq; fieret, ſi per totam Confeſſionem curreret atq; extenderetur diuerſitatis collatio aut commonſtratio) nos breuitatis gratia circa paucos, vtpote duos treſue aut quatuor duntaxat articulos, diuerſitatem & diſcordiam indicabimus, rogantes, vt id æqui boniq; faciatis.

Exemplaria impreſſa mentiuntur in titulo.

Quæſtio de cauſa variantis exemplaria.

Varietas exemplarium Confeſſionis circa articulum II. De peccato Originali.

ORiginale exemplar, quod Cæſ. Maieſtati Auguſtæ exhibitum eſt, ex Teuthonico verſum ſic habet: *Amplius docetur apud nos, poſt lapſum Adæ omnes homines, qui naturaliter naſcuntur, in peccatis concipi ac naſci. Hoc eſt, eos omnes ex vtero matris plenos eſſe malarum inclinationum & concupiſcentiarum, & nullum poſſe à natura habere verum timorem Dei, veramque de Deo fidem. Eum quoq; innatum morbum & originale peccatum veraciter peccatũ eſſe, & damnare ſub æternam iram Dei omnes qui non renaſcuntur per baptiſmum & ſpiritum ſanctum. Circa hoc reiiciuntur Pelagiani & alii, qui Originale peccatum pro peccato non habent, à quo ſane naturam alienam faciunt per naturales vires, ad contumeliam paſſionis & meriti Chriſti.* Hæc ibi. Exemplar vero, quod anno Domini M. D. XXXI. Wittenbergæ per Georgium Rhau excuſum eſt, ſic habet. *Item docent, quod poſt lapſum Adæ omnes homines ſecundum naturam propagati, naſcantur cum peccato, hoc eſt, ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia, quodque hic morbus ſeu vitium originis, vere ſit peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem his qui non renaſcuntur per baptiſmum & ſpiritum ſanctum. Damnans Pelagianos & alios,*

alios, qui vicium originis negant eſſe peccatum, & vt extenuent gloriam meriti & beneficiorum Chriſti, diſputant hominem propriis viribus rationis coram Deo iuſtificari poſſe. Hæc ibi. Exemplar vero, quod hoc anno M.D.XL. per eundem Typographum in eodem oppido excuſum eſt, adhuc aliter habet, *Exemplar*
ſic enim habet: *Item docent, quod poſt lapſum Adæ omnes homines naturali modo propagati, naſcentes* *Tertium prolixe variat.*
habeant peccatum originis. Intelligimus autem peccatum Originis, quod ſic vocant ſancti patres, & omnes Orthodoxi & pie eruditi in Eccleſia, videlicet reatum, quo naſcentes propter Adæ lapſum rei ſunt iræ Dei & mortis æternæ, & ipſam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam. Et hæc naturæ humanæ corruptio, defectus iuſtitiæ ſeu integritatis ſeu obedientiæ originalis, & concupiſcentiam complectitur. Eſtq; defectus horribilis, cæcitas & inobedientia, ſcilicet, carere illa luce ac noticia Dei quæ fuerat futura in natura integra. Item carere illa rectitudine, hoc eſt, perpetua obedientia vera, pura, ac ſumma dilectione Dei & ſimilibus donis integræ naturæ. Quare defectus illi & concupiſcentia ſunt res damnatæ, & ſua natura digna morte. Eſtque vicium originis vere peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem his qui non renaſcuntur per baptiſmum & ſpiritum ſanctum. Damnant Pelagianos, qui negant peccatum originis, & ſentiunt defectus illos ſeu concupiſcentiam eſſe res indifferentes ſeu pœnas tantum, nec eſſe res ſua natura damnatas, & ſomniant hominem legi Dei ſatisfacere poſſe, & propter hanc propriam obedientiam coram Deo iuſtum pronunciari. Hæc ibi.

Ecce quanta eſt varietas Trium Exemplarium, circa hunc vnum articulum. Etenim in primo & *Declaratio*
Originali dicitur: *In peccatis concipi & naſci.* In Secundo, *quod naſcantur cum peccato.* In Tertio, *Varietatis.*
quod naſcentes habeant peccatum originis. Item variant deinde in expoſitione. Primum enim ſic exponit: *Hoc eſt, eos omnes ex vtero matris plenos eſſe malarum inclinationum & concupiſcentiarum, & nullum poſſe a natura habere verum Dei timorem veramq; de Deo fidem.* Secundum vero breuius ſic: *Hoc eſt, ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia.* Tertium deniq; longe prolixius aliterq; exponit, ſic dicens: *Intelligimus autem peccatum Originis, reatum, quo naſcentes propter Adæ lapſum rei ſunt iræ Dei & mortis æternæ, & ipſam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam, &c.* Addit ſane permulta, quæ in cæteris exemplaribus non habentur. Variant præterea etiam in damnationis ſententia. Nam duo priora damnant Pelagianos & alios. Tertium Pelagianos tantum. Variant item circa cauſam damnationis. Primum enim hanc affert cauſam: *Quia ab eo naturam* (inquit) *alienam faciunt per naturales vires, ad contumeliam paſſionis & meriti Chriſti.* Secundum affert iſtam: *Quia vt extenuent gloriam meriti & beneficiorum Chriſti, diſputant hominem propriis viribus rationis coram Deo iuſtificari poſſe.* Tertium multo prolixius affert huiuſmodi cauſam: *Quia ſentiunt defectus illos ſeu concupiſcentiam eſſe res indifferentes, &c.* Certe ſi quis Notarius ad hunc modum toties variaret circa eandem Bullam aut circa idem inſtrumentum, ab omnibus iudicaretur malignus & falſarius. Neceſſarium eſt igitur, vt Aduerſarii noſtri de hac ſua variatione rationem prius reddant, antequam cum ipſis tractetur, quomodo poſſimus cum ipſis de Confeſſione ipſorum concordare. Quandoquidem ipſorum exemplaria inter ſeſe nondum concordant. Quod ſi Notario nulli etiam circa res priuatas & prophanas ita variare licet in ſuis ſcriptis; quanto minus licere deberet noſtris aduerſariis, ſic variare circa tam arduum fidei & ſalutis noſtræ negocium, de quo tot millena exemplaria tam diuerſimode variantia in publicum euulgauerunt?

Varietas circa Articulum XI. De Baptiſmo.

ORiginale Exemplar, ex Teuthonico translatum ſic habet: *De baptiſmo docetur, quod ſit neceſſarius, quodque per eum gratia offeratur, quod pueri quoque baptizari debeant, qui per eiuſmodi baptiſmum Deo traduntur & placent. Idcirco reiiciuntur Anabaptiſtæ, qui docent baptiſmum paruulorum non eſſe iuſtum.* Exemplar anno M. D. XXXI. excuſum ſic habet: *De baptiſmo docent quod ſit neceſſarius ad ſalutem, quodq; per baptiſmum offeratur gratia Dei & quod pueri ſint baptizandi, per baptiſmum oblati Deo, recipiantur in gratiam Dei. Damnant Anabaptiſtas, qui improbant baptiſmum puerorum, & affirmant pueros ſine baptiſmo ſalnos fieri.* Exemplar vero poſtremum, quod anno M. D. XL. excuſum eſt, ſic habet: *De baptiſmo docent, quod neceſſarius ſit ad ſalutem, tanquam Ceremonia a Chriſto inſtituta, & quod per baptiſmum offeratur gratia Dei, & quod infantes ſint baptizandi, & quod infantes per baptiſmum Deo commendati recipiantur in gratiam Dei, & fiant filii Dei, ſicut Chriſtus teſtatur, loquens de paruulis in Eccleſia Matth. XVIII. Non eſt voluntas patris veſtri, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus ex paruulis iſtis. Damnant Anabaptiſtas, qui improbant baptiſmum infantium, & affirmant infantes ſine baptiſmo & extra Eccleſiam Chriſti ſalnos fieri.* Breuior quidem eſt iſte, quam prior, articulus, ſed æque varius. *Declaratio Va-*
Etenim in primo exemplari omittuntur quædam verba, quæ in aliis cernuntur adiecta, vtpote: *Ne-* *rietatis.*
ceſſarius ad ſalutem, Gratia Dei. Et in damnatione Anabaptiſtarum omiſſa eſt in primo hæc clauſula: *Et affirmant infantes ſine baptiſmo ſaluos fieri.* Vbi tertium exemplar hanc quoque clauſulam (*& extra Eccleſiam Chriſti*) ſuperaddit, quam alia duo exemplaria non habent. Addit & aliam, quæ in aliis omittitur, hanc videlicet: *Tanquam Ceremonia à Chriſto inſtituta.* Hic ergo baptiſmum vocant *ceremoniam*, quem nos, atque etiam ipſi Aduerſarii in reliquis ſcriptis ſuis, *ſacramentum* potius vocamus. Addit & alia quædam, quæ in aliis ſunt omiſſa. Merito igitur de hac quoq; varietate exigetur ab Aduerſariis ratio, antequam conſideatur ad concordiæ tractatum. Talis enim varietas concordiam non mediocriter impediret.

Varietas circa articulum 10. de Cœna Domini.

ORiginale Exemplar, ex Teuthonico verſum, ſic habet: *De cœna Domini ſic docetur, quod verum corpus & ſanguis Chriſti veraciter ſub ſpecie panis & vini in cœna preſens ſit, & ibi diſtribuatur atq; ſumatur. Idcirco & reiicitur doctrina contraria.* Exemplar ſecundum ſic habet, *De cœna Domini docent, quod corpus & ſanguis Chriſti vere adſint, & diſtribuantur veſcentibus in cœna Domini, & improbant ſecus docentes.* Exemplar vero Tertium ſic habet: *De cœna Domini docent, quod cum pane & vino vere exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in cœna Domini.* Breuiſſimus quidem eſt iſte articulus in verbis, & tamen cernitur in eo haud diſſimulanda varietas. In primo ſane exemplari dicitur, *ſub ſpecie panis & vini.* Hoc in ſecundo prorſus omittitur. In tertio mutatur hæc clauſula, & pro ea dicitur: *Cum pane & vino.* Per hoc autem inſinuatur non leuis error, quo negatur Tranſſubſtantiatio panis & vini in Euchariſtia. Item in prioribus duobus exemplaribus improbatur contraria doctrina. In tertio autem contra ſecus docentes nihil dicitur. Id quod ſuſpicione non caret, tanquam occulte iam colludant Aduerſarii noſtri inter ſeſe hac de re, de qua tot iam annis atrociſſime aduerſus ſe inuicem publice digladiati ſunt variis prolixiſq; libris, qui adhuc publice proſtant populiſq; ingeruntur. De his igitur tribus articulis, qui certe non de lana caprina, ſed de magnis rebus loquuntur, quanta ſit exemplarium varietas, exempli gratia breuiter dictum ſit, vt Reuerendæ & Magnificæ D. V. inde cognoſcant, quam iuſta & neceſſaria ſit & iſta noſtra petitio, vt Aduerſarii, antequam ad concordiæ tractatum deueniatur, de tanta exemplarium varietate & diſcordia rationem reddant.

Declaratio Varietatis.

Via VII. De armorum ſpiritualium, quibus certandum ſit in colloquio, æqualitate & certitudine à Præſidentibus præſcribenda.

REuerendi ac Magnifici Domini, Doctiſſimi atq; Clariſſimi viri: Quamquam vehementer deſyderamus, & id vnum præcipue in votis habemus, vt iniunctum nobis de concordiæ tractatu negocium in tempore citoq; abſoluatur, cum propter alias rationes non paucas, tum vero maxime propter breue, quod ſupereſt nobis, appropinquantis Dietæ Imperialis Ratiſponæ habendæ, & nuper à Cæſar. Maieſt. indictæ tempus. Attamen non poſſumus diſſimulare impedimentum quoddam, haud leue aut modicum. De quo, priuſquam ingrediamur principale negocium, Reuerend. & Magnificas D. V. neceſſario præmonẽdas eſſe arbitramur. Etenim pars aduerſa plerumq; in ſcriptis ſuis obiicit nobis verbum Dei ſcripturam ſacram. Aliquando etiam Conciliorum, præſertim antiquorũ, Canones & Decreta. Nonnunquam præterea pios & priſcos Eccleſiæ Doctores & ſanctorum patrũ ſcripta. Iam neceſſarium videtur nobis ſcire atq; ab Aduerſariis noſtris, antequam cum ipſis congrediamur, ſtipulari, qua nam lege ex prædictis nobiſcum colloqui aut amice diſceptare velint. Æquũ enim videtur nobis, ſi ex prædictis ratas voluerint habere aut haberi allegationes ſuas, vt & noſtras æquo & eodem iure ratas ex eiſdem, quæ ſupradicta ſunt, habeant & haberi ſinant. Quo enim quiſque iure in alium vtitur, æquiſſimum eſt, ut eodem adverſus ſeipſum alios uti ſinat. Certe ſacras literas, de quibus tot iam annis ubiq; aduerſum nos gloriantur, nullo honeſto prætextu renuere poterunt, ſi à nobis allegentur aut obiiciantur, ſciunt .n. & laici eorum, quanto gloriandi faſtu ſe iactauerint atq; elati in noſtri deſpectũ fuerint, propter Euangelium & verbum Dei, adeo vt ſeſe *Euangelicos*, nos autem *Ariſtotelicos & Sophiſticos* vocitarint Concionatores & Doctores. Laicis vero ſuis, per ſimili noſtri contemptu applaudentibus, permiſerunt, & in manicis prophanis portare & in parietibus domorum depingere ſacrum illud Eulogium: *Verbum Domini manet in æternum.* Sed & Conciliorũ Canonib. & decretis alicubi in Confeſſione & Apologia ſua vſi ſunt. Quemadmodũ & ſanctorum patrum teſtimoniis. Petimus igitur, vt nobis quoq; idem ius & æqualem diſſerendi & allegandi obiiciendiq; libertatem permittant atq; concedant. Idq; certis & apertis verbis explicent diſerte, antequam nobiſcum concordiæ colloquium ineant, videmus enim id vulgo etiam inter ſæculares concertatores pugiles & perduelliones obſeruari & conſuetudine publica receptum eſſe, vt antequam certamen inchoetur, de partibus vtrinq; armis ferreis reſpectus cognitioq; habeatur & decretum fiat. Atqui ex diuerſis aduerſariorum noſtrorũ ſcriptis certi eſſe non poſſumus, quæ nam arma ſpiritualia nobis permittere velint, ſi cum ipſis agendum ſit. Varemundus enim ipſorum omnimoda nuper allegatione aduerſum nos vſus eſt. In prolixa vero reſponſione, quam Hagenoię publice communi nomine dederunt, vnum duntaxat allegationum genus petere & acceptare videntur, nempe quod ex Apoſtolicis productum fuerit literis. Inter cætera enim ſic aiunt: *Atq; ita ſacrarum Apoſtolicarum ſcripturarum autoritate diſcordia religionis ad conformitatem perducatur.* Cum autẽ Lutheri, primi & præcipui eorum Concionatoris huiuſq; diſcordiæ authoris, varium ſit & ex contrarietate incertum de ſacris & de Apoſtolicis ſcripturis iudicium, neceſſarium fuerit, ſi certa inter nos & ipſos debeat (vti deſyderamus) fieri concordia, vt ipſi ante omnem principalis negocii tractatum, certos nos reddant, ex quib. nam ſcripturis Canonibuſq; & patrib. agendum eſſe cenſeant. Experimus etenim in quibuſdam Lutheri ſcriptis multum tribui non ſolum ſacris literis, verum etiam Conciliorum Canonibus & Decretis, atq; etiam Ro. Pontificum Decretalib. & ſanctorum patrum libris. Etenim ſacris literis vſq; adeo multum tribuit alicubi, vt præter eas nihil velit recipere aut admittere. Quemadmodum eſt videre in iiſce potiſſime libris eius, quos mox poſt ſuum hinc, hoc eſt à Wormacia reditum, anno Domini M. D. XXI. edidit. In quibus ſane dicit, *Miram eſſe peruerſitatem noſtram,*

Argumenta ex ſcripturis Canonibuſq; & Patribus.

Iactantia de verbo Dei.

Aequalitas armorum vtrique parti concedenda.

Petitio proteſtantium ad Cæſ. Ma. Varium & incertum Lutheri iudicium.

De ſacris literis.

In prologo aſſertionis Latinæ.

ſtram, vt aliis teſtimoniis, quam ſcriptura noſtra velimus probare, atq; vt ſacras literas non per ſeipſas, & illarum proprium ſpiritum, ſed per hominum gloſſas velimus diſcere. Proinde quod in ſcripturis non habetur, vocat plane *additamentum Satanæ ſeu Leuiathan.* Conciliis quoq; alicubi plurimum tribuit. Nam contra Schedam Stolpenſem ſcribens, *pro impio & blaſphemo dogmate habet, Conciliorum autoritati ac poteſtati detrahere.* Et in libro de X. præceptis ſic ait: *Canones patrum ideo poſiti ſunt, vt dirigant populum. Et debet vnicuiq; ſua deuotio ſemper eſſe ſuſpecta & tanto magis, quanto magis placet, cum eſt contra communem vſum vel decretum patrum.* Similiter & Rom. Pontificum conſtitutionibus alicubi plurimum defert, præſertim vero *in primo Reſolutionum ſuarum libro*, per quem Mundo primum innotuit, hominumq; fauorem & eruditionis famam ſibi peperit atque conciliauit. Ibi enim ſic ait ad Papam Leonem X. *Quare Beatiſſime Pater proſtratum me pedibus tuis, tuæ B. offero cum omnibus quæ ſum & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam.* Item Concluſione I X. *Bene nobis facit* (ait) *Spiritus ſanctus in Papa, excipiendo in ſuis decretis ſemper articulum mortis & neceſſitatis.* Et Conclu. X X V I. *Ego audio Papam vt Papam, id eſt, vt in Canonibus loquitur & ſecundum Canones loquitur, aut cum Concilio determinat. Non autem quando ſecundum caput ſuum loquitur.* Deniq; Conclu. L X I X. ſic ait: *Autoritati Papæ in omnibus cum reuerentia cedendum eſt. Qui enim poteſtati reſiſtit, reſiſtit Dei ordinationi.* Hæc & id genus plurima ſcripſit Lutherus, antequam eſſet excommunicatus & Satanæ traditus. Verum poſteaquam ſuperbus & rebellis eſſe cœpit: ita omnem turbauit & ſcripturæ ſacræ & Canonum Pontificumq; ac totius Eccleſiæ autoritatem, vt ex ſcriptis eius nihil certi, quod ad ſtabilem valere queat concordiam, ſcire poſſimus. Id quod ex paucis eius propoſitionibus ſtatim manifeſtum faciemus:

De abrog. miſſa.
De Confeſſ. ad Iram. De Concilus
De Ro. Pont. Decretalibus.

Quædam Lutheri dicta contra ſacras literas & Concilia Patresq;.

CONtra Moſen & Vetus teſtamentum ſic ait in libello contra furentes ac tumultuantes Ruſticos; *In Nouo teſtamento neq; tenet neq; valet Moſes.* Item in ſermone, *Quouſq; legendus ſit Moyſes,* ait ſic: *Suermeris autem ita obturandum eſt os, quando dicunt, ſic dicit Moyſes. At tu dic, Moyſes nihil ad nos pertinet, Ego Moyſen non accipio, Nam ſi acciperem eum in vno mandato, oporteret me totum Moyſen accipere.* Item: *Ex hoc textu* (Exodi. 20. c.) *clare habemus, quod etiam X. præcepta ad nos non pertinent. Non enim nos, ſed ſolos Iudeos ex Ægypto eduxit.* Et rurſus. *Nullus apex in Moyſe ad nos pertinet.*

Contra Moyſen.

Contra Euangelium & Nouum Teſtamentum.

LVtherus in præfatione ſua in nouum Teſtamentum ſic habet: *Sciendum eſt primum opinionem eam, quod Quatuor tantum ſint Euangelia, totidemq; Euangeliſtæ repudiandam eſſe.* Item. *Vide ne ex Euangelio librum legis aut doctrinæ facias, ſicut hactenus factum eſt, & aliquot Prologi etiam S. Hieronymi ſic ſonant. Quia Euangelium vtiq; non requirit noſtra opera, vt per ea boni ac ſalui efficiamur, immo damnat talia opera, ſed requirit ſolam fidem in Chriſtum.* Item: *Euangelium Iohannis eſt vnicum, pulchrum, verum & principale Euangelium, atq; aliis tribus longe ac longe præferendum, maiorisq; faciendum. Pauli quoq; & Petri Epiſtolæ longe vltra tria Euangelia Matthæi, Marci & Lucæ præcedunt. Iacobi autem epiſtola, præ illis vere ſtraminea eſt, quia nullam Euangelicam naturam in ſe habet.* Huius ergo temerarium de ſacris literis iudicium ſequutus Otto Brunfelſius (cuius non pauci extant belli) multo adhuc audacius cenſuit, *Euangelium eſſe meram relationem Cabaliſticam, & huc tendere omnia, vt Apoſtolos homines fuiſſe credamus, & labi potuiſſe, quia ſcripſerint pugnantia. Quod in plerisq; tam euidens eſſe, ait, vt componi neq; poſſit neq; velit, quicquid tandem moliatur Auguſtinus.* Hæc & id genus multa alia nimis abſurda ſane & impia in Aduerſariorum, præſertim Lutheri, ſcriptis reperiuntur & adhuc extant atq; leguntur.

Otto Brunfelſius.

Contra Concilia.

LVtherus in ſermone ſuo ſuper illud, *Attendite à falſis prophetis,* ait ſic: *Hoc Euangelium ſubuertit funditus & radicitus Papatum & omnia Concilia, Quia non tenemur ſeruare quod Papa præcipit, & homines conſtituunt. Nam dicit, Cauete à falſis. Oportet igitur aut Euangelium mentiri aut Papam ſimul cum Conciliis.* Item: In 30. propoſitionibus, quas ſuis propoſuit & euulgauit Wittenbergæ, habet ſic: *Concilium igitur aut Epiſcopi qui congregati ſunt, æque poſſunt errare, ſicut alii homines. Si autem non errant, id vel caſu accidit vel ex merito alicuius ſancti ac probi viri qui inter eos eſt aut etiam communis Eccleſiæ & non per poteſtatem & autoritatem congregationis eorum. Spiritus enim ſanctus nulla promiſſione obligatus eſt ad Concilium aut Synodum Epiſcoporum.* Item: *In hoc recte dicunt ſe vniuerſalem Eccleſiam repræſentare, ipſi enim non ſunt Eccleſia, ſed vt plurimum repræſentant tantummodo Eccleſiam. Et quando ſolummodo repræſentant Eccleſiam, tunc ſunt Eccleſia, ſicut homo pictus eſt homo, &c.*

Contra ſanctos Patres.

LVtherus in prologo ſuæ aſſertionis ait ſic: *Quanti errores in omnium patrum ſcriptis inuenti ſunt? Quoties ſibi ipſis pugnant? Quoties inuicem diſſentiunt? Quis eſt, qui non ſæpius ſcripturas torſerit. Nemo ergo mihi opponat Papæ aut Sancti cuiuſuis autoritatem niſi ſcripturis munitam.* Et in libro de abroganda miſſa ait: *Conſtat & hoc e Pſal. 4. Quod Dominus mirificat ſanctos ſuos. Et Pſ. 67. Mirabilis eſt in ſanctis ſuis. Sinit eos in multis & diu tam ignorare quam errare. Inducent* (inquit) *in errorem, ſi fieri poteſt electos, hoc eſt, Inductos in errorem tenebunt, vt videantur cum eis in errore manere*

aperire. Nonne hoc in Bernardo, Gregorio, Bonauentura & multis alijs videmus, qui in multis & magnis erroribus permanſerunt cum impijs?

Hæc exempli gratia recitata ſint, è multis pauca, vt intelligant Reuerendæ & Magnificæ Dominationes veſtræ, Viri Clariſſimi, quam iuſta atq; etiam neceſſaria ſit & iuſta noſtra petitio, vt aduerſarij, antequam nobiſcum colloquium ineant, prius nos certos reddant, quibuſnam armis ſpiritualibus vtendum nobis eſſe cenſeant. Si enim ſibi ipſis ius eſſe volunt, opponere nobis non ſolum ſcripturam ſacram, verum etiam Concilia, Patres, Canones & Decreta, ſicut eſt cernere in ipſorum Confeſſione & Apologia, æquum eſt, vt & nobis idem ius permittant, & contraria Lutheri ſui ſcripta vna nobiſcum condemnent, antequam incipiatur colloquium, vt inter colloquendum non fluctuemus in incerto, & vane circumferamur omni vento incertæ per contrarietatem Doctrinæ.

VII.

Anno Domini 1540.

AN STATVI ET DIGNITATI ECCLESIASTICORVM MAGIS CONDVCAT, ADMITTERE SYNODVM NAtionalem, piam & liberam, quam decernere bello: Epiſtolæ duæ Decani & Canonici cuiuſdam. Æditæ primum hoc Iunio M. D. X L. de negotio Religionis quod nunc agitur.

SAlutem plurimam, & obſequia mea ad omnia beneplacita tua paratiſſima. Domine venerabilis & frater dilectiſſime. Scio petere vos, vt ſcribam vobis, quid hic fiat. Scitote igitur, quod parum adhuc fieri hic videtur, quoniam Principes tarde veniunt. Trinitatis debuerant hic eſſe in propria perſona cum Sereniſſimo Rege, quatuor Electores Rheni, duces Bauariæ & Brunſuicenſes, Epiſcopi, Herbipolen. Bombergen, Argentinen. Auguſten. Eiſtaten. Spirenſis, & alij Principes obedientes, quorum nomina non ſcio. Sed adhuc nemo aduenit, præter Brunſuicenſem Ericum, & Auguſtenſem Epiſcopum. Spirenſis hic fuit, ſed alij non fuerunt hic, ne impenſas multas faceret, rediit. Dicunt eum velle cum Palatino redire. Sereniſſimus Rex adduxit ſecum doctiſſimum epiſcopum Vien. Ioannem Fabrum, Tridentinum, & Mutinenſem, Nuncium Apoſtolicum, qui eſt vir valde pulcher. Dicunt quod etiam ſit multum doctus, ſed in Oratoria.

Optatis forte etiam intelligere, quid ſperent hic fieri Catholici. Fuimus conſternati per dies non multos, quaſi Cæſarea & Regia Maieſtas vellent Lutheranis publicam diſputationem concedere, & permittere, quod illi in publica audientia, ſua venena effunderent, & conari quandam compoſitionem facere inter Catholicos & hæreticos. Sed Deipara virgo, quæ ſola cunctas hæreſes interimit, fecit, vt ſperamus, quod inuictiſſimus Cæſar & Sereniſſimus Rex, melius cogitabunt, ad quid ſint ſedi Apoſtolicæ obligati, & quod ſine conſenſu Sanctiſſimi domini noſtri Papæ, non debeant peſſimis iſtis hæreticis & ſchiſmaticis concedere, quod de Articulis fidei, & ordinationibus Sanctæ matris Eccleſiæ, diſputent. Nam &, vt ait Imperator, *iniuriam facit iudicio reuerendiſſ. Synodi, ſi quis ſemel iudicata ac recte diſpoſita, reuoluere & publice diſputare contenderit.* & multis denuo Apoſtolicis & Canonicis atq; Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſq; ſententia Rom. Pontificis Concilia celebrari. Quod ad omnes etiam pertinet, non debet per nos paucos Alemannos ſtatui, vel mutari.

Aiunt Sanctiſſimum velle Concilium generale indicere ad Metim. Si verum eſt, doleo. Spero tamen, ſi etiam verum ſit, quod nullum ſortietur effectum, & quod Sanctiſſimus hoc offert tantum, vt Cæſaream Maieſtatem ſuſpendat, ne concedat Lutheranis Concilium nationale, pro quo inſtare dicuntur. Conſiſtorium procul dubio plus ſapientiæ habet, quam quod Concilium generale vellet celebrari. Apud omnes Principes & Reges inueniuntur Lutherani & Lutherizantes, & ſunt laici per ſe clericis, bone Deus, multum infeſti. Ideo pro ſtatu noſtro, nunquam bonum erit Concilium celebrare. Contra Lutheranā doctrinam maior pars, vel omnes potius conſentirent, ſed vellent forte etiam aliqui Reges & Prælati de reformatione Cleri quæſtiones mouere. Et per ſe eſt monarchiæ contrarium, ſubditis permittere Concilia facere. Papa ſupra Concilium eſt, & poteſt decreta Concilii annihilare. Quare igitur vellet propter paucos hæreticos, tot Nationes fatigare, & ſe quaſi iudicio Concilii ſubijcere? præſertim cum iſti hæretici contra poteſtatem Papæ ſingulariter inſaniant. Et etiam aliqui ex Epiſcopis & Principib. noſtris, qui creduntur adhuc eſſe Catholici, dicuntur docere, quod poteſtas Papæ tam magna ſit. Ideo Epiſcopi, qui fideles Papæ erint, & non ſint de malis auibus, quæ ſuum proprium nidum permerdant, inſtabunt apud optimum Regem & Cæſarem, nec non alios Catholicos Principes, vt Lutheranis nec nationale, nec generale Concilium permittatur nec vllus publicus Tractatus.

Sed ſi

Sed ſi volunt eis aliqua ad tempus permittere, quod tamen iuris Eccleſiæ & ſtatus clericalis non ſit nimis derogatiuum, hoc eis breuibus verbis indicent, & in cæteris obedientiam debitam exigant. Vt ſi forte putarent, quod concedi eis debeat communio ſub vtraq; ſpecie, diſpenſatio de vxoribus, quas illorum ſacerdotes nunc habent, quæ diſpenſatio ſic tamen concedi debet, vt in poſterum nemo illorum vxorem accipiat. Et diſpenſationem hanc oportebit eos à Sanctiſſimo accipere, & ſimul in obedientiam eius deuote redire. Poſſet tamen Sanctiſſimus illam diſpenſationem ad intercesſionem Cæſareæ Maieſtatis & Principum gratis dare, ea tamen conditione, vt certam ſummam militum darent contra Turcam. Si nollent Lutherani talem miſericordiam cum gratiarum actione ſuſcipere, tunc deberent eos Cæſar & Rex cum Principibus Catholicis gladio humiliare, & obedientiam docere in virga ferrea. Sed cum tempore videbimus, quid erit, & ſi aliquid ceperint deliberare, quod ego ſcire potero, volo hoc ſemper ad vos ſcribere. Salutem dic D. Cuſtodi, & D. Quirino, cum illius Elſa, & bene valete. Hic non habemus vina Ringauica, ſed craſſa Alſatica, vel Suebitia nata circa Haganoiam. Vale Haganoiæ, 3. poſt feſtum Corporis Chriſti, Anno 1540.

N. N.

Decanus tuus ad vota.

SALVTEM D.

Accepi literas dominationis T. colende Domine Decane, amice amantiſs. & legi ſodalibus noſtris, qui omnes gratias tibi mecum agunt, quod noſtri amice memor ſis, & quæ iſthic expectantur adhuc magis quam geruntur, tam diligenter perſcripſeris. Quoq; re ipſa oſtendamus, quam gratum nobis fuerit hoc tuum officium, voluerunt ſodales, vt tibi reſcriberem, idque ego pro mea erga te obſeruantia, non illibenter facturum me, illis recepi.

Reuertenti itaque ad te miniſtro tuo, has præpropere ſane ſcriptas tradidi. Sed oro tamen, vt dum tibi noſtram ſententiam libere explico, vt hic in menſa, & aliis noſtris colloquiis facere ſoliti ſumus, velis id æquo animo pro tuo candore ſuſcipere. Nam vt præſentes, ita etiam abſentes diſſentire à te alicubi, vel error aliquis, vel verum, conſeruandi nos melioribus temporibus conſilium, compellit. De eo tamen conuenit nobis tecum, quod & rex merito iraſcitur, & cæteri iure indignantur Principes obedientes, huic ſuæ laudi tam maligne reſpondere, ita ſero aduentando, maxime cum & cauſa tam multiplex & difficilis agitanda ſit, & Turci videantur haud ita multum temporis, noſtris ad conſultandum conceſſuri.

Haud tamen poſſum te celare, quæ in quodam conuiuio apud Dominum Cantorem ante triduum habito, de hac mora Principum inter nos diſputauimus. Aderant duo Equeſtris ordinis viri, ex ea aula, quam tu ſingulari ſoles laude cohoneſtare, ii cum audirent omnes prope conuiuas, Principum cunctationem damnare, ſoli defendere conabantur, imo contendebant, ſi etiam Principes ipſi prorſus non aduenirent, id tamen non eſſe illis vitio vertendum. Ex more enim & inſtituto Imperii noſtri eſſe aiebant, vt ob negotium multo minus periculoſum, & explicatu difficile, quam ſit hoc negotium, cuius gratia præſens conuentus indictus eſt, iuſta omnium Statuum Imperii Comitia indicantur. Ea magno Imperii incommodo multis iam annis dilata eſſe, nuncq; eam rationem Conuentus inſtitutam, qua non facile poſſint rebus adflictis Germaniæ, & ſuſceptæ cauſæ remedia opportuna inueniri. Controuerſias enim de Religione, deq; opibus & ditionibus Eccleſiarum, ita inter omnes Status verſari, cunctoſq; implicitos tenere, vt niſi omnibus præſentibus & conſentientibus, explicari diſcutiq; non queant. Iam eos fruſtra magnos ſumptus facere, eoq; viam aperire nouo, & libertati Germaniæ haud innoxio inſtituto. Breuiter hoc non eſſe Principum ſuis & Imperii rebus rite conſulere cupientium.

Reſpondebatur ad hæc à nobis, quæ ex aula ad nos ſcripta ſunt, Cæſarem grauioribus negotiis diſtentum, non potuiſſe citius de iſto conuentu conſtituere, nec ſpatium fuiſſe, aut nunc eſſe, vt plena Comitia conuocentur, præſtare etiam, vt antea cum Primoribus Principibus deliberetur. Sed vrgebant illi contra nos pondere negotii, de quo agendum eſt, quod tantum ſit, vt nullum aliud ei præferri debeat, qui religionis cauſam, totamque Germaniam inuoluat, idque tamdiu, tum nullam exiſtere probabilem cauſam, cur non pridem ille Conuentus indictus & habitus ſit, quem ſuperiore proximo anno Cæſar Francofordiæ pollicitus eſt. Quamquam autem iſtas cauſas in ſe reprobare non poſſemus, inſtetimus tamen, illas eo non valere, vt officii neglecti purgent Principes, qui Regem, ab Imperatore tam grauiter vocati, & in cauſa tam ardua, ſua præſentia tamdiu deſtituarit. Quo enim diutius vera ratio liberandi Germaniam à pernicioſo iſto diſſidio extracta fuerit, hoc magis decere Principes patriæ amantes, totis viribus in id incumbere, vt ea vel nunc tandem ineatur. Quodq; hac in re peccatum hactenus eſt, id illos multo facilius præſentes quam abſentes corrigere poſſe. Habes itaq; nos tibi, de mora Principum obedientum, conſentientes. Nolui tamen educere, quid & alij de ea ſentiant.

De Concilio vero nationali vel conuentu, in quo omnes Status Germaniæ conueniant, & excuſſis controuerſiis religionis, quærant, ſi quo pacto diſſidium hoc Religionis tolli queat, à te, quod tua pace liceat, omnes nos conſentienter diſſidemus, ita vt coram ſæpe ipſe nos audiuiſti. De

Concilio autem generali, quantum ad rem quidem ipſam attinet, nullum celebratum iri, nobis tecum conuenit. At cauſas, cur tu id probas, nos non probamus. De nationali Concilio, vel quanis libera cum Lutheranis actione, tua ſententia eſt, nihil huius illis concedendum eſſe. Exiſtimas enim id noſtris partibus fore inutile, & iure negari poſſe. Quamuis autem noſtra perſona requirat, vt prius de iure, quam de vtilitate, ante quid deceat, quam quid noſtris rationibus conducat concedi aut negari, diſputemus, volo tamen tuum ordinem ſequi, & de eo prius videre, vtrum è re noſtra ſit, Lutheranis locum dari, ſiue in Concilio nationali, ſiue alio quopiam conuentu, vt cauſam ſuam libere agant, & moliri noſtros cum illis quam queant pacificationem, an ratione hac prætermiſſa, ſtatim armis eos aggredi.

Natura quiſque conſeruari ſe, & ſuas viuendi rationes ſaluas eſſe cupit. Sit itaq; iuſtum & honeſtum, quicquid ad conſeruandum ſtatum noſtrum valeat, & à direptione Lutheranorum noſtra nobis cuſtodiat. Hic autem, mi Domine Decane, pro tua prudentia potius quam in Lutheranos indignatione expendas velim, quo in loco ipſi ſimus, vtq; res noſtræ habeant, tum quo Lutherani peruenerint, & quid hodie valeant, quantoue rerum ſuarum ſucceſſu fruantur, quid deniq; ii, quibus defenſoribus nitendum nobis eſt, velint, & perficiendum à ſe confidant. Compendium enim illud, vt Lutheranis paucula quædam, quæ nobis fraudi non ſint, ea lege concedantur, vt cætera ſe obedientiæ Pontificis reſtituant, &, ſi eam conditionem reſpuant, vt vi in ordinem redigantur, vereor non iam facile confici poſſe, atque tu id pro conſeruatione ſtatus huius noſtri, non imprudenter præſcribis. Vides vt diffluimus, vtq; & eruditione, & quarumlibet virtutum ipſa etiam ſpecie indies magis deſtituimur, vtq; ea, ob quæ hominibus omnium ſane ordinum inuiſi ſumus, continuo cumulamus. Quæ in templo gerenda nobis ſunt, cottidie frigidius & faſtidioſius geruntur, in luxum autem, in ebrietates, inq; omnia, quæ ordinem noſtrum deturpant maxime, feruntur noſtri continuo & ardentiores & impudentiores.

Iam fac eſſe, vt Deus iſta humana negligens, nihil ob ea malorum nobis immiſſurus ſit, & vel vel fabulæ ſint, quæ de grauiſſimis Dei animaduerſionibus in miniſtros eius, tantum muneris ſui negligentes (taceo deprauatos & tam vitioſos) ſcripturæ commemorant, vel quod nunc indulgentior in flagitioſos Deus factus ſit, quam olim erat, Tamen inſitum omnibus hominibus, etiam parum bonis, vitiorum odium, & innata cunctis contra homines otioſos, & publica, nedum ſacra bona flagitioſe abligurientes, inuidia, efficiet tandem, vt ii quoq; nos oppugnent & diripiant, à quibus nos maxime ſperabamus iri defenſum, præſertim cum ceremoniæ, quarum cauſa ſacroſancti hactenus fuimus, tantopere frigeant & vileſcant, idq; non tam Lutheranorum in eas conuiciis, quam cum noſtra ipſorum tam irreligioſa & pudenda ſane earum adminiſtratione, tum obtinente paſſim, & in aulis præcipue, contemptu earum plane Epicureo. Itaq; ſi nos & noſtra reſpicimus, quemadmodum indies horrende accumulari in noſtro ordine cernimus, omnia ea, propter quæ odio & prædæ omnium digniſſimos, homines ipſa naturæ luce ducti iudicant, ita etiam ſi vel nulla in nos accenſa ſit, vel vltro ceſſet ira Dei, nihil quam deſpoliationem atq; interitum ab iis quoq; iure expectemus, in quibus præcipuum præſidium nobis & rebus noſtris ponimus. Reliqui vt animati in nos ſint, quantaque ſit vis eorum, cottidie experimur.

Conſideremus nunc, & Lutheranos, quales quales ſint, habent tamen hodie præcipuas Germaniæ principales domus, vel fœderatas ſibi, vel admodum amicas, alias totas, alias partim. Domus Saxoniæ tota illis fœderata eſt. Domus Bauariæ ſi non tota, magna tamen ex parte illis amica eſt, & haud ſcio, an vllus ex hac domo ſit, qui velit Lutheranos extinctos. Domus Electorum tertia Brandenburgenſis tota, etiamſi non defenſionis, tamen Religionis fœdere illis iuncta eſt. Brunſuicenſium nemo præter Heinrichum eſt, qui illis ex animo male velit, quidam etiam ſunt in fœdere eorum. Cliuenſem tu ſcilicet putas ſororium ſuum, & ex ſorore nepotes velle perditos? Pomeranorum, Virtenbergenſium & Heſſorum Principum vt pauci nunc ſint, tamen & ſuis & amicorum viribus non parum poſſunt. ita & Regis Danorum, qui plusquam Lutheranus eſt, magna profecto potentia eſt, & fortuna prope inaudita. Inter reliquos quoq; & Principes & Comites atq; ciuitates totius Germaniæ, quantula quæſo portio eſt eorum, qui hoſtili in Lutheranos animo ſint, præ illis, qui eis vel ſocii ſunt, vel amici. Imo quæ vrbs in Germania alicuius potentiæ, excepta vna & altera, non plane Lutherana eſt? Populum vero ſi reſpicis, videmus pridem, quam ad Lutheranos inclinat, partim odio noſtri, partim cupiditate vitæ licentioris, partim etiam quod Lutherani ſua & doctius probant & grauius adminiſtrant.

Quid igitur putas per Germanos pro nobis contra Lutheranos, præſertim ad delendum eos, confici poſſe? Sumus alioqui etiam noſtris hominibus quaſi mundo mortui, quamlibet mundo ſtudioſe viuamus, vt etiamſi non tantas daremus omnibus ordinibus odiendi nos cauſas, tamen non ii habeamur, pro quibus illi putent multum ſibi periculorum adeundum eſſe. Si vero adducatur miles extraneus, verendum, ne id Lutheranis etiam eos iungat, quos vtcunque adhuc in noſtris partibus tenemus. Huc itaq; potentiæ & ſocietatis atque fauoris cum Lutherani peruenerint, tantumque valeant, non eſt vt ſperemus eos tam paruo negotio excindi poſſe.

De ſucceſſu vero eorum quid attinet dicere? An non prorſus fatales victoriæ Dani? Et quis noſtrum expectaſſet ditiones illas duas, Electoriam Brandenburgenſem & Myſnenſem, Electoriam patem, in quibus regnabant duo conſtantiſſimi patroni noſtræ gentis, Ioachimus maior, & Georgius, tam breui tempore Lutheraniſmo occupandas? Quis non fateatur & ſuperos iratos nobis,

qui cogitet Georgium vtroque filio orbo, ſuperſtitem, nihil non molitum eſſe, vt retineret ditionem ſuam in noſtra fide, auertere tamen non potuiſſe, quin nondum elato eo, regnaret in eius ditione Lutheraniſmus? Idem fati in Pomerania experti ſumus, vbi patri, quo nemo magis noſter erat, ſucceſſit filius tam minime noſter. Reputes tu ipſe iam ſectæ huius ab initio progreſſus, & fruſtrata noſtra contra illam conſilia, an non in vtroq; ſiue fortunæ libidinem, ſiue numinis vim, merito admireris.

Sed expendamus etiam quid & velint & poſſint ii, quos conſtantiſſimos & ſumme voluntarios ſtatus noſtri defenſores eſſe confidimus. Imperator & frater eius rex Ferdinandus, vt damnent hi, & deteſtentur Lutheranos ex animo, quam multa vero putas illos probare in nobis? Deinde cum cognatos habeant tot in Lutheranis Principes, cumque ſeruatores patriæ quam vaſtatores audire malint, exiſtimas ne ita accendi poſſe eos, ad perdendum Lutheranos, & ad excitandum bellum in Germania tam dubium, & vtcunq; cadat prope exicioſum, quam nos accenſi ſumus? Neq; illud parum ponderis apud eos habebit, quod toties & per ſe, & in Comiciis Imperialibus promiſerunt & ſanxerunt, diſſidium hoc Religionis non armis, ſed pia & graui controuerſiarum omnium explicatione in Nationali Synodo vel Imperii conuentu, ſiquidem generale Concilium haberi non poſſit, tollendum eſſe. Noſti enim vt Lutherani haſce promiſſiones & ſanctiones vrgeant, vtq; pro nationali Synodo, aut tali conuentu & actione, quales Imperator ſuperiori anno vltro illis per Oratorem ſuum Francoforti pollicitus eſt, inſtent. Nec ignoras quam paucis hæc eorum poſtulatio non æquiſſima videatur, quantumq; illis apud omnes bonos & æquos, ea & fidei & fauoris, nobis autem non minus odii & defectionis conciliet, languereque eorum conatus faciat, qui etiam toto pectore pugnare pro nobis cupiunt. Haud parum enim referre boni Duces exiſtimant, cauſam belli habere, quæ vulgo probetur.

Verum fac hoc Principes ad tollendum Lutheranos, nobis ipſis eſſe inflammatiores, adeo, vt eos nec cognatus ſanguis refrigeret, nec bonorum vel vulgi iudicia moueant, nec vel propria promiſſa, vel Imperii decreta impediant, haud tamen facias eos tam ſtultos, vt noſtri cauſa non ſint probe conſideraturi, quid ſibi ex hoc bello commodi vel incommodi euenire poſſit. Meminiſti vt ſuauiter nos Itali, viri ſane acuti, ſæpe riſerint, cum audirent nos exiſtimare, Imperatorem Gallo Mediolanum redditurum eſſe. At ſi non reddit, qua quæſo compenſatione illum fidum certumq; amicum retinebit? A Turcis autem audis, vt in Italia & Germania laboretur, & non eſſe nationem hodie, cuius vires contra Turcos ſint æque neceſſariæ, etiam exteri fatentur. Sed vt nullam etiam difficultatem, nullum diſcrimen Principes noſtri remorari ſe patiantur, quo minus extrema contra Lutheranos moliantur, ſiquidem hi nolent ſe noſtro Imperio reſtituere, ſitq; illis hic omnium laborum & periculorum vnus finis, vt nos regnemus, & de opibus Eccleſiarum deliciemur, ſoli mortalium quamlibet flagitioſe & ſcelerate viuamus, omnium iudicio & Imperio exempti, Id tamen iuxta cogites, quo animo, qua voluntate futuri ſint ii, quorum opera Principes in reſtituendis nobis & delendis Lutheranis vtentur. Quæ obſecro tenet hos religio poſſidenti ditiones opeſque Eccleſiæ? Quam ſunt etiam multi, quam denique inſatiabiles? Nec ſunt opes, in quas, ſi ſemel direptioni patuerint, pari furore non milites tantum inuadant. Videntur enim per ſe publicæ eſſe, & indigne teneri à nobis, quos ocioſos & nullius frugi homines exiſtimant. Hinc potes & illud conicere, qua poſſint noſtri propugnatores voluntate eſſe in bellum, vt internitioni dent Lutheranos, quaq; fiducia.

Hæc ego dum inter ſe confero, gratiam & fortunam noſtram, ſocios, amicos, & ſucceſſum Lutheranorum, humanitatem & prudentiam Imperatoris & Regis, dicam & militum, per quos bellum Lutheranis inferendum erit, Religionem & tam moderatam cupiditatem, fateor ingenue, exhorreſco quoties te audio & alios noſtros homines expetere, vt bello reprimantur Lutherani, Et quamlibet malim cum illis tranſactionem, quæ Synodis & diſputationibus perfici poſſit, quam armis tentare fortunam, nobis tot iam annis adeo aperte inimicam. Quis iam Deus nos certos faciet, nunc tempus aduenilſe, in quo curſus factionis huius conſiſtat, vt repelli ſe patiatur.

Quamquam enim Lutherani nos male ament, tamen homines ſunt, molemq; belli, ſi armis de Religione decernendum ſit, indubie perpendunt. Nam vidimus iam ſæpe eos ſe continuiſſe non ſolum à vi, verum etiam ab inuadendis Eccleſiis, etiam cum maximas alioqui occaſiones, parumq; quod metuerent, haberent. Noſti quæ tempora aliquoties extiterint, quam prona ipſis & ardua nobis. Tum maieſtatem & potentiam Principum noſtrorum Imperatoris & Regis longe pluris faciunt, quam pleriq; exiſtiment. Cum deniq; eos Eccleſiaſticos, quorum plane potiebantur, vbi conditionem illi admiſerunt, non prorſus inhumaniter habuerunt, non ab re expectauimus, tantis adhuc & patronis & propriis opibus freti, tranſactionem multo nobis commodiorem. Iam ſi ſit vnde viuamus, & forſan etiam vnde cognatis noſtris locum noſtrum retineamus, cur non hoc, quam bellum tam anceps, tam periculoſum mallemus?

Doctrinam ſi repurgari patiamur, quam ipſi fatemur nimis multis anilibus fabulis contaminatam, quid inde ad nos redeat incommodi?

Si quid de Ceremoniis & Miſſis decidere oporteat, imminuentur nobis onera.

Si mittenda ſit Romanenſium potentia, minus expilabimur.

Si adimatur nobis & repudiorum & pellicum licentia, vnaque coniuge quemlibet contentum eſſe oporteat, vt hoc forſan aliquid moleſtiæ habere videtur, ſpes tamen eſt, tam honeſtas

nos habituros, tum tolerabiliores pellices, dum non permittentur nobis, arcebuntur à nobis meræ peſtes.

Itaque dum illud apud me quoque principium valere ſino, vt ſit iuſtum, ſit pium & honeſtum, quod faciat ad conſeruandum noſtrum ſtatum, vitam hanc ſic molliter degendam; & opes huic vitæ neceſſarias & opportunas, & iuxta omnia, quæ merito nobis in hoc diſcrimine conſtitutis, conſideranda ſunt, rationem ineo quam poſſum diligentem, aliud ſtatuere non poſſum, quam optandum etiam nobis eſſe, & pro virili quærendum, atque modis omnibus maturandum, vt quam commodiſſima via & ratione cum Lutheranis de pacificatione Religionis tractemus, ſiue id nationali Synodo, ſiue Imperii conuentu fieri præſtet. Generalem enim Synodum & fruſtra expectabimus, & parum etiam idonea adhuc rebus noſtris pacificandis futura eſt.

Hic clamores eorum hominum, qui ex iſto diſſidio emerſerunt, ſurda aure prætermittendos eſſe cenſeo. Nam quo ruſtici illi, & ſtolidi & impudentes homines ad tantas opes peruenerunt, id ſperant ſibi ſemper lucroſum fore. Etſi ciuili bello conflagret tota Germania, expectant illi Romæ magnam præclari huius facinoris mercedem.

Nobis autem alia ratio eſt, homines ſumus, & patriæ pietas apud nos merito valet, cognati & affines nobis ſunt, qui imperio Germanico ornamento & commodo fuerunt, quos conſeruari & augeri, quo & poſthac patriam iuuent & ornent, iure expetimus. Et ſi Martis diſcrimen ſubire eos oporteat, optandum nobis, vt id contra Turcos, quam contra ciues & neceſſarios faciant. Bona horum pars iam cum Lutheranis facit, nec nulla factura eſt, ſi ad arma veniatur, quos velle excindi, qui poſſumus?

Hiſce de cauſis, dum non quid ius & fas ſit, vel poſcat, ſed quid nobis maxime vtile, & ad hanc noſtram tranquillam & iucundam vitam tuendam conducibile videatur, ego, vt dixi, in ea ſententia perſto, non modo multo expetibilius eſſe, quamlibet concordiam cum Lutheranis inire, quam bello nobis pacem ab illis quærere, ſed illud ſolum expetibile & ſalutare, hoc modis omnibus deteſtandum nobis eſſe & exitioſum fore. Alterum autem, vt res Germaniæ habent, neceſſarium eſſe, vt vel diſſidium hoc Religionis conuentu aliquo & commoda collocutione componamus, vel breui periculoſiſſimo bello confligemur, arbitror & te videre.

Ita enim nimio noſtri vel ſui ipſorum potius ſtudio, qui iudicium Cameræ moderantur, omnia exacerbarunt, tamque multas cauſas, quas Lutherani nunquam conceſſuri videntur, iudicandas ſuſceperunt, indeq; pleroſq; noſtri ordinis homines tam reddiderunt inflammatos & audaces contra Lutheranos, vt niſi aliqua vera & ſolida pacificatio inter nos & illos conſtituatur, non videam, quomodo apertum bellum differri amplius queat. Neq; enim retractare ſententias primi iudicii licebit, & non exequi eas, diſſoluet cunctam in Imperio iuris ſocietatem.

Et nolent forſan etiam Lutherani in iſtis periculis diutius verſari. Poſtulabunt vt vel plane inter ciues Imperii vel hoſtes numerentur. Dum enim perſtat edictum Vormacienſe, & valent, quæ contra illos decreta ſunt Auguſtæ, vt pro inobedientibus, pro hæreticis & ſchiſmaticis habeantur & condemnentur, ſentiunt ſeſe ipſa haberi pro hoſtibus Imperij & incertas duntaxat eis concedi inducias, certo finiendas, dum eos nos armis opprimere conſili fuerimus. In hac belli expectatione haud quieturos eſſe, veriſimile eſt.

Premuntur etiam grauibus & tam diuturnis ſumptibus, quos interim facere coguntur, dum nolunt imparatos ſe nobis obiicere. Mouentur & illo indubie non parum, quod conuentus illis ad libere dicendam cauſam, & quærendas rationes reformandæ & tranquillandæ Eccleſiæ toties promiſſus eſt, & nec hodie præſtatur. Hæc meme in eam adducunt ſententiam, vt certum bellum expectem, & inde indubitatum Germaniæ interitum, ſi non vel nunc vel admodum cito conuentus noſtrorum ſtatuum indicatur, & per homines idoneos, via iuſta & legitima tollendi diſſidium hoc religionis inter nos quæratur, & à Principibus nobiſque omnibus ſtatim ineatur. Proinde dum nos ipſos reſpicio, dum optatam iſtam nobis quietem retineri cupio, valde perturbor, dum audio te & alios prudentes homines à tranſactione cum Lutheranis tantopere abhorrere. Hactenus diſputaui, quid in hoc otio & rebus noſtris conducat.

Nunc diſputemus etiam de iore & honeſto. Primum, quod tu ſcribis, Deiparam Virginem, quæ ſola cunctas hæreſes interimit, adfore Imperatori & Regi, ne obliuiſcantur, quid iurarint Pontifici Romano. Iniuriam quoque ſanctiſs. Synodis fieri, ſi rite ab illis conſtituta iterum pertrahi in diſputationem permittantur. Deniq; Canonibus ſancitum eſſe, vt ſine Pontificis conſenſu nulla prorſus Concilia, nec nationalia quidem habeantur.

Papæ iurati & Principes & nos ſumus, ſed vt vicario Chriſti, vt ſucceſſori Petri, in ſalutem, non in perniciem Eccleſiæ, & quæ ad ſalutem pertinent Eccleſiæ, ad puritatem & integritatem Religionis, eiuſmodi ſunt, vt abiurari non poſſint. Quis autem dubitet, Eccleſiæ Dei per Germanias, imo & totam Europam ſparſæ, ſalutare eſſe, vt de vera eius reformatione, tandem ipſi nos Germani conſilium ineamus, dum fruſtra opem vel ab ipſo Pontifice, vel à generali Synodo expectamus? Equidem hoc ita neceſſarium etiam iudico, vt niſi mature adhibeatur, haudquaquam vel Eccleſiam, vel nationem noſtram ſaluam conſiſtere poſſe exiſtimem.

Proinde nulla Religio iuriſiurandi, vel Imperatorem & Regem, vel alios auertere poterit, quo minus quamprimum, etiamſi id Papa non per omnia probet, Concilium nationis huius indicant, in eoq; veteri illa & ſancta ratione excuti & explicari controuerſias, & ius ſuum reddi Eccle-

ſiæ

ſtis cum inſtauratione legitima totius adminiſtrationis, doctrinæ & ceremoniarum, curent & efficiant. imitati exempla vere Religioſorum Principum, quotquot à Conſtantino I. vſque ad Henrichum IV. fuere, quos omnes legimus ſua authoritate, cum nationalia, tum generalia Concilia indixiſſe, eiſque vel per ſe, vel per ſuos præſediſſe, omnemq; operam nauaſſe, vt per Epiſcopos, aliosq; viros pios & doctos, doctrina & diſciplina Eccleſiæ, cum illa viciata eſſent, repurgarentur, ſuumque in locum reſtituerentur. Neque enim per Epiſcopos tantum multo minus per quoslibet Epiſcopos; ſed per eos vel Epiſcopos, vel alios viros, qui ſacra eruditione atque Religionis zelo præſtabant, explicari & definiri ac ſtatui in Concilijs omnia procurabant.

Iſthuc vero officii, quod ſuperiores Principes Eccleſiæ præſtiterunt, tam abeſt, vt quiſquam vel Romanorum, vel aliorum Epiſcoporum, iudicarit poteſtati Eccleſiaſticæ aduerſarium, vt Pontifices ipſi, hoc ipſum officium à Principibus enixe ſæpenumero rogarint, magniſque laudibus eos Principes, à quibus illud impetrarunt, proſecuti ſint. Si itaque Imperator & Rex, primi Eccleſiarum aduocati, parem opem Eccleſiis ferant, & tale Concilium piorum & doctorum hominum cogant, quod medendis malis Eccleſiarum idoneum ſit, eiq; quo & valeat, præſint, facient, quod non ſolum cum officio, vel cum iuramento eorum nihil pugnat, ſed quod ex officio & ex iuramento ſuo Eccleſiis debent. Statum quoque & dignitatem ſiue Romani, ſiue aliorum præſulum fulcient atq; ornabunt, non infirmabunt aut dedecorabunt.

Iſta, mi Domine Decane, ita habere ipſe iudicares indubie (noui enim aciem ingenii tui) ſi quod ſubinde à te contendo, tam frequens & aſſiduus eſſes in legendis libris ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Cypriani, Euſebij, Ambroſij, Auguſtini, Baſilij, Chryſoſtomi, Leonis & Gregorij, quam es in libris Vicelij, Eccij, Pelargi, & huius fermenti ſcriptorum. Condonabis amicitiæ noſtræ hanc meam libertatem, tibi pridem ſatis notam.

Sed non Pontificiæ tantum poteſtati, verum etiam ſanctiſſimarum Synodorum authoritati detractum arbitraris, ſi detur Lutheranis locus de Religione palam diſputandi. Et adducis dictum Imperatoris. Videndum autem eſt, optime vir, quo ſenſu Imperator hoc dictum legi ſuæ inſeruerit. Non enim ignoras, vetare hic Imperatorem coadunatis turbis diſputare aduerſus ea, quæ veris Synodis probe iudicata & recte diſpoſita ſunt. Iam Lutherani nec in turbis, ſed coram grauiſſimis & religioſis Principibus, in conſeſſu virorum pietate & eruditione ſententia omnium præſtantium, nec contra veterum & vere ſanctarum Synodorum vel pia decreta vel ſalubriter ſtatuta, ſed pro his, vt ea rurſus & cognoſcantur & recipiantur, diſputare, & ſententias atque rationes conferre, ad diuinamque regulam Scripturarum, priſcorumque Canonum omnia exigere cupiunt.

Meminſti quoque, cum proxima hyeme euolueremus *Acta Conciliorum*, quam parum inuenerimus, quo ea, pro quibus cum Lutheranis dimicamus, defendere tuerique poſſimus, quam innumera autem, quibus noſtra prope omnia ſeueriſſime damnantur, & Eccleſiis arcentur.

Dogmata fidei ſi conſideres, nullum eſt ſymbolorum à priſcis illis Synodis concinnatum, quod Lutherani non nobiſcum confiteantur.

Quæ vero docent de gratia, fide & meritis, an non clare expreſſa legebas in Actis Concilii Aphricani, cui Auguſtinus quoque interfuit. Nam Lutheranum fuiſſe illud Concilium, tum exclamabas.

At quæ de Sacramentorum, aliarumque ceremoniarum adminiſtratione ſancita in Conciliis ſunt, ita pro Lutheranis, & contra nos facere ipſe agnouiſti, vt non poſſes ſatis eorum Theologorum deteſtari impudentiam & audaciam, qui clamitant Lutheranos ritus & ceremonias à ſanctiſſimis Conciliis conſtitutos, & à Patribus atque Eccleſiis per multa ſecula obſeruatos diſſoluere & abolere. Aiebas enim (& recte quidem) efficere iſtos ſuis huiuſmodi clamoribus, quod capra, quæ gladium reperit, quo mactaretur. Nam Lutheranos illis clamoribus impelli, vt veteres Canones, ac ſcripta ſanctorum Patrum diligentius quam antea legant, inque lucem proferant, atque nos eo ipſo gladio iugulent, quem nos eis oſtendimus, imo ad quem accipiendum & ſtringendum compellimus.

Ita quid in Miſſis noſtris, omnique diuinæ Euchariſtiæ adminiſtratione Lutherani hodie damnant, quod non & Canonibus, Patrumq; cum ſcriptis, tum obſeruatione reprobum eſſe conuincatur? Nam ita ſancitum, ita traditum & obſeruatum eſſe à diuis Patribus, & tibi, nunc lectis Conciliorum Actis, & pauculis locis ex hiſtoria Eccleſiaſtica & Patribus conſtat, Miſſas non niſi populo, & vni vnas, eique non promiſcuo, ſed ſancto, exhibendas eſſe. Cum Catechumenis enim & energumenis, non vitioſi ſolum, ſed ii quoque ſacro cœtu eijciebantur, cum peragenda ſacra myſteria eſſent, qui à peccatis ad pœnitentiam ſeſe iam receperant, ſed tamen nondum erant reconciliati pœnitentia perfecta. Sacramenta ambo, non minus ſanguinis Chriſti quam corporis, æque plebi diſpenſanda, atque ſacerdotibus ſumenda. Tum ſacras lectiones, hymnos & preces ea lingua, eoq; modo populo adminiſtrandas, vt inſtructiores inde pietate reſpondeant, *Amen*.

Sed extrahor in hæc longius, quam Epiſtolæ huic conueniat. Nemo, qui, quæ docuerunt & obſeruarunt, de ſacris Ceremoniis ſancti Patres, cognouit, negare poteſt cum illis noſtra prope ex diametro pugnare.

Si iam inſpicias, quæ de electionibus & ordinationibus, atque de vita & diſciplina Clericorum quorumlibet ordinum conſtituta ſunt, videbis vix è mille vnum noſtrorum hominum eſſe, qui ſuum in Eccleſia locum obtinere queat, ſi valere veteres, veri, probatique Canones debent.

Quæ de Cœlibatu conſtituta ſunt, & pœnitentiæ ſeueritate, faciunt quidem egregie contra Lutheranos, at nobis ſimul nullum prorſus in Eccleſia locum relinquunt. Nam qui vllam apud ſe mulierem habeat, præter matrem & ſororem, eum Canones in miniſterio non ferunt. Fornicationis vero probabiliter ſuſpectos, omni communione Eccleſiæ priuant.

Ita nec eos qui ludunt alea, quiue venantur, in ordine Clericorum tolerant, eamque vitæ diſciplinam præterea requirunt, quam ſi nos præſtare oporteat, quotuſquiſq; noſtrum exiſtimaret ſe viuere: Hæc ita habere ipſe cognouiſti, eoque male precari ſoles fratri illi, qui viſus ſibi Lutheranis rem valde moleſtam facere, *Acta Conciliorum* congeſta nuper euulgauit.

Si itaque amiciſs. vir, petentibus Lutheranis, vt de iis quæſtionibus, quæ inter nos controuertuntur, audiantur, obiiciamus, iniuriam fieri S. Synodis, ſi in diſputationem reuocentur, quæ in Concilijs bene conſtituta ſunt. Non putas reſponſuros eſſe, ſe nolle de eo diſputare, vt quæ à Synodis ſanctè decreta ſunt, reſcindantur, aut quæ vtiliter Eccleſiis inſtituta, refigantur. Sed potius vbi hæc à noſtris hominibus reſciſſa & refixa ſunt, reuocentur, & reſtituantur. Tum etiam orbi oſtenſuros, quam nihil ex omnibus Canonum ſanctionibus nos obſeruemus, imo quam pugnent cum illis noſtra prope omnia. Id quantam nobis etiam apud malos & ſeditioſos homines inuidiam motutum ſit, tua prudentia facile exiſtimabit. Nam ſic nati homines ſunt, vt ſæpenumero hoc moleſtiores ſint exactores iuſtitiæ alienæ, quo minus præſtant propriæ.

Iſtas itaque veteres excuſationes, niſi ipſi rationibus noſtris obeſſe volumus, miſſas facere oportet. Quod enim priſcis Canonibus, quod legibus piorum Principum, de rebus & hominibus Eccleſiaſticis conſtitutum eſt, nunc multo pluribus, quam antehac cognoſcitur, noſtræque autoritatis Religio longe etiam, quam vnquam antea facta eſt imminutior, omnium quoq; mentes ad veritatem, ad Religionem ſynceram, multo quam erant, erectiores ſunt. Vnde ſatis non erit, nos aliquid affirmare vel negare, neceſſe præterea eſt, vt ita ſe habere, quæ affirmamus vel negamus, certis argumentis comprobemus.

Proinde nec illud, quod ex Gratiano, vel conficto quopiam Gregorio attuliſti, ad reijciendam Lutheranorum de Concilio nationali poſtulationem, quicquam valebit. Multis Apoſtolicis, Canonicis & Eccleſiaſt. regulis nos inſtrui, non debere concilia celebrari abſq; ſententia Rom. Pontificis.

Generalia quidem Concilia, ſi Roma veros adhuc Pontifices haberet, celebrari non debent illis præteritis, eo quod inter Patriarchas primi eſſe debeant. Sed vt Nationalia vel Prouincialia celebrentur, ſententia Rom. Pontificis, cum Apoſtolicæ adhuc & Eccleſiaſticæ regulæ valebant, nunquam requirebatur. Nam Canones in ſingulis prouincijs binas, & totius cuiuſq; nationis toties celebrari Synodos præcipiunt, quoties id è re eſſe Eccleſiarum poſſit. Et nullam ſedem Canonibus Romana magis ſubiectam eſſe, & ſeruandis illis amplius ſtudere conuenit.

Sed fac conſtitutum eſſe, nec Nationalia Concilia ſine Rom. Pontificis ſententia cogi debere, quamquam id nec de generalibus quidem ita ſimpliciter verum eſt, Quid tamen valere hoc ipſum debeat, ſi conſtet Pontificem in fraudem Eccleſiarum nolle Nationalem Synodum admittere? Nemini enim quicquam poteſtatis eſſe poteſt ad incommodandum Eccleſiis. Omnia ſunt Eccleſiç, ipſe quoque Cephas, Apollo, Paulus & vniuerſus orbis. Quare ſalus Eccleſiæ omnibus & rebus, & hominibus præferenda eſt, nec poteſt ea Pontifici, aut vlli creaturæ poteſtas eſſe, vt celebrare Synodum prohibeat, cum id ſalus Eccleſiæ requirit.

Nunc autem res Eccleſiarum tam miſere habent, vt nunquam antehac habuerint miſerius. Pontifex Adrianus Nurembergæ per nuncium ſuum ingenue confeſſus eſt, *à planta pedis vſq; ad verticem nihil eſſe ſani in toto corpore ordinis Eccleſiaſtici.* Atqui nemo nocet in Eccleſia Dei amplius, quam qui peruerſe agens, nomen vel ordinem ſanctitatis & ſacerdotis habet. Quare ſi vnquam neceſſitas fuit, Synodo in Domino coacta, reſtitutionem quærere ſacri miniſterii, nunc profecto ſumma eſt. Et nihil quam certum Eccleſiæ exitium moliri eum neceſſe eſt, qui conetur hoc tam neceſſarium Synodi remedium Eccleſiis auertere.

Pontifex itaque aut volet Lupum ſe, aut Paſtorem præſtare. Si Paſtorem, maxime gratum ei erit, vt conuenientes iuxta leges Domini & Patrum ſanctiones in Eccleſiis noſtris omnia reſtituamus: Si Lupus, non eſt audiendus ab ouibus Chriſti. Noſti autem tu melius quam ego, quam nihil quamlibet immanium flagitiorum & ſcelerum Romæ non plane regnet. Quare ſi intercedat Pontifex, ne Germani ipſi Eccleſiarum noſtratum reformationem moliamur, nemo dubitauerit, dumtaxat bonorum, eum id ideo facere, quod mauult regnum Chriſti apud nos penitus aboleri, quam aliquid ſuæ tyrannidi decedere.

Si itaque non vltro libeat perire, dabimus nos Germani operam, quicquid Pontifex Rom. ſibi ſumat, quicquid etiam alii ignoratione iuris Eccleſiaſtici ei tribuant, vt quamprimum Concilio nationis noſtræ libero & ſancto, quæ ſit pura certaque Chriſti doctrina & adminiſtrandi Eccleſias optima ratio, inquiramus, eamq; toto pectore amplectamur, repudiatis & correctis, quæcunq; his aduerſa in Eccleſiam irrepſerunt.

Nec magis nobis patrocinatur & illud, quamquam verum ſit, quod omnium intereſt, non debere mutari, aut conſtitui à paucis. Nec enim mutari recte conſtituta, aliquid conſtitui, quod non ante ſpiritus ſanctus conſtituerit, Lutherani poſtularit, licere modo ſibi petunt, amplecti rurſus, & reſtituere, quæ ſunt à Domino præcepta omnibus, & ſine quo ſalutem conſequi nemo poteſt. Quod autem ſic omnium intereſt, id quiuis pro ſe amplecti atq; reſtituere debet, etiam ſi totus orbis repu-

repugnet, tam abeſt, vt id non liceat toti nationi. Chriſti ſumus ſinguli, & huius eſt totus orbis. Nulla itaq; probabilis ratio inueniri poterit, qua Synodum nationalem, poſt toties repetita, atque tantis autoritatibus ſancita, Lutheranis poſtulantibus negemus, neque vllam etiam grauiorem de controuerſiis Religionis collocutionem. Noſtrum enim eſt quacunq; omnino ratione liceat, & errantes alios explicatione veritatis in viam reducere, & noſtræ quoq; doctrinæ & vitæ rationem cuiuis poſcenti libenter reddere. Id quod inde ab Apoſtolis vſq;, in Eccleſia prope annos mille obſeruatum eſt.

Cum ergo pax nobis, niſi de Religione conueniat, conſtare haud poſſit, & bello decernere tam ſit dubium & periculoſum, ego certe valde optarim, vt cogi Synodum nationalem, vel alium huic negocio idoneum conuentum, ipſi curemus, & vias veræ conſenſionis ſtudioſe quæramus.

De Concilio vniuerſali, vt ſcribis, Pontifex ſerio non cogitat, ſed ſi offert illud, extrahere tempus molitur. Verum quod tu hoc prudentiæ adſcribis, & putas obeſſe ſtatui noſtro, ſi concilia celebrentur, & monarchis inimicos eſſe ſubditorum cœtus, &c. in his quam diuerſa ſit noſtra ſententia, pridem noſti. Nam, vt oſtendi & alias ſæpe, & hac iterum Epiſtola, ſic res noſtræ habent, eo turpitudinis & publici odii prolapſi ſumus, vt nec per Deum, nec per homines poſſimus ſtatum noſtrum, reformatione eius repudiata, conſeruare. At ſi legitimam ſacri miniſterii reſtitutionem admiſerimus, conditionem noſtram & conſtabiliemus, & commodam reddemus. Quantumuis enim Lutheranorum, vel Lutherizantium apud Reges & Principes exiſtat, & quamlibet infeſti ſint nobis laici, tamen ſi veritati, ſi æquitati, ſi Religioni muneris noſtri nos ſynceriter accommodemus, facile à nobis omnem iniuriam, ſtatuſue noſtri violationem abarcebimus. Vincet etiam veritas, nec poterit iuſticiæ atq; pietati præualere iniquitas & ſuperſtitio.

Sed nec illud tibi largiri poſſumus, monarchiæ contrarium eſſe, ſubditis concedere, vt Concilia habeant. Tyrannidis enim non monarchiæ eſt, cœtus ſubditorum prohibere. Princeps, quamlibet vni rerum ſumma ſit credita, & monarcha habeatur, ſi vere Princeps ſit, non tyrannus, quemadmodum ſtudet imperare liberis, & rempub. ex ſententia ciuium ſuorum adminiſtrare, ita etiam ipſe ſibi ciues ſuos in conſilium libenter adhibet, ac quo certius omnium ſententias & voluntates pernoſcat, comitia illis non permittit modo, ſed etiam vltro indicit. Vt ergo id nobis detur, Pontificem ſub Chriſto, quaſi quendam Eccleſiarum monarcham eſſe, quod S. Patrum nemo vnquam admiſiſſet, tamen quia imperium eius in liberos Chriſtianos eſt, & hi ſinguli membra Chriſti ſunt, & vnuſquiſque ſuum donum proprium habet, exemplo Apoſtolorum, & veterum probatorum Epiſcoporum, quicunq; volet ſe Pontificem verum & Apoſtolicum præſtare, is, quoties grauior aliqua cauſa Eccleſiis inciderit, Concilia cogi etiam à Principibus flagitabit, non permittet tantum.

Eoq; cum Eccleſiarum adminiſtratio, in omnibus nationibus, quæ Chriſtiano nomini in Europa reliquæ ſunt, tam horrende conciderit, oportebat certe Pontificem pridem nihil prius curare & vrgere, quam vt capita nationum, Religionumq; periti & ſtudioſi viri, vndiq; euocati, conuenirent, & de inſtaurandis Eccleſiis, comiciis maximis quam grauiſſime deliberarent. Ea re nec fatigaret alios, nec ſuæ dignitati quicquam detraheret, ſed locum potius aliis daret, operam ſuam Chriſto & Eccleſiæ eius nauandi, quo Chriſtianis nihil poteſt obuenire gratius, & ipſe ſe hoc verius attolleret, quo magis ſe ad conſulendum Eccleſiis demitteret.

Nec conſiſtere illud nuperum inuentum poteſt, *Papam ſupra Concilium eſſe, & facultatem habere decreta Conciliorum reſcindendi.* Petrus, Apollo, Paulus, ac mundus totus Eccleſiæ ſunt, Eccleſia vero Chriſti eſt, non Petri aut vllius creaturæ. Miniſtros Eccleſiarum ſe prædicarunt Apoſtoli, atqui miniſter non ſupra eum eſt, cui miniſtrat. Hinc priſci Pontifices ſe ipſi Conciliorum iudiciis vltro ſubiecerunt, tamque alienum à ſuo munere iudicarunt, Conciliorum decreta reſcindere, & ſacros Canones vel ipſos tranſgredi, vel aliis id permittere, vt illud ipſum eſſe blaſphemiam in ſpiritum ſanctum ſtatuerint.

Noſti illud Zozimi, *contra ſtatuta Patrum concedere aliquid vel mutare, nec huius quidem ſedis poteſt autoritas.* Et legi illi Chriſti, *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. ipſe quoq; Pontifex ſubiectus eſt, quod & Canoniſtæ noſtri fatentur.

Hæc omnia ita habere ipſe fateberis, ſi voles legere monumenta ſanctiſſ. Patrum, & rem ipſam fideliter conſiderare atq; iudicare, ad quod te ſæpe hortatus ſum, & iterum atq; iterum hortor. Id enim ſi feceris, ſcio & nobis Germanis celebrandam eſſe quam primum nationalem Synodum, etiam ſi Pontifex Ro. & totus reliquus mundus repugnet, fateberis, & agnoſces nihil adeo eſſe in officio Pontificis Ro. quam vt ſummo ſtudio procuret & prouinciales & nationales, & generales Synodos haberi, ſeq; & ſuos in illis in ordinem Chriſti redigi, vitia à ſacratiſſimo miniſterio tam multa & grauiſſima tandem tolli, & cuncta in Eccleſiis ad regulam Chriſti reſtitui.

Nolo igitur quicquam adiicere (tabellarius enim inſtat) quam optare me, vt talem tandem ſtatum nobis quæramus, qui veritate & æquitate nitatur. Certe hic, quem tu conuelli dicis Conciliis, ſic diuina & humana vi commotus eſt, vt niſi alia eum, quam tu ſcribis, ratione confirmemus, valde verendum, vt breui ruina non ſtatus futurus ſit. Omnino enim mi amiciſſime Decane, Deus eſt, Chriſtus eſt, & omnium poteſtatem ſolus habet, quicquid huius noſtri homines credant, hic nos vrget vi plane cœleſti, vtcunq; pauci id ſentiamus.

Demus itaq; tandem locum huic, cui neceſſe eſt cedant cœlũ & terra, tanto torrenti veritatis, qui pridem tam violenter in nos illabitur, ne obiiciamus nos, nam obſiſtere ei haud poterimus. Agno-

ſcamus potius tempus viſitationis noſtræ, & tot modis quærenti eripere nos extremis malis Domino ne pergamus repugnare. Erit nihilominus & vnde viuamus, & vnde commode & ſuauiter viuamus.

Sed de his etiam ante hac tibi oſtendi ſæpe plus quam ſatis, Et ſpero de eis vel nunc te diligenter cogitaturum, cuius tibi exiſtunt tam multæ cauſæ. Oro autem, vt has literas Dn. Secretario noſtro, & duobus reliquis tuis contubernalibus communices. Vale, & boni omnia conſule, noſti meam libertatem, nec ignoras candorem. Apud Nemetes D. Bonifacii. Anno 1540.

Iohannes N. tuus collega & amicus verus.

VIII.

Anno Domini 1556.

ACTIONES DVÆ SECRETARII PONTIFICII: QVARVM ALTERA DISPVTAT, AN PAVLVS PAPA IV. DEbeat cogitare de inſtaurando Concilio Tridentino. (magna eſt enim ſpes de pace.) Altera vero, an vi & armis poſſit deinde imperare Proteſtantibus, ipſius Concilii decreta.

Autore

PETRO PAVLO VERGERIO EPISCOPO IVSTINOPOLITANO ET Legato Sedis Apoſtolicæ ad Germanos. Habes hic Lector, quid in proximis Comitiis Auguſtanis fuerit ſtatutum.

SECRETARII PONTIFICII ACTIO PRIORIS DIEI: AN Paulus Papa IV. debeat cogitare de inſtaurando Concilio Tridentino.

BEATISSIME PATER:

QVum me Sanctitas veſtra hoc honore (præter meum meritum) dignetur, vt in numero me eorum eſſe velit, qui illi ſunt à ſecretis: deinde intelligere poſſim, non ſolum ea quæ Romæ quotidie fiunt, ſed quæ in tota etiam Repub. Chriſtiana tractantur: video nunc negotium quoddam in manibus haberi, quo nullum grauius, nullum magis arduum, magisq; periculoſum memini eſſe tractatum, ex omnibus his quæ acta fuere, poſteaquam in hunc ſupremum dignitatis gradum (Dei gratia) euectus es. De quo ipſo negotio nunc verba facere eſt animus, quo ſatis etiam faciam conſcientiæ meæ, quæ hoc veluti debitum à me repoſcit, atque vrget vehementer. Libere autem dicam quod ſentio. Vbi finem fecero, V. Sanctitas, quæ omnes mortales ſapientia ſuperat, ſecum ipſa deliberabit, quid porro agendum ſit. Tantum ſupplex peto, vt me velit nunc dicentem de rebus maximis & grauiſſimis, ea benignitate & clementia audire, qua ſolet reliquos ſuos.

Graue illud & arduum negotium quod dixi tractari in præſentiarum, huiuſmodi eſt. Video enim nonnullos, qui monent atque vrgent de inſtaurando, continuando, & ad finem vſque deducendo Concilio quod Tridenti inchoatum eſt. Atque hæc primo aſpectu videtur quidem opera vtilis, ſalutaris, & tuta cum veſtræ Beatitudini, tum toti ſtatui ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ: quin his temporibus, quibus regnant tam multæ, tamq; periculoſæ hæreſes, videtur tantum non neceſſaria, ita vt ſummus Pontifex non poſſit ſecus facere, quam eam complecti atq; perficere: præſertim cum iam matura deliberatione, & prudentiſſimo totius Cardinalium Senatus, multorumq; Principum & ſapientum hominum conſilio atq; autoritate deliberatum fuerit de eo celebrando, atq; etiam inſtaurando, quum aliquando fuiſſet intermiſſum: & præſertim cum magna pars operis atq; ædificij extructa ſit. Itaq; videri poſſit, quod ſine magnæ negligentiæ nota prætermitti nequeat, quin ipſum continuandum & abſoluendum ſuſcipiatur.

Verum, ſi me Sanctitas veſtra voluerit diligenter audire, nihil vereor quin poſſim planiſſime indicare & perſuadere, talem prouinciam de abſoluendo Concilio omnino eſſe prudenter declinandam, ac (ſi forte nimium vrſerint potentiores) etiam aperte fugiendam. Rem itaq; aggredior.

Si facile, commode, & tuto poſſes concilium ipſum recolligere, & ad finē deducere, neq; intereà eſſent audiendi ſtrepitus, practicæ, & tumultus graues & periculoſi: adhuc tamen eſſem in eadem

ſenten-

ſententia, ob maximas & grauiſſimas cauſas, vt prorſus abſtineres à celebrando. Sed quanto magis, quum difficulter hoc poſſis, imo cum omnino non poſſis (vide quid audeam dicere) & cum interea, dum volueris celebrare, ſint audiendæ maximæ querelæ, & concitandi grauiſſimi & periculoſiſſimi motus. Atq; hoc cur ita putem eſſe futurum, breuiter dicam.

Duo comitia Auguſtana, alterum anni M. D. X L V I I I, alterum vero M. D. L I. ſtatuerunt, *Tridenti eſſe celebrandum Concilium vniuerſale, liberum, & Chriſtianum.* Veſtra Sanctitas hic diligenter attendat. Omnes Principes, inquam, ſtatus & ordines Imperii, legitime ac præſente ipſo Cæſare ac Rom. rege congregati, non aliud concilium expoſcunt, neq; alteri concilio ſe ſubmittunt, quam ei quod habiturum ſit certas conditiones. Quas primum narrabo ordine: deinde diſcutiam, ſintne admittendæ nobis, an non.

Principio, quum dicunt *Concilium*, aut *vniuerſale*, hoc intelligunt, vt in eo debeant adeſſe viri pii, docti & prudentes ex omnibus nationibus. Cum dicunt *Liberum*, volunt, vt liceat & publicis & priuatis perſonis, ſub fide publici ſaluiconductus præſtiti venire, ſtare & diſcedere, quoties illis libitum fuerit: & ante omnia, vt libere ſine vllo metu aut impedimento loqui liceat, ſuamq; ſententiam dicere in ipſo Concilio. Quum dicunt *Chriſtianum*, intelligunt, vt ſynceris animis, & mutua charitate (vt Chriſtianos decet) materiæ Chriſtianæ, & libri Chriſtiani tractentur.

Vt vero planius declararent, quale demum Concilium expoſcerent, cui ſeſe vellent ſubiicere, præter ea quæ attigi, adhuc alia quædam addidere: quemadmodum ex ipſiſmet Comitiorum decretis, quæ mox recitabo, oſtendam.

Statuerunt enim, *vt omnes Confeſſioni Auguſtanæ adiuncti, & qui mutationem religionis fecerunt, poſſint intereſſe Concilio, & audiri libere, quouſque voluerint: quinetiam vna cum patribus tractare, vnaq; deliberare de articulis controuerſis.* Scio me de rebus arduis verba facere, & de his quæ à valde paucis tuorum miniſtrorum ſunt cognitæ: itaq; magna attentatione opus eſt.

Statuerunt item, *quod omnes definitiones & concluſiones articulorum, de quibus fuerit diſputatum, fieri debeant ex diuina & ſacra ſcriptura, doctrinaque antiquorum patrum. Diuinam* autem *ſcripturam* quum dicunt, eam intelligunt, quæ ex ipſis fontibus hauritur: & de verſionibus, quæ fontibus propinquius adhæreant. Atq; etiam de ea diuina ſcriptura intelligunt, de cuius autoritate nunquam fuerit in Eccleſia dubitatum, quæq; nunquam apocrypha habita fuerit. Addunt præterea, *velle ſe, vt diuina ſcriptura ex ſe ipſa, & ſpiritu Dei intelligenda veniat, & interpretanda: ita vt ea ſit ſuperior, ac veluti regina omnium conciliorum, omnium Eccleſiarum, omnium ſcriptorum.*

Quod ad veterum doctrinam attinet, volunt, *vt illorum ſcriptorum autoritas præferatur, qui tum viciniores fuerunt Apoſtolorum temporibus: tum Euangelio, veraq; Catholicæ Eccleſiæ ſenſui conformia ſcripſere.*

Adhæc, *ſcopum totius Concilii hunc eſſe debere, vt in eo fiat reformatio Eccleſiæ, tollantur abuſus & praua doctrina.* Intelligunt autem procul dubio, de abuſibus & doctrina Rom. Eccleſiæ.

Hæc prorſus forma eſt illius Concilii: hæ ſunt conditiones, quibus Principes illi, ſtatus & ordines Imperii ſtatuerunt concilium celebrandum eſſe. Si tale fiat, ſubiicient ſe illi. Sin minus, nunquam (credat mihi S. veſtra) ſuſcipient decreta eius, niſi coacti. At paulo poſt hoc etiam diſcutiemus, num poſſint cogi.

Se vero videat, me confinxiſſe mihi, quæ de Comitiis illis narraui: hic audienda ſunt verba ipſamet Cæſaris, & omnium Principum. *Recita: Intelleximus clementiſſima beneuolentia, quod deciſio controuerſiæ religionis, ad Catholicum, ſeu œcumenicum, liberum, & Chriſtianum Concilium, quod iam noſtra diligenti cura & ſtudio ad Tridentum indictum & inchoatum eſt, reiici, legitime ſeruari & continuari debeat.* Recita quæ paulo poſt ſequuntur: *Curabimus etiam clementer, vt hi qui Auguſtanæ confeſſioni adiuncti ſunt, & legati eorum, in tali Concilio comparere poſſint: & ſaluo conductu muniantur, vt tuto ad illud accedant, in illo commorentur, & iterum ad loca tuta reuertantur, ac pro ſufficiente neceſſitate audiantur: ideoque tota tractatio & concluſio pie & Chriſtiane, ſecluſo omni affectu, iuxta diuinam & ſacram ſcripturam tractetur & concludatur, & vt Chriſtiana & vtilis reformatio ſpiritualium & ſecularium inſtituatur, ac omnis praua doctrina & abuſus, prout decet, abrogetur.*

In ſumma, tale Concilium, quale hic deſcriptum eſt, Principes, ſtatus & ordines Imperii expetierunt, & decreuerunt habendum eſſe Tridenti, & tali Concilio ſe libenter ſubiecerunt.

Atque attendat Sanctitas veſtra, in hoc decreto repetitum eſſe hoc verbum, *Tale.* tale enim, & non aliud concilium voluere, cui ſe ſubiicere deberent. Recita: *Quare clementiſſime ſperamus fore, vt omnes & ſinguli ſtatus, priuatim & publice ſeſe tali Catholico concilio adiungant & ſubiiciant: ac concordem eius deciſionem & determinationem obedienter expectent, & ſuſcipiant: necnon ei pareant, & obſequantur. adeoque hac in re veſtigiis ſanctorum Patrum, & maiorum, qui in cauſis religionis ſuum ſemper refugium ad ſacroſanctum Concilium habuerunt, libenter inſiſtant. Quemadmodum etiam Electores, Principes, ſtatus, & abſentium conſiliarii ac legati, pro maiori parte eo modo, quem iam commemorauimus, obedienter conſenſerunt, & receperunt ſeſe tali inchoato concilio ſubiecturos, & deciſionem eius expectaturos, ac ei obſecuturos. De qua re vnanimiter nobiſcum conſenſerunt. Quod eorum officium, nos ſingulari clementia agnoſcimus.*

His Comitiorum decretis, atque his conditionibus (quæ quidem ſunt maximi momenti, ſi quis eas intelligat, & perpendat) primum Paulus III. deinde Iulius III. itidem, ad hæc totum ipſum concilium Tridentinum diſerte conſenſit, ac ſancte promiſit, tale concilium velle celebrare, quale in his decretis prægnantiſſimis expetitum eſt à noſtris aduerſariis. Tameſi

Tametſi vero nullo cum fructu ſolemus repræhendere ea quæ præteriere, vt quæ mutari amplius non poſſint: nihilominus ego quidem (liceat modo libere loqui, ac reuerenter, vt ſane debeo) non poſſim laudare legatos huius Sanctæ ſedis, præſertim Fanenſem, & Dandinum, Cardinales, qui comitiis intererant, non reſtitiſſe, quin probaſſe decreta illa: quæ ſi à nobis obſeruentur, perinde erit, ac ſi ingentem ignem in ipſa Roma. Eccleſia accendamus, & ſinamus vt omnia noſtra conflagret atq; abſumat.

Hoc quidem veriſſimum eſſe, oſtendam luce meridiana clarius. At viciſſim ſi recuſauerimus velle ſeruare decreta ipſa, & promiſſa exoluere, aliamq; voluerimus inire rationem Concilii celebrandi & diuerſam atq; alienam ab ea, quam ipſi Principes, ſtatus & ordines Imperii exceperunt, & ſernandam ſtatuerunt, & præſertim ſi tale voluerimus celebrare, quale hactenus fecimus: bone Deus, quot, & quam graues querelas, quot motus & tumultus oriri proſpicio? primum quidem in Germania, deinde etiam in aliis prouinciis, id quod vehementer vereor. Quamobrem aut neceſſe fuerit tale celebrare, quale Comitia ſtatuerunt, & quale duo ſummi Pontifices & Concilium ipſum promiſit: aut omnino abſtinere. Verum quum tale nullo modo celebrandum ſit (niſi velimus Rom. Eccleſiam funditus euerſam) erit omnino ab vtriuſq; celebratione abſtinendum.

Hic vero operæ precium fuerit, vt quandoquidem audiuimus, quo pacto noſtri hoſtes interpretentur Comitiorum decreta: audiamus etiam, quo pacto à noſtris intelligantur. Quin neceſſe eſt, vt hoc faciamus, quo euidentius poſſint apparere maximæ illæ difficultates, quas affirmo futuras in recolligendo atq; abſoluendo concilio: oppoſita enim iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Itaq;, noſtri cum audiunt Proteſtantes ſolere adducere Comitiorum decreta, à quibus dictitent ne latum quidem vnguem velle diſcedere: reſpondent, Comitia non poſſe ſtatuere normam & regulam conciliis celebrandis, ſed eam petendam eſſe à ſummis Pontificibus.

Hoc vero nihil aliud eſt, quam nouam inuidiam, nouumq; odium & rabiem in nos concitare, nō modo eorum Principum qui à noſtra doctrina diſſentiunt, ſed eorum etiam qui conſentiunt nobiſcum, & partes noſtras hactenus magno zelo tutati ſunt. In primis vero Caroli V. Imperatoris, ac Ferdinandi Ro. regis, animos à nobis hoc reſponſo alienabimus. Nam laborarunt illi quidem ſtrenue, vt conciliū, quod alia quædam comitia ſtatuerant eſſe in ipſa Germania celebrandum, Tridenti potius celebraretur, magno quidem rerum noſtrarum commodo. Et cogitare debemus, quam deceat ſcilicet, pro tali beneficio dicere nunc nos nolle, quod Auguſtana comitia deliberarunt, obſeruare.

Vere quidem ſentiunt noſtrates, cum dicunt, nulla comitia, nulla con[illegible]a, nullos Cæſares, nullos Reges, nullos neq; ſanctos, neq; angelos poſſe præcipere, aut legem vllam dare vniuerſalis Eccleſiæ paſtori & capiti. Verum, quum iam ipſum caput, atq; ipſe paſtor conſenſerit, vna cum toto eius concilio: non video, quomodo ſine magna turpitudine poſſit verbo ſuo deeſſe, & ſe à promiſſis retrahere. Certe fides etiam hoſtibus ſeruanda eſt.

Verum ad ipſa Comitiorum decreta noſtri habent alias reſponſiones minus quidem periculoſas ad concitandam nobis maiorem inuidiam: ſed aliorum iudicio relinquo, quam ſint firmæ & ingenuæ. Sic enim dicere ſoliti ſunt: Eſto, ſeruemus comitiorum decreta, ſed hoc ſenſu. Quando legis verbum illud *vniuerſale concilium*, non intelligendum eſt vniuerſale eſſe debere etiam illis qui non ſunt Epiſcopi, & illis etiam qui ſunt aduerſarii atq; hoſtes Rom. Eccleſiæ: ſed intelligendum eſt reſtrictiue (vt aiunt) vniuerſale ſolis illis qui ſunt Epiſcopi, & Epiſcopi Catholici & orthodoxi.

Quando vero occurrit verbum illud, *Chriſtianum concilium*, non ita interpretandum eſt, quaſi omnes illi qui ſunt baptizati, poſſint ad concilium venire: ſed quod illis legibus celebrandum ſit, atq; illis modis, quibus imperat ſedes Apoſtolica Rom. quæ Chriſtiana nuncupatur (vt vere eſt) ad differentiam Lutheranorum, ſchiſmaticorum, atq; hæreticorum, at noſtræ leges grauiſſime cauent, ne tales admittantur.

Deinde quando audis, *iudicia & diffinitiones fieri debere ſecundum ſacram & diuinam ſcripturam*, intelligendū eſt, vt nulla eius ſcripturæ pars debeat repudiari, neq; Machabæi, neq; vlla prorſus. Deinde, ſecundum vulgatam verſionem. Tertio, iuxta illum ſenſum, quē hactenus illi tribuit Romana Eccleſia, cui ſcriptura ipſa eſt ſubiecta: & non ſecundum ſenſum & expoſitionem Lutheranorum.

Præterea, quod ad *patrum doctrinam* attinet, non ita exponendum, vt intelligas de veteribus illis, Hilario, Cypriano, Auguſtino, Ambroſio, atque huiuſmodi: ſed de diuo Thoma, de Scoto, atq; aliis id genus Scholaſticis doctoribus.

Adhæc, quum legis *faciendam eſſe reformationem & abrogationem abuſuum & omnis prauæ doctrinæ*: ita interpretandum erit, quod tota noua Lutheranorum doctrina debeat radicitus extirpari: & leuiculi quidam abuſus, qui ſunt in Romana Eccleſia, tolli.

Deniq; quum legis, *Proteſtantes, ſiue adiunctos confeſſioni Auguſtanæ, debere in Concilio adeſſe*: hoc non poteſt aliter intelligi, niſi quod poſſint eſſe præſentes ad audiendam eam condemnationem, quam Epiſcopi ſummi Pont. vicarii in ſeſſionibus contra eos pronunciare voluerint. Inſuper quando Comitia addunt, *illos audiendos eſſe*: hoc etiam ſano modo intelligendum eſt, nimirum vt tum demum audiantur, ſi voluerint retractare, & ſupplices veniam petere: alioquin nullo modo erunt audiendi.

In hunc modum, Pater Sancte, noſtri interpretantur decreta illa Comitiorum. Quin poſſum vere dicere, etiam prædeceſſorem tuum Iulium III. ita fuiſſe interpretatum: præſertim duo hæc capita poſteriora, quæ omnium grauiſſima ſunt. Nam quum vnus ex noſtris, eius iudicio & cenſuræ ſum-

miſiſſet

miſiſſet librum, quem de his maximis rebus editurus erat, in quo inter cætera de Lutheranis, qui non eſſent audiendi, niſi recantaturi, diſſerebat: illum inquam Iulius edito Breui approbauit, qui & palam circumfertur. Sed verba eius libri audiamus. Recita: *Ex his quæ ſupra dicta ſunt, in hanc deuenio concluſionem, quod, vt aliquod eorum dogmatum, ſuper quæ hæretici diſputare contendunt, diffiniatur, Concilium conuenire minime neceſſe ſit: quippe quæ olim diffinita fuerint. Secus enim ſi ageretur, tot Sacroſanctorum conciliorum autoritas (quotquot in Eccleſia Dei fuerunt) in dubium reuocaretur. Non tamen dico, Concilium non eſſe conuocandum: at non in eum, vt ſupra dictum eſt, Finem. Quin potius, vt qui temere locuti ſunt, aut dicta recantaturi veniant, aut eorum inaudita cauſſa, in executionem iam ordinatarum conſtitutionum hæretici declarentur, & condemnentur.*

Hic iam poteſt euidentiſſime apparere, maximam de interpretatione & ſenſu verborum Comitiorum controuerſiam inter nos & Lutheranos futuram eſſe, antequam poſſimus Concilium inſtaurare, & de articulis diſſerere. Vere poſſumus dicere, magnum Chaos interpoſitum eſſe inter nos & illos, vt neq; nos poſſimus ad eos, neq; illi ad nos tranſire.

Quin aliud addam, magni ponderis ſane: nempe eos eſſe ita pertinaces, vt etiam proteſtati fuerint, ſe nolle à decretis comitiorum diſcedere, ſed velle prorſus illis inhærere iuxta eorum verba & ſenſum. Hæc, quæ nunc recitabuntur, ſunt verba eorum nunciorum, quos D. Dux Wittembergæ & Reipub. Argentinæ Tridentum miſerat. obtulerant enim ſcriptum, in quo ita loquebantur. Recita: *Conuentus Tridentinus non videtur ſeruari iuxta formam receſſus Comitiorum Imperialium. Quare illuſtriſſimus Princeps noſter petit, vt illis Comitiis ſatisfiat.* Et multo expreſſius paulo poſt, Recita: *Ne cauſſæ tractatio longius extrahatur, Theologos noſtros ad ſuſcipiendum negotium, cuius cauſſa huc miſſi ſunt, cum hac ſolenni proteſtatione exhibemus, quam omni meliori modo ac forma facimus, vt hac ipſa Theologorum exhibitione ea omnia quæ Principi noſtro ac ſupradictæ Reipub. & vniuerſæ cauſſæ, & memoratis Theologis & nobis de iure communi, aut conſuetudine, ac ex decretis Auguſtanis competunt, integra nobis & inuiolata, ac in primis reſeruata eſſe velimus. Actum Tridenti, 22. Martii, 1552.*

Verum hic habeo, quam addam, aliam ingentem difficultatem, quæ eſt inter nos & illos: quæ ſi eſſet prorſus ſola, poſſet nihilominus impedire celebrationem Concilii: quæque ſola hæc tanti eſſe mihi videtur, vt illa V. Sanctitas debeat impelli in eam ſententiam, ne velit amplius verbum vnum facere de Concilio celebrando. Nos omnino ita ſentimus, quod decreta in prima & ſecunda Concilii parte, Epiſcoporum qui illic affuerunt, atque iſtius Sanctæ ſedis autoritate ſancita & confirmata, debeant remanere pro concluſis & pro ratis, ita vt contra ea nunquam amplius liceat os aperire. Et profecto in illis iacta ſunt & roborata omnia fundamenta, quæ maioris momenti ſunt. Quæ ſi ſtabunt, præſertim vero illud quod ad Traditiones attinet, *in ſeſſione tertia*: nos plane potiti ſumus victoria in omnibus adeo articulis. Propterea nobis, omnibus neruis elaborandum eſt, ne ea ſuo loco moueantur, neue in dubium reuocentur. Sed Lutherani longe aliud cogitant. Nam ſi veſtra S. Concilium renouare ſtatuerit, ipſi hoc in primis elaborabunt, vt contra illa omnia decreta poſſint loqui, atque in dubium reuocare, & veluti conuellere fundamenta, quæ tam magno labore iecimus. Quin vſque adeo ſunt temerarii, vt Tridenti ſcriptum quoddam obtulerint, in quo aiebant ſe velle probare, noſtra illa decreta eſſe aliena à ſacris literis. Ac ne videar ſomniare, aut è meo capite confingere tam magna impedimenta & difficultates, proferenda ſunt ipſamet eorum verba. Recita: Hæc ſunt nunciorum illorum ipſa verba, quorum paulo ante meminimus:

In Comitiis Imperialibus decretum fuit, quod concilium Tridentinum continuari, & omnia Chriſtiane, honeſte & congruenti ordine tractari debeant. Quæ verba illuſtriſſimus Princeps noſter nunquam aliter intellexit, quam quod concilium Tridentinum antea Anno M. D. XLVI. inſtitutum, non ſit ita continuandum & proſequendum, vt decreta in eo facta pro concluſis & pro ratis habeantur, quæ enim eſſet hæc honeſtas & congruentia, ea decreta pro ratis & ſacroſanctis habenda imponere, qua parte altera nondum audita, ſunt conſtituta? Quin paulo poſt durius agunt. Recita quod ſequitur: *In ſeſſionibus non ſolum eius Concilii, quod anno M. D. XLVI. inſtitutum eſt: verum etiam huius quod iam continuatur, decreta multa ſunt concinnata, aliena à ſacris literis & confirmati multi veteres abuſus: ſicut Theologi illuſtriſſimi Principis ſeſe coram idoneis iudicibus, aut arbitris declaraturos recipiunt. Petit igitur illuſtriſſimus Princeps, vt talia decreta non habeantur pro concluſis & ratis, ſed tantum pro diſcernendis & iudicandis, donec idonei iudices & arbitri ex vtriuſq; partis conſenſu eligantur, & ab his legitima iuxta ſententiam ſacræ ſcripturæ & conſenſum veræ Eccleſiæ cognitio fiat.*

At operæ precium eſt ſcire, non ſolum fuiſſe Wittembergenſem Ducem, nec ſolos Argentinenſes, qui miſſis certis nunciis, petierint in Concilio, ne decreta in prioribus ſeſſionibus tuo iuſſu, tuaque autoritate ſancita, pro concluſis & ratis haberentur: ſed potius, vt reaſſumerentur, & denuo illis præſentibus & contendentibus ſuo Euangelio tractarentur: & qui etiam auſi fuerint affirmare, ipſa tua decreta eſſe à ſacris literis & à veritate aliena. Sed extitiſſe etiam nuncios Mauritii Saxonum Ducis, Electoriſque, qui in proximo Germaniæ bello occubuit quidem: ſed cui ſucceſſit Auguſtus germanus frater, nihilo melior, niſi forte inimicior & acerbior tibi futurus ſit, quod valde vereor. Illi igitur nuncii eadem, quæ Wittembergenſes atq; Argentinēſes, aduerſus tua decreta enixe poſtularunt, affirmaruntq;. Recita ex oratione ipſorum Saxonū (hi ſunt, Pater ſancte, qui omniū primi à tua obediētia & poteſtate ante XL. fere an. Luth. illo filio perdito, duce atq; autore, deſciuerunt)

ſunt) audi eorum verba, quæ magiſtri illius tetrum odorem erga nos luculenter referunt. *Tertium eſt, quod relatum ſuit Principi noſtro, quod illa decreta, quæ ſuperioribus annis hic Tridenti tractata fuerunt, pro decretis conciliaribus, & firmis concluſis habere: articulos qui controuerſiam habent, & in quibus qui Auguſtanæ ſunt confeſſionis, diſſentiunt, non reaſſumere, neq; audire ſuos ſuper illis velitis. Quum vero declaratum illi ſit, pleraq; eorum decretorum (etiam in præcipuis capitibus religionis, noſtram iuſtificationem concernentibus) errores non leues continere, qui per ſacram ſcripturam oſtendi ac declarari poſſint: ſumme neceſſarium & ipſe, & pleriq; alii ſemper iudicarunt, & adhuc iudicant, vt ſui etiam Theologi ſuper illis decretis audiantur, & ſic in controuerſia poſiti articuli reaſſumantur.*

Vide, qua arrogantia in ſacroſancto Concilio audent homines barbari atq; hæretici affirmare, in tuis decretis, atque adeo in præcipuis capitibus religionis errores non leues contineri: & tam impudenter petere, vt illis liceat loqui & debacchari aduerſum ea, & aduerſum te, tuumque Concilium. Sed perge recitando. nam hoc rurſum repetunt atque inculcant homines importuniſſimi: quin & alia quædam addunt ſatis acerba, & tuæ autoritati poteſtatique prorſus aduerſantia, vt ſemper ſolent. *Quapropter orat Princeps noſter, vt illa decreta in articulis qui controuerſiam habent, omnino reaſſumantur: & tum ſui, tum alii Auguſtanæ confeſſionis Theologi ſuper illis plene audiantur, eorum rationes & argumenta ex ſacris literis expendantur: quod pium & verbo Dei conſentaneum fuerit, admittatur, atque ſuffragiis omnium nationum Chriſtiani orbis laudetur, recipiaturq;.*

Attende, vt non ſolum vrgeant, vt rurſum in eorum gratiam (ſcilicet) reuocentur in dubium, ea quæ & prius ante poſtulatum Concilium erant vera & firma, & poſtea multo veriora & firmiora autoritate œcumenici Concilii ſunt reddita: ſed etiam vt demus operam, quo omnes totius Chriſtiani orbis nationes conueniant, & nouum Concilium inſtituamus: quaſi vero ſynodorum autoritas atque exiſtimatio pendeat à magno aliquo numero Epiſcoporum & Patrum, & non prorſus abs te vno, qui habes plenitudinem poteſtatis: ita vt etiam ſine vllo coacto concilio potueris Romæ, aut vbicunque voluiſſes, per te ipſum ſtatuere ea quæ fuerunt nuper Tridenti ſtatuta. Sed audi, quam importunis verbis id exagitent, quod valde pauci Epiſcopi, paucique legati ſtatuum Germaniæ hactenus in Concilio interfuerint. Recita: *Ad hæc, ſunt iſta decreta tunc tractata, quando pauciſſimi eorum qui ad Vniuerſale, liberum & Chriſtianum Concilium requiruntur, pauci Prælati, paucique Legati ſtatuum Germaniæ præſentes fuerunt: vt patet ex catalogo nominum eorum, qui vna cum illis decretis typis excuſus in publicum prodiit. Vnde etiam pro decretis vniuerſalis Concilii illa decreta haberi aut venditari nequaquam poſſunt. Nam ad vniuerſale, liberum & Chriſtianum concilium requiruntur vniuerſæ totius Chriſtiani orbis nationes: & vt omnes ſecure admittantur, libereque audiantur, vt eorum rationes, cauſa, & argumenta ſecundum ſacram ſcripturam expendantur, diiudicenturque. Alioqui ea quæ habetur congregatio, nomen vniuerſalis, liberi & Chriſtiani concilii minime meretur: & quod in ea decernitur, pro decretis œcumenici, liberi & Chriſtiani concilii haberi, ac acceptari minime poteſt.*

Proh ſancte Iupiter, quis non ſtomachetur, quum hic audiat, Saxones neſcio quos, tribus literis male imbutos, arrogare ſibi laudem doctrinæ atq; eloquentiæ: ac in totius orbis terræ clariſſima luce, hoc eſt, in Tridentino concilio audere prodire, & diſertiſſimis verbis pronunciare, tam ſacroſanctum Concilium in Spiritu ſancto legitime congregatum, non mereri nomen Concilii vniuerſalis, liberi & Chriſtiani: neque eius decreta habenda & ſuſcipienda eſſe pro decretis legitimi Concilii? quin eam eſſe *congregationem paucorum hominum, aut conuentum*, vt etiam Henricus II. Galliarum

Henricus II. Gal. rex. rex appellauit: de quo nonnihil ſuo loco. Quanquam enim in tuenda fide, atque tua Eccleſia Catholica omnino recte ſe gerat: tamen nimis aliquando amare nationem Germaniæ, nimiſq; ei velle fauere viſus eſt. certe diſſimulare non poteſt, quin illam magnifaciat. Qua de re eum abs te admonendum cenſeo, per occaſionem, ne vlterius pergat in amicitia illorum hominum colenda. nam profecto addit illis animos & ſpiritus. Quin affirmo, potuiſſe prædeceſſores tuos vna cum Cæſare, eos prorſus ſub iuga mittere: niſi ab amicitia & potentia Galliarum regis, fuiſſent illis veluti de manibus erepti. Sed ad rem.

Quum hactenus in medium, attulerim eas difficultates (quanquam non adhuc omnes) quæ impediunt, ne Concilium poſſit inſtaurari atq; abſolui: deducam rem ad praxim ipſam. Hæc enim rem clarius indicabit, quam ſola decretorum verba. Veſtra S. adornabit ſynodum: imperabit Epiſcopis, vt Tridentum ſe conferant: mittet legatum, & aſſiſtentes. Proteſtantes itaque vbi hoc audierint, mittent ex ſuis aliquot, qua de re non eſt dubitandum: & mittent ex aſtutioribus & doctioribus. Atque hi arripient decreta illa comitiorum, in quibus eſſe ſcriptum audiuimus, *pro ſufficienti neceſſitate audiantur*: vrgebuntque, & petent ſe admitti in eum locum, vbi patres ſolent ſedere, vt loquantur quæ velint. Quid tunc veſtra S. agendum putabit? Quid Legatus? quid conſilium faciet? Reiicietne illos, an admittet? Si reiiciat, illi rurſus proteſtabuntur, formam traditam à comitiis Auguſtanis non ſeruari: & propterea eos, atque omnem Germaniam iam non obligari amplius, ad ſuſcipienda decreta vlla noſtri Concilii, & diſcedent Tridento: atq; per totam illam regionem miſſis certis nunciis, ſparſiſq; libellis, quin & clamantes pro concione, traducent nos, & in magnam inuidiam atq; odium Principum & populorum adducent, non modo eorum qui iamdudum à veſtra ſede atque obedientia ſeſe abalienauerunt: ſed eorum etiam, qui adhuc nobiſcum conſentiunt. Nam horum ſimul autoritas vulneratur, quum decretorum comitia tam aperte contemnuntur.

Quod ſi concilium nihilominus pertexerit in ſuo inſtituto, & cum ſolis Epiſcopis noua adhuc decreta voluerit concinnare, nec vllam rationem habere Principum, ſtatuũ & ordinum Germaniæ,

bullam

nullam decretorum & Comitiorum, nullamque promiſſorum Pauli tertij, Iulij tertij, & totius Concilij: ſane timendum erit, ne magni aliqui motus concitentur, præſertim cum non deerunt, qui excitaturi ſint & admonituri, fore vt abſoluto Concilio, velimus rem armis agere, & compellere omnes ad parendum decretis noſtris. Quis ſcit, ſi forte tunc erumpat aliquo ex loco Mauritius quiſpiam, qui totum Concilium, quod illi inſimulabunt veluti contemptorem & hoſtem Comitiorum, & omnium ordinum Germaniæ, opprimat?

Dicet tua S. Agnoſco periculum, video nimis aperte contemnendam fore totam illam nationem & comitia Imperialia, ſi repudiauerimus eos, qui inde aduenerint, & ſuam ſententiam inter Epiſcopos dicere voluerint: itaq; iubebo illos admitti, vt quod voluerint, liceat loqui. Ego vero contra, Beatiſs. pater, plane affirmo, nihil poſſe à nobis fieri periculoſius & perniciofius, quam ſi ſinantur in Concilio, quæ voluerint, loqui. Negare.n. non poſſumus, quin inter ipſos multi ſint ſolide docti, & diu verſati atq; exercitati in ipſis Bibliorum fontibus, & in veteribus ſcriptoribus: norunt etiam linguas Græcam atq; Hebræam. Itaq; ſi hi congrediantur cum noſtratibus, multa certe imminebunt pericula. ſcis enim, tuos Epiſcopos eſſe fere literarum rudes, voluptati autem ac deliciis deditos. In ſumma, mallem ego quidem congreſſum & pugnam illam prudenter declinari. Quid putas? Illi recta inuaderent & impeterent tuum primatum, recta miſſas, recta purgatorium. An poſſes pati hæreticos illos acerrimos nominis tui hoſtes, debacchantes, & conuicia in tuam poteſtatem, tuæq; ſedis ſacroſancta dogmata magna acerbitate euomentes? An neſcis, aliquos ex noſtris Epiſcopis cœpiſſe clanculum laborare eo morbo? Dij immortales, qua lætitia hi perfunderentur, cum tale ſpectaculum viderent! Forſitan etiam non poſſent continere amplius eas voces, quas diu magno labore continuerunt: atq; hos alij conſequerentur, & turbarentur omnia magno cum periculo noſtrarum rerum omnium. Quin etiam ſi poſt pericula illa poſſemus tandem conſequi, vt omnia decreta illic ſancirentur, quemadmodum tua Sanctitas iuſſerit: tamen in ipſa victoria magna futura eſſent detrimenta coniuncta. Rogas? Multi enim cum ex Epiſcoporum numero, tum ex aliis, ab illis concertationibus & diſputationibus hæreticorum maculas ſuſciperent, atq; in Italiam, in Hiſpaniam, in Gallias reportarent, quas nemo poſſet facile eluere. In ſumma, quicquid alii ſentiant, ego in ea ſum opinione, nihil poſſe hac tempeſtate contingere Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ damnoſius, nihil quod poſſit eius laudem atq; exiſtimationem magis labefactare, quam ſi Concilium inſtauratum fuerit, & Lutherani fuerint admiſſi ad dicendam ſententiam. Caue Pater ſancte, caue hoc ne fiat, contine, quantum potes, curſum fluuii intra ſuos aggeres, & diligenter cura, ne hi perfringantur, aquarumq; impetus exundent, & longe lateq; amœniſſima rura deuaſtent atq; euertant. Igitur quum ſumma videas pericula vtrinq; pendere, ſiue inſtaurato Concilio non admittas Lutheranos, ſiue volueris eos admittere: vtrumque periculum tua dexteritate fugias, id eſt, [...]tas cogitare de Concilio.

Hactenus puto me grauiſſimis argumentis vſum fuiſſe, & quæ valde potuerint tuam Sanctitatem impellere in eam ſententiam, in qua ego ſum: ſed adhuc alia ſunt, & quidem fortiora, (vide quid dicam) quæ ipſa quoq; paucis explicabo. Nos volumus (ſicut debemus) ad vnguem ſeruare legem à noſtris maioribu. traditam: qua cauetur, vt Papa, Cardinales, Epiſcopi, & quidam alii ſint iudices & definitores eorum articulorum, qui in ſacroſanctis Conciliis tractantur. Legem recita: *Aderunt in Conciliis ad ſtatuendum, Rom. Pontifex, tanquam rector & moderator totius Eccleſiæ, paſtor gregis Dominici, & omnium Epiſcoporum Epiſcopus, ſacer Cardinalium ſenatus, patriarchæ, primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, quibus non immerito ordinum religioſorum generales magiſtri additi ſunt: deniq; omnes prælati, qui ſecundum formam iuramenti, quod præſtant, cum ad dignitates promouentur, ad Synodum venire tenentur. Alij.v. diſſerendi, inſtruendi, conſulendiue gratia poterunt intereſſe, non tamen in ſeſſionib. publicis, induti ſacris veſtib. ſedebunt, neq; ſententiam dicent.* Hac lege nihil poteſt eſſe ſanctius. Itaq; omnes Lutheranos & Proteſtantes non conuenit in ſeſſionib. adeſſe, & ſententiam dicere aut iudicare, nō modo quia ipſi neq; Epiſcopi, neq; Abbates, neque generales magiſtri ſunt, imo priuati & laici: ſed quia hæretici. quo nomine neq; ad priuata quidem colloquia ſunt admittendi: tantum abeſt vt poſſimus ſalua cōſcientia eos recipere, vt vna cum noſtris Epiſcopis iudicium ferant ſuper articulis controuerſis. At nihilominus ipſi cōtra, oportere ſe admitti, non ſolum vt interſint diſputationib. tractatibus & conſultationibus, vna cum Cathol. Epiſcopis: verum etiam vt vna cum illis deliberent, cōcludāt & diffiniant. Quid poteſt abſurdius dici aut excogitari? quę poſſet eſſe peſtis capitalior, quam induceres in ſeſſiones Epiſcoporum, quam hæc? Num.v. ipſi hoc dicant, ſe velle vna cum noſtris Epiſcopis de omnib. articulis iudices eſſe, nullo negotio poſſum probare. Primum ex verbis illis, quæ iam ſupra recitata ex Comitiis Auguſtanis. Nam poſteaquam Principes, Status & ordines Imperii dixere, Omnes adiunctos confeſſioni Auguſt. in concilio intereſſe oportere & debere audiri, quantum opus ſit, mox ſubiungunt: *Tota tractatio & concluſio*, pie & Chriſtiane fiat. & ſtatim poſt: *Tractetur & concludatur.* An putemus, Comitia his verbis totam concluſionem & iudicium articulorum controuerſorum, ſolis noſtris Epiſcopis cōmiſiſſe? Vtinam feciſſent, ſed non eſt ita, quin animaduerto, ob hāc cauſam Germaniam ipſam ſe libenter ſubieciſſe decretis Concilii Tridentini, quia ſperauerat fore, vt eius Theologi & legati reciperentur comiter & honorifice, benigne audirentur, vt cū illis de tota cauſa tractarent, & conſultarent: deniq; quod vna poſſent iudicare & diffinire. Quod ſi quis viciſſim eo tempore, quo Comitia agebantur, dixiſſet: Vos Germani tantum poteritis loqui & exonerare conſcientiam veſtram: Epiſcopi vero miſſi à ſummo Pontifice, ſoli inter ſe deliberabunt & iudicabunt, quicquid illis videbitur: proculdubio reſpondiſſent, ſe id non fuiſſe laturos.

Deinde habeo in promptu aliud ſcriptum aduerſariorum, in quo diſertiſſime pronunciant, ſe nolle vllo modo pati, vt ſoli noſtri Epiſcopi ſint huius cauſæ iudices. Quum enim nuncii Wirtembergenſes atq; Argentinenſes Tridentum veniſſent, vidiſſentq; ſolos Epiſcopos vocari in ſeſſiones, & ſolos eſſe conſtitutos iudices, ita cœperunt obturbare. Recita: *Petit Illuſtriſſimus Princeps, vt talia decreta non habeantur pro concluſis & ratis, ſed pro diſcernendis & iudicandis, donec idonei iudices & arbitri ex vtriuſque partis conſenſu eligantur: & ab his legitima, iuxta ſententiam ſacræ ſcripturæ, & conſenſus veræ Eccleſiæ cognitio fiat.*

Hæc verba etiam paulo ante fuere recitata, quum ageretur de decretis iam ſancitis, quæ Lutherani cuperent in dubium reuocare & conuellere. Quin alia habeo multo apertiora, nempe eorundẽ nunciorum. Recita: *Primum grauamen. Quod ad audiendam Theologicam explicationem nondum ſunt ordinati & conſtituti ex vtriuſq; partis conſenſu idonei iudices ſiue arbitri, qui de præſenti controuerſia religionis legitime, iuxta verum veræ Catholicæ Eccleſiæ conſenſum cognoſcant. Nam quum Illuſtriſſimus Princeps noſter intellexerit, maximam partem doctrinæ ſuorum Theologorum pugnare cum doctrina & ſententia Pontificis Rom. & eorum Epiſcoporum, qui ſunt illi iuramentis & aliis obligationibus addicti: nullo iure, nulla æquitate fieri poteſt, vt Pontifex & Epiſcopi eius in hac cauſa, in qua ipſi ſunt pars, ſiue accuſatores, ſiue rei, pro idoneis iudicibus aut arbitris cognoſcantur. Petit igitur Illuſtriſſimus Princeps noſter, ſe certiorem reddi, quinam futuri ſint huius rei iudices aut arbitri.*

Dixi nihil eſſe, quod æque impediat, ne poſſit Concilium celebrari, atq; hanc de iudicib. controuerſiam. Et ita res eſt: forſitan poſſemus inire aliquam rationem concordiæ in reliquis punctis & diſcriminib. quæ iam attigi. Sed in hoc nulla prorſus ſperanda eſt, non ſi adſint tibi, & omnia ſua cõſilia conferant, omnium ſapientiſſ. hominum ingenia, quæ vnquam poſt orbem conditum fuerunt. Tu nuper Gropærum Theologum Cardinalem creaſti, duntaxat quia ſperaſti illum poſſe tibi indicare, qua via, quaue ratione Germania, eius patria, prodenda & cõpellenda ſit ſub tuam obedientiam. Quære ergo ab hoc, ſitne vlla via ad concordiam, in articulo *de iudicibus Concilij*? Affirmo enim, nullam commonſtraturum. Poſſet quidem ex patribus primatum iſtum tueri: hanc enim laudem illi tribuunt. Sed mallem poſſet ex ſcriptura, ad quam Lutherani ſemper prouocant, quamq; nos viciſſim ita timemus, vt cogamur dicere eam eſſe inſufficientem. Ad rem: Nulla eſt, inquam, ſpes concordiæ in eo articulo. Plane enim ſcimus, te non eſſe permiſſurum, vt Lutherani poſſint vllum iudicem aut arbitrum in hac religionis controuerſia nominare aut ordinare. Abſit, vt tale monſtrum videamus: nempe vt ſummus paſtor, & caput totius vniuerſalis Eccleſiæ, vſq; adeo demitteret ſeſe, tanto omnium rerum ſuarum periculo & dedecore, vt ſuis hoſtib. capitalibus hanc poteſtatem & honorem deferret, vt ſecum poſſent de rebus grauiſſimis, & de articulis diuinis & ſacroſanctis, atq; adeo de ſuo primatu iudicium ferre. Audis quid dicam? de ipſo primatu vellẽt iudicare aduerſarii tui: at quid aliud ab eis eſſet expectandum, quam quod pronunciarent, te exui oportere hac poteſtate & dignitate, qua nulla maior exiſtit inter mortales? Et rurſus certiſſimum ſcimus, Lutheranos nunquam eſſe permiſſuros, vt ſoli noſtri Epiſcopi ſint iudices. Audiuimus enim nunc quid dixerint, non licerẽ Pontifici & eius Epiſcopis, iudices eſſe in eadem cauſa, in qua ſunt pars. Quid igitur in tanto diſcrimine, & tanta diſcordia tam multorum & tam grauium articulorum reliquum eſt, vt ſtatuas, niſi vt oculos atque omnem prorſus cogitationem auertas à Concilio, & alia cures?

Verum nunc in mentem venit, me ex omnib. quæ dixi, vnum pretermiſiſſe, quod nondum probauerim, quod maximi momenti eſt, ideo nunc probare enitar: nempe Paulum III. atq; Iulium III. & omnes patres Concilij conſenſiſſe in Comitia illa Auguſtana, & fere tale Concilium promiſiſſe, quale Lutherani efflagitant. Itaq; ſi celebrandum fuerit, non poteritis vos retrahere, quo minus illis prorſus conditionib. celebretis, quæ ſunt autoritate Comitiorum conſtitutæ, & à nobis promiſſæ. Principio, cum Comitia ipſa fierent, Legati huius ſanctæ ſedis ſemper intererant, videbantq; & intelligebant omnia, quæ illic tractabantur: præſertim ea quæ ad religionem, & quę ad celebrationem Concilij attinebant. Itaq; audierunt & legerunt decreta illa, & non reſtiterunt: quin non multo poſt peractis Comitijs anni M D X L V I I I. Paulus III. edidit indictionem, & decretis illis plane conſentiens, & de illis mentionem faciens, Concilium Tridentum conuocauit. Deinde peractis Comitijs anni M D L I. Iulius ſtatim ſuam edidit indictionem, atq; in eandem vrbem Concilium recollegit, quæ fuerat ab ipſis Comitijs expetita. An non eſt hoc conſentire & approbare?

Confirmo hoc fortiore adhuc argumento, atq; vt mihi quidem videtur, inuincibili. Patres Synodi Tridentinæ nihil vnquam egerunt inconſulta veſtra Sanctitate, & illius iniuſſu: (neq; enim decet membra quippiam agere, quod capiti non placeat.) Illi itaque exhibuerunt ſaluum conductum Proteſtantibus, in quo polliciti ſunt omnia ea ſe ſeruaturos, quæ Auguſtana Comitia ſtatuerunt, & obſtrinxerunt ſe omnibus illis pœnis, in quas incurrunt fœdifragi, niſi ſeruaſſent. Dixerte, inquam, polliciti ſunt velle illos admittere, velle vt poſſint libere & ſine vllo impedimẽto loqui, quantum illis libitum fuerit, & vna cum ipſis patribus tractare & diſcutere materias, & probare quæ voluerint, tum diuina ac ſacra ſcriptura, tum veterum doctrina: atque etiam reſpondere ad obiecta Concilij, ſiue ſcriptis, ſiue viua voce, vt voluerint. Recita ex ſaluo conductu: *Concedimus omnibus Eccleſiaſticis & ſecularibus, præſertim Auguſtanæ confeſſionis perſonis, publicam fidem & pleniſſimam, veriſſimamque ſecuritatem, quam ſaluum conductum vocant, libere ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, ſtandi, proponendi, loquendi, vna cum ipſa Synodo, de quibuſcunq; negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, ac omnia, quæ ipſis libuerint, ac articulos quoslibet tam ſcripto quam*

verbo offerendi, propalandi, eoſque ſcripturis ſacris, & beatorum Patrum verbis, ſententiis, & rationibus declarandi, aſtruendi & perſuadendi: & ſi opus fuerit, ad obiecta generalis Concilij reſpondendi.

Nunc vbi ſunt iſti interpretes ingenioſi, qui in decreta Comitiorum excogitarunt gloſſas illas, de quibus ſupra dixi? Vbi vero iſti qui ſcripſerunt, Proteſtantes futuros præſentes tantum vt audiant condemnationem contra ſe ferendam: & eatenus patiendos eſſe vt loquantur, quatenus dixerint ſe velle recantare & abiurare? Inſpiciant diligentius hoc ſcriptum totius Synodi, & videant, num poſſit talem ſenſum pati, qualem ipſi affinxerunt. Sed recita finem ipſius ſalui conductus: *Quod ſi ſancta Synodus vel aliquis ex ea, vel ſuis, præſcriptæ aſſecurationis & ſalui conductus formam & modum, in quocunq; puncto vel clauſula violauerit (quod tamen dignetur auertere Omnipotens) habeant ipſam Synodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas iure diuino aut humano, aut conſuetudine huiuſmodi ſaluorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſq; omni excuſatione, aut quauis in hac parte contradictione.*

Hæc clauſula mihi quidem valde periculoſa videtur. & profecto nimis auſi ſunt Patres illi, qui verbum de verbo expreſſum extulerunt ex *Baſilienſi ſaluo conductu.* Polliciti enim ſunt aduerſarijs maxima quædam, & interim potuerunt ſcire, fore vt non poſſent ea exſoluere, illudq; inprimis, vt eſſent audituri & laturi Lutheranos, & vna ſecum tractaturi, diſcuſſurique articulos controuerſos: Et nihilominus ſubiecere ſeſe omnibus pœnis, quæ infliguntur violatoribus fidei, ſi ea non ſeruaſſent. Nollem fuiſſe tantum auſos.

At de ſaluo conductu, tum Baſilienſium Patrum, tum noſtrorum, paulo fuſius dicendum eſt. In illo enim ſunt aliquot inſignes clauſulæ & verba magni ponderis, quæ in noſtro non ſunt. quin immutata & inuerſa ſunt multa. Nam in illo, vbi legere eſt verba ea: *Tractandi, examinandi, diſcutiendi*: duo hæc amplius ſunt, *concludendi & terminandi.* Recita clauſulam ipſam Baſilienſem: *Saluum conductum concedimus, atq; damus veniendi ad hanc ciuitatem Baſilienſem, ibidemq; manendi, nobiſcumque de negotiis opportunis tractandi, placitandi, diſponendi, concludendi & terminandi.*

Cur vero noſtri has duas voculas poſtremas detraxerint, facile omnes poſſunt iudicare. Comitia enim ſtatuerant, vt Proteſtantes poſſent intereſſe non ſolum tractationibus, verum etiam conclusionibus. & diſerte voluerunt in decreto vti illis duobus verbis, *concluſio & concludatur.* At noſtri, ne hoc ſaltem viderentur probare, ea detruncauerunt. Quod ſane nollem factum ob has quas nunc dicam cauſas. Primum, ne videremur palam & hoſtiliter diſſentire ab autoritate Comitiorum, & cum ea veluti ſtrictis gladijs pugnare, non quidem, quia ſit habenda vlla ratio Lutheranorum, qui ſunt nobis hoſtes ex profeſſo: ſed quia habenda fuit ratio Cæſaris, Regis Rom. aliorumq; Principum & ciuitatum liberarum, quæ nobis fauent, & ſunt magna pars Comitiorum. Certe enim plura ſunt illic Catholicorum, quam Proteſtantium ſuffragia. Itaque omnes illi iure conqueri poſſent de Tridentinis patribus, qui longe alias conditiones & leges voluerint dare Synodo celebrandæ, quam comitia ipſa ſtatuerint. Deinde quia nullo cum fructu videntur mihi ea duo verbula ſuſtuliſſe. Quum enim diſerte dixerint ſe eſſe admiſſuros aduerſarios, *vt vna poſſint totam cauſam tractare, placitare ac diſponere*: an non hoc eſt perinde, ac ſi dixiſſent, *concludere & terminare*? Certe qui admittitur ad tractandum & diſponendum materiam & cauſam aliquam (mea quidem ſententia) ad concludendam eam admittitur. Nam tractare & diſponere (mihi quidem) idem ſonat, quod terminare aut concludere.

Hic dixerit aliquis illorum Patrum, rem longe aliter habere ſe, quam ego exiſtimem, & aliud eſſe *tractare & diſponere*: & ſe ita rem intelligere, nempe vt velint quidem Lutheranos admittere, vt libere, quæ illis libitum fuerit, dicant: vt vna adſint, quando tractabitur de modo, quo in Concilio progrediendum ſit, & quando ſingulæ res ſuo ordine diſponentur: & quod non ſint illos repudiaturi, ſed vſuri eorum conſilio & iudicio, interea dum tales tractationes & diſpoſitiones fient. ſed vbi tempus aduenerit, quo pronunciandæ erunt ſententiæ & iudicia de controuerſis articulis, tunc ſe eſſe dicturos Proteſtantibus, vt ſecedant, & ſe ſolos noſtros pronunciaturos, quid illis viſum fuerit. Audio, & plane ſciebam noſtros hoc in animo habuiſſe, quum ſaluum conductum dictarent, & duo illa verba reſecarent. Sed quæro, num illis facile factu videbatur, vt Lutherani tunc eſſent è cœtu illorum ſeceſſuri, & iudicia nobis ſolis libenter permiſſuri, quando iam adueniſſet tempus ſententiæ ferendæ? Mihi quidem non modo difficile id potuiſſe obtineri, ſed prorſus impoſſibile videtur: Neq; enim Lutherani ad verba, quæ fuiſſent à nobis ſcripta, ſed ad ſuorum Comitiorum verba & decreta attendere voluiſſent. Quin riderent inter ſeſe, & nos per totam Germaniam traducerent, ſi poſſent ſcire, noſtros Tridentinos Patres cogitaſſe de illis repudiandis, & è cœtu exturbandis, quando ferendæ ſententiæ tempus adueniſſet. Nonne oſtendi ex Wittembergenſium ſcripto, eos nullo pacto velle nobis ſolis iudicium cauſæ permittere?

Nunc dicam de alia differentia, atque ea non parui momenti, quæ exiſtit inter Baſilienſem ſaluum conductum & noſtrum. Baſilienſis ita habet, Recita: *Etiam pro vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, & ſpecialiter pro ſanctiſſimo Domino noſtro Rom. Pontifice,* &c. Pollicebatur ſecuritatem non ſolum quod ad ipſum Concilium, ſed etiam quantum ad ipſum ſummum Pontificem ſpectabat. Iam Lutherani conſimilem ſalui conductus formam, miſſis Tridentum certis Legatis, poſtularunt. At noſtri noluerunt pro ſummo Pontifice ſecuritatem illis polliceri. Recita: *Quæ quidem omnia pro vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus Principibus tam ſecularibus quam Eccleſiaſticis quibuſcunque, atque omnibus aliis Eccleſiaſticis & ſecularibus perſonis, cuiuſcunque ſtatus & condi-*

tionis exiſtant, aut quocunque nomine cenſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe, promittit, & bona fide ſpondet.

Nec me latet, quænam fuerit ratio Concilij Patrum Tridentinorum. Illi enim propterea pro Pontifice non putarunt eſſe pollicendum, ne minimam ſuſpicionem darent, ſe ſentire, quod Concilium habeat autoritatem vllam ſupra Pontifices. At interea ſcio Lutheranos hac de cauſa etiam editis libellis conqueſtos eſſe: primum dictitantes Concilium prorſus pendere à tua vnius voluntate, tuoſq; Epiſcopos minime iudicaturos ſecundum eorum conſcientiam, ſed prorſus iuxta tuam vnius atq; ita tibi addictos eſſe, & ita tuum imperium extimeſcere, vt non ſint auſi tuo nomine promittere ſecuritatem. Deinde non eſſe omnino tutum illis, Tridentum accedere: quandoquidem tua Sanctitas, quæ nullum ſaluum conductum dedit, poſſet eos opprimere, ſi vellet. Et multa præterea congerunt de Conciliorum poteſtate, & illud imprimis, poſſe Concilia priora corrigi per poſteriora, in quo fuerint viri magis pii, magiſq; docti, quod factum aliquando legimus in ſuperiorum temporũ hiſtoriis. ſed aiunt ſe non poſſe ferre, vt quiſpiam Epiſcopus poſſit illa decreta infringere. Et ſi Tridentum venerint, hoc etiam audebunt tentare, vt primum ſtatuatur, ne tu vllam habeas ſupra Concilia poteſtatem. Nam quorſum (inquiunt) opus eſt tantum temporis, laborum, vigiliarum & ſumptuum inſumere, ſi poſtea debeat tibi licere, omnia decreta quando volueris reſcindere?

Sed pergo adhuc de Baſilienſibus & noſtris Patribus loqui. Illi in eorum ſaluo conductu in hunc modum. Recita: *Et ſignanter, quod in cauſa quatuor articulorum per eos attentatorum, Lex diuina, praxis Chriſti, Apoſtolica, & primitiua Eccleſia, vnaq; cum Conciliis, doctoribus fundantibus ſe veraciter in eadem, pro veriſſimo & indifferente iudice in hoc Baſilienſi Concilio admittentur.* Noſtri vero inuerterunt hanc clauſulam. Recita: *Et ſignanter, quod cauſa controuerſa ſecundum ſacram ſcripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum autoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur.*

Ecce, vbi erat *praxis Chriſti, lex Apoſtolica, & primitiua Eccleſia*: noſtri repoſuerunt, *traditiones Apoſtolorum*. atque vbi erat *Conciliis & doctoribus fundantibus ſe veraciter in ea*: repoſuerunt, *probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum autoritates.* Cauſa vero, quamobrem hæc tanta immutatio à noſtris fuerit facta, ea eſt, quam nunc dicam. Lutherani enim volunt ſolam ſacram ſcripturam pro iudice: atq; eam eo modo intelligere, quo ex Actis atq; epiſtolis Apoſtolorum apparet fuiſſe ab his, & ab ipſa primitiua Eccleſia intellecta, & in praxi vel vſu habita. At nos minime patimur, ſcilicet, vt Rom. Eccleſia tam anguſtis finibus, atq; intra tantam veluti paupertatem & egeſtatem arctetur, & concludatur, ita vt nullis poſſit dogmatibus, ritibus ac ceremoniis vti, niſi illis ipſis, quæ ſunt in ipſis Euangeliſtis atq; Apoſtolorum ſcriptis comprehenſæ. Quin volumus noſtram hanc Rom. Eccleſiam longe lateq; ſuos fines promouere, vtpote potentem & diuitem autoritate, eaq; coli & obſeruari, atque aliis poſſe præcipere, vt colant & ſeruent, præter ea quæ ſunt à D. noſtro Ieſu Chriſto præcepta, & ab eius Apoſtolis literis mandata, item alia, imo longe plura, quæ fuerunt à Chriſto & ab Apoſtolis viua voce pronunciata, & ſine vlla ſcriptura veluti per manus tradita ad poſteritatem eorum, deinde ad nos deuenerunt. hæ enim ſunt, quas *Traditiones* vocamus. Hæ ſunt certiſſimum fidei fundamentum. Propterea ſtatim initio Tridentini Concilij fuerat concinnatum grauiſſimum decretum, quo cautum eſt, ipſas traditiones eadem reuerentia, atq; eodem pietatis affectu ſuſcipiendas eſſe, quo ipſummet Euangelium. Itaq; noſtri cum ſaluum conductum dictarent, voluerunt palam edicere, quod non ſola Lex diuina, & non ſola praxis Chriſti, Apoſtolorum, & primitiuæ Eccleſiæ, illa quæ ſcripto continetur, deberet eſſe Concilii norma: ſed illa etiam diuina doctrina, quæ tunc non fuit ſcripta, ſed oretenus tradita.

Hic tua Sanctitas rem magni momenti à me audiat. Nam ſi voluerimus ordine progredi, negantibus Proteſtantibus vlla dogmata, aut etiam vllas ceremonias fuiſſe à Chriſto & Apoſtolis oretenus traditas, ſed eas tantum, quæ ſcripto continentur: & affirmantibus, ex ſola ſcriptura petendam eſſe normam, iuxta quam concilium celebrandum ſit: antequam hoc inſtitueremus, neceſſe eſſet diligenter diſputare & inueſtigare, num res ſe habeat de traditionibus, quemadmodum aut nos, aut illi affirmant, vt omnes qui eſſent conuenturi, poſſent intelligere, ſtatuenda ne eſſent dogmata ex verbo Dei ſcripto, an ex traditionibus? Vides igitur, vt ſemper nouæ lites & nouæ difficultates aliæ ſuper alias ſcaturiant, ante etiam ipſam inchoationem Concilii.

Deinde quod ad Concilia, quorum Baſilienſes meminerunt, attinet, hoſtes noſtri ea non omnino negligunt, ſed addunt odioſam quandam reſtrictionem, nempe ea demum Concilia ſe probare (ſicut etiam doctores ipſos) quæ vere habeant fundamentum ex ſacra ſcriptura: alioquin ſe damnare & repudiare. Verum hoc tibi (ſat dico) non placet. neque enim cogeris rationem reddere, an Concilia & doctores vere inhæreant fundamento ſacræ ſcripturæ, necne: ſed ſatis eſt, ſi tu ea probaueris. tunc enim omnes coguntur illis obedire, tanquam ipſiſmet Bibliorum libris. Hanc igitur ob cauſam Synodus Tridentina decurtauit ea verba limitatoria (vt appellant) *Fundantibus ſe veraciter in ea*: & repoſuit, *ſecundum probata concilia, ſecundum id quod vniuerſali Eccleſiæ in vſu eſt, ac ſecundum patrum* (id eſt recentiorum) *autoritatem.* Et ſcio quidem te non ignorare prudentiſſimos homines, qui diu in hac cauſa verſati ſunt, ita ſentire, vt ſi ea iudicanda ſit ex verbo Dei in veteri & nouo teſtamento ſcripto, iuxta eum ſenſum, quem ex Epiſtolis atque Actis Apoſtolorum agnoſcimus ipſos Apoſtolos tenuiſſe, & docuiſſe, fore vt vincamur à Lutheranis. Verum ſi iudicanda eſſet iuxta eas, quas nos Traditiones appellamus, iuxta probata Concilia, iuxta conſuetudinem Eccle-

ſiæ &

ſiæ,& ſententias doctorum neotericorum, fore contra, vt nos vincamus ipſos Lutheranos. Itaque Tridentini patres hoc reſpexerunt: quum ſaluum conductum dictarent, & quandam veluti normam,à qua diſcedere non liceret, putarunt eſſe ſtatuendam, omnibus illis qui eſſent ad Concilium venturi.

Sed vt ingenue dicam,mallem eos elaboraſſe omnibus neruis, ſi quam viam innenire potuiſſent,qua Concilium inter nos celebrare (quemadmodum aliquamdiu egimus)potuiſſemus ſine ſtimulis illis, qui nobis perpetuo latera vrgerent (de Lutheranis loquor) q iam præſcriptiſſ:, quibus libris vtendum illis eſſet,quibus item non. In ſumma,fateor me timere ab illis diſputationibus,tanquam à morbo & peſte quadam. Nam poſteaquam cœpta eſſet pugna cominus, & iam arſerunt vtrinq; animi: quis demum poſſet hoſtes prohibere, ne in arcem totius cauſæ inuaderent, & ex ſcriptura peterent tela,quæcunq; ad manus venirent,quæ iacerent in noſtros? vnde interea euulgarentur ea,quæ ſatius fuiſſet eſſe ſuppreſſa.

Quæro nunc ab illis,qui ſe putant egregiam operam nauaſſe pro ſalute Eccleſiæ,quum certam legem,ac veluti arma,quibus eſſet pugnandum,ſaluo conductu edito,Lutheranis præſcriberent:vt eos veluti intra cancellos quoſdam continerent, ſi in ardore diſputationis audirent ipſos agere tantum ex S.ſcriptura,& tantum ex praxi Chriſti,Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ:& interim conculcare traditiones,Concilia,conſenſum noſtrarum Eccleſiarum, & noſtrorum doctorum ſententias: quæro,inquam,num forte vellent reclamare & dicere, Heus boni viri, ediximus vobis,ne his armis eſſet vobis pugnandum:abſtinete, & illis vtimini, quæ vobis ex ſaluo conductu conceſſimus, aut ſi hoc non lubet,ab te hinc.qui riſus,qui cachinni audirentur,ſi ita vellemus prohibere? Comitia itatuerunt, vt poſſint quæ velint loqui: in ſaluo conductu alicubi inuitantur,vt veniant, & quæ velint dicant:alicubi vero frenum illis inijcitur,ne queant,quæ illis libitum,ſed quæ nobis placitum fuerit, loqui.

Quorſum hæc ingeris? petet tua Sanctitas. Quorſum?Primum vt oſtendam,nullam vnquam cauſam nulla vnquam memoria extitiſſe tam difficilem,tam implicatam,tam exulceratam, tam denique deſperatam. Deinde vt perſuadeam (ſi quidem poſſim) nihil fieri abs te prudentius poſſe, quam ſi eam curaueris ſepeliendam:ita vt in tuo Pontificatu nec nominetur illa quidem amplius.

Proh dij immortales, in quem Labyrinthum, & quam inextricabilem ingreditur,qui in illam ingreditur: imo vero quam hydram cogitat ſuperare & occidere, qui omnes lites,controuerſias & difficultates,quæ ex eius corpore,ac potius cadauere ſcaturiunt,putat poſſe tollere ac ſopire?Quanquam enim tam multas ac tam graues hactenus attigerim, tamen non omnes adhuc attigi. Superſunt aliæ quędam valde difficiles,quę minime poſſent vlla prudentia aut dexteritate in concordiam redigi. Audi nunc vnum adhuc mox, deinde finem faciam.

Noſtri in ſaluo conductu meminere *conſenſus Catholicæ Eccleſiæ*: quibus verbis intelligunt, illam concordiam in ſeruandis doctrinis, ritibus & ceremoniis,quæ eſt inter nos,qui tuæ Sanctæ ſedi ſumus ſubditi,& paremus, Voluerunt autem, vt in iudiciis ferendis omnes Concilij patres hanc ipſam concordiam habituri eſſent ante oculos: quandoquidem optima ſit ratiocinatio, ſi quis dicat, Eccleſia Catholica Rom. concors ita obſeruat,ergo recte, neq; mutari,neq; reprehendi id poteſt. Ita intelligunt noſtri, quum dicunt, iudicia fieri debere iuxta conſenſum Catholicæ Eccleſiæ, vt ſpectemus vſum. At quid viciſſim illi? An putas, ſaltem hac in re ſentire nobiſcum? aut exiguum diſcrimen hic eſſe inter nos & illos? imo maximum audies. Nam Catholicæ Eccleſiæ conſenſum appellant,totum id quod comprehenſum & definitum eſt in ſcriptis Propheticis, Euangelicis & Apoſtolicis: & totum id,in quo omnes vere pii (ſic enim loquuntur) qui fuere ab initio orbis conditi,vſq; ad hæc tempora conuenerunt. Hanc illi conſenſionem veræ & Catholicæ Eccleſiæ vocant. Quod tantundem eſt, ac ſi dicerent, laudabiles conſuetudines ſanctæ Rom.Eccleſiæ proſterni, & prorſus tolli debere, quia ſi quis velit ſpectare,quid Prophetæ,quid Chriſtus, quid Apoſtoli docuerunt,& ipſas conſuetudines ad normam illius doctrinæ veluti ad Lydium lapidem exigere:forte inueniat non eſſe conſentaneas,atq; eiuſdem veluti coloris & precij. Vide ergo mihi Pater ſancte,quo nos velint illi retrahere, vt ſcilicet vetuſtiſſimorum illorum temporum atq; ætatum mores & conſuetudines non modo ſcrutemur,ſed etiam ſuſcipere cogamur,& abolere noſtras.

Sed quum dixerim, hanc eſſe veluti hydram, cui ſeptem capita renaſcuntur, cum quibus omnibus eſt tibi pugnandum, ſi vnum auulſeris,omnino proprie videor loquutus.Nam interea dum explico,ui diſcrimen,quod eſt inter nos & illos,de ſenſu eorum verborum *Conſenſus Catholicæ Eccleſiæ*: vſus ſum hoc verbo, *Apoſtolici*, de quo proculdubio noua lis & controuerſia orietur, atq; ex ea poſtea aliæ, & ita in infinitum. Nos ſolemus vocare *Apoſtolicam*, hanc ipſam ſanctam Rom. Eccleſiam: & te etiam ſummum Pontificem *Dominum Apoſtolicum* vocamus. Et quum dicimus, *neceſſe eſſe in celebrandis Conciliis eam normam obſeruari oportere, quæ traditur ab Apoſtolica Eccleſia*, intelligimus hanc Rom.hanc præſentem,cuius tu caput es. Verum Lutherani cum legunt, ſpectari debere id quod Eccleſia Apoſtolica imperat: primo quidem aſpectu videntur conſentire, & laudare etiam noſtram. Si igitur cauti non eſſemus,nec curaremus rem clarius ab illis prius explicari, ſed ſineremus illos ingredi ad conferendum cum noſtris, ſane poſſent nobis mouere magnas turbas:quandoquidem ſcimus eos appellare *Apoſtolicam Eccleſiam* illam,illam(inquam)vetuſtam congregationem & coitionem, in qua fuit Ioannes, Petrus, Paulus, aliiq; Apoſtoli atq; fideles: & ab his dictitant petendam eſſe normam Conciliorum,ſicuti ſæpe monui.

Sed etiam de eodem verbo *Eccleſia*; quot putas nouas interpretationes & ſenſus eos ſolere adducere, alienos illos quidem, & contrarios noſtris? In ſumma, nihil poteſt à nobis fieri prudentius, quam ſi ab illis ſic dextre nos explicemus, vt nullum negotium poſtea ſit nobis commune cum illo genere hominum. Hoc vero vna hac, aut nulla præterea ratione conſequi poſſumus, ſi omittamus de Concilio inſtaurando cogitare.

Niſi forte tua S. velit ſibi perſuadere, reliquos omnes Principes, præter vnum ducem Wirtembergenſem, ac reliquas omnes liberas ciuitates, præter vnam Argentinam, ſe ſummiſſuras tuæ vnius poteſtati, & veluti clauſis oculis, quo tu illas ducere volueris, ſecuturas atque obtemperaturas. Hoc ſi credis, vehementer (mihi crede) erras. Nam quotieſcumque his de rebus, quas iam attigi, agere vel in Concilio vel in Comitiis contigerit, ſemper maxima illorum Principum & liberarum ciuitatum pars vna conſentiet, atque vna conſpirabit contra te. Non ſolum enim noua quædam religionis ſocietas, ſed vetus & commune in Romanos odium, & imprimis ipſa natura, ſanguis & patria eos abs te abreptos facile conglutinabit. Neque ſpero ego quidem fore, vt vlla vnquam inter te & illos concordia ſarciri poſſit: quin potius cum illis tibi ſempiternam diſcordiam & bellum futurum auguror, & iam nunc denuncio.

Quin audi amplius, vt plane intelligas, omnes eos ab vna ſchola & ſecta prodire, & eodẽ modo eſſe cõtra te animatos, aliquem minus, aliquem plus, omnes tamen hoſtes eſſe. Multa quidem valde abſurda & hæretica ſunt à me hodie recitata ex ſcriptis illis, quæ Wirtembergenſes atq; Argentinenſes nuncii in Concilio effutierunt: verum ea ſi conferas cum his, quæ Saxonum ducis nuncii effutire auſi ſunt, videri poſſunt illa propemodum modeſta & tolerabilia. Audi nunc vnũ atq; alterum.

Prudenter fuit à maioribus tuis conſtitutum, vt omnes Epiſcopi, qui iſtius S. Sedis communionem habituri eſſent, ſolenni iuramento ſe obſtringerent & ſancte promitterent, ſe primatum iſtum tuum, tuaq; iura, honores, priuilegia, & totius Rom. Eccleſiæ autoritatem perpetuo defenſuros, & vt augeantur & promoueantur curaturos: Regulas SS. Patrum, decreta, ordinationes, & omnia mandata Apoſtolica obſeruaturos, hæreticos, & rebelles deniq; tuæ poteſtati, perſecuturos & impugnaturos. At cur non æquum eſt, cogi etiam Epiſcopos, tuas creaturas, vt ita iurent, quo firmius & conſtantius retineantur in officio: ſi ſummus ipſe Rom. Imperator cogitur iurare, *ſanctam Rom. Eccleſiam, & te rectorem eius exaltare, & eum honorem, quem habes, conſeruare, nec vllum amplius Romæ placitum aut vllam ordinationem facere* (ſunt ipſa met verba ex formula iuramenti.) Præterea ſi tu quoque ex Conſtantienſis Concilii decreto cogeris iurare? quamquam id non ſeruas, quia es ſupra omnia Concilia. Sed nuncii è Saxonia miſſi, eo temeritatis & dementiæ venerunt, vt auſi fuerint palam in Concilio petere, vt omnes illi, qui ibi eſſent iuramenti religione adſtricti, diſſoluerentur ac liberarentur. Proh quid potuit excogitari ineptius, quid ſtultius? ſcilicet tua S. permitteret, hac præſertim tempeſtate (qua ſi ex vetere inſtituto illi non fuiſſent ad iurandum adacti, eſſent profecto adigendi) vt liceat illis, quæ voluerint in Concilio loqui: etiamſi forte libido eos inceſſerit, contra te & totam Catholicam Eccleſiam loquendi.

Ac non modo hoc, quod eſt tam abſurdum atque enorme, petiuerunt, ſed aliud etiam, multo ſane abſurdius atq; enormius. Proh Deũ atq; hominum fidem, in quæ tempora incidimus? itane homines omnem pudorem exuiſſe, & ferre communem ſenſum? Quis vnquam præter Saxones feros illos & ferreos, tam perfrictæ frontis, & tam amens extitiſſet, qui talia petere auſus fuiſſet: præſertim à tuis ipſis legatis, tuiſq; creaturis, quas tu ipſe ex maximo numero ſelegeras, cæteriſq; chariores Tridentum miſeras, quæ illic tuo ære & ſumptu merebant, quæq; te mirifice & conſtanter colunt, & non modo ſumma conſtantia & virtute paratæ erant tuam poteſtatem, tuaſq; doctrinas & ceremonias omnes tueri & defendere, ſed ſanguinem & vitam pro tua gloria profundere: ab his inquam Saxones petere auſi ſunt, vt te Pontificem maximum ſub iugum atq; imperium Concilii mitterent, vt de te tuiſq; rebus omnibus, dictis & factis ita inquireretur, quemadmodum Conſtantienſe Concilium de Ioanne XXIII. & Baſilienſe de Eugenio IV. inquiſiuit. Quænam erit veluti regina impudentiarum omnium, quæ poſt hominum memoriam fuerunt, & ſunt, aut aliis erunt in annis, ſi hæc non eſt? Et tu cum hoc hominum genere adhuc negotium vllum, aut rem vllam vnquã amplius tractabis? de hac peſte in tuo Concilio admittenda & audienda cogitabis? An non vides, quo te odio proſequantur? & quo eorum conſilia ſpectent: nimirum vt te accuſent, vt reum peragant, vt te mœrentem, demiſſum, afflictumq; videant? vt deniq; condemnent, atq; iſto ſupremo honore, ſupremaque gloria exuant, ſiſque illis ludibrio? Recita, vt videamus, num ita petierint illi, ſicut dixi. *Quarto loco referre, & in memoriam reuocare debemus veſtris ampliſſimis dignitatibus & præſtantiis, quod articuli controuerſiam habentes, fidem noſtram Chriſtianam, & aliqui eorum Pontificem præcipue concernunt. Cum autem & iura & Concilia, tum Conſtantienſe tum Baſilienſe expreſſe conſtituerint, quod in cauſis fidei, & quæ ipſummet Pontificem contingant, Pontifex Concilio ſubiectus, & Concilium ſupra Pontificem ſit, & eſſe debeat: conueniens fuerit, illud hoc etiam in loco omnino ita ſeruari, & ante omnia confirmari, ſicut in Baſilienſi Synodo factum eſt, vt in ſecunda ſeſſione eiuſdem habetur. Et quod per hoc Prælati ac reliqui in Concilio, cuiuſcunque gradus ac ordinis fuerint, à ſuis iuramentis, quibus Pontifici obſtricti erant, quantum ad Concilium & cauſas in eo tractandas pertinet, liberi ſint.*

Sed in his verbis, quæ conſequuntur, attende ingentem hominum confidentiam atq; arrogantiam, audent enim affirmare iam relaxata eſſe autoritate conciliorum Conſtantienſis & Baſilienſis,

omni-

omnibus Epiſcopis omnia iuramenta, etiam ſi tu nolueris nunc relaxare: & te iam eſſe omnino ſubiectum Concilio, etiam ſi neq; Epiſcopi te ſummittant, neq; ipſe te ſponte ſubiicias. *Et cenſet Princeps, quod huiuſmodi liberatio etiam ſine expreſſa Pontificis relaxatione ſequatur: vt clare ex concluſis Baſilienſis concilii in multis locis ibi ponitur, quod etiam Papalis eminentia & dignitas in talibus caſibus Concilio ſubiecta ſit. Si ergo ſubiecta eſt Papalis eminentia Concilio: ſequitur, quod perſonæ Concilium repræſentantes, ab eius nexibus & ipſi præſtitis iuramentis, quantum ad fidei articulos & Chriſtianam reformationem, tam in capite quam membris inſtituendam ſpectat, liberæ ſunt. Et etiam ſi Pontifex nollet eis iuramenta ea remittere, quod tamen vi & virtute prædictarum conſtitutionum Conſtantienſis & Baſilienſis concilii, iam libera ſunt, & quod hac ita declarari merito debeat. Si enim liberum decet eſſe Concilium, in quo ſemotis affectibus, de cõtrouerſiis religionis, & Chriſtiana reformatione capitis & membrorum tractari, atq; omnia ſecundum ſacram ſcripturam fieri conuenias: neceſſe eſt liberas eſſe perſonas, quæ libere de his omnibus diſſerere & iudicare debeant. Liberi autem & ſine affectibus nunquam erunt, qui Pontifici ſubiecti, & ab eius imperio, quantum ad cauſas in Concilio tractandas pertinet, non ſoluti cenſeri debebunt. Rogat ſummopere Princeps noſter, prædictas conſtitutiones Conſtantienſium & Baſilienſium Concilii (quod nimirum in fidei articulis, & qui Pontificem, eiuſq; potentiam contingunt, Pontifex Concilio ſubiectus ſit) ante omnia confirmare exemplo Baſilienſis concilii, quod ab initio decretum Conſtantienſis concilii in articulo, Quod vniuerſale concilium ſupra Pontificem ſit, ante omnia repetiuit, approbauit, ratificauit, atque etiam de verbo ad verbum actis illis inſeruit, quemadmodum ſecundæ Seſſionis eius Concilii acta manifeſtiſſime demonſtrant.*

Hæc ſtultiſſimi homines adducunt, atque vrgent illorum duorum Conciliorum autoritatem, & eam exiſtimant ſacroſanctam, quum tamen alia Concilia contemnant: perinde ac neſciant, ſedem hanc Rom. Baſilienſe habere pro conciliabulo, & non pro legitimo Concilio: nec probare Conſtantienſe in omnibus ſed tantum in nonnullis partibus. Neq; enim probare vllum Concilium vnquam vellet, aut poſſet, quod efferre ſe ſupra ſummum Pontificem Chriſti vicarium auderet. Hoc ſimile peccatum exiſtit peccato Diaboli, qui quum in cœlis aliquando eſſet, voluit ſe ſupra Deum ipſum extollere. Sed aut diſſimulant, aut ignorant hæc hæretici: & petunt in ſumma, vt tu de iſto diuino ſolio deſcendas, teq; illis dedas iudicandum, aut mactandum etiam. Sed audi, quibus ſimiles hac in re mihi eſſe videantur. Propono mihi ante oculos Principem quempiam, qui degat in ciuitate, aut arce natura atq; arte munitiſſima, inſtructiſſimaque: cui omnia adſint, quæ ad eam tuendam & defendendam ſunt neceſſaria, viri fortiſſimi & fideliſſimi, qui etiam iurarint ſe eorum Principi nunquã defuturos: commeatus, arma, bombardas, munitiones deniq; omnes. Deinde ſtatuo mihi ante oculos aliquot regulos & tyrannos, qui eam ciuitatem ingenti exercitu obſidione cinxerint, vrgeantque quotidie quantum poſſint, vt eam expugnent: at fruſtra, idq; nimirum, propter eximiam bellicam virtutem, quæ viget in Principe & militibus obſeſſis. Nunc quæro, ſi reguli illi, qui obſident, miſſa legatione rogarent hoſtem ſuum: primum, vt milites à quibus defenditur, vinculo iuramenti abſolueret, ita vt ſi vellẽt aut deſciſcere, aut deſinere pugnare, permitteret illis: deinde vt portas vrbis aperiret, exiretq; in eorum caſtra ſolus atque inermis, ſineretq; ſe ab illis confodi: ſi inquam hoc peterent tyranni qui obſident, an non exiſtimaremus, omnes eos eſſe extrema dementia perculſos, dignoſq; quos ipſi etiam eorum exercitus exploderent & deſererent? ita profecto. Nam quid poſſet ſtultius, & magis ridiculum tali legatione excogitari? Puto Sanctitatem tuam iam eſſe aſſequutam, quid velim hoc exemplo: collatione tamen clarius explicabo. Tu Princeps ille es, qui ciuitatẽ munitiſſimam atq; inſtructiſſimam defendis: hoc eſt, veram & corroboratam diuina autoritate, ſummorumq; Regum atq; Imperatorum, tum doctiſſimorum & ſapientiſſimorum hominum decretis & iudicio, religionem & Eccleſiam. Fortiſſimi & fideliſſimi milites, qui te defendunt, ſunt in primis tui Epiſcopi: exercitus qui te obſidet, eſt Proteſtantium atq; hæreticorum fœdiſſima factio & conſpiratio. Sed fruſtra, vt ſpero: quia dixit Chriſtus, Portæ inferni nõ præualebunt aduerſus eam. Quid vero auditum vnquam viſa noſtra aut patrum memoria ſtultius & dementius, quam ſi reguli & tyranni, hoſtes tui, te rogent: vt depoſita primatus autoritate, te illis ſponte ſubiicias, teq; ſinas ab eis iudicari: & interim relaxes habenas, atq; permittas tuis Epiſcopis, vt qui voluerit te deſerere, deſerat: aut etiam palam oppugnet, ſi velit? Hoc ſi feceris, vide quæſo, quid de te futurum ſit. Iohannes XXIII. hoc quidem egit, & ſe Conſtantienſi concilio ſponte ſubiecit. Sed legimus omnes, fuiſſe illi mortuo ſculptum in marmore epitaphium Florentiæ tale: *Baldeſaris Coſſæ, Ioannis XXIII. quondam Papæ, corpus hoc tumulo conditum.* Quod ſi Itali hoc fecerunt Italo homini, tempore non ita turbulento atq; exulcerato: rogo quid putes tibi facturos Saxones, & reliquos Germaniæ homines, his turbulentiſſimis atq; exulceratiſſimis temporibus, quibus totos XL. annos contra te vocem extulerunt, calamos ſtrinxerunt, & tuam poteſtatem dignitatemq; miris modis violarunt atque fœdarunt? tuq; viciſſim (ſeu Paulus, & Iulius: nam quod illi fecerunt, tibi quoq; imputant) contra eos Cæſaris animum atq; exercitus incendiſti, inflammaſtique: quin tu ipſe arma contra illos ſumpſiſti, ſanguinem eorum fudiſti: pagos, oppida, vrbes incendiſti, diripuiſti. Vt interim ſileam, quod tam ſæpe in eos emiſeris doctos atq; eloquentes viros, qui editis libris, ac famoſis libellis, inurerent illis notas ſempiternæ infamiæ apud omnes nationes. His ne hoſtibus te committes? hiſne iudicibus vteris? Verum ſcio te tua ſponte ſatis à tam ſtulto facto abhorrere: quare non eſt opus, vt te pluribus verbis dehorter.

Sed quid ego queror nunc de Saxonibus, qui nulla tantæ autoritatis atq; exiſtimationis tuæ, nulla

Concilii, cui haud dubie Spiritus ſanctus præſedit, ſacroſancti habita ratione, tam abſurda atq; impia illic proponere auſi ſunt? Quum interim viderimus Henricum II. quem honoratiſſimo hoc titulo *Chriſtianiſſimi* nuncupamus, tum illud Concilium in medio curſu turbare & dehoneſtare voluiſſe? Nam perſpexerat id quod eſt, fore vt eo peracto, arma contra Principes & liberas ciuitates Germaniæ eſſent abs te & à Cæſare capienda: quibus eas ad parendum Concilii decretis, vt par eſt, compelleres. Itaq; quaſi patronus aut vindex quidam libertatis, & ſalutis illius nationis, vt ſe palam aliquando iactauit, miſſa legatione, narrauit ſe ſcire, illud Concilium non eſſe inſtitutum ad communem vniuerſæ Eccleſiæ vtilitatem, atq; vt reformaretur reſtitueretur q; diſciplina, & ſectæ atq; hæreſes comprimerentur: ſed vt obſequereris priuatæ vtilitati & commoditati alicuius (Cæſarem innuebat) vt maiores controuerſias, diſſidia, lites excitares: deniq; vt funeſtiſſimo bello totam adeo Europam concuteres atq; affligeres.

Hæc de te, deq; concilio tuo, tuus Gallorum rex, non aliam quidem ob cauſam, niſi vt nationi Germaniæ natura & ſponte faueret: in ſumma, nollem illum tantopere eam amare, & fouere. At quanquam tota hæc hiſtoria ſit tibi plane nota & perſpecta: tamen audiamus ipſamet Regis verba, quæ me quidem, quoties lego, magnopere commouent. Recita: *Cum prima Septemb. ſecunda ſeſſio in cathedrali Eccleſia celebraretur, ſuperuenit peractis ſacris, & ſolitis ſolennitatibus Regis Franciæ orator, ſine mandato aperto: exhibens tamen Præſidentibus Concilio miſſiuam clauſam, cuius ſuperſcriptio erat: Sanctiſſimis & obſeruandis in primis in Chriſto patribus conuentus Tridentini. Propter hoc verbum (Conuentus) nolebant certi Epiſcopi (præcipue Hiſpani) vt prælegerentur, ſiue reciperentur hæ literæ in Concilio, quum non ſpectarent ad Synodum: niſi exhiberet Orator mandatum, qui ſe audiri cupiebat. quibus Orator replicabat, literas clauſas mandatum continere. Et fuit factus immoderatus clamor, in tantum, vt reuerendiſ. dom. Legatus, cum ſuis vtrinq; adiunctis Præſidentibus dominis Syponti no & Veronenſi, totam Synodum in ſacrarium, in locum ſecretum & priuatum conuocarint.*

Non laudo, Legatum illum, ſuoſq; vtrinq; adiunctos, Sypontinum & Veronenſem Epiſcopos, permiſiſſe, vt iſthæc ita ad vnguem ſcriberentur: & multo minus, vt in vulgus ſpargerentur. Suppreſſiſſe quidem oportuit, nam apparet, Tridenti fuiſſe factionem Hiſpanorum ita magno odio inflammatam, vt nec literas quidem Regis Gallorum pati potuerit vt legerentur: & immoderate vocem extuliſſe, vt faciunt qui ſunt furore perciti. Sed iam Recita ex ipſa proteſtatione. Hæc ſunt Regis verba: *Attamen cum hæc tot & tanta, ipſe pro ſe per ſupradictum illum oratorem ſuum egiſſet, monuiſſet, denunciaſſet, hortatus eſſet, tantum abeſſe vt illis omnibus, quæ ſummopere iuri omni diuino humanoq; niterentur, vllo modo ſummus Chriſtianorum Pontifex moueretur, vt cum pacem, tranquillitatemq; tueri deberet, controuerſias, diſſidia, lites ſi quæ ipſis Principibus inter ſe Chriſtianis eſſent, vel minuere, vel funditus tollere, otium atque ſecuritatem omni ratione celebrando Concilio parare: Italia tamen funeſtiſſimum bellum concitatur, quo totam mox Europam conflagrare neceſſe eſſet: noua excitare animorum diſſidia, aditus ad Concilium omnes præcludere maluiſſe videretur, eamque omnibus ſuſpicionem inducere, iſtam ipſam Concilii Tridentini dictionem non communis vniuerſæ Eccleſiæ vtilitatis gratia repetitam eſſe: ſed factam potius conſilio cum iis, quorum priuatis rationibus ac commodis illic inſeruiretur, nullo reclamante videri: certe ſummi Pontificis noſtri ſanctitatem ſe excludere, ac fructu optatiſſimi Concilii priuare noluiſſe.*

Nihil potuit de ſummo Pontifice acerbius dici, quam quod tu diſſidia, tu bella excites, tu neglectis publicis priuatorum commodis ſeruias: tu eo tempore, quo omnia armis ſunt turbata, Concilium celebres: vt ſi nulli aduenerint qui reclament & repugnent, potueris omnia tuo ipſiuſmet arbitrio illic conficere: & quod reuera volueris ſyncere Concilium celebrare. Sed perge Recitando: *Proteſtatur, ſicuti ab ipſo iure permiſſum eſſe non ignorat, videlicet, ne ſibi grauiſſimis bellicorum motuum difficultatibus implicato, neceſſe eſſet Tridentum ad Concilium mittere ſuæ ditionis Epiſcopos: quippe quibus nec liber, nec tutus eo pateret acceſſus: neue id ipſum Concilium, à quo excluderetur inuitiſſimus, generale totius Eccleſiæ Catholicæ aut haberetur, aut appellaretur, quin potius priuatum exiſtimaretur Concilium.*

Proh ſuperi, quid audimus ab rege Chriſtianiſſimo? idem fere quod à Saxonibus qui querebantur exiguum in Concilio eſſe numerum Epiſcoporum & Legatorum Statuum Germaniæ: & propterea generale Concilium illud dici non oportere. nunc idem inquam Henricus, vt vides. Sed perge: *Quod videretur illud quidem quæſitum & expetitum, non reformandæ reſtituendæq; diſciplinæ, nec ſectarum comprimendarum ſtudio, ſed quibuſdam obſequendi, quorum priuatæ vtilitatis magis quam publicæ ratio inita eſſe videretur.*

Omnino ita ſentit, te Concilium adornaſſe, quo Cæſaris voluntati obſequereris: atq; vt illi occaſionem dares, qua poſſet arma capere, & aliquot Germaniæ Principes, liberaſq; ciuitates affligere: quod Gallorum Rex pati nullo modo poteſt. Perge recitando: *Denique nec Concilii huiuſmodi, neq; eius decretis, aut ipſe, aut pop. Gallicus, aut vlli Galliæ Eccleſiæ miniſtri in poſterum tenerentur: imo vero ſe teſtari palam, ac denunciare, ad eadem remedia ac præſidia deſcenſurum, ſi neceſſe videretur, quibus maiores ſui Francorum Reges in re conſimili, cauſaq; vti conſueuerunt.*

Vſque adeo Germaniam amat Rex ille, vt præ illa tuam autoritatem, tuiq; Concilii decreta videatur plane contemnere. Pater ſancte, tene quæſo diligentiſſime hoc verbum, quod nunc dicam alta conditum mente. Si tibi in omnibus articulis & controuerſiis, quas commemoraui, pulchre poſſet conuenire cum tota Germania, quod tamen nunquam fiet: adhuc non poſſes Concilium inſtaura-

ſtaurare atq; abſoluere, viuente Carolo V. Nouam rem videor dicere, atq; inauditam, ſat ſcio: ſed non temere dico, verum exploratiſſime & meditatiſſime. itaque accipe cauſam opinionis meæ. Quum enim plurimi ſuſpicentur, non vnus tantum Henricus, Concilium, quod rurſum inſtitueres, poſſe plurimum inſeruire priuatis rationibus & commodis Caroli: plurimi (mihi crede) partim clanculum, partim aperte impedient te omni ſtudio, ne illud poſſis celebrare. Quum vero ad hanc maximam & grauiſſimam difficultatem, etiam accedant illæ tam multæ diſſenſiones, & controuerſiæ, quas commemoraui: cogita tu ipſe, quanto minus ſperare queas, vt celebres.

At dices: Spero fore, vt inter eos Principes pax aliquando ſarciatur: quod & curo diligenter, nam & Cardinalem Lotaringum, hoc eſt, fere Regem ipſum, ex Gallia iam eam ob cauſam euocaui: & nihil non tento in ſumma, vt omnino perficiam. Scio omnia hæc, beatiſſime Pater. Demus pacem eſſe futuram, tamen adhuc non puto inſtaurari atque abſolui abs te poſſe Concilium. Rogas? quia nulla inter eos poteſt eſſe pax, quæ repente ita queat ſedare animorum contentionem, & omnem prorſus ſuſpicionem, æmulationem laudis & gloriæ, & zelotypiam illam, tantorum malorum fontem, euellere, vt alter alteri plane velit fidere: ſedare atque euellere poterit, aut longitudo temporis, aut mors ipſa, & nihil præterea. Verum tibi ætas acta eſt, vt longum illud tempus expectare non poſſis.

Sed iam recolligā tibi ante oculos, veluti in vnum faſcem colligatas, vt remetiaris animo plurimas illas & grauiſſimas cōtentiones & difficultates, quæ ingreſſum ipſum Cōcilii impediunt. En eas tibi:

1 Quo pacto debeat intelligi illud verbum *Vniuerſale*.

2 Quo pacto *Liberum*.

3 Quo pacto *Chriſtianum*.

4 Quum dicimus, *Sacram ſcripturam debere eſſe normam Conciliis celebrandis*, an hoc debeat intelligi de vulgata editione, an de aliqua alia.

5 An comprehendatur in ſacra ſcriptura tota *hiſtoria Machabaeorum*.

6 An ipſa *ſcriptura ſit ſubiecta Rom. Eccleſiæ*.

7 Quum dicimus, *iudicandum eſſe iuxta doctrinam Patrum*, de quib. Patribus intelligendum ſit.

8 Quænam hoc tempore vere dicenda ſit *praua doctrina*.

9 An *Lutherani* audiendi ſint in Conciliis.

10 Et ſi audiendi, an de illis articulis qui ſanciti fuere eis abſentibus debeant loqui.

11 An debeant admitti, vt vna cum Epiſcopis ſententias dicant.

12 Aut forte conſtituere & ordinare iudices, vel arbitros.

13 An Pontifex poſſit reſcindere Conciliorum decreta.

14 An Chriſtus & Apoſtoli oretenus docuerint alias doctrinas, quam eas quæ continentur in quatuor Euangeliſtis, & in ſcriptis Apoſtolicis. (exemplum Baſilienſis.

15 An prior atq; alter ſaluus conductus datus à Tridentinis patribus, ſit reformandus omnino ad

16 An ſatis ſit, adducere Concilia probata: an vero oporteat oſtendere, ea habere fundamentum in ſacris literis.

17 Quid ſit intelligendum per ea verba, *Catholica Eccleſiæ conſenſus*.

18 De qua Eccleſia intelligendum ſit, cum quis dicit *Apoſtolica Eccleſia*.

19 An Pontifex debeat abſoluere ab obligatione iuramentorum omnes eos Epiſcopos, qui in Concilio interfuerint. (berati.

20 An vero, ex decretis concilii Conſtantienſis & Baſilienſis, intelligendi ſint iam abſoluti & li-

21 An Papa ſit Concilio ſubiectus, & poſſit à Concilio iudicari.

I nunc, & percurre omnia Acta tum veterum tum nouorum, & quotquot vnquam fuere, Conciliorum, incipiens ab eo quod fuit ab Apoſtolis celebratum in Hieruſalem, vſq; ad Lateranenſe ſub Iulio II. & Leone X. quære, inquam, omnes omnium Conciliorum hiſtorias, & inſpice diligenter, quænam fuerint diſſenſiones, controuerſiæ & difficultates ſingulorum: nihil profecto inuenies ſimile his noſtris, ne centeſimam quidem partē talium diſcriminum, & articulorum. Nunc videmur veniſſe in profundum malorum omnium. At creſceret adhuc (ne dubita) numerus controuerſiarum, quanto magis exagitarentur. Et quarum tandem? Non poſſum ſatis mirari, quum earum pondus & magnitudinem conſidero, & vt recta petant radicem & fundamenta (quæ illi cupiunt auulſa & euerſa) totius tui & Sanctæ Rom. Eccleſiæ ſtatus. Si quis has conferat cum illis articulis, quorum gratia primo inceptum eſt de Concilio agi, id eſt, vt videremus num iuſtificatio eſſet ex ſola fide, an ex operibus, num Chriſtianus eſſet certus de ſua ſalute, atque huiuſmodi: inueniet hos eſſe multo quidem leuiores, & quidem faciliores qui definiuntur.

Nam ab illis quos hæretici ſuſcitarunt, pendet definitio, totuſq; euentus & victoria, & Concilii, & totius Rom. Eccleſiæ. Neq; deceret detrectare & effugere, quin primum & ante omnia ageremus de perſonis, & quibus veluti armis pugnandum eſſet. Sic enim opus eſt, priuſquam in arenam deſcendatur. Sed proh Deum atq; hominum fidem, quantum laborum & moleſtiarum, quantum ingeniorum (vt ita dicam) aut hominum, & quantum auri illic eſſet inſumendum, priuſquam de ipſis perſonis atq; armis tractandi & concludendi finem feciſſemus, omnes ſumus experti, non potuiſſe Concilium celebrari minore ſumptu quam duodecim coronatorum millib. in ſingulos mēnſes. fuerunt. n. alendi atq; ornandi Cardinales, Legati, Aſſiſtentes, Nuncii, Fiſcales, Notarii, Curſores, Muſici, Magiſtri ceremoniarum, veredarii qui quotidie è Roma Tridentum, & è Tridento Romam curſi

rerent;

tarent: præterea magna pars Epiſcoporum & Theologorum, & alii permulti: & crediderim, quòd ab his veluti præparatoriis quæ impediunt litis ingreſſum (vt aiunt in foro) vix quinquennio te poſſes explicare. itaq; fere ſexcenta coronatorum millia tibi periiſſent. Dico periiſſent. nam tanto ſumptu nihil egiſſes: quin prouocaſſes tibi, & ſanctæ Eccleſiæ, maiora incommoda & mala.

Veſtra Sanctitas, quæ me hactenus tanta clementia & patientia audiuit, ſinat, vt quædam adhuc addam. Sæpe videmus accidere paucas quaſdam & leuiculas controuerſias, & contentiones, minime quidem difficiles natura, quæ in concordiam redigantur, & ſopiantur: tamen non potuiſſe in concordiam redigi & ſopiri, propterea quod animi litigantiũ & concertantium eſſent offenſi & exacerbati. Quin offendebantur & exacerbabantur cotidie magis, ſi quis non ſinebat offenſiones & exacerbationes illas paulatim beneficio temporis mitigari, ac veluti matureſcere. Si vero hoc in paucis & leuioribs contentionibus accidit, quid dicendum eſt de tam multis & tam grauibus & difficillimis illis, de quibus hodie egi? Quum vtrinq; animi ſint irritati, & vehementiſſime offenſi, ardeantque odio, & ferme furore? Age age, Pater ſancte, quod prudentes medici in vlceribus deſperatis ſolent. Commenda totam hanc de religione & de Concilio controuerſiam Deo & tempori, & ſine ematureſcat: interim non deſunt alia bene multa, quæ cures, ſub tanta rerum maximarum mole, veluti alter Atlas, quem poetæ fingunt cœlum humeris ſuſtinere: at tu non ficte, ſed vere, & orbem terrarum regis, & ſimul cœleſtia. nam quæ hic ligas, aut ſoluis, ſunt illic ligata, aut ſoluta.

Beatiſſime pater, quum hæc cauſa mihi omnium grauiſſima videretur, attuli in medium tam multa, quanta maxima potui diligentia. Nunc ea potes omnia metiri atq; æſtimare animo. profecto enim eiuſmodi ſunt, vt nemo (meo quidem iudicio) poſſit ea refellere, neq; vllam ſemitam commonſtrare, qua poſſis, ſuperatis tam magnis difficultatibus, venire ad inſtaurationem Concilii. Aut ſi quis fuerit tanta ingenii vi tantaq; & tam diuina prudentia & fœlicitate, vt queat docere quo pacto te extrices ab his difficultatibus, quas iam attigi: certe non docebit, nullam tibi inueniet viam aut remedium, his quas nunc ſum dicturus, reſeruaui enim longe maiora, multoque grauiora, quæque tua S. non poterit audire ſine magno animi dolore & turbatione. Quid vis amplius? Præclara illa Germania in ſuis comitiis Imperialibus ſtatuerat, vt omnes Imperii principes, ſtatus atq; ordines ſubiicerent ſe Tridentino concilio, eiuſq; decreta ſuſciperent, atq; illis parerent. Nunc vero in comitiis Auguſtanis totum id abrogauit: retraxit inquam, ab obedientia illius Concilii omnes prorſus Principes, ſtatus & ordines: & quantum in Germania fuit reſcidit, ac pedibus conculcauit omnia acta & decreta illius. I nunc, & inſtaura concilium, ne parcas ſumptibus, ne parcas laboribus aut periculis: referetur tibi magna gratia, feceris magnum operæ precium, Eccleſiam ruentem ſuſtentabis, ſempiterna gloria nominis tui, ſcilicet.

* Anno 1555. Sed habeo vniuerſa capita, quæ * Auguſtana comitia in religionis modo cauſa ſtatuerunt: quæ conſultum puto, vt explicem hic ordine omnia. Recita primum. *Quum de ſtabilienda publica pace Imperii proceres omnium ordinum conueniſſent Auguſtæ, viſum eſt proximam eſſe, & compendiariam huius ineundi viam, ſi primum de religione, cuius titulo vel falſo vel vero, hactenus multa exitioſa bella concitata, decideretur.* Toties deceſſores tui grauiſſimis literis commonuerunt Cæſarem, Regem Rom. aliosq; Imperii proceres, ne ponerent falcem in meſſe aliena: hoc eſt, ne de religione ipſi agerent: ſed eam materiam remitterent ad eum, ad quem ſpectat, nimirum ad ſummum Pontificem. Nunc vide vt paruerint. Primum de religione (inquiunt) volumus decidere. Potuiſſes ferre, ſi dixiſſent, Tractemus inter eos nos, quæramus viam componendi diſſidii, ſed nihil ſtatuamus ſine ſummo Pontifice. Verum aperte dicunt, ſe velle decidere. quaſi res ad eos pertineat: & quod adhuc peius eſt, decidunt prorſus contra te, atq; abrogant (vt videbis) quicquid aliquando Comitia pro te ſtatuiſſent. Quid ab illis expectandum porro? Certe nihil aliud, quam vt pergant omnem tuam poteſtatem ac iuriſdictionem ſibi vſurpare.

Recita alterum caput. 2. *At vero ad huius rei legitimam tractationem, quum generale aut nationale Concilium, omnibus liberum & commune, neceſſario requiratur.* Subſiſte obſecro, ſine me hic aliquid ponderare, antequam totum caput legas. Decernunt primum, de habendo Concilio omnibus libero, & communi. Quid aliud putas illos ſibi velle his verbis, quam quod velint celebrare Concilium, vbi Lutherani, proh nephas, poſſint ipſi ſingulos articulos controuerſos, non modo laxis habenis, & palam audiente populo diſputare, & excutere: ſed etiam definire, & decidere? Quare ſi tu nunc nouam indictionem adornares, eoſque ad Concilium inuitares, confeſtim audires, ſe iam vidiſſe quale Concilium in animo habueris celebrare: hoc eſt, in quo tuæ tantum creaturæ poſſint ſententiam dicere: ac nolle accedere, aut conſentire, ſed velle Concilium omnibus liberum & commune. atq; hic ſuorum Comitiorum decretũ allegabunt, à quo nec latum vnguem ſinent ſe auelli.

Perge nunc Recitando: Idque hoc tempore ob plurimas difficultates conuocari oppor tune nequeat, placuit Regiæ Maieſtati, Imperatoris vicario, cæteriſq; ordinibus, de hac re iuxta ſubſequentes conditiones tractationem in aliud temporis ſpacium reiicere. Vtinam non reiecíſſent in aliud tempus, ſed recta nunc adornaſſent, celebraſſentq;. Rogas? Quia nunc aliqui reſtitiſſent, ne prorſus omnia noſtra condemnarent, ſeq; prorſus à noſtro conſortio ſegregarent. Sunt enim nonnulli, ſunt qui adhuc noſtras partes vtcunq; tuentur: ſed labente tempore aut hi morientur, aut patientur ſe quoq; mutari, quemadmodum alii. multi enim cotidie ex noſtris deſciſcunt ad illos: quum viciſſim vix milleſimus quiſq; ex illis qui aliquando Lutherani ſunt facti, ad nos ſoleat redire. Quare omnino videntur velle vincere cunctando, vt ſunt aſtuti: hoc eſt, expectare illud tempus, quo iam pauciſſimi appareant in Germania, qui veterem religionem defendant, & tunc demum inter ſe Concilium celebrare: & tune de-

mum

ſtum condemnatis omnibus noſtris dogmatibus ac doctrinis, ſe eximere ab obedientia atque iugo iſtius Sanctæ ſedis in perpetuum. Sed cum plurimarum difficultatum, quibus impediatur Concilium, ne poſſit celebrari, mentionem faciant: quas alias difficultates eos intelligere, putas, niſi eas ipſas quas ego hodie ante oculos tibi poſui: quod ſcilicet minime poſſit nobis conuenire cum illis in XX. & amplius grauiſſimis articulis: niſi forte velis putare, eos ignorare, aut non habere in promptu illas tam multas difficultates. Pater ſancte, nolo quidem affirmare, eas eſſe illic omnibus notas: ſed id dixerim, notas eſſe in Germania bene multis, qui ſunt in negotiis verſati, viciſſimque tuorum nemini. vide quid dicam: vtinam nos non vincerent diligentia, ſicuti vincuntur cauſa.

Recita Tertium Caput: 3. *Statuunt ergo, & ſe ſuosq; ſancte id obſeruaturos iurant, ne quis religionis cauſa alteri bellum inferat, ſed publica pax ſeruetur integra vſq; ad Concilium.* Multi, cum timerent ſibi bellum inferri, ſi ſe Proteſtantibus coniunxiſſent, à Regia Maieſtate ac reliquis tum ſpiritualibus tum laicis Principibus, qui nobiſcum conſentiunt, non audebant hiſcere, aut non vſq; adeo aperte diſcedere ab inſtitutis Rom. Eccleſiæ: & qui iam diſceſſerant, conabantur vti quadam moderatione, metu ſcilicet belli. at nunc, metu hoc, ac veluti freno ſublato, profecto actum eſt in Germania de rebus noſtris.

Recita Quartum. 4. *Id quo fiat commodius, cautum eſſe volunt, ne quis ex eo numero qui Pontificaliũ ſunt partium, Auguſtanæ confeſſionis doctrinam ac religionem temere carpat, vexet, & contemnat: rurſus nec Auguſtanæ confeſſionis patroni Papiſtarum religionem inturbent, ſed bona pace tranſigatur inter eos vſq; ad Concilium.* Bone Deus, quid hic audimus? Tuæ leges clamant, eos qui confeſſionem Auguſtanam ſunt amplexi, eſſe hæreticos & ſchiſmaticos: & ſi quem illiuſmodi potes in Italia, in Gallia, in Hiſpania deprehendere, conicis in ignes, atq; aliis tormentorum generibus merito afficis. At egregia iſti Comitia, magna grauitate decernunt, ne quis eos carpat, ne quis vexet, neue contemnat. O indignum facinus: en quo ventum eſt. Sed adhuc deteriora ſunt, quæ ſequuntur.

Recita Quintum: 5. *Item liberum ſit cuiuis qui ſub Papatu ſunt, ſeſe ſine famæ & propriorum bonorum diſpendio, Euangelicis (vti vocant) partibus adiungere, etiam ex Prælatis, & aliis ordinibus: abſq; tamen Capitulorum, Epiſcopatuum, Monaſteriorum, &c. bonorum immutatione & diſpendio.* Quid iam reſtat amplius? Tua Sanctitas habet Lutheranos pro infamibus, atq; eos exuit omnibus bonis: Comitia vero ſtatuunt ex diametro contra te, atq; inquiunt, licere ſine iactura famæ aut bonorum, deſerere aut abiicere partes & doctrinam Sanctæ Rom. Eccleſiæ. Quis vnquam putaſſet, Luteranam hæreſim huc euaſuram? Proh Deum atq; hominum fidem, quæ monſtra videmus? Graue ſane atq; intolerabile fuiſſet, ſi ſolis laicis permiſiſſent, vt illis liceret ſine vlla infamia fieri Lutheranis: grauius atq; intolerabilius, ſi presbyteris ac monachis: ſed grauiſſimum atq; intolerabiliſſimum eſt, quod etiam Abbatibus atq; Epiſcopis, quos decet reliquos in officio continere. Ergo tui presbyteri, tui monachi, tuiq; prælati, qui ſunt conſecrati, atq; habent characterem indelebilem, poſſunt nunc ex decreto Comitiorum illam Sacroſanctam vnctionem ludibrio habere, poſſunt vxorem ducere, & dedere ſe tam libidinoſo vitæ generi. Sed adhuc deterius eſt, quod ſequitur: nam agitur de bonis Eccleſiæ.

Recita Sextum. 6. *Bona Eccleſiaſtica ante Paſſavienſem confœderationem occupata à principibus, ciuitatibus, cæteriſq; ordinibus, & in alios vſus collata, nec vi nec legibus repetantur, neq; repetere volentis Camera Imperatoria poteſtatem faciat.* Hactenus Præpoſiti, Canonici, Monachi, & id genus plurimi, ſperarunt fore vt poſſint aliquando repetere & recuperare bona ſuarum Eccleſiarum, quibus fuerant expoliati: ſed nunc miſeri omni ſpe deſtituti, forte cogentur fieri Lutherani, ne fame pereant. Bona atq; opes Eccleſiarum, Beatiſſime pater, ſunt nerui tuæ autoritatis ac poteſtatis. quare male agitur, ſi hi inciduntur ac debilitantur, vt hic vides. Certe omnes illi tam multi, qui interea dum illa bona poſſidebant, aut rurſus in eorum poſſeſſionem reſtitutum iri ſperabant, tuas partes ardenter tuebantur, aut frigide poſthac tuebuntur, aut prorſus deſciſcent abs te.

Perge & Recita mihi Septimum. 7. *Iuriſdictiones Eccleſiaſticæ, & miniſteriorum conſtitutiones, ante Patauienſem confœderationem non ereptæ ordinariis ac legitimis collatoribus, non eripiantur: ita tamen, vt illi iuxta illius loci, oppidi vel ducatus religionem ſiue Auguſtana doctrina, ſiue Papiſtica ſit, miniſtros ordinent idoneos, & de horum conuenienti ſalario inter ſe ambo partes pacifice tranſigant.* Pater ſancte, vide quid Lutherani viciſſim nobis condonent, quum tam multa & tam grauia ſtatuerint pro ſe ipſis? Bona, inquiunt, & iuriſdictiones Eccleſiaſticæ, quæ non fuerunt ereptæ ante confœderationem Patauienſem, non eripiantur. At poſt illam confœderationem fere nulla facta eſt vel bonorum, vel iuriſdictionum occupatio: ſed quicquid occupatum eſt, multo ante occupatum eſt. Quare ex hoc capite nos nihil commodi conſequimur: imo aduerſarii etiam ex hoc ipſo magnum commodum conſequuntur, nimirum confirmationem bonorum, ac iuriſdictionum occupatarum. At videamus octauum: 8. *Denique illa ipſa bona Eccleſiarum, occupata in vſum pauperum, ſcholarum & miniſtrorum ſuſtentationem, hoſpitalium, xenodochiorumque ædificationem ſeu fundationem conferantur.* Hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſent, nullum exiſtere Purgatorium, nõ eſſe orandum pro mortuis, imo Miſſam non eſſe ſacrificium pro viuis ac mortuis. nam abrogant fundationes, ac ſtatuunt bona teſtatorum in alios vſus transferenda, quam in miſſas recitandas vel canendas pro ſalute animarum: aiunt ſe velle illis bonis ſuſtentare pauperes, ſcholas, miniſtros Eccleſiarum, ac hoſpitalia. At duplici vulnere hic afficimur: primum, quod abrogant, quantũ in ipſis eſt, Purgatorium: alterum, quod eiſdẽ bonis, quibus

quibus alendum ac ſuſtentandum fuerat Purgatorium, & reliquæ doctrinæ quas tenet ac approbat hæc Sancta ſedes, nobis bellum inferunt. Quum enim dicunt, ſe velle ſcholas inſtituere, ac miniſtros Eccleſiarum alere: dicunt ſe, velle habere ſeminarium hæreticorum, ac veluti militum, qui nos perpetuo oppugnent. Nam quid aliud niſi hæreſes docentur in illis ſcholis, atq; Eccleſiis? Pater beatiſſime, quanto magis introſpicias, tanto plus veneni videas in his articulis.

Recita Nonum: 9. *Liberum ſit vnicuiq;, religionis cauſa alio, rebus ſuis & exiſtimatione integris & illæſis, migrare: ita tamen, vt magiſtratui debita, iuxta eius loci ſtatas leges, bonorum portio (quam Gabellam iuriſperiti vocant) pendatur. Et qui ſerui ſunt mancipati, hac ratione ſeruitute minime liberentur.* In quinto ſtatutum eſt, licere vnicuiq;, etiam Prælatis, ſine famæ ac bonorum diſpendio, diſcedere à tua obedientia, tuiſq; doctrinis, & ſequi Lutheranam. nunc ſtatuitur, vt liceat etiam vertere ſolum, mutare dominum, ſine vlla iactura honoris ac bonorum. Quare ſi quis Germaniæ Princeps vellet mordicus retinere veterem religionem, ſubditi venditis bonis alio diffluerent. Vide quanti momenti ſit hoc nonum caput, quod primo aſpectu nihil noui videtur ſtatuere à quinto. Frænum, inquam, iniectum eſt Principibus, ne impediant eos qui volunt Lutherani fieri, ne forte fiant corpus ſine anima, hoc eſt, Princeps ſine ſubditis.

Recita Decimum: 10. *Et quia generale Concilium, in quo liberum ſit omnibus, tuto quid de religione ſentiant, palam effari, hactenus dilatum: minime vetita aut interdicta ſint nationalia, prouincialia, ſeu particularia concilia, colloquia & conuentus, modo publicam pacem non perturbent.* Hoc quidem, ac XII. mihi videtur omnium enormiſſimum ac peſtilentiſſimum. Hic primum repetunt de habendo Concilio, in quo omnibus, hoc eſt, etiam Lutheranis, proh nephas, liberum ſit, impune palam dicere contra te. Quid illic putemus eos eſſe dicturos? qua modeſtia de tuo primatu, de noſtris Miſſis, deque aliis controuerſis articulis diſputaturos? Horreſco vel cogitans. Deinde hoc audi: Si, inquiunt, generale Concilium differetur, liceat interea adornare nationale, aut prouinciale, ſeu colloquium, ſeu conuentus. Tandem enim res huc redibit: id tandem, inquam, acturi ſunt Germani, quod ſemper poſt natam hanc controuerſiam ſpectarunt, & ſummis votis optarunt: nempe celebraturi ſunt ſibi nationale Concilium, quo ſe in perpetuum diuidant ac ſeparent à tuæ ſedis vnitate, multo peius quam Græci. Vtinam non ita ſit: ſed vaticinor non ſine lachrymis (vt vides) ita futurum.

Recita Vndecimum: 11. *In quibus locis hactenus vtraq; religio conceſſa fuit, & ceremoniæ admiſſæ, nulla per violentiam eiiciatur, vſq; ad Concilii generalis deciſionem.* Recte hoc, *per violentiam non eiiciatur.* Sed loco violentiæ adhibebitur alia machina, quæ in hoc genere tantundem, aut etiam plus valet: nempe artes, ſollicitationes, conciones, obtruſi libri, libelli & picturæ, ad ſpectandum & legendum. Sic enim commodius à paucis quibuſdam inſtillantur hæreſes, vt venena, quam per vim multorum. Quare ſi in quantumuis magna ciuitate reperiantur duntaxat viginti, qui labe Lutherana ſint infecti: horum ſermones veluti cancer ſerpunt, & poſſunt tibi reliquam multitudinem breui inficere. Ita ſunt diligentes & ſolliciti: ac mirabile dictu eſt, non idem viciſſim contingere, vt ſcilicet noſtri vſque adeo cordi habeant noſtram doctrinam, neque in ea promouenda ſint ita anxij.

Sed recita XII. Proh dolor, quale hoc erit? 12. *Quæ in prioribus conuentibus Imperialibus decreta ſunt, in quibus ab huius nouiſſimi Auguſtani conuentus conſtitutionibus vel paululum quid diuerſum ac contrarium fuerit, abrogentur, annihilentur, & caſſata habeantur.* An non dixi paulo ante, autoritate horum præclarorum Comitiorum eſſe ſublatum atque abrogatum, quicquid in prioribus Comitijs actum fuerat ad commodum rerum noſtrarum? Certe hic prorſus abrogata eſt ſententia, quam anno 1523. Cæſar tulit contra Lutherum, atque omnes eius ſectatores. Abrogatum eſt illud decretum, cui nomen *Interim*, in quo licet quædam ineſſent contra nos, puta de coniugio ſacerdotum, & de communione ſub vtraque ſpecie: tamen plurima inerant contra Lutheranos. Et nunc, inquam, ſunt abrogata. Præterea abrogatum eſt decretum, quo anno 1548. omnes Principes, ſtatus, atque ordines Imperii ſubmiſerunt ſe Concilio Tridentino. Audis hoc Pater ſancte? Recitaui hodie ipſum decretum, vbi ſunt hæc verba: *Omnes & ſinguli ſtatus, priuatim & publice ſeſe tali Concilio* (de Tridentino loquitur) *adiungant & ſubiiciant, ac concordem eius deciſionem & determinationem obedienter expectent & ſuſcipiant, nec non ei pareant atq; obſequantur.* At nunc audi quid ſtatuant: *Quæ in prioribus conuentibus Imperialibus decreta ſunt, abrogentur, annihilentur, caſſentur.* Pro dolor! nam ſæpe cogor ſuſpirare. Quo fructu ergo potes idem, atque eiſdem conditionibus Concilium inſtaurare, ſi vides Imperialia Comitia, hoc eſt totam Germaniam, ſe tam aperte retraxiſſe ab illius obedientia, atque ipſum etiam totum Tridentinum Concilium (quantum in illis eſt) abrogaſſe, ac pedibus conculcaſſe? Dicant quod volent: ego ſemper magis magiſque in ea opinione confirmor, te non debere de inſtaurando Concilio cogitare.

Supereſt XIII. quare hoc quoque recita: 13. *In hac tamen pacificatione, confœderatione, ac nouis priuilegiis, omnes ſectæ, vel hæreſes, præter Auguſtanam confeſſionem, & Pontificiam, excluſæ ſint, nec nobiſcum participent quicquam.* Ecce iam factam confœderationem in cauſa religionis inter Germanos, ac etiam ſibi conceſſiſſe priuilegia. Quid ergo inquiunt, ſe expectare tempus Concilii celebrandi? Mihi hic videntur iam peregiſſe, atque abſoluiſſe totum Concilium. Damnarunt enim Anabaptiſtas, atq; alios ſectarios, qui eos excluſerint à participatione illius pacificationis, confœderationis, ac priuilegiis: quin noſtram quoque religionem non obſcure condemnarunt, quum ſtatuerint Lutheranos non eſſe carpendos, neque contemnendos: quin poſſe eos id genus doctrinæ profiteri, ſine vllo aut famæ, aut bonorum diſpendio: quumque omnia abrogarunt, quæ vel tantillum facerent pro hac

ſancta Rom. Eccleſia (Pondera mihi ea verba, *paululum quid.*) Dico iterum, illos noſtros aduerſarios ſub prætextu ac nomine Comitiorum, Concilium iam celebraſſe.

Sed iam recita pauca illa, quæ reliqua ſunt, vt finiamus tam funeſtam materiam. *Hæc ordinant & decernunt, ſeq; ſancte obſeruaturos pollicentur, Regia Maieſt. & omnes Imperij ſtatus atq; Camera, vt hæc rata habeat, iubent.* Beatiſſime Pater, hoc te ſcire, ac memoria diligenter retinere neceſſe eſt: Sereniſs. Rex Rom. tres Archiepiſcopi Electores, atq; alij omnes (eos dico, qui adhuc retinent tuam obedientiam) conſenſere in hæc omnia, quæ nunc audiſti, ac ſancte etiam iurarunt, ſe ea obſeruaturos. Quare ſi tu Concilium (vt dixi) indiceres, in quo non appareret, omnino liberum futurum eſſe omnibus tuto palam dicere, quid ſentiant: neq; Regia ipſa maieſtas, neq; illi tui Archiepiſcopi, neq; reliqui tuarum partium Principes ac ciuitates vllo modo poſſunt ſine periurio, ſine infamia, & rerũ ſuarum omnium periculo ab iſtorum Comitiorum decretis diſcedere, vt in tuum Concilium conſentiant. Cur ergo indicas? cur celebres? Opus enim eſſet, vt rurſus fieret Comitium, vbi hæc decreta prorſus abrogarentur, ac noua concinnarentur, quibus tota autoritas ac poteſtas celebrandi Concilii tibi vni permitteretur. Sed de hoc deſine cogitare. præcido enim tibi, ſine vlla exceptione, omnem ſpem, imo hoc nephando fundamento iacto, quotidie in peius ruent res noſtræ, quantum ad Germaniam attinet. Ac puto quidem te cogitaturum de reſcindendis tua autoritate illis peſtilentib. Comitijs: ac Cæſari & Rom. Regi imperaturum, vt ipſi quoq; ea reſcindant: quin etiam interminaturum, ne accedant ad comitia, in quibus talia tractantur. ſed fruſtra omnia, mihi crede.

Nunc vbi ſunt magnificæ illæ promiſſiones Cardinalis illius (ſcis quem dicam) qui quotidie literis ac nuncijs affirmabat, veniſſe nunc illud tempus, quo tota Germania pertæſa ſuarum hæreſum, confluxura eſſet ad vnitatem, ad obedientiam, atq; ad oſcula pedum veſtrorum? Memini me in literis illius legiſſe, audientibus in conſiſtorio omnibus purpuratis Patribus, hanc clauſulam: *Collegit nuper ad obedientiam iſtius S. Sedis, Cardinalis Polus totam Angliam. Quare eius exemplo colligemus nunc ex his Comitiis totam Germaniam.* Sic omnino ſcriptum erat: at quod peius eſt, adhuc verba dat, & vult nos lactare inani ſpe. Ait enim, ſe mox in patriam rediturum, & curaturum illic neſcio quid ſua autoritate, qua ſe iactat plurimum valere. At omnes noſtri, qui inde aut veniunt, aut ſcribunt, affirmant illum haud magni fieri. Beatiſs. Pater, ſcimus omnes, qua fide ac reuerentia Sereniſs. Rom. Rex ſuſpiciat ac veneretur hanc S. Sedem. Quare ſi eius Regia Maieſt. non potuit ſua autoritate nobis nunc auertere tam magna mala, hoc eſt, talia decreta, qualia recitaui: certe credere debemus grauiſſimas fuiſſe cauſas, quibus ſcilicet nullus Cardinalis, aut alius quiuis, remedium facile inuenerit.

Hic finem dicendi facio, & veniam peto. nam vereor, ne nimis prolixa oratione tædium attulerim. Cras dicam reliqua, atq; ea (mea quidem ſententia) multo grauiora, & multo periculoſiora, quam ea fuerunt, quæ hodie attigi. Argumento hoc vtar. Si tanta eſſet tua vel ſapientia, vel fœlicitas, vt poſſes euadere atq; ſuperare omnes eas Syrtes, omnes Scyllas & Charybdes, de quibus dixi: ita vt fracta & debilitata tuorum hoſtium temeritate & peruicacia, poſſes inſtaurare, continuare atq; abſoluere totum Concilium, fauſte & fœliciter, hoc eſt, ſtabilire & corroborare, illis inuitis & frementibus, autoritate tui primatus, & ſacroſanctæ iſtius Sedis, cum omnib. tuis doctrinis, conſuetudinib. ceremonijs, ac ritibus, qui nunc ſunt in vſu. Si, inquam, omnia hæc poſſes, tamen (me quidem conſulente) deberes ab eo Concilio abſtinere. Nam proculdubio neceſſe eſſet, poſteaquam illud abſoluiſſes, agere de exequendo, & colligere atq; educere exercitum aduerſus eos, qui noluiſſent decreta tua ſuſcipere. Sed hoc opus, hic labor, hoc ſummum eſſet & Romæ, & totius Italiæ periculum, quemadmodum cras dicam, ſi Dominus voluerit.

ACTIO ALTERA SECRETARII: AN PAPA VI ATQVE armis poſſit imperare Proteſtantibus Tridentini Concilij decreta.

BEATISSIME PATER:

Diuus Lucas narrat, Chriſtum aliquando ita dixiſſe. Recita: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius ſedens computat ſumptus, qui ſunt neceſſarii, ſi habeat ad perficiendum? ne poſtquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Aut qui rex iturus committere bellum aduerſus alium regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt.* Quibus verbis Chriſtus docet, tam publicos quam priuatos homines debere vti magna prudentia & cautione, quoties ſuſcepturi ſunt aliquam prouinciam, atq; illa tantum aggredi & amplecti, quibus vident ſuas vires poſſe ſufficere, ne forte contingat, eos digito monſtrari, irrideri, atque (vt ille ait) *dicier, Hic eſt.* Hæc doctrina nunc ad tuam Sanctitatem pertinet inprimis, quæ quum de inſtaurando Concilio cogitat, cogitat quidem de ſuſcipienda atq; aggredienda re atque prouincia tanti ponderis atque momenti, vt nulla poſſit eſſe maioris. Non ſolum enim proſpiciendum eſt, poſſiſne magnos illos nodos, omnino Gordianos, diſſoluere, & difficultates, de quibus dixi, ſuperare, priuſquam Concilium perficias: ſed an, poſteaquam perfeceris, futurum ſit, vt poſſis exequi, & decreta tua, vt ſeruentur, imperare. Hoc opus, hic labor eſt. Mihi vero perinde videtur eſſe, ſi quis inſtituat & abſoluat Concilium, quod exequi nullo modo poſſit: ac ſi quis iaciat fundamenta alicuius fabricæ, quam minime ad finem perducere queat.

Num ipſum Concilium queat abs te inſtaurari & perfici, dixi heri multis quidem verbis, ſed nondum omnia attigi. Potuiſſem enim multo plura, ſed quoniam addidi: *Si tanta eſſet tua vel ſapientia, vel fœlicitas, vel ambo ſimul coniuncta, vt expeditis omnibus nodis, omnibus Syrtibus, Scyllis & Charybdibus ſuperatis, poſſes fauſte atq; feliciter Concilii extremum actum videre: adhuc tamen nollem tibi eſſe autor, vt illi operi manum admoneres: propterea quod executio illius trahit ſecum nimis altos montes plurimorum incommodorum & periculorum.* Qua de re hodierno die orationem inſtituam, at maiore (vt ſpero) breuitate quam heri: quanquam multo grauiora ſum dicturus. Tantum rogo tuam S. vt quemadmodum heri, ita nunc quoq; patienter & æquo animo, ſibi recte conſulentem audire me velit.

Finge Concilium eſſe peractum, conſtabilitam illius autoritate tuam autoritatem & poteſtatem, confirmatas tuas doctrinas, tuoſq; ritus, condemnatos atq; exploſos aduerſarios, fac inquam, ita habere omnia. At hi nolent parere, quinimo condemnabunt omnia tua decreta. Atq; hoc ipſum certum tibi perſuadeas. Quod ſi quis tibi aliam ſpem injcit, profecto aut te decipit, aut qualia ſint illorum ingenia, potentiaq; atq; opes non agnoſcit. Ex multis vero vnam tantum nunc cauſam affero, quamobrem ſponte minime ſint pariturі. Si velimus ſpectare id, quod iſtius Sedis tuæ exiſtimationem & maieſtatem decet: Concilij patres nihil aliud poſſunt agere (neq; tu illis, vt agant, permittes) quam ſtabilire tuam poteſtatem, & prorſus omnes doctrinas, conſuetudines, ceremonias & ritus, qui ſunt in vſu ſacroſanctæ Eccleſiæ Rom. & à Lutheranis reprehenduntur. Sic enim nos decet facere, ne videamur fateri erraſſe, ſi vel tantillum iſtorum emendaremus. Noſtri vero aduerſarii vſq; adeo ſunt à nobis alieni, vſque adeo toto animo aduerſi, vt qui tam acerbas inimicitias nobiſcum exerceant, & odio pluſquam Vatiniano nos, noſtraq; omnia proſequantur, vt omnino impoſſibile ſit fore, vt vnquam decreta illa velint ſuſcipere.

Tua Sanctitas forſitan dixerit, illos non eſſe tam multos numero, neq; adeo potentes: itaque ſperare ſe, eos plenos metu & trepidatione futuros, neq; amplius reſtituros, ſed ſe ſubmiſſuros, vbi audierint tuam S. exercitus parare. Vtinam vero ita accideret: at ego longe aliud metuo. Nam plane ſcio, illos & numero & opibus longe plures potentioreſq; eſſe, quam multi opinantur, quemadmodum non multo poſt oſtendam. Nam quo pacto ſe aduerſus huius ſedis, & Cæſaris, aliorumq; Principum potentiam defendere per XL. adeo annos, & in ſuis opinionibus perſiſtere obſtinate potuiſſent, ſi pauci & imbelles eſſent?

Quare iterum affirmo omni aſſeueratione, eos recuſaturos parere tuo Concilio. Atq; hic nihil aliud ſupererit, niſi vt aduerſus eos bellum geras. Nunc ergo videamus, quorum Principum vires & arma tecum ſis habiturus: & rurſus, cuiuſmodi illorum Principum & confœderatorum potentia extat, contra quos bellum geſturus ſis. Neq; enim potes iudicare, num victoria ſperanda, & quantus tibi pecuniarum atq; militum apparatus neceſſarius ſit, niſi hæc duo, quæ attigi, fuerint tibi diligentiſſime cognita atque perſpecta.

Quod attinet ad primum: Excluſio (vt quidam inquit) multorum, eſt incluſio vnius. Itaq; ſic progrediar, vt primum recitem omnes eos Principes, quos crediderim tecum arma non eſſe ſumpturos (dico etiam ex his, quos forſitan putabas ſumpturos) atq; ita videbimus, quoſnam belli ſocios & adiutores habiturus ſis.

Principio neq; Ferdinandum Romanorum, neq; Maximilianum Bohemiæ, neq; Sigiſmundũ Auguſtum Poloniæ Reges habiturus es, neq; omnes eos Principes & liberas ciuitates Germaniæ, quæ adhuc inter noſtros cenſentur: neq; Angliæ Reginam, multo minus Henricum Gallorum Regem, aut Ferrarienſium Ducem: ac neq; Venetam Remp. quæ tam potens eſt, vt iuuare te (ſi quidem vellet) magnopere poſſet. Video tuam Sanctitatem mirari, & intra ſe dicere: Quæ ratio tui conſilii eſt? cur ita cenſes? fore vt non omnes hos quos recenſuiſti, aut ſaltem non maiorem partem habiturus ſim mecum in bello contra hæreticos gerendo? Reſpondeo, Ferdinandum & Maximilianum eius filium ſancte conſtituiſſe, velle ſe cum omnibus Principibus, ſtatibus & ordinibus Imperij, pacem & firmiſſimam amicitiam ſeruare, & malle propria commoda quam aliena. Dico, Ferdinandum cupere fratri Cæſari ſuccedere in Imperio, cui iampridem etiam eſt deſtinatus: filium autem eius, ſucceſſorem ſibi ſecundum inſtitui, quem quidem tota Germania valde amat & colit: ac proinde multi putant fore, vt facile quod ſperant conſequantur. nihil vero illos æque poſſet in re tanta turbare atq; impedire, quam ſi nunc pro tua poteſtate reſtituenda contra Germaniam, quæ illis patria eſt, arma caperent.

Rex Roman. *Rex Boemiæ.*

Rex Poloniæ, quum multo magis pendeat à ſocero atq; affine ſuo (quos cupit ornatos ſucceſſione Imperij) quam ab vllo mortalium, prorſum abs te iuuando abſtinebit: præterquam quod è re ipſius non eſt accurrere ad fundendum ſanguinem, & prouocandam ſibi iram atq; inimicitiam nationis Germaniæ in perpetuum. Deinde magna pars eius regni incœpit magis amare doctrinas atq; inſtituta Proteſtantium, quam tua: præſertim hi, qui nobili genere orti ſunt, ita vt parum abfuerit, quin præterita æſtate Sanctitati veſtræ valedixerint. Quanquam vero Epiſcopum Veronæ eo ablegaueris, vt Polonos in officio contineat: tamen vix continebit, ſi menſe Aprili coibunt Comitia: ita ſunt omnium nobilium animi concitati, atque à tuis hoſtibus ſollicitati.

Rex Poloniæ.

Inter Principes Imperij exiſtunt quidem nonnulli, qui cuperent reſtitutos veteres ritus, vetereſq; ceremonias: ſed has potius ſuo ipſorum, quam tuo arbitrio. vix enim vnum atq; alterum reperias, (ex illis dico, qui inter tuos & Catholicos, vt aiunt, cenſentur) qui non multa in ſuis vrbibus paſſi ſint abrogari & aboleri. ergo hi mallent præſentem ſtatum ſuarum Eccleſiarum conſeruari.

Et magnopere errat, qui forte exiſtimat, eos malle tuo, vel alterius cuiuſuis Principis arbitrio, quam ſuo ipſorum gubernare ſuam ditionem, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus. Quin audi hoc diligenter. Ante quam apud eos ingraueſcerent hæc mala atque hæreſes, agnoſcebant duos dominos, ac veluti duo capita: te, inquam, & Cæſarem. itaque in hoc motu & in hac rerum mutatione lætantur, ſe vno ex his veluti vinculo ſolutos eſſe, factoſque liberiores. atque ita non libenter, crede mihi, vtrumque vetus iugum de integro ſuſcipient: vt qui longe libentius abijcerent (ſi quo modo poſſent) alterum quoque. Verum eſt alia ratio multo grauior & fortior. Nam tametſi eſt illis quidem vetus religio cordi, tamen multo magis libertatem amant, & eam ſibi conſeruatam cupiunt. At nunc metuerent labefactatam iri, aut forſitan aliquando ereptam, ſi reliqui Principes ac membra Imperij debilitarentur, aut forſan extinguerentur. Sapienti ſat dictum. Certe puto me rem magnam innuiſſe.

In ſumma: ego quidem non poſſum adduci, vt credam, vllum Principem tantopere eſſe affectum veteribus noſtris opinionibus & doctrinis, vt propter eas velit pati in diſcrimen adductam eorum libertatem. Quis neſciat, totum corpus reddi imbecillius, & ad reliquas partes corporis ſuſtentandas & defendendas minus aptum, minuſq; forte, ſi patiamur vnum aut alterum ex membris abſcindi: Aut igitur non caperent arma pro te, vt dixi, aut non caperent ea alacritate, atq; ita ſerio, vt par eſſet, itaq; ſemper eſſet ab illis aliquid metuendũ. Nam quid firmitatis poſſis ſperare ab his, qui pro extraneis ſuſcipiant bella, contra ſuos non modo populares & ciues, ſed etiam affines & cognatos? Facile (mihi crede) illos ius patriæ, ius ſanguinis, ius veteris amicitiæ, & natura ipſa in concordiam ex improuiſo redegerit, excluſis omnibus tum Italis tum Hiſpanis. Nec puto eſſe in Catholicis Principibus tantum inimicitiarum, & tam capitale odium aduerſum reliquos, vt poſſimus ſperare, eos vſque ad exitum eius belli, quod ſuſciperetur, conſtanter vna tecum permanſuros.

Angliæ regnum, valde magnum quid fecerit, & ſat fuerit parti noſtræ, ſi prorſus repulſam dederit erroribus, quibus iam erat imbutum. certe audimus eos eſſe longe lateq; ſparſos, atq; ita radices egiſſe, vt licet multi cottidie autoritate & diligentia Cardinalis Poli in carcerem condantur, multiq; exurantur (tres enim Epiſcopi paucis menſibus fuere combuſti, vt ſileam de reliqua turba) tamen videtur potius augeri numerus noſtrorum aduerſariorum, quam imminui. In ſumma, non eſt ſperãdum fore, vt inde hoc quidem tempore poſſis vllam pecuniam extorquere. Accedit, quod Philippus Hiſpaniarum Princeps, qui Mariam illam Reginam duxit in vxorem, quum iam deſperet ex ea prolem ſe ſuſcepturum, retraxit ſe ex Anglia in Belgicam: vnde ingentibus largitionibus oppugnat eorum Anglorum animos, penes quos exiſtit autoritas deferendæ coronæ illius regni. anxie enim cupit inaugurari in regem, vt poſſit etiam obeunte Regina illa ſine hærede, aut ducta Eliſabet altera ſorore, aut quacunque ratione regnum retinere. quare tota Anglicana pecunia alijs vſibus nunc deſtinata eſt. *Angliæ.* *Card. Polus.* *Philippus Hiſpan. princeps.*

Rex Galliarum aut pacem nunc faciet cum Cæſare, aut minus: (hoc.n. magis viri prudentes putant) tali fecerit, non debes tibi perſuadere, fore vt interea, dum vna cum Cæſare Germaniam bello adorirere, velit ipſe fabulæ ſpectator eſſe, & ſinere Germaniam ſubigi. Hoc (credat mihi tua Sanctitas) nunquam ille permiſſurus eſt. Quanquam enim illi ſis dicturus, te tuis exercitibus velle efficere tantum, vt Germania decreta Concilij & veterem religionem cogatur ſuſcipere, neq; te paſſurum, vt eorum libertas alioquin opprimatur: & quanquam eum obteſtateris, & per omnia, quæ ſunt ſancta, adiurates, ne tibi ipſe, qui vſq; adeo tuæ S. Sedis fautor & defenſor eſſe ſolet, in tam ſancto opere promouendo impedimento eſſe vellet: tamen nihil proficeres. hanc ego tibi ſpem ſine vlla exceptione præcido. ille te quidem colit, atq; aliis in rebus omnibus, opinor, morem gereret: in ea vnã (ſi velimus id quod eſt ſincere iudicare) nec vellet, nec poſſet. Nam quum tanta ſit de laude & gloria (laudem & gloriam quum dico, nihil poſſum maius dicere) inter illum & Cæſarem contentio atque æmulatio, nunquam extorquebis ab Rege illo aliquid, quo poſſit cognoſcere, fore vt ſua imminuatur gloria, hoſtis ſui creſcat. At dices: Quid ſi pacificatio inter eos conſequatur? an non poſſemus tunc ſperare, eum domi manſurum, & non futurum nobis impedimento, interea dum in Germania bellum gereremus? minime omnium. Nulla enim pacificatio inter eos ſequutura eſt, quæ poſſit extinguere illorum animorum ardorem: atq; ita nulla tuta & diuturna erit. Et ſat puto me apud ſapientiſſimum Principem de Gallo dixiſſe. *Rex Galliarum.*

Veneti eiuſmodi ſunt ingenii, vt ſi quis eos ſtimulauerit, & propriam eorum libertatem vel iuriſdictionem violauerit, confeſtim clament, & de repellenda iniuria, & de vlciſcendo cogitent. Atque in hac re neq; opibus, neq; vllis incommodis parcunt: verum pro tutanda ſummorum Pontificum, aut aliorum Regum & Principum dignitate, aut recuperanda libertate non ſolent admouere manus ad theſauros, neq; ſuas claſſes & milites educere: multo minus volent nunc tam difficili & periculoſo bello ſe tecum implicare. Vtinam vero eos, in hac quidem cauſa, in conſilium adhiberes: ſunt enim viri magna rerum experientia & ſapientia cumulati. profecto non verba, ſed tonitrua audires, quibus te permouerent atq; abſterrerent, ne crabrones in caput Italiæ irritares. *Reſp. Veneta.*

Igitur in bello hoc gerendo habiturus eſſes Herculem Ducem Ferrariæ, vtpote tuum vaſallum: quanquam minime volet conferre ſuos ingentes theſauros. ſed vix mittet aliquot pedites, aut equites, quingentos aut ſexcentos, nempe vt in proximo contra Proteſtantes bello. Habiturus eſſes Guilielmum Ducem Mantuæ, quem ſcilicet Hercules Cardinalis Gonzaga, eius patruus (vt eſt ſummus Lutheranorum hoſtis, quos tamen amare & fouere aliquando videbatur) impellet ſuis conſi- *Dux Ferrariæ* *Dux Mantuæ.*

liis,quo tu volueris:& forte minime impellet. nam ferunt Ducem illum iam detrectare iugum tutoris, vt eſt inuidi ingenij.

Dux Florentinorum. Dux Parmenſium.

Addo etiam,te habiturum Coſmum Florentinorum Ducem, & forte etiam Octauium Ducem Parmenſium: tametſi de hoc minime affirmo. nam vt vmbra corpus, ita perpetuo is ſequitur Regis Gallorum veſtigia. At omnes hi exiguum neſcio quid conferent, ſi ſpectes magnitudinem belli,quod ſuſcepturus eſſes.

Dux Vrbini.

Solus Guido Vbaldus Dux Vrbinatum, qui non modo vaſallus eſt,ſed huius ſacroſanctæ Eccleſiæ capitaneus (vt appellant) generalis,non ſolum milites ex ſua ditione exercitatiſſimos educet tibi: ſed vna cum ſuis conſiliis,omnes ſuas opes,quamuis non ſint valde magnæ, ſed quales quales ſint,conferet,atque vna vitam ipſam.

Cæſar.

Cæſarem poſtremo loco,de quo verba facerem,reſeruaui: de eo itaq; audiat V. Sanctitas,quæ mea ſit ſententia. Plerique omnes affirmant,eum Imperii habenas commiſiſſe Ferdinando fratri, ac mox in Hiſpaniam cum vtraque ſorore nauigaturum,nempe vt ille à rebus maximis geſtis, atque à corporis ingeniique laboribus aliquando quieſcat. Neque deſunt, qui dicant, eius Maieſtatem iam eſſe minus idoneam rebus magnis bene gerendis,ſiue corpus ſpectes,iam propemodum confectum multis ægritudinibus, ſiue aliud. Multi etiam putant, ſi maxime valeret, tamen in animum induxiſſe, nolle poſthac contra Germaniam bellum gerere, quin neque contendere amplius cum illa in cauſa religionis. Addo etiam, multos exiſtimare, eum erga T. Sanctitatem parum beneuolo aut æquo animo eſſe. Memineris certe oportet,illum diſerte ſuis edixiſſe, ne te paterentur Pontificem creari, ſed quemuis potius alium Gallicæ nationis, denique ex toto collegio. timebat ſcilicet, ne quum ſis patria Neapolitanus, atque vnus ex exulibus,illum ex eo regno exturbares. Memineris etiam oportet, quam te initio tui Pontificatus contempſerit per ſuos tum Cardinales, tum alios quos Romæ habet, cum magno etiam tuæ vitæ periculo. Quare fuit tibi etiam pro cuſtodia vitæ parandus exercitus: quin & Regi ſpes iniicienda, fore vt eum tuis armis contra Cæſarem iuues,vt te iuuandum ſuſciperet: vt iam peruagata eſſet fama in tota Europa, te conſociaſſe tua arma cum Rege Gallorum,vt Cæſarem eiiceres ex regno Neapolitano. Nunc nollem tibi author eſſe, vt Cæſari plane confideres, quamuis iactet ſe vſque adeo obedientem filium, omniaque ſua officia tibi promittat. quum enim prematur bello Gallico, videt non eſſe è re ſua,vt tuas potentiſſimas vires coniungas cum hoſte ſuo: quare modo iniecta ſpe de pace, modo aliis artificiis,curat rem extrahi, dum tu,qui iam es octuagenarius, Papatum deſeras. Sed fac omnia hæc aliter ſe habere: hoc eſt, finge Cæſarem è Germania non diſceſſurum,Cæſarem adhuc cupere cum Principibus Germaniæ bellum gerere,Cæſarem magis eſſe animatum,atque odio aduerſus Lutheranos incenſum,quam nunquam antea, Cæſarem denique tibi bene velle ex animo.

Dicet T. Sanctitas: Hæc ſi ita ſe haberent, in tuto res eſſet: vincerem proculdubio, etiamſi illi Reges & Principes, quos commemoraſti, nihil conferant: quin etiam ſi aliqui eorum aperte prodirent in aciem contra nos, vnus mihi Cæſar ſatis eſſet ad debellandos Rom. Eccleſiæ omnes hoſtes. Cupio ego quidem debellatos, ſi quiſquam alius. Sed priuſquam de victoria ac de triumpho cogites,audi reliqua, nondum enim peroraui. Scito igitur ſupereſſe id,quod omnium maximum eſt,nimirum vt dicam, contra quos homines bellum geſturus ſis. ex his enim quos commemorabo,nullus prorſus deerit: at deerit forſitan aliquis ex his,quos in tua parte collocaui,aut ſaltem non conferet,quicquid poterit virium. Vna ergo conferent contra te omnia conſilia, omnes cogitationes, opes, munitiones,machinas,pedites,equites,neruos,liberos, ſanguinem & vitam, omnes illi Principes & liberæ ciuitates,quas tute ſcis tuam obedientiam abieciſſe. Hic non opus eſt Catalogo, ſcio omnium eorum nomina eſſe inſcripta magno cum dolore in tabulis cordis tui, ſcio etiam te ſcire, eos per ſe eſſe potentes, & acerrime & vehementiſſime bellum geſturos eſſe aduerſum te. Sed neque etiam hi ſoli futuri ſunt. nam quum ſint in ea natione Principes & ciuitates, quæ neque omnino tibi fauent, neque valde ſunt aduerſæ: tamen paruo momento huc vel illuc poſſunt impelli.

Principes Proteſtantes. Liberæ ciuitates.

Oratio Proteſtantium ad Catholicos.

Cum his igitur tui hoſtes ita egerint: *Viri fratres, audiſtis parari contra nos arma in Hiſpania, in Italia, in Flandria. Eſt quidem illis prætextus religionis: aiunt ſe bellum gerere pro aris, & pro reſtituendis veteribus cultibus & ceremoniis, quas nos repudiauimus. Verum ſcimus, totum illum apparatum re vera veſtram omnium libertatem, perinde ac noſtram, veſtras opes, veſtras domos, veſtras vxores, veſtros liberos petiturum, euerſurum, perditurum. Itaque occurrite vna nobiſcum in tempore huic tanto malo, adiungite veſtras opes cum noſtris. Etenim ſi volueritis eſſe ſpectatores tragœdiæ, interea dum ab hoc veluti corpore totius Imperij vnum aut alterum brachium abſcindetur, aut vnus oculus a noſtris communibus hoſtibus eruetur: fruſtra poſtea agetis de reliquis corporis partibus defendendis, quæ ſtatim erunt obnoxia, & facilis præda Italis atque Hiſpanis.* An non putas, Pater ſancte, fore vt hac vel ſimili oratione multi permouerentur? An neſcis, animos illorum hominum plenos eſſe (magis quam vnquam antea vlla memoria) ſuſpicione & diffidentia? An ignoras, nihil poſſe in Germania dici aut excogitari odioſius, & quod magis commoueat ſtomachum & bilem, quam nomen militum Italorum, quam nomen Hiſpanorum, & quam Papæ nomen? Credant alij quod velint, ego in ea ſum ſententia, vt putem, aliquot illius nationis Principes & ciuitates (ex his dico, qui adhuc tuos ritus retinent) non modo non eſſe ſumpturos arma pro te (vt dixi) verum etiam contra te: aut ſi aperte ſigna contra non explicauerint, ſaltem ſubminiſtraturos tuis hoſtibus ea omnia, quæ ſunt futura ad bellum gerendum neceſſaria, commeatum, tranſitus, milites: tibi vero eadem negaturos.

Cum-

Contra hos, ſi adhuc eſſent ſoli, durum profecto & difficilimum bellum ſuſciperetur. Sed audi reliqua.

Heluetiorum quatuor inſignes populi (Cantones vocant) Tigurum, Berna, Baſilea, Schaffu-
ſa, cum aliquot ciuitatibus illis fœdere iunctis, Sangallo, Geneua, atque alijs: complexi ſunt idem
genus doctrinæ, quod Germani illi, qui ſunt vltra Rhenum, & te tuaq; omnia eodem odio, quo illi,
proſequuntur, aut longe etiam maiore. His ex animo conſentiunt tria fœdera (Ligas appellant) Ræ-
torum, qui etiam ſunt Heluetijs confœderati. Nunc quæro, vbi omnes hi audierint collectũ eſſe abs
te, & mitti in Germaniam ingentem exercitum, quo inuaſurus ſis Proteſtantes, vt eos ad ſuſcipien-
da Concilii decreta compellas: quid putes eos facturos? futuros ſpectatores fabulæ, aut quid? Certe
erras toto cœlo, ſi tibi perſuadeas, eos rem tantam eſſe neglecturos, & non viſuros, fore vt tota faba
deinde cudatur in proprium ipſorum caput, niſi in tempore occurrant. Occurrent proculdubio, &
confeſtim ſuis exercitibus paratis, atq; vna Proteſtantibus adiunctis, ſubſidio venient. At qualibus
exercitibus? quis non nouit diſciplinam eorum eſſe præſtantiſſimam? milites fortiſſimos? & ſolos
adeo Bernates poſſe nullo negotio educere xxx. millia inſtructiſſimorum militum? Tigurinos xx?
Hic dixerit tua S. eſſe aliquot Heluetiorum pagos, qui tuam obedientiam mordicus retineant, à qui-
bus poſſis ſuppetias & auxilia ſperare. Sunt quidem ex illis aliquot pagi, qui abs tuo gremio nunquã
vlla vi paſſi ſunt diuelli: quo nomine confitearis neceſſe eſt, te multum eorum obſeruantiæ erga te
debere. ac recte profecto egiſti, quod tam amanter & liberaliter complexus es eorum Legatos, qui
tibi gratulatum venerant. Curaſti enim per Terracinæ Epiſcopum, vt tuo ſumptu Romam venirent,
tuo ſumptu hic alerentur, tuo ſumptu in patriam redirent cum magnis donis: præterea & debes qui-
dem curare, vt eos tibi demereas omni officiorum genere. Sed tamen hoc non impetrabis, vt velint
tibi ſuis exercitibus ſocij eſſe in bello hoc, de quo loquimur. Rogas? quia ſunt alijs pagis iuncti ar-
ctiſſimo fœdere, contra quos, niſi inſigni aliqua iniuria affecti, nolent, vt ſunt boni viri, contra (in-
quam) tam charos bellum gerere, & fidem frangere. Eadem enim eſt ratio in his, quam dixi eſſe in
aliquibus Principibus Imperij: nempe periculum ſibi ſummum imminere, ne, ſi te atq; Cæſarem iu-
uent in Tiguro, Berna, Baſilea (quæ ſunt columnæ & robora libertatis Heluetiæ) opprimendis, ſua
ſibi quoq; libertas poſtea poſſet confeſtim debilitari atque eripi. Quis enim dubitat, Lucernam,
Friburgum, alioſque pagos, magis fore propriæ libertatis conſeruandæ ſtudioſos, quam tuæ autori-
tatis reſtituendæ? præſertim cum ipſis accidat idem, quod de quibuſdam Principibus Germaniæ ca-
tholicis dixi, qui præſenti ſtatu Eccleſiarum ſuarum multis nominibus maiore cum commodo, & a-
nimorum voluptate fruuntur. Eſt enim omnino laxior & liberior, quam is futurus eſſet, quem tu (ſi
vbique victor euaderes) reſtituendum curares. Nam id opinor operam dares, vt tui canones ad vn-
guem porro ſeruarentur, vt præcideres omnem occaſionem, ne quis amplius clamaret contra iſtam
ſanctam Sedem. Sed quid verbis opus eſt? conſule illum, cuius modo mentionem feci, Terracinæ
Epiſcopum, qui res Heluetícas tractat, an reuera illi videatur fore, vt Heluetiæ illa pars, quæ te colit,
poſſit impelli, vt arma ſumat pro te, contra ſuos confœderatos. Certe enim affirmabit, non ſumptu-
ram, ſi modo verum voluerit dicere id quod ſentit. Vereor enim, ne tibi ſæpe imponat, magiſq; ſuam
ipſius cauſam agat in illa legatione, quam tuæ Sanctitatis. An non vides, vt impudenter flagret libi-
dine Cardinalatus?

Heluetiorum populi, Tigurum, Berna, Baſilea, Schaffuſium.

Heluetiorum Pagi catholici.

Lucerna. Friburgum.

Sed audi reliqua. Non modo enim maxima pars Heluetiorum atque Rætorum, ad ſuſcipien-
da arma contra te, ſi armatum in Proteſtantes viderent: ſed vna cum illis omnes Prouinciæ & popu-
li, quos nunc dicam, accenderentur. Inprimis tota Pruſſia, quæ Alberto ex Brandenburgenſium fa-
milia duce, atque impulſore, ante viginti & eo amplius annos prorſus à tuo imperio deſciuit, & Eu-
angelica (vt aiunt) facta eſt. Tota etiam Liuonia, quæ idem egit iamdudum, totum regnum Daciæ,
atque etiam regnum Suetiæ, maxima pars Friſiæ orientalis: denique omnes ciuitates maritimæ, quas
appellant.

Dux Pruſſiæ.

Liuonia.

Rex Daciæ.

At operæpretium eſt ſcire, cuiuſmodi ſint omnes hi populi. Noſti eſſe Sarmatiam Europæ, quã
hodie Pruſſi, Ruſſi, Lituani, Moſcouitæ, & partim etiam Poloni inhabitant. Noſti in eadem Sarma-
tia, quæ ad Oceanum, & ſinum Codanum, ſeu (vt Ptolemæus) à Venedis olim populis Venedicum,
vergit, Liuoniam: cuius longitudo eſt circiter quingentorum paſſuum millium, latitudo quadringen-
torum, terram frumento, carne, melle fertiliſſimam, & quæ quatuor inſignes portus habet, Rigæ,
Terpt, Reuel, & Derba, quos dixeris quatuor ceu vbera Liuoniæ: nam ex magna orbis parte illuc o-
mnia ad victum ornatumq; neceſſaria inferuntur, & viciſſim inde frumenta, mella pelleſque expor-
tantur. Eſt illic inſignis Archiepiſcopus Rigenſis: eſt Magiſter Liuonienſis, Epiſcopi Reualienſis,
Derbatenſis, Oſilienſis, Cauronienſis: qui tametſi magiſtratum ibi agunt, atq; omnia regunt, tamen
victa ferociſſimorum illorum populorum importunitate & inſolentia, omnes eas doctrinas & cere-
monias, quæ nobis ſunt in vſu, funditus extirpare, & paſſim admittere Lutheriſmum ſunt coacti.
Quod niſi feciſſent, proculdubio fuiſſent eiecti, aut etiam interfecti.

Sarmatia Europea.

Liuonia.

Daniæ vero & Noruegiæ regna, in inſulis illis Septentrionalibus, & peninſula illa, quam qui-
dam ex veteribus ob immenſam magnitudinem veluti alterum orbem appellarunt, obtinet nunc
Chriſternus Olſatiæ Dux, qui altero illo Chriſterno Cæſaris ſororio ex regno eiecto, atq; in exiguam
quandam inſulam relegato, in Regem electus eſt. Is prorſus abhorret à tua autoritate & doctrina,
cum toto ducatu & regno.

Dania. Noruegia. Chriſternus.

In eadem peninſula Iuſtauus regnum Suetiæ & Gothorum obtinet. Quam vero is faueat tuæ

Iuſtauus rex

ſanctæ Eccleſiæ autoritati & doctrinis, teſtis tibi & toti vrbi atque Italiæ eſſe poteſt Olaus Magnus, quem in Archiepiſcopatu Vpſalienſi, qui in ipſa Gothia eſt, Ioanni fratri, hic Romæ in ſumma paupertate mortuo, ſuffeciſtis. Ambo enim à rege & populo, quibus illic opibus atq; honoribus florebant, exuti atq; nudati, electi ſunt: tantum ob eam cauſam, quia tueri & ſuſtentare tuam poteſtatem tuaſq; doctrinas, omni ſtudio nequicquam conabantur. Nam magno impetu in omnes illas ciuitates, oppida & pagos peruaſit morbus & furor Lutheranorum hominum. At noſti, quinam ſint populi illi? Sunt illi ipſi, qui circiter annum vrbis Romæ milleſimum centeſimum ſexageſimum quartū, primum duce Alarico, deinde iterum poſt centum circiter annos duce Genſerico, in Italiam, etiam non prouocati, nec vlla religionis (quæ tantam vim habeat in animis hominum) cauſa laceſſiti, inundarunt, & vrbem hanc diripuerunt, incenderuntq;: quorum barbaro furori acceptas ferimus infinitas calamitates & ſtrages, quæ ſtudia, quæ linguam, quæ mores inuaſerunt & corruperunt. Non modo enim incendio abſumpſerunt arces, templa, palatia: ſed in ipſa monumenta & ſaxa ferro ſæuierunt & corruperunt, vt multis in locis videre eſt, inuidia & rabie pluſquam barbara. Atq; hi ita ſunt feri natura, vt non modo in Italiam ex Inſulis & Septentrionibus illis maximos exercitus & fœdiſſimam quandam barbarorum hominum colluuiem intuliſſe legamus: ſed in reliquas prouincias & regna, in Galliam & Britanniam, atq; adeo in ipſas Hiſpanias, atq; etiam Africam, quæ tam longo interuallo diſtant ab eis, irruerint. Certe metuendi ſunt populi illi, veluti crabrones quidam, quos nec tantillum oportet irritare: atq; vtinam, etiamſi non irritentur, maneant in ſuis Inſulis, nec aliorum quietem turbent. Hoc itaq; ſaxeum & ferreum genus hominum contra te, vna cum tam multis alijs, quos dixi, magno cum furore irrueret. Dii meliora. In ſumma, ſi bellum hoc ſuſceperis, multo maiorem materiem & molem in tota Europa, ac maius incendium commouebis atq; accendes, quam vnquam exiſtimares.

Inter cætera vero hæc quoq; incommoda tibi forent ſubeunda & deuoranda. Nam educendi eſſent tui exercitus procul ab ipſa Italia, ſuperatis Alpibus, multorum dierum itinere: inuadendi hoſtes domi, vbi ipſi facile habebunt omnia, quæ ad bella ſuſtinenda ſolent eſſe neceſſaria, tu viciſſim difficilime. Quantæ vero difficultatis ſit, educere magnum aliquem exercitum in remotas prouincias, atq; trans Alpes: atq; hoſtes alioquin belli gerendi peritos & fortes, qui tempus habuerint parandi ea, quæ ad defenſionem ſunt neceſſaria, domi ſuæ adoriri, quis eſt qui non intelligat? Q. Fabius Max. quum ab Aphrico bello Senatum vellet dehortari, inquit de Africa: *Vbi non portus vllus claſſi noſtra apertus, non ager pacatus, non ciuitas ſocia, non Rex amicus, non conſiſtendi vſquam locus, non procedendi: quacunq; inſpexeris, hoſtilia arma atq; infeſta.* Eadem fere omnia poſſumus nunc de tuis exercitibus dicere, ſi Germaniam velint aggredi, præſertim in hac cauſa. Adhæc gerendum eſſet bellum in ea prouincia, in qua vix quatuor menſes Itali atq; Hiſpani poſſent ſub dio militare. Hyeme vero (quæ illic tam diuturna & tam ſæua eſſe ſolet) reuocandi eſſent in hyberna, ad vrbes & oppida: ne ſi ſecus fieret, idem illis accideret, quod ante paucos annos accidiſſe ſcimus Cæſaris exercitui, quem ad obſidionem Metenſem admouerat, & tota hyeme compellebat illic hærere ſub dio, quaſi qui vellet vim inferre cœlo ipſi & tempori anni. Itaque vix centeſimus quiſq; euaſit, qui frigore non perierit, præſertim ex Italis.

Quare hoc bellum futurum eſſet diuturnum proculdubio, & valde difficile & periculoſum. Neque enim iam de aris & de religione ſolum eſſet dimicandum: ſed de ſumma rerum, de libertate, & de Imperio, & de tuo ipſo Imperio. Vide quid porro dicam: quod ſi audieris, plane oſtendam, & eo ipſo die, quo ſtatueris Concilium eſſe inſtaurandum (vnde conſequitur huiuſce teterrimi belli gerendi neceſſitas) aleam arrepturum eſſe, eamq; iacturum pro toto adeo Eccleſiaſtico Imperio, & pro Italiæ, ac fere totius Europę ſalute. Sed priuſquam hęc dicam, alia quædam attingam neceſſe eſt. Iam potes ex his, quæ hactenus dixi, æſtimare, quam immanes ſumptus forent tibi faciendi. At ærarium

Paulus III. Iulius III. Rom. Eccleſiæ exhauſtum eſſe ſcimus omnes: tanta fuit Pauli ac Iulij III. frugalitas & parſimonia, tum in ſuis ditandis atq; ornandis modeſtia (ſcilicet). ipſi medius fidius theſauri Sultani Solimani (liceat modo id quod res eſt dicere) explendæ illorum libidini non feciſſent ſatis. Tu vero cum pro tua animi magnitudine & liberalitate hoc primo tui Pontificatus anno immenſos ſumptus ſuſtinueris, omnino nihil potuiſti in ærarium redigere. Ergo vbicunque & vndecunq; poſſes cum tuis miniſtris, qui omnes vias pecuniæ norunt, magna diligentia & ſeueritate colligendæ, corradendæ, imperandæ eſſent pecuniæ, quæ ſunt (vt ſcis) bellorum nerui. Nam quemadmodum ſine neruis corpus nequit conſiſtere, ita neque ipſi exercitus ſine maxima auri & argenti vi, ſed dilabuntur. Quare primum eſſent augenda precia ſalis in omnibus tuis vrbibus, ſine vlla exceptione: quam rationem maiores tui mineram quandam auri appellare conſueuerunt. At quia inde non tantum adhuc poſſes colligere, quantum opus eſt, imperanda eſſent adhuc alia tributa, quæ taleas appellamus: deinde oppigneranda aliquot vectigalia. Atq; vt etiam clerus ipſe ferret ſuam oneris par: ē (vt par eſt) omnibus Romanæ curiæ Officialibus, quos vocant, & omnibus non modo clericis aut presbyteris, ſed etiam monachis & monaſteriis, tum virorum, tum mulierum, imperandæ eſſent quinq; aut ſex decimæ, aut medii fructus: vt fieri ſolet, ſi quando agitur de bello Turcis inferendo. Ac non modo ab his presbyteris & monachis, qui ſub tuo temporali (vt ſolemus dicere) dominio degunt, decimæ ipſæ, aut medii fructus imperandi eſſent: ſed ab illis etiam, qui ſuis ſacerdotiis & opibus fruuntur ex ditione Cæſaris, ex ditione Gallorum Regis, ex ditione Venetæ Reipublicæ & Ducis Ferrarienſium, atque aliorum Principum. His enim rationibus pecuniæ conficiendæ, maiores tui omnibus

vſi

vſi ſunt. Quin & indulgentias per totum Chriſtianum orbem aliquando euulgarunt, precio redimendas. Deniq; etiam cruciatas (quas appellant) indixerunt: atque ita tantum auri colligebant, quantum ad res magnas obeundas ſufficere poſſe videretur. At operæ precium eſt videre, poſſis ne tu hoc tempore omnia hæc efficere, aut etiam tentare.

Principio, quod ad precia ſalis augenda, & ad alia tributa attinet, vbi ad tuas ciuitates, oppida & pagos fuerit delatum, tantum pecuniæ ab illis eſſe emungendum, & iam aduentare ad ſe viderint quæſtores, ſubquæſtores, lictoreſq;, qui eos incipiant exactionibus diuexare: Dii immortales, quam acerbo & capitali odio te proſequentur: quales voces, fremitus, eiulatus, querelæ paſſim exaudientur? Certe is actus Comœdiæ (aut potius tragœdiæ) tantum moleſtiarum habebit, tantumq; ſollicitudinis erit in eo deuorandum: quantum nulla vnquam totius reliquæ vitæ tranquillitas, fœlicitas, lætitia & dulcedo poſſit condire, & mitigare. Deinde quis ſcit, num forte graues aliqui tumultus inde ſint exorituri? Quis ſcit, num forte tui ſubditi reſtituri & negaturi ſint, & ad arma etiam venturi? Memineris oportet, quæſtorem cui nomen erat Cauino, quemque Clemens ſeptimus Parmam miſerat, qui imperatam pecuniam exigeret in medio adeo templo fuiſſe, in populi ſeditione, eam ob cauſam trucidatum. Deinde Peruſinos eos, quibus Paulus III. precium ſalis auxerat, tametſi fuerint ſoli, auſos fuiſſe non modo negare, ſed armis etiam diu reſiſtere exercitui, qui aduerſus eos fuerat ab ipſo Pontifice miſſus: vnde conſecuta eſt obſeſſio, & mox oppugnatio, direptio, & vaſtatio vrbis, aliaq; plurima mala. Hæc recentiſſima exempla, ſi vnquam fuerunt alias, nunc profecto ſunt potiſſimum metuenda: & omne genus cautionis abs te adhibendum, ne contingat, vt cum tuis ſubditis & filiis (ſunt enim filii tui, & tu illis viciſſim pater) bellum geras, & tuorum ſubditorum & filiorum ſanguinem effundas: interea dum cupis aduerſus eos qui ſunt vere hoſtes, exercitus adornare.

Puto te ſcire, in omnibus tuis vrbibus nonnullos eſſe, qui Lutherano veneno (proh dolor) infecti ſunt: neq; hoc ex infima tantum fæce populi, ſed ex mediis etiam & ſummis viris. Itaq; hi futuri eſſent totius ſeditionis & tumultus autores, ſuaſores, & architecti. Videor eos audire euomentes fere tales voces, venenaq;: *Papa voluit celebrare Concilium, longe aliis conditionibus quam Comitia Imperii ſtatuerint, aut quam ipſe Papa & totum Concilium promiſerit: neq; vnquam voluit audire aduerſarios, ne ſemel quidem, ſed prorſus inauditos condemnare. Deinde Epiſcopi iidem, qui ſunt pars, & rei accuſati, voluerunt eſſe, contra omnia diuina & humana iura, iudices in cauſa ſua: nec pudet eos nunc mittere exercitus, collectos è pauperum miſeriis & ſanguine, qui bonos illos Chriſtianos cum liberis atq; vxoribus crudeliſſime trucident, non aliam ob cauſam, niſi quia illi tam iniuſto Concilio recuſant parere, & aliud quod legitimum ſit expetunt. Nos certe, ò ciues, iuuare hunc Papæ conatum nullo modo debemus, non ſi moriendum etiam ſit. Pecuniam ne noſtram ad tantum facinus perpetrandum conferemus? quin iſtos quæſtores & nebulones hinc exigimus in malam rem: & Papæ nunciamus, nos aliis in rebus illi non defuturos: in hac nec poſſe, nec debere obſequi, duntaxat ſalua conſcientia. Quod ſi ille perſtiterit in ſententia, audierimuſque eum hoc nomine parare exercitum contra nos, quid ſupereſt, niſi vt tandem omnes ſimul bona fide vniti & confœderati reſiſtamus: curemuſque accerſendos vel Turcas, vel Proteſtantes ipſos, qui nos defendant atque eripiant?* Boni conſule, Pater ſancte, ſi nunc ea dicendi forma ſeditioſa & venenata vtor, qua Lutherani ſolent. Sic enim oportuit, vt ea magna pericula, de quibus inſtitui dicere, atque vna fontes, vnde ea deriuant, tibi ante oculos ponerem. Quanquam vix mihi videor aſſecutus vmbram eius acerbitatis & veneni, quod illi ſolent, ſi quando contingat eos in tali occaſione orationem habere, profundere.

Quod vero ad medios fructus, vel ad tam multas decimas à toto clero expoſcendas attinet: eadem eſt hic ratio, quæ fuit de tribuitis, & de precio ſalis augendo. Nam à Cardinalibus quidem hactenus moris non fuit, vt vel tantillum exigeretur; ſed tantū ab epiſcopis, atq; aliis inferioris ordinis, & ab omnib. monachis, atq; adeo ab illis ipſis qui vocātur Mendicantes, cum affluāt diuitiis. Sed incredibile dictu eſt, quam periculoſa ſint hoc tempore horum omnium ingenia: Epiſcoporum dico, presbyterorum, & monachorum omniū; qui ſi tantillum incómodi, aut detrimenti abs té, vel à tuis miniſtris acceperint, confeſtim cogitāt de Lutherano veneno hic & illic euomendo, & de vlciſcendo. id quod illis facile factu eſt, modo velint, tum pro concionibus obiter atq; aliud agentes, ſi quando inquiſitores timent: tum in priuatis ſermonibus & colloquiis: præſertim vero quum audiunt cōfeſſiones. Itaq; ſi iſti nunc ſentirent ſe multarum decimarum exactionibus extimulari, profecto (vt ſunt turbulenti & ſeditioſi) poſſent tibi malas tragœdias excitare: atq; hoc ab genere longe maius periculum ego metuerem, quam à Laicis. Sed quid ſi vtrorumque ira & rabies conſpiraret aduerſus te? quumque illi tributa & maiora precia ſalis, hi vero decimas negare conſtituiſſent, vna negocium tibi faceſſerent? In ſumma, cum vtriſq; magna quadam moderatione & lenitate vtendū cenſerem. quod tamen ſi faceres, non poſſes tantum auri extorquere, quantum ad inſtruendum exercitum ſatis eſſet. Neq; enim exigua aut mediocri vi, ſed magna & potenti opus eſt, ad euellendum aurum. Vide in quas anguſtias incideres. nam plurimum emungere, omnino periculoſa res eſſet, & multæ cautionis, ne tibi aliud genus crabronum irrites: parum vero, quod illi haud inuiti contulerint, magnis rebus agendis haud ſuffecerit. Quanto igitur ſatius fuerit, Pater ſancte, carere his ſolicitudinibus, periculiſq;: & iubere, vt procul faceſſant ad Antipodes vſque, & Concilia, & talia bella, quæ ſunt Conciliorum fructus?

Verum hoc audiedemus, hoc poſſe aliquo modo fieri, vt facile & tuto ab ea parte cleri, quæ in tuis

vrbibus degit, tot decimas exigas, quot velis: certe ab ea quæ alibi viuit, & in ditione reliquorum Principum ſacerdotia & redditus habent, nihil poſſes exigere. Rogas? Quia omnes illi potentatus, qui habent ſuas cauſas, quamobrem nolint tibi in bello aduerſus Germaniam gerendo ſocii & adiutores eſſe, omnino reſiſterent, ne vlla pecunia eo nomine in ſuis ciuitatibus imperaretur atq; exigeretur: ne in ſuſpicionem aliquando venirent, ſaltem collata pecunia bellum illud contra Germaniam iuuare voluiſſe.

Cæſar.

Quid, inquies de Cæſare, an non pateretur colligi à me pecuniam ex decimis eorum ſacerdotiorum & monaſteriorum, quæ ſunt in Sicilia, in regno Neapolitano, in ducatu Mediolanenſi, in Hiſpania & Flandria? Non puto. quandoquidem ſi exercitum atq; autoritatem ſuam conferret, ſatis ſibi contuliſſe videretur: quin peteret (vt aliquando ſolet) abs te, vt ſibi liceret pecuniam ex decimis illis colligere, qua eum exercitum aleret, qui comparatus eſſet pro tuæ Eccleſiæ dignitate reſtituenda atq; amplificanda. Nam tali proculdubio, & non alia è ſuis theſauris deprompta pecunia, ille te iuuandum ornandumq; ſuſciperet. An non noſti morem? non noſti quid fuerit actum in proximo contra Proteſtantes bello?

Indulgentia.

Quod ad indulgentias pertinet, vnus atq; alter ex Pontificibus qui nuper ante te fuit, cœpit eas gratias dare: itaq; fruſtra, ac forſitan cum riſu omnium, certe nullo cum fructu nunc inſtitueres eos commiſſarios, quos inſtituere & mittere per totum Chriſtianum orbem hæc Sedes cum ſuis indulgentiis olim ſolebat. Lutherana hæreſis multa nobis ornamenta & commoda concuſſit & labefactauit: hoc vero quod ex indulgentiis capiebamus, prorſus diſiecit, & ſuſtulit.

Cruciata.

Deniq; quod attinet ad cruciatam (vt appellant) maiores tui, cum de Chriſti ſepulchro à manib. Turcarum eripiendo ageretur, eam indicere conſueuerunt: nec memini legere, vllum vnquam Pontificem extitiſſe, qui eam aduerſus alios quam ipſos Turcas indixerit, præter Eugenium IV. qui aliquando contra Boemos, vtpote ſchiſmaticos, ſed infauſte atq; infœliciter, eam indixit. nam in bello periere fere omnes illi cruce ſignati: ſchiſmatici vero victores euaſerunt. Nunc tibi nollem autor eſſe, vt illum imitateris: neq; vt de colligenda eo nomine pecunia cogitares. Parum enim proficeres (ita ſunt tempora mutata, & infelicia) immo magnas turbas moueres. Supereſt, vt vectigalia, aut aliquot ex tuis vrbibus oppigneres, aut etiam vendas. hoc ſane multo facilius, & minore cum periculo facere poſſes, quam ex ſale, ex tributis, ex decimis, ex indulgentiis, atq; ex cruciata pecuniam colligere: imo illic nullum periculum, niſi quod forte non tam facile inuenias emptores, qui ea ingentia precia quibus opus eſt, numerarent. Nam pauci admodum apparent, qui tantum pecuniæ in arcam potuerint reponere. Deinde timendum ſibi putarent, ne totam eam ſummam luderent (audi quid dicam) ſi ſuſceptum abs te bellum infœliciter eueniret propter eas, quas paulo poſt dicam, cauſas.

Eugenius IV.
Boemi.
Vectigalia.
Venditio vrbium.

Sed vide, quam ſim liberalis hodie. largiar enim omnia hæc tibi, nimirum vt ab omnibus tuis ciuitatibus, & toto tuo clero, vbicunque is ſit, poſſis tantum pecuniæ colligere, quantum imperes, & quantum ad tantum bellum ſuſtinendum ſit neceſſarium. Sane ſcio, me hic tibi rem maximam concedere: aut quænam poteſt eſſe maior, cedo? An non pecuniarum contributio ſemper apex rerum omnium habita eſt, & nunc habetur in primis? quandoquidem magis exulcerata ſunt tempora: & multo plura neſcio quo modo videntur eſſe, quæ contributionem & exactionem illam morantur & impediunt, quam vnquam antea. Largior itaq; rem (vt dixi) maximam: ſed audi adhuc reliqua.

Tridentum.

Iam collecti, iam inſtructi erunt tui exercitus, iam Tridentum verſus incedent & progredientur. Nulla enim alia eſt via, qua poſſint Germaniam atq; hoſtes inuadere. Nam per Ræticas Alpes haud licebit, reſiſtentibus Rætis: qui tuam obedientiam maxima ex parte deſeruerunt, & Heluetiorum atq; Proteſtantium facti ſunt ſocii. Quod ſi per Alpes illas licuiſſet tranſire ſaltem Cæſareis copiis, quæ ex Hiſpania & Italia (maxime vero quæ ex ducatu Mediolanenſi) educendæ ſint, maxima commoditas contigiſſet. Nam primum Bellizonam profecti, mox per vallem Miſauciorum, ſuperatiſq; Alpibus quæ vocantur ſancti Bernhardini, in vallem Rheni deſcendiſſent, atq; per eam ad lacum Brigantinum, Lindauiumq; perueniſſent. Quod quidem iter triplo aut amplius breuius eſt, quam quod per Tridentum patet. Hoc tantum commodum nuper animaduertit Cæſar: & miſſo legato Angelo Ritio, tentauit omnibus modis, etiam magna promiſſa pecunia, ſi id poſſet à Rætis obtinere. at non potuit: reſtitit enim vehementer D. Io. Fraxinæus Epiſcopus Baionæ, regis Galliarum legatus, vir ſolers & acer. Atq; hinc etiam vide mihi quæſo, num ille Rex pati vnquam poſſet, Germaniæ libertatem eripi, aut debilitari. Cum enim de traiiciendis ex Italia in Germaniam exercitibus per Alpes Ræticas audiret agi, ipſe ſua autoritate, qua apud Ræto plurimum valet, ſuiſq; opibus interceſſit, atq; effecit id ne liceret, quaſi patronus optimus ipſius Germaniæ, cuius maxime intererat: & quam alioqui oportebat miſſis Legatis cum Rætis agere, & enixe rogare, ne vllum Italorum aut Hiſpanorum exercitum ſinerent per eam regionem in Germaniam educi.

Alpes Rætica.
Ducatus Mediolanenſis.
Angelus Ritius, orator Cæſaris.
Ioannes Fraxinæus orator regis Galliarum.
Rex Galliarum.

Sed ad rem. Tuæ copiæ ductu Guidubaldi Vrbini ducis, aut forte Reuerendiſſimi D. Caroli Caraphæ Card. nepotis tui ex fratre, qui totam vitam degit inter arma, per Tridentinas fauces ingreſſæ, iam de adoriendis hoſtibus cogitabunt. Quid vero, ſi interea Turcarum tyrannus, qui omnia diligenter explorat atq; obſeruat, quæ apud Reges & Principes Chriſtianos indies fiunt: quid, inquam, ſi interea dum tuos paras, ipſe ſuos adornet exercitus, illos ingentes, quales poſt Xerxem pauciſſimi reges eduxerunt: atq; eos tibi forſan in ipſa Germania obiiciat? aut in Pannonia & Tranſyluania, quam nunc adoriri parat, quieſcat tacitus, veluti ſpectator fabulæ: & quum videbit Chriſtianos manum conſeruiſſe, multum ſanguinis eſſe effuſum, & debilitatam eſſe vehementer alteram ex partibus, aut

Turca.

forſe vtranq;, ita vt fit in bello (ſæpe enim cruentæ ſunt victoriæ) ibi occaſionem ille dudum ſperatam & expectatam arripiat, & magno impetu reliquias Chriſtianorum inuadat: Vnde id ſane contingeret, quod eſt in Apologo. Pugnantibus enim inter ſe rana & mure de paludis imperio miluum aiunt, qui de improuiſo affuerit, vtrunq; ſuſtuliſſe & deuoraſſe. *Apologus de rana & mure.* Dii omen auertant: at facile quidem hoc factu eſt, maxima enim eſt illius tyranni potentia. An non audis, Ferdinandum quotidie pacem, aut inducias ab eo petere, & de cedenda Tranſyluania cogitare, quia non ſperat poſſe illum ſuſtinere? Ideo prudentes viri, qualis tu es, diligentiſſime debent cauere, ne totum Chriſtianum orbem tã atroci periculo committant. Immo conueniret exhorreſcere atq; contremiſcere, ad ſolam adeo cogitationem tantorum malorum: & quiduis potius pati, quam permittere vt res eo deducatur, vnde, quæ dixi, ſint timenda. Quis putaſſet vnquam, celebrationem Concilii talia pericula habere coniuncta? At res ita eſt, habet omnino inſtauratio Concilii, de qua cogitas, omnia hæc coniuncta mala & pericula, quibus vides nullum poſſe atrocius cogitari. Quid etiam, ſi Turca ipſe, interea dum te videret exhauſtum auro & militia, quam tam procul in Germaniam vſq; miſiſſes, mitteret ſuas illas incõparabiles claſſes, quæ Tyrrheno mari occupato, & Tyberina hoſtia ingreſſæ, ipſum te in Vaticano hoc colle adorirentur: *Mare Tyrrhenum.* aut etiam Adriaticũ ſinum ingreſſæ, tota illa ora quæ eſt ab Arimino vſq; ad Anconam, militibus expoſitis occupata, mox reliquas tuas vrbes, quæ ſunt in continenti, ferro & igne deuaſtarent? *Mare Adriaticum.* Hic quæret à me tua Sanctitas, num forte ego ſuſpicer fore, vt Lutherani ipſi ſint Turcas euocaturi contra te? neſcio num hoc eſſent facturi. Tamen ſcio, cum Paulus III. ante paucos annos literas grauiſſimas (Breue appellamus) ad Cæſarem, & Rom. regem dediſſet, in quib. erat ſcriptum, illos conſultius eſſe facturos, ſi bello contra Turcas omiſſo, bellum adornarent contra Lutheranos, quippe qui eſſent Turcis ipſis longe pernicioſiores & deteriores: *Paulus III. Lutherani deteriores Turcis.* cumq; hoc breue fuiſſet per Germaniam euulgatum, ſcio extitiſſe viros doctos qui contra ſcripſerint, atq; affirmarint tolerabilius eſſe (liceat tua pace narrare, quando ita expoſcit neceſſitas rei, de qua ago, quod Lutherani ſentiunt, à quibus ſcis me toto cœlo diſſentire) tolerabilius inquam eſſe, ſi quis ſub tyrannide Sultani Solimani degat, quam ſub Pontifice Ro. Quare cum ita ſentire editis libris profiteantur, crediderim ego quidem, ſi ſe videant opprimi, neq; vllam alibi eſſe ſpem conſeruandæ libertatis, liberorum, vxorum & vitæ, eos & de Turca, ſi quid eſt deterius Turca, cogitaturos: dicturoſq; quod ille apud Poetam,

Flectere ſi nequeam ſuperos, Acheronta mouebo.

Sed dixi paulo ante, me hodie eſſe futurum valde liberalem: atq; ita erit, nam hoc etiam volo largiri, Turcam domi manſurum cum ſuis claſſibus, ſuiſq; terreſtribus exercitibus: neq; cogitaturum vnquam de Germania, neq; de Italia aut Roma inuadenda. Demus, non cogitaturum, nec venturum: demus, vt per illum tibi bellum gerere quantum volueris liceat: atq; ita contra ſolos eos, quos initio commemoraui, ſit tibi dimicandum. hic itaq; meminiſſe oportet, vna adeo ciuitatem Madenburgum, cum ab omnib. Princip. & ciuitatib. Imperii fuiſſet derelicta, *Madeburgum.* eiq; cum magna parte potẽtiæ Cæſarianæ, atq; aliorum Principum, in primis vero Mauritii Saxonum Ducis atq; Electoris, viri bellica virtute præſtantiſſimi, eſſet pugnandum: *Mauritius dux Saxonum.* tamen potuiſſe ſuſtinere pondus tam magni belli, atque obſidionem vniuerſum annum; nec ſe dediſſe hoſti, ſed hunc vltro pacem cum illo optimis conditionibus feciſſe. Quid ergo futurum? quum tibi diutius erunt ſumptus & pericula bellorum ſuſtinenda & deuoranda: ſi dimicandum tibi fuerit cum tam multis Principibus, tam multis ciuitatibus, tam multis populis, qui erunt conglutinati & vnanimes? Qui ſunt bellicoſiſſimi & fortiſſimi: qui pro libertate, & ſimul pro religione pugnaturi ſunt: quæ duo vincula magis ſtringere, quam vnum, quis non videt?

Primus ille Cæſar Iulius, admirabili & ſingulari virtute & fœlicitate vir, diu multumq; laborauit, *Iulius Cæſar.* antequam illi nationi potuiſſet iugum, nec ita valde diuturnum, imponere: & tamen eo tempore Germania longiſſimo interuallo non erat ita exercitata, aut repleta viris fortibus, & belli gerendi peritis, *Germania.* quemadmodũ nunc eſt: nec habebat eum ſtimulum religionis, quæ illam ad maiorem cõſtantiam & fortitudinem impelleret, quem nunc habet. Cumq; hæc non eſſent, quæ nunc maxima ſunt; tamen ille inquam ipſe Cæſar, inſtructiſſimus legionibus illis Rom. quibus nihil vnquam auditum eſt fortius, *Romani.* duriſſimos & diuturnos labores pertulit, antequam bellum conficeret: ſed tale bellum, quod non multo poſt inſtaurari à Romanis neceſſe fuit. Neq; enim omnino ſubegerat & vicerat: imo ad Albim vſq; ſolum, & Neccarum, tum Romanorum victoria proceſſerat.

Dices: ſperandum eſſe, vt hoſtes, vbi viderint exercitus tuos tam inſtructos, eoſq; appropinquãre ad tuũ interitum, præſertim cum illis pecunia ad ſuſtinendũ bellum defuerit, trepidaturi ſint: atq; ita metu concuſſi, diſiuncti atq; dilapſi, ſupplices petituri ſint, vt ſanctæ Rom. ſedi reconcilientur.

Quid ſi hoc minime gentium? immo conſtantiſſime ſint pugnaturi? Quæro an ſit ſapientis Principis, ſuſcipere maximum bellum gerendum ea ſpe, quod hoſtes pugnam detrectaturi ſint: Hoc profecto non decet: quin potius ita ſe comparare oportet, ac ſi omnino ſæpius ſint manus conſerendæ. Accidit quidem aliquando, vt diffluant hoſtes, ſi quando multi Principes, multæque ciuitates vna fœdus ineunt, & bellum gerunt. Sed ſæpe etiam vniti perſiſtunt, & dimicant: & credo ego quidem fore, vt hoſtes illi, etiam ſi ſint ex tam multis capitibus collecti, tamen ſint conſtanter pugnaturi: quia habent maximas cauſas, nempe libertatis & religionis, quæ illos conſociant, & arctiſſimis fœderibus coniungunt.

Quod ad pecuniam, quam tu putas illis defuturam, attinet: primum id ſcito, multo minore ſumma opus

ma opus eſſe his qui domi, & pro libertate, & pro aris pugnant (hi enim ſolent propriis ſtipendiis merere, & multa domi habent in promptu) quam illis qui ex Italia, vel ex Hiſpania abeunt militatum, in remotiſſimas regiones. Deinde ne excidat id quod hodie affirmaui, regem Galliarum nunquam eſſe permiſſurum; nunquam omnino, vt Germania opprimatur, vt nimium debilitetur: nullus mortalium hoc ab eo (mihi crede) impetrabit. Itaq; tu ipſe noſti, quantam vim coronatorum ille poſſit, ſi voluerit (volet autem proculdubio, aut clanculum, aut aperte) ad ſuſtentandam illam nationem conferre. Quare non eſt quod ſperes, pecuniam tuis hoſtibus defuturam.

Rex Galliarũ.

Quapropter ſi belli exitus, quod habiturum eſſet maiores neruos, quam tu putares, aliquandiu protraheretur (neque enim fieri aliter poteſt: ea enim expeditio non erit paucorum menſium, ſed aliquot annorum) ſi, inquam, differretur, atque interea Carolus V. diem ſuum obiret, vt homo, idque ſenex, & morbis confectus: quo tandem in ſtatu res tuæ futuræ eſſent, beatiſſime Pater? Hoc certum eſt, Cæſaris fœlicitatem & potentiam futuram tuum veluti fundamentum, ſuper quo eſſet ædificandum: ſi modo erunt tibi bella gerenda. auulſo vero eo fundamento, omnem eam molem, quam ſupra extruxiſſes, ruere neceſſe eſſet: & profecto corruerent omnia, ſcis enim, vt fulmina ſummos montes, ita inuidiam ſummam hominum gloriam ſolere ferire: & propterea in Cæſarem ipſum ardere multorum inuidiam, cum magno odio coniunctam. Sed cum multi eo viuente diſſimulent, neq; audeant ſe aperire: protinus eo mortuo aperirent ſe, patefacerentq;. Itaq; ſunt qui putent, poſt Cæſaris mortem conſequuturos eſſe magnos tumultus, magnaſq; rerum commutationes. Certe tui milites, præſertim Itali, qui tunc eſſent in Germania, in primis autem tuus ex fratre nepos, tuuſq; Vrbini Dux, ſummo in diſcrimine verſarentur, ita vt forſan vix vnus poſſet euadere. nam (vt dixi) corruente fundamento, omnes inuoluerentur, & opprimerentur eodem caſu atq; ruina: ex qua non eriperentur ab his, quos ante Cæſaris mortem amicos experiebantur.

Carolus V.

Quin etiam, ſi tua Sanctitas, quæ iam exceſſit octuageſimum annum (quæſo Deum, vt tibi Neſtoreos annos tribuat: aut ſaltem, vt videas illos annos Petri, quos pauci Pontifices vident) ſed cum mortalis ſis, & ſenex, quid ſi feruente bello à nobis abſtraheteris? Proh, qua ſollicitudine, & veluti deſperatione hinc diſcederes, quum videres te omnia deſerere in ancipiti ſtatu, neque potuiſſe guſtare fructum, ſuauitatem & lætitiam victoriæ? & tamen deuoraſſes veluti radices, & apparatum belli tam amarum, & tam plenum grauiſſimarum moleſtiarum. Heu quanto in luctu & mœrore, quam funeſta in confuſione rerum ſuarum omnium victuri eſſent ſuperſtites, & quam deluſi ab ipſa fortuna, quæ te impuliſſet ad tam fœdum bellum gerendum, vt illud aurum in Germania atq; inter hæreticos conſumeres, quo ipſi fuiſſent ditandi atq; ornandi, cum omni eorum poſteritate?

Sed quandoquidem profeſſus ſum, me hodie liberalem eſſe futurum, pergam in meo inſtituto: immo diſſolutiore liberalitate nunc vtar, quam hactenus fecerim, & plane prodigus ſum futurus. Scis enim eos prodigos appellari, qui profuſe largiuntur non modo ſua, ſed aliena, quæ donare nullo modo deberent. Itaq; donaui, fore vt potueris tantum pecuniæ colligere, quantum tibi ad rem tantam aggrediendam opus ſit. Donaui, fore vt Turcarum tyrannus te non impediat. Nunc vero alia quædam dono, valde quidem magna: primum, vt Cæſar, quandiu bellum durauerit, ſit victurus. Deinde, vt tua vita ſit ſuffectura vſq; ad exitum belli: poſtremo (quod pluris eſt quam omnia) vt breui & ſumma cum fœlicitate & gloria, poſſis victoriam reportare, omnibus Eccleſiæ Ro. hoſtibus debellatis, & ſub iuga miſſis, reſtituta in tota Germania, tua priſtina poteſtate & obedientia, & omnibus veteribus & Catholicis cultibus, doctrinisq;: & in crucem adactis, aut ignem coniectis, omnibus illis concionatoribus, & ſeditionum hæreſumq; autoribus. Ita in ſumma, vt de illis tanta cum laude & gloria triumphares, quanta ante te mortalium nemo.

An non placeo tibi mea hac tanta liberalitate & donis? & tam læto vaticinio, & euangelio? Sane animaduerti, te ad mentionem victoriæ & triumphi, magna dediſſe ſigna hilaritatis & lætitiæ. Sed audi inquam reliqua, Pater ſancte. Demus, te viciſſe: at duo hæc conſequentur. Alterum, quod parum diuturna foret ſedi iſti Rom. ea victoriæ fœlicitas: nam poſtquam tuos exercitus in Italiam retraxiſſes, illi iidem Principes, iidem illi populi victi, protinus nouas res molirentur: atq; ruſus eiectis ſacerdotibus & monachis, omnibuſq; tuis ritibus nouos concionatores inſtituerent, ſuoq; viuerent modo. Nam hoc ſcire in tota hac cauſa, vbi de Germania & religione agitur, operæ precium eſt, omnes eos qui ſunt nati poſt quadraginta, aut etiam quinquaginta annos, vt nunquam agnouerunt iſtius ſanctæ Sedis doctrinas & obedientiam, ita neque eas amare, quin odio habere plus quam dici poſſit: & vſq; adeo, vt minime ſperandum ſit fore, vt vlla ratione nobiſcum vnquam conſentiant. Hoc vero odium incredibiliter augeretur ex memoria belli contra eos ſuſcepti, confectiq;: in quo hic patrem, ille filium, alius fratrem amiſiſſet. extarent etiam monimenta crudelitatis, qua ſæpe milites, præſertim victores, vti ſolent: exuſtiones ædium, & ſæpe integrorum pagorum, & direptiones, & conſimilia. In ſumma, tam immanibus & infinitis ſumptibus, tantiſq; ſollicitudinibus & periculis, ſane exiguum & breue commodũ Ro. Eccleſiæ parares. exciſa enim eſſet arbor, non auulſa. Sed alterum quod ex victoria conſequeretur, multo maioris ponderis eſt: audi hoc, audi, & conditã mente teneto: ad quod etiam diligentiſſime accuratiſſimeq; reſpice, quotieſcunq; de inſtaurando Concilio, & de bello gerendo volueris deliberare. Talis victoria, quæ primo aſpectu tam iucunda & ſuauis, tamq; vtilis, tam ſalutaris & glorioſa videtur futura tuo Pontificatui, & toti Rom. Eccleſiæ (arrige aures beatiſſime Pater: nam explorate loquor, & ſcio me rem maximam nunc eſſe dicturum) haud multo poſt fieret omnino amara, & damnoſa, magnamq; nobis infamiam afferret: &

Lutherani.

mallem

mallem ego quidem præſentem Rom. Eccleſiæ ſtatum, tametſi non deſunt ſollicitudines & pericula multa à Lutheranis, qui quotidie aliquid afferunt: quam eum ſtatum, in quo poſt adeptam victoriam futuri eſſemus. Nondum aſſequeris quid hoc ſit quod innuo? At ſummo digito indicabo. Romani Pontifices, cum eorum Catholica Eccleſia, tunc fuere minus potentes, & minore in precio apud omnes Chriſtianæ religionis Reges & Principes: quin eorum dignitas exiſtimatioq; tunc magis fuit oppreſſa, cum Cæſares ſummam potentiam & exiſtimationem eſſent aliquando conſecuti. Iam animaduerto te rem vidiſſe, & aſſecutum eſſe. At nihilominus pergo adhuc pauca de re maxima dicere: & viciſſim Romani Pontifices, cum eorum Catholica Eccleſia floruerunt, ſummoq; in honore & precio habiti ſunt, & creuit eorum autoritas & maieſtas, cum Cæſares minore in exiſtimatione & potentia fuerunt. Itaq; maiores tui, qui hoc pulcherrimum Eccleſiaſticum imperium ad te tranſmiſerunt, huc perpetuo magna prudentia ſpectarunt, vt quantum poſſent, Cæſarum creſcentem potentiam reprimerent, & debilitarent: & interim diligentiſſime curarunt, vt aliorum Regum & Principum animos omnibus modis demererent, ſibique deuincirent, quos Cæſaribus (ſi quando opus eſſet) obiicerent.

Cæſarum potentia.
Eccleſia Romana.

An putas (dicet tua S.) fore, vt Carolus V. fœlicitate eius victoriæ deinceps eſſet vſurus ad proprium commodum rerum ſuarum? Hoc ego non poſſum affirmare. at multi Reges & Potentatus ita ſuſpicantur, vt ſolent eſſe regna atque principatus omnes pleni zelotypia. Hæc vero, hæc retinet, & perterrefacit eos Principes, de quibus dixi, ne capiant talia arma, quæ aliquo modo extinguere, aut etiam debilitare Germaniæ libertatem poſſent. Hoc vero nemo eſt qui non videat, quod tuis exercitibus, tuaq; victoria parares Carolo V. multo maiorem gloriam & exiſtimationem, quam hactenus tam multis expeditionibus fœliciter geſtis, fuiſſet vnquam conſecutus. Quamobrem forte non poſſes deinceps non parere eius voluntati, quicquid vellet petere abs te, & impetrare. Nunc vero, adhuc tibi licet vti tuo arbitrio. Quid igitur ſupereſt vt deliberes, niſi hanc futuram eſſe valde malam expeditionem, ſi poſt tam multas difficultates & pericula ſuperata, poſt adeptam victoriam adhuc res tuæ, & totius ſanctæ Eccleſiæ Ro. deteriore loco futuræ eſſent, quam nunc ſunt?

Carolus V.
Zelotypia Principum

Verum ego vſus ſum hodie liberalitate & prodigalitate prorſus de alieno: certe donaui tibi res incertiſſimas, & quæ neq; in mea, neq; in alicuius mortalis poteſtate exiſtunt. In primis donaui victoriam, & de hoſtibus triumphum: quaſi vero non poſſes tam facile perdere, quam vincere. an ignoramus, euentum belli ſemper eſſe dubium? Atq; hic mihi veſtra S. reſpondeat velim: ſi Concilium inſtaurares, & abſolueres: ſi deinde bellum gerendum, quo poſſes tua decreta imperare, ſuſciperes, & aduerſam fortunam experireris, tuiq; exercitus infœliciter pugnarent, fuſiq; eſſent, & cæſi, aut dilaberentur (quod tam multis modis poteſt accidere) quid obſecro futurum eſſet de illis Germaniæ vrbibus, aut Principibus qui forte tuas partes fuiſſent ſecuti? Sed quid ego nunc de illis, qui tam procul à nobis ſunt, interrogo? Accedam propius: quo in ſtatu futura eſſet Italia? Atq; vt adhuc propius accedam, quo in ſtatu Roma? quo in ſtatu tuamet perſona? Quodnam velles quærere latibulum, aut perfugium? Quod ſuauiſſimi tui affines & cognati? Quodnam tuus Cardinalium ſenatus & Epiſcopi, tuæ creaturæ? Eſt quidem arca illa Noæ in illo extremo ſinu maris Adriatici, in qua (ſi modo reciperetis) poſſes aliquandiu tutus eſſe. Sed illa Reſpub. te non reciperet, ſat ſcio: & talem veluti Helenam, recuſaret domi alere. Nam ſi te recipiendum putaret, recta de bello gerendo deliberandum illi eſſet aduerſus tuos hoſtes, qui illius hoſtes fierent: & te intra paludes Venetas recepto, protinus agros, villas, oppida, vrbes eorum crudeliſſime deuaſtarent.

Venetia.

Et tibi pro certo perſuadeas, Pater ſancte, ſi armis tentares Concilii decreta Proteſtantibus imponere, & res infœliciter eueniret, maxima inundatio, & veluti diluuium populorum Barbarorum & hæreticorum, magno furore totam Italiam inuaderet, præſertim vero Romam: Romam inquam, Romam. Quos vero milites in promptu haberes, quos poſſes obiicere ad ſuſtinendum impetum illius multitudinis irritatæ, & exacerbatæ? præterquam quod ea eſt tibi natura inimica. Obiiceres ne illi tuos Italos? At quid ſi magna pars eorum, in illa diu expectata ab ipſis occaſione, aperiret inteſtina odia, quibus te clanculum proſequuntur: & vinceret Barbaros ipſos crudelitate & rabie contra te? præſertim illi, illi inquam, quos dixi eſſe in tuis vrbibus Lutherano veneno infectos? Proh dii immortales, tunc erumperet furor, tunc hi exultarent & inſoleſcerent: hi eſſent futuri duces, hi inſtigatores extraneorum: hi tuos ſacerdotes, tuosq; monachos, proh pudor, quibus iniuriis atq; ignominiis afficerent? quin & templa tua, & omnia ſacra? Heu me miſerum: nam totus horreo, & vix lachrymas contineo, tantum cum leuiter cogito, quænam eſſet futura ſtrages, quæ calamitates miſeriæq; totius Italiæ, quod odium aduerſum te omnium, quæ infamia tui nominis apud omnes poſteros: & quam atrocibus contumeliis, ſcommatib. & blaſphemiis omnes te, tuumq; concilium, tuoſque exercitus impeterent, lacerarentq;. Pater beatiſſime, Pater ſanctiſſ. à cuius ſapientia & virtute tota reſp. Chriſtiana ſperat res iucundiſſimas & fœliciſſimas, non autem huiuſmodi funeſtas atq; infauſtas, quales nunc inuitus & magno cum dolore attigi: ſupplico atq; adiuro per illum Deum, qui te ad ſupremum iſtum dignitatis gradum extulit: per illum amorem & beneuolentiam, qua proſequeris tuos nepotes, cognatos, affines: per amorem & beneuolentiam eam, quam habes erga Romam ipſam, totamque Italiam, tuam patriam: & præcipue ad eos qui te iuuerunt, quo poſſes in iſta ſella quieſcere, qua nihil eſt in toto orbe illuſtrius, aut fœlicius: ne ſinas te aliquorum conſiliis impelli, & præcipitari ad Concilium, ad bella, ad tam magna mala: ac ſtatuas, habendos tibi hoſtium acerbiſſimorum loco omnes eos, qui tam pernicioſa conſilia porro ſuggerere voluerint.

Inundatio in Italiam populorum barbarorum.
Itali inimici Ponti.

Sed

Sed cum omnia iſta pericula audieris, forte tibi, ne inultos ſinas illos malos Germanos, veniet in mentem conſilium eorum qui cenſent, ineundum eſſe firmiſſimum aliquod fœdus cum Henrico Gallorum rege, atq; huius opibus ac potentia vti ad debellandos Proteſtantes: ac ne is recuſet tam magnam, tamq; arduam prouinciam tecum aggredi, promittendum illi eſſe de adimendo nationi Germanicæ Imperio, & rurſus in Galliam, atq; in ipſum Henricum transferendo: ſi inquam veniret tibi in mentem, eorum Cardinalium conſilium ſequi, qui huc te vellent impellere, dicam ego paucis hac quoq; de re quid ſentiam. Nemo eſt qui neget, maximas eſſe opes, ſummamq; potentiam Henrici Gallorum regis: addo etiam, permagnam fœlicitatem: ſed affirmo, hæc omnia non eſſe adhuc tanta, etiam ſi cum tuis opibus, tua potentia, tuaq; fœlicitate coniungantur, vt ad debellandam Germaniam paria eſſe poſſent. Nam quis dubitat, quin omnes Principes ad vnum, atq; omnes ad vnam liberæ ciuitates, etiam illæ ipſæ quæ alioquin fauent tuæ ſanctæ Sedi, arma palam caperent contra te, & contra regem ipſum, ſi quid olfacerent vos cogitare de transferendo ex Germania in Galliam Imperio? hoc prorſus eſſet, aut pupillam oculi, aut cor ipſum ad viuũ tangere. Quare ipſæ mediuſtidius fœminæ armatæ, ipſiq; pueri, atq; ipſamet (vt ita dicam) ſaxa, atq; arbores euulſæ ab radicibus accurrerent, vt ſe veſtris exercitibus obiicerent: nec forte vos expectarent in limitibus Germaniæ, ſed vel Romam, vel Pariſios vſq; obuiam prodirent. Quin non ſolum rex Romanus, rex Bohemiæ, ac rex Poloniæ, tunc futuri eſſent veſtri infenſiſſimi hoſtes: ſed vna Veneti, atq; omnes Italiæ principes. Rogas? Quia cum Henricum de occupanda Germania atq; Imperio viderent conantem, iure putarent, eum de Monarchia cogitare: cur ergo ſe non obiicerent totis viribus, dum adhuc tempus eſſet, quo talis conatus poſſet reprimi?

Pater ſanctiſſime, vtroſq; cenſeo tibi habendos hoſtium loco: tum videlicet eos qui ſuggerunt conſilia de adiungendo tibi Cæſare contra Germaniam: tum eos qui de Gallorum rege coniungendo (in ea quidem cauſa) verba faciunt. Cedo, cur non eſſet tantundem Rom. Eccleſiæ poſtea timendum ab Henrico victore, & potitore rerum, quantum ab ipſo Cæſare? Certe non eſt conſultum vobis Pontificibus, vllum vel Cæſarem, vel Regem, nimis in altum euehere, propter eas quas dixi cauſas.

In ſumma: ſi Germaniæ Principes & populi, in ſua hæreſi pertinaciter pergere velint, ſine pergant cum eorum magno malo: tu rem colloca in manu Domini, permitte illum facere, qui probe ſciet viam inuenire quomodo illos perdat, & Eccleſiam ſuam tueatur, abſq; eo quod tu tantis periculis eam committas. Imitare maiores tuos, qui cum vidiſſent regnum Bohemiæ eadem phreneſi laborare, vt ſe vellent ab vnitate huius Sedis ſanctæ diuellere, haud putarunt illud magna vi eſſe retinendum, ſed laxandas habenas. At poſtea paulatim per ſe cœpit ad cor redire, & ſe noſtræ Eccleſiæ reconciliare: id quod etiam Germaniam facturam eſſe ſperemus. Si Deus te Pontificem fecit, fruere iſta tanta fœlicitate, atque eam ne conturbes. Habes quinquaginta & amplius ciuitates ſub tuo temporali (vt ſolemus dicere) imperio: vnde potes nullo negocio, quinquies centena ducatorum millia ſingulis annis colligere. Habes præterea ex mineris quæ ſunt in Sicilia, opulentos reditus, circiter ad ſexaginta millia: habes Italiam, Gallias & Hiſpanias, quæ tibi magna humilitate obediunt, quæq; te prorſus adorant, ac quotidie mittunt ad tuos vſq; pedes ob varias cauſas ingentem vim noui auri argentiq;, ita vt Romana curia ſane floreat, & in magna hilaritate viuat, inuitis & frementibus Lutheranis: qui quidem cuperent te & Concilio, & bello gerendo implicatum videre: proſpiciunt enim, te, ſi Concilium egeris, & neceſſario bellum deinde adornaueris, adducturum totam Rom. Eccleſiam, quam illi tantopere oderunt, in ſummum diſcrimen. Habes circum te & nepotes, & tam multos alios, quos tibi natura & ius ſanguinis coniunxit: & ſcimus te cupere eos diteſcere, atq; ornare, & efficere vt in tota tua poſteritate appareat tui Pontificatus, tuæq; erga illos beneuolentiæ ac liberalitatis illuſtre aliquod teſtimonium. Deniq; habes plurimos familiares, quos valde amas (quæ tua eſt bonitas & clementia) quibus cupis benefacere. Quare noli fraudare te ipſum, & omnes tuos, ea ſpe: & ex tam pacifico, tam læto atq; ampliſſimo loco, in quo te Deus, & tua ingentia merita collocarunt: caue ne te dedas præcipitem in foueam, repletam grauiſſimis ſollicitudinibus, atq; infamia.

Aut ſi quid vis bello experiri, perge (vt cœpiſti) in exturbandis regulis, qui Rom. Eccleſiæ arces atq; oppida circumcirca tam multis modis occuparunt. Quin & illud omnes æquo animo ferent, ac laudabunt etiam, ſi de Neapoli, quæ tua eſt patria, & Pontificum Romanorum feudum, & de toto eo regno aliquid volueris conari: vt ſaltem tot profugi atq; extorres, affines & conſanguinei tui, aliique præcipua nobilitate viri, quos tam multos in tuo Palatio collegiſti, in priſtinam fortunam ac dignitatem per te reſtituantur.

Oſculor pedes tuæ Sanctitatis: immortalesq; habeo, agoque gratias pro tuis auribus, quas mihi tam benignas, adeoque clementes heſterno, hodiernoque die præbere, non es dedignatus.

COM-

I X.

COMPENDIOSA ET DISERTA, AD ANNOTATIONES PAPISTÆ CVIVSDAM ANONYMI, QVIBVS PONTIFICIOS IN Wormacienſi colloquio collectos excuſare, & econtra Auguſtanæ confeſſ. Theologos, abrupti colloquij accuſare conatur, Reſponſio. Quam Lectorem diligenter perlegiſſe minime pœnitebit, nam in ea breuiter, quam ſanctam & iuſtam Euangelici, & quam impiam Papiſtæ, reclamante conſcientia, cauſam defendant, declaratur.

Anno Domini 1558.

PETRO DATHÆNO AVTHORE.

Donec meliora Dominus.

Anno 1558. 5. Aprilis.

Psal. lxxix.

Quouſque tandem ô Domine? Succenſebisne perpetuo? ardebitne ceu ignis æmulatio tua? Effunde iram tuam in gentes, quæ te non agnoſcunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocant: Nam vorarunt Iacob, & habitacula eius vaſtarunt, &c.

QVum nonnullos pios ac eruditos viros, non infeliciter Ioanni Avio, Staphyloque & ſimilibus monſtris reſpondiſſe video, aliosque reſponſiones meditari intelligo, cogor, amice Lector, (niſi omnino ingratus eſſe velim) Deo Opt. Max. à quo omnia dona perfecta deſcendunt, gratias ex animo agere quas poſſum maximas. Non enim dubito, quin noſtri, qui adeo impie, infinitis Papiſtarum ſcriptis, præter omne meritum ſuum toti mundo traducuntur, breui ſe omni ſuſpitione facile & honeſte liberabunt, præſertim cum vituperari ab impijs, laudari ſit. Interim & ſi Auio, Staphylo ac Latomo à varijs factum eſſe ſatis, Papiſtaſq; ſuis coloribus iuſte depictos eſſe ſciam, vt ſine periculo omnia eorum poſthac ſcripta de abrupto Wormacienſi colloquio contemni & negligi poſſint, volui tamen breuiter anonymi huius homuncionis (ne ſibi nihil eſſe reſponſum glorietur) annotationes confutare, in quibus rem actam agit, & cum præfatis eandem tundit incudem.

Verum vt ab initio Annotationum exordiar, dicit noſtros Theologos, *calumnioſe ſuſpicionem in Pontificios contuliſſe, qua ipſi laborabant*, &c. Sane (vt verum fatear) haberent anonymi huius verba aliquid ponderis, niſi Papiſtæ iam pluries deſtituiſſent colloquia, conciliatoſque alibi articulos impudenter reieciſſent, niſi præterea Paſtores ſeu impoſtores in Papatu potius, captiuis diſputationem poſtulantibus, paſſim ſupercilioſe reſpondereint, ſe lictores, Carnificeſq; miſſuros, qui gladio ac flammis diſputabunt. At cum omnia ſuperiorum annorum colloquia abruperint, & articulos (quos noſtri ſingulari quadam induſtria illis inuitis Ratiſponæ extorſerunt) reiecerint, cumque ne idiotarum quidem argumentis reſpondere poſſint, & nihil quam decreta Principum crepent, ſequitur noſtros iuſtiſſime accuſaſſe Pontificios, quorum alij, vt decebat Lucifugas, ſecundo ab inclyto Rege Ferdinando vocati non venerunt (Latomo ipſo teſte) alij arte progreſſum colloquij impediuerunt, vpote vbi papæ, eiuſque Apoſtatico Legato, iuramento impie ſe obſtrinxerunt, ſe ne latum quidem vnguem à veteri recepta ſententia diſceſſuros.

Porro quod noſter, quos falſo *Catholicos* vocat, *non abrupiſſe colloquium* dicit, nugamentum puerile eſt, Staphylo Caniſioue dignum. Quid aliud diceret miſer? Nec alicuius momenti eſt, quod ideo diſputationem detrectaſſe verecunde fatetur, quia noſtrorum nonnulli (quos diſſentire impie clamitat) maturius receſſerunt. Imo hoc ipſum ſuos magis accuſat, ac vehementi ſuſpitione grauat, ipſos abrupti colloquii eſſe authores. ſi enim cum paucis congredi timuerunt, quanto magis abhorruiſſent, omnibus ſimul coniunctis? Et ridiculum eſt, quod promptos futuros eſſe Catholicos pollicetur, ſi noſtri omnes in vnum collecti reſtituantur. Hæ ſunt Pontificiorum artes & præſtigiæ, vana expectatione lactare ſimplices, ac ſuſpenſos tenere imprudentes, ne Papatui valedicant, ſed ad Calendas Græcas futuram reformationem ſtupide expectent. Ego interim nolim eſſe conſultor, vt cum Papiſticis poſthac inſtituatur Colloquium, donec tollendo clariſſimos ſaltem abuſus, quos nec diſſimulare poſſunt aut volunt, ſe pacis ac pietatis eſſe ſtudioſos declarauerint.

Quod vero miſer hic noſtros reprehendit, ſuadentes, *vt pij & docti in noſtris Eccleſiis frequentius conueniant*, immerito facit. Nam cum ſacram Scripturam omnium controuerſiarum (quod purioris Eccleſiæ Patres etiam fecerunt) Iudicem conſtituant, ipſos aliquid in huiuſmodi cœtibus, pro ſuo arbitratu contra verbum Dei introducturos timendum non eſt. Hoc proprium eſt Romano Sardanapalo ac Antiocho, qui (Daniele & Paulo teſtibus) omnia pro ſua libidine mutat, ac EXLEGEM ſe eſſe gloriatur. Sic enim in Decretis Innocentij 3. cap. Nemo: loquitur: *Neque ab Auguſto, neq; à Regibus, neq; ab omni clero, neq; ab omni populo* IVDEX *iudicabitur.* Item Symmachus q. 3. cap. Aliorum, inquit, *hominum cauſas voluit Deus per homines terminare, ſed ſedis huius* PRÆSVLEM SVO SINE QVÆSTIONE *ſeruauit arbitrio.* Quid imperioſius aut intolerabilius cogitari aut dici poteſt? Papa tyrannidem in populum Dei exercet, diſſipat regnum Chriſti, totam Eccleſiam conturbat, ac paſtorale munus in latrocinium conuertit, & ne quid ſceleratiſſimo deſit, ſe ad reddendam rationem aſtringi negat. Ille igitur pro ſuo arbitratu omnia peruertit, noſtri haudquaquam, qui ſua omnia piorum hominum, ex verbo Dei facto, iudicio, lubentiſſime ſubijciunt. Porro quod noſtros *Eccleſiam Catholicam deſeruiſſe* obſtrepit, friuolum eſt, & plus millies confutatum. Quam enim præpoſtere ac iniuſte Pontificii, Eccleſiæ nudo titulo inſoleſcant, mediocriter me in refutatione Ioannis Auii, oſtendiſſe confido, quod infiniti alii & prolixius & elegantius iamdudum (Deo ſit gratia) fecerunt. Etſi interim non pauci hinc inde ſunt, qui errores varios ſpargunt ac defendunt, quid ad nos, qui errores omnes verbo Dei repugnantes, priuatim & publice, libris editis & concionibus reprehendimus ac refutamus? Non minus facit hic Anonymus, quam ſi eo nomine Paulum accuſet, cæteroſq; Apoſtolos, quia ipſis docentibus plures ortæ ſunt hæreſes, quas tamen conſtanter oppugnarunt ac extirparunt.

Interim Romanam Synagogam Idolomaniis blaſphemiiſq; refertam eſſe cur neget, cum res ipſa hoc loquatur, valde demiror. Vnica enim Miſſatici panis oſtentatio & craſſa artolatria, hoc clarius docent, quam vt negari poſſit. Si enim inſana panis illius, quem (eheu) Creatorem, Saluatorem ac Deum ſuum horrende ac blaſpheme appellant, adoratio inter idolomanias cenſeri merito non poteſt aut debet, cur tanto feruore Moſes cultum vituli, & Elias cæteriq; Prophetæ omnes, inuocationem Baal, ſub idololatriæ nomine reprehendunt? Infinitos eſſe idololatras inter Pontificios, ipſa Rubrica Miſſalibus frequenter præfixa, diſerte teſtatur, quæ concubinarios, adulteros & omnes peccato mortali grauatos, &c. non conſecrare docet. Quare cum inter mille vix vnus ſit alius (nam aliquot aureis ſacrificuli ſcortationem redimunt, quibus patrimonium violenter & impie prolubetur) ſequitur (etiam Papiſticis libris teſtibus) infinita milia idololatrarum eſſe, qui in Miſſa panem nudum adorant, Deumq; ac Saluatorem ſuum nuncupant. Nam latet plebeculam quorundam inſulſiſſima ac ridicula diſtinctio, qua dicunt: *Adoro te, ſi es: ſi non es, non adoro te.*

Sed prodit hic miſer ſuam imperitiam ac pertinaciam, cum Sanctorum, imo imaginum cultum defendit, ac religioſum vocat, & quam omnino non intelligat, aut intelligere nolit Chriſtum, qui in ſpiritu & veritate Patrem adorandum eſſe dicit, diſerte teſtatur. Si enim Sanctorum cultus (de Imaginibus error eſt nimium craſſus) decens eſt ac licitus, cur Petrus *Act.* 10. & Paulus ac Barnabas *Act.* 14. hunc cultum ſibi fieri paſſi non ſunt? Cur ipſe Angelus *Apoc.* 19. & 21. Ioanni ſe proſternenti dixit: *Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, Deum adora?* Si enim Sancti gloriæ (quæ ſolius Dei eſt) non fuerunt cupidi, nondum exuto corpore peccati, quis credet illos à morte factos eſſe deteriores, ac magis ambitioſos, quam erant, dum hic viuerent? Veriſimile non eſt fideles in Domino obdormientes, Zelotypi Dei, qui honorem ſuum alteri non dat, gloriam iam poſtulare, qui eam ſibi tribui viuentes noluerunt. Sed vide, quam impudenter Chriſto ſe opponat. Ille enim ait Matth. 4. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, hic vero Sanctos, imo quod grauius eſt, mortuas ac putridas Imagines coli poſſe, citra blaſphemiam affirmat. Cæterum quia ſui abſurdiſſimi erroris, Concilia & Patres in genere teſtes adducit, quam impie & mendaciter hoc faciat, breuiter & ſuccincte commonſtrabimus. Principio igitur res eſt per ſe notiſſima, ſequentia Concilia, nimirum Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Toletanum ſecundum ac Elibertinum, Imaginum vſum damnaſſe ac prohibuiſſe. Scio Papiſtas hæc contemptim vocare Conciliabula, quia ipſis aduerſantur, nec in illis omnia pro ſuo arbitrio confundere potuit Papa, ſed non moramur, quid illi obſtrepant, qui ea tantum Concilia retinent, in quibus adempta omni libertate ſolus Rom. Pontifex omnia propoſuit ac definiuit. Nec latet me, Epheſinum in Synodo Nicæna 2. fuiſſe damnatum, quæ anno 781. primum celebrata eſt. ſed tam ridiculæ ſunt in ea Synodo Imaginum defenſiones, vt mirari ſatis nequeam illius ſæculi barbariem. Nam vt probet Synodus illa, iuxta Euangelij prædicationem Imagines eſſe neceſſarias, locum hunc ex Canticis citat: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Quaſi vero vnica illa ſponſa Chriſti, faciem ſponſi deſiderans, Imagines poſtulaſſet, quod quam ſit puerile & ineptum, quilibet intelligit. Deinde Gregorium I. Papam circa annum 600. præcipuum adeoq; primarium fuiſſe Imaginum defenſorem, obſcurum non eſt, qui tamen eas non ad colendum, ſed ad docendum haberi voluit, vt *in Epiſtola ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum* teſtatur. Vnde liquido patet, Eccleſiam 600. annorum ſpacio Imaginum vſum religioſè ignoraſſe. Et ſane manifeſtiſſimum eſt, tum primum Imaginib. ornari cœpiſſe templa, cum impura miniſtrorum vita ponderentur, tum Laicorũ facti ſunt libri, cum canes muti miniſteria Eccleſiæ violentia inuaſiſſent. Si hic omnium Patrũ teſtimonia colligere ſtatuiſſem, quib. mortuorum hominum ac Imaginũ cultum grauiſſime damnant, in iuſtum volumen compendioſa reſponſio hæc excreſſerit. quare paucu-

talis contentus, ad alia tranſibo. Auguſt. c. 10. de vera religione ſic ait: *Non ergo creaturæ potius quam Creatori ſeruiamus, ne euaneſcamus in cogitationibus noſtris. perfecta enim religio eſt, adhærere Creatori.* Epiphanius epiſt. ad Hier. ait: *Abominationem eſſe videre depictam vel Chriſti vel Sancti vllius imaginem in templo Chriſtianorum.* Quare Concilium Elibertinum etiam ſtatuit cap. 36. *ne quod colitur, in parietibus depingatur.* Lactantius Firmianus author vetuſtiſſimus lib. 2. de origine erroris cap. 19. ait: *Non eſt dubium, quin ibi nulla ſit religio, vbicunque eſt ſimulacrum. Nam ſi religio ex diuinis rebus eſt, diuini autem nihil eſt niſi in cœleſtibus rebus, carent ergo religione ſimulachra.* Huic dicto pulcherrime conuenit, quod D. Auguſt. lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 9. & 31. ex Varrone citat, *Illos, qui primum Imagines induxerunt, & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe.* Quare quam inepte Imagines Patrum teſtimonijs defendi poſſint, quilibet ſanæ mentis intelligit. Sunt igitur Imagines idiotarum libri, ſed qui nihil quam vanitatem ac mendacium docent, vt *Hierem.* 10. & *Habac.* 2. dicitur. Aliter longe Paulus Galatis *cap.* 3. Chriſtum depinxit, quem ſi imitarentur muti Papiſtæ, Imaginibus feliciter careret Eccleſia. Porro ſi Pontificij, quod miſer hic, qui ſine nomine ſe prodere non audet, perſuadere conatur, ſuperſtitioſos cultus non defendunt, cur cum Hezechia rege occaſionem idolomaniarum ac abuſuum non amputant? Si enim ille, Deo præcipiente formatum ſerpentem, & à Moyſe erectum, creſcente inſana populi ſuperſtitione, magna cum laude & populi vtilitate ſuſtulit, quanto magis deceret, vt Romanenſes tandem contra Dei præceptum introductas imagines auferrent? Sed hoc ab illis vix ſperari poteſt, qui quæſtum pietatem eſſe arbitrantur, & cum rapaci Veſpaſiano (qui ex lotio vectigal poſtulauit) loquuntur, *lucri bonus odor eſt, ex re qualibet*, quibus etiam vſitatiſſimum eſt, à mortuo tributum exigere.

Epiphanius in epiſtola ad Ioannem Hieroſolymorum interprete Hieronymo.

Quod vero Lutheri doctrinam Eccleſiæ repugnare dicit, reſponſo indignum eſſe exiſtimo, cum manifeſtum & tritum ſit mendacium, niſi ſub Eccleſiæ titulo laruatam Romanam Synagogam intelligat, cui Lutherum ſancte aduerſari, pij omnes confitentur. Et inſulſum, imo maledicum plane eſt, quod de adoratione ſcriptorum Lutheri calumniatur. Nullus enim pius Lutheri ſcripta adorare, ſed quatenus ſunt ſcripturę Canonicę conformia, amplecti cupit. Neque ipſe piæ memoriæ Lutherus ea vnquam Lectoribus recipienda obtruſit, quæ verbo Dei, quo vnico nitebatur, quoquo modo repugnare intellexit.

Sed prodit hic infelix malæ cauſæ patronus, animi quoq; ſui crudelitatem, cum Wormatiæ contra leges omnes diuinas & humanas, abſentes inauditos, nedum erroris vllius conuictos, damnatos non eſſe conqueritur. Noſtroſque hoc nomine comprehendit, quia Papiſticam illam Leoninam crudelitatem ac ferociam abhorrentes, voluerunt amicam & placidam doctrinæ collationem iudicium præcedere. Sed quanta cum laude hoc fecerint, pij omnes intelligunt, ac vt meretur, prudentiam hanc extollunt ac prædicant. Nam illos facilime conſenſuros, qui fidei fundamentum retinentes in alijs articulis, ad ſalutem minus neceſſarijs, pauliſper diſſident, maxima & certiſſima ſpes eſt, ſi ſemel tantum Theologi non contentioſi, quales Dei beneficio ſunt plurimi, conuenerint: quod propediem futurum eſſe ad Dei gloriam, Eccleſiæque tranquillitatem, ac Romani Sardanapali euerſionem confidimus. Amen.

Tandem noſter Annotator Principes maximo cum dolore, noſtros tam infeliciter diſputaſſe, conqueri nugatur, & ſuperioris anni Francofordienſem Receſſum, non iniquum tantum vocat, ſed inuiſo ac odioſo conſpirationis vocabulo notat. Quam impie Principum virorum pium conſilium traducat, intelligunt hi omnes, qui repoſitis affectibus, candide Francofordienſem Receſſum perlegerunt, quem noſtrum nugatorem, ne vidiſſe quidem exiſtimo. Verum quod noſtros voluiſſe incommodare, hoc eſt, Sataniçam doctrinam Antichriſti omnibus neruis euertere, conatos eſſe dicit, nemo diſſimulat. nam in hoc toti incumbunt, vt prauæ doctrinæ ſpinis ac ſentibus euerſis, purum verbi diuini ſemen agro humani cordis inſerant, regnoq; fatali Papæ deſtructo, regnum Chriſti promoueant, vt fideles Agricolas & Architectos decet. Porro quod noſtros peregrinis nouiſque ſectis ſtudere dicit, mera calumnia eſt, cum omnes vbiq; pullulantes errores, fundamentum conuellentes, grauiter reprehendant ac damnent, alioſque omnes labentes, placide in viam reuocare ſtudeant. Nec eam etiam eſſe Principum mentem, vt plurimæ inſignes Eccleſiæ, ac præſtantiſſimi viri aliorum præiudicijs inauditi damnentur (quod quidam male feriati ſpiritus prætexunt) hactenus varijs argumentis declararunt Principes ipſi, aliiſq; rationibus (vt ſpero) breui omnibus ſignificabunt. Abhorrent enim Principes alioqui clementiſſimi hanc tyrannidem, quam in Rom. Pontifice damnant, ac merito deteſtantur. Friuolum etiam eſt, toties diſſenſiones noſtris obijcere, cum in doctrina ſint coniunctiſſimi, etſi de ferenda in abſentes & non conuictos ſententia diſſidium (quod nullo negotio componetur) inciderit.

Ad ea, quæ hic de actis colloquij narrat, noſtrorum reſponſio prælo tradita eſt, quæ in horas expectatur, qua cum aduerſariorum virulentis mendacibuſque ſcriptis collata, totius rei veritas omnibus innoteſcet. Interim mirari ſatis nequeo, hunc Anonymum tam impudenter culpam omnem in noſtros reiicere, quia illorum nonnulli maturius receſſerunt, cum L A T O M V S inuerecunde fateatur, non paucos Pontificios ab inclyto Rege Ferdinando S E C V N D O V O C A T O S noluiſſe venire. Cur hæc ô miſer omnibus notiſſima ſilentio præteris? Pontificij illi I N T E G R A M C O L L O Q V I I F O R M A M diſſiparunt, qui à ſenatu Imperij deſignati ne S E M E L venerunt quidem: non autem noſtri, quorum nonnulli videntes plures ex pontificijs deſiderari, tandem receſſerunt.

Nec minus vanum eſt, quod noſtros nudis Scripturæ & Symbolorum nominibus ſuperbire

dicit, cum illam eiuſdem ſcripturæ interpretationem ſequantur, quam ſpiritus ſanctus tradidit, & nihil doceant, quod prioris & purioris Eccleſiæ Patrum teſtimoniis confirmari poſſit. Sed Papiſtas truncatis ſcripturæ teſtimoniis vti, & non ſequi veterum ſanctorum Patrum interpretationes, res eſt per ſe clariſſima. Quare ipſimet hac in parte Donatiſtis ac Neſtorianis ſunt ſimilimi, qui verbis quidem impudenter affirmant ſe Scripturam ſequi, interim contempto Deo, ac repudiato verbo ipſius horrendas idolomanias defendunt, vt Sathanica Miſſa teſtatur, quæ Ethnicorum omnium idololatriam ſuperat ac præuertit. Quomodo nos illam tuto ſequamur Scripturæ interpretationem, quæ varius loci cum altero collatione conſtat, & vetuſtiſſimis Patribus receptiſſima fuit, in refutatione Staphylici ſcripti paulo fuſius declaraui, ſimul etiam quomodo ex diametro illa Scripturæ interpretatio, fidei Analogiæ ac Patribus repugnet, quam Papiſtæ nuper receperunt & mordicus defenderunt, ibidem mediocriter oſtendi. Ipſi igitur illi ſunt, qui cum Arrianis, Iouinianis, Valentinianis ac Vigilantianis maximam affinitatem habent. nam eadem pertinacia OFFICIA Chriſti, Prophetæ, Regis ac vnici Pontificis noſtri pernegant, qua illi vtramq; in Chriſto Domino naturam abnegarunt. Noſtri ècontra non tantum feliciſſime, ſed etiam potentiſſime fidei Articulos, in Symbolis comprehenſos, contra omnia ſeculi huius pernicioſiſſimi monſtra, Pontificiis ſtertentibus ac genio indulgentibus, imo quibuſdam perditiſſime ſcortantibus defenderunt. quare fruſtra eos nebulo hic tam fœdis nominibus grauare conatur. nam clariora ſunt eorum ſcripta, quam vt quiſpiam (niſi plane impius ſit) tale quid de illis ſuſpicetur.

Præterea confeſſionem Auguſtanam transformatam ac variatam eſſe impie clamitat, quia fortaſſis alibi verbum verbo permutatum eſſe videt. Sed quid hoc haberet incommodi, etiamſi aliquæ editiones pauculis ſententiis eſſent locupletatæ? vel alibi illuſtratæ? Non enim pudet noſtros cum Auguſtino ſe ex illorum numero eſſe profiteri, qui SCRIBVNT PROFICIENDO, & ſcribendo proficiunt. Quantum vero ad Maiorem, Gallum, Schneppium, &c. quos pugnantia docere obſtrepit, friuolum eſt, quaſi vero Patres ipſi inter ſe non frequenter pugnent? attamen non ideo ſtatim ſunt reiiciendi. Nam multi viri docti vnam eandemq; rem variis ac in ſpeciem pugnantibus formulis exprimunt, qui tamen cum ſeipſos explicant, idem plane docent, ac tradunt, cuius rei infinita Lectori occurrunt teſtimonia. Quam perfide deniq; ac impie mentiatur, cum grunnit noſtros ſub prætextu Confeſſionis Auguſtanæ, ſectas, qui- us animas occidant, introducere, laborioſa declaratione non indiget, cum èconttra pro ſua virili, Verbum Dei ſyncere prædicent, quod Iacobo teſte, animas eorum ſeruat, qui cum humilitate illud audiunt & amplectuntur. Animas perdere venenatis doctrinis, Papiſtis non permittunt, qui infinita hominum milia ſecum in æternam damnationem præcipitantes reprehendi nolunt, nec audire, CVR FACIS ITA?

Sed pertinaciam ſuam declarat hic Anonymus, qui pacem nullam ſperandam eſſe blaterat, niſi Euangelii doctrina ſublata, omnia priſtinis tenebris inuoluantur ac ſepeliantur, & qui CHRISTO nomen dederunt, ad Antichriſtum deficiant. Hanc pacem auertat Deus in diebus noſtris. Gratior eſt nobis Chriſtus gladium adferens Antichriſto talem pacem (quæ Dei inimicitiam coniunctam habet) offerente. Neq; mundi pacem expectant noſtri, quod miſer hic ſibi perſuadet, qui Euangelium verbum crucis eſſe didicerunt, ſed ad vnitatem pios Zachariæ verbis hortantur, vt coniunctis viribus, ac ſpiritualibus armis, Antichriſti regnum euertant, Chriſtiq; Eccleſiam collapſam inſtaurent. Verum quam inepte Pontificios, qui Simone Mago ianitore, ouile Chriſti ingreſſi ſunt, ac myſteria emerunt, legitime ſuccedere dicat, cum Mercenariorum more oues negligant, ſeipſos paſcant, quod craſſum eſt, occidant, perditum non quærant, confractum non obligent, aliis iudicandum relinquo.

Nec minus ridiculum eſt, quod obediêntiam Magiſtratibus Eccleſiaſticis non præſtari obſtrepit, quaſi plus valere deberent impiæ Papiſtarum traditiones, quam Dei Opt. Max. clariſſima præcepta, quæ ipſi impuris conculcant pedibus. Noſtri cum Petro Apoſtolo vos iudices conſtituunt, dicite igitur vos ipſi, Deone an hominibus magis obediendum putatis? In politicis ac ciuilibus, & omnibus iis, quæ expreſſæ in verbo voluntati Dei non repugnant, libenter illam, quam Scriptura requirit, obedientiam, non tantum modeſtis, ſed etiam dyſcolis præſtabunt noſtri lubentiſſime.

Pulcherrime tandem ſeipſum miſer illaqueat, cum verbis Irenei abutens, Doctrinam Apoſtolicam, antiquum Eccleſiæ ſtatum, veramq; Epiſcoporum ſucceſſionem, vnicam & veram Eccleſiæ notam eſſe docet. Nam nulla Apoſtolicæ doctrinæ, aut veterum rituum, apud Papiſtas vel obſcura ſupereſſe veſtigia, nemini non omnino ſtupido, obſcurum eſſe confido, quod noui Articuli fidei, à Louanienſibus editi ac explicati, luculentiſſime teſtantur. Quantum vero ad ordinariam Epiſcoporum ſucceſſionem attinet, quam ſit legitima, teſtantur vitæ Pontificum, etiam à Platina, aliiſq; Rom. ſedis adulatoribus editæ: in quibus infiniti incantationibus, alii veneficiis (nam quidam 6. annorum ſpacio 14. Cardinales, vt Pontificatum obtineret, veneno ſuſtulit) alii largitionibus ac manifeſta Simonia, alii ſeditionibus ac violentia, peſtilentiæ ſedem inuaſiſſe diſertiſſime docetur. Ex hac inſigni capitis ſucceſſione, quid de aliis membris, Cardinalibus, Epiſcopis, Paſtoribus, Canonicis ac Abbatibus ſtatuendum ſit, nemo non videt.

Quod rurſus obiicit nos à Papatu defeciſſe, fatemur, & hoc quidem eo conſilio fecimus, ne cum peruerſis peruertamur. Nam Pſalmus 1. illum beatum eſſe docet, *qui cum impiis non ſedet*. Huc facit quod Spiritus S. p ſſim egrediendum eſſe de medio Babylonis, & immundum non tangendum pronunciat. Omnino nobis non quadrat illa concordia Herodis & Pilati, cum Pontificiis eam optime

com-

competere, quotidiana experientia aptiſſime declaret. Nam illi perſequuntur, & nos perſecutionem ſuſtinemus: ſed pro foribus eſt Iudicis Chriſti aduentus, qui ſanguinem, quem crudeliſſimi Papiſtæ effundere non ceſſant, ſeueriſſime vindicabit, quod vt breui fiat, ex animo precor, Amen.

Mirari ne, an vero ridere ſeu potius flere hominis ineptias debeam, ignoro, qui tam inſulſe argumentatur? Si Symbola (inquit) recipitis, cur omnia, quæ Eccleſia tradit, non recipitis? Sed hæc ne ſerio quæris miſer, quæ fabris & ſutoribus ſunt notiſſima? Ideo Symbola amplectimur, quia eandem, quam tota ſcriptura tradit, breuiter ſalutis rationem continent. Et econtra humanas traditiones explodimus, quia verbo Dei aduerſantur, & Paulus nos, ne Angelo quidem contraria ſuæ doctrinæ adferenti credere vllo modo vult: ſimul etiam quia maledicti cenſentur, qui verbo Dei aut addunt, aut detrahunt: Pontificios autem vtrumq; feciſſe, omnibus notiſſimum eſt. Simili plane imperitia citat Chriſti ex Matth. 18. c. ſententiam, dicentis: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Nam Chriſtus de poteſtate Eccleſiaſtica, qua præfractos excludere, aliis omnibus medijs fruſtra tentatis, poteſt: non vero quod quælibet ſomnia tradere poſſit, loquitur. Cogitur enim Eccleſia cum D. Paulo dicere, *ego autem à Domino accepi, quod & tradidi vobis,* & non ſui cerebri deliras traditiones populo Chriſtiano obtrudere. Deinde cum Eccleſiæ titulo iniuſte Rom. Caterua ſuperbiat, quæ Eccleſia malignantium eſt, immerito Chriſti promiſſiones & præcepta ſibi vendicat. Sed deſipit, imo inſanit hic, quia noſtros vnanimem ſuum conſenſum in doctrina, breui hoc ſcripto toti mundo teſtatos eſſe videt, & ne nihil dicere videatur, rituum Eccleſiaſticorum varietatem prætexit, ſed nihil moramur vanum hunc verborum ſtrepitum, cum variis ritibus Chriſtianorum libertas (qui nimirum in externis ceremoniis non hærent) declaretur, cumq; quælibet Eccleſia pro ſua conſtitutione ceremonias ad ædificationem retineat, alij enim ſolido cibo, alij vero lacte aluntur.

Nihil præterea noui adfert, cum multos diſſolute hac tempeſtate viuere lateat, quod in hac delira mundi ſenecta mirum omnino videri non debet, in qua abundauit iniquitas. Sed horrende in Deum blaſphemus eſt, cum Euangelium omnium malorum cauſam facit, quod ad vitæ innocentiam, morumq; integritatem omnes hortatur. ſed intollerabilem hanc contumeliam inultam eſſe non patietur Deus Opt. Max. etſi longanimiter vindictam ſubinde differat.

Calumniari deinde conatur piam noſtrorum orationem, qua filium Dei orant, vt vulneribus medeatur ſauciæ Eccleſiæ, ſed nodum in ſcirpo quærit. Habuit Apoſtolorum tempore Eccleſia ſua quoq; vulnera, eaq; grauiſſima, quod Acta Apoſtol. Paulinæq; Epiſtolæ omnes euidentiſſime teſtantur. Nonne illa fuerunt vulnera periculoſiſſima, cum alii per legis opera & circumciſionem, homines iuſtificari docerent, Eccleſiaſq; paſſim turbarent: alij deniq; Reſurrectionem iam factam eſſe traderent, totamq; ASIAM, Paulo teſte, auerterent? Sed non obſtantibus vulneribus hiſce omnibus contra omnes Sathanæ machinas, ſalua perſtitit Dei Eccleſia, & hodie etiam contra portas inferi omneſq; Diaboli inſidias permanebit intrepida, etiamſi diſrumpi deberent aduerſarij pernicioſiſſimi. Fidelis eſt qui promiſit, *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi,* nec pupillam oculi ſui patietur euelli.

Cæterum quod ad nauſeam vſq; repetit hic Anonymus, nonnullos colloquio violenter fuiſſe excluſos, ſeueriuſq; tractatos, calumnia eſt, quod breui omnibus ex D. Philippi Melancht. Apologia palam fiet. Præterea cum Theologi noſtri pios Chriſtianiſſime ad inuocationem hortantur, obſtrepit hic cæcus, extra Dei Eccleſiam nullam eſſe veram inuocationem, quod non tantum fatemur, ſed conſtantiſſime etiam docemus omnes, ideoq; Pontificios non recte aut ſyncere inuocare dicimus, quia Dei Eccleſiam, quæ vnico Chriſto nititur, deſeruerunt, aliam ſtatuentes, cuius caput, lapis angularis, aut fundamentum eſt Petrus, imo ſceleratiſſimi Papæ, qui errare non poſſunt, vt ridicule docent & ſcribunt. Perdit præterea hic oleum & operam, cum noſtros impie hortatur, vt deſerta ſtatione ſua, ad Papam deficiant & loti ſanguine Chriſti, ad lutum Antichriſtianæ doctrinæ reuertantur, cum coronam vitæ ac gloriæ curſum conſummantibus ac fidem conſtanter retinentibus tantum promiſſam eſſe ſciant. Neq; hoc vlla ratione fieri poterit, præſertim cum Chriſtus, vt in errorem ducantur electi, impoſſibile eſſe dicat. *Quos enim ille vocat, hos iuſtificat,* & tandem glorificat.

Sed vt tandem finiam, dico noſtros (quod hic Anonymus perſuadere contendit) piorum & doctorum iudicia non defugere, qui cum vitæ & fortunarum diſcrimine fidei ſuæ rationem tyrannis reddere ſunt paratiſſimi. Sed illi iudicia defugiant, qui ipſum Papam reum, iudicem conſtituunt, qui deinde cum ſe rationibus, Scripturæq; ac Patrum teſtimonijs nudum ac deſtitutum videt, ſic vult, ſic iubet, eſtq; ipſi pro ratione voluntas, quod poſteriorum ſeculorum Conciliabula, aliaq; omnia hactenus à Senatu Imperij deſignata colloquia teſtantur, ac infinita hominum millia per totam Europam maximo cum dolore, ſed fruſtra, eheu, conqueruntur.

Cum igitur, candidiſſime Lector, nihil noui adferat hic Anonymus, ſed veterem omnium pontificiorum tritam cantilenam occinat, prolixiore aut accuratiore reſponſione opus non eſſe exiſtimaui. Quare quæ obiter ad refellendas eius ineptias annotaui, dextere interpretari, ac boni conſulere non grauaberis. Dabitur, vt ſpero, propediem de omnibus Romanæ fidei articulis, fuſius agendi commodior opportunitas. Vale, & Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti pro Eccleſiæ incolumitate ac conſeruatione, contra tot furibundi Antichriſti ac Sathanæ flabella, ſtrenue orare nunquam deſinas.

X.

Anno Domini 1562.

BREVIS EXPOSITIO CAVSARVM, OB QVAS ILLVSTRISS. ELECTORES, PRINCIPES ET ORDINES IMPERII Germanici ſinceram & Orthodoxam Religionem amplexi, Concilium Tridentinum haud agnoſcant: eiuſque diffinitionibus ſtare recuſent: Authore

Q. R.

SEreniſſimi & potentiſſimi S. Rom. Imp. Electores, aliique Principes & Ordines Germaniæ, Religionis ſinceræ ſtudioſi, tum eo tempore, quo primum à Pontifice Rom. Paulo III. Anno 1545. Tridenti, poſt Mantuæ, Concilium indictum, tum eo, quo à Pio IV. ad Annum 1562. redintegratum fuit, grauamina ſua & cauſas legitimas recuſationis iſtius Concilij, ſcriptis publicis, Orthodoxæ fidei tuendæ, ſuique apud Cæſaream Maieſtatem purgandi cauſa, prolixe expoſuerunt. Earum Synopſin aut epitomen ſi Lectori pio ſubiiciamus, haud ingratum ei fore noſtrum hoc officium confidimus.

Prima cauſa eſt: quod Concilium Tridentinum illegitime indictum ſit: Quia Papa Romanus nec diuino nec humano iure, nec antiquiſſimorum canonum, vel purioris Eccleſię exemplis aut conſuetudine, poteſtatem habeat cogendi concilia: ſed Imperatores & Reges.

II. Cauſa eſt: Quia in Imperij Comitiis ſemper & poſtulatum & promiſſum fuit liberum concilium in ipſa Germania celebrandum, loco opportuno, ad religionis diſſidia concilianda, nationisq; Germanicæ ſtatus pacandos. At Tridentinum non fuit tutum ob incommoditates loci, extra Germaniam, in finibus Italiæ ſiti, anguſti, nec acceſſus ita facilis, vel etiam ſecuri: ſed multis nominibus ſuſpecti.

III. Quia concilium non fuit Oecumenicum & vniuerſale, ſed Pontificiam ſaltem aut Papale, in quo Papa ſolus ſummum præſidendi, iudicandi & decidendi poteſtatem ſibi vendicauit, & per Cardinales, Epiſcopos & Prælatos ſibi mancipatos vſurpauit.

IV. Quia non fuit liberum, ſed ſeruum: in quo vocibus liberis parum loci relictum, nempe pręſidentibus aduerſarijs, Cardinalibus Epiſcopiſq; Papæ iureiurando obſtrictis, ſolis ſuffragandi & definiendi ius ſibi arrogantibus: Clericis item & Monachis aulæq; Romanæ paraſitis, mancipijs ac creaturis applaudentibus: perinde ac ſi docti, pij, prudentes alij viri totius orbis nil iudicij, nil ſcientiæ rerum diuinarum aut Eccleſiaſticarum haberent.

V. Quia non fuit Chriſtianum: vt in quo non Chriſtus & verbum eius ſacroſanctum præualuit, & vocem deciſiuam habuit, ſed Papa: traditiones Pontificiæ, priorumq; Conciliorum (quæ plurimis in rebus erraſſe demonſtratu facile eſt) determinationes.

VI. Quia curia Rom. & Regnum Pontificium ſcatet tam fœdis vitijs & ſceleribus, luxu, auaritia, ſuperbia, libidinibus, vt iam olim plurimi queſti ſint de flagitijs & tyrannide ſtatus Eccleſiaſtici, & reformationem poſtularint, ſed fruſtra.

VII. Propter Simoniam Pontificum & aulæ Romanæ: quod ſcelus adeo enorme eſt, vt ipſi Canoniſtæ vocent id idolorum cultum, & Simoniacos Idolorum ſeruos.

VIII. Ob falſam doctrinam Pontificiorum: vt de inuocatione & cultu, imaginibus & ſtatuis, & interceſſionibus ſanctorum: de libero arbitrio, iuſtificatione, meritis operum: de Sacramentis, baptiſmo & cœna: de Miſſa: de pœnitentia: de communione ſub vna ſpecie: de coniugio & cœlibatu: de varijs traditionibus, & conſecrationibus plane ſuperſtitioſis aut idololatricis: deniq; de Papæ poteſtate ſumma, immenſa & tyrannica: quaſi iudex omnium ſit, à nemine iudicandus, vt qui diuina & humana iura omnia habeat in ſcrinio pectoris ſui, &c.

IX. Cauſam recuſandi Concilium præbuerunt impia decreta promulgata primis ſtatim conſeſſibus ſub Paulo III. Anno 1546. vt, Traditiones Eccleſiæ Romanæ pari reuerentia ſuſcipiendas eſſe cum verbo Dei ſcripto. Libros apocryphos, Iudith, Tobiæ, Baruch, Macchabæorum, &c. eſſe paris authoritatis cum Canonicis ac pro Canonicis habendos: Vulgatam verſionem eſſe authenticam, quam nemo reijcere quouis prætextu audeat. Item, quod Papa ſit ſummum caput Concilii & Eccleſiæ: quod Epiſcopis populum liceat docere per ſubſtitutum Vicarium, & ſimilia: Quæ potius antiquanda & abolenda fuerant in poſteriori Concilio Anno 1562. ſub Pio IV. quam ſtabilienda vel defendenda. Verùm attulerunt illi Patres anteriora ſua præiudicia, voluntatem item & animum damnandi Euangelicos, & antea factas condemnationes exſequendi.

X. Cauſa: Docent hiſtoriæ & ipſa experientia, Concilia Pontificia magis accendiſſe quam extinxiſſe flammas diſcordiarum: & a Papis indicta pro ſuo primatu & potentia, fuiſſe infelicia ſe-

mina-

ſeminaria & tubas turbarum,imo immaniſſimorum bellorum ciuilium: qualia vidit ætas noſtra in Gallia,& prouinciis Belgii: ne dicamus de aliis regnis: in quibus horribilem humani ſanguinis effuſionem ac immanes lanienas, ſacri iſtius Concilii exſecutio peperit.

XI. Cauſa recuſati concilii fuit & eſt Papæ ſuperbia nefanda, quæ ſtatus imperii Germanici Euangelicos non indigne ſolum aſpernatur & contemnit; ſed impie quoque excommunicat,anathematis fulmine ferit quotannis,& ad inferos damnat,ac orthodoxos infeſtat & interficit.

XII. Ob periculum conſcientiæ,quam ſauciare nec debent nec volunt Proteſtantes,deſerendo veram,ſinceram,Orthodoxam religionem: cuius indubitatam certitudinem eam agnoſcant & ſentiant,nec confeſſionem per conſcientiam defugere poſſint.

Atque hæ quidem allatæ ſunt à Germanis Proteſtantibus rationes, ob quas in Concilium Papæ non potuerint conſentire: quarum fuſiorem explicationem & demonſtrationem ſi forte lector deſideret, adeat ac ſtudioſe perlegat librum ab illis Teuthonica pariter & Latina lingua publicatum, cui titulus eſt: *Concilii Tridentini reſtitutioni, ſeu continuationi à Pio IV. Pontifice anno 1562. indictæ, Decretiſq; tunc editis oppoſita grauamina: Quibus & cauſa neceſſaria & grauiſſima exponuntur, quare Electores, Principes, Ordines Imperii, Auguſtanam confeſſionem amplexi, concilium illud neq; agnoſcere neque audire voluerint.*

Hæc Grauamina pro defenſione ſinceræ & Orthodoxæ religionis, propoſita primum in Naoburgico conuentu Principum, Anno 1561. deinde repetita,atq; oblata Maieſtati Cæſareæ in Imperii conuentu publico, qui ob Electionem & Coronationem Inclyti Regis Roma. Maximiliani II. Anno 1592. habitus fuit Francofurti: tandem ſummorum quorundam Imperii Ordinum mandatu & voluntate,à delectis ad hoc Eccleſiarum ſuarum Doctoribus,& Conſiliariis politicis, vberiore explicatione ſingulorum capitum, ex Sacrarum literarum teſtimoniis, Patrum ſcriptis, Theologorum ſcholaſticorum commentariis, ac Canonum interpretibus, aliiſq; ſcriptoribus compluribus, ad eum vſum iam pridem diligentia ſingulari collectis,illuſtrata ſunt: & hoc ſcripto,quod ad poſteritatem de horum Ordinum erga Religionem & Rempub.ſtudio extet,comprehenſa.

Neque Germani ſoli,ſed [illegible] quoq; potentiſſimi Reges, inprimis Franciæ,& Britanniæ,Principes,Reſpublicæ,Nationes,& [illegible]tus Eccleſiarum reformatarum,viri deniq; pietate graues,doctrina, virtute, prudentia & multo re[illegible]m vſu præclari & inſignes, Concilio Tridentino palam plurimis modis & vicibus contradixerunt,& demonſtrarunt,id nec legitime habitum,nec dogmata ex ſacroſanctæ ſcripturæ autoritate definita, nec diſciplinam ex veterum Canonum & decretorum ratione modoque conſtitutam aut reformatam eſſe: ſed in multis articulis tum S. literis, tum antiquis Canonibus & Conciliis contraire: ideoque quæ in hac Synodo ſancita ſint, pro nullius momenti, irritis, & infectis habenda eſſe, ſecundum Canonem ex Gregorio deſumtum: *Imperiali conſtitutum eſt ſanctione aperte,vt ea quæ contra leges fiunt,non ſolum inutilia,ſed etiam pro infectis habenda ſint. c. Imperiali. 25. q. 2.* Atque etiam ſecundum alium canonem ex Ambroſio petitum: *in ipſa Eccleſia teneri quam maxime debet forma iuſtitiæ.*

Proteſtationes autem Nullitatum Synodo Tridentinæ oppoſitas, ex illorum ſcriptis ac monumentis excerptas, & in hunc faſciculum collectas, quam breuiſſime recitabimus,ſumma modo faſtigia rerum ſecuti.

Proteſtatio Nullitatum.

Prima nullitas eſt,quod cum Synodus hæc propter, vel potius contra Germanos,quos Papa hæreſeos accuſat, inſtituta fuerit, tamen extra Germaniam loco non idoneo ſit habita: contra Canones præcipientes,vt accuſati in ſua prouincia audiantur *c. vltra. 3. q. 6. c. 2.* imo contra promiſſa Leonis X. Hadriani VI. Clementis VII. Paparum.

II. Nullitas: Quod Proteſtantes nec auditi, nec admiſſi fuerint ad fidei ſuæ confeſſionem, quam paratam habebant, in conuentu publico proponendam, multo minus diſcutiendam aut aſſerendam: Imo plurimi reformatam religionem profitentes ſtatus,vt in Gallia, & aliis regnis & ducatibus,ne quidem ſunt vocati. At de iure diuino, gentium & ciuili etiam,neminem damnandum eſſe liquet,niſi præſens,præſentes accuſatores, niſi etiam prius legitime defendendi ſui poteſtatem habeat.

III. Nullitas: Quod à Romano Papa conuocatum eſt,ab actore videlicet, qui Proteſtantes abſentes & ante Concilium damnarat, & in ipſo concilio hæreſeos condemnabat, & anathematum fulminibus obruebat.

IV. Quia idem Papa fuit & eſt reus. Nam accuſatur à maiori parte Chriſtiani orbis in Oriente & Occidente,tyrannidis,hæreſeos,aliorumq; criminum: quorum reus cum peragatur,ſe prius purgaret,æquum & iuſtum erat.

V. Quia Papa in Concilio ſe caput,præſidem & iudicem ſupremum geſſit: id non ſolum indixit (quod Cæſaris & Monarcharum Chriſtianorum erat) ſed etiam pro lubitu ſuſpendit, tranſtulit, abrupit & terminauit.

Quo iure (quæſo) idem fuit accuſator,reus,iudex? Habuit quidem ibi ſuos Legatos. At vicarius in Epiſcopi ſui cauſa iudex eſſe non poteſt,aiunt Canones & Canoniſtæ.

VI. Quod omnes Papæ eorumque ſuffragatores Cardinales,& Epiſcopi,Clerici,Monachi,ſunt

 inimi-

inimici aperti, & capitales hoſtes Religionis reformatæ, & hanc profitentium: quos illi plusquam Vatiniano odio proſequuntur, proſcribunt, occidunt, & omnes ad vnum internecione delere & è medio tollere ſatagunt.

VII. Nullitas eſt ex defectu legatorum ad Concilium. Qui enim ea legatione functi ſunt, inde magnum commodum ſperabant: Aliqui coronam Papalem: (quam etiam duo præſides Pauli III. Papæ, Ioannes Maria de Monte & Marcellus Ceruinus adepti ſunt, ob Pontificiam dignitatem fortiter propugnatam) alii infulas, alii prouentus opimos, & mercedem amplam ob nutantis ac labaſcentis ſedis Romanæ fulciendæ ſuſtentandæq; ſedulum conatum. At iudex iure recuſatur in omni lite, ex qua commodum aliquod percipere poſſit.

VIII. Ex partialitate Epiſcoporum; quibus ſuffragii ius erat. In primis Itali, quorum multitudo maxima præ cæteris nationibus erat, pendebant à nutu Romani Pontificis, vt à quo immediate ſuos epiſcopatus & beneficia precario tenebant, quibus ne exuerentur, in Papæ ſententiam eundum erat.

IX. Ex iniquitate Theologorum, etiam ſuffragii ius habentium, ac in Proteſtantes contumelioſis & virulentis concionibus nullo non tempore inuehentium, animiq; morbum ac [illegible] prodentium, ac vi rem gerendam eſſe ſuadentium: imo furiale claſſicum canentium.

X. A defectu ſcientiæ ſuffragatorum. Plerique Epiſcopi & præſules, quibus definiendi poteſtas tributa, ſicut teſtantur viri veritatis amantes, exiguæ doctrinæ fuerunt, haud verſati in linguis illis, quibus ſacra ſcriptura eſt exarata: nec in ipſis ſacris literis: in iuris Canonici vel Canoniſtarum magis quam in antiquitatis priſcæ, Patrumq; voluminibus: multo minus in arduis Theologicis diſputationibus, aut ſcriptis eorum, quos vt hæreticos damnarunt. Ideo recuſari merito potuerunt, & ex iudicum ordine expungi debuerunt.

XI. A prætermiſſa cauſarum cognitione. Præſules Concilii poſtremi ſub Pio IV. ſuffragiis ſuis placita & decreta prioribus ſeſſionibus ſub Paulo III. quibus ipſi nunquam interfuerunt, approbarunt ſimpliciter & rata habuerunt: controuerſiarum momenta, rerumque pondera non examinarunt: Quod à legitimorum iudiciorum forma alieniſſimum eſt. *Qui enim iura partium non expendit accurate, non admittendus eſt ad ſententiam dicendam.*

XII. Quia non fuit Oecumenicum Concilium, etſi Pontificii titulo tali inſigniant. Maxima pars orbis Chriſtiani reiecit illud: minima præſens fuit, ac legatos miſit. Eius igitur definitionibus, qui non adfuerunt, nullo iure tenentur: Secundum illud: *Res inter alios acta vel iudicata, aliis nō nocet.*

XIII. Quia neque fuit liberum. Proteſtantibus capita ſuæ fidei libere proponere, & ex verbo Dei confirmare, vel in diſputationem cum Pontificiis deſcendere, non fuit conceſſum etiam petentibus. Contra: quod libuit Pontifici eiuſq; legatis, id ſolum propoſitum eſt: omiſſa quæſtione valde neceſſaria: An Papa Concilio ſuperior ſit, anne ſubiectus? à qua videbatur initium eſſe faciendum: artibusq; variis id perfectum, vt numero votorum, non pondere ſententiarum Papa vinceret: quippe cum ſoli illi admitterentur, quibus vnius addictis iurare in verba magiſtri, propoſitum erat illud: *Negas, nego: Ais, aio: Poſtremo imperaui egomet mihi, omnia aſſentiri vel aſſentari*: Et illud: [illegible] *vicarius Chriſti, ſucceſſor Petri: cui non licet dicere: Quare ſic facis?*

Deniq; modus agendi plane ſeruilis fuit. Quia nihil à Legatis diſquiſitioni ſubiectum, quin prius ipſum Papam conſuluiſſent, an ita Sanctiſſimo Domino placeret. Articuli vero definitiui Romæ cuſi dictatiq; ad Concilium miſſi, & ab illis bonis patribus ſanciti, promulgati, proclamatique. Sin qui liberiorem vocem edidiſſent, ii tanquam Pontificiæ maieſtatis læſæ rei, correpti, loco deiecti, aut ablegati ſunt. Submiſſi quoque Roma Tridentum ſubſidiarii quidam Epiſcopi (quadraginta numero, ſicut ferunt) celeribus equis, qui cauſæ laboranti opem ferrent, hoc eſt, autoritatem Papæ munirent, & rectius ſentientes ſuffragiorum multitudine ſuperarent.

Teſtis harum actionum omni exceptione maior eſt Andr. Duditius noſter, cuius ad Maximilianum II. Imperatorem hæc verba bene notentur: *Odio mei flagrant Pontificii inde ab eo tempore, cum Concilio Tridentino, quod nouiſſime eſt habitum, D. Ferdinandi Cæſaris parentis tui miſſu pro Hungaria patria mea Eccleſia interfui. Nam qui ſcirem, quæ ratio vetuſtiſſimorum conciliorum fuiſſet, & intelligerem quid hæc tempora, in quæ tanta religionis perturbatio incidiſſet, expoſcerent, dicebam libere, quæ quaq; de controuerſia diligentiſſime cogitanti & eruditorum commentarios peruolutanti in mentem venerant: neque mea ſententia cuiuſquam vel gratia vel metus moderabatur. Quo in propoſito cum perſiſterem (nam me ſuo nomine ipſa veritatis indagatio concordiaque molitio delectabat) ſenſi non obſcure, offendi eorum animos, qui nihil pro ſententia dici vellent, niſi quod ad Papæ voluntatem dirigeretur. Ego tamen pro eo, quod antiquiſſima mihi erat cura vindicandæ, quantum in me eſſet, veritatis, ad cuius equidem lucem iam tum oculos, veluti è graui quodam ſomno excitatus, attollebam, iniuſtiſſimis querelis hominum Papæ ancillantium ab inſtituto meo non ſum deterritus: neq; vel perſonam abieci, quam mihi Deus ad tempus impoſuiſſet, vel ſtationem meam deſerui, in qua me ſapientiſſimus Imperator collocaſſet. Quare ab illis animaduerſa, nomen meum ad eum, qui tum dominabatur, Papam deferunt, neque me reſpicere eius gratiam in dicendis ſententiis & parum eſſe reuerentem Pontificiæ ſanctitatis criminantur. Quæ cum bonis autoribus comperta haberem, non ſolum non reſtingui mihi & langueſcere, ſed inflammari etiam & excitari vehementius ſtudium retinendæ libertatis cœpit. Quo factum eſt, vt cum in diſceptationem veniſſet, an altera pars Euchariſtiæ vulgo, & vt ipſi vocant, Laicis concedenda eſſet, & iam in eam ſententiam itum eſſet, vt ne concederetur: ego ita contra pugnauerim, & tanta contentione dixerim, vt præter morem repugnantibus fere omni-*

Calicis negatio, poſt conceſſio.

tionibus iterum ea de re, de qua iam ſenatuſconſultum factum eſſet, ad patres referretur, & denuo ſententiæ rogarentur. Extat typis euulgata mea ſententia, ac petitio teſtis mea voluntatis. Quid multa? Cum plura non pateretur nos conſequi Epiſcoporum nimia ſeruitus & ſuperſtitio, illud ſaltem perfectum eſt, vt in ea verba decretum hac de re conciperetur: ex quibus effici poteſt, concilium illud calicem Laicis non denegare, ſed velle, vt id à Papa, quibus opus eſſet, permitteretur: vt vel hinc facile animaduertas, eos niſi ſibi timuiſſent, prorſus conceſſuros fuiſſe: quo tamen decreto plerique omnes Epiſcopi, ſtipendiarii præſertim, malam apud illum gratiam inierunt. Videtur enim Pontificiæ autoritati nonnihil eſſe detractum, quod concilium illi leges ponere hac ratione videatur, cum ipſe immerito ſane, & præter omnem humanam atque diuinam rationem, concilio tamen ſuperior ▪ eſſe & haberi velit. Atque de calice quidem hic exitus rei fuit.

De ſacerdotibus non prohibendis coniugio item diſſerere, habebam in animo, & me velle præ me ferebam: occaſionem tantummodo auide exſpectabam. Teſtanda enim fuit reſtituendæ diſciplinæ, renouandi exempli veteris cupiditas, etſi quantum profecturus eſſem, non ignorabam. Quid enim proficî potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non ſuis momentis ponderarentur ſententiæ? Si cauſa, ſi ratione pugnandum fuiſſet, ſi pauci quidam ſocii nobis adfuiſſent, viceramus, quamuis pauci, magnas copias aduerſariorum. Sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longe inferiores futuri fuiſſemus: in optima cauſa victores diſcedere non potuimus. Singulis noſtrum centenos de ſuis Papa potuit opponere: ac ſi centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos ſuis laborantibus ſubſidio mitteret. Itaque videre erat, quotidie famelicos & egentes Epiſcopos ex maiori parte barbatulos adoleſcentes, luxuque perditos, Tridentum volitare, conductos ad ſententiam ſecundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & ſtolidos, ſed tamen impudentia & audacia vtiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ acceſſerant, tum vero victrix exultabat iniquitas: neque decerni iam quidquam potuit, niſi eorum ſententiam, qui Papæ potentiam, luxumque defendere, ſummam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir grauis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic vt non bonus Catholicus terrore & minis, ab inſectatione Concilii ad probandum, quæ nollet, traducebatur. In ſumma in eum ſtatum res eſt adducta iſtorum, qui illuc facti inſtitutique venerant, improbitate, non vt iam Epiſcoporum, ſed laruarum: non hominum, ſed ſimulachrorum, quæ neruis mouentur alienis, vt Dædali ſtatuæ fuiſſe perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Epiſcopi illi conductitii plerique, vt veres, ruſticorum muſicum inſtrumentum, quos vt vocem mittant, inflare neceſſe eſt. Nihil habuit cum illo conuentu Sanct. Spiritus commercii, omnia erant humana conſilia, quæ in immodica & ſane quam pudenda Pontificum tuenda dominatione conſumebantur. Curſitabant Romam nocte dieque veredarii, omnia, quæ dicta conſultaque eſſent, quam celerrime ad Papam deferebantur. Illinc reſponſa, tanquam Delphis aut Dodona, exſpectabantur: illinc nimirum Spiritus ille Sanctus, quem ſuis Conciliis præeſſe iactant, tabellariis manticis incluſus, mittebatur: qui, quod admodum ridiculum eſt, cum aliquando, vt fit, aquæ pluuiis excreſcebant, non ante aduolare poterat, quam inundationes deſediſſent. Ita fiebat, vt Spiritus non ſuper aquas, vt eſt in Geneſi, ſed ſecus aquas ferretur. O portentoſam & ſingularem dementiam! Ratum nihil eſſe poterat, quod Epiſcopi tanquam plebs, ſciſcerent, niſi Papa autor fieret. Quin etiam referebant Legati Pontificii, quæ de re Papa agi vellet, & ſuis illis, quibus hoc nomine ſtipem menſtruam pendebant (ii autem erant plurimi egentes, ex non optimis Italiæ ciuitatibus, & alii fictitii quidam Epiſcopi, qui ciuitates nullas, nomen tantum retinebant) de Pontificis mandato praeſcribebant, a quibus diſcedere capitale habebatur. Quo quid magis ridiculum aut contumelioſum in ceteros Epiſcopos eſſe poſſit? Quid enim eſt eripere homini ius ſuum, omnemque omnium poteſtatem ad ſe rapere, ſi hoc non eſt? Si nihil reliqui Epiſcopi ſine Papa poſſunt ſtatuere: Papa ſine ceteris Epiſcopis omnia: quid cogere concilium opus fuit? Quid Sanctiſſ. Imperatorem, quid ceteros Principes, quid omnes nationes expectatione concilii ſuſpenſos tenere, exitu ludificari? Non quid Papa vellet, quærebatur (non enim erat hoc quidem dubium) ſed componenda erat multis ſectis diſiecta religio, & inprimis infinita Papæ licentia & arrogantia, legum vinculis ſuiſque finibus coercenda. Quod quemadmodum fieri poſſit, ipſo Papa in ſua cauſa iudice, non dubito, quin per te intelligas. Etenim ſi vere reputare volumus, omnique ſemota perturbatione animi iudicare, inueniemus, nihil aliud eſſe cauſæ, cur in Eccleſia Dei ad hoc vſque tempus, poſt tot diſputationes & colloquia, concordia conciliari nequiuerit, quam quod Papa penes ſe vnum vult eſſe arbitrium omnium controuerſiarum, ipſe nullius ſe iudicio permittere, ne conſentientis quidem orbis terrarum vniuerſi, &c. En Lector, vide grauiſſimam teſtificationem Duditii.

Adeſt & alius fide digniſſimus teſtis, Petrus Paulus Vergerius olim Epiſcopus Iuſtinopolitanus & Legatus Pontificis Clementis 7. & Pauli 3. ad Germanos, à quo id in mandatis habuit ANNO 1534. vt quoquo modo concilium impediret: nec ipſum Papam in anguſtias & neceſſitatem habendæ Synodi coniiceret, etiamſi Rex Romanorum maxime vrgeret. Hic Vergerius ſcriptis publicis Concilium Papale coloribus iiſdem depinxit, vt vel ex Thuani hiſtoria paulo poſt patebit.

Teſtis etiam eſt Sleidanus li. 22. vbi poſtquam ordinem publicorum conſeſſuum Concilii Tridentini, & modum condendi Canones & articulos, ſeu decreta de fide, narrauit, ſubiicit iſta: *Hæc ita quidem publice fiunt: ſed qui res Romanas familiarius nouerunt, aiunt, omnia dogmata Romæ iam ante conſcripta iuſſu Pontificis, ad Legatum ſuo tempore mitti, vt præſcriptum illud atq; formulam, in diſſerendo Theologi ſequantur. Nam ex iis complures, ac Epiſcopos quoq; multos alit ibi Pontifex: & ridicule*

Coniugium ſacerdotum.

Laruarum concilium.

[illegible] *prouerbio dici ſolet, Spiritum Sanctum Roma ſubinde Tridentum venire incluſum mantica. Propterea nimirum, quod crebro Pontifex & celeribus equis, quid fieri velit, per literas atq; mandata ſuis ibi legatis nunciat.*

Accedant coronidis vice, maioriſq; lucis & fidei cauſa, quædam ex Ampliſſ. & æui noſtri præſtantiſſ. fideliſſimique ſcriptoris D. Iacobi Auguſti Thuani hiſtoriarum libris, de Tridentini concilii geſtis ſub Pio IV. Anno LXI. Libro XXVIII. Sic autem habet: *Pontifex ſemper antea veritus, ſi concilium indiceretur, ne is eius exitus eſſet, vt ipſe in ordinem cogeretur, cum hactenus rem diſtuliſſet, tandem à Coſmo Florentinorum duce perſuaſus, accedente Concilii nationalis, quod plerique apud nos Gallos vrgebant, metu, S. Oecumenicam generalem Synodum, quæ ſub Paulo III. inchoata, & ſub Iulio III. continuata, propter nouos in propinquis Germaniæ locis motus excitatos, & exardeſcens in Gallia & Italia bellum ſuſpenſa fuerat, perſequi ſtatuit, & III. Kalen. Decembr. anni præcedentis, emiſſo diplomate, eius celebrationem in ciuitate Tridentina ad ſacratiſſimam reſurrectionis Dominicæ diem proxime futuram indicit, vehementerq; in Domino hortatur venerabiles fratres ſuos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos ac delectos Abbates, ceteroſque quibus in Concilio generali ſedere & ſententiam dicere iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua conſuetudine licet, vt intra eam diem Tridentum conueniant: inſuper Romanum Imperatorem electum ceteroſque reges ac Principes monet, vt ſi ipſi intereſſe non poſſint, eo legatos ſuos mittant, præfatus nihil propoſitum aliud habere ſe in hoc concilio celebrando, niſi honorem Dei, diſperſarum ouium reductionem ac ſalutem & perpetuam Reſpub. Chriſtianæ tranquillitatem. Contra diploma illud, Paulus Vergerius Iuſtinopolitanus quondam Epiſcopus, & magnis legationibus ſub Pontificibus defunctus, qui paulo ante ab iis defecerat, cum Auguſtæ Vindelicorum eſſet, ſcripto edito acriter inuectus eſt, & curiæ Romanæ faſtum, pompas, luxum, ambitionem, ſordes, corruptos mores, quos perſpectos ſe habere dicebat, multis & acerbis verbis deteſtatus: poſtremo addit, concilium à Pontifice indictum, non, vt oportuit, ad ſtabiliendam Chriſti doctrinam, ſed ad firmanda infirma carnis, diuinis mandatis aduerſantia, commenta, non ad purgandum ouile dominicum, ſed ad diſſeminandos hominum inueteratos errores: denique non ad Chriſtianam libertatem, ſed ad miſerarum animarum ſeruitutem & oppreſſionem, inſtitutum eſſe: quippe in quo iuxta ceremonialis Romani præceptum, quod habetur lib. 1. cap. 3. ſectionis 14. Epiſcopi tantum, abbates & ii omnes præſules, qui ſecundum formam iuramenti, quod præſtant, cum ad dignitates promouentur, ad Synodum venire tenentur, interuenire poſſint, ac ei ſubſcribere, inferiores autem Eccleſiaſtici viri, ac ſeculares Principes conſulendi ac inſtruendi, non autem deliberandi & decernendi gratia interſint: quo fieri dicit, non ſolum, vt qui ob craſſos & erga Deum contumelioſos errores ſe ab Eccleſia Romana ſeparauerint, non audiantur, contra quam à Paulo III. initio promiſſum fuerat, ſed etiam vt multi ac peritiores ex illorummet Eccleſiæ gremio doctores ad ſententiam dicendam non admittantur: libertate, in qua ſpes ſarciendæ concordiæ reliqua erat, omnino ſublata, & aperta ad ſciſſuram nunquam ex domo Dei eliminandam feneſtra. Hanc querelam cum ad irritandos Germaniæ Principes, quorum cauſa ab initio Concilium indictum fuerat, pertinere intelligeret Pontifex, ad eos ante omnia legatos mittere decreuit. Delecti ad id Zacharias Delfinus Pharenſis, & Io. Franciſcus Comendonus Zacynthi, Epiſcopi: qui cum literis fiduciariis ad reges & principes profecti, primum omnium Ferdinandum Cæſarem, qui tunc Viennæ erat, adeunt, & ibi poſtquam mandata à Pontifice expoſuerunt, conſilium ipſius in legatione obeunda exquirere iuſſi monentur, vt è veſtigio omni mora poſtpoſita, Principes Auguſtanæ Confeſſionis ſocios, quos Naumburgi ad Salam in Saxonia ſimul congregatos commodum nacturi ſint, adeant, cum iiſque leniter, ac modeſte agant: & quantum fieri poterit, omnem exaſperationis & offenſionis materiam & anſam perquam diligenter declinare ſtudeant. Ita facilius rem confecturos, & ab illis certum ac determinatum reſponſum potius conſecuturos, quam ſi diutius expectent, & ſingulos in ſua prouincia circumeuntes conuenire cogantur. Nec enim minus verendum eſſe, ne in accipiendo commodiore vel incommodo reſponſo ab alio ad alium remittantur: tantum celeritate vtantur, ne ante ipſorum aduentum conuentus diſſoluatur: ſimulque ambo eo contendant: inde poſtea commodius iter diuiſuri, & ad principes, quos quiſque eorum conuenire iuſſus eſt, non inuentos ſeparatim profecturi. Reuocata & à prudentiſſimo Imperatore in memoriam conditiones, quibus Principes proteſtantes nouiſſimo Imperiali conuentu in Concilium Tridentinum ſe conſenſuros declarauerant: vt ſi eas aut omneis aut pro parte rurſus in medium adduci contingat, ipſi legati, vt præmeditata, tanto facilius, an & quid nomine Pontificis replicandum ſit, cogitare poſſint. Diſcedentibus oratores à Cæſare adiuncti Otho Eberſteinii comes, Felix Bogiſlaus Haſſenſteinis Baro, & Chriſtophorus Meela regni Bohemiæ vicecancellarius: qui poſtridie quam Naumburgum aduenerunt, in principum conſeſſu auditi, nomine Cæſaris hortati ſunt eos, vt ad Synodum Tridenti indictam, & legitime celebrandam, veniant, quo lamentabili religionis diſſidio & ſecutis inde Germaniæ calamitatibus ſalutaris tandem finis imponatur. Ita re deliberata à Principibus reſponſum, inuictiſſimo Cæſari ſe pro pia ſolicitudine & amore erga rempub. ac ipſos reuerenter admodum gratias agere. Ad concilium quod attinet, non recuſare liberum, Chriſtianum & vniuerſale in quo non Pontifex, ſed verbum Dei pro iudice ſedeat, iureiurando Epiſcopis remiſſo, & Auguſtanæ confeſſionis ordinibus facultate decernendi permiſſa: ſe contra animaduertere, Pontificem Tridenti concilium continuandum indixiſſe, & ſuis tantum iuratis Epiſcopis dicendæ ſententiæ poteſtatem facere: quod ipſi ſemper antea in publicis Imperii comitiis iniquiſſimum eſſe proteſtati ſint: hac de re reuerenter Cæſarem monere in præſentiarum voluiſſe integro reſponſo in aliud tempus dilato, quando ad alios etiam ordines hoc negotium ſpectet, & abſentium Principum legati, qui Naumburgi conuenerunt, nulla de mittendis Tridentum legatis ſpecialia mandata habeant. Orare interim Cæſarem, vt hoc reſponſum in bonam partem accipiat, eique acquieſcat, & Paſſauienſe fœdus ac pacem religioni datam conſtanter tueatur. Paſſos Pontificios legatos, alios*

poſt

Margin notes:
[illegible] Romæ capiatur, [illegible] geſtatur [illegible].
Concilii Tridentini [illegible] Papa [illegible] ſibi cogit [illegible].
Vergerii [illegible] contra Pontificium diploma.
Papa legatos ad Germanos. Conſilium Ferdinandi.
Legati Pontificii ad Conuentũ Naumburgenſem. Principum reſponſio ad Legatos Imp.

poſt alterum, auditi, qui de Pii I V. laudibus & pia religionis ſolicitudine, tum egregia erga ipſos voluntate multa ac præclara præfati, eo conſilio inſtauratum ab ipſo Concilium dicunt, vt hæreſes extirpentur, & ſectæ, ex quibus tot fere religiones, quot homines, tot Euangelia, quot doctores extitiſſent, omnino tollerentur, in quo cuncta caritate Christiana & pietate fraterna tranſactum, omneis plene ac benigne auditum iri, ſententiasq; ac ſuffragia liberrima fore pollicebantur. Igitur legatos cum plenis mandatis mitterent, & ſarciendæ concordiæ cauſa ſuſceptum tam laudabile negotium ex parte ſua adiuuarent. Perlata & ad ſingulos Proteſtanteis literæ à Pontifice, quas breuia vocant, cum hac inſcriptione. Dilecto filio, nobili viro, duci aut comiti: *quæ omnes minime reſignatæ in hoſpitium legatorum mox remiſſa ſunt. Tandem postremo conuentus die à V I I. viris ac ceteris principibus mane ad legatos Pontificis reſponſum datum: nullam ſe Pontificis iuriſdictionem agnoſcere: neq; vero opus eſſe, vt Pontifici, quid ſuæ voluntatis ſit in concilii negotio, cuius indicendi aut habendi poteſtatem ipſe non habeat, aperiant: abunde id ſæpius feciſſe: & ſe Clementiſſimo Domino ſuo Imperatori Ferdinando, quid ſui conſilii ſit, vt debebant, reuerenter expoſuiſſe. Porro ipſis vt viris nobilibus ex amiciſſima repub. ortis, multa inſuper doctrina & rerum vſu ornatis, honorifica, quæ poſſint, officia deferre: plura delaturi, niſi à Pontifice veniſſent. Ita dimiſſi legati, &c.*

Papæ legatorum oratio.

Breuia Papæ. Reſponſio Principum.

Hucuſque Thuanus, de iis, quæ Concilium anteceſſerunt Anno L X I. Id vero, licet ad huius anni Paſcha indictum, tamen in annum L X I I. dilatum eſt, procraſtinante ſemper Pontifice, ſuæque potentiæ diminutionem metuente. Tandem vix ægre conſentiente; poſt id præcipitante ac ſex improuiſo finiente, vel abrumpente. quippe omnis emendationis impatiente: quam monarchæ Cæſar & Rex Galliæ cum primis ſerio poſtulabant: ſicut & libertatem in dicendis ſententiis. Ac his quidem monuit etiam Pontificem, ne committerent eius legati, vt Spiritum S. in bulgam compactum Roma accerſere dicantur, & quæ in conſeſſu Patrum Concilii ad Dei gloriam decernentur, Romæ ab otioſis hominibus maligna interpretatione non corrumpantur. De rebus aliis in concilio geſtis auidus lector conſulat hiſtoricorum fidelium monumenta, in primis ipſum, quem modo citauimus, Thuanum *Hiſtor. li.* 35. & 36. vbi de permiſſione calicis, & coniugii, ſacerdotibus nonnulla reperiet, agitata ad Annum Domini M. D. L X I V. & amplius: ſicut & de executione Concilii, à Pontifice quidem importune ſemper efflagitata, ſed neq; à Cæſarea Maieſtate, neq; à Rege Galliæ, neq; ab aliis ita facile impetrata: quod turbarum & bellorum crudelium facem prudentes Principes ad Papæ libidinem accendere nollent.

Quæ cum ita ſe habeant: ecquis æquus & integer ac candidus vitio vertat Germanis, & aliarum nationum Proteſtantibus, quod Concilium Tridentinum aſpernati ſint tandem; eiuſq; decreta & Canones adhuc recuſent? Athanaſius olim Synodum Tyriam, Maximus Epiſcopus Ieroſolymitanus Antiochenam, Epiſcopi Occidentales Syrmienſem, Paulinus Treuirenſis Mediolanenſem, ob Arianorum inſidias, technas, & potentiam defugerunt. Cur idem nobis haud liceat ob aduerſantium vimq; dolumque? Imo vero licet impune, Pontificio quoq; iure, recuſare Concilia ſuſpecta & periculoſa: teſte Gelaſio; *Si nec humana committi debent iudicia iis, qui ſunt inimici, & iudices iidem; quanto minus diuina vel Eccleſiaſtica? cum Eccleſia ſit cultrix & auctrix iuſtitiæ, non patitur contra iuſtitiam aliquid fieri.*

Hoc vero de Romana Eccleſia vel congregatione Tridentina, ſcilicet Eccleſiæ repræſentatiua, non poteſt affirmari: verius illud *Petri à Monte,* Veneti, & Brixienſis Epiſcopi, quod extat in libro, quem vocat *Monarchiam,* in quo agit de Conciliis, poteſtate Papæ, & Imperatoris, Romæ edito, confirmabimus & vſurpabimus: *Hodie non poteſt celebrari concilium vniuerſale, cum nullos habeamus ſanctos patres. Adeo deprauata eſt Religio Christiana,* Catholico-Romana Oremus igitur Deū [illegible] vt eam emendet ac in integrum reſtituat ad ſui nominis gloriam, & electorum ſalutem, Amen.

Aonii Palearii Itali viri Doctiſſ. & martyris Beati, qui iuſſu impii Pii V. Papæ, ſæui inquiſitoris, & crudelis hypocritæ, propter veritatem Euangelii Romæ Anno M. D. L X V I. igne exuſtus eſt, ex libro ad Concilium Oecumenicum liberum, eiusq; Præſides Imp. Rom. Reges & Principes Christianos ſcripto.

GRAVIS OBTESTATIO.

TEmpus eſt iam, Cæſar Auguſte, voſque ſummi Reges, & magni Principes, re in illuſtri omnium gentium & nationum conſpectu poſita declarare Sententiis veſtris, non modo nobis ſed poſteris propenſionem animorum veſtrorum in Chriſtum. Eius Euangeliū conuerſum & confuſum videtis miſerum in modum, beneficium Sanguinis Chriſti velatum atq; obtectum, infirmis male conſultum, onus graue innumerabilium præceptorum ſuper humeros fidelium Gentium & Nationum impoſitum. Quid expectandum? Libertas Chriſti ſublata eſt, inſtituta Apoſtolorum euerſa ſunt; reſciſſum eſt verbum Dei: præceptorum Chriſti maieſtas imminuta: crux quantum per hoc licuit, euacuata eſt: abuſus magni atque incredibiles inuecti: confuſa denique iura humana atque diuina. Quis Chriſti nominis tam eſt inimicus, qui poſſit hæc audire & ferre? aut ſi nulla ratione mederi queat, ne cum impiis ſenſiſſe videatur, non morte teſtatum relinquat? Hanc ob rem ſi quid grauius in me acciderit, qui pro gloria Chriſti, pro ſalute fratrum periculoſo conſilio, at perquam pia mente, ſuſcepi communem cauſam: nunquam profecto pigebit, ſi defenſo Euangelio filii Dei id ſequi neceſſe eſt. Accede lictor, colliga manus, caput obnubito: Ipſum me cruciatibus & Pontificum iræ offero: Percute ſecuri. Quæ iſta tanta crudelitas & ſæuitia, quam mors ipſa non exſatiet? Saturari Pontifices nequeunt, niſi viſcera noſtra lanianda & in ignem coniici-

endâ

enda præbuerimus. Accede lictor. Id etiam feremus. Liceat mihi antequam de miſero ſupplicia ſumantur, abiici ad pedes, pronolui ad genua Magnorum & Sanctiſſimorum Principum. Orat vos ſeruus Ieſu Chriſti, Principes, & flens obſecrat per eam fidem & operam, quam præſtare debetis Chriſto, qui tam amanter pro vobis mortuus eſt, qui reſurrexit, qui adſtat vultui Dei pro vobis, vt ipſi iam Euangelii defenſionem ſuſcipiatis. Quod ſi ſupra hominum ſortem, ſupra mortalitatem veſtram datum eſt vobis, Principes, vt reſciſſum verbum Dei, imminutam maieſtatem mandatorum Chriſti, inſtituta Spiritus ſancti reſtituere poſſitis, orat atq; ſupplicat, vt neq; animi neq; corporis laboribus defatigemini, quo minus Eccleſiam Dei, quam Dæmonia quædam forma hominum inducta multis ſeculis labefactare conata ſunt, vos hoc vno conſeſſu veſtro, quem illa ſibi horribilem & formidoloſum putarunt, Gentibus & Nationibus vindicetis in priſtinam eius lucem & dignitatem.

XI.

Anno Domini 1564.

PII QVARTI PONTIFICIS MAXIMI ORATIO, ROMÆ FREQVENTISSIMO CARDINALIVM CONSESSV, IN Conſiſtorio. De Concilii Tridentini Decretis, Morumq; Reformatione, confirmandis.

Habita M. D. LXIV. Februario.

CHRISTIANO LECTORI.

POſtea quam, Tridento multi Patres in vrbem redierunt: Pio Quarto Pontifici nihil antiquius fuit: quam vt Concilii leges non modo ſanciret, verumetiam iuſſis tum factis ſequeretur. Ergo, præclaræ rei curam ſubiens: quædam, quæ mos peſſimus ille tyrannus, Romæ mirifice corruperat, virgula cenſoria notauit. Ac quo vero teſtatum amplius faceret: quid ipſe primum obſeruari cupiebat: frequentiſſimo Senatu dixit. Quam nos Orationem, cum vniuerſis; quoniam plena grauitatis videatur; communicandam eſſe diximus. Tum quod maxime, non contemnenda Reformationis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſigna, continet: Hæc igitur prima auguria, vt optima, capiamus. Equidem, ſpe ducimur: eum permulta in ſacris conſtituendis, quemadmodum quidam adſerunt, & Eccleſiæ Catholicæ gratulamur; ex eius auctoritate Concilii (qua is ſcilicet cœleſti liberalitate pollet & excellit) prudenter ac pie, confecturum. An hoc enim perobſcure ſignificat; qui, quod à Tridentinis intactum, prætermiſſumq; fuit; id ſe, ſi è re erit, ſuppleturum pollicetur? Itaque nonnulla, quod Deus Opt. Max. bene vertat; ex temporum, cauſſarum, locorumque conditione; tum vtilitatis publicæ ratione; qua ſane licebit, correcturum? immo, quædam, plane mutare velle? Quam ob rem: eos omnes, quibus eſt cordi vera Religio, bono vt ſint animo, & monemus, & hortamur. Facile quippe, modo perſpicient: nobis diuinitus, ne cogitantibus quidem, proſpici: neq; nos, vel hiſce difficillimis temporibus; id quod à Deo quoque Patre, flagrantiſſimis precibus, vniceq; poſcimus; eſſe deſerturum. Vale.

PIVS PONTIFEX DECERNIT.

I. MORES *Eccleſiaſticorum iam eſſe mutandos.*

II. FINIS *quod optatus Concilio Tridentino fuerit impoſitus, Deo gratias agendas.*

3. *Tum, Cæſarem propterea laudandum.*

4 *Ac Legatos Apoſtolicos.*

5 *Item, Epiſcopos.*

VI. DECRETA *Concilii, ſe ſeruaturum ad vnguem: atq; ſi quid omiſſum videatur, ſuppleturum.*

7 *Nequid, iis in Conſiſtorio contrarium agatur, Moronus Cardinalis prouideat.*

8 *Nequid iis aduerſum poſtuletur; Simoneta Cardinalis.*

9 *Tam ſerata, etiam recuſantibus Principibus, habiturum: vt, nunquam iis derogaturus ſit; niſi Fratrum ſuorum, ex euidenti vrgenteq; cauſſa, conſenſu.*

X. CARDINALES *quoſdam, qui ſe viuo, per largitionem cæterorum vota obtinendo Pontificatu*

11.12.13.14.15. *flagitioſeque coemerunt, notari. Seque, tantum ſceli, iure ac legibus, in iis vindicaturum.*

XVI. PROVINCIAS, *nonnullis Cardinalibus à ſe ad biennium mandatas, poſtea prorogatas, ad ſe, neceſſariis ex cauſſis, renocari.*

17 *Eas ſe, omnibus iuſtitiam adminiſtraturus, inuiſurum.*

XVIII. Epiſcopi, *ſuis in Diœceſibus reſideant.*

19 *Cardinales igitur, quos domi detinent Epiſcopos, cumprimum dimittant.*

20 *Se, ob eam cauſam, in Primatus ſui & Vrbicæ rei gubernatione, Protonotariorum deinceps opera, non Epiſcoporum, vſurum.*

21 *Cardinales, qui Eccleſias ſuas, reſeruatis ſibi fructibus, & adminiſtrationem in certos annos contulerunt: Epiſcopis adminiſtrationem, partitis inter ſe fructibus, reſtituant.*

XXII. Scholas, *erudiendis adoleſcentibus, Romæ ac Bononiæ, tamquam iaciendis proficiendorum Eccleſiæ ſeminibus, inſtituturum.*

XXIII. Decreta *Concilij ſe, licet legibus ſolutus, ſemper tamen inuiolabiliterq; obſeruaturum.*

24 *Legati, tum Cicada, Bononienſis, & Vitellius, Cardinales: earum rerum curam, quæ ad Concilij confirmationem, & executionem pertinent, ac ne quis contra ea, quæ is conſtituit, quid faciat: gerant.*

XXV. Eius, *qui in Epiſcopum confirmetur, vita, mores, ac doctrina diligenter à tribus Ordinum capitibus ac Relatore examinentur.*

PII QVARTI PONTIFICIS MAXIMI ORATIO. ROMÆ, frequentiſſimo Cardinalium conſeſſu, in Conſiſtorio. De Concilij Tridentini Decretis, morumque Reformatione confirmandis.

HÆc Dies aliam Vitam adfert: alios Mores postvlat. Nam cum I.
Sacroſancta Synodus Tridentina certam formam viuendi, præſertim Eccleſiaſticis perſonis,
præſcripſerit: æquum eſt etiam & noſtris temporibus, dignum ea, reipſa præſtare & exequi.
Itaqve primum eſt, vt immortali Deo gratias agamus, cuius auxilio in primis & prouiden- II.
tia, Sanctiſſimo & frequentiſſimo Patrum Concilio felix & optatus ſit impoſitus finis;
Præterea agnoſcimus Sereniſſimi Imperatoris Ferdinandi eximiam pietatem: tum præclaram in 3
tuenda Religione conſtantiam, perpetuaq; in Nos ſtudia. Cuius ſalutaribus præſidijs atq; auctori-
tate Sacroſancta Synodus communita: reuerentiam ſui, amplitudinemque ac dignitatem, apud o-
mnes Nationes integram incolumemq; conſeruauit. Id quod de cæteris quoque Regibus & Chri-
ſtianis Principibus, libenter fatemur.
Laudamus & Legatorum noſtrorum prudentiam & vigilantiam: tum fortem ac imperterritum 4
pro Sedis Apoſtolicæ defenſione, difficillimis in rebus, animum.
Nec minus ſtudioſe amplectimur Patrum ipſorum pietatem, perſeuerantiam, fidem: qui vna cum 5
Legatis noſtris pro extirpandis hæreſibus, proq; Religione conſeruanda, & Chriſtiana Republ. con-
ſtituenda, tantopere laborarunt. Quibus ſane magnam gratiam habemus: quod in his, quæ ad Ec-
cleſiaſticæ Diſciplinæ Emendationem, & Morum Reformationem pertinent: tantam noſtræ aucto-
ritatis rationem habuerunt, tantaq; in nos moderatione ſunt vſi: vt, ſi Nos ipſi, Nos, noſtraq; refor-
mare voluiſſemus, & non Patrib. integram rem permittere, longe ſeueriores in Nos futuri fuerimus.
Statvtvm autem & deliberatum cum animo noſtro habemus, vt illa Decreta ad vnguem ſer- VI.
uentur. Et ſi qui non bonam aliquando de hac ſancta ſede opinionem habuerint: nunc tandem in-
telligant, quam falſo ſibi perſuadeant, Nos de Reformatione Morum Sacroſancti Concilij auctori-
tatem declinaturos. Quin ſi qua Patres aliqua vel ratione omiſerunt, vel circa ea mitiores fuerunt:
eorum Nos modeſtiæ occurrere, eaque tamquam iudicio noſtro relicta ſupplere, parati ſumus.
Et quoniam Moronus Cardinalis: cuius fidem & conſideratas actiones, tum præſentiam animi 7
& magnitudinem nunquam ſatis digne commendauerimus: omnibus ijs, quę in Concilio acta ſunt,
tamquam Legatus non interfuit ſolum, ſed etiam præfuit; volumus eum diligenter aduertere, ne
quidquam in Conſiſtorio agatur, aut nobis ſuggeratur, quod alicubi Concilio ipſi aduerſetur.
Itemq; Simoneta Cardinalis: qui ſuæ pridem Legationis munus ad Concilium tam præclare ob- 8
ijt, vt eius fidem atq; induſtriam, tum exactiſſimam in omnibus rebus diligentiam, præcipue diliga-
mus: videat cum Datario, ne vlla ad Nos poſtulata perferantur, quæ à Nobis propter infinitas occu-
pationes minus animaduerſa, & propterea admiſſa, offenſionis occaſionem præbere aliquibus poſ-
ſint, optimi inſtituti noſtri parum gratis, aut certe, omnia ad deteriorem partē ſemper trahentibus.
Quæ autem à Sacroſancta Synodo acta, ſtatuta ſunt: ea lege, etiam Principibus recuſantib. quod 9
tamen futurum non credimus, rata & firma eſſe volumus, vt illis derogare nullo vnquam tempore
paſſuri ſimus. Quod ſi vel temporum ratio, vel cauſarum, locorumue conditio, aut publica vtilitas
atq; euidens, ſuaſerit aliquando à Concilio recedi: id ſine conſilio veſtro, Venerabiles Fratres, fa-
cturi nunquam ſumus.
Qvo, magis angor animo, & ſollicitor, quod quidam ex hoc numero ſcientes, quali mente in X.
hunc Ordinem ſemper fuerim, optima ſcilicet ac beneuolentiſſima: non veriti ſint, nobis viuenti-
bus, & adhuc ſpirantibus, de viui Pontificatu, tanquam mortui, agere. quaſi ijs nimis longum & du-
rum ſit, ſi expectent, dum hoc corpuſculum, vel cadauer potius, diſſoluatur.
Qui longe melius, mea ſententia, facerent: ſi non malis artibus, ſed vitæ innocentia, & morum 11
ſanctitate munirent ſibi ad Pontificatum viam. Hæ enim ſunt, & optimis Cardinalibus dignæ, viæ,
non quas ij tam anxie & ſollicite adfectant.

12 Siquidem hos pro comperto habemus, & ſalario monſtroſo, & magno argenti pondere, tum ſpe & promiſſis, nonnullos ex hoc Ordine ſollicitaſſe, quo paratiores eos haberent ad noui Pontificis electionem.

13 Et prætereа pecunias expilant & corradunt vndiq;, vt ſ habeant, quod largiantur. Verum iidem, ni cæca ambitione, tanquam furia aliqua, raperentur, profecto intelligerent: & eoſdem ipſos, qui ſuam operam ad eam rem illis promiſiſſent, pecunia accepta, tamen ab ijs primos omnium diſceſſuros.

14 Quorum audacia, vel potius amentia, Fratres, non his contenta eſt finibus, ſed longius progreditur. Nam vi, vi, inquam, quod horret animus dicere, Pontificatum adgredi, & ipſam Sedem armis inuadere moliuntur.

15 Quos nos hortamur, ab huiuſmodi cœptis deſiſtant: nec magis manſuetudinem noſtram, quam indignationem operiri velint. Sciturі, quod tam ex iure veterum pontificum, quam ex edicto Pauli IV. Pont. Max. piæ ſanctæq; memoriæ, hoc tantum ſcelus vindicabimus, & tales, ſi ita opus facto erit, hoc Ordine cum ignominia mouebimus.

XVI. Initio Pontificatus noſtri, Prouincias & Legationes Cardinalibus quibuſdam ad biennium mandauimus, quas deinde, Nobis permittentibus, quadriennio obtinuerunt. Quare æquum viſum eſt nobis, vt eas abrogemus, ad noſq; aduocemus, quo & cæteris Cardinalibus, qui pauperiores ſunt, conſulatur: & damna ipſa ac ſumptus, quos tam pro Concilio ſuſtentando, quam pro Gallijs in fide atq; in officio continendis, hoſtibus propulſandis, Auinione retinenda, Heluetijs ope & præſidio iuuandis, annonæ vilitate in vrbe & toto Eccleſiæ ſtatu conſeruanda, portubus inſtaurandis, propugnaculis ædificandis, alijſq; publicis & neceſſarijs operibus extruendis; contra Infideles & Hæreticos toto hoc quadriennio continenter fecimus, aliqua ratione reparemus. Quod ipſos æquo animo laturos eſſe putamus, cum nec in ea re Nepotum noſtrorum rationem vllam habituri ſimus.

17 Et quoniam Prouinciales noſtri à temporibus Pauli III. Pont. Max. ad hanc vſque diem, Principem nunquam ſuæ domus viderunt; decreuimus Prouincias viſere, & præſentiam Populis exhibere noſtram, eorumq; poſtulata coram cognoſcere, & iuſtis deſiderijs ſatisfacere.

XVIII. Ad hæc, neminem veſtrum latet, ſacroſanctam Synodum ſtatuiſſe, vt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus reſiderent. Id quod Nos ſemper à principio ſpectauimus, quod plane intelligebamus, Paſtorum abſentia, & in regendo & procurando grege ſegnitia factum eſſe, vt lupi iam occaſionem nacti, in ouilia audacter inuaderent, & miſeras oues omni auxilio deſtitutas, & Paſtorum opem fruſtra implorantes, crudeliter laniarent.

19 Propterea ſi qui Cardinales Epiſcopos domi ſuæ detinent, eos, nulla interpoſita mora, dimittant. Nam ire illos ad ſuas Diœceſes volumus, & commiſſi ſibi gregis curam gerere. vbi æquius & conuenientius, quam in Cardinalium aulis & in vrbe commorentur.

20 Nec vllam cuiquam excuſationem admiſſuri vnquam ſumus, nec vllas perſonas excepturi, cum & Nos, non Epiſcopos, Primatus noſtri aut Vrbicæ rei curam gerere, ſed Protonotarios apud Nos eſſe, eorumq; opera vti, in animo habeamus.

21 Cardinales autem eos, qui Eccleſias ſuas, reſeruatis ſibi fructibus, & adminiſtrationem in certos annos contulerunt: adminiſtrationem Epiſcopis reſtituere volumus, & ita redditus partiri, vt tam Epiſcopis, quam ſibi pro dignitate & commodo cuiuſque conſulatur.

XXII. Seminaria Romæ & Bononiæ inſtituere deſtinauimus, vt ex his, adoleſcentes eruditi, & optimis artibus inſtructi, proueniant, quibus deinde Eccleſiaſticæ rei curam recte mandare poſſimus.

XXIII. Sed vt ad Concilium redeamus: Nos primi illius Decreta ſeruare, & ſanctiſſima habere ſemper volumus. quo cæteri exempla noſtra ſecuti, æquiſſimi ac piiſſimi Patrum arbitrij defugiendi, cauſam omnino non habeant: verum obedientiores poſthac ſint, & ad omnia paratiores. Idq; Nos ipſi
» facimus: memores non tam poteſtatis, quam modeſtiæ & manſuetudinis noſtræ. Quamuis enim le-
» gibus ſoluti ſimus, ſecundum leges tamen viuere volumus. Digna enim vox eſt maieſtate regnantis,
» legibus alligatum ſe Principem, profiteri.

24 Et vt recte omnia & ordine procedant, Cardinales Legatos, S. Clementis, Bononienſem & Vitellium, conſtituimus, qui curam habeant tam earum rerum, quæ ad Concilij confirmationem ſpectant, quam quæ ad exequutionem: vt tum ne quis contra ea, quibus auctoritatis noſtræ robur adiecimus, audeat.

XXV. Et qvoniam propter inſcitiam, vel negligentiam, vel certe malitiam eorum hominum, qui ad Eccleſiaſticarum rerum gubernationem aliquando prouehebantur, tot hæreſum ſegetes magna ex parte exortæ & coaliтæ ſunt, ne deinceps tale aliquid contingat: Tria Capita Ordinum, vna cum Relatore, poſthac diligenter cauſas eorum cognoſcant, quibus Epiſcopatus mandaturi erimus, vt vita & moribus probatiſſimi ſint, & ea doctrina præditi, qua talem ac tantam dignitatem merito ſuſtinere, & munus ſuum cum laude exequi poſſint, quaque ſuæ curæ ac fidei concreditas oues, verbo & exemplo amanter & benigne paſcant. Poſtremo tales ſint, non qui ipſi ea dignitate, ſed quibus ea dignitas exornetur.

PARS

PARS XXVIII.

Continens

ACTA, TRACTATVS ET DISCVRSVS THEOLOGICO-POLITICOS DE PACE ECCLEſiæ Catholicæ reparanda, ſiue de vnione & concordia Eccleſiaſtica.

I.

Anno Domini 1534.

SENTENTIÆ PHILIP. MELANTHONIS, MARTINI BVCERI, CASP. HEDIONIS, ET ALIORVM in Germania Theologorũ, de pace Eccleſiæ:

AD VIRVM NOBILISSIMVM GVLIELMVM BELlaium Langæum. Anno CIƆ. IƆ. XXXIV.

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VIRO, D. GVLIELMO Bellaio Langij Domino, ſuo patrono, S. D.

ILluſtriſſime Domine, geſſi morem voluntati tuæ, & collegi præcipuos articulos, de quibus ſunt controuerſiæ, & oſtendi quandam in his moderationem, vt mihi quidem videtur, non inutilem Eccleſiæ. Nec dubito, quin de omnibus articulis facile conueniri poſſet, ſi Monarchæ aliqui efficerent, vt aliquot boni & docti viri amanter & libere inter ſe colloquerentur: ſunt enim controuerſiæ non ita multæ: ſed ineruditi non vident, quibus de rebus agatur, & interdum præter rem tumultuantur, nam in vtraq; parte diſcordia publica, vt fit, locum præbet multis indoctis. Atq; hos articulos, quos mitto, eo congeſſi libentius, vt magis perſpici poſſet propriè, de quibus rebus agatur. Non hoc agitur, vt Politia Eccleſiaſtica, aut poteſtas Pontificum aboleatur. Non hoc agitur, vt veteres ordinationes ſine diſcrimine mutentur. Præcipui ex noſtris maxime cupiunt vſitatam Eccleſiæ formam conſeruare, quantum poſſibile eſt. Conſenuerunt etiam pleræque controuerſiæ mollitæ tempore. Quare rogo, vt, quod facit Celſ. tua, propter Chriſti gloriam hortetur ſummos Monarchas ad concordiam piè conſtituendam, dum locus eſt moderatis conſiliis. Qualia impendeant tempora, ſi nemo præſentibus diſſidiis medicinam faciat, quanta diſſipatio Reip. & Eccleſiæ futura ſit, ſi res ad arma deducitur, melius videt Celſitudo tua quam ego. Illud autem dignum officium eſt magno ac tui ſimili viro, in tantis periculis non deeſſe ſaluti Reipubl. & Eccleſiæ. Sed nihil opus eſt te currentem, vt dici ſolet, adhortari. Illud tibi polliceor, me conſilia mea ad tuam & cæterorum bonorum virorum voluntatem ſumma fide accommodaturum eſſe, & effecturum, vt intelligas, me tranquillitatis publicæ cupidiſſimum eſſe. Veterem amicum meum & conterraneum D. Vlricum Chelium Celſ. tuæ reuerenter commendo, ac oro, vt etiam mea cauſa addas aliquid ſtudii ad eam beneuolentiam, qua complectitur eum. Bene ac feliciter vale. Kalendis Auguſti, Anno 1534.

Celſ. Tuæ

deditiſſimus

PHILIPPVS MELANTHON.

SENTENTIA DOM. PHILIPPI DE DISSENſionibus Eccleſiaſticis.

MVlti ſunt in ea opinione aut nulla vitia eſſe in doctrina vſitata, quam reprehendimus, aut leuia vitia eſſe, quæ diſſimulari poſſint: & qui ſic ſentiunt, exiſtimant noſtros ſine cauſa tumultuari, & execrantur eos tanquam temere mouentes ſeditionem & ſchiſmata. & hæc opinio de nobis inculcatur Pontificibus & Regibus. Quare principio optandum eſt, vt & Pontifex & ſummi Reges agnoſcant Eccleſiæ morbos, & cogitent quoſdam abuſus huiuſmodi eſſe, qui non debeant diſſimulari aut tolerari.

Scimus ipſi in tanta infirmitate hominum Eccleſiam nunquam adeo puram eſſe, quin aliqui incidant abuſus. Scimus & hoc, abuſus aliquot diſſimulandos & condonandos eſſe publicæ concordiæ. Sed hoc intelligi debet de iis abuſib. qui ſalua doctrina oriuntur ex quadam imbecillitate: nõ de illis abuſi-

abuſibus, qui delent aliquos articulos fidei neceſſarios, aut ſunt idololatrici, aut cogunt homines ad manifeſta peccata. Oportet enim eos qui docent in Eccleſia arguere peccata, ſicut Chriſtus præcipit. Quare Pontificis eſt in rebus magnis & neceſſariis, vt conſulat conſcientiis, aliquam concedere relaxationem. & viciſſim eſt noſtrûm ferre omnia propter publicam dilectionem, quæ ſine impietate ferri poſſunt: præſertim cum Pontifex non poſſit retinere obedientiam, nec poſſit vlla concordia ſperari, tantiſper dum conſcientiæ piorum adiguntur ad impios cultus. ſemper enim erunt, qui reclament & aduerſentur.

Quidam etiam nihil aliud agi putant, niſi vt quædam libertas barbarica quæratur, excuſſa monarchia Rom. Pontificis & repudiatis veteribus ordinationibus Eccleſiaſticis. Hæc opinio etiam nocet nobis apud Romanum Pontificem & Reges. Quare principio opus eſt oſtendere eis, non hęc agi, vt diſſoluatur authoritas Eccleſiaſtica, ſed alias magnas res diſputari & explicari, quæ ad conſcientiam & ad Dei cultum pertinent. Primum igitur dicam de externis rebus, hoc eſt, de Politia Eccleſiaſtica & quibuſdam traditionibus.

1. *De poteſtate Pontificia.*

CONcedunt noſtri, politiam Eccleſiaſticam rem licitam eſſe, quod videlicet ſunt aliqui Epiſcopi, qui præſunt pluribus Eccleſiis. Item quod Rom. Pontifex præeſt omnibus Epiſcopis. Hanc Canonicam politiam, vt ego exiſtimo, nemo prudens improbat, neq; improbare debet, ſi intra ſuos fines maneat, hoc eſt, ſi Pontifex & Epiſcopi non abutantur authoritate ſua ad opprimendam veram doctrinam. Deinde quod ad opes & reditus attinet, etiam docemus hoc, Regum & Principum donationes eſſe res licitas. ſunt autem reditus illi Regum & Principum donationes. Quare quod ad hunc articulum attinet, de ſuperioritate Pontificia & de Epiſcoporum authoritate non eſt diſſenſio. & facile poſſunt retinere authoritatem ſuam Rom. Pontifex & cæteri Epiſcopi. Opus eſt enim in Eccleſia gubernatoribus, qui vocatos ad miniſteria Eccleſiaſtica explorent, & ordinem & iudicia Eccleſiaſtica exerceant, & inſpiciant doctrinam Sacerdotum: & vt maxime nulli eſſent Epiſcopi, tamen creari tales oporteret. Tantum optamus, vt hi qui nunc ſunt Epiſcopi, inſpiciant doctrinam, & ſaluam doctrinam curent in Eccleſiis ſibi commiſſis fideliter tradi. hoc ſi facerent, nemo deberet obedientiam recuſare. Prodeſſet etiam meo iudicio Monarchia illa Rom. Pontificis ad hoc, vt doctrinę conſenſus retineretur in multis nationibus. Quare facile poteſt conſtitui concordia in hoc articulo, de ſuperioritate Pontificia, ſi de cæteris articulis conuenire poterit. Cæterum illam immoderatam potentiam Rom. Pontificis, quam in transferendis regnis interdum vſurpauit, Reges ipſi facile moderari poterunt. hoc neque ad Euangelium, neque ad Eccleſiam pertinet.

2. *De traditionibus humanis rerum indifferentium.*

FAcile iniri poteſt ratio concordiæ de rebus adiaphoris, vt de cibis, ferijs, veſtitu Eccleſiaſtico, & alijs ſimilibus ceremonijs, ſi de doctrina conuenerit. nam conſtituta concordia doctrinæ non deceret noſtros ſeparare ſe à conſuetudine reliquæ Eccleſiæ. Item noſtri hoc officio inuitarent cæteras nationes ad hanc doctrinam, qua optimum opus charitatis facerent. Præterea cum mundus non poſſit carere ceremonijs & ordinationibus, quæ eſſet moroſitas velle diſſentire ab alijs, aut nouas malle quam vſitatas? Pręterea magna ex parte adhuc retinemus antiquos ritus. Neq; quidquam eſſet periculi, ſeruari communiter cum alijs adiaphora, cum extaret recta doctrina, ex qua diſcerent conſcientiæ, quomodo ſine ſuperſtitione talia adiaphora ſeruanda eſſent.

3. *De Confeſſione.*

MEo iudicio prodeſt Eccleſijs retinere confeſſionem, & propterea quod abolito more abſolutionis obſcuratur doctrina de remiſſione peccatorum, & poteſtate clauium, & propter diſciplinam. Commode enim in confeſſione poſſunt homines inſtitui. Nec habet quidquam periculi aut incommodi Confeſſio, ſi homines recte doceantur, ne ſuperſtitioſa enumeratione onerentur conſcientiæ, & ſi doceantur, vnde ſit remiſſio peccatorum. Itaq; de his quatuor articulis facilis eſt ratio conſtituendæ concordiæ: ſcilicet de poteſtate Rom. Pontificis, de authoritate Epiſcoporum & ordinatione Sacerdotum, de traditionibus humanis, rebus medijs, Confeſſione.

De præcipuis articulis.

De Iuſtificatione.
De Miſſa & de vtraque ſpecie.
De Cultu Sanctorum.
De Votis & Cœlibatu.

4. *De Iuſtificatione.*

COntrouerſiam de Iuſtificatione ipſa tempora mollierunt: nam de multis iam conuenit inter doctos, de quibus initio fuerunt magna certamina. Nemo iam defendit iſta abſurda, quę leguntur apud Scholaſticos: Quod *homines poſſint legi Dei ſatisfacere*: quod *mereantur remiſſionem peccatorum dignitate ſuorum operum*: quod *ſint iuſti*, id eſt, accepti, *propter propriam dignitatem, & legis impletionem.* Omnes iam fatentur opus eſſe fide, hoc eſt, fiducia in Chriſtum in remiſſione peccatorum, de

qua fide ſeu fiducia nulla eſt mentio in Scholaſticis. Omnes iam fatentur intereſſe gloriæ Chriſti, vt illa fides inculcetur hominibus. Conuenit item inter doctos de libero Arbitrio, de peccato originis & de pleriſque alijs quæſtionibus coniunctis. Quare ſi Pontifex aut ipſi Reges darent operam, vt aliqui boni viri & prudentes colloquerentur, facile poſſet hæc controuerſia de Iuſtificatione diiudicari ac dirimi. Et quidem prodeſſet Eccleſiæ extare ſimplicem & planam doctrinam de Iuſtificatione. res enim eſt neceſſaria conſcientijs. Sunt autem duo articuli: alter eſt de Remiſſione peccatorū: alter de Dignitate bonorum operum, ſeu de meritis in his, qui iam reconciliati ſunt. De priore articulo exiſtimo facile poſſe conſtitui concordiam, quod in remiſſione peccatorum neceſſaria ſit contritio & mutatio morum; & tamen remiſſionem contingere non propter dignitatem noſtræ contritionis ſeu operum, ſed tantum per miſericordiam propter Chriſtum, quæ fide, id eſt, fiducia Chriſti apprehenditur. In hac ſententia clarum eſt, non excludi bona opera, ſed aliam cauſam remiſſionis peccatorum quaſi certam & ſufficientem conſtitui. Conſtat enim in veris pauoribus non poſſe opponi bona opera iræ ac iudicio Dei. Hic meritum non tollitur, quod nos nihil agamus, ſed vt intelligatur, quomodo ſit certa remiſſio: ſi enim penderet ex dignitate contritionis noſtræ, fieret incerta. Deniq; de hoc articulo toto de remiſſione peccatorum, exiſtimo facile poſſe bonos & prudentes conuenire, tantum non adhibeantur homines moroſi, qui habent deprauata iudicia ex Scholaſticis opinionibus. Alter articulus de dignitate bonorum operum in reconciliatis, etiam nunc tempore factus eſt mollior: quia omnes iam concedunt, quod homines procul abſint à perfectione legis. Ideo concedunt homines principaliter iuſtos, id eſt acceptos, fide, hoc eſt, fiducia miſericordiæ propter Chriſtum. Et quod illa inchoatio legis in nobis placeat, non quia ſatisfaciat, ſed quia perſona eſt reconciliata Chriſto. Omnes prudentes & ſani agnoſcunt oportere addi, de fide, quod reconciliati præcipue placeant, non propter dignitatem operum, ſed fide propter Chriſtum. Hoc ſi concedatur, poſtea facile eſt iudicium, quale ſit meritum operum: & quidem prodeſt poſtea valde augere atque ornare dignitatem bonorum operum, ſicut Scriptura valde ornat: modo vt ille ſcopus prius teneatur, quod reconciliatio propter Chriſtum contingit per fidem. Item quod hæc opera placeant, non quia ſatisfaciant legi, ſed quia per fidem credant Chriſto. neceſſe eſt enim pias mentes contra deſperationem præmuniri, & doceri, quomodo placeat noſtra obedientia. Illa conueniunt, quod iuſtitia bonorum operum ſeu bonæ conſcientiæ ſit neceſſaria: quod Spiritus ſanctus detur in ipſa remiſſione peccatorum: quod oporteat mortificari veterem hominem & creſcere nouitatem Spiritus: quod Spiritus ſanctus non maneat in his, qui committunt mortalia peccata, hoc eſt, facta contra conſcientiam & contra legem Dei. Item quod liberum arbitrium aliquid agat in cauendis talibus delictis. Item quod adiuuetur à Spiritu ſancto, vt caueat talia delicta. Si hoc modo colligantur ea, quæ conueniunt, paucæ controuerſiæ reliquæ erunt. nam in Scholaſticis opinionibus hoc præcipue reprehenſum eſt, quod de hac fide, de qua loquitur Paulus, quæ agit aliquid in remiſſione peccatorum & pacificatione conſcientię, mentionem prorſus nullam faciunt. Item quod ſomniant hominem poſſe legi Dei ſatisfacere, & iuſtum eſſe propter legis impletionem. Horum articulorum ipſos iam Scholaſticos, ſi qui ſunt ſaniores, pudet. Correctis autem his duobus articulis iudicari cætera facile poſſunt.

§. *De Miſſa.*

IN cæteris articulis omnibus iniri ratio concordiæ ſine magna difficultate poteſt: ſed hic vnus nodus de Miſſa videtur inexplicabilis eſſe. Et profecto de hac re opus eſſet Eccleſiæ Synodo: & vt maxime Synodum impedirent tempora, tamen ſi Chriſtianiſſimus Rex Franciæ & inclytus Rex Angliæ, quia iam bene inter eos conuenit, curarent, vt ex vtroq; regno delecti aliquot boni & docti viri colloquerentur, præclare mererentur de Eccleſia. Hæc cauſa vna omnium maxime digna eſt Regibus: cruciantur enim animi hominum horribili dubitatione, qua liberari per ſummos Monarchas debebant. Ego quid hic conſulam, neſcio, cum adhuc inter noſtros ſint diſſenſiones de cœna Domini. Bucerus moderationem quandam Zuinglianæ ſententiæ propoſuit. Ea moderatio mihi quidem non diſplicuit, ſed culpa huius turbulenti ſeculi factum eſt hactenus, quo minus noſtri de tota re prorſus inter ſe conuenerint: ſed annituntur modo aliqui, vt ſolida inter noſtros concordia conſtituatur, præſertim cum hoc diſſidium maxime deterreat ab Euangelio exteras nationes. Chriſtus adiuuet nos & redigat Eccleſiam ſuam in piam & iuſtam concordiam. Sed alia deliberatio eſt de vſu Miſſarum, quomodo conſeruari poſſit vſitata forma, & an debeant fieri priuatæ Miſſæ. Primum de forma, nos quidem vſitatam formam retinemus in Eccleſiis noſtris Saxonicis, adeo vt vix diſſimilitudo vlla agnoſci poſſit: & optarim idem fieri in alijs locis: quorſum enim attinet ceremonias mutare, cum non opus eſt? ſemper enim non neceſſaria nouitas fugienda. Habemus autem tantum publicam Miſſam in diebus feſtis, ibi vtuntur aliqui Sacramento, ſed prius explorati & confeſſi. In hoc more nihil eſt leuitatis. Credo nemini graui viro hanc ipſam formam, ſi videat, diſplicituram. Sed priuatas Miſſas nullas habemus: & de his ſunt magnæ diſputationes, quibus præbuit occaſionem ingens ille abuſus Miſſarum per totum orbem terrarum, ad quem tot iam ſeculis Pontifices conniuent. Emendatis his abuſibus fortaſſis diſputationes de priuata Miſſa etiam mitigarentur. Sunt autem hi abuſus noti ac manifeſti, quod fingunt oblationem illam valere pro alijs, & quidem pro viuis & mortuis, ac mereri alijs remiſſionem peccatorum, & alia multa, & quidem ex opere operato. Hæc perſuaſio peperit hanc infinitam nundinationem: eſtque præcipue ex Miſſis pro mor-

N. B. (margin, beside "mini. Bucerus moderationem…")

mortuis ingens quæſtus. Si Pontifex damnaret hanc perſuaſionem, poſtea iniri ratio poſſet de priuatis Miſſis: ſed Monachi & ſuperſtitioſi nunquam patientur ſibi extorqueri hanc opinionem de applicatione Miſſæ. Veteres vocant Miſſam *Sacrificium*, non quidem tale quod mereatur aliis remiſſionem peccatorum: ſed quod ſit opus faciendum in Eccleſia ad gratiarum actionem. Etiam ſi quis velit hoc modo eis concedere priuatam Miſſam, tamen nullo modo ſunt contenti, ſed pugnant de applicatione pro aliis. Poteſt igitur deliberari, ſi non poteſt haberi Synodus, an hanc diſputationem de priuatis Miſſis conducat ſuſpendere ac differre ad Synodum, & interim neminem ad priuatas Miſſas cogere; præſertim cum nec vetus Eccleſia habuerit priuatas Miſſas, & in Græcis parochiis ne nunc quidem ſint priuatæ Miſſæ. nam monaſteria fortaſſis Latinam conſuetudinem imitantur. Si omnino aliqua moderatio quæritur, deliberari poterit de veterum ſententia, An miſſa ſit opus faciendum ad gratiarum actionem ſine applicatione, hoc eſt, non vt aliis mereatur remiſſionem peccatorum, ſed ſit cultus quidam conducens ad exercendam fidem & gratiarum actionem: ſicut in lege ceremoniæ ſanctis erant ſigna, non quæ mererentur remiſſionem peccatorum, ſed quibus exercebant fidem & gratiarum actionem. Et hic diſputandum erit, an hoc modo non ſolum publicam ſed etiam priuatas celebrare liceat. De vtraq; ſpecie Sacramenti videmus ſubinde tumultus renouatos eſſe. Mouetur enim populus, cum allegatur inſtitutio Chriſti, & vetus ritus Eccleſiæ. & vt maxime quæratur aliqua excuſatio vtentium vna ſpecie, tamen non deſinunt illi tumultus, & in his tumultibus etiam conſcientiæ aliquorum periclitantur. Porro facile mederi his incommodis Pontifex ſine detrimento vllo poſſet, ſi ſublata prohibitione relinqueret vſum liberum & constitueret ne qua pars alteram damnaret. Hæc libertas plurimum ad tranquillitatem conduceret, & nihil noceret vlli generi hominum. Et tota hæc res eſt Pontifici in manu, quia conſtat prohibitionem tantum eſſe iuris humani. Fortaſſis etiam aliæ multæ controuerſiæ fierent mitiores, ſi Pontifex in hac cauſa aliquid populo concederet. nam hanc ceremoniam populus maxime curat: & quia eſt res externa, diſſimilitudo in vſu facile parit tumultus. In aliis controuerſiis diſſimilitudo, quia non eſt rerum externarum ſed opinionum, non tam facile ciet tumultus.

6. *De cultu Sanctorum.*

TAm multi ſunt manifeſti abuſus in cultu Sanctorum, vt omnes pii & docti iam olim ante hæc tempora emendationem flagitarint. Deinde conſtat hoc quoque in Sacris literis nuſquam præcipi, vt Sancti inuocentur, quare tota inuocatio Sanctorum ſine peccato omitti & aboleri poſſet. Quod ſi tamen moderatio aliqua quæritur, poſſent retineri Sanctorum honores, quales fuerunt in veteri Eccleſia. nam ex Hieronymo, Ambroſio, Baſilio, Nazianzeno apparet feſtos dies Sanctorum celebratos fuiſſe. Extant & conciones eorum, in quibus nulla fit mentio neque inuocationis neq; interceſſionis, ſed tantum imitationis, ſicut ait Baſilius in concione de quodam martyre. Lætantur populi lætitia ſpirituali cum egregia facta iuſtorum audiunt, vt ament & imitentur bona. Hæc moderatio ſufficeret ad retinendos aliquos honores Sanctorum; & ratio iniri poſſet, quomodo feriæ Sanctorum celebrandæ eſſent: nam & feriæ nunc ſunt immodicæ & inutiles pietati. Confluit enim otioſa multitudo ad conuiuia, ludos, rixas, &c. Poſtremo ſi omnino aliqua interceſſio propter receptam conſuetudinem videretur retinenda eſſe, etſi eſt periculoſa, tamen de ea deliberare docti poſſent, an talis forma interceſſionis conſtituenda eſſet in publico, quæ eſt in veteribus Eccleſiæ orationibus, vbi inuocatio fit ad Deum non ad Sanctos, & tamen fit mentio alicuius interceſſionis, videlicet: *Deus da vt adiuuemur precibus Sanctorum.* Certum eſt enim Sanctos in cœlo orare pro tota Eccleſia in communi: ſicut & in hac vita homines pii orant pro vniuerſa Eccleſia. Sed hic præmuniendi erunt animi hominum recta doctrina, ne obſcuretur beneficium Chriſti, & ne fiducia debita Chriſto transferatur in Sanctos, ſicut accidit hactenus. Plurimum enim refert hominis recte intelligere quod Chriſtus ſic velit coli, videlicet vt agnoſcamus ipſum eſſe Mediatorem, ipſum nobis propoſitum eſſe Pontificem qui & velit exaudire. Nec opinio ferenda eſt, quaſi alii Sancti ſint benigniores. Refert enim intelligere populum, quod in inuocatione reſpiciendum ſit ad promiſſiones, quæ teſtantur nos certo exaudiri, & Deum ſic velle coli. Extant autem promiſſiones de Chriſto, quod propter Chriſtum exaudiamur. Hæc hactenus miris modis obſcurata ſunt per abuſus in cultu Sanctorum, & fiducia debita Chriſto in Sanctos tranſlata eſt. Ea vero eſt idololatria non ferenda in Eccleſia. Ideo ſi quæratur moderatio in cultu Sanctorum, prudentia adhibenda erit. ſed tamen hic articulus eiuſmodi eſt, vt docti & boni viri facile de eo conuenire poſſint. Imo ſi recta doctrina de Chriſto fuerit inſtaurata, abuſus illi in cultu Sanctorum per ſe ruent, præſertim ſi poteſtates quadam diſſimulatione patiantur abuſus ruere. nunc enim inaudita quadam ſæuitia ſæpe in rebus leuiſſimis vtuntur. Etſi autem poteſtates debent vti ſuo iure, vbi opus eſt, tamen videndum eſt etiam, ne abutantur ad defenſionem idololatriæ contra mandatum Dei. & errant, ſi exiſtimant ſe in hac iniuſta ſæuitia Eccleſiam pacaturos eſſe. nam nec Deus fauet iniuſtis conſiliis; nec acquieſcunt piorum animi, ſi tantum terrores proponuntur. Quare fit vt ſubinde noui motus oriantur. Et quidem in hoc articulo propemodum nihil opus videtur vlla noua diſputatione, aut conſtitutione: tantum opus eſt, quadam moderata diſſimulatione poteſtatum, ſi in aliis articulis pura doctrina reſtituta fuerit. Ita enim abuſus, qui fuerunt hactenus in cultu Sanctorum, per ſeſe ruerent:

7. De Votis Monachorum & Cœlibatu.

NEque hic articulus habet aliquam ſubtilem controuerſiam, ſed tota res Pontifici in manu eſt. Non enim opus eſt Monaſteria fundit[illegible]s delere: nam optandum eſt, vt Monaſteria ſint Scholæ, vt fuerunt quondam. Sed quoniam de præſentibus temporibus loquimur, Pontifex ſedare præſentes tumultus de vita Monaſtica ita poſſet, ſi de votis in genere diſpenſaret in hunc modum: *Ne quis inuitus in Monaſteriis teneretur.* Hæc diſpenſatio ſine detrimento ordinum, ſine inſigni mutatione publica fieret, & liberaret Eccleſiam à multis ſcandalis & peccatis. Et tantum habet æquitatis, vt non dubitem quin hic mihi aſſentiantur omnes boni & prudentes viri in hoc ipſo vitæ genere. Nam, vt rectè dicitur, votum non debet eſſe vinculum iniquitatis; ita monaſteria debent prodeſſe conſcientiis, non nocere. Quare ſi qui non idonei ad hoc vitæ genus, hos profectò ſatius erat dimitti liberos. Ceterum illi qui in monaſteriis manerent, ſi haberent puram doctrinam, poſſent ritibus & inſtitutis ſuis vti tanquam adiaphoris ſine ſuperſtitione, ſicut exiſtimo Bernardum & ſimiles vſos eſſe, & nunc quoque multos vere pios ſine ſuperſtitione ſuo veſtitu & ceteris rebus vti. Conſtat enim ex noſtrorum ſcriptis non improbari Monaſticen propter rerum illarum vſum, ſed ſuperſtitionem & fiduciam impiam damnari. Neſcio qualis ſit ſtatus monaſteriorum locupletum in aliis regnis. In Germania in talibus monaſteriis nullæ ſunt literæ, nulla eſt doctrina; tantum ibi aluntur homines ignari & otioſi. Hæc monaſteria poſſent authoritate Pontificis & Regum cum tempore conuerti in Scholas. Nam etiam illis ipſis locis, vbi iam Monaſteria deſerta occuparunt Reſpublicæ, oportebit tamen paulo poſt noua collegia conſtitui, vbi alantur de publico ſtudioſi Sacrarum literarum. Alioqui enim defuturi ſunt paſtores Eccleſiis, niſi ipſæ Reſpublicæ in eiuſmodi collegiis alant pauperes, ex quibus paſtores ſumi queant. Diuites enim non fere diſcunt ſacras literas, & certe Eccleſiaſtica miniſteria defugiunt: & videntur initio collegia illa hoc conſilio conſtituta eſſe, ne deeſſent Eccleſiis paſtores. In Monaſteriis tenuioribus plus & literarum & ſtudioſorum. In his hoc præſenti tempore nulla admodum inſignis mutatio fieret. Et cum diſpenſatio illa Pontificia extaret, & liberati eſſent illi cœtus ſuperſtitione poſtquam de doctrina conueniſſet, magis ibi florere honeſta & ſancta ſtudia inciperent. Fortaſſis aliquis me deriſerit, ac dicat me Platonicam ciuitatem ſomniare, cum talem Eccleſiæ puritatem depingo. Ego vero non hoc ago, vt ex rebus humanis omnia vitia tollam, ſed præſentium diſſidiorum quædam moderata remedia colligo, quæ ſunt poſſibilia, ſi Pontifex & Reges volent mederi Eccleſiæ: ſin autem tantum decreuerunt veterem ſtatum & omnes abuſus vi retinere, & ea crudelitate defendere qua hactenus vſi ſunt, periculum eſt fore, vt aliquando maiores motus excitentur, & magis diſſipetur Eccleſia. Nihil habeo amplius quod de Monaſteriis dicam: non enim hic opus eſt diſputare de eorum opinionibus, quas iam magna ex parte correxerunt ipſa tempora. tamen oſtendi quid videatur in præſentia vtile & conſcientiis & publicæ tranquillitati Eccleſiæ. Chriſtus Pontificis & Regum mentes gubernet ad illuſtrandum Euangelium & tollendam idololatriam.

De ſacerdotum coniugio nihil opus eſt longa diſputatione: conſtat enim eam rem Pontifici totam in manu eſſe: & videmus quam pauci ſint vere caſti. Sed coniugium ideo difficulter admittunt, quod parum commodum videtur conſeruandæ potentiæ & opibus. Poſſet tamen iniri ratio, vt ad ſummas dignitates tantum cœlibes admitterentur. Sed res loquitur ipſa, legem de cælibatu non eſſe aptam tantæ multitudini ſacerdotum, quanta in Parochiis & miniſteriis opus eſt. Conſiderandum eſt hoc quoque Pontifici & Regibus, an res digna ſit Cœlibatus, de qua adeo vehementer dimicent, vt nolint concordiam conſtituere, niſi in totum reſtituto cœlibatu. Magna eſt authoritas Eccleſiæ & Pontificum, & hæc præcipue ad concordiam & tranquillitatem valere debet: quare vota & traditionem de cœlibatu haud dubie relaxare poteſt: & vbi id ad concordiam & tranquillitatem, prætereà etiam ad pietatem conducit; certe eſt Pontificiæ lenitatis in eam partem poteſtate vti malle. Nuſquam minus decet non neceſſaria ſæuitia quam in Eccleſia & regno Chriſti.

Nullus eſt reliquus articulus, de quo non aut iam conueniat noſtris cum altera parte, aut de quo non facile poſſit conuenire. Quare ſatis ſit dixiſſe de præcipuis articulis, de quibus hæc collegi; & vt melius perſpici poſſet quid in noſtra parte defendatur, & vt monſtrarem aliquas vias moderandi has controuerſias. Nec grauatim cedam aliis grauiora monentibus. Ac meo iudicio nullus eſt articulus difficilis præter vnam Miſſæ cauſam. Opto autem vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus efficiat, vt talis aliquando conſtituatur concordia, qua & ipſius gloria fiat illuſtrior & piæ mentes non perdantur, ſed adiuuentur, vt in timore Dei & vera fide & vero cultu Dei & omnibus virtutibus proficiant ad ſalutem. Amen.

Philippus Melanthon ſaluo meliore iudicio aliorum.

SENTENTIA DOM. BVCERI.

COncordia vera Eccleſiæ non poteſt niſi inter eos conſtare, qui ſunt de Eccleſia, qui Chriſto vere credunt, & cupiunt facere voluntatem patris noſtri, qui eſt in cœlis. Nihil enim commune Chriſto & Belial: Animalis homo quæ ſunt Spiritus Dei percipere nequit: Mundus odio habet Deum. Iam qui vulgus Præſulum & Eccleſiaſticorum viuat, proh dolor, nimis in aperto eſt. A ſpinis autem ficus quis colligat? Ergo ex ordine Eccleſiaſticorum, qui de Chriſtiana tractent concordia, ii deligendi ſunt, de quibus boni viri poſſint ſibi polliceri, quod quærant Dominum ſynceriter.

Adhi-

Adhibendi his ex proceribus & doctis, quos eodem teneri ſtudio vita eorum teſtetur: nam qui non ſunt nati ex Deo, ii verbum Dei non audiunt. Qui poſſent igitur de vera eius intelligentia, & certa ratione illud adminiſtrandi aliquid dignum Chriſtianis ſtatuere? Quæ in pſeudoprophetis olim & impiis Sacerdotibus, Scribis & Phariſæis, falſis denique Apoſtolis atque hæreticis contra puritatem doctrinæ Dei tentata & perfecta legimus: ea & ab iis metuenda ſunt, qui illis omni viuendi inſtituto ſimiles ſunt, imo eos in plurimis malis ſuperant. A nobis nulla mora erit, quin certa Eccleſiæ Dei pax conſtituatur. Nam quicquid per Deum concedi poteſt, concedemus: quicquid ex placito Dei poterit recte & ordine inſtitui, amplectemur: quæ priſci ſalubriter obſeruarunt, quamlibet ſeuera ea ſint, quantum ad nos quidem attinet, reſtituemus. nequaquam enim id agimus, vt recepta omnia conuellantur, nec ne vlla omnino vitia labeſue tollantur. Nihil autem minus volumus, quam vt regno Chriſti ſua deſit politia, ſua præcipiendi authoritas. Nuſquam enim certiore omnia & concinniore ordine debent eſſe conſtituta: nuſquam debet eſſe obedientia maior, ſubiectio plenior, poteſtatis reuerentia religioſior. Iam externa poteſtas, cum quæcunque eſt, à Deo ſit, & Dei ordinationi reſiſtat, qui huic non obtemperat: toti in eo ſumus, vt hæc poteſtas ſacroſancta ſit, & colatur ab omnibus quam ſtudioſiſſime. Sed ne per dogmata quidem noſtra vel ritus ſtabit, quo minus coeat iuſta Eccleſiarum in Domino concordia.

Dogmatum, de quibus controuerti cœpit, primum eſt de Iuſtificatione, hoc eſt, quidnam illud ſit quo certo nobis eſſe detur Deum nobis peccata condonaſſe & vitam æternam adiudicaſſe. Hæc prima omnium cura eſt, vt hunc habeamus propitium, quo ille nobis & hic & in futuro ſeculo ſua bona largiatur: nam vt diffluant præſentia, experimur. In hunc vero locum irrepſerunt plurima ſuperſtitio, & male auſpicatorum hominum nundinationes, adeo vt id diſſimulari nullo pacto potuerit. Quid non tributum Sanctorum meritis, & à nobis confictis prærogatiuis? Sacrificorum quoque & Monachorum precibus & aliis cerimoniis? Quantum etiam fiduciæ in propriis cuiuſque ſatisfactionibus & meritis collocatum? quantum obſcurata gratia? quam maligne prædicatum meritum Chriſti? At vero quod nos in hac quæſtione à vulgo Theologorum neceſſario variamus, id ſic aperte in diuinis literis exponitur, adeo decantatum eſt omnibus Orthodoxis patribus, ſic vi veritatis ipſis quoque Scholaſticis expreſſum eſt, vt ſi modo viri boni & graues, Chriſtique vere ſtudioſi hanc quæſtionem excutiant, minimo ſane negotio pulchre per omnia conuenturi omnes ſimus. Omnibus in confeſſo eſt, primam gratiam mereri neminem poſſe, & ante hanc nihil boni meriti penes nos exiſtere. Non eſt igitur ex natura liberum arbitrium ad bonum, ſed per Chriſtum id liberari & ad bonum excitari neceſſe habet: id quod D. Auguſtinus paſſim prædicat. Relinquitur & illud ex ſola gratia nos nullis noſtris meritis ſeruari, quam gratiam fide amplectimur priuſquam quicquam operamur. Confectum & hoc eſt, nos fide iuſtificari, fiducia ſcilicet miſericordiæ Dei vltro nobis peccata remittentis propter ſanguinem filii ſui & nullis noſtris operibus. Cum autem de fide vera loquimur, quæ per dilectionem efficax eſt, ſatis liquet nos bona opera non reiicere, ſed rite plantare, poſita viua eorum radice, fide. Ad quæ etiã quotidie diligentiſſime adhortamur, luculentiſſime explicantes quid Deus & bonis & malis operibus repenſurus ſit. Tamen quia ſemper inutiles ſerui ſumus, & legem Dei nunquam implemus: fidendum ſemper docemus miſericordiæ Dei & merito Chriſti, non noſtris operibus, quæ quatenus bona merita ſunt, Dei dona ſunt, vt prædicare ſolet D. Auguſtinus. Porro omnia opera noſtra ſic debere inſtitui, vt & gloriam Dei illuſtrent, & iuuent proximos, quis eat inficias? quando omnis lex & Prophetæ in dilectione Dei & proximi conſummantur. Perfacile igitur fuerit, vt in hac prima quæſtione doctrinæ ſanctæ, ex qua omnia ea fluxerunt quæ nouaſſe criminamur, conſentiant boni viri.

Ceremonias Eccleſiæ, preces & ieiunia, cum ipſe Chriſti Spiritus inſtituat, agatque in omnibus vere credentibus, nihil poterit de his conſtitui, quo hæc apud Chriſtianam plebem promoueantur, quin id ambabus, vt aiunt, manibus amplexaturi ſimus. Ne hic ergo fuerit, quo minus Eccleſiæ in ſanctam inter ſe concordiam redeant. Vt nunc viuitur de ieiuniis & omni caſtigatione carnis nimirum iam inter homines conuenit: pauciſſimi enim his delectari videntur. Hoc vero inter nos & eos qui nos damnant, intereſt, quod nobis videtur, cum illa non niſi ab vltroneo Spiritu rite ſuſcipi queant, præſtare, homines ad ea ſanctis hortamentis inuitare, vt Apoſtoli fecerunt, quam adigere præceptis, quæ nemo tamen obſeruat; ii minimum qui præcipiunt. Illi autem malunt præcipere, & hæc eſſe præcepta Eccleſiæ contendere, nihil ſoliciti, quod ea obſeruet nemo.

Ita nec de Confeſſione atq; omni iuſta diſciplina pœnitentium conuenire difficile fuerit iis, qui cum obſeruatione veterum præſentes mores contulerint, & id quærant ſtatuere quod emendationem promoueat, non inuehat maiorem contaminationem. Certum eſt enumerationem ſecreto admiſſorum iure diuino liberam eſſe. Id ergo de ea ordinetur, quod viri boni & conſcientiarum ſerenitati ex animo ſtudentes viderint ad ſolidam pœnitentiam profuturum.

De Miſſa pluſculum fortaſſe negotii erit: quia vulgo de hac opiniones obtruſæ ſunt, & ipſo opere Miſſarum quotidie confirmantur, quæ tam ineptæ ſunt, vt ipſis quoque Scholaſticis damnentur. Homines ſiquidẽ omni cura pœnitentiæ & pietatis poſthabita, ſi viderint modo ſingulis dieb. Miſſam, de eius licet myſteriis ne cogitẽt quidem, putant id ſibi & ſuis apud Deum pro hac & futura vita plurimum valere. Iam quis neſcit hic mortem Domini prædicandam? hic ſacram corporis & ſanguinis Domini celebrandam communionem? hinc abeſſe debere omnes prophanos, adeſſe ſanctos? hic ſummum Chriſto credentium exerceri ſacrificium & cultum? hic eſſe præſentem vt Dominum,

ita ve-

ſta totam curiam cœleſtem? Repetamus vt omnes ſancti Patres hoc myſterium habuerunt: ſequamur, quæ in Pontificio decreto de eo extant, de ratione ſacrificii quæ Miſſæ competat, atque applicatione huius operis, imo meriti Chriſti hoc opere & miniſterio impertiendi iis, qui nobiſcum hic in eius corpore viuunt, maxime præſentibus, vel ex Aquinate licebit concordiam ſarcire: vtraque enim & ſacrificii ratio & eius applicatio, quam ille docet, nititur virtute promiſſa ſacro miniſterio, & viua verorum membrorum Chriſti communione. Nos quidem in Eccleſiis noſtris, quia ſacrifici voluerunt ſui iuris eſſe, nec ita coguntur Reip. dicto audientes eſſe, vt in ditionibus Principum, cœnam Domini cum plebe ſola celebrare cogimur, eoque celebramus eam quàm ſimpliciſſime ad ritum Apoſtolorum. Nihil poterit autem ſtatui vel reſtitui, quod vllo modo rei huius maieſtatem & fidei ædificationem augeat, quod non libentiſſime noſtri admiſſuri, imo cupide amplexuri ſint, locus modo ſit vbiq; ſinceræ & huius & aliorum myſteriorum Chriſti explicationi: & abſit manifeſta cum ſuperſtitio, tum hypocriſis. De præſentia vera veri corporis & ſanguinis Domini in Cœna, proh dolor, fuit grauis inter nos hactenus diſſenſio, ita vt Eccleſia hoc malo eiuſmodi conflictationum nunquam non grauiter tentata ſit, quoties purior extitit ſcripturarum tractatio, & verbi Dei prædicatio viuacior. Verum, ſi emoriendum modo mihi ſit, haud poſſim tum videre vltra verba hanc controuerſiam proceſſiſſe inter eos quidem, qui nunc videntur de hac re inter ſe non congruere. Extiterunt initio huius contentionis qui miniſterium Verbi & Sacramentorum & Chriſti in cœna exhibitionem tantum non penitus explodere videbantur, idque tentare, vt magis adeo rite docentibus Chriſtum obturbarent, quam vt explosis erroribus ſuperſtitioſis veritatem elucidarent. Contigit ſimul, vt hi, qui tum & modo fidei prædicationem recte & caſte vrgent negata tranſſubſtantiatione, ita viderentur corpus Domini vnire pani, vt in ferro candente ferrum & ignis coniuncta ſunt: id enim exemplum afferebant. Cumque contra illos, quos dixi cœpiſſe miniſterium ſacrum labefactare, ferrentur multi pro ingenio ſuo vehementius, videbantur quoque externis rurſum Miniſtrorum actionibus plus æquo tribuere. Mota igitur ſic & agitata hac quæſtione, cœperunt alii docere, Chriſti verum corpus nunc ſpirituale & cœleſte non poſſe aliter cum pane vniri, quam vt ſignatum cum ſigno: proinde orationem illam Domini; *Hoc eſt corpus meum*, nec inferre tranſſubſtantiationem, nec vllam naturalem corporis Domini & panis vnionem, recteq; exponi per hanc, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, Hic panis eſt ſignum vel figura corporis Domini, vt Auguſtinus contra Adimantum, & Tertullianus contra Marcionem eam expoſuerunt. Nunquam autem voluerunt negare veram Domini in Cœna præſentiam & manducationem, vt nos quidem horum ſcripta & ſermones intelleximus, ipſique nobis coram confeſſi ſunt. Mox alii arbitrati hos velle nihil quam panem & vinum in ſacra Cœna relinquere, cœperunt contra eos ſcribere admodum dure: idque eiuſmodi ſemper verbis vſi, ex quibus alii exiſtimabant eos docere vel impanari corpus Chriſti, vel includi in pane localiter, aut certe aliqua alia phyſica ratione cum pane vniri. Sic illis ex altera parte viſum perpetuo eſt materiam ſibi ab his exhiberi defendendi veritatem humani corporis in Chriſto, quæ nihil iſtorum admittat: in quo & ipſi ita diſputationem propoſuerunt, vt alii in ea de eis opinione perſtarent, negare eos omnimodam veram ac ſolidam Chriſti præſentiam in Cœna. Iam iſti hanc præſentiam ſolide confitentur & prædicant & illi Chriſti corpus & panem non niſi ſacramentaliter vniunt. Ita neutri agnoſcunt quod alteri oppugnant: quod vtrique contendunt, vtrique quoque agnoſcunt. Hi, vt dixi, veram Domini in Cœna præſentiam, & per ſacrum miniſterium exhibitionem: Illi, nullam poſſe inter panem & Chriſti corpus eſſe vnionem vltra ſacramentalem. Nobis igitur perſuaſiſſimum eſt, in re ipſa nullam eſſe controuerſiam: de verbis eſt. Nam quibus iſti vti volunt; dari corpus Chriſti in manus, edique ore corporaliter, eſſe in pane corporaliter & realiter, videtur illis exprimi naturalis Chriſti cum pane vnio: Et contra quæ illi verba vſurpant, Chriſti corpus percipi ab anima fideli ore fidei, panem ore corporis, &c. iſtis ſolidam præſentiam Chriſti non ſatis exprimunt. Nos hic iam quadriennium concordiam molimur, hac ratione, vt vtrique contenti verbis ſcripturæ & Patrum veram Chriſti in Cœna præſentiam confiteri atq; exprimere, vt tamen vtrinque vere eam agnoſcimus, finem tandem iſtis diſputationibus imponeremus. Nunc in hoc & Philippus & alii viri boni & graues incumbunt. Spero Dominum daturum, vt porro hic nihil ſit offendiculi.

De Miſſis priuatis, cum ex natæ ſint ex prapoſtera huius operis fiducia, & nuper adeo cum nimium inclinatæ eſſent res Eccleſiaſticæ, prorſus ignoratæ ſeculo ſuperiori & religioſiori, verendum vt vlla ratione ſic queant corrigi, vt non rurſum ſuperſtitioni ſeruiant, maxime cum tam diſſideant ab inſtitutione Chriſti, omnique vſu Eccleſiæ priſcæ & ſanctioris. Attamen, vt Philippus ſcribit, diſputari de hac re poterit, ſi qua ratione eiuſmodi queant eſſe ceremoniæ, quæ valeant ad exercendam fidem & gratiarum actionem. Sed quid? ſi ſerio quærimus Dominum, ſicut de præcipuis quæſtionibus Religionis illico conuenerit, ita non poterit de hac re vlla reliqua manere digladiatio.

Communionem ſub vtraq; ſpecie quid cauſæ ſit vt non concederent? cum diuerſum irrepſerit ſine authoritate Concilii, abſq; vlla ratione, quæ apud rite doctos ea quæ Chriſti ſunt curantes, alicuius momenti ſit. Sola quorundam non bene conſultorum præpoſtera Sacramenti huius reuerentia & prærogatiuæ ſacerdotalis appetentia: quæ cauſa & Gerſoni, viro alioqui & doctiſſimo & ſanctiſſimo, præcipua viſa eſt.

De Cœnobiis quæ melior ratio, quam iuxta regulam D. Auguſtini, & omnium veterum, dimiſſis quæ fruſtra in Cœnobio ſunt, permiſſoque hic quod eis idem Auguſtinus item & Cyprianus per-

mittit

mittit, reliquis eam rationem vitæ commendare, quam veteres ſancti inſtituerunt? manifeſtam adeo & indiſſimulatam viuendi nequitiam, aut certe hypocriſin & ſuperſtitionem cur non ſubmouerunt paſtores Eccleſiæ? Idem de Cœlibatu ſacerdotum ſtatui quid impediat? Nam in tanta Sacerdotum & Monachorum turba aliter vitæ puritas reſtitui non poterit.

De votis id agamus, vt ſeruentur quæcunq; viri pii & prudentes poſſe ſeruari cum incremento pietatis iudicauerunt. Illud enim eſt Deo illudere, vota cœlibatus & ſeuerioris vitæ exigere, nec cogitare quidem, vt ea præſtes. Vt namque vulgus ſacerdotum & cœnobiorum viuit, quis bonorum non deplorat? Vota vt pars cultus Dei ſunt, ita contra Deum nec ſuſcipi nec præſtari poſſunt.

De Diuis petatur conciliatio ab orthodoxis & ſanctis Patribus Eccleſiæ: colantur ad imitationem: Inuocatio eorum, vt pro nobis orent, ſic vt præſentes nobis in hac vita ſanctos inuocamus, cum ſcriptura eius adeo nullum exemplum contineat, & vt nunc res habent, ea vix ſine diffidentia interceſſionis Chriſti vſurpari poſſit, indicatur nemini. Leguntur quidem ſancti Patres in encomiis Sanctorum præmortuorum facta proſopopœia, interceſſionem eorum quaſi præſentes à præſentibus oraſſe: ſed id videntur magis feciſſe ſtudio commouendi affectum religioſæ admirationis in Diuos, quam vt eorum interceſſioni multum tribuerint. Extra conſortium ſunt vitæ huius, viuunt cum Domino: exempla itaq; fidei eorum, quæ hic exhibuerunt, expendamus, & in his Deum prædicemus: hic verus erit Diuorum cultus. Sed vbi de ceteris quæſtionibus conuenerit, hæc quoque facile diſcutietur. Niti meritis eorum, & adorare eos vt patronos, qui prærogatiuis ſuis valeant nobis depellere morbos, & alia incommoda, & interim nullo vero ſtudio teneri Chriſti, nihil de Diuorum imitatione eſſe ſollicitos, hoc quid niſi manifeſta idololatria eſt? Ac ſic vulgus prope omne Diuos colit: quæ dicuntur, canuntur, & fiunt ad illorum ſepulchra, imagines & ſtatuas expendamus, & videbimus nos minimum abeſſe à ſuperſtitione Ethnicorum. Hæc vere religioſæ mentes quomodo ferant?

De Imaginibus & ſtatuis nos in vrbibus ſuperioris Germaniæ incuſamur non recte ſentire, & in eas nobis plus ſatis permiſiſſe: ſed profecto nullas imagines vel ſtatuas remouimus, niſi quæ ad manifeſtam idololatriam proſtitutæ fuerant, quarumque certe nullam veteres Sancti tuliſſent. Ceterum imagines Chriſti & Diuorum non damnamus, ſed cultum & adorationem earum damnamus: idque cum Theologis omnibus & veteribus & recentioribus. Proinde nec ex hoc loco impedimentum à nobis quidem erit veræ Eccleſiarum concordiæ. Iam quod aperte Religioni officit, paſtores populi Chriſtiani cur non vellent ſubmotum?

Quantum ad delectum temporum, ciborum & quæ huius generis ſunt, libenter erimus omnibus omnia, modo puritas doctrinæ Chriſti admittatur & remoueatur ſuperſtitio. Atqui puritati doctrinæ quis velit obſiſtere, vel patrocinari ſuperſtitioni?

A nobis itaque nihil prorſus fuerit, quod plane Eccleſiarum concordiæ reſtituendæ vllo pacto obſtet. Per nos licet Pontifex Romanus & ceteri Epiſcopi omnem ſuam poteſtatem, imo & ditiones retineant, tantum poteſtate ſua vtantur in ædificationem Eccleſiæ, non certam deſtructionem; quod nemo vt ſibi liceat, poteſt petere: ſicque viuant, illaque ab externis negotia ditionibus ita admittant & procurẽt, vt in eiuſmodi ſacris muneribus vel iuxta ipſorum Canones ferri poſſint. Monſtroſum alioqui foret, poteſtatẽ Eccleſiaſticam ſibi ſumere eos qui nollent vlla ex parte eam exercere, aut etiam modis omnibus illam conantur peſſundare & abolere. Iam ſi quis ita viuit, vt non modo iuxta ſcripturarum, ſed & Canonum præcepta ne cibus quidem cum eo ſumi poſſit, huic omnem Eccleſiæ Dei adminiſtrationem committere, & totam verbi Dei diſpenſationem credere, quomodo id ferri apud Chriſtianos poſſit? quid etiam Eccleſiæ commodaturum ſit, nemo ignorat. Sed nolumus hic plus æquo ſeueri eſſe, nihil exigemus ad viuum, modo non ſic gerantur omnia, vt inter eos totam iniquitatem & nequitiam profiteri, vt multis in locis palam viuitur. Quis vel micam Chriſti habens non horreat, cum de eo tantum cogitat iam de hac tam confeſſa peruerſitate ne tantillum quidem immutatum ſuſtinere: & nos interim ſic exſecrari, deuouere & conari exſcindere funditus? Quid orbi paratum ſit, cum Deus ſit iudex omnium, Sancti cum dolore ſummo proſpiciunt. Et nihil minus quam Religionem expugnari poſſe, vel illud ſatis indicat, quod pro nulla re vita tam animoſe & alacriter etiam hoc noſtro ſeculo profunditur. Conſiderandum hic & illud Ethnicis quoque viſum, pugnam pro focis & aris habendam vt iuſtiſſimam ita & acerrimam: non quod pugnent pure Chriſtiani duntaxat pro Religione: at pii quoq; Principes libertatem Religionis veræ ſuis eripi non ſinunt. Infinitæ profecto cauſæ ſunt, vt Monarchæ & Principes Reipu. Chriſtianæ ab iſta cura præſentium rerum harumq; fotricis ſuperſtitionis veterno expergefacti, iſtam nefandam & immanem Eccleſiaſtici ordinis, ac inde totius reip. Chriſtianæ ruinam ſic vbiq; in oculos incurrentem ſemel aſpicere ſuſtineant: deque conſtitutione rerum Eccleſiaſticarum ſeriam inquiſitionem inſtituant.

Eccleſiaſtici, qui ſatis norunt ſua lucem ſanctioris excuſſionis ferre non poſſe, vt hanc auertant, perpetuo crepant ſcita maiorum, inſtituta Eccleſiæ, multorum ſeculorum conſenſum & vſum: cum tamen nihil à doctrina & inſtitutione maiorum, gentium, præſulum, atque iſtorum & doctrina & vita, qui hodie rerum Eccleſiaſticarum potiuntur, æque diſſideat: nos criminantur nihil receptorum vel dogmatum vel rituum non impie conuellere, omnia ſeditioſe nouare, Eccleſiaſticam diſciplinam funditus euertere: reliquæ poteſtati labefactandæ inſidiari; cum nulla prorſus poteſtas ſit, quam non ſacroſanctam & habeamus & habendam doceamus: nihil æque quæratur atque diſciplinam

plinam

plinam Eccleſiæ ſic miſere collapſam & nullum omnino ritum, nullum dogma reiecerimus, in quo non ſit confeſſa impietas, quæq; euidentiſſime pugnet cum doctrina & obſeruatione omnium patrum Orthodoxorum & Eccleſiæ Catholicæ: nihil item obſeruationum, nihil doctrinæ amplexi ſumus, quod non in ipſis diuinis literis apertiſſime continetur, & eſt ſic traditum obſeruatumq; ab omni Chriſti Eccleſia, ea quæ adhuc perpetuo in eiuſmodi authoritate fuit, vt eius decretis & obſeruatione comprobentur quæcumque digna haberi debent, vt à fidelibus Chriſti vel credantur vel in vita obſeruentur. Proinde qui volunt conſultum Eccleſiæ, qui Chriſtianæ Reip. pacem & tranquillitatem expetunt, eos in primis in hoc incumbere neceſſe eſt, vt iuſta tandem & libera Synodus coeat, in qua ea omnia de quibus putatur eſſe controuerſia, religioſe excutiantur & conſultis ſcriptura & patribus arbitrentur. Id ſi fiat, ſic potens & in aperto veritas eſt, vt vera Eccleſiæ concordia citra negotium conſtituetur. Vt autem nunc res habent & ea de quibus controuerſiæ ſunt tam paucis rite habentur cognita, falſaque & impia de nobis perſuaſio ſic paſſim obtinuit, vt noſtra nec audiantur, nec legantur. Via ad Synodum hinc commodum, vt nobis quidem videtur, muniri poterit, ſi primum aliquot docti & boni conueniant, & de omnibus Eccleſiæ dogmatis & ritibus, deque ratione corrigendi quicquid vlla ex parte vitii obrepſit, ſeruandi ac inſtituendi quicquid ad pietatem prouehendam quouis modo futurum iudicabitur, inter ſe amice ac diligenter conferant: ad quod, ſicut & ad publicam cauſæ diſceptationem nos ſemper obtulimus, & hodie offerimus, & id quocunq; bonis viſum fuerit cum loci tum temporis: veritatis ſiquidem victoria in eo eſt, eoque noſcitur, & qui veritati vere ſtudent, incommodis omnibus expetunt.

Hæc tumultuarie ſic congeſſi conſentientibus Symmiſtis meis, quæ omnia iis, qui valent meliori iudicio arbitranda offerimus. Iis porro quæ Philippus Melanthon reſpondit, per omnia ſubſcribimus; cum quibus etiam congruere hæc noſtra, qui vtraq; legerit, ſatis videbit.

Martinus Bucerus.

SENTENTIA DOM. HEDIONIS.

SAlue Vlriche. Cum Philippus & Bucerus rationem ineundæ concordiæ fuſe tractarint, ego videri poſſim poſt Homerum Iliada ſcribere velle. Tamen vt & hac in re tibi ſynceriter dilecto amico morem geram, idque paucis: & per te vere nobilis vir D. Langæus Dominus tuus intelligat animos multorum in Germania concordiæ & vnitatis ſtudioſiſſimos: hæc pauca volui conſcribere, & prioribus duobus libellis Wittenbergenſi & Buceri ſubſcribere, haſq; meditationes meas ſaluo ſemper meliore iudicio tibi vel premendas vel proſtituendas contradere.

Vt in veritate Catholica concordes fieri poſſimus Galli & Germani, qui natura etiam præ aliis nationibus Hiſpanis ac Italis ſemper coniunctiores fuimus; cum hoc fermentato ſeculo apud vtramq; gentem multæ admodum ſectæ multifariam geſtiant erigere caput, & tanta multorum hominum ad impietatem procliuitas. Ad hæc tale hominum genus ſub his diſſidiis exoritur, & mundum occupat, vt miſere metuendum ſit, ne Religio Chriſtiana funditus pereat. Principio orandus Deus, vt tales viros, qualis eſt tuus heros Langæus exſuſcitet, exſuſcitatos inſtauret, fulciat, roboret, & ſtabiliat, & tales animos addat, quo per hos ſic afflictis rebus in Chriſtianitate conſuli poſſit: vt hæc parum amica & nihil minus quam Chriſtiana vita tollatur; plus amicitiæ, charitatis & vnionis apud ſpirituales & prophanos ſuccedat. Amen.

Operæ-pretium erit vt fiat proſynodus & conuentus non tantum Doctorum, hoc eſt, Sacerdotum & Theologorum, ſed etiam ex ordine magiſtratus prophani cordati & probi viri adhibeantur, quibus eſt chara gloria Domini, publica honeſtas. Sic aliquando Richaredus Hiſpaniarum Rex etiam iudices locorum & authores fiſcalium patrimoniorum Concilio adhibuit. Neq; ego temere iudico, vt qui vertens ante annos hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii bene collegerim ſanctos viros & prophanos in concilianda pace Eccleſiæ diſſidentibus Eccleſiaſticis multa effeciſſe & ſæpenumero ſalutares fuiſſe. Exemplum eſt in Conſtantino & in Præfecto Valentis, qui dicebat ſerio Sacerdotibus ob ſubtilitatem dogmatum non turbandam Eccleſiam. Sola autem hæc eſt & vna via concordiæ, nec vnquam aliter coaleſcemus in vnum, niſi pariter ſpem noſtram ponamus in Chriſto Ieſu Mediatore & Domino noſtro, & ad illum ſpectemus omnes, Pontifices, Sacerdotes, Monachi, Reges, Principes, prophani & priuati. Quod ſi non conceditur omnibus, certe ii precari à Deo hoc debent, quod ſarciendæ concordiæ prora & puppis eſſe debet. Proximum, vt concordes ſint paſſim verbi Dei Doctores & Concionatores, à quibus magiſtratus & ſubditi doctrinam pietatis ſine contentione & ad ædificationem fidei diſcerent: ſic facile ſectis & ſchiſmatibus valediceretur, modo concionatores ipſi Auguſtinum imitari non dedignentur, qui modeſto vir ingenio & qui fuit abſque [illegible] libros ſcripſit retractationum: neque hoc illi probro ducitur, quod vir tantus, ſed vnus hoc fecerit ſimpliciter bona fide: ſuperuacuus enim in ſtudiis labor ſi nihil liceat inuenire melius præteritis. Hunc ſanctum virum ſi volent imitari qui in proſynodum vocati fuerint ex Gallis & Germanis, ſiue veteris, ſiue nouæ, vt dicitur, fidei fuerint, non gerent gladiatorios animos mordicus ſua defendendi nec ſuperbiæ ſtudebunt & φιλονεικίας: ſed amore veri cognoſcendi, quoniam ſalus animarum ſimul fidei noſtræ agitur, & publica Eccleſiarum pax, libenter, illæſa tamen veritate cedent. Imperator Conſtantinus homo prophanus olim Agathoni Papæ ſcribens ad vnitatem inuitabat,

ſtitabat, non cogebat. *Inuitare*, inquit, *& rogare ad omnem commendationem & vnitatem Chriſtianorum poſſumus, neceſſitatem inferre nullatenus volumus. Per Deum omnipotentem*, inquit, *non eſt apud nos partis cuiuſlibet fauor, ſed æqualitatem vtriſque partibus ſeruabimus, nullam neceſſitatem facientes.* Similes animos ſi intellexerit Pontifex Romanus, aut alij Pontifices, qui & ipſi homines ſunt, non lapides, nec quæri eorum bona & poſſeſſiones, quas ex liberalitate Regum & Principum habent; ſed tantum veritatis amorem, publicam tranquillitatem & honeſtatem: facile ſperarem, ſedari poſſe iſta odia Eccleſiaſticorum & Laicorum: nondum enim eo proceſſit morbus iſte, vt prorſus ſit inſanabilis. Proſynodi eſſent ſeu digeſtiua, quibus iſti paroxyſmi diſſidiorum & odiorum præmollirentur, vt generalis Synodi medicina felicius operaretur ad Chriſtianitatis totius concordiam. Tantum nemo ſibi placeat, nemo ſua quærat. Omnes Reges, Principes, Epiſcopi, Theologi, Laici ea tantum, quæ ſunt Ieſu Chriſti, quærant. Sic exclamabitur à iam viuentibus & poſteris, in modum veterum Conciliorum, ab Epiſcopis & presbyteris, ab omnibus inuocantibus Dominum: *Multi anni Regi Chriſtianiſſimo, multi Reginæ, multi Orthodoxis. Fratres Orthodoxi vna anima: Fratres per fidem vna anima.* Item, *Benedictus Deus, qui fecit redemptionem plebi ſuæ.* In actionibus vetuſtiſſimorum Conciliorum ſemper propoſitis in medio ſanctis & intemeratis Euangelijs conſeſſus Eccleſiaſticorum & aliorum venerabilium virorum factus. Et hæc ſint huic proſynodo, aut futuræ ſynodo vel nationali vel generali Lydius lapis & ſacra cynoſura. Vnde Hilarij celeberrimi illius Galli ſacroſancti Doctoris: *Eccleſiæ doctrina eſt amplectenda, quæ monet in moribus ſeculi corruptis, in opinionum diſſidijs, oportere ad puriſſimos diuinæ ſcripturæ fontes, quorum puriſſima & illibatiſſima pars ſunt Euangelia, confugere.* Nec Monarchis, Regibus, aut Principibus ſuſpectum debet haberi Euangelium, quo quidam, proh dolor! vel apud Germanos, vel alias nationes abuſi ſunt, vel abutuntur. Nam rite tractatum pacis Euangelium eſt, primum Deo nos reconcilians, deinde mutua nos inter nos concordia copulans, ex Tyrannis facit veros Principes, & populum facit obſequentem, & ſumma Religionis noſtræ pax eſt & vnanimitas.

Iamque vnitas & pax conſtare non poteſt, niſi de pauciſſimis definiamus, & in multis ſuum cuique iudicium relinquamus liberum: & multæ quæſtiones reijciendæ ſunt in illud tempus, cum ſublato ſpeculo & ænigmate videbimus Deum de facie. Et Chryſoſtomi ſententia eſt, quod Chriſtianus ad multa reſpondere poteſt, *Deus nouit*: ſumantur ea in manus, quæ proprie faciunt ad ædificationem fidei, & ad veram charitatem; & omittantur, quæ contentionibus magis præbent argumentum, quam pietatem augeant.

Circa Synaxin, Baptiſmum, Pœnitentiæ ſacramentum ſunt hac ætate quæſtiones immodicæ; vt non deſint, qui hinc putent eſſe hos orbis tumultus. Igitur in conuentu aut proſynodo in hoc incumbamus, ad hoc nos inuicem adhortemur, vt vita Chriſto digna Baptiſmi ſacramento reſpondeamus: ad ſacras illas epulas frequentes & pure accedamus, & per totam vitam pœnitentiæ fructus dignos faciamus.

Anabaptiſtæ, hominum tale genus, vt vix ferri poſſit nec opprimi, vtpote morti deuoti, ijs certe criſtæ deciderent, ſi viderent per aquam regeneratos ſanguine & carne Chriſti nutritos magis ſeriam viuere vitam: & hæc myſteria, quæ ex latere Chriſti foſſo aquam & ſanguinem exundante orta ſunt, maiori reuerentia, puritate & ſanctimonia linguis inuicem peregrinis tractari. Debent enim in Eccleſia omnia ad ædificationem eſſe, cantus, doctrina, linguæ, reuelatio interpretantis. Ergo ſeruetur de Baptiſmo, quod tot ſeculis & à tempore Apoſtolorum ſeruauit Eccleſia: niſi forte vtilitatis reſpectu aliquo permittatur parentibus liberũm, an ſtatim velint tingi infantem natum, an in aliquot hebdomadas differri. Periculoſum hominum genus, alias Anabaptiſtæ. Apoſtoli iubent obedire magiſtratibus idololatris, & iſti grauantur obedire Principibus Chriſtianis. Deinde Baptiſmum paruulorum, qui ab Apoſtolorum tempore in Eccleſia durauerit, execrabilem faciunt, & ſimul plauſtra non ferendarum opinionum inuehunt.

De Euchariſtiæ diſſidio, quod fortaſſis in ſpongiam cadet propediem, optimum videretur conſilium, quandoquidem Euangeliſtæ & Paulus circumciſe de Euchariſtia ſiue Synaxi meminerunt; veriti nimirum ne quid de tanto myſterio ſecus dicerent quam oportet: optimum videretur, ſi fidelis & prudens Miniſter verbi videns pleroſq; ſic tractare Theologiam, vt incidant in matæologiam, & ipſe paucis & circumciſe & verbis Euangeliſtarum, & ſanctorum Patrum de panello myſtico & ſacroſancto Dominici ſanguinis poculo loquatur. In hoc mihi, qui hoc diſſidium ſemper defleui & peius angue odio habui, Phocionis Athenienſis ſententia placuit, qui dum alij ſolliciti eſſent, vt quamplurima dicant, quo videantur diſerti: illi diuerſa cura erat, nimirum, vt quæ ad rem faciebant, verbis quam pauciſſimis complecteretur. Errat, qui Paulo ac Euangeliſtis prudentior eſſe vult: deplorate errat, cui pudor eſt in conſilio, qui errorem etiam intellectum vult defendere: & in ſumma de rebus diuinis diſſerere periculoſiſſimum eſt, taceo definire velle. Cõfeſſio de Cœna Domini eſt: quod Dominus Ieſus, quemadmodum in vltima Cœna, ita etiam hodie diſcipulis ſuis & credentib. quando iuxta verba Chriſti, *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, &c. Cœnam ſeruant: Ita in hoc ſacramento ſuum verum corpus & ſanguinem vere ad manducandum & bibendum dat in cibum animarum vitæ æternæ, vt ipſi in Chriſto, & Chriſtus in nobis maneat.

Cum Miſſæ priuatæ expenſis vndiq; circumſtantijs huic Cœnæ dominicæ aduerſentur: ad hęc pro alijs, pro pecunia, à coactis, ab ignorantibus verbi & fidei, pro ſatisfactionibus, pro peccato, pro bono opere fiant, dicimus: tales res Chriſtianus (qui ex animo dicit, vt glorificetur Chriſtus meus ſiue

per vitam, ſiue per mortem) ferre non poteſt. Cæterum cum de re ipſa conſtiterit, Chriſtianus non multum de nomine contendet, nec præſente vrſo, quod dicitur, veſtigia inquiret. hinc lubens ad ſanum intellectum feret hæc nomina: *Cœna Domini, Panis Domini, Vinum Domini, Corpus Domini, Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, Oblatio, Miſſa, Eucharistia, Synaxis, Sacrificium, Αγαπη, Liturgia.* Execrantur Miſſas multi odio ſordidorum ſacrificulorum, qui nihil aliud didicerunt, quam Miſſare, cætera Laicis prophaniores. Hîc poſſent ſubmoueri illi conductitii, ac more veterum vnum ſacrum in templis aut in feſtis diebus celebrari, ſic tamen vt ſenſim ad veterem conſuetudinem Chriſtianorum ſuper Cœna Domini quam proxime accederetur.

De communione ſub vtraque ſpecie ſatis conuincit inſtitutio Chriſti: *Bibite ex hoc omnes.* Luc. 22. & Marc. 14. *Biberunt ex eo omnes.* Et ex *libro ſignorum apud Benedictinos*, & in *conſtitutionibus Carthuſianorum* legitur de fiſtula, qua Laici Dominicum exſorbeant ſanguinem. Et Moguntiæ olim habebatur libellus ſcriptus, *de veteribus theſauris Eccleſia Moguntina* ab hinc 400. annis, qui indicat inter calices aureos ingentis ponderis anſatos, cruces aureas, grues argenteas odorem impoſitorum in cauo ventre thymiamatum per roſtra ac collum mira arte exhalantes, iuxta aram maximam etiam ſex fiſtulas argenteas in hunc vſum hauriendi ſanguinis fuiſſe. Ex quo ſatis claret, Laicos Germaniæ olim etiam ſolitos canna vel fiſtula dominicum ſanguinem è calice haurire, & iuxta Chriſti inſtitutionem vtraque ſpecie vſos.

De Cultu Eccleſiaſtico, ſi verum fateri libeat, multam emendationem efflagitat: fiunt enim in templis multa admodum inepta, nec mirum in tanta multitudine ſacrificulorum, qui non loquuntur quinq; verba in ſenſu, quæ Paulus præfert decem millibus verborum in lingua, 1. *Cor.* 14. Corrigantur ergo vitia, & maneat cultus, ſed moderatus, & omnis lingua confiteatur, quod Ieſus Chriſtus eſt Dominus in gloria Dei patris, ita vt Pſalmi, hymni & cantiones ſint ſpirituales: canatur & pſallatur in corde Domino. ſi ſacerdotum nimia turba eſt, cui accidit, quod vitro, vt multitudine vileſcat, detur opera, vt ſint ſacerdotes pii & docti: nec admittatur ad hoc honoris, niſi probatus & dignus. Erunt pauciores, quid tum? Præſtat habere tres bonos, quam triginta inutiles.

De Miſſis pro defunctis & parentalibus, facile fieri poteſt commutatio, vt homines erogent viui in pauperes, & præſint bonis operibus ad neceſſarios vſus, vt non ſint infrugiferi, quod vulgus à morte iubet fieri. Indulgentiæ iam olim exploſæ, quibus ſatis diu impoſitum fuit ſimplicitati Chriſtianæ adiuuantibus Monachis, conniuentibus Theologis, nec apud ſanam pietatis doctrinam conſiſtere poſſunt.

De Cultu ſanctorum facile moderari ſententiæ poſſent, cum ſcriptura ſancta inuocationem non permittat. Inuocetur bona fide Deus pater, Filius & Spiritus ſanctus, & inuocetur commemoratione ſanctorum: nam aliud eſt inuocatio, aliud commemoratio ſanctorum defunctorum. Orabat Moyſes: *Memento, Domine, Abraha, Iſaac & Iacob.* Et ſeruus Abrahæ: *Deus Domini mei Abraham.* Orare poſſum & ego: *O Chriſte, qui non verbo ſolum, ſed & erectione a lapſu erudiſti Petrum Apoſtolum, miſerere mei: nam diues es, Domine, in omnes inuocantes te.* Alias optimus cultus Diuorum, vitæ, ipſorum imitatio eſt.

Multiplex eſt Confeſſio: vna, quæ Deo occultiora, imo omnia confitetur: alia, qua Deo & Eccleſiæ prodimus crimina: tertia, qua familiariter fratribus detegimus errata, quæ etiam præcepta eſt, vt mutuæ preces & opera miſericordiæ. Has omnes ſymmiſtæ & ſophiſtæ in vnam ſacramentalem miſcuerunt, imitati Poetas, qui multorum heroum præclara geſta in Herculem aut Bacchum vnum congerunt. Confeſſione, quæ conſultatio eſt, & perinde vt Catechiſmus quidam, quæ multorum ſeculorum conſenſu comprobata fuit, vti, modo abſit ſuperſtitio, nemo mea ſententia damnauerit, maxime ſi adhibeatur Sacerdos, qui linguam habeat eruditam, & ſciat verbo ſuſtentare eum, qui lapſus eſt, vti intempeſtiua auſteritate non conijciat in deſperationem, nec baculum tractum comminuat, nec linum fumigans extinguat. *Eſa.* 42.

De iuſtificatione facile concedi poteſt, fide iuſtificari hominem, hoc eſt, purificari corda credentium, & quod iuſtificamur gratis per illius gratiam per redemptionem, quæ eſt in Ieſu Chriſto, per fidem interueniente ipſius ſanguine, & quod ex fide ſit recta vita, & ſequatur vita æterna, ſicut ex incredulitate mala vita & damnatio æterna. Verum Eccleſius noſtris, proh dolor! accidit, quod Chryſoſtomus conqueritur de Conſtantinopolitanis, *qui iactabant fidem, & fidem non ſequebatur virtus, virtutem ſcientia, ſcientiam temperantia, temperantiam patientia, pietas, fraterna charitas & dilectio.* Qui iuſtificationem prædicat, & fidei iuſtitiam adſcribit, ſtatim adhibeat antidotum, & dicat ſequelam & virtutum cathenam, ſimul naturam fidei & operum explicans, & fidem opus Dei eſſe, non noſtrũ, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, & ſciat fidẽ opus eſſe magnificentiæ Dei, iuſtitiam in ſeculum ſeculi, mortificationem carnis, viuificationem Spiritus, victoriam mundi, carnis, peccati, Sathanæ.

De libero arbitrio, Purgatorio & huiuſcemodi forte ſatius fuerit in Sorbona diſputare, quam ſine fructu in concionibus diſſerere. Iubet enim Paulus, vt à quæſtionibus nunquam finiendis abſtineamus, & ædificationem Dei, quæ eſt per fidem, arripiamus, vbi finis legis eſt charitas, 1. *Timoth.* 1.

De verbis nulla ſit digladiatio, modo de re conueniat: & abſint à concione, quæ pœnitentiam & vitæ innouationem docere debet, iſta tragica. Nihil ne refert, qualia ſint opera, & quid quis faciat? Chryſoſtomus ſæpe dixit, *fidem non eſſe ſatis ad ſalutem*, ſed rite intellectus & ſpectato Chryſoſtomi auditorio dixit vir ſanctus, vt fidelis & prudens diſpenſator.

De eminentia Romani Pontificis quatenus fieri poſſet vel non, ſobrie loquar, quia poteſtas

in ædi-

in ædificationem, non deſtructionem data eſt, nec Philippus, nec Bucerus modo plene pronunciant: neque enim pedi magno paruos calceos circumdare volo, nec poſſum; ſed vbi concederetur colloquium & ſermones eruditorum & bonorum miſcerentur, quibus rebus nata & aucta Eccleſia, quomodo olim etiam Eccleſiæ diuites, quomodo etiam Antiochena vere Apoſtolica & antiquior, quomodo Romana Eccleſia tardiſſime contaminata hæreſibus, vtinam lenocinia vitæ in hanc non inundaſſent: Ita coram melius ſtatui poſſet. At quamdiu venti illi ſpirant, auaritia, ambitio, tyrannis, voluptatum amor, cupiditates rerum, non mirum, ſi nauicula Petri miſere iactetur & vexetur. Summa, mirumne eſt, tempeſtatem eſſe, vbi Chriſtus & huius Spiritus abeſt?

De delectu ciborum, etiamſi teſtimonio ſcripturæ cedamus, id quod fere de omnibus controuerſiis huius temporis dixerim, Patrum auctoritate refelli poteſt. Chryſoſt. in comment. ad Timoth. *Nulla creatura communis eſt immunda: item ſi communis ſit, medicamentum eſt in promptu, ſignum crucis illi imprime, gratias age Deo, Deo gloriam refer.* Nota hiſtoria Spiridionis Epiſcopi *lib.* 1. *Hiſtor. tripart. c.* 10. dum hoſpes quidam refutaret in quadrageſima cibum comedere, profitens ſe Chriſtianum, inquit Spiridion, propterea refutare non debes, quia Chriſtianus. Nam omnia munda mundis, vt ſermo Domini edocuit. Adde quod pauca fuerunt ieiunia Iudæorum, & tamen nemo capitale duxit, ſi quis illis diebus non ieiunaſſet: nec vna lex ferri poteſt, in tanta hominum & complexionum inæqualitate. Vnde ſatis claret, quam ſit Chriſti iugum per ſe leue, ſed variarum conſtitutionum onere multifariam aggrauatum.

Ætas Hieronymi præter diem dominicum pauciſſima feſta nouerat, & in iis ſeruandis vel abolendis facile ſtatui poſſet. Dominus enim eſt Sabbathi filius hominis.

De Cœlibatu Sacerdotum, canones Nicæni Concilij ſunt, in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi cum coniugibus, quas ante conſecrationem duxerant, non dormirent. Ibi Paphnutius confeſſus eſt honorabiles nuptias, & caſtitatem eſſe dicens concubitum cum propria coniuge, ſuaſitque Concilio, ne talem ponerent legem, grauem eſſe aſſerens cauſam, quæ aut ipſis aut eorum iugalibus occaſio fornicationis exiſteret. Et in Epiſtola Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi legitur, ne fratribus neceſſitas ſit compulſæ caſtitatis, *lib.* 4. *Euſeb. c.* 23.

De Votis religionis, & ſi quid reliquum eſt, de quo controuerſiæ ſint, opinor Melanthonem & Bucerum ſatis in ſcriptis ſuis attigiſſe, quantum herbeſcens colloquii ſpes expoſcit. Ego vtriuſque meditata obiter & in tranſcurſu tantum legi, nec ad manum ſunt, vt videre poſſim, quæ tractarint. Ego optarim Collegia & Monaſteria ſeminaria eſſe, hoc eſt, loca honeſtorum, vt Euſebius inquit, & ſcholas. & vt ingentes illi cenſus & prouentus Eccleſiaſtici, quos maiores tam liberaliter fraudatis etiam ſæpenumero hæredibus contulerunt, gloriam Dei, publicam vtilitatem ſpectantes, in meliores vſus verterentur, in diſciplinam iuuentutis omnium ordinum formandæ, qui vt pietate & eruditione ſapientiores & meliores euaderent, ita & Reipub. ſalutares & frugi fierent. Ex ſcholis Presbyteri, ex Presbyteris Epiſcopi & alij commode eligerentur. Optarim & hoc fieri, vt multis afflictis conſcientijs, quæ paſſim in Collegijs & Monaſterijs, heu, fere vi ad peccata & abominationes, & ea, quæ nominare etiam pudet, adiguntur, ſic poſſet conſuli, ne libertatem in occaſionem carnis verterent: quin potius excuſſo hominum graui iugo Chriſti mitiſſimo iugo ſe ſubmitterent.

Optarim tandem pro felici auſpicio proſynodi, vt vnuſquiſque ſit, quod in ſua vocatione eſſe debet, Pontifices, Epiſcopi. Sacerdotes, exemplaria gregis; loquantur eloquia Dei, miniſtrent in virtute, quam ſuppeditauit Deus, vt glorificetur per Ieſum Chriſtum: Reges, Principes, horum latera conſiliarij, diuinæ iuſtitiæ miniſtri, tanquam Deo reddituri rationem. Theologi, non Matæologi: Catholici, non κακόλογοι: Monachi ſint, quod dicuntur: Vulgus Chriſtianorum, & quotquot hoc titulo glorientur, Chriſti doctrinam non in ſermone tantum habeant, ſed per virtutem, per ſpiritum ſanctum, perque certitudinem multam. Sic afflictæ res Eccleſiarum & turbulenti motus horum temporum (de quibus recte cum Polycarpo dicere poſſumus: *O Deus in quæ tempora nos poſuiſti*) facile in tranquillitatem redigerentur. Hoc faxit Chriſtus cœleſtis doctor & magiſter noſter, qui nos iuſſit eſſe vnum & coniunctos in vnum.

Hæc, mi Vlriche, intra paucas horas, quemadmodum noſti, vt Dominus donauit, qui Spiritum conſilij dat vnicuique ad menſuram, huc congeſſi, ſic fatigatus vt vix licuerit relegere. Nihil periculi eſt erga talem amicum. Quare quicquid & qualecunque hoc ſcriptum eſt, tuo candori committo. Chriſtus te ſeruet & te vtatur organo pro publica Eccleſiarum pace prouehenda, quo tantus quantus es propendes. Argentorati XXVIII. Auguſti, Anno M.D.XXXIV.

Gaſpar Hedio Doctor Theologiæ, concionator Eccleſiæ cathedralis Argentoratenſis,

Tuus ex animo.

CLARISSIMO AC NOBILISSIMO DOMINO GVLIELMO

Bellaio Langao, Domino ſuo ac patrono obſeruandiſſimo.

S. D. Clariſſime Domine. Nihil mihi poſſet accidere triſtius, quam ſi de cauſis, quæ meum iter remorantur, ſecus ſuſpicaretur Chriſtianiſſimus rex, aut etiam Celſitudo tua, quam res habet. Sed, vt ſpero, liberabit omni ſuſpicione viri optimi & fideliſſimi D. Vorati teſtimonium, qui ſcit, quantum contenderim apud ducem Saxoniæ, mihi vt poteſtatem faceret ſuſcipiendi hoc iter. Nam hoc tempore, cum Schola ſeceſſerit propter peſtilentiam, neceſſe mihi omnino fuit rem ad Principem referre: ibi quam duriter acceptus ſim, Voratus exponet. Nunquam ſenſi aſperiorem Principem, nihil fingam, ſed vt in tantis rebus decet, verum ſine vlla figura, ſine vlla ſophiſtica dicam. Primum reſpondet opinionem de meo itinere offecturam eſſe maximis ſuis vtilitatibus, quod ipſe iter ad Regem Ferdinandum haberet. Etſi autem diſputabam me priuatim meo nomine iter facere, tamen hoc argumentum ita vrgebat & exaggerabat, vt credendum mihi duxerim, ne viderer mei Principis ſeu ſpei ſeu vtilitatibus officere cupere. Sed meo iudicio altera cauſa verior fuit, cur me non dimiſerit. Legit meum conſilium, quod ad vos miſi, in quo nihil reprehendit, præter vnam quandam leuiſſimam ſententiolam de vtraque ſpecie, quod ſcripſi, ſublata prohibitione poſtea ſanciendum eſſe, ne altera pars alteram damnet. Aliæ controuerſiæ multo maiores ſunt. Itaque de hoc negotio ſcripſi minus vehementer: id mihi velut crimen obijcitur. Nec profecto me illa ineruditorum iudicia mouent, & ſæpe iam in ſimilibus actionibus de pace, plagas accepi, ſed quia ipſi me largiorem aut timidiorem exiſtimant, cauendum putant, ne ſi quid ego condonauero, prægrauentur præiudicijs. Incendit etiam animos ineruditorum excerptum quoddam ex illo conſilio, quod neſcio per quos lingua Germanica ſparſum eſt, in quo quia de Poteſtate Eccleſiaſtica honorificentius quædam dicuntur, inepti & indocti interpretantur me totam cauſam prodidiſſe. vocor transfuga, deſertor, cum quidem idem toties iam in publicis libris de Eccleſiaſtico ordine ſcripſerim, ſeu de Canonica Politia. Hos clamores putat Princeps & ſibi & cauſæ nocere. Itaque non ſolum dimittere me noluit, ſed etiam contumelioſe mihi reſpondit: non enim diſſimulo. Etſi autem conſtitui me ipſi purgare, tamen hoc tempore iter ſuſcipere nolui, tantum eam ob cauſam, ne iniqui homines calumnientur, me voluiſſe vtilitatibus mei Principis officere. Vides, quanto in diſcrimine verſer, quantum exarſerit odium, non aliam ob cauſam, niſi quod & ipſam religionem doceri pie, & dilucide explicari cupio, & quædam moderanda eſſe cenſui in vtraque parte, vt ſarciatur communis Eccleſiæ concordia. Nec pugnant mecum eruditi, ſed tantum indocti mihi ſuccenſent. Quid in ciuilibus diſcordijs omnibus ætatibus acciderit moderatis ciuibus, non ignoras. Ad hæc exempla cum refero animum, non recuſandam mihi eſſe fortunam illorum dico, qui cum moderate ſentirent, ab iratis ciuibus lacerati ſunt. Mihi hominum iniquitas, neque ſtudium pietatis, neque moderationem animi eripiet. Multas confuſas diſputationes explicaui, vt ſpero, dilucide, ac mitigaui. Et de itinere pollicitus ſum Vorato, me venturum, Deo volente, proximo vere Francofordiam: vnde ſi tibi videbitur, excurram iſthuc. Tuam Celſitudinem viciſſim adhortor, vt poſtquam ſemel hanc curam ſuſcepiſti, digniſſimam magno & præſtanti viro, ſanandæ Eccleſiæ, alteram partem etiam ad moderationem adhortere, ne res bonæ & Eccleſiæ vtiles opprimantur, neue magis laceretur Eccleſia. Iniuſta crudelitate video Chriſtianiſſimum Regem incitari ſcriptis magnorum hominum aduerſus nos, ſed & Reuerendiſſimi ac ſapientiſſimi viri Cardinalis fratris tui, & tuis conſilijs ſpero animum Regis flecti poſſe & adduci, vt potius det operam, vt illuſtretur gloria Chriſti, quam vt mos geratur alienæ crudelitati. Neque enim dubium eſt, opus eſſe Eccleſiæ quarundam rerum explicatione. Sed hæc fortaſſe coram copioſius. Bene valeat Celſitudo tua. Quinto Calend. Septembr. Anno M.D.XXXV.

Celſit. Tuæ

addictiſſimus

PHILIPPVS MELANTHON.

SENTENTIA DOM. FRECHTI.

SAlue, clariſſime Domine Huldrice. Legi quidem & relegi attento & lubenti animo doctiſſimorum, Melanthonis, Buceri & Hedionis docta & pia conſilia, moderataſque eorum rationes ineundæ concordiæ Eccleſiaſticæ; in quibus veluti in vernantiſſimo quodam horto obambulans, cum flores hinc inde decerperem, & ſuaueolentia fraganti meum oblectarem animum, factum eſt, vt minus animi tui voto ſatisfecerim. Neque enim ſingulare meum qualecunque conſilium illorum exactis iudicijs potui nunc addere: hoc ſiquidem facere, quid quæſo hoc eſſet aliud quam Soli lumen velle inferre? & pedarium aliquem optimis Senatoribus ſingulari ſua ſententia obſtrepere? Omnia namque docti & ſancti iſti viri, quæ ad conſtituendam concordiam attinent, ita excuſſere diligenter, vt mihi meique ſimilibus excutiendi locus relictus ſit nullus. Quare per omnia ego ſubſcribo ijs, quæ optimi iſti viri in medium produxerunt. Neque offendit me, quod Philippus videtur plus aliquid concedere: nam ea omnia ad diſputationem refert, & hac ſua moderatione conatur illorum duricordiam emollire, qui hactenus omnem cauſæ cognitionem velut lucifugæ noctuæ fugerunt. Eſto itaque hoc veluti compendium ad futuram concordiam, vt puritas Biblicæ ſcripturæ

& do-

& doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſia retineatur. Hinc enim vt ex fonte fluit veritas & libertatis Chriſtianæ cognitio, qua ſine tolluntur idololatriæ, humana voluntate allatæ religiones. Quantum attinet ad dogmata & ritus Eccleſiaſticos, hac docetur quid dandum, quidq; negandum iis, qui mordicus tenent humanas traditiones. Atque vt vno facto ſingula complectar, hac pura doctrina in Eccleſia regnante diſcunt miniſtri eius omnia omnibus fieri, vt omnes ſalui fiant. In hac præcipue iuxta Chriſti verbum manere oportet eos, qui volunt cognoſcere veritatem & libertatem. Hanc vt ſuæ Eccleſiæ Chriſtus tandem reſtituat, ſupplices rogemus eum, qui ſolet affatim & ſine exprobratione largiri omnia. Fiat.

Martinus Frechtus Vlmæ ſacra prælegens.

SENTENTIA DOM. FINCINI.

Salutem & pacem à Domino Deo. Cum vtrinque & te conſilia captantem, præſtantiſſime Hulderiche, & illos tres Chriſtianæ profeſſionis proceres, nempe Philippum Melanthonem, M. Bucerum & Hedionem illa dantes ſollicitius, quantum tantillo temporis ſpacio licuit, conſidero: Video reuera te pacis & ſanctæ concordiæ ſic amantem, vt eius gratia nihil non agas; proque hac promouēda nullum, vt aiunt, ſinas lapidem immotum: haud immemor hac præſente res paruas creſcere, ea vero abſente, etiam maximas interire, diſſiparique tandem à Deo Opt. Max. eos qui contentiones (quas Eccleſia noſtra ignorat) rixas & bella volunt: nec regnum in ſe diuiſum iuxta Chriſti ſeruatoris noſtri monita, diu conſiſtere poſſe. Recte igitur & pro Chriſtiani pectoris candore facis. faxit Deus perpetuo ſic agere pergas. Illos vero tibi interroganti tam ſana & inuiolata reſpondiſſe, vt quantum meum fert tenue iudicium, in illis nihil ſit, quod iuſte citra periculum aut poſſit augeri, aut adimi reprobarique, vſque adeo ad viuum (vt ſemper ſolent in ſcripturis diuinis diſcutiendis) reſecarunt, conſiderauerunt & prouide inſtituerunt omnia, vt minime grauer, præſertim Melanthoni ad diſputationem omnia referenti, illis ſubſcribere, meoque vtcunque leui calculo illorum ſcripta adprobare. Quare ſi hiſce tam egregie moderatis rationibus, quod hactenus diſperſum fuit, colligere; quod induratum emolliri poſſe, & in controuerſia conſtitutum componi, quantum per me ſtat, tibi & omnibus pacem & ſanctam concordiam diligentibus non neglecta veritatis integritate, liberum erit. Dominus Ieſus conatum tuum proueliat: id quod ſedulis precibus à Deo efflagitare haud negligimus.

Conradus Fincinus Iſnæ apud Algicos à ſacris concionibus, ſaluo ſaniore Spiritualium iudicio.

SENTENTIA DOM. LEGMANI.

EXimie Domine Doctor: Libenter legi clariſſimorum virorum, Melanthonis, Buceri & Hedionis Chriſtiana & moderata conſilia de pacanda Eccleſia, multo libentius autem & maxima animi mei iucunditate audiui, quod affirmaſti ipſum potentiſſimum Regem Galliæ afflictis Eccleſiæ rebus ex animo conſultum velle. Nam apud nos nunc horrenda tyrannide infamatur, quomodo expleat animos quorundam & Monachorum nouorum ſuppliciorum ſpectaculis, qualia per Diocletianos & Maxentios nunquam fuerunt excogitata. Verum cum tu inclytum illum Regem non eſſe in culpa dicas, & ſolum per Magiſtratus à factioſis & ſeditioſis pœnas ſumi, Regem autem concordiæ Eccleſiæ ſtudere, & illam ſummopere promotam velle: omnibus cordatis optandum, vt tam pium & ſanctum animum Chriſtus confirmet. Quod autem à me contendis, vt horum doctiſſimorum virorum moderatis rationibus ſubſcribam, facile impetraſti à me, qui non ſolum hac opera, ſed & ſanguine meo redemptam velim veram pacem & Eccleſiæ tranquillitatem. Ideo per omnia illis ſubſcribo, ac etiam non ceſſabo hortari Eccleſiam meam, vt piis votis à Domino flagitet, vt felicem ſucceſſum tam pio inſtituto pro conſtituenda concordia vera largiatur Deus Opt. Max.

Petrus Legman Doctor Theologiæ, Eccleſiaſtes Heilbrunnenſis.

SENTENTIA DOM. VICELII.

QVando legi, optime Vlrice, illa tria clariſſimorum virorum exemplaria, quæ mihi exhibuiſti, maximam voluptatem habui: & certe non video, cui (qui modo piis rebus delectatur, & paci Eccleſiæ ſtudet) in lectione & cogitatione harum rerum tædium obrepere poſſit. Quod autem Regis Franciæ iuſſu dicis te huiuſmodi ſcripta de ineunda concordia ab illis maximis viris impetraſſe, & illum maximum Regem ſtudere concordiæ Eccleſiaſticæ, quid aliud acclamare licet? quam ô Chriſtianiſſime Rex, ſatisfac tuo nomini, ſis felix tranquillitati publicæ, faueto negotio Euangelico, relitito malis Doctoribus, qui miſeram plebem miſere ſeducunt ſuis doctrinis veneno gehennæ infectis. Mihi autem per omnia placent huiuſmodi moderationes, ſi in hoc ſcriptæ ſunt, vt boni viri conueniant, & de omnibus, quæ Euangelio contentanea ſunt, inter ſe conferant. Neq; habeo, quod illorum virorum reſponſis addam, niſi hoc vnum, vt Deus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu

Chriſti proſperum ſucceſſum huic negotio largiatur, & Eccleſiam ſuam in verum vnanimitatem reſtituat. Amen.

Bonifacius Vicelius Auguſtæ verbi miniſter.

SENTENTIA DOM. BONASII.

PAcis & ſynceræ tranquillitatis auidas conſultationes doctiſſimorum Philippi Melanthonis, M. Buceri atque Hedionis multa animi mei hilaritate legi, ſingulaque ea, qua opus erat, dexteritate expendi, Clariſſime vir, idemque in Chriſto multum venerande frater. Sed vt quid vel è medio tollam, vel quaſi mutilato minuſque commode ſcripto aliquid adſarcire contendam, plane non habeo, idque ipſum citra totius negotij iacturam non poſſe fieri conſtanter adfirmo, maxime vbi videam in eum finem ſcriptas eſſe, quo aduerſariorum animus plus æquo inſolentior hactenus in nos vel tandem cicureſcat, atque ſuper Eccleſiarum vniuerſalium negotiis aliquando in colloquiorum nobiſcum arenam deſcendant. Hiſce igitur Epicherematis mira modeſtia oblitis illorum mentes emolliri poſſe, quo nobiſcum afflictis & pene deploratis Eccleſiæ rebus conſulturi, vel multorum ſententias collaturi coeant, ingenue fateor. Libens igitur per omnia his conſultationibus velut τῇ προγραφῇ, ad commodiorem proſynodum ſubſcribo. Cæterum quod ad conatum orationum attinet, noſtris non deerimus, & felicem huius inſtituti ſucceſſum precari ſedulo, omnes interim maleſuadi Sathanæ conatum deprecando. Perge, vt cœpiſti, optime vir, omnia in gloriam Dei facere.

C. Bonaſius Scholaſticus, Memmingenſis Eccleſiæ miniſter verbi.

SENTENTIA DOM. VNGARI.

PAcem Chriſtianam Eccleſiarum, mi Cheli, conſtitui poſſe non puto, niſi ad ſcripturæ ſanctæ regulam formetur: quicquid enim hac parte ſtatuitur, niſi ſcripturæ authoritate nitatur, corruet. Non improbo autem integerrimorum illorum virorum Conſilia, quæ mihi communicaſti, vt qui amore pacis & concordiæ ita omnia moderanerunt. ſi enim per hæc nihil aliud efficitur, boni tamen muniuntur, vt de æquitate noſtra poſſint teſtari, eoque frangere nonnunquam conatus hoſtium: nam non tantum damnantur, ſed etiam infamantur horrendis criminibus: quæ certe diluuntur, dum viri boni habent, quæ de doctrina noſtra & vnanimitate modeſtiaque teſtificentur. Interim Dominus Ieſus nobis orandus eſt, vt quando ex nobis ipſis nihil poſſimus ne mi vel cogitare ad concordiam ſolidam, ipſe ſua inæſtimabili bonitate non ſinat nos vnquam aberrare à via ſalutis: ſed abiectis pernicioſis doctrinis & huius mundi præſtigijs, per virtutem ſui Euangelii ducat nos ad amabilem Eccleſiæ tranquillitatem. Fiat. Fiat.

Iohannes Vngarus Phorcenſis Eccleſiæ miniſter.

SENTENTIA DOM. GASNERI.

PErlegi & ego, prudentiſſime Huldarice, qua potui diligentia & iudicio doctiſſimorum virorum Melanthonis, Buceri & Hedionis de religione ſacra conſultationes, quibus prouocari poſſent ad colloquium & hi, qui noſtra antequam vere cognouerint, damnant. Neque habeo quicquam, quod vel demam vel addam pro meo exili ingenio: ſed bene ſcripta fateor omnia, dummodo ad diſputandum proponuntur, vt hinc felix capiatur initium pacis & concordiæ Eccleſiarum, quam vt Dominus concedat, precabimur ſedulo omnes, detq; ille tibi & tui ſimilibus gratiam efficaciter ſollicitare vndique, vt Chriſti veritas perquam multis cognita fiat.

Thomas Gaſnerus Lindoenſis Eccleſiæ miniſter.

Ex actis Colloquij Ratisbon. 1541. fol. 74.

PErpendendum piis quam prudens & ſalutare toti Germaniæ, imo vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti conſilium Imperator ordinibus Imperij in eo ſcripto obtulerit, quod propoſuit de conciliatis in Colloquio articulis admittendis, & ſecundum eos re Eccleſiaſtica inſtauranda, vel vſq; ad generalem Synodum, vel donec aliqua alia legitima via & ratione, & adſentientibus Ordinib. Imperij, melius aliquid ſtatueretur. Hi enim articuli in colloquio conciliati ſunt: Quid ſentiendum & docendum ſit de viribus humanis ante & poſt regenerationem. De peccato originali, eiuſque vi, tam in renatis quam non renatis. Quid de Iuſtificatione, hoc eſt, ſumma doctrinæ Chriſtianæ, de regeneratione hominis, de vi Spiritus ſancti regenerantis, de fide, de gratia Dei & merito Chriſti, de bonis operibus, deque horum & precio & mercede, De Eccleſia & notis eius, De vanis & falſis Eccleſiæ membris, De canonicis ſcripturis & earum auctoritate, De iudicio Eccleſiæ & Conciliorum, quod ſcilicet cum ſcripturis ſemper conſentire debeat, De virtute & vtroque vſu ſacramentorum, De pœnitentia, De miniſterijs Eccleſiæ, miniſtrorumque in Eccleſia auctoritate, De traditionibus Eccleſiaſticis, De ſanctorum memorijs & reliquijs, De imaginibus, De Miſſa, quod in ea nemo externo operi, ſed Chriſto tantum fidere, & eius propria fide amplecti ſacrificium debeat: quod denique

celebrari non debeat, niſi ſint qui ſpiritualiter cum ſacerdote communicent, quibus & myſterium Chriſti, vt ſuum Amen reſpondeant, digne explicandum ſit. De integro ſacramento populo impertiendo. De Eccleſiæ diſciplina, & quod ad Clerum & ad populum attinet; De canonica electione, ordinatione, miniſterio, vita, correctione Miniſtrorum omnium graduum; De viſitatione; De Synodis: De his omnibus, inquam, tam multis tamque late patentibus dogmatis & ritibus in Colloquio conuenit.

Deum immortalem, quantum viæ emenſum ad pacem Eccleſiæ conſtituendam!

Ex præfat. M. Bucori ad libellum de vera reconcil.

Itaque viam his ipſis munirem & curam acuerem ad reparandam inter nos, quos Deus in Filio ſuo coniunxit, & membra ſua fecit, plenam & firmam totius religionis conſenſionem. Nam ſi Chriſti ſumus & eius ſpiritu agimur, nihil profecto in hac vita magis nobis dolere debet, quam exitioſum hoc religionis ſchiſma, nec aliud eſſe maiori curæ & ſollicitudini quam vt omni ſchiſmate & cuncta diſſenſione ſublata, vere rurſus in vniuerſa doctrina & diſciplina Chriſti conſentiamus, conſpiremus & vnum ſimus. Deinde dedit Dominus, me quoq; actionibus illis quæ ſunt de reconciliandis Eccleſiis per Imp. Carolum V. inſtitutæ, adhiberi, in quibus quam mihi iſta pernicioſa religionis diſſenſio & Eccleſiarum diſtractio merito doleat, & quam cupiam oues Chriſti in ouile Chriſti rite congregari & paſci ſalutariter, haud obſcure præ me tuli. Inde vero factum eſt, vt Antichriſti aliquot me inſimularint Sinonii doli, qui Imperatorem & Status Imperii prætextu & illecebra Eccleſiaſticæ concordiæ pellicere conatus ſim in noſtras hæreſes: aliis vero nonnullis in ſuſpicionem venerim, quaſi nimio concordiæ ſtudio concedere quædam voluerim quæ ſine iactura veritatis concedi non queant. Nihil quidem magis expeto, quam Eccleſias Chriſti rurſus coniungi, ſed non niſi in Domino, in quo & conſociabuntur eo plenius, & cohærebunt firmius quo doctrinam eius fuerint purius amplexæ, & ſe eius diſciplinæ humilius ſubmiſerint. Quod ſane difficile non erit, cum Imperatori, concilio Electorum, longeque maiori parti reliquorum Principum & Statuum conciliatio in colloquio Ratiſbon. conſtituta de vitiato hominis ingenio & perditione, de iuſtificatione & regeneratione, de vero Dei cultu, de vſu ſacramentorum, de diſciplina cleri & populi comprobata ſit.

Hieronymus aduerſus Luciferianos dialogo extremo.

Si te Angelus aliquis aut Apoſtolus rebaptizauit, non infringo quod ſequeris. Si vero in ſinu meo natus, ſi vberum meorum lacte nutritus aduerſum me gladium leuas, redde quod dedi (baptiſma) & eſto ſi potes aliter Chriſtianus. Meretrix ſum; ſed tamen mater tua ſum. Non ſeruo vnius thori caſtitatem: talis eram quando conceptus es. Cum Ario adulteria committo: feci & antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho, cum Nouato: hos amplexaris, hos in matris tuæ domum iam adulteros recipis: neſcio quid te vnus adulter offendat.

II.

DE OFFICIO PII AC PVBLICÆ TRANQVILLITATIS VERE AMANTIS VIRI, IN HOC RELIGIONIS DISSIDIO: Auctore G. Caſſandro. Poſtrema editio, iuxta priorem anni M.D.LXI.

Anno Domini 1561.

Reperies in hoc ſcripto, Lector, non ſolum expeditiſſimam controuerſiarum, quibus miſere adeo laborat hodie Eccleſia, componendarum rationem: ſed etiam quo pacto veræ pietatis atque concordiæ Chriſtianæ ex animo ſtudioſus, durante iſto diſſidio, optime ſe gerere in quauis Republica poſſit ac debeat. Ceterum breui habebis huius auctoris Conſultationem ſuper articulis in religione controuerſis, quam mandatu Cæſſ. Ferdinandi & Maximiliani conſcripſit. In vtroque ſcripto Caſſandri pietatem, candorem & eruditionem agnoſces.

Vale & vtere.

Hæc excuſa eſt per eſt Argentina in officina Lazari Zetzneri Bibliopolæ Argentinenſis.

DE OFFICIO PII VIRI IN HOC ECCLE-ſiæ diſſidio.

NOn ignoro permultos eſſe, qui in hoc miſerabili Eccleſiæ diſſidio, quo fere hodiè Chriſtianus orbis colliditur, vehementer angantur animi, & tanquam inter duos ſcopulos natent & remigent: qui cum ſaluti ſuæ conſultum velint, quid fugiant vident, quo autem fugiant, videre nondum potuerunt. Quæ cogitatio ipſa me quoq; iam olim exercuit, & tanquam procella huc illuc impulit: donec tandem portum aliquem, in quo acquieſcam, reperiſſe mihi videor. Itaque quæ mea in hoc perplexiſſimo negocio ſententia ſit, non grauabor breuiter & dilucide explicare: tum vt huius inſtituti & propoſiti mei rationem, pietatis & æquitatis ſtudioſis hominibus reddam: tum etiam, vt iis qui eadem cogitatione iactantur, exemplum, quod (ſi placet) ſequi poſſint, proponam. In primis hoc teſtatum volo, me hanc viam, quam in quæſtionibus & controuerſiis Religionis ſequor, non alia de cauſa ſuſcepiſſe, quam quod tam poſt longam & diligentem inquiſitionem, rectiſſimam & tutiſſimam eſſe iudicem: eamq; ad pacificationem & concordiam conſtituendam, quam accommodatiſſimam eſſe putem. Rogatos autem volo eos qui in hoc ſcriptum incident, vt quo animo eos fero, qui à me in nonnullis rebus diſſident, modo in fundamentis Religionis noſtræ conſenſio ſit, eodem animo me quoque ferant, alicubi forte ab iis diſſentientem: quod me à piis & æquis viris impetraturum confido.

Equidem iam inde ab adoleſcentia conſtitutionum & cæremoniarum Eccleſiaſticarum obſeruantiſſimus fui: ſic tamen, vt natura, vel diuino potius impulſu, omnem ſuperſtitionem, quam tum vtcunq; deprehendere videbar, vehementer deteſtatus ſim. Mox itaq; cum in lectionem ſcriptorum huius ætatis, qui reformationem quandam & repurgationem ſuperſtitioſorum cultuum & abſurdarum opinionum promittebant, inciderem, mire illorum inſtitutum placuit: qui tamen ita ſuperſtitiones & abuſiones, quæ nonnullis cæremoniis Eccleſiaſticis admixtæ erant, exoſas haberem, vt ipſam Eccleſiaſticam politiam, quæ his cæremoniis fere conſtat, non ſublatam & euerſam, ſed repurgatam & emendatam eſſe vellem. Poſtea ætate & iudicio acceſcente, viſi ſunt mihi in his abuſibus & corruptelis notandis & inſectandis nonnulli ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα proſilire: idemq; illis accidere, quod iis qui cum putres & corruptas corporis partes præcidere volunt, etiam ſanam partem, & quæ ſine corporis graui offenſione & læſione tolli non potuit, inuadunt: non paucos etiam ſcabie, vlceribus & vitiis corporis offenſos, ipſius corporis odium concepiſſe, & pro curatoribus, hoſtis & inſectatoris perſonam induiſſe. Itaq; putaui, mihi & eorum ſcripta, quos illi vt aduerſarios inuadebant, eadem diligentia perlegenda, & pari attentione & iudicii æquitate inter ſe conferenda: in quibus aduerſariis, vt in æſtu contentionum accidit, nonnulla quoque offendebant. Nam mihi quidem ita videbatur, vt illos odio vitiorum, etiam quæ ſana, aut certe medicabilia erant, præcidenda & remouenda contendiſſe: ita hos contra, cæco quodam amore corporis etiam vitiata & morbida, tanquam ſana & bene habentia, tuenda ſuſcepiſſe. Cum igitur vtriq; à regia via, hi quidem in dextram, illi vero in ſiniſtram nonnihil deflexiſſe viderentur, ad ipſam directam regiamq; viam inquirendam mandato diuino me cogi & impelli putabam. Quare vt certius aliquid de hac re cognoſcerem; & certum aliquod firmumq; iudicium de his controuerſiis compararem, ſtatui mihi ab omni partium ſtudio abſtinendum, & perſonarum præiudicium ſeponendum, libertatemq; iudicandi (quæ, niſi exuta partium & perſonarum affectione, conſtare non poteſt) retinendam. Itaq; mihi iudices & arbitros in hoc difficilimo & arduo negocio adeundos, & conſulendos eſſe putaui: nullumq; firmius & certius iudicium inueniri, quam ſi ipſa Scriptura ſacra, eiuſq; vera & ſana intelligentia proponatur. Satis enim deprehendebam, non nudum ipſum Scripturarū contextum, ſed ipſarum Scripturarum intelligentiam, in quæſtionibus Religionis diiudicandis adhibendam & conſulendam. Primo quia Apoſtoli doctrinam Chriſti, quæ compendio his ſcriptis continetur, multo pluribus verbis, populis ad quos deſtinati erant, expoſuerunt & explicarunt: tum etiam, quod hæreſes, quæ mox ab Apoſtolorum è vita exceſſu extiterunt, cum pleræq; Scripturam ipſam iam ab omnibus receptam, negare non poſſent, de intelligentia tantum Scripturæ quæſtionem mouebant. Quare non verbis, quæ illis cum Orthodoxis communia erant, ſed vera intelligentia & ſcientia diuinarum literarum confutandi erant: quæ intelligentia petenda erat, à communi conſenſu & publico teſtimonio omnium Eccleſiarum, quibus doctrinam à Chriſto acceptam, tanquam depoſitum quoddam, Apoſtoli commendarunt. Nam qui nobis initio veram hanc & germanam eſſe Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, quæ iis ſcriptis continetur, ſuo teſtimonio approbarunt: iidem ſane & mentem ipſam & intelligentiam eorundem ſcriptorum, quam ex viua ipſa & ampliſſima Apoſtolorum doctrina acceperant, poſteris tradiderunt. Irenæus *lib. 3. c. 2. & 4.* Tertul. *de præſcript. hæret.*

Atq; hæc eſt, quæ *Catholica traditio & veritas non ſcripta* à nonnullis appellatur. Quanquam in iis quæ fidei quæſtiones attingunt, nihil eſt quod Scripturis ſacris non aliquo modo contineatur: cum hæc traditio nihil aliud ſit, quam Scripturæ ipſius explicatio & interpretatio: ita vt non inepte dici poſſet, Scripturam eſſe implicatam quandam & obſignatam traditionem, traditionem vero eſſe Scripturam explicatam & reſignatam. Non inepte igitur Vincentius Lyrinenſis, qui ſub ætatem Auguſtini vixit, cum iam multæ & variæ hæreſes Eccleſiam vexarant, & exercuerant, eum qui ſe aduerſus hæreſes omnes munitum & tutum eſſe velit, hæc duo ſibi proponere debere confirmat;

Caue-

Canonicam auctoritatem, & Catholicam traditionem. Non, quin Canonica auctoritas ſufficiat: ſed quod Scripturæ verba in varias ſententias ab impiis & imperitis hominibus diſtrahantur. Quare certam aliquam ſententiam conſtituendam quæ à Catholica traditione petatur. Quæ quidem Catholica traditio tribus notis deprehenditur: *antiquitate, vniuerſitate & conſenſione.*

Huius intelligentiæ ex Catholica traditione, id eſt, antiqua, perpetua & vniuerſali conſenſione neceſſitatem, hodie quoque deprehendimus. Nam, exempli cauſa, hæc verba, *In principio erat Verbum*, quin ab Apoſtolis ſcripta ſint, nemo inficiatur. De intellectu autem huius vocis VERBVM, ingens certamen eſt: & qui diuerſam ab Eccleſia ſententiã ſequuntur, non minus probabilibus rationibus nituntur. Nos autem ex perpetua hac traditione, & antiquiſſimorum Patrum concordiſſimis ſcriptis, & veterum Conciliorum grauiſſimis decretis ad nos vſque propagata, per λόγον non propoſitum aut δόγμα, non ideam quandam & formam in mente diuina, ſed perſonam & ὑπόστασιν ſignificari credimus. Idem accidit in his verbis, *Verbum caro factum eſt: Ego & pater vnum ſumus*: & multis ſimilibus, quæ explicare longum eſſet.

Cum autem quæſtionum religionis quatuor ſint genera, quarum aliæ diſciplinam & cæremonias ſpectant: quod ad prius genus attinet, Primum eam doctrinam vt veram & Catholicam habendam eſſe iudico, quæ ſacris literis eſt expreſſa: Deinde, quæ ex mente & intelligentia earumdem literarum ab ipſis vſq; Apoſtolorum temporibus eſt tradita, & per ſucceſſionem ad nos vſq; deriuata, quarum vtramque pari fidei integritate amplectendam duco. Tertio loco eſt, quæ ab omnibus Eccleſiis, vel maiore certe parte eſt recepta, & probabilibus rationibus è ſacris literis confirmata. Hanc quoque pio cuique ſuſcipiendam exiſtimo: quamuis ingenioſis hominibus rationes occurrere poſſint, quibus probabiliter refutetur. Quarto loco quæſtionum quoddam genus eſt, quæ neque tam claris Scripturæ teſtimoniis, neque tam antiquo & magno conſenſu Eccleſiæ nituntur: tamen poſterioribus temporibus, in hac præcipua Occidentali Eccleſiæ parte conſtitutæ & receptæ ſunt: quæ cum diuinis literis manifeſte non repugnent, in earum confutatione neque pugnaciter agendum, neque ea de cauſa Eccleſiarum pacem perturbandam puto. Quod ſi ſententia aliqua iam omnino recepta & firmata, minus probabilis videatur, de ea tamen non paſſim & odioſe contendendum, ſed cum eruditis & moderatis viris placide inquirendum & diſceptandum exiſtimo. Quæ autem certorum hominum quamuis doctorum, probabilibus diſputationibus aſſeruntur, ita vt alii aliter de iis ſentiant; liberam cuique quid velit ſequendi poteſtatem eſſe conſtat. Si quæ vero ſententiæ & diuinis literis, & veteris Eccleſiæ traditioni aduerſæ, & per errorem vel imperitiam, vel etiam ambitionem poſtremis his & corruptiſſimis temporibus inuectæ videntur, eas vt fermentum vitandas & cauendas non nego: ſic tamen, vt priuato homini temere apud quoſuis de iis contendendum non putem, vbi certa offenſio, profectus & vtilitatis nulla ſpes. Itaque prudentiam eam Chriſtianam hic adhibendam, vt non temere & paſſim vbique dicas quicquid ſentias, neq; tamen vnquam dicas contra quam ſentias: vbi vero gloria Dei vel proximi vtilitas poſtulat, libere & conſtanter dicas quod ſentias.

De cæremoniis vero, quæ ordinis in Eccleſia conſeruandi, vel diſciplinæ in populo conſtituendæ cauſa inſtitutæ, vel vſu receptæ ſunt, ita ſtatuo: Cæremonias, quæ à Chriſto ad colligendam noui populi ſocietatem inſtitutæ ſunt, & Sacramenta vocantur, caſte & integre obſeruandas, nihil eorum inſtitutioni tanquam mutilatis & imperfectis addendum, neq; vt ſuperfluis detrahendum. Interim Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ius poteſtatemq; conceſſam credo, vt pro tempore & vtilitate Eccleſiæ ritus quoſdam & cæremonias inſtituerent, quibus in publicis Eccleſiæ conuentibus ſacramenta illa diuinitus adminiſtrarentur: tum etiam, quibus diſciplina populi tanquam politicis quibuſdam legibus, ſine quibus ſocietas nulla conſiſtere poteſt, regeretur & contineretur. Ex iis autem ritibus & cæremoniis quædam per vniuerſum orbem ſumma conſenſione iam inde ab ipſis Eccleſiæ initiis obſeruatæ, & ad nos vſque ſunt propagatæ: quarum cum rationes perpetuæ ſint, perpetuam quoque obſeruantiam eſſe conuenit. Quare traditionum Apoſtolicarum & conſuetudinum vniuerſalium appellatione commendantur. De iis aſſentior B. Auguſtino, ſcribenti ad Ianuarium: *In obſeruatione Eccleſiaſticarum conſuetudinum, hanc rationem tenendam, ſi quid Scriptura diuinæ praſcribit auctoritas, non dubitandum eſſe, quin ita facere debeamus vt legimus. Similiter ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum omnibus ſit diſputare, inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ.* Huiuſmodi maiorum conſtitutiones obſeruandas eſſe, ex Apoſtolicis actis dicimus: *Actor. 16.* vbi legimus, Paulum, & ei adiunctos, non tantum expreſſa Dei mandata oppidatim docuiſſe, verum etiam obſeruari tradidiſſe decreta quæ ab Apoſtolis & ſenioribus erant ordinata.

Illud tamen verum eſt, ex iis qui olim per vniuerſum fere orbem obſeruabantur, ritibus, quoſdam aut quia non tantum momenti habere putabantur, aut temporum commutatione vtiles eſſe deſierant, aut intemperantia populi in abuſionem venerant, paulatim deſuetudine eſſe abrogatos. Nec inficior, alios quoque eiuſdem generis etiam hodie publica auctoritate, modo id quã minimo ſcandalo fiat, abrogari poſſe. Nonnulli quoq; adhuc antiquiſſimi ritus in Eccleſia reliqui ſunt, quorum huc vſq; veſtigia, & tanquam lineamenta ſeruantur, quamuis ab ipſo fine & vſu, ad quem initio inſtituti ſunt, nonnihil deflexerint: quos tamen, donec legitima auctoritate aut priſco ſuo fini reſtituantur, aut etiam ex vſu remoueantur, pacis & vnitatis ſtudio obſeruandos exiſtimo. Contra nonnulli ritus olim vniuerſales, & ſumma religione, vt Apoſtolicæ traditionis obſeruati, tandem paulatim obſoleuerunt: quos, vt ego quidem exiſtimo, in vſum rurſum reuocari per legitimam auctoritatem, quam minima fieri poſſit perturbatione, conueniat.

Sed

Sunt & alii quidam ritus certarum Eccleſiarum proprii, ſed longa conſuetudine confirmati, qui per loca terrarum regioneſque variantur. De iis regulam à B. Auguſtino præſcriptam tenendam ſentio. *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum.* Item ad Caſulanum: *In iis rebus, de quibus nihil ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. De quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio.* Et poſtea: *Sit ergo*, inquit, *vna fides vniuerſa, quæ per orbem dilatatur, Eccleſia, tanquam intus in membris, etiam ſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum eſt, impeditur.* In eandem ſententiam B. Hieronymus ſcripſit Lucinio: *Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti.* Non tamen prætereundum hoc loco eſt, quod eidem Ianuario ſcripſit Auguſtinus: *Quæ ſcripturis non continentur, nec in conciliis ſtatuta, nec vniuerſali conſuetudine confirmata, ſed pro regionum & hominum moribus variantur, oblata facultate reſecanda ſunt, etiam ſi fidei non videantur aduerſari: quia religionem, quam Chriſtus liberam eſſe voluit, ſeruilibus oneribus premunt.*

Illud autem in primis obſeruandum eſt, in his ritibus & obſeruationibus multis modis vitium accidere poſſe. Vno modo, cum iis ritibus, quorum bonus vſus eſſe poteſt, falſa opinio & alienus finis affingitur: quæ opinio cum in animis hominum & non rebus ipſis inſita ſit, recte ſentienti legitimeq; vtenti præiudicare non poteſt. Aliquando ritus ad pium vſum inſtituti, ſuperſtitione populi in abuſum vertuntur: qui abuſus publica auctoritate tollendi, priuata autem cautione vitandi ſunt: bonus autem vſus, ſi quis eſt, retinendus. Scite dictum eſt à quodam ſcriptore Italico noſtra ætate: *Tanti non debet eſſe vllus abuſus, vt propter ipſum tollatur bonus vſus.* At magis pro conſeruando bono vſu, corrigendi ſunt abuſus, ſi qui ſint in Eccleſia. Quanquam hæc ſuperſtitio vſq; eo inualeſcere poteſt, vt publica auctoritate rem quoq; ipſam, cui ſuperſtitio adiuncta eſt, è medio tolli conueniat: vt de æneo ſerpente ab Ezechia rege factum legimus.

Nonnullæ quoq; huius generis conſtitutiones ſunt, quæ quamuis exiguum vſum habere videantur, tamen vnitatis retinendæ & ſcandali vitandi cauſa ſeruandæ ſint. Aliæ eius generis ſunt, vt cum plerunque vtiles eſſe poſſint, tamen non raro tempus incidit, vt priuatim earum obſeruatio vel impoſſibilis vel noxia ſit: vt in ieiuniis & delectu ciborum haud raro ægrotis & debilibus accidit. His à verbis ſtatuti ad mentem inſtitutoris & Eccleſiæ confugiendum eſſe non dubito. Non diffiteor tamen, poſtremis hiſce temporibus, vna cum ignorantia, auaritia & ambitione, ſuperſtitioſos quoque nonnullos cultus & ritus in Eccleſiam irrepſiſſe, ita vt vitium ipſis rebus inhæreat, ipſorumque obſeruatio fidei integritati officiat. Hos vt publice per eos, quorum in Eccleſia ſumma poteſtas eſt, tollendos: ita priuatim cuique vitium agnoſcenti cauendos, neminem inficiaturum puto. In horum autem rituum diiudicatione dupliciter error accidere poteſt. Primum, ſi nimio odio ſuperſtitionis, ii ritus qui tolerari, citraque impietatem ſeruari poſſint, pro noxiis & impiis temere damnentur & abiiciantur. Rurſum, ſi cæco ceremoniarum amore, & inconſiderato Eccleſiaſticæ poteſtatis zelo ſuperſtitioſi & impuri ritus pro religioſis & ſanctis defendantur & exigantur. Quæ tamen diiudicatio homini in rebus Eccleſiaſticis vtcunq; verſato, nulloq; partium aut perſonarum ſtudio præpedito, haud ita difficilis erit.

Hæc de doctrina & cæremoniis ſententia mihi poſt diuini ſpiritus implorationem, harumq; controuerſiarum ſepoſitis partium ſtudiis ad arbitrium diuinarum literarum & antiquæ perpetuæque traditionis, quæ in vetuſtis Patrum ſcriptis & conciliorum antiquorum decretis extat, explorationem, vera, Chriſtiana, Catholicoq; homini paciſq; & Eccleſiaſticæ vnitatis ſtudioſo digna & conueniens viſa eſt.

Cum igitur in hac Eccleſia Occidentali ſiue Romana, in qua nati, & in Chriſto regenerati, cuiuſque per baptiſmum (quantum ad externam conuerſationem) & membra effecti ſumus, profeſſio Chriſtiani nominis, Scripturarum auctoritas, & doctrina illa Apoſtolica, quod ad capitales Religionis articulos attinet, retineantur, ſacramentaque, vt ſunt à Chriſto inſtituta, ſeruentur (quamuis in Euchariſtiæ celebratione & diſpenſatione nonnihil vitii videri poſſit) & in multarum cæremoniarum & rituum obſeruatione priſcæ adhuc Eccleſiæ imago in ea conſpiciatur: adhæc perpetua preſbyterorum ſeu Epiſcoporum, quamuis multum à priſca integritate degenerantium, iam inde ab Apoſtolis ſucceſſione gubernetur: hanc inquam Eccleſiam vt veram Eccleſiam & domum templumque Dei, magnæque illius & Catholicæ Eccleſiæ non contemnendum membrum, non poſſum non amplecti & venerari. Quamuis non inficior, eandem illam Eccleſiam à priſco ſuo illo decore & ſplendore non parum diuerſam, multiſque morbis & vitiis deformatam, nonnunquam & gubernatorum tyrannide miſerabiliter preſſam.

Porro hæc ideo huic externæ ſocietati, quam Romanam vel Occidentalem Eccleſiam vocamus, attribuo, quod in ea Dei verbũ eiuſque ſacramenta ſeruentur, & ingens (vti ſpero) electorum multitudo, qui reuera Chriſti Eccleſiam & ſponſam conſtituunt, intra eam contineatur: quamuis permulti, iique illuſtres in ea ſocietate ſint, imo regnum & gubernationem obtineant, qui ad Chriſti Eccleſiam minime pertinent, atque adeo Chriſti eiuſque doctrinæ hoſtes ſunt, ac tanquam alieni in ea tyrannidem exercent. Pulchre Auguſtinus, *De vnic. baptiſ. lib. 7. capit. 51.* alios ita eſſe in domo Dei vt ipſi etiam ſint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari ſupra petram: alios vero ita dici eſſe in domo vt non pertineant ad compagem domus, nec ad ſocietatem pacificæ fructiferæque iu-

ſtitiæ

ſtitiæ. ſed ſicut eſſe dicitur palea in frumentis, &c. & ibidem libro 4. cap. 13. *Sunt*, inquit, *& intus hoſtes Dei, quorum pectora obſedit ſpiritus Antichriſti: & tamen gerunt ſpiritualia & diuina*, &c. Quare quæ in hac Eccleſia, ſana & veræ Eccleſiæ Chriſti conſentanea ſunt, religioſe amplector: quæ nonnihil vitiata modo non impia, cum tollere non poſſum, pacis cauſa tolero. Si qui autem grauiores morbi ſunt, qui omnino medicationis indigeant, contagionem ita vito, vt tamen corpus ipſum non cum acerbitate inſectandum, ſed ſummo cum animi dolore commiſerandum, & ſi qua fieri poteſt, ei opitulandum eſſe putem.

Interim tamen eos damnare non poſſum, qui in fundamẽtis Apoſtolicæ doctrinæ perſiſtẽtes, ſtudio ſinceræ Religionis, cũ aliqua correctionis indigere, ab eruditis & piis viris admoniti intelligãt, in aliqua Eccleſiæ parte, præeunte ſumma auctoritate, accedente communi illius Eccleſiæ cõſenſu, in doctrinæ genere aliqua repurgarunt: & cæremonias aliquot etiam vetuſtiores, cum id populi magna vtilitas & prope neceſſitas exigat, auferendas, aliaſque pietati & diſciplinæ conuenientiores ſuſficiendas eſſe putant: modo id quam minimo ſcandalo & perturbatione fiat, & communio ſpiritus & vinculum pacis cum reliquo Eccleſiæ corpore conſeruetur. Quis enim membro vitio vertat, ſi reliquo corpore laborante, & ſui curam negligente, ipſum ſui curam ſuſcipiat? non vt reliquo corpori inſultet, ſed curandi exemplum præbeat, & ad imitationem inuitet? Eos igitur qui in his cœtibus ita verſantur, vt nihil aliud quam Chriſti gloriam & Eccleſiæ eius inſtaurationem quærant, totoque animo ad Eccleſiæ pacem & vnitatem incumbant, & cum reliquo Eccleſiæ corpore, etiamſi quadam rituum & opinionum diuerſitate diſcrepent, charitatis tamen vinculo colligentur, à Chriſto capite & corpore eius, quod eſt Eccleſia, ſeparare & remouere non poſſum: quamuis à nonnullis, omnem Eccleſiæ inſtaurationem & reformationem vel inconſiderato zelo, vel priuato animi morbo aſpernantibus, vt hæretici, ſchiſmatici, & Eccleſiæ hoſtes, traducantur & condemnentur.

Illos vero probare minime poſſum, qui ita à Romanæ Eccleſiæ abuſibus & corruptelis recedere voluerunt, vt ab ipſa Eccleſia defeciſſe, ſeque ab omni eius conſortio & communione ſeparaſſe videantur. Quare non ad eam medicandam & inſtaurandam, ſed perdendam potius & euertendam, omnia ſua ſtudia conferre videntur. Quemadmodum rurſum in iis qui Romanæ Eccleſiæ gubernatores & propugnatores haberi volunt, illud improbandum exiſtimo, quod morbum nullum agnoſcunt: & quod huic rei conſequens eſt, remedia non admittunt: immo de correctione admonentes, & ad curationem exhortantes, operamque ſuam ad id efficiendum offerentes, non modo reiiciunt, & ab Eccleſiæ ſocietate depellunt, verum etiam multis in locis crudeliter interficiendos cenſuerunt: quæ res huic miſerabili ſchiſmati occaſionem dediſſe videtur. Neque tamen ſatis cauſæ eſt, cur huic cœtui Eccleſiæ Catholicæ nomen detrahatur, quod multi, qui eam gubernant, recte monentes perſequantur: neque enim id Eccleſiæ tribuendum eſt, quod falſorum & infidelium gubernatorum vitio committitur. Nam & in Euangelio ſeruus infidelis ſuper familiam Dei conſtitutus legitur, & Chriſtus de Hieroſolymitanis queritur, *Lucæ* 12. quod occiderint prophetas, & lapidauerint eos qui ad ſe miſſi fuerant: cuius tamen Eccleſiæ communionem & ante Prophetæ, & Chriſtus ipſe, piique ætate Chriſti homines (vt Zacharias, Simeon, Anna, Maria, Ioſephus) non defugerunt.

Neque errores, tum doctrinæ, tum humanarum traditionum, qui in ea obtinuerunt, ad auferendum Eccleſiæ titulum ſufficiunt: cum in Eccleſia Hieroſolymitana, in Pontificibus & Phariſæis, qui eius gubernationem tenebant, huiuſmodi errores Chriſtus ipſe notarit & reprehenderit, cum à fermento Scribarum & Phariſæorum cauendum monet, & eoſdem ſeuere increpat, quod irrita faciant mandata Dei propter ſuas traditiones: nec obſcure eos inſimulat, quod *fruſtra ab ipſis colatur, doctrinam & mandata hominum docentibus.* Idem tamen Chriſtus admonet ſuos, vt in cathedra Moyſi ſedentes, id eſt, ſumma auctoritate & poteſtate in Eccleſia Dei ex inſtituto Moyſi fungentes, audiant; recte ex præſcripto diuinæ legis monentibus pareant: quamuis opera illorum, doctrinæ, quam profitentur, minime conſentiant. At dicunt nonnulli, è vera quidem Eccleſia prodiiſſe Papiſtas, quos vocant, ſed per falſas & nouas opiniones & impios cultus ab ea defeciſſe: quare ab iis tanquam ab Antichriſti Eccleſia & Diaboli ſynagoga quam longiſſime ſecedendum, nullamq; cum ea communionem habendam. Verum illud mihi vide. Longe aliud eſt à puritate & ſinceritate tum doctrinæ tum morum, qua vetus & primitiua Eccleſia floruit, degeneraſſe: & ab ipſa veteri Eccleſia prorſus defeciſſe. Eccleſia enim ab ipſo fundamento quod eſt Chriſtus pro nobis mortuus & reſuſcitatus, æſtimanda eſt: cui fundamento ſi poſteri pro auro & argento & lapidibus precioſis, lignum, fœnum & ſtipulam ſuperſtruxerint, non tamen continuo à fundamento receſſerunt. Et riuulus, tametſi longo curſu, contracto limo & ſordibus, nitorem illum & puritatem quæ in ipſo fonte, aquaq; fonti proxima ſpectantur, coinquinauerit & conſpurcarit, non tamen à fonte alienus & ſeiunctus habetur: ſed ibi curandum, vt pro ligno, fœno, ſtipula, aurum, lapides & gemmæ in eodem ædificio, ſuperq; eodem fundamento reponantur: & hic, vt aqua riui, quæ potiſſimum è fonte profluxit, ſeruata eadem ſcaturigine, quoad fieri poteſt, à limo & ſordibus repurgentur.

Contra autem, quod omnes ii, qui ob reprehenſionem nonnullorũ abuſuum initio reiecti, conſcientiæ impulſu in ratione docendi & forma miniſterii aliquid immutarunt, ab Eccleſia defeciſſe dicuntur, & inter hæreticos & ſchiſmaticos numerantur: videndum eſt, quam id recte & iuſte fiat. Eccleſia enim Chriſti caput eſt, & corpus. à capite non receditur, niſi per falſam & Scripturis ſacris diſſentaneam de capite Chriſto doctrinam: à corpore vero, non per quamuis rituum & opinionum diuerſitatem, ſed per ſolam charitatis defectionem. Quare, vt ante quoq; dixi, qui recta ſententia de

Chriſto;

Chriſto, capiti iunguntur: & charitatis & pacis vinculo; etiamſi opinionibus quibuſdam & ritibus diſcrepent, reliquo Eccleſiæ corpori connectuntur: nullo modo vt ſchiſmatici & ab Eccleſia alieni habendi ſunt, etiamſi ab alia Eccleſiæ parte potentiore, & gubernationem obtinente reiecti, & ab eorum ſocietate & communione ſeparati videantur. Neq; enim quæuis reiectio & ſeparatio ſchiſmaticos facit, ſed initia ſeparationis & cauſæ ſpectandæ ſunt: non enim ſeparatio facit ſchiſma, ſed cauſa. Hæc de iis tantum loquor, qui hanc ſeparationem inique ferunt, & omnibus votis pacem & conciliationem deſiderant, & à quibus quadam ex parte externa communione ſeparantur; fidei tamen & charitatis vinculo coniunguntur, & ad omnem conſenſionem & communionem parati ſunt; quam diuinis inſtitutis & mandatis non aduerſari arbitrantur.

At dicas, perpaucos eſſe hoc animo præditos. Plerique enim ex iis qui ſibi ab Euangelio nomen ſumpſerunt, eam partem, quæ vetus Catholicorum & Romanæ Eccleſiæ nomen retinet, prorſus aſpernantur, omnemq; eius communionem defugiunt, nec vt membrum eiuſdem corporis amore & miſericordia proſequuntur, ſed vt Satanæ & Antichriſti corpus abominantur. Scio id equidem, & doleo: & quæ eiuſmodi ſunt, quomodo à ſchiſmatis nota eximi poſſint, non video. Id certe ſcio, principes aliquot illius partis, atque adeo ipſum * ducem, qui primus ad repurgandas ſordes Eccleſiæ facem prætuliſſe videtur, longe aliud non vno in loco ſcripſiſſe: ex quibus locis, quamuis id ſit præter breuitatis inſtitutum, vnum & alterum ſubiiciam. In excuſatione quorundam articulorum: *Quamuis*, inquit, *heu dolor, Roma peius agatur quam conueniret, tamen nulla cauſa tam grauis eſt, aut erit vnquam, qua merito ſe quis ab illa ſeparare debeat: imo quanto peius Romana Eccleſia habet, tanto magis illi & accurrendum & ſuccurrendum fuerit, eique magis inhærendum: nam diſceſſionibus nihil proficies. Adde, quod Chriſtus propter Diabolum deſeri non debeat.* Et in diſputatione Lipſienſi: *Nunquam*, inquit, *mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunque ſchiſma. Inique faciunt Bohemi, quod ſe auctoritate propria ſeparant à noſtra vnitate, etiamſi ius diuinum pro eis ſtaret: cum ſupremum ius diuinum ſit charitas, & vnitas ſpiritus.* Et alibi: *Bohemorum diſſidium ab Eccleſia Romana nulla poteſt excuſatione defendi quin ſit impium, & contra charitatem. nam hoc quod vnice allegant, ſeſe timore Dei & conſcientia defeciſſe, ne inter malos ſacerdotes & Pontifices viuerent: hoc eos maxime omnium accuſat. Si enim illi mali ſunt, & tu vera charitate ferueres, non defugeres: ſed etiamſi in extremis malis eſſent, accurreres, fleres, moneres, argueres: nunquid & nos qui ferimus onera, & fere importabilia monſtra Romanæ curiæ, ideo fugimus & diſcedimus? Abſit, abſit. Reprehendimus quidem & deteſtamur, oramus, monemus: ſed non ſcindimus ob hoc vnitatem ſpiritus, non inflamur aduerſus eam, ſcientes quod charitas ſuper omnia eminet.* Idem in reſolutionibus: *Pighardi*, inquit, *noſtri vicini, hæretici, infælix populus, qui fœtore Romano gaudet, ſicut Phariſæus ſuper publicanum, non autem compatitur. Scimus heu noſtrum caſum, & dolemus: non autem ſicut hæretici fugimus, & ſeminiuum tranſimus, tanquam alienis peccatis polluti timeremus: nos vero, quo miſerius laborat Eccleſia, eo fidelius aſſiſtimus, & accurrimus flendo, orando, monendo, obſecrando: ſic enim charitas iubet, alterum alterius onera portare.* Neque vero neſcio, cum poſtea hanc cantionem longe contrario & acerbiore carmine commutaſſe, ſed importunis & abſurdis quorundam hominum aduerſum ſe ſcriptis incitatum atque commotum, quos diffiteri non poſſumus, huic miſerabili diſtractioni Eccleſiæ magna ex parte occaſionem dediſſe. Quanquam in poſterioribus quidem ſcriptis, cum à Pontificia bulla ferocior factus eſt, Romanam Eccleſiam, in qua Rom. pontifex imperium tenet, veram eſſe Chriſti Eccleſiam negauit: quamuis eius gubernatores, vt Papam, Cardinales, Epiſcopos, Doctores, non eſſe Eccleſiæ membra, ſed tyrannos & hoſtes proclamet. Ita enim ſcripſit ad lectorem de geſtis Auguſtæ: *Quare ego coram te lector proteſtor, me colere & ſequi Rom. Eccleſiam, in omnibus: ſolum illis reſiſto, qui nomine Eccleſiæ Romanæ Babyloniam nobis ſtatuere moliuntur.* Item aduerſus Bullam: *Romana Eccleſia abunde ſatis eſt gloria. partem eſſe paruam vniuerſalis Eccleſiæ: curia potius Romana iſta bulla eſt*, &c. Et poſt Comitia Auguſtana: *Illa*, inquit, *vera Eccleſia Chriſti fundamentum & columna veritatis eſt, locus ſacroſanctus in quo ſtat abominatio: & in hac Eccleſia Deus miraculoſe & potenter ſeruauit baptiſmum, textum Euangelii, remiſſionem peccatorum, ſacramentum altaris, ordinationem, claues*, &c. Et in Germanico quodam libello, quem de fidei ſuæ confeſſione ſenex edidit, in quo Romanam Eccleſiam ſeu Papiſticam, vt vocant, horrendis verborum tonitruis percellit. hæc tamen inter cætera: *Non ſolum agnoſcimus vos vna nobiſcum ex vera Eccleſia prodiiſſe, verumetiam dicimus vos in Eccleſia eſſe & manere: imo vero in ea ſedere & regnare, quomodo Paulus dixit, Antichriſtum in templo Dei (non in ſtabulo vaccarum) ſeſſurum eſſe: verum de Eccleſia, vel membra Eccleſiæ non eſtis amplius*, &c. Quæ non prorſus diſſentanea ſunt illis quæ ſupra ex Auguſtino adduximus. Quomodo vero atrociſſimis dictis conſentiant, in quibus non veram, ſed *Papiſticam*, non Apoſtolicam, ſed *apoſtaticam Eccleſiam*, imo non Eccleſiam, ſed *ſynagogam Satanæ, proſtibulum diaboli, archimeretricem, ſcholam inferni* (& quis omnia illa præclara elogia enumerare poſſit?) appellat, non video: nec multum curandum, neq; mirandum puto, ſi homo humana paſſus ſit.

Hanc quoque Ioannis Caluini, qui modo auctoritate apud ſuos Luthero non cedit, de Romana Eccleſia ſententiam fuiſſe, vel ex epiſtola ad Iacobum Sadoletum conſtat. ita enim ibi ſcripſit: *At cuius arrogantiæ eſt*, inquies, *iactare penes vos ſolos eſſe Eccleſiam, & eam adimere orbi vniuerſo? Nos vero, Sadolete, Eccleſias Chriſti eas, quibus præſidetis, eſſe non negamus: ſed Pontificem Romanum cum toto pſeudo-epiſcoporum grege immanes eſſe lupos dicimus*, &c.

Hæc illi. Sed plures horum diſcipuli & ſectatores, ne id quidem admiſſuri videntur. nam ſuperio-

tibus

* Lutherum.

ſibus diebus inſignis quidam & veteranus inter eos, ita diſerte ſcriptum reliquit: *Nos nomen Catholica Eccleſiæ optimo iure illis adimimus, nobis autem recte vindicamus.* Verum ego credo, permultos in eo cœtu eſſe, quibus hæc poſterior acerbitas tum Lutheri, tum ſectatorum eius, minime placeat: quique etiam, cum à reliqui corporis ſocietate reiecti ac pulſi videantur, ſocietatem tamen & communionem omnem Chriſtianam cum toto corpore, quam late patet, animo ac voluntate colant. de quibus nobis nunc ſermo eſt.

Eos vero, qui per impiam de Chriſto Eccleſiæ capite & fundamento ſententiam, à Chriſto capite ſeparantur, & falſa perſuaſione ab omni ſocietate & communione aliarum Eccleſiarum abſtinentes, à Chriſti corpore ſe diuellunt; vere hæreticos & ſchiſmaticos dicendos & habendos exiſtimo, neq; ad vllam vel externam vel internam Eccleſiæ ſocietatem pertinere puto: vt ſunt varia & multiplicia Anabaptiſtarum genera. Simplices tamen inter hos & ſpecie pietatis in errorem inductos, vt neq; in Eccleſiæ ſocietatem admittere, ita nec damnare prorſus auſim, ſed Deo incorrupto iudici & mitiſſimo parenti iudicandos relinquo.

Quicquid igitur in vtraque hac Eccleſiæ parte, ſiue ea antiquo nomine *Catholica*, ſiue nuper nato *Euangelica* nuncupetur, integrum, ſanum, doctrinæ Euangelicæ & Apoſtolicæ traditioni conſentaneum inuenio, id vt Chriſti Eccleſiæ proprium veneror & amplector: eamque Eccleſiam, quod in fundamento veræ & Apoſtolicæ doctrinæ, quæ breuiſſimo illo fidei Symbolo continetur, conſiſtat, nec impio ſchiſmate à reliquarum Eccleſiarum communione ſe ſeparet, veram Eccleſiam, veræque Eccleſiæ & Catholicæ Eccleſiæ Chriſti membrum eſſe iudico. neque id tantum de Occiduis, ſed etiam Orientalibus Eccleſiis, vt Græcorum, eorumque, qui ipſorum inſtituta fere ſequuntur, vt Ruthenorum, Syrorum, Æthiopum & Armeniorum ſentio: niſi me ab hac ſententia grauior auctoritas rationeſque validiores dimoueant. Neque ad hanc vnitatem Catholicæ Chriſti Eccleſiæ diuellendam & diſtrahendam, ceremoniarum aliquot & quæſtionum diuerſitatem valere puto, modo in fundamento fidei cum capite Chriſto, & in ſincera charitate cum corpore eius, quod eſt Eccleſia, communio & ſocietas retineantur.

Inprimis autem odi factionum illa odioſa, & è Tartaro vſque emiſſa nomina; cum hi alios *Papiſtas, Antichriſtianos, Satanæ miniſtros, hoſtes doctrinæ Chriſti*: illi vero contra, hos *Hæreticos, Schiſmaticos, Apoſtatas, Eccleſiæ Chriſti hoſtes* appellant: vt quæ nihil aliud quam exitiali ſchiſmati & miſerabili dilacerationi Eccleſiæ, pabulum & nutrimentum ſuppeditant.

Neque vero ita partium ſtudium vitandum puto, vt vtraque parte improbata, nouam quandam & neutralem (quam vocant) ſectam introducere videar: ſed eam tantum partium addictionem improbandam duco, quæ libertatem & æquitatem iudicandi præpediat, qua videlicet à vitiis & erroribus, quibus neutra pars omnino immunis eſt, conſiderandis & reprehendendis auocteris. & ad ea quoque, quæ in altera parte recta & ſana ſunt, aſpernanda, eamq; hoſtili animo perſequendam compellaris. Quin potius hæreſibus, quæ per impia de Chriſto dogmata à capite Chriſto, & nefario ſchiſmate ab eius corpore receſſerunt, damnatis, in vtraq; hac parte, quæ fundamentum religionis retinet, ita verſandum exiſtimo, vt ſi non per omnia in ritibus & ſententiis conueniatur, charitatis tamen communio firmiter retineatur, & ad plenam quoq; ſolidamq; concordiam conſtituendam omni ſtudio contendatur. Hoc ego officium pij viri, ſuæq; ſaluti conſultum volentis, his perturbatiſſimis periculorumque pleniſſimis temporibus, eſſe iudico. Quod qui præſtent, eos vere pureque Catholicos eſſe & dici poſſe arbitror. Namque religio vera ſinceraque inter duo mala mihi poſita & conſtituta videtur.

Extant enim hodie potiſſimum duo hominum genera: quorum alteri, quod Eccleſiam non paucis maculis reſperſam, & paulatim contractis vitiis deformatam vident, omnem eius ſtatum labefactatum & conuulſum cupiunt: & dogmata Lutheri, non quæ ſanior adhuc & tranquillior, ſed poſtea Bullæ impetu perculſus, irritatior & commotior, aſſeruit, quouis modo confirmanda & defendenda ducunt: id quod à ſuis ſectatoribus (quos habet nec pauciores, nec obſcuriores) Caluino quoq; accidit, quos fortaſſis recte *Anticatholicos* & *Lutheranos*, ſeu *Caluinianos* appelles. Sunt alii ex aduerſo, qui quod non pauca ex ipſa antiquitate adhuc apud ſe reliqua vident, præſentem Eccleſiæ ſtatum, quamuis corruptum, & paulatim ſubortis abuſionib. contaminatum, omnino tamen ſuo loco manere volunt, neq; quicquam, quamuis id veterum decretis conſentanee fieri poſſit, immutari patiuntur: pontificem vero Roman. quem *Papam* dicimus, tantum non Deum faciunt: eiuſq; autoritatem non modo ſupra totam Eccleſiam, ſed ſupra ipſam Scripturam diuinam efferunt, & ſententiam eius diuinis oraculis parem, imo infallibilem fidei regulam conſtituunt: hos non video, cur minus *Pſeudocatholicos* & *Papiſtas* appellare poſſis. Inter hos, qui maxime hodie in Eccleſia eminent, tertium quoddam genus hominũ, quamuis fere occultum & obſcurum, reperitur: qui cum in alterutra parte verſari cogantur, tamen nulli parti ex animo addicti, quicquid vtrobiq; rectum & Catholicę fidei & obſeruationi conſentaneum eſt, amplectentes: quæ vero his contraria, & modum mediumq; (vt in contentionibus fit) excedentia deprehenduntur declinantes, veram, ſinceram, & diuinis literis Catholicæque Eccleſiæ traditioni congruentem pacem & concordiam omnibus votis exoptant, & ad eam conciliandam omnem ſuam operam & ſtudium conferre parati ſunt. Atq; hoc animo ſi plures in vtraq; parte præditi ſint, facilius & citius pax futura, & concordia coitura ſit. Nam niſi talium hominum conſilium valeat, nulla conciliationis ſpes eſt: & tales ſi audiantur, de pacificatione deſperandum non erit. Sed, proh dolor, in vtraq; parte plures, iiq; potentiores, ita animo comparati videntur,

vt hoſtilem animum in ſe mutuo induerint: & cum pacem vtrinq; optare videantur, eam pacem volunt, non quæ vtraq; parte ſalua, mutua conciliatione & confœderatione conſtet, ſed quæ cum alterius & aduerſæ partis oppreſſione & deiectione coniuncta ſit. Videtur enim mihi hæc Eccleſiarum diuiſio perſimilis eſſe diſſenſioni ciuili, in qua pars altera ab iis, qui Rempub. tenent, corruptis legib. & iniquis ſe conſtitutionibus preſſam queſta, dum conditiones proponeret, repulſa & damnata, & quaſi ſeceſſionem facere coacta eſt. Hinc Eccleſiæ, Repub. in duas partes diuiſa, creſcente in dies diſſenſione, res in atrociſſimum odium & quaſi ciuile bellum erupit, ita vt ex his pleriq; iniqua iam petere, illi ne æqua quidem conceſſuri videantur. Habet autem vtraq; pars ſuos propugnatores, qui partis ſuæ ſtudio incitati, quouis modo cauſam ſuam defendere & tueri conantur: & hoſtili animo aduerſam partem inſectantes, in ea perdenda & extinguenda omni ſtudio laborant: cum tamen in vtriſq; caſtris boni & æqui viri reliqui ſint, qui cõmunis Reip. amantes, ad pacem & concordiam mutuam, & Reip. ad priſcas leges, quibus initio conſtituta fuit, inſtaurationem omnia ſua conſilia & ſtudia conferunt. Ex quo apparet, duobus modis in vtriſlibet caſtris aliquem verſari poſſe: vno modo, vt vnius partis propugnatorem, & alterius partis infeſtum hoſtem: altero modo, vt interceſſorem & pacificatorem, qui quamuis in alterius partis caſtris maneat, alteram tamen partem vt eiuſdem Reipubl. membrum amore proſequitur. Quare non ad eius euerſionem, ſed conciliationem potius & confœderationem conſilia ſua refert, quo fit, vt qui in aduerſa parte prudentiores & æquiores ſunt, eum non vt hoſtem & inimicum, ſed vt ciuem & amicum habeant. Fit quidem non raro, vt feruente inter vtroſq; pugna, vtriq; plagas accipiant: qui tamen ſi aliquando ſe collegerint, ardorq; ille pugnę deferbuerit, bene ab eo ſibi conſultum, gratiamq; illi ſe debere fateantur. Hinc tamen apparet, quã deploranda & periculi plena ſit conditio eorum, qui hanc viam ingredi, ac pacificatorum munus tueri volunt. Nam cum duæ hæ tanquam factiones vniuerſum pene Europæ Chriſtianiſmum inter ſe partiti ſint (quamuis altera in duas quoq; partes, eaſq; fere pares, diſſecta ſit) fit, vt pleriſq; in locis acrioribus illis partium patronis gubernationem tenentibus, vix æquis his & moderatis hominibus locus detur: imo plerunq; vtriq; aduerſariorum loco habentur, & exilii, fortunarum, capitiſq; periculis exponuntur. Ægre enim illi quenquam in ſua ſocietate admittunt, qui non per omnia illis conſentiat, omniaq; apud ipſos recepta probet, alteramq; partẽ vt inimicam hoſtiliter oppugnet. Quamuis alia aliis loca hac in parte mitiora & æquiora ſint, eaq; de cauſa tranquillitate quoq; maiore frui videmus: quibus in locis præclare cum huiuſmodi pacis amantibus viris agitur, ſi vtcunq; quietæ ſedes concedantur, qui vt grauiora pericula euadant, leuitatis certe, inconſtantiæ, timiditatis & adulationis notas vix effugiunt, cum illis vtrique parti aduerſari, his vero vtriq; parti aſſentari velle iudicentur: ad honores vero, dignitates & opes conſequendas, aditus fere omnino illis intercluſus eſt, quo niſi magnatum & potentum fauore, quos ſibi fere partes vendicarunt, non peruenitur: ſed præmia ſibi in cœleſti Hieruſalem, ciuitate æternæ perpetuæque pacis repoſita eſſe ſciant.

Inanis autem mihi eorum oratio videtur, qui his Religionis diſſidiis ſe à pietatis ſtudio retardari & auocari queruntur. Satis enim ampla pietatis exercendæ materia in ijs rebus, quibus in rebus vtrinq; conuenitur, propoſita eſt. Nam de fide in Chriſtum mortuum & reſuſcitatum pro nobis collocanda, & charitate Deo & proximo exhibenda, controuerſia nulla eſt. Porro in his duobus capitibus pietatis ſumma conſiſtit. Quid enim eſt aliud pietas, quam officium præſtare Deo? quod officium quid aliud eſt, quam eius obtemperare mandatis? Porro mandata eius, Apoſtolo teſte, grauia non ſunt: videlicet ex Deo natis, & eius ſpiritu præditis. *Hoc eſt*, inquit, *mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum.* Non igitur pietas ſubtiles arduarum & difficilium quæſtionum diſceptatores, & curioſos latentium & abditarum rerum inueſtigatores: ſed ſimplices breuiſſimi verbi, hoc eſt, mortui & reſuſcitati Chriſti profeſſores, & fidos voluntatis ſuæ executores requirit. *Prope*, inquit Paulus, *eſt verbum in ore tuo, & corde tuo*: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. *Quia ſi confiteatis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitauit illum à mortuis, ſaluus eris*, &c. Et idem: *Nemini*, inquit, *quicquã debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Et ad Timoth. monet, *non intendendum fabulis & genealogiis infinitis, quæ quæſtiones exhibent magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide: finem autem & complementum totius præcepti eſſe charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Opportuna igitur & obſeruatione digna eſt oratio Irenæi, quæ extat libr. 2. de hæreſibus (*Melius eſt*, inquit, *nihil omnino ſcientem quempiam, ne quidem vnam cauſam cuiuslibet eorum, quæ facta ſunt, cur facta ſint, & credere Deo, & perſeuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud quærere ad ſcientiam, niſi Ieſum Chriſtum filium Dei, qui pro nobis crucifixus eſt: quam per quæſtionum ſubtilitates & multiloquium in impietatem cadere.* Cui & hæc Hilarij ſententia conſentit libr. 10. de Trinitat. *In ſimplicitate fides eſt, in fide iuſtitia eſt, in confeſſione pietas eſt. non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere ſolicitat. In abſoluto nobis ac facili eſt æternitas, Ieſum ſuſcitatum à mortuis per Deum credere, & ipſum eſſe Dominum confiteri.* Non eſt igitur, quod quis vel inquietorum hominum contentiones, vel rerum credendarum & faciendarum difficultates & perplexitates, ignauiæ & impietati ſuæ prætexat. Sunt quidem nonnullæ quæſtiones, quæ à curioſis & inquietis hominibus excitatæ, etiam doctis & piis viris negotium faciunt. In his ea moderatio adhibenda videtur, vt primum de ijs nihil temere, præſertim quod ſit manifeſto Dei verbo contrarium vel alienum, ſtatuatur: neq; propria ſententia contentioſe & pertinaciter obtrudatur & defendatur: diſſentientes vero non ſuperbe & contumelioſe repellantur.

Atque vtinam his temporibus audiatur B. Auguſtinus, qui pios quoſdam & religioſos viros, de prædeſtinationis myſterio non ſatis inter ſe conuenientes, his verbis commonefacit: *Nunciatum eſt mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in veſtra congregatione ſunt, & ad nos inde venerunt, quod de hac re diſſenſiones in vobis ſunt.. Itaque dilectiſſ. ne vos perturbet huius quæſtionis obſcuritas, moneo vos primum, vt de his, quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quicquid eſt autem, quo peruenire nondum poteſt veſtræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem ſeruantes, à Domino, vt intelligatis, orate: & donec vos ipſe perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quo peruenire potuiſtis. Hæc admonet Apoſtolus Paulus, qui cum dixiſſet nondum ſe eſſe perfectum, paulo poſt ait: Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus: id eſt, ita nos eſſe perfectos, vt nondum ad perfectionem, quæ nobis ſufficit, venerimus. continuoque ſubiunxit: Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque Deus reuelabit: veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.* Huic conſilio Auguſtini, imo vero Apoſtoli, ſi quidam obtemperarent, melius & publicæ quieti & ſuæ tranquillitati conſulerent.

Habet igitur hic pius animus, vbi feruente hoc æſtu contentionum nõnihil acquieſcat. Sed quia difficile eſt, vt non aliquando viros, præſertim literatos, hic æſtus inuoluat: ea cautio & diligentia adhibenda erit, vt neq; præpoſtero pacis & quietis ſtudio, vel nimio periculorum metu veritatem prodant & conſcientiam lædant: neq; rurſum inſcito veritatis zelo, vel teneræ nimis conſcientiæ prætextu, non neceſſarijs de cauſis vel publicam pacem, vel priuatam quietem perturbent.

Hęc de officio boni pijq; viri, ſed priuati, nulloq; publico in Eccleſia munere fungentis, dicta ſint. Eorum vero, qui publicum docendi & res diuinas adminiſtrandi officium tenent, alia ratio eſt. Ad eos enim præterea pertinet, vt peruerſas opiniones & falſos cultus, ſi quos in ſua parte obtinuiſſe perſpexerint, neq; ignaue diſſimulando alant, neq; importune inſectando confirment: ſed modo prudenter de ijs corrigendis diſpiciant, modo etiam ſi res ferat, prophetico ſpiritu afflati libere conſtanterque apertas diuinæ legis tranſgreſſiones redarguant, neque vllum huius rei cauſa periculum defugiant: exemplo Zachariæ filij Ioiadæ, qui indutus ſpiritu Dei, populum & Regem palam tranſgreſſionis & defectionis accuſauit: quare Regis Ioæ iuſſu à populo in ipſo templi atrio lapidatus occubuit. Si quis igitur huiuſmodi munere fungens, ſuæ partis Eccleſiam tyrannide preſſam, eamq; periclitantem inuenerit, non dubium, quin aperte tyrannicis & impijs edictis, quibus aut falſa doctrina, aut impius cultus ſtabilitur, aduerſari, & pro ſuo officio intercedere debeat. Quod ſi ea de cauſa ciuitate, hoc eſt, Eccleſiæ eius communione pellatur, nõ nego quin ſuis ſe armis, id eſt, diuinis & Eccleſiaſticis ſcriptis aduerſus tyrannorum criminationes & perſecutiones tueri poſſit. itaq; tyrannidem ipſam, qua Reſpubl. premitur, non ipſam Rempubl. tyrannide preſſam oppugnabit: quomodo olim Thraſybulus occupata Athenienſium Republ. à tyrannis, profugis aliquot ciuibus collectis, tyrannis bellum intulit, non vt Athenienſium ciuitatem, ſuam patriam, euerteret, ſed vt eam in libertatem aſſereret. Quod ſi, vt non raro fit, à tyrannorum factione interimatur, habet exempla prophetarum, vt quorum imitatur facta, eorum quoque præmia conſequatur.

Cum autem ſupra de concordiæ & pacis ſtudio nonnulla dixerimus, hoc modo admonendum duximus, in ea concordia & pace conciliãda id cauendum eſſe, ne quæuis tranquillitas & quies, quæ etiam in ſumma ſeruitute & corruptiſſimo Eccleſiæ ſtatu eſſe poſſit, pro Chriſtiana pace ſuſcipiatur. Ea enim demum vera, ſolida & Chriſtiana pax eſt, quæ cum Dei gloria & voluntatis eius obſecutione coniuncta, & ab omni corruptela cœleſtis doctrinæ & diuini cultus ſeiuncta eſt. Quare nequaquam hic quorundam hominum, qui Reipubl. conſilijs adhibentur, ſtudium probandum eſt: qui rerum ordine inuerſo, humanis diuina, & terrenis cœleſtia cedere volunt, & religione tanquam Lesbia regula, ad præſentem qualemcunq; Reipubl. ſtatum componendum & tuendum, vtendum cenſent: cum Rempublicam & Eccleſiam lapſam & deformatam, non ad religionis normam erigere & conſtituere, ſed Religionem ad Reipubl. & Eccleſiæ qualemcunque ſtructuram ſarciendam & fulciendam inflectere & detorquere nituntur; eique peruerſo & præpoſtero ſtudio pacis & tranquillitatis publicæ nomen prætexunt: eoque prætextu ſumpto, omnes ad vitiorum correctionem & legum diuinarum inſtaurationem (ſine quibus vera, ſolida & firma inter Chriſtianos pax & concordia conſtare non poteſt) adhortantes, vt turbulentos, ſeditioſos & pacis publicæ perturbatores crudeliſſime inſectantur.

Sed de officio Principum & Pontificum, quibus Reipub. & Eccleſiæ procuratio & ſumma adminiſtratio commiſſa eſt, nunc non eſt dicendi locus: quorum pleroſq;, proh dolor, hodie videmus, in curando hoc exitiali Eccleſiæ diſſipatæ & dilaceratæ morbo, non bona conſilia, neq; apta remedia ſequutos. Nam cum à radice & cauſa morbi curatio fieri deberet, eam non modo non euellendam & reſecandam, ſed potius firmandam & ſtabiliendam curarunt: ea tantum quæ in præſens moleſtiam aliquam, quæ tamen ſalutaris eſſe poterat, adferebant, auferre & è medio tollere ſtatuerunt: & vt delicati ægri ſolent, vera remedia, quod amaroris aliquid adiunctum habeant, aſpernantes, temporariam tantum leuationem adhiberi voluerunt. Quo factum eſt (quod in febricitantibus, aquæ potu feruorem morbi lenire volentibus, fieri conſueuit) vt ad tempus nonnihil ægritudo leuari videatur: ſed poſtea impetu maiore & cruciatu vehementiore recurrat, & periculoſius recrudeſcat. Cuius rei hodie triſte exemplum in ampliſſimo * Regno videmus, in quo præpoſteræ huius curationis fructus perſpicitur. * *Anglia.*

Nec obſcurum eſt, quantum momenti in Eccleſiæ morbis ſanandis in eo poſitum ſit, ſi Reges, Principes & magiſtratus officium ſuum, quod Eccleſiæ Dei debent, & recte intelligerent, & ſedulo

exequerentur. Sed pleriq́ue omnes conſilijs & cohortationibus male in hac cauſa conſultorum hominum vſi & incitati, non ad veram morborum Eccleſiæ curationem, ſed ad partis cui præſunt defenſionem, & aduerſariæ partis euerſionem, poteſtatem ſuam conuertunt. Sunt tamen nonnulli Principes, ſummo ſtudio & maxima animi propenſione Eccleſię ſuæ procurationi commiſſæ conſultum volentes, qui cum omnino præſentem Eccleſiæ ſtatum correctionis alicuius indigere perſpiciant, in tantis opinionum varietatibus, & animarum diſtractionibus, quid potiſſimum ſequantur, non vident: & multis grauibuſque vitijs, quibus vtraq; factio ſcatet, deterriti & debilitati, ab omni prorſus Eccleſiæ emendatione ſe cohibent: qui fortaſſis eam emendationem cum aliqua vtilitate & ſucceſſu ſuſcipere poſſent, ſi æquiorum hominum, & hanc regiam, quam vtcunq; commonſtrauimus viam ſectantium conſiliis vterentur. Sed his non modo acceſſus ad Principes intercluditur, & autoritas omnis adimitur: ſed quoad fieri poteſt, contentio, odium, leuitatis & timiditatis criminibus obiectis, vel ſuſpicionibus iniectis, conciliatur. Sed hæc huius loci non ſunt. Priuati tantum hominis officium indicandum ſuſcepimus: qui tamen non ita priuatæ ſuæ quietis rationem habere debet, vt non pro tempore & conditione ſua in commune conſulat, & in conſultatione non rei familiaris conſeruationem, non famam, non opes, non amicitias & cognationes, ſed Deum tantum & conſcientiam ex Dei verbo recte inſtitutam proponat. Quod ſi conſilij ſui nullum vſum eſſe viderit, iuxta Propheticum dictum: *in ſilentio & ſpe præſidium ſibi & arcem* collocet, exemplo piorum in Iudæa virorum, qui Phariſæis & impijs Pontificibus gubernationem tenentibus, populoq; tanquam naribus tracto impios duces ſequente, ipſi taciti Scripturæ oraculis inſtituti, & Spiritus ſancti afflatu edocti, *redemptionem Iſraelis expectabant.*

Plura quidem & vberiora de hoc argumento dici poſſent: ſed his paucis ſatis multa mihi dixiſſe videor. Dedi enim operam, quantum potui, ne quid prætermitterem, quod ad cauſæ expoſitionem ac confirmationem, & ad obiectorum anticipationem & refutationem pertineret. Non ignoro tamen, ab ingenioſis & acribus hominibus multa & ſpecioſa in aduerſam partem dici poſſe: quos ego rogo & moneo cum Apoſtolo, vt ita commoueantur, ne nimia ira culpam ſibi accerſant, & animo tranquillo & pacato in cubilibus ſuis, rem cum animo ſuo expendant & cogitent. Quod ſi omnino contra dicendum putent, eundem quem ego animum, id eſt, æquum, moderatum, amicum & fraternum exhibeant. Nos contra, ſi vita ſuppetat, aut leuioribus obiectis reſpondebimus, aut etiam meliora docentibus, & ſaniora monentibus, libenter obtemperabimus.

Optatus Afer ad Donatiſtas.

NObis & vobis Eccleſiaſtica vna eſt *& eſſe debet* conuerſatio, etſi hominum litigant mentes, non litigant ſacramenta. denique poſſumus & nos dicere, pares credimus, & vno ſigillo ſignati ſumus: nec aliter baptiſati quam vos, nec aliter ordinati quam vos. Teſtamentum diuinum legimus pariter. vnum Deum rogamus. oratio Dominica apud vos & apud nos vna eſt. ſed ſciſſura facta eſt partibus hinc inde pendentibus, ſartura fuerat neceſſaria.

III.

Anno Domini 1607.

CATALOGVS LIBRORVM ET TRACTATVVM, QVI AD PACEM ECCLESIÆ REPARANDAM vtiles eſſe poſſunt.

LECTORI S.

*Q*Via è re publica viſum eſt libros indicare, qui de pace Eccleſiæ ſcripti ſunt, editi, non editi: quorum quidem copia facta nobis eſt ab amicis: nec dubito multo plures eſſe, ſi quis perueſtigare velit, à viris piis, doctis, moderatis, patriæ amantibus, vt iidem iſti, conſcriptos: pro capiu, ſenſu & menſura cuiuſq;. Pium, inquam: quid enim magis pium, ſanctum, ſalutare, orbi Chriſtiano, regno * huic magis opportunum, quam ea proponere, quæ ad concordiam inter Chriſtianos conciliandam pertinent: ſiquidem experimento [illegible] omnes, vinculum inter ciues nullum arctius religione reperiri, odium certe maius nullum quam quod ex diſſidio religionis. Pium, inquam: etenim cogitatio hæc non niſi in piorum hominum mentes cadere poteſt. nec quiſquam, ſat ſcio, adſpernabitur, niſi qui vel improbus, vel imperitus, vel vtrumque. Boni omnes probabunt conſilium, laudabunt conatum in re tanti momenti tot & tam illuſtrium virorum vtriuſque partis: quos certe vel impudentiæ vel imprudentiæ inſimulare, quaſi rem aggreſſi ſint Deo non gratam vel plane deſperatam, ſcelus eſt. Melius enim eſt, *inquit Saluianus,* nihil inexpertum relinquere, quam morientem non curare: *maxime quia neſcio, an in extremis aliquid tentare medicina ſit, certe nihil tentare flagitium. Adfirmare vero aliquid fieri non poſſe cum nihil ſis molitus, extrema dementia eſt. Agamus ſerio pœnitentiam: imprimis Dei gloriam & dilectionem proximi ponamus ob oculos, partium ſtudium vitemus, priuati commodi ſpem omnem abijciamus, conſulamus in commune: nulli*

* Gallia.

præter-

præterquam docti & moderati ad hoc colloquium adhibeantur: accedat legitima ſummi magiſtratus auctoritas: quis tandem de exitu dubitabit? Magnum innocentiæ teſtimonium, etiam in rebus malis bene ſperare. Contra, improbis hominibus omne in turbido conſilium. Sed præcipue Deus, vera pacis auctor, obnixe rogandus, vt noſtris conatibus benedicat, Eccleſiam denique ſuam ab omni deinceps ſchiſmate, rixa, odio, contentione immunem præſtet: per Chriſtum Dominum ac Seruatorem noſtrum, cuius regnum in ſecula ſeculorum, Amen.

DOCTORVM ALIQVOT AC PIORVM VIRORVM LIBRI ET EPIſtolæ: *ex quibus videri poteſt, quam non ſit difficilis controuerſiarum in religione conciliatio, ſi controuertendi ſtudium vitetur.*

SEntentiæ Phil. Melanthonis, Mar. Buceri, Caſp. Hedionis, aliorumque Germaniæ Theologorum de pace Eccleſiæ, rogatu Regis Franciſci I. conſcriptæ, & à Guilielmo Bellaio illuſtri viro eiuſdemque Regis apud Cæſarem legato adlatæ, anno 1534. nuper vero ex autographis ipſis deſcriptæ, & nunc primum editæ, 1607. in 8.

Acta prioris Colloquij in Comitijs Imperij Ratisbonæ habiti: hoc eſt, articuli de religione conciliati & non conciliati omnes, vt ab Imperatore ordinibus Imperij ad iudicandum & deliberandum propoſiti ſunt. Argentorati 1541. 4.

Diſputata Ratisbonæ in altero Colloquio 1546. maxime de Iuſtificatione. Item Tractata & decreta de concilianda religione in Comitijs Ratisbonenſi 1541. Spirenſi, anno 44. Wormatienſi, anno 45. & Auguſtano, anno 48. in 4. 1548.

Confeſſio fidei exhibita Cæſari Carolo V. in Comitijs Auguſtæ 1530. & ad eam Apologia Phil. Melanthonis in 8. 1559.

Articuli, qui debuerant in Concilio apud Mantuam, vel vbicunque futurum eſſet, exhiberi nomine noſtræ partis: & quid nos recipere vel concedere poſſimus vel non poſſimus. Scriptum Lutheri nunquam * editum. Ex Biblioth. Pithœana.

* *Imo editum Vuitebergæ apud Ioh. Lufft. 1579. 8.*

Confeſſio doctrinæ Eccleſiarum Saxonicarum, ſcripta anno 1551, vt Synodo Tridentinæ exhiberetur. Witebergæ apud Ioh. Lufft 1562. 8.

Præfatio Melch. Hittorpij ad librum *de Diuinis officiis*: qua oſtendit, vnde profectæ ſint tam variæ de vna religione ſententiæ, ritus ac liturgiæ, in fol. Colon. bis aut ter editæ, apud Quentel.

De diſſidio religionis noſtrorum temporum, & collatione veteris & nouæ liturgiæ: Auctore Ioach. Camerario. 8.

Miſſa Latina vetus, quæ ante 700. annos in vſu fuit in Eccleſia Gallicana & Germanica. Argentorati apud Chriſt. Mylium. 8. 1557.

Conſilium delectorum Cardinalium de emendanda Eccleſia, Pauli III. iuſſu conſcriptum anno 1538. Acceſſit æquitatis diſcuſſio ſuper dicto Conſilio, ad tollendam inter Germanos in religione diſcordiam, 1539. 8.

Eraſmus de amicabili Eccleſiæ concordia. Lutetiæ. 1533. 8.

Methodus concordiæ Eccleſiaſticæ, Wicelij. Lipſiæ 1537. 8.

Vnio diſſidentium: Libellus omnibus vnitatis ac pacis amatoribus vtiliſſimus, Authore Hermanno Bodio. Baſileæ apud Nicol. Bryling 1557. 8.

De pace Chriſtianarum Eccleſiarum conſtituenda, conſilium moderati viri. Geneuæ, 1566.

De diſſidijs Eccleſiæ componendis, Matthiæ Bredenbachii. Antuerpiæ, 1558.

Hadr. Turnebi V. C. ad Cypriani editionem præfatio, Carolo Nono Regi inſcripta. Pariſ. 1564. in fol.

Delibatio Africanæ hiſtoriæ, ſiue Optatus Afer & Victor Vticenſis, cum præfatione & annotationibus, ex Franc. Balduini *commentariis rerum Eccleſiaſticarum.* Pariſ. apud Mich. Sonnium, 1569. 8.

Eiuſdem Balduini Epitome Collationis Carth. habitæ: vna cum libello de reformatione Eccleſiæ. 8.

Epiſtola Stan. Orechouij ad Car. Hoſium, vbi quæritur de non admiſſis vel exſpectatis in Concilio Tridentino Græcis Epiſcopis & Eccleſiis. in 8.

Scripta M. Buceri ad reformationem Eccleſiæ Anglicanæ ſpectantia, cum à Rege Eduardo VI. eum in finem in Angliam acceſſitus eſſet: ſeparatim primum, in 4. tum vero inter opera ipſius edita. in fol.

Præfatio Epiſcoporum Angliæ ad Liturgiam Anglicanam, in qua de ritibus, ceremoniis & diſciplina veteri ſeruata, ſolis iis reiectis, quæ tolerari non poterant, rationem reddunt. in 8. Londini ſæpe edita.

Canones Eccleſiaſtici auctoritate Regis & Epiſcoporum Angliæ promulgati, ex Synodo Londin. anno 1604. apud Ioannem Norton, in 4. 1604.

De diuerſis Miniſtrorum Eccleſiæ gradibus, ſicut à Domino fuerunt inſtituti, & traditi ab Apoſtolis, ac perpetuo omnium Eccleſiarum vſu confirmati, lib. vnus: auctore Hadr. Sarauia Belga. Londini apud Georg. Biſhop & Rod. Neubury. anno 1590. 4.

Liuret attribué à Farel premier Miniſtre de Geneue, auquel eſt demandée ſeulement la reformation de la Liturgie, pour paruenir à vne reconciliation. in 16. 1537.

Diſcours ſur le fait de la reformation de l'Egliſe par Fran. Balduin Iuriſconſulte, & par luy enuoyé à vn grand Seigneur de France. Pariſ. 8. 1564.

Les actes du Colloque de Poiſſy de l'an 1561. auquel on tomba d'accord de quelques points, & peu s'en faut du ſacrament de l'Euchariſtie: dans le liure intitulé, *Commentaires de l'Eſtat de la religion & republique, ſous les Rois H. & Fr. II. & Charles IX.* in 8. 1567.

Actes & memoires du Concile de Trente des années 1562. & 63. pour monſtrer que les Rois de France deſlors ont requis vne reformation de la liturgie de l'Egliſe. 1607. in 8. & 12.

Des differens & troubles aduenans entre les hommes par la diuerſité des religions par Louys le Roy, dit Regius. Paris, chez Fed. Morel. 1567. 8.

De officio pij ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri in hoc religionis diſſidio, Auctore G. Caſſandro. 1561. in 4. & in 8.

Traditionum veteris Eccleſiæ & ſanctorum Patrum defenſio aduerſus quorundam importunas criminationes, Auct. G. Caſſandro. Coloniæ apud heredes Arn. Birckmanni. 1565. 4.

Reſponſio ad calumnias, quibus Georgius Caſſander in Germanico quodam libello, *Via communis ſtrator* inſcripto petulanter impetitur: in qua & de Euchariſtia, quæ veterum ſit ſententia, obiter exponitur. Colon. apud heredes Arn. Birckmanni. 1564.

Georg. Caſſandri de articulis religionis inter Catholicos & Proteſtantes controuerſis, conſultatio: iuſſu Cæſſ. Ferdinandi & Maximiliani II. conſcripta 1565. Coloniæ in 8. & Argentinæ iterum in 8. 1594.

Eiuſdem Caſſandri de communione ſub vtraque ſpecie. Colon. 8. 1564. Itemque alia eius opuſcula ad religionem ſpectantia, quæ breui * edentur vno volumine.

*Edita Argentinæ apud Lazarum Zetznerum.

Aduis d'un Theologien de G. ſur le liuret ſuſdict de Caſſander, de officio pij viri, non imprimé.

De extremis in Eccleſia vitandis, pij cuiuſdam Theologi liber, nondum editus.

Epiſtola And. Duditij ſacræ Cæſ. Maieſt. Conſiliarij ad Theod. Bezam V. C. in qua diſputatur, an Eccleſiæ nomen vel ſoli Romanæ, vel ſoli Reformatæ conueniat. Baſileæ, 8. 1593. & alibi frequenter in Germania & Polonia.

Mutuus conſenſus Eccleſiarum Polonicarum, videlicet Lutheranæ, Caluinianæ, Græcæ, ex actis ſynodorum in Polonia habitorum, 1570. 1572. 78. & 1591.

Des ſignes ſacrez & ſacrifices de l'Egliſe par Meſſ. Iehan du Tillet, iadis Eueſque de Meaux. in 16. 1562.

Petri Loiſelerij Villerij ſummi Theologi Theſes de libero arbitrio, cum præfatione ad Adrianum Mylium curiæ Hollandicæ præſidem, qua oſtendit, *non tantum in hac controuerſia, verum & in aliis pleriſque* verbis *potius quam* re ipſa *Scholaſticos & Euangelicos diſcrepare: huiuſcemodi vero controuerſias, ſi modo controuertendi libido ceſſet, & æquiuocationes à diſputatione tollantur, facile componi poſſe.* Hæc ſunt ipſius verba. Hagæ Com. 1587.

De fide Catholica Apparatus Io. Serrani; ſiue de principijs religionis Chriſtianæ communi omnium Chriſtianorum ſemper & vbique ratis. Pariſ. apud Pet. Metayer, in fol. 1596. & in 8. 1607.

Scripta nonnulla in hoc argumento à Petro Baronio Gallo, Theologo Cantabrigienſi: nondum edita.

En l'Antimachiauel y a vn Dialogue d'vn Catholique & d'vn Huguenot, monſtrant qu'au fonds nous ſommes d'accord, & que la religion reformée eſt entiere dans la Catholique. A Lion & à Geneue, in 16. & in 8.

Le penult chapitre de l'Apologie de M. le Preſ. Gentillet pour ceux de l'Egliſe reformée, eſt intitulé: *Moyen d'appaiſer les differens en la religion*, in 8. 1584.

Sermon de l'Eueſque de Rocheſter ſur le ſujet du gouuernement Eccleſiaſtique d'Angleterre, mis d'Anglois en François. 1606.

Vœu pour la proſperité du Roy & du Royaume par Iean de Serres; à la fin duquel eſt vne exhortation pour la paix de l'Egliſe. A Roüan. 1597. 8.

Deux petis aduis pour la paix de l'Egliſe & du Royaume, chez P. Metayer. 1597. & 1607. 8.

Traitté de N. Seg. Theologien de Lauſanne, monſtrant en quoy giſt le diſcord entre les François Catholiques & Reformez, & les moyens de les reünir: afin de viure deſormais en bonne paix. 1593. non imprimé.

Examen pacifique de la doctrine des Huguenots: auquel eſt monſtré qu'elle ne doit eſtre condamnée auant vne nouuelle preuue: & qu'ès principaux points & plus eſſentiels de la religion nous ſommes d'accord: par vn gentilhomme Anglois. 1590. 8.

Le Pacifique, par Theophile Friderick. Anno 1590. 8.

Aduis & deſſein nouueau, ſur le fait de la religion, pour eſtre propoſé au prochain Concile national, ou autre aſſemblée de l'Egliſe Gallicane: par L.S.D.V.S.P. 1592.

Reſponce à la ſupplication adreſſée au Roy pour ſe faire Catholique, en laquelle eſt demandé le re-

& reſtabliſſement de la Liturgie, qui eſtoit en l'Egliſe Gallicane au temps de Charlemagne & de ſes enfans. A Tours 1592. in 8.

Forme d'vne conference, qui ſemble ne deuoir eſtre refuſée par la vraye Egliſe qui à la verité de ſon coſté à celle qui s'deuoye, afin de venir à vnion des differens qui ſont en la religion: par M. D. L.P.8.1588.

Hugues Sureau, dit des roſiers, Miniſtre, eſcriuant ſur le point du ſacrement de l'Euchariſtie, fit voir par l'Eſcriture, par les Peres & par les Scholaſtiques qu'il ſe pouuoit accorder. à Orleans 1566.8.

Tho. Eraſti Philoſophi & Medici præſtantiſſimi *Theſes de excommunicatione*: in quibus de Synedrii Eccleſiaſtici auctoritate diſputatur. Item an ſit delinquentibus cœnæ dominicæ vſus interdicendus. cum epiſtolis Bullingeri, Gualteri, aliorumq; Germaniæ & Heluetiæ Theologorum in hoc argumento. Londini 4.

Le Catholique reformé, contenant vne declaration des points eſquels nous pouuons conuenir auec l'Egliſe Rom. & en quels points nous deuons nous en departir pour touſiours: par Guillaume Perkins Theologien de Cambrige. 1598. 8.

Relation de l'eſtat preſent de la religion en l'Europe, & des moyens & ruſes que chacun Eſtat employe pour maintenir celle qui y eſt vne fois receue: auquel auſſi eſt ſommairement touché des moyens de reünion entre les Catholiques & les Reformez: en Anglois, par le ſieur Eduin Sandes. Londres 1605.4.

Au ſecond Diſcours excellent de feu M. du Fay Huraut Chancelier de Nauarre, eſt traitté aſſez amplement de ce ſuiet: à ſcauoir depuis la page 104. iuſques à la page 132. de la 1. edition 1591. 8.

Amiable aduis ſur la diuerſité des opinions en la religion, par Rod. le Maiſtre. Paris, chez Sonnius 1601.16.

Aduis en forme de Paradoxe ſur les differens de la religion, par le Sieur d'Inf. H. Secretaire du Roy. in 8. 1585. auec la cenſure de feu M. Roſe Eueſque de Senlis.

Diſcours au Roy, pour vn Concile national, auec la Suite, ſeruant de replique à quelques contrediſans: par Monſieur R. 8. Paris. 1607.

Moyens pour paruenir à la reconciliation tant deſirée entre les Chreſtiens, tirez de l'Eſcriture ſaincte & des Peres: par le Sieur d'Arp. Grau. non imprimé.

F. Hotmanni I.C. modeſta ac moderata de ſacramento Euchariſtiæ ſententia. Lugd. 1566. 8.

Diallacticon viri boni & litterati de veritate, natura atque ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. 1557. Argentinæ. 8. in cuius libelli præfatione hæc verba ſunt: *Pacem aliorum quærere pulchrum eſt, & habet certam promiſſionem Dei, Beati pacifici. Sed vereor hoc dum cupide ſector, ne quod iis qui pugnas dirimunt, idem mihi quoque accidat. Illi dum aliorum ſaluti conſulunt, ipſi reportant vulnera, & ego dum operam do vt diſſidentes redeant in gratiam, ab iiſdem nullam fortaſſe inibo gratiam. Id ſi ſit, illius exemplo me leuabo qui dixit: Si hominibus placuiſſem, Chriſti ſeruus non eſſem. Vale ac ſtude Chriſto placere.*

Dialogus de ſtatu turbulento huius ſeculi ex ſpecula Halcyonia. 1591.

Fr. Iunii Bitur. Eirenicon, ſiue de pace Eccleſiæ Catholicæ. 8.1593.

Deux Aduis pour la paix de l'Egliſe & du Royaume, par Ian de Serres: & par le S.D.V.H. à Paris chez P. Mettayer 1608.8.

Hieron. Zanchius magni nominis Theologus in præfat. ad Confeſſ. ſuam, editam Neoſtadii Palat. apud Matth. Harniſch. in 4. 1585. habet iſta verba:

QVamquam neſcio quo ſingulari Dei beneficio hoc adhuc boni in Eccleſia Romana ſeruari nemo non videt, niſi qui videre non vult: quod nimirum, ſicut ſemper, ſic nunc etiam conſtans & firma in vera de Deo deque perſona Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrina perſiſtit, & baptiſat in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; Chriſtumque agnoſcit & prædicat pro vnico mundi Redemptore, futuroque viuorum & mortuorum iudice: qui veros fideles ſecum in æternam vitam recepturus, incredulos autem & impios in æternum ignem cum Diabolo & Angelis eius eiecturus ſit: quæ cauſſa eſt cur Eccleſiam hanc pro Eccleſia Chriſti etiamnum agnoſcam: ſed quali? qualis & ab Oſea aliiſque Prophetis Eccleſia Iſraelis ſub Ieroboamo & deinceps fuiſſe deſcribitur, &c.

Idem Zanch. in Confeſſ. art. 8. de Eccleſ. milit. pag. 149.

NEq; ita iniqui ſumus, vt inter quas non prorſus de omnib. rebus conuenit, eas propterea Chriſtianas Eccleſias eſſe negemus. Sicut enim non omnis conſenſus conſtituit Eccleſias; ſic neque omnia diſſidia tollunt; modo fundamentum quod eſt Chriſtus verus Deus & verus homo, verus & perfectus Seruator, firmum teneatur, eoque in ſummam doctrinæ Apoſtolicæ, quæ in Symbolo traditur, conſentiatur.

Idem art. 19. ſequenti: pag. 157.

NOn enim ab Eccleſia Rom. ſimpliciter & in omnibus defecimus; ſed in illis duntaxat rebus, in quibus ipſa defecit ab Apoſtolica, atq; adeo à ſeipſa veteri & pura Eccleſia: neq; alio diſceſſimus animo, quam vt ſi correcta ad priorem Eccleſiæ formam redeat, nos quoque ad illam reuertamur.

mur, & communionem cum illa in ſuis porro cœtibus habeamus. Quod vt tandem fiat, toto animo Dominum Ieſum precamur. Quid enim pio cuiq; optatius, quam vt vbi per baptiſmum renati ſumus, ibi etiam in finem vſq; viuamus? modo in Domino. Ego Hieron. Zanchius ſeptuagenarius, cum tota mea familia teſtatum hoc volo toti Eccleſiæ Chriſti in omnem æternitatem.

Bucerus in præfat. ad acta Colloq. Ratisb.

CAuendum ſummopere piis eſt, ne vllos qui Chriſti ſunt, Chriſtumque vere innocant, abiiciant, Chriſti ſocietate excluſos. Quare & propter eos qui iudicio Chriſti adhuc infirmiores ſunt, nec quid in vnoquoque vel dogmate vel ritu aut Chriſtianæ religioni proprium aut inſtitutioni vtilius ſit, diſpicere poſſunt, neceſſe eſt, vt in multis alteri alteris vt ſuæ ſententiæ ipſi rationem habeant, concedant, & ſtare eos vel cadere ſuo Domino permittant, modo de iis conſentiant, in quibus Religio ipſa conſiſtit.

PARS XXIX.

PARS XXIX.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS ET LIBELLOS PACIFICATORIOS PRO CONciliandis diſſenſionibus inter Reformatas Proteſtantium Euangelicorum Eccleſias, cum pernicie Reipub. Chriſtianæ, obortis & agitatis.

CONFES-

I.

Anno Domini 1557.

CONFESSIO GALLICANÆ ET HELVETICÆ ECCLESIÆ DE VERA CORPORIS ET SANGVINIS DOmini noſtri Ieſu Chriſti præſentia in ſacramento Euchariſtiæ, oblata cum conſenſu & approbatione Germanicæ Eccleſiæ in Colloquio Wormatienſi, Anno M.D.LVII.

NOn ex humanis rationibus, ſed ex verbo Dei ſcimus, credimus, profitemur, Chriſtum eſſe factam nobis credentibus ſapientiam, iuſtitiam, Sanctificationem & redemptionem. Ideoque imprimis oportere, imo prorſus requiri ad ſalutem, vt non modo Chriſti beneficiorum efficacia, ſed etiam vt ipſe Chriſtus, id eſt, ipſa Chriſti ſubſtantia per fidem, quæ Dei [a] donum eſt, nobis communicetur, vt ſimus os ex oſſibus eius, & caro ex carne eius. Huius communicationis ſigilla dicimus eſſe Sacramenta, Baptiſmum videlicet cum in pueris tum in adultis, & cœnam in adultis. Nec alios etiam eximios vſus ſacramentorum omittimus.

Profitemur ergo in Cœna Domini non modo omnia Chriſti beneficia, ſed ipſam etiam filii hominis ſubſtantiam, ipſam (inquam) veram carnem, quam verbum æternum in perpetuam perſonæ vnitatem aſſumpſit, in qua natus & paſſus pro nobis reſurrexit, & aſcendit in cœlum; & verum illum ſanguinem, quem fudit pro nobis, non ſignificari duntaxat, aut ſymbolice tantum, aut figurate vel typice tanquam abſentis memoriam proponi, ſed vere ac certo repræſentari, exhiberi & applicanda offerri adiunctis ipſius rei ſymbolis minime nudis, ſed quæ, quod ad Deum promittentem & offerentem attinet, rem ipſam ſemper vere & certo coniunctam habent, ſiue fidelibus ſiue infidelibus proponantur. Iam vero modum, quo res, id eſt verum corpus & verus ſanguis Domini cum ſymbolis copulatur, dicimus eſſe Symbolicum ſiue Sacramentalem. [b] Sacramentalem autem modum non vocamus, qui ſit duntaxat figuratiuus, ſed qui vere ac certo ſub ſpecie rerum viſibilium repræſentet, quod Deus cum ſymbolis exhibet & offert, nempe quod ſuperiore articulo diximus, vt appareat nos ipſius corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiæ præſentiam in Cœna retinere & defendere. Etſi quid nobis forte cũ vere piis ac doctis controuerſiæ eſt, non de re ipſa, id eſt, de præſentia, ſed de modo præſentiæ duntaxat, qui ſoli Deo cognitus eſt, à nobis autem creditur, diſceptatur.

Quod attinet autem ad modum, quo Symbola nobiſcum communicantum, Phyſicum eum eſſe dicimus. Nam Phyſice illa viſibilia & palpabilia ſumimus.

Deniq; quod attinet ad modum, quo res ipſa, id eſt, naturalis illa ac vera Chriſti ſubſtantia vere ac certo nobiſcum communicatur, non facimus eum Phyſicum, nec localem coniunctionem imaginamur, aut diffuſionem humanæ naturæ Chriſti, aut craſſam illam & animalem commixtionẽ ſubſtantiæ Chriſti cum vera ſubſtantia panis, aut Papiſticam transſubſtantiationem, ſed ſpiritualẽ eum modum eſſe dicimus, id eſt, qui nitatur vna incomprehenſibili ſpiritus Dei veritate, quam nobis in hoc verbo patefecit: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus.*

Obteſtamur autẽ omnes fratres veræ pietatis ac concordiæ amantes, vt ſepoſitis omnibus priuatis affectib. cogitent, ecquid oporteat illos, qui de Chriſti ſacramentis ita ſentiunt ac docent, pro infidelibus ac hæreticis traduci. Quod ſi quid eſt præterea, in quo non prorſus ſit communis ſingulorũ ſententia, cum in eo, quod maxime perſpicuũ eſt & eſſentiale, conueniat, ſperamus, ſi per [c] Dei gratiam poſſit vere piorum & doctorum conuentus inſtitui, fore vt dominus per ſuam miſericordiam nobis adiutor ſit, vt vel idẽ per omnia ſentiamus, vel ſaltẽ vt alii aliorũ infirmitatẽ toleremus & condonemus, quo communib. tandẽ viribus & armis communem hoſtem adoriamur. Ita ſit autẽ nobis propitius Deus omnipotẽs, vt nihil hic ſcripſit calamus, quod animus candidus & ſimplex nõ dictauit.

Additio Chriſtophori Hardeſſiani IC. Noribergenſis.

HÆc Confeſſio non à Philippo Melan. ſed à Do. Beza & Farello Geneuẽſib. Theol. in Conuẽtu Wormatienſi Anno 1557. conſcripta & exhibita fuit, ex cõſilio tamẽ & cõſenſu Philippi. Continet

a *Chryſoſtom. Rebus ſenſilib. dona, quæ ſunt ſpiritualia & intelligibilia, diſtribuuntur.*

b *Sacramentalis vnio eleganter explicatur à Bucero in Actis concordia, fol. 75. Eſt autem myſtica diſpenſatio rei ſignatæ per ſignum, in verbo gratiæ & promiſſionis, per quam, vt Chryſoſtomus ait, rebus ſenſibilibus ſpiritualia & intelligibilia dona diſtribuuntur: Seu, vt Auguſtinus loquitur, per quã quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducatur & bibitur.*

c *Tolerantia.*

tinet autem putam veritatem, & ipſiſſimam Caluini ſententiam, vt ex commentario ipſius in Corinthios, apparet. Ex eoq; tempore, cum hæc confeſſio Philippo placeret, ſumma fuit, vt epiſtolæ teſtantur, inter Philippum & Caluinum animorum coniunctio. Tantum autem abeſt, vt Heidelbergenſes nouum, & alienum ab hac confeſſione dogma introduxerint, vt ne hodie quidem aliter ſentiant. Deniq; hæc confeſſio Bezæ & Farelli euidentiſſime conuincit, iniuriam Caluiniſtis, vt vocant, fieri in iſto libro Bergenſi, vbi ſententia ipſorum manifeſte peruertitur.

II.

ACTA LEGATIONIS HENRICI NAVARRORVM REGIS ET ORDINVM PROTESTANTIVM IN GALLIA, AD S. Cæſar. Maieſtatem, Reges, Electores, Principes, & cæteros Imperii Germanici Ordines Proteſtantes, pro pace publica Eccleſiæ & vnione generali concilianda.

Anno Domini 1583.

MANDATA A NOBIS HENRICO DEI GRATIA, REGE NAVARRENO, principe Bearniæ, &c. Domino Iacobo Segurio Pardeliano Domus noſtræ præfecto, & interioris noſtri conſilii primo conſiliario, tradita, ex quorum formula cum Illuſtriſſ. S. Rom. Imp. Electoribus, reliquiſq; Germaniæ principibus & ordinibus, qui Religionem reformatam profitentur, noſtro nomine acturus eſt.

Dominus Segurius Pardelianus Illuſtriſſimos principes ac Dominos, dominos S. Rom. Imp. Electores, cæteroſque omnes principes, ciuitates atque ordines noſtris verbis officioſiſſime ſalutabit, beneuolentiam erga ipſos noſtram, eximium amorem & obſeruantiam teſtabitur, deſideriumque illud exponet, quo ſub initium ſuperioris anni tenebamur, peragrandæ ſcilicet Germaniæ & cum illis amicitiam firmandæ, quos de Repub. Chriſtiana optime meritos eſſe noueramus. Cui profectioni, cum orientes ſubinde turbarum ſuſpiciones aduerſarentur, & iuſtas morandi cauſas innecterent, ſe à nobis ablegatum fuiſſe ſignificabit, vt quæ ſuperius dicta ſunt indicaret, atque labantem & propemodum afflictum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum ipſorum oculis ſubiiceret, præſertim vero de quærendis diſſenſionum noſtrarum remediis, & conſtituendo Eccleſiarum vnanimi conſenſu conſilia communicaret.

Concordia. Exponet igitur inprimis, quantopere neceſſaria ſit inter Principes & reliquos ordines etiam Religionis cultui deditos Concordia, & quantum ex inteſtinis noſtris de doctrina diſſidiis periculi contrahatur Eccleſiis, vnde & ipſis in medio fere curſu mora iniecta & infirmus ad veritatem properantibus impingendi occaſio præbita ſit.

Huius mali fontem atque adeo auctores à nobis non inquiri, quod ſine noſtro dolore & eorum pudore fieri nequeat, cum ſatis ſuperq; conſtet, perſpecta morbi natura probos omnes viros vulneri remedium expetere, quod & reperire vtilius ſit & vero facilius, quam de procellarum iſtarum autoribus conuenire.

Cuilibet Chriſtianæ fidei rudimentis imbuto notum, eſſe noſtrum in præcipuis doctrinæ capitibus conſenſum, præſertim in gratuita peccatorum remiſſione per Chriſti ſanguinem, æterni DEI filii & vnius generis humani mediatoris, omnibus in ipſum credentibus parta, vnde fit vt iiſdem rationum & argumentorum telis Antichriſti Romani præſtigias & errores oppugnemus, in ipſoque adeo cœnæ negotio, de quo præcipua diſputatio eſt, de ſacramenti ſubſtantia conueniamus, cum nemo ſit, qui ſe verum corpus Chriſti in Euchariſtia aſſumere diffiteatur. Cum itaque nulla ſuperſit controuerſia, niſi in ipſo percipiendi modo & præſentiæ ratione, intolerandum prorſus videri, vt in quærendo modo nullum plane modum adhibeamus, omnem contra excedamus.

Pontifices longe maius prudentiæ (ne dicam charitatis) documentum edidiſſe, qui ante bellum ipſis indictum à ſummo illo ſanctæ memoriæ Luthero, capitalibus inter ſe ob eundem articulum odiis flagrabant, adeo, vt ſcholaſtici interpretes in duodecim ferme diſcrepantes diſtraherentur ſententias, tanta videlicet animorum contentione & pertinacia, vt nemo de concepta opinione decedere vellet, quemadmodum in Lombardi, Thomæ, Scoti, Durandi, Pici, Bieli, Bonauenturæ & aliorum monumentis videre eſt: qui cum ſe mutuis ictibus antea iugularent, artibus tandem & Pontificum authoritate, maiori cum otio nobis exitium moliri cupientium, compreſſa ſunt eiuſmodi diſſidia, quod vt à nobis & hoſtium exemplo in controuerſia longe minus acerba fieret, tanto præſertim imminente ex diſſenſionibus illis incendio, nondum exorari potuimus.

Ad hæc

Ad huius mali curationem eccleſiam illam priſcam nobis facem prætuliſſe, cum in ſimilibus controuerſiis, vt ſeceſſionibus & Schiſmatis occaſionem præcideret, nihil prius haberet neq; antiquius Synodorum indictione, quæ ſcilicet infinitis prope vulneribus remedium attulerunt. Maiorum igitur more ab illuſtriſſ. Germaniæ principibus & Ordinibus poſtulare nos, & per omnia ſacra obteſtari, vt apud ſe pro ſua prudentia & propenſiſſimo in Dei gloriam ſtudio expendant, an Eccleſiis & Reipub. Chriſtianæ expediat ad diiudicandas controuerſias noſtras vniuerſalem inſtauratarum totius Europæ Eccleſiarum Synodum haberi, ea ſcilicet lege, vt ad conuentum illum de controuerſiis inter nos capitibus referatur, & poſſint accurata diſceptatione (expenſis omnium ſententiis) diſſenſione dirimi.

Synodus vniuerſalis.

Quod ſi huius Concilii indictionem è re Chriſtiana, vti exiſtimamus, eſſe putant, ab iiſdem illuſtriſſimis Principibus flagitare nos & omni contentione petere, vt quamprimum illud conuocari curent, & inter ſe & cum reliquis Imp. Rom. ordinibus hac de re diligenter agant.

Quoniam autem huius morbi medicinæ moram attulerunt procellæ illæ quibus iactantur Eccleſiæ multis Europæ locis, partim bello petitæ, partim crucem expertæ, vnde fit, vt laborantibus illis tetrum hoc vulnus eorum importuna contentione & ambitioſis diſputationibus ſubinde recrudeſcat, quorum muneris erat vlcus ipſorum adhibitis acopis mitigare: eo denique acerbitatis prouecta ſint partium ſtudia, vt ſe præiudicatis ſententiis mutuo damnauerint, & ab Eccleſiæ communione (ſuo quidem iudicio) exturbarint. Quod ſæuiendi genus eiuſmodi videtur, vt præſentiori remedio egeat, neque ſit ipſius in futuram Synodum differenda curatio. Diſcriminis iſtius depellendi gratia, quod & verbum domini ludibrio & ipſius Eccleſiam direptioni expoſuit, Illuſtriſſ. Principes & ordines rogabit idem D. Segurius, vt tantiſper, dum paratur generalis illa Synodus curationem iſtam ſibi præuertendam ſuſcipiant, quæ duplici ratione commodiſſime abſolui poſſit: Altera quidem, ſi omnium vtriuſque profeſſionis Eccleſiarum controuerſiæ ad Synodum diiudicandæ referantur, neque cuiquam priuatim in aliorum fraudem & præiudicium quicquam interea ſtatuere liceat: Altera vero ſi acerbis illis contentionibus, quibus hactenus & verbis rixati ſunt inter ſe Theologi, & ſcriptis, ſilentio tandem finis imponatur, & eiuſmodi diſputationibus exploſis Chriſtiana Charitas & animorum fraterna coniunctio reuocetur. Quod quidem ſereniſſ. Rex Nauarræ ab Eccleſiis Gallicis (à quibus hac de re rogatus eſt) tam ſuo quam ipſorum nomine bona fide præſtitum iri ſpondet.

Præiudicia.

Silentii indictio.

Spondet pro Eccleſ. Gallicis.

Quantum autem ad Synodum ipſam attinet: hæc etiam Illuſtriſſ. Principibus Segurius noſter ſignificabit, nos cum de iſta Legatione mittenda cogitáuimus ad Eccleſiæ pacem & tranquillitatem adeo neceſſaria, mentis oculos ſtatim illos principes defixiſſe, quorum ſcilicet prudentia freti & ſumma illa qua pollent apud reliquos Imperii ordines gratia & authoritate, ſed præſertim ſingulari pietate & ingenii dexteritate concordiam illam, quam inter Eccleſias quærimus, omnibus veſtigiis indagari & tandem obtineri poſſe cenſuimus.

Hoc enim videri Germanicæ ipſius fatum aut potius ſummo Dei beneficio ornamentum, vt quemadmodum ex ea primi illi Eccleſiarum vindices, & ipſarum libertatis aduerſus Tyrannidem Pontificiam aſſertores, extiterunt, ita etiam ab eadem monſtrum illud funeſtum diſſenſionis iugulari debeat, & concordia inter Eccleſias ſanciri, ſine qua in acerbiſſimam ſeruitutem relapſuræ videntur.

Nulla vero ratione infeliciſſimum illud de Cœna Domini diſſidium melius & facilius ſanari poſſe, quam ſi vetuſto, & iam ab Apoſtolicis temporibus repetito more Synodus habeatur. Quod quoniam Illuſtriſſ. Germaniæ principium ductu atque auſpicio potiſſimum confici poteſt, orare nos iterum, vt tam pio & ſalutari operi manum admoueant, & oblatam de Eccleſia bene merendi occaſionem arripiant, neue hoc decus Illuſtriſſ. Germaniæ principum pietati debitum, ſibi de manibus eripi patiantur.

Non eſſe nos ea peruicacia, aut in tenendis noſtris opinionibus tenacitate, vt ſi concilium meatur, meliora monentibus fidem abrogare velimus: Imo paratos eſſe omnium animos ad Concordiam ineundam, & ea dogmata ſuſcipienda, quæ verbo Dei conſentanea futura ſunt.

Quod nos alii Zuniglianos, alii Caluiniſtas, Sacramentarios plerique vocent, perperam id quidem fieri, & nullo noſtro merito, cum in Chriſti ſolius verba iurauerimus, nullius ſententiæ addicti, niſi quatenus veteris & noui fœderis doctrinę congruat. Quod ſi ab vllius mortalis nomine adaptanda nobis eſſet appellatio, potiori vtiq; Iure Lutheranos vocatum iri; cuius ſane nominis inuidia & odio cum laborarent Galli, infiniti prope per ſexaginta annos cæſi, equuleis admoti, & omni genere crudelitatis extorti, præclarum Chriſtianæ doctrinæ, quam à Luthero primum acceperant, teſtimonium ediderunt, & ſanguine ſuo per Dei gratiam obſignarunt, vt vere à nobis aſſeri poſſit plures propemodum Martyres, quos Lutheranos vocabant, Galliam ediidiſſe, quam reliquas omnes Europæ regiones.

Galli Lutherani præ cæteris.

Lutherum ab Eccleſiis Gallicis, vt ipſarum in Chriſto parentem agnoſci, quod illius miniſterio veritas primum è latebris eruta ſit, eius vero doctrinam & eruditionem adeo à nobis amari & ſuſcipi, vt vnum illum reperita ab Apoſtolorum ſeculo memoria fuiſſe exiſtiment, qui ſcriptis ſuis & laboribus plurimum Eccleſiæ contulerit.

Qui noſtro ſeculo florent, & Helueticā ſiue Gallicā cōfeſſionē tuentur, acerbius quidē & odioſius in infeliciſſimam illam de Cœna Domini diſputationem attigiſſe, ſed ex aliis pleroſq; hac etiā culpa

non

non carere. Verum non decere nos propter vnius aut alterius acerbitatem perpetuis inter nos odiis & diſſenſionibus flagrare, & Eccleſias integras priuatorum odio prægrauari.

Pleriſque in Germania, præſertim è vulgo, ita de Gallicarum Eccleſiarum doctrina perſuaſum eſſe, quaſi erronea ſit & qualibet hæreſi vel etiam Pontificia longe deterior, qua in re nobis iniuriam inſignem fieri putamus, & aliis pleriſque nationibus exteris. Vnde ſit vt palam, quales ſimus, teſtari cupiamus: & ſi erremus, ex verbo Dei doceri.

Controuerſiam de Cœna Domini non adeo difficilem, vt Synodo dirimi nequeat, duobus potiſſimum argumentis colligi. Prius eſt, quod, cum tria ſint, quæ in hoc negotio ſpectentur, Symbolum ſcilicet, res exhibita, & fructus quem inde percipimus: in tribus illis omnino inter nos conueniat. fatemur enim omnes panem & vinum eſſe ſymbola, Corpus & ſanguinem Domini rem exhibitam, Fructum vero iſtum cum Paulo ſtatuimus, vt fractio panis & vini ſit corporis Chriſti participatio. Quod autem ad perceptionis modum, in quo hæremus, ſupernaturalem eum eſſe & ſpiritualem omnes etiam fatentur. Sed dum arcanum illum & ineffabilem modum nimis anxie nonnulli quærunt, plagas illas diſputationum & controuerſiarum infelices nobis pertexuerunt. Hac vero de re minus ſollicitos nos eſſe debere ipſius Lutheri teſtimonium admonet, qui in Epiſtola ad Heluetiças Ciuitates ſe de modo laborare negat, dum de præſentia conſtet.

Alterum eſt argumentum, quod nunquam iſtius diſſenſionis concordia ſerio quæſita eſt, quin Dominus Chriſtiano illo conatui benedixerit, & ad optatum exitum ſuo ſancto ſpiritu perduxerit, vt ex colloquio Lutheri & Zuinglii Anno 1529. & triennali illo 1536. 37. & 38. apparet: quorũ vtroq; inter primarios Theologos Eccleſiaſque Germanicas & Heluetiças concordia ſancita eſt, & de Cœnæ negotio conſenſus in formulam redactus, vtriuſque partis ſubſcriptione comprobatus.

Nam quod ab illa pace & Eccleſiarum concordia vtrinque poſtea diſceſſum fuerit, importuna quorumdam acerbitate mœrente (vt fertur) Luthero & bonis omnibus factum eſt. Quod ne denuo contingat (ſi conciliatio inter nos inſtituatur.) principum autoritate & Magiſtratuum officio præſtari poteſt: Cum ſit eorum muneris eiuſmodi contentionibus litem ex lite ſerentibus obuiam ire, vnde & plurimum diſcordiæ faces oriuntur, ædificationis vero ad Eccleſiam nihil.

Cum igitur diſſidii illius conciliatio res ſit, vt nobis quidem videtur, & per ſe facilis & omnium iudicio Chriſtianæ Eccleſiæ pernéceſſaria: Huius vero conficiendæ ſpes omnis & expectatio in Illuſtriſſ. Germaniæ principibus repoſita: Optimos igitur illos principes, & de Eccleſia tot nominibus benemeritos, hortabitur Segurius noſter, vt autoritatem ſibi à Deo concreditam ad componendas exitiales illas diſſenſiones conferant.

Quoniam autem fruſtra pacem domi quærimus, niſi externos illos communis aduerſarii Pontificis Romani conatus & apertas in perinicem noſtram inſidias depellamus: Idcirco artes illas & nefarias Antichriſti coitiones Illuſtriſſ. Germaniæ principibus optime notas ſignificabit, quibus veritatis lucem filius ille tenebrarum extinguere nititur.

Monebit igitur in primis, quotquot in Hiſpaniam & Italiam in ſuſpicionem emendatæ religionis veniunt, eos omnes cruci ſubditos Antichriſti Romani Tyrannidem & inquiſitionis atrocitatem & ſæuitiam experiri.

In Gallia concilii Tridentini promulgationem & inquiſitionis conſtitutionem à Legato Pontificis aduerſus Senatus interceſſionem & Eccleſiæ Gallicanæ libertates vrgeri.

Ieſuitarum artibus Anglorum animos ad defectionem ſæpenumero impulſos, vt niſi faces illæ ſapientiſſimo Reginæ conſilio extinctæ fuiſſent, clandeſtini illi cœtus & nefariæ coniurationes in ipſius caput & perniciem erupturæ viderentur.

Quod ad Scotos attinet, iis artibus Sereniſſ. Regis animus à Pontificiis ſæpenumero tentatus eſt, quibus niſi principis optimi & à teneris annis Chriſtiana pietate imbuti laudabilis indoles & ſapientiſſima Reginæ Angliæ conſilia obſtitiſſent, bellum inter Angliam & Scotiam non ſine ſummo Eccleſiarum vtriuſque regionis diſcrimine & Pontificis Romani voluptate exarſurum fuerit.

Belgarum vero profligatæ res & ab omni exterorum auxilio imparatiſſimæ, prementibus Hiſpanorum copiis & indies creſcentibus impares, breui collapſuræ videntur, certo ſcilicet florentiſſimarum Eccleſiarum Pontificiç crudelitati ſubigendarum excidio.

In Heluetia porro portenti illius Romani largitionibus & verſutia, & turbulentiſſimis Ieſuitarum concionibus incendia belli ciuilis propemodum hoc biennio excitata ſunt, vt ſcilicet Bernates emendatæ religionis cultores Sabaudiæ Ducis in eos ex compoſito irrupturi armis obruerentur.

Suecorum autem Eccleſiæ reſtitutis in Suecia ritibus pontificiis & Ieſuitis intima regni penetralia peruadentibus in aſſiduo metu & dubitatione verſantur, ne ſcilicet à ſtellionum illorum fratribus aliquid tandem in perniciem ſuam ſtatuatur. Quanquam hoc ſibi de ſapientiſſimo Suecorum Rege boni omnes pollicentur, vt breui locuſtarum illarum verſutias ſit perſpecturus, & Regni ſui finibus exacturus.

Muſcouitarum vero religio quantum à ritibus Romanis diſcrepet, omnibus perſpectum eſt. At Pontifex Rom. dum ſe pacis arbitrum inter illos & Polonum gerit, hoc ſibi ex illarum nationum odio compendium quærere voluit, vt Muſcouitam ſuæ Tyrannidi & cultui ſubiiceret, quod ab eo tandem impetratum ferunt. Hoc ſane conſtat, hunc vnicum ſcopum illi fuiſſe propoſitum.

Quod ad Germaniam ipſam ſpectat, in qua potentiſſimorum principum cura & autoritate tutiſ-

Liuret attribué à Farel premier Miniſtre de Geneue, auquel eſt demandée ſeulement la reformation de la Liturgie, pour paruenir à vne reconciliation. in 16. 1537.

Diſcours ſur le fait de la reformation de l'Egliſe par Fran. Balduin Iuriſconſulte, & par luy enuoyé à vn grand Seigneur de France. Pariſ. 8. 1564.

Les actes du Colloque de Poiſſy de l'an 1561. auquel on tomba d'accord de quelques points, & peu s'en faut du ſacrement de l'Euchariſtie: dans le liure intitulé, *Commentaires de l'Eſtat de la religion & republique, ſous les Rois H. & Fr. II. & Charles IX.* in 8. 1567.

Actes & memoires du Concile de Trente des annees 1562. & 63. pour monſtrer que les Rois de France deslors ont requis vne reformation de la liturgie de l'Egliſe. 1607. in 8. & 12.

Des differens & troubles aduenans entre les hommes par la diuerſité des religions par Louys le Roy, dit Regius. Paris, chez Fed. Morel. 1567. 8.

De officio pij ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri in hoc religionis diſſidio, Auctore G. Caſſandro, 1561. in 4. & in 8.

Traditionum veteris Eccleſiæ & ſanctorum Patrum defenſio aduerſus quorundam importunas criminationes, Auct. G. Caſſandro. Coloniæ apud heredes Arn. Birckmanni. 1565. 4.

Reſponſio ad calumnias, quibus Georgius Caſſander in Germanico quodam libello, *Via commonſtrator* inſcripto petulanter impetitur: in qua & de Euchariſtia, quæ veterum ſit ſententia, obiter exponitur. Colon. apud heredes Arn. Birckmanni. 1564.

Georg. Gaſſandri de articulis religionis inter Catholicos & Proteſtantes controuerſis, conſultatio: iuſſu Cæſſ. Ferdinandi & Maximiliani II. conſcripta 1565. Coloniæ in 8. & Argentinæ iterum in 8. 1594.

Eiuſdem Caſſandri de communione ſub vtraque ſpecie. Colon. 8. 1564. Itemque alia eius opuſcula ad religionem ſpectantia, quæ breui * edentur vno volumine.

* *Edita Argentinæ apud Lazarum Zetznerum.*

Aduis d'un Theologien de G, ſur le liuret ſuſdict de Caſſander, de officio pij viri, non imprimé.

De extremis in Eccleſia vitandis, pij cuiuſdam Theologi liber, nondum editus.

Epiſtola And. Duditij ſacræ Cæſ. Maieſt. Conſiliarij ad Theod. Bezam V. C. in qua diſputatur, an Eccleſiæ nomen vel ſoli Romanæ, vel ſoli Reformatæ conueniat. Baſileæ, 8. 1593. & alibi frequenter in Germania & Polonia.

Mutuus conſenſus Eccleſiarum Polonicarum, videlicet Lutheranæ, Caluinianæ, Græcæ, ex actis ſynodorum in Polonia habitorum, 1570. 1572. 78. & 1591.

Des ſignes ſacrez & ſacrifices de l'Egliſe par Meſſ. Iehan du Tillet, iadis Eueſque de Meaux. in 16. 1562.

Petri Loiſelerij Villerij ſummi Theologi Theſes de libero arbitrio, cum præfatione ad Adrianum Mylium curiæ Hollandicæ præſidem, qua oſtendit, *non tantum in hac controuerſia, verum & in alijs pleriſque* verbis *potius quam* re ipſa *Scholaſticos & Euangelicos diſcrepare: huiuſcemodi vero controuerſias, ſi modo controuertendi libido ceſſet, & æquiuocationes à diſputatione tollantur, facile componi poſſe.* Hæc ſunt ipſius verba. Hagæ Com. 1587.

De fide Catholica Apparatus Io. Serrani: ſiue de principijs religionis Chriſtianæ communi omnium Chriſtianorum ſemper & vbique ratis. Pariſ. apud Per. Metayer, in fol. 1596. & in 8. 1607.

Scripta nonnulla in hoc argumento à Petro Baronio Gallo, Theologo Cantabrigienſi: nondum edita.

En l'Antimachiauel y a vn Dialogue d'vn Catholique & d'vn Huguenot, monſtrant qu'au fonds nous ſommes d'accord, & que la religion reformée eſt entiere dans la Catholique. A Lion & à Geneue, in 16. & in 8.

Le penult chapitre de l'Apologie de M. le Preſ. Gentillet pour ceux de l'Egliſe reformée, eſt intitulé: *Moyen d'appaiſer les differens en la religion*, in 8. 1584.

Sermon de l'Eueſque de Rocheſter ſur le ſujet du gouuernement Eccleſiaſtique d'Angleterre, mis d'Anglois en François. 1606.

Vœu pour la proſperité du Roy & du Royaume par Iean de Serres; à la fin duquel eſt vne exhortation pour la paix de l'Egliſe. A Roüan. 1597. 8.

Deux petis aduis pour la paix de l'Egliſe & du Royaume, chez P. Metayer. 1597. & 1607. 8.

Traitté de N. Seg. Theologien de Lauſanne, monſtrant en quoy giſt le diſcord entre les François Catholiques & Reformez, & les moyens de les reünir: afin de viure deſormais en bonne paix. 1593. non imprimé.

Examen pacifique de la doctrine des Huguenots: auquel eſt monſtré qu'elle ne doit eſtre condamnée auant vne nouuelle preuue: & qu'és principaux points & plus eſſentiels de la religion nous ſommes d'accord: par vn gentilhomme Anglois. 1590. 8.

Le Lacifique, par Theophile Friderick. Anno 1590. 8.

Aduis & deſſein nouueau, ſur le fait de la religion; pour eſtre propoſé au prochain Concile national, ou autre aſſemblée de l'Egliſe Gallicane: par L.S.D.V.S.P. 1592.

Reſponce à la ſupplication adreſſée au Roy pour le faire Catholique; en laquelle eſt demandé

le re-

& reſtabliſſement de la Liturgie, qui eſtoit en l'Egliſe Gallicane au temps de Charlemagne & de ſes enfans. A Tours 1592. in 8.

Forme d'vne conference, qui ſemble ne deuoir eſtre refuſée par la vraye Egliſe qui à la verité de ſon coſte à celle qui s'deuoye, afin de venir à vnion des differens qui ſont en la religion: par M. D. L.P. 8. 1588.

Hugues Sureau, dit des roſiers, Miniſtre, eſcriuant ſur le point du ſacrement de l'Euchariſtie, le voir par l'Eſcriture, par les Peres & par les Scholaſtiques qu'il ſe pouuoit accorder. à Orleans 1566. 8.

Tho. Eraſti Philoſophi & Medici præſtantiſſimi *Theſes de excommunicatione*: in quibus de Synedrii Eccleſiaſtici auctoritate diſputatur. Item an ſit delinquentibus cœnæ dominicæ vſus interdicendus. cum epiſtolis Bullingeri, Gualteri, aliorumq; Germaniæ & Heluetiæ Theologorum in hoc argumento. Londini 4.

Le Catholique reformé, contenant vne declaration des points eſquels nous pouuons conuenir auec l'Egliſe Rom. & en quels points nous deuons nous en departir pour touſiours: par Guillaume Perkins Theologien de Cambrige. 1598. 8.

Relation de l'eſtat preſent de la religion en l'Europe, & des moyens & ruſes que chacun Eſtat employe pour maintenir celle qui y eſt vne fois receue: auquel auſſi eſt ſommairement touché des moyens de reünion entre les Catholiques & les Reformez: en Anglois, par le ſieur Eduin Sandes. Londres 1605. 4.

Au ſecond Diſcours excellent de feu M. du Fay Huraut Chancelier de Nauarre, eſt traitté aſſez amplement de ce ſuiet: à ſcauoir depuis la page 104. iuſques à la page 132. de la 1. edition 1591. 8.

Amiable aduis ſur la diuerſité des opinions en la religion, par Rod. le Maiſtre. Paris, chez Sonnius 1601. 16.

Aduis en forme de Paradoxe ſur les differens de la religion, par le Sieur d'Inf. H. Secretaire du Roy. in 8. 1585. auec la cenſure de feu M. Roſe Eueſque de Senlis.

Diſcours au Roy, pour vn Concile national, auec la Suite, ſeruant de replique à quelques contredisans: par Monſieur R. 8. Paris. 1607.

Moyens pour paruenir à la reconciliation tant deſirée entre les Chreſtiens, tirez de l'Eſcriture ſaincte & des Peres: par le Sieur d'Arp. Grau. non imprimé.

F. Hotmanni I.C. modeſta ac moderata de ſacramento Euchariſtiæ ſententia. Lugd. 1566. 8.

Diallacticon viri boni & litterati de veritate, natura atque ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. 1557. Argentinæ. 8. in cuius libelli præfatione hæc verba ſunt: *Pacem aliorum quærere pulchrum eſt, & habet certam promiſſionem Dei, Beati pacifici. Sed vereor hoc dum cupide ſector, ne quod iis qui pugnas dirimunt, idem mihi quoque accidat. Illi dum aliorum ſaluti conſulunt, ipſi reportant vulnera, & ego dum operam do vt diſſidentes redeant in gratiam, ab iiſdem nullam fortaſſe inibo gratiam. Id ſi fit, illius exemplo me leuabo qui dixit: Si hominibus placuiſſem, Chriſti ſeruus non eſſem. Vale ac ſtude Chriſto placere.*

Dialogus de ſtatu turbulento huius ſeculi ex ſpecula Halcyonia. 1591.

Fr. Iunii Bitur. Eirenicon, ſiue de pace Eccleſiæ Catholicæ. 8. 1593.

Deux Ad vis pour la paix de l'Egliſe & du Royaume, par Ian de Serres: & par le S.D.V.H. à Paris chez P. Mettayer 1608. 8.

Hieron. Zanchius magni nominis Theologus in præfat. ad Confeſſ. ſuam, editam Neoſtadii Palat. apud Matth. Harniſch, in 4. 1585. habet iſta verba:

QVamquam neſcio quo ſingulari Dei beneficio hoc adhuc boni in Eccleſia Romana ſeruari nemo non videt, niſi qui videre non vult: quod nimirum, ſicut ſemper, ſic nunc etiam conſtans & firma in vera de Deo deque perſona Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrina perſiſtit, & baptiſat in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; Chriſtumque agnoſcit & prædicat pro vnico mundi Redemptore, futuroque viuorum & mortuorum iudice: qui verós fideles ſecum in æternam vitam recepturus, incredulos autem & impios in æternum ignem cum Diabolo & Angelis eius eiecturus ſit: quæ cauſſa eſt cur Eccleſiam hanc pro Eccleſia Chriſti etiamnum agnoſcam: ſed quali? qualis & ab Oſea aliiſque Prophetis Eccleſia Iſraelis ſub Ieroboamo & deinceps fuiſſe deſcribitur, &c.

Idem Zanch. in Confeſſ. art. 8. de Eccleſ. milit. pag. 149.

NEq; ita iniqui ſumus, vt inter quas non prorſus de omnib. rebus conuenit, eas propterea Chriſtianas Eccleſias eſſe negemus. Sicut enim non omnis conſenſus conſtituit Eccleſias; ſic neque omnia diſſidia tollunt; modo fundamentum quod eſt Chriſtus verus Deus & verus homo, verus & perfectus Seruator, firmum teneatur, eoque in ſummam doctrinæ Apoſtolicæ, quæ in Symbolo traditur, conſentiatur.

Idem art. 19. ſequenti: pag. 157.

NOn enim ab Eccleſia Rom. ſimpliciter & in omnibus defecimus; ſed in illis dumtaxat rebus, in quibus ipſa defecit ab Apoſtolica, atq; adeo à ſeipſa veteri & pura Eccleſia: neq; alio diſceſſimus animo, quam vt ſi correcta ad priorem Eccleſiæ formam redeat, nos quoque ad illam reuertamur.

iunt, & communionem cum illa in ſuis porro cœtibus habeamus. Quod vt tandem fiat, toto animo Dominum Ieſum precamur. Quid enim pio cuiq; optatius, quam vt vbi per baptiſmum renati ſumus, ibi etiam in finem vſq; viuamus? modo in Domino. Ego Hieron. Zanchius ſeptuagenarius, cum tota mea familia teſtatum hoc volo toti Eccleſiæ Chriſti in omnem æternitatem.

Bucerus in præfat. ad acta Colloq. Ratisb.

CAuendum ſummopere piis eſt, ne vllos qui Chriſti ſunt, Chriſtumque vere inuocant, abiiciant, Chriſti ſocietate excluſos. Quare & propter eos qui iudicio Chriſti adhuc infirmiores ſunt, nec quid in vnoquoque vel dogmate vel ritu aut Chriſtianæ religioni proprium aut inſtitutioni vtilius ſit, diſpicere poſſunt, neceſſe eſt, vt in multis alteri alteris vt ſuæ ſententiæ ipſi rationem habeant, concedant, & ſtare eos vel cadere ſuo Domino permittant, modo deis conſentiant, in quibus Religio ipſa conſiſtit.

PARS XXIX.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS ET LIBELLOS PACIFICATORIOS PRO CONciliandis diſſenſionibus inter Reformatas Proteſtantium Euangelicorum Eccleſias, cum pernicie Reipub. Chriſtianæ, obortis & agitatis.

CONFES-

I.

Anno Domini 1557.

CONFESSIO GALLICANÆ ET HELVETICÆ ECCLESIÆ DE VERA CORPORIS ET SANGVINIS DOmini noſtri Ieſu Chriſti præſentia in ſacramento Euchariſtiæ, oblata cum conſenſu & approbatione Germanicæ Eccleſiæ in Colloquio Wormatienſi, ANNO M.D.LVII.

NOn ex humanis rationibus, ſed ex verbo Dei ſcimus, credimus, profitemur, Chriſtum eſſe factam nobis credentibus ſapientiam, iuſtitiam, Sanctificationem & redemptionem. Ideoque imprimis oportere, imo prorſus requiri ad ſalutem, vt non modo Chriſti beneficiorum efficacia, ſed etiam vt ipſe Chriſtus, id eſt, ipſa Chriſti ſubſtantia per fidem, quæ Dei [a] donum eſt, nobis communicetur, vt ſimus os ex oſſibus eius, & caro ex carne eius. Huius communicationis ſigilla dicimus eſſe Sacramenta, Baptiſmum videlicet cum in pueris tum in adultis, & cœnam in adultis. Nec alios etiam eximios vſus ſacramentorum omittimus.

a *Chryſoſtom. Rebus ſenſilib. dona, quæ ſunt ſpiritualia & intelligibilia, diſtribuuntur.*

Profitemur ergo in Cœna Domini non modo omnia Chriſti beneficia, ſed ipſam etiam filii hominis ſubſtantiam, ipſam (inquam) veram carnem, quam verbum æternum in perpetuam perſonæ vnitatem aſſumpſit, in qua natus & paſſus pro nobis reſurrexit, & aſcendit in cœlum; & verum illum ſanguinem, quem fudit pro nobis, non ſignificari duntaxat, aut ſymbolice tantum, aut figurate vel typice tanquam abſentis memoriam proponi, ſed vere ac certo repræſentari, exhiberi & applicanda offerri adiunctis ipſius rei ſymbolis minime nudis, ſed quæ, quod ad Deum promittentem & offerentem attinet, rem ipſam ſemper vere & certo coniunctam habent, ſiue fidelibus ſiue infidelibus proponantur. Iam vero modum, quo res, id eſt verum corpus & verus ſanguis Domini cum ſymbolis copulatur, dicimus eſſe Symbolicum ſiue Sacramentalem. [b] Sacramentalem autem modum non vocamus, qui ſit duntaxat figuratiuus, ſed qui vere ac certo ſub ſpecie rerum viſibilium repræſentet, quod Deus cum ſymbolis exhibet & offert, nempe quod ſuperiore articulo diximus, vt appareat nos ipſius corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiæ præſentiam in Cœna retinere & defendere. Etſi quid nobis forte cũ vere piis ac doctis controuerſiæ eſt, non de re ipſa, id eſt, de præſentia, ſed de modo præſentiæ duntaxat, qui ſoli Deo cognitus eſt, à nobis autem creditur, diſceptatur.

b *Sacramentalis vnio eleganter explicatur à Bucero in Actis concordiæ, fol. 75. Eſt autem myſtica diſpenſatio rei ſignatæ per ſignum, in verbo gratiæ & promiſſionis, per quam, vt Chryſoſtomus ait, rebus ſenſibilibus ſpiritualia & intelligibilia dona diſtribuuntur: Seu, vt Auguſtinus loquitur, per quã quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducatur & bibitur.*

Quod attinet autem ad modum, quo Symbola nobiſcum communicantur, Phyſicum eum eſſe dicimus. Nam Phyſice illa viſibilia & palpabilia ſumimus.

Deniq; quod attinet ad modum, quo res ipſa, id eſt, naturalis illa ac vera Chriſti ſubſtantia vere ac certo nobiſcum communicatur, non facimus eum Phyſicum, nec localem coniunctionem imaginamur, aut diffuſionem humanæ naturæ Chriſti, aut craſſam illam & animalem commixtionẽ ſubſtantiæ Chriſti cum vera ſubſtantia panis, aut Papiſticam transſubſtantiationem, ſed ſpiritualẽ eum modum eſſe dicimus, id eſt, qui nitatur vna incomprehenſibili ſpiritus Dei veritate, quam nobis in hoc verbo patefecit: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.*

Obteſtamur autẽ omnes fratres veræ pietatis ac concordiæ amantes, vt ſepoſitis omnibus priuatis affectib. cogitent, ecquid oporteat illos, qui de Chriſti ſacramentis ita ſentiunt ac docent, pro infidelibus ac hæreticis traduci. Quod ſi quid eſt præterea, in quo non prorſus ſit communis ſingulorũ ſententia, cum in eo, quod maxime perſpicuũ eſt & eſſentiale, conueniat, ſperamus, ſi per [c] Dei gratiam poſſit vere piorum & doctorum conuentus inſtitui, fore vt dominus per ſuam miſericordiam nobis adiutor ſit, vt vel idẽ per omnia ſentiamus, vel ſaltẽ vt alii aliorũ infirmitatẽ toleremus & condonemus, quo communib. tandẽ viribus & armis communem hoſtem adoriamur. Ita ſit autẽ nobis ꝓpitius Deus omnipotẽs, vt nihil hic ſcripſit calamus, quod animus candidus & ſimplex nõ dictauit.

c *Tolerantia.*

Additio Chriſtophori Hardeſſiani IC. Noribergenſis.

HÆc Confeſſio non à Philippo Melan. ſed à Do. Beza & Farello Geneuẽſib. Theol. in Conuẽtu Wormatienſi Anno 1557. conſcripta & exhibita fuit, ex cõſilio tamẽ & cõſenſu Philippi. Continet

tinet autem puram veritatem, & ipſiſſimam Caluini ſententiam, vt ex commentario ipſius in Corinthios, apparet. Ex eoq; tempore, cum hæc confeſſio Philippo placeret, ſumma fuit, vt epiſtolæ teſtantur, inter Philippum & Caluinum animorum coniunctio. Tantum autem abeſt, vt Heidelbergenſes nouum & alienum ab hac confeſſione dogma introduxerint, vt ne hodie quidem aliter ſentiant. Deniq; hæc confeſſio Bezæ & Farelli euidentiſſime conuincit, iniuriam Caluiniſtis, vt vocant, fieri in iſto libro Bergenſi, vbi ſententia ipſorum manifeſte peruertitur.

II.

ACTA LEGATIONIS HENRICI NAVARRORVM REGIS ET ORDINVM PROTESTANTIVM IN GALLIA, AD S. Cæſar. Maieſtatem, Reges, Electores, Principes, & cæteros Imperii Germanici Ordines Proteſtantes, pro pace publica Eccleſiæ & vnione generali concilianda.

Anno Domini 15,83.

MANDATA A NOBIS HENRICO DEI GRATIA, REGE NAVARRENO, principe Bearniæ, &c. Domino Iacobo Segurio Pardeliano Domus noſtræ præfecto, & interioris noſtri conſilii primo conſiliario, tradita, ex quorum formula cum Illuſtriſſ. S. Rom. Imp. Electoribus, reliquisq; Germaniæ principibus & ordinibus, qui Religionem reformatam profitentur, noſtro nomine acturus eſt.

DOminus Segurius Pardelianus Illuſtriſſimos principes ac Dominos, dominos S. Rom. Imp. Electores, cæteroſque omnes principes, ciuitates atque ordines noſtris verbis officioſiſſime ſalutabit, beneuolentiam erga ipſos noſtram, eximium amorem & obſeruantiam teſtabitur, deſideriumque illud exponet, quo ſub initium ſuperioris anni tenebamur, peragrandæ ſcilicet Germaniæ & cum illis amicitiam firmandæ, quos de Repub. Chriſtiana optime meritos eſſe noueramus. Cui profectioni, cum orientes ſubinde turbarum ſuſpiciones aduerſarentur, & iuſtas morandi cauſas innecterent, ſe à nobis ablegatum fuiſſe ſignificabit, vt quæ ſuperius dicta ſunt indicaret, atque labantem & propemodum afflictum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum ipſorum oculis ſubiiceret, præſertim vero de quærendis diſſenſionum noſtrarum remediis, & conſtituendo Eccleſiarum vnanimi conſenſu conſilia communicaret.

Exponet igitur inprimis, quantopere neceſſaria ſit inter Principes & reliquos ordines etiam Religionis cultui deditos Concordia, & quantum ex inteſtinis noſtris de doctrina diſſidiis periculi contrahatur Eccleſiis, vnde & ipſis in medio fere curſu mora iniecta & infirmis ad veritatem properantibus impingendi occaſio præbita ſit. Concordia.

Huius mali fontem atque adeo auctores à nobis non inquiri, quod ſine noſtro dolore & eorum pudore fieri nequeat, cum ſatis ſuperq; conſtet, perſpecta morbi natura probos omnes viros vulneri remedium expetere, quod & reperire vtilius ſit & vero facilius, quam de procellarum iſtarum autoribus conuenire.

Cuilibet Chriſtianæ fidei rudimentis imbuto notum, eſſe noſtrum in præcipuis doctrinæ capitibus conſenſum, præſertim in gratuita peccatorum remiſſione per Chriſti ſanguinem, æterni DEI filii & vnius generis humani mediatoris, omnibus in ipſum credentibus parta, vnde fit vt iiſdem rationum & argumentorum telis Antichriſti Romani præſtigias & errores oppugnemus, in ipſoque adeo cœnæ negotio, de quo præcipua diſputatio eſt, de ſacramenti ſubſtantia conueniamus, cum nemo ſit, qui ſe verum corpus Chriſti in Euchariſtia aſſumere diffiteatur. Cum itaque nulla ſuperſit controuerſia, niſi in ipſo percipiendi modo & præſentiæ ratione, intolerandum prorſus videri, vt in quærendo modo nullum plane modum adhibeamus, omnem contra excedamus.

Pontifices longe maius prudentiæ (ne dicam charitatis) documentum edidiſſe, qui ante bellum ipſis indictum à ſummo illo ſanctæ memoriæ Luthero, capitalibus inter ſe ob eundem articulum odiis flagrabant, adeo, vt ſcholaſtici interpretes in duodecim ferme diſcrepantes diſtraherentur ſententias, tanta videlicet animorum contentione & pertinacia, vt nemo de concepta opinione decedere vellet, quemadmodum in Lombardi, Thomæ, Scoti, Durandi, Pici, Bieli, Bonauenturæ & aliorum monumentis videre eſt, qui cum ſe mutuis ictibus antea iugularent, artibus tandem & Pontificum authoritate, maiori cum otio nobis exitium moliri cupientium, compreſſa ſunt eiuſmodi diſſidia, quod vt à nobis & hoſtium exemplo in controuerſia longe minus acerba fieret, tanto præſertim imminente ex diſſenſionibus illis incendio, nondum exorari potuimus.

Adhu-

Ad huius mali curationem eccleſiam illam priſcam nobis facem prætuliſſe, cum in ſimilibus controuerſiis, vt ſeceſſionibus & Schiſmatis occaſionem præcideret, nihil prius haberet neq; antiquius Synodorum indictione, quæ ſcilicet infinitis prope vulneribus remedium attulerunt. Maiorum igitur more ab illuſtriſſ. Germaniæ principibus & Ordinibus poſtulare nos, & per omnia ſacra obteſtari, vt apud ſe pro ſua prudentia & propenſiſſimo in Dei gloriam ſtudio expendant, an Eccleſiis & Reipub. Chriſtianæ expediat ad diiudicandas controuerſias noſtras vniuerſalem inſtauratarum totius Europæ Eccleſiarum Synodum haberi, ea ſcilicet lege, vt ad conuentum illum de controuerſiis inter nos capitibus referatur, & poſſint accurata diſceptatione (expenſis omnium ſententiis) diſſenſione dirimi.

Synodus vniuerſalis.

Quod ſi huius Concilii indictionem è re Chriſtiana, vti exiſtimamus, eſſe putant, ab iiſdem illuſtriſſimis Principibus flagitare nos & omni contentione petere, vt quamprimum illud conuocari curent, & inter ſe & cum reliquis Imp. Rom. ordinibus hac de re diligenter agant.

Quoniam autem huius morbi medicinæ moram attulerunt procellæ illæ quibus iactantur Eccleſiæ multis Europæ locis, partim bello petitæ, partim crucem expertæ, vnde fit, vt laborantibus illis tetrum hoc vulnus eorum importuna contentione & ambitioſis diſputationibus ſubinde recrudeſcat, quorum muneris erat vlcus ipſorum adhibitis acopis mitigare: eo denique acerbitatis prouecta ſint partium ſtudia, vt ſe præiudicatis ſententiis mutuo damnauerint, & ab Eccleſiæ communione (ſuo quidem iudicio) exturbarint. Quod ſæuiendi genus eiuſmodi videtur, vt præſentiori remedio egeat, neque ſit ipſius in futuram Synodum differenda curatio. Diſcriminis iſtius depellendi gratia, quod & verbum domini ludibrio & ipſius Eccleſiam direptioni expoſuit, Illuſtriſſ. Principes & ordines rogabit idem D. Segurius, vt tantiſper, dum paratur generalis illa Synodus curationem iſtam ſibi præuertendam ſuſcipiant, quæ duplici ratione commodiſſime abſolui poſſit: Altera quidem, ſi omnium vtriuſque profeſſionis Eccleſiarum controuerſiæ ad Synodum diiudicandæ referantur, neque cuiquam priuatim in aliorum fraudem & præiudicium quicquam interea ſtatuere liceat: Altera vero ſi acerbis illis contentionibus, quibus hactenus & verbis rixati ſunt inter ſe Theologi, & ſcriptis, ſilentio tandem finis imponatur, & eiuſmodi diſputationibus exploſis Chriſtiana Charitas & animorum fraterna coniunctio reuocetur. Quod quidem ſereniſſ. Rex Nauarræ ab Eccleſiis Gallicis (à quibus hac de re rogatus eſt) tam ſuo quam ipſorum nomine bona fide præſtitum iri ſpondet.

Præiuditia.

Silentii indictio.

Spondet pro Eccleſ. Gallicis.

Quantum autem ad Synodum ipſam attinet: hæc etiam Illuſtriſſ. Principibus Segurius noſter ſignificabit, nos cum de iſta Legatione mittenda cogitauimus ad Eccleſiæ pacem & tranquillitatem adeo neceſſaria, mentis oculos ſtatim illos principes defixiſſe, quorum ſcilicet prudentia freti & ſumma illa qua pollent apud reliquos Imperii ordines gratia & authoritate, ſed præſertim ſingulari pietate & ingenii dexteritate concordiam illam, quam inter Eccleſias quærimus, omnibus veſtigiis indagari & tandem obtineri poſſe cenſuimus.

Hoc enim videri Germanicæ ipſius fatum aut potius ſummo Dei beneficio ornamentum, vt quemadmodum ex ea primi illi Eccleſiarum vindices, & ipſarum libertatis aduerſus Tyrannidem Pontificiam aſſertores, extiterunt, ita etiam ab eadem monſtrum illud funeſtum diſſenſionis iugulari debeat, & concordia inter Eccleſias ſanciri, ſine qua in acerbiſſimam ſeruitutem relapſuræ videntur.

Nulla vero ratione infeliciſſimum illud de Cœna Domini diſſidium melius & facilius ſanari poſſe, quam ſi vetuſto, & iam ab Apoſtolicis temporibus repetito more Synodus habentur, Quod quoniam Illuſtriſſ. Germaniæ principium ductu atque auſpicio potiſſimum confici poteſt, orare nos iterum, vt tam pio & ſalutari operi manum admoueant, & oblatam de Eccleſia bene merendi occaſionem arripiant, neue hoc decus Illuſtriſſ. Germaniæ principum pietati debitum, ſibi de manibus eripi patiantur.

Non eſſe nos ea peruicacia, aut in tenendis noſtris opinionibus tenacitate, vt ſi concilium meatur, meliora monentibus fidem abrogare velimus: Imo paratos eſſe omnium animos ad Concordiam ineundam, & ea dogmata ſuſcipienda, quæ verbo Dei conſentanea futura ſunt.

Quod nos alii Zuniglianos, alii Caluiniſtas, Sacramentarios plerique vocent, perperam id quidem fieri, & nullo noſtro merito, cum in Chriſti ſolius verba iurauerimus, nullius ſententiæ addicti, niſi quatenus veteris & noui fœderis doctrinę congruat. Quod ſi ab vllius mortalis nomine adaptanda nobis eſſet appellatio, potiori vtiq; Iure Lutheranos vocatum iri; cuius ſane nominis inuidia & odio cum laborarent Galli, infiniti prope per ſexaginta annos cæſi, equuleis admoti, & omni genere crudelitatis excorti, præclarum Chriſtianæ doctrinæ, quam à Luthero primum acceperant, teſtimonium ediderunt, & ſanguine ſuo per Dei gratiam obſignarunt, vt vere à nobis aſſeri poſſit plures propemodum Martyres, quos Lutheranos vocabant, Galliam edidiſſe, quam reliquas omnes Europæ regiones.

Galli Lutherani præ cæteris.

Lutherum ab Eccleſiis Gallicis, vt ipſarum in Chriſto parentem agnoſci, quod illius miniſterio veritas primum è latebris eruta ſit, eius vero doctrinam & eruditionem adeo à nobis amari & ſuſcipi, vt vnum illum reperita ab Apoſtolorum ſeculo memoria fuiſſe exiſtiment, qui ſcriptis ſuis & laboribus plurimum Eccleſiæ contulerit.

Qui noſtro ſeculo florent, & Helueticā ſiue Gallicā cōfeſſionē tuentur, acerbius quidē & odioſius in fœliciſſimam illam de Cœna Domini diſputationem attigiſſe, ſed ex alios pleroſq; hac etiā culpa

non

non carere. Verum non decere nos propter vnius aut alterius acerbitatem perpetuis inter nos odiis & diſſenſionibus flagrare, & Eccleſias integras priuatorum odio prægrauari.

Pleriſque in Germania, præſertim è vulgo, ita de Gallicarum Eccleſiarum doctrina perſuaſum eſſe, quaſi erronea ſit & qualibet hæreſi vel etiam Pontificia longe deterior, qua in re nobis iniuriam inſignem fieri putamus, & aliis pleriſque nationibus exteris. Vnde fit vt palam, quales ſimus, teſtari cupiamus: & ſi erremus, ex verbo DEI doceri.

Controuerſiam de Cœna Domini non adeo difficilem, vt Synodo dirimi nequeat, duobus potiſſimum argumentis colligi. Prius eſt, quod, cum tria ſint, quæ in hoc negotio ſpectentur, Symbolum ſcilicet, res exhibita, & fructus quem inde percipimus: in tribus illis omnino inter nos conueniat. fatemur enim omnes panem & vinum eſſe ſymbola, Corpus & ſanguinem Domini rem exhibitam. Fructum vero iſtum cum Paulo ſtatuimus, vt fractio panis & vini ſit corporis Chriſti participatio. Quod autem ad perceptionis modum, in quo hæremus, ſupernaturalem eum eſſe & ſpiritualem omnes etiam fatentur. Sed dum arcanum illum & ineffabilem modum nimis anxie nonnulli quærunt, plagas illas diſputationum & controuerſiarum infelices nobis pertexuerunt. Hac vero de re minus ſollicitos nos eſſe debere ipſius Lutheri teſtimonium admonet, qui in Epiſtola ad Helueticas Ciuitates ſe de modo laborare negat, dum de præſentia conſtet.

Alterum eſt argumentum, quod nunquam iſtius diſſenſionis concordia ſerio quæſita eſt, quin Dominus Chriſtiano illo conatui benedixerit, & ad optatum exitum ſuo ſancto ſpiritu perduxerit, vt ex colloquio Lutheri & Zuinglii Anno 1529. & triennali illo 1536. 37. & 38. apparet: quorū vtroq; inter primarios Theologos Eccleſiaſque Germanicas & Helueticas concordia ſancita eſt, & de Cœnæ negotio conſenſus in formulam redactus, vtriuſque partis ſubſcriptione comprobatus.

Nam quod ab illa pace & Eccleſiarum concordia vtrinque poſtea diſceſſum fuerit, importuna quorumdam acerbitate mœrente (vt fertur) Luthero & bonis omnibus factum eſt. Quod ne denuo contingat (ſi conciliatio inter nos inſtituatur.) principum autoritate & Magiſtratuum officio præſtari poteſt: Cum ſit eorum muneris eiuſmodi contentionibus litem ex lite ſerentibus obuiam ire, vnde & plurimum diſcordiæ faces oriuntur, ædificationis vero ad Eccleſiam nihil.

Cum igitur diſſidii illius conciliatio res ſit, vt nobis quidem videtur, & per ſe facilis & omnium iudicio Chriſtianæ Eccleſiæ pernecesſaria: Huius vero conficiendæ ſpes omnis & expectatio in Illuſtriſſ. Germaniæ principibus repoſita: Optimos igitur illos principes, & de Eccleſia tot nominibus benemeritos, hortabitur Segurius noſter, vt autoritatem ſibi à DEO concreditam ad componendas exitiales illas diſſenſiones conferant.

Quoniam autem fruſtra pacem domi quærimus, niſi externos illos communis aduerſarii Pontificis Romani conatus & apertas in perniciem noſtram inſidias depellamus: Idcirco artes illas & nefarias Antichriſti coitiones Illuſtriſſ. Germaniæ principibus optime notas ſignificabit, quibus veritatis lucem filius ille tenebrarum extinguere nititur.

Monebit igitur in primis, quotquot in Hiſpaniam & Italiam in ſuſpicionem emendatæ religionis veniunt, eos omnes cruci ſubditos Antichriſti Romani Tyrannidem & inquiſitionis atrocitatem & ſæuitiam experiri. *Hiſpania.*

In Gallia concilii Tridentini promulgationem & inquiſitionis conſtitutionem à Legato Pontificis aduerſus Senatus interceſſionem & Eccleſiæ Gallicanæ libertates vrgeri. *Gallia.*

Ieſuitarum artibus Anglorum animos ad defectionem ſæpenumero impulſos, vt niſi faces illæ ſapientiſſimo Reginæ conſilio extinctæ fuiſſent, clandeſtini illi cœtus & nefariæ coniurationes in ipſius caput & perniciem erupturæ viderentur. *Anglia.*

Quod ad Scotos attinet, iis artibus Sereniſſ. Regis animus à Pontificiis ſæpenumero tentatus eſt, quibus niſi principis optimi & à teneris annis Chriſtiana pietate imbuti laudabilis indoles & ſapientiſſima Reginæ Angliæ conſilia obſtitiſſent, bellum inter Angliam & Scotiam non ſine ſummo Eccleſiarum vtriuſque regionis diſcrimine & Pontificis Romani voluptate exarſurum fuerit. *Scotia.*

Belgarum vero profligatæ res & ab omni exterorum auxilio imparatiſſimæ, prementibus Hiſpanorum copiis & indies creſcentibus impares, breui collapſuræ videntur, certo ſcilicet florentiſſimarum Eccleſiarum Pontificię crudelitati ſubigendarum excidio. *Belgica.*

In Heluetia porro portenti illius Romani largitionibus & verſutia, & turbulentiſſimis Ieſuitarum concionibus incendia belli ciuilis propemodum hoc biennio excitata ſunt, vt ſcilicet Bernates emendatæ religionis cultores Sabaudiæ Ducis in eos ex compoſito irrupturi armis obruerentur. *Heluetia.*

Suecorum autem Eccleſiæ reſtitutis in Suecia ritibus pontificiis & Ieſuitis intima regni penetralia peruadentibus in aſſiduo metu & dubitatione verſantur, ne ſcilicet à ſtellionum illorum fratribus aliquid tandem in perniciem ſuam ſtatuatur. Quanquam hoc ſibi de ſapientiſſimo Suecorum Rege boni omnes pollicentur, vt breui locuſtarum illarum verſutias ſit perſpecturus, & Regni ſui finibus exacturus. *Suecia.*

Muſcouitarum vero religio quantum à ritibus Romanis diſcrepet, omnibus perſpectum eſt. At Pontifex Rom. dum ſe pacis arbitrum inter illos & Polonum gerit, hoc ſibi ex illarum nationum odio compendium quærere voluit, vt Muſcouitam ſuæ Tyrannidi & cultui ſubiiceret, quod ab eo tandem impetratum ferunt. Hoc ſane conſtat, hunc vnicum ſcopum illi fuiſſe propoſitum. *Moſcouia.*

Quod ad Germaniam ipſam ſpectat, in qua potentiſſimorum principum cura & autoritate tutiſ-

Liuret attribué à Farel premier Miniſtre de Geneue; auquel eſt demandée ſeulement la reformation de la Liturgie, pour paruenir à vne reconciliation. in 16. 1537.

Diſcours ſur le fait de la reformation de l'Egliſe par Fran. Balduin Iuriſconſulte, & par luy enuoyé à vn grand Seigneur de France. Pariſ. 8. 1564.

Les actes du Colloque de Poiſſy de l'an 1561. auquel on tomba d'accord de quelques points, & peu s'en faut du ſacrament de l'Euchariſtie: dans le liure intitulé, *Commentaires de l'Eſtat de la religion & republique, ſous les Rois H. & Fr. II. & Charles IX.* in 8. 1567.

Actes & memoires du Concile de Trente des années 1562. & 63. pour monſtrer que les Rois de France deslors ont requis vne reformation de la liturgie de l'Egliſe. 1607. in 8. & 12.

Des differens & troubles aduenans entre les hommes par la diuerſité des religions par Louys le Roy, dit Regius. Paris, chez Fed. Morel. 1567. 8.

De officio pij ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri in hoc religionis diſſidio, Auctore G. Caſſandro. 1561. in 4. & in 8.

Traditionum veteris Eccleſiæ & ſanctorum Patrum defenſio aduerſus quorundam importunas criminationes, Auct. G. Caſſandro. Coloniæ apud heredes Arn. Birckmanni. 1565. 4.

Reſponſio ad calumnias, quibus Georgius Caſſander in Germanico quodam libello, *Via communis ſtrater* inſcripto petulanter impetitur: in qua & de Euchariſtia, quæ veterum ſit ſententia, obiter exponitur. Colon. apud heredes Arn. Birckmanni. 1564.

Georg. Caſſandri de articulis religionis inter Catholicos & Proteſtantes controuerſis, conſultatio: iuſſu Cæſſ. Ferdinandi & Maximiliani II. conſcripta 1565. Coloniæ in 8. & Argentinæ iterum in 8. 1594.

Eiuſdem Caſſandri de communione ſub vtraque ſpecie. Colon. 8. 1564. Itemque alia eius opuſcula ad religionem ſpectantia, quæ breui * edentur vno volumine.

* *Edita Argentinæ apud Lazarum Zetznerum.*

Aduis d'un Theologien de G, ſur le liuret ſuſdict de Caſſander, de officio pij viri, non imprimé.

De extremis in Eccleſia vitandis, pij cuiuſdam Theologi liber, nondum editus.

Epiſtola And. Duditij ſacræ Cæſ. Maieſt. Conſiliarij ad Theod. Bezam V. C. in qua diſputatur, an Eccleſiæ nomen vel ſoli Romanæ, vel ſoli Reformatæ conueniat. Baſileæ, 8. 1593. & alibi frequenter in Germania & Polonia.

Mutuus conſenſus Eccleſiarum Polonicarum, videlicet Lutheranæ, Caluinianæ, Græcæ, ex actis ſynodorum in Polonia habitorum, 1570. 1572. 78. & 1591.

Des ſignes ſacrez & ſacrifices de l'Egliſe par Meſſ. Iehan du Tillet, iadis Eueſque de Meaux. in 16. 1562.

Petri Loiſelerij Villerij ſummi Theologi Theſes de libero arbitrio, cum præfatione ad Adrianum Mylium curiæ Hollandicæ præſidem, qua oſtendit, *non tantum in hac controuerſia, verum & in aliis pleriſque verbis potius quam re ipſa Scholaſticos & Euangelicos diſcrepare: huiuſcemodi vero controuerſias, ſi modo controuertendi libido ceſſet, & æquiuocationes à diſputatione tollantur, facile componi poſſe.* Hæc ſunt ipſius verba. Hagæ Com. 1587.

De fide Catholica Apparatus Io. Serrani: ſiue de principijs religionis Chriſtianæ communi omnium Chriſtianorum ſemper & vbique ratis. Pariſ. apud Per. Metayer, in fol. 1596. & in 8. 1607.

Scripta nonnulla in hoc argumento à Petro Baronio Gallo, Theologo Cantabrigienſi: nondum edita.

En l'Antimachiauel y a vn Dialogue d'vn Catholique & d'vn Huguenot, monſtrant qu'au fonds nous ſommes d'accord, & que la religion reformée eſt entiere dans la Catholique. A Lion & à Geneue, in 16. & in 8.

Le penult chapitre de l'Apologie de M. le Preſ. Gentillet pour ceux de l'Egliſe reformée, eſt intitulé: *Moyen d'appaiſer les differens en la religion*, in 8. 1584.

Sermon de l'Eueſque de Rocheſter ſur le ſujet du gouuernement Eccleſiaſtique d'Angleterre, mis d'Anglois en François. 1606.

Vœu pour la proſperité du Roy & du Royaume par Iean de Serres; à la fin duquel eſt vne exhortation pour la paix de l'Egliſe. A Roüan. 1597. 8.

Deux petis aduis pour la paix de l'Egliſe & du Royaume, chez P. Metayer. 1597. & 1607. 8.

Traitté de N. Seg. Theologien de Lauſanne, monſtrant en quoy giſt le diſcord entre les François Catholiques & Reformez, & les moyens de les reünir: afin de viure deſormais en bonne paix. 1593. non imprimé.

Examen pacifique de la doctrine des Huguenots: auquel eſt monſtré qu'elle ne doit eſtre condamnée auant vne nouuelle preuue: & qu'és principaux points & plus eſſentiels de la religion nous ſommes d'accord: par vn gentilhomme Anglois. 1590. 8.

Le Pacifique, par Theophile Friderick. Anno 1590. 8.

Aduis & deſſein nouueau, ſur le fait de la religion; pour eſtre propoſé au prochain Concile national, ou autre aſſemblée de l'Egliſe Gallicane: par L.S.D.V.S.P. 1592.

Reſponce à la ſupplication adreſſée au Roy pour le faire Catholique, en laquelle eſt demandé

le re-

& reſtabliſſement de la Liturgie, qui eſtoit en l'Egliſe Gallicane au temps de Charlemagne & de ſes enfans. A Tours 1592. in 8.

Forme d'vne conference, qui ſemble ne deuoir eſtre refuſee par la vraye Egliſe qui à la verité de ſon coſté à celle qui s'deuoye, afin de venir à vnion des differens qui ſont en la religion: par M. D. L.P.8.1588.

Hugues Sureau, dit des roſiers, Miniſtre, eſcriuant ſur le point du ſacrement de l'Euchariſtie, fit voir par l'Eſcriture, par les Peres & par les Scholaſtiques qu'il ſe pouuoit accorder. à Orleans 1566.8.

Tho. Eraſti Philoſophi & Medici præſtantiſſimi *Theſes de excommunicatione*: in quibus de Synedrii Eccleſiaſtici auctoritate diſputatur. Item an ſit delinquentibus cœnæ dominicæ vſus interdicendus: cum epiſtolis Bullingeri, Gualteri, aliorumq; Germaniæ & Heluetiæ Theologorum in hoc argumento. Londini 4.

Le Catholique reformé, contenant vne declaration des points eſquels nous pouuons conuenir auec l'Egliſe Rom. & en quels points nous deuons nous en departir pour touſiours: par Guillaume Perkins Theologien de Cambrige. 1598. 8.

Relation de l'eſtat preſent de la religion en l'Europe, & des moyens & ruſes que chacun Eſtat employe pour maintenir celle qui y eſt vne fois receue: auquel auſſi eſt ſommairement touché des moyens de reünion entre les Catholiques & les Reformez: en Anglois, par le ſieur Eduin Sandes. Londres 1605.4.

Au ſecond Diſcours excellent de feu M. du Fay Huraut Chancelier de Nauarre, eſt traitté aſſez amplement de ce ſuiet: à ſcauoir depuis la page 104. iuſques à la page 132. de la 1. edition 1591. 8.

Amiable aduis ſur la diuerſité des opinions en la religion, par Rod. le Maiſtre. Paris, chez Sonnius 1601.16.

Aduis en forme de Paradoxe ſur les differens de la religion, par le Sieur d'Inf. H. Secretaire du Roy. in 8.1585. auec la cenſure de feu M. Roſe Eueſque de Senlis.

Diſcours au Roy, pour vn Concile national, auec la Suite, ſeruant de replique à quelques contrediſans: par Monſieur R. 8. Paris. 1607.

Moyens pour paruenir à la reconciliation tant deſirée entre les Chreſtiens, tirez de l'Eſcriture ſaincte & des Peres: par le Sieur d'Arp. Grau. non imprimé.

F. Hotmanni I.C. modeſta ac moderata de ſacramento Euchariſtiæ ſententia. Lugd. 1566.8.

Diallacticon viri boni & litterati de veritate, natura atque ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. 1557. Argentinæ. 8. in cuius libelli præfatione hæc verba ſunt: *Pacem aliorum quærere pulchrum eſt, & habet certam promiſſionem Dei, Beati pacifici. Sed vereor hoc dum cupide ſector, ne quod iis qui pugnas dirimunt, idem mihi quoque accidat. Illi dum aliorum ſaluti conſulunt, ipſi reportant vulnera, & ego dum operam do vt diſſidentes redeant in gratiam, ab iiſdem nullam fortaſſe inibo gratiam. Id ſi fit, illius exemplo me leuabo qui dixit: Si hominibus placuiſſem, Chriſti ſeruus non eſſem. Volo ac ſtudeo Chriſto placere.*

Dialogus de ſtatu turbulento huius ſeculi ex ſpecula Halcyonia. 1591.

Fr. Iunii Bitur. Eirenicon, ſiue de pace Eccleſiæ Catholicæ. 8.1593.

Deux Aduis pour la paix de l'Egliſe & du Royaume, par Ian de Serres: & par le S.D.V.H. à Paris chez P. Mettayer 1608.8.

Hieron. Zanchius magni nominis Theologus in præfat. ad Confeſſ. ſuam, editam Neoſtadii Palat. apud Matth. Harniſch in 4.1585. habet iſta verba:

QVamquam neſcio quo ſingulari Dei beneficio hoc adhuc boni in Eccleſia Romana ſeruari nemo non videt, niſi qui videre non vult: quod nimirum, ſicut ſemper, ſic nunc etiam conſtans & firma in vera de Deo deque perſona Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrina perſiſtit, & baptiſat in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; Chriſtumque agnoſcit & prædicat pro vnico mundi Redemptore, futuroque viuorum & mortuorum iudice: qui veros fideles ſecum in æternam vitam recepturus, incredulos autem & impios in æternum ignem cum Diabolo & Angelis eius eiecturus ſit: quæ cauſſa eſt cur Eccleſiam hanc pro Eccleſia Chriſti etiamnum agnoſcam: ſed quali? qualis & ab Oſea aliiſque Prophetis Eccleſia Iſraelis ſub Ieroboamo & deinceps fuiſſe deſcribitur, &c.

Idem Zanch. in Confeſſ. art. 8. de Eccleſ. milit. pag. 149.

NEq; ita iniqui ſumus, vt inter quas non prorſus de omnib. rebus conuenit, eas propterea Chriſtianas Eccleſias eſſe negemus. Sicut enim non omnis conſenſus conſtituit Eccleſias; ſic neque omnia diſſidia tollunt; modo fundamentum quod eſt Chriſtus verus Deus & verus homo, verus & perfectus Seruator, firmum teneatur, eoque in ſummam doctrinæ Apoſtolicæ, quæ in Symbolo traditur, conſentiatur.

Idem art. 19. ſequenti: pag. 157.

NOn enim ab Eccleſia Rom. ſimpliciter & in omnibus defecimus; ſed in illis dumtaxat rebus in quibus ipſa defecit ab Apoſtolica, atq; adeo à ſeipſa veteri & pura Eccleſia: neq; alio diſceſſimus animo, quam vt ſi correcta ad priorem Eccleſiæ formam redeat, nos quoque ad illam reuertamur.

ſunt, & communionem cum illa in ſuis porro cœtibus habeamus. Quod vt tandem fiat, toto animo Dominum Ieſum precamur. Quid enim pio cuiq; optatius, quam vt vbi per baptiſmum renati ſumus, ibi etiam in finem vſq; viuamus? modo in Domino. Ego Hieron. Zanchius ſeptuagenarius, cum tota mea familia teſtatum hoc volo toti Eccleſiæ Chriſti in omnem æternitatem.

Bucerus in præfat. ad acta Colloq. Ratisb.

CAuendum ſummopere piis eſt, ne vllos qui Chriſti ſunt, Chriſtumque vere inuocant, abiiciant, Chriſti ſocietate excluſos. Quare & propter eos qui iudicio Chriſti adhuc infirmiores ſunt, nec quid in vnoquoque vel dogmate vel ritu aut Chriſtianæ religioni proprium aut inſtitutioni vtilius ſit, diſpicere poſſunt, neceſſe eſt, vt in multis alteri alteris vt ſuæ ſententiæ ipſi rationem habeant, concedant, & ſtare eos vel cadere ſuo Domino permittant, modo de iis conſentiant, in quibus Religio ipſa conſiſtit.

PARS XXIX.

PARS XXIX.

Continens

ACTA, TRACTATVS, DISCVRSVS ET LIBELLOS PACIFICATORIOS PRO CONciliandis diſſenſionibus inter Reformatas Proteſtantium Euangelicorum Eccleſias, cum pernicie Reipub. Chriſtianæ, obortis & agitatis.

CONFES-

I.

Anno Domini 1557.

CONFESSIO GALLICANÆ ET HELVETICÆ ECCLESIÆ DE VERA CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI noſtri Ieſu Chriſti præſentia in ſacramento Euchariſtiæ, oblata cum conſenſu & approbatione Germanicæ Eccleſiæ in Colloquio Wormatienſi, ANNO M.D.LVII.

NOn ex humanis rationibus, ſed ex verbo Dei ſcimus, credimus, profitemur, Chriſtum eſſe factam nobis credentibus ſapientiam, iuſtitiam, Sanctificationem & redemptionem. Ideoque imprimis oportere, imo prorſus requiri ad ſalutem, vt non modo Chriſti beneficiorum efficacia, ſed etiam vt ipſe Chriſtus, id eſt, ipſa Chriſti ſubſtantia per fidem, quæ Dei [a] donum eſt, nobis communicetur, vt ſimus os ex oſſibus eius, & caro ex carne eius. Huius communicationis ſigilla dicimus eſſe Sacramenta, Baptiſmum videlicet cum in pueris tum in adultis, & cœnam in adultis. Nec alios etiam eximios vſus ſacramentorum omittimus.

a Chryſoſtom. Rebus ſenſilib. dona, quæ ſunt ſpiritualia & intelligibilia, diſtribuuntur.

Profitemur ergo in Cœna Domini non modo omnia Chriſti beneficia, ſed ipſam etiam filii hominis ſubſtantiam, ipſam (inquam) veram carnem, quam verbum æternum in perpetuam perſonæ vnitatem aſſumpſit, in qua natus & paſſus pro nobis reſurrexit, & aſcendit in cœlum; & verum illum ſanguinem, quem fudit pro nobis, non ſignificari duntaxat, aut ſymbolice tantum, aut figurate vel typice tanquam abſentis memoriam proponi, ſed vere ac certo repræſentari, exhiberi & applicanda offerri adiunctis ipſius rei ſymbolis minime nudis, ſed quæ, quod ad Deum promittentem & offerentem attinet, rem ipſam ſemper vere & certo coniunctam habent, ſiue fidelibus ſiue infidelibus proponantur. Iam vero modum, quo res, id eſt verum corpus & verus ſanguis Domini cum ſymbolis copulatur, dicimus eſſe Symbolicum ſiue Sacramentalem. [b] Sacramentalem autem modum non vocamus, qui ſit duntaxat figuratiuus, ſed qui vere ac certo ſub ſpecie rerum viſibilium repræſentet, quod Deus cum ſymbolis exhibet & offert, nempe quod ſuperiore articulo diximus, vt appareat nos ipſius corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiæ præſentiam in Cœna retinere & defendere. Etſi quid nobis forte cũ vere piis ac doctis controuerſiæ eſt, non de re ipſa, id eſt, de præſentia, ſed de modo præſentiæ duntaxat, qui ſoli Deo cognitus eſt, à nobis autem creditur, diſceptatur.

b Sacramentalis vnio eleganter explicatur à Bucero in Actis concordia, fol. 75. Eſt autem myſtica diſpenſatio rei ſignatæ per ſignum, in verbo gratiæ & promiſſionis, per quam, vt Chryſoſtomus ait, rebus ſenſibilibus ſpiritualia & intelligibilia dona diſtribuuntur: Seu, vt Auguſtinus loquitur, per quã quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducatur & bibitur.

Quod attinet autem ad modum, quo Symbola nobiſcum communicantur, Phyſicum eum eſſe dicimus. Nam Phyſice illa viſibilia & palpabilia ſumimus.

Deniq; quod attinet ad modum, quo res ipſa, id eſt, naturalis illa ac vera Chriſti ſubſtantia vere ac certo nobiſcum communicatur, non facimus eum Phyſicum, nec localem coniunctionem imaginamur, aut diffuſionem humanæ naturæ Chriſti, aut craſſam illam & animalem commixtionẽ ſubſtantiæ Chriſti cum vera ſubſtantia panis, aut Papiſticam tranſſubſtantiationem, ſed ſpiritualẽ eum modum eſſe dicimus, id eſt, qui nitatur vna incomprehenſibili ſpiritus Dei veritate, quam nobis in hoc verbo patefecit: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus.*

Obteſtamur autẽ omnes fratres veræ pietatis ac concordiæ amantes, vt ſepoſitis omnibus priuatis affectib. cogitent, ecquid oporteat illos, qui de Chriſti ſacramentis ita ſentiunt ac docent, pro infidelibus ac hæreticis traduci. Quod ſi quid eſt præterea, in quo non prorſus ſit communis ſingulorũ ſententia, cum in eo, quod maxime perſpicuũ eſt & eſſentiale, conueniat, ſperamus, ſi per [c] Dei gratiam poſſit vere piorum & doctorum conuentus inſtitui, fore vt dominus per ſuam miſericordiam nobis adiutor ſit, vt vel idẽ per omnia ſentiamus, vel ſaltẽ vt alii aliorũ infirmitatẽ toleremus & condonemus, quo communib. tandẽ viribus & armis communem hoſtem adoriamur. Ita ſit autẽ nobis ppitius Deus omnipotẽs, vt nihil hic ſcripſit calamus, quod animus candidus & ſimplex nõ dictauit.

c Tolerantia.

Additio Chriſtophori Hardeſſiani IC. Noribergenſis.

HÆc Confeſſio non à Philippo Melan. ſed à Do. Beza & Farello Geneuẽſib. Theol. in Conuẽtu Wormatienſi Anno 1557. conſcripta & exhibita fuit, ex cõſilio tamẽ & cõſenſu Philippi. Continet

tinet autem puram veritatem, & ipſiſſimam Caluini ſententiam, vt ex commentario ipſius in Corinthios, apparet. Ex eoq; tempore, cum hæc confeſſio Philippo placeret, ſumma fuit, vt epiſtolæ teſtantur, inter Philippum & Caluinum animorum coniunctio. Tantum autem abeſt, vt Heidelbergenſes nouum & alienum ab hac confeſſione dogma introduxerint, vt ne hodie quidem aliter ſentiant. Deniq; hæc confeſſio Bezæ & Farelli euidentiſſime conuincit, iniuriam Caluiniſtis, vt vocant, fieri in iſto libro Bergenſi, vbi ſententia ipſorum manifeſte peruertitur.

II.

ACTA LEGATIONIS HENRICI NAVARRORVM REGIS ET ORDINVM PROTESTANTIVM IN GALLIA, AD S. Cæſar. Maieſtatem, Reges, Electores, Principes, & cæteros Imperii Germanici Ordines Proteſtantes, pro pace publica Eccleſiæ & vnione generali concilianda.

Anno Domini 1583.

MANDATA A NOBIS HENRICO DEI GRATIA, REGE NAVARRENO, principe Bearniæ, &c. Domino Iacobo Segurio Pardeliano Domui noſtræ præfecto, & interioris noſtri conſilii primo conſiliario, tradita, ex quorum formula cum Illuſtriſſ. S. Rom. Imp. Electoribus, reliquiſq; Germaniæ principibus & ordinibus, qui Religionem reformatam profitentur, noſtro nomine acturus eſt.

DOminus Segurius Pardelianus Illuſtriſſimos principes ac Dominos, dominos S. Rom. Imp. Electores, cæteroſque omnes principes, ciuitates atque ordines noſtris verbis officioſiſſime ſalutabit, beneuolentiam erga ipſos noſtram, eximium amorem & obſeruantiam teſtabitur, deſideriumque illud exponet, quo ſub initium ſuperioris anni tenebamur, peragrandæ ſcilicet Germaniæ & cum illis amicitiam firmandæ, quos de Repub. Chriſtiana optime meritos eſſe noueramus. Cui profectioni, cum orientes ſubinde turbarum ſuſpiciones aduerſarentur, & iuſtas morandi cauſas innecterent, ſe à nobis ablegatum fuiſſe ſignificabit, vt quæ ſuperius dicta ſunt indicaret, atque labantem & propemodum afflictum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum ipſorum oculis ſubiiceret, præſertim vero de quærendis diſſenſionum noſtrarum remediis, & conſtituendo Eccleſiarum vnanimi conſenſu conſilia communicaret.

Exponet igitur inprimis, quantopere neceſſaria ſit inter Principes & reliquos ordines etiam Religionis cultui deditos Concordia, & quantum ex inteſtinis noſtris de doctrina diſſidiis periculi contrahatur Eccleſiis, vnde & ipſis in medio fere curſu mora iniecta & infirmis ad veritatem properantibus impingendi occaſio præbita ſit. Concordia.

Huius mali fontem atque adeo auctores à nobis non inquiri, quod ſine noſtro dolore & eorum pudore fieri nequeat, cum ſatis ſuperq; conſtet, perſpecta morbi natura probos omnes viros vulneri remedium expetere, quod & reperire vtilius ſit & vero facilius, quam de procellarum iſtarum autoribus conuenire.

Cuilibet Chriſtianæ fidei rudimentis imbuto notum, eſſe noſtrum in præcipuis doctrinæ capitibus conſenſum, præſertim in gratuita peccatorum remiſſione per Chriſti ſanguinem, æterni DEI filii: & vnius generis humani mediatoris, omnibus in ipſum credentibus parta, vnde fit vt iiſdem rationum & argumentorum telis Antichriſti Romani præſtigias & errores oppugnemus, in ipſoque adeo cœnæ negotio, de quo præcipua diſputatio eſt, de ſacramenti ſubſtantia conueniamus, cum nemo ſit, qui ſe verum corpus Chriſti in Euchariſtia aſſumere diffiteatur. Cum itaque nulla ſuperſit controuerſia, niſi in ipſo percipiendi modo & præſentiæ ratione, intolerandum prorſus videri, vt in quærendo modo nullum plane modum adhibeamus, omnem contra excedamus.

Pontifices longe maius prudentiæ (ne dicam charitatis) documentum edidiſſe, qui ante bellum ipſis indictum à ſummo illo ſanctæ memoriæ Luthero, capitalibus inter ſe ob eundem articulum odiis flagrabant, adeo, vt ſcholaſtici interpretes in duodecim ferme diſcrepantes diſtraherentur ſententias, tanta videlicet animorum contentione & pertinacia, vt nemo de concepta opinione decedere vellet, quemadmodum in Lombardi, Thomæ, Scoti, Durandi, Pici, Bieli, Bonauenturæ & aliorum monumentis videre eſt, qui cum ſe mutuis ictibus antea iugularent, artibus tandem & Pontificum authoritate, maiori cum ocio nobis exitium moliri cupientium, compreſſa ſunt ciuilmodi diſſidia, quod vt à nobis & hoſtium exemplo in controuerſia longe minus acerba fieret, tanto præſertim imminente ex diſſenſionibus illis incendio, nondum exorari potuimus.

Ad hæc

non carere. Verum non decere nos propter vnius aut alterius acerbitatem perpetuis inter nos odiis & diſſenſionibus flagrare, & Eccleſias integras priuatorum odio prægrauari.

Pleriſque in Germania, præſertim e vulgo, ita de Gallicarum Eccleſiarum doctrina perſuaſum eſſe, quaſi erronea ſit & qualibet hæreſi vel etiam Pontificia longe deterior, qua in re nobis iniuriam inſignem fieri putamus, & aliis pleriſque nationibus exteris. Vnde fit vt palam, quales ſimus, teſtari cupiamus: & ſi erremus, ex verbo Dei doceri.

Controuerſiam de Cœna Domini non adeo difficilem, vt Synodo dirimi nequeat, duobus potiſſimum argumentis colligi. Prius eſt, quod, cum tria ſint, quæ in hoc negotio ſpectentur, Symbolum ſcilicet, res exhibita, & fructus quem inde percipimus: in tribus illis omnino inter nos conueniat. fatemur enim omnes panem & vinum eſſe ſymbola, Corpus & ſanguinem Domini rem exhibitam. Fructum vero iſtum cum Paulo ſtatuimus, vt fractio panis & vini ſit corporis Chriſti participatio. Quod autem ad perceptionis modum, in quo hæremus, ſupernaturalem eum eſſe & ſpiritualem omnes etiam fatentur. Sed dum arcanum illum & ineffabilem modum nimis anxie nonnulli quærunt, plagas illas diſputationum & controuerſiarum infelices nobis pertexuerunt. Hac vero de re minus ſollicitos nos eſſe debere ipſius Lutheri teſtimonium admonet, qui in Epiſtola ad Helueticas Ciuitates ſe de modo laborare negat, dum de præſentia conſtet.

Alterum eſt argumentum, quod nunquam iſtius diſſenſionis concordia ſerio quæſita eſt, quin Dominus Chriſtiano illo conatui benedixerit, & ad optatum exitum ſuo ſancto ſpiritu perduxerit, vt ex colloquio Lutheri & Zuinglii Anno 1529. & triennali illo 1536. 37. & 38. apparet: quorũ vtroq; inter primarios Theologos Eccleſiaſque Germanicas & Helueticas concordia ſancita eſt, & de Cœnæ negotio conſenſus in formulam redactus, vtriuſque partis ſubſcriptione comprobatus.

Nam quod ab illa pace & Eccleſiarum concordia vtrinque poſtea diſceſſum fuerit, importuna quorumdam acerbitate mœrente (vt fertur) Luthero & bonis omnibus factum eſt. Quod ne denuo contingat (ſi conciliatio inter nos inſtituatur.) principum autoritate & Magiſtratuum officio præſtari poteſt: Cum ſit eorum muneris eiuſmodi contentionibus litem ex lite ſerentibus obuiam ire, vnde & plurimum diſcordiæ faces oriuntur, ædificationis vero ad Eccleſiam nihil.

Cum igitur diſſidii illius conciliatio res ſit, vt nobis quidem videtur, & per ſe facilis & omnium iudicio Chriſtianæ Eccleſiæ pernecesſaria: Huius vero conficiendæ ſpes omnis & expectatio in Illuſtriſſ. Germaniæ principibus repoſita: Optimos igitur illos principes, & de Eccleſia tot nominibus benemeritos, hortabitur Segurius noſter, vt autoritatem ſibi à Deo concreditam ad componendas exitiales illas diſſenſiones conferant.

Quoniam autem fruſtra pacem domi quærimus, niſi externos illos communis aduerſarii Pontificis Romani conatus & apertas in perniciem noſtram inſidias depellamus: Idcirco artes illas & nefarias Antichriſti coitiones Illuſtriſſ. Germaniæ principibus optime notas ſignificabit, quibus veritatis lucem filius ille tenebrarum extinguere nititur.

Monebit igitur in primis, quotquot in Hiſpaniam & Italiam in ſuſpicionem emendatæ religionis veniunt, eos omnes cruci ſubditos Antichriſti Romani Tyrannidem & inquiſitionis atrocitatem & ſæuitiam experiri. *Hiſpania.*

In Gallia concilii Tridentini promulgationem & inquiſitionis conſtitutionem à Legato Pontificis aduerſus Senatus interceſſionem & Eccleſiæ Gallicanæ libertates vrgeri. *Gallia.*

Ieſuitarum artibus Anglorum animos ad defectionem ſæpenumero impulſos, vt niſi faces illæ ſapientiſſimo Reginæ conſilio extinctæ fuiſſent, clandeſtini illi cœtus & nefariæ coniurationes in ipſius caput & perniciem erupturæ viderentur. *Anglia.*

Quod ad Scotos attinet, iis artibus Sereniſſ. Regis animus à Pontificiis ſæpenumero tentatus eſt, quibus niſi principis optimi & à teneris annis Chriſtiana pietate imbuti laudabilis indoles & ſapientiſſima Reginæ Angliæ conſilia obſtitiſſent, bellum inter Angliam & Scotiam non ſine ſummo Eccleſiarum vtriuſque regionis diſcrimine & Pontificis Romani voluptate exarſurum fuerit. *Scotia.*

Belgarum vero profligatæ res & ab omni exterorum auxilio imparatiſſimæ, prementibus Hiſpanorum copiis & indies creſcentibus impares, breui collapſuræ videntur, certo ſcilicet florentiſſimarum Eccleſiarum Pontificię crudelitati ſubigendarum excidio. *Belgium.*

In Heluetia porro portenti illius Romani largitionibus & verſutia, & turbulentiſſimis Ieſuitarum concionibus incendia belli ciuilis propemodum hoc biennio excitata ſunt, vt ſcilicet Bernates emendatæ religionis cultores Sabaudiæ Ducis in eos ex compoſito irrupturi armis obruerentur. *Heluetia.*

Suecorum autem Eccleſiæ reſtitutis in Suecia ritibus pontificiis & Ieſuitis intima regni penetralia peruadentibus in aſſiduo metu & dubitatione verſantur, ne ſcilicet à ſtellionum illorum fratribus aliquid tandem in perniciem ſuam ſtatuatur. Quanquam hoc ſibi de ſapientiſſimo Suecorum Rege boni omnes pollicentur, vt breui locuſtarum illarum verſutias ſit perſpecturus, & Regni ſui finibus exacturus. *Suecia.*

Muſcouitarum verò religio quantum à ritibus Romanis diſcrepet, omnibus perſpectum eſt. At Pontifex Rom. dum ſe pacis arbitrum inter illos & Polonum gerit, hoc ſibi ex illarum nationum odio compendium quærere voluit, vt Muſcouitam ſuæ Tyrannidi & cultui ſubiiceret, quod ab eo tandem impetratum iri ſperarit. Hoc ſane conſtat, hunc vnicum ſcopum illi fuiſſe propoſitum. *Moſcouia.*

Quod ad Germaniam ipſam ſpectat, in qua potentiſſimorum principum cura & autoritate tutiſ-

ſima Eccleſiis hoſpitia præbita ſunt, nihil non Pontifex molitus eſt, vt tranquillitatem illam & halcyonia conturbaret, quod ſane apertius eſt, quam vt longiori explicatione indigeat.

[illegible] In tractu vero Colonienſi eas nuper aduerſus Illuſtriſſ. Electorem Tragœdias excitauit, quarum cataſtrophe niſi in caput ſuum depellatur, in totius Germaniæ perniciem exituram ſpectat. Ex iis ſatis conſtat, nullam totius orbis regionem, cui verbum diuinum illuceat, intentatam relinqui, omneſque illius monſtri vires & conatus ad extinguendam Euangelii lucem conferri. Quod vt facilius fiat, principum eorum, qui ſuperſtitionem & idololatriam fouent, conuentum ordinarium ſiue ſenatum per ipſorum legatos Romæ nuper conflauit, in quo præſide ipſo pontifice de firmanda & propaganda Tyrannide Romana, delendiſque per orbem Chriſtianũ Eccleſiis, ſeria & quotidiana diſceptatione agitur. *[illegible] Pontificis Ro.*

Quæ omnia cum à nobis diuturna cogitatione verſarentur: Illuſtriſsimos Germaniæ Principes nobis compellandos putauimus, ac per eundem Dom. Segurium exhortandos, vt (quod reipub. Chriſtianæ ac totius Eccleſiæ amplificationi cedat) coniunctionem aliquam animorum & conſiliorum inter potentiſsimam Angliæ Reginam & Sereniſſ. Regem Daniæ, ac Illuſtriſsimos Germaniæ principes & ordines conſtitui curent, & ſi res ita ferat, ſocietatem auxiliorum, non ad inferendum quidem Pontifici Romano bellum, ſed ad propulſandam collatis operis & communicatis conſiliis iniuriam, ne ſi ſeparatim, vt hactenus, aduerſus tot inimicorum coniunctas Pontificum autoritate conſultationes & conatus congrediamur, & ſeiunctis atque ſeparatis conſiliis rem adminiſtremus, aduerſariorum illa mole, alii poſt alios, obruamur, & dum ſinguli pugnamus, vincamur tandem vniuerſi. Huic porrò ſocietati nos ipſi noſtroſque omnes libenter adiuncturi ſumus, ac fortunas omnes vitamque adeo ipſam, ſi opus ſit, ad propugnãdam Dei gloriam profuſuri. *De fœdere cum Anglia & Daniæ regno. ex Diſſenſione [illegible]*

[illegible] Porro cum ſingulari quodam & immortali Dei beneficio duo iam Archiepiſcopi Colonienſes ab illa Antichriſti Rom. Tyrannide defecerint, & vindicatam à ſuperſtitionibus religionem amplexi ſint: quare nihil ad amplificandam Euangelii lucem, vel ad proferendos eccleſiarum fines & ad imperii ſtatum in bonorum & piorum fauorem componendum, propter eximiam Electoratus dignitatem vtilius optari potuit: Temporis autem calamitate & afflictis Eccleſiæ rebus effectum eſt, vt Illuſtriſſ. Hermannus dignitate & fortunis ſuis exutus in optima cauſa ſuccubuerit: Illuſtriſſ. Germaniæ principes & ordines idem D. Segurius hortabitur, vt de defendendo Illuſtriſſ. principe Domino Trucſeſſio Electorali dignitate inſigni & Religionis vinculo ſibi coniuncto, propter Dei nomen à hoſtibus petito ſatagant, ne ſcilicet hanc notam feliciſsimo ſuo ſæculo inuri patiantur, & S.R. Imperii Electorem Pontifici Rom. è dignitate ſua exturbare & miſeris modis vexare liceat, alium vero ſibi addictum pro ſuo arbitratu ſubſtituere. *Colonienſi [illegible]*

Omnium porro animos ab euentu Colonienſis belli ſuſpenſos, cui ſi exitus & piorum voto ſecundus contigerit, optima bonorum omnium animi expectatione erigentur: ſin, & egregius ille princeps deſtitutus & auguſtiſsima Septéuiratus dignitas Põtificis Rom. ludibrio & libidini expoſita fuerit, ſane bonorum omnium animi concident, & aduerſariorum creſcet audacia; Cæteros vero tum Electores, tum inferiorum ordinum principes, quibus nondum illuxit veritas Euangelica, à ſimili inſtituto infeliciſsimum exemplum abſterrebit, neque fortaſsis vnquam tam opportuna dabitur occaſio conſtituendæ ex eorum votis & rationibus Reipub. quorum interſit emendatam religionem quam tutiſsimo loco eſſe, ac Pontificis artem & authoritatem ab Imperii finibus procul arceri.

Quoniam autem nouimus, quanti ſit ponderis & momenti negotium illud Colonienſe, quamuis ab iſtius belli finibus & crepitu longo itineris interuallo diſsiti ſumus, & alioqui diuturno belli ciuilis Gallici labore & expenſis exhauſti: quamuis denique pacis publicæ beneficio in ocio & tranquillitate cum dignitate vitam degere poſsimus, tamen eidem Domino Segurio gemmarum, pecuniarum & ſupellectilis aureæ vim aliquam non aſpernandam credidimus, quam ſcilicet in Germaniam aſportet, & aliquo tuto loco deponat, vt ex vſu Eccleſiarum, præſertim Colonienſium, ac prout occaſio poſtulabit, inſumatur, ſi modo Illuſtriſs. Germaniæ principes & ordines in fœderis illius conſortium & conſiliorum ſocietatem conuenire velint, ac eorum vnuſquiſque pro facultatibus ſuis ad cauſam communem ſymbolum ſuum conferat. Quod ſi ab illis præſtetur, non modo pecuniam illam & ſupellectilem, ſed reliquas omnes facultates & fortunas noſtras adeoque vitam ipſam in ſalutem Eccleſiarum publicam parati ſumus impendere. Quod Illuſtriſſ. Germaniæ principibus D. Segurius ſignificabit, & vt earum rerum omnium, quæ hoc ſcripto continentur, rationes matura deliberatione iniri poſſint, ab ipſis poſtulabit, vt conuentum aliquem in Germania haberi de communi Illuſtriſſ. principum conſenſu curent, & diem ab ipſis præſcribi, quo Sereniſſ. Angliæ Reginæ & Sereniſſ. Regis Daniæ Legati vna cum Illuſtriſſimis Germaniæ principibus adeſſe poſſint: Cui etiam conuentui per Legatos noſtros minime defuturi ſumus. *[illegible] pignori dat.*

Porro hoc etiam Illuſtriſſ. Principibus & ordinibus noſtro nomine ſignificari cupimus, non fruſtra neque temere à nobis ineunte ſuperiore anno ſuſceptum fuiſſe Germaniæ perluſtrandæ inſtitutum, vt concordiæ & coniunctionis alicuius rationes quæreremus, cum in vtriſque illa Eccleſiarum ſalutem & incolumitatem (quæ nobis ſuprema Lex eſſe debet) verti agnoſcant omnes, abſq; illis vero ſeruari nos poſſe aduerſus Antichriſti molitiones nemo ſanæ mentis putet: Vtriuſque vero negotii conficiendi ſpem omnem in Illuſtriſſ. Germaniæ principibus conſtitutam eſſe, ad quos,

velut

velut ad Cynoſuram nautæ, ita omnes tum Imperii ordines, tum exteri oculos referunt, & ſine quibus nihil harum recte confici poſſe cenſent. Rogare nos igitur, & per DEI nomen obteſtari, perque ipſorum & noſtrorum omnium ſalutem cum Eccleſiæ proſperitate coniunctam, vt vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam in ſummo diſcrimine Illuſtriſſ. Principum fidem obteſtantem amplecti velint, & è mediis diſſenſionum fluctibus eruere. Sic vero apud ſe cogitent, latiſſimum quidem eſſe virtutis ipſorum & pietatis campum, vberiorem vero religionis & pietatis exercendæ materiam, atque ſegetem nullam eſſe, quam in hoc negotio. Quod ſi Illuſtriſſ. principum autoritate & cura promoueatur, non dubitare nos, quin omnium bonorum certatim ſtudia & vota hoc præclariſſimo facto promerituri ſint, & DEI benedictionem certiſſimam & ampliſſimam experturi.

Ex ſuperiori formula cum omnibus quidem Germaniæ Principibus & Ordinibus Segurius noſter acturus eſt, priuatim vero cum ad eos ordines venerit, magnificis & prudentiſſimis ampliſſimæ illius ciuitatis conſulibus & Senatoribus beneuolentiam noſtram erga eos, rogabitque nomine noſtro, vt ad diſcutienda Eccleſiæ certamina & amoliendos Antichriſti conatus totis viribus incumbant. Qua in re ſingulare eorum de Eccleſia Chriſtiana benemerendi ſtudium elucebit, & pulcherrimum pietatis exemplum poſteris ſunt relicturi. *Bremenſis.*

Datum Neraci, 15. Iulii, Anno 1583. Signatum.

HENRICVS.

& infra, ALLIARIVS,

& maiori ſigillo munitum.

REGIS NAVARRÆ CREDENTIALES AD IMPEratoriam Maieſtatem, pro audiendo Segurio Legato.

INuictiſſime ac Potentiſſime Cæſar, frater & conſanguinee obſeruandiſſime: Promulgato in Gallia pacis edicto, incredibili quodam deſiderio tenebamur, pleroſque Reges Chriſtianos inuiſendi, qui de Republica Chriſtiana quam optime meriti eſſent: ſed propter eximiam Cæſareæ Maieſtatis veſtræ virtutem, & heroicas animi dotes, ipſius compellandæ præcipuum ſtudium erat. Huc igitur vt aſſequeremur, decreueramus anno ſuperiori, itinere longinquo & difficili nos committere, cum ecce ſuborientes in conſtituenda pace Gallica difficultates nouæ, nos propemodum ad viam illam accinctos detinuerunt, & inuitos adhuc remorantur. Ex eo factum, vt Dominum Iacobum Segurium interiori noſtro conſilio Præfectum, cum ad alios Principes pleroſque, tum præſertim ad Cæſaream veſtram Maieſtatem ablegauerimus, tum vt noſtrum in eam ſtudium, beneuolentiam & animi propenſionem verbis indicaret, quam omni genere officiorum atque obſequiorum declarare maluimus, tum etiam vt de grauiſſimis negotiis, & ad Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem & concordiam pertinentibus, ex mandati ſui formula cum Cæſarea veſtra Maieſtate noſtro nomine ageret. Quod quoniam illum fideliter & ſincere facturum confidimus, & a Maieſtate veſtra pro ſolita ipſius clementia & rei grauitate benigne auditum iri, epiſtolæ modum non excedemus, ſed Deum Optimum Maximum precabimur, vt Cæſaream veſtram Maieſtatem ad Germaniæ totiuſque orbis Chriſtiani ſalutem & incolumitatem diutiſſime ſoſpitem ſeruet. Neraci, 15. Iulii, Anno 1583.

HENRICVS.

MANDATA, EX QVORVM FORMVLA CVM INVICTISSIMO ET Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino Rudolpho Dei gratia Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Rege Hungariæ, Bohemiæ, Sclauoniæ, Archiduce Auſtriæ, &c. noſtro nomine acturus eſt Dominus Iacobus Segurius Pardalianus, à nobis Henrico Dei gratia Rege Nauarræ, Principe Bearniæ, &c. ad Cæſaream Maieſtatem ablegatus.

DOminus Segurius Pardalianus Inuictiſſimo & Potentiſſimo Imperatori noſtris verbis referet. Conſtituta demum in regno Gallico pace, qua Dei Opt. Max. beneficio & ſingulari Chriſtianiſſimi Regis clementia fruimur, nihil prius habuiſſe nos neque antiquius, quam vt diuturnis bellorum periculis defuncti Cæſaream ipſius Maieſtatem & reliquos Catholicæ Rom. noſtræ

que orthodoxæ religionis principes inuiſeremus, qui pacis & concordiæ inter Chriſtianos ſanciendæ cupidiores eſſent, partim vt initam inter nos amicitiam & beneuolentiam firmioribus vinculis colligaremus: partim etiam, vt de rebus ad Rempub. Chriſtianam pertinentibus cum iis ageremus.

Verum cum in firmanda & ſtabilienda pace Galliæ innumeræ quotidie difficultates ſuborirentur, quibus depellendis aliquid erat in nobis præſidii, ab ea caritate, qua patriam amplectimur, properantibus nobis iniecta eſt remora, & hinc diutius hærendi occaſio allata, vt & laboranti patriæ pro viribus opitularemur, regnoque noſtro & ditionibus proſpiceremus, & pro iure illius gradus, quo propius quam cæteri omnes principes familiam Regiam attingimus, in Gallia iuxta Chriſtianiſſimi regis ſententiam & Edicta conſeruandæ pacis rationes iniremus.

Ex quo factum eſt, vt cum vrgente neceſſitate Germanicæ profectionis inſtitutum mutauerimus, quod proximum fuit, Dominum Segurium interiori noſtro conſilio præfectum ad Inuictiſſimum Imperatorem, Sereniſſimam Angliæ Reginam, Sereniſſimum Daniæ Regem, Illuſtriſſimoſque nonnullos S. Rom. Imperii Electores & alios principes ablegauerimus, præſertim vero ad Cæſaream Maieſtatem, apud quam beneuolentiæ noſtræ & propenſiſſimæ ad omnia officia & obſequia præſtanda voluntatis & ſtudii luculentiſſimum in his literis teſtimonium extare voluimus.

Quod cum indicauerit Segurius noſter, & Inuictiſſimum Imperatorem ea qua par eſt obſeruantia & reuerentia noſtro nomine officioſiſſime ſalutauerit, tum Cæſareæ ipſius Maieſtati duo potiſſimum ſignificabit.

Prius eſt, quam grauiſſimis & periculoſiſſimis bellis conflictata fuerit & concuſſa viginti duos ferme iam annos propter religionis diſſidium maior totius orbis Chriſtiani pars. Quod etſi omnibus notius eſt, quàm vt explicari debeat, Cæſareæ vero Maieſtatis ea ſit prudentia & Reip. Chriſtianæ cura, vt & rei grauitatem expendat, & quid inde futurum ſit periculi, ipſa per ſe proſpiciat, tamen hanc qualemcumque commonefactionem, vel potius mœroris noſtri ex diuturnis illis ærumnis ſignificationem citra fucum & ambitionem propoſitam Cæſar. Maieſtati (cuius ſumma prædicatur humanitas) non ingratam neque iniucundam fore confidimus.

Nam vt alia prætermittamus infinita ſcelera, quæ miſeranda illa tot bellorum repetita ſeries inuexit, vt oppidorum direptiones, & Chriſtiani ſanguinis profuſionem cum incredibili legum & diuinarum & humanarum contemptu, quis non videat potentiſſimo ſimul & impotentiſſimo Turcarum Tyranno ad internecionem nominis Chriſtiani diſſidiis inteſtinis viam aperiri.

Huius vero mali fontem atque originem non aliam eſſe ſtatuimus, quam Pontificis Rom. ambitionem & Sinonia conſilia, qui vt labantem auctoritatem ſuam quauis ratione retineat, principum Chriſtianorum animos, pacis alioqui ſtudioſos, aduerſus eos accendit, qui religionem noſtram profitentur, & conſcientias ipſorum ad iugum ab illis excuſſum violenta ratione adigere ſtudet.

Cum enim in pace & Eccleſiarum noſtrarum tranquillitate plurimum eſſe videat ad ſalutem & amplificationem ipſarum præſidii, bellorum incendia in illas ſpargit, florentiſſimorumque regnorum & ſtatuum euerſiones floccipendit, modo ſanguinarium illum animum vltione expleat, & eadem ruina tum in Germania, tum in Gallia proteſtantes Eccleſias inuoluat.

Quantum mutatus ab illo post anno 1593.

Quanta porro fuerit ſemper Pontificum Rom. ambitio, & inexhauſta dominandi cupiditas, quam incredibili aduerſus Imperatores Romanos flagrauerint odio, teſtantur diuturna illa bella, tum in Germania, tum in Italia geſta, quorum exitus is fuit, vt Imperatores Anathematum laruis ſæpius exterriti à pontificibus tandem obtentu religionis imperitæ plebis animos conturbandis Italia pulſi ſint, & potentia illa pontificia longe lateque propagata.

Nam in Gallia ipſa & Anglia quid tentauerint pontifices, quibus dolis vſi ſint, vt vtrumque illud regnum ſibi feudatarium redderent, teſtantur hiſtoriæ, non ſine luculenta commemoratione virtutis eorum regum, qui creſcentem illam pontificum Tyrannidem repreſſerunt.

Cum igitur hoc ſæculo erudito patefactæ ſint eorum præſtigiæ & ſuperſtitionis illius fucus, quem ambitioni ſuæ prætexunt, vt iam obfirmatis multorum animis non tam de imperio, quam de ſalute ſua dimicent Pontifices, nihil mirum eſt, ſi Tragœdias multas toto paſſim orbe Chriſtiano excitant, & optimorum principum animos ad arma aduerſus ſubditos ſuos veræ religionis amantes capienda impellant.

Neque enim florentiſſimos ſtatus in extremum diſcrimen adducere verentur, ne quid ei potentiæ decedat, quam malis artibus quæſitam malis artibus ſeruare ſtudent. Atque ex hoc quidem ambitionis fonte conſilia illa promanarunt, quibus & Gallia & Belgica ipſa ante multos iam annos miſere diripitur, Germaniæ vero claſſicum canitur, & in ipſis finibus Colonienſe bellum excitatur. Quæ cum ita ſint, Inuictiſſimam Cæſ. Maieſtatem, cui pro ſumma illa dignitate Chriſtianæ pacis & concordiæ cura incumbat præcipua, omni prece & contentione rogatam cupimus, vt cum Sereniſſ. Regibus orbis Chriſtiani & principibus de pace amplectenda & retinenda agat diligenter, eoſque ſerio adhortetur, vt violentis Pontificum Rom. conſiliis aures occludant, ſubditis ſuis Orthodoxam religionem noſtram profitentibus pacem & tranquillitatem, cum inuocandi Dei ex ipſius mandatis libertate coniunctam præſtent, neue exiſtiment, animum, nobiliſſimam hominis

partem

partem & auræ diuinæ igniculum, præſertim Euangelica luce illuſtratum, vllis bellorum ærumnis premi, vllo fidicularum aut equuleorum genere cogi poſſe ad ea dogmata ſuſcipienda, quæ vel à ratione, vel à diuinis ſcriptis aliena iudicat. Præſertum cum neq; precibus vllis, neque violentia, aut cruciatus acerbitate veritas eruatur, ſed amica & beneuola collatione & eiuſmodi colloquiis & ſynodis, quales priſca Eccleſia, pleraſque nouit, noſtra vero ætas hactenus deſiderat.

Hoc autem ſi fecerit Cæſar. Maieſtas, & Chriſtianorum principum animos ad pacis rationes & ſtudia traduxerit, tum & de Repub. Chriſtiana optime meritus fuerit, & immortale decus poſteris ſuis relicturus.

Pientiſſimi vero parentis Maximiliani æternæ memoriæ Imperatoris exemplum imitabitur, qui cum ſubditis ſuis Auguſtanam confeſſionem amplectentibus religionis libertatem conceſſiſſet, Chriſtianiſſ. Regi ex Polonia redeunti autor fuit, vt pacem in regno Gallico conſeruaret, eumque grauiter & ſapienter admonuit, ne Gallos ſubditos ſuos Religioni noſtræ deditos ſummo totius regni periculo opprimere tentaret.

Hoc priori legationis capite cum perfunctus fuerit Segurius noſter, tum quod poſterius eſt, præcipuam ablegationis ſuæ cauſam ad Illuſtriſſ. Auguſtanæ confeſſionis Electores & principes Inuictiſſimo Imperatori ſignificabit, cuius ea ratio eſt, vt quoniam in vno fidei Articulo inter eiuſdem confeſſionis & Heluetiæ ſine Galliæ Theologos iudiciorum quædam eſt varietas, aut diſſimilitudo, & concordiæ Chriſtianæ intereſt, ne quid inde grauius oriatur, verborum illam verius quam rerum diſcrepantiam tolli.

Idcirco ab Illuſtriſſ.iis principibus poſtulandum eſſe duximus, vt controuerſias iſtas placida & modeſta diſceptatione dirimendas curarent. Quod negotii genus Cæſ. Maieſtati neque nouum, neque inſolens viſum iri ſperamus, præſertim ſi pro ſua prudentia duo conſideret.

Alterum quidem, aliquoties eam in rem in Germania ipſa Magiſtratus auctoritate inter primarios religionis noſtræ Theologos habitos fuiſſe conuentus. Alterum vero, quod Opt. & ſapientiſſimus Imperator Maximilianus, Cæſ. Maieſtatis nunquam ſatis laudatus pater, vnicam illam diſſimilitudinis inter Germanicas Eccleſias notam elui ſæpenumero optauerit, ac cum Illuſtriſſ. Electoribus egerit, præſertim in comitiis Anni 1566. vt vnica extaret inter Auguſtanæ religionis homines profeſſionis formula, quod ad pacem Imperii conſeruandam prudentiſſ. princeps plurimum facere iudicabat.

Cum igitur iſta legatione nihil omnino contineatur, quod non ad Imperii ornamentum ſpectet & tuendam Germaniæ totiuſque Reipub. Chriſtianæ pacem, neque inutilem illam fore ſperamus, neque Cæſ. Maieſtati ingratam, cum ea ſit Opt. & Inuictiſſimi Imperatoris prudentia & pietas, vt Chriſtianorum concordia nihil prius neque optabilius habeat.

Supereſt vt eidem Inuictiſſ. Cæſari noſtra iterum ſtudia deferamus, ab eoque poſtulemus, vt illa de nobis ſibi polliceatur obſeruantiæ & amicitiæ officia, quæ à pectore candido & principe ſyncero, Cæſareæque Maieſtati addictiſſimo proficiſci debent, quod quoniam re ipſa potius, quam verbis teſtificari cupimus, nunquam aperiendæ optimæ voluntatis occaſioni defuturi ſumus.

RESPONSVM REGINAE ANGLIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE datum Legato Regis Nauarreni ſuper negotio conciliandæ concordiæ Eccleſiaſticæ & pacis politicæ publicæ inter vniuerſos Potentatus Proteſtantes.

HOc reſponſum in noſtro codice tam manuſcripto, quam impreſſo, tum etiam in libro Actorum Legationis, qui eſt penes V. CL. Dominum Philippum Bottium I. V. D. & Conſiliarium Hanouianum, &c. deſideratur: ſed hic tantum titulus in indice Actorum exprimitur.

RESPONSVM REGIS DANIAE.

FRidericus II. Dei gratia Daniæ, Noruegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ ac Ditmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, Sereniſſ°. Principi, Domino Henrico eadem gratia Nauarrorum Regi, Principi Bearniæ, Duci Vindonicenſi, Belmontenſi, Albretenſi, Comiti Foxenſi, Armeniaco, Rhutenenſi, Bigerronenſi, Martenſiæ, Perragocienſi, &c. Vicecomiti Lemouicenſi, fratri & conſanguineo noſtro chariſſimo ſalutem & continuā felicitatis incrementum. *Anno Domini 1584.*

Sereniſſ°. Princeps, frater & conſanguinee chariſſime, venit ad nos proximis hiſce diebus Serenitatis V{æ}. Legatus, generoſus Domin. Iacobus Segurius, domus V{æ}. Regiæ præfectus & interioris conſilii moderator, qui & literas S. V. vltima die Iulii anno proxime præterito, Neraci ſcriptas nobis reddidit, & de negotiis à S. V. ipſi commiſſis ad communem tam Eccleſiæ, quam Reipub. Chriſtianæ vtilitatem pertinentibus, luculenter coram nobis perorauit. Quibus certe in rebus cum proponendis, tum dextre explicandis ita verſatus eſt, vt ipſius fidem & induſtriam ſumma cum pietate & prudentia coniunctam merito collaudemus & commendemus clementiſſime.

 Adcu-

Ad cuius quidem Legationis materiam & propoſitionem ipſam, quam memoratus ipſius Legatus ſcripto nobis exhibuit, cum ſententiam & declarationem noſtram, non quantum rerum iſtarum magnitudo requirebat, ſed quantum & huius temporis ac complurium occupationum noſtrarum ratio ferebat. ſcripto itidem comprehenſam ipſi tradiderimus, ſuperuacaneum eſſe exiſtimamus ea in literis hiſce noſtris prolixe ingeminare.

Quibus amanter & fraterne à Serenitate veſtra petimus & contendimus, vt optimo viro Segurio noſtro, cum quo de negotiis publicis copioſius collocuti ſumus, non tantum ea in relatione fidem plenariam adhibeat, verum etiam feſtinatam declarationem noſtram pro mutuæ amicitiæ noſtrę neceſſitudine dextre ac in bonam partem fraterne accipiat.

De noſtra vero erga Seren. Veſt. beneuolentia & conſtantiſſima voluntate ita velimus, vt ſtatuat ac certo de nobis ſibi polliceatur Seren. Veſt. nos ad omnia mutuæ humanitatis amicitiæ, quæ quidem à ſinceræ religionis ac tranquillitatis communis ac veſtræ itidem S. amantiſſimo principe proficiſci poterũnt, ſemper fore paratiſſimos. Cuius certe minime vulgarem erga nos amorem & ſingularem obſeruantiam, tam per literas, quam per honorificam Legationem tanto ſtudio nobis declaratum, ea qua decet humanitate fraterne amplectimur & acceptamus, cupimuſque viciſſim Seren. Veſt. tam in mutua animorum coniunctione conſeruanda, quam in publico bono promouendo, pari animi candore amanter reſpondere. Cui valetudinem proſperam & verum ac conſiliorum ſalutarium omnium felicem progreſſum, & euentum à Deo Opt. Max. omni felicitatis autore ex animo vouemus & precamur. Ex regia noſtra Haderslebia ipſis Idibus Martii Anno 1584.

SEQVITVR RESPONSVM LEGATO DAtum, &c.

SErenissima regia Daniæ & Noruegiæ M. Dominus noſter clementiſſimus tum ex literis Sereniſſ. Nauarrenorum Regis, fratris & conſanguinei ſui chariſſimi, vltima die menſis Iulii Neraci ſcriptis, quam ex pereleganti & luculenta oratione Serenitatis ipſius Legati nobilis & generoſi viri, propter virtutem ſibi inprimis dilecti, Domini Iacobi Segurii Pardeliani, domus regiæ præfecti & interioris conſilii moderatoris, amanter ac plane fraterne intellexit. Quibus in negociis ad gloriam Dei & communem tam Eccleſiæ, quam Reipub. vtilitatem pertinentibus ampliſſimis mandatis inſtrũctus, quæ quidem à Domino ipſius, ſcripto ſimul exhibita ſunt à S. ipſius ad regiam ipſius Maieſtatem iam miſſus ſit & ablegatus. In quibus certe rebus proponendis & explicandis ſingularem ipſius dexteritatem ſumma cum pietatis & prudentiæ laude coniunctã clementer collaudat & cõmendat. Ac ſicut coram recepit, de iis omnibus, quantũ hoc in conuentu per varias occupationes & in tantæ temporis breuitate iam ſicuti potuit conſilium habuit latiuſq; deliberauit, cumq; intelligat Domin. Legatum Regium nonum iam menſem ea in Legatione verſari, ipſorũq; negotiorum ea apparet ratio, vt ſine incommodo publico diuturniorem moram ferre non poſſint: Ideo maluit R. M. ipſius expedita & feſtinata declaratione hac ſua pro temporis ratione, rebus ipſis iam potius conſiſtere, quam eas pro earũ pondere & magnitudine ad maturum conſilium reſeruare & referre.

Inprimis vero R. ipſius M. quod coram teſtata eſt, officioſam ſalutationem iſtam ex R. ipſius S. conſtanti amore & gratificandi ſtudio profectam, ea qua decet humanitate acceptauit, ipſique non ſolum hoc nomine permagnas, ſicuti par eſt, & agit & habet gratias, verum etiam à D. Legato clementer petit & requirit benigne, vt in reditu ſuo, quem ipſi felicem precatur, Sereniſſ. Nauarrorum Regem, conſanguineum & fratrem ſuum chariſſimum, Maieſtatis ipſius verbis reſalutet quam humaniſſime cum teſtificatione ſuæ erga Regiam ipſius Serenitatem conſtantiſſimæ optimæque voluntatis & beneuolentiæ, quam quidem quacunque occaſione idonea re potius quam verbis declarare malit.

Quantum vero ad huius Legationis materiam & ipſius propoſitionis capita pertinet, agnoſcit certe R. ipſius M. declarationem iſtam ſerie narrationis ex præſenti Eccleſiæ & Reipub. per vniuerſam Europam ſat perturbato ſtatu deducta, tam dextre adeoque prudenter inſtitutam eſſe, vt dubitet, an Serenitatis ipſius fraternum candorem in ſincera communicatione potius, an vero eximiam ipſius prudentiam & præclatum de Repub. Chriſtiana benemerendi ſtudium, quod tamen vtrumque facit, magis collaudare & commendare debeat. Ideoque facere non poteſt, quin regia ipſius Serenitas tam pro candida & familiari illa conſiliorum communicatione, quam pro tempeſtiuis ſane & ſaluberrimis commonefactionibus iſtis, quas ex pio & ſincero pectore regio profectas eſſe agnoſcit, amanter & fraterne gratias agat.

Ex quibus certè coniectura deſumpta facile intelligit R. ipſius M. quanto cum ſuo honore & publico bono coniunctum fuiſſet, ſi R. ipſius S. ſicut conſtituerat, tam ipſius M. quam alios Chriſtianos principes reformatam & veram religionem profitentes coram videre & ſalutare voluiſſet.

Ac profitetur aperte, nihil ſibi optabilius aut iucundius accidere potuiſſe, q̃ ſi tantũ ac tã expectatũ hoſpitẽ in ſuo regno corã videre, amantiſſime complecti, ac Serenitatẽ ipſius tanquã laudatiſſimi deq; Eccleſia & Repub. hoc ſæculo noſtro præclare meriti Regis faciem intueri, ipſius M[ti]. licuiſſet. In quo quidem, & condignis hoſpitalitatis & mutuæ beneuolentiæ officiis præſtandis ita ſe erga Serenitatem ipſius fuiſſet exhibitum, vt ipſa boni & coniunctiſſimi fratris & conſanguinei propenſiſſimam voluntatem & optimam affectionem ex rebus ipſis perſpicere potuiſſet.

Sicut

Sicut autem Serenitatis ipſius piam & plane regiam ſolicitudinem in concordia, in diſſidiis religionis feris conſtituenda, Regia ipſius Mtas cum omnibus piis & bonis merito collaudat & celebrat: Ita ipſius in pace & tranquillitate domi conſeruanda eximium ſtudium cum ſingulari erga patriam pietate & amore coniunctum non minore commendatione dignum eſſe cenſet. Ideoq; ipſe in vtroq; propoſito, quorum alterum ad communem Eccleſię, alterum vero ad Reipub. vtilitatem, vtrunq; certe ad Dei gloriam & multorum hominum ſalutem pertinent, à diuina ipſius benignitate ſalutarium conſiliorum & actionum omnium fauſtum & fœlicem ſucceſſum & euentum precatur.

Regia vero ipſius Mtas. ſi quid hac in parte, nempe ad Eccleſiarum diſſenſiones, hiſce ſat exulceratis temporibus vel tollendas, vel ſaltem nonnihil mitigandas, ac ad concordiam conſtituendam conſilio & opera ſua tanta gratiarum actione & congratulatione dignum antea præſtitiſſet, eſſet hoc in primis ad gloriam Dei, ac deinceps ad regium officium, quod in publico bono promouendo verſari debet, referendum.

Nec in negociis bene memorato Regio Legato Domin. Segurio iam commiſſis, tam Illuſtriſſo. Principi affini & fratri ſuo exoptatiſſo. Domin. Auguſto S. Rom. Imperii Archimarſchallo & Electori, Duci Saxoniæ M. quam aliis cognatis & vicinis Illuſtriſſimis principibus commendandis promouendiſque neque officio ſuo neque Serenitatis ipſius expectationi R. ipſius Mtas fuiſſet defutura. Verum cum ab ipſorum Illuſtritatibus, qui pro celebratiſſima pietate ſua & eximia prudentia ſine vlla Mtis ipſius commendatione ſua ſponte Serenitati ipſius ſatisfacere voluerunt, bonas ac dilucidas declarationes, cum ad Mtem ipſius accederet, ſcripto comprehenſas ſecum afferret.

Ideo plane confidit Serenitatem ipſius non minus declarata hac Mtis ſuæ in gratificando promptitudine amanter contentam fore, quam ipſa D. Legati excuſatione, quod poſt ſalutatos tot Illuſtriſſos. Germaniæ principes Mtem ipſius iam denuo conuenerit, non aliter quam benigne & in bonam partem acceptauit.

Regia ipſius Maieſtas cum omnibus piis hominib. in doctrina cœleſti recte inſtitutis facile perſpicit, quanta cum gloria Eccleſiæ ac vtilitate Reipub. Chriſtianæ coniunctum foret, ſi tam Germaniæ quam aliorum Regnorum & prouinciarum Eccleſiæ, quę Idolomaniam Papiſticam reiecerunt, non minus in articulo de Sacroſancta Cœna domini, quam in aliis omnibus reformatæ religionis capitibus omnes conſentiant, & ſicut in vnum Devm credimus eumque per ipſius filium eundem mediatorem noſtrum omnes inuocamus: Ita etiam Rom. Antichriſti aliorumque aduerſariorum horrendis conſiliis & machinationibus ad opprimendam veritatem eiuſque confeſſores tendentibus, communi conſilio & viribus coniunctis obuiam ire & procedere poſſimus. Ideoque tanto magis dolendum eſt, ſalutarem iſtum & exoptatum conſenſum variis partium diſſidentium diſputationibus hactenus turbatum nec piorum principum conſilio, qui in eo plurimum laborarunt, ſolidam concordiam ſancitam eſſe.

In ea autem animorum diſtractione & opinionum varietate R. ipſius M. in eo pio ſtudio elaborauit, vt in ampliſſimis regnis & patrociniis ſuis eam religionis formam tam in doctrina quam in Ceremoniis conſtanter retineret ac incorruptam conſeruaret, quam Sereniſſ. prædeceſſor Diuus ipſius parens nomine & re Chriſtianus Rex optime conſtitutam reliquit, neque vlli Theologo indulget contra piam iſtam & ſemel receptam & publicatam Eccleſiarum ordinationem quidquã vel innouandi, vel diſputandi. Nec tamen permittit R. ipſius M. vt aliarum Chriſtianarum gentium piæ Eccleſiæ, quæ iugum Pontificium excuſſerunt, à ſuis Theologis conuitiis vllis proſcindantur.

Qua quidem ratione, Deo gubernationem Regiam fortunante, tantum profecit hactenus, vt veritatem ſimul & pacem in omnibus Eccleſiis & ſcholis Regnorum & Ducatuum ſuorum feliciter conſeruauerit. Ac omnino confidit ipſum diuina benedictione ſua deinceps etiam Mti ipſius adfuturum, & gubernationis ipſius æuum bene fortunaturum eſſe. Qua quidem in congratulatione ſua, quam ad Devm omnis felicitatis authorem referendam cenſet, ſummis ac piis votis exoptat & precatur, vt vel per piorum principum recte de religione ſentientium, Chriſtianam communicationem, vel per Synodum generalem, principum tamen autoritate ad eam rem interueniente, ratio demum idonea ineatur ad controuerſiarum & diſputationum iſtarum molem, eo præſertim in articulo, è medio tollendam & ad piam ac ſolidam concordiam ſanciendam. De loco vero & tempore vel ad conuentum talem, vel ad Synodum Theologorum conſtituendã cum R. ipſius M. ſine Illuſtritatum ipſorum expreſſa declaratione & conſenſu, nihil omnino certi iam recipere poſſit vel debeat, ne in tanti momẽti ac ipſius Chriſtianæ Religionis negocio Illuſtritatib. ipſorũ vel vota præripere, vel quicquam præſcribere videatur. Ideo quod petiuit Serenitas ipſius non tantum Illuſtriſſ. affinem, fratrem & patrem ſuum chariſſimum Dominum Saxoniæ Ducem ac Electorẽ, verum ẽt alios cognatos principes in Rom. Imp. Auguſtanam confeſſionẽ profitentes per literas ſuas de rebus iſtis propoſitis, quamprimum amanter & accurate certiorẽ faceret, & de negotiis iſtis ad cõmunem vtilitatem ſpectantibus, conſilia & ſententias fraterne & amãter conferret: nec dubitat, quin R. ipſius S. ex Legati ſui relatione optime interim cognitum ſit, quæ inprimis de Synodo in Germania inſtituenda tam Illuſtriſſ. Ducis Saxoniæ, quam aliorum S. Rom. Imperii principum, quos Serenitas ipſius per Legatum ſuum compellauit, ſententia fuerit & amica declaratio.

Si quid vero R. ipſius M. ad communẽ Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ vtilitatẽ conferre ac præſtare poſſit, in eo nec Religionis & cõmunis trãquillitatis amantiſſimi Regis officio, nec Serenitati ipſius

tanquam conſanguineo & fratris chariſſimi fraternæ expectationi quantum omnino fieri poterit, nunquam eſt defutura. Cui valetudinem proſperam cum rerum & conſiliorum omnium ſalutarium feliciſſimis votis ex animo precatur. Ac ſæpe memorato generoſo ipſius Legato, cuius in negotiis tractandis ſingularem fidem & dexteritatem ſumma cum pietate & prudentia coniunctam merito commendat, gratiam ſuam & fauorem benigne promittit. Signatum. è Regia M^tis. ipſius Hadetslebia, Idibus Martii, Anno à nato communi redemptore noſtro Ieſu Chriſto, 1584.

FRIDERICVS REX.

AD REGEM GALLIÆ.

FRidericus II. Dei gratia, Daniæ, Noruegiæ, Gothorum Vandalorumque Rex &c. Sereniſſimo & Chriſtianiſſimo Principi, Domino Henrico, Galliarum Regi, &c. conſanguineo & fratri noſtro chariſſimo, ſalutem ac continuum felicitatis incrementum. Cum Sereniſſimus Princeps, Dominus Henricus Rex Nauarræ, conſanguineus & amicus noſter chariſſimus per Generoſum Legatum ſuum, nobis inprimis dilectum, Iacobum Segurium, pro mutua amicitiæ noſtræ coniunctione, de rebus piis & bonis, tam ad Reipubl. Chriſtianæ, quam Eccleſiæ tranquillitatem pertinentibus, communicationem familiarē nobiſcum inſtituiſſet, pro ſummo noſtro & plane fraterno erga Reg. Seren. Veſt. amore & ſtudio facere non potuimus, cum optimum virum Segurium expedito cum reſponſo iam dimitteremus, quin ipſi has literas ad Seren. Veſt. traderemus: quibus ipſi non tantum cum teſtificatione perpetuæ erga Seren. Veſt. beneuolentiæ noſtræ, omnia fauſta, felicia & ſalutaria precamur, verum etiam de pace & tranquillitate communi, poſt diuturnos bellorum ciuilium motus, in florentiſſimo Regno Galliæ, & feliciter dudum reſtituta, & à Seren. Veſt. contra peruerſiſſimas hominum maleuolorum machinationes, conſtantia plane Regia hactenus conſeruata, ipſi ex animo gratulamur. Quantam enim animo lætitiam conceperimus, cum tam ex ſermonibus ordinarii ſui in noſtra Aula Legati, nobis in primis dilecti Caroli Danzæi, quam ex relatione memorati Segurii, Oratoris Nauarreni, cognoſceremus, Seren. Veſt. Pacificatorii edicti ſemel approbati formulam integra ac Regia fide retinere ac conſeruare, verbis certe ſatis explicare non poſſumus. Quæ quidem conſtantia, Rege in primis Chriſtianiſſimo digna, cum omnium Chriſtianorum & Principum comprobationem mereatur, nos etiam permouit, vt quod Illuſtriſſimum Principem, affinem & fratrem noſtrum chariſſimum, Dominum Auguſtum, Ducem Saxoniæ, &c. optimo conſilio motum per literas nuper feciſſe cognouimus, Seren. Veſt. iiſdem verbis & rationibus etiam atque etiam ſerio ac plane fraterne iam moneamus, rogemus, & obteſtemur, ne humaniſſimas aures ſuas Regias, peruerſis ſeditioſorum hominum clamoribus patefaciat & præbeat: ſed fideles ſubditos ſuos, qui reiecta idolatria Pontificis Romani puram & ſinceram religionem profitentur, non minus quam alios bonos ciues ſuos, hoc etiam nomine ſibi benigne habeat commendatos, quod varias calamitates hactenus perpeſſi ſunt, vt Deo omnipotenti honorem ſuum, & Seren. Veſt. obedientiam & ſubiectionem debitam præſtarent. Quos quidem homines propter pietatem Deo, & fidem Reg. Seren. Veſt. ac ipſi patriæ tempore difficilimo præſtitam, illi, qui impiis Papæ abuſibus delectantur, ideo capitali odio proſequuntur, & Seren. Veſt. inuiſos & exoſos reddere conantur, vt ipſi interim tam ſuam quam Romani Pontificis cauſam pro arbitrio agere poſſint, ipſiuſque autoritatem nonnihil imminutam cum noua inclyti Regni Gallici perturbatione erigant & confirment. Quæ certe horrenda & tragica plane conſilia, niſi a Seren. Veſt. caueantur, cum ipſius celebratiſſimæ exiſtimationi Regiæ non leue detrimentum, ac tam in Eccleſia Chriſti, quam Republica ciuili, nouas calamitates allatura eſſe videantur: ideo minime dubitamus pro ſingulari ac diuina benignitate ſibi conceſſa prudentia, quod hactenus laudabiliter fecit in Pacificatorio edicto deinceps etiam religioſe ſeruando, tam ſui ipſius, quam Eccleſiæ & Reipublicæ accuratam & condignam rationem habituram, ac diligenter prouiſuram eſſe, vt malitioſorum hominum peruerſiſſimis machinationibus à propoſito tam ſancto & plane Regio abducatur, ac ne Pontificia tyrannis cum nobiliſſimæ & potentiſſimæ nationis Gallicæ, quæ Reipublicæ Chriſtianæ antea præſidio fuit & ornamento, pernicie & interitu reſtauretur. Quod quidem vt faciat Seren. Veſt. ac commonefactionem & petitionem hanc noſtram ex candido & ſyncero pectore, & bono & fraterno erga Seren. Veſt. ſtudio profectam non aliam, quam in bonam partem accipiat, ipſam pro mutua & auita noſtra Regnorumque noſtrorum neceſſitudine & amicitia tam ſedulo hortamur & rogamus, vt maiore diligentia & contentione rogare, hortari, ſuadere nihil poſſimus. Erit hoc Deo Optimo Maximo, cuius gloria in eo verſatur, inprimis gratū, ipſi Seren. Veſt. honorificum, & tam inclyto Galliæ Regno, quam omnibus vicinis prouinciis maxime vtile & ſalutare. Quod vt fiat, & tam hæc, quam alia Seren. Veſt. conſilia ſalutaria omnia tam ipſi, quam Reipublicæ Chriſtianæ bene & feliciter ſuccedant, & eueniant, ex animo o-

no optamus & precamur. Deus, qui dat ſalutem Regibus, Seren. Veſt. incolumem & florentem conſeruet & tueatur quam diutiſſime. Ex Regia noſtra Haderslebia, ipſis Idibus Martii, Anno, &c. 84.

RESPONSVM REGIS SVECIAE.

IOANNES TERTIVS Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorum, &c. Rex; Magnus Princeps Finlandiæ, Careliæ, Ingriæ & Solomiæ: Ruthenorum, Eſtoniæque Liuonum &c. Dux, Sereniſſimo Principi, Henrico eadem gratia Regi Nauarræ, Principi Bearniæ, Duci Vindocinenſi, Belmontenſi, Albitenſi, &c. Comiti Foxenſi, Armeniaci, Rhutenenſi &c. Vicecomiti Lemouicenſi &c. ſalutem, omniumque rerum feliciſſimum incrementum.

Sereniſſime Princeps, frater & conſanguinee chariſſime, redditæ ſunt nobis IV. Nonas Maij, anni currentis, literæ Ser. V. quas ad nos eiuſdem Legatus Iacobus Segurius, vna cum exemplo ſuę inſtructionis ex Hamburga iampridem tranſmiſit. Ex quibus cognouimus, S. V. ſummopere deſiderare religionis concordiam, eamq; fieri poſſe per generalem quandam ſynodum ſibi habere perſuaſum. Quocirca V. S. conuentum tam noſtrorum, quam aliorum Regum vicinorum, Germaniæq; Principum Legatorum, in loco deputato, ſtato tempore, ad eam rem perficiendam ſedulo requirit. Et quamuis nihil magis eſſet optandum, quam vt veræ & orthodoxæ religionis vbiq; inſtaurandæ, & ab vniuerſis & ſingulis, qui Chriſtiani nomine appellari volunt, peræque colendæ conſilium iniretur, conſpiratis in hanc vnicam animis hominum, quorum plerique ita iam diſtracti ſunt, vt ne ſimulachrum quidem veræ religionis retinere videantur: tamen quia omnes ſectæ in mundo doctrinam ſuam verbo diuino fultam eſſe, eodemque defendi glorientur & contendant, vſque dum quotquot religionis opiniones irrepſerint, tot diuerſas ſacrarum literarum interpretationes exortas eſſe omnibus propemodum conſtat, non videmus, qua ratione hæc religionis concordia poſſit expectari. Siquidem nullus quiſquam licet grauiſſime errauerit, tantæ ſit temeritatis aut impudentiæ, vt citra ſcripturam ſe loqui fateatur. Nam licet ſacra ſcriptura & verbum Dei ſemper vnum, vna eiuſdemque vera & genuina interpretatio, eam tamen ſinguli errantium vel indoctiſſimi ſuo ingenio ſubiicere, & ſuo capitu ad infinitos ſenſus torquere non verentur. Quamobrem niſi huic malo remedium aliquod poſſit inueniri, vix exiſtimamus fieri poſſe, vt qui in ſacrarum literarum diuerſis modis ambigant, tot diſcrepantium hominum dogmata conciliare & concordare poſſint. Quod ad nos attinet, optamus ex animo, vt vera religio iam denuo poſſit ſuccreſcere & ſarciri, exploſis omnibus omnium opinionibus adulterinis: cui rei & nos, quantum fieri licebit, non ſumus defuturi. De Synodo autem vel fœdere nihil poſſumus polliceri, tum quod tempus conuentionis, tum etiam de perſonis & conditionibus vtrimque & de loco nos lateat. Deum Optimum Maximum interim ardentibus votis comprecantes, vt quicquid huius futurum ſit, ad veræ Eccleſiæ reſtitutionem, ac gloriam & honorem Dei perpetuum cedant. Si præterea Veſt. Seren. vlla in re grata noſtra officia præſtare poſſumus, erimus ſemper propenſiſsimi. Deus Opt. Max. Seren. Veſt. in florenti Regni ſui ſtatu ſaluam & incolumem diutiſsime ſeruet. Datum in arce noſtra Aroſienſi, XXV. die menſis Maii, anno Chriſti 1584. Regni vero noſtri XV.

Serenitatis Veſtræ

Beneuolus frater

IOHANNES R. S.

RESPONSVM ELECTORIS *Saxoniæ.*

Quod Sereniſſ. & Potentiſsimi Principis ac Domini, D. HENRICI regis Nauarreni, &c. Legatus Generoſus & Nobilis vir D. Iacobus Segurius Pardelianus Regiæ domus præfectus & princeps interioris conſilii ab Illuſtriſſ. principe ac Domino D. AVGVSTO Duce Saxonię, &c. Domino ſuo Clementiſſ. ad Serenitatem Regiam perferendum tulit. *Reſponſum.*

SEreniſsimo Regi Nauarreno Illuſtriſſ. Saxoniæ Dux Elector pro egregia ſingularis erga ſe beneuolentię ſignificatione gratias officioſe & amāter agit, ac S. eius Regiæ amorē mutuū obſequiū, operā & omnia Nauarreni nominis ſtudioſiſsimi principis officia prolixe pollicetur. Idq; præſenti & declaraturus fuerat, ſi profectione in Germaniā ſuſcepta in ditiones Illuſtriſſ. Excelſitatis eius Serenitas Regia perueniſſet. Etſi enim tantum principem parum magnifico hoſpitio, neque ita ſplendide & laute, vt pro dignitate regia par eſt, accipere forte potuiſſet, tamen non dubitat, in volun-

tate &

tate & obſeruantia Excelſitatis ſuæ Sereniſſ. Regem pro bonitate naturæ ſuæ plane acquieturum fuiſſe.

Vt autem propoſitum inſtituti itineris Germanici ſummum Serenitatis R. erga rem Chriſtianam ſtudium oſtendit; Ita eius profectionis commutata ratio eximiam pietatem in patriam teſtatur.

Hinc enim non minus Serenitatem eius Reg. de pace domi prudenter conſeruanda, quam de concordia religionis pie foris conſtituenda ſolicitam eſſe perſpicuum ſit. Quo in genere, etſi Illuſtriſſ. Saxoniæ Dux Elector libenter fatetur non ſe tantum videre quantum Rex prudentiſſimus proſpicit, tamen vt poſtulationi & voluntati Regiæ morem gerat de cogenda doctorum religionis repurgatæ veritatem profitentium Synodo, ea quæ hoc tempore ſibi in mentem veniunt, ſimplici, aperto & optimo animo monere placuit; Non quod fidele piiſſimi regis conſilium aſpernetur, aut in re tanti momenti cuiquam præſcribat: ſed vt conſiderandi etiam amplius de negotio hoc arduo occaſionem præbeat.

Multas autem & varias difficultates Illuſtriſſ. eius Excelſitas ſciens ſilentio præterit, quæ Synodo eiuſmodi congregandæ obiici videntur, ac tantummodo in hiſtoriam Concilii Niceni, primi illius quod reliquis ſanctius eſt habitum, intuens, & hominum atque controuerſiarum illius temporis conditionem, varietatem, agendi modum, rationem & exitum expendens, eaque omnia cum præſenti rerum ſtatu componens, ancipiti cogitatione diſtrahitur, an eiuſmodi Synodus, qualem cupimus, congregari omnino poſſit; Et vt maxime poſſit, an conuentum hunc Eccleſiaſticum finis ille, quem expetimus, ſit conſecuturus. *Synodus.*

Fuit ſane vnicus illo ſæculo Imperator Conſtantinus M. cui totus Chriſtianorum orbis paruit, ita vt in conuocanda Synodo minus eſſet impedimenti, & in coercenda hominum contentioſorum petulantia ea poteſtas, quam declinare & euitare nemo poſſet.

Quanquam aũt congregatio illa omnium præcipui nominis Epiſcoporum expeditior, & definitio rei controuerſæ propter autoritatem Imperatoriam ſucceſſit felicius, tamen neque ſatis firma, neque talis Eccleſiæ pax contigit, vt non ipſo etiam adhuc viuente Conſtantino certamina & rixæ Epiſcoporum ita periculoſe recrudeſcerent, vt ad infirmandum canones Nicenos Epiſcopi multi Antiochiæ conuenirent, & huic Synodo contrarium Concilium Sardicæ coiret, cũ deinde conuentus Philippenſis opponeretur, re Synodorum multiplicium ſibique inuicem aduerſantium acerbiſſimis altercationibus eo vſque exagitata, vt Photini tandem impius error naſceretur, & Conſtantio Imperatori neceſſitas ad indicendum Concilium Sirmienſe offerretur, in quo & Nicenæ & Sardicæ Synodi pia decreta labefactata, & tres Chriſtianę fidei formulæ præſcriptæ fuerunt: quæ nõ modo maximas in Repub. Chriſtiana turbas dederunt, ſed occaſiones etiam præbuerunt, vt ad extremum Eccleſia Orientis ab occidente disiungeretur.

Tantam autem rerum perturbationem & confuſionem, ſi illo tempore quo ſumma rerum penes vnum principem fuit, & pietatis Chriſtianæ ſtudium ardentius extitiſſe eſt credibile, conuentus iſti ſynodici pepererunt: quid hoc exulceratiſſimo ſæculo, quo omnis Chriſtiana charitas in hominum cordibus refrixiſſe videtur, fore exiſtimandum eſt?

Quamobrem noſtra ætate quidam prudentia & pietate præſtantes principes, vt Eccleſiæ rixarum procellis laboranti ſubuenirent, placida inter paucos de capitibus controuerſis colloquia inſtituerunt, ſi forte diſputationibus in anguſtum contractis euentus pacificis ipſorum votis reſponderet. *ſed falſo perinde*

Quanquam autem ab eiuſmodi congreſſibus aliquando ita diſcederetur, vt pacati omnium animi putarentur, tamen res ipſa loquitur contentiones in animis collocutorum priſtinas reſpiraſſe potius, quam extinctas aut ſopitas fuiſſe, ſic plane, vt congreſſus ille pio conſilio principum inſtituti ad tollendas diſſenſiones, non modo parum ac potius nihil profuerint, verum etiam occaſiones extiterint, vt maioribus odiis hominum animi inflammarentur, & periculoſiſſimæ voluntatum diſtractiones orirentur.

Extat adhuc formula compoſitionis in negotio Cœnæ Dominicæ conſcripta Witebergæ Anno ſaluatoris noſtri 1536. ab iis, qui tractationi huius controuerſiæ ab vtraque parte adhibiti tunc fuerunt, quam etiamnum vt piam & orthodoxam Eccleſiæ harum prouinciarum amplectuntur & profitentur, à qua vtinam non diſceſſiſſent ii, quorum importuna acerbitas, vt recte Serenitas Reg. in mandatis ſuis indicat, concordiam ſalutarem diſturbauit. *D. Lutheri cum Helueticis Eccleſiis.*

Quæ cum ita ſint, etiam atque etiam Illuſtriſſ. Saxoniæ Dux Elector cauendum eſſe cenſet, ne quid porro committatur eiuſmodi, vnde maiorum ſcandalorum occaſiones naſcantur. Neque tamen hæc ideo commemorat, vt aut rationibus iis, quæ à D. Legato redditæ ſunt, aduerſetur, aut quod ab omni concordiæ piæ & ſalutaris conciliandæ ſtudio alienus videri debeat, ſed cuiuſmodi tam in veteri Eccleſia, quam in exordio repurgatæ doctrinæ cœleſtis noſtra quoque ætate incommoda conuentus iſtos Theologicos exceperint, in memoriam ideo reuocat, vt & ſuam ipſius & aliorum curam acuat, diligenter cogitandi de conſtituendæ in Eccleſia diuerſarum partium reformata concordiæ remediis eiuſmodi, quæ & periculi minus, & rei bene gerendæ plus ſpei polliceantur.

De quibus hoc loco & tempore ideo conſtituere certi nihil poteſt, quod in deliberatione ſibi cum aliis principibus Euangelicis communi ſuam ſolius ſententiam valere non vult. Quamuis enim non obſcure tam ex mandatis regiis, quam literis à Domino Legato redditis

animad-

animaduerti poſsit, pleroſque Germaniæ principes, apud quos eandem ipſe cauſam egit, videri rem ad arbitrium Illuſtriſſ. Excelſitatis eius reieciſſe: Tamen honore hoc vel beneuolentia erga ſe reliquorum, vel reſpectu eius perſonæ, quam in Imperio Germanico gerit, ſibi habito, neque ad præcipienda vota aliorum abuti debet, neque ſententiæ principatum ita ſibi arrogat, vt ſolus ſtatuere poſſit aut velit, quod conſentiente omnium voluntate & voto vnanimiter decernendum eſſe intelligit.

Inprimis itaque conſilium hac de re ſuum cum Illuſtriſſ. principe ac Domino, D. Ioanne Georgio Marchione Brandeburg. & Sac. Rom. Imperii Archicamerario communicabit, & in ſe nihil deſiderari patietur eorum, quæ piæ pacis & ſalutaris concordiæ amantiſſimum principem facere par, æquum & fas eſt.

Ex quo & hoc intelligi poteſt. Cum deliberatio hæc omnium grauiſſima non ab vnius vel alterius tantum voto pendeat, ſed cum pluribus ſuſcipienda ſit; Eiuſmodi ad hanc rem recte conficiendam temporis ſpatium neceſſario requiri, vt nullus, hac quidem vice, dies certus præfiniri poſſit, quo ad optatum exitum perduci ſperetur.

Curæ tamen erit Illuſtriſſ. Saxoniæ Electori, quantum quidem in ſe eſt, ne qua non neceſſaria mora iniiciatur.

Quod denique de artibus & technis pontificiis, quibus Tyrannis Antichriſtiana Dei præpotentis ſingulari miſericordia pene collapſa reſtauretur, & de negotio Colonienſi Sereniſſ. Rex Nauarrenus fideliter monet, ex ea quoq; parte ſingularis Serenitatis R. & præclara de re Chriſtiana atque tota poſteritate bene merendi voluntas elucet.

Vt autem obſcurum non eſt, quo magis non iam modo, ſed & antea Pontifex Rom. vi & dolo veritatis cæleſtis ſtudium & huius pios cultores euertere & opprimere anniſus eſt: eo magis magiſque Tyrannicum eius regnum concidiſſe & diuinitus ſemper fuiſſe imminutum: Ita Illuſtriſſ. Saxoniæ Dux Elector nihil plane dubitat, vtcumque illi omnino Acheronta moueat, nunquam tamen Gigantis iſtius cœlo bellum inferentis ſceleratos conatus fœlices futuros eſſe. Cumque Sacra Imperatoria Maieſtas principes aliquot Germanos ad diem nonum menſis Martii proximi Roteburgum ad Tuberum conuocarit, vt deliberent, quibus commode rationibus tumultus ad Rhenum moti componantur: Equidem Illuſtriſſ. Saxoniæ Dux Elector commonefactionis huius, à Regis, Imperio Germanico amiciſſimi, animo fideli profectæ memor erit, & rebus laborantibus pro virili ſua ita conſulere conabitur, vt neque pietate, quam patriæ & huius ciuibus debet, neque fidei, qua Imperio Germanico obſtrictus eſt, defuiſſe vlla in parte videatur. Qua in re ſe aliorum quoque quietis publicæ & patriæ amantiſſimorum principum ſuffragiis, ſtudio, & opera adiutum iri plane confidit.

Atq; hæc ſunt, quæ Sereniſſimo Regi Nauarreno Illuſtriſſ. Dux Saxoniæ Elector, cum ſignificatione ſingularis erga ſerenitatem Regiam obſeruantiæ ſuæ per Dominum Legatum renunciari cupit, quem & ipſum ob inſignes animi & corporis dotes ſua beneuolentia ſponte proſequitur, & benigne complectitur. Signatum Auguſtæ Miſnenſium, Prid. Non. Februar. Anno 1584.

AVGVSTVS Dux Saxoniæ Elector.

AD REGEM GALLIÆ.

EX iis literis, quibus Serenitas Regia veſtra nos ad ſuſcipiendam curam pacis publicæ nuper amantiſsime hortata eſt, facile perſpeximus, quàm vehementer de incolumitate Germanici Imperii ſolicita eſſet, vnde tanto referendæ gratiæ ſtudio incenſi fuimus, vt pari ſolicitudine pro dignitate & commodis Seren. Veſtræ R. afficiamur. Quare cum hoc tempore ad nos deferretur, eſſe quoſdam male feriatos homines, qui Seren. R. veſtræ tranquillitatem ſuam inuideant, & hoc agant, vt Gallia pacificis quondam ſtudiis florentiſsima, in quiete ſua, in qua reſpiraſſe nonnihil videtur, turbata, bellorum ciuilium turbis iterum inuoluatur, faciendum nobis pro noſtra erga Serenitatem Veſt. obſeruantia putauimus, vt hac de re ad eamdem ſcriberemus, non quod nobis vllum eſſet dubium, quin Seren. Veſt. Reg. præclara illa & ſalutaria ſua edicta, quibus pax Galliæ nuper reſtituta fuit, firma & inuiolata eſſe velit, ſed quod metueremus, ne irrequieti iſti homines, qui nihil aliud cupiunt, quam vt cum pernicie & interitu potentiſsimæ nationis Gallicæ Pontificia Tyrannis reſtauretur. Seren. Veſt. inuitam inteſtinorum bellorum calamitatibus implicent, eoque tandem redigant, vt ad imperium & nutum Romani præſulis ea facere & ſtatuere cogatur, quibus & ſalus animarum & omnes ſubditorum fortunæ euertantur. Pro noſtro igitur perpetuo erga Seren. Reg. Veſt. ſtudio etiam atque etiam fideliter monemus, rogamus, & obteſtamur,

ne aures

ne aures regiæ ſeditioſis perditiſſimorum hominum vocibus pateant, neue incitari ſe ab his patiatur contra ſuos fideles,& pietatis veræ amantes ciues, qui omnia hactenus paſſi ſunt, vt & Deo Opt. Max. honorem ſuum,& S.R.V. obedientiam & ſubiectionem debitam præſtarent. Quos peſtes iſtæ hominum pontificiæ ob hanc ſolam cauſam oderunt,& funditus extirpatos volunt, vt exhauſtis & proculcatis regni Gallici viribus,S.R.V. cum ſumma ſua, tam rerum quam exiſtimationis, & quod caput eſt,animæ etiam iactura irrecuperabili,Pontificis Rom. Tyrannidi & libidini exponatur, qui pontifex, cum hactenus reges & principes orbis Chriſtiani præſtigiis & ſuperſtitione circumuentos ſub pedibus ſuis preſſerit, adeoque omnes omnium prouincias compilauerit, ægerrime fert potentiam ſuam, ac effrenem omnia pro arbitrio in re Eccleſiaſtica & politica ſtatuendi licentiam attenuari & imminui.

Huius igitur iugo Tyrannico vt & ſe & regnum ſuum eximat, ſeque in libertatem ex turpiſſima ſeruitute magno & excelſo animo vindicet,voſque qui diuerſum ſuadent, non aliter atque manifeſto deprehenſos hoſtes dignitatis Regiæ & Reip. Gallicæ præſentiſſimas peſtes auerſetur & abigat, ita nos fideliter S.R.V. hortamur & rogamus, vt ſuadere nihil melius poſſimus, ſi noſtra & patriæ noſtræ ſumma dignitas & ſalus ageretur.

Id ſi fecerit S.R.V. & ſibi & regno ſuo rectiſſime conſulet, adeoque Deo præpotenti gratiſſimum faciet, & non tantum in hac vita rebus abundabit omnibus, ſed hinc etiam aliquando diſcedens ſempiterna beatitudine fruetur,& nominis ſui gloriam & celebritatem & immortalem famam toti poſteritati commendabit.

Quæ nos omnia, S.V.R. ad ſalutem tam animi quam corporis & regni ſui incrementa perpetua feliciter euenire ſyncere optamus. Datæ Auguſtæ Miſnenſium, III. Non. Feb. Anno 1584.

AVGVSTVS, D.G. Dux Saxoniæ,
Sac. Imp. Rom. Archimarſcalcus
& Elector.

EPISTOLA ELECTORIS BRANDENBVRGICI AD DOCTOREM CHEMNITIVM, DE Nauarrica legatione; è Germanico in Latinum conuerſa.

IOHANNES GEORGIVS DEI GRATIA MARCHIO BRANDEBVRgenſis, Sacri Romani Imperii Archicubicularius, & Imperii Elector, Pruſſiæ Dux, &c.
Reuerendo & doctiſſimo nobis dilecto fideli D. Martino Chemnitio,
Sacræ Theologiæ Doctori, Paſtori & Superintendenti
in Brunſuich.

PRæmiſſa noſtra clementi ſalutatione, Reuerende & Doctiſſime nobis dilecte fidelis: Vobis cum hiſce copiam mittimus eius, quod Rex Nauarræ per ſuum modo apud nos commorantem Legatum, Synodi cuiuſdam gratia, ac de componendis inter Gallos noſtroſque controuerſiæ religionis negotiis, apud nos æque, atque apud Reginam Angliæ, Ducem Iulium Brunſuuicenſem, Landgrauium Wilhelmum Haſſiæ, filiumque noſtrum Adminiſtratorem Magdeburgenſem, ſimiliter etiam Principem Ioachimum Erneſtum de Anhalt,& Principem Auriacum, verbotenus proponi & indicari curauit. Eſt etiam Legatus eius intentionis, vt à nobis recedens, ad Electorem Saxoniæ, pluresque alios Imperii Electores ac Principes noſtræ religionis proficiſcatur, ac ſimilia proponat.

Quamuis autem nos caſu hoc conſulere graues variaſque ob cauſas nequeamus, vt cum Caluiniſtis generalis Synodus inſtituatur, cum experientia (proh dolor) edoceat, in religionis negotiis, aliquo iam tempore parum peractum eſſe, indeque plures turbæ & diſſenſiones in Eccleſia & religione ſubſecutæ ſunt: exiſtimamus tamen Regem in hac inſtructione & declaratione ſua, in articulo Cœnæ, à noſtrarum Eccleſiarum opinione non adeo multum diſtare: ideoque ipſam Regiam Maieſtatem non omnino offendendam, vel pacifica colloquia, & tractationes amicabiles recuſandas eſſe penitus. Vobis igitur conſiderandum committimus, an ad Regis inſtitutum, nimirum vt id agatur, quatenus pauci pacis amantes, velut ſex vel octo perſonæ, pro Chriſtiana amicaque informatione conuocentur,& à paucis iis intelligatur, quam prope Franciciæ Eccleſiæ in hoc articulo Eccleſiis noſtris accedant; ſi forte hac ratione diuina omnipotentia media & rationes oſtendere velit, vt vera noſtra religio etiam quod ad hoc punctum, dilatetur. Hoc & quæ alias in hac re exiſtimatis & conſideratis, nos citiſſime & ſubito dies noctesq; in ſcriptis certiores faciatis, quoniam nos Regium Legatum hic apud nos tamdiu detinere velle concluſimus, vt poſtmodum ad omnia ſimus paratiores. In hoc adimplebitis gratam noſtram voluntatem. Et ſumus vobis fauore clementiaq; propenſi. Datum Coloniæ ad Spream, 20. Ianuarii, Anno 1584.

RESPON-

RESPONSVM SERENISSIMI REGIS NAVARRENSIS, &c. Legato, Generoſo & Magnifico Viro, Domino Iacobo Segurio Pardelliano, Domui Regiæ Præfecto, ab Illuſtriſſ. Principe ac Domino, Domino Iohanne Georgio, Marchione Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario & Electore; in Boruſſia, Stetini, Pomerania, Caſſubiorum & Vandalorum, necnon in Sileſia Croſna Duce; Burggrauio Noribergenſi, & Principe Rugia, &c. ad propoſita negotia datum.

PErgrata Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudini fuit, officioſiſſima illa Regiæ Serenitatis per Legatum facta ſalutatio: ſed magis iucundus Illuſtriſſ. Celſitudini fuiſſet aſpectus & conuerſatio propria R. S. S^tis^, quam, vt ex oratione Legati Illuſtriſſ. ſua Celſ. intellexit, Rex per iter ad Illuſtriſſ. ſuam Celſ. ſuperiori anno deſtinauerat. Ea enim Illuſtriſſ. ſuæ Celſ. in amicos eſt obſeruantia, vt erga eos conuerſationis frequentiſſimæ ſtudio quaſi perpetuo ardeat. Sed quoniam R. S. S^tas^ hoc viſendi munus, conſilio & ratione grauiſſima, illud ipſum poſthac, quamprimum per occaſionem licebit, obſeruari Illuſtriſſ. ſua Celſitudo maximopere exoptat, vt ita amicorum animi, locorum diſtantia remotiſſimi, aliquando conuerſatione præſenti dulciſſima perfrui, amicitiæque vincula eo arctius ſtabiliri & confirmari queant.

Ad cauſam vero principalem, partim literis Regiis contentam, partim vero per D. Legatum Segurium ſcripto propoſitam, quod attinet, animaduertit Illuſtriſſ. ſua Celſ. non ſine ſingulari animi delectatione, R. S^m^ maximo amore & ſtudio erga veram religionem noſtrarum Eccleſiarum ardere, totiſq; viribus eo niti, vt omniū Eccleſiarum noſtrarū vnanimis ſtabiliatur conſenſus & concordia. Quod ſtudium cum præcipue ad gloriam nominis diuini, & ſalutem animarū omniū, qui in reformatis Eccleſiis veritatē in verbi profitentur, tendat, & Dei & hominū remunerationē demerebitur: & Illuſtriſſ. ſuam Celſ. erga Regiam ſuam Serenitatem ad quæuis gratitudinis officia & ſtudia deuinciet.

Animaduertit autem Illuſtriſſ. S. C. totius principalis negotii ſcopum potiſſimum duob. capitib. contineri. Primo enim quæritur, cum Eccleſiæ veræ nomine religionis in variis religionibus diſperſæ, tum ex inſidiis Pontificiis, tum per controuerſias & diſcordias inteſtinas iam nunc fere vndiq; & quidem maxime periclitentur, quę ratio iniri poſſit, vt reuelata nobis verbi diuini veritas ab ipſis diſſenſionibus & inſidiarum procellis eximi, Electori quoq; Colonienſi Truchſeſſio iā nunc fere propter agnitam veritatem bello ſuppreſſo ſubueniri, pax & concordia in noſtris Eccleſiis reſtitui & ſtabiliri poſſit. In ſecūdo capite R. S. S. de ſalute publica patriæ ſolicitatur, rationes & conſiliū quærens, qualiter turbæ & ſimultates Gallicæ, proter religionis diuerſitatem potiſſimum ortæ, ſopiri, & antiqua pax & fides in toto Regno recolligi & ſtabiliri poſſit.

Ad primum quod attinet, experientia (proh Deū) ſatis abunde teſtatur, naticulam Chriſti in noſtris Eccleſiis, procellis hoſtiū & inteſtinis quoq; inſectationibus, vndiq; periclitari; nec eſſe aliquam de regionib. & ditionib. commemoratis, quæ hac in re de ſua non conqueratur miſeria. Sanguis.n. innumerabilium noſtrorum martyrum teſtatur, quid hactenus in Galliis, Anglia, Scotia, Suecia, in Belgiis, Heluetiis, & aliis locis attentarit & perfecerit, tum Pontificia & Ieſuitarum audacia, tum eorum aſſeclarum inſidiæ & crudelitas.

Qualiter aūt huic malo ſuccurri poſſit, res diuini potius quam humani conſilii eſſe videtur: nec Illuſtriſſ. ſua Celſ. contra hanc tyrannidem hoſtium aliud commodius remedium inuenire poteſt, q̄ vt exemplo Apoſtolorum oēs in vera religione noſtra ſub vexillo Chriſti militantes, inter ſeſe corde conſtanti vnanimes ſint, & ſub cruce communib. coniunctis precib. Deum inuocent, vt ipſe ad nominis ſui propagationem Eccleſiæ ſuæ & piorum tutor & defenſor exiſtere, hoſteſq; in furore ſuo conturbare & confringere, pacem quoq; & tranquillitatem publicam in omnib. Regnis & Prouinciis ſtabilire & conſeruare velit. Hanc Illuſtriſſ. ſua Celſ. fortiorem turrim & propugnaculum noſtris Eccleſiis eſſe, quam confœderationes & bellorum excitationes pernicioſas exiſtunt.

Nos, qui in Germania vidimus, quamuis ex inteſtinis diſcordiis Theologorum hactenus pericula & dāna Eccleſiarū noſtrarum non exigua ſuſtinuerimus, tñ maximam partem controuerſiarum Theologorū, ſingulari Dei conſilio & beneficio, non multo ante cōpoſuimus, cui concordię pleriq; ſtatus Germaniæ ſubſcripſerunt, nunc porro eā amant & obſeruant. Quo fit, vt iā nunc Eccleſiæ noſtræ ex gratia Dei tranquilliori ſtatu perfruantur. Quod ſi veſtræ Gallicæ & aliarū nationū in articulo de Cœna Domini & paucis ſimilib. à nobis adhuc diſſentientiū Eccleſiæ noſtræ coniungi, adeoq; vniuerſalis omniū in doctrina cōſenſus cōſtitui poſſit, ea re nihil ſane eſſet optabilius, neq; antiquius.

Formula concordia, promulgata anno 1579.

An aūt in religione noſtra, quæ hiſce temporib. abſq; certo capite & gubernatore, p[illegible]ius polyarchia, q̄ monarchia regitur, per ſynodum vniuerſalem coniunctionis remediū & via quæri poſſit, cōſilio & deliberatione grauiſſima, & quidē omniū ordinum noſtræ religionis, opus habet. Et quāuis exempla nouiſſima Germaniæ conteſtantur, Synodorū euentus, præſente omnium turbulentiſſimo ſeculo, ad pacem & tranquillitatem Eccleſiarum noſtrarū, raro fuiſſe felices, tñ in hac re communi & grauiſſima Illuſtriſſ^a^. ſua Celſ ſibi ſoli iudiciū non ſumit, ſed cauſam totā ad vniuerſalem Statuum & Eccleſiarū Germaniæ deliberationē & arbitriū transfert. Qua in re q̄ pro dirimendis iſtis noſtrarum Eccleſiarū controuerſiis & ſtabiliēda religionis concordia vniuerſali cōmuniter vtile eſſe videbitur, his Illuſtriſſ^a^. ſua Celſ. facile & ſuū calculum addet, ſuumq; ſtudiū & operam pro virili non obſcure

conteſtabitur. Et vt R^æ. S^{tas}. intelligat, hoc negotium Illuſtriſ^s. ſuæ Celſⁱ. præcipue curæ eſſe, conſtituit proximis quoq; temporibus cum Illuſtriſſ. Principe ac Domino, Dn. Auguſto Duce & Electore Saxoniæ, &c. conſanguineo, affine, fratre & compatre eius chariſſimo, & aliis quibuſdam vicinis Principibus & amicis, de articulis à Regia ſua Seren. nunc propoſitis, maxime cum animus R. ſuæ Ser^{tis}. ad concordiam adeo ſit intentus & propenſus, conferre, & habita matura deliberatione ſtatuere, quis modus agendi huic negotio poſſit eſſe commodiſſimus.

In cauſa quoq; Electoris Colonienſis Truchſeſſii, pro deponendis furorib. bellicis, & pace conſtituenda, Illuſtriſ^s. ſua Celſ. moleſtiis & ſumptibus non exiguis hactenus ſummum ſane lapidem mouit, & porro ita aget, vt Illuſtriſ^s. ſuæ Celſⁱ. ſtudium ſingulare pro ſalute & pace patriæ & Eccleſiarum noſtrarum, R^æ. S^æ. Ser^{ti}. & cuiuis non obſcure manifeſtetur.

Qualiter autem turbæ Gallicæ, maxime propter religionis diuerſitatem exortæ, ſedandæ ſint: ea in re exiſtimat Illuſtriſſ. Elector, tum animum Regis Galliæ ad pacem propenſiſſimum, tum quoque authoritatem R^æ S^æ S^{tis} plurimum valere & poſſe. Nec dubium eſt, ſi mens & authoritas Regis propria virtute & non turbulentis Pontificiorum quorumdam perſuaſionibus ducatur, Eccleſias Gallicas pacemque totius Regni facile ſaluas & incolumes eſſe & conſiſtere poſſe. Accedat in religione, maxime in laicos non ſcandaloſos conſcientiarum & fidei libertas.

Nec enim magiſtratus, cum pro ſalute animarum cuilibet ſubdito fideiuſſor eſſe nequeat, inquiſitionis & coactionis iugo acerbiſſimæ quemquam ad eam religionem recte cogit, in qua ſalutem ſuam æternam non conſiſtere ſubditus ipſe conſcientiam ſuam teſtem habet. Quod ſi in religione, ſicuti in politicis, ſecuritas & pax publica conſtitueretur (ſicuti ante aliquot annos aliqui Proceres Regni apud R. S. flagitaſſe dicuntur) exinde animi omniũ ſubditorũ facilime reconciliarentur, & communis omnium ſubditorum magis conſtans erga R. S. eſſet fides & obſeruantia; ex quo deinde totius gubernationis Regni tranquilliorem & feliciorem ſtatum ſequi neceſſe eſt. Exempla huius rationis Regia Serenitas præ oculis habet, quoties de pace publica religionis in ſacro Romano Imperio cogitat. Quam ſalutifera enim hæc publica conſtitutio patriæ noſtræ communi hactenus fuerit, vix verbis exprimi poteſt. Quod ſi quiſquam religionem inquiſitionibus, vi vel armis propagare intentaſſet, pariter vrbium ſolos reſiduos haberemus; Rem vero publicam Romanam bello & cæde diſturbatam penitus amiſiſſemus.

Atque hæc ſunt, quæ Illuſtriſſimus Elector pro pace & ſalute potentiſſimi Regni Galliæ (cui Illuſtriſſima ſua Celſitudo, eiuſque tota progenies Domus Brandenburgicæ, &c. ſemper bene voluit) apprime conducere exiſtimat: ea omnia tamen ad ſanius conſilium & arbitrium Regiæ ſuæ Serenitatis reducens. Et quod reſtat, Illuſtriſſima ſua Celſitudo tum toti Regno Galliæ, tum quoque Regis Nauarrenſis Serenitati perpetuam pacem & omnium rerum fauſtos & felices ſucceſſus ex animo exoptat: Regiæ ſuæ Serenitati ſimul omnia ſtudia & officia, quæ in vero amico requirit, ſtudioſe & obſeruanter deferens, Dominumq; Legatum Illuſtriſſima ſua Celſitudo ſingulari fauore & gratia complectitur. Actum & ſigillo Electoris confirmatum Coloniæ ad Spream, 24. die menſis Ianuarii, Anno, &c. 84.

ad latus ſigilli

Manu propria ſſ.

RESPONSVM ARCHIEPISCOPI MAGDEBVRGENSIS, Primatis Germaniæ, &c.

QVod hoc loco poni debebat, deſideratur in omnibus exemplaribus tam manuſcriptis, quam publicatis: præter hunc titulum, qui in Indice actorum extat.

RESPONSVM ADMINISTRATORIS BORVSSIAE, ILLVSTRISS. Dom. Georgii Friderici Marchionis Brandenburgenſis.

S. R. D. V. poſt officiorum & ſtudii noſtri propenſiſſimi commendationem, diuturnam valetudinem, & rerum omnium ſucceſſus proſperrimos ex animo precamur, conſanguinee & amice colendiſſime. Miſit ad nos Generoſus Dominus Iacobus Segurius Pardelianus, R. D. V. per Germaniam Legatus, R. D. V. literas, & quæ ex mandato eiuſdem coram referre debuiſſet, in ſcriptis luculenter nobis expoſuit. Etſi vero nihil nobis gratius accidere potuiſſet, quam eundem Dominum Segurium coram videre, audire & complecti, necnon de R. D. V. incolumitate & ſtatu ex animo cognoſcere, tempori tamen & eius occupationibus condonandum arbitramur, quod ab hoc congreſſu & colloquio excluſi ſimul; multo vero nobis iucundius fuiſſet, ipſam

R.D.V.

R.D.V. quæ ſuum de Germania & purioris religionis in ea Principibus viſendis, anni ſuperioris inſtitutum ſuum nobis ſignificauit, ſaluam & incolumem conſpicere, eidemque hoſpitalitatis & beneuolentiæ noſtræ ſtudia coram comprobare. Quod vt (ſi ita Deus volet) aliquando ſine R.V.D. moleſtia, & cum vtilitate publica fiat precamur.

Capita vero legationis, per Dominum Segurium tranſmiſſa, quod attinet, R.V.D. ſummopere gratulamur, nobis vero & Reipublicæ Chriſtianæ gaudemus, & R.D.V. præclaram voluntatem & pietatis ſtudium libentem agnoſcimus: quod non ſaltem de concordia & doctrina conſenſu in Eccleſia Chriſti inſtituendo atque conſeruando pias cogitationes ſuſcipiat, verum etiam (quod huc vſque in multis deſideratum fuit) ex ſacrarum literarum fontibus controuerſias dirimi, & ſe ſuoſque informari cupiat, ſimul etiam pro ſua prudentia atque vigilantia oſtenſis diſſidiorum incommodis & detectis communium aduerſariorum machinationibus de iuſta defenſione Republic. & Eccleſiæ admoneat, & conſilia ſalutaria proponat: ad eam etiam rem, operam auxilia, opes vireſque ſuas conferre promittat. Quas R.D.V. pias curas & conatus nemo eſt, qui non laudet; vos vero ſummopere commendamus & merito facimus maximi, qui non ſaltem a prima ætate puriori Euangelij doctrina imbuti, eam ſerio amplexi ſumus. & pro ea defendenda & ab omnibus corruptelis vindicanda pro virium noſtrarum modulo non leuem hucuſque curam ſuſtinuimus, idque maiorum noſtrorum exemplo & D. parentis noſtri veſtigiis inſiſtentes, qui cum paucis alijs Imperij forticipibus religionem Chriſtianam pio Zelo profeſſus eius ſubſcriptam formulam Diuo Carolo V. Imp. Auguſtæ Vindelicorum Anno M.D.XXX. obtulit, & in ea tuenda conſtantiam vſque ad finem vitæ adhibuit. Eoque nunc magis cum cæteris principibus Euangelicam doctrinam profitentibus laborandum nobis exiſtimamus, vt à maioribus accepta ſarta tecta conſeruemus, & ad poſteritatem tranſmittamus.

Ad Eccleſiæ autem & Republic. Chriſtianæ conſeruationem atque defenſionem plurimum momenti ac roboris afferre, pulcherrimum illud ſocietatis Chriſtianæ Vinculum concordiam, & in puritate doctrinæ conſenſum, vireſque vnitas contra communem hoſtem pluſquam diſtractas valere non ignoramus. Quæ vero fata eam, quam multi boni in Eccleſijs deſiderant, & optant concordiam & conſenſum nobis hucuſque inuiderint, ſatis non liquet. Sed non tantopere fata, quam obſtinata quorundam in tuendis opinionibus ingenia vtrinque huic rei obſtitiſſe arbitramur. Nobis hucuſque in hac temporum iniuria ſatis fuerit, pacem in ditionum noſtrarum Eccleſiis colere, & vnanimi præcipuorum Auguſtanæ Confeſſionis Principum conſenſu gaudere. Fore aliquando confiſi vt qui eundem Chriſtum & idem Baptiſma profitemur, in vnum Eccleſiæ corpus DEI aſpirante numine coaleſcamus. Plurimum itaque nos conſolatur & in ſpem bonam erigit, quod R.D.V. ſe & Eccleſias Gallicanas eiuſque confines deſiderio reconciliationis & inſtituendæ cum Eccleſiis noſtris concordiæ teneri, & vt in placida ſententiarum collatione ex verbo diuino, quod omnium dogmatum eſt regula, meliora doceantur, facile laturas oſtendit. Quod ſi vtrinque factũ ante hac fuiſſet nunquam tot opinionum diuerſarum contentionibus inter ſe ſciſſa & hoſtium direptionibus & crudelitati obiecta fuiſſet Eccleſia, nec de defenſione eius tantopere nunc laboraremus. Quæ vero præſentibus malis & periculis ex animorum diſſenſione & Pontificiorum non obſcura machinatione vtrique Eccleſiæ impendentibus medicina & remedia adhibenda ſint: etſi ea quæ à R.D.V. de ſynodo generali indicenda, ſilentio interim componendo, charitate colenda, & viribus in vnum cogendis prudenter proponuntur, vti ſalutaria, ita neceſſaria iudicamus: tamen cum hæc conſilia vniuerſos Imperij Electores & Principes puritatem Euangelij profitentes propius concernunt, difficile eſt ſententiam & mentem noſtram R.D.V. ea de re ſeparatim exponere. Non committemus itaque quin primo quoque tempore cum Illuſtriſſ. Electoribus & alijs noſtræ Religionis Principibus, cognatis noſtris, communicato conſilio, ita R.D.V. aliquando reſpondeamus, vt nos pacis & concordiæ ſtudioſos & veritatis amantes & ad propagandam communem Eccleſiæ & Reipubl. ſalutem propenſiſſimos eſſe ſemperque fuiſſe intelligat.

Quicquid interim operæ, ſtudij, voluntatis ad ſalutem communem conſeruandum, & R. quoque S.V. pro parte virili in Imperio Romano tuendam, tum etiam ad Chriſtianiſſ. Galliæ Regem ad pacis & tranquillitatis promiſſæ obſeruantiam cohortandum, conferre poterimus, non patiemur quoque in nobis deſiderari. Atque hæc hoc tempore ad literas & Legationis capita R.D.V. reſpondere viſum fuit. Cui diuturnam valetudinem & in vera Religione conſtantiam, gubernationem tranquillam, rerumque ſucceſſus proſperrimos ex animo precamur. Regio monte in Pruſſia die 1. Martij Anno 1584.

Georgius Fridericus Marchio
Brandenburgenſis.

INSCRIPTIO.

Sereniſſimo principi ac Domino, Domino Henrico Nauarrorum Regi, principi Bearniæ, Vindocinenſi, Belmontenſi Albretenſi, &c. Duci: Comiti Foxenſi, Armeniacenſi, Ruthenenſi, Bigerronenſi, Marlenſi, Petragorienſi; & Vicecomiti Lemouicenſi, &c. Conſanguineo & amico noſtro Chariſſ.

RESPONSVM IVLII DVCIS BRVNSVICENſIS, *ex Germanico Latine conuerſum.*

SEreniſſime atq; Potentiſſime Rex, literas tuas ad nos per Iacobum Segurium, tuum Legatum, miſſas accepimus, eidemque tuo Legato, quæ abs te, Sereniſſime Rex, in mandatis habebat, coram intimis noſtri conſilij viris fecimus deponendi poteſtatem, cum inualitudine atq; aliis compluribus incommoditatibus impediti audientiam in præſentia nos ipſi tribuere non poſſemus.

Cæterum ex iis mandatis (quemadmodum etiam ex antea redditis tribus diuerſis abs te S. R. ipſi Legato commiſſis exemplaribus duorum quidem generalium ſcriptorum ad Electores, Principes ac Ordines vniuerſi Imperij Romani, veræ noſtræ religioni addictos pertinentium, vniuſq; vero ſingularis epiſtolæ priuatim ad nos perſcriptæ) ſumma cum animi lætitia perque libenter intelleximus, religionem noſtram, Eccleſiæ tranquillitatem, felicitatem & propagationem, itemque totius orbis Chriſtiani incolumitatem eſſe tibi R. Illuſtriſſ. tantæ curæ, vt illas res tam prudenti & profundo & maturo & ſapiente conſilio expenderes. Agimus pro eo gratias Omnipotenti Deo, & optamus ex animo, vt idem omnipotentia ſua te S. R. in tam laudabili & pio Zelo in poſterum quoque conſeruare velit ac confirmare, & acrem ad inſtitutum hoc tenendum induſtriam porro largiri: quinimmo complures alios ſummi loci Proceres & Dynaſtas nominis Chriſtiani adhuc Papiſmi tenebris demerſos illuſtrare clementer, & ad agitandas ſimiles religioſas conſultationes, vtiliſſimaq; propoſita meditanda excitare dignetur.

Equidem ad nos quod attinet, fateri cogimur, & tibi S. R. in hoc aſſentiri, molitiones nimirum & conatus iſtos tuos non indecentes nec intempeſtiuos, verum poſt opem atq; benignitatem diuinam, fere vnicam eſſe reliquam humani conſilij rationem, qua ex Dei verbo, & iuxta Dei verbum Eccleſiæ reformatæ impendens à Papa iugum & vltimum exitium (quod ille iam pridem parturiens extremis temporibus iſtis malis, & omnium rerum periculoſiſſimo ſtatu, ſummo ſtudio totiſque viribus machinantur) à ſe depellere valeant, & ſeſe diutius aduerſus illud ſuſtinere. Optandum ſane fuerat, non iam tantum eximium aliquid contra ſuſcipi & apparari, verum id etiam longe ante accidiſſe, priuſquam aduerſa noſtra pars, Pontifex & eius aſſeclæ, tot tantaſque facultates & occaſiones recuperaſſent.

Quamobrem nos, quanquam ex Electoribus & Principibus fere vltimi ad reformatam religionem acceſſimus, vehementer tamen cupimus huic cum maxime ſalutari, tum neceſſario negocio, commodis omnibus in locis promouendo, quantum in nobis, operam nauare. Quo etiam animo bene multo abhinc tempore, adeoq; pene ab ipſo noſtræ poteſtatis & regiminis initio multum in eo laborauimus, vt generalis aliqua Synodus cogeretur. Cuius habendæ vt planior & expeditior via ſterneretur, ante ſeptem annos benignitate numinis magno ſumptu noſtro, crebris atq; perpetuis interpellationibus cauſam hanc eo vſq; prouexeramus, vt ſpeciali ſiue nationali ſynodo inter aliquos affines religionis noſtræ Electores, Principes ac Status, præſertim inter finitimos noſtros atq; vicinos inſtituendæ, iam aſſignatus dictuſque fuerit locus Magdeburgum ad Albim, illa nobis pollicitatione viciſſim atq; ſpe bona facta, futurum vt in illa noſtrorum hominum conuentione inter alia proponeretur etiam, conſultaretur atque decerneretur, quomodo primo quoque tempore conuentus vniuerſalis omnium noſtri, qui veram & Chriſtianam colimus religionem, commodiſſime adornari poſſet atque indici. In quo vniuerſorum conuentu pauci adhuc inter Eccleſias reformatas controuerſi religionis articuli, ex Dei verbo atque ſolido fundamento componerentur, eoq; pacto pernicioſiſſimis diſſenſionibus, à nobis atque noſtris ipſis tandem aliquando finis inueniretur atque ſtatueretur.

Quibus autem obiectis impedimentis res eum, quem volebamus, ſucceſſum tum non habuerit, nos itidem poſt illud tempus & quidem in hunc vſq; diem cum ad abſentes datis varie literis, tum apud præſentes aſſiduis petitionibus, colloquiis habitis, aliiſque rationibus & viis fruſtra tentatis, haud quicquam in hoc negotio effecerimus, probe nobis cognitum eſt. Ac vere grauiterque dolet, Diabolum in ſuis membris tantum poſſe, vt non ipſi tantum alieni ſint ac prorſus abhorreant à iuſta hominiq; Chriſtiano digna & Deo grata pace, & Eccleſiæ tranquillitate, ſed alios etiã, adeoq; maxime pios & laudatiſſimos & ſummos Principes ſtudio deſiderioq; pacis flagrantes, in tam religioſo laudabiliq; Zelo ac propoſito impedire gaudeant, & ab eo auertere.

Notat Iacobũ Andreæ & Martinum Chemnitium, eorumq; complices.

Verum enimuero cum nos atq; noſtri hactenus (abſit verbo vanitas atq; iactantia) noſtro hac in re minime defuerimus officio, conſcij nobis ſumus coram Deo & hominibus hac quidem parte nos eſſe excuſatos. Ad alios autem quod ſpectat, id rerum præpotenti Deo cõmittimus, & iuxta R. V. M. piam commonefactionem & hortationem efficacem, penitus animo fixum habemus ac decretum,

cretum, tum in ea, quam ducente cœleſti gratia ſimul cognouimus, & hactenus ſumus profeſſi, diuina ſolidaque veritate conſtanter perſeuerare, vires & facultates noſtras vniuerſas ad eam conferre, tum etiam quantum ipſi poſſumus, adiuuare tuum hoc pium & vtile ac neceſſarium cœptum, vt feliciter eueniat. Veruntamen quoniam in nobis omnia ſita non ſunt, neque cæteris Electoribus, Principibus & Ordinibus S. Imperij quicquam nos anticipare cogitamus, aut ipſorum partes nobis arrogare, proin aliud aut amplius nihil huic rei commodare nunc potuimus, quam vt tuo S. R. Legato literas noſtras ad quoſdam, eoſque præcipuos Electores & principes noſtram religionem amplexos, commendatitias impartiremur: quod vt faceremus, ipſe nos appellauit ac petijt, quarum exemplaria his adiunximus. Spoſpondimus inſuper cauſam hanc in omnibus a R. V. M. propoſitis articulis, in locis opportunis, cunctis rationibus & vijs, quas quoquo modo excogitare ac commodas inuenire poterimus, pro virili promouere nos velle. Quod præſtare certe parati ſumus, idq; S. R. ne in dubium vlla parte voces, etiam atq; etiam rogamus.

Quæ vero præterea cum tuo Legato nonnihil in præſentia reſpondendi declarandique noſtri animi gratia communicauimus, quod item conuenerit inter nos ſtatutumque ſit, vbi munere legationis abs te demandato fuerit defunctus, vt ipſe tum ad nos reuertatur, quo & omnem rei geſtæ nobis exponat euentum, & accommodatam ad illum ampliorem noſtram atque abſolutam expectet reſponſionem, id (ſicuti arbitramur) ipſe tibi per literas ſigillatim ſignificabit. Et quamuis id minime dubium nobis ſit, quam amantiſſime tamẽ atq; diligentiſſime te S. R. rogamus, vt pium hoc & Zelo ſingulari laudabile propoſitum conſtanter vrgeas vlterius, ad ipſumq; opus deducere nitaris, nec ab eo vlla ratione modoue rurſus abduci te ſinas. Idemq; de nobis & amplius hoc etiam tibi pollicearę planeq; perſuadeas, nihil eſſe neq; futurum nobis curæ maiori, quam vt negocium hoc felicem & optatum exitum ſortiatur, & vt nos in arctiorem quandam & magis fidam conſiliorum & rerũ adminiſtrandarum tecum, Illuſtriſſ. Rex, communicationem, & in conſtantem diuturnamq; amicitiam tuam veniamus. Eo quoq; nomine fidelis erga nos affectionis & beneuolentiæ tuæ ſignificatio ac oblata facultas gratiſſima nobis extitit, & tales erga te S. R. viciſſim nos exhibebimus libenter ac ſtudioſe.

Si porro exploratum haberemus, quibus regionis noſtræ fructibus & diſcretis metallis, armis, equis, aut alijs quibuſcunq; rebus ad hanc amicam communicationem & firmiorem fiduciam inter te S. R. meq; ſtabiliendam, tuis vſibus inſeruire, ac tibi gratum fieri poſſet, ijs omnibus prolixe tibi vellemus & libentiſſime gratificari, ab R. V. M. peculiaria ei loco & terræ dona viciſſim expectantes. Quod reliquum eſt, Illuſtriſſime Rex, ad grata quæque officia, beneuolentiam, honorem itidem & obſeruantiam, ac amicitiam oſtendendam, promptos habes nos ſemper & paratos. Henricopoli, 20. Decembris, anno &c. 1583.

Gratia Dei Iulius, Dux Brunſuicenſis & Lunaburgenſis.

RESPONSVM WILHELMI DVCIS LVNEBVRGENSIS.

SEreniſſime & Potentiſſime Rex, Domine ac Conſanguinee Chariſſime, literas S. T. plenas ſingularis erga nos beneuolentiæ ac amoris accepimus, ac ſimul à Vicetenente & Conſiliarijs noſtris, quæ Generoſus ac Nobilis Dn. Segurius Pardelianus, Aulæ & intimi S. T. conſilij Præfectus, nomine S. T. expoſuit, cum ob aduerſam valetudinem nos eum audire nõ poſſemus, audiuimus. Vtrunq; nobis certe longe fuit gratiſſimũ, ac nos pro hac declaratione beneuolentiæ & amoris, non ſolum S. T. gratiam habemus, verum etiam omnia noſtra ſtudia & officia viciſſim deferimus. Ac ſi iniquitates calamitoſiſſimorum temporum noſtræ Germaniæ S. T. aduentum non inuidiſſent, Serenitatiq; Tuæ illud non tam pium, quam neceſſarium iter, in Germaniam ad Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos perficere licuiſſet, nos S. T. tam auguſtum & gratum nobis in noſtra prouincia hoſpitem, pro tenuitate noſtræ conditionis, ſingulari ſtudio & officio amplexi fuiſſemus.

In primis autem S. T. animum erga Eccleſiam Chriſti inteſtinis diſsidiis miſere diſtractam, & laudamus & admiramur, cum non ſolum T. S. cupiat Eccleſias ſui Regni, quæ extremo cum periculo vix tandem Pontificiæ Romanæ tyrannidi exemptæ ſunt, puritatem doctrinæ fouere, ſed etiam nos & alios Principes Germaniæ, qui reformatam religionem amplectimur, ad pium & vnanimem conſenſum & concordiam in tot diſſenſionibus Eccleſiarum ſummopere hortetur, atq; ad id omnes ingenij dotes & Regni ſui opes & facultates, non tam liberaliter, quam pie offerat.

Etſi autem ſingulari Dei beneficio in huius noſtri Ducatus Eccleſiis, pura religione, ſecundũ normam & præſcriptum verbi diuini fruimur, atq; nullas diſſenſiones experimur, tamen cum palam ſit, quantopere Diabolus nobis & alijs inſidietur, vt ſemina diſſenſionum in Eccleſia ſpargat, ex quibus poſtea incendia magnorum motuum exoriri poſſent, atque noſtra res agatur, paries cum proximus ardet, nos certe tam grauibus diſſenſionibus vicinarum & aliarum Eccleſiarum multum commouemur, atque vere & ex animo optamus, vt remedia commoda inueniri poſſent, quibus miſeræ illæ Eccleſiæ ſanari, atque viciſſim cum noſtris coniunctæ communes hoſtes Põtificios deſtruere poſſint, qui multis ſeculis, vt omnium temporum hiſtoriæ teſtantur, in id vnum incubuerunt, vt potentiam ſuam confirmarent, nos inuicem ſeiungerent, atq; ſeiunctos opprimerent.

Notat Flacianos, & Synergiſtas, & alias diſſenſionum ambages.

Et noſtris certe temporibus opulentiſſima Regna Galliæ, Angliæ, Scotiæ, & alia, ob diſſenſiones Eccleſiarum in varias partes miſere diſtracta ac dilaniata, vt S. T. prudenter monet, atque ſuo etiam ipſius exemplo hiſce annis experta eſt, id teſtantur. Ac propterea vna cum S. T. ſtatuimus nullum præſtantius remedium contra communes hoſtes Pontificios excogitari, aut inueniri poſſe, quam ii ſublatis diſſenſionibus, quæ in Eccleſijs reformatis adhuc hærent, pie inter nos conueniat, ac compoſitis controuerſiis Eccleſiæ vnanimem conſenſum tueantur, cum (Baſilio teſte) *non tam ſiniſtræ opus ſit dextera, quam Eccleſiæ concordia docentium*, ſiue hoc per generalem ſynodum, vt S. T. prudenter diſſerit, ſiue per particularem præſtetur, modo publicæ tranquillitati & paci Eccleſiarum citra veritatis diſpendium, conſulatur.

Nec improbamus S. T. conſilium de generali ſynodo: tantum veremur, cum in memoriam reuocamus, quam triſtes exitus, quantas animorum diſtractiones & confuſiones pleræque ſynodi in Eccleſia pepererint, huiuſmodi ſynodũ, vt pleraſq; alias, in fumos abituram, aut potius exitialem quã ſalutarem nobis futuram. Legimus enim Gregorium de ſynodis diſputantẽ, grauiter exclamaſſe, *omnes ſynodos Epiſcoporum fugiendas eſſe. Se enim nullius ſynodi exitum vtilem, aut magis finem mali, quam incrementũ afferẽtem vidiſſe.* Et Nazianzenus dixit: *Synodis iſtis acceſas potius, quã extinctas fuiſſe diſcordias.*

Vt autem libere ſententiam noſtram S. T. cum hoc vnice expetat, exponamus, ſaluo ſemper S. T. & omnium piorum hac de re iudicio: arbitramur facilius atque maiori cõmoditate hanc rem agi poſſe, ſi ad pauciores illa redigatur, ita vt neq; nimium multi, (cum difficilius inter plures conueniat) neq; nimium pauci, (cum probabile non ſit, tam multos pauciſſimorum quorundam ſententiam libenter ſecuturos eſſe) veræ pietatis & publicæ tranquillitatis amantes, & controuerſiarum omnium cognitione apprime inſtructi, vtriuſque partis conſenſu deligantur, qui inter ſe de illis amice conferant, ac ex ſolo verbo Dei, hoc eſt, vtriuſque Fœderis libris, eas placide & pie componant. aut ſi inter ipſos hoc commode non poſſet, vt ex ipſorum Principum, & aliorum hominum medio, vtriuſq; partis conſenſu quidam ſpectatæ pietatis & modeſtiæ, prudentes, moderati, & rerum, de quibus diſputabitur, notitia ſatis inſtructi, iudices deligantur, qui ſingula diligenter obſeruent, autoritatem ſuam interponant, ſubterfugientes iubeant appoſite ex verbo Dei, quod Lydius lapis in dirimendis hiſce controuerſijs eſſe debet, reſpondere, immoderatos cohibeant, ſententias colligant, ac ſecundum prædictam normam ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum lites decidant. Neq; vt S. T. ſententiæ, quam merito magni facimus, hac noſtra opinione quicquam detractum velimus, hęc proferimus, ſed potius quod experientia teſtetur, pleraſq; ſynodos aliquid humani paſſas, ac raro felices exitus nactas eſſe, animoque repetamus, quam fere ſpes nulla ſit, hoc exulceratiſſimo ſeculo talem rite cogi poſſe: ac propterea tantam multitudinem hominum inter ſe diſcrepantium minime requiri putemus.

Verum quia S. T. præfatum ſuum Legatum ad alios Romani Imperij Electores & Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos, hanc eandem ob cauſam ablegauit, vt commune hoc negotium communem deliberationem requirat, nos libentiſſime hac de re cum illis conferemus, atque noſtram ſententiam ad illorum iudicia accommodabimus, omnibuſque viribus Eccleſiæ & Reipub. ſalutem, fauente Deo, tuebimur.

Officioſe autem S. T. rogamus, vt hanc qualemcunque de tam ardua re noſtram ſententiam æque intelligere, ac ſe & alios ad communem concordiam excitare, Chriſti & Eccleſiæ ipſius ſalutem reſpicere, noſque ſibi commendatos habere velit. Nos viciſſim omnia noſtra ſtudia & officia, S. T. deferimus, atque illam Deo Opt. Max. in cuius manu cor Regis eſt, obnixe commendamus. Datæ Cellæ Luneburg. 20. April. Anno &c. 84.

Wilhelmus Dei gratia Dux Brunſuitenſium & Lunaburgenſium.

RESPONSVM OTTONIS DVCIS LVNEBVRGENSIS.

SEreniſſime Rex, Regiæ veſtræ Dignitati offerimus obſequiorum noſtrorũ ſtudium promptiſſimum. Domine & Conſanguinee dilectiſſime. Regiæ veſtræ Dignitatis Legatus, vir Magnificus & Nobilis, Dom. Iacobus Segurius Pardeſianus ſcripſit ad nos ex vrbe vicina Hãburgo, abſentiam ſuam excuſans, & ſimul miſit R. V. D. obſignatas literas ad nos perſcriptas, pietate Chriſtiana, gratia & beneuolentia pleniſſimas; nec non exemplum earum, quæ à R. V. D. ad Reges, Electores, Principes & Proceres reformatarum Eccleſiarum in Germania, aliiſque Regnis deferenda in mandatis habet.

Cæterum mirum in modum hiſce omnibus delectati ſumus, in primis vero, quod Regem tantum Eccleſiis noſtris fauere intelleximus, & inſtinctu vere diuino earum concordiam ſummopere flagitare, nec non competentia remedia, per quæ diſſenſiones conciliari poſſe ſperetur, in medium proferre. Res ſane magis neceſſaria & vtilis Eccleſiæ Dei, hoc tempore promoueri haud poſſit. Gratiam igitur Deo omnipotenti habemus quam maximam, qui R. V. D. diuino hoc ardore ſuccendit, & vt ope Spiritus Sancti hunc in poſterum augeat, votis gemitibus obteſtamur. Agimus inſuper gratias R. V. D. quod ea felicem rerum noſtrarum ſtatum, atque Eccleſiarum in ditione noſtra tranquillitatem nobis gratuletur, pro quo & nos diuinæ omnipotentiæ, quæ etiam in poſterum & noſtrum ſtatum & Eccleſiarum ditionis noſtræ concordiam, ita vt nunc eſt, benigne conſeruare

ſeruare dignetur, gratias ſufficientes agere non poſſumus. Optamus autem & Deum oramus, vt & R. V. D. incolumem diu conſeruet, & quæ ad pacem Eccleſiarum in Regno eius ſalutaria ſunt, clementer concedat.

Quod ad cauſam principalem attinet, non improbamus R. V. D. conſilium de tollendis controuerſiis in Eccleſiis, quæ Auguſtanæ Confeſſionis religioni hactenus fuerunt & iam ſunt addictæ. Quam magni enim inde tumultus ſint exorti, quam item aduerſarij Romano Pontifici adhærentes animoſiores redditi fuerint, & calumnijs Orthodoxos proſcindere conentur, luce meridiana clarius eſt. Igitur conatum R. V. D. ſummopere laudamus; nec dubitamus, quin Sereniſſimi Reges, Electores, Principes & Status, qui Auguſtanæ Confeſſionis religionem amplectuntur & profitentur, R. V. D. poſtulatis, quantum fieri poterit, aſtipulabuntur.

Quod ad nos attinet, prædeceſſores noſtri, Principes Brunſuicenſium & Luneburgenſium, inter primos fuerunt, qui Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerunt, eamq; in Eccleſiis Ducatus noſtri, quantum in ipſis fuit, pie promouerunt, & nos ab incunabulis in ea ſumus informati. Igitur quantum in nobis eſt, ope diuina eam vel vitæ noſtræ iactura retinere & propugnare conabimur. Verum R. V. D. ſignificamus, Ducatus vniuerſi gubernationem & adminiſtrationem ex pactis anteceſſorum noſtrorum, eſſe penes Illuſtriſſimum Principem, Dn. Wilhelmum Iuniorem, Ducem Brunſuicenſium & Luneburgenſium, agnatum noſtrum, cuius dilectio etiam onera totius Ducatus Luneburgici ferre tenetur. Cumque ea a prædicto Dn. Segurio, vt ferunt, ante aliquot menſes ſimili modo requiſita, & religionis noſtræ reformatæ amantiſſima ſit, non dubitamus Dilectionem ipſius, Chriſtiani Principis officio functuram, & grauiter concordiam Eccleſiarum promoturam, & cuncta neceſſaria pro facultate Ducatus noſtri collaturam eſſe. Nos vero quicquid pro ſalute Eccleſiæ, iactura corporis & vitæ noſtræ præſtare poterimus, operam dabimus, vt Deo iuuante nihil, quod Principem Chriſtianum decet, a nobis prætermiſſum eſſe R. V. D. dignoſcat. Quæ breuibus reſponſi loco, cum ad R. V. D. literas, tum ad inſtrumentum mandatorum Legati reſcribere placuit.

Quod ſupereſt, R. V. D. dignitatem, cum omnibus ſibi charis, in protectionem Dei optimi maximi, nos autem & noſtros ſimul in fauorem R. V. D. ſubmiſſe commendamus, cum oblatione ſeruitiorum noſtrorum humilium. Dabantur in arce noſtra Harburgo, prima die menſis Aprilis, anno reparatæ ſalutis 1584.

Regiæ V. Dignitatis

Obſeruantiſſ.

Otto Dei gratia Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium, &c

Otto Dux B. & Luneb. ſſt.

RESPONSVM WILHELMI LANDGRAVII HASSIÆ.

QVæ Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Henricus, Nauarrorum Rex, &c. Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Dn. Wilhelmo Landgrauio Haſſiæ, &c. Comiti in Catzenelenbogen, Diez, Zigenhain, & Nidda, &c. Domino noſtro Clementiſſimo; per Regiæ Dignitatis ſuæ Legatum, Dn. Segurium Pardilianum, ſignificauit, ea Celſitudini ipſius tum ex Regiorum mandatorum formulis, tum ex ore ipſius Legati abunde ſunt relata. Ad quæ Illuſtr. Celſitudo eius in primis agit gratias pro eximia & ſumma illa in ſe beneuolentiæ & amoris Regiæ Dignitatis conteſtatione: & viciſſim Regiæ Dignitati feliciſſimum rerum ſuarum ſtatum, & omnia bona fauſtaque ex animo precatur.

Quod vero ad ſummam legationis attinet, fateri equidem neceſſe eſt, res noſtras in magno iam verſari diſcrimine, cum Antichriſtus Romanus eiuſq; ſatellites, non modo omnibus virib. veritatem oppugnent: ſed contra etiam nos, quos tanto arctioribus vinculis iungi oportebat, eo calamitatis Theologorum noſtrorum mutuis concertationibus ſimus adducti, vt noſtris diſſenſionibus communi hoſti, ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem, viam ſternamus. Quamobrem Illuſt. Celſitudo ipſius non poteſt non ſummopere probare, vere Chriſtianam illam & optimo Principe dignam ſolicitudinem, quam R. ipſius D. de auertendis hiſce periculis ſuſcepit. Eaque de re ad S. Romani Imperii Electores ac Principes, aliosque qui Antichriſti iugum excuſſerunt, referri, & per Legatum ſuum agi voluit.

Equidem Illuſt. Celſitudo ipſius de ſynodo cogenda, eaq; de infauſto illo Euchariſtiæ certamine amice conferẽdo, vt penitus e medio tolleretur, à R. D. minime diſſentit, ſi modo Theologi vtrinq; nõ ſuã, ſed ſolius Dei gloriã, & Eccleſię ſuæ ſalutẽ incolumitatemq; ſpectarent. Sed cũ partiũ ſtudiis pleriq. teneantur, & ingẽs animorũ ſit exacerbatio, exigua ſane ſpes eſt, hoc rerũ ſtatu, ante vniuerſalẽ (quã Deus auertat) perſecutionẽ, maxime Zelotypis iſtis adhuc vrgentibus, ſynodum aliquã vniuerſalem & liberã cogi, multo minus autẽ boni quicquã inde expectari poſſe. Quod tamẽ ipſum D. R. in tam pio ſanctoque propoſito haudquaquam moretur. Chriſtianum enim Principem omni cura & ſolicitudine inuigilare decet, vt religio Chriſtiana ſarta tectaque ſeruetur, omnibusque

Et noſtris certe temporibus opulentiſſima Regna Galliæ, Angliæ, Scotiæ, & alia, ob diſſenſiones Eccleſiarum in varias partes miſere diſtracta ac dilaniata, vt S. T. prudenter monet, atque ſuo etiam ipſius exemplo hiſce annis experta eſt, id teſtantur. Ac propterea vna cum S. T. ſtatuimus nullum præſtantius remedium contra communes hoſtes Pontificios excogitari, aut inueniri poſſe, quam ſi ſublatis diſſenſionibus, quæ in Eccleſijs reformatis adhuc hærent, pie inter nos conueniat, ac compoſitis controuerſiis Eccleſiæ vnanimem conſenſum tueantur, cum (Baſilio teſte) *non tam ſiniſtræ opus ſit dextera, quam Eccleſiæ concordia docentium*, ſiue hoc per generalem ſynodum, vt S. T. prudenter diſſerit, ſiue per particularem præſtetur, modo publicæ tranquillitati & paci Eccleſiarum citra veritatis diſpendium, conſulatur.

Nec improbamus S. T. conſilium de generali ſynodo: tantum veremur, cum in memoriam reuocamus, quam triſtes exitus, quantas animorum diſtractiones & confuſiones pleræque ſynodi in Eccleſia pepererint, huiuſmodi ſynodũ, vt pleraſq; alias, in fumos abituram, aut potius exitialem quã ſalutarem nobis futuram. Legimus enim Gregorium de ſynodis diſputantẽ, grauiter exclamaſſe, *omnes ſynodos Epiſcoporum fugiendas eſſe. Se enim nullius ſynodi exitum vtilem, aut magis finem malis, quam incrementũ afferẽtem vidiſſe.* Et Nazianzenus dixit: *Synodis iſtis accẽſas potius, quã extinctas fuiſſe diſcordias.*

Vt autem libere ſententiam noſtram S. T. cum hoc vnice expetat, exponamus, ſaluo ſemper S. T. & omnium piorum hac de re iudicio: arbitramur facilius atque maiori cõmoditate hanc rem agi poſſe, ſi ad pauciores illa redigatur, ita vt neq; nimium multi, (cum difficilius inter plures conueniat) neq; nimium pauci, (cum probabile non ſit, tam multos pauciſſimorum quorundam ſententiam libenter ſecuturos eſſe) veræ pietatis & publicæ tranquillitatis amantes, & controuerſiarum omnium cognitione apprime inſtructi, vtriuſque partis conſenſu deligantur, qui inter ſe de illis amice conferant, ac ex ſolo verbo Dei, hoc eſt, vtriuſque Fœderis libris, eas placide & pie componant: aut ſi inter ipſos hoc commode non poſſet, vt ex ipſorum Principum, & aliorum hominum medio, vtriuſq; partis conſenſu quidam ſpectatæ pietatis & modeſtiæ, prudentes, moderati, & rerum, de quibus diſputabitur, notitia ſatis inſtructi, iudices deligantur, qui ſingula diligenter obſeruent, autoritatem ſuam interponant, ſubterfugientes iubeant appoſite ex verbo Dei, quod Lydius lapis in dirimendis hiſce controuerſijs eſſe debet, reſpondere, immoderatos cohibeant, ſententias colligant, ac ſecundum prædictam normam ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum lites decidant. Neq; vt S. T. ſententiæ, quam merito magni facimus, hac noſtra opinione quicquam detractum velimus, hęc proferimus, ſed potius quod experientia teſtetur, pleraſq; ſynodos aliquid humani paſſas, ac raro felices exitus nactas eſſe, animoque repetamus, quam fere ſpes nulla ſit, hoc exulceratiſſimo ſeculo talem rite cogi poſſe: ac propterea tantam multitudinem hominum inter ſe diſcrepantium minime requiri putemus.

Verum quia S. T. præfatum ſuum Legatum ad alios Romani Imperij Electores & Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos, hanc eandem ob cauſam ablegauit, vt commune hoc negotium communem deliberationem requirat, nos libentiſſime hac de re cum illis conferemus, atque noſtram ſententiam ad illorum iudicia accommodabimus, omnibuſque viribus Eccleſiæ & Reipub. ſalutem, fauente Deo, tuebimur.

Officioſe autem S. T. rogamus, vt hanc qualẽcunque de tam ardua re noſtram ſententiam æque intelligere, ac ſe & alios ad communem concordiam excitare, Chriſti & Eccleſiæ ipſius ſalutem reſpicere, noſque ſibi commendatos habere velit. Nos viciſſim omnia noſtra ſtudia & officia, S. T. deferimus, atque illam Deo Opt. Max. in cuius manu cor Regis eſt, obnixe commendamus. Datæ Cellæ Luneburg. 20. April. Anno &c. 84.

Wilhelmus Dei gratia Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium.

RESPONSVM OTTONIS DVCIS LVNEBVRGENSIS.

SErenisſime Rex, Regiæ veſtræ Dignitati offerimus obſequiorum noſtrorũ ſtudium promptiſſimum. Domine & Conſanguinee dilectiſſime, Regiæ veſtræ Dignitatis Legatus, vir Magnificus & Nobilis, Dom. Iacobus Segurius Pardelianus ſcripſit ad nos ex vrbe vicina Hãburgo, abſentiam ſuam excuſans, & ſimul miſit R. V. D. obſignatas literas ad nos perſcriptas, pietate Chriſtiana, gratia & beneuolentia pleniſſimas; nec non exemplum eorum, quæ à R. V. D. ad Reges, Electores, Principes & Proceres reformatarum Eccleſiarum in Germania, aliiſque Regnis deferenda in mandatis habet.

Cæterum mirum in modum hiſce omnibus delectati ſumus, in primis vero, quod Regem tantum Eccleſiis noſtris fauere intelleximus, & inſtinctu vere diuino earum concordiam ſummopere flagitare, nec non competentia remedia, per quæ diſſenſiones conciliari poſſe ſperetur, in medium proferre. Res ſane magis neceſſaria & vtilis Eccleſiæ Dei, hoc tempore promoueri haud poſſit. Gratiam igitur Deo omnipotenti habemus quam maximam, qui R. V. D. diuino hoc ardore ſuccendit, & vt ope Spiritus Sancti hunc in poſterum augeat, veris gemitibus obteſtamur. Agimus inſuper gratias R. V. D. quod ea felicem rerum noſtrarum ſtatum, atque Eccleſiarum in ditione noſtra tranquillitatem nobis gratuletur, pro quo & nos diuinæ omnipotentiæ, quæ etiam in poſterum & noſtrum ſtatum & Eccleſiarum ditionis noſtræ concordiam, ita vt nunc eſt, benigne conſeruare

ſeruare dignetur, gratias ſufficientes agere non poſſumus. Optamus autem & Deum oramus, vt & R.V.D. incolumem diu conſeruet, & quæ ad pacem Eccleſiarum in Regno eius ſalutaria ſunt, clementer concedat.

Quod ad cauſam principalem attinet, non improbamus R.V.D. conſilium de tollendis controuerſiis in Eccleſiis, quæ Auguſtanæ Confeſſionis religioni hactenus fuerunt & iam ſunt addictæ. Quam magni enim inde tumultus ſint exorti, quam item aduerſarij Romano Pontifici adhærentes animoſiores redditi fuerint, & calumnijs Orthodoxos proſcindere conentur, luce meridiana clarius eſt. Igitur conatum R.V.D. ſummopere laudamus; nec dubitamus, quin Sereniſſimi Reges, Electores, Principes & Status, qui Auguſtanæ Confeſſionis religionem amplectuntur & profitentur, R.V.D. poſtulatis, quantum fieri poterit, aſſipulabuntur.

Quod ad nos attinet, prædeceſſores noſtri, Principes Brunſuicenſium & Luneburgenſium, inter primos fuerunt, qui Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerunt, eamq; in Eccleſiis Ducatus noſtri, quantum in ipſis fuit, pie promouerunt, & nos ab incunabulis in ea ſumus informati. Igitur quantum in nobis eſt, ope diuina eam vel vitæ noſtræ iactura retinere & propugnare conabimur. Verum R. V. D. ſignificamus, Ducatus vniuerſi gubernationem & adminiſtrationem ex pactis anteceſſorum noſtrorum, eſſe penes Illuſtriſſimum Principem, Dn. Wilhelmum Iuniorem, Ducem Brunſuicenſium & Luneburgenſium, agnatum noſtrum, cuius dilectio etiam onera totius Ducatus Luneburgici ferre tenetur. Cumque ea a prædicto Dn. Segurio, vt ferunt, ante aliquot menſes ſimili modo requiſita, & religionis noſtræ reformatæ amantiſſima ſit, non dubitamus Dilectionem ipſius, Chriſtiani Principis officio functuram, & grauiter concordiam Eccleſiarum promoturam, & cuncta neceſſaria pro facultate Ducatus noſtri collaturam eſſe. Nos vero quicquid pro ſalute Eccleſiæ, iactura corporis & vitæ noſtræ præſtare poterimus, operam dabimus, vt Deo iuuante nihil, quod Principem Chriſtianum decet, a nobis prætermiſſum eſſe R.V.D. dignoſcat. Quæ breuibus reſponſi loco, cum ad R.V.D. literas, tum ad inſtrumentum mandatorum Legati reſcribere placuit.

Quod ſupereſt, R.V.D. dignitatem, cum omnibus ſibi charis, in protectionem Dei optimi maximi, nos autem & noſtros ſimul in fauorem R.V.D. ſubmiſſe commendamus, cum oblatione ſeruitiorum noſtrorum humilium. Dabantur in arce noſtra Harburgo, prima die menſis Aprilis, anno reparatæ ſalutis 1584.

Regiæ V. Dignitatis

Obſeruantiſſ.

Otto Dei gratia Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium, &c.

Otto Dux B. & Luneb. ſſt.

RESPONSVM WILHELMI LANDGRAVII HASSIÆ.

QVæ Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Henricus, Nauarrorum Rex, &c. Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Dn. Wilhelmo Landgrauio Haſſiæ, &c. Comiti in Catzenelenbogen, Diez, Zigenhain, & Nidda, &c. Domino noſtro Clementiſſimo; per Regiæ Dignitatis ſuæ Legatum, Dn. Segurium Pardilianum, ſignificauit, ea Celſitudini ipſius tum ex Regiorum mandatorum formulis, tum ex ore ipſius Legati abunde ſunt relata. Ad quæ Illuſtr. Celſitudo eius in primis agit gratias pro eximia & ſumma illa in ſe beneuolentiæ & amoris Regiæ Dignitatis conteſtatione: & viciſſim Regiæ Dignitati feliciſſimum rerum ſuarum ſtatum, & omnia bona fauſtaque ex animo precatur.

Quod vero ad ſummam legationis attinet, fateri equidem neceſſe eſt, res noſtras in magno iam verſari diſcrimine, cum Antichriſtus Romanus eiuſq; ſatellites, non modo omnibus virib. veritatem oppugnent: ſed contra etiam nos, quos tanto arctioribus vinculis iungi oportebat, eo calamitatis Theologorum noſtrorum mutuis concertationibus ſimus adducti, vt noſtris diſſenſionibus communi hoſti, ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem, viam ſternamus. Quamobrem Illuſt. Celſitudo ipſius non poteſt non ſummopere probare, vere Chriſtianam illam & optimo Principe dignam ſolicitudinem, quam R. ipſius D. de auertendis hiſce periculis ſuſcepit. Eaque de re ad S. Romani Imperii Electores ac Principes, alioſque qui Antichriſti iugum excuſſerunt, referri, & per Legatum ſuum agi voluit.

Equidem Illuſt. Celſitudo ipſius de ſynodo cogenda, eaq; de infauſto illo Euchariſtiæ certamine amice conferẽdo, vt penitus e medio tolleretur, a R. D. minime diſſentit, ſi modo Theologi vtrinq; nõ ſuã, ſed ſolius Dei gloriã, & Eccleſię ſuæ ſalutẽ incolumitatemq; ſpectarent. Sed cũ partiũ ſtudiis pleriq; teneantur, & ingẽs animorũ ſit exacerbatio, exigua ſane ſpes eſt, hoc rerũ ſtatu, ante vniuerſalẽ(q́ Deus auertat) perſecutionẽ, maxime Zelotypiis iſtis adhuc vrgentibus, ſynodum aliq̃ vniuerſalem & liberã cogi, multo minus autẽ boni quicquã inde expectari poſſe. Quod tamẽ ipſum D. R. in tam pio ſanctoque propoſito haudquaquam moretur. Chriſtianum enim Principem omni cura & ſolicitudine inuigilare decet, vt religio Chriſtiana ſarta tectaque ſeruetur, omnibuſque

id factu nimis difficile ſit, per aliquot doctorum atq; pioru͂ publicæq; tranquillitatis & pacis amantium virorum congreſſum, quæ adhuc ſupereſſe videntur diſſenſiones, (Principum tamen autoritate interueniente) penitus tollantur. In qua quidem re vt hactenus omnem ſuam operam impenderunt Illuſtriſſimi Germaniæ & S. Rom. Imperij Electores & Principes, vnam & eandem Euangelicæ doctrinæ veritatem profitentes, id quod publica monumenta ſatis teſtantur: ſic etiam eos in poſterum communibus coniunctiſq; operis (vnius enim ſolius neq; conſilium ſufficere neque auxilium, quilibet per ſe facile intelligit) hoc acturos confidimus, quod ad ſtabiliendam co͂cordiam & pacem conducere videbitur, in nobis vero nihil defuturum, quod ad promouendum hoc negocium vtile eſſe exiſtimabimus, res ipſa, Deo iuuante, docebit.

Cæterum ad periculoſum illud Colonienſe bellum, quod attinet, non dubitamus, R.S. vel aliorum literis vel ſaltem fama certiore͂ factam eſſe, de co͂uentu Rotenburgenſi ad IX. diem menſis Martij proxime ſequentis, ea de cauſa ab Imperatoria Maieſtate iam indicto, cuius exitum talem fore ſperamus, vt S. Imperat. Maieſtas cum conuocatis illuc Electoribus ſuum ſit factura officium. Attamen ſi vlterius etiam præter expectationem noſtram de negotio iſto deliberandum fuerit, dabimus operam, vt tam Sereniſſimus Nauarrorum Rex, quam omnes boni, nos veræ religionis & pacis publicæ non amantiſſimos tantum, ſed etiam ad communem defenſionem, ſi opus fuerit, paratiſſimos eſſe intelligant.

Erit nunc huius noſtri reſponſi clauſula, vt à Dn. Legato petamus, vt in patria͂ feliciter reuerſus, Sereniſsimo ſuo Regi, Domino & Conſanguineo noſtro Chariſsimo, propenſiſsimæ volu͂tatis & obſeruantiæ noſtræ officia prolixe deferat, noſq; ſui etiam memoriam cum beneuolentia viciſſim conſeruaturos non dubitet. In quorum omnium fidem, hanc reſolutionem noſtram manus noſtræ ſubſcriptione, ſigilloque noſtro muniri iuſsimus. Actum in arce noſtra Guſtrouiana, XI. Calend. Martij, Anno 1584.

Vdalricus Dei gratia Dux Megapolenſis, Princeps Vandalorum, Comes Suerinenſis, Roſtochij & Stargardiæ Dominus.

Vdalricus D. Megapolenſis manu propria ſſt.

RESPONSVM ADOLPHI DVCIS HOLSATIAE.

SEreniſsime & Potentiſsime Rex, Domine & Conſanguinee plurimum colende: Literas R.V.S. Neraci pridie Calend. Auguſti ſuperiori anno LXXXIII. ad nos ſcriptas, Nobilis V.S.R. Legatus, Dn. Iacobus Segurius Pardilianus, Domus V.R.S. Præfectus, & ſecreti conſilij Primas, vna cum exemplo mandatorum V.S.R. ad nos ex itinere ſuo ad Regiam Daniæ Serenitatem, Dominum & patruelem noſtrum, adiunctis literis ſuis curauit perferendas. Quæ omnia à nobis reuerenter atque amanter ſuſcepta, ac probe intellecta, illuſtre atque præclarum ſtudij V.S.R. in conciliandis Chriſtianæ religionis controuerſiis, firmandoque pacifico Eccleſiarum ſtatu, teſtimonium nobis attulerunt.

Ac in primis quod R.V.S. graui ſumptu, maximis laboribus & periculis non exiguis, multiſq; alijs rerum ſuarum diſpendijs ex Regno & prouincijs ſuis iter in Germaniam ad Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos eas ob cauſas antehac in animum induxerat. Quæ certe profectio vt ſucceſſu non caruiſſet, ex multis rationibus optandum fuerat. Quod ſi etiam ea felicitas, atq; is honos nobis obtigiſſet, vt tantum hoſpitem in noſtra domo conſpicere, cumq; eo coram colloqui, atq; familiaritatem & amicitiam contrahere licuiſſet, nihil certe optatius, nihilq; magis gratum nobis fuiſſet, magnæq; noſtræ beatitudinis parti hoc acceptum laturi fuiſſemus. Quod vero S.V.R. ceu ex ipſo curſu retracta, Deoq; ita volente domi retenta fuerit, id Eccleſiarum & patriæ, publicæ tranquillitati, honori, emolumento atq; vſui fuiſſe, Deoq; ob id ingentes gratias agendas res ipſæ procul dubio fidem fecerunt. Quo fit vt æq[illegible] animo feramus V.R.S. inſtitutæ profectionis ergo co͂potem non factam: cuius aduentus & c[illegible]pectus, colloquiumq; de Eccleſiæ & Reip. ſtatu nobis alias multis ex cauſis fuerant exoptanda.

Vt autem ad mandata V.R.S. quæ Legato ſuo ad nos perferenda dedit, deueniamus; gratiſſima nobis fuit V.R.S. humaniſſima ſalutatio & gr[illegible]latio tranquillitatis, qua Deo Opt. Max. largiente in Eccleſia & repub. noſtra adhuc fruimur. [illegible]tamus viciſſim atq; ardentibus votis precamur vt & veſtræ Eccleſiæ ſint in doctrina concordes, & Reſp. propter harum diſcordiam, ita vt per multos annos contigit, inteſtinis bellis non concutiatur. Cui malo vt conueniens remedium adhiberi poſsit, merito omnes Chriſtiani orbis & Reges & Principes totis viribus anniti par eſt. Quo præclaro ſtudio cum V.S.R. teneri, mandata ſua planum faciant atq; teſtentur, nemo eſt, qui V.R.S. Zelum pietatis eximium & præclarum de Eccleſiis atque Repub. bene merendi ſtudium, non ſit agniturus plurimaque prædicaturus laude. Ob quod etiam nomen honorque V.S.R. ſemper ſine interitu manebunt.

Summa͂ vero mandatoru͂ V.R.S. eo dirigi intelligimus, quod V.R.S petit, vt vna cu͂ aliis purioris doctrinæ Chriſtianæ Principibus in id incumbamus, quo certum firmumq; fœdus inter Daniæ Regem & Angliæ Reginam, religionis ergo ſanciatur. Deinde vt ſynodus in Germania indicatur, in

tur, in qua diſsidia Eccleſiarum Galliæ, Heluetiæ & Germaniæ, quæ puram doctrinam profitentur, ad concordiam reduci, atque firma pax & tranquillitas contra aduerſariorum vires & imperium ſtabiliri poſſit. Conſilium ſane prudentiſſimum, & non minus vtile, quam omnibus circumſtantijs probe & ad amuſſim examinatis, neceſſarium. Res vero ardua, quæ deliberatione matura omnium Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis opus habet, vt recte riteq; ſingula ineantur & conſtituantur, ne quid præpoſtere atq; immature agatur, neue quid moueatur alias quieturum. Et quæ præterea ad perficienda tantæ molis negotia ſint accommoda & neceſſaria. Quibus conſultationibus S. Imperij Electores purioris doctrinæ, authores eſſe oportet, cum apud hos conuocandi Ordines maior ſit dignitas, tum Iuris & Conſtitutionum Imperij adiuncta prærogatiua illis ſuffragetur. Hos cum Serenitas veſtra Regia per Legatum ſuum iam ante conuenerit, ipſiq; egregiam ſuæ promptiſſimę voluntatis, ſpem illi fecerint, officio non defuturos omnino habemus nobis perſuaſum: Idq; tam mature, ne Eccleſiæ vel Reip. aliquid patiantur detrimenti.

In primis vero Deus Opt. Max. inuocandus eſt atque exorandus, vt hos V.R.S præclaros conatus, piaque ſtudia, ſua diuina benignitate ſecundet, foueat, atq; ad exoptatum finem perducat. Ordines Imperij cœptis S.V.R. vt confidimus, bene volent, noſq; rebus in deliberationem deductis, probe expenſis & conſtitutis, pro virili nihil ſumus intermiſſuri, quod nos honori diuino, animarum ſaluti ac tranquillitati Eccleſiæ & Reip. debemus. In omnibus etiam, quæ V.R.S. grata acceptaq; eſſe poſſunt, officioſa noſtra obſequia V.S.R. officioſe deferimus. V.R.S. Deus ad tanta rerum initia feliciter exequenda & perficienda ſeruet incolumem. Ex arce noſtra Gocorpio, III. Idus Martij, 1584.

V. R. S.

Addictiſſ. & Studioſiſſ.

Adolphus Dei gratia, Heres Noruegiæ, Dux Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiaque: Comes Oldenburgi & Delmenhorſti, &c.

RESPONSUM ERNESTI PRINCIpis Anhaltini.

SErenissime & Illuſtriſſime Rex, Domine & Conſanguinee obſeruandiſſime: Etſi omnino confidimus, S.V.R. per Legatum ad nos miſſum poſſe de omnibus, quæ hic acta fuerint, fieri certiorem; tamen vt aliquid literarum etiam ad S.V.R. daremus, tum rerum grauitas, tum S.R.V. quæ apud nos valet plurimum, autoritas requirere viſa fuit.

Tantas enim res a tam Chriſtiano Rege ſuſcipi, quæ non ſolum ad gloriam Dei, ſalutem Reipub. Chriſtianæ, pacemq; publicam ſpectent, ſed quæ ruenti etiã huic ſeculo, & ad terminos quaſi fatales properanti conſilia & auxilia offerant & ſpondeant, quis non, niſi omnino ἄνευς ἄφρων, ſummis euehendum laudibus, mirumque in modum prædicandum eſſe duxerit? Incredibili itaque voluptate affecit nos tanti Regis tantus Zelus ac ardor rerum tam grauium, quam diuinarum. Conatus hoſce ſanctos & plena laude digniſſimos vt Deus Opt. Max. regat, ac inuicto fauſtoque ſucceſſu gubernet, noſtra cum omnium piorum votis coniungemus ſedulo, & ipſe irritas noſtras non ſinet eſſe preces.

Accedit ad hoc, quod Regij Legati, qui alias & generis ſplendore ac virtutum ornamentis eſt ampliſſimus, tanta erga nos fuit humanitas, tanta rerum conficiendarum induſtria, facundia, rerumq; peritia, ac generoſus candor, vt & literis & nuncijs S.R.V. ornatos nos eſſe merito affirmare & prædicare poſſimus. Pro quibus omnibus & officijs & beneficiis, niſi etiam per literas S.R.V. gratias ageremus, argui nos vel inhumanitatis vel ingratitudinis poſſe, teſtes noſmetipſos libenter conſtituimus.

Merito itaque probatur nobis totum, quod à S.V.R. ſuſcipitur, à Legatis digniſsimis clariſſime præclariſſimeq; perficitur, negotium. Quale viciſſim fuerit erga ipſos noſtrum ſtudium, & promouendi tã ſanctos cõatus deſiderium, malumus S.V.R. ex ipſis coram, quam noſtris literis cognoſcere. Certo ſibi S.V.R. perſuaſum habeat, omnia noſtra in omni officiorum genere ſtudia ſemper fore S.V.R. quam promptiſſima, paratiſsimaque; & de noſtra erga ſe voluntate ſibi hæc omnia polliceatur, quæ a fideliſſimo amico ac ſtudioſiſsimo quoq; proficiſci expectariq; poſſunt. Nec vnquam patiemur apud nos reſidere aliquid impedimenti aut obliuionis, ſi poterimus honeſtiſsima S.V.R. conſilia vlla ratione fouere & adiuuare. Quod reliquos Status ſanæ religioni addictos, facturos quoque eſſe optamus & ſperamus; nec intermittemus, freti ea occaſione, quæ à veſtris nobis oſtenſa eſt, ſæpius S.V.R. literis compellare.

Cõmendamus etiã nos & familiam noſtrã, quã digniſsimus Legatus S.V.R. vidit, ſatis amplã, fauori ac beneuolẽtiæ veſtræ: & precabimur, vt Deus Opt. Max. S.V.R. ad nominis ſui gloriã & Reip. Chri-

Chriſtianæ ſalutem, multorumque incolumitatem conſeruet diutiſſime incolumem, roburque ac ſucceſſus piis conatibus addat. Deſſauiæ, XVII. Cal. Februar. Anno, &c. 84.

S. V. D.

addictiſſ.

Dei gratia Erneſtus Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Dominus Seruëſti & Bernburgi, &c.

RESPONSVM WILHELMI PRINCIPIS AVRANIÆ, COMITIS IN NASSOW, &c. GVBERNAtoris Prouinciarum Belgicarum.

Hic titulus eſt in manuſcripto codice: ſed ipſum reſponſum deſideratur.

RESPONSVM REIPVBLICÆ Lubecenſis.

AD PROPOSITA IVSSV ET VOLVNTATE ILLVSTRISSIMI ET Potentiſſimi Principis & Domini, Domini Henrici Regis Nauarrorum, & Principis Bearniæ, &c. & Generoſi & Nobiliſſimi Domini Iacobi Segurii Pardeliani, ſuæ Maieſt. Domini Præfecti, & interioris conſilii Conſiliarii Primi, & Legati, Reſponſum Ampliſſimi Senatus Reipubl. Lubecenſis.

Regiam Maieſt. Nauarream Domin. Segurius Pardelianus nomine noſtro officioſe ſalutabit, eiq; officia noſtra & ſtudia deferet, agetq; ſuæ Maieſt. ingentes gratias pro ſingulari amore, cura & ſolicitudine in Rempubl. Chriſtianam, quã quidem ex hac S.M. legatione & perſpicuis argumentis abunde cognoſcimus, cõmendamus & approbamus. Deinde S.M. ſignificabit, quod nihil in nobis deeſſe patiemur, quod ad iſtius negocii ſalutaris & ſummopere neceſſarii promotionem videretur, ſi aliquid in noſtro poſitum eſſet arbitrio. Cum vero huius rei principium ad Illuſtriſſimos Electores, Principes & ceteros Status Romani Imperii Auguſtanæ Confeſſionis, ex quorum numero quidem minimi ſumus, adeoque conuocatio ipſa omnium ordinum ſpectet: non dubitamus, optimos Principes pro rei magnitudine, ſingulari pietate & zelo, quo Chriſtianam religionem, omneſq; ei vere addictos complectantur, in curam illam & ſolicitudinem incubituros, acturoſque, ne quid Chriſtiana Reſpubl. detrimenti capiat. Quæ quidem cum moram nullam patiantur, ſed in celeritate poſita ſint, vt Romani Pontificis conatibus quamprimum obuiam eatur, ſine dubio ad deliberationes omnes & ſinguli ſine vlla cunctatione deſcendent.

Quod ad nos attinet, & vt expectationi S.M. de nobis egregie conceptæ ſatisfiat, ſi ad conſilia cõmunia acceſſiti fuerimus, quod procul dubio fiet, officio noſtro non deerimus, dabimuſq; operam, quantum fieri poteſt, & noſtra conditio feret, vt præmonitorum S.M. omnium ratio, in primis autem religionis, & omnis ab ea incommodi auertendi, & nos noſtroſq; conſeruandi cura habeatur, neminemque exiſtimamus tam deſidem ſomnolentumque fore, cui hæc communis deliberatio cordi eſſe non poſſit, nec debeat. Quamobrem S. M. ſibi optima quæque etiam de nobis certo perſuaſum habeat. Cæterum ſuam Maieſt. etiam atque etiam rogamus, vt nos noſtramque Rempubl. ſemper commendatam habere velit; viciſſim S. M. incolumitatem diu & feliciter florere ex animo cupimus. Magnifico autem Domino Segurio felicem in patriam reditum exoptamus. Lubecæ Calendis Martii, anno 1584. ſtylo antiquo.

RESPONSVM REIPVBLICÆ HAMburgenſis.

AD SERENISSIMI ET INCLYTI DOMINI, DOMINI HENRICI NAuarrorum Regis poſtulata, quæ Magnificus & Generoſus Domin. Baro Iacobus Segurius Pardelianus, interioris conſilii Regii Præfectus, nomine Regiæ Maieſt. Dominis Proconſulibus & Deputatis Reipubl. Hamburgenſis expoſuit Senatus eiuſdem Reſponſio.

Sereniſſimi ac Inclyti Domini, Domini Henrici Regis Nauarrorum, &c. Legatus, vir Magnificus

Et noſtris certe temporibus opulentiſſima Regna Galliæ, Angliæ, Scotiæ, & alia, ob diſſenſiones Eccleſiarum in varias partes miſere diſtracta ac dilaniata, vt S. T. prudenter monet, atque ſuo etiam ipſius exemplo hiſce annis experta eſt, id teſtantur. Ac propterea vna cum S. T. ſtatuimus nullum præſtantius remedium contra communes hoſtes Pontificios excogitari, aut inueniri poſſe, quam ſi ſublatis diſſenſionibus, quæ in Eccleſijs reformatis adhuc hærent, pie inter nos conueniat, ac compoſitis controuerſiis Eccleſiæ vnanimem conſenſum tueantur, cum (Baſilio teſte) *non tam ſiniſtræ opus ſit dextera, quam Eccleſiæ concordia decentium*, ſiue hoc per generalem ſynodum, vt S. T. prudenter diſſerit, ſiue per particularem præſtetur, modo publicæ tranquillitati & paci Eccleſiarum citra veritatis diſpendium, conſulatur.

Nec improbamus S. T. conſilium de generali ſynodo: tantum veremur, cum in memoriam reuocamus, quam triſtes exitus, quantas animorum diſtractiones & confuſiones pleræque ſynodi in Eccleſia pepererint, huiuſmodi ſynodũ, vt pleraſq; alias, in fumos abituram, aut potius exitialem quã ſalutarem nobis futuram. Legimus enim Gregorium de ſynodis diſputantẽ, grauiter exclamaſſe, *omnes ſynodos Epiſcoporum fugiendas eſſe. Se enim nullius ſynodi exitum vtilem, aut magis finem malis, quam incrementũ aſſerẽtem vidiſſe.* Et Nazianzenus dixit: *Synodis iſtis accẽſas potius, quã extinctas fuiſſe diſcordias.*

Vt autem libere ſententiam noſtram S. T. cum hoc vnice expetat, exponamus, ſaluo ſemper S. T. & omnium piorum hac de re iudicio: arbitramur facilius atque maiori cõmoditate hanc rem agi poſſe, ſi ad pauciores illa redigatur, ita vt neq; nimium multi, (cum difficilius inter plures conueniat) neq; nimium pauci, (cum probabile non ſit, tam multos pauciſſimorum quorundam ſententiam libenter ſecuturos eſſe) veræ pietatis & publicæ tranquillitatis amantes, & controuerſiarum omnium cognitione apprime inſtructi, vtriuſque partis conſenſu deligantur, qui inter ſe de illis amice conferant, ac ex ſolo verbo Dei, hoc eſt, vtriuſque Fœderis libris, eas placide & pie componant: aut ſi inter ipſos hoc commode non poſſet, vt ex ipſorum Principum, & aliorum hominum medio, vtriuſq; partis conſenſu quidam ſpectatę pietatis & modeſtiæ, prudentes, moderati, & rerum, de quibus diſputabitur, notitia ſatis inſtructi, iudices deligantur, qui ſingula diligenter obſeruent, autoritatem ſuam interponant, ſubterfugientes iubeant appoſite ex verbo Dei, quod Lydius lapis in dirimendis hiſce controuerſijs eſſe debet, reſpondere, immoderatos cohibeant, ſententias colligant, ac ſecundum prædictam normam ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum lites decidant. Neq; vt S. T. ſententiæ, quam merito magni facimus, hac noſtra opinione quicquam detractum velimus, hęc proferimus, ſed potius quod experientia teſtetur, pleraſq; ſynodos aliquid humani paſſas, ac raro felices exitus nactas eſſe, animoque repetamus, quam fere ſpes nulla ſit, hoc exulceratiſſimo ſeculo talem rite cogi poſſe: ac propterea tantam multitudinem hominum inter ſe diſcrepantium minime requiri putemus.

Verum quia S. T. præfatum ſuum Legatum ad alios Romani Imperij Electores & Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos, hanc eandem ob cauſam ablegauit, vt commune hoc negotium communem deliberationem requirat, nos libentiſſime hac de re cum illis conferemus, atque noſtram ſententiam ad illorum iudicia accommodabimus, omnibuſque viribus Eccleſiæ & Reipub. ſalutem, fauente Deo, tuebimur.

Officioſe autem S. T. rogamus, vt hanc qualemcunque de tam ardua re noſtram ſententiam æque intelligere, ac ſe & alios ad communem concordiam excitare, Chriſti & Eccleſiæ ipſius ſalutem reſpicere, noſque ſibi commendatos habere velit. Nos viciſſim omnia noſtra ſtudia & officia, S. T. deferimus, atque illam Deo Opt. Max. in cuius manu cor Regis eſt, obnixe commendamus. Datæ Cellæ Luneburg. 20. April. Anno &c. 84.

Wilhelmus Dei gratia Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium.

RESPONSVM OTTONIS DVCIS LVNEBVRGENSIS.

SEreniſſime Rex, Regiæ veſtræ Dignitati offerimus obſequiorum noſtrorum ſtudium promptiſſimum. Domine & Conſanguinee dilectiſſime. Regiæ veſtræ Dignitatis Legatus, vir Magnificus & Nobilis, Dom. Iacobus Segurius Pardelianus ſcripſit ad nos ex vrbe vicina Hãburgo, abſentiam ſuam excuſans, & ſimul miſit R. V. D. obſignatas literas ad nos perſcriptas, pietate Chriſtiana, gratia & beneuolentia pleniſſimas; nec non exemplum eorum, quæ à R. V. D. ad Reges, Electores, Principes & Proceres reformatarum Eccleſiarum in Germania, aliiſque Regnis deferenda in mandatis habet.

Cæterum mirum in modum hiſce omnibus delectati ſumus. in primis vero, quod Regem tantum Eccleſiis noſtris fauere intelleximus, & inſtinctu vere diuino earum concordiam ſummopere flagitare, nec non competentia remedia, per quæ diſſenſiones conciliari poſſe ſperetur, in medium proferre. Res ſane magis neceſſaria & vtilis Eccleſiæ Dei, hoc tempore promoueri haud poſſit. Gratiam igitur Deo omnipotenti habemus quam maximam, qui R. V. D. diuino hoc ardore ſuccendit, & vt ope Spiritus Sancti hunc in poſterum augeat, veris gemitibus obteſtamur. Agimus inſuper gratias R. V. D. quod ea felicem rerum noſtrarum ſtatum, atque Eccleſiarum in ditione noſtra tranquillitatem nobis gratuletur, pro quo & nos diuinæ omnipotentiæ, quæ etiam in poſterum & noſtrum ſtatum & Eccleſiarum ditionis noſtræ concordiam, ita vt nunc eſt, benigne con-

ſeruare dignetur, gratias ſufficientes agere non poſſumus. Optamus autem & Deum oramus, vt & R.V.D. incolumem diu conſeruet, & quæ ad pacem Eccleſiarum in Regno eius ſalutaria ſunt, clementer concedat.

Quod ad cauſam principalem attinet, non improbamus R.V.D. conſilium de tollendis controuerſiis in Eccleſiis, quæ Auguſtanæ Confeſſionis religioni hactenus fuerunt & iam ſunt addictæ. Quam magni enim inde tumultus ſint exorti, quam item aduerſarij Romano Pontifici adhærentes animoſiores redditi fuerint, & calumnijs Orthodoxos proſcindere conentur, luce meridiana clarius eſt. Igitur conatum R.V.D. ſummopere laudamus; nec dubitamus, quin Sereniſſimi Reges, Electores, Principes & Status, qui Auguſtanæ Confeſſionis religionem amplectuntur & profitentur, R.V.D. poſtulatis, quantum fieri poterit, aſtipulabuntur.

Quod ad nos attinet, prædeceſſores noſtri, Principes Brunſuicenſium & Luneburgenſium, inter primos fuerunt, qui Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerunt, eamq; in Eccleſiis Ducatus noſtri, quantum in ipſis fuit, pie promouerunt, & nos ab incunabulis in ea ſumus informati. Igitur quantum in nobis eſt, ope diuina eam vel vitæ noſtræ iactura retinere & propugnare conabimur. Verum R.V.D. ſignificamus, Ducatus vniuerſi gubernationem & adminiſtrationem ex pactis anteceſſorum noſtrorum, eſſe penes Illuſtriſſimum Principem, Dn. Wilhelmum Iuniorem, Ducem Brunſuicenſium & Luneburgenſium, agnatum noſtrum, cuius dilectio etiam onera totius Ducatus Luneburgici ferre tenetur. Cumque ea à prædicto Dn. Segurio, vt ferunt, ante aliquot menſes ſimili modo requiſita, & religionis noſtræ reformatæ amantiſſima ſit, non dubitamus Dilectionem ipſius, Chriſtiani Principis officio functuram, & gnauiter concordiam Eccleſiarum promoturam, & cuncta neceſſaria pro facultate Ducatus noſtri collaturam eſſe. Nos vero quicquid pro ſalute Eccleſiæ, iactura corporis & vitæ noſtræ præſtare poterimus, operam dabimus, vt Deo iuuante nihil, quod Principem Chriſtianum decet, à nobis prætermiſſum eſſe R.V.D. dignoſcat. Quæ breuibus reſponſi loco, cum ad R.V.D. literas, tum ad inſtrumentum mandatorum Legati reſcribere placuit.

Quod ſupereſt, R.V.D. dignitatem, cum omnibus ſibi charis, in protectionem Dei optimi maximi, nos autem & noſtros ſimul in fauorem R.V.D. ſubmiſſe commendamus, cum oblatione ſeruitiorum noſtrorum humilium. Dabantur in arce noſtra Harburgo, prima die menſis Aprilis, anno reparatæ ſalutis 1584.

Regiæ V. Dignitatis
Obſeruantiſſ.

Otto Dei gratia Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium, &c.

Otto Dux B. & Luneb. ſſt.

RESPONSVM WILHELMI LANDGRAVII HASSIÆ.

QVæ Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Henricus, Nauarrorum Rex, &c. Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Dn. Wilhelmo Landgrauio Haſſiæ, &c. Comiti in Catzenelenbogen, Diez, Zigenhain, & Nidda, &c. Domino noſtro Clementiſſimo; per Regiæ Dignitatis ſuæ Legatum, Dn. Segurium Pardilianum, ſignificauit, ea Celſitudini ipſius tum ex Regiorum mandatorum formulis, tum ex ore ipſius Legati abunde ſunt relata. Ad quæ Illuſtr. Celſitudo eius in primis agit gratias pro eximia & ſumma illa in ſe beneuolentiæ & amoris Regiæ Dignitatis conteſtatione: & viciſſim Regiæ Dignitati feliciſſimum rerum ſuarum ſtatum, & omnia bona fauſtaque ex animo precatur.

Quod vero ad ſummam legationis attinet, fateri equidem neceſſe eſt, res noſtras in magno iam verſari diſcrimine, cum Antichriſtus Romanus eiuſq; ſatellites, non modo omnibus virib. veritatem oppugnent: ſed contra etiam nos, quos tanto arctioribus vinculis iungi oportebat, eo calamitatis Theologorum noſtrorum mutuis concertationibus ſimus adducti, vt noſtris diſſenſionibus communi hoſti, ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem, viam ſternamus. Quamobrem Illuſt. Celſitudo ipſius non poteſt non ſummopere probare, vere Chriſtianam illam & optimo Principe dignam ſolicitudinem, quam R. ipſius D. de auertendis hiſce periculis ſuſcepit. Eaque de re ad S. Romani Imperii Electores ac Principes, aliosque qui Antichriſti iugum excuſſerunt, referri, & per Legatum ſuum agi voluit.

Equidem Illuſt. Celſitudo ipſius de ſynodo cogenda, eaq; de infauſto illo Euchariſtiæ certamine amice conferẽdo, vt penitus e medio tolleretur, a R. D. minime diſſentit, ſi modo Theologi vtrinq; nõ ſuã, ſed ſolius Dei gloriã, & Eccleſię ſuæ ſalutẽ incolumitatemq; ſpectarent. Sed cũ partiũ ſtudiis pleriq, teneantur, & ingẽs animorũ ſit exacerbatio, exigua ſane ſpes eſt, hoc rerũ ſtatu, ante vniuerſalẽ (q̃ Deus auertat) perſecutionẽ, maxime Zelotypis iſtis adhuc vrgentibus, ſynodum aliq̃ vniuerſalem & liberã cogi, multo minus autẽ boni quicquã inde expectari poſſe. Quod tamẽ ipſum D. R. in tam pio ſanctoque propoſito haudquaquam moretur. Chriſtianum enim Principem omni cura & ſolicitudine annitare decet, vt religio Chriſtiana ſarta tectaque ſeruetur, omnibuſque

opinionum diſſenſionibus ex verbi diuini infallibili norma è medio ſublatis, vnanimis in doctrina conſenſus ſtabiliatur. Succeſſum vero nemo præſtare poteſt; ſed is Dei optimi maximi bonitati cõmittendus eſt. Quamobrem ſi quid boni Illuſtriſſima Celſitudo ipſius ad ſynodum illam promouendam, pacemque interea ex præſcripta à Luthero & Bucero, anno &c. XXXVI. Concordia, quam ſtrictiſſime obſeruandam, afferre poſſet, promptiſſimo animo, omnique ope ac conſilio ſe affuturum ſpondet.

De fœdere vero ſanciendo, ineundaq; ratione, qua coniunctis omnium Euangelicorũ Principum viribus, cõmuni hoſti reſiſti poſſit, nondum Illuſtriſſ. Celſitudini ipſius excidit, quid ea de re abhinc viginti amplius annis ſæpenumero actũ ſit: vſq; huc tamen, quod hoc rerũ ſtatu è Rep. eſſe paucis videretur, nunquã conuenire potuit. Quæ cum ita ſint & Illuſtriſſ. Celſitudini ipſius cum præcipuis Germaniæ familijs antiquiſſima & hæreditaria quædã fœdera intercedant, vtq; neceſſe fuerit, vt ea de re ex cõmuni oĩum confœderatorũ, aliorũq; inſtauratæ religionis Germanorũ Principũ ſententia ſtatuatur. Quodq; ita placuerit, ab eo Illuſt. Celſitudo ipſius nullã ſeceſſionẽ faciet.

Deniq; quod R.D. conſilium ſibi impartiri cupit, qua via Eccleſiis Gallicis ad pacatã vitã degendam prouideri poſſit: vtque Regem Galliarum Illuſtriſſima Celſitudo ipſius, quantum conſilio & autoritate pollet, ad pacem colendam adhortetur, rogat: equidem Illuſtriſſ. Celſitudo ipſius eam ſibi apud Chriſtianiſſimum Regem autoritatem, quæ tribuitur, non arrogat. Si quid tamen poteſt, id omne ad Eccleſiæ Chriſti ſalutem liberaliter conferet. Non alia autem ad bellum vitandum melior ſuccurrit ratio, quam vt edicto Pacificatorio pactiſque conuentis per omnia ſtetur, Regiæque Maieſtati ſua apud omnes conſtet autoritas. Eoque modo prorſus Illuſtriſſ. Celſitudini ipſius perſuaſum eſt, Regem Chriſtianiſſimum ſuperiorum temporum calamitate in memoriam reuocata, nihil hoſtiliter eſſe moliturum. Quod ſi vero præter ſpem omnemq; expectationem aduerſi quippiam accidat, non deerit tamen Deo Opt. Max. quo minus Eccleſiam vindicet, & ab hoſtium iniurijs tueatur. Quem Illuſtriſſ. Celſitudo ipſius ardentibus votis precatur, vt Sereniſſimum Regem Nauarrorum, tumq; familiam ſuam Illuſtriſſimam incolumem ac florentem, ad nominis ſui gloriam diu conſeruare dignetur. Datum Caſſellis prid. Calend. Ianuarij, anno reparatæ ſalutis 1584.

Wilhelmus Landgrauius Haſsiæ, &c.

RESPONSVM VLRICI DVCIS MEGAPOLENSIS.

EX literis Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Henrici, Dei gratia Nauarrorum Regis, &c. Principis; Bearniæ: Ducis Vindonicenſis, Belmõtenſis, Albretenſis, &c. Comitis Foxenſis, Armeniaci, Rutinenſis, Bigerronẽſis, Marlẽſis, Petragoricenſis: Vicecomitis Lemouicenſis, &c. Domini & Conſanguinei noſtri perpetua fide & beneuolentia colendi, tum etiã ex ijs, quæ Regiæ ipſius Serenitatis nomine vir Nobiliſſimus Dn. Iacobus Segurius Pardilianus coram fideliter nobis expoſuit, Serenitatis ipſius beneuolum erga nos animum, quamuis de eo nunquam dubitauerimus, hactenus liquido perſpeximus, noſtrumque viciſſim S. I. ſtudium & officia quouis loco & tempore deferimus.

Neque profecto iucundius quicquam contingere nobis potuiſſet, quam ſi R. ipſius S. non minus, quam Dn. Legatum, cuius ſane præſentia nobis fuit quam gratiſſima, coram amplecti, & qualicunque officio obſeruantiam noſtram erga ipſam declarare nobis licuiſſet. Sed quia hoc dari non potuit, reliquum eo, quo debuimus, animo accepimus, & in propenſa R. I. S. erga nos voluntate libenter acquieſcimus.

Neq; laudari ſatis à nobis poſſe fatemur eam, quam deprehendimus in R.I.S. de Rep. Chriſtiana bene merendi cupiditatem, quod etiam poſt exantlatos tot pro aſſerenda Euangelij luce labores, totq; perpeſſa pericula, hoc deinceps curare non grauetur, vt Illuſtriſſimorum Germaniæ Principum animos ad defendendam miſeram & multis in locis fere collapſam Eccleſiam Chriſti, exemplo ſuo excitet, ijſque autor & hortator ſit cogendæ ſynodi, in qua collatis diſſentientium iudicijs, pia & perpetua concordia iuxta verbi diuini ἀναλογίαν iniri rurſus atq; conſtitui poſſit.

Etſi enim, quantum ad nos attinet, in ditionibus noſtris puram Euangelicæ doctrinæ veritatẽ, abſq; vllo in Eccleſiis noſtris docentiũ diſſenſu, hactenus Dei Opt. Max. beneficio multos iã annos cõſeruauimus, neq; altercationib. inquietorũ hominum locũ dari paſſi ſumus, & ſi quæ forte diſcordiarũ ſcintillæ quandoq; excitatæ ſint, continuo eas extingui curauimus, ne in flammam excreſcerent. Merito tamen etiam à nobis & reliquis Germaniæ ſacratiſſimi Imperij Principibus, Sereniſſimo Nauarrorũ Regi non exiguam deberi gratiam agnoſcimus, quod de futuris ac prope inſtantibus omnium Europæ Eccleſiarum periculis multis, iiſdemq; grauiſſimis de cauſis conſilia conferenda eſſe, ſerenitas ipſius prudentiſſime moneat. Quandoquidẽ ex ijs, quæ proximis annis Pontificis Romani inſtinctu & nefariis technis in florentiſſimis Galliæ, Angliæ, Scotiæ, & Sueciæ Regnis, itemq; apud Belgas, Heluetios, & in media deniq; Germania, imo et apud ipſos Chriſtiani nominis hoſtes manifeſtos agitata ſunt, & agitantur adhuc quotidie, ſatis ſuperq; conſtat, vere timẽdum eſſe, ne vlla totius orbis regio, cui verbum diuinum illuceat, intentata tandem relinquatur.

Quapropter, vt ad rẽ redeamus, non inutile tantum, ſed etiã neceſſarium eſſe exiſtimauimus, vel ſynodus aliqua conuocetur, vel ſi forte propter varia, quæ incidere poſſunt, impedimenta,

iiſ-

id factu nimis difficile ſit, per aliquot doctorum atq; pioru͂ publicæq; tranquillitatis & pacis amantium virorum congreſſum, quæ adhuc ſupereſſe videntur diſſenſiones, (Principum tamen autoritate interueniente) penitus tollantur. In qua quidem reut hactenus omnem ſuam operam impenderunt Illuſtriſſimi Germaniæ & S. Rom. Imperij Electores & Principes, vnam & eandem Euangelicæ doctrinæ veritatem profitentes, id quod publica monumenta ſatis teſtantur: ſic etiam eos in poſterum communibus coniunctiſq; operis (vnius enim ſolius neq; conſilium ſufficere neque auxilium, quilibet per ſe facile intelligit) hoc acturos confidimus, quod ad ſtabiliendam co͂cordiam & pacem conducere videbitur, in nobis vero nihil defuturum, quod ad promouendum hoc negocium vtile eſſe exiſtimabimus, res ipſa, Deo iuuante, docebit.

Cæterum ad periculoſum illud Colonienſe bellum, quod attinet, non dubitamus, R.S. vel aliorum literis vel ſaltem fama certioré factam eſſe, de conuentu Rotenburgenſi ad IX. diem menſis Martij proxime ſequentis, ea de cauſa ab Imperatoria Maieſtate iam indicto, cuius exitum talem fore ſperamus, vt S. Imperat. Maieſtas cum conuocatis illuc Electoribus ſuum ſit factura officium. Attamen ſi vlterius etiam preter expectationem noſtram de negotio iſto deliberandum fuerit, dabimus operam, vt tam Sereniſſimus Nauarrorum Rex, quam omnes boni, nos veræ religionis & pacis publicæ non amantiſſimos tantum, ſed etiam ad communem defenſionem, ſi opus fuerit, paratiſſimos eſſe intelligant.

Erit nunc huius noſtri reſponſi clauſula, vt à Dn. Legato petamus, vt in patria͂ feliciter reuerſus, Sereniſsimo ſuo Regi, Domino & Conſanguineo noſtro Chariſsimo, propenſiſsimæ volu͂tatis & obſeruantiæ noſtræ officia prolixe deferat, noſq; ſui etiam memoriam cum beneuolentia viciſſim conſeruaturos non dubitet. In quorum omnium fidem, hanc reſolutionem noſtram manus noſtræ ſubſcriptione, ſigilloque noſtro muniri iuſsimus. Actum in arce noſtra Guſtrouiana, XI. Calend. Martij, Anno 1584.

Vdalricus Dei gratia Dux Megapolenſis, Princeps Vandalorum, Comes Suerinenſis, Roſtochij & Stargardiæ Dominus.

Vdalricus D. Megapolenſis manu propria ſſr.

RESPONSVM ADOLPHI DVCIS HOLSATIAE.

SEreniſsime & Potentiſsime Rex, Domine & Conſanguinee plurimum colende: Literas R.V.S. Neraci pridie Calend. Auguſti ſuperiori anno LXXXIII. ad nos ſcriptas, Nobilis V.S.R. Legatus, Dn. Iacobus Segurius Pardilianus, Domus V.R.S. Præfectus, & ſecreti conſilij Primas, vna cum exemplo mandatorum V.S.R. ad nos ex itinere ſuo ad Regiam Daniæ Serenitatem, Dominum & patruelem noſtrum, adiunctis literis ſuis curauit perferendas. Quæ omnia à nobis reuerenter atque amanter ſuſcepta, ac probe intellecta, illuſtre atque præclarum ſtudij V.S.R. in conciliandis Chriſtianæ religionis controuerſiis, firmandoque pacifico Eccleſiarum ſtatu, teſtimonium nobis attulerunt.

Ac in primis quod R.V.S. graui ſumptu, maximis laboribus, & periculis non exiguis, multiſq; alijs rerum ſuarum diſpendijs ex Regno & prouincijs ſuis iter in Germaniam ad Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos eas ob cauſas antehac in animum induxerat. Quæ certe profectio vt ſucceſſu non caruiſſet, ex multis rationibus optandum fuerat. Quod ſi etiam ea felicitas, atq; is honos nobis obtigiſſet, vt tantum hoſpitem in noſtra domo conſpicere, cumq; eo cotam colloqui, atq; familiaritatem & amicitiam contrahere licuiſſet, nihil certe optatius, nihilq; magis gratum nobis fuiſſet, magnæq; noſtræ beatitudinis parti hoc acceptum laturi fuiſſemus. Quod vero S.V.R. ceu ex ipſo curſu retracta, Deoq; ita volente domi retenta fuerit, id Eccleſiarum & patriæ, publicæ tranquillitati, honori, emolumento atq; vſui fuiſſe, Deoq; ob id ingentes gratias agendas res ipſæ procul dubio fidem fecerunt. Quo fit vt æquo animo feramus V.R.S. inſtitutæ profectionis ergo co͂potem non factam: cuius aduentus & conſpectus, colloquiumq; de Eccleſiæ & Reip. ſtatu nobis alias multis ex cauſis fuerant exoptanda.

Vt autem ad mandata V.R.S. quæ Legato ſuo ad nos perferenda dedit, deueniamus; gratiſſima nobis fuit V.R.S. humaniſſima ſalutatio & gratulatio tranquillitatis, qua Deo Opt. Max. largiente in Eccleſia & repub. noſtra adhuc fruimur. Optamus viciſſim atq; ardentibus votis precamur vt & veſtræ Eccleſiæ ſint in doctrina concordes, & reſp. propter harum diſcordiam, ita vt per multos annos contigit, inteſtinis bellis non concutiatur. Cui malo vt conueniens remedium adhiberi poſsit, merito omnes Chriſtiani orbis & reges & Principes totis viribus anniti par eſt. Quo præclaro ſtudio cum V.S.R. teneri, mandata ſua planum faciant atq; teſtentur, nemo eſt, qui V.R.S. Zelum pietatis eximium & præclarum de Eccleſiis atque Repub. bene merendi ſtudium, non ſit agniturus plurimaque prædicaturus laude. Ob quod etiam nomen honorque V.S.R. ſemper ſine interitu manebunt.

Summa͂ vero mandatoru͂ V.R.S. eo dirigi intelligimus, quod V.R.S petit, vt vna cu͂ aliis purioris doctrinæ Chriſtianæ Principibus in id incumbamus, quo certum firmumq; fœdus inter Daniæ Regem & Angliæ Reginam, religionis ergo ſanciatur. Deinde vt ſynodus in Germania indicatur, in

tur, in qua diſsidia Eccleſiarum Galliæ, Heluetiæ & Germaniæ, quæ puram doctrinam profitentur, ad concordiam reduci, atque firma pax & tranquillitas contra aduerſariorum vires & impetum ſtabiliri poſſit. Conſilium ſane prudentiſſimum, & non minus vtile, quam omnibus circumſtantijs probe & ad amuſſim examinatis, neceſſarium. Res vero ardua, quæ deliberatione matura omnium Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis opus habet, vt recte riteq; ſingula ineantur & conſtituantur, ne quid præpoſtere atq; immature agatur, neue quid moueatur alias quietutum. Et quæ præterea ad perficienda tantæ molis negotia ſint accommoda & neceſſaria. Quibus conſultationibus S. Imperij Electores purioris doctrinæ, authores eſſe oportet, cum apud hos conuocandi Ordines maior ſit dignitas, tum Iuris & Conſtitutionum Imperij adiuncta prærogatiua illis ſuffragetur. Hos cum Serenitas veſtra Regia per Legatum ſuum iam ante conuenerit, ipſiq; egregiam ſuæ promptiſſimę voluntatis ſpem illi fecerint, officio non defuturos omnino habemus nobis perſuaſum: Idq; tam mature, ne Eccleſiæ vel Reſp. aliquid patiantur detrimenti.

In primis vero Deus Opt. Max. inuocandus eſt atque exorandus, vt hos V.R.S præclaros conatus, piaque ſtudia, ſua diuina benignitate ſecundet, foueat, atq; ad exoptatum finem perducat. Ordines Imperij cœptis S.V.R. vt confidimus, bene volent, noſq; rebus in deliberationem deductis, probe expenſis & conſtitutis, pro virili nihil ſumus intermiſſuri, quod nos honori diuino, animarum ſaluti ac tranquillitati Eccleſiæ & Reip. debemus. In omnibus etiam, quæ V.R.S. grata acceptaq; eſſe poſſunt, officioſa noſtra obſequia V.S.R. officioſe deferimus. V.R.S. Deus ad tanta rerum initia feliciter exequenda & perficienda ſeruet incolumem. Ex arce noſtra Gocorpio, III. Idus Martij, 1584.

V. R. S.

Addictiſſ. & Studioſiſſ.

Adolphus Dei gratia, Heres Noruegiæ, Dux Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiaque: Comes Oldenburgi & Delmenborſti, &c.

RESPONSUM ERNESTI PRINCIpis Anhaltini.

SErenissime & Illuſtriſſime Rex, Domine & Conſanguinee obſeruandiſſime: Etſi omnino confidimus, S.V.R. per Legatum ad nos miſſum poſſe de omnibus, quæ hic acta fuerint, fieri certiorem; tamen vt aliquid literarum etiam ad S.V.R. daremus, tum rerum grauitas, tum S.R.V. quæ apud nos valet plurimum, autoritas requirere viſa fuit.

Tantas enim res à tam Chriſtiano Rege ſuſcipi, quæ non ſolum ad gloriam Dei, ſalutem Reipub. Chriſtianæ, pacemq; publicam ſpectent, ſed quæ ruenti etiã huic ſeculo, & ad terminos quaſi fatales properanti conſilia & auxilia offerant & ſpondeant, quis non, niſi omnino [illegible], ſummis euehendum laudibus, mirumque in modum prædicandum eſſe duxerit? Incredibili itaque voluptate affecit nos tanti Regis tantus Zelus ac ardor rerum tam grauium, quam diuinarum. Conatus hoſce ſanctos & plena laude digniſſimos vt Deus Opt. Max. regat, ac inuicto fauſtoque ſucceſſu gubernet, noſtra cum omnium priorum votis coniungemus ſedulo, & ipſe irritas noſtras non ſinet eſſe preces.

Accedit ad hoc, quod Regij Legati, qui alias & generis ſplendore ac virtutum ornamentis eſt ampliſſimus, tanta erga nos fuit humanitas, tanta reru[illegible]ficiendarum induſtria, facundia, rerumq; peritia, ac generoſus candor, vt & literis & nunci[illegible] S.R.V. ornatos nos eſſe merito affirmare & prædicare poſſimus. Pro quibus omnibus & officijs & beneficiis, niſi etiam per literas S.R.V. gratias ageremus, argui nos vel inhumanitatis vel ingratitudinis poſſe, teſtes noſmetipſos libenter conſtituimus.

Merito itaque probatur nobis totum, quod à S.V.R. ſuſcipitur, à Legatis digniſsimis clariſſime præclariſſimeq; perficitur, negotium. Quale viciſſim fuerit erga ipſos noſtrum ſtudium, & promouendi tã ſanctos cõatus deſiderium, malumus S.V.R. ex ipſis coram, quam noſtris literis cognoſcere. Certo ſibi S.V.R. perſuaſum habeat, omnia noſtra in omni officiorum genere ſtudia ſemper fore S.V.R. quam promptiſſima, paratiſsimaque; & de noſtra erga ſe voluntate ſibi hæc omnia polliceatur, quæ à fideliſſimo amico ac ſtudioſiſsimo quoq; proficiſci expectariq; poſſunt. Nec vnquam patiemur apud nos reſidere aliquid impedimenti aut obliuionis, ſi poterimus honeſtiſsima S.V.R. conſilia vlla ratione fouere & adiuuare. Quod reliquos Status ſanæ religioni addictos, facturos quoque eſſe optamus & ſperamus; nec intermittemus, freti ea occaſione, quæ à veſtris nobis oſtenſa eſt, ſæpius S.V.R. literis compellare.

Cõmendamus etiã nos & familiam noſtrã, quã digniſsimus Legatus S.V.R. vidit, ſatis amplã, fauori ac beneuolẽtiæ veſtræ: & precabimur, vt Deus Opt. Max. S.V.R. ad nominis ſui gloriã & Reip.

Chri-

Chriſtianæ ſalutem, multorumque incolumitatem conſeruet diutiſſime incolumem, roburque ſucceſſus piis conatibus addat. Deſſauiæ, XVII. Cal. Februar. Anno, &c. 84.

S. V. D.

addictiſſ.

Dei gratia Erneſtus Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Dominus Seruëſti & Bernburgi, &c.

RESPONSVM WILHELMI PRINCIPIS AVRANIÆ, COMITIS IN NASSOW, &c. GVBERNAtoris Prouinciarum Belgicarum.

Hic titulus eſt in manuſcripto codice: ſed ipſum reſponſum deſideratur.

RESPONSVM REIPVBLICÆ Lubecenſis.

AD PROPOSITA IVSSV ET VOLVNTATE ILLVSTRISSIMI ET Potentiſſimi Principis & Domini, Domini Henrici Regis Nauarrorum, & Principis Bearniæ, &c. & Generoſi & Nobiliſſimi Domini Iacobi Segurii Pardeliani, ſuæ Maieſt. Domini Præfecti, & interioris conſilii Conſiliarii Primi, & Legati, Reſponſum Ampliſſimi Senatus Reipubl. Lubecenſis.

REgiam Maieſt. Nauarream Domin. Segurius Pardelianus nomine noſtro officioſe ſalutabit, eiq; officia noſtra & ſtudia deferet, agetq; ſuæ Maieſt. ingentes gratias pro ſingulari amore, cura & ſolicitudine in Rempubl. Chriſtianam, quã quidem ex hac S. M. legatione & perſpicuis argumentis abunde cognoſcimus, cõmendamus & approbamus. Deinde S. M. ſignificabit, quod nihil in nobis deeſſe patiemur, quod ad iſtius negocii ſalutaris & ſummopere neceſſarii promotionem videretur, ſi aliquid in noſtro poſitum eſſet arbitrio. Cum vero huius rei principium ad Illuſtriſſimos Electores, Principes & ceteros Status Romani Imperii Auguſtanæ Confeſſionis, ex quorum numero quidem minimi ſumus, adeoque conuocatio ipſa omnium ordinum ſpectet: non dubitamus, optimos Principes pro rei magnitudine, ſingulari pietate & zelo, quo Chriſtianam religionem, omneſq; ei vere addictos complectantur, in curam illam & ſolicitudinem incubituros, acturoſque, ne quid Chriſtiana Reſpubl. detrimenti capiat. Quæ quidem cum moram nullam patiantur, ſed in celeritate poſita ſint, vt Romani Pontificis conatibus quamprimum obuiam eatur, ſine dubio ad deliberationes omnes & ſinguli ſine vlla cunctatione deſcendent.

Quod ad nos attinet, & vt expectationi S. M. de nobis egregie conceptæ ſatisfiat, ſi ad conſilia cõmunia acceriti fuerimus, quod procul dubio fiet, officio noſtro non deerimus, dabimuſq; operam, quantum fieri poteſt, & noſtra conditio feret, vt præmonitorum S. M. omnium ratio, in primis autem religionis, & omnis ab ea incommodi auertendi, & nos noſtroſq; conſeruandi cura habeatur, neminemque exiſtimamus tam deſidem ſomnolentumque fore, cui hæc communis deliberatio cordi eſſe non poſſit, nec debeat. Quamobrem S. M. ſibi optima quæque etiam de nobis certo perſuaſum habeat. Cæterum ſuam Maieſt. etiam atque etiam rogamus, vt nos noſtramque Rempubl. ſemper commendatam habere velit, viciſſim S. M. incolumitatem diu & feliciter florere ex animo cupimus. Magnifico autem Domino Segurio felicem in patriam reditum exoptamus. Lubecæ Calendis Martii, anno 1584. ſtylo antiquo.

RESPONSVM REIPVBLICÆ HAMburgenſis.

AD SERENISSIMI ET INCLYTI DOMINI, DOMINI HENRICI NAuarrorum Regis poſtulata, quæ Magnificus & Generoſus Domin. Baro Iacobus Segurius Pardelianus, interioris conſilii Regii Præfectus, nomine Regiæ Maieſt. Dominis Proconſulibus & Deputatis Reipubl. Hamburgenſis expoſuit Senatus eiuſdem Reſponſio.

SEreniſſimi ac Inclyti Domini, Domini Henrici Regis Nauarrorum, &c. Legatus, vir Magnificus

ficus & Generoſus Baro Iacobus Segurius, ac conſilii Regii primas, negotium à R. M. commiſſum Dominis Proconſulibus & aliis à Senatu Reipubl. Hamburgenſis Deputatis, tam viua voce, quam ſcripto compendioſo, ſingulari dexteritate & induſtria expoſuit. Quo à Senatu Reip. in maturã deliberationem deducto, ſubſequentem reſolutionem ea, qua decet & par eſt, animi ſubmiſſione ſubiicere voluit.

Principio itaque ſicuti Ræ. Mtis. benignæ & propenſioris affectionis ſignificationem erga hanc Remp. clementiſſima ſalutatione oſtenſam, ſubmiſſione voluntatis Senatus accepit, ita Senatus tam ſuo quam communium ciuium ſuorum nomine officioſa obſequia, cum omni obſeruantia, ſtudio & cultu coniuncta viciſſim humiliter & promptiſſime defert & pollicetur.

Inprimis vero hanc plane Regiam benignitatem gratiſſimis votis proſequitur, quod R. M. neque ſumptuum neq; periculorum vel moleſtiarum multitudine deterrita, huius difficilimæ profectionis inſtitutum ſuſcipere, atque deinde vrgentiſſimis cauſis impedita, ſanctæ auctoritatis Legatũ, cum pleniſſima poteſtate ablegare voluerit, vt Chriſtianæ Eccleſiæ ob infeſtiſſimorum manifeſtam vim & inſidioſas fraudes grauiter laboranti, coniuncto conſilio mature ſuccurratur. Certe vbi tam laudabilis, veterum Chriſtianorum Principum exemplo, inſtituti ratio omnium piorum gratulationẽ meretur, ita etiam Regiæ Maieſt. nunquam perituram gloriam apud gratam, ſi qua futura eſt, poſteritatem inueniet, & ex Proceribus alios felici æmulatione ad hanc ſalutaris negocii expeditionem incitabit. Siquidem hæc ſapientiſſimo conſilio & glorioſiſſima Illuſtriſſimi nominis ipſius erga omnes Eccleſiæ Chriſtianæ ciues & orthodoxæ veritatis ſtudioſos pietate & benignitate, ſuſcepta pietatem Chriſtianam & genere & dignitate ſua Regia digniſſimam declarant, & propenſionem & amorem clementiſſimum erga hanc Ciuitatem, & erga Eccleſiaſticum ſtatum admiratione & bonorum prædicatione dignam affectionem oſtendunt, quam in * Henricis noſtris antiquæ hiſtoriæ celebrant.

* ad. [illegible]

Quod autem præcipuum caput conſultationis Regiæ per Legatum digniſſimum ad hanc Rempubl. noſtram inſtitutæ concernit, vt de hiſce inter Auguſtanæ Confeſſionis ſocios & reformatæ religioni addictos iamdudum cum præſentiſsimo Chriſtianæ Reipub. periculo exortis controuerſiis, conuentus & ſynodus legitima, quam hactenus aliæ difficultates & temporum turbulentiorum iniquitas impediuit, indicatur, in eaque ſepoſitis affectibus & relictis præiudiciis, interueniente Illuſtriſsimorum Imperii Procerum autoritate, & ſalutari moderatione cauſæ controuerſæ diiudicatio inſtituatur, vt quæ vtriuſque partis afflictam conditionem hactenus duriter exercuerunt diſsidia, moderato & pio conſilio tollantur & componantur. Certe ſicuti hanc communicationem in primitiua Eccleſia ab orthodoxis ſępenumero vſurpatam nouimus, ita & ab eadem nos non abhorremus, ſed potius ex animo optamus, vt Deus Opt. Max. dum orbis terrarum paſsim odiis & furoribus ardet, miſere dilacerata Eccleſiæ membra conglutinet, & in vnius corporis harmoniã reducat, ac ſublata omni diſsidiorum inæqualitate pacem & quietem ſeneſcenti Eccleſiæ benigne concedat.

Ideoq; licet penes ſuperiores Principes conuocationis inſtituendæ poteſtas ſit, & ab illorum voluntate executio legitima huius negotii dependeat, adeo vt non ſit, quod de certiore eiuſdem effectu quid polliceamur: tamen ſi Auguſtanæ Confeſsioni addicti Principes & Ordines, legitimi conuentus inſtituendi rationes prębuerint, noſtramque hac in parte qualemcunque ſuffragationem requiſiuerint, certe in iis, quæ ad conſtituendam pacem, & tranquillitatem Chriſtianæ Reipubl. pertinent, noſtro loco R. M. omniũq; piorum benigno deſiderio & expectationi nunquam ſumus defuturi, ſed quam poſsibile erit, hoc præcepturi, quod exiſtimamus ad gloriam nominis diuini & cœleſtis veritatis conſeruationem ceſſurum.

Qnod ſupereſt, Deum Opt. Max. autorem omnis boni, rogare non deſinemus, vt hiſce tam piis ſalutaribus conatibus ſua diuina gratia benedicere, eorumque & animos, qui ſanctum Dei Euangelium amplectuntur, ſalutari & neceſſario pacis vinculo conſociare velit, quo doctrina Euangelii nobis pura conſeruetur, & ab Eccleſiis ipſum vere agnoſcentibus omnes hoſtiles conatus & violentæ molitiones auertantur, hiſque imminentibus calamitatibus & malis publicis, diuinis auſpiciis ſalutaria remedia adhibeantur. Deinde qua par eſt animi ſubmiſsione à R. M. contendimus, hanc noſtram ex animo communis pacis promouendæ ſtudioſo profectam declarationem benigne & clementer accipere, noſque & Rempubl. noſtram Regia ſua benignitate complecti, & à nobis viciſsim omnia ſtudioſiſsimæ voluntatis obſequia, & paratiſsima officia expectare velit. Hæc vt Magnificus & Gernerosus Dominus Legatus, cuius ſalutem & ſecuram incolumitatem caſtorum Angelorum excubiis ſolicite commendamus, poſt feliciſsimum ad ſuos reditum, R. M. fideliter noſtro nomine referat, officioſe rogamus, noſtra viciſsim expedita ſtudia ipſi cupide declaraturi: In fidem horum ſigillum Reipubl. noſtræ ſcientes his literis apponi iuſsimus. Dabantur Calend. April. anno nouiſsimi temporis 1584.

RESPONSVM REIPVBLICAE MAGDEburgenſis.

SAlutem & officia, Sereniſsime Rex Nauarrorum, Domine Clementiſsime. Cum fama ad nos perferretur de honorifica R. S. V. legatione ad Principes Germaniæ, eandemque publicam eſſe

conte-

conteſtationem ſummæ conſœderationis & amoris mutui, gratulabamur quidem patriæ hanc felicitatem, qua quaſi nouo præſidio aduerſus externorum hoſtium machinationes quodammodo ſepta & munita eſſe videretur. Sed tum demum maiori afficiebamur lætitia, cum Illuſtris ac Generoſus Dominus Iacobus Segurius, &c. Legatus, Magdeburgum noſtrum peteret, & exhibitis R. S. V. literis, plenis pietate & clementia, de Regio in Eccleſiam Chriſti & Rempublicam Germaniæ animo & voluntate ſuauiter & religioſe diſſereret, de conciliandis in Eccleſia diſſenſionibus ſuaderet pie & placide, de ſedando belli Colonienſis tumultu loqueretur argute & prudenter. Magnam itaque ſpem concepimus de Regiorum conſiliorum optimo euentu, ſi Illuſtriſ. Principibus noſtris de ſalute Eccleſiarum & patriæ iamdudum ſollicitis probari ea cognouerimus. Equidem quę noſtra eſt fortuna & conditio ab imitatione maiorum noſtrorum, periclitante religionis ſtatu, nunquam receſſuri ſumus, non tam exemplis eorum, quam noſtra in Deum fide & veritate propria incitati, fretique Dei numine & clementia. Qui animus ne in nobis concidat, plurimum momenti habebit S.R.V. vere religioſa & Chriſtiana admonitio. Ipſam enim nunc amplectimur reuerenter, prædicaturi omnibus magnifice, diligenter commendaturi poſteris.

Ingentes igitur gratias R. S. V. pro eo amore & beneuolentia, qua hactenus Germanos ſeſe proſecutam eſſe, & adhuc proſequi profitetur. pro quo amore quid tanto Regi reponamus, cum Magdeburgum noſtrum non inueniat? Colonienſium certe Eccleſia, cuius neceſſitati gemmarum, pecuniarum & ſupellectilis aureæ vim à Domino Legato depoſitam eſſe audiuimus, id quod res eſt, fatebitur, te Sereniſſimum Nauarrorum Regem, nomine ſibi amicum, officijs fratrem, auxilijs parentem extitiſſe. Nos porro, Rex Sereniſſime, regnum tuum ſemper ſaluum, te incolumem, nomen tuum inter Chriſtianos Reges immortale ex animo optamus, precamurque, vt alij etiam Reges tuo ductu & exemplo, vti iam nobis conſtat, veram religionem ament, promoueant, tueantur, defendant. Vale, Sereniſſime Rex, & ſalue. Magdeburgi, anno &c. 84. XVI. Calend. Martij, quo die Giſela Imperatoris Conradi Saliqui coniunx, Lotharij Regis Franciæ filia, nupta prius Brunoni Marchioni Saxoniæ, deinde Erneſto Duci Sueuorum, pie mortem obijt.

R. S. V.

officioſe obſeruantes

Conſules & Senatores Magdeburgenſes, &c.

RESPONSVM REIPVBLICÆ BREMENSIS.

CVm Maieſtate Regia nihil dignius, quam vera pietas & pura religio, nihilque magis laudandum, quam veritatis & pacis ſtudium, promouendæque gloriæ Dei zelus & induſtria: optandum ſane erat, Sereniſſime Rex, Princeps & Domine Clementiſſime, omnes & ſingulos, quos glorioſus Deus ad altiores in hiſce terris dignitatum gradus euexit, non ſolum id ſpectare, quomodo vita politica recte & tranquille in ipſorum regnis & ditionibus conſtitueretur, ſed etiam imprimis id ſedulo cogitare & curare, vt tam ipſi, quam ipſorum ſubditi, veræ pietatis religione informati, & in agnitione purioris doctrinæ conſtanter perſeuerare, & ſua quoque opera & ſtudio id efficere, quo fugatis errorum tenebris, veritatis lux magis magiſque illuceſcere, diuque deſiderata pax & concordia, inter diſſipatas Eccleſias, diuina aſpirante gratia, tandem poſſet reſtitui. Quem quidem zelum, vt in paucis, ita vt decebat, in poſtremis hiſce periculoſis temporibus, feruere non ſine magno mœrore & dolore animaduertimus, & deploramus, ſic eundem in R. S. T. piiſſimo voto ardeſcere, tum ex S. T. ad nos datis literis, tum etiam ex eiuſdem Legati, Magnifici & Generoſi Domini Iacobi Segurij, ex mandato ad nos habitis ſermonibus, non abſque ſingulari lætitia & gaudio, pergrato animo cognouimus. Ex iis ſiquidem nobis certiſſima fides facta eſt, S. T. R. inter Reges illos ac Principes, quos in hoc vltimo ad finem ſuum decurrentis mundi ſeculo, Deus orbi Chriſtiano præfecit, non modo virtutibus omnibus politicis excellere, ſed quæ ſapientiſſimorum Magiſtratuum laus eſt, agnitione & confeſſione purioris doctrinæ Euangelij, pleriſque alijs prælucere, ſanctoque zelo promouendæ gloriæ Dei accenſum, omni labore & ſtudio & veræ doctrinæ propagationem, & omnium Eccleſiarum, quæ ſemoto Romani Antichriſti iugo orthodoxam fidem & puriorem cum norma Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum congruentem Dei cultum amplectuntur, communem pacem atque ſalutem quærere.

Quam S. T. laudandam pietatem, & pro Reipublicæ Chriſtianæ ſalute flagrantem animi curam & ſolicitudinem, ipſa legatio ampliſſima, quam hoc ipſo tempore, quo Satanam omnia extrema moliri videmus, maximo cum ſumptu in Germaniam (diuino haud dubie inſtinctu) miſit, qua de totius Chriſtiani orbis periculis alios Reges, Principes & Reſpublicas Euangelicæ doctrinæ addictas, ac de pace & concordia inter Eccleſias Euangelicas promouenda monere, viaſque & rationes quibus pernicioſa illa diſſidia de quibuſdam religionis articulis inter Euangelicos exorta componi, & è medio tolli poſſe confidit, oſtendere & proponere voluit: denique ipſa etiam opum & præſidiorum ſuorum ad afflictum Eccleſiarum ſtatum iuuandum, vltronea & benigniſſima oblatio ſatis abunde teſtatur atque declarat.

Et noſtris certe temporibus opulentiſſima Regna Galliæ, Angliæ, Scotiæ, & alia, ob diſſenſiones Eccleſiarum in varias partes miſere diſtracta ac dilaniata, vt S. T. prudenter monet, atque ſuo etiam ipſius exemplo hiſce annis experta eſt, id teſtantur. Ac propterea vna cum S. T. ſtatuimus nullum præſtantius remedium contra communes hoſtes Pontificios excogitari, aut inueniri poſſe, quam ſi ſublatis diſſenſionibus, quæ in Eccleſijs reformatis adhuc hærent, pie inter nos conueniat, ac compoſitis controuerſiis Eccleſiæ vnanimem conſenſum tueantur, cum (Baſilio teſte) *non tam ſiniſtræ opus ſit dextera, quam Eccleſiæ concordia docentium*, ſiue hoc per generalem ſynodum, vt S. T. prudenter diſſerit, ſiue per particularem præſtetur, modo publicæ tranquillitati & paci Eccleſiarum citra veritatis diſpendium, conſulatur.

Nec improbamus S. T. conſilium de generali ſynodo: tantum veremur, cum in memoriam reuocamus, quam triſtes exitus, quantas animorum diſtractiones & confuſiones pleræque ſynodi in Eccleſia pepererint, huiuſmodi ſynodũ, vt pleraſq; alias, in fumos abituram, aut potius exitialem quã ſalutarem nobis futuram. Legimus enim Gregorium de ſynodis diſputantẽ, grauiter exclamaſſe, *omnes ſynodos Epiſcoporum fugiendas eſſe. Se enim nullius ſynodi exitum vtilem, aut magis finem malis, quam incrementũ afferẽtem vidiſſe.* Et Nazianzenus dixit: *Synodis iſtis accẽſas potius, quã extinctas fuiſſe diſcordias.*

Vt autem libere ſententiam noſtram S. T. cum hoc vnice expetat, exponamus, ſaluo ſemper S. T. & omnium piorum hac de re iudicio: arbitramur facilius atque maiori cõmoditate hanc rem agi poſſe, ſi ad pauciores illa redigatur, ita vt neq; nimium multi, (cum difficilius inter plures conueniat) neq; nimium pauci, (cum probabile non ſit, tam multos pauciſſimorum quorundam ſententiam libenter ſecuturos eſſe) veræ pietatis & publicæ tranquillitatis amantes, & controuerſiarum omnium cognitione apprime inſtructi, vtriuſque partis conſenſu deligantur, qui inter ſe de illis amice conferant, ac ex ſolo verbo Dei, hoc eſt, vtriuſque Fœderis libris, eas placide & pie componant. aut ſi inter ipſos hoc commode non poſſet, vt ex ipſorum Principum, & aliorum hominum medio, vtriuſq; partis conſenſu quidam ſpectatæ pietatis & modeſtiæ, prudentes, moderati, & rerum, de quibus diſputabitur, notitia ſatis inſtructi, iudices deligantur, qui ſingula diligenter obſeruent, autoritatem ſuam interponant, ſubterfugientes iubeant appoſite ex verbo Dei, quod Lydius lapis in dirimendis hiſce controuerſijs eſſe debet, reſpondere, immoderatos cohibeant, ſententias colligant, ac ſecundum prædictam normam ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum lites decidant. Neq; vt S. T. ſententiæ, quam merito magni facimus, hac noſtra opinione quicquam detractum velimus, hęc proferimus, ſed potius quod experientia teſtetur, pleraſq; ſynodos aliquid humani paſſas, ac raro felices exitus nactas eſſe, animoque repetamus, quam fere ſpes nulla ſit, hoc exulceratiſſimo ſeculo talem rite cogi poſſe: ac propterea tantam multitudinem hominum inter ſe diſcrepantium nunime requiri putemus.

Verum quia S. T. præfatum ſuum Legatum ad alios Romani Imperij Electores & Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos, hanc eandem ob cauſam ablegauit, vt commune hoc negotium communem deliberationem requirat, nos libentiſſime hac de re cum illis conferemus, atque noſtram ſententiam ad illorum iudicia accommodabimus, omnibuſque viribus Eccleſiæ & Reipub. ſalutem, fauente Deo, tuebimur.

Officioſe autem S. T. rogamus, vt hanc qualemcunque de tam ardua re noſtram ſententiam æque intelligere, ac ſe & alios ad communem concordiam excitare, Chriſti & Eccleſiæ ipſius ſalutem reſpicere, noſque ſibi commendatos habere velit. Nos viciſſim omnia noſtra ſtudia & officia, S. T. deferimus, atque illam Deo Opt. Max. in cuius manu cor Regis eſt, obnixe commendamus. Datæ Cellæ Luneburg. 20. April. Anno &c. 84.

Wilhelmus Dei gratia Dux Brunſuicenſium & Lunaburgenſium.

RESPONSVM OTTONIS DVCIS LVNEBVRGENSIS.

SEreniſſime Rex, Regiæ veſtræ Dignitati offerimus obſequiorum noſtrorũ ſtudium promptiſſimum. Domine & Conſanguinee dilectiſſime. Regiæ veſtræ Dignitatis Legatus, vir Magnificus & Nobilis, Dom. Iacobus Segurius Pardelianus ſcripſit ad nos ex vrbe vicina Hãburgo, abſentiam ſuam excuſans, & ſimul miſit R. V. D. obſignatas literas ad nos perſcriptas, pietate Chriſtiana, gratia & beneuolentia pleniſſimas; nec non exemplum eorum, quæ à R. V. D. ad Reges, Electores, Principes & Proceres reformatarum Eccleſiarum in Germania, aliiſque Regnis deferenda in mandatis habet.

Cæterum mirum in modum hiſce omnibus delectati ſumus, in primis vero, quod Regem tantum Eccleſiis noſtris fauere intelleximus, & inſtinctu vere diuino earum concordiam ſummopere flagitare, nec non competentia remedia, per quæ diſſenſiones conciliari poſſe ſperetur, in medium proferre. Res ſane magis neceſſaria & vtilis Eccleſiæ Dei, hoc tempore promoueri haud poſſit. Gratiam igitur Deo omnipotenti habemus quam maximam, qui R. V. D. diuino hoc ardore ſuccendit, & vt ope Spiritus Sancti hunc in poſterum augeat, veris gemitibus obteſtamur. Agimus inſuper gratias R. V. D. quod ea felicem rerum noſtrarum ſtatum, atque Eccleſiarum in ditione noſtra tranquillitatem nobis gratuletur, pro quo & nos diuinæ omnipotentiæ, quæ etiam in poſterum & noſtrum ſtatum & Eccleſiarum ditionis noſtræ concordiam, ita vt nunc eſt, benigne con-

ſeruare dignetur, gratias ſufficientes agere non poſſumus. Optamus autem & Deum oramus, vt & R. V. D. incolumem diu conſeruet, & quæ ad pacem Eccleſiarum in Regno eius ſalutaria ſunt, clementer concedat.

Quod ad cauſam principalem attinet, non improbamus R. V. D. conſilium de tollendis controuerſiis in Eccleſiis, quæ Auguſtanæ Confeſſionis religioni hactenus fuerunt & iam ſunt addictæ. Quam magni enim inde tumultus ſint exorti, quam item aduerſarij Romano Pontifici adhærentes animoſiores redditi fuerint, & calumnijs Orthodoxos proſcindere conentur, luce meridiana clarius eſt. Igitur conatum R. V. D. ſummopere laudamus; nec dubitamus, quin Sereniſſimi Reges, Electores, Principes & Status, qui Auguſtanæ Confeſſionis religionem amplectuntur & profitentur, R. V. D. poſtulatis, quantum fieri poterit, aſtipulabuntur.

Quod ad nos attinet, prædeceſſores noſtri, Principes Brunſuicenſium & Luneburgenſium, inter primos fuerunt, qui Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerunt, eamq; in Eccleſiis Ducatus noſtri, quantum in ipſis fuit, pie promouerunt, & nos ab incunabulis in ea ſumus informati. Igitur quantum in nobis eſt, ope diuina eam vel vitæ noſtræ iactura retinere & propugnare conabimur. Verum R. V. D. ſignificamus, Ducatus vniuerſi gubernationem & adminiſtrationem ex pactis anteceſſorum noſtrorum, eſſe penes Illuſtriſſimum Principem, Dn. Wilhelmum Iuniorem, Ducem Brunſuicenſium & Luneburgenſium, agnatum noſtrum, cuius dilectio etiam onera totius Ducatus Luneburgici ferre tenetur. Cumque ea à prædicto Dn. Segurio, vt ferunt, ante aliquot menſes ſimili modo requiſita, & religionis noſtræ reformatæ amantiſſima ſit, non dubitamus Dilectionem ipſius, Chriſtiani Principis officio functuram, & gnauiter concordiam Eccleſiarum promoturam, & cuncta neceſſaria pro facultate Ducatus noſtri collaturam eſſe. Nos vero quicquid pro ſalute Eccleſiæ, iactura corporis & vitæ noſtræ præſtare poterimus, operam dabimus, vt Deo iuuante nihil, quod Principem Chriſtianum decet, à nobis prætermiſſum eſſe R. V. D. dignoſcat. Quæ breuibus reſponſi loco, cum ad R. V. D. literas, tum ad inſtrumentum mandatorum Legati reſcribere placuit.

Quod ſupereſt, R. V. D. dignitatem, cum omnibus ſibi charis, in protectionem Dei optimi maximi, nos autem & noſtros ſimul in fauorem R. V. D. ſubmiſſe commendamus, cum oblatione ſeruitiorum noſtrorum humilium. Dabantur in arce noſtra Harburgo, prima die menſis Aprilis, anno reparatæ ſalutis 1584.

Regiæ V. Dignitatis

Obſeruantiſſ.

Otto Dei gratia Dux Brunſuicenſium & Luneburgenſium, &c

Otto Dux B. & Luneb. ſſ.

RESPONSVM WILHELMI LANDGRAVII HASSIÆ.

QVæ Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Henricus, Nauarrorum Rex, &c. Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Dn. Wilhelmo Landgrauio Haſſiæ, &c. Comiti in Catzenelenbogen, Diez, Zigenhain, & Nidda, &c. Domino noſtro Clementiſſimo; per Regiæ Dignitatis ſuæ Legatum, Dn. Segurium Pardilianum, ſignificauit, ea Celſitudini ipſius tum ex Regiorum mandatorum formulis, tum ex ore ipſius Legati abunde ſunt relata. Ad quæ Illuſtr. Celſitudo eius in primis agit gratias pro eximia & ſumma illa in ſe beneuolentiæ & amoris Regiæ Dignitatis conteſtatione: & viciſſim Regiæ Dignitati feliciſſimum rerum ſuarum ſtatum, & omnia bona fauſtaque ex animo precatur.

Quod vero ad ſummam legationis attinet, fateri equidem neceſſe eſt, res noſtras in magno iam verſari diſcrimine, cum Antichriſtus Romanus eiuſq; ſatellites, non modo omnibus virib. veritatem oppugnent: ſed contra etiam nos, quos tanto arctioribus vinculis iungi oportebat, eo calamitatis Theologorum noſtrorum mutuis concertationibus ſimus adducti, vt noſtris diſſenſionibus communi hoſti, ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem, viam ſternamus. Quamobrem Illuſt. Celſitudo ipſius non poteſt non ſummopere probare, vere Chriſtianam illam & optimo Principe dignam ſolicitudinem, quam R. ipſius D. de auertendis hiſce periculis ſuſcepit. Eaque de re ad S. Romani Imperii Electores ac Principes, alioſque qui Antichriſti iugum excuſſerunt, referri, & per Legatum ſuum agi voluit.

Equidem Illuſt. Celſitudo ipſius de ſynodo cogenda, eaq; de infauſto illo Euchariſtiæ certamine amice conferẽdo, vt penitus e medio tolleretur, à R. D. minime diſſentit, ſi modo Theologi vtrinq; nõ ſuã, ſed ſolius Dei gloriã, & Eccleſię ſuæ ſalutẽ incolumitatemq; ſpectarent. Sed cũ partiũ ſtudiis pleriq; teneantur, & ingẽs animorũ ſit exacerbatio, exigua ſane ſpes eſt, hoc rerũ ſtatu, ante vniuerſalẽ (q̃ Deus auertat) perſecutionẽ, maxime Zelotypis iſtis adhuc vrgentibus, ſynodum aliq̃ vniuerſalem & liberã cogi, multo minus autẽ boni quicquã inde expectari poſſe. Quod tamẽ ipſum D. R. in tam pio ſanctoque propoſito haudquaquam moretur. Chriſtianum enim Principem omni cura & ſolicitudine inuigilare decet, vt religio Chriſtiana ſarta tectaque ſeruetur, omnibuſque

id factu nimis difficile ſit, per aliquot doctorum atq; pioru publicæq; tranquillitatis & pacis amantium virorum congreſſum, quæ adhuc ſupereſſe videntur diſſenſiones, (Principum tamen autoritate interueniente) penitus tollantur. In qua quidem reut hactenus omnem ſuam operam impenderunt Illuſtriſſimi Germaniæ & S. Rom. Imperij Electores & Principes, vnam & eandem Euangelicæ doctrinæ veritatem profitentes, id quod publica monumenta ſatis teſtantur: ſic etiam eos in poſterum communibus coniunctiſq; operis (vnius enim ſolius neq; conſilium ſufficere neque auxilium, quilibet per ſe facile intelligit) hoc acturos confidimus, quod ad ſtabiliendam cócordiam & pacem conducere videbitur, in nobis vero nihil defuturum, quod ad promouendum hoc negotium vtile eſſe exiſtimabimus, res ipſa, Deo iuuante, docebit.

Cæterum ad periculoſum illud Colonienſe bellum, quod attinet, non dubitamus, R.S. vel aliorum literis vel ſaltem fama certioré factam eſſe, de conuentu Rotenburgenſi ad IX. diem menſis Martij proxime ſequentis, ea de cauſa ab Imperatoria Maieſtate iam indicto, cuius exitum talem fore ſperamus, vt S. Imperat. Maieſtas cum conuocatis illuc Electoribus ſuum ſit factura officium. Attamen ſi vlterius etiam preter expectationem noſtram de negotio iſto deliberandum fuerit, dabimus operam, vt tam Sereniſſimus Nauarrorum Rex, quam omnes boni, nos veræ religionis & pacis publicæ non amantiſſimos tantum, ſed etiam ad communem defenſionem, ſi opus fuerit, paratiſſimos eſſe intelligant.

Erit nunc huius noſtri reſponſi clauſula, vt à Dn. Legato, petamus, vt in patriã feliciter reuerſus, Sereniſsimo ſuo Regi, Domino & Conſanguineo noſtro Chariſsimo, propenſiſsimæ volũtatis & obſeruantiæ noſtræ officia prolixe deferat, noſq; ſui etiam memoriam cum beneuolentia viciſſim conſeruaturos non dubitet. In quorum omnium fidem, hanc reſolutionem noſtram manus noſtræ ſubſcriptione, ſigilloque noſtro muniri iuſsimus. Actum in arce noſtra Guſtrouiana, XI. Calend. Martij, Anno 1584.

Vdalricus Dei gratia Dux Megapolenſis, Princeps Vandalorum, Comes Suerinenſis, Roſtochij & Stargardiæ Dominus.

Vdalricus D. Megapolenſis manu propria ſſr.

RESPONSVM ADOLPHI DVCIS HOLSATIAE.

SErenißime & Potentißime Rex, Domine & Conſanguinee plurimum colende: Literas R.V.S. Neraci pridie Calend. Auguſti ſuperiori anno LXXXIII. ad nos ſcriptas, Nobilis V.S.R. Legatus, Dn. Iacobus Segurius Pardilianus, Domus V.R.S. Præfectus, & ſecreti conſilij Primas, vna cum exemplo mandatorum V.S.R. ad nos ex itinere ſuo ad Regiam Daniæ Serenitatem, Dominum & patruelem noſtrum, adiunctis literis ſuis curauit perferendas. Quæ omnia à nobis reuerenter atque amanter ſuſcepta, ac probe intellecta, illuſtre atque præclarum ſtudij V.S.R. in conciliandis Chriſtianæ religionis controuerſiis, firmandoque pacifico Eccleſiarum ſtatu, teſtimonium nobis attulerunt.

Ac in primis quod R.V.S. graui ſumptu, maximis laboribus, & periculis non exiguis, multiſq; alijs rerum ſuarum diſpendijs ex Regno & prouincijs ſuis iter in Germaniam ad Principes Auguſtanæ Confeſſioni addictos eas ob cauſas antehac in animum induxerat. Quæ certe profectio vt ſucceſſu non caruiſſet, ex multis rationibus optandum fuerat. Quod ſi etiam ea felicitas, atq; is honos nobis obtigiſſet, vt tantum hoſpitem in noſtra domo conſpicere, cumq; eo coram colloqui, atq; familiaritatem & amicitiam contrahere licuiſſet, nihil certe optatius, nihilq; magis gratum nobis fuiſſet, magnæq; noſtræ beatitudinis parti hoc acceptum laturi fuiſſemus. Quod vero S.V.R. ceu ex ipſo curſu retracta, Deoq; ita volente domi retenta fuerit, id Eccleſiarum & patriæ, publicæ tranquillitati, honori, emolumento atq; vſui fuiſſe, Deoq; ob id ingentes gratias agendas res ipſæ procul dubio fidem fecerunt. Quo fit vt æquo [illegible] animo feramus V.R.S. inſtitutæ profectionis ergo cõpotem non factam: cuius aduentus & conſpectus, colloquiumq; de Eccleſiæ & Reip. ſtatu nobis alias multis ex cauſis fuerant exoptanda.

Vt autem ad mandata V.R.S. quæ Legato ſuo ad nos perferenda dedit, deueniamus; gratiſſima nobis fuit V.R.S. humaniſſima ſalutatio & gratulatio tranquillitatis, qua Deo Opt. Max. largiente in Eccleſia & Repub. noſtra adhuc fruimur. Optamus viciſſim atq; ardentibus votis precamũr vt & veſtræ Eccleſiæ ſint in doctrina concordes, & Reſp. propter harum diſcordiam, ita vt per multos annos contigit, inteſtinis bellis non concutiatur. Cui malo vt conueniens remedium adhiberi poſsit, merito omnes Chriſtiani orbis & Reges & Principes totis viribus anniti par eſt. Quo præclaro ſtudio cum V.S.R. teneri, mandata ſua planum faciant atq; teſtentur, nemo eſt, qui V.R.S. Zelum pietatis eximium & præclarum de Eccleſiis atque Repub. bene merendi ſtudium, non ſit agniturus plurimaque prædicaturus laude. Ob quod etiam nomen honorque V.S.R. ſemper ſine interitu manebunt.

Summã vero mandatorũ V.R.S. eo dirigi intelligimus, quod V.R.S petit, vt vna cũ aliis purioris doctrinæ Chriſtianæ Principibus in id incumbamus, quo certum firmumq; fœdus inter Daniæ Regem & Angliæ Reginam, religionis ergo ſanciatur. Deinde vt ſynodus in Germania indicatur, in

Chriſtianæ ſalutem, multorumque incolumitatem conſeruet diutiſſime incolumem, roburque ac ſucceſſus piis conatibus addat. Deſſauiæ, XVII. Cal. Februar. Anno, &c. 84.

S. V. R.

addictiſſ.

Dei gratia Erneſtus Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Dominus Seruéſti & Bernburgi, &c.

RESPONSVM WILHELMI PRINCIPIS AVRANIÆ, COMITIS IN NASSOW, &c. GVBERNAtoris Prouinciarum Belgicarum.

Hic titulus eſt in manuſcripto codice: ſed ipſum reſponſum deſideratur.

RESPONSVM REIPVBLICÆ Lubecenſis.

AD PROPOSITA IVSSV ET VOLVNTATE ILLVSTRISSIMI ET Potentiſſimi Principis & Domini, Domini Henrici Regis Nauarrorum, & Principis Bearniæ, &c. & Generoſi & Nobiliſſimi Domini Iacobi Segurii Pardeliani, ſuæ Maieſt. Domini Præfecti, & interioris conſilii Conſiliarii Primi, & Legati, Reſponſum Ampliſſimi Senatus Reipubl. Lubecenſis.

REgiam Maieſt. Nauarream Domin. Segurius Pardelianus nomine noſtro officioſe ſalutabit, eiq; officia noſtra & ſtudia deferet, agetq; ſuæ Maieſt. ingentes gratias pro ſingulari amore, cura & ſolicitudine in Rempubl. Chriſtianam, quā quidem ex hac S.M. legatione & perſpicuis argumentis abunde cognoſcimus, cōmendamus & approbamus. Deinde S.M. ſignificabit, quod nihil in nobis deeſſe patiemur, quod ad iſtius negocii ſalutaris & ſummopere neceſſarii promotionem videretur, ſi aliquid in noſtro poſitum eſſet arbitrio. Cum vero huius rei principium ad Illuſtriſſimos Electores, Principes & ceteros Status Romani Imperii Auguſtanæ Confeſſionis, ex quorum numero quidem minimi ſumus, adeoque conuocatio ipſa omnium ordinum ſpectet: non dubitamus, optimos Principes pro rei magnitudine, ſingulari pietate & zelo, quo Chriſtianam religionem, omneſq; ei vere addictos complectantur, in curam illam & ſolicitudinem incubituros, acturoſque, ne quid Chriſtiana Reſpubl. detrimenti capiat. Quæ quidem cum moram nullam patiantur, ſed in celeritate poſita ſint, vt Romani Pontificis conatibus quamprimum obuiam eatur, ſine dubio ad deliberationes omnes & ſinguli ſine vlla cunctatione deſcendent.

Quod ad nos attinet, & vt expectationi S.M. de nobis egregie conceptæ ſatisfiat, ſi ad conſilia cōmunia acceſiti fuerimus, quod procul dubio fiet, officio noſtro non deerimus, dabimuſq; operam, quantum fieri poteſt, & noſtra conditio feret, vt præmonitorum S.M. omnium ratio, in primis autem religionis, & omnis ab ea incommodi auertendi, & nos noſtroſq; conſeruandi cura habeatur, neminemque exiſtimamus tam deſidem ſomnolentumque fore, cui hæc communis deliberatio cordi eſſe non poſſit, nec debeat. Quamobrem S. M. ſibi optima quæque etiam de nobis certo perſuaſum habeat. Cæterum ſuam Maieſt. etiam atque etiam rogamus, vt nos noſtramque Rempubl. ſemper commendatam habere velit, viciſſim S.M. incolumitatem diu & feliciter florere ex animo cupimus. Magnifico autem Domino Segurio felicem in patriam reditum exoptamus. Lubecæ Calendis Martii, anno 1584. ſtylo antiquo.

RESPONSVM REIPVBLICÆ HAMburgenſis.

AD SERENISSIMI ET INCLYTI DOMINI, DOMINI HENRICI NAuarrorum Regis poſtulata, quæ Magnificus & Generoſus Domin. Baro Iacobus Segurius Pardelianus, interioris conſilii Regii Præfectus, nomine Regiæ Maieſt. Dominis Proconſulibus & Deputatis Reipubl. Hamburgenſis expoſuit Senatus eiuſdem Reſponſio.

SEreniſſimi ac Inclyti Domini, Domini Henrici Regis Nauarrorum, &c. Legatus, vir Magni-

ficus & Generoſus Baro Iacobus Segurius,ac conſilii Regii primas, negotium à R. M. commiſſum Dominis Proconſulibus & aliis à Senatu Reipubl. Hamburgenſis Deputatis, tam viua voce, quam ſcripto compendioſo,ſingulari dexteritate & induſtria expoſuit. Quo à Senatu Reip. in maturã deliberationem deducto,ſubſequentem reſolutionem ea, qua decet & par eſt, animi ſubmiſſione ſubiicere voluit.

Principio itaque ſicuti R^æ. M^tis. benignæ & propenſioris affectionis ſignificationem erga hanc Remp.clementiſſima ſalutatione oſtenſam,ſubmiſſione voluntatis Senatus accepit,ita Senatus tam ſuo quam communium ciuium ſuorum nomine officioſa obſequia , cum omni obſeruantia,ſtudio & cultu coniuncta viciſſim humiliter & promptiſſime defert & pollicetur.

Inprimis vero hanc plane Regiam benignitatem gratiſſimis votis proſequitur,quod R.M. neque ſumptuum neq; periculorum vel moleſtiarum multitudine deterrita,huius difficilimæ profectionis inſtitutum ſuſcipere, atque deinde vrgentiſſimis cauſis impedita , ſanctæ auctoritatis Legatũ , cum pleniſſima poteſtate ablegare voluerit , vt Chriſtianæ Eccleſiæ ob infeſtiſſimorum manifeſtam vim & inſidioſas fraudes grauiter laboranti, coniuncto conſilio mature ſuccurratur. Certe vbi tam laudabilis,veterum Chriſtianorum Principum exemplo,inſtituti ratio omnium piorum gratulationẽ meretur,ita etiam Regiæ Maieſt.nunquam perituram gloriam apud gratam,ſi qua futura eſt,poſteritatem inueniet, & ex Proceribus alios felici æmulatione ad hanc ſalutaris negocii expeditionem incitabit. Siquidem hæc ſapientiſſimo conſilio & glorioſiſſima Illuſtriſſimi nominis ipſius erga omnes Eccleſiæ Chriſtianæ ciues & orthodoxæ veritatis ſtudioſos pietate & benignitate,ſuſcepta pietatem Chriſtianam & genere & dignitate ſua Regia digniſſimam declarant , & propenſionem & amorem clementiſſimum erga hanc Ciuitatem, & erga Eccleſiaſticum ſtatum admiratione & bonorum prædicatione dignam affectionem oſtendunt,quam in * Henricis noſtris antiquæ hiſtoriæ celebrant.

* al. [illegible]

Quod autem præcipuum caput conſultationis Regiæ per Legatum digniſſimum ad hanc Rempubl.noſtram inſtitutæ concernit,vt de hiſce inter Auguſtanæ Confeſſionis ſocios & reformatæ religioni addictos iamdudum cum præſentiſsimo Chriſtianæ Reipub.periculo exortis controuerſiis, conuentus & ſynodus legitima, quam hactenus aliæ difficultates & temporum turbulentiorum iniquitas impediuit,indicatur,in eaque ſepoſitis affectibus & relictis præiudiciis , interueniente Illuſtriſsimorum Imperii Procerum autoritate, & ſalutari moderatione cauſæ controuerſæ diiudicatio inſtituatur, vt quæ vtriuſque partis afflictam conditionem hactenus duriter exercuerunt diſsidia, moderato & pio conſilio tollantur & componantur. Certe ſicuti hanc communicationem in primitiua Eccleſia ab orthodoxis ſæpenumero vſurpatam nouimus,ita & ab eadem nos non abhorremus, ſed potius ex animo optamus, vt Deus Opt. Max.dum orbis terrarum paſsim odiis & furoribus ardet,miſere dilacerata Eccleſiæ membra conglutinet,& in vnius corporis harmoniã reducat, ac ſublata omni diſsidiorum inæqualitate pacem & quietem ſeneſcenti Eccleſiæ benigne concedat.

Ideoq; licet penes ſuperiores Principes conuocationis inſtituendæ poteſtas ſit, & ab illorum voluntate executio legitima huius negotii dependeat,adeo vt non ſit, quod de certiore eiuſdem effectu quid polliceamur:tamen ſi Auguſtanæ Confeſsioni addicti Principes & Ordines, legitimi conuentus inſtituendi rationes præbuerint,noſtramque hac in parte qualemcunque ſuffragationem requiſiuerint,certe in iis,quæ ad conſtituendam pacem, & tranquillitatem Chriſtianæ Reipubl. pertinent,noſtro loco R.M.omniũq; piorum benigno deſiderio & expectationi nunquam ſumus defuturi,ſed quam poſsibile erit, hoc præcepturi, quod exiſtimamus ad gloriam nominis diuini & cœleſtis veritatis conſeruationem ceſſurum.

Quod ſupereſt,Deum Opt.Max.autorem omnis boni,rogare non deſinemus,vt hiſce tam piis & ſalutaribus conatibus ſua diuina gratia benedicere,eorumque & animos, qui ſanctum Dei Euangelium amplectuntur,ſalutari & neceſſario pacis vinculo conſociare velit,quo doctrina Euangelii nobis pura conſeruetur,& ab Eccleſiis ipſum vere agnoſcentibus omnes hoſtiles conatus & violentæ molitiones auertantur,hiſque imminentibus calamitatibus & malis publicis,diuinis auſpiciis ſalutaria remedia adhibeantur. Deinde qua par eſt animi ſubmiſsione à R. M. contendimus, hanc noſtram ex animo communis pacis promouendæ ſtudioſo profectam declarationem benigne & clementer accipere,noſque & Rempubl.noſtram Regia ſua benignitate complecti, & à nobis viciſsim omnia ſtudioſiſsimæ voluntatis obſequia,& paratiſsima officia expectare velit. Hæc vt Magnificus & Generoſus Dominus Legatus, cuius ſalutem & ſecuram incolumitatem caſtorum Angelorum excubiis ſolicite commendamus,poſt feliciſsimum ad ſuos reditum , R. M. fideliter noſtro nomine referat,officioſe rogamus,noſtra viciſsim expedita ſtudia ipſi cupide declaraturi: In fidem horum ſigillum Reipubl.noſtræ ſcientes his literis apponi iuſsimus. Dabantur Calend. April. anno nouiſsimi temporis 1584.

RESPONSVM REIPVBLICAE MAGDEburgenſis.

SAlutem & officia, Sereniſsime Rex Nauarrorum , Domine Clementiſsime. Cum fama ad nos perferretur de honorifica R.S.V.legatione ad Principes Germaniæ, eandemque publicam eſſe

conte-

conteſtationem ſummæ conteſſerationis & amoris mutui, gratulabamur quidem patriæ hanc felicitatem, qua quaſi nouo præſidio aduerſus externorum hoſtium machinationes quodammodo ſepta & munita eſſe videretur. Sed tum demum maiori afficiebamur lætitia, cum Illuſtris ac Generoſus Dominus Iacobus Segurius, &c. Legatus, Magdeburgum noſtrum peteret, & exhibitis R. S. V. literis, plenis pietate & clementia, de Regio in Eccleſiam Chriſti & Rempublicam Germaniæ animo & voluntate ſuauiter & religioſe diſſereret, de conciliandis in Eccleſia diſſenſionibus ſuaderet pie & placide, de ſedando belli Colonienſis tumultu loqueretur argute & prudenter. Magnam itaque ſpem concepimus de Regiorum conſiliorum optimo euentu, ſi Illuſtriſs. Principibus noſtris de ſalute Eccleſiarum & patriæ iamdudum ſollicitis probari ea cognouerimus. Equidem quę noſtra eſt fortuna & conditio ab imitatione maiorum noſtrorum, periclitante religionis ſtatu, nunquam receſſuri ſumus, non tam exemplis eorum, quam noſtra in Deum fide & veritate propria incitati, fretique Dei numine & clementia. Qui animus ne in nobis concidat, plurimum momenti habebit S.R.V. vere religioſa & Chriſtiana admonitio. Ipſam enim nunc amplectimur reuerenter, prædicaturi omnibus magnifice, diligenter commendaturi poſteris.

Ingentes igitur gratias R. S. V. pro eo amore & beneuolentia, qua hactenus Germanos ſeſe proſecutam eſſe, & adhuc proſequi profitetur. pro quo amore quid tanto Regi reponamus, cum Magdeburgum noſtrum non inueniat? Colonienſium certe Eccleſia, cuius neceſſitati gemmarum, pecuniarum & ſupellectilis aureæ vim à Domino Legato depoſitam eſſe audiuimus, id quod res eſt, fatebitur, te Sereniſſimum Nauarrorum Regem, nomine ſibi amicum, officijs fratrem, auxilijs parentem extitiſſe. Nos porro, Rex Sereniſſime, regnum tuum ſemper ſaluum, te incolumem, nomen tuum inter Chriſtianos Reges immortale ex animo optamus, precamurque, vt alij etiam Reges tuo ductu & exemplo, vti iam nobis conſtat, veram religionem ament, promoueant, tueantur, defendant. Vale, Sereniſſime Rex, & ſalue. Magdeburgi, anno &c. 84. XVI. Calend. Martij, quo die Giſela Imperatoris Conradi Saliqui coniunx, Lotharij Regis Franciæ filia, nupta prius Brunoni Marchioni Saxoniæ, deinde Erneſto Duci Sueuorum, pie mortem obijt.

R. S. V.

officioſe obſeruantes

Conſules & Senatores Magdeburgenſes, &c.

RESPONSVM REIPVBLICÆ BREMENSIS.

CVm Maieſtate Regia nihil dignius, quam vera pietas & pura religio, nihilque magis laudandum, quam veritatis & pacis ſtudium, promouendæque gloriæ Dei zelus & induſtria: optandum ſane erat, Sereniſſime Rex, Princeps & Domine Clementiſſime, omnes & ſingulos, quos glorioſus Deus ad altiores in hiſce terris dignitatum gradus euexit, non ſolum id ſpectare, quomodo vita politica recte & tranquille in ipſorum regnis & ditionibus conſtitueretur, ſed etiam imprimis id ſedulo cogitare & curare, vt tam ipſi, quam ipſorum ſubditi, veræ pietatis religione informati, & in agnitione purioris doctrinæ conſtanter perſeuerare, & ſua quoque opera & ſtudio id efficere, quo fugatis errorum tenebris, veritatis lux magis magiſque illuceſcere, diuque deſiderata pax & concordia, inter diſſipatas Eccleſias, diuina aſpirante gratia, tandem poſſet reſtitui. Quem quidem zelum, vt in paucis, ita vt decebat, in poſtremis hiſce periculoſis temporibus, feruere non ſine magno mœrore & dolore animaduertimus, & deploramus, ſic eundem in R. S. T. piiſſimo voto ardeſcere, tum ex S. T. ad nos datis literis, tum etiam ex eiuſdem Legati, Magnifici & Generoſi Domini Iacobi Segurij, ex mandato ad nos habitis ſermonibus, non abſque ſingulari lætitia & gaudio, pergrato animo cognouimus. Ex iis ſiquidem nobis certiſſima fides facta eſt, S. T. R. inter Reges illos ac Principes, quos in hoc vltimo ad finem ſuum decurrentis mundi ſeculo, Deus orbi Chriſtiano præfecit, non modo virtutibus omnibus politicis excellere, ſed quæ ſapientiſſimorum Magiſtratuum laus eſt, agnitione & confeſſione purioris doctrinæ Euangelij, pleriſque alijs prælucere, ſanctoque zelo promouendæ gloriæ Dei accenſum, omni labore & ſtudio & veræ doctrinæ propagationem, & omnium Eccleſiarum, quæ ſemoto Romani Antichriſti iugo orthodoxam fidem & puriorem cum norma Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum congruentem Dei cultum amplectuntur, communem pacem atque ſalutem quærere.

Quam S. T. laudandam pietatem, & pro Reipublicæ Chriſtianæ ſalute flagrantem animi curam & ſolicitudinem, ipſa legatio ampliſſima, quam hoc ipſo tempore, quo Satanam omnia extrema moliri videmus, maximo cum ſumptu in Germaniam (diuino haud dubie inſtinctu) miſit, qua de totius Chriſtiani orbis periculis alios Reges, Principes & Reſpublicas Euangelicæ doctrinæ addictas, ac de pace & concordia inter Eccleſias Euangelicas promouenda monere, viaſque & rationes quibus pernicioſa illa diſſidia de quibuſdam religionis articulis inter Euangelicos exorta componi, & è medio tolli poſſe confidit, oſtendere & proponere voluit: denique ipſa etiam opum & præſidiorum ſuorum ad afflictum Eccleſiarum ſtatum iuuandum, vltronea & benigniſſima oblatio ſatis abunde teſtatur atque declarat.

Vuuuu Cum

Cum itaque R. S. T. Legatus, Dom. Segurius, ex Anglia & Belgio primum omnium huc appuliſſet, haud grauatim eum cum comitatu ſuo in vrbe noſtra hoſpitio excepimus, reuerſumque ex Regno Daniæ & Aulis Principum Germaniæ, vbi legationem ſuam obierat, denuo apud nos diuertere, & eo, quod poſtulanti tempore ſub fide Reipub. noſtræ commorari, tum propter cauſam communem omnium Eccleſiarum Euangelicarum, tum ob S. T. atque Legati ipſius honorem & reuerentiam facilime permiſimus.

Quod autem ad ſummam inſtructionis illius attinet, de qua ex iuſſu mandatoque S. T. R. nobiſcum egit: agnoſcimus ſane grata mente hunc honorem Reipublicæ noſtræ habitum eſſe, vt de negotio ad pacem arctioremque Eccleſiarum coniunctionem ſpectante, S. T. R. nobiſcum quoq; per Generoſum Dominum Legatum communicare aliquid dignata fuerit. Cuius rationibus lætati fuimus ita Deum benedixiſſe, vt non modo à Rege Daniæ & Regina Angliæ, ſed etiam à pleriſque Electoribus, Principibus atque Rebuſpublicis, quas acceſſit hactenus, commodiſſima reſponſa ſecum attulerit. quæ cum legere nos voluiſſet, magna cum animi voluptate percepimus, vnanimi conſenſu ab omnibus approbari ſincerum ardenſque R. S. T. ſtudium in rebus Eccleſiæ iuuandis, & ſpem pleroſq; Principes non exiguam præbere intelleximus excitatæ voluntatis, ad promouendum inſtitutum ſynodi legitimæ conuocandæ. Quod vnicum fere remedium humanum ſupereſſe videtur, ad diſſidia domeſtica inter Eccleſias Euangelicas tollenda, quæ plurimum hactenus propagationi veritatis & mutuæ Eccleſiarum coniunctioni nocuiſſe conſtat.

Quanquam vero in negocio tam arduo & ad plures Status pertinente, ne fieri quidem aliter poteſt, quin & mora aliqua temporis intercedat, & impedimenta varia incidant, quibus euentus optatus ſalutarium iſtorum conſiliorum pertrahatur: dubium tamen non eſt, ſuo tempore fructum huius inſtituti tandem Dei ope (cuius gloria & cauſa agitur) ſubſecuturum, qui cum dederit velle, proculdubio dabit etiam perficere. Nos quidem cum hactenus à multis annis Reſpublica noſtra non leuia certamina propter defenſionem purioris doctrinæ Euangelij ſuſtinuerit, in iſtiuſmodi controuerſiis religionis ſemper ad ſynodum generalem prouocauimus, eiuſque adhuc ſumus animi, vt nihil magis in votis habeamus, quam vt eiuſmodi medio legitimo finis contentionibus ac diſſidijs Eccleſiaſticis imponi aliquando (Deo iuuante) poſſit.

Sed cum ea res ad ſummos Imperij Ordines pertineat, quorum ductum atque auſpicium alios Status inferiores ſequi, in hoc negotio tanti momenti, par eſt, nos interim Deum Optimum Maximum orare non ceſſabimus, vt quod ad gloriæ ipſius & Eccleſiæ emolumentum commodare poſſit, feliciter prouehat, & animos ſummorum Principum Spiritu ſuo flectat atque impellat, vt promiſſis ipſorum benigniſſimis de ſynodo conuocanda, facta & euentus reſpondeant. Ad quam deliberationem ſi & nos requiſiti fuerimus, non deerimus noſtro loco & muneri, quin omnia libentiſſime facturi ſimus, quæcunque ad retinendam veritatem doctrinæ cœleſtis, & conſenſionem communem Eccleſiarum inſtaurandam fieri poterunt. Interea vt S. T. R. pium & laudabile inſtitutum de conſtituenda pace & coniunctione Eccleſiarum (quod opus pietate tua digniſſimum eſt) grata voce prædicabimus, & ſucceſſum atque euentum ſalutarem piiſſimis tuis conſiliis à Deo precabimur, cumque orabimus, vt viciſſim T. S. R. largiſſimis benedictionibus cumulet. Quod reſtat, Serenitatis tuæ Regiæ fauori & benignitati Rempublicam noſtram ea, qua decet, obſeruantia reuerenter & humiliter commendamus, tibiq;, Rex Sereniſſime, obſequia noſtra prompto & parato animo offerimus. Datæ Bremæ Saxonum, ſub ſigillo ciuitatis noſtræ, die 14. Menſis Maij, Anno ſalutis 1584.

R. S. T.

Addictiſſimi

Conſules & Senatores Reipublicæ Bremenſis, &c.

PVRGATIO LEGATI REGII AD S. CÆS. MAIEST.

INuictiſſime & potentiſſime Imperator. A ſereniſſimo Rege Nauarreno ad varios Principes orbis Chriſtiani miſſus, potiſſimum vero ad Cæſ. V. Maieſt. ablegatus, decreueram primo quoq; tempore ad ipſam contendere, tum vt legationis munere perfungerer, tum etiam vt optimam ſereniſſimi Regis Nauarreni voluntatem & ſtudium erga Maieſt. V. declararem, ipſiuſque officia & obſequia deferrem.

Verum cum hæc ſtatuiſſem, Cæſ. V. Maieſt. calumniis quorundam legationi meæ iniquiorem factam eſſe intellexi, & ab eadem, tum ad Illuſtriſ. Ducem Bauar. tum ad Comitem Solmenſem, tum etiam ad alios ſcriptas eſſe literas, quibus vt interciperer, & in cuſtodiam conijcerer, edicebatur. Addiderunt amici inſidias etiam multis in locis mihi paratas eſſe. quod tamen Sereniſ. Regis Nauar. aduerſariis, quorum ille multorum odio propter Eccleſię ſuſceptam defenſionem laborat, non Clementiſ. V. Maieſtati aſſcribo. Imo ne literas quidem illas à Maieſt. ipſius ſponte exaratas arbitror, ſed vel furtim ablatas, vel impoſturis & calumniis extortas.

Accuſationis, vt audio, tria potiſſimum fuere capita: Primum eſt, quod ſine fide publica Imperij Germanici limites peregrinus homo ingrediar: Alterum, quod inſalutata Maieſtate veſtra

tum Germanicis Principibus agam. Tertium, quod nouis rebus in Imperio ſtudeam. Quas accuſationes, vt facile dilui poſſunt, ita parum ponderis apud Cæſ. V. Maieſtatem habere velim.

Nam quod ad primam attinet, legatorum perſonas ipſo iure gentium ſine fidei publicæ cautione, quæ ciuilis iuris eſt, ſacras eſſe, & ab omni iniuria immunes, norunt ij, Inuictiſſime Imperator, qui feciales leges norunt: Quarum, vti cæterarum, cum Cæſar. V. Maieſtas ſit conſeruatrix, & acerrima vindex: miror, quid illis in mentem venerit, qui ipſius patientia & clementiſſimis auribus ad prætexendam iſtam calumniam abuſi ſunt. Præterea cum nullis imperij legibus caueri putem, ne cui peregrino, hoc quidem pacis tempore, ſine fidei publicæ diplomate in Germania verſari liceat, quis mirabitur, eo me iure vſum, præſertim legatum, quod priuato cuilibet competit?

Quod ad ſecundum calumniæ caput, fateor, Clementiſſime Cæſar, à Sereniſſimo Rege Nauarreno iniunctum mihi fuiſſe, vt Illuſtriſſimos Electores Saxonicum & Brandeburgicum accederem, antequam ad Maieſtatem V. irem. Proſpiciebat enim prudentiſſimus Rex futurum, quod accidit, vt legatio iſta in varias aduerſariorum reprehenſiones incurreret. Itaque adminiſtrandæ illius primordium ab Illuſtriſſimis Electoribus duci cupiebat, quo ex teſtimonio de totius negotii ſinceritate Cæſareæ Maieſtati, ſi opus eſſet, idonee caueretur. Sed cum Berlino Dreſdam peterem, mihi primum ex literis amicorum ſuſpitio non leuis facta eſt, maleuolorum quorundam calumniis legationem meam obtrectari, meque apud Cæſ. V. Maieſt. in odium vocari. Technas vero iſtas in Gallia ipſa ab ijs confictas, quibus regnum illud florentiſſimum tot iam annos diripere ludus fuit.

Cum igitur initio Dreſda ad Cæſar. V. Maieſtatem ire ex Sereniſſimi Regis Nauarreni iuſſu decreuiſſem, conſilium non ſine ſumma animi moleſtia mutare, & profectionem iſtam in aliud tempus protrahere coactus ſum: tum quia iuſta fuit in itinere ipſo ab hominibus male feriatis metuendi cauſa, tum etiam quia futurum ſperabam, vt interea, dum alibi legationem meam * adminiſtrarem, falſas illas criminationes tempus ipſum dilueret. Neque tamen de mutato itineris inſtituto, & accuſationibus iſtis aut cum Illuſtriſ. Electore Saxonico quicquam egi, aut ad Maieſt. V. ſcribere volui, ne id temere ſcriberem, de quo mihi nondum plane liqueret. * obirem

Supereſt vltimum accuſationis genus, quo nouas res in Germania moliri dicor, quod quam à veritate ſit alienum, teſtes eſſe poterunt illuſtriſ. Electores & Principes Germaniæ, quibus cum hactenus egi: teſtes ciuitates, & ſi exterorum teſtimonia requiruntur, quænam illuſtriora & locupletiora edi poſſunt, quam Sereniſ. Reginæ Angliæ, & potentiſ. Daniæ Regis? quibus cum ex eadem mandati formula mihi res fuit.

Fateor quidem de Illuſtriſſimo Electore Trucſeſio actum, ſed eatenus tantum, ne deſereretur, & ne qua illi iniuria Pontificis Romani Tyrannide & libidine fieret. Quæ oratio quam honeſta ſit Cæſar. V. Maieſtatis iudicio & exemplo comprobatur, cum ne ab illa quidem deſertus fuerit Illuſtriſſimus Elector, ſed Imperiali edicto cautum, vt vtrinque ab armis diſcederetur. Vnde ſubſecuta ſunt Comitia Rotemburgica. Nam quod ad Illuſtriſſimum Cardinalem Bauaricum attinet, tantum abeſt, vt ad eum ſpectauerit Sereniſſimus Rex Nauarrenus, aut in eum iſta legatione quicquam odij, vel inuidiæ, vel etiam periculi conflare voluerit, vt quo tempore ab ipſius Serenitate ablegatus ſum, Illuſtriſ. Cardinalem Colonienſis negotii partem eſſe, ne fama quidem acceperit, vt ex die miſſionis meæ conſtat.

Fuit & in legatione mea exhortatio ad Illuſtriſſimos Principes, vt ſibi cauerent à Romani Pontificis inſidiis, & ſi quid ille moliretur, communibus conſiliis & auxiliis rem agerent, denique vt pro Germaniæ ſalute & Imperii dignitate aduerſus illius fraudes vigilarent. Sed quid hoc ad turbas in Germania mouendas, quarum falſo inſimulor? Aut quid aptius ad pacem & concordiam in Imperio retinendam? Videt Cæſ. V. Maieſtas, Inuictiſſime Cæſar, quam falſa ſint, quæ de me dicuntur, quæ ſi nominis mei & perſonæ finibus circumſcriberentur, neque Sereniſ. Rex Nauarrenus iiſdem calumniis premeretur, fortaſſe prætermitti potuerunt. Sed quoniam Sereniſ. Regis agitur exiſtimatio, tacitus præterire non debui.

Hoc vnum de me dicam, neminem eſſe tota Gallia nobilem, qui me ſuapte natura à rerum nouarum ſtudiis alienior extet, neminem, qui ad pacis illius & concordiæ rationes, qua ſingulari Dei beneficio in Gallia fruimur, vel induſtriæ vel laboris plus quam ipſe feci, contulerit. Qua quidem ex re eum fructum tuli, & quidem vberrimum, vt à ſtudio pacis Chriſtianiſſimo Regi commendatus fuerim, & ampliſſimo ipſius teſtimonio exornatus. Vtinam autem fieret, vt quemadmodum in pace noſtra conſtituenda conatus meus optimus feliciſſime ſucceſſit, ita etiam aliquid ad concordiam in Germania retinendam afferre poſſem. Nunc, quoniam, vt initio dixi, criminatorum arte factum eſſe intellexi, vt Cæſarea veſtra Maieſtas intercipi me iuſſerit, cuius mandati geminum exemplum ab octiduo primum accepi, à veſtra Cæſarea Maieſtate veniam peto, Inuictiſſime Cæſar, ſi quod ipſe facturus eram, alia ratione hoc quidem tempore facere cogor, vt ſcilicet legationis meæ cauſas ſcriptis explicem, & Sereniſſimi Regis Nauarreni literas & mandata ad Cæſ. V. Maieſtatem mittam. Quibus ab ea diligenter perſpectis futurum ſpero, vt nobis in Germania tuto per ipſius clementiam, quod ſupereſt temporis, verſari liceat (ne ſcilicet vlla vis veſtro feliciſſimo ſeculo & imperio Iuri gentium fiat) & Maieſtas veſtra Sereniſſimo Regi Nauarreno benigne & commode reſpondeat. Quod quidem reſponſum, donec ab hoc miniſtro meo referatur,

interea dum expecto, Deum Opt. Max. orabo, vt Cæſar. V. Maieſtatem, Inuictiſs. Cæſar, ad nominis ſui gloriam & orbis Chriſtiani tranquillitatem perpetuo incolumem ſeruet. Verdæ 16. Apri. Anno 1548.

Caeſ. V. Maieſt.

addictiſſimus & obſequentiſs.

Iacobus Segurius Pardeltanus, Regis Nauarræ Legatus.

III.

Anno Domini 1586.

DE COLLOQVIO MOMPELGARTENSI INTER CLARISSIMOS VIROS D. THEODORVM BEZAM ET D. Iacobum Andreæ, habito, Epiſtola M. Euſebij Schönbergij ad Belgicas Eccleſias.

ETſi nimis verum eſt illud vulgatum dicterium: *Mundus vult decipi:* & illud Demoſthenis in Olynthiacis: *Patere potius aures hominum ad conuitia virorum clarorum excipienda, quam ad eorum laudes & encomia:* nunquam tamen exiſtimaſſem cuiquam vel manus ad mera & pura mendacia ſcribenda, vel aures ad ea admittenda ita prurituras, niſi ſuperioribus menſibus Hamburgum, & inde Brunſuigam veniens, varias epiſtolas, partim à D. Iacobo Andreæ, partim à Luca Oſiandro ſcriptas & ſparſas intellexiſſem, in quibus non ſolum Epinicium canunt, & ſua tropæa contra Bezam oſtentant: verum etiam eum, idque per omnia in primis Gynæcea Germaniæ, vt audio, traducunt & exagitant, quaſi non de ſacra cœna tantum, verum etiam de multis aliis capitibus doctrinæ, maioris momenti quam ipſa cœna, & perperam ſentiret, & Mompelgardi blaſpheme locutus eſſet, & teſtimonijs ſcripturæ plane deſtitutus fuiſſet. Talia quidem ſpargi non mirabar ab ijs, qui MENDACIVM poſuerunt ſpem ſuam, & ORALES ſunt Theologi, qui huiuſmodi rumoribus Helmſtadianos Theologos, VBIQVITATEM generalem cum CATHOLICA ORTHODOXA Eccleſia improbantes terrere, tamquam fulgure ex pelui excitato voluerunt. Sed hoc valde miratus ſum, tales nugas ipſo fictitio VTERO VIRGINIS ESLINGENSIS vaniores ita fidem inuenire, nec cogitare homines, IACOBVM ANDREÆ, qui paſſim gloriatur, ſe ſua ſuauiloquentia Nobilitatem Gallicam, quæ Mompelgardi perfugium habet, in ſuam ſententiam traduxiſſe, & Bezam confudiſſe, eum ipſum eſſe, qui anno quinquageſimo nono ſibi imaginabatur ſe Bauaros ad ſuam fidem conuertiſſe: & toties gloriatus eſt, ſe VBIQVE in Germania, nominatim in ſuperiore & inferiore Saxonia, Doctores & Paſtores habere, VBIQVITATIS ſuæ ſuffragatores. Deinde, quæ hæc eſt, & quam prodigioſa non tam credulitas, quam amentia, ſuſpicari Bezam, Theologum fere ſeptuagenarium, qui nouum Teſtamentum, ipſis aduerſarijs confitentibus, doctiſſimis annotationibus aliquoties illuſtrauit, cum ei de prædeſtinatione diſſerendum & reſpondendum fuit, nullum ſcripturæ locum in promptu habuiſſe, nec recordatum, quid D. Paulus *ad Roman.* 9. quid *Epheſ.* 1. quid poſteriori *Timoth.* 2. quid alibi ſcriptura de illo argumento tradat. Quam hoc iniquum, quam abſurdum, ex vanis rumoribus ab homine ſparſis, potius iudicare, quid Beza de Baptiſmo, quid de Cœna, quid de Prædeſtinatione ſentiat, quam ex eius *Confeſſione* ante tot annos edita, ex tot ſcriptis Didaſcalicis & Polemicis, ex *Catecheſi* denique *Eccleſiæ Geneuenſis*, in qua ipſe Eccleſiaſten agit? ſi poculis, ſi ſcurrilitatibus, ſi indoctis facetijs, ſi inauratis crateribus & pondere crumenæ, aut aqualiculi, non autem argumentorum certandum eſſet, ibi certe Bezam oporteret victas dare manus D. Iacobo. Cæterum, vt recti aliquid de re tota ad vos perſcriberem, quos anxios eſſe audio propter illos Thraſonicos rumores à D. Iacobo & D. Luca Oſiandro diſſeminatos, contuli me non ita pridem Mompelgardum, vbi ex omnibus tum Gallis, tum ciuibus, qui colloquio interfuerant, intellexi. Primum D. Bezam nunquam à D. Iacobo impetrare potuiſſe, vt in colloquio ordine & ſyllogiſtice ageretur, neque vt aliquid in acta referretur: Deinde Bezam non acceſſiſſe eo animo, vt de capitib. doctrinæ colloquium inſtitueretur, ſed tantum de rationibus & vijs, quibus amicum & placidum, & magis generale colloquium haberi poſſet: Vt tandem aliquando tot acerbis & Polemicis ſcriptis, qualia quotidie Tubinga nominatim effundit, modus imponatur. Illud conſilium Iacobo diſplicuit: & quia ſciebat cauſam, vt Cic. ſcribit, loco maxime debilitari, & ſe habere iudicem fauorabilem, inclytum D. Comitem Mompelg. Tubing. ſcholæ alumnum, coegit Bezam toto octiduo ad quodlibeticas quæ-

ſtiones

ſtiones reſpondere: Ad quas iubente ita principe reſpondit Beza, ſed ita moderate, ita ſolide, vt omnes, qui D. Iacobi inſolentem & arrogantem garrulitatem audiebant, Bezæ eruditionem & patientiam admirarentur. Cum igitur Iacobus vereretur, ne in negotio de Cœna, & de perſona Chriſti ſuccumberet, ad dogma de prædeſtinatione ſe conferebat. Rurſus cum ibi impediretur, & *Epiſtolam* D. Pauli *ad Romanos*, & *librum de ſeruo arbitrio* D. Lutheri, *contra Eraſmum*, qui idem plane de prædeſtinatione tradit, quod Beza ſibi obſtare videret, ad doctrinam Baptiſmi, ad initia Chriſtianæ religionis referebat pedem. Ceremonijs & ſignis tribuens id, quod eſt Spiritus ſancti & ſanguinis Chriſti proprium. Hic cum ſatis præſidij non inueniret, ad idola perfugium habuit: dimicans pro illis, & aſſerens in templis Chriſtianorum poſſe retineri: Multo plus de illis ſollicitus, quam de tot viuis Dei templis & imaginibus, quæ in Belgio & Gallia per truculentas lanienas corruerunt. Denique vt tum ſibi, tum D. Oſiandro delitias faceret, ad organa ſe applicuit, eorum vſum in templis magnum eſſe affirmans, quia ſcriptum eſt: *Laudate Deum in organis & tympanis.* Vnde irrefragabiliter ſcilicet efficitur, organis & tympanis locum eſſe in templis relinquendum. Cum porro rem in immenſum extrahere vellet D. Iacobus, cui vina Burgundica & Richeuillana bene ſapiebant: D. Beza autem ad ſuam ἀντιχεχίαν & Eccleſiam redire mallet, quam tempus altercando terere; datæ ſunt vtrinque theſes, quibus D. Iacobus de ſupradictis capitibus ſuam ſententiam eſt complexus. Dominus Beza autem breuiter ſuam & Eccleſiarum doctrinam recenſuit & repetijt. Quas theſes ab vtraque parte ſubſcriptas multi pij viri cuperent edi, vt tot calumnijs, quæ per Germaniam & alias prouincias de illo colloquio ſparguntur, occurri poſſit, ne D. Bezæ, qui bona cauſa & conſcientia nititur, modeſtia & ſilentium, veritati ſit fraudi. Illud pene omittebam, quod maxime referri & commemorari oportet tantum abeſſe, vt Comes Illuſtris, Gallis exulibus, qui Mompelgardi erant, fuerit poſt colloquium iniquior, vt poſt colloquium illud, quod ante non erat paſſus, permiſerit Gallos communicare Cœnæ Domini, cum proteſtatione libera, quod à confeſſione Eccleſiarum Gallicarum diſcedere nollent: Id quod coram Notarijs & Paſtoribus illius loci teſtati ſunt. Vt taceam, quod poſt colloquium illud prædictus D. Comes Mompelgardenſis, in gratiam Eccleſiarum Gallicanarum, ſolennis legationis ad Regem Galliæ Princeps eſſe voluit. Hæc cum ſint omnibus nota & teſtata, plus certe ponderis apud omnes bonos habere debent, quam variæ ſchedæ, quæ ſibi non conſentiunt, & per Gynæcea in Germania volitant: in quibus omnem ſpem victoriæ D. Iacobus collocat. Datum Luneburgi, prid. Calend. Auguſt. 1586.

Veſter in Domino

Euſebius Schönbergius.

IV.

DISCVRSVS NOTABILIS DE AVGVSTANA CONFESSIONE, QVO SENSV A MVLTIS IAMPRIDEM intellecta & accepta fuerit.

VT autem hic obiter de Auguſtanæ confeſſionis ſententia, cuius hodie declarationem ſeu explicationem neſcio, [a] qui maleferiati homines ex vbiquitate corporis Chriſti, & triplici quodam eſſendi modo afferre, & Eccleſiis recipiendam obtrudere, ab eiuſque ſocietate omnes alios in hanc explicationem non conſentientes, excludere conantur, mentionem inſeramus. Sciendum eſt, anno 300. in Comitijs Auguſtanis quatuor Imperialium ciuitatum, vtpote Argentinenſis, Conſtantienſis, Lindauienſis & Memmingenſis nomine peculiarem confeſſionem fuiſſe exhibitam, in qua de Euchariſtiæ ſacramento hanc fidem ſunt profeſſi. [b] *De hoc venerando corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento omnia, quæ de illo Euangeliſtæ, Paulus & ſancti Patres ſcripta reliquerunt, Eccleſiaſtæ noſtri optima fide docent, commendant & inculcant. Indeq; ſingulari ſtudio hanc Chriſti in ſuos bonitatem ſemper de eo prædicant, qua is non minus hodie, quam in nouiſſima illa cœna, omnibus, qui inter illius diſcipulos ex animo nomen dederunt, [c] cum hanc cœnam, vt ipſe inſtituit, repetunt, verum ſuum corpus, verumque ſuum ſanguinem vere edendum & bibendum, in [d] cibum potumque animarum, quo illæ in æternam vitam alantur, dare per ſacramenta dignatur: vt iam ipſe in illis, & illi in ipſo viuant & permaneant, in die nouiſſimo, in nouam & immortalem vitam per ipſum reſuſcitandi: Iuxta illa ſua æterna veritatis verba: [e] Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, &c. Bibite ex hoc omnes, hic calix eſt ſanguis meus.* Præcipua vero diligentia animos populi Eccleſiaſtæ noſtri ab omni tum contentione, tum ſuperuacanea & curioſa diſquiſitione ad illud reuocant, quod ſolum prodeſt, ſolumque à Chriſto ſeruatore noſtro ſpectatum eſt: *Nempe, vt ipſo paſti, in ipſo & per ipſum*

a *Autores libri Bergenſis.*

b *Confeſſio quatuor Imperialium ciuitatum de Euchariſtia, multo quam Auguſtana plenior & explicatior.*

c *Conditio inſtitutionis & legitimus vſus.*

d *Qualis cibus, talis edendi modus.*

e *Vbi hic illa de nudis & vacuis ſignis commenta.*

Vnum

viuamus, vitam Deo placitam, ſanctam, & ideo beatam, ſimusq́; inter nos omnes vnus panis, vnum corpus, qui de vno pane in ſacra cœna participamus.

Huius confeſſionis anno poſtea ſequenti *Apologiam* contra calumnioſam Pontificiorum confutationem ediderunt, in qua inter cætera de hoc Euchariſtiæ negotio erudititſſime ex Patrib. explicata, primo diſerte multiſq; modis negant, [a] ſe ſimplicem ſeu communem in Euchariſtia piſtum panem agnoſcere, ſed ſimul etiam ſincere & ex animo fateri veram & realem ipſius veri corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam & exhibitionem, ad quam tamen non neceſſaria ſit corporalis ipſius exiſtentia in pane & vino, ſiquidem hoc veritas corporis Chriſti, eiuſq; inconſumptæ naturales ipſius proprietates non admittant. [b] Eſſe autem ex veterum in Eccleſia Patrum ſententia *duas res in Euchariſtia, æternam & cœleſtem*, vt Irenæus ait: *Senſibilem & intelligibilem, ſeu ſpiritualem*, vt Chryſoſtomus dicit: *Sacramentum & rem ſacramenti*, hoc eſt, ſignum & rem ſignatam, vt Auguſtinus loquitur. Inter quæ non alia, [c] quam ſacramentalis vnio ſit, quæ rem cœleſtem, intelligibilem & ſpiritualem, hoc eſt, corpus & ſanguinem Chriſti, animo atque fide, rem terrenam & ſenſibilem vero corporis ore percipiamus. Et quoniam hæc ſacramentalis vnio in verbo Dei, ipſiuſque Chriſti operatione conſiſtat, inde omnibus, quibus Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit, id eſt, [d] fidelibus, veram & realem corporis Chriſti communicationem in cibum, non minus certo, quam ipſum panem exhiberi, non quidem corporis ore & dentibus, ſiue viſibiliter ſiue inuiſibiliter, ſed fideli tantum anima percipiendam, qua caro de carne, & os de oſſibus ipſius effecti, veræ immortalitatis fiamus participes. Propter hanc ſacramentalem vnionem, quæ eſt inter panem & corpus non raro à patribus illud, quod reuera competit pani, tribui ſolere corpori Chriſti, vt quod Chryſoſtomus ait, *corpus Chriſti videri, tangi, in manus & intra nos aſſumi, eique dentes infigi.*

Hanc ab iſtis Imperialibus ciuitatibus propriam & ſeorſim ſuo nomine exhibitam [e] cōfeſſionem, teſtatur Martinus Bucerus *axiomatibus ſuis Apologeticis* [f] *contra Ambsdorffium*, fuiſſe tandem ab ordinibus Auguſtanæ confeſſionis in Comitijs, & poſtea etiam in conuentu Suinfurti approbatam, quæ res occaſionem ei dedit, concordiæ cum Luthero, ſuiſque Symmiſtis, hac in re plenius ſanciendæ. Scribit itaque [g] Bucerus ad Lutherum, eiq; articulos ſuæ ſententiæ mittit, quibus ſe explicare rationem ait, qua Chriſtus in ſacra Cœna præſens percipiatur, ſed oculo mentis cōtemplandus, quodque ipſius præcipue Chriſti opus ſit, vt nobis corpus & ſanguis eius in cœna præſentia exhibeantur. Etſi autem hæc tunc à Bucero ſic primum peramice tentata concordia, aliquot annis propter Nicolai Ambsdorffii præcipue intemperiem, ſuſpenderetur: Tamen anno 35. Philippus Melanchthon familiariſſimis ſuis literis ſpem ſanciendæ tandem aliquando concordiæ Bucero [h] facit, cui inter alia ſic ſcribit: *De meo animo velim tibi perſuadeas, te & cæteros bonos viros Symmiſtas a me ex animo amari. Quo ſpectarint mea conſilia à principio facile animaduerti poteſt, nempe vt re deliberata, & veritas patefiat, & concordia conſtituatur. Non velim ſciens offundere caliginem veritati, nec diſperſas Eccleſias magis etiam perturbare.* Quin & ipſemet Lutherus eodem anno ad promouendum illud adeo deſideratæ concordiæ negotium literis ſuis Bucerum [k] monet & incitat, cuius etiam ſe tam cupidum eſſe profitetur, quam cupide ſibi Dominium propitium eſſe velit. Tandem igitur anno 36. poſtquam Bucerus & Wolfgangus Capito, [l] ſuarum Eccleſiarum nomine, coram cum Luthero, Philippo & aliis ſententias ſuas contuliſſent, & vtrinque placeret, non tantum panem & vinum, ſed & verum corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra Cœna diuinitus offerri & exhiberi, inuenta eſt aliqua concordiæ ratio, in qua ex Irenęi ſententia duas res in Euchariſtia eſſe fatentur, *terrenam & cœleſtem*: Ideoque cum pane & vino [m] vere & ſubſtantialiter adeſſe, exhiberi & ſumi corpus & ſanguinem Chriſti. Et quamuis negēnt fieri tranſſubſtantiationem panis in corpus, nec ſentiant vllam fieri localem incluſionem in pane, aut durabilem aliquam coniunctionem extra vſum, tamen concedunt, [n] ſacramentali vnione panem eſſe corpus Chriſti, hoc eſt, porrecto pane, ſimul adeſſe & ſimul exhiberi corpus Chriſti, vbi ſeruantur verba & inſtitutio ipſius.

Iſta autem concordiæ formula, quomodo à Bucero & Capitone aliarumq; Sueuicarum Ciuitatum miniſtris, qui huic formulæ ſubſcripſerunt, fuerit intellecta, & Eccleſiis ſuis, vt in eam conſentirent, explicata, & qualis ſit vere ſacramentalis illa vnio rerum cum ſignis, quæ locali incluſioni, & durabili cum pane coniunctioni opponitur, non ſolum Buceri ea de re in publicum emiſſæ [o] Retractationes, ſed & ipſa concordiæ Epiſtola, quam Argentinenſis Eccleſiæ miniſtri, ad Lutherum & alios Wittebergenſes Theologos ſcripſerunt, liquidiſſime teſtantur, nempe quod hanc concordiam, non quaſi à priori ſententia & confeſſione ſua Auguſtæ exhibita, eiuſque Apologia deſciſcentes, ſed tanquam cum ea in ſumma rei conſentaneam intelligant & amplectantur. Sic enim [p] ſcribunt: *Nos itaque à Vuolffgango Capitone & Martino Bucero, fratribus noſtris, audita hac tam exoptata & beata narratione, maximo perfuſi gaudio ſumus, & Domino pro tam eximio & neceſſario Eccleſiis beneficio gratias agimus. Nam pridem nos certe hanc ipſam indubitatam Chriſti doctrinam, pro portione Spiritus, quæ nobis contigit, profitemur, ſicut eam noſtra Reſpublica non ſolum in ſua,* [q] *quam Cæſareæ Maieſtati Auguſtæ obtulit confeſſione, eiuſq; confeſſionis Apologia, quam poſtea edidit, ſed eo etiam publice confeſſa eſt, quod in conuentu illo Principum & Rerumpubl. profitentium Euangelium Chriſti, qui Suinfurti anno 32. conuenerunt, confeſſionem præterea & Apologiam Principum publice recepit, nobis non tantum conſentientibus, ſed & ſuadentibus.*

His literis ad Lutherum alioſque Theologos Wittebergenſes hac animi teſtatione ſic ſcriptis,

a Contra criminationem Lutheri vom Abendmal.
b Hæc ponuntur in formula concordiæ Wittebergenſis.
c Sacramentalis vnio, cuius etiam fit mentio in formula concordiæ: vide ſupra ex Bucero.
d Inſtitutio Chriſti ex ſuo fine tantum ſpectat fideles.
e Nota: ad hanc confeſſionem ſe retulerunt Argentinenſes in recipienda Wittebergenſi concordia.
f Anno 1535. propoſuit 77. contra Ambsdorfium in ſcriptis Anglicanis Buceri fol. 641.
g 25. Auguſti, anno 30.
h 3. Februarii anno 35 in ſcriptis Anglicanis fol. 631.
i Scilicet hoc hodie faciunt Pſeudo Lutherani.
k 5 Octobr. anno 35.
l Vide narrationem hiſtoriæ in ſcriptis Anglicanis Buceri fol. 648.
m Hic abſque corporali præſentia in pane fieri & intelligi poſſe teſtantur Retractationes Buceri.
n Nota: Sacramentalis vnio opponitur locali incluſioni.
o Vide ſupra de veteribus ſacramentis.
p In Auguſto anno 36. in ſcriptis Anglicanis Buceri fol. 684.
q Nota: quo ſenſu formula concordiæ & Auguſtana confeſſio fuerit recepta & approbata. Cur non comprehendit Lutherus, ſi is aliam ſenſit ...

& abſq; omni contradictione receptis, quid aliud quæſo ingenua vtrinq; fiducia actum eſſe iudicare poterant & debebant ſincere boni, pacis ſtudioſi, & Conſtantes viri, quam hac ipſa Concordiæ formula, Confeſſionem illam quatuor Imperialium Ciuitatum, vna cum Apologia, à Luthero & ſuis Symmiſtis, [a] ſicut viciſſim Auguſtanam principum Confeſſionem, cum ſua Apologia, ab iſtarum Imperialium Ciuitatum Eccleſiis fuiſſe mutua conſenſione, quaſi pro vno habitam & approbatam? Nam quia [b] Luthero, aliiſq;, qui à partibus ipſius ſtabant, ignotum non fuit, qualis eſſet quatuor illarum Imperialium ciuitatum, in ſua confeſſione & Apologia, de Euchariſtiæ ſacramento, fides & doctrina, & quomodo in ipſa Concordiæ tractatione, à Bucero, Capitone, & aliis Sueuicarum Eccleſiarum miniſtris explicata eſſet ſacramentalis vnio corporis cum pane, & oralis illa corporis Chriſti manducatio, ac ſimul etiam ex Argentinenſis Eccleſiæ miniſtrorum ſupra recitatis literis palam & ſine diſſimulatione intelligerent, iſtos in ſua priori ſententia & confeſſione perſeuerare, nec aliter articulos & formulam Concordiæ cum Luthero initam intelligere, amplecti & approbare, quam velut huic Confeſſioni conſentaneam: [c] Alterum ex his vt ſequatur, concedaturq; omnino fuerit neceſſe, vt videl. aut pro Auguſtanæ principum confeſſionis ſociis habendi, & à communione ipſius excludendi non eſſent, qui eandem cum quatuor Imperialium ciuitatum confeſſione & Apologia fidem de Euchariſtia profiterentur: Ideoq; nec hodie quidem id Auguſtanæ iſtius principum confeſſionis, Wittenbergenſiſq; Cōcordiæ prætextu fieri conſtanter & bona conſcientia poſſe & oportere. Aut ſi hoc in veritate non agi ſenſerunt, nec iſtius animi fuerunt, ſed omnes qui [d] corporalem in pane præſentiam & manducationem Corporis Chriſti, non reciperent, iam tum & in poſterum perpetuo alienos ab eorum communione & ſocietate eſſe debere voluerunt Lutherus & ſui Symmiſtæ: [e] ſicut hoc nunc Iacob Andreana factio perſuadere & tentare molitur: Contra omnem bonam fidem turpiſſime ſua opinione & fiducia deceptos fuiſſe, fateri oportebit Argentinenſis Eccleſiæ miniſtros, cæteroſq; ipſorum eiuſdem fidei & confeſſionis ſocios, quorum non alia à Capitone & Bucero de Articulis Concordiæ ſententia & intelligentia fuit. Quod ſi recto & ſincero iudicio apud ſe conſiderarent, [f] qui hodie ad impoſtoria ſua commenta imperitis obtrudenda, iſta Concordiæ formula flagitioſe abutuntur, merito ſibi eſſent à Polemicis, & in Cōtentione natis Lutheri ſcriptis, eorumq; iniquiſſimis, & Chriſtiano homine indignis criminationibus & condemnationibus, quarum certe poſt concordiam nulla amplius authoritas, in refricandis ſopitis contentionibus, eſſe debuit, temperaturi. Non enim ſi hæc iſtorum Polemicorum ſcriptorum acerba & iniqua iudicia, etiam poſt vtrinq; receptam Concordiæ formulam, & libertatem Argentinenſis Eccleſiæ, aliiſq;, qui cum ipſis ſubſcripſerunt, Sueuicarum ciuitatum miniſtris factam, in priori ſuę confeſſionis ſententia perſeuerandi, [g] nihilominus adhuc contra iſtam quatuor Imperialium ciuitatum confeſſionem & Apologiam, & ad ſeparationem hac parte in Eccleſia perpetuo præiudicio faciendam, valere & rata eſſe voluit Lutherus, excuſari & defendi in æternum ab inſidioſo fallendi propoſito, deteſtabiliq; inconſtantia, poterit à quoquam. Eaq; proculdubio cauſa fuit, [h] cur Philippus Melanch. ab eo tempore ſemper, tam ſua ſcripta, quam etiam actiones omnes eo dirigeret, ne qua ratione ſancitam ſemel cum aduerſariis Lutheri Concordiam dirimendi occaſionem præberet, & quos à corporali præſentia & manducatione alienos eſſe ſciret, ſicut & ipſemet tunc fuit, noua inuidia prægrauaret, ſed ita rem ſcriptis vbiq;, & in [i] repetita p. æſertim confeſſione tēperaret, ne à ſocietate & communione ipſius excluſi viderentur: Quod etſi in hoc nouo Donatiſtico ſchiſmate Iacob-Andreana factio iniurioſiſſime in optimo viro repræhendat, & turpem à Luthero defectionē eſſe cauſſetur, intelligent tamen, qui candide & ſine malitia iudicare volent, quod ſi Concordiæ fides inuiolata vtrinq; conſtare, & Argentinenſis Eccleſiæ miniſtris, eorumque ſociis, prior ipſorum confeſſio & Apologia libera & incondemnata, ſicut hoc expreſſe teſtati ſunt, manere debuit, aliter ab eo, quam factum ſit, fieri ex officio boni & conſtantis viri, nec potuiſſe nec oportuiſſe: quicquid etiam, à quibuſdam [k] ad hoc incitatus, ipſe Lutherus, in non ſatis fideliter ſeruanda Concordia, rurſus poſtea infauſtiſſimis auſpiciis propria priuataq; authoritate ſua tentaret & molitetur: Ex qua rupta Concordiæ fide, & renouato viciſſim ex Polemicis ipſius Lutheri ſcriptis certamine, tandem nunc fere totum Chriſtianæ religionis fundamentum ab vbiquiſtis eſt euerſum, & omnis ab Euchariſtiæ communione ſublata corporis Chriſti veritas, quod etiam non ſine cauſa Euangelicis Eccleſiis obiiciunt Pontificii & Ieſuitæ, & [l] Synodi Dreſdenſis ſubſcriptores manifeſte profitentur.

Ne quis autem dubitare poſſit, [m] poſt Concordiam Wittebergæ inter antea diſſidentes hoc modo factam, Auguſtanam principum confeſſionem, ex ipſa Concordiæ formula, in præcipuis Sueuicarum ciuitatum Eccleſiis, non de corporali præſentia & manducatione, ſed iuxta illam quatuor Imperialium ciuitatum propriam confeſſionem fuiſſe intellectam & receptam, omnium certiſſimo & irrefutabili teſtimonio eſſe poſſunt publicæ illæ Buceri, eodem anno, [n] pro interpretatione ipſius Wittebergenſis Concordiæ, eiuſq; ratione reddenda, ex eorum, qui cum eo ſubſcripſerunt, iuſſione & conſenſu, non ignorante hec improbante Luthero, editæ retractationes: in quibus, [o] ne quis ipſum, ſuaſq; Eccleſias à priori fide & ſententia defeciſſe criminari iure poſſet, palam edicit nihil in illa Wittebergenſi Concordia, de Sacramento Euchariſtiæ, ab iis quicquam receptum eſſe, quod cum priore ipſorum ad Cæſarem confeſſione, eiuſq; Apologia pugnet, & quod non ipſe etiam dum viueret, admiſerit Zuinglius, & aperte approbarit Oecolampadius.

Adeo autem nihil in priore confeſſione mutaſſe videri voluit Bucerus, vt etiam articulis Wittebergenſis Concordiæ ſubſcribi ab aliquo nollet, niſi per omnia cum priore illa quatuor Ciuitatum

a D. Philippus vir bonus ſic intellexit.
b Hoc teſtantur Polemici Lutheri ſcripta, & autores libri Bergenſis.
c Hoc autem tăc ſchiſmatis cauſa habuerunt.
d Hanc negauerunt 4 ciuitates in ſua Apologia.
e Infallibile teſtimonium ſchiſmatis.
f Autores libri Bergenſis.
g His cogita Lector.
h Conſilium Philippi Melanchthonis in negotio Euchariſtiæ.
i Repetita Confeſſio anno 52.
k NB. Iſti fuerunt Amſdorfius, D. Stephanus Mecklerus Zuicauienſis, & propoſitus quidam in Marchia.
l Synodus Dreſdenſis anno 72.
m Contra libri Bergenſis calumnioſam Concordiæ interpretationem.
n Anno 36. Ad Epiſcopum Herfordienſem, & in 4 Euangeliſt.
o Semper hoc Auguſtana confeſſionis ſocietate tunc excluſi nō fuerunt, quarumque eſt, vt hodie excluderentur.

confeſſione & Apologia conſentirent. Sic enim ad Ambroſium Blaurerum Tubingæ tunc Euangelium docentem, ea de re [a] ſcribit: *Articulos quos ſubſcripſimus miſto tibi cum explicatione eorum, quæ in articulis poſita ſunt, oro autem te, relege paginam 2. & 3. inſignitam litera P. in noſtra Germanica Apologia confeſſionis quatuor vrbium, Cæſari Auguſtæ oblata, & ſi non quæcunq; in articulis ſunt, in Apologia quoq; iſto loco expreſſa inuenies ([b] etiam illud quod indigni Chriſtiani ſumunt corpus Domini) ne ſubſcribas articulis. Non eſt impius & incredulis, ſed indignis cõceſſum, quod illis concedit Chriſtus, & Paulus.* Et poſt: *Glorias [c] Lutheranorum pridem ſtatui eſſe contemnendas. Et quis non vita etiam ſua redimat ſubmotum ſemel iſtud infinitum diſſidii ſcandalum.* Ex his quomodo non ipſe tantum Bucerus Wittebergenſem Concordiam, cum confeſſione & Apologia quatuor Imperialium ciuitatum conſentientem eſſe credidit, ſed & quo ſenſu Tubingenſis Eccleſiæ miniſtros tunc, ex hac Wittebergenſis Concordiæ explicata ſententia, in Auguſtanam confeſſionem conſentire voluit, perſpicue intelligi, & contra hoſtes & deprauatores Concordiæ animaduerti poteſt. Quin & hoc idem [d] literæ ipſius Buceri, quas ad Italos quoſdam, pro explicando Euchariſtiæ negotio, & de diſſidio, quod ipſi & aliis cum Luthero ea de re fuit, [e] ſcripſit, euidentiſſime teſtantur. Sic autem ait: *Quæ inter nos Germanos de hoc myſterio dura nimis extitit concertatio, opus carnis fuit: Nos Lutherum putabamus Chriſtum cæleſtem terrenis ſignis nimis dicendo affingere. Nos illi in cœna nihil quam panem agnoſcere vel tradere. [f] Dedit tandem Dominus, vt tam de verbis, quam de rebus pulchre conueniat, & ita vtrinq; myſteria commendemus, vt nec ille noſtris videatur indigna Chriſto tribuere, nec nos cœnam Domini ſine domino celebrare. Duas enim res hic percipi vtrinq; confitemur, [g] Terrenam, panem & vinum: & cæleſtem, corpus & ſanguinem Chriſti Domini. Quidam re vera dilucidius, nonnulli craſſius de ſacramentis loquebantur; ii ad mediocritatem piam, & verbis domini conſonam ſe receperunt:* Et in alia ad eoſdem Italos [h] Epiſtola: *Quid ex hac de Euchariſtia contentione aliud expectemus vobis, quam quod magno Eccleſiarum noſtrarum malo ipſi experti ſumus? Chariſſimi fratres id potius quæramus, vt Chriſtum in Euchariſtia ſic amplectamur, vt in ipſo viuamus, & ipſe in nobis. Panis & vinum ſymbola ſunt, non res tanti myſterii, id omnes fatentur. [i] Inania autem exhiberi in cœna domini ſymbola, abſit, vt quiſq; ſuſpicetur. Panis enim quem frangimus, communicatio eſt corporis Domini, non panis tamen. [k] At hæc communicatio, vt cæleſtis eſt, ita à nobis in Eccleſia, per ſpeculum & ænigma verborum & ſymbolorum animis ſubnectis percipitur, manet ille in Cælis, & eſt tamen apud nos, vt caput verum Eccleſiæ, & cibus Eccleſiæ, & diuinus, vtcunq; ſit caro vera, & verus ſanguis. Cum enim nec ſentiatur, nec ratione carnis intelligatur, in mundo non eſt, in cælis eſt. Manet itaq; illi cæleſtis gloria, [l] manet & humanæ naturæ veritas, & nihilominus exaltatis nobis cum Chriſto in cæleſtibus, habentibusq; noſtrum τὸ πολίτευμα in cælis, vere adeſt nobis in hoc myſterio, vere editur & bibitur,* quam ſententiam in alia atq; tertia ad Italos [m] epiſtola & clarius adhuc & prolixius explicat, in eamq; cum Luthero conſenſum eſſe ſcribit. In qua etiam omnes fere [n] Sueuicarum ciuitatum Eccleſiæ, vſq; ad Auguſtani Interim publicationem, & quæ hanc ſecuta eſt, Eccleſiarum vaſtitatem perſeuerauerint, quibus nulla à priore Confeſſione defectio imputari potuit, nec tamen vnquam talis in eos machinata inſidioſa ſeparatio & excluſio fuit, qualis hodie, à conſpirata Flaccianorum & vbiquiſtarum factione, in huius iam olim approbatæ ſententiæ ſectatores, illo vere ſchiſmatico Bergenſi Conſilio nuper eſt pertentata.

Deniq; vero, [o] quod in primis pro Auguſtanæ confeſſionis ſententia, in qua è Bucero, omnibuſque aliis, quibus iis Wittebergenſem illam Concordiæ formulam perſuaſit, accepta fuit, eſt animaduertendum cum anno 42. Francofurti ad Mœnum, inter miniſtros Eccleſiæ (propter [p] Lutheri, vt eſt veriſimile, ad ipſos, ex quorundam inſtinctu perſcriptam adeo acerbam Epiſtolam) ſuper Euchariſtia, Item de duabus naturis in Chriſto, & de vbiquitate, graue admodum diſſidium exortum eſſet, vocatus ab eius ciuitatis ſenatu ad componendum iſtud diſſiduum Argentina fuit Bucerus, qui tandem ſopito diſſidio, iuxta Auguſtanæ Confeſſionis & Wittebergenſis Concordiæ ſenſum, ſic de Euchariſtia ſentiendum eſſe, miniſtris illius Francofurdenſis Eccleſiæ præſcripſit: [q] *In ſacra cœna, cum ea iuxta inſtitutionem Domini celebratur, verum corpus & ſanguis Chriſti, vere & eſſentialiter exhibentur, & a ſumentibus ſacramenta percipiuntur: nulla tamen hic præſentia Domini localis vel circumſcriptiua ponitur: [r] quare nihil de deſcenſu Domini e cælis hic cogitandum. Eſt enim pietatis & fidei ſimpliciter credere & fateri, Dominum Ieſum in cæleſti & inacceſſa patris gloria ſemper manere, & ſe in ea manentem, nobis in ſacra cœna exhibere, vereq; adeſſe. [s] Nam licet Dominus in ſacra cœna ſe exhibeat in ſpeculo, & in ænigmate verbi ſui & ſymbolorum, quæ res huius mundi ſunt, tamen ſe in his ipſis exhibet, non ratione huius mundi, ſed ratione quadam diuina & cæleſti. [t] Nec enim ſenſus aut mens noſtra eum in ſacris ſymbolis, ſed ſola mens ſubnecta fide cernit & apprehendit. [u] Nec exhibet ſe hic in Cibum ventris, aut veteris hominis, ſed animæ & noui hominis. Eſt enim cibus afferens vitam æternam. Non tranſubſtantiatio panis & vini in corpus & ſanguinem Domini aſſerenda eſt: ſed confitendum cum Paulo & ſanctis patribus, in cœna duas res exhiberi: [x] Cæleſtem & terrenam; cæleſtem, corpus & ſanguinem Domini; & terrenam panem & vinum, ſacra ſymbola, quibus Dominus Corpus & ſanguinem ſuum nobis vere & realiter exhibet. [y] Diſputatio igitur de vbiquitate corporis Chriſti omittenda eſt, & quæcunque de tantis myſteriis non ſunt tradita diuinis ſcripturis. [z] In quæ omnia tanquam ſacris literis, Auguſtanæ confeſſioni, & Concordiæ VVittenbergenſi conſentanea, ex animo ſe conſentire profeſſi, atq; ita in poſterum priuatim & publice loqui & ſentire velle, conſtanter polliciti ſunt, inter ſe hoc modo, condonatis vtrinq; offenſionibus, reconciliati Eccleſiæ miniſtri:*

a Eod. anno 36. in ſcriptis Anglicanis fol. 669.
b Quomodo manducatio indignorum intelligenda.
c Notate Pſeudo Lutherani.
d Vide Anglicana Buceri ſcripta fol. 685. cum ſeq.
e Anno 41.
f Hucuſque vide opinionem qua deceperunt videtur Bucerus.
g Sententia Buceri in concordia, quomodo intelligenda & explicata.
h Folio 686.
i Contra calumniam de nudis ſignis.
k Qualis ſit communicatio corporis Chriſti apud Paulum.
l Corporalis præſentia pugnat cum veritate corporis.
m Fol. 697.
n Apparet ex epiſtola Auguſtanorum cauſa de approbata Concordia. anno 36.
o Auguſtana Confeſſio ex Wittebergenſis Concordiæ formula à Bucero Francofurdienſibus explicata.
p Anno 39.
q Formula concordiæ inter miniſtros Francofurdenſes, iuxta Auguſt. confeſ. & Witteberg. Concordiæ ſenſum.
r Propoſ. 1. 2. & 7.
s Propoſ. 8.
t eadem ſupra.
u Propoſ. 9.
x Hoc hodie pro ſacramentario errore condemnat liber Bergenſis.
y Propoſ. 16. Vbiquitas reiecta.
z Sententia Buceri Apolog. confeſſ. ſupra explicata.
z Propoſ. 5. in fine, in Anglicanis ſcriptis fol. 999.

Ad

Aut igitur [a] hac Concordiæ, & quomodo de Euchariſtiæ ſentiendum eſſet, præſcripta receptaq; formula, Francofordenſis Eccleſia, vna cum Bucero, ab Auguſtanæ confeſſionis profeſſione prorſus hac parte defecit, quod vero nemo dicere audebit: Nam neq; propterea Bucerus à quoquam reprehenſus, aut à Theologicis actionibus remotus, [b] ſed pro Auguſtanæ confeſſionis præcipuo defenſore in omnibus colloquiis adhibitus fuit, qui alias, niſi ſuas illas explicationes, quibus in retractationibus & perſuadendis ad Auguſtanam confeſſionem & Wittebergenſem Concordiam Sueuicis Eccleſiis vſus eſſet, etiam Auguſtanæ confeſſionis iſtius ſententia conſentire, pro iiſq; habendas eſſe, certo debuiſſet exiſtimare, nunquam ſe patronum ipſius, non tam contra pontificios, quam aduerſus ſemetipſum fuiſſet facturus: [c] id quod tamen nunc illum credulitate ſua deceptum feciſſe, hodiernæ Pſeudo Theologorum ſchiſmaticæ actiones teſtantur.

a Quid ad hæc D. Chytræus?

b Hoc bene perpendant veri confeſſioniſtæ.

c Indigna, quæ Bucero à ſchiſmaticis refertur gratia.

Aut quod negari nullo modo à bonis & ingenuis viris poteſt, fatendum eſt omnino, ſi Francofurdenſis Eccleſia ab Auguſtanæ confeſſionis conſenſu excluſa non fuit, hoc ipſo velut publice approbato præiudicio oſtenſum eſſe & declaratum, Auguſtanæ confeſſionis verba, & Wittebergen. Concordiæ formulam, non eſſe neceſſario & præciſe de ſola corporali præſentia & manducatione Corporis Chriſti, in pane intelligenda, ac proinde etiam hanc modo cum Bucero & quatuor illarum Imperialum ciuitatum approbata confeſſione & Apologia negantes, non magis nunc ab Auguſtanæ principum confeſſionis communione & conſenſu, quam tunc Francofordenſem Eccleſiam, aut etiam præcipuas totius Sueuiæ Eccleſias, excluſos eſſe, iure dici poſſe. [d] Idq; euidenter comprobatur vtraq; illa Lutheri ad Heluetios [e] Concordiæ epiſtola, in qua totum iſtius vtrinq; expetitæ & approbatæ Concordiæ fundamentum in eo ponit: Nempe, *quod in ſacramento cœnæ nullius fiat è cœlo, aut dextera patris, Chriſti deſcenſus & aſcenſus, ſiue viſibiliter ſiue inuiſibiliter, ſed firmiter retinẽdos eſſe articulos; Aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris, unde venturus eſt. Ideoq;* [f] *omnipotentia Dei permittendum eſſe, quomodo corpus & ſanguis ipſius nobis in Dominica cœna exhibeantur, vbi ſecundum mandatum eius conuentus fiunt, & inſtitutio Chriſti ſeruatur. Proinde nullam alicuius deſcenſus vel aſcenſus, qui ibi fiat, mentionem fieri oportere, ſed ſimpliciter credendum eſſe verbis: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, quibus verum corpus & ſanguis cum pane & vino accipiantur.* Cætera vero, quæ nunc ſcriptis explicare non poſſit, dicit ſe Bucero & Capitoni latius declaranda commiſiſſe, quod & ſtudioſe, fideliterq; ipſos facturos eſſe cõfidat. Ex his non ignorauit Lutherus, corporalem in pane præſentiam & manducationem neceſſario non inferri, neq; hanc Bucerum & Capitonem, ex ipſorum iam ante Heluetiis explicata, ad ipſumq; Lutherum tranſmiſſa declaratione, iis nunquam eſſe perſuaſuros, & tamen nihilominus Concordiam cum iis factam credi, & publice perſuaſum eſſe voluit: Sathanæ miniſtros & Concordiæ hoſtes eos vocares, qui hanc quoq; modo ſint impedituri.

d In altera è dit. aſſerit Concordi. l. 47. & 7 Anno 1538.

e Fundamentum Concordia tum ueteris.

f Ergo per omnipotentiã Dei iſta dari & accipi poſſunt, abſq; corporali præſentia.

Quibus pro rectius intelligendo Wittebergen. iſtius Concordiæ vero & genuino, in quo vtrinq; conſenſum eſt, Scopo accedit, quod etſi Lutherus in ipſo Concordiæ iſtius tractatu, [g] ſtatim & initio, pro ſua, qua ſe pollere volebat, authoritate, à Bucero, Capitone, eorumq; ſociis, Palinodiam prioris ſententiæ & erroris flagitaret, volens, vt ſe hactenus non recte docuiſſe faterentur: *In cœna nihil præter ſolum panem & vinum adeſſe, eamq; tantum inſtitutam eſſe, vt ſola Domini memoria recolatur.* Tamen ad hanc ipſius Lutheri non æquam, ſed ex erroneo præiudicio, quo in Polemicis ſuis ſcriptis, affectato contentionis ſtudio, deceptus fuit, profectam poſtulationem, facile & ingenue [h] reſpondit Bucerus: *Libenter ſe quidem omneſq; alios, qui in Eccleſiis Imperialium ciuitatum concionantur, hunc errorem damnaturos: Nempe panem & vinum in ſacra cœna tantum exhiberi: Verum ipſos nunquam ita ſenſiſſe, aut docuiſſe, neq; nominatim cuiquam hunc errorem imputare poſſe. Iſtud vero ſe non grauatim faſſuros, quod in illa aliquando ſententia fuerint, Lutherum in ſuis ſcriptis nimium Sacramentis tribuere, & craſſiorem vnionem Chriſti cum pane ſtatuere, quam qualem ſcriptura admittat:* [i] *Quaſi videlicet verborum Chriſti iſte ſit intellectus: Hoc eſt corpus meum ſubſtantialiter & corporaliter, vel in pane adeſt Corporaliter. Ex quibus viſum ſit iis, Papiſticos errores rurſus in Eccleſiam introduci & confirmari. Ipſorum autem fidem & doctrinam de hoc ſacramento hanc eſſe,* [k] *Quod ſentiant, in eo, ex inſtitutione & opere domini, vere, (prout verba Domini ſonant) verum ſuum corpus & verum ſanguinem* [l] *cum viſibilibus ſignis, pane & vino exhiberi, dari, & ſumi, ſicut hoc ante hac quoq; in publicis Eccleſiarum ſuperioris Germaniæ* [m] *Confeſſionibus & in aliis ſcriptis profeſſi eſſent.*

g Lutheri præiudicium de ſuis aduerſariis.

h In ſcripto Buceri Anglicanis fol. 650. & 12.

i Nota: Cur hæc reſponſio hodie non ſatis facit hoſtibus Concordiæ.

k Craſſus verborum cœnæ intellectus.

l Confeſſio Buceri & ſociorũ.

m Idem infra Brentius.

Hæc poſtquam ſic prolixe tam ſuo, quam etiam ſuorum ſociorum nomine, Luthero, iiſq;, quos ſibi adiunctos habebat, explicaſſet, atq; conſtanter profeſſus eſſet Bucerus, nulla amplius ſuper corporali præſentia & manducatione corporis Chriſti in pane mota quæſtio, ſed ſuperius adducta Concordiæ formula conſtituta, & vtrinq; approbata fuit, quæ veri quidem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna exhibitionem, at non corporalem ipſius in ſymbolis exiſtentiam, & oralem manducationem requirit, [n] ſed eorum errorem tantum excludit, qui ſolum panem & vinum in cœna Dominica exhiberi & accipi, ſolamq; memoriam Chriſti in ea celebrari docent.

n Repetita & approbata quatuor Imp. ciuitatum confeſſio.

Quæ cum ita ſe habeant, [o] duplex hinc Iacob. Andreanę factionis manifeſta detegitur calumnia. Prima quod calumniantur, iſtos, qui veram quidem & ſubſtantialem præſentiam & exhibitionem Corp. Chriſti in inſtituta actione cœnæ fateri ſe dicunt, non autem corporalem ipſius in pane exiſtẽtiam & manducationem concedunt, doloſa aſtutia ſe in Auguſtanæ confeſſionis ſocietatem inſinuare hactenus voluiſſe. [p] Quam impudentem calumniam Wittebergenſis Concordiæ, vera narratio & hiſtoria, Argentinenſis item Eccleſiæ miniſtrorum ad Lutherum ingenue ſcripta Epiſtola & conteſtatio, ac deniq; Martini Buceri publicæ, & à nullo vnquam reprehenſæ Retractationes, clariſſime refu-

o Vera Sacramentarium error.

p Authorum libri Bergenſis. Vide hic acta Concordiæ Lutheri cum Heluetiis, qui nihil aſtute egerunt, & tamen ſe poſtea deceptos innocuerunt.

refutant. An enim non merito cauſam habuerunt quatuor illarum Imperialium ciuitatum, & quæ ſe his coniunxerunt, Eccleſiæ, vt ſe, abſq; vllo ſuo dolo & aſtutia etiam in illa propriæ ſuæ confeſſionis, eiuſq; Apologiæ fide & doctrina, cuius nulla ab iis facta fuit abnegatio, in Auguſtanæ principum confeſſionis conſenſionem & ſocietatem receptos eſſe, iuſte & ingenua fide exiſtimarent? Hoc autem ſi verum eſt, quorſum illa hodie in alios concinnata & excogitata calumnia? Expoſtulabunt, ſi libet, concordiæ turbatores iſti cum Luthero, qui non ſolum *Syngramma Theologorum Sueuiæ*, in quo certe [a] corporalis præſentiæ & manducationis nulla mentio, nullum teſtimonium eſt, ſed & *Fratrum Waldenſium*, quibus antea iniquior fuerat, *confeſſionem*, præfatione ſua approbarit, ſeq; in idem cum ipſis Ouile, ſub vno paſtore Chriſto, redactum eſſe, grata mente fatetur.

[a] Has olim approbata hodie damnantur.

Altera calumnia eſt, quod rerum ignaris pro certo axiomate perſuadere conantur, Auguſtanam confeſſionem velut Epitomen quandam eſſe doctrinæ & ſcriptorũ Lutheri, ideoq; verum eius ſenſum non aliunde, quam ex ſolis ipſius etiam Polemicis ſcriptis, ſumi & explicari debere [b] quod ipſi quidem aſtuto & fraudulento illo conſilio faciunt, vt hoc prætextu vbiquitatis portentum in Auguſtanã confeſſionem, pro corporalis præſentiæ præcipuo fundamento, inſinuare poſſint. Quod obtinere ſi debet, qua fide & religione cũ Bucero, aliiſq; Sueuicis Eccleſiis, in conſtituenda Witteberg. Concordiæ formula, actum videri poteſt? Qui certe non Polemica ſcripta Lutheri in amplectenda rurſum ab iis iam pridem repudiata vbiquitate, ſed acceptam à Bucero Concordiæ articulorũ declarationem, [c] quam Lutherus binis ſuis ad Heluetios literis, etiam poſt articulos Schmalcaldicos ſcienter approbauit, ſequuti, Auguſtanam confeſſionem amplexi ſunt, & receperunt. Adde quod ſi Concordiæ articulos recte quis intueatur, [d] facile ex iis deprehendet, Lutherum non vbiquitatis dogmate, quo tamen vnico fere omnia ipſius Polemica ſcripta nituntur, ſed & ab eo, quod pontificios, extra vſum inſtitutum, verum corpus & ſanguinem Chriſti in proceſſionib. ſuis circumgeſtare, contra Suermeros ſcripſit, in aliiſq; multis à Polemicis illis ſcriptis defeciſſe. Non ſolum itaq; aperta calumnia agunt, ſed & iam ſemel in Eccleſia ſanctæ pacis & Cõcordiæ [e] publicos hoſtes & infractores ſe faciũt, atq; per hoc Lutheri vaticinium *in epiſtola ad Heluetios* implent, qui Auguſtanæ cõfeſſionis ſenſum, & quæ ſuper eo cum Bucero & Sueuicis Eccleſiis tunc facta eſt, cõſenſionem, ex Polemicis Lutheri ſcriptis, per vbiquitatem, & realem Idiomatum communicationẽ in naturis improbata iam olim in Eccleſia Catholica dogmata explicari oportere, ſicq; rẽ omnẽ rurſus ad tempora primũ motæ contentionis redigendam eſſe volunt. Inde enim neceſſario ſequetur, Wittebergenſ. Concordiã omniaq; ea, [f] quæ Bucerus cum ſuis Symmiſtis & Eccleſiis, viuo adhuc & ſciente Luthero, tanta cũ reconciliationis inter diſſidentes factæ fiducia egit, & publice ad poſteritatem hac de re, pro teſtificanda Concordia, ſcriptis euulgauit, quæq; in approbatione Syngrammatis & Waldenſiũ confeſſionis, non à Luthero tantum, ſed ab aliis quoq; viris doctiſſimis, acta ſunt, retro ab his Concordiæ hoſtibus, & veterum certaminum renouatoribus, improbando plane conatu diſſolui & retractari. Quod equidẽ (vt & [g] alibi eſt admonitum) certiſſimum, Infallibileq; erroris & ſchiſmatis indicium & argumentum eſt. [h] Hic igitur apud ſe diligentius expendant Auguſtanæ confeſſionis principes, quam ſit hoc apud omnes recti iudicii confeſſioni ſuæ inprimis ignominoſum, eiuſq; profeſſioni extremo dedecori futurum, quod iſti, quibus initio ab controuerſiæ, ſi in ſententiam Syngrammatis conſentirent, [i] pax & Concordia oblata & promiſſa fuit, quiq; poſtea, hanc ipſam ſententiam profitentes, in Auguſtanæ Confeſſionis communionem, vt ex ſupra dictis apparet, fuerunt recepti: nunc rurſus ab omni ſocietate ipſius excluſi & eiecti eſſe, adeoq; pro Anathematis haberi debeant: [k] Econtra vero vbiquitatem Corporis Chriſti docentes, à quibus tamen totũ Chriſtianæ fidei fundamentum euertitur, & falſus Chriſtus introducitur, omniſq; fides & authoritas Orthodoxi conſenſus Auguſtanæ cõfeſſioni abrogatur, & in ludibrium aduerſariis proſtituitur, inter præcipuos etiã doctores, in ſocietatẽ ipſius recipiantur. Itaq; ſi ab hac ignominia & rerum cum Bucero, ſuiſq; ſociis, in Witteberg. Concordiæ negocio geſtarum inconſtanti retractatione liberare & tueri confeſſionem ſuam volent principes, ſtudioſe cauebunt, ſi ſapient, ne ad Polemica Lutheri ſcripta, ac per hæc tandem ad infauſta illa iam ante ſopitarum controuerſiarũ initia rurſus redeatur, neue ex iis de Auguſtanæ confeſſionis cõſenſu Iudicium fiat; alioquin vna cum vbiquitate falſi & ſchiſmatici dogmatis nullo negotio à pontificiis redarguentur & conuincentur, ſed omni conatu rem eo redigant, vt, qua ratione quatuor iſtæ Imperiales ciuitates in ſocietatem Auguſtanæ confeſſionis iam olim, vt ſupra explicatum eſt, receptę fuerunt, & Heluetiis à Luthero ſancte oblata & confirmata pax, & Concordia fuit, ita quoq; nunc eadem ratione alii, qui eiuſdem cum illis quatuor ciuitatib. ſententiæ ſunt, à communione ipſius confeſſionis non excludantur, quos ipſa Concordiæ formula, à Bucero in ſuis literis & retractationibus explicata, eoq; ſenſu à quatuor iſtis, aliiſq; Sueuicis ciuitatibus recepta & approbata, non excludit. Alias enim ſi ab ipſa Concordiæ formula, adeoq; ab Auguſtanæ Confeſſionis conſenſu, Buceri Retractationes iſtæ nunc primum propter Polemica & priuata Lutheri ſcripta, quæ tamen cum iſtis Buceri ſcriptis conferri, nedum præferri ipſis nullo iudicio poſſunt, excludi, penituſq; ſegregari debeant, negari non poteſt, quin etiam hoc ipſo ſimul fere omnes Sueuicarum ciuitatum Eccleſias, quales tunc in hoc Euchariſtiæ negotio fuere, retro excludi, & pro hoſtibus haberi declarariq; oporteat, atq; ſic in hac triſti rerum confuſione quam nunc inualeſcens vbiquitariorum ſecta parit, in multis & ſuperioris præſertim Germaniæ Eccleſiis, ipſorum maiores, à quibus reformatam religionem acceperunt, à veræ religionis confeſſiõne malo præiudicio exauthorari fuerit neceſſe.

[b] Polemica ſcripta Lutheri non conſentiunt cum fundamentis Auguſtanæ confeſſionis.

[c] Vide acta Concordiæ cum Heluetiis.

[d] Lutherum in formula Concordiæ à Polemicis ſuis ſcriptis defeciſſe.

[e] Nota hoc Lector, quo tandem res conſilio [illegible].

[f] Ea fide actũ eſt cum Heluetiis.

[g] 1. Cap. 6.

[h] Ad principes Auguſtanæ confeſſionis.

[i] Authores Syngrammatis, & Brentius in ſua ad Bucerum Epiſtola.

[k] Nota hoc myſterium Lector.

PARS XXX.

PARS XXX.

Continens

DISCVRSVS, TRACTATVS, COMMENTATIONES ET DISSERTATIONES IVRIDICOpoliticas, de Pace Religionis in Imperio Romano-Germano, à Carolo V. Imperatore & Ferdinando Cæſare Auguſt. ſancita, inter Romanæ Religionis & Auguſtanæ Confeſſionis Ordines, non in Germania tantum, ſed in Italia quoq; & Gallia Imperium recognoſcentes.

NONNVL-

I.

NONNVLLÆ EX S. ROM. IMPERII CONSTITVTIONIBVS PROPOSITIONES DE PACE PVBLICA RELIGIOſa & Profana diſputatæ in Academia Baſileenſi à Chriſtophoro Leibfrid Wirceburgenſi Franco, Anno CIↃ. IC. XCIX.

Anno Domini 1599.

Cum cauſæ non paucæ ſint, ex quibus, non attentis primarum inſtantiarum priuilegiis, per ſimplicis querelæ viam C A M E R A *Imper. recta adiri, & ſupplicando proceſſus in ea extrahi poſſint; de nonnullis ex Conſtitutionibus Imp. deſumptis per ſubſequentes propoſitiones* γυμνασίας ἕνεκα *agere placuit.*

I.

EX CONSTITVTIONE PACIS PVBLICAE.

ET primo, Qui contra conſtitutionem pacis publicæ delinquunt, ſiue immediate, ſiue mediate Imperio ſubiecti, licet alias C A M E R Æ iuriſdictionem nec in prima, nec in ſecunda inſtantia recognoſcant; veluti Domus Auſtriaca, Burgundica, Brandeburgica, Duces Saxoniæ, & Lotharingiæ: tamen ob quietem publicam violatam, recte in Camera conueniuntur.

I I.

Fori enim exceptiones declinatoriæ regulariter hic non admittuntur. Et licet tranſactionis exceptio, quoad tranſigentes litis ingreſſum impediat; Cæſari tamen, Cameræ, Fiſco Imperii, vel cuiquam alii tertio intereſſe habenti, ex tali priuata tranſactione nihil præiudicari ſanius videtur.

I I I.

Varie autem apud Iuriſconſultos de turbatione pacis publicæ, & numero hominum ad turbam faciendam requiſitorum diſputatur; dum alii decem, alii plures, alii pauciores requirunt; Ego prudentiæ & arbitrio Iudicis hoc committendum; & interdum à pluribus, interdum paucioribus, imo ab vnico homine contra conſtitutionem hanc agi puto.

I V.

Vnde Diffidationes, Beſchdung/ſpecies fractæ pacis eſſe; adeoq; diffidatores recta in Camera Imp. conueniri poſſe, licet multis rationibus contrarium ſuadeatur, affirmo.

V.

Quid ſi accidat, vt, qui alios contra vim conſtitutionis violenter inuaſuri ſunt, vicinorum territoria ſine tamen eorum læſione & detrimento tranſeant; Num Dominus territorii ob nudum cum armis tranſitum ad pœnam conſtitutionis fractæ pacis agere poterit? Et quamuis res dubitatione non careat; tamen negatiuam defendendam aſſumam.

V I.

Fundata quoq; ex prædicta conſtitutione Cameræ Iuriſdictio eſt in abſolutione à Banno, ita tamen, vt inuito eo, qui bannum obtinuit, & ſine venia Imperatoris, à banno abſoluere Camera non poſſit.

V I I.

Quod ſi vero bannitum pacis publicæ violatæ cauſa Imperator ſuæ Maieſtatis, & S. R. Imperii carum & fidelem appellet; aut fidelitatem & ſeruitia ab eo recipiat; aut priuilegia eidem concedat, an abſolutus videbitur? Et videri magis arridet.

VIII.

Ex Conſtitutione de Religione.

CONſtitutionem Imperij ſuperioribus annis de RELIGIONE, pacis publicæ conſeruandæ gratia promulgatam nondum (vt quidam magni nominis vir, verum ſatis impudenter publico ſcripto diuulgare auſus fuit) eneruatam, ſed in priſtino vigore adhuc hodie vim roburque ſuum obtinere, meritoque tanquam Reipubl. vtilem atque ſalutarem ſummis ſtudiis, ac viribus conſeruandam eſſe exiſtimo.

IX.

Statibus autem & nobilibus Imperio immediate ſubiectis religionem in propriis territoriis, non attento, num exercitium religionis, eiuſdemque mutatio ſequela ſit Iuriſdictionis ſecularis, vel Eccleſiaſticæ reformare, & mutare conceſſum eſt.

X.

Nec in hoc ab vllo alio Imperii ſtatu, ſub quouis etiam Iure quæſito, vel prætextu meti mixtive Imperij, aut Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ impediri poſſunt, aut debent.

XI.

Suſpenſa enim per d. Conſtitutionem Audientia & Iuriſdictione Eccleſiaſtica cuilibet ſtatui, & nobili ſeculari Imperio immediate ſubiecto, de cauſis & rebus Eccleſiaſticis in deſtinatis ad hoc dicaſterijs cognoſcere & diſponere ſuo in territorio licet.

XII.

Vnde recte Monaſterijs, cœnobijs, Prælaturis, &c. ſub horum iuriſdictione conſtitutis, Proceſſus, quibus ſeſe à reformatione religionis eximere, iuſque ſuum antiquum tueri volunt, in Camera denegantur.

XIII.

Laudabiliter tamen faciunt Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus, ſi bona, quæ primo pio zelo Eccleſiæ dicata & relicta fuere, poſtea vero ad pontificias idolomanias adhibita ad alios pios vſus, ſcilicet, ſuſtentationem miniſtrorum, ædificationem & refectionem ſacrarum ædium: ſubleuationem pauperum, & miſerabilium perſonarum, propulſationem hoſtium religionis, redemptionem captiuorum: Scholarum, quæ Eccleſiæ & Reipub. ſeminaria, conſeruationem & ſimiles transferant.

XIV.

Contra vero culpa non carent, qui bona eiuſmodi longo vſu ad Dei cultum, religionis reique ſacræ commodum deſtinata, ad res minime neceſſarias, forte nec Deo placituras, puta voluptates, delicias, aliaſque profuſiones ab Eccleſiæ ſalute & commodo ſeiunctas, collocant.

XV.

Porro, Nobiles immediate Imperio ſubiectos ſub prædicta conſtitutione non tam ratione ſuæ perſonæ, quam quoad ſubditos & bona, comprehendi, manifeſtum eſt.

XVI.

An vero Religionem in bonis ſeu prædijs feudalibus contra Domini voluntatem mutare poſſint, controuertitur? Ego, non obſtantibus quæ ex aduerſo adduci poſſunt, mutationem vigore Conſtitutionis non impediri exiſtimo.

XVII.

Maior dubitatio ſuboritur: An Comitibus, Baronibus & Nobilibus mediate Imperio ſubiectis, vulgo Landſäſſen dictis, in Principum aliorum territorijs, ſed liberis ſuis arcibus habitantibus priuatum & domeſticum ſuæ Religionis exercitium conceſſum ſit? Et licet contrarium tueri queat, Ego affirmatiuam obtinere tentabo.

XVIII.

Præterea circa hanc de Religione conſtitutionem & concordiam, ſæpe multumque diſputatum fuit; Vtrum Principes, ſtatus, Nobileſq; Imperij ſubditos à religione ſua alienos, veluti Auguſtanæ Confeſſionis, Pontificios, aut econtra ferre debeant: aut ſubditis emigrandum ſit? Vbi recte prudenterque facere ſubditos arbitror, ſi domicilium mutent; quinetiam inuitis Dominis ex tenore conſtitutionis id facere poſſint, affirmo.

XIX.

Sin vero ſubditi diuerſæ religionis emigrare nolint: nec forte ſine maximo diſpendio & damno poſſint, ſed manere malint: Quid Principi, ſtatui, aut Nobili faciendum? Certe potius conſentaneum conſtitutioni videtur, vt placide & ſine offendiculo viuentes benigne ferat: quam vi expellat, ad venditiones prædiorum iniquas, aut ad cultum conſcientiæ ſuæ repugnantem cogat.

XX.

Quid ſi Principes, Status, Nobiliſq; Imperij, diuerſæ religionis ſubditum omnino ferre nolit, ſed illum ſub comminatione ſeueriſſimarum (vt non raro fieri aſſolet, ipſuſq; non ſine patrimonij diſpendio expertus ſcio) pœnarum, ad ſolum vertendum, ſuamue religionem amplectendam cogat: nulla ne victoriæ ſpes, nullumue remedium ex conſtitutione ſupereſt, quo ſubdito aduerſus Dominum ex d. Conſtitutione ſupplicanti ſuccurratur? Hic ſubſiſto, & vix ſupplicantem voti compotem factum iri puto.

XXI.

De Imperialium ciuitatum ciuibus in ſatis arduam diſputationem venit: num aliquot ciuibus liberum religionis diuerſum à Senatus religione exercitium requirentibus, id concedendum ſit? Et licet multis argumentis hoc ſuadeatur; negatiuam tamen veriorem, & conſtitutioni magis conſentaneam dico: minime tamen illorum Senatorum fraudem probans, qui clandeſtina ſua conſpiratione diuerſæ religionis ciuibus licet idoneis, omnem ad dignitatem ſenatoriam ſpem aditumque præcludunt & adimunt.

XXII.

Cum vero diuerſarum, ſed approbatarum religionum ſubditos ferendos eſſe dictum ſit: conſequens eſt, vt nec vrbe pagoue exire, alibi conciones audire, & Sacramentis vti prohibeantur: vt autem domi priuata exercitia inſtituant, adeoque clandeſtina licet pia & Chriſtiana conuenticula habeant, conſtitutione non innuitur.

Cætera deſiderantur.

II.

SAMVELIS A REMCHINGEN DE RELIGIONE A DIVO LVTHERO IN STATVM VETEREM FELICITER RESTITVTA: Paceque Religioſa in Romano-Germanico Imperio multis miraculis ſancita: & à Deo Opt. Max. prouidentiſsime ad hoc vſque tempus conſeruata, Diſſertationes duæ: Succinctam & apertam rerum poſt Religionis Reformationem ad hoc æui in Europa geſtarum expoſitionem, ac diiudicationem continentes.

DISSERTATIO DE PACE RELIGIONIS PRIMA.

QVanquam cum noſtro, tum proxime ſuperiori ſeculo, Magnifice Domine Rector, Strenue item & Nobiliſſime Patrue, ſummi & ad extremas Appellationes in hoc Ducatu Iudicantis Conſiſtorii Præſes digniſſime, viri maiorum ſplendore, virtutis & eruditionis lumine excellentiſſimi: Concio omni ex parte ornatiſſima: licet, inquam, multi grauiſſimis, triobularibus vero alij negotiis & lana caprina, ſpinoſe ſatis inter ſe diſceptarint atque dimicarint: nullam tamen vnquam quæſtionem, ea, qua quæritur, an plures ferri poſſint Religiones (quæ ſane inter grauiſſimas grauiſſima eſt) non ſolum argumentorum robore, ſed & armamentorum maiori vi agitatam eſſe, totus totus mihi perſuadeo. Quidam enim rem acu tangentes, (*a*) Rempublicam ſi maxime in illa Religiones ſint diſcrepantes, nihilominus tamen bene conſtitui poſſe, firmiter aſſerunt: alij contra, turbatores pacis exoptatæ, diſſimiles de cultu diuino ſententias minime tolerandas eſſe clamitant impudentiſſime. Hæc diſceptatio eſt, Magnifici, Nobiliſſimi, Clariſſimique auditores, quæ potentiſſimas vrbes, vrbes autem? quin Regna potius florentiſſima; quæ Galliam, quæ Angliam, Hiſpaniam, quæ denique Belgicas prouincias acriter concuſſit, atque tantum non euertit funditus. Germaniam quidem noſtram quod attinet ſuauiſſimam, pacatiorem illam aliquantum & feliciorem propterea aliis vicinis fuiſſe Regnis, nemini vel tria ſaltem Steſichori tenenti non manifeſtum eſt. Auorum quippe noſtrorum memoria, B. Luthero Euangelii doctrinam reducente, diu quidem illam opprimere, illiuſque Confeſſores penitus extirpare tentarunt Pontifices: cum vero Penelopes telam retexerent, vel tandem Religioſa Pax, Paſſauii anno quingenteſimo ſecundo inchoata, triennio poſt perfecta; & ſæpius poſtea confirmata, dira bella & odia, antea ſub prætextu Religionis orta, penitus extinguere & ſedare (*b*) viſa eſt. O beatos tunc homines authores Pacis: O felicem diem in quo diſcordia ſublata, aurea Pax reducta erat atq; propagata. Gaudebant ſenes, triumphabant Iuuenes; lætitia viri, gaudio vxores erant delibutæ. Quid multis? Coniuges in Religione diſſentientes, in domeſticis rebus concordes erant: parentes & liberi non vnius Religionis, debito tamen ſe inuicem proſequebantur amore; fratres & ſorores, nec non & conſanguinei, diuerſa ſacra colentes, in Politicis nihilominus vnanimes ſuum officium abſque diſſenſione faciebant. Sed quid Diabolus? Zizaniam ſtatim vt ipſe, ita illius quoque inſtrumenta tritico inſerere, tam ſtuduere quam

quà

(*a*) Ioh. Gerhardi in *Coronide Centuriæ quæſtionum Politicarum* adiuncta. (*b*) *Camer. 1. medit. hiſt. c. 58.*

qui vehementiſſime. Ieſuitæ etenim, vt reliquos taceam, (c) quamprimum ex ludo eius prodierunt, Pacem ij continuo vel tollere, vel certe eandem, quoad eius fieri potuit, labefactare atque impedire tentarunt acerrime, tunc omnia quieta conſilia, tranquilla omnia media aſpernari. Religionis Pacem perfectam iam eludere, tunc turbata aqua anguillas, quod aiunt, captare cœpere Suitæ: quid quod fune tuendos, flamma conſeruandos, ferro Religionis ritus protegendos dictitant, & pro Fidei articulo obtrudunt Loyolitæ? Quem hominem, quæſo, ô turbatores, cui vel ſcintilla eſt charitatis, reperietis, qui non maximam veſtram ſit deteſtaturus ſæuitiam? Certe nec beſtiæ, Leones, vrſi, mali tantum quantum nobis cupitis, imbecillioribus inferunt animalibus.

Verum enimuero, vt dies mihi potius quam oratio deeſſet, ſi conſilia illorum cruenta aperire, omneſque ſtrophas & cauillationes, quibus ciuilem conantur extinguere Concordiam detegere vellem: ita illos multis rationibus quamplurimiſque rerum documentis & exemplis refutare, ſi maxime non aliorum ſcrinia compilarem, nauſea tamen, quæ vobis creanda eſſet, me impediret & faſtidium. Veruntamen cum ſuſpenſis vos bibere auribus haud obſcure perſpiciam, conabor aliquid, atque hac diſſertatione, vnicum, ſed nouum quoddam & grauiſſimum, contra eiuſmodi turbarum & bellorum concionatores proponam argumentum. Dicam autem, quæ vobis omnibus forſan non ingrata erunt futura, ac breuiſſimis oſtendam: *exoptatam Religionis reformationem, non viribus humanis, ſed ſola ſolius Dei Omnipotentis admirabili & ſapientiſſima Prouidentia introductam eſſe: Deum Pacem in Religione apud nos Germanos produxiſſe: Deum omni huius mundi prudentum ſapientia neglecta, non ſolum præter multorum opinionem Politicorum, ſed etiam contra Diaboli ac Pontificiorum vota, eandem conſtituiſſe: atque ideo contra aduerſantium furorem defenſurum quoque in poſterum.*

Etſi autem ruditatem meam ingenue profitear, eaſq;, quibus vos egregie instructi eſtis in perorando dotes, in me minime reperiam: quia tamen veritas tribus contenta verbis: & quia veſtra beneuolentia omnem mihi timorem, qui me natura præ cæteris tenet, minuere videtur, quantum in me erit, ſtabo promiſſis: meque ad feliciſſimum portum perueniſſe exiſtimabo, ſi hac diſſertatione mea aduerſarios ne Diuino iudicio & Prouidentiæ, vano ac impio conatu porro reſiſtant, recte monere: nos vero ſolida perfundere conſolatione, & ad humillimam pro tot tantiſque in nos collatis beneficiis gratiarum actionem permouere potero. Deum Optimum Maximum, ex Iuuenili etiam ſæpius ore ſibi laudem præparantem, vt qui ſemper etiam hac hora adoleſcenti mihi, ſuo adſit auxilio: vos Auditores colendiſſimi, vt vacinas aures præbeatis, etiam rogo atque etiam.

Pontificij autem (vt inde mea exordiatur oratio) vt multa fabulantur, ita fruſtra nec ſine pingui mendacio, de Hierarchiæ Religioniſque Romano-Catholicæ minime Apoſtolicæ gloriantur antiquitate. Noſtra, inquiunt, noſtra illa eſt doctrina, quæ per plurima ſecula in hunc vſque durauit diem, noſtra illa eſt, cuius cultores vt hactenus ita porro, vtut vobis id bilem moueat, pro viribus defendemus, veſtrorum quot poterimus viuos trademus Vulcano. Egregie. Veſtra vero vix ante tres dies orta, infeliciſſimum habet anthorem Monachum perfugam. Lepide. Ex Lutherino cerebello noſtra eſt deprompta Religio? Haud equidem reor: ſed Apoſtolorum, Chriſti ipſius doctrinam, quam omnibus modis perfectam ex ſacro hauſimus Codice, noſtri puriſſime profitentur Theologi. Superſtitiones autem, quibus vos ceu denſiſſimis tenebris ta'pa facti eſtis cœtiores, ante aliquot tantum ſecula (d) tam altas apud vos egere radices. Aliter ſane primitiuam Ieſu Chriſti Eccleſiam docuiſſe, aliter vixiſſe, longe alia forma gubernatam fuiſſe Eccleſiam primitiuam, nonne ipſimet vos proditis, vltroque fatemini: dum, quod ingenue profitetur Alb. Pighius (*de Eccl.*

(c) Autor Autonomiæ, Libertatem Religionis, Edicto perpetuo ab Imperatoribus & ordinibus Imperij decretam, *Freyſtellionatum*, [illegible] *ſerpentinum & venenum* vocat *Diaboli*. Ant. Poſſeuinus, Loyolitarum [illegible] ſinguller, *in cantica ad Diſcurſus De la Noue*, omne tranſactionis genus, quo etiam olim & [illegible] noſtro tempore in Imperio, Galliæ & aliis ſui Regnis controuerſiæ de religione, ſine ſanguine amice & fraterne compoſitæ [illegible] Pro eiuſmodi Chriſtianis mediis, indagationem, inquiſitionem, vindictam iudicialem, & [illegible] Inuitis & diſſentientibus omnibus bonis & candidioribus Papiſtis. Thuanus, literatorum Auguſtus, *ingenue*, inquit, *dicam, bellum non eſſe legitimum medium tollenda ex Eccleſia ſciſſura*. Præf. hiſt. Ex ipſa impura [illegible] Schola, Andreas quiſſam Philo[illegible] Presbyter ac Theologus Romanus, in reſponſione ad Ediſ[illegible] Aug[illegible] Au-guſtæ, cum permiſſione ſuperiorum excuſa, ita ſcribit: *Si perſuaderi ſibi à Catolis, conſpiratio* [illegible] *Elizabetha Regina, hanc tantam ſubditorum carnificinam* (qualem in paucis ſeculis [illegible] & [illegible], ancto per totum librum valde exaggerat) *periculo omni carere*, [illegible] *Gamal* [illegible] *conſilium, Aller. capit. 5. Beneuolentia & tolerantia tentanda res eſt, quod Germania Princ.* [illegible] &c. Hanc [illegible] eandem Gamalielis ſententiam, quod Lutherani noſtri pro ſe quandoque allegant, [illegible] Autonom. *part. 3. cap. 30.* Ita nemo vim & libertatis conſcientiarum approbat oppreſſionem, niſi qui brachium pro ſe habet ſeculare: hoc deſtituto, mox vocem mutabit & animum. (d) Auguſtin. li. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi* [illegible] *authoritate traditum rectiſſime creditur.* Ita P. Ramus, cum in Puſſiacenſi Synodo, à Lotharingo Cardinale de quindecim à Chriſto ſeculis, primum vere eſſe aureum audiiſſet: reliqua quo longius [illegible], eo eſſe nequiora atq; deteriora: Chriſti ideo & Apoſtolorum ſeculum renouandum & ſibi diligendum eſſe putauit, eaque occaſione Pontificiam religionem, cuius antea obſeruantiſſimus erat aſſecla, deſeruit: Theophil. Banoſius *in vita* [illegible] Sic vetereque Cyprianus 2. Epiſt. 3 relatus diſt. 8. can. 9. *ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid* [illegible] *ante nos faciendum putauerit: ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit.* Tertull. Adu. Marc. [illegible] *id verum quod primum, id primum quod & ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis.* [illegible] Robert. [illegible] *indic.* [illegible]

Hierarch.) ex ſacroſancta Scriptura (quæ ſola nobis primitiuæ Eccleſiæ haud ficte deſcribit ſtatum) non eſſe nobiſcum diſputandum, perpetuum apud vos eſt axioma: dum Spiritum ſanctum per ſcripturas loquentem, aliamque nobis ac Romæ eſt depingentem Eccleſiam audire; & pro controuerſiarum Iudice in fidei negotijs impudenti blaſphemia agnoſcere dedignamini.

At neque ſuperiorum ſeculorum vnanimem & Catholicum Conſenſum pro ſe allegare queunt Pontificij. Semper etenim in medijs tenebris ſuos ſibi reſeruauit Deus, qui beſtiam non adorarunt, neque vino meretricis Babylonicæ inebriati fuerunt, quorum qui potuerunt, Antichriſtianæ tyrannidi Romanæque religionis prophanitati reſtiterunt: qui non potuerunt, ij tamen reformationem Eccleſiæ regnique Antichriſtiani ruinam aut prædixere, aut certe exoptauere medullitus. Talis fuit vates (ne res careat exemplo) Franciſcus (*e*) Petrarcha, qui de Roma, in qua vixit, vt & de Pontificia ſede, quam in Gallias Auenionem vſque ſecutus eſt, paulo minus ducentis ante Lutherum annis, audite, quam eleganter cecinerit:

I.

Fiamma da'l ciel ſu le tue treccie pioua, &c.
In diros crines è cœlo decidat ignis
Execranda lues: qua lympha & glande relicta,
Extenuans inopes, prægrandis opimaq; facta es.
Ac tibi iucunda eſt tot iniqua patrare voluptas:
O ſcelerum ſedes, & nidus proditionum!
Vnde hæc cernuntur totum diffuſa per orbem:
Ferclorum, Bacciq; Comes lectiq; miniſtra,
In qua luxuries alta ceu regnat in arce.
Per conclaue ſenes, per turpe cubile cynædi
Ludunt, & Satanæ non deſunt vndique folles
Luxuriei inflato ſpeculu, ſuccenſaque flamma.
Non his delitiis olim nutrita fuiſti,
Sed proiecta Noto, duris pede nuda ſalebris:
Nunc vitiis tuis vt conſcendas fœtor olympum.

II.

L'auara Babilonia ha colmo il ſacco, &c.
Non ſaturanda gerit vaſtum Babylonia ſaccum,
Plenum bile Dei, vitiis, immanibus auſis.
Quæ manant late. Quæ Numina ſuſpicit haud ſunt,
Iuppiter & Pallas, ſed amorum diua & Bacchus.
Pœnas expectans flacceſco, & duriter angor.
Sultanum at cerno venientem, & flagra ferentem.
Sed vereor ne quam cupiamus ſerius adſit.
Vna fides cunctos cinget Babylonis in vrbe,
Impia per terras Idola refracta iacebunt,
Flagrabunt turres, & tecta minantia cœlo
Turricolæque cadent ardenti fulguris igne.
Fœlices animæ, virtutis & æmula turba,
Incolet has terras. Tandem ſpectare licebit,
Aurea virtutum ſanctarum tempora reddi.

III.

Fontana di dolor albergo d'ira, &c.
Fons ærumnarum, domus iræ, plena furoris,
Errorum ludus, ſectarum mobile templum:
Roma quidem fueras, nunc es Babylonia fallax,
Ex qua tot luctus gemituſque feruntur in orbem.
O fraudum mater, carcer teterrimus iræ,
Carnificina boni, ſed iniqui ſedula nutrix:
Viuorum infernus; miraculum inſigne futurum,
Si nunquam contra te CHRISTI *ſæuiat ira.*
Caſta in paupertie tua ſunt fundamina iacta,
Sed modo fundantes oppugnas cornibus altis.
Quidnam frontis habes meretrix? quo niteris audax?
Spes in adulteriis, ſpes eſt in diuitiis iſta.
Non igitur redeat te Conſtantinus adaugens,
Protinus at miſerum qui ſuſtinet auferat orbem.

O inſignem vatem, ô artificioſiſſimum regni Pontificii pictorem! Quem quæſo Franciſcum hunc illi dicent: Catholicum ne? non dicent, qui Papam colunt, de cuius Aula ille, *quicquid* [illegible] *perfidiæ & doli,* inquit (Epiſt. 19. lib. Epiſt. ſine titulo) *quicquid inclementiæ ſuperbiæque, quicquid impudicitiæ effrenatæque libidinis audiuiſti aut legiſti, quicquid deniq; impietatis & morum peſſimorum ſparſim habuit aut habet orbis terræ, totum iſtic cumulatim videas, aceruatimque reperias.* At ergo Lutheranus fuit, quia de Pontifice plane ex Lutheri mente loquitur? ſane, ſi modo non ante eius natiuitatem ille obiiſſet.

Verum Monachum etiam Iohannem de Rupeſciſſa (*f*) circa annum Chriſti milleſimum treceнteſimum quinquageſimum vitales carpentem ſpiritus, audiamus; palam & ipſis etiam quid Cardinalibus in os fuerit locutus: *Imperator,* inquit, *Romanus & Alemanniæ, Regeſque Chriſtiani ac potentiores terrarum Principes, Eccleſiaſticis donauere Bona, vt ſeruirent Deo: vos vero per ſuperbiam ea profunditis, per nequitiam & luxum, eoque nomine iraſcitur Deus. Et iraſcetur aliquando magis etiam contra eos, qui tempore futuro ſubſequentur. Ita quod Nobiles, qui liberaliter donarunt terras, cenſus & ditiones, largitiis iam frigidiores effecti deſinant, & prius etiam donata auferent.* Porro huic vaticinio in plurimis hactenus reſpondiſſe euentum, (*g*) cuiuis manifeſtum erit, qui ſedis Romanæ reditus, quos ei olim Germania, Anglia, multæque aliæ prouinciæ protulerunt, cum iis, quos nunc iis in locis colligit, conferre voluerit.

Armis quoque ante quadringentos, trecentos & ducentos annos, Martioque robore quomodo nonnulli Papalem tyrannidem oppugnauerint, id omne vos in cute iam prius noſſe arbitror. Et

Albi-

(*e*) De F. Petrarcha eiuſque ſcriptis, in quibus paſſim Occiduam Babylonem inſectatur, V. *Catal. teſt. verit. l.* 18.
(*f*) De hoc Iohanne de Rouchetaille, ſeu Rupeſciſſa, v. Froiſſart. 1. c. 211. Guil. Paradin. 2. *de l'hiſtoire de Lyon c.* 56. Catal. Teſt. verit. *nor.* 18. qui omnes Apologum eiuſdem, aduerſus Pontificem Romanum & Cardinales recenſere, ſcitu dignum. (*g*) Alb. de Roſate, *ad l. bene à Zenone C. de quadr. præſcript.* & Marſil. Patauin. in *Apol. pro Lud. Bauaro part.* 1. *cap.* 24. Literatas quaſdam reſtituunt Prophetiam tempore Bonifacii VIII. dicentis: *Per eoſdem paſſus & gradus, per quos Eccleſia Romana aſcendit, per eoſdem deſcenſuram ad extremam paupertatem* [illegible]

Albigenſes in Narbonenſi Gallia, multis ex Galliæ Principibus & Hiſpaniæ etiam Regibus adiuti quid tentarint, Gallicanæ (*h*) teſtantur hiſtoriæ. In Bohemia Huſſitæ quid effecerint, quam ſtrenue vel ſolus Iohannes Ziſcha Bohemorum Eccleſias contra furorem Antichriſti ante ducentos annos defenderit, & libri teſtantur, epitaphium quoque ipſius hodie loquitur, verba ſunt eiuſmodi: *Iohannes Ziſcha (i) nullo Imperatorum Ducumue rei militaris peritia inferior, ſuperbiæ ſimul & auaritiæ Clericorum ſeuerus vltor, Patriaque acerrimus propugnator hic iaceo. Fortuna belli nunquam defui, neque illa mihi, omnem opportunitatem rerum bene agendarum etiam cæcus prauidi, ſignis collatis vndecies ſemper victor depugnaui. Viſus ſum mihi eſurientium iuſtiſſimam cauſam aduerſus delicatos, pingues & ſaginatos Monachos egregie egiſſe, & ob hoc Dei auxilium ſenſiſſe.* Hæc ille. Quid hoc eſt, Patres ſanctiſſimi, etiamne Epitaphia veſtras nobis decantant laudes? ſic ergo fruſtra noſtros trucidatis, fruſtra, inquam, linguis contradicentes orbatis, ſi lapides quoque Clericorum nobis exponant vitam.

Sed ad rem vt redeam, quanquam bene multi ad beſtiam hanc meretricem è medio tollendam, nullum non mouerint lapidem: Deo tamen noſtro propter iuſtas, licet nobis incognitas cauſas ſemper placuit, vt laudabiles illorum conatus irriti eſſent, & tandem grauiſſimo ſuccumberent oneri. Iam dudum enim prædictum erat à Dei Prophetis, Sanctam quandoque Eccleſiam laceſcentem, & ad certum temporis diem abſconditam fore; ita vt iudicio omnium moribunda, & iam propemodū præ infirmitate ac tenuitate ſua, animam agere videri poterit. O miſeras tunc oues carentes Paſtore, errantes in deſerto, in medijs palpitantes tenebris. O felices tunc liberos, qui ſacro fonte abluti, priuſquam Pontificio iterum inquinarentur luto, naturæ perſoluerunt debitum. Quam multorum animæ, ceu cerui ſitientes viuidam verbi Dei quæſiuerunt aquam, cuius fontes demonſtrari aperirique noluerunt, qui rerum ſacrarum diſpenſationem ſibi concreditam iactabant? (*k*) Quam multi in nauicula Petri vndique procellis & tempeſtatibus circumdati, ſurge, ſurge, clamauere. (*l*) Domine, nihil ne nos curas? nihil ne noſtra ad te perditio? Multi reliquis cordatiores, qui iuſto commoti zelo, vel mutire contra Pontificem auſi ſunt, ij, proh dolor, non Spiritus ſancti gladio, ſed cruento Marte, laqueo, igne tandem ſuppreſſi atque debellati fuerunt. At ô fortunata mors, quæ naturæ debita pro Religione eſt potiſſimum reddita? & præclare vobiſcum actum dum vixiſtis religioſiſſimi, nunc vero etiam ſanctiſſimi eſtis Martyres.

Verum vt Elias Regis Achabi tempore, cum tribus annis & ſex menſibus cœlum clauſum eſſet, terra atque iumenta aqua, pauperes potu carerent: vt, inquam, Elias Dei ope cœlum aperuit, pluuiiſque auro & argento præſtantioribus aridum rigauit, ſitientem recreauit: ita quoque eo ſeculo, quo firmiſſimo præſidio vallatum, plurimiſque ſubſidijs adiutum erat Regnum Papiſticum, & iam pura Religio, ceu fons limpidiſſima aqua repletus omnibus incognita videbatur. Ecce de improuiſo Lutherus, vir plane Heroico ſpiritu præditus, tantam potentiam aggreſſus, verbum diuinum tot tantiſque traditionibus humanis coinquinatum repurgauit, atque pretioſiſſimum Euangelij fontem diuino adiutus auxilio, cunctis felici monſtrauit ſucceſſu. O mira miranda, vnicum hominem tanta conari auſum. Lutherum noſtrum, nulla potentia mundana inſtructum, nec brachio adiutum ſeculari, auſum eſſe aggredi magnum illum Goliathem, ad cuius minas & excommunicationis fulmina, vniuerſus iam per aliquot annorum centurias trepidauerat orbis Chriſtianus: hunc, inquam, auſum eſſe Lutherum erroris & hæreſeos accuſare, eumque ipſum Antichriſtum eſſe demonſtrare, an non ſtupendum eſt, & admirationem obtinet merito? Hieronymus Sanonarola (*m*) in Italia idem paulo ante Lutherum aggredi volens, dolentibus omnibus bonis eſt concrematus. Reliquiæ Albigenſium anguſtia Merindolanæ vallis continebantur, imo prorſus latebant. At Bohemi forſan Eccleſiæ adhæſerunt veriori? neutiquam: licet

 enim

(*h*) De Albigenſium potenti multitudine v. Paul. Æmil. *libr* 6. Bernard. Girard. Signr. de Haillan. 1. *fol.* 820. & Iohan. de Serres. *Tom.* 1. *fol.* 482 & 506. Albigenſibus quidem multorum abſurdiſſimorum dogmatum pertinax adſcribitur propugnatio: Attamen Aug. Thuanus *libr.* 5. (qui inſtar omnium mihi eſt) totum intermortuam doctrinam, in Anglia Wicleſum, & in Bohemia Iohan. Huſſum renouaſſe teſtatur. Inſuper etiam quid olim Albigenſes crediderint, Merindolanorum & Capratienſium (qui Albigenſium ſunt reliquiæ) edocent Confeſſiones v. Molinæ. *de Monarch. Franc. numer.* 154. &c. Nempe officioſis onerare mendaciis omnes, qui in faſtum, opes ac vitia Pontificum vehementius inuehuntur, figura eſt in Papicolarum Rhetorica ſpecioſiſſima. v. Benbellone de Gaudentiis *Tempeſtiuum ſuſcitabulum* 1. *cap.* 8. *fol.* 37. (*i*) Catalog. Teſt. veritatis, *libr.* 19. Iohann. Wolff. *lect. memorab.* 1. *fol.* 780. 801. (*k*) Sie ſolten Seelſorger ſeyn / ſo ſind ſie Leib vnd Seelenworger / dicebat ante 100. annos Tilemannus Spangenberg. *Catalog. teſt. verit. l.* 19. (*l*) Animarum piarum, in captiuitate Pontificia grauiter gementium, quam plurima paſſim in libris vetuſtioribus exaudiuntur ſuſpiria, & integrum ſcripſit Aluarus Pelagius anno 1340. librum, cui titulum fecit, *Planctus Eccleſiæ.* Iuſtum quoque extat volumen Vbertini Chemenſis Epiſcopi, quod inſigniuit *Onus Eccleſiæ*, vbi §. 33. cap. 15. ſcribitur: *Poſtquam aliquis veritatis Zelator, verbum ſuperioritatem Eccleſiaſticam mordens profert: hæreticus accuſatur, igni deputatur, & morte dignus condemnatur, penituſque opprimitur. Inutilis, inquiunt, eſt nobis, & contrarius operibus noſtris.* Multis paſſim in Monaſteriis picturæ reperiuntur, quibus pii olim docebant, quod metu fracti palam contra Papam dicere verebantur. Semper & adhuc hodie nulla vnquam, quibus Romana fides oppugnatur, grauior & infeſtior iudicata fuit hæreſis, quam quæ Poteſtatem Pontificiam labefactare conatur. Bellarmin. *in epiſt. dedicat. diſput de controuerſ.* &c.

(*m*) Is a Pico Mirandulano Comite, ſanctus Propheta appellatur, & proprio ſcripto contra Papam defenditur.

enim Picardi (*n*) per omnia doctrinam retinuerint Huſſi; alij tamen falſi fratres, vere Catholicos plus quam ipſi afflixerunt Pontificij:& vt vno omnia dicam,omnia meretrici Babylonicæ ſubiecta pedibuſque calcata, omni ſpe tam prope aduentantis reformationis orbati erant pij: impiorum Eccleſia nec luctum nec viduitatem,vlla adhuc coniectura prouidere poterat. Hoc, inquam,tempore,hoc rerum ſtatu, vnicus animoſus Monachus prodiit Lutherus, contra armatos inermis, ſolus contra potentiſſimos hoſtes. O rem inauditam! quærat mihi qui volet, & vbicunque volet, tale aliquod exemplum, imo non quærat, nam nullum inueniet. Exiguis quidem copiis, variis non raro ſtratagematibus vſus, C. Iulius Cæſar multos proſtrauit hoſtes: at Lutherus (*) noſter ſine vllo humano auxilio tantam peruertit opum vim, ſicque inopinato ſummam beſtiæ Babylonicæ intulit cladem. Et breui quidem, at magna militum ſtipatus caterua, ſuos vicit hoſtes Imperator ille, qui herba reportata; veni, dixit, vidi,vici: verum Diuinus Lutherus noſter vnicus venit, vnicus, inquam, ſimul ac mare illud malorum vidit, exiguo temporis ſpatio integra Regna debellauit, Chriſtoque, pro quo pugnauit, ſubiecit & vicit; tempore quo Romanenſes errores per omnem orbem Chriſtianum erant ſparſi, diſſeminati & floreſcentes: & hoc in Germania factum, (*o*) quæ antea Huſſitis tam acriter reſtitit. Perpendant hæc omnes Pontificij, & altius conſiderent, quotquot diuina à nobis poſcunt miracula:habent hic quod mirentur,eſt quod noſtram Religionem (licet ante plurima ſecula miraculis ſexcenties confirmatam) corroboret atque ſuffulciat.Diuinæ profecto hoc omne adſcribendum prouidentiæ, diuinæ potentiæ veſtigia ſatis expreſſa quis hic non agnoſcat? quis Babylonis maximam cladem & caſum inopinatum non deprehendat? de quo D.Iohannes decimo octauo in Apocalypſi ita ſcribit: vna die venient eius plagæ,mors,& luctus,& fames, &c.quia validus eſt Dominus, qui damnabit eam.

Sed niſi parum portendit animus,Papicolarum vos hoc momento ſollicitos tenent calumniæ, quas contra Lutherum noſtrum euomere aſſolent: quem non ratione, ſed libidine, vt Monachorum cœlibatum improbaret, impulſum aiunt; ne Abbatis ipſe perferre cogeretur Imperium, ideo vota damnaſſe. Paupertatem Monaſticam vituperaſſe, vt inde diteſceret, &c. Verum enimuero fruſtra eſtis amici, frigidas propter has calumnias, ingenuitatem & ruborem veſtrum ſi præſtatis. Improbi ſunt calumniatores, malitioſique interpretes, qui vllius noſtrum arguunt temeritatis cupiditatis,inconſultiue facinoris. Haud etenim leui motus, & Pontifici contradicendi vano ſtudio adductus, in hanc deſcendit Paleſtram; religionis ſed Pontificiæ acerrimus aſſertor, ab initio blaſphemias ſaltem Tetzelii propolæ indulgentiarum, bipedum nequiſſimi refellere habuit in animo. Quod vt melius intelligatur, altius paulo mercatorem illum vna cum mercibus inſpiciamus. Leo X. P.M. vere cum Anteceſſore ſuo B. Petro, Chriſti Apoſtolo dicere potuit, aurum & argentum non eſt meum: quas enim hic contempſit opes, prodigentia ille infami conſumpſerat. Partem in nepotes & cognatos ſuos profudit. Habuit autem multos ille tales, vt prouerbio Romæ locum dederint, Leonis cognati & affines. (*p*) Partem abſumpſerant tot Reuerendiſſimi, quos triginta & vnum, pater ille vno atque eodem creauit die: tot Referendarii,tot Auditores,Protonotarii,Abbreuiatores, ſcriptores Apoſtolici, Camerarii, atque id genus alii Principis Eccleſiæ primates. Nam hi poſt ſe trahunt maxima adhuc cum impenſa Copiſtas, Pedellos, Curſores, Muliones, Stabularios, & ſcortorum vtriuſque ſexus innumerabilem turbam, ac Lenonum exercitus. Hiſce, inquam, hirudinibus cum Eccleſiæ ærarium exhauſtum eſſet, (*q*) à conſuetis præſidium petiit technis,& remiſſionem peccatorum,liberationem purgatorii,vitam æternam nummo vendere ſtatuit. Ergo plurimæ indulgentiarum conficiuntur literæ, ſubſcribuntur, & Piſcatoris ſigillo confirmantur. Quid fit? Tetzelius (*r*) ſcutarius & æruſcator Romanenſis fideliſſimus, in vniuerſam has portat Germaniam. Accurrunt diuites,accelerant pauperes, quidq; iſte velit ſeplaſiarius, quam auidiſſime expectant. Ruptoque ſilentio, ſummis laudibus in cœlum vſque indulgentiarum Tetzelius fert literas, fidem mortalibus faciens, quod ſi nummis illas redimerent, nihil eſſe quod amplius de ſalute ſua dubitare queant. Item quod animæ de purgatorio ſtatim euolent, vbi contributionem in ciſtam coniecerint. Tantas inſuper has eſſe gratias,vt nullum ſit adeo magnum peccatum,

(*n*) In Bohemia ſubſecutæ ſunt miſeræ & multæ diſtractiones Eccleſiarum & Doctorum, qui à Huſſio Religionem didicerant. Pars longe maxima & floreutiſſima (cuius velut caput fuit Rochenzana, qui Archiepiſcopatum aucupabatur Pragenſem) ad Papiſticam rediit religionem, retenta ſola communione ſub vtraque ſpecie. Alia pars, ac præſertim ea, quæ Ziſcam ſecuta eſt, *Thaboritaque* appellati ſunt, doctrinæ Waldenſium Gallicanorum etiam magis adhæſerunt: vnde & *Picardi* nominantur. Acres fuerunt inter haſce duas partes contentiones, de quibus etiam ſcriptum quoddam edidit Matt. Flacc. Illyr. cuius titulus: *Confeſſio Waldenſium contra claudicantes Huſſitas ſcripta.*

(*) *Roma orbem domuit, Romam ſibi Papa ſubegit:*
Viribus illa ſuis, fraudibus iſte ſuis.
Quanto iſto maior Lutherus, maior & illa:
Iſtum illamque uno qui domuit calamo? Theodor. Beza.

(*o*) Refertur in commentario Legati ab Adrian. 6. P. M. ad S. Romani Imperii ordines Anno 22. Noribergæ congregatos miſſi: *in Conſtantienſi Concilio Germaniæ proceres magna ex parte interfuiſſe condemnationi Ioh. Huſſi, & aliorum hæreticorum: quorum aliquos ipſum Huſſum propriis manibus ad ignem duxiſſe fama ſit.* Etiam poſtea Antichriſti miniſtram in perſecutione Bohemicæ Eccleſiæ ſe præbuit Germania. (*p*) Vlr.ab Hutten. illa Wolfi *tom.2 f.88.* (*q*) Fallunt & falluntur, qui aureos montes in arce illa Angelica Romæ ſepoſitos ac retruſos ſibi perſuadent, cum Pontifices non ſolum iniquo, ſed & turpiſſimo ſub fœnore maximas pecuniæ ſummas debeant. v. Elychn. Gottheb in tr. qui inſcribitur, *Montes Pietatis Romanenſes.* (*r*) Sleid. 1. *àpr.* Oſiand. Cent.16. part.1.c.21. Mathefius in concionibus de vita Luth. Cruſ.annal.p.3. *lib.10.c.6.* Thuan. 1. *fol.25.*

tatum, quin poſſint expiare. Cruces præterea ligneas, quæ paſſim erant in templis iuſſu Pontificiis erectæ, vehementer prædicabat: ita etiam vt cum Leone Decimo Petrum Apoſtolum, & crucem in qua pro nobis vitam Chriſtus profudit, cum Pontificia componeret. Iam diuites maledictis illis quæ in eos iecerat Saluator noſter, ſe liberatos cenſentes ridebant: pauperes demum re ipſa comperiebant, non præter rationem Albertum olim Magnum (*s*) docuiſſe, locupletem quam egenum melius habere in purgatorio ſe redimendo.

Has vero inſulſiſſimas voces cum propriis auribus cognoſceret Lutherus, tacitus primo ceu abſonas, & in ſummum Deum blaſphemas, adductus firmiſſimis damnauit rationibus. (*t*) Dein propria ſuadente conſcientia, & exigente hoc officii iuramentique ratione, quod Theologiæ præſtant Doctores, (*u*) in Wittebergenſi Academia affixis Thematibus publice (*x*) Tetzelii oppugnauit dogmata: expreſſis tamen proteſtans verbis, nihil ſe affirmare, ſed S. Eccleſiæ iudicio rem omnem ſubmittere. Ideoque Lutherus, explicationem eorum quæ dixi thematum, ad Iohannem Staupicium Vicarium Monachorum Auguſtinianorū mitit, rogans vt ad Pontificem perferri curet. Sed & ipſe elegantem ad Leonem (Anno 18. M. Iunio) perſcribit epiſtolam, pluribusque exponit, quam temerarie quæſtores illi doceant, quam agant auare, quam nefarie authoritate ipſius abutantur. Submiſſe denique petens, ne peruerſe literas haſce interpretetur: omnia ſua ſcripta, vitam quoq; & ſalutem ipſius ſe permittere arbitrio ac poteſtati: quicquid ab ipſo profectum fuerit, eo ſibi fore loco, ac ſi à Chriſto dimanaſſet. *Proſtratum*, inquit, (*y*) *pedib. tuæ B. me offero, cum omnibus quæ ſum & habeo; viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vocē tuam vocē Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam.* Adhuc ne ſiniſtras cogitationes de Diuino alitis Luthero? adhuc ne rebellionis vobis ille eſt ſuſpectus? Altum ſilentium. Verum non eo quo ſperauerat Lutherus animo, à Leone X. illa fuere accepta; ſed vt prius, ita porro etiam indulgentiarum laudes fuerunt decantatæ: & dum ſententiam ex vrbe lætam expectat, fulmine percutitur, & velut omnium hominum maxime nefarius damnatur noſter. Qui ſic? ea propter nimirum, quia medio illo, Creſi Midæue maiores conquirebantur opes: peccatis Germanorum diteſcebant Epiſcopi, ſaginabantur Monachi, Papales in lætitiam coniiciebantur nepotuli. Itaque literarum firmitas, cum ex ſacra doctrina diuinitus inſpirata nobiſque relicta confirmari non poſſet, ecce Vicarii iuſſu, quem regulam fidei longe certiſſimam prædicabant, robur ſuum omnimodo ſufficiens habere, promiſcuæ perſuadebatur plebeculæ. Tunc vero ex vnguibus, quod aiunt, Leonem ſæpius dictus cognouit Lutherus, omnique procul ſe poſito metu, Euangelii radiis, magis magiſque denſas cordis ipſius pellentibus tenebris, Augiæ ceu animoſiſſimus heros ingreſſus ſtabulum, repurgare illud inſtituit; atque publice Romæ iam Antichriſtum quærendum eſſe docuit, & euicit. Sibi ergo, non Luthero culpam attribuant ipſi, qui tam impudenter & immodeſte rem egere, ignemque, quod eſt in prouerbio, gladio foderunt. Perculit nempe & obdurauit corda eorum qui cœlum inhabitat, neque is tantam voluit graſſari diutius impietatem, & populum ſuum è tenebris illis Ægyptiis, in clariſſimam lucem ac ſolis aſpectum iucundiſſimum eduxit.

Verum ad ſeriem hiſtoricam redeamus. Lutherus quo omnibus, quid de Pontificia ipſe ſentiret abominatione, manifeſtum fieret, palam poſtmodum Ius Pontificium Wittebergæ, omni Scholaſtica multitudine conuocata, combuſſit, ſcriptoque edito facti ſui rationem expoſuit. (*z*) Male hoc omnis raſa Sacerdotum tulit turba, omnium autem peſſime cum filio Papa Diabolus. Ergo tota Papicolarum inſana cohors, inſano furore percita in eum irruit, vel vnicum autumans ſufficere (carnificem) qui omnes eius breui ſupprimat conatus. Nec vlla interpoſita mora, ſine vlteriori deliberatione, igne ipſius eſſe coercendam contumaciam concludunt omnes: campum etiam in quo Lutherum debellarent, vbi de victo & vſtulato ſtatuerent trophea, Wormatiam eſſe volunt, vbi eo tempore Imperii erant indicta Comitia: & ſicuti Huſſi locus, vbi Conſtantiæ exuſtus fuit, adhuc hodie ob perpetuam nefariæ iniquitatis turpitudinem herbam non fert, ita Luthero quoque buſtum, quod ſimiliter in perpetuum graminis viriditate careret, iam deſignatum erat. Quid ergo factum porro? citatus ille ad Comitia, apparuit, mirum! repugnabat caro, diſſuadebant amici. At qui ſuis aquam affundit S. Paracletus, timentem erexit, inermemq; neceſſariis armauit donis.

(A) Sed maiori adhuc admiratione fuit dignum, quod ipſi data ſeruata fides, iſque non eandem cum Huſſo ſubiit ſortem. Huſſus hæreticus iudicatus; Lutherus Huſſo in hiſce comitiis æqui

Xxxxx 4 para-

(*s*) VVolffius 1. *memorab. lect. fol.* 55. (*t*) Luth. *Tom.* 1. *Ienenſ.* Sleid. 1. & 13. *fol.* 376. Oſiand. *Cent.* 16. *part.* 1. *cap.* 21. *vſq.* 29.

(*u*) Lutherus tentationibus grauiſſimis, humanæque imbecillitati, quæ ipſius animum deterrebant atque auocabant, præclaro ſane exemplo, ſemper officii religionem, & iusiurandum clariſſimum, quo in aſſumptione Doctoralium inſignium ſemel pro fidei veritate ſe deuouerat, oppoſuit. Matheſ. *in concion. de Luth.* non vno loco

(*x*) Luth. tum 34. ætatis annum agebat, & haſce Theſes in Vigilia omnium Sanctorum (d. 31. Octob.) foribus Templi omnium ſanctorum affigi curauit, An. 17. (*y*) Luth. *Tom.* 1. *Lat.* VV*itt. fol* 101.

(*z*) Anno 1520. Luth. librum *de captiuitate Babylonica* emiſit, in coque primum quod ſciam, non diſſimulanter docuit Pontificatum Romanum, nihil aliud eſſe quam Regnum Babylonis & Robuſti Venatoris Nimrodi potentiam. Poſtea ad finem eiuſdem anni, Decemb. nempe die decima, ius, & Pontificium, quod tum nuper euulgatum erat, palam exuſſit decretum. Sleid. 2. *fol.* 53.

(*a*) Cum quidam eſſent qui bono animo dehortabantur Lutherum, ne aduerſariis confideret vel VVormatiam veniret, reſpondit ipſis, inquiens: *hæc eſt dies quam fecit Dominus, vocatus ego venio, vocatus ingrediar in nomine Domini, etiamſi ſcirem tot eſſe Diabolos VVormatiæ, quot ſunt tegulæ in aduum tectis.* Selnecc. & Oſiand. *Cent.* 16. *part.* 1. *c.* 29.

I.

Anno Domini 1599.

NONNVLLÆ EX S. ROM. IMPERII CONSTITVTIONIBVS PROPOSITIONES DE PACE PVBLICA RELIGIOſa & Profana diſputatæ in Academia Baſileenſi à Chriſtophoro Leibfrid Wirceburgenſi Franco, Anno CIↃ. IC. XCIX.

Cum cauſæ non paucæ ſint, ex quibus, non attentis primarum inſtantiarum priuilegiis, per ſimplicis querelæ viam C A M E R A *Imper. rectà adiri, & ſupplicando proceſſus in ea extrahi poſſint; de nonnullis ex Conſtitutionibus Imp. deſumptis per ſubſequentes propoſitiones* [illegible] *agere placuit.*

I.

EX CONSTITVTIONE PACIS PVBLICAE.

ET primo, Qui contra conſtitutionem pacis publicæ delinquunt, ſiue immediate, ſiue mediate Imperio ſubiecti, licet alias C A M E R Æ iuriſdictionem nec in prima, nec in ſecunda inſtantia recognoſcant; veluti Domus Auſtriaca, Burgundica, Brandeburgica, Duces Saxoniæ, & Lotharingiæ: tamen ob quietem publicam violatam, recte in Camera conueniuntur.

I I.

Fori enim exceptiones declinatoriæ regulariter hic non admittuntur. Et licet tranſactionis exceptio, quoad tranſigentes litis ingreſſum impediat; Cæſari tamen, Cameræ, Fiſco Imperii, vel cuiquam alii tertio intereſſe habenti, ex tali priuata tranſactione nihil præiudicari ſanius videtur.

I I I.

Varie autem apud Iuriſconſultos de turbatione pacis publicæ, & numero hominum ad turbam faciendam requiſitorum diſputatur; dum alii decem, alii plures, alii pauciores requirunt; Ego prudentiæ & arbitrio Iudicis hoc committendum; & interdum à pluribus, interdum paucioribus, imo ab vnico homine contra conſtitutionem hanc agi puto.

I V.

Vnde Diffidationes, Beſähding/ ſpecies fractæ pacis eſſe; adeoq; diffidatores rectà in Camera Imp. conueniri poſſe, licet multis rationibus contrarium ſuadeatur, affirmo.

V.

Quid ſi accidat, vt, qui alios contra vim conſtitutionis violenter inuaſuri ſunt, vicinorum territoria ſine tamen eorum læſione & detrimento tranſeant; Num Dominus territorii ob nudum cum armis tranſitum ad pœnam conſtitutionis fractæ pacis agere poterit? Et quamuis res dubitatione non careat; tamen negatiuam defendendam aſſumam.

V I.

Fundata quoq; ex prædicta conſtitutione Cameræ Iuriſdictio eſt in abſolutione à Banno, ita tamen, vt inuito eo, qui bannum obtinuit, & ſine venia Imperatoris, à banno abſoluere Camera non poſſit.

V I I.

Quod ſi vero bannitum pacis publicæ violatæ cauſa Imperator ſuæ Maieſtatis, & S. R. Imperii carum & fidelem appellet; aut fidelitatem & ſeruitia ab eo recipiat; aut priuilegia eidem concedat, an abſolutus videbitur? Et videri magis arridet.

VIII.

Ex Conſtitutione de Religione.

COnſtitutionem Imperij ſuperioribus annis de RELIGIONE, pacis publicæ conſeruandæ gratia promulgatam nondum (vt quidam magni nominis vir, verum ſatis impudenter publico ſcripto diuulgare auſus fuit) eneruatam; ſed in priſtino vigore adhuc hodie vim roburque ſuum obtinere, meritoque tanquam Reipubl. vtilem atque ſalutarem ſummis ſtudiis, ac viribus conſeruandam eſſe exiſtimo.

IX.

Statibus autem & nobilibus Imperio immediate ſubiectis religionem in propriis territoriis, non attento, num exercitium religionis, eiuſdemque mutatio ſequela ſit Iuriſdictionis ſecularis, vel Eccleſiaſticæ reformare, & mutare conceſſum eſt.

X.

Nec in hoc ab vllo alio Imperii ſtatu, ſub quouis etiam Iure quæſito, vel prætextu meri mixtive Imperij, aut Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ impediri poſſunt, aut debent.

XI.

Suſpenſa enim per d. Conſtitutionem Audientia & Iuriſdictione Eccleſiaſtica cuilibet ſtatui, & nobili ſeculari Imperio immediate ſubiecto, de cauſis & rebus Eccleſiaſticis in deſtinatis ad hoc dicaſterijs cognoſcere & diſponere ſuo in territorio licet.

XII.

Vnde recte Monaſterijs, cœnobijs, Prælaturis, &c. ſub horum Iuriſdictione conſtitutis, Proceſſus, quibus ſeſe à reformatione religionis eximere, iuſque ſuum antiquum tueri volunt, in Camera denegantur.

XIII.

Laudabiliter tamen faciunt Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus, ſi bona, quæ primo pio zelo Eccleſiæ dicata & relicta fuere, poſtea vero ad pontificias idolomanias adhibita ad alios pios vſus, ſcilicet, ſuſtentationem miniſtrorum, ædificationem & refectionem ſacrarum ædium: ſubleuationem pauperum. & miſerabilium perſonarum, propulſationem hoſtium religionis, redemptionem captiuorum: Scholarum, quæ Eccleſiæ & Reipub. ſeminaria, conſeruationem & ſimiles transferant.

XIV.

Contra vero culpa non carent, qui bona eiuſmodi longo vſu ad Dei cultum, religionis reique ſacræ commodum deſtinata, ad res minime neceſſarias, forte nec Deo placituras, puta voluptates, delicias, aliaſque profuſiones ab Eccleſiæ ſalute & commodo ſeiunctas, collocant.

XV.

Porro, Nobiles immediate Imperio ſubiectos ſub prædicta conſtitutione non tam ratione ſuę perſonæ, quam quoad ſubditos & bona, comprehendi, manifeſtum eſt.

XVI.

An vero Religionem in bonis ſeu prædijs feudalibus contra Domini voluntatem mutare poſſint, controuertitur? Ego, non obſtantibus quæ ex aduerſo adduci poſſunt, mutationem vigore Conſtitutionis non impediri exiſtimo.

XVII.

Maior dubitatio ſuboritur: An Comitibus, Baronibus & Nobilibus mediate Imperio ſubiectis, vulgo Landſäſſen dictis, in Principum aliorum territorijs, ſed liberis ſuis arcibus habitantibus priuatum & domeſticum ſuæ Religionis exercitium conceſſum ſit? Et licet contrarium tueri queat, Ego affirmatiuam obtinere tentabo.

XVIII.

Praeterea circa hanc de Religione conſtitutionem & concordiam, ſæpe multumque diſputatum fuit; Vtrum Principes, ſtatus, Nobileſq; Imperij ſubditos à religione ſua alienos, veluti Auguſtanæ Confeſſionis, Pontificios, aut econtra ferre debeant: aut ſubditis emigrandum ſit? Vbi recte prudenterque facere ſubditos arbitror, ſi domicilium mutent; quinetiam inuitis Dominis ex tenore conſtitutionis id facere poſſint, affirmo.

XIX.

Sin vero ſubditi diuerſæ religionis emigrare nolint: nec forte ſine maximo diſpendio & damno poſſint, ſed manere malint: Quid Principi, ſtatui, aut Nobili faciendum? Certe potius conſentaneum conſtitutioni videtur, vt placide & ſine offendiculo viuentes benigne ferat: quam vi expellat, ad venditiones prædiorum iniquas, aut ad cultum conſcientiæ ſuæ repugnantem cogat.

XX.

Quid ſi Principes, Status, Nobiliſq; Imperij, diuerſæ religionis ſubditum omnino ferre nolit, ſed illum ſub comminatione ſeueriſſimarum (vt non raro fieri aſſolet, ipſuſq; non ſine patrimonij diſpendio expertus ſcio) pœnarum, ad ſolum vertendum, ſuamue religionem amplectendam cogat: nulla ne victoriæ ſpes, nullumue remedium ex conſtitutione ſupereſt, quo ſubdito aduerſus Dominum ex d. Conſtitutione ſupplicanti ſuccurratur? Hic ſubſiſto, & vix ſupplicantem voti compotem factum iri puto.

XXI.

De Imperialium ciuitatum ciuibus in ſatis arduam diſputationem venit: num aliquot ciuibus liberum religionis diuerſum à Senatus religione exercitium requirentibus, id concedendum ſit? Et licet multis argumentis hoc ſuadeatur; negatiuam tamen veriorem, & conſtitutioni magis conſentaneam dico: minime tamen illorum Senatorum fraudem probans, qui clandeſtina ſua conſpiratione diuerſæ religionis ciuibus licet idoneis, omnem ad dignitatem ſenatoriam ſpem aditumque præcludunt & adimunt.

XXII.

Cum vero diuerſarum, ſed approbatarum religionum ſubditos ferendos eſſe dictum ſit: conſequens eſt, vt nec vrbe pagoue exire, alibi conciones audire, & Sacramentis vti prohibeantur: vt autem domi priuata exercitia inſtituant, adeoque clandeſtina licet pia & Chriſtiana conuenticula habeant, conſtitutione non innuitur.

Cætera deſiderantur.

II.

SAMVELIS A REMCHINGEN DE RELIGIONE A DIVO LVTHERO IN STATVM VETEREM FELICITER RESTITVta: Paceque Religioſa in Romano-Germanico Imperio multis miraculis ſancita: & à Deo Opt. Max. prouidentiſsime ad hoc vſque tempus conſeruata, Diſſertationes duæ: Succinctam & apertam rerum poſt Religionis Reformationem ad hoc æui in Europa geſtarum expoſitionem, ac diiudicationem continentes.

DISSERTATIO DE PACE RELIGIONIS PRIMA.

QVanquam cum noſtro, tum proxime ſuperiori ſeculo, Magnifice Domine Rector, Strenue item & Nobiliſſime Patrue, ſummi & ad extremas Appellationes in hoc Ducatu Iudicantis Conſiſtorii Præſes digniſſime, viri maiorum ſplendore, virtutis & eruditionis lumine excellentiſſimi: Concio omni ex parte ornatiſſima: licet, inquam, multi grauiſſimis, triobularibus vero alij negotiis & lana caprina, ſpinoſe ſatis inter ſe diſceptarint atque dimicarint: nullam tamen vnquam quæſtionem, ea, qua quæritur, an plures ferri poſſint Religiones (quæ ſane inter grauiſſimas grauiſſima eſt) non ſolum argumentorum robore, ſed & armamentorum maiori vi agitatam eſſe, totus totus mihi perſuadeo. Quidam enim rem acu tangentes, (*a*) Rempublicam ſi maxime in illa Religiones ſint diſcrepantes, nihilominus tamen bene conſtitui poſſe, firmiter aſſerunt: alii contra, turbatores pacis exoptatæ, diſſimiles de cultu diuino ſententias minime tolerandas eſſe clamitant impudentiſſime. Hæc diſceptatio eſt, Magnifici, Nobiliſſimi, Clariſſimique auditores, quæ potentiſſimas vrbes, vrbes autem? quin Regna potius florentiſſima; quæ Galliam, quæ Angliam, Hiſpaniam, quæ denique Belgicas prouincias acriter concuſſit, atque tantum non euertit funditus. Germaniam quidem noſtram quod attinet ſuauiſſimam, pacatiorem illam aliquantum & feliciorem propterea aliis vicinis fuiſſe Regnis, nemini vel tria ſaltem Stelichori tenenti non manifeſtum eſt. Auorum quippe noſtrorum memoria, B. Luthero Euangelii doctrinam reducente, diu quidem illam opprimere, illiuſque Confeſſores penitus extirpare tentarunt Pontifices: cum vero Penelopes telam retexerent, vel tandem Religioſa Pax, Paſſauii anno quingenteſimo ſecundo inchoata, triennio poſt perfecta, & ſæpius poſtea confirmata, dira bella & odia, antea ſub prætextu Religionis orta, penitus extinguere & ſedare (*b*) viſa eſt. O beatos tunc homines authores Pacis: O felicem diem in quo diſcordia ſublata, aurea Pax reducta erat atq; propagata. Gaudebant ſenes, triumphabant Iuuenes; lætitia viri, gaudio vxores erant delibutæ. Quid multis? Coniuges in Religione diſſentientes, in domeſticis rebus concordes erant: parentes & liberi non vnius Religionis, debito tamen ſe inuicem proſequebantur amore; Fratres & ſorores, nec non & conſanguinei, diuerſa ſacra colentes, in Politicis nihilominus vnanimes ſuum officium abſque diſſenſione faciebant. Sed quid Diabolus? Zizaniam ſtatim vt ipſe, ita illius quoque inſtrumenta tritico inſerere, tam ſtuduere quam

quod

(*a*) Ioh. Gerhardi in *Coronide Centuriæ quæſtionum Politicarum* adiuncta. (*b*) Camer. *medit. hiſt. c.* 58.

qui vehementiſſime. Ieſuitæ etenim, vt reliquos taceam, (*c*) quamprimum ex ludo eius prodierunt, Pacem ij continuo vel tollere, vel certe eandem, quoad eius fieri potuit, labefactare atque impedire tentarunt acerrime, tunc omnia quieta conſilia, tranquilla omnia media aſpernari. Religionis Pacem perfectam iam eludere, tunc turbata aqua anguillas, quod aiunt, captare cœpere Suitæ: quid quod ſune tuendos, flamma conſeruandos, ferro Religionis ritus protegendos dictitant, & pro Fidei articulo obtrudunt Loyolitæ? Quem hominem, quæſo, o turbatores, cui vel ſcintilla eſt charitatis, reperietis, qui non maximam veſtram ſit deteſtaturus ſæuitiam? Certe nec beſtiæ, Leones, vrſi, mali tantum quantum nobis cupitis, imbecillioribus inferunt animalibus.

Verum enimuero, vt dies mihi potius quam oratio deeſſet, ſi conſilia illorum cruenta aperire, omneſque ſtrophas & cauillationes, quibus ciuilem conantur extinguere Concordiam detegere vellem: ita illos multis rationibus quamplurimiſque rerum documentis & exemplis refutare, ſi maxime non aliorum ſcrinia compilarem, nauſea tamen, quæ vobis creanda eſſet, me impediret & faſtidium. Veruntamen cum ſuſpenſis vos bibere auribus haud obſcure perſpiciam, conabor aliquid, atque hac diſſertatione, vnicum, ſed nouum quoddam & grauiſſimum, contra eiuſmodi turbarum & bellorum concionatores proponam argumentum. Dicam autem, quæ vobis omnibus forſan non ingrata erunt futura, ac breuiſſimis oſtendam: *exoptatam Religionis reformationem, non viribus humanis, ſed ſola ſolius Dei Omnipotentis admirabili & ſapientiſſima Prouidentia introductam eſſe: Deum Pacem in Religione apud nos Germanos produxiſſe: Deum omni huius mundi prudentum ſapientia neglecta, non ſolum præter multorum opinionem Politicorum, ſed etiam contra Diaboli ac Pontificiorum vota, eandem conſtituiſſe: atque ideo contra aduerſantium furorem defenſurum quoque in poſterum.*

Etſi autem ruditatem meam ingenue profitear, eaſq; , quibus vos egregie inſtructi eſtis in perorando dotes, in me minime reperiam: quia tamen veritas tribus contenta verbis: & quia veſtra beneuolentia omnem mihi timorem, qui me natura præ cæteris tenet, minuere videtur, quantum in me erit, ſtabo promiſſis: meque ad feliciſſimum portum peruenisse exiſtimabo, ſi hac diſſertatione mea aduerſarios ne Diuino iudicio & Prouidentiæ, vano ac impio conatu porro reſiſtant recte monere: nos vero ſolida perfundere conſolatione, & ad humillimam pro tot tantiſque in nos collatis beneficiis gratiarum actionem permouere potero. Deum Optimum Maximum, ex quem ii etiam ſæpius ore ſibi laudem præparantem, vt qui ſemper etiam hac hora adoleſcenti mihi, ſuo adſit auxilio: vos Auditores colendiſſimi, vt vacinas aures præbeatis, etiam rogo atque etiam.

Pontificij autem (vt inde mea exordiatur oratio) vt multa fabulantur, ita fruſtra nec ſine pingui mendacio, de Hierarchiæ Religioniſque Romano-Catholicæ minime Apoſtolicæ gloriantur antiquitate. Noſtra, inquiunt, noſtra illa eſt doctrina, quæ per plurima ſecula in hunc vſque durauit diem, noſtra illa eſt, cuius cultores vt hactenus ita porro, vtut vobis id bilem moueat, pro viribus defendemus, veſtrorum quot poterimus viuos trademus Vulcano. Egregie. Veſtra vero vix ante tres dies orta, infeliciſſimum habet authorem Monachum perfugam. Lepide. Ex Lutherine cerebello noſtra eſt deprompta Religio? Haud equidem reor: ſed Apoſtolorum, Chriſti ipſius doctrinam, quam omnibus modis perfectam ex ſacro hauſimus Codice, noſtri puriſſime profitentur Theologi. Superſtitiones autem, quibus vos ceu denſiſſimis tenebris ipſa facti eſtis cœciores, ante aliquot tantum ſecula (*d*) tam altas apud vos egere radices. Aliter ſane primitiuam Ieſu Chriſti Eccleſiam docuiſſe, aliter vixiſſe, longe alia forma gubernatam fuiſſe Eccleſiam primitiuam, nonne ipſimet vos proditis, vltroque fatemini: dum, quod ingenue profitetur Alb. Pighius (*de Eccl.*

Xxxxx 2 *Hie-*

(*c*) Autor Autonomiæ, Libertatem Religionis, Edicto perpetuo ab Imperatoribus & ordinibus Imperij decretam, *Freyſtellionatum, omen ſerpentinum & venenum* vocat *Diaboli.* Ant. Poſſeuinus. Loyolitarum pax [illegible] *in caution. ad Diſcurſus De la Noue,* omne tranſactionis genus, quo etiam olim, & iam noſtro tempore in Imperio, Galliæ & aliis in Regnis, controuerſiæ de religione, ſine ſanguine amice & fraterne componuntur, repudiat: Procuratione Chriſtiana [illegible], indagationem, inquiſitionem, vindictam iudicialem, & vim armatam [illegible] Iouiis & diſſentientibus omnibus bonis & candidioribus Papiſtis. Thuanus [illegible] Auguſtas. *[illegible]*, inquit, *[illegible] eſſe legitimum modum tollenda ex Eccleſia ſeſſura.* [illegible] Ex [illegible] Schola, [illegible] Philopater, Presbyter ac Theologus Romanus, in reſponſione ad Edictum Angl. [illegible] Auguſtæ, cum permiſſione ſuperiorum excuſa, ita ſcribit: *[illegible]* (qualem in paucis [illegible] exoribus & [illegible], auctor per totum librum valde exaggerat) *periculo omni carere, imprudentia eſt inſignis. Saltem ſequi debebat Gamaliel conſilium, Actor. capit. 5. Beneuolentia & tolerantia tentanda res eſt, quod Germania Princ. [illegible] ſatinus.* & [illegible] Hanc [illegible] eandem Gamalielis ſententiam, quod Lutherus noſter pro ſe quandoque allegauit, [illegible] Autonom. *part. 3. cap.* 30. Ita nemo vim & libertatis conſcientiarum approbat oppreſſionem, niſi qui brachium pro ſe habet ſeculare: hoc deſtituto, mox vocem mutabit & animum. (*d*) Auguſtin. l. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolica authoritate traditum rectiſſime creditur.* Ita P. Ramus, cum in Poſſiacenſi Synodo, a Lotharingo Cardinale, [illegible] à Chriſto ſeculis primum vere eſſe [illegible] : reliqua quo [illegible], [illegible] Chriſti ideo & Apoſtolorum ſeculum renouandum & ibi [illegible] eſſe putauit, eaque occaſione Pontificiam religionem, cuius antea obſeruantiſſimus erat aſſecla, deſeruit: Theophil. Banoſius *in vita P. Rami.* [illegible] Cyprianus [illegible] Epiſt. [illegible] dist. 8. can. 9. *[illegible] Chriſtus audiendus eſt [illegible] attendere, quid [illegible] ante nos faciendum putauerit: ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit.* Tertull. [illegible] *id verum quod primum, id primum quod & ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis.* [illegible]

Hierarch.) ex ſacroſancta Scriptura (quæ ſola nobis primitiuæ Eccleſiæ haud ficte deſcribit ſtatum) non eſſe nobiſcum diſputandum, perpetuum apud vos eſt axioma: dum Spiritum ſanctum per ſcripturas loquentem, aliamque nobis ac Romæ eſt depingentem Eccleſiam audire; & pro controuerſiarum Iudice in fidei negotijs impudenti blaſphemia agnoſcere dedignamini.

At neque ſuperiorum ſeculorum vnanimem & Catholicum Conſenſum pro ſe allegare queunt Pontificij. Semper etenim in medijs tenebris ſuos ſibi reſeruauit Deus, qui beſtiam non adorarunt, neque vino meretricis Babylonicæ inebriati fuerunt, quorum qui potuerunt, Antichriſtianæ tyrannidi Romanæque religionis prophanitati reſtiterunt: qui non potuerunt, ij tamen reformationem Eccleſiæ regnique Antichriſtiani ruinam aut prædixere, aut certe exoptauere medullitus. Talis fuit vates (ne res careat exemplo) Franciſcus (*e*) Petrarcha, qui de Roma, in qua vixit, vt & de Pontificia ſede, quam in Gallias Auenionem vſque ſecutus eſt, paulo minus ducentis ante Lutherum annis, audite, quam eleganter cecinerit:

I.

Fiamma da'l ciel ſu le tue treccie pioua, &c.
In diros crines è cœlo decidat ignis
Execranda lues: quæ lympha & glande relicta,
Extenuans inopes, prægrandis opimaq; facta es.
Ac tibi iucunda eſt tot iniqua patrare voluptas:
O ſcelerum ſedes, & nidus proditionum!
Vnde hæc cernuntur totum diffuſa per orbem:
Ferclorum, Bacchiq; Comes, lectiq; miniſtra,
In qua luxuries alta ceu regnat in arce.
Per conclaue ſenes, per turpe cubile cynædi
Ludunt, & Satana non deſunt vndique folles
Luxuriei rutilans ſpeculis, ſuccenſaque flamma.
Non his delitiis olim nutrita fuiſti,
Sed proiecta Noto, duris pede nuda ſalebris:
Nunc vim is tuus vt conſcendat fœtor olympum.

II.

L'auara Babilonia ha colmo il ſacco, &c.
Non ſaturanda gerit vaſtum Babylonia ſaccum,
Plenum bile Dei, vitiis, immanibus auſis.
Quæ manant late. Quæ Numina ſuſpicit haud ſunt,
Iuppiter & Pallas, ſed amorum diua & Iacchus.
Pœnas expectans flacceſco, & duriter angor.
Sultanum at cerno venientem, & flagra ferentem.
Sed vereor ne quam cupiamus ſerius adſit.
Vna fides cunctos cinget Babylonis in vrbe,
Impia per terras idola refracta iacebunt,
Flagrabunt turres, & tecta minantia cœlo
Turricolæque cadent ardentis fulguris igne.
Fœlices animæ, virtutis & æmula turba,
Incolet has terras. Tandem ſpectare licebit,
Aurea virtutum ſanctarum tempora reddi.

III.

Fontana di dolor albergo d'ira, &c.
Fons ærumnarum, domus iræ, plena furoris,
Errorum ludus, ſectarum mobile templum:
Roma quidem fueras, nunc es Babylonia fallax,
Ex qua tot luctus gemituſque feruntur in orbem:
O fraudum mater, carcer teterrimus iræ,
Carnificina boni, ſed iniqui ſedula nutrix:
Viuorum infernus: miraculum inſigne futurum,
Si nunquam contra te CHRISTI *ſaniat ira.*
Caſta in paupertie tua ſunt fundamina iacta,
Sed modo fundantes oppugnas cornibus altis.
Quidnam frõtis habes meretrix? quo niteris audax?
Spes in adulteriis, ſpes eſt in diuitiis iſta.
Non igitur redeat te Conſtantinus adaugens,
Protinus at miſerum qui ſuſtinet auferat orbem.

O inſignem vatem, ô artificioſiſſimum regni Pontificii pictorem! Quem quæſo Franciſcum hunc illi dicent? Catholicum ne? non dicent, qui Papam colunt, de cuius Aula ille, *quicquid vſquam perfidiæ & doli*, inquit (Epiſt. 19. lib. Epiſt. ſine titulo) *quicquid inclementiæ ſuperbiaque, quicquid impudicitiæ effrenataque libidinis audiuiſti aut legiſti, quicquid denique impietatis & morum peſſimorum ſparſim habuit aut habet orbis terræ, totum iſtic cumulatim videas, aceruatimque reperias.* At ergo Lutheranus fuit, quia de Pontifice plane ex Lutheri mente loquutus? ſane, ſi modo non ante eius natiuitatem ille obiiſſet.

Verum Monachum etiam Iohannem de Rupeſciſſa (*f*) circa annum Chriſti milleſimum trecenteſimum quinquageſimum vitales carpentem ſpiritus, audiamus; palam & ipſis etiam quid Cardinalibus in os fuerit locutus: *Imperator*, inquit, *Romanus & Alemanniæ, Regeſque Chriſtiani ac potentiores terrarum Principes, Eccleſiaſticis donauere Bona, vt ſeruirent Deo: vos vero per ſuperbiam ea profunditis, per nequitiam & luxum, eoque nomine iraſcitur Deus. Et iraſcetur aliquando magis etiam contra eos, qui tempore futuro ſubſequentur. Ita quod Nobiles, qui liberaliter donarunt terras, cenſus & ditiones, largitiones frigidiores effecti deſinant, & prius etiam donata auferent.* Porro huic vaticinio in pluribus hactenus reſpondiſſe euentum, (*g*) cuiuis manifeſtum erit, qui ſedis Romanæ reditus, quos ei olim Germania, Anglia, multæque aliæ prouinciæ protulerunt, cum iis, quos nunc iis in locis colligit, conferre voluerit.

Armis quoque ante quadringentos, trecentos & ducentos annos, Martioque robore quomodo nonnulli Papalem tyrannidem oppugnauerint, id omne vos iam cure tam prius noſſe arbitror. Et Albi-

(*e*) De Fr. Petrarcha eiuſque ſcriptis, in quibus paſſim Occiduam Babylonem inſectatur. V. *Catal. teſt. verit. l.* 18.
(*f*) De Fratre Iohanne de Rochetaille, ſeu Rupeſciſſa, v. Froiſſart. t. 1. c. 211. Guil. Paradin. l. 2. *de l'hiſtoire de Lyon c.* 86. Catal. Teſt. verit. *libr.* 18. qui omnem Apologum eiuſdem, aduerſus Pontificem Romanum eiuſq; Cardinales recenſent, lectu digniſſimum. (*g*) Alb. de Rotate, ad *l. bene à Zenone C. de quadr. præſcript.* & Marin. Parauto in *Apol. pro Lud. Nauaro. part.* 1. *cap.* 14. Literatis quidam referunt Prophetiam, tempore Bonifacii VIII. dicentis: *Per eoſdem paſſus & gradus, per quos Eccleſia Romana aſcendit, per eoſdem deſcenſuram ad extremam paupertatem* [illegible]

Albigenſes in Narbonenſi Gallia, multis ex Galliæ Principibus & Hiſpaniæ etiam Regibus adiuti quid tentarint, Gallicanæ (*h*) teſtantur hiſtoriæ. In Bohemia Huſſitæ quid effecerint, quam ſtrenue vel ſolus Iohannes Ziſcha Bohemorum Eccleſias contra furorem Antichriſti ante ducentos annos defenderit, & libri teſtantur, epitaphium quoque ipſius hodie loquitur, verba ſunt eiuſmodi: *Iohannes Ziſcha (i) nullo Imperatorum Ducumue rei militaris peritia inferior, ſuperbiæ ſimul & auaritiæ Clericorum ſeuerus vltor, Patriaque acerrimus propugnator hic iaceo. Fortuna belli nunquam deſiti, neque illa mihi, omnem opportunitatem rerum bene agendarum etiam cæcus prætendi, ſignis collatis vndecies ſemper victor depugnaui. Viſus ſum mihi eſurientium iuſtiſſimam cauſam aduerſus delicatos, pingues & ſaginatos Monachos egregie egiſſe, & ob hoc Dei auxilium ſenſiſſe.* Hæc ille. Quid hoc eſt, Patres ſanctiſſimi, etiamne Epitaphia veſtras nobis decantant laudes? ſic ergo fruſtra noſtros trucidatis, fruſtra, inquam, linguis contradicentes orbatis, ſi lapides quoque Clericorum nobis exponant vitam.

Sed ad rem vt redeam, quanquam bene multi ad beſtiam hanc meretricem è medio tollendam, nullum non mouerint lapidem: Deo tamen noſtro propter iuſtas, licet nobis incognitas cauſas ſemper placuit, vt laudabiles illorum conatus irriti eſſent, & tandem grauiſſimo ſuccumberent oneri. Iam dudum enim prædictum erat à Dei Prophetis, Sanctam quandoque Eccleſiam lateſcentem, & ad certum temporis diem abſconditam fore; ita vt iudicio omnium moribunda, & iam propemodū præ infirmitate ac tenuitate ſua, animam agere videri poterit. O miſeras tunc oues carentes Paſtore, errantes in deſerto, in medijs palpitantes tenebris. O felices tunc liberos, qui ſacro fonte abluti, priuſquam Pontificio iterum inquinarentur luto, naturæ perſoluerunt debitum. Quam multorum animæ, ceu cerui ſitientes viuidam verbi Dei quæſiuerunt aquam, cuius fontes demonſtrari aperirique noluerunt, qui rerum ſacratum diſpenſationem ſibi concreditam iactabant? (*k*) Quam multi in nauicula Petri vndique procellis & tempeſtatibus circumdati, ſurge, ſurge, clamauere. (*l*) Domine, nihil ne nos curas? nihil ne noſtra ad te perditio? Multi reliquis cordatiores, qui iuſto commoti zelo, vel mutire contra Pontificem auſi ſunt, ij, proh dolor, non Spiritus ſancti gladio, ſed cruento Marte, laqueo, igne tandem ſuppreſſi atque debellati fuerunt. At ô fortunata mors, quæ naturæ debita pro Religione eſt potiſſimum reddita? & præclare vobiſcum actum dum vixiſtis religioſiſſimi, nunc vero etiam ſanctiſſimi eſtis Martyres.

Verum vt Elias Regis Achabi tempore, cum tribus annis & ſex menſibus cœlum clauſum eſſet, terra atque iumenta aqua, pauperes potu carerent: vt, inquam, Elias Dei ope cœlum aperuit, pluuiiſque auro & argento præſtantioribus aridum rigauit, ſitientem recreauit: ita quoque eo ſeculo, quo firmiſſimo præſidio vallatum, plurimiſque ſubſidijs adiutum erat Regnum Papiſticum, & iam pura Religio, ceu fons limpidiſſima aqua repletus omnibus incognita videbatur. Ecce de improuiſo Lutherus, vir plane Heroico ſpiritu præditus, tantam potentiam aggreſſus, verbum diuinum tot tantiſque traditionibus humanis coinquinatum repurgauit, atque pretioſiſſimum Euangelij fontem diuino adiutus auxilio, cunctis felici monſtrauit ſucceſſu. O mira miranda, vnicum hominem tanta conari auſum. Lutherum noſtrum, nulla potentia mundana inſtructum, nec brachio adiutum ſeculari, auſum eſſe aggredi magnum illum Goliathem, ad cuius minas & excommunicationis fulmina, vniuerſus iam per aliquot annorum centurias trepidauerat orbis Chriſtianus: hunc, inquam, auſum eſſe Lutherum erroris & hæreſeos accuſare, eumque ipſum Antichriſtum eſſe demonſtrare, an non ſtupendum eſt, & admirationem obtinet merito? Hieronymus Sanonarola (*m*) in Italia idem paulo ante Lutherum aggredi volens, dolentibus omnibus bonis eſt concrematus. Reliquiæ Albigenſium anguſtia Merindolanæ vallis continebantur, imo prorſus latebant. At Bohemi forſan Eccleſiæ adhæſerunt veriori? neutiquam: licet

 enim

(*h*) De Albigenſium potenti multitudine v. Paul. Æmil. *libr* 6. Bernard. Girard. Signr. de Haillan. 1. *fol.* 820. &c Iohan. de Serres. *Tom.* 1. *fol.* 482 & 506. Albigenſibus quidem multorum abſurdiſſimorum dogmatum pertinax adſcribitur propugnatio: Attamen Aug. Thuanus *libr.* 5. (qui inſtar omnium mihi eſt) eorum intermortuam doctrinam, in Anglia Wiclefum, & in Bohemia Iohan. Huſſum renouaſſe teſtatur. Inſuper etiam quid olim Albigenſes crediderint, Merindolanorum & Caprarienſium (qui Albigenſium ſunt reliquiæ) edocent Confeſſiones v. Molinæ. *de Monarch. Franc. numer.* 154 &c. Nempe officioſis onerare mendaciis omnes, qui in faſtum, opes ac vitia Pontificum vehementius inuehuntur, figura eſt in Papicolarum Rhetorica ſpecioſiſſima. v. Benbellone de Gaudentiis *Tempeſtiuum ſuſcitabulum* 1. *cap.* 8. *fol.* 37. (*i*) Catalog. Teſt. veritatis, *libr* 19. Iohann. Wolff. *lect. memorab.* 1. *fol.* 780. 801. (*k*) **Sie ſolten Seelſorger ſeyn / ſo ſind ſie Leib vnd Seelenworger** / dicebat ante 100. annos Tilemannus Spangenberg. *Catalog. teſt. verit. l.* 19. (*l*) Animarum piarum, in captiuitate Pontificia grauiter gementium, quam plurima paſſim in libris vetuſtioribus exaudiuntur ſuſpiria, & integrum ſcripſit Aluarus Pelagius anno 1340. librum, cui titulum fecit, *Planctus Eccleſiæ.* Iuſtum quoque extat volumen Vbertini Chemenſis Epiſcopi, quod inſigniuit *Onus Eccleſiæ*, vbi §. 33. cap. 15. ſcribitur: *Poſtquam aliquis veritatis Zelator, verbum ſuperioritatem Eccleſiaſticam mordens profert: hæreticus accuſatur, igni deputatur, & morte dignus condemnatur, penituſque opprimitur. Inutilis, inquiunt, eſt nobis, & contrarius operibus noſtris.* Multis paſſim in Monaſteriis picturæ reperiuntur, quibus pii olim docebant, quod metu fracti palam contra Papam dicere verebantur. Semper & adhuc hodie nulla vnquam, quibus Romana fides oppugnatur, grauior & infeſtior iudicata fuit hæreſis, quam quæ Poteſtatem Pontificiam labefactare conatur. Bellarmin. *in epiſt. dedicat. diſput de controuerſ.* &c.

(*m*) Is a Pico Mirandulano Comite, ſanctus Propheta appellatur, & proprio ſcripto contra Papam defenditur.

enim Picardi (*n*) per omnia doctrinam retinuerint Huſſi; alij tamen falſi fratres, vere Catholicos plus quam ipſi afflixerunt Pontificij:& vt vno omnia dicam, omnia meretrici Babylonicæ ſubiecta pedibuſque calcata, omni ſpe tam prope aduentantis reformationis orbati erant pij: impiorum Eccleſia nec luctum nec viduitatem, vlla adhuc coniectura prouidere poterat. Hoc, inquam, tempore, hoc rerum ſtatu, vnicus animoſus Monachus prodiit Lutherus, contra armatos inermis, ſolus contra potentiſſimos hoſtes. O rem inauditam! quærat mihi qui volet, & vbicunque volet, tale aliquod exemplum, imo non quærat, nam nullum inueniet. Exiguis quidem copiis, variis non raro ſtratagematibus vſus, C. Iulius Cæſar multos proſtrauit hoſtes: at Lutherus (*) noſter ſine vllo humano auxilio tantam peruertit opum vim, ſicque inopinato ſummam beſtiæ Babylonicæ intulit cladem. Et breui quidem, at magna militum ſtipatus caterua, ſuos vicit hoſtes Imperator ille, qui herba reportata; veni, dixit, vidi, vici: verum Diuinus Lutherus noſter vnicus venit, vnicus, inquam, ſimul ac mare illud malorum vidit, exiguo temporis ſpatio integra Regna debellauit, Chriſtoque, pro quo pugnauit, ſubiecit & vicit; tempore quo Romauenſes errores per omnem orbem Chriſtianum erant ſparſi, diſſeminati & floreſcentes: & hoc in Germania factum, (*o*) quæ antea Huſſitis tam acriter reſtitit. Perpendant hæc omnes Pontificij, & altius conſiderent, quotquot diuina à nobis poſcunt miracula: habent hic quod mirentur, eſt quod noſtram Religionem (licet ante plurima ſecula miraculis ſexcenties confirmatam) corroboret atque ſuffulciat. Diuinæ profecto hoc omne adſcribendum prouidentiæ, diuinæ potentiæ veſtigia ſatis expreſſa quis hîc non agnoſcat? quis Babylonis maximam cladem & caſum inopinatum non deprehendat? de quo D. Iohannes decimo octauo in Apocalypſi ita ſcribit: vna die venient eius plagæ, mors, & luctus, & fames, &c. quia validus eſt Dominus, qui damnabit eam.

Sed niſi parum portendit animus, Papicolarum vos hoc momento ſollicitos tenent calumniæ, quas contra Lutherum noſtrum euomere aſſolent: quem non ratione, ſed libidine, vt Monachorum cœlibatum improbaret, impulſum aiunt; ne Abbatis ipſe perferre cogeretur Imperium, ideo vota damnaſſe. Paupertatem Monaſticam vituperaſſe, vt inde diteſceret, &c. Verum enimuero fruſtra eſtis amici, frigidas propter has calumnias, ingenuitatem & ruborem veſtrum ſi præſtatis. Improbi ſunt calumniatores, malitioſique interpretes, qui vllius noſtrum arguunt temeritatis cupiditatis, inconſultiue facinoris. Haud etenim leni motus, & Pontifici contradicendi vano ſtudio adductus, in hanc deſcendit Paleſtram; religionis ſed Pontificiæ acerrimus aſſertor, ab initio blaſphemias ſaltem Tetzelii propolæ indulgentiarum, bipedum nequiſſimi refellere habuit in animo. Quod vt melius intelligatur, altius paulo mercatorem illum vna cum mercibus inſpiciamus. Leo X. P. M. vere cum Anteceſſore ſuo B. Petro, Chriſti Apoſtolo dicere potuit, aurum & argentum non eſt meum: quas enim hic contempſit opes, prodigentia ille infami conſumpſerat. Partem in nepotes & cognatos ſuos profudit. Habuit autem multos ille tales, vt prouerbio Romæ locum dederint, Leonis cognati & affines. (*p*) Partem abſumpſerant tot Reuerendiſſimi, quos triginta & vnum, pater ille vno atque eodem creauit die: tot Referendarii, tot Auditores, Protonotarii, Abbreuiatores, ſcriptores Apoſtolici, Camerarii, atque id genus alii Principis Eccleſiæ primates. Nam hi poſt ſe trahunt maxima adhuc cum impenſa Copiſtas, Pedellos, Curſores, Muliones, Stabularios, & ſcortorum vtriuſque ſexus innumerabilem turbam, ac Lenonum exercitus. Hiſce, inquam, hirudinibus cum Eccleſiæ ærarium exhauſtum eſſet, (*q*) à conſuetis præſidium petiit technis, & remiſſionem peccatorum, liberationem purgatorii, vitam æternam nummo vendere ſtatuit. Ergo plurimæ indulgentiarum conficiuntur literæ, ſubſcribuntur, & Piſcatoris ſigillo confirmantur. Quid fit? Tetzelius (*r*) ſcutarius & æruſcator Romanenſis fideliſſimus, in vniuerſam has portat Germaniam. Accurrunt diuites, accelerant pauperes, quidq; iſte velit ſeplaſiarius, quam auidiſſime expectant. Rupto itaque ſilentio, ſummis laudibus in cœlum vſque indulgentiarum Tetzelius fert literas, fidem mortalibus faciens, quod ſi nummis illas redimerent, nihil eſſe quod amplius de ſalute ſua dubitare queant. Item quod animæ de purgatorio ſtatim euolent, vbi contributionem in ciſtam coniecerint. Tantas inſuper has eſſe gratias, vt nullum ſit adeo magnum peccatum,

(*n*) In Bohemia ſubſecutæ ſunt miſeræ & multæ diſtractiones Eccleſiarum & Doctorum, qui à Huſſio Religionem didicerant. Pars longe maxima & florentiſſima (cuius velut caput fuit Rochenzana, qui Archiepiſcopatum aucupabatur Pragenſem) ad P[illegible]liticam rediit religionem, retenta ſola communione ſub vtraque ſpecie. Alia pars, ac præſertim ea, quæ Zitcam ſecuta eſt, *Thaboritaque* appellati ſunt, doctrinæ Waldenſium Gallicanorum etiam magis adhæſerunt: vnde & *Picardi* nominantur. Acres fuerunt inter haſce duas partes contentiones, de quibus etiam ſcriptum quoddam edidit Matt. Flacc. Illyr. cuius titulus: *Confeſſio Waldenſium contra claudicantes Huſſitas ſcripta.*

(*) *Roma orbem domuit, Romam ſibi Papa ſubegit:*
Viribus illa ſuis, fraudibus iſte ſuis.
Quanto iſto maior Lutherus, maior & illa:
Iſtum illamque vno qui domuit calamo? Theodor. Beza.

(*o*) Refertur in commentario Legati ab Adrian. 6. P. M ad S. Romani Imperii ordines Anno 22. Noribergæ congregatos miſſi: *in Conſtantienſi Concilio Germaniæ proceres magna ex parte interfuiſſe condemnationi Ioh. Huſſi, & aliorum hæreticorum: quorum aliquos ipſum Huſſum propriis manibus ad ignem duxiſſe fama ſit.* Etiam poſtea Antichriſti miniſtram in perſecutione Bohemicæ Eccleſiæ ſe præbuit Germania. (*p*) Vlr. ab Hutteo. illa Wolfi *tom.* 2 *f.* 28. (*q*) Fallunt & falluntur, qui aureos montes in arce illa Angelica Romæ repoſitos ac retruſos ſibi perſuadent, cum Pontifices non ſolum iniquo, ſed & turpiſſimo ſub fœnore maximas pecuniæ ſummas debeant. v. Elvchn. Gottlieb in tr. qui inſcribitur, *Montes Pietatis Romanenſes.* (*r*) Sleid. 1. *àpr.* Oſiand. Cent. 16. part. 1. c 21. Mathelius in concionibus de vita Luth. Cruſ. annal. p. 3. *lib.* 10. *c.* 6. Thuan. 1. *fol.* 25.

catum, quin poſſint expiare. Cruces præterea ligneas, quæ paſſim erant in templis iuſſu Pontificis erectæ, vehementer prædicabat: ita etiam vt cum Leone Decimo Petrum Apoſtolum, & crucem in qua pro nobis vitam Chriſtus profudit, cum Pontificia componeret. Iam diuites maledictis illis quæ in eos iecerat Saluator noſter, ſe liberatos cenſentes ridebant: pauperes demum re ipſa comperiebant, non præter rationem Albertum olim Magnum (s) docuiſſe, locupletem quam egenum melius habere in purgatorio ſe redimendo.

Has vero inſulſiſſimas voces cum propriis auribus cognoſceret Lutherus, tacitus primo ceu abſonas, & in ſummum Deum blaſphemas, adductus firmiſſimis damnauit rationibus. (t) Dein propria ſuadente conſcientia, & exigente hoc officii iuramentique ratione, quod Theologiæ præſtant Doctores, (u) in Wittebergenſi Academia affixis Thematibus publice (x) Tetzelii oppugnauit dogmata: expreſſis tamen proteſtans verbis, nihil ſe affirmare, ſed S. Eccleſiæ iudicio rem omnem ſubmittere. Ideoque Lutherus, explicationem eorum quæ dixi thematum, ad Iohannem Staupicium Vicarium Monachorum Auguſtinianorũ miſit, rogans vt ad Pontificem perferri curet. Sed & ipſe elegantem ad Leonem (Anno 18. M. Iunio) perſcribit epiſtolam, pluribusque exponit, quam temerarie quæſtores illi doceant, quam agant auare, quam nefarie authoritate ipſius abutantur. Submiſſe denique petens, ne peruerſe literas haſce interpretetur: omnia ſua ſcripta, vitam quoq; & ſalutem ipſius ſe permittere arbitrio ac poteſtati: quicquid ab ipſo profectum fuerit, eo ſibi fore loco, ac ſi à Chriſto dimanaſſet. *Proſtratum*, inquit, (y) *pedib. tua B. me offero, cum omnibus quæ ſum & habeo; viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vocẽ tuam vocẽ Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam.* Adhuc ne ſiniſtras cogitationes de Diuino alitis Luthero? adhuc ne rebellionis vobis ille eſt ſuſpectus? Altum ſilentium. Verum non eo quo ſperauerat Lutherus animo, à Leone X. illa fuere accepta; ſed vt prius, ita porro etiam indulgentiarum laudes fuerunt decantatæ: & dum ſententiam ex vrbe lætam expectat, fulmine percutitur, & velut omnium hominum maxime nefarius damnatur noſter. Qui ſic? ea propter nimirum, quia medio illo, Creſi Midæue maiores conquirebantur opes: peccatis Germanorum diteſcebant Epiſcopi, ſaginabantur Monachi, Papales in lætitiam conticiebantur nepotuli. Itaque literarum firmitas, cum ex ſacra doctrina diuinitus inſpirata nobiſque relicta confirmari non poſſet, ecce Vicarii iuſſu, quem regulam fidei longe certiſſimam prædicabant, robur ſuum omnimodo ſufficiens habere, promiſcuæ perſuadebatur plebeculæ. Tunc vero ex vnguibus, quod aiunt, Leonem ſæpius dictus cognouit Lutherus, omnique procul poſito metu, Euangelii radiis, magis magiſque denſas cordis ipſius pellentibus tenebris, Augiæ ceu animoſiſſimus heros ingreſſus ſtabulum, repurgare illud inſtituit; atque publice Romæ iam Antichriſtum quærendum eſſe docuit, & euicit. Sibi ergo, non Luthero culpam attribuant ipſi, qui tam impudenter & immodeſte rem egere, ignemque, quod eſt in prouerbio, gladio foderunt. Perculit nempe & obdurauit corda eorum qui cœlum inhabitat, neque is tantam voluit graſſari diutius impietatem, & populum ſuum è tenebris illis Ægyptiis, in clariſſimam lucem ac ſolis aſpectum iucundiſſimum eduxit.

Verum ad ſeriem hiſtoricam redeamus. Lutherus quo omnibus, quid de Pontificia ipſe ſentiret abominatione, manifeſtum fieret, palam poſtmodum Ius Pontificium Wittebergæ, omni Scholaſtica multitudine conuocata, combuſſit, ſcriptoque edito facti ſui rationem expoſuit. (z) Male hoc omnis raſa Sacerdotum tulit turba, omnium autem peſſime cum ſilio Papa Diabolus. Ergo tota Papicolarum inſana cohors, inſano furore percita in eum irruit, vel vnicum autumans ſufficere (carnificem) qui omnes eius breui ſupprimat conatus. Nec vlla interpoſita mora, ſine vlteriori deliberatione, igne ipſius eſſe coercendam contumaciam concludunt omnes: campum etiam in quo Lutherum debellarent, vbi de victo & vſtulato ſtatuerent trophea, Wormatiam eſſe volunt, vbi eo tempore Imperii erant indicta Comitia: & ſicuti Huſſi locus, vbi Conſtantiæ exuſtus fuit, adhuc hodie ob perpetuam nefariæ iniquitatis turpitudinem herbam non fert, ita Luthero quoque buſtum, quod ſimiliter in perpetuum graminis viriditate careret, iam deſignatum erat. Quid ergo factum porro? citatus ille ad Comitia, apparuit, mirum! repugnabat caro, diſſuadebant amici. At qui ſuis aquam affundit S. Paracletus, timentem erexit, inermemq; neceſſariis armauit donis.

(A) Sed maiori adhuc admiratione fuit dignum, quod ipſi data ſeruata fides, iſque non eandem cum Huſſo ſubiit ſortem. Huſſus hæreticus iudicatus; Lutherus Huſſo in hiſce comitiis æqui

Xxxxx 4 para-

(s) VVolfius 1. *memorab. lect. fol.* 55. (t) Luth. *Tom.* 1. *Ienenſ.* Sleid. 1. & 13. *fol.* 376. Oſiand. *Cent.* 16. *part.* 1. *cap.* 21. *vſq;* 29.

(u) Lutherus tentationibus grauiſſimis, humanæque imbecillitati, quæ ipſius animum deterrebant atque auocabant, præclaro ſane exemplo, ſemper officii religionem, & iuſiurandum clariſſimum, quo in aſſumptione Doctoralium inſignium ſemel pro fidei veritate ſe deuouerat, oppoſuit. Matheſ. *in concion. de Luth.* non vno loco

(x) Luth tum 34. ætatis annum agebat, & haſce Theſes in Vigilia omnium Sanctorum (d. 31. Octob.) foribus Templi omnium ſanctorum affigi curauit, An. 17. (y) Luth. *Tom.* 1. *Lat. VVitt. fol.* 101.

(z) Anno 1520. Luth librum *de captiuitate Babylonica* emiſit, in eoque primum quod ſciam, non diſſimulanter docuit Pontificatum Romanum, nihil aliud eſſe quam Regnum Babylonis & Robuſti Venatoris Nimrodi potentiam. Poſtea ad finem eiuſdem anni, Decemb. nempe die decima, ius, & Pontificium, quod tum nuper euulgatum erat, palam exuſſit decretum. Sleid. 2 *fol.* 53.

(A) Cum quidam eſſent qui bono animo dehortabantur Lutherum, ne aduerſariis confideret vel VVormatiam veniret, reſpondit ipſis, inquiens: *hæc eſt dies quam fecit Dominus, vocatus ego venio, vocatus ingrediar in nomine Domini, etiamſi ſcirem tot eſſe Diabolos VVormatiæ, quot ſunt tegulæ in ædium tectis.* Seluecc. & Oſiand. *Cent.* 16 *part.* 1. *c.* 29.

paratus: Lutheri damnati & exuſti libri, damnatus ille, proſcripti fautores & aſſeclæ, damnata doctrina, hæcque omnia Edicto Imperiali perpetuoque ſancita fuerunt, & tamen impune & iuſſus eſt abire Lutherus. Huſſo nulla ſeruata fides: illi contra communem Papiſtarum regulam præſtiterunt promiſſa. (*B*) Omnes fuerunt in hoc conuentu Papiſtæ: aſt Deus qui quicquid vult facit in cœlo & in terra, hic pernicioſiſſima illorum cohibuit conſilia, hocq; inſtrumentum; quo ſuos à ſeruitute plus quam Ægyptiaca liberare benigne conſtituit, contra Diaboli furores conſeruauit clementer. Præterea etiam ouum illud, ex quo poſtea Romanæ Idololatriæ natus Baſiliſcus non debebat frangi, vt Huſſi Prophetia adimpleretur, ſuumq; haberet effectum. Hic cum propter Euangelii confeſſionem rogo imponeretur, diuino afflatus Spiritu: *hodie Huſſum*, in mediis dicebat flammis, crematis (anſerem autem vox hæc Bohemico Idiomate notat) *poſt centum annos cygnus veniet,* (*C*) *quem non comburere poteritis.* Rectiſſime ſane futura prædixit optimus Martyr, qui iam cum omnibus ſanctis æterno fruitur nectare.

Aliud porro hic quin enarrem miraculum prætermittere non poſſum. Edictum tum Wormatiæ, contra nouatores vel reformatores potius religionis promulgatum, non omnes Germaniæ approbauerunt ordines, ſed Pontificiæ expreſſerunt artes. (*D*) Notandum hic, Regnum Neapolitanum Eccleſiæ feudum eſſe: Reges autem Neapolitani, cum in fidem accipiuntur, iurant ſe nunquam ad Imperium adſpiraturos Romano-Germanicum. Namque olim Inclyti Sueuiæ Duces vno tempore Regni Neapolitani heredes, & Romani ſimul Imperii fuere poſſeſſores. Hi quid effecerint, Romanis adhuc alta manet mente repoſtum, cum tantum, non de ſede & auctoritate deturbarint Pontificem. Præterea non refragari volunt Pontifices Paulinæ Prophetiæ, quæ plus quam ante mille & quingentos annos pronunciauit, in Italia non poſſe eſſe Antichriſtum, ſi non prius in ea regione extirpetur Imperium. (*E*) Huius promiſſionis vt Carolo Imperatori Electo, qui ſimul etiam Rex erat Neapoleos, gratiam faceret Pontifex, vt Caroli inaugurationem in Regem Romanorum adprobaret, vt Pontifex animo à Gallis abalienaretur, & contra eos fœdus cum Carolo iniret; Cæſar ideo hanc vicem Pontifici de conſilio quorundam reddidit, & Lutherum, cui Pontifex jam ante ſacris interdixerat, banno notauit Imperiali. Videte quanta tum noſtris mala fuerint parata, quot hoſtes omnibus ſeſe illis oppoſuerint viribus, Diabolus nempe cum vniuerſis quibus ſtipatus erat ſatellitibus.

Ferunt poſt promulgatum hoc edictum, Hieronymum Aleandrum Cardinalem & legatum Pontificium ad Marinum Caracciolum dixiſſe: Eia mi Caracciole, ſi (*F*) nihil adeo præclari his Comitiis effecimus; tamen certum eſt nos magnam hoc Edicto in Germania lanienam concitaſſe, qua Alemanni ipſi in viſcera ſua ſæuientes, propediem in proprio ſanguine ſuffocabuntur. Euge lepide vir, ſiccine tuis de noſtrorum tu gratularis calamitatibus? ſeduxit te ſpes tua, aliter Deo viſum eſt, qui malum hoc quod nobis imminebat, ad optimum perduxit finem, tibiq; tuiſque præmium condignum veſtris attribuit factis.

Sed pergite itaque mecum in Sanctuarium Dei intrare, Auditores, pergite, & diligenter mihi prouidentiam Diuinam conſiderate; ac videte, quomodo qui in cœlis habitat fortiſſimus Dominus, diuina ſua Prouidentia, vibratum hoc contra Lutheranos telum declinauerit & eluſerit. Mox etenim hiſce finitis Comitiis, valde graues per Hiſpaniam ortæ ſunt ſeditiones; (*) ideoque vt Cæſar naſcenti malo occurreret, tempeſtiue claſſe vectus in Hiſpaniam rediit. Breui poſt in Inſu-

(B) Mira fuit fides promiſſorumque conſtantia maxima, quod Carol. V. vix tum 20. annum egreſſus, alias licet eum impellerent miniſtri Pontificii, Mart. tamen Lutherum ſaluum incolumemque domum remiſit. Laudibus celebrandi ſunt ordines Germaniæ, quod ipſorum fide ſeu potius perfidia decipi noluerunt Lutherum, nec Conſtantienſis Concilii decretum & veſtigia ſecuti ſunt. Sleid 3. *fol.* 60. ſed & qui Concilio interfuit Conſtantienſi Sigiſmundus Imp. non niſi bonus & pius fuit Princeps. Ac ferunt illum omnino fidem ſeruari voluiſſe Huſſo & Hier. Pragenſi; verum Eccleſiaſticos Principes illi ex Pontificiis legibus probaſſe, *hæreticis fidem non eſſe ſeruandam* ſ. Huldric. Mutius. Inani ergo Dei timore oppreſſus Sigiſmundus, Huſſi non interceſſit condemnationi: & quod Papicolarum ſibi eandem quam Sigiſmundo cantilenam inſuſurrantium non ceſſerit importunitati Carolus, hoc Deus effecit, qui facit & regit corda Regum. (C) Iohann. Stumpffius qui & refert Hieronymum, Huſſi diſcipulum, qui eodem, quo Magiſter, mortis genere periit, contenta voce profeſſum eſſe: *poſt* 100. *annos mihi reſpondebitis.* Scribit Petrus Matthæus hiſtoriographus Regis Galliæ *lib.* 2. *Bohemos deſiderio Huſſi numiſmata cudiſſe, inſcriptione poſtremorum eius verborum. Poſt centum annos reſpondebitis Deo & mihi. Quo termino finito apparuit M. Lutherus.* Hactenus Matthæus Romano-Catholiciſſimus.

(D) Conſtitutio illa Carolina, vulgo *Edictum VVormatienſe* nominata, extat apud Goldaſtum, *Tom.* 1. *&* 2. Verum qui Imperatori adoleſcenti hoc reſcriptum dictauerunt (nam à paucis aliquot fuit conflatum, inſciis etiam nonnullis ex Electoribus. Sleid. 3. *fol.* 67. *&* *lib.* 16. *fol.* 456. 9. Id vnum agebant, vt Pontifici Romano, cui erant mancipati, aſſentarentur: & pro gratia Iuris iurandi facta, quod tanquam Rex Neapolitanus Pontifici præſtare, & Romanum Imperium in perpetuum abiurare tenebatur (de qua Iuramenti formula multa Bodin. 1. *de Rep. capit.* 9. *fol* 116. Theſoro politico, *relatione di Regno Neapolitano.* Thuan. 11. *fol* 205.) hanc vicem Cæſari redderet; qua inſuper eum porro quoque in bello Mediolanenſi aduerſus Gallum ſibi obligaret ac deuinciret, quam cauſam & aſſignat Thuan. *lib* 1.

(E) 2. Theſſalonicenſ. 2. v. 6. *Μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται.* hoc eſt, Romano Imperio ſublato, Apoſtatica ſedes ſucceſſura, illiusque arcem occupatura eſt. Vt Tertull. Auguſt. Hieron. & Chryſ. interpretantur Hailpron. *Vncatholiſch Papſt. Art.* 14. *fol.* 515. Huicque vaticinio per omnia reſpondit euentus. etenim non ſolum omni in Romana ciuitate, quod habuerant, ſpoliauerunt Imperio: ſed & ne in Italia vnquam Imperatores regnarent ſtudioſe cauerunt Pontifices. (F) Wolff. 2. *lect. memor. fol.* 178. (*) De his v. Ant. Gueuaræ Epiſtolas aureas.

Inſubria cum Gallorum Rege periculoſiſſimum acceſſit bellum. Interea Clemens 7. Interceſſione & auxilio Caroli fit Pontifex. Hic in compenſationem maximi beneficii, (G) totum mundum contra Cæſarem arma capere iubet, & illos (*vt ex Pontificia* extat *bulla*) qui in hoc bello moriuntur, angelis ſimiles & beatos (*H*) facit. Sic ſubditos armat contra Magiſtratus alter ille Deus, qui non errare poteſt. Age demus hoc illi, ſed infelicisſimo nihilominus bellauit omine. Carolus namq; bellum longe maximum, ipſiſſimo per legatos infert Pontifici: Romam capit, arcem S. Angeli obſidet, & tandem etiam Papam ad deditionem cogit. Milites ibi quid egerint, & in quas anguſtias ſpirituales redegerint, breuitatis ſtudioſus prætereo.

Interim abſente Cæſare, Wormatienſi edicto vt impio, anno vigeſimo tertio in Comitiis Noribergenſibus, ſingulari derogatur Senatuſconſulto. (I) Ab illoque tempore ordines Germani, vt qui iam cooperante Spiritu ſancto bonum a malo, lucem à tenebris ſecernere didicerant, Religioſam Pacificationem contra irritos Pontificios conatus quærere & pertentare cœperunt. ac proinde anno 25. in Diæta Auguſtana, Norinbergenſe decretum, poſthabita Lutheri proſcriptione, confirmarunt: (K) ſimiliter anno poſt in Comitiis Spirenſibus, Wormatienſe moderarunt. (*L*) Exarſi inde aduerſarii, vt irrita facerent quietem amantium conſilia, anno vigeſimo nono, Spiræ denouo concreuerunt; minime ad Concilium vſque, vnicuique ſuam eſſe permittendam religionem, ſolam ſed Catholicam debere exerceri, coli, venerari ſancientes. (*M*) Verum nihil attraxit illorum funis: iam enim Lutheranorum eo creuerant partes, vt huic ſe decreto, ſolenni interpoſita proteſtatione Lutheranæ religionis addicti opponere auſi, & *proteſtantes* poſtmodum ab omnibus fuerint dicti. Quot nam, quæſo, Auditores beneuoli, ſuccincta hæc rerum poſt Wormatienſia Comitia geſtarum narratio, miracula continet? Carolus V. malis vſus conſultoribus, in gratiam Pontificis Wormatienſe conflauit edictum, cuius beneficio omnia priſtini ſtatus faciem eſſe recuperatura totus credidit: ſed eo res rediit, vt Pontifex ipſe ne edictum hoc executioni mandaretur inuitus fuerit in cauſa. Pontifex callido conſilio Cæſari in Italia conflauit bellum, vt vires Pontificiæ eo eſſent ſecuriores: ecce illo ipſo medio Lutheranis creſcendi, reſpirandi, radiceſque quas poſtea euelli nequiuerunt agendi porrigitur ſpatium. Quis non in tanta Religionis mutatione, quanta poſt Apoſtolorum ætatem non accidit, inclementiam huius Clementis in exagitando Imperatore, cum feliciſſimo tum ſedis Pontificiæ obſeruantiſſimo non admiretur. Hoc cum Pontifice quod geſſit bellum Carolus, prouidenti manu interpoſuiſſe Deum, quo minus Euangelii lux à potentioribus deleretur, nemo non videt. Fatetur ipſe Imperator, *in reſcripto ad criminationes Clementis 7.* Pontificiale hoc belli certamen in cauſa fuiſſe, quo minus Lutheranorum atque hæreticorum ſecta & errores comprimi potuerint. Sic mirabilis eſt Deus in operibus ſuis, qui arma, quibus noſtros delere arbitrati ſunt, in ipſos vertit; ſuos autem muro aheneo clementer protexit atque conſeruauit. Cæſar & Rex Galliæ Lutheranam doctrinam extirpare decreuerunt: hocque pacificationis articulis & conditionibus, quibus inter vtrumque Monarcham Madriti tranſactum, & Galliæ Rex Cæſaris captiuus, dimiſſus fuit, inſertum legitur: hæc conſilia ipſe diſturbauit Pontifex, qui mox cum Gallo & Venetis contra Cæſarē fœdus facit. (*N*) Ita ipſos hoſtes, quos delere concupiuerunt, iis cauſam ſalutis præbere oportuit. Summa hæc omnia admiratione digniſſima eſſe aduerſarii etiam candidiores, ſi qui horum non ſunt ignari, fateri tacite coguntur. Vos auditores diſcite hic, & animis veſtris perpendite, quam mirabiliter Sanctos ſuos ducat Deus Opt. Max. diſcite & in futura tempora caſuſque qui impendent reſeruate: conſiderate, inquam, quomodo mala quoque, ſemper in bona conuertat Dominus. Scorpionibus ipſis (ſi quicquam hiſtoriis credendum) Medici illis, qui ab iis icti ſunt, medentur ſcorpionibus: ita Deus rebus peſſimis pro beneplacito ſuo, ad communem ſæpenumero ſuorum commodum vtitur & ſalutem. Solus ille in maximis tempeſtatibus aduerſus lupos rapaces immaniſſimasq; beſtias ducit ſuos, gubernat, ac ſub vmbra alarum, abſq; vlla humana prudentia benigniſſime tuetur, ſemperq; tuebitur.

Poſt decretum Spirenſe alia mox prioribus turbulentiora ſunt ſubſecuta tempora. Sathan namque cum edictum Wormatienſe deluſum cerneret, ne quicquam intentatum relinqueret, nouam

(G) Vt omni exceptione maior permaneret regula Frid. 2. Imp. qui lib. 1. Epiſt. 31 ſcribit, *Renera Imperialis felicitas, Papali ſemper impugnatur inuidia*, ideo Clemens quoque 7. in Carolum 5. immunis, perfidus & periurus fuit. V. Schardium *de fide Pontif. erga Impp. Germanos.* Quam iniuriam vt vlciſceretur, nominis ſi Pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet: exemplo memorabili ab ipſis Hiſpanis poſteritati relicto, poſſe Eccleſiaſticam diſciplinam, citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conſeruari. Thuan. 1. *fol.* 36. & ſolenni reſcripto Papæ criminationibus reſpondet, ad conciliumque prouocat generale. V. Goldaſtum. *Tom.* 1 *partes* 2. *fol.* 81. (H) Huius bullæ 4. Maii An. 27. conſcriptæ, mentionem facit Adam Reiſſner *in hiſt. de rebus geſtis Fronſbergiorum*, vbi etiam Romanæ ciuitatis direptionem multis commemorat verbis.

(*I*) Principes Germaniæ, Legato Pontificio, qui his Comitiis intererat, conqueſto quod ex formula decreti Cæſaris non fuerit de Luthero ſumpta pœna; id non leui de cauſa prætermiſſum eſſe reſponderunt: omnes enim ordines grauiſſime conqueri de curia Romana, & pleroſque omnes Lutheri concionibus atque libris ita iam eſſe eruditos, vt ſi decretum illud aduerſus ipſum valere debeat, fore plurimi ſic interpretentur, quaſi eo fiat, vt oppreſſa veritate, & extincta Euangelii luce, manifeſta vitia, quæ tolerari diutius aut diſſimulari nequeant, defendantur. Sleid. 4. & horum Comit. Acta habet Goldaſtus & VVolfius.

(K) Sleidan. 5 *fol.* 146. (L) Sleidan. 6. *fol.* 149. *& ſeq.* (*M*) Sleidan. *lib.* 6. *folio* 171. integrum hoc decretum extat *Tom.* 3 *Goldaſti fol.* 494. *&c.*

(N) Oſiand. 16. Cent. lib. 2. c. 2.

nouam pugnam fidelibus dedit Chriſtianis. Anno trigeſimo Auguſtæ ſunt habita Comitia, quibus Cæſar qui hactenus extra Germaniam verſabatur præſens interfuit. In iis, cum de nouo de religionis ageretur negotio, Proteſtantes ſatis iam informati, fidei ſuæ Confeſſionem illi exhibent, nec ſe recuſare dicunt toties & promiſſum & decretum Concilium. Imperator autem Pontificio adhuc veneno plane infectus, vtpote qui cum Clemente in eodem Palatio Bononiæ totam hyemem fuerat, (O) verebatur petitionis huius illos facere compotes: neque enim obſcure tenebat, non gratum eſſe Concilium Pontifici, eiuſque hunc eſſe ſcopum, vt ſi leniter non poſſet ſopiri cauſa, armis opprimeretur. Ideo contra omnium bonorum votum & expectationem (Rem ſcilicet gratam Deo fieri perſuaſus) decretum facit Cæſar; ſolam Romano Catholicam amplectendam eſſe religionem, omnibuſque qui in iis, quæ ad fidem atque Dei cultum pertinent, quicquam immutent, vel immutata non reſtituant, fortunæ, corporis, vitæ minatur diſcrimen. (P) His ſcilicet viribus malignus ſpiritus, & qui tenebris tantum delectatur, lucem impedire conabatur. Et profecto quanquam nonnulli Spiritus Sancti ſingulari adminiculo, ad mortem etiam pro Euangelio ſuſtinendam ſe quotidie pararent: alii tamen quamplurimi timore necis, ita vt fit ingruentibus perſecutionibus, tergiuerſari atque fluctuare cœperunt. Melanthon ſane vir optime de re literaria meritus, qui his Comitiis intererat, animo erat admodum meticuloſo, ſeque totum ſuſpiriis (Q) dabat atque lacrumis. Hunc magnanimus Lutherus crebris erigebat literis. (R) *Cauſam hanc*, inquiebat, *abſque conſilio noſtro ad hoc vſque tempus gubernauit Deus, idem quoque eam ad optimum finem perducet.* Et rurſus: *bene ſperamus non de Comitiis veſtris atq; conſiliis, ſed de Chriſti virtute & præſentia.* & alibi: *Deus poſuit doctrinam Euangelii in locum quendam communem, quem in Rhetorica tua non habes, nec in Philoſophia tua, is vocatur Fides; in quo loco omnia poſita ſunt: quæ ſi quis conetur reddere viſibilia, apparentia & comprehenſibilia, ſicut facis tu; is referet curas & lacrumas pro mercede laboris, quales tu refers. Si Moſes comprehendere ſtuduiſſet finem, quo euaderet exercitus Pharaonis, Iſrael adhuc eſſet in Ægypto.* An non hæc verba expreſſo ſunt digniſſima? argentea ſunt, aurea ſunt, optima ſunt. In maioribus, quam Philippus, verſabatur anguſtiis Lutherus; & tamen adeo animoſe illum hic conſolatur, ac ſi iſta nihil plane ad ipſum pertinerent.

Nec vana fuit Lutheri ſpes; mox etenim an. 32. irruente in Auſtriam Turca, Cæſar, vt maius malum euitaret, neceſſario pacem dedit Germaniæ; in conuentuq; Norbergenſi ſanxit, ne Religionis cauſa cuiquam vlla creetur moleſtia. (S)

Alius præterea inſperatus, & præter omnem opinionem acceſſit caſus, Religionis qui promouit curſum haud vulgariter. Vlricus Princeps Wirtembergicus, Suevico ante fœdere patria pulſus, in diuturno ſuo exilio in vera inſtituitur Religione, & anno trigeſimo quarto â Landgrauio reſtituitur. (T) Ferdinandi Romani Regis copiæ, prope Lauffenum fugantur oppido; & Rex mox Cademi Bohemiæ oppido cum Electore Saxone Pacem his facit conditionibus: *vt Religionis cauſa vis nulla fiat, neque lis vlla forenſis moueatur; & Wirtembergicus ager Vlrico maneat, eius tamen poſſeſſionem Ferdinando acceptam ferat*: hancq; actionem, Cadanicam poſtea appellatam (V) Auguſtanæ confeſſioni addicti, iniquis Papicolarum ante Pacem Religioni noſtræ plenarie datam opponere ſolebant molitionibus. Dei fuit digitus, & non niſi diuinæ prouidentiæ opus agnoſco, quod Turca Germaniæ quam oppugnare ſatagebat, attulit Pacem: Hoc vero etiam ſumma admiratione mihi dignum videtur, Vlricum Wirtembergiæ Principem, vt veræ Religionis cognitionem nanciſceretur, in exilium pulſum: vt eâdem patriæ inferret, reſtitutum eſſe. An non omnia bene facit Dominus: infelicem ob exilium ſe eſſe opinatur Vlricus, at eo ipſo Idololatriæ valedicens fit feliciſſimus; fertili aliquo temporis ſpatio caret agro Wirtembergico, interim in librum nomen eius inſcribitur vitæ. Sed id demum omnem humanam excedit rationem, Carolum V. potentiſſimum Imperatorem, Regemq; Ferdinandum in Cadanicam conſenſiſſe tractationem, cum tamen per eam Auſtriacæ domui (cui incrementum afferre, maxume nitebatur vterque) opimus Wirtembergiæ Ducatus ereptus, veteriq; Domino reſtitutus, & religionis Reformatæ, quam tantopere (importu-

nis Pon-

(O) Sane Carolus [illegible] Clementis ſuggeſtionibus grauiter acriterque reſtitit: teſtatur hoc reſponſio eiuſdem ad poſtulatos articulos Clementis. Ibi hæc inter alia ſunt verba: *Vt parentum delicta ferenda ſunt, ita in ciuitatibus & [illegible] vitia quædam diſſimulanda eſſe. Fundamentum certum Eccleſiæ retineri oportet. Et hæ leges æternum [illegible] & Eccleſiæ retinendæ ſunt; quæ prohibent Idolorum inuocationem & libidinum confuſiones.* Goldaſt. *Tom. 3. fol.* 106. VVolffi [illegible] *memorab. fol.* 331 &c. Aſt perficit tandem Pontifex, vt Carolus promitteret, ſe pacifice [illegible] Lutheranos ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ reducturum; aut ſi pertinaciter recuſarent, [illegible] op- [illegible] hoc ſonto Auguſtanum illud Anno 30. denuntiatum fuit decretum. Acta vero horum [illegible] & [illegible] habet VVolf. 2. *fol.* 33. &c. & multis ſeqq. Goldaſt. *Tom.* [illegible] 108.

(P) Sleidan. [illegible] (Q) [illegible] ſane facilitate, lenitate [illegible] ſæpius deliquit Philippus [illegible] quoque [illegible] ſunt & Theologi [illegible] ſolicitudo, [illegible] metus. Quæ vitia nequicquam excuſare [illegible] Camera[illegible] *in [illegible] Melanth.* fol. 119. 132. & 144.

(R) [illegible] *fol.* [illegible] 346 352. Seckendorf. [illegible]

(S) Sleid. 8 *fol.* 22[illegible] (T) Sleid. lib. 9. Oſiand. *Cent.* 16 *lib.* 2 *cap.* 27. Cruſ. *part.* 3 *lib.* 11 *cap.* 9 & 10.

(V) [illegible] hoc pactum habet Goldaſtus *Tom.* [illegible] *Conſtit.* [illegible] [illegible] tamen eandem tranſactionem [illegible] Eberhardo probo, [illegible] capitulis [illegible] *fol.* 319

tis Pontificum iuſſionibus adhuc occæcati) oppreſſam volebant, particeps factus fuerit? O ſuauiſſimam ergo noſtram patriam, quæ tempore illo ab vnguibus Diaboli liberata, purum hactenus Euangelii habuit verbum. Hoc præſente omnia ſuccedunt proſpere, ac felicem nanciſcuntur finem: illo abſente, tenebras & horrendas ſuperſtitiones præſto eſſe neceſſum eſt. Ardentibus ideo & aſſiduis precibus Deum inuocemus, ne ſecundum multiplicia noſtra peccata, & inſignem verbi ſui contemptum nobiſcum agat; ſed propter Miſericordiam ſuam, quam quotidie nouam eſſe ex ſacra didicimus pagina, porro etiam idem verbum, clementer nobis conſeruet atq; tueatur.

Ab eo tempore ſatis tranquillo in ſtatu fuit Eccleſia Chriſti, & Decreta Pacificatoria multis repetitis Comitiis approbata, vel vſque ad Concordiæ in Religione reductionem prolongata, fuerunt. Sed ad Cataſtrophen properabat Sathanas; artibus itaque conſuetis tentat Chriſti nauiculam, deque Vicariis, nequitiæ ſcilicet ſuæ inſtrumentis accommodatiſſimis, ſibi pollicetur plurimum. Anno quadrageſimo quarto, Spiræ *Senatuſconſultum Pacificatorium* factum eſt: hoc Pontificem Maximum vna cum minoribus Pontificibus (vah quot pontes recta ad pernitiem miſeros ſeducentes homines, fabricarunt hactenus?) habuit peſſime. Literis itaque ad Cæſarem datis, quid de hac re ſentiat Papa non diſſimulauit, nec obſcure Cæſari fulmen excommunicationis minatur, niſi ea quæ proteſtantibus promiſerit reſcindat, & à tractatione Religionis in poſterum abſtineat. (*X*) Inde videntes illi, quos *Proteſtantes* nominare vſus obtinuit, quam perplexe cum ipſis agatur, vnanimes liberum quoddam & publicum, omni ſuſpicione mala carens in Diæta Wormatienſi Anno 45. vrſerunt Concilium: vel ſaltem vt ita de pace caueatur, ne decreto Concilii tolleretur, pluribus obnixe petierunt: at neutrum obtinere (*Y*) potuerunt. Dolendum! Tridenti quidem tum temporis inchoabatur Concilium, ſed vt minime legitimum probare, religioniſque negotium ad illud remittere Proteſtantes recuſarunt. Nec mirum: ſummam namq; iniquitatem vel luſci tum videre potuiſſent, & reus qui erat, Iudicis ſibi ſumebat partes; eoq; libertas diſceptanti adimebatur accuſatori, & aſſeſſores non citra periculum ex animi ſententia ſuffragia ferre audebant; nec quia homagio Pontificiæ ſedi obſtricti erant, id ſaluo honore poterant. (*Z*)

Paulo poſt, anno nempe ſequenti quadrageſimo ſexto, Lutherus naturali morte in cœlum rapitur, & poſt plurimos labores atque moleſtias coronam immarceſſibilem conſequitur, qui ſe viuo non futurum in Germania bellum religionis cauſa prædixerat; qui viuus precibus ſuis ardentiſſimis, ſeſe quaſi murum inter Deum iratum, & Germaniam ingratam pœnis meritis deſtinatam interpoſuerat. Exultant hoc caſu omnes Pontificii, gloriantur, & nullo ſe amplius labore herbam de hæreticis reportaturos ſine dubio exiſtimant. Mox ergo palam ad arma ventum eſt, vique aperta imponendam eſſe proteſtantibus neceſſitatem Concilii Tridentini approbandi, concluſum. (*A*) Et Cardinalis quidem Farneſius iactabat, ſe tantam eſſe daturum ſtragem per Germaniam, vt in Lutheranorum cruore vel natare (*B*) poſſit ipſius equus.

Etſi autem pontifici, qui fœdus cum Cæſare contra Euangelicos contraxerat, certo conſtabat, Religionis cauſa bellum geri: tamen apud Germanos Principes, longe aliæ prætexebantur rationes. Nempe imminui Maieſtatem Imperii, & paulatim paucorum audacia, qui cæteros peſſimo exemplo corrumpant, in contemptum abire: bellum igitur ſe ſuſcepiſſe aiebat Cæſar, non Religionis, ſed Iuris & æqui conſeruandi gratia, nec aliud quærere, quam vt paucorum caſtigatione, Germaniæ ſaluti & incolumitati conſulatur. (C) Sic communis æquitatis, ſalutis & incolumitatis prætextu, omnium noſtrorum quærebatur nex & interitus. Et ſciebat Carolus V. prudentiſſimus, Germanos haud facile tam potentem quippe gentem omnino debellari poſſe, niſi vires eorum diuiderentur, ac Germanicum robur contrario Germanorum frangeretur robore. Ideo maxime operam dabat, vt multi ex iis, qui Lutheri doctrinam amplectebantur, contra Principes

(X) Sleid. 16 *ãpr.* (Y) Sleid. 16 *fol.* 469. (Z) Scribit Papa Pius II. *ut in Paralipomenis* Vrſpergenſis legitur: quod ſi *Epiſcopus Papæ contradicat, etiam vera loquendo, nihilominus contra iuramentum Papæ præſtitum peccat.* Ex eo apparet, quid de Pontificum raſæque turbæ Conciliis ſentiendum ſperandumque fuerit: cum ii omnibus, qui ſecularis ſunt conditionis, de Religionis iudicare negotiis prohibeant. Refert Wolff. 2. *fol.* 140. Marcellum Ceruinum tum Cardinalem, poſtea Papam, ad Concilium Tridentinum miſſum, à Pontifice mandatum accepiſſe, *ne quid omnino pateretur in Conciliis conſtitui, quod contra Maieſtatem Romanæ ſedis eſſet, verum extirpare potius illas perſonas, quæ ita [illegible]. Hanc ob cauſam Clodiæ [illegible] Epiſcopum, cum dixiſſet: ſe non poſſe probare decretum, quo [illegible] ſuſcipi iubentur, at ipſum Euangelium: continuo à Ceruino è Concilio eiectum. Hoc idem Wilhelmo ordinis S. Dominici accidiſſe, qui Conſtantienſe Concilium fuiſſe ſupra Papam pronunciauerat.*

(A) Thuan. l. 2. f. 120. *Cum Anno 46. Ratisbonæ, inde Spirenſe decretum vrgerent Proteſtantes, inde Cæſar in ſententia permaneret ut Tridentino Concilio negotium Religionis permitteretur, tandem palam ad arma ventum eſſe ait.*

(B) Vergerius allegatus à Wolff. 2. *memorab. fol.* 690 Sleid. 17. *f.* 534.

(C) Sleid. 17. *f.* 503. Cæſarem, Cæſarique Conſiliarios, vbique diuulgaſſe, in quoſdam ſaltem parari bellum, qui Cæſaris auctoritatem violarint: qui Principum aliquot & Epiſcoporum facultates occuparint: & maxime Imperii ciuitatibus perſuadere conniſos fuiſſe, ne Principibus ſe coniungant. Ciuitatum enim amicitiam, Principum viribus neruos addere facile intelligebant. Interim fœdus Cæſar cum Pontifice, nuncupatum contra Euangelicos facit: eoſq; qui Concilium recuſant, viribus & armis ad Priſcam Religionem & S. ſedis obedientiam reducere: pacem nullam inire, quæ ſit Eccleſiæ & Religioni noxia, prolixe promiſit. Quod idem quoq; teſtatur Thuan. 2 *fol.* 110. & c. qui & *f.* 129. addit, *moleſte tuliſſe Pontificem, quod Cæſar apud alios pro Imperii Maieſtate, apud alios pro Religione ſuſceptum bellum dictitaret.*

cipes proteſtantes Smalcaldico fœdere vnitos arma ferrent. (*D*) Et ſic factum eſt, vt illi diſcordiam inter ſe alentes, ſummam ſibi ipſis calamitatem attraxerint, & pœnas tandem credulæ ſimplicitatis ſuæ dederint. Sed plura de eorum in propria viſcera ſæuientium, ſeu errore, ſeu in priuatos affectus indulgentia dicere, temporis præcludor anguſtia: & ſolus mecum non ſine gemitibus perpendo, quod hanc eandem fabulam Ieſuitico veneno infecti, etiam hodie in ſcenam producere, & armare in prælia quoad Religionem vnanimes velint, ac vt vereor poſſint: non, inquam, ſine ſuſpiriis perpendo, quot vſi hoc ſtratagemate ſeditiones excitarint hactenus, bella, tumultus: non ſine lacrumis ſuccurrit, turbulentiſſimo hoc tempore, quo omnia ad finem properant, quanta mala ſimili inſtinctu nobis ſint metuenda: plus quam ciuilia hodie machinantur bella:

Quis furor o ciues: quæ tanta licentia ferri,
Gentibus inuiſis noſtrum præbere cruorem.

Sed ad id vnde digreſſi ſumus redeamus: Smalcaldici fœderis Duces, iuſtam belli habuiſſe cauſam, Iohan. Frid. Saxonis dubitare nos prohibet pietas. (*E*) Quanquam enim obſequium, quibus Cæſari deuincti fuerunt, ſoluerint; non tamen vt rebelles, ſed Patriæ, libertatis & Religionis cauſa, ob quæ omnia tentanda ſunt, præliari voluerunt. Nihilominus euentum cauſæ non reſpondiſſe bonitati, cum maximo detrimento fuerunt experti. Carolum V. amorem Germaniæ debitum (ex qua genus duxerat) diligentiſſime ſemper coluiſſe, qui illum intus & domi nouerant atteſtantur: paucis attamen peregrinis conſiliariis, quibus Reipublicæ Germaniæ adminiſtrationem imprudenter commiſerat, has omnes debemus turbas, rerumque confuſiones varias. Hi nempe Carolum Cæſarem ſenſim & ſine ſenſu circumuenerunt: Hi Hiſpaniæ & Burgundicarum Prouinciarum amplitudini dignitatique nimium & non ſine grauiſſima Germanorum iniuria ſtudentes, priuatiſque ſuis cupiditatibus religionis ſtudium obducentes, ingenuum hoc dementarunt pectus. (*F*)

Sed nos iam Smalcaldicum reaſſumamus bellum & Sathanæ conſideremus aſtutias, ac quam prudentia iis ſubminiſtrarit conſilia, qui Cæſari vt hoc præſertim tempore Germaniam aggrederetur, ſuaſores fuerunt. Iactitabant ii, vires Germaniæ non poſſe eſſe tantas, vt nunc magnopere ſint extimeſcendæ: Germaniæ ordines ſæpe Cæſari, nuper etiam contra Galliæ Regem auxilia tuliſſe, & feciſſe maximos ſumptus in crebris Comitiis: militum etiam manus atque robur amiſiſſe diuerſis bellis; propter hæc omnia fieri non poſſe, quin viribus Germania deſtituatur. Hoc igitur eſſe peridoneum rei gerendæ tempus reputabant.

Hi iidem Conſultores, tot proſperis elati ſucceſſibus, etiam Principi ſuo inſuſurrabant, arridente fortuna occaſionem ſibi paratam Imperii, cuius ipſe pars erat, proprio iure aſſerendi, Cæſareæq; dignitatis, Filio ſuo Philippo iure hæreditario comparandæ. (*G*) Adeo magis Hiſpanicum dominatum, quam ius & æquum, quæ Ferdinando tribuebant Imperium, ſibi pro meta præfigebat Ibericus hicce Senatulus.

Et quidem nec multum abfuit, quin ſperato potirentur propoſito, Smalcaldicorum namque fœderatorum omnes capti, vel duriſſimis Cæſari reconciliari fuerunt conditionibus. Iam vt alias etiam, multi paraſiti inueniebantur & aſſentatores, qui totos ſe ad illorum, qui gratia apud Imperatorem valuere, componebant nutum & arbitrium: prorſus ergo iam eſſe oppreſſam & captam Germaniam glorioſe prædicabant. Exteri quidam ſcriptis picturiſque editis, Germanicæ nationi in calamitate inſultabant, & tanquam ex dolore victæ triumphus ageretur, captiuæ illius vincula cateaſque oſtentabant. (*H*) Inter quos Ludouicus Auila (*I*) nugaciſſimas *de bello Proteſtantium* publi-

(D) Horum præcipui fuerunt Mauritius Saxoniæ Princeps, & Albertus Marchio Brandenburgenſis, ambo noſtræ Confeſſioni addicti: & Mauritio aduerſæ partis Primarii Duces, Saxo nempe & Heſſus, hic ſocer, ille agnatus erat. Varia ergo hominum iudicia ſubierunt ii: ſed nos merito deteſtamur.

Qui ſimulant ſe ſcire omnia.
Quod quiſq; in animo habet aut habiturus eſt ſciunt,
quod in aurem Rex Reginæ dixerit ſciunt.

Et Mauritii quidem errata ſi quæ ſunt, poſteriores tegunt recti actus, morte tandem obſignati pia: de qua Thuan. 8. *fol.* 892. Windeck. delib. de hæreſ. extirp. fol. 414. *Vt facilius Catholici ſectariorum vires frangere poſſint, variis abductis cauſis, alios ab aliis diuellant, quo ſeorſim ſingulos debellent, cuiuſq; rei peropportuna occaſione captanda.* F. 415. *Fœdera & pactiones, quibus ſectarii ad mutuam operam ferendam inuicem deuincti ſunt, reſcindenda, & diſiunctis ad ſe attrahendi.* Ibid. *vt plures item Catholici ſibi addant, externorum regum auxilia ſibi conjicient, ad ſubiugandos ſectarios. Omnibus autem viribus obſiſtant, ne ſectariis exterarum ſuppetias ſibi adſciſcant.* (E) Refert Sleidanus lib. 8. *fol.* 211. priuſquam fœdus iniretur Smalcaldicum, in Concilium adhibitos fuiſſe non modo Iuris Conſultos, ſed & Theologos quoque: & cum in hac deliberatione periti Iuris docerent, legibus eſſe permiſſum reſiſtere nonnunquam magiſtratui ſupremo, ac nunc in eum caſum, de quo inter alia mentionem faciant leges, rem eſſe deductam oſtenderent, Lutherum ingenue profeſſum, ſe neſciuiſſe hoc licere. Et quia leges politicas Euangelium haud oppugnet, defenſionis cauſa fœdus iniri poſſe dixiſſe: ſiue Cæſar ipſe, ſiue quis alius bellum inferat.

(F) Memoratu digniſſimum eſt, quod ciuili & militari prudentia præſtantiſſimus vir, Lazarus Schwendius, omne malum quo Germania afflicta fuit noſtra, hoc imperante Cæſare, exteris & priuatis cupiditatibus indulgentibus adſcribit Conſiliariis, Im Bedencken von Regierung deß Römiſchen Reichs n. 11. & 22. quod diſcurſus inſertus eſt 2. tom. 1. Conſil. Imperial. a Goldaſt. editorum. (G) Carolum fratri Ferdinando ſæpius perſuadere conatum, vt Imperium accepta idonea compenſatione Philippo reſtitueret; memorat Thuan. 11. *fol.* 266. Sleidan. non vno loco, Schwendi von Regierung deß Römiſchen Reichs. n. 22.

(H) Camerar. In *vita Philippi fol.* 261. (I) De huius Auilæ mendaciis non ſemel conqueſti ſunt Germaniæ Principes, Sleid. *lib.* 24. *fol.* 756. *& ſeq.* vt & *f.* 775.

publicauit chartâ. Epiſcopus Albæ M. Hieronymus Vidua Carolo V. gratulatus eſt quaſi de triumphata Germania, inter alia canens: (*K*)

Iam redeat verſa ad ritus Germania auitos
Armipotens: priſco viuere more iuuet.

Omnium autem nugaciſſime Paulus nugatur Iouius, (*L*) quod Germania omnis inter Danubium, Albim & Rhenum ſubacta fuerit, vtroque Duce capto, eo rerum exitu, vt ipſis vinctis atque productis, nobiliſſimum de Germania ſubacta triumphum inſtituere potuerit. Vtut autem hæc ſe habeant, & quamuis nonnulli veritati falſa miſcuerint, in ſummis tamen tunc anguſtiis totam fuiſſe Germaniam vero verius eſt.

Sed cum omnia à Lutheranorum parte proſtrata iacerent, & iam auxilium humanum deſineret, venit diuinum: & DEVS Opt. Max. qui tum noluit, vt humana ſpe fulciatur Eccleſia, in arenam progreſſus, cito commutauit omnia; Pontificique vere accidit (quemadmodum ipſemet coram Legato Cæſaris conqueſtus fuit) (*M*) id quod eſt apud Iſaiam cap. 5. *Cum expectaſſet, vt ederet vuas, edidit labruſcas.* Equidem Deus Omnipotens, qui, etſi in die iræ ſuæ puſillum ſe abſcondat, gratia tamen & miſericordia omnia mala vberrime compenſat: (*N*) hic tum quoque vires ſuorum recollegit, & rurſum Reipublicæ inſtaurauit nauigium. A partibus vero Pontificiorum omnia.

In peius ruere & retro ſublapſa referri.

Nil Pontificio Regno commodauit Cæſar, quod Saxonem & Landgrauium vicit, & in ſuam poteſtatem victos redegit. iniurioſe enim ille per Germaniam & Belgium eos traducens: Albaniq; aſſenſus conſiliis, qui ſeueritate fructum victoriæ conſeruari debere ſentiebat: non Triumphum ex victoria, ſed truculentiſſimum ex triumpho reportauit odium. (*O*)

Minime mihi etiam magnanima Magdeburgenſium prætereunda eſt fortitudo, cum non leue momentum rebus noſtris vel ſoli attulerint. Soli prope minus ſatisfaciebant Imperatori, ſoli hi efficiebant, ne plenam de domitis noſtris prouincijs victoriam reportaſſe Cæſar diceretur. (*P*) Quod ſi aliæ idem tentaſſent vrbes, quid, putatis, potuiſſent efficere? multum ſane, plurimum illæ præſtitiſſent. Vnica ergo hæc vrbs exemplo ſuo docebat, Germanica quid poſſit conſtantia.

Cæſar interim per Oecumenici Concilii congregationem, ſubortas in Religione controuerſias, omneſque porro turbas, quorum Religionis diſſidium cauſa extiterit, ſedari facile poſſe, nec tuta nec honeſta Pontificis reputans conſilia, quibus vrgebatur, (*Q*) vt Electori captiuo caput præcidi, & omnia per Germaniam munita loca, deſtrui & diſſipari iuberet: eo rem dirigebat, vt anno quadrageſimo ſeptimo Auguſtæ in Comitiis, omnes fere Germaniæ Ordines ſpe & metu perſuaſi, Synodi in omnibus ſe pariturus decretis promitterent. (*R*) Sed Tridenti inchoatum Conciliabulum, Pontificiis artibus, qui verebatur ne in eius mores & Romanæ ſedis inquireretur Imperium, denuo ruptum & ſuſpenſum fuit, patrum maiori parte Bononiam dilabente. (*S*) Vidit ſcilicet veterator ille, fructus malos de bonitate atteſtari radicis: ideoque non doctrinam tantum arena fundatam, ſed mores etiam approbari voluit impios.

Dum hæc ita geruntur, Cæſar cum in reſtituendo Concilio longiorem moram interponi videret, ægerrimeque ferret: Concordiæ in Religione promulgauit formulam, Pontificiis ſuperſtitionibus ſatis infertam, paucorum quorundam clandeſtina & tenebricoſa opera confutam, qua præſcribebatur, quid interim dum decreta Synodi prodirent, fieri ſeruarique oporteret ab iis, qui in doctrina ritibuſque vſitatis aliquid innouaſſent. Vnde liber hanc nouam continens Religionem, quaſi tituli nomine *Interim* vocatus fuit, additas has minas habens, quod omnes vel Eccleſiæ Miniſtros vel Scholarum Rectores, qui parere recuſent, loco oporteat cedere. (*T*) Nec ſine ſingulari hoc factum aſtutia. Expeditiſſima enim ea viſa eſt Cæſarianis miniſtris ratio, qua & Concilij ratio redderetur facilior, & partes expulſis ex ciuitatibus Theologis, pauciores habituri eſſent Aduerſarios. (*V*) Verum Interimiſtica illa Religio contrariis ſcriptis, etiam contra Cæſaris ſeueriſſimum mandatum, ab vtraque parte, etſi non eodem modo atque propoſito impugnata fuit.

(*K*) In *Hymno Ieſu Chriſto* dicato. (*L*) Ad fin. *lib.* 45. (*M*) Sleidan. 20. *fol.* 615. (*N*) Eſai. 54. *v.* 7. & 8.

(*O*) Thuan. 3. *fol.* 311. & *lib.* 11. *fol.* 566. (*P*) Sleidan. 24. *fol.* 724. Magdeburgicos inuicto animo obſidionis incommoda ac diuturnitatem tuliſſe, eorum Legatis à Mauritio communicata eſſe conſilia rerum, quæ deinceps pro libertate Germaniæ geſtæ ſunt, vt æquiores ſe pacis conditionibus præberent: tandem Mauritium Comitiis habitis per petuum cum illa ciuitate fœdus pepigiſſe, Religionem, quam ciues profitebantur, & vrbis immunitates lata tecta ab omnique iniuria tuta fore data fide promiſiſſe; Thuanus memoriæ mandauit *libr.* 6. (*Q*) Henr. Meickelius in *Relat. de obſid. Magdeburg. lit. F.* (*R*) De hiſce Auguſtanis Comitiis, quæ armata dicta fuerunt; quod præſidium erat in vrbe & circum Hiſpanorum copiæ, vid. Sleidan. 19. *fol.* 590. & 595. Thuan. 3. *fol.* 314.

(*S*) Sleidan. *l.* 19. & *ſeq.* Thuan. *l.* 3. ad finem, qui l. 4. fol. 337. refert, *Cæſareæ proteſtationi, quæ huic inſcio Imperatore temere & friuole factæ translationi opponebatur, inter alia etiam hæc inſerta fuiſſe verba, quæ adferuntur translationis cauſa, ſc. febricula cuiuſdam & aeris vitium, commenta eſſe Medicorum pretio corruptorum: id videre omnes quorſum pertineat: nimirum vt cum Bononiam, in medio Italiæ poſitam, & Pontificiæ ditionis vrbem Patres migrauerint, ſine conſenſu Cæſaris (cui Conciliorum vniuerſalium cura commiſſa eſt) aut Concilium omnino diſſoluatur, aut nequaquam eo venientibus Germanis, aut ad Pontificis & illorum, de quibus Germani conqueruntur, arbitrium peragatur.* (*T*) Camerar. in vita Philippi fol. 283. qui addit: *Carolum inhumanis quorundam & iniquis ſermonibus inſtigatum, ſeueriſque into* [illegible] *mandatis efflagitaſſe, vt Philippus Melanchthon, qui alias nimis facilis, huic tamen formulæ ſubſcribere nolebat, ſibi traderetur: defenſum vero fuiſſe præſidio Mauritii.* Hanc Religionis declarationem Carolinam integram habet Goldaſtus, *Tom* 1. *f.* 107.
(*V*) Thuan. *lib.* 6. *fol.* 582.

Quid ita? Sathanæ namque omnis vel leuiſſima in Papiſtica ſuperſtitione mutatio erat ſuſpecta, & qui primus ſuſcitauit diſcordias, Vicarium omneſque reliquos ſeruos ad bella dies noctesque incitabat.

Mox vt rem omnem confectam eſſe dici poſſit, arma contra Magdeburgenſes ſumuntur, quæ tandem in Cæſaris caput verſa fuerunt, & qui fuit illis ærumnarum finis, hic belli fuit aditus atque principium in eos ipſos, quorum ope conſilioque fuerunt afflicti. (X) Mauritium etenim Deus Carolo excitauit hoſtem, qui iam Saxoniæ Elector, iuſta ira percitus, agnoſcens contra datam fidem in Germania conuelli & labefactari Religionem; ea occaſione diffidit Religionis, ſtratam technis quorundam & verſutia ad inſolentem dominatum viam: ideo pro libertate Germaniæ, proque liberando ſocero, Cæſari aperto Marte intulit bellum. (Y) Hoc bellum inopinatum, iterum inchoatum diſſipauit Concilium, (Z) fama percrebeſcente, Mauritium cum ſociis Alpes petere.

Mirificas hîc mecum rerum conſiderate mutationes. An tum non impletum fuit illud veriuerbium: *homo proponit, Deus autem diſponit*? ſane: Papiſtæ delere noſtros firmiter ſibi propoſuerunt, & noſtris nos debellare voluerunt armis aſtute; at Deo aliter diſponente, per extentum ambulauere funem temerarie.

Sed ſi lubet oppugnationum Religionis perpendite exitum. Cæſar vbi de improuiſo Mauritianorum aduentu cognouit, quamuis aduerſa valetudine, ac pluuioſo & nimboſo cœlo, per noctem lectica vectus, ad tæ datum lumen cum Ferdinando omnique aulico comitatu, magna & inſolita trepidatione Oeniponte diſcedit. (a)

Tum inter eundem videre licebat Nobilitatem illam victricem, per vias lubricas & propter imbres continuos luto corruptas, equorum penuria, ſumma cum difficultate pedibus incedere, lapſantibus vbique fere veſtigiis, & permiſtos heris ad ludibrium lixis, mutua opera ſe erigere, æquata omnium per parem fortunam conditione. Sic triumphum de victa & ſubacta egere Germania qui iam trepidant, & de Saxonico pauent milite Hiſpani. Non ſic victores, non ſic, ſed de die magno populi applauſu de captis hoſtibus triumphos agunt.

Ergo hic ex Germania diſceſſus, vanitatem oſtendit Hiſpanorum, ſuperbique de Germania ante quinquennium quaſi ſub iugum miſſa, Hiſpanorum prodit inanitatem triumphi. Non vicit quidem Mauritius tum Imperatorem inuictum, ſed hoc tamen armatus obtinuit, quod inermi ſupplicanti diu multumque hactenus fuerat denegatum: Hiſpanoſque edocuit, aliud eſſe vno atque altero felici ſucceſſu terrere, aliud bello ſubigere prouinciam tam potentem lateque dominantem. (b)

Sed ſic fieri oportuit. Factum bonum! Hæ namque mirabiles conuerſiones effectioneſque ac incepta maxima, Paſſanienſem procurauerunt tranſactionem Anno quinquageſimo ſecundo: Deus hoc medio viam Pacificationi ſtrauit Religioſæ, quæ ſub Religionis prætextu antea excitata bella, multos iam annos per Dei gratiam inhibuit.

Hæc hæc, inquam, ſunt miracula, quæ præcipue toto reformationis acciderunt tempore, & Pacem Religioſam præceſſere. DEI quiſquis hic non agnoſcit digitum, huius caput Hellebori opus habebit purgatione. Iactent iam Ieſuitæ Lapponica miracula: nil tamen hic quicquam proficient. Vana illa ſunt, vel maiori ex parte ficta, falſa. Duæ ſunt mentienti obſeruandæ cautelæ: vt probabilia dicat, & vt mendacii vanitas veritatis manifeſtatione nequeat deprehendi. Prius mendacij præceptum an obſeruent Ieſuitæ, ipſi viderint: alterum hac in parte cuſtodiunt fideliter. Etenim qui iam dudum perfricarunt frontem, de rebus multis paraſangarum millibus à nobis diſtantibus, quas credere quam experiri an vera ſint ſatius habetur, mira narrant. Taceant ſtatuarum & Idolorum miracula Papicolæ; nobis hoc nunc admirari lubet, hoc omnia Papiſtarum Antichriſtiana ſuperat miracula, quod vno fere momento amiſit Cæſar in Germania, quæ bello periculoſiſſimo, & ad quod multis ſe præparauerat annis, acquiſierat. Mirari lubet Concilium non vriſſe eo tempore, ſed potius impediuiſſe Pontifices, quo Proteſtantes Concilio ſe ſubmittere erant parati. Mirari decet ac par eſt, quod Pontifex & Cæſar propter Parmam & Placentinam Italiæ ciuitates ſibi inuicem bellum mouerint; nam propter illud maxime impor-

(X) Sleid. 22. *fol.* 724. (Y) Has cauſas Mauritius ſcripto inſeruit, quo facti ſui rationem reddit: vbi inter alia quoque ſunt hæc: *omnia eo ſpectare, vt ſub durum ſeruitutis iugum miſſa Germania, illam tandem Europæ totius Monarchiam pariant, quam iam tot annos parturiebant.* Thuan. 7. *fol.* 772. (Z) De hoc Sleid. teſtis oculatus, l. 23. f. 48. ſcribit, *Non omnes eadem ſpectabant tum Patres. Hiſpani enim, Neapolitani, & quicunque partium erant Cæſaris, maxime tamen Hiſpani, & cum his Oratores, vrgebant inprimis actionem continuari: Pontificii autem, quod Hiſpanos emendationem Aulæ Romanæ moliri crederent, impedimentum aliquod inferri cupiebant: & quoniam Epiſcopi præcipue Germaniæ iam aberrant, ob ciuiles motus, eandem occaſionem & ipſi exſpectabant: eoque magis, quia Mauritium & confœderates iam eſſe in armis, quotidianis literis atque nunciis perferebatur.* quid vero *Reformationis* vocabulo comprehendant, *v. ibid. fol.* 750. *& ſeq.*

(a) Thuan. 7. *fol.* 740. &c. (b) Regnum, quod Dominica Adminiſtrationis ratione gubernatur, vt hodie Turcicum eſt, difficillime occupatur: ſed ſemel occupatum commodiſſime retinetur. econtra, Imperium, quod non vnius Principis [illegible]u, ſed procerum Conſilio propria valentium potentia gubernatur, haud difficulter turbatur: in iis enim nunquam non inueniuntur, qui animo offenſi, res nouas moliri ſtudent: verum ad illud poſtea tuendum, iam adſunt pene difficultates infinitæ. Hoc quod à ſuo Præceptore non didicere Hiſpani, tum in Germania, tum poſtea in Galliis, negligentiæ inſignes luere pœnas, Machiauell. *cap.* 4. *de Principe.*

importuno tempore motum, (c) Cæſar fructus Germanicæ victoriæ in Pontificis horreum condere nequiuit.

Mirari licet, Cæſarem Potentiſſimum & iniuriarum impatientiſſimum Regem, qui leuiores propter cauſas, contra Smalcaldicos fœderatos bellum mouit, tum cum à Mauritio & ſocijs grauius offenſus fuiſſet, in Paſſauienſem conſenſiſſe tractationem, nec belli vnquam tentaſſe aleam. Admiratione & ſtupore digniſſimum eſt, quod poſt Mauritii necem, cuius ſimulandi prudentiam & prudentem Fortitudinem, vnice metuebat Cæſar, adhuc tamen in pacem Religioſam conſenſerit Imperator. Integram Germaniam prius non timuit, poſtea proſtratam, victam, non ſatis vnitam, bellis ciuilibus ſcatentem tentare non auſus eſt; ei ſed pacem in Religione dedit, quam tanta ſanguinis effuſione, tot annis oppugnauerat Regum Potentiſſimus Carolus.

Princeps idcirco optimus, tædio tandem & quaſi deſperatione rerum omnium, in Hiſpaniam procul ab omni adminiſtratione ſeceſſit: iiſq; qui ipſum ab ea ſententia abducere voluerunt, reſpondit: Impendiſſe ſe quæ habuiſſet omnia, & quidem in fulciendum tuendumq; maxime Eccleſiaſticum ſtatum. Pecuniam quæ quidem reparari, idq; damnum ſarciri forte poſſet; ſed amiſſam quoq; eſſe exiſtimationem nominis ſui apud quoſdam, & valetudinem bonam ac ſtudia hominum, quæ recuperaturus eſſet nunquam. (d) Deplorandum tantum Imperatorem, qui vnus & ſolus noſtro ſeculo, Turcarum Chriſtianique nominis hoſtium proſternere potuiſſet vires, peſſimorum conſultorum nequitia eo redactum. Deteſtandi hi Conſiliarij, qui hiſce næuis, pulchram & immortali laude dignam deformauerunt fortunam.

Sed tamen Deus Opt. Max. vanitatem huic Principi oſtendens rerum & conſiliorum humanorum, ſimul veræ noſtræ fidei gratis largitus eſt agnitionem, quam antea non penitus admittebat humanæ felicitatis falſus ſplendor: in ſolitudine huic Principi manifeſtauit Deus, quæ adulatorum impiorum turba obſcurauerat antea. Et auribus itaq; mentis veſtræ haurite Imperatoris huius Termaximi confeſſionem. (e) Is toto pectore in Deum reuolutus ſic ratiocinabatur: ſe quidem indignum eſſe, qui proprijs meritis regnum cœlorum obtineret, ſed Dominum Deum ſuum, qui illud duplici iure obtineat, & patris hæreditate & paſſionis merito, altero contentum eſſe, alterum ſibi donare; ex cuius dono illud ſibi merito vindicet, hacq; fiducia fretus minime confundatur: neque enim oleum miſericordiæ niſi in vaſe fiduciæ poni: hanc hominis fiduciam eſſe à ſe deficientis & innitentis domino ſuo: alioqui propriis meritis fidere, non fidei, ſed perfidiæ eſſe, peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoq; credere nos debere, peccata deleri non poſſe, niſi ab eo, cui ſoli peccauimus, & in quem peccatum non cadit, per quem ſolum nobis peccata condonantur. Pia hæc confeſſio fidei omnino ſtabilit iuſtificationem: hac conceſſa quaſi cuniculo ſuffoſſum vniuerſum cadit Regnum Papiſticum. Hoc nec Hiſpanos latuit Inquiſitores, indeq; pii huius Cæſaris, qui fuerat Confeſſionis exceptor, F. Conſtantinum, ex ordine Hieronymianorum Eremitarum, quo poſtremo vitæ ſuæ biennio familiariſſime vſus eſt Carolus, quiq; morienti affuit & ſacra communicauit: continuo poſt, propter iuſtificantis fidei profeſſionem ceperunt, & Valliſoleti, publice ſub Elogio hæretici Lutherani, cum paulo ante in tetro carcere exſpirauerat, in cineres redegerunt. (f) Ergo ô incredula Papiſtarum natio, ſi Scripturæ non credis, ſi Biblia non mouent, fac hæc, quæ Carolum V. conſtantiſſimum Principem permouerunt, te moueant miracula, quæ non niſi diuinæ prouidentię, prouidæque bonitati adſcribi poſſunt.

Sufficiat autem leuiter & craſſa Minerua, Sathanæ eiuſque aſſeclarum adumbraſſe ſtratagemata: ſufficiat vitium & Conſiliorum humanorum vanitatem & imbecillitatem paucis, quoad fieri potuit, delineaſſe.

In ſumma: Principis huius mundi potentia valuit ſemper, humani conatus Proteſtantium nihil vel parum effecerunt. Interim Dei auxilio, Religio noſtra vera ex tenuiſſimo ortu, ex ſcaturigine ignobili in magnum creuit flumen. Et quanquam aggeres contra extruerent Aduerſarii, tranquillitatem vt impedirent curſus, fluctus & tempeſtates cierent: Ecce his ipſis tempeſtatibus, Euangelii flumen vires ſumpſit, aggeres & obſtacula rupit. Hoc quia non homo fecit, Sathan cum toto Regno nec impedire potuit; Ergo Dei hoc opus. Tu Deus noſter, qui Iſraelitas eduxiſti ex Ægypto: Tu Deus noſter, qui nos è tenebris eduxiſti Pontificiis, & luce Euangelii frui permittis in pace. Tu hoc feciſti Iehoua, non alius: Cognoſcite gentes, quia Deus hoc fecit, & ex eo Deum agnoſcite. Fac benigniſſime Domine, vt nullos alios Deos, hoc eſt, prudentiam humanam, impiam Politicam prudentiam, coram te adoremus, admiremur, eiq; confidamus. In memoriam hoc reuocate debiles & fide præditi exigua, & ſperate Deum, qui incepit hæc bona, qui perfecit, qui hactenus nobis hanc Pacem conſeruauit contra inſultus millenos mille artificis, eam porro propagaturum pacem: Dictum enim Iehouæ, (g) *nullum inſtrumentum formatum contra te proſperabitur, & omnem linguam inſurgentem contra te in ius, condemnabo: hæc eſt poſſeſſio ſeruorum Iehouæ, quorum Iuſtitia eſt ex me!* Iehouam potentiſſimum ter maximum, vel ſanguine, ſi ita expedit piis, Eccleſiæ ſalutem procuraturum ſperabimus. Eccleſiam etiam ſanguine rubentem, ſemper fore florentem magis, & cum ea omnes, qui à capitis cõmunione peccatis & vitiis non ſe ſeparant. Horum vt ſimus in numero, Omnipoten-

(c) Sane propter hoc Parmenſe bellum præſidia Hiſpanica, quæ in agro erant Vvirtembergico, eique tum præcipue etiam moribus ingentia damna dederant, inde reducta ſunt. Camerar. *in vita Philippi fol* 327. Thuan. 6. *fol.* 641.
(d) Camerar. *in vita Philippi f.* 397. Thuan. *l.* 12. *f.* 261. &c. Schwendi von Regierung deß Römiſchen Reichs/ num. 21. (e) Quæ extat apud Thuan. *f.* 567. (f) Thuan. *l.* 16. *f.* 751. (g) Eſai. 54. v. *fin.*

potentem Deum mecum veneramini, in Chriſto Ieſu humillimis precibus: & has noſtras preces, vt acceptæ ſint Deo noſtro, faxit Chriſtus Deus Opt. Max. cui Gloria, Laus & honor in ſecula. Amen.

D I X I.

DE PACE RELIGIOSA:

DISSERTATIO SECVNDA.

L*Audate Dominum in timore, & exultate ei cum tremore.* Iam etenim, Auditores Magnifici, Nobiliſſimi, Clariſſimi, Humaniſſimi; Oculiſſimi. Iam, inquam, veterem, & qui nobis omnibus necem atq; interitum portendere videbatur deponentes annum, noui huius initio, Emanuelis noſtri ſuauiſſimi, maxima illa, præſtantiſſima, quæ miraculoſa natiuitate ſua in hoſtes nos vberrime contulit beneficia, celebremus, extollamus, admiremur. Meæ ergo fauete linguæ, Age lingua, Creatoris Saluatoris bonitatem, miſericordiam ſufficienter iam profer, enarra, explica: ſed tacet, & vox hæret faucibus! Scilicet maiora bona ſunt hæc, quam quæ humano ore, non dicam commendari ſatis, ſed percenſeri queant: Angelorum ideo voce ingens illud gaudium, quod toti populo propter natum Chriſtum eſſe debuit, annunciatum eſt. Verum ſummo dum gaudio, omnes nos ſuo Saluator aduentu reddidit delibutos, Sathanas non obſcure ſentiens, ſemen illud Mulieris iam iam ipſius eſſe contriturum caput, totus exarſit ira, totus omnibus ſeſe huic oppoſuit viribus: & quo maiora generi humano expectanda vidit commoda, eo diligentiori ſtudio, tanti boni participationem nobis intervertere niſus eſt. Enimuero vt ad vnicum tantummodo fontem vobis intendam digitum: omnes quibus Epiphanias, ſiue trium Regum vt vocant, quod non ita pridem in Eccleſia noſtra celebrauimus feſto, Doctorum noſtrorum conciones, non olorum nigrorum fuere cantiones, in cute adhuc ſciunt, quali ſtratagemate verſutus ille Spiritus, impii Herodis ope, Chriſtum recens natum, protinus è medio tollere fuerit conatus: vbi tamen eo rem direxit Deus, vt quanquam omnes in Bethlehemitico territorio, nefando parricidio infantes fuerint occiſi; vel minimo tamen cum malo, vnigenitum Patris inuitere Filium Diabolus nequiuerit. Sed vt ii, qui prima vice id quod volunt imperare non poſſunt, tentant ſecundo, inſtant tertio: Ita mille idem artifex, ſemperque antiquum impudentiſſime obtinens; cum hac, qua diximus, via nihil efficeret, ecce aliis modis piorum cœtui hactenus inſidias ſtruxit iugiter, tetendit retia, & quacunque tandem ratione illos affligere aſſidue laborauit. Priori ſane ſeculo, cum poſt reductam à D. Luthero Euangelii doctrinam, Saluator noſter in ſecundo & ſpirituali ſuo aduentu, in multorum hominum cordibus hoſpitium inueniſſet, Martyriis aliiſq; mediis & cautionibus varijs, Chriſtum, quem olim vita expellere Herodes nequiuit, in membris opprimere maxumopere ſtuduit. Quia autem quantumuis prematur, nunquam tamen opprimitur vera Eccleſia: Qua nil firmius eſt, mobiliuſque nihil. Ideo tum quoq; in caſſum laborauit Sathanas: puram namq; & incorruptam Religionem, afflictorum lachrymæ, ac Martyrum ſanguis irrigauit aſſiduo: quoſq; perdere volebant Impii, ipſa, quæ alia omnia conſumit Flamma, vbiq; locorum prouentu peperit vbere. Et tandem in ſuauiſſima & communi noſtra patria, inuitis Aduerſariis, Anno quinquageſimo quinto, Pax illa religioſa inſtituta & corroborata fuit. Ac quanquam totalis animorum reconciliatio haud conſtitui potuerit, cum in lacrumarum hac valle, vnum ouile, vnuſque Paſtor expectari non debeat; vtcunq; tamen Eccleſia purior, Alcyonia ſua obtinuit, & *poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum,* vires paulatim recollegit & animum. Peſſime vero hanc rem mundi huius habuiſſe Principem, eiuſque Vicarium & Satellites, variæ, quibus Pacem illam Confeſſioni noſtræ datam, oppugnare & euertere conati ſunt machinationes, luculenter teſtantur.

Crudelis Babylon, terra communis Erinnys,
Pacem tot poſcit ab arm,
Impia; & interea cæco ruit acta furore
In ſcelera.

Iehouæ itaque benigniſſimo, æternæ merito debentur laudes, qui clementer admodum ſuos ſub vmbra alarum protegens, cruenta diſſipauit conſilia, doctiſque dolis fortiter reſtitit hactenus. Porro ſumma hæc vt admiratione; ita pleniori cognitione atque conſideratione digniſſima eſſe, nemo ſanus, nemo qui Helleboro carere poteſt, vnquam negauit. In veſtrum ergo iam conſpectum prodeo, Auditores honorandi, nec vobis futurum ſpero ingratum, ſi qui ante aliquot ſeptimanas, miraculoſam in Germania Religionis reformationem, miraculoſamque pacis Religioſæ in Imperio Germanico aſſerui conſtitutionem; nunc quemadmodum contra Diaboli artes extremumque conatum, eam pacem Deus Opt. Max. non ſolum defenderit: ſed & quomodo eandem tranquillitatem, multis aliis potentiſſimis regnis communicarit, & ad hanc præſentem diem conſeruarit, oſtendero. Quod ſi in priori mea oratione, res grauiſſimæ fuerunt pertractatæ; non minus profecto in hac, de ponderoſiſſimis atque maximi momenti agetur negotiis. Quæ dum ſine verborum inſolentia, at vere aperio, quæſo vos, vt nuper, ita hac etiam hora, vacuas peroranti mihi aures præbere: Chriſto vero Deo noſtro, hæc omnia qui effecit, qui iis de præſenti potentia & prompta benignitate ſua, nos ſubinde certiores reddit, cordis aperite ianuas.

Et quidem vt ſemper Germani Imperatores, Pontificibus maiores non habuerunt hoſtes, ita quoq; tempore Pacis ſancitæ, Paulus IV. à nouo Theatinorum inſtituto ordine, Theatinus cognomina-

minatus, Pacis noſtræ mediatorem, alterumque in Republica noſtra Thraſibulum, ſereniſſimum Ferdinandum, *(A)* nunquam pro Imperatore Romanorum legitimo habere voluit, *(B)* minimeque Imperii capacem eſſe putauit. Quaſi vero penes Papam ſit, ad nutum ipſius minus ſe componentem, indignum ſummo pronunciare *(C)* Imperio: ſic mundus, qui elato huic auſcultat Vicario, vult decipi, *(D)* ſic lupo rapaci non paſcendi, diſſipandi autem, occupandi, manducandi opportuna porrigitur occaſio. Sed quibus criminibus egregium hoc Romanæ Eccleſiæ caput, dictum iam perſtrinxit Cæſarem? *Obſtare*, inquiebat, *malam filij educationem Bohemiæ Regis, qui ad manifeſtam inclinet hæreſin. (E) Permittere Ferdinandum in ditionibus ſibi ſubiectis, paſſim impune vigere hæreſes, quod minime Cæſaream ipſius deceat dignitatem. hoc autem omnem excedere excuſationem, quod in conuentu Francofurtenſi iuramento ſe adſtrinxerit omnia ſeruaturum, quæ in præteritis comitiis fuerint ſtatuta: inter quæ plura hæretica & damnata reperiantur*, Pacem hanc Religioni noſtræ datam ſubintelligens. *Imperatoris denique nomen propria auctoritate aſſumpſiſſe.* O tempora, ô mores: ſiccine quiſpiam ſolum veræ Religionis ob amorem, ob Pacis in domo Dei conſtituendæ ſtudium, crudelitatiſque deteſtationem, minus idoneus ad ſumma tenenda cenſendus gubernacula? Attamen hoc è pelui fulgure non territus Ferdinandus, & legitima Principum Germaniæ electione contentus, omnes illas Pauli criminationes animo excelſo vereque regio reſpuit, naſoque ſuſpendit adunco. Idem cum *(F)* Pontificum non approbare poſſet cruenta conſilia, & cum experientia didiciſſet, cœpta armis aduerſus proteſtanteis hactenus male ceſſiſſe: meliuſque per amicas collationes Religionis negotium procedere videret: ergo paulo ante mortem, & poſt peractum Tridenti Concilium, Proteſtantibus, qui ad illud non venerant, ſatisfacere cupiens, nouum rurſus Colloquium ex Maximiliani filij, prudentiſſimi Principis conſilio inſtituere voluit, in quo vtrique parti patulæ præberentur aures. Delegit autem ad id Georgium Caſſandrum, virum non minus moderatum quam doctum, qui cum noſtris Paſtoribus controuerſa Auguſtanæ Confeſſionis capita amice, aliter ac in Concilio factum Tridentino, examinaret. *(G)* Hic eſt is Caſſander, cuius teſtimoniis maiori ex parte Digniſſimus noſtræ Academiæ Cancellarius, *Papam non Papam* eſſe probauit. *(H)* Quod ſi vero Cæſaris noſtri omniumque bonorum, qui maximos inde promanaturos fructus firmiter ſperabant, voluntati reſpondiſſet euentus, ſi ſuſpicione carens, & in qua palam noſtri veritatem defendere auſi eſſent, inſtituta fuiſſet Diſputatio: placide dubio procul tum multa, quæ non magnis diſſenſionibus poſtea, conciliari; & Babylonicæ Meretricis nuditas, quam diſſidia & odia, quibus à nobis Papicolæ diſſident, obnubunt, multis apparere potuiſſet. Aduerſa autem viri optimi valetudo, & vtriuſque Ferdinandi ſcilicet & Caſſandri accelerata mors, fructum ex eo ſperatum Germaniæ inuidit.

Sic ſæpius qui optime imperant Optimates, non raro alii, qui feliciſſime præſunt Reipubl. viri boni, eruditi, prudentes immatura rapiuntur morte: optimis quibuſque ſæpe ingratitudo noſtra accelerat interitum: Alii triobulares Tyranni, qui cotidie corrumpi ſe ſinunt, valent, ac diutiſſime

(A) Ferdinandi Imp. præcipue cura, ſeſſam Religionis Pacem conciliatam, notat Lazar. Schwendi diſcurſu von Regierung deß Römiſchen Reichs / *numer.* 52. & 53. Et hunc eundem ſacratiſſimæ memoriæ Imperatorem, crebris ſermonibus ante obitum vſurpaſſe, inter ſumma beneficia, quæ Deus in gubernatione Imperii conceſſiſſet, primum atque maximum vero animi iudicio, optimaque conſcientia ſe hoc ducere, quod ad ſedandas diſcordias publicas animum adieciſſet, & tolerantiæ in Religione formulam benigniſſimus Deus ſibi in mentem dediſſet: ſcribit Crato à Craffthelm in *Epiſt. prælim. hiſt. Bohem. Dubrauii.* (B) Simon Schardius in *hypomnem. de fide ac beneuolentia Pontificum Roman. erga Impp. Germanicos. fol. mihi* 252. &c. Thuan. 15. *à pr.* (C) Imp. concordi Principum ſuffragio Electum, ad approbationem Pontificis petendam, vel recipiendam, minime reſtringi iam multis abhinc annis luculenter & copioſe, doctiſſimi quique demonſtrauere: quorum ſcripta vno faſciculo Anno 66. conſtrinxit, & publici iuris fecit S. Schardius, Maximilianoque II. Imp. inſcripſit. ac nuperrime hortatu Chriſtoph. Beſoldi, I C. & Illuſtr. Academiæ Tubing. Profeſſoris, iterum peruulgauit Laz. Zetznerus. (D) Caraſa Pauli IV. ex fratre nepos & legatus: cum ſolita pompa Lutetiam Pariſiorum ingrederetur, & ſignum crucis, vt fit, ederet, occurſante paſſim populo, & in genua ad ipſius conſpectum procumbente, loco verborum, quæ proferri mos eſt, ſæpius ſecreta murmuratione ingeminauit: *Quandoquidem populus iſte vult decipi, decipiatur.* Thuan. 12. *f.* 298. *& ſeq.* (E) Vtebatur enim tum Maximilianus Eccleſiaſte, Ioh. Sebaſtiano Pfauſero Bodamico, perpetuo Orthodoxæ fidei Euangelicæ aſſertore. Reuſn. *in Iconibus.* Maximilianus Cæſar, in Religionem concernentibus negotiis, non aliorum Principum more modoque, ſe ad Confeſſionariorum ſuorum ductum applicauit: ſed ipſe penitus nouit, Rom. Eccleſiam, multis abuſionibus deformatam, quam plurimiſque ſuperſtitionibus & Idololatria ſcatere: ita vt Religionem omnem, tantum in externis ceremoniis & ritibus, diſciplina Eccleſiaſtica, poteſtate Pontificali, Romanæque curiæ captiunculis conſiſtere exiſtimatum ſit: vera interim doctrina Euangelica, interno que ſpirituali & non fucato diuini numinis cultu, eiuſmodi quaſi ſpinis ſuffocato. qua de re teſtis mihi eſt omni exceptione maior Laz. Schwendi im Bedencken vom Römiſchen Reich / *numer.* 45. (F) Ferdinandus vbi Pontificis voluntatem ex literis Legati ſui cognouit, ei continuo reſcribit, mandatque, vt niſi poſt triduum à mandato accepto à Pontifice admittatur, ipſe rebus compoſitis Roma diſcedat, vt Cæſarem de iis, quæ in hoc negotio interuenerunt, certiorem faciat: qui mox ſecum VII. viris deliberata, id facturus ſit, quod Imperiali dignitati conuenire videbitur. Thuan. 15. f. 579. Qui & lib. 16. f. 787. de Pio IV. P. M. ſcribit, *inter alia, quæ primis auſpiciis fecit, ſumma hoc prudentiæ tributum, quod Imperatoriam dignitatem in Ferdinandum à Carolo V. Fratre tranſlatam, quam Paulus improbauerat, ratam habuit*, &c. (G) Thuan. *in præf. hiſt. & lib.* 36. *fol.* 618. (H) Cum Caſſandro, præ lentia ſua inſtitutum reconciliationis opus promouere per valetudinem non liceret; quod vnum ſupererat, ſcripto & conſilio illud adiuuit: *Conſultatione de Articulis inter Catholicos & proteſtantes controuerſis* edita, quam Dominus Andreas Oſiander Theolog. D. Academ. Tubing. Cancellarius, in libro ſuo, *Papa non Papa*, inſcripto ſæpius laudat: indeque tanquam ex domo Aduerſariorum petitis teſtimoniis, contra Papicolas noſtram munit doctrinam.

huius lucis fruuntur vſura. Veruntamen mortuo Ferdinando haud minus felix fuit Germania, propter ſucceſſorem Maxæmilianum ſecundum, qui rara prudentiæ & æquitatis laude adminiſtrauit Imperium. In illo etenim Principe, omnium virtutum Imperatorio faſtigio dignarum, præcipue vero Pacis ſtudij, conſpicere licuit Idæam perfectiſſimam, (*I*) O beatam ciuitatem, beatum regnum, beatiſſimum Imperium, quibus talis contingit Magiſtratus. Verentur peccare mali formidine pœnæ: pauperes, afflicti, viduæ, opem, auxilium quærunt & inueniunt; qui neglecta conſcientia, proximi neglecta ſalute accipiunt munera, ij grauiſſime merito ab eiuſmodi puniuntur Principibus: impii odio, amore pii afficiuntur, fouentur, proteguntur. Hic Pax & Iuſtitia mutuo ſe exoſculantur: Eccleſiæ florent, Scholæ vigent. Quid, quæſo, tali Ductore ciuibus melius, quid ſubditis vtilius? E contrario, ſi Rex malo ſuis præeat exemplo, ſi vitiis, quæ in ſubditis exaare deberet, ipſe ſit imbutus, an non eius ad exemplum totus componitur orbis? Priuatus excedens, domeſticis, vel certe vicinis tantum præbere poteſt ſcandalum: aſt à Principe flagitioſo ceu ſupremo capite, plurima plerumque membra vitia diſcunt, mala ſequuntur, peccata imitantur. Optimates alii, licet ipſi non ſint malitioſi, quia tamen nimis illi fidunt conſiliariis, & quia voluptates atque honores plus quam ſubiectorum curant ſalutem, ideo non raro multæ incommoditates, quas animo perpendere quam pluribus proferre ſatius eſſe iudico, ſubſequuntur & iniuriæ.

Itaque ad id, vnde paululum digreſſi ſumus, redeamus, quæque prioribus ſubſecuta ſint cognoſcamus. Pontifices res in Germania, talibus imperantibus Principibus, fruſtra turbari perſpicientes: (*K*) etſi poſt finitum Concilium Tridentinum, maxime ſerio omnes ſibi aduerſantes funditus tollere in animo habuerint: rem tamen aliis in Regnis, vbi non minus fere ſuberat periculum, prius tentandam eſſe putabant.

Multi olim ex Pontificibus ipſis, imo omnes non peſſimi Catholici, etiam qui mordicus Pontificiam doctrinam defendebant, Eccleſiam reformatione carere non poſſe, & exorbitantem Romanæ ſedis auctoritatem coercitione indigere, viderunt; & proinde ſummam hanc vitæ diſſolutionem ſuaſerunt tollendam: At maior eorum pars minime ſerio. Etenim huius Mundi honoribus atque delitijs, ſemel qui ſe manciparunt, meliora quamuis impia cum Medæa ſciant probentque, deteriora tamen corporis gratia, animæ licet id ſecum trahat interitum, ſequuntur. (*L*) Adrianus VI. Pontifex Romanus, (*M*) Anno vigeſimo tertio, in Comitijs Norimbergenſibus per Legatum pollicitus eſt, omnem ſe adhibiturum operam, vt primum Curia hæc, vnde forte omne hoc malum proceſſerit, reformetur: vt ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanauerit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnis proueniat. Magna profecto promiſit hic, quibus an ſtare vnquam animo induxerit ſuo, ego neſcio. (*N*) Hoc quidem placet, quod ipſe ex Curia, Romana videlicet, multa prouenitſſe mala faſſus eſt liberrime. Stulte itaque Religionis gratia in hunc multi peregrinantur locum, vbi præ aliis peccata horrenda eaque multiplicia conſpiciuntur quotidie.

Marcellus pariter ſecundus, Anno quinquageſimo quinto, non videre ſe, quomodo qui faſtigium hoc altiſſimum teneant, ſaluti ſuæ conſulere poſſint, paulo ante mortem ingenue profeſſus eſt. Quod ſi vox illa Papiſtarum teneras minus paſcat aures, Thuanum lib. 2. intueantur, & cum rubore iſtius qui non errare potuit Pontificis concoquant Confeſſionem. Equidem conſtat pleroſque eiuſdem ceræ ſeruos (multorum qui ſibi malorum conſcij) ſemper veritos eſſe, ſi concilium indiceretur, ne is eius exitus eſſet, vt ipſi in ordinem cogerentur, & ideo Concilium contra Cæſaris mentem ac voluntatem Tridentinum diſtuliſſe. Id tamen cum amplius retractari non poſſet, habitum, & ex Pontificum animi ſententia abſolutum fuit. Ergo omni metu ac ſollicitudine cenſoriæ emendationis ſoluti, ingenio ſuo Papæ libere vſi ſunt, (*O*) & in eiuſmodi mox pro-

(*I*) Thuan. 36. *fol.* 619. & conticeſcet meritiſſimas huius Principis laudes nulla ætas.

(*K*) *Res pietatis, non gladio aut bello diiudicari & tractari: neque aliter ſenſurum quenquam, in quo aliquid ſit pietatis & honeſtatis, vllumue Pacis & tranquillitatis ſtudium reliquum:* Apophthegma fuit ſeu oraculum potius a Diuo Maxæm. II. redditum. Inde idem ad Laz. Schvvend. ſcribit: *Eorum actiones, qui ſupplicier non crudelitate, ſectionibus & vſtionibus hanc rem confici poſſe defendunt: mihi minime placent, nec vnquam adducar, vt eas laudem, niſi forte (quod tamen ſerio deprecabor, ne fiat) Deus permittat, vt in furorem & inſaniam prolabar.* Epiſtola de Lamenta Paul. & Belgica ſeditione. (*L*) Dominicus Brixienſis Epiſcopus, Libellum ad Pium II. titulo *Reformationis Curiæ Romanæ* ſcripſit. Molli tamen cubito rem attigit, vtpote qui in eodem luto cum aliis hæſerat. Catal. teſt. verit. *lib.* 19. *fol.* 1862. (*M*) Sleid. *libr.* 4. *fol.* 81. Goldaſt *Tomi primi, part.* 2. *fol.* 29. (*N*) Semper Reformationis ſtudium a Pontificia Tyrannide obrutum fuit. Cæſar Sigiſmund. parauerat *Reformationem* quandam, quæ vulgari ſermone impreſſa extat, qua voluit in Conſtantienſi Concilio, Papæ cuiuſque ſpiritualium ſuperbiam, pompam & tyrannidem nonnihil reprimeret & cum quidam dicerent, oportere incipere à Minoritis. Reſpondit ille: *non à Minoritis, ſed à Maioritis.* Sed admodum callide a Papa deceptus, piuſque eius conatus eluſus fuit. Catal. Teſt. verit. *fol.* 1876. *libr.* 19. Lutherus illud, quod Adrian. de Reformatione quidem ſpem aliquam fecerat, ad eam tamen pedetentim oportere procedi iudicauerat, id, inquam, ſic accepit Lutherus, vt ſinguli pedes atque paſſus interuallum habeant aliquot ſeculorum: hancque Pontificum eſſe technam, quando Concilium & notionem cauſæ ſubterfugere volunt, vt liberaliter & prolixe polliceantur: quo ſpacium intercedat comparandi Regum gratias, & tempore opportuno rem armis tentandi, Sleid. 4. *fol.* 85. (*O*) Thuan. 38 *fol.* 774. de Pio IV. ſcribit, in Concilii celebratione ſubdolum ſe praebuiſſe, eo abſoluto, omni metu ac ſolicitudine ſolutum, ingenio ſuo libere vſum. Lib. 18. fol. 114. hæcce habentur verba. *Pontifex ſemper antea veritus, ſi Concilium indiceretur, ne is eius exitus eſſet, vt ipſe in ordinem cogeretur, cum hactenus rem diſtuliſſet, tandem à Coſmo Florentinorum Duce perſuaſus, accedente Concilii Nationalis, quod pleriique apud Gallos vrgebant metu, Oecumenicam & generalem Synodum perſequi ſtatuit.* v. etiam Thuan. 18 *fol.* 962.

prorupetunt facinora, quæ nulli bono & candido vnquam placuerunt. Quid verbis opus? ſtabat ſententia, hæreticos debellandos, extirpandos, omnia Romanæ ſedis ſcabello ſubiicienda eſſe. Sic aureos ſibi montes pollicebantur ſanguinarii, atque multitudini militum, armorum, equitum, confidebant. Sed optimus Imperator Romano germanicus, ceu ſummum orbis Chriſtiani caput, iniuſtiſſimam quia belli cognoſcebat cauſam, in hoc conſentire, & tanti mali Promotor eſſe nolebat.

Olfacientes hoc Romano Catholici, Quartæ Monarchiæ ſubdiffidere inceperunt; nouo itaque conſilio quintam aliam vel inuitis ſacroſanctis Prophetis fabricare moliti ſunt Monarchiam; Malleus quæ foret vniuerſæ. O cæcitatem, O extremam hominum dementiam. Perpendite hic, attenti Auditores, quid apud illos qui volentes errant, & à Dei cuſtodia derelicti ſunt, operari poſſit Diabolus. Ita vere fieri oportuit, vt in clara luce metis ſe implicantes tenebris, in peruerſum raperentur ſenſum, æternumque diuina cæcutirent vindicta. Vt autem penitus eorum propoſitum cognoſcamus, Regi illi Hiſpaniarum, (P) poſt extirpatos inibi Proteſtantes, Galliam ſubiicere: in Belgio abſolutam poteſtatem, legum fundamentalium & priuilegiorum illius Prouinciæ, ſubditorumque hæreſeos veneno infectorum, nefanda internecione & euerſione ſtabilire: Angliam deinceps ſub Ibericũ dominatum redigere maxumopere ſtuduerunt. Huic decreto poſt multas deliberationes omnes ſubſcripſerunt Babylonicæ beſtiæ Charactere inſigniti; idq; eo magis, quia facillima hoc perfici poſſe opera ſibi perſuaſerunt, propter Hiſpaniarum potentiam Regis. In hunc ſingulorum erant intenti oculi; tutò huic tale ac tantum committi poſſe Imperium, quod Romanæ ſedi eſſet obedientiſſimus, & ne ſuſpicione quidem hæreſeos laboraret, ſtatuerunt vnanimes. Hoc peracto Idololatriam vno momento priſtinam dignitatem obtinere, & tum Germaniam cæteraque regna vltro manus datura; ac demum ſecundis auibus, Turcicum ad Romanum adigi poſſe putabant Imperium. Quid vobis de horum conſiliorum videtur ſubtilitate? bella ſane erant, quæ etiam Lipſium noſtrum dementarunt, (Q) qui Monarchiam aliquam in Occidente exorituram (cum ſcilicet Sol erit retrogradus) ſomniauit, & ideo à Belgis ſuis infami lapſu defecit. Examinate mecum, ſi lubet, perplexitatem atque callidam prudentiam iſtius inſtituti. Humano aduerſarii brachio innitentes, omnia potentiſſimi Hiſpani imponebant humeris. Ita magnò noſtros faſtu deſpiciebant, ſummumque terrorem fruſtra incutiebant. Non ſecus ac Senacheribus olim, qui ingenti ſuorum copia ſtipatus ad Iudæos peſſimo omine; quis tandem, clamauit, veſter ille eſt Deus, qui vos è meis liberare poſſit manibus? Haud aliter hodie nihil vniuerſæ Idololatricæ catervæ, tantam noſtri ſanguinis concitat ſitim, quam multitudo militum? Aduerſatur aiunt, Pontifex, hoſtes ſunt Reges, Electores, Cardinales, Epiſcopi: vobis autem promiſcua tantummodo plebs adhæret, vulgus profanum, pauci deniq; Principes qui leui momento debellari, & vt Papiſtis videtur, facile ad ſummas anguſtias perduci queunt. Verum ſempiternis laudibus Deus cohoneſtandus, qui verbum vitæ mundo abſcondidit, ſimplicibus autem reuelauit: qui non multos ſapientes ſecundum carnem, non multos potentes, vocauit: Idem conſeruare nos paucos, contraq; millenos aduerſantium inſultus ad vltimam vſq; rerum lineam tueri poterit.

Nunc huiuſmodi Conſiliorum Auctor Sathanas, quale aptiſſimum & quo vix carere potuit, vſurparit inſtrumentum inſpiciamus. Suſcitauit autem & circa hæc tempora auxit Ieſuitarum ordinem, hominum genus à claudo quodam Vulcano natum, (R) quod ideo ſemper ſitit, ſitimque ſuam Lutheranorum reſtingui cupit ſanguine. De iis cum plura mihi dicenda opportuna ſeſe offerat occaſio, egregia egregie libens illorum decantabo facinora.

Principio deprehenſa à paucis Babylonica Meretrice in flagitiis & obſcœnitate, pudor aliquis ſuperfuit in rebus;

Abſcondunt ſpurca, & monumenta lupa;

Nihilque tum crebrius in ore, & in omnium ſermone habitum fuit: quam tollendas videri Eccleſiæ qui ſurrepſiſſent morbos atque abuſus. Ex quo vero cum iis quos præuidit B. Iohannes, nefando complexu conſtrictam atque irretitam, totus orbis conſpexit, tum vero neceſſe fuit exiſtere vel de inferis, Noui ordinis ſacerrimos Monachos, qui animo firmati & frontem triplici ære vallati, omnem turpitudinis infamiam, audaciæ magnitudine, & perſeuerantia diſcuterent, & nobile celeberrimi Cardinalis Lotharingii Apophthegma; *Mendacii vim in pertendendo conſtare*, in vſu haberent. Omnem homines iſti ſuam operam Pontifici Chriſti Vicario, ſine vlla pactione vel temporum aut locorum exceptione, promittunt ſancte, ſeruant conſtanter: nihil in toto Pontificio Regno vlla reformatione indigere iudicant: Pontificem ipſum, tam amplam habere po-

Yyyyy 4 teſta-

(P) Circa ea tempora Duaci habita, & ibidem prælo vulgata, ac nuper Ambergæ recuſa fuit oratio; cuius auctor oſtendere conatus eſt, è re communi Chriſtianorum eſſe, vt Hiſpaniarum Rex totius orbis Chriſtiani fiat Monarcha. Apol. Ieſuitarum & Caſtell. *par.* 5 *c.* 13. Omnes Catholici cum Hiſpaniæ, ſeu potius Catholico, hoc eſt, vniuerſali Rege, ſe ſuaſque vires coniungere debent; contra omnes ſectarios, & politicos ad illos opprimendos & extirpandos; De hoc enim Catholico accipiendum illud Pſalm. 71. *Et dominabitur à mari vſq; ad mare; & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum.*

(Q) Lipſi. de Conſtantia cap. 16. ad ſ. ita ſcribit: *Italia ſceptrum tenuit? nunc ſermas* (noua etenim illa Monarchia, etiam ipſum Pontificem M compedibus aſtringere, & in Italia Feſtum Vinculorum S. Petri agitare ſatagit) *Addiſte etiam Pellites vos Scythæ* (ſic Turcas dicit, qui ex illis) *& potentem manum paulliſper habebatis temperate Aſia atq; Europæ. Sed iſti ipſi mox dejecti, & ſceptrum relinquite illi ad Oceanum genti. Fallor enim? an jolam neſcio quem noui Imperii ſurgentem video ab Occidente.*

(R) Fuit is Ignatius Loiola Cantaber, qui militiæ, ex qua nullum aliud decus ac membrorum mutilationem reportarat pertæſus, vitæ quietæ ſe addixit, & huius ordinis, omnium aliorum ordinum perturbatoris auctor extitit

teſtatem clamitant; qualem ne ipſe Sp. Sanctus per S. S. Scripturam in Eccleſia exercere poſſit. Interim tamen ii ipſi, ſummo ſuo Præpoſito, qui ſemper ab Hiſpaniarum Rege deligitur, quemq; tanquam Deum præſentem in terris venerati ſe aiunt, Obedientiam, quam *cæcam* appellitant, per omnia & in omnib. pollicentur: & vt vno omnia dicam, Romanæ ſedi Eccleſiam; Hiſpaniarum vero Regi Politicam Monarchiam aſſerere deſiderio flagrant. Hoc volunt, cupiunt, hoc vt fiat, quibuſcunque poſſunt in locis lucernam olentia inſtituunt conſilia. Iidem ſi modo è Pilati exeant Prætorio, ſtatim erga nos Pacificum admodum fingunt vultum: præbent ſe humanos, ſimplices, & incredibilem ſimulant ſanctimoniam. Quid multis? vox, geſtus, veſtimenta, Nomen ipſum, miram præſupponit ſanctitatem. Aſt quam primum prima Euangelicos affligendi facultas datur, nullum honeſti, æqui, boni; nullius fidei vlliuſue virtutis vel Iuris reſpectum habent: omnia ſacra, prophana miſcent, turbant, dolus an virtus non requirunt. Aperta mendacia & periuria, ſi id amplificandæ ſedis Romanæ fiat gratia, æquiuocationem mentalem indigitant, (*S*) & licita aſtruunt. Quid vobis de ſancto hoc ac Religioſo videtur ordine? Recte quippe iam arbores ex veritis dignoſcitis fructibus. Hem ſanctitatem, hem opera ſupererogationis, quorum communicatione alii etiam æternum conſequuntur tabernaculum. Adeſte Ieſuitæ, & è Collegiis veſtris magnificentiſſime extructis, omnes quotquot nondum inde aufugiſtis prodite. Mendacii, leuitatis vos arguimini; periurii accuſamini, extrema, qua inquinati eſtis publice carpitur, malitia. Quod ſi ſoli Lutherani vel Caluiniſtæ hoc dicunt, ſermo eorum nullus eſt: at multi iſtud teſtes approbant, experientia maiora etiam his declarat, & poſteris, ſi qui erunt, illicita veſtra ſignificabit ſtratagemata.

Imo ipſi qui ſunt Romano-Catholiciſſimi, palam hoc loquentes ſi aiunt, & omnibus inculcant ſæpius; (*T*) anne ego ſecundum vos decernere & litem dare potero. Si veſtra Religio & traditiones, plus diſtare videntur à cæterorum ſimpliciter Catholicorum doctrina & moribus, quam hæc à Lutheranorum Theologia; annon hæreſis erit Hiſpano-Catholiciſmus; aut ipſis hæreticis ipſimet inter ſe magis diſcordes erunt Catholici.

Hiſpani porro & Burgundi (ne quidquam amplius temporis Eſuitarum comburamus cauſa) Caroli V. nonnulli Conſiliarii, iam longe antea, ad Monarchiam illam aſpirarunt, & ſomniis ſibi iucundiſſimis vſi ſunt. Attamen aliter quia Deo viſum fuit, bellicoſiſſimorum Gallorum Regum, Franciſci I. & Henrici II. obſtitere vires, & Pontifices ipſi diu huc declinare noluerunt. Verum Henricus ille, vt aliquot eiuſdem farinæ nefando parricidio exſpirarunt, mirabili caſu ipſiſſimis in filiæ ſuæ nuptiis, quam Philippo Hiſpano deſponderat, fuit occiſus. De qua morte ex iuſtiſſimo Dei accidente iudicio, quia alias, Optimatum cum enarrantur exitus, auritos nos facimus, tribus verbis aliquid addam.

Cum Rex ille Lotharingii Cardinalis hortatu, Annam Burgæum, vere Pium & religioſiſſimum Iuſtitiæ Sacerdotem, in vincula conieciſſet, minabundus: *Ego*, dixit, *hiſce meis oculis Burgæum cremari conſpicabor*. Quomodo ergo? Ita paucis poſt diebus viſum pauit, vt ab eo, cui Burgæum in carcerem abducendum mandauerat, in oculo vulnere læſus lætifero, ſe ipſum ante Burgæum è vitis excedentem viderit. (*V*) Sic omnes prope Eccleſiæ perſecutores, *Iuſtus* quia *Dominus & Iuſta Iudicia eius*, Tragice admodum perierunt. Antiochus iſte, qui primus (*X*) omnium Idololatricum cultum, violenta piorum internecione propagauit: qui ideo exquiſitiſſimis cruciatibus Iudæos occidendo, non ætati non ſexui pepercit, repente totus ebulliente pediculorum multitudine, foris & intus ſcatens, tam fœdus & fœtidus euaſit, vt non modo procul aſtantibus, ſed etiam ſibi ipſi fuerit intolerabilis. Menelaus ſacrilegii hortator à Lyſia trucidatus: Herodes Tyrannus, à vermibus corroſus eſt. Quare.

Nemo minas Domini, Maieſtatemq; tremendam
Contempſit fruſtra; quamuis vel maximus eſſet
Viribus, ingenio, eloquio, ſceptriſq; ſuperbus,
Cunctorum ſub ſole hominum. Deus inclytus ipſe
Eſt vere iuſtus Iudex, vindexq; malorum.

Ergo Pontifices, alium neſcientes Monarcham, cui Eccleſiæ defenſio tute & ſecure committi poſſet, neceſſario in Hiſpanicas ex animo inclinarunt partes. Et Paulus IV. Anno 59. qui veris ante lacrumis Henrici Secundi mortem deplorauit, ipſo fere in mortis agone, hac ſe fiducia ſolari profeſ-

(*S*) Emmanuel Meteranus, *lib. 25. fol. 185.* (*T*) Myſteria & cabalam Ieſuitarum, toti orbi aperiunt & proſtituunt, Auctor *Catechiſmi Ieſuitici*, Stephanus Paſquierius *Lib. 4. Epiſt. vlt. & lib. 3. des Recherches cap. 36. 37. & 38.* Auctor *orationis ingenua & vera ad Henr. 4. Gall. Regem perſcripta, de eo quod poſtulatur vt Ieſuitæ reſtituantur in Gall. Regno*, M. Anton. Arnoldus & L. Dollæus ſummæ Pariſienſis curiæ Cauſidici, *in actionibus contra Ieſuitas An. 94. pro vniuerſitate & Miniſterio Eccleſiaſtico Pariſienſi*, Molinæus *in Conſultatione contra ſectam Ieſuitarum*, Auguſt. Thuanus *lib. 37. Hiſt. & ad fin. Poemat. ſacrorum*, B. Arias Montanus Hiſpalenſis *de varia Hebraicorum librorum ſcriptione*, Iohan. Paſſeratius *præfat. in Diſputationem de ridiculis*, P. Matthieu. *5. des dern. troubl. f. 244.* qui tamen Iudicium ſuum ad Regis fingens arbitrium, poſt reſtitutionem Ieſuitarum, iiſdem æquior eſt. *hiſt. de Henrico 4. lib. 1. fol. 169. lib. 6. narrat. 1. lib. 7. fol. 761.* Lazarus Schwend im Bedencken vom Römiſchen Reich, n. 38, quibus addantur Patauinæ Academiæ apud Senatum Venetum de nouitate Ieſuitica conqueſtiones Anno 91. Item *Tom. 6. des memoires de la Ligue fol. 457.* quibus iungenda omnino ſunt Iudicia Illuſtriſſimarum Curiarum Pariſienſium recentia, de Iohan. Marianæ Hiſpan. è Societate Ieſu, *de Rege & Regis inſtitut. lib. 3.* & Robert. Bellarmin. Cardin. *Tract. de poteſtate Pontificis.* (*V*) Thuan. *lib. 15. ad fin.* Speculum Tragicum Ioh. Dickenſool f. 86. Auct. *Comment. de ſtatu Relig. & Reip. in Regno Gall. par. 1. lib. 3. f. 35. & ſeq.* (*X*) Antiochum cognomento Epiphanem, Antichriſti nota, primum in vetere Eccleſia inſignitum fuiſſe tanquam Antichriſti in altera Chriſtiana Colonia poſtmodum præcurſorem, & cui poſt ſe, veluti in decurſu, Lampada traderet, obſeruauit Beſoldus de Goddæus *in tempeſt. ſuſcitabile p. lib. 9. f. 89. &c.*

profeſſus eſt; *quod Philippum Hiſpaniæ Regem Catholicæ fidei defenſorem à Deo Opt. datum relinqueret; de cuius Conſiliis in Religionis negotio ante cognouerat: quo vindice remp. Chriſtianam quamuis afflictam recreari, ac in priſtinum ſtatum reſtitui poſſe minime dubitaret.* (*Y*)

Sane aſtra quoque quaſi eo conſpirarunt, vt à Philippo, Gallia facillimo opere ſubacta, is porro ad mundi Imperium perueniret: ita res poſt Henrici II. obitum comparatæ fuerunt. Inter maximas autem non minimam fuiſſe calamitatem arbitror, quod Gallus pueros pene poſt ſe reliquerit filios: Mater etenim Catharina Medicæa, Imperii vltra modum cupida, multarum mox præbebat anſam ſeditionum. Tota aula diuiſa factionibus, Regina Lotharingiis fratribus, Guiſiæ Ducibus, Franciſci II. vxoris auunculis; quos ob id Regi filio percharos, & ſibi nondum perſpecto ipſorum ingenio, obſequentiores fore perſuaſum habebat, aliis amotis ſe adiungit. Quid factum! Lotharingii ſeu Guiſii fratres, potentiam in Regno firmare, & Carolo Magno, à quo deſcendere prætendunt, ſuccedere cupientes: (*Z*) hoc rerum ſtatu aulam & Regem affinem facile in poteſtatem redegerunt. Poſtea Ludouicus Condæus, Antonii Nauarri Regis frater, vir animo & ingenio præſtans, cum potentiam ad Reginam parentem ac Guiſianos contra Regni Leges tranſlatam doleret, quod Nauarrus Regis proximus agnatus, iure ſuo facere potuiſſet, id ipſum generoſe aggreſſus eſt: ſociis præcipue & adiutoribus vſus iis, qui alias ob Religionem, crudelibus ſuppliciis exagitabantur. Nempe ſic occulte initio ſimultates has fouit Hiſpanus, (*A*) quas non ſine multorum clade componi poſſe ſciuerat aſtutus. Vt ſi Galliarum bellis ciuilibus oneretur Imperium, magis in procliui eiuſdem ſibi eſſe poſſit acquiſitio. Mea, ſi de penu meo aliquid licet addere, ſic fert opinio; periculoſiſſimum eſſe, tempore bellorum ciuilium, potentes in auxilium vocare Principes; cum inopinato accidere poſſit, vt iis, quorum in manus bene longas noſtram poſuimus ſalutem, maiores vix habeamus hoſtes. Sane exulcerato hoc ſeculo, quo plerunque ſuperior premit inferiorem, acutiſſime videndum, cui tuto fidere poſſis: Nos vero dolum, cum poſſemus etiam, raro tamen ſentimus; ideoque in fine, quod nimis ſero ſapimus, pœnas ſatis magnas noſtræ ſecuritatis damus; ac in foueas, quas circumſpecti vitare poſſumus, incidimus. Solus Deus eſt, apud quem omnes calamitoſi qui opem quærunt, nunquam non inueniunt, qui iniuſte oppreſſis nunquam deeſt: ſolus non mutatur, ſuoſque non tantum contra mortalium varias, quibus expoſiti ſunt, machinationes defendit; ſed in vltimo quoque vitæ articulo, & corpus & animam perdere cupientium hoſtium faucibus eripit, liberat, atq; ad perpetuam Pacem colentes perducit.

Iam Condæum captum interim & capitis condemnatum viſitemus. Huius ob oculos Carnificum quotidie verſabatur crudelitas. Aſt qui à Leonibus Danielem, eiuſdemque in igne incolumes ſeruauit ſocios, Tutor fortiſſimus, inſigni miraculo, Regio hunc de ſanguine natum, à captiuitate & omnium mundanarum fortunarum liberauit diſcrimine. Franciſcus etenim II. vix dum adoleſcens, Apoſtemate in ipſa aure enato, & inde cerebro inflammatione correpto, ſubitanea morte captus eſt.

Franciſcus infelix puer. (*B*)
Clamantem Chriſtum ſurda dum negligit aure,
Aure putrefacta corruit.

Hoc autem merito recordationem meretur, propter Religionem veram oppreſſorum querelas admittere nolentem Franciſcum, atque ad Nobilitatis de perturbata rep. querimonias ſurdum ſe præbentem; mox conſolantium, ſibiq; in aurem inſuſurrantium audire coactum eſſe voces, quibus admonebatur, vt Deum oraret, ne ſibi ſua ſuorumque miniſtrorum errata imputaret. (*C*) Subita itaque Regis morte cum omnia mutarentur, ita vt fit, hac occaſione Condæus carcere liberatus fuit: vt videre liceret, iſtiuſmodi ſæpius mediis, afflictos è mari eripi malorum, quæ nunquam animis induxiſſent ſuis. Sed Lotharingiis, quantum morte Regis ſibi arcta affinitate coniuncti deceſſerat, tantum Hiſpani ſubſidio acceſſit. Sciſſa ergo aula & priuatis iterum ſimultatibus, publicam perniciem generantibus repleta, mox arbitrium rerum Gallicarum Hiſpanus ad ſe traxit ex animo ſerio, (*D*) aperteq; nouam meditari cœpit Monarchiam: eiuſq; rei initium in Gallia facere, occaſione ita ferente commodiſſima, inſtituit.

Anno poſtmodum ſexageſimo ſecundo, Proteſtantes communis ſalutis gratia, publico aſſeruerunt ſcripto, fœdus (*E*) à Guiſiis & adhærentibus contractum, à Concilio etiam Tridentino, cum primum inſtaurari cœpit, confirmatum eſſe: in quo Dux fœderis Philippus Hiſpaniæ Rex conſtitutus, & à fœderatis, Borboniæ ſtirpis ac reformatæ Religionis eradicatio condicta fuerit. Etſi autem

(*Y*) Thuan 16 *fol.*753. (*Z*) Franciſc. I. moriens, inter ſalutaria præcepta quæ de poſteritate ac Regno ſollicitus, Henr. filio dedit, inprimis eum monuit, vt ſibi a Guiſianorum ambitione caueret, ac proinde eos publicæ rei gubernaculis ne admoueret. Thuan. 17. *fol.* 817. De iure vero quod in Regno Galliæ ſe habere iactitant Guiſii, vide *memoir. de la ligue. Tom.* 1. *fol.* 46. (*A*) Thuan. 16. *fol.* 712. Et quod Hiſpaniæ Rex, ampliſſima & maxime idonea occaſione, quam bella ciuilia ſibi ſubminiſtrabant, non aperto Marte niſi poſt Valeſiorum ſublatam ſtirpem, perniciem ſtruxerit Gallis; hoc nemo prudens rerum æſtimator, alia de cauſa factum putabit; quam quia inteſtinis motibus concuſſos, certiori belli exitu in ſuam demum poteſtatem redactos iri ſperabat, vide *hiſt des guerres entre les maiſons de France & l'Eſpagne. f.* 21. & multis ſeqq. (*B*) Auctor. Comment. *de ſtatu Relig. & Reip. ſub Franciſco II.* & Anonymus ſcriptor, Hiſtoriæ rerum Franciſco II regnante in Gallia geſtarum, *hiſtoire de l'eſtat de France, ſoubs le Regne François II.* inſcriptæ. Is qui compoſuit *recueil des choſes memorables auenues en France*, memoriæ mandat; pridie eius diei, qui Condæo extremus eſſe debuerat, Regem lethali correptum fuiſſe morbo (*C*) Thuan *lib.* 28. *fol.* 952. (*D*) Thuan. 28. *fol.* 110. *& ſeqq. fol.* 132. (*E*) Thuan. 29 *f.* 192.

autem huius de fœderis fide quidam propter cauſas aliquot, nonnihil dubitarunt. Eorum tamen ſubſcribere ſententiæ, hoc me inprimis impedit, quod in Tridentino Concilio, magis de ſancta Liga quam Fide ſacra diſputatum fuit; contraq; receptum in Eccleſia Romana morem, honorificentior locus poſt Cæſarem Romanum, Hiſpano contigit: cum prius, ante omnium Regum Oratores Franciæ Legatus ſeſſionis prærogatiuam obtinuerit. (F) Infirmam opinionis meæ ſi putatis rationem, conſiderate, per Deum immortalem, quid mox Hiſpanus contra Galliam molitus ſit, & qua fronte pedem ibi figere ſtatuerit; perpendite quod circa ea tempora, Philippi atque adeo Hiſpanorum pietas (G) in publico, & à Concionatoribus paſſim laudari, grauique & auctoritatis Regiæ & nominis Gallici dedecore, Philippi nomen vbique rebus Franciciis admiſceri incipiebat. Ob oculos vobis verſetur, eo rerum ſtatu detecta & eluſa coniuratio, qua nulla memoratur audacior. Anno quippe ſexageſimo ſecundo, quidam vt Philippi Hiſpaniarum Regis gratiam (H) inſigni demererentur facinore, de Iohanna Nauarra; Heinrico item & Catharina filiis capiendis ac coram inquiſitionis tribunali in Hiſpania ſiſtendis, conſilium ceperunt vnanimes. Hoc ergo aſſentatores potuerunt, qui hominis ob gratiam, turbas dare & innocentes lædere nihil veriti, maximis ſeſe polluerunt criminibus. Id Pontificum eſt commentum, non fortitudine præſenti, ſed aſtu doctiſque rem gerere dolis. Anno ſexageſimo quinto (vt omnis machina ad promouendam Hiſpanicam Monarchiam admoueatur) cum Ieſuitæ ceu infelix lolium, indies magis ſe augerent, omniaque pinguibus mendaciis & nouis ſuperſtitionibus adimplerent, magna contentione in Senatu Pariſienſi illorum cauſa agitata fuit: hanc ſectam Theologica Schola, vniuerſaque Academia condemnante (I) & Prophetico ſpiritu prædicente; nouis ſectariis iſtis ſemel admiſſis, totidem hoſtes intra Regni viſcera ali: eos qui nunc Ieſuitas tolerant, aliquando ipſos ſero credulitatem ſuam accuſaturos, cum conniuentia effectum viderint, vt horum aſtu, dolis, ſuperſtitione, diſſimulatione, præſtigiis ac malis artibus, publica tranquillitas, non ſolum, in Galliæ Regno, ſed etiam per vniuerſum orbem Chriſtianum periclitatura ſit. (K) Videte quam apposite tum de terræ iſtiuſmodi vaticinati ſint ponderibus Galliarum optimates, Sed

Quid iuuat ad ſurdas ſi cantet Phemius aures?
Quid miſerum Tamyram picta tabella iuuat?

Etenim in Galliis, diſſoluti erant mores, inſtituta, vſuſq; iudiciorum: ideoq; huius rei diſceptatio à Curia funditus migrauit, in priuatumq; Regis Conſilium (vbi Ieſuitæ gratia ſuperiores erant; vbi gente qui Galli, mente Iberi erant) tranſcriptum fuit.

Dum hæc ita in Senatu agebantur, ſacrum vt vocabant, ſed reuera inauſpicatum fœdus, inter Galliæ Regem & Hiſpani Legatos, Baionæ factum eſt; Religioni veteri conſtituendæ, & nouæ prorſus euertendæ ergo. Vbi ad vltimum in Albani ſententiam itum, qui ita Philippo videri aiebat, vt ſumma capita, ſicut à Romano Tarquinio Rege, decuterentur, & inſtar Veſperarum Sicilienſium, ad vnum Proteſtantes ferro trucidarentur. Sciebat ſcilicet non in Galliam tritum Hiſpanis aditum, ſecuramque manſionem eſſe, niſi via Procerum ſterneretur corporibus. Iam ergo vt de Lutetiana Laniena, quæ ſeptennio, poſt prius habitum decretum accidit, aliquid attingam, ipſe ordo poſtulare videtur. Quam vereor autem, ne vix ſine lacrumis tantas vobis delineare queam calamitates? Aſt quia omne id ſine dubio exactiſſime iam prius intellexiſtis, tria hic tantummodo ſubiicere verba propoſui. Ergo infauſto Hymenæo Pariſiis (M) Anno ſeptuageſimo ſecundo, celebratæ ſunt nuptiæ, in quibus palam inter primarios vrbis ciues in Colloquio iactatum, in illis nuptiis plus ſanguinis quam vini effuſum iri. Aderant namque maximo numero Proteſtantes, & læti aderant, qui paulo poſt, nocte ſigno dato, non ſecus ac iumenta mactati fuerunt. Refert Thuanus ſe aurificem quempiam nouiſſe Cruciarium nomine, hominem vere cruce dignum, quem ſæpius cum horrore viderit & audiuerit, immani veſania iactantem, cum nudum brachium exereret, hoc ſe quadringentos amplius homines in illa mactaſſe laniena. Hic profecto homo homini Dæmon fuit. Lupus non vorat lupum, neque Canis agnos: at ibi humana ſpecie induti, humanum ſitierunt ſanguinem. Ad hæc Pariſienſium lanienam, cæteræ vrbes in exemplum trahebant, & Proteſtantes ſeu Huguenoti iugulabantur vbique. Sic ad internecionem vſque cæſi putabantur; triginta hominum millibus, toto regno in his tumultibus varia peſte extinctis. Qualem putamus triumphum tum egiſſe Sathanam? (N) Nos ſolo etiam hoc exemplo, vllo ſine labore dignoſcere poſſumus, quali regantur Spiritu Pontificii, & an opera ipſorum placeant Deo. Diſcipuli Chriſti, ſuper Samaritanos ignem cœlitus deducere voluerunt, dicentes Magiſtro: *vis dicamus, vt ignis deſcendat de cœlo, ac conſumat eos?* Verum hanc ex diuino ore audierunt vocem; *neſcitis cuius Spiritus filii eſtis.* Et recte Gregorius Pont. M. *Paſtores*, inquit, *facti ſumus, non percuſſores.* Aliter ſane quam is Pontifex, qui Petri abiiciens claues Pauli vtendum duxit gladio.

Sed

(F) Vaſquius *in præfat. quæſt. illuſt.* Sr. de Villiers Hotman. Franciſci Hotomanni IC. Filius *en ſon ambaſſadeur, fol.* 58 &c. P. Matthieu *hiſt. de Cent.* *IV lib.* 1 *fol.* 39. &c. Memoires de la ligue *Tom.* 5 *fol.* 709. &c. Thuan. 36. *fol.* 645. (G) Thuan. 36. *f.* 637. (H) Thuan. 36. *f.* 628. (I) Thuan. 37 *f.* 691. & multis ſeqq. Recueil de choſes memorables aduenues en France *f.* 305. &c. *f. item* 779. &c. (K) Recueil des choſes auenues en France *f.* 315. (L) Thuan. *præf. hiſt.* *a.* 3. *b.* & *lib.* 37. *f.* 706. (M) De hiſce nuptiis Thyeſteis v. Thuan. *l.* 52. Auctorem libri Wacht ſeite auff Camer. *meditat. hiſt.* 1. *c.* 83. Recueil des choſes memorables *f.* 415. Et de hiſce Carnificinis Gallicanis ita ſcribit Maxim. II Imper. *Quod attinet ad præclarum illud facinus, quod Galli in Admiralio eiusq; etiam Tyrannice perpetrarunt, equidem id minime probare poſſum: magnoq; cum dolore animi intellexi, generum meum ſibi perſuaderi paſſum eſſe tam fœdam lanienam.* in Epiſt. ad Schwendium. Quid Romæ quid è contra in Galliis de hoc negotio iudicatum, v. apud Thuan. 54. *f.* 201.

(N) V. Camerar. *meditat.* *Cent.* 1. *c.* 70. *f.* 318. vbi refert, circa id ipſum tempus, quendam in Germania, ...

Sed ad rectam vt redeamus viam, quamuis tot Duces occiſi, diſſipata huc illuc quæ ſupererat Nobilitas, plebs per vrbes attonita fuerit, & debellati omnino crederentur Hæretici: ex paruis tamen initiis, præter ſpem, & ipſorum qui rurſus bellum neceſſitate potius quam conſilio ſuſcipiebant opinionem, ſine vllius Principis externi auxilio, deficiente poſt tantas direptiones vbique pecunia, res Proteſtantium intra anni curriculum Dei beneficio ſunt reſtitutæ. (O) vbi Rupella in Gallia idem fere, quod Magdeburgum in Germania effecit. (P) Illa etenim regni totius robur & impetum in ſe concitatum, per tot menſes pertinaciſſime præter omnium opinionem ſuſtinuit, & ad extremum fregit.

Mortuo Carolo IX. cum mox Franciſcus Alenconius, Regis frater, & tandem ipſe Rex Henricus III. Guiſiorum fraudes ſuboleret; ac Alenconius, partibus eorum, qui præſenti rerum ſtatu non contenti erant, ſe adiungeret, mox lethifero mortis genere correptus, non ſine ſuſpicione veneni, in vera Chriſti agnitione vitam cum morte commutauit: Monachoſq; & Confeſſionarios, per totum morbi ſui tempus admittere noluit: (Q)* quippe qui Oeſtro perciti, cum ficto purgatorio, & de gratia Dei dubitatione, duplo maiores ipſi creuiſſent dolores.

Henricum Tertium, vltimum ex Valeſia ſtirpe, quod attinet, ſero tandem iſte quid diſtent labra lactucis, intellexit, & ad officium Hiſpanico-Catholicos redigere ſtatuit. Hoc quamprimum Guiſiana vidit factio, indignum ſtatim Regno illum pronunciauit, ac in Monaſterium trudere voluit. (R) O ridicula capita! ſanctiſſimis alias Pontificii annumerant Monachos, & tamen quem parui pretii indicabant Henricum, in Religioſorum cooptare cupiuerunt ordinem. Veruntamen omnibus iis moliminibus pro viribus Rex obuiam it, & iis ſat violentum apponit remedium. Etenim in Comitiis Bleſenſibus Anno octuageſimo octauo, vere Critico, (S) Guiſiæ Ducem, eiuſque fratrem Cardinalem, ex inſidiis occidit, & tanquam propitiatoria hoſtia manibus Admiralii aliorumque, Anno ſeptuageſimo ſecundo interemptorum litat. (T) Sed cum factiones Guiſianorum & Hiſpaniæ Regi addictorum, iam nimis altas egiſſent radices, malos Reip. humores haud expuiit ſed magis irritauit. Et qui religionem noſtram per totam vitam armis oppugnauit, in extremo mortis articulo confiteri cogitur, conſcientiæ Dominium non ad Reges vlloſue pertinere Magiſtratus. (V) Quo ergo morbo vitam is cum morte commutauit? à Monachorum quodam interfectus eſt. Vt placet vobis hominum genus hoc: quid de vuidis & ſaginatis hiſce ſentitis fraterculis? ſpinæ ſunt, vnde nulli expectandi botri: cardui ſunt, è quib. nemo poterit colligere ficus. At nimis acerbe forſan de iis iudico. Regicida etenim quamuis illorum aliquis extiterit, cum tamen vnica non faciat ver hirundo, vnicus reliquorum non potuit ſcabioſam reddere exiſtimationem. Bona verba! Vtinam filius iſte nullos alios perditionis reliquiſſet fratres: vtinam vel maior tantum pars, vt Monachorum ita Ieſuitarum inprimis, execrandũ latronis huius non approbaret facinus. Sed quid opto, quid deſidero? Regulæ videl. cui multi meretricis veneno inebriati ſubſcripſerunt, impiiſſimæ recordor; qua Tyrannos quoquo modo trucidantes, quamuis priuati, ſubditi ſint, excuſantur: (X) excuſantur autem? quin potius laudantur, beati putantur, Martyrii corona donantur. (Y) Accedit quod Ieſuitæ pro ſuo beneplacito deſcribunt tyrannos: neq; enim iis tantum qui male imperant, qui ſubiectos ſupra modum premunt, onerant, macerant; ſed his quoq; in vniuerſum hoc nomen tribuunt, qui à Pontificiorum ſegregati membris, (Z) optime alias & feliciſſime ſuos gubernant ſubditos. Aſt quo delabor? impleant qui volent iniquitatis menſuram, impleant, ad meſſis nos diem relinquamus zizaniam, quo meſſoribus dicet Dominus: ſegregate triticum, & in horreum meum colligite, zizaniam vero igne æterno comburite.

Poſt

viſiones habuiſſe, inter alia autem eadem nocte, qua immanis iſta laniena facta eſt, ſæpius exclamaſſe: *omnia ſanguine & cruore ſcatent.* Et paulo poſt: *Ecce, ecce, quanta agmina cacodæmonum, velut ex diſſitis ac diuerſis locis aduenientium, & inuicem congratulantium, gaudioq; geſtientium, ac ſi aliquam cruentam & inſolitam, diuq; expetitam rem ex arbitrio perfecerint, hinc inde circumuagari in aere conſpicio.* Verum addidiſſe exclamando: *ea omnia extra Germaniã actitata & geſta eſſe.* (O) Thuan. *lib.* 53. *ad fin.* (P) In obſidione Rupellana, miraculi loco, à Proteſtantibus atque adeo obſeſſis acceptum, quod cum toto obſidionis tempore affatim & ſolito copioſius Surdones (oſtreorum id genus eſt) in paupercula plebis, recedente æſtu ad piſcationem mentis eſum, ſuppetiiſſent; ſoluta obſidione ſtatim euanuerint. Thuan. 56. *fol.* 160. (Q) Emmanuel Meteranus *in hiſt. Belgica.* (R) Henr. 3. Symbolo: *Manet vltima cælo;* Quidam Epigrammate hoc illuſit. *Qui dedit ante duas* (Galliæ ſc. & Poloniæ coronam) *vnam abſtulit* (Polonicam) *altera nutat* (*Francogallica*) *Tertia tonſoris nunc facienda manu.* Hiſt. de derniers. Troubl. *fol.* 15. (S) Hiſt. de dern. troubl. lib. 4 *f.* 185. (T) *Tom.* 3. de memoires de la Ligue *f.* 465. (V) Hiſt des dern. troubl. *f.* 193. *lib.* 5. (X) An. 89. Ian. Concluſio generalis ſecundum Iuridicam diſquiſitionem Prætoris, Conſulum ac populi Pariſienſis, à Sorbona hiſce verbis comprachenſa & expreſſa fuit. 1. Quod populus huius Regni ſolutus eſt & liberatus à Sacramento fidelitatis & obedientiæ, Regi Henrico præſtito, 2. quod idem populus licite & tuta conſcientia armari, vniri, pecunias colligere & contribuere poteſt ad defenſionem & conſeruationem Religionis Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ, aduerſus nefaria conſilia & conatus prædicti Regis, & quorumlibet illi adhærentium. Memoir. de la Ligue. *Tom.* 3. *fol.* 192. (Y) Comolerus Ieſuita, in Concione quadam ſuper caput 3. Iudic. Lutetiæ habita, poſt excitatos de Henr. 3. Galliarum R. occaſu plauſus ingenteis, & euectionem iſtius Parricidæ, Iacobitæ, vel ſuper ſanctos omnes, in hanc erupit exclamationem: *Abodum nos oportet aliquem habere, ſiue Monachus ſit ſiue miles, ſiue cerdo deniq; ſeu ſubulcus.* Orat. ad Henr. 4. contra Ieſuitas *f.* 139. in notis. In Apol. Ieſuit. & Caſtell. tam Iacobus ille Clemens, quam Iohan. Caſtel. qui Henr. 4. Parricidiali conatu maxillas læſit, diuinis honoribus Martyriiq; condecoratus Diademate. Mariana *de inſt. Regis* 1. c. 6. edit. Toletanæ, Iacobum Clementem, *æternũ Galliæ decus* nominat. (Z) In Apologia Ieſuitarum & Caſtelli, p. 2 c. 9. *hæretici indigni & incapaces ſunt, in ſucceſſionibus principatuum, & in illorum locum Catholicus magis vtilis eligi poteſt.* Ieſuita Creſuuellius, in reſp. ad Edict. Reginæ Angl. ſect. 2. n. 162. *Chriſtianis omnibus hoc incumbit, ob hæreſis manifeſtum crimen Principes deturbare, vel obſiſtere ne admittantur, ſi præſtare poſſunt.* Ieſuita Mariana de Rege lib. 1. c. 6. *ſicut Aiod Eglonem Regem Moabitarum, pugione in ventrem confixo peremit.* In Apol. Ieſ. & Caſtelli. par. 5. c. 1. 2. *ſicut Iudith Holofernem, & c. ſcito qui vita huiuſmodi hæreticorum parcit, rationem Deo reddere cogetur ſicut Saul parcendo Regi Agag.*

Poſt ſublatam Valeſiorum ſtirpem, iam Guiſii filius fraterque Dux Mainius, ad conſiliorum portum perueniſſe putabant, & ſi non Regnum Franciæ ſibi à Carolo M. relictum (cuius ſe heredes eſſe ferebant) tamen magnam aliquam partem proprio Iure ſe acquirere poſſe ſperabant. Rex vero Hiſpaniarum qui ſuis armis & opibus oppreſſam tenebat Galliam; iam in animis plurimorum dominabatur: iam de ipſo Regni capite, Lutetia Pariſiorum dicebat: *ma bonne ville de Paris*: iam arcium delineabat fundamenta, quibus Galliæ vincerentur ciuitates. At *O vanas hominum mentes, quantum eſt in rebus inane?* dum etenim hæc ita voluebant X V I. Viri Archiliguiſtæ, (*a*) dum egregium IC. Bar. Briſſonium (*b*) antiqua Regni iura defendentem cruci ſuffigunt; hoc ipſum aliis non placuit Catholicis (*c*) ipſique diſplicuit Mainio, qui Hiſpanum amicum quam Dominum habere malebat. Et interim Nauarræ Rex, ſucceſſor Henrici legitimus, Regis Hiſpani profectus, quos tot annorum fecerat curriculo, totque Ducatorum Myriadibus promouerat, breui ſuccidit, Galliæ Pacem dat, & priſtinum Gallorum in Hiſpano odium reſuſcitat propagatq;.

Belgium inſuper quod Rex Hiſpanus poſſidebat, nec tamen æquo Iure adminiſtrari volebat, Belgium, inquam, & in eo religioni Catholicæ inimicos, libertatisq; & priuilegiorum (quibus tanquam ſolido fundamento Reip. ſtatus & ſalus innititur) defenſores, Hiſpanica inquiſitione in ordinem redigere, eamq; armis tueri aggreſſus eſt. Ac floruerat diu in Belgio res Hiſpana magnis ſucceſſibus; & certatim oppida, ſeu vi ſeu aſtu, partim proditione etiam, vel deditione redierant in ius ditionemq; Regis.

Publicis ita durantibus tumultibus, quot hominum millia ferro aliisq; extincti ſint calamitatibus, numerari non poteſt: quot direptæ captæq; vrbes, quot ſolum vertere coacti ſint, vix eloquentes enarrabunt. Sed belli alea, quæ diu dubia fuit, dum Gallicis negotiis auide inhiat Hiſpanus. (*d*) ad Batauos fœderatosq; alios inclinauit; qui Regi ſuo, quem merito omni imperio indignum iudicabant, (*e*) felici reſtiterunt ſucceſſu; eoq; res redegerunt, vt nec pacem nec inducias cum iis facere potuerit, niſi omnes ii prius pronunciarentur liberi. (*f*) Gigis profecto annulum poſſidet Princeps, quem ſubditi diligunt, colunt, magnificiunt: vt contra peius nihil, nihil magis periculoſum eſt Magiſtratui, quam ſi aduerſus capita ſimultates alant membra, vnde nil inteſtina niſi bella, nil niſi ſeditiones totiuſq; corporis ſequi diſſolutiones neceſſum eſt.

De Batauis vero hoc vt adiiciam, nemo illorum contemnat vires, belli ſcientiam propriam ſibi vendicant Belgæ, prudentiam habent, cui ſimilis nullius eſt Reip. in Europa. Attamen gentem olim imbellem, factionibus ab initio diuiſam; ſæpius oppreſſam cæſamque, coniurationem contra proprium ſuum Regem feliciter exercuiſſe, bello creuiſſe, ditioremq; & populoſiorem factam: Regem Hiſpaniæ totius mundi omniumq; ſeculorum potentiſſimum, manipulum quaſi rebellium pauperum reprimere non potuiſſe: poſt expenſas plus quam centum myriades ducatorum, & poſt ſibi fidelium prouinciarum deſolationem, ſubditos ſuos liberos pronunciaſſe, huncq; vnum Europæ angulum, iam vindicem & adſertorem exiſtere publicæ Libertatis: id ſcilicet admirandum & ſuſpiciendum eſt miraculum. Deus qui quo vult Regum flectit corda, omnia hæc adeo prudenter diſpoſuit: parum hic profecit & effecit Batauorum prudentia. Imo ea ipſa prudentia, ea conſilia prudentia, Altiſſimi donum ſunt: quod grata mente à nobis agnoſcendum, grata gratitudine accipiendum, poſteris erit inculcandum atq; celebrandum.

Prolixior ſum quam initio putaui, Auditores Optimi, & vos forſan Harpocratem me reddere cupitis; itaq; ne ſolus ſapere videar, breui vela contraham: atq; ſilentio inuoluam, Anglia, Scotia & Hibernia quibus modis tentata ſit ab Hiſpanis, ac quomodo in Anglia, cuius Regina Maria, Hiſpano matrimoniali vinculo addicta fuit, eius ipſius Hiſpani ſit fracta potentia. Silebo quo pacto Anglia, quam à reformata Religione ad Catholico-Papiſmum reduxerat Hiſpanus, mox poſt Mariæ mortem reſipuerit; & quod nauali eam exercitu, omnium qui multis ſeculis extitit inſtructiſſimo, Hi-

(*a*) De hiſce X V I. Viris & Ligæ Gallicanæ occaſione ac progreſſu v. Catholicon d' Eſpagne *in Annotat. ad v. Abrege des Eſtats.* & orationem *ad R. Henr. 4. contra Lejuitas, in notis f.* 121. Vbi *f.* 125. Ligiſtarum habetur Epiſtola, hæc inter alia verba continens: *Catholica veſtr. M. hoc ſancte poſſumus affirmare, omnium Catholicorum vota ea directa eſſe, vt C. V. M. Sceptrum huius Regni tenere, nobiſque dominari poſſit.* Rationes quibus Ligiſtæ Regis Hiſpan. electionem in vulgus gratam facere conniſi ſunt v. *Memoir. de la Ligue. Tom. 4. f.* 190. (*b*) Præſes hic clariſſimus, Ligæ primum ſubſcripſerat, poſtea vero re melius & adcuratius expenſa, Regis partibus fauere cepit. Vnde tantam X V I. Virorum in ſe ſuſpicionem & iram concitauit, vt vna cum duobus aliis, Parlamenti Conſiliariis, ſine legitima ſolennioris Iudicii forma ac norma probroſiſſimæ hic commemoratæ mortis ſupplicio, ipſum more plane Barbarico adfecerint. Iſthæc autem immanis Barbaries ac fœda Tyrannis, non vſquequaque manſit inulta: ſiquidem Mainius (quem Ligiſtæ adeoque X V I. Viri ipſi, Gubernatorem ſeu Proregem conſtituerant) Bruxellis paulo poſt Lutetiam deuenit, & quatuor ex X V I. Viris ſimiliter ſuſpendi curauit. Magis tamen vt Hiſpano factam delationem Regni (quod ſibi potius aut filio ſuo reſeruari volebat) in iis vindicaret, quam quod Executionem aduerſus Briſſonium improbaret.

(*c*) An. 93. 2. Aug. Pariſiis indicta erant comitia noui Regis nominandi cauſa. De quibus tractat Satyra illa Menippæa, *Catholicon d' Eſpagne* indigitata. In iis Dux Feriæ Legatus Hiſpan. *R. In eo ſolo*, inquiebat, *omnium veſtram ſalutem Rex noſter Catholicus ſitam eſſe exiſtimat, vt is Rex renuncietur vobis, ac deligatur, eo zelo Religionis praditus, cui & vires non deſint, quibus res veſtras componat, tueatur, conſeruet, & ab inimicis liberet.* Iuſt. des guerr. entre les maiſons de France & Eſpagne *f.* 32. *fac.* 2. Memoires de la ligue. *Tom.* 5. *fol.* 341. *&* 345. Quamuis autem notum & cognitum erat, nullum talem, præter Hiſpanum, reperiri poſſe: Attamen hiſce duabus propoſitionibus concluſionem addere & concludentem Syllogiſmum extruere noluerunt Galli.

(*d*) Lipſ. 2. Epiſt. 72. *vt cymba magnæ alicui naui annexa, ita nos Galliæ ſumus, imo pleraq; adeo Europa.* (*e*) V. Orat. *de vero Bello Belgici.* (*f*) Meteranus.

mo, Hiſpanus haud opprimere potuerit: quomodo tantum exercitum leui opera terroreq; Panico, An. 88. Angli debellarunt. Tacebo, inquam, omnia illa, & alijs me doctioribus exponenda relinquam. Obiter iam indicaſſe iuuabit, Hiſpanum prudentiſſimo conſilio, Galliam, Belgium, Britanicaſq; inuaſiſſe Inſulas: felici Marte multa vbiq; occupaſſe: plurimos homines in ſuas partes traxiſſe quidem, aſt fine ſuo vbiq; tandem fruſtratum, loco etiam cedere coactum: totq; ſucceſſibus, tot etis montibus, nil niſi infamiam, confuſionem, ſummam deniq; comparaſſe pœnitentiam. Belgiũ porro liberum, Britannicas Inſulas, Franciæq; Regnum inimicis ſuis relinquere coactum: in Anglia & Belgio, extincto prorſus Papatu: in Francia, Huguenotis, quos vocat, poſt ſeptem bella ciuilia, poſt pacificatoria Edicta ſexies rupta (g) libero vbiq; Religionis exercitio conceſſo. Sic quæ non ſecundum diuinam, ſed humanam ſapientiam ſuſcipiuntur, euaneſcunt conſilia. nam ſcriptum eſt, *Deum diſſipare conſilia gentium*, id eſt, eorum qui non ad veritatis normam, & numinis reuerentiam ſuas admetiuntur actiones. Contra Gallis, Belgis, Anglis, multa quę ſuſcepere fruſtra fuerunt: contra alia pleraq; præter ſpem feliciter ipſis obuenere. Et quis ab initio motuum Belgicorum ſperare auſus fuiſſet, Remp. vel inuito Hiſpano vllo tempore fore liberam. Franciæ priſtinam reſtitutam fore dignitatem concordiamque, quis putauiſſet: (h) cum adhuc in Anglia viueret Maria Hiſpani vxor, vllo tempore Angliam Pontificio & Hiſpano iugo fore liberatam; quæ tamen omnia vt fierent, Deus voluit & effecit.

Ex hoc ergo liquido apparet, ſæpe quidem homines conſultare multa, conari, moliri, ſed plerumq; irrito fine: Deum autem ſolum de hominum conſilijs ac conatibus ſtatuere, eoſq; prout ſibi videtur & pijs expedit, aut fruſtrari, aut ad exoptatum ſed inopinatum perducere exitum.

Surda hæc percipit aure impius, Pontifex, Ieſuitæ, aliique turbatores Pacis & Religionis, omnia hæc caſu eueniſſe ſibi perſuadent. Ergo Hiſpanum nil in Gallia, minus in Anglia poſſe mouere, perſpiciens Pontifex, *Pacem* vt vocant *vniuerſalem* procurauit, Hiſpani cum Gallo, Galli cum Sabaudo, Anglo cum Hiſpano, & huic cum Belgis, Pacem procurauit intutam ſane, & nobis Germanis ſuſpectam. (i) Plane Leo ille rugiens, quod non multum reſtare ſibi videt temporis, ſi vllo, noſtro circumit ſeculo, quærens quem deuoret, & nouam inſtrumenta eius meditantur fabulam, nouam ab integro parant telam, vtque videtur Germaniam noſtram iterum aggredi inſtituunt. Occaſiones adſunt, præſto ſunt qui felicem ſi non promittunt ſucceſſum, attamen magnas turbas, maximas minitantur calamitates. Quid nos? in diem viuimus, ſtertimus, omnes in mare Creticum portare ventis tradimus curas. Aliter, aliter multo Dei noſtriſque obueniamus hoſtibus. Publicum canere claſſicum non nobis licet, arripiat arma quilibet priuatim. Ad arma nempe ante omnia ſinguli confugiamus pia: peccata, internos noſtros & maxime domeſticos expellamus aduerſarios, atque exigua quia noſtra eſt potentia, Omnipotentis brachio & bonitati confidamus, hancque precibus efflagitemus. Iſtis medijs certo omnes proſternemus hoſtes, omnem Pontificiorum prudentiam in ſtultitiam peruertet Dominus. Donauuerda capta magnos quidem nuper fecere triumphos Pontificij: ſed mox Hungarici & Auſtriaci Bohemicique motus inopinati, improba multa turbarunt & ſuſpenderunt conſilia: non perinde ac ſperauere Iuliacenſe ſucceſſit negocium. Ita in poſterum quæ meditaturi ſunt, fruſtra omnia, ipſiſque aduerſantibus fore pernicioſa firmiter ſperabimus. Appropinquat vtique, accelerat totalis Babylonis euerſio, quam toties Sancti ſunt comminati Prophetæ.

Non ſic Deus omnia protinus igne
Corripit, aut ſontes lachrymoſo protinus orco
Plectit: ſed iuſtum exſpectat (ne accerſite) tempus.
Mox aderit tempus, quum iam quas mente ſecatis
Spes interdictas, & inania vota per auras
Diſcerpent venti, faſtumque animoſque feroces
Molliet vna dies.

Nos vero, quibus abſque Patris cœleſtis voluntate ne pilus quidem peribit capitis, per tolerantiam animas poſſideamus noſtras. Excubemus omni tempore, deprecantes vt digni ſimus qui effugiamus iſta omnia quæ futura ſint, & conſiſtamus ante Filium hominis, æternaque perfruamur gloria. Hoc qui deſiderant, medullitus mecum dicant: Amen, Amen.

(g) Derniera troubl. *1. f. 3. fac. 2.* (h) Boterus *in Coſmographia* de Gallia non loquitur vt de Regno quod eſt: ſed quod fuit, & nunquam erit (i) Marta *Tr. de Iuriſd. part. 1. c. 40. & ſeq* Papæ ſupremam potentiam eſſe ſtatuere pacem vniuerſalem, ſcribit. Nuper vero libellus quidam in lucem prodijt, cuius inſcriptio: *Repræſentatio pacis generalis inter orbis Chriſtiani Reges, Principes & Status, ſedis Romanæ ſollicitudine procurata*, in quo eiuſdem ſcopus velut in tabella conſpiciendus exhibetur.

PARS XXXI.

Continens

DISCVRSVS SIVE DISPVTATIONES IVRIDICO-POLITICAS, PRO DEFENSIONE PATRIÆ LIBERTATIS, ET PACIS PVblicę, cum primis Religioſæ, contra oppreſſiones & machinationes quorumcunque, etiam ſuperiorum.

DE

I.

EXCERPTARVM EX SLEIDANO QVÆSTIONVM PRO FOEDERATORVM BELLO, AVSPICIIS SAXONICIS CONTRA CAROLVM V. Imp. geſto, Decades quatuor, Authore Friderico Hortledero I C. Illuſtriſſimorum Saxoniæ Ducum Vinarienſium Moderatore.

Anno Domini 1609.

PLenæ vtilitatis quæſtio eſt, poſſit ne ſceptrum Imp. Romani committi ei, qui natione non eſt Germanus? dubitandi rationem mouent Baldus, Zabarella, P. Gregorius. Sed obtinuit ſententia Moguntini ac Treuirenſis Electorum, apud Sleidanum & Georgium Sabinũ: item Conradi Peutingeri, Iac. Wymphelingi, Hier. Gebuilerij, Sim. Piſtoris, Hen. Goden, P. Heigij, Eberh. à Weyhe, And. Knichen, Ioh. Althuſij, Arn. Clapmarij, & aliorum dicentium, alienigenis omnibus ad tantum tanti decus Imperij viam præcluſam eſſe. Secundum quam, res etiam iudicata eſt, cum præ Philippo Pulchro Galliarum rege, eligeretur Henricus Lucemburgicus, Imperator huius nominis VII. Præ Franciſco I. Carolus Auſtriacus, Imperator huius nominis V.

2. Quæ repulſa regum Galliæ, cum Bodinum vehementer pungeret, nullum ipſe genus conuitij omittendum cenſuit, vt Germanos repungeret. Nam & Germaniam, quondam, Galliæ prouinciam fuiſſe ſcribit, virtute Caroli Magni, natione Galli, Gallorumq; opibus & armis partam. Et, nullo iure vſurpatum à principibus Germaniæ, nomen Imperatoriũ. Et peregrinũ fuiſſe ac minutum principem Henricum Lucemburgicum. Et proponi potuiſſe grauiores cauſas, quæ ab electione Caroli V. ſummouere Electores debuerint. Et Auſtriam in gente, Imperiũ Germanicum tam alte radices egiſſe, vt ſuffragiorum iura penitus ſublata videantur. In quo, cum eo facit Paulus Iouius.

Sed quanti mordere eſt & inuidere miſere! Sunt hæc enim partim leuiter & impudenter cõficta, contra omnem ſpectatæ hiſtoriæ fidem, conſenſum, rationem. Partim ita comparata, vt Electores minime gentium ſugerint. Partim, vt, non mouerint. Neque cum errorum næuis perſperſa ſint, mouere porro quenquam noſtrum, ac in Bodini partes impellere aut debeant aut poſſint.

3. Cæterum non fuit vnquam principis Romani immenſa & infinita poteſtas, tametſi lege Regia conceſſum eſſet ei, & in eum omne populi imperium. Quod etiam oſtendit inſignis Plinij dicentis locus: *hæc pro æternitate Imperij, & pro ſalute ciuium, imo pro ſalute principum ac propter illos pro æternitate Imperij vota, in quæ ſint verba ſuſcepta, operæ pretium eſt annotare: Si bene Remp. & ex vtilitate omnium rexeris. Digna vota, quæ ſemper ſuſcipiantur, ſemperque ſoluantur. Egit cum Dijs ipſo te auctore, Cæſar, Reſp. vt te ſoſpitem incolumemque præſtarent. Si tu Cæteros Præſtitiſſes. Si contra, illi quoque à cuſtodia tui corporis oculos dimouerent, teque relinquerent votis quæ non palam ſuſcipiuntur.* Et iterum: *Nam cum ita, Cæſar, excipias. vt ita demum te Dij ſeruent, Si bene Remp. & ex Vtilitate omnium Rexeris, certus es te bene Remp. regere, cum ſeruent.* Ac denuo: *quo maiore fiducia iiſdem illis votis quæ ipſe pro ſe nuncupare iubet. oro & obteſtor, Si bene Rempub. ſi ex vtilitate omnium Regit, primum vt illum nepotibus noſtris ac pronepotibus ſerues, &c.*

4. Et conſimiliter, nec hodie eſt, in toto orbe Chriſtiano vllus rex vel ſummus princeps, cuius maieſtatem non comprimat & circumcidat, vel Iuſiurandum, vel inita cum regni ordinibus Certa pactio. Blandiatur regi ſuo Bodinus licet. Cui Franciſcus Hotomanus, Claudius Seſellius, Matago de Matagonibus, Steph. Iunius, P. Heigius, Andr. Knichen, Ioh. Althuſius, Auctorque libelli, e Gallica in vernaculam noſtram tranſlati: Wacht früh auff / den Frantzoſen vnd andern benachtbarten, acerrime obloquuntur. Vt alios ſilentio prætereeam.

5. De antiquiſſimis Germanorum Regibus, ſic ſcribit ſua in Germania Tacitus: nec regibus eorum infinita, aut libera poteſtas. Quod nobis videmur vere dicere, & de Imperatoribus Germanicis, Nam & horundem poteſtas, duobus veluti frenis ſiſtitur ac retinaculis: Capitulatione, & Iuramento Fidelitatis, quod præſtatur Imperio. Veluti Sleidanus docet in Carolo V. Nec vnus eſt ex omnibus hiſtoricis, qui de re, tanti quamlibet momenti, præter hiſtoricum noſtrum, plenius ſcripſerit, ac luculentius.

6. Capitulatio, nihil aliud, niſi *lex* Germanorum *regia* eſt, vel *lex Regni* aut *lex Imperij*: qua populi Germanici ſummum imperium, vel (vt Arcadius Ictus loquitur) quæ regimenta populi in Imperatorem deſignatum transferuntur certis conditionibus. Quarum à varijs capitulis, dicta quoque eſt *Capitulatio.*

Igitur, quicunque in æde Ioannis Lateranenſis, vel Capitolio Romano, antiquam Romanorum legis regiæ formulam, ſolicite adhuc perquirunt, cum apud Sleidanum ac Melchiorem Goldaſtum Haiminsfeldium longe aliam habeant, eamque potiſſima ſui parte obtinentem adhuc in ipſis rerum argumentis: aut Cæſaris noſtri poteſtatem ad tenorem obſoletæ legis regiæ perpendunt & æſtimant, næ, illi non modo operam, oleumque ſuum, inutiliter conſumunt, ſed etiam perinde faciunt, atque

Ceruino capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit. Idemq; iudicium eſto, de alijs aliorum regnorum Capitulationibus. Etiam ijs, quibus obligantur pleriq; omnes S. Rom. Imperij Principes, ordinis eccleſiaſtici.

7. Quo autem tempore primum, de imperio Cæſarum lata ſit Germanorum lex iſta regia, nemo eſt qui doceat. Videmur tamen nobis colligere ex Brunone Saxone, ſub turbulento Henrici IV. Imperatoris imperio, natam eam primum. Deinde tractu temporis, magis magiſque auctam, increſcente præſertim ſub Carolo IV. dignitate Electoria. Quoad in eam, quæ hodie in vſu eſt, amplitudinem excreuerit.

8. Auctores ſunt Sleidanus, & is, quem nactus ſum beneficio Friderici Metzſchij, è nobilitate viri egregie docti, Iulius Pflugius; quod agunt in diligendo Imperatore ſeptem viri, ante ratum non haberi, quam leges in Capitulatione comprehenſas, deſignatus Imperator acceperit, iuramento confirmet, fidemq; det Electoribus ſingulis, interpoſita cautione ſcripta, ab iis nullo ſe modo receſſurũ. Vnde ipſi quoq; omnem perrumpendæ Capitulationis poteſtatem, Schurffius negat.

Iurat etiam, antiquo more, & iam inde vſq; à Carolo Magno, ad nos deducto, cum inauguratur Imperator, præeunte conceptis verbis Colonienſi, bis fidelitatem Imperio, *attendente iane Deo. Cui enim magis* (inquit Plinius) *quam Cæſari attendat, non ignaro, nemini religioſius, quod iurauerit, cuſtodiendum, quam cuius maxime intereſt non peierare?* Et cum iurauit, tum demum promittitur ei fides & obſequium à populo.

Cur vero diligenter adeo & anxie? præſto eſt, qui reſpondeat Iulius Pflugius: *ne durius, quam oportet, regnantes, aliquid contra eccleſiam Chriſtianam, Rempubl. eiuſve libertatem faciant. Vtque homines noſtri intelligant, ſe non in hominis cuiuſdam acerbioris, ſed in patris, eiuſque perbenigni poteſtatem venire.* Deinde, vt intelligamus cum Stephano Iunio, Obrechto, atq; Hen. Arniſæo: Imperatorem, minorem eſſe Imperio, vt pontificem Concilio, Epiſcopum Capitulo, actorem vniuerſitate, vaſallum domino, atque adeo quemlibet hodie regem, ei, cui iurat, regno. Poſtremo: Imperatorem populo pure, populum Imperatori ſub conditione: *ſi præſtet fidem iurato datam.*

9. Quid ergo, ſi poſtea Imperatorem tamen, neque Capitulatio, neque iuſiurandum fidelitatis reflectat ac reprimat, quo minus eccleſiã affligat, Remp. laceret & euertat, libertati vim, fraudemq; faciat, deniq; in regno totius Europæ liberrimo, tyrannidem exerceat? multis ex Sleidano argumentis demonſtrari poteſt, eademq; vetus ac vera Lutheri ac Philippi eſt ſententia, tum Electorũ inprimis, & cæterorũ eſſe Imperij Ordinum videre omnibus modis, etiam manu (ſi leniora omnia nihil proficiunt) ipſa, ne quid Imperium detrimenti capiat. In eandemq; conceſſerunt, editis peculiaribus hac de re libellis, Princeps quidam anonymus, Theologi Magdeburgenſes, Iuſtus Menius, Baſilius Monnerus: præterea, Cõrad. Lancellottus, Fr. Zoannettus, Alb. Gentilis, Georg. Obrecht, Ioh. Caluinus ICtus, Steph. Iunius, Ioh. Althuſius, Lamb. Danæus, Spangenbergius, Auctor deß Froſchmeuſelers / Auctor deß wacht frühe auff / den Frantzoſen vnd andern benachbarten.

10. Quorum definitionem corroborat mirifice, bonus auctor cumprimis Lambertus Schafnaburgenſis. Apud quem Archiepiſcopi, Epiſcopi, & pleriq; omnes Præſules, Duces & Comites Saxoniæ, per legatos, ad Imperatorem Henricum IV. *Sacramento ſe ei fidem dixiſſe*, inquiunt; *Sed ſi ad ædificationem, non ad deſtructionem eccleſiæ Dei, rex eſſe vellet. Si iuſte. Si legitime. Si more maiorum rebus moderaretur. Si ſuum cuique ordinem. Suam dignitatem. Suas leges tutas, inuiolataſque manere pateretur. Sin iſta prior ipſe temeraſſet, ſe iam ſacramenti huius religione non teneri. Sed quaſi cum barbaro hoſte, Chriſtiani nominis oppreſſore, iuſtum deinceps bellum geſturos, & quoad vltima vitalis caloris ſcintilla ſupereſſet, pro eccleſia Dei, pro fide Chriſtiana, pro libertate etiam ſua dimicaturos.* Eiuſdemq; notæ ſunt, apud Brunonem Saxonem, ad eundem Henricum IV. verba Ottonis ducis Baioariæ.

11. Neque vero meliore iure tyrannos vllos hic cenſendos iudico, quantumuis maieſtatis iure præfulgeant, vt quidam falſo volunt, præfulgere regem Galliæ. Eaque in re à Bodino, Barclaio, P. Gregorio, Tuſſano Bercheto, Auctore *explicationis Gallicarum controuerſiarum*. Auctore *apologiæ catholicæ ad famoſ. & ſed. lib. coniur. in Gall.* Scip. Ammirato, Alb. Gentile, Th. Lanoio, diſſentio, cum Gallis etiam ipſis, Claudio Seſellio, Franc. Hotomanno, Matagone de Matagonibus, Auctore deß wacht frühe auff / den Frantzoſen vnd andern benachbarten.

12. Quærat hic ergo aliquis, cum ea hodie Imperatoris noſtri, regumq; ſit conditio, num quis ſuperſit vſus legis: *Princeps legibus eſt ſolutus?* & ſupereſt omnino aliquis tametſi neget Cuiacius & Caluinus ICtus. Etiamne in Imperatore? etiam; ſi modo verum amamus cum clariſſimo viro, Ant. Gothofredo, ipſiſq; adeo Imperatoribus. E quibus, apud Guntherũ Fridericus I. ſic de ſe ipſo inquit:

Summus in orbe ferar, Legumq; immunis & expers
Non ſeruire quidem cogar, ſed condere iura
Fas habeam, veſtris cupio diſponere cuncta
Conſilijs. Et iterum:
Nam nihil, vt verum fatear, magis eſſe decorum
Aut regale puto, quam Legis iure Solutum
Sponte tamen legi ſeſe ſupponere regem.

Reprehenſus etiam in concilio Conſtantienſi à Cardinale Placentino, ob verbum vitioſum Imp. Sigiſmundus: *ſi ſupra leges ſumus*, reſpondebat, *quare ſupra Grammaticam eſſe non poſſumus?*

13. Neq; vero vllo modo recipienda eorum eſt opinio, qui, quamdiu penes ordines, eſt libertas ac

tis ac dignitatis aliquid, in decernendis præſertim rebus grauioribus, tam diu maieſtate ſua Imperatorem frui pernegant. Iuxta tyrannorum omnium, etiam Ludouici XI. Galliarum regis perditiſſimi, cantilenam. Quanto enim rectius Eraſmus Roterodamus aureo in libello, de inſtitutione principis Chriſtiani: *rem ita tecum expendas licebit*, inquit. *Si quis omnes homines quos tuos vocas, Circes arte vertat in ſues aut aſinos, nonne dices deterius factum tuum imperium? dices opinor. Atqui plus iuris ſit in ſues aut aſinos, quam in homines. Licet quo lubet agere, licet diſtrahere, licet interimere. Proinde deterius fecerit imperium, qui liberos verterit in mancipia. Quo præſtantius eſt, id quod geris imperium, hoc magnificentius ac ſplendidius regnas. Conſulit igitur maieſtati tuæ, qui ciuium libertatem ac dignitatem tuetur. Deus ipſe, ne coactis imperaret, & angelis & hominibus liberum dedit arbitrium, quo ſplendidius & auguſtius redderet imperium ſuum.* Quanto, prædicto in loco Imperator Fridericus.

Non ſeruire quidem cogar, ſed condere iura
Fas habeam, veſtris cupio diſponere cuncta
Conſiliis. —— ——

Quanto And. Knichenius? *tanto quenque maiorem & illuſtriorem eſſe, quanto maioribus & illuſtrioribus praeſt.*

14. Opus eſt examine ac libra, probumne, an improbum fœdus fuerit Smalcaldicum? quod inter pleroſque proteſtantes Imperij ordines ictum eſt Smalcaldiæ. Non anno 34. vt ſcribit imperitiſſime rarus auctor Natalis Comes, ſed quem acceptum fero Eliæ Reuſnero, medico, poetæ & hiſtorico Salanæ huius clariſſimo. Verum, vt Sleidanus, cum eoque omnes reliqui, anno 30. cum & Spiræ antea, & Noribergæ, & alibi non ſemel in deliberationem vocatum eſſet.

15. Bodinus ſane, inter pernicioſas (ſic enim loquitur) improborum ciuium, aduerſus patriam nulla iuſta de cauſa arma capientium, coniurationes, illud retuliſſe videtur.

16. Auctor Autonomiæ Franciſcus (vt arbitror) Burckardus (niſi detur alia, quam diſſenſus Ant. Poſſeuini ratio,) appellat: Einen Schmalkaldiſchen / Franzöſiſchen vnnd Peſtilentziſchen Bundt. Peucerus apud Gregorium Richterum, *præſidium non conceſſum, prognatum ex audacia & polypragmoſyne quadam.* Cuius etiam apud eundem Richterum, nunquam ſatis laudatus princeps Iohan. Fridericus Elector Saxoniæ, accuſatur omnium immeritiſſimo. Tantumne vero? imo Laurentius Surius, vt ſcurra eſt nequiſſimus, monſtrante Auctore deß Binenkorbs / ac Friderico Tilemanno.

—— *Nec ſapit pueri inſtar*
Bimuli, tremula patris dormientis in vlnâ,
Æquiparat fœderi ruſticorum ſeditioſorum.

17. Et quis enumerare queat omnia, quibus Ant. Quetta, ICtus, Cæſariſq; conſiliarius, quibus Ludouicus de Auila & Natalis Comes, fœdus illud petulanter & ignominioſe confodiunt, cõuitia? quæ ſi accipienda quis & muſſitanda putat, næ, ille & calumniis ianuam latius pandit, & honori eorum, quorum beneficio ad nos peruenit pura religio, peſſime conſulit, & ſceleris incuſat eos, qui auctores fuerunt percutiendo fœderi. Quandoquidem monente Celſo: *coniurationes conſilio iuniſſe, ſceleris eſt inſtar.* L. 16. in pr. de pœn.

18. Quin imque dicamus id, quod accurate Elector Saxoniæ Iohan. Fridericus Magnanimus, oſtendit, in ſcripto: Widerſchreiben auff das vnerfindtliche Hertzogk Heinrichs von Braunſchweigk ſchreiben / probum fuiſſe fœdus Smalcaldicum. Hoc eſt, & licitum & honeſtum & iuſtum, & quod eſt maximum omnium, pium atq; Chriſtianum, ac tale omnino, quale eſſe volebant ſtere-ſpondentes Heldo, confederati, in conuentu Smalcaldenſi anno 1537. *Hoc vero fœdus ſuum iis conditionibus initum, vt ſi ſit opus, non Cæſari tantum, ſed omnibus etiam indifferenter exhiberi poſſit abſq; pudore.*

19. Enim vero, quicquid in coeunda fœderis hac ſocietate factum eſt, non temere factum eſt & inconſulto, ſed adhibitis in conſilium Theologis pariter ac ICtis. Ac de ICtis quidem nemini dubium fuit quin ipſis licita fuerit viſa hæc confœderatio. Niſi quod nouiſſime, Alb. Gentilis *diſp. reg.* 3. vano inniti fundamento ſcribit Lutheri iſtam, relatam à Sleidano, opinionem: quod magiſtratui reſiſti poſſe à quibuſdam Iuriſperitis audierit. Quærit enim ipſe, à quibus? cui reſpondemus, à Witebergenſibus: Quorum etiamnum in Lutheri tomis reperitur ſententia ſub titulo: Etlicher fürnehmer Rechtsgelehrten zu Wittenbergk / von dieſer Frag: ob man einem richter / der vnrechtmeſſig vnd wider recht procedirt / widerſtandt thun möge. Meminerunt etiam, eiuſdem ICtorum reſponſi, Philippus, Bugenhagius, Matth. Racebergius.

20. At valde lubrica res & incerta quibuſdam videtur in Luthero cæteriſq; Theologis. Negat enim aulicorum politicorum in Germania facile princeps, Waremundus de Erenbergk, de fœdere Smalcaldico Lutherum, Philippumue conſultum eſſe.

21. Bodinus ait, conſultum de fœdere Lutherum, illud percutere licere negaſſe. Idemq; vt demonſtret, omnes ingenij ſui neruos Matthæ. Racebergius intendit, quondam Electoris Ioh. Friderici archiatrus & in expeditione etiam Germanica fidus Achates.

22. A quibus Albericus Gentilis iterum ſic diſceſſionem facit, vt ſiue fœdus ac defenſionem Lutherus ſuaſerit, ſiue diſſuaſerit, perinde habendum eſſe velit. Cum nulla eſſe debeat doctoris variantis auctoritas.

Sed quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac? —— —— ——

cum ex Lutheri ipſius ac Philippi monumentis abunde demonſtrari queat, conſultum Nouembris die 18. anno 29. & Martij die 6. anno 30. Lutherum, ſingularibus quidem de cauſis, quas poſtea euulgarunt Theologi Magdeburgenſes, ac Georgius Cœleſtinus, defenſionis cauſa fœdus contrahere licere negaſſe, vna cum Iuſto Iona, Iohan. Bugenhagio, Phil. Melanchthone. Verum, cum iterum ſub finem eiuſdem anni 30. interrogarentur iterò Lutherus, & Iuſtus Ionas, & Georgius Spalatinus & Philip. Melanchthon, & Nicolaus Amſdorffius, cum eos neq; diſſuaſiſſe fœdus amplius, neque etiam ſuaſiſſe, ſed incedentes media quadam via non diſſuaſiſſe, dicentes, ire ſe in ICtorum ſuadentium probantiumque ſententiam Et vero in hac denuo eos perſtitiſſe etiam, cum anno 30. impenderet metus armorum Brunſuicenſium, ac reliquorum ſociorum ſancti fœderis Noribergici. Item cum anno 46. iam ingrueret tempeſtas belli Germanici. Qua quidem in ſententia pro ſingulari humanitate ſua ac beneuolentia, me imprimis confirmauit reuerendus ac præcellentiſſimus vir, Dn. M. Abrahamus Langius, Aulæ Vinarienſi a ſacris concionibus.

24. Iam vero ad id mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum, quænam licita ſint, in Imperio fœdera: Conuenit autem inter Bartolum, Baldum, Andr. de Iſernia, Iaſonem, Schurffium, Mynſingerum, Quettam, Iulium Pflugium, Philip. Melanchthonem, Waremundum de Erenbergk, Ioh. Pedium Teringerum, & interpretem deſs Reinicken Fuchſes / Ludouicum Dietzium, (ni fallit nos Auctor deſs Froſchmeuſelers /) quæcunque defenſionis gratia copulantur, & tanquam in ſtatione ſunt, conſeruandæ pacis publicæ gratia, ea licita, cum omni iure, tum legibus quoque Imperij eſſe, fœdera.

25. Docet nos quoque Waremundus de Erenbergk, itidem pro licitis habenda eſſe, quæ paguntur in hoc, vt ſalua ſit conſtitutionum Imperialium auctoritas.

26. At vero ictum eſſe fœdus Smalcaldicum non turbandæ, ſed muniendæ pacis publicæ gratia, teſtantur, excepto Quetta, vnanimiter omnes. Surius æque ac Natalis Comes atque Sleidanus, Chytræus, Henricus Merckelius, & Conſiliarij Wirtembergici, aduerſus Ferdinandum Romanorum Regem defendentes Vlrici, Principis ſui cauſam, contrarijs Alciati, Beroi, Quettæ, Alb. Gentilis, And. Knichenij reſponſis ac ſuffragijs claram, & famoſam. Quorum vt deeſſent teſtimonia, ipſa tamen contrahendi fœderis cauſa, quod quærimus, ſatis euinceret. Fuit enim prima omnium, proſcriptio Lutheri. Sed quid Lutheri dico? imo eorum etiam ſimul, qui quoquo modo Luthero fauerent, operamue ei ſuam communicarent. Altera, oborta inter vtriuſque religionis Ordines, grauis ſimultas & offenſio, in comitijs Spirenſibus anno 26. Tertia, decretum comitiorum Ratiſbonenſium anno 29. Contra quod proteſtati impollutæ religionis ordines, *Proteſtantium* nomen celebre ac peruulgatum acceperunt. Poſtrema, ſeuerum illud & in Imperio inauditum antea, ac plane ſanguine ſcriptum decretum Comitiorum Auguſtanorum anno 30. vt vero ſeruentur, quæ de religione hic ſtatuta ſunt, ſo haben wir verſprochen vnd zugeſagt / vnſere Königreiche / Landt vnd Leut / auch leib vnd gut / zu einander treulich zuzuſetzen §. dann dan. *Receſſ. Auguſtan. anno* 30.

27. Sed & ictum eſt fœdus noſtrum gratia tuendarum conſtitutionum Imperialium. Cur enim moueat nos, quem modo adduximus, receſſus Auguſtanus? cum neq; deſit, ei quod obijciatur valide, neq; vt deeſſet, vitioſum videri fœdus poſſit, quod per pacificationem Noribergenſem anno 32. Francofurtenſem anno 39. receſſum Imperij Ratiſbonenſem anno 41. Spirenſem anno 44 conualuit.

28. Niſi forte quis excipiat, fas non eſſe tutelam pacis publicæ ſuſcipere cum hoc agitur, vt extirpetur armata vi religio. Quod quidem tete, tendebant conſcientijs nonulli, cũ ſeculo ſuperiore, reformatæ religionis ordines in Germania Galliaq;, pro fide, caput fortunaſq; deuouere ſuaſ decreuiſſent. Ac poſt eos Auctor Autonomiæ. Verſute quidem ac veteratorie. Sed quo tam verſute? eſt enim exploſum technæ hoc genus, cum alijs Imperij legibus, tum vero maxime, religionis pacificatione. Quæ, religionis ergo vim ſuſtinenti, gladium ipſamet porrigit, & cæteros abſque diſcrimine Ordines, ad ſuppetias ferendas, vocat, cogit, impellit. Atque ad hunc guſtum à nobis alibi, ſic hæc pertractata quæſtio eſt, vt cum aliis, viris doctis, tum etiam eximij nominis ICto, Dn. Leopoldo Hackelmanno Archiepiſcopali Magdeburgico Conſiliario ſatis fecerimus.

29. Niſi item forte quis excipiat: non licuiſſe religionis propugnandæ gratia, fœdus ferire aduerſus Cæſarem. Qui ſane nodus durus ac perplexus eſt, nec deſtituitur permagnis ad ſpeciem rationibus, quas haud facile amoliri poterit de vulgo Dauus aliquis:

30. Vt ecce per legem regiam de imperio Caroli V. Cæſaris latam, data erat ei, communi populi totius conſenſu, hæc poteſtas, vt tueretur pontificem & eccleſiam Romanam, cuiuſq; eſſet aduocatus Sleidano teſtante, ac Melchiore Goldaſto Haiminsfeldio.

31. Rogatus etiam cum ſacris initiaretur auſpicijs, nomine totius Imperij, num vellet ſeruare fidem catholicam, defendere eccleſiam, pontifici Romano exhibere honorem debitum? ſpopondit, ductuſq; ad aram, conceptis verbis, ſemel atq; iterum adiurauit. Idemque fecit cum anno 29. coronam acciperet a pontifice, eique pro more iuraret. Nequaquam, vt vaſallus domino. Suauiſſimos ludos præbuit, qui ſic declarauit *capit. tibi domino Iohanni, diſt.* 64. Clemens V. in *Clement. vnic. de iur.* meritoque Lupoldo de Babenbergk, Marſilio* Ficino, Sleidano, Schardio, Hotomanno, Cuiacio, Nic. Ciſnero, Warem. de Erenbergk, Ritterſhuſio ac nouiſſime Melch. Goldaſto Haiminsfeldio, deridiculo fuit. Sed vt clienti, patronus. Atque inde deinceps non ſemel, cum inſtarent & vrgerent religionis libertatem noſtræ religionis Ordines, ſacramento ſe & conſcientia impediri dixit, quo

minus

minus, quod petebatur, permittere poſſet. Veluti in reſponſione, legatis ciuitatum pro Magdeburgenſibus ac Bremenſibus intercedentium per Atrebatenſem data, Nouembris die 24. anno 49. Ihre May. könten auch ihrem eignen Brüder in der Religion nichts nachgeben. Sonſt würden ihre May. meineydig.

32. Adhæc, certi & indubitati iuris eſt, omni in fœdere, quod quidem licitum videri debet, excipiendum eſſe Cæſarem, quantumuis imperite neget Bodinus. Hoc enim conſequens eſt iuramento fidelitatis. Conſentaneum Aureæ Caroli IV. Bullæ. Conforme iuri Saxonico, eiuſq; gloſſæ. Item definitioni interpretum iuris, Baldi, Mynſingeri, Anto. Quettæ, Waremundi de Erenbergk. Exemplis licitorum fœderum. Et quid multa? confeſſioni ipſorum Ordinum fœderis Smalcaldici. Qui à Franciſco I. Galliarum Rege, per Guil. Bellaium de fœdere ſollicitati, infecta re, dimittebant legatum, quod dicerent, *ſibi Cæſarem in fœdere excipiendum, & aduerſus eum nihil faciundum eſſe.* Similiterque iniungebant ſuis in Angliam legatis, *vt ſi cum rege forte fœdus coiret, in rebus omnibus Imperium atque Cæſarem, cui fide ſint atq; iureiurando deuincti, claris verbis exciperent.* Nec omittendum eſt clariſſimum Mauricij Electoris Saxoniæ, dicentis teſtimonium: *non fuiſſe ſibi integrum magiſtratui reſiſtere, quem omnia fœdera ſemper excipiant.* An vero exceperunt Cæſarem, qui cum eo tandem, collatis pro tenore fœderis, viribus, pro religione, bellum apertum geſſerunt? quiq; in legibus deditionis poſtea promiſerunt: *ſe deinceps nullum fœdus facturos in quo non & Cæſar excipiatur & Rex Ferdinandus?* non credit ſane, qui hanc rationem vrget. Quetta. Hinc itáq; videtur poſſe effici, nequaquam licuiſſe religionis in tuto exercendæ cauſa, fœderis ſocietatem aduerſus Cæſarem iungere.

33. Verum enim vero ad hunc modum Capitulationem qui Cæſaream & iuſiurandum vrgent, multa peccant. Quoniam non vident id, quod viderunt ICti Witebergenſes, ſuffragante ipſamet Capitulatione. Decreuerunt vtriuſq; religionis Ordines. Conceſſit Cæſar. Pollicentur receſſus Imperij, de Cæſaris omniumq; Statuum voluntate conſtituti. Explanauit peculiari oratione Ioh. Sleidanus. Pugnauit Auctor epiſtolæ anno 40. editæ: *An ſtatus & dignitatis eccleſiaſticorum magis conducat, admittere ſynodum nationalem, piam & liberam, quam decernere bello?* Voluit Stephan. Iunius. Non deficientibus ſuccenturiatis, Philippo Melanchthone, Theod. Coornhert, Spangenbergio, Autore explicationis Gallicarum controuerſiarum.

34. At qui aſſeuerant, exceptum non fuiſſe in fœdere Smalcaldico Cæſarem, primum cum Dauide Chytræo, Henric. Merckelio, P. Heigio, parum ſentiunt. Deinde, aliquid ſane dicunt, vbicunq; Cæſar, Cæſar, hoc eſt, maior ac ſuperior eſt, & maieſtatis, vel (vt vulgariter loquar,) ſuperioritatis iure Ordines antecellit. Vbi vero ſecus, quid? etiamne tum Cæſar excipiendus erit?

35. Non putabat quidem certe, Dux & Elector Saxoniæ Iohannes, cognomento Conſtans, Bauarique fratres, Guilielmus, ac Ludouicus, nec non Philippus Haſſiæ Landgrauius, cum tuendæ bullæ Carolinæ gratia, fœdus pangerent, in Carolum V. Imp. atq; fratrem Ferdinandum cũ Franciſco Galliarum Rege eius nominis I. auctoribus, Martino Bellaio, Sleidano, Iac. Aug. Thuano.

36. Non, heros fortiſſimus ac ſempiterna memoria digniſſimus Dux & Elector Saxoniæ Mauricius, cum in eundem Imp. Carolum V. Galliarum Regem Henricum II. ſibi, ſocijſq; ſuis, fœdere coniungeret, vt patriam libertati, religionem paci redderet ac reſtitueret. Non, auctores diſtinctionis, frequenter ſeculo ſuperiore vſurpatæ, inter Cæſarem, qua Cæſarem, & qua non item. Ad quã referrem lubens Saxonis iſtam ac Landgrauij, apud Sleidanum, diſceptationem: *Cæſarisne, an alio quo nomine ſit appellandus Cæſar, in literis belli Germanici denunciatorijs?* niſi diſtinctionis noſtræ metas Saxo tranſilire voluiſſe videretur, alia ratione. Quam didicimus è libello, ſub Regij Selyni nomine à Baſilio Monnero, ICto, diuulgato, vt nos primus docuit M. Wolffgang. Heiderus, Salanæ huius inſigne decus. Quare, hæc cum ita ſint, ſileant, qui fœdus noſtrum pernitioſæ coniurationis vel iniuſtitiæ inſimulare, nihil hæſitarunt.

37. Eundem Mauritium, Ducem & Electorem Saxoniæ, fœderis Smalcaldici ſocium aliquandiu fuiſſe, vult Natalis Comes, ac Lamb. Hortenſius, quorum in partes procliuior eſſe videtur Iac. Aug. Thuanus. Sleidanus non vult, & cum eo Chytræus. Vtris ergo credendum erit? admonuit nõ ita pridẽ, præclarę vir eruditionis ac virtutis, Petrus Heigius, conatu magno, magnas nugas dicere Natalem Comitem. Rectiſſime ſane. Cur autem Sleidano magis ac Chytræo credendum ſit, ex principijs hiſtoricis nobis amplius enucleandum erit.

38. Eadem quoque principia hiſtorica oſtendunt, cum quæritur, fueritne in fœdere Smalcaldico Georgius Brandenburgicus? fidendum magis inficianti Sleidano, quam affirmanti Merkelio, Buntingo, Spangenbergio. Fueritne Noriberga ac Rotemburgum? aſſentiendum itidem magis neganti Sleidano, Merckelio, Auilæ, Hortenſio, quam aſſeueranti Natali Comiti. Fueritne Lubeca? diſtinctione Chytræi adhibita, rem componendam magis, quam fouendam aut inducendam inter Merckelium, Auilam, Hortenſium, diſſenſionem, perpetuam

39. Rogati vero de Pheugaris? Phrygis? Pharodinis? Tunemburgo? Lemburgo? Geſfinga? Cauſaporno? quid dicemus? in fœdere fuiſſe eos, vt Natalis Comes ſcribit, an non? *Pheugaros*, quos ipſe Natalis interpretatur Halberſtatenſes, ſine riſu neminem, inter confœderatos cernere poſſe. Cæteros vix quenquam intelligere. Ecquos enim, Natalis vocas *Phrygas*? ecquos *Pharodinos*? *Tunemburgum*? *Lemburgum*? *Geſfingam*? *Cauſapornum*? populine aut ciuitates Germaniæ ſunt, an Vtopiæ? & ſi Vtopiæ, qui in ſocietatem fœderis Smalcaldici venire potuerunt? Si vero Germaniæ, quid ſibi iſta peregrina Germanis, & abominanda nomina volunt? Sed hic mos auctoris huius

eſt, vt omnia ei gentilitia ac recepta vrbium locorumue nomina, præaſcititijs & obſoletis ſordeant. Parum probatus Ægidio Tſchudo, Bilibal. Pirckeimero, Petro Diuæo, Ioh. Cuſpiniano, Scipioni Gentili, Iuſto Lipſio.

40. Compleat nunc decades noſtras diſpectio, fueritne vtile, an inutile eorum conſilium, qui tametſi eiuſdem, cuius confœderati, religionis eſſent, mediam tamen viam quandam ire, quam fœderi Smalcaldico nomen dare, maluerunt? & magis eſt, vt cum Iohanne Lauterbach fateamur fuiſſe inutile. Ac videri Chytræum alio abire magis, quam reuera à nobis hic diſcedere.

ADDITAMENTVM VNVM ET ITEM ALTERVM.

I.

GRande mendacium eſt, atque vt Lutheri verbis de donatione Conſtantini Magni, commodum me admonebat, nobiliſſimus vir, Caſpar à Teutleben / principalis aulæ Salanæ præfectus, eine weidliche / dicke / fette / wolgemeſte / Summa, eine rechte Bäpſtliche Lügen / quod in oratione de legato & legatione ſcribit Chriſtophorus Varſeuitius, Polonus, cætera non contemnendus: *Sed è contrario riſu exagitabatur Saxoniæ ducis & Philippi Haſſiæ Landgrauij bello Saxonico in Gallijs legatus, qui de Caroli V. Cæſaris in Germania progreſſibus, Franciſcum regem debebat facere indies certiorem & non prius, quam ab ipſo rege didicit, dominos ſuos à Cæſare detineri.* Nam ſi mortuus eſt Rex, Martij die vltimo, anno 47. captus Elector Aprilis die 24. coniunctus fraude Atrebatenſis, in vincula Landgrauius, Iunij die 19. qui in notitiam mortui Regis, principum detentio venire potuit? Accedit, quod ſucceſſorem demum Franciſci, Henricum II. de pugna à Saxone infeliciter commiſſa, per legatum Cæſaris certiorem factum, Thuanus ſcribit. Quodque eius rei legatum, apud regem, nunquam habuere, Saxo ac Landgrauius.

II. Cum omnia quæ adſolent, quæque oportet adeſſe optimo hiſtorico, ſigna, adſint Iohanni Sleidano, eidem merito palmam ſtatuendam dicimus de hiſtorico. Et quidem eo, cui cum cæteri purioris doctrinæ Ordines, tum vero ſereniſſima & illuſtriſſima Domus Saxonica, tantum debeat, quantum homini homo debere poteſt, nomini & exiſtimationi ſuæ nato.

III. Neque aut miramur valde aut moramur, vel Marchionis Alberti ac Georgij Sabini expoſtulationes cum Sleidano, vel Franciſci Hildeshemij de erratis eius ab electore Brandeburgico animaduerſis, teſtimonium, ac multo minus Surij, Gennepi, Iac. Gretſeri in Sleidanum nugas inſulſiſſimas. At vero Matth. Dreſſerum, alieno iudicio conſiſum, nonnihil de auctoritate Sleidani detrahere conatum, id quidem eſt, quod miramur valde, nec moramur tamen cum aliquibus, ſed vſurpamus Terentianum illud: *non feciſſe fuiſſet melius hic conuitium.*

II.

Anno Domini 1609. DISPVTATIO DE IVSTITIA BELLI GERMANICI, CONTRA CAROLVM V. IMPER. AB ORDINIBVS GERMANIÆ PROTESTANTIBVS GESTI, AVTHORE FRIDERICO HORTLEDERO IC. habita in Academia Ienenſi, Anno M. DC. IX.

HActenus, quo iure, Carolus V. Imperator, Electori Saxoniæ, bellum intulerit, nobis ſufficienter dixiſſe videmur. Sequitur, vt quo iure illatam vim, Elector a ſe repulerit, inquiramus. Quanquam enim, vbicunque illicita eſt offenſio, ibi ſponte ſua ſequi videatur, defenſionem eſſe licitam, & contra, quemadmodum monet Bartol. ad *l. 3. de I. & I. num.* 3. Weſenbec. *parte* 1. *conſil* 45. *numer.* 48. Ant. Quetta. *conſil.* 6 *num.* 16. & *conſil.* 14 *num.* 13. 14. *&* 31. P. Lorich. in *enchir. arreſt. num.* 255. tamen, quoniam non ſemper hoc argumentum obtinet, Oldend. *in top. loco à contrariis.* Donell. 20. *comm.* 5. Alb. Gent. 5. *de nupt. cap.* 8. ſed interdum ab vtraque parte, vt iuſta, Alb. Gent. 1. *de iur. bell. capit.* 3. ita & iniuſta eſſe poteſt armorum contentio, ad exemplum contentionum ciuilium, quæ militiæ adſimilari, P. Lorich. in *enchir. arreſt. num.* 263. & *ſeqq.* ac de rebus nonnunquam excitari ſolent, ad neutrum litigantium iure ſpectantibus, *l.* 11. *in pr. ff. de iur.* ideo præſtabilius eſt, concluſionis iſtius vim, paulo accuratius exponere, ac refutatis contrariis, rationibus quibuſdam communire.

Inprimis, cum & oſtenſa iuſta belli cauſa, elidatur, quæ cæteroquin contra hoc proteſtantium

tium bellum, videtur ſtare præſumtio, docente Oldend. in *topic. regul. præſumt. 12. & 31.* Vt enim omne bellum, ſuſceptum a ſuperiore, præſumitur eſſe iuſtum, per ea, quæ diximus *diſput. 1.* ſic e contrario, omne bellum ſuſceptum ab inferiore, Regulariter præſumitur iniuſtum, *l. 3. ff. ad l. Iul. maieſtat. l. 24. de captiu. & poſtlim. reuer.* Reichs Abſchiedt zu Augſpurg anno 1555. §. wo ſie aber keine. Acta Goslarienſ. in *art. defenſ. ciuit. contra 40. 41. 42. 43. teſtis perſonam.* Menoch. *lib. 6. præſumpt. 99. n. 4.* Alb. Gent. *1. de iur. bell. c. 3.* Gail. *1. de pac. pub. c. 4. n. 4.* Boc. *li. 1. de iur. duell. c. 4.* Warem. de Erenb. *mediat. pro ſœd. cap. 2. nu. 56.* Etiamſi ab Imperij Principibus ſuſceptum fuerit. Nam & his, quantumuis ius gerendi belli det, Albert. Gentil. *1. de iur. bell. capit. 3.* niſi aliud inueſtituræ formula cautum fuerit: rectius tamen negant, Acta Goslarienſ. *d. loc.* Weſenb. *part. 1. conſil. 46. num 5. & ſeqq.* Petr. Heigius *parte 1. quæſt. 12. num. 17. & ſeq.* Knichen. *de Saxon. non prou. iur.* verbo: *ducuni: capit 5. num. 450. 451.* Warem. de Erenb. *med. pro ſœd. cap. 2. num. 56.* Ant. Quetta *conſil. 6. num. 6.* Fr. Zoannet. in *tr. de imperio Roman. num. 109.* Ratio eſt, quia (vt Samnitium imperator apud Liuium, recte dicebat, in pr. lib. 9. decad. 1.) *non eſt iuſtum bellum; niſi quibus neceſſarium.* Non eſt autem neceſſarium iis, qui (vt principes) aliquem ſuperiorem, iudiciumque ſuum habent, coram quo, inſtitutis actionibus res repetere, iniuriaſque ſibi factas, vlciſci poſſint, *l. 13. ff. quod met. cauſ. l. 14. C. de Iudæis.* Acta Goslar. *d. loc.* Alb. Gent. *d. cap. 3.* Bocer. *2. de iur. duell. cap. 7.* P. Heig. *parte 1. quæſt. 12. numer. 31. & ſeqq.* Ant. Quetta *d. conſil. 6. numer. 6.* Fr. Zoannett. in *tr. de imper. Romano. num. 110.* Iohan. Althuſ. *politic. cap. 29.* Lamb. Danæus *polit. Chriſt. lib. 7. cap. 3.* Sed in rem præſentem veniamus.

ASSERTIO I.

Eſt autem de iuſtitia belli, ab Electóre ſuſcepti, Dubitandi Ratio I. quod armis defendi poſſe non videtur religio.

Primum, quia is, cuius religionis cauſa eſt, Deus præpotentiſſimus, humano non eget patrocinio. Sed ipſe ſatis virium habet, tum ad religionem ſuam defendendam, Matth. *26. verſ. 52. 53.* Lutherus in *epiſtola ad Iohannem Electorem,* quæ extat *tom. 6. German. Ienenſ. in pr.* & apud Chytræum, in *hiſtor. Auguſtan. confeſſ.* item Georg. Cæleſtin. *hiſt. Auguſt. Confeſſ. tom. 1.* Mauritius Elector Sax. in ſcripto, anno 46. cum hac inſcriptione edito: Erklerung / wie wir der Chriſtlichen Religion geneigt / vnd welcher Vrſach halber / wir vns wider die Keyſ. May. nicht eingelaſſen / §. vnd wiewol wir wiſſen. P. Gregor. *15. de Republ. 17. num. 13.* Tum ad diſſipanda gentium, contra ſe coëuntium, conſilia, *Pſalm. 2. & 33* Luther. *d. loc.* Warem. de Erenberg. *c. 2. n. 55.* Greg. Richter. *p. 3. axiom. 41.* Tum ad vlciſcendas ſuorum mortes & iniurias, *2. Reg. 9. verſ. 7.* Luth. *d. tom. 6.* Richter. *p. 3. axiom. 36.* Vt docet eleganter Hoſpitalius *ſerm. lib. 6. epiſt. 12.* cum ait:

—— —— Quid? multa piorum
Mors erit, aut impune ferent tot denſa, tyranni,
Funera? quin imo grauior mox pœna ſequetur,
Aſpicit omnipotens cælo Deus & ſedet vltor
Tantorum ſcelerum. Noſtra eſt iniuria, dixit,
Et dolor hic meus eſt, vindictam hanc ipſe recepi

II. Quia gladio Chriſtus defendere cauſam ſuam vetuit, cum diceret Petro: *reconde gladium in vaginam tuam. Quicunq; enim ſumſerint gladium gladio peribunt.* Matth. 26. verſ. 52. Luther. contra ruſticos ſeditioſos, apud Sleidan. *com. lib. 5.*

III. Quia nec oportet in auxilijs vllis humanis, ſed in ſolo Deo confidere. Quemadmodum Iudæis reſponſum eſt, aduerſus Aſſyrios & Chaldæos, Ægyptiorum opem implorantibus. Eſaiæ *20. verſ. 6* Ezech. *29. verſ. 6. & 7.* Pr. *q. 3. cauſ. 23.* in iure Canonico. Non etiam oportet Dei immortalis opem curis humanis anteuortere, ſed expectare. Vnde illud Eſaiæ 30. verſ. 15. *In ſilentio ac ſpe erit fortitudo veſtra.* Luther. *d. tom. 6.* Philip. Melanch. *tom. 3. declam. in orat.* de dicto Eſaiæ: *51. poſui verba mea in ore tuo.*

IV. Maxime, quia Chriſtianorum non repugnare eſt, ſed pati, atq; (vt Propheta ait, *Pſal. 44.*) velut oues occiſionis reputari. Luther. *d. tom. 6.* & apud Chytræum, ac Cæleſtinum, locis ſupra allegatis. Georg. Spalatinus, apud eundem Cæleſt. *tom. 1.*

V. Quo & reſpiciens Chriſtus, regnum, de hoc mundo, ſuum non eſſe reſpondit, alioquin certaturos, ne vim pateretur, miniſtros, *d. pr. q. 3. cauſ. 23.* Suoſque diſcipulos, fugere tantummodo, non reſiſtere voluit, Matth. 10.

VI. Nec aliud, ipſe fecit, Matth. 2. Ioh. 8. *verſ. fin. d. pr. q. 3. cauſ. 23.*

VII. Et obſeruauit primitiua Apoſtolorum Eccleſia. In qua

—— —— Vim propulſare manu, non vſque licebat,
Vix etiam vitare fuga —— dicente Hoſpitalio, *6. ſerm epiſt. 12.* Adeo, vt etiam gauderent Chriſtiani illi primi, quotieſcunq; digni crederentur, qui paterentur contumeliam, pro nomine Chriſti. *d. pr. q. 3. cauſ. 23.* Tertullianus ac Cyprianus, apud Alb. Gent. *1. de iur. bell. c. 11* Auguſtinus *libr. 22. de ciuit. Dei, c. 6.* Ambroſius in *cap. 3. cauſ. 23. q. 8.*

VIII. Eaque ponderaſſe viſus eſt, cum Lutherum ſe defendere nolle profiteretur Elector Sax, Fridericus IIIus, qui Sapientis nomen adeptus eſt, teſte Sleidan. *comm. lib. 2.* Philippo ac Brentio, in quadam *ad Philippum Haſſiæ Landgrauium epiſtola,* apud Cæleſtin. *tom. 1. hiſt. Aug. confeſſ.*

IX. Ea item perpendiſſe, qui ſeculo ſuperiore, ne pro religione arma caperentur, ſuaſiſſe leguntur, viri longe præſtantiſſimi. Atque inprimis Lutherus, ab Electore Iohanne, conſultus. Cuius rei teſtes habeo non eas modo Lutheri ad Electorem literas, quas ex *tom. 6. Germ. Ienenſ.* Chytræo, ac Cæleſtino, ſæpius citaui, ſed Sleidanum etiam, *com. lib.* 8. ac Bodin. *2. de Repub. 5.* Vt proinde Philippo, apud Waremb. de Erenbergk. *medit. pro fœd. cap. 2. num. 40.* Lutherum de fœdere Smalcaldico conſultum eſſe neganti, aſſentiri non poſſim. Luthero autem conſentiebant Theologi cæteri, vt innuit Mauritius Elector in ſcripto, ration. 1. allegato. §. **wiewol wir auch eingedenck ſein/ was für etlichen Jahren die** Theologi **berichtet vnnd gerathen haben.** Interque eos, Philippus ac Brentius, in d. *ad Philippum Haſſ. Landgr. epiſtol.* Georgius Spalatinus, teſte Cæleſtin. *tom. 2. hiſtor. Auguſt. Confeſſ.*

X. Et quamuis erant, qui admitterent defenſionem ICti, monente Sleidan. *d. com. lib.* 8. de cuius tamen fide, Alb. Gentil. *diſp. regal.* 3. hic ſubdubitare velle videtur, attamen Lutherus diſerte, audiendos eos non eſſe reſpondit, *d. ad Electorem Ioh. epiſt.* & in quadam alia, ad Wenceslaum Lincũ, apud Cæleſtin. *tom. vlt. hiſt. Aug. confeſſ.* Tantum abeſſe dixerit aliquis, vt in eorum ſententiam ierit, quod & ipſum tamen, Sleidanus ſcriptum reliquit, d. com. lib 8.

XI. Nec vero à Luthero diſſentiebat Gregorius Pontanus, Electorum, Friderici III. Iohannis Conſtantis, & Ioh. Friderici, Cancellarius. Nam & hunc in deliberatione huius belli dixiſſe, ſcribit Henric. Merckel. in lib. de obſid. Magdeburg. *comitem ſe quidem fortunæ principum fore, qualiſcunque tandem euentus futurus eſſet. At ſuaſorem belli non fore.* Sic ille, de Pontano, maximo viro. Cuius, quoties in Salanæ huius templo oppidano, tumulum intuemur, *ſubit* (quod conſimili in caſu Plinius ait, lib. 6. epiſt 10. & lib. 9. epiſt. 19.) *indignatio, cum miſeratione, reliquias neglectumque cinerem ſine titulo, ſine nomine iacere, cuius memoria orbem terrarum peruagatur. Nam cui viro magno verendum non eſt quod videmus accidiſſe* Pontano? *cuius iniuriam vt indigniorem ſic notiorem ipſius claritas facit.* Legatur Philippi Melanch. de Gregorio Pontano oratio, *declamat. tom. 5.*

ASSERTIO II.

ATque hæc quidem ſunt, quæ pro negatiua rationes adferri ſolent. Sed videndum tamen eſt, ne pro affirmatiua rationes adferantur multo fortiores. Secundum quas dicendum ſit, recte omnino, ordineq; Electorem feciſſe, quod religionem, ſibi armis defendendam ſumſerit. Hic ignorare non oportet, quidnam ſibi velint, qui religionem armis defendi poſſe, vel non poſſe, inquiunt. Nam ſi quis per *religionem*, in hac cauſæ conſtitutione, cultum ipſum diuinum, quo iuxta definitionem Lactantij *4. diu. inſtit. c. 28.* & Auguſtini *lib. 10. de ciu. Dei c.* 1.) ſibi Deus religat hominem ac deuincit, intelligere velit, næ, ille recta ſecum via rem non reputabit. Hic enim cultus, vt inuiſibilis eſt ac ſpiritualis, & in verbo Dei nobis præſcriptus, ita nec viſibilibus, ac corporalibus, ſuppoſitus eſſe poteſt, iniurijs, nec capax viſibilis & externæ cuiuſdam defenſionis, docente Cornheertio in *epit. proceſſ. de non occid. heret. c.* 3. Intelligenda eſt itaq; hic *religio* non in abſtracto, ſed in concreto, in hominibus conſiderata. Qui homines, vt viſibiles ac corporei ſunt, ita & propter religionem, externis obnoxij iniurijs, ac defenſionis capaces eſſe poſſunt. Cornheert. d. c. 3. Quocirca, cum religionem armis defendi poſſe dicimus, nihil niſi vnum hoc ſignificamus; homines religionis alicuius cauſa vim ſuſtinentes, præſidio armorum recte defendi poſſe. Id quod certe, ante nos, præter Proteſtantes ipſos, apud Sleidan. *lib.* 17. *&* 18. ac Lambert. Hortenſ. *de bell. Germ. lib.* 2. & Zutherijs voluit, repurgandæ vir doctrinæ cœleſtis diuinitus excitatus, vt conſtat, *ex fol.* 308. & ſine libell, **wider den Meuchler zu Dreßden/** *tom. 5. Germ. Ienenſ.* Deinde, **auß ſeiner Warnung an ſeine liebe Deutſchen/** *eod. tom. 5. f. 276. 282. & in fin. libelli eiuſdem.* Tum, *ex concione eius 5. ſuper hiſtoriam paſsionis, in poſtillis domeſticis,* non Torgæ nuper, ſed Witebergæ quondam impreſſis. Poſt ex alia quadam Lutheri ad anonymum epiſtola, quam anno 47. cum præfationibus ſuis, Philippus ac Bugenhagius, Witebergæ, hoc ſub titulo ediderunt: **Erklerung D. Martin. Luthern/ von der Frage die Nothwehr belangend:** Ac poſtremo, ex diſputatione, quam itidem Witebergæ Lutherus, anno 1540. publice in hanc ſententiá propoſuit: **daß man dem Bapſt vnd ſeinen Schutzherrn/ wider Vnrecht/ Gewalt vnd Krieg/ widerſtand thun ſoll.** Quos poſteriores libellos duos, vna cum pereruditis quibuſdam Regij cuiuſdam Selini, ICti, ac Iuſti Menij, **von der defenſion vnd gegenwehr** libellis, anno 46 & 47. pro Electore editis pro noſtra ſumma coniunctione, ex bibliotheca aui, Ioſephi Leuini Metzſchij, nobiliſſimi viri, & inter exempla pietatis a Spangenbergio relati, **Adels Spiegel** *part. 2. lib. 6. cap.* 43. ad me miſit Fridericus **Metzſch/** flos nobilitatis Germanicæ. Quid enim verear, ne parum ſit ſincerus teſtis, amicitia? cum non modo noſtra Salana hæc eximia, ſed extera quoque iſta Iuriſprudentiæ lumina, literarumque columina, Anton. Faber, Ægidius Hortenſius, Iohan. Hotomannus, Iſaac. Caſaubonus, &c. amœnum Metzſchij ingenium, & eruditionem minime vulgarem, exacta cum Italicæ ac Gallicanæ linguæ peritia, ſummaque prudentia coniunctam, diligere & admirari cœperint. Verum, quod cœpimus, agamus.

Addantur Theologi Magdeburgenſes. Quorum extat, Aprilis die 13. anno 1550. ſub hac inſcriptione: **Bekentnuß / Vnterricht / vnd Vermahnung der Pfarrherrn zu Magdeburg/** ibidem edita diſputatio, cum cura ſcripta. Cuius meminit his verbis Sleidanus, commen. libr. 22. *Poſt, Eccleſiæ miniſtri, menſe Aprili ſcriptum edunt. In eo, doctrina ſua confeſsionem recitant, & magiſtratus licere demonſtrant inferiori, defendere ſe contra ſuperiorem, cogentem diſcedere à veritate.* Ac

Span-

Spangenbergius, Adelsſpiegels part. 2. lib. 7. cap. 18. ſic ſcribens anno 1550. hat ſich Herr Nicolaus Ambsdorff / der ſchönen / richtigen / vnnd außbündigen Bekenntnuß / der Prediger zu Magdeburgk / auch vnterſchrieben / vnnd ſich darzu bekandt. Præterea libellus, quem cum hac ſuperſcriptione: Gründtlicher bericht / wie fern man den Oberherrn gehorſam ſchuldig / ꝛc. Princeps vir quidam edidit, vt docet his verbis præfatio: Es hat eine hohe Fürſtliche Perſon / dieſen hernach geſchriebenen Vnterricht geſtellet. Item, Philippus Melanchthon, cum, *in præfat. ſupr. allegata*, tum, in eo *epitom. philoſ. moral.* loco, in quo de Conſtantini in Licinium bello, diſſerit; & *orat. de Maccabæis, declamat. tom.* 3 Baſil. Monnerus ICtus, ac Salanæ huius profeſſor eximius, in *orat. de pontificior. reſtitutione*, quam Maij die 23. anno 1556. in hac Academia habuit, Henric. Bocerus. *libr.* 1. *de iur. bell. capit.* 5. Georg. Obrecht. *part.* 2. *diſput. feudali* 12. *theſ.* 282. *& ſeqq.* Waremb. de Erenb. *medit. pro fœder. capit.* 2. *num.* 240. *& ſeqq.* Iohan. Althuſ. *polit. capitul.* 7. *&* 29. Stephan. Iun. *vindic. contra tyr. quæſt.* 2. ac *de iur. magn. in ſubd. quæſt.* 10. Lipſius, *in defenſ. cap.* 2. *polit. libro, ad verſ. dialogiſt.* Cornheert. *in epit. proceſſ de non occid. hæret. c.* 3. Minus Celſus *de hæret. non occid. ſect.* 3. *&* 4. Qui pro affirmatiua vnanimiter his rationibus pugnant.

I. Quod non modo in hoc magiſtratus conſtitutus eſt, vt ſubditi quietam & tranquillam vitam agant, in omni honeſtate, ſed etiam in omni pietate, 1. *ad Timoth.* 2. *verſic.* 2. Ex quo, Reges, & nutricij vocantur Eccleſiæ, *Eſaiæ* 49. Quia alitur & ſuſtentatur Eccleſia tum maxime, cum Principes verbum Dei tuto prædicari, piorum cœtus colligi, nec ab impijs diſſipari ſinunt. Et iubentur non modo tanquam homines, ſed etiam tanquam Reges domino ſeruire, *Pſalm.* 2. iuncta Auguſtini interpretatione, in *c.* 24. *cauſ.* 23. *q.* 4. Volumen legis diuinæ, nocturna verſare manu, verſare diurna, *Deut.* 17. *verſ.* 18. *Ioſua* 1. *verſ.* 8. Ac poſteaquam voluntatem domini didicerint, eidem, ciuitatis portas aperire *Pſal.* 24.

II. Quod omni iure, iniuſtam vim repellere, etiam priuatis, ac tanto magis magiſtratui licere debet, *l.* 3. *de I. & I. l.* 45. *§.* 4. *ad l. Aquil.* Non enim fruſtra gladium gerit, *Roman.* 13. Eſt autem vis illa iniuſta, quæ propter religionis diuerſitatem infertur hominibus. Non enim religio cogi poteſt, debetue, vt copioſe docuimus, *diſp.* 1. *aſſert.* 4. Licet itaque; imo vero, debet quoque magiſtratus, eam repellere.

III. Qui non obſiſtit iniuriæ, cum poteſt, tam eſt in vitio, quam is qui facit monente Cic. *offic. libr.* 1. Ambroſio in *ca.* 7. *cauſ.* 23. *queſtion.* 3. Pontifice, in *ca.* 12. *cauſ.* 23. *quæſt.* 8. Poteſt autem magiſtratus. Quia in hoc gladium à Deo accepit, vt tueatur bonos, pioſque, *Roman.* 13. *d. capit.* 2. *ad Timoth.* 2. puniat malos. *d. capit.* 13. Ergo cum non obſiſtit, tam eſt in vitio, quam is qui facit. Quam quidem collectionem, & ad Eccleſiæ caput, Auguſtinus applicat, cum ſcribit in *Pſalm.* 81. referente Gratiano in ca. 11. cauſ. 23. quæſtion. 3. *oſtendit propheta, nec illos immunes eſſe à ſcelere, qui permiſerunt Chriſtum principibus interficere, cum præ multitudine timerentur, & poſſent illos à facto, ſe ipſos à conſenſu liberare. Quia qui deſinit obuiare, cum poteſt, conſentit.* Quod autem Auguſtinus ait, de capite, hoc nobis merito, ad cætera etiam Chriſti membra, videmur extendere.

IV. Si qui deſerunt Eccleſiam, cum ob temporalia, quæ poſſidet, bona, affligitur, ne imperio quidem digni ſunt, quanto minus, qui cum viua ac vera eius membra, indignis iniurijs afficiuntur? Non digni autem iſti. Nam propter hanc cauſam, quod Imperatores orientis, Eccleſias occidentales a Longobardorum rapinis defendere, negligerent, in toto occidente, Imperatoria maieſtate exuti ſunt, ac tranſlatum in Carolum Magnum Imperium. Quam tranſlationem nemo non iuſtam confitetur. Lupold. de Babenbergk. *de iur. & tranſlat. imp. capit.* 3. 4. 18. Radulph. de Column. *de tranſlat. imp. §. hoc itaque Pontifice*, Alb. Gentilis 1. *de iur. bell. capitul.* 23. Multo igitur minus, qui viua Dei templa, iniurijs hominum improborum impune expoſitos eſſe ſinunt.

V. In ſacris literis Apoſtolus, cum propter religionem Iudæos, capitales ſibi inſidias ſtruere intelligeret, per quendam cognatum Tribuni opem imploraſſe legitur. *Actor.* 23. Id quod Apoſtoli exemplum, vſque adeo Epiſcopis omnibus, in conſequentiam putat Auguſtinus trahendum, vt produ.. etiam Eccleſiæ inculari poſſint, quicunque magiſtratus opem inuocare neglexerint *ca.* 2. *cauſ.* 23. *qu.* 3.

VI. Laudatur etiam Tribunus, quod militari Paulum præſidio munierit. *Act.* 23.

VII. Laudantur Maccabæi; quod propter religionem in Iudæos ſæuienti Antiocho, fortiter reſtiterint. 1. *Maccabaor. capit.* 1. *&* 2. Phil. Mel. *declam. tom.* 3. *in orat. de Maccab.* Ayala *lib.* 2. *de iur. bell. cap.* 1. *num.* 11. De quorum facto, ne quis temere pronunciet aut proterue, cum alioquin inter apocryphos liber ille referatur, Alb. Gent. in *dedicat. ad lib.* 1. *Maccabaor.* eſt iamdudum à Daniele promiſſum, *capit.* 11. *verſic.* 32. Sic enim de Maccabæis prædixit: *populus autem ſciens Deum ſuum corroborabitur*,

VIII. Abdias vero, quanquam, cum priuatus eſſet, armata manu prophetas, quos Ieſabel iuſſerat interfici non defenderit, laudatur tamen quod defenderit. 1. *Reg.* 18. *verſ.* 4.

IX. Similiterque in Eccleſiaſticis hiſtorijs prædicantur Armenij, & Conſtantinus Magnus. Illi, quod non minus ac Maccabæi, furentem ob abiectum idolorum cultum, Maximinum: hic, quod propter eandem cauſam in Chriſtianos ſæuientem Licinium, vi repreſſerit. Euſeb. *hiſt. Eccleſiaſt. lib.* 9. *cap.* 8. *& vltim.*

X. At Imperatores Germanici, ab infinitis pro defenſione religionis Chriſtianæ ſuſceptis expeditionibus, hoc ſibi ius nomenque acquiſierunt, vt aduocati ac protectores Eccleſiæ, *cap. venerabilem*, verſicul. *nunquid, de election. cap. vnic. de iureiur. Clementin. libr. 2. titul. 9.* Lupold. de Babenbergk. *de iur. ac translat. Imperij capitul. 9. & 13.* Der heiligen Chriſtlichen Kirchen / rechte Voigt / Aduocaten / Schirm vnnd Schutzherrn / ſalutati ſint. Reichs Abſchiede zu Cöln anno 1512. §. vnnd nach dem wir. Item / zu Augſpurg anno 1518. §. erſtlich / vnd anno 1548. §. damit dann Iohan. Zanger. in *orat. de iur. Canon.* Knichen. *de Saxonic. non prou. iur.* verbo: *ducum. capit. 5. num. 495. & ſeq.*

XI. Vnde, ſicut olim, religionem Romanam, aduerſus vim, ſumma ſe fide tuituros iurabant, *capit. tibi domino, diſtinction. 63.* Lupold. de Babenbergk. *de iur. ac translat. Imper. libr. 9. & 13.* Sleidan. *comm. libr. 1.* Hartman. Maurus, *de coron. Imper. Caroli V. tom. 2. Hiſtori. Sim. Schardij.* Sic hodie & reformatam, non minore fide, ſe vel armis tuituros iurant, Reichs Abſchiede zu Augſpurg / anno 1555. §. ſolches alles / & §. ferner vorpflichten. Quod facit & Rex Galliæ. Autor libelli *de extrem. Galliæ motibus.* Et Rex Bohemiæ. Autor *d. lib.* Petrus Burſa in der Behemiſchen Landesordnung / *articul. 32. in fin.* Et rex Poloniæ, Steph. Iunius *vindic. contr. tyr. quæſt. 3.* Autor libelli *de Polon. elect. in comit. Warſou. anno 1587.* Sed fruſtra tamen omnes, ſi religionem fas non eſt, bellica vi defendere. Quoniam non eſt obligatorium iuſiurandum, quod non habet comitem, iuſtitiam, *cap. 2. cauſ. 22. q. 2. Nou. 51. in pr.* Iuſtitia autem non hominibus modo, ſed Deo quoque tribuit, quod Dei eſt. Donell. *2. comm. c. 3.*

XII. Sed & Imperij Status, ornauit eodem titulo Carolus V. Reichs Abſchiede zu Nürnberg / anno 1524. §. als auch. Quia & hi, ius aduocatiæ ſiue protectionis, in Eccleſiis, Epiſcopatibus, Abbatiis, & cœnobiis, ſuis in territorijs ſitis, vel longo vſu quæſitum habent, vel ab Impp. vna cum ditionibus conceſſum; cum infeudantur, Mit allen Prælaturen vnd Klöſtern / derſelben weltlichen Obrigkeit / Schutz / Rechten vnd Advocatien / Ludou. Fachſius, *tom. 2. conſil. illuſtr. ICtor. & Academ. conſil. 55. num. 5.* Knichen. *d. loc. num. 498.* Idque, & religionis pacificatio, ipſis confirmauit, d. §. ferner verpflichten. Atqui, ſecundum iſtorum opinionem, non poſſent & hi, Eccleſias tutelæ ſuæ commiſſas, aduerſus vim defendere. Qua ratione abolebitur, non illud modo protectionis ius, ſed etiam Imperij longe ſaluberrima conſtitutio, religionis pacificatio.

XIII. Atque armis quidem religionem ſæpius tuiti ſunt veteres Germani. Adeo, vt plerique omnes ordines equeſtres, ob hanc, defendendæ veræ religionis, cauſam, inſtituti fuiſſe ferebantur. Spangenbergk. Adelsſpiegel *p. 2. lib. 6. cap. 51.*

XIV. Sic quoq; Huſſiticam religionem propugnarunt olim Bohemi duce Ioh. Ziſcha, viro fortiſſimo. Autor *paralipom. chronici Abbatis Vrſpergenſis* annex. in Sigiſmund. Imp. Spangenbergk. Adelsſpiegel *p. 2. li. 6. c. 53.* Et in *chron. Saxon. c. 310. 313. 314. 316. 317.*

XV. Sic reformatam in Germania, non modo Elector noſter Iohan. Fridericus, cæterique confœderati Smalcaldici, ſed inclytus etiam heros, Elector Saxon. Mauritius. Sleid. *com. li. 24.*

XVI. In Gallia vero is, qui hodie rerum potitur, Rex Nauarrenus, Princeps Condæus, & Admiralius, Caſpar Colinius. Dn. de la Noue *diſcurſ. milit. 26. & ſeqq.* Autor *legendar. S. Catharinæ Mediceæ*, Autor *vitæ Caſp. Colinij, Admiralij.*

XVII. In Belgio etiamnum, Ordines, Dn. de la Noue *diſcurſ. milit. 22.* Pant. Candid. *in epit. rer. Belgicarum, &c.*

XVIII. Ac nuper admodum, in Vngaria quidam, ac Tranſyluania, recenſente Iuſto Springer. *de pace religion. cap. 7.* Abdruck der Vergleichung mit den Hungariſchen Ständen / *art. 1.* Poſtremo adde quoque tibi, quod plerique omnes, qui propter religionis cauſam alijs ſuccenſere videri volunt, non tam religionem, quam religionis pallio obducto, regionem, aliudue lucellum quærere conſueuerunt. Mich. Hoſpital. *ſerm. lib. 5. epiſt. 8.* Eberh à Weyhe, in *diſcept. problem. regii.* Hoc enim traditum eſt: I. de Demetrio quodam, argentario, in literis diuinis, ac dominis cuiuſdam diuinatricis Pythonicæ, *Actor. 16. verſ. 16. & ſeqq.* Et *cap. 19. verſ. 24.* P. Gregor. 13. *de Republ. cap. 6. num. 1.*

II. De Philippo Pulchro, Galliarum Rege, Templariorum ordinem, propter ampliſſima bona, prætextu defectionis a religione Chriſtiana, funditus exturpante, Spangenbergk. Adelsſpiegel *p. 1. lib. 11. c. 5.* Bodin. *3. de Repu. 7.*

III. De Ferdinando, Hiſpaniarum Rege Catholico. Guicciardin. *lib. 12.* Alb. Gent. *1. de iur. bell. cap. 9.*

IV. De nepote Ferdinandi, Imper. Carolo V. Mauritius Elector, & Albertus Marchio, apud Sleidan. *lib. 24.* Franciſcus Galliar. Rex, apud P. Heigium *part. 2. quæſt. 11. numer. 15.* Iouius apud Albert. Gentil. *d. capitul. 9.* Gregor. Richter *part. 3. axiom. 27. exemplo tertio*, Bodin. *5. de Republic. 5.*

V. De pronepote Philippo, Hiſpaniarum Rege catholiciſſimo, Iohan. Caſimir. Palatinus, in ſcripto: Warumb S. F. Gn. in Kriegs expedition, zu Rettung der betrangten Niderlanden ſich begeben / publicato, anno 78. §. vnd Anfangs / item §. viel beſchwerlicher. Caſp. Caſparis in *orat. de iur. bell. Belgic.* Nobilis quidam Germanus, in *commonefact. de ſtatu Reip. Chriſtian.*

VI. De

VI. De fratribus Guiſiis, Galliæ regnum affectantibus. Autor *diſcurſ. de reb. Gallic. in pr.* Autor *apolog. cathol. cap. 2. num.* 10. Henric. Steph. in *dialog. Philocelta, & Coronelli.* Et alijs: de quibus P. Gregor. *lib. 13. de Republic. cap.* 11. Nec vero mirum. Ita enim conſtitutum eſt iure pontificio, vt ſi quæ poteſtates ſeculares, ditiones ſuas ab hæretica prauitate purgare neglexerint, illæ catholicis exponantur occupandæ, *capit. excommunicamus, §. moneantur, capit. ad abolendam, §. ſtatuimus, extra, de hæretic.* Quam conſtitutionem, quamlibet ſatis abſurdam, (teſtes inuoco vel ipſos homines catholicos, P. Gregor. *2. partic. iur. Canonic. titul 6. num. 5.* Autorem *apol. cathar. cap. 2. numer. 21. & ſeqq.*) & Fridericus I. Imper. de cauſa neſcio qua, confirmauit, *auth. ſi vero. C. de hæretic. & Manich.* Artibus haud dubie Pontificum, hoc eſt, vi fraudeque adductus. Quod & de Friderici II. legibus quibuſdam, notat Warem. Luithpldus in libr. *de optima ratione componendæ religionis*, Iuſtin. Springer. *de pac. relat. capit. 3.* Quapropter, licebit vel eo nomine, hiſce religionis oppugnatoribus, ſeſe opponere, quod occulti regnorum, ac principatuum aucupes hoſteſque eſſe videntur.

ASSERTIO III.

NEque vero eſt, quod quiſquam dubitandi rationibus, ſupra commemoratis, alio ſe dimoueri patiatur. Nam I. quanquam DEVS pro immenſa potentia ſua, vel abſque vllis mediis, reprobos conuertere, bonos tueri. punire malos, debiles & ægrotos ſanare, atque adeo religionem quoque conſeruare poſſit: nihil tamen hodie fere, niſi per media, agere conſueuit. Et ideo ſuos ſibi in terris miniſtros, ſuos magiſtratus, medicoſque conſtituit. Quorum ope, conſilioque vti, qui contemnit, nihil eſt, quod immediatam DEI immortalis opem expectet. Nam quemadmodum non auditur, qui dum leges inuocat, contra eas committit, *lib. 37. in fin. de minor.* Ita non exauditur, qui, dum DEI immortalis auxilium inuocat, media ab ipſo ordinata contemnendo, contra DEVM committit. Ratio eſt, quia Deum tentat. Vt præclare docent Theologi Magdeburgenſes, in ſcripto, Octobr. die 16. anno 50. edito, cui titulus: Erinnerung der Pfarrherrn zu Magdeburgk / an alle Chriſten / gegenwertige Verfolgung betreffendt: his verbis: Dann wie jenes (fiduciam in viribus humanis ponere) Abgötterey iſt / Alſo iſt dieſes (media contemnere) Vngehorſam vnd Verſuchung Gottes. Verbeut alſo Gott beydes / das Vertrawen / vnd Verachten der Mittel / wo ſie ſeind / ꝛc. Addatur eorundem Theologorum Bekentnuß vnd Vnterricht / p. 2. Ioan. Caſimirus, Comes Palatinus, in ſcripto, *de ſua in Belgium expeditione.* §. Alſo vnd zum dritten. Iohan. Knyttel. *conſil. 2. tom. 4. conſil. illuſtriſſ. ICtor. & Academ. numer.* 121. P. Lorich. in *epiſtol. ad typograph. ante enchirid. arreſtor. num. centeſimo-ſeptimo.*

Nihilo quoque magis obſtat ratio II. Nam & ipſi priuatos, qui ius gladij non habent, religionis defendendæ cauſa, gladium ſumere nolumus, cum Langrauio ac Luthero, apud Sleid. *lib. 5.* aduerſus ruſticos ſeditioſos diſputantibus. Atque iterum, Luthero, apud eundem, *lib. 9.* Georgij Ducis Saxoniæ criminationes refellente. Non habuit autem gladij ius Petrus, licet gladium (vt nos omnes) habuerit, ſed priuatus fuit. Sicque huic eidem obiectioni reſpondet Luther. in *d. concion. 3. ſup. hiſtor. paſſ.* & apud Sleidan. *d. libr. 5.* Landgrauius, idem, Iuſtus Menius, tr. von der Nothwehr / p. 2. Autor Autonom. *p. 2. cap. 18. f. 179. b.* Steph. Iun. *vind. cont. tyr. quæſt. 2. ac de iur. mag. in ſubd. quæſt.* 10. Iohan. Gerhard. *diſput. polit. 10. th. 7.* Addatur *pr. cauſ. 23. quæſt. 8. in princ. & capit. 2.*

III. Autem ratio, mihi quoque eſt, cum Magdeburgenſibus Theologis tota vera: Sed non ideo ſententiæ noſtræ contraria. Enimvero mediis vti quidem licet, vt in morbis, remediis. Knyttel. *d. conſil. 2. num.* 121. At iiſdem ſupra Deum confidere non licet, neque moram ægre ferre, ſi (vt in Belgio, tot iam annos pro aris & focis pugnantes) finem & optatam metam ſuam, ſtatim aſſequi non poſſint. Quoniam illud idololatriæ genus; hoc, patientiæ Chriſtianæ contrarium eſt.

IV. Vero, duplici modo laborat. I. Quia abſurda & falſa eſt opinio Lactantij, *6. diu. inſt.* 20. & aliorum, qui cum Chriſtiana patientia, pugnare putant huius mundi media, quibus ad depellendas iniurias, Chriſtiani vtuntur legitime, vt ſunt cum iudicia, tum bella iuſta, Confeſſ. Auguſtan. *articul. 16. & 28.* Qui in editione latina ſeptimus eſt abuſiuum mutator. Apologia, in *defenſ. artic.* 19. Molinæ. *de vſur. qu. 2. nu. 87. & ſeq.* item *lect. Dolan. 4. num.* 12. Oldendorp. *de iur. & æquit. tit. 6. in princ.* P. Lorichius *d. nu.* 107. Steph. Iun. *de iur. mag. in ſubd. q. 7. & qu.* 10. Lamb. Danæ. *polit. Chriſt. lib. 7. cap. 3.* Goclen. *quæſt. Ethic. c.* 92. Machiauell. *1. de Republ. 2. §. nihil enim religionis.* Immerito, quaſi hic à nobis diſſentiret, notatus ab Antimach. *lib. 2. theor. 3.* Th. Bozio *de reb. bell. cap.* 10. Vnde in hac ipſa cauſa ſancte reſpondebat Lutherus, teſte Sleidan. *com. lib.* 1. & Alb. Gent. *6. d. nupt.* 22. Euangelium non abrogare politias: hoc eſt, non improbare ea, quæ iure naturæ, gentiumue, aut alijs legibus bonis ciuilibus, vnicuique ſecundum ſtatum ac conditionem ſuam permittuntur. Philip. Melanch in *comm. in politic. Ariſtotel.* Iuſtus Menius *d. par. 2. tractat.* von der Nothwehr. Reg. Selipus *libell. eodem.*

II. Quia certe patiuntur, qui armis religionem defendunt, vimque aduerſariorum ſuſtinent.

cum ex Lutheri ipſius ac Philippi monumentis abunde demonſtrari queat, conſultum Nouembris die 18 anno 29. & Martij die 6. anno 30. Lutherum, ſingularibus quidem de cauſis, quas poſtea euulgarunt Theologi Magdeburgenſes, ac Georgius Cœleſtinus, defenſionis cauſa fœdus contrahere licere negaſſe, vna cum Iuſto Iona, Iohan. Bugenhagio, Phil. Melanchthone. Verum, cum iterum ſub finem eiuſdem anni 30. interrogarentur ſerio Lutherus, & Iuſtus Ionas, & Georgius Spalatinus & Philip. Melanchthon, & Nicolaus Amſdorffius, tum eos neq; diſſuaſiſſe fœdus amplius, neque etiam ſuaſiſſe, ſed incedentes media quadam via non diſſuaſiſſe, dicentes, ire ſe in ICtorum ſuadentium probantiumque ſententiam. Et vero in hac denuo eos perſtitiſſe etiam, cum anno 30. impenderet metus armorum Brunſuicenſium, ac reliquorum ſociorum ſancti fœderis Noribergici. Item cum anno 46. iam ingrueret tempeſtas belli Germanici. Qua quidem in ſententia pro ſingulari humanitate ſua ac beneuolentia, me imprimis confirmauit reuerendus ac præcellentiſſimus vir, Dn. M. Abrahamus Langius, Aulæ Vinarienſis a ſacris concionibus.

24. Iam vero ad id mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum; quænam licita ſint, in Imperio fœdera? Conuenit autem inter Bartolum, Baldum, Andr. de Iſernia, Iaſonem, Schurffium, Mynſingerum, Quettam, Iulium Pflugium, Philip. Melanchthonem, Waremundum de Erenbergk, Ioh. Pedium Teringerum, & interpretem deß Reinicken Fuchſes / Ludouicum Dietzium, (ni fallit nos Auctor deß Froſchmeuſelers /) quæcunque defenſionis gratia copulantur, & tanquam in ſtatione ſunt, conſeruandæ pacis publicæ gratia, ea licita, cum omni iure, tum legibus quoque Imperij eſſe, fœdera.

25. Docet nos quoque Waremundus de Erenbergk, itidem pro licitis habenda eſſe, quæ pagũtur in hoc, vt ſalua ſit conſtitutionum Imperialium auctoritas.

26. At vero ictum eſſe fœdus Smalcaldicum non turbandæ, ſed muniendæ pacis publicæ gratia, teſtantur, excepto Quetta, vnanimiter omnes. Surius æque ac Natalis Comes atque Sleidanus, Chytræus, Henricus Merckelius, & Conſiliarij Wirtembergici, aduerſus Ferdinandum Romanorum Regem defendentes Vlrici, Principis ſui cauſam, contrarijs Alciati, Beroi, Quettæ, Alb. Gentilis, And. Knichenij reſponſis ac ſuffragijs claram, & famoſam. Quorum vt deeſſent teſtimonia, ipſa tamen contrahendi fœderis cauſa, quod quærimus, ſatis euinceret. Fuit enim prima omnium, proſcriptio Lutheri. Sed quid Lutheri dico? imo eorum etiam ſimul, qui quoquo modo Luthero fauerent, operamue ei ſuam communicarent. Altera, oborta inter vtriuſque religionis Ordines, grauis ſimultas & offenſio, in comitijs Spirenſibus anno 26. Tertia, decretum comitiorum Ratiſbonenſium anno 29. Contra quod proteſtati impollutæ religionis ordines, *Proteſtantium* nomen celebre ac peruulgatum acceperunt. Poſtrema, ſeuerum iſtud & in Imperio inauditum antea, ac plane ſanguine ſcriptum decretum Comitiorum Auguſtanorum anno 30. vt vero ſeruentur, quæ de religione hic ſtatuta ſunt, ſo haben wir verſprochen vnd zugeſagt / vnſere Königreiche / Land vnd Leut / auch leib vnd gut / zu einander trewlich zu ſetzen §. damit d. an. *Receſſ. Auguſtan. anno* 30.

27. Sed & ictum eſt fœdus noſtrum, gratia tuendarum conſtitutionum Imperialium. Cur enim moueat nos, quem modo adduximus, receſſus Auguſtanus? cum neq; deſit, ei quod obijciatur valide, neq; vt deeſſet, vitioſum videri fœdus poſſit, quod per pacificationem Noribergenſem anno 32. Francofurtenſem anno 39. receſſum Imperij Ratiſbonenſem anno 41. Spirenſem anno 44 conualuit.

28. Niſi forte quis excipiat, fas non eſſe tutelam pacis publicæ ſuſcipere cum hoc agitur, vt extirpetur armata vi religio. Quod quidem rete, tendebant conſcientijs nonnulli. cũ ſeculo ſuperiore, reformatæ religionis ordines in Germania Galliaq;, pro fide, caput fortunaſq, deuouere ſuas decreuiſſent. Ac poſt eos Auctor Autonomiæ. Verſute quidem ac veteratorie. Sed quo tam verſute? eſt enim exploſum technæ hoc genus, cum alijs Imperij legibus, tum vero maxime, religionis pacificatione. Quæ, religionis ergo vim ſuſtinenti, gladium ipſamet porrigit, & cæteros abſque diſcrimine Ordines, ad ſuppetias ferendas, vocat, cogit, impellit. Atque ad hunc guſtum a nobis alibi, ſic hæc pertractata quæſtio eſt, vt cum aliis, viris doctis, tum etiam eximij nominis ICto, Dn. Leopoldo Hackelmanno Archiepiſcopali Magdeburgico Conſiliario ſatisfecerimus.

29. Niſi item forte quis excipiat: non licuiſſe religionis propugnandæ gratia, fœdus ferire aduerſus Cæſarem. Qui ſane nodus durus ac perplexus eſt, nec deſtituitur permagnis ad ſpeciem rationibus, quas haud facile amoliri poterit de vulgo Dauus aliquis.

30. Vt ecce per legem regiam de imperio Caroli V. Cæſaris latam, data erat ei, communi populi totius conſenſu, hæc poteſtas, vt tueretur pontificem & eccleſiam Romanam, eiuſq; eſſet aduocatus Sleidano teſtante, ac Melchiore Goldaſto Haiminsfeldio.

31. Rogatus etiam cum ſacris initiaretur auſpicijs, nomine totius Imperij, num vellet ſeruare fidem catholicam, defendere eccleſiam, pontifici Romano exhibere honorem debitum? ſpopondit, ductuſq; ad aram, conceptis verbis, ſemel atq; iterum adiurauit. Idemque fecit, cum anno 29. coronam acciperet à pontifice, eique pro more iuraret. Nequaquam, vt vaſallus domino. Suauiſſimos ludos præbuit, qui ſic declarauit *capit. tibi domino Iohanni. diſt.* 64. Clemens V. in *Clement. vnic. de iur.* meritoque Lupoldo de Babenbergk Marſilio* Ficino, Sleidano, Schardio, Hotomanno, Cuiacio, Nic. Ciſnero, Warem. de Erenbergk, Ritterſhuſio ac nouiſſime Melch. Goldaſto Haiminsfeldio, deridiculo fuit. Sed vt clienti, patronus. Atque inde deinceps non ſemel, cum inſtarent & vrgerent religionis libertatem noſtræ religionis Ordines, ſacramento ſe & conſcientia impediri dixit, quo

minus

minus, quod petebatur, permittere poſſet. Veluti in reſponſione, legatis ciuitatum pro Magdeburgenſibus ac Bremenſibus intercedentium per Atrebatenſem data, Nouembris die 24. anno 49. Jhre May. könten auch jhrem eignen Bruder in der Religion nichts nachgeben. Sonſt würden jhre May. meineydig.

32. Adhæc, certi & indubitati iuris eſt, omni in fœdere, quod quidem licitum videri debet, excipiendum eſſe Cæſarem, quantumuis inpenſe neget Bodinus. Hoc enim conſequens eſt iuramento fidelitatis. Conſentaneum Aureæ Caroli IV. Bullæ. Conforme iuri Saxonico, eiuſq; gloſſæ. Item definitioni interpretum iuris, Baldi, Mynſingeri, Anto. Quettæ, Waremundi de Erenbergk. Exemplis licitorum fœderum. Et quid multa? confeſſioni ipſorum Ordinum fœderis Smalcaldici. Qui à Franciſco I. Galliarum Rege, per Guil. Bellaium de fœdere ſollicitati, infecta re, dimittebant legatum, quod dicerent, *ſibi Cæſarem in fœdere excipiundum, & aduerſus eum nihil faciundum eſſe.* Similiterque iniungebant ſuis in Angliam legatis, *vt ſi cum rege forte fœdus coiret, in rebus omnibus Imperium atque Cæſarem, cui fide ſint atq; iureiurando deuincti, claris verbis exciperent.* Nec omittendum eſt clariſſimum Mauricij Electoris Saxoniæ, dicentis teſtimonium: *non fuiſſe ſibi integrum magiſtratui reſiſtere, quem omnia fœdera ſemper excipiant.* An vero exceperunt Cæſarem, qui cum eo tandem, collatis pro tenore fœderis, viribus, pro religione, bellum apertum geſſerunt? quiq; in legibus deditionis poſtea promiſerunt: *ſe deinceps nullum fœdus facturos, in quo non & Cæſar excipiatur & Rex Ferdinandus*: non credit ſane, qui hanc rationem vrget. Quetta. Hinc itaq; videtur poſſe effici, nequaquam licuiſſe religionis in tuto exercendæ cauſa, fœderis ſocietatem aduerſus Cæſarem iungere.

33. Verum enim vero ad hunc modum Capitulationem qui Cæſaream & iuſiurandum vrgent, multa peccant. Quoniam non vident id, quod viderunt ICti Witebergenſes, ſuffragante ipſamet Capitulatione. Decreuerunt vtriuſq; religionis Ordines. Conceſſit Cæſar. Pollicentur receſſus Imperij, de Cæſaris omniumq; Statuum voluntate conſtituti. Explanauit peculiari oratione Ioh. Sleidanus. Pugnauit Auctor epiſtolæ anno 40. editæ: *An ſtatui & dignitati eccleſiaſticorum magis conducat, admittere ſynodum nationalem, piam & liberam, quam decernere bello?* Voluit Stephan. Iunius. Non deficientibus ſuccenturiatis, Philippo Melanchthone, Theod. Coornhert, Spangenbergio, Autore explicationis Gallicarum controuerſiarum.

34. At qui aſſeuerant, exceptum non fuiſſe in fœdere Smalcaldico Cæſarem, primum cum Dauide Chytræo, Hentic. Merckelio, P. Heigio, parum ſentiunt. Deinde, aliquid ſane dicunt, vbicunq; Cæſar, Cæſar, hoc eſt, maior ac ſuperior eſt, & maieſtatis, vel (vt vulgariter loquar,) ſuperioritatis iure Ordines antecellit. Vbi vero ſecus, quid? etiamne tum Cæſar excipiendus erit?

35. Non putabat quidem certe, Dux & Elector Saxoniæ Iohannes, cognomento Conſtans, Bauarique fratres, Guilielmus, ac Ludouicus, nec non Philippus Haſſiæ Landgrauius, cum tuendæ bullæ Carolinæ gratia, fœdus pangerent, in Carolum V. Imp. atq; fratrem Ferdinandum cũ Franciſco Galliarum Rege eius nominis I. auctoribus, Martino Bellaio, Sleidano, Iac. Aug. Thuano.

36. Non, heros fortiſſimus ac ſempiterna memoria digniſſimus Dux & Elector Saxoniæ Mauricius, cum in eundem Imp. Carolum V. Galliarum Regem Henricum II. ſibi, ſocijſq; ſuis, fœdere coniungeret, vt patriam libertati, religionem paci redderet ac reſtitueret. Non, auctores diſtinctionis, frequenter ſeculo ſuperiore vſurpatæ, inter Cæſarem, qua Cæſarem, & qua non item. Ad quã referrem lubens Saxonis iſtam ac Landgrauij, apud Sleidanum, diſceptationem: *Cæſarisne, an alio quo nomine ſit appellandus Cæſar, in literis belli Germanici denunciatorijs?* niſi diſtinctionis noſtræ metas Saxo tranſilire voluiſſe videretur, alia ratione. Quam didicimus è libello, ſub Regij Selyni nomine à Baſilio Monnero, ICto, diuulgato, vt nos primus docuit M. Wolffgang. Heiderus, Salanæ huius inſigne decus. Quare, hæc cum ita ſint, ſileant, qui fœdus noſtrum pernicioſæ coniurationis vel iniuſtitiæ inſimulare, nihil hæſitarunt.

37. Eundem Mauritium, Ducem & Electorem Saxoniæ, fœderis Smalcaldici ſocium aliquandiu fuiſſe, vult Natalis Comes, ac Lamb. Hortenſius, quorum in partes procliuior eſſe videtur Iac. Aug. Thuanus. Sleidanus non vult, & cum eo Chytræus. Vtris ergo credendum erit? admonuit nõ ita pridẽ, præclarę vir eruditionis ac virtutis, Petrus Heigius, conatu magno, magnas nugas dicere Natalem Comitem. Rectiſſime ſane. Cur autem Sleidano magis ac Chytræo credendum ſit, ex principijs hiſtoricis nobis amplius enucleandum erit.

38. Eadem quoque principia hiſtorica oſtendunt, cum quæritur, fueritne in fœdere Smalcaldico Georgius Brandenburgicus? fidendum magis inficianti Sleidano, quam affirmanti Merkelio, Buntingo, Spangenbergio. Fueritne Noriberga ac Rotemburgum? aſſentiendum itidem magis neganti Sleidano, Merckelio, Aulæ, Hortenſio, quam aſſeueranti Natali Comiti. Fueritne Lubeca? diſtinctione Chytræi adhibita, rem componendam magis, quam fouendam aut inducendam inter Merckelium, Aulam, Hortenſium, diſſenſionem, perpetuam

39. Rogati vero de Pheugaris? Phrygis? Pharodinis? Tunemburgo? Lemburgo? Gesfinga? Cauſaporno? quid dicemus? in fœdere fuiſſe eos, vt Natalis Comes ſcribit, an non? *Pheugaros*, quos ipſe Natalis interpretatur Halberſtatenſes, ſine riſu neminem, inter confœderatos cernere poſſe. Cæteros vix quenquam intelligere. Ecquos enim, Natalis vocas *Phrygas*? ecquos *Pharodinos*? *Tunemburgum*? *Lemburgum*? *Geſingam*? *Cauſapornum*? populine aut ciuitates Germaniæ ſunt, an Vtopiæ? & ſi Vtopiæ, qui in ſocietatem fœderis Smalcaldici venire potuerunt? Si vero Germaniæ, quid ſibi iſta peregrina Germanis, & abominanda nomina volunt? Sed hic mos auctoris huius

eſt, vt omnia ei gentilitia ac recepta vrbium locorumue nomina, præ aſcititijs & obſoletis ſordeant. Parum probatus Ægidio Tſchudo, Bilibal. Pirckeimero, Petro Diuæo, Ioh. Cuſpiniano, Scipioni Gentili, Iuſto Lipſio.

40. Compleat nunc decades noſtras diſpectio, fueritne vtile, an inutile eorum conſilium, qui tametſi eiuſdem, cuius confœderati, religionis eſſent, mediam tamen viam quandam ire, quam fœderi Smalcaldico nomen dare, maluerunt? & magis eſt, vt cum Iohanne Lauterbach fateamur ſa illſe inutile. Ac videri Chytræum alio abire magis, quam reuera à nobis hic diſcedere.

ADDITAMENTVM VNVM ET ITEM ALTERVM.

I.

GRande mendacium eſt, atque vt Lutheri verbis de donatione Conſtantini Magni, commodum me admonebat, nobiliſſimus vir, Caſpar à Teutleben / principalis aulæ Salanæ præfectus, eine weidliche / dicke / fette / wolgemeſte / Summa, eine rechte Bäpſtliche Lügen / quod in oratione de legato & legatione ſcribit Chriſtophorus Varſeuitius, Polonus, cætera non contemnendus: *Sed è contrario riſu exagitabatur Saxoniæ ducis & Philippi Haſsiæ Landgrauij bello Saxonico in Gallia legatus, qui de Caroli V. Cæſaris in Germania progreſſibus, Franciſcum regem debebat facere indies certiorem & non prius, quam ab ipſo rege didicit, dominos ſuos à Cæſare detineri.* Nam ſi mortuus eſt Rex, Martij die vltimo, anno 47. captus Elector Aprilis die 24. coniunctus fraude Atrebatenſis, in vincula Landgrauius, Iunij die 19. qui in notitiam mortui Regis, principum detentio venire potuit? Accedit, quod ſucceſſorem demum Franciſci, Henricum II. de pugna à Saxone infeliciter commiſſa, per legatum Cæſaris certiorem factum, Thuanus ſcribit. Quodque eius rei legatum, apud regem, nunquam habuere, Saxo ac Landgrauius.

II. Cum omnia quæ adſolent, quæque oportet adeſſe optimo hiſtorico, ſigna, adſint Iohanni Sleidano, eidem merito palmam ſtatuendam dicimus de hiſtorico. Et quidem eo, cui cum ceteri purioris doctrinæ Ordines, tum vero ſereniſſima & illuſtriſſima Domus Saxonica, tantum debeat, quantum homini homo debere poteſt, nomini & exiſtimationi ſuæ nato.

III. Neque aut miramur valde aut moramur, vel Marchionis Alberti ac Georgij Sabini expoſtulationes cum Sleidano, vel Franciſci Hildeshemij de erratis eius ab electore Brandeburgico animaduerſis, teſtimonium, ac multo minus Surij, Gennepi, Iac. Gretleri in Sleidanum nugas inſulſiſſimas. At vero Matth. Dreſſerum, alieno iudicio confiſum, nonnihil de auctoritate Sleidani detrahere conatum, id quidem eſt, quod miramur valde, nec moramur tamen cum aliquibus, ſed vſurpamus Terentianum illud: *non feciſſe fuiſſet melius hic conuitium.*

II.

Anno Domini 1609.

DISPVTATIO DE IVSTITIA BELLI GERMANICI, CONTRA CAROLVM V. IMPER. AB ORDINIBVS GERMANIÆ PROTESTANTIBVS GESTI, AVTHORE FRIDERICO HORTLEDERO IC. habita in Academia Ienenſi, Anno M.DC.IX.

HActenus, quo iure, Carolus V. Imperator, Electori Saxoniæ, bellum intulerit, nobis ſufficienter dixiſſe videmur. Sequitur, vt quo iure illatam vim, Elector à ſe repulerit, inquiramus. Quanquam enim, vbicunque illicita eſt offenſio, ibi ſponte ſua ſequi videatur, defenſionem eſſe licitam, & contra, quemadmodum monet Bartol. ad *l.3. de I. & I. num.* 3. Weſenbec. *parte* 1. *conſil* 45. *numer.* 48. Ant. Quetta. *conſil.* 6. *num.* 1. *& conſil.* 14. *num.* 13. 14. *ac* 31. P. Lorich. in *enchir. arreſt. num.* 255. tamen, quoniam non ſemper hoc argumentum obtinet, Oldend. *in top. loco à contrariis.* Donell. 20. *comm.* 5. Alb. Gent. 5 *de nupt. cap.* 8. ſed interdum ab vtraque parte, vt iuſta, Alb. Gent. 1. *de iur. bell. capit.* 3. ita & iniuſta eſſe poteſt armorum contentio, ad exemplum contentionum ciuilium, quæ militiæ adſimilari, P. Lorich. in *enchir. arreſt. num.* 263. *& ſeqq.* ac de rebus nonnunquam excitari ſolent, ad neutrum litigantium iure ſpectantibus, *l. 1. in pr. ff. de iur.* ideo præſtabilius eſt, concluſionis iſtius vim, paulo accuratius exponere, ac refutatis contrariis, rationibus quibuſdam communire.

Inprimis, cum & oſtenſa iuſta belli cauſa, elidatur, quæ cæteroquin contra hoc proteſtan-

tium

tium bellum, videtur ſtare præſumtio, docente Oldend. in *topic. regul. præſumt.* 12. & 31. Vt enim omne bellum, ſuſceptum à ſuperiore, præſumitur eſſe iuſtum, per ea, quæ diximus *diſput.* 1. ſic è contrario, omne bellum ſuſceptum ab inferiore, Regulariter præſumitur iniuſtum, *l.* 3. *ff. ad l. Iul. maieſtat. l.* 24. *de captiu. & poſtlim. reuer.* Reichs Abſchiedt zu Augſpurg anno 1555. §. wo ſie aber keine. Acta Goslarienſ. in *art. defenſ. ciuit. contra* 40. 41. 42. 43. *teſtis perſonam*. Menoch. *lib.* 6. *præſumpt.* 99. *n.* 4. Alb. Gent. 1. *de iur. bell. c.* 3. Gail. 1. *de pac. pub. c.* 4. *n.* 4. Boc. *li.* 1. *de iur. duell. c.* 4. Warem. de Erenb. *meditat. pro ſœd. cap.* 2. *nu.* 56. Etiamſi ab Imperij Principibus ſuſceptum fuerit. Nam & his, quantumuis ius gerendi belli det, Albert. Gentil. 1. *de iur. bell. capit.* 3. niſi aliud inueſtituræ formula cautum fuerit: rectius tamen negant, Acta Goslarienſ. *d. loc.* Weſenb. *part.* 1. *conſil.* 46. *num* 5. *& ſeqq.* Petr. Heigius *parte* 1. *quæſt.* 12. *num.* 27. *& ſeq.* Knichen. *de Saxon. non prou. iur.* verbo: *diuum: capit* 5. *num.* 450. 451. Warem. de Erenb. *med. pro ſœd. cap.* 2. *num.* 56. Ant. Quetta *conſil.* 6. *num.* 6. Fr. Zoannet. in *tr. de imperio Roman. num.* 109. Ratio eſt, quia (vt Samnitium imperator apud Liuium, recte dicebat, in pr. lib. 9. decad. 1.) *non eſt iuſtum bellum; niſi quibus neceſſarium.* Non eſt autem neceſſarium iis; qui (vt principes) aliquem ſuperiorem, iudiciumque ſuum habent, coram quo, inſtitutis actionibus res repetere, iniuriaſque ſibi factas, vlciſci poſſint, *l.* 13. *ff. quod met. cauſ. l.* 14. *C. de iudæis.* Acta Goslar. *d. loc.* Alb. Gent. *d. cap.* 3. Bocer. 2. *de iur. duell. cap.* 7. P. Heig. *parte* 1. *quæſt.* 12. *numer.* 31. *& ſeqq.* Ant. Quetta *d. conſil.* 6. *numer.* 6. Fr. Zoannett. in *tr. de imper. Romano. num.* 110. Iohan. Althuſ. *politic. cap.* 29. Lamb. Danæus *polit. Chriſt. lib.* 7. *cap.* 3. Sed in rem præſentem veniamus.

ASSERTIO I.

EST autem de iuſtitia belli, ab Electore ſuſcepti, Dubitandi Ratio I. quod armis defendi poſſe non videtur religio.

Primum, quia is, cuius religionis cauſa eſt, Deus præpotentiſſimus, humano non eget patrocinio. Sed ipſe ſatis virium habet, tum ad religionem ſuam defendendam, Matth. 26. *verſ.* 52. 53. Lutherus in *epiſtola ad Iohannem Electorem*, quæ extat *tom.* 6. *German. Ienenſ. in pr.* & apud Chytræum, in *hiſtor. Auguſtan. confeſſ.* item Georg. Cæleſtin. *hiſt. Auguſt. Confeſſ. tom.* 1. Mauritius Elector Sax. in ſcripto, anno 46. cum hac inſcriptione edito: Erklerung / wie wir der Chriſtlichen Religion geneigt / vnd welcher Vrſach halber / wir vns wider die Keyſ. May. nicht eingelaſſen / §. vnd wiewol wir wiſſen. P. Gregor. 13. *de Republ.* 17. *num.* 13. Tum ad diſſipanda gentium, contra ſe coëuntium, conſilia, *Pſalm.* 2. & 33 Luther. *d. loc.* Warem. de Erenberg. *c.* 2. *n.* 53. Greg. Richter. *p.* 3. *axiom.* 41. Tum ad vlciſcendas ſuorum mortes & iniurias, 2. *Reg.* 9. *verſ.* 7. Luth. *d. tom.* 6. Richter. *p.* 3. *axiom.* 36. Vt docet eleganter Hoſpitalius *ſerm. lib.* 6. *epiſt.* 12. cum ait:

—— —— Quid? multa piorum
Mors erit, aut impune ferent tot denſa, tyranni,
Funera? quum vno grauior mox pœna ſequetur,
Aſpicit omnipotens cœlo Deus & ſedet vltor
Tantorum ſcelerum. Noſtra eſt iniuria, dixit,
Et dolor hic meus eſt, vindictam hanc ipſe recepi

II. Quia gladio Chriſtus defendere cauſam ſuam vetuit, cum diceret Petro: *reconde gladium in vaginam tuam. Quicunq; enim ſumſerint gladium gladio peribunt.* Matth. 26. verſ. 52. Luther. contra ruſticos ſeditioſos, apud Sleidan. *com. lib.* 5.

III. Quia nec oportet in auxilijs vllis humanis, ſed in ſolo Deo confidere. Quemadmodum Iudæis reſponſum eſt, aduerſus Aſſyrios & Chaldæos, Ægyptiorum opem implorantibus. Eſaiæ 20. *verſ.* 6 Ezech. 29. *verſ.* 6. & 7. Pr. *q.* 3. *cauſ.* 23. in iure Canonico. Non etiam oportet Dei immortalis opem curis humanis antevortere, ſed expectare. Vnde illud Eſaiæ 30. verſ. 15. *In ſilentio ac ſpe erit fortitudo veſtra.* Luther. *d. tom.* 6. Philip. Melanch. *tom.* 3. *declam. in orat.* de dicto Eſaiæ 51. *poſui verba mea in ore tuo.*

IV. Maxime, quia Chriſtianorum non repugnare eſt, ſed pati, atq; (vt Propheta ait, *Pſal.* 44.) velut oues occiſionis reputari. Luther. *d. tom.* 6. & apud Chytræum, ac Cæleſtinum, locis ſupra allegatis. Georg. Spalatinus, apud eundem Cæleſt. *tom.* 2.

V. Quo & reſpiciens Chriſtus, regnum, de hoc mundo, ſuum non eſſe reſpondit, alioquin certaturos, ne vim pateretur, miniſtros, *d. pr. q.* 3. *cauſ.* 23. Suoſque diſcipulos, fugere tantummodo, non reſiſtere voluit, Matth. 10.

VI. Nec aliud, ipſe fecit, Matth. 2. Ioh 8. *verſ. fin. d. pr. q.* 3. *cauſ.* 23.

VII. Et obſeruauit primitiua Apoſtolorum Eccleſia. In qua

—— —— Vim propulſare manu, non vſque licebat,
Vix etiam vitare fuga —— dicente Hoſpitalio, 6. *ſerm epiſt.* 12. Adeo, vt etiam gauderent Chriſtiani illi primi, quotieſcunq; digni crederentur, qui paterentur contumeliam, pro nomine Chriſti. *d. pr. q.* 3. *cauſ.* 23. Tertullianus ac Cyprianus, apud Alb. Gent. 1. *de iur. bell. c.* 11. Auguſtinus *libr.* 22. *de ciuit. Dei c.* 6. Ambroſius in *cap.* 3. *cauſ.* 23. *q.* 8.

VIII. Eaque ponderaſſe viſus eſt, cum Lutherum ſe defendere nolle profiteretur Elector Sax, Fridericus III. is, qui Sapientis nomen adeptus eſt, teſte Sleidan. *comm. lib.* 2. Philippo ac Brentio, in quadam *ad Philippum Haſſiæ Landgrauium epiſtola*, apud Cæleſtin. *tom.* 1. *hiſt. Aug. confeſſ.*

IX. Ea item perpendiſſe, qui ſeculo ſuperiore, ne pro religione arma caperentur, ſuaſiſſe leguntur, viri longe præſtantiſſimi. Atque inprimis Lutherus, ab Electore Iohanne, conſultus. Cuius rei teſtes habeo, non eas modo Lutheri ad Electorem literas, quas ex *tom.6.Germ.Ienenſ.* Chytræo, ac Cæleſtino, ſæpius citaui, ſed Sleidanum etiam, *com.lib.8.* ac Bodin. *2.de Repub.5.* Vt proinde Philippo, apud Waremb. de Erenbergk. *medit. pro fœd.cap.2.num.40.* Lutherum de fœdere Smalcaldico conſultum eſſe neganti, aſſentiri non poſſim. Luthero autem conſentiebant Theologi cæteri, vt innuit Mauritius Elector in ſcripto, ration. 1. allegato: §. **wiewol wir auch eingedenck ſeint/ was für etlichen Jahren die** Theologi **berichtet vnnd gerathen haben.** Interque eos, Philippus ac Brentius, in d. *ad Philippum Haſſ. Landgr. epiſtol.* Georgius Spalatinus, teſte Cæleſtin. *tom.2. hiſtor. Auguſt. Confeſſ.*

X. Et quamuis erant, qui admitterent defenſionem ICti, monente Sleidan. *d. com.lib.8.* de cuius tamen fide, Alb. Gentil. *diſp.regal.3.* hic ſubdubitare velle videtur, attamen Lutherus diſerte, audiendos eos non eſſe reſpondit, *d.ad Electorem Ioh.epiſt.* & in quadam alia, ad Wenceslaum Lincu, apud Cæleſtin. *tom.vlt.hiſt. Aug. confeſſ.* Tantum abeſſe dixerit aliquis, vt in eorum ſententiam ierit, quod & ipſum tamen, Sleidanus ſcriptum reliquit, d.com.lib 8.

XI. Nec vero à Luthero diſſentiebat Gregorius Pontanus, Electorum, Friderici III. Iohannis Conſtantis, & Ioh. Friderici, Cancellarius. Nam & hunc in deliberatione huius belli dixiſſe, ſcribit Henric. Merckel. in lib. de obſid. Magdeburg. *comitem ſe quidem fortunæ principum fore, qualiſcunque tandem euentus futurus eſſet. At ſuaſorem belli non fore.* Sic ille, de Pontano, maximo viro. Cuius, quoties in Salanæ huius templo oppidano, tumulum intuemur; *ſubit* (quod conſimili in caſu Plinius ait, lib.6. epiſt.10. & lib.9. epiſt.19.) *indignatio, cum miſeratione, reliquias neglectumque cinerem ſine titulo, ſine nomine iacere, cuius memoria orbem terrarum peruagatur. Nam cui viro magno verendum non eſt quod videmus accidiſſe* Pontano? *cuius iniuriam vt indigniorem ſic notiorem ipſius claritas facit.* Legatur Philippi Melanch. de Gregorio Pontano oratio, *declamat. tom.5.*

ASSERTIO II.

ATque hæc quidem ſunt, quæ pro negatiua rationes adferri ſolent. Sed videndum tamen eſt, ne pro affirmatiua rationes adferantur multo fortiores. Secundum quas dicendum ſit, recte omnino, ordineq; Electorem feciſſe, quod religionem, ſibi armis defendendam ſumſerit. Hic ignorare non oportet, quidnam ſibi velint, qui religionem armis defendi poſſe, vel non poſſe, inquiunt. Nam ſi quis per *religionem*, in hac cauſæ conſtitutione, cultum ipſum diuinum, quo (iuxta definitionem Lactantij *4.diu.inſtit.c.28.* & Auguſtini *lib.10. de ciu.Dei c. 1.*) ſibi Deus religat hominem ac deuincit, intelligere velit, næ, ille recta ſecum via rem non reputabit. Hic enim cultus, vt inuiſibilis eſt ac ſpiritualis, & in verbo Dei nobis præſcriptus, ita nec viſibilibus, ac corporalibus, ſuppoſitus eſſe poteſt, iniurijs, nec capax, viſibilis & externæ cuiuſdam defenſionis, docente Cornheertio in *epiſt. proceſſ. de non occid. haret. c* ; . Intelligenda eſt itaq; hic *religio*. non in abſtracto, ſed in concreto, in hominibus conſiderata. Qui homines, vt viſibiles ac corporei ſunt, ita & propter religionem, externis obnoxij iniurijs, ac defenſionis capaces eſſe poſſunt. Cornheert. *a.c.3.* Quocirca, cum religionem armis defendi poſſe dicimus, nihil niſi vnum hoc ſignificamus: homines religionis alicuius cauſa vim ſuſtinentes, præſidio armorum recte defendi poſſe. Id quod certe, ante nos, præter Proteſtantes ipſos, apud Sleidan. *lib.17.& 18.* ac Lambert. Hortenſ. *de bell. Germ.lib.2.* & Lutherus voluit, repurgandæ vir doctrinæ cœleſtis diuinitus excitatus, vt conſtat, *ex fol.508.* & fine libelli, **wider den Meuchler zu Dreſſen/** *tom.5. Germ.Ienenſ.* Deinde, auß ſeiner **Warnung an ſeine liebe Deutſchen/** *eod.tom.5.f.276.282.& in fin. libelli eiuſdem.* Tum, *ex concione eius 5 ſuper hiſtoriam paſſionis, in poſtillis domeſticis*, non Torgæ nuper, ſed Witebergæ quondam impreſſis. Poſt ex alia quadam Lutheri ad anonymum epiſtola, quam anno 47. cum præfationibus ſuis, Philippus ac Bugenhagius, Witebergæ, hoc ſub titulo ediderunt: **Erklerung D. Martin. Luthers/ von der Frage die Nothwehr belangend:** Ac poſtremo, ex diſputatione, quam itidem Witebergæ Lutherus, anno 1540. publice in hanc ſententiã propoſuit: **daß man dem Bapſt vnd ſeinen Schutzherrn / wider Vnrecht/ Gewalt vnd Krieg/ widerſtand thun ſoll.** Quos poſteriores libellos duos, vna cum pereruditis quibuſdam Regij cuiuſdam Selini, ICti, ac Iuſti Menij, **von der defenſion vnd gegenwehr** libellis, anno 46. & 47. pro Electore editis pro noſtra ſumma coniunctione, ex bibliotheca aui, Ioſephi Leuini Metzſchij, nobiliſſimi viri, & inter exempla pietatis à Spangenbergio relati, **Adelsſpiegel** *part. 2. lib. 6. cap. 43.* ad me miſit Fridericus **Metzſch/** flos nobilitatis Germanicæ. Quid enim vereat, ne parum ſit ſynceræ teſtis, amicitia? cum non modo noſtra Salana hæc eximia, ſed extera quoque iſta Iuriſprudentiæ lumina, literarumque columina, Anton. Faber, Ægidius Hortenſius, Iohan. Hotomannus, Iſaac. Caſaubonus, &c. amœnum Metzſchij ingenium, & eruditionem minime vulgarem, exacta cum Italicæ ac Gallicanæ linguæ peritia, ſummaque prudentia coniunctam, diligere & admirari cœperint. Verum, quod cœpimus, agamus.

Addantur Theologi Magdeburgenſes. Quorum extat, Aprilis die 14. anno 1550. ſub hac inſcriptione: **Bekentnuß / Vnterricht / vnd Vormahnung der Pfarrherrn zu Magdeburg /** ibidem edita diſputatio, cum cura ſcripta. Cuius meminit his verbis Sleidanus, commen. libr.22.: *Poſt, Eccleſiæ miniſtri, menſe Aprili ſcriptum edunt. In eo, doctrinæ ſuæ confeſſionem recitant, & magiſtratui licere demonſtrant inferiori, defendere ſe contra ſuperiorem, cogentem diſcedere à veritate.* Ac

Span-

Spangenbergius, Adelsſpiegels part. 2. lib. 7. cap. 18. ſic ſcribens anno 1550. hat ſich Herr Nicolaus Amsdorff / der ſchönen / tröſtlichen / vnnd außbündigen Bekenntnuß / der Prediger zu Magdeburgk / auch vnterſchrieben / vnnd ſich darzu bekandt. Præterea libellus, quem cum hac ſuperſcriptione: Gründtlicher bericht / wie ferrn man den Oberherrn gehorſam ſchuldig / ꝛc. Princeps vir quidam edidit, vt docet his verbis præfatio: Es hat eine hohe Fürſtliche Perſon / dieſen hernach geſchriebenen Vnterricht geſtellet. Item, Philippus Melanchthon, cum in *præfat. ſupr. allegata*, tum, in eo *epitom. philoſ. moral.* loco, in quo de Conſtantini in Licinium bello, diſſerit; & *orat. de Maccabæis, declamat. tom.* 3. Baſil. Monnerus ICtus, ac Salanæ huius profeſſor eximius, in *orat. de pontificior. reſtitutione*, quam Maij die 23. anno 1556. in hac Academia habuit, Henric. Bocerus. *libr. 1. de iur. bell. capit.* 5. Georg. Obrecht. *part. 2. diſſert. feudalis* 12. *theſ.* 282. *& ſeqq.* Wareinb. de Erenb. *medit. pro fœder. capit. 2. num.* 240. *& ſeqq.* Iohan. Althuſ. *politic. capitul.* 7. *&* 29. Stephan. Iun. *vindic. contra tyr. quæſt.* 2. ac *de iur. magiſt. in ſubd. quæſt.* 10. Lipſius, in *defenſ. cap. 2. polit. libro, ad verſ. dialogiſt.* Cornheert. in *epit. proceſſ. de non occid. hæret. c.* 3. Minus Celſus *de hæret. non occid. ſect.* 3. *&* 4. Qui pro affirmatiua vnanimiter his rationibus pugnant.

I. Quod non modo in hoc magiſtratus conſtitutus eſt, vt ſubditi quietam & tranquillam vitam agant, in omni honeſtate, ſed etiam in omni pietate, *1. ad Timoth. 2. verſic.* 2. Ex quo, Reges, & nutricij vocantur Eccleſiæ, *Eſaiæ* 49. Quia alitur & ſuſtentatur Eccleſia tum maxime, cum Principes verbum Dei tuto prædicari, piorum cœtus colligi, nec ab impijs diſſipari ſinunt. Et iubentur non modo tanquam homines, ſed etiam tanquam Reges domino ſeruire, *Pſalm.* 2. iuncta Auguſtini interpretatione, in *c.* 24. *cauſ* 23. *q.* 4. Volumen legis diuinæ, nocturna verſare manu, verſare diurna, *Deut.* 17. *verſ.* 18. *Ioſuæ* 1. *verſ.* 8. Ac poſteaquam voluntatem domini didicerint, eidem, ciuitatis portas aperire *Pſal.* 24.

II. Quod omni iure, iniuſtam vim repellere, etiam priuatis, ac tanto magis magiſtratui licere debet, *l. 3. de I. & I. l. 45. §. 4. ad l. Aquil.* Non enim fruſtra gladium gerit, *Roman.* 13. Eſt autem vis ita iniuſta, quæ propter religionis diuerſitatem infertur hominibus. Non enim religio cogi poteſt, debetue, vt copioſe docuimus, *diſp. 1. aſſert.* 4. Licet itaque; imo vero, debet quoque magiſtratus, eam repellere.

III. Qui non obſiſtit iniuriæ, cum poteſt, tam eſt in vitio, quam is qui facit monente Cic. *offic. libr.* 1. Ambroſio in *ca. 7. cauſ.* 23. *queſtion.* 3. Pontifice, in *ca. 12. cauſ. 23. quæſt.* 8. Poteſt autem magiſtratus. Quia in hoc gladium à Deo accepit, vt tueatur bonos, pioſque, *Roman. 13. d. capit. 2. ad Timoth.* 2. puniat malos. *d. capit.* 13. Ergo cum non obſiſtit, tam eſt in vitio, quam is qui facit. Quam quidem collectionem, & ad Eccleſiæ caput, Auguſtinus applicat, cum ſcribit in *Pſalm.* 81. referente Gratiano in ca. 11. cauſ. 23. quæſtion. 3. *oſtendit propheta, nec illos immunes eſſe à ſcelere, qui permiſerunt Chriſtum principibus interficere, cum præ multitudine timerentur, & poſſent illos à facto, ſe ipſos à conſenſu liberare. Quia qui deſinit obuiare, cum poteſt, conſentit.* Quod autem Auguſtinus ait, de capite, hoc nobis merito, ad cætera etiam Chriſti membra, videmur extendere.

IV. Si qui deſerunt Eccleſiam, cum ob temporalia, quæ poſſidet, bona, affligitur, ne imperio quidem digni ſunt, quanto minus, qui cum viua ac vera eius membra, indignis iniurijs afficiuntur? Non digni autem iſti. Nam propter hanc cauſam, quod Imperatores orientis, Eccleſias occidentales à Longobardorum rapinis defendere, negligerent, in toto occidente, Imperatoria maieſtate exuti ſunt, ac translatum in Carolum Magnum Imperium. Quam translationem nemo non iuſtam confitetur. Lupold. de Babenbergk. *de iur. & translat. Imp. capit.* 3. 4. 18. Radulph. de Columm. *de translat. Imp. §. hoc itaque Pontifice*, Alb. Gentilis *1. de iur. bell. capitul.* 23. Multo igitur minus, qui viua Dei templa, iniurijs hominum improborum impune expoſitos eſſe ſinunt.

V. In ſacris literis Apoſtolus, cum propter religionem Iudæos, capitales ſibi inſidias ſtruere intelligeret, per quendam cognatum Tribuni opem imploraſſe legitur. *Actor.* 23. Id quod Apoſtoli exemplum, vſque adeo Epiſcopis omnibus, in conſequentiam putat Auguſtinus trahendum, vt proditæ etiam Eccleſiæ incuſari poſſint, quicunque magiſtratus opem inuocare neglexerint *ca. 2. cauſ. 23. qu.* 3.

VI. Laudatur etiam Tribunus, quod militari Paulum præſidio munierit. *Act.* 23.

VII. Laudantur Maccabæi, quod propter religionem in Iudæos ſæuienti Antiocho, fortiter reſtiterint. *1. Maccabæor. capit. 1. &* 2. Phil. Mel. *declam. tom. 3. in orat. de Maccab.* Ayala *lib. 2. de iur. bell. cap. 1. num.* 11. De quorum facto, ne quis temere pronunciet aut proterue, cum alioquin inter apocryphos liber ille referatur, Alb. Gent. in *dedicat. ad lib. 1. Maccabæor.* eſt iamdudum à Daniele prouiſum, *capit. 11. verſic.* 32. Sic enim de Maccabæis prædixit: *populus autem ſciens Deum ſuum corroborabitur.*

VIII. Abdias vero, quanquam, cum priuatus eſſet, armata manu prophetas, quos Ieſabel iuſſerat interfici, non defenderit, laudatur tamen quod defenderit. *1. Reg. 18. verſ.* 4.

IX. Similiterque in Eccleſiaſticis hiſtorijs prædicantur Armenij, & Conſtantinus Magnus. Illi, quod non minus ac Maccabæi, furentem ob abiectum idolorum cultum, Maximinum: hic, quod propter eandem cauſam in Chriſtianos ſæuientem Licinium, vi repreſſerit. Euſeb. *hiſt. Eccleſiaſt. lib. 9. cap. 8. & vltim.*

X. At

VI. De fratribus Guiſiis, Galliæ regnum affectantibus. Autor *diſcurſ. de reb. Gallic. in pr.* Autor *apolog. cathol. cap. 2. num. 10.* Henric. Steph. in *dialog. Philocelta, & Coronelli.* Et alijs: de quibus P. Gregor. *lib. 13. de Republic. cap.* 11. Nec vero mirum. Ita enim conſtitutum eſt iure pontificio, vt ſi quæ poteſtates ſeculares, ditiones ſuas ab hæretica prauitate purgare neglexerint, illæ catholicis exponantur occupandæ, *capit. excommunicamus, §. moneantur, capit. ad abolendam, §. ſtatuimus, extra, de hæretic.* Quam conſtitutionem, quamlibet ſatis abſurdam, (teſtes inuoco vel ipſos homines catholicos, P. Gregor. 2. *partic. iur. Canonic. titul 6. num. 5.* Autorem *apol. cathar. cap. 2. numer. 21. & ſeqq.*) & Fridericus I. Imper. de cauſa neſcio qua, confirmauit, *auth. ſi vero. C. de hæretic. & Manich.* Artibus haud dubie Pontificum, hoc eſt, vi fraudeque adductus. Quod & de Friderici II. legibus quibuſdam, notat Warem. Luitholdus in libr. *de optima ratione componendæ religionis*, Iuſtin. Springer. *de pac. relat. capit. 3.* Quapropter, licebit vel eo nomine, hiſce religionis oppugnatoribus, ſeſe opponere, quod occulti regnorum, ac principatuum aucupes hoſteſque eſſe videntur.

ASSERTIO III.

NEque vero eſt, quod quiſquam dubitandi rationibus, ſupra commemoratis, alio ſe dimoueri patiatur. Nam I. quanquam DEVS pro immenſa potentia ſua, vel abſque vllis mediis, reprobos conuertere, bonos tueri, punire malos, debiles & ægrotos ſanare, atque adeo religionem quoque conſeruare poſſit: nihil tamen hodie fere, niſi per media, agere conſueuit. Et ideo ſuos ſibi in terris miniſtros, ſuos magiſtratus, medicoſque conſtituit. Quorum ope, conſilioque vti, qui contemnit, nihil eſt, quod immediatam DEI immortalis opem expectet. Nam quemadmodum non auditur, qui dum leges inuocat, contra eas committit, *lib. 37. in fin. de minor.* Ita non exauditur, qui, dum DEI immortalis auxilium inuocat, media ab ipſo ordinata contemnendo, contra DEVM committit. Ratio eſt, quia Deum tentat. Vt præclare docent Theologi Magdeburgenſes, in ſcripto, Octobr. die 16. anno 50. edito, cui titulus: Erinnerung der Pfarherrn zu Magdeburgk / an alle Chriſten / gegenwertige Verfolgung betreffendt: his verbis: Dann wie jenes (fiduciam in viribus humanis ponere) Abgötterey iſt / Alſo iſt dieſes (media contemnere) Vngehorſam vnd Vorſuchung Gottes. Verbeut alſo Gott beydes / das Vertrauwen / vnd Vorachten der Mittel / wo ſie ſeind / ꝛc. Addatur eorundem Theologorum Bekenntnuß vnd Vnterricht / *p. 2.* Ioan. Caſimirus, Comes Palatinus, in ſcripto, *de ſua in Belgium expeditione. §.* Alſo vnd zum dritten. Iohan. Knyttel. *conſil. 2. tom. 4. conſil. illuſtriſſ. ICtor. & Academ. numer.* 121. P. Lorich. in *epiſtol. ad typograph. ante enchirid. arreſtor. num. centeſimo-ſeptimo.*

Nihilo quoque magis obſtat ratio II. Nam & ipſi priuatos, qui ius gladij non habent, religionis defendendæ cauſa, gladium ſumere nolumus, cum Langrauio ac Luthero, apud Sleid. *lib. 5.* aduerſus ruſticos ſeditioſos diſputantibus. Atque iterum, Luthero, apud eundem, *lib. 9.* Georgij Ducis Saxoniæ criminationes refellente. Non habuit autem gladij ius Petrus, licet gladium (vt nos omnes) habuerit, ſed priuatus fuit. Sicque huic eidem obiectioni reſpondet Luther. in *d. concion. 3. ſup. hiſtor. paſſ.* & apud Sleidan. *d. libr. 5.* Landgrauius, idem, Iuſtus Menius, tr. von der Nothwehr / *p. 2.* Autor Autonom. *p. 2. cap. 18. f. 179. b.* Steph. Iun. *vind. cont. tyr. quæſt. 2. ac de iur. mag. in ſubd. quæſt.* 10. Iohan. Gerhard. *diſput. polit. 10. th. 7.* Addatur *pr. cauſ. 23. quæſt. 8. in princ. & capit. 2.*

III. Autem ratio, mihi quoque eſt, cum Magdeburgenſibus Theologis tota vera: Sed non ideo ſententiæ noſtræ contraria. Enimvero mediis vti quidem licet, vt in morbis, remediis. Knyttel. *d. conſil. 2. num.* 121. At iiſdem ſupra Deum confidere non licet, neque moram ægre ferre, ſi (vt in Belgio, tot iam annos pro aris & focis pugnante) finem & optatam metam ſuam, ſtatim aſſequi non poſſint. Quoniam illud idololatriæ genus; hoc, patientiæ Chriſtianæ contrarium eſt.

IV. Vero, duplici modo laborat. I. Quia abſurda & falſa eſt opinio Lactantij, *6. diu. inſt.* 20. & aliorum, qui cum Chriſtiana patientia, pugnare putant huius mundi media, quibus ad depellendas iniurias, Chriſtiani vtuntur legitime, vt ſunt cum iudicia, tum bella iuſta, Confeſſ. Auguſtan. *articul. 16. & 28.* Qui in editione latina ſeptimus eſt: abuſuum mutator. Apologia, in *defenſ. artic.* 19. Molinæ. *de vſur. qu. 2. nu. 87. & ſeq.* item *lect. Dolan. 4. num.* 12. Oldendorp. *de iur. & equit. tit. 6. in princ.* P. Lorichius *d. nu.* 107. Steph. Iun. *de iur. mag. in ſubd. q. 7. & qu.* 10. Lamb. Danæ. *polit. Chriſt. lib. 7. cap. 5.* Goclen. *quæſt. Ethic. c.* 92. Machiauell. *2. de Republ. 2. §. nihil enim religionis.* Immerito, quaſi hic à nobis diſſentiret, notatus ab Antimach. *lib. 2. theor. 3.* Th. Bozio *de reb. bell. cap.* 10. Vnde in hac ipſa cauſa ſancte reſpondebat Lutherus, teſte Sleidan. *com. lib. 1.* & Alb. Gent. *6. d. nupt.* 22. Euangelium non abrogare politias: hoc eſt, non improbare ea, quæ iure naturæ, gentiumue, aut alijs legibus bonis ciuilibus, vnicuique ſecundum ſtatum ac conditionem ſuam permittuntur. Philip. Melanch in *comm. in politic. Ariſtotel.* Iuſtus Menius *d. par. 2. tractat.* von der Nothwehr. Reg. Selinus *libell. eodem.*

II. Quia certe patiuntur, qui armis religionem defendunt, vimque aduerſariorum ſuſtinent.

ſuſtinent. Eſt enim bellum vnum ex grauiſſimis flagellis, quibus Deus homines caſtigat. Lamb. Dan. *polit Chriſt. lib. 7. c. 3.* Ayala. *c. 2. lib. 1. de iur. bell. n. 4.* Vnde illud.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Egregie ac perſpicue Lutherus *d. conc. 3. §.* Ja ſprichſtu ein Chriſt ſoll leiden / Phil. Melanch. *in præf. d. libelli*: Erklerung D. Mart. Luthers / von der Frag die Nothwehr belangend. Theologi Magdeburgenſ. *d. p. 2.* deß Bekenntnuß / §. damit aber. Steph. Iun. *de iur. mag. in ſubd. q. 10.*

Quinta. VI. ac VII. Sunt ex his, quæ diximus, confutatu non difficiles. Chriſtus, enim, Apoſtoli ac primitiuæ Eccleſiæ martyres, priuati omnes erant, neque magiſtratum aliquem Chriſtianum habebant. Non igitur mirum, quod perſecutoribus, neq; ſuam, neq; miniſtrorum, aut magiſtratus manum opponerent. Steph. Iun. *d. q. 10.*

VIII. Neque nihil dicit, neque omnia. Nam profitebatur quidem Elector, Lutherum ſe defendere nolle. Sed tum, cum legitime examinata cauſa, & erroris conuictus Lutherus eſſet. Cæteroquin, ab omni vi iniuſta, adeo, Elector idem, abhorruit, vt etiam in iiſdem apud Sleidanum literis, fide publica Luthero idonee caueri voluerit, quo doctrinæ ſuæ rationem, ſecure reddere poſſit: & Pontificio legato, Lutherum aliquando Epiſcopis quibuſdam tradi petenti, vt illum carceri manciparent, teſte Philippo *declamat. tom. 5. in orat. de Gregor. Pontan.* non annuerit, nec Lutherum vnquam tradiderit.

IX. Ratio fruſtra iactar Theologorum ſuffragia. Initio enim omnes aliud ore, aliud pectore clauſum geſtabant. Optima; ratione. I. Ne igni oleum affundere, & aulicorum quorundam animos, iam tum, ad bellum, ſatis per ſe pronos, magis extimulare atque incendere velle viderentur. II. Ne proteſtantes perferre quæcunque poterant, deſiſterent, aut aduerſarijs bellum forte vltro inferrent. III. Ne pontificij anſam calumniandi darent, quaſi Lutheranæ religionis concionatores, bellorum faces, ac tubæ: Principes autem refractarij, ac magiſtratuum contemtores eſſent.

Poſtremo, quod nondum bellum imminere, ſed intempeſtiue de defenſione conſultari, putarent. Quarum rerum teſtes habeo, ſic ſcribentes Theologos Magdeburgenſes *p. 2.* Deß Bekenntnus / Vnterrichts / vnnd Vormahnung. Was aber die Vrſachen ſeind / warumb D. Luther etwas dunckel / vnd ſchier widerwertig hievon gerathen hat / haben etliche ſeine vertrauwte Freunde inſonderheit von jhm vernommen / ꝛc. Er hat nemlich die Gegenwehr nicht wollen loben / oder recht heiſſen / auff daß die guten Hertzen / auff dieſen Theil nicht dadurch nachlieſſen / in Gedult den Feinden gleich viel Vnrechts zuvortragen / vnd daß die vnſinnigen Scharhanſen an der Fürſtenhöfe / vnd ſonſt / nicht vnſinniger würden / Die vorhin mehr / dann gar zuviel / vnnd auß eytel fleiſchlicher thörichter Rachgier / zu Kriegen luſt hatten / wie er vber dieſelben ſehr klaget / in der Außlegung deß 118. Pſalms. Ac Philippum Melanchthonem, *in d. præfat.* der Erklerung D. Martin Luthers / dicentem: Daß aber etliche ſolche jhre Rede (non reſiſtendum) ſchmücken mit einer Schrifft Lutheri, die er vor etlichen Jahren geſtelt / als der gern Krieg verhüten wollen / ſo lang es durch Gottes Gnad müglich geweſen / darauff ꝛc. item Ioh. Bugenhagium *in præfat. eiuſdem libelli*, Philippo perſpicue conſentientem. Et ipſum denique Lutherum in der Warnung an ſeine liebe Deutſchen *tom. 5. Germ. Ienenſ. fol. 276.* Es gebürt mir nicht / (dicentem) Krieg zuführen / noch zum Krieg zurathen / oder anreitzen / Als einem Prediger im geiſtlichen Ampt / ſondern vielmehr vom Kriege zum Frieden. Item fol. 282. Ich will den Namen nicht haben / daß auß meinem Rath vnd Willen / jemand kriege oder ſich wehre. Et in epiſtola ad Electorem, apud Cæleſtin. d. tom. 1. hiſtor. Aug. Confeſſ. *Nos non dubitamus, quin hoc quod iam molitur animo Imperator, tantum ſint minæ & inania terriculamenta Diaboli.* Atque in fine: *Sed interea aquæ multæ d fluent, & facile inueniet Deus conſilium, vt longe aliter res cadat, quam ipſi cogitant.* Idemque ſcribit, in literis ad Wenceſl. Lincum, apud Cæleſtin. *tom. vlt. hiſtor. Auguſt. Confeſſ.* Et iſtis ad anonymum, quas ediderunt Philippus & Bugenhagius.

At, poſteaquam bellare, Pontificijs fixum iam omnimodo ac decretum eſſet, Theologi quoque, vſque adeo ſententiam non diſſimularunt ſuam, vt potius quid ſentirent, dicerent aperte; nihil circuitione vtentes, in ſcriptis, *pr. aſſert. 2.* allegatis. Optima item ratione. Primum, ne defenſionem negantes, Pontificios ad inferendam iniuriam redderent ferociores. Quam rationem adferunt Theologi Magdeburgenſes, cum de Luthero inquiunt: Er hat gleichwol nicht wollen ſagen (publicis in ſcriptis) daß die Nothwehr vnrecht ſey / auff daß er nicht dardurch die Papiſten ſtercke / *d. p. 2.* deß Bekenntnus. Atque Lutherus ipſe, in libello, wider den Meuchler zu Dreßden tom. 5. Germ. Ien. fol. 309. ſcribens: Ich hab wollen abſchrecken die Papiſten / vnd jederman / daß ſie nicht dem Mördeꝛiſchen Edict Folge theten. Deinde, ne conſcientias aggrauarent eorum, qui pro re nata Pontificio furori, obuiam ituri eſſent. Id quod ſe facturum, dudum minatus erat, his verbis Lutherus, in der Warnung an ſeine liebe Deutſchen / tom. 5. Germ. Ienenſ. f. 276. Weiter wo es zum Kriege kompt / da Gott vor ſey / will ich der Leute Gewiſſen nicht beſchweren laſſen / mit der Gefahr vnd Sorge / als ſey jhr Nothwehr auffrüriſch / ꝛc. Hæc igitur cum ita ſint, quid ex prioribus ſcriptis, Lutheri, cæterorumq; ſententiam æſtimamus? nec aduertimus: I. Qua mente ſcripta ſint, conſiderare, quam interpretationis bonæ leges iubet, *l. 11. ff. ad exhib. l. 13 §. 2. de excuſ. tut.* II. Quod poſteriora derogent prioribus, vbicunque contraria ſunt, *l. 28. de ll.* III. Quod ipſemet Lutherus, literarum ſuarum rationes, in poſterioribus ſcriptis confutauerit, *d. concion. 3.* vnnd wider den Meuchler zu Dreßden / *d. tom. 5. Germ. Ienenſ. f. 308.* IV. Quod lectores, ſuam de quæſtione propoſita ſententiam, auß der Warnung

nung an ſeine liebe Deutſchen / ſumere iuſſerit, *d. concion.* 1. At poſtremo, quod priuatæ ſcripturæ, aduerſus publicam, nulla authoritas eſſe poſſit. Vt bene docet Bugenhagius in d. præfat. cum ait: Du findeſt viel anders / in der Lehre vnſers Vatters Lutheri, die er offentlich hin in die gantze Welt / geprediget vnd geſchrieben hat. Die wirdt kein Feindt deß HERRN Chriſti / mit keinem heimlichen Brieff / gleich als Lutheri, vmbſtoſſen. Eique conſentaneum eſt, quod de Philippi ad familiares epiſtolis, ſcribit Waremund. de Erenbergk. *veriſimil. de regn. ſubſid. cap.* 1 *num.* 27. contra autorem Autonomiæ, *part.* 3. *cap.* 12. Eas nimirum, vtpote priuatim ad amicos ſcriptas, ſobrie interpretandas, ac nequaquam calumniandas eſſe.

Sed & illud obſeruatione dignum eſt, non omnes, quæ ſuperiore ſeculo negantem in ſententiam, ſub Lutheri nomine circumferebantur literæ, eius quoque fuiſſe. Verum quaſdam etiam, ab aduerſarijs aut ſuppoſitas, aut certe adulteratas. Callido commento. Scilicet, vt metu nominis iniecto, à propoſito abſterrerent eos, qui cæteroquin parati erant, vitam pro religione profundere. Quo de commenti genere, ſcitum eſt illud Liuij de Bacchanalibus ſcribentis, decad. 4. lib. 9. *nihil eſt in ſpeciem fallacius, quam praua religio, cum Deorum numen prætenditur ſceleribus. Subit enim animos timor, ne fraudibus humanis vindicandis, diuini iuris aliquid immixtum violemus.* Teſtes eius fraudis ſunt, Philippus ac Bugenhagius in præfationibus ſæpius citatis. In quibus hiſce rationibus, quaſdam ſubreptionis conuincunt. I. Quod re, cum Doctore Bugenhagio, Witebergæ deliberata, Lutherum ita ſtatuiſſe ſignificent. Cum Bugenhagius tamen, ſcriptarum literarum tempore, neque Doctor, neque Witebergæ, ſed Lubecæ fuerit. II. Quod ipſæmet, in verbis, in inſcriptione, in die & anno, inter ſe diſſentaneæ eſſent.

Denique ex his, ſimul illud intelligamus, quanquam (vti ait ratio X.) Lutherus in ſuis ad Electorem literis, audiendos negarit ICtos, reuera tamen ei, idem, quod ICtis viſum. Et conſequenter Sleidani optimæ notæ hiſtorici, fidem hic non vacillare *d. lib.* 8. Quam & ſuſtentat his verbis, Bugenhagius, In demſelben Jahre 1530. kam ich gen Lübeck / vnd war da biß in das Jahr 1532. Da ſchrieb mir der Herr Philippus, daß die Theologi zu Wittenberg / vnd die Juriſten weren in dieſer Sach eins worden / daß ſie es wolten bleiben laſſen / beym Keyſer Rechte / weil es eine weltliche Sache / die Morde / vnd vnrechte Gewalt betrifft / wie Petrus ſagt: Subiecti eſtote omni humanæ ordinationi. Hæc ille. Cumque Gregorius Pontanus, non modo ICtus, ſed etiam cæterorum ICtor. decus & coryphæus fuerit, in eadem, in qua eum Merckelius fuiſſe ſcribit ſententia, illum ſerio aut fuiſſe, aut perſtitiſſe, ſibi alius perſuaſerit. Nihil obſtat igitur & ratio XI.

COROLLARIVM HISTORICVM.

Multos ſcriptores belli Germanici incertos, certare hanc rem legimus. Cæſariſne, an aliò nomine Saxo & Landgrauius, Imper. Carolum V. allocuti ſint, in diffidationis literis? Sleidanus *com. lib.* 17. deliberatum quidem ea de re fuiſſe ſcribit, antequam literæ ſcriberentur, ac tum obtentum, vt vocaretur is, qui ſe pro Cæſare gereret. Veruntamen paulo ante, ipſarum referens exemplum literarum: *ſuperiore* (principes ſcripſiſſe ait) *menſe per epiſtolam nos apud te purgauimus Carole Cæſar.* Eique Lambert. Hortenſ. *lib.* 2. *de bell. Germanic.* apud Schardium *hiſtori. tom.* 1. conſentit.

Ludouicus autem de Auila, *lib. poſter. de bello Germ. Fœdericus*, inquit, (ſic enim nomen hoc deformant, qui linguæ Germanicæ ignari, à fœdere id deducunt, cum à Germanico Fried debuiſſent, Cuſpinian. *in Friderico* I. Criticus quidam Germanus, in *reſtitut. nomin. German.* apud Schardium *hiſtori. tom.* 1. Bodin. *in meth. hiſtori. capit.* 9. P. Lorich. in *enchir. arreſt. numer.* 528. Minus Celſus *de hæret. non occid. ſect.* 3. Neque enim admittunt etymon latinum patria ac gentilitia nomina, vt recte eſt à Cuſpinian. *d. loco*: Iohan. Igneo, ad *l. neceſſarios* §. *non alias*. *de SCto Silan. part.* 3. *numer.* 266. 270. Dreſſer. *millen.* 5. *f.* 428. obſeruarum) *& Landgrauius Cæſaris appellatione per ludibrium oppreſſa, in literis tabuliſque publicis, Carolum de Gandauo ſcribebant. & qui ſe falſo Imperatorem nominaret.* Cuius fidem ſecutus videtur Henric. Merckel. in *libell. de obſid. Magdeburg.* Tertiæ opinionis autor eſt, Sleidani aduerſarius, Caſpar Gennepius. Is enim *hiſtori. lib.* 4. Regem duntaxat Hiſpaniæ, eum vocatum ſcribit, & qui ſe falſo Cæſarem iactaret. In quo poſtremo ei cum cæteris, ac Natal. Comit. *hiſtori. lib.* 2. *in fin.* conuenit. Quamuis hic cum iſthæc narraret iſtarum literarum mentionem nullam fecerit. Quid ergo hac in varietate opinionum dicemus? minime omnium fallere nos Sleidanum. Sic enim habent literæ ab ipſis Proteſtantibus anno 46. editæ, ſub titulo: Abdruck der Verwarungs Schrifft der Chur / vnd Fürſten / Graffen / Herrn / Städte vnd Stände / Augſpurgiſcher Confeſſion einigungs Verwandten / etc. Dem allerdurchleuchtigſten Fürſten vnd Herrn / Herrn Carolen / Römiſchen Keyſer / etc. fügen wir Churfürſten / Fürſten / Graffen / etc. zuwiſſen. Neque mouet me, quod alij vrgent Cæſaris ad Captiuum Saxonem verba. *Ergone nunc tibi ſum Cæſar?* quaſi antea pro Cæſare ab Electore habitus non fuerit. Non enim in vniuerſum, Cæſaream autoritatem, aut nomen Imperatorium, & conſequenter, obedientiam, Proteſtantes, Carolo V. negabant, ſed in iis duntaxat caſibus, in quibus, aut nullum imperandi ius habere illum putabant, aut exceſſiſſe limites præſtiti iuriſiurandi. Huc que videtur Cæſar reſpexiſſe.

Con-

Conſtat autem illud ex ea literarum, diffidationis, limitatione: Dardurch den wir berührter Pflicht / in angezeigter vnſer Göttlichen vnd Natürlichen defenſion, Schutz vnd Rettung (quatenus poſtulat inculpatæ tutelæ ius,) frey worden ſeindt. Item: Gegen ewer Mayeſtet / Wie viel gemelter Göttlichen Gegenwehr vnd Schutzes Nothturfft erfordern will / zuhandlen. Atque ex ſcripto, cui titulus: Vrſachen der abgenötigten defenſion vnnd Gegenwehr / anno 46. edito:

—— ——Vnd thut hiemit
Gentzlich wider den Keyſer nit /
Der in dem Fall kein Keyſer iſt.

Item ex d. Lutheri literis, a Philippo ac Bugenhagio editis, in quibus ait: Derhalben haben auch die vnſern beſchloſſen daß K. M. in dem Falle / nicht Keyſer iſt / ſondern ein Kriegsmann / Diener deß Bapſts. Conuenienter ſane gloſſæ, ad *lib. 1. artic. 1.* Landtrecht / *num. 3.* ibi: Das geſchehe jhm nicht als einem Keyſer. Eiuſ, quæ ſcribit P. Frider. *lib. 2. c. de mand. mdic. cap. 13. num. 13.* Adde quæ dicemus *diſput. 5. diſſert. 9. & 10.*

F I N I S.

Digitized by Google

Dd. Tab. V. . . 19

Digitized by Google